

LAMBERTI DANÆI
OPVSCVLA OMNIA THEOLOGICA, AB IPSO AVTHORE RECOGNITA,
& in tres Claſſes diuiſa.

QVID AVTEM IN SINGVLIS claſsibus contineatur, ea quæ Epiſtolam dedicatoriam ſequitur pagina indicabit.

ACCESSERVNT OPERI INDICES DVO locupletiſſimi, quorum prior rerum & verborum inſignium: poſterior locorum S. Scripturæ ab Authore explanatorum Elenchum continet.

¶ Anchora ſacra mari iactatos vnica Chriſtus
Fundat, & eſt omni tempore ſola ſalus.

EXCVDEBAT
EVSTATHIVS VIGNON.
M. D. LXXXIII.

Von m. gl. hern,

ORTHESIANAE ACADEMIAE IN DITIONE SERENISS. REGIS NAVARRÆ, LAMBERTVS DANÆVS IN CHRISTO

S. P. D.

⁂

NIHIL potuit, Viri Clariſsimi, mihi contingere optatius, quàm vt ad vos veſtramq́ illam iam celebrem Academiam à Potentiſs. Principe, & verè Chriſtiana illa Joanna d'Albret Nauarrenorum Regina primùm conditam, poſt autem à Sereniſs. Henrico Borbonio illius filio & tum pietatis tum Regni hærede locupletatam auctámque euocatus, & nunc primùm adueniens, cum hoc omnium Opuſculorum noſtrorum Theologicorum munuſculo accederem, vóſque ſalutarem. Nam hocce & mei erga vos animi teſtimonium fore locupletiſsimum exiſtimaui: & illius doctrinæ, cuius à me profeſsionem exigitis, certiſsimum examen & argumentum, vt ſi à quopiam fortaſſe meæ fidei, id eſt eius, quam in Deum per Chriſtum ex ipſius ſanctiſsimo verbo habeo profiteórque, ſpei ratio petatur, hoc luculentiſsimum, quemadmodum ſpero, tũ in διδακτικοῖς *tum in* πολεμικοῖς, *ſit illi futurum pro me reſponſum. Verè enim teſtor me in his nihil fictè, nihil ſimulatè, nihil in cuiuſquam gratiã aut etiã odium, aut ſcripſiſſe aut ſenſiſſe: (Quis enim præſertim Theologus vel profani illius verè tamen auream ſententiam ignoret:* οὐ γάρ ἐπὶ ψεύδεσσι πατὴρ Ζεὺς ἔσσετ' ἀρωγός *?) ſed quantum Dominus Deus magna ſua miſericordia, atque Sancti Spiritus ſui luce per ipſius verbum ſcriptum me edocuit, tantum hiſce monumentis me ſincerè prodidiſſe. Vtinam autem illa tam ſint cùm vniuerſæ Dei eccleſiæ, tum vobis veſtræque imprimis Academiæ, cui à me dedicantur, vtilia, quàm à me & magnis apud Deum precibus ſunt impetrata: & importunis*

ORTHESIANAE ACADEMIAE IN DITIONE SERENISS. REGIS NAVARRÆ, LAMBERTVS DANÆVS IN CHRISTO

S. P. D.

⁂

NIHIL potuit, Viri Clariſsimi, mihi contingere optatius, quàm vt ad vos veſtramq́ illam iam celebrem Academiam à Potentiſs. Principe, & verè Christiana illa Ioanna d'Albret Nauarrenorum Regina primùm conditam, pòſt autem à Sereniſs. Henrico Borbonio illius filio & tum pietatis tum Regni hærede locupletatam auctámque euocatus, & nunc primùm adueniens, cum hoc omnium Opuſculorum noſtrorum Theologicorum munuſculo accederem, vóſque ſalutarem. Nam hocce & mei erga vos animi teſtimonium fore locupletiſsimum exiſtimaui: & illius doctrinæ, cuius à me profeſsionem exigitis, certiſsimum examen & argumentum, vt ſi à quopiam fortaſſe meæ fidei, id eſt eius, quam in Deum per Chriſtum ex ipſius ſanctiſsimo verbo habeo profiteórque, ſpei ratio petatur, hoc luculentiſsimum, quemadmodum ſpero, tũ in διδακτικοῖς *tum in* πολεμικοῖς, *ſit illi futurum pro me reſponſum. Verè enim teſtor me in his nihil fictè, nihil ſimulatè, nihil in cuiuſquam gratiã aut etiã odium, aut ſcripſiſſe aut ſenſiſſe: (Quis enim præſertim Theologus vel profani illius verè tamen auream ſententiam ignoret:* οὐ γὰρ ἐπὶ ψεύδεσσι πατὴρ Ζεὺς ἔσσετ᾽ ἀρωγὸς *?) ſed quantum Dominus Deus magna ſua miſericordia, atque Sancti Spiritus ſui luce per ipſius verbum ſcriptum me edocuit, tantum hiſce monumentis me ſincerè prodidiſſe. Vtinam autem illa tam ſint cùm vniuerſæ Dei eccleſiæ, tum vobis veſtræq́ue imprimis Academiæ, cui à me dedicantur, vtilia, quàm à me & magnis apud Deum precibus ſunt impetrata: & importunis* *poſtea amicorum flagitationibus in ſolem, & conſpectum hominum pertracta. Vobis verò, fratres, hæc non ingrata fore vel idcirco iudicaui, quòd me adhuc vobis ignotum tam vehementer tamen non ſolùm dilexiſtis, verùm etiam amaſtis, vt in peregrino & à vobis remotiſſimo loco diu verſari minimè ſitis paſſi, ſed quum primùm ad vos accerſiueritis, & ad veſtras eccleſias tanquam patrio ſolo coniunctas ſedes reuocaueritis. Bene valete, Viri fratres. Ex itinere ad vos ſuſcepto, & Blezarum oppido quod eſt ad flumen Ligerim, Calendis Auguſti, CIↃ. IↃ. LXXXIII.*

V. Ordini addictiſſimus

Lambertus Danæus.

VISVM FVIT IPSI AVCTORI TOTVM hoc volumen in tres Claſſes diſtribuere.

Claſsis Prima continet Didactica, *id eſt, Opuſcula variis de rebus variis temporibus ab ipſo auctore meditata & ſcripta.*

Sunt verò hæc:

1. Elenchi hæreticorum: vbi facili & ſingulari methodo explicatur qua ratiõe hæreticorũ paralogiſmi deprehendi & ſolui poſsint pag. 1.
2. Ethices Chriſtianæ libri tres: In quibus de veris humanarum actionum principiis agitur: atque etiam legis diuinæ ſiue Decalogi explicatio, illiúſque cum ſcriptis Scholaſticorum, Iure Naturali ſiue Philoſophico, Ciuili Romanorum, & Canonico collatio continetur. Præterea Virtutum & Vitiorum, quæ paſsim vel in S. Scriptura, vel alibi occurrunt, quæque ad ſingula legis Diuinæ præcepta reuocantur, variæ definitiones pag. 40.
3. Tractatus de Amicitia Chriſtiana pag. 208.
4. De ludo aleæ pag. 214.
5. Phyſices Chriſtianæ partes duæ, quarum prima Chriſtianã de rerum creatarum origine ac vſu diſputationem continet pag. 223.
6. Altera de earundem natura agit, atque in ſex tractatus, pro dierũ quibus Deus operatus eſt numero, diuiſa eſt pag. 265.
7. De Veneficis, quos olim Sortilegos nunc autẽ vulgo Sortiarios vocant Dialogus pag. 377.

Claſsis Secunda habet Exegetica *Opuſcula, ſeu commentarios ab eodem authore editos.*

Sunt verò hi:

1. Methodus Sacræ Scripturæ in publicis tum prælectionibus tum concionibus vtiliter atque intelligenter tractandæ pag. 400. Quæ praxi, id eſt, aliquot exemplis & perpetuo
2. In Epiſtolã D. Pauli ad Philemonem cõmentario illuſtratur pag. 412.
3. In D. Pauli Priorem Epiſtolam ad Timotheum commentarius pag. 427.
4. Orationis Dominicæ explicatio pag. 557.
5. Paratitla in D. Auguſtini Tomos duos præcipuos, nimirum ſextum & ſeptimũ, in quibus illius cõtra Manichæos, Priſcillianiſtas, Arrianos, Iouinianiſtas, Donatiſtas, & Pelagianos πολεμικὰ ſiue certamina continentur pag. 623.
6. Diui Aurelii Auguſtini Enchiridion ad Laurentium, ſiue ſumma & præcipua totius Chriſtianæ Religionis capita pag. 729.
7. D. Aurelii Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi liber de hæreſibus ad Quodvultdeum, emendatus, & commentariis illuſtratus, à quo eodem additæ ſunt hęreſes ab orbe condito ad conſtitutum Papiſmum & Mahumetiſmum, etiam eæ quæ hic erant ab Auguſtino prætermiſſæ pag. 897.

Claſsis Tertia continet Polemica.

Sunt verò hæc.

1. Tractatus de Antichriſto, in quo Antichriſtiani Regni locus, tempus, forma, Miniſtri, fulcimenta, progreſsio, & tandem exitium & interitus ex Dei verbo demonſtratur, vbi etiam aliquot difficiles antea & obſcuri tum Danielis tum Apocalypſeos loci perſpicuè iam explicantur pag. 1049.
2. In Petri Lombardi Epiſcopi Pariſienſis (qui vulgò Magiſter Sententiarum appellatur) librum primum Sententiarum, qui eſt de vero Deo, eſſentia quidem vno: perſonis autem trino, Commentarius triplex &c. pag. 1093.

Addita eſt & Synopſis, in qua veteres Synodorum & ſymbolorum de eodem argumento Canones certis capitibus deſcribuntur pag. 1304.

3. Ad nouas Gulielmi Genebrardi doctoris Pariſienſis calumnias, quibus tum orthodoxam Euangelicorum omnium de S. Trinitate doctrinam traducit, tum etiam horrendam Valentini Gentilis errorem tuetur ac renouat, reſponſio pag. 1309.
4. Demonſtratio Anthiteſis ſeu repugnãtię theſium Repetitionis & Doctrinæ Iacobi Andreæ de perſona Chriſti ex ipſiſ-

poſtea amicorum flagitationibus in ſolem, & conſpectum hominum pertracta. Vobis verò, fratres, hæc non ingrata fore vel idcirco iudicaui, quòd me adhuc vobis ignotum tam vehementer tamen non ſolùm dilexiſtis, verùm etiam amaſtis, vt in peregrino & à vobis remotiſsimo loco diu verſari minimè ſitis paſsi, ſed quum primùm ad vos accerſiueritis, & ad veſtras eccleſias tanquam patrio ſolo coniunctas ſedes reuocaueritis. Bene valete, Viri fratres. Ex itinere ad vos ſuſcepto, & Blezarum oppido quod eſt ad flumen Ligerim, Calendis Auguſti, CIƆ. IƆ. LXXXIII.

V. Ordini addictiſſimus

Lambertus Danæus.

* * *

VISVM FVIT IPSI AVCTORI TOTVM hoc volumen in tres Claſſes diſtribuere.

Claſsis Prima continet Didactica, *id eſt, Opuſcula variis de rebus variis temporibus ab ipſo auctore meditata & ſcripta.*

Sunt verò hæc:

1. Elenchi hæreticorum: vbi facili & ſingulari methodo explicatur qua ratiõe hæreticorũ paralogiſmi deprehendi & ſolui poſſint pag. 1.
2. Ethices Chriſtianæ libri tres: In quibus de veris humanarum actionum principiis agitur: atque etiam legis diuinæ ſiue Decalogi explicatio, illiúſque cum ſcriptis Scholaſticorum, Iure Naturali ſiue Philoſophico, Ciuili Romanorum, & Canonico collatio continetur. Præterea Virtutum & Vitiorum, quæ paſſim vel in S. Scriptura, vel alibi occurrunt, quæque ad ſingula legis Diuinæ præcepta reuocantur, variæ definitiones pag. 40.
3. Tractatus de Amicitia Chriſtiana pag. 208.
4. De ludo aleæ pag. 214.
5. Phyſices Chriſtianæ partes duæ, quarum prima Chriſtianã de rerum creatarum origine ac vſu diſputationem continet pag. 223.
6. Altera de earundem natura agit, atque in ſex tractatus, pro dierũ quibus Deus operatus eſt numero, diuiſa eſt pag. 265.
7. De Veneficis, quos olim Sortilegos nunc autẽ vulgo Sortiarios vocant Dialogus pag. 377.

Claſsis Secunda habet Exegetica *Opuſcula, ſeu commentarios ab eodem authore editos.*

Sunt verò hi:

1. Methodus Sacræ Scripturæ in publicis tum prælectionibus tum concionibus vtiliter atque intelligenter tractandæ pag. 400. Quæ praxi, id eſt, aliquot exemplis & perpetuo
2. In Epiſtolã D. Pauli ad Philemonem cõmentario illuſtratur pag. 412.
3. In D. Pauli Priorem Epiſtolam ad Timotheum commentarius pag. 427.
4. Orationis Dominicæ explicatio pag. 557.
5. Paratitla in D. Auguſtini Tomos duos præcipuos, nimirum ſextum & ſeptimũ, in quibus illius cõtra Manichæos, Priſcillianiſtas, Arrianos, Iouinianiſtas, Donatiſtas, & Pelagianos πολεμικὰ ſiue certamina continentur pag. 623.
6. Diui Aurelii Auguſtini Enchiridion ad Laurentium, ſiue ſumma & præcipua totius Chriſtianæ Religionis capita pag. 729.
7. D. Aurelii Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi liber de hæreſibus ad Quodvultdeum, emendatus, & commentariis illuſtratus, à quo eodem additæ ſunt hęreſes ab orbe condito ad conſtitutum Papiſmum & Mahumetiſmum, etiam eæ quæ hic erant ab Auguſtino prætermiſſæ pag. 897.

Claſsis Tertia continet Polemica.

Sunt verò hæc.

1. Tractatus de Antichriſto, in quo Antichriſtiani Regni locus, tempus, forma, Miniſtri, fulcimenta, progreſſio, & tandem exitium & interitus ex Dei verbo demonſtratur, vbi etiam aliquot difficiles antea & obſcuri tum Danielis tum Apocalypſeos loci perſpicuè iam explicantur pag. 1049.
2. In Petri Lombardi Epiſcopi Pariſienſis (qui vulgò Magiſter Sententiarum appellatur) librum primum Sententiarum, qui eſt de vero Deo, eſſentia quidem vno: perſonis autem trino, Commentarius triplex &c. pag. 1093.

Addita eſt & Synopſis, in qua veteres Synodorum & ſymbolorum de eodem argumento Canones certis capitibus deſcribuntur pag. 1304.

3. Ad nouas Gulielmi Genebrardi doctoris Pariſienſis calumnias, quibus tum orthodoxam Euangelicorum omnium de S. Trinitate doctrinam traducit, tum etiam horrendam Valentini Gentilis errorem tuetur ac renouat, reſponſio pag. 1309.
4. Demonſtratio Anthiteſis ſeu repugnãtię theſium Repetitionis & Doctrinæ Iacobi Andreæ de perſona Chriſti ex ipſiſ-

met illius theſibus collecta pag.1334
5 Examen libri de duabus in Chriſto Naturis, de earum hypoſtatica vnione, & varia, quæ ex illa vnione ſequitur communicatione à Martino Kemnitio conſcripti pag.1345.
6. Apologia ſeu vera & orthodoxa Orthodoxæ Patrum ſententiæ defenſio ac interpretatio de Adoratione carnis Domini noſtri Ieſu Chriſti, Aduerſus blaſphemā Iacobi Andreæ hæreſin pag.1457
7. Antioſiander, ſiue Apologia Chriſtiana ſimul & neceſſaria, in qua tum Helueticæ Eccleſiæ, & quæ cum ijs in fidei cōfeſſione conſentiunt: tum etiam vera de S. Domini noſtri Ieſu Chriſti Cœna ſententia defenditur aduerſus iniuſtam Lucæ Oſiandri condēnationem pag 1474.
8. Ad inſidioſum Lucæ Oſiandri ſcriptū, quod pia & fidelis ad Gallicas & Belgicas Eccleſias admonitio inſcribitur, reſpōſio, & ſalutaris præcautio ad eaſdem Gallicas & Belgicas Eccleſias pag.1494.
9. De tribus grauiſsimis & hoc tempore maximè vexatis quæſtionibus 1. De S. Domini Cœna. 2. De Maieſtate hominis Chriſti. 3 De non damnandis Dei Eccleſijs, nec auditis, nec vocatis, ad Fratres Tubingenſes reſponſio pag.1509.
10. Ad Stephanum Gerlachium & illius Antidanæum neceſſaria reſponſio pag.1519.
11. Sophiſmatum eiuſdem Gerlachij elenchus pag.1547.
12. Ad Nicolai Selnecceri librum qui inſcribitur, Neceſſaria & breuis repetitio &c. in quo Exegeſis Saxonica oppugnatur, breuis reſponſio pag.1554.
13. Ad Nicolaū Selneccerum de Exegeſi Saxonica breuis epiſtola pag.1581.
14. Articuli de Cœna Dominica, Miniſtris Eccleſiarum, & Scholarum Marchiticarum, Mandato ac iuſſu Illuſtriſsimi Principis ac Domini D. Ioannis Georgij, Marchionis Brandeburgenſis, Electoris &c. proponendi, vt fide cordis & oris confeſsione eos approbent, ac maioris cōfirmationis gratia manuum ſubſcriptionem addant, & ad eoſdem neceſſaria reſponſio. pag.1588.
15. Ad Libellum ab Anonymo quodam libertino recens editum hoc titulo, De externa ſeu viſibili B. Eccleſia, vbi illa reperiri poſſit & quænam vera ſit reſponſio pap.1601.

TYPOGRAPHVS CANDIDO LECTORI S.

QVVM ſtatuiſſem, candide Lector, omnes D. Danæi Tractatus Theologicos, qui hactenus ſuo quique tempore ſeparatim editi fuerant, in vnum nunc volumen collatos ſimul in lucem emittere, iuſtiſſimiſque plurimorum bonorum virorum precibus vt id facerem incitarer: quod & ego ſponte volebam & illi obnixè petebant cur longius differrem cauſa nulla erat. Itaque licet propediem eiuſdem D. Danæi Locos Communes Theologicos perpolitos abſolutóſque habiturus eſſem: ne tamen interea S. Theologiæ operam dantium ſtudia defraudarentur, malui iam hæc opuſcula vno tomo comprehenſa prodire, præſertim quum iam in iuſtam vnius voluminis magnitudinem excreuiſſent, quàm tantiſper dum illi coniungerentur, imperfecta apud me deliteſcere. Illis ergo & aliis aliquot libellis alterum & peculiarem tomum deſtinauimus: breuique, Deo dante, etiam eos euulgabimus. Vt autem ſpecimen Locorum habeas, Tabellam huius operis calci ſubiecimus, in qua quid iis contineatur, perſpicuè ob oculos ponitur. Tu omnia boni conſulas. Vale.

ELEN-

ELENCHI HAERETICORVM.

VBI FACILI ET SINGVLARI METHODO.

explicatur qua ratione hæreticorum paralogiſmi deprehendi & ſolui poſsint.
Liber omnibus Euangelicæ veritatis ſtudioſis valdè neceſſarius.

Paulus in Epiſtola ad Titum cap.1. verſ. 9.

Oportet Epiſcopum tenacem eſſe eius, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelis ſermonis: vt potens ſit exhortari per ſanam doctrinam, & contradicentes conuincere.

OMNIBVS SACRAE THEOLOGIAE CANDIDATIS ADOLESCENTIBVS LAMBERTVS DANÆVS IN DOMINO, S. P. D.

SI QVOD *Paulus Apoſtolus tam ſapienter monet, ſapere ad ſobrietatem homines didiciſſent, fratres dilectiſſimi, tã varia errorum & hæreſeon monſtra, cùm in quibuſlibet alijs artibus, tum verò imprimis in ſacratiſ. Theologiæ ſciẽtia nata nõ videremus. Sed quia partim ambitio, partim etiam ignorantia (quâ nihil quicquam eſt iniquius & proteruius) ita quocũque etiam feliciſſimo tẽpore tranſuerſos homines egit, vt vel quæ ab alijs verè didicerant, modeſtè ſequi dedignarentur: vel quæ ipſi non norant, impudenter etiam auderent tractare, euenit, vt neque ea retenta ſint, quæ à maioribus ſanctè erant tradita: neque etiam quæ diſcebantur tradebantúrque, ſemper omnia rectè docerentur. Quod certè malum non vno tantùm aut altero ſeculo, ſed per omnes omnium hominum ætates & vixit, & creuit, & ab ipſo penè mundi exordio cœpit, ſaltem poſt ſatos & propagatos homines proximè ſecutum eſt. Nam, vt alias artes omittamus, quarum corruptelas perſequi non eſt huius noſtri inſtituti: cedò, vna hæc de Deo ſcientia, quæ Theologia nominata eſt, quotquantíſque erroribus corrupta, atque fœdiſſimè commaculata eſt? Adeò quidem vt ſi cum alijs conferatur, quò ipſa tum propter ſubiecti maieſtatẽ, tum propter præceptorum vtilitatem cæteris ſanctior atque auguſtior eſſe debebat, eò magis deprauata atque à Sitana erroribus contaminata ſit. Quot enim hæreſes? Quot opinionũ mõſtra? Quot hominum portenta diuinam eius authoritatem conuellere, certitudinem quatere, lucem obſcurare, veritatem inuoluere, & pulchritudinẽ deturpare iam inde ab initio naſcentis mũdi auſa ſunt? Neque de illis loquor, qui aut manifeſtiſſimi verbi Dei contemptores, ſpretoréſque vixerunt, quales Cain, Lamech, & Nẽbrod: aut qui purã & à pijs patribus acceptam Dei cognitionẽ in falſiſſimum idolorum cultum, & vaniſſimas religiones commutarunt, id quod iã ætate Enos (qui fuit filius Seth, ipſius autẽ* πρωτοπλάστου *Adami nepos) accidit. Quorũ autẽ vtrique præſentiſſima Sacræ Theologiæ venena & veriſſimæ Dei notitiæ teſtes erant. Sed eos potius intelligo, qui & peiores & longè periculoſiores extiterunt. Ii nimirum qui ipſum Dei veri nomen profeſſi & præ ſe ferentes, crudeliſſimè tamẽ in ipſius ſuæ matris & ſcientiæ, quæ eos aluerat, & inſtituerat, viſcera erroribus & hæreſibus* *ſuis ſæuierunt. Qui omnes cuiuſcunque ſint generis & quocunque tempore vixerint, vno nomine Hæretici ſunt à veteribus appellati. Atque ij penè cum naſcente Eccleſia ſunt exorti, quam & in cunis vagientem extinguere, & adultam necare conati ſunt, ita Diaboli artes & technæ ſemper Eccleſiam exercuerunt. Nam quid aliud Core, Dathan & Abiron agebant quam vt hæreſin & ſchiſma in infante adhuc Dei populo homines temerarij & rebelles inueherent? Quid aliud tot Eſſæorum, Sadducæorum & Samaritanorum variæ de Deo opiniones oſtendunt, quàm iampridem ante Chriſtum fuiſſe in Eccleſia iam adultiore hæreſes, & agnata in agro Domini fuiſſe hæc infelicia lolia & zizania? Poſt Chriſtum autem ſtatim à Satana Cerinthus, Nicolaus & Ebion excitati ſunt, qui fidei Chriſtianæ veritatem oppugnarent. Sed poſt hos extitêre alij quoque infiniti, qui in Eccleſiam nihilo mitiores fuerunt, imò etiam callidiores & aſtutiores. Quorum quidem cauillis reſpondendum eſt, & ratio atque methodus quærenda, quæ tot morbis, Deo dante, mederi & tot eorum vulnera ſanare poſſit. Eam autem nos conati ſumus pro virili parte, & ea mediocritatis mēſura, quam nobis Dominus dedit, per aliorum veſtiga inueſtigare. Scripſit enim Andreas Hyperius clariſſ. doctiſſimúſque Theologus Topica quædam Theologica qui hanc noſtram rationem videbatur meditatus. Atque vtinam is ſuperſtes, quod inſtituerat, abſoluiſſet. Magna certè nobis omnibus attuliſſet commoda. Sed quia aliter Domino viſum eſt, ecce lubentiſſimis animis hanc noſtram operam & elenchorum artem vobis donamus, Adoleſcentes optimi, quam poſt locos communes à vobis diligenter tractatos, & fideliter cognitos, veſtris ſtudijs vſui fore & credimus, & ſperamus, ſi modò ea in ſuum & legitimum finem vtamini. Etſi autem in Eccleſia hæreſes eſſe neceſſe eſt, vt Paulus ait, quemadmodum & ſchiſmata & offendicula, væ tamen illi per quē & hæreſes, & ſchiſmata, & offendicula, væ tamen illi per quem & prodeunt. Sed quia veremur ne imperiti & iniqui homines hoc noſtro ſtudio ad fallacias alijs nectendas conſuendáſque vtantur, vos omnes imprimis rogatos velim, & anteſtari licet, fratres chariſſimi, ne quis ad fraudem cuiquam faciendā hoc noſtro labore improbè abutatur. Hoc enim hominū genus, quos Sophiſtas vulgo vocant, quàm ſit nobis odioſum, atque etiam per ſe ineptum & ridiculū profitemur hoc epigrammate, quod ex Hegeſandro veteri poeta Græco huc tranſcripſimus, & lubenter in iſtorum hominum* ἀπειροκαλίαν, *addidimus. Valete. Datum Genabi, Calend. Ianuarij.* CIↃ. IↃ. LXXIII.

In Sophiſtas Hegeſandri veteris poëtæ
Græci epigramma.

Ο᾿φρυανασπασίδαι, ῥινεγκαταπηξιγένειοι,
Σακκογενειοτρόφοι, ϗ λοπαδαρπαγίδαι,
Ι῾ματανωπερίβαλλοι, νηλιποκαιβλεπέλαοι,
Νυκτιλαθραιοφάγοι, νυκταπαταιπλάγιοι,
Μειρακιεξαπάται, ϗ συλλαβοπευσιλαβηταὶ,
Δοξοματαιόσοφοι, ζηταρετησιάδαι.

Hoc lepidiſſima verſione Latinum fecit Ioſephus Scaliger, I. C. F. in ſuis in M. Varronem collectaneis.

Silonicaperones, vibriſſaſperomenti,
Menticobarbicolæ, extenebropatinæ,
Obſuffarcinamicti, planilucernituentes,
Noctilatentinori, noctidoloſtudij,
Pullipremoplagij, ſutelocaptiotricæ,
Rumigeraucupidæ, nugicanoricrepæ.

Paulus Coloſſ. 2.

Videte ne quis ſit, qui vos deprædetur per philoſophiā & inanem deceptionem.

Auguſt. lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 21.

Sed diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum, quæ in literis ſanctis ſunt penetranda & diſſoluenda, plurimum valet: tantum ibi cauenda eſt libido rixandi, & puerilis quædam oſtentatio decipiendi aduerſarium. Sunt enim multa quæ appellantur ſophiſmata, falſæ concluſiones rationum, & plerunque ita veras imitātes, vt non ſolùm tardos, ſed ingenioſos etiam minùs diligenter attentos decipiant.

IN SACRIFICOS PONTIFICIOS non meliores Sophiſtis.

Εἱματολευκοφόροι, φαινοσκυθρωποπρόσωποι,
Ζυτοδιεργόβιοι, χρηματομισσοπρέται,
Χριςοκαθημεριοςαυροὶ, εἰδωλοσεβαςαὶ,
Λεκτροδιγαμιόφαγοι, πορνολάθραιοτρόφοι,
Εξαπατησιάδαι, κοσμηπαντηπεριπευταὶ,
Καλλιςειχιπποβάται, κερματοθηρασίδαι;
Φαλναγιόφθαλμοι, ὁλοφρενιλαθραφυτευταὶ,
Αἱματοδεψαλέοι, κερδαλεοφρόνιμοι,
Βομβαρδοξιφεσιχοινεγχεσιπυρδιάλεκτοι,
Βιβλιοθεσυφυγάδες, κοσμοματαιόσοφοι,
Διαβολοσπερέες, παχυσκοτοεργαδιωκταὶ,
Ο᾿ρθοφρενιπλανέες, ταρταρεριννύμοροι.

Latinè.

Candidaveſtigeri, facieſimulanteſeueri,
Pulchroperotumidi, miſſapecunifices,
Quottidiechriſtocrucifigi, idolicolentes,
Connubiſanctifugæ, clammeretricitegæ.
Verſidolopelles, totorbiperambulitechnæ,
Alticauallequites, fraudepecunilegi,
Fictoſanctoculi, mentexitioſiſerentes,
Sanguinicrudibibæ, pectorecelidoli,
Bombardagladiofunhaſtaflammiloquentes,
Bibliaſacrifugæ, decipidiſcioli,
Nigredeonati, craſſatenebriſtudioſi,
Mentebonaprivi, tartarerinnypetæ.

Hos aliquando verſus excuſos ſeparatim reperi ſine authore.

L. D.

DE RATIONE INSTITVTI.

A OMNIS recta & legitima doctrinæ
tradendæ ratio & methodus
duabus partibus ſemper
mihi conſtare viſa eſt, quarum
altera in veri dogmatis aſſertione
atque confirmatione
verſatur: altera in refutatione
contrarij. Parum eſt enim vera dicere & proferre,
niſi falſa euerteris: quemadmodum non facit ea res
quenquam in arte vlla eruditum aut peritum, ſi ſolùm
intelligit quæ arti aduerſentur, illius autē neq;
principia neq; præcepta perceperit. Quemadmodū
igitur in itineribus, ſic euenit in artibus, vt is demū
rectè atque cumulatè noſſe vtraque dici debeat, qui
& artis ipſius, velut itineris rectū callem videt, & diuerticula
atque imposturas effugit. Vtra verò ex iis
partibus naturâ prior ſit, neque ex ſcriptorum iudicio
B animaduerti poteſt, neque ex rationum momentis
euinci: quia grauiſsimi ſcriptores ſecuti ſunt
diuerſam alij ab aliis rationem ſcribēdi: & facit ſæpe
ipſius rei, de qua diſputatur, natura, vt ab hac modò,
modò ab illa parte exordiri ſit tutius atque auditorum
ingenio conuenientius. Theologia verò (quæ
eſt de vero Deo eiúſque operibus, ſiue illa Dei miſericordiam,
ſiue iudicia nobis proponant, vera
ſciētia & cognitio Dei Spiritu reuelata & ſacra Scriptura
conſignata) cùm ſit nō tantùm è ſummis artibus
vna quædam, ſed etiam inter præſtantiſſimas
quaſque primum locum meritò habeat, certè ſe ſuáque
dogmata tueri & probare docet: atque etiam
eas, quæ ſunt illis contrarię hęreſes & ſententiæ, impugnat
& infringit, modò arte tractetur. Et quia quę
ſunt ad veritatis explicationem atque ad planam puræ
fidej & doctrinæ Chriſtianæ expoſitionem neceſſaria,
in Locis cōmunibus breuiter & commodè demōſtrata
C ſunt: eā partem perſequamur quæ ſupereſt,
nimirum vt qua arte quibúſve Locis hæreticorum
hominum atque contraria veritati dogmata
proponentium ſophiſmata, nexus, atque cauillationes
inueſtigari deprehendíve poſſint, exponamus.
Quæ res eſt non modò ordine conſequens, aptáque
illius inſtituto, qui verus Theologus euadere volet:
ſed etiam pro infinita hominū veram in Chriſtum
fidem oppugnātiū multitudine omnino hodie neceſſaria.
Nobis quidem optandū eſt, & à Deo Optimo
Maximo aſſiduis precibus poſtulandum, vt qui
errant, in rectam viam reuocētur, ſaltem nunc patefacta
ſummo Dei beneficio tāta Euāgelij luce: ſed
quia in hæreſi perſtāt obſtinati quidā, atque etiā hęreſes
eſſe oportet, vt Paulus ait, 1. Cor.11.19. ſaltem
iis medeamur quātum poſſumus, vt habeant homines
alicuius artis auxilium, tanquam ἀλεξίκακον φάρμακον,
per quod ſibi aduerſus iſtorū hominum tāquam
aſpidum & ſcorpionum caudas & ictus ſuccurrant,
atque eorum vim depellant, infringántque
aculeum.

In quo certè ars quædam nobis quærenda eſt &
methodus communis, qua, velut Alexandri magni A
enſe, omnes Gordianos hæreticorum nodos diſſoluamus:
nam per ſingula ire velle, & ſingulas hæreſes
vel eorum qui eas inducunt & tuentur argumenta
omnia perſequi & refellere, eſſet infinitū & inutile,
non modò laborioſum. fecerunt id quidem
& pij & docti viri, quemadmodū Epiphanius inter
Græcos, Arnobius autem inter Latinos, & ij nobis
ad hoc opus inſtituendum magnos dederunt animos,
& ad futuram diſputationem magnam lucem
attulerunt: ſed tamen illi ingenti illo labore
exantlato & deſudato hæreticorum ora prorſus
non obſtruxerūt, etiam eorum, quorum tamen errores
apertiſsimè veriſsiméque confutarant. Nam
qui de eadem hæreſi poſtea ſucceſſerunt, ij, cùm
priores ſuorum hominum rationes non ſatis validas
viderent, excogitarunt nouas, & penè infinitas,
quibus ſingulis ſi quis noſtro hoc tempore reſpondere
velit, tandem naſcētur & edentur innumerabiles
contra vnam & eandem hæreſin libri & B
ſcriptiones. Sed & quod noſtro hoc ſeculo pro
exemplo poni poteſt, quum primùm orta Euangelij
luce peſtifera & ſanguini Chriſti prorſus inimica
illa de Purgatorio doctrina oppugnari cœpit,
afferebant Papiſtæ ad eam defendendam quinque
è tota Scriptura ſumptas rationes, quibus ſolis
ſuum illud Papiſticum Purgatorium tutabantur.
Sed cùm pro eo collatis ſignis dimicatum eſſet,
atque rationum cauſarúmque collatio inter nos &
illos eſſet facta, infelices & imbecillas eas eſſe perſpexerunt.
Itaque hodie nouas habent, & in dies
inueniunt & rimantur, quibus ſingulis ſiquis ſine
arte quadam & generali methodo reſpondere conetur,
res certè ibit in infinitum, ſcribentúrque
pro ſolius Purgatorij oppugnatione & defenſione
libri innumerabiles. Atque vt magis etiam generalem
hanc communémque methodum & rationem
eſſe nobis neceſſariam intelligamus (ſi modò & C
rectè & compendioſè aduerſus omnes omnis generis
hoſtes noſtra tueri, & aduerſariorum tela repellere
volumus) hoc ſit argumentum, quòd cùm
nouæ hæreſes in dies naſcantur & exiſtant, nullum
tam locuples támque diues panarium, nulla tam
longa reſponſio ad hæreticos fingi tradíve poteſt,
quæ abundè & feliciter nos aduerſus omnes fidei
hoſtes tutos præſtet. Epiphanii (qui in eo ſcripti
genere plurimùm laborauit) ætate hæreſes erant
numero octoginta tantùm, quas ipſe quantùm potuit,
euertit magno opere & vtili, quod ipſe inſcripſit
πανάριον. Siquis autem quot poſt Epiphanij
tempora ad noſtram vſque hâc ætatem errores
noui exorti ſint, velit enumerare, atque poſtea ad
ſingulas eorum rationes reſpondere paret, longè
maius & longius opus erit illi conſcribendū, quàm
ſit vllum Epiphanij Panarium, vel Iuſtiniani Pandectæ,
quando vna de Cœna Domini controuerſia
tot tantorúmque hominum ingenia exercuit,

A tótque & tã numeroſis libris exagitata eſt & tractata. Ex quo fit vt ad iunioris Theologi inſtitutionem putem eſſe cùm optimũ, tum vtiliſsimum & tutiſsimum, ne infinitarum rerum memoria oneretur, artem quandam illi & communem viam tradere atque monſtrare,per quam Hæreticorum cauillis & rationibus reſpondere, ſophiſmata deprehendere, gryphos eorũ ſoluere & nodos incidere poſsit & diſcat.Per ſingula autem ire,eſt non modò iuniori Theologo moleſtum,ſed etiam diffidentiæ plenum. Hac autem arte inſtructus in eáque verſatus poterit multò poſtea tutiùs & commodiùs per ſingula ſpatiari,quantũ illi volupe vel neceſſariũ erit. Ergo ars ipſa nobis quærenda eſt, quæ aduerſariorum Chriſtianæ fidei argumentis reſpondere nos doceat.

Quæ ars hæreticorum Elenchos deprehendere doceat.

Eſt autem ea Dialecticæ pars, quæ de Locis ſiue Elenchis ſophiſticis vulgò inſcripta eſt. Eſt enim Dialectica commune illud omnibus ſcientiis & artibus organum, quod & ſua confirmare docet, B & aliena refellere. Cuius cùm ſint partes ſiue tractatus multi,vnus quidam in eo poſitus eſt,per quem ſophiſtarum technas &impoſturas in argumentando deprehendamus. Hunc Ariſtoteles περὶ ἐλέγχων σοφιστικῶν dicere &appellare maluit,quàm de Locis ſophiſticis. Sed nos in ipſa tractatus inſcriptione nihil magni momenti latere exiſtimauimus.Itaque ſiue de Locis,ſiue de Elenchis ſophiſticis eam diſputationem nominaueris,neutra appellatio ſua,atque ea vera,ratione caret.Nam cùm Locos vocamus, illud ſignificamus, in certis quibuſdam illius artis capitibus tanquam ſedibus latere vim ſophiſticarũ argumentationum, quæ ibi inueniri poterit,& inde erui debet.Qui verò Elenchos malunt dicere, illi eius tractatus artificium & vtilitatem commendant, per quem ſophiſtæ tam certò victi vinctíque tenẽtur,támque valido nodo & vinculo,vt elabi non poſsint. Sunt enim ſophiſtæ velut Protheus ille qui penè cõſtringi non potuit.Sed huius artis & methodi ope arguentur a- C pertiſsimè,atque manifeſtiſsimè impoſtores, deceptores,& ſophiſtæ eſſe deprehendentur. Ex hac igitur tam facili & aperta ſophiſtarum & cauillationum deprehenſione, quam hæc ars monſtrat & efficit,dicitur hæc pars Dialecticæ eſſe περὶ ἐλέγχων σοφιστικῶν, Ars planè ad omnes omnium artiũ & ſcientiarum tractationes & defenſiones neceſſaria.Sic enim in omni genere bonarum artium euenit, quemadmodum in agris fertiliſsimis, vt mala gramina & herbæ bono ſemini adnaſcantur.Et verum eſt quod ille ait, *Fallit enim vitium ſpecie virtutis & vmbra*:quando,vt ſcribit Tyrius Maximus, ἔστι καὶ ἐν τοῖς ἐπιτηδεύμασι, καὶ τέχναις κόλακας ἰδεῖν, ὁμοίους μὲν ταῖς τέχναις, κατὰ τὸ σχῆμα: ἀνομοίους δὲ κατὰ τὰ ἔργα. Id quod etiam docet latiùs in Gorgia ſuo Plato.Et ne quid intactum humana tum ambitio tum audacia relinqueret ,ipſam Theologiam,id eſt,de Deo ipſo vero & viuo ſcientiam, tentauit & aggreſſa eſt. In qua ſophiſtis iſtis & peruerſis hominibus eò feliciùs res omnes ſucceſſêre,quòd Theologia obſcura in ſe multa habet,vel non popularia adeò,vel etiam humano naturalíq; &, vt ait Paulus, 1.Cor.2. 14. ψυχικῷ hominis ingenio, ac humanæ philoſophiæ contraria. Quæ quanquam ſunt in ſe veriſsima & certiſsima,plauſibiles tamẽ habent aduerſarios. A Hi verò ſunt veri quidem ſophiſtæ,& impoſtores, & verbi Dei veritatem corrumpunt transferuntque in mendacium, vt ait Paulus, Rom.1.25. qui ſuo & peculiari nomine à vulgo ſolent appellari Hæretici.De quorũ Elenchis & locis ſophiſticis hoc loco agimus,quo modo falſæ eorum argumentationes ſolui queãt.In quo ex Dialecticorum præceptis artem ipſam eorũ refutandorũ communem & vniuerſam trademus.Neque enim cõmodè & fructuoſè quiſquam ſine artis ope hæreticorũ & ſophiſtarum fallacias & cauillationes effugere poteſt,quia vel cõfuſus [illegible],vel in ſcribẽdo reſpõdendóve prolixus. Quandoquidẽ,vt ait Horatius,

In vitium ducit culpæ fuga,ſi caret arte.

Qui primi generalia de hæreticis refutandis præcepta tradiderint.

Neque verò cùm hoc facere tentamus & aggredimur, ipſi nouum quid & inauditũ audemus, ſed probatiſsimorum ſcriptorum & Eccleſiaſticorum exemplo mouemur.Nam,vt cæteros taceam,nónne iam inde à primis penè Chriſtianæ Eccleſiæ & hæreticorum incunabulis Tertullianus artem hãc B communem, & generalem hæreticorum conuincendorum & arguẽdorum rationem meditatus eſt in eo libro quem de præſcriptionibus aduerſus hæreticos in vniuerſum inſcripſit? in quo ſcriptor grauiſsimus generalem hæreſeon confutãdarum methodum edidit atque monſtrauit, & idem voluit, quod nos hoc tempore efficere in omnium ſacræ Theologiæ candidatorum adoleſcentum gratiam cogitamus. Et quod in ea re Ariſtotelicorum atque dialecticorum præceptorum auxilio & arte iuuari atque inſtrui videmur, neque miretur quiſquam, neque reprehendat. Neque enim ignoro quid audito Ariſtotelis & Dialecticæ nomine ad profligandas hæreticorum acies ſtatim ſint obiecturi quidam: Nos ſcilicet noſtræ ipſius artis peritiſsimorúmque in ea authorum eſſe oblitos, qui tam ſedulò & accuratè iubent, vt à Philoſophia fugiamus & vanis Philoſophorum nugamentis, & deceptionibus, vt Paulus ait Coloſſen. 2. 8, quando vera Theologia docet ea, quæ neque loquitur, neque didicit humana ſapientia, ſed quæ C ſolùm Spiritus ſanctus docet,1.Corinth.2.3. Quid igitur, aiunt, hîc Ariſtoteles poteſt? Certè eſt diſtinguendum. Nam ſi de re ipſa & fidei Chriſtianę ſubſtantia loquuntur, certè Theologiæ materia tam auguſta támque ſublimis eſt, vt ex Ariſtotelicorum & Dialecticorum regulis & iudicio minimè ſit approbanda, quando omnium hominum ſenſum & captum longè ſuperat. Dei enim mentem continet & explicat,illam quidam arcanam & antea toti mundo incognitam:quæ à ſolo homine ſpirituali intelligi poteſt, nullis autem humanæ philoſophiæ vel rationis fundamentis nititur. Fruſtrà enim eius rei probatio ab hac noſtra natura corrupta petitur, quæ ſenſũ omnẽ cogitationémque humanæ naturæ excedit. Atque hoc Paulus intellexit,non eſſe exigenda ad noſtri humaníque ingenij captum & menſuram fidei ſalutíſque noſtræ fundamenta : neque iuxta mundi huius elementa ſtabiliendam diiudicandámque diuinæ erga nos gratiæ premiſsionem & rationem,quæ tota per vnum Chriſtũ cognoſci atque comprehendi debet. Sin autem iidem illi, qui hoc noſtrũ inſtitutum reprehenſuri ſunt,de ipſius fidei tradendæ atque defendẽdæ methodo & ratione loquuntur, A tur, non improbat Paulus in ea re nos Ariſtotelis atque Dialecticorum arte iuuari. Id quod ipſe ſuo exemplo docet. Quis enim in vi argumentationum & probationum Paulo neruoſior? Quis in medio argumenti ſumendo & eo quidem apto diligentior? quis in refellendo acutior? Quæ omnia ſine aliqua Dialecticæ artis ope, meo quidem iudicio, non euenerunt: quanquam non dubito Dominum in ſuo ſeruo, & in nobis ipſis, in quibus velit, Spiritus ſancti ſui dono ea efficere poſſe, quę præſtaret Dialectica, adeóque multò cumulatiora in nos Deum conferre & ſcio & ſentio. Sed propterea tamen bellum optimis quibuſque artibus non eſt à Chriſtianis indicendum, quòd nos Deus quibus velit donis extra omnem ordinem ornare poteſt, & id ſe facturum, cùm erit opus, pollicetur ad nominis ſui defenſionem. Mat.10.19. Sed quantum quiſque poteſt operæ & induſtriæ impendat in bonas artes, quò his inſtructior factus ad pugnã pro gloria Dei paratior veniat. Ergo ſi de materia & ſubſtantia fidei quærimus, rem ipſam non attingit neque tradit Dialectica: ſed neque alia vlla philoſophię humanæ pars: non Phyſica, non Ethica, non ea, quæ ab Ariſtotele μετὰ τὰ φυσικὰ nominantur: B ſed ſolùm Dei verbum & ſcriptura veram fidei noſtræ doctrinã continet. Sin autem de ipſa fidei docendæ tuendęque methodo & plana facilíque ratione agimus, Dialectica nobis eſt opus, cuius præcepta noſtra tueri, & aliena repellere docebunt. Qua arte tanquã Theologię ancilla vti in hac parte non veremur, minimèque nefas ducimus. Sic enim ſemper exiſtimauimus, omnem humano generi vtilem artem eſſe veriſsimũ Dei Opt. Max. donum erga homines, quia quicquid vel ad corporis vel ad ingenij noſtri ornatum & culturam meliorem pertinet, aut inuentũ ab hominibus eſt, à Deo vero eſt illis donatum, & eo ipſo nobis tanquam Dei dono & munere, ſine animi religione vtendum eſt, quemadmodum hîc facimus dialectices arte, cum bona, vti credimus, bonorũ omnium pace & venia.

Vtrum Dialecticæ præceptis vti Chriſtianis liceat.

Quòd ſiquis excipiat, apud Chriſtianos ſcriptores Ariſtotelis & Dialectices nomen diutiſsimè malè audiiſſe, equidem non nego, modò tamen mecum idem fateatur, non tamẽ ſemper malè audiiſſe: & quod audiret malè, certa ſpecialíque de C cauſa eueniſſe. Malè quidem audiit tum cùm hæc ſcriberet Prudentius poëta, *Hæc tua, Marcion, grauis & dialectica vox eſt.* Malè item tum apud Chriſtianos audiebat Ariſtoteles, quum Epiphanius Aëtij hæretici rationes cõfutans ita ſcribit l.3. Tomo 2. πέπαυσο οὖν ὦ Ἀέτιε, κενὰς ἡμῖν καὶ Ἀριστοτελικὰς λέξεις φέρων. Item & illud ab eodem ſcriptum eſt, κἄν τε μυρία ἡμῖν πλέκῃς Ἀριστοτελικὰ ζητήματα, καταλείψας τὴν ἄνωθεν ἁπλῆν καὶ ἁγίαν, καὶ πνεύματος ἁγίου διδασκαλίαν. Sed non ſemper male audiit tamen. Laudatus eſt enim apud Euſebium libro quarto Hiſtor. Eccleſiaſtic. capite 28, Barzanen homo Chriſtanus, quòd eſſet, vt Euſebius ipſe loquitur, διαλεκτικώτατος, cuius artis ope inſtructus diligenter & accuratè Marcionis hæreſin refutauit. Ea verò cauſa fuit, cur tam bonæ & vtilis artis nomen malè tamen apud Chriſtianos audiret, nimirum quòd ea arte miſeri homines hæretici ad ſuos errores inuehendos abuterentur, ſéque in ea arte peritiſſimos ferè venditabant, & cæteros contemnebant, qui non plus olei & operæ in nectendis ſophiſmatis collocarant, quàm in diligenti ſacræ Scripturę lectione. A Sed iſti hæretici leues homines & indocti, quales ſunt noſtro hoc ſeculo ſophiſtæ Sorbonici, cùm parum in Dialectica verè profeciſſent, ſe tamen in ea oſtentabant plurimùm. Itaque ſua importunitate homines ambitioſiſſimi effecerunt, vt bonum Dialectices nomen malè tamen ſonaret apud poſteros, vt eſt traditum Tripartitæ hiſt. lib.5. cap.13. ſed nos abuſum huius artis in tractanda Theologia non quærimus, quin potiùs verum eius & legitimum vſum.

DE FINE HVIVS OPERIS.

FINIS autem atque ſcopus huius operis in eo eſt, vt falſas hæreticorum argumentationes deprehendamus, nexóſque ſoluamus ab illis nodos. Gryphos enim & cauillationes artificioſè conſtruunt, atque plauſibili quadam ratione venditant, deffenduntque falſum, adeò vt ab imperitis facilè non redarguantur. Ac quia iiſdem illis Modis & Locis per quos falſum demonſtratur, & laqueus diſſoluitur, fieri nectique poteſt, Deum B teſtamur, caueant omnes in quorum manus liber hic perueniet, ne faciendæ potiùs quàm effugiendæ ac euitandæ cauillationis & diſceptationis gratia hanc artem noſtram ſectentur & ediſcant. Neque enim à nobis in hunc vſum liber hic ſcribitur, neque proponitur editúrve in vulgus, vt cuiquam imponere diſcant homines fideles & Chriſtiani: & vt facere nequitiam, non autem, vt eam depellere queant. Itaque in huius operis præfatione idẽ eodémque modo vobis cauemus, quo in Panarii ſui fine & epilogo Epiphanius, qui poſtquam de infinitis penè hæreticorum generibus diſputauit, ſic ait, οὐ γὰρ εἰς βλάβην ἀπεκαλύψαμεν, ἀλλ' εἰς ὠφέλειαν καὶ παρατήρησιν τοῦ μὴ ἐμπεσεῖν εἰς ἐπαγωγὴν τῶν προειρημένων. Qua enim fronte, quáve, precor, animi conſcientiâ vnquam Chriſtianus quiſquam puram Dei doctrinam euertere, cæleſtem veritatem oppugnare, fidem Chriſti, quam profitetur, abnegare, atque alium fratrémque ſuum decipere poteſt vel velle vel eniti? Et quemadmodum ait Senec. l. 6. ep. 49. Quæ dementia eſt, ſuperuacua ediſcere in tanta temporis egeſtate? Quòd ſi reges ciuiléſque magiſtratus, qui Chriſtiano nomine ſeſe tam magnificè efferunt, eãdem de Chriſti Domini noſtri grege C & eccleſia curam & ſolicitudinem gerãt, quam profani homines de ſua Rep. habuerunt, eueniet ſummo totius reip. Chriſtianæ bono, vt quemadmodum, ſi quando Sophiſtæ in Laconicam regionem veniſſent, vel longa conſuetudine vel populi tacito conſenſu clàm recepti eſſent, Lycurgi lege & publicis edictis è tota regione eiiciebãtur: ſic è toto Chriſtiano orbe tam peſtiferi homines expellantur, quod ſedulò & diligenter proſpiciendum eſſe docet in Protagora Plato. Neque verò putat idem Plato peiores vnquam calamitates florentiſſimum Græciæ ſtatũ deuaſtaſſe, neque quicquam aliud Græcorum mentem & iudicium tam peruertiſſe, quàm olim Sophiſtæ & impoſtores iſti homines, qui è diuerſis mundi partibus in Græciam confluebant, aduerſus quos, ait idem in Euthydemo, cùm Hercules variis rationibus prolixáque animi ſapientia pugnaſſet, & victoriam toti Græciæ celebrem reportaſſet, expuliſſétque ex

A vniuerſa gentē ſua, dictus eſt Hercules maximos aduerſus Cancrum & Hydram Lernæam labores exantlaſſe & pertuliſſe. Quod fuit vnum quoddam de ſummis & pulcherrimis Herculis laudibus & victoriis trophæum. Ergo ſic atque ea mente in hac arte verſemur, quemadmodum Medici in noxiarum herbarum tractatione & cognitione ſolent, vt poſtquam quæ ſint illæ monſtrauerint, & venena eſſe docuerint, omnes ab iis abſtineant tanquam à præſenti vitæ ſuæ periculo. Sic nos etiam poſtquam Locos elenchorum, ex quibus Hæretici argui refellíque poſſunt, didicerimus, hæreticorum quidem ſophiſmata & argutias explodamus, & diſſoluamus tantùm: nemini verò fraudem faciamus, ac ne ſimpliciſsimo quidem. Euitandi enim periculi cauſa, arma hæc capiuntur & tractantur, non autem inferendi vel arceſſendi cuiquam. Hæc igitur ars tātò vtilior, quantò ipſa rerum experientia id verū eſſe docet, quod lib.3. de Doctr. Chriſtia. Auguſtin. & lib.5. de Repub. ait Plato, etiam doctos homines ſæpe inuitos & nolentes, in iſtos tamen ſophiſtarum laqueos incidere, vel B quòd verborum ambiguitatem non ſatis acutè diſtinguunt, vel quòd rerum ipſarum multitudinem non ſatis attentè perſpiciunt & vident. Ars autem hæc, ſi modò rectè ea vtimur, & verborum varias ſignificationes, & rerum diuerſa genera ſecernere docebit. Quod vt fiat, ab ipſo inſtituti noſtri exordio initium ducamus, dicamúſque in genere & in vniuerſum, qui & quot ſint fallaciarū & deceptionum, quæ ab hæreticis fiunt & committuntur, deprehendendarum modi.

QVIBVS ET QVOT MODIS IN genere falſa argumentatio deprehendi poßit.

OMNIS verò vitii in Syllogiſmo & argumentatione percipiendi ratio ex iis tribus fontibus oritur, materia nimirum, vel forma Syllogiſmi, vel ex vtraque. Imprimis enim ab C eo qui contra verbi Dei veritatem contentioſè & cauillatoriè diſceptat, poſtulandum eſt vt rationem probationémque ſuam ad aliquod argumentationis genus reuocet, ne, ſi illi liberè ſpatiari & verba fundere concedamus, nos enecet, & aures noſtras obtundat potiùs quàm inſtruat & vincat. Sūt enim tam verboſi & nugigeruli ſophiſtæ quidam, quales ſunt hoc noſtro tempore monachi, vt nunquam in iis areſcat locutio potiùs quàm elocutio. Sed ſiue quid in hereticorum libris legimus, ſiue coràm & in os cum iiſdem contendimus, enitendum eſt vt tota Syllogiſmo comprehendatur concludatúrque eorum oratio & probatio. Quæ res facit vt minùs liberè, quod tamen ferè ſolent, digredi atque diuertere à re quæſtionéque propoſita poſsint: & vt, ſi quid minùs aptè & conuenienter dixerint, facilè animaduertatur, quia quod nobis diſcutiendum eſt, breui ratione dictóque comprehenſum erit, & verſabitur ante oculos. Atque etiam ſolet ipſa ſua naturâ ſyllogiſmus prodere, ſi qua ratio ad rem propoſitam vel longiùs quæſita ſit, vel perperàm accommodata. Ex quo fit vt ſit longè tutiſsimum, ita atque ea lege cum hæreticis agere, vt breui ſyllogiſmo ſententiam A ſuam defendant & euincant. Quod poſtquam factum erit, tum in ipſo illorum ſyllogiſmo, tria hęc, vti dixi, obſeruentur notentúrque diligenter, forma ſiue collectio eius, materia & vtraque: ſæpe enim in ſola argumenti connexione peccatum eſt: ſæpe verò in ſola materia: ſæpe etiam in vtraque. Ac formam quidem Syllogiſmi appello, quemadmodum Dialectici ſolent, congruum & conuenientem argumenti & medij termini ſitum ad vtraque quæſtionis propoſitæ extrema, ex quo efficiatur atque concludatur naturæ iudicio conſentiēte aliquid. Materiam verò ſyllogiſmi voco tres illas voces, quibus tum propoſitiones, tum tota ſyllogiſmi connexio compoſitióque cōſtat, è quibus duæ vocātur Extrema propoſitæ quæſtionis. Vna autem vox vel ſententia argumentationis ſiue ſyllogiſmi eſt medium: veluti in hac quæſtione, vtrū Dei voluntas ſit mutabilis, extrema duo ſunt, Dei voluntas, & Mutabilem eſſe: è quibus, Dei voluntas, eſt ſubiectum: at verò Mutabilem eſſe, eſt in quæſtione enunciatum, ſiue, vt quidam appellāt, prædicatum. Sit igitur ſuperiorum omnium exemplum hic ſyllogiſmus, B

Eius, apud quem nulla eſt mutatio aut conuerſionis obumbratio, voluntas non eſt mutabilis.

Apud Deum autem nulla eſt mutatio, vel conuerſionis obumbratio, Iacob.1.17.

Ergo Dei voluntas non eſt mutabilis.

Tres voces ſunt in hoc ſyllogiſmo, Dei voluntas, Mutabilem eſſe, & nullam mutationem aut conuerſionis obumbrationem habere: è quibus tertium hoc, quod eſt nullā mutationem, &c. medium ſiue argumentum ſyllogiſmi nominatur. Atque tria hæc ſunt materia tota huius argumentationis. Forma verò eiuſdem eſt ipſa medij collocatio apta & concinna, iudicióque naturæ conſentiens, per quam aliquid efficitur & euincitur vi ipſius nexus, atque cōceſſarum propoſitionum. Quæ forma in hoc ſyllogiſmo eſt à Dialecticis prima nominata.

Alterum ſit rerum à nobis ſuperiùs explicatarum exemplum hoc. Sit verò quæſtio propoſita hęc, Vtrum Deus pœnitere poſsit. Syllogiſmus autem hic, C

Cuius voluntas eſt immutabilis, pœnitere non poteſt.

Dei voluntas eſt immutabilis.

Ergo Deus pœnitere non poteſt, 1.Sam.15.29.

Syllogiſmi forma primi eſt ordinis & prima, vt vocant: materia verò tota hæc tria, Pœnitere poſſe, Deus, Habere immutabilem voluntatem: è quibus, Deus & Pœnitere poſſe, ſunt duo quæſtionis extrema: at verò, Habere immutabilem voluntatem, eſt medium argumentationis, ſiue argumentum probationis, è cuius ſitu & collocatione pendet forma ſyllogiſmi. Et quia quid ſit forma, quídve materia ſyllogiſmi aliunde didiciſſe debemus, hæc, quæ diximus, ſatis erunt ad huius tractatus explicationem. Nos enim τύπῳ tantùm, vt Græci dicunt, & pingui Minerua quæ ad ſyllogiſmi formam pertinent, tradere conſtituimus hoc loco. Ad remedia igitur, per quæ his vitiis & probationum morbis mederi poſſumus, veniamus, & quo modo materiæ (nec enim hîc Dialectici eſſe volumus) imprimis vitium deprehendi poſſit, explicemus breuiter & commodè.

A

QVO MODO VITIVM, QVOD in materia ſyllogiſmi ineſt, deprehendi poſſit.

DVOBVS verò in vniuerſum modis vitium, ſi quod in materia ſyllogiſmi inerit, notari atque obſeruari poteſt. Nam materia ſyllogiſmi ſunt eæ propoſitiones, quibus ipſe cōſtat & componitur, è quibus quæ ordine & ſitu in tota ipſa conſtructione prima eſt, Maior propoſitio à Dialecticis appellatur. Quæ autem ſecunda eſt, Minor propoſitio: deinde ſequitur Concluſio, quæ eſt tertia & vltima ſitu & loco in ſyllogiſmo: veluti,

Eorum quæ Deus facit in nobis, author eſt. Hęc maior eſt.

Bona verò opera facit Deus in nobis. Epheſ. 2. 10. Philip. 2. 13. Hæc autem eſt minor propoſitio, quæ dicitur.

B Ergo bonorum operum author eſt Deus in nobis. Eſt hæc cōcluſio ſyllogiſmi: atque hę tres propoſitiones ſunt ſuperioris ſyllogiſmi materia. In hac igitur dupliciter peccari poteſt nempe,

vel in { Mixtione ipſarum propoſitionum.
Enuntiatione earum.

Hæc autem quæ breuiter & fortaſſe obſcurè dicta ſunt, latiùs ſunt exponenda. Voco Mixtionem, propoſitionum ſyllogiſmi aſſumptionem & coniunctionem, quæ diuerſam & non eandem omnes habent neceſſitatem conſecutionis & enuntiationis. Sæpe enim accidit, vt aliud de alio neceſſariò dicatur & enuntietur: ſæpe verò, vt caſu & contingenter tantùm. Nam huius propoſitionis, Deus eſt immortalis, inuiſibilis, ſolus ſapiens, materia enuntiatióque eſt omnino neceſſaria: quia tria iſta de Deo dicuntur enuntiantúrque neceſſariò, 1. Timoth. 1. 17. Huius autem propoſitionis, Paulus veniet ad Hiſpanos, Roma. 15. 24. contingens eſt enūtiatio, quia fieri poteſt vt iſtud ita eueniat, quēadmodum futurum dicitur & pronuntiatur. C Ergo cùm tam diuerſi generis propoſitiones in vno & eodem ſyllogiſmo ſumuntur, ea res mixtio propoſitionum à Dialecticis eſt appellata.

Nos autem, quia de ſolis Elenchis hæreticis ſcribere hoc maximè tēpore propoſuimus, & quæ ſint in quaque arte neceſſariæ propoſitiones ab ipſo artificio in quaque arte diſcendum eſt, hâc partem meritò prætermittimus.

Veniamus igitur ad enuntiationem propoſitionum, quam appellaui, & in qua maximè verſamur & hoc loco laboramus, videamuſque quæ ſit vera, quæ falſa: quæ plana, quæ obſcura. Hanc autem propoſitionum enuntiationem ſic definio, & dico eſſe veram & legitimam enūtiati de ſubiecto affirmationem vel negationem. Cùm enim in omni propoſitione vel affirmemus aliquid, vel negemus, neceſſe eſt modò enuntiatum tribui & dici de alio: modò autem enuntiatum propoſitionis amoueri negaríque de ſubiecto. Nam in hac propoſitione, exempli cauſa, Iuſtus fide viuit, Habac. 2. 4. item in hac, Homo fide iuſtificatur, Rom. 3. 28: Vita & Iuſtificatio tribuitur homini per fidem. In illa verò, Omnes non dormiemus, 1. Cor. 15. 51. item in iſta, Iniuſti regnum Dei non poſſidebunt, 1. Cor. 6. 9. negatio eſt. A Siue igitur affirmetur, ſiue quid negetur, ne vitium in ipſa propoſitionis enuntiatione inſit, duo hæc neceſſariò obſeruanda ſunt. Primum, vt verum ſit quod dicitur: Secundum autem, vt legitimè concludatur & euuntietur, non autem cauillatoriè: id quod hæretici faciunt, & quicunque in vera fide Chriſti errant. De vtroque verò materiæ in hoc genere vitio agendum nobis eſt, ac primùm quidē de eo vitio quod eſt, cùm non eſt vera propoſitionis enuntiatio, ſed falſa & inepta.

SI FALSAE SINT SYLLOgiſmi Propoſitiones, vel vtraque, vel vna ſolùm, quid agendum.

CVM igitur illud quod proponitur, vel in vtraque, vel in alterutra antecedentium concluſionem ſyllogiſmi propoſitionum, falſum eſt, omnino & ipſum negandum eſt, & quæ fit atque B infertur ex eo concluſio. Eſt enim hæc non artis, ſed naturæ lex, non abdita, ſed cuilibet homini nota ſententia, quam non moroſa & paradoxa quædam ratio, ſed ipſa rerum experientia confirmauit, ex iis quæ falſa ſunt, verum effici concludíque rectè non poſſe, ſed neque etiam debere. Quare facilis eſt argumentationis hæreticæ, in quam falſæ ſyllogiſmi propoſitiones aſſumptæ ſunt, ſolutio: quia ſola negatione falſæ illius propoſitionis, & concluſionis quæ fit ex ea, tota conſtat & continetur. Neque enim tunc alia ſolutionis ratio afferri debet, quàm hæc, quòd negamus verum eſſe illud quod dicitur, quódque tanquam conceſſum proponitur. Quæ res vno negandi verbo à nobis breuiter confici poteſt. Exempla verò afferantur eorum quæ ſupra diximus. Ac primùm quidem horum ſyllogiſmorum in quibus propoſitio, ſiue prima enuntiatio, quæ vulgò maior ſyllogiſmi appellatur, falſa eſt.

Talis fuit Sabellianorum ratiocinatio, dum Filium & Patrem, eundem & vnum eſſe contenderent, neque diſtingui poſſe.

Omnia quæ ſunt vnum, diſtingui non poſſunt. C

Pater & Filius ſunt vnum, Ioan. 10. 30.

Ergo Pater & Filius diſtingui non poſſunt.

In ſuperiori ſyllogiſmo propoſitio, ſiue prima enuntiatio falſa eſt: quia quæ ſunt vnum, vti duo homines, etiam ſæpe ſeparari poſſunt, nedum diſtingui. Itaque ea maior propoſitio neganda eſt Sabellianis. Aliud exemplum eſt ex Arrianorum hæreſi ſumptum. Aiunt enim Arriani, Chriſtum eſſe quidem Dei Patris Filium, ſed tamen negant eſſe æternum: & ſic arguunt,

Vbicunque vox hæc, Hodie, à Scriptura additur, denotatur cœptum & non æternum tempus.

At cùm in generatione Filij Dei de Patre loquitur Scriptura, vox hæc, Hodie, additur, Pſ. 2. 7.

Ergo in generatione Filij Dei de Patre, denotatur certum, & non æternum tempus.

In hac argumentatione maior item falſa eſt, quæ neganda eſt, quia vox hęc, Hodie, quæ in aliis Scripturę locis adiicitur, perpetuum actum extra omne tempus denotat, Heb. 3. 13. Ita veteres ſoluunt. quāquam aliud etiam reſponderi poteſt, nimirum, vt minor propoſitio diſtinguatur à nobis.

Aliud item exemplum ex Sorbonicorum ſo-

A phiſtarum ſchola hoc eſt. Aiunt illi,

Vbicunque & de quocunque Scriptura ſacra verbum ſubſtantiuum (eſt) enunciat, illic fit transſubſtantiatio.

At in Cœna dominica ſacra Scriptura verbum ſubſtantiuum(eſt) de pane & vino enuntiat, Mat. 26.26.

Ergo panis & vinum in Cœna dominica transſubſtantiantur.

In quo ſyllogiſmo quis non videt, quin prima maiorq; propoſitio ſit falſiſſima, & infinitos ſacræ Scripturæ locos peruertat, ſi recipiatur? Ioh. 1. 14.

Aliud ex Manichæorum rationibus exemplum, quò res atque diſputatio hæc pluribus exemplis illuſtrata facilior tandem efficiatur.

Contendunt autem Manichæi, duo eſſe diuerſa & æqualia, paríſque poteſtatis rerum principia, nempe Deum & Diabolum: quod ſe probare ſic poſſe putant. Nam aiunt Manichæi,

Omnia diuerſa effecta habent diuerſa principia & cauſas.

At bonum & malum ſunt diuerſa effecta.

Ergo bonum & malum habent diuerſa principia & cauſas. B

In quorum argumentatione, maior veritate non conſtat: quia poſſunt etiam diuerſi effectus eſſe, & tamen eiuſdem principij & cauſæ effectus, veluti idem Sol & obdurat lutũ, & emollit ceram. Itaque maior hæc propoſitio vera eſſe planè neganda eſt.

Atque hæc quidem exempla ad eorum ſyllogiſmorum intelligentiam ſufficient, in quibus maior, ſiue prima ſyllogiſmi propoſitio falſa eſt, idcircóque minimè concedenda. Nam ex ea falſa nihil verum rectè concludi efficíque poteſt. Afferamus verò etiam eorum exempla, in quibus minor propoſitio, ſiue quæ ſitu & ordine ſecunda eſt, falſa apparet, & ideo negari debet. Sit autem hoc primum, quod ex Marcionitarum antiqua hæreſi ſumptum eſt. Illi autem cùm vetus Dei Teſtamentum reiicerent, & omnino bella omnia damnarent, ſic ferè argumentabãtur, vt ex Tertulliani vetuſti ſcriptoris Eccleſiaſtici libris aduerſus eos editis colligi poteſt. C Sic igitur aiunt Marcionitę,

Omne quod à malo profectum eſt, repudiandum eſt, Iacob. 1. 17.

At vetus Teſtamentum à malo profectum eſt.

Ergo vetus Teſtamentum repudiandum eſt.

Alius eorundem ſyllogiſmus.

Nihil eorum quæ à Deo Euangelij damnata ſunt, homini Chriſtiano licet agere.

At omnia bella à Deo Euangelii damnata ſunt.

Ergo nullum bellum homini Chriſtiano licet gerere

In vtroque ſyllogiſmo minor propoſitio falſa eſt. Nam & Lex, & vetus Teſtamentum à Deo Deíque Spiritu, qui bonus eſt, prolatum eſt, vt docet Stephanus Act. 7. Et falſum eſt, omnia omnino bella in Euangelio eſſe dãnata, cùm non fruſtra, vt ait Paulus, gladiũ gerat Magiſtratus, ſed ad metum & coërcitionem malorum & improborum hominum, Rom. 13. 3, & 4. Hebr. 11. 34.

Aliud exemplum ex alia hæreſi, nempe Pauli Samoſateni, qui omnium poſtea malorum fontem aperuit, Arrianorum, dico, Aëtianorum, Eudoxianorum, Appollinariſtarum, Eutychianorum, & eorum omnium qui perperàm vel de Chriſti diuinitate, vel humanitate, vel vtriuſque Chriſti naturæ in vna & eadem perſona hypoſtatica vnione A & coniunctione ſenſerunt. Hic igitur Paulus Samoſatenus, quum eſſet Antiochiæ epiſcopus & vir elato animo atque inſolenti, ſenſit & dixit Chriſtum Dei Filium fuiſſe ψιλὸν ἄνθρωπον, id eſt, merum hominem, non etiam Deum, vt tradit Euſeb. lib. 7. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 30. Sic autem ipſe arguebat,

Omne quod cœpit aliquando eſſe, non eſt æternum.

At Verbum Dei cœpit aliquando eſſe.

Ergo Verbum Dei non eſt æternum.

Alius eiuſdem Pauli Samoſateni Syllogiſmus.

Omnis qui ex mero homine natus eſt, merus homo eſt, Ioan. 3. 6.

Dei Verbum ex mero homine natum eſt.

Ergo Dei Verbum merus homo eſt.

In cuius vtroque ſyllogiſmo minor propoſitio negãda eſt, quia prorſus falſa eſt, quemadmodum vident omnes, qui aliquid vnquam ex vera ſacráque Theologia didicerunt & hauſerunt.

Sed ad Sophiſtas noſtri ſeculi veniamus, videamúſque quomodo in ſimili genere argumententur. Aiunt,

B Omnis adoratio, quam probat ſacra Scriptura, eſt legitima.

At adorationem, quæ meris & puris Dei angelis exhibetur, probat ſacra Scriptura:

Ergo adoratio, quæ meris Dei angelis exhibetur, eſt legitima.

Minor falſa eſt, nullóque verbi Dei teſtimonio aut loco probari poteſt: quin potius, qui cultus huiuſmodi angelis Dei fit, damnatur planè à Scriptura, Apoc. 19. 10.

Sed quia falſum committi non in vna tantùm propoſitionum poteſt, verùm etiã in vtraque, eius quoque rei exempla pauca adducamus, ne quid moleſtiæ aut laboris iuniori adoleſcenti ſuperſit: quanquam cùm vtraque ſyllogiſmi propoſitio falſa eſt, eadem illa, quæ in ſuperioribus exemplis explicata eſt, regula ſit obſeruanda, nimirum, vt vtrãque aduerſario negemus, multóque magis concluſionem & conſequentiam, quia ex omnibus falſis antecedentibus nullum conſequens verum ratione vique ipſius materiæ euenire & effici poteſt. C Sit igitur hoc eorum ſyllogiſmorum primum exemplum, in quibus vtraque propoſitio falſa eſt. Ex Iudæorum errore eſt, qui Chriſtum neque Deum, neque Dei Filium eſſe agnoſcunt. Aiunt igitur ſic.

Omne quod Iudæi & nunc & olim non adorant, non eſt Deus.

At Chriſtum Iudęi & nunc & olim non adorãt.

Ergo Chriſtus non eſt Deus.

Vtraque verò propoſitio falſa eſt, quia non eſt in Iudæorum poteſtate & arbitrio, cui velint deitatem donare: & cui velint adimere. Præterea ſancti Prophetæ & ſerui Dei olim Chriſtum adorarunt, vti Dauid, cùm Dominum ſuum Chriſtum appellat. Pſal. 110. 1. Matth. 22. 44.

Aliud exemplum ex Donatiſtarũ hæreſi, quam hoc noſtro tempore magna ex parte miſeri Anabaptiſtæ renouarunt. Aiunt igitur ſic Donatiſtæ.

Nulla congregatio, niſi quæ ſit ſine omni ruga & macula, eſſe Dei Eccleſia in terris cenſenda eſt.

Sola congregatio Donatiſtarum eſt ſine omni ruga & macula.

A Ergo ſola congregatio Donatiſtarum eſſe Dei Eccleſia in terris cenſenda eſt.

Hîc vtraque propoſitio & falſa eſt & neganda.

Aliud exemplũ exSophiſtarũ ſchola. Sic arguũt,

Omnia generalium conciliorum decreta ſunt legitima.

At quæ Romana Eccleſia obſeruat, ſunt generalium conciliorum decreta.

Ergo quæ Romana Eccleſia obſeruat, ſunt legitima.

Neutra propoſitio vera eſt, vti primo aſpectu intuentib. apparet, & idcirco nulla fit ex hac falſa argumentatione probatio aut legitima collectio.

Ex quibus omnibus illud efficitur, In omni ſyllogiſmo, in quo vel vna tantùm, vel vtraque propoſitio falſa eſt, eſſe inficiatione ſiue ſola negatione opus. Atque hunc ſyllogiſmi diſſoluendi modum veteres Dialectici per interemptionem appellabant, quia interimi penéve iugulari propoſitio videtur, quæ vera eſſe negatur, tanquam propoſitionis omnis vita ſit eius veritas: eiuſdẽ autem mors & internecio, ſit falſitas, quæ cùm deprehenditur in propoſitione, ea interimi confodíque meritò cenſenda eſt. Sed hoc planum eſt & facile, vt B Quod falſum eſt, negetur aduerſario & hæretico: illud autem longè magis arduum eſt, Quando propoſitio vera vel falſa deprehendi atque cognoſci poſſit. In quo certè nihil aliud à nobis dici tradíve certius oportet, quàm vt affirmemus ab eo qui veræ Theologiæ præceptis abũdè ſit imbutus, in cáque peritus, & diu multúmque verſatus, percipi poſſe, quid verè in ea arte dicatur & pronuntietur, quid item falſò. Debet enim eſſe quiſque eius, quam profitetur, artis peritus, vt quę ſuę arti conſentiant, quęue repugnent, apertè dignoſcat. Quãobrem doctum & inſtructum Theologum hæc ars Elenchorum requirit, & cum qui iam ex magna artis ſuæ cognitione intelligat & iudicet quid verum ſit, quid autem in fidei ſubſtantia falſum. Quid ſit autem verum aliquid eſſe, quid item falſum, explicare non erit fortaſſe inutile, vt iuniores intelligant quid ſit in hæreticorum propoſitione obſeruandum, vt veráne ſit an falſa diſcerni C diiudicaríque poſſit. Vera igitur propoſitio dicitur ea, quæ & ita & id enuntiat de ſubiecto quod res eſt, & quemadmodum eſt, veluti vera eſt hæc propoſitio, Petro currente, Petrus currit: & hæc vera, Petro piſcante, Petrus piſcatur. Quia quod dicitur pronuntiatúrque de Petro, ita eſt, ſítque in eo. Sic vera eſt hæc etiam, Omnis homo eſt mendax. & hæc, Deus eſt fidelis & iuſtus: quia ita res eſt, & mendacium competit éſtque in homine, & fidelitas atque iuſtitia in Deo.

At falſa propoſitio eſt ea, quæ aliud enuntiat de ſubiecto, quàm quod res ipſa eſt, veluti hæc propoſitio falſa eſt, Petro quieſcente, Petrus currit: &, Petro dormiente, Petrus vigilat. Falſa item hęc eſt, Edendum & bibendum eſt, quia moriemur. Deus eſt iniuſtus. Homo eſt in hac vita ſine peccato: quia quę pronuntiantur, naturę earum rerum de quibus enuntiantur, & conditioni non competunt, & aliter eſt in reipſa, aliter autem in oratione. Ergo quando quod ab hæretico proponitur, fidei ſubſtantiæ vel analogiæ & ſacræ Scripturæ aduerſatur, falſum eſſe reſpondeamus. Quando autem cum verbo Dei conſentit illud quod ab alio dicitur, admittamus, quia verum eſt: atque tota huius cauſæ cognitio in magna ipſius artis A ſcientia & exercitatione poſita eſt. Et quia quid cùm ſyllogiſmi enuntiatio & materia falſa eſt, id eſt, cùm propoſitiones veritate non nituntur, ſequendum atque reſpondendum ſit, diximus: nunc videamus ecquod remedium quæri adhiberíque debeat, cùm ſyllogiſmi, quem contexit hęreticus, materia, ſiue enuntiatio non ſit legitimè, id quod iam explicamus.

SI NON SIT LEGITIMA *Enuntiatio propoſitionum Syllogiſmi, quid ſpectandum ſit & agendum.*

NON ſolùm igitur veram eſſe ſyllogiſmi enuntiationem oportet: ſed etiã legitimam & ad iuſtas enuntiandi regulas exactam atque accommodatam. Nam ſi quid propoſitio ſyllogiſmi vel obſcurum, vel ambiguum, vel ineptè effatum contineat, contráque naturalem tum B verborum, tum etiam mentis noſtræ ordinem & rationem dictum, illegitima & iniuſta enũtiatio eſt; quanquã fortaſſe & omnino falſa hæc eadem propoſitio dici non poterit. Differt enim falſa enuntiatio à non legitima & probè conſtructa, quia falſa id effatur eſſe quod non eſt tamen: illegitima verò etſi ſæpe id dicit, quod eſt reapſe, tamen obſcurè, perperàm, ambiguè & perplexo ſenſu enunciat & dicit, in quo fallacia ineſt. Cùm enim falſum ipſum ſuo habitu ſuáque ſpecie in apertum prodire non audeat, tegit ſe alieno vel obſcuro veſtitu, ne agnoſcatur. Itaque eò ſunt peiores hæretici, quòd fucatas rectæ legitimǽque enuntiationis figura propoſitiones ſuas proferunt: fallúntque tantò cautiùs & latentiùs, quantò faciliùs illa ſpecioſa propoſitionis & ſyllogiſmi eorum forma obtrudi pro legitima enuntiatione ſolet ſimplicioribus, neque poteſt ab iis ferè diſcerni. Et cùm vterque nobis veritatem furetur, & qui falſum apertè dicit, & qui latenter: tamen longè periculoſior eſt qui clàm id facit atque ſpecie C recti, quòd tenebras offundit nobis, tegítque pulchris verbis mentis ſuæ & orationis mendacium. Neque verò extra rem eſt demonſtrare quà de cauſa eueniat, vt fiat ab hæretico non legitimà enuntiatio in propoſitione. Cuius rei cauſa eſt duplex, vtraque ex hæretici mente & ſenſu. Eſt enim hæreticorum & hæreſeon, vt ab antiquis ſcriptoribus accepimus, eadem quæ ſophiſtarum mens & intentio, quemadmodum non ſunt diſſimiles vtrorumque viæ & rationes, ſi conferantur. Itaque quemadmodum impoſtoris & ſophiſtæ, ita hæretici mens eſt cauillari. Eſt autẽ cauillatio (vt ait ex Cicerone Seneca lib. decimonono. Epiſt. 112) vafra quæſtio, & diſputatio ad bene viuendum nihil pertinens.

Quicquid enim hæreticus in ſua hæreſi defendenda agit & docet, in eo cauillatur & decipit nos, ſi rem modò ipſam & doctrinæ eius ſubſtantiam ſpectamus. Cùm autem hæreticus cauillatur, id duplici de cauſa & nomine facit,

nimirum, Gloriæ & oſtentationis,
vel
Auaritiæ & contentionis cauſâ.

Nam verè dici poteſt hæreſeon omnium ſemper

A fuiſſe ſempérque fore hos duos perennes & perpetuos fontes, Ambitionem nimirum, & Auaritiam. Ac de auaritia quidem apertè teſtatur Paulus, eos qui illi addicti ſunt, à fide ſæpe aberrare, 1. Tim. 6. 10. De oſtentatione verò locus eſt etiam eiuſdem Pauli, quum inter eos qui vim pietatis negant & infringunt, formam tamen eius retinent, enumerat atque recenſet ἀλαζόνας, quales fuêre Simon Magus, Alexander, Hymenæus. 2. Timoth. 3. 2, & 4. 14. Actor. 8. 9. Et vt in hęreticis hi ſunt duo cauillationis fontes, ita in ſophiſtis. Itaque Ariſtoteles cauillatorium ſyllogiſmũ (lib. 1. ἐλέγχων σοφιστικῶν cap. 10.) diuidit ex mente ſophiſtarum, vti nos ex ſenſu hęreticorum hoc loco facimus, in duo ſyllogiſmorum genera, quorum

vnum { Σοφιστικὸν appellat,
alterum { Ἐριστικόν.

Sophiſticus eſt, quem nectit hæreticus gloriæ captandæ, ſententiæque ſuæ venditandæ cauſa. Eſt autem ἐριστικὸς, ſiue Latinè dicere malis, litigioſus, qui contentionis atque auaritiæ gratia ab eodem B contexitur. Hæc duo genera enumerari poſſunt hæretici atque cauillatorij ſyllogiſmi, ſi illius mentem attẽdimus. Quanquam Plato in Sophiſta præter hæc duo genera, alia quoque recenſet, nempe χρηματοφθορικὸν συλλογισμὸν, χρηματιστικὸν, ἀδολεσχικόν. Sed nos bimembrem illam diuiſionem malumus ſequi & retinere. Denique omnium hæreticorum mens etiam eò maximè ſpectare videtur,

vel vt { Falſum fateamur:
Nugas loquamur.

Ac falſum quidem fateri, quò poſtea meliùs ſuã ſententiam noſtræ, & ſuam hæreſim veritati plauſibiliùs pręferant. Nugas verò loqui, vt inepti videamur, & ita inepta abſurdáque noſtra ratio & oratio. Id quod Aëtius hæreticus exemplo ſuo docet, qui orthodoxos patres vexans in eo plurimùm laborabat, vt eos cogeret dicere vel τὸ ἀγέννητον γεννητὸν eſſe, quod eſt falſum: vel γέννημα γεννητὸν γέννημα, quod eſt nugari: quemadmodum docet Epiphanius in Panario ſuo libr. 3. Tomo 1. cap. De Aëtianorum hæreſi. Ergo poſtquam tanta eſt hære C ticorum hominum calliditas & obſtinatio, vt latenter nobis imponant, euertántque ſpecie iuſtarum propoſitionum & ſyllogiſmorum veritatem, ecquod aduerſus eorum technas & artem remedium afferri poſsit videamus: id eſt, quomodo non legitima enuntiatio diſſolui poſsit, quibuſque modis, explicandum eſt. Veteres quidem Dialectici duos tantùm modos adhibebant, nimirum deſtructionem vel inſtantiam: nobis autem tres videntur afferri poſſe. Sic enim ſunt nobis quærenda remedia quemadmodum morbi naſcuntur. Enuntiationis autem non legitimæ vitia & morbi triplices à nobis obſeruari poſſunt, vt triplex remedij genus ſit adhibere omnino neceſſe. Nam primum enunciationis non legitimæ vitium eſt & deprehenditur

vel in { Ipſo enunciationis fallaci modo:
Animo & obſtinata mente eius, qui eam effatur & profert.

Quòd vitium in ipſo enuntiandi modo ineſt, ex eo accidit, quòd ſit obſcura vel confuſa enun- A tiatio, vnde diſtinctione ambigui & obſcuri dicti opus eſt.

Cùm verò in animo litigantis & contendentis verſatur fraus & fallacia, neque ei ſatisfieri vlla honeſta modeſtáque reſponſione poteſt, duo hæc remedia poſſunt à nobis adhiberi, vt

vel { Inſtantiam hæreticæ propoſitioni demus & obijciamus.
Conſcientiam eius appellemus & interpellemus.

Atque ita in ſumma hi ſunt tres modi, quibus variè vti poſſumus aduerſus omnis hæreticę propoſitionis vitium, quæ non habet iuſtam atque legitimam enuntiationem,

nimirum { Diſtinctio,
Inſtantia,
Conſcientiæ appellatio.

De quibus ſingulis ordine dicendum eſt. Ac primùm quidem de eo enuntiationis vitio, quod in enuntiandi modo ineſt & cernitur eſſe fallax. Qui locus propriè agit de fallaciis, ſiue deceptionibus hæreticorum & eorum Elenchis.

B

QVOT MODIS IN GENERE fallacia fieri in enuntiatione ab hæretico poteſt.

IN vniuerſum autem duobus, vt docent Dialectici, modis ea fallacia in propoſitione fieri poteſt, quæ vitioſum enuntiationis modum efficit. Nam

vel in { Dictione ipſa,
In re, & extra dictionem illa fallacia verſatur.

Cùm enim omnis orationis noſtræ ratio ſpectetur & ſit in verbis, quibus eam concipimus: vel in ſenſu & intelligentia quam animo habemus, neceſſe eſt vt quoties vitium in oratione noſtra ineſt, illud vel in verbis inueſtigetur, vel in re ipſa, id eſt, in ſenſu & mentis noſtræ notione. Ac in verbis quidem ſolet interuenire obſcuritas vel ambiguitas: in ſenſu verò & intellectu confuſio vel diuerſa intelligentiæ ratio parit fallaciã, quod vtrunque ſedulò obſeruandum eſt in hæreticorum paralogiſmis, & diſtinguendum.

C

DE FALLACIIS QVAE FIVNT in ipſa dictione.

FALLACIAE igitur quæ in dictiõe fiunt, ſex modis committuntur, & iiſdem deprehenduntur. Nam peccatur, atque fallacia eſt,

vel in { Simplici voce,
Oratione ipſa.

Ac in ſimplici quidem voce tribus modis fallacia incidere poteſt, nimirum,

vel in { Æquiuocatione,
Accentu,
Figura dictionis.

quanquam hæc etiam poſtrema ad totam ſæpe orationem pertinere poteſt, quemadmodum dicetur. Sed nos has partitiones facilioris tantùm memoriæ cauſâ ſequimur, ne quis nimiùm iis tribuat, A buat, aut vitioſas exiſtimet, quia vna in alteram ſępe incidit.

In oratione autem fallaciæ tribus etiam modis eueniunt:

vel in { Ambiguitate,
Compoſitione,
Diuiſione ipſius orationis.

quanquam hi duo poſteriores modi in ſimplici voce obſeruari atque locum habere poſſunt.

DE FALLACIA QVAE FIT ab Aequiuocatione ſiue homonymia dictionis.

VT quæ fallacia ex hoc loco efficitur, meliùs intelligi poſſit, quid ſit æquiuocatio, vel, vt Græci vocant, homonymia videamus.

Eſt igitur homonymia, varia & multiplex eiuſdem vocis ſignificatio, quæ non vnam paremque rationem in omnibus ſuis ſignificatis habet. Eſt homonymum ſiue æquiuocum vox illa quæ non pari, ſed diſſimili ratione & definitione de mul- B tis dicitur. Nam quæ pari & eadem ratione de multis dicitur & vſurpatur, non eſt homonymia: ſed eſt ſynonymia, id eſt, vniuoca, & illa eſt vel genus, vel ſpecies, vel differentia, & certam mentis noſtrę intelligentiam declarat, non autem incertam & ambiguam, quemadmodum vox æquiuoca facit. Sic igitur exempli cauſa, voces hæ, Canis, Taurus, Malum, ſunt voces æquiuocæ, & idcirco in iis fallacia deceptióque ab æquiuocatione fieri poteſt. At verò Animal, Homo, Rationale, ſunt voces vniuocæ. Nam quanquam Animal dicitur de multis, ſicuti & vox hæc, Canis, tamen diuerſa eſt ratio. Animal quidem dicitur de homine, de equo, de boue, ſed vna paríque ratione & definitione, quia hæc omnia ſentiunt. Canis verò dicitur de cane terreſtri, veluti de cane Tobiæ (Tob. 11. 4.) de Ruſſione: Item de cane marino, qui eſt piſcis: Item de cane cæleſti, quod eſt ſydus in cælo: Item etiam de mordaci & con- C tumelioſo homine, veluti de Semei, 2. Sam. 15. 9. ſed vna eadémque ratio & definitio afferri nõ poteſt, cur canes omnes iſti appellentur: ſed diuerſa & varia tantùm. Et vt à vulgaribus Dialecticorum exemplis ad noſtra & Theologica veniamus, vox Fidei, Timoris, Vocationis, eſt ambigua: item voces hę, συνείδησιν, εὐλάβεια, & aliæ multæ quæ ſunt obſeruandę.

Æquiuocationem autem è multis cauſis oriri ſentiunt veteres. Nos autem facilioris cognitionis & memoriæ cauſa, certos eius fontes demonſtramus. Nam omnis homonymia in voce ineſt,

vel ex { Prima impoſitione hominum:
Trãſumptione & metaphora, quam induxit vſus hominum:

Quia quæ vox vni tantùm rei ſignificandæ primùm fuit impoſita, poſtea ex vſu hominum ad res alias denotandas eleganter tranſlata eſt & traducta. Quo genere tranſlationis plurimùm vtuntur ex ſuæ linguæ regulis Hebræi, qui ex primæuo ſignificato alia multa deducunt propter quandam rerũ diuerſarum inter ſe ſimilitudinem. Exempli cauſa עין apud eos & fontem aquæ & oculum ſignificat. A Sed apud omnes gentes eadem eſt neceſſitas. Cùm enim res ipſę longè numero plures ſint, quàm verba, fuit neceſſe vt vox eadem pluribus rebus deſignandis inſeruiret & accommodaretur. Itaque ex ſua propriáque ſignificatione in aliam traduceretur propter verborum inopiam. Sic Solis vox, vnius rei demonſtrandæ gratia inſtituta primùm eſt & vſurpata, nẽpe eius planetæ, quem vulgò Solem appellamus. Poſtea autem ex vſu hominum ad alia traducta eſt. Nam & Chriſtus Sol iuſtitiæ dictus, Malach. 4. 4. & qui optimè præſunt ſolent ſoles appellari: & oculus dicitur Sol corporis. Omnis autem tranſlatio & traductio vocis ad aliam, quàm cuius gratia primùm inuenta eſt, ſignificationem, fit duplici de cauſa: nimirum,

vel propter { Rei Analogiam,
Orationis elegantiam.

Prima illa ſpecies igitur dicitur Homonymia ex analogia. Secunda verò dicitur Homonymia ex tropo & metaphora dictionis. Itaq; omnia dictionum σχήματα & figuræ Rhetoricæ, qualis eſt Antonomaſia, Metaphora, Metonymia, ad huius fallaciæ B locum & genus pertinent. Exempli cauſa, ex analogia quadam dicitur Elias propheta, currus Iſraël, 2. Reg. 2. 12. quem ſi quis putet propriè fuiſſe plauſtrum, fallitur ambiguitate vocis. Item ex analogia vocationis dicitur Iohannes Baptiſta eſſe Elias propheta, Malach. 4. 5. Luc. 1. 17. Item Phinees multi dicti ſunt ex analogia zeli ad cultum Dei conſeruandum, 1. Chronic. 9. 20. & ita ex analogia dicuntur in Scriptura multi Chriſti perſonam ſuſtinuiſſe, veluti Ioſue, Dauid, Zorobabel, ad quos multæ prophetiæ ea ratione pertinent: in eorum autem perſonis neque finiuntur, neque implentur prorſus.

Propter elegantiã autem orationis dicitur Chriſtus Oriens, quæ eſt Metaphora, Luc. 1. 78. Dicuntur viſcera miſericordiæ Dei. Dicitur Deus iraſci, quieſcere, ſtare, progredi, in via eſſe, audire, videre: quia ad noſtrum ſenſum Dei natura fuit explicanda, cùm tamen neque corpus, neque mo- C tus animi habeat. Sed in his loquendi formulis, quas ſæpe Scriptura vſurpat, ineſt Metaphora & Tranſlatio. Vnde fit vt ſi quis citra figuratam locutionem hæc explicet, aut ex iis concludat, fallat & fallatur, quales Anthropomorphitæ hæretici, qui Deo viuo & immortali corpus affinxerunt, cùm ſit tamen ipſe ſpiritus, Ioan. 4. 24. De quibus vide Socratem lib. 6. Hiſtor. eccleſiaſt. 7. Eadem orationis elegantia dicitur Chriſtus fuiſſe ἐν μορφῇ θεοῦ, Phil. 2. 6. In quo vox Phyſicorũ μορφὴ ad Deum, qui toto genere à rebus Phyſicis differt, tranſlata eſt. Atque de vocis tranſlatione hactenus.

Vocis autem ambiguitas & homonymia etiam ſæpe ex prima illius impoſitione & inſtitutione euenit: id quod duobus modis contingere poteſt, nimirum

vel à { Conſilio hominum,
Caſu & incogitantia quadam.

Atque à conſilio quidem, veluti ſi ad memoriam pacis publicæ à Deo cõceſſæ quis Noach appelletur, qualis Noach appellatus eſt Geneſ. 5. vel

A ſi quis, vti Samuel, nominetur item Samuel: 1. Samuel. 1. quia à Deo longis precibus exoratus eſt, in his vocibus Noach & Samuel eſt Homonymia conſilio hominum.

A caſu verò, vt vocant, eſt, cùm ſine vllo conſilio res diuerſę vno & eodem nomine primùm ſunt appellatæ, vti Canis terreſtris & marinus.

Ex quibus intelligitur, omnes fallacias, quæ fiũt in ſyllogiſmo, ex ambigua & varia vocis alicuius ſignificatione, quæ vel definienda, vel diuidenda, vel reſtringenda, vel amplianda, vel diſtinguenda eſt, ad hunc locum pertinere, & ex hoc loco ſolui debere. Quid igitur reſtat? duo nimirum: Primum vt harum deceptionum & vinculorum ſoluendorum modum & rationem artémque indicemus. Secũdum autem, vt traditam regulam vtilibus exemplis illuſtremus. Ac regula quidem, quæ tanquam certiſſimum aduerſus harum fallaciarum vitiũ remedium tradi poteſt, hæc eſt, vt quæ vox in ſyllogiſmo ambigua eſt & variæ multiplicíſque ſignificationis, apertè diſtinguatur, atque doceatur quo modo in vna propoſitionum ſumitur, quo item & quàm diuerſo ſignificato in altera. Neq; enim neceſſe eſt omnes diuerſas æquiuocæ illius vocis B ſignificationes afferre, ſed eas tantùm quæ diuerſæ in vno & eodem hæreticorum ſyllogiſmo latent. Omnino quidem quod eſt multiplex, eſt diſtinguẽdum, quia parit confuſionem, & niſi fiat, tota diſputatio merus eſt iocus & irriſio, vel aperta cauillatio, per quam nihil docemur, ſed fallimur & decipimur incauti. Eſt autem hominis eruditi & bene in Theologia verſati ſcire quæ ſint voces in Theologia variæ ſignificationis, quæ item vnius & ſimplicis, quoniam hæc ars peritum iam & inſtructum artificem & Theologũ, vti diximus, requirit. Et quia regula & horum ſophiſmatũ ſolutio in eo tota poſita eſt, vt illud quod eſt varium & multiplex diſtinguamus, erit omnino diſtinguendũ. Quod fiet, ſiue diuerſa ſignificata eiuſdem vocis explicemus, ſiue genus in ſuas ſpecies diuidamus, ſiue definiamus rem propria & non communi generalíque definitione, ſiue ampliando, atque reſtringẽdo illam vocis ambiguitatem ſemoueamus & demonſtremus. Atque hoc præceptum noſtrum poteſt quiſque per ſe intelligere. Reſtat autem illud exemplis C patefaciamus. Hoc facile eſt, quod ex Sabellianorum hæreſi ſumptum eſt.

Vnum non ſunt duo.
Pater & Filius ſunt vnum, Ioan. 10.30.
Ergo Pater & Filius non ſunt duo.

In quo ſyllogiſmo vox hæc(vnum) ambigua eſt & multiplex. Nam vnum eſſe, dicitur & de iis quæ ſunt eiuſdem generis, vti Homo & Brutum ſunt ſub eodem genere, nẽpe Animal: & de iis quæ ſunt eadem & vnũ ſpecie, vti Petrus & Paulus ſunt ſub vna & eadem ſpecie, nimirum ſub Homine: & de iis quæ ſunt eadem numero: quæ tamen omnia etiam duo eſſe alia quadam ratione poſſunt. ergo & Pater & Filius etſi ſunt vnum οὐσίᾳ: duo tamen eſſe poſſunt ὑποστάσει. Nam ὑποστάσεως nomẽ aduerſus Sabellij errorem inuentum eſt. Vti οὐσίας ad Arrianorum hæreſim iugulandam.

Aliud exẽplum eſt à Marcionitis ſumptum, qui veteris Teſtamẽti authorem Deum, vti malum accuſant & damnant. Aiunt igitur illi ſic,

Omnis qui facit malum, malus eſt, Ioan. 3. 20. Matth. 7.18.
Deus author veteris Teſtamenti facit malum, A Amos 3.6.
Ergo Deus author veteris Teſtamẽti eſt malus.

Hi fuerunt Manichęorũ magiſtri & patriarchę, in quorum ratiocinatione vox hęc (Malum) planè ambigua eſt. Eſt enim malum culpæ, & malũ pœnæ. Malum culpæ eſt, quod Dei præcepto & Chriſtiani hominis officio aduerſatur. Hoc malum qui facit, culpam committit & ſcelus, & malus eſt ſiue improbus. At Deus author veteris Teſtamenti tale malum non perpetrat. Malum pœnæ eſt dura & aſpera carni noſtræ caſtigatio & afflictio, quam qui immittit & infligit non eſt improbus & ſceleſtus vel malus, quemadmodum neque iudex malus eſt, quia ſceleratis malum, id eſt, pœnam irrogat. Hoc pœnæ malum facit Deus, ſed non culpæ. Pſal. 25.8. & 10.

Aliud eſt exemplum ex antiqua Pelagianorum & Manichęorum hæreſi, quam hodie Anabaptiſtę renouant. Hi cenſent infantes non eſſe in Eccleſia baptizandos. Atque ita aiunt,

Soli ij qui peccarunt, ſunt baptizandi, Marc. 1.4.
Infantes autem paruuli non peccarunt Matth. 19.14.
Ergo infantes paruuli non ſunt baptizandi. B

Hic anceps eſt vox hæc (Peccarunt:) Nam peccaſſe dici poteſt & qui iudicio & voluntate peccat, & qui origine ſua peccator eſt. Paruuli infãtes nõdum animi ſui iudicio & voluntate peccarunt: ſed tamen origine & naturâ ſua peccatores ſunt, Epheſ. 2. 3: & ita peccatores ſunt & peccarunt. Rom. 5.12.

Aliud eſt Aëtianorum hæreticorum, qui Filium Deum ex Deo Patre genitum negabant, quia dicebant orthodoxi patres Patrem Deum eſſe ἀγέννητον, ingenitum. Sic igitur Aëtiani arguunt,

Ex priuatione nihil fit, aut procedit.
Ingenitus Deus eſt priuatio.
Ergo ex ingenito Deo nihil fit aut procedit.

Hoc eorum argumentum refert Epiphan. lib. 2. Tomo 1. in cap. contra Ætianos, in argumento 19. eorum, & 23. in quo idem Epiphanius ſolutionem à vocis huius (Priuatio & Ingenitus) ambigua ſignificatione petit & demonſtrat. Nam Priuatio duobus modis dicitur, vti & ἀγέννητος. Sæpe priuatio pro ſimplici negatione ſumitur, ſicuti cùm C Deus dicitur ἀόργητος. οὐ διὰ τὸ ὀργίζεσθαι, ait Epiphanius, id eſt, non quaſi iraſci poſſit: ἀλλὰ διὰ τὸ αὐτοαόργητον, id eſt, ſed quòd ſua natura iraſci non poteſt Deus. Itaque & ἀόργητος in Deo ſimplex eſt negatio, non priuatio. Eodem modo Pater dicitur ἀγέννητος, κατὰ τὸ ἰδιάζοντως καθ' ἑαυτὸ πρέπον τῇ ἑαυτοῦ οὐσίᾳ τε καὶ θεότητι καὶ διὰ τὸ αὐτογέννητον εἶναι. id eſt, quòd propriè & per ſe Patri naturæ competit, vt ſit ingenitus. Itaque ſimplicis negationis ſignificatio eſt in Patre ἀγέννητος, non autem propriè priuationis. Sæpe autem priuatio eſt naturæ deſtructio, & habitus qualitatíſve, quam quis habere potuit, amiſsio: vti cùm quis dicitur indoctus, ex hac priuatione per ſe nihil fit.

Aliud exemplum eſt Arrianorum, qui Chriſtum negant eſſe Deo Patri æqualem & ὁμούσιον. Aiunt enim eſſe diſſimilem, ſic,

Omne illud quod eſt forma vel in forma alterius, differt ab eo cuius forma eſt.
Chriſtus autem eſt in forma Dei. Philip. 2.6.
Ergo Chriſtus differt à Deo.

A In quorum argumentatione fallacia ineſt ex huius vocis (forma) multiplici ſignificatione. Nam forma alterius eſſe poteſt.

vel { Externa tantùm,
Interna etiam.

Externa alicuius rei forma eſt veluti pictura, adumbratio, ſimilitudóque alicuius rei, quæ forma differt à reipſa veráque eius natura & definitione, vti pictura hominis à vero homine: At interna forma rei, eſt ipſa rei natura, quam Phyſici μορφὴν vocant, & vera definitio, vti forma hominis, eſt eſſe animal rationale. Hæc forma non differt à re ipſa cuius formam & propriam naturã habet. Sic Chriſtus formam Dei internam, id eſt, veram Dei naturam habuit ab æterno, quia eſt Deus in ſecula laudandus, Rom. 9.5. & idcirco natura à Patre non differt, vt illi ſentiunt.

Aliud exemplum ex Libertinorum impia ſententia, qui negant vllos homines damnandos eſſe, ſed contendunt ſingulos eſſe ſaluandos.

B Qui omne dicit neminem excipit.

Scriptura dicit Deum velle vt omnes homines ſalui fiant, 1. Tim. 2.4.

Ergo Scriptura neminem excipit, qui non ſaluus fiat.

Item aliud eorundem.

Quæ nihil ſunt, nocere nobis non poſſunt.

Peccata & idola nihil ſunt, 1. Corinth. decimo cap. verſ. 19.

Ergo peccata & idola nobis nocere non poſſunt.

In his duobus ſyllogiſmis ex æquiuocatione vitium eſt & fallacia. Ac in primo quidem, quòd vox (omnes) ſæpe ſingulos ſignificat ipſos per ſe & ſigillatim conſideratos. Quam ſignificationem non habet vox (omnes) apud Paulum, 1. Tim. 2.4. Sæpe verò eadem vox denotat vniuerſos collectim ſumptos, quia quum ex ſingulis ordinibus & generibus, aliqui conſentiunt, aut aliquid faciunt, omnes conſentiſſe aut feciſſe dicuntur. In ſecundo verò
C ſyllogiſmo vox (Nihil) eſt ambigua. Quia modò negationem ſimplicem ſignificat, modò merã priuationem omnis exiſtentiæ. Quæ ſunt nihil hoc poſtremo ſignificato & modo priuationis, quia omnino non ſunt, non nocent: & ita in maiore propoſitione vox (Nihil) ſumitur. At peccatum & idolum eſt nihil negatiuè, id eſt, non eſt quod eſſe dicitur & fingitur, nempe idolum Deus non eſt, 1. Corinth. 8.4. Neque item peccatũ eſt naturæ conſeruatio felicitáſque noſtra, quod putat ἀκόλαστος dum peccat.

Aliud exemplum ex Apollinariſtarum hæreticorum hæreſi eſt, qui negant Chriſtum humanam animam habuiſſe, ſed tantùm corpus humanum, cui diuina Chriſti natura pro anima inerat. Id quod falſum eſt. Sic tamen nituntur probare.

Vox hæc, Caro, in Scriptura ſolum corpus ſignificat.

At Verbum Dei caro factum eſt, Ioan. 1.14.

Ergo Verbum Dei ſolum corpus factum eſt.

Prima propoſitio falſa eſt ex varia vocis huius, Caro, ſignificatione. Nam ſæpe corruptam in homine naturam ſignificat, ſæpe totum hominem qui corpore & anima conſtat, vti hoc loco Hebræor. 12. 9. Hoc modo ſoluit hoc eorum argumentum Auguſtinus in libro 83. quæſtione octaua. Quo eodem libro quæſtio. 73. idem Auguſtinus ex hoc eodem loco ſoluit Marcionitarum ſyllogiſmum, qui ſic fit ab iis. A

Nulla ſimilitudo aut forma eſt ipſa & vera rei natura.

Chriſtus autem ſimilitudinem & formam hominis accepit, Philip. 2.7.

Ergo Chriſtus verum hominem verámque humanitatem non aſſumpſit.

Ambiguitas eſt in voce (Similitudo) & (forma) quæ non tantùm imaginariam & inanem rei ſimilitudinem & picturam declarat: ſed etiam veram rei naturam, vt cùm dicimur portare terreni hominis imaginem, 1. Corinth. 15. 49. Geneſ. 5.3. veram eius naturam eſſe docet Scriptura.

In eodem libro quæſt. 77. idem Auguſtinus ſeipſum inuoluit, cùm vocis huius (Timor) ancipitem & multiplicem ſignificationem non ſatis attentè notaſſet. Quærit enim, vtrùm timor ſit peccatum, quia Chriſtus timuit, & triſtatus eſt, vt in morte, Matth. 26.38. Chriſtus autem peccaſſe dici non poteſt. Qui itaque Chriſtum peccati arguunt, B
ſic aiunt,

Omnis timor eſt peccatum.

Chriſtus autem timuit.

Ergo Chriſtus peccauit. Sed vt docet Paulus, duplex eſt triſtitia, alia ſecundum Deum, alia ſecundum hominem, 2. Corinth. 7.10. Vtraque nõ eiuſdem naturæ: Illa laudabilis, hæc non item. Sic duplex eſt timor,

alius { Naturæ,
Diffidentiæ.

Ille ex imbecillitatis noſtræ humanæque naturæ ſenſu eſt, neque eſt peccatum. Hic alius ex noſtræ incredulitatis vitio proficiſcitur, & eſt peccatum. Hic autem non fuit in Chriſto.

Sed vt nos ab antiquis ad noſtros, id eſt ad noſtri ſeculi errores veniamus, quædam de Papiſtarum ſchola afferamus, quæ ex huius loci cognitione ſolui atque expediri debent.

Quæ virtus Chriſtiana maior eſt, magis nos coram Deo iuſtificat. C

Charitas autem maior eſt fide, 1. Corint. 13.13.

Ergo charitas magis nos coram Deo iuſtificat quàm fides.

Sic concludunt Papiſtæ, vt negent nos fide iuſtificari, quod tamen docet vbique Scriptura. Sed cùm dicitur charitas maior eſſe fide, vox fidei eſt ambigua, quia tunc ad fidem miraculorum operatricem pertinet, eodem cap. 13. prioris ad Cor. verſ. 2. non autem ad fiduciam quam in Dei promiſsionibus & gratuita per Chriſtum redemptione noſtra collocamus.

Et in ſectione 8. lib. 2. cap. 18. Inſtitutionis Chriſtia. ad illud quod Papiſtæ aiunt, dilectio eſt perfectio legis apud Deum, Coloſſ. 3. 14. ergo meretur: ſolutio affertur ex ambigua ſignificatione huius vocis (perfectio) quæ ad Eccleſiã & eius membra bene cohęrentia refertur, non autem ad noſtrę iuſtificationis cauſas.

Aliud exemplum ſumptum ex iiſdem

Omne quod Petro tribuit Chriſtus ſoli Petro competit.

Poteſtatem autem clauium Chriſtus tribuit Petro. Matth. 16.18.

Ergo poteſtas clauium competit ſoli Petro, &

A inde inferunt, ergo cæteros à Petro eam poteſtatem accepiſſe. In hoc ſyllogiſmo fallacia ineſt ex vocis huius (Petro) multiplici ſignificato. Nam Petrus vel ipſam tantùm Simonis Petri Perſonam denotare poteſt: vel eius fidem, quatenus Chriſto vero & angulari lapidi innititur. Papiſtę hanc promiſſionem de clauium poteſtate & remiſſione peccatorum ad ſolam Petri perſonam reſtringũt, cùm ſit data fidei Petri. Inſtitut. Chriſtian. lib. 4. cap. 9. ſect. 5.

Aliud exemplum.

Voci Eccleſiæ parendum eſt.

At ceremoniæ & ritus Romanæ Eccleſiæ ſunt vox & præcepta Eccleſiæ.

Ergo iis parendum eſt.

Diſtingue: non cuilibet voci Eccleſiæ audiendum eſt, docet enim Dominus ſe fruſtrà coli præceptis hominum, & nobis eſſe cauendum à fermẽto Phariſæorum, Matth. 16. 5, & 12. Sed ei voci Eccleſiæ parendum eſt, quę ex Moſis cathedra, id eſt, verbi ſcripti pura doctrina hauritur & emittitur, Matth. 23. 2.

B Aliud exemplum in ambigua ſignificatione huius vocis (Perſona) vide lib. 3. Inſtit. Chriſt. cap. 23. ſection. 10. Quilibet ſtudioſus plura his per ſe colligere poteſt, & his addere. Nos verò his contenti erimus.

DE FALLACIA QVAE FIT ab accentu.

VT faciliùs intelligi poſſit, quæ ſit fallacia & deceptio, quæ fit ab accentu, videndum eſt, quid hîc accentus nomine complectamur. Accentum græci προσῳδίαν appellant, quem ita quidam definiunt. Eſt accentus, pronuntiatio quantitatis ſyllabarum, vti quæque vel longior, vel breuior eſt. vt ſiquis Cámillum pro Camîllum pronuntiet, errat in accentu. Itaque quoties quis pro breui ſyllaba longam ſubſtituit, aut pro lõga breuem, ex quo vocis ſignificatio fiat diuerſa, atque ita imponat alteri, deceptio eſt ab accentu. Veluti exempli cauſa, qui malum, quod eſt prima longa C & pomum ſignificat, pro malum, quod eſt prima breui & noxium ſignificat, accipit. Et quia nõ modò in iſta quãtitatis ſyllabarum immutatione falli poſſumus: ſed etiam in literarum ipſarum aut diphthongorum adiectione vel detractione, vel cõmutatione ex ſimili pronuntiatione earundem literarum vel ſyllabarum, idcirco ad hunc locum omnes elenchi pertinebunt, & cauillationes, quæ ex literarum aut ſyllabarum aut diphthõgorum mutatione & affinitate eueniunt.

Et quia (H) nota aſpirationis eſt ſpecies quædam accentus & pronuntiationis in dictione cui additur vel detrahitur, idcirco ſi qua deceptio ex huius notæ (H) prætermiſsione aut adiectione fit, ſolui debebit ex regula huius loci & fallaciæ. Iſta vitia accidunt in omnium penè nationum lingua & ſcriptura. Nam etiam in verbis Hebraicis committi poteſt & cerni hęc fallacia, qualis eſt quod pro מטה, id eſt lectus, legi poteſt מטה, id eſt virga & baculus, Heb. 11. 27. Geneſ. 47. 31. Sic Galaaditæ victos Ephraamitas fratres ſuos deprehendebant in vnius literæ Hebraicæ nempe ש pronuntiatione. Nam Ephraamitæ eam per ſimplicem S. Latinam proferebant, cùm tamen eſſet per ſch. efferenda. A Itaque Ephraamitæ pro שבלת dicebant סבלת, vt eſt Iudic. cap. 12. 6. Atque ex iſto pronuntiationis vitio lepidum eſt illud Catulli epigramma in Arrium quendam.

Chommoda dicebat, ſi quando Commoda vellet
Dicere, & Hinſidias Arrius Inſidias.
Et tum mirificè ſperabat ſe eſſe loquutum.
Cùm quantum poterat, dixerat Hinſidias.

Cujus epigrammatis ſalem & ſenſum poſt M. Fabium Quintilian. lib. 1. cap. 9. explicauit Angelus Politian. in Miſcellaneis. In quo tamen ipſo puto ego Catullum notare cauſam quoque morbi & vitioſæ pronuntiationis, quæ ſolet eadem iis accidere, qui morbo Hiſpano laborarunt. Sed ad rem. Si pro Ara pronuntietur Hara, ſenſus immutatur, decipitúrque is qui audit.

Sed vti ſyllabarum immutatio leuis, vel quantitatis earum vel aſpirationis omiſsio additióque vitioſam pronuntiationem efficit, & fallaciam ab accentu committit: ſic mala totius orationis diſpunctio & diſtinctio in ſua cola & membra vel virgulis vel punctis: B adeóque falſa & ſenſui mentique autoris contraria alicuius ſententiæ recitatio & pronuntiatio, ſiue ea ſentẽtia ſcripta ſit, ſiue non ſit, in errorem ſæpe maximum incautos inducit. qui omnes faciendæ fraudis & fallaciæ modi ad hunc elenchum & locum, qui eſt ab accentu, pertinent & debent referri, quia accentus & pronuntiationis ſunt genera & ſpecies. Nam ex earum rerum ignorantia & fraude ſimplices decipiuntur. Ergo ſiue punctum & virgula ſuo loco non pronuncietur vel adiiciatur: ſiue geſtu ipſo, ſiue pronuntiationis & vocis modo & inflexione illud quod εἰρωνικῶς vel μιμητικῶς, id eſt, alterius tantùm deridendi vel imitandi gratiâ dictum eſt, quaſi ab ipſo autore adſeueratum & affirmatũ proferatur, & inde quis decipiatur, ad hunc locum pertinet. Denique omnis vel dictionis vel totius orationis pronuntiandæ recta ratio, quæ non obſeruata fraudem facit, ad huius elenchi fallaciam pertinet.

Remedium autem quod in huiuſmodi nexuum & nodorum diſſolutione neceſſarium eſt & fraudem detegit, facile eſt. Eſt autem vt ipſa accentus, aſpirationis, C & pronuntiationis diuerſitas demonſtretur aduerſario, atque inde ſenſus & ſignificatio cuiuſque dictionis vel orationis eliciatur & exponatur. Id quod non rudem in Theologia cæteríſque artibus artificem requirit, ſed peritum, qui & quo ſenſu quidq; dicatur, intelligat, & qua ratione voces deſcribi pronũtiaríque debeant. Reſtat igitur vt hæc omnia exemplis illuſtremus. Ac primum ſit illud, quod Libertini afferunt.

Omne quod ſcriptura iubet, eſt faciẽdum. Scriptura dicit, Edamus & bibamus, cras moriemur. Ergo edendum & bibendum eſt, ne cras moriamur, id eſt, ſine ſenſu voluptatis. Quod iſti Epicurei citãt, eſt apud Paulum 1. Corinth. 15. 32. & apud Iſaiam 22. 13. Vterque enim & Paulus & Iſaias non ex Dei doctrina & adſeueratione ſua illud iubent & dicunt, ſed ex abſurdo colligũt, & hanc ſententiam εἰρωνικῶς pronuntiant, vocem & mentem Epicureorum imitantes. Illud autem eſt faciendum quod pura Dei doctrina, & qui eam tradiderunt iubent ex aſſeueratione ſua. Aliud exemplum eſt quod ſuperſtitioſi homines afferunt, & in quo fallunt ex eadem pronuntiationis ratione nõ obſeruata.

A uata. Aiunt igitur ſuperſtitioſi Monachi,

Omne quod Paulus monet, eſt faciendum.

Monet Paulus, ne tangas, ne guſtes, ne contrectes(Coloſſ.2.21.)quæ pereunt.

Ergo non tangenda, non guſtanda, non contrectanda que pereunt.

Quod Paulus monet ex Dei Spiritu, quem habebat, illud eſt obſeruandum, neque prætermittēdum. Sed quod idem Paulus ait, Ne tangas, &c. non ex ſua, ſed ex ſuperſtitioſorū hominum perſona ait, & tantùm μιμητικῶς, non autem ἀποφαντικῶς, id eſt, imitatiuè, non autem adſeueranter.

Aliud exemplum ſumptum ab iis qui Dei prouidentiam & potentiam negant in omnia ius habere & imperium. Aiunt enim multa fieri contra Dei voluntatem, & ipſum Deum illa non poſſe impedire & interturbare.

Quod Deus ipſe affirmat, eſt credendum.

Deus dicit, Ædificabunt, & ego diruam, Malach.1.4.

Ergo credendū multos ea ædificare, quæ Deus tamen diruit & non vult ædificari.

B In quo ſyllogiſmo eſt fallacia ab Accentu. Nam illud ædificabunt per Conceſsionem dictum eſt, & εἰρωνικῶς, quaſi dicat, Conentur ædificare, & ipſi videbunt, ſi non diruam. Ergo adſeueranter non dicitur, eos ædificaturos eſſe, & illos hoc poſſe inuito & renitente Deo.

Aliud exemplum ſumi poteſt ex Caluini Inſtitut.lib.2.cap.5, ſect.13. vbi ad Dictum Oſeæ, quod eſt ex cap.5.14, reſpōdet. Ex vulgari more, ait Caluinus, illud à Domino dictum eſt.

Aliud exemplum eſt ſumptum ab iis, qui negant Chriſtum poſſe probari eſſe verum illū Meſſiam ex eo quod in Bethleem natus eſt. negant enim eum ex Micheæ prophetę vaticinio illic fuiſſe naſciturum.

Quæ interrogant in Scriptura non affirmant.

At in hoc verſu, Et tu Bethlehem, &c. interrogat Scriptura.

Ergo non affirmat.

C Locus eſt ex Michea cap.5. 2. & Matth: 2. 6. vbi illi ad fraudem faciendam legunt interrogatiuè, quod eſt legendum affirmatiuè. Fuit idem paralogiſmus Marcionis in loco Matt.26. verſ.64. quem ex hac de Accentu fallacia ſoluit Tertul. ſub finem lib.4. aduerſus Marcion. his verbis. Vnde autem probabis interrogatiuè, & non ipſos confirmatiuè pronuntiaſſe, Ergo tu es Filius Dei.

Eodem modo quidam inter ſe committunt hos duos Scripturę locos velut contrarios, quorum vnus eſt 1. Corinth.15.24, alter verò Hebræor.10.12: quaſi vnus alteri aduerſetur. Itaque ita diſpungunt locum illum epiſtolæ ad Hebræos, vt poſt vocem hanc(Perpetuo) virgulam adiiciant, & non poſt vocem hanc, Victima: in quo fallunt & falluntur.

Aliud exemplum eſt ſumptum ex Arrianorum hæreſi. Illi enim cùm legunt caput primum Euangelij Ioannis, ita in verſu tertio diſpungūt: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine eo factum eſt nihil. Tum verſum quartum legunt ſic, Quod factū eſt, in ipſo vita erat, &c. Inde colligunt duplex eſſe Verbum Dei, vnum quod fuit in ipſo, nempe Deo Patre, & fuit conceptum: alterum quod fuit in creatione prolatum, & ex eo tempore demum cœpit eſſe, quod etiam poſtea caro factum eſt. Illud ipſum eſt, quod aiunt quidam λόγον eſſe

duplicem, { Διαθετικόν,
Προφορικόν. A

Errant igitur grauiſſimè, & fallunt Arriani & Seruetiſtæ in hac argumentatione ex hoc loco qui dicitur ab accentu, quia locum Ioannis perperàm diſpungunt & legunt. Sic enim eſt legendum,

Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine eo factum eſt nihil, quod factum eſt. & ita vnum eſt Verbum Dei, non autem duplex. De hoc loco diſpungendo, vide anxiam diſputationem Auguſti. lib. 5. de Geneſ. ad liter. cap.14.

Aliud exemplum ex eadem Arrianorum hæreſi. Aiunt enim ſic,

Quando Scriptura de vno Deo loquitur, ad ſolum Patrem ſeſe reſtringit.

Ergo Filius non eſt Patri ὁμόυσιος & Deus verus, ſed ſolus Pater. Citant ad ſuæ ſententiæ confirmationem locum Pauli 1. Cor.8.6, Ioannis 8.41. Quidam igitur horum paralogiſmorum ſolutionē ex hoc loco quęrunt, quòd perperàm voces hæ, Vnus Deus, cum Pater in diſpunctione coniungantur. B Quanquam ſolui poſſunt hæc Arrianorum ſophiſmata etiam ex aliis locis, idque melius. Denique ſi quo pacto hoc etiam exemplo huius fallaciæ intelligētiam aſſequi poſſumus, illud ſit ex vulgari Dialecticorum ſchola, dum ſic aiunt,

Qui ſolùm videt, non audit.

Qui terram videt, ſolum videt.

Ergo qui terram videt, non audit. Quod eſt falſum. Solum enim modò longum eſt, modò breue. In prima propoſitione longum: In ſecunda verò breue. & inde fallacia naſcitur. Atque hæc de Accentu.

DE FALLACIA QVAE FIT EX figura dictionis.

FIGVRA dictionis ab Ariſtotele nominatur σχῆμα λέξεως. Latè verò ſe diffundit hic Elenchus, ac certè eius vis à multis non percipitur, quòd eam interpretantur anguſtiùs. Nos igitur C quàm latè pateat, videamus. In genere fallacia quæ ex figura dictionis fit, eſt error in quem quis inducitur propter ipſius vocis & ſermonis phraſin & ſimilitudinem, propter quam alterius ſignificationis vocem aut orationem eſſe putat, quàm eſt tamen. Vnde in voce & in oratione tota fallacia committitur, quæ eſt in figura dictionis. Ergo quoties vel verborum, vel nominum terminationes nos decipiunt, vt quæ maſculina ſunt, fœminina exiſtimemus vel neutra: & contrà quæ ſunt fœminina propter ſonū ipſius vocis maſculinis affinem, putemus maſculina vel neutra, ex hoc loco deceptio eſt, vt ſi quis Glycerium putet eſſe neutrius generis, quod eſt proprium mulieris nomen apud Terentium. Idem in verbis dicendum & conſtituendum eſt. Quoties propter terminationem aut ſonum ipſum, verbum actiuæ ſignificationis putamus eſſe paſſiuæ vel neutrius, & contrà verbum paſſiuum putamus eſſe actiuum, fit fallacia ex hoc loco. Idem ſentiendum eſt de cæteris orationis particulis, veluti pronominibus, præpoſitionibus, aduerbiis, quarum partium quis vim ignorat & confundit, vel ordinem (Vt ſi quis exiſtimet aduerbium eſſe

A nomen, item vocis huius ἐξ ſignificatum ſemper cum voce ἀπὸ, confundi, item ἐν ſemper diſtingui ab hac propoſitione ὅτι, vel ſemper confundi) fallitur ex hoc loco. Huius autem rei cognitio ad peritum artificem pertinet, quemadmodum & diiudicatio, veluti qui ſic arguit,

Sic loquitur Scriptura, Fac bonum, fuge à malo, Pſal.34.15.

Ergo in nobis ſitum eſt facere bonum, & malum fugere: decipit incautum figura dictionis, quia ſimiles loquendi formulæ, quæ per imperatiuum & hypotheticum, vt vocant, modum concipiuntur, videntur indicare eſſe in noſtra poteſtate illud quod imperatur: quod non eſt tamen. Eſt enim Deus qui facit vt faciamus bonum, quia dat & velle & perficere. Heb.13.21. Philip.2.13. Itaque ij ſoli bonum faciunt, quibus dat Dominus ipſe, vt faciant. Sic qui exiſtimant Perſonas Patris & Spiritus ſancti in Trinitate confundi, quia de vtroque dicitur ἐξ οὗ: de Patre, 1.Corinth.8.6: de Spiritu B ſancto. Ioan.3.5.6, fallitur figura dictionis. Sic etiam qui putat eſſe in poteſtate hoſtium Eccleſiam quando & quantum volunt perſequi, quia dictum eſt, Tunc tradent vos in afflictionem, & occident vos, Matth.24.9. falluntur, quia hæc forma loquendi non permittit Eccleſiam hoſtium furori, ſed ex ſui natura propter doctrinam de Prouidentia Dei, limitatur, quando & quantum Dominus ipſe voluerit, 1.Corinth, decimoſexto, verſic. ſeptimo, Iſaiæ 41. fallit autem forma ipſa loquendi, Tradent vos, quaſi ſit in poteſtate infidelium quid velint ſtatuere & agere de nobis, nec ſit attendenda Dei voluntas, quæ hæc omnia moderatur, & iis tanquam inſtrumentis vtitur quantum vult: vltra quam progredi non poſſunt.

Quemadmodum igitur fallacia in figura dictionis committitur, cùm voces propter ſonum ipſum aliud ſignificare videntur, quàm quod ſonant: ita ex hoc eodẽ loco peccatur, cùm illud quod exempli cauſâ, aut materialiter & τεχνικῶς ſcriptum eſt & poſitum, tanquam verè & affirmatiuè & ſignificatiuè C dictum & commemeratum accipitur. Quo genere ſæpiſsimè peccatur ab iis, qui non ſatis acutè diſtingunt quando res pro exemplo ſit poſita, aut quando vti ipſa rei veritas narratur, & refertur, quod in multis Prophetarum locis, & Euangelij parabolis eſt obſeruandum. Exempli cauſâ illud quod apud Oſeam prophetam cap.1. ſcriptum eſt, eum duxiſſe in vxorem Gomer meretricem, filiam Deblaim: non ἱστορικῶς & pro facta veritate narratur, ſed pro parabola & pro exemplo coniugij, quale fuit inter Deum & Iſraëlitas. Sic quum voces quæ exempli tantùm cauſa vel materialiter poſitæ ſunt, ſignificatiuè ſumuntur, error & fallacia inducitur ex hoc loco: veluti (nam res exẽplis illuſtranda eſt) qui ſic dicit,

Mus caſeum rodit.
Mus eſt ſyllaba.
Ergo ſyllaba caſeum rodit.

Id quod ex Stoicorum ſchola profert Seneca lib. 16, epiſtola 49. Mus ſumitur materialiter cùm dicitur eſſe ſyllaba, & ſignificatiuè quum dicitur rodere caſeum. Sic aliud exempli cauſa.

Homo eſt diſſyllabum.
Chryſoſtomus eſt homo.
Ergo Chryſoſtomus eſt diſſyllabum.

Chryſoſtomus ſumitur & materialiter & ſignificatiuè in eodem ſyllogiſmo. Vnde eſt fallacia à figura dictionis. A

Deus eſt vbique.
Vbique eſt aduerbium.
Ergo Deus eſt aduerbium.

Iſta quidem ſunt in ſpeciem & puerilia & ridicula, fateor, ſed tamen rudioribus adhuc neceſſaria, vt faciliùs intelligatur, quæ vitia & quot fallaciarum modi ſub figura dictionis comprehendantur. Ergo quum illud quod in vna propoſitione ſignificatiuè poſitum eſt, ſumitur in alia materialiter, fit fallacia à figura dictionis. Eodem etiam modo, eadémque ratione fit fallacia ex figura dictionis, quum vox quædam fictionis cauſâ inducta aut explicationis, aut exempli gratiâ, ſumitur tanquam de ipſa re aut perſona aliqua mentio facta ſit expreſſè. Veluti quum ait Paulus, 1.Corinth.1.12, Dico autem illud, Quod vnuſquiſque veſtrum dicit, Ego quidem ſum Pauli, Ego verò Apollo, Ego etiam Cephæ, ſi quis exiſtimet de ipſis, Paulo nempe, B Apollo, & Cepha accipiendam eſſe mentem Pauli, putétque ex horum perſonis & nominibus ſchiſmatum initia & capita inter Corinthios fuiſſe, fallitur, & grauem Paulo & Cephæ notam inurit. Sunt enim iſta nomina exempli tãtùm gratiâ vſurpata, vt docet in eadem epiſtola idem Paulus cap. quarto, verſ. ſexto. Eodem modo ſi quis ad certas perſonas reſtringat & referat hæc quę videtur propria eſſe hominum nomina, nempe Lo-ruhama, & Lo-ami, quę ſunt apud prophetam Oſeam cap. ſecundo, verſic.23. fallitur figura & ſono dictionis. Sunt enim nomina appellatiua & generalia, & illic exempli tantùm cauſâ poſita, vti docetur 1. Pet.2.10.

Eodem autem hoc vitij genere & morbo laborant, qui literarum ordini & ſyllabarum, aut verborum ſitui ita religioſè ſunt adſtricti, vt ad ſenſum & mentem ſcripturæ non attendant, malintque ſententiam ſacræ Scripturæ contrariam in eo verborum ordine defendere, quàm à ſyllabarum & vocum ſitu vel hilum recedere, cùm id tutò, & meliùs facere poſſint. Hi penè in Scripturæ interpretatione C Iudaizant, cùm mordicùs verbis inhærent, & ſenſum non ſequuntur. Hoc vitij genere laborant, qui ſic arguunt.

Ioannes loquitur hoc ordine de pœnitentia & fide, Pœnitentiam agite, quia eſt in propinquo regnum cælorum, Mat.3.2.

Ergo pœnitentia præcedit fidem & internã mentis noſtræ illuminationem, quæ fit à Dei Spiritu.

Hoc argumento Papiſtæ vtuntur, & committunt fallaciam ex figura dictionis, quia ordinem tãtùm ſyllabarum ſcriptarum ſpectant, non autem mentem & rationem Ioannis. ſic Caluinus lib.3. Inſtitution.cap.3.ſect.2.

Atque quemadmodum in hoc vitium incurrunt qui religioſiùs quàm par eſt, ordini vel ſyllabis inhærent: ita peccant hoc eodem vitio qui præciſè iiſdem & totidem literis & ſyllabis ſcriptum exſtare volunt, quod docemus congruẽter & conueniẽter analogiæ fidei, & menti ſcripturæ. Par eſt enim quid in Scriptura verbis expreſſis exſtare, vel quid in ea dici confirmaríque per æquipollens. Qui itaque hæc tam expreſſa ſcripta requirunt ex figura dictionis, cui nimium tribuunt, falluntur. Tale eſt Anabaptiſtarum ſophiſma, qui negant pædobaptiſmum. Aiunt enim, A Nuſquam legitur his verbis expreſſè dictum in Scriptura, paruulos infantes eſſe baptizandos:

Ergo non docet Scriptura paruulos infantes eſſe baptizandos.

Reſponde dupliciter quid doceri in Scriptura, nimirum,

vel { Verbis præſcriptis,
Per ἰσοδυναμίαν:

& vitium eſſe in hac argumentatione ex figura dictionis, quæ nimium requiritur & ſcrupuloſius quàm ſit æquum, cùm ſatis doceatur authoritate Scripturæ paruulos infantes eſſe baptizandos. Eodem modo ſoluendi ſunt Arrianorũ paralogiſmi de hac voce, Trinitas: Item Sabellianorũ de hac voce ὑποστάσεως ſiue perſona: item Ariomanitarum de hac voce οὐσία ſiue ſubſtantia, cùm quærunt exténtne in Scriptura. Ex hoc eodem loco reſponderi debebat cuidam inſulſo & inepto monacho & Ieſuitæ, qui neſcio quaſnam quæſtiones D. Vireto fideliſsimo verbi Dei miniſtro propoſuit. Ad quas Viretus doctiſsimè & lepidiſsimè reſpondit.
B Ergo vt concludam, pertinent ad Elenchum ex figura dictionis omnes fallaciæ superiores, id eſt, quæ in nominibus & verbis ex generum eorum cõfuſione & ignorãtia propter ſoni & terminationis ſimilitudinem accidunt. Item quę ex non diſtincta ſignificatiua vel materiali vocis alicuius acceptione fiunt. Item ſi quæ exempli gratiâ poſita ſunt, de certa perſona vel pro rei veritate ſumantur. Denique quoties nimiùm vocum ordini vel numero ſyllabarum & ipſi ſcripturæ & ῥητῷ ſumus addicti, & non potius menti ſcripturæ & διανοίᾳ.

Remedium autem quod aduerſus tot tantáque monſtra afferri debet, vnum eſt, ſimplex & facile, modò ne ſit ſuæ artis & Theologiæ imperitus qui cum hęretico diſputat & cõtendit. Eſt autem hoc, vt negetur conſequentia, atque ratio ſubiungatur, cur ſit negata, quæ ratio ex breui & dilucida diſtinctione ſumenda eſt, quæ fiet inter figuram dictionis, & verum ſenſum mentémque orationis vel ſcripturæ. Itaque reſpondendum eſt, aliud ſonare
C verba, aliud autem ſonare ipſam ſententiam & mẽtem: item alio modo ſumi idem verbum, atque alio modo, & transferri de vna categoria in aliam, dum quod vti ſubſtantia primùm conſiderandum erat, poſtea ſumitur & conſiderandum eſt vti qualitas, vel quantitas, & ita de cæteris categoriis. Item dum quod exempli tantùm cauſâ poſitum eſt, tãquam verè de aliquo affirmatum accipitur & intelligitur. Verborum enim ſonus, & ipſe tanquam veſtitus orationis & figura nos in iis decipit, dum internam vim orationis non ſpectamus, ſed in externa tantùm eius ſpecie detinemur: veluti ſi quem Achillis armis aut cultu veſtitum cernens, ipſummet putet eſſe Achillem, externam tantùm figuram & veſtem contemplatus. Vti igitur in hominibus diſtinguendum eſt quid homo ipſe ſit, quid autem eius externa tantùm facies & veſtitus: ita in oratione & dictione eſt videndum, ne fallamur, quid figura dictionis præ ſe ferre & ſonare videatur: quid autem mens & vis ſententiæ ſignificet. Et ex ea diſtinctione breuiter explicata neganda eſt hæretico argumentationis conſecutio.

Reſtat autem, vt hoc ipſum aliquot exemplis illuſtremus, quemadmodum fecimus in ſuperioribus. Ac primum quidem exemplum ſit illud, quod ex Aëtianorum hæreſi ſumptum eſt. A

Ingeniti vox nullibi in Scriptura de Deo dicitur aut legitur.

Ergo Deus non eſt dicendus appellandúſve ingenitus.

Sic ſcorpiones iſti Aëtiani argumentabantur, quum orthodoxorum diſtinctionẽ irriderent inter Deum Patrem, & Deum Filium, quòd Pater ἀγέννητος, Filius autẽ γεννητὸς ab iis nominaretur. Solutio itaque huius ſophiſmatis eſt, quòd cuius vocis ſignificatio rectè cõpetit Deo, eidem vox ipſa competit. At rectè Patri ἀγεννήτου ſignificatio, & Filio γεννητοῦ ex mẽte ſcripturæ & analogia fidei competit, ergo & voces ipſæ: Pſ.2.7. Heb.1.5. Hoc Aëtianorum argumentum recitat Epiphanius in Panario lib.3. Tomi 1. & fuit Aëtij argumentum 25.

Aliud argumentum ex Papiſtarum ſchola, dum Limbos ſuos authoritate Scripturæ probare nituntur ex loco Petri, qui eſt 1. Pet.3.19, peccant in figura dictionis in verbo πορευθεὶς, cui putant ineſſe ſignificationem diſceſſus à nobis, cùm ſit potiùs acceſſus ad nos & ad viuos. Aiunt igitur ſic. B

Chriſtus πορευθεὶς, id eſt, abiit ad ſpiritus & loca ſubterranea & inferna.

Ergo ſunt Limbi ad quos iit.

Imò tu ſolue illud participium ſignificare venit & profectus eſt ad ſpiritus & loca hæc, in quibus verbo Dei immorigeri homines viuebant tempore Noë patriarchæ. Quanquam hæc fallacia poteſt etiam ſolui ex Elencho ab ęquiuocatione. Dic igitur tu & retorque contra limbificos,

Chriſtus πορευθεὶς, id eſt, venit ad ſpiritus hominum inobſequentium, & ad hæc loca terrena noſtra, vi & potentia prædicationis ſuæ:

Ergo non ſunt vlli limbi ſubterranei & inferni.

Aliud argumẽtum ex Auguſtini libro ſumptum eſt, qui 83. quęſtiones continet, quæſt. 69. vbi ſic argumentantur quidam.

Ait Scriptura, Cùm tradiderit Chriſtus regnum Deo & Patri, 1. Corinth.15.24.

Ergo non regnat nunc Deus & Pater.

Ait Auguſtinus, Genere locutionis ſoluitur quęſtio. Sic enim plerunque Scriptura loquitur, vt quod ſemper eſt, tunc fieri dicatur in aliquo, cùm ab eo cognoſci cœperit. Sic enim dicimus in oratione, Sanctificetur nomen tuum, quaſi aliquando ſanctum non ſit. Ergo ſicut Sanctificetur, eſt, Sanctum eſſe innoteſcat: ita quoque Cùm tradiderit regnum Deo & Patri, eſt, Cùm Patrem regnare monſtrauerit, vt per ſpeciem manifeſtationémque clareſcat, quod nunc à fidelibus creditur, & ab infidelibus non putatur. Euacuabit enim omnẽ principatum. Hæc Auguſtinus. C

Aliud exemplum ex Anabaptiſtarum (quibus etiam Seruetus fauit) ſchola & hæreſi.

Ait Chriſtus, Docẽtes baptizate in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Matth.28.19.

Ergo prædicatio Euangelij, item etiam fides & doctrina debet præcedere in omni homine baptiſmum.

Inde concludunt paruulos non eſſe baptizandos. Hi peccant, quia ſyllabarum ordini ſunt affixi. Caluinus lib.4. Inſtitut. cap.16. ſect. 27. Senſus.n. ſcripturæ eſt omnino & per ſe attendendus.

Aliud ex Sophiſtarum ſchola.

A Ait Paulus & monet, ne Dei Spiritum extinguamus, 1. Theſſ. 5. 20. item Petrus ait, Summiniſtrate virtutem in fide 2. Pet. 1. 5.

Ergo ſecundæ boni operis agendi partes ſunt noſtræ.

Reſponde fallaciam fieri à ſophiſtis ex figura dictionis. Omnes enim hæ loquendi formæ nos excitant tantùm ne torpeamus, non autem tribuũt nobis ſecundas agendi partes. lib. 2. Inſtit. Chriſtia. cap. 5. ſect. 2. Sed de iis hactenus. Quia vero copioſè ſatis diximus de fallaciis, quæ in ſimplici dictione fiunt & committuntur, videamus iam de iis quę in totam orationem incidunt.

DE FALLACIIS, QVAE AB AMbiguitate Orationis vel Ampibolia committuntur.

ORATIONIS ambiguitas nominata eſt ab Ariſtoteleis ἀμφιβολία, ab aliis etiam ἀμφιβολογία, B è qua frequentes fallacię duci ſolẽt. Quid ſit autem prius quàm definiri poſſit, obſcuritas orationis eſt diſtinguenda nobis ab ambiguitate, quòd obſcuritas quidem neque ludum habet, niſi ſit affectata, neque mendacium. Itaque requirit vel magis dilucidam verborum explicationẽ, vel pleniorem & perfectiorem rerum cognitionem. Obſcura oratio dicitur à Græcis λόγος ἀσαφὴς, qualis ſæpe in ſcriptis Prophetarum propter abſtruſam & altam rerum, de quibus agunt, ſapiẽtiam, apparet, & in Apocalypſi, quæ tamen non eſt affectata.

Ambigua verò oratio & ludit auditorem & mendacium continet, quia interpretatio eius fieri in vtranque partem poteſt, éſtque omnino vitioſa & fallax.

Eſt igitur ambigua oratio omnis obſcura, nõ tamen omnis oratio obſcura eſt ambigua. Ac ambigua quidẽ ſic definiri poteſt, vt ſit ea quæ plures ſẽſus & conſtructiones diuerſas, omnes tamen Grãmaticæ legibus conſentientes recipit, vnde fallacia accidit, vt lib. 5. de repub. docet Plato. Illa verò am- C biguitas multis modis accidit, nimirum

vel ex
- Tota ipſius orationis ſyntaxi:
- Inductione allegoriæ:
- Vnius alicuius verbi ambigua conſtructione, â quo totius orationis ſenſus ſiue ſententia pendet.

Ac totius quidem orationis ſyntaxeos ratione fit ambiguitas, cùm verba æquè in hunc atque in illum ſenſum accipi ex ratione Grammaticæ poſſunt. Exemplum vulgare eſt illud,

Aio te AEacida Romanos vincere poſſe.

In quo verba æquè pro Romanis atque contra Romanos trahi poſſunt, neque tamen leges Grammatices violabuntur.

Cùm autem allegoriæ afferuntur, ſolet eſſe is ſermo ambiguus, quòd neſcitur quem ſenſum vel iuſtam interpretationem admittat oratio. Hoc genere variè fallunt Papiſtæ, dũ infinitos penè Scripturæ locos allegoricè interpretantur, & ex ea interpretatione ſua poſtea arguunt & cõcludunt: veluti cùm dicunt,

Mittitur leproſus à Chriſto ad ſacerdotes. Marc. 1. 44.

Lepra eſt peccatum, ſacerdotes ſumus nos ſacrifici.

Ergo qui vult mundari à peccatis debet ad nos venire. A Fallunt propter illam ſuam allegoricam interpretationem. Talis eſt fallacia illa, quam in eo Pauli loco committunt ex quo ſe ſuum Purgatorium euincere poſſe contendunt, dum ligna & fœnum leuiora peccata eſſe dicunt, ignem verò illum purgatorium eſſe aiunt, 1. Corinth. 3. 12. Infiniti hæretici hoc modo & genere fallaciæ vtuntur.

Denique cùm eſt vna aliqua vox in oratione non ambigua illa quidem ſua ſignificatione, ſed incerta ad quid referenda ſit, & ad diuerſa poſſit pertinere, fit ambigua tota oratio. Sic arguunt Papiſtæ, dum coniugium quod eſt inter virum & vxorem, eſſe ſacramentum probare nituntur ex illo Pauli loco, qui eſt Epheſ. 5. 2, Myſterium hoc magnum eſt. Pronomen demonſtratiuum (Hoc) ad viri & vxoris copulationem referri debere contẽdunt. Quod eſt falſum. Nam eodem verſu explicat ſeipſum Paulus, quo melior aut fidelior interpres alius nemo quærendus eſt. Ergo quoties vel ipſa ſyntaxis ratio, vel forma loquendi obſcurior, vel vnius alicuius vocis relatio facit fraudem in o- B ratione, fallacia eſt ex ambiguitate ſiue amphibolia orationis. Quemadmodum etiam cùm figurata ſiue tropica loquendi forma non obſeruatur, ſed ſine figura & tropo orationis ſententia accipitur, fallacia eſt ex hoc elencho ſiue loco. Itaque quoties ſacramentalis propoſitio in Scriptura pro naturali ſumitur, aut è contra naturalis pro ſacramentali (intelligunt autem iam omnes periti quæ ſit ſacramentalis propoſitio in Scriptura, quæ verò naturalis:) Item quoties non animaduertitur metaphora, ſiqua in oratione ineſt, & quaſi nulla ſit arguitur cõcluditúrque ad puram & ſimplicem verborum ſignificationem, fit deceptio ex ambiguitate orationis. Itaque ex hoc loco Papiſtæ nos fallere conantur, cùm non obſeruant in iis verbis Cœnæ dominicæ (Hoc eſt corpus meum) eſſe tropum dicendi, nempe metonymiam: ſed quaſi nudè & ſimpliciter ſit dictum, accipiunt. Eodem modo errant Anthropomorphitæ hæretici, qui ex iis ſcripturæ verbis, Deſcendam & videbo, Geneſ. 18. 21. concludunt Deum habere & pedes & oculos, C dum non animaduertunt ſubeſſe in iis verbis pulcherrimam à rebus corporeis ad rẽ incorpoream, nempe Deum, metaphoram.

Et quia iam intelligimus quot modis ex hoc loco fallacia fieri poteſt, videamus ecquod ſit aduerſus eam remedium. Facile autem eſt, modò ne noſtræ artis & Theologiæ ſimus imperiti, ſed cognouerimus quid in ea propriè & ſimpliciter dictum ſit, quid metaphoricè, aut allegoricè, aut cùm tropo orationis. Itaque tota huiuſmodi fallaciarum ſolutio in breui orationis ambiguæ diſtinctione poſita eſt, per quam docebimus formas dicendi diuerſas malè accipi & inter ſe confundi, atque inde effici deceptionem. Quas poſtquam diſtinctè explicuerimus, elucebit tanquam è tenebris fulgens ipſa rei veritas, quæ ſtatim vincet cùm apparuerit. Itaque hîc diſtinctione orationis ipſius opus eſt, vt in æquiuocatione vnius verbi & dictionis.

Fiet autem tota hæc res & diſputatio dilucidior, ſi illuſtretur exemplis. Vnde veniamus ad ea. Ac primùm quidem ſit illud quod ex Hermogenis hæreſi ſumptum eſt. Hic dicebat materiam quandam fuiſſe Deo coæuam & coæternam, ex

A qua Deus omnia feciſſet. Sic igitur Hermogenes,

Dicit Scriptura, In principio Elohim, id eſt Dominus, creauit cœlum & terram.

Ergo intelligit & demonſtrat Scriptura fuiſſe materiam quam appellat principium (Principij enim nomen materiam ſignificat) & cuius iā Deus Dominus eſſet, quia dicitur Elohim.

Fallacia eſt ab ambiguo. Vertit enim ambiguè Hermogenes eam Geneſis ſententiam, quæ eſt capite primo, verſ. 1. quæ non eſſet ambigua, ſi diceret, In initio Deus fecit cœlum & terram. Nam Domini nomen & principij mauult Hermogenes retinere, vt illa verborum ambiguitate fallat, quaſi Dominus ſit relatiuæ ſignificationis ad illud nomen principij, id eſt materiæ quam fingit. Tertullianus in libello aduerſus Hermogenem ſoluit hoc argumentum ex illa diſtinctione ambiguæ vocum ſignificationis, quibus Hermogenes vtebatur.

Aliud eſt ſumptum ex Marcionitarum hæreſi, qui negant fore vllam carnis & corporum reſurrectionem.

Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, B 1. Corinth. 15. 50.

Corpora noſtra erunt eadem caro & ſanguis quæ iacuerint, 1. Corinth. 15. ver. 53. in verbis, Hoc corruptibile.

Ergo corpora noſtra regnum Dei non poſſidebunt, & ideo non reſurgent.

Ambiguæ ſunt hæ voces, caro & ſanguis, quæ huc non pertinent vt damnent ſubſtantiam carnis & ſanguinis, vt putat Marcion: ſed tantùm eius infirmitatem & conditionem denotant, quales hîc & viuentes in hoc mundo tum in carne tum in ſanguine gerimus. Sic Tertullianus in lib. de reſurrectione carnis.

Aliud eſt ſumptum ex eorum hæreſi, qui putant Chriſtum etiam poſt reſurrectionem Cœnam ſuā iterū inter Apoſtolos celebraſſe. Aiunt enim,

Dixit Chriſtus, Bibam illum fructum vitis nouum in regno Patris mei, Matt. 26. 29. & vobiſcū.

Ergo cum diſcipulis iterum Cœnam ſuam celebrauit.

C Ratio & origo fallaciæ eſt ex verbis ἀυτὸ πίνω, id eſt, illum bibam, vtrum ad talem fructum referri debeant qualem tum in Cœna ſua bibebat, & ad eundem finem, quod eſt falſum: An potiùs ſimpliciter ad fructum vitis, id eſt, ad quodlibet vinū pertineāt hæ voces, quia Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem aliquoties bibit & edit cū diſcipulis ad eos confirmandos, Ioan. 21. id quod eſt verum.

Aliud exemplum ex Anabaptiſtarum, & olim Donatiſtarum commilitio.

Sumus liberi, Galat. 5. 13.

Ergo ſubiici magiſtratibus non debemus.

Diſtinguo libertatem noſtram. Nam ſumus liberi quoad internam libertatem, ne peccato ſeruiamus. Non ſumus autem liberi quoad externam libertatem, ne cuiquam pareamus. Roma. 13. 7 ita Auguſti. in cap. 3. epiſtol. ad Galatas.

Aliud exemplum ſumptum ex eorum temeraria adſertione qui pertinaciter contendunt interitum mundi ante iudicium fore per ignem, vti diluuium fuit per aquam, ídque mordicùs tuentur & tenent. Aiunt igitur,

Dixit Petrus, elementa æſtuantia ſoluentur, terráque & quæ in ea ſunt, exurentur, 2. Pet. 3. 10.

Ergo per ignem interibit mundus. A Reſponde metaphoricam eſſe locutionem in his verbis Æſtuantia, & Exurentur, neque purè ſimplicitérque eſſe accipienda arguunt hi loci Iſa. 66. 16. 1. Cor. 3. 13. Luc. 21. 26.

Aliud exemplum,

Ait Paulus, Velim vos eſſe abſque ſolicitudine, 1. Corinth. 7. 32.

Ergo de re nulla ſoliciti eſſe debemus.

Diſtingue, eſſe abſque ſolicitudine dicitur.

& qui
- Nihil omnino curat:
- Nihil nimium & pluſquam oportet, curat.

Hoc ſecundo modo accipit Scriptura.

Aliud exemplum ex ſophiſtarum ſchola, dum liberum arbitrium tuentur ſic aiunt,

Dictū eſt homini quòd appetitus eius erit ſubter eum, Geneſ. 4. 7.

Ergo ſibi ſuæque voluntati homo imperat.

Fallacia eſt, ait Calui. in affixo Hebraico, quod cùm vim & ſignificationem relatiuam ad Abelem habeat, peſſime illi, ad peccatum referunt.

Aliud ex eorundem ſophiſtarum errore, quem B ex ambigua orationis ſignificatione ſoluit idem lib. 2. cap. 2. ſect. 26. Aiunt illi:

Omnia bonum appetunt.

Reſpondet doctiſſ. Theologus boni appetitio eſt duplx, nempe

vel boni
- Conditionis & naturæ,
- Iuſtitiæ & virtutis.

Hoc poſtremo modo omnia non appetūt bonum, ergo eſt paralogiſmus.

Aliud exemplum ex eorundem ſchola, dū mortuos inuocandos eſſe probare contendunt. Aiunt,

Voluit Iacob nomen ſuum poſt mortem inuocari ſuper liberis ſuis, Geneſ. 48. 16.

Ergo mortui poſſunt inuocari.

Diſtinguit Theologus, & docet ambiguitatem huius orationis, lib. 3. cap. 20. ſectio. 25. Nam apud Hebræos Inuocare nomen, eſt dici author familiæ, Iſa. 4. 1. non eſt autem appellari Deus. Infinita C ſunt harum rerum exempla, ſed his contenti erimus, ſi modò illud vnum addiderimus: quod ex dicto Gregorij Nazianzeni ſumptum eſt, & refert Socrat. lib. 3. cap. 23. Μάντις ἄριστος ὅστις εἰκάζει κακῶς, id eſt, optimus ille eſt vates, qui peſſime coniectat. In quo dicto pulchra ambiguitas ineſt in his verbis coniectare peſſimè, id eſt, vel peſſima cōiicere, vel malè coniicere, & contra rerum ipſarum euentum, quod non intellexit Nanzianzenus. Et quia de ambigua oratione diximus, veniamus ad fallaciam quæ oritur ex compoſitione orationis vel dictionis.

DE FALLACIA QVAE ORITVR ex compoſitione dictionis vel orationis.

HVIVS elenchi explicatio magnam cum ſequenti affinitatem habet, neque penè diuidi inter ſe hi duo loci poſſūt: tamē quo vterque faciliùs & planiùs intelligatur, diſtinguentur à nobis. Eſt igitur hic Elenchus de eo genere fallaciarum, quæ ex cōpoſitione ſiue dictionis, ſiue e[illegible] totius orationis fiunt. Sequens autem, de fallaciis

A quę à diuiſione ſiue vnius alicuius vocis, ſiue totius etiam ſententię committuntur. Ordiamur igitur à fallaciis quę per inſidias cōpoſitionis nobis nectuntur & obiiciuntur. Eſt compoſitio, eorum quæ diuidi ſecernique debent, connexio & confuſio. Itaque quoties quę vel reipſa ſeparari debent à ſeſe, coniunguntur: vel quæ ratione diſtingui oportet, confunduntur, atque inde ſit fallacia, eſt à Compoſitione. In quo nihil intereſt, ſi quæ in vnum coagmentantur & connectūtur, reipſa & loco diduci poſſunt, ſiue non, veluti duo homines qui ſunt indiuidua, ſeparari poſſunt: vel ſi animo tantùm & ratione diſtingui poſſunt, reipſa autem nequeant ſeiungi, veluti duæ in Chriſto naturæ, quæ ſeparari reipſa non poſſunt, quia in vna perſona vnitæ ſunt & coaleſcunt: ratione tamē diſtingui & diſcerni poſſunt. Quales item tres in Trinitate perſonæ, qualia corpus & anima, & alia infinita, & omnia quæ numero quidem vnum dicuntur: diſtinguntur tamen ratione.

Item, nihil refert vtrum illa ex compoſitione B fallacia fiat in vna & ſimplici dictione, an in tota oratione & ſenſu. Perinde enim fallit is qui ſic argumentatur,

Puteus hic eſt res quædam,
Et eſt publicus.
Ergo puteus hic eſt reſpublica:

quàm qui ſic arguendo decipit,

Duo & tria ſunt paria & imparia.
Duo & tria ſunt quinque.
Ergo quinque ſunt paria & imparia.

Fallit enim vterque ex modo compoſitionis: ille quidem in ſimplici voce, hic autem in oratione & ſenſu compoſito. Item qui ſic dicit, Vigilare hominem eſt iuſtum, & eſt factum: ergo vigilare eſt iuſtificatio. & qui alias huiuſmodi nugas affert, dum ex vtraque dictione ſimplici vnam poſtea compoſitam efficit, in qua fallacia ineſt, perinde ex hoc loco peccat, atque qui totam orationem compoſitam reddit ex diſtincta, veluti qui ſic arguit,

Chriſtus qua homo, paſſibilis erat:
C Qua verò Deus, impaſſibilis:
Ergo Chriſtus fuit paſſibilis & impaſſibilis.

Coniungitur enim in vna Chriſti perſona quæ diſtinctè de vtraque eius natura dicta ſunt, & inde fallacia fit, qua poſtea decipimur.

Eodem autem modo peccant & fallunt ex hoc loco, qui coniungunt quæ ſunt vel reipſa ſeparata inter ſe, vel ratione. Nam duobus his modis res inter ſe diſtinctæ eſſe dici poſſunt. Ac ratione quidem ſiue animo ſeiuncta appello, duo quæ cùm in eodem toto vel ſubiecto inſint, vnum tamen ex iis non eſt definitione propria idem cum altero. Vnde quarum rerum inter ſe diuerſa natura eſt, eæ naturâ diſiunctæ dici debent, quanquam ſunt in vno & eodem ſubiecto. Vnde de vno non eſt idem concludendum quod de altero, veluti naturâ ſeiuncta diſtinctáque eſt hominis anima à corpore, quanquam vtraque res vnam & eandem perſonam conſtituunt & componunt. In Chriſti perſona ſunt hæ duæ naturæ diſtinctæ, diuina & humana, quæ ſi confundantur in argumentando, fit fallacia à compoſitione rerum naturâ diſtinctarū. Sic in vna & eadem Dei eſſentia ſunt diſtinctę virtutes proprietateſque Dei, veluti iuſtitia, miſericordia, gratia, bonitas & reliquæ.

Reipſâ verò ſeparata appello duo, quorum etſi A vnum definitionem habet communem cum altero, tamen ſeparatim ab alio ſubſiſtit, quales ſunt duo homines, & quæ in vno & eodem ſubiecto non inſunt, veluti candor qui eſt in Petro & qui eſt in Paulo, quia in diuerſis perſonis & ſubiectis ſubſiſtunt, non in vno & eodem, reipſa ſeparari à me dicuntur. Ergo ſedulò cauendum eſt ne propterea quòd duæ quędam res ſunt in vno & eodem ſubiecto vel in eodem toto, cùm tamen naturâ diuerſæ ſint, à nobis eædem exiſtimentur: Item ne quia eandem definitionem habent, pariter de vtraque re idem in omnibus concludendum eſſe arbitremur. Veluti qui ſic argumentatur.

Qui candor eſt in Petro, definitione idem eſt cum eo qui eſt in Paulo,
At qui candor eſt in Petro, periit.
Ergo qui candor eſt in Paulo, periit.

Hoc argumentum pertinet & ad hunc locum, & ad locum ſiue elenchum ab accidente. Ergo quoties in iis argumentamur quę ſunt reipſa vel ratione ſparata, videndum eſt ne per compoſitionem B fallamur, & ne quod, cùm diſtinctè diceretur, conceſſimus, verum eſſe concedamus cùm compoſitè ſumitur.

Sed etiam eſt obſeruandum in ipſo enuntiandi modo, ne illud quod cum vna parte orationis in propoſitione coniunctum eſt, in concluſione cum altera parte coniungatur, quia tunc etiam fit fallacia à compoſitione, veluti ſi quod cum prædicato iunctum erat, iungatur cum ſubiecto, aut cōtrà: exempli cauſâ, cùm limitatio reſtrictióque aliqua, aut modus in propoſitionibus ad prædicatum refertur, qui trāsfertur in concluſione ad ſubiectum, vt in hac argumentatione.

Quicunque mortuus eſt ſilet.
Vnicus Dei Filius mortuus eſt.
Ergo vnicus Dei Filius ſilet.

Fallacia eſt, quòd vox hæc, Vnicus, in concluſione refertur ad ſilet prædicatū, cùm ad ſubiectum Filius referri debeat, & tranſlata eſt manifeſtè, quæ compoſitio eſt & vitioſa & fallax, quia ſumi poteſt quaſi limitet & reſtringat verbum Silere, quod C non debet.

Remedium autem quod afferri aduerſus huiuſmodi fallacias poteſt & debet, hoc ſanè eſt, vt ambiguitas, quæ propter vitioſam compoſitionem euenit, diſtinguatur. Eſt enim exponēdum quomodo in concluſione accipi debeat quod eſt confuſè dictum, & niſi cum ea diſtinctione, quæ adiungi debet, fiat, concluſio neganda eſt. Sapit enim hæc fallacia ambiguam orationis conſtructionem, & ideo in ea diſtinctione eſt opus. Id quod nos adhuc meliùs ex ipſis exemplis, quę ſequuntur, intelligemus. Ac primū quidem ſit illud quod ex Heb. epiſt. cap. 7.3, ſumptum eſt, & ab hæreticis qui Melchiſedechiani dicti ſunt, diu vſurpatum. Hi enim Chriſtum fuiſſe Melchiſedech exiſtimabant, quòd vterque neque patrem neque matrem habuiſſet. Sic itaque arguebant, quia

Chriſtus quâ λόγος, eſt ἀμήτωρ, id eſt, ſine matre,
Quâ verò homo, eſt ἀπάτωρ, id eſt, ſine Patre:
Ergo Chriſtus eſt ſine patre & matre, aiunt, ídque ſimpliciter.

Fallacia eſt à diſiunctione ad coniunctionem, ſiue compoſitionem, quæ fit in concluſione.

Aliud exemplum eſt ex Eutychianorum hæreſi ſum-

A ſumptum. Eutyches enim confundebat in vnam duas naturas, quæ in vna Chriſti perſona ſunt & manent tamē diſtinctæ, nempe diuina & humana. Neſtorius verò contrà eas naturas diuidebat & ſeparabat. Sic igitur Eutychiani dicebant.

Maria virgo quia Chriſtum peperit, dicitur θεοτόκος, id eſt, deipara.

Ergo confuſæ ſunt in Chriſto naturæ, & diuina eadem patitur quæ humana.

Item aliud exemplum ex eorundem argutiis.

Chriſtus paſſus eſt.

Chriſtus fuit Deus & homo.

Ergo Deus & homo paſſus eſt, & ita apparet eadem in diuina natura contigiſſe, quæ in humana euenerunt. In vtroque ſyllogiſmo fallacia eſt à compoſitione diſiunctorum. Nam generaliter & de vtraque ὑφισταμένῃ natura ab iis affirmatur, quod vnius tantùm naturæ ratione dictum eſt, veluti quod Maria virgo dicitur θεοτόκος, & Chriſtus paſſus, id fit propter humanam naturam, quæ nata & paſſa eſt in Chriſto, ſed quia vnione hypoſtatica B humana illa diuinæ adhæſit, idcirco per ἰδιωμάτων κοινωνίαν dicitur Maria θεοτόκος, id eſt deipara, non autem propriè. Item dicitur Deus pro nobis paſſus per κοινωνίαν ἰδιωμάτων, non autem propriè in ipſa diuina natura. Et tamen Eutychiani ſic argumentantur tanquam verè paſſa ſit diuina in Chriſto natura. Atque hoc modo ſoluit Cyrillus & Synodus Epheſina. Euagr. lib. 2. Hiſtor. ſuæ capite vltimo.

Aliud exemplum eſt ex Sophiſtarum ſchola.

Chriſtus eſt Deus.

Deus vbique eſt & ſimul pluribus in locis.

Ergo Chriſtus eſſe poteſt vbique & pluribus in locis ſimul.

Ex quo concludunt nihil abſurdi eſſe, ſi in ſua de tranſſubſtantiatione panis in corpus Chriſti doctrina, corpus Chriſti pluribus in locis ſimul eodémque tempore eſſe concedatur & dicatur: ſed errāt ex fallacia compoſitionis, quia duas in Chriſto naturas ſeparatas confundunt. Nam cùm dicunt, Chriſtus Deus eſt, de ſola diuina Chriſti natura, C non de tota Chriſti perſona eſt intelligendū. Quum autem cōcludunt, Ergo Chriſtus eſt vbique, perinde de humana atque de diuina natura Chriſti ſapiunt & ſentiunt, quod eſt componere diſiuncta. Hoc fallaciæ genere plurimùm vſi ſunt Papiſtæ & alij, quorum rationes ex hoc fallaciæ loco ſolui debent. Id quod optimè atque eruditiſſimè fecit multis locis Petrus Martyr in Dialogo, De vtraque in Chriſto natura.

Aliud exemplum ex iiſdem, dum volunt nos in 40. dierum ieiunio Chriſtum debere imitari. Aiūt enim,

Chriſtus, quâ homo, ieiunauit 40. dies continuos, quia diuina illius virtute humanitas eius ſuſtentata eſt.

Chriſtus autem eſt nobis imitandus, 1. Cor. 11. 1.

Ergo nos ieiunare quadraginta dies continuos debemus.

Fallacia eſt ex connexione duarum rerum. Nam imitari Chriſtum debemus, non in omnibus quidem, ſed quantùm homines id facere iubentur, non autem quâ vis quædam maior humana in eo fuit, quia neque etiam poſſemus: quando nec miracula facere, nec de virgine naſci poſſumus. Sic Epiphanius Tomo 2. lib. 1, de Ebionitis agens interpretatur hanc de imitatione Chriſti doctrinam A pag. 75. & illum Ioannis locum cap. 13. 15, Exemplum dedi vobis.

Aliud exemplum eſt ex eodem Epiphanij Panario vbi de Aëtio agit lib. 3. Fuit autem Aëtij hæretici argumentum olim quidem hoc, hodie verò Seruetiſtarum eſt,

Deus Pater eſt Filij genitor.

Filius habet ſubſtantiam & perſonam.

Ergo Deus Pater eſt ſubſtātiæ & perſonæ genitor, id eſt eſſentiator.

Componit in perſona Filij ſubſtantiam & perſonam, cùm tamen Pater ſit tantùm perſonæ ratione genitor, non autem eſſentiæ.

Aliud exemplum ex iis qui ſigna cum re ſacramenti ſemper coniungunt, quales multi hæretici. Sic aiunt,

In Sacramentorū communicatione ſunt ſigna externa & gratia Dei.

Hypocritæ ſacramentis communicant.

Ergo hypocritæ ſigna externa & Dei gratiam accipiunt. Fallacia compoſitionis eſt in minore B propoſitione.

Aliud exemplum

In ſacramentorum adminiſtratione confertur fide ſumentibus & ſignum & res ſacramenti.

At homo Miniſter ſacramenta fide ſumentibus adminiſtrat.

Ergo homo Miniſter confert ſignum & gratiam, id eſt, rem Sacramenti.

Fallacia eſt in compoſitione diſiunctorum. Homo miniſter confert tātùm ſignum externum: at Dei Spiritus gratiam internam. Ergo vox hæc, Confertur, coniungit complectiturque diſiuncta & diſtinguenda officia & effecta hominis Miniſtri, & Spiritus Dei in nobis agentis.

Aliud exemplum ex Donatiſtarum ſchola. Hi autem nimium ipſi Miniſtrorum perſonæ & dignitati tribuunt. Et ſic arguunt,

Per verbi Dei prædicationem fides gignitur in nobis.

Miniſtri verbum Dei prædicant.

Ergo miniſtri fidem gignunt in nobis.

Fallacia eſt in maiori propoſitione à compoſitione C diſiunctorum. gignitur quidem fides in nobis per verbum Dei prædicatum tanquam per exterius inſtrumentum: ſed per Dei Spiritum fides gignitur tanquam per proprium parentem & authorem. Hæc diſtinctio confuſa eſt in maiori propoſitione.

Aliud exemplum ex Papiſtarum ſchola, dum in ſacramento Cœnæ ſanguinis cum corpore concomitantiam induxerunt, & ita confuderunt res à Deo ipſo diuerſis & diſtinctis ſignis ſeparatas, nempe corpus & ſanguinem. Aiunt igitur ſic,

Qui in Cœna panem manducat, corpus Chriſti manducat.

Corpus Chriſti non eſt ſine ſanguine ſuo.

Ergo qui in Cœna panem manducat, corpus & ſanguinem Chriſti manducat.

Fallacia eſt à compoſitione & connexione ſeparatorum. Separauit enim Chriſtus in Cœna carnem ſuā à ſanguine ſuo. Calui. lib. 4. Inſtitut. cap. 17. ſectio. 18. Infinita penè alia exempla reperiri poſſunt, ſed hæc ſufficient. Dicitur etiam hæc fallacia à Nō diſtributo ad Diſtributum, & contrà.

A

DE FALLACIA QVAE FIT A *Diuiſione dictionis, vel orationis.*

SEQVITVR, vt de fallacia quæ fit à diuiſione dictionis, vel etiam totius orationis dicamus. Quod vt fiat, explicandum eſt quid ſit diuiſio.

Eſt autem diuiſio coniungendorum vel coniunctorum diſtractio & diſiunctio. Hæc compoſitioni planè ex diametro contraria eſt. Itaque quæ fallacia ex hoc elencho oritur, contrario ei modo fit quem in elencho à compoſitione expoſuimus, quia hic diſiungit nectenda, ille nectit diſiungenda. Atque id verum eſt, ſiue in ſimplici voce, ſiue in tota oratione fiat: ac in ſimplici quidem voce ſit hoc exemplum.

Chriſtianorum eſt vna reſpublica, Epheſ.2.12.

Ergo res Chriſtianorum hominum eſt publica, id eſt communis.

Fallacia eſt, quia per Diæreſin diſiungit, quod erat per ſynæreſin coniungendum. Contrarium B huic exemplum eſt, quòd pertinet ad ſuperiorem elenchum, qui eſt à compoſitione.

Noach peccauit in vite.
Ergo Noach peccauit inuitè.

Aliud exemplum à diuiſione.

Paulus damnat ἐθελοθρησκείαν, id eſt, ſuperſtitionem, Coloſſ.2.23.

Ergo Paulus damnat θρησκείαν ἐθελοντὴν, id eſt, religionem quæ animo lubenti ſuſcipitur.

Fallacia eſt ex diſiunctione vocis ex qua falſum concluditur. Vult quidem alibi Paulus vt alacri & lubenti animo Deo ſeruiamus, non autem coacti & inuiti, 1.Timot.1.5.2.Corinth.9.7. ſed illic ſuperſtitionem, i.humano ingenio excogitatum Dei cultum damnat.

In oratione autem fit fallacia à diuiſione multis modis. Quoties enim ea quæ coniungenda ſunt, noſtra oratione & enuntiatione diſtrahuntur, fit cōmittiturque hoc vitiū argumentationis. Ac cōiunctæ quidē res eſſe inter ſe multis modis poſſūt:

C nempe vel {
- Subiecto, cui inſunt.
- Naturâ, quam habent.
- Dicto atque ſenſu orationis, quæ ita concepta eſt, vt cōiungat in propoſitionibus præmiſsis & præcedentibus illud, quod tamen in concluſione ſeiungitur. Vnde fit vt ſit tota concluſio vitioſa.

Ac ſubiecto quidem coniuncta appello, quæcunque res ſunt in vno & eodem ſubiecto & toto, quanquam ſunt diuerſæ earum inter ſe naturæ, & ad diuerſa prædicamenta referuntur, veluti quæ proprietates & accidentia meam perſonam circunſcribunt, quia ſunt in vno & eodem ſubiecto, ſubiecto coniuncta appello. Quæ ſi omnino & vbique diſiungantur, fiet fallacia ex hoc elencho: veluti,

Rufus color aliam definitionem & naturam habet, quàm virtus & fortitudo animi.

Ergo rufus color & animi fortitudo in vno & eodem Dauide eſſe non potuerunt.

Falſa eſt concluſio, quia non omnia quæ naturâ ſunt inter ſe diſcreta & diſiuncta, ſunt etiam ſubiecto ſeparata. Hæc enim in Dauide fuerunt 1.Samuel,15.12.& 17.34. Quanquam etiam huius ſyllogiſmi ſolutio ex elencho à non conſequenti afferri poteſt.

Naturâ verò coniuncta voco ea, quæ vel totam A definitionem vel partem eius, nempe genus vel differentiam communem inter ſe habent. Ea autem ſi omnino diuerſa exiſtimentur & diſiuncta, fiet fallacia ex hoc loco. Nam natura cuiuſque rei definitione continetur, quæ ſi vna & eadem duobus competit, illa verè vna ſunt & inter ſe coniuncta: vti duorum hominum, nempe Petri & Pauli, definitio eſt vna, Animal rationale riſibile. Duorum Apoſtolorum, veluti Ioannis & Iacobi, item vna definitio eſt hæc, Miniſter ab ipſo Chriſto immediatè electus ad verbum Dei per totum mundum enuntiandum. Ergo qui putat, quia iſta aliquo modo diſiunguntur, omnino coniungi non poſſe, aut commune quid de vtroque dici non debere, fallaciam committit ex hoc elencho qui eſt à diuiſione contractorum, veluti cùm ſic quidam ſophiſta contra Diogenem illuderet,

Tu non es quod ego ſum.
Ego ſum homo.
Ergo tu non es homo.

Quanquam & hæc fallacia ex loco ab accidente B tolli poteſt.

Similiter arguebant Montanus & Priſcilla, dum Spiritum ſanctum omnibus Apoſtolis datum eſſe negabant.

Petrus non fuit idem Apoſtolus, qui Paulus, & Ioannes, &c.

Ergo non habuerunt vnum & idem donum & ſpiritum.

Diſiungit coniuncta: fuerunt enim in munere iidem Petrus & Paulus: in perſona propria diuerſi. Ex quo fit, vt rectè iam intelligi queat, quomodo ſit animaduertendum ſi diuiduntur & diſtrahuntur quæ ſunt coniuncta vel naturâ vel ſubiecto.

Dicto autem coniuncta voco, quando vnius alicuius vocis ſignificatio ſeruit in enuntiatione alteri, & illi connectitur, quæ tamen diſtrahitur & remouetur ab ea in concluſione, & tanquam per ſe poſita eſſet in propoſitione, ſumitur & enuntiatur per ſe in concluſione. Huius generis fallacia fit ſępiſsimè in verbo (Eſt) cuius ſignificatio ſępe miniſterialis eſt, &, vt ita dicam, ſeruilis, quia ex alterius C vocis connexione & ſignificatione tota pendet: ſæpe autem naturalis & propria, quæ rei ſubſiſtentiam in tempore denotat. Veluti cùm dicimus, Chriſtus fuit Hieroſolymis, vox hæc (fuit) ſubſiſtentiam perſonæ deſignat: At cùm dicimus, Iſaias eſt prophta, verbum (Eſt) habet ſeruilem ad intelligendam ſequentis vocis ſignificationem. Itaque qui ſic concludit,

Iſaias eſt propheta,
Ergo Iſaias eſt, & propheta:

diducit & diſtrahit ſignificationem verbi (Eſt) & in concluſione ponit eam per ſe, cùm in propoſitione relatiuè ad vocem (Propheta) ſit ſumpta. Et hanc de verbo (Eſt) duplicem ſignificationem annotat Plato in Parmenide, ſeruilem vnam, nempe alteram propriam & Auguſt. Hypog. lib.1. in fine annotauit. Sed Græci præter verbum εἰμὶ, alia multa præterea habent, vti verba hæc γίγνομαι, τυγχάνω, ὑπάρχω, & ſimilia à Grammaticis annotata, quæ ſæpe inutilem per ſe ſignificationem habent in oratione, quæ ſi tanquam per ſe ſumpta exiſtimentur, fit fallacia à diuiſione coniunctorum.

Sed etiam mutilæ ſententiæ, quæ ex Sacra Scriptura vel bonis authoribus afferuntur, per quas fit

fraus

A fraus in argumentando, ad hunc elenchum pertinent. Eſt autem inciuile non totã ſententiam perſpicere, ſed vnam tantùm eius partem allegare, vt alicui imponatur. Eius rei exemplum eſſe poteſt cuiuis facile & peruium, ſed tamen in iuniorum gratiam nos afferemus. Sic arguunt Papiſtæ, dum ſuum illum Purgatorium ignem tuentur. Laudant enim mutilam ex Paulo ſententiam, 1. Corint.3.13. Cuiuſque opus, quale ſit, ignis probabit. Ergo ignis eſt purgatorius, qui probat cuiuſque opus. Trunca eſt & mutila ſententia, quæ ſi tota legatur & aſpiciatur, facilè apparebit de igne purgatorio Papiſtico, qui poſt mortem noſtra opera examinet, illic non agi: & eſt fallacia à diſiunctione vel diuiſione.

Eandem committunt, dum afferunt illud Petri, In quo abiit, & ſpiritibus qui erant in carcere prędicauit, 1. Pet.3.19, vt limbos confirment. Legatur verò tota ſententia, & eius loci ſenſus & ſyllogiſmi deceptio intelligetur.

Iidem etiam ſic fallunt, dum aiunt nos bono- B rum operum laudem in parte nobis aſſerere & tribuere poſſe. Citant illud Pauli, 1. Corinth.3.9. Sumus Dei cooperarij. Tota ſententia attendatur, & ſenſus loci facilis erit, quia illic de ſolis verbi Dei præconibus Paulus agit. Sic futilis quidam Papiſta nuper, cùm Miſſam ſuam in Scriptura ſacra reperiri probare niteretur, ridiculè proferebat illa quæ in fine cuiuſque epiſtolæ Pauli addi ſolent, Miſſa eſt Philippis, &c. Eſt fallacia à diuiſione. Hoc genere & modo fallaciæ deludũt & plurimum & ſæpiſsimè non ſolùm Papiſtæ, ſed etiã hæretici quilibet, vti Marcionitæ (quemadmodum docet Tertullian. lib. 4. aduerſ. Marcio.) & Valentiniani, & Hermogeniani, & alij.

Remedium autem quod huic malo & ſyllogiſmi morbo afferendũ eſt, ex diſtinctione ambiguę orationis peti debet. Continet enim ambiguam ſententiam huiuſmodi oratio & concluſio, quæ ſuis partibus & diſtinctionibus explicanda eſt, ne detineamur in errore. Ergo vt in fallacia à cõpoſitione, ſic in hac quæ eſt à diuiſione, remedium ex C diſtinctione perſpicua orationis afferetur. Cuius rei exempla fidem facient, quæ ſunt aliquot afferẽda, quia omnia non poſſumus, & quæ proferũtur, docendi tantùm gratiã adducuntur à nobis. Ac primum quidem exemplum ſit illud Praxeæ hęretici, quo hodie hæreticorum aliorum plurimi vtũtur.

Poteſt Deus corpus Chriſti præter rerum naturam pluribus in locis conſtituere, poteſt ipſum ſe & Patrem & Filium facere.

Ergo Deus ſe & Patrem & Filium facit, & corpus Filij pluribus ſimul in locis collocat.

Hoc dicunt hodie Papiſtæ & alij: illud autẽ fuit Praxeę, qui de Sabellianorum hęreſi erat. fallacia autem eſt à diuiſione coniunctorum. Neque enim Dei potentia ab eius voluntate ſeparari & diuidi debet, quia poſſe in Deo, eſt velle: & non poſſe, eſt nolle. Et, vt ait Tertullia. in lib. in Praxeam, Non autem quia omnia poteſt facere, ideo credendum eſt, illum feciſſe etiam quod non fecit. P. Martyr in Dialogo de vtraque in Chriſto natura Tertulliani ſolutione vtitur.

Aliud exemplum eſt ex Seruetiſtarum & olim Arrianorum hæreſi. Aiunt enim Chriſtum, vt cæteras creaturas, factum fuiſſe, nõ tantùm genitum, idque ex hoc Ioannis loco probare conantur, qui eſt Euangelij cap.1.30. Sic arguunt, A

Dicit Ioãnes de Chriſto, γέγονεν ἔμπροσθέν μου, id eſt, factus eſt ante me.

Ergo dicit Ioannes Chriſtum factum fuiſſe. Fallacia eſt à deducta ſignificatiõe huius vocis, γέγονεν, quæ hîc purè & ſinpliciter poſita non eſt, ſed relatiuè & ſeruiliter ad vocem ἔμπροσθέν μου. Quo loco & in qua connexione verbum γεγονέναι ſignificat collocari, poni, ſtatui & præferri ante aliquem. ſuntque hæ dicendi formæ rerum contrariarum, γεγονέναι ἔμπροσθέν τινος, & γεγονέναι ὑπό τινος: quod Latini dicunt, præferri alicui & ſubiici alicui, vt hoc Ioan. loco. Ioan.1.30, & Gala,4.4. Ergo ex forma dicendi & coniunctione verbi γέγονεν, cum voce ἔμπροσθεν, apparet illic non agi de modo ſubſiſtentiæ in Chriſto, ſed de honore tantùm, in quo Chriſtus Ioanni prælatus eſt. Quum autem loquitur Chriſtus de modo ſuæ exiſtentiæ, dicit ſolùm, ἐγώ εἰμι, id eſt, ego ſum, Ioan.8.58.

Aliud exemplum ex Aëtianorum hæreſi, qui negabant Chriſtum ſemper Deum fuiſſe. Arguunt autem ſic, B

Ait Scriptura, Deus erat ſermo, Ioan.1.1.

Ergo fuit tempus quando non erat.

Reſpondet Epipha. in Panario ad Aëtij argumentum, fallaciam eſſe à diſiunctione coniunctorum. Verba enim hæc, Erat ſermo, non ſunt deducenda ob ſignificationem temporis præteriti imperfecti, tanquam aliud præcedens, vt dicebat Aëtius, præſupponat, in quo nõ erat ſermo Deus. Ait igitur Epiphanius, ἦν πῶς, τὸ, θεὸς ἦν, ἐκκοπήσεται, τοῦ χρόνου μὴ ἐπιδεχομένου τὴν διαίρεσιν ἐργάσασθαι, κἂν ἐν τῷ τυχόντι. Quaſi diceret Scriptura quod nos Gallicè dicimus, *La parole a eſté Dieu*: & non *La parole eſtoit Dieu*.

Aliud exemplum ex quorundam errore ſumptum eſt, qui ex illicitis artibus victum ſibi comparant & quærunt, & tamen volunt Chriſtiani haberi. Sic igitur aiunt:

Hanc artem habeo, qua viuam.

Ergo hanc artem exercere poſſum. Diducunt quod eſt coniungendum, nempe hoc, Secundum Dei voluntatem. Nec enim Chriſtiani debent hoc ſolùm ſpectare, Hoc habeo quo viuam: ſed hoc ha- C beo quo viuam ſecundum Dei voluntatem. Neque ſic dicere, Ego hoc deliberaui, ergo faciam: ſed ſic eſt ſentiendum & loquendum, Ego hoc deliberaui, ergo, ſi Deus voluerit, faciam. Iacob.4.15.

Aliud exemplum ex Anabaptiſtarum errore, dũ ciuilem Magiſtratum damnant & tollunt. Quod vt euincant, dicunt eſſe malum neceſſarium: ſic,

Magiſtratus ciuilis ad terrorem malorum poſitus & conſtitutus eſt, Roma.13.4.

Ergo Magiſtratus ciuilis eſt ex mala, ſed neceſſaria tamen cauſa inſtitutus.

Fallunt hi à diuiſione. Cùm enim ſint duæ ciuilis Magiſtratus inſtituendi cauſæ, nempe vt ille ſit

tum { Malis terrori,
Bonis & piis conſolationi, Roma.13.3.1. Timoth. 2. 2: vnam tantùm cogitant, alteram verò prætermittunt.

Aliud exemplum eſt eorum, qui ſic arguunt,

Qui ſub lege erant, ſalui facti ſunt.

Ergo inutile eſt nobis Euangelium & Chriſtus. Diſtrahunt enim coniuncta. Nam qui ſub lege ſalui facti ſunt, per Chriſtum & promiſſionem, quam

A poſtea Euãgelium clariùs expoſuit,ſalui facti ſunt, 1.Corinth.10.1,2,& 3.

Aliud exemplum eorum,qui vim Spiritus ſancti non diſtinguunt ab externo inſtrumento.Aiũt ſic,

Multi per externam verbi Dei prædicationem ad Deum conuerſi ſunt.

Ergo externa verbi Dei prædicatio homines conuertit.

Hic ſyllogiſmus confundit ſeparata,nempe Spiritum Dei,& externam hominis vocem,quæ coniunctè egerũt,vbi quis per externam verbi prædicationem ad Deum conuerſus eſt. Comitatur enim efficacia & vis Spiritus Dei externam Scripturæ prædicationem,1.Theſſ.5,19,& 20.

Aliud exemplum ex nouorum noſtri temporis Oſiandrianorum ſchola.

Sumus iuſti imputatione.

Ergo ſumus iuſti & imputatione.

Vnde concludunt eſſe in nobis iuſtitiam inhærentem,quæ quum ſit peccato & vitio naturæ cõtraria, expellit & naturæ noſtræ vitioſitatem,quia B duo contraria in vno & eodem ſubiecto eodem tempore eſſe non poſſunt. Aiunt igitur illi, quia dicimur eſſe iuſti imputatione gratuita, nos eſſe iuſtos, ſed mera Dei gratiâ hãc Dei iuſtitiam nobis inhærere. Accipiunt enim perinde hanc ſententiam & loquendi formam,Sumus iuſti gratuita Dei imputatione, Pſal.32, atque quum dicitur, Sumus nigri æſtu ſolis, vt quemadmodum nigror nobis inhæret qui candorem expellit qui in cute prius inerat:ita habemus Dei gratiâ quidem, ſed inhærentem tamen conſcientiæ noſtræ & animæ iuſtitiã,quæ naturæ illius vitium omnino & prorſus extrudat. Quod certè quidem eſt falſum. Itaque hi fallunt, & ab hoc loco elenchum committunt,dum diducunt & ſeparant verbum, Eſt, à voce,Imputatione. Quum enim ſic loquimur, Fideles ſunt iuſti imputatione:nõ intelligimus eos eſſe iuſtos, & imputatione iuſtos: ſed hoc dicimus, hoc totùm quòd fideles iuſti ſunt, eſſe imputatione,quatenus cenſentur à Deo eſſe iuſti,& imputatur illis Chriſti iuſtitia,non autem quòd transfuſam qualitatem & inhęrentem ſibi habeant,vt C Socrates albedinem,cùm Socrates albus dicitur. Sed quòd iuſti ſunt, eatenus ſunt, quatenus Chriſti iuſtitia illis donatur, & imputatur. Ergo verbum, Eſt,cum voce, Imputatione, eſt omnino coniungendum,non autem, vt illi faciunt, ſeorſim ſumẽdum & abſtrahendum. Alia infinita exempla afferri & obſeruari poſſunt.Imprimis autem ex Neſtorianorum hæreſi,qui plurimum hoc elencho A diuiſione vſi ſunt:quemadmodum Eutychiani loco cõtrario,qui eſt A compoſitione.Cal.lib.3.cap.11.ſect.8,9:& 12,ex hoc elencho ſoluit Oſiandri rationes.Quo in loco docet eum diuidere in Chriſto,quod eſt coniungendum. Nam ille ad fallendum proponit Chriſtum modò nudè hominem, modò ſolùm Deum, cùm, vt doctiſſimè demonſtrat Caluinus, ſic coniunctim & Deus & homo ad noſtram iuſtificationem ſit conſiderandus. Et quia de diuiſione diximus,reſtat vt ad Elẽchos veniamus qui eas fallacias continent, quæ fiunt extra dictionem,de quibus nunc nobis agendum eſt.

DE FALLACIIS QVAE FIVNT ab hæreticis extra dictionem.

A SVNT autem ſeptem loci in vniuerſum,è quibus omnes fallaciæ quæ extra dictionem & in re ipſa committũtur, ſolui atque agnoſci poſſunt. Qui omnes poſſunt ad eum reduci, qui dicitur,Ab ignoratione elenchi,quemadmodum infrà docebitur. Nunc autem & vtiliùs & commodiùs eſt, quia quiſque modus proprium quendam & peculiarem tractatum poſtulat, ſigillatim & diſtinctè de vnoquoque agere ordine. Quod ſtatim fiet, ſi priùs cur & quomodo ſeptem ſint hi elenchi,qui in re cauillationes deprehendunt, demonſtrauero, ſi non neceſſaria, ſaltem probabili ratione. Quòd enim huius numeri rationem inquirimus aut afferimus, magis iuuandæ ſtudioſorum adoleſcentum memoriæ cauſâ facimus,quàm quod exiſtimemus neceſſariam eius rei & diuiſionis demonſtrationem eſſe poſſe. Ergo cùm ex re vitium accidit,illud fit tribus potiſſimum & in vniuerſum de cauſis:nimirum,

vel quòd	1. Vitioſè interrogatur.	Hic elenchus dicitur Plures interrogationes pro vna.	1
	2. Vitioſè ſumitur. Quod fit quatuor modis. Nam ſumitur vel	1. Accidẽs pro ſubſtantia.	2
		2. Non cauſa pro cauſa.	3
		3. Principiũ, id eſt,illud ipſum de quo quæſtio eſt.	4
		4. Conſequẽs pro nõ conſequenti.	5
	3. Vitioſè concluditur. Quod fit,vel	A dicto ſimpliciter ad dictum ſecundũ quid, & contrà.	6
		Diuerſi reſpectus,ſenſus, diſtinctiones ſiue rationes confunduntur.	7

Id quod dicitur Ignoratio elenchi ab Ariſtotele. Atque hæc diuiſio & tabula manifeſtè ſeptem elenchos eſſe docet extra dictionem. Sequatur alius quam volet ordinis rationem,nos noſtram retinebimus,quia libera res eſt iſta,& ab elencho qui appellatur, Plures interrogationes in vnam confundere,ordiemur. C

DE FALLACIIS QVAE ACcidunt,quòd plures interrogationes fiant,vel in vnam confunduntur.

HIC elenchus varius eſt, & multa capita continet & complectitur. In ſumma verò detegit eas cauillationes & fallacias, quæ ideo fiunt,quòd interrogationes multæ ſimul fiunt, & vna orationis forma comprehenduntur. Nam ſiue de pluribus vnum quid interrogemus: ſiue de vno & eodem plura:ſiue de pluribus plura, & inde decipiamur,fit fallacia quæ ad hunc elenchum pertinet. Maximè verò contingit hæc fallacia cùm plures illæ interrogationes vnâ tamen orationis & interrogationis formâ continentur. Dico autem tũc vnam eſſe orationis formam, cùm pluribus rebus demõſtratis aut enumeratis verbum ſingularis numeri ſubiicitur. Ac docendi cauſâ hæc ſint exempla, quanquam vulgaria,primùm quidem eius fallaciæ vbi de vno plura interrogamus ſimul:veluti, Eſtne Socrates Græcus an Italus? bonus an malus? & ſimpliciter reſpondeatur,Eſt:tunc fallacia committi poteſt, quia ambigua & anceps eſt oratio.

A Item ſi quis quærat, Liberum hominis arbitrium potéſtne per ſe bona vel mala facere? Deus vúltne bona an mala? Eſtne iuſtus an iniuſtus? Vt bona eueniãt, faciemúſne mala an non? & ſimpliciter reſpondeatur, Sic, vel alio aliquo modo confuſè, & inde fiat falſa concluſio, ex hoc loco diſſolui debet hæc deceptio.

Eius autem interrogationis in qua de pluribus vnum quærimus, & confuſè reſpondetur, exempla ſunt hæc, veluti, Vtrum vitium an virtus laudetur? Terráne an cœlum mouetur? Vtrum Æthiops an Germanus ſit albus? & vna ſimplicíque reſponſione ſatis fiat huic quæſtioni, incidet fallacia ex hoc elencho. Item ſi quæritur, Vtrum opera an fides nos iuſtificet? Vtrum ſigna externa, an ſanguis Chriſti nos mundet? vtrum credimus in Chriſtum an in ὁμούσιον (vt Arriani interrogabant) & nudè atque ſine diſtinctione reſpondeatur, Sic, vel, Ita, tũ colliget hæreticus, Ergo credis in Chriſtum, non in ὁμούσιον. Ergo opera nos iuſtificant, non fides. & ſic de ſimilibus aliis ſentiendum.

B Quando verò de pluribus plura interrogantur eſt exemplum, veluti, Eſtne Ioannes Baptiſta Propheta & præco Chriſti, vel Chriſtus ipſe Elias? Vtrum peccata noſtra fide, vel operibus remittũtur, & Chriſtus Flius æternus Dei & homo ex virgine Maria? Ad has omnes, ſi vna & ſimplex reſponſio detur: fit fallacia. Si enim dixerimus, Eſt: concludetur, Ergo Chriſtus eſt Elias: ſi dixerimus non eſt, hæreticus concludet, Ergo Ioannes Baptiſta non eſt propheta & præco Chriſti. Vnde apparet in reſponſione diſtinguendum eſſe, vt apertè noſtra reſpõſio intelligatur. Sæpe quidẽ breuitatis cauſâ & ornatus gratiâ plura ſimul quæruntur. Sed tamẽ videndum eſt, & cauendum ne deceptio illi interrogationis formæ inſit. Quod vt euitetur, breui diſtinctione eſt opus. Id quod deprehendere ſępe facile eſt, ſæpe verò difficile, quia iſta fallacia latet. Illa apud Homerum 1. Odyſſ. interrogatio tota lepida eſt, τίς, πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες, cui tamen vna reſponſione ſatisfieri non debet, ſed diſtinctè cuique eius membro & parti. Pari ratione C videmus quanta diligentia Ioannes Euangeliſta Phariſæorum interrogationem ſcripſerit, quam illi ad Ioannem Baptiſtam fecerunt. Ioan. 1. 19. 20, 21. Non autem ſic, confuſè, TV éſne Chriſtus, Elias aut propheta? Item videmus quàm diſtinctè Chriſtus ad Phariſæorum interrogationem de cẽſu Cęſari dando reſpondet, cùm tamen eſſet & fallax & captatoria, Matth. 22. 17. Ergo per varias & multiplices illas interrogationes falli & decipi poſſumus ab hæretico. Nam hæretici, vti ſophiſtæ, quẽadmodum docet Ariſtoteles, hæc quatuor ad decipiendum maximè idonea retinent, & obſeruant.

Primum, vt longa oratione in diſputãdo vtãtur.

Secundum, vt in interrogando celeritatem adhibeant.

Tertium, vt aduerſarium ad iram & altercationem prouocent inſolentiùs.

Quartum, vt eorum fallacię lateant oſcitantem. Quæ ſunt in eorum libris & dictis omnia ſedulò & diligenter animaduertenda & cauenda.

Quemadmodum autem per plures interrogationes, quæ in vnam connectuntur, fit hæc fallacia: ita cùm plures propoſitiones in vnum confunduntur & congeruntur, quæ ſunt tamen, diſtinguendæ, peccatur hoc genere elenchi. Veluti qui ſic concipit, aut ait, Deus quia iuſtus, dedit Filium ſuum pro nobis ad mortem: confundit multa, & ſi hoc indiſtinctè concedatur, fiet fallacia. Sed & ſi pluribus cauſis allatis vna tãtùm ſumatur, fieri poteſt ex hoc loco fallacia. Nimirum quia Deus & miſericors & iuſtus eſt, Filium ſuum dedit ad mortem pro nobis. Ergo quia Deus iuſtus eſt dedit, fallit, quia è pluribus cauſis vnam tantùm accipit. A

Remedium verò quod aduerſus huius veneni & impoſturæ genus eſt neceſſarium, facile eſt, modò attendamus. Eſt enim ſolùm leui, plana & aperta diſtinctione & reſponſione opus, per quam explicemus quid de quoque concedamus, aut nõ. Nam ſi oſcitanter aut negligenter attendimus, ſtatim ex confeſſo colliget hæreticus & efficiet quod eſt falſum. Et certè cùm huiuſmodi fallacię & paralogiſmi accidunt, eorum veræ cauſæ potiùs ex inconſiderata & otioſa &, quam vocant, impertinenti reſponſione & cõfuſa oriuntur, quàm ex interrogationis confuſa ratione & modo. Ergo hæc ſumma eſt, Apertè, planè & diſtinctè ad quodque membrum confuſæ & multiplicis illius interrogationis reſpondeatur, ne in facili ſalebra & aqua hæreamus. B

Exempla autem huius fallaciæ non tam in libris & ſcriptis hæreticorum exſtant, quàm in eorum congreſſionibus, & mutuis collationibus, & diſputationibus, quas cùm ſubimus, ſedulò nobis videndum & proſpiciendum eſt, ne fallamur. Multa enim implicant & inuoluunt, quæ ſi confuſè concedantur, neque explicentur & euoluantur, facilè, quod volunt, obtinuiſſe videbuntur, & deludent. Quia autem ſatis antea in huius ipſius loci explicatione exemplorum attuli, plura commemorare ſuperſedebo. Cuiuis enim peruia eſſe poſſunt, &, vti dixi, è ſacris ſcriptis facilè promi non poſſunt. Faciliùs autem hæ fallaciæ in loquendo committuntur & obſeruantur. Itaque monuiſſe ſatis eſt. Huic autem fallaciæ ſimilis eſt illa per quam plures & diuerſæ quæſtiones, quaſi ſint vna, confunduntur. Cuius exemplum hoc ſit ex Auguſt. lib. 3. contra Maximinum Arria. cap. 18.

Pater de nullo genitus eſt, C
Filius de Patre;
Ergo maior eſt Pater Filio.

Reſpondeo. Imò non eſt maior Pater Filio, quia æqualem genuit, nõ minorem. Originis enim quęſtio eſt, quis de quo ſit. Æqualitatis autẽ, qualis & quantus ſit. Has igitur confundebat Maximinus Arrianus, quæ ſunt diſtinguenda. Venio ad Elenchum & fallaciam quæ committitur, vbi accidens pro ſubſtantia ſumitur.

DE FALLACIA QVAE FIT vbi accidens pro ſubſtantia ſumitur.

SECVNDVS autem generalis modus, per quem extra dictionem falſum in ſyllogiſmo committitur, accidit ex eo quòd vitioſè ſumitur, & aliud quàm oportet. Qui modus alios quatuor ſub ſe cõtinet, è quibus primus eſt is qui dicitur ab accidente. Fit autem ex hoc elencho fallacia, cùm nõ diſtinguitur inter id, quod de alio dicitur vti accidens, & illud quod de eodem enuntiatur vti eſſentia aut eſſentiæ pars. Ergo, vt lib. 1. cap. 4. ἐλέγχ. do-

A cet Ariſtoteles, tota ratio huius fallaciæ in eo poſita eſt, quòd ſimile videtur eſſe aliquid de alio dici velut accidens, & velut ſubſtantia. Atque vt hunc locum faciliùs intelligamus, repetendum nobis eſt ex aliis Dialecticorum diſputationibus, quid ſit eſſe rei alicui accidens: & quid ſit eſſe eidem eſſentiale, aut eſſentia.

Eſſentia cuiuſque rei dicitur eſſe natura, quâ res quæque conſtat, & quæ definitione explicatur: veluti hominis eſſentia eſt, Animal rationale eſſe: fidei eſſentia eſt, Eſſe certiſſimam de Dei promiſſionibus erga nos per Chriſtum fiduciam & cognitionem.

Ergo & tota hæc definitio & ſingulæ huius definitionis partes dicuntur de homine, vel de fide tanquam eſſentia vel eſſentiæ partes. Veluti animal dicitur de homine, & rationale de eodem tãquam eſſentia. Eſt igitur eſſentia vis & natura cuiuſque rei, quæ ab ea auelli vel auulſa eſſe, ne animo quidem cogitari poteſt: quia ea detracta, res ipſa, à qua adimitur, ſtatim peritura eſt.

Accidens cuiuſque rei eſt, quod ei adeſſe, vel ab
B ea abeſſe poteſt, vel ſaltem animo & mente fingi abeſſe citra rei ipſius, de qua dicitur, interitum. Veluti in homine album eſſe, doctum eſſe, ſunt accidentia: in fideli & Chriſtiano homine, priuatum vel Magiſtratum eſſe, ſeruum vel liberum: quia iſta omnia non ſunt partes definitionis, & abſunt vel fingi poſſunt abeſſe ab homine Chriſtiano, qui tamen non deſinet eſſe homo fidelis. Ergo quod rei alicui ineſt velut accidens, ſi tanquam eſſentia eidem tribuitur, aut ſumitur, fit fallacia ab accidente. Atque cur iſta fallacia eueniat, hæc ratio eſt, Quòd ſi quæ de alio dicuntur vti eſſentia aut eſſentiæ partes, quæcunque eſſentiæ conueniunt, eadem etiam ei rei, cuius hæc eſſentia eſt. Dialectici ſic aiunt,

Quæcunque de alio velut de ſubiecto dicuntur, tunc quæcunque de prædicato enuntiantur, eadem etiam de ſubiecto: veluti animal dicitur de homine veluti de proprio ſubiecto cui ineſt, vt ſit in rerum naturâ proprio ſibi exiſtendi modo. Vnde quæcunque de animali enuntiantur & verè pro-
C prièque dicuntur, eadem etiam de homine. Quemadmodum dicitur de animali, ſentire, corporeum eſſe: eadem etiam de homine. Nam & ſentit homo, & eſt ſubſtantia corporea.

Aliud exemplum. De fideli homine illud verè propriéque dicitur, Inſitum eſſe fide in Chriſto, tanquam vera natura fidelis hominis hæc ſit. Ergo quæcunque de homine in Chriſto inſito dicuntur propriè, eadem etiam de homine fideli & Chriſtiano. Qualia ſunt iſta, in Chriſto mortuum eſſe, in eodem reſurrexiſſe & viuere Deo. Quæ omnia propriè homini Chriſtiano competunt. Hæc igitur regula quum ſit vera, euenit vt qui aptè non diſtinguunt quid de alio dicatur velut eſſentiæ & naturæ eius pars, & quid illi conueniat velut accidens, facilè decipiantur. Nam exempli gratiâ, de homine Chriſtiano dicitur velut accidẽs, ditem eſſe opibus terrenis, bono ſtomacho eſſe, viſum & oculos habere. Hæc tamen omnia ſiquis exiſtimet eſſe naturæ illius partes, decipietur fallaciâ hac accidentis. Nam concedet quæ de homine diuite, de oculis & reliquis ſimilibus enunciantur, eadem de homine Chriſtiano dici, & illi tribuenda eſſe, qualia ſunt hæc, ingentes theſauros habere, locupletem eſſe, non egere re quaquam, quaſi hæc o- A
mnia Chriſtiano & homini fideli cõueniant, quod negat Paulus, 1. Corinth. 1. 26. 1. Tim. capite ſexto, verſ. 8, & 9. Simile argumentum eſt eorum qui putant ſe ſanctos eſſe, quia ſanctorum hominum veſtitum imitantur. Nam nihil veſtitus facit ad animi ſanctitatem, ſed fides & vera vitæ reformatio. Ergo quum ſic dicunt & docent,

Sancti homines & Dei Prophetæ per ſyluas errarunt, pellibus veſtiebantur, habitabant in ſpeluncis, Hebr. 11. 37.

Ergo qui hodie eadem faciunt ſunt ſancti:

Fallunt ab accidente. Nam illa ſuperiora non definiunt veram Patrum ſanctitatem, neque de illa dicuntur tanquam eſſentiæ & definitionis eius partes, ſed tanquam accidentia. Vera autem Patrum illorum ſanctitas in eo fuit, quòd & fidem Dei promiſſionibus habuerunt, & in ea fide toto vitæ tempore perſeuerarunt. Itaque qui iſta duo habẽt, ſunt ſancti, ſicut Patres illi & Patriarchæ, quia iſta de ſanctitate, vti definitionis eius partes, dicuntur & enuntiantur. B

Ex quo fit, vt quum falſa definitio pro vera affertur & conceditur, fallamus, ſi quis ex noſtra cõceſſione argumentetur, pertineatque hæc fallacia ex falſa definitione, ad hoc elenchi genus, quod dicitur ab accidente. Nam in falſa definitione illud quod eſt ſolùm rei accidens, pro vera eius naturâ ponitur & ſumitur: vnde ſequitur error. Exemplũ ſit quòd è Platonis dictis ridebat Cynicus Diogenes. Plato aliquando diſputans ſic hominem definierat præſente Diogene:

Homo eſt animal implume, bipes.

Gallus gallinaceus à Diogene implumis productus eſt.

Ergo gallus gallinaceus & implumis eſt homo Platonis.

Error eſt in hoc ſyllogiſmo ex accidente, quod veræ hominis eſſentiæ & definitionis loco ſubſtituitur & inducitur. Huiuſmodi eſt & æquè fallax illa Papiſtarum argumentatio ex eodem accidente & falſa definitione,

Fides eſt virtus, qua creduntur quæ non videntur. (Hãc definitionem tradit Petrus Lombardus, qui ab iis Magiſter ſententiarum cognominatus eſt, lib. 3. diſtinct. 23.) C

Turcæ credunt quæ non videntur.

Ergo Turcæ habent fidem.

Eadem fallacia eſt,

Fides eſt credere, quòd ſit Deus.

Dæmones illud credunt.

Ergo Dæmones habent fidem, Iacobi cap. ſecundo, verſ. 19.

Ex falſa definitione illudimur & decipimur. itaque ex accidente. Ex quibus efficitur, ſiue accidens pro eſſentia rei, ſiue falſa definitio pro vera concedatur, omnino pertinere hanc fallaciam ad hũc locum & elenchum.

Remedium verò quod huic malo afferri debet, eſt, vt negetur ſequi concluſio, quum accidens pro rei ſubſtantia & eſſentia ſumptum eſt, & noſtrę negationis ratio adducatur, diſtinguamúſque quid rei, de qua agitur, competat tanquam accidens: quid autem eidem congruat velut eſſentia. Quæ ſanè diſtinctio ab eo ſolo fieri poteſt qui erit veræ Theologiæ peritus, ſi de quæſtione Theologica agatur: Idémque requiritur in cęteris artibus, in

quibus

A quibus verſabimur. Nã ſoli periti & docti & ſciẽtes homines poſſunt, vt ait Plato, res inter ſe ſimiles diſtinguere & ſeparare, quando in ea diſtinctionis cognitione magna ſcientię cuiuſque vis & pars poſita eſt. Ergò negetur in hoc genere fallaciæ concluſio, & ratio negationis ex diſtinctione rerum afferatur.

Hoc autem totum exemplis illuſtrãdum eſt. Ac primum quidem ſit illud, quod ex Donatiſtarum ſchola & hęreſi ſumptum eſt, qui metiuntur Sacramentorum vim ex dignitate & perſona Miniſtrorũ & Paſtorum, qui ea conferunt. Aiunt autem ſic,

Omnia Sacramenta, quæ Paſtores adminiſtrant in Eccleſia, ſunt eorum Sacramenta.

At qui nòn ſunt ſine ruga & peccato Paſtores, ſunt mali & indigni.

Ergo quæ Sacramenta tales adminiſtrant, ſunt malorum Sacramenta.

Inde colligebant non placere Deo, & inutilia atque infructuoſa Eccleſiæ eſſe. fallacia eſt ab accidente. Nam Paſtori, vt ſit malus, eſt accidens, & B ab adminiſtratione Sacramentorum planè ſemotum & ſeiunctum. Neque ea ratione Paſtor Sacramenta adminiſtrat, quia malus, ſed quia eſt Eccleſiæ Paſtor & promiſſionum Dei vocalis præco. Transferunt itaque Donatiſtæ ad accidens (cùm malorum Sacramenta vocant) quod priùs de Paſtore, tanquam de vero ſubiecto, ſumptũ & enuntiatum erat.

Aliud exemplum ex Anabaptiſtis & iiſdẽ Donatiſtis, qui putant baptizatos ab hęreticis Paſtoribus eſſe rebaptizandos. ſic autem arguunt,

Qui à Paſtore hæretico baptizatus eſt, Chriſti baptiſmate non eſt baptizatus.

Ergo eſt rebaptizandus.

Fallunt in eo quòd in Chriſti baptiſmate non perſpiciunt quid ſit de eius ſubſtantia, & quid illi velut accidens competat. Nam in Baptiſmo Chriſti eſt de ſubſtantia eius baptizari à Paſtore in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. A bono verò vel malo Paſtore baptizari, item à fideli vel infideli, eſt planè accidens. Itaque non eſt traducẽdum C atque transferendum ad accidens Baptiſmi, quod ad eius veram naturam pertinet, vt definiatur Baptiſma Chriſti, illud quod à fideli Paſtore confertur: ſed quod à Paſtore in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti credenti datur.

Aliud exemplum.

Pœnitentia in Scriptura ſacco, cinere, ieiunio, & lachrymis fieri dicitur, Ioſ. 7. 6. Ioël. 2, 12.

Ergo pœnitẽtia in iis externis rebus poſita eſt.

Hæc eſt argumentatio Papiſtarum & hyprocritarum, quos Chriſtus reprehendit Matt. 6. 2. & tráſferunt accipiúntque accidens pœnitentiæ pro vera eius natura & definitione, vt annotat Caluinus libro 3. cap. 3. Inſtitutionis Chriſtianæ ſect. 17.

Aliud exemplum ex Oſiandri ſententia, qui ait noſtram iuſtitiam eſſe diuinæ eſſentiæ particulam in nobis. Ait igitur ſic,

Habemus Patrem & Filium & Spiritum ſanctum cùm ſumus iuſti.

Ergo cùm ſumus iuſti, habemus eſſentiam Dei in nobis.

Reſponſio eſt, transferri ad Dei ſubſtantiam & eſſentiam, quod eſt accidens eidem: nempe in nobis ineſſe. Nam quòd dicitur Pater & Filius & Spiritus habitare in nobis, Ioan. 14. 23, non de eſſentia A Dei & transfuſione eius in nos eſt accipiendum, ſed tantùm de noſtra per Chriſtum connexione cũ Deo, quæ res eſt illi planè accidens.

Aliud exemplum ex Donatiſtarum hæreſi.

Magiſtratus Chriſtianos homines ſũt perſecuti.

Ergo Magiſtratus Chriſtianiſmo ſunt contrarij.

Hoc idem Anabaptiſtæ afferunt. Sed fallunt, quia quòd Chriſtianos perſequitur Magiſtratus, non eſt de natura Magiſtratus, ſed illi pro tempore ex infidelitate accidit.

Aliud exemplum ex ſchola Papiſtarum, quum reliquias ſuorum Sanctorum venerãdas eſſe aiunt,

Sancti ſunt nobis venerandi.

Ergo eorum reliquiæ.

Fallunt, quia quatenus & quòd ſunt Sãcti venerandi, eorum vitæ, ſanctitati & fidei tribuitur, non autem pelli, carni & oſſibus, quæ omnia ſunt ad eſſentiam ſanctitatis accidentia. Ergo cùm Papiſtæ honorem vitæ & fidei Sanctorum debitum oſſibus tribuunt & carni, arguunt & fallunt ab accidente. Et hæc quidem hactenus. Vulgaria autem exempla, ſi quis illis ad huius elenchi aſſequendam cognitionem iuuari & delectari poteſt, hæc ferè ſunt B fallaciæ ab accidente:

Quod emiſti, comedes.

Crudum emiſti.

Ergo crudum comedes.

Item aliud exemplum.

Homo eſt diſſyllabum.

Polycarpus eſt homo.

Ergo Polycarpus eſt diſſyllabum.

Viſum eſt autem huic loco pro coronide adiicere hanc Chryſoſtomi ſententiam, quæ extat Homil. 15, ad pop. Antiochen. Laqueus maximus, mulieris forma: imò verò non mulieris forma, ſed laſciuus aſpectus. Non enim res calumniemur, ſed nos noſtrúmque torporem accuſemus. Neque dicamus, ne ſint mulieres: ſed ne ſint adulteria. Neque dicamus, ne ſit pulchritudo: ſed ne ſit fornicatio. Non dicamus, quia comeditur, & bibitur, omnia mala: non enim propter hoc, ſed propter torporem & improbitatem noſtram.

Et quia de fallacia huius generis copioſè diximus, ad alias veniamus. C

DE FALLACIA QVAE FIT cùm non cauſa pro cauſa ſumitur.

QVEMADMODVM, quum accidẽs pro eſſentia ſumitur, fit fallacia: ita, quum ea quæ non eſt cauſa, ſumitur atque affertur pro vera cauſa, eſt vitioſa argumentatio, fitque fraus non animaduertenti. Atque vt huius elenchi & loci natura & fraus intelligatur, quid ſit cauſa videamus, itémque quot ſint & quotuplices cauſæ: demũ quę regulæ obſeruandæ ſint, vt fiat recta ex cauſis concluſio. Iiſdem enim omiſſis fit fallax & vitioſa.

Cauſa eſt, quæ vi ſua aliquid efficit & producit: vti vera in Chriſtum fides regenerationem & bona opera. Galat. 5. 6. Iacob. 2. 14. Sic Sol diem profert, ignis calorem, Chriſtus ſalutem efficit in nobis, Spiritus ſanctus dona varia in nobis, Ephe. 4. 7, 1. Corinth. 12. 4: Siue cauſa eſt (vt Cicero definit in lib. De fato) cuius vi illud euenit, cuius eſ-

A ſe cauſa dicitur. Sed quum ita cauſa definitur, videtur illud tantùm cauſæ genus definiri, quæ vulgò & proprio nomine cauſa Efficiens appellatur. Hîc tamen locus non ſolùm ad illud cauſæ genus pertinet, ſed etiam ad materiam, formam, & finem, quæ omnes cauſæ ſunt rei: veluti ſalutis noſtræ cauſa efficiens, eſt Deus Pater: materia, Chriſtus: forma, adoptio noſtra: finis, gloria Dei, Epheſ. 1. 4, 5, 6. Ergo ſiue illud pro materia rei ſumatur (quod non eſt) ſiue pro forma, ſiue pro fine, & inde aliquid vitioſè & falſò concluditur & colligitur: eſt fallacia à non cauſa pro cauſa. Exempli cauſâ, ſi bona opera ſtatuuntur eſſe materia noſtræ ſalutis, deinde concludatur, Ergo nos ipſos ſaluos facimus: ea quæ non eſt cauſa, pro cauſa tamen poſita eſt. Item ſi ſic dicimus,

Finis noſtræ ſalutis eſt, vt agnoſcamus homines per quos ad Euangelij cognitionem adducimur.

Ergo finis noſtræ ſalutis eſt, vt homines laudemus: falſa eſt argumentatio, quia non cauſa finalis pro cauſa ſumpta eſt. Ex quo fit, vt ſedulò ſit iuniori B Theologo, quid ſophiſta vel hæreticus pro cauſa ſumat, obſeruandum, ne imprudens atque incautus ab eo decipiatur, & concedat quod eſt negandum.

Sed præter quatuor illa cauſarum genera quæ diximus, nimirum efficientem, materialem, formalem, & finalem cauſam, ſunt etiam duo alia valde nobis annotanda & excutienda, nimirum

cauſa { Neceſſaria
&
Adiuuans.

Cauſa neceſſaria eſt, quâ poſita effectus ſtatim ſequitur: veluti, ignis eſt, ergo ardet & calefacit. Hac enim poſita, ponitur effectus: & hac dempta tollitur & ceſſat effectus. Itaque vt quæ ſint veræ & neceſſariæ cauſæ intelligamus, operæpretiũ eſt illud meminiſſe, quod tradit lib. 2. Analyti. prior. Ariſtoteles cap. 19. Tunc intelligi aliquid pro vera cauſa vitioſè ſumptum eſſe, quo dempto idem nihilominus C effici atque concludi poteſt. veluti,

Iudas in menſa Domini accubuit, dum Paſcha à Chriſto ederetur.

Ergo Iudas panem Cœnæ edit.

Item, Simon Magus Philippum concionantem audiit, ergo credidit. Vitioſæ ſunt argumentationes ex eo, quòd illud pro vera & neceſſaria rei cauſa poſitum eſt, quo dempto idem tamen euenire potuit. Potuit enim Simon Magus etiam credere ſi non audiiſſet Philippum, ſed alium. Et potuit Iudas etiam ſi adfuit & accubuit in menſa Domini, non edere tamen panem Cœnæ Domini. Ergo quoties illud quod præcedit & pro cauſa ſtatuitur, vel demptum non perimit vim concluſionis, vel adiectum non efficit & infert vi ſua: toties intelligatur, neque veram, neque neceſſariam cauſam ſumptam atque poſitam eſſe, ſed nos decipi.

Hæc autem cauſa neceſſaria dicitur, & perfecta & principalis cauſa, & propriè cauſa eſt.

Adiuuans cauſa eſt, quæ vim & naturam efficiendi ipſa quidem non habet, ſed tamen ſine qua effici illud non poteſt, veluti cùm inſtrumenta cauſam appellamus. Ipſa enim non efficiunt, ſed manus vel ingenium artificis efficit ſcamnum, abacum, & ſi quod aliud opus cogitemus effectum. Hæc cauſa adiuuans dicitur inſtrumẽtalis & cauſa ſine qua non, veluti opes ſunt cauſæ charitatis A atque liberalitatis in egenum fratrem exercendæ, quia ſine iis erogare egeno fratri nihil poſſumus. Sed ſunt cauſæ inſtrumentales vti manus ipſa dantis. Vera autem cauſa eſt cor & animus donantis. Libri ſtudioſis Theologis ſunt cauſa ſine qua non diſcunt & ſtudent.

At poſtquam & quid cauſa ſit & quotuplex intelleximus, ad regulas veniamus quæ ſunt obſeruandæ, vt rectè ex cauſa poſita effectus concludatur & colligatur. Sunt autem duæ: nam effectum eſt

aut { Vna tantùm cauſa, & ea neceſſaria.
Plures cauſæ, quæ interuenire debent, ſiue ſimul ſiue ſucceſsiuè, vt effectus producatur.

Hæc itaque prima regula eſt: quoties alicuius effectus vna tantùm eſt cauſa, & ea neceſſaria, cauſâ poſita, ſequitur effectus, veluti, vbicunque vera fides eſt, illic eſt fiducia & adoptio: vbicunque Dei fauor eſt & gratia, illic pax animi & miſericordia. B

Secunda regula eſt, quoties vnius effectus plures ſunt cauſæ ſiue ſubordinatæ, ſiue pares, ſi aliqua ex iis omittatur, reliquæ ponantur, non ſequitur effectus: veluti,

Huic diuiti ſeſe obtulit pauper hic & egenus frater.

Ergo diues dedit. Prætermiſſa eſt vna cauſa, nempe animus donantis, qui niſi adfuerit, non dedit tamen, etſi diues. Item,

Ioanni & Petro Chriſtianis pauper eleemoſynam & ſtipem petens ſeſe ad portã templi obtulit.

Ergo Ioannes & Petrus ſtipem dederunt.

Non ſequitur: quia aurum & argentum, vnde darent, non habebant, Actor. 3. 6. Ergo quoties vel quæ non eſt omnino cauſa, pro cauſa ſumitur, vel quæ neceſſaria cauſa non eſt, pro neceſſaria tamen ponitur, vel quæ ſola cauſa non eſt, pro ſola inducitur: ex hoc elenchi genere fit fallacia, nempe ex non cauſâ pro cauſa. C

Ad hunc autem elenchum pertinẽt omnia quæ apud fideles homines valerent, ſi recta & vera eſſent, quæ eadem peruerſè & falſò afferuntur & adducuntur. Multa ſunt enim in Theologia quę pro cauſa apud nos valere debent, ſúntque omni cauſâ naturali potiora: quia è ſacra Scriptura hauriuntur. Itaque eadem illa ſi perperàm citentur, fit fallacia ex non cauſâ, quæ pro cauſa allata eſt. Imprimis autem ipſa ſacræ Scripturæ authoritas huiuſmodi eſt, quæ ſi verè & aptè & quemadmodum decet laudetur, cauſa eſt vera & neceſſaria. Sin autem falſò & ineptè, fallimur ex loco non cauſa pro cauſa. Itaque hi omnes ex hoc loco decipiunt & imponunt, qui

1 . Falſas ſententias, & quas vocant, authoritates ſacræ Scripturæ allegant & afferunt, id eſt, eas quæ nullibi in Scriptura exſtant ſcriptæ & proditæ, quales multas Marcionitæ & Valentiniani & plerique alij hæretici habuerunt, qui perfidè neſcio quibuſdam ſentẽtiis & falſò ſe, errorémque ſuum tuentur.

2 Item qui libros apocryphos pro receptis laudant, & ducunt ex iis ſuæ hæreſis confirmationem, impingunt in huius loci & fallaciæ ſcopulum. Veluti Papiſtæ cùm libros Machabæorũ proferunt. Eſt enim non cauſa pro cauſa ſumpta, quia

A rei credendæ & fide certa tenendæ vera cauſa eſt authoritas ſacræ & receptæ Scripturæ. Libri autẽ priuati [illegible] apocryphi non item.

3 Item qui ſententias quidem è ſacra Scriptura promunt, ſed perperàm eas applicant, vel interpretantur linguæ vel ſenſus ignoratione. Aliud enim pro alio ſumunt, & pro cauſa ponũt eam ſententiam quæ tamen non eſt cauſa quia perperàm explicata eſt vel verſa.

Item qui malam conſuetudinem & ritum pro bono commendant, & ſui erroris columen vel firmamentum ſumunt, ponunt pro cauſa illud quod tamen non eſt cauſa. Conſuetudo quidem bona in multis pro cauſa & ratione valere debet: mala autem & contra bonos mores vel verbum Dei contraria recepta, itémque ritus nullibi valere debent. Hoc argumentationis genere vtuntur Papiſtæ, cùm errores ſuos longa conſuetudine, ſed tamen quæ mala vel verbo Dei contraria eſt, vel dũ longi temporis quam vocant, præſcriptione tuentur & defendunt.

B Item qui Patrum exempla quæ non ſunt imitanda pro imitandis tamen proponunt & obtrudunt. Hoc genere multi peccant, vt & Monachi in ſectarum ſuarum varietate defendenda, & reliqui Papiſtæ quum ſibi imitandos ſæpe proponunt, quos non deberent tamen. Peccant etiam qui Dauidis adulterium, Iacob patriarchæ in duabus ſororibus ducendis inceſtum, obſtetricum Hebraicarum mendacium ſibi imitandum proponunt, & eadem fieri vel poſſe vel debere contendunt exemplo Patrum: quia falſa & mala exempla imitari ſtudent. Exemplum quidem iuſtum & honeſtum, eſt vera cauſa, cur idem facere debeamus, quia Scriptura id nobis imitandum proponit. Quid autem mirum eſt, nos neque Dauidis adulterium, neque Aaronis murmur imitari debere, quando neque omnia laudata etiam in Scriptura Patrum exempla ſequi oportet & imitari? Quale eſt Moſis factum in Ægyptio cædendo, Phinees zelus & animi ardor, populi Iſraëlitici exitus de Ægypto cum rebus AEgyptiorum, C niſi nominatim idem Dei præceptum habeamus, eandem perſonam geramus, & eundem planè affectum & zelum, qualia illi habuere, à Dei Spiritu acceperimus. Ergo multi in malis & non imitandis exemplis peccant.

Item qui falſa miracula afferunt, vt nos in ſuam opinionem trahant, id eſt, vel ementita, vel non legitima miracula: quia ad ſuum legitimúmque finem non tendunt, fallunt hoc vitij genere, quòd eam cauſam perſuadendi & probandi afferunt, quæ cùm falſa ſit, nobis pro cauſa eſſe non debet.

In hoc vitij genere multi ſunt Papiſtæ, qui plusquam ſexcenta millia miraculorum ementita in diuorum ſuorum canonizandorum, vt ipſi loquuntur, id eſt deificandorum gratiam & commendationem pia intentione recitant. Quæ cùm illi afferunt, ſit hæc breuis reſponſio, Fidem fac de iſto miraculo, vel, Hæc credat Iudæus Apella, non ego. Atque his ferè modis & his ſimilibus fallacia ab eo loco fieri poteſt, quando non cauſa pro cauſa ſumitur.

Remedium autem, quod aduerſus tot & tam varios fallaciarum modos afferri debet, vnum eſt & breue, nempe hoc, vt negetur conſecutio, atque huius negationis noſtræ ratio reddatur, nimirum, per quam oſtendamus falſam eſſe eam A cauſam, quæ pro cauſa tamen ſumpta eſt, & in qua propoſitione id factum ſit, explicetur. Illud autem perſpicere poſſe, eſt docti peritíque Theologi & hominis. Nam

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas, vt Poëta canit. Sed ex iis quæ ſuprà tradita ſunt, facile eſt vitium huius loci deprehendere, atque etiam quò ſuperiora omnia apertiora ſint, ſunt aliquot exemplis illuſtranda. Ac primum quidem ſit illud quod ij afferunt, qui contra veriſſimam de Prædeſtinatione doctrinam peſſimę diſputant, vt eam euertant. Aiunt enim ſic fieri Deum peccati, quod Adã fecit, authorem, atque ſic arguunt,

Dei decreto & prædeſtinatione Adam primus homo peccauit.

Ergo Deus peccati Adami primi hominis, author & cauſa eſt.

Nego ſequi, quia non omnes cauſæ enumerantur, ſed vna media, nempe ipſius Adami libera voluntas, prætermiſſa eſt. Nam inter Dei decretum, & lapſum ſiue factum Adami, media fuit cauſa B ipſius voluntas, quæ ſola verè fuit ejus cauſa quod in facto Adami fuit vitioſum & voluntati Dei repugnans, rebelle & contrarium, & ideo non cauſa pro cauſa ſumpta eſt. Hoc modo in libello de Prędeſtinatione Beza.

Aliud exemplum.

Inſurget pater in filium, filius in patrem, gens in gentem propter Euangelium, Matth. 24. 7.

Ergo Euangelium eſt malum vel doctrina diſſentionis & ſeditionis. Item ſic maleuoli & calumniatores homines contra lucem Euangelij blatterant,

In hac noua Euangelij promulgatione & offendicula multa nata ſunt, & improbi multi reperti, qui illud ſequebantur.

Ergo Euangelium profert & edit offendicula & improbos gignit. Nego ſequi in vtroque ſyllogiſmo. Prętermiſſa enim eſt vna & media cauſa, nempe hominum peruerſitas & rebellio, quæ inter Euangelij promulgationem & offendicula ſiue bella illa media interuenit, & quæ veriſſima C eſt horum omnium malorum cauſa, dum vel Euangelio homines obſiſtere nituntur, vel ei non parent.

Aliud exemplum ab iiſdem illis ſumptum, qui contra doctrinam de Prædeſtinatione agunt. Aiũt enim Deum fieri eorum omnium peccatorum, quę homines perpetrant, cauſam & authorem. Sic igitur dicunt,

Deus ordinauit ab æterno, vt mali & damnandi peccarent.

Ergo Deus eſt peccatorum omnium, quæ damnandi & mali faciunt, author. Nego ſequi. Prætermiſſa enim hîc eſt, vt in primo exemplo, media cauſa, nempe ipſa damnandorum voluntas, quæ veriſſima eſt eius, quod in facto malorum peccatum nominandum eſt, cauſa: non autem Dei decretum.

Atque ex hac elenchi ratione ferè ſoluuntur omnes horum hominum ſyllogiſmi aut paralogiſmi potiùs & rationes, ex non cauſa, quæ pro cauſa ponitur.

Aliud exemplum eorundem.

Præſcientia Dei nouit peccatores futuros.

Ergo eſt peccatorum in iis cauſa.

eſt ex non cauſa pro cauſa. Præſcientia enim Dei nullius rei cauſa eſt, ſed prouidentia potiùs. Eorum enim Deus author eſt quæ præordinauit, non etiam eorum omnium quæ præſciuit. Peccata enim præſciuit Deus, nō autem fecit aut ordinauit. Auguſt.lib.1.de libero arbitrio cap.4.

Aliud exemplum eſt ab iis ſumptum, qui ſe cùm peccarunt, excuſant. Hoc autem eſt Libertinorum.

Diabolus impulit me & malus ſpiritus, vt peccarem.

Ergo Diabolus & malus ſpiritus, non autem ego, eſt author mei peccati. Nego ſequi, quia ſemper in his argumentationibus proxima cauſa omiſſa eſt, nempe ipſius hominis peccantis voluntas, quæ malo, & peccato, & in Deum perfidiæ aſſenſit, atque ita peccati cauſa eſt, etſi Diabolus fuit illius flabellum. Sic Auguſtinus reſpondet artic.vndecimo in lib. Ad articulos Auguſti. falſ.impoſitos. Ait enim, Si Diabolo obiiceretur quòd talium facinorum ipſe author, ipſe eſſet incentor, puto quòd aliqua ratione hac ſe poſſet exonerare inuidiâ, & talium ſcelerum patratorem de ipſorum voluntate vinceret, quia etſi delectatus ſit furore peccantium, probaret tamen ſe non intuliſſe vim criminum. Hactenus Auguſtinus.

Aliud exemplum ex Papiſtis ſumptum.

Ait Gregorius Homil.38. nos vocationis tantùm noſtræ certos eſſe, electionis autem incertos,

Ergo electionis noſtræ ſumus incerti. Nego ſequi, quia hominum dicta aut authoritas eſt peſſimum fundamentum & mala cauſa doctrinæ de fide, quam habere debeamus. Et qui dicunt αὐτὸς ἔφα, vti Pythagorici olim, Non cauſam pro cauſa fidei noſtræ afferunt. Ergo hominum authoritas ne laudetur ſtatuatúrque noſtræ fidei cauſa, ne fiat paralogiſmus ex non cauſâ pro cauſa. Cal. Inſt.lib.3,cap.24.ſect.8.

Aliud exemplum.

Non poteſt impius & latro accuſari, quia exequitur graſſans in ſyluis Dei propoſitum,

Ergo impius & latro non eſt maleficij damnandus & puniendus. Prætermiſſa eſt voluntas ipſius latronis, quæ eſt in eo cauſa mali & maleficij, non autem Dei propoſitum. Ergo non cauſa pro cauſa mali ſumpta eſt. Cal. Inſtit. lib.1.ca.14. ſectione 4.

Vulgare exemplum eſt illud,

Noach ſe vino inebriauit.

Ergo vinum eſt malum. Nego ſequi. Ebrietatis enim cauſa in Noach fuit intemperantia & immoderatus vini vſus. Chryſoſto. ſimile quippiam Homil.11.ad pop.Antiochen. Quot dicentes audio, Non ſit paupertas. Obmuteſcere faciamus igitur, qui talia ægrè ferunt: Blaſphemia enim eſt talia dicere. Dicamus igitur ipſis, Non ſit puſillanimitas. Paupertas enim innumera vitæ noſtræ bona intulit, & ſine paupertate ſunt inutiles diuitiæ. Auguſtin.in Ioan. Euangel. Tractat. 73. ſed vt ſciremus non Dei creaturam eſſe culpabilem, ſed inobedientiam contumacem, & inordinatam concupiſcentiam, non propter porcum, ſed propter pomum mortem primus homo inuenit. Atque hæc quidem hactenus.

DE FALLACIA QVAE FIT ex eo quòd ſumitur pro conceſſo principium, id eſt, illud ipſum de quo controuerſia erat.

HVIVS elēchi inſcriptio, Petere principium, quæ vulgò fieri ſolet ab omnibus, quotquot adhuc legerim, vitioſa eſt & obſcura. Quæ meliùs & faciliùs poterit intelligi ſi dicatur, Petere id quod erat in quæſtione dubium. Vocat enim Ariſtoteles li.1. Elēch.& lib.2.Analytic.priorum, τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν ἢ αἰτεῖσθαι, id eſt, ſumere id quod ab initio & in quæſtione ipſa probandū erat. Ex qua re plurimę fallacię cōmittuntur, neque vlla fit probatio. Nam probatio ex certis cauſis & priùs probatis fieri debet, non autē ex incertis & poſterioribus. Id quod tamen is facit qui ſumit pro re conceſſa & vera illud quod venit in quæſtionem, & de quo ipſa controuerſia erat inſtituta. Vt faciliùs igitur locus ipſe & ratio fallaciæ quæ fit, indicetur, inſcriptio huius elēchi ſic fieri debebit, Sumere id de quo primùm controuertebatur: non autem ſic, Petere principium. Nam ſi verè loqui volumus, & Mathematicorum more, nihil habet vitij in ſe petitio principij. Cùm ſint enim in quaque arte principia indemōſtrabilia, peti atque poſtulari debēt, vt concedantur. Et rectè id fit, nō autē vitioſè, vnde nata ſunt illa quæ in Geometria & apud Euclidem αἰτήματα, id eſt, petitiones ſiue poſtulata appellantur, & rectæ methodo & rationi artiū & ſcientiarum tradendarum conuenienter illud fit. Quòd ſi hic locus eſſet inſcribendus, Petere principium, dixiſſent Græci, αἰτεῖν ἀρχὴν, non autem ſic λαμβάνειν τὸ ἐν ἀρχῇ. Atque hæc quidem de ipſa ἐπιγραφῇ & inſcriptione huius elenchi dicta ſunt, quę cōmodè & peritè non fit vulgari modo. Nos tamen ne quem turbaremus nouo nomine, vſitata appellatione diximus. Petere principium. Eſt autē Petere principium, ſiue ſumere pro conceſſa rem quæ cōtrouerſa eſt, probare aliquid per id quod per ſe neque manifeſtū adhuc neque conceſſum eſt, ſed vel obſcurum vel dūbium. Id quod certè multis modis accidit, vt docet libr.8. τοπικῶν Ariſtot.& lib.2. ἀναλυτικ. προτέρων. Nam quod petitur poſtulatúrque cōcedi ad rei, de qua quæritur, probationem, illud eſt

- vel
  - Id ipſum de quo agebatur, quod tamen ſumitur, vel
    - Iiſdē omnino,
    - Mutatis verbis.
  - Aliud & diuerſū: nēpe vel
    - Verbis tantùm, re tamen idem: id quod fit, ſi petitur, vel
      - Æquipollēs rei de qua agitur:
      - Totū eius rei concedi, cuius res propoſita & cōtrouerſa pars eſt.
    - Re & verbis aliud & diuerſum. Sed tamen id petitur concedi, quod eſt, vel
      - 1. Obſcurum
        - Æquè,
        - Plus quàm quæſtio ipſa.
      - 2. Incertum
        - Æquè,
        - Plus quam quæſtio ipſa.
      - 3. Poſterius naturâ.

A Ad hunc autem locum commendandum præclara eſt illa Irenæi ſententia lib. 2. aduerſ. hæreſ. cap. 10. Omnis quæſtio non per illud quod quæritur habet reſolutionem, nec ambiguitas per aliam ambiguitatem ſoluitur apud eos, qui ſenſum habent: aut ænigmata per aliud magis ænigma: ſed ea quæ ſunt talia ex manifeſtis & conſonantibus & claris accipiunt ſolutionem. Inde etiam nata eſt illa iuſta Vincentij reprehẽſio ab Auguſt. facta l. 2. de Anima c. 6. Cùm enim vellet, ait, probare dubia, auſus eſt dicere ſine dubio reprobanda.

His omnibus modis vitium in argumentatione fit, quod naſcitur ex petitione principij, quemadmodum vocant. Nam ſi illud quod in controuerſia verſatur, poſtuletur concedi ſiue eadem ſiue diuerſa loquendi formâ, eſt inepta ταυτολογία, ad quã nos hęreticus adducit incogitãtes, vel inuitos. Veluti ſi probandum ſit, Nos eſſentiali iuſtitiâ eſſe iuſtos, quod ait Oſiander, & petat hoc, ponátque ad huius ſuæ ſententiæ confirmationem, Iuſtitia qua homines iuſtificantur, eſt eſſentialis: iiſdem omnino verbis petit quod vult probare. Vel ſi diuerſa B dicendi formâ idem tamen petat, veluti, Virtus & donum Dei quo homines apud Deum fiunt cenſentúrque innocentes, eſt quid eſſentiale: id petit quod probandum ſuſceperat.

Sed ſi æquipollens ſumat quis eius rei, quam argumentis probandam ſuſcepit, perinde eſt, quia principium petit: veluti quando Papiſtæ hũc ſuum errorem tuentur, Nos non iuſtificari ſola fide, ſumunt hoc, Etiam operibus nos iuſtificari. Sed etſi totum ſibi concedi aliquis poſtulet, cuius pars eſt in dubitatione, peccat hoc eodem genere vitij, veluti ſi quis de Marcionitarum hæreſi velit, cõtendátque docere Hominem eſſe opus indignũ Deo, dicat & poſtulet hoc ſibi dari, Mundum hunc totum eſſe opus indignum Deo, quod illi ſentiunt & ſcribunt: id certè ponit tanquam verum, quod eſt totum ad quæſtionem propoſitam, quæ eſt pars mundi huius vniuerſi, nempe homo. Ex quibus iam intelligi poteſt, qua ratione ex hoc vitij & elenchi genere fallacia in argumentatione committi C poſſit.

Videamus igitur quomodo diſſolui & explicari debeat, quia non ſatis eſt vulnus & morbi genus expoſuiſſe, niſi etiam remedia afferamus. Eſt igitur hoc tutiſſimum in hoc argumẽtationũ genere remediũ, vt antecedens negemus, aut de eo addubitemus, id eſt, prætermittatur omnino à nobis, nulla de eo conceſſione aut negatione facta. Dicamus igitur in eo quod vulgares Dialectici ſolent, Tranſeat. Nam poſteaquam quid ex eius antecedentis conceſſione eueniat & efficiatur, intellexerimus, tum longè commodiùs vel negabitur vel diſtinguetur antecedens. Antea verò non item. Hoc autem totum exemplis illuſtrandum eſt. Ac primùm quidem illud ſit ex Papiſtarum ſchola & diſputationibus ſumptum, Papæ decretis eſſe obediẽdum ſub pœna excommunicationis & metu diuini iudicij & mortis.

Sic itaque arguunt,

Papa eſt Dei vicarius in terris, & Eccleſiæ Chriſtianæ caput,

Ergo Papæ obediendum eſt. Nego antecedens, quia incertum probatur per incertius: & ideo hæc argumentatio continet fallaciam petitionis principij.

Aliud exemplum ab iiſdem dum conciliorum A ſuorum generalium decreta & canones pro irrefragabili Scripturæ authoritate venditant. Aiunt enim ſic,

Eccleſia errare non poteſt, & hæc eſt tota collecta in conciliis generalibus.

Ergo concilia errare non poſſunt. In hac argumentatione petitur principium. Incertum enim per incertius probatur.

Aliud exemplum ab iiſdem, dum ſic arguunt,

Hoc iampridem in Eccleſia factitatum eſt.

Ergo rectè fit & obtinere debet. Petit principium. Incertum per incertius demonſtratur. Eſt enim incertum vtrum omne quod iampridem in Eccleſia factitatum eſt, obtinere debeat.

Aliud exemplum ab iiſdem, cùm ſuorum doctorum ſententias laudant.

Gregorius Magnus, aut alius quiſpiam hoc dixit.

Ergo illud verum eſt. Incertum per incertius. De hoc enim ipſo quæſtio eſt, Vtrum omnia quæ Gregorius Magnus dixit vel ſcripſit vera ſint. B

Aliud exemplum ab iis ſumptum qui quærunt, cur Filium Dei incarnari oportuerit. Ita aiunt,

Debuit qui erat in diuinitate Dei Filius, fieri in homine hominis filius,

Ergo debuit Dei Filius fieri homo. Obſcurum & incertum per obſcurius & incertius: & omnino hæc probatio ducta eſt à poſteriore. Quã tamen ſequitur P. Lombardus lib. 2. Sent. diſtinct. 2. & Auguſtinus, cap. 2. de Eccleſiaſt. dogmatibus. Hæc tamen verior eſſe poteſt, quòd Deus per eundem voluit hominem ſaluare, per quem condiderat. Per Filium autem ſuum condiderat, Epheſ. 3. 9.

Aliud exemplum ex Sophiſtarum ſchola.

Apoſtoli Chriſti ceremonias introduxerunt.

Ergo epiſcopus Romanus poteſt introducere. Incertum & dubium per incertius. Cui enim conſtat eadem licere Papæ, quæ & Apoſtolis? lib. 4. cap. 10. ſect. 17. Inſtit. Chriſt.

Aliud exemplum.

Hoc poteſt Eccleſia vera. C

Ergo hoc poſſunt Papiſtæ. quia illud ipſum quæritur, vtrum Papiſtæ ſint vera Dei Eccleſia, nec ne.

Aliud exemplum ab iiſdem Papiſtarum doctoribus.

Verba hæc, Hoc eſt corpus meum, apertè fieri tranſſubſtantiationem declarant.

Ergo fit, cùm dicuntur, tranſſubſtantiatio.

Petunt principium, cùm volunt ſibi concedi id quod in controuerſia poſitum eſt, vtrum illa verba, Hoc eſt corpus meum, ſine tropo accipi debeant, nec ne. Caluinus Inſtit. lib. 4. capite 17. ſection. 25. Ac certè magna pars argumentationum quæ à Papiſtis pro ſe, ſuâ Eccleſiâ, conciliis, priuilegiis, iure & poteſtate clauium, item & tyrannide tuenda fiunt, ſoluuntur ex hoc loco, qui eſt, Petitio principij, ad cuius explicationem ſuperiora exẽpla ſatis eſſe iudicamus.

DE FALLACIA QVAE FIT ex eo quod non conſequens ſumitur tanquam conſequens.

A QVEMADMODVM ſuperior elenchus, ita hic latiſsimè patet qui dicitur A non conſequenti. Ex eo enim errore, per quem illud quod non eſt conſequens pro conſequente ſumptum eſt, fiunt multæ atque penè innumerabiles fallaciæ & deceptiones, de quibus eſt hoc loco breuiter dicendum.

Eſt autem fallacia A non conſequente, fraus quæ fit in ſyllogiſmo, ex eo quòd non conſequens pro eo quod verè & neceſſariò conſequens eſt, conceditur & ſumitur. Eſt autem conſequens, id quod ex alio infertur & concluditur neceſſariò, ita vt priori poſito, hoc poſterius ſequatur & eueniat. Vnde fit, vt illud, quod eſt hoc loco conſequens appellatum, ſit diſtinguendum à Signo, & ab eo quod nominatur Concomitans. Neutrum enim horum pro conſequenti ſumi debet & concedi, ne fallamur. Habent quidem hoc inter ſeſe commune illa tria, nimirum conſequens, concomitans & ſignum, quòd re exiſtente ipſa quoque apparent & exiſtunt. Sed hoc etiam habent diſ- B criminis, quòd non conuertuntur concomitans & ſignũ cum re, cuius ſunt vel ſignũ vel concomitãs. At verò conſequens cum re conuertitur, cuius eſt conſequẽs. Itaque neceſſariò cùm vnum poſitum eſt, aliud ponitur & apparet.

Eſt igitur Concomitans illud quod aliud vt plurimùm vel antecedit, vel ſequitur, vel comitatur: non autem neceſſariò. Exempli cauſâ, Diſcipuli Chriſtum comitati ſunt. Sed & tempus & locus ſunt concomitantia: veluti, Chriſtum ſecutus eſt terræmotus: præceſsit bellum Actiacum. Ergo ex iis tanquã ex vero conſequenti cõcludendum non eſt, Diſcipuli erant illic, ergo Chriſtus illic quoque erat, quia ab iis nonnunquam abfuit, Luc.6.13. Neque item ſic efficiendum, Fuit terræmotus, ergo Chriſtus iam venerat. Nam temporibus Oziæ regis fuit ingens terræ ſucceſsio & motus, nondum tamen Chriſtus venerat, Zachar. 14.5. Amos 1.1.

Signum eſt, quod abſentis rei & quæ non videtur coniecturam affert & animo inijcit, quòd ſit & C exiſtat. Veluti fumus eſt ſignum ignis, & qui fumum videt, coniectat illic ignem eſſe. Item fuga Ioannis fuit ſignum capti Chriſti: pulla veſtis & atra olim ſignum pœnitentiæ. Ex quibus tamen omnibus, quia neque conuertuntur neque neceſſariò conſequuntur, nihil effici certóque concludi poteſt. Sed vt locus hic latiùs & quemadmodum oportet tradatur, vti ſe latè diffundit, ita latè per ſuas omnes ſpecies explicandus eſt: quia fallacia à non conſequente fieri committíque multis modis poteſt. Nam illud quod non eſt in argumentatione & ſyllogiſmo conſequens, eſt non conſequens

vel ratione
- Formæ ipſius ſyllogiſmi.
- Materiæ, quia mala eſt vel
  - 1 Partium enumeratio.
  - 2 Illatio & collectio de vno ad aliud.
  - 3 Rei ipſius ſumptio, quia ſumitur pro conſequenti, quod tamen eſt tantùm vel
    - Concomitans.
    - Signum rei.

A Ac de vitio quidem ſyllogiſmi, quod à non conſequenti fit ratione formæ & malæ conſequentiæ & connexionis dixerunt alij. Itaque non eſt hîc repetere neceſſe.

Veniamus igitur ad eam quæ fit in ſyllogiſmo fraudem, ex materia quæ ipſa non eſt conſequens.

Ac primum quidem eius genus eſt, cùm non eſt ſufficiens partium enumeratio facta, ſed aliqua prætermiſſa. Rectè enim concludi nõ poteſt quomodo errant Papiſtæ, cùm pœnitentiæ ſuæ partes enumerant. Aiunt enim eas eſſe tres, contritionem cordis, confeſſionem oris, & ſatisfactionem operis. P. Lombardus lib. 4. Sententiarum diſtinct.16. Ex hac partium enumeratione Iudam Iſcariotem verè pœnitentem fuiſſe concludetur, quia tria hæc habuit, Matth.17. Vitioſa igitur eſt enumeratio, quia eius præcipua pars, nempe aditus conuerſióque ad Deum per fidem ab illis omiſſa eſt, quæ defuit Iudæ. Itaque cùm ex ſuà partium enumeratione Papiſtæ aliquid de pœnitentia concludunt, fallunt à non conſequenti. Sic fal- B lit qui dicit, hic eſt pannus, ergo eſt albus, vel ruber: poteſt enim eſſe niger pannus. Idem in argumentatione vitium committitur à non ſufficienti formarum ſiue ſpecierum eiuſdem generis enumeratione: veluti, Hoc animal neque eſt equus, neque bos, neque ouis, ergo non eſt brutum animal. Prætermittit enim multas ſpecies. Nam poteſt eſſe ceruus, capra, lepus. Vnde hęc fallacia eſt à non conſequenti, propter vitioſam partium enumerationem. Sic Papiſtæ arguunt, Iſte homo qui eſt de Eccleſia, neque eſt ordinem Presbyteratus aſſecutus, neque Diaconatus, neque Acoluthi, ergo non eſt de clero vel clericus: fallacia eſt à non conſequenti ex hoc genere. Prætermittunt enim vnam clericorum aut eorũ qui ſunt de clero Domini ſpeciem, nempe, eorum qui viuunt priuati & oues in Eccleſia, 1. Pet.5.3. Nam, vt ait Tertullianus, Nonne laici ſacerdotes ſumus? ergo & clerici ſunt laici.

Alterũ genus huius vitii à non conſequenti, eſt: à mala illatione & collectione de vno ad aliud. Id C quod fit multis modis, ac præcipuè quidem duobus, nẽpe & in

- Coniugatis nominibus.
- Deſcenſu & illatione affirmatiua à minori ad maius.

Vtrunque autem explico. Ac primum quidem illud vitium quod ſæpiſſimè fit in nominibus coniugatis. Coniugata ſunt quæ ex vno fonte denominantur: vt iuſtitia & iuſtus: calor & calidus, ſanctitas & ſanctus, & quæ dicuntur ſortiri eandem appellationem, abſtracta & cõcreta, vt loquuntur Dialectici, veluti ſanitas eſt abſtractum, ſanus eſt concretum: iſta ſunt coniugata ſiue paronyma. In iis ſæpe accidit, vt rectè denominatio fieri poſſit: ſæpe autem euenit, vt non poſſit fieri. Nam à calore rectè denominatur calidus: à iuſtitia iuſtus: à bonitate bonus. Sed non rectè denominatur à virtute virtuoſus. Ergo in coniugatis vitium accidit, cùm quæ eandem denominationem habere non poſſunt, eâdem tamen appellatione à nobis donantur, & eſt vitium à non conſequenti, veluti rectè homo Chriſtianus ab vno aliquo opere iuſtitiæ Dei, iuſtus appellatur, quod idem nomen Deus habet. At homo Chriſtianus ab vno aliquo opere potentiæ Dei, eodem nomine quo Deus, potens appellari non poteſt.

A poteſt. Deus enim omnipotens nominatur. Homo verò eodem nomine ab vno aliquo potentiæ Dei opere & actu non poteſt dici omnipotens. Et qui ſic concluderet, ex loco à non conſequenti falleret. Idem in ſimilibus fit, veluti homo Chriſtianus ex vno homicidio rectè homicida appellatur: idem tamē ſi ab vno tantùm vitio abſtineat, reformatus dici non poteſt. Cur autē nobis facilè imponatur in hoc rerum genere, accidit ex ea communi regula, quæ eſt quidem apud Ariſtotelem lib. 1. Analyti. Poſterior. malè tamen à multis intelligitur.

Eſt autem hæc, ἀεὶ δὲ δι' ὃ ὑπάρχει ἕκαστον, ἐκεῖνο μᾶλλον ὑπάρχει id eſt, Per quod vnum quodque tale, & illud magis. Exempli gratiâ, ignis calidus eſt, & veſtis mea per ignem calida, ergo ignis ipſe magis eſt calidus, quàm mea veſtis. Sic rectè concluditur, & eſt neceſſarium conſequens, quoties ex iſta regula bene intellecta fit & concluditur. Chriſtus eſt iuſtus, & per eius iuſtitiam ſumus iuſti, Ergo Chriſtus ipſe magis iuſtus eſt & ſanctus & pius. Deus B viuit, & per Deum viuimus, Ergo magis Deus ipſe viuit. Deus eſt immortalis, & animi noſtri, & Angeli per Deum ſunt immortales, Ergo magis ipſe eſt immortalis.

Quænam igitur eſt mens ſuperioris regulę? nēpe hæc, vt quando res plures vnam naturam & appellationem habent & ſortiuntur, & ex iis vna alteri cauſam affert, cur eam & naturam & appellationem habeat neceſſe eſt ſequi, vt ipſa ſit magis hoc ipſum, quàm altera cui cauſam affert. Nam non ſequitur, Per aut propter Solem rubemus, ergo Sol ruber eſt, quia Sol non ſuſcipit ruborem. Itaque non ſequitur. Ratio tamen conſecutionis videbatur ſumi ex illa regula, Per quod vnūquodque tale, & illud magis: ſed tunc illa ſuperior regula malè explicatur. Exempli gratiâ, non ſequitur, Per Deum in terra hac & hoc cælo concludimur, Ergo multò magis Deus ipſe in terra hac & hoc cælo concluditur: quia in terra concludi omnino Dei naturæ non competit. At rectè tamen ſequitur, Per Deum ſumus, ergo magis Deus ipſe eſt: quia naturæ Dei competit eſſe, Exod. 3. 14. C Atque ex iis explicata ſit ſuperior regula, ex qua infinitæ penè fallaciæ in verbis coniugatis fiunt.

Tertium genus à non conſequenti eſt, cùm à minore ad maius affirmatiuè aliquid efficitur & concluditur. Tunc enim vitioſa eſt argumentatio: veluti ſi quis ita colligat, Quinque habet, ergo & ſeptem. Item, Sacram concionem audiit, ergo credit. Ergo ſiue ex eo quod minus eſt, ad aliud, quod eſt maius, fiat illatio & concluſio: ſiue ex primo gradu, & eo qui præparatio tantùm quædam eſt, ſecundus gradus & id quod perfectius eſt concludatur: fit fallacia à non conſequenti, quæ vitioſa omnino eſt illationis ſpecies & forma: veluti, Hic manuum impoſitionem habet à tribus Epiſcopis, ergo legitimus Epiſcopus eſt. Nego ſequi, quia minima in tota electione pars eſt manuum impoſitio: maxima verò examen ſuper vita & moribus, & populi approbatio. Item, Simon Magus baptizatus eſt, ergo fuit verum Eccleſiæ membrum. Nō ſequitur: Eſt enim præparatio tantùm & primus gradus, per quem ingredimur in Eccleſiam. Item, Accubuit menſę, ergo cœnauit. Item, Miracula vidit, ergo credidit.

Quum autem à non conſequenti fallax & vitioſa eſt ratiocinatio & ſyllogiſmus, quòd ſumitur A malum conſequens, fit etiam duobus modis:

aut quòd { Illud ſumptum eſt, quod non eſt omnino conſequens.
Illud eſt acceptum, quod etſi conſequens apparet, non eſt tamen, ſed eſt
vel { Signum,
Concomitans tantùm.

De duobus his poſtremis modis diximus. De eo autem, vbi illud ſumitur quod omnino nullóque modo conſequens eſt, facilè intelligi poteſt quid ſtatuendum ſit, nimirum eſſe ineptum illud afferre: veluti, Decimæ ſoluendæ ſunt Deo, Ergo quadraginta dies eſt ieiunandum. Hoc eſt argumentum Gregorij, vt habetur Cano. quadrageſima, diſtinctio. 5. de conſecratione in decreto. Item, Petrus fuit Romæ, ergo Roma eſt caput Eccleſiæ Chriſtianæ.

Ac de fontibus quidem & cauſis fallaciæ, quæ fit à non conſequenti, hactenus diximus, iam reme- B dium ecquod ſit, videamus. Eſt autem hoc & breue & ſimplex, vt conſequentiam ſyllogiſmi negemus: quia non ſit ſumptum verum aut aptum rei conſequens. Itaque nihil poteſt concludi, quod vim probationis aut bonæ conſecutionis habeat. Nam meram impoſturam is ſyllogiſmus continet. Solét autem quidam huius fallacię fraudem & nodum diſſoluere ex inſtantiæ, quam contrà afferūt, obiectione. Inſtantiam enim afferunt, atque ita ſe vim argumētationis ſatis cluſiſſe & repreſſiſſe putant, quod tamen non eſt ſemper & vbique tutum. Et quia nos proprium diſputationi de inſtātia locum fecimus, hic prætermittetur. Erit igitur, atque eſt hæc optima argumentationis diſſoluendæ & fallaciæ excludendæ ratio, ſi à nobis ſyllogiſmi conſequentia planè & apertè negetur. Sunt autem hæc exemplis illuſtranda. Ac primum quidem ſit illud quod ex Marcionitarum hęreſi ſumptum eſt. Aiunt enim,

Iuſtitia & miſericordia ſunt diuerſæ virtutes.

Ergo in vno & eodem Deo eſſe & animaduerti C non poſſunt.

Hoc eorum argumentum tradit Tertull. in lib adu. Marcio. in quo fallacia eſt à non conſequenti: quia diuerſæ ſunt virtutes, liberalitas & frugalitas, & tamen poſſunt eſſe in vno & eodem homine.

Aliud exemplum ex iiſdem, quod idem Tertullianus lib. 2. aduerſ. Marcion. tractat & refutat à non conſequenti. Eſt autem huiuſmodi eorum ratiocinatio,

Deus pluit ſuper bonos & malos.

Ergo Deus non eſt iuſtus, Matth. 5. 45. Nego ſequi, Nam eſt eiuſdem iuſtitiæ opus, & bonos beneficiis fouere, & malos iiſdē beneficiis ad pœnitentiam prouocare. Quanquam & hic ſyllogiſmus ex loco, qui eſt Ignoratio Elēchi, ſolui poteſt.

Aliud exemplum ex Praxeana hæreſi, aduerſus quam ſcripſit Tertullianus. Sic igitur argumentatur Praxeas,

Si Filius non eſt Pater, ſed à Patre genitus:

Ergo Filius eſt inferior Patre. Nego ſequi, quia dignitas in diuinis ex natura ſumitur, quæ in vtroque vna eſt & eadem. Hoc eodem argumento vſus eſt poſtea Aëtius hæreticus, quod in ſuo Panario exploſit Epiphanins in cap. 10. argumen-

A torum Aëtij. Naturæ enim diſſimilitudo affert dignitatis gradum diſſimilem, ex quo aliud ſuperius & maius, aliud inferius & minus eſt & appellatur, veluti inter ipſum Creatorem & creaturas. Sed, vt inquit idem Epipha. in eâdem Aëtij refutatione argumento quinto, cùm ſit Filius Dei γεγεννημένος ἐν ἀληθείᾳ μὲν, ἀχρόνως δὲ καὶ ἀνάρχως, ἐντεῦθεν ἐκπιστην φαμὲν τὴν οὐσίαν, οὐδ᾽ ἀλλοτρείαν ὡς ποιητὴν, ἀλλὰ γεννητὴν οὐσιωδῶς, καὶ οὐκ ἀλλοίαν παρὰ τὸν γεγεννηκότα. Hæc in ſuo Panario Epiphanius.

Aliud exemplũ ex Arrianorum diſputationibus.

Nulli modo, per quem aliud in hac rerum natura ex alio producitur, ſimilis eſt filij de patre generatio.

Ergo illa generatio falſa & ſuppoſita & ementita & imaginaria tantum quædam res eſt.

Nego ſequi: fallacia enim eſt à non conſequenti. Cùm enim rerum creatarum & creatoris ſit diuerſa diſsimiliſque natura, nihil mirũ ſi iiſdẽ modis non explicantur.

Aliud exemplum ex Papiſtarum ſchola: dum ſuum Purgatorium tueri conantur ex illo Matthęi B loco cap. 5. 26. Dicunt,

Ait Chriſtus, Non exibis illinc donec ſolueris vltimum quadrantem.

Ergo exibimus è tenebris, & poſſumus ſoluere vltimum quadrantem.

Nego ſequi: falſa eſt enim illa ſignificatio quæ aduerbio huic, Donec, tribuitur, & illatio quæ fit ex eo. Ita enim ſumitur tanquam ſit incluſiua futuræ alicuius rei, & non potiùs excludat rei euentum, in quo malè ab iis accipitur. Excluſiua enim tantùm eſt huius aduerbij ſignificatio, vt in illo eiuſdem Matthæi loco, qui eſt cap. 1. 25. Nam colligerem ego virginem Mariam non fuiſſe neque manſiſſe poſt partum Chriſti virginem, quod eſt falſiſſimum, ſi dictio hæc, Donec, haberet incluſiuam factæ poſtea rei ſignificationem. Luc. 1. 34. & eodem modo dicerem, Chriſtus eſt primogenitus Mariæ, Ergo poſtea alios liberos Maria ſuſcepit. Quod quidam etiam ſenſerunt. Sed fallacia eſt à non conſequenti. Nam vocum harum, Primus & Vltimus, ſignificationes ſunt purè excluſiuæ, non C etiam vllius alterius ſequentis rei incluſiuæ. Eſt enim primus quem nemo præcedit: eſt vltimus, quem nemo ſequitur: & ita harum vocum ignorantiâ multi fiunt paralogiſmi à Papiſtis & aliis hæreticis.

Aliud exemplum ex Serueti ſcriptis, quum negat Baptiſmum pueris dandum.

Chriſti ſymbola & ſacramenta ſunt perfecta.

Ergo requirunt perfectos & non infantes quibus dentur.

Nego ſequi. Nam perfectio illa que affertur per ſymbola Chriſti, non fit momento temporis, ſed habet continuos progreſſus & gradus, quorum primus eſt in infantibus, & idcirco iis dari poteſt ſymbolum Chriſti. lib. 4. Inſtitut. Chriſtia. cap 16. ſect. 31. Et ex hoc eodem loco refutantur Oſiandri rationes, lib. 2. Inſtitution. cap. 12. ſect. 7.

Exemplum vnum hoc modò addam ex eodem cap. 20. lib. 4. Inſtit. Chriſtia. ſect. 29. Aiunt igitur quidam,

Mutuum eſt ſubditorum erga Magiſtratum, & Magiſtratus erga ſubditos officium.

Ergo ſi ceſſat officiũ facere Magiſtratus, poſſunt & debent ceſſare ſubditi facere officium. Fallax eſt à non conſequẽti ſyllogiſmus. Deniq; quoties ratio A conſecutionis nulla eſt, fallacia eſt à non conſequenti, & ex hoc elencho ſolui debet nodus. Atque exemplorum quidem ſatis eſt, veniamus ad eos elenchos, vbi fallacia fit ex eo quod vitioſè concluditur. Id quod fit duobus modis,

nimirum vel quod {
Dictum ſecũdum quid ſimpliciter cõcluditur & contrà.
Dictum vna ratione, alia concluditur.

DE FALLACIA QVAE FIT *ex eo quòd illud quod ſecundum quid dictum eſt, accipitur tanquam ſit purè & ſimpliciter dictum, & contrà.*

LONGA eſt huius capitis & elenchi inſcriptio, quæ ſic breuiter vulgò fieri ſolet, Elenchus à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Accidit enim hęc fallacia, quum illud quod ſecundum quid certáque ratione & cauſâ & certo, quem aiunt, reſpectu & ratione enunciatum eſt, tãquam B purè & ſimpliciter & generaliter dictum eſſet, cõcluditur & infertur. Id quod multis modis certè quidem accidit, quos omnes vt intelligamus, primùm omnium ſciendum eſt, eorum quæ de alio dicuntur.

quædam {
Purè & ſimpliciter dici:
Certo modo & certa tantùm ratione.

Purè & ſimpliciter de alio enuntiari dico, cùm enuntiatum toti ſubiecto & ſemper accommodari poteſt: veluti, animal ſentit. Sentire enim purè de animali dicitur, quia & de omni dicitur, & ſemper. Item, Fides eſt certa cognitio promiſſionum Dei per Chriſtum. Græci & imprimis Ariſtoteles illa dicit ὅλως καὶ ἁπλῶς κατηγορεῖσθαι. Illa verò quæ ſecundum quid, id eſt, certa tantùm ratione enuntiantur, dicit κατά τι κατηγορεῖσθαι.

Dico verò illud de alio ſecundum quid enuntiari, cùm enuntiatum ſubiecto quidem ineſt, ſed vel non toti, vel non ſemper, ſed certa ratione & C conſideratione, quâ detractâ falſa apparebit & erit oratio: veluti, Iudas Iſcariotes credidit Euangelio, dicitur ſecundum quid, nempe certo tempore, & certo modo, non autem vera fide. Item, Vinum malè vtentibus eſt noxium: Paulus Corinthi concionatus eſt. Hæc omnia ſecundum quid dicuntur & intelliguntur. Sed ne in infinita exẽplorum multitudine & varietate hæreamus, breuiter complectamur quot modis aliud de alio dici poteſt ſecundum quid. In quo bene monent omnes, rerum varias circunſtantias eſſe diligenter conſiderandas, & qua ratione, quáque conditione & limitatione quæ pronuntiantur, vera ſint, ne porrigantur latiùs quàm oportet. Nã, vt ait Ariſtoteles, ſpectandum eſt καὶ τῇ, καὶ ποτὲ, καὶ πρός τι, καὶ πῶς vera ſit enũtiatio, ne aliquarum particularum detractione, quæ ferè non ſentitur, & in quibus tamen totius orationis pondus & momentum ineſt, magnum vitium committatur fallaciæ. Ergo cùm quid de alio dicitur ſecundum quid, illa limitatio & reſtrictio accidit

vel ex {
1. Quantitate,
2. Qualitate,
3. Circunſtantia, quæ vel ipſa per ſe orationi inhæret, vel nominatim illi adiecta eſt. Sunt

enim

A enim quædam dicendi formulæ, quæ ipſæ per ſe limitantur, veluti hæc, Comedam de nouis huius anni fructibus & pomis, habet has conditiones tacitas, ſi Deus permiſerit, ſi vixero, ſi qui noui fructus & poma hoc anno naſcantur, Iacob.4.15.& 5.5.Item, Credo, ergo ſaluus ero, habet hanc tacitam conditionem, ſi verè credo, ſi perſeuerauero. Item, Ibo in hanc ciuitatem, Ibit Paulus in Hiſpaniã, Roman. 15. 28. ex quibus ſi concludatur ſimpliciter, Ergo omnino ibit in Hiſpaniam Paulus: aut omnino ibo in hanc ciuitatẽ, prętermiſſa aut remota illa tacitâ, quæ ineſt, conditione: falſa eſt concluſio & illatio ex hoc loco, à dicto ſecũdũ quid ad dictum ſimpliciter. Sæpe autẽ in ipſa oratione expreſſè atque nominatim adiectę ſunt limitationes ipſę, veluti hæc eſt, Piis hominibus omnia cedũt in bonũ, Rom.8.28. Ex qua qui ſic cõcludit, Ergo hominibus omnia cedunt in bonum, fallit ex hoc genere fallaciæ, à dicto ſecundum quid. Nam ſi quæ limitatio & reſtrictio, quæ in oratione & enuntiatione inerat, omittitur, fallacia cõmittitur. Omnis igitur orationis limitatio maximè ex iis tribus ſũmis B fontibus oritur, Nempe & primum ex quantitate, quę tũ vitioſè ſumitur, cùm quod parti tantùm cõuenit, toti tamen tribuitur: veluti, Æthiops habet dentes albos, Ergo Æthiops eſt albus. Item. Chriſti latus lancea fractum & apertum eſt, Ergo Chriſti corpus fractum eſt. Abſalon longa & procera coma & crinibus fuit, Ergo Abſalon longus & procerus fuit. Cordigeri Franciſcani pedibus ſeminudis eunt, Ergo eunt ſeminudi. Cùm itaque quantitas & pars mutatur in maiorem, vel in totum transfertur, tunc ex hoc loco & limitatione quantitatis accidit vitium fallaciæ.

Secundus limitationis modus fit, cùm orationi ineſt per ſe, vel adiecta eſt qualitas, quæ poſtea in concluſione omittitur: veluti ſi à ſpecie ad genus concludimus, & à particulari ad vniuerſale: veluti, Homo eſt animal rationale. Ergo omne animal eſt rationale. Paulus Apoſtolus perſecutus eſt Eccleſiam, & raptus eſt viuens in paradiſum: Ergo omnes Apoſtoli perſecuti ſunt Eccleſiam, & rapti ſunt viui in paradiſum. Fallacia in iis omnibus C eſt à dicto particulari ad dictum vniuerſale, id eſt, à dicto ſecũdum quid ad dictum ſimpliciter & purè. Plura exempla colligi à ſtudioſis poſſunt.

Tertius definiendæ & coarctãdæ orationis modus eſt ex circunſtantia, quæ vel rei naturâ ipſâ ineſt, vel nominatim eſt orationi addita. Circunſtantiarum autem multa ſunt genera, quæ tradit Ariſtoteles libro tertio, ἠθικ. Νικομάχει, & ea quidem ſeptem.

Nimirum igitur ſunt hæc,	Tempus	1
	Locus	2
	Res	3
	Perſona	4
	Inſtrumentum	5
	Comparatio	6
	Modus.	7

Quæ ſi omnia, vel ſi ex his vnum aliquod orationi inſit, & in concludendo detrahatur, fiet fallacia ex hoc elenchi genere, à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Ac temporis quidem ſit hoc exẽplum, in quo aiunt, Diſtingue tempora, & intelliges Scripturas: veluti, Dei cultus externus ſub Lege in ſacrificiis boum poſitus erat. Ergo Dei cultus externus poſitus eſt in ſacrificiis boum: fallit, quia ratio temporis detracta eſt. A

Loci additi exemplum eſt, Ante Chriſti aduentum, in Iudæa notus erat Deus verus. Ergo vbique notus erat verus Deus.

Rei & ſubiecti conſideratio fallaciam fraudémque facit ſi omittatur: veluti, Ioannes Baptiſta pręparabat vias Domini prędicans regnum Dei. Ergo Ioannes Baptiſta prædicabat eadem omnino, quæ poſtea Apoſtoli regnum Dei prædicantes.

Perſonæ detractæ exemplum, in quo fit vitium veluti, Magiſtratus delicta gladio punire poſſunt & debent. Ergo quilibet punire delicta poſſunt & debent gladio. Item, Apoſtoli & Miniſtri debent & poſſunt verbum Dei in Eccleſia annuntiare, Ergo quilibet poſſunt in Eccleſia verbum Dei annuntiare.

Inſtrumenti omiſſi fallacia: veluti, Doctiores fiunt qui ſunt in Eccleſia, ſi verbum Dei audiant & legãt, Ergo qui ſunt in Eccleſia, fiũt aliis doctio- B res, ſi verbum Dei neque audiant, neque legãt. Itẽ, Deus ſanat potione ægrotos, qui eam ſumunt, & medicos accerſunt. Ergo Deus ſanabit ægrotos, etiam ſi neque medicos aduocent, neque potionem bibant. Deus nos alit ordinariè pane, Ergo nos Deus alet etiam ſine pane. Comparationis adiectæ, & in concluſione omiſſæ vitium accidit, & fallacia fit, veluti in hoc excẽplo, Paulus voluit anathema eſſe pro fratribus ſuis ſecundum carnem: nempe Iudæis, Ergo voluit Paulus fieri anathema. Item, Voluit Moſes deleri de libro vitæ potiùs quàm totus populus Iſraëliticus deleretur, Ergo voluit Moſes deleri de libro vitę. Item, Ait Paulus, Si eſca offendit fratrem meum, non veſcar carnibus in æternum, 1.Corint. 8. 13. Ergo ait Paulus ſe non eſurum ampliùs carnes.

Modi autem prætermiſſi exemplum eſt, Qui attentè audiunt verbũ Dei, proficiunt in fide. Matth. 13. 23. Ergo qui audiunt verbum Dei, proficiunt in fide. Item, Qui petit & orat fide, impetrabit, Iacob.1.6. Ergo qui petit & orat, impetrabit. Deni- C que quæcunque reſtringendi, explicandi, docendíve tantùm gratiâ dicuntur, ſi purè & ſimpliciter enuntiata eſſe interpretemur, fit fallacia ex hoc loco. Vnde fit vt omnis penè falſæ interpretationis vitium, ex quo hæreſis & error in fide inducitur, ad hunc elenchum pertineat, debeátque ex hoc loco ſolui fallacia. Sítne aliquid antè purè & ſimpliciter prolatum in Scriptura, an verò ſecundũ quid & certa tantùm ratione & conſideratione, docti & eruditi Theologi eſt diiudicare. Et quia modos per quos ex hoc loco fit fallacia, explicuimus, remedium aduerſus hunc morbum afferamus.

Eſt autem aduerſus tot, quæ ab hæreticis fidei inferuntur, vulnera remedium ſimplex & facile, nimirum, vt conſequentia negetur, atque ratio reddatur cur ſit negata, nempe, quia quod orationem reſtringebat, ab hæretico prætermiſſum eſſe docebimus. Hoc enim modo totius hæretici ſyllogiſmi vis elidetur, & infringetur, atque ipſe intelliget cur nos ab eo decipi dicamus. In quo tota fallaciæ techna & ars detegitur. Hæc autem omnia, quò ſint dilucidiora, ſunt illuſtranda exemplis. Id quod in ſuperioribus elenchis fecimus. Ac primum quidem ſit illud, quod ex quorundam ſchiſmaticorum diſputatione affert Cyprian. in libro. De vnitate Eccleſiæ. Aiunt illi,

Dixit Dominus, Vbicũque duo aut tres collecti

A in nomine meo fuerint, ego cum illis ſum, Matt. 18.20, Ergo vbicunque duo aut tres quilibet, veluti ſchiſmatici & excommunicati collecti in nomine Chriſti fuerint, Chriſtus eſt in medio eorum.

Nego ſequi, vt ait Cypria. quia Chriſtus de iis loquitur qui vnanimes ſunt, & vnitatem Eccleſiæ colunt, Matt. 18. 29. Itaque fallacia eſt à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Id quod omnes malo ex ipſis Cypriani verbis, quàm ex meis intelligere. Ait igitur, Nec ſe quidam vana interpretationee decipiant, quòd dixerit Dominus, Vbicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego ſum cum illis. Corruptores Euangelij, atque interpretes falſi, extrema ponunt, & ſuperiora prætereũt, & partis memores, & partem ſubdolè comprimentes, vt ipſi ab Eccleſia ſciſſi ſunt, ita capituli vnius ſententiam ſcindunt. Dominus enim cùm diſcipulis ſuis vnanimitatẽ ſuaderet & pacem, Dico, inquit, vobis, quoniã ſi duobus, &c. oſtendens non multitudini, ſed vnanimitati deprecantium plurimùm tribui. Hæc Cyprianus.

B Aliud exemplum ex Papiſtarum diſputationibus ſumptum, dum ſibi eas dotes & priuilegia vendicant, quæ Chriſtus veræ & ſuæ Eccleſiæ tribuit, quale eſt ius clauium, vita æterna. Aiunt igitur,

Dicit Chriſtus, Si quis non audit Eccleſiam, ſit tibi tanquam ethnicus, Matth. 18.17.

Ergo qui non audit Papiſtarum Eccleſiam, debet nobis eſſe velut ethnicus.

Nego ſequi, quia hoc dixit Chriſtus de vera Eccleſia & quæ Eccleſia Dei viſibilis dici ſimpliciter debet in terris: non autem de ea quæ ſecundum quid tantùm Eccleſia dicitur, qualis illa Papiſtarum.

Aliud exemplum ex eorundem diſputationibus accuratiſſimis, dum conantur probare ſacræ Scripturæ & certitudinem & authoritatem ex hominum & Eccleſiæ ſuffragio pendêre. Citant illud Auguſtini, quod eſt cap. 5. lib. Contra fundament. epiſtolam, Ego, ait Auguſt. Euangelio non crederem, niſi me moueret Eccleſiæ authoritas. Iam ex eo ſic illi falsò,

C Ait Auguſt. ſe Euangelio nõ fuiſſe crediturum, niſi Eccleſiæ authoritate moueretur.

Ergo Euangelij certitudo pendet ex authoritate & ſuffragio Eccleſiæ. Nego ſequi ex illo Auguſtini dicto, quod eſt ſecundum quid. Hoc enim de ſe dixit Auguſt. cùm nondum fidelis eſſet, & quatenus agit contra Manichæos, qui partem Euangelij probabant, partem improbabant non ex Eccleſiæ, ſed ex ſuo particulari iudicio. Ergo horũ ratione: non autẽ ſimpliciter dixit Auguſt. Ego ne Euangelio quidem, &c. lib. 1. Inſtit. cap. 7. ſect. 3

Aliud exemplum ſumptum ab aduerſariis Miniſtrorum.

Dixit Paulus ſe non miſſum à Chriſto, vt baptizaret, ſed vt euangelizaret.

Ergo non eſt Miniſtrorum baptizare, ſed tantùm euãgelizare. Nego ſequi, quia illud dixit Paulus comparatiuè, non autem purè ϗ ἁπλῶς vt loquuntur, quando etiã ipſe baptizauit. 1. Cor. 1.16,17.

Aliud exemplum ex Papiſtarum & ſophiſtarum ſchola, dum nos aiunt poſſe vitam æternam mereri, & debere omnia vendere & dare pauperibus. Aiunt igitur,

Ait Chriſtus, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Matth. 19. 17. Ergo opera nos deducunt ad vitam æternam. A Item aiunt,

Dixit Chriſtus, ſi vis perfectus eſſe, vẽde omnia quæ habes & da pauperibus.

Ergo qui vendit omnia quæ habet, & dat pauperibus, eſt perfectus. In vtroque ſyllogiſmo fallacia eſt à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, quia in vtroque loco Chriſtus propriè ſeſe attemperat & ſuum reſponſum perſonis eorum, quibuſcũ eſt illi negotium. lib. 3. Inſtit. c. 18. ſect. 9.

Aliud exemplum ex Sacramẽtariorum rationibus. Aiunt enim,

Paulus ait omnes Iudaicas ceremonias fuiſſe vmbras rerum futurarum, idem author ad Hebræos. Coloſſ. 2.17. Hebr. 9.9.

Ergo Iudaicas ceremonias ad animã vſque pertinuiſſe & profuiſſe negant. Nego ſequi, quia per contentionem illud dicitur contra eos qui nimis eas probabant, & plus quàm par eſt, tribuebant, & ſuperſtitioſè retinebant: verum autem earum finem, nempe Chriſtum, non intelligebant. lib. 4. Inſtitutio. cap. 14. ſect. 25.

Aliud exemplum ex Papiſtis,

Euangeliſtæ Papiſticas & inutiles ceremonias damnant.

Ergo Euangeliſtæ omnes ceremonias in Eccleſia damnant. fallacia eſt à dicto ſecundum quid ad dictũ ſimpliciter. Ac exemplorum quidem ſatis eſt.

DE FALLACIA QVAE FIT ex ignoratione elenchi.

HIc locus nominatur Ignoratio elenchi, quæ appellatio eſt duplex apud Dialecticos,

nimirum { Vniuerſalis,
&
Particularis.

Vniuerſalis eſt, cùm ignoratio elẽchi ſumitur pro communi omnium fallaciarum & cauillationum domicilio: quia omnes ſuperiores modi ad elenchi ignorationem reduci poſſunt, vt illi docent. C Particularis & propria appellatio eſt, cùm pro vno quodam & certo fallaciæ detegendæ modo accipitur, qui ſuis finibus circunſcriptus, & à cæteris diſtinctus eſt. Qui elenchus ab aliis ſolet nominari, Fallacia ſenſus. Qua ſignificatione propria & ſpeciali elẽchi ignorationem hoc loco accipimus anguſtiùs, nimirum.

Committitur autem fraus & fallacia ex hoc loco, quoties ea, quæ diuerſa ratione de eodem dicuntur & enuntiantur, quaſi vnâ tantùm & eadem ratione dicta eſſent, concluduntur de eodem. Itaque huius generis vitium & fallacia fit, quãdo quędam de eodem concluduntur, ſed tamen non ſecundum idem, neque ſimiliter. Itaque plurimùm refert ad harum impoſturarum notitiam & vitium explicandum intelligere, vt ait Ariſtoteles, ποσαχῶς, id eſt, quot modis & quàm diuerſa ratione aliquid de alio dicatur & concedatur: veluti, Paulus fuit Hieroſolymis quãdo purificauit ſe & totondit caput: non fuit autem quando raſit caput Cenchreis, Actor. 18. 18. & 21. 24. Ergo Paulus fuit & non fuit Hieroſolymis. Item, Paulus nõ vidit Chriſtum ante reſurrectionem, vidit autem in via Damaſcena poſt reſurrectionem, 1. Cor. 15.8. Actor. 9,4. Ergo

A Paulus vidit, & non vidit Chriſtum.

Differt igitur hic locus & elenchus à ſuperiori, qui eſt à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, quòd in ſuperiori fallacia & elencho aliquid latiùs vel affirmatur vel negatur in concluſione, quàm erat in præmiſſis. At in hoc, eadem omnino & æquè videntur concludi de eodem, quę erant in prioribus enuntiatis & propoſitionibus, ſed nō eâdem ratione tamen.

Ergo quoties quædam de vno aliquo & eodem dicuntur, non vna tamen & eâdem ratione, ſed diuerſa (quæ in concluſione tamen ponuntur, tanquam eâdem ratione & ſecundum idem, & ſimiliter dicta eſſent) fit fallacia ex hoc loco qui dicitur Ignoratio elenchi. Senſus enim diuerſitatem confundit ea ratio, & diuerſam rerum conſiderationem miſcet, quæ fieri & diſtingui debebat. Ex quo fit, vt multis modis ex hoc loco fallacia committatur. Nam ſiue diuina cum humanis confundantur: ſiue allegoriæ inutiles inuehantur, & ſenſus Scripturæ incertus: ſiue aliud mens authoris velle, aliud autem verba ipſa orationis ſignificare B videantur: ſiue diuerſus rerum reſpectus & diuerſa dicti ratio non obſeruetur, atque inde fiat committaturque fallacia, pertinet ad hunc locum: denique omnis is fraudis faciendæ modus, in quo ratio diuerſitatis vel non intelligitur, vel non obſeruata eſt. Quo genere fallaciæ plurimùm hæretici vtuntur. Nam quod fallunt & decipiunt, accidit ex eo, quòd res non diſtinguunt, neque intelligunt, qua ratione, quidque in Scriptura dicatur.

Remedium autem, quod optimum afferri aduerſus tot monſtra & morbi genera poteſt, hoc eſt, vt negetur conſequentia, atque ratio negationis explicetur ex illa diuerſa ratione, quæ in concluſione prætermiſſa eſſe docebitur. Ex illius enim diuerſæ rationis cognitione tanquam ex manifeſti luminis acceſſione fraus & tenebræ, quæ in ſyllogiſmo obiectæ ſunt, patefient atque diſcutientur. Sunt autem hæc exemplis illuſtranda, quò notiora ſint. Ac primum quidem ſit illud quod ex Praxeæ hæreſi ſumptum eſt, quemadmodū refert Tertullianus in lib. aduerſ. Praxeam, qui Filium Deum C eſſe negabat. Aiebat igitur ſic Praxeas,

Dicit Deus, Ego cælum extendi ſolus.

Ergo vnus & ſolus eſt Deus Pater. Negat ſequi Tertullia. quia ratio huius dicti & loci Scripturę à Praxea non animaduertitur. Dictū eſt enim illic Deum ſolum feciſſe, tum ad excludendos falſos gentium deos: tum ad diuinitatis vnionem & identitatem explicandam: non autem ad Filium Deum ſemouendum à creatione cæli. Atque ita Praxeas rationem dicti non obſeruat in cōcluſione. Itaque fallit ab ignoratione elenchi.

Aliud exemplum eſt ſumptū ex Marcionitarum errore. Illi negabant Chriſtum verum hominem fuiſſe, vel vnquam natum verè. Arguebant ſic,

Chriſtus negat ſe habere matrem & fratres, niſi diſcipulos, Matt. 13. 48, & 49.

Ergo Chriſtus non eſt natus, neque habuit matrem naturalem. Negat ſequi Tertullianus, quia illius dicti ratio & mens non conſideratur à Marcione. Neque enim hoc dixit Chriſtus, vt negaret ſe habere veram matrem, ex qua eſſet natus verus homo: ſed vt oculos alloquentium ad Deum erigeret, qui nimium in terrena cognatione defixi erant. Vide tu hanc ſolutionem apud ipſum Tertullia. lib. 4. aduerſ. Marcio. pag. 449. Incipit A autem ab iis verbis poſt annotatio. 29. Venimus, ait Tertullian. ad conſtantiſſimum argumentum omnium, &c.

Aliud exemplum ex Aëtianorū hæreſi, qui cùm Filium genitum ab æterno audirent, irridebant: quaſi eſſet aliquid impoſſibile huic Deo Filio, nimirum ſe facere ingenitum. Aiebant igitur ſic,

Deus eſt omnipotens.

Filius Deus ſe non poteſt facere ingenitum.

Ergo hic Deus Filius & omnipotens & non omnipotens eſt. Negat ſequi Epipha. & docet fallaciam committi ex ſenſus diuerſitate. Nam quòd dicitur quædam Deum non poſſe, vti factum non poteſt infectum reddere Deus, vt aiunt, illud dicitur non quòd omnia non poſſit Deus, ſed quòd non omnia deceant ita fieri. Itaque illud, Non poteſt Deus montem ſine valle facere, & Chriſtus ſe ingenitum reddere, non dicitur ratione imbecillitatis vllius quæ ſit in Deo: ſed ratione hac, quòd ſit Deo incompetens ϗ ἀπρεπὴς ita facere.

Aliud exemplum ex Papiſtarum errore, dum B ſic arguunt,

Deus iubet nos iſta facere, illa euitare, ad eaque nos exhortatur.

Ergo iſta facere, & illa euitare nos poſſe declarat, idque per nos ipſos.

Nego ſequi: Neque enim eſt hæc mens Scripturæ dum nos ad bene viuendum exhortatur, vt doceat quid ipſi per nos facere poſſimus: ſed vt intelligamus quantum Deo debeamus, & quanta ſit noſtra imbecillitas. lib. 3. Inſtitutio. Chriſtia. cap. 17. ſect. 1, & 2.

Aliud exemplum ex Pelagianis ſumptum, quod refert Auguſt. in ſermone de verbis Apoſtoli contra Pelagianum.

Peccator filius de patre peccatore naſcitur.

Ergo filius regeneratus naſcitur de patre regenerato. Nego ſequi ex diuerſa ratione generationis & regenerationis. Nam fidelis & regeneratus generat, non quâ parte regeneratus eſt: ſed quâ parte & generatus & peccator eſt, id eſt, homo naturalis. C

Aliud exemplum ſumptum ex Anabaptiſtis. Aiunt illi omnia bella eſſe damnata. Aiunt igitur,

Deus dixit, Non occîdes.

Ergo bella omnia ſunt damnata à Deo. Nego ſequi, quia ratio dicti & ſententiæ Dei in illo præcepto non obſeruatur, quæ fuit hæc, vt priuata omnis animi vindicta, non autem publica & quę fit à Magiſtratu ex iuſta cauſa damnaretur. lib. 4. cap. 20. ſect. 10.

Aliud exemplum ex Ebionitarum hæreſi, quod & refert & ſoluit Epipha. in Panar. lib. 1. Tom. 1. Ait igitur Ebion,

Dicit Chriſtus, Sufficit diſcipulo, ſi ſit ſicut pręceptor ipſius, Math. 10. 25.

Ergo debent diſcipuli Chriſti circuncîdi, vt ipſe circunciſus fuit.

Negat ſequi pag. 74. in verbis ὅμως ἐπειδὴ βούλεται ὁ χηρώδης &c. quia non capit mentem, neque attingit ſenſum iſtius loci Ebion. Loquitur enim de perſecutionibus Chriſtus, non de circunciſione. Itaque fallacia eſt ex hoc loco, quia in alienam ſententiam torquetur Scriptura à vero & proprio ſenſu.

Aliud exemplum ex Papiſtarum diſputatione, A dum ſuam vnctionem ſuſtinent & defendunt. Aiunt illi,

Vult Iacobus, vt vngantur ægri, Iacob.5.14.

Ergo vngi debent ægri. Ratio temporis eſt circunſpicienda & circunſtantia donorum, quę tunc vigebant in Eccleſia Chriſti, hodie verò non item, lib.4. Inſtitutio. cap.19. ſect.18. Infinita denique exempla alia colligi poſſunt, ſed hæc ſatis erunt. Ex quo fit, vt iam ſit concluſa omnis de elenchis ſiue locis ſophiſticis Hæreticorum particularis diſputatio & tractatio. Reſtat autem vt quædam addamus, quæ ſunt ad ſuperiorum omnium vſum perquàm neceſſaria, tum ad locos de Inſtantia & Appellatione propriæ conſcientiæ veniemus.

VNVM ET EVNDEM SYLLOgiſmum ex variis & diuerſis Elenchis ſolui poſſe.

B ILLA verò, quę ad huius artis ſuperioris vſum ſcitu neceſſaria ſunt, hac vtili admonitione continētur, poſſe vnum & eundem hæreticorū ſyllogiſmum ex variis & diuerſis locis & elenchis ſolui & dilui. Quemadmodum enim vnum & idem factum, ſi diuerſo modo conſideretur, poteſt plura in ſe crimina, vel varias laudes complecti: ita vnus & idem ſyllogiſmus poteſt, quando fallaciam habet & cauillationem, ~~ſæpe ad~~ hanc, ſæpe verò ad illam ſpeciem fallaciæ referri, prout in eo diuerſa vitia notari atque obſeruari queunt. Ac primùm quidem poſſunt omnes ſuperiores elenchi ad eum referri, qui dicitur Ignoratio elenchi: ſed præterea etiam ad alios modos & locos, quemadmodum exemplis res hæc demonſtrabitur. Neque mirum hoc, quando res vna & eadem ad diuerſa relata diuerſo quoque modo ſe habebit, vti Socrates idem in Republica Athenienſium eſt priuatus, ad Sophroniſcum eſt filius, ad Xanthippem eſt maritus, ad Xanthum eſt pater. Idem Paulus natione eſt Iudæus: patriâ, Tharſenſis: ſectâ, Phariſæus: δήμῳ & tribu, Beniamita: & cætera quæ perſequitur C ipſe in epiſt. ad Philip. cap.3.5,6. Nam exempli cauſâ poteſt idem ſyllogiſmus vitioſus ſolui & à petitione principij, & à cauſa pro non cauſa nonnunquam: Idem etiam explicari ab amphibolia & ab æquiuocatione ſæpe. Quod idem eſt de cæteris iudicandum. Ex quo fit, vt mirum videri non debeat ſi ſæpe eaſdem Hæreticorum rationes & impoſturas hi ex hoc, illi autem ex illo loco, & alij ex alio dirimant & enodent, quia multiplex vitium in eodem ſyllogiſmo latet. Ac ne fruſtrà id monuiſſe videamur & dixiſſe, res ipſa exemplis illuſtranda eſt, vt nos ipſi poſtea faciliùs eâdem ratione vtamur, & hæreticorum argumenta diſſoluamus ex pluribus locis, & iis quidem diuerſis. Veluti hoc,

Gregorius magnus defendit eſſe igneum purgatorium poſt hanc vitam,

Ergo eſt igneum purgatoriū poſt hanc vitam. Solui poteſt & ex elencho, qui dicitur Petitio principij, & ex eo qui nominatur Cauſa pro non cauſa.

Item hæc ratiocinatio Arrianorum ex Ioan.1.4, Quod factum eſt, in ipſo vita erat.

Soluitur à Philippo Melanchtho. ex elēcho qui dicitur Fallacia à diuiſione. Sed etiam ex fraude A diſpunctionis & accentus ſolui poteſt, quemadmodum diximus.

Item hæc Lucianiſtarum & Epicureorum fallacia. Paulus ait, Edamus, bibamus &c. 1. Corinth. 15.32. Ergo edendum & bibendum eſt totâ hac vita. Diluitur & à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, & à fallacia accentus & pronuntiationis ironicæ.

Ac ne ſine authore loqui videamur, atque in eo veterum Patrum & ſcriptorum eccleſiaſticorum authoritate & exemplis deſtitui, quædam ex Auguſtini libris afferamus. Hic enim vnus nobis pro omnibus erit. Igitur Auguſtinus in lib. qui inſcriptus eſt 83. Quæſtion. alio modo ſoluit hanc quæſtionem, Vtrum fide iuſtificemur ſine operibus, quàm Iacobus: quia quidam obiiciūt nos fide, quæ ſit ſine operibus, iuſtos eſſe. Reſpondet enim Iacobus eam fidem eſſe homini picto ſimilem, & ita ab ambiguo ſoluit Iacobus, Iacob.2.17. At ipſe Auguſtinus docet eos, qui ex harum ſententiarum Scripturæ occaſione opera excludunt tanquam inutilia & damnata, fallaciam committere non tam ambiguitate vocis decipiētes, quàm ignoratione Elēchi: B quòd non aſſequantur quo ſenſu, quáue mente Scriptura illud dixerit, nos fide iuſtificari, non vt opera bona damnaret, ſed ne fidei detraheretur iuſtitia quæ illi debetur. Idem Iacobum locutum eſſe ait de operibus quæ fidem pręcedunt, at Paulum de iis quæ fidem ſequuntur.

Idem eodem lib. 83. Quæſtion. in quæſtion. 8. Vtrum anima per ſe moueatur, duplicem affert ſolutionem aduerſus eos qui negant eam per ſe moueri: quia nō mouetur localiter, neq; extra ſe. Soluit igitur & ab ambigua ſignificatione verbi motus, cùm voluntas ſit motus animi in nobis: & à dicto ſecundum quid, quia quod dicitur anima moueri, perperàm ad localem motum reſtringitur.

Præterea aliam eiuſdem libri Quæſtion. quæ eſt numero 69. ſoluit idem Auguſtinus diuerſis ex locis & elenchis, nempe & primùm ex fallacia quæ fit à diuiſione in his verbis, Manifeſtum eſt ergo hoc ſecundum ſuſceptionem hominis dici: Et à fallacia quæ fit ex figura dictionis in iis verbis, Genere igitur locutionis ſoluitur quæſtio &c. C Atque ex ſuperioribus apparet id quod diximus, Vnum & eundem vitioſum hæretici ſyllogiſmum ſæpe poſſe ex variis & diuerſis locis & elenchis ſolui, nè quis cùm id fit, turbetur, aut ne propterea hos locos eſſe perperàm diſtinctos exiſtimet. Habent enim ſinguli ſuam & eam propriam & ab aliis diſtinctam materiam, quam ſpectant & examinant: ſed plura ſimul & in eodem ſyllogiſmo vitia concurrere poſſunt.

DE NVGATORIIS HAERETICOrum Syllogiſmis.

PRAETER ſuperiores autem hæreticorum ſyllogiſmos fallaces & vitioſos, ſunt præterea alij quidam, quibus poſſunt & ſolent vti: ſed ij, quia planè ſunt ἐριστικοὶ & ληρώδεις, id eſt, futiles & nugatorij, à nobis longior eorum tractatio prætermittetur: quia facilè diſſoluuntur, & omnes vnâ eadémque penè ratione. Genera igitur eorum indicaſſe ſatis erit: nam fuſiorem atque locupletiorem

A tiorem eorum explicationem tradunt Dialectici, qui libros Ariſtotelicos enarrāt in ſcholis, ad quos nos eos remittimus. Genera igitur nugatorij ſyllogiſmi ſunt in ſumma duo. Nam nugatorius ſyllogiſmus eſt

aut { Ἀσύστατος, id eſt, conſiſtere non poteſt.
Conſiſtere poteſt, & eſt σύστατος.

Syllogiſmus autem dicitur ἀσύστατος, qui cōſiſtere non poteſt, quia ſeipſum euertit, cuius ſunt adhuc duo genera: nam in eo dicuntur

vel { Contraria ſibi ipſis. ψευδόμενον appellatur,
Reflexa in ſeſe. Creatinum dicitur.

ψευδόμενον igitur eſt, cùm contraria ſibi ipſis enunciata ſyllogiſmus habet & concludit: veluti Socrates dicebat ſe hoc vnum ſcire quòd nihil ſciret. Ergo aliquid ſciebat Socrates. At nihil ſciebat. Ergo aliquid & nihil ſciebat. Iſta ſunt ſibi mutuò cōtraria & repugnantia, quæ ſimul non vidētur poſſe deſiſtere.

B Κερατίνον ſiue cornutum, eſt ſyllogiſmus in quo aliquid in ſeipſum vitiosè reflectitur: veluti, Cælum omnia tegit, Ergo & ſeipſum. Oculus omnia videt, Ergo & ſeipſum videt.

At is ſyllogiſmus qui ſeſe planè non euertit & dicitur σύστατος, etiam eſt duplicis generis. Nam in

eo vel { Inepta omnino colliguntur. dicitur ὑπίδις.
Noxia & damnoſa illi ipſi qui conceſſit.

nominatur κροκοδιλίνον.

ὑπίδις eſt ſyllogiſmus in quo balbutientia & inepta enuntiantur, vt ait Diogenes Laërtius lib. 7. veluti, Si quis eſt hîc, non eſt Rhodi, Ergo ſiquis eſt hîc, non eſt Rhodi. Inepta eſt oratio, quia ſcitur iſtud. Κροκοδιλίνον eſt, quum damnoſa colliguntur ei qui cōcederet partem aliquam ſyllogiſmi: ſolet appellari Periculoſum Dilemma, quale illud eſt quod de Protagora præceptore & Euathlo diſcipulo narrat A. Gellius in Noctibus Atticis. Has omnes ſyllogiſmi nugatorii formas latè tractant Megarici philoſophi, vt in Euclidis vita tra-

C dit Diogenes Laërt. lib. 2. Stoici autē in certa præcepta & genera collegerunt.

Horum autem omnium vna eſt ſolutionis ratio & lex, vt intelligatur quid per συνεκδοχὴν dicatur aut non: & vt illud ſemper excipiamus de quo diſputatio eſt, aut quod excipiebatur: veluti, dicebat Socrates ſe nihil ſcire, ſed adiungebat, præter hoc vnum quod nihil ſciret. Ergo illud excipiendum eſt. Item, Omnes Cretenſes ſunt mendaces, & hoc dixit Epimenides Cretenſis. Ergo mendax. Sed excipe, non in eo tamen quod dixit ipſe, Omnes Cretenſes eſſe mendaces. Idem de cæteris nugatorii ſyllogiſmi generibus eſt iudicandum. Et quia abundè iſta omnia iam tradidimus, ad reliquos duos modos veniamus, qui ſuperſunt explicandi, quorum vnus dicitur Ab inſtantia, alter Ab appellatione conſcientiæ eius, qui veritatem negat.

DE LOCO SOLVTIONIS ARgumentationis vitioſæ, qui fit & dicitur ab inſtantia, quæ datur.

AC quidem abundè ex ſuperioribus videri A poteramus omnes hæreticarum fallaciarum modos tradidiſſe, niſi eſſent inter eos importuni quidam & miſeri, aut etiam indocti, quibus ſatisfieri nulla honeſta reſponſione poteſt, ita ſunt litigioſi, obſtinati & pertinaces. Quibus tamen ſi os obſtrui non poterit, ſaltem vel ſcrupulus vel dubitatio iniicienda eſt animis, ne tam audenter, quàm ſolent, perſtent in errore: ſed vt aliqua tandem ratione adducantur: vt ad ſe redeant, cogitent quid dicant & quid affirment, quidue negent. Quibus autem modis id confici queat, ſumus hîc explicaturi. Nam ii, quibuſcum nobis res eſt & negotium,

Hæretici ſunt aut { Contentioſi in errore
Deſperati omnino, quantùm nobis cōiectari atque perſpicere licet.

Ac contentioſos quidem & ſuperbos & litigioſos fore hæreticos ſatis Paulus docet 2. Timoth. 3. Quæ tamen contentio neque Chriſtianos & pios homines, neque Eccleſiam Dei decet. Nam, vt ait idem Paulus, Si quis B videtur eſſe contentioſus, nos huiuſmodi conſuetudinem non habemus, neque Eccleſię Dei, 1. Corinth. 11. 16. Aduerſus igitur huiuſmodi contentioſos in ſuis propoſitionibus & errore defendendo hæreticos, operæpretium eſt ſi ſuperioribus modis & ſolutionibus, quæ ex vno aliquo explicatorum elenchorum rectè fiunt, non acquieſcunt tamen, vtile, inquam, eſt aduerſus eorum argumentationem & concluſionem inſtantiam dare ſiue afferre. Ergo primum eſt eorum ſyllogiſmos fallaces illos quidem & vitioſos ex vno aliquo elēcho deprehendere & explicare, atque ita ſoluere. Sed ſi pertinaciter tamen in eadem illa ſua concluſione perſtent, aduerſus eos inſtantia danda eſt, ſi qua poteſt apertè dari. Primùm autem aduerſus hæreticum inſtātiam afferre non decet, tum quòd inſtantiam dare, aut dare inconueniens non eſt ſoluere argumentum, quemadmodum loquuntur: tum quòd ea ratio non docet ipſum hæreticum, in quo erret. Id quod maximè nitendum eſt. Itaque ipſa ſyllogiſmi ſolutio vel ex dictionis elēchis, vel C ex aliis eſt afferenda: Tum ſi errori ſuo iam manifeſtato inhæret adhuc hæreticus, detur inſtantia, ſi qua poteſt. Nam ſemper apertè illa non poteſt obiici, neque contra quamlibet concluſionē afferri. Atque hoc etiam ſolutionis modo vſi ſunt veteres ſcriptores eccleſiaſtici in diluendis hæreticorum rationibus, ſi quos viderent importuniores. Nam inſtantia quæ affertur, facit vt ipſe hæreticus iam dubitare de ea ipſa concluſione incipiat, quam tamē tam anxiè antea pedibus manibúſque tuebatur, & pro turri Achillea ſtatuebat, quando videt & agnoſcit & verum eſſe quod cōtra obiicitur, & ſuo ſe iugulari gladio. Ergo inſtantiam dare ſæpe vtile eſt.

Quid ſit autem inſtantia, quæ à Græcis dicitur Ἔνστασις, definit Ammonius. Eſt autem inſtantiam dare, concluſionem quidem aduerſarii admittere per conceſſionem, huic tamen aliam contrariam, & quæ eam euertat afferre, ne prior concluſio vera fuiſſe exiſtimetur & cenſeatur. Itaque inconueniens & abſurdum & impoſſibile aliquid contra concluſionem hæretici affertur, quod verum eſſe agnoſcit ipſe hæreticus: ſed & cùm aliqua propoſitio concluſioni hæretici contraria af-

A fertur, quæ item vera eſt, illud fit quod nos dicimus & appellamus, inſtantiam dare. Et quia hæc obſcura ſunt, niſi exemplis illuſtrentur, aliquot proferamus, in quibus à veteribus inſtãtia affertur.

Exemplum eſt illud quod contra Gnoſticos affert Tertullianus in lib aduerſus eos edito. Aiunt,

Pro Chriſto mori non debemus, quia ipſe pro nobis mortuus eſt.

Imò reſpondet Tertullia. & dat inſtantiam, quia Chriſtus pro nobis mortuus eſt, exemplum nobis dedit, vt pro eo moriamur, & mortificationẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore noſtro circunferamus, 2. Corinth. 4. 10.

Eodem modo ſoluit Ambroſius in commentariis ſuis in Pauli epiſtolam ad Epheſ. cap. 2. 13. Ille enim, ait Ambroſius, quum ſit Dominus, & nullius egeat, obtulit ſe pro nobis, vt non ſibi, ſed nobis magis proficeret. Nos enim, etiamſi nobis non proficeret Chriſt', fortè cogeremur mori pro ipſo domino, ſerui: quantò magis cùm nõ ſolùm illius, ſed & noſtra mors nobis præſtet effectum?

B Aliud exemplum ex ſcriptis Auguſtini aduerſus Donatiſtas ex lib. qui eſt contra 2. Gaudentij epiſtolam cap. 26. Aiunt illi dum Magiſtratuum operam in politia & concordia Eccleſię conſeruanda damnant:

Deus Prophetis, non autem Regibus dedit præconium ad regendam Eccleſiam Iſraël.

Ergo Reges malè ſe illi regendæ immiſcent.

Reſpondet Auguſtinus & inſtat etiam inter prophetas fuiſſe Reges multos, qualis Dauid, Ioſias, & Saul. Ergo etiam Deus Regibus ſuam Eccleſiam conſeruandam mandauit & commiſit.

Aliud ex eiuſdem patris Auguſtini ſcriptis ſumptum exemplum ex lib. 2. contra literas Petilia. ca. 92. Ait ille, vbi Magiſtratum improbat:

Reges ſeculi ſemper ſibi inuidos Chriſtianitas ſenſit.

Ergo in Eccleſia Chriſtiana non debent eſſe Reges & Magiſtratus. Reſpondet, atque inſtat Auguſtinus contrà, plures Reges enumerari C poſſe qui fauerint Eccleſiæ & piis & Chriſtianis, vt M. Aurelius, Traianus, Philippus, item Conſtãtinus Magnus & Theodoſius, item Abimelech & Hiram.

Aliud exemplum quod ex ea ratione ſumptum eſt etiã, Caluinus cõtra Pſeudonicodemitas affert. Aiunt iſti dilatores,

Pax eſt cum omnibus colenda.

Ergo omnium impietati eſt communicandum. Reſpondet & inſtat pius quilibet, Omnis maledicta pax eſt, quæ extra Deum & Chriſtũ quęritur, & colitur inter homines.

Aliud exemplum adducatur ex eo quod Papiſticis concionatoribus in Euangelij lucem exortam mira iracundia declamantibus reſponderi debet. Aiunt illi & plenis buccis vociferantur & tragicè, Quę & quot calamitates poſt iſtius nouæ, quam vocant, doctrinæ publicationem extiterint: contra nos inſtare debemus, atque docere, Quanta bona, & quæ ſalus & ſpes vitæ æternę hominibus detur ex tanti támque admirabilis ſecreti reuelatione à Deo facta nobis, ita vt vita potiùs ipſa ſit amittenda, quàm tantum támque excellens Dei donum. Atque hoc exemplorum ſatis eſt.

A

DE APPELLATIONE PROPRIAE eius, cum quo diſputamus, conſcientiæ.

VENIAMVS igitur ad vltimum hæreticæ argumentationis ſoluendę modum, qui à nobis eſt dictus Appellatio proprię eius, cum quo diſputamus, conſcientiæ. Eſt autem huius loci vſus maximè in deſperata hominum hæreticorum & contentioſorum malitia, quales olim Arriani fuerunt: infiniti autem noſtro tempore ἄθεοι & impuri profanique homines: denique Papiſtæ multi, & ij qui contra propriæ conſcientiæ ſenſum falſam doctrinam tuentur & defendunt. Irridebũt fortaſſe noſtri ſophiſtæ hunc ſolutionis argumenti modum, ſed nos vtilem experimur, atque eo etiã vſi ſunt veteres eccleſiaſtici ſcriptores, quemadmodum exemplis docebimus, non ornatus tãtùm gratiâ, ſed imponendi illis ſilentij cauſâ. Præterea hic modus ſimilis eſt illi, quem Ammonius in ſuis in Ariſtotelis categorias commentariis in titulum De ſubſtantia nominat ἀπαγωγὴν, id eſt, abductionem. B Eſt enim conſcientiæ appellatio, internæ, quam quiſque de re de qua agitur habet, ſententiæ & cognitionis improbatio, quam Deo teſte promi & explicari poſtulamus. Nam hoc modo & ſenſus iudiciorum Dei reuiuiſcit in nobis, & quem obſtinatè & perditè tuebatur quis errorem, ſæpe reuocat & abnegat ſiue abiurat. Denique huius modi vis & effectus totus conſcientiam pungit, & dormientem excitat, vt ad ſe redeat tandem & meliùs de Deo déque eius veritate ſentire incipiat & velit. Atque hic modus ſæpe efficacior eſt, quàm reliqui ſuperiores omnes. Itaque vſi ſunt veteres eo. Notum eſt enim illud, quod idem erit pro exemplo, quodque traditum eſt à Socrate lib. 1. Hiſtoriæ ſuæ cap. 8. Hermio Sozome. lib. 1. cap. 18. Tripart. Hiſtor. lib. 2. cap. 3. Quòd cùm ſenex quidam Chriſtianus audiret fallaces quorundam philoſophorum gentilium diſputationes & quæ auditores detinerent, ſurrexit, & appellata philoſophorum conſcientia erexit ad Deum philoſophum: atque ita in ſeipſum deſcendit ille qui diſputabat, C víque Spiritus ſancti in eo agentis deſiit veritati contradicere, & obmutuit, factúſque eſt ipſe etiam poſtea Chriſtianus.

Aliud exemplum ſumptum ex Epiphanij ſcriptis, qui in ſuo Panario Aëtij infeſtiſſimi orthodoxę de Chriſto fidei hoſtis & hæretici deſperati animum & conſcientiam reuocat ad Deũ, pag. 401. in argumento Aëtij numero 8, καὶ τίς ἐστι χρεῖα, inquit, τῆς πρὸς σὲ λαλειᾶς, ὁπότε παντάπασιν ἀλλότριος χριστιανῶν ὑπάρχεις, προφητῶν τε καὶ ἀποστόλων, καὶ εὐαγγελιστῶν, μαρτύρων τε, καὶ πάντων τῶν ἁγίων τῶν ἐλέγξαι σὲ εἰς ἡμέραν κρίσεως ἑτοίμως ἐχόντων, ὅτι, &c.

Aliud etiam exemplum eſt in Arrio ipſo, cuius cùm conſcientia ab Alexandro Conſtantinopoleos epiſcopo ſæpiùs eſſet appellata, tandem tactus eſt eius ſenſu: Nam φόβος ἔκ τινος συνειδότος κατεῖχε τὸν Ἄρειον, vt ſcribit Socrates ſcholaſtic. lib. 1. cap. 38. Scio quidem iſta Dei digito contigiſſe & facta eſſe ad iuſtam ſceleratorum & veritati ſuæ contradicentium hominum vltionem & vindictam: ſed tamen iſta appellatio eorum conſcientiæ profuit & ad terrendos & ad commonefaciendos iſtos tam obſtinaces homines & hæreticos. Denique hoc eodem ſolutionis genere videtur

A vti Caluinus quoque libro 3. Inſtitut. Chriſtian. cap.20. vbi ad Papiſtas refutandos, qui nos cum diffidentia orare docent, eorum conſcientiam appellat, ſi modò quis eorum rectè vnquam orauit. Denique commonefactio de diuino iudicio ſæpe vtilis eſt & neceſſaria, & perſtringit obtuſioris aut pertinacioris ingenij homines, qui veritati & fidei Chriſtianæ negotium faceſſunt. Quo fit vt nos non veriti ſimus inter cæteros ſoluendæ fallaciæ, quæ nobis ab hæretico aut impoſtore homine nectitur, modos, & hunc quoque referre, quandoquidem ſæpe conducere ſcio eum ipſum, qui contra veritatem contendit, interrogare & percontari. Tu ipſe quid de ea re ſana conſcientia iudicas & ſentis? Reuincitur enim à ſeipſo, & tum vel ſilet, vel ad rem ipſam diligentiùs attendit, ne temere iudicare videatur, aut neſciens fallere, ſi modò vel vlla veræ conſcientiæ mica in eo reſidet. Et quia ipſe huius loci vſus ſatis neceſſarium & verum fraudis hæreticorum detegendæ modum eſſe B demonſtrabit, de eo plura non dicemus. Vnde fit, vt huic operi noſtro finis imponatur, poſtquam A vt nobis quidem videtur, abundè omnes eos locos ſumus perſecuti, ex quibus hæreticorum cuiuſcunque generis fallaciæ deprehendi atque ſolui diluique poſſunt. Faxit Dominus per Ieſum Chriſtum vnigenitum ſuum & ſeruatorē noſtrū, vt quæ diximus atque ſcripſimus omnia piis quidē & verè Chriſtianis Theologis in maiorē veritatis & fidei, quæ eſt in Ieſu Chriſto, lucē cedant: impiis autem & ſophiſtis in terrorem, & metum, dum ſuas omnes technas & artes detectas videbūt. Siquis autem ſummam totius operis requirit memoriæ iuuandæ gratiâ, infrà addidimus. Sin autem quis longiores in iis locis meditationes & exercitationes deſideret, legat Panarium Epiphanij, ſcripta Auguſtini contra ſui temporis homines hæreticos, Caluini Inſtitutionem Chriſtianam, P. Martyris libros, imprimis de Euchariſtia & de vtraque in Chriſto natura, Tertulliani ad hæreticos reſponſa, denique tum veterum, tum recentiorum Theologorum libros penè infinitos. B

SVMMA OPERIS TOTIVS.

Omne vitium, omniſque fallacia quæ in hæreticorum ſyllogiſmo ineſt, accidit vel ratione

- Formæ, quia nō eſt recta connexio triū propoſitionum ſyllogiſmi.
- Materiæ, in qua peccatur vel in
  - Mixtione,
  - Enūtiatiōe propoſitionū, quia eſt vel
    - Falſa.
    - Non legitima, quia vel in
      - Ipſo enunciandi modo error eſt & vitium, quod naſcitur vel ex
        - Dictione
          - Simplici
            - Æquiuocatio.
            - Accentus.
            - Figura dictionis.
          - Cōpoſita
            - Amphibolia.
            - Compoſitio.
            - Diuiſio.
        - Extra dictionē, quia malè
          - Interrogatur.
            - Plures interrogationes.
          - Sumitur.
            - Accidens.
            - Petitio Principij.
            - Non cauſa.
            - Nō conſequens.
          - Colligitur.
            - A dicto ſecundum quid.
            - Ignoratio Elenchi.
      - Animo diſputantis vitium eſt, quia eſt vel
        - Contētioſus hæreticꝰ. Detur inſtantia.
        - Deſperatus omnino. Appelletur eius conſcientia.
- Vtriuſque, id eſt, materiæ & formæ.

FINIS.

L. D.

ETHICES CHRISTIANAE, LIBRI TRES.

IN QVIBVS DE VERIS HVMANARVM ACTIONVM principiis agitur: atque etiam legis Diuinæ, ſiue Decalogi, explicatio, illiúſque cum ſcriptis Scholaſticorum, Iure Naturali ſiue Philoſophico, Ciuili Romanorum, & Canonico collatio continetur. Præterea Virtutum, & Vitiorũ, quæ paſſim vel in ſacra Scriptura, vel alibi occurrunt, quæque ad ſingula legis Diuinæ præcepta reuocantur, variæ definitiones.

V. CLARISS. ATQVE PIETATE ET DOCTRINA PRÆSTANTISSIMIS, FIDELISS. VIgilantiſſimíſque Eccleſ. Tigurinæ Paſtoribus, & eruditiſſ. celeberrimæ eiuſdem inclytæ ciuitatis Academiæ Doctoribus, fratribus & ſymmyſtis ſibi plurimùm obſeruandis.

CVM multæ ſunt, atque eæ grauiſſimæ cauſæ, V. Præſtantiſſimi, & mihi Patres, fratréſque in Chriſto maximè obſeruandi, quamobrem hos meos de præceptis Ethicis commentarios vobis nuncupare iampridem apud me conſtitueram: tum verò inter cæteras hæ potiſſimùm duæ. Primùm, quòd ingrati atque illiberalis eſſe hominis iudicabam, vos, à quibus iſta magnã partem acceperam, huius laudis fructu, tãquam ſeminis veſtri prouentu, malignè ſpoliare. Deinde, quòd ſi noſter hic labor vllus mortalibus, imprimis autem piis hominibus vtilis fortaſſe futurus eſt, ſub veſtro nomine longè gratiſſimũ atque iucundiſſimũ fore videbam. Quanquã enim celeberrimã illam veſtrã & ciuitatem & Academiã inuiſere (neque enim, vt eſt in veteri prouerbio, cuiuis homini contingit adire Corinthũ) nunquã mihi, etſi id ſummopere cupienti licuit, quòd in Gallia procul à vobis diſſitus diſtinebar: tamen ea à vobis, veſtríſque Doctoribus, tãquam cõmunibus Eccleſiarum Dei præceptoribus, ſcripta in vulgus edita ſunt, quæ non modò noſtram Galliã, ſed vniuerſum ipſum Chriſtianum orbẽ in vera pietate plurimùm erudiuerunt. Me certè ab iis non tantùm vehementer adiutum, ſed primùm edoctũ, & poſtea confirmatum fuiſſe ſemper ingenuè verèque profitebor. Scio equidem huius rei, quemadmodum boni operis omnis, laudem vni Deo tribuendam eſſe (neque etiam vos, veſtríque Doctores, dum talia ſcribitis, aliò quàm ad ſolam veri Dei gloriam collimatis) ſed tamen Deus ipſe (qui honorandos eſſe parentes præcipit) beneficiorum ſuorum inſtrumenta à ſe delecta ſperni aut negligi à nobis minimè vult: quin potius, vt illa agnoſcantur, prædicentur, honoréque afficiantur, ſeueriſſimè mandauit. Quanam enim hæc eſſet, non dico, Chriſtianitas, vel humanitas: ſed immanitas potius, quæ homines ingratos redderet & barbaros: & eos, à quibus beneficium acceperis, contemnere doceret? Itaque cùm illam veſtram Eccleſiam, & hanc noſtram Geneuenſem, tanquam duas fidei meæ in Chriſto parentes & alumnas ſemper habuerim: vtrique tantum me debere ſentio, quantum ne totâ quidem vitâ ſatis, pro animi mei voto, verbis teſtari poſſum, nedum reipſa reponere. Cur verò hunc meum laborem ſub veſtro nomine pios omnes & Chriſtianos, quibus ipſa pietas cordi eſt, gratiorem atque acceptiorem habituros eſſe ſperarim, hæc ratio eſt, quòd & nunc ſit, & fuerit ſemper meritò apud pias omnes Eccleſias ſumma veſtrorum iudiciorum authoritas. Atque hanc etſi plurimum nobiliſſimæ ciuitatis veſtræ vetuſtas, ac illius inter reliquas Helueticæ gentis vrbes princeps locus commendat: vobis tamen, veſtræque Eccleſiæ eam conciliauit doctrinæ Chriſtianæ puritas, veritáſque à vobis non tantùm citò præcepta, verùm etiam ad hunc vſque diem conſtantiſſimè defenſa, ac conſeruata. Quantum enim hoc eſt, quòd ab eo tempore, quo primùm Dei doctrina inter vos recepta eſt, nullius hæreſis labe contaminata fuit Eccleſia veſtra?

veſtra? id eſt, quòd penè iam per quinquagintaocto annos ſana, ſyncera & illibata fidei Chriſtianæ doctrina apud vos manet, cùm apud pleroſque tanta iam veræ doctrinæ labefactatio ſit facta? Nam, vt taceam quàm placidè dextréque exotica & verè peregrina peregrinorum quorundam ingenia ſemper repreſſeritis, ne ſtudioſis curioſæ ipſorum & clanculariæ diſputationes aliquo modo nocerent, & eos à ſimplicitate doctrinæ quaſi aliud agentes abducerent: quámque prudenter tandem detecta palàm ipſorum hypocriſi & damnandos & expellendos meritò cenſueritis: Vt hæc, inquam, vigilantiæ & ſollicitudinis tum veſtræ, tum ampliſsimi Senatus non ita vetuſta teſtimonia reticeam: quis ſaltem illa vetuſtiora retinendæ puritatis, & profligandæ omnis in doctrina corruptelæ, ſtudia veſtra non commemoret? Quòd ſcilicet erroris & Catabaptiſmi per Baltaſſarem Hebmerum, & Thomam Munzerum initia apud vos à Satana ſparſa, eodem ipſo penè horæ momento magna fidelique tum Paſtorum, tum etiam Magiſtratuum veſtrorum diligentia ſuffocata atque extincta ſunt, quo apparuerant nata. Ergo hæc magna eſt veſtræ Eccleſiæ & Academiæ laus & authoritas. Sed & illa quoque non minor, & certè prior, quòd illuceſcente primùm, & tantùm non exoriente in mediis errorum Papiſticorum tenebris ſacroſancto Domini noſtri Ieſu Chriſti Euangelio, quum plures & populi & ciuitates oblatam illam à Deo lucem vel omnino repudiarent, vel timidè ſuſciperent: veſtra ciuitas vna inter omnes Helueticas forti intrepidóque animo Chriſtum rediuiuum, ſeséque vobis offerentem auidè amplexa eſt: atque etiam ſemel exceptum, tanquam hoſpitem gratiſsimum (illo nimirum ipſo corda hominum veſtrorum ſic flectente, & regente) ſemper poſtea lubentiſsimè retinuit, fouit, illiúſque regnum, quantùm in ipſa fuit, conſtituit, & promouit. Nam etiam priuſquàm Lutheri nomen, vt vera huius rei hiſtoria teſtatur, apud Heluetios innotuiſſet, Dei verbum, & Euangelium Ieſu Chriſti in inclyta Tigurinorum ciuitate aduerſus Papatum, & omnis generis errores verè, perſpicuè, & conſtanter iam prædicabatur: & quum nobiliſsimæ tum Germaniæ, tum ipſius Heluetiæ ciuitates (quæ nunc Chriſtum profitentur) tenues ſolùm tanti boni primitias deguſtarent, veſtra pleno iam illius fructu fruebatur. Itaque præclariſsimo illo ſuo exemplo cæteris ad idem faciundum, atque audendum ducem ſe præſtitit, omnéſque tum cohortando, tum ſuggerendo, quantùm potuit, adiuuit. Ex quo euenit, vt plures Dei Eccleſiæ non tantùm in Heluetia: ſed etiam in aliis orbis partibus, veluti Gallia, Polonia, Anglia, Scotia naſcerentur, atque plantarentur: inter quas omnes proptereà ſumma veſtræ, id eſt, Tigurinæ Eccleſiæ, tanquam communis omnium parentis extitit laus, veneratio, & authoritas. Atque Deus hanc ipſam tam alacrem, támque propenſam in regnum ipſius propagandum veſtrorum hominum voluntatem, quam ipſe dederat, non modò multis modis auxit, ſed etiam ingenti beneficio cumulauit. Nam feliciſsimos tam præclaris cœptis & conatibus ſucceſſus dedit: & inter vos eos viros excitauit, qui ingenti eruditionis laude, & ſumma pietatis commendatione faces Euangelicæ veritatis cæteris præferrent, totique mundo adeo prælucerent. Quos etſi Dominus magna ſua benignitate, & ſingulari in inclytam Tigurinorũ ciuitatem amore, ad hanc noſtram vſque ætatem continuauit, adhúcque inter vos continuat, malo tamen de iis, qui iam vita functi in Domino quieſcunt, & de quibus citra omnem adulandi ſuſpicionem loqui poſſumus, quàm de vobis ipſis, fratres obſeruandiſsimi, propter pudorem veſtrum, multorúmque calumnias, iſtas laudes intelligi: quæ tamen & ad vos quoque, licet improbi rumpantur inuidia, certè pertinent. Quantus vir, Deus immortalis, quámque heroico pectore, quàm vehementi in Dei gloriam zelo fuit Huldricus ille Zuinglius, & parens in Chriſto omnium veſtrûm, & pro pietate, & pro patria mactatus? Quantus vir, obſecro, quámque in omnibus veræ Theologiæ partibus conſummatus, quàm in omni optimarum artium genere exercitatus Henricus ille Bullingerus: qui nobis vobíſque magno totius Eccleſiæ detrimento paucos ante annos eruptus eſt: vel potius ex miſerrimis hiſce terris ſatur dierum, vt loquitur Scriptura, & ſacro verbi Dei Miniſterio plus quàm quadraginta annos continuos functus in cœlum migrauit, id eſt, à Domino in cœlum, ſedémque beatorum traductus eſt? Quantus vir P. Martyr, ille penu omnis Theologiæ, ille Doctor, qui, vt ait Chriſtus, ex ſuo theſauro & nouas & veteres opes, tot, tantáſque quot quantáſque mirantur omnes in vno quodam mortali homine eſſe potuiſſe, deprompſit? Quem vos, quanquam natione Italum, & propter nomen Chriſti patria extorrem, tanta tamen beneuolentia proſecuti eſtis, vt ille moriendo apud vos veſtrum ciuem ſe velle eſſe teſtaretur. Quantus, qualíſque vir, quàm perpetuus Dei athleta, quàm ἀληθινὴ, & pluſquàm Herculea Orthodoxæ doctrinæ ἀσπὶς, Ioſias Simlerus, quàm in omni cognitionis genere excellens? Cuius facies adhuc hæret in hominum oculis: libri verò tum Theologici, tum hiſtorici ab eo doctiſsimè conſcripti, infinitam viri eruditionem continent, nunquámque morientur. Quid verò priores illos Eccleſiæ, & ſcholæ veſtræ Doctores, Leonem Iudæ? Quid Conradum Pellicanum? Quid omniſcium illum Conradum Geſnerum? Quid Ioannem Vvolphium? Quid Hallerum? quid denique cæteros omnes commemorem, quorum non tantùm vita ſancta, & doctrina ſin-

gularis fuit:ſed etiam eſt,vigétque perpetua in piorum animis memoria? De vobis autem, Fratres charißimi,qui adhuc viuitis,parcius loquor. Hoc tamen vnum verè quidem,atque citra omnem etiam hominum vobis inimicißimorum,vt opinor,inuidiam, dicam, Vos neque à felicißimis illis Maiorum veſtrorum veſtigiis deflexiſſe:neque minorem hoc noſtro ſeculo apud pios mortales, & eccleſias eſſe veſtram authoritatem, quàm olim illorum parentum veſtrorum apud ſuæ ætatis homines fuit. Id quod & veſter in Dei regnum Zelus, & multa ſolidæ eruditionis veſtræ monumenta,quæ extant,efficiunt,vobiſque conciliant. Quis enim vel Rod. Gualtheri,vel Ludou. Lauateri, eruditißimas tum in ſacram Scripturam,tum de aliis rebus commentationes non legit? Quis à G. Stuckio non modò quæ habet iam parata efflagitat,ſed maiora etiam in dies non expectat? Taceo de cæteris, quando ne hos quidem ipſos etiam nominare ſinit illorum pudor. Atque hæc cùm ita ſint, quis me iuſtißimas huius operis vobis dedicandi cauſas habuiſſe non fatebitur? Sed tertia quoque ratio acceßit,quod quanquam his omnibus(quæ iſtis libris continentur)domi, ipsíque per vos omninò abundatis, vt nihil fuerit hac mea ſcriptione opus:tamen vt quantus ſit fuerítque ſemper,atque etiam,Dei gratiâ,hodie maneat veſtræ noſtræque Eccleſiæ, imò etiam omnium Gallicanarum, cum vobis in pura doctrina conſenſus, appareat, hæc ipſa quæ in Gallia docebamus, ad vos mittere volui. Hanc autem animorum conſenſionem tanto magis neceſſariam eſſe pÿ omnes intelligunt, quantò plures & infeſtiores in dies hoſtes nobis aſtutus ille Eccleſiarum Dei calumniator Satan ſuſcitat. Nam, vt rectè Theodoritus, ἐργάζεται τὸ κοινὸν φρονήματος βεβαιοτέραν εἰρήνην. *Quamobrem cùm huius mei munuſculi vobis offerendi rationes habeatis, vt pro veſtra ſumma æquitate,& veſtro in me amore,æqui boníque,hoc,quicquid eſt mei erga vos animi,conſulatis,obſecro: benignè accipiatis, & certißimum meæ erga vos vniuerſos & ſingulos obſeruantiæ* μνημόσυνον *illud eſſe ſtatuatis. Quod ſi feceritis,abundè mihi videbor meæ operæ & laboris fructum percepiſſe. Accipietis autem tanquam Coloßi,vt habet prouerbium vetus,id eſt,maioris alicuius operæ ſiquidem ſtylo indulgere voluiſſem, fragmenta:ſed opus contraxi, ſúmque in eo breuitate, quanta poni maxima vſus. Nam ſatis mihi fuit in quoque Decalogi præcepto locos Communes, qui dicuntur, tantùm attigiſſe,vel duntaxat indicaſſe. Quod autem ad Iuris Diuini & Romani collationem attinet,in ea compendio quoque maiore ſum vſus,quòd nuper apud vos degentis P. Pithæi I.C. operâ, Moſaicarum & Romanarum legum conſenſus æditus eſt: elegans ſanè libellus, ſed magis iam ob ipſius Pithæi eruditißimi viri notas & vtilis & legendus. Accedebat quoque & Illud, quòd ſciam V. Clarißimum, & cùm in omni literarum genere ſingularem,tum verò in iuris Ciuilis & Romani explicatione* ἀσύμβλητον, *Franciſcum illum Hottomanum quidpiam meditari,quod huius collationis plenam abſolutámque tractationem continebit. Nos autem,quantum ad inſtituti noſtri rationem ſatis eſſe videbatur, eam perſecuti atque complexi ſumus. Valete V. Cl.& fratres mihi in Chriſto venerandi. Dominus Deus, vobis, veſtriſque laboribus in perpetuum benedicat, & veſtram Eccleſiam fauore ſuo perpetuo in Chriſto proſequatur, ſub alarum ſuarum vmbra vos Pater ille miſericordiarum protegat. Denique Academiam veſtram optimarum artium,& ſacrarum Literarum domicilium, & bonorum virorum hoſpitium ſemper eſſe velit. Datum Cal. Martiis,anno temporis vltimi,* M. D. LXXVII.

V. Ch. deditiſſimus
Lambertus Danæus.

ETHICES CHRISTIANÆ LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Ethice quid ſit, & vnde haurienda.

A QVVM tres ſint Philoſophiæ partes à Platonicis primùm,pòſt autẽ à Stoicis conſtitutæ:Vna,quę in naturæ obſcuritate inueſtiganda verſatur, quam Græci φυσικὴν, Latini verò Naturalẽ appellarunt: altera, quæ in moribus hominum rectè inſtituendis, virtutúmque præceptis tradendis tota occupatur, quam ἠθικὴν homines Græci,Latini Moralem dixerunt: tertia,quæ vtrique parti ſubſeruiens viam rationémque aſſequẽdæ veritatis explicat, quam Græci & Latini λογικὴν ſiue Dialecticam communiter nominarũt:illa certè homine,præſertim vero Chriſtiano,maximè digna eſt,quæ in honeſtæ ſãctæquæ vitę norma præſcribenda laborat.Quanquam enim neque naturæ rerũ cognitio viro Chriſtiano & fideli ſpernenda eſt,in qua ſumma Dei laus(propter quam vnã celebrãdam homines nati ſumus & facti Chriſtiani) B effulget:neque argumentandi ratiocinãdíve ſcientia prætermitti à quoquam poteſt,qui velit breuiter & tutò ad veritatis agnitionem peruenire: tamen hæc, quæ ſanctè mores noſtros informat, ars & cognitio, magis eſt quodammodo propria peculiariſve hominum Chriſtianã verámque Dei religionem profitentium, quòd hi ſuæ vocationis voluntatíſque Dei finem ſciunt eſſe vitæ ſanctificationem,atque puritatem. *Illuxit enim gratia*, ait Paul.Tit.2,v.11,*illa ſalutifera omnibus hominibus,erudiens nos, vt abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus, temperanter & iuſtè & piè viuamus præſenti ſeculo.* Neque enim ad ſacroſancti ſui Euãgelij cognitionem vocauit nos Deus, vt immundi & moribus turpes, tanquam ſues, maneremus: ſed vt in vitæ ſanctitate & iuſtitia, tanquam filij lucis,incederemus. Itaque Paulus Theſſaloni. 4. v. 3. & 7. C *Hæc eſt*, ait,*voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. Non enim vocauit nos Deus ad impuritatem ,ſed ad ſanctificationem.* Quamobrem hæc vna philoſophiæ pars, quæ ἠθικὴ vocatur, eſt ab hominibus Chriſtianis maximè ediſcenda: ſi modò ſanæ & ſanctæ illius, quam à Deo ſpecialiter cõſecuti ſunt,doctrinę fructum aliquem vel ipſi ſentire,vel aliis proferre cupiũt.Huius autem tam ſalutaris inſtitutionis præcepta neque melius,neque tutiùs,addo etiam, neque felicius hauriri,quàm ex ſacro ipſius Dei verbo poſſunt,imprimíſque ex ea illius parte,quæ lex Dei ſiue Decalogus vulgò nominatur, quòd in eo præcipuè Dominus rerum agendarum & fugiendarũ præcepta dedit,quemadmodum docet Chriſtus Mat. 19. v. 16. Reliquas enim artes Dominus etiam profanis philoſophis liberaliter largiens, hanc vnam ſibi retinere,tanquam propriam,videtur voluiſſe,per quam bonorum & malorum fines, iuſti & iniuſti diſcrimen,honeſti & inhoneſti ratio,ſanctitatis & turpitudinis vera definitio & via A nobis præſcriberetur.Nam quemadmodũ ſolus ipſe iuſtus eſt & ſanctus , ſolus eſt omnis fons ſanctitatis:ſic ipſius voluntas iuſta eſt,& omnis etiam iuſtitiæ regula : ſic illius vnius viæ omnes ſanctæ ſunt & rectę,Pſal.25.v.10.Pſal.27.v.17.hominũ autem,quantumuis cordatorum & bene moratorum ratio ſiue iudicium in rebus honeſtis & turpibus diſcernendis & ſtatuendis cæcum eſt, atque etiam voluntas ab honeſtis appetendis auerſa eſt , & abhorret: voluptate, quæ eſt eſca malorum,delinita. Ex quo fit,vt neque ex humani ingenii perſpicacia & iudicio:neque ex voluntatis humanæ electione & appetitu : neque ex vllius hominis legiſlatoris, vel philoſophi legibus , libris , vel præceptis hæc tam ſancta, pura & nobilis ſcientia rectè haberi poſſit. Hæc enim vel præcipua laus Legi illi diuinæ, quæ per Moſen Iudæis data eſt, paſſim ab ipſa ſcriptura tribuitur , quòd illa vna quid iuſtum aut iniuſtũ, quid bonum aut malum ſit,verè hominibus oſtendit & declarat Mich. B 6.ver.8,*Indicauit tibi,ô homo,quid ſit bonum , & quid Iehouah abs te requirat.* Itaque hæc præcepta *honorabilia* dicuntur Oſee 8.v.12.ac omnium hominum ſapientiæ & legibus,& meritò quidem, præferuntur.Deut.4.v.5.*Videte* (ait legem à Deo promulgatam repetens Moſes)*docui vos ſtatuta & iudicia, quemadmodum mihi præcepit Iehouah Deus meus , vt ita faciatis in medio terræ,ad quam vos ingredimini , vt eam poſſideatis.Cuſtodite ergo,& facite,quia eſt ſapiẽtia veſtra , & intelligentia veſtra in oculis populorum, qui audient omnia ſtatuta iſta,& dicent, vtique populus ſapiens , & intelligens , gens magna iſta. Et quæ eſt gens ita magna cui ſint ſtatuta & iudicia iuſta, ſicut eſt vniuerſa lex iſta,quam ego do coram vobis hodie?* Hæc eadem de moribus,& vitæ ſanctitate pręcepta Dei lege tradita & comprehenſa dicuntur perfecta, ſapientiam afferentia , recta, lucida , & oculos illos quidem non tam corporis quàm animi illuminantia,pura & deſiderabilia præ auro & argento Pſal. 19. Quorum etiam pulcherrimæ & veriſſimæ lau- C des toto Pſalmo 119.à Dauide copioſè concinuntur,vt tutiſſimam & pleniſſimam Ethices philoſophicæ cognitionem inde nobis hauriẽdam, ac accipiendam eſſe dubitare iam non poſſimus. Quod enim de lege 12.tabularũ ſcripſit præclarè M. Tullius,lõgè æquiore ratione ad diuinam legem transfertur,*Fremant omnes licet(dicam quod ſentio) Bibliothecas omnium philoſophorum vnus mihi videtur decem præceptorum Dei libellus,ſi quis legum fontes, & capita viderit, authoritatis pondere , & vtilitatis vbertate ſuperare.* Quanquam autem per vniuerſum Dei verbum Ethices Chriſtianę doctrina latiſſimè diffuſa eſt , tamen in lege Dei , quæ à veteribus & Græcis Chriſtianis ἠθικὴ ſiue φυσικὴ dicta, & à ceremoniali (quæ ἱερατικὴ ab iiſdem vocatur)itémque à Iudiciali (quam πολιτικὴν nominant)diſtinguitur,decémque tantùm præceptis cõſtat,tota hęc cognitio cõtinetur.Eſt autẽ Ethice Chriſtiana,qualẽ hîc quęrim⁹, qualíſque Dei verbo comprehenſa eſt,tum inter-

A næ, tum externæ noſtræ ſanctitatis. i. totius vitæ noſtræ reformationis, qualis eſſe debet, plena perfectáque inſtitutio & doctrina. Verè enim Lactāt. libr. 6. cap. 5. ídque partim ex Ariſtot. partim ex Cicerone ſumens. *Sicut virtus non eſt*, ait, *bonum aut malum ſcire, ita virtus eſt, bonum facere, malum non facere. Et tamen ſcientia ſic cum virtute coniuncta eſt, vt ſcientia præcedat virtutem: virtus ſequatur ſcientiam, quia nihil prodeſt cognitio niſi & actio ſubſequatur.* Ariſtot. libr. 2. ἠθικ. cap. 2. eodem modo ἡ παροῦσα πραγματεία οὐ θεωρίας ἕνεκά ἐστιν, ὥσπερ αἱ ἄλλαι. οὐ γὰρ ἵν' εἰδῶμεν τί ἐστιν ἡ ἀρετὴ, σκεπτόμεθα· ἀλλ' ἵν' ἀγαθοὶ γενώμεθα. Ergo tota ad actionem refertur. Noſtra igitur definitio quàm ſit vera tum ex Lactantio & Ariſtotele, tum ex ſequenti diſputatione luculenter apparebit. Hanc enim ſcientiam in affectionibus & actionibus (πάθη καὶ πράξεις vocat Ariſtoteles) noſtris moderandis, id eſt, in finibus noſtrarum actionum regendis totam verſari cettum eſt.

CAP. II.

B

Ethice Chriſtiana quid à profana & philoſophica differat, Itémq; ab eius honeſtatis præceptis, quæ Nomothetarum legibus deſcribuntur.

QVONIAM verò & Nomothetæ homines, qui politicas leges populis deſcripſerũt, poſteáque eorũ interpretes Iuriſconſulti, ſe iuſti & iniuſti ſciētiam, verámque Ethicen, & Philoſophiam tradere profitentur: & Philoſophi ipſi, qui vulgò dicti ſunt, quanquam homines profani, & à Dei cognitione remotiſſimi, tamen de virtutibus, morúmque diſciplina & honeſta inſtitutione multa præcipiunt, quæ in vnam quãdam artem collecta, ἠθικὴν ſcientiam appellant: videndum eſt, quid, quantúmque cum iſtis Ethice Chriſtiana cõſentiat, vel etiam diſcrepet atque diſſentiat. Ac primùm in his tribus tum Nomothetarum, tum Philoſophorum, tum etiam Chriſtianorũ Ethica pręcepta inter ſe conueniunt. Primùm, quod ordine C & methodo quadam, quę ad diſcentium vtilitatem & docēdi commoditatem comparata ſit, ſuam artem, ſuáque illa præcepta tradere omnes ſunt conati. Nam Philoſophi, qualis Ariſt. accuratiſſima ſanè ratione omnia, quæ de virtutum, vitiorúmque natura dici poſſe exiſtimauit, in Ethicis libris deſcripſit. Nomothetæ etiam, veluti Iuſtinianus, ex omnium Iuriſconſultorum variis commētariis artem quãdam & corpus Iuris Ciuilis ordine, certíſque rubricis & titulis digeſtum compegit. Quod idem veri Chriſtianíque Theologi in vitæ ſanctitate tradenda, quantum fieri poteſt, non prætermittunt, ne quid confuſè aut perturbatè ab iis doceatur. Id quod non de Scholaſticorum libris intelligo, qui planè ſunt philoſophorum diſcipuli, & cum iis in omnibus penè iidem: ſed de veris & Euangelicis doctoribus. Secundum autem in quo conſentiunt omnes, eſt externa quædam εὐταξία & σεμνότης. Omnes enim communiter hæc ſtatuunt, quod pro Ethico principio ponit, & rectè quidem Ariſtot. τὸ κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πράττειν κοινὸν ἐστὶ, id eſt, *Rectæ rationi conuenienter agere, communem eſſe his præceptis ſcopum*: vnde hominum externas actiones & opera ſic gubernãt & inſtituunt, vt ad ſplendidam quãdam grauitatem, & honeſtatem ea formari & componi velint. Omnis enim ἀσχημοσύνη, quæ in operibus noſtris apparet, ab illis omnibus A proculdubio improbatur: & τὸ πρέπον, quod vocant, id eſt, decorum (eſt autem cùm ea, quę cuique perſonæ vel à nobis ſuſceptæ vel à naturæ impoſitæ conueniunt, inter homines obſeruamus) omnes commendant: maximè autem D. Paul. 1. Cor. 14, v. 4. 1. Theſſ. 5, v. 14. 1. Timoth. 2. v. 2. M. item Tull. Cicero libr. 1. de officiis: & ſępiſſimè Diogen. Laertius. Tertium denique, in quo tum Chriſtiani, tum Philoſophi Ethici conſentiunt (Nam ab vtriſque diuerſi Nomothetæ ſiue Politici pręceptores fuiſſe videntur) eſt Electio animi, ſiue voluntas ſpontanea, quam vtrique eſſe neceſſariam docēt, vt aliquid ex eorum definitione honeſtum ac rectum eſſe dici poſſit. Itaque non tantùm externa ipſa opera ſpectant: ſed mentem, & affectum animi, quo quis impulſus agit. Neque nos bonos viros laudãdóſque cenſent, ſi quid honneſtè inuiti, vel metu coacti fecerimus. Propoſitum enim animi requirunt: quod ſi abfuit actiones noſtras in virtutum numero non habent: quãquam aliquid malè à nobis etiam inuitis vel metu coactis ſæpe fieri poſſe vtrique concedunt. At Nomothetæ, Iuriſconſulti, B & qui leges hominibus deſcripſerunt, quia tantùm puniunt, quantùm manu comprehendunt, & oculis vident, tam altè non penetrant: vnde quemadmodum cogitationis pœnam nullam conſtituunt, L. Cogitationis, D. de pœn. ita ipſo externo facto, quod lege præſcriptum eſt, ſunt contenti, ſiue quis illud pœnæ metu, ſiue inuitus præſtiterit. De propoſito autem animi, de voluntate, & electione, aut nunquam omnino, aut raro admodum curant, quę fuerit in eo, qui legem obſeruauit: quanuis & ipſi nonnunquam, & meritò quidem, eos puniunt qui metu contra legem ſuam aliquid admiſerunt: ac laudant eos, qui potius ſponte, quàm qui metu impulſi legibus paruerũt. Ac quidem in his, quæ diximus, ſuperiores omnes conſentiunt. Diſſentiunt autem variis modis inter ſe, quos ne ſingulos perſequamur, eſſet enim infinitum, ad tria tantùm capita omnes iſtorum differētias reuocabimus. Differunt igitur inter ſe

in
1 Origine boni & mali quærenda. C
2 Finibus bonorum & malorum pangēdis.
3 Materia ipſa virtutum & vitiorum.

Quanquam ex Firm. Lactant. lib. 6. Inſtitutio. Chriſtianæ ca. 3. 10, & 14. plura notari poſſunt. Ac quoad originem quidem differunt inter ſe, quòd tum Philoſophi, tum Politici Nomothetæ, è corrupto & obcæcato iam naturæ noſtræ lumine, & qualiquali conſcientiæ ſuæ teſtimonio præcepta ſua de moribus & honeſto hauriũt. At veri Theologi ex limpidiſſimo ipſius Dei verbi fonte, & ex iam reformatæ & purgatę per fidem & Dei cognitionem conſcientiæ noſtræ iudicio. Vnde fit, vt cùm luce Dei deſtitutum humanum ingenium ſit, cùm per ſe cæcum, tùm prauis hominum opinionibus & conſuetudine iam recepta corruptũ: cúmque voluntas humana Dei ſpiritu non afflata tota vitiis addicta ſit, & fœdæ carnis noſtræ cupiditati ſeruiat, homines ſiue Philoſ. ſiue Polit. neque quid verè honeſtum vel turpe ſit ſæpe viderint, neque etiam quum viderunt, præſcripſerint, neque de eo, quod honeſtum dici & definiri debet, omnes inter ſeſe conſenſerint. Nam aliis non eſt viſum turpe furari, ſi modò fieret aſtu, veluti Lacedęmoniis: aliis

A aliis adulteria nō diſplicuerunt,vti Perſis: aliis cædes & homicidia placent,veluti Scythis, quemadmodū Ambroſ.lib.1.de officiis copioſè tradit.Tāta verò inter Philoſophos ipſos fuit de honeſto & turpi diſſenſio, vt tandem ab iis ipſis diſputatum ſit,vtrum honeſtum & turpe:iuſtum & iniuſtū naturâ,vel hominum tantùm opinione conſtaret, & definiendum eſſet, vt & Ariſtot. lib. 5. ἠθικῶν Νικομαχ. & Tullius lib. 1. de officiis ſcribit.Denique,vt ait lib.1. de finib. Bonor. & Malor. in vna quidem Athenarum vrbe qui vixerunt Philoſophi, de eo inter ſe conuenire, quanquam à viris bonis rogati, nunquam potuerunt. Itaque,vt ait Lact. lib.6. cap.3.Pueros tantùm & adoleſcentes in præceptis Ethices inſtituendos eſſe docent Philoſophi, quia qui iam aliquam opinionem imbiberunt, ſemélque receperunt,nō poſſunt ab ea diuelli,& ſtatuere aliud eſſe honeſtum aut turpe, quàm quod iam opinione & pręiudicio quodam præoccupati perceperunt. Quoad fines verò bonorum & malorum(nam finem huius iſtius cognitionis & ſcientiæ Philoſophi, Politicíque homines vanam B hominum laudem & gloriam conſtituunt,Chriſtiani verò Theologi vnicam Dei ipſius Opt. Max.)quoad fines,inquam,collocandos & pangendos ſunt diſſimilimi. Philoſophi enim & Politici ecquod ſit ſummum hominis bonum vel omnino ignorāt,vel illud ad huius caducæ & mortalis vitæ commoditatem referunt: nimirum vt conſentaneè & cōſentienter naturæ hìc viuamus,id eſt,lubentiſſimè viuamus omnibus rebus abundantes, quæ hæc vita deſiderat,& requirit.Nam ſummum bonum etiam ab eorum perfectiſſimis Stoicis & Peripateticis nimirum dicitur obtingere nobis poſſe in vita hac, cùm eſt αὐταρκὴς ſiue potius κεχορηγημένη (vt loquitur Ariſtot.)id eſt inſtructa & abūdans omnibus,quibus & bene & ſecūdum naturam ſuauiter viui poteſt,adeò vt ærumnę corporis,vincula,calamitatés, paupertas, opprobria, & cæteræ huiuſmodi duræ res nobis ad hoc ſummum bonum aſſequendum ex illorum ſentētia maximè obſint,atque ſint impedimēto,quemadmodum lib.1 ἠθικῶν Νικομαχ.cap. 10. & 11. prolixè diſputat Ariſtot. Theologi verò C Chriſtiani illud eſſe ſummum bonum docēt,quod & in futura tantùm vita obtineri poteſt: & nullis huius vitæ miſeriis, incommodis & ærumnis impediri vel obſcurari poſſit. Id quod præclarè Gregorius Niſſe.in li.de hominis opific,cap. 16. diſſerit,imò verò potius per eas ipſas afflictiones oſtendunt ſæpe nos illud melius & fœlicius adipiſci, quàm ſi omnia conſequeremur, quæ huius vitæ commoditas deſiderat. Denique quoad materiam virtutum ipſarum & vitiorum, illi numero quem recenſent, differunt inter ſe, quemadmodum etiam Lact. lib. 6. cap. 10. luculenter tradit. Libet autem ex eodem Lact. lib. cap. 14. ipſius verba referre. *Nos autem* (ait) *qui hanc vitam contemnimus, alias nobis propoſitas virtutes habemus, de quibus Philoſophi ne ſuſpicari quidem potuerunt. Itaque & virtutes quaſdam pro vitiis: & vitia quædam pro virtutibus habuerunt.* Ergo neque veras virtutes habent Philoſophi,ſed earum vmbras tātùm quaſdam, quemadmodū & diuinus inter eos Plato,& poſt eum M.Tull.fatetur: neque etiā vera vitia. Præclarè enim Auguſtinus lib.19. de Ciuitate Dei cap.25. *Vbi non eſt vera religio, nec vera virtus.*Id quod idem ipſe fuſius lib.4.contra Iulia. cap.3.probat. A quibus autem virtus verè & propriè definiri non poteſt,certè neque ab iiſdem vitium poteſt,quia contrariorum eſt eaden ratio. A Politici certè iuſtitiam ex commodis & vtilitate ipſius ciuitatis & cœtus, quem legibus regere inſtituebant, definierunt. vnde veram iuſtitiam ne cognouerunt quidem. Vera eſt enim de illorum ſanctionibus Horatij Flacci hæc ſentētia. *Ipſáque vtilitas iuſti propè mater & æqui.*Itaque Lact.libr.6. cap.9.præclarè,*Vera* (ait) *iuſtitia non eſt nihil contra ſuæ ciuitatis leges admittere. Inter homines enim Dei veritatis ignaros non tam iuſtitia, quàm vtilitas leges reperit.*vnde illud Lucilij Poëtæ,*Commoda præterea patria ſibi prima putare.* Ex quo fit, vt multa tū Philoſophi,tum etiam Politici legiſlatores ſæpe non tantùm tolerent(qualia ſunt lupanaria, id quod ex L.Ancillarum,§ ſed & penſio. D.de petitio. hæredita.apparet)ſed etiam præcipiant quę ſunt natura fœdiſsima atque turpiſsima, qualis eſt idololatria:Multa verò damnent & ferro flammíſque perſequantur,quę ſunt factu honeſtiſſima,qualis euāgelica pietas,& ſummè probanda. Id quod verum B eſſe docet Auguſt.in Enchirid.cap.78.& 79.Chriſtiani verò Theologi veras virtutes veráque animi vitia cognoſcunt.Quid,quod lib. 6. cap.10.Lactantius conqueritur Philoſophos pulcherrimam, & maximè homine dignam miſericordiam de numero virtutum expunxiſſe, nihil cuiquam impertiēdum eſſe docentes, & miſericordiam inter πάθη animi & vitia numerantes? Præterea peccatorum genera Chriſtiani plura eſſe ex breui illo legis diuinæ libello animaduertunt, quàm Philoſophi vel homines ipſi Iuriſconſulti & Politici, quantumuis magnis voluminibus vtrique de vitiis & virtutibus diſſerant, vnquam perceperunt. Nam neutri ſolam animi noſtri vitioſi cōcupiſcentiam peccatum eſſe agnoſcunt, quæ tamen eſt ſummum, vt ex Rom. 7.v. 7. & decimo Decalogi præcepto ſatis intelligitur: quæ cùm latiſſimè pateat, ſéque per omnes vitæ humanę partes,& actiones diffundat (ecquod enim eſt, obſecro, turpitudinis genus, in quo noſtra concupiſcentia non ebulliat & ſe iactet?) infinita peccatorum genera prætermit- C tant illi neceſſe eſt. Deinde primos animorum noſtrorum motus, quos appellant, non damnant, ac ne Stoici quidem Philoſophorum ſeueriſſimi,quia quominus fiant hæ animorum noſtrorum, quanquam vitioſæ,commotiones,non eſt(vt ipſi aiunt) in noſtra poteſtate ſitum. Denique nihil eorum, quæ ad idolorum.i.falſorum deorum cultum, quæ ad infidelitatem,quæ ad diffidētiam noſtram, quæ ad primam legis diuinæ tabulam pertinent,illi fugiendum homini ſapienti putant.In quibus tamen omnibus ſcelera vel maxima verſantur,adeò vt minutulam quandam virtutum & vitiorum partem guſtaſſe potiùs,quàm cognouiſſe videantur.At eadem illa omnia ab vtriſque vel non intellecta, vel contempta Chriſtiani Theologi & cognouerunt, & ex Dei verbo veriſſimè definierunt. Sed de differentia quidem Chriſtianę Ethices à Profana ſiue Philoſophica,itémque Politica ſiue Legiſlatorum præceptis,hæc dicta ſint.

CAP. III.

Methodus & partitio futuræ diſputationis.

A ETHICAM igitur Chriſtianam ab vtrorumque cognitione & ratione diuerſam, Deo dāte, ſcripturi, alia quoque via progrediendum arbitramur, quàm ipſi fecerint. Quanquam inter eos ipſos non vna ſemper fuit omnium methodus, & præcepta de virtutibus tradendi ratio. Nam eorum alij à definitione ſummi illius boni, quam Εὐδαιμονίαν vocant, tanquam ab ipſo capite & primo huius cognitionis fonte diſputationem ordiūtur: alij à virtutibus ipſis rem totam inchoare malunt: alij ab ipſius hominis conſideratione, earúmque partium, quibus præcipuis conſtat, nimirum animo & corpore, vt ecquod proprium hominis, vtraque illa natura conſtantis, atque ſummum bonum eſſe poſſit, commodius explicetur. Nos verò, quæ ad Dei verbum aptiſſima & conuenientiſſima ratio viſa eſt, eam hoc loco & tempore ſequimur. Itaque tria præſertim in tota hac quæſtione, & tractatione verſari nobis videntur, tanquam præcipua totius huius argumenti & ſcientiæ capita.

B 1 Primum quidem, vt diſputetur de humanarum actionum Principiis & cauſis.

2 Secundum, de humanarum actionum regendarum & rectè inſtituendarum norma & præceptis.

3 Tertium, de variis virtutum, quę ſunt actionum noſtrarum rectè inſtituendarum norma, nominibus, itémque varia vitiorum appellatione, & natura. Quæ tria poſtquam expoſuerimus, vniuerſam Ethices Chriſtianæ vim & tractationem, quæ modò nobis vſum aliquem afferre poteſt, abſoluiſſe videbimur. A primo autem capite (prius Deum per Chriſtum precati, vt ipſe, qui nos hæc ſacro ſuo verbo docuit, Sancto ſuo ſpiritu nos in toto hoc opere ſcribendo dirigat) ſic dicimus ordientes.

CAP. IIII.

Quid ſit actio in vniuerſum, itē & quid humana actio, & quotuplex.

C VT quæ ſint humanarum actionum principia & cauſæ melius intelligatur, primùm omnium quid ſit Actio in vniuerſum. Deinde quid humana Actio & quotuplex, explicemus. Ariſtoteles li.6. ἠθικῶν Νικομαχ. cap.4, & 5. religioſè inter hæc duo vocabula diſtinguit πράττειν & ποιεῖν, quæ Latini homines agere & efficere vulgò conuertunt, adeò vt non tantùm ſono & propria quadam ſignificatione hæc inter ſe diuerſa ſtatuat, ſed etiam toto genere diſſimilia, Ἄλλο, inquit ille, τὸ γένος πράξεως, καὶ ποιήσεως ἐστὶ. ἕτερον δὲ πρᾶξις καὶ ποίησις. Itaque habitus ipſos rationémque rectam, per quā ποιοῦμεν, id eſt, aliquid agimus, planè aliam ab ea facit, per quam πράττομεν, id eſt, aliquid efficimus. Οὐδὲ περιέχεται ὑπ' ἀλλήλων. Οὔτε γὰρ ἡ πρᾶξις, ποίησις· οὔτε ἡ ποίησις, πρᾶξις ἐστι, id eſt, neque altera ab altera continetur. Neque enim actio, effectio eſt, neque effectio actio. Ex quo fit, vt nomen actionis, quam ποίησιν Græci vocant, ex hac interpretatione anguſtè reſtringi videatur. Actionem autem definit idē ipſe Ariſtoteles, tum lib.6. eiuſdem operis, cap.5. tum lib.1. cap.1. quum præter ipſam operationem, nullum opus ab ipſo agente relinquitur. Varro autem lib. 5, de lingua Latina ita, *Actio eſt, cùm quis quid adminiſtrat, cuius opus non exſtat, quod ſub ſenſum veniat.* Cicero lib. 3. de finib. *Actio eſt, cuius in ipſa arte, & actione inſit extremum.* Vnde ipſius actionis finis eſt ἐνέργεια, id eſt, ipſa ſolùm actio rectè & ex præſcripto rationis adminiſtrata, veluti in Muſico, vel citharœdo, ipſius actionis finis eſt ipſa actio, id eſt, ipſe concors cantus, vel citharæ ſuauis pulſatio, quæ tamen ſtatim perit & euaneſcit. At verò affectionem, & πρᾶξιν eſſe vult, cùm poſt & præter ipſam operationem, manet aliquod opus, quod cerni poſſit. Itaque effectionis finis diuerſū quiddam eſt ab ipſa operatione & labore, veluti in fabro ferrario, lignario, architecto, & cæteris huiuſmodi opificibus: à quibus ex ipſa operatione aliquod opus vel artificiū editur & relinquitur. Stoici tamen, qui & ipſi de hominum actionibus prolixè ſcripſerunt, hāc diſtinctionem vocum minimè retinuerūt, ſed promiſcuè ἐνεργήματος, ἐνεργείας, ποιήσεως, & πράξεως vocabulis vtuntur, vt ex Diogene Laertio, in vita Zenonis, lib.7. colligi poteſt. Iuriſconſulti homines verborum proprietatis obſeruantiſſimi, Primùm, inter facere & gerere, ſubtilem quādam differentiam eſſe ſcribūt in L.licet. D. de Verbo. ſignificatio. Deinde, inter facta ipſa & opera hominum etiam diſtinguunt. Quoddam enim appellant ἀποτέλεσμα, quod eſſe aiunt ex opere facto corpus aliquod perfectum, veluti domus omnibus ſuis partibus perfectè conſtās: veſtis, cui nulla neceſſaria acceſſio, & pars deeſt. Quoddam autem ἔργον, quod eſt opus quidem factum, cui tamen pars aliqua deeſſe poteſt. L. rei appellatio, D. de Verbo. ſignificat. Sed hæ tam ſubtiles inter facere & efficere: facere & gerere: opera perfecta, & ea quæ nōdum planè conſummata ſunt diſtinctiones, quanquam ſunt ab illis ad ſui argumenti & ſcientiæ rationem vtiliter inductæ, ad hanc noſtram tamen quæſtionem, Quid ſit actio, explicandam videntur minimè pertinere. Sed nec ille Varronis locus, qui eſt lib. 5. de lingua Latina his verbis. *Tertium gradum agendi dicunt, vbi quid faciunt. In eo, propter ſimilitudinem agendi & faciendi, & gerendi, quidam error his, qui putant eſſe vnum. Poteſt enim aliquis facere & non agere: vt Poeta facit fabulam & non agit: contrà actor agit, & non facit: & ſic à Poeta fabula fit, & non agitur, ab actore agitur, & non fit. Contra imperator qui dicitur res gerere, in eo neque agit, neque facit: ſed gerit, id eſt, ſuſtinet. Tranſlatum ab his, qui onera gerunt, quòd ſuſtinent. Proprio nomine dicitur facere à facie, quòd rei, quam facit, imponit faciem, vt fictor quum dicit fingo, figuram imponit: quum dicit informo, formam: quum dicit facio, faciem imponit, à qua facie diſcernitur, vt dici poſſit aliud eſſe veſtimentum, aliud vas.* Quod autem addit idem Varro poſtea, magis ad noſtrum inſtitutum facit. *Sed quod eis magis promiſcuè, quàm diligenter cōſuetudo eſt vſa, trāſlatitijs vtimur verbis. Nam & quidem facere verba dicimus.* Quid igitur? Actionis vocem latiſſima ſignificatione ſumimus hoc loco, vt ſit actio in vniuerſum omnis corporis animíve motus & agitatio. Actio enim ab agitatu facta eſt. quemadmodum idē Varro ſcribit, vt quicquid agere ſeipſum non poteſt, quāquam ab alio poſſit agitari, agi potiùs ſit dicendum. Itaque animantium ſolùm, quæ ſeſe mouent & agitant: non etiam lapidum, herbarum, virgultorum, quę fixa & immobilia radicibus hærent, videtur eſſe propriè illa operatio, quæ a-

A ctio debet nominari. Et cùm plantæ viribus ſibi à natura inſitis aliquid operantur, veluti Rhubarbarum purgans choleram agere dicitur, improp ria eſt omnino loquendi ratio, & à rebus animatis ad res inanimes traducta. Eſt igitur ſic ſtatuendum, vt ſit actio ſolius animalis propria agitatio, ſiue illud animal ſit λογικὸν, qualis homo: ſiue ἄλογον, qualia ſunt bruta animantia, quæ ex ipſo vocis Varroniano etymo agere, quemadmodum homines, dici poſſunt: quia corpus ſuum agitant, & mouent. Latinæ tamen linguæ vſum, & proprietatem retinentibus videbitur, non tam propriè brutis animantibus, quàm ſolis hominibus, & actionis & agẽdi vocabulum conuenire. Sic enim homines Latini loquuntur, vt hominibus duntaxat, vel propriè verbum agere ferè tribuant. Itaque verè homines agunt, Bruta verò animantia potius agũtur, etſi tamen, ſi actionem ſolum corporis agitatum definias, & ipſa agere dici poſſunt: ſed neque tam propriè, quàm homo: neque tam ex vſu linguę Latinæ. Ita enim hæc vox ſonat, vt quandam nõ tantùm animæ & vis cuiuſdam internæ nos agitantis, B ſed etiam rationis & conſilij noſtram illam agitationem regentis, ſignificationem videatur in ſe cõtinere. Etſi non dubito apud Græcos, has voces ἐργάζεσθαι, ποιεῖν, πράττειν, κινεῖν, ἐνεργεῖν: apud Latinos autem, operari, facere, agere, efficere mouere, de brutis, plantis, & hominibus, quemadmodum dixi, ſæpe promiſcuè & indiſcriminatim ſumi ſolere: ſed nos veram vocis illius notionem quærimus. Ergo actio, ſi ex vero ipſius ſignificato reſtringatur, nõ iam erit cuiuſlibet rei, etiam ſeſe mouentis, agitatus: ſed illius tantum, quæ conſilio quodam vti videtur, qualis eſt homo: ſiue πρᾶξις, ſiue ποίησις, ſiue ἐνέργημα, ſiue ἐνέργεια, ſiue κίνησις græcè illa agitatio nominetur. Ex quo fit, vt triplex genus actionis eſſe ſtatuatur. Primum eſt, mentis ipſius agitatus, quæ cogitatio dicitur. Nam primum ea, quæ ſumus acturi, cogitare debemus. Secundum genus eſt dicere (inquit Varro lib. 5. de lingua Latina.) Tertium autẽ facere, quæ diuiſio etiam ſacræ ſcripturæ teſtimonio confirmatur, vbi diuerſis tamen locis, tria hæc actionum humanarum genera C commemorantur. Coloſſ. 3. v. 17, 2. Cor. 3. v. 5. & ab Auguſt. in Enchirid. cap. 64. & in Pſalm. 118. Quum autem omnis hominis actionis ſubiectum, vel inſtrumentum, quo fit, ſit tantùm duplex, etiam breuiùs vniuerſa hominis actio duplex quoque eſt conſtituta, vna

Animi
Corporis.

Sed quia præter puras vel animi, vel corporis actiones, quædam ſunt communes actiones: tertium quoque earum genus ſuperioribus duobus eſt adiiciendum, vt hominis actio omnis dicatur

1 Animi ſolius & propriè.
2 Corporis ſolius & propriè.
vel
3 Mixta & cõmunis Animi & corporis.

In homine autem ipſo, quoniam obſeruari multa poſſunt, quorum ſunt quædam illi cum plantis & virgultis communia, quale eſt viuere, adoleſcere, ſeneſcere, creſcere, minui: multa verò cum brutis animantibus, quale eſt meminiſſe, loco moueri, ſẽſibus corporis aliquid percipere, quod ſentire vocant: Quędam verò ipſius tantùm hominis propria ſunt, quale eſt apud ſe deliberare, è duabus rebus A propoſitis vnam certo animi iudicio pręferre, cauſas rerum inueſtigare, verum videre, ratiocinari, Quæſitum eſt, vtrum actiones hæ omnes hominis actiones ſint appellandæ. Atque etiam, vtrum ab vna eadémque numero anima in homine omnes oriantur, & fiant. Vtilis ſanè quæſtio, & quæ nobis minimè digna viſa eſt, quæ prætermitteretur. Ac primum quidem, vt intelligatur, vtrum ſuperiores actiones omnes, quæ ſunt vel cum plantis, vel cum brutis pecudibus homini communes, ſint hominis actiones dicendæ, diſtinguendum putamus. Nimirum, vt alia ſit in homine, quæ dici debet

Humana actio
Hominis

Humanam igitur actionem voco omnem eã, quæ fit ab homine, vel ex generali ipſius humanæ naturæ conditione & lege, quale eſt viuere, adoleſcere, ſeneſcere, edere, ſomnum capere, gignere, ſentire, atque adeò ratiocinari: vel etiam ex eius perſonæ ratione, quę alicui ſpecialiter impoſita eſt, quale eſt docere in ſchola, Rempub. gerere, exercitum B ductare, quę homines doctores, principes Rerumpub. & belli Duces faciunt. In vniuerſum humana actio eſt, quicquid ab homine fit, ſiue rectè, ſiue prauè, ſiue quatenus animo rationéque ille vtitur, ſiue non vtitur, ſed quiddam ſimile cum brutis & plantis agit. Sic Paulus Actor. 17. ver. 28. quædam genera earum actionum recenſet. Hominis autem actionem appello non quamlibet, ſed eam tantùm, quæ ipſius hominis propria eſt, quatenus ille eſt animal ratione præditum, & à reliquis creatarum rerum generibus differẽs, denique Dei ipſius imago eſt. Hoc actionum genus in ratione & voluntate hominis poſitum eſt, quod ſpectat & perſequitur hæc noſtra diſputatio, quam Ethicen appellamus. Hoc actionum genus, Paulus paſſim in Epiſtolis commemorat. In hoc actionum genere propriè virtutes, & vitia verſantur: ex hoc vno quid homo ipſe cæteris animantibus præſtet, intelligitur. Quamobrem neque vita, & appetitus, quæque ad eum pertinent (quæ ſunt homini cum plantis, & virgultis communia) neque ſenſus, & quæ ad eum C peragendum ſpectant (quæ ſunt illi cum brutis paria) propriè hominis actiones à nobis vocabuntur. quanquam tamen eædem rectè dicentur humanæ actiones. Itaque generaliſſima eſt appellatio humanę actionis. Significatio verò eius actionis, quæ hominis propria eſt, ſpecialis & anguſtior. Scholaſtici aliter diſtinguunt. Alios enim actus dicunt eſſe in homine merè naturales, quales ij omnes, qui illi ſunt cum plantis & brutis communes, & ab ijs fieri dicuntur citra vſum & interuentum rationis: alij autem in eodem homine actus ab iiſdẽ Scholaſticis appellantur Hominis actus, in quibus vtitur Ratione. Hanc diſtinctionem improbamus, quia ſtatuit in homine aliquas actiones citra præſcriptum & vſum rationis probandas & concedẽdas. Quod omnino fieri non debet. Debet enim in homine omnis actio ex præſcripto rationis fieri & oriri, niſi bruta eſſe velimus. Deinde fundamenta ſternit hæc diſtinctio ſcholaſticorum illius pernicioſiſſimi erroris, quem poſtea excuderunt, vt alij hominis actus dicantur conſiderandi in eſſe naturæ: alij in eſſe moris: alij denique in eſſe meriti. Ergo hi prętermittantur & ad inſtitutum argumẽtum reuertamur. Quod autem ſecundo loco quæ-

A ſitum eſt, vtrùm ab vna & eadem numero anima omnes hæ tam diuerſæ actiones & operationes fluant? dubitationem habet maiorem. Sic enim Peripatetici, quorum princeps fuit Ariſtoteles, cenſent huiuſmodi animam in homine ineſſe, cuius tres ſint partes, Μόρια vocat ipſe lib. ἠθικῶν Νικομαχ. cap.13. nonnunquam tamẽ δυνάμεις: ſed in libris de Anima tres illas animi partes cum numeris ſpecie inter ſe differẽtibus, & ſeparatim ſeorsímque ſubſiſtentibus comparat, qualis eſt Binarius & Ternarius, adeo vt in homine eas & plures & ſeparatas eſſe animas, ex illius ſententia, dubitandum non ſit. Quinetiam eam animi partem, quam λογικὴν ſiue ἡγεμονικὴν appellat, neque eodem temporis momento, quo vegetantem & ſentientem animam eſſe in homine putat Ariſtot. ſed tardiùs infundi: neque ex eadem cauſa & principio manare, ſed diuerſo. Vegetantem enim & ſentientem ex ipſa interna humorum corporis noſtri ἁρμονίᾳ naſci: Ratiocinantem autem animam à Deo ipſo in nos demitti, & θύραθεν, id eſt, extrinſecus aduenire, vt B omnes humanas iſtas actiones, de quibus antea diximus, non ex vna numero anima, ſed à diuerſis & pluribus in quoque noſtrum proficiſci ſentiãt Peripatetici. Periculoſa ſanè ſententia, atque etiã falſa, quam tamen Anomœi hæretici, vt ſcribit Gregorius Nyſſenus, & poſtea Syri quidam hæretici Iacobitæ nominati, ſunt ſecuti. Quî enim fieri poteſt, vt vnius & eiuſdem vel ſpeciei vel indiuidui plures ſint εἰδοποιαὶ & propriæ eſſentialéſque formæ? Quod tamen eueniat neceſſe eſt, ſi plures animæ in ſingulis hominibus ineſſe dicantur, cùm anima ſit hominis ipſiſſima & ſubſtantialis, vt in ſcholis loquuntur, forma. De qua re cùm grauis incidiſſet anno Domini 1276 in Oxonienſi Academia controuerſia, veriſſimè contra Ariſtot. ſententiam fuit tunc definita. Quid? quod idem Ariſtot. lib. 3. ἠθικῶν Νικομαχ. totam hominis animã rationalem eſſe dicit, adeò vt nullæ ipſius actiones omnino ratione vel careant, vel carere debeant? Nã etiam in ijs actionibus, quæ homini vel cum plantis communes eſſe videntur, qualis eſt, cùm alitur, vel gignit: vel cum brutis animantibus, veluti cùm ſentit, guſtat, & odoratur, in iis (inquam) ipſis humanis actionibus rationalis animæ vis & præceptio C verſatur, quæ nominatur Temperantia. Ergo vera omnino eſt eorum ſententia, qui eandem eſſe in homine animam, & eam etiam numero vnam volunt, quæ omnes iſtos in homine motus & operationes ſiue actiones efficit & ciet, cuius cum corpore toto atque etiam cum ſingulis corporis noſtri partibus vinculum & nexus, quanquam nobis eſt inexplicabilis, atque etiam mente ἀκατάληπτος, eſt tamẽ huiuſmodi, vt ſe vna illa anima in omnes corporis partes & membra amiciſſimè diffundat, & exerat potentiſſimè ad certas functiones in conſtitutis ſeorſim à Deo & præparatis ſibi locis & organis edendas & producendas, veluti in ventre cibos coquit, quia coctionis inſtrumenta in ea corporis parte à Deo ſibi ordinata videt & habet. In corde vitales halitus & ſanguinem iam ab hepate quadantenus elaboratum abſoluit, quia cor illius officinæ ſedes eſt. In cerebro ſentit & ratiocinatur, quia propria earum actionum organa in eo loco Dominus ipſe collocauit. Sic in tibia vnus & idem numero flatus ore tibicinis infuſus in vno eiuſdem tibiæ foramine ſonum acutiorẽ reddit, in alio & inferiore foramine grauiorem: in medio moderatiorem, A quum tamen & hic flatus vnus ſit, & tibia vna & eadem. Sic vnus & idem Cato in exercitu optimus imperator: in foro optimus orator: in ſenatu, optimus ſenator: in familia optimus Paterfamil. Rempubl. gerens, optimus magiſtratus & Cenſor dictus eſt. Itaque ad horum ſententiam omnino accedo, qui omnes tum humanas, tum hominis actiones ab vna & eadem hominis anima, quæ rationalis & λογικὴ eſt, eſſe & emanare contendunt, quòd ſit illa tantùm vnica in homine anima, cæteræ autem, quæ dicuntur, vti vegetans & ſentiens anima, illius vnius ſunt tantùm operationes quędam & facultates, quę diuerſis nominibus ſunt diſtinctæ & nuncupatæ. Sed ne videamur ſine magnis authoribus ita ſentire, viſum eſt operæpretium ad noſtræ huius ſententiæ confirmationem, præclariſſimum Gregorii Niſſeni teſtimonium afferre. Ille igitur in libro de Opificio hominis capite quintodecimo ſic diſertè ſcribit. Τῇ θεωρείᾳ προέκειτο ὅτι οὐχὶ μέρει τινὶ τῶν ἐν ἡμῖν νοῦς περιέχεται, ἀλλ' ἐπίσης ἐν πᾶσι, καὶ διὰ πάντων ἐστὶν, οὔτ' ἔξωθεν περιλαμβάνων, B οὐδ' ἔνδοθεν κρατούμενος. Ἡ δὲ τοῦ νοῦ πρὸς τὸ σωματικὸν κοινωνία, ἄφραστόν τε καὶ ἀνεπινόητον τὴν συνάφειαν ἔχει. Denique idem negat eam verè, in homine præſertim, ψυχὴν, & animam dici, quæ intelligentię & rationis vi prædita non eſt: ſed tantùm eſſe τινὰ ἐνέργειαν ζωτικὴν, id eſt, viuendi facultatem quandam appellandam. Atque ex his apparet, quid de ſuperius propoſita quæſtione ſit ſentiendum.

CAP. V.

Quæ actiones hominis ſint, tum cũ Plantis, tum etiam cum Brutis animantibus communes, & quod ſit earum in homine principium ſiue cauſa.

QVANQVAM vera & præclara eſt illa Dauidis Pſal. 8. ſententia, quæ infinitam quandam inter hominẽ & reliquas omnes huius aſpectabilis Mundi creaturas differentiam eſſe docet, tamen ſiue qualis nunc eſt, ſiue qualis pri- C mùm à Deo cõditus erat homo, ſpectetur à nobis, actiones quaſdam illi fuiſſe communes tum cum plantis ipſis, quę è terra naſcuntur: tum etiam cum brutis animantibus, quæ ratione carent, ſanè animaduertemus. Verè igitur de homine dictum eſt. *Minuiſti eum paululum ab Angelis, gloria & decore coronaſti eum. Dominari feciſti eum operibus manuum tuarum, ô Iehouah omnia poſuiſti ſub pedibus eius: Pecudes, & boues, vniuerſa ipſa, & piſces maris, & quicquid tranſit ſemitas maris.* Quę egregia hominis dignitas, quanquam Heb.2. v.6. & 17. propriè Domino noſtro Ieſu Chriſto homini tribuitur, eam tamen ad omnes homines, propter naturæ noſtræ humanæ aſſumptionem à Dei filio factam & cognationem, quæ nobis ex hac cum eo intercedit, deffundi dubitari non poteſt. Nam homo, etiam qualis hodie eſt, Dei imago, vel vt loquitur Lactantius, ſimulacrum rectè dicitur, etſi propter peccatũ in multis non tantùm obſcurata, ſed etiam deleta fuit prima illa natiuáque diuinæ naturæ delineatio, quæ in humana natura extabat à Deo inſculpta: non eſt tamen prorſus deperdita, cùm certiſsimum & manifeſtiſſimum inter homines & pecudes diſcrimen etiamnum poſt peccatum in hominibus remaneat: & excellens illa dignitas, quam Pſal. ille commemorat, fuit à Deo etiam poſt peccatum hominis confirmata Geneſ.6. v.2. Ex quo fit vt homo & Imperator & Dominus mundi rectè nominetur, & cæterarum creaturarum comparatione animal quoque ſanctum, quemadmodum ait Lacta.lib.6.cap.20.cuius ſententia Geneſ. 9.v.6.apertè probatur. Nec ab hac ſententia noſtra diſſident Græci Theologi, imprimiſque Gregorius Niſſenus cap.2.&3. de Opificio hominis. Quanquam his tot tantiſque priuilegiis,& Dei donis ad ſuum exitium impij & infideles abutuntur, quia Deum authorem ſuum minimè illic colunt & agnoſcunt. Itaque profani & veritatis luce carentes homines, ipſo naturæ ſenſu informati, omnia quæ inſunt in hoc mundo hominis cauſa condita eſſe dixerunt, quemadmodũ Platonici: hominem autem ipſum Dei colendi gratia docent extitiſſe. Peripatetici verò quanquam non fuerunt tam diuini, præclarè tamen à ſuo præceptore Ariſtotele dictum ſequuntur & retinent. Sic enim ille libr.6. cap.7. Ἠθικῶν Νικομ. χ. Ἄριστον τῶν ἐν κόσμῳ, Ἄνθρωπός ἐστι. Quod autem idem addit, Τοῦ δ' ἀνθρώπου ἄλλα πολὺ θειότερα τὴν φύσιν· οἷον τὰ φανερώτατά γε, ἐξ ὧν ὁ κόσμος συνέστηκεν, falſum eſt & ex ſuperſtitioſa gẽtilitatis religione ſumptum. Aſtra enim & ſydera homine digniora & diuiniora cenſet, quia ſunt ſuperiori loco collocata, quæ Dominus ipſe tanquam addictos homini famulos eſſe voluit, vt eſt Deuter.4.verſ.19 Tanta verò dignitate præ cæteris rebus omnibus homo à Deo donatus, habet tamen, quemadmodum diximus, quaſdam cum plantis, quaſdam cum brutis animantibus actiones communes: cuius rei ratio eſt, vt mihi quidem videtur, ea quam doctiſſimus Gregorius Niſſenus in libro de opific. hominis capite ſecundo his verbis affert. Διὰ τοῦτο διπλᾶς αὐτῷ τῆς κατασκευῆς ἀφορμὰς καταβάλλεται, τῷ γηΐνῳ τὸ θεῖον καταμίξας ἵνα δι' ἀμφοτέρων συγγενῶς τε καὶ οἰκείως πρὸς ἑκατέραν ἀπόλαυσιν ἔχῃ, τοῦ θεοῦ μὲν διὰ τῆς θειοτέρας φύσεως· τῶν δὲ κατὰ γῆν ἀγαθῶν διὰ τῆς ὁμογενοῦς αἰσθήσεως ἀπολαύων. id eſt, vt Ioannes Leuncla conuertit. *Propterea duabus vt rebus hominis opificium conſtaret, fecit, commiſtis nimirum diuinis ac terrenis, vt eſſe tam Dei, quàm terreſtrium rerum fruitionem natura ſua conſentaneam ac propriam ſtatueret: Deóque per naturam diuiniorem: Bonis autem terrenis per ſenſum, qui eiuſdem eſſet generis, frueretur.* Idem cap.18. eiuſdem operis repetit & illuſtrat. Deus enim hominem condidit non Angelum, id eſt, prorſus corpore carentem: non etiam πνευματικὸν, qualis poſt reſurrectionem futurus eſt πνεῦμα ζωοποιοῦν, vt loquitur Paulus 1. Corinth. 15. verſ. 45. id eſt, corpore conſtantem, quod omni edendi, bibendíque neceſſitate careret: ſed creauit ψυχικὸν, ſiue εἰς ψυχὴν ζῶσαν, id eſt, animal viuens & χοϊκὸν, id eſt, qui quanquam Dei imaginem portaret, humano tamen more viueret, eóve in quo terreſtris & infirmæ naturæ quædam veſtigia inerant, non autem planè perfectæ, & quæ optimum illum, quem poſtea conſequi poterat, ſtatum haberet. Ergo fecit hominem huiuſmodi Deus, qui cibis ali & ſuſtentari haberet neceſſe, qui gignere ſibi ſimile deberet: qui poſſet creſcere, & ea quæ delectarent, quæ offenderent, ſenſu percipere & diſtinguere. Ex quo euenit, vt multa in hoc viuendi genere inſint, quæ cum plantis homini communia obſeruantur, qualis vita ipſa naturalis, & quæ ad eam conſeruandam ſunt planè neceſſaria, veluti cibos concoquere, concoctos & in tenuem liquorem conuerſos per ſingula membra diffundere, denique ea omnia facere, quæ vegetantis animæ facultatis propria eſſe Medici demonſtrant. Sed & multa quoque in eodem vitæ genere homini cum brutis animantibus communia animaduerti poſſunt, quale eſt ſentire, id eſt, aliquid corporeis quibuſdam partibus percipere, quibus, tanquam miniſtris ad animum ſua obiecta deferentibus, animus ipſe quid illud ſit, quod exterius ſenſibus obiicitur, & agnoſcit, & ab aliis rebus diſtinguit: quale etiam ſeſe loco mouere & agitare: quale etiam appetere. Denique vt quæ ſint illa omnia facilius & breuius intelligantur, afferam illud quod alii ex Ariſtotele & profanis ſcriptoribus ſumunt: ego verò à Chriſtiano authore Bernardo habere malo, cùm pulcherrimè & pleniſſimè idem ipſum ab eo dicatur. Quatuor igitur (inquit Bernardus libro De gratia & libero arbitrio) in vniuerſum obſeruari in homine tanquam præcipuæ eius actiones poſſunt, quæ illi inſunt, & quarum vnaquæque ab alia & vi, & nomine, & operatione ſecernitur. Nempe Vita, Senſus, Appetitus, & Ratio: vnde quatuor illæ operationes & fluunt & nominantur Viuere, Sentire, Appetere, & Ratiocinari. *Vita eſt*, (inquit idem Bernardus) *internus motus vigens tantum intrinſecus.* Siue Vita eſt actus corporis organici ad cibariam functionem à Deo inſitus cuius hæ ſunt tres potiſſimæ operationes atque officia, corpus alere, corpus augere, & corpus aliud ſibi ſimile ex ſe propagare. Horum trium eſt vnum & idem principium ſiue cauſſa, nẽpe, anima humana, quatenus vim & munus alendi corporis à Deo accepit: quæ primùm quidem ſeſe in fœtu humano exerit & profert, diuerſis tamen corporis locis & partibus, tanquam inſtrumentis à Deo ſibi deſignatis vtitur ad ſingulas iſtas actiones peragendas. Hæc vis & facultas animæ & θρεπτικὸν μέρος dicitur & φυσικὸν à Medicis, quòd ab ea operationes, quæ naturales ſunt, oriuntur. Et quemadmodum antea diximus, homini cum plantis tota communis eſt, & à Deo communicata. quanquam Varro in libro de lingua Latina virgulta viuere quidem concedit, quæ tamen animam habere negat. De qua ſi quis plura apud Theologos videre volet, legat pulcherrimi operis Gregorii Niſſ. de Opificio Dei cap. 30. item Numeſium: præterea Lactant. in lib. de Opificio Dei. Hanc vitam intellexit Paulus. Actor. 17. v.28. ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν. Ac de vita quidem hactenus. Sequitur ſenſus & appetitus. *Senſus eſt* (ait Bernardus) *vitalis in corpore motus vigens extrinſecus. Appetitus autem naturalis vis in animante mouendis auidè ſenſibus attributa.* Alii verò ſic definiunt vtrumque, vt ſit ſenſus quidem rei alicuius extra nos poſitæ perceptio, quæ aliqua corporis noſtri parte fit: Appetitus autem alicuius rei extra nos poſitæ perſequutio vel fuga ex ſenſuum iudicio excitata. Vtraque verò hæc actio tam arcto inter ſe vinculo coniuncta eſt, vt vtraque ſit propria ſolius atque adeò omnis animalis: neque ſine ſenſu appeti-

A tus, qualem quidem hîc definimus, eſſe poſſit,neque ſine appetitu ſenſus:quanquam ordine,& naſcendi, & agendi, prior apparet in nobis ſenſus, id eſt, ipſius rei perceptio agnitióque : quàm appetitus & perſequutio. Vtrique autē huic actioni ſubſeruit loci mutandi vis,vt ad ea conſequenda progrediamur,quæ proſunt:euitemus autem & fugiamus quæ ſunt contraria,& nobis noxia,quę quanquam non ineſt omnibus in vniuerſum animalibus,veluti oſtreis,& polypo:iis tamen, quæ perfectè animalia dicuntur, ſemper adiuncta cernitur. Appellatur verò vulgò hæc locomotiua facultas. Triũ vero harum hominis actionũ vnũ eſt quoque & idē in homine principiũ,atque etiã illud ipſum, quod ſuperiorũ,& earum,quæ ſunt nobis cũ plantis communes,cauſam eſſe ſuprà diximus: Nimirũ anima ipſa humana, quatenus Deus voluit hominem rerum ſibi commodarum & noxiarum diſcrimen & vſum agnoſcere. Nec modò in homine,ſed in brutis ipſis animantibus illæ inſunt ab anima, qualē illis Deus dedit,emanantes. Vnde hæ B actiones ſunt homini cum brutis pecudibus communes, quæ tamen in homine citra præſcriptum rationis fieri non debent, ne ſit in edendo , bibendo, gignendo , ceteríſque ſimilibus , vel pecus vel pecude deterior homo , ſi in iis peragendis ratione non vtatur. Rectè igitur Tull. lib. I. de Offic. *Principiò generi animantium omni eſt*(ait) *à natura tributum vt ſe,vitam , corpúſque tueatur , declinétque ea, quæ nocitura videantur : omniáque quæcunque ad viuendum ſunt neceſſaria, inquirat & paret,vt paſtum,vt latibula,vt alia eiuſdem generis.* Nam quò eſt animãtiũ quàm plantarũ vitæ genus nobilius & excellētius : ſic pluribus atque etiã maioribus eget tum facultatibus in anima,tum inſtrumentis in corpore:pluráque etiam ſunt,à quibus animãtia poſſunt lædi. Quæ vt facillimè animalia,vel perſequerentur vel declinarent , primùm illis ſenſum indidit Dominus. Senſus autem vis à Deo conceſſa, in iis ipſis excitat & mouet appetitum: appetitus autem vehemens illa loco ciet & propellit,vt quærãt quę C tanquam ſibi commoda vident fore : fugiant, quæ tanquam ſibi noxia auerſantur. Inde illud eſt vulgare, Animali data eſt motio propter ſenſum, vt quod appeterent adipiſcerentur:quod nollent,declinarent. Ex quo fit, vt vna illa , quæ ineſt in animante , anima plures δυνάμεις à Deo conceſſas habeat,pluráque in corpore ipſo loca & plura membra diſtincta , tanquam propria & ſeparata ad ſingulas iſtas actiones peragendas inſtrumēta. Quod verum eſſe & Medici copioſè docent , & Gregorius Nyſſe. libro de Opificio hominis cap. 30. & Lactant. Hæ verò tres actiones vno hoc verbo κινούμεθα à Paulo breuiter videntur comprehenſæ, Actor. 17. v. 28. & in Epiſtola ad Hebr. cap. 3. v. 14. obſcurè ſignificatæ. Cæterum hæ tres ſæpe non omnes inſunt, quemadmodum diximus,in omnibus animalibus,ſed ex his duæ tantùm in vniuerſo animantium genere, nimirum ſenſus & appetitus. Nullum eſt enim quod verè animal dici debeat,in quo ſenſus & appetitus iſte non inſit,quanuis nec ſenſus ipſos , qui quinque ſunt , omnes ſemper in quoque animantium genere vel indiuiduo deprehēdamus,quod & Ariſtot.& ex Ariſtotele A. Gellius tum libro 7. capite 6. tũ libro 19.cap.2.obſeruauit. Nam & talparum vniuerſum genus cæcum eſſe videmus:& quædam animantia nõ audire naturales hiſtorici tradunt. Quæ cùm ſint à nobis A explicata, quod ſit harum actionum , quæ ſunt cum plantis & cum brutis animalibus homini communes,genus intelligimus. Longior enim earum rerũ tractatio partim ad Phyſicos : partim ad Medicos pertinet. Reſtat, vt de iis agamus, quæ ſunt actiones ſolius hominis propriæ.

CAP. VI.

Quæ actiones ſolius hominis ſint propriæ.

ACTIONES igitur ſolius hominis propriæ ſunt eæ, quę ſunt operationes animę hominis,quatenus illa à Deo ratione prædita eſt, habétque pręter reliquas mũdi huius creaturas aliquid excellens & eximium,in quo diuinæ illius & excellentiſſimę imaginis , ad quam primus homo conditus erat, ſuperſunt reliquiæ,tanquam pretioſæ quædam magni noſtri naufragii tabulæ. Itaque hæ ſunt ſolius hominis in hoc inferiori mũdo propriæ ab animo ipſo humano immediatè , vt ita loquar,emanantes actiones:non autem illi cum B brutis animalibus communes,quia ſolus homo ratione vtitur inter omnes huius mundi creaturas. Nec ſanè Lactan.ſententia,quanquam Galeno,Plutarcho,& aliis quibuſdã ſummis philoſophis ꝓbatur, nobis tamē,aut,vt ſpero,vllis Chriſtanis vera videri poteſt,qui rationem primùm vniuerſis animalibus à Deo datam eſſe atque etiam hodie ineſſe ſcribit his verbis lib.3.cap.10. *Iã illa,quæ ſibi proſpiciunt in futurum,& cibos reponunt, habent vtique prouidentiam. Rationis quoque ſigna in multis deprehenduntur. Incertum eſt igitur,vtrúmne illa,quæ homini tribuuntur, communia ſint cum alijs viuentibus. Religionis certè ſunt expertia. Equidem ſic arbitror vniuerſis animalibus datam eſſe rationem,ſed mutis tãtummodo ad vitam tuendam,homini autem ad propagandam.* Hæc ille. Itaque prætermittatur. Hanc autem animam quę ſoli homini data eſt à Deo,quidam ita definiũt,vt ſit ſubſtantia quædam rationis particeps regēdo corpori accõmodata,ſemper viuēs,ſēper in motu,bonę malæque voluntatis capax. Sic in libro de ſpiritu & anima cap.4.&13. Alii verò ſic, licet minus rectè, C Anima humana eſt ſpiritus intelligēs ab omni corporis contagione purus. Denique alij ſic. Eſt forma ſubſtantialis intrinſeca,corpori infuſa, eminēter continens omnes potentias animæ vegetatiuæ & ſenſitiuæ,præter has tres alias,Intellectum agētem,poſſibilem,& voluntatē. Ergo hominis actiones proprię ſunt duę,Intelligere,& velle,quia anima hæc habet intellectionem ſiue intellectum , vt alii nominant : & voluntatem. Intellectus autem ſedes νοῦς,διάνοια,πνεῦμα & ψυχὴ in ſcriptura vocari ſolet:voluntatis autem καρδία 2.Theſſal.5.v.23.Epheſ. 4.v. 23.Matth.22. v. 37. Mar.12. v.28. Eſt autem intellectus humanus duplex,θεωρητικὸς, id eſt, Contēplans & inquirens vera vel falſa, & πρακτικὸς,id eſt, Conſultans dignoſcénſque bona vel mala agenda vel omittenda. Nam diuiſio illa Intellectus in Agentem & Poſſibilem nobis hoc loco prætermittēda viſa eſt,quod minimè ad quæſtionem de virtutibus & principiis actionum humanarum pertineat. Animus igitur ſiue intellectꝰ noſter cùm vera inquirit vel in
Diuinis rebus , qualis eſt Dei ſcriptura
Humanis occupatur.

Si in diuinis & verè cœleſtibus rebus quæ Dei ver

Simil.

Anima hominis.

A bo nobis reuelatæ ſunt, verum inueſtigat & Dei beneficio & S.Spiritus lumine aſſequitur, hæc ipſius cognitio & actio pulcherrimo Sapientiæ nomine donata eſt. Sin in humanis idem facit, aut in principiis generalibus, quæ dicuntur κοιναὶ ἔννοιαι, enodandis, aut Concluſionibus ex his eliciēdis verſatur. Quæ in iis principiis, quæ nobis ſunt à Deo inſita, vel ex primo lumine naturali primùm homini conceſſo relicta, veluti futuræ artium cognitionis neceſſaria fundamenta, intellectus humani actio eſt, dicitur νοῦς à philoſophis. Cùm concluſiones ex iſtis principiis format, illæ vel ſunt veræ & neceſſariæ: vel probabiles tantùm. In eliciendis veris & neceſſariis concluſionibus humanus intellectus verſans appellatur Ἐπιστήμη, Scientia. Cùm probabiles tantùm inueſtigat, τέχνη, vt putat Ariſtoteles, nominatur. Hæ ſunt nimirum tot & tam varię intellectus hominis theoritici & verū perquirentis actiones, quæ omnes quidē ſolius hominis ſunt peculiares & propriæ, ſuis etiam propriiſque nominibus diſtinctæ. Practicus autem intellectus eſt, qui in iis definiendis & conſtituendis occupatur, B quę bona vel mala ſunt: honeſta vel turpia: itē perſequenda vel fugienda homini veram ſibique propriam, nō autem communem quandam cum brutis fœlicitatem quærenti. Hic intellectus hominis vel Fines ipſos actionum humanarum. i. ea quę per ſe bona & honeſta ſūt, definit & proponit: vel Media ipſa perueſtigat, per quæ ad eos fines deſignatos & demonſtratos facillimè in ſingulis actionibus perueniri poteſt. Sunt enim actiones humanæ ſingulares, vt indiuidua ipſa, à quibus fiūt, ſunt ſingularia: vtque indiuiduorum operationes ſunt & ipſæ indiuiduæ & ſingulares, ita actiones noſtræ ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα verſantur. Illa verò quæ honeſta ſunt vel bona (quod idem eſt: neque enim hîc bonū appellamus quod corporis ſanitati vel voluptati cōducit, quódque vtile & commodum opibus noſtris augendis eſſe poteſt, ſed more Græcorum καλὸν καὶ ἀγαθόν, id eſt, idem bonum & honeſtum, ſiue ſanctū appellamus) Honeſta igitur & ſancta, quæque agēda vel omittēda definit humanus & practicus hominis intellectus, tāquam iudex quidam & nomotheta vel in vniuerſum vel in ſingulis actionib' C noſtris. Quum in vniuerſum definit quæ honeſta ſiue ſancta ſunt, dicitur hic intellectus Συντήρησις, quia conſeruat notitias generales primæ illius iuſtitiæ, quæ à Deo inſculpta fuerat primi hominis menti, & rerum honeſtarum & turpium differentias, earúmque certas regulas, quas nobis teſtare Dominus ipſe voluit, vt reddamur, dum malè agimus, inexcuſabiles. Quum idem animus noſter in ſingulis rebus & actionibus idem definit, redditque nobis ipſis teſtimonium hoc benè vel malè agi, appellatur Συνείδησις, id eſt, conſcientia, quia conſcios nos eſſe arguit eius turpitudinis vel honeſtatis, quę in noſtris actionibus ineſt, vtcunque alios lateat, id eſt, quanquam eadem ſæpe aliis ignota eſt atque occulta. Denique cùm idem intellectus media, per quæ honeſtè agamus, quærit & inueſtigat, eſt φρόνησις, id eſt, Prudentia. Atque hę ſunt tres practici intellectus & animi actiones. Videamus quę & quot ſint alterius partis rationis noſtræ, id eſt, voluntatis actiones. Voluntatis autem vocem ambiguam eſſe ſcribit Anſelmus. Nam ait, vel pro ipſa animi facultate & volitionis inſtrumēto ſumitur: vel pro ipſius facultatis affectu & propenſione: vel pro eiuſdem vſu, veluti cùm quis cogitat de eo, quod A appetit, illius cogitatio dicitur eſſe illius eiuſdem voluntas. Fauorinus tamē dixit eſſe θέλημα triplex, nempe θελητικὸν, θέλησιν ſiue βούλησιν, & θέλημα θελητόν. Adeo vt quartam etiam ſignificationem Voluntatis addiderit, nempe cùm voluntas accipitur pro Re expetita & volita. Ergo voluntas ſignificat vel animi noſtri facultatem volentem: vel eiuſdem facultatis propenſionem ad rem aliquam: vel illius vſum & actum: vel denique illius volitum. Sed tertia ſignificatio, cùm pro ipſo vſu & actu nimirum ſumitur, eſt in vſu, cùm de voluntate ab Ethnicis Philoſophis diſputatur. Quemadmodum quum à Phyſicis de voluntate agitur, vel primo vel ſecūdo ſignificato ſolet accipi. Eſt igitur voluntas, quum pro ipſo facultatis animi noſtri vſu ſumitur, vti definit Bern. *motus rationalis ſenſui præſidēs & appetitui.* Rationalem autem appellat, quia rationem ſemper voluntas habet aut pręcedentem aut pediſſequam, ſiue illa ratio vera ſit, ſiue fucata tantùm & apparens: adeò quidem vt voluntas multa faciat per ipſam quidem rationem, contra ipſam tamen, quod faciūt homines intemperantes. Alij ſic eam deſcribere malunt, Voluntas eſt rationalis animi appetitus, B quo ſpōtaneè quicquid in nobis eſt, volumus. Sed perperā illi addunt, quicquid in nobis eſt, quū multa etiā velimus ſæpe, quæ minimè ſunt in noſtra poteſtate, id eſt, in nobis ſita, veluti nos gigantes eſſe ſæpe vellemus, quemadmodum ſcribit Ariſtoteles lib.3. ἠθικ. Νικομαχ. cap.2. Denique Auguſtinus lib. de Duabus Animabus capite 10. *Voluntas eſt*, ait, *animi motus cogente nullo ad aliquid vel non admittendum vel adipiſcendum.* Ac quidem appetitio ſiue appetitus, ὄρεξις, qui dicitur, à voluntate latiſſimè diſtat, quòd appetitio eſt communis quædam & naturalis rerum omnium ad ea, quæ ſunt ipſarum naturæ commoda & conſentanea, inclinatio, quæ affectio naturâ communiter & brutis & plantis ineſt. Vnde ὀρέξεων alia appetitio naturalis nominatur, alia animalis. Vtraque naturali neceſſitati ſubiecta, & ſenſuum voluptati, in iis quæ ſenſum habent. Voluntas autem ſeipſam mouet & ſubiicit, & à ſe conſenſum habet, & motum illum volendi. C Vnde plantæ etiam appetere quædam dicuntur. Nihil autē propriè velle dici poſſunt. Sed nec bruta quoque animantia. Voluntas autem ſolius hominis propria eſt, & eſt in ea ſola animi parte, quę λογικὴ appellatur, nō in vegetante, non in ſentiente anima. Ergo voluntas eſt animæ ratione præditæ motus & cōcitatio, quæ ex ſeipſa, non neceſſitate illud quod apparet illi bonum vel honeſtum ſpontaneè ſiue liberè expetit. Neque verò etiam poſt peccatum in nobis voluntas periit, quāquam bona voluntas in nobis eſt deperdita. Velle nobis ineſt, atque etiam à natura: Benè autem velle à ſola Dei gratia. Sed velle homo nonniſi voluntate poteſt. Neque ea ipſa voluntas velle dicitur, niſi ſpontaneo motu feratur, ac ſeſe inclinet ad ea quæ expetit: quia voluntas quatenus vult, coacta eſſe non poteſt: etſi quatenus hoc potiùs, quàm illud vult, eſſe coacta ſępe poteſt. Veram enim voluntatis appellationem, vim & naturā amiſit voluntas, ſi velle amiſit, id eſt, ſi velle & expetere in ſeſe iam neque habeat, neque poſſit. Hęc autem animę rationalis vis & facultas, per quam aliquid volumus, dupliciter vult,

vel { Voluntate inconſulta,
Voluntate conſulta.

Habet quidē omnis animi humani voluntas hæc tria, tanquā primas ortus ſui cauſas, πάθος, ὄρεξιν, ὁρμὴν. πάθος nimirum quæ eſt ſpeciei obiectæ prima receptio: ὄρεξιν, quæ eſt primus ille animi impetus & impulſus, qui cietur ab obiecto iā recepto: ὁρμὴν quæ eſt motus feruidior ex ὀρέξει excitatus, nōdum tamen ratione illuſtratus, adeò vt videri poſsit omnis voluntas humana ex iſtis cauſis naſcens carere conſilio atque ratione: tamē voluntas, quæ propriè volūtas dicitur Græcè θέλησις vel βούλησις, nō eſt, niſi quum intellectus noſter rem obiectam & apprehenſam non tātùm vidit, ſed etiā quodāmodo conſilio apud ſe definiuit & diiudicauit, vt eam tāquam bonā potiundā: vel tanquā honeſtam, agendā cenſeret & eligeret. Neque enim omnis motus vel aſſenſus volūtarius, eſt electio. in quo quia ſæpe cōſilio maiore & accuratiore vtitur: ſæpe leuiter B in cenſendo deliberat: fit, vt hæc voluntas noſtra ſæpe conſulta ſit & eligens, ſæpe autem præceps & inconſulta. Vnde etiā Plato aliud eſſe cenſet βούλεσθαι: aliud ἐθέλειν: & hoc quidem aſſenſum leuē eſſe definit: illud autē βούλεσθαι tanquā βουλεύεσθαι firmiorē. Certè Paulus ipſe non anceps verborum inter βουλὴν & θέλημα videtur, Epheſ. 1. v. 11. diſcrimen conſtituere. Vt ſit igitur volūtas noſtra προαιρετικὴ, id eſt, ex certo & firmo iudicio aliquid agens & eligēs, oportet hæc tria præceſsiſſe, βούλευσιν, μελέτην, & αἵρεσιν, ſiue vt Ariſt. ferè loqui mauult, προαίρεσιν. βούλευσις eſt cōſultatio ſiue deliberatio. Eſt autem deliberatio mediorum, quæ ad finem propoſitū conducunt, quatenus ea in noſtra poteſtate ſita eſſe vidētur & obtineri poſſe, diligens diſquiſitio & inueſtigatio, atque etiam inueſtigatorū inter ſe cōparatio. Ergo eſt deliberatio animi, actus intellectus promouens iam ſe in firmā fixámque agendi voluntatem. Deliberanti igitur homini illud accidit, quod pulcherrimè deſcribit lib. 4. Æneid. Virgilius,

Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc,
In partéſque rapit varias, pérque omnia verſat.

Eligenti verò illud, quod idem eodem loco ſub- C iicit,

Hæc alternanti potior ſententia viſa eſt.

Μελέτη eſt Meditatio. Eſt autem frequens & ſæpe repetita eiuſdem deliberationis cogitatio, quę etiā ea media illúdque conſilium, quod nobis arridere iam cœpit, diligentius perpendit & examinat. Itaque prudentis eſt non tantùm ſemel deliberaſſe: ſed etiam apud ſe idem conſilium ſæpius meditari & tanquam recoquere. Antequā enim incipias, conſulto: vbi conſulueris, maturè facto opus eſt. Vnde illud Auſonij veriſsimum, *Agere volentē ſemper meditari decet. Incogitantes fors nō conſiliū regit*, ait alius. Αἵρεσις ſiue προαίρεσις eſt à Latinis dicta animi electio. Eſt autem, vt inquit Ariſto. ἡ τῶν ἐφ' ἡμῖν βουλευτικὴ ὄρεξις. i. eorum quæ ſunt in noſtra poteſtate atque etiā iam maturè deliberata ſunt, appetitio. Sed nō ſatis videtur dixiſſe Ariſtoteles. Neque enim electio tantū eſt volūtas & appetitio meditata, quā animi deliberatio anteceſsit: ſed etiā eſt è duobus vel pluribus per deliberationē nobis propoſitis vnius ſelectio, & illius facta alteri vel pluribus aliis, certo animi iudicio, prælatio. Denique eſt electio intellectus rem deliberatam non tantùm expetens: A ſed huic potiùs quàm illi ſponte adhærens firma animi voluntas, & ſententia. Ex quo fit, vt hæc demum electio dicatur perfecta & conſulta voluntas, atque βουλὴ potiùs quàm θέλησις: quia eſt cum βουλεύσει coniuncta, atque nunquam fit ſine prægrediente ratione & intelligētia. Eſt enim electio (inquit Ariſtoteles lib. 6. ἠθικ. cap. 2.) vel intelligens appetitio: vel appetens intelligentia: quæ certè in ſolo homine ineſt, & ab Hebræis בינה *Binah* anguſto nomine videtur appellata Prouerb. 23. v. 4. Electionem verò hanc ferè ſequitur actio, quæ dicitur πρᾶξις. Eſt autem actio & πρᾶξις rerum à nobis deliberatarum & certo animi iudicio probatarū præſtatio ſiue executio, quatenus quidem id nobis cōceſſum eſt. Atque hæ ferè ſunt tot & tam variæ animæ humanæ, quatenus λογικὸς eſt & immortalis, actiones.

CAP. VII.

Quot modis tum cognitionis: tum voluntatis noſtræ ratione aliquid agere dicamur.

B QVONIAM verò tum cognitionis: tum etiam voluntatis noſtræ ratione multis modis aliquid agere dicimur, de eo ipſo nunc vidēdum eſt, quale nimirum ſit & quàm multiplex. Quod eò breuius perſequar, quoniam Ariſt. lib. 3. ἠθικῶν Νικομαχ. & ipſius diſcipuli atque interpretes potiùs, quàm Theologi, nimirum Scholaſtici, totū hoc argumentum prolixè expoſuerunt. Cognitionis igitur noſtræ ratione aliquid facere dicimus duobus modis, nempe vel { Scientes
Ignorantes.

Is ſciens propriè & omnino facit, qui

& { Finem cur id agat
Materiam, id eſt, rem ipſam, quam contrectat, & in qua agit
Circunſtantias reliquas, quę in rei actionem incidunt,

nouit & intelligit. Is verò facit ignorans omnino, qui hęc omnia ignorat miniméque nouit. Sed quia vix ac ne vix quidem huiuſmodi rerum omnium C ignari homines inueniuntur, dum aliquid agunt, dicendum eſt eos qui ſuſcipiunt aliquid, quædam ignorare poſſe & non poſſe, vt ignorantes appellentur. In noſtris enim actionibus quædam ſunt, quemadmodum rectè ait Ariſt. præcipua & κυριώτατα: & quædam non, quales ſunt reliquæ rerum περιστάσεις & circunſtantiæ. Κυριώτατα δ' εἶναι δοκεῖ ἐν οἷς ἡ πρᾶξις, καὶ οὗ ἕνεκα, inquit ille libro 3. cap. 1. id eſt, Præcipua ſunt in omni actione, materia & finis. Ac materia quidem eſt res ipſa, quæ in agendo tractatur, veluti qui mœchatur ſcit materiam & ſubiectum, vt ita loquar, ſuæ actionis & ſcortationis eſſe mulierem alienam, quę non ſit ipſius vxor: qui furatur ſcit ſuæ actionis ſubiectum & materiam eſſe aurū vel argentum alienum, vel aliud quid huiuſmodi quod contrectat. Qui homicidium committit, ſcit materiam ſui ſceleris fuiſſe hominem ſibi ſimilem, quem trucidat. Ergo materia ipſa & ſubiectum actionis vna quædam eſt de præcipuis circunſtātiis, vt cum Ariſtotele ſentit quoque Gregor. Nyſſenus. Finis verò actionis eſt intentio & ſcopus ille, quem quiſque, dū agit, animo ſibi deſtinat & proponit: qui finis præcipua quædam eſt actionum noſtrarum pars circunſtantia & cauſa. reliquæ verò

A rò circunſtantiæ,quæ in omni actione noſtra ſpectandæ ſunt, ſunt hæ ſeptem, inſtrumẽtum, locus, tempus,perſona,modus, reiteratio ſiue numerus, & ſpecies ſeu forma quædam externa ipſius actionis, ex qua aliquid plus minúſue turpitudinis & honeſtatis in ipſa actione ineſſe poteſt. Hæ verò ſeptem circunſtantiæ non ſunt quidem actionis materia,aut ipſius,vt vocant, actus eſſentia , ita tamen actioni inhærent & ſunt annexæ , vt actiones noſtras aliâs rudes velut informent, & vultum & faciem illi propriam inducant,atque quodammodo eas veſtiant,vt quales ſint agnoſcantur. Itaque ab illis , niſi animo , ſeparari non poſſunt , vt tota ſingularum actionum noſtrarum integritas & ratio verè,& quemadmodum oportet intelligi poſſit.Ergo qui aliquid agens hæc omnia verè & meritò ignorauit, is rectè omnino ignorãs feciſſe diceretur.Partim verò ignorans, partim ſciens is facit,qui ex his omnibus quæ diximus,quædam nouit, quædam non nouit. Excuſat autem nos ea demum ignorantia,quæ & probabilis eſt : & in mediocriter B prudentem virum cadit:non autem craſſa illa & ſupina(nam hæc proculdubio dolo malo vel latæ culpæ æquiparatur.)Præterea quæ eſt earũ rerũ ignoratio,quas ſcire omnes tenemur propter communiter inſitã homini notitiã,(qualis illa eſt quę ſenſibus corporeis ineſt ,vel propter ipſius conſcientiæ noſtræ teſtimoniũ,nos nõ excuſat:ſed ea,inquam, demum ignorantia nos excuſat, quæ non neſcit ea, quæ vel ſenſus iudcat, vel conſcientia teſtatur.Quæ enim ſciunt omnes ipſo ſenſu corporis teſte , veluti ignem calidum eſſe : vel ex communi conſcientiæ admonitione & teſtificatione,velut adulterari,furari, mœchari turpe eſſe,ea ſi nos ignoremus , minimè certè excuſamur. Inde eſt illud Pauli Rom.2. verſ. 12. *Quicunque ſine lege peccauerunt , ſine lege peribunt.* Hanc autem ignorantiam ſcholaſtici barbaro nomine Vincibilem appellarunt.Sed & illud quoque obſeruaſſe nõ erit inutile, quod diſertè annotat Ariſtoteles, Aliud eſſe quẽ facere aliquid ignorantẽ:aliud autẽ C per ignorantiã vel ignoranter. Is facit ignorãs,cui aliqua quantũuis extranea cauſa obſtat , ne intelligere vel animaduertere poſsit,quę facit,veluti pręceps,&temerarius aliquis,item iratus,item ebrius ignorans facit,quæ committit.Per ignorantiã autẽ ea fiunt,quæ vt fierent,nulla alia , quàm ignorãtia ipſa cauſſa fuit :veluti Noach nondum percepto quanta eſſet vis vini ex vite à ſe ſata naſcentis inebriatus eſt,ídque per ignorantiam: item ſiquis aduena perſuaſus à ciue credat eſſe præceptum à magiſtratu,vt omnes extranei & aduenę ſaltẽt in foro,ipſe ſaltitet,per ignorantiam facit.Longior autem de facti vel iuris ignorantia diſputatio ad Iuriſcõſultos pertinet,ad quos nos eam remittemus. Atque hi ſunt varij modi,per quos cognitionis noſtræ ratione aliquid agere dici poſſumus. Voluntatis autẽ noſtræ varia quoque ratio & diſtinctio eſt,& propter eam variis modis aliquid à nobis fieri poteſt. Nam quod agimus,id

vel { Volentes
{ Coacti facimus.

Sic enim diſtribuere malo, quàm in ea quæ voluntaria & inuoluntaria vulgò dicuntur:aut,vt Græci faciunt in Ἑκούσιον & Ἀκούσιον.Hæc autem iam explicemus ſingula. Volentes aliquid agimus dupliciter,vel ſponte nimirum vel non ſponte.Quãquam autem abſurdè dici videtur nos aliquid volentes A facere , quod tamen non ſponte , ſed tanquam inuiti facimus,rei tamen experientia atque cõmunis hominum vox,id quod hoc loco proponimus,verum eſſe demonſtrabit.Ergo ſponte fiunt à nobis quæcunque grato,læto,expetente,& iucundo volũtatis noſtræ motu agere geſtimus,deſideramus, & optamus , ſiue id ipſi proprio motu & nemine ſuggerẽte expetiuerimus:ſiue ab alio primùm admoniti & perſuaſi,volũtatis noſtræ aſſenſu, eóque iucundo,alienum illud cõſilium approbauerimus, & ſecuti fuerimus.Spõte enim agunt,qui ſiue proprio motu ipſi: ſiue aliena ſuggeſtione & conſilio inducti iucundo voluntatis aſſenſu aliquid faciũt & optant.Quemadmodum Dauid ſponte & proprio.motu cũ Beerſeba mœchatur à nemine, præterquam à propria concupiſcentia impulſus. 2.Samuel.11.At idem cùm Abſalonem filium ab exilio reuocat,Ioabi,id eſt,cõſilio alieno paret & obſequitur cap.14.Hanc differentiam & diſtinctionem noſtram confirmant hi ſcripturæ loci Iac. 1. v.14. 1.Timoth.2.v.14.Geneſ.1.v.27.& 3. v.6.Hæc igitur B quæ ſponte facimus,eligimus ipſi tanquam illa per ſe nobis vtilia vel bona,vel iucunda ſint,non autẽ maioris mali metu ſequenda.Nõ ſpõte fiunt,quæ non iucundo & grato volũtatis noſtrę motu & aſſenſu:ſed comparatione,& vt vocant , ſub ratione minoris mali vel incommodi à nobis eliguntur & fiunt,quemadmodum nautæ & mercatores dum in periculo maris verſantur, etiam propriis manibus mercium ſuarum iacturam faciunt , adeóque ipſius nauis armamenta abiiciunt Actor. 27. v.18. & 19.Veluti qui à Turcis & infidelibus captus mauult Chriſto renũtiare,quàm propter confeſſionẽ nominis ipſius in vitæ diſcrimen adduci.Hæc autem etiam volentes facimus, quanquam tamen, quia ſponte non optabamus,ſæpe inuiti,ſæpe etiã coacti ea facere dicimur.quanquã tamen coactionis,quàm inuitæ & non ſpontaneæ voluntatis alia planè definitio eſt, ſi propria quæratur. Sed qui tã accuratè iſta non perpẽdunt, ferè coactam voluntatem C vocãt omnem , per quam à nobis aliquid fit non ſponte.Sic Iuriſconſulti , coacta voluntas, aiunt,voluntas eſt. Ergo cùm quis tantùm maioris & imminentis mali metu & comparatione , hoc quàm illud mauult & potius eligit,nõ ſponte quidem facit,ſed tamen facit volẽs.Hoc enim illi prętulit & agere maluit, in quo non poteſt abeſſe voluntas.Rectè enim Ariſtoteles. Ὄντος δὲ ἀκουσίου τοῦ βιαίου καὶ δι᾽ ἄγνοιαν, τὸ ἑκούσιον δόξειεν ἂν εἶναι οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθ᾽ ἕκαστα ἐν οἷς ἡ πρᾶξις, id eſt, *Quum igitur omne illud inuoluntarium ſit, quod & per vim ſine coactò , & per ignorantiam fit,id voluntarium eſſe videtur,cuius agendi principium in eo eſt,qui agit,& qui ſingula ſcit, in quibus actio verſatur.* Ita ille lib.3. ἠθικ.cap.1. Quod ipſum alibi explicans idem Ariſtoteles ſic ait. Πράττει δ᾽ ἑκών. καὶ γὰρ ἡ ἀρχὴ τοῦ κινεῖν τὰ ὀργανικὰ μέρη ἐν ταῖς τοιαύταις πράξεσιν ἐν αὐτῷ ἐστίν. ὧν δ᾽ ἐν αὐτῷ ἡ ἀρχή, ἐπ᾽ αὐτῷ καὶ τὸ πράττειν, καὶ μή. Ἑκούσια δὲ τὰ τοιαῦτα. i. *Facit autem quis volens,cùm principium mouens partes noſtri corporis inſtrumentales in huiuſmodi actionibus in ipſo agente ineſt. Quarum enim rerum in aliquo poſitum eſt principium , in eodem quoque ſitum eſt , vt agat , vel non. Qua autem ſunt huiuſmodi, ea ſunt voluntaria.* Ex quibus iam intelligi facillimè poteſt, ea omnia eſſe voluntaria , quanquam tamen non ſpontanea,quæ maioris mali comparatione,& me-

A tu facimus, qualis eſt vt cruciatum fugiamus abnegatio ſalutaris doctrinæ Chriſti. Quare illud etiam rectè efficitur nos propter iſta iuſtiſſimè & à Deo & ab hominibus puniri Matth. 10. ve. 28. & ſequenti. Sic etiam qui mentitur propter vitam hanc conſeruandam, impropriè dicitur, vt Anſelmus ait, inuitus mentiri, quia nemo propriè dicitur inuitus velle, quoniam hoc non niſi volẽs vult. *Nam ſicut quum mentitur propterea*, ait idem, *vult ipſum mentiri: ſic cùm vult mentiri, vult ipſum velle.* Neque ſanè excipi poteſt nos minimè volentes iſta agere, quia neque iſta facere per nos & ſponte optamus: neque, quum fecimus, lætamur. Eſt certè quidem hæc aliqua reſipiſcentiæ ſpes, cùm qui eo modo peccarunt, dolent, & lugent: ſe tamen volentes egiſſe vel peccaſſe nõ poſſunt vel ipſi diffiteri. Præclarè enim Anſelmus idem, *Neutrum fuit determinatè in neceſſitate, quia vtrunque erat in poteſtate & voluntate.* Ergo hi neceſſariò non peccant, ſed voluntate. Sed nec inuiti. Primùm, quia hoc quam illud, veluti, Chriſtum abnegare quàm mori vel cremari maluerunt: & cùm vtrunque eſſet ipſis propoſitum, hoc quàm illud potius elegerunt. Eſt autem B electio quædam & præcipua illa quidem voluntatis, vti diximus, ſpecies, quia qui hoc mauult, certè vult. Itaque in eo voluntate, atque etiam cõſenſu peccat, qui Chriſtum metu mortis abnegat. Vnde Bernardus. *Quum dicitur cogi voluntas, à ſeipſa tantùm, non ab alio cogitur. Nam qui metu periculi aliquid vult, vult: etſi non niſi impellente illo metu vult.* Anſelmus hoc explicat ſic, *Alia voluntas eſt qua volumus aliquid propter ſe: alia, cùm aliquid volumus propter aliud: ſed tamen nemo nolens vult.* Ergo nemo peccat inuitus. Tum deinde, quia iſtius actionis & abnegationis exequendæ principium & cauſa mouens in nobis inſtrumenta, quale eſt os noſtrum, lingua, & illius agitatio, in nobis ipſis ſita erat. Neque enim os, & linguam noſtram mouemus, niſi volentes. Vnde veriſſima huius tam nefariæ defectionis & orationis pronũtiandę cauſa fuit voluntas noſtra, quæ hanc potius, quàm illã partẽ elegit: ſéque in eã inclinauit. Omnibus enim membris noſtris cor ſiue voluntas, tanquam imperator quidã, imperat, ſine cuius imperio & iuſſu nunquam illa C à nobis aguntur & mouentur. Fateor ego quidem huiuſmodi actus neque ἁπλῶς, neque ita eſſe voluntarios, quemadmodum ſunt illi, qui ſpontanei nominantur: inuoluntarios tamen eſſe, & eſſe eiuſmodi, quales qui βίαιοι & coacti poſtea dicentur, pernego: quia principiũ & cauſa ipſiſsima mouens in nobis inſtrumenta huiuſmodi actionum noſtrarum eſt in nobis, noſtráque poteſtate. Quidam certè hos actus medias actiones appellant, quòd partim ſint voluntariæ: partim autem inuoluntariæ. Sed, meo quidem iudicio, peſsimè. Sunt enim voluntariæ. quanquam non ſunt ſpontaneæ. Alij huiuſmodi actus indirectè voluntarios nominare malunt: Spontaneos verò directè voluntarios vocant: quia voluntarium diuidunt in illud quod directè, & indirectè voluntarium eſt: quorum ſententia non vſquequaque videri poteſt aſpernanda. Scholaſtici vt hanc difficilem quidem quæſtionem explicent, voluntatis noſtræ actus duplices conſtituunt, Elicitos & Imperatos. Elicitos vocãt quos ex ſe ipſa voluntas noſtra habet & exponit, qualis eſt ipſum velle expetere, aſſentiri, conſentire, eligere. Hos actus nunquam voluntatem inuitam facere & præſtare cõtendũt. Et rectè quidẽ. A Quis enim non volens velle vel expetere aliquid vnquam dicetur? Quis ſine voluntate vel aſſentiri, vel conſentire, vel hoc quàm illud malle fingi poteſt? Quamobrem huiuſmodi actus voluntatis nunquam ſunt inuoluntarij, quanquam tamen ſæpe non ſunt ſpontanei. Neque enim quiſquam velle aliquid ſine voluntate poteſt. Neque in eo quod vult voluntas, poteſt non eſſe voluntas, adeò quidem vt etiam nolitio ipſa ſit voluntas quædam, quatenus qui non vult & renuit aliquid, voluntate quadam illud refugit & non vult. Velle enim volũtati tam eſt neceſſarium, naturale, ἰδιῶδες, & proprium, quàm intellectui intelligere: linguę ſapores guſtare: oculo videre. Ergo qui aliquid vult, voluntate vult: & quæ pars in anima velle poteſt, illa certè eſt voluntas. Quod autem eſt cuique rei, veluti voluntati, naturale, illud ab ea inuita non fit. Quare voluntas, quatenus vult, minimè inuita vult, ſed volens. Illud igitur quod in ſcholis vulgò dici ſolet, eſt veriſsimum, voluntatem noſtram, quoad ipſam quidem volitionem, nunquam cogi poſſe. Actus autem inperati ſunt, ex B ſcholaſticorum ſententia, ij, quos aliis animæ facultatibus voluntas imperat & præcipit, veluti ſentẽti vt hoc vel illud videat, guſtet, tangat, contrectet: mouenti ſe loco faculati vt in eum locum progrediatur & corpus deferat: appetenti, vt hoc vel illo cibo veſcatur. Horum actuum ratione voluntatem noſtram coactam vel inuitam dici poſſe putant, quia cùm ij actus ad finem certum aſſequendum dirigantur: voluntas autem in hoc potius, quàm illo pro fine ſequendo ac proponendo cogi poſsit, fit vt etiam voluntas noſtra in illis actionibus coacta appelletur. Atque hæc illi, quæ etſi ſcitè dicta videntur, nos tamẽ neque vera, neque ſibi ipſi cõſentientia eſſe exiſtimamus. Ac vera eſſe non poſſunt, quia niſi hæ ipſæ actiones eſſent voluntarię, nullum in iis, dum aguntur, peccatum ineſſet. Quid igitur? Certè volitionẽ à cauſa diſtinguẽdã eſſe dicimus. Nã volitio quidem, quæ in noſtra voluntate conſideratur, eſt volũtatis actus: & ſemper voluntaria eſt. Cauſa autẽ cur hæc volumus, ſæpe non eſt nobis grata, iucunda, & optabilis. Rectè C enim Augſt. *In tantùm eſt peccatum voluntarium, vt niſi eſſet voluntarium, non eſſet peccatum.* Itaque cùm quis metu mortis thura idolis incendit, eatenus tãtùm peccare ex ſuperiori diſtinctione diceretur, quatenus animo & voluntate elegit potiùs thus offerre, quàm mori: in eo verò quòd hanc ſuam perfidam voluntatem poſtea exequutus eſt, nimirum, quòd idolum adiit, quòd illîc thura idolo obtulit: quòd cremauit, quòd flexis genibus orauit, peccaſſe non cenſeretur, quia hi omnes actus imperati ſunt & coacti, & inuitæ voluntatis actiones. Quod tamen eſt falſiſſimum. Tam enim peccat quis, cùm iſta facit, & ad tam impuras operationes corporis ſui membra vel motus accõmodat & affert, quàm quum ſe facturum eſſe primùm profitetur & eligit, quia non tantùm animo, ſed etiam corpore ipſo noſtro Deo ſeruiendum eſt, ſúntque ſingula membra noſtra illi planè dedicanda, Rom. 10. v. 10. & 12. v. 1. Sed neque ſuperiori ipſorum de actibus elicitis doctrinæ iſta conſentanea videri poſſunt. Cùm enim omnes hi actus voluntatis imperio & iuſſu fiunt, voluntas autem noſtra neque inuita, neque coacta, ſed volens etiam, ex

iſtorum

A iſtorum ſententia , iſta fieri velit & imperet: ſequitur, vt horum etiam actuum ratione ſit volens, non coacta noſtra voluntas. Aliæ quidem animi noſtri facultates imperatæ à voluntate dici fortaſſe poterunt : ipſa verò voluntas, quæ in eo quod elegit & maluit, id eſt, magis voluit, voluit, certè imperata, coacta, vel inuita dici non poteſt: neque ratione actionum à ſe in his rebus præceptarum inuita, vel non volens feciſſe vnquam iure cenſebitur. ¶ Nam quod iidem illi afferunt voluntatem, quoad finem, cogi poſſe : quoad volitionem autem, non poſſe, falſa eſt diſtinctio. Non magis enim in fine hoc potiùs, quàm illo ſequẽdo voluntas cogitur, quàm in hoc potius, quàm illo volendo & præferendo, cùm voluntas ipſa per ſe ſit alicuius finis appetitio: & ad nihil aliud naturâ feratur, vel inclinetur voluntas, quàm vel ad finem ipſum, vel ad ea quæ ad finem nos deducunt. Præclarè enim Ariſtoteles, ἐςὶ δ' ἡ βούλησις τοῦ τέλους, adeò vt is qui voluntatem, quoad finem cogi poſſe contendit: quoad volitionem autem non poſſe dicit, is, inquam, ſibi planè repugnet: aut voluntatem quã- B dam ſtatuat, quæ nullum finem ſpectet, ſibique proponat. Quod eſt prorſus ἀδύνατον. Afferri quidem aliqua nobis occaſio poteſt, cur hoc potius, quàm illud velimus & præferamus: voluntas tamẽ ipſa, & actionis noſtræ finis nullus eligi, niſi à nobis volentibus, & hoc illi præferentibus vnquam poteſt. Et hæc quidem de iis actionibus dicta ſunto, quæ voluntariæ ſunt, ſiue ἑκούσιαι: ſiue illę ſpontaneæ ſint, ſiue minimè ſpontaneæ, inter quas tamẽ magnum eſt, & quoad hominum, & quoad Dei ipſius iudicia diſcrimen, cùm ſpontaneæ magis ſint tum laudabiles, tum etiam vituperandæ: non ſpontaneæ verò minus, veniámque ſæpiſſimè mereantur. ¶ Veniamus ad alterum propoſitæ diſtinctionis membrum, in quo de nobis aliquid coactò & per vim agentibus dicendum eſt. Diſtinguunt igitur quidam inter hæc tria, Violentiam, Coactionem, & Neceſſitatem. Ac Violentiam vel Vim generale nomen faciunt, quod & in bruta & in homines, atque etiam in ea quæ ſenſu carent, cadat, adeò vt C etiam vis, vel, vt ipſi loquuntur, violentia & brutis & hominibus, & arboribus ipſis afferri dici poſſit : cùm eas præter naturalem ſitum & flexionem intorquemus, Coactionem de arboribus & brutis dici nõ poſſe. Solis enim hominibus eam competere, quia ſoli voluntate præditi ſunt qua & bruta & plantæ, & virgulta carent. Sed hæc tam ſubtilis & accurata diſtinctio neque fidem ex probatis authoribus habet, neque ex communi loquendi vſu recepta eſt. Ergo coactio quid ſit primùm explicemus: deinde eam à neceſſitate ſeparemus. Coactũ Gręci βίαιον dixerunt, Coactionem βίαν. Eſt autem Coactio motus, cuius principium & cauſa mouẽs inſtrumenta illius actionis & motus neque eſt in nobis, ſed extra nos: neque nobis aliquem ad id agẽdum aſſenſum inclinationémque affert, ſed nobis tantùm tanquam mutis & merè paſſiuis inſtrumentis vtitur. Itaque Ariſtoteles libro 3. ἠθικ. capite 1. τὰ δὴ ποῖα φατέον βίαια, ἢ ἁπλῶς μὲν ὁπότ' ἂν ἡ αἰτία ἐν τοῖς ἐκτὸς ᾖ, καὶ ὁ πράττων μηδὲν συμβάλλεται. Sic qui ad idolorum templum inuitus & reclamans à multis vi defertur & rapitur, cuius repugnantis manus vi ad thura admouetur, cuius reluctantis digiti conſtringuntur vt thura accipiant, deinde diſtenduntur, vt illa thura in focum prępáratum immittant, quum ipſe ſe inuitum oſtenderet: certè coactus ille A dicetur, & vi facta idolis thus incendiſſe & obtuliſſe cenſendus eſt. Id quod in multis olim Chriſti martyribus factum in hiſtoria eccleſiaſtica legimus. Ergo qui vi ſibi illata & coactum ſe feciſſe aliquid profitetur, primùm declarauerit, dum ita impellitur, neceſſe eſt ſe minimè illi actioni aſſentiri : deinde eo tanquam bruto & merè paſſiuo inſtrumento vſi ſint alii oportet, qui eum cogebant. Eſt enim illud coactum, cùm agendi principium non tantùm extra agentem eſt, ſed nullam ei, qui agitatur, inclinationem vel appetentiam ad eam actionem iniicit & affert. Nam ſi quis fecit & ipſe volens quòd ſit tandem perſuaſus ab eo qui cogebat, is omnino coactus non eſt, quia ὁ πράττων & cauſa mouens tandem inclinauit & inflexit ſenſum & animum hominis patientis & ſic agitati, vt & ipſe tandem vellet, & voluntario motu membra ſua cieret. In quo motu ceſſat coactio. In iis autem qui omnino coguntur, quia nullus eſt voluntatis eorum aſſenſus, neque peccatum ineſt, neque etiam laus per ſe vel virtus: niſi fortaſſe propter fi- B nem, propter quem diſſenſerunt, quum iſta tota ſit aliena potius actio, quàm eius, qui vim patitur. Quòd autem quidam exiſtimant quęcunque ſunt bona, iucunda, & vtilia, illa nos cogere, certè abſurdum eſt, & ab Ariſtotele magna ratione refutatum, cùm nulli rei voluntas noſtra contrà aſſentiatur, quàm ei quę vel bona vel iucunda, vel vtilis eſſe à nobis iudicatur. Et hæc quidem de coacto & de coactione. ¶ Neceſſarium autem, quod Græci Ἀναγκαῖον vocant, aliud eſt quàm coactum, & aliud neceſſitas eſt quàm coactio. Neceſſitas eſt cauſarum ad ſua effecta σχέσις quædam, id eſt, affectio & habitudo, ex qua tam arcta & firma illatio & connexio conſequitur, vt ſit ineuitabilis. Itaque effectorum ex ſuis propriiſque cauſis dependentiam tantùm ſpectat neceſſitas: nõ autem propriè conſenſus vel diſſenſus rationem, id eſt, voluntatis adiunctionem vel denegationem. Nam neceſſitas etiam in rebus inanimatis cernitur, Coactio verò tantùm in animatis, propriéque in homine, qui voluntatem habet. C Vnde fit, vt triplex Neceſſitas cõſtituatur, Naturalis, Hypothetica ſiue Suppoſitionis, & Æterna ſiue Immutabilis. Neceſſitas naturalis eſt ea, quæ ex cauſis naturalibus certos euentus & indubitatos producit, veluti Ignis vrit: grauia deorſum, leuia ſurſum feruntur: homo eſt λογικός. Hypothetica neceſſitas eſt ea, quę ex vno dato & conceſſo aliud neceſſariò & euidẽti conſequutione colligit, veluti, ſi dies eſt, Sol lucet: ſi ambulat, mouetur : Si eſt verus Chriſtus, eſt Deus & homo. Æterna & immutabilis neceſſitas eſt, ea quæ ex æterno Dei decreto immediatè pendet: longè & naturali, & hypothetica certior, quia nunquam impediri poteſt: veluti Oportuit Chriſtũ pati & reſurgere à mortuis tertio die Luc. 24. v. 46. Oportuit Chriſtum naſci ex Virgine Matth. 1. v. 22. Oportet omnes electos & filios Dei ſaluos fieri. Actor. 13. v. 48. Quam autem neceſſitatem coactionis vocant (quæ tunc eſt cùm extrinſecis & nõ propriis cauſis agentibus aliquid effici & euenire oportet, veluti homine lapidem ſurſum torquente, lapis ſurſum feratur neceſſe eſt) ea partim ad naturalem, partim ad hypotheticam neceſſitatẽ pertinet, ſi cauſa ipſa cõſequutionis & effectionis ſpectatur, neque propriè neceſſitas eſt appellanda, ſed

A potius coactio. Differunt igitur neceſſariò & coactò aliquid fieri, vti Neceſſitas & Coactio inter ſe differunt. Coactio eſt, quum præter animi aſſenſum aliquid in nobis fit potius, quàm à nobis. Inuiti enim prorſus facimus. At neceſſariò facimus ea, quæ vel propter rerum ordinem, vel naturæ noſtræ conditionem, vel etiam Dei ipſius decretum ineuitabili quadam conſequutione eueniunt, cuiuſmodi ſępe multa volentes, atque etiam ſpontanei facimus: veluti neceſſariò edimus, bibimus, ſomnum capimus, non tamen inuiti vel coacti, ſed volentes & lubenter: neceſſariò Deus ipſe bonus eſt, ſapiens, iuſtus, miſericors, non tamen inuitus vel coactus: ſed volens. Neceſſariò Chriſtus mortuus eſt, non tamen inuitus. Philip.2.v.8. Neceſſariò peccamus omnes, non tamen inuiti, ſed ſponte. Coactio enim voluntatis noſtræ inclinationem nullam in eo eſſe vel propendere deſignat, quod fecimus, quam tamen Neceſſitas non excludit. Vnde qui ſic iſta confundunt, vt ea, quæ neceſſitate quadam à nobis fiunt, concludant eadem ab inuitis & coactis fieri, peſſimè colligunt & hallucinantur. Nam à rebus diuerſiſſimis, prorſúſque diſſimilem definitionem & naturam & finem habentibus argumentantur. Id quod pulcherrimè variis B in locis docet Auguſtinus, neque ſcholaſtici ipſi diffitentur. Atque hi ſunt tot támque varij modi, per quos tum intellectionis, tum voluntatis noſtræ ratione agere dicimur. Pergamus ad reliqua.

CAP. VIII.

De principiis & cauſis humanarum actionũ, quæ ſunt hominis propriæ. Ac primùm quidem de iis in genere.

EXPOSITIS variis humanarum actionum generibus, de cauſis & principiis earum ordine nobis eſt dicendum. Ac quidem de iis, quæ ab animę vegetantis vel ſentientis facultate oriuntur tractare, nihil ad ſuſcepti argumenti rationem pertinet. Neque enim illæ ſunt actiones, quæ hominis propriæ dicuntur, de quibus certè ſolis hoc loco quærimus, neque in iis ipſis propriè virtus C vel vitium ineſt vel ſpectatur. Pręclarè namque Ariſtoteles lib.6. ἠθικῶν cap.12. negat illius animę partis, quæ & alendi & augendi corporis cauſa eſt, & à Græcis θρεπτικὸν appellatur, actionem eſſe vllam, quæ virtus nominetur, quatenus quidem virtus opponitur animi vitio & peccato. Et quod ſæpe de illius facultatis munere agentes illius robur & vires integras appellamus virtutẽ: imbecillitatem autem, vitium, cùm non ſatis ad ſuum munus implendum ſunt vegetæ & validæ illius partis animi vires, certè in eo virtutis & vitij nomine abutimur, & à moribus vitæque inſtitutione ad naturalium functionum operationes quadam metaphora virtutem & vitium traducimus: atque tunc κοινή τις ἀρετὴ καὶ οὐ κυρία, οὐδ᾽ ἀνθρωπίνη φαίνεται, vt ait idem eiuſdem operis lib.1. cap.13. καὶ γὰρ θρεπτικὸν (ait) τῆς ἀνθρωπίνης ἀρετῆς ἄμοιρον πέφυκεν. Itaque tunc virtus, quæ dicitur, eſt naturalis tantùm facultatis integritas quædam & vis robuſta ad ſuum munus exequendum. Atque hæc quemadmodum de alentis animæ facultate vera ſunt, ſic de ſentientis quoque ſunt intelligenda. Quamobrem reſtat, vt de actionum quæ λογικῆς animi partis in homine propriæ ſunt, cauſis & principiis quęramus. A In quo dici quidem neque ſatis, neque etiam verè mihi videtur, quòd ſcribit Ariſtot. lib.3. ἠθικῶν cap.3. Ἔοικε δὲ ἄνθρωπος εἶναι ἀρχὴ τῶν πράξεων, id eſt, *Videtur autem homo ipſe eſſe principium huiuſmodi actionum.* Quanquam enim ſine quadam concurrente hominis actione non fiunt, (neque enim niſi ab homine Actiones humanæ verè denominantur) tamẽ huiuſmodi actionum aliæ ſunt, & eæ quidem veriſſimæ, quemadmodum docebimus, cauſæ præter hominem ipſum, nimirum bonarum actionum cauſa eſt, Deus ipſe: Malarum Homo ipſe, ſæpe etiam Diabolus. Vt igitur in vniuerſum, quænam ſint hæ, intelligantur, ſic ab hac diſtributione, tanquam iam ſuperius probata & explicata, ordimur. Λογικῆς animi partis operatio

vel
Nudam contemplationem ſpectat, tanquam finem,
Actionem ipſam, & pręter cognitionem, aliquem vſum atque operationem.

Contemplantis animi veriſſimum obiectum eſt τὸ ὂν vniuerſale. finis autem, verum à falſo diſtinguere. Quoniam verò Ethices, quam hoc loco tractamus, laus omnis in actione, non autem in nuda & otioſa illa mentis agitatione & contemplatione verſatur, de contemplantis animi actionibus B earúmque cauſis non agemus: ſed de illa tantùm animi λογικοῦ parte, quæ in actione ipſa tota occupatur. Hęc ἐν τοῖς καθ᾽ ἕκαστα, id eſt, in ſingularibus rebus verſatur. Ergo in iis voluntas illud perſequitur, quod ratio quodam iudicio bonum eſſe videt & dictat. Quod autem in iiſdem rebus malum eſſe ratio percipit, id eadem voluntas fugit & auerſatur. Ex quo fit, vt in his actionibus ratio, atque ea quidem recta, præcedere tãquam lux debeat: & voluntas ſiue appetitio ſequi, vt rectè fiant. Sin minus, erit tota actio noſtra mala & perturbata: Nimirum ſiue ratio non præceſſerit: ſiue quod bonum eſt, illa non rectè viderit: ſiue etiam voluntas quod rectè ratio præſcribit, vitioſo aliquo affectu occupata amplexa non ſit. Bonum autem quod & ratio dictare, & voluntas amplecti debet, hoc loco honeſtum appellamus: non autem ſuaue vel vtile & commodum. Nam vt piè, & benè & ſanctè viuamus (quò certè omnis Ethice, imprimis autem Chriſtiana, tendit) non voluptatis corporis ratio habenda nobis eſt: non item vtilitatis noſtræ, cùm vtraque ſæpiſſimè C magno ad honeſtè viuendum impedimento ſit, quicquid Epicurei homines, vel Stoici Philoſophi contra diſputent. Sed verbum Dei ſacroſanctum oſtendit illud, quod dicimus eſſe verum. Ac quidem voluptatem carnis obſtare vitæ ſanctitati conſectandæ tota ſcriptura docet, quæ toties concupiſcentiis carnis nobis renuntiandum eſſe, & valedicendum præcipit. Luc.21. v.34. 1. Ioan. 2. v.25.16. Tit.2.v.12. Rom.13.v. 14. Commoda verò quæſtúſque nobis ſæpe quoque ad veram vitę ſanctitatem eſſe impedimento eóſque damnoſos, eadem ſcriptura docet apertiſſimè, 1.Timoth.6.v. 9. 1. Corinth. 13. v. 5. Quamobrem de iis actionibus nobis ſermo eſt, in quibus voluntas noſtra non id, quod carni corporíſque ſenſibus iucũdum eſt perſequitur: non item id, quod opibus reíque & familiæ noſtræ augendæ commodum & aptum videri poteſt: ſed id ſolum expetit, quod pium, quódque ſanctum eſt, & vulgò honeſtum nominatur. Eſt autem in nobis eadem numero, quemadmodum loquuntur, volũtas, qua ſuaue, qua vtile, & qua ho-

A neſtum expetimus: quanquam eam appetitionem, qua ſuaue quid ſenſibus cupimus, Philoſophi appetitum naturalem: Medici ferè appetentiam vocare ſolent, qualis eſt appetẽtia potus vel cibi, aliarúmque corporis voluptatum. Sed nos in homine vnam tantùm numero animam, vnámque voluntatem cõſtituimus, & ex Dei verbo eſſe didicimus: à qua voluntate vna & eadem eſſentiâ, nec eadem ratione, id eſt eadem de cauſa, nec iiſdem inſtrumentis, nec ad eundem finem ſuauia, vtilia, & honeſta expeti atque deſiderari verum eſt. Præclarè enim Bernardus in paruis ſermonibus, *Rationis,* ait, *eſt diſcernere inter bonum & malum, verum & falſum, commodum & incommodum: in quibus diſcernendis tanta modò caligine cæcatur, vt ſæpe in contrarium ducat iudicium recipiens malum pro bono, falſum pro vero, noxium pro commodo, & è conuerſo.* Ergo quæ ſunt ſuauia & iucunda ſenſibus ratio etiam iudicat in homine, & voluntas cupit ad vitæ huius corporeę, B quam in hoc mundo viuimus, tum conſeruationem, tum etiam delectationem. Hic appetitus nobis etiam cum brutis communis eſt. Quæ ſunt vtilia hæc eadem voluntas noſtra deſiderat, ad maiorem faciliorémque vitæ huius copiam comparandam, nequid nobis in poſterum deſit. Hoc deſiderium, atque tã ſagax cogitatio ſolius hominis propria eſt, quia ratiocinationis vim & animi iudiciũ requirit, & proſpicit de futuro, quo animi iudicio carent animãtia bruta. Nam quod de formicis excipi poteſt, eas etiam eadem de futuro proſpicẽtia præditas eſſe, diuerſum ab hominis cura ex eo eſſe intelligitur, quòd homo ratione & cogitatione cõgerit neceſſaria: formicæ verò ſolo ſenſu impulſæ & voluptate guſtus, qua titillantur, dum grana accumulant. Itaque nulla futuri cura tanguntur: ſed ſolo voluptatis corporeæ ſenſu. Quæ ſunt autẽ honeſta, expetit quoque eadem hæc voluntas noſtra, vt nos noſtráſque actiones pręſcriptæ à diuina iuſtitia regulę cõformes reddat, ac ſi fieri poteſt, adęquet. Quæ certè eſt propria hominis, pręſertim autem Chriſtiani, actio. Ergo cùm boni ſignificatio ſit triplex,

C vel vt { Suaue
Vtile
Honeſtum denotet:

In hoc argumento Bonum appellamus, quod eſt honeſtum. Id quod nobis in his actionibus proponimus perſequẽdum. Et quod à quibuſdam tam contentioſè defenditur, Voluntatis noſtræ & finẽ & obiectum eſſe bonum: quemadmodum intellectionis noſtræ ſcopus eſt Verum: atque idem eſſe in voluntate perſequutionem & fugam: quod eſt in intellectu affirmatio & negatio, ambiguum eſt. Eſt enim bonum duplex, nimirum Conditionis ſiue naturæ: & Electionis ſiue Moris, quemadmodum illi ipſi loquuntur. Bonum conditionis eſt, quod natura hæc noſtra qualis nunc eſt, requirit, qualia ſunt omnia quæ ad corporis noſtri vitam hanc, delectabilémque illius ſtatum pertinẽt. Hoc idem & plantæ quodammodo, & bruta quoque appetunt. Eo enim ſenſu vulgò dicitur, & rectè quidem, Omnia bonum expetunt. Bonum autem electionis eſt, quod ſoli homines agnoſcere atque etiam deſiderare poſſunt, quatenus illi ſunt λογικοὶ, & à brutis animalibus toto genere diſſimiles. Eſt autem Electionis bonum, per quod vita conditióque noſtra ad Dei imaginem reformatur, & ad diuinæ A iuſtitię legem & normam præſcriptam, id eſt, ad ſummum & perfectiſſimum ſuum ſtatum & bonum, quàm proximè fieri poteſt, reuocatur & accedit. Ergo bonum conditionis naturam hanc noſtram, qualis nunc eſt, & quemadmodum deprauata, ſuſtentat & fouet tamen: bonum autem electionis, naturam hanc noſtram, quæ vitioſa eſt, in priſtinum iuſtitiæ, quam primùm habuit, gradum reformare & reponere tentat atque conatur. Quod vt fiat, honeſta præſcribit agẽda: atque illa honeſta λογικὴ in nobis animę pars ea volũtate, quam à Deo ſpecialiter præter bruta habet, facere geſtit & appetit. Eſt autem honeſtum πρᾶγμα ſiue actio omnis quæ ad præſcriptam nobis à diuina iuſtitia normã & quoad finem ipſum actionis, & quoad media agendi quadrat, atque conformis eſt ac conſentanea. Quia verò in iis omnibus, quæ & ad vitæ huius tuitionem & ad opum noſtrarum rationẽ pertinent, Dominus certa à nobis pręcepta voluit obſeruari, fit, vt honeſtas in iis etiã rebus ſit, quæ ſunt ſuaues ſenſibus, qualis eſt virtus illa, quæ temperantia B dicitur, quæ corporis voluptates moderatur: & in iis etiam, quæ ad opes augendas ſpectant, qualis iuſtitia, quæ ſuum cuique reddit: non autem quatenus eæ res ſuaues corpus ſalubriter alũt, hoc enim eſt proprium medicorum: neque quatenus eæ opes ſunt res quædã naturales, hoc enim Phyſicorum proprium argumentum eſt: ſed quatenus in vtriſque certa quædam diuinæ legis iuſtitiæ pars pręſcripta & obſeruanda nobis eſt, eatenus, inquã, etiam in iis honeſtum verſatur. Ergo cùm dicitur voluntas noſtra omnis bonum expetere, de bono electionis vel honeſto omnino & ἁπλῶς intelligi non debebit: ſed de bono in genere, id eſt, ſiue de ſuaui, ſiue de vtili, ſiue de honeſto. Hîc autem quęrimus de bono electionis ſiue honeſto, quod voluntas noſtra in iis actionibus, quæ hominis propriæ ſunt & ad hanc diſputationem ſpectant, ſibi proponit: A quo fit, vt actiones noſtræ vel honeſtæ, vel turpes dicantur, ſiue bonę, ſiue malæ, quod perinde eſt. Actionum igitur huiuſmodi, id eſt, honeſtarum & turpium, quæ ab hominibus fiunt, C cauſas & principia quærimus. Ac turpium quidem & malarum, vt ſummatim dicatur, cauſa ipſiſſima eſt homo ipſe propter corruptum tum iudicij lumen, tum voluntatis appetitum. Rom. 3. v. 14. Honeſtarum autem & bonarum, non item. Quod ex ſequenti diſputatione melius apparebit. Quatuor autem huiuſmodi actionum cauſæ ſpectari à nobis in vniuerſum poſſunt,

nimirum { Efficiens
Finis
Materia
Forma.

De quibus ſingulis eſt ordine dicendum, ſi prius Quid ſit bona ſiue honeſta actio, Quid mala ſiue turpis, breuiter expoſuerimus.

CAP. IX.

Actio bona ſiue honeſta, quæ dicenda: Quæ item mala & turpis.

DIFFICILIS ſanè & ardua quæſtio eſt, Quid ſit honeſta, ſiue ſancta, ſiue bona (tot enim nominibus appellari vna & eadem poteſt actio) quidve turpis. Nam aliter prophani philoſophi, qui vitę honeſtè inſtituendæ pręcepta tra-

A didere:aliter Nomothetæ & Iuriſconſulti,qui honeſtas leges hominibus poſuere:aliter denique veri Chriſtianíque Theologi, qui quid honeſtũ ſiue ſanctum ſit: quid item turpe & profanum explicarunt: adeò vt propter tam varias ac ſæpe ſibi ipſis contrarias de eadem re ſententias quidam honeſtum & turpe non naturâ, ſed hominum tantùm opinione definiri & conſtare cenſerent:atque poſſe quemque prout animo libuerit hoc vel illud eſſe honeſtum & turpe ſibi ſtatuere.Impia certè ſententia, quanquam à quibuſdam ſcholaſticis vt eſt lib. 2. ſententia. Diſtinct. 39. defenſa, per quam omne iuſti atque iniuſti, honeſti & inhoneſti diſcrimen & delectus tollitur.Nam ſi ipſius conſciẽtiæ noſtrę vox à nobis exaudiatur,itémque eorum, qui inter profanos ipſos ſaniores fuerunt, iudicia ſpectentur, turpe & honeſtum quod propriè eſt, grauiſſimo naturæ ipſius teſtimonio, nõ leui quadam hominum opinione definitum eſſe apparebit. Itaque & ipſorum Philoſophorum, & Iuriſcõſultorũ authoritate refutata eſt hæc tam nefaria oratio.Pręclarè enim Ariſtoteles libr.5.ἠθικῶν Νικομαχ. cap.7. (vt & Platonicos omittam & Stoicos, qui verius, quàm vel Epicurei vel Cyrenaici, vel Pyrrhonici,de rebus honeſtis ſenſerunt) præclarè,in- B quam,ille, τοῦ δικαίου τὸ μὲν φυσικὸν, τὸ δὲ νομικὸν, eſſe contendit. Huic aſtipulatur Vlpianus Iuriſcõſultus in L. Probrum 42. D. de verborum ſignificatione. *Probra*,inquit,*quedam naturâ turpia ſunt: quedam ciuiliter, & quaſi more ciuitatis, Vt pote furtum, adulterium,naturâ turpe eſt. Enimuero tutelæ damnari,hoc nõ naturâ probrum eſt,ſed more ciuitatis. Nec enim naturâ probrum eſt, quod poteſt in hominem idoneum incidere.* Quid ex Stoicorum ſententia M. Tull? *Quibus ex rebus conflatur*,ait,*& efficitur id,quod quærimus, honeſtum, quod etiamſi nobilitatum non ſit, tamen honeſtum ſit,quódque verè dicimus,etiamſi à nullo laudetur, laudabile eſſe naturâ*.Irenęus item author ſanctiſſimus, & grauiſſimus, quem Vlpiano præferri oportuit: *Bonum & malum*, inquit, *non opinione,ſed natura definitur*.li.2.cap.56. Sed quis tandem finis erit ſi cęterorum de ea re teſtimonia colligam,luce quidem diuina carentium hominum, ſed tamen ipſius naturæ & conſcientiæ ſuæ vi impulſorum, vt iſta affirmarent quæ & vera ſunt, & à nobis pro conceſ- C ſo quodam αἰτήματι in hac tota diſputatione ſumẽda.Nimirum aliud eſſe honeſtum quàm turpe: ídque naturæ ipſius voce definiri. Vnus eſt Paulus nobis pro omnibus iudex in hac controuerſia audiendus,qui Roman.2.v.15. docet ea quæ lege Dei præſcripta ſunt (illa autem ſunt honeſta) aperto conſcientiæ noſtræ teſtimonio definiri,adeò quidẽ vt cogitationes ipſę noſtræ tanquam naturæ voces nos in noſtris actionibus iudicandis accuſent vel excuſent, quicquid vana hominum diſputatione ſit contrà conſtitutum.*Vt qui*,ait,*oſtendant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis: vnà teſtimonium reddente ipſorum conſciẽtia,& cogitationibus ſeſe mutuò accuſantibus*.Quid,quòd dum aliquid turpe & obſcœnum agunt homines,latebras quærũt? Quid,quòd nullo teſte aut indice ipſi ſe tamen produnt ſcelerati,cõſciẽtiæ ſtimulis acti, velut certiſſimo indicio damnati,cui refragari nõ poſſint,quãtumuis reluctentur? Quamobrem rectè ille & conſentiẽter ipſi rerum naturæ & veritati dixit,ſe

Iudice nemo nocens abſoluitur,improba quãuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnam.

Quod non accideret,niſi quædam eſſe reipſa, non A autem hominum tantùm cõſuetudine vel opinione turpia naturæ ipſius vox,conſcientiæque noſtrę iudicium doceret.Ipſum igitur bonum ſiue honeſtum non eſt opinionibus,ſed naturâ.Nam quemadmodum non poſſunt homines, quicquid de tenebris ſemel vniuerſi ſtatuerint ſuis decretis efficere, vt illæ ſint lumen:neque vt lumen ſint tenebræ: ita neque ſua obſtinatáque ſententia, neque longa diuturnáque conſuetudine poſſunt boni & mali, honeſti & inhoneſti naturam immutare atque fines conuellere. Væ enim illis Dominus ipſe denuntiat, qui *quæ bona ſunt, mala: quæ autem mala, bona nominant*. vt eſt Iſai. 5. Quàm verò illud ſentire abſurdum eſt,Atra & candida, Calida & frigida, Rubra & Viridia, cæteráque huiuſmodi non hominum tantùm opinionibus,ſed ipſa rerum naturâ diſtingui? Bonum autem & malum: turpe & honeſtum:virtutem & vitium,nõ naturali quadam certáque differentiâ diſtingui: ſed tantùm pro cuiuſque leui arbitrio & voluntate,cùm tamen in his quàm in illis confundendis maius periculum verſetur? Denique vt totus hic locus concludatur,in- B dicatione potius,quàm probatione eget,niſi,gigãtum more, cum Deo ipſo pugnare voluerimus, & hæc M. Tull. Cicer. diſertiſſimi oratoris verba ex li.1. De legibus audiamus. *Quod ſi populorum iuſſis,ſi principum decretis, ſi ſententiis iudicum iura & honeſta cõſtituerentur,ius eſſet latrocinari,ius adulterare, ius teſtamẽta falſa ſupponere,ſi hæc ſuffragijs aut ſcitis multitudinis probarentur. Quæ ſi tanta poteſtas eſt ſtultorũ ſententijs atque iuſſis, vt eorum ſuffragijs rerum natura vertatur, cur non ſancimus, vt quæ mala pernicioſáque ſunt, habeantur pro bonis ac ſalutaribus? Aut cur,ſi ius ex iniuria lex facere poſſit,bonum eadem facere non poſſit ex malo? Atqui nos legem bonam à mala nulla alia, niſi natura,norma diuidere poſſumus: Nec ſolum ius & iniuria à natura diiudicatur,ſed omnino omnia honeſta ac turpia.* Id quod etiam libr. contra Mendacium cap. 7. docet prolixè Auguſt.Ex quo fit, vt explodenda nobis ſit prorſus iſta Q.Horatii Flacci,tanquam hominis profani ſententia, quæ eſt Satyra lib.1.Saty.3. C

Nec natura poteſt iuſto ſecernere iniquum,
Diuidit vt bona diuerſis,fugienda petendis.

Melius verò eodem opere idem, & ſanior factus, docet à natura ipſa, non ex hominum temeraria & mutabili opinione poſitos eſſe recti, prauiq; fines,

Eſt modus in rebus,ſunt certi denique fines,
Quos vltra,citráque nequit conſiſtere rectum.

Quod & Euripides in Medea,& pręſtãtiſſimi quique tum Poëtę,tum Philoſophi ſcripſerunt,& ſenſerunt. Sed neque illam quoque Cœlij Lactantij, quanquam ſcriptoris Eccleſiaſtici,honeſtatis definitionem probamus, qui lib.3. cap. 8. ſic ait, *Nam quid eſt honeſtas,niſi honor perpetuus ad aliquem ſecundo populi rumore delatus?* Quanquam enim laus actiones honeſtas ſequi, tanquam vmbra corpus, inter viros bonos ſoleat, ipſa tamen honeſtatis vis & natura non ex hominum opinione & rumore, vt ille vult:ſed ex naturæ immutabili voce & perpetuo teſtimonio ſtatuenda eſt. Itaque cùm illud quod honeſtũ vel turpe dicendum eſt, nõ opinione tantùm,ſed naturâ definiri debeat, iã quid illud ſit explicemus.Ab eo enim actio honeſta, vel turpis denominatur.In eo autem,quod honeſtum eſt, definiendo (nam turpis ſiue mali, vti contrarii,

eadem

A eadem erit ratio) multum ii omnes cæcutiunt, qui veritatis cęleſtis luce deſtituuntur. Alii enim id eſſe honeſtum ſiue alio nomine purum, venerādum, iuſtum, amabile, laudabile, ſanctum, dicere maluimus (tot enim támque variis appellationibus ad maiorem rei tantæ commendationem, tanquam præclaris cognominibus, ornat honeſtum Paulus Philip. 4. v. 8.) Ergo illud eſſe honeſtum volunt quod eſt per ſe expetendum: ita M. Tullius. Alii id eſſe malunt honeſtum, quod virtutis eſt particeps, vt Hippodamus Pythagoric⁹. Alii illud quod mediocritatem illam auream (in cuius indeflexa linea, tanquam Solem in ecliptica, totam virtutis rationem ſitam eſſe volunt) retinet atque conſeruat: quemadmodum Ariſtot. Qui omnes, & ſi qui ſunt his ſimiles, meo quidem iudicio, peccant in honeſto definiendo grauiſſimè. Nam primum obſcurum quod eſt, per aliud æquè ignotum explicare conantur. Id quod legi definiendi planè repugnat, habétque in ſe illud vitium, quod Dialectici vocant αἰτεῖν τὸ ἐν ἀρχῇ. Tam enim ignorāt homines quid ſit vel virtus, vel virtutis particeps, quàm quid ſit honeſtum. Præterea non ipſam rei

Honestum.

B οὐσίαν, ſed tantùm adiuncta quædam & accidentia, nec ea quidem inſeparabilia, afferunt qui dicunt honeſtū illud eſſe quod eſt per ſe laudabile & expetendum, aut quid ſimile. Quanquam enim vera eſt eorum ſententia, honeſtum eſſe laude dignum, ſæpe tamē quę ſunt mala & turpia potius inter homines & laudantur & expetuntur: quàm quæ ſunt bona, veluti ſuperſtitio, idololatria, auaritia maiori mortalium parti & vulgo ipſi probatur. De quo viri grauiſſimi ſemper conqueſti ſunt, atque etiam hodie conqueruntur, mala veris bonis pręferri. Eſt igitur honeſti & boni ſignificatio huiuſmodi, vt ſi vocabulum quidem ipſum ſpectes, abſolutū quiddam: ſin autem rem ipſam, relationem, affectionem & σχέσιν ad aliud aliquid denotare videatur. Bonas enim & honeſtas actiones has vel illas dicimus aperto quidem & ſimplici ſignificato: ſed ſi rationem huius appellationis & diſtinctionis quærimus, ſi naturam, ad aliud quiddam nos referamus neceſſe eſt. Eſt enim illud bonum & honeſtū quod eſt ſuæ regulæ, & tanquam menſuræ adæquatum

C & congruens, adeò, vt cùm honeſtum quid eſſe dicitur, certa quędam ratio ſiue proportio ad aliud ſignificetur, in quo nobis eſt intuēdum, quòd illud ſit ipſius actionis noſtrę veriſſima ſtatera & norma. Quamobrē non omnino ii malè ſentiunt, quāquam tamen barbarè loquuntur, qui bonitatem actionis humanæ ſic definiunt, vt ſit quædam recta proportionatio (ἀναλογισμὸν vel ἀναλογίαν Græci dicunt) facti noſtri ad præſcriptam nobis agendi legem, ex qua actionis noſtræ conuenientia & quædam velut æqualitas cum ipſa regula, præſcripta, in rei quam ſuſcepimus, adminiſtratione cernatur & eluceat. Rectè enim Scholaſtici, *Bonitas cuiuslibet rei*, aiunt, *conſiſtit in conformitate ad ſuam regulam.* Sed malè iidem ſubiiciunt, *Dictamen rationis humanæ eſſe idoneā regulā actionum humanarum, ad quod illa ſunt dirigēda.* Lōgè enim tutior veriórque nobis actionū noſtrarum regula quęrenda eſt, quàm intelligētia vel mens noſtra, quæ luce ſua tanquam ſplēdida face, nos illuſtret, & dirigat, quia mens noſtra (etiā ea, quæ à Philoſophis ἡγεμονικὸν dicitur) & cæca & deprauata eſt, quemadmodū docet ſelectiſſimum illud Dei organum Paul. Epheſ. 4. v. 23. Verius igitur illi etiam ex Scholaſticis, qui *bonum & honeſtum id eſſe volunt, quod eſt volitum formale Dei.* A Nam idem ſentiunt cum Paulo, idē cum Moſe. Ac Paulus quidem tum Coloſſ. 1. v. 10. tum etiā Rom. 12. v. 2. Epheſ. 5. v. 15. Ἀρέσκειαν & θέλημα θεοῦ, id eſt *Voluntatem Dei, & quicquid illi gratum eſt, & acceptum,* veriſſimam vitæ noſtræ ſanctè inſtituendæ regulam eſſe demonſtrat. Moſes autem Deut. 12. v. 8. idem planè confirmat, vt ad eam ſolùm tanquam regulam & vnicam & perfectiſſimam omniū honeſtarum actionum ſit nobis intuendum, & dirigenda omnia opera noſtra, quæ bona & ſancta eſſe volumus. Damaſcenus contra Manichæos, τὸ φαιδρὸν ἀγαθὸν, ὅπερ θέλει ὁ θεός. ὥσπερ γὰρ τὸ φῶς ἐκ τοῦ ἡλίου ὁείζεται· οὕτω καὶ τὸ ἀγαθὸν ἐκ τοῦ θεοῦ. Atque illa eadē Dei voluntas verbo ipſius comprehenſa non tantùm externarum actionum noſtrarum: ſed & cogitationū ipſarum, quas ſanctas & bonas eſſe deſideramus, etiam eſt & norma, & regula. Et quo fit, vt Dei λόγος dicatur κριτικὸς, vt ait Apoſtolus, ἐνθυμήσεων καὶ διανοιῶν καρδίας, id eſt, diiudicare cordis noſtri cogitationes quales ſint, bonæ nimirum an malæ, Hebr. 4. v. 12. Nam ſi diligēter in illius cognitione aſſue- B facti & exercitati fuerimus, facilè bona à malis, & honeſta à turpibus diſcernemus atque diſiungemus, vt eſt Heb. 5. v. 14. Philip. 1. v. 9. 10. Ex quo fit, vt iam bonum & honeſtū ſit omne illud definiendum, quod eſt diuinæ legi, & iuſtitiæ nobis in ea deſcriptæ, tanquam ſuæ veræque regulę, congruēs, conſentiens, & vt ita dicam, proportionatum ſiue adæquatum. Illud autem & Malum & turpe eſt appellandum, quod ab ea Dei lege, tanquam à ſua norma, diſsidet, & diſcrepat. Honeſtum igitur ſiue bonum opus & actio (Nam eo quod eſt honeſtum definito, facilè iam quid ſit honeſta actio intelligi poteſt) eſt ea, quæ cum legis Dei præceptis planè conſentit. Turpe autem ſiue malum opus & actio, ea, quæ à legis Dei præſcripto vel in totum, vel in parte tantùm, diſſentit & recedit. Cæterum inter bonum & malum opus hęc eſt maximè notanda differentia, quòd bonum opus dici neque debet, neque etiam, ſi exactè rem definire volumus (Sæpe enim multa opera etiam imperfecta & mala ex parte, à nobis tamen, qui meliora præſta- C re non poſſumus, dicuntur eſſe bona) poteſt, niſi omnino & quoad facti ipſius ſpeciem, & quoad finem (quæ duo ſunt velut materia & forma actionum noſtrarum, & velut eſſentiales earum partes) & quoad etiam omnes alias circunſtātias cum lege & voluntate Dei concordet & conueniat, à quā ſi vel tantillum receſſerit, iam malū opus eſt, quia conforme, conſentaneū, & exæquatum ſuæ menſuræ, id eſt, legi Dei non erit. Malum enim opus eſt, ſi vel in vna tantùm circunſtantia quis à præſcripta nobis à Deo iuſtitiæ regula diſcedit. Id quod copioſè & luculenter docet Baſil. lib. 2. De Baptiſ. Interrogat. 8. Nam qui vel in vno ex iis omnibus, quæ Dominus à nobis requirit offendit, quāquam cętera & plura quidē ex illis obſeruauerit, fit tamē omniū, vt ait Scriptura, reus, quia partialē iuſtitiā non acceptat Deus: ſed eam tantùm, quę omnibus ſuis numeris conſtat & perfecta eſt. Ergo is demū coram eo honeſtum aliquod & bonum opus feciſſe dici poteſt, qui præſtiterit omnia, quæ ſunt in quaque actiōe à Deo præcepta, Iacob. 2. v. 10. Galat. 3. v. 10. Deuteron. 27. v. 26. Longè enim in iſtarum rerū examine differt Dei iudicis Optimi, Iu-

A ſtiſſimi & Perfectiſſimi ab hominum ſenſu iudicium & ſtatera. Nihil enim ille qui omnino perfectus eſt,niſi perfectum & omni parte abſolutū gratum & acceptū habet. Nos autem qui nihil niſi labes,vitium,& iniuſtitia ſumus,etiam ea bona opera appellamus,in quibus tamen magnę ſordes,magni næui, magníque defectus & deformitates inſunt, quia meliora propter naturæ corruptionem, qua laboramus,præſtare & efficere non poſſumus. Vnde quæ actio ex ipſius facti ſpecie dici fortaſſe bona poterat à nobis,ea tamē malum & inhoneſtū opus coram Deo erit,ſi in ipſo opere aliqua circūſtantia non rectè obſeruata fuerit vel nō animaduerſa. Veluti ſi quis aliū prohibeat alienum furari vel mœchari , vt illud poſtea ipſe furetur, vel cum ea ipſa muliere mœchetur,ex ipſo quidem facti,id eſt,prohibitionis & diſſuaſionis genere honeſta & bona actio cenſeri poſſet:ex fine tamē,propter quē iſta fieri diſſuaſit,& turpis & mala dicenda eſt. Itē ſi quis cōmiſeratione quadam ex alieno ſubueniat egenti,quoad facti ſpeciem & finem, honeſta hæc quidem actio fortaſſe videbitur,propter circunſtā- B tię tamen rationem,nimirum quia ex alieno largitur,fit mala. Item ſiquis patri caſtigare filium moderatè paranti affectu quodam humano eximat,videri poſſet actio in ſpeciem humana, nempe eum qui affligendus eſt ex imminenti malo & cruciatu eripere,ſed quia patri eripit,non eſt probāda. Quāobrem veræ ſunt hæ duæ ſententiæ,& à nobis obſeruandæ. 1 Quæ ex facti genere bona eſt actio, NB. ex circunſtantia mala fieri poteſt. 2 Mala tamē ex facti ſui genere actio,propter bonam circunſtātiam bona fieri nunquam poteſt. Neque enim qui furatur vt alii ſubueniat,vel qui mœchatur vt cum proximo, id eſt , muliere aliqua, arctiorem amicitiam contrahat,is bene agit:quanquam velle nobis amiciſſimum eſſe proximum, vellę illi ſubuenire, per ſe videri poterat honeſtum. Ex quo fit, vt variis, imò verò penè infinitis modis & itineribus à recto deflectamus & in vitium labamur: vna tamē duntaxat via,quæ eſt regia, vt Iacob. loquitur, Iacob.2.ve.8.rectè agamus & incedamus,quia infinita ſunt diuerticula, quæ nos à recto itinere & tramite abducunt. Via autem,quæ recta eſt,vnica eſt. C Nam quemadmodū aliquid à iuſta menſura & pōdere deficere infinitis propè modis poteſt,vna verò tantùm eſt ratio,per quam ſuæ menſuræ & pōderi conuenit:nimirum,ſi illi adæquetur: Ita variis modis & diuerticulis malum opus efficitur: cùm tamen vna tantùm boni operis via , ratio veráque definitio ſit,nimirum ſi planè & omnino cum Dei verbo, id eſt, cum ſua regula noſtrum opus conſentiat. Plura enim requiruntur, vt bona ſit actio noſtra, quàm vt mala. Eſt enim tum demum bona,cùm prorſus & penitus legi Dei, id eſt, ſuæ regulæ eſt adęquata,nec ab ea vel minimùm recedit. Mala verò eſt , quocunque modo ab ea deflectat. Requirit autem in actionibus noſtris, vt illæ bonæ ſint & honeſtæ,Dei verbum duo quædam,nempe,

Facti atque operis ſpeciem , veluti vt alicui ſubueniamus, amemus , foueamus.
&
Certas quaſdam quæ cuique operi inhærent circunſtantias.

Quæ ſanè non poſſunt abeſſe , & de quibus ſuperius diximus. Atque hæ ſi non fuerint ſingulæ à nobis rectè & diligēter in quaque actione, quemadmodum oportet, obſeruatæ, noſtrum opus deturpant, & quodammodo inquinant, ne verè poſſit cenſeri honeſtum & bonum. A Sunt enim circunſtantiæ facti,tanquam nudi corporis decora veſtimenta,quæ ſi negligenter induantur,turpem illius corporis aſpectum reddunt. Sic igitur circunſtantiæ non ſatis prudenter, nec, vt oportet , adhibitæ opera noſtra efficiunt mala & deformia. Adeò vt quantumuis illa in ſpeciem egregia & eximia ſæpe hominibus videantur,fœda tamen ſint, exitioſa,& damnanda apud Deum,cuius ſolius iudicio in bonis malíſve operibus definiendis proculdubio nobis eſt ſtandum. Quod autem ſolius voluntatis opera & actiones bonas vel malas eſſe poſſe Scholaſtici docent & contendunt lib.2.Sentent.Diſtinct. 39.& 40.Intellectus,Memoriæ,& reliquarum animi facultatum nō item,illud planè falſum eſt. Quacunque enim noſtri parte à Dei lege , id eſt,à vera regula & præſcripto diſcedimus , certè peccamus, quia Deus non tantùm volūtate, ſed & intellectu, & reliquis animi noſtri viribus & facultatibus à nobis eſt & colendus & diligendus Matth.22.v.37. Omnia enim membra noſtra , atque etiam animæ noſtræ potentiæ omnes ſunt Deo conſeruandæ,vt Rom. 12. docet Paulus. Nam diuina lex non tan- B tùm noſtræ voluntatis,ſed etiam intelligentiæ occupationes atque actiones regit & dirigit:à qua regula ſi illę diſceſſerint,proculdubio & mala & peccata ſunt dicendæ.

Cap. x.

De cauſa efficiente humanarum actionum, quæ bonæ:vel malæ dicuntur.

BENE verò vel malè agendi principiū & cauſa efficiens duplex quidem in vniuerſum à nobis cōſtitui poteſt,vna in nobis , altera extra nos. Nam quòd bonarum vel malarum actionum ἀρχὴν & principium hominem ipſum eſſe ſcribit Ariſtot. verè quidem dixit , ſed non ſatis. Ac verè,quòd quemadmodum præclarè ſentit Auguſtinus, neque ſaluos nos facit Deus ſine nobis: neque debet bona actio vlla humana eſſe cenſeri , in qua nulla ipſius hominis operatio interuenire ſpe- C ctaríve poteſt. Non ſatis dixit tamen Ariſt. propterea quòd homo non eſt ſola bonarum actionū, quas agit,cauſa & principium,verum etiam Deus: imò verò ſi fiat vtriuſque inter ſe cōparatio, Deus ipſe & ſolus quidem earum eſt & author & cauſa veriſſima & ipſiſſimum principium potius , quàm homo ipſe. Nam quanquam per peccatum voluntatem non amiſimus,tamē eam quæ bona eſt,perdidimus,& quidem omnino,adeò vt iam nihil boni ipſi vel per nos , vel ex nobis , vel à nobis velle poſſimus, ac ne cogitare quidem. 2. Corin. 3. v. 5. Eſt enim Deus ille qui efficit in nobis , vt id quod rectū eſt velimus, & vt efficiamus,pro gratuita ſua beneuolentia,quemadmodum Paulus ſcribit Philipp.ſecundo v.13. Quamobrem conſentienter Dei verbo, Auguſtinus in Enchirid. (vt infinitos propè illius eiuſdem ſcriptoris locos omittam) cap.32. *Totum Deo detur*, ait, *qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam & adiuuat præparatam. Nolentem præuenit, vt velit. volentem ſubſequitur, ne fruſtrà velit.* Ergo bonam voluntatē,id eſt, eam per quam honeſta deſideramus atq; agimus, dat nobis Deus. Sic autem Dominus bonam voluntatem efficit in nobis,vt & ipſi poſtquā noſtrā voluntatem in eam

A partem inflexit, velimus quoque. Nam per peccatum (quod iam dictum ſæpius tamen dicendum) voluntate non ſumus ſpoliati, vt iam ſtipites maneamus & trunci, & lapides, vel ſimiles brutis animantibus, in quibus, etſi appetitus naturalis ineſt quo mouentur ad commoda vitæ perſequenda, nulla tamen in illis voluntas nullúſque conſenſus, qui propriè dicitur & honeſta appetit ineſt. Illa enim ſolis hominibus ſub cælo à Deo cõceſſa eſt, qui vtuntur animi ratione, concluſione & ſyllogiſmo. Itaque quum per illos Deus bonum aliquid fieri vult, & cùm in illis idem bonam voluntatem creat, facit quoque vt & ipſi velint & faciãt, vt eſt Ezech. 63. v.27. Heb.13.v.12. Auguſt. *Certum eſt nos velle, cùm volumus: ſed ille facit, vt velimus bonum. vt eſt Pſal.*37.v.23. *A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet.* Idem *liberè* (id eſt non coactè) *agere eſt humana natura: & ita cum ratione coniunctum, vt ab ea non ſeparetur: liberè agendo malum eligere eſt corrupta natura. Bonum verò eligere eſt Gratia.* Non autem homines tanquam inſtrumenta quædam merè paſsiua, & quę vocant παθητικὰ, in B huiuſmodi actionibus adhibet Deus, quemadmodum nos homines ad ligna findenda tuditem & cuneos: ad ſecanda ſerram aſſumere ſolemus: vel ad percutiẽdum hominem gladium ſtringere, aut ad onera vehenda veterinis & iumentis vti, quæ nullum in ſua opera præbenda conſenſum præbere poſſunt. Vtitur enim Deus ſuis creaturis, tanquam inſtrumentis quidem: ſed pro eius naturæ, quam ipſe indidit illis, ratione. Ergo vtitur equo vt bruto animali, at vtitur homine, vt creatura λογικῇ & rationali. Accedit igitur in iis operibus bonis, quæ per homines fiunt, hominum ipſorum voluntas, ſed à Deo & data & in eam partẽ inflexa & præparata & adiuta, ſed quæ tamen eſt voluntas: & homo ἐνεργητικὸν principium eſt ſuarum actionum, ne tãquam ſtipites quidã, aut muta & ἀβούλητα inſtrumenta interuenire in iſtis actionibus homines cenſeantur. Vnde præclarè Tullius. *Nam hoc ipſum ita iuſtum eſt, quod rectè fit, ſi eſt voluntarium.* Anſel. etiam in Dialogo de veritate ca.13, *Non eſt iuſtus,* ait, *qui facit, quod debet, ſi non vult quod facit.* Quæ nunc eò breuius perſequor, quod hæc ſit alterius loci propria diſputatio, C nimirum Theologorum peculiaris. Cùm igitur hæc vera ſint, iam ea actionum noſtrarum tum bonarum, tum etiam malarum principia ſunt explicãda, quæ vel in nobis vel extra nos eſſe & conſiderari poſſunt. Ac in nobis quidem illa ſunt duo generaliſsima, prima & remotiora actionum noſtrarum principia, Velle & poſſe, quæ ſiue in honeſtis, ſiue in turpibus actionibus generaliter concurrant neceſſe eſt. Nam neque velle ſatis eſt, ſi facultate agendi & exequẽdi deſtituamur: neque poteſtas quæ in nobis eſt, ſatis ipſa per ſe nos impellit, ſi agendi animus ac voluntas vel deſit vel impediatur. *Neque enim conſequens eſt*, vt ait Auguſt. lib.1. contra Pelagia. cap. 14. *vt qui poteſt venire etiam veniat, niſi id voluerit: neque etiam vt veniat, quanquam vult, niſi venire potuerit.* Quamobrem vtrunque hoc coniungit Philip.2.ver.13. Paulus, ne ſit mihi neceſſe Ariſtotelem libro 6 ἠθικῶν toties laudare. Hæc igitur duo ſunt generalia & prima omnium actionum noſtrarum interna, id eſt, quæ in nobis ſpectari debent principia, quæ in nobis inſint neceſſe eſt, vt aliquid præſtemus. Quanquam in bonis operibus, quemadmodum poſtea dicetur, illa non ſunt à nobis, A ſed à Deo. Sed hæc ipſa, quanquam ſunt in nobis conſideranda, ſunt tamen actionum noſtrarum cauſæ remotiores. Propiores autem & viciniores quas in nobis quoque ſpectari oportet, ſunt aliæ, & eæ duæ, nempe

{ Intellectus ſiue ratio,
Voluntas noſtra.

Oportet enim rationem in nobis, quaſi ducem quendam, præire atque prælucere voluntati noſtræ illíque præſcribere quid opus ſit facto, quídque ſequatur, quid non. Quæ noſtra ratio ſi rectè doceat moneátque quid facto ſit opus, atque illud poſtea lubenter voluntas amplectatur & exequatur, ſanè tota actio erit honeſta: ſin autem mens ratióque noſtra vel ſuopte vitio & libidine victa, vel malis aliorum conſiliis impulſa cæca fuerit, vel illud, quod non decet, facere præſcripſerit, quod appetat & ſequatur poſtea noſtra voluntas, turpis certè & inhoneſta erit tunc quoque actio noſtra. Ergo vt bonum ſit opus quod inſtituimus, & rationem noſtram, quæ illud agendum præſcribit, rectam eſſe, & à vero ſcopo nullo modo aberrantem oportet: item appetitionem voluntatémque B noſtram illi rectè monenti omnino quoque obſequentem. Mala autem eſt actio noſtra, cùm vel ratio ipſa id quod omnino turpe eſt (quæ eſt naturę noſtræ cæcitas) honeſtum ducit: vel mali conſuetudine illecta & deprauata blandíſve corporis voluptatibus, tanquam venenis, corrupta quod apparenter tantùm & falsò bonum eſt, vt verè bonũ atque perſequendum exiſtimat ſtatuítque. Cuius poſtea tã pernicioſo decreto aſſentitur noſtra voluntas. Dictamen igitur rationis & intelligentiæ præſcriptum, ſiue illius quidem cæcæ & obtenebratæ (qualis in nobis naturâ ineſt) vel perſpicacis, ſanæ, & rectè iudicantis (qualis à ſolo Deo nobis datur) quaſi lux quædam præcedit in noſtris actionibus: tum velut pediſequa vel potius comes ſequitur lubens & ſpontanea appetitio noſtra & voluntas. Alij verò omnino breuius quæ bona, quæve mala ſit actio, definiunt, ſic nempe, Mala eſt actio quæ reuelatam voluntatem Dei non habet pro ſcopo: bona contrà, quæ illam reſpicit. Sed iam grauis nobis de hac tota re cum variis hominum agminibus incidere controuerſia ſolet, C Vnde illa ſit in nobis recta tum ratio: tum etiam voluntas, ſi quando euenit, vt agamus rectè: quorum omnium ſententias hoc loco potius animus eſt indicare, quàm refutare, quòd & hæc diſputatio longior videatur quàm ferat propoſitum noſtrum, & ſit alterius artificis, nimirum Theologi Chriſtiani propria, à quo iſta, quæ de veris bonarum & malarum actionum cauſis tractantur, tanquam iam probata accipi atq; diſci volumus. Philoſophi igitur, qui veritatis cæleſtis luce deſtituti, qualis, quámque miſer eſſet vniuerſi generis humani poſt Adami lapſum ſtatus ignorarunt, tantum in hoc argumento viderunt quantum quibuſdam humani iudicii & luminis obſcuris illis quidem, ſed tamen reliquis ſcintillis adiuti & illuſtrati potuerunt. Neque tamen eam ipſam naturæ ſuæ lucem ſecuti omnes id ſenſerunt, de quo ab ea ſatis admonebantur: ſed vel ſectæ ſuæ defendendę ambitioſa cupiditate tranſuerſi: vel malis iam opinionibus & receptis imbuti, aliud omnino, quàm quod à natura ipſa didiciſſe potuerant ſępe docuerunt. Ergo eorum alii virtutem eámque perfectè à

A natura nobis inſitam eſſe & inſeminatam contenderunt, quòd naturâ boni omnes naſceremur: nemo autem prauus eſſet, niſi à natiua illa bonitate & integritate prius deprauatus. Inde illud vulgò iactatum, eſt, οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς οὐδ' ἄκων μάκαρ. Itaque virtutem neque doceri poſſe neque diſci dixerũt: ſed eſſe, naſci & manere quemque noſtrûm natiuo quodam virtutis habitu præditum atque ornatum, & quidem tali, qualis primum eſſet à natura ipſa efformatus. Neque enim omnes æquè virtutes in nobis æqualiter ineſſe, etſi magnum omniũ ſemen haberemus, ſed eſſe perfectius quemque hac potius, quàm illa virtute peculiariter à natura donatum. Hi ſanè & poteſtatem & voluntatem benè agendi non modò nobis tribuũt: ſed vtramque faciunt in nobis immutabilem, quia naturalis, ex ipſorum ſententia, nobis eſt, adeò vt ex bono prauus nemo iam euadere poſsit, quia virtus ipſa iam habitu in nobis formata eſt à natura. Denique omne virtutis ſtudium extinguunt, dum non agendo comparari virtutis habitum, ſed naſcendo nobis dari & inſeri docent. Hi igitur meritò ſunt B exploſi, quia honeſti ſtudij omnes aculeos retuderunt, atque hebetarunt. Atque horum ſententiam, quia certè quidem abſurdiſsima eſt, cùm alij & ipſi Philoſophi æquiores meliúſque ſentientes non probarent, Virtutem doceri poſſe, atque longa meditatione & exercitatione acquiri & comparari poſſe veriſsimè diſputarunt: qua de re elegantiſsimus extat Plutarchi Chæronenſis libellus. Hi igitur nos à natura habitu ipſo & plena virtutis informatione bonos fortéſque creari & naſci negarunt, ſed cùm omnium virtutum ſemina nobis inſint, vt illi quidem cenſent, à natura iniecta, nos demum bonos, fortes & probos ſtudio quodam noſtro & exercitatione effici volunt: qui tamen iidem neminem volentem ſcientémque malum vel iniuſtum eſſe poſſe ſentiũt. Omnes enim, qui mali ſunt, tales eſſe & ignorantes & inuitos. Hoc ipſum diſertè in Dialogo de Iuſto ſcripſit Plato. Ex horum ſecundorum igitur ſentẽtia fiet, vt quicunque ſcelerati, mali, improbi fiunt vel malè agunt illi ignorantes & inuiti tales eſſe atque id facere dicantur & credantur. Improba ſanè homi- C num vox & ſententia quæ ſcelus omne excuſat & reddit impunitum, ipſúmque conſcientiæ noſtræ veriſsimum ſenſum & teſtimonium aliud obteſtans tollit & oppugnat. Atque contra hos Lact. libro 6. ca. 5. & 13. luculenter diſputauit. Ergo cùm tanta eſſet iudiciorum de re hac vna varietas, viſa tandem eſt tolerabilior eorum Philoſophorum ſententia, qui nos, quales quidem naſcimur, abraſæ puræque omnino tabulæ ſimiles fingũt, in qua nihil vel prauum, vel honeſtum ab ipſa natura eſſet inſcriptum, & adhuc impreſſum: aptos tamen ad vtrunque ſuſcipiendum. Eſt enim in nobis, vt iſti volunt, aptitudo quędam ad vtrunque ſuſcipiendum & induendum conceſſa naturaliter, vt ſi poſtea honeſta educatio, mores, conſuetudo, magiſtrorúmque ſana doctrina acceſſerit, boni & egregii viri facilè euadamus: ſin autem his contraria omnia nobis obtigerint, mali & improbi proculdubio efficiamur. Hæc fuit Ariſtotelis hominis acutiſsimi, quemadmodum ex ipſius libris de Ethicis ſiue Moribus colligitur, ſententia. Quam poſtea ex Scholaſticis plerique ſunt mordicus vt viam tutiorem amplexi. Quæ certè ſi vera eſt ſententia, quod de natiua vitioſitate, & peccato originali A in nobis Scriptura tradit omnino falſum eſſe neceſſe eſt. Facit enim hominem purũ & ἄμεμπτον naturâ, & omnia conſuetudini tribuentem. Hippodamus igitur Pythagoricus, vt in collectaneis legimus, longè ſanctius longéque melius, quàm ſuperiores iſti omnes ex ſuæ, id eſt, Ethnicæ ſcholæ præceptis ſcripſit. *Hominis natura partim ſui eſt cõſilij particeps*, ait, *partim diuinum requirit auxilium.* Atque hæc Hippodami ſententia longè Ariſtotelicæ eſt præferenda. Nam neque conciliari illa Ariſtotelis ſententia cum eo poteſt, quod eſt Gen. 8. ver. 21. ſcriptum, Cor hominis per ſe atque naturâ ipſa prauum eſſe, etſi nulla adhuc vel praua cõſuetudine vel doctrina fuerit aliũde deprauatum. Diſtorta enim & aberrans eſt à recto & honeſto hominis cogitatio ipſa per ſe, nec eã ab alio, quàm à ſeipſa ſollicitari oportet, vt turpia & cogitet, & expetat. Itaq; veriſsima eſt illa Spiritus ſancti vox φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς θεόν. Carnis autem intelligẽtia totum hominem complectitur, qui cùm Deo ſpontanea voluntate aduerſetur & repugnet, ſanè vitiatus iam ſit neceſſe eſt: non autem tabulæ cuidam B abraſæ, & nulla adhuc corruptionis labe maculatæ & conſpurcatæ ſimilis fingendus eſt. Quin etiam eò blaſphemiæ quidam ex iis qui ſuperiorem illam ſententiam ſecuti ſunt, tandem deuenerunt, vt dicerent deorum quidem eſſe munus, quòd viuimus: noſtrum verò, quòd benè viuimus. Id quod apud Senecam extat. Item, ſibi virtutem acquirere vnum quemque, nec de ea gratias Deo vnquam agere, Cicero libro tertio de Natura deorum. Item Fabrum eſſe quemque ſuæ fortunę, Salluſt. Quo quid magis blaſphemum & horrendum dici vel cogitari poteſt? Quid igitur? Reperta eſt quarta quædã ſententia, quę ad Chriſtianum dogma & ipſam adeò rerum veritatem propius iam quodammodo accedit. Statuit enim omnes homines poſt Adami peccatum corruptos quidem, & aliquo pacto labefactatos eſſe, ſed meliori tamen ſui parte ſanos & inetgros remanſiſſe. Nam volũt ſolas eas facultates quas in nobis illi Senſuales appellant (ſunt autem eæ quibus & cibos appetimus, & voluptates corporis percipimus, & quæ in ſenſibus noſtris quæque in ventriculo inferiori inſident) C eas inquam facultates ſolas in nobis eſſe vitioſas, corruptas, & furioſè atque inordinatè ſeſe efferentes. Rationẽ autẽ nobis & ſanã & integrã etiã poſt Adami lapſum relictã eſſe, quę omnia quę ſunt honeſta, ſatis ipſa per ſe tanquam lucidiſsimus quidam oculus videat & intelligat. Volũtatẽ autẽ noſtram eſſe aliquo quidẽ per Adami caſum, ſed leui tantùm vulnere oblæſam, vt quanquam ad ea, quæ ſunt præclara & bona, ipſa per ſe prona ſit, id eſt, impetu quodam ſuo & naturæ ſuæ inclinatione adhuc bona appetat, & ad ea feratur: tamen neque ſatis ardẽter ea expetat, neque etiã quæ primo illo impetu tentat & deſiderat, ſola ſatis ipſa per ſe aſſequi poſsit, niſi diuino quodam auxilio fuerit poſtea ſuffulta, adiuta, & robuſtior effecta. Eſſe enim iam nimiũ imbecillos illos naturæ noſtræ per peccatum labefactatæ conatus, vt ad ipſam vſque virtutem ſe ſine diuina accedente gratia poſsint attollere: conari tamen per nos ipſos poſſe & potenter eniti, ſed non ſatis. Veluti cùm æger aliquis è lectulo ſe conatur erigere, qui prorſus non poteſt: ſic niſi diuina quoque manus nos

appre-

A apprehendat & iuuet,ſubſidimus & deficimus,neque quod conamur,efficere & præſtare poſſumus. Sic Lombardus libro 2.diſtinct.25.cap.vltimo *efficaciter* , ait,*ſe erigere ſine Dei gratia non poteſt liberum hominis arbitrium.* Idē Durand.Idem Thomas. Idē ex recentioribus Viguierius. Ergo per peccatum originis læſam tantùm & aliquo modo vulneratam eſſe voluntatem noſtram,aiunt,ne bene agere iam ſola poſsit:non tamen impetum & propēſionem ipſam ad honeſta expetenda & aggredienda illi ademptam,& prorſus nobis ereptam , cùm ad ea etiam,quales natura ſumus & nondum Dei ſpiritu renati,ſponte tamen feramur,& nos ipſos cōcitemus.Sed ad ea opera bona,quæ ipſi per nos cupimus,præſtanda non eſſe nos ſine Dei gratia ſatis validos & robuſtos. Hanc verò ſententiam ſecuti ſunt penè ſcholaſtici omnes: per quam tamen Pelagianorum errori ſe obuiam ire facillimè poſſe crediderunt , interim ipſi in Semipelagianiſmum delapſi. Itaque inciderunt in Scyllā dum Charybdim euitare ſtudent. Atque hanc homines temerarii etiam ex patrum ſcriptis tueri ſe poſſe credunt: B & hac præſertim ratione , tanquam armis Achilleis,defendunt , Quòd nūquam Deus & natura in neceſſariis deficiunt,id eſt, nunquam nos Deus & natura rebus neceſſariis,& quibus carere non poſſumus,deſtituunt:ne nouerca potius, quàm mater natura nobis eſſe cenſeatur. Itaque cùm nihil ſit vita æterna magis neceſſarium nobis , cúmque ad eam honeſtis actionibus perueniatur,quæ ſine ſana animi intelligentia,& propenſa ad honeſtatem voluntate eſſe in nobis & fieri non poſſunt : concludunt,& ſanam intelligentiam, & illam procliuem ad bona opera voluntatem nobis à Deo relictam eſſe,etſi quadantenus iam per peccatum viribus infirmam : per illa enim duo ad vitam æternā peruenimus. Præterea nobis obiiciunt profanos homines,& Dei cognitione ſpiritúſque regeneratione prorſus carentes,quos,natura ipſa duce,optima quæque & voluiſſe per ſe & conatos eſſe demonſtrant,qualis fuit Ariſtides,Socrates,Themiſtocles,Traianus & reliqui his ſimiles , quorū vita ſæpe multorum Chriſtianorum moribus ſactior, atque vt illi loquuntur , honeſtior cenſeri poſsit. C Sed & illud etiam adducunt, quod eſt à M.Tullio ſæpe(vti lib.1.de legib.& lib.3.Tuſcul.quanquam ex Stoicorum dogmate, vti docet Laertius lib.7.) repetitum , ſi naturam , qualem iam habemus,ſequeremur ducem , nunquam nos aberraturos , & turpiter eſſe victuros. Eos enim igniculos nobis eſſe à natura inſitos,vt ſi praua conſuetudine,ii nō extinguerentur,ſed iis obediremus & obſequeremur,nūquam peccaremus,neque mali, neque ſcelerati vnquam euaderemus. Acceſſerunt quoque ſcriptorum,qui dicuntur Eccleſiaſtici & Theologi,ſententiæ quædam.Nam dum illi Chriſtianum dogma,per quod Dei ſpiritus omnis bonæ & honeſtæ actionis noſtræ fons & author eſſe dicitur, aduerſus profanorum Philoſophorum gryphos & ſophiſmata tueri vel potius explicare vberius conantur , non tantùm ſpontaneam & aſſentientem in bonis operibus nobis voluntatem (quam ἀυτεξούσιον appellarunt) reliquerunt:ſed etiam cenſent naturalem quandam ineſſe in omnibus hominibus propenſionem ad ea , quæ ſunt honeſta. Vrgebantur verò etiam à Pelagianis patres , qui, vt docet Auguſt.li.4.contra Iulianum ca.3,nullum gratiæ Dei locum in bonis operibus reliquum faciebant: A omnem autem iſtius rei laudem ſolius humanæ naturæ viribus aſſerebant. Quos peſsimè ſentientes cùm placare potius , quàm refutare cuperent ex patribus quidam,& Philoſophorū dogmata cum Chriſtiana doctrina,id eſt, aquam igni conciliare & permiſcere conarentur , iſtam doctrinam de naturæ noſtræ per ſe infirmis tantùm, non autem prorſus extinctis & abolitis ad bene agendum viribus excuderunt,& inuexerunt, quam tamen ex hominum animis,in quibus cum magna Dei blaſphemia tandiu hæſit, iam euellere, Deo ipſo duce,tentabimus.

CAP. XI.

Proximæ ſuperioris ſententiæ refutatio.

PRIMVM igitur nobis obiiciunt, fore Deum ipſum tyrannum & inhumanum patrem:fore naturam non matrem,ſed nouercam; ſi ab vtroque deſerti dicamur , id eſt , ſi nunc non ſimus rebus ad vitam æternam conſequendam neceſſariis donati,& abunde ditati. Quorum certè robuſtiſsimo B argumento reſpondentes,primùm in eorum oratione qui ſe Chriſtianos cenſeri volunt, miramur Deum & naturam tanquam duas quaſdā & diuerſas ὑποστάσεις & eſſentias per ſe ſubſiſtentes fingi atque ſeparari , cùm profani ipſi verius contrà ſentiant,nimirum naturam eam,quæ nos producit nihil aliud quàm Deum eſſe:neque Deum aliud,quàm naturā.Sic Seneca. Sic Ouidius Naſo. Præterea quis negauerit,ſi primum hominis ſtatū cōſideret,omnia fuiſſe in hominem à Deo copioſè cumulata,quę illi neceſſaria erant,ſiue animum, ſiue corpus ipſius ſpectemus , atque vtriuſque actiones omnes & ſtatum optimum:adeò quidem, vt ſi cum reliquis Dei creaturis primus ille Adamus purus atque adhuc integer comparetur,Deus non tantùm omnia neceſſaria benigniſsimè homini dediſſe,ſed in eum potiùs opes ſuas prodegiſſe videbitur?Dedit igitur homini Deus, quæ erant nō tantùm omnino neceſſaria:ſed etiam quæ commoditatem cuique hominis parti quandam allatura præuidebat.Sed ſui prodigus,alieni beneficij profuſus,& cæleſtium donorum perfidus cōtemptor, C & cuſtos negligens homo partim ea Dei erga ſe dona perdidit , partim imminuit , vt iā admodum infirmæ & imbecilles reſtent nobis omnibus in rebus vires.Itaque meritò luit pœnas ſuę tam furioſæ prodigalitatis homo,qui lubens viliſſimo quodam pretio cæleſtia illa bona ſua Satanæ vendidit , tanquam Eſau ius primogenituræ ſuæ ſpernens:qui homo nequiſsima perfidia & infidelitate ductus neque minanti mortem , neque ſua munera tam liberaliter largienti Deo fidē habuit. Idem igitur homini accidit per peccatum,quod liberis qui magnarum opum hæredes à parentibus relicti crapula , luxu & diſſolutis moribus maiorē earum partem conſumpſerunt , vt ex ditiſsimis inopes euadant & ex abundanti rerum omnium copia incidant in miſerrimam egeſtatem , ſed ſua culpa. Id quod Chriſti ſermo in filio illo prodigo Lucæ 15.v.11. nobis demonſtrauit. Sed imprimis Epheſ.4.v.23.Paulus qui totum hominem à ſummo capitis vertice ad imos talos tum in mente ipſa & intelligentia:tum in corde & voluntate corruptum & iam prauum eſſe docet. Auguſtinus Hy-

A pognoſt.libro tertio, *Totus homo*, ait, *corruptus eſt.* Naturalia dona deteriora facta ſunt: ſupernaturalia amiſſa.Itaq; iis donis, & rebus quæ ſunt prorſus neceſſariæ iam caremus:ſed quòd iis carẽt homines,non Dei parſimonia, non naturæ malignitate erga nos:ſed iuſto Dei iudicio atque ſua ipſorum culpa homines iis carent. Neque tamẽ ſic carent, vt omnino omnibus Dei donis etiam poſt peccatum fuerint homines deſtituti & ſpoliati. Nam & vitam ipſam,qua in hoc mundo viuimus, Dei donum eſſe nemo negauerit. Act.14.v.17. & 17.v.18.quam tamẽ habent homines,quemadmodum & ſenſum, & motum:atque non tantùm intelligendi volendíque δυνάμεις & facultates quaſdam otioſas,iacentes & inertes:ſed ipſam quoque intelligentiam actu intelligentem,& voluntatem actu expetentem quædam, Dei beneficio etiam poſt peccatum retinemus.Præclarè enim Bernardus.*Scintillam intelligẽtiæ nobis reliquit Dominus magna ſua miſericordia.* Sed & voluntatem quoque habet homo,quemadmodum ſæpiſsimè docet contra Pelagianos Auguſtinus. Vtraque autem illa, quæ iam reſtat nobis,magnis ſuis dotibus à Deo à B quo illas acceperat,propter peccatũ eſt iuſtè ſpoliata. Itaque intelligit quidem intelligentia noſtra etiam nondum Dei ſpiritu regenerante illuſtrata,ſed res humanas,non diuinas intelligit: terrenas,non ſpirituales:caducas,non æternas:atque etiam eas ipſas non plenè, non perfectè,non verè ſemper. Vult etiam atque expetit per ſe quædam voluntas noſtra,ſed obſcœna, non honeſta: corporis voluptatem,non animi fœlicitatem afferentia:prauis carnis noſtræ concupiſcentiis, non autem diuinis præceptis conſentanea & iucunda. Itaque naturalibus bonis,id eſt, quadam intelligẽdi,quadam etiam expetendi facultate non eſt omnino ſpoliatus homo, etiam nunc poſt peccatum, & ante ſanctificationem ſuam,ne, ſi iis rebus priuaretur,iam nullus eſſet:atque ita fieret,vt,quemadmodum loquuntur in ſcholis, nunquam poſtea repararetur in priſtinum ſtatum. Quòd autem Deus poſt peccatum reliquit nobis ad has res terrenas potius, quàm cæleſtes capiendas aptam intelligentiam:itémque voluntatem turpibus voluptatibus ſeſe ſolùm applicantem,id euenit, quòd ipſe homo peccando ſe ſeruum peccati effecit: ſe C tantæ miſeriæ culpâ ſuâ addixit:ſe denique ſuis illis melioribus bonis miſerrimè priuauit. Itaque nõ eſt in nos crudelis Deus, quòd iam rebus quibuſdam neceſſariis caremus & priuamur:ſed verus potius & iuſtus ſceleris noſtri vindex in nobis. Quòd autem ſecundo loco nobis profanos homines obiiciunt qui Dei ſpiritu & cognitione prorſus deſtituti magno animi conatu,naturęque propenſione quadam (quæ in Chriſtianis hominibus, quàm in illis, minor eſſe cenſenda non eſt) Virtutem & decus conſectati ſunt:hoc certè facile reſponſum habet.Videntur quidem eorum actiones nobis eas eminus cernentibus, & ad ſuam iuſtámque ſtateram non exigentibus, eſſe virtutes quædam & bona opera:quæ tamen,ſi propius eas intueamur, & ad Dei verbum, quod eſt omnis actionum noſtrarum bonitatis,vt ita loquar, norma iuſtiſsima,reuocemus,ſtatim turpes, & malæ, & planè Deo ipſi ingratæ apparebunt.Itaque cùm homines profani & infideles huiuſmodi opera impetu quodam teſtimonióque conſcientiæ impulſi expetunt,non verè bona opera:ſed ſimiles ſibi actiones,id eſt, reipſa quidem turpes & malas,ſpecie tamen & vmbra quadam pulchras & formoſas perſequuntur. A Id quod in prologo Pſal.31.copioſè docet Aug.Ex quo fit, vt nullum nobis ex eorum hominum ſtudio, quantumuis in ſpeciem honeſto & laudabili,pręiudicium afferatur,vt homines abſque Dei ſpiritu, naturâ ſuâ velle & conſectari bona poſſe concedamus. Tertio autem loco profertur nobis Ciceronis, Stoicorúmque omnium vox & teſtimonium, qui nos à natura ipſa ſatis ad virtutem effictos & edoctos eſſe putant,modò eã ſequamur ducem.Hoc quidem negari non poteſt, eas nobis à Deo relictas eſſe amiſſæ per peccatum rectæ conſcientiæ & animi ſinceritatis ſcintillas & particulas,tanquam magni naufragij tabulas,ex quibus turpia ab honeſtis,bona à malis,virtutes à vitiis,generaliter,id eſt, aliquo pacto & lumine diſtinguamus & ſecernamus. Nimirum quãtum ſatis eſt ad huius mortalis & terrenæ vitę conſeruationem,vt coram Deo ipſo reddamur inexcuſabiles. Quid enim,hoc rerum diſcrimine ſublato,aliud futura eſt tota mortalium vita,quàm agreſtis quædã & inhumana feritas,quàm barbaries,quàm B cædes,quàm rapinæ, quàm rerum omnium ſumma confuſio? Sed tamen hæ ipſæ luminis noſtri primæui ſcintillæ ſępe in nobis ſuauitate voluptatum & vi prauæ conſuetudinis ac concupiſcentię, delentur,vel etiam ita obſcurantur,impediuntur, vel occæcantur,vt diſcrimen illud minimè iam agnoſcere & perſpicere queant. Præterea vt totæ, quales poſt peccatum Deus reſtare voluit, manere concedantur in nobis, neque tamen iam ſunt tam lucidæ & perſpicaces,vt in omnibus actionibus bonum & decorum à malo diſtinguere poſſint:neque poſtquam diſtinxerunt, nos ad illud ipſum quod honeſtum eſſe vident, arripiendum poſsint commouere. Iacet enim ſerua peccati noſtra voluntas, quæ illi conſcientiæ aut rationis iudicio reſiſtit,ne obtineat.Itaque ex ea boni malíve notitia, quam Deus in nobis reliquam fecit, reddimur tantùm ἀναπολόγητοι,ne iſtarum rerum ignorantiam verè prætexere coram eo poſsimus: πράκτορες tamen & ἐνεργητικοὶ propterea non efficimur,quia manet ſerua peccati noſtra volũtas, antequam à Dei ſpiritu liberetur.Ex quo fit,vt quãquam nobis ſunt inditi à natura igniculi quidã & C teſtimonia conſcientiæ, quibus reddimur inexcuſabiles, propterea tamen benè vel velle vel agere minimè valeamus. Sunt enim ij omnes infirmiores,quàm vt noſtræ intelligentiæ tenebras diſcutere, & voluntatis intemperiem ad frugem conuertere poſsint,quod vtrunque vnius ſpiritus Dei eſt opus. Quarto denique loco afferunt, quòd ita veteres quidam ſcriptores Eccleſiaſtici ſenſiſſe atque ſcripſiſſe dicantur. Verum quidem eſt, quoſdam ex iis ſæpe in hoc argumento propter importunos quoſdam aduerſariorum clamores, & Philoſophorum cachinnos durius loquutos eſſe.Imprimis autem Baſilium, Chryſoſtomum,Gregorium Nyſſenũ, vt alios iis temporibus æquales omittam:ſed non omnes tamen ſic peccarũt. Nam qui Pelagianorum de integris & non læſis naturæ voluntatiſque noſtræ viribus errores commodiſſimè refutarunt, velut Ambroſius,ſi modò illius ſcriptum eſt Liber de Vocatione gentium: velut etiam Auguſtin. vbique nobiſcum ſentiunt, &

quam

A quam de libero arbitrio (quod tantopere iſti vẽditant) ſententiam ſequimur,illam nobis ipſis,& quidem conſentientem verbo Dei, præſtruxerũt, atque præmonſtrarunt, quæ etiam, qualis ſit, ſequenti capite dicturi ſumus. Hæc modò ex Bernardo,tanquam pro colophone, addentes. (ſunt autem ſumpta ex Sermo. 7. de aduentu Domini) *Faciles ſumus ad ſeducendum: debiles ad operandum: & fragiles ad reſiſtendum. Si diſcernere volumus inter bonum & malum,decipimur:ſi tentamus facere bonum, deficimus:ſi conamur reſiſtere malo,deijcimur,& ſuperamur.* Itaque hæc ille,& quidem verè.

CAP. XII.

De libero hominis arbitrio, & quæ nunc in nobis ſint illius vires.

QVAERITVR igitur, quid nobis de libero arbitrio ſit ſentiendum, quod in rerum honeſtarum & turpium delectu maximè B locum habere debet. Libero enim arbitrio homini denegato,omnis electio & conſultatio eidem adimatur neceſſe eſt. Quid enim electurus eſt,ſi libera in nobis voluntatis appetitio non eſt vlla? Denique virtutes omnes & vitia tollantur,oportet:ſi quod agimus, neque animi electione agimus neque conſultò, ſed neceſſitate, etſi ad vnam tantùm,vel virtutem, vel vitium nati dicamur. Sanè perplexa & difficilis quæſtio,quæ ne confuſè, ſed vt diſtinctè tradatur à nobis,primùm quid de toto hoc argumento ex Dei verbo ſit definiendum dicemus. Poſtea variis,quæ contra ſolent afferri, obiectionibus reſpondebimus. Liberum arbitriũ qui nobis tribuunt,ita definiunt,vt ſit voluntas eligens & per ſe inclinata æquè ad bona & mala expetẽda. Alij verò ſic,vt Lombardus lib. 2. diſtinct. 25. *Liberum arbitrium eſt voluntas appetens & eligens ea,quæ ex ratione decreuit.* Qui enim ex iis ſic dicũt, *Liberum arbitrium eſt,quo rectè viuitur, vel peccatur,* non ſatis ſuam mentem explanant. Ergo liberum appellatur,non tantùm,quia eſt ſpontaneum & à coactione immune (id quod tamen Lombardus vi veritatis compulſus aliquando ſenſit , vti ex C ipſius ſcriptis apparet , imprimis autem cùm ait, *hominis arbitrium liberius eſſe ad malum , quàm ad bonum)* ſed quòd ad bona vel mala expetenda per ſe æquè pronum,procliue & aptum natum eſt. Itaque Græci Α'υτεξούσιον appellarũt, ſuperbo quidem nomine,ſed tamen quo ſpontaneum tantùm noſtræ voluntatis aſſenſum declarant :nõ quòd vires benè agendi in nobis,vel ex nobis eſſe velint , & ſtatuant. Hoc liberum arbitrium in homine quãquam partim rationis & intelligentię:partim voluntatis, & appetitionis commune effectum eſſe putant,tamen voluntati tribuunt potius quàm intelligentiæ. Neque enim expeti,niſi quæ prius ratio noſtra iudicarit eſſe honeſta & decora : itaque Arbitrium dici, quòd intelligentia prior arbitretur,id eſt,iudicet & decernat: neque tamen planè liberum arbitrium dici poſſe,niſi voluntas noſtra acceſſerit & elegerit,quæ tam acceptare,quàm recuſare ſuo quodam libero motu & electione poſſit illud , quod ratio dictauerit & monſtrauerit. Hoc autem arbitrium , & liberrimum quidem in primo homine Adamo,antequam cecidiſſet,fuiſſe cum Dei verbo pronuntiamus. Præditus enim A erat homo primus ante lapſum & luce intelligentiæ ſplendidiſſima,qua iudicaret : & voluntatis liberrima atque integra electione , qua optare poſſet:fuit etiam in eo ipſo homine primo ſana & recta per ſe voluntas, neque niſi ab alio inductus & malè perſuaſus vnquam de malo cogitaſſet. Propoſita igitur eſt homini à Deo vitæ & mortis via, quam poſſet eligere,ſi vellet. Nam poſſe habuit, quò vellet, quemadmodum præclarè ait Auguſtinus. Præclarè etiam Bernard. in lib. de Gratia & libero Arbitrio. *Habuit homo in paradiſo Arbitrij libertatem:Sapientiam,qua vera cognoſceret:Potentiam, qua facere poſſet.* Elegit autem potius Satanę,quàm Deo parêre, in quo ipſo cæcutire ipſius ratio cœpit,propter voluntatem , quæ in peccatum & malum ſeſe ſponte inflexit:atque illud Dei præcepto impiè prætulit. Iam verò ex conditione & lege à Deo homini impoſita facta eſt ſerua peccati non tantùm vnius Adami voluntas : ſed omnes futuræ ex eo poſteritatis,id eſt,omnium , qui ex eo nati ſunt, hominum (In Adamo enim bonorum vel malorum omnium , quæ in nos poſtea collaturus B & effuſurus erat Dominus,propoſitum ſpecimen erat)appetitio & voluntas peccato omnino aſtricta fuit & addicta.Cui enim quis ſe ſubiicit & addicit,illius fit ſeruus. Adeò quidem vt quemadmodum nulla eſt ſerui voluntas:ſed tota ex domini voluntate & imperio pendet(Neque enim habet ſeruus,vt aiunt, velle vel nolle) ſic noſtra iam omnium voluntas vile eſt Satanę,cui ſe ſummiſit, mancipium,atque etiam domicilium eſt peccati, cui ſe miſera ſubiecit,prorſus ſerua, vt per ſe iam nihil aliud, quàm quod Peccatum & Satan imperioſiſſimi, & crudeliſſimi domini imperant velle poſſit. Venditi enim ſumus omnes ſub peccato,vt loquitur Scriptura.i. vt ſubiiceremur peccato, Roman. 7. verſ. 14. Tota igitur hominis voluntas iam nihil cogitat ipſa per ſe niſi vt peccet : in eo tota eſt. In eo ſummam voluptatem capit. Denique vt piſcis aqua ,ſic homo peccato naturâ delectatur. Iob. 15. v. 16. atque ſectatur illud,nec in mẽtem quidem illi iam aliud, tanquam ex ſe, venire poteſt. *Verba ſunt*(inquit Bernardus)*non mea : ſed Apoſtoli,qui omne quod bonum eſt,id eſt,cogitare,velle,* C *perficere attribuit Deo,non ſuo arbitrio.* Auguſtinum non commemoro , quia quàm nobiſcum faciat notius eſt,quàm vt dubitari à quoquam(qui illius ſcripta aduerſus Pelagianos vel ſemel deguſtarit, & imprimis illius librũ de Gratia & libero Arbitrio ad Valentinũ) vnquã poſſit. Ex quo fit,vt paſſim in ſcriptura in peccatis mortui dicamur , quia in peccato prorſus ſepulti iacemus,& ad virtutem per nos ipſos inutiles ſumus Epheſ. 2. v. 1. Coloſſ. 2. v. 13. 1. Petr. 2. verſ. 24. liberi iuſtitiæ,quia penitus ſeruimus peccato. Ergo non magis ſe quiſquam noſtrum ad bona & verè honeſta ſponte ſua impellere & erigere poteſt , quàm qui iam vita functus & planè mortuus eſt,incedere , vel vitam ſibi reddere poteſt. Nam de bono ne cogitamus quidem iam ipſi per nos vnquam. Totum enim eſt à natura prauum cor hominis Geneſ. 8. & ſi ſuggeratur boni mentio aliunde, voluntas noſtra totam eam cogitationem auerſatur,& refugit niſi à Dei ſpiritu priùs inflectatur & mutetur. Proſper in libro contra collatorẽ, *Non potuit vlla portio reſidere virtutũ,quò tãta irruperat turma vitiorum,* A de arbitrio Adami poſt peccatum loquens.Quare peccat homo ſponte,neque aliud quam malum ipſe per ſe iam eligere poteſt, quia neceſsitate ſeruilíque conditione peccato prorſus ſubiicitur. Iã enim magnæ intelligentiam noſtram tenebræ occuparunt, & magna ἀταξία atque iniuſtitia in noſtra voluntate ineſt. Inhæret enim in omni parte noſtri natiua illa,quæ ex originis ſiue Adami peccato attracta eſt & in nos omnes diffuſa vitioſitas. Itaque diligenter eſt perpendenda illa Geneſ.ca. 8.v.21.vox יצר *Ietſer*,vbi omne figmẽtum,ac motio cordis humani per ſe iniqua & praua eſſe pronũtiatur. Neque enim tantùm illius pœnæ,quæ in Adamum parentem noſtrũ dicta eſt.i.mortis hæredes ſumus,id quod ſentiunt Scholaſtici,ſed etiã ipſius corruptionis & labis, quæ in ſingulis noſtrûm, quaſi Cyſti fellis quædam in hepate,inſidet,atque affixa eſt.Intelligere denique & velle in homine poſt peccatum nõ periit.Benè autem velle,& cæleſtia intelligere periit.Sunt enim illa duo intelligere dico & velle huiuſmodi, vt cenſeantur humanæ naturæ, quatenus à brutis differt, pri-B mæ & eſſentiales quædam partes,& velut ipſa forma.Itaque iis duabus dotibus homini ademptis, neque homo iam homo maneret, ſed vel brutum vel ſtipes eſſet,neque peccatum peccatum, ſi neq; intellectionem vllam, neque appetitionẽ iã poſt peccatum haberemus.Sed neque ipſa rectè intelligendi,atque bene volendi poſsibilitas (vt ita loquar) per peccatum periit in nobis, vt quaſi iam omnino neque bonæ voluntatis,neque rectę intelligentiæ vllo modo capaces eſſe poſsimus. Poſſumus enim, & poſsibilitas illa manet, quæ tamen nullo modo in actum deduci poteſt,niſi quatenus à Dei Spiritu regeneramur, & ad vtrũque capaces atque idonei reddimur.Sic nos iidem mortui, tamen vitæ capaces ſumus. Nam Dei virtute reſurgere poſſumus. Reipſa tamen & ἐνεργείᾳ bene velle,& ſpiritualia & verè cæleſtia cognoſcere,quales quidem natura ſumus, & antequam duro illo iugo peccati eximamur,certè nõ poſſumus.Id quod Proſper granis ſcriptor his verbis pulchrè confirmat,*Virtutum itaque ſemina, quæ beneficio Creatoris* C *inſerta ſunt, præuaricatione primi parentis euerſa ſunt, nec haberi queunt,niſi eo reſtituente,qui dedit. Reformabilis eſt enim natura humana formatori ſuo: & eorum bonorum quæ habuit, capax eſt, vt per Mediatorem Chriſtum,recuperare poſſit,quod perdidit.* Atque hoc ipſum eſt quod teſtatur Ambroſius,quod Auguſt. quod Bernard. & (quod longè maioris eſt põderis) D.Paulus,nos à Deo ἱκανοὺς, id eſt,ad bene & cogitandum & expetendum idoneos effici,& fingi, qui tamen per nos ipſos id facere minimè antea reipſa poteramus 2.Cor.3.v.5.6. Itaque alibi Spiritꝰ ſanctus,de bonis operibus agens,ait ,*faciã vt faciatis*, Ezech.36.v.27.Hebr.13.v.21.quod diligenter Auguſtinus,& meritò quidem,obſeruauit, in Enchirid.cap.32. *Nam vtrunque legitur in ſanctis eloquiis*,ait,*Et miſericordia eius præueniet me , & miſericordia eius ſubſequetur me. Nolentem præuenit,vt velit:volentem ſubſequitur,ne fruſtra velit.*Et cap.106. *Sed poſt illam ruinam*, inquit ,*maior eſt miſericordia Dei,quando & ipſum liberum arbitrium liberandum eſt à ſeruitute,cui dominatur cum morte peccatum.* Quare quæ reſtat in nobis voluntas,illa non liberum,ſed peccati ſeruum arbitrium dicendum eſt. Neque tamen quum bonum & honeſtum aliquod opus facimus,inuiti facimus,ſed volentes. Nam tunc A voluntas noſtra à Dei Spiritu in eam partem flectitur , & propter Dei gratiam in Chriſto à ſeruitute peccati liberatur. Ille enim voluntatis noſtræ ad bonum motus,vel amor: deniq; vel ſola de bono cogitatio noſtra nullo modo à nobis eſt.Conſentit quidem bono,& vult illud voluntas noſtra, poſtquam à peccati ſeruitute liberata eſt,& à Dei Spiritu ſubacta.Quod quum vult,ſponte non coacta vult. Quis enim voluntatem aliquid velle , niſi ſponte & volentem, vnquam dixerit ? Præclarè enim Anſelmus,*Velle autem quiſquam non poteſt inuitus,quia non poteſt velle ,nolens velle. Nam omnis volens ipſum ſuum velle,vult.* Ergo bona & honeſta velle dicimur,quatenus à Deo renati, & nouo ipſius afflatu ducti & impulſi,ea ipſa volumus & expetimus.Qua ratione συνεργοὶ Θεοῦ & ſumus, & dici poſſumus in bonis operibus : neque enim (quod ſæpe dictum eſt) nobis tanquam paſsiuis tantùm inſtrumentis vtitur Deus, quemadmodum ſecuri faber vtitur (volumus enim hoc ipſum , quod Deus vult,& facit ipſe nos velle) ſed hic voluntatis noſtræ ad bonum motus,neque à nobis cœpit. B neque ab ipſa voluntate noſtra eſt excitatus. Auguſt.*Qui fecit te ſine te,non te iuſtificat ſine te.Ergo fecit neſcientem,iuſtificat volentem.voluntas quidem non eſt,niſi tua:iuſtitia non eſt niſi Dei.* *Quid igitur*, ait Bernardus , *hoc ergo totum liberi arbitrij opus eſt, hoc ſolum eius eſt meritum,quòd conſentit? Eſt ſanè,non quidem,quòd vel ipſe conſenſus, in quo meritum omne conſiſtit , ab ipſo ſit , quum ne cogitare quidem (quod minus eſt quàm conſentire) aliquid à nobis , quaſi à nobis ſufficientes ſimus.* Idem Bernardus in eodem opere,*Non enim adieciſſet mecum , niſi præueniente gratia , ſubſequens liberum arbitrium habuiſſet, præſumens ſe non ſolum operis eſſe miniſtrum per effectum:ſed operis quodammodo ſocium per conſenſum. Ac ſi diceret, Abundantius laboraui, non ego,ſed & ego. In eo enim quòd ſolo Dei dono præuentus ſum,non ego:in eo quòd voluntate donum ſubſequutus ſum, & ego.* Ergo hæc eſto ſuperioris diſputationis ſumma , Nos poſt Adami lapſum habere quidem & retinere , tum intelligentiam , tum etiam voluntatem , per quas nos homines toto genere à bru- C tis & lapidibus differimus : bonam autem voluntatem , aut ſanam intelligentiam, niſi prius à Dei Spiritu illuſtrata, immutata & inflexa fuerit vtraque illa animæ noſtræ pars , iam nos non habere. Infuſas enim per peccatum mẽti tenebras eſſe ,vt tam obſcurè etiam vera videat , quàm obſcurè noctua etiam in media luce videt,quod fatetur certè Ariſtoteles. Voluntati autem inhærere ἀταξίαν & ἀκολασίαν tam verum eſt(quod etiam profani viderunt:quemadmodum Plutarchus libr. 7. Sympoſiac. quæſt.5.) vt nihil niſi turpia & inhoneſta iam expetat.Hæc vtraque labes nõniſi à Dei Spiritu poteſt tolli , & elui in nobis. Poſsibilitatem quidem atque horum (per quæ & recta fit voluntas noſtra, & intelligentia ſana) Dei donorum accipiendorum capacitatem dicimus nobis prorſus tanquam diabolis non eſſe ademptam : reipſa tamen ea dona,niſi à Dei Spiritu de nouo infundantur & formentur , non ineſſe in nobis. Poſtquam autem Dei Spiritu innouati ſumus,& ab illa peccati ſeruitute(cui natura addicti manemus)per Chriſtũ liberamur,tũc nos intelligere,atque etiã ſponte lubentérque velle quæ

ſancta

A ſancta ſunt,quæ bona,quæ honeſta.Eſſe autem eã ipſam voluntatem, qua iam illa honeſta volumus, re & eſſentia quidem eãdem quam prius habebamus : motu tantùm , & appetitu,id eſt,qualitate à ſeipſa diuerſam. Atque voluntatem noſtram , ſiue bonã,ſiue malam (quatenus volitio eſt,id eſt vult & expetit) ſpontaneam & volentem ſemper eſſe, nunquam autem inuitam ,nunquam etiam coactam dicimus , quia voluntas quæ non vult , non eſt voluntas.

CAP. XIII.

Aliquot obiectionũ,quæ aduerſus ſuperiorem de Libero arbitrio definitionẽ afferuntur,refutatio.

HÆC autem, quanquam non modò ſcitè,ſed etiam verè & rectè dicuntur , interuenit tamen obſtinatorum quorundam tanquam Academicorum ſecta , rerum omnium perturbatrix,quę multa contrà obiicit.Neque tamẽ omnia eorum argumenta perſequemur , ſed quæ videntur B præcipuæ & robuſtiſsimæ eorũ eſſe obiectiones. Illæ verò maximè tres ſunt , ex quibus hæc prima eſt. Reddi nimirum ex hac doctrina homines ad bonorũ operum ſtudium omnino pigros & ſegnes dum ad ea nullas eſſe nobis à nobis ipſis vires,nullámq; ἱκανότητα docemur. Certè facilis eſt ad tam robuſtum argumentum reſponſio. Nam quum docentur homines quid per ſe non poſsint, quámque ſint imbecilles & infirmi, ad Deum cõfugere admonentur,eóque ardentiùs robur vitæq; nouitatem poſtulare à Deo , quò magis ſe omni bono natura vacuos eſſe intelligunt.Quemadmodum qui ſe non niſi alio docente artem aliquam percepturum eſſe animaduertit, eò diligentius ad magiſtrum accedit , ſi modò illius diſcendæ deſiderio tenetur , quò magis ingenij hebetis & obtuſi ſibi conſcius eſt. Quòd ſi à nobis diceretur, hominem eſſe bonæ illius voluntatis accipiendæ omnino incapacem, neque cor , animúmque eius à Deo inflecti poſſe(quod de diabolis dici poteſt) certè omne bonorum operum ſtudium & conatũ omnem à nobis extingui fateremur. Sed quanC quam omnis ἱκανότης noſtra ad bene operandum eſt à Deo:quanquam regenerandi ſumus , vt bene agamus:quanquam is etiam ipſe affectus & motus eſt à Dei nos præuenientis gratia & ſpiritu, quum & nos tales eſſe dolemus , & Dei gratiam nobis petimus dari : tamen pollicetur Dominus ſe, quod iubet præſtiturum,facturúmque, vt ipſi faciamus : ſe noſtras preces exauditurum : ſe vel leues illos motus , & primos conatus , quos ipſe iniicit,otioſos & languentes minimè deſerturum: ſed gratiam gratiæ additurum,vt eò ſimus ad bene conandum,& agendum idoneiores,& viuendũ alacriores.Facit igitur ſuperior noſtra, & vera quidem diſputatio potius vt quia cognoſcimus à quo nobis detur optima benè agendi ratio, & vnde ſit virtutis initium,vnde cõtinuatio, eam quæramus, & à Deo,à quo ſolo dari poteſt,poſtulemus:aliam autem quàm veram bene conandi & agendi viam (præter ita edoctos Chriſtianos) ineundam nobis non proponamus. Alterum verò,quo nos aduerſarii oppugnant,argumẽtum eſt huiuſmodi, Si vera ſunt,quę dicimus,videri homines neceſsitate iã quadam peccare,non volũtate, quum ipſi per ſe nihil aliud,niſi peccare,atque malè agere poſsint. A Itaque erunt improbi & ſcelerati omnes excuſatione,atq; venia digniſsimi:nulla autem pœna vel à Deo,vel à Magiſtratu coërcendi, vt qui neceſſariò peccent,ac velut coacti.Hoc certè fuiſſe maximum profanorum Philoſophorum aduerſus hãc ſanam & orthodoxam de libero arbitrio ſententiã telum cognoſcimus ,quod, quum ex Chriſtianis patribus quidam vel malè exciperent , vel detorquere non poſſent,nocentiſsimum Pelagianorum errorem ſunt amplexi.Quid igitur? nos reſpondemus ex Auguſtino, Aliud eſſe neceſsitatem , aliud autem coactionem,quam tamen vtranque illi cõfundunt. Atque etiam hanc diſtinctionem eſſe veriſsimam ſcholaſtici confitentur,imprimíſque Durandus,in lib. 2.Sententiarum,Diſtinct.25. quæſt. 4.Num.7.Quum enim(quemadmodum diximus) homo , etiam poſt peccatum , manſerit voluntate præditus , nec ea fuerit ſpoliatus , fit vt quod agit homo, volens agat.Itaque quatenus eam in homine voluntatem ſpectamus, dicitur homo eſſe ſuarum actionum & cauſa , & principium,illúdque etiam voluntarium , & agens , & à Deo quoque B diuerſum. Adeò , vt in vna & eadem actione,& Deum,& hominem ipſum ſpectare,tanquam cauſas duas & diuerſas meritò debeamus.Deum quidem , vti primum & ſummum rerum,& ſingularũ actionum omnium quæ fiunt, principium.At hominem ipſum etiam eiuſdem actionis cauſam ἐνεργητικὴν,& propinquiorem,& principium voluntarium.Nam quod agit homo etſi Deo & ordinante & mouente agit:volens tamen & ſciens agit. Ex quo fit, vt huius voluntatis ſuæ malo aſſentientis, & ad peccandum membra ipſa corporea mouentis ratione,meritò puniatur ,quicunque mali aliquid perpetrauit. Volens enim egit,non coactus , non diſſentiẽs.Et quod excipitur, At homo nihil aliud per ſe,quàm peccare iam poteſt : itaque neceſſariò peccat.Hoc quidem fatemur eſſe veriſsimum.Sed reſpondemus , ea ipſa quæ huiuſmodi neceſsitate fiunt,non à nolentibus fieri ſed à maximè cupientibus,totóque voluntatis impetu & affectu id facere deſiderantibus.Sic Deus neceſſariò bonus eſt, non tamen inuitus. Sic boni Angeli neceſſariò Dei mandato obſequuntur,non tamen coacti. Sic C diaboli ipſi neceſſariò iam sũt rebelles,atque Deo aduerſantur,ac malè agunt , neque tamen inuiti, neque propterea quoque excuſabiles.Quatenus igitur naturæ noſtrę in tantã labẽ & miſeriam prolapſę ſeruitus ſpectatur,impoſita certè quidem eſt nobis hæc peccandi neceſsitas, & ineuitabilis nobis,idque noſtrâ duntaxat , non autem Dei ipſius culpâ:quatenus autẽ quale creaturæ genus ſumus, & quemadmodum mala illa agamus , & perpetremus,conſideramur , certè volentes & ſponte operamur ,atque agimus. Vnde neque inuiti , neque coacti , neque ea neceſsitate , quæ voluntatem nobis adimat,peccamus,ſed ſponte & volentes. Atque hæc eſt ſecunda aduerſariorum obiectio. Tertia denique ratio quæ nobis obiicitur,eſt huiuſmodi, Quòd iam ex rebus atque actionibus humanis tollitur omnis conſultatio, atque animi electio,quum non niſi in vnam partem ſponte ferri dicitur noſtra voluntas , antequam ſimus Dei Spiritu renati: & iã nihil niſi mala admittere poſsimus.fit enim conſultatio de iis quę aliter. i. in vtranque partem euenire poſſunt , non

A in vnum tantùm euentum. Eſt etiam animi electio è duobus vel pluribus propoſitis, quæ nobis, tanquam finis, placere atque obtingere poſſunt, vnius prælatio. Eligimus enim actionum noſtrarum fines, quemadmodum ex communi philoſophorum ſententia loquuntur: conſultamus autem de mediis, quæ ad eum finem aptiora atque commodiora nobis eſſe poſſunt. Quæ igitur ſupereſt electio, ſi nihil niſi vnam tantùm partem expetit voluntas noſtra, atque in eam ſolam determinatè fertur? Quæ conſultatio? ſi omnia iam tanta & tam ineuitabili neceſſitate nobis eueniunt quàm eſt dictum? Quid ad hæc dici poſſit, quærunt. Reſpondeo, Vtranque relictam adhuc nobis eſſe, etiam quales natura ſumus. Ac electionem quidem non inter bonum & malum eligendum, ne erremus: ſed duntaxat inter malum & malum, vt hoc illi præferamus. Eſt enim etiam in malis ipſis electio quædam, quia malorum aliud ſæpe maius eſt & grauius: aliud autem minus & leuius: ſic inter malas ipſas actiones alia magis virtutis ſpeciem quandam adumbrare ſæpe videtur, B alia minus. Ergo in iſtis manet hominum non renatorum electio, quam iſti vrgent. Atque vt iſta electio etiam in non renatis manet, manet etiam conſultatio, quatenus ad id, quod expetitur ab homine non renato, ipſorum hominum ratione & prudentia, hoc vel illo modo commodius, hac vel illa via breuius perueniri poteſt. Ergo de eo ipſo non renati deliberant & capiunt conſilium: quia hæc ipſa vel bona, vel commoda, vel iucunda ſibi putant, quanquam tamen reipſa ſunt mala omnia. In iis autem qui iam Dei Spiritu ſunt regeniti, vti & conſenſum & voluntatem bonam efficit, & format Dei Spiritus: ſic & electionem inter bonum & malum, & conſultationem de verè bono & honeſto, déque mediis honeſtis, per quæ ad Dei obſequium veriſſimè deducimur, donat idem Spiritus. Neque verò mouemur ſubtili illa Scholaſticorum diſtinctione, qui voluntatem à velleitate ſeparant, eámque tantùm dicunt eſſe voluntatem, quam deliberatio præceſſit, atque animi electio inter duo diuerſa ſequuta eſt. At velleitatem vocant aſſenſum & motum voluntatis C noſtræ, qui fertur in aliquid non antegreſſa deliberatione, neque ſubſequuta electione, qualia multa expetimus temerè. Etſi enim aliud eſt velle cum deliberatione, aliud ſine deliberatione, velleitas tamen eſt voluntas. Sed expoſitis internis illis actionum noſtrarum cauſis, quæ efficientes, & proximæ quidem appellantur, de remotiore earundem, ſed imprimis honeſtarum actionum cauſa, qui eſt Deus ipſe, nobis dicendum eſt. Nam internè quidem agit in nobis Deus, non autem extra nos: remotior tamen cauſa eſt, quàm ſuperiores duæ, quia neque voluntatis, neque intelligentiæ noſtræ pars eſt Deus, ſed vtranque impellens, ideóque ſuperior cauſa & remotior, quàm noſtra volũtas, & intelligẽtia meritò nominatur.

CAP. XIIII.

De Deo, qui eſt honeſtarum actionum noſtrarum cauſa quidem efficiens, ſed nulla tamen pars noſtri.

EX ea verò comparatione, quæ inter Veterem & nouum hominem fieri breuiter ex Scriptura poteſt, quomodo Deus ſanctarũ actionum quas agimus ſit author & cauſa, facilè cognoſcetur. A Duplicem igitur hominem nobis Dei Spiritu renatis, tribuit Scriptura, non quidem, quòd duas ὑποστάσεις & perſonas, quibus ſinguli conſtemus, in nobis eſſe fingat, ſed duas tantùm, eaſdémque diuerſas, intelligentiæ atque voluntatis noſtræ qualitates, & διαθέσεις inter ſeſe pugnantes. Nam ſumus ſinguli vna tantùm ὑπόστασις & ὑφιστάμενον, non autem perſonæ plures, quemadmodũ in lib. De ſpiritu & anima, copioſè apud Auguſtinum docetur. Has autem diuerſas in nobis qualitates appellat Hominem nouum & Hominem veterem. Neque tamen eadem Scriptura Hominem nouum, ſiue internum (vtroque enim hoc nomine vocatur, Epheſ.4. verſu 24. 2. Corinth.4. ve. 16.) appellat animam, quæ pars noſtri interna eſt, & intus latet in nobis: neque hominem Veterem & Externum, Corpus, quæ pars noſtri eſt externa & apparet oculis. Hominis enim voce totam ipſam naturam noſtram deſignat, & quicquid in nobis eſt, intus & extra, à capite ad calcem, quod vel corruptum eſt, vel renouatum. Ergo Hominem vocat, Metonymia quadam, qualitates ipſas, B quæ ſunt in homine, non autem ipſam hominis οὐσίαν. i. eſſentiam. Vocat hominem, affectus & motus quoſdam, qui ita inſunt & vigent in nobis, vt omnis noſtra actio, ex illa διαθέσει pendeat, atque ab ea regatur, quaſi homo ipſe nihil aliud ſit, quàm huiuſmodi affectionum & appetitionum ſubiectum & miniſter quidam, tam potenter nimirum ab illis agitur ac impellitur. Sumpta quidem eſt hæc loquendi ratio ab Hebræis, & ab his, vti aliæ multæ theologorum phraſes, ad Græcos & Latinos poſtea traducta. Veterem igitur hominem appellat Scriptura eos motus, affectus, appetitus, eámq; vniuerſam naturæ noſtræ ἕξιν & διάθεσιν, quã ab Adamo iã corrupto, ſed parente noſtro (qui ex incarnationis Chriſti ratione & tempore, Vetus homo dicitur) hauſimus, & accepimus. Qui naturę noſtræ ſtatus, quia per peccatum ipſius Adami omnino in vitium & labem proruit, & deflexit & illic immerſus iacet, nihil niſi vitioſum, tœdum, inhoneſtum, & prauum producit. Itaque Vetus homo noſter eſt omnis illa totius noſtræ naturæ vitioſitas, quam ex Adamo peccatore traximus, quæ C Peccatum originale, Labes hæreditaria, Vitioſitas naturalis, & ἁμαρτία ἁμαρτωλὸς in nobis appellatur, per quam mens ipſa in nobis cæca facta eſt, ſi non omnino quidem, ſaltem quoad diuina, & verè cæleſtia percipiẽda: itémque obtenebrata, & obſcurè cernens ea ipſa quorum intelligẽdorum vis, principia, & reliquiæ quædam in nobis adhuc, Dei beneficio, remanſerunt, Epheſ.4. v.18. Sed & voluntas tota vitiis & turpitudini immerſa, vitio, vti ſus luto, delectatur iiſque ſeruit. Itaque hîc vetus homo in proteruiis, cupiditatibus, violentiis, omníque factorum, dictorum, atque etiam cogitationis turpitudine & impuritate verſatur, & corrumpitur, Epheſ.4. verſu 19. 22. 1. Petri 4. v. 3. 4. Ex quo fit, vt (quatenus vetus homo ſumus) omnino in peccatis & vitio mortui ſimus, nullas autem ad bene agendum vires, ſed ne cogitationes quidem, habeamus. Epheſ.2. ver.1. 2. Corinth.3, verſ.5. Quin potius toti, & animo & voluntate ſimus in bonis & agnoſcendis, & agendis, tenebræ, iniuſtitia, & ἀσέλγεια. Cæterùm in hac ipſa vitioſitate dantur plures gradus. Ita enim quidam ſe omni proteruię

atque

A atque laſciuiæ dediderunt, vt omnem reliquum conſcientiæ ſenſum, aſſiduo quodam peccandi vſu & voluptate amiſerint, atque (vt loquitur Paulus) iam dedolere, dum malè agunt, didicerint. Epheſ. 4. verſu 19. Qui certè ſummus eſt & peſſimus improbitatis, ac nequitiæ gradus. Sed iam huic homini, qui Vetus dicitur, Nouum hominem ex aduerſo opponamus. Nouus igitur homo eſt in nobis omnis ille motus, affectus, ὁρμὴ, denique vniuerſus & mentis & voluntatis noſtræ ſtatus, & ſenſus, quem ex Chriſti (qui Nouus homo dicitur) participatione, & vera cum eo, id eſt, humana ipſius natura cõmunione & conſociatione noſtra hauſimꝰ, & accepimus. Chriſtum enim nos induiſſe priùs oportet, quàm huius hominis fiamus aliquatenꝰ participes, Gal.3.v.24. quia nihil aliud eſt hic Nouus homo, quàm ipſius Spiritus Chriſti cõmunicatio, id eſt, quàm Spiritus ipſe Chriſti viuẽs in nobis, & nos impellẽs ad ea, quæ ipſe idẽ, qui Chriſti proprius eſt, in Chriſto agit, optat, & præſtat, vt iã nõ nos ipſi in nobis, ſed Chriſtus in nobis viuat, Galat.2. verſu 20. 1. Corinth.15.v.10. Itaque hic B Spiritus in mentibus quidem noſtris lucem nouam accendit, per quam diſcuſſa naturali illa, quę nobis ex peccato ineſt, caligine clarè iam & Dei, & earum rerum, quæ verè honeſtæ, vel turpes ſunt, cogitionem aſſequamur, & ad eam perueniamus. Coloſſ.3.verſ.10. In voluntate verò, atque appetitione noſtra, hic idẽ Chriſti Spiritus nobis cõmunicatus, iuſtitiã & ſanctimoniam infundit, per quã quę verè bona ſunt, cupimus, approbamus, & perſequimur. Epheſ.4. verſu 24. Atque hic naturæ noſtrę ſtatus appellatur & Nouus homo, & Spiritus, Galat.5. ver.16.22. Item Regeneratio, Renaſcentia, Renouatio, ἀναγέννησις, παλιγγενεσία, ἀνακαίνωσις, 1. Petri 1. ver.3. Tit.3.v.5. Ioannis 3. Denique noua creatio ſiue ſpiritualis parturitio νέα κτίσις ϗ ἀποκύησις. Iacobi 1. verſu 18. Nouas enim has dotes creat in nobis Deus, tanquam nos iterum, & de nouo generans. Ioann.3. Hoc igitur Spiritus Chriſti afflatu & inſtinctu, tanquam imbre, & humore quodam cæleſti recepto, iam nouos fructus proferimus, eóſque bonos, & in Chriſto ſuaues, qui antea velut maledicta quædam, & inauſpicata terra nihil, niſi ſpinas & tribulos, maláque C opera producebamus, neq; ad aliud, quàm ad ſpurcitatem, propria cupiditate antea rapiebamur. He. 6. verſu 7.8. In Chriſto enim tunc viuimus, cuius Spiritu impulſa mouetur voluntas noſtra ad expetendum: cuius luce & ſapientiæ radio intelligentia noſtra illuſtrata cognoſcere incipit. Itaq; vti Chriſti ipſius intelligentia & voluntas lucidiſsima, ſapientiſsima, ſanctiſsima, iuſtiſsima eſt: ita quantum próque ea menſura, qua ſinguli Chriſti Spiritui magis minúſue communicamus, habemus in mente lucem illam: in voluntate autem ſanctitatẽ & iuſtitiam variis gradibus, variáque menſura. Eſt autem occulta communicatio iſta, vt libro De peccat. remiſsion. capite decimo, ait Auguſtinus, *quæ inſpiratione gratiæ ſpiritualis in nobis fit*: adeò vt prorſus explodendum ſit illud Sententiariorum dogma, qui hominem per ſe poſſe opus bonum ex genere, & circunſtantiis efficere contẽdunt: etſi illud fatentur, non fore meritorium. Quandiu enim ex ſola carne & ſanguine, id eſt, vitioſa illa naturâ, geniti manemus, toti caro & vitium dũtaxat ſumus: neque prius Spiritus opera facimus, quàm ex SpirituDei renati eſſe cœperimus. Ioan.1.v.13. 3.v.6. qui A nobis ad ea ipſa opera (ſunt autem omnia illa opera bona, quemadmodum Paulus docet Gal.5.v.22.) omnes motus neceſſarios inferit. Itaque primus ipſe nos impellit, impulſos promouet, progredi facit, progreſſos fouet, & confirmat, donec ex hac vita excedamus. Denique Deus eſt, qui in nobis operatur & velle & efficere, vt ait Paulus, Philipp.2, v.13. Peſsimè verò omnino noui Scholaſtici, qui quod dicitur Deum efficere, vt velimus, referunt ad efficacitatẽ, & affectionẽ rei & operis, non autem ad ipſum voluntatis noſtræ motũ, quẽ à Deo nobis dari negant. Cauſæ autem huius regenerationis ſunt, Deus quidem Pater, quatenus ille ſalutis noſtræ author eſt: Deus Filius, quatenus eiuſdem tota eſt materia Chriſtus, Deus factus homo: Deus denique Spiritus ſanctus, quatenus ille eſt fidei in nobis creator, & naturæ noſtræ aptator & renouator, vt illa Dei dona poſsit capere: quanquam, quandiu hîc viuimus, perfectè illa dona capere non poſſumus: ſed ex parte tantùm, & pro ea menſura, quam Deo Patri miſericordiarum libet nobis impartiri. Fons igitur ipſe, vnde B neceſſarias omnes ad eam tum mentis, tum etiam volũtatis noſtræ renouationem, partes haurimus, eſt Chriſtus, quatenus humanam naturam, id eſt, noſtram aſſumpſit, per quam ſua dona nobis communicat, eáque in nos transfundit, ex cuius plenitudine omnes fideles accipimus, Ioannis 1. verſu 16. Itaque in eo theſauri omnes ſapientiæ & cognitionis concluſi dicuntur, vt ex eo vno mentis lucem & veram intelligentiam depromendam, & effundendam intelligamus. Coloſſ. 2. verſu 3. In eodem etiam Chriſto ineſt fons ipſe, non tantùm exemplum omnis ſanctitatis & iuſtitiæ quam nobis communicat, vt ex eo vno voluntatis quoque noſtræ ſanctificationem deriuari, deducíque ſit neceſſe fateri. 1. Corint.1. verſ.30. Iſaiæ 8. v.14. Qua verò ratione hi duo tam excellentes riui, quorum alter ad intelligẽtiam, alter ad appetitionem noſtram pertinet, ex Chriſto tanquam vberrimo fonte in nos defluant, explicandum iam nobis eſſe videtur. Fit autem hoc tam admirandum Dei opus, ea (quemadmodum diximus) ratione atque communicatione, qua ſanguinis & corporis C Chriſti ſimus participes. Quum enim per eam tam arctam cum eo vnitionem & coniunctionem Chriſtum ipſum, id eſt, & fundũ, & fontem ipſum habeamus, ex eo iam facilè duos illos ſaluberrimos, vtiliſsimos & ſuauiſsimos fructus decerpimꝰ, & riuos iſtos deductos in nobis ſentimus, nimirũ carnis, ſiue veteris hominis mortificationem: & ſpiritus, ſiue intelligentiæ & voluntatis noſtræ renouationem. Poſſeſſus igitur à nobis Chriſtus, Chriſtus, inquam, ille Mediator noſter, Deus verus, & homo verus pro nobis, nobíſque cõmunicatus, poſſeſſus, inquam, vtrunque efficit. Ac quidem carnis mortificationem, vi & effectu ſuæ mortis. Quòd enim mortuus eſt Chriſtus, pro nobis mortuus eſt, vt vim peccati, prauæ'que naturæ noſtræ potentiam, quia mortis ipſius ſimus participes, paulatim aboleat, & extinguat in nobis. Atque hæc prima, ſi cauſarum ordinem ſpectes, Chriſti gratia primúſque noſtræ cum eo communicationis fructus, dicitur Carnis mortificatio, ſiue veteris hominis depoſitio, quæ quanquam perfecta in hoc mundo contingere nobis non po-

A teſt,augeri tamen in dies, & progredi magis magíſque poterit. Philipp.3.verſ. 14.Efficit hic idem Chriſtus, ſed poſterius quidem,& ordine cauſarũ (quanquam temporis ratione eodem momento vtrunque nobis communicatur. Neſcit enim tarda molimina Spiritus ſancti gratia, vti aiunt) efficit,inquam, idem Chriſtus, alteram quoque gratiam, nimirum ſpiritus innouationem in nobis, quatenus ipſius reſurrectionis ſimus quoque participes.Reſurrexit enim pro nobis,vt non tantùm ille,ſed nos quoque per ipſum agentem Spiritu ſuo in nobis ſéque communicantem, & immiſcentem noſtris animis,viuamus Deo. Rom.6. verſu 3.4. & ſequ. Atque altera Chriſti in nos gratia, altérque fructus dicitur Spiritus, Vitæ innouatio: donum planè egregium & excellens, quod nunquam ſatis æſtimari poteſt. Vbi igitur vtrunque communicatum nobis eſt in Chriſto, tunc omnes Regenerationis noſtræ partes, etſi nõ plenè (vti dixi, nam hîc conſequi, propter peccatũ nobis inhærens,eas plenè non poſſumus) cõmunicãtur.Itaque nos ad bona opera formatos eſſe,nihil aliud eſt,quàm Chriſti Spiritu iam agi,& moueri:noſtro,qui prorſus vitioſus eſt,compreſſo,& domito. Præclarè enim Gregorius li.4.cap. 4.in li.1.Regum,*Natura noſtra per lapſum primi hominis ſic dãnata eſt,vt quotidie labẽdo deficiat, & deficiẽdo veteraſcat. Sed qui in nobiſmet ipſis deficimꝰ, quũ in nos ille Spiritus Dei inſilit, renouamur: quia ſtatim quod non eramus,efficimur. In virum ergo nouũ mutatus eſt,quia eſſe cœpit, quod ante inſiliẽtem Spiritũ in ſe eſſe nõ potuit.* Atque ex his fontibus honeſtarum actionum initia,vitæque ſanctitatis principia omnia,& veriſsima ex noſtra cum Chriſto vnione ducenda ſũt:& ita nobis eſt in Ethica ſciẽtia,ex Dei verbo, ſi verè de principiis noſtrarũ actionum ſentire volumus,philoſophandũ.Non ſunt autem illa honeſtarum actionum principia nobis ex naturæ noſtræ viribus, vt Philoſophi & Pelagiani faciunt,petẽda:non ex idonea quadam & libera in vtranque partem voluntate noſtra, vt Scholaſtici, & inepti quidam homines faciunt,ſunt ſumenda. Ac quidẽ tam verum eſt omnis honeſtæ & ſententiæ, & voluntatis noſtræ in omnibus tum rebus agendis,tũ C conſiliis capiendis authorem eſſe Deum, quemadmodum Iacobus 1.verſ.17.docet, vt & in politicis negotiis,in rebus mediis, ſiue indifferentibus, quæ dicuntur:ac denique in omnibus humanis,etiam infidelium hominum actionibus, in quibus aliquid veri honeſtique ineſt, id quoque verum eſſe contendamus quod & Auguſt.quoque nobiſcum variis in locis ſentit,li.4.cõtra Iulia.c.3.epiſt. 130.&.li.5.de Ci.Dei.Malè enim quidam ſentiunt, qui in rebus diuinis, quæ rectè agimus, ea à Deo eſſe concedunt:quod autẽ in aliis vitæ noſtræ partibus,& cõſiliis politicis rectè fit, id nos ex nobis ipſis & facere & poſſe arbitrantur. Contrà Iacob, *Omne bonum eſt à Deo patre luminum.* Præterea qui ita ſentiunt,quanta ſit humanæ naturę labes,quãtáque vitioſitas per peccatum cõtracta & accepta, non intelligunt. Quid igitur,dicet quis,infideles homines, & à Chriſto alieni, qui quædam honeſtè egiſſe, vel agere dicuntur, qualis olim Socrates, Traianus, Ariſtides, Cato, & nunc multi viri probi,habéntne eas Dei gratias, atque etiam ex Chriſto (cuius, quum fide careant, non poſſunt eſſe participes) in ſeſe defluentes? Minimè gentium. Nam eas veriſsimos tum mortis, tum A reſurrectionis Chriſti fructus eſſe ſuprà docuimꝰ: cuius vtriuſq; nullam vim ſentiũt,qui ſunt à Chriſti cõmunione & corpore ſecluſi.Neq; enim quiſquã de Chriſto illa tã egregia dona haurit,niſi qui fidẽ habet.Eſt enim fides quæ nos Chriſto cõiungit,& quæ velut quædam ſpiritualis manus vel ſitula, ex Chriſto Mediatore noſtro,id eſt, Deo & homine pro nobis facto,iſtorũ donorũ vnico fõte,illos riuos,& illas gratias haurit, atque accipit, qua fide qui carẽt (carẽt autẽ infideles & ἄπιστοι homines omnes) neque Chriſtũ participãt,neque ex illis duabus regenerationis Chriſtianæ partibus vllã habẽt.Atqui tamen inter ipſos illos infideles & Dei cognitione priuatos homines, magna quædã eſt virtutum varietas, & differentia. Neque enim ſæuiſsimum illum & Neronẽ, & Caligulam Auguſto Cæſari:neque Domitianum crudeliſsimum optimo principi Traiano:neque Melitũ & Anytũ Athenienſes improbiſsimos Socrati leniſsimo in moribus honeſtíſq; vitæ huius actionibus æquales feceris. Non certè. Quanquam enim (vt alibi diximus) ſi horum omniũ,etiã eorũ qui ſanctiſsimi B inter eos dicti ſunt,opera in Dei trutina examinẽtur,nulla tamen verè bona conſebuntur: ſed mala omnia ſunt,æternóque Dei iudicio digniſsima,tamen inter eos,vt iterum dicam,& inter eorum opera magna cernitur differentia. Cur igitur inter iſtos eorúmque opera tantum diſcrimen apparet, dicet quis, ſi neutri ſunt viri verè quidem boni,ſi neutri Chriſti participes,ſi neutri renati? Reſpondeo igitur,eos,qui ex infidelibus,& à Chriſto alienis hominibus meliores,æquiores, temperantiores,& probiores cæteris vixerũt, Dei Spiritu tales extitiſſe: & à Deo ipſo,non autem à ſeſe habuiſſe, vt diuerſa ab aliorum improbiſsimorum,& ſceleratiſsimorum libidine opera præſtarent. Deus enim,magna ſua benignitate, generis humani miſertus, præſtantiſsimos quoſdam & excellentiſsimos viros variis ætatibus excitauit, qui ruentem & labentem propter effrenem peccãdi, & turpiter viuendi licentiam, hominum ſocietatem ſua moderatione,æquitate, exemplo & præceptis ſtabilirent, & conſeruarent.Itaque eos cæteris æquiores & moderatiores ipſe finxit, & Spiritu ſuo inſtru- C xit,vt tales eſſent. Sed hic Spiritus Dei in iſtis vim vitiorũ,ad quæ natura omnes procliues ſumus,tãtùm reprimebat,ne in illis regnaret: eorum autem naturam neque renouabat:neque regenerabat, vt noua mens & voluntas in illis eſſet, quod facit in ſuis electis & fidelibus Chriſtum participantibus. Sunt enim diuerſa vnius & eiuſdem Dei Spiritus in hominibus opera & dona atq; diuerſi effectus. Nam & vbi vult ſpirat,& quantum vult ſpirat:neque æqualiter in omnes, etiam fideles, nedum vt infideles æquales Dei gratias ſentiant,vel inter ſe, vel cum fidelibus hominibus.Ioann.3.verſu 8. Epheſ.4.v.7.Itaque in infidelibus honeſtè viuentibus, eſt quidem Dei Spiritus,ſed reprimẽs tãtùm vim & impetum immoderatum peccati,& vitioſæ noſtræ naturæ qui ſe in aliis infidelibus effert, iactat,& demonſtrat.Itaque in iſtis continetur,tanquam in gyro rationis ille aliàs furioſus naturæ noſtræ impetus. Atque hanc noſtram ſententiam & diſtinctionem confirmat Bernardus Serm.23 Cãtic. & hac ſimilitudine illuſtrat.*Sol,* ait, *non omnes, quibus lucet, etiam calefacit: ſic Sapientia multos quos*

A *docet, quid ſit faciendum, non continuò quoque accendit ad faciendum.* In Chriſtianis verò, fidelibus, & verè piis, eſt idem quoque Dei Spiritus qui agit, ſed nō tantùm in iis comprimit vim prauæ illius naturæ: imò verò illam innouat, reformat, & propter eam, quam cum Chriſti carne & ſanguine habent communionem, in eorum tum intelligētia, tum etiam voluntate nouas dotes, nouóſque ſenſus & affectus efficit, ac producit, qui ſtatus, Regeneratio, & noua creatio nominatur. Ergo neque fideles, neque infideles quicquam decorum & laudabile vnquam gerunt, niſi per Dei Spiritum: ſed illi fideles per Dei ſpiritum eos etiam regenerantem: iſti verò infideles per Dei Spiritum: eorum tantùm vitia reprimentem & domantem ne ſe efferant, & furioſè iactent. Ex quibus, quantum ſit inter fideles & infideles diſcrimen, etiam dum vtrique honeſta agunt, & quàm diuerſum Spiritus Dei in vtriſque opus appareat, intelligitur.

Vnum modò iam reſtat, quod nobis videtur quoque eſſe explicandum. Nimirum, Quomodo, id eſt, quibus mediis & inſtrumentis Dei Spiritus B in viris piis & fidelibus, Chriſtum participantibus, vtranque illam regenerationis noſtræ partem (de qua diximus) efficiat, & producat. Certè (vt breuiter reſpondeam) is modus eſt duplex, ordinarius nimirum, & extraordinarius. Quod vt, quam verùm ſit, intelligatur, hoc primùm omnium retineo, & ſtatuo, quod eſt certiſſimum: vt Chriſto vniamur, atque vt illius donis communicemus, fidem in nobis primùm omnium eſſe creandam. Eſt enim fides per quam Deus purificat corda noſtra, illa eſt noſtrum cum Chriſto vinculum: illa manus in nobis qua Chriſtum apprehendimus, nobíſque applicamus: illa denique organum, quo ad Dei obſequium aptamur. Cæterùm hæc fides dupliciter in nobis à ſancto Spiritu creatur. Ordinariè nimirum, vel extraordinariè. Ordinariè, quum verbum Dei nobis externè ab homine aliquo, vel priuato, vel paſtore prædicatur. *Fides enim eſt*, ait Paulus, *ex auditu.* Quomodo autem audiet quis, niſi Dei verbum ab alio illi annuntietur? Hæc tamen Verbi prædicatio externa, quatenus à miniſtro & paſtore, id eſt, C ab homine mortali fit, eſt inefficax: quatenus autem à Dei Spiritu in cordibus noſtris viuificatur, & quod externè in auribus noſtris inſonat, intus atque in animis noſtris à Dei Spiritu inſeritur, atque inſculpitur: Verbum illud prædicatum eſt vice ſeminis viui, miri, optimi, fœcundiſſimi atque adeò immortalis, per quod renaſcimur, atque illam vitæ nouitatem accipimus. Itaque ait Petrus 1. cap. 1. 22. *Animabus veſtris purificatis, auſcultando veritati per Spiritum, cum charitate fraterna ſimulationis experte, ex puro corde alij alios diligite impenſe, renati non ex ſemine mortali, ſed ex immortali per ſermonem Dei viui, & manentis in æternum.* Huic autem cæleſtis verbi externæ prædicationi, addit etiam Dominus externa Sacramenta, quę ſunt certiſſimæ obſignationes promiſſionum ipſius, ac beneficiorum Chriſti, quæ per prædicationē nobis annuntiantur. Atque hic vterque fidei in nobis & generandæ & augendæ modus eſt ordinarius. Modus autem extraordinarius, per quem renaſcimur, eſt is, in quo hominum miniſterium nō interuenit, ſed eſt huiuſmodi, qualis in Paulo cōuerſo, & à Deo, ipſo vocato deſcribitur, nimirum quum ante externam vllā verbi Dei prædicationem A à nobis auditam, iam Chriſtum didicimus, ipſo Dei Spiritu per ſe id agente, & eum nobis reuelante: quod quum fit, miraculo non caret vocatio & fides noſtra. Hoc etiam modo, quia fides in nobis inſeritur, Chriſti ipſiúſque donorum participes ſimus, atque vtramque noſtræ regenerationis partem in eodem nanciſcimur. Atque hæc de cauſis noſtrarum actionum, quæ efficientes propriè appellantur, dicta ſint.

Cap. XV.

De externis noſtrarum actionum cauſis, quæ efficientes dicuntur.

EXTERNAE verò noſtrarum (id eſt earū, quæ hominis propriæ ſunt) actionum cauſæ varię & multiplices explicari, atque recenſeri poſſunt: è quibus etiam ipſis aliæ ſunt viciniores & propinquiores cauſæ, aliæ remotiores, & magis alienæ. Ac primùm quidem rectè Ariſtot. τρία ἐστὶν, ait, ἐν τῇ ψυχῇ τὰ κύρια πράξεως καὶ ἀληθείας, αἴσθησις, νοῦς, ὄρεξις, id eſt, *Tria ſunt in animo omnis actionis & cognitionis noſtræ principia, ſenſus, mens, appetitio.* B Nam ſi vniuerſum actionum noſtrarum genus quatenus illæ ſunt vel naturales vel morales ſpectamus, certum eſt quicquid vel natura impellente, vel recta educatione & ratione monente facimus, illud omne vel à ſenſibus nobis inſitis, vel ab appetitus noſtri vi, vel à luce mentis proficiſci. Naturalium enim actionum quę dicuntur, & ſunt nobis cum brutis communes, cauſæ in nobis ferè ſunt duæ, ſenſus & appetitio naturalis. Moralium autem, & earum, in quibus rationis laus, vel vituperatio aliqua verſatur, actionum fons & cauſa in nobis eſt, partim mens ipſa & ratio qua ſumus à Deo præditi, partim etiam voluntas noſtra. Sed illæ cauſæ non ſunt externæ, id eſt, extra nos, quęadmodum antea docuimus: ſed interna & veriſſima, & proxima noſtrarum actionum principia. Nos autem de externis iam quærimus, non autem de internis. Itaque illæ iam explicatæ cauſæ ad hanc quæſtionem non pertinent. Sed nec eiuſdem authoris in eodem opere alius locus, qui eſt lib. 2. capite 5. hîc ſpectandus eſt, vbi ait, *Tria eſſe in animo, quæ noſtris omnibus actionibus, imprimis autem* C *moralibus, tanquam ſubſternuntur, & cauſam præbent.* Illa autem ſunt, affectio, quam appellat πάθος. M. autem Cicero libro 1. de Officiis ὁρμὴν & appetitum: facultas, quam idem Ariſtoteles δύναμιν: & denique habitus, quem ille vſitato nomine ἕξιν dixit. Eſt autem πάθος, ſiue ὁρμὴ hoc loco, id eſt, affectio ſiue appetitus, commotio quædam nobis ad aliquid expetendum naturâ ingenita, ne lapides, & ſtipites eſſemus. Δύναμις autem & ἕξις quid ſint, poſtea dicetur. Sed illa tria non ſunt externæ actionum noſtrarum cauſę, imò potius earum tanquam materia quædam, ad quam expoliendam virtutes accedunt. Quid igitur? Maximæ & præcipuæ actionum humanarum cauſæ, quæ externæ dicendæ ſunt rectè enumerantur duæ primariæ: duæ autem ſecundariæ & accedentes. Ac primariæ quidem

Dolor
vel
Voluptas:
Secundarię
Praua
Honeſta inſtitutio ſiue educatio.

Præclarè enim à Platone acceptum refert Ariſtoteles libro 2. Ethic. cap. 3. Διὸ δεῖ ἦχθαί πως εὐ-

A θὺς ἐκ νέων, id eſt, oportet nos ab ipſa ineunte ætate quodammodo eſſe inſtitutos, vt boni euadamus, vel peſſimi. Inde & illud natum, quod tam ſæpe in libro περὶ παίδων ἀγωγῆς inculcat Plutarchus, *Educatio altera eſt natura.* Sed vt illud de educatione verum eſt, ita de voluptate quoque verum eſt, magnas ex voluptate, vel dolore, quem ſentimus, ad bene vel malè agendum occaſiones afferri. Id quod ipſa rerum experientia tam apertè docet, vt nihil ſit in hoc probatione vel argumentis opus. Abducunt enim ſæpe nos voluptates blandiſſimę dominæ, ne faciamus officium: itémque dolores animi, & corporis cruciatus nos terrent, & auocant, vt maxima ad bene beatéque viuendum adiumenta conſequutus videatur, qui quibus rebus oportet vel dolere, vel delectari poteſt. Sed præter voluptatem & dolorem ſæpe ad agendum lucro vel damno homines ducuntur, & alliciuntur. Nam agit ea ferè lubentiſſimè quiſque ex quibus commodum aliquod ſperat: detrectat autem ea, in quibus aliquod ſuum incommodum videt verſari. Vnde fit, vt commodum ſicuti ſuaue inter B cauſas externas bene vel malè agendi recenſeri poſſit. Cæterùm odium quoque, amicitia, metus, cæteræque animi vel affectiones, vel perturbationes, inter externas actionum noſtrarum cauſas recenſentur, ſed remotiores. Omnium virtutum ſeminarium pietas ab Ambroſio nominatur rectè. De quibus omnibus vna hæc regula eſt ſtatuenda: Vt in turpibus quidem actionibus, quò minus eæ cauſæ externæ, in hominis ingenium & mentem cadunt, eò actiones ipſæ turpiores habeantur: In actionibus autem honeſtis, quò magis eæ cauſæ externæ, in viris bonis ſpectantur & probantur, eo quoque actiones ipſæ noſtræ laudabiliores atque honeſtiores eſſe cenſeantur. Et de cauſis quidem actionum noſtrarum tum internis, tum etiã externis, hactenus. Veniamus ad earum tum ſubiectum, tum etiam materiam, & obiectum, quod appellatur.

CAP. XVI.

De actionum, quæ hominis propriæ ſunt, tum ſubiecto, tum etiam materia & obiecto.

C ECQVOD autem ſit actionum earum quæ hominis propriæ ſunt, ſubiectum, variè quæſitum eſt. *Quanquam enim omnes virtutes, etiam ea, quæ per corpus operantur, in animo habitant*, quemadmodum lib. 1. De nuptiis ca. 4. præclarè ſcribit Auguſtinus: non eſt tamen ſola hominis anima omnium actionum, quæ hominis propriæ ſunt, ſubiectum. Nam actio totius ὑφισαμένου, & indiuidui proprium effectum & opus eſt, id eſt, animi & corporis communis agitatio & effectio, non ſolius animæ, non item ſolius corporis propria: quemadmodum ipſa ſenſatio eſt corporis & animi communis quædam operatio, vti conſtanter docetur in Philoſophorum ſcholis. Quæ enim agimus tanquam homines, ea partim rationis imperio, partim corporis miniſterio efficimus, vt vtraque noſtri pars ſuam in iis actionibus vel laudem, vel pœnam meritò reportet. Sic peccata puniuntur, ſic virtutes ipſæ à Deo Optimo Maximo & iudice æquiſſimo probantur, vt & animus & corpus noſter debitã pœnam vel gratuitum præmium in vltima illa reſurrectione auferat: non ſolus autem animus, neque ſolum etiam corpus, A pœnam vel præmium conſequatur. Quamobrem in vniuerſum ita ſtatuendum eſt, actionum humanarum ſubiectum, eſſe hominem ipſum totum, corpore nimirum & animo conſtantem. Atque id facillimè ex hoc Pauli loco colligetur, qui eſt 1. Theſſalo. 5. verſ. 23. vbi & corpus & ſpiritum, & animum noſtrum ſanctificandum eſſe docet. Sed earum actionum noſtrarum quę ſunt tantùm internæ, ſubiectum eſt Animus ſolus. Itaque rectè Lactantius, qui libro 1. capite 20. *pectus hominis virtutum domicilium* vocat. Earum verò quæ ſunt externæ, & ſenſibus notari, ac oculis vſurpari poſſunt, ſubiectum eſt in nobis Corpus, cuius membra animi imperata exequuntur. Cæterum quemadmodum internæ, ſiue animi noſtri actiones ſunt multiplices & variæ, ita variæ quoque in anima facultates ſunt, tum verbis diuerſis annotatæ, tum à Deo ipſo certis locis & officiis diſtinctæ & ſecluſæ, per quas eas diuerſas actiones operamur. Ergo animæ noſtræ partes, ſiue potius facultates, duæ primùm in genere conſtituuntur.

vna,
- λογικὸν μέρος, id eſt, pars animi, quæ ratione vtitur. B
- ἄλογον, id eſt, pars quæ non habet vſum rationis.

Non quidem quod anima ſit multiplex in nobis reipſa: non item quòd ratio quædam & voluntas in omnibus affectionibus, appetitionibus, ſiue appetentiis noſtris non verſetur: ſed ita Philoſophi diuidunt animam, vt facilior poſtea ſit tota de virtutibus & vitiis diſputatio. Nam quæ in ἀλόγῳ animi parte appetitiones ſentiuntur, illæ naturali quodam motu potius, quàm vlla antecedente rationis deliberatione naſci videntur, quale eſt ſitire, eſurire, frigere: in iis tamen vel frænandis, vel ſatiandis ratio modum adhibere debet, verſantúrque eæ virtutes, quæ fortitudo & temperantia dicuntur. Quæ rationis lucem habet, illa etiam eſt duplex. Igitur pars animæ illa

vel
- Omnino λογικὸν eſt μέρος καὶ κυρίως λογικόν,
- Partim λογικὸν, partim etiam ἄλογον,

quod etiam ἐπιθυμητικὸν appellant. Paret enim ea facultas ſæpe rationi, ſæpe autem repugnat, quòd abs turpi libidine atque affectu abripiatur neque rationem bene monentem ſemper audiat. C In hac igitur tertia animi facultate regenda, illiúſque actionibus moderandis, & rationi ſubiiciendis verſantur eæ omnes virtutes, quæ ab illis ἠθικαὶ nominantur. In illa verò altera animi λογικοῦ facultate ornanda ac perficienda, quæ ὅλως λογικὸς appellatur, laborant eæ virtutes omnes, quę διανοητικαὶ ab iiſdem dictæ ſunt, & ab ἠθικαῖς diſtinguuntur. Ergo earum actionum quę ſolis animi viribus fiunt .i. quæ internæ tantùm ſunt, & quæ in intelligentiæ nimirum, & voluntatis noſtræ operatione atque agitatione verſantur, ſubiectum eſt animus ipſe hominis. Earum verò actionum, quæ externam aliquam operationem producunt, & corporis miniſterio geruntur, ſubiectum eſt hominis corpus, ac illius membra. Quo fit, vt vniuerſa Dei Lex, quæ omnes hominis actiones regit & moderatur, partim in animo noſtro, partim in corpore ad Dei voluntatem verámque ſuam normam conformãdo poſita ſit, vt ex Rom. 12. Col. 3. v. 17 apparet, non in ſolius animi inſtitutione & reformatione percipienda. Ex quo intel-

A ligitur,quàm latè huius cognitionis,quæ nominatur Ethice,vis & præceptio pateat, quum & animi & corporis actiones omnes temperet, atque moderetur.Quamobrem hæc verè eſt ἀρχιτεκτονικὴ ars dicta:quia nõ vna ſolùm in re,nec vna in vitæ parte, ſed in omnibus hominem erudit, atque (ſi illi ſatis obſequeremur) perfectum reddit.2.Timoth. 3.verſ.17. Poſtquam autem de ſubiecto actionum noſtrarum diximus, de earumdem obiecto, ſiue materia, circa quã verſantur, ordine nobis agendum eſt.Sunt quidem actiones, ſiue actus noſtri (quemadmodum alii loquuntur) omnium virtutum & vitiorum,quæ in nobis inſunt,materia. Nã actiones noſtras virtus informat & dirigit, atque illis ſpeciem honeſtatis induit,per quam pulchræ, honeſtæ,& à vitiis differentes cernũtur. Vitia verò eaſdẽ actiones noſtras deformant potius,quàm informant,quanquam (ſi verè loqui volumus) etiam vitia ipſa actionibus noſtris ſpeciem quandã inducunt, ſed eam turpẽ, indecoram, ac inhoneſtam,ex qua infames,obſcœnæ, & deformes iudicantur.Sed actionum noſtrarum eſt generalis B quędam materia,in qua deſtinantur,atque verſantur, quæ nobis explananda eſt,vt vniuerſa futuræ diſputationis vtilitas ac ratio facili⁹ à nobis poſtea proponatur. Ac quidem quid ſit actio, & quotuplex, ſuprà diximus:neque eſt hoc loco repetere neceſſe:vnum modò addemus, quod magnam toti huic argumento lucem allaturum exiſtimamus.Eſt autem huiuſmodi,Actus omnes noſtros duobus modis diſtingui. Alii enim naturæ,alii moris actus,ſiue actiones appellãtur.Actus naturæ ſunt,qui nulla rationis deliberatione,ſed ſolius facultatis,quæ nobis à natura inſita eſt,& ad noſtræ huius vitæ cõſeruationẽ & cõmoditatem conceſſa,vi & impulſu perficiuntur,quale eſt edere,cõcoquere alimentũ, creſcere in iuſtam ſtaturam, videre oculis,audire, olfacere. Denique quales ſunt omnes humanæ actiones,quæ nobis ſunt,vti ſæpe diximus,cũ brutis animantibus,vel etiam cum plãtis terreſtribus cõmunes.Hæ actiones ſunt ſæpe potentiſsimæ ac robuſtiſsimæ in peſsimis & improbiſſimis hominibus, in quibus tamen actiones moris & honeſtæ planè vel languent, vel ſunt prorſus extinctæ.De C hoc autem actionum genere nulla hîc à nobis inſtituta diſputatio eſt. Quanquam enim Auguſtinus libro 22.contra Fauſtum cap.47. peccatorum alia dicat eſſe *contra naturam, alia contra morem, alia contra præcepta*,certum eſt tamen in huiuſmodi actionibus naturalibus propriè,neq; virtutem, neque vitium ineſſe,ſi aliud non acceſſerit. Actiones moris dicuntur, ex quibus bene vel malè morati & inſtituti vocamur, & ex quibus virtutis vel vitii alicuius formam & impreſsionem contrahimus, denique ex quibus virorum bonorum vel malorum nomen nobis comparamus. Itaque eæ ſunt in quibus rationis, atque voluntatis humanæ vis, & (vt loquuntur in ſcholis) dominium,id eſt,imperium cernitur, quia ex deliberatione quadam animi propriè ſuſcipiuntur,non ex ſolo naturæ impetu,vt edere & bibere. Moris autem aut morales actiones nominantur,partim vt à ſuperioribus diſtinguantur:partim etiam, quòd illa inſtitutio vitæ noſtræ, per quam praui vel probi apparemus, à Græcis ἦθος, à Latinis mos appellatur. ἦθος dicitur,quòd conſuetudinẽ inde aliquã & aſſuefactionem nobis comparamus,ἀπὸ τοῦ ἐθίζειν,& quòd conſuetudine ſiue aſſuefactione multum confirmetur A, atque etiam tanquam acquiratur iſtiuſmodi diſpoſitio animi. Mos autem, quòd (vt ait Sextus Pompeius)inſtituta,quæ ad religionem vel pietatem pertinent,mores à Latinis hominibus vocantur.De hoc igitur ſecundo actionum genere, quæ ſunt morum agimus, quarum materiam non vnã tantùm quandam eſſe dicimus, quemadmodum ii, qui vnam tantùm vniuerſalem virtutem eſſe volũt,cuius ſint diſtincta, & varia pro variis obiectis officia: ſed triplicem harum actionum materiam diſtinguimus. Nam omnium actionum,in quibus honeſtas vel turpitudo aliqua verſatur, & in quibus virtus vel vitium cerni poteſt, materia eſt quiddam à nobis.

Cogitatum,διάνοια,
vel Dictum,λόγος,
Factum & geſtum,ἔργον.

Id quod tum ex Paulo,Coloſſ.3.ver.17.tum ex Auguſtino eius iuſtiſsimo interprete, in Enchirid.ca. 64.& in Pſalm.118.ſatis intelligi poteſt.Quicquid enim à nobis fit,vel animi noſtri cogitatio eſt, vel oris ſermo, vel manus & membrorum noſtrorum B factum quoddam : vel omnia hæc ſimul.Itaque eadem illa ſunt, in quibus omnis illa actio noſtra, quæ moralis dicitur,occupatur,& verſari apparet, ſéque exercet. Denique quum virtus, vel vitium dicitur eſſe actio quędam, id vel ad cogitationem, vel ad ſermonem, vel ad factum aliquod noſtrum referamus neceſſe eſt quia illud, in quo actio omnis noſtra moralis verſatur,eſt quiddam de harum trium rerum numero. Vt autem aliquid cogitemus, dicamus, itémque faciamus,indidit Deus vires & facultatem nobis. Quum igitur aliquid corde,ore vel membro externo corporis ex ea facultate, quam illi Dominus tribuit & dedit, agimus, tunc eſt aliqua actio noſtra: ex quo fit, vt vera & præcipua materia,circa quam omnis moralis actio verſatur, ſint hæc tria quæ diximus. Cæterum cùm illa rectè atque vt oportet, agimus,huiuſmodi noſtræ actiones virtutes appellantur:quum autem perperam & malè eadem agimus, & alio quàm oportet modo & ratione,vitia nominantur. Eſt enim virtus,cuius actus ipſe Lege Dei pręſcriptus eſt,id eſt,cuius actio ex eo genere actionũ eſt, C quas Deus fieri præcipit.Præclarè namque hoc, vt alia multa, Auguſtinus libro 4. contra Iulianum, cap.8.*Opus bonum eſt,quod conſcientia non titubante fit, & cuius actus à Deo non eſt damnatus.*Ergo actuũ, ſiue actionum bonarum genera omnia ſummatim Lege Dei continentur. Sed vt in corporibus,ſic in his actionibus noſtris accidit, vt non tantùm ipſe ſuccus, ipſáque corporis noſtri moles, compago & ἰδέα laudetur, vel vituperetur, ſed etiam color, proceritas, compoſitio, delineatio, & proportio membrorum inter ſe ſpectetur: ex quibus rebus venuſti vel deformes ferè nominamur: ſic in actionibus noſtris, quæ morales ſunt, non tantùm ipſum cogitatum, dictũ vel factũ noſtrum per ſe nudum conſiderari ſolet: ſed etiã variæ circunſtantiæ,quæ ſunt noſtris actionibus,velut externa quædam illarum forma, annexæ. Sunt enim earum velut quoddam externum indumentum,quod diligenter perpendi ſolet & debet:quia circunſtantiæ noſtras illas actiones vel exornant, & ſplendidiores quodammodo reddunt, vel eaſdem deturpant & conſpurcant,vt ſint appareántq;

A magis deformes. Ergo circunſtantiæ ſunt altera quædam noſtrarum actionũ materia, ſed illa quidem acceſſoria, & ſecundaria: non autem pręcipua, neque primaria, qualis cogitatio ipſa, vel loquutio noſtra, vel geſtio rei, ſed quæ tamen prętermitti ad noſtrarum actionum honeſtatem ac velut bonitatem vel fœditatem integrè & ſincerè diiudicãdam, neque poſſunt neque debent. Ex quo iam fit, vt ſi actionum noſtrarum definienda ſit tota materia, non tãtùm ſpectandum ſit hoc quod egimus eſſe vel cogitatum, vel dictum aliquod, vel factum noſtrum: ſed etiam illud ſit addendum & conſiderandum, quibus circunſtantiis veſtitum, & tanquam compoſitum ſit id quod egimus, id eſt, quomodo quippiã vel cogitatum ſit, vel dictũ, vel factũ à nobis. Si enim neq; quo inſtrumento oportet, neque quo modo, neque quo tempore, neque quo loco, neque quo fine, neque qua in materia debuit, aliquid factum eſt à nobis, id rectum eſſe minimè dici poteſt. *Oportet enim*, inquit, Bernardꝰ, *in virtutibus & tempus, & locum, & modum ſpectari, præter quæ virtus non eſt virtus.* Itaque ſumma animi B prudentia opus eſt, vt omnes eas circunſtantias tum animaduertamus, tum etiam rectè obſeruemus. Illa verò, vti cæteræ virtutes omnes, à Deo petenda eſt, quæ πνεῦμα διακρίσεως, id eſt, Spiritus diſcretionis appellatur. Nam vna eſt prudentia, quæ in illis omnibus perpendendis, exquirendis, & eligendis verſatur. Itaque præclarè Ariſtoteles libro 6. Ethic. ca. 12. *Rectum opus*, ait, *prudentia, & morali vitute perficitur. Virtus enim rectum ſcopum eligit & facit: Prudentia autem media recta, per quæ ad huiuſmodi finem peruenitur.* Quòd ſi ira vel libidine, vel praua conſuetudine huius prudentiæ lucem ſuffocauerimus, nunquam rectè rerum circunſtantias obſeruabimus, videbimus, nec opus rectum faciemus. Circunſtantiæ verò, quæ ſunt nobis neceſſariò in noſtris actionibus moralibus perpendendæ, quot & quales ſint, antea diximus. Ex iis autem quædam ſunt magis principales, velut finis, & materia, quæ duę ex ipſo agentis animo omnino pendent. Itaque plus deturpant, vel ornãt noſtras actiones morales, quàm cæteræ.

Tempus
C Locus
nimirum, Perſona
Modus
Inſtrumentum.

quæ omnia non ex ſolo agentis animo ſumuntur: ſed habent etiam ſæpiſſimè aliarum rerum, quæ non ſunt in noſtra poteſtate, adiunctionem neceſſariam, & ſępe ex aliis rebus, quas ignorare iuſtè poſſumus, pẽdent & æſtimantur. Itaque hæ circunſtantiæ quinque, minus noſtras actiones lædunt, quàm priores duæ, quas nemo aliquid agens ignorat. Nemo enim neſcit & quo fine agat: & in qua materia. Ex quibus omnibus iam intelligitur, ecquę ſit actionũ moraliũ vel primaria, vel ſecũdaria materia. Quidam autem aliter ſentiunt: nempe, Duplicem tantùm eſſe omnium moralium actionum materiam, Affectus noſtros, quos ὁρμὰς appellãt, & appetitus: vel Impetus, quos πάθη, & perturbationes animi volunt eſſe. Inſitos enim eſſe animis omnium hominũ à Deo quoſdã affectus, & appetitus, quorum impulſu humanus animus, vt ait Lactãtius lib. 6. c. 14. commouetur, quorum affectuum alii ſunt moderatiores: alij autem effrenes magis ac pręcipites. Illos moderatiores affectus vocant Appetitus: hos A autem minus ſubditos rationi, Perturbationes animi. Certè, ſi quæ ſit iam humanæ naturæ poſt peccatũ ratio, diligenter ſpectetur, duplex affectuũ genus in nobis eſſe fateamur neceſſe eſt. Vnũ quidem non tantùm naturale, ſed etiam laudabile, & à Deo ipſo homini integro conceſſum, qualis eſt amor vxoris, liberorum, ſtudium vitæ conſeruãdæ, cibi appetitio, & cæteri ſimiles affectus, qui nullo modo in nobis ſunt extinguendi, ſed ex Dei præcepto moderandi. Alterum autem genus affectuum in nobis etſi naturale eſt, eſt tamen vitioſum, & à peccato in nobis, non autem à Deo ipſo inſitum, velut amor cædis, libidinoſus æſtus, ingluuies, odium fratris. Atque hi affectus ſunt omnino extirpandi, nõ moderandi. Sed quod ſcribit Lactantius etiam in primo affectuum noſtrorum genere cernitur. In eo enim ſunt quidam motus, & naturæ impetus ferè ſedatiores: alij autem vehementiores & commotiores, in quibus vtriſque virtus verſatur. Quum enim vtrique, id eſt, & appetitus & perturbationes, ſint animorum noſtrorum tanquam vbertas quædam naturalis, ve- B lut in agro ſunt ſentes, illi certè ſunt vel coërcendi, vel extirpandi, vel excolendi. Magna enim prouidentia, inquit idem Lactantius cap. 16. iſtas animi commotiones ingenerauit nobis Deus, ad tuenda huius vitæ officia, quia quum animus, vt aqua, torpet, planè eſt inutilis: quum autem iſtis motibus excitatur, tum virtutem capere poteſt. Origenes Homil. 2. in Cantica Canticor. *Creator vniuerſitatis*, ait, *cùm vos conderet, inſeruit in cordibus veſtris ſemina charitatis*, ſed & reliquorum quoque affectuum, cui planè conſentit illud Q. Horatii, *Format enim natura priùs nos intus ad omnem Fortunarũ habitum, iuuat, aut impellit ad iram, Aut ad humum mœrore graui detrudit, & angit: Poſt adfert animi motus, interprete lingua.* Ergo virtutum & vitiorum ſegetem, ſiue materiam, putant eſſe tum iſtos affectus & ὁρμὰς, tum perturbationes, & πάθη animorum noſtrorum, locupletiſſimam illam quidem, in quibus regendis, coërcendis, & rectè adminiſtrandis verſentur virtutes: vitia verò in iiſdem efferandis, & à recta norma dimouẽdis. Et hæc quidem vera ſunt, quum de ipſarum virtutum & vi- C tiorum proxima materia quærimus. Vtriuſque enim obiectum ſunt affectus illi noſtri, quos diximus, & quos virtus ſuſcipit vel regendos, vel etiam prorſus nonnunquam euellendos. Nos autem de generali actionum omnium moralium materia reſpondebamus, quum eam triplicem eſſe diximus. Nam etiam in ſingulis generalis illius materiæ partibus, id eſt, in eo quod à nobis cogitatur, dicitur, & fit, appetitus, vel perturbationes inueniri, qui à virtute regantur, ſanè concedimus, ne quid à noſtro Lactantio diuerſum ſentire cuiquam videamur.

CAP. XVII.

De omnium actionum humanarum, quæ ſunt honeſtæ, fine, & ſcopo.

PROXIMVM eſt, vt de actionum noſtrarũ, quæ morales dicuntur, fine ac ſcopo dicamus, quæ quanquam ſunt duplices, nimirũ aut honeſtæ, aut vitioſæ, de honeſtis duntaxat dicere nobis maximè propoſitum eſt. Neque enim hæc à nobis

A nobis ſuſcepta eſt diſputatio, vt homines ad vitia prouocemus, ad quæ ſunt naturâ plus ſatis propẽſi & procliues: ſed vt ad virtutem atque ad omne honeſtum opus eos inſtruamus: qui certè eſt huius cognitionis & philoſophiæ veriſsimus finis, quẽadmodum Paulus docet, 2.Tim.3.verſ.17. *ἵνα* ait, *ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος.* Itaque de fine, quem ſibi proponere, quémque ſpectare debet, quicunque verè bonum opus efficere ſtudet, agamus. Eſt enim in vna ea re boni vel mali operis maximum diſcrimen poſitum: & in fine deligendo, proram & puppim virtutum totiúſque honeſtæ nauigationis noſtræ omnes collocarunt. Qualis enim eſt finis nobis propoſitus, talis & actio quoque noſtra cenſeri debet. Præclarè igitur Anſelmus. *Omnis volũtas ſicut vult aliquid, ita vult propter aliquid. Nam quemadmodum conſiderandum eſt, quid velit, ita videndum eſt, cur velit: quippe non magis recta debet eſſe volendo quod debet, quàm volendo propter quod debet. Quapropter omnis voluntas habet, Quid, & Cur.* Quamobrem vti finium quidam ſunt

B {Boni
{Mali.

Sic actionũ noſtrarũ genus eſt duplex. omnes enim ratione finis ſunt aut bonæ, aut malæ. Finẽ bonũ appello, quẽ ſpectare & ſequi, nobíſq; pro ſcopo deligere Deus ipſe verbo ſuo iubet, qualis eſt Dei ipſius gloria, proximi dilectio: afflicti benigna & miſericors, non autem ſpe compenſationis facta ſubleuatio: & ſi qui alii à Deo nobis deſignati ſunt fines. Malũ autẽ finem dico, quem in agendo ſpectare vetat Deus, qualis Dei blaſphemia, proximi lęſio, mercenaria benignitas. Medias autẽ quaſdam actiones & *ἀδιαφόρους*, quæ vocantur, eſſe quanquã non nego, quemadmodũ etiam ex ſacra Scriptura docemur: eas tamen ratione actus, non autem ratione finis tales eſſe contendo. Quemadmodum enim quædam fieri diſertè iubentur Dei verbo: quædã autẽ nominatim prohibentur: quædam verò tanquam in medio relicta ſunt, vt, prout eſt cuiuſque illa agentis ſcopus & animus ſic vel honeſta vel turpia cenſeantur: ſic omnes actus noſtri ita diuiduntur & diſtinguuntur in vniuerſum, C vt vel bonos vel malos, vel *ἀδιαφόρους* eos appellemus. Bonos, ſi præcipiuntur: malos, ſi vetantur: indifferentes, ſi neque per ſe fieri vetantur, neque iubentur, quale eſt vt vxorem ducamus, vt piſces vel carnes edamus, vt hoc vel illo colore veſtiamur. Ex hac autem triplici actuum differentia, ſingulæ actiones noſtræ vel bonæ, vel malæ, vel adiaphorę dici poſſunt: quæ tamen omnes finis ipſius, quem habemus in animo, ratione ſunt

tantùm vel {Bonæ & laudabiles,
{Turpes & vituperandæ, nullæ mediæ.

Quare magnum eſt in fine & ſcopo actionum noſtrarum eligendo & proponendo momentum, magna vis, & quidem tanta, vt quæ opera ſæpe actuum & operationum ipſarum externarũ ratione inter ſe ſimillima videntur: propter finem tamẽ diuerſum, non tantùm diuerſa, & diſſimilima: ſed prorſus inter ſe contraria & pugnantia reperiantur: fallit enim vitium ſæpenumero, vt ait ille, *ſpecie virtutis & vmbra, Quum ſit triſte habitu.* Quamobrem rectiſsimè libro 4. cõtra Iulianum ca.3. Auguſtinus, *Vera virtus*, ait, *ex fine, non ex actione iudicatur. Nam ſæpe latrones multa tolerant, auari item, neque tamen in eis eſt fortitudo. Igitur non officiis, ſed finibus à vitiis virtutes diſcernuntur.* 13.

A *Impiger extremos currit mercator ad Indos*
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes,

ait ille. Neque propterea tamen fortis, & magni animi vir dici poteſt: ſed potius auarus. Id quod pulcherrimè quoq; Bernardus ſic expreſsit: *Vigilat tota nocte luxurioſus, non ſolùm patienter, ſed & libẽter, vt ſuam expleat voluptatem. Vigilat raptor veſtitus ferro, vt diripiat prædã. Vigilat fur, vt domũ perfodiat alienam. Sed hi omnes & horum ſimiles, longè ſunt à labore & dolore, quem conſiderat Dominus: Homines autem bonæ voluntatis, qui Chriſtiana volũtate diuitias paupertate commutarunt, vel etiam non habitas tanquã habitas conſumpſerunt, relinquentes omnia propter ipſum ſequuntur eum quocũque ierit.* Chryſoſt. in epiſt. Pauli ad Galat. cap.1. Nam & medici ſecant carnem, nõnunquam & oſſa frangunt, quæ frequenter eadem faciunt & latrones. Rurſus homicidæ pariter, vt Martyres torquentur, at non quia patiuntur eadẽ tormenta: vtrique eodẽ habentur loco. Quin & Abraham filii interfectorẽ dicemus, ſi res nudas expendimus, non addentes quamobrem, quo animo B id fecerit. Quid enim ſi quis latro peregrè profecturo mercatori cuipiam & pecunias ad iter quærenti ſatagat, & operam ſuam diligẽter accommodet, vt magnã pecuniæ ſummã mercator ille inueniat, ſed eo animo vt ipſe prædo in ſyluis eam poſtea eripiat, nónne ſi actio ipſa à latrone adhibita diligentiáque ſpectetur, amici officium: ſin autem illius animus & finis cõſideretur, prædonis facin⁹ feciſſe videbitur? Quid, ſi quis vicino locupleti pecunia ad tẽpus egẽti ipſe mutuetur, vt eum faciliùs poſtea prætextu iſtius officii & amicitiæ fallat & circumueniat? nonne, ſi actus ipſe, & mutuum datũ ſpectetur, vir bonus & Chriſtianus iſte cẽſebitur: ſin autẽ finis & animus eius cogitetur, idẽ ille improbus & ſceleſtiſſimus meritò dicẽdus eſt? Sanè. Tãti nimirũ momẽti ſunt in noſtris actionibus omnibus fines, vt ex illis, non ex officiis & præſtationib⁹ ipſis externis, bonę vel malę ęſtimẽtur. *Ratio enim iuſtitiæ*, inquit Auguſtinus lib.22. cõtra Fauſtũ ca.43. *non tãtùm quid factũ ſit, verùm etiã quare factũ ſit, intuetur.* Et Bernardus Epiſt.69. *Rerũ cauſa*, ait, *non materia, nec exitus actuum, ſed intentionis propoſitum cauſas diſcernit & merita, dicente Domino,* C *Si oculus tuus ſimplex fuerit, & totum corpus ſimplex erit.* Vnde qui ſæpe à nobis laudatur, & nũquã tamẽ ſatis laudatus eſt, Auguſtinus Ser.59. de Tẽpore, *Non virtus, ſed cauſa virtutis apud Deum mercedem habet.* Item, *Nõ ad opera*, inquit Maximus Epiſcopus, *ſed ad ſcopum operum diuinum iudicium intentos habet oculos.* Ergo non ex obiecto & materia, ſed fine virtutes à vitiis ſecernũtur: atque adeò ex eodem fine virtutes ipſæ inter ſe propriè diſtinguntur. Auguſt. tractat.45. in Ioann. Euangel. *Nec benè viuere dicendi ſunt, qui finem benè viuendi vel cæcitate neſciunt, vel inflatione contemnunt. Nam cui non datur ſemper viuere quid prodeſt bene viuere? Non eſt autem cuiquã ſpes certa & vera ſemper viuendi, niſi agnoſcat vitam, qui eſt Chriſtus, & per ianuam intret in ouile.* Hæc Auguſt. præclarè. Cui conſentienter Hieronymus, *Nihil prodeſt*, ait, *exercere virtutes, niſi noueris creatorem.* Quod autem inquit Ariſtoteles libro 6. Ethic. cap.5. finem eſſe rerum agendarum principium, magnam noſtræ ſententiæ confirmationem affert. Nam quæcunque agimus, A certi alicuius finis gratia agimus, non autem temerè, non fruſtrà, non inconſideratè : ſed aliquid pro ſcopo ſpectamus, qui quidem inhærens in animo impellit nos, atque inuitat ad agendum : quanquã demum poſt actionem finem illum conſequimur. Præclarè enim idem Ariſtoteles, *Quæ in animi intentione prima ſunt & proponuntur*, ait, *ea ipſa in ipſius rei exequutione & effectione poſtrema conſequuntur, & percipiuntur.* Eſt igitur finis in actionibus humanis tanti momenti, tantæque dignitatis, quantæ in artibus & ſcientiis, quæ ratiocinando conficiuntur, ipſa ſyllogiſmi concluſio, quæ etſi poſtremum eſt, tamen pręcipuum quoddam & iucundiſſimum eſt totius cognitionis noſtræ opus. Itaque vulgò in ſcholis dici ſolet, Quod in cogitatione, affirmatio & negatio, hoc ipſum eſt in appetitione, perſequutio & fuga. Quod etiam in reliquis verum eſt. Et certè, quemadmodum ad cognitionem artium κοινὰς quaſdam ἐννοίας mentibus noſtris inſeuit Dominus, per quas tanquam per diuinam, & ſpiritualem quandam lucem, prima rerum, quæ ſcientia comprehendi poſſunt, principia intelligi- B mus & fatemur eſſe vera : ſic ad actiones honeſtas reliquit idem Deus quoddam conſcientiæ lumen, & generale teſtimonium, tanquam honeſti & inhoneſti κριτήριον (quam vulgò Συντήρησιν vocant) quod eſt ipſius Legi cæleſti per Moſem promulgatæ planè concordans atque conſentiens, per hoc tanquam diuinum quendam oculum, & naturæ ipſius teſtificationem, rerum honeſtarum ſumma, & generalia quædam præcepta atque principia videmus, ſentimus & agnoſcimus eſſe ſequenda, contrariáque fugienda. Hoc verum eſſe docet Paulus Roman.2.v.14. *Nam gentes*, ait, *quæ Legem* (Moſis) *non habent, natura quæ Legis ſunt, faciunt, vt, qui oſtendant opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, vnà teſtimonium reddente ipſorum cõſcientia, & cogitationibus ſeſe mutuò accuſantibus, aut etiam excuſantibus.* Hanc autem conſcientiæ ſuæ lucem & vocem naturæ quicunque vel libidinis ſuæ intemperie victus, vel malè agendi inueterata conſuetudine excæcatus: vel prauo hominum iudicio corruptus amiſit, ac in ſe extinxit, næ ille nunquam ad ſanam mentem, melioremque frugem poterit reuocari. C Itaque ille incidit in illam ἀναλγησίαν, de qua Paulus Epheſ.4.v.19. vt ſeſe omni proteruiæ ad certatim patrandam omnem impuritatem dedat. Nam hi *poſt iura Dei cognita, non ſolùm mala faciunt ipſi: ſed etiam facientibus patrocinantur*, vt docet idẽ Paulus. Principium enim & bene agendi, & bene ac verè de humanis actionibus iudicandi, item per quod bonum à malo, honeſtũ à turpi diſcerneret, miſer perdidit : atque eſt de iis rebus iudex omni bruto pecude deterior. Atque hoc conſciẽtiæ noſtræ teſtimonium, eſt illud ipſum principium humanarum actionum, quod incorruptum in nobis manere debere cenſet, & meritò quidem, Ariſtoteles libro 6.cap.5.Ethic. vt ſimus & ad bene viuendum, & ad bene de vitiis & virtutibus iudicandum apti & idonei. Quod vbi ſemel noſtro vitio fuerit ſublatum, & tanquam vi libidinis in nobis regnantis ſuffocatum, neque finem honeſtum vllis in noſtris actionibus vnquam proponemus, aut ſeligemus : neque etiam ab aliis propoſitum vnquam probabimus, aut ſequemur. Neque enim Pyrrhonis, Herilli, aliorúmque his ſimilium Scepticorum ſententia vllo modo nobis audienda eſt, qui omne rerum honeſtarum & inhoneſtarum diſcrimen, atque delectum ſuſtulerunt, qui A ne inter profanos quidem ipſos, quemadmodum M. Tullius docet, vllũ de officio & virtutibus diſputandi locum habuerunt. Sed nec Academici his meliores, aut magis à nobis proponendi, qui idem ſentiunt. Itaque vt quis ſit rectus & honeſtus actionum noſtrarum finis intelligamus, Bonum illud & ſincerum conſcientiæ teſtimonium à Deo accipere debemus: atque ille ferè omnibus hominibus (quos nondum in reprobum ſenſum tradidit) illud largitur benigné. Acceptum conſeruare, quantum in nobis eſt, oportet, nec vitiorum flagitiorúmque aſſuetudine delendum eſt. Denique ne aliquando praua hominum, cum quibus verſamur, quorúmque ſcripta vel ſententias audimus vel legimus conſuetudine vel authoritate frãgatur, inflectatur, imminuatur, aut etiam deperdatur (verum enim illud eſt, *Corrumpunt bonos mores colloquia praua*) ad ipſiſſimum Dei verbũ, quod ſcriptum nobis magna Dei miſericordia & prouidentia relictum eſt, tanquam ad veriſſimam normam recurrendum nobis eſt, per quod ipſa illa B noſtra ſiue συνείδησις, ſiue συντήρησις, id eſt, conſcientię integritas, ſanitas & ſinceritas eſt informanda & reſtituenda, & reſtituta tuenda, ac fouenda. Eſt enim Dei verbum ſcriptum, imprimis autem Lex illa cæleſtis, quæ Decalogus appellatur, veriſſima noſtræ conſcientiæ ſtabiliendæ & dirigendæ (vt in bonis maliſque diſcernendis, ſincerum iudicium adhibeat & retineat) norma, lux, liber, doctrina ac inſtitutio: quoniam ſæpe conſciẽtia noſtra longa quadam ad malè agendum aſſuefactione, aut etiam ſtupore quodam ſuo communes illas boni & mali diſtinguendi notitias obliterat, & amittit prorſus : vel admodum tenues & infirmas habet, quæ tamen ſunt reſtituendæ, vt aliquis honeſti & inhoneſti delectus inter nos maneat, & conſeruetur. Sed iam quinam eſſe debeant noſtrarum actionum vt illæ ſint honeſtæ & ſanctę, fines, explicemus. Neque enim in hac quęſtione cenſent omnes idem, ſed alii ab aliis & ſentẽtia, & verbis deprehendũtur diſsimilimi. Ac primùm philoſophi homines vera rerum luce, id eſt, diuina cognitione deſtituti, quantum reliquo, id eſt, ob- C ſcuro naturæ lumine, conſequi potuerunt, tantum ſunt efficere & docere conati. Ex iis igitur (nam Epicureos inter pecudes potius quàm homines, nedum Philoſophos, habeo) quidam virtutem ipſam, id eſt, ſplendorem quẽdam vitę, & honorem inter homines moderatiores præcipuum eſſe finem actionum noſtrarum voluerunt. Quid enim aliud ab iis vel virtus vel honeſtas dicitur, niſi (quemadmodum rectè docet Lactantius Firmianus) honor perpetuus ad aliquem ſecundo populi rumore, propter moderatiorẽ vitam delatus ? Itaque hi in honeſtis actionibus noſtris nihil aliud pro fine ſpectant, niſi ipſam earum laudem, & naturæ, ſiue conſcientiæ noſtræ iudicium quoddam. Sed neque nos vlterius quicquam aſpicere volũt, quàm vt ad naturæ rationiſq; humanæ præſcriptũ, quàm proximè fieri poteſt, accedamus, atque collimemus. Virtutem enim vocant eam actionem, quæ proximè cum rationis humanæ iudicio conſentit, éſtque in nobis latentis potentiæ perfectus actus. Volunt igitur nos eſſe contentos hoc ipſo ſtudio & opere noſtro, & illud nobis pro ſummo

& ſolo

A & ſolo actionum noſtrarum fine proponendum, quoniam hoc præclarum quiddam eſt, & naturæ noſtræ tanquam perfectio, ac abſolutio quædam. Actionum ergo noſtrarum finis, ex iſtorum ſententia, eſt actio ipſa. i. latitantium animæ noſtræ facultatum in ſuos actus apertos & ἐνεργείας perfectiſsimas eductio & progreſsio, non autem Dei gloria, non proximi ſubleuatio, non humanæ ſocietatis conſeruatio, ſed hoc ipſum duntaxat, quòd quæ agimus, perfectè agimus, & quãtum ratio humana præſcribit agẽdũ. Ex quo fit, vt homo ſit ſibi ipſe finis actionum ſuarum.i.ſibi ipſe deus, fœlicitas, & ſummum bonũ: quòd certè eſt abſurdiſsimum ſentire, nedũ dicere, quum homine ipſo nihil ſit & vanum magis, & infirmum. Pſal.8. ver. 5. & Pſal.62.v.10. Præterea, vt verè Lactantius, Nõ ipſa virtus, ait, eſt ſummum bonum, ſed effectrix & via tantùm, quia perueniri ad illud ſine virtute non poteſt. Auguſtinus lib.4.contra Iulianum ca. 3. *Virtutes autem quæ nulli rei ſeruire volunt, nec ipſæ veræ ſunt. Veræ quippe virtutes Deo ſeruiunt, in hominibus Deo ſeruiunt, & in Angelis, à quo donantur & Angelis.*
B Alij igitur, hac priore ſententia repudiata, ipſam fœlicitatem finem eſſe actionum noſtrarum contẽdunt, quam eandem, vt auguſtum quiddã, & humana ſorte maius dixiſſe videantur, non μακαριότητα non item ὀλβιότητα, non εὐτυχίαν: ſed εὐδαιμονίαν appellant, quaſi quæ nos ipſi Deo æquales & pares reddat. Hanc autem duplicem conſtituũt Ariſtotelici, vnam quã in hac vita conſequimur, quæ ſit poſita in virtutis actione perpetua, cui adiũctę ſint cumulatè corporis & fortunæ bona, ne quid ad præſentis huius vitæ commoditatem, vel corporis ſuauitatem deſit. Alteram, quam poſt hanc demũ vitam (ſi modò ex Ariſtotelis ſententia immortalis eſt animus hominis) nanciſcimur, quæ in perfectæ contẽplationis voluptate ſit ſita. Ad hãc autem vtramque fœlicitatem conſequendam, virtutes, tanquam viam quãdam omnino neceſſariam, adhibent, ſine quibus illa nunquam haberi poſsit. Itaque hi non virtutem ipſam, id eſt, perfectam actionem finem agendi conſtituunt, quod ſuperiores faciunt, ſed præter & ſupra virtutem aliud quiddam pro ſummo bono quærunt, quod (vti
C dixi) vocant εὐδαιμονίαν. Sed neque hæc ipſa ſententia vera eſt. Primum quòd aliquem, præter Dei gloriam, finem actionum noſtrarum ponere, eſt toto cælo (vti poſtea docebimus) aberrare. Deinde, quòd hominis ſummum bonum (qui enim actionum noſtrarum finis conſtituitur, idem illud ſummum quoque hominis bonum ſit neceſſe eſt) in ipſius hominis natura, ſuauitate, & tanquam ambitu collocant, & concludunt. Atqui præclarè Auguſtinus, vti nemo ſibi ipſe vitæ autor eſſe poteſt: ſic neq; beatæ vitæ, ait, & extra hominẽ ipſum hominis fœlicitas omnino eſt quærẽda. Præterea virtutes & vniuerſas hominis actiones, imò honeſtatem ipſam mercenariam faciunt, quum eam idcirco conſectandam eſſe volunt: quia per eam nobis bene ſit. Ergo nobis ipſis nati ſumus, & idẽ quod ſuperius abſurdum eueniet, vt fateamur, hominem ſibi ipſi ſummum eſſe bonum. Quanquam verò deſiderant omnes fœlices eſſe, & commune ſit humanæ mentis nõ inſanientis votum fœlicitas (omnes.n.ſibi bene eſſe volunt) non ipſe hominis animus ſua ſorte contentus, felicitas hominis eſt: non fruitio omnium, quæ optare quiſque in hac vita poteſt, & in quibus ſibi bene & commodè A
eſſe ſentit. Multa enim praua & turpia deſiderãt homines, quibus ſummè delectantur, multa ſunt inepta, in quibus acquieſcimus: multa denique ad corpus potiꝰ, quàm ad animũ: ad nos potius quàm ad Deũ referimus. Bene quidẽ nobis eſſe.i.vitæ huius commoditates deſideramus, quia omnes homines hîc ſumus caro: ſed (quemadmodũ ſæpe diſputauit Auguſtinus, imprimíſq; in libris de Trinitate) non omnes eam fœlicitatem, quæ vera eſt, quæque ſummum hominis bonum cenſeri debet, deſiderant. Atque hoc ipſũ eſt quod vulgò dicitur, Omnia expetere bonũ ſuę cõditionis, vt ſint, nõ autẽ bonũ electionis, per quod verè beati ſunt. Itaq; aliquid non idcirco fœlicitas noſtra vel ſummum bonum eſſe cenſendum eſt, quia à nobis ſummis votis exoptatur. Sequitur quidem eos, qui verũ actionum ſuarum finẽ ſpectãt, illa fœlicitas, & beatus quidam ſtatus: ſed ipſa illa beatitudo, id eſt, fœlix noſtri cõditio, verus actionum noſtrarum finis non eſt ſtatuendus, niſi nos Deo præferimus, nos nobis ſolis natos ducimus, & mercenariam tum virtutem, tum fœlicitatem noſtram prorſus facere B
volumus. Alij denique (hæc enim omnia breuius perſequor, quòd præclaro opere Lactantius iſtas ſententias refutauit, libro 3. Inſtitut. Chriſtianarum) Deum ipſum actionum noſtrarum finem conſtituũt, vti Plato in epiſt. ad Architam, in Philebo, & aliis aliquot locis: quòd huius cõtemplatione fruentes, boni & beati ſimus. Sed & hæc ipſa ſententia finem actionum noſtrarum nos ipſos facit, noſtrámque ſortem & fœlicitatem: non Deum ipſum, quia eatenus Deum pro ſummo bono inducit & cogitat, quatenus per eum ipſi beati ſumus, & nobis bene eſt. Itaque non Deum propter ſeipſum, ſed propter nos, & bonum nobis ab eo proueniens, docet eſſe deligendũ & proponẽdũ nobis tanquã ſcopũ. Quo quid turpius aut magis mercenariũ dici poteſt? Deus enim non propter vel animi vel corporis bona, quæ in nos confert: ſed propter ſeipſum à nobis & diligendus, & finis actionum noſtrarum omnium eſt æſtimandus, ſi modò verum dicere, & Chriſtiani eſſe velimus. Geneſ. 15. ver. 1. Pſalmo 4. verſ. 8. & copioſiſsimè Pſal.62. Adeò quidem, vt quanquam C
gloriæ Dei inſeruientes, maxima detrimenta, imò etiam ipſam animorum noſtrorum mortem æternam ſubire deberemus, Deum tamen & ipſius gloriam pro vero & ſummo & ſolo omnium operum noſtrorum fine proponere nobis ſemper oporteat. Ex quo fit, vt ne hanc quidem Lactãtij Firmiani ſententiam li.6.c.9. probemus. *Nã dempta ſpe immortalitatis*, ait, *quam Deus pollicetur in ſua religione verſantibus, cuius aſſequendæ gratia virtus appetenda eſt, & quicquid acciderit malorũ perferẽdum, maxima erit profectò vanitas, obſequi velle virtutibus, quæ fruſtra homini calamitates afferunt, & labores.* Virtutem enim planè facit, quemadmodum alii, mercenariam, & noſtri tantùm commodi cauſa conſectandam. Et hæc quidem aduerſus Philoſophos. His autem nihilo meliores ſequuti ſunt Chriſtiani quidã, qui Scholaſtici ſiue Sententiarii nominantur: imò verò longè ſuperioribus omnibus deteriores apparent. Illi enim cenſent meritũ noſtrum, quod appellant, eſſe finem honeſtæ vitæ atque actionis noſtræ. Itaque ex eorum ſententia bene agere ad eum finem oportet, vt vitam æternã

A id eſt,fœlicem nobis aliquem in futura vita ſtatum mereamur, atque acquiramus. Quod quid aliud eſt,quàm noſtri,non Dei gratia viuere, quàm nos ipſos ac beatam illam noſtram conditionem, non Dei gloriam ipſam per ſe præcipuum operum noſtrorum finem & ſcopum cenſere, id eſt, nos Deo præferre? Quid denique aliud eſt, quàm opera noſtra autoramentum quoddam conſtituere vitæ æternæ, & cæleſti illi immortalitati par, & æquale? Adeò vt vita æterna nobis adempta iam bene non ſit agendum, & Deo obſequendum: & iam non ſit vita æterna,(contrà quàm tamē Romanorum 6.ver.23.Paulus ſentit) Dei donum,ſed ex iſtorum decreto debita quædam,& iuſto pretio empta merces.Quæ ſanè blaſphemia potius,quàm falſa tantùm ſententia, quanquam infinitis modis refutatur,tamen veterum Patrum authoritate, nō noſtra dimicatione iugulāda & vincenda eſt. Audiant igitur iſti Meritorii homines quid Auguſtinus contra meritum operum noſtrorum ſentiat.*Væ*,ait,*etiam laudabili vitæ hominū, ſi remota miſericordia diſcutias eam.*libro 9. Confeſſ. B cap.13.Idem ad Bonifacium libro 4,capite 4. *Solus Chriſtus pro nobis ſuſcepit ſine malis meritis pœnam, vt nos per illum ſine bonis meritis conſequeremur gratiam.* Audiant quid Leo primus Sermo. 12. de paſſione Domini ſcripſerit,*Acceperunt iuſti, non dederunt coronas, & de fidelium fortitudine exempla nata ſunt patientiæ,non dona iuſtitiæ.* Audiant quid Gregorius Magnus libr. 21.Moral.capite 15.*Omnis humana iuſtitia iniuſtitia eſſe deprehenditur, ſi diuinitus districtè iudicetur.*Quid Euſebius Emiſenus cap.3. *Licet corporis & animæ laboribus deſudemus: totis licet obedientiæ viribus exerceamur, nihil tamen condignum meritò pro cæleſtibus bonis cōpenſare valebimus. futura enim beatitudo acquiri poteſt, æſtimari non poteſt.* Quid Anſelmus in dialogo De veritate capite 13.*Iuſtus namque quum vult quod debet, ſeruat voluntatis rectitudinem,non propter aliud iuſtus eſt,quàm propter ipſam rectitudinem. Qui autem niſi coactus, aut extranea mercede conductus vult quod debet,ſi ſeruare dicendus eſt rectitudinē,non eam ſeruat propter ſe, ſed propter aliud.* Quid Bernardus Clareuallēſis in Serm. De annūtiatione Mariæ,*Æternā vitā nullis* C *potes meritis promereri*, vbi totus ille locus legendus eſt.*Sufficit enim,*ait idem,*ad meritum ſcire, quòd non ſufficiant merita.*Quid Gabrie Biel libro 2. Diſtinct.22.*Tria requiruntur,vt ſit meritū condigni: primum,Vt ſit amicus, qui facit:ſecundum, Vt referatur opus ad Dei gloriam:tertium,Vt à Deo acceptetur.* Audiant quid D. Paulus 2. Timoth.1.verſ.9. *Qui ſeruauit nos, & vocauit vocatione ſancta, non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito, & gratia, quæ data quidem eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tēpora æterna.* Audiant denique quid Chriſtus ipſe Lucę 17.v.9.*Nū gratiam habet (* dominus *) ſeruo illi, quia fecit quæ ipſi præcepta fuerant? non puto. Ita & vos, quum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Serui inutiles ſumus:nam quod debuimus facere,fecimus.* Aut hoc teſtium ſatis eſt,aut neſcio quid ſit ſatis. Ex quo fit, vt turpiſsimè & falſiſsimè meritum operum noſtrorum, vel acquiſitio vitæ æternæ noſtrarum actionū finis & ſcopus eſſe debere dicatur, & doceatur inter Chriſtianos. Omnium autem ineptiſſimè ſentiūt,qui vel honorem & famam hominū, vel corporis voluptatem, & reliqua commoda vitæ huius, vel etiam lucrum ac vtilitatem actionū noſtrarum ſcopum eſſe definiunt.quod non modò vulgus hominum imperitū facit, ſed etiam *χαρίεντες* multi.Itaque meritò in Ageſilai vita illud iactatum reprehēdit Plutarchus. A *Nihil aliud iuſtum eſſe,quàm quod vtile eſt Spartæ.* Quibus omnibus expoſitis, iam quis omnium actionum noſtrarum, imprimis autem honeſtarum,finis eſſe debeat,explicemus:ab eo loco potiſsimū exorſi, quid ſit finis. Finis eſt,cuius gratia fit, & ſuſcipitur aliquid. Quæcunque enim homines cōſilio & animi ratione agunt & aggrediuntur,ſcopum ſibi proponunt aliquem,ad quem ſuum opus referant. Quamobrem rectè Ariſtoteles lib.1. Ethic. *Omnis ars*, ait, *& omnis doctrina,itē omnis actio & propoſitū animi,bonū aliquod expetere,& finē ſpectare videtur.* quia hæc omnia,neq; temerè fieri, neq; ſuſcipi ſine ratione ſolent.Finium autē multiplex eſt ratio.Alius enim

eſt { Summus
Inferior:

Alius item { Proximus
Remotior:

Alius denique { Primarius
Subſeruiens.

B Summus finis eſt illud ipſum, quod alio nomine Summum bonum appellamus.Eſt autem,quod omnia,atque etiam propter ſe appetunt: ſiue cuius gratia reliqua omnia expetūtur,ipſum propter ſe. Hic idem finis eſt primarius & præcipuus, cui reliqui fines inferiores tanquam medii quidā fines, & ſupremi finis conſequendi adminicula ſubſeruiunt.Itaque omnes illi medij & minus præcipui ſiue inferiores fines ad hunc ſummum referuntur & pertinent.Finis proximus eſt,quem ita in agendo ſpectamus vt hūc primo loco & ordine, id eſt, ante reliqua omnia eſſe & obtinere velimus. Remotior finis eſt, quem etſi ſpectauimus quidem, non tamē primo loco euenire nobis ſperauimus. Hîc igitur de ſummo & primario actionum noſtrarum ſiue fine ſiue bono quærimus,ecquod ſit. Nam earūdem inferiores fines eſſe quidem multi poſſunt,ſed ſummus eſſe poteſt tātùm vnus. Itē in ſingulis actionibus noſtris aliud verſari ſæpe poteſt,quàm hic ſummus finis,quē quærimus:ſed tamen ad eum etiā hi ipſi alii, & proximi fines à nobis ſpectari debuerūt,debebúntque ſemper referri.adeò vt is voluntati noſtrę actioníque imperet, C & ad ſe vtramque tāquam rex & dominus trahat, cui quicquid conantur & efficiunt illæ, acquirant & præbeant. Eſt autem hic actionum noſtrarum non tātùm vniuerſarum,id eſt,totius vitæ noſtræ: ſed etiam ſingularum, id eſt, cuiuſque operis noſtri finis ſummus ſiue ſummū bonum,ſola Dei veri,viui,immortalis,æterni,& rerum omnium,quæ conditæ ſunt,conduntur,& condentur, creatoris & ſuſtentatoris laus & gloria, quæ à nobis ipſa per ſe & propter ſe expetēda & ſpectāda eſt.Quare & omnia & ſingula opera noſtra debent ad ſolam vnius illius veri Dei, & in ſacro verbo patefacti gloriam à nobis referri,ſi illa bona, honeſta, ſancta,& legitimè ad ſuum ſcopum collimantia eſſe volumus. Quæ enim ab eo vel tantillum diſcedunt actiones noſtræ, aberrant à ſuo fine, neque iam bonæ dici, neque rectè dirigi poſſunt. Ac quidem primùm omnium hoc probemus. Nam quæ Durandus ineptè magis, quàm peritè in libro 2.Sentent. Diſtinct.38. qu.4. diſputat omittimus. Primùm igitur eſt vniuerſale illud Spiritus

ſancti

A ſancti elogium,Prouerb.16.verſu 4. *Omnia operatus eſt Jehoua propter ſeipſum, etiam impium ad diem malum.*quod confirmat Paulus 1.Corinth.10.verſu 31.*Siue igitur editis*,ait,*ſiue bibitis,ſiue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Nam vti à Deo condita ſunt omnia,vti ab eo ſumus,& mouemur in ſingulis actionibus omnes, ita illius cauſa, & ad ipſius gloriam conditi ſumus, & moueri atque agere debemus, vt idem Paulus Coloſſ.1.v.16.& Actorum 17.v.28.docet. Præclarè quoque in hanc ſententiam Anſelmus in Monol.cap. 66. cuius verba trãſcribere libuit,*Nihil aptius*,ait, *quàm rationalem creaturam ad hoc eſſe factam, vt ſummam eſſentiam amet ſuper omnia bona, ſicut ipſa eſt ſummum bonum: imò vt nihil amet,niſi illam,aut propter illam, quia illa eſt bona per ſe, & nihil aliud eſt bonum, niſi per illam.* Atque eò pertinet quòd omnes hominum ordines,omnis ſexus,ætas ad Deum laudandum inuitatur,Pſalmo 148.quòd omnia ſua ſtudia, omnes animi corporiſque conatus, vires, labores certatim ſinguli homines eò conferre, ſi modò officio fungi volent,debent,ac tenentur. Quorſum enim B opus,niſi ad opificis gloriam,pertinere poteſt? Itaque vt notas gloriæ ſuę diuitias faciat Dominus, tam varia hominum dona, qualia ſunt corpus & animus,& in vnoquoque tam varios motus, tam multiplices partes,tam diuerſas actiones dedit, in quibus ſingulis etiam efficaci potentia ſua agit idem Deus,vt in iis omnibus ſuam gloriam, ſapiẽtiam,potentiam,manifeſtet.Epheſ.3.v.20.Quò enim & melius & iuſtius vſum & finem horum omnium, quàm ad ipſius Dei gloriam, referent? Sed & hæc quoque ratio hoc,quod diximus, perſuadet & probat,quòd qui totius hominis & creãdi & creati finis eſt (eſt autem Dei ipſius opificis gloria)idem ſingularum hominis partium & motionum finis quoque ſtatui debet. Ex quo fit, vt meritò iubeat Dominus,vt ſibi toto corde,toto animo,tota mente,& totis viribus corporis ſeruiamus.Cur verò? Quia ſola ipſius gloria noſtræ vitæ, ſingularúmque in ea actionum ſcopus eſt veriſſimus. Qui finis quum à nobis ipſe per ſe ſpectatur,tunc ſummum bonum,ſummáque felicitas nobis propoſita eſt: longè quidem maior ac C melior,quàm vel ſomniare quidem,nedum deſcribere nobis philoſophi vnquam potuerũt:quæ vi ſua, & ex conſequenti omnes animæ noſtræ facultates Deo replet,vt in libro De ſpiritu & anima cap.66, præclarè docetur.

Nam tunc &
- Λογικὸν, replet in nobis Deus, luce,
- Ἐπιθυμητικὸν, ſiue θυμοειδὲς, iuſtitia,
- Ὀρεκτικὸν, pace & moderatione tranquilla.

Itaque de eo neque amplius diſputari, neque dubitari debet.Cæterùm quibus tandem gradibus ad eam Dei gloriam per ſe ſpectandam & expetendam perueniamus(neque enim, etſi à Dei Spiritu illuſtrati,ſtatim id poſſumus)præclarè his verbis docet Bernardus Epiſt.11.quem locum, quia aureus eſt,duximus tranſcribendum,atque huc trãſferẽdum,*Imprimis ergo*,ait, *diligit ſeipſum homo propter ſe,caro quippe eſt, & nihil ſapere valet præter ſe: quúmque ſe videt per ſe non poſſe ſubſiſtere, Deum ſibi quaſi neceſſarium incipit per fidem inquirere & diligere. Diligit igitur ſecundo gradu Deum, ſed propter ſe, non propter ipſum. At verò quum ipſum cœperit occaſione* A *propriæ neceſſitatis colere & frequentare,cogitando,orando,obediendo, quadam huiuſmodi familiaritate paulatim,ſenſímque Deus innoteſcit, conſequenter & dulceſcit:& ſic guſtato,quàm ſuauis ſit Dominus,tranſit ad tertium gradum, vt diligat Deum non iam propter ſe,ſed propter ipſum. Sanè in hoc gradu ſtatur, & neſcio ſi à quoquam hominum quartus in hac vita perfectè apprehẽditur,vt ſe ſcilicet homo tantùm diligat propter Deum. Erit autem proculdubio, quum introductus fuerit ſeruus bonus & fidelis in gaudium Domini.* Itaque verè illa eſt immortalitas,inquit Lactantius lib.6. cap. 9. quum Deum ſummè amamus propter ſeipſum. Ex quo apparet quàm & illiud ſpectare ſit difficile,& quàm tardè eò collimemus,& ęgrè nos noſtráſque actiones omnes ad Dei gloriam, i. ad ſuum & ſummum finem referamus. Neque tunc tantùm pii, quum erunt in futura illa vita, ſolam gloriam Dei pro ſummo fine & bono ſibi proponunt, ſed etiam iam nunc, quum ſunt in hac vita, Dei Spiritu impulſi id agunt, quanquam ad eum ſcopum tardè reſpicimus omnes,& hoc ipſum voluit Bernard. Vix enim aut ne vix quidem fit, vt B non aliquam noſtri ipſius conſiderationem & rationem tanquam aliquod cœnum huic pulchræ de Dei gloria cogitationi ſimul aſpergamus & admiſceamus. Quod vitioſè fit. Sola enim Dei ipſius gloria,& laus, quemadmodum diximus,actionum noſtrarum finis à nobis proponi debet. Quod autem in libro De ſpiritu & anima cap.54.dicitur,omnium humanarum actionum eſſe duplicem finẽ, nempe, Inſtaurationem diuinæ imaginis in nobis, quæ fit per
- Contemplationem veritatis
- Exercitium virtutis:

& vitæ huius conſeruationem,eatenus verum eſſe nõ poteſt, quatenus illa duo pro ſummo bono & fine conſtituerentur.Nam ſunt medij tantùm quidam & inferiores fines iſti, qui ſunt ad ſummum illum conſequendum vtiles & neceſſarij. Cęterùm ita Dei gloriam nobis pro ſummo & ſolo ſingularum actionum noſtrarum ſcopo proponere cõuenit, vt ipſa propter ſe ſpectetur,& quidem ſola, ac tanto támque ſincero affectu, vt quanquam illi inſeruientes in graues calamitates incidamus,corporis labores & mortẽ ipſam perferre cogamur, C imo verò vitam ipſam profunderemus, dico etiã amplius, ſi propterea de reproborum, ac æterna morte damnatorum hominum numero eſſe deberemus, tamen eam cõſectari ſemper nos oportet,neque ab ea ſpectanda deſiſtere,vel deflectere, vel alium propterea finem nobis optare & eligere decet,Matth.10.v.26.39.Id autem verum eſſe,& tanto animi ardore & affectu vnam illam Dei gloriam nobis pro ſolo ſcopo proponendam eſſe probat:quòd ſi Dei gloriam, vel Deum ipſum propter vitam æternam, atque fœlicem illum ſtatum,quem nobis promiſit,diligimus, Deum non propter ſe,ſed propter nos ipſos amamus.Sed etiã docemur exemplis tum Moſis,tum Pauli, ſemota omni noſtri ratione & cogitatione, gloriam Dei per ſe amplectendam eſſe:quorum vterque etiam anathema fieri exoptauit, potiùs quàm vt Dei gloria quicquam imminueretur,& vt ea ratione,ſi oporteret,illi non inſeruiret, vt apparet ex Exod. 32.v.32,Rom. 9.v.3.Iam verò ex hoc fine conſtituto,facilè intelligimus non modò quantum fideliũ & infidelium hominum opera inter ſe diſtent, ſed

A etiam quantum omnia, quantumuis bona, quæ vocantur, infidelium opera à vera ſtatera, & boni operis definitione procul abſint. Eſt enim finis illud, ex quo præcipuè operis cuiuſlibet noſtri natura & bonitas (quemadmodum loquuntur) æſtimanda eſt. Eſt finis actionis noſtræ, tanquam viæ à nobis ſuſceptę, dux & demonſtrator. Ex quo fit, vt quicunque à vero & legitimo actionum humanarum fine aberrant, eorum opera, neque bona, neque rectè inſtituta dici poſſint, atque non magis proba cenſenda ſint, quàm nummus, cui auri ſpecies & fulgor quidam impoſitus eſt, & tamen non eſt aureus, cui & pondus iuſtum, & ſua publicáque forma omnino deſit. Atque hoc, quod dicimus, eò magis videtur obſeruandum, quòd mirantur quidam, & excandeſcunt, quum infidelium virorum, quales tantopere in prophanis hiſtoriis laudari vident, qualis Ariſtides (qui etiam Iuſtus, appellabatur) Socrates (qui Apollinis ipſius iudicio Vir optimus nuncupatus eſt) Traianus imperator (cui vt moribus Imperatores alii ſimiles eſſent, a S.P.Q.R. optabatur) & cæteri: quum inquã B horum, vel ſimilium etiam, præſtantiſſima maximéque laudata opera verè bona fuiſſe negamus. Ciuiliter quidem bona fuiſſe, & hominum ipſorũ ratione & æſtimatione laudabilia cenſenda, denique quoad externum opus, imitanda nobis eſſe quis neget? Tanta enim vis eſt honeſtatis, vt illius vel ſola adumbratio, qualia fuerunt ea opera, fulgore ſuo oculos noſtros perſtringat, & nos ad ſe rapiat. Dei tamen ipſius ratione, & ex illius iuſtitiæ, quæ in Lege Dei præſcripta nobis eſt, examine, iuſtum ſuum pondus habuiſſe: denique ex vera, ſtricta & propria boni operis definitione, bona fuiſſe, quis etiam concedet? quum vt alia his conſtarent omnia, nihílque deeſſet illis: finis tamen, quò noſtræ actiones omnes referri debẽt, illis deeſt: id eſt, præcipua boni operis pars, quia verus finis propoſitus aut ſpectatus ab illis nunquã fuit. Quæ enim egerunt illi præclarè, & ad hominum opinionem pulcherrimè, eò ſpectabant omnia, vt ab hominibus laudarentur, famæque immortalitatem ſibi compararent: huius enim fuit auidiſſimus Traianus, adeò vt nomen ſuum vbique iuberet inſcribi, & à Conſtantino Magno imperatore C Chriſtiano propterea Herba parietaria vocaretur. Denique quæ illi agebant, ad eum finem ſpectabant, vt ſibi ſuóque ingenio viuerent, & ſatisfacerẽt, ꝙ iis actionibus & eo vitæ inſtituto potius quàm alio & turpiori delectarentur. Non igitur ſuas actiones ad vnius veri Dei (quem ignorabãt) gloriam referebant, ſed ad ſuam: non vt illius voluntati & pręceptis (quæ non audiuerant) parerẽt, ſed vt vel patriæ. i. hominibus tantùm inſeruirent: vel animo ſuo ſolùm morem gererẽt, qui vel propter ſectæ ſuæ doctrinam, vel naturæ impetum & propenſionem iis rebus gaudebant. Nam Deum verum (Deum, inquam illum, qui Deus Abrahami, & Iacobi dicitur, & ſolus verus eſt Deus) ſibi pro fine propoſuiſſe quî potuerunt, quum eum prorſus non noſſent? Eum colere voluiſſe quî cenſebuntur, qui ne Deum quidem eum eſſe ſuſpicabantur, cuiúſque cultum inter Iudæos ab ipſo Deo inſtitutum irridebant? Magnis quidem ſæpe corporis viribus, magno animi conatu, magnis expenſis opibus, magnis ſuſceptis laboribus egerunt illa, propter quæ laudantur: ſed veri finis, ad quem ſpectare debebant, cognitione deſtituebantur. A Vnde nũquam ſibi eum finem propoſuerunt. Itaque cucurrerunt illi quidem, quemadmodum loquitur Auguſtinus in Pſalmo 31. tanquam athletæ validiſſimi, ſed præter metas & carceres, vt totus hic eorum curſus vanus & inanis prorſus fuerit, atque etiam hodie ſit. Ex fide enim, id eſt, vera Dei cognitione, quæ ex ipſius verbo habetur, & verum finem actionum noſtrarum intelligimus, & ad eum dirigimur, Spiritu Dei agente in nobis: quo vtroque caruerũt infideles, vnde neque eorum opera, quæ dicuntur bona, ſunt bona (quicquid enim ſine fide fit, peccatũ eſt, ait Paulus Rom.14.v.23.) neque etiã eorũ virtutes, veræ ſunt virtutes, ſed tãtùm vmbra quædã ſubobſcura verarũ virtutũ. Præclarè enim Auguſtinus lib.12. De Trinitate cap.7. lib.19. De ciuitate Dei, cap.25. lib.4. contra Iulianum c.3. *Virtus*, ait, *eſt recta intentio à fide proficiſcens. virtus ſine fide nulla eſt. Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit: virtus non eſt, quæ non agnoſcit Deum ſuum authorem, nec ad eum tanquã ad verum finem reſpicit.* Idem libro 2. De nuptiis, c.4. *Vera virtus non eſt, quum animus à Deo fornicatur,* B id eſt, quum idolis ſeruit, qui eam habet. Itaque libro 4. contra Iulian. cap.3. ſic idem ſcribit, *Minus enim Fabricius quàm Catilina punietur, non quia iſte bonus, ſed quia ille magis malus: & minus impius quàm Catilina Fabricius, non veras virtutes habendo, ſed à veris virtutibus non plurimùm deuiando.* Sed & Hieronymus quoque lib.2. in Zachar. c.8. *Siue Iudæus*, ait, *ſiue gentilis. ſiue hæreticus, quicquam boni operis fecit, niſi in nomine Chriſti fecerit, mercedem ſui operis non eſt habiturus.* Idem Lactantius libro 6. c.9. & pręclarè quidem, *Sed putemus*, ait, *fieri poſſe, vt aliquis naturali, & ingenito bono veras virtutes capiat, qualem fuiſſe Cimonem Athenis accepimus, qui & egẽtibus ſtipẽ dedit, & pauperes inuitauit, & nudos induit: tamẽ quum illud vnum, quod eſt maximum, deeſt, agnitio Dei, iam illa bona omnia ſuperuacua ſunt, & inania vt fruſtrà in his aſſequẽdis laborauerit. Omnis enim iuſtitia eius ſimilis eſt humano corpori caput non habenti, in quo tametſi membra omnia & locis ſuis conſtent, & figura, & habitudine: tamen quoniam deeſt id, quod eſt omnium principale, & vita & omni ſenſu caret.* Denique hæc noſtra ſententia à Chriſto ipſo cõfirmatur, C cuius verba pro coronide huius capitis adducentur. Illa autem extant Matth.6.v.1.& ſeq. *Attẽdite*, ait, *ne eleemoſynam veſtram detis corã hominibus, vt ſpectemini ab eis: alioqui mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui eſt in cælis. Et quum precaris, ne ſis vt hypocritæ. Amant enim in conuentibus & angiportis platearum ſtando precari, vt appareant hominibus. Amen dico vobis, eos referre mercedẽ ſua.* Quod autem in libro De fide ad Petrum, c.3. dicitur, huiuſmodi opera tamen prodeſſe infidelibus, vt poſt mortem mitius torqueantur, non facit, ne mala ſint hæc opera: ſed ne tam mala, quàm cæterorum infidelium, eſſe cenſeantur. Quod nos quoque verum eſſe concedimus, quia Stoicorum delirium, potius quàm ſententiam, minimè probamus, qui omnia peccata inter ſe paria eſſe contendebant. Atque de vero actionum noſtrarum fine & ſcopo hactenus.

CAP. XVIII.

Quæ ſit actionum noſtrarum, quæ quidem ſunt honeſtæ forma.

RESTAT

A RESTAT autem quarta & vltima noſtrarum actionum cauſa, quæ forma ſolet appellari, quæ qualis ſit, etiam nobis diſpiciendum eſt. Tunc enim plenam totius huius argumenti tractationem perſequuti videbimur. Atque ex hoc ipſo loco iam facillimus nobis ad futuram Legis diuinæ explanationem gradus erit. Ac quidem quum de noſtrarum actionum imprimis autem honeſtarum(de iis enim dicere maximè propoſitum eſt , non autem de inhoneſtis & vitioſis,niſi quatenus honeſtas illuſtrant) forma quæritur , hæc diſtinctio videtur adhibenda , vt noſtras actiones conſideremus,

quatenus ſunt {
In nobis & in habitu,
In ipſo opere, & actu,vt loquuntur.

Dico in nobis,vel in habitu tunc eſſe actiones noſtras,quum in animi noſtri propoſito , cogitatione,& præparatione, tanquam in ipſo ſuo fonte & cauſa parturiente ,& eas producente, adhuc ſpectantur. Itaque quum quæ ſit huiuſmodi actio- B num in animo noſtro adhuc latentium,ſed tamen iam conceptarum forma petitur, illud quæritur, Qualis ſit animorum noſtrorum διάθεσις , & tanquam conſtitutio,& affectio,quemadmodum definit Plutarchus in libro De moral.virtute,quum bene agere & volumus & poſſumus. Dico autem actiones noſtras tunc eſſe in actu , quum iam ſunt facta quædam, & quum in ipſa effectione verſantur,cùm tanquam à nobis iam in lucem editi partus conſiderantur. In quo tunc illud quæritur, Qualis ſit ipſius honeſtæ actionis,ſiue operis noſtri ratio , ſpecies & forma externa , ſiue conformatio in ſeſe,quæ forma actus appellatur. Atque hæc duplex forma,ne confusè tradatur, ſigillatim explicanda nobis eſt. Quæritur igitur,& quidem primùm , Qualis ſit latentis,& tamen iam conceptæ in animo(vt cum Iacobo capite 1.verſ. 15. loquar)actionis noſtræ forma,id eſt,Qualis animus noſter, & qualis interna illius præparatio , affectus,habitudo,conſtitutio, cogitatio , quum bonum illud opus parturimus, quod verè & non ciuiliter tantùm,ſtateræ diuinę,& non humani tan- C tùm iudicij ratione bonum opus dicendum eſt. Certè qualitatem & affectionem in animis noſtris aliquam ineſſe, eámque longè à prima natiuáque vitioſitate & corruptione(quam per peccatum originale contraximus)diuerſam & diſſimilem,dubitari minimè poteſt.De nobis.n.honeſtas actiones,non autem peccata parturientibus,atque fœtantibus agimus.Deinde nos,id eſt, noſtros animos qualitate valida,atque efficaci affici & informari,quum bene agimus,concedunt omnes:adeò vt alii eam characterem quendam eſſe,qui animis noſtris imprimatur, credant, quíque nunquam deleri poſſit.Alij eam eſſe nouam animam & mẽtem,quæ nobis infundatur à Deo, dicunt : adeò certum apud omnes ſemper fuit,nos, quum bene agimus, longè aliter animo affectos diſpoſitóſque eſſe,quàm à naturali & hæreditaria labis originalis qualitate ſimus.Alij domum interiorem ſeptẽ columnis(tot enim præcipuas virtutes conſtituũt) ſuffultam.Auguſtinus epiſt.ad Coſſentium , quæ eſt in numero 83.aliquando eam animi noſtri habitudinem iuſtitiam interioris hominis appellauit.Alibi virtutem, & animæ noſtræ pulchritudinem:vt vitium animi noſtri deformitatem idem A vocauit,lib.7.de Geneſ.ad Lit.c.6.Bernardus tam potentem eſſe eam vim & qualitatem,quę tunc in nobis ineſt,ſcribit , vt per eam *quodammodo noſtra voluntas in diuinam transfundatur* : quia illa diuinæ conformis ſit,atque conſentiens. Hanc autem alij noui hominis in nobis inſtaurationem vocant. Atque hi poſtremi ſoli ſentiunt, & loquuntur rectè,quẽadmodum ex Paulo apparet. Epheſ.4.v.23. Col.3.v.10. Itaque & à nobis quoque ſic nominabitur.Sed quia hæc inſtauratio duas habet partes,

{ Iuſtitiam
&
Sanctimoniam,

Quæſitum eſt , an hæc pars vtraque in nos à Deo infundatur. Ad quod breuiter quidem reſpondeo : vtranque hanc dotem à Deo infundi in animas noſtras,præter communem natiuę conditionis noſtræ ſortem,& præter bona naturalia, qualis eſt naturalis animi vigor,corporis vires,& cætera huiuſmodi dona, quæ omnes homines communiter à Deo acceperunt. Benigniſſimè igitur Deus,præter communia illa dona , per vnigenitũ B Filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ nobis, ac omnibus piis has cæleſtes gratias largitur,& donat:quarum altera iuſtitia , altera ſanctimonia animæ noſtræ appellatur. Neque enim quemadmodum de cauſa efficiente agẽtes docuimus,vel ſanctitas, vel iuſtitia vlla naturalis iã poſt peccatum in nobis remanſit,vel ineſt , vtpote qui & ex peccatoribus naſcimur,& peccatores, ídque à primo ſtatim conceptionis noſtræ momento ſumus.Atque hoc tam verum eſt , vt maximè mirer tam obſtinatè à Sententiariis diſputari potuiſſe,vtrum ſine Dei gratia externa quę in nos adueniat,bonum aliquod opus facere valeamus. Ergo præter ea,quæ nobis à natura communiter omnibus inſunt , donatur ſolis electis Dei ſanctitas & iuſtitia,& quidem vtraque à Deo, ídque etiã gratis,propter vnigenitum Dominum noſtrũ Ieſum, qui nos Deo Patri recõciliauit, atque has tam excellẽtes támque egregias virtutes, per ſuam illam naturam humanam nobis communicat. Nam Spiritus ſanctus ex Chriſto tanquam perenni & inexhauſto omnium Dei gratiarum fonte,in nos il- C las virtutes & gratias,non quidem perfectas (neque enim tanti boni hîc capaces ſumus)transfundit & deriuat.Quamobrem ſolis Dei filiis , & per Chriſtum electis hominibus hæ dotes conferuntur:non autem reprobis , qui ſunt à Chriſti corpore & communione prorſus ſeparati: deinde nõ vna tantùm ex his duabus datur:ſed vtraque, quia perpetuo & indiuulſo inter ſe vinculo ſunt ita cõnexæ,& ex eodẽ fidei fonte ita emanant,vt diuelli non poſsint,quemadmodum docet Paulus Rom. 8.ver.30.Tit.2.v.14.atque hæc eſt vera animorum noſtrorũ opera non ciuiliter,ſed verè bona parturientium & cogitantium διάθεσις & forma,nimirũ interna illa noſtri renouatio , ſiue noui hominis indutio & receptio,quæ iuſtitia & ſanctitate , vel potius ſanctimonia conſtat:quanquam hîc neutra in nobis perfecta eſſe poteſt.Ac ſanctimonia quidẽ eſt totius animi & volũtatis noſtræ ab impuris & Deo exoſis tũ cogitationibus, tũ operibus fuga & ſegregatio : ad puras autẽ,& Dei verbo præceptas actiones perpetua applicatio, & traductio ſtudij,quæ propter energiã & efficacitatẽ ſanctitatis, A quæ in ſanctiſſima illa Chriſti Dei & hominis carne,cui communicamus,inhabitat, & in nos Spiritu ſancto operante, transfunditur ac traiicitur, 1. Petri 1. verſu 2.Iuſtitia autem eſt animi & voluntatis noſtræ,tum in cogitando, tum in operando, ad Dei præcepta, facta ad amuſſim conformatio, atque tanta exæquatio, vt nulla in re à regula in iis præſcripta diſcedant atque diſcordent. Talis igitur, & tam excellens eſt animi noſtri perfectè bona opera producentis forma,& pulchritudo, quæ ſi oculis cerneretur, mirabiles ſui amores excitaret. Hæc verò forma etſi tanquam per nubem & inſomnium obſcurè philoſophorum animis obuerſata eſt,nunquam tamen ab iis perſpecta,intellecta,& verè agnita dici poteſt. Nam ex ſolo Dei verbo nobis reuelatur:quo qui caruerunt,aut carent, & illius quoque tam venuſtæ animi conſtitutionis & formæ cognitione priuantur. Quamobrem,vt rem totam in pauca conferam,hæc forma,de qua quæritur, eſt animi noſtri noua excellénſque qualitas, à Spiritu Dei propter noſtram cum carne Chriſti communicationem impreſſa, quæ dicitur Renouatio, ſiue Illuminatio,quæque B ſanctitate & iuſtitia conſtat. Sanctitas autem hæc eſt,animi voluntatíſque noſtræ ab omnibus vitioſæ illius & natiuæ concupiſcentiæ inquinamentis purgatio. Iuſtitia eſt eiuſdem animi & voluntatis noſtræ inſtitutio, quæ in perfecta omnium Dei præceptorum obſeruatione atque repræſentatione poſita eſt. Ex quo iam intelligitur, in illa ſanctitate ſummum animorum noſtrorum nitorem & puritatem ineſſe: in iuſtitia verò exactiſsimam eorundem ad Dei voluntatem ſimilitudinem & reformationem.Hæc autem tam perfecta animorum noſtrorum vis,forma & renouatio, hîc certè nobis in hoc peccati corpore adhuc degentibus contingere non poteſt: non quidem propter aliquam Spiritus Dei in nobis agentis imbecillitatẽ, aut propter carnis Chriſti Dei & hominis,ex qua illa ad nos defluit,inopiam & defectum:ſed quòd in hac carne noſtra,id eſt,vitioſa natura, qualis in hoc ſeculo manet,tantum bonum ineſſe, & inhabitare minimè poteſt,quemadmodum docet Paulus Rom.7.verſu 14.& 18. Sumus enim, quandiu C hîc viuimus, carnales, & ita peccato venditi & mancipati, iuſto Dei iudicio, vt eo prorſus nos exuere, & ab eius poteſtate liberare nõ poſſimus. Itaque lugemus,luctamur cũ carne,& cũ iuſto illo clamamus, *Miſer ego homo quis me eripiet ex iſto corpore mortis & peccati?* Sæpe quidem non regnat peccatum in nobis:ſemper tamen ineſt,quoniam plenè perfectéque, quandiu huic mortali conditioni ſumus obnoxij, Chriſti mortis & reſurrectionis participes fieri nequimus.Et certè veriſſimè ab Auguſtino dictum eſt, *Aliud eſſe non obedire peccato:aliud autem non habere peccatum.* Ex quibus illud quidem in nobis hîc eſſe poteſt:hoc autem poſtremum non poteſt.In futura verò vita & in illa beata ſorte & immortalitate, quæ poſt vltimam reſurrectionem nobis à Deo promiſſa eſt, tales támque perfecti euademus,id eſt,planè perfectéque ſancti,& iuſti, vt tunc nec peccato obediamus,nec peccatum habeamus. *Sumus quidem iam nunc Dei filij,ſed nondum patefactum eſt,quod erimus*,inquit Ioannes cap.3.v.2.in 1.Epiſt. Cuius rei ratio,etſi,vt lib.4.contra Iulian.c.3.reſpõdet Aug. in abdito altóque Dei conſilio latet, mihi tamen pro ingenij mei tenuitate, hæc afferri poſſe videtur, A quòd regni peccati locus & tempus à Deo conſtitutum eſt huius mundi duratio & ſtatus. Facta enim eſt homini iam naturalis vitioſitas propter pœnam à Deo peccato impoſitam, quæ vitioſitas primùm fuit accidentaria.Itaque omnia eius tyrannidem & vim hîc ſentiunt, ſúntque vanitati in hoc mundo obnoxia. Imprimis autem homo ipſe, à quo hæc tam miſera ſeruitus rebus omnibus impoſita eſt. Ex quo fit, vt homo vnus omnium maximè hanc peccati ſeruitutem,tyrannidem,& ſubiectionem hîc ſentiat,propter quem reliquæ res eam ſentiunt:à qua, quandiu hîc viuit propter Dei iuſtum in ipſius rebellionem iudicium, liberari prorſus non poteſt. Hoc quidem, ſummo Chriſti beneficio fideles & electi Dei cõſequuntur, vt ab eius ſæuitie & imperio quadam ex parte eximantur.Ergo manet in nobis, quantumuis Dei Spiritu renouatis,illa ſpiritus cum carne lucta,de qua Paulus Galat.5.verſu 17.quæ certè inhabitantis adhuc in nobis peccati indicium eſt, & nondum plenæ perfectæque ſanctimoniæ & iuſtitiæ à nobis ſuſceptæ,nobíſve inhęrentis.Nam ſi verè perfectéque & iuſti & ſancti hîc viueremus, B nullum certè nobis cum carne certamen reſtaret,quemadmodum neque in bonis Angelis vllum eſt, neque in nobis ipſis erit poſtquam fuerimus promiſſam illam propter Chriſtum immortalitatem aſſequuti.Itaque nunc hæc eſt noſtra vel optima conditio,vt poſſimus non peccare: at tũc & in vita illa cæleſti erit tam excellens, vt non poſsimus peccare. Aliud enim eſt poſſe non peccare,aliud non poſſe peccare.Hanc igitur tum demum adepturi ſumus conditionem,quia nũc eam habere non poſſumus. Quò magis mirandum eſt, quid in mentem iis venerit,qui nos, quandiu hîc viuimus, & ſanctos, & iuſtos perfectè eſſe poſſe contendunt.Id quod monachi de ſe ſentiunt.Qui certè homines, ſi planè Pelagiani videri nolint, certè primarios ſe Pelagianorum diſcipulos eſſe fateantur neceſſe eſt.Longè verò veterum, & orthodoxorum Patrum verior ſententia,qui nullam in nobis vel iuſtitiæ, vel ſanctitatis perfectionem hîc ineſſe,conſentienter Dei verbo, conſtantérque ſemper affirmarunt.Ioannis 1.Epiſt. cap. 1.v. 8.*Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus,* C *& veritas in nobis non eſt:ſepties in die cadit iuſtus*,Prouerb. 24. Aug.lib.2.De peccat.merit.cap. 13. *Perfecta iuſtitia noſtra imperfecta eſt.* Pſalmo 143. verſ.2. *Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.*Neque verò quum hominem negamus eſſe iuſtum,& ſanctum,ad illam iuſtitiam aut ſanctitatem reſpicimus,vel ad eam examinamus, quæ in Deo ipſo ineſt, & cuius ratione Deus ipſe & iuſtus, & ſanctus appellatur: ſed ad eam tantùm quam à nobis ipſe requirit, atque in illa ſua cæleſti Lege,quam per Moſem dedit, explicauit & deſcripſit.Eſt enim iuſtitia duplex, vt etiam Hieronymus præclarè ſcribit,

$$\text{alia nimirum}\begin{cases}\text{Dei ipſius}\\ \text{Hominum.}\end{cases}$$

Ad Dei iuſtitiam, ne Angeli quidem ipſi beati & ſancti,ſancti ſunt.Iob.4.v.19.nedũ homines mortales & miſeri. Ad humanæ iuſtitiæ rationem & normã nulli homines (vno modò excepto Chriſto)vnquã iuſti aut ſancti exſtiterũt,ſed qui & iuſti & ſancti in Scriptura dicũtur,ex eo tales appellantur, A lătur, quòd ad verã iuſtitiã peruenire animo contendant.Itaque,ait Auguſtinus,*ex affectu, nõ autem ex effectu,κατά τι*,non autem ἁπλῶς,& abſolutè iuſti & ſancti illi nominantur. Cęterùm quantulacunque ſit illa ſanctitas & iuſtitia, per quam hîc bene operamur,illa certè in nobis ineſt,atque etiam inhærens,non autem extra nos,neque tantum nobis opinione quadam imputata, & affixa. At illa tum iuſtitia, tum ſanctitas, per quam Deo grati & accepti ſimus, & in qua nihil vel tantillum quidem ſordidũ eſt,aut impurũ, ſiue animi noſtri cogitationes,ſiue operum noſtrorum examen ſpectetur: illa, inquam, non in nobis,ſed in vno Chriſto & fuit,& nobis quærenda eſt.Is.n.ſolus inter homines huiuſmodi fuit, eámque iuſtitiã habuit quam imputat gratis:qui à Deo Patre nobis datus eſt,vt eſſet nobis iuſtitia, ſanctificatio,redemptio,quẽadmodum docet Paulus 1.Corin.1.v.30.Ergo perfecta illa iuſtitia, & ſanctitas, per quam Deo placemus,& quæ ab illa tum iuſtitiæ, tum ſanctitatis ratione, quæ in nobis forma animorũ interna ad bene agendum appellatur, eſt diuerſa, etſi tamen B noſtra ex Chriſto deducitur,illa, inquam, iuſtitia & ſanctitas,per quam coram Deo ἄμωμοι ϗ ἄσπιλοι, vt loquitur Scriptura Epheſ.1.ver. 4.1.Petri 1.ver. 19.reperimur,illa certè in vno Chriſto fuit, & ꝓpter Chriſtum, qui ſolus eã pro nobis habuit, à Deo nobis imputatur.Neque enim opera illa noſtra,quantumuis bona,Deus qui eſt perfectus,grata habere poteſt,quia ſunt imperfecta.Neque etiã partiaria iuſtitia, id eſt, ea, quæ partim Legi obſequitur : partim non paret, contentus eſſe poteſt Deus,vt docet Iacobus capite 2.*Nã qui in vno peccat,factus eſt totius Legis violatæ reus.* Porrò hæc inchoata tum ſanctitas, tum iuſtitia noſtra, per quã in his terris bene operamur,eſt qualitas ex Chriſti, quatenus Mediator noſter eſt, humanitate in nos per Spiritum ſanctum traducta,nobis impreſſa,communicata,& inhęrens animis noſtris,ac eos efficaciter & potenter immutans,afficiens , & velut ignis quidam cæleſtis calefaciens,& impellens. Malè enim noſtram ſententiam interpretátur,qui cenſent nos eam ſanctitatem inchoatam , per quã agimus aliquid honeſtũ, ſtatuere extra nos ipſos, quaſi conſtituamus accidens aliquod, qualis certè C eſt illa qualitas, ſine ſubiecto :aut etiam quaſi figmento quodam,& opinatione animi tantùm,non verè & efficaciter dicamus intus & in corde à Spiritu ſancto eos affici & immutari,qui ſanctè viuũt. Nec enim ſumus ex Docitarum hæreticorum,vel Scepticorum Philoſophorum cenſu,qui nihil reuera id eſſe, quale apparet ſentiunt , ſed tantùm phantaſia, & opinione quadam tale videri. Ergo in nobis ineſt,ac etiam inhæret,Spiritu Dei infundente, illa & ſanctimonia noſtra, & iuſtitia, quæ vim & radicem ipſam peccati, id eſt,ipſius arboris trunci labefactat,minuit , & intorquet,ne tot fructus miſerrimos poſtea producat:nondum tamen eius vim prorſus tollit,neque extinguit , neque euellit,ne vllos omnino proferat, quia tanta nõ eſt iuſtitia noſtra.Bernardus in Serm.de Baptiſmo,& de Sacramento altaris,*Sed tamen quid agimus, quòd in hoc corpore peccati non poſſumus eſſe ſine peccato?* &c.Deinde, *Duo operatur in nobis illud Sacramẽtum, vt videlicet & ſenſum minuat in minimis :& in grauioribus peccatis tollat omnino cõſenſum.* Ergo agit in nobis & imprimit nouam qualitatem. Aſſentimur A etiam Auguſtino,ita in Serm.16.de verb.Apoſtoli ſcribenti,*Si dixerimus,quia peccatum nõ habemus, nos ipſos decipimus.Item ſi dixerimus, quia iuſtitiæ nihil habemus,aduerſum Dei dona mentimur. Si enim iuſtitiæ nihil habemus,nec fidem habemus. Sin autem fidem habemus,iam habemus aliquid iuſtitiæ.*Nã(vt ait Lact.) *ſine detractione vitiorum,virtus infundi non poteſt.*Ergo & detrahuntur vitia , non omnino quidem:& noua animis noſtris affectio inſeritur, quæ in nobis ineſt,non autem extra nos ipſos conſideranda. Ex quo ipſo, facilis iam reſponſio apparet ad eos, qui quærunt à nobis,vtrum illa,quę in electis Dei ineſt , inchoata iuſtitia & ſanctitas, ſit illis perpetua & ſemper inhæreat,vt amitti ab illis & effundi non poſsit.Sæpe enim illi in grauiſsima non tantùm peccata,ſed etiam ſcelera incidunt , in quibus tamdiu permanent, vt omnino omnem ſanctitatẽ perdidiſſe,& expectoraſſe videantur, quod de Dauide adulterante dici videtur poſſe.Sed quum electi Dei à Chriſto prorſus ſeparari, quum vera mẽbra à ſuo capite diuelli, quum ſpirituale illud vinculum omnino abrumpi non poſsit,reſpondemus non poſſe in electis Dei omnino extinctum eſſe B huius ſanctitatis & iuſtitiæ inchoatæ ſemen & radicem : quanquam illius fructus & effecta ſæpe latent , ſæpe etiam nulla ſunt. Itaque ſemper manet in iis radix ipſa earum virtutum,vti fidei, quãquam ſæpe obſcura , ſæpe etiam vi peccati & libidinis in nobis ebullientis obruta videatur : ſæpe velut ignis quidam multis concupiſcentiæ cineribus obtecta,& ſine vllo iudicio latens iacet.Denique ſæpe velut anchora quædã nauis, quæ in fundum agitati pelagi demiſſa,variis ventis & fluctibus operta & oppreſſa videtur:ſed tamen manet. Fides enim, vnde illa tum ſanctitas, tum iuſtitia ſcaturit & emanat , nũquam in Dei electis prorſus periiſſe poteſt.Vnde nec illa duo ipſius effecta omnino pereunt , quæ ex ea & ſtatim & neceſſariò, & indiuulsè , atque inſeparabiliter producuntur, adeò,vt pro qua menſura vera fides in nobis eſt,& agit:pro eadem ſanctitas , & iuſtitia illa noſtra inſint quoque in nobis,& operentur.Quod autem libro 7.c.10.Inſtitut.Chriſtianarum ſcribit Lactantius, *tam ſtabile eſſe in nobis virtutis ſemel comparatæ domicilium, vt in omni actu verſetur, & ſit ſine intermiſſione perpetua, neque nos vnquam deſerat,* C potius philoſophicè,quàm verè dictum eſt. Neque enim eas virtutes capere poſſumus , nos qui hîc viuimus,quas Philoſophi appellant ἕξεις,quæ omne vitium fideliter depellunt,& fugant à nobis : ſed tãtùm eas quæ cum vitio luctantur, habemus , quod melius ex ſequent.apparebit.Reſtat autẽ, vt quàm varij & diuerſi iſtius iuſtitiæ & ſanctitatis gradus cõſtitui in nobis poſsint, explicetur. Duo autẽ in vniuerſum poſſunt,quemadmodum docet Auguſtinus in libro De nat.& grat.cap.61.

nimirum $\begin{cases}\text{Perfectus}\\ \text{Non perfectus.}\end{cases}$

Perfectus eſt , quum ad vniuerſam illam humanæ iuſtitiæ normam ad amuſsim peruenimus atque eam implemus,& quidem ita libẽter, vt in eo obſequio præſtando,nullum in nobis prorſus aduerſariũ,nullámque luctam,aut certamẽ reliquũ ſentiamus. Imperfectus iuſtitiæ & ſanctimoniæ gradus eſt,quũ facimus quidem iuſtitiam,non autem perficimus:ſed in vero Dei cultu & metu incedẽtes , cum interno concupiſcentiæ malo interna

A conflictatione pugnamus.

Ergo aliud eſt {
Perficere iuſtitiam. Hic iuſtitiæ gradus nobis demum inerit in patria & vita cæleſti. Hîc vero haberi non poteſt.
Facere iuſtitiam. Hic iuſtitiæ & ſãctitatis gradus nobis ineſt, etiã dũ ſumus in via, & in hac mortali vitæ peregrinatione. Fruſtra enim Philoſophi eas nobis, hîc agẽtibus, virtutes ineſſe ſomniant, per quas omnis vitii & carnalis cõcupiſcẽtiæ vigor & ſenſus ſit in nobis abolitus & extinctus. Fieri enim non poteſt. Itaque quas illi vocant propriè virtutes, & animorum noſtrorum ἕξεις, huiuſmodi, in quibus vis rebellionis noſtræ & peccati, ſit planè ſepulta & ſopita, ſunt ægrorum ſomnia, nec in vllo homine mortali (ſi modò vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum exceperis) reperiuntur. Illa igitur ſolùm animi conſtitutio ac ſtatus in nobis ineſſe hîc poteſt, qui eſt imperfectus ſanctitatis & iuſtitiæ gradus, & in quo etiam renatis magna tamen in bene agendo reſtat cnm carnis concupiſcentia, lucta & pugna : ſed in qua tamen recta ratio & voluntas B ſuperior & victrix, Dei Spiritu vires dante, tandem euadit. Hæc autem animi habitudo & ſtatus ab iiſdem Philoſophis Ε'γκρατείας tantùm, non etiam præclaro illo Α'ρετῆς nomine notatur, Sed tamen hæc ſola in veriſſimis Chriſtianis ineſt & cerni poteſt dum in hac mortali & miſera carne & corpore verſantur. Quod ipſum poſtea fuſius erit explicandum.

Cap. XIX.

Quæ ſit actionum noſtrarum, quæ ſunt honeſtæ, forma quatenus in ipſo actu verſantur & ſpectantur.

FORMA verò actionum noſtrarum, quatenus in ipſo actu & opere verſantur, eſt exacta quædam, & ad amuſſim exæquata ipſius operis noſtri ad præſcriptam à Deo normam, ratio & adminiſtratio. Itaque ne tantillum quidem ab illa regula diſceſſiſſe debet noſtrum opus. Atque eam virtutem, quæ cæteras ad ſuum finem & ad ſua C præcepta tam ſeuerè reuocat, exigit, & ordinat, vt neque exceſſus, vel exuperãtia, quam Græci πλεονεξίαν, vel ὑπερβολὴν appellant: neque defectus, vel deficientia, quam iidem ἔλλειψιν, vſquam inſit, vulgò nominant iuſtitiam, quam in omnium virtutum moderatione, & iuſta actionum noſtrarum adminiſtratione adhibendam ſcribit libr. 5. Ethicor. Νικομαχ. Ariſtoteles. Alii autem Spiritum Diſcretionis vocabulo à Scriptura vſurpato, 1. Cor. 12. verſ. 10. 1. Ioann. 4. ver. 1. dicere maluerunt. Illa igitur (ſiue diſcretio, ſiue iuſtitia nominetur) certè eſt quæ in actionum noſtrarum opere ad ſuam normam exigẽdo verſatur, atque nos dirigit. Cui comes additur à Philoſophis Prudentia, quæ in mediis cuiuſque honeſtę actionis aptis & accommodatis tum quærendis, tum etiam diiudicandis verſatur. Ipſa verò noſtrarũ actionũ tam exacta, & bene planéque conueniens cum ſuo exemplari & typo, cũ ſua lege ac regula ratio ac proportio, vt neque in ea quicquam redundet, neque ab ea quicquam deficiat, eſt vera illa noſtrarum actionum forma quatenus in actu verſantur, quã variis nominibus ſcriptores Ethnici appellarunt. Alii enim eam appellant iuſtitiam, ſed generalem, vt ab A ea, quæ ſpecialis nominatur, verſatúrque in vno quodam rerum & negotiorum genere rectè adminiſtrando, diſtinguatur. Certè iuſtitia generali ſignificato, non tantùm ab Ariſtotele, ſed etiam in Sacra Scriptura vocatur totius vitæ & actionũ noſtrarum inſtitutio ad virtutem, ſiue Legem Dei, quemadmodum Matthæi 6. v. 33. Tit. 2. v. 12. apparet. Vnde illud præclarè, quanquam ab homine prophano, dictum eſt,

Ε'ν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετὴ ἐστι. Anſelmus in Dialogo De verit. cap. 13. ita definit, *Vera iuſtitia eſt non rectitudo ſcientiæ, aut rectitudo actionis, ſed rectitudo voluntatis propter ſe ſeruata.* Alii autem eam noſtrarum actionum honeſtarum, quatenus in actu ſunt, formam potius Mediocritatem vocarũt, quoniam inter illud quod plus eſt & minus, media quadam via incedit ea quæ laudatur in noſtris actionibus, honeſtas, & agendi ratio. Vnde Bernardus lib. 1. De conſiderat. cap. 6. *Omnium*, ait, *quodammodo intima vis vna eſt & medulla virtutum, nempe meditullium ipſum, id eſt, mediocritas, in qua ſic vniuntur, vt perinde vna videantur omnes : ſed iuſtitia in affectu eſt iſtius mediocritatis: à fortitudine efficacia: à temperantia vſus & poſſeſſio illius: à prudentia inuentio illius.* B Alij autem Decorum appellare malunt: alij Honeſtatem : alij denique eam actionum noſtrarum formam Virtutem nuncupant, quo maximè nomine hîc à nobis appellabitur. Eſt enim tum veteribus, tum recentioribus vox magis vſitata, quæ vel ipſo ſono aliquid ſplendidum, atque inter homines commendatione dignum continere atque ſonare videtur. De qua nobis idcirco eſt paulò latius, ſed tamen quàm breuiter pro ſuſcepti operis argumento fieri poterit, nunc dicendũ.

Cap. XX.

Quid ſit virtus, & quotuplex.

QVAM Latini Virtutem vocant, Græci homines Α'ρετὴν dixerunt, Hebræi autem מדה *Middah*. Virtus à viro, non à vi vel violentia, quemadmodum imperitè Durandus exiſti- C mat, deriuatur. Quia enim maximè viro digna eſt virtus, imprimis autem ea, quæ fortitudo appellatur, factum eſt vt illa propriè virtus primùm diceretur, à qua cæteræ poſtea honeſtę & viris dignę actiones omnes ſunt generaliter Virtutes denominatæ. M. Tullius libro 2. Tuſculanarum Quæſt. noſtram ſententiam confirmat his verbis, *Atque vide*, ait, *ne, quum omnes recta animi affectiones virtutes appellentur, non ſit hoc proprium nomen omnium: ſed ab ea vna, quæ cæteris excellat, omnes nominatæ ſint. Appellata eſt enim viro virtus: viri autem propria maximè eſt fortitudo, cuius munera duo maxima ſunt, mortis doloriſque contemptio.* Α'ρετὴ verò ἀπὸ τοῦ αἱρεῖσθαι, quod & maximè eligenda ſit virtus: & quòd nulla actio laudem meretur, vel virtus dici debet, niſi quæ certo animi iudicio, electione & propoſito fiat à nobis. Nam quę rectè vel vi coacti, vel ignorantes agimus, ea virtutis nomen minimè merẽtur. Α'ρετῆς vocem vſurpauit Petrus 2. Epiſt. c. 1. v. 5. & Paulus quoque Philip. 4. v. 8. vbi etiam eã variis epithetis videtur definiiſſe. *Middah* verò Hebręis menſura eſt, à qua virtus eſt appellata, quòd ea demũ actio noſtra virtus cenſenda eſt, in qua mo-

A dus ratióque à Dei Lege præſcripta, tanquam mēſura quædam, diligenter obſeruata eſt. Quæ enim ab illius præſcripto diſcedit, propriè, & ſi rem ad viuum reſeces, virtus dici non poteſt. Ex quo fit, vt rectè ab Ariſtotelicis mediocritas ſit appellata. *Eſt enim virtus*, vt Plutarchus in libro De mor. virtute ſcribit, *motus animi, qui id quod vltra vel citra modum eſt appetitionis auferens, vnumquemque animi motum ad mediocritatē rectitudinémque perducit.* Inde Lactantius libro 6. ca. 14. *Seueritas etiam*, ait, *niſi ſe intra congruentes nocentium pœnas coerceat, fit ſæua crudelitas.* Damaſcenus, Ἀρετὴ πλήρωσις ἐστὶ τοῦ νόμου τοῦ Θεοῦ. Ex quibus omnibus cur virtus, vel menſura, vel mediocritas appelletur, ſatis intelligi poteſt. Iam verò quid ſit virtus, poſtquam de nominis ratione conſtat, explicemus. In quo primùm mirari nos minimè oportet, ſi non eſt ab omnibus res vna & eadem iiſdem verbis definita. Quum enim eſſet illius natura per ſe difficilis & obſcura, homines eam variis modis illuſtrare conati ſunt. Itaque alii formam eius, & tanquam eſſentiam ſcrutati ſunt: alii effecta potiùs ſpectarunt: alii accidentia B quædam, quæ virtutem, tanquam vmbra corpus, ſolent comitari. Ex quo factum eſt, vt verbis quidem diuerſæ virtutis definitiones excuderentur, re tamen vna omnes eſſent. 1 Platonici quum omnia ad diuinam mentem, tanquam veriſſimam rerum omnium cauſam & menſuram referrent, virtutem definierunt viuum characterem & effigiem eius ideæ, quæ eſt in mente Dei, ſed in hominis animo impreſſa nos ad bene agendum excitat & dirigit. Hoc etſi non vſquequaque eſt à vero alienum, eſt tamen magis argutum & ſubtile, quàm vt facilè à quouis intelligi & percipi queat. Itaque Auguſtinus libro 4. contra Iulianum cap. 3. hanc definitionem, tanquam omnino ineptam ex Chriſtianorum ſcholis non explodit: tamen aduerſus eam Ariſtoteles quaſi pro focis & aris libr. 1. Ethic. acerrimè depugnauit. 2 Ariſtoteles ipſe lib. 2. cap. 6. aliam adduxit, quam deſumpſit ab ipſius actionis honeſtæ efficiendæ modo, & velut metis, quæ ſunt in virtute ſpectandæ. Virtutē enim ait eſſe habitum animi, qui non modò ratione, ſed etiam animi C electione agit, ea mediocritate, quam vir prudēs præſcripſerit. Itaque & prudentiam eſſe cæterarū virtutum moderatricem atque directricem vult: & virtutem eſſe inter duo quędam extrema quiddam medium conſtituit: imprimis autem eam, quā Moralem vocant, cuius vis omnis in actione, quemadmodum Tul. loquitur, conſiſtit. Ariſtoteli autem aſſentitur Flaccus, qui ſic cecinit,

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra citráque, nequit conſiſtere rectum.

3 Quid Stoici de virtute definienda ſenſerint, tum ex Cicerone & Plutarcho, tum etiā ex Diogene Laertio in vita Zenonis Cittięi ſatis intelligi poteſt. Cicero ipſe virtutem modò rectam rationem: modò rationem abſolutam eſſe dixit. Atque hi omnes eòdem videntur collimaſſe, nimirum, vt eā actionum noſtrarum ſpeciem & adminiſtrationem, quę ad veræ & perfectæ rationis præſcriptum reuocata eſt, Virtutem appellarent. 4 Sententiarij verò virtutem eſſe definiunt actuum noſtrorum determinationem, quæ cum humanæ, qualis nunc reſtat in nobis, rationis, tanquam veræ ſuæ regulæ dictamine quadrat & conſentit. In quo illi peſſimè, qui humanæ & noſtræ, id eſt, cæcę rationis iudiciū pro idonea noſtrarum actionum cenſura & canone cōſtituunt, A quem ex ipſa cęleſti Dei Lege ſumere potius oportebat. Veniamus ad Patres Eccleſiaſticos, 5 quorum ſententia, certè quidem quàm Scholaſticorum longè & verior eſt & tutior. Virtutem igitur ab effectis ita lib. 6. cap. 5. definit Lactantius, *Virtus eſt, iram cohibere, cupiditatem compeſcere, libidinem refrænare, id eſt, vitium fugere. Nam fere omnia, quæ fiunt iniuſtè atque improbè, ab his oriuntur affectibus.* Item, *Virtus eſt ſedatio omnium turpium commotionum atque affectuum noſtrorum.* Hæc certè maxima ſunt virtutis effecta, ſed non ſola. Nam vt omnes actiones noſtræ ad Dei metum comparatæ ſint, illa infeſtiſſima vitia, tanquam hoſtes voluntatis Dei cōiuratos, in nobis cohiberi atque coërceri prius oportet. Auguſtinus libro 83. quæſt. 31. ſic ſcribit, *Virtus eſt animi habitus naturæ modo, atque rationi conſentaneus, cuius partes ſunt quatuor, Prudētia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia.* Sed quòd modum naturæ noſtræ conſentientem, ſiue conſentaneum optimam virtutum normam & formam eſſe ſcribit Auguſt. de prima natura noſtra & adhuc integra, nondum autem corrupta ſanè accipiendum D eſt. Plato libro 4. de Republ. *Virtus igitur*, ait, *vt apparet, eſt ſanitas quædam mentis, & pulcritudo & benè compoſitus animi habitus: vitium contrà & morbus, & turpitudo, & infirmitas.* Quam eandem in illis quatuor partibus ſitam eſſe ſcribit. Plures ex aliis Patribus, tum Græcis, tum Latinis definitiones afferri poſſunt, ſed nos breuitati ſtudemus. Ex his enim omnibus iam facilè colligetur, Nihil aliud eſſe veram virtutem, quàm noſtrarum actionum ad Dei Legem, quæ recta ratio eſt, exæquationem. Quod vt fiat, & vitia fugienda ſunt, & mediocritas ex Dei Spiritu prudenter tenenda. ¶ Quotuplex autem ſit virtus, quæſitum eſt. In quo primùm eorum opinionem, tanquam minimè probabilem reiicio, qui omnes virtutes vnam tantùm virtutem eſſe voluerunt, quæ nominibus variis pro diuerſo obiecto nominatur. Eam enim quum in pecunia largienda verſatur, Liberalitem dici: quum in contractuum, & humanæ ſocietatis iure tuendo, Iuſtitiam: quum in belli periculis ſuſtinendis, animi Fortitudinem appellari, quam ſententiam C Menedemus Eretrienſis primus (vt in libro De morali virtute Plutarchus ſcribit) induxit. Platonici igitur, (vt inde diuiſionem virtutum ordiar) virtutes ex officio & fine triplices faciunt.

Alias enim vocant {
Ciuiles,
Purgatorias,
Exemplares.

Ciuiles, quæ ad communem ciuium ſocietatem conſeruandam pertinent, atque ſunt accommodatæ. Itaque illæ minimè omnium exactæ atque perfectæ eſſe ſolent, quia nec eorum, quibus inſunt, animi (quales ſunt hominum in Reipubl. fluctibus verſantium) tam perfecti eſſe poſſunt. Purgatoriæ ſunt, quæ purgant animos noſtros vitioſis affectibus, eæ verò iam ſunt ſuperioribus pleniores. Exemplares ſunt omnium perfectiſſimæ ex Platonicorum ſentētia, quæ ad diuinæ mentis ideam proximè accedunt. Scholaſtici alia quædam virtutum genera conſtituunt: tria nimirum hæc. Alias enim faciunt

{
Acquiſitas à nobis,
Infuſas à Deo ſupranaturaliter,
Dona.

A Quanquam verò quidam ex iſtis hominibus dona à virtutibus toto genere diſiungere videntur, quòd per dona ſtatim & promptè, & in repentinis operamur: per virtutes autem, ſiue comparatas à nobis, ſiue infuſas à Deo tantùm pedetentim, & non tam citò, ſed paulatim ipſa aptitudine per conſuetudinem, & repetitos actus incrementum capiente in nobis: tamen, vbi quis omnia ſubduxerit, non multum ab infuſis virtutibus dona illa, quæ vocãt, differre comperiet. Quòd autem virtutes quaſdam à nobis ipſis comparari poſſe putant, propter diuturnam agendi conſuetudinem, eſt huiuſmodi, vt partim verum ſit, partim falſum. Ac verum quidem, quòd aſſuefactio longa & diuturna nos ad idem repetendum aptiores & inclinatiores quodãmodo facit: vt qui idem iter ſæpius confecerunt, ſunt in eodem peritiores reliquis. Falſum autem, quòd nec acquiſitio nec poſſeſſio, nec retentio virtutis à nobis eſſe poteſt: ſed à Deo, vtpote qui natura bene agere non magis expetamus, quàm bos volare. Id quod ſuperiori diſputatione ſatis demonſtratum eſſe confidimus. Nam non nos ipſi B per nos, quod tamen illi ſentiunt, non vllis vel operationibus, vel motibus, & affectibus noſtris illam ad diuinam illam Legem collimandi voluntatem, vel aptitudinem comparamus: ſed ad eam nos Dei Spiritus & corde & corpore format. Tam enim ille operatur in nobis illud, quod in cordibus noſtris bonum eſt & latet, quàm illud quod in membris & externis actionibus bonum eſt & apparet. Comparare tamen quandam ad honeſta officia aptitudinem, & quaſi facilitatem videmur, quum Dei Spiritu impulſi, idem bonum opus ſæpius repetimus, non quidem quòd ex externa illa actione, quantumuis iterata & à nobis repetita, vllus habit⁹ aut qualitas animis noſtris, vel ipſis corporis membris inhæreat & imprimatur, per quam immutemur, & boni permaneamus: ſed quòd facilior tantùm & expeditior ſit & notior nobis iſtius rei iterum agendæ ratio & via. Sed voluntas tamen noſtra omnino propter diuturnam illam aſſuefactionem minimè immutatur, nec aliquam impreſſam qualitatem ſentit, vel habet (tribueretur enim C impiè externo operi, quod ſolius Dei proprium opus eſt in nobis: nimirum vt immutemur) ſed à ſolo Dei Spiritu, qui habitat in nobis, fit & inditur illa bene agendi affectio continuatióque. Itaque quum primùm eiicitur à nobis Dei Spiritus, atque nos deſerit, tum ſtatim redimus ad ingenium, & tã praua eſt, atque illi ipſi operi bono quod antea tam ſępe & lubenter faciebamus, contraria volũtas noſtra, quàm ſi nũquã illud feciſſemus. Tam enim facilè quiſpiam poſteaquàm à Dei Spiritu relictus eſt, immiſericors eſt, auarus eſt, tenax eſt, fur eſt, adulter eſt, etiã is, qui cõtraria omnino opera prius Dei Spiritu impulſus edebat, quàm ſi nunquam iis vitiis abſtinuiſſet, quia ſemẽ ipſum peccati ſemper in nobis eſt, & vbi Dei Spiritus nos deſerit, ſtatim vis peccati reuiuiſcit, neque vi iteratę à nobis actionis iſtius extinguitur, ſed ſola vi Spiritus Dei in nobis agẽtis. Itaque falſò docemur virtutes, qualitateſque bonas per longam & aſſiduam bene operãdi aſſuefactionem nobis animiſque noſtris imprimi, quum tota illa vis & affectio ſit donum & actio Spiritus ipſius Dei nos impellentis, & mutantis. Quod ipſum cum Chriſtianis pręclarè ſenſit Plato in Menone, nimirum, *Virtutem humana neque natura, neque doctrina, neque exercitatione parari poſſe: ſed merum Dei donum eſſe. Vti Sibyllæ diuinitus afflatæ res mirabiles reſpondent: Deo deſtitutæ, ſimiles ſunt reliquarum mulierum: ſic homines iuſtos & fortes eſſe, tantiſper dũ diuino afflatu excitantur.* A Ex quo ipſo eſt illa Homerica ſentẽtia, ſanè vetus, quæ ab eo libro 5. Iliados his verſibus deſcripta eſt,

Ζεὺς δ᾽ ἀρετὴν ἄνδρεσσιν ὀφέλλει τε μινύθει τε,
Ὅππως κὲν ἐθέλῃσιν. ὁ γὰρ κράτιστος ἁπάντων.

Itaque illa Sententiariorum opinio prorſus reiiciẽda eſt, quæ ipſi iterationi actionis hoc effectum & tãtum Dei donum tribuit. Eſt igitur alia & tertia quædã virtutis diuiſio, quæ nobis omnino probanda videtur. Eſt autem hæc, vt virtus alia dicatur

- Heroica, & maior, quàm communis hominum piorum cõditio ferat:
- Humana & ea quidem, vel
  - Perfecta, quæ definitur eſſe animi habitus & ἕξις,
  - Imperfecta, quæ ἐγκράτεια tantùm ſiue continentia nominatur, non autem ἕξις. B

Atque de his omnibus ſigillatim dicamus: atque ab ea, quæ Heroica nominatur, ſumendum diſputationis exordium eſt.

CAP. XXI.

De virtute Heroica, & illi contrario vitio.

QVANVIS Sententiarii virtutes à donis Dei extraordinariis, per quæ aliquid rectè honeſtéque agimus, toto genere diuerſas eſſe, atque diſſimiles putant: nos tamen, qui eum animum & voluntatem, per quam rectè operamur, Dei donum vbique eſſe demonſtrauimus, etiam virtutes appellabimus eximia illa & ſupranaturalia Dei dona erga nos, per quæ præclarum aliquid, atque etiam plus, quàm communis hominum bonorum & piorum ſors ferat, vel ſemel tantùm in vita: vel etiam ſæpius præſtamus. Hanc autem animi C affectionem, quę motus illos tam diuinos, támque celeſtes habet, vt naturam ipſam humanam ſuperemus, vnà cum Ariſtotele, libro 7. Ethic. atque aliis probatis authoribus, Virtutem Heroicam ſiue diuinam nominamus. Nã Plutarchus heroicam venuſtatem & ſpeciem, quæ inimitabilis erat, in Demetrio Poliorcete dixit. Rarũ illud quidem, & multis ſæpe annorum ſeculis ignotum virtutis exemplum: ſed tamen cuius ſpecimen aliquãdo Dominus ipſe voluerit mũdo edere, atque huiuſmodi viros excitare, quos θείους ἄνδρας potius quàm homines nobis ſimiles cæteri iudicarent. Neque tamen hoc loco Heſiodo aſſentior, qui ἥρωας omnes vna tantùm mundi ætate & ſeculo vult extitiſſe, quod aureum vocant. Omni enim ætate Dominus quoſdam, tanquam lumina quædam, mundo tales exhibuit, tum ad generis humani cõſeruationem, tum etiam ad ſuæ Eccleſiæ reſtitutionem. Etſi autem illa Platonis ſententia, quam in Demetrio refert Plutarchus, ὅτι καὶ κακίας μεγάλας, ὥσπερ ἀρετὰς αἱ μεγάλαι φύσεις ἐκφέρουσιν, vera eſt: tamen nulla huiuſmodi virtus nobis à natura eſt. Sed illi admirabili quadam & extraordinaria, id eſt, di-

uina

A uina potius, quàm humana virtute homines præditi, ſunt à Deo ſpecialiter excitati, tanquam gigantes & prȩſtantiſſimi,vt ea præſtarent,atque efficerent,ad quæ Dominus eos præparauerat. Talis fuit Abrahamus : talis Moſes : talis Ioſue , Dauid, Ezechias, & alii plures, à quibus res præclarè geſtæ, humanarum virium modum excedunt. De hac igitur virtute, quæ Heroica dicitur, duo quærūtur.Ac primùm quidem, in quo actionis genere eſſe & verſari vel poſſit,vel ſoleat. Ad quam quæſtionem reſpōdemus,etſi in his rebus atque actionibus,quȩ in bello verſantur,quȩque ad fortitudinem referuntur,qualis eſt patriȩ tuitio,hoſtiū propulſatio, mortis contemptus, eſſe & maximè perſpici ſoleat,& cenſeatur heroica virtus. In reliquis tamen rebus & actionibus, quæ ad alias virtutes pertinent, eſſe ac verſari & poſſe & ſolere. Ergo in omni virtutum genere virtus quædam,& animi affectio heroica & diuina cerni poteſt : non in vna tātùm ea virtute,quȩ à Grȩcis ἀνδρεία,à Latinis fortitudo nominata eſt. Eſt autem ea virtus heroica, per quam non tantùm cōſtāter,& admirabili quadam facilitate,quæ cæteris difficilia,quæque per ſe B hōneſta ſunt,geruntur:ſed tanta vi & animi dexteritate vt vigor appareat plus, quàm humanus , & lōgè maior quàm in reliquis, qui in eodem actionis genere excellentes habentur, hominibus animaduerti poſſit. Ac quidem illud primo loco de virtute Heroica quæritur.Secūdo verò,in quo hominum genere illa eſſe poſſit,piorúmne tantùm & fidelium, an etiam infidelium,qui veri Dei cognitione caruerunt.Ad quam etiam quæſtionem breuiter reſpondeo. Quòd quemadmodum ſine fide nulla eſt vera virtus humana,ita neque heroica:ſed quæ laudatur in viris verum Deum ignorantibus, animi promptitudo,affectio & alacritas , ea tātùm vmbra & aſſimilatio quædam obſcura virtutis dicenda eſt. Ex quo fit , vt Heroicæ virtutis adumbratio quædam in Ethnicis hominibus eſſe & reperiri nonnunquam potuerit: vera autem ipſa virtus in iis nunquam fuerit. Atque hoc ipſum eſt, quod luculenter Plutarchus in Coriolano diſputauit, agens de cogitationibus , quæ à Deo nobis in rebus deſperatis immittuntur.Aliquot autē C exemplis hoc,quod affirmamus,docendum eſt. Primùm igitur in omni virtutum genere heroicam & diuinam illam vim perſpici, poſſe demonſtremus. Sunt autē virtutes præcipuæ quatuor,Iuſtitia,Fortitudo,Temperantia,Prudentia. Heroicæ & plus quàm humanæ iuſtitiæ exemplum eſt inter pios Moſes,& Salomo : inter prophanos autem, Ariſtides & Cato.Fortitudinis autem plus quàm humanæ vires ferant, exempla ſunt pia , Ioſue,Samſon, Dauid, & ii qui illius ſeculo & ætate inter triginta fortes recēſentur:noſtra ȩtate tales fuerūt plerique Chriſti martyres:prophani verò Hercules,Themiſtocles,Scipio,Coriolanus. Temperantiæ quoque exempla plus quàm humana ſunt,Ioānes Baptiſta, Elias.Inter Ethnicos Socrates.Prudētia plus quàm vulgaris & humana , fuit in Salomone, & Achitophele.Liberalitas in Salomone:in primis itē Chriſtianis , de quibus eſt Act. 3. & in Cimone Atheniēſi.Quod idem de cæteris virtutibus dici poteſt, quarum omniam exēpla planè heroica in vno Domino noſtro Ieſu Chriſto,quatenus homo fuit,obſeruari poſſunt. Huic autem tam excellenti virtuti vitium quod opponitur,ab Ariſtotele, θηριότης,quæ Latinis eſt feritas, appellatur. Videtur tamen potius ex Paulo. Epheſ.4. verſu. 19. ἀπαλγησία nominanda. A Feritatem enim alii aliter explicant. accipiunt enim pro ea animi feritate, & immanitate, qua quis impellitur,vt ſpōte eum lædat,à quo nulla eſt prorſus offenſa affectus , & prouocatus , ſed eo tantùm ipſo vexat alterum , quòd humana pœna per ſe delectetur , & gaudeat, tam eſt ſæuus, qualis fuit Caligula, itémque Claudius & Nero imperatores, Timon ille qui μισάνθρωπος dictus eſt, & alii his ſimiles. Itaque magis feræ,quàm hominis ſit ſimilis.Eſt autem heroicæ virtuti potius cōtrarium vitium illud, per quod omnis conſcientiæ ſenſus extinctus,omnis intelligentiæ radius,omne rationis lumen ſuffocatum, vel longa malè agendi aſſuefactione, vel alia qualibet de cauſa apparet: qualis in Abſalomo , & qualis in reprobis multis obſeruari poteſt, videtúrque in eos omnes cadere, qui in Spiritum ſanctum , quemadmodum loquitur Scriptura,peccāt. Atque hæc eſt propriè ἀπαλγησία, id eſt , conſcientiæ dedolentia , quæ etiam differt à vitioſitate , quæ virtuti opponitur(quam ſiue κακίαν,ſiue πονηρίαν,ſiue μοχθηρίαν appelles , parū B refert)quòd in vitioſis hominibus aliquod tamen & mentis & conſcientiæ lumen remanſit:at in iſtis quos ἀπηλγηκότας Paulus vocat, illud lumen omnino ſepultum eſt,atque extinctum.Itaque rectè Ariſtoteles cenſet, affectionis animíque rationem deteriorem eſſe in vitioſis:vt qui magis contra cōſcientiæ ſenſum & ſtimulum peccent: humanitatis autem ratione magis eſſe iſtos deteſtādos,& à nobis communíque hominum natura magis alienos, quàm vitioſos.Atque hæc de Heroica virtute: ſequitur,vt de humana dicamus, quæ , vti ſupra docuimus,duplex eſt,perfecta nimirum,aut imperfecta.Et de perfecta quidem prius.

CAP. XXII.

De virtute humana,quæ perfecta & ἕξις appellatur.

HVMANAM virtutem vocamus, quæ ab illo ſummo & tam excellēti perfectionis gradu, de quo diximus, differt, & in communi ho- C minum , qui & boni & probi appellantur , natura & ſorte ſpectāda eſt,quam ἀνθρωπίνην Græci appellant. Quemadmodum autem Stoici duo genera officiorum conſtituunt,vnū perfectum,illi κατόρθωμα dicunt , quod in ſolum ſapientem cadit : alterum autem medium & commune , καθῆκον μέσον illi, quod in communi hominum vita verſatur : ſic nos humanæ huius virtutis duos quoſdam gradus diſtingui oportere dicimus. Aut enim eò vſq; progreſſa eſſe ſtatuitur vis illa contentióque animi noſtri à Spiritu ſācto indita,vt omnē affectionis virtuti cōtrariæ impetum extinxerit in nobis : aut non eſt progreſſa eò vſque , ſed in eo tantùm gradu totus conatus animi noſtri (qui & ipſe à Deo nobis infuſus eſt) ſubſtitit , vt in agendo bono opere , luctam adhuc & pugnam cum repugnante & aduerſante virtuti & impetu & affectu ſuſtineamꝰ.Prior igitur ille gradus , humana quidem , ſed perfecta virtus appellatur. Poſterior autem , imperfecta. Prior ille vocatur, definitúrque eſſe ἕξις, id eſt, habitus.Poſterior autem ignobiliori & illaudabiliori nomine ἐγκράτεια tantùm,id eſt,continētia dicitur.

A Vterque tamen gradus ἀρετῆς, & virtutis appellatione decoratus,quanquam non pari ratione. Solus enim primus ille perfectúſque gradus propriè Ἀρετὴ cēſetur à Philoſophis. Perfectam autem virtutem hîc dico, non eum animi ſtatum, qui plenum & omnium virtutum numero conſtantē chorum habeat,cuíque nulla virtus omnino deſit(quāquam inter ſe connexas eſſe virtutes plerique ferè omnes fatentur)ſed perfectionem virtutis hîc cogito in ſingulis virtutibus,nimirum ex modo & agendi, & inhærendi in nobis, ſtatum illum animi, qui non pugnat cum contrario illi virtuti (cuius opus agimus) vitio : adeò vt qui vel vnam tantùm virtutem ex omnibus per modum ἕξεως habet, is perfectam illam virtutem habere dici poſſit,quãnquam reliquas nondum ſit conſequutus. Eſt enim hic modus, qui ἕξις appellatur, ſummus bonæ vel malæ animi noſtri conſtitutionis gradus, qui cadere in nos poſſit. Eſt igitur ἕξις,ſiue habitus animi(qua voce etiam Scriptura Heb.5. v.14. vſa eſt) impreſſa animis noſtris qualitas ſiue affectio tanta, quæ vix aut ne vix quidem poſtea deleri poteſt, B fértque ad idem in perpetuum agendum non tantùm animi propenſionem & alacritatem, ſed determinatum penitus voluntatis noſtræ motum & deſiderium. Ergo eſt habitus confirmata quædam conſtitutio animi,ſiue ex diuturna quadam agendi aſſuefactione comparata, vt quidam volunt: ſiue potius à Dei Spiritu(nam de virtutibus agimꝰ) indita)ita tenax illa quidem, & in eam tantùm partem propenſa, in quam ſemel ita aſſueuit:ſempérque in eam ſe ferens & ſpontanea. Vnde fit, vt ἕξις altera quædam natura in nobis & ſit,& meritò appelletur. Vix enim amitti poteſt,neque etiam contrariæ affectionis rationes vel motus admittit, ac ne audit quidem,quia prorſus ſepulta eſt in nobis ſic diſpoſitis vis contrarii huic diſpoſitioni animi affectus. Vna igitur illa affectio & inclinatio in nobis iam regnum tenet,& potētiſſimè atque efficaciſſimè in nobis dominatur, nos inflectit,atque ad ſe totos allicit. Ergo in quibus huiuſmodi virtutis habitus ineſt,illi proculdubio vim vitii amplius non ſentiunt,ſed prorſus ad honeſtas illius virtutis C actiones agendas feruntur, totáque animi & volūtatis ſponte ac impetu. Sic igitur Ariſtoteles libro 2. cap.4. Ethic. Quæ ex virtute fiunt,illa in primis in ipſo operante tria requirunt, primùm vt ſciens is agat, qui agit:deinde, vt volēs atque delectu habito,eligénſque illud,vt bonum ſit,agere:tertiùm, vt firmè conſtantérque faciat quod facit. Sic enim diſpoſitum atque effectum animo eſſe oportet, qui ex virtutis alicuius habitu aliquid agit & operatur. Qui autem vitii habitum ſibi compararunt (eſt enim duplex habitus, nimirum vel bonus, id eſt,virtutis,vel malus,id eſt,vitii)illi nullos virtutis & repugnantis vitio voluntatis aculeos amplius ſentiunt:ſed ſibi vel longa conſuetudine,vel voluptatis illecebris victi, tanquā callum quēdam malè agendi iam obduxerunt,qui virtutis huic ſuo vitio repugnantis ſenſum omnem extinxit.Ergo ii ſunt, de quibus Lactantius,*quos quum boni & mali natura non fallat, cupiditate mala vincuntur vt peccent, quia deeſt illis virtus,id eſt,cupiditas recta & honeſta faciendi*.Ex quo quanta ſit in vtranque partem vis huius animi conſtitutionis,qui Habitus appellatur, facilè iam perſpici poſſit, vtque verè perfectam inter homines virtutem nacti dici debeant,qui ad hunc tam excellētem gradum ſemel peruenerunt, ſi qui A tamen poſſent peruenire. Sed nulli poſſunt, quia peccati vis & fomes ineſt in nobis, etiam perfectiſſimis,quādiu hîc viuimus,quemadmodum docet Scriptura,Roman.7.& nos antea prolixè diſputauimus. Et quia habitus eſt animi qualitas & habitudo ab iis quæ ratione fiunt,ſuſcepta atque cōtracta, certè in brutis eum eſſe dici non poteſt: quia præter ea,quæ nobis natura inſunt, comparatum atque de nouo acquiſitum quiddam eſt habitus iſte.Cēſent etiam eum in Angelis eſſe minimè poſſe,etſi ratione vtantur, quia quicquid perfectum in illis ineſt, illud naturâ inſitum, non induſtriâ comparatum eſſe volunt. Sed de iis quæ ad homines,non autem ad Angelos pertinēt, hoc loco diſputamus. Sed & diuerſa illa habituum genera omittimus,quæ ab aliis afferuntur:vt alii acquiſiti,alii naturales,alii denique infuſi dicuntur.Ergo huiuſmodi támque abſoluta hæc virtus eſt, quæ ἕξις appellatur,vt in nullo mortali homine(vno modò excepto Chriſto) vnquam vel fuerit, vel ſit, vel etiam futura ſit,quandiu hic rerum & mundi ſtatus durabit, quicquid contrà Philoſophi prophani rixoſè contendant.Nàm in carne hac noſtra tam altè B habitat peccatum, atque radices egit, vt de carne noſtra reipſa & omnino demi & abſtergi non poſſit : manet enim ſemper carnis concupiſcentia in nobis,quæ illi animi affectui tam conformi Dei voluntati planè repugnat:& vt ſæpe ipſa concupiſcentia non vincat, certè cum Dei Spiritu ſemper luctatur acerrimè atque dimicat,adeò vt illud certamen, de quo meminit Paulus Galat. 3. optimi quique in ſeſe quotidie, etiam in ſingulis honeſtis actionibus ſuſcipiendis,experiantur. In futura igitur vita demum eueniet, & erit in nobis,quemadmodum Paulus 1.Corinth.15.verſ.56.ait,quum nimirum peccati vis omnis atque ſtimulus tolletur. Huic autem virtuti & habitui contraria eſt ea animi conſtitutio,quam Gręci κακίαν vocant,M.autem Tullius Vitioſitatem conuertit, quæ eſt animi noſtri promptiſſima, & tanquam iam inueterata ad peruerſè agendum habitudo,id eſt,vel naturâ ipſa, vel longis,iteratíſque actionibus ita confirmata,vt omnem contrarii honeſtíque affectus ſenſum in C nobis extinxerit,atque ſepelierit.Itaque qui vitioſi nominantur,nihil niſi lubētiſſimè peccare poſſunt, maximè in eo facti genere, in quo iam habitum illum vitioſum,callúmque contraxerunt. Neque enim inflecti poſſunt,niſi omnino difficillimè : neque dū peccant, vllam aduerſantis illi ſuo vitio virtutis pugnam ſentiunt:ſed toti præcipitéſque in illud ſcelus ſponte feruntur. Huiuſmodi qualitas & animi affectio atque turpitudo ferè in omnibus reprobis ineſt:quāuis perfecta virtus in nullis etiam Dei electis inſit. Denique nullum eſt genus vitii tam tetri,támque horrendi,cuius etiam electorum ingeniū,& volūtas ipſa per ſe nō ſit capax:imò eſt capax omniū vitiorū ſimul.Nulla autē tā eſt neceſſaria virtus, quam hîc perfectè aſſequamur. Cuius rei rationē(nā vulgare illud eſt, Contraria circa idē ſubiectū fieri & verſari nata ſunt,atque ferè perſpiciūtur)ſi quis requirat,nimirum , cur quāuis inter nos mortales multi ſint κακοὶ,& planè vitioſi,ex vera vitii & κακίας definitiōe:nulli tamē inter nos ſint σπουδαῖοι,& virtutē perfectè adepti(ſi modò virtus, quatenus ἕξις eſt,definiatur)huius ſi quis,inquam, tātæ diuerſitatis rationē quærat, hæc profectò eſt.

A Quod natura humana, qualis hîc eſt, propter legē atque conditionē. quam ipſa ſibi per peccatum accerſiuit, atque impoſuit, tam fœlicem, beatū, perfectúmque ſtatū aſſequi nunquā poteſt, vt omnem vitij atque peccati fomitem hîc exuat: id quod veræ virtutis definitio requirit. Eadem tamen natura noſtra nunc tam deprauata eſt, támque in malum præceps & praua, vt eam nihil, niſi peccatū atque turpitudo ipſa delectet, in quo ipſo veram vitij & κακίας definitionem poſitam eſſe diximus. Mutari quidē, atque ad integrā ſanitatē reduci poſt hanc vitam homo poterit: ſed nunc non poteſt, quia in hoc mūdi ſtatu à Deo regnū datū eſt peccato. Hāc hominibus pœnam, iuſto quidē ſuo iudicio, Deus inflixit, qui ſe peccato ſcientes lubentéſque, creati vt in hoc mundo eſſent & viuerent, manciparūt: vt illi quoque eos mācipatos, perſeuerare in hoc mūdo oporteat. Hāc enim ſibi neceſsitatem & legem miſeri illi impoſuerunt, dum à Deo ad Satanam: à vita ad mortem: à luce ad tenebras: à prima & natiua iuſtitia ad ſcelus ſponte deflectunt in hoc mūdo. Itaque mundum ipſum, & homines ipſos, & B carnis noſtræ ſtatum atque conditionē immutari prius oportet, quàm illa peccati ſeruitute & poteſtate, cui ſe in hoc mundo addixerunt, homines liberentur, & quàm in illis non habitet amplius peccatum. Quòd quādiu inhabitat in illis virtus, perfecta eſſe non poteſt. Poteſt autem vitium, quia tanta labes atque corruptio noſtræ naturæ ſuperuenit, accidítque vt virtutis .i. veræ iuſtitiæ voluntatem homo prorſus amiſerit: omnis autem iniuſtitiæ atque rebellionis & ſemē fœcundiſſimum, & effectum fœdiſſimum idem peccando accepit. Cōtraria autem ea demum circa idem ineſſe poſſunt, & nata ſunt, quorum alterū nobis non inhæret natura. Quum enim eorum alterū ineſt naturā, extrudi omnino non poteſt, veluti ſi quis natura vel claudus, vel cæcus, vel gibboſus naſcitur, ab iis corporis vitiis liberari prorſus nequit, atque in cōtrariū corporis ſtatū integrè reſtitui. Atque hoc ipſum quod dicimus, nō Dei quidē impotentia aut culpa vlla accidit in nobis, ſed certa lege ab eo ipſo ſapienter iuſtéque propter peccatū nobis impoſita, C vt quāta ſit, quámque altè inhæreat peccati & defectionis noſtræ turpitudo & fomes ſentiamus. De quo ipſo iam antea ſatis diximus.

Cap. XXIII.

De virtute humana, quæ imperfecta, ſiue ἐγκράτεια vocatur, & de contrario illi vitio.

Restat autem, vt de eo virtutis humanæ gradu, in quo imperfecta virtus perſpicitur, neque peruenit ad ſummum illud culmen & victoriæ faſtigium, per quam omnis cum vitioſis affectibus lucta in nobis ſopita eſt: ſupereſt, inquā, de eo gradu atque de ea virtutis humanæ ſpecie dicere. Illa verò ἐγκράτεια dicitur, vulgo Latinis Continentia (fortaſſe melius, atque ad preſentem quæſtionem accommodatius, ſi Luctantem virtutem dicere placuerit) qua voce Paulus vſus videtur, Actorum 24. verſu 25. 1. Cor. 9. v. 25. Eſt igitur hic medius quidam ſtatus inter eos, qui perfectè virtutem aſſequuti ſunt, & eos, qui omnino ac planè vitio ſeſe dediderunt. Nā inter σπουδαίους, id eſt, A Virtuoſos (ſi modò ita loqui fas eſt) atque vitioſos medii ſunt interpoſiti ἐγκρατεῖς ſiue ἐγκρατεύοντες: item ἀκρατεῖς. Hi autem ſunt qui pro virtutibus contra vitia luctantur adhuc, neque adhuc penitus peccati vim in ſeſe domitam ſentiunt, vel vigorem virtutis extinctum in animo ſuo prorſus non habent. Qui ſolus virtutis gradus inter homines etiā perfectiſſimos animaduerti & eſſe in hac vita poteſt. Neque verò iis aſſentiendum eſt, qui putāt inter virtutem & vitium, quod κακίαν appellant, nihil medium intercedere poſſe, ſed illa eſſe huiuſmodi contraria, quæ ἄμεσα Græci vocant, qualia ſunt λογικὸν & ἄλογον: falſum enim eſt. Nam medius quidā hominum ſtatus eſt, in quo neque perfectæ virtuti, neque cōſummato vitio adhuc locus eſt, quemadmodum inter calidum & frigidū eſt medius quidam tepor: inter album & nigrum ſunt medii colores varii: ſic inter perfectè bonos, vel vitioſos, quos ſuperiori capite deſcripſimus, ſunt medii ἐγκρατεύοντες, & ii qui cum ſuis vitiis & prauis carnis cupiditatibus adhuc luctantur. Verè quidem Lactantius libro 6. cap. 3. cenſet, ſic virtutis & vitii cōſtitutam eſſe naturam, vt ſe inuicem ſemper oppugnent, ſempérque expellant: non idcirco tamen B efficitur neminem eſſe poſſe, in quo partim virtus inſit, partim etiam vitium, qui (vti dixi) adhuc luctantium ſtatus eſt: ſed illud tantùm colligitur, quod idem Lactantius ait, neque virtutes inſeri ſine detractione atque imminutione vitiorū poſſe: neque vitia auferri, quin virtutes in eorum locum ſuccedant: adeò, vt qua menſura, quóve momento vnum detrahitur, eadem alterum ſuccedat. Semper autem ineſſe in hominibus vel perfectam virtutem, vel deploratum illum vitiorum habitum, in quo iam nullum cum ſpiritus vel conſcientiæ noſtræ reliquiis certamen reſtet, minimè idem ſtatuit. Eòdem etiam pertinet quod Bernardus Serm. quinto de Aſcenſione dixit, *Ecce enim, vt tanquam principalia cordis ipſius membra diſtinguam, eſt intellectus in nobis, eſt & affectus, & hi quoque ſæpius ſibi inuicem aduerſantes, vt alter ſumma petere, alter appetere infima videatur. Quantus verò hic dolor, quàm grauis animi cruciatus: dum ſic diſtrahitur, ſic dilaceratur, ſic abrumpitur à ſeipſo?* C Neque obſtat quod obiici videtur poſſe, Duo cōtraria, qualia ſunt virtus & vitium, ſimul in vno ac eodem ſubiecto per rerū naturam eſſe non poſſe. Verum enim illud eſt, quoties vtrunque perfectè .i. plena & abſoluta eſſentiæ ſuæ ratione in eodē ſubiecto eſſe diceretur. Tunc enim vnum expellat alterum neceſſe eſt: ſed poteſt in multis rerum generibus is ſtatus obſeruari, in quo fit vtriuſque contrarii participatio quædam, & commixtio, adeò vt neutrum quidem illîc verè & perfectè inſit: ſed vtrunque ex parte, & cum quodam temperamento cernatur. Sic viridis color, ſic rubeus, ſic leucophæus ex candido & nigro coloribus inter ſe contrariis, ſed temperatis & commiſtis naſcuntur. Sic tepor eſt quædam frigiditatis atque caloris participatio temperata. Et quemadmodum in humanis corporibus illa ſanitas in nemine à medicis conſtituitur, in qua ſit perfecta εὐχυμία, id eſt, ἐν ἀκμῇ perfectum & abſolutum omnium humorum inter ſe temperamentum: neque etiam in vllo viuo homine ille ſtatus qui nihil aliud ſit, niſi omnium humorum κακοχυμία & diſſolutio.

A Sic in animis ipſis idem euenit, vt quoniam naturæ huius ratio quiddam in nobis perfectius ferre non poteſt, ſit medius tantùm etiam perfectiſſimorum & optimorum virorum, qui dicuntur ſtatus, qui virtutis & vitii, id eſt, ſpiritus & carnis participatione, & quadam cohabitatione adhuc miſtus eſt, & temperatus. Quòd ſi iterum obiicitur nobis huiuſmodi ſtatum tepidorum quodammodo naturam referre, qui à Deo prorſus reprobantur, Apoc. 3. verſu 16. (velle enim Dominum, vt vel calidi omnino, vel frigidi ſimus.) Reſpondeo, Minimè tepidos eſſe appellandos, imò feruidos eſſe, & Dei Spiritu ardentes & incenſos, & quidem quantum huius naturæ noſtræ conditio hic patitur, qui ſic cum vitiis carnis ſuæ colluctantur, vt vincant, & quemadmodum Paulus loquitur, ea mortificant & deponunt. Coloſſ. 3. verſ. 5. Epheſ. 4. verſ. 22. Galat. 5. verſu 16. Quamobrem eſt medius quidam tum virtutis, tum vitii obtinendi gradus, in quo imperfectè & virtus, & vitium, ſiue improbitas tamen habetur: ex vtraque quodammodo compoſitus eſt hic ſtatus. Ac quidem quum ea virtus, atque honeſta voluntas ita in nobis eſt, vt cum fœda carnis B libidine & cupiditate non tantùm luctetur, ſed etiam eam vi Spiritus Dei in nobis agentis vincat, & ſuperet, is ſtatus animi ἐγκράτεια quemadmodum antea ſæpe diximus, appellatur. Quum autem praua animi voluntas ſuperat contrarium virtutis & bene agendi deſiderium, quod reſtat in nobis, vi peccati regnantis, ἀκράτεια dicitur: in quo certè ſtatu dimicatio & certamen virtutis cum vitio: & vitii cum virtute cernitur, ſentitúrque manifeſtiſſimè, quaſi homines duo, duæque voluntates in nobis ſentiantur, atque habitent: ſed quum in ea lucta vincit virtus, & ſanctum illud bene agendi deſiderium, quod dat Dei Spiritus, repugnantem voluptatem, dicitur Continentia, quale quid cernitur in Iacobo cum Angelo colluctante. Quum autem à turpi affectu noſtro vincitur ratio, appellatur Incontinentia, quale quid etiam cernitur in illa Ouidii Medea.

-video meliora, proboque,
Deteriora ſequor.

Itaque voces hæ tum apud Græcos, tum etiam C apud Latinos, non pro vna quadam ſpeciali virtute cuius ſit certa quædam & definita materia, in hac diſputatione ſumuntur: ſed pro gradu ipſo & modo imperfecti & colluctantis adhuc in nobis voluntatis affectus, qui in qualibet virtutis & vitii ſpecie haberi, eſſe, & obſeruari poteſt. Magis enim hoc loco iſta duo vocabula ſignificant diſcrimen habitudinis, & affectus animi noſtri, & τὸ πῶς ἔχειν: quàm certum nomen virtutis, quæ in certa quadam & vna re moderãda verſetur. Quamquam Ariſtoteles lib. 7. Etic. cap. 4. ἐγκρατείας & ἀκρατείας nomen non putat ad omnem virtutis & vitij modum ſic temperatum propriè accommodari poſſe. Et certè Sententiarij Continentiam eſſe definiunt à coniugio, vel quolibet coitu cum fœmina abſtinentiam. Nos tamen hîc non tam ſcrupuloſè verbis iſtis inhæremus, quum commodior appellatio nobis iam non ſuccurrat, niſi Colluctationem virtutis & vitij hanc animi noſtri habitudinem fortaſſe nominemus. Verſatur verò hęc, atque ineſt hoc certamen in Dei electis, & illius Spiritu verè renatis hominibus, ac iis quidem omnibus. In reprobis autem & hypocritis etiam, qui externè Chriſti nomen profitetur, nullis propriè ineſt, etſi tamen in quibuſdam ineſt. A Ineſſe in illis videtur, in quibus, quanquam vitioſi affectus & appetitus inſurgunt, feruent, & tandem vincunt: ſeſe tamen illis conſcientiæ vis, & rationis atque honeſtatis cogitatio fortiter opponit. Itaque ſenſum conſcientiæ illi non exuerunt: Dei autem Spiritum, quia ſunt reprobi, eos renouantem nullo modo habent: ſed retinent tantùm luctam conſcientiæ vitioſæ libidini vehementer reſiſtentis, quæ tamen à libidine ipſorum vitioſa vincitur. Atque iidem poſſunt ad ſanam mentem, atque meliorem frugem facilius reuocari. Præclarè enim Ariſtoteles libro 7. cap. 8. Ethic. *Intemperans*, ait, *& vitioſus, κακὸς & μοχθηρὸς dicit, non eſt is, quem ſui peccati pœniteat (perſtat enim in propoſito) Incontinens autem omnis ad pœnitendum eſt proclius. Quocirca ille incurabilis eſt, hic curabilis. Nã prauitas, ſiue vitioſitas ſimilis eſt aquæ intercuti & tabi: incontinentia verò comitiali morbo. Illa enim cõtinua eſt, hæc non cõtinua improbitas. Atque omnino diuerſum eſt ἀκρασίας & κακίας, id eſt, incontinentia & vitioſitatis genus. Vitioſitas enim latet. Incontinentia non latet.* B Hæc præclarè Ariſtoteles, ex quibus apparet in quibus inſit hic gradus. In illis autem non eſt hic gradus, qui iã à praua cupiditate ſua prorſus deuicti & ſubiugati, ſenſum omnẽ honeſtatis, innatũ omnibus hominibus, & reliquum à Deo factũ perdiderunt, vel amplius non curant, neque audiunt: ſed qui toti præcipites in vitium & ſcelus toti tanquam cæci quidam, ruunt, & feruntur. Itaque hi non colluctantur, ſed victi ſub peccati poteſtate prorſus iacent, vel longa malè agendi conſuetudine domiti, vel ipſa peccandi voluptate illecti. Rectè enim cum Ariſtotele Lactantius, Cupiditas nõ opinio etiam in illis rectæ rationi aduerſatur. Itaque à ſua eáque praua cupiditate vincuntur, vt ait Iacobus cap. 1. v. 15. Cupiditas enim, cui nimium indulgemus, concipit, & parit peccatũ: & nos à recta ratione quam ſcimus, abducit. Id quod electis Dei non accidit. Nam quanquam ſæpe tenuia, ſæpe nulla Spiritus Dei, & rectæ rationis eos regentis, veſtigia in illis apparent: manent tamen in iiſdem veræ ſancti- C tatis, vti veræ in Deum fidei, ſemina quædam in corde & animo latitantia, quæ prorſus ſuffocari, extingui & effundi, quia Deus illa in nobis conſeruat, & obſignat, non poſſunt, atque vitio prauæque cõcupiſcentiæ in nobis repugnãt. Itaque electi Dei nũquam tota voluntate, quemadmodũ reprobi, peccant, etſi tamen nonnunquam in ſuis peccatis electi indormiunt, & diutiſsimè torpent. Quæ autem pars in Dei renatis veræ cognitionis Dei, veræque ſanctitatis ſemina à Dei Spiritu immiſſa habet, Spiritus appellatur: quę autem rebellionis in Deũ, prauæ cupiditatis, & naturalis vitioſitatis fontem & ſemen in nobis continet, caro nominatur quẽadmodum docet variis in locis Paulus, imprimis autem Gal. 5. verſ. 16. & Roman. 8. verſ. 8. & 12. & 13. *Nempe igitur, fratres, ait, debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus, ſed ſpiritui. Nam ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſed ſi ſpiritu actiones corporis mortificaueritis, viuetis.* Neque verò hoc donum Dei, vel hic Spiritus in renatis eſt duntaxat lumen & iudicium illud reliquũ conſcientiæ, & exigua illius puritatis, in qua primùm Adamus conditus erat, ſcintilla, qualem etiam infideles habent:

ſed

A ſed eſt & in cognoſcenda Dei veritate lux intelligentiæ noſtræ pura & certa, quam nulla mens humana per ſe conſequi poteſt: & in diligenda Dei iuſtitia, voluntatis noſtrę feruidior atque ardens affectus, à qua iuſtitia naturâ ſumus prorſus auerſi. Vtrunque autem Patris donum eſt in nobis, noſtræ autẽ cum Chriſto communicationis fructus, atque Spiritus ſancti opus & effectum. Ex quo fit, vt rectè dixerit Ambr. in Ora. funeb. de obitu Sat. fratris, *Pietatem eſſe virtutis omnis ſeminarium in nobis*. i. verum veri Dei metum, & fidem in nobis omnes alias virtutes, tanquam fructus ſuos, producere. Quò eôdem pertinet quod ait Auguſtinus, *Radix omnium virtutum charitas*, id eſt, fides vt alibi idem exponit: *Radix omnium vitiorum cupiditas*. Eôdem etiam pertinet illud Bernardi Epiſt. 77. *Vera & plena fides vniuerſa præcepta complectitur*. Itaque omnes virtutes producit, vti fons riuum ſuum: & arbor ſuos fructus, quemadmodum etiam docet Iacobus 2. verſu 26. Harum igitur omnium virtutum, quales aſſequi in hoc mundo nos electi poſſumus, ſedes, & ſubiectum in nobis eſt, non animus B hominis per ſe & quatenus eſt eſſentia quædam ſpiritualis, intelligentiáque à brutis differens, & voluntate prædita: (quod tamen Philoſophi opinantur) ſed homo internus, id eſt, animus hominis, quatenus iam ille reformatus eſt in nobis, & à Dei Spiritu renouatus. Neque enim prius capax eſt vllius gradus veræ virtutis animus noſter, quàm per Chriſti beneficiũ fuerit innouatus. Neque nos prius vllius virtutis participes eſſe poſſumus, quàm noui homines à Dei Spiritu fuerimus effecti, vt ex Paulo ſatis intelligi poteſt. Epheſ. 3. verſu 16. 17. & Pet. 1. Epiſt. cap. 1. verſu 23. 24. cap. 2. v. 1. 2. Ergo non animus hominis per ſe: ſed animus hominis iam renouatus huius gradus virtutis, quem Continentiam & Luctam appellamus, quíque ſolus in nobis hîc degentibus eſſe poteſt, eſt capax, illiúſque ſedes, & (vt loquuntur in ſcholis) verum ſubiectum. Ex quo fit vt in cæteris hominibus, qui hoc Dei beneficio carent, non inſit vera continentia, ſed veræ tantùm continentiæ & luctæ vmbra quædam, & ſpecies, quæ ludicrum C vel ſimulacrum illius vel σκιομαχία dici debet. Obiectum autem & materia, circa quam hæ virtutes noſtræ (quę certè omnes intra luctę & continẽtiæ gradum manent) verſantur, ſunt tum omnes

- Actiones, quas Græci πράξεις vocant,
- Affectus noſtri, quos tum ὁρμὰς tũ πάθη nominant.

Nulla eſt enim actio, nullus eſt affectus noſter, quem non virtus aliqua moderandum atque regẽdum ſuſcipiat: ſi virtutum omnium vim, naturam, & nomen cognoſceremus. Sed multæ nominibus carent, vel magna noſtra ignorantia cum aliis confunduntur, etſi in conſcientia vim earum percipimus. Itaque in omnibus vitæ noſtræ partibus virtutum præcepta vſum habent latiſſimum, in omni denique ſexu, ætate, ac hominum ſtatu & conditione. Atque hoc ipſum eſt, quod ait Horatius, de cognitionis huius genere loquens,

Æquè pauperibus prodeſt, locupletibus æquè:
Æquè neglectum pueris, ſenibúſque nocebit.

Cæterùm quid ſit actio ſuprà diximus, item quid affectus. Eſt enim affectus, animi commotio naturalis, per quam ad aliquid expetendum ſponte ferimur. A Omnis enim animorum noſtrorum vis, vel eſt affectus, vel facultas, vel habitus. Affectus eſt in nobis commouendis. Facultas eſt in aptandis & diſponendis (eſt enim facultas aptitudo quędam) Habitus in figendis, confirmandis, & efficiendis, vt bene vel malè agamus, & tales maneamus. Affectus autem illi noſtri producunt in nobis appetitus, qui ſi rectæ rationi parent, ipſo affectus vel ὁρμῆς vocabulo honeſtè nominantur. Sin autem ſe iactent, & efferant, neque ſubiici rationi velint, ſed rationem ipſam de ſua ſede & gradu detrudant, ac dimoueant, πάθη, id eſt, Animi perturbationes turpi voce appellantur. Nam nomine ipſo, quemadmodum ait Tullius, vitioſæ eſſe declarantur. *Itaque perturbationes*, ait idem libro 4. Tuſculanarum, *ſunt turbidi animorum concitatique motus, auerſi à ratione, & inimiciſſimi mentis*. Ergo ad vtroſque iſtos affectus regendos pertinet, & virtus & ratio, ſi modò audiatur. Præterea affectuũ alij ſunt propenſiones tãtùm quędã ad nos facilè & ex tempore cõmouendos: alij ſunt ipſæ commotiones, & impetus, quaſi fluctus iam excitati. Veluti ὀργιλότης quæ dicitur iracũdia, aliud eſt, & aliud ὀργὴ, id eſt, ira ipſa. Ὀργιλότης enim, eſt animi propẽſio ad facillimè B & leui de cauſa iraſcendũ. ὀργὴ vero eſt ὀργιλότητος effectum, & ira ipſa iam concepta, id eſt, animus ad vindictam ſui iam commotus. Atque vtrunque hoc affectus genus oritur quidem à natura: ſed illa, quæ propenſio dicitur, magis & propius à natura deriuatur. Quæ enim ſunt iam commotiones, admiſcent atque habent ſecum, præter naturalem inclinationem, vim & impetum prauæ libidinis concurrentem, cui parent, dum commouentur. Ad vtrunque tamen hoc genus affectuum moderandum pertinet etiam & virtus & ratio. Nam etiam propter eos affectus meritò vel laudamur, vel vituperamur, quanquam aliter ſentire videtur Ariſtoteles lib. 2. Ethic. capite 5. Propter propenſiones enim animi ad peccandum, non putat nos vel pœna, vel vituperatione dignos, quia nobis huiuſmodi affectiones inſunt à natura, quas etiam in noſtra poteſtate eſſe Stoici negant. Sed fallitur Ariſtoteles. Neque enim agnouit horum affectuum etiam naturalium fontem eſſe impuriſſimum, nimirum C ipſum hominis originale peccatum & corruptionem. Ille verò contrà. Nam quæcunque à natura habemus, ea putat eſſe honeſta, quia neque naturã ipſam in nobis iam deprauatam & fœdatam eſſe homo Dei ignarus intellexit: neque bonos affectus ab iis, qui ex peccato orti ſunt, diſtinguere potuit. Vt igitur huiuſmodi affectus, qui ad peccandum feruntur, ſunt à cœnoſo, turbido & graueolenti fonte in nobis, nempe natiua vitioſitate ex peccato Adami contracta, ſic ſunt & ipſi cœnoſi, turbidi, graues & malè coram Deo olentes. Nihil enim iam à nobis corruptis, niſi corruptum & malum proficiſci poteſt. Nihil ex vitioſo voluntatis noſtræ fonte, niſi vitioſum, profluit. Ergo regula quædam moderatióque adhibenda eſt, quam vera virtus, & ratio voluntati Dei conſentanea præſcribit. Malè autem omnino Stoici, qui omnes ex hominis ſapientis animo affectus tollendos docent, tanquam vitiorum ipſorum radicem ea ratione excindant. Quis enim eſt iſte animi ſtatus, niſi vt præclarè ait Ariſtoteles, ἀναισθησία quædam, & ſtupiditas planè lapidea, aut ſtupor, vt ait Auguſt.

A Tract. 60. in Ioan.aut (vt Lactantius loquitur libro 6. cap. 17.) Immobilitas quædam animi, qualis Niobes illius in ſaxum ex fœmina commutatæ? Longè verò melius atque ſalubrius Peripatetici, qui eos minimè extirpandos putant, ſed ſanandos, quia quidam affectus non tantùm vtiliter nobis à natura, id eſt, Deo dati ſunt, ſed etiam magnum virtutibus ipſis incrementum afferunt. Quòd ſi vitia ipſa, & quòd peccare poſſumus, magnã ad certaminis victoriam, laudem & occaſionem habent, vt tradit Lactantius: vtilitérque relicta ſunt, vt ille ſentit, libro 6. ca. 4. quàm id multò magis verum eſt in affectibus? Exemplum ſit de ira. Ira enim rectæ rationi ſubiecta, & (vt ait Baſilius) accubans, eſt tanquam cos & canis quidam domeſticus fortitudinis, facitque nos ad mala expellenda, & bona perſequenda animoſiores, & aptiores. Itaque neque Chriſtus ipſe, omnis virtutis perfectiſſimum exemplar, iis affectibus caruit: neque ipſa Dei vox cæleſtis, quæ perfectam iuſtitiæ regulam continet, eos funditus & radicitus tollit: ſed tantùm regendos & moderandos docet, ne modum excedant. Id
B quod ex Ephe. 4. ver. 26. apparet. Augu. loco iam citato de Stoicis agẽs ſic ait, *Quemadmodum illi vanitatem exiſtimant veritatem, ſic ſtuporem deputant ſanitatem ignorantes ſic hominis animum, quemadmodum corporis membrum deſperatius ægrotare, quando & doloris amiſerit ſenſum.* Quemadmodum enim medici, dum ægrotos curant, non id agunt, vt omnem in illis ciborum appetentiam extinguant: ſed eam tantùm intemperiem, ex qua morbus naſcebatur, tollunt. Sic neque affectus omnes è nobis tollendi ſunt, vt à vitiis ſanemur: ſed in nobis recta ratione illi potius ſunt regendi & mitigãdi. Qui enim eos homini prorſus adimunt, non modò ἀστοργίαν inducunt (quæ res reprobi ſenſus, à Deóque planè alieni, certiſſimum eſt argumẽtum) ſed hominem humanitate ipſa ſpoliant, atque exuũt, faciúntque ex homine non tantùm belluam, ſed etiam truncum, & lapidem. Sed (quemadmodum antea diximus) ſunt affectus alii ab aliis diſtinguendi. Nam quidam ſunt non tantùm naturales, ſed omnino laudandi, quibus ne purus quidem ipſe homo caruit,
C vti dilectio vxoris, ſui cõſeruatio. Alii ſunt omnino à peccato orti. Illi ſunt moderandi in nobis. Hi autem poſtremi omnino (ſi fieri poteſt) tollendi. Itaque illam Stoicorum ἀπάθειαν minimè quidem admittit cæleſtis illa veritas, & Chriſtiana fides, ſed reiicit refellítque, aduerſus quam luculenter quoque Lactantius lib. 6. cap. 14. & in lib. De ciuit. Dei Auguſtinus. Porrò autem gradus ἐγκρατείας & ἀκρασίας, id eſt, continentiæ, atque incontinentiæ, ſunt plures, non vnus tantùm & ſimplex. Quanquam enim vterque hic ſtatus medius eſt inter perfectam virtutem: & perfectum, atque planè regnans in nobis vitium, tamen non omnis in ἀκμῇ & ἀτόμῳ, vt vocant, conſiſtit: ſed in πλάτει; & gradus multos, magnáſque & apertas differentias intermedias continet, quæ cerni poſſunt eſſe tanquam media quædam interualla inter duo extrema, diſſita inter ſe latiſſimo ſpatio. Sic in metis collocandis extrema duo deſignantur, inter quæ longum interuallum medium intercedit, atque relictum eſt. Sic album & nigrum inter colores ſunt velut extrema duo, inter vtrunque tamen nõ vnus tantùm color medius interiectus eſt: ſed varii, veluti ruber, viridis, croceus purpureus. Sic tempe- A
ratiſſima ſanitas & morbus duo ſunt in corporum noſtrorum conſtitutione extrema, inter quæ variæ corporis διαθέσεις & temperationes ſunt medię, quæ neque perfectam illam ſanitatem habent: neque deploratùm morbi genus. Sic in moribus noſtris, & in eo qui eſt inter virtutem perfectam, & conſummatum vitium, ſtatu & diſpoſitione, varij ſunt & diuerſi habitudinis animi noſtri gradus & differentiæ, prout quiſque Dei gratia, plus minúſve abundat: & prout quiſque in Dei metu magis minúſque profecit, & excellit. Itaque iubet Paulus, vt quotidie promoueamus, & in melius progrediamur, quia in nobis augeri quotidie virtutes poſſunt, & vitia quoq; creſcere. Denique ne fatigemur in melius perfectiúſque contendendo, donec ad ſupernæ vocationis ſcopum peruenerimus. Philip. 3. v. 14. Virtutem enim nunquam hîc perfectè aſſequemur, vt ſemper plus de ea ſuperſit, quod cõſequamur, quódque nobis deeſt, quàm eſt illud, quod iam adeſt, quódque iam ſumus adepti. Neque modò alii alios proficiendo ſuperare poſſumus, ſed etiam idem poteſt ſeipſum. Nam in B
dies fieri vel meliores poſſumus, vel deteriores, Domino gratiam gratię magna ſua miſericordia in nobis addente, vel iuſto ſuo iudicio nos deſerente. Quinetiam ſæpe illud accidit, vt omnis ſancti operis & pietatis cogitatio & voluntas in nobis vitiorum mole obruta ad tempus videatur, vel ita variis libidinis fluctibus ſubmerſa lateat, & exigua ſit, vt omnino periiſſe dici poſſit, etſi tamen non periit, qualis fuit Dauidis adulterãtis, & poſt adulterium ſibi blandientis conſcientia & ſtatus. Vnde tamen Dei beneficio emergimus poſtea. Sæpe etiam ita magno bene agendi deſiderio nonnunquam ardemus ac inflammamur, vt nihil niſi Dei metum ſpirare & efflare toti videamur, omníſque vitii vis in nobis extincta cenſeri poſſit. Ex quo tamẽ ſtatu decidimus, & ſtatim delabimur, tam varia eſt & inconſtans humani ingenij natura, támque varij ſunt noſtri huius ſtatus, in quo luctamur gradus. Ergo alij aliis propius ad perfectam illam virtutem accedimus, vel ad deploratum illum vitij C
morbum delabimur, in quo omnis cum virtute lucta ſopita eſt. Atque id verum eſſe quod diximus, apparet, Continentiæ nimirum & Incontinentiæ quæ nominantur, plures eſſe differentias & gradus, etiã in hominibus piis, inter quos alij, quàm alij virtuti vel vitio, id eſt, κακίᾳ ſunt viciniores. Incidit autem in hunc locum difficilis quidem inter Philoſophos, ſed facilis inter nos Chriſtianos quęſtio, Vtrum virtutes omnes ſint inter ſe ſic connexæ, vt qui vnam habeat, omnes habeat. Id quod omnino Stoici putant: alij autem negant verum eſſe. Ex ſcriptoribus autem Eccleſiaſticis alij diſtinguunt inter virtutes theologicas, quas connexas indiuiduo vinculo eſſe volunt: & non theologicas, quas negant coniungi. Ex 2. Pet. 1. verſ. 1. v. 5. & 6. Iacob. 2. v. 10. colligi videtur omnes inter ſe coniunctas, vt vna ab alia diuelli non poſſit. Cui conſentit illud Bernardi, *Virtutes non ſunt, ſi ab inuicem ſeparantur.* Et ante Bernardum Ambroſ. Hierony. li. 1. contra Pelagian. Auguſtinus Epiſt. 29. idem ſenſerunt. Solutio igitur atque reſponſio eſt, Omnium virtutum vnum quidem & eundem eſſe fontem in nobis, Spiritum Chriſti in nobis habitantis:

A tantis: virtutes tamen diuerſas producere, quæ ſi imperfectæ ſunt, quanquam inter ſe coniunguntur quidem, diuelli poſſunt, vt qui vnam habeat, omnes tamen nõ habeat. Sin perfectę à nobis haberentur, diuelli non poſſent. Ergo virtutes perfectæ à ſeſe ſeparari nõ poſſunt: imperfectæ autem & inchoatæ tãtùm poſſunt, quia plenam totámque virtutis rationem iſtę non habent. Vnde ex parte tantùm bonum opus operantur: non tota animi volũtate ad rectum compoſita & inſtituta. Id quod in perfectis virtutibus eſſe in nobis neceſſe eſt, adeo vt nullus tunc locus vitio in nobis reſtare poſſit. Magnum autem noſtri in alterutro, vel virtute vel vitio nimirum, progreſſus & profectus indicium eſt, dolor & voluptas, quam in agendo capimus. Nam qui bene agendo plurimum delectãtur, plurimum profecerunt. Qui verò leuiter gaudẽt, parũ ſe adhuc in virtutis & veræ reformationis ſtudio progreſſos eſſe agnoſcant. Qui malè agendo plurimum lætantur, illi in maiori incontinentiæ gradu. Qui verò minus in eo ſibi applaudunt, ſed dolent ſe aliquid malè & perperam, contráque Dei B præcepta egiſſe, illi in minori ἀκρατείας ſtatu: ſed in maiori ἐγκρατείας cõſiſtere dicendi & ſentiẽdi ſunt. Præclarè enim Ariſtoteles libro 2. *Qui corporis voluptatibus abſtinet, eóque ipſo delectatur*, ait, *is temperans: qui id moleſtè fert, is intemperans eſt.* Quod de cęterarum virtutum indicio & ſigno, déque variis earum gradibus eſt dicendum. Sed etiam pręclara eſt & neceſſaria, ad progreſſus noſtri indicia agnoſcẽda, hæc Bernardi ſententia, quæ eſt Epiſt. 107. *Audit quilibet noſtrum*, ait, *ſe vocari, quum timore concutitur: ſentit ſe iuſtificari, quum amore perfunditur.* Iiſdem autẽ modis & actionibus virtutis ſtudium, & animi affectus & habitudo in nobis alitur, creſcit, & augetur, quibus in nobis primùm naſcitur, & comparatur, adeò vt quãtò magis alicui operi bono ſtudemus, quantóque frequentius illud repetimus, & exercemus, tantò ad illud proniores, aptiores & idoneiores ſemper reddamur. Ac primùm quidem percipiuntur, atque à nobis ſentiuntur quædam διαθέσεις, & animi præparationes, quæ ab ipſo virtutum gradu, quem conſequi poſſumus, differunt, ex C quibus præparationibus paulatim progrediẽtibus, Dei Spiritu propellente, naſcitur, & gignitur poſtea iſte gradus continẽtiæ, quem adipiſcimur. Exempli gratia, prius in nobis eſt humiliatio, quàm ipſa humilitas. Eſt enim humiliatio ipſa animi noſtri præparatio. Humilitas ipſa virtus ſiue virtutis gradus. Prius roboratio quàm ipſa fortitudo: Prius toleratio, quàm tolerantia. Id quod Bernardi verbis quàm meis intelligi malo. Sic igitur ille, *Si virtutem appetis humilitatis, viam ne refuge humiliationis. Siquidem humiliatio via eſt ad humilitatem, ſicut patientia ad pacem: lectio ad ſcientiam. Nam ſi non potes humiliari, non potes ad humilitatem prouehi.* Ergo ex iis præparationibus progredimur ad actus, qui iterati aptiores nos in eo actionis genere efficiunt. Et hæc quidem de eo virtutis & vitij (virtutem enim & vitium hîc generaliter appellamus) gradu, qui lucta, id eſt, continentia ſiue incontinentia nominatur, hactenus ſint dicta.

CAP. XXIIII.

Qua via & methodo omnium virtutũ, quarum A *nos in hac vita capaces ſumus, itémque vitiorum genera facilè comprehendi: quaitem via bene, beatè, ſanctéque viuendi præcepta tradi poſſint.*

RESTAT autem, vt qua via præcepta virtutum iſtarum, quarum in hac vita capax eſt animus ac voluntas humana, commodiſſimè tradi poſſint, explicemus. Præcepta autem illa non tãtùm fines ipſos actionum: ſed etiam viam & normam bene rectéque viuendi, id eſt ſingulas actiones noſtras adminiſtrandi, in quoque rerum genere præſcribere debebunt. Hæc autem ratio varia & multiplex perſpicitur. Alii enim (quemadmodum Philoſophi) vniuerſa hæc præcepta ad certarum virtutum claſſes & genera reuocarunt: atque ad artem quandam, quæ omnia illa complecteretur, & ἠθικὴν nominarunt. Alij (quemadmodum Scholaſtici) veſtigiis Philoſophorum inſiſtentes, diuerſa tamen ab illis præcepta multis in rebus tradiderunt. Quum autẽ nulla vel certior, vel verior quàm B Dei vox (quę conſcientiæ noſtræ optima gubernatrix eſt) iuſtitiæ omniſque virtutis regula ne fingi quidem poſſit, longè melius tutiúſque faciunt, qui nos in eam tanquam limpidiſſimum virtutum omnium ſpeculum intueri iubent, & quæcunque de virtutibus humanis ſciri poſſunt, ad Legis diuinæ (quæ ipſiſſima omnis iuſtitiæ & ſanctitatis norma eſt) præcepta reducunt. Imò, qui ipſum cæleſtis & Moſaicæ Legis decalogum, qui vocatur, pro vniuerſa ἠθικῆς Philoſophiæ præceptione ſubſtituunt. Id quod Ambroſius nobiſcum ſentit. Itaque in eo interpretando duntaxat immorantur & conſiſtũt, & ex eo omnes virtutis & vitij leges velut ex veriſſimo & limpidiſſimo fonte hauriunt. Id quod nos (Domino dante) ſumus ſequ. libro facturi. Vt autem cõmodius atque planius, omnium quæ hactenus à nobis ſunt ordine demonſtrata, ſumma quædam haberetur: atque, vt quantum Philoſophi à Sententiariis: Sententiarij etiã ipſi à veris Theologis diſceſſerint, intelligatur, viſum eſt compendio quodam hæc quæ ſequuntur, ſubiicere, & quæ C pluribus antea diximus, hîc tãquam in breui quadam tabula, & ſchemate videnda proponere. Ethicen igitur, eámque Chriſtianam quærimus. Eſt autem in vniuerſum Ethicę ſcientia pręceptióque de hominis moribus rectè honeſtéque inſtituẽdis.

Ethice vero illa triplex eſt, nimirum
- Philoſophica,
- Scholaſtica,
- Chriſtiana.

Ac primùm de philoſophica. Virtus moralis Philoſophis eſt ipſius appetitus finis, & perfectio, & mediocritas quædã inter duo extrema vitioſa conſiſtens. Denique medium quoddam per quod ad ſummam fœlicitatem, ſummúmque bonum aſſequendum peruenimus.

Philoſophi materiam virtutis conſtituunt illum actum, atque illud obiectum circa quod quæque virtus verſatur: ex quo ipſo virtutes maximè inter ſe diſtingui volunt: ac commodius etiam quàm ex forma, quam omnium virtutum communem conſtituunt, nempe Mediocritatem. Formam igitur virtutis illi definiunt eſſe illam mediocritatem & regulam, quam prudentia in agendo ſequendam eſſe præſcribit.

Efficientem virtutis cauſam ponunt, tum
- Dictamen rationis rectæ, quod eſt in intellectu.
- Obſequium voluntatis noſtræ parentis illi rationi rectè monenti.

Finem virtutis definiũt
- Proprium quidem regere, & perficere illam animi noſtri & affectus partem, quam ordinat, & in qua verſatur.
- Remotiorem, nos iſta via deducere ad ſummum bonum.

Itaque virtutem triplicem cõſtituunt
- Inchoatam, & cui ſumma adhuc perfectio ratióque virtutis deeſt.
  - Continẽtia, Ἐγκρατεία, dicitur.
- Perfectam ſiue totam. Hæc propriè Ἀρετὴ & ἕξις dicitur, vbi omnino voluntas, & ſine reluctatione, rectæ rationi paret, & ſubiicitur.
- Heroicam, quæ ſupra communem aliorum hominum captum, & modum opus ſuum, id eſt, ſingulariter egregiũ aliquid præſtat. Itaq; qui tales ſũt, ſupra humanæ ipſius naturæ cõditionem excellẽtes in eo virtutis genere videntur. Eſſe autem poteſt Heroica virtus in omni virtutis genere, maximè tamen in fortitudine apparet. B

Diuiſio virtutum, quæ fit à Philoſophis.

Diuidunt autem illi virtutes ex obiecto, in quo regendo verſantur. Nam

Virtus moderatur, aut
- Affectiones noſtras & appetitus, eáſque vel
  - Primas & vehementiſſimas, quę ſunt duæ,
    - Voluptas. Temperantia. 1
    - Dolor. Fortitudo. 2
  - Nõ primas, ſed tamẽ vehementes, etſi nõ vehementiſſimas, qualis eſt tum
    - Honor qui appetitur, vel
      - Mediocris. Modeſtia. 3
      - Magnus. Magnanimitas. 4
    - Ira. Manſuetudo. 5
- Actiones, & eas vel
  - Neceſſarias omnino ad vitæ humanę tuẽdã ſocietatem. — Iuſtitia. 6
  - Decẽtes & decoras, quæ verſantur vel in
    - Danda pecunia.
      - Mediocri. Liberalitas. 7
      - Magna. Magnificentia. 8
    - Sermone vbi ſpectatur, vel ipſius ſermonis
      - Veritas. 9
      - Iucunditas in
        - Congreſſionibus. Amicitia. 10
        - Ludis & ioco. Vrbanitas. 11

C Prudentia verò has omnes virtutes regit & moderatur. 12

Et quia nullum alium virtutis finem ſpectant, quàm ipſum potentiæ animi actum bene moderatum & rectæ rationi ſubiectum: non Deum ipſum, aut eius gloriam, non proximum, eiúſve commoditatem, & ſubuentionem, iidem in definiendis diſtribuendiſve virtutibus maximè attendunt. Vnde non ſpectant ea, quibus vel Deus offenditur, vel proximus violatur: ſed ea tantùm, ex quibus ſplendor quidam externus, & laus popularis in agendo comparari, & æſtimari inter homines non omnino deprauatos & diſſolutos moribus ſolet. Adeò vt tota eorum oratio de moribus hominũ rectè informandis, ad laudẽ hominũ captandam non omnino malorum ſit accommodata. Atque inde ſua de virtutibus præcepta ducunt & hauriunt, non agnoſcentes quantæ tenebræ in humana mente, id eſt, in rationis noſtræ luce, & voluntatis noſtræ appetitu per peccatum verſentur ſintque effuſæ: neque quàm iam exigua ſit noſtra in bonis & malis rebus diiudicandis ratio.

Sed quum iidem animaduerterent pugnam rationis cum voluntate, nec tamen eius cauſam intelligerent, nec originem, ſenſerũt definiérũtque illam tolli aſſidua bene agendi conſuetudine, adeò vt repetitas illas actiones dicerent, tandem in nobis gignere ἕξιν bene agendi: & omnino ſubiectum rectæ rationi, parentéque appetitum hac via poſſe comparari. Hominem autem ipſum honeſtarum actionum authorem, non autẽ Deum conſtituunt.

Ethice Scholaſtica.

Scholaſtica nihilo melior Philoſophis ethnicis fuit.

A fuit. Nam & ipſa vult, vt apertè Durandus libro 1. Sēt. Diſt. 47. quæſt. 2. N. 9. docet, nihil eſſe neceſſe, nec oportere bonam voluntatem aut virtutē conformari volūtati Dei ex fine vel quātum ad finem, propter quem virtus agit. Per virtutem enim moralem non ordinari opus noſtrum ad gloriā Dei ex intentione operantis, ſed ad perfectionem tantùm potentiæ naturalis & appetitiuæ. Ergo eatenus tantùm virtus moralis gloriam Dei ſpectat, & ad eam opus ſuum dirigit atque ex eorum ſententia ordinat, quatenus non tantùm bene agere, ſed etiam mereri vult. eſſe enim opus bonum poſſe putant, cuius finis non ſit Dei gloria. At contrà Paulus 1. Corinth. 10. verſ. 31. & Prouerb. 16. & ipſe Durand. in Summ. Diſtinct. 27. lib. 2. Sententiarum. Itaque illis (quid enim ſentiant, tantum explicamus, quos abundè ſuprà refutauimus) illis, inquam, virtus eſt regula determinans intellectum, vel appetitum noſtrum ad bene agendum. Siue virtus eſt habitus perficiens potentiam ad medio modo appetendum. Durand. lib. 2. Diſtinct. 27. quęſt. 1. N. 7. Vnde non omnis virtus in medio conſiſtit, vt iidē ſcribunt.

B Nam virtutem triplicem faciunt, nempe

- Theologicam, quæ Deum habet pro obiecto;
- Moralem, quæ perficit potentiam naturalem,
- Heroicam, quę idem & ſubiectū & obiectum habet, quod moralis virtus, excellentiore tamen modo, & ſupra communes hominum aliorum vires operatur illud ipſum, quod virtutes morales pro communi hominum captu præſtant.

Virtutes autem morales breuius Scholaſtici complecti voluerūt, quàm Philoſophi, eáſque alio ordine tradere: diuina ſcilicet & profana ſimul miſcentes, & vtraque in vnum colligere, id eſt, cælum terræ iungere conati.

Itaque ex ſubiecto virtutes morales diuidunt. C Earum enim ſubiectum eſt appetitus.

Is autem eſt vel

- Rationalis. Iuſtitia hunc perficit.
- Concupiſcibilis. Temperantia.
- Iraſcibilis. Fortitudo.

Sed & alio modo diuidunt: ſic,

Virtus verſatur circa vel,

- Conſiderationem rationis, & ipſius ordinis præſcribendi. Prudentia appellatur.
- Ordinem ad aliud, nempe, circa
  - Actiones ad ad alterū, Iuſtitia dicitur
  - Paſsiones quæ nos vel
    - Impellunt ad malū, Temperantia.
    - Retrahunt à bono, Fortitud.

Quas tres virtutes Cardinales appellant: alias Subiectiuas, quę his ſubſeruiūt. Has autem omnes regit & ordinat, vt aiunt, prudentia. Eſt enim illa recta ratio agibilium, vt aiunt, id eſt, rerum agendarum. Sic Durandus in lib. 3. Sententiarum, A Diſtinct. 33. quæſt. 5. N. 6. ſic omnes, qui iſta ordine tradunt. Nec ignoro tamen quoſdam tres tantùm præcipuas virtutes cōſtituere: quoſdam etiam plures quàm iſtas.

Diuina Ethice & Chriſtiana.

Chriſtiana verò Ethica aliud omnino ſtatuit tum in principiis rerum actionúmque noſtrarum, tum in præceptis de virtutibus tradendis. Principium enim actionum noſtrarum honeſtarum eſt (quemadmodum ſupra docuimus) ipſe Dei Spiritus nos regenerans, & voluntatem noſtram è prorſus mala bonam, benéque affectam efficiens & commutans. Itaque commutati iam bene velle incipimus, & bene conſultare. Itaque ſit hoc modo etiam homo ipſe ſuarum actionum principium. Nam ante innouationem noſtram ipſi per nos non magis bene vel velle vel agere poſſumus, quàm volare. Sed vbi Dei Spiritus ſeſe cordibus & affectibus noſtris inſinuauit, eóſque dirigit, & inflectit, tum incipimus bene velle, & agere: quanquam & hæ actiones noſtræ honeſtæ ſunt ſemper infinitis modis imperfectę. Itaque quæ in B nobis virtutes eſſe dicuntur, eæ non ſunt ἕξεις, ſed tantùm ἐγκράτειαι, id eſt, non plenè perfectéque voluntatis noſtræ Dei mandato, & rectæ rationi ſubiectæ. Sed Scriptura conſiderat in nobis id quod res eſt, paulatim nos & gradibus quibuſdam creſcere, & dum virtutes habemus, luctari, & progredi. Itaque hos ſingulos progreſſus ad meliorem frugem vocat honeſto illo Virtutum nomine ad quas nos exhortatur. Tamen inter iſtos progreſſus & gradus, ita alij aliis ſubordinantur, vti gradus illi, quibus in eadem ſcala conſcendimus ad ſuperiorem ſemper locum. Ex quo fit vt ſæpe in ſcriptura plures virtutes ad vnam & eandem, quæ ſuperiorem illum, & meliorem gradum continet, referantur. Nec ita ſcrupuloſa eſt in vitiis & virtutibus diſtinguendis Scriptura, vt non ſæpe eandem virtutem, idémque vitium variis nominibus appellet, pro diuerſo nimirum effectu, & affectu animi, qui ſentitur à nobis, vel à nobis exterius producitur. Philoſophi verò & Scholaſtici in his appellandis & diſtinguendis fuerunt longè C religioſiores, quòd omnia ad certam ſuámque illam artem, captum, & ad certum definitúmque numerum reuocare voluerunt, vt facerent harum rerum & omnium animi affectuum (qui tamen ſunt infiniti) certam quandam ſcientiam certis virtutum & vitiorum appellationibus, certóque numero comprehenſam: in qua nihil eos effugiſſe videtur. Quod tamen eſt prorſus ἀδύνατον. Sunt enim cordis humani infiniti motus, receſſus & affectus, qui certo numero omnes colligi non magis poſſunt quàm arena maris: ſed ſi illi à Spiritu Dei regantur, ſunt honeſti, & virtutes: ſin carnis noſtræ ſenſu ducantur, vitioſi: & vitia ſiue peccata dicuntur. Quædam tamen tum virtutum, tum vitiorum genera ſuis diuerſiſque nominibus enumerat Scriptura ſacra, nimirum ea quæ ſunt & potiora & notiora, & certis vocibus à vulgo deſignata, vt ex his aliquot de cæteris iudicemus, & quid à Deo ſit petendum, intelligamus. Ex quo fit vt aliam vitæ noſtrę ſanctè inſtituendæ omnino rationem ineat Scriptura, quàm & Philoſophi, & Scholaſtici.

A Quid igitur illa? Nimirum quum omnia vitæ noſtræ officia

vel { Deum ſpectent,
Homines (qui omnes
Proximi appellantur) }

oſtendit Scriptura quid à nobis & Dei & hominum, id eſt, proximorum ratione flagitetur. Et quum illa omnia officia ſigillatim peruiderit Deus, qui hanc Scripturam dedit, qui omnium cordis noſtri affectuum ſcrutator eſt, qui denique eſt rerum omnium ſcientiſſ. vtraque illa totius vitæ noſtræ officia ad certa capita reuocauit, quæ & verbo ipſius, & propriæ conſciẽtiæ teſtimonio à nobis deberi d.dicimus & fatemur. Non ſpectat igitur ſacra Scriptura virtutes quatenus meræ & nudæ ſunt regulæ, velut quies & tranquillitas mentis noſtræ, vel potentiarum animi noſtri ἐνέργειαι in nobis ipſis conſtituti & moderati: ſed quatenus Deo vel proximo reddunt, quod vtrique debent. Ex quo fit, vt ipſarum virtutum finis ſit generalis quidem Dei gloria: Proximus autem vel Deus, vel proximus. B Cæterùm ad ea quæ Dominus tum ſibi, tum proximo noſtro fieri iubet, præſtanda ſubſeruiunt & comparatæ ſunt omnes illæ & Cardinales, & Subiectiuæ virtutes, de quibus latè Scholaſtici: item omnes illæ vel affectus animi noſtri, vel actiones corporis noſtri moderantes, virtutes de quibus copioſè Philoſophi: ne vel imprudenti quodam zelo à vero qui in iis ſeruari debet, modo aberremus: vel ne voluptate illecti, vel dolore perterriti officium deſeramus: vel ne auaritia quadam noſtrique nimia cura (quod eſt iniuſtitiæ) impulſi plus nobis, quàm oportet, vſurpemus, nobíſque tribuamus, & officium deſeramus. Itaque & Prudentia, & Temperantia, & Fortitudo, & Iuſtitia iis Dei præceptis, vti ancillæ quædam, & animorum noſtrorum διαθέσεις abundè ſubſeruiunt, ſuntque neceſſariò adhibendæ. Has autem virtutes omnes Paulus Tit.2.verſu 12.ad tres reducit, Pietatem, Iuſtitiam, & Temperantiam. Idem alibi, veluti Epheſ.4.verſ.24. 1.Theſſalon.4.verſu 3.2.verſ.23.ad ſanctimoniam & iuſtitiam. Epheſiorum autem C 6.verſ.14. πανοπλίαν Hominis Chriſtiani vocat. Falſiſſimum verò illud eſt, Solius tantùm illius virtutis, quæ à Philoſophis dicitur Iuſtitia, præcepta Lege Dei morali tradi & contineri, quum omnia per Legem Dei vetentur vitia, quæ horum præceptorum præſtationem & exequutionem, vel animorum noſtrorum alacritatem impediunt: A omnes autem virtutes pręcipiantur, per quas ad ea quæ facere debemus, paratiores, promptiores & conſtantiores & ſumus & ſimus. Itaque in quoque præcepto Legis diuinę quatuor illę ſuperiores virtutes, imò omnes requiruntur & continentur ex mente Legis, ne imprudentia, vel auaritia, vel metu, vel voluptate, vel afflictione aliqua ab officio noſtro abducamur. Longè verò optimè Scriptura ſummam omnium præceptorũ charitatem eſſe dicit, quòd ea & qualis animus noſter eſſe debeat in iis præceptis exequendis, & quanta moderatio obſeruanda ſit, in circunſtantiis omnibus prudenter perpendendis ac diiudicandis, intus monet & docet. Vtrumque enim vna illa & verè princeps Charitas, oſtendit. Humanum verò iudicium Scriptura nunquam conſtituit legitimam honeſtarum noſtrarum actionum regulam. Sed Dei ipſius Legem & verbum, veram virtutum ad ſuam definitionem & naturam reuocandarum & inſtituendarum normam facit. Ergo illa cæleſtis Lex ſola eſt vera vitæ noſtræ rectè ſanctéque inſtituendæ regula, ex qua ſunt explicandæ virtutes omnes. B Quaobrem ita demum perfectè Ethice Chriſtiana traditur, quum decem diuinæ Legis præcepta exponuntur, in quibus fines noſtrarum omnium actionum & vitæ oſtenduntur. Omnes enim humanæ mentis anfractus, omnes cordis noſtri affectus perquirere velle, & certis nominibus notare, eſt omnino infinitum, & qui hoc conati ſunt, multa genera eorum prætermiſerunt.

Ex illis autem præceptis, quæ ſunt in ſecunda diuinæ Legis tabula (vt hæc diſputatio ad Philoſophos accommodetur)

Primum, quod eſt quintum ordine, videtur pertinere ad Iuſtitiam Diſtributiuam, & ad Modeſtiam.

Secundum, quod eſt ſextum, ad Fortitudinem. Prudentia vbique neceſſaria eſt.

Tertium, quod eſt ſeptimum, ad Temperantiam.

Quartum, quod eſt octauum, ad Iuſtitiam commutatiuam, verſantem in negotiis hominum.

Quintum, quod eſt nonum, ad Iuſtitiam verſantem in ſermone humano, & æquantem verba rebus. C

Sextum, quod eſt decimum, quiddã plus, quàm leges humanæ omnes & virtutes continet.

Ius autem Ciuile in omnibus præceptis explicandis vſum ſuum habet: quia Lex diuina eſt illius & vitæ humanæ explicatio.

ETHICES

ETHICES CHRISTIANAE LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

Quid ſit obſequi Deo,& verum illius obſequium ex ſolo ipſius verbo,non ex hominum traditionibus definiendum.

QVONIAM omnis vitæ rectè inſtituendæ norma in Lege Dei,quę Decalogus appellatur, comprehenſa eſt, ad eã iam nobis eſt accedendum.Superiori enim libro de actionum humanarũ principiis abundè,quemadmodum exiſtimamus,diximus : hoc autem,qui ſequens eſt,de earũdem actionũ præceptis inſtituenda nobis eſt diſputatio , quæ omnia B vna illa diuina Lex, quæ per Moſem à Deo tradita fuit,comprehẽdit. Illius autem vnus hic ſcopus eſt,vt obſequamur , ſiue obediamus Deo.Tunc enim optimè atque rectiſsimè vitã noſtrã inſtituimus,quum Deo paremus.Ergoquid ſit obſequi & parere vero Deo , prius eſt nobis explicandum.

Vtamur autem ea ratione, quam præſcribit Ariſtoteles in quærenda definitione libro 2. ὑςέρων Ἀναλυτικῶν, vt ab vniuerſalioribus ad ſpecialiora deſcendamus. Ac primùm obſequium ſeu obediẽtia vi ipſa nominis ſubiectionem quandam præ ſe fert eius qui obſequitur & paret. Eſt enim obedire,parere. Subeſt enim alteri qui obſequitur illi. Nam à quo quis ſuperatur, eius eſt ſeruus , inquit Petrus 2.Pet.2.verſ.19.Ioann.1.verſ.8.& cuius voluntatem facimus,ei obſequimur,ait Paulus Rom. 6.verſu 16. Ergo obedire,eſt voluntati alterius parere.& Auguſtinus in libro De natur. bon.ſic dicit,Obedientiæ ſeu obſequij obiectum, eſt præceptum,vel expreſſum,vel tacitũ.Et Greg.libro C virtutum moralium dicit,Obedire eſſe alterius voluntati humiliter ſubiici : cui addendum eſt , eámque lubenti , non inuito animo præſtare. Hoc autem duobus modis fieri poteſt,vel quatenus aliquo iure aſtringimur,vt ita pareamus , velut ſuperiori & præpoſito:aut nullo iure,ſed tantùm id ſponte facimus,vt amico & æquali.Propriè autem paremus & obſequimur iis qui ius præcipiendi habent , & ſunt ſuperiores. Itaque dicunt duplicem eſſe cauſam obedientiæ huiuſmodi præſtandæ : excellentiam ſeu dignitatem eius cui ſubdimur : & gubernationem curámque illius de nobis.Thom.in 2.2^{æ} quæſt.102.Ergo obſequi,eſt volũtati ſuperioris parere. Quæ res varios gradus habet,pro variis iuriſdictionis gradibus.Sic obſequi Deo,qui eſt ſummus, eſt parere Deo tanquam omnium ſupremi Magiſtratus voluntati. Ea autem voluntas quia ſcripta eſt, & dicitur ἐντολὴ, quatenus iuſſa eſt & præcepta fieri, idcirco Chriſtus definit obſequi Deo,eſſe, facere ἐντολὰς Dei. Ioan.15.v.15.quod etiam alibi appellat voluntatem facere Patris: ſiue (vt hîc loquimur) τὰ κελευόμενα ὑπ' αὐτοῦ.Et quia obiectũ obediẽtiæ eſt præceptũ,ſiue tacitũ ſiue expreſſum,fit,vt ſiue ſcriptę,ſiue non ſcriptę, Dei voluntati pareamus,Deo obſequamur.Scriptæ quidẽ,velut nos omnes fideles paremus:& hic eſt ordinariꝰ Deo parendi modus. Nõ ſcriptæ , vt Prophetæ,& qui Dei Spiritu,id eſt,ſecretiori eius motu & præcepto verè aguntur. Dicitur etiã obſequiũ noſtrũ ὑποταγὴ à loco.Subiiciũtur enim ordine & loco qui parẽt.Dicitur etiam ὑπακοὴ à cauſa,vel obiecto. Iis enim paremus quæ ſcimus, & audimus nobis mandari. Obſequij igitur noſtri effectus ſunt

Reuerentia,-	Ratione dignitatis præſtatur.
Officium,-	Ratione adminiſtrationis,& curæ de nobis.

Sed duo quæruntur, 1. Vtrùm ſoli Dei voluntati ſit parendum,vt Deum verè colamus.

Ac omni Dei voluntati quidam non putant eſſe parendum,quando multa ad tempus,multa certis rebus & perſonis tantùm iubentur. Denique omnes non parentes Dei voluntati, non videntur B damnari , vt de duobus cæcis , Matth.9. Reſponſio.Semper,& omni Dei voluntati eſſe parendum. Exod. 24. Omnia quæcunque præcepit nobis Dominus,faciemus.Nam Dei voluntas omnis eſt iuſta,& ſancta.Sed eatenus illi parendum eſt,quatenus Dominus ipſe ei parere nos vult.Itaque quę temporum,locorum,perſonarum ratione præcepta ſunt,extra eas circunſtantias non obſtringunt: neque eſſe Dei mandata cenſentur. Quod de duobus cæcis affertur,non vrget.Peſſimè enim à Dei, id eſt, Chriſti præcepto diſceſſerunt , & in eo non carent peccato , etſi in iis fuit quidam zelus.Saluianus lib.3.De Dei Prouident.Sicut dominorum carnalium ſeruis eligere omnino non licet,quæ ex præceptis ſeruilibus faciant, aut quæ non faciant. Sic nos,qui ſerui Domini noſtri ſumus , illicitum omnino exiſtimare debemus , vt vel illa quæ placẽt,pro animi oblectatione ſumamus:vel illa quæ diſplicent,pro ſuperbiæ abuſione calcemus,&c.

Altera quæſtio eſt, Vtrum ſoli Dei voluntati ſit C parendum. Et hanc quæſtionem prætermittunt Scholaſtici,quia ea torquentur.In quo diſtinguendum eſt.Aut enim de vero cultu ipſius Dei quærimus , aut de humanæ huius vitæ ſocietate tuenda, & honeſtate in ea conſeruanda , ídque ratione & politiæ ciuilis,& Eccleſiaſticæ.

Quoties de Dei cultu quæritur, ſoli Dei voluntati parendum eſt,eáque ſequenda & ſola ſpectanda,vt eſt Iſa.29.verſ.9.Mat.15.verſ.9.Deut.8.v.1.

2. Ratio,ab alia authoritate , Vetat Dominus ſuo verbo quicquam addere aut diminuere.Deuter.5.verſ.32.12.verſ.32.Apocal.22.v.18. Ergo illud ſolum eſt ſequendum,vt verè illi obſequamur.

3. Nihil illi addendum , quod eſt perfectum. At Dei præcepta continẽt perfectã iuſtitiã. Deut. 6.v.25.Ergo nihil illis addendũ eſt,neque detrahẽdum. Et Lex ipſa appellatur Perfecta.Iac.2.v.25.

4. Vetat Dominus ſe coli noſtris iudiciis, ſed id ſuo tãtùm præcepto fieri vult.Deu.12.v.8.Ergo fruſtra ad Dei cultũ quædã inſtituerunt homines.

5. Paulus Coloſſ.2.damnat ἐθελοθρησκείας quemcunque ſpecioſum humilitatis aut carnis mortificationis prætextum præ ſe ferant. Ergo fruſtra Deum hominum mandatis colimus, quoniam id

A verbo Dei damnatur. De hoc argumento agit Paulus in Epiſt. ad Coloſſ.

In iis autem quæ pertinent ad politiam humanam, & ad honeſtatem in ea conſeruandam, hominum legibus, etſi verbo Dei non ſunt expreſſæ & comprehenſæ, parere debemus. Rom. 13. 1. Timot. 2. ſi modò Dei mandato illæ non repugnent.

Hîc autem præter ſuperiores rationes etiam affertur ratio à comparatis cur Deo parere debeamus. Nos ſumus Dei ſerui: Deus autem eſt Dominus, Ergo Dei eſt iubere pro ſuo arbitrio. Nos autem ſolum obſequium manet. Nec enim eſt ſerui iubere, ſed tantùm parere. Malach. 1. v. 6.

Sed obſtat quod afferunt Scholaſtici de humanis traditionibus, quas παραδόσεις ex Gala. 1. v. 19. 2. Theſſ. 3. v. 6. appellant: ſæpe ἐντάλματα etiam Scriptura. Matth. 15. v. 8. 7. v. 8.

Iubet Chriſtus eas obſeruari. Mat. 23. v. 23. Luc. 11. verſu 42. Reſponſio. Quatenus ad externam, eámque honeſtam Eccleſiæ politiam pertinent. Nam etiam vtrunque laudat in Eccleſia Paulus & fidem & ordinem Eccleſiæ. Coloſſ. 2. v. 5.

Iubent Paulus & Silas ſeruare ea quæ ſunt ſcri-
B pta ab Apoſtolis, & à ſeniorib⁹ tradita, Act. 6. verſu 4. Reſp. ait textus δόγματα: ad doctrinam autem illa pertinebant. nam illa ſunt, quæ cap. 15. Act. recitantur, quæque ad deciſionem quæſtionis tunc motæ pertinebant, nec tantùm politiam Eccleſiæ ſpectabant.

Iubet Paulus ipſe ſuas παραδόσεις ſeruari. 2. Theſſ. 3. v. 6. 1. Corinth. 7. v. 17. Reſp. Non vt pro Dei cultu habeantur, videantúrque neceſſaria ad ſalutem: ſed vt pro neceſſaria tantùm & honeſta diſciplina & vtili cõſilio ſint, pro loco, pro tempore, pro perſonis.

Debent autem eſſe traditiones que iubẽtur obſeruari ordinis alicuius eccleſiaſtici retinendi gratia {
- Non multæ,
- Non inanes, ſed vſum & ædificationem continere Eccleſiæ. 1. Cor. 14. ver. 12.
- Non obſcurare be-

C neficium mortis Chriſti, vt aqua benedicta Papiſtarum, quæ vnũ genus peccatorum eluit, nempe, Peccata venialia: Imò Chriſti ſanguis omnia. 1. Ioann. 1. v. 9. Et ita de omnibus traditionibus ſentiendum: ſiue eæ

ſint {
- Apoſtolicæ,
- Synodicæ,
- Priuatim ab aliqua Eccleſia acceptæ.

Quòd neque Dei cultum habent, nec ſunt perpetuæ. Eſt autem Traditio Papiſtis, humanum præceptum aliquid inſtituens, in quo verum Dei cultum verſari homines volunt, non tantùm politiæ honeſtatíſque publicæ ordinem.

CAP. II.

In qua verbi Dei parte vitæ ſanctè instituendæ præcepta comprehenſa ſint. Item, Quid Lex Dei & Quotuplex.

IAM quæritur, vbi deſcripta ſit illius obſequij & cultus diuini norma, & in qua verbi Dei parte. Eſt enim duplex Verbum Dei, ſcilicet Euangelium, & Lex: vtrunque autem continet Dei voluntatem, quam qui facit, Deo obſequitur. Nam & qui credit quod iubet Euangelium: & qui facit vel operatur, quod iubet Lex, ille Deum colit. Ergo ex vtraque verbi diuini parte hauritur obſequij noſtri erga Deum norma. Contrà verò obſtat & obiicitur quod eſt reſponſum ſemper, In ſola Dei Lege, quæ vna quædam pars eſt verbi ſcripti, deſcriptam eſſe rationem cultus Dei. Quod verum eſt, & conſentiẽter Scripturæ reſpõſum. Multa hîc nobis de Legis & Euangelij diſcrimine eſſent dicenda, quæ in ſuum locum differimus. Breuiter ſic dicimus. Obſequium & obedientiam in mãdati & operis exequutione & præſtatione verſari. Ergo obſequij Deo exhibendi veram normã ſumi ex ea verbi ſcripti parte, quæ iubet mandátque aliquid fieri. Eſt autem Lex, non Euangeliũ. Ergo ex Lege, non ex Euangelio norma hęc ſumitur. Nam, vt inquit Paulus Roman. 4. verſu 5. Ei qui non operatur, ſed qui credit in eum qui iuſtificat impium, fides reputatur ad iuſtitiam. Et Lex dicitur factorũ, ſeu operum. Rom. 3. verſu 27. quia in iubendo verſatur. Eius enim proprium eſt præcipere, vetare, & iubere operari: & ideo dicitur, Po- B
ſita eſſe propter trãſgreſſionem. Galat. 3. v. 19. Nam per Legem cognitio peccati. Rom. 3. v. 20. Ergo ad Legem reuocamur, vt peccatum noſtrum agnoſcamus, & quantum diſtemus à Dei obſequio noſtróque officio intelligamus 1. Ioan. 3. verſu 4. In quo etiam quid Legis vox ſignificet eſt explicandũ. Ab Hebræis dicitur תורה quia eſt doctrina pręcipiens officium cuiuſque: etſi alij dictã eſſe malũt à metu, quem affert, & incutit: à Græcis νόμος, quòd ſuũ cuique tribuat: à Latinis Lex, quòd delectum in hominum actionibus cõſtituat, doceátque quid agendum, quid non, vt docet Cic. libro 1. De leg. Ioſephus contra Appionem ſcribit νόμου vocem pro Lege ſcripta, apud Gręcos veteres, imprimíſque apud Homerum non legi, vt oſtendat omnino recẽtem eſſe Gręcorum nomotheſiam, quam tamẽ antiquiſſ. iactabant: Iudæorum autem eſſe peruetuſtam. Et hæc de definitione nominis & vocis huius Lex. De definitione autem rei, iam agamus. Legis ſignificatio eſt multiplex. Omnino enim Lex eſt ſanctio iuris: ſed quia ius aliud ſcriptum eſt, aliud non ſcriptum, ideo duplex quoque Lex C
eſt, alia ſcripta, alia non ſcripta. Lex ſcripta eſt vel vniuerſalis, vel propria, id eſt, quam quiſque populus hominum prudentum iudicio ſciuit. velut Romanorum lex eſt, quam populus Romanus Senatorio magiſtratu interrogante, veluti conſule, conſtituit & approbauit §. Lex de iure natur. Gent. & ciu. in Inſt. De hac lege non loquimur, de qua & Diſtinct. 3. & 4. in Decret. & toto iure ciuili T. De legib. agitur. Canonis voce vtitur, tanquam à Legis vocabulo diuerſa, Paul. Phil. 3. verſ. 16. & diſtinctè 3. canon. Canon & cã. Regula. Sed vt de Lege dicamus, in Scriptura ſacra Legis vox ambiguè ſumitur. Sæpe pro ea vniuerſa doctrina, quæ Chriſtum exhibitum præceſſit, que diuiditur in has tres partes, & dicitur Vetus teſtamentum,

{
- Moſem,
- Prophetas,
- Pſalmos.

Luc. 24. verſ. 44.

Sæpe pro ea ſola tantùm Veteris teſtamen. parte, quæ à Moſe ſcripta eſt, & eius nomotheſiam continet:

quæ

A quæ etiam diſtribuitur in {
Moralem Legem, vti Iſa. 8. quæ ἠθικὴ,
Cæremonialem, Gal. 3. v. 14. quæ ἱερατικὴ,
Iudicia populi Iſraelitici, Mala. 4. quæ πολιτικὴ appellatur ſiue Iudicialis.

Sæpe pro ſolo Legis decalogo, vt prætermittã illã Legis ſignificationem qua Lex peccati, & Lex mẽbrorum à Paulo dicitur Ro. 7. Qua igitur ſignificatione accipitur hoc loco? Pro Decalogo, qui extat, Exod. 20. & Deut. 5. cuius interpretatio fideliſſ. & commentatio extat in Prophetis: & ideo ait Iſaias 8. Ad Legem, & eius veros interpretes Prophetas. Ergo ad Legem moralem & operum reuocamur. At obſtat quod ait Paulus Rom. 6. verſu 15. Non ſumus ſub Lege ſed ſub gratia. Hoc argumento vſi ſunt Manichæi, inimici Prophetarum & Legis, aduerſus quos ſcripſit Auguſtinus. Reſp. Legem operum & Decalogum dupliciter conſiderari vel

Quatenus iuſtitiam in ea quærunt homines, vel Legem & regulam voluntatis Dei. Primo modo B non ſumus ſub Lege, ſed ſub gratia. Secunda ratione ſumus ſub Lege, quatenus etiam hodie nos bonis operibus ſtudere oportet, Deóque ſeruire, & normam Dei voluntatis ſequi; quæ nobis eſt deſcripta in hac Lege. Hic eſt Decalogus, qui vti breuiſſimus quidam libellus continet vniuerſam doctrinam de bonis operibus, & omnis honeſtatis virtutíſque fontes explicat, & aperit ex ipſius Dei definitione, longè melius, quàm vlli Philoſophorum Ethici libri, & bibliothecę, vt idem nobis ſentiendum ſit de hoc breuiſſimo Decalogi libello, quod Tullius ſcribit de li. x i i. tabularum, libro 1. de Oratore ad Q. Fratrẽ. Vnde hæc præcepta pretioſa & eximia vocantur Oſeæ 8. verſ. 12.

Hæc autem Lex Dei dicitur Naturalis, quia antequam ſcripta eſſet in hominnm legibus, in mentibus vigebat, ait Ambroſius libro 4. de Abrahamo Patriarcha c. 4. Tertull. in lib. De corona milit. quę omnium populorum lege longè potentior eſt, & eſt omnium aliarum legum fons & radix: item definitio honeſti & inhoneſti, quæ Legum formam, & genera in vniuerſum definit & explicat. Hæc i- C pſa eſt, ad quam Tullius collimauit libr 1. De legibus, quum ait, Legem eſſe rationem ſummã in natura inſitam, quæ iubet ea quæ facienda ſunt, prohibétque contraria. Et ideo Paulus Rom. 2. verſ. 14. ait Qui Legem ſcriptam à Moſe non habuerũt, à natura tamen habuiſſe, quæ Lex primordialis, & ab ipſo Deo data dicitur à Tertulliano, etiã in paradiſo, in lib. aduerſus Iudæos. Ergo Legem hanc moralem Chriſtianis hominibus, etiã hodie neceſſariam eſſe, vti librum docentem iuſtitiam Dei, demonſtrat Auguſtinus libro 3. ad Bonifacium cap. 4. & contra Fauſtum Manichæum.

Quid ſit autem hæc Lex, explicat Mich. 6. v. 8. Eſt Dei ſanctio quæ definit illud omne quod per ſe bonum eſt. Tho. 2. 2æ quæſ. 122. ſcribit totã Legẽ Dei moralem ad vnam iuſtitiam cardinalem virtutem pertinere, non ad prudentiã, aut reliquas, quia vt (ait ille) iuſtitia ſola eſt virtus, quæ actus noſtros ad alterum dirigit. Quod ſi verum eſt, longè imperfectior erit Dei Lex, quàm Philoſophorum libri, qui omnes humanos actus ad ſuum certúmque finem dirigũt, & quatuor virtutes velut fontes tradunt & cardinales virtutes: alias autem velut ſecun- A darias virtutes adiungunt. Falſa autem eſt hęc ſententia. Nam & de Fortitudine & de Temperantia agit, & omnia quæ ad nos ipſos in Dei metu inſtituendos pertinẽt, tradit, ſiue quoad nos ipſos, ſiue ad alterum, velut, Non concupiſces, ad nos: ad alterum, Nõ furaberis. & dicitur Lex perfecta & iuſtitiæ. Iac. 1. v. 25. Rom. 9. v. 31. Sed & nimium ſubtilis eſt illa Bernardi ſententia, Serm. 50. Cantic. dum ait, in Lege hac præcepta eſſe tradita charitatis illius quæ eſt in actu, & non illius quæ eſt in affectu, quòd hæc ſit perfectior.

CAP. III.

Legis diuinæ, quæ Decalogus dicitur, diuiſio duplex.

LEGIS diuiſio prima ſumitur ex partibus eſſentialibus, ſeu materia. Continet enim decem præcepta. Deut. 4. v. 13, & 10. v. 1. Exod. 34. De qua re anxiè digladiantur homines, nos ſuo loco dicemus.

Secunda diuiſio ſumpta eſt à fine. Nam (vt ait B Ambroſius in Pſalmo 119.) quid prodeſt Lex, ſi Legis finem ignoramus? Hic ſummatim traditus eſt dilucidè magis Matth. 22. v. 38. Theologi verò afferunt præter ſuperiores duas Legis diuinæ partitiones, etiã ipſi duas, ex quibus vis & natura præceptorũ huius Legis facilius intelligi poteſt: atque etiam diſcrimen. Dicũt igitur præceptorũ quædam eſſe {
Præambula,
De ipſa eſſentia Legis.

Præambula vocant quæ animum auditoris præparant ad Dei obſequium, & ſine quibus Dei Lex eſſe non poteſt, qualia de fide, ſpe, charitate cenſenda præcepta ſunt.

De ipſa Legis eſſentia vocant ea quę animo iam ad Dei obſequium formato dãtur. Hæc autem decem præcepta dicunt eſſe. Illud autem prius præceptorum genus in Lege Dei volũnt non contineri, ſed ad eam præſupponi. Continere enim & demonſtrare hæc decem præcepta, fines rerum agendarum, quæ ſunt velut principia in moralibus vir- C tutibus. Vti enim communes ſententiæ ſunt principia in ſcientiis, ex quibus fiunt concluſiones: ſic ex his præceptis fiunt actus. Ergo aiunt nulla virtus theologica (ſunt autem tres, fides, ſpes charitas) in Decalogo præcepta habet, ſed tantùm virtutes morales in eo continẽtur. Duo autem quædam in omni huius Legis pręcepto obſeruãda dicũt Scholaſtici lib. 2. Sententiarum, Diſtinct. 28. Quæſt. 4. materiam & finem, quæ nos in iis probaremus, niſi illi iſta duo peſſimè diuellerent & diſtraherẽt. Ergo vide Durand. vbi de præceptis affirmatiuis & negatiuis agit quoque.

Sed & ex his ipſis eſſentialibus præceptis alia ſunt {
Affirmatiua, Honora patrem, &c.
Negatiua, Non furaberis.

Quæ non modò ipſa verborum conceptione inter ſe differunt, ſed etiam natura & vi ſua. Affirmatiua non obligant ſemper: etſi ſemper ſpectanda ſunt, ſed pro loco, & pro tempore varias interpretationes, variáque temperamenta accipiunt, ex circunſtantiarum varia ratione. Nec enim ſemper filius Patri ſuo parere debet, veluti ſi eſt filius magiſtratus: pater autem priuatus, & de Repub. agatur.

A Negatiua verò præcepta Legis & ſemper & omni loco, & tempore, nulla circunſtantiarum habita ratione, obligant. Ratio eſt, quia in præceptis affirmatiuis actus virtutum explicantur, qui non quolibet modo fieri debent, ſed obſeruatis circunſtantiis rerum, locorum, temporum. In negatiuis actus peccatorum & vitiorum continentur, qui ſemper ſunt cum malo coniuncti, vt lib. 2. Ethicôn docet Ariſtoteles, & ideo fugiendi. Cur autem multa præcepta negatiuè potius, quàm affirmatiuè concepta ſint, rationem affert Baſilius, Homil in Pſal. 1. ὅλως, ait πᾶσα ἀργία καὶ τῆς τυχούσης πράξεώς ἐστιν εὐμαρεστέρα, οἷον οὐ φονεύσεις, οὐ μοιχεύσεις, οὐ κλέψεις. Ἀργίας τούτων ἕκαστον καὶ ἀκινησίας δεῖται. Faciliora enim, ait, ſunt ea quæ ceſſationem continent, quàm quæ operationem. Itaque & melius intelliguntur & facilius præſtantur: & iis ipſis tãquam iuſtis legibus, apertius teſtimonium reddit conſcientia noſtra.

Denique in negatiuis præceptis duo ſignificata obſeruari poſſunt. Sic enim poſſumus illa

B exaudire, vt vel { Priuationem & negationem facti vetiti contineant, in furto Non furaberis:
Cōtrarietatem & commendationem virtutis oppoſitæ illi vitio, in furto, vt Benignitatis & iuſtitiæ actum contrarium contineāt hæc verba. Non furaberis.

Non ſunt peccata quatenus priuationem ſignificant, ſed quatenus actum virtuti contrarium explicant. Hæc Thomas in 2. 2æ Quæſtio. 33. Ne quid prætermiſſum videatur in tantæ rei tractatione & explicatione quod lucem afferre poſſit ſequentibus: (Nam

Hæc mihi dicta ſemel totis hærentia factis,
Ne ſeriem rerum ſcindere cogar, erunt, ait ille)

Et quòd ἀνίπτοις χερσὶ ad tantæ Legis explicationem aggrediendum atque accedendum non eſt, addam adhuc quædam. Obſtat quòd Marc. 10. verſ. 19. vndecimum addi videtur, nempe hoc, Nemini damnum inferes. Reſp. Conuenit iſtud cum hoc quod eſt, Nō furaberis: ſed explicauit Chriſtus aliis verbis hoc præceptum. Sic Plato lib. 1. de Repub. hæc duo coniungit καὶ ἀποστερηταὶ καὶ κλέπται, ait, καλοῦνται.

C Obſtat verò ſecūdæ diuiſioni Legis, quæ ex fine ſumpta eſt, & quæ facit huius Legis duo capita ſūma, charitatē nimirū in Deū, & charitatē in Proximū, quod ait Paulus 1. Tim. 1. v. 5. Finis præcepti eſt charitas ex puro corde, fide non ficta, & bona conſcientia. & quod Thomas 2. 2æ Quæſt. 44. ait virtutes ordinari vel ad purificandum cor, vel ad fidem rectam habendam, vel ad bonam conſcientiam. Reſp. Quod à Paulo dicitur, eôdem recidit, & conſentit cum hoc loco, & cum Chriſti dicto Matt. 22. v. 38. Nam charitas hac Lege pręcepta eſt tum erga Deum ipſum, tum erga homines, & vtraque ex fide nō ficta, & bona conſcientia naſcitur. Id quod explicare voluit Paulus. Quod autem dicitur à Thoma eôdem etiam pertinet. Sumptum enim eſt dictum Thomæ ex 1. ad Timoth. 1. verſ. 5. Vbi Legis finis deſcribitur, quem nemo conſequetur, qui non & Deum dilexerit, & Proximum. Quas eſſe duas ſummas huius Legis Moralis partes diximus.

CAP. IIII.

Præfationis Legis diuinæ explicatio.

CONTINET hoc caput recitationem primi capitis Legis, quod habet & præfationem, & primum illius pręceptum, ſed & recitatæ explicationem. Quod ad Legis verba pertinet, extāt Exodi 20. & Deut. 5. quo vtroque in loco ſummo conſenſu priora illa duo verba omiſſa ſunt, *Audi Iſrael.* Sed illa extant apud Marcum 12. v. 29. atque ſumpta ſunt ex Deuteron. 6. v. 4. 4. v. 1, 5. v. 1. Denique variis in locis. Sed vidētur eſſe addita, quod fieri vetat Deus Deuteronom. 4. Reſp. Siue mens ſiue verba Legis ſpectentur, non ſunt addita. Nam expreſſè ea verba habet Moſes iiſdem ſyllabis, imprimiſque cap. 5. Deuter. etſi interponit quædam quæ ad beneficii accepti & Legis commendationem pertinent, quæ breuitatis cauſa prætermiſit Chriſtus. pręterea Dei mens eſt in hac præfatione, vt ad Legis auditionem attentos nos reddat. Exodi 19. atque id ſignificant hæc verba, Audi. Attentionem enim requirit ab auditore hæc vox, Iſaiæ 1. v. 1. & Pſal. 81. v. 9. Prima verò verba ſunt præfatio, quia neque vetant, neque iubent quicquam, quod ad fines rerum agendarum pertineat: & ipſa oratio ſatis id docet. B

Sed quæſitum eſt, Cur præfari Dominus quædā ad ſuam Legem voluerit? Reſp. Tum vt authoritatem Legi ſuæ, tum etiam vt amorem & reuerentiam conciliaret. Etſi enim Dei Spiritus non agit nobiſcum πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις. 1. Corinth. 2. v. 4. neque nos prædatur per eloquentiam: tamen ſe ad noſtrum captum & ingenium attemperat, & carnis noſtræ ſtuporem excitat optima ratione, & illi conuenientiſſima. Itaque & Charondas & Zaleucus antequam leges ſcriberent, præfati ſunt de Legis laude, de Dei prouidentia, vt ait Tullius lib. 2. De legibus: & earum præfationes ſanè pulcherrimas deſcripſit, atque mandauit memoriæ Io. Stobæus in libro Sententiarū λόγῳ ſeu ſermone 42. τοὺς βουλευομένους καὶ πράττοντάς τι, ἀπὸ θεῶν ἄρχεσθαι χρὴ, inquit, Charondas Catanęus. τὸ γὰρ ἄριστον Quos etiam Plat. in libro De legibus imitatus eſt. Eſt enim Legis & legiſlatoris aliquid perſuadere, nō omnia vi ac minis cogere. Et, inquit Tertullianus in cap. 4. Apol. Iniuſta lex eſt quæ ſe probari non patitur. & Pompon. in legem Romanorum præfatus eſt in l. 2. D. de origine iuris. C

Cur reliqua omiſſa ſint quæ ad commendationem Legis faciebant, veluti quo ritu, quáue omniū elemētorum agitatione & trepidatione data ſit, & pronūtiata hæc Lex, vt eſt Exodi 19. & Pſalmo 114. & Hebr. 12. v. 18. & 26. Agg. 1. verſ. 7. Ratio eſt, quòd in epitome iſta dici non erat neceſſe.

Facit autem auditores attentos, dociles, ac beneuolos hac ſua præfatione Deus. Ac quidem

attentos { Vox Audi, & exhortatio,
Maieſtas Dei loquentis, Ego Iehouah.

Dociles verò { Breuitas ſermonis,
Ordo diſtinctióque præceptorum.

Beneuolos deniqne facit { Beneficium adoptionis,
Deus tuus,
Beneficium recens liberationis Qui te eduxi è terra Ægypti, è domo ſeruitutis, & ferrea, Exo. 13. 3. Deut. 4. v. 20. In quo ipſo συνεκδοχικῶς manus illa Dei extenſa, & ſubuerſio Pharaonis, & trepidationis populi commemoratio, & illa quæ tunc extiterunt, Deut. 4. verſ. 34. miracula com-

A comprehenduntur, quæ variis in locis Moſes, & alii Prophetæ referunt & ſcribunt, quod etiam ipſum exteris gẽtibus notum fuit,vti Cornelio Tacito in Annalib.vbi de Veſpaſiano agit: & Iuſtino hiſtorico,libro xxxvi. Epitomes,& in hiſtoria Iudith ab Achior Ammonita recitatur. Quòd eos in deſertum deduxit, vt Legem illic daret, videtur factum; vt ipſa loci facies, vbi omni humana ope deſtituti erant, ad parendum eos magis incitaret.

Ergo Iehouæ vox ad diuinum illud imperium refertur,quod creationis prouidentiæque ſuæ iure Dominus in omnia obtinet,tum cęleſtia,tum terrena. Ex eo enim appellatur quòd ipſe eſt, & omnia quæ ſunt facit eſſe,& ſubſiſtere, vitámque & victum adminiſtrat. Pſa. 104. Non obſtat quod dicitur Exodi 6.verſu 1.Solis Iudæis manifeſtatum hoc nomen. Reſp. Verum quidem ante vim promiſſionis non patefactam patribus, qualem tunc Iudæis implebat Dominus. Et eſt illud dictum ſecundum Quid. Neque tamen propterea negatur vocis huius ſignificationẽ ad vniuerſale illud Dei B regnum in omnia referri & pertinere. Pſal. 105.v. 7. Deut.10. verſu 17.Act.17.

Deus tuus. Adoptionis iam ſuæ meminit Deus, vt magis apud eos prę ſertim,ſuam Legem cõmendet.Nouerãt autem quis ille Deus eſſet,qui ad eos loquebatur, quis Deus Abraham, Iſaac & Iacob. Exo. 3. Cuius adoptionis ſpecialior fructus explicatur Pſalmo 147.v.12.& ſeq. Pſalm.87. Nam Iudæorum eſt adoptio,& teſtamẽtum,& promiſſio. Rom.3.v.3,9.v.4.

Denique ad ipſius adoptionis oculare recénſque omnino teſtimonium deſcendit, *Qui te eduxi*, &c.Hæc fuit ferreà fornax quæ appellatur, Deut. 4.v.20.Seruorum vox ad Iſraelitas refertur,non ad Ægyptios.Nam etſi impoſita eſt conditio ſeruiendi Chamo,à quo poſtea ortus eſt Miſraim & Ægyptij, Geneſ.9.verſ.26.10. v.6.tamen tunc non ſeruiebant Iudæis Ægyptij, ſed contrà. Exodi 1. & 2, & Pſalmo 81. Ergo ne ſeruitus hæc metum iis incutiat, ſed filiali reuerentia ab iis obſequium impetret, cõmemorat & beneficium & adoptionem C de iis ſuam Deus.

Obſtat, Nemo pius eſt qui pietatem cauet, Tullius libro 2. De finibus,nec qui ſpe præmii Deum timet. Reſp. Non in ſolo præmio hęrere nos vult Deus, & ea ratione ſe coli:ſed tantùm excitat torpentes ſomniculoſóſque homines tanti beneficii recordatione. Præclara eſt enim illa Platonis lib. 2. de Republ. ſententia, Iuſtitiam ac pietatem ἐμπορικὴν,mercenariam,& lucri cauſſa minimè conſectandam eſſe.

Hoc ad nos pertinet ἀλληγορικῶς. Ægyptus eſt idololatria, Pharao,eſt Satan:ſeruitus,noſtra animi ſubiectio. Rom.6. Epheſ. 6. Noſtra liberatio ab ea,eſt redemptio quæ beneficio Chriſti contigit animabus noſtris, & per eius reſurrectionem corporibus. Iere. 16. v. 14. 25.videtur obſtare, ſed eſt facilis ſolutio.

CAP. V.

Generalia quædam præcepta ad futuram Legis interpretationem neceſſaria.

A Ntequam vlterius pergamus,& ad explicationem pręceptorũ Legis veniamus, pauca de interpretatione huius Legis dicamus, & quæ in ea regulæ ſtatuendæ. Omnino verò ſunt quatuor.

1. Hęc Lex omni populo data eſt, quia qui eam promulgat,omnium gentium Deus eſt. Roman. 10.verſu 12.3.verſu 29.& qui Legem Dei non audiuerunt, dicuntur tamen eſſe ἀναπολόγητοι,quod Deũ non coluerunt,Rom.1.v.20. Lactantius lib.6. cap. 8.& cap.9.Ac quidem cap.8.his verbis,Suſcipienda,ait,igitur Dei Lex eſt,quæ nos ad hoc iter dirigat,illa ſancta,illa cæleſtis;quam M.Tullius in lib. De republ.3. bene diuina voce diſtinxit,cuius ego, ne plura dicerem; verba ſubieci. Eſt quidem vera Lex recta ratio,naturæ cõgruens,diffuſa in omnes, conſtans,ſempiterna,quæ vocet ad officium,iubẽdo,vetando à fraude deterreat. Huic igitur Legi nec obrogari fas eſt,neque derogari ex hac aliquid licet. Nec verò aut per Senatũ, aut per populum ſolui hac Lege poſſumus.Neque eſt quærẽdus explanator aut interpres eius alius.Nec erit alia Lex Romæ, alia Athenis:alia nunc, alia poſthac:ſed & B omni tempore vna Lex, vnúſque erit communis quaſi magiſter & imperator omnium Deus. Ille Legis huius inuentor, diſceptator, lator, cui qui non parebit,ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur. Cap. 9.ſic idem Lactantius. Aliud eſt igitur Ciuile ius, quod pro moribus vbique variatur:aliud eſt vera iuſtitia, quam vniformem ac ſimplicem propoſuit Deus:quã qui ignorat, & ipſum Deum ignoret neceſſe eſt.Hactenus ille.Hieronymus ad Celantiam,Hoc itaque duplex præceptum prohibendi ſcilicet,& imperãdi æquo omnibus iure mandatum eſt. Non virgo,non vidua,non nupta ab hoc imperio libera eſt. In quouis propoſito,in quouis gradu,ęquale peccatum eſt vel prohibita admittere,vel iuſſa non facere.

2 Nulla in huius Legis interpretatione facienda locum habet ἐπιείκεια & æquitas. In quo differt ab omnibus omnium populorum legibus quia vt eſt in.l. Omnis diffinitio. D. De regulis iuris & libro 5. Ethic. apud Ariſtotelem, admittunt tẽperationem aliquam humanæ leges. Hæc nullam C vel limitationem, vel reſtrictionem, ſed vbique & ſemper obtinet,nihílque nos ab ea excuſat,aut eximit, nec ætatis, nec perſonæ, neque ſexus conditio. Et eſſe quidem aduerſus hanc legem peccandi incitationes poſſunt occaſionéſque plures. Ratiò tamen excuſatióque nulla, vt peccatum non ſit, ſi quid aduerſus illam fiat.Ergo falſum eſt quod aiũt Scholaſtici, in hac Lege aliquando mortaliter,aliquando venialiter tantùm peccari,vti ſi res ipſa,in qua eſt peccatum,eſt leuis. Hæc, inquam, falſa eſt ſententia. Nam etſi non ſemper æqualia ſunt peccata, quæ in hanc Legem committuntur, ſunt tamen ſemper mortalia, vt præclarè docet Paulus Rom.6.v.23.

3. Ex parte totum in ſingulis huius Legis pręceptis colligendum eſt, & ex exteriori actu ad interiorem concludendum.

4. Ex affirmatiua negatiua colligenda eſt, & contrà, vt ſciamus non modò doceri nos à malo abſtinere, ſed etiam facere bonum. Nec mirum hoc,cùm nihil mediũ ſit inter bonũ & malum morale ratione Dei. Quicquid enim omnibus numeris

A non eſt completum & perfectum, illud coram Deo malum eſt. Ergo cùm furari vetat Deus benefacere iubet. Præterea etiam ethnici ipſi hanc eſſe moralium præceptionum vim & interpretationem intellexerunt, quemadmodum ex hoc Iuuenalis loco ſatis colligi poteſt Satyra 14.

Cum dicis iuueni ſtultum qui donat amico,
Qui paupertatem leuet, attollátque propinqui,
Et ſpoliare doces, & circumſcribere, & omni
Crimine diuitias acquirere, &c.

Denique præclara eſt hæc Chryſoſtom. ſententia Hom l. 16. ad Pop. Antiochen. *Deus dixit, Ne iuraueritis, &c. Noli cauſas amplius à me exquirere. Lex eſt Regia: qui tulit eam, ipſius rationem nouit. Niſi fuiſſet vtile, non prohibuiſſet. Reges ferunt leges, nec omnes ſemper vtiles. Homines enim ſunt. Paremus tamen ſiue vxores ducamus, ſiue ſeruos emamus, ſiue agros, ſiue domos: non ex propria hæc facimus ſententia ſed vt illi iuſſerint. Itaque hominum quidem legibus tantum tribuimus*
B *honorem: Dei verò leges ita, quæſo conculcabimus? & quali hoc dignum defenſione? quali venia?* Hæc ille, vt his legibus parêre & quidem promptiſsimè diſcamus.

CAP. VI.

Decem præceptorum, quæ diuina Lege continentur, materia in vniuerſum proponitur.

IAM de vniuerſa materia horum præceptorum videamus, & de eorum diuiſione.

In duas tabulas Lex tota diuiditur. Prima continet quatuor præcepta. Nam tria prima ſunt de actibus religionis: quartum autem de actibus pietatis, quale eſt de Sabbato, ait Tho. in 2.2^{x} Quæſt. 122. vbi quatuor præcepta tribuit primæ Tabulæ, & Magiſter Sententiarum. Sed alij Scholaſtici contra. Auguſtin. libro 15. contra Fauſtum cap. 4. & 7. tribuit primæ Tabulæ tantùm præcepta tria: ſecundæ autem ſeptem, quæ pertinent ad proximum. In prima tabula, ait, caſtitas noſtrarum cum Deo nuptiarum continetur: in ſecunda verò, vnitas membrorum
C Eccleſiæ inter ſe. Nos verò diſtinctius ſic, Omnis Dei cultus eſt aut

- Internus, vt intelligamus,
  - Quis ſit verus Deus. eò primum præceptum pertinet.
  - Quo mentis modo colẽdus. eò ſecundum præceptum.
- Externus vt colamus ſanctè
  - In vniuerſũ Dei maieſtatẽ. tertium præceptum.
  - Cæremonias quaſdam,

ab eo inſtitutas ad noſtræ pietatis profeſsionem, & cultus illius teſtimonium, in quo, vt ait Lactantius, religio eſt, & quartum præceptum verſatur.

CAP. VII.

Primi legis præcepti, quod eſt, Non habebis deos alienos coram me, explicatio.

ERGO primum præceptum docet quis ſit verus Deus, & quis colendus. Cur autem fuerit neceſſe doceri quis eſſet verus Deus, non poteſt melius intelligi quàm ex vario eorum errore qui in hoc præceptum peccant. Vera quidem eſt illa Tullij ſententia lib. 1. Tuſc. Nulla eſt tam fera, nulla tam barbara natio, quæ nõ fateatur aliquem A
eſſe Deum. Sed quis eſſet verus, in eo erratum eſt. Et tamen verum eſt illud, Deum verum nunquam ſe reliquiſſe ἀμάρτυρον, Actorum 14. verſ. 17. quum pluuias daret, quum tempeſtates anni fluerent vno ſemper tenore. Denique quum inuiſibilia Dei ex his viſibilibus eius operibus facilè intelligi ſemper potuerint. Romanorum 1. verſ. 20. Et tamen quis eſſet verus Deus per ſe nunquam homines agnouere: quia ſolus Chriſtus eſt veritas & via, Ioannis 14. verſu 6. & nemo venit ad Patrem niſi per eum. Et tamen dicitur, Illuminat omnem hominem venientem in mundum. Ioan. 1. verſu 9. Reſpon. Duplex eſt lumen datum à Chriſto, Vnũ, quod agnitionem vniuerſalem Dei affert: alterum, quod particularem veri Dei cognitionem inſerit & donat. Illam omni homini donat, hanc ſolis electis Chriſtus. Ergo nulli mortales, neque Philoſophi, neque politici, neque poëtæ ſine Chriſto, & ſine verbi diuini luce intellexerunt vnquam, quis eſſet verus Deus: & verè dictum eſt, Solùm in Iudæa notus Deus. Pſal. 76. quia illic ſolùm verbũ Dei lucebat. Huius autem Legis caput primum
B eſt, ipſum Deum noſſe, ſoli obtemperare, ſolum colere, ait Lactantius libro 6. cap. 9. non poteſt autem rationem hominis obtinere, qui parentem animæ ſuæ Deum neſcit. Hæc ignoratio eſt ſummum nefas. Hæc ignoratio facit, vt diis alienis homo ſeruiat.

Qui igitur in hoc præceptum primum Legis peccarunt, diuerſi ſunt generis. Nam ex iis

Alij ſunt
- ἄθεοι planè, vt Theodorus ἄθεος, qui apertè dixit ſe dubitare an eſſent dij: cuius libri ab Athenienſibus cremati edicto. Tullius libro primo De natura deorum. Eſt Scythiſmus.

Deum eſſe faſsi ſunt: ſed eum vel habent
- Non verum quia ij vel
  - Plures deos conſtituunt, eſt Helleniſmus.
  - Vnum ſuperiorem, ſunt Monarchitæ & Deitæ.
- Non verè, ij ſunt vel C
  - Iudæi, Iudaiſmus,
  - Hæretici, qui illius naturam vel attributa non agnoſcunt. Exod 34. verſu. 7.

Quanquam autem Paulus Ephe. 2. ver. 12. dicit eos qui verum Deum non habent, eſſe ἀθέους, tamen ex iis quidam apertè negant eſſe Deum, & huius mundi curam & adminiſtrationem gerere, vt Pſal. 14. Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus. Hic error videtur appellari ab Epiphanio Σκυθισμὸς, barbaries ſumma, ſect. 1. lib. 1. Panarij ſui.

Qui deos plures colunt & venerantur, ij appellantur Ἕλληνες, & eorum error Ἑλληνισμὸς, ab eodem Epiphanio: quanquam cuique Deo ij ſuum munus in cælo tribuunt, de quo extat longa diſputatio apud Auguſtinum libro 7. De ciuitate Dei, cap. variis. Ex quibus ipſis diis alij ſunt, vt refert ex Varrone Auguſtinus lib. 6. De ciuitate Dei cap. 6.

- Poetici,
- Phyſici,
- Politici.

Ex diuerſo hominum ingenio & iudicio conſtituti.

Qui vnum quendam velut monarchã omnium ſtatuunt, & eum eſſe quandam ſummam poteſtatem omnia adminiſtrantem volunt, ſiue plures illi deos adiun-

A adiungant, ſiue non: ii Monarchitæ dicuntur, & Deitæ. Sic ait Virgilius lib.2.Georgic.(ad quos & Papiſtę referri poſſunt,qui habēt Tutelares deos)

-namque deum ire per omnes
Terráſque tractúſque maris,&c.

Hos irridet Sat.12.verſu.28.Perſius,

De Ioue quid ſentis? eſtne vt præponere cures
Huic quenquam? an Statio? Iuſtinus Martyr de Monarchia ſcripſit.

Qui Deum vnum fatentur extra Chriſtum, ii ſunt Iudæi, & eorum error Iudaiſmus. Negant enim Chriſtum.

Qui denique ſuas Deo proprietates non relinquunt, ſed denegant, etſi ex verbo ſe Deum cognoſcere, & Chriſtum fuiſſe fateantur: ii ſunt hæretici, quales ſunt Manichæi, & Marcionitæ, qui negant eum eſſe mundi creatorem: quales & Sabelliani, qui negant tres diuinas hypoſtaſes. Hos omnes damnat hoc præceptum: Arriani, qui negant Chriſtum Filium Dei verum eſſe Deum & Patri *ὁμοούσιον*.

Demum qui Deum ignotum colunt, quales Athenienſes olim, Actorum 17. hoc præcepto damB nantur.

Hoc itaque primum præceptum definit, quis ſit verus Deus, ne turba alienorum deorum, aut conſuetudine idololatrarum ius illi ſuum auferatur. Duplici verò ratione hîc ſe deſignat Dominus. Primùm ipſa perſonæ ſuæ demonſtratione, quæ hoc verbo fit, *Ego ſum*, & *Coram me*. Perſona enim loquentis non modò continetur hîc, ſed digito penè ipſo demonſtratur & ſubiicitur oculis. Deinde deſcribitur ex variarum qualitatum & attributorum enumeratione. Ego, qui ad te loquor, ſum ille Deus creator omnium, Deus Abraham, Iſaac, & Iacob, Deus qui me patefeci patribus tuis, & proximè tibi, & Moſi.

2. Se deſignat Dominus à remotione cęterorum ſimilium, qui more loquendi, vel opinione hominum pro diis habentur. Omnes enim, ait, alij ſunt dii fictitii, & alieni à diuinitate, & ego ſum ſolus Deus: & nemo alius, præter me, Deus eſt. Ad hanc rationem ſunt varii loci Scripturæ accommodandi, Iſaiæ 43. & 44. Faciétne homo ſibi deos? Hie-C remiæ 16.v.20.

Ergo docemur pro vero Deo habendum eſſe ſolum hunc, Nimirum qui ſe iis ferè epithetis ab aliorum falſorum (ſunt enim pręter hunc vnum omnes alij falſi) deorum turba ſecernit & ſemouet, Deus Abraham, Iſaac & Iacob. Exod.3. v.9. Sanctus Iſrael. 1.Samuel 15. & cuius varia ſunt epitheta & attributa Exo. 34. Deus, inquam, ille, qui ſe verbo ſuo per Moſē, Prophetas & Apoſtolos prolato patefecit, Deus vnus & trinus. Alii, non ſunt dii quocunque more, & quantumuis longa cōſuetudine pro diis habeantur. Galat.4.v.8.

Obſtat locus 1. Corinth. 8.verſ.5. & Pſalmo 82. verſu 1. Pſal.8.verſu 6. Reſp. Qui in cælo & in terra dii nominātur, nō natura, neque propriè, ſed illius vnicæ diuinitatis participatione dii appellantur, quòd in iis rebus aliqua eius ſcintilla & ſplēdor eluceat, non eſſentię quidem: ſed tantùm poteſtatis, vti in Magiſtratibus & Angelis beatis.

2. Obſtant verba textus, *Alieni dii*, ait lex, vel *alii*. Et ita Pſalmo 81. verſu 10. deos foraneos non habebis. Ergo dicet quis; non exuit reliquos diuinitate hoc præceptum: ſed vetat ab hoc populo pro diis haberi & coli, quaſi ſolus ab eo velit Deus haberi, quia hūc populū ſibi pro ſuo aſſeruerat. A Deuteron.32. Æquum enim eſt quemque ab iis coli populis, quibus benefecit. Veluti deum Aſtaroth, Tyriorū: Aſtarten id eſt lunam Damaſcenorum: Dagō Philiſtinorum: Baal Chaldæorū: Moloch Moabitarum, nō vult ab hoc populo pro diis coli, quia alios ſibi illi populos vindicauerint, à quibus colebantur. Reſp. Primùm vox ipſa non eſt נכר id eſt peregrinus, vt tantùm peregrinos excludat: ſed eſt אחר alius, cuius ſignificatio eadē eſt hîc atque huius Latinæ *Nullus*. Præterea hoc præceptum in vniuerſum definit, quis ſit verus Deus: non autem [illegible], & ratione huius tātùm populi. Nam omnibus data eſt populis hæc Lex, & perinde eſt atque ſi Tyriis, Moabitis, Chaldæis alii dii eſſe vetarentur præter hunc vnum, qui loquitur in hac Lege. Ergo paralogiſmus eſt quia dictum ſimpliciter reſtringitur ad dictum ſecundum quid

Habebis. i. coles, credes, adorabis, quatuor genera cultus complectitur. Vtrum autem pręter veram religionem alia à Chriſtiano principe in ſuo territorio propter communem ciuium, & ſubdito- B rum trāquillitatem permitti debeat, quæſitum eſt. Extant exempla eorum qui permiſerunt, vti Gratiani, Socrat. lib. 5. cap. 2. & Iouiniani apud Themiſt. Hoc tamen damnat Chryſoſtomus Homil. 49. in Matth. & laudatur Theodoſius à Socrate lib. 5.cap.10. qui omnes præter veram, edicto ſuſtulit. Cuius exemplum omnino ſequēdum eſt: nec aliud eſt à Chriſtiano principe conſtituendum vt appareat ex hoc præcepto. Rhetoriani vt hæretici ſunt damnati, quòd quaſuis admitterent religiones. De Iudæis tamen ſcribit Gregor. Magn. lib.7. Indict. 2. epiſt.5. non eſſe concedendum vt nouas in aliqua ciuitate Synagogas exigant: permittendum tamen illis eſſe, vt veteres retineant, in quibus ſint tolerandi etiam ab epiſcopis ipſis.

Coram me, dupliciter explicant. Ali vertunt, ante me. i. ſuperiorem potentiorémque me alium neminem ſtatues, & exiſtimabis, quaſi non recuſet turbam deorum ſibi circumponi & addi: ſed velit ſe præferri tantùm, qualis eſt lib.1. Met. Iupiter Ouid. & Homericus lib.1.Il. Ipſe Iupiter ſublimiori C ſolio ſedet: cęteri in ſubſelliis & *χαμαί*, id eſt, humi. ſed, Gloriam meam alii non dabo, ait Deus.

Alii explicant quaſi parem & ęqualem vetet, quū ipſe colitur, admiſceri: non ita eſt. Nam non vult ſe in turba Deum agnoſci, velut agnouit Nabucodnoſor, & voluit agnoſcere Tyberius Cęſar, ex decreto Senatus, vt tradit Tertull. in Apologetico, & Oroſ. in hiſtoriis: ſed omnino quicquid pro Deo ſiue palàm ſiue clàm ab hominibus habetur, eum de gradu deiicit & exturbat. Ergo ait, *Coram me*. i. vero animo, vera mente, vero cultu, quia interna video, ne homines putent ſe tenebras mihi obiicere poſſe. Item, *Coram me*, vt apertè demōſtret quem agnoſcere pro vero Deo debeam', ne vtroque pede claudicemus, vel altero. 1. Regum 18.

Pœna huius Legis violatæ fuit mors apud Hebræos. Sacrificās diis alienis præterquā Deo vero, eradicabitur & tolletur. Exodi 22. verſ.20. & hæc quidē corporis. Animi pœna, mors æterna.

Quæ autē fuerint de religione reliquorū hominum leges, dici poteſt vno verbo, Nimirum quod recitat Cicero libro 2. De legibus, Separatim nemo habeſſit deos, néve nouos, ſiue aduenas, niſi publi-

A ce aſcitos, priuatim colunto: & hoc eſt carmẽ Critolai in Aureis carminibus.

Σέβα μὲν πρώτιςα θεὺς, νόμῳ ὡς διάκειται.

Et Xenophõ recitat accuſationem à Melito factam lib. 1. Ἀπομνημονευμάτ. contra Socratem.

Romani Imp. poſt Cõſtantinum verum Deum publicè agnouerunt, non prius. fidem autẽ Eccleſiæ Romanæ ſacra Epiſt. miſſa profitebantur, vt eſt in C. De Trinitate, & conſtat exemplis veterum Conſtantinopolitanorum Imperatorum ita ab iis fuiſſe diu factitatum.

CAP. VIII.

Secũdi Legis diuinæ præcepti, quod eſt, Nõ facies tibi ſculptile, &c. expoſitio.

HOC autem ſecũdum præceptum habet duo ſumma capita. Primum, Legis conſtitutionem, ſeu ordinationem. Secundo loco ipſius ſanctionem. i. pœnam præmiúmque quod additum eſt. Cur autem ſecundo loco collocetur, quæſitum eſt, & vtrum appoſité. Et reſpõdet Thomas B 2.2ᵉ Quæſt. 122. aptè collocari. Vti enim in generatione animalis prima & potiſſima pars primùm cõſtituitur, ſicut cor: tum ſecundo loco impedimenta remouentur. Sic in religione primùm ipſa bonitas. i. Deus, explicanda fuit: ſecundo loco illius impedimenta, nimirum idola, remouenda. Verior ratio eſt. quòd quum Dei cognitio, vt ait Lactantius, ad religionem, quæ eſt verus veri Dei cultus, referatur, velut ad ſuum propriúmque finem, Roman. 1. verſu 21. in verbis, Quum Deum cognouiſſent, non glorificauerunt vt Deum, Deuter. 8. verſ. 1. poſtquam de Deo vero quis ille ſit, dictum eſt, & præceptum datum: ſecundo loco de eius religione & vero cultu dicendum fuit. Primùm enim in iuris conſtitutione de perſonis, pòſt de rebus & qualitatibus agendum eſt, quia res perſonis ſubſeruiũt. §. Omne autem ius. De iure natur. gent. & Ciuili, in Inſtitution. & eò etiam Theologi referunt hoc præceptum. Eſt igitur huius præcepti mens, vt in C quo vera Dei religio poſita ſit, explicetur à contrario. quum enim omnem carnalem, terrenum, & ſuperſtitioſum Dei cultum damnat: ſtatuit, probátque ſpiritualem, ſincerũ & mentalem. Quod ipſum etiam ethnici homines ſenſerunt.

Si Deus eſt animus, nobis vt carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè ſit pura mente colendus.

Et Heſiod. lib. 1. Ἔργ. καὶ Ἡμερ.

Καδ᾽ δύναμιν δ᾽ ἔρδειν ἱερὰ ἀθανάτοισι θεοῖσιν,
Ἁγνῶς καὶ καθαρῶς.

Et Tullius libro 2. De legib. Ad deos adeunto caſtè, pietatem adhibento, opes remouento, & illud Perſii Sat. 2.

Dicite Pontifices in ſacris quid facit aurum?
Quin damus id ſuperis, de magna quod date lãce
Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago?
Compoſitum ius, fáſque animi, ſanctóſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto,
Hoc cedo, vt admoueam templis, & farre litabo.

Ergo vidit quidem humani luminis reliquus ſplẽdor, qui in nobis eſt, caſtitatem, & mentis pietatem ad Dei cultum adhibendam. Sed in quibus illa rebus eſſet poſita, aſſequi homines non potuerunt. Roman. 1. verſu 23. Mutauerunt enim Dei immortalis gloriam in imagines nõ modò hominum, ſed etiam reptilium, & volatilium. Sap. 12. 14. & 15. Ergo hoc præceptum damnat idololatriam omnem, & ex parte totum intelligendum eſt. De hac primùm nobis vidẽdum idcirco eſt. Εἰδωλολατρεία vox eſt compoſita à voce εἴδωλον & λατρεία, quarum vtraque eſt in Scriptura. At idoli vox 1. Corinth. 8. verſ. 4. 10. v. 19. λατρεία ſæpe in Scriptura, & λατρεύειν. Matth. 3. Sed de vtraque quæſtio eſt, ac de idolo prius. εἴδωλον, ait Tertullia. in lib. De idololatria, diminutiuum eſt, & dicitur ἀπὸ τοῦ εἴδους, quę formam ſpeciémque rei viuentis vel mortuæ, veræ vel falſę ſignificat. Nihil enim refert. ipſa enim rei repræſentatio ſignificatur hoc verbo, non veritas aut vita. Ex vocis etymologia, etiam ipſo Cicerone authore & interprete lib. 1. De finibus bonorum & malorũ, εἴδωλον eſt imago. Sed hîc diſtinguunt Scholaſtici. Aliud eſt, aiunt, in Scriptura vocari idolum, aliud imaginem. Scio apud Græcos inter εἴδωλον, εἰκόνα, προτομὴν, & ξόανον diſcrimen à Grammaticis ſcrupuloſioribus poni, quod nihil ad hanc rẽ pertinet. Nam Scholaſtici dicunt (quod ſe ex Origene didiciſſe putant, ſed perperam) Idolum eſſe tãtùm rerum inanium ſimulachrum, quales fuerunt dii gentium, non autem ſanctorum & diuorũ ſuorum. Itaque illud tantùm prius genus imaginis hoc B præcepto prohiberi, quia dicit Paulus εἴδωλον nihil eſt. 1. Corinth. 8. v. 4. Reſp. complexus eſt Dominus omnium rerum ſimilitudinem quæ in cælo, terra, & aqua ſunt, quæ res inanes dici nõ poſſunt, quia exiſtunt, & ſunt, & res ipſa non diſplicet Deo, ſed cultus. Deinde ipſe Paulus 1. Corin. 10. v. 20. appellat εἴδωλα δαιμόνια. Ergo non poteſt ſolùm ad res eas referri quæ vel non ſunt, vel non fuerunt, nam diabolus eſt. Sed iſta diſtinctio eſt cauillatio. Nam vox ipſa *ſimilitudo* Latina ab Hebræa deducta eſt, *ſemel*, qua ſcriptura vetitas imagines appellat, quaſcunque & cuiuſcunque generis. De λατρείᾳ poſtea dicetur.

Obiici poteſt aduerſus hoc pręceptum quod ait Paulus 1. Cor. 8. v. 4. Idolum nihil eſt. 1. Cor. 10. v. 19. Quòd ſi nihil eſt, ergo peccari non poteſt in eo. Reſp. per ſe quidem nihil eſt idolum, ſed horũ qui ea colunt iudicio & opinione idola ſunt dii, & pro huiuſmodi habentur, & ab iis coluntur. Pſal. 115. vt C docet etiam Paulus 1. Cor. 8.

Obiter quæri poteſt de origine idololatriæ. Ac ſi de cauſa quærimus, ea probabilis quidẽ expoſita eſt Sap. cap. 14. quanquam Scholaſtici diſtinguunt inter cauſam diſpoſitiuam, & completiuam. Diſpoſitiua eſt ex hominibus: & completiua ex parte diaboli, qui ſe colendum præbuit hominibus, ex eorum inordinato affectu: quia aliquem nimis amantes, &c. Sic Semiramis regina voluit Belũ maritum lugeri, & pro Deo coli. 2. Quòd delectetur homo naturaliter repræſentatione, id eſt, carnali inſpectiõe rei, vt Ariſtoteles in Poet. docet. & Sap. 13. 3. Propter veri Dei & contemptum, & ignorationem. Tho. 2.2ᵉ quæſt. 94.

Sin autem de tempore, quærimus, varia eſt de ea re authorum ſententia. Nam Auguſtinus ex Varrone lib. 4. De ciuitate Dei, cap. 32. ſcribit antiquos Romanos plus quàm centũ ſeptuaginta annos ſine ſimulacris Deum coluiſſe, & ait, qui primi ſimulacra deorum populis poſuerũt, eos ciuitatibus ſuis & metum deorum dempſiſſe, & errorem addidiſſe. L. Tarquinius Priſcus, vt ait Dion. Halic. vanitate & ſtultitia Græcarum religionum imbutus primus

A mus hæc inſtituit. Magi etiam Perſarũ, vt ait Tullius lib. 2. De legib. templa omnia Græcorũ exuſſerunt, quum Xerxes in Græciam irrupiſſet, propter idola ibi poſita.

Epiphanius putat ſub Thare patre Abrahami initium cepiſſe idololatriam (& eam quidem à Græcis) qui Thare vixit, vt ait Auguſtinus lib. 18. De ciuitate Dei cap. 2. ſub Nino ſecundo rege Aſſyriorum qui patri Belo ſucceſſerat. Alij putant à temporibus Enoch, qui tranſlatus eſt, vt eſt Gene. 4. v. 26. cœpiſſe.

Videamus iam de ſpeciebus idololatriæ, vt ex parte totum colligamus. Quod fiet ſi primùm intelligamus cur non ſit colendus in imagine Deus. Reſp. Quia id fieri vetat Dominus ipſe, qui quibus rebus delectetur, optimè nouit. Idololatria autem ex obiecto diuidi poteſt: nam variè diſtinguitur, vt alia ſit

Cæleſtis,
Terrena,
Inferior & aquea.

Cæleſtis, quæ res cæleſtes colit, quæ ſunt varij generis: ſunt enim illæ

B vel
Angeli beati. Coloſ. 2. De quo Bernardus Sermone 12. in Pſalm. Qui habitat.
Dæmones. Pſal. 106. v. 37.
Cælum & aſtra, ſol & luna. 2. Regum 23. verſ. 4. Deuter. 4. v. 19. Macrob. lib. 15. Saturnal.

Hîc Philoſophi peſsimè errarunt & χαλιώτης.

Terrena eſt varia. Diuerſificatur enim vitium pro varietate obiecti: nam vel

Terra ipſa pro deo habita eſt,
Quæ ſũt in terra.

Hîc errat πλῆθος, & vulgus hominum.

Ac terram vocant alij Veſtam, & Tellurem deam. Cuius quantum fuerit numen, apparet ex eorum ſcriptis quæ refert Auguſtinus libro 6. De ciuitate Dei, & ex Varonne lib. 3. De ling. Lat. & apud Tul. Ciceronem lib. 3. De natura deorum. Putant enim eam eſſe antiquiſsimam deam, quòd eius beneficia primùm ab hominibus euidenter percepta ſint. nam alit nos terra.

Quæ ſunt in terra ſunt

C Homines, & ij vel
Viui. Oſ. 12. v. 1.
Mortui, vt ſancti. Iſai. 2. verſu 28.
Animalia,
Inanima, velut herbæ.

Animantia & inanima coluêre ſuperſtitioſi Ægyptij: Iuuenal. Sat. 15.

Quis neſcit Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc, illa pauet ſaturam ſerpentibus Ibin.
Oppida tota canem venerantur-
Porrum & cæpe nefas violare & frangere morſu.

Fuit etiam diuerſa idololatriia Aſſyriorum, & Ægyptiorum, Ezech. 23. 21. De quibus iiſdem ſcribit Hieronymus in Iouinian. libr. 2. cap. 36. Hierony. 2. verſu 27.

Sed & qui diuitiis ſuis fidunt, vel honoribus, vel authoritati, ij ſunt veri idololatræ. Abd. 1. v. 3. Sophon. 1. v. 12. 13. & Auaritia dicitur idololatria Eph. 5. 5. vt & qui ſuo reti ſacrificant, & ſuis viribus fidunt. Habac. 1.

Sed & hi ſunt ex eodem genere idololatræ, quorum venter, eſca, vel voluptas, cuiuſcunque ſit generis eſt Deus, quales omnes Epicurei. Philipp. 3. v. 19. Rom. 16. v. 18.

Quæ inferior eſt idololatria, cõplectitur omnia quæ ſub terra ſunt, velut aquam ipſam, quæ habita eſt pro dea, Thetis dicta, & Oceanus pater, Augu. lib. 6. & 7. De ciuitate Dei. vel quæ in aquis, Deut. 4. v. 18. & deũ Dagona coluerunt Palæſtini, qui piſcẽ ſignificat. 1. Sam. 5. & Ouid. in Metamorpho. de Leucothoe & Palæmone, & in Faſtis ait, A

Ne violent timidi piſcibus ora Syri.

Qui item commoda ex ſtagnis ſuis Deo præferũt, iidem pertinent ad hoc genus idololatriæ.

Obiter dixerim ex hoc loco intelligi poſſe, vbi noſtri viſus ratione ſit ſita aqua, nimirum ſub terra. Deut. 5. v. 8. quæ ſunt enim ſub terra, dicũtur Aquea, & dicitur Pſa. 24. Terra fundata ſuper aquas. Quod nimirum & propriè quidem eſt intelligendum littorum maris reſpectu & ratione, quæ ad mare accedentibus: aut è mari exeuntibus in terram videntur eſſe altiora, quàm Terra: & idcirco dicitur Aqua eſſe ſub Terra, etſi tamen vbicunque eſt Aqua, illîc ſubſternatur Terra, quæ aquam ſuſtinet, & Aquâ ipſa inferior eſt ſemper & vbique. B Obſtat tamen quod dicitur Philipp. 2. verſu 10. ea, quę ſunt ſub terra eſſe inferna. Reſpon. Ratione quidem loci eadem dici poſſunt inferna: ratione autem materiæ, aquea. Ergo dæmones infernorum nomine illîc continentur, id eſt, diaboli, qui non ſunt aquei, ſed quia in tartarum deiecti ſunt, ait Petrus 2. Pet. 2. ver. 4. Obſtat quoque quod ex Apoc. 5. verſu 13. afferri poteſt. Sed reſp. diſtingui illic inter ea quæ ſunt Aquea, & ea quæ ſunt ſub terra. Vtrunque enim habet textus, ὑποκάτω τῆς γῆς, ἐπὶ τῆς θαλάσσης, ἅ ἐστι, &c. quo ex loco inſulſi Papiſtæ ſuũ Purgatorium confirmant. Nam dico materiæ quidem ratione non eſſe omnia quæ ſub terra ſunt, aquea: quia ſunt quædam (vti lapides & metalla (terrena, ſed ex parte totum hîc intelligitur. Cuiuſcunque enim modi illa ſint quæ ſub terra colantur, ſiue Dæmones, ſiue Aquea, ſiue Terrena, continentur & damnantur hoc præcepto.

Ratione materiæ dicuntur idola argentea, vel aurea, vel terrena, vel lignea, vel lapidea, & ærea, Ap. 9. v. 10. Act. 17. v. 29. Pſal. 115. Pſalm. 135. Ne quã excuſationẽ idololatria videatur habere propter materiæ pretium. C Lactant. de eo argumento agit lib. 1. & 2. Inſtitut.

Ratione verò formæ alia dicuntur ſculpta, alia picta idola. De qua diſtinctione variè digladiantur Græci homines cum Romanis. Picta enim idola ipſi probant, & retinent in templis ſuis: at verò ſculpta omnino damnant. Vtrunque genus damnat Lex, & nominatim pictorum meminit Eze. 8. v. 10. 23. c. 14. 15. ne quod idololatriæ ſubterfugium reſtaret. De voce *Themunach* qua vtitur Scriptura, vnde deducta ſit, vide Eze. 8. 5. v. 24. & ſiue ſit expreſſa ad viuũ & graphicè imago, ſiue nõ, perinde eſt.

Sed de diuinatione quæſitum eſt, Vtrum hoc præcepto contineatur, & prohibeatur. Et D. Caluinus in Harmo. ſua retulit ad primum præceptũ. Quæ ſententia vera eſt, quatenus Deo ſuus honor, & prouidentia huiuſmodi peccato videlicet diuinatione adimitur. Tamen ſi quæ dæmonibus & diabolis offerũtur ab ipſis diuinis ſpectemus, quia ab iis coluntur diaboli, pertinet diuinatio ad ſecundum pręceptum. & 1. Sam. 15. v. 23. idcirco diuinatio coniungitur cũ idololatria, vt etiã 2. Reg. 17. v. 17. Itaque eſt damnata ſanè ſanatio morbi per aliqua verba Euangelij collo ægri appenſa & per Amule-

A tū,quæ & ipſa res irriſa eſt à Pericle,vt Plutarchus in Pericle docet.Hinc inuehitur Chryſ. Hom.1.in Galat.in eos qui auguria, ſortilegia, omina obſeruant:itē in eos, qui capitibus puerorum,vt nati illi ſunt,imponunt plenas omnis impietatis literas, & fato eos ſubiici docent. Denique qui de ſua geneſi interrogant,hoc ipſo capite Legis continentur.

Sed quod ad fatuas illas morborū curationes per amuletum, Ioannes Fernelius medicus ſuo ſeculo præclariſsimus huiuſmodi morborum curationes quæ per amuleta & characteres fiūt, multis rationibus irridet lib.2.c.16. De abditis rerum cauſis:& iampridem iſta per amuletum ſanandi ratio damnata eſt Antiocheno concilio, itémque per φυλακτήρια ſuſpenſa de collo,vel impoſita ægro.

Sed quæritur vtrum genus omne diuinationis damnatum ſit. Multa enim genera omnes eſſe conſentiunt. Nam diuinare eſt futura,tanquā ex Deo reuelāte,cuius ſolius ea eſt ſcire,prædicere,& prænoſſe,quod variis modis fieri poteſt.Ac eſt diuinatio vel cęleſtis,velut Prophetarū:vel humana & naturalis,velut medicorū:vel dæmoniaca & ſuperſtitioſa,velut mathematicorum, vt eſt tit. Cod.lib.9.

Hæc autem poſtrema etiam ipſa eſt multiplex, vt docet Auguſtinus, & eſt in Can.Igitur genus B 26. quæſt.3. & 4. Etſi enim à Perſis profecta eſt, eā facit tamen aut ars,aut furor. Varro quadruplicem eſſe tantùm exiſtimauit, ex inſtrumento per quod datur.eſt enim ignis,aër,terra,aqua.Caluin. in Deutero. 18. v. 10. ex ipſo textu enumerat octo illius ſpecies: nimirum Aſtrologos,Augures,Magos, Præſtigiatores, Sortilegos, Necromantios, Pythonicos,& Diuinos,qui per diaboli colloquiū & coniurationem diuinant.In vniuerſum autem Tho.2.2^{a} Quæſt.95.ſic breuiter ait, futura dupliciter poſſunt cognoſci,aut ex ſe ipſis, quod ſolius eſt Dei:aut ex iis cauſis,quæ ad ſua effecta comparatæ efficiunt aliquid,ídque vel neceſſariò & ſemper, vt ignis vrit (Hoc prædici poteſt certò) vel plerunque tantùm,& cōtingenter, vt ſi rubet cœlum,pluet Luc.16.

Tibi. Quid ſi alii, vti pictores? Perinde eſt Sat. 15. Iuuenal.

-Pictores quis neſcit ab Iſide paſci.

C Et eò pertinebat decretum Gregorii,eius, qui vixit ſub Leone Iconomacho dicto, & præfuit Conſtantinopolitano concilio aduerſus Imaginū patronos. Ille enim & idololatras, & idolorum fictores nempe pictores ipſos eadem ſententia damnauit.

Prohibitionis autem huius,quæ ratio?Duplex, prima ex rerum ipſarum comparatione, ſecunda ex effectis.

Nam ipſe Deus eſt Spiritus, Ioan.4. Æternus, Pſal.115. Viuus,106. Incorruptibilis,incomprehenſibilis. At idola ſunt corpora, corruptibilia,mortua,vaniſsima, & hominum opus,Pſal.115. Ergo idolo non eſt ſimilis Deus.Iſa.40.v.25.Sap.14.

Ex effectis,quòd Dei cognitio reddit nos & piētiores erga Deum, & doctiores in eius intelligentia,& probiores ſanctioréſque moribus.

Ad idolorum cultus reddit efficítque nos contemptores Dei,ex Varrone Aug.lib.4.c.32. De ciuitate Dei,& ignaros Dei,& in ea Dei ignoratione fouet: & ad omne flagitiū prōptiores. Sap.14.v.23. & ſeq.Dicūtur Heb.2.v.18.Hier.10.v.14.res vaniſſimæ.Indoctiores nos faciunt idola, tantū abeſt vt ſint idiotarū libri.Et illa ratio Gregorij ſumpta eſt A ex dictis Ethnicorum,pro ſuis idolis diſputátium, extátque ſcripta ante Gregoriū à Maximo Tyrio philoſopho in λόγῳ περὶ εἰδώλων, tamē vt valde plauſibilis extat in canone Perlatū,vti decretum Synodi Nicęnę 2.in Can.Venerabiles,De conſec.Diſt.3.

Sequitur,*Coles,neque ſeruies*,Lex habet Hebraicè inf.Græcè λατρεύσεις οὐδὲ προσκυνήσεις. *Coles* referunt ad ipſius animi affectū & mentē colētis: *Adorabis* aut *inclinabis* ad honorē, qui aliquo corporis geſtu fit & exhibetur.Gē.24.v.7. Quorū vtrunq; prohibetur. Ciuilis autē honos, qui parētibus & Magiſtratibus exhibetur,his verbis nec damnatur, nec continetur:quia differt hic cultus,qui merè Ciuilis eſt, ab eo,qui hîc commemoratur: quíque planè Religioſus eſt. Dicitur autem Ciuilis cultus quòd humanæ ſocietatis ratione,in qua Dei voluntate maiorē quendā gradū iſti obtinent, defertur. Itaque nullū numen illis tribuimus, cùm eos ita colimus, ſed tantùm humanę huius ſocietatis conſeruādę & retinendæ eos inſtrumēta quædam ſelectiora eſſe à Deo conſtituta agnoſcimus,ex Dei ipſius præcepto & iuſſu 1.Petr.2.v.17.Rom.13. Ioan.19.v.11. B Religioſus autem cultus iis tribuitur, quos extra huius ſocietatis rationem & neceſſitatē eſſe cogitāmus,& decus aliquod in ſe, & numen habere,vtpote quos omni hoc mundo ſuperiores,melioréſque iudicamus. Atque hic cultus vni Deo debetur. At Scholaſtici diſtinguentes inter λατρείαν & δουλείαν,illam Deo vni,hanc etiam Sanctis putāt tribui poſſe,non læſa mente huius præcepti: quia,ait Lex, οὐ λατρεύσεις,non autē ſic, οὐ δουλεύσεις. In quo primùm falluntur. Nā perinde tribuit Scriptura cultui Dei vocem δουλεύειν,atque λατρεύειν.1.Theſ.1.v.9. Act.20.v.19.Mat.6.v.29. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Deinde verò peſsimè colligunt, etiam Sanctis defunctis tribuendam δουλείαν. Plus enim eſt δουλεύειν (quod ſeruire, & animo & corpore totū alterius eſſe ſignificat) quàm λατρεύειν, quod tantùm denotat aliquod externum reuerentiæ ſignum exibere & demonſtrare. Denique cùm vel oſculum ipſum damnetur,vt eſt Oſeæ 13.v.2.ſiue ipſa idola colantur,ſiue aliud in eorum honorem,idololatria eſt,vt etiam docet Tertullianus de idololatria:& confirmatur Act.19.v.23.& 11. C Et quum hic error tēporibus Iouiniani cœpiſſet exoriri,ſcripſit contra tam periculoſam ſuperſtitionē Iouinianus,cuius ſententiā infringere conatus eſt duobus libris Hierony.ille omniū errorū fautor, in Iouinianum ſcriptis. Quanquā verò in catalogo hæreticorum recenſet Iouinianum Auguſtinus, tamē nō videtur in eo ſententiā Iouiniani damnaſſe aut improbaſſe:ſed in aliis quibuſdam rebus,velut de virginitate, quā Iouinianus omnino improbaſſe viſus eſt.Scripſit quoque Vigilātius Epiſcopus Gallus contra eos qui reliquias Sanctorum defunctorum colebant.& aduerſus Vigilantium etiam ſcripſit Hieronymus:& tamen oſculationem damnat Deus,Oſeæ 13.verſu 12.quia in ea venerationis religioſæ quædam eſt ſpecies. Denique vera eſt etiā illa ſententia,vtcunque Papiſtæ ſe excuſare ſuámque idololatriam conentur,

Qui fingit ſacros auro vel marmore vultus.
Non facit ille deos: qui rogat,ille facit.

Auguſtinus lib.22. De ciuitate Dei cap. 10.ſic ait, *Nos autem Martyribus noſtris non templa, ſicut diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud*

Deum

A *Deum viuunt ſpiritus,fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus martyribus,ſed vni Deo & martyrum, & noſtrum ſacrificium immolamus: ad quod ſacrificium homines Dei, qui mundum in eius confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur:nec tamen à ſacerdote, qui ſacrificat, inuocantur.* Idem Euſeb. tradit libro De hiſtor. Eccleſiaſtica, eorum vitam & memoriam vti ſanctam coli, non autem inuocari eos. Eò pertinet quod ait Bernardus,Deo inuocationem deberi,Sanctis autem defunctis tantùm imitationem. Quid ſi illi hoc tempore viuerent,quæ conuitia in noſtras idololatras, & meritò quidem, dicerent? Quemadmodum autem idolorum cultus damnatus eſt, ita & ea omnia execratur Verbum Dei quæ illi ſubſeruiunt, veluti ligna, fabros, omnia denique inſtrumenta, ex quibus fit idolum, Iſa. 44. v. 9. 10. 11. & ſeq. Omnes enim qui participant,confundentur. Sap. 14. v.8. Et quæ ad eorum cultum etiam aliquid conferunt vel gratis, vel ſpe lucri & mercedis, modò id ſciant, damnantur,veluti mercatores, thurarii, beſtiarii, lintearii, cerarii, candelarii, qui thus, beſtias, lintea conferunt,vel gra- B tis,vel pretio accepto ad idolorũ cultum. Id quod abundè & copioſè explicat Tertull, in libro De idololatria.Nam deorum genua incerabãtur olim, ait Iuuenal. Sat. 6. vti nunc.id eſt,ceris & candelis affixis honorabantur.

Sed & quæ ob idolorum honorem ſunt inuenta, omnino ſunt à Chriſtianis hominibus fugienda omnia, qualis eſt tripudiatio, proceſſiones, cõfratriæ, & theatra, quæque in iis fiunt ſpectacula. De ſpectaculis docet præclarè Tertullianus in libro De ſpectaculis. & Auguſtinus lib. 3. c. 32. De ciuitate Dei.vbi de Scenicorum inſtitutione ludorum, qui in eorum honorem fiunt, & retinentur. De tripudiatione, & eam ob idolorum cultum repertam,docetur Exod.32.verſ.6. De cæteris rebus facilis eſt iudicatio & ſententia,vti de proceſſionibus & confratrijs.

Quæſitum eſt de idolothytis,Vtrum ex iis edere liceat,& intereſſe huiuſmodi ſacrificiis quę idolis fiunt. Tales ſunt hodie Confratriæ quæ dicuntur.Sunt autem idolothyta,quæ idolis ſacrificãtur. C Reſp. Paulus 1. Corinthiorum 8. & cap. 10. verſu 20. quæ idolis immolantur, offerri dæmonibus, neque oportere nos dæmonum eſſe conſortes.Ergo iis eſt abſtinẽdum,maximè ſi in ipſius idoli honorẽ appoſita ſint. Quod ſi obiicitur, Omnia ſunt munda mundis. Tit.cap.1.verſu 15. Reſpond. Non propter tuam, ſed propter alienam conſciẽtiam iis abſtinere debes, ne alius qui ignorat ea eſſe vana, tuo eſu offendatur,1.Corinth.8.v.10. Vbi nihil eſt periculi,veſci licet: veluti ſi in macello & foro vẽdantur, quæ idolis ſunt aut donata aut ſacrificata, tu veſci iis potes. Exẽpli gratia, ſcribitur in hiſtor. Eccleſiaſtica Socratis,Iulianum imperatorem voluiſſe, vt quæcunque venderentur in macello & foro,idolis prius conſecrarentur, & in eorum nomine benedicerentur, ne iis homines Chriſtiani veſcerentur: quia idolothyta fugiant, nec ea edere velint.Sed ea fuit techna hominis impuri, & certè edere ex iis quę venibant licuit ſine cuiuſquam offendiculo,quia aperta hominis malitia & vafrities oſtendebatur, vt fame perirent pij. Ergo, vti diximus, alia eſt ratio horum quæ in macello veneunt, etſi idolis fuerint oblata. Nam iis veſci licet.alia eorum,quæ idolis ſacrificãtur,& in eorum feſtis eduntur, quibus eſt abſtinendum. vide Au- A guſtinum de hac ipſa quæſtione in epiſtola 154. ad Publicolam.

Quæſitum eſt, Vtrum idolorum ſacris intereſſe homini Chriſtiano liceat,quum ſciat ea eſſe vaniſſima.Reſpondeo,Deus & mente & corpore colendus eſt, Romanorum cap. 10. verſu 10. quia vtriuſque conditor eſt,& pertinet etiam ad fratrum ædificationem, tum infirmorum tum validiorum, ne iis interſimus, & ne fauere iis videamur: aut ne ipſi timidiores eſſe in profeſſione Chriſtiana,& aſſerendo Dei cultu cenſeamur. Ergo idolorum ſacris omnino abſtinendum eſt.

Obiicitur, Paulus circuncidit Timotheum poſt Chriſti reſurrectionem.Reſp. Res fuit indifferens Circunciſio,ſi per ſe ſpectetur,etiam poſt euangelium exauditum. 1. Corinth.7. verſu 19.At ſacrificium & honos qui idolo offertur, non eſt ἐκ τῶν ἀδιαφόρων. Ioan. 5. in fine. Nam ea fugere iubemur. 1.Corinth.10. v.7.& qui hæc faciunt aſſentiuntúrque facientibus, dicuntur εἰδωλολάτραι, etſi aliter ſe ſentire iactent ipſi, negéntque ſe idolis animo adhærere.Denique Synagoga cum honore fuit ſepe- B lienda non autem ſuperſtitio idololatrica aut Papiſtica propterea retinenda.

Obiicitur de Naaman Syro, qui videtur ſacris Remmonis idoli Syrorum interfuiſſe. Nec tamen ab Eliſæo Propheta reprehẽditur.2.Regum 5.verſu 18. & 19. Reſpond. non excuſatur à Scriptura. Nam veniam à Domino petit ipſe Naaman.Deinde non dicitur illis ſacris interfuiſſe, ſed tantùm metuiſſe ne intereſſet,& ideo melius ſperare iubetur ab Eliſæo, quàm vt ſe polluat illis ſacris.Valẽtiniani imperatoris exẽplum potius imitemur, qui noluit vel tãtilla luſtralis aquę & idololatricę gutta à ſacerdote conſpergi,& ei qui eum adſperſerat, etiam coram Iuliano Imper.colaphum impegit.

De noſtra verò cum infidelibus ſocietate quæſitum eſt,quatenus illa homini Chriſtiano ſit conceſſa. Et certè duplex eſt noſtra cum idololatris & infidelibus ſocietas,

vna { Neceſſaria, quæ nobis ſubeunda eſt non affectantibus.
Voluntaria, quæ nonniſi ex pri- C uato animi propoſito fit.

Neceſſaria eſt omnis quam euitare non poſſumus,ſiue quatenus homines ſumus, ſiue quatenus ciues & incolæ eiuſdem vel vrbis,vel regionis.Ergo ab illis emere,iiſdem vendere,cum eis de communi Reipublicæ ſtatu & incolumitate deliberare non prohibemur, vt nihil tamen eorum erroribus & ſuperſtitioni aſſentiamur.Sed illa commercia omnino nobis ſunt neceſſaria,nec euitari poſſunt.1. Corin.5.v.10.Voluntaria verò & non neceſſaria cũ his ſocietas homini Chriſtiano eſt interdicta, etſi lucrum ex ea capere poteſt.Sed præferẽdus eſt Dei honor omnibus rebus:& periculũ nobis ex ea ſocietate maximum imminet, vt docet Paulus. Corrumpũt enim bonos mores colloquia praua,1.Corinth. 15. verſu 33. Præterea quæ ſocietas eſt Chriſto cum Belial? ait idem Paulus.nam nec eodem cũ his iugo copulari debemus.2.Corinth.6.verſ.14.15. Ex quo fit vt omnes eæ voluntariæ ſocietates & ſpontaneæ ſint fugiendæ.

Ex eo fit, vt qui fideles cum infidelibus coniugia contraxerũt,peſſimos inde fructus reportarint, vt Solomõ,vt Ioram 2.Regũ 8.v.19.Nehemię 13.v.

A 6. Exodi 10. & ſe in periculum maximum coniiciunt, qui hodie idem faciunt.

Qui item bella infidelibus euocatis in auxilium gerunt, damnantur. Nec enim eorum auxiliares copias habere licet,& ea ſocietas eſt dãnata, vt apparet exemplo Ioſaphath & Amaſiæ. 1. Regum 22. verſu 37.2. Chronicon 25.verſu 6.7.8.

Quæritur de cæterorum populorum legibus. Reſp.quod huic prȩcepto reſpõdeat,nihil dici poteſt. Ante Chriſti enim aduentum vnis modò Iudȩis exceptis,reliqui omnes populi idola admittebant,& ad eorum puluinaria,& templa ſacra faciebant,denique idololatræ erant.

Poſt Chriſtum & receptum & agnitum, clauſa ſunt primùm edicto Conſtantini Magni imperatoris idolia omnia: demum ſuccedente tẽpore creſcẽtéque agnitione Dei & religione omnino ſubuerſa ſunt idola, de qua re extant l.Cælicolarum.l. Iudæos. C. de Iudæis & Cælicolis, l. Omnia loca. & Nemo ea. C. De paga. l. vni. C. Nemini licere ſignum Chriſti Saluatoris humi in ſilice, vel marmore inſculpere,aut fingere.

B Quæſtio autem hæc facilis. A quibus idola frangi debeant. Reſpõdet Auguſtinus ſerm. 6.de Verbis Domini ſecond. Matth. epiſt 129. 202. Aut es priuatus. In tuo potes & debes frangere:in alieno & publico non potes. Aut es Magiſtratus.Et quidem Magiſtratus Summus debet frangere idola, exemplo Ezechiȩ,& Ioſiæ in iis locis,quæ ſunt iuriſdictionis ipſius:non in alieno regno quod ad eũ non pertinet 2.Reg.18.verſu 4.23.v.15.Sozomẽ.lib. 2.cap.5.Inferior Magiſtratus ſi penè à priuato homine non differt,quales multi(vt iudices pedanei) vetante ſuperiore magiſtratu, non poteſt ea frangere, niſi aliquo diuino inſtinctu impellatur, vt plures ſancti etiam non magiſtratus fecerũt, velut Marcus Arethuſiorum Epiſcopus.

Qui autem Magiſtratus eſt totius quidem corporis & regni ratione,id eſt,ad capitis totius ciuitatis comparationem inferior : ſed in ſuo territorio eſt velut ſũmus,quales Electores imperii,Præſides prouinciæ, Amani Heluetiæ : illi proculdubiò & poſſunt & debent in ſuo territorio idola frangere,modò curent vt & populus inſtruatur,& ſine cæde id fiat.

C Habet hic locus capita diſputationis præcipua duo nempe
Sanctionis recitationem,
Recitatæ explicationem.

Sanctio continet & pœnam,& præmium,vtrũque explicat hæc ſectio. Ac primùm pœnam addit.

Sed imprimis videtur obiici poſſe, fruſtra hanc pœnam adiectam eſſe & ſanctionem additam,quũ ſiue corpus, ſiue animum ſpectes, alia pœna huius Legis violatoribus cõſtituta ſit, & ea quidem non modò generalis, ſed etiam ſpecialis. Ac generalis quidem pœna, quæ res corporeas attingit, in idololatras ſicut in cæteros improbos extat Deuter. 28. Specialis autem, fuit mors. fuit enim idololatria crimen capitale, ex præſcripto Legis diuinæ, Deuteronom. 13. v. 5. 1. Samuel 28. ver.9. Quemadmodum & diuini & Mathematici, qui ſub hoc genere & peccato comprehenduntur, morte puniebantur. Exodi 22.verſu 18.Leuit.19.v.31. Deuteron. 12.verſ. 4.& 30. Quantum autem ad animorum pœnam, hæc fuit, Idololatræ non poſſidebunt regnum Dei. 1. Corinthiorum 5. verſ. 11. Epheſ. 5. v.5.Et eſt ſcriptum in Lege, Maledictus omnis qui non perſtat in omnibus præceptis huius A Legis.Leuit.18.Reſp.Non modò hac ſanctione in vniuerſum pœna ſancita eſt,& conſtituta in idololatras, ſed genus ipſum pœnæ ſpecialiter & ſigillatim eſt deſcriptum longè quidem grauiſſimum. Quod erat neceſſe, vt intelligerent homines qua pœna puniendi à Deo eſſent idololatræ.

Cur hæc præcepto pœna addita eſt?Reſp.Propter illius præ cȩteris fœditatem & deformitatem. Nullum quidem ex tota prima Tabula penè præceptum eſt quin commendationem aliquam habeat, vel pœnæ, vel præmii adiectione , vel commemoratione beneficii & exẽpli diuini, quia ſunt magni momenti hæc omnia præcepta. Dei autem amor omnium virtutum eſt fundamentum , qui eſt primùm & potiſſimùm mentibus inſcribendus. Et ſȩpe hoc peccatum commemoratur velut omnium malorum fons. Sap. 14. & grauiſſimum delictum, quo vno maximè Deus offenditur, ſuóque iure ſpoliatur.

At mali & impii oderũt peccare formidine pœnæ.&,Nemo pius eſt qui pietatem cauet.Reſp.Nõ modò pœna, ſed & præmium additum eſt.Præterea B tales natura ſumus,vt hoc modo debeamus excitari cantu lugubri, & læto. Matth.11.v.15. Itaque ſe attemperat Dominus ad noſtrum captum , noſtra ipſorum gratia:nõ quòd in iis ſolis hærere debeamus,& hæc velut finẽ ſupremũ ſtatuere rerũ agendarũ: ſed Deũ ipſum. Sũt verò hi tãtùm ſtimuli excitandæ noſtræ naturæ,& ſocordiæ erga Deũ.

Quæritur vtrum ſolùm idololatrarum propria ſit,an verò omnium Deo inobſequentium hominũm communis pœna.Reſp.Primùm quidẽ & per ſe idololatris Deum minari , quaſi qui præcipuum ſui cultus caput violent.Secũdo autem loco inobſequẽtibus aliis & obſtinatis in quocũque genere mali hominibus, quales qui Eccleſiã perſequũtur. Pſalmo 109.& qui nulla charitate ducũtur erga fratres,neque tangũtur.Ait enim Lex, *Qui oderũt me.*

Facit etiam hæc pœna contra Pſeudonicodemitas,quos comprehendunt verba Legis huius.

Tria autem continent hæc verba , quæ loco rationis propoſita ſunt. Ac primùm hæc verba, *Ego ſum Deus tuus*, aſſerũt vindicántque Deo ſuum ius, C oſtendúntque rationem cur meritò & æquiſſima de cauſa Deus velit ſe coli, præſertim ab hoc populo , & à nobis , qui in illius locum ſucceſſimus. Nempe quòd eorum ſit Deus , fœdúſque cum iis ſpecialiter pepigerit. Hieremiȩ 2.ver. 10.iis exprobrat reliquas omnes gentes,vna modò Iudaica excepta,ſuis deis conſtãter ſeruiiſſe, eóſque coluiſſe, neque mutaſſe vnquam. Ezech.16. Oſeæ 1.& 2.variæ ſunt Dei de ſuo populo querimoniæ, quòd ſe deſeruerit,& abiecerit.Quæ vis ſit vocis huius,ſuprà in præfatione dictum eſt.

Sequitur,*Fortis.* Ratio eſt cur ſibi Iudæi idololatræ , & qui oderunt Deum , metuere debeant. Quod ſit potentiſsimus,neque quicquam illius de nobis vltionem impedire queat,non homines, nõ Angeli ipſi.Pſal.139.&Exodi 34.eadẽ attributa Dei enumerantur.vti enim ait Paulus Ro.8. 5. Si Deus pro nobis,quis contra nos? Sic ſi Deus contra nos, quis pro nobis?Ergo ne ſibi delicias faciant homines,aut ſe manus Dei effugere poſſe arbitrẽtur,dicitur Deus fortis ἁπλῶς,non κατά τι, & ea ratiõe dicitur Deus ὕψιστος.i.altiſſimꝰ.Luc.8.v.28.quia omnibus rebꝰ& cælo ipſi ſupereminet,& eſt Deꝰ gloriȩ.

Act.7.

A Act.7.verſ. 2. quòd eius poteſtas omnium rerum vires ſuperat.Sap.16.Heſiod.lib.1.Ε'ργ.καὶ Η'μερ.

Ῥεῖα μὲν γὰρ βριάει, ῥεῖα δὲ βριάοντα χαλέπτει,
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει.

Et poſtea eodem lib.

Οὕτως οὔτιπου ἔστι Διὸς νόον ἐξαλέασθαι.

id eſt,

Facilè enim extollit,facilè elatum deprimit.
Facilè præclarum minuit,& obſcurum adauget.
Sic nuſquam licet Dei oculos effugere.

Zelotypus. Rationem explicat qua de cauſa Deus meritò vratur & prouocetur, vt nos vlciſcatur. itémq; genus ipſum ſceleris à nobis perpetrati definit,nimirum Adulterium ſpirituale.Dominus enim vocatur maritus ſuæ Eccleſiæ.i.omnium noſtrûm. Iſa. 54. verſu 5,Ezech.16.Oſeæ 1.& 2.Deſpondit enim nos Deus in ſponſam ſanctam. Epheſ.5.ver.26.& 27. Virginem caſtam, ait Paulus 2.Corinth.11.v.2. & Chriſtus ipſe ſponſus appellatur Matth.6.v.15. Tullius libro 4. Tuſculanarum definit zelotypiam,animi ægritudinem ex eo ortam,quòd alter quoque potiatur eo quod ille i- B pſe concupiuerit. Et hæc eſt vniuerſalis Lex coniugii,vt adhæreat vxor marito.1.Corinth. 7. Plutarch. in præceptis connubialibus, Gen.2.& Mat. 19. Quòd ſi violatur,naſcitur zelotypia,& hæc vis eſt coniugii.

—nec ſolos tangit Atridas Iſte dolor.

Prouerb.6.v.34.35. Ergo dicitur peccatum idololatriæ fornicatio, & ea quidem ſpiritualis grauior corporali. & idola dicuntur Dei corriuales,Ezec. 16.Oſeæ 2.

De hac pœna verò quæritur, 1.vtrum verè vnquam euenerit.2.qualis ſit.3.vtrũ iuſta ſit. Ac eueniſſe vel vno exemplo de Salomone facilè probari poteſt,cuius idololatria in ſequentem poſteritatẽ vindicata eſt.1. Regũ 11.v.11.2.Chronic.10.Item de Hieroboam,de Iehu,& eius poſteris.

Quæritur, Qualis pœna ſit quam comminatur Dominus,vtrum corporea tantùm, an etiam ſpiritalis & animi. Et aiunt quidam,velut Thomas 2.2^{a} Quæſt.108. Articulo 4.ad pœnam terrenam referri omnino oportere,id eſt,quam quis patitur in rebus terrenis. Nam in ſpiritalibus bonis nemo C pro alio vnquam punitur:quia,ait, illæ pœnæ ſpiritales non ſunt medicinæ, ſed afferunt æternam condemnationem: at terrenæ pœnæ ſunt medicinæ.Sic quam Iſaias Ezechiæ pœnam comminatus eſt de regni euerſione, dilata eſt ad poſteros. Et hoc verum: ſed vt quis in bonis terrenis puniatur, fit meritò.Sed occaſionaliter ad pœnam etiam ſpiritalem referri poteſt.2.Regum 20.v.19.Iſaiæ 22.v. 20.exempla de Hieroboam,Iehu,& quod eſt ſcriptum Pſalmo 89.verſu 34.2. Samuel 21.v.nono, & ibi Petrus Martyr.

Sed quæritur,Vtrum ſit iuſta hæc pœna.Obſtat enim quod ſcriptum eſt Ezec.18.ver.19. non portabit filius iniquitatem patris, & quod eſt ſcriptũ Geneſ.18.verſ.23.Perdéſne pium cum impio? Reſpond.Thomas 2.2^{a} Quæſt.118. alter pro alterius peccato punitur pœna temporali,non qua ratione pœna illa eſt merces,& ſtipẽdium peccati:ſed qua eſt medicina maioris mali & periculi.Quod fit triplici de cauſa. 1. Quia vnus homo eſt res alterius tẽporaliter,& carnaliter,velut filius eſt res patris, ſeruus res domini.2.Propter periculũ imitationis. 3.Ad humanæ ſocietatis vnitatem magis ea pœna commendandam & conſeruandam facit. A

Plutarch. in lib. De ſera numinis vindicta, ait, Vti paternorum debitorum nomine filij hæredes obligantur,ita & pœnarum nomine,quæ in hiſce rebus corporeis & temporalibus luuntur. Sic filius patris ebrioſi ſæpe pœnam damnúmque ipſe fert & patitur: ſic leproſi filij fiunt, quia corporis patris pars eſt filius quodammodo.

Canoniſtæ 24.Quæſt.3. Can.1.& Can.Si habes, ſcribunt pro alterius velut patris & domini peccato tota familia excommunicari non poteſt. & 1. Quæſtione 4. variè idem docent, licet poſsit interdici.

Item ex l.Quiſquis §.filii verò C.Ad.Iul. maieſtat. docent,In vno crimine læſæ maieſtatis, & eo quidem non omni, ſed in primo capite pro parẽtum peccato & ſcelere liberos puniri legibus. In eo primo maieſtatis humanæ læſę capite ſic puniri.Sunt filii inteſtabiles, priuantur omni aditu & gradu ad honores, & illis vita eſt ſupplicium, mors ſolatium.

Veri theologi reſpondẽt,Per ſe quidem neminẽ pro alio puniri,ſed quenque pro ſuo ipſius pecca- B to.omnes enim & ſinguli homines praui ſunt. Pſ. 14.& ita etiam ad hunc locum reſpondet Gregor. lib.26.Moral.Humana impietas filio nocet,quem peruertendo coinquinat,vt eſt in Can. Homini 1. Quæſt.4.Ergo meritò de Dei iuſtitia homines cõqueri non poſſunt.Nam tãtùm à Deo deſtituitur fauore, ne ex ea impietate ſua poſsit emergere filius idololatræ:non autem aliqua malitia filiis idololatrarum à Deo iniicitur.Sic quoque Anſelm.li. De conceptio.Virgin.cap.24.& 25.

Sequitur altera pars ſanctionis quæ promiſsionem continet,& eam quidem luculentiſsimam & locupletiſsimam. Sed obſtat quod ex Paulo obiicitur. Eph.6.v.2.vbi præceptum quintum, Honora patrem, &c,dicitur eſſe primum in promiſsione.Quod & ipſum notandum eſt,quia è veteribus quidam negant Honora patrem eſſe primum, id eſt,principalius,ſed illud potius,Non occides:velut Atha.in Eph.6.Cui reſpondet Chryſo.in eũdẽ locum comment.editis. Non dici ſimpliciter primum,neq; ordine primũ,ſed promiſsione primũ. Ergo videtur hæc promiſsio non extitiſſe tẽpore C Pauli.Reſp.Duplex eſt promiſsio,alia vniuerſalis, quæ ad omnes pios fit,alia ſpecialis.Quintũ præceptũ primum eſt in promiſsione ſpeciali.Nam cõtinet particulare bonum,& benedictionis genus. Hæc autem eſt vniuerſalis,quæ pertinet ad omnes qui Deum diligunt, vt facilè ex ipſis Legis verbis colligi poteſt.Ita & Caluin.in Har.Moſis, & Beza in Eph.6.v.2.ſoluunt & explicant.

Quæritur,Quomodo hæc verba accipiẽda ſint, ***In mille generationes***, vtrum de ſingulis liberis piorum: an de ipſa tantum ſerie ſobolis intelligantur, in quam illa Dei benedictio perpetuatur per mille generationes.Reſp.Generatio,Plebs,Populus,Proles, Soboles,nomina ſunt collectiua, non diſtributiua,velut Vnuſquiſque,Quiſque,Singuli. Ergo non de ſingulis liberis, velut ſi ſex habeat pius,non de vnoquoque illorum intelligitur: ſed de ipſa prolis totalitate & corpore. Ergo ſi vel in vno ex iis ſex illa Dei benedictio reſideat,vel in vna familia ex illo orta, ſatis eſt, impletúrque Dei promiſſum. 2. Samuel 3. de Dauide ſcribitur eum habuiſſe ſex liberos, è quibus vnus fuit

A Abſalom, in quem tamen non videtur continuata Dei benignitas, vti in Salomone. Ergo quæritur vtrum vera ſit hæc promiſsio. Primum enim facilè poteſt ex Sacra hiſtoria obſeruari, plurimos infideles filios reprobóſque ex bonis parentibus natos: ex Dauide naſcitur malus Abſalon: ex Ezechia Manaſſes: ex Abrahram Eſau: & ex Iudæis multi reprobati ſunt à Deo. Rom.10. & 11. Præterea ſcribit Lampridius in Seuero, ita ferè contigiſſe, vt bonis patribus, péſſimi liberi eſſent, ſuccederéntq;. Quare videtur falſa hæc Dei promiſsio. R. verò quum Deus ſit liberrimum agẽs, ſitq; noſtræ benedictionis cauſa veriſsima ipſius gratia & electio, continuatur in quos ipſe vult, & quãdo vult. Nec enim ſua Domino adẽpta eſt libertas. Miſeretur enim cuius vult: & quẽ vult, indurat. Ro.9.v.17. Exod. 33. Neque tamen in iis ipſis malis & reprobis piorum filiis deſinit Dominus ſuum quendam fauorem demõſtrare. 1. Dum ita ſua iudicia in eos temperat, vt etiam paternæ ſuæ bonitatis ſigna in iis eluceant. 2. Dum bona temporalia iis largitur. 3. Dum aliquod etiã ſignum externũ eorum B adoptionis in iſtis propriè liberis, etſi impiis, manet, veluti dum externè manẽt in Eccleſia Dei, & illis Sacramenta gratiæ Dei communicantur: quanquam in eorum perniciem ea omnia cedunt.

Obiiciuntur duo. 1. Iſta nõ ſpeciali quodam Dei fauore contingere, vt ex bonis parentibus & piis, pii filij & boni naſcantur, ſed fieri ordine & lege naturæ. inquit enim Horatius,

Fortes creantur fortibus: & bonis
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Et ex moribus parentum ſolet indoles liberorum colligi. De aquilis & earum progenie quid ſcriptũ ſit, notum eſt. Virgil. lib. 2. Æneid.

Non ſic ille, ſatum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoſte fuit Priamo. Itẽ Eccl. 22. v. 6. Reſp.

Etſi Deus ita ſępe fieri voluit, & ita ſit obſeruatũ, tamen non ſemper contingit & euenit, vt docet Lampridius in Seuero: & vt far ſæpe in loliũ degenerat, ita ſæpe liberi fortium virorum & bonorum ſunt & timidiſsimi, & improbiſsimi. Sic M. C Aurelij filius fuit Cõmodus nẽquiſsimus. Ergo in quibus contingit, ſingulari Dei beneficio fit.

2. Obiicitur, Ergo pietas, fides, religio, ſunt virtutes de vno ad alterum communicabiles, & ambulatoriæ, quæ ex patre in liberos profluũt. Et ita iam non erunt dona Dei, & χαρίσματα Spiritus ſancti, ſed bona naturalia, & hæreditaria. Quod negat Scriptura. Epheſ. 2. & 4. 1. Corinth. 12. Reſp. Negatur conſequutio. Primùm enim quę fides eſt in liberis, numero alia eſt & diſtincta ab ea quæ eſt in patre. Deinde non de patre in filium profluit, nec cum ſemine tanquam ex propagine, ſed nec ex inſtitutione ipſa, ſed ſingulari Dei dono in filio & pietas, & fides, & religio creatur, fit, & inſeritur. Nec id quidem tanquam ex merito Patris, ſed ex ſola & mera ipſius Dei electione, gratia & promiſſione facta Patri.

Denique quod ad vtriuſque membri huius ſanctionis cõparationem pertinet, longè benignior eſt Deus, quàm acerbior. Gloriatur miſericordia aduerſus iudicium. Iacobi ca. 2. v. decimotertio. & dicitur Pſalmo 103. Tardus eſſe ad iram, & magnæ benignitatis. At obiicitur, In Deo omnes virtutes inſunt æqualiter, quia ſunt de eius eſſentia, & in A ſummo gradu perfectiſsimóque illi inſunt. Nam Deum eſſe iuſtum, eſt eſſe ipſam iuſtitiam, ait Anſelmus. Reſp. Noſtri reſpectu dicitur Deus miſericordior, non autem ſi per ſe ſpectetur, aut virtutes inter ſe comparentur in eo.

CAP. IX.

Tertij præcepti Legis diuinæ, quod eſt, Non accipies nomen Dei in vanum, explicatio.

DE ordine huius præcepti agit Thomas in 2.2ᵆ Quæſt. 122. Art. 3. & nos diximus ſuprà in diuiſione. Eſſe autem tertium docet Ambroſius in Epheſ. 6. v. 2. Contra Fauſtum libro 19. ca. 15. commẽdans hoc præceptum, Admonitio non iurandi, conſeruatio eſt à peccato periurii, ait Auguſt. Primùm autem obiicitur huic præcepto obſtare illud quod eſt Matth. 5. verſu 3. & Iacob. 5. verſu 12. Sit ſermo veſter, Eſt, eſt: Non, non. Quod vltra eſt, eſſe à malo. Hoc argumento commoti B Anabaptiſtæ, hoc præceptum putant fuiſſe ceremoniale, & ſub Euangelio deſiiſſe, quemadmodum & ſequens, quod eſt Sabbata ſanctifices. Cui errori videtur anſam præbuiſſe Hieronymus, qui in Matth. ſcribit, conceſſum eſſe Iudæis tanquam paruulis, vt per Deũ iurarent: vt quemadmodum Deo victimas immolabant, non idolis: ita ne per deos, aut creaturas iurarent. Extat illa ſententia & laudatur in Canone Conſidera. 22. Quæſt. 1. quæ tamen eſt falſiſsima. Alij putant etiam iurare Chriſtianis licere, non quidem omnibus, ſed tãtùm infirmioribus. Nam perfectis velut Monachis, non licere. Sed reſponſio illa verior eſt quæ ab Auguſtino affertur Epiſt. 89. ad Hilarium, poſtrema Epiſtolæ parte, Nimirum. Non prohiberi quidem nos à Chriſto omnino iurare, ſed tãtùm ſuperfluè iurare, vel obliquè, quia fit Deo iniuria, & eius maieſtas ſic ſpernitur. Superfluè iurat qui affirmationi & negationi addit Dei nomen & iuramentum, ſine quo tamen partes agentes contentæ eſſe poterant, vel quòd in huiuſmodi rebus interuenire non deberet iuramentum. Obliquè iuratur quum C non ipſum Dei nomen, ſed eius tamen creaturas velut teſtes inuocationis illius ſumimus, & fruſtrà, & quum non oportet. Sic olim dicebant vbique homines, & iurabant, Per diem hoc faciam, Per fidem. Hoc minus & leuius exiſtimantes, quia ipſa Dei vox non audiebatur, interponebatúrque. Certè vera eſt illa Auguſtini ſententia, Non eſt cõtra præceptum Dei iuratio: & in Epiſt. ad Publicolam, In nouo Teſtamento dictum eſt, Ne omnino iuremus: non quia iurare eſt peccatũ: ſed quia peierare eſt immane peccatum. Proptérea ait Baſil. in priore Homil. in Pſ. 15. Chriſtus in Euangelio dixit, Non iurabis, ἐκ τῆς αὐτῆς ἀρχῆς ἐκτέμνων τὴν πονηρίαν. i. ab ipſa radice hoc malum exſtirpans. Ergo non vetat Chriſtus, ne omnino iuremus: ſed ne temerè etiam ex vſu tunc temporis recepto iuremus.

Iurare autem licere probatur, Quòd ipſe Dominus iubet per ſuum nomen iurari. Ait enim Moſes, Iurabis per nomen illius. Deuteronomii 6. v. 13. 10. v. 20. Dominus ipſe iurauit, vt extat Exod. 17. v. 16. Pſal. 132. v. 11. Heb. 6. ver. 17. Pſalm. 110. Geneſ.

22.ver.

A 22.v.17.Iſ.45.v.23.Angeli etiam ipſi iurant.

Paulus ipſe, Deum teſtem inuoco, ait, in animam meam.2.Corin.1.v.23.Rom.1.v.19.de quo Auguſt. lib.19.contra Fauſt.c.23.

Chriſtus ipſe, Amen amen dico vobis. Denique iurare per Deum quum oportet, eſt cultus ipſius pars. Nam à recta in eum fide proficiſcitur.

Quæ ſit huius præcepti æquitas, ex hac triplici ratione facilè intelligi poteſt. Primum, ab honeſto. Æquũ eſt vt ſuus honos & cultus Deo tribuatur. At honoris diuini pars eſt per illius nomen iurare opportunè. Iſ.45.verſ.23.Deuter.6.ver.13. Sophon.1.v.4. Ex quo fit, vt veteres, imprimis autem Chryſoſt. Hom.3. & 4. & 26.ad pop. Antioch. eos ſeuerisſimè damnet, qui iurandi temere conſuetudinem contraxerant, quos impios vocat ille, vti & Homil.5.& 6. Quid eſt faciliùs, ait, quàm nõ iurare? Conſuetudine tantùm opus eſt: non eſt corporis labor: non eſt pecuniarum expenſa. Cur igitur à tam manifeſta Dei profanatione homines, qui id facilè poſſunt, non abſtinent? Secundum, A natura Dei. Eſt ipſe æterna veritas, & cordium B tectorum teſtis & ſcrutator. Ergo quum veritas latet, Deus illius teſtis, & is quidẽ ſolus verisſimus cognitor animi noſtri, appellãdus eſt. Præterea eſt mendacii vindex & periurii. Itaque Deo tribuit & veritatem & iuſtitiam, qui per illius nomen iurat. Tertium, A neceſſario. Neceſſe eſt inter quos nullus in terris iudex medius interuenire poteſt, inter eos Dei nomen, tanquam iudicis ſupremi interponi, velut inter Reges dum fœdera paciſcuntur: ſed & inter priuatos, dum veritatis agnoſcendæ quilibet alius modus deficit. Heb.6.v.16. vt hominum lites & controuerſiæ ſedentur & finiantur, & tuti inter ſe viuant homines, maioris alicuius poteſtatis & numinis metu. Ergo fuit neceſſe de eo præceptum ponere, & concedere hominibus iurare: in quo tamen ipſo ſumma eſt Dei erga nos benignitas, qui nobis permittit contrectare ſuam maieſtatem. Ergo reuerenter & ſanctè colenda habendáque eſt. Et quod ait Auguſtinus libro cõtra mendacium, Iurare non eſſe de appetendis per ſe, ſed tamen eſſe de neceſſariis, verum eſt: quia ſi eſſemus Angeli, iuramento nõ egeremus. Eſt tamẽ C iuramentum licitum, ait Thomas 2.2ª Quæſt. 89. Artic.2. ſiue origo eius ſpectetur, ſiue finis. Origo eſt ex fide. Credunt enim qui iurant, Deum habere veritatem infallibilem. Eius finis eſt controuerſiarum terminatio, & ſtabilimentum charitatis. Cano. Omnino quod 22. Quæſt.1. idem ex Toleta. Concilio ſcribitur. Hæc προλεγομένων vice dicta ſint.

Nunc ad rem veniamus. Inquit Lex, *Non accipies*, vel *aſſumes*. Ducta eſt metaphora non ab iis quæ humi iacen tanquam vilia, & attolluntur: ſed ab iis quæ conceſſa ſunt contrectari. Per ſe ſunt homines indigni, ſiue cor ſiue os eorum ſpectes, qui Dei nomen & maieſtatem ſumant & attingant. Cor eſt pollutum. Geneſ. 8. Os quoque ipſum & labia polluta. Iſaiæ 6. verſu 5. Et tamen concedit nobis Dominus contrectare corde & ore ipſo noſtro contingere nomen ſuum.

Sumitur autem Dei nomen ipſius modi & inſtrumenti ratione tripliciter in vanum ſeu perperam, nempe vel

- Corde, Vt qui in corde ſuo malè de Deo ſentit, & de eius prouidentia. A
- Ore, Pſalmo 14. & eum tacitè ſpernit.
- Facto, Leuit.24.v.15.16.

Ore, vt qui peierat, mentiénſque Deum teſtatur. Leuit.19.verſ.12. Item qui Deo maledicit, eius nomen execratur. Leuit.24.verſu 15.

Facto, vt qui ſcriptis illius maieſtatem lædit, opera irridet, veritatẽ prophanat, & oppugnat qualis Momus fuit, qui Dei opificium in homine reprehendit. item qui de vanitate ſciẽtiarum ſcribũt. Qui mundum hunc velut indignum Deo opificiũ ſcriptis execrantur, vt Marcionitæ. Nec obſtat quod dixit Ecclef.1.ver.1. Omnia vanitas. Non enim dixit per ſe, ſed κατά τι, eſſe omnia vana. Nempe ſi ad dona cæleſtia Deique metum illum æternum & durabilem, & ad vitam æternam comparentur, illíſque fidamus, ſunt reliqua vana.

Nomen Dei. Vox hæc *Nomen* non ſumitur materialiter pro quibuſdam literis aut ſyllabis quibus Dei appellatio nobis innoteſcit. Eſt enim vana ſuperſtitio ſyllabas huius nominis τετραγραμμάτȣ Iehouah, ſacras venerabiléſque credere. Sic nomen B hoc Ieſus venerari eſt idololatria.

Quid eſt igitur nomen Dei? Reſpondent Hebræi breuiter, הו שמו והו, id eſt, ipſe eſt nomen ſuum, & illius nomẽ eſt ipſe. Ergo vox hęc, *Nomẽ*, tria ſignificat, Maieſtatem Dei, vti Philip. cap.3.v. 9.& dedit illi nomen, &c. item Dona Dei, & opera Dei. Nam de eſſentia hîc nihil neceſſe eſt intelligi, quando à nobis per ſe non cognoſcitur, ſed ex attributis, maieſtate, donis, & effectis. i. operibus. De quibus ſi quis contemptim ſentiat, irreuerenter loquatur, aut ridiculè agat, Dei nomen ſumit in vanum, peccátque in hoc præceptum.

Ac primùm de prima ſignificatione huius vocis *Nomen*, videamus. Significat Dei maieſtatẽ, & quæ eam demonſtrant, attributa, qualis eſt ſapientia, Omnipotentia, Prouidentia, Iuſtitia, Veritas, & Miſericordia, quæ qui ſpernit, lædit, negat, aut detrahit, ille peccat. Ergo varia peccatorum factorúmque genera hoc primo membro continentur, nimirum hæc quatuor,

- Hæreſis,
- Periurium;
- Iuramentum illicitum, & quoad rem, & quoad formam, per quam iuratur. C
- Votum. Nam in iis omnibus Dei maieſtas irreuerenter tractatur.

Ac hæreſes quidem omnes Dei maieſtatem lædunt, quia vel Dei eſſentiam negant, vel attributa, & ea vel in totum, vel in partem, vt qui concedũt quidem creationem Deo ſed nõ omnium rerum, qualis Plato, Manichæi, Marcionitæ, qui negãt venena à Deo cõdita, corpus hoc ab eo fabricatum: ſed vel ab Angelis, vel à dæmone aliquo. Vti enim fides orthodoxa tuetur Dei maieſtatem illibatam & ſartam tectam: ita hæreſis minuit, & lædit. Et idcirco dicitur eſſe crimen læſæ maieſtatis diuinæ. Nam omnis hæreſis eſt blaſphemia in Deum, & Antichriſti opus, 1. Ioannis 4. verſu 3. etſi eſt neceſſe ad bonorum probationem eas eſſe. 1.Co.11.v.19.

Sequitur periurium. Sed quæritur quid ſit periurium. Tullius lib.3. De officiis rectè definit, Peierare non eſt falſum iurare, ſed eſt id non facere, quod ex animi tui ſententia iuraueris, ſicuti verbis conceptum eſt. Et ait Dominus ipſe Leuit. 19.

A verſu 12.Pſalmo 15. Non iurabitis nomen meum mentiendo.Is autem mentitur qui ſciens fallit.Ergo ait Thom.2.2^{æ} Quæſt. 98. propriè periurium non eſt,ſi qui iurat,id verum putat:ſed ſi qui id falſum ſcit,vel putat,& tamẽ iurat. Chryſippus dicebat intereſſe inter peierare & falſum iurare. Cicero item libr.3.De officiis. Sed & mentitur quoque qui putat id falſum , de quo iurat tamen tanquam de vero,etſi verum fortaſſe erit.Nam linguā ream facit,mens rea.Oſ.4.v.2.Ergo quæritur, Vtrum ſit periuriū,ſi non præſto quæ me poſſe præſtare putabā, & fortè habebam tūc in poteſtate, & iuraui me prȩſtiturum eſſe,vt ſi in fœdere paciſcẽdo Rex quid polliceatur quod poſtea non præſtat. Vti Saul iurauit neminem eſurum eſſe ante fugatos Palæſtinos. Reſpond. Videndum eſſe diligenter quid præſtare potueris ipſe , & in quibus item rebus fuit Dei nomen adhibitum. Quia ſi non reuerenter aut conſideratè iuratum eſt , Dei nomen in vanum accipitur , quanquam ſæpe à culpa & crimine periurij qui promiſit,abſoluitur, quia vel Deus noluit ea fieri, vel vis maior prohibuit B facere,cùm ipſe tamẽ,qui iurauit,præſtare vellet.Hoc ipſum etiā ita definitū eſt cōcilio Toleta.8.cap. 2.

Iuſiurandum eſt Dei tanquam mendaciorum iudicis & vindicis atteſtatio. Eſt affirmatio religioſa,inquit Tul.lib.3.De offic. Sed & ſi quid negatur,promittitúrque non factum iri,Deo teſte ,eſt etiam iuſiurādum.Quid eſt iurare,niſi eius, quem teſtaris fidei tuæ præſulem, diuinam potentiam confiteri.Ambro.Epiſt.30.Duplex enim eſt iuſiurandum,aiunt,Aſſertoriū de præterito,vel de prȩſenti affirmatio vel negatio. Promiſſorium de futuro præſtando.In vtroque Dei nomen poteſt ſumi in vanum (citra periurium tamen)vel propter rem propter quam iuratur : vel propter formam, per quam iuratur.

Ac rei quidam ratione triplex eſt conditio iuriſiurandi , vt docet Hierem.4.verſu 2.Iſa.48.verſu 1.Vt fiat in veritate , ne falſum iuretur.Hierem.5.verſu 2.Iuſtitiâ,ne illicitum quid pronuntietur in appellando Dei nomine, aut promittatur. Iudicio,ne indiſcretè inconſiderantérque & temerè, ſi ratio rei de qua agitur, momentúmque C iuramẽtum nō exigit.In vniuerſum autem duæ ſunt cauſæ , propter quas ſi quis ita exigat,nobis iurare licet.Nimirum vel tuendæ verȩ religionis fideiq;.i. doctrinæ gratia:vel charitatis cōſeruandæ eiúſque publicæ,vt inter regna & Reſpub.paciſcentes: vel priuatæ,ſi deſit probatio, manſurúmque ſit litium ſemen,& diſcordiarum.Hebr.6. verſu 16.2. Cor.1. v.23.Rom.1.v.9.1.Theſſ.2.v.5.Philip.1.v. 8.1. Regum 8.v.31.

Obiicitur 1.Theſ.5.verſu 27.adiurat Paulus vt ea epiſtola legatur. Ergo pro re leuis momenti nomen Dei interponi poteſt.Reſpon.Nō fuit ea res leuis momenti,ſed maximi,quum ad totius Eccleſiæ conſolationem pertineret , & ad pios in ſana doctrina Euangelij , præſertim tempore afflictionum,confirmandos , vt & illa quæ ad Coloſſenſes ſcripta eſt.Coloſſ.4.v.16.

Sed de forma iuriſiurandi quæſitum eſt, Qualis eſſe debeat. Nec enim omnis verborum cōceptio licita & honeſta eſt,per quam Dei fit mentio. Ac primùm illud eſt in ipſa Iuriſiurandi forma notandum , iuramentum ex voluntate & intentione iurantis,non autem eius cui iuratur, eſſe æſtimandum & interpretandnm.Can.Humanè.22.Quæſt. A 5.& Canon.Iuramenti ibid.Vide Petrum Martyrem lib.2.in Samuelem.cap.19.verſ.21.

Deinde de eieratione & abnegatione Dei quȩritur, Vtrum liceat ita iurare, Eiuro Deum, i. *Renier Dieu*.Et quia ille omnem Dei metum exuit qui ſic iurat,non licet ſic iurare.Leu.24.v.16.Oſ.4.2.Imò omnino impius eſt qui hæc pronuntiat.

De blaſphemia quæſitum eſt,Vtrum ſic id eſt cū blaſphemia liceat iurare. Eſt autem quum aliquid Deo tribuitur per quod illius naturæ fit iniuria,velut ſi quis iuret per corpus vel ſanguinem Dei,vel per capillos Chriſti.Qui enim eos iurat,& per eos, tribuit eos diuinitati,quū tamen caro Chriſti & capilli ſint creatura,& non Deus,& quum Deus carnem & ſanguinem non habeat.ergo reſp. Nec eo modo iurare licere, *Authen.* Ne cōtra naturam luxurientur homines,& nequis per capillos Chriſti iuret,& eſt in Can.5.Si quis per capillū 22. Quæſt. 5. Blaſphemia denique omnis hoc præcepto damnatur. Eſt autem duplex , vel quum aliquid Deo detrahitur : vel aliquid eo indignum illi tribuitur. B

De imprecatione & anathematizatione eſt quȩſitum,vtrum ſic iurare liceat.Reſp.Licere:nempe In caput meum ita ſæuiat Dominus: Sic mihi addat & faciat,Sit teſtis in animam meam. & Petrus anathematizauit ſe , Mat.26.ver.72.1.Cor.16.v.22. Modò ne ſit inhoneſta imprecatio. Sed modeſtiſſima reuerentiſſimáque Dei appellatio interponenda eſt,qualem veteres ſolebant,Sic mihi addat, & ſic faciat Dominus , Sit Deus teſtis inter me & te.1. Samuel.ſæpè. Chryſoſto.Homil.26. ad Pop. Antioch. has formulas concedit. *Ita non carnifex meis inſtet lateribus:ita ne debiliter.* Auguſtinus tractatu in Ioan.Euangel.35. ſic ait homines iurare ſolitos,vt tangentes oculos ſuos dicerent , *ſic viuant Lumina mea.*

Quæſitum eſt vtrum per diabolos liceat iurare. Reſp.Minimè. omnis enim diabolorum mentio fit cum Dei contemptu & irreuerentia. Eſt enim omnis mendacii parens,hoſtíſque veritatis ab initio,ſed & creatura eſt diabolus,vnde per eum iurare non licet.

Quȩſitum vtrum per creaturas liceat iurare, C Auguſtinus in epiſtola ad Publicolam.Reſp.Non licere per eas velut numina iurare:ſed tamen licere eas appellationis noſtræ inuocationíſque de Deo teſtes facere. Sic Moſes appellat terram & cælum teſtes.Deuter.30.verſu 19.Iſa.1.v.1.Mich.1. Obſtat Amos cap.4.v.2.item quòd Ioſeph iurat per caput & vitam Pharaonis ,& vt eſt in l. 51. Duo patroni §.Si quis iurauerit.& l. Non erit. D.de iureiurando,iurabant homines per genium principis. Gen. 42.v.16.& Tertullianus in lib. ad Scapulam. Reſp. Quod ad ius ciuile pertinet, fuit ille mos planè ethnicus,& plenus adulationis. Homines enim ad ſeruiendū parati,ſuis principibus (vti poetæ) numen ineſſe putabant.itaque per eorum genium & numẽ iurabant,& per eorum caput & oculos quos amabant.Vergil.lib.4.Æneid.

—teſtor chara deos,& te tuúmque
Dulce caput,magicas inuitam accingier artes.

Et Ouidius,

Pérque ſuos illam quondam iuraſſe recordor,
Pérque meos oculos,& doluere mei.

Quod ad Ioſephum pertinet, certè illud Iuramentum

A mentum illi excidit,quòd longa iam cõſuetudine
cum idololatris aliquid de eorum moribus, & loquendi
ratione hauſerat.Nec eſt imitandum.

Quod ad locum ex Propheta Amos ca. 4. eodẽ
ille modo explicatur, quo dictum Moſis Deuter.
30.nimirum duntaxat teſtes aduocari creaturas,
non autem iurari per eas.

Quæſitum denique eſt, vtrum per idola iurare
liceat.Et quidem hominibus piis & fidelibus iurare
vetitum eſt per idola.Sopho.1.5. Amos 8. v.14.
Omnis enim idolorũ mentio periiſſe debet inter
Chriſtianos.Pſal.16.v.4.& Exo.23.v.13.Ergo neq;
per Sanctos licet iurare.Sed vtrũ cõcedẽdũ ſit homini
Ethnico& idololatrę,vt quũ illi res eſt cũ homine
Chriſtiano,iuret per ſua idola,ſítne hoc iuramẽtũ
à pio audiendũ & admittẽdũ.Ius quidẽ ciuile
cõcedit peregrino per ſuos & peregrinos deos
iurare:ciui autẽ per cõmunes & proprios &ſuos l.
Non erit ratũ.§.Sed ſi quis illicitũ.D.de iureiur.

At quærimus quid Theologi ſentiant,& in foro
conſcientiæ ſit dicendum & ſtatuẽdum. Diſſentit
in eo à Tertull.Augu.Ille enim in lib.De
B idololatria,non putat licere, neque cenſet tale iuramentũ
concedendum. Auguſt. autem in epiſt. ad Public.
& eſt in cap.Mouet te.22.Quęſt.1.putat admittendum
huiuſmodi iuramẽtum etiam à pio homine.
Et verior eſt Auguſtini ſententia, argumento eorum
quæ ſcripta ſunt Gen.31.v.53.Iurat Laban per
deum Nachor.Iurat Iacob per Deum Iſaac.

Sed reſtabilita confirmatáque iuramento ea forma
concepto, qua licet, & inter quos licet,vtrum
reſtitutio in integrum peti daríve poſsit,de eo negotio,
de quo iuratum eſt.R.Si ius ciuile quæritur,
licet. Sin de iure diuino agimus,aliud videtur ſtatuendum.
Vide Pet.Martyrem libro 2. Samul 9.v.
1.Diſtinguunt igitur quidam, vtrum dolus malus
cauſam dederit contractui,an non,ex l. Rem maioris.
C.De reſcind. vendit. Si dederit cauſam dolus
malus contractui, putant licere, quia qui errãt
& decipiuntur,nõ cõſentiunt.Sin verò nõ dederit
cauſam,etſi in rei pretio deceptio eſt, non putant
de eo negotio reſtitutionem in integrum dãdam,
vel etiam à pio homine petendam de quo ſemel
iuratum eſt.Pſalmo 15.verſ.4.Propter ſacrum Dei
C nomen interpoſitum,vt eſt in Leon.conſt.72.& in
cap.Quanuis. Ext. De Iureiurando. Fides enim
ſeruanda eſt, etſi damnum ex ea ſeruata emergit.
Ac ne quidem, ſi res minus dimidia iuſti pretii
parte diſtracta atque vendita ſit, fieri debere putant.
Caluinus ſic ſcripſit in Pſalm.15.& ipſe hanc
ſententiam,vti veriſsimam amplector. Verum eſt
tamen, ſi qua in re auxilium Legis detur fraude
decepto homini,licere illi eo auxilio vti. Quæ enim
temerè iuramenta fieri à Magiſtratu animaduertũtur,
& vnius partis dolo interueniẽte vel ſuperueniẽte
interpoſita ſunt,ea ſunt punienda:quia
calumniis & fraudibus hominum non eſt fauendum.
& quod in alterius perniciẽ fraude vnius geſtum
eſt,reſcindi publica authoritate poteſt & debet,
ſed ex cauſæ cognitione. Nec verò qui fraude
alterius deceptus poſtulat ſe reſtitui, violat iuramentum
: quia qui decipitur, non conſentit.
Sic Dauid quum animaduertit ſe à Siba ſeruo
Miphiboſeth deceptum, rem reſtituit, promiſſúmque
ſuum reſcindit. 2. Samuel. 19. verſu
24. Cæterùm ſi ſine fraude emptoris damnum
patitur venditor, ob interpoſitum Dei
nomen, reſtitui non debet. Vide Lombardum A
lib.3.Diſtinct.39. Denique 22. Quæſt.2. in malis
promiſsis,reſcindendam fidem eſſe dicitur:& verè
quidem, quia fides huiuſmodi penitus nulla eſt
dicenda,vt ſi iurem me furaturum eſſe.

Quæſitum eſt vtrum hoſti fides ſeruanda ſit, &
quia duplex eſt fides, publica & priuata, itémque
hoſtis duplex,alius religionis hoſtis ,hæreticus &
Ethnicus dicitur:alius nationis, & reipublicæ,qui
dicitur peregrinus & perduellio,quæritur Vtrum
& hæretico & perduellioni & publica & priuata
fides ſeruanda ſit. Reſp.Seruandam eſſe. Id quòd
authoritate Scripturæ probatur. Ioſ. 9.de Ioſue
& Gabaonitis, quibus datam fidem ſed poſtea
violatam, acerbiſsimè vltus eſt Dominus. 2. Samuel.
21.Sic Auguſtinus in Quæſt. in Ioſue.l. Seruius.
D. De negot.geſt. Sedechias punitur à Deo
quòd infideli regi nempe Nabuchodonozori datam
fidem non ſeruaſſet, & fœdus ictum rupiſſet.
2.Chronic.39.v.13.Et hoc etiam ipſum faciendum
eſſe dictat lex naturæ,& ius gentium. Et nota eſt
hiſtoria de M. Attilio Regulo,& quæ Tulliꝰ de ea
re ſcribit lib[illegible]3.De officiis.Ambroſ.lib.3.De offic. B
c.10.Ergo etiã hæreticis & infidelibus eſt ſeruanda
fides, & iuramentum,quia etiam cum iis omnia
ſunt nobis communia quę ad vitæ huius ſocietatem
pertinent:aer,aqua,terra, pacta, contractus,
commercia,vrbes,bellum, pax.1.Corint.5,v.
10.Matrimonium quoque durat cũ iis.& ait Thomas
2.2æ Quæſt.98.Artic.3. Omne periurium per
ſe eſt peccatum mortale,etſi Cicero lib.3. De officiis.
ex Accio obiicit,ſed malè & ethnicè,

Neque do neque dedi fidem infideli cuiquam.

Quæſt.Vtrum latroni dãdum, quod vi promiſeris
pro vita non adempta,& capite. Non putat Caluiuinus,
in Pſal. 15. quia verſatur in eo publicum incommodum,
non priuatum tantùm. Contrà P.
Martyr in lib.Iudicum cap. 3. putat ſeruandam fidem:
tamen extat hiſtoria Ieremiæ 41.v.8. ex qua
ambigua hæc quæſtio ſolui poteſt nimirũ fidẽ ſeruãdã
per ſe eſſe ab eo,qui promiſit:Magiſtratus tamẽ
ipſe ſua autoritate interuenire debet,qui hanc
pactionẽ reſcindet,ne cuiquã ſit ſuũ ſcelꝰ lucroſũ.

Quòd autem Scholaſtici exceptionem huic præcepto
addiderunt,factum eſt prorſus impié.Inualuit
enim iam hoc dicterium,*Frangenti fidem, fides* C
frangatur eidem, quo certè omnis iuriſiurandi ſanctitas
& authoritas eſt ſublata. Itaque quando malum
malo protrudendum, tanquam malus nodus
malo cuneo,non eſt, (quicquid vetus prouerbiũ
dicat) ſed bono malum eſt compenſandum ex
Chriſti præcepto:quando item nunquamDei maieſtatem
violare debemus, idcirco fides à nobis
Chriſtianis eſt ſeruanda, etiam ei qui fidem nobis
frangit,ne in ſimilem accuſationem meritò incidamus.
Contractus tamen authoritate iudicis reſcindi
poteſt ac debet, in quo altera pars fidem
non præſtat. Sed vide Petrum Martyrem 2.Reg.
10.de his rebus latiùs.

Sequitur de voto,in quam quæſtionẽ hæc quatuor
capita incidunt.1. Qui vouere poſsint. Reſp.
Qui ſunt ſana mente, & ſui iuris, non autem mente
capti,aut in aliena poteſtate, ſine eorum cõſenſu,
in quorum ſunt poteſtate. Leuit.27.l.2. D.de
pollicitationibus.Numer.30.

Secundum, Cui votum nuncupari concipíque
debeat.Reſp.Soli Deo.Eſt enim votum promiſsio

A Deo facta, inquit Magiſter ſententiarum lib.4. Diſtinct.38.20.Quæſt.1.

Tertium, Quæ Deo voueri poſsint. Reſpond. Quæ neque à Deo prohibita ſunt, neque impoſsibilia, neque inhoneſta, & offendiculum prębitura. Ergo caſtitas voueri non poteſt: quia tum non eſt in noſtra poteſtate res, quæ vouetur. Leui.27.& Iephtæ exemplum docet non quidlibet voueri poſſe, ſed quod licitum eſt Dei verbo. Iudic.11.v.30. Nā nec meretricis merces & inhoneſtus quęſtus Deo voueri poteſt, neque pars furti. Sed neq; res vitioſa, clauda, manca. Malac.1.verſ.13. In malis promiſsis reſcinde fidem.22.Quęſt.2.

Quartū, De voti perſolutione, de qua agitur Eccle.5.& 18. Deuteronom. 23. v.21. Matth.5.verſ.33. Sed & de voti redemptione agitur, ſi quando impleri non poteſt, quod eſt verbis conceptum. Leuit.27.& eſt tit. Extra. de verbi redemptione.

Secunda nominis ſignificatio ſumitur pro Dei donis, quæ non ſunt ſpernenda, corrumpenda, & contemptim habēda. Tunc enim Deus ipſe ſpernitur, quum eius ipſius dona ſpernūtur. Inter quæ B dona præcipuum eſt verbum Dei, & ingenii dotes, intelligentis, & agentis. Intelligentis animi dotes ſunt intellectus ipſe, νοῦς dicitur, vt ait libro 6.Ethic. Ariſtot. Sapientia, Scientia, atque Ars. Agentis autem Prudentia. Ergo omnes artes hoc præcepto commendantur, etiam Agricultura, quę eſt ars neceſſaria, & laudatur. Prou.14.v.4. Eccl.7. & 20. ſed & reliquæ diſciplinæ. Eccleſ.38.27.28.& ſeq. Neque obſtat quod dicitur Eccleſ.1. v. 17. artium cognitionem & vanā & operoſam eſſe. Reſpon. Dictum illud κατά τι accipiendum eſt, quatenus iis ſolis velut ſummo bono & fini inhærem⁹: non quatenus ſunt Dei dona. Et dixit rectè Tull. Philoſophiam eſſe deorum donū. Plato dixit eſſe deorum inuentum. Neque obſtat quod ait Paulus Coloſ.2.v.8. φιλοσοφίαν euitandam, quia ſit κενὴ ἀπάτη. Neque enim id de vniuerſa Philoſophia dictum eſt, ſed de ſophiſtica, & eius tātùm abuſu, vt docet Socrat. lib.1. Eccleſ. Nam tantùm σοφιστικὴν à Chriſtianis reprehenſam, dum quis eam didicit vt ea abutatur, non autem vt per eam ſibi caueat ex Patribus apparet.

C Sed quod ad Dei ipſius verbum, multis modis Dei nomen, per prædicationem accipi in vanum poteſt ex parte docentium illud, & paſtorum, item diſcentium & auditorum.

Ac quidē falſi prophetæ hoc præcepto damnātur. Ii autem ſunt qui vel quoad ſubſtantiā doctrinæ, vel quoad formā docēdi, vel quoad finem docendi verbum Dei corrumpunt.

Ergo hæretici qui falſa docent, hoc pręcepto cōtinētur: & falſi prophetæ qui ſua ſomnia pro Dei verbo, & inuenta ſua pro ſana doctrina euulgant, & proferunt, de quibus toties apud Hiere. & Ezec. 13. item 33.& 34. Oſeæ 9.v.7. Iſaiæ 56.v.10.

Quoad formā docēdi, velut in Eudoxo, qui dicebat, eſt Pater ἀσεβὴς, Filius εὐσεβὴς, eſt ἑτεροδιδασκαλία, apud Paulum, quæ ad doctrinam, & ad modū rationémque docendi pertinet. 1. Timot. 3. Formam ait, id eſt, τύπον ſanorum verborum habe 2. Tim. 1.13. & oportet nos eſſe ὀρθοτομοῦντας verbum Dei 2. Timoth.2.ver.15.

Quoad finem, peccāt Simoniaci, & qui quæſtus odiiue cauſa de Chriſto concionantur, quales cōmemorat Paulus Phil.1.v.15. item qui deſerunt vocationem ſuam. Ion.1. A

Præterea qui verbum Dei cauponantur, non autem concionantur purè de eo, & ſana conſcientia. 2. Corinthiorum 4.verſ.2. (Dixit Paulus ſe ἱερουργεῖν. Rom.15.v.16.) damnantur.

Sed & paſtores negligētes, & qui defunctoriè in ſuo officio verſantur, hoc peccati genere & criminis ſunt rei. Malachiæ 2.v.8. Ezechielis c.13. Qui nō ſtudent, aut qui palpant vitia, nec curant. Denique qui ſunt canes muti. Iſ.56.v.10.

Denique qui dicunt bonum, malum: & contrà. Iſ. 5.v.20. Mich.3.v.9. Habac.2.v.19.

Ex parte auditorum accipitur nomen Dei in vanum. Ab hypocritis, qui factis Deum negant. Tit. 1.v.16. Rom.10.v.10. Ezech.14. Ab iis qui in dicteria & ſcommata verbum Dei commutant, vt riſum moueant. Etſi enim ſermo noſter eſſe debet cum ſale, tamen non eſt abutendum Dei verbo. Coloſſ.4.ver.6. Sed & qui dicunt, Templum templum Dei vt ſe in ſuis vitiis confirment Hierem. 7. eo abutuntur.

Sed & qui Dei verbum perſequuntur: & Domini Prophetas occidunt: vel eiiciunt, hoc eodem B peccato & crimine tenentur. Sed & qui eos contemnunt. Ait enim Dominus, Qui vos ſpernit, & me ſpernit. Amos 6.v.6.7.verſ.10. Zachar.11.1. Samuel.8.v.7.

Tertia ſignificatio nominis Dei ſignificat & cōplectitur opera Dei, quæ ſi quis ſpernit, & contēptui habet, aut iis abutitur, Dei nomen accipit in vanum. Ergo damnantur qui tentant Deum, Mat. 4. Extat apud Rodericum Santium Hiſpanum ſcriptorem pa.4.cap.5. exemplum Alphonſi x. Hiſpaniæ regis, qui à Deo percuſſus eſt, quòd diceret opera Dei meliùs & meliora fieri potuiſſe, quàm à Deo facta ſint.

Qui murmurant aduerſus Deum Ioann. 4.v.1. Malach.3.verſ.13.& contra eius opera, iudicia, & conſilia.

Qui Dei opera cauillantur & reprehendunt, vt Momus, quia ea non intelligunt. Quod etiam ipſum fieri vetat Heſiod. lib.2. Ἔργ. καὶ Ἡμερ.

De imprecationibus autē & diris quæ Dei nomine inuocato fiunt, quæſitum eſt, vtrum ad hoc præceptum pertineant, quales multæ in Pſalmis, C & imprimis Pſ.109. Pſ.55.v.15. extant. Reſp. Si tanquam in proprios inimicos à nobis fiant, damnantur. Iubemur enim diligere inimicos, & pro iis precari. Matt.5. Pſal.141.ver.5. Sin verò in eos tanquam Dei ipſius hoſtes deploratos, & omnino cōuictos, fiant eæ imprecationes, non damnantur. Nehem.6.v.14. modò tamen nec temerè, nec falſò, quoſquam tales eſſe præſumamus.

Qui diei ſuo natali maledicunt, aut alicui Dei operi malè imprecātur, aut diabolo deuouent, & hi quoque hac legis parte damnantur. Etſi enim Iob & Ierem. Iob.3. verſu 3. & Hieremiæ 15. verſu 10. diei ſuo natali maledicunt, non ſunt tamen in eo imitandi.

Denique qui Dei bona contemptui habēt, vel eius creaturis abutuntur, vel ad incantationes, vel ad purgationes vulgares, & ad diuinationes, vel ad ſuperſtitiones, & Magiam, rei tenentur huius criminis & peccati.

Ergo etiam curioſitas omnis hoc præcepto damnata eſt. Prouerb. 10.25. Eccleſiaſt.7.ver.11.& 21. v. 25. atque abuſus gratiarum Dei ſiue cœleſtium, A ſiue terrenarum.

De pœna & ſanctione, quæ huic præcepto addita eſt, nunc eſt agendum. In quo ſecunda pars huius præcepti poſita eſt. At primùm quæritur, cur pœnam adiecerit Dominus, quum alia pœna quoque ſit addita Leuit.24.v.16.item Leui.6. Reſpon. Vti animo & corpore conſtamus, & vtroq; peccatur, ſic & animi & corporis pœna eſſe debuit. Ergo pœna animi hîc continetur, pœna verò corporis Leui. 24. quæ dicitur pœna iudiciaria & politica: hæc autem ad animorum ſalutem refertur, quæ longè politica grauior eſt.

Sed quæſitum eſt, cur addita ſit, quum ſuperius præceptum cõminationem habeat in omnes Dei oſores, & contemptores. Reſpond. Duplici de cauſa. 1. Vt ſui nominis maieſtatem nobis hac ratione Deus magis magíſque commendet & vindicet à contemptu. Ergo non eſt contentus generali pœna, vt eam ſanciret, ſed hanc etiam ſpecialem addit. Hic enim ferè eſt primus ad manifeſtam impietatis profeſſionem lapſus & gradus, nominis Dei blaſphemia & contemptus. Ergo in eo coer- B cendi fuerunt homines, & ſtatim, ne longiùs prolabantur, retrahendi. 2. Ferè apud homines vileſcit hoc genus ſceleris, & pro nihilo ducitur. itaque neque legibus ferè puniunt, neque pro vitio habent homines, adeo, vt quemadmodum Saluianus epiſc. ait lib.4, ſcelera & facinora etiam ipſa quidam iurent & promittant per Chriſtum ſe facturos. Dixit etiam impius ille Ouidius.

Iuppiter in cælo periuria ridet amantum,
Atque iubet tepidos in mare ferre Notos.

Id quod antea dixerat Callimachus, vt Stobæus refert λόγῳ 28. In legibus certè Ro. l. Iuriſiurandi. C. de Reb. creditis & iureiur. ſic ſcriptum eſt, magno tamen nominis Dei contemptu, iuriſiurandi contempta religio ſolum Deum habet vltorem. Neque vlla alia pœna punitur hominum ſanctionibus periurium: niſi fortaſſe dicatur eſſe crimen ſtellionatus, quod & ipſum leue crimen eſſe cenſetur. Ergo vt hunc hominum errorem tolleret Dominus, ſanxit ipſe pœnam ſpecialem in contẽptores ſui nominis. Plutarchus rectè reprehendit Lyſandrum in ipſius vita, quòd diceret homines C vti poſſe pro ſuo commodo iuramentis, vti pueri vtuntur aſtragalis: Idem in Æmilio ſcribit Macedonas vſos eſſe iuramento, vti moneta, quaſi re ἀδιαφόρῳ & pro ſua vtilitate illud ſeruantes, vel violantes, quod vtriſque malè ceſſit. Improbus igitur & omnino damnandus eſt is mos, quẽ inter Francigenas vſitatum ſcribit Bernardus Epiſt. 2.19. vt etiã iuſiurandum publicè datum violetur & negligatur, ſi id ex vſu reipublicæ eſſe cenſeant illi ipſi, qui violant. Idcircóque Saluianus epiſcopus Maſilienſ. lib.4. de Prouident. Dei vocat Saxonas feros, & Francos infideles, quòd periurium ipſum tantùm putant ſermonis eſſe genus, addit idem, non criminis. Imò fractę in Gabaonitas fidei pœnas luit poſteritas Saulis. Denique meritò Plutarchus in Ageſilao reprehendit hoc dictum, Nihil aliud iuſtum eſt niſi quod Spartæ vtile eſt.

Sed obiicitur, videtur eſſe leuiſſima hæc pœna, *Non habebit Deus pro innocente.* Reſp. Eſſe grauiſſimam. Quum enim omnis noſtræ & præſentis & futuræ felicitatis fons & cauſa ſit vna Dei miſericordia, gratuitáque peccatorum remiſſio. Pſal.32. Iſaiæ 58.27. v.9. in perpetua rerum miſeria verſemur neceſſe eſt, & in hoc & in futuro ſæculo, ſi A Dominus peccata noſtra retineat, neque eorum obliuiſcatur. Pſal.130.v.3. Ergo Eccle. 23. dicitur nunquam plaga eſſe abſceſſura ex illius familia & domo, qui periurus eſt, ſedulóque propterea monet Ambroſius tum lib.3. De officiis c. 12. tum in Exhort. ad virgin. ne iuramentis aſſueſcamus. & Eccl.23. & 27. Et Philo in Decalogo ait, οὐ γὰρ πίστεως τεκμήριον πολυορκία, ἀλλὰ ἀπιστίας ἐστὶ παρὰ τοῖς εὐφρονοῦσι. De Autolyco homine periuro, & ideo ethnicis ipſis execrabili quid ſcribat Plato lib.1. de Repub. norunt omnes.

De violati iuriſiurandi pœna, miróque Dei iudicio & in eo prouidentia, vide Herodot. lib.1. de Cydia & Archelimo, quod refert Stob. λόγῳ 28.

Videndum eſt autem de reliquorum populorum legibus. Et quidem apud ipſos Iudæos, vt Rabbini tradunt, fuit quoddam iudicium, quod appellant iudicium zeli, quo abſoluebantur ij, qui quum audiſſent nomen Dei blaſphemari, non expectato iuſſu magiſtratus, occidiſſent blaſphemos de quo putant agi Zach.13.v.3. Deu.13.v.6.

Apud Roman. hæc fuit nomotheſia, vt ſi per B Deum iurans quis peieraret, ad Deum ipſum plectendus remitteretur, quem ſatis eſſe idoneum ſuæ maieſtatis vindicem dicebant. dicta L. iuriſiurandi. C. de reb. credit & iureiurand. Sin per genium principis quis iurans peieraſſet, caſtigabatur fuſtibus cum hoc elogio, Temerè ne iura l. ſi duo patroni. §. fina. D. de iureiurand. At ſi rem & pignus quod dabam iuraui eſſe meum, nec eſt, eſt crimen ſtellionatus, & punitur hoc periurium exilio ad tempus l. De periurio, D. de crimi. ſtellionat. Heſiodus lib.1. Ἔργ. καὶ Ἡμερ. ait periuria à Deo grauiter tandem puniri. Homerus li.4. Iliad. cum Heſiodo conſentit, imò periuria deteſtatur his verbis,

Ἀλλ' οἳ ἂρ πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια δηλήσαντο,
Τῶν ἤτοι αὐτῶν τέρενα χρόα γῦπες ἔδονται.

id eſt,

Sed qui primi iuſiurandum periurio violauerint,
Eorum corpora tenera vultures depaſcent.

Et illud eſt Platonis li.2. de Repub. παῖδας γὰρ παίδων, φασί, καὶ γένος κατόπισθεν λείπεσθαι τοῦ ὁσίου καὶ εὐόρκου. Olim diales flamines non iurabãt, Plutarchus in Quæſt. C Rom.44. Nunc Monachi non iurant, ſi ipſis credimus, certè ex ipſorum regulis iurare non debẽt

Cap. x.

Quarti Legis diuinæ præcepti, quod eſt, Memẽto vt diem Sabbathi ſanctifices, &c. explicatio.

AC primùm de ordine huius præcepti quæſitum eſt. Et conſtat eſſe quartum in ordine Decalogi. Ambroſ. in Epiſt. ad Epheſ.6. ve. 2. Et Philo in expoſitione δέκα λογίων τὸ τέταρτον, ait, τὸ περὶ ἑβδομάδος. Appoſitè autem & ordine ſuperiori ſubiici putat Thomas 2.2ª. Quæſt. 122. quia remotis impedimentis vera religio erat & docenda, & tradenda, quod hoc præcepto fit. Nos autem aliam rationem diximus. Agitur iam de particulari Dei cultu externo, quem ipſe inſtituit, pietatis noſtræ teſtificandæ gratia. Sine externis & certis quibuſdam religionis exercitiis homines in Dei metu & officio ſuo contineri non poſſunt. Sed quidam obiiciunt oportuiſſe hoc præceptum primum collocari, quia ſit antiquiſſimum etiam ante omnes ceremonias legales præſcriptum. Exodi 16.

A v.23.25.Reſp. Etſi more iam quodam dies aliqua ſanctificabatur Deo, habebántque etiam gentiles ſuos dies feſtos, nefaſtos & ſacros, tamen quòd ſeptima iam apud Iudæos ſancta habebatur, id ex patrum traditione acceperant. Quibus ipſis Dominus iam reuelauerat, & ſibi ſacrificia grata eſſe, & diem ſeptimã placere, quia in ea quieuiſſet ipſe: ſed nunc prorſus eam ſancit.

Quæritur, cur Sabbatum aliquod diémque ſolennem & ſacrum Deo inſtitui neceſſe ſit, & aliquem eius eſſe externum cultum. Reſp. Noſtra, non Dei ipſius ratione, idque duplici de cauſa. Primo, Quòd homo facilè Dei obliuiſcitur, operúmque illius, niſi ſæpe & aliquo externo ſigno & ſtimulo de iis admoneatur, excitetúrque ad eorum meditationem. Facilis enim eſt hominis lapſus & procliuis ad impietatem, & idcirco tam ſedulò & in Lege ſua, Exodi 23. & in Prophetis, Iſa.58. & Hierem.17. monet vt Sabbata ſanctificemus.

Secunda, Quòd ſignum quoddam fœderis fuit Sabbatum inter Deum & Iudæos initi. Exodi 31. ver.17. & pars cultus Dei. Coniungitur enim cum Sanctuario. Leui.19. verſ.30. & iubetur ſeueriſſimè B obſeruari, punitúrque morte qui violat. Numer. 15. quia Dei memoria & recordatio ſperni contẽníque videtur, dum ſacra illi non fiunt: neque vident quicquam homines, quo eius diuinitas, poteſtas, maieſtas agnoſcatur & colatur ab hominibus, Vergil. lib.1. Æneid.

-Et quiſquam numen Iunonis adoret,
Præterea? aut ſupplex aris imponat honorem?

Idem Heſiod. lib. Ἔργων καὶ Ἡμερῶν primo.

Quæritur quæ ſumma ſit huius præcepti? Philo in expoſitione generali Decalogi ſic ait, οὐδὲν ἄλλο ἢ κεφάλαιον νομιστέον ἑορτῶν, καὶ τῶν διατεταγμένων εἰς ἑκάστην ἁγνευτικῶν. Ergo ad feſtorum & purgationum ceremoniarúmque legalium commendationem tantùm pertinere ait. Nos autem in vniuerſum ad cũ cultum externum confirmandum datum eſſe dicimus, qui ex Dei verbo inſtitutus eſt: & ad omnẽ eccleſiæ politiam honeſtam conſeruandam. Denique ad id omne ſtabiliendum, quod εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν fit, & fieri debet in Dei eccleſia, vt Coloſ.2.v.5. 1.Corinth.4.v.40. Paulus loquitur.

C Sed quæritur, vtrum verba hæc *Memineris &c.* præcipiant pręciſè, neceſſitatémque imponant: an verò hoc totum obſeruationum genus liberum nobis eſſe ſinant, & in noſtra voluntate, vt ſi velimus & quãdo volumus, obſeruemus: an verò obſtringant. Vetat enim Paulus ne quis nos ex parte diei feſti aut Sabbati aut nouilunij iudicet. Col.2. verſ.16. & vnuſquiſque abundet in ſuo ſenſu. i. hoc totum genus videtur habere liberas obſeruationes. Rom.14. verſu 5. Reſp. Quatenus hoc præceptum ceremoniale fuit, hodie ceſſat: & explicabitur quæ ceremoniæ habeant liberas obſeruationes aut non: Sed quatenus externa quædam veræ pietatis exercitia fieri præcipit, præceptum continẽt hæc verba, & iuſſum, & idcirco additur Exo. 20. *Memineris, vt obſerues*: & Deuter.20. verſ.12. diſertè ita ſcribitur, *Cuſtodi diem Sabbati.*

Quæritur, vtrum per totos ſex dies integros & continuos indefeſſè atque inceſſanter laborare operaríque quenque pro ſua arte & vocatione oporteat. Et videtur. Odit enim Dominus inertes & deſidioſos homines, quum hanc legem impoſuerit homini vt viuat è ſudore vultus ſui. Geneſ. 3. verſ. 17. & Paulus eos ex eccleſia eiici iubet. 2. A Theſſ.3.v.11. Nam hic artium fructus eſt vt dicitur Eccleſ.6.v.5.7. Reſp. Etſi laborandum eſt, præciſè tamen non definit Dominus quot per quanque hebdomadem diebus ſit operandum. Neque ſunt hæc verba præceptiua (*Sex diebus operaberis*,) ſed conceſſiua ſunt, vti neque illa, De omni arbore horti comedes, Geneſ.2.v.16. & 9. verſ.3. Niſi quatenus ad diem ſeptimam referuntur, qua operari non licet: ſed iubemur operari vel vno aliquo ex iis ſeptem diebus, vel totis ſex. Recreandus eſt animus hominis, neque vltra vires laborandum, ſed quantum inexhauſtis naturæ viribus licet. Nã animus vti arcus ſi non remittitur, frangitur, inquit Anacharſis & Cic. lib.1. de Offic. Ergo ſanxit ſelegítque tantum diei ſeptimæ quietem: in reliquis liberam agendi operandíque vel ceſſandi poteſtatem relinquit, modò ne inertes ſimus, aut offendiculo cuiquam.

Sed quęritur quid Quietis nomine, & quid Sabbati appellatione hoc loco contineatur. Ac vox שבת quietem ex vocis etymo ſignificat Hebræis, κατάπαυσις eſt Græcis. Ergo eſt ceſſatio quædam ab operibus. Nam qui Sabbatum ſic definiunt, eſſe B requiem, quam animæ ſanctorum habent à vitiis in præſenti vita, & quam habituræ ſunt corporibus exutę in futura (vt definit Anſelm. in Epiſt. ad Coloſ. cap.2. & Aug. libro De ciuit. Dei. ca.30.) nõ tam rem ipſam per ſe conſiderant & ſpectant, quàm ex fine & relatione eius rei, cuius fuit ſacramentum. Heb.4. ver.9. Ergo aliter lex ipſa Sabbatum per ſe explicans deſcribit eſſe ceſſationem ab opere corporali & ſeruili, vt dicitur Leu.23.v.25. id eſt opere noſtro. Exodi 20. Sed quando multiplex eſt opus noſtrum & corporale & ſeruile (vt ait Thom.2.2^{x}. quæſt.122. artic.4. aliud eſt opus ſeruile peccato, aliud eſt ſeruile homini ſecundum corpus, aliud ſeruile Deo) Vtrum ab omni genere ſeruilis operis eſt ceſſandum. Ac de peccatis poſtea, nunc de aliis operibus agamus. Tertullianus libro 4. in Marcio. ſic diſtinguit: quum dicat Lex omne opus tuum non facies, de humano tantùm opere prohibitionem intelligendam: quod quiſque ex artificio vel negotio ſuo exequitur, non de diuino. Omne enim opus ſalutis & incolumitatis C non eſt hominis, ſed Dei proprium. Ergo opera noſtra ſunt

aut { Diuina, quæ ad cultum Deo præſtandum fiunt, & referuntur per ſe ex ipſa actus forma, vt precari, concionari de verbo Dei, Sacramenta adminiſtrare:
Humana.

Opera diuina facere non prohibemur die ſabbati, etſi lex dicit Omne opus nõ facies. Leu.23. verſ.3. Exod.35. verſu 2. quia Dominus ipſe mentem ſuã poſtea explicat & vult ſanctificari eam diem ſeptimam ſanctis ſacríſque operibus, & ad cultum ſuum pertinentibus dedicari eam & conſecrari. Exod.20. & Leuit.23. verſ.25. Matt.12. verſu 5. Humana opera ſunt

vel { Miſericordiæ,
Ordinariæ negotiationis & artificii & muneris, & vocationis cuiuſque.

Miſericordiæ opera non prohibentur fieri ſabbato, veluti ſubuenire egeno, ægrum curare, opem conſiliúmque afflicto & laboranti fratri dare, &

A reliqua huiuſmodi. Imò verò maximè ea præſtare iubemur hoc die. Sabbati enim die benefacere licet, ſempérque licuit, etiam animāti bruto, & oui, nedum homini, qui ad Dei imaginem cōditus eſt. Eſt enim Sabbatum hominis cauſa conditum, non homo Sabbati. Marc.2.27. & qui aliter docent, Iudaizant, vel potius Phariſaizant, vt docet Chriſtus Matt.12. & Luc.6. Ioan.5.9. & 9.v.1. Oſ.6.v.6.

Sed quæſitum eſt, vtrum merces ex his operibus capi percipíque debeat, ſi die Sabbati fiant, velut à pharmacopola & chirurgo, ſi vulnerato ſubueniat, & medicamen adhibeat: & ab aduocato, ſi cōſilium det parti litiganti.

Reſp. Eatenus poſſe quatenus damnum accipit, non autem quatenus operam ſuam præſtat, veluti pharmacopola poteſt iuſtum medicamenti à ſe adhibiti pretium exigere, non mercedem laboris, vt reliquis diebus. Aduocatus poteſt chartæ ſuæ in qua conſilium ſuum ſcripſit, ſimpliciter pretium accipere, non operæ ſuæ ea die.

Quod ſi obiicitur, Quid edemus eo die? (Nam familia alenda eſt) Reſpondet Dominus Leuit. 25. B ver.20. Benedictio mea erit ſuper te, & te alam. Valétque hæc eadem excuſatio pro omnibus artificiis, & tollit in vniuerſum quietis ſanctitatem. Ergo vt reliqua artificia ea die exerceri prohibentur, & negotiationes, ita & aduocatio, & pharmacia mercenaria, non autem gratuita, & quæ miſericordialis eſt.

Vnde magnopere damnandi ſunt etiam Papiſtę ipſi ex ſuis legibus, qui diebus ſacratis diuis ſuis indixerunt nundinas ſolennes, quum hoc maximè prohibitum ſit fieri. Nehe.13.v.15. & 16. Eiicit Chriſtus ementes & vendentes de templo. Matt. 21. Et l. fina. C. De feriis, ſcena & ſpectacula prohibentur fieri diebus feſtis & dominicis.

Opera, quæ ſunt negotiationis & commercij hominum cauſa inſtituta, facere ea die non licet ſiue à dominis ipſis fiant, & exerceantur, ſiue à ſeruis & ancillis. Leuit.23.verſ.25. textus Exodi 20. & Deuter.5.verſ.12. ſiue operâ noſtrorum iumentorum, ſiue non. Ac quidem apud Iudæos tam ſeuerè iſta ceſſatio exigebatur, vt ne Manna quidem colligere liceret. Exod.16.verſu 25. Nec ignem accendere, nec carnes coquere. Hier.17.verſu 17. C Exod.35.verſu 3. Sed nec arare, nec metere. Exod.34. verſ.21. Quanquam in eo publicum quoddam incommodum & detrimentum verſari videbatur.

Nobis autem Chriſtianis non tanta támve ſeuera & rigida ceſſatio impoſita eſt. Nam & ex lege Conſtantini licet & ſerere & metere die dominica ſi cōmodū ſit: & operari. l. omnes Iudices. C. de feriis: & ita videmus, quæ ſit libertas Chriſtiana.

Sed quæſitum eſt vtrum liceret pugnare ea die & aggerem tollere, reliquáque quæ ad defenſionē totius Reip. pertinent facere. Et videtur non licere. Nam arare & ſerere non licuit. Exod.34.ver.21. & ait Thom.2.2ª quæſt.40. licuiſſe neceſſitate vrgente: quia inſtitutio Sabbati, diei dominicæ vel feſtorum non impedit ea quæ ordinantur ad hominum ſalutem vel corporalem vel ſpiritualem. Ioſue contra Hiericho pugnat die ſeptima & in Sabbato Ioſ.6.verſu 15. & 16. & ſequent. Itaque nimis ſuperſtitioſè Iudæi cùm ab Antiocho vrgerentur, noluerunt pugnare die Sabbati. 1. Machab. 2.verſ.38. & quum à Pompeio obſiderentur, recuſant die Sabbati dimicare & ſe tueri. De Pontifice Romano Iulio, qui die Paſchæ Rauennenſem pugnam commiſit & eius crudelitate, nota eſt hiſtoria. A In tit. De feriis extr. cap. 1. definit Pontifex licere Chriſtia. haleces capere, modò partem capturæ pauperibus donent homines, quia ad victū ea res pertinet. Ergo & venari liceret, nec falſa eſt interpretatio. Sed quæſitum eſt quæ ſit ratio ceſſationis huius.

Reſp. vt Deo ſeruiamus, non vt nobis. Ergo voluptatibus indulgere, popinis adeſſe, Iſa.58.verſ.13. & Theatra frequentare iis diebus minimè licet, nec ſpectacula edere. l. fin. C. de feriis quia ad Dei cultum tota ea dies pertinet & impendenda eſt.

Ergo non inertiæ cauſa ſoliúſque deſidiæ nomine iubemur ceſſare, ſed vt Deum ſanctificemus.

Sed quæritur quid ſanctificatio Sabbati contineat? Reſp. Quicquid ad Dei cultum exhibendum pertinet, complectitur. Ergo primùm apud nos ipſos in lege, & de lege Dei eiúſque operibus meditari debemus. Secundò docere priuatim familiam vel monendo vel legendo. Deut.11.v.19. Hoc enim eſt officiū boni & Chriſtiani patrisfamilias.

Legere domi ipſi priuatim ſcripturam. Act.17. B Precari & orare Deum, & Priuatim & Publicè. Tertiò Concionibus publicis & ſacris frequentiſſimè intereſſe. Die enim quaque Sabbati Moſes inter Iudæos legebatur. Act.15.

4 Denique ſacramentis Dei communicare: Nam vti olim intererāt ſacrificiis: ſic hodie communicant Cœnæ, & interſunt Baptiſmo. Fiebat quidem iuge ſacrificium quotidie duplex, matutinum & veſpertinum. Sed die Sabbati frequentior populus conueniebat, & de Lege Leuitæ per ſingulas ciuitates concionabantur. Triplex autem eſt ratio cur Sabbatum iuſſum ſit obſeruari, 1. Quòd eſſet Sacramentum & ceremonia, 2. politia eccleſiæ & conuentus, 3. & ſubleuatio ſeruorum. Deuteron.5.verſ.13. At fuiſſe ceremoniarū partem Sabbatum apparet ex eo quòd appellatur ſignum fœderis veteris inter Deum & Iudæos initi. Exod.31.v.17. & cum ſanctuario coniungitur. Leuit.19.verſ.30. item & Paulus inter ceremonias enumerat. Coloſ.2.ver.16. & Apoſtol. ad Heb.4.v.9. Ezech.20.verſu 21. Ambroſ. in Galat. cap.4.

C Sed quæritur quatenus Sabbatum fuit ceremonia. Reſp. Dupliciter, quatenus fuit 1. ceſſatio ſeuera ab omni opere ſeruili & corporali, 2. ſeptima dies nominatim & diſertè à Deo præſcripta erat, non autem tertia, quarta, aut quinta, aut ſexta.

Sed quæ fuit Sabbati ſignificatio? Reſpon. Duplex. Prima enim ſignificabat ab omni opere vitioſo, & ab omni peccato, quod noſtrum opus propriè appellatur, eſſe abſtinendum iis, qui verè verum Deum colere ſtudent. Iſaiæ 58. vetamur ita agere vt vllum opus noſtrum inueniatur. i. vitioſum. Nam bona opera, ait Auguſt. noſtra, ipſius potius eſſe intelliguntur quàm noſtra. Quid enim ſine illo fecimus, niſi quòd in ira eius defecimus? itaque vitæ nouitas & regeneratio per Sabbatum ſignificatur, & ab iis qui verè Deo ſeruiunt, requiritur. Roman. 6. & ita Anſel. dixit Sabbatum eſſe quietem, quam animæ ſanctorum habent à vitiis & in hac & in futura vita. Coloſſ. cap.2. Idem ſentit Ambroſ. in Pſal. 119. Sabbatum eſſe liberationem & manumiſſionem à ſeruitute peccatorum & vitiorum.

Sed quæritur vtrum per vnam tantùm hebdo-

A madis diem ſit à vitiis & peccatis abſtinendum. Reſpond.Minimè quidem,ſed toto vitæ curriculo,quod & Iudæis circunciſio ſatis demonſtrabat, & nobis Chriſtianis Baptiſma eiúſque ſignificatio, quæ docet nos Chriſtum induiſſe. Galat.3.v.27.& peccato iam eſſe mortuos in reliquũ totius noſtræ vitæ tempus.Rom.6.

Altera Sabbati,quatenus fuit ceremonia,ſignificatio pertinet ad futuram beatámque vitã. Erat enim Sabbatum ſacramentum Iudæis vitæ quietiſque æternæ, in qua non modò ab omnibus peccatis liberatio contingit, ſed etiam ceſſatio ab omnibus operibus, & quies ab omnibus laboribus & ab afflictionibus recreatio. Sic Apoſtolus ipſe interpretatur ad Hebr.3. & 4.v.9.Patres non adeptos eſſe Sabbatum dum hîc viuerent,id eſt,quietem æternam. ſic Ambroſ.in Pſal.119. appellat eã vitam æternam,magnum Sabbatum.ſic Auguſt.libro 22. De ciuitate Dei. cap.30. his verbis, Dies enim ſeptimus etiam nos ipſi erimus,quando eius fuerimus benedictione & ſanctificatione pleni atque referti. Quieſcunt enim à laboribus ſuis.Apoca.14.v.13. B

Sed quæritur, cur dies certa nempe ſeptima ſit definita huic quieti. Nimirum quia omnes dies ſunt benedictæ à Deo.Geneſ.1.item & Deo conſecrandæ. Reſpõ.Quòd in omnibus nihil neceſſe eſt ſimilitudinem cum re ea, cum qua cõparatur, omnibus ex partibus conuenire:ſic Chriſtus ſe furem appellat, ſic Deus miles dicitur Exod.15. & gigas in Iſa. Præterea rectè dies ſeptima præ cæteris, id eſt, 3.4.5.& 6.ſelecta eſt à Deo, quia numerus ſeptenarius perfectionẽ in ſcriptura ſignificat & perpetuitatem.Philo putat in expoſitione generali decalogi hanc eſſe rationem, quòd Deus ἑϐδομάδι τὰς μεγίσας ϗ πολυημέρους ἑορτὰς προσένειμε κατὰ τὰς τοῦ ἔτους ἰσημερίας ἐαρινὴν ϗ μετοπωρινὴν δύο δυσὶν ἀναθεὶς ἑκατέραν ἐφ' ἡμέρας ἑπτά. Eſſe autem numerum ſeptenarium perfectionis ſignificatiuum, apparet quòd Dominus die ſeptimo quieuit,quòd Iſ.11. verſu 2. enumerat ſeptem dona Spiritus ſancti,& quòd rebus maximis & pulcherrimis hic numerus tribuitur donatúrque: Septem millia non flexerunt genu coram Baal. De huius numeri dignitate & ſi-
C gnificatione vide Ambroſ.in lib.De Noe & arca. cap.12.item & Pythagoreos.Auguſt.lib.11. De ciuitate Dei cap. 31. Hieron.in Iſa.11. & ex ethnicis Gellium lib.3.noctium Atticar.& Macrobium li.1.in ſomnium Scipionis.Sed & Leuit.16.v.19.

Sed obiicio numerum ſenarium dici à Mathematicis perfectum & primum è perfectis τέλειον appellant, & Philo Iudæus ita ſentit in κοσμοποιΐᾳ. Hieron.in Exech. dicit eſſe ſacramentum creaturarum.Reſpondet Auguſt.lib.11.De ciuit.Dei.ca.30. Dici ſenarium perfectum quòd in ſuas partes quotas diuiſus ſemper redit,& ex iis partibus cõpletur. Sed alia ratione dicitur numerus ſeptenarius ſacer,quia tunc Deus quieuit,&c.

Nec obſtat quod ſcriptum eſt Eccleſ. 42.v.26. Omnia bina à Deo creata.Ergo binarius numerus præferendus.Reſpon.Non ſequi. Nec enim propterea ille ſignificat perfectionem, vt ſeptenarius. Sed bina Dominus multa creauit, vti Calidum & frigidum, vt eſſet quædam rerum inter ſe cõtemperatio, vel vt binas aures, binos oculos vt eſſet eorum ſenſuum certum iudiciũ,& validior actio.

Quæſitum eſt,cur igitur hæc dies à Chriſtianis non eſt retenta,vt ea die conuentus publici eccle- A
ſiaſtici & ſolennes maximè fierent, ſed dies Solis (quę dicitur)& octaua potius electa eſt,quę κυριακὴ.i.Dominica dicitur.Apocal.1.verſ.10.1.Cor.16. Reſp.Duplici de cauſa. Prima, Vt ſuam in eo libertatem Chriſtiani oſtenderent nec iam Iudaicis ceremoniis aſtringi.Secunda, Quòd dies hæc octaua maioris cuiuſdam perfectionis videtur hodie nobis ſignificationem præbere, vt ait Auguſt.lib.22.De ciuit.Dei cap.30.his verbis, Nam dominicus dies velut octauus, æternus eſt, qui Chriſti reſurrectione ſacratus,æternam nõ ſolùm ſpiritus, verumetiam corporis requiem præfigurat. Ac libertatem ſuam in die octaua eligenda oſtendunt Chriſtiani, & ſe à Iudaicis ceremoniis Chriſti beneficio liberatos. Porro neque præcisè octaua dies ab omnibus eccleſiis pro ſolenni ſυνάξει facienda obſeruata eſt, ſed ab aliis eccleſiis tertia dies,id eſt,martis:ab aliis quarta, id eſt, mercurij,vel alia,vt tradit Socrates Scholaſt. in hiſto. li.5.c.22.& eſt in tripartita hiſtoria. Dies autẽ Dominica quæ & Solis dicitur, poſtea communi omnium eccleſiarum conſenſu ſub Imperatoribus B
Chriſtianis ſtatuta eſt.l.pe.C.De feriis,& quia videbatur hæc etiam Apoſtolorum tẽporibus probata,vt annotat Beza in 1.Cor.16.

Sed obiicitur aduerſus hæc omnia, ſtabilitum eſſe à Domino Sabbatum vt eſſet perpetuum.Exodi 31. v.16. Reſpon.עולם apud Hebræos longum tempus denotat,non æternum. Deinde hoc dictũ reſtringi ex conditione rei de qua agitur. Fuerunt autem omnes ceremonię ad certum finem & tempus inſtitutæ,id eſt donec veniret Chriſtus. Ergo eius aduentu ſublatæ ſunt.Ga.3.v. 24. Col.2.v.17. Nam earum corpus eſt Chriſtus.

Habet hic locus primùm explicationem rationis quæ addita eſt.

Secundum,duas huius præcepti cauſas reliquas explicat nempe
{ Politiam Eccleſiæ.
} Subleuationem ſeruorum.

Tertium docet quatenus ad nos pertineat hoc ipſum præceptum.

Ac primum quidem hæc ratio eſt, quæ addita eſt, quia Dominus ipſa die ſeptima quieuit vt eſt dictum Gen.1. Ergo nobis ipſis eſt quieſcendum C
& in Dei operibus meditandum,quod & Exo.20. & 31.& Deu.5.dicitur & ſæpe repetitur.

Obiter colligi ex hoc loco poteſt, quod ſcribit Tertull. in Apologetico improbam eſſe legem, quæ non patitur ſe examinari & probari, quando Deus ipſe omnis iuſtitiæ fons ſuæ legis æquitatem oſtendit: & illius rationem affert ipſe. Ergo malè vulgò dicitur, quod principi placuit legis habet vigorem.

Quęritur vnde ducta ſit hæc ratio.Reſp.A conſentaneis vel honeſto.Oportet enim imaginẽ ſuo ἀρχετύπῳ quàm maximè fieri poteſt aſſimilari : & creaturam ſuo creatori.2.Pet.1.v.4.1.Ioan.3.v.2.& filiũ referre patrẽ moribus eſt honeſtiſſimũ, vti & ore.Vnde illud eſt Terentij, Ohe ſimilis eſt maiorũ ſuorum.& ſæpe Dominus,Sancti eſtote quia ego ſanctus ſum.1.Petr.3.v.16.Leuit.11.v.44.19. v. 1.& illud,Diſcite à me quia ego mitis ſum Matth. 11.verſ.29.Ergo quemadmodum Deus quieuit die ſeptima, ita Iudæos ſuos die ſeptima iubet quieſcere.Auguſt. libro 8,De ciuitate Dei. capite 27. Summa religionis eſt imitari eum,quem colis.

A Quæritur autem vtrum Deus in omnibus ſit à nobis imitandus. Num igitur & in mundi creatione,& in miraculis tentandis ſit ſequendus,proponendus,& à nobis imitandus Deus?Reſp. Minimè verò:nam iſta eſt κακοζηλία & Salmonea imitatio,de qua Virgil.lib.6.Æneid.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis,& ſonitus imitatur Olympi,
Demens qui nimbos,& non imitabile fulmen
Ære & cornipedum ſonitu ſimularat equorum.

In quibus igitur?Reſp.in iis ſolùm, in quibus ipſe iubet vt ſe imitemur,& ſe pro exemplo proponit. Alia igitur eſt Dei Praua,alia Bona imitatio. Sic Core,Datham & Abiron Dei ignem ſtultè imitari voluerunt & perierunt.Num.16.ſic & magi miracula Dei quæ per Moſen fiebant. Exodi 7.v.11. Bernard. ſermo. in die natali Domini. Poteſtas ſubiectionem,maieſtas exigit admirationē, neutra imitationem.Appareat Domine bonitas , cui poſſit homo qui ad imaginem tuam creatus eſt, conformari:maieſtatem,poteſtatem , ſapientiam, nec imitari poſſumus,nec expedit æmulari.

B Quæritur igitur,vtrum Deus die ſeptima quieuerit, quum continuè agat & potenter omnia in omnibus,vt ait Paulus,etiam hodie.Epheſ.3.v.20. & dicat Chriſtus ipſe,Ego & Pater vſque ad hunc diem operamur.Ioan.5.v.17.Reſpondet Auguſtinus ex diuerſa ratione actionis Dei vtrúmque locum conciliandum. Deus enim agit vel creando, vel prouidendo.Creando agere deſiit, non autem prouidēdo.Sic Auguſtin.& in Ioann.& in Quęſt. in Exodum.& lib.4.de Geneſ.ad lit cap.10.11.12. 14.15.17.Sed ſolet obiici,etiam non deſiiſſe Deum agere creando,quum quotidie multa creet: Velut animas hominum naſcentium,monſtra etiam quę quotidie noua & inaudita naſcuntur , & eduntur præter ordinem naturæ. Reſp. Baſil. in Examer. Hoc dictum,*Et quieuit Dominus*,κατά τι accipiendum eſſe,non autem ἁπλῶς.Neque enim ſimpliciter Dominus deſiit ab eo tēpore operari & creare:ſed deſiit creare mundum,aut ea quæ ſunt partes mundi integrales , quǽque mundum conſtituunt. Quæ enim hodie creantur, partim ex illis primis creatis ordine naturæ fiunt, partim ex iis, C velut ex materia à Deo præparata,naſcuntur.Hæc de primo capite quod explicandum reſtabat.

Veniamus ad ſecundum caput, quod in eo verſatur,vt reliquæ duæ huius præcepti edendi cauſę explicentur,è quibus prima eſt , vt eſſet aliqua in Eccleſia cultúque Dei externo exercendo politia, ordo,& ratio. Altera,vt ſerui ſubleuarentur.

Ex quo primùm illud colligendum eſt , quod ait Paulus, omnia in Dei Eccleſia ordine & decēter eſſe facienda,non confuſè perturbatè & indecorè.1.Corin.14.v.40.Coloſſ.2.v.5. Eſt enim Eccleſia Dei domus , in qua ordine omnia collocari & geri debent.1.Tim. 3.v.15. Vnde & Balaam caſtrorum Iſraeliticorum ordinem admiratus eſt. Numer.24.v.5.atque pii reges, velut Dauid & Ezechias, quæ antea confuſè in Dei cœtu gerebantur,diſtinxerunt.1.Chron. 23.24.25. & ſeq.quia ea res pertinet ad ædificationem omnium. i.infidelium qui in eccleſiam ingrediuntur , & eum ordinem vident:atque etiam ipſorum piorum.Neque enim Deus eſt confuſionis Deus , ſed ordinis & pacis.1.Corinth.14.verſ.33.Vnde ἄτακτοι iſti & politiæ ſanctæ perturbatores quidam(quorum autor A Ioannes Morelius videri voluit)ſunt magno odio digni,& Deo ipſi infeſti homines,non autem ſolùm hominibus. Hic locus eſt communis de cōmendatione politiæ eccleſiaſticæ & vtilis, qui variis locis ex Actis Apoſtolicis confirmatur.

Sed quæ fuit Politia? Nimirum vt quanquam eſſet iuge ſacrificium quotidie duplex,matutinum nimirum & veſpertinum:tamen die ſeptima quieſceret populus ab omni opere , & in Lege Dei meditaretur,concionéſque de ea audiret , Actor. 15.& quidā Pſalmi iis diebus cātabantur,vt Pſ. 92.

Ex quo fit vt omnes dies feſti & feriati, de quibus agitur apud Moſen,conuentúſque ſolennes & ſacri ad hoc præceptum pertineant. Fuerunt autē apud Iudæos fere ſeptem , è quibus tres præcipui,quibus quiſque maſculus ſe coram Deo Hieruſalem ſiſtere iubebatur,minimè vacuus:erant igitur hi dies feſti. Ac quidem initio anni.

1 Paſcha primo menſe , Exodi 12. die 14. menſis.

2 Nouorum fructuum , qui proximè ſequebatur. B

3 Hebdomadum ſeu Pentecoſtes. Nam quinquaginta dies à feſto nouorum fructuum numerabantur, & dicebatur hæc ſolennitas Panis. Quǽque enim familia offerebat duos panes poſt meſſem.

4 Tubarum,quæ fiebat 1. die menſis ſeptimi.

5 Reconciliationis ſolennitas quæ fiebat decima die menſis ſeptimi.

6. Tabernaculorum Σκηνοπήγια erat 15. menſis ſeptimi.

7 Dedicationis Ἐγκαίνια.1.Machab. 4. verſ.59. die 5.menſis noni.Præter hos erant Νεομηνία,id eſt Calendæ menſium. De quibus omnibus vide Exodi 23.verſ.14.Leuit.23.verſu 1.& ſequen. Deuteron.16.1.Samuel.20.verſ.27.

Ter verò in anno hic populus corā Deo ſe ſiſtebat : in Paſcha : in ſolennitate Pentecoſtes & Tabernaculorum.Deut.16.v.16.Actor. 2. vt ſuam tum in fide,tum in ritibus,tum in charitate etiam vnionem teſtaretur.

Philo putat Dominum ſecutum eſſe in collocatione ſolennitatum,τὰς ἔτους ἰσημερίας.i.ęquinoctia C quæ bis ſingulis annis contingunt. Alterū in Vere,menſe Niſan,qui primus fuit apud ſacerdotes: alterum in Autumno in menſe Septembris , qui menſis fuit anni initium in publicis priuatíſque negotiis.Hoc menſe ſeptimo mundum à Deo cōditum Hebræi putant. Alij Vere potius & menſe Martio:ſed Hebræis aſſentior.

Præter has feſtiuitates fuit annus ſeptimus,quo ab aratione ceſſandum fuit, & hic annus quies terræ dicebatur.Leuit.25. v.1. Quo tempore licebat cuique publicè paſcere,& fuit velut alterum Sabbatum. Fuit etiam & annus quinquageſimus quo tempore ſerui Hebræi manumittebantur , & ad antiquos priſtinóſque dominos agri & fundi redibant , reuertebantúrque cùm eos alienauerant. Hic annus dicebatur annus Iubilei.Leuit.25.v. 8. & ſeq.Exod.19.Hier.34.v.14.ſic autem appellatur à voce Hebræa יובל quæ ſignificat cornu arietis, quòd eo cornu libertas ſeruis , & fundorum tum vrbanorū tum etiā ruſticorum reſtitutio dominis dabatur publicéque per præconem pronunciabatur. Hic annus fuit pulcherrimum Sabbatū. Putat

A Melanchthon in Chronicis, ideo quoque inſtitutum hunc annum, vt eſſet ſupputatio temporis, & ortus mundi atque creationis rerum omniũ recordatio, ne cenſeretur æternus hic mundus. Ergo vt Græci ſuas Olympiadas habuerunt: ita Iudæi ſuos Iubilæos, per quos ſuæ hiſtoriæ geſta & totius mundi memoriam notarent & deſcriberẽt. Longius verò tempus quàm 50. annorum nõ fuit ſtatuendum, quoniam ferè hominis ętas communis, & memoria publica longiori tempore durare non ſolet certa & conſtans.

Ad hoc idem præceptum pertinere videntur omnia externi Dei cultus exercitia, qualia erant ſacrificia, purgationes ſeu lotiones, & quæcunque illi cultui ſubſeruierunt, velut templum, arca, candelabrum, ceremoniæ variæ, de quibus Apoſtolus ad Hebræos 9. quæ D. Caluinus ad ſecũdum præceptum refert. Denique templum ipſum Hieroſolymitanum imprimis. Quod autem Salomonicum templum parui facere videtur Bernardus ſcribens ad milites, non rectè fit ab eo, ſed adulandi ſtudio iis, ad quos tunc ſcribebat.

B Denique quod de ſacrificatoribus, eorúmque inauguratione, vnctione, dignitate, munere, iure, alimentis & decimis dicitur à Moſe, ad hoc præceptum omne pertinet, & debet reuocari.

Sequitur tertia & vltima ratio propter quam inſtitutum fuit Sabbatum, vt ſit ſeruorum ſubleuatio, & quies, quemadmodum & Dominorum. Deuter. 5. v. 14.

Seruorum autem nomine non tantum homines ſerui & ancillæ, ſed etiam iumenta omnia continentur, quorum haberi rationem Dominus ipſe vult. & ea ratione nos ad humanitatem inſtruit, & format. nam ne beſtiis quidem ipſis crudeliter, & immiſericorditer vtendum docet. & alibi dicitur, Os boui trituranti non obligabis. Deuter. 25. v. 4. & Paul. 1. Corin. 9. v. 9. 1. Timoth. 5. v. 18. item vetat in aſino & boue laborare. Deuter. 22. v. 10. quia eſt inæquale iugum: item ſubleuare bruta animalia iubet Dominus ſi ſub onere labantur & laborent. Exodi 23. verſu 4. & 5.

Denique ſeruos ipſos vetat durius tractari à dominis ſuis. Exod. 21. verſ. 26.

C Hoc idem ipſum naturali lumine ducti iubent fieri etiam ethnici homines, & iis relaxationem animi ab operibus per hebdomadem dari, ſed & iumentis. Præclara enim eſt ſententia,

Cùm ſeruos fueris proprios mercatus in vſus,
Vt ſerui fuerint, homines tamen eſſe memento.

& Heſiod. lib. 2. Ἔργων ϗ Ἡμέρων his verbis requiem iis dandam ſcribit (Aliàs enim nimia eſt iſtorum dominorum ſemper opus vrgentium ſeueritas, ſæuitia, crudelitas & auaritia.)

--αὐτὰρ ἔπειτα
Δμῶας ἀναψῦξαι φίλα γούνατα, ϗ βόε λῦσαι.

id eſt,

Cæterum poſtea

(*Memineris*) vt ſerui refrigerent genua ſua, & ſolue boues vt quieſcant: & lib. 3. vocat ſeptimum diem ἱερὸν ἦμαρ. id eſt, ſacrum diem.

Negant tamen Stoici nobis vllũ eſſe δίκαιον πρὸς τὰ ἄλλα ζῶα δι' ἀνομοιότητα. Laert. in Zeno. li. 7. Obſtat item quod ait prouerbiũ, Quot ſerui, tot hoſtes. & Macrob. in Saturnalibus, & Sext. Pomp. Quod idem penè ſcribitur Prouer. 29. verſu 21. & Eccleſ. 33. v. 25. Seruos nõ nimium leniter habendos. Reſpondeo. Id non de omnibus ſeruis dictum fuiſſè, A ſed de iis tantùm, qui abutuntur dominorum clementia & humanitate, quod autem in re eſt accidens ſpectari non debet, quoties de re per ſe quæritur quemadmodum hîc. Falſum autẽ eſſe quod parœmia illa vetus ait, docent infinita ſeruorum exempla, veluti eorum qui dominos in ſecundo bello ciuili, quod inter Brutum & Octauium geſtum eſt, conſeruarũt, vt tradit Appian. in lib. De bellis ciuilibus. Deinde ad Dei potius præceptũ, quàm ad ipſorum ſeruorum ingratitudinem eſt nobis attendendum.

Ergo cum ſint ſerui pars populi Dei, exercitiis pietatis carere non debuerunt. Itaque in eorum etiam fauorem dies hæc ſeptima eſt à Deo conſtituta.

Nam etiam ad laborandum fiunt ſerui promptiores atque alacriores, quum intelligunt diem aliquam ad quietem ſibi conſtitutam & reſeruatã eſſe. Atque hæc hactenus.

Tertium denique caput explicat, quomodo & quatenus hoc præceptum ad nos hodie & ſub Euangelio pertineat. Ac quidem quatenus ceremoniale fuit Sabbathum, nihil hodie ad nos, quando B Chriſtus nobis apparuit, qui fuit earum vmbrarũ corpus & veritas. Col. 2. Ergo eius ceremoniæ veritas & fructus à nobis quidem ſentitur. (Nam & vitæ regenerationem attulit nobis Chriſtus, & futuræ æternæque vitæ iam in Chriſto poſſeſſores ſumus, in quo vita noſtra abſcondita eſt Col. 3. v. 3.) Ceremonia verò non obſeruatur à nobis, qui per Chriſtum exhibitum plena libertate fruimur. Quare liberè hodie, & ſolùm quantum ad communem eccleſiæ ædificationem pertinet, ab operibus noſtris ceſſamus vt Dei cultui inſeruiamus, & vt neminem offendamus. Sed neque gentiles ipſi ſeuerè dies ſuos feſtos obſeruandos eſſe cenſuerunt, aut ſuperſtitioſè. Nam Vergil. libro 1. Georg. ait,

Atque etiam feſtis quadam exercere diebus,
Fas & iura ſinunt, riuos deducere, nulla
Religio vetuit, ſegeti prætendere ſepem, &c.

Inter quos fuit hæc diſtinctio, vt haberent obſeruaréntque alios dies faſtos, alios nefaſtos, alios medios & interciſos, vt ſcribit Ouid. li. 1. De faſt.

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur, C
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.

Tria verò illa verba fuerũt, Do, Dico & Addico, quæ fuerũt prætoria, vt ait Varro libro 3. De ling. Latina. & ſcribit Auguſt. in lib. De 10. Chord. Melius faceret & Iudæus & Chriſtianus in agro ſuo aliquid vtile, quàm ſi ſeditioſus aut ſaltans in theatro eſſet. Idem quoque in Pſ. 92. Ergo omnino operari die dominica nos Chriſtiani non vetamur, modò à Dei cultu propterea non auocemur, neque à publicis concionibus & precibus, neque à meditatione verbi Dei: modò item proximis offendiculum non præbeamus.

Quod ad Politiam eccleſiaſticam, quæ per illud præceptum ſancita eſt, pertinet ad nos hoc præceptum. Itémque quoad ſeruorum ſubleuationem. Sed hîc multa quæruntur.

Imprimis quæ commendentur confirmentúrque hodie hoc præcepto. Reſpon. Cultus ipſe Dei externus, & quæ illi cultui ſubſeruiunt omnia. Ac cultus quidẽ Dei externus in verbi Dei prædicatione, & precibus publicis & priuatis, Sacramẽto-

rum

A rum adminiſtratione conſiſtit, ídque maximè : & reliquis rebus, quæ ex ipſa actus forma noſtrum erga Deum obſequium teſtâtur, qualia ſunt ea, quæ noua ſacrificia vocat Auguſt.lib.20.de ciuitate Dei.cap.26.Vetera enim in Chriſto implemētū habuerunt.Hebr.7.8.& 9. Ergo hæc facere etiam hodie,atque hoc præcepto iubemur,quoniam hic externus Dei cultus nobis Chriſtianis relictus eſt.

Sed quæſitum eſt & de tempore,& de loco,quo hæc exerceri debent. In quo ipſo conſiſtit politia eccleſiæ. Ac de tempore quidem quæſitum eſt, quando,& quoties in hebdomade ad illa ſuperiora celebranda cōuenire populus debeat Chriſtianus.Reſp.quando Dominus ipſe vnam diem ſelegit ex tota hebdomade, nobis Deum eſſe imitandum,vnámque diem in ſeptimana ſaltem ſeponēdam ad ſolēnes illos cœtus eccleſiaſticos agēdos: quanquam illud verum eſt, quod vti cibo quotidie corpus:ita animus Dei verbo quotidie paſcēdus eſt & alendus:ſed de totius eccleſiæ cœtu colligendo hîc quærimus & reſpondemus.

Sed,quæſitum eſt vtrum quotidie ſacramēta B adminiſtrari debeāt,iíſque nos communicare oporteat,an verò tantùm diebus dominicis. Reſp.Auguſt. & qui quotidie communicat, reuerenter de Sacramentis ſentire videtur : & qui non cōmunicat quotidie neq; ſingulis etiā diebus dominicis. Nam vt ille ſalutis ſuæ pignus in iis quotidie quęrit:ita hic qui raro communicat, Sacramentorum maieſtatem agnoſcit, ad quæ non niſi reuerenter & cum magno examine accedere vult & audet. Hic tamen fuit mos veteris eccleſiæ : vt quoties συνάξεις,id eſt, ſolēnes eccleſiaſtici cōuētus fierent, Cœnæ Chriſtiani communicarent. De Baptiſmo aliud receptum erat,vt Catechumeni quidem tantùm die Paſchæ & Pentecoſtes baptizarentur:piorum verò filii quolibet tēpore,quo cœtus Domini conueniret : vt eſt in diſt. 4. De conſecratione in Decret.Hoc tamen de cōmunicando Cœnæ Domini totum genus liberiores habet obſeruationes.De Baptiſmo aliud eſt.filii enim fidelium ſtatim ſuæ adoptionis ſignum debent accipere.

Sed quæſitum eſt vtrum præter diem Dominicam liceat nobis Chriſtianis dies aliquos feſtos C inſtituere,in quibus otiemur. Hîc diſtinguendū eſt. aut enim illi dies feſti,Diuis & Hominibus defunctis dicantur,tanquam Diis & idolis,aut Deo ipſi: aut ad publicam rerum geſtarum memoriam, & gratiarum actionem,quæ Deo fit,inſtituti ſunt.

Ac diuis,ſanctis,idolis & defunctis dies feſtiuitatéſque conſecrare planè idololatricum eſt & dānatum. Vnus enim Deus colendus eſt.Et quanquā veteres Chriſtiani baſilicas primùm martyribus & confeſſoribus piis dedicarunt, tamen hoc fuit iam ſuperſtitioſum, & poſtea res ſerpſit longius: & ad martyrum monumenta quoque ſupplicabāt ex magna iam ſuperſtitione animi,& ad ea conuenientes liba offerebant, quod fecit Monica mater Auguſtini. Deinde Baſilicas condiderunt martyrum nomine ſacratas.Demum dies eorum,γενεθλιακὰς,id eſt,natales,item quibus martyrium illi paſsi erant,coluerūt. Sed inde magna labes ſuperſtitióque in Eccleſiam Chriſtianam irrepſit. itaque hoc totum fugiendum & tollendum eſt.

Chriſto verò ipſi veteres dies quoſdam ſacrarunt,atque dedicarunt, cuius & natalem diem, & Epiphaniæ & Reſurrectionis,& Aſcenſionis diem coluerunt,fidei confirmandæ,reíque geſtę teſtificandæ A gratia. itaque Euagrius meminit eorum feſtorum, & Auguſt. epiſt. 118. & contra Adimant. cap. 16. & Ambroſ.in tractatu Epiphaniæ ſermo. 19.20.21.& eſt in tit.De feſtiuitatibus. diſtin. 3. De conſecratione in Decreto. & in l.penul. & l.fi.C. De feriis & ext.De feriis. Et quanquam Chriſtus eſt hodie & heri,Heb.13.verſu 8.& eius mortis, aſcenſionis, reſurrectionis memoria quotidie nobis ob oculos verſari debet:tamen ob circunſtantiam temporis patres meritò eorum dierum celebrarūt memoriam, quòd illis res eſſet cum ethnicis hominibus,qui quicquam tale,quale de Chriſto prædicat Euangelium, vnquā fuiſſe negabant. Itaq; vt oſtenderent vera eſſe omnia quæ de Chriſti natiuitate,paſsione,reſurrectione,&c. narrantur ab Euangeliſtis,eius rei & temporis quo geſta fuerat, memoriā piè, primúmque ſine vlla ſuperſtitione obſeruabant. Nobis hodie eoſdem dies obſeruare nihil neceſſe eſt, quibus cum ethnicis aut Chriſtum paſſum vel natum negantibus res non eſt. Itaque neque dies iſtos colere aut obſeruare neceſſe eſt,aut etiam operępretium. B Conqueritur Hieronym.in epiſtola ad Gala.cap.4.v.10. & Chryſoſt.cap.2.v.17.quòd Chriſtiani homines ſua ætate in is rebus penè Iudaizarent. Certè ex Cano. 1.2.3.4.5.& ſeq.(qui ex variis ſynodis ſunt tranſcripti)De conſecrat.Diſt.3.apparet quāta ſuperſtitio poſtea inducta ſit,& multitudo iſtorum dierum feſtorum,vt omnino tolli ſatius ſit.

Ad publicam rei geſtæ memoriam atque gratiarum actionem,quæ Deo fit, vtiliter ſæpe aliqua dies ſancitur,quemadmodum Iudæi Dedicationis feſtum addiderunt, cui Chriſtus ipſe interfuit, vt beneficii inſtauratíque templi à Machabæis memoriam conſeruarent.1. Machab.4.v.59. Ioan.10. verſu 22.& l.omnes dies, & noſtris etiam diebus. C.De feriis, dies natales, principum celebrabantur inter Chriſtianos.

Quæſitum eſt De loco,vtrum certus aliquis locus ad eos conuentus ſolennes deſtinari debeat. Reſpon. Politiæ publicæ cauſa debere, non ſanctitatis cuiuſpiam loco tribuēdæ.Iubet enim Paulus vt manus puras in omni loco tollamus ad Deū. 1.Tim.2.verſu 8.& terra eſt Domini,ait Paulus & C Dauid Pſalm.24.1.Corint.9.ver.28. & Chriſtus omnem locum ad precandum ſanctum eſſe docet hodie.Ioan.4.v.21.

Quod de templo Hieroſolymitano obiicitur illud vnicum fuiſſe, in quo ſacrificare olim licuit. Reſp.Illud planè ceremoniale fuiſſe, vt vnitas Eccleſiæ, & vnicum ſacrificium corporis Chriſti oſtenderetur.

Quæritur num verſus orientem conuerti nos dū oramus,oporteat.Reſp.Thom.in 2.2ª quęſt.83. Oportere. Patres quaſdam eius ritus & quidē antiqui rationes excuderunt : ſed verius eſt totum hunc morem eſſe ſuperſtitioſum.

Quæ externo Dei cultui ſubſeruiunt, ſunt aut perſonæ ipſæ aut ceremoniæ. Quæ omnia hoc præcepto continentur.

Ac perſonæ quidem quæ præſunt Doctrinę,ſunt Paſtores, & Doctores: quæ præſunt Moribus & ærario pauperum,Presbyteri & Diaconi,qui pauperum curam gerunt,Act.7.

Ad Perſonas pertinet diſputatio de earum

A perſonarum
1.Electione ſeu ordinatione.
2.Authoritate.
3.Suſtentatione vel alimentis.
1.Corinth.9.

De electione agitur 1.Timoth.3.Tot.tit.in Decret.diſtin.23.& ſeq.itémque de earundem Depoſitione.Ad hunc etiam locum pertinet diſputatio de Simonia.Eſt autem cùm fauore vel pretio, vel non legitimo modo quis eccleſiaſticam dignitatē eſt conſecutus. Gratis enim illa eſt accipienda: & huiuſmodi pretium cedit in perniciem dantibus: & in lepram accipiētibus vti Giezi ceſsit ſeruo Eliſæi, Act.8.verſ.20.2.Reg.5.v.27.vide quid Canoniſtæ ſcribant in can.Quid pro pecunia 1. quæſt.1. can. Altare.1.quæſt.3. Quid Bernardus in lib.De conſideratione.& Anſelm.in Elucidario,commemorent.Idem ſentiendum de iis qui ciuiles dignitates emunt vel vendunt.Hi enim ſummā perniciē generi humano inducunt, malos nimirum magiſtratus & mercenarios. De qua re cōqueritur grauiſsimè Saluia.Epiſcopus Maſſiliēſis li.4.De prouidētia Dei:Quid eſt aliud omnium dignitas B ſublimium,quàm proſcriptio ciuitatum? aut quid aliud quorundam, quos taceo, præfectura, quàm præda? Ad hoc enim honor à paucis emitur, niſi vt cunctorum vaſtatione ſatientur,&c.

Authoritas Eccleſiæ conſiſtit vel in Cenſura,& ea vel Priuata quæ admonitio eſt,vel Publica quæ ſuſpenſio,& excommunicatio: vel in iuriſdictione & poteſtate præcipiendi Diuina & verbo Dei præſcripta,vel honeſta & decora perſonis vel toti cœtui Eccleſiæ pro ratione loci, temporis, perſonarum. Itaque hæc poſtrema decreta mutari poſſunt etiam ab vniuerſa Eccleſia conſtituta.2.Tim.4.verſ.2.Tit.3.ver.10.

Huc incidit quæſtio de Synodis, quarum certè ſi ſint legitimæ ſéque intra ſuos fines contineant, hoc præcepto authoritas ſancitur. Vide libro 4. Chryſoſt.de Sacerdotio.

Sed & ordo,qui in conuentu Eccleſiæ ſolet ad decorum retinendum obſeruari, commendatur hoc præcepto.Olim populus humi ſedebat ſuper mattas,ait Ambroſ.in.1. Corint.14. Presbyteri & Epiſcopi celſiori eminentioríque loco ſedebant, C vt toti populo apparerent.

De ſuſtentatione & victu eorum, qui Verbum Dei annuntiant,præcepta ad hoc caput pertinent, quæ multa ſunt in Lege Dei, vt apparet toto Leuitico. Ad Leuitas enim pertinebant Oblationes, Primitiæ,Decimæ,Malach.3.v.28.Numer.18.24.

Ac quidem eſſe alendos Dei Miniſtros, cùm nō habent vnde ſe exhibeant, apparet ex dicto Pauli, 1. Cor.9.1.Timot.5.17,& 18.2. Cor.11.9. Philip. 4. v.18.Roman.15.ver.27.

Sed quæſitum eſt præcipuè vtrum Decimas habere debeant Miniſtri Dei,quia Leuitis debebantur ex præſcripto Legis diuinę.De hoc varia eſt & controuerſa diſputatio. Et vno conſenſu Scholaſtici omnes putant ad Verbi Miniſtros eas pertinere,atque ab iis exigi poſſe. Id quod illi tractant in 13.quæſt.1.item 16.quæſt.1.cano. Eccleſiæ antiquitas.& cano.Quicunque voluerit. Reſp.verò ex Eccleſiaſtica hiſtoria, & Euſebio in Conſtantino Magno apparere publicis ſūptibus ali ſolitos fuiſſe Dei verbi Miniſtros & Paſtores Eccleſiaſticos: non autem eos decimas accepiſſe. Euſeb.li.10.Hiſtor.cap.6.Itaq; Theodoret.lib.4.cap.4.ait Iouinianū σιτηρέσιον reſtituiſſe Eccleſiis. & ait Hermius A Sozomen.lib.6.ca.3.ἀπέδωκε ταῖς ἐκκλησίαις ϗ τοῖς κλήροις ϗ χήραις,&c. Ergo falſum eſt Decimas in Eccleſia Chriſtiana ad Miniſtros Euangelii iure diuino pertinere, cùm Eccleſia Chriſtiana ſub Impp. Chriſtianis eas non habuerit,vti oſtendimus.

Sed neque eas meritò poſſunt exigere,etſi Leuitę poterant,quicquid Aquiſgranenſe conciliū ſub Pipino Lodoici filio habitum lib.1.ca.52.36.& 37. communi iam errore deceptum ſcribat & ſentiat. Mutata enim perſonarum conditione, & ius mutatur, quia tranſlata Lege Sacerdotium & quæ ad illud pertinent mutātur,Heb.7.v.12.ergo cùm hodie Miniſtri Verbi non ſint decima pars populi, neque paternis bonis careant,vt Leuitę,Deute.10. v.9.Numer.18.verſ. 20. decimæ iis non debentur. Bona verò Eccleſiaſtica quomodo & quibus diſtribuenda ſunt, vide 10.quæſt.1.& 2. Sumptus tamen honeſti & ſtipendia commoda Verbi Dei Miniſtris ab Eccleſiis pro ſe ſuáque tota familia exhibenda præſtari & perſolui omnino debent.

Ergo & hoc fuit Ceremoniale, vti & cultus diuinus,& ordo,& perſonæ ipſæ quæ illi cultui ſubſeruiebāt, B & diſtinctio familiarum Iſraeliticarum, & illud, vt ex vna tantùm tribu Leui Verbi Miniſtri eſſent,Iſa.66.nō autem fuit ius decimarum iudiciale, quemadmodum tamen putat & ſcribit ad Epiſcoporum auaritiam tuēdam Thomas in 2.2ᵉ quæſt.87.artic.1.vt retineri debere doceat.

Quæ ab ethnicis ſancita ſint, quæ cum hoc præcepto conferri poſſunt,diximus ſupra ex Vergilio & Ouid.de diebus Faſtis & Nefaſtis. Sed & quæcunque ſcribit Aug.de Paganorum ſacrificulorum θεουργίᾳ, & eorum ſacrificiis, per quæ animos purgari exiſtimabant, itémque de epiſtola Porphyrij ad Abnebonem Ægyptium ſacerdotem, li.10. De ciuit.Dei,cap.8.9.10.19.20.& 23.illa cum hoc pręcepto poſſunt coniungi.Sed Ethnici irriſerunt Iudæorum nimis ſeueram in die Sabbathi obſeruationem,Iuuenal.Satyr.14.ſed non ſunt Ethnici huius rei ignari audiendi.

De Iure ciuili Romanorum quid excerpi poſſit, quod ad hoc præceptum pertineat, facilè eſt perſpicere ex ipſis titulis. Quicquid enim eſt in tit.de Epiſcopis & Clericis,& tit.de Sacroſanctis Eccleſiis, C in tit.De feriis. C. pertinet ad hunc locū.Hoc totū ab Imperatoribus Chriſtianis eſt ſancitū. Ex Pandectis autem ad Sacerdotii commendationem pertinet.l.Non diſtinguemus.§.Sacerdotio obueniente. D. De recept.arbitr. Pœna in violatores huius præcepti apud Moſem fuit mors.Erat enim hoc crimen capitale.Numer.15.Exod.31.v.14.& 15.

DE SECVNDA TABVLA

CAP. XI.

De ſecunda Tabula,& numero præceptorum,quæ in ea continentur,eorúmque materia.

PEruenimus ad ſecundam Tabulā huius Legis,primúmque illius præceptum, quod eſt, *Honora Patrem*, &c. De quo priuſquam agam quædam præfabor in vniuerſam hanc tabulam, quæ erunt vice προλεγομένων, & lucem ad ea quæ ſequuntur,afferent, A Ac quidem cõſtat inter omnes Legem Domini in duas tabulas ab ipſo Domino diſtinctam, Exod. 32.ver.15.& 34.ver.1.Deuter.10.ver.1.& 1.Reg.8.v. 9. Id quod factum eſt tum memoriæ cauſa, quò facilius diſceretur ita breuiter diſtincta: tum ipſarum rerum, de quibus agit, diſtinguendarum & animaduertendarum gratia. Nam quemadmodum illius argumentum duplex eſt ſiue obiectum, nempe Deus & homo, ita prima tabula continet, exponítque noſtrum erga Deum officium. Secunda verò noſtrum erga proximum. i. omnes homines. Et hactenus inter omnes conuenit. Sed iam quæſtio eſt:

Quot præcepta ſecunda tabula contineat? Reſp. Scholaſtici ſeptem, quoniam vnum præceptum ex prima tabula delẽt, vti diximus, quod eſt de idololatria fugienda. Et decimum huius tabulæ in duo partiuntur. Veteres Iudæi vt Ioſephus & Philo in expoſitione generali Decalogi, rationem numeri paris ſequuntur, Nimirum, vt prima tabula quinque habeat præcepta: Hæc ſecunda item quinque. Itaque hoc etiam præceptum *Honora* B *patrem*, &c. ad primam tabulam pertinere putant, quia pater ſit domeſticus quidam Deus, & ſemper parentis facies debet eſſe honeſta liberis. Sed aliud docent & Paulus Rom.13. & ipſe Chriſtus, Marc. 10.ver.19. qui hoc præceprum, *Honora patrem*, manifeſtè ad ſecundam tabulam referunt, & ad noſtrum erga proximos officium: Chriſto verò credendum eſt ἁπλῶς, neque poteſt cuiuſquam authoritas huic conferri, nedum anteponi: ergo prima tabula habet tantùm illa quatuor ſuperiora.

Quando verò conſtat decem prǽceptis tota lex, & quatuor tantùm ad primã tabulã pertinent, ſex ad hanc ſunt reuocanda, quibus tota continetur & completur, vti etiam puriores Scholaſtici ſentiũt. Thomas 2.2æ quęſt.122.& Magiſter ſententiarum, Ambroſius apertè in epiſt.ad Epheſ.6.v.2.

Quæſitum eſt, Num plura præcepta quàm ſex, hac ſecunda tabula comprehendantur. Et vidẽtur plura ineſſe. Cùm enim Paulus Rom.13. hæc ſex enumeraſſet, addidit & ſi quod aliud præceptũ eſt. & Chriſtus, Marc.10.v.19. videtur addidiſſe ſeptimum. Nempe μὴ ἀποστερήσεις. Reſpondi ſupra ad dictũ C Chriſti: Ad Paulum autem ſic reſpondeo, Non negare nos & alia præcepta ſummatim his ſex ἀνακεφαλαιοῦσθαι & comprehendi. Nam quæcunque ſigillatim ad ſtabiliendam conſeruandámque hominũ charitatẽ inter ſe in tota Moſis nomotheſia ſcripta ſunt, ad hos ſex tãquam ſolos & præcipuos fontes reuocantur. Ergo hæc ſunt ſex præcipua capita. Reliqua præcepta ſunt horum ἐξηγήσεις & appendices, & ſecundaria quædam præcepta.

Quæſitum eſt, Num pauciora præcepta eſſe debuerint aut potuerint, quàm ſex. Et videtur debuiſſe. Cùm enim hæc Lex breuiſsimè fuiſſe ſcribenda appareat, fruſtra in ſex capita diſſectum eſt, quod vno tãtùm, duobus, vel tribus potuit proponi. futura enim erat breuior & compendioſior Lex. Sed & videtur potuiſſe. Nam Chriſtus ipſe docet eſſe vnum hoc præceptum ſummum charitatis. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, Matth.7. verſu 12. & Ama proximum ſicut teipſum Canon. 1. in Decreto, & nos aliquando diximus, Optima iuſtitiæ lex, hæc & maxima veræ, Ne facias aliis quod fugis eſſe tibi. Bernard. Sermo. De triplici genere, Hæc eſt lex naturalis ſocietatis, vt omnia, quæcunq; nobis fieri nolumus, aliis non faciamus. A Reſp. Iſtum eſſe ſummum Legis ſcopũ non autem præceptũ, quod rerũ agendarũ modos & rationes contineat. Ergo eo modo cõcipere noſtrum officium erga proximos, non fuiſſet Legẽ dare hominibus: ſed tantùm actionum noſtrarum ſcopum nudè & obſcurè deſignare. Quod vt melius intelligatur, ſciendum eſt, Hoc eſſe Legis munus, vt honeſta præſcribat & iubeat, vetet turpia. Nam, vt ait Plato in Minoe, Lex eſt ὅρισις. i. definitio rerum agendarum, quæ modum & rationẽ honeſtè viuendi in rebus ſingulis generatim quærit, inueſtigat, & edocet. Ergo legis eſt cõſtituere nõ ſolùm fines rerum agẽdarum, noſtríque officij: ſed & modũ & rationem per quam illud fit, demonſtrare. Id quod videmus in omnibus populorum legibus fieri. Etſi enim de omnibus rebus leges fieri non poſſunt, tamen fiunt ſcribuntúrque de iis, quæ ad generales actiones noſtras regendas pertinent, id eſt, quæ modum iis imponunt, ſingulis generibus earum notatis & diſtinctis, non quòd ſingulas actiones per ſe definiant præcepta Legis. Et vt in hominis mente duæ ſunt νοὸς πρακτικοῦ. i. intellectus agendi B faces, & facultates à Deo datæ, Vna quæ nominatur συντήρησις: altera quæ dicitur συνείδησις, è quibus illa conſeruat generales iuſti & iniuſti notitias, vt Phyſici ſcribunt: hæc iudicium ſanum & ſincerũ de ſingulis actibus noſtris: ita Lex ad vtramque naturæ facem tendere & ſpectare debet, vt ex præſcripto συντηρήσεως iuſtum ex diuino lumine definiat, non ex hominum voluntate. Ex præſcripto συνειδήσεως, quam Lex fouet & tuetur, ſingularum rerum honeſtè gerendarum præcepta tradat. Et idcirco ait Paulus Legis finem eſſe vt ſana animi conſcientia inter homines viuamus, 1. Timoth.1. verſu 5. Sed & quando lex omnis propter tranſgreſsiones poſita eſt, Galat. 3. verſu 19. Rom.5. verſu 20. Tranſgreſsio autem & modum & genus facti notat, & perſonarum rationem habet, atq; ad ſingula genera & particulares actiones pertinet: Legis eſt, non tantùm finem vel modum ſummum præſcribere, per quem honeſtè viuatur: ſed etiam modum rationémque ſpeciatim demõſtrare, per quam ad id homines peruenire, tanquam per vias poſsint. Et verum eſt illud Thomæ in 2.2æ quæſt. 44. quòd quanquam in operabilibus C extenſiones facti inſunt, virtutéque continentur in fine & principiis rerum agendarum bene intellectis, quemadmodum concluſiones virtute continentur in ſcientiis ſpeculatiuis in principiis bene intellectis: tamen quia ab omnibus non poſſunt facilè intelligi, idcirco addenda ſunt plura præcepta. Et hæc ratio eſt, quamobrem ipſi Iuriſconſulti & νομοθέται gentium omnium nõ contenti fuerint pro omni lege hęc tria iuris prę cepta commemorare, quæ ipſi referunt in §. Iuris autẽ præcepta, De Iure naturali gentium & ciuili, in Inſtitut. & in tit. De legib. D. Nimirum honeſtè viuere, Neminem lædere, Ius ſuum cuique tribuere, ſed præterea varias leges addiderunt, quia Legis eſt in ſingulis actionum generibus certos quoſdam fines pangere & præſcribere.

Atque hoc ipſum valet aduerſus eos, qui obiiciunt potuiſſe totam Dei Legem duobus præceptis hiſce trahi, Fac bonum, Abſtine à malo, Pſal. 34. Nam illa duo modos & genera actionum non ſatis diſtinguunt.

Quæritur, Num hæc genera actionum noſtrarũ potuerint breuius definiri: & videntur potuiſſe, nimirum, Ne cogitatione dicto vel facto quenquam læderemus, quod docet Paulus Coloſſ.3.v.17. Reſpon. Iſto quidem modo genera actionum noſtrarum diſtinguuntur, ſed nimis breuiter & obſcurè: itaque diſtinctius & facilius docendi fuimus. Nam in quoque genere earum rerum, quæ hic commemorantur, hæc tria inſunt. Non mœchaberis, cogitato, dicto vel facto. Nõ furaberis, cogitato, dicto vel facto. Ergo quædã diſtinctiora & faciliora genera quærenda fuerunt. Illa autem ſunt ſex, quæ & breuiſsimè & facillimè omnia genera humanarũ actionum, per quæ charitas læditur, iuuatúrve, cõtinent. Neque quicquam melius fieri poteſt.

Iam de horum ſex præceptorũ vniuerſa diſtinctione videamus, & cur ſex eſſe oporteat. Thomas in 2.2ᵃ quæſt.122. rationem affert. Philippus Melãchthon tum in locis communibus, tũ in ſua Epitome Moralis Philoſophiæ de eo agit copioſé. Auguſtin. in lib. De liber. arbitrio etiam ſuam ſententiam profert. Dicunt Philoſophi omnes humanas noſtráſq; actiones eſſe vel abſolutas, quale eſt Deũ colere: vel ad alterum. Quę ſunt ad alterum verſantur in iuſtitia, & ea quidẽ vel diſtributiua, qualis ea quæ conſtituit, vel Præmia, vel Pœnas: vel Cõmutatiua, quæ verſatur in contractibus & obligationibus, & iis vel volũtariis, ſiue ex vtraq; parte, vel vna tãtùm obligent, vt donatio: vel non voluntarijs, quales ſunt iniuriæ, cædes, furta quæ patimur. Hæc Ariſtoteles lib.5. Ηθικῶν Νικομαχ.

Quæſitum eſt, Vtrũ hæc ſecunda tabula omnes iſtas actionum formas contineat. Reſp. Non, ſed ea tantum genera, quæ ſunt ad alterum. Nam prima tabula continet eas actiones noſtras, quæ ſunt abſolutæ.

Quæritur, Vtrum omne genus actionum noſtrarum, quæ ſunt ad alterum, cõplectatur hæc tabula. Nimirũ & eas quæ in diſtributiua, & eas quæ in commutatiua iuſtitia verſantur. Reſpon. Continere non philoſophica quidem diſtributione & ratione: ſed alia & faciliori & magis populari ratione docendi, quæ eſt huiuſmodi. Omnis noſtra erga proximum charitas,

Docet, Vel Quid
- Specialiter quibuſdam perſonis & hominibus debeamus. In hoc explicando verſatur quintum præceptum.
- Vniuerſim omnibus hominibus, Vel
  - ipſorum hominum ratione, Ne cuiuſquam lædamus
    - Corp'.6. præceptum.
    - Matrimoniũ. 7.Pręceptum.
    - Bona.8.
    - Famam.9.
  - Dei, Non concupiſces.10.

præceptum. Atque de his omnibus vide Iob.31. per totum. Hierem.7.verſ.8.& 10.& Auguſt. libro 3. ad Bonif. cap.4.

Cap. XII.

Quinti Legis diuinæ præcepti, quod eſt, Honora Patrem & Matrem, expoſitio.

De ordine huius præcepti ſuprà dictum eſt. Conſentiũt enim omnes eſſe numero quintũ: Hieron. in epiſt. Pauli ad Epheſ. ca.6. v.1. etſi primum eſt cum promiſsione ſpeciali. In ſecunda verò tabula primum. Nam ſecundùm Deũ ſunt diligendi parentes. Inquit Philo in explicatione decalogi, οἱ εὐτολμότερον ἀποσεμνυνοῦντες τὸ γονέων ὄνομα φασὶν, ὅτι πατὴρ ϗ μήτηρ ἐμφανεῖς εἰσὶ θεοί. Et parentes ſecundum numen colendos etiam ethnici ſentiunt: Ariſtoxenus Pythagoræus imprimis. Vt ex eorum variis ſcriptis docet Stobæus λόγῳ 77.

Huius autem præcepti æquitas eſt triplex: Diuina, Naturalis, Politica.

Ac diuina quidem, quia quicquid iubet Deus iuſtum eſt. & hoc idcirco Paulus Epheſ.6.v.1. ait iuſtum eſſe per ſe & ſimpliciter, quia Dei voluntati congruit & conſentit. Eſt enim Deus ipſe omnis cognationis, quæ in cælo & in terris nominatur, author, fons & principium, ait Paulus Ephe.3.ver.15. 1. Timoth.5. verſu 8. vbi Chryſoſt. ſic ait, Neque idem eſt proprium & alienum aſpernari, ſed longè maioris eſt criminis, notum, quàm ignotũ: amicum, quàm qui non ſit iunctus amicitia, aſpernere. Naturalis item affectus idem faciendum docet. Nam quemadmodum omnibus nõ modò hominibus, ſed etiam animalibus inſeuit Natura ſiue Deus στοργὰς φυσικὰς erga liberos: ita metum quendam indidit liberis, & reuerentiam erga parentes, Rom.1.verſ.31. 1.Timoth.5.v.8. Voto enim naturæ theſaurizant liberis ſuis parentes, 2. Corinth.12. verſu 14: ita ductu monitúque naturæ filii ad patres honorandos inſtruũtur, θείη γὰρ ϗ καλὴ γονέων ὄψις ἐστι τέκνοις. Eſt enim ſemper ſancta facies & honoranda patrum liberis, niſi omnem naturæ ſenſum exuerint. Itaque Abſalom quanquam perditus, tamen iratum patrem ferre non potuit, 2.Sam.14. verſu.32. Eccleſ.7.ver.29,& 30. Itaque contra parricidas legem nõ ſcripſit Solon, vt ſcribit M.Tull. Pro Roſcio Amerino, quòd tantùm ſcelus in cuiuſquam animum cadere non poſſe exiſtimaret. Et quod ſcribit Tertull. lib.1. aduerſ. Marcion. Ponticos homines patrum defunctorum corpora in conuiuiis eſitauiſſe, iſtud honori & cultui parentum tribuebatur, quaſi filiorum ventres eſſent honeſtiſsima parentum ſepulchra. Denique vt ait Hier. Mater & Filiæ nomina pietatis, officiorum vocabula, vincula naturæ, ſecunda poſt Deum fœderatio ſunt.

Politica ęquitas ex eo apparet. Quòd oportet rerum omnium, ordinũ, Magiſtratuum cõfuſionem ſequi, ſi non in metu & poteſtate parentum liberi retineantur. Itaque omnium populorum legibus hoc præceptum ſcitum eſt & probatum, & ingrati actio conſtituta eſt parentibus contra liberos, vti Atticis legibus & poteſtas iiſdem data ingratorũ liberorum exhæredandorum. Laudat Romulum Halicarnaſſ. lib.2. ἀρχαιολογίας, quòd patri in filios per totam vitam poteſtatem dedit.

Duo obſtant. Primò, Quòd obiicitur ex Matth.10.verſ.37. Luc.14.ver.27. propter Chriſtum odio habendos eſſe parentes.

Ergo videtur hoc præceptum noua Lege. i. Euangelio eſſe antiquatũ, & ait Hier. ad Heliodor. per calcatum perge patrem, ad vexilla crucis euola. Hoc cùm peruersè intellexiſſent Monachi in ingreſſu monaſterii, & aditu profeſsionis ſuæ ſuis parentibus, honorem quem deferre iubemur, adimunt. Reſ. Hoc nõ ſimpliciter dictũ eſſe, neque abſolutè: ſed κατά τι & per comparationẽ. Potior enim eſt Dei quàm parentum cauſa, vt ait Ambroſ.

A in Lucam.Verum eſt:ac ſic Thomas ipſe ſoluit 2. 2æ quæſt.101.Non vult Chriſtus intuitu religionis debitum parẽtibus honorem ſubtrahi. Sunt enim religio & pietas,duæ virtutes:vna igitur alteri non eſt contraria.Ambr.ſermo.15.& in Pſal.119.

Alterum eſt quod obiici poteſt ex Mat.23.verſu 9. In terris neminem eſſe patrem appellandum. Vnus eſt enim Pater qui eſt in cœlis. & huic conuenit quod ſcribit Paulus,1.Corinth.8.verſu 6.Epheſ.4.verſu 6.Reſpon.Patris nomen illic non ad ordinem rationémque naturæ & ortus noſtri referri:ſed ad fiduciæ noſtræ & vitæ fontem & fundamentum. Eſt autem ſic vnus Deus, Pater, & is quidem cæleſtis,non autem ſic homines.Nam ordine rationéque generationis, ij ex quibus procreati ſumus,tantùm Patres appellantur,ídque etiam teſte ſcriptura,vt hîc,& infinitis penè aliis locis,& Hebr.12.v.9.appellantur πατέρες σαρκὸς,à quibus tamen,vt à Deo,pendere non debemus.

Quęſitum eſt,Cùm plures ſint cognationis gradus multáque eorum genera, quibus plus aliquid debemus,quàm quod in vniuerſum omnibus hoB minibus: Cur de hoc potiſſimum cognationis & charitatis arctioris gradu & genere meminit Lex. Reſpond.Quòd cùm difficile admodũ aliis ſubiiciantur homines, & iis quibus tamen debent (quod fieri iubet hoc preceptũ)In eo potiſſimum gradu inſiſtendum fuit, & homines fuerũt prouocandi ex eo officii genere,ad quod ſe maximè atq; equiſſimè adſtringi fatẽtur,& ſentiunt,natura ipſa docente, & impellente.Et quanquam his duobus hominum generibus maximè natura cõciliamur, Sanguine coniunctis, & Probitate aliqua inſignibus,tamen maior eſt, & conſtantior ea cõiunctio, quæ nobis ſanguine cõciliatur,quàm ea quæ probitate & virtute cõtrahitur. Etſi ſentit aliud Philo in expoſit.generali,συγγένεια γὰρ,inquit,οἰκειοτέρα τῆς πρὸς αἷμα,ἢ πρὸς δικαιοσύνην,καὶ πᾶσαν ἄλλην ἀρετὴν ὁμιλία. Sed Thomas & contra ſcribit & nobiſcum facit in 2.2æ quæſt.26.artic.7.

Denique quæſitum eſt, Num hoc præceptum ius naturæ violet & tollat.Eſt enim libertas naturalis:at ſeruitus contra naturam.Omnes enim natura expetunt eſſe liberi. Et in §. Ius autem genC tium.De Iure natur.gentium.& Ciuil.dicitur ſeruitus eſſe contraria Iuri naturali.At tamen ſeruitutem quandam inducit hoc caput. Ergo videtur ius naturæ conuellere.Sic enim in locis communibus ſentit Philippus, hoc capite legis conſtitutum eſſe ius ſeruitutum, & omnes homines quodammodo fieri ſeruos,atque illud cõfirmari,quod ſcribit Ariſtoteles lib. 1. Politicorum quoſdam natura eſſe ſeruos. At ait Auguſt. lib.19.de Ciuit. Dei. cap. 15. hominem rationalem factum à Deo, qui ſolis irrationalibus dominaretur. Itaque noluit,ait, Dominus hominẽ homini dominari, ſed hominem pecori.de quo ipſo vide Baſil. de Spiritu ſancto cap.20.Reſp.Aliud eſſe tollere naturalẽ libertatem:aliud tollere licentiam effrænem.Hoc præceptum libertatem quidem relinquit,cui cum ſtorgis naturalibus rectè conuenit. At illam effrænatam animi omne iugum excutientis ἀταξίαν, quæ peccati maximus eſt fructus, tollit. Quidam enim neque Deo , neque hominibus vllis ſubiici ſe volunt, aut patiuntur, quæ res licentia eſt,non libertas. Itaque grauiter reprehendi atque redargui poſſunt Anabaptiſtæ hoc præcepto.

Quod autem aiunt,Homines ita conditos à Deo, A vt pecoribus,non vt hominibus imperarent: hoc autem præceptum aliud ſuadere, Reſpon. Auguſt. lib.19.de Ciuit.Dei.cap.15.& 16. propter hominis peccatum id fieri,vt quidam aliis ſubiiciantur: Vt autem parentibus , etiam ſine peccato id fieri æquum fuit.Nam & Deo ſubiici fuit iuſtum etiam ante peccatum, & ſapientioribus. Vide Durandum in lib.2.Sentent.Diſtinct.44.quæſt.2.& Baſilium lib. De Spiritu ſancto cap. 20. Gregorius Magnus ita ſcribit in Paſtorali: Omnes homines natura æquales genuit, ſed variante meritorum ordine alios aliis culpa poſtponit.Ipſa enim diuerſitas,quæ acceſſit ex vitio, diuino iudicio diſpenſatur, vt quia omnis homo æquè ſtare non valet, alter regatur ab altero. Quæ verba Auguſtini ſententiam confirmant.

Honora. Honoris vox & ſignificatio.Tria ſignificat hoc loco, vt ex variis Scripturæ teſtimoniis colligi facilè poteſt, Reuerentiam, Obſequium ſeu Obedientiam: Gratitudinem ſeu Subleuationem.Et hoc eſt quod Scholaſtici dicunt, liberos debere parentibus cultum:& officium. B

Ac reuerentia eſt dignitatis ſuperioríſque poteſtatis agnitio & veneratio, quam & animo & corpore exhibere inferiores debent. γονεῖς μὲν γὰρ,vt ait Philo,ἐκ τῆς τῶν χρειττόνων εἰσὶ μερίδος καὶ τάξεως. παῖδες δὲ ἐν τῇ καταδεεστέρᾳ.id eſt,Parentes potiorem gradum obtinent, filii verò inferiorem, & ita Moſes ipſe Leuit.19.verſu 3.explicat Metuetis patrem & matrem.Itaque & apud ſe honeſtè de parentibus filii cogitare atque ſentire debent: & palàm verbis atque ſermone eos cohoneſtare. Vetantur enim liberi conuitio patres afficere.Exod.31.ver.17.Deuter.21.v.18.Leuit.20.verſ.9.ſed & eos cædere prohibentur Exod.31.verſ.15.quia iis reuerentia debetur. Itaque iis aſſurgere debent liberi & domi & foris,& cedere loco:eorum mores etiam duriores ferre,ſed & verbera.Et antiquitus Pater pro Domino habebatur etiam iure Roma. Atque hanc noſtram ſententiam confirmat,quod eſt ſcriptum Epheſ.3.verſ.15.& Eccleſ.3.ver.9.10.& ſeq.& Heſiod.lib.1.Ἔργ.καὶ Ἡμερ.

Sed quæſitum eſt,vtrum filius magiſtratus patri priuato loco cedere,atque aſſurgere debeat.Reſp. Diſtinguendum eſſe quo in loco & qua de re agatur. C In iis quæ ad magiſtratus ſui munus pertinent,atque eo in loco,vbi pro magiſtratu filius agnoſcendus eſt,cedere debet pater, atque honorem filio deferre non quatenus filius:ſed qua magiſtratus eſt. Sic Fabius maximus docuit, ſic Aſa matrem depoſuit.Extra hanc circunſtantiam,& in priuatis ædibus & negotiis,debet filius patri cedere, illi aſſurgere , ſe hominem illiúſque partum & partem agnoſcere.De quo vide A.Gell.Noct.Atticar.li.2.capite 2. & Nebriſſenſ. Decad. 1. libr. 7. cap. 10. de Ferdinando Rege Hiſpaniæ cui pater Ioannes Arragonum cedebat.

Obedientia ſiue obſequium eſt paterni mandati præſtatio & executio,quæ fit à filio quatenus in eo poſitum eſt , Epheſ. 6. verſ.1.Col.3.v.20.ſic enim Paulus interpretatur Honorare,id eſt, τιμᾶν eſſe ὑπακούειν.

Quæſitum eſt vtrum in omnibus ſit parendum & obſequendũ parentibus,& videtur. Nã Col. 3. v.20.κατὰ πάντα,ait Paulus.Sed & diuina & naturalis ratio aliud docere vidẽtur. Ac diuina.Mat.10.v.37.

A Naturalis etiam, quòd ethnici homines ſcribunt nõ per omnia parentibus obſequendũ. Muſonii de ea re præclara diſputatio extat apud Stobæ.ſer.77. Sed reſpondet Paulus Epheſ.6.v.1.ἐν κυρίῳ parendũ iis eſſe, id eſt, eatenus, quatenus Deo ſuus honor ſaluus & incolumis manet, & vide A. Gell. lib.2. Noct.Atticar.cap.7.

Tertia verò ſignificatio *Honoris* eſt gratitudo. Eſt autem neceſsitatis egeſtatíſque eorum ſubleuatio ſiue re ſiue opera ſiue conſilio noſtro egeat. Quæ res debetur à liberis parentibus. Matt.15.& Eccleſ.3.v.14.& à ſubditis magiſtratibus, vt eſt Nehem.5.v.15.& à grege paſtoribus ſuis.1.Corinth.9, Paulus ipſe.1. Tim.5.v. 4. & ita Thomas quoque interpretatur in 2.2* quæſt.10.Hieronym.ad Gerontiam de Monogam. Honora patrem tuum, & matrem tuam, non in verborũ ſono, qui inopiam parentum caſſâ poteſt adulatione fruſtrari: ſed in victus neceſſariis adminiſtrandis debet intelligi. Iubente igitur Domino, vt filij alerent parẽtes pauperes, & redderent beneficia ſenibus, Phariſæi contraria docebant.

B Neque obſtat quod ſcribit Paulus 2. Corint.22. v.14. Patres theſaurizare filiis, non contrà. Voto enim naturę bona parentum debentur filiis, & illud verum eſt, Ordine turbato ſuccedis Bulgare nato. Reſpon. Per ſe quidem ita eſt, & à parentibus fere aluntur filij.l.Alimenta.C.De negot.geſt. non cõtrà.& Epheſ.6. verſ.4. Sæpe tamen contingit vt auxilio opibúſque liberorum egeant parentes. Quod officium non eſt à liberis parentibus denegandum, ſed præſtandum. Et inquiunt Scholaſtici, Cultus quidem per ſe debetur à liberis parentibus: officium autem & ſuſtentatio per accidens, Nimirum ſi parentes egeant, id quod eſſe verum docet etiam ratio. Quid enim eſt æquius quàm parentibus ἀντιμήνθεια, ἀντιμίσθια & ἀμοιβὴν, id eſt, mercedem educationis & maternæ curæ rependi, vt ait Heſiodus libro 1. Ἔργ. καὶ Ἡμερ. Et id eſſe faciendum etiam brutorum animalium exemplo docemur. Sunt exempla Ciconiarum nota, quę ſenes parentes ſubuehunt humeris ad paſtum, & alunt. Vnde πελαργικοὶ νόμοι appellantur: & nota eſt etiam illa hiſtoria valdéque laudata de filia, quæ C propriis vberibus matrem in carcere aluit, de qua eſt videndus Valer.Max.lib.5 cap.4.& Cimonis Athenienſis pietas in patrem eſt celeberrima, valdéque imitabilis. Contrà verò Abſalonis impietas & pœna valdè miſera & damnata.

Quæſitum eſt vtrum ſeruile miniſteriũ præſtare debeant liberi parentibus, qualia ſunt lectum ſternere, pedes lauare, miniſtrantes iis aſtare, humeris ſubuehere, ægrotis adeſſe. Nam operarum, aiũt Iuriſcõ.in tit.de iure patronat.D.aliæ ſunt ſeruiles, aliæ ſunt officiales.i.officij gratiâ pręſtantur, vti ſalutare, deducere è foro domum. Reſpon. Ea quoque officiorum & operarum genera à liberis parẽtibus deberi. Nã ſi frater fratri id debet, multo magis & patri. Amnoni fratri ſoror Thamar eas operas exhibuit.2.Samuel.13. Et idem ſentit quoque Hierocles in libro Quomodo erga parentes agendum ſit, φέρει δ' ἐπὶ τὴν ἐπιμυθίαν αὐτοῖς καὶ τὸ τῶν δουλικωτέρων ὑπηρετημάτων ἀπλεῶς ποτὶ τοὺς παῖδας, ὥστε καὶ πόδας ὑπονίψαι, &c. Stobæus λόγῳ 77.

id eſt,

Affert autem conſolationem liberis, ſi ſeruilia etiã miniſteria parentibus ſuis exhibeant, veluti ſi eorũ pedes lauent. A

Et nota ſunt exempla de Catanæis ſiue de Ætnæis fratribus, de Cleobe & Bitone fratribus ſubuehentibus & trahentibus matrem curru, inſtar equorum. Valer.lib.5.cap.4.& Plin.lib.7.Hiſt.Natura.item de Ænea euehente patrem. Licuit iure ciuili patribus filios tempore famis vendere.l.fin.C. lib.4, de iis rebus quas diſtrah.licet, & iure quoque Hebræo, Exod.21.v.7. Romulus id ſanxit, vt Dionyſ.Halicar.docet lib.2, ἀρχαιολογίας.

Et cùm idem nobis prius præſtiterint parentes in τεκνογονίᾳ.1.Timoth.2.verſu 15. Nil mirum ſi dicamus eadem illis deberi. Nam, vt inquit Philo, Oportet homines, ἐνίων θηρίων εἶναι μιμητὰς & τοὺς ὠφεληκότας ἀντωφελεῖν.

Sequitur *Patrem & Matrẽ*, in quo primùm quæritur, cur vtriuſque meminit lex. Nam ſatis ſub maſculino fœmininum concipi poſſe videbatur. Reſpon. Duplex eſt ratio, conſuetudo quidem, & lex. Ac hominum hæc conſuetudo ferè eſt, vt, quẽadmodum ait Euripides,

— οὐ δ' ἂν εἷς ἀνὴρ
γυναικὸς αὐχήσειεν, ἀλλὰ τοῦ πατρός.

id eſt, B nemo iactat gloriatúrve, qua matre natus ſit, ſed quo patre.

Lex verò, quia ita vulgo omnium populorum legibus ſancitum eſt, vt fœminarum quàm virorũ in multis ſit deterior conditio. Itaque & vilior cẽſetur matrum conditio quàm patrum, & non habent matres liberos in ſua poteſtate, ſed habent patres: neque eos ex ſuo cognomine & familia denominant, neque iis nobilitatem pariunt, ſed ſoli patres. Sed tamen Deus vtrunque honorandum diſertè docet, ne propter ius illud diſpar, vni tantùm nimirum patri officium deberi cenſeretur, atque negligerentur matres. itaque Prouerb.23. v. 22.10.v.1.15.verſ.20.17.verſ.25. Vtriuſque, patris & matris, diſertè fit mentio, quia in procreandis liberis & educãdis vtriuſque & labor interuenit, & miniſterium.

Quæſitum eſt, vtrum par honor vtrique debeatur, patri & matri: & videtur mater plus eſſe diligenda, quia & ipſa plus diligit, vt ait Ariſtoteles libro 8. ἠθικ. Νικομα. C Agnoſcit enim partum velut partem viſcerum ſuorum, & in generatione videtur ſola corpus dare, atque in educatione prima plus laborat ipſa, nimirum vſque ad tres annos. Reſpon. Tamen Scholaſtici & Hiero. in Ezechiel. plus ſcilicet eſſe diligendum patrem, quia magis ad Deũ accedit. Si de iure ciuili quęritur, potiora ſunt iura patris: ſi de diuino aut naturali, nihil plus patri tribui videtur quàm matri. Vide tamen Thõ. in 2.2* quæſt. 26. Nam ſcriptura ſemper vtrunque parentem coniungit. Deut.21.v.28.

Quęſitum eſt vtrum parentes etiam viliores debeant liberi honorare ipſi honeſtioris conditionis amplioríſq; fortunæ. Reſp. Debere, vti ſcriptum eſt Eccleſ.23.v.18.& 19. Prouerb.23.v.22.

Quæſitum eſt, Qui patris matríſve nomine ſignificentur hoc loco. Et quia ex parte totum colligendũ eſt, ad ſolas eorũ perſonas non eſt reſtringenda ſignificatio, qui nos ipſi procrearunt, ſed eſt latius extendenda. Itaque aiunt Iuriſconſulti eos omnes comprehendi, qui parentum nuncupatione continentur. Hoc ſcriptũ eſt à Cõſtantino in l.vni C. li.9.titul.17. de iis qui parentes vel liberos occiderunt, & in §. Alia deinde lex De publi.iudic.

A in Inſtitutio. Parentum autem appellatione continentur omnes, qui ſunt in recta linea aſcendente vſque ad Tritauum, ait Paul.in l. Iuriſconſultus. D.de gradib.affinit.Ergo vltra tritauũ non erunt honorandi parentes. Aliud tamen ſentiendum eſt. Nam patris matríſve ſignificatio hoc loco eſt latiſſima,& ad 4.hominum genera pertinet. Nempe ad eos qui ſunt vel patres, Natura ſiue adoptione, vt omnes Cognati, conſanguinei, patria ipſa : vel Dignitate, vt Principes, Domini, Magiſtri: vel Ætate, vt Senes omnes: vel Beneficio, vt Benefactores animorum & corporum: & ita explicat doctiſſimè Cal. imprimíſque in Harmonia Moſis, atque etiam Phil.Iudę.expoſ.generali Decalogi his verbis, Πέμπτον τὸ περὶ γονέων τὸ τιμῆς πολλὰς καὶ ἀναγκαίους νόμους ὑπαινίττεται τοὺς ἐπὶ πρεσβύταις καὶ νέοις ἀναγραφέντας, τοῖς ἐφ' ἄρχουσι καὶ ὑπηκόοις τοῖς ἐφ' εὐεργέταις καὶ εὖ πεπονθόσι, τοῖς ἐπὶ δούλοις καὶ δεσπόταις.

id eſt,

Quintum præceptum legis, quod eſt de parentibus honorandis, multas & neceſſarias alias leges comprehendit, quales quæ de ſenibus & iuuenibus ſcriptæ ſunt, de Magiſtratibus & ſubditis, de B Benefactoribus & beneficiariis, denique de Seruis & Dominis.

Ac natura ipſa parentes ſunt Pater, Mater, & quicunque in ſuperiori aſcendenti recta linea ſunt omnes in infinitum :in obliqua verò linea collaterali, qui parentum loco habentur : velut Auunculus, Patruus, Amita, Matertera, & reliquæ perſonæ, de quibus Leuit.18.verſu 6.& ſequen. Ergo quod ait Critolaus in Aureis carminibus.

Τούς τε γονεῖς τίμα, τούς τ' ἔγχιστ' ἐκγεγαῶτας:

id eſt,

Honora parentes, & qui tibi ſunt ſanguine coniuncti,

Non referendum eſt ad propinquos tantùm cognationis conſanguinitatíſque gradu :ſed ad omnes etiam remotiſſimos.

Sed & fratres, & quicunque ex ea ſtirpe naſcuntur & oriuntur, continentur hoc præcepto, ergo ſunt fratres amandi. Ambroſ.ſermo.15.in Pſal.119. & Ouid.

Cùm tibi ſint fratres, fratres vlciſcere laſos,
Cúmque pater tibi ſit, iura tuere patris

C Ergo charitas propinquorum & domeſticorum omnis hoc præcepto continetur. Sed etiam Amici nobis hoc præcepto cõmendantur cum quibus nobis eſt ſpecialior neceſſitudo, & familiaritas contracta vt eſt Prouer.18. v. 24. Eſt enim charitas mater amicitiarum. Bernard. ait, viciſsimque amicitia eſt nectar, & optimus fructus Chriſtianæ charitatis.

Quæſitum eſt de Ciuitate, & de Patria vtrum diligi debeat, & videtur homini Chriſtiano nullã eſſe patriam conſtituendam in hoc mundo, quia cœleſtes ciues ſumus, non terreni. Epheſ. 2. verſu 19. Nam cùm hîc non habeamus permanentem ciuitatem. Heb.13.ver.14. certè neque patriam hîc habemus, vt idem Apoſt. ad Hebr.11. verſu 14. docet exemplo patrum. Idem dixit Ouid. libr.1.de faſtis.

Omne ſolum forti patria eſt, vt piſcibus æquor,
Vt vacuo volucri quicquid in orbe patet.

Et dicebat Socrates ſe eſſe ciuem mundanum. patria enim eſt, dixit Teucer, vbicunque eſt bene. Reſpon. Cùm iura diuina non tollant iura naturalia, omníſque cognationis author ſit Dominus. A Epheſ.3.ver.15.& diligendam quoque eſſe ciuitatem & patriam, in qua nati ſumus, educati, & adoleuimus, idque etiam piorum exemplo. Nã Hieremias teſtatur ſe diligere patriam. Hier.28.ver.6.& fortes fuiſſe commemorantur, qui pro patria conſtantiſſimè dimicarunt, 2.Sam.23.v.8.& ſeq. & nota eſt omniũ populorum, philoſophorum, & hominum de ea re vox. Patriam enim omnium cognationum, omníſque ſocietatis fundamentum putant & collocant. Eurip. in Phœniſſ.

οὐκ ἔστι τοῦ θρέψαντος ἥδιον πέδον.

Hoc confirmatur 2.Samuel.10.ver.12.Neh.4.ver.14. Et exemplo Nehemiæ qui pro patria mirè afficiebatur, vt apparet Neh.1.& 2. quanquam ſpecialis quædam ratio in Hieruſalem, quæ fuit ciuitas illa ſancta, fuiſſe videri poteſt. Ambroſius lib.1. De officiis, Fortitudo, quæ bello tuetur à Barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena iuſtitiæ eſt.

Sed quæritur, Quantum debeatur patriæ, quantúmque ſit diligenda. & Tull. libr.3. De bonor. & malorum finib. ait plus quàm nos ipſos diligendam. itaque ἀνδρεία virtus eſt appellata à Philoſophis ea, quæ facit vt pro patria fortiſſimè dimicantes moriamur, aítque Auguſtin. Maior eſt patria & ipſis parentibus tuis, in ſermo. de Verb. Euangelij. B

Vicit amor Patriæ, laudúmque arrecta cupido.

& illud Homeri,

οἴωνος ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Sed vtrum rectè ſe quidam pro patria deuouerint, vt Decij, maior quæſtio eſt & difficilior, quæ ex variarum circunſtantiarum ratione potius diffiniri debet, quàm ex vniuerſo genere quæſtionis.

Sequitur ſecundum caput, quod ſanctionis & promiſſionis explicationem continet. Eſt enim hoc præceptum primum in promiſſione particulari vti diximus, Epheſ. 6. verſu 1. Ac primùm quæritur.

Cur addita ſit Promiſſio cùm natura ipſa doceamur parentes eſſe honorandos, eiúſque monitu & inſtinctu ad id impellamur. Nam vt ait Valer. Max. lib.5. cap.4. Prima lex naturæ eſt diligere parentes, & Piſidæ libant parentibus ſuis tãquam diis. Reſp. Duplici de cauſa additam eſſe promiſſionem, 1. vt adhuc magis ad illud obſequium incitarentur homines, atque ita tanquam per gradus ad alia obſequia prouocarentur, veluti & qualia ſunt ea quæ magiſtratibus debentur, ad quæ coactè admodum ſe demittunt homines. 2. vt eſſet etiam velut quoddam fœderis diuini ſignum. Nã & eius terræ facta eſt mentio, quam velut ſacramentum cœli, & fœderis ſui dabat Dominus. De Xanthippo verò filio Periclis vt patrem accuſans peſte obierit, vide Plutarch. in vita Periclis. C

Promiſſio verò hæc eſt aptiſſima, vt qui colit & honorat ſui ortus inſtrumenta, diuturna vita potiatur, ortúſque ſui & vitæ fructum & vſurã quàm diutiſſimè percipiat, ac ita quoque æquum eſſe fieri dixerunt homines profani & ethnici poetæ, vt Hom. vide Eraſ. in parœmia πελαργικοὶ νόμοι.

Quod autem Chryſoſt. & Theophylact. in epiſt. Pauli ad Epheſ. 6. ver. 1. annotant hanc promiſſionẽ pertinere ad adoleſcentes liberos, qui diu & ſuauiter viuere cupiunt, falſum eſt, etſi probat Eraſmus. Ad omnes enim liberos pertinet etiam ſe-

A nes.Sed obiicitur, Cùm ſit vita hæc humana ærumnis plena.Iob. 7. & 14.Gen.47.verſ.9.1.Corint. 15. verſ.31. & variis telis & incommodis obnoxia, non videri hîc quicquam fœlix aut beatum promitti, ſed potius calamitoſum & infœlix. Reſp. Non modò vitam ,& lucis huius vſuram diuturnam promitti, ſed & proſperitatem illi adiungi. Deuter.5.verſu 16. Præterea ipſa quoque vita humana,ſi per ſe ſpectetur, eſt pulcherrimum Dei donum. 1. Quia qui nunquam extiterunt aut fuerunt,operum Dei ſpectatores,teſtes ,aut fructuarij nũquã fuerũt.Et per ſe vita ab Eccleſiaſte pręfertur morti.Eccleſ.7.v.22. Quia omnes hæ miſeriæ & ærumnæ,quas patimur,ſpem tamen aut guſtum immortalis illius beatitudinis adimere aut extinguere non poſſunt.Rom.8.v.18. Tertia ratio eſt, ad eam immortalitatem aſſequendam primus gradus eſt hæc vita terrena, quia qui nũquam fuerunt aut vixerunt, beati eſſe aut fieri non poſſunt. Nam non entis nullæ ſunt qualitates.Quod enim obiicitur de illis ærumnis, illæ non ex ipſa vitæ natura ortæ ſunt, ſed ex peccato. Geneſ.3.itaque B ſunt accidens ad vitam, ex accidente verò rei natura ſpectari non debet.

Quæritur,vtrũ ſemper ita fieri appareat,vt qui obſequuntur parentibus,ſint vitæ diuturnioris & longioris in his terris.Reſpon.Non ſemper, ſed eatenus, quatenus dominus ipſe iis ipſis expedire videt.Proſpicit enim nobis melius quàm nos ipſi & plus videt.Et cùm ſit animorum pater, datórque cœleſtis vitæ,vti & huius terrenæ,quando ſaluti noſtrę conferre ipſe ſapientiſſ.iudicat,vt hinc migremus,euocat. Conducit autem ſæpe, 1. Ne corrumpamur cum cæteris ſi hîc diutius viuamus. 2. Ne futuras ærumnas & calamitates, quas ipſe impendere ſcit, ſentiamus : ſic Godolias ereptus eſt.idémque Iſaiæ 57.verſu 1.2.3.dicitur.

Neque verò propterea fallit Dominus filios obſequentes & morigeros parentibus, quum iis vitã hanc temporalem adimit. Facit enim vt cæleſtem longéque beatiorem illi habeant: itaque commutat potius terrena promiſſa cum cæleſtibus, caduca cum immortalibus, & χάλκια χρυσείων, vt eſt in prouerbio.

C Quid igitur de immorigeris & ingratis liberis ſtatuendum? Fore vt à Deo puniantur, & in hac vita ſi non breuitate,certè infamia,variis ęrumnis & doloribus & cruciatibus,vti dicitur etiam Prouerb.30.verſ. 17. à feris beſtiis, & in futura vita. Nam quoque filius qui maledicit patri citò morietur,Prouerb.20.verſ.20,& 23.v.22.Exemplo eſt Abſalon & eius ignominioſa mors,2. Samuel.18. verſ.9. Exemplo eſt Cham irridens patrem Noachum,ab eo maledictus Gen.9.

Ac quidẽ legibus politicis Iudæorũ,mors ſtatuta eſt in filios, qui patri vel matri maledicunt, iíſq; & faciunt conuitiũ, vel qui in iis ſunt Iniurii, Ingrati & Immorigeri,Exod.21.v.15,& 17. Deut.27. v.16.Leuit.20.verſ.9.quod iudicium quemadmodum exercebatur expoſitum eſt,Deutero.21.verſu 28.& ſeq.

Cæterorum populorum legibus velut Athenienſ.Ingrati actio,vel potius accuſatio conſtituta eſt in liberos ingratos erga parentes. Et extant leges Platonis lib.11.de legib.Ariſtotelis ſententię in Ethicis pręclaræ.Dictum quoque Pampeli Pythagorici, γονέων ἀμελεῖν οὔτε δαίμων, οὔτε ἄνθρωπος σύμβολος ἄμποκα γένοιτο τινι, σύμμετρον ψυχὰς κεκτημένος A ἐπιστάμαν.id eſt,Parentes negligere, neque dæmon neque homo quiſquam vnquam ſuaſerit, qui modò cognitione vlla hominis digna præditus ſit.Et ait Iuſtin.Hiſt.lib.16. Quanquam parricidio nulla ſatis iuſta cauſa ad ſceleris patrocinium prætexi poteſt.& 1.Timoth.1.9.πατραλῴαι iſti dicuntur.

Romanorum legibus & ingrati actio conſtituta eſt Tot. tit. Cod. & Lex Pompeia ſpecialiter ſcripta ſancitáq; in parricidas, qui more maiorum primùm ſeueriſſ. nouóque genere mortis & atrociſſimo puniebantur. i. inſuti culleo vnà cum vipera & gallo gallinaceo in mare proiiciebantur, vt eſt in l.penult. D.ad l. Pompeiam,de Parricid. Poſtea autem cœperunt puniri lege Cornelia de Sicariis,l.j. D. ad l. Pompeiam de Parricid. Vidẽdus eſt Cœlius Rhodiginus lib. 6. Lection. Antiquar. cap. 43. Et puniuntur ſiue ipſi occiderint, ſiue venenum emerint,ſiue conſcij fuerint : ſed & medicus quoque qui venenum miſcuit. l. ij. D. eod.punitur.

Sed quæſitum eſt Vtrum hæc promiſſio ad nos pertineat.Et non videtur, quando ea promiſſione B caremus,quæ de terra ſancta olim facta fuerat. Reſpon. Eatenus quidem non poteſt ad nos ex ipſa verborũ propria ſignificatione pertinere hæc promiſſio. Pertinet autem quatenus vbicunque gentiũ ſimus,Domini eſt terra,Pſal.24.& Pſal.115. & quocunque in loco ſedem habeamus,Dei munus eſt erga nos,Pſalm.107.ver.36.Eccleſ.40. ver. 19,&, quemadmodum colligi poteſt ex Prouerb. 11.verſu 10.Ciuitatis domiciliíque conſtitutio felicitas eſt à Deo.

Veniamus ad reliquas huius vocis *Pater* & *Mater*,ſignificationes vt ex parte totum colligamus.

Secundum igitur ſignificatum eos omnes complectitur,qui dignitate ſunt patres,

Quales ſunt
1 Principes & ab iis delegati Magiſtratus.
2 Mariti.
3 Domini.
4 Magiſtri in quaque arte.

Ex quo apparet omnia tum Oeconomica, tum etiam Politica præcepta ad hoc caput Legis referri oportere,qualia ſunt ea quæ docent cuiuſmodi C ſunt & qualia ſubditorum officia erga Magiſtratus,contráque, qualia Magiſtratuum officia erga ſubditos.Quale officiũ vxoris erga maritũ,& mariti erga vxorẽ: ſerui erga dominũ,& domini erga ſeruũ.Deniq; diſcipuli erga magiſtrũ, & cõtrà magiſtri erga diſcipulum,quorum omnium authoritas hoc præcepto ſancitur, & de quibus Paul. Epheſ.5,& 6.& Coloſſ.3,& 4.Tit.2.& 1.Pet.2,& 3. 1. Ioan.2.Exod.26.v.28.Deut.16.v.18.

Denique quæcunque à Iuriſconſultis de ſtatu perſonarum traduntur, ex hoc fonte orta ſunt, hoc capite confirmantur, & reuocari ad illud debẽt.Sed & omnia pręcepta de iuſtitia diſtributiua.

Sed duo hominum genera hanc interpretationem conuellunt & oppugnant, Anabaptiſtæ & Papiſtę.Anabaptiſtarum error Donatiſtarum hęreſeos riuulus fuit,contra quam Auguſt. variè & copioſé. Illi Magiſtratuum authoritatem infringebant,& tollebant, & varias perſecutiones ab iis contra Dei Eccleſiam factas recenſebant, & illud dictum Pauli 1.Corinth.2. verſ. 8. eos crucifixiſſe Chriſtum Dominum gloriæ, & hodie adhuc in

A membris ſuis crucifigere,vel perſequi, vt docet Iacob.2.v.6. Sed reſpondet Auguſt. quod M.Tull. lib. 3. de legib.cùm de Tribunitia poteſtate agit. Iniqua,inquit Tullius,in omni re accuſanda,prætermiſsis bonis malorũ enumeratio,vitiorúmque ſelectio.Fuerunt enim quidam optimi Principes, quorum opera ſuſtentata,recreata,atque adeo reſtituta eſt Dei Eccleſia,qualis Dauid,Ezechias,Ioſias:& ſi quæ in quibuſdam Magiſtratibus inſunt vitia,ſunt hominum,non ipſius poteſtatis vitia.

Anabaptiſtis idẽ reſponderi ſolet. Negant enim illi Magiſtratus authoritatem inter Chriſtianos ſpiritualéſque homines, quos veritas ipſa nempe Chriſtus liberos fecit,eſſe aliquam,aut illius vſum extare.Sed apertiſsimè iam Chriſtus ipſe reſpõdit iis,Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris,Matth.22.v.21.Ergo quædam ſunt Cæſaris,ait Auguſt.& Paulus quoque Anabaptiſtis aduerſatur, Roman.13.1. Timoth.2.& Petrus,1.Petr.2.v.17.Tit.3.1.

Papiſtæ quoque cõuellunt,qui in Eccleſia Dei duo hominũ genera conſtituunt,Clericos & Laicos.Item,Regulares & Seculares.Regulares igitur B & Clericos(imprimis autem Pontificem Rom.)à Secularium & Laicorum Iudicũ & Magiſtratuum poteſtate, foro & iuriſdictione eximunt Tot.cano.Nullus Iudicum vel potius.11. quæſt.1.per totum,& cano.generaliter.16. quæſt.1. Et quum affertur quod ait Petrus,1.Pet.2.v.13. Subditi eſtote cuiuis creaturæ ſiue Regi,ſiue præſidibus & legatis ab eo miſsis.Reſp.ſophiſtæ,In præcipiẽtis ſermone non contineri perſonam loquentis, nimirũ ipſius Petri,neque aliorum Apoſtolorum. Ergo Roman.Pontificem Magiſtratibus nõ ſubiici, ſed ne Imperatori quidẽ. ita vafer ille & argutus Innocent.olim ad Conſtantinop. Imperator.reſcripſit,ſoluítque,vt apparet extátque ſcriptum in ca. Solitæ.Ext. De Maiorit.& Obedient.Afferunt autem pro ſe,quod Imperat.Valentinian.dixit Epiſcopis, vt eum eligerẽt cui ipſe colla ſua ſummitteret,vt eſt ſcriptum lib.7. Tripart. hiſtor.ca.8.& Theodorit.lib. 4.commemorat : ſed ea ſubiectio intelligitur quatenus nimirum de animarum & conſcientiæ ſalute quæritur & agitur. Nam in iis quæ ad doctrinam pertinent etiam Imperator, velut ouis Chriſti & membrum Eccleſiæ, Paſtori C ſuo ſubiicitur, & Miniſtro verbi Dei. In iis autem quæ ad ciuilem adminiſtrationem ſpectant,Paſtor vt ciuis,politico & communi Magiſtratui ſubiicitur.

Nos igitur de Magiſtratuum poteſtate & authoritate hoc loco agamus.Ac primùm quidem, quidam,plus, id eſt , nimium Principibus tribuunt. Quidã minus. Ergo certi fines ciuilis iuriſdictionis conſtituendi ſunt ex Dei verbo. Nam non ſunt omnia Cæſaris,quando dixit Chriſtus, Reddite quæ ſunt Dei Deo, Matt.22.Et iubet Petrus, 1.Petr.2.v.17. Non modò Regem honorari , ſed & Deum timeri, quod eſt maius. Et vera eſt illa ſententia Apoſtolorum,potius obſequendum eſſe Deo,quàm hominibus, Actor.4.v.19.Ergo nõ eſt abſoluta Magiſtratus poteſtas, ſed certos fines & limites habet,quos egredi non debet.

Ac primum quidem ſunt illæ hominum voces & ſentẽtiæ adulationis plenæ in Principes, Quod principi placuit legis habet vigorem : falſúmque quod eſt ſcriptum in l. Ἀξίωσις. D.Ad l.Rhodiam. De iactis:Imperatorem omnium,quæ ſunt in terra, Dominum : lègem autem eorum quæ ſunt in A aquis magiſtram,& moderatricem eſſe. Item falſum eſt,Duplicem eſſeRegum poteſtatem:Vnam quidem liberam & quam vocant abſolutam , quæ nullis niſi propriæ voluntatis frænis coerceatur: Alteram autem ciuilem quæ intra legum fines ſe coerceat.Nulla eſt enim Regum voluntas tam libera.Hæc enim ſolius eſt Dei propria,vt præclarè docetur in lib. De Iure Magiſtrat.Plutarc.in Demetrio damnat hoc plebiſcitum Athenien. vt quicquid rex Demetrius iuſsiſſet, illud & apud Deos fas,& apud homines ius eſſet : item ius eſſe quod vtile Spartæ. Nam non omne quod libet, licet:item nõ omne quod licet,ſtatim expedit,Bernard.epiſt.25. Sed etiam illud quod Iuriſconſulti ſcribunt,ſeuerius eſt,ſiquis Principis ſtatuas conflauerit,vel in eius ſtatuam lapidem iactauerit,teneri lege Iulia Maieſtatis.l.Famoſi.& l. Non contrahit.D. Ad l.Iul.Maieſtat. Eſt quidem Princeps & abſens & præſens honorandus, ſed huiuſmodi lex ex Imperatorum & tyrannorum Roma. Tyberij,Caligulæ , Neronis edictis ſumpta eſt,etſi impunitus non eſt dimittendus, qui iſta per cõtemptum B Magiſtratus fecit.

Qui ſunt igitur poteſtatis ciuilis fines?Intelligi ex hac diſtinctione facilè poteſt.

Rerum aliæ
- Salutis animarum noſtrarum cauſas & præcepta continent:
- Vitæ huius & Humanæ ſocietatis tranquillè cõſeruandæ modum & rationem præſcribunt.1.Timoth.2.v.2.

Quæ ad animarum noſtrarum ſalutẽ, & illius cauſas,præcepta,& modum aſſequendæ pertinẽt, ex nullius Magiſtratus legibus, & ſanctione pendent,ſed ex ſolius Dei verbo. Eſt enim Deus animarum noſtrarum,& creator,& pater, & ſolus cuſtos.1.Pet.4.19.2.v.25.Fruſtra me colũt homines, ait Chriſtus:docẽtes doctrinas præcepta hominũ, Matth.15.v.9.Et hæc ſunt verè Dei ſolius propria.

Cætera verò quæ ad vitæ huius tranquillitatem & pacem pertinent, ſunt propria ciuilis Magiſtratus & poteſtatis. Quæ edicere debet, & prudenti cõſilio ſtatuere & moderari: Et iis edictis omnes parere debent.Rom.13.

Sed quæritur ſi ea quæ iubet,verbo Dei aduerſantur. C Reſpond.Potius obediendum eſt Deo quã hominibus,Actor.4.verſ.19. Eſt enim Deus ſummus Magiſtratus, & omnis dignitatis fons, & author,& eatenus homines ſunt Magiſtratus,quatenus Dominus iis ex parte ſuam poteſtatem delegauit. Sic Ego dixi dij eſtis, Pſalm.82.ex Coloſſ.1. Prouer.8.15.Ioan.19.11.explicandum.

Sed quæſitum eſt, ſi eſt infidelis vtrum illi parendum ſit à Dei Eccleſia. Et quando non diſtinguit Scriptura : & vixerunt Apoſtoli ſub infidelibus Principibus, qui iubent fideles & pios iis parere, certè infidelibus Principibus eſt parendum in iis , quæ ſunt Magiſtratus & Ciuilis poteſtatis propria, Roman.13.& ita etiam ſentit Thomas in 2.2^{æ} quæſt.10. Ac iubentur Iudæi fideles ſubiici Nabuchodonozori infideli Regi toties apud. Hierem.34.& 35.Sigebert.fol.101.fac. 2. in Odone ait, ſub Vrbano,hanc nouitatem doctrinámque hæreticã inductã,ne hypocritis Regibus parerent ſubditi.Epiſtola Leodiẽ.eccleſię ſcripta aduerſus Paſchalẽ 2.& quæ extat Tom.2.Concilior.ait Hildebrãdũ, qui poſtea Gregor.7.dictus eſt, primũ au-

A torẽ noui ſchiſmatis, dũ lanceã ſacerdotalẽ vibrat primus contra diadema Regis,& Imperatoris Hẽrici 3.anno 1075. ex quo apparet damnandam eſſe eorum ſententiam,qui infidelibus regibus, hæreticis & ſchiſmaticis parẽdum eſſe hominib. Chriſtianis negant, ſed ſubditos liberant à iuramento fidelitatis:quod faciunt Romani pontifices.

Quæſitum eſt vtrum omnes Magiſtratui ſubiiciantur in Eccleſia, & num vel Paſtores Eccleſiæ, vel Doctores eorum iuriſdictione eximantur?Reſpond.ex Paul.omnis anima ſubdita ſit poteſtatibus ſublimioribus. Quo loco annotat Chryſoſt. etiam Apoſtolos ipſos,quatenus ciues,ſubiici,pareréque Magiſtratibus debere. Nam & Cæſarem appellauit Paulus.Et Chriſtus coram Pilato etiam infideli iudice ſtetit,vt docet Bernard.epiſt.42. Apud Iudicum,quos vocant , ſecularium tribunal Cæcilianus,tempore Conſtantini Magni , à Donatiſtis accuſatus eſt. Denique variæ extant Authent. Vbi ſiue de cauſis Epiſcoporum & monachorum ipſorum , ciuilibus ſiue criminalibus agatur, earum rerum cognitio pertinet ad laicos B, ordinarióſque Magiſtratus. Et noua eſt vſurpatio iſta Pontificis Romani , qui ſe & ſuos à communi omnium aliorum foro immunes fecit, quicquid ex Eſd.cap.7.v.24.illi afferant.

Quæſitum eſt,Vtrum Imperatori Roman.Põtifex ſubiiciatur, & de eo anxiè digladiantur Imperatores & Pontifices inter ſe,extántque decreta pro vtriſque ſcripta. Pro Pontifice eſt tota diſt. 96.Contra eundem eſt Can. Adrianus Papa. diſt. 63.Allegat ipſe Pontifex, ſpiritualis à nemine iudicatur.1.Cor.2.v.15.& 4.verſ.3.Sed hi loci planè à Pontifice Romano corrumpuntur, & dixit Thomas generaliter & ſimpliciter fideles debere ſecularibus poteſtatibus obedire , in 2.2^{æ} quæſt. 104. Chryſoſt.in epiſt.ad Roman.cap.13.Bern.epiſt.42. Si omnis anima eſt ſubdita,& veſtra.Quis vos excipit ab vniuerſitate?Sed,1.Petr.2.v.17. totam hãc cõtrouerſiam definit & ſubditum eum eſſe docet.

Sed quæſitum eſt in rebus Eccleſiaſticis conſtituendis,quæ ſit Magiſtratus authoritas?Reſp. Diſtinguendum eſſe Magiſtratum.alius enim eſt Fidelis,alius Infidelis,lupus & hoſtis Chriſti & Ec- C cleſiæ,Hic nullo modo eſt in Eccleſiaſticis rebus conſtituendis audiendus,vel admittendus.Quærit enim oues vt eas perdat, & quærit Chriſtum, vti Herodes,vt eum perdat & interficiat,non vt adoret,Matth.2.

Magiſtratus verò fidelis , pius, & Chriſtianus, quia eſt vtriuſque tabulæ Dei cuſtos, etiam ad rerum Eccleſiaſticarum conſtitutionem admittendus,accerſendus & audiendus eſt,non vt in iis ſuo nutu imperet,ſed vt moderator.Id quod exemplo Dauidis,1.Chrõ.13.& ſeq.& Ioſiæ & aliorum piorum Regum probatur,imprimíſque regis Ioas. 2. Reg.12.verſu 8.9.10.qui ſacerdotes in ſuo munere negligentes coercet,& ad ſe templi reficiendi curam reuocat. Sed & Theodoſij , & Conſtantini Magni. Ergo quatenus eſt ouis & membrum Eccleſię,ſubiicitur Paſtori etiã ſummus Magiſtratus.

Sed quæritur, Quæ qualíſve ſit eius in ſynodis authoritas.Reſp.Non abſoluta,ſed κατά τι,

Nimirũ vt {
Conuocet Synodum.
Moderetur conuocatam.
Sanciat edicto decreta Synodi.

Sed quæſitum eſt ecquam in ea vocẽ habeat. Reſpon.Deliberatiuam,vti cæteri & Epiſcopi : non A autem Deciſiuam,qualem tamen habet in foro,vt ex eius nutu & voluntate decreta pendeant.In ſynodis enim ſola Dei vox audiri debet , in ſynodo autem præeſſe debet qui electus eſt à tota ſynodo.Actor.15.& veterum ſynodorum exempla(vbi Epiſcopi electi præfuerũt,vt in Epheſina Synodo Cyrillus Alexandri, etſi Theodoſius aderat) idem docent.

Reſtat vt de tertia & quarta ſignificatione dicamus. Tertia continet Patres ætate , quales ſunt Senes,quibus ratione ætatis honor debetur,Leui. 19.v.32. exemplum ſit puerorum Bethel, qui puniuntur quòd ſenem Eliſæum irriderent.2.Reg. 2. & ait Calliſtratus in l.Semper.D. De Iure immunit. ſemper in ciuitate noſtra ſenectus venerabilis fuit.Stobæ.λόγῳ 114. Valer.Maxim.lib.8. cap. 14.idem docent.

Quarta ſignificatio continet Amicos & Benefactores,qui ſunt honorandi & ſpecialiter diligẽdi,1.& 2.lib.Samuel.exemplo Dauidis & Ionathę. Nam ingratitudo damnata eſt etiam Lege Dei, 1. Sam.25.Ergo Superbia,Rebellio,Inobedientia at- B que Ambitio damnata eſt hoc præcepto.

CAP. XIII.

Sexti diuinæ Legis præcepti, quod eſt, Non occides explicatio.

SExtum præceptum eſt, *Nõ occides*. Ac quidem quæſitum eſt , vtrum ſit numero ſextum , & in ſecunda tabula ſecundum,quod eſt conſequẽs. Nam nõ videtur eſſe numero ſextum.Nam Chriſtus Marc.10.v.19.Luc.18.v.18.& Paulus, Rom.13. v.9.collocant & enumerant poſt præceptum, Nõ mœchaberis,& ita erit hoc præceptum, *Non occides*,numero ſeptimum non autem ſextum. Facit in eam ſententiam Philo, qui in expoſitione generali decalogi ait eſſe conſtituendum poſt præceptum, Non mœchaberis , ἐν τῇ δ' ἑτέρᾳ δέλτῳ, ait, πρῶτον γράμμα τοῦτ' ἐστὶν, οὐ μοιχεύσεις. τὸ δὲ δεύτερον πρόσταγμα μὴ ἀνδροφονεῖν,

id eſt,

In ſecunda tabula primum præceptum eſt,*Non mœchaberis*:ſecundum autem eſt,*Non occides*. Sed C reſponſio facilis eſt.

Nam quod ad Chriſti dictum pertinet , vis in ordine ab eo poſito facienda non eſt , quando ſecundæ tabulæ præcepta enumerans,Matth. 19. 18. contra enumerat hoc præceptum,*Non occides* ante illud *Non mœchaberis*. Ergo liberè enumerat Chriſtus & Paulus prout illa memoriæ ſuccurrebant,vel pro re eſſe enumeranda & recitanda cenſuerunt.

Quòd ad Philonis ſententiã & authoritatẽ attinet:nihil efficit. Nam aduerſus eum facit ipſius diuinæ Legis textus,qui & Exod.20.& Deut.5.cõſtantiſſimè hoc præceptum ſexto loco refert.

Sed & ratio ipſa idem euincit. Cùm enim rerũ omnium pretioſiſſima ſit vita,Iob.2.ver. 4.omnia dabit homo pro vita & pelle ſua,& Eccleſ.30. ſítque illa ſequentium præceptorum fundamentum (quia qui non ſunt,neque coniugio , neque bonis egent,neque famæ exiſtimatione.) Idcirco primo loco vita ſancienda, munienda atque ab omni periculo & iniuria vindicanda fuit. Quod hoc præcepto factum eſt. Sed & Ambroſii in epiſt. Pauli

ad

A ad Epheſ.6.& Thomæ in 2.2ª quæſt.122.authoritas Philoni obiicienda eſt.

Quæritur ſecundo loco de huius præcepti & capitis æquitate. Eſt enim iniuſta lex quæ ſe examinari non patitur. Eſt autem huius præcepti ęquitas triplex,Diuina,Naturalis,Politica.

Ac diuina quidem,quòd Dei voluntati,ipſiſque iuſtitiæ planè repugnet ſi quis alium occidat,cum ea autem conſentiat omnis cura de proximo noſtro,& ſollicitudo. Enimuerò quando Deus hominem creauit ad ſuam imaginem,Geneſ. 1. Dei imaginem violat, qui alterum occidit. Nam eam imaginem delet quam Deus exſculptam eſſe vult. Itaque Deo ipſi,non tantùm homini mortali,quē offendit,iniurius eſt homicida,Geneſ. 9.ver.5, & 6.Vnde inter ea ſcelera ſex,quæ Deus maximè odit,enumeratur homicidium,Prouerb.6.verſu 17. Et Oſe.4.verſu 2.Habac.2.ver.12. valde huic peccati generi maledicit Dominus. Sunt enim λυκάνθρωποι homines ſanguinarij.Et vera eſt illa ſententia Philonis,ὄνομα μὲν ἀνδροφονία κατὰ τοῦ κτείναντος ἄνθρωπον ἐπιφημίζεται,τὸ δ' ἀληθὲς ἔργον ἐστὶν ἱεροσυλία,καὶ ἱεροσυλιῶν B ἡ μεγίστη, διότι τῶν ἐν κόσμου κτημάτων οὐδὲν οὔτε ἱεροπρεπέστερον,οὔτε θεοειδέστερόν ἐστιν ἀνθρώπου,id eſt,Vocabulum quidem homicidij aduerſus eum, qui hominem occidit, vſurpatur :reipſa autem eſt hoc factum ſacrilegiũ, atque ſacrilegiorum maximum , propterea quod omnium,quæ in mundo ſunt, rerum nulla eſt vel ſanctior,vel diuinior homine.Ergo author homicidij dicitur diabolus,Ioan.8.ver.44.

Naturalis ratio eſt, quòd cùm homo ab humanitate dictus ſit(*Homo ſum*,ait Terentius in Heautõn.*humani à me nihil alienum puto*) valde hominis naturæ & ingenio ſæuitia,crudelitas,homicidium aduerſantur & repugnant. Seipſum enim lædit qui alterum offendit, quando nihil tam ſimile eſt homini,quàm homo,nec tam aqua aquæ,aut ouũ ouo ſimile,quã homo eſt hominis. Cui conuenit quod ait Iſa.58.verſ.7.Hominem hominis eſſe carnem,1.Ioan.3.v.15.& 4.verſ.20,& 21. Intérque hominum ſceleratorum genera homicidæ enumerantur,1.Tim.1.verſ.9.ἀνδροφόνοι,& Rom.1.verſ. 29.Galat.5.

Politica verò ratio eſt, quod ad communem C hominum inter ſe ſocietatem conſeruandam neceſſe eſt homicidia prohiberi,& tutam eſſe hominum inter ſe conuerſationem,aliàs mera eſſent latrocinia hominum cõuentus.Et idcirco omnium gentium legibus prohibita ſunt homicidia,& hominum corpora ſacroſancta habentur, & ſarta tecta ab omni iniuria conſeruantur. Inde lex Cornelia,de Sicariis,& leges Iuliæ, De vi publica & priuata.

Multa obiici poſſunt aduerſus hoc præceptum. Imprimis omnes illi Scripturæ loci, vbi dicitur, Non parcet illi oculus tuus, ſed è medio populi tolles,velut Deu.19.13.& 21.v.21.& toties Exod.21. 22,& 23.Paul. Rom. 13. Magiſtratus gladium non fruſtrà gerit:& reliqua his ſimilia,& quod eſt Pſa. 149.verſ.6.Reſp.Hæc omnia argumẽta facilè ſoluentur, ſi diſtinguimus cum quo temperamento edicat Lex *Non occides*, & quæ ſit illius mens & ſententia.Scire enim Legem, non eſt verba Legis ſcire,ſed mentem tenere.

Non occides,ait Lex.Vt igitur vim mentémque Legis & præcepti aſſequamur,quinque hæc capita ordine explicanda & tractanda ſunt.Nempe

De
1 Perſonis.
2 Rebus.
3 Cauſſa.
4 Inſtrumento.
5 Variis generibus homicidii.

Tum poſtea facile erit ex negatiua affirmatiuam partem colligere.

Ac perſonarum quidem ad quas pertinet hoc præceptum, aliæ ſunt Mares, aliæ ſunt Fœminæ. Vtrique vetantur occidere. Ratione enim ſexus non excuſantur. Homicidij quidem origo fuit à diabolo,Ioan.8.v. 44.Inter homines tamen primus Cain homicida fuit. Nam Abelem fratrem interfecit,Geneſ.4.& 1.Ioan.3.v.12.

De fœminis nominatim ſancitum eſt. Deut.25. verſu 11.& 12.

Item hominum,alii ſunt Sanæ mentis, alij ſunt Furioſi,& Infantes, qui nondum capaces ſunt rationis.Infans & furioſus non tenetur, niſi per dilucida interualla necauerit, quia rationis iudicio caret.l.12.D.Ad l.Cornel.de Sicar.

Prǣterea hominum alij ſunt Sui iuris,alij Alieni,vt Seruus,Filius,Vxor. Sunt enim hi in poteſtate B domini,patris & mariti. Ergo quæſitum eſt vtrum dominis ſeruos occidere liceat,& patribus filios. Et quidem ea fuit domini poteſtas in ſeruos olim, vt in eos haberent vitæ neciſque poteſtatem.§.In poteſtate. De iis qui ſui vel alieni iur. ſunt. Quod idem de poteſtate patrum in filios ſentiendum eſt,Galat. 4. verſu 1. variáque extant eorum patrum exempla, qui priuatis iudiciis filios ſuos necauerunt,apud Valer.Max.lib.5.cap.8. Sed hoc ius planè barbarum & crudele fuit. Ac quidem Lege Dei, quæ iudicialis dicta eſt, vetabantur Domini occidere ſeruos, Exodi 21. verſu 26.multóque magis patres prohibentur filios priuato iudicio interficere, quoniam hæc eſt tyrannis,non poteſtas legitima,aut hominum moribus humanitatíſque legibus conſentiens. Vnde etiam apud Roman.laudata eſt illis temporibus, quibus iſta dominis & patribus licebant,dominorũ & patrũ moderatio & indulgẽtia in ſeruos & filios,Valer.Max. lib.5.c. 7,& 9.& extat epiſtola Seueri & reſcriptum D.Antonini, ex quo puniri iubentur domini, qui ſeruum ſuum ſine cauſa, iudiciſque C cognitione occiderint : non minus quàm ſi alienum.d.§.In poteſtate.l.11.D.Ad l.Cornel. de Sicar.& ex epiſt.D.Seueri iis licuit aduerſus nimiam dominorum ſæuitiam confugere ad ſtatuas principis. Iure verò diuino non licet(quia ſunt Dei imagines & ſerui & filij.1.Cor.7.22.)eos occidere.

Marito vxorẽ occidere nũquam licuit, Moſaicis legibus. Romanorũ legibus licuit, ſi in adulterio deprehẽdiſſet eã. Vnà enim cũ mœcho interficere eã marito licuit,Gell.lib.9.Noct. Attic.c.23.huius facta mentio in l.Nec in ea lege.§.Ideo autẽ. in l. ſeq.D.Ad l.Iul.De adulter.Iure diuino nõ licet.

Sed quæſitum eſt vtrum emendare & caſtigare ſeruos & liberos dominis patribúſque liceat. Et quidam non putant dominis ſeruos ſuos emendare & caſtigare licere,quia ſunt habendi loco mercenariorum hominum & οἰκέτων.i.domeſticorum, non autem δούλων, ab hominibus Chriſtianis hodie maximè.

Sed reſpondeo cùm ius Euangelij iura politica non tollat, vt apparet ex Epiſtola Pauli ad Philemonem,aliud eſſe ſentiendum.

A Ac primùm licere domino ſeruos ſuos moderatè, & ex iuſta cauſa caſtigare, apparet ex eo quod eſt ſcriptum Exod.21.verſ.26. vbi non prohibetur emendatio, ſed occiſio & nex & cædes eorum. Facit quoque in eandem ſententiam quod eſt apud Petrum, 1.Pet.2.verſ.20.& quod Paulus apud Philemonem dominum deprecatur culpam Oneſimi ſerui, non modò furti, ſed & fugæ. Eſt lex Conſtātini lviij.C.De emendat.ſeruorum, vbi docetur licere ſeruum ex cauſa emendare, non tamen immoderatè: & loris verberibúſque cædere. Idem licet magiſtris, nimirum diſcipulos ſuos caſtigare verberibus, moderatè tamen. Verbera, inquit Lex, impunita ſunt à magiſtris vel parente illata, quia emendationis, non iniuriæ cauſa videntur adhiberi, in l.Aut facta.§.Cauſſa.D.De Pœnis. Iure diuino licet, quia eorum inſtitutio ad dominos & magiſtros pertinet, cuius pars eſt caſtigatio moderata. Idem Fulgent.docet epiſt.prima. Idem Lactantius ſentit, lib.9.c.19. ne quis dominis Chriſtianis in ſuos ſeruos libertatem eripiat & ius. Et quod Saluianus epiſcopus lib.4.De Prouident. Dei re- B prehendit Dominos ſeueros eò ſpectat, quòd illi ſibi ius eſſe occidendi ſeruos ſuos pro animi libito ſtatuerent, non quòd eos moderatè tantùm caſtigarent.

Sed & patribus idem licet in liberos, vti docetur ex dicto Pauli Epheſ.6. verſ.4. iubet enim Patres educare liberos in παιδίᾳ & νυθεσίᾳ, qua voce moderata correctio, caſtigatióque continetur. Et reprehenditur Heli, quòd filios ſuos durius quàm verbis non caſtigaſſet, 1. Samuel.2. & Dauid quòd ab Abſalome filio cædem perpetratam in Amnonem fratrem, non vindicaſſet, 2.Samuel 14.& 15. Eſt enim quiſque paterfam. in ſua domo & inter domeſticos, & de domeſticis iudex vti Iuda de nuru Thamar, Geneſ.38.

Sed ea caſtigatio patri conceditur in iis quæ ad domeſticam diſciplinam pertinent, vt ſi quod à filio flagitium domi commiſſum eſt vel in fratres, vel in ſeruos, vel in ipſum patrem iniurioſum: nō autem in iis, quæ pertinent ad publicam morum correctionem & accuſationem, quemadmodum ſi filius ſit adulter, homicida, falſus teſtis, de quibus C correctio ad patrem non pertinet, ſed ad Iudicem. l.Vni.C.De emendatione propinquorum.

Sed quæſitum eſt, vtrum marito vxorem emendare aliter, quàm verbis liceat. Et quidam licere putant, quia eodem modo vxores diligere iubemur, quo Chriſtus Eccleſiam: at eam ſæpe Chriſtus non tantùm verbis ſed & verberibus caſtigat: ergo & nobis vxorem licere aiunt eodem modo emendare: Epheſ.5.v.25. Aliam quoque rationem ex Ariſtotele afferunt, lib.1.Polit.cap. 8. Mariti in vxorem imperium reſpondet ciuili, i. Magiſtratus imperio in ciues: at ſæpe Magiſtratus etiam facto, non tantùm verbis ciues corrigit, ergo & vxorem licet ita caſtigare.

Mihi aliud videtur. Cùm ſit enim vxor eadem caro cum marito, neque liceat cuiquam per ius naturæ in ſe ſæuire, neque licere etiam in vxorem puto. Eſt autem ſæuire in ſeipſum, ſi quis dextra percutiat ſiniſtram. Facit in noſtram ſententiam quod eſt ſcriptum in l.Conſenſu.C.De diuortiis. iuſtam eſſe diuortij cauſam ſi maritus loris vel verberibus vxorem cæciderit. Ergo & ſi pugnis vel calcibus, vt ille Caligula, qui vxorem ſuā calce occidit. A Et nimiū vxorē contemnit & ſpernit, qui pugno vel loris cædit. Nec Iob vxorē, quanquam moleſtam ſibi, cædit, Iob.2. neque Thobias, quanquam iniurioſè eum appellantem, Thob.cap.2. v. 22. Sed neque Socrates Xanthippem clamoſiſſimā & turbulentiſſimam vxorem. Nec Eccleſ.25. verſ. 34.& 42.verſ.6. aut Prouerb. 19. verſ.13.& 21.verſ. 9.19.& 25.v.24. vxores verberare docemur: tamen Dionyſ.Halicarnaſſ.lib.2.Ἀρχαιολογ. docet Romuli lege conceſſum marito caſtigare vxorem delinquentem. Quæ lex inter Chriſtianos locum habere non debet. Quum ſit enim vxor caro noſtra: nemo autem in ſuum corpus ſæuire debeat, etſi deliquerit, Epheſ.5.v.29. ſed pœna Magiſtratus iudicio ſtatuenda ſit: ita ſi deliquerit vxor, vel ad Magiſtratum, vel ad Eccleſiam remitti debet, non autem eā ab ipſo marito puniri & caſtigari oportet.

Item hominum alij ſunt Priuati, alij Magiſtratus. Ac priuatis quidem omnino interdictum eſt, non modò occidere, ſed arma geſtare. Nam id ad ſolum Magiſtratum pertinet, Roman.13. Sed & ſeipſum vlciſci omnes, cuiuſlibet ſint conditionis, prohibentur, Rom.12.v.9.Matth.5.v.39.Deuterō. B 32. v. 35. Imò verò etiam factam alteri vel priuato vel Reipubl. ciuitatíque iniuriam priuatus vetatur vindicare, niſi per viam iuſtitiæ, id eſt, appellata iudicis & Magiſtratus authoritate & manu: non autem ſua tantùm interpoſita. Et hoc verum eſt ſiue ius diuinum, ſiue ius humanum & politicum ſpectemus. Nam malefactorem ſine publica authoritate occidere eſt homicidium. Auguſt. lib. 1. De ciuitate Dei, cap.20. & 22. & Thomas in 2.2ª quæſt.64. Et quod Tull.lib.1. De officiis ſcribit, eſſe hominis iniuſti non propulſare, ſi poteſt, iniuriam, quæ alij fit, eodem modo & cum temperamento accipiendum eſt, nimirum vt publica authoritate appellata & interpoſita id faciat, qui iuſtus eſſe vult. Nec obſtant illa duo exempla quæ contrà obiiciuntur, è quibus primum eſt Moſis qui occidit Ægyptium, non expectata Magiſtratus authoritate. Exod.2. Alterum & ſecundum exemplum eſt Iahelis quæ laudatur Iudic.5. verſ.24. Quod enim ex Numer.25. de Phinees filio Eleazaris obiicitur, facile eſt, quia quicquid ille gerit, Moſis, id eſt, Magiſtratus authoritate gerit & exequitur. C Ac quidem quod de Moſe affertur nihil mouet aut efficit. Erat enim iam Moſes Magiſtratus à Deo electus, cuius rei ipſe verum teſtimonium à Deo acceperat, quanquam neque palàm neque publicè adhuc notum erat. ita ſoluit diuus Stephan. Actor.7.verſ.25. itaque fide ex verbo Dei iſta fiebant. Heb.11.verſ.24. Quod ad Iahelem pertinet, proculdubio Dei ſpiritu acta eſt. Itaque extra lineas & regulas eſt illud factum particulare, quod idcirco iuſtum eſt, quia Deus iuſſit, monuítque ſuo ſpiritu vt fieret. Itaque dedit ad eam rem ipſe authoritatem, qui omnis dominationis largitor eſt & fons. Sed quæſitum eſt, vtrum homini Chriſtiano ſalua conſcientia liceat vim vi repellere: & hæc quidem naturæ vox eſt, & lex omnium gentium, vt docet Tull. in oratione pro Milone. Sed Iuriſconſulti diſtinguunt, qui ius humanum explicant, Viſne repellatur cum moderamine inculpatæ tutelæ: an ſine moderatione: adeò vt cùm poſſis periculum effugere, nolis, ſed aggreſſorem vímque tibi inferētem interficere malis. Prima quidem ratione nempe cum moderamine

A mine inculpatæ tutelæ putant concedúntque vim vi repellere. Vbi verò moderatio nõ eſt adhibita, nõ putãt licere in l.j.C.vnde vi.l.ij.Cod.l.iij.D.ad l.Corn.de ſicariis.l.furẽ.D.ad l.Corn.de ſicarijs.

Theologi diſtinguunt aliter. Putant enim ſpectandum eſſe eius, qui vim vi repellit, animum, & propoſitũ, quia Deus qui eſt καρδιογνώστης, animum hominis imprimis attendit, & ex noſtro affectu noſtras actiones diiudicat, & diſtinguit cùm omnibus aliis in ſceleribus & peccatis, tum maximè in homicidio, vti apparet Exodi ca.21.v.13.Leuit.24.v.17.in verbis, *Si nõ inſidiatus ſit*. Ergo ſi quis vim reiicit à ſe vt ſolam ſui conſeruandi, & ab iniuria tuendi voluntatem intentionémque habeat, non autem alterius offendendi, tunc non putant eum peccare. Sin autem vlciſcendi vel lædẽdi animo id faciat, omnino damnandum cenſent, & meritò, eſt enim homicidium coram Deo. Eſt Thomæ quoque ſententia eadem in 2.2ª quæſt.64. Auguſt.in epiſt.154.ex Matth.26.v.53. colligi videtur, atque confirmari. Bernard. quoque idem ſentit in pręfatione ad Milit. Templi, nec eum eſſe purum, B qui tantùm euadendi remedio alium occidit.

Item quæſitum eſt, vtrum homini pio & Chriſtiano ſana conſcientia eos interficere liceat, quos edictum publicũ trucidandos propter ſcelera publicè proponit, veluti lex ciuilis occidere ſæpe cõcedit, bannitos & exules, ſi ibi locorum reperiantur, vnde exules facti ſunt, & interdicti. Id quod in Italia frequens eſt propter territoriorum exiguitatem. Ac quidem lex ciuilis hos impune occidere etiã priuatis concedit, veluti 1. Transfugam in bello.l.iij.§.final.D.ad l.Cornel. de Sicariis.2. Furem diurnum, ſi ſe telo defenderit. Exod.22.verſu 2.3. Furem nocturnum, ſi cum telo deprehenſus ſit. A.Gell.Noct. Atticar.lib.20.cap.1. vide tamen l.furem. D. ad l.Cornel.de Sicar.4. Denique eum, qui ſtuprum inferre conatur.l.j.D.eodem.id quod exemplo militis C.Marij, qui Tribunum ſibi ſtuprũ parãtẽ occidit, probatur, & eſt ſcriptũ à Tullio in Orat. Pro Milo. & Valer. Max.libro 6.cap.1.5. Addit lex 4.C.eod.latrocinantem, id eſt, eum qui latro eſt, & in ſyluis aduerſus viatores graſſatur. Sed hoc exemplum pertinet ad quæſtionem, vtrũ C vim vi repellere liceat. Vxorem adulteram homini Chriſtiano non licet occidere, tantùm licet dimittere vt Auguſt.libr.2. De adulter. coniug.cap. 15.docet.

Reſponſio vna eſt ad hæc omnia. ſi enim de iure humano quęritur, licet ciuibus ſubditis etiam priuatis hos occidere. Sin autem de diuino, eatenus licet quatenus ex iuſta cauſa ita damnatos eſſe certum eſt & quatenus res ſalúſq; Reip.exigit, & nullum priuatæ vindictæ affectum afferunt qui occidunt, ſed Dei zelo & patriæ amore id faciunt, exemplo Phinees. Numer.25. quãquam tutius omnino eſt ad magiſtratum tales adducere. De Iudæis quæſitum eſt, vtrum cùm ij tam infeſti nomine Chriſtiano, & Chriſti ipſius hoſtes, atque in eum blaſphemi maneãt, crudeliter tractari à nobis debeant. Id quod plerique magno eorum offendiculo faciunt Sed ab homine Chriſtiano debet abeſſe crudelitas omnis, proteruia, atque inhumanitas. Itaque neque eſt in Iudæos ſæuiendum, neque illis iniurij eſſe debemus. Hoc autem præclarè docet Auguſtinus lib.4.& 18. De ciuitate Dei. Imò verò Pſalm. 58. ait ideo ferendos nobis Iudęos, quòd non ſunt omnino deplorati, cùm ſubinde nõnulli A eorum ad Chriſtum accedant: & quòd ſalutis promiſsionem habuerunt: imò verò, vt docet Paulus, reuerſionis ad Chriſtum & promiſsionem & ſpẽ habent. Bernard. idem ſentit Epiſt.322. his verbis, Audiuimus & gaudemus, vt in vobis ferueat zelus Dei: ſed omnino temperamentum ſcientiæ non debet deeſſe. Non ſunt perſequendi Iudæi: nõ ſunt trucidandi, ſed nec effugandi quidem. Interrogate eos diuinas paginas. Viui quidem apices nobis ſunt repræſentantes dominicam paſsionem. Propter hanc diſperſi ſunt in omnes regiones, vt dũ iuſtas tanti facinoris pœnas luunt, teſtes ſint noſtræ redẽptionis. vide Pſal.59. *Ne occidas eos, &c.* Cõuertentur tamẽ ad veſperam, & in tempore erit reſpectus eorum. Idem quoque ad Epiſcopum Tarracinenſem antea reſcripſerat Gregorius Magnus epiſt.34. Denique Roman.11. cùm introierit multitudo Gentium, tunc omnis Iſrael ſaluus erit, ait Apoſtolus. Interim ſanè qui moritur, manet in morte. Et idem Epiſt.323. copioſius triumphat Eccleſia de Iudęis per ſingulos dies vel conuincẽs, vel conuertens eos, quàm ſi ſimul & ſemel cõſumeret B eos in ore gladij. Imò precatur pro eis: Hæc Bernardus. Idem Gregor. Magnus epiſt.26.li.7. Indict.1.& Indic.2.epiſt.5. Ex quibus intelligitur ſæuitiã in eos admiſſam ad hoc præceptũ pertinere. Sed & in Turcas, & quoſuis extraneos, ſiue religionis ſiue regionis ratione fiat. Excipit tamen Chryſoſt.Hom.1.ad pop.Antiochẽ, blaſphemias. Nam ſi quis iſtos Dei nomen blaſphemare reperiat, vel in foro, vel in platea, vbi & caſtigari verbis, & alapis percuti poſſe etiã à priuato Chriſtiano Iudæos putat Chryſoſt. Quod ipſe non probo.

Ex quo etiam fit, vt mihi non placeat illa laus quæ à Bernardo tribuitur militibus templi Hieroſolymitani, quòd aduerſus infideles depugnarent, quaſi ea ſola ſit iuſta militia: alia verò non item iuſta. extat Bernardi ſententia in ſermo. ad Milites Templi.

Quod quæritur, vtrum priuatis tyrannos tollere liceat. Apertè reſpondet P.Martyr, non licere, cuius ſentẽtiam probo. Illa extat in ipſius cõmentariis in 1.Sam.c.29.v.11, niſi de inuadente tyrãnidem agatur, cui licet reſiſtere tunc etiam cuilibet C priuato homini, exemplo Ioiadę qui expulit Athaliam.2.Reg.10. Thomas etiã putat eſſe meritoriũ tales trucidare, atque exemplum Aod iudicis affertur: & Pſal.149. ex quo illud præcisè concludi non poteſt tamẽ, cùm fuerit Aodi vocatio particularis.

Quod item quęrit Philippus in epitom. Moralis Philoſophiæ, vtrum Marti licuerit Alyarotũ Neptuni filiũ occidere, ipſe ſoluit, ſed nõ verè, licuiſſe putat. Ego cõtrà. Nã in Areopago factum iudiciũ, à profanis iudicibus factũ eſt, & iuſſum Magiſtratus expectare nõ debuit, cùm lex occidere priuato nõ permitteret. Idẽ ſentio & de altero illo deorũ iudicio quod in Areopago factũ eſt pro Oreſte nimirũ iure videri matrem ab eo eſſe cęſam. Quod improbum eſt, etſi illa patrẽ occiderat. Citra cauſæ enim cognitionem ab Oreſte id factum eſt, citráque legitimam iudiciorum diſceptationẽ ſine qua cædes & punitio nulla fieri debet, ne animi vindicta illa potiꝰ eſſe dicẽda ſit, quã iuſta ſcelerati hominis caſtigatio. Et quòd in fines magiſtratꝰ inuadere nemo priuatus debeat, quãtumuis iuſto dolore impellatur ad ſceleris vindictã expoſcẽdã.

A Magiſtratus enim authoritate ea fieri debet, non priuati cuiuſquam audacia.

Veniamus ad Magiſtratus, de quibus quæritur vtrum ad eos hoc præceptum pertineat. Iulian. Apoſtata putauit vim, authoritatémque Magiſtratus prorſus per Euãgelium ſublatam, ex eo quod ſcriptum eſt Matth.5.v.39. & in hiſtoria Eccleſiaſtica eius dictum extat, & cauillatio ſententiæ Chriſti. Sed Paulus reſp. Magiſtratui datum eſſe à Domino gladij vſum ad coercitionem improborũ. Rom.13. Sic omnes quoque interpretantur & ſentiunt. Auguſt. variis in locis, ſed lib.1. De ciuitate Dei. ca.22. Ruffi. in ſymbo. Occidere hominem non ſemper criminoſum eſt, ſed malitia, non legibus occidere criminoſum, ſic in illo Pauli loco omnes interpretes. Rom.13.1. Timoth.2. adeo vt cùm Magiſtratus poteſtate gladii ex legibus vtitur, Deus ipſe ea vti videatur, non homo quidam mortalis.

Habent autem Magiſtratus eam gladij poteſtatem, vt eam

exerceant { Domi } in { Hæreticos, qui res diuinas corrumpunt.

B & { Foris } in { Sceleratos, qui ciuiũ pacem inter priuatos turbant, quales ſeditioſi, homicidæ, &c. Aduerſus extraneos etiam hoſtes in bellis iuſtis & legitimis eandem habent gladij poteſtatem.

Ac quidem in Hæreticos, quemadmodum facilè demonſtrari poteſt ex Deuter.18.v.20.1.Reg.18.v.40.2.Reg.10.v.21. Ratio eſt, cùm ſit Magiſtratus cuſtos vtriuſque tabulæ, ad eum pertinet non modò furta & homicidia punire: ſed etiam blaſphemias, quarum maxima eſt hæreſis. Et Paulus ad curam magiſtratus refert non modò morum & vitæ σεμνότητα, id eſt, honeſtatem: ſed etiam εὐσέβειαν. i. pietatem. Sentit nobiſcum Auguſt. in epiſt. ad Bonifac. quanquam prius improbaret hanc ſententiam de puniendis à magiſtratu hæreticis, quòd ea ratione viam pœnitentiæ præcludi exiſtimaret, vt cõquerebãtur Donatiſtę: ſed eam ſuam ſententiã poſtea, vt ipſe docet, retractauit fortioribus argumẽtis victus. Ergo ait Thom. in 2.2$^{\text{æ}}$ quæſt.11. Quoad ſentẽtiæ mutationem ſemper ſunt recipiẽdi & tolerandi: non autem quoad bona aut vitam ſemper.

C De ſceleratis ciuibus qui pacem inter priuatos violant, extant apertiſsima dicta ſcripturæ. Matth.5. verſu 25. Rom.13. & 1.Timot.2.1.Pet.2.

De externis hoſtibus, etiam extat teſtimonium ſcripturæ, datum eſſe ius magiſtratui ad hoſtes patriæ vlciſcendos atque coercendos bello. Deut.20. exemplo Moſis, Ioſue, Saulis, Dauidis & aliorum regum Iudæ, & dicuntur iuſta bella, Domini bella. 2. Chron.20. verſu 16. Nam Deus dicitur Dominus exercituũ paſsim in ſcriptura, itémque Iehoua Deus militiæ. Exod.15. verſu 3. falſa enim eſt illa Marcionis ſententia qui putat noua lege, id eſt, Euangelio bella omnino omnia damnari, neque licere Chriſtianis hominibus militare, quia dixit Chriſtus Petro, Reconde gladium tuum in vaginam. Ioan.18. Ad Marcionitas inclinaſſe videtur Tertull. in lib. de Idololat. De Lactantio etiam quidam dubitant propter lib.5.ca.19.& 22. De qua re tamen extant multa patrum dicta in contrariam ſententiam, veluti Heb.11.v.33. Auguſt. lib.1.ca.22. & li.19.c.7. De ciuit. Dei. in quæſt. in Iob. Ambro. in Luc.3. Chriſtiani ſub Marco Antonino Philoſopho aduerſus Marcomãnos militarunt, vt refert Euſeb. hiſtor. eccleſ. lib.5. cap.5. De quo ipſo argumento A vide 22. quæſt.2. per totũ in Decretis. Thomam in 2.2$^{\text{æ}}$ quæſt.40. & P. Martyr. in 2. Sam. ca.2. Ergo iuſta bella conceſſa ſunt. Sũt autem iuſta, nõ omnia quæ neceſſaria, vt ethnici putant, ſed quæ ex Dei verbo ſuſcipiuntur, & à quibus oportet. Nã illa T. Liuij ſententia non vſqueadeo vera eſt, iuſtum bellum eſſe quibus neceſſariũ, nec niſi in armis ſpes poſita. Cęterum omnes belli actiones eadẽ iuſtitia, ait Auguſt. qua & bellũ valet, probandę ſunt, & tegũtur quoad ipſum bellũ: nõ antẽ quoad ſingulorum belligerantiũ animũ. Cui conſentanea eſt illa Tulli Hoſtilij ſententia apud Liuium lib.1. Decad.1. Nuntiate regi veſtro Regem Romanum Deos facere teſtes, vter priùs populus res repetentes legatos aſpernatus dimiſerit, vt in eũ omnes expetant huiuſce clades belli. Hæc homo profanus, & quidem verè. De qua re vide Aug. lib.22. contra Fauſt. cap. 74.75. Reum enim regem facit iniquitas imperandi: innocentem autem militem oſtendit ordo ſeruiendi, ait ibidem Auguſtinus.

Quod quærit Philipp. Vtrum rectè fecerit Cõſtant. Magnus qui Licinio collegæ bellum ob religionẽ B indixerit. in epito. Moralis Philoſoph. latius quærendum eſt, & amplius deliberandum.

Quæſitum denique de Clericis, vtrum ii ius gladij habeãt. Reſp. cùm ſit diſtincta eccleſiaſtica poteſtas à iure magiſtratus, non habent. Ergo falſa eſt illa Bonifacij 8. vox, Romanum Pontificem ius vtriuſque gladij habere, ſpiritalis & terreni nimirum.

Venio ad ſecundum caput, quod eſt de rebus, quas occidere vetamur, aut non prohibemur. Et quando in vniuerſum occidere, eſt vitam tollere, & adimere viuenti, multa verò ſunt vitę rerúmq; quæ viuere dicuntur, genera, quæſitum eſt, vtrum hoc præcepto omne rei viuẽtis genus occidi prohibeatur. Ac quidem Phyſici triplex viuentium genus faciunt, eorum qui habent vitam Vegetatiuam tantùm, velut ſtirpes & herbæ & arbores 1. Corinth. 5. verſu 36. vel Senſitiuam, vt animalia omnia bruta: vel ratiocinantem, vt homines. Quæ diſtinctio videtur obſeruari. Geneſ.1.v.30. & 9.v.3. Pſal.150. verſ.6. Ergo, num vetamur ſtirpes excindere, herbas in paſtũ cõſumere, euellere, arbores C truncare & excindere. Et reſpõdet Auguſt. li.1. De ciuitate Dei. cap.20. fruteta, herbas, & arbores non comprehendi, quia nullus ineſt iis ſenſus, & eorum vita & mors noſtris vſibus ſubditur, ait: & Eccleſ. cap.29. verſu 28.39. verſu 31. idem docetur.

Sed quæſitum eſt de animalibus brutis, vtrum ea occidere liceat. Nam vitam habere dicuntur, eámque planè ſenſitiuam. Et putarunt primum quidem Pythagorei iis veſci non licere, itaque nec occidere. Ouid. lib.15. Metamorph.

Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora. Sunt fruges, ſunt deducentia ramos
Pondere poma ſuo, tumidaque in vitibus vuæ.

Denique extant inter opera Plutarchi libelli duo De carnium eſu eruditè ſcripti. Hunc errorem poſtea ſecuti ſunt Manichæi, vt docet Auguſt. in lib. De Morib. Manichæor. & argumentantur ex loco Pauli 1. Corint.9. verſu 7. qui paſcit gregem lacte veſcitur, inquit Paulus, non autem carne. Sed reſponſio facilis eſt ad Manichæos. Idem enim Paulus eadem epiſtola cap.8. verſ.13. docet licere Chriſtianis veſci carne, & cap.10. verſ.25. ait

edite

A edite de omni quod venit in macello. Ergo reſpõdet idem Auguſt. lib. 1. De ciuitate Dei ca. 20. Ad animalia non pertinere hanc prohibitionem, quia Deus ea nobis in paſtum & victum conceſsit. Geneſ. 1. ver. 30. & 9. ver. 3. Pſal. 8. 1. Timoth. 4. Act. 10. verſ. 13. Ratio, quia nulla nobis eſt cum iis rationis ſocietas, quanquam eſt ſenſus communitas. Etſi enim ſentimus, vti illa ſenſum habent, non tamen habent rationem, neque ad Dei imaginẽ cõdita ſunt, ſed ad hominis vſum deſtinata. Non eſt autem peccatum aliqua re vti ad eum finem, ad quem Dominus eam deſtinauit, vti docet Paulus 1. Tim. 4. Actor. 10. v. 13. Tull. lib. 3. De finib. bonor. & malor. ait, beſtiis homines vti ad ſuam vtilitatem poſſe ſine iniuria. Neque obſtat quod afferũt, inter præcipuas victus humani partes carnem nõ recenſeri. Eccleſ. 29. ver. 28. 39. ver. 31. Reſp. Eſt illîc ratio loquendi συνεκδοχικὴ, & addenda ſunt ad ea quæ enumerantur illo loco, reliqua, quæ ſcriptura docet eſſe conceſſa nobis in victum. Item non obſtat quod quidam putant, primis hominibus ante diluuium hoc genus victus non datum, B ergo neque nobis. Negamus enim non fuiſſe conceſſum. & docet Ariſtoteles libr. 1. πολιτικ. cap. 5. inter naturales victus quærendi modos, quos primi homines ſecuti ſunt, fuiſſe Venationem & Piſcationem, in quibus animalia occiduntur & eduntur. Democriti etiam dictum, quod eſt apud Stobę. ſermo. 41. aliud ſtatuit. Putat enim ille ſic, ea animalia quæ ſunt ἀδικέοντα καὶ ἐθέλοντα ἀδικεῖν, vt Vrſum qui occidit ἀθῶος eſt & innocens. Ea enim omnino tollenda eſſe: reliqua non, vt oues qui occidit eſt nocens. Atque ille quidem ita. Non tamen verè nec ex huius præcepti mente. Crudelitas quidem in animalia damnata eſt, qualis eius qui cornicum oculos foderat: occidere tamen ea licet, nec damnatur qui id non crudeli animo fecit, ſed ex aliqua cauſa.

Ergo ad ſolos homines non occidẽdos lex pertinet, quia ad Dei imaginem cõditi ſunt. Sed quæſitum eſt, vtrum ad iam natos homines & in lucẽ editos tantùm pertineat hæc prohibitio: an etiam ad eos qui ſunt in vtero adhuc & embryones vel βρέφη dicuntur. Ergo quæſitum eſt vtrum infan- C tem in vtero occidere liceat, id eſt, abortum facere, vel fœtum exponere. Quod quàm ſit nefandum docet Lactant. libr. 6. cap. 20. Inſtitutio. Sed diſtinguit Ariſtotel. libro 7. πολιτικῶν cap. 16. inter eum fœtum qui iam ſenſum habet, & eum qui nondum habet. Licere igitur putat facere abortum, antequam fœtus in matris vtero ſenſum & vitã habeat. Poſtea verò quàm habet vitam, nõ cõcedi, quia ſanctum & inuiolabile eſſe debet quod eſt animatum iam & viuens. De lege Lycurgi quæ conceſsit etiam ſuſceptos iam partus occidere, & Numæ qui vetuit ante triennium, vide Plutarc. in vita Lycur. & Numæ. Dionyſ. Halicar. libro 2. ἀρχαιολογίας. Nam ex vicinorum ſententia id fieri debebat, aliâs dimidia pars bonorum confiſcabatur, vt ait Dionyſ. Fit autem animatus fœtus in vtero die 45. à conceptione vt Medici docent, & ipſe Ariſtoteles libr. 2. de Hiſt. animalium. Ergo ante eũ diem licebit extinguere, ex ſententia Ariſtotelis, partum in vtero. Et certè mira ſemper mihi viſa eſt hæc diſtinctio & ſententia, quam eò grauius damnarẽ, niſi viderem doctiſſ. homines Chriſtianos in eadem fuiſſe, qualis Auguſtinus, vt Canoniſtas omittam, & eius ſententia eſt in can. Quod A verò 32. q. 2. nituntur loco Exod. 21. verſu 22. vbi ignorantia Hebraicæ linguæ decepti ſunt. Putant enim illic diſtingui inter formatum & nondum formatum fœtum, ſi mulier prægnans percuſſa ſit. At formati & informati fœtus ne γρῦ quidem illic mentio fit, legitur enim infans. Hanc eandem diſtinctionem ſequitur caput quoddam extr. de Homicid. volunta. Certè Pauli Iuriſconſulti hominis, quanquam profani, ſententia mihi magis placet, in l. ſi quis aliquid. §. qui abortionis, & quod Thryphoninus in l. Cicero. D. De pœnis, ſcribit puniendam eſſe eã quæ vim viſceribus ſuis intulit, & qui abortionis poculũ, etſi ſine dolo malo, dederit. Res enim eſt mali exempli. Præterea cõtrouerſa quæſtio eſt, quando anima in fœtum humanum infundatur. Tertull. in libr. De anima putat eodem momẽto immitti à Deo, quo corporis ſemen iniicitur, etſi vires nondum ſe exerunt propter imbecillitatem corporis. Ergo, pace Auguſtini, non licet vllo tempore ſalua conſcientia abortum facere, aut procurare, quia quod Deus iniecit iam ad Dei imaginem conditum eſt ex fine B & prædeſtinatione Dei, quanquam nobis nõdum apparet, ſed & illum locum Exod. 21. verſu 22. ſine hac diſtinctione formati fœtus, aut non, explicat Calu. & melius: alibi Auguſt. generaliter damnat qui abortus procurant vti lib. 1. De nuptiis cap. 15. Lact. libro 6. cap. 20. idem ſentit.

Denique quæſitum eſt de monſtris, quæ præter ordinem naturę naſcuntur, vtrum ea tollere & occidere Magiſtratus poſsit, quales ſunt homines tã parui quàm perdices, cuiuſmodi ſe vidiſſe teſtatur Nicephor. in Hiſto. Eccleſiaſt. lib. 12. cap. 37. Et cuiuſmodi ſunt quæ prodigia appellantur. Quanquã verò nullum authorem habeo, qui de hac quæſtione agat, tamen ſic ipſe ſentio. Si monſtrum formam hominis retineat & homo appellari poſsit, non tollendum, ſed tanquam teſtimonium diuini iudicii relinquendum: ſin autem non retineat formam humanã tolli à Magiſtratu poſſe. Sic Mauritius Imperator Chriſtianus enatum ſuo ſeculo monſtrum occidi præcepit, & eius factum ab eccleſia probatum eſt, vt ſcribit Nicephor. libro 18. Hiſt. cap. 35. Sic Romulus ipſe conditor Romæ C iuſsit τέρας occidi εὐθὺς ἀπὸ γονῆς, Halicarnaſſ. libro 2. ἀρχαιολο. Lycurgus item voluit monſtruoſos partus occidi. Plutarch. in Lycurg. Hieronym. ad Vitalẽ Tom. 3. epiſtolar. Legamus veteres hiſtorias, maximè Græcas ac latinas & inueniemus luſtralibus hoſtiis, ſecundum errorem veterum, portentuoſas ſoboles tam in hominibus, quàm in armentis & pecudibus expiatas.

Et quidem hæc de aliis, quos interficere vetamur. Sed quęſitum eſt, Num quis ſeipſum occidere poſsit. Et diſtinguunt Iuriſconſulti in l. Qui rei. §. Papinianus. D. De bonis eorum qui ante ſententlat. mortem ſibi conſciuerunt. l. ſi quis aliquid. §. miles. D. de pœn. ſi quis fame, vel impatientia doloris, vel tædio vitæ manus ſibi intulerit, non puniendum, ne in bonis quidem: at ſi ſceleris conſcientia ſe occidit, nimirum reus iam poſtulatus & penè conuictus, puniendum eſſe, & bona eius fiſco vendicãda, quia fati celeritas nõ debet eſſe crimini obnoxia, aiunt, ſed tantùm conſcientiæ metus. Idẽ Philoſophi ſentiunt Ariſtotel. lib. 5. ἠθικῶν Νικομαχ. cap. 11. Plato libro 9. De legib. & laudata eſt

A Calani gymnoſophiſtæ voluntaria mors: Herculis qui ſe in Oeta monte in ignem iniecit: itē Empedoclis, & multorum aliorum, velut M. Catonis Vticenſis & Lucretiæ Collatinæ. Sed hæc peſsima ſententia eſt, vt apparet ex Paulo Epheſ.5. verſ.29. Et Virgil. libro 6. Æneid. contrà ſentit, & rectius quidem. Nam putat eos à beatorum conditione ſeparatos eſſe. Ait enim

Proxima deinde tenent mœſti loca, qui ſibi lethum
Inſontes perperere manu, lucémque peroſi
Proiecere animas, &c. & Martialis damnat Catonem, qui ſe occidit.

Nolo virum, facili redimit qui ſanguine vitam:
Hunc volo laudari, qui ſine morte poteſt.
Rebus in aduerſis facile eſt contemnere mortem:
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Quid igitur? Verum eſt nemini licere ſibi manus vel mortem inferre, & hoc præcepto homines vetari non modò aliorum corpora: ſed etiam ſua & propria lædere & violare, & rectè ſentit Auguſt. lib.1. De ciuit. Dei cap.20. præceptum hoc, *Non occides*, cùm nihil ſit additum, ſed ſit ſimplici- B ter conceptum, eum quoque ipſum comprehendere, cui præcipitur. Sic quoque hoc præceptum explicat Chryſoſt. in cap.1. epiſtol. Pauli ad Galat. Et idem Auguſt. variis in locis in lib. De libero arbitrio, & in epiſtol. damnat eam ſententiam philoſophorum, licere ſibi manus afferre, itémque ad ea reſpondet, quæ pro Lucretia & Catone ſolent afferri. lib.1. De ciuit. Dei. cap.18. 19. 20. & ſeq. Tractatu in Ioann. Euangelium ſic ait, Chriſtus dixit Petro, cùm autem ſenueris, alter te cinget, & feret quò tu non vis: vbi ſatis expreſſit, non à ſeipſo, ſed ab alio debere occidi, qui veſtigia ſequitur Chriſti. Idem & Scholaſtici ſentiunt. Thomas in 2.2ª quæſt.64. Quin ipſi Pythagorei quanquam homines profani dicebant, & rectè quidem, nos in hoc mundo eſſe à Deo collocatos, velut in ſtatione, ex qua ſine Imperatoris conſenſu. i. Dei, non ſit migrandum. Et quando nemo carnem ſuam odio habet, Epheſ. 5. verſu 29. certè naturæ ipſi humanæ iniurius eſt, qui in ſe quacunque ratione ſęuit. Vnde & Saul in Scriptura, & Achitophel damnātur, qui ſibi manus violentas intulerunt, vt eſt ſcriptū, C 1. Sam.31, & 2. Sam.17. v.23. Cano. Si non.23. quæſt. 5. De Patricianis hæreticis, diximus in lib. Auguſt. De Hæretic. qui impiam illam de ſeipſo occidendo ſententiam tuebantur, vti & Circumcelliones. Et quod affertur ex Ioan.12. verſu 25. qui odit animam ſuam, id eſt, vitam in hoc Mundo, cuſtodiet eam in vitam ęternam, prorſus aliò pertinet, nimirum ne quicquam Dei honori præferamus, non vt nos occidamus.

Sequitur tertium caput, Qua de cauſa occidere non liceat. Sunt autem tres homicidij cauſæ quæ poſſunt afferri, Propoſitum, Impetus, & Caſus, vt eſt in l. Reſpiciendum. §. Delinquunt. D. De pœnis.

Ac propoſito quidem occidere dicitur is, qui occidit & interficit, vel ſolo vindictæ animo, vt Ioab Abnerum, 2. Samuel 2. vel mercede conductus, ſpéque alicuius lucri vel honoris, vel beneuolentiæ comparendæ, veluti idem Ioab Amaſam, ne ſibi dignitatem Magiſtri equitum præriperet, 2. Sā. 20. verſ.4, & 7. Sic Alcimus Iudæos. 1. Machab. 7. Prouerb.8. v.17.

Item ſiue quis Proprio motu: vt Iſmael occidit Godoliam, Hierem.41. vel, Alieno motu id faciat, A perinde eſt.

Ergo quæſitum eſt de iis qui Mercede conducti alios occidunt, vel, Qui in aliena ſunt poteſtate: & patris dominíque iuſſu, vel etiam Regis, id faciunt.

Et quidem quod pertinet ad mercede conductos ſicarios, illi apertiſsimè damnantur. Prouerb. 1. verſu 11. Ezech.22. verſu 12. Sunt enim quidam mercenarij hominum laniones, qui eò grauius peccant, quòd nulla impulſi adductique iniuria alios occidunt. Ergo & qui ſicarium cōducit, & qui conductus eſt ſicarius hoc præcepto damnatur. Siue enim quis odio & gratis, ſiue mercede interimat hominem, reus eſt homicidij coram Deo, Acto.17. verſu 5.

Quod pertinet ad ſeruos, filios & ſubditos qui ſunt in aliena poteſtate, & parere tenentur, diſtinguendi ſunt, Qui ſunt in àliena poteſtate, à ſubditis.

Serui igitur & filij dominorum patrúmve iuſſu non debent quenquam occidere, quia ſciunt eos non eſſe Magiſtratus. Itaque excuſari coram Deo, B vel coram hominibus non poſſunt. Sic damnantur ſerui Abſalonis, qui illius iuſſu interficiunt Amnonē, 2. Sam.13. v.28. Etſi enim, vt eſt in Tit. Ad Syllania. Senatuſcōſ. D. debēt ſerui tueri dominos, próque iis decertare, dicítque Tull. in oratio. pro Milo. fecerūt id ſerui Milonis, quod quiſque ſuos in pari cauſa facere vellet: tamen aliud eſt, Dominos tueri quantum in ſe eſt, & eos pro officio non deſerere: vel Dominorum carnifices eſſe, & ad eorum nutum & iuſſum trucidare quos imperant, quia ſunt domini.

De ſubditis maior quæſtio eſt, qui iubentur à Rege vel Magiſtratu aliquem trucidare, vtrum ij excuſentur. & certè diſtinguunt quidam inter eos ſubditos, qui Ex munere & dignitate quam habēt, tenētur iuſſa Magiſtratus exequi & capeſſere, quales officiales, ſeruientes, milites & eorū præfecti: vel qui Non tenentur, quòd nullū ſpecialius munus iuſſus Magiſtratus exequēdi habeant. Illos excuſari putāt, & poſſe ſaluâ cōſcientiâ, ratione muneris & officij, quos iubentur, necare. Hos autem non item, ſed ita demum, ſi iuſtam eſſe cauſam in- C telligant, propter quam ad necem damnentur. Sic quidam excuſant Ioabum, qui iuſſu Dauidis regis Vriam occidit, 2. Samuel.15. Sed verior eſt hęc ſententia, quæ verbi Dei authoritate etiam nititur, Odit Dominus omnes qui ſanguinem innocentem effundunt, Pſalm.5. & Prouerb.6. verſ.17. Item in omnibus ſubditos Regi parere non oportet, ſed in Domino, id eſt, quatenus & quantum Dei voce præcipiuntur: denique quicquid fluctuante conſcientia fit, peſsimè fit, 1. Timoth.1. verſ.19. & 1. Corint.8. fit enim ſine fide, & idcirco peccatū eſt, Rom.14. v. fin. Ergo neutri excuſantur, ſi cùm Regis Magiſtratúſque iuſſum exequuntur, vel dubitant vtrū æquum ſit: vel ſciunt illud omnino eſſe iniuſtum, & id animo vindictæ priuatæ, non verò publicæ iuſtitiæ gratia præcipi. Neque enim debent eſſe ſubditi lanij & immoderatorum Magiſtratus affectuum executores & Miniſtri. Denique homines Chriſtiani ſerui hominum eſſe non debent, ſed Dei, 1. Corinth.7. v.23. Sic Ioab non excuſabitur, 2. Sam.11. & tenetur lege Cornel. de Sicar. Magiſtratus ipſe qui hominem innocentem occidi

iuſsit,

A iuſsit,vel curauit.l.j.D.eod.cano. Qui malos 23. quæſt.5.

Neque obſtat,quod quidam aiunt ,non debere milites de belli,in quo militant, iuſtitia certiſsimè perſuaſos eſſe.Nam ſi de militibus Chriſtianis loquuntur,certo certius eſt,debere eos, ſi nō de ſingularum belli actionum iuſtitia inſtrui , certè de totius ipſius belli mouendi æquitate bene perſuaſos & inſtructos eſſe. Nam vbi æquum eſt bellum & iuſtum,ſingulæ belli actiones,ait Auguſtin.eadem æquitate teguntur , & valent , qua & bellum. Contrà :vbi eſt iniquum. Bernard.in præfatione ad Milit. Templi. Si bona fuerit cauſa pugnantis, pugnæ exitus malus eſſe non poteſt :ſicut nec bonus iudicabitur finis,vbi cauſa non bona & intentio non recta præceſſerit.

Impetu animi qui occidunt,etiam hoc pręcepto tenentur, veluti qui in rixa & contentione vulnerant, occidunt,vel lædūt,quia omne odiū proximi damnatur hoc præcepto. Matt.5.ver.22. Gala.5. v. 29.& rixas contentionéſque euitare iubemur. Coloſſ.3.ver.12.& 13.Deuter.19.ver.4.Quanquam B legibus ciuilibus rixæ magis excuſantur , earúmque pœna leuior eſt,Exod.21.verſ.18. & l.fin. D.Ad l. Cornel. de Sicariis. Eſt autem Rixa vbi duo ſeſe percutiunt , vel inter ſe confligunt , vti Anſelmus definit.

De iis qui zelo ſe occidiſſe aiūt, etiam quæritur. Ait enim Bernard.Serm.44.Cant.Si amas Dominum Ieſum toto corde,& tota anima , nunquid ſi velis eius iniurias contēptúmq; ferre, poteris?Eſt autem zelus duplex, alter bonus,alter malus. Bonus,eſt animi æſtus & indignatio ex iis concepta, quæ iniuſtè fiunt aduerſus eos quos amamus , ſiue Deum,ſiue homines.2.Corinth.7.verſ.7. Coloſſ. 4.verſ.13.Hic,vel eſt Secundum ſcientiam,vel Nō, Roman.10.verſ.2.Philipp.3.verſ.6. Qui eſt ſecundum ſcientiam , nec in fine nec in mediis peccat. Quæ hoc zelo fiunt, rectè fiunt , Bernard.Sermo. 49.Cant.

Malus zelus eſt inuidia & liuor,vel ſtudium noſtrum vehemens ad res turpes,& vitia.Hic omnino damnatur vt Beza docet,Ioan.2.Quo zelo peccant ij,de quibus Chriſtus , Ioan.16.v.2.admonet Apoſtolos & pios omnes, Veniet tempus , quum C quiſquis trucidabit vos putabit ſe cultum præſtare Deo.Quod certè omnibus ſeculis accidit, imprimis autem his noſtris , quibus magna laniena Chriſtianorum in Gallia facta eſt, fitque adhuc ab improbis qui irruentes in pios & fideles homines eos mactant crudeliſſimé.Et quòd,qui hæc agunt,Bernardi dictum afferunt Sermo 66.in Cantic. Approbamus zelum,vocántque huiuſmodi ſeditiones ſanctas,audiant quod idē Bernard.ſubiicit,ſed factum non ſuademus, quia fides ſuadēda eſt,non imponenda. Denique eodem loco idem ad Magiſtratus, non autem ad ſeditioſam plebem, hæreticorum , qui verè ſunt, caſtigationem pertinere ſcribit.

Denique caſu fieri poteſt homicidiū ab eo, qui nullum lædēdi animum habuit,& quoniam Deus corda ſcutatur,hic nō pertinet ad hoc caput, ſi rei licitæ operam dabat,Exod.21.v.13.Deute.19.v.2.vbi varia eius rei exempla ſunt. Itaque ſex ciuitates refugii lege Dei conſtitutæ ſunt, in quas ille confugeret qui hominem ita interfeciſſet : & iure Romanorum lex Aquilia , de damno iniuria dato, A ſcripta erat.Idem docet Augu.in lib.De libero arbitr.Et Thom.in 2.2. quæſt.64.& Ext.De Homicid.Fortuito & Caſua.Dicitur autem caſu quis occidiſſe,non Dei quidem ratione,cuius prouidētia omnia eueniunt,& hoc ipſum Exod.21.verſ.13. explicatur,ſed hominis tantum agentis reſpectu, cui præter propoſitū illud accidit. Quæ enim præter mentē & finem accidunt iis,qui ratione agunt,caſu fieri dicūtur,inquit Ariſt.lib.2.de Naturali Auſcultatio.item 23.quæſt.5.in decretis.& diſt.60.

Quæſitum eſt de Monomachia ſiue duello,vtrū qui ex conſenſu Principis duello pugnat,& aduerſarium occidit, non pertineat ad hoc præceptum. Et certum eſt pertinere , neque propter principis conceſsionem excuſari:quia hæc non eſt iuſta & à Deo conceſſa litium & controuerſiarum noſtrarū finiendarum ratio: neque etiam noſtræ innocentiæ probatio,cùm in duello poſsit aduerſarium ſuperare qui reipſa & coram Deo reus eſt,cano.Monomachiam 2.quæſt.4. multò igitur minus qui ſine decreto Principis pugnat,excuſatur ab hoc præcepto.P.Martyr in 1.Sam.Bernardus epiſt.39.

B Sequitur quartum caput de modo & inſtrumēto.Ac quidē in vniuerſum Paulus docet duos eſſe iniuriæ proximo faciendę modos,Nimirum vim, & fraudem,1.Theſſ.4.ver.6.Ergo vel vi vel fraude dolóvę homicidium committi poteſt. Et quia Lex generaliter concepta eſt, *Non occides* , vterque modus hoc præcepto damnatur :ſiue quis vi , ſiue fraude aliquem opprimat.Idem ſentit M.Tull.lib. 1.De offic.Vis eſt leonis,fraus vulpeculæ, vtraque quidem reprehendenda, ſed fraus odio digna maiore. Ac primum quidem vtrunque confirmemus,ſiue vi ſiue fraude homicidium fiat , damnari à Scriptura.Vis eſt duplex,vna Publica,quæ armis fit adhibitis:altera Priuata,quæ ſine armis fit.

Ergo vis publica eſt,quę fit armis adhibitis.Armorū autem appellatione non tantùm gladij, ſcuta,tela,ſed & fuſtes,& lapides continentur, inquit Vlpian.in l. Armorum. D. De verborum ſignif. Cicero pro A.Cecinna,& Ouid.vbi de pugna Lapitharum agit in Metamorphoſi, & eſt in titulo, De public. iudiciis , in Inſtitut. ex Xenophonte ſumptum.

C Vis priuata eſt,qua iniicitur metus cœtu coacto, pugnis, vel ſine telo manu violentiáque à priuato facta.l.2.& 3.D.Ad l.Iul.De vi priuata.Qui ita occidunt vel proximum lædunt, apertè damnantur, velut Abſalom. 2. Samuel. 14. velut etiam Ioab, & Exod.21.verſū 18.vtrumque genus vis & priuatę & publicæ complectitur, cùm ait , *ſi quis lapide vel pugno occiderit.*

Fraude verò ſi quis alium interimat, etiam hoc præcepto damnatur.Ezech.22.v.9.Tripliciter autem fraude quis occidit. Nimirum , ſi vel Inſidiis,vel Veneno , vel Sortilegio ſiue Incantatione occidit.

Ac quidem ex inſidiis quēquam lædere, aggredi vel occidere vetat Scriptura nominatim, Leuit. 24.v.17.Exod.21.v. 12. Quemadmodum fecit Ioab cùm Abnerū & Amaſā occidit , 2.Samuel.2.& 20. Fuit enim Ioab homo ſanguinarius,vt ait Scriptura,1.Reg.2.verſ.5.ſic Thryphon Antiochum trucidauit,1.Machab.13.v.3.& Alcimus Iudæos,1.Machab.7.ſic Iſmael Godoliam , cuius factum dānatur Hier.41.Exemplum autem de Iudice Aod non obſtat,quia eſt illud ſpeciale.

A In bello tamẽ inſidiis vti licet vt docet Auguſt. lib. 84. quæſt.'ex' cap.8. Ioſ. modò fides data non frangatur, aut pietas non lædatur ſimulatione falſæ religionis.

Veneno occidere quoque vetamur. Damnat enim φαρμακεῖαν Paul.Gal.5.v.20.Apocal. 21.ver. 8. Præclaréque Philo docet hoc præcepto φαρμακείας & φαρμακίδας comprehendi. Idcirco etiam lex Cornelia à Iuriſcon. communiter inſcripta eſt in Sicarios & Veneficos, quando plus eſt veneno occidere, quàm gladio. l.j.C. De malefi.& Mathemat. Huius generis homicidii pauca extãt in Scriptura exempla. Sed nec verbo, id eſt, falſa accuſatione licet occidere. Iuſta tamẽ ſententia is, qui eſt iudex, nocentem damnare poteſt. Vnde malè Tertullianus in libro de Idololat. neminem Chriſtianum putat bona cõſcientia poſſe conuictum ſceleratum mulctare, & rerum capitaliũ iudicem eſſe. quod & Lactantius li.8.c.20. quoque exiſtimauit, ſed vti dixi, perperam ſentientes, imò ne accuſare quidem cõcedunt homini Chriſtiano, & hoc quoque malé.

Denique ſortilegio occidere vetamur. Eſt autẽ B ſortilegium frudulenta nex, quæ diabolicis incãtamentis affertur, nullo medio, venenóque nobis viſibili adhibito. Hoc fieri poſſe quidam non credunt, quia in omni actione oportet extrema agentis & patientis inter ſe applicari, quod non fit in ſortilegio. Sed ratio docet & experiẽtia hoc fieri. Ac experientia quidem. Vnde lex lata in maleficos, ſortilegos & Mathematicos tum Iure ciuili, Cod. & D.l. Cornelia, tum Iure canonico. Ext. De ſortile. & tota 26. quæſt. 1. & apud Tacitum Martina, quæ Germanicum occidit. Ratio verò ex Scriptura, Pſ.58.ver.5.i.ꝙ in Scriptura prohibetur. Falſum.n. eſt non adhiberi quicquam medium. Diabolus enim adhibet, & ſe interponit, ex pacto & conuentione, ſed occulté. Vide Martyr. in 1.Sã. 31.& lib. noſtrum De Sortiarijs.

Reſtat quintum & vltimum caput. Quot ſunt homicidiorum genera. Et Paul.1.Tim.1.ver.9. tria genera conſtituere videtur, Parricidas, Matricidas, & Homicidas. Sed amplius quærimus, Nimirum quot ſunt genera eorũ, quos Paulus nomine generali appellat homicidas, & hoc ipſum etiã explicãt C Theologi hoc loco. Ex epiſtola Clemẽtis in cano. Homicidiorum, de Pœnitent. diſtin.1. refertur dictum B.Petri, qui vult tria eſſe homicidarum ſumma genera, nempe, Interfectores, Detractores, Oſores fratrum.

Hîc Theologi primùm duplex homicidij genus conſtituere videntur, Internum, quod animo ſolùm fit: & Externum homicidium quod manu fit.

Et interno videntur tria genera ſubieciſſe, nempe, Odium, Rancorem (qui ἀπὸ τοῦ ῥαίνειν, & rancido eſt) & Cupiditatem nocendi.

Sic enim ait Auguſt. omnem iniquum motum, quo incitamur ad nocẽdum fratri, eſſe homicidiũ. Chriſtus verò & facilius & breuius. Mat.5. ver.22. quatuor homicidii genera in vniuerſum facere videtur ſiue internum animi motum ſpectemus, ſiue etiam externum factum. Sunt autem hæc, Ira temeraria, Odium fratris, Conuitium oris, Violatio ſeu læſio corporis. Quia enim Deus cordium ſcrutator eſt, ideo non tantùm hominum manus puras eſſe vult à fratrum ſanguine, ſed etiam cor & animum noſtrum Iſ.58.ver.4.

Ac ira quidem in fratrem temeraria. i. quæ ſine cauſa mouetur, apud Deum pro homicidio habetur. A In quo notãda eſt vox εἰκῆ, quæ diſertè legitur apud Matthæum v.22. quia ſępe iraſci conceditur, idque cùm fit ex iuſta cauſa, non reprehenditur verbo Dei, Epheſ.4.verſ.26. Nam, vt ait Baſilius, ira debet rationi & virtuti accubare, tanquam canis paſtori, quæ mordeat, increpet, allatrétque vitium & vitioſos velut lupos. Et rectè dixit Tull. libro 4. (vt reliquos omittam) Academicarum quęſtio. Iram eſſe cotem fortitudinis ſi modò nos eam ratione moderemur. Bernard. epiſt.69. Non iraſci vbi iraſcendum ſit, eſt nolle peccatum emendare. Quanquã verò Paulus Epheſ.4.v. 31. dicit πᾶσα ὀργὴ ἀρθήτω, & Iacob.1. verſ.19. hominis ira Dei iuſtitiã non operatur, ſintque alij his ſimiles aliquot loci, tamen non ita nudè & purè loci, atque ſententiæ hæ accipiendæ ſunt quemadmodum ſunt ſcriptæ, ſed cum eo temperamento, ſi temerè & ſine iuſta conceſſáque cauſa iraſcimur fratri. Neque enim Chriſtiana religio conſtituit homines ἀπαθεῖς & ἀναισθήτοις. Nam zelus ipſe nihil eſt aliud, quàm iuſta iræ commotio ob præceptum Dei violatum. Et vt ira damnatur, quæ & ὀργὴ & θυμός, à Latinis animus dicitur, vti Horat. B

--animum rege, qui niſi paret,
Imperat, hunc frenis, hunc tu compeſce catena.

Ita & iracundia, quæ ὀργιλότης dicitur. Eſt autem Iracundia animi propenſio & facilitas ad irã: ſed & excandeſcentia, quæ παροργισμός dicitur, hoc quoque præcepto damnatur. Eſt autem iræ exuperantia & exceſſus immoderatióque. De quibus vide Ariſtotelem libro 4. Ethic. & Thomam in 2.2æ quæſt.158.

Sequitur odium. Nam qui odit fratrem homicida eſt, ait Ioan.1.Ioan.3.v.15.Leu.19.v.17. Eſt autẽ odium non modò deſpectus fratris, ſed maleuolus in eum animus. Hoc odium vbi eſt inueteratum dicitur rancor, quia durior eſt & concocta maleuolentia. Odiũ igitur fratris damnatũ eſt hoc præcepto, & quæ odiũ ſequi ſolent vitia, qualis eſt, Acidia, vti loquuntur, quæ eſt animi triſtitia ex odio fratris concepta, quæ ita vexat nos, vt nihil facere agerévé queamus: item inuidia. Vide Thomam in 2.2æ quæſt.34. Item inimicitia, rixa, æmulatio, prauáque contentio, Galat.5. verſu 20. C

At obſtat quod iubet Scriptura odiſſe malos, Pſal.5.& 139.v.21.& mundum, & cætera huiuſmodi, Roman.12. verſu 9. Reſpon. Tertull. hominum vitia odio habenda, non autem perſonas eorum aut naturam, in libro de Idololatr. aut etiam dona, vt eſt in cano. culpam. diſt.86.

Conuitium ſiue contumelia eſt tertia ſpecies, ſiue ea alicuius iniuriæ ſit ſignificatiua, vt Fatuus: vel, Non, vt Racha, Mat.5.v.22. Quid differat autem cõtumelia à cõuitio, vide M. Tulliũ. Denique feritas & crudelitas damnantur hoc præcepto. Sed & ſpectacula ipſa gladiatorum in arena ad mutuas cædes pugnantium, qualia olim fiebant, tam vetita ſunt, quàm duella, de quibus iam diximus. Nam hac conſuetudine homines imbuti humanitatem perdunt, ait Lactant. lib.6. cap.20.

Læſio denique ſeu violatio corporis, ſiue illa ſit Nex: ſiue Mutilatio Membrorum. Ac quidem nex cùm affertur dicitur homicidium. Sed quum membra mutilantur, quæ πήρωσις dicitur à Græcis, quæſitum eſt, vtrum homicidij ſit ſpecies. Nam Lege Dei. Exod.21. verſu 24. dens pro dente,

oculus

A oculus pro oculo erui iubetur, quod pœnę genus membri mutilationem affert. Reſp.quãquam hæc membri mutilatio eſt, tamen iuſtitiæ pœna eſt, neque animo priuatæ vindictæ fit,ſed publicæ offenſæ vltio eſt à Deo ipſo præſcripta, quæ pœna eſt appellata Talio, ἀντιπεπονθὸς ab Ariſtot.libr. 5. Ethic.

Sed quæſitum eſt de iis, qui ſibi virilia abſcindunt,vel aliqua membra, vtrum ſui ſint homicidæ,quia membra ſibi mutilarunt: eſt enim membri mutilatio,cùm membri integritas perit. Et videtur in eo diſtingui poſſe, Pláne de cauſa id fiat, & vt melius Deo ſeruiamus,an Non. Nam aiunt regni cælorum cauſa ſe caſtrare licere, Matth. 19. verſu 12. Hæc ſententia videtur confirmari authoritate Origenis,qui ſeipſum, vt liberius de rebus diuinis philoſopharetur,caſtrauit, vt eſt in hiſtor. Nicephori,lib.5. cap. 8. & apud Euſeb.in hiſtor. Eccleſ.lib.6.cap.8.itémque Marci exemplo , qui ad Epiſcopatum ſeu Presbyterium accerſitus,ſibi pollicem præſcidit,ne fieret presbyter,quòd cùm ſe indignum eo munere ſentiret,tamen B perſuadere non poterat. Sed oppugnat hanc ſententiam, quod vetat Dominus ſe incidere.Leuit.59.v.27.& 28.Vbi nunc ſunt,qui ſeipſos audẽt caſtrare, ſimul & Apoſtolicam imprecationem ſibi accerſentes, & Dei opificium accuſantes,& à Manichæis ſtantes,ait Chryſoſt.in Gal.5.verſu 11.& cætera ibid.& quod dicit Paulus Epheſ.5. verſ. 29.Et hoc ipſum etiam fieri legibus humanis, dictantéque humana ratione prohibitum eſt. Quare diſtinguendum eſt,vtrum quis vel Volens ſecetur,vel Inuitus,velut,propter morbum à Medicis,vel à barbaris hoſtibus,vel In perſecutione. Qui inuitus abſcinditur,is non peccat in hoc præceptum : ſed qui volens,ſiue id facit,fieríve curat, vel Libidinis, vel Commercij cauſa, quia Eunuchi ſunt pretioſiores,& in delitiis habentur,& ſolis his vtũtur Reginæ,ait Terentius,is inquam omnino damnatur. Eſt in cano.Si quis abſciderit.& can.Si quis.55.diſtinct.l.3.4.5.& 6.D.Ad l. Cornel.de Sicariis. & in Authent.

Quæſitum eſt de Circunciſione,vtrum ſe vel alium hodie circuncidere ſit homicidium. Et C quidem ex edicto principum licuit,& ex lege Petronia Iudæis ſe circuncidere. l. Circuncidere. D. Ad l. Cornel. de Sicariis , quod quàm rectè ſit à Principibus Chriſtianis iis conceſſum , ipſi viderint.Non rectè verò conceſſum dixerim, quia ea ratione in ſeipſos ſæuiunt.

Sed cùm Paulus Timotheum circunciderit,non videtur circunciſio eſſe res prohibita. Actor. 16. Reſp.Id pro tempore & pro perſonis licuiſſe,vtiliterq; factũ eſſe,quod tamẽ hodie concedi nobis Chriſtian.inter Chriſtian.agentibus nõ debet.Ergo ſi nõ fit valetudinis cauſa,mutilatio mẽbri eſt, ideóque homicidiũ, quia nihil ſuperfluũ creat natura:& circunciſio, vt ait Paulus, quæ fit in carne, nihil eſt,neque grata eſt Deo,1.Corinth. 7.ver.19.

Vtrum autem pro ſceleratis & facinoroſis hominibus Epiſcopi vel pij intercedere debeãt,quęſitum eſt.Sed ex Paulo ad Philem.v.18. putant licere.Alii diſtinguũt,vt pro iã damnatis nõ liceat: liceat pro damnãdis.Reſp.verior eſt ex cã. Hi qui. 14. quæſt.6.& 23.quæſt.23.ne pro eo intercedatur, cuius pœnæ remiſſio eſſet ſcandalum Eccleſiæ. Vera enim eſt illa Homeri ſentẽtia lib.8.Odyſſeę.

A Δειλαί τοι δειλῶντι καὶ ἐγγύαι ἐγγυάασθαι,

Id eſt, Malæ ſunt pro Malis & ſceleratis ſponſiones.Remiſſio autem peccatorum , quæ fit à Deo, non tollit pœnam ciuilem. Auguſt.lib.3. De anima.cap.9.& P.Martyr in 1.Reg.20.v.31.Apud Deũ autem pro minuenda,aut tollenda fratrum peccatorum pœna alij pro aliis precari poſſumus,quòd ille ſit & ſummus & iuſtiſſimus iudex , qui ius liberrimum habeat & puniendi & peccata condonandi.Homines autem Magiſtratus non item,ſed ex Dei Lege iudicare debent, ne impunita ſcelera relinquant ,quæ Dominus ſua Lege voluit plecti & caſtigari.

De pœna homicidij voluntarij quæ fuerit quæſitum eſt. Et quidem ſpiritualis pœna eſt animæ mors,eáque æterna,niſi reſipuerit.1.Cor.6.v.9.1.Tim.1.v.9.Id quod exemplo Cain docet Ioannes 1.Ioan.3.v.12.Gen.4,& 9.verſ.5.& 6.Apoc. 21. v.8.

Pœna verò corporalis,& quæ ad publicum exemplum pertinuit, dicique poteſt τιμωρία, id eſt, Politica, ſi quidem homo dolo malo occiſus ſit, lege Iudæorum fuit mors,Matt.26.v.52.Ezech.35. verſ.6.Fuit enim hoc crimen capitale,Leuit.24.v. B 17.Exod.21.verſ.12.Lege verò Romanorum olim quidem fuit deportatio in inſulam , & bonorum ademptio,hodie verò mors.§.Item lex Cornelia. De pub.iudiciis , in Inſtitut.& l. iij.§. Legis.& l. Qui cędem.D.ad l.Cor.de ſicariis.Gratias tamen quas vocant,ſeu mitigationem pœnarum maleficiorum,& indulgentias, videtur probare Auguſt. & ſcelerum veniam aut pœnam fieri à magiſtratu leuiorem poſſe putat epiſt.158.159.160.Maximè verò in hæreticos & Circumcelliones. Quidam autem eatenus eas probant , ſi fiat pœnæ diminutio ac mitigatio non à tota quidem pœna,ſed à tanta. Verius autem eſt , videndum eſſe ne fiat in ſceleribus Morali lege Dei damnatis perſonarum acceptio,ſed vt ſit eatenus æqualis omnibus Magiſtratus,& lex,quæ pœnam delictis ſtatuit, quatenus neminem inultum prætermittat : etſi tamen pœnę impares eſſe poſſunt , etiam in eodem peccati genere. Nam ſæpe vilis conditionis homo, vti ſeruus,duriùs rectè , & ex iuſta cauſa punitur, quàm honorabilis quiſpiam,qualis ſenator ,quòd exigua pœna publica in iſto maioris ſit exempli & momenti,quàm grauis & acerba in illo ſeruo. C Ergo hæc totius pœnæ cõdonatio, Remiſſio & gratia non placet mihi. Quàm fuerit tamen hæc res antiqua , & vt primùm prætextu religionis inducta , maximè occurrente virgine Veſtali , Vide Plutarch.in Numa. Dauid videtur ſed ad tempus gratiam huiuſmodi indulſiſſe Ioabo , & Semei, ſed hoc non probat ipſemet poſtea.2. Samuel. & 1.Reg.1.& 2.Vide quoque ibidem P.Martyrem:& in eo Dauid non ius Dei,ſed ſuum tantùm , & id quidem ad tempus remiſit , vt pœnam diſtuliſſe potius,quàm condonaſſe videatur. Theodoſium laudat Ambroſ.in funeb.oratio. quòd nunquam denegarit veniam confitenti.Non rectè.Fit enim hac ratione impudentior audacia.Denique fit hac indulgentia gratiæ. i. pœnæ remiſſione Deo ipſi iniuria, de cuius iure homines remittunt. Eſt enim peccatum ἀνομία, & propriè Deum ipſum reſpicit. Itaque poſtquam Deus offenſam ſibi factam tanti æſtimauit , quæ iſta eſt audacia, de alienæ offenſæ , & imprimis diuinæ æſtimatione & pœna contra Dei ipſius præſcri-

A ptum diſpenſare velle ? cano. Si is qui.23.quæſt. 4. Non eſt innocentiæ quæſt.5. Sed & expreſſa etiam ſunt Dei verba, Deuteron.13.verſu 8. Non parcet illi oculus tuus, neque cum eo miſericorditer ages,& Exod.21.verſu 12.his verbis, Morte morietur, id eſt, veniam non dabis illi vt explicat Apoſtolus ad Hebræos, Hebr.10.v.28.Ex quibus iſta gratiarum largiendarum, id eſt, totius pœnæ exemplaris remittendæ(quæ potius abolitio quã Gratia & pœnę mitigatio eſt appellanda)poteſtas, quæ à Principibus ſummíſq; Magiſtratibus vſurpatur, non tantùm limitari, ſed expungi videtur in iis ſceleribus, quæ & Dei præcepto & ipſo ſenſu naturæ humanæ puniri debent. Itaque hoc ſtatuo veriſsimum, quod alicubi reſpondet Iuriſcõſultus, facti æſtimationem eſſe in poteſtate iudicis:pœnæ autem detractionem in eo facto, quod lege Dei Morali & naturâ pœnam meretur, non eſſe in poteſtate cuiuſquam hominis : ac ne totius quidem orbis Monarchæ vt nõ puniat. Cæterùm quod concil. Toleta 5.cap.8.conceditur principibus ſummis vt indulgẽtiam largiri ſceleratis B poſſint,de iis ſceleribus & delictis eſt intelligendum, quæ aduerſus ipſos principes perpetrantur, veluti ſi quis in eum coniurauerit:& de ea venia & indulgentia interpretandum duntaxat quæ particulare Principis intereſſe minuit : non autem totam delicti pœnam publicam abolet, aut tollit, vt ex eodem capite octauo perſpicuè apparet.

In quo quæſitum eſt, num hodie templa locáque,quæ ſacra dicuntur, Aſyla eſſe homicidis ad ea confugientibus debeât, quando id Templo Dianæ Epheſiæ tributum eſt olim, vt ſcribit Cornelius Tacitus, & ſtatuis Cæſarum. Nam qui ad eas confugiebant abſtrahi ab iis non poterant, quia tanta æſtimata eſt earum rerum dignitas, & tam veneranda maieſtas, vt ibi omnes tuti eſſent. Et hæc eſt appellata à Papiſtis eccleſiarum immunitas.Et certè extant Tit.extr. De immunita.eccleſiæ Ext.& in 6. Itémque conciliorum & patrũ ſcripta,quæ illam eccleſiæ immunitatem probant & tuentur in concil.Toletano & Aurelianenſi,quorum capita deſcripta ſunt in cano. Definierat, & ſeq.& Auguſtini ſententia ad Bonifacium. in C cano.Miror.17.quæſt.4.At iſta maximè ſunt à mẽte Dei aliena.Scriptum enim eſt,domus mea, domus orationis vocabitur:Vos autem ſpeluncam latronum feciſtis. Matth.21.v.13. Ergo præſidium aſylúmque improbis eſſe vel patere illa non debet, & expreſsè iubet Dominus homicidam è ſuo altari detrahi & ad ſupplicium rapi. Exod.21.v.14. Id quod in Ioabo factum eſt, qui in ipſo templo tangens cornua altaris, cæſus eſt. 1. Reg.2.v.34.& Athalia,quæ etſi extra templum cædi iubetnr, tamen ab eo extrahitur, nec illi eſt immunitas.2. Reg.11.v.15.id quod ita fuiſſe factitatum & vſitatũ docet Philo Iudæus in expoſit. particulari Decalogi, διὰ μὲν ταῦτα κελεύει καὶ ἀπὸ αὐτῶν βωμῶν ἐκδιδόναι τὸν ἀνδροφόνον. A Zonara laudatur igitur & meritò quidem Iuſtinus ſecundus Imperator Conſtantinopolit.qui Senatorem, quia plebeio iniuriam aliquando intuliſſet,è medio conuiuio, vbi ipſe Imperator cum eo ſedebat, abduci ad iudicem id petentem iuſsit. Quod autem obiicitur,ita quoque imperatores Chriſtianos(Nam Romulus iampridem id ſanxerat,vt ſcribit Dionyſ.Halicarn.lib.2. ἀρχαιολογίας.) voluiſſe & iuſsiſſe ſuis legibus,& hunc A honorem idololorum templis olim datum , cur non & noſtris.Reſpon.ideo nec imitanda nec retinenda iſta eſſe,quia ab idolorum cultu & moribus Chriſtianos alienos eſſe oportet, neque ab illis ad Deum quicquam transferre. Fuit enim iſta principum Chriſtianorum pietas præpoſtera ſine fide,imò verò legi Dei prorſus contraria. Sed neque ipſi homines ethnici ſemper hunc honorem ſuorum Deorum templis tribuerunt, vt docet T. Liuius, & Perſeus vltimus Rex Macedonum ex ipſis Templi ſacratiſsimi quod in Samothracia inſula fuit, adytis extractus eſt, vt ſcribit Plutarchus.Eodem modo reſpondendum eſt ad ea, quæ Auguſt.diſputat lib.1.De ciuitate Dei.cap.4.

Quòd ſi non fuerit homo occiſus, ſed tantùm dolo malo membrum illius mutilatum,tum lege Dei,tum etiam lege xij. tabularum Talionis pœna eſſe iubetur,nempe oculus pro oculo,dens pro dente.Leuit.24.verſu 20.& Exodi 21. verſu 24. A. Gell.libro 20.Noct.Attic.cap.1.Quod pœnæ genus ſæpe à Deo inflictum eſt, velut in Dauidem, cùm pari pœnæ genere eius concubinæ violantur, vti ipſe vxorem Vriæ volarat.2.Sam.16. & quod B ait Chriſtus Ioan.18.qui gladio percutiet , gladio peribit. Hoc quoque genus pœnæ etiam à variis populis probatum eſt,vt Sextus Pompeius docet, de quo tamen vide Ariſtot.libr.5. ἠθικῶν νικομαχ.& Thomam in 2.2æ quęſt.61.dicitur Ἀντιπεπονθός.Nec enim hoc pœnæ genus ſequi ſemper neceſſe eſt.

Homicidij non voluntarij pœna fuit apud Gręcos voluntarium exilium, vt eſt apud Homerum, & refert Iuriſconſ.in l.aut facta.§.euentus. D. de pœn. At lege Dei ſex refugij ciuitates erant conſtitutæ , tres nimirum cis Iordanem , tres vltra Deuteron.21.

Ex negatiua affirmatiua colligenda eſt. Collegit Chitræus aliquot virtutes quas ad quodque præceptum huius decalogi refert. Sed quæ virtutes ad hoc pertineant,non poteſt melius intelligi, quàm ex vitiis quæ hoc præcepto damnantur. Cùm igitur ira,odium,contumelia,violatio alterius damnetur,ſintque his vitiis virutes contrarię, Iræ quidem & Crudelitati Manſuetudo & Clementia:odio verò Amicitia & Beneuolentia: C Cõuitio,Patientia & Bene de proximo ſentire: Violationi,Pax & Concordia,Conſeruatio, denique Fortitudo pro patria:Iuſtitięque illa pars quæ lęſum tuetur cùm poteſt. certè ad hoc præceptum hæ virtutes referri debent,Clementia,Manſuetudo,Amicitia,Beneuolentia,Patientia,Pax,in bello Fortitudo,Humanitas. Denique omnis vindicta prohibita. Vetamur etiam Surdo maledicere, cæco offendiculum in via ponere.Leuitic.19. verſu 18.& 14.

Cap. XIIII.

Septimi diuinæ legis præcepti,quod eſt, Non Mæchaberis,expoſitio.

AC primum de ordine huius præcepti quæritur,quotum ſit numero. Philo in expoſitione generali ait eſſe ſextum numero,& in 2. tabula primum. Nam illa inquit ἄρχεται ἀπὸ μοιχείας, quia μέγιστον ἀδικημάτων τοῦτ᾽ εἶναι exiſtimaret Moſes, A Moſes, & videtur eius ſententia dicto Pauli confirmari, Roman.13.v.9. vbi ȣ μοιχεύσεις enumeratur ante præceptum ȣ φονεύσεις. Sed tamen conſtanter hæc ſententia refutatur ex Exod.20.& Deut.5.vbi ſeptimo loco cenſetur, & poſteriori loco. i. poſt hoc, *Non occides*. Et quod ad dictum Pauli pertinet ſupra ad illud reſpondimus, vímque in eo minimè faciendam demonſtrauimus ex dicto Chriſti. Ergo eſt hoc pręceptum ſeptimum. Quod eſſe verum & ratio & patrum authoritas etiam confirmat. Ambroſius ſic in epiſt.ad Epheſ.cap. 6.& omnes qui verè legem Dei ſunt interpretati, etiam ſcholaſtici, vti magiſter ſententiarum, & Thomas in eo nobiſcum conſentiunt. Ratio verò ſupra expoſita eſt, quòd poſt corporis tuitionem ſancitã, Dominus coniugia ſancit & ab omni iniuria ſarta tecta eſſe iubet, quia proximè nobis poſt vitã matrimonium noſtrum commendatur, & στοργῇ φυσικῇ impellente charum pretioſúmque eſſe ſentitur: στοργῆς autem φυσικῆς ordinem ſecutus eſt Dominus in horum præceptorum collocatione.

Sed quæritur, quæ ſit huius præcepti æquitas.

B Reſp. eſt triplex { Diuina. Naturalis. Politica.

Ac diuina quidem, quia vetat Dominus omnem ſcortationem, omnémque immunditiem, qua vel pudicitia, vel caſtitas matrimonij violatur. Oſe.4. verſ.2.& 11. Hier.5. verſu 8. id quod etiam nouo teſtamento repetitum eſt. Matth.5. ver.27. 1. Corint. 6.v.9. Eph.5.v.5. Coloſſ.3.v.4. Hoc autem ęquiſſimè ſancitum eſt. Cùm enim matrimonium à Deo ſit inſtitutum, Gen.2. ęquiſſimum eſt, vt ab eodem inuiolatum ſartúmque & tectum conſeruetur. Eiuſdem enim eſt educare & tueri, cuius & creare & condere. Et quia ipſe ſanctus eſt, ſanctitatis verò pars eſt caſtitas, idcirco & caſtitatem nobis cõmendat, oditque omnem pollutum coitum. Heb. 13. verſ. 4. Statuitur etiam caſtitas vnum quoddam præcipuum totius Euangelij caput. Tit.2.v.12.

Naturalis, quia cùm ſit maris & fœminæ coniunctio iuris naturalis, §. ius naturale. De iure natur. gent. & ciuili inſtitut. neceſſe eſt eam ſanctam eſſe. Itaque præclaræ ſunt Pudicitiæ laudes apud C profanos homines, apud Stobæũ ſermo. 65.& ſermo.5.6. Tuo pręſidio puerilis ętatis inſignia munita ſũt, ait Valer. Max. li.6. c.1. Tui numinis reſpectu ſyncerũ iuuẽtæ flos manet. Te cuſtode matronalis ſtola cenſetur. Dicitur etiam primę ſapientię inuentum eſſe, Concubitu prohibere vago, dare iura maritis. Itaque omnium populorum legibus coniugia ſancita ſunt, ne polluerentur, & ſeueriſſimè vindicata eſt huiuſmodi iniuria, quemadmodũ bello Troiano demonſtratum eſt. Refert Plutarchus in li. De Republ. ad Traia. maximas ſeditiones Syracuſis exortas ob ſtupra, iuſto Dei iudicio. Id quod exemplo iudicij in Thamaram nurum à Iuda conſtituti apparet, & quid lege naturæ moneamur ſentire de Adulteris. Illam enim igni addixit. Geneſ.38. ver.24. Neque obſtat quod Actor. 15. ver.29. ſcortatio rerum indifferentium numero recenſetur, multique populi paſſim ſtupra impunita reliquerunt, velut Lacedæmonij, Plutarch. in vita Lycurgi: & Perſæ, quoniam libidine ineſcati allectique tantam ſibi peccandi licentiam ſumpſerunt. Verùm teſtimonium conſcientiæ tolli non poteſt, quin illud ipſum etiam damnat, quod tamen admittimus. Ergo δικαίωμα θεȣ͂ illi non ignorabant. Quanquam enim legem hanc non audiuerunt, fuere tamen ſibi lex ait Paulus Roman.1. ver. 32. 2. verſu 14. Vnde apparet quàm ſint, fuerintque ſemper turpes Gallorum mores, apud quos, vt ait Ioa. Fab. in Tit. De public. Iudic. in inſtitutio. adulterium non eſt habitum crimen, nimirum nimia conſuetudine peccandi. Impia quoque eſt illa vox Alexandri 3. qui in cap. At ſi clerici. §. De criminibus ext. De iudiciis, adulterium inter minora crimina recenſet. Longè verò melior, veriórque eſt illa Pauli ſententia, qui hoc crimen longè cæteris turpius eſſe docet. 1. Cor. 6.v. 18. Verum quoque eſt quod ait Ambr. Hexamer. lib.5. cap.7. Adulterium igitur eſt iniuria naturæ, & Ariſtot. libro 7. πολιτικῶν damnat adulterium, vti fœdiſs. crimen. Quis enim vir quamlibet impius velit adulteram vxorem? vt ait Auguſt. libr. De nupt. cap.17.

Politica ratio, propterea quòd pax publica priuatáque inter ciues ob violata coniugia turbatur. Nam vt ait Homer. lib. 1. Iliad. & eſt relatum ab Vlpiano in l. Si vxor. D. ad leg. Iul. De Adulter.

ȣ μȣ͂νοι φιλέȣσ᾽ ἀλόχȣς μερόπων ἀνθρώπων B

Ἀτρεΐδαι. id eſt, Non ſoli amant vxores inter homines, qui quidem diuerſo idiomate vtuntur, Atridæ. Et atrociſſima eſt huiuſmodi iniuria. Dionyſ. Halicar. lib.2. ἀρχαιολογ. varias à variis leges de coniugio conditas refert. Apud Lacedæmonios fuit lex & pœna conſtituta in ἀγάμȣς, ὀψιγάμοις, καὶ κακογάμοις. Hi poſtremi definiebantur qui opum cauſa affinitates diuitum quærebant, non autem vt ait Plutar. in Lyſandro, bonorum virorum. Itaque ſancitæ ſunt in adulteros ab optimis quibuſque legiſlatoribus pœnæ, velut à D. Auguſto, lex Iulia de Adulteris, vel de Pudicitia, vt dicitur in l. Reos, & l. ſequ. C. eod. apud Cumæos lex ὀνοβάτȣ, vt refert Plutarchus, apud Athenienſes mors, & apud Piſidas, vt refert Stobæus, pœna infamiæ λογῳ 42.

Obiici verò aduerſus hoc præceptum quædam poſſunt, imprimis verò tria: è quibus primum eſt quod ἐμπαῖκται quidam afferunt ex Geneſ. 1. verſ. 28. dictum eſſe à Domino Deo hominibus, Creſcite & multiplicamini. Ergo promiſcuo concubi- C tu vti licere, neque vllam maris & fœminæ coniunctionem illicitam eſſe cenſendam. Reſp. eſſe Paralogiſ. à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Quod enim illîc dicit Dominus intelligẽdum eſt, ea ratione, eóque modo genus humanum multiplicandum, quem ipſe ordinauit. Nempe honeſtis legitimiſque coniugiis, vt vir & vxor vna caro fiant, non autem ferino, id eſt beluino atque vago coitu. Geneſ.2.v.24. Malach.2.v.15. & docet Paulus 1. Corinth. 7.

Secundò obiicitur exemplum, factúmque Patrum, qui multas vxores habuerunt, aut qui vxori pellicem vel concubinam ſuperinduxerunt, velut Abrahamus Ceturam, Iacob habuit Leam & Rachelem. Dauid ſeptem vxores. Salomon plus quàm trecentas concubinas. Quod cum ſanctitate caſtitateque coniugij conſtare non poteſt, & tamen, ij viri ſancti iuſtique habentur, & dicuntur in ſcriptura amici Dei. Ad hanc quæſtionem variè reſpondent Patres, torquentúrque, leui tamen de cauſa. Reſpondet alicubi Ambroſ. Hoc quando mos erat, crimen non erat. Auguſt. lib. De bono

A coniuga. cap.13.& 17.& maximè 25. putat Sacramentum quoddam fuiſſe generationis Chriſti, vt ea proles & tribus conſeruaretur, ex qua naſciturus erat Chriſtus. Alij aiunt non concupiſcentia explendæ libidinis id factum eſſe, ſed deſyderio numeroſæ ſobolis, quæ inter Dei benedictiones tunc recenſebatur. Deuteron.28.Itaque P.Martyr de hac quæſtione anxiè. 2. Samuel.2. vbi de Bigamia:& eſt copioſè de toto hoc argumento diſputatum tota 32.quæſt.4.Item ab Auguſt.libro 1.De nuptiis.cap.13.14.8.9.

Sed verius eſt in eo damnandos patres.Nam,vt ait Paulus 1. Cor. 7. ver.2.ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω, id eſt,quiſque propriam vxorem habeto, Malach. 2.v.15. Dominus vnam tantùm vni dedit, erat tamen Dominus ſapientiſſ. Vnde hæc Lex eſt coniugii, vt duo, non autem vt tres vel quatuor fiant caro vna. Geneſ.2.verſu 21. Id quod ipſum etiam Chriſtus ipſe explicat Matt.19.v.5.& Paulus 1.Corinth.6.verſu 16.Erunt duo in vnam carnem. Ergo cùm Deus numerum expreſſerit,quæ perſonæ extra eum numerum ſunt,violant coniugium, nō B tuentur.Sed & hoc ipſum eſt contra naturam cōiugij. Eſt enim coniugium ſeu nuptiæ viri & fœminę coniunctio indiuiduam vitæ ſocietatem retinens,vt definiunt Iuriſconſulti, & eſt in §. j.De nuptiis,in Inſtitut.Neque verò omnia patrum facta ſunt(vti neque hoc ipſum) vel probanda vel imitanda, quia in multis ab iis peccatum eſt. Etſi verò viri plures vxores habebant,vxor tamen plures maritos habere non poterat, nec eſt vnquam factitatum, ac ne inter ethnicos ipſos, vti docet Auguſt.De bono coniugij cap.17.

Tertiò denique obſtat,quod ex Platone afferūt tum demum fore concordes Reſp.cùm erunt cōmunes vxores, quia in omnes amor coniugalis diffundetur. Sic fieri oportere ſcribit ſentitque Plato in lib.5. De Repu. & habebant eum locum Romanæ mulieres in ore tempore Epicteti Philoſophi,& Adriani Imperatoris, vt refert Stobæ. in ſermo De legib. & Conſuetud. qui eſt ſermo 42. Sed Platonis ſententiæ obſtat exemplum veteris eccleſiæ & primitiuæ,vbi,cùm fraterna concordia maximè floreret,habebat tamen in ea quiſ- C que ſuam vxorem,vt docet Paulus 1. Corinth.9. verſ.5. Ergo concordia hominum ex eo non pendet, vt ſint communes vxores cùm in coniugiorū dictinctione fuerit ſemper maxima firmiſſimáque charitas. Præterea huic ſententiæ Platonis reſpōdet Ariſtoteles, eámque velut ineptiſſimam optimis rationibus refutat libr.2.πολιτικῶν.Refutat etiā elegantiſ.Saluianus epiſcopus lib.8.de Prouidentia Dei.Hier.in epiſt.ad Epheſ. 5. dicit, Cynicos contendiſſe ſeminis fluxum ex quocunque attritu non eſſe turpem, & Scholaſtici penè idem nunc docent : ſed tantùm propter ordinem confuſum peccari aiunt, ſi oritur & emittitur extra coniugium.

Ait Lex, *Non mœchaberis* οὐ μοιχεύσεις;ait Pau.Rō. 13.v.9.In quo quæſitum eſt,expreſſáne ſit Hebraici verbi ſignificatio & vis, an tantùm legis mens & ſententia, atque vtrum melius diceretur οὐ πορνεύσεις. Ac primùm variæ ſunt variorum huius criminis generum & differentiarum appellationes, velut Scortatio, Mœchatio, Adulterium, Mollities,Inceſtus, Stuprum : & enumerat Thomas in 2. 2ᵉ quæſt. 154. ſex huius vitij & peccati ſpecies.Apud Græcos eſt πορνεία,eſt etiam μοιχεία,& A πόρνους ἀπὸ τῶν μοιχῶν diſtinxit Apoſtol.ad Heb.13.ver. 4.Eſt enim πορνεία,ſcortatio meretricia.μοιχεία,fornicatio ſcortatióque illicita, ſed non promiſcua & vulgaris,ſiue ea in ſolutam committatur, ſiue in coniugem.Auguſt.in libr.De quæſtio.in Deuter.putat μοιχείας nomine non omnem fornicationem intelligi,ſed tātùm adulterium, quod appellatur à Latinis. Atque eſt eius ſententia deſcripta in cano.Meretrices 32.quæſt.4.Sed verior eſt ſententia hoc loco συνεκδοχικῶς conceptam eſſe legem, & ex parte totum intelligendum, vti in cæteris eiuſdem legis capitibus fit. Itaque hoc nomine, vt ait idem Auguſt. omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus vſus prohibetur.

Quod ipſum vt ordine explicetur, in quinque capita totum huius præcepti argumentum diuidendum eſt,è quibus continet,

1 Quæ perſonæ prohibentur Mœchari.
2 Cum quibus prohibeantur.
3 Quo animo,quáve cauſa.
4 Quibus modis.
5 Quot ſint Mœchationis ſeu adulterij hîc B
prohibiti ſpecies ſeu genera.

Ac quidem,Quæ perſonæ mœchari prohibeātur quæritur. Et quando lex non diſtinguit, neque nos etiam. Eſt enim huius Legis authoritas in omnes Ætates hominum,Sexus,& Cōditiones.

Hominum alij ſunt Mares,alij Fœminæ, alij etiam Androgyni & Hermaphroditi. i. vtriuſque naturæ, vt docet Plato in dialogo, qui dicitur Conuiuium ſiue de Amore.

Ac quidem mares & fœminę apertiſſimè in Legis ipſius explicatione, & diſertè continentur, Leui.20.v.15.& 16.Deu.22.verſ.22. Sanctitas enim ab vtriſque & pudicitia requiritur. A maribus quidem & viris,quia,vt ait Lex, periniquum eſt virum pudicitiā ab vxore exigere, quam ipſe non exhibet. A fœmina verò, quia etiam earum corpus templum eſt Dei Spiritus ſancti,1.Corinth.6. verſ.19.Itaque vtrumque ſexum complectitur ex mente huius capitis & præcepti Iacobus, Iac.4.v. 4.Adulteri,inquit,& adulteræ, neſcitis quòd amicitia mundi,&c.Et quanquam Paulus,1.Corinth. C 6.ver.9.ait,οὔτε μοιχοὶ,οὔτε μαλακοὶ,quæ voces ad ſolos maſculos pertinere videntur, tamen vſitata eſt ea ratio dicendi,vt maſculinum ſub ſe concipiat, cōplectatúrque fœmininum, intelligatúrque eſſe communis vtriuſque ſexus prohibitio. Neque obſtat quod ex Marco Catone refert A. Gellius libro 10.Noct.Atticarum,cap.27. Non fuiſſe idem ius vxoris in maritum, quod mariti in vxorem.illa te,ſi adulterares,digito non auderet contingere, in adulterio vxorem tuam ſi deprehendiſſes ſine iudicio impune necares ait.Aliud enim eſt ſpectare quid Ethnicorum leges,eęque politicæ velint:aliud quid lex Dei,quę ad conſcientiam pertinet,iubeat.Vtrumque enim & marem & fœminam comprehēdit:& quod ſcribit Cato, olimque factitatum eſt,poſterioribus legibus antiquatum & emendatum eſt, quemadmodum apparet ex l.Nec in ea lege.§.Ideo.& l.ſeq. D. ad l.Iul. de Adulter. Et eandem pœnam vtrique. i. marito & coniugi deberi,& maiorem etiam caſtitatem à viris requiri,docet Auguſt.libro 2.De adulter.coniugiis.cap.8,& 20.

A Sed quæſitum eſt de Androgynis. Quoſdā enim tales naſci non modò authoritas Platonis docet, ſed etiam legis. Neque enim de iis, quæ nunquam viſa ſunt & extiterunt, fit lex. Eſt igitur in l. Quæritur Hermaphroditum. D. De ſtatu hominum, Hermaphroditi mentio : & Ouid. tales homines naſci docet, lib. 15. Metamorph. ſed & fieri, quod poſtremum eſt falſum,

Cui non audita eſt obſcœna Salmacis vnda?

Plinius libro 7. Naturalis Hiſtoriæ. & ipſa, vt in Tireſia, quotidiana experientia. Meo ſeculo quidam vixit apud Turonenſes. Quæſitum eſt vtrum ij prohibeantur contineantúrque hac lege. Cùm enim vtriuſque membri, id eſt, ſexus & naturæ ſint participes, videntur poſſe & marium & fœminarum concubitu vti, nec prohiberi. Reſpon. Debēt eius tantùm ſexus cenſeri, qui in iis potentior eſt & præualet, non autem vtriuſque. Ergo primum comprehenduntur hoc capite, quia ſi ſine coniugio coeunt, violant Dei legem: deinde vbi matrimonio iuncti ſunt, debent eius tantum ſexus cenſeri, quem elegerunt, & prætulerunt ipſi. Eſt enim B turpiſsimum contráque rerum naturam, vt vtroque vti poſsint, qualis ille Iphis, de quo Ouid. in Metamorph.

Vota puer ſoluit, quæ fœmina vouerat Iphis.

Præterea hominum alij ſunt { Impuberes,
Puberes.

Quæſitum eſt, vtrum vtrique damnentur. Et quidem de puberibus, qui annum decimumquartum ætatis in maribus, duodecimum verò in fœminis exceſſerunt, dubitari nō poteſt, quia in iis iā libido excitatur, viſq; illa prolifica & σπερματικὴ naſcitur, vt docet Ariſto. li. 8. De natura animaliū, c. 14. quę affectus Venereos excitat & homines exagitat, vt Phyſici docēt. Itaq; ea ętate dicūtur cōiugiū contrahere poſſe, & Votū vouere, 20. quæſt. 1.

Sed de impuberibus maior quæſtio eſt, Vtrum in hoc crimen & peccatum incidere poſsint. Et apertè reſpondent Iuriſconſulti, in l. ſi vxor. §. ſi minor. & l. Si minor, D. Ad l. Iuliam, de Adulteriis, crimen legis Iuliæ poſt pubertatem demum incipere. quòd ante ætatem pubertatis, non videa- C tur tanta vis eorum corporis, vt committi hoc vitium ab iis poſſit, ſeménque emitti. Sed aliud docuit rerum experientia. Hieronym. ad Vital. tom. 3. epiſtolar. Audiui, Domino teſte non mentior, quædam mulicrcula cùm expoſitum mutarẹt infantem, cubarétque cum ea paruulus, qui vſque ad decimum iam venerat annū, accidit vt plus quàm pudicitia patitur ſe vino ingurgitaret, accenſáque libidine obſcœnis motibus ad coitum duceret infantem. Nec dum duo menſes euoluti, & ecce fœminæ vterus intumuit. Hæc Hier. Et cùm non effectum, ſed affectum criminis & peccandi damnet Dominus hoc præcepto: (Sint autem multi mares ante pubertatem. 1. decimum quartum annū ætatis, fœminæ ante duodecimum, doli, turpíſque illius affectus capaces) fit, vt meritò dicendum ſit, ad eos quoque hoc præceptum pertinere. Nam in iis, vt aiunt, malitia ſupplet ætatem. & eſt in cap. Tuæ nobis. cap. A nobis. & cap. Puberes. Extr. De deſpenſatio. impuber. & à Ioan. Fuſchio. Puellam nouem annorum peperiſſe, & puerum nouem annorum nutricem imprægnaſſe iampridem ſcriptum eſt.

Item hominum alij ſunt Serui, alij Liberi. A

Quæſitum eſt, vtrum ad vtriuſque conditionis homines hæc prohibitio pertineat. Et quando apud Deum nulla eſt perſonarum acceptio, neque eſt liber, neque ſeruus, neque Scytha, neque Græcus, vt ait Paulus, Gal. 3. v. 28. Col. 3. ver. 11. ad vtroſque pertinet prohibitio. Nam quando ex vtriſque eligit Deus ad ſalutem, debent quoque vtrorumque corpora eſſe templa ſpiritus ſancti, 1. Corinth. 7. v. 21. Neque obſtat quod Dominus ipſe, Leuit. 19. v. 20. diſcrimen conſtituit, liberáne mulier an ſerua ſtuprata ſit : & quod legibus Romanorum inter ſeruos, neque coniugium, neque adulterium eſſe cenſetur, ſed contubernium tantùm, neque etiam ab ancillis ſeruis pudicitiæ ratio exigitur, ſed à liberę tantùm conditionis fœminis, l. Quę adulterium. C. Ad l. Iuliam. De adulter. Vnde apertè reſpondetur in l. Inter liberas. D. eod. inter liberas tātùm perſonas locum habere accuſationem, criménque adulterij. Hæc omnia, vt dixi, noſtræ ſententiæ non obſtant. Nam aliud eſt ſpectare, quid ratio Politiæ, iúſque ſoli exigat & poſtulet : aliud quid ratio conſcientiæ, iúſque poli. Ergo non B eximit ſeruos à peccato & offenſa quoad Deū, quòd ab iis lex Politica & humana, non exigit pudicitiā.

Hominum alij ſunt Cœlibes & ſoluti, vt Virgo, Vir, & Fœmina Vidua: alij ſunt Mariti, Hierem. 5. v. 8. Ab vtriſque caſtitas exigitur, 1. Corinth. 7. ver. 34. Ac quidem à cœlibibus, ne ij ſibi ius eſſe liberè cum qualibet paſſim coeundi & vagandi putēt, quia vxore carent. Itaque ab iis potiſſimum ſibi cauendum docetur, Eccleſ. 36. v. 27. & 28. Vtcunque Papiſtæ cœlibatum magni faciant, prẹferántque coniugio, quemadmodum Hier. in lib. aduerſus Iouin. ſed inſulſiſſimè.

A maritis verò caſtitas pudicitiáque exigitur, eò magis, quòd iam fidem dederint vni, quā violare non debēt. Nam qui maritus adulteratur, tria hęc committit ſcelera, quòd 1. Fur eſt ſui corporis. 1. Corinth. 7. verſ. 4. 2. Periurus Domino, & vxori, & toti Eccleſiæ, Prou. 2. 17.

3. Lædit Rempub. cui nothos partus ſupponit pro veris ingenuiſque ciuibus. Et maximè hoc præceptum pertinet ad iam maritos & coniuges. Heb. 13. 4. Quod ſi aliquis excipiat, Mariti & con- C iuges iam non poſſunt videri caſti, quia polluerūt ſe coitu coniugali. Reſp. Imò caſtitas eſt cum propria vxore matrimonium, & cum ea ſola congreſſus, vt etiam reſpondit Paphnutius in Niceno cōcilio, & eſt in Hiſtor. Eccleſ. relatum : & in cano. Nicena. diſt. 31. denique Ambroſ. in lib. de Viduis, docet eſſe triplicem caſtitatem, inter quas eſt coniugalis.

Hominum alij ſunt, Milites, & ij vel Sacræ militiæ, vel Secularis: alij ſunt Pagani. Ad omnes pertinet hæc prohibitio. Ac de Paganis nulla quæſtio dubitatióque eſt. Dicuntur autem ij Pagani, qui non ſunt milites.

De militibus ſecularis, vt vocant, militię maior eſt quæſtio. Nam de militibus ſacræ militiæ, Presbyteris, Diaconis, & Paſtoribus Eccleſiæ, certò certius eſt omnis virtutis exemplar gregi eos eſſe oportere, 1. Pet 5. v. 3. itaque eos iubet Paulus vnius vxoris eſſe viros & caſtos, 1. Tim. 3. v. 2, & 12. Tit. 1. v. 7. idque ex ea ſanctitate quæ à ſummo Sacrificatore requiritur à Domino, colligitur, Leuit. 11. Et 21. diſtinct. 32. Vnde mirum eſt, cur coniugium

A fuerit clericis interdictũ. Præclarè enim Bernard. Serm.66.in Cantica. Tolle de Eccleſia honorabile connubium, nonne reples eã concubinariis, inceſtuoſis, mollibus, maſculorum concubitoribus? Saluian.lib.4.de Prouiden. Dei, Cunctis fornicatio interdicitur, ſed grauius multo eſt, ſi de clero aliquis, quàm ſi de populo fornicetur. Criminoſior enim eſt impudicitia, quæ promiſerit caſtitatem, à quorum tam piorum patrũ ſententia poſterior ætas, in hoc fœdiſsimè defecit. fornicatio enim tanquã res quædã leuis clericis conceſſa eſt.

Quod ad milites igitur ſecularis militiæ (quam vocant) attinet, & eos etiam ipſos comprehendit, tenétque legis huius prohibitio, & eſt in l.Miles. D.Ad l.Iul.De adulter.& in tit.De re militari.Idẽ Plinius Secundus, lib.2.epiſtol.ad Cornelianũ docet. Neque excuſat abſentia eorum ab vxore, quæ fit Reipub.cauſa, vt militi fornicari vel ſcortari propterea liceat. Eſt enim Deus, militum Deus, Exod.15.3.vti & etiam togatorum & eorum qui in pace viuunt. Quòd ſi lex Iulia de adulteriis, ad omnia matrimonia pertinet, tam militum, quàm B paganorum, vt dicitur in l.Si vni.D.Ad. l. Iul. De adulter. multo magis hoc Dei præceptum. Neque prodeſt quod Sabellicus ex Lampridio, Ennead. 7.li.5.refert L.Septimium Seuerum Imperatorem militibus conceſſiſſe, vt haberent in caſtris focarias, quas mulieres Græci, imprimíſque Chryſoſt. appellat εἰσάκτους γυναῖκας, quarum fit mentio in l. Si ancillam.C.de donatiõ.inter vir.& vxorem. Nam hæc conceſſio iis tantùm militibus fiebat, qui domi nullam vxorem habebant: non etiam maritis iam. Deinde vt idem docet Sabellicus, fuit ea res peſſimi exempli, miniméque conducibilis. Itaque laudata eſt eorum Imperatorum probitas & caſtitas, qui pudicitiam à militibus ſuis exegerunt. Alexander Seuerus totam legionem exauthorauit, quod apud Daphnem ſuburbium Antiochię ſcortaretur. Adrianus militem, qui hoſpitis vxorem adulterauerat, duabus diuerſis arboribus alligatũ laniauit & diſcerpſit. Pomp.Magnus militem occidit, qui ſub veſte manum pudendis muliebribus admouerat. Sertorius totã legionem ob idem ſcelus exauthorauit, nedum vt Chriſtiani duces hodie hæc in ſuis militibus crimina tolerare debeãt.

C Venio ad ſecundum caput. Concumbitur cauſſa libidinum, ait Auguſt. nubitur autem non niſi filiorum, lib.30.Contra Fauſt.cap.6. Ergo quæritur de concubitu in genere, vt hoc præceptum explicetur, cum quibus ſcortari atque mœchari prohibeamur. Hîc verò pro varia perſonarum quibuſcũ illegitimè miſcemur differẽtia, varię quoque mœchationis ſeu ſcortationis ſpecies ſunt conſtitutæ. Nam quæque copulatio illicita ſuum ſpecialéque nomen habuit, quod ex ea ſcelus, vel leuius, vel grauius cenſeatur. Ergo ex materia ſumpta eſt iſta luxuriæ vel ſcortationis diuiſio. Paulus variis locis, imprimis autẽ 1.Cor.6.v.9.1.Tim.1.v.9.quinque hæc genera conſtituere recenſeréque videtur, πόρνοις, μοιχοῖς, μαλακοῖς, ἀρσενοκοίτας, & denique ἀκαθάρτοις. In cano.Lex illa.§.Cùm ergo.36.quęſt.1.quinque hę ſpecies enumerãtur pro diuerſa ratione eorum, quibuſcum concumbitur, Nempe fornicatio, ſtuprum, adulterium, inceſtus, raptus. Thomas in $2.2^{\ae}$ quæſt. 154. ſex ſpecies facit. addit enim his ſuperioribus ſextum vitium, peccatum nempe cõtra naturam, quod appellatur Sodomia. Atqui ne hi quidem omne genus earum rerum, quibuſcum A coire atque concumbere vetamur, comprehendunt. Et cùm Paulus iubeat ab omni ſcortatione abſtinere, atque quenque noſtrûm poſſidere vas ſuum ἐν ἁγιασμῷ & τιμῇ, 1.Theſſ.4.v.3.& 4.certè nullum genus earum rerum prætermittendum eſt, cũ quibus illicitè & nefariè homines copulantur & miſcentur. Quod vt in vniuerſum complectamur, ſic dicimus:

Homines miſcentur illegitimè vel cum hominibus, vel cum bruto, vel etiam cum dæmone ipſo. Cum hominibus quidem, vel cum fœminis, vel cum maribus. Cum fœminis ſi ſunt conſanguineæ in gradu lege Dei prohibito: vel etiamſi ſunt extraneæ, veluti ſi ſunt coniuges iam: vel non coniuges quidem, ſed honeſtæ vitæ mulieres, cum quibus citra coniugij vinculum coire non licet: vel etiam ſi ſint meretrices, cum quibus citra matrimonium concumbitur. De his tot tãtíſque generibus dicendum eſt quæ pro varia perſonarum & materiæ ratione nomen diuerſámque ſpeciem obtinent.

Ergo quæritur, vtrum quis cum conſanguinea B in gradu lege Dei prohibito, miſceri poſſit. Reſp. facilis, non poſſe. Damnatur enim hoc genus coniunctionis, appellatúrque inceſtus, quòd ſit contra ipſum naturæ ſenſum. Paulus grauiſſimè in hoc ſceleris genus inuehitur, 1.Corinth. 5.verſ.1.Idem Ezech.22.v. 11.& Amos 2. v.7.Putat autem Thomas triplici de cauſa prohibitum eſſe meritò hoc fieri.1.Quia iis perſonis honos debetur. Ergo honeſtum eſt iis abſtinere. Nam in nuptiis non tantùm quod licet ſpectandum eſt, ſed etiam quod honeſtum eſt. Sed etiam expreſſè id fieri vetat Dei lex, Leuit.18.ver.6.2.Quia nimia occaſio peccandi daretur, cùm ſint aſſiduè ſimul. Ouid. libr. 9. Metamorphoſ.

Dulcia fraterno ſub nomine furta tegemus,
Eſt mihi libertas tecum ſecreta loquendi,
Et damus amplexus, & iungimus oſcula coram,
Quantum eſt quod deſit?--

3. Denique quòd ſic impediretur multiplicatio affinitatum, l.Inceſt.D.De ritu nuptiar. Hæ quidem ſunt aliquæ cauſæ, ſed non omnes. Potiſſima eſt, ipſius naturę vox & ſenſus deteſtans huiuſmodi C coitum. Neque obſtat quod obiiciunt, Adami filios duxiſſe ſibi conſanguineas, & quod ſcribit profanus poeta, Ouid.libro 9.Metamorphoſ.

Dij melius, dij nempe ſuas habuere ſorores,
Sic Saturnus Opin iunctam ſibi ſanguine duxit,
Oceanus Tethyn, Iunonem rector Olympi.

Sed facilis eſt reſponſio, quæ ab Auguſtino affertur li.15.De ciuitate Dei, cap.16.neceſſitate cogẽte & impellente, primis temporibus & nõdum multiplicato genere humano, id factum eſſe, quia alia vxor tunc duci non poterat. Itaque Deus, qui poterat iis, velut Abeli & Caino, alias fœminas procreare, neque tamen produxit, quodammodo relaxauit ipſe tunc iſtam Legem illis, inquit P.Martyr in 2. Samuel. 13. quam poſtea ſanxit & edixit Leuit.18.Lex ciuilis Roman.toto titul, C.de inceſtis & illicitis nuptiis. Ergo non eſt par iam noſtra & illorum cauſa, nec eadem: ſed eſt inceſtus. Atque hoc genus copulæ tanto damnabilius poſtea factum eſt, prohibente religione, quãto antiquius olim fuit, ait idem Auguſt. Eſt idem reſponſum in tota 36.quæſt.1.Inceſtus autem ſiue inceſtum tam

odioſum

A odioſum fuit, támque pollutum (vtrunque enim Latinè dicitur) vt inde factum ſit inceſtare, quod ſignificat polluere, vt ait Serui. Honorat. in libro 6. AEneid.

--*Et totam inceſtat funere claſſem.*

Noni. Marcel. idẽ ſcribit in Differentiis dictionũ.

Sed quæſitum ad quem quotúmque vſque cognationis vel conſanguinitatis gradũ inceſtus cõmitti intelligatur. Reſpon. Canoniſtæ vſque ad ſeptimum cognationis gradum, vide cano. De affinitate 35. quęſt. 2. & 3. In gradu autẽ vnoquoq; cõſtituendo duas perſonas enumerant Canoniſtæ, nec apud eos, ſicut apud Iuriſcon. tot ſunt gradus, quot perſonæ, vna dẽpta. ſed quilibet cognationis gradus habet duas perſonas, vt ipſi explicant. tot. 35. quæſt. 5. Quod idcirco inſtituerunt, vt maiores quæſtus ex diſpenſationibus facerent. Quantò enim maior eſt & latior prohibitio, tantò diſpenſatio frequentior & lucroſior eſt. Et eſt hæc conſtitutio Pontificum planè Burſalis, vt vocant. i. ad quæſtũ Curiæ Romanæ cõparata. Iuriſconſulti in l. Octauo. D. Vnde cognati, cognationũ gradus B omnes in octauo ordine & perſona finiri volunt, quoad hæreditates & ſucceſsiones, nedũ quoad cõiugia, quæ finiuntur quarto gradu, vt ait Vlpian. Tit. 5. in fragment. Nam in coniugiis non tam latè regnat prohibitio, quando duorum fratrum filij matrimonio iungi poſſunt Iure Ciuili Romanorum. §. Duorum quoque fratrum, De nuptiis, in Inſtitutiõ. Sed verius eſt inceſtum definiri, & ad eum vſque conſanguinitatis gradum tantùm pertinere, quẽ Deus ipſe deſcripſit. Ergo extra eas perſonas, quæ non ſunt prohibitæ iure diuino, matrimoniũ velle cõtrahere, inceſtus eſſe nõ intelligitur, quia in iis ſolis conſanguinitas eſſe cẽſetur. Minus enim latè patet conſanguinitas, quàm cognatio. Edictũ autem Domini extat Leuit. 18. & 20. Deuter. 20. v. 30. Iuriſconſulti dicunt inter eas perſonas, quæ in parentum liberorúmve numero ſunt in infinitum, inceſtas eſſe nuptias, ſiue ex iuſtis nuptiis cognatio deſcẽdat, ſiue non. l. Nuptiæ. & l. ſeq. D. De ritu nuptiar. & l. Iure gentium. D. De ritu nuptiarum. Id quod verum eſt.

Sed quæſitum eſt, Nũ de his gradibus, vel C Princeps, vel Eccleſia diſpenſare poſsit. Et certè quando ius politicum ad Magiſtratum pertinet, non ad Eccleſiam, ſi quiſquam de iis gradibus diſpenſare poteſt, is eſt Princeps, vt eſt etiam in l. Diuus Marcus, D. De ritu nuptiar. & l. Si ſenatori. D. eodem. Et videtur Princeps diſpenſare poſſe, argumento eorum quæ ſcripta ſunt 2. Samuel. 13. v. 13. Nunc verò alloquere Regem, inquit Thamar Amnoni fratri, nõ denegabit me tibi. Ergo princeps poteſt diſpenſare. Facit etiam quod ſcriptum eſt à Suetonio in Claudio Imperatore, cap. 26. eum non modò duxiſſe Neptem. i. fratris filiam, ſed etiam edicto, vt id liceret, propoſuiſſe. Id quod in Alcinoi, & Aretæ Phæacum reginæ coniugio accidiſſe poteſt obſeruari ex Homeri Odyſſ. lib. 7. Denique quod ſcribunt Canoniſtæ Papam Rom. de gradibus conſanguinitatis diſpenſare poſſe, in cano. Quædam lex. §. quod ſcripſi. 35. qu. 5. & Thomas ait in 2.2æq. 154. art. 9. excepta perſona patris & filiæ, Papa in reliquis diſpenſare poteſt. Volũt enim eum etiã contra ius naturale poſſe diſpẽſare, vt maius periculum euitetur, diſtinct. 13. Sed planè aliud ſentiẽdum eſt. nam quũ hominis lex quàm Dei ſit inferior, minórq; illius quã huius poteſtas, nõ poſſunt A neque debẽt homines relaxare, quę Deus obſeruari cõſtringíq; iubet. Hęc enim eſt breuis mea reſponſio. ita quoque ſentit P. Martyr in 2. Sam. 13. v. 13. vbi reſpondet ad omnia ſuperiora argumẽta.

Quæſitum eſt de fratris defuncti vxore, Vtrum eam frater ducere in vxorem queat. Et quia vexata eſt quæſtio, neq; omnia hîc dici poſſunt, in ſuum locum & eum quidem alium à nobis differetur. ex l. Fratris vxorem. C. De inceſtis nuptiis. modò illud obiter intelligamus eam non poſſe duci, quanquã qui aliter ſentiunt, magnum ſententiæ ſuæ præſidium in voce Hebræa, יבם ſe habere putant.

Secundo loco prohibitũ eſt ſtuprum ſcortatióque, in eam quę extranea eſt, neque conſanguinea. Ac primùm quidem in eam, quæ Sanctimonialis eſt. i. Deo conſecrata virgo, voto perpetuo, quales ſunt Moniales. Hoc genus ſcortationis vocant Scholaſtici Sacrilegium, & eſt edictum Imperatorum, in l. Si quis nõ dicam rapere ſed attentare. C. De Epiſcopis & Clericis. Idem eſt in 36. quæſt. 2. extántque varia de ea re Pontific. Roman. decreta tota 27. quæſt. 1. Et ſcribit Hermi. Sozomen. B Iouinianum Imperatorem pœnam conſtituiſſe, ſiquis etiam auſus eſſet ἱερὰν παρθένον μνᾶσθαι, id eſt, Sacram virginem deſpõdere, vt ipſe refert lib. 6. Hiſtor. cap. 3. Nos quia iis caremus, etſi diaconiſſas habuit vetus Eccleſia, 1. Timo. 5. tamen in argumẽtum trahere poſſumus, ſi quis fœminam Eccleſiæ diaconiſſam ſtuprarit.

Tertio loco committitur ſcortatio in extraneã quidem mulierem, quæ non eſt tamen ſanctimonialis, vel ſi ea Soluta eſt, vel Coniux iam.

Ac de ſoluta quæſitum eſt. Et ſiquidem bonæ & honeſtæ vitæ, & exiſtimationis prius erat ea mulier, ſtuprum appellatur. Eſt enim ſtuprum illa ſcortatio quæ in virginem, viduam, & maſculum, ait lex, committitur. Sed quod ad maſculum pertinet, habet ſuum propriúmque ſceleris & criminis genus, vt infrà docetur. Diſtinguunt Scholaſtici vti Thomas in $2.2^{æ}$ quæſt. 154. inter ſtuprum & ſimplicem fornicationem. Simplex fornicatio eſt ſoluti cum ſoluta. Stuprum verò eſt etiam cõiugis in virginem, ait, cùm illa defloratur. Sed ſequenda potiùs eſt Iuriſconſultorum, qui ſunt verborum obſeruantiſsimi, definitio, quæ eſt in l. C Inter ſtuprum. D. De verborum ſignificat. vbi ſtuprum eſſe ſoluti cum virgine & vidua aiunt, quia vtraque debet ſoluta eſſe perſona: Stuprum omne damnatum eſt, Deut. 22. v. 25, & Exod. 22. v. 16. Huius autem ſtupri & ſcortationis generis ſi ſine vi commiſſum eſt, fuit diuerſa pœna, vt refert Philipp. in Epitome moralis Philoſophiæ. Ac Moſis quidem Lege hæc pœna ſancita eſt, vt ducat & dotet qui ſine vi virginem ſtuprauit. Exod. 22. v. 16. Legibus Atticis edicitur vt aut ducat aut dotet. Legibus Roma. relegatio cum dimidiæ partis bonorum adẽptione pœna fuit. Conſtitutione Gregorii Magni Eccleſiaſt. epiſt. 43. Indict. 11. vt etiam corporaliter ſtuprator caſtigetur.

Sed quæritur de concubinis quas olim habere licuit, legibus Roman. tot. tit. D. De concubinis. Nam libera mulier quæ in conſuetudine noſtra eſt, etiam honeſtæ conditionis eſſe, & vxor legitima cenſetur. l. In cõſuetudine. D. De ritu nuptiar. Et eſt ſcriptum ab Iſidoro Chriſtiano, non licere habere duas vxores, niſi vnam tantùm & eã vxorẽ

A aut certè, ſi deeſt coniux, loco vxoris, concubinã. Et in confeſsionib. ſuis Auguſt. fatetur ſe concubinam habuiſſe, ex qua Adeodatum ſuſcepit: hanc quidem coniugem facit affectus, ſed lex appellat concubinam. Abraham habuit Cethuram. Sed reſponſum eſt Auguſt. in cano. Audite diſt. 34. quòd planè concubinatũ damnat, etiam in ſoluto, quia vt ait Ambroſius, ſi diligis quam habes in conſuetudine, cur nõ vxorẽ eam ducis? in cano. Ducat aliquis 32. quæſt. 4. damnat autem Dominus omnem immũditiem, & εἶδος πονηροῦ, 1. Theſ. 5. v. 22. Eſt enim res mali exempli. can. Concubinæ. 32. q. 2. Denique Lactant. lib. 6. cap. 23. idem tradit de concubinis, quas homini Chriſtiano conceſſas eſſe negat, præſertim verò marito. Certè omnis præter Dei verbum copula damnanda eſt, quocũque nomine appelletur: etſi inter inhoneſtas copulas magis fœda & turpis eſſe vna poteſt, quàm altera, omnes tamẽ, quæ à Dei præcepto, & extra vinculum coniugij fiunt, ſunt turpes & obſcœnæ.

Quæſitum eſt, Vtrum in eam, quæ ſeruæ eſt cõditionis, commiſſum ſtuprum damnetur. Et quidẽ B ſi de Iure ciuili Roman. quæritur. in eas crimen non committitur, quemadmodũ ſæpe reſponſum eſt. Itaque ob huiuſmodi ſtupra & φθορὰς ceſſat accuſatio legis Iuliæ de Adulteriis. l. Serui. & l. ſeq. l. Etſi libidine intemperantiæ. C. Ad. l. de adulter. Idque, quia ab iis perſonis quæ ſunt ſeruilis conditionis, pudicitiæ ratio non exigitur, vt eſt apertè definitum in l. Quæ adulterium. C. eod. Quanquam domino ob ancillam ſeruámque ſtupratam iniuriarum, vel dãni dati in ſtupratorem, datur actio, id eſt, l. Aquilię, vel de ſeruo corrupto. l. Inter liberas. C. eod. Atque iſta iure ciuili obtinuerunt. Sed iure naturali, itémque ex Philoſophorum ſententia planè aliud ſtatuendum eſt. Horatius Saty. 2. lib. 1. Quid inter eſt in matrona, ancilla peccesue togata? Præclara eſt quoque illa Muſonii Philoſophi oratio, in lib. De rebus Venereis, quæ à Stobæo refertur λογ. 6. ὅσαι, ait, μοιχείας ἐκτὸς (ſupra autem μοιχείαν idem Muſonius damnauerat) οὖσαι πρὸς θηλείας εἰσὶν, ἐστερημέναι τοῦ γίνεσθαι κατὰ νόμον, καὶ πᾶσαι αὗται αἰσχραὶ αἵγε πράττονται δι' ἀκολασίαν ὡς μετάγε σωφροσύνης, οὐκ ἂν ἑταίρᾳ πλησιάζειν ὑπομείνε τις, οὔτ' ἂν ἐλευθέρᾳ, γάμου χωρὶς, οὔτε μὰ δία θεραπαίνῃ τῇ αὑτοῦ. τὸ γὰρ μὴ νόμιμον. μήδ' εὐπρεπὲς τῶν C συνουσιῶν τούτων, αἶσχος δὲ καὶ ὄνειδος μέγα τοῖς θηρωμένοις αὐτάς, id eſt, Quotquot autem extra adulterium fiunt maris & fœminæ coitus, & præter lege præſcriptam rationem, omnes ſunt turpes, fiúntque ex magna animi intemperantia, adeò vt nemo temperans ne ad meretricem quidem accedere ſuſtineat, nec ad liberam fœminam citra coniugii vinculum, neque etiam ad ancillam. Huiuſmodi enim concubitus qui cum illis ſine coniugio fiunt, neque ſunt legitimi, neque honeſti: ſed magnam turpitudinem atque dedecus continent, afferúntque iis, qui huiuſmodi perſonas conſectantur & ſollicitant. Hæc Muſonius, quæ ſunt longè veriora & ſanctiora, quàm ſuperior illa legum Roman. ſanctio, quæ certè eſt à Chriſtianis hominibus & explodenda, & è ſcholis exſibilanda. Ergo etiã cum ancilla & ſerua fœmina concubitus, intemperantiæ luxuriæque nomine à Philoſophis damnatur. Lege autem Dei & hoc capite apertiſsimè, quia Lex nõ diſtinguit in quam ſcortatio impudénſque illa copulatio fiat, ſeruáne ſit an libera mulier. Et ait Chriſtus, quicunque viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam coram Deo mœchatus eſt, Matth. 5. verſ. 28. Neque apud A Deum liber eſt, vel ſeruus, Galat. 3. ver. 28. Idem ſentit Hieronym. in epiſtolam Pauli ad Titum. Quomodo in fornicatione, ait, non idcirco diuerſa eſt fornicatio, ſi mulier ſit pulchra aut deformis, ancilla aut ingenua, paupercula aut opulenta, ſed qualiſcũque illa fuerit, vna eſt fornicatio: & eſt in cano. Fur autem. 14. quæſt. 6. & expreſſè diſertéque explicatum ab Eccleſiaſtico cap. 41. ver. 27. Idem colligi poteſt ex eo quod eſt à Moſe ſcriptũ, Exod. 21. verſ. 8. Vbi iubetur Dominus ancillam ſuam, ſi placet, legitimo coniugio habere, non autem ea abuti. Ergo multò minus alii licet. Et eſt idem reſponſum ab Ambroſio in ſermo. de ſancto Ioann. & eſt in cano. dicat aliquis. 32. quæſtio. 4. Comprobatúrque noſtra ſententia à Saluiano libro 7. dum in Aquitanorum impudiciſsimos in hoc criminis genere mores inuehitur. Hierony. ad Ocean. Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti: aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos viris impudicitiæ fræna laxantur, & ſolo ſtupro atque adulterio coudemnato paſsim per lupanaria & ancillulas libido permittitur, B quaſi culpâ dignitas faciat, non voluntas. At apud Chriſtianos non item.

Sed quęſitum eſt de meretrice, vtrum cũ ea concubitus damnetur. Olim apud veteres Rom. non licuit quæſtum meretricium exercere, niſi apud ædiles licẽtiam ſtupri illa vulgaſſet, quæ facere quæſtum corpore volebat, ſatis pœnarum aduerſus pudicas ſtatuentes ipſam profeſsionem, Cornel. Tacitus lib. 2. Sed poſtea licuit ſine hac profeſsione. Ergo ſi ius Ciuile Romanorum audimus, qui coniux alterius meretrici ſe miſcet lege Iulia de adulteriis tenetur. l. Si ea quæ. C. ad l. Iul. de adulter. ſancta enim conſeruari debent coniugia, quę iam contracta ſunt, quæ alterius cuiuſquam coitu pollui, & infamari turpe eſt.

Sed ſi ſolutus eſt is, de quo agitur, quæritur, vtrum cum meretrice commiſceri poſsit. Et ſi quidem quæ antea fuit meretrix, iam nupta eſt, pertinet ad l. Iuliam is, qui cum ea coit, quia meretrix eſſe deſiit. Nam & pœnitere meretrix poteſt, & in matrimonium duci, vt ſcribit Hieronym. in Oſe. cap. 1. & eſt in l. Si vxor. §. Si quis. C D. Ad. l. Iul. de adulteriis. ac etiam vilis mulier, lege Iulia accuſari poteſt. l. Mater. §. Mulier. C. eod. ſi adulterium commiſit, id quod facit meretrix, poſtquam nupſit,

Quod ſi meretrix manet, Iure Ciuili non punitur, neque coercetur qui cum meretrice concumbit. Nam & Lupanaria lex ciuilis Romanorum nõ tollit, neque meretrices damnat, quas veluti vſuras quoque, maioris periculi euitandi gratia homines politici concedendas contendunt. Ait enim Iuriſconſ. ſæpe in honeſtorum virorum prædiis Lupanaria exerceri. in l. Ancillarum. §. ſed & penſiones. D. De petition. hæredit. ſcribítque ex ſuorum temporum moribus Auguſt. lib. 14. De ciuitate Dei, cap. 18. ſcorta quidem à Ciuitate terrena licita eſſe permittique adeò vt vim illis inferri lex ciuilis vetet, & in earum inuitarum ædes cuiquam irrumpere, quemadmodum narrat & ſcribit A. Gellius libro 4. Noct. Atticar. cap. 14. Quas Romanas leges Lupinaria concedentes grauiter reprehendit Saluianus epiſcopus libro 7. & barbarorum Vandalorũ legibus impuriores eſſe docet, & con-

A & conqueritur,quæ ea prorſus ſuſtulerunt.

Ex Philoſophorum ſanè decretis longè aliud ſtatuemus,quorum ſententia, quàm Iuriſconſultorum longè & ſanctior & verecundior eſt.Damnant enim Philoſophi cum meretrice concubitũ, quemadmodum Muſonius fecit,in eo libro & loco,quem nos ſuprà laudauimus. Quod ſi obiicitur,at neminem iniuria afficit, qui cum meretrice miſcetur,reſpondet Muſonius,Imò verò ſeipſum lædit,& dehoneſtat,qui ſic intemperans eſt. Certè Xenophon in dictis Socratis ait ſues eſſe, qui cũ meretricibus coeunt, ex Socrat. diſput. aduerſus Critiam libro 3. Ἀπομνημον.

Quod ad ius diuinum pertinet, Certè quidem eodem modo eadémque de cauſa & ratione à Domino damnatur, qui cum ſcorto coit, atque qui cum alia qualibet muliere:violat enim ſuum corpus,vel potius Domini ipſius templum, vt apertè ait Paulus,qui diſertè πόρνης, id eſt, meretricis meminit,& cum ea ſcortationem execratur,1.Corin. 6.v.16. Atque in tota Scriptnra non modò noſtra cum ea coniunctio damnata eſt, Prouerb.7.v.10. B & 8.v.13.ſed etiam illius aſpectus & aſſectatio,Eccleſ.41.v.25.& 9.ver.26.Itaque Auguſt. in libro de adulter. coniugijs apertè pronuntiat concubitum cum meretrice eſſe damnatum. Id quod eſt relatũ in cano. Adulterij.32.quæſt.7. Sed in Quæſtionib. in Deuteron.idem ait,Meretrices eſſe & ad meretrices accedere diuinitus prohibitum eſſe. Facilè verè colligi ex iis quæ à Moſe ſcripta ſunt, idem poteſt. Nam ſi Dominus vllas eſſe in vniuerſo ſuo populo vetat, Leuit.19.verſ.29. Deuteron. 23.verſu 17.multò magis cum iis extra coniugium miſceri.1.Corinth.6.verſu 18.Laudat Saluianus,& quidem rectè Gothos & Vandalos quòd vel contactum ipſum meretricum horrerent, & compellerent eas, ſi quæ eſſent in vrbibus à ſe captis inuentæ,ad maritalem thorum tranſire:& idem,Eſſe inter Gothos nõ licet ſcottantem Gothum:ſoli inter eos præiudicio nationis ac nominis permittũtur impuri eſſe Romani. Hæc ille lib.7.de Prouid.Dei. Neque obſtat quod Raab meretrix inter fideles enumeratur,Heb.11.verſ.31.Matt.1. Neque enim quatenus meretrix fuit laudatur,ſed quòd C fidem Chriſti, promiſsionéſque Dei amplexa eſt, vitæque genus commutauit.Fuiſſe autem Rachab non modò cauponam,ſed etiam meretricem, apparet ex Iacob.2.v.25.

Sed quæſitum eſt obiter,quæ meretrix eſſe cenſenda ſit,vtrum omnis quę ſoluta ſe alienæ libidini proſtituit,id eſt,extra coniugium alicui miſcetur.Valerius Maximus libro 9.cap.1. De Gemello Tribunitio appellat Lupanar priuatum, domum, in qua quis ſe aut alium proſtituit. Auguſtinus lib.1.De nuptiis, cap.9.ait meretrix eſt, quæ cum pluribus non prolis, ſed libidinis cauſa concumbit. Fœmina verò plus quàm ab vno viro fœtari,& ingrauidari non poteſt,Auguſt.De bono cõiuga.ca.17. Ergo definit Auguſt.non omnem eſſe meretricem,quę extra matrimonii vinculum alienæ ſubſeruit intemperantiæ:ſed cuius eſt publicè venalis turpitudo. Hieronym. ad Fabiolam ſic definit,Meretrix eſt quæ multorum libidini patet, & eſt in cano.vidua diſtinct.34. Iuriſconſulti verò has ſententias & facilè & verè duobus hiſce verbis explicant. Non omnem quidem eſſe meretricem eam quæ ſe ſummittit alienæ voluptati, vel ſoluti vel coniugis viri: ſed quæ Palàm & Vulgò A quæſtum facit, ſéque ita proſtituit in l. mariti. §. qui quæſtum.D.ad leg.Iul.de Adulter. Palàm autem quæſtum facit non modò quæ in lupinari ſe proſtituit,verùm etiam ſi qua, vt aſſolet,in tabernis, caupona, vel quo alio loco pudori ſuo non parcit in l.Palàm quæſtum.D. de ritu nuptiarum. Idcircóque ob vulgarem illam voluptatem & intemperantiæ omniſque turpitudinis vſum Sus appellatur Meretrix.Eccleſ.26.v.28.29.

Quarto loco ſi ſcortatio fiat in coniugem dicitur adulterium, ſi non vtraque ex parte,ſaltem ex illius parte, qui coniunx eſt.l.inter liberos. §. lex ſtuprum.D.ad leg.Iuliam.de adulter. Eſt enim adulterium cùm ad alterum alterámve itur, quæ iam fidem ſuam alij ſpopondit, vt ex etymi ratione facilè intelligi poteſt.Itaque ait Gelaſ.in cano.lex illa.§.cum ergo 36.quæſt.1. Adulterium eſt alieni thori violatio. Vnde adulterium dicitur quaſi ad alienum thorum acceſsio. Adulterium enim non eſt naturalis appetitus, ſed contumelia præter naturam. Si quidem appetitus ille tantùm deſiderat mixturam, non autem talem mixturam, B & datus eſt ad liberorum procreationem non ad ſcortationes,Chryſoſt.ad Galat.5.verſu 11. Ex quo facilè colligitur, non niſi in iis adulterium committi, quorum vel vtraque coeuntium vel altera pars matrimonio iam alij copulata eſt.Quamobrẽ falſa eſt, & ex Montaniſtarum fæce & hæreſi deprompta illa adulterij definitio, quam affert Tertull.in libro De Monogamia,Adulterium, inquit, eſt cùm quoquo modo diſiunctis duobus, alia caro, imo aliena miſcetur, de qua dici non poſsit, Hæc eſt caro de carne mea, & os de oſſe. Semel enim hoc factum eſt & pronuntiatum. Ergo adulterium appellat ſi quis prima vxore morte erepta ſecundam ducat. Adulterium igitur damnatur. Oſe.7.verſu 4.5.verſu 11.Heſiod. libro 1. Ἔργ. κ. Ἡμερ.Leuit.18.verſu 20.20.verſu 10. Atque Hier.5.v.8.vetat adhinnire alienæ vxori,& Ezec. 22.verſu 11. Ouidius dixit eadem ſimilitudine, qua Hierem.*Semper equus pulchræ pulcher adhinnit equæ.* & Prudent.lib.1.in Symmach.

Sed quæſitum eſt ſi ea quam quis iniit nondum adhuc nupta ſit,ſed tantùm alij deſponſata, vtrum C ea ſcortatio ſtuprum tantùm an etiam adulteriũ appellari debeat. Et quando ſponſa vxoris loco habetur, Legéque Dei pari pœna ſponſa, atque iam nupta punitur,nimirum morte, certè adulterij nomine ea ſcortatio appellanda eſt. Deuter.22. verſu 23. l. Si vxor. §. Diui. D. eod. & Matth.1. ver.19. Tanta enim eſt eius promiſsionis & ſponſionis vis, vt quoad vinculum pro nupta habeatur, fiátque ſponſo velut marito iniuria. Prouerb. 2.ver.17.Nam nuptias conſenſus facit non concubitus.l.Nuptias.D.De reg.iur. Hîc autem ſponſam intelligimus per verba De præſenti, non per verba De futuro tantùm.

Quinto loco quæſitum eſt, De iis qui mares cum maribus, fœminæ cum fœminis, vt Sapphò concumbunt copulatione fœdiſsima,vtrum damnentur. Et certè & iure diuino & iure humano ij execrabiles habentur. Ac iure quidem ciuili Pãdectarũ,ſtupri tãtùm nomine hoc ſcortationis genus,quæ fit cũ maſculo, damnatur. l. ſtuprum.D. ad legem Iul.de Adulteriis. Iure verò Codicis & recentiori lõgè acerbius immaniúſve crimen eſſe

A pronuntiatur, vt eſt in l.Cùm vir nubit in fœminã.Cod.ad l.Iul.de adulter.& extat l.Valentiniani in collatione legum Moſaicarum & Roma.Tit.5. quæ etiam poſterior eſt,vbi ſcelus maximum eſſe dicitur. A Muſonio verò αἱ πρὸς ἄῤῥενας ἀῤῥένων συνουσίαι dicũtur eſſe turpiſsimum flagitium, atque τόλμημα παρὰ φύσιν. Iure diuino hoc genus concubitus planè improbatur,& prorſus condemnatur & appellatur Sodomiæ peccatum. dicuntur enim eſſe damnabiles & contra naturam ipſam peccare. Ergo horum crimen ſuo proprióque nomine Sodomia appellatur.Leuit.18.v.22.20.ver.13.quia Sodomitæ hoc genere ſceleris peccarunt, vt eſt Geneſ. 19. Appellantur autem à Paulo ἀρσενοκοῖται.1. Corinth.6.verſ.9.1. Timoth.1.verſ.10. à Philone verò Iudæo παιδερασταί.Ab immani verò & canina turpitudine à Latinis nominantur Cynædi, & Pathici & Molles,& Effeminati,vt à Iuuenal.Satyr.2.-*Pathici geſtamen Othonis*. Hoc certè criminis peccatíque genus Paulus grauiſsimè damnat & inſectatur,dicítque ab iis tantùm committi,qui à Domino in reprobum planè ſenſum traditi ſunt. Ro- B man.1.verſu 26.& 29. vel qui iam dedolere deſierunt omnémque humanitatis & honeſtatis ſenſum exuerunt.Epheſ.4.v.19,5.ver.2.Eſt autem hęc de hoc peccato Auguſtini ſententia, verè quidem aurea.Adulterij malum vincit fornicationem:vincitur autem ab inceſto:ſed omnium horum peſsimum eſt, quod contra naturam fit, quale hoc eſt. Flagitia enim,inquit idem libro 3.Confeſsio.quæ contra naturam fiunt,vbique, & ſemper repudiãda atque punienda ſunt,qualia Sodomitarum fuerunt.Quæ eius ſententia extat in cano. Flagitia 32. quæſt.7.Repugnat enim hoc crimen, & rectæ rationi & ſpeciei humanæ ait Thõ.in 2.2æ quæſt.154. & , quod plus eſt, hominis ipſius creationi,ac omni Dei ordinationi, in qua ineſt ſumma ſapientia. Itaque hæc omnia confundit & peruertit qui hoc coitu peccat. Quamobrem hoc vitium ſemper eſt ſeueriſsimè à bonis principibus vindicatum,vt à Ioſia. 2.Reg.23. verſu 7. cremari tales iubentur.in l.cùm vir nubit. C.ad leg.Iul. de Adulte.Quo magis deploranda eſt iſtius ſeculi infœlicitas,quo in multis nationibus,vti Romæ hoc C crimen impunitum manet,quemadmodum Philo pientiſsimè ſui temporis in eo genere turpitudinem deflet, περὶ παιδεραστῶν, ὃ πρότερον μὲν καὶ λεχθῆναι μέγα ὄνειδος. Νῦν δὲ ἐστὶν αὔχημα οὐ τοῖς δρῶσι μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς πάσχουσι. id eſt, De iis autem qui in pueros mares ardent, hoc quidem dici poteſt, olim magnum fuiſſe etiam in eo nominando probrum : nunc autem magnæ laudi duci non tantùm ab iis qui hoc committunt, ſed etiam ab iis qui patiuntur. Nam poſtquam Hadrianus publicè in templis vnà cum Antinoo Cynedo ſuo coli cœptus eſt,cœpit hoc crimen ſperni nihilíque fieri, vt docet Prud. Clemens lib.1.in Symmach.Tertullia.in Apologet.cap.13.quoq; ait Romanos de Pędagogiis Aulicis neſcio quem Cynædum Deum feciſſe.

Sexto loco quæritur de Brutis animalibus,vtrũ in ea commiſſum ſtuprum damnetur. Hoc genus ſcortationis nominatur à Scholaſticis Beſtialitas, éſtque omnino contra naturam. Hoc autem tam à mari,quàm à fœmina commiſſum proculdubio omni iure & diuino & humano damnatur.Eſt autem apertiſsimus textus ſcripturæ. Leuit.18.verſu 23.20.verſu 15.& 18.Exo.22. verſu 19. Hoc quidem hominum ita concumbentium genus eſt planè obbruteſcens, A vt ait Conſtant. Harmenopul.qui naturalem rerum vſum prorſus peruerterunt.Itaque hi digni erant, qui pecudes potius quàm homines eſſent: cùm pecudes non homines creare eo modo velint,& ſuum genus ſpernãt.Eſſe tamen quoſdam tam ſceleratæ libidinis œſtro percitos homines apparet ex eo quod de capro Memphitico ſcribit Plutarch. eum inire ſolitum quotannis certa die matronas virginéſque Ægyptias, quæ illi ſummittebantur. Quid quod ſcribit Verg. lib.6.Æneid.

Hic crudelis amor Tauri,ſuppoſtáque furto
Paſiphae,mixtúmque genus,proléſque biformis
Minotaurus ineſt Veneris monimenta nefandæ.

Præterea de iis rebus,quæ nũquam ſunt viſæ,nulla lex ſcribitur. Ex malis enim moribus bonæ leges & naſcuntur & prodeunt, quæ ſceleribus demum perpetratis pœnam imponũt.At lex diuina & humana huius ſceleris meminit. Sed & ipſe eius ſceleris reos vidi. Nam mea ætate molitor quidam in monte Iura cum aſina ſua fœdiſsima libidine concubuit,atque ideo damnatus eſt. B

Septimo denique loco quæſitum eſt de Dæmonibus, vtrum cum iis coniugi copularique prohibeantur homines & fœminæ,& dubitant quidam, vtrũ id fieri & accidere poſsit, qui ſi legerint quæ ſcribit Auguſt.in lib. De ciuitate Dei. de Dæmonibus,& eorum natura,& vt pati queant,itémque, quod omnes admittunt, Dæmonum alios eſſe Incubos, alios Succubos: certè fatebuntur id eſſe verum,& ſæpe mulieres maleficas cum dæmonibus coiiſſe,& ex eo coitu voluptatem ſenſiſſe, ex earum cõfeſſione ſcimus. Illi enim ad tempus induunt corpora, & aeris impulſu poteſt excitari titillatio iucũdúſque aliquis in coitione ſenſus qui reipſa concumbentes cum illis delectet. Olympias etiam illius coitus cum dęmone ſigna in vtero geſtaſſe dicitur. Vide Auguſt lib.8.De ciuitate Dei. cap.16.Non aptè tamen affertur ex Geneſ.6.ver.2. quanquam Lactan.ita interpretatur.Nam filii Dei ſunt non angeli,ſed pij homines. Ergo cùm conſtet mulieres ſiue verè id fiat,ſiue illuſione quadã, cum dæmonibus coire poſſe,ſitque hæc ſcortatio longè turpiſsima & fœdiſsima,certè hoc etiã præ- C cepto damnatur, quia omnis immũdities & non conceſſus à Deo concubitus hoc capite improbatus eſt & comprehenſus.

Venio ad tertium caput, vbi agitur qua cauſſa, quóve animo ſcortari vetet lex. Et certè quoad cauſam,reſponſio facilis eſt. Cùm enim lex nõ diſtinguat,neque nos. Omni igitur de cauſa.i. ſiue Pretij ſpe id prohibetur, vel Gratuita libidine. Sed is tantùm animus facit ſcortationem, qui libidinis implendæ propoſitum habet.Deus enim nõ tam effectum, quàm affectum animi noſtri ſpectat,dãnatque.Maleficia enim ex animo, vt aiũt Iuriſconſulti,æſtimantur. Furtum enim non eſt, quòd nõ fit furandi animo. Itaque ſoleo laudare eam Saluij Iuliani ſententiã,quę eſt in l.penult.D. ad leg. Iul.de adulter. adulterium ſine dolo malo non committitur. Propoſitum enim voluntáſque ſcortationem facit.

Vnde quæſitum eſt de Thamara nuru Iudæ, de qua ſcriptum eſt Geneſ.38.verſ.14.quæ ſolo prolis ſuſcipiẽdæ animo cum Iuda cõcubuit: & certè negari nõ poteſt per eam peccatum eſſe in hoc præceptum, A ceptum, inſtitutionémque matrimonij violatam, quia etſi prolem ſuſcipere quærit, tamen non eo modo, quo licet. Eius tamen & animus & factum longè à mera veráque ſcortatione diſtingui debet, quia non libidinis, ſed prolis ſtudio ita peccat.

Ex quo iam illa quæſtio incidit de iis, qui errore eóque probabili cum quibuſdam miſcentur.

Ac primum de Iacobo patriarcha quæritur, vtrũ ab eo in hoc præceptum peccatum ſit, inceſtíque damnari debeat, qui vno eodémque tempore non modò duas vxores habuerit, ſed duas ſorores. Nẽpe Liam & Rachelem Gen. 29. Nam cùm ipſe Iacob in filio Ruben inceſtum punierit, vt eſt Gen. 49. verſ. 4. veriſimile non eſt in ſeipſo idem crimen probaſſe atque perpetrare voluiſſe. Et quidem reſpondendum eſt, Eatenus Iacobum à peccato excuſari, primùm quòd vxorem duxit quam cognouerat. Deinde quòd à Labano ſocero deceptus errauit, putauítque Rachelem eſſe, quæ Lia ſubſtituebatur. Id quod non craſſo quodam Iacobi errore, ſed probabili accidiſſe ſatis intelligi poteſt ex eorum temporum moribus. Nam B virgines non modò velabantur ob ſexus illius verecundiam, vt in Italia fit, & docet Paulus in Dei eccleſia id fieri decorum honeſtúmque eſſe. 1. Corinth. 11. verſ. 5. ſed etiam tectæ velatæque flammeolo. i. purpureo velo ad virum ſponſæ deducebantur, vnde etiam à Nubendo, id eſt, obnubendo Nuptæ dictæ ſunt, quemadmodum facilè colligi poteſt ex Geneſ. 24. verſ. 65. & ex Catull. Epithalamio, Varrone in libr. de lingua latina, Pompeio Sexto, ídque & tradit copioſè Alexander ab Alexandro lib. 4. Genialium Dierum ca. 1. Nonius etiam Marcell. tradit varios nubentium ritus. Sed & idem quoque poſtea accidiſſe, ſimilíque in caſu relatum eſt in can. In lectum 34. quæſt. 1. & 2. & in Triburienſi concilio de ea re actum eſt. Poſtquam autem Iacob agnouit ſe habuiſſe duas ſorores, inceſti excuſari non poteſt, quia iam non errore, ſed conſenſu id facit, & ſolo libidinis amoríſque aculeo Rebeccam Liæ ſuæ ſuperinducit. Vnde variæ natæ diſcordiæ domi. Auguſt. in libro De fide & operibus. & cano. ſi virg. 34. quæſt. 1. & 2. de hoc matrimonio agunt.

C Sed quæſitum eſt de ea, quæ ignorãs illi nupſit, qui iã maritus eſt & coniũx alterius vxoris, quales ij ſunt qui hiſce noſtris temporibus dicũtur habere duas vxores. Reſp. quoad eã, quæ ignorans eum maritum eſſe, ei nupſit, certè in hanc legem non peccauit. Neque enim intemperantia libidinis id fecit, ſed iuſto connubio, Deíque inſtitutionem videtur ſecuta. Quantum autem ad ipſum qui iam coniunx eſt, dolo malo id facit, ideóque crimine adulterij tenetur, & peccat in hoc caput. Duas enim vxores ſimul habere omnino non licet, & qui eas habuit Lamech, Domini iudicium ſenſit. Legatur l. Eum qui. C. Ad leg. Iul. de Adulter. cano. Quomodo virginibus 31. quæſt. 1. Hodie tamen leuiſsimè puniũtur. Catamidiati enim & mitrati populo tantùm irridendi proponuntur. de quo pœnæ genere ſcripſit Connanus. Sed hi etiam morte digni ſunt, quia & coniugem quam duxerunt perfidè fefellerunt, & coniugio, id eſt, ſancta Dei ordinatione ſunt impiè ad ſuam nequitiam abuſi: atque etiam adulterium commiſerunt, cùm id fecerint ſcientes. Itaque ſunt aliis adulteris, qui morte puniuntur, longè & tetriores, & fœdiores, vtcunque in Papatu hoc crimen A rideatur potius, quàm puniatur.

Quæſitum eſt de ea, quæ deſertorem coniugii virum longo tempore expectauit, poſteáque alij nupſit, vtrum in hoc caput Legis diuinę peccet, an verò iuſta ſit illius excuſatio, iuſtúmque coniugiũ. Ac primum quidem Iure ciuili, eóque Pandectarum, huiuſmodi quæſtio dicitur eſſe & facti, & iuris: ídque prudentiſsimè à Papinia. in l. Miles. §. mulier abſentem. D. ad legem Iul. de Adulter. reſponſum eſt. Cùm enim nullum adhuc temporis ſpatium lege definitum eſſet, intra quod expectaretur maritus, videndum erat, an mulier audiuiſſet vita functum eſſe priorem maritum, longúmque tẽpus tranſiiſſet, ac vixiſſet probè, credẽs maritum defunctum. Atque an ſine vlla ſtupri ſuſpicione falſis rumoribus inducta eſſet. In quam hæc omnia concurrent, illa nihil dignum vindicta admittit. Iure Codicis vt apparet ex l. vxor quæ in militiam. C. De repud. tempus certum definitum eſt, intra quod deſertor coniugij maritus ab vxore expectaretur, & poſt quod nubere illi liceret. Primùm enim anni quatuor ſunt definiti & B conſtituti, pòſt autem plures.

Iure canonico variè reſponſum eſt, ſciuerítne certò vxor defunctum eſſe maritum, vel nunquam rediturum, an non. Si ſciuit, non peccare: ſed tamẽ, ſi prior maritus redierit, repetendum eſſe primum coniugium, ſecundúmque deſerendum. Si neſciuit vel dubitauit, dicitur peccaſſe. eſt in cano. Cùm per bellicam 34. q. 1. & 2.

Cęterùm ego aliter dicendum, diſtinguendúmque puto. Nam aut deſertor coniugij eſt maritus, aut ex neceſſaria vel probabili cauſa abeſt, ſiue ea iuſta ſit, ſiue iniuſta, vt qui criminis admiſsi metu abeſt fugitve ex eo loco, vbi habitat vxor, in quem ſine metu pœnæ redire non poteſt.

Si ex neceſſaria, vel etiam probabili tantùm cauſa abeſt, debet vxor ſequi maritum, ſi quidem pia eſt, neque vel bona, vel patriam, vel parentes ipſos marito ſuo præferre. Gen. 2. v. 24. Hoc eſt dictum Auguſtini, Mulier ſequatur virum ſuũ ſiue in vita, ſiue in morte, vel in perpetuum alieno coniugio abſtineat, etiam ſi iam 10. vel 40. annos abeſſet maritus, donec de illius morte certa ſit. Sed C cogendam eſſe vxorem, vt virum ſequatur, verius eſt, ſi modò ſcit, vbi ille ſit, & ſalua religione & pietate cum eo eſſe poſsit. Neque valet quod obiiciunt, qui capite damnatur, ciuiliter mortuus eſt, ergo ſolutum eſſe matrimonium. Reſpondeo enim, etſi ciuiliter mortuus eſt maritus, qui capite dãnatus eſt eo loco, vbi habitat vxor, non ideo tamen ſolutum eſſe matrimoniũ. Matrimoniũ enim eſt iuris naturalis, non autem iuris ciuilis, & idcirco iure ipſo ciuili, reſponſum eſt cum homine deportato, & eo, cui igne interdictum eſt, manere duraréque cõiugium in l. 1. quæ incipit Matrimonium. C. De repudijs, qui tamen duo ciuiliter mortui ſunt. Nã deportatus ciuitatem amittit l. inter Pœnas. D. de interdict. relegat. & deportat. Ergo coniugium eſt iuris naturalis, quod ad ordinationem: ciuilis autem, quod ad circunſtantias. Facit in eam ſentẽtiam, quod ſcriptum eſt in auth. Hodie. C. De repud. Nam multis annis & quamlibet diuturno tẽpore expectatur miles, quia Reip. cauſa abeſt, & niſi defunctum eũ eſſe vxor verè ſciat, prohibetur eã alii nubere. Quare non magnopere probo to-

A tum cano.1.3.4.quæſt.1.& 2. vbi ex ſuſpicione ſola mortis,aut poſtliminij non futuri licet vxoribus nubere. Sin autem erro ſit & deſertor coniugij maritus,vel ab vxore, atque ex nulla neceſſaria vel probabili cauſa abſit, quæſtionis eſt, vtrum ſatis ſit piæ Chriſtianæque mulieri ad certum vſque tempus lege definitum maritum expectaſſe.Reſp. æquiſſ. eſſe huiuſmodi maritorum leuitatem coerceri: iniquiſſ.verò fore vxorum conditionem ſi perpetuò expectare iubentur vagos iſtos, multáque in mulierum fauorem etiam iure diuino eſſe conſtituta: veluti de zelotypia, de diuortij libello dãdo à marito.Certè peccat hic deſertor in ipſam coniugij naturam, idcircóque probo earum Rerumpu. leges, quæ in ea re certum tempus præfiniunt,ſed tamen ſenſerim in quibuſdã diutius deliberandum. Cùm enim inter matrimonij diſſoluendi modos, deſertio hæc vagatióquæ ex conſequenti tantùm referatur,ſi non fiat in odium religionis,certè diu multúmque deliberandũ cenſeo, vtrum ſemper poſt certum illud tempus elapſum mulieri Chriſtianę ſalua conſcientia nubere alij liceat : B niſi iuſtis vel probabilibus ſaltem teſtimoniis certa ſit priorem maritum defũctum eſſe. Sed hæc alij nubendi venia à magiſtratu ex cauſæ cognitione danda eſt,non ſumenda.

Sequitur 4.caput,Quibus modis ſcortatio committitur.Fit autem aut Vi,aut Blãditiis 36. q. 1.per totum.aut Conſenſu vtriuſque intercedente : ſiue Clam, ſiue Apertè ſcortatio committatur his omnibus modis prohibetur.

Ac vi quidem quæ fit,nominatur raptus, qui in muliere vacãte etiam punitur lege Iulia,De vi public.nedũ in honeſta virgine vel matrona.Ac quidem lex conſtitutióque in raptores ſeparatim cõſtituta eſt,quæ ſeueriſsimè eos coerceri, puniríque iubet, adeò vt coniunctis perſonis eos in flagranti delicto deprehenſos occidere liceat.l.vim. C. De raptu virgin.viduarum, &c.l. Raptores. C. De Epiſc. & Cler. & apparet ex l. Mariti.§. Eum. D. Ad l.Iuliam de adult. etiam ante Legẽ Conſtantini & Iuſtiniani eos lege Iulia de adult. dãnari oportuiſſe. Et hîc videndum quid Canoniſtæ ſentiant.39.q.1.per totũ.Lege Dei dãnatur hoc genus C & modus ſcortationis,vti apparet,Deuter.22.v.22.

Sed quæſitum eſt de ea,quæ vim paſſa eſt, vtrum in hoc caput peccet.Et cùm caſta ſit quæ vim paſſa eſt,quęque animo turpitudini reluctata eſt,Dominúſque ipſum animi affectum damnet,peccaſſe videri non poteſt. Sed potiùs caſta manſiſſe. Exemplum eſt in Thamar, quæ vi ab Amnone ſtuprata eſt,2.Samuel.13. Ex facto,hæc quæſtio in tẽpora Ambroſij, Hieronymi & Auguſtini incidit. Cùm enim Gohti vrbem Romã cepiſſent, multas virgines Chriſtianas vi ſtuprarunt, quæſitúmque fuit vtrum illæ,virgines caſtæque manſiſſent. Reſpondet Auguſt.lib.1. De ciuit.Dei.ca.18.Violẽtia libidinis alienę non aufert caſtitatem,quam perſeuerantia continentiæ ſuæ ſeruat. Eſt enim caſtitas pudicitiáq; virtus animi.Ergo etiam oppreſſo corpore non amittitur,modò mens animúſque alienę libidini nõ ſit aſſenſus, quia nõ poteſt corpus corrũpi,niſi prius animus volũtáſque fuerit corrupta. In eandem ſententiam libr.3. De virginib. ſcribit Ambroſ.in eandem Hieron.& omnes.Sed & Iure Ciuili idẽ quoque reſponſum eſt, Nec maritatas quidem per vim ſtupratas, ad legem Iuliam de adulteriis pertinere. l. Si vxor. §. Si quis planè & l. A Vim paſſam.D.Ad l.Iuliam de adulter.& 32.quęſt.5.per totum.Neque mouet, quod de Lucretia nobili Romana affertur. Illa enim etiam vi ſtuprata ſe interemit nihilominus. Perperam enim id ab ea factum eſſe reſpondet Auguſt.lib.1. De ciuit. Dei,cap.19. Neque etiam quod ait Paulus 1. Corinth.7.ver.34.caſtitatem,ſanctitatémque conſtare tum corpore,tum animo & ſpiritu.Hoc.n.verũ eſt,de ea caſtitate,quæ omnibus ſuis partibus perfecta eſt.Sed vt corpus violatum ſit vi,ſi mens caſta manet,caſtitas etiam eſt & manet.

Venio ad caput quintum & vltimum, quod eſt vtiliſsimum. Nimirũ, quot ſint mœchationis hac Lege prohibitæ ſpecies.Quod attingunt hoc loco Theologi. Sunt autẽ iſtæ partes mœchationis potentiales.Superiores ſunt partim ſubiectiuæ,veluti inceſtus,adulterium,ſtuprum,ſodomia: partim integrales.Ac quidem Paul.Galat.5.ver.19.ſeptem ſpecies illius, vel gradus enumeraſſe videtur, πορνείαν,μοιχείαν,ἀκαθαρσίαν,ἀσελγείαν,μέθην,κώμους, quibus in epiſt. ad Colo.addere videtur αἰσχρολογίαν,Colo.3.8.Iſidorus, cuius ſententiã ſecuti ſunt Scholaſtici, B tria eius genera facit,aliam enim dicit eſſe, Spiritualẽ,qualis idololatria.Hæc nihil ad hũc locũ facit:aliam Carnalem,quæ & ipſa,vel Animo tãtùm & affectu cõmittitur,vel Corpore,operéque ipſo & tactu.Et vt ait Auguſt.in lib.de Chriſtiana fide, non ſolùm tactu & concubitu,ſed etiam affectu & aſpectu fit.Idem ait Greg.& eſt in cano.Qui viderit.32.quæſt.5.Sed quemadmodũ in ſuperiori pręcepto ex dicto Chriſti,Matt.5. quatuor homicidij gradus collegimus: ita & ex eodem cap. verſu 27. itidem quatuor diuerſos ſcortationis gradus colligimus,qui omnes & ſinguli hoc capite damnantur. Et hos ipſos aptiſsimè quatuor verbis exprimunt hoc loco Theologi. Ergo quia hæc lex eſt ſpiritalis, vt ait Paulus Roman. 7. verſu 14. & Deus cordium ſcrutator eſt, Luc.16. & 1.Theſſal.2.verſ.4. non tantùm opera externa conſummata viſibiliáque damnat lex:ſed etiam interna, & quæ παρασκευαστικὰ.i.pręparatoria irritamentáque ſunt ad libidinem obſcœnam & damnatam. Ergo quatuor modis homines ſcortantur, Corde, Geſtu.i.cultu,Verbis,Facto operéque ipſo.Ac corde quidem C committi hoc peccatum, ſatis explicat Chriſtus ipſe, Matth.5.v.27.& 28. Videt enim Dominus ſcelera tecta, oditque perinde, atque ſi eſſent perpetrata.Nã quæ malè concupita ſunt, tandem manifeſta faciet ſaltem extremo illo ſuo iudicio, 1.Corin.14.v.25.Sed nec prætextu voti cõtinentiæ facti, vel faciendi diſſolui coniugia iam contracta poſſunt.Auguſt.in Pſalm.146, Si quis vxori debitam beneuolentiam neget,vt continenter viuat,& vxor in adulterium labatur,peccat,nec eius conſilium probari poteſt.

Geſtus ſequitur, qui eſt ſecundus ſcortationis modus,qui mouendæ proritandæque libidinis cauſa fit.Conſiſtit autem geſtus in Oculis, Manibus, Totóque corporis habitu & ſtatu,qui ſi eſt impudicus & ad laſciuiam cõparatus,damnatur hoc pręcepto. Quemadmodum Prouerb.6.v.13.dicitur, Improbum nutu ipſo, oculis & ſignis peccare: & eodem libro, meretrix ex ipſo vultu deſcribitur, Prouer.7.oculi pleni adulterij appellantur,2.Petr.2.14.Eôdẽ pertinent quæ de laſciuo aſpectu dicũtur damnantúrque, Eccleſ.9.ver.5.6.& 7.& 11.v.2.

A Præclara eſt illa Ambroſij ſententia,lib.1. De officiis,cap.18. Eſt etiam,ait,in ipſo motu, geſtu, inceſſu tenenda verecũdia. Habitus enim mentis in corporis ſtatu cernitur.Et Auguſtin.De Chriſtiana fide ait,Ne dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos.Præclara quoque eſt illa Periclis ad Sophoclem ſententia, qui cùm intuitus formoſum puerum prætereuntem dixiſſet, ô puerum pulchrum,Pericle : Pericles reſpondit, Prætorem Sophocle decet non ſolùm manus, ſed etiam oculos abſtinentes habere, vt ſcribit Tull. lib.1.De officiis & Plutarch.in Pericle.Quod multò magis in hominem pium verèque Chriſtianũ conuenit. Notandum enim eſt illud, vrítque videndo fœmina.

Geſtus nomine etiam cultus corporis veſtitúſque & ornatus continetur, qui ſi eſt impudicus, laſciuus,aut alius,quàm homines continentes decet ſiue viros ſiue fœminas,damnatur.Ac quidem à Paulo 1. Timoth.2. v.9. plicatura capillorum & ſumptuoſus veſtitus, & à Petro etiam, 1. Petr.3.3. hæc nominantur. Sed quid poteſt eſſe expreſsius
B quàm id quod eſt,Iſa.3.ver.15.16.17.&c. De qua re extant tot Patrum in ſui temporis vitia declamationes & libelli,qualis Tertull.duplex libellus,De habitu & cultu mulierum. Cypriani, De habitu virgin. & Gregorij Nazianz. in comptas mulieres.vocat ipſe κεκαλλωπισμένας γυναῖκας.& illud Ouid. in epiſtolis Heroinar. etiam in viros comptiores iaculatur.

Sint procul à nobis iuuenes vt fœmina compti,
Fine coli modico,forma virilis amat.

Denique Bernard.epiſt. 42. huiuſmodi ornatum maximè in Dei ſacerdotibus damnat. Etſi enim horridi facie eſſe non debemus, tanquam feri & agreſtes homines,compti tamen, & in facie ornãda multi,operoſi & laborioſi ne ſimus.Eſt quidem forma ipſa naturalis(quæ eſt apta & concinna cõiunctio,proportióque membrorum cum ſuauitate coloris)res laudanda, vt in Abſalome & Dauide,2.Samuel.15.ſed curioſum in ea ſtudium, operatio, ornatúſque impudicus aut affectatus dãnatur.Fucus igitur faciei aut nimius ornatus, eſt deformatio Dei ipſius operis in nobis & dãnabilis.

C Iam verba ſequuntur, ſiue ea Scripta,ſiue Colloquia,Ambroſ.li.1.De officis,cap.20. Ac in vniuerſum omnis αἰσχρολογία hoc præcepto damnata eſt, adeò vt ne ſcortatio quidem inter nos Chriſtianos nominari debeat,niſi in malam partẽ,Coloſſ.3.verſ.8.Epheſ.4.verſ.29. & 5. verſ.3. Ergo & laſciua ſcripta,illíque libri planè amatorij, quales obſcœnæ quædam comœdiæ faceſſere ex Chriſtianorum hominum ſcholis,& oculis debẽt.Pręclarè enim Plato lib.3. πολιτειῶν ait, imitationem rerum turpium tandem efficere nos tales, qualia ſunt ea quę imitamur,& mutari εἰς ἔθη καὶ φύσιν. Sic & theatra quæ ſunt libidinum ſceleſtarum exempla & ſpectacula, & geſticulationum impudicarum repræſentationes,& maxima irritamenta vitiorũ, prorſus à cœtu Chriſtianorum hominum, ab oculis,atque auribus remoueri, prohiberíque debent,vt docet Chryſoſto.Homil.1.in Pſalm. 51.& Homil.56.ad Popul. Antiochenum. Hoc ita eſt conſtitutum in concilio Agatenſi, relatúmque in cano.Presbyteri.34.diſtinct.Lactantius lib.6. cap. 20.Saluianus Maſſilienſ.epiſcopus lib. 6. de Prouident. Dei. Ante quos omnes ſcripſit Tertullianus contra ſpectacula. A

Item multò magis lupanaria damnantur, quæ Chriſtianorum principum legibus tolli debent, quod Romæ fecit Theod. Magnus, vt tradit Socrates lib.5.cap.18.Hiſtor.eccleſ. & id fieri præcipit lex Dei diſertè,Deuter.23.v.17.

Sed picturæ ipſæ laſciuæ,rerúmque inhoneſtarum item damnantur,qualis illa de qua fit mentio apud Terent.in Eunucho, de furto facto Danaæ per impluuium, quæ pictura audaciorem ad libidinem explendam Chæream effecit, vt ipſe teſtatur. Sunt enim hæ repræſentationes huiuſmodi, de quibus verè dicatur,

Sunt lachrymæ rerum, & mentem mortalia
tangunt.

Afficiunt enim nos & mouent ad turpia & ſpurca.Tripudia quoque,choreę,tympana,laſciuæque ſaltationes omnes,quę ſunt libidinis irritamenta, damnantur etiam & continentur hoc præcepto. Adduntur,inquit Iuſtinus hiſtor.libr.30. Inſtrumenta luxurię tympana & tripudia.Exemplo Dinæ filiæ Iacobi confirmatur,quanti ſit ea res periculi,& quantum ad turpem libidinem incẽtiuum, B
non tantum occaſio,ſed & peccati cauſa.Eſt enim occaſio cauſa quidem,ſed non perfecta, vt ea eſt, quæ verè cauſa dicitur,Geneſ.34. At ſaltauit Dauid.2.Samuel 6.aiunt,& Maria. Exod. 15. Reſpon. Non omnis quidem ſaltatio damnata eſt,vt docet diſputátque copioſè P. Martyr in lib.Ioſuæ, ſed ſaltatio ea quæ eſt chorea, & quæ fit libidinis augendæ, proritandæque gratia. Nemo enim, ait Tullius, ſaltat ſobrius, ſed is modò qui inſanit. Vnde in eam ſaltationis ſpeciem, multa grauiter pronuntiat Ambroſ.libro 3.de Virg. Laruæ item damnatæ ſunt per quas deformantur viri in mulieres,& ornantur,Deuter.22.v.5. Plato libr. 3.de Republ.Non permittemus eos, ait, quos bonos viros euadare volumus,vt cum mares ſunt fœminas imitentur ſiue iuuenes, ſiue ætate prouectas. Eſt enim illud furori ſimile,vt quis geſtu vel habitu ſexum ſuum mutare velit. Vel ob hanc vnam maximè cauſam Saluianus epiſcopus damnauit Carthaginem,& omni impudicitiæ deditam fuiſſe docet tunc, cùm à Vandalis caperetur. Quid rogo,ait, fieri prodigioſius potuit, in vrbe Chriſtiana,in vrbe Eccleſiaſtica,viri in ſemetipſis fœminas C
profitebantur. Videbat hæc vniuerſa ciuitas & patiebatur : videbant iudices & acquieſcebant,&c.

Comeſſationes, omníſque ebrietas quæ eſt luxuriæ ſpecies. Eſt enim luxus, libidinis irritamentum,& omnis ebrietas eſt ſcortationis comes, vt ait Tertullian.lib.2.in Marcion. Vide quæ grauiter de eodem diſſerit Chryſoſt.Homil.13.in 1.Timoth.5. Conueniunt hæc omnia cum Prouerb. 20.Eccleſ.23.verſu 4.& 37.ver.30.Epheſ.5.verſ.18. Ambroſ.lib.1.De offic.cap.20.Luc.21.ver.34. Roman.13.v.13.Eſt autem ebrietas,quæ μέθη à Græcis dicitur,ſtatus hominis qui mentis ſuę non eſt cõpos,ob nimium vinum ſumptum,vt definit Thomas in 2.2^{æ} quæſt.150. Comeſſatio, quæ dicitur à Græcis κῶμος,eſt aſſiduus bibendi, edendíque etiã extra naturæ neceſſitatem mos & vſus, de qua vide Iſa.5. Etiam in ipſis principibus damnatur vtrunque intemperantiæ genus,Oſe.7.v.5.Amos 6. v.3.Ioel.1.v.5.Prou.31.v.4.Μέθη φθορᾶς ἀρχὴ ait Halicarnaſſ.li.2.Ἀρχαιολογ.Sed & οἴνωσις. i. temulentia

A & loquacitas additur à Plutarch. in libro De loquacit.huic generi & ordini vitiorum. Eſt enim οἰνωπις φλυαρία ἐπ' οἴνῳ. i. eſt temulentia & nugacitas ex vino orta.Sed & lautitiæ,nimiæque delitiæ dānatæ ſunt hîc,omníſque ſuperfluus, ſumptuoſus, nimíſque exquiſitus in re quaque cibus, vel illius apparatus: Abſtinentia autem commendatur.Valerius Maxim.libro 9.cap. 1.docet legibus Ethnicorum Romanorum hos luxus damnatos fuiſſe improbatóſque:& ante eum Plato luculenter lib. 3.de Republica: & ſcriptum eſt in Tripartita Hiſtor.lib.6.cap.29.Presbyteris & Eccleſiæ Paſtoribus interdictum, ne in popinis & tabernis eſſent, ederéntque,niſi peregrinarentur.Idem Socrat. li. 5.cap.18.cano.Clerici.diſt. 44. Quod hominum Chriſtianorum decretum Iulian.Imperator, quāquam apoſtata,tam eſt admiratus, tantoperéque probauit,vt ad ſuos ſacerdotes tranſtulerit. Sed & otium deſidiáque damnata eſt.alit enim libidinē. Otia ſi tollas, periere cupidinis artes. Lucani vt aliorum criminum,ſic otij iudicia agunt,Stobæus λογ.42.

Quarto denique loco, tactus ipſe impudicus B damnatur. In quo genere ſunt oſcula & denique omne ipſius libidinis æſtuantis implemētum. Ac tactus & oſculum per ſe quidem non damnantur. Nam & oſculari iubet Paulus,& is fuit Orientalis Eccleſiæ mos,Roman.16.& 1.Pet.3:ſed ratione finis damnantur,ait Thomas in 2.2æ quæſt.154. Sūt enim quædam oſcula ſpiritualia,non carnalia, vt Ambroſ.in cap.vlt.2. epiſto.ad Corinth. annotauit, in quibus teſtimonium ſynceræ & puræ charitatis apparet, non autem affectus libidinoſi indicium ineſt.

Pœna quidem adulterij ſpiritalis,eſt mors ęterna,vti omnis ſcortationis,1.Corinth.6.verſu 9.

Corporalis verò legibus Moſaicis mors, Deuter.22.Numer.25.v.29.1.Corinth.10. verſ.8. & Iudic.cap.19.Leuit.20.verſ.10. Legibus item Athenienſium, atque etiam eorum omnium populorum qui rectè ſenſerunt, mors.Nam qui Didymus nomine peccarat,adulteriúmque cōmiſerat, cùm ad ſupplicium duceretur,dignus eſt, inquit Diogenes, qui ipſo nomine pœnas luat (δίδυμοι enim C ſunt teſtes)& qui teſtibus pendeat.

Nabuchodonozor vt ſcripſit Hierem.29.v.23. Achabum & Sedechiam adulteros in ſartagine frixit.Viri autem adulteri eadem ſunt pœna, qua vxores puniendi,ait Auguſt.libr. 2.cap.8.Adulteri Coniug. & in ipſa Dei lege expreſſum eſt diſertè Leuit.20.v.10.Hieronym.ad Ocean.in Epitaphio Fabiolæ,Apud nos, ait, quod non licet fœminis, æquè non licet viris & eadem ſeruitus pari conditione cenſetur.Vide etiam Chryſoſto,Homil.62. in Ioan.Euangel.cap.11.

Lege Conſtantini,morte punitur adulterium.l. Quanuis.C.Ad l.Iul.de adulter. Poſtea autem ex conſtitutione Iuſtinia. adultera in monaſterium per duos annos detruditur. in Authent. Vt nulli liceat.§.ſi quando.Scribit Auguſt.li. De bono cōiugali,cap.7.ſuo ſeculo Roman.legibus, non licuiſſe viro dimittenti vxorem propter adulteriū, aliam ducere,& has leges ipſe probat.vt cap.24.& toto lib.2. Adulteri.coniugiis.

De pœna adulterij, vide P. Martyr. in 2.libr. Samuel.cap.12.

Ex hoc quoque pręcepto Cynici philoſophi ſatis refutantur,qui ita ſentiebant, Nihil eſſe turpe A dictu,quod idem non eſſet turpe factu, quemadmodum ſcribit Tull. lib. 1. De officiis.aduerſus quos agit Auguſt.lib.14.De ciuit.Dei cap.20.

Vna modo quęſtio prętermiſſa eſt,vtrū mœch⁹ mœchā ducere poſſit,id eſt,eam, cū qua viuo adhuc marito,adulterium commiſit. Non putat P. Viretus in ſua Inſtit. Chriſtiana, facítque in eius ſententiam Titul.ext.Ne quis ducat eam,&c.

At contrà & Philipp.in locis communibus & P.Martyr in 2.Samuel cap.11.licere putant: quorū verior eſt ſententia. exemplóque Dauidis confirmatur.Etſi Aug.li.11.De nuptiis.cap.10.aliud ſentit.cum eo eſſe non poſſe,cum quo,viro viuo,fuit adulterium commiſſum.

Ex negatiua affirmatiua jam colligenda eſt. Cōmendatur ſancitúrque imprimis hoc præcepto coniugium,omníſque tum Naturalis tum Politica,quæ in eo elucere debet,honeſtas : quales ſunt prohibitiones de quibuſdam gradibus, item ne ſine parentum conſenſu filiifamil. coniugium cōtrahant.30. quæſt. 5. Hoc enim fieri debere docet ratio naturalis, ait Iuriſconſult. Sed & diuortia B præter Dei verbum facta, hoc eodem præcepto improbantur.

Sed & omnis puritas,cordíſque mūdities & ſanctitas.Item & corporis commendatur hoc capite.

Omnis continentia,temperantia,verecundia in dictis & factis,omnéque illud quod eſt decorum, & luxui,& libidini contrarium,qualis eſt Sobrietas,caſtitas,pudicitia,moderatus & honeſtus vxoris vſus,qui nihil meretriciū ſapiat,nullúmque lenociniū propriæ vxoris præ ſe ferat. Scribit Bernard.Homil.2.Miſſus eſt, ſpōſas ſpōſis tradi ſolitas,vt eas diligētius apud ſe conſeruarēt mariti.Id quod tamen noſtris moribus non conceditur.

Cap. xv.

Octaui Legis diuinæ præcepti,quod eſt,Non furaberis,expoſitio.

N*On furaberis*,vbique Paulus οὐ κλέψεις,& Chriſtus,Matth.19.v.16. Paul.Roman.13. verſ.9. C

Ac primum quidem de ordine huius præcepti quæſitum ſit. Quotum ſit numero. Reſponſio facilis eſt.Nam & Exod.20. & Deut. 5. apparet eſſe numero octauum,de quo omnes doctores cōſentiunt.Neque obſtat quod ait Philo in expoſitione generali hoc præceptum eſſe ἐν τῇ δευτέρᾳ πλακὶ τρίτον.Eſt enim quartum, quia ille orditur ſecundam tabulam tantùm à ſexto præcepto, quod eſt *Non occides:*non autem à quinto,quod eſt, *Honora patrem,& matrem,&c.*

Secundum verò quæritur,Quæ ſit huius præcepti ęquitas & iuſtitia.Et vt in cęteris,ſic in hoc eſt triplex.Nimirum,Diuina, Naturalis,& Politica.

Ac diuina quidem.Quia cùm vetet hoc fieri aperta Dei vox, abſtinendum eſt. Quicquid enim præcipit vetátve Dominus,eſt æquiſſimum, Pſal. 33.& Pſal.25.omnes vię Domini veritas & iudiciū. Vetat autem id fieri non hîc modò,Exod.20.Leuit.19.verſ.11.ſed etiam vbique Prouerb.3.v.27.& 29.v.24.apud Prophetas,Oſ.4.v.2.Amos 3. Hier. 3.verſu 9. & ait Paulus, qui furabatur,ne furetur amplius.Epheſ. 4.verſ. 28. Sed & huius æquitatis

A ratio apertiſsimè ab æquo & honeſto, vel ab officio demonſtratur. Eſt enim eiuſdem tueri, cuius & dare ſi poteſt. At Dominus dat cuique homini eam,quam habet,obtinétve bonorum partem, Iudic.11.v.21. Gen.32.ver.10. & vt terram dedit filiis hominum, Pſal.115.v.16.ita in ipſa terra,& de ipſa dat cuique quod quantúmve ipſe voluerit, quia ipſius eſt terra & plenitudo eius, Pſal.24. & Pſal. 8.Ipſe pauperes facit,ipſe diuites, erigit denique è ſtercore egenum,& cætera ſimilia, Pſalm.133.verſ. 6.7.Ergo vti Dominus eſt opum omnium bonorúmque,quæ habemus,largitor:ita & cuſtos conſeruatórque eſſe debuit,ſanciréque edicto ſuo,ne cuiquam eriperentur,quæ ſingulis dedit:ſed apud quemque ſint ſarta tecta,tutáque maneant.

Naturalis verò ratio,quia, vt aiunt Iuriſconſulti, dominiorum diſtinctio eſt iuris naturalis. Eſt in l. Ex hoc iure.D.De iuſti.& iure:idémque docet Ariſtoteles lib.1.Politic.Tullius lib.1. de Officiis. Mundus enim eſt hominis, quæque ſunt in mundo,omnia ſunt hominis,nō quatenus illa per ſe ex ſuáque eſſentia ſpectantur (ſunt enim ea ratione B Dei)ſed quatenus ex fine conſiderantur, ad quē ſunt condita,deſtinatáque ab ipſo Deo, Pſal. 8.Gen.1.& 9. Sic explicat Thomas in 2.2^{æ} quæſt. 66.Et inter homines, ipſa natura monente & impellente, diſtincta ſunt hæc rerum dominia, quæ ſiquis confundit, naturæ ipſius edictum ſanctionémque violat. Qui autem furatur proculdubio ille eam diſtinctionem euertit, perturbátque. Et certè inter cætera vitiorum criminúmque genera,furtum maximè ſeruile & fœdum eſſe,cenſeríque homine ingenuo indignum ſcribit Ambroſ. li.3.De offic.ca.3. Vnde ait Plato li.10.De republ. κλοπὴ μὲν χρημάτων, ἀνελεύθερον· ἁρπαγὴ δὲ, ἀναίσχυντον. Scribit quoque Stobæus λόγῳ 42.apud Lycios, ſi quis liber furti damnetur, cogi ſeruire. Vnde & fures ſerui ſunt appellati,ait Nō.Marcell. Eſt enim furtum maximè illiberale,& ab hominis ingenio & ab humanitate ipſa alienū crimen. Itaque præclarè in eādē ſententiā li.1.Ἔργ. καὶ Ἡμερῶν canit Heſiod.

Δὼς ἀγαθή, ἅρπαξ δὲ κακή, θανάτοιο δότειρα.

Valer. Maxim. lib.8.cap.2.Gellius lib.7.cap.15.de quodam furti damnato, docent quanta fuerit primi ſeculi,ipſa natura monente,ſanctitas & ſeueri- C tas in furto execrando. Nec mouet quòd Lycurgus fures adoleſcentes non damnauit, vt ait Plutarchus. Id enim contra ipſius conſcientiæ dictamen ſanxit,quemadmodum etiam ſcribit,ſentitq; Franciſcus Cōnanus in cōmentariis in Ius Ciuile.

Politica denique ratio æquitáſque idem ſuadet, vt furta puniātur , quia ex ea re pax quiéſque Reipubl. inter conciues turbatur. Fit enim ei cui res ſua aufertur,iniuria.Itaque hoc genus eſt,vt ait li. 5.ἠθικῶν Νικομαχ. Ariſtotel. ex ἀκουσίων συναλλαγμάτων genere.Vnde ab optimis legiſlatoribus , ſemper ſunt pœnæ in fures conſtitutæ, vti lege Romanorum , extántque de hoc genere varij tituli & Rubricæ.Titul. De furtis,De abigeis,De Balneariis, Lex Iulia peculatus,Repetundarum , De annona, Lex Flauia de Plagiariis,& aliæ iis ſimiles. Apud cæteros etiā populos aliæ , vt copioſè annotat Alex.ab Alexandro lib.6.Genial.dierum,cap.10.

Sed tria quædam aduerſus hoc præceptum obiici videntur poſſe.Ex quibus primum eſt quod ait Ambr.lib.1.de Offic.cap.28.Deinde,ait , formam iuſtitiæ putauerunt,vt quis communia,id eſt, publica pro publicis, priuata pro priuatis haberet. A Nec hoc quidem ſecūdum naturam.Natura enim omnia omnibus in commune profudit.& poſtea, Natura igitur ius commune generauit , vſurpatio ius fecit priuatum. Idem quoque ſentit ſcribitque Virgil.libro 1.Georgic.

—in medium quærebant.

Idem Chryſoſt.Homil.12.in 1.Timoth.c.4. Reſp. Hoc quidem ab Ambroſio pronūtiari.Nimirum ne quæ inter homines vigere debet benignitas & eleemoſyna refrigeſcat,quaſi quæ ſunt noſtra, ita ſint noſtra & priuata, vt alterius fieri non debeāt .i. alterum eorum fructum percipere non oporteat.Ergo hoc dictum eſt,non vt diſtincta eſſe oportere rerum dominia negetur,ſed ne miſericordiæ viſcera proximis præcludantur, fiántque auariores ideo homines,quia quæ habent , ipſorum ſunt & priuata,non autem publica.

Secundò obſtat quod affertur ex Actis 4.v.32. In prima Eccleſia nemo dicebat quicquam ſuum, erāt enim inter eos omnia communia. Idem ſentit Plato,tum fore beatos hominū cœtus & Reſp. maximè vnitas , cùm hæc de hominum ſocietate B ſublata erunt peſtifera vocabula,Meum & Tuum, erúntque omnia communia. At tunc furtum fieri non poteſt,quia nemo rei ſuæ furtū facit.Reſpon. Illa Eccleſiæ Chriſtianæ charitas non ſuſtulit rerum dominia. Nam Ananias habuit ſuum fundū, & quilibet pius ſua retinebat, Act.4.ver.34.& 2.v. 44.Actor.5.Ergo erant omnia inter eos communia χρήσει γὰρ,vt ait,diſtinguitque Ariſtotel.libro 2. Polit.agens aduerſus Platonem,non autem κτήσει .i.vſu,non mancipio.Quod tamen pauco omnino tempore in Eccleſia fuiſſe conqueritur Clemens in epiſtol.ad Hieroſolym.Eccleſiam.

Tertiò denique obſtat quod affertur ex cap.11. ver.2.& cap.12.verſ.35. Exod.Filios Iſrael Domini iuſſu furtum feciſſe Ægyptiis, cuius rei videtur & Cornel.Tacitus in Veſpaſiano, & Iuſtin. meminiſſe, Hiſtoriarum l.36. Sacra(de Moſe loquens) Ægyptiorum furto abſtulit,ait.Quod ipſum obiecit Marcion,vt vetus Teſtamentum doceret , per nouum improbari.Thomas in 2.2^{æ} quæſt.66. artic 5.negat furtum commiſſum eſſe à Iudæis, quia qui rem authoritate Iudicis vel Domini accipit, C non eſt fur. Eſt autem Deus Iudex & Dominus, qui Iudæos iuſſit iſta ab Ægyptiis poſcere. Ergo furtum videri non poteſt.Tertullian.lib.2.aduerſ. Marcion. reſpōdet fuiſſe mercedem operariæ ſeruitutis & laboris,quem per 400. annos Ægyptiis Iudæi præſtiterunt & exhibuerunt.Quare furtum non eſſe,quia merces fuit. Ita etiam Irenæus lib. 4.ca.49.Sed de hoc quæritur vtrum Dominus ita fieri iubere potuerit.Reſpōd.Caluinus,cùm prædas ab hoſtibus victis agere liceat, duodecim autē fortiſſimis præliis Dominus Ægyptios contudiſſet,potuiſſe eum quoque ab iis agere iſtas prędas. Præterea Dominum eſſe omnium rerum dominum,& liberrimum diſpenſatorem,Exod. 11. ver. 2.Vide Auguſt.in quęſtio.Exod.Ergo nihil habet ille locus huic præcepto cōtrarium.damnatúrque, vt ait Philo in expoſitio.generali,meritò & furtū, & fur. ὁ γὰρ, ait, τοῖς ἀλλοτρίοις ἐπικεχηνὼς, κοινὸς πόλεως ἐχθρὸς, βουλήσει μὲν πάντων, δυνάμει δὲ τὰ τινῶν ἀφαιρούμενος , id eſt, Qui enim alienis rebus inhiat, communis eſt hoſtis ciuitatis,voluntate quidem omnium: reipſa verò paucorum res ſubripiens.Quod denique af-

A fertur ex Rom.4.v.13. Heredes mundi ſumus nos fideles,non obſtat:eatenus enim tales dicimur, vt nos ſalua conſcientia hoc mundo vti poſſe iam intelligamus,non vt quicquam quod aliis à Domino datum ſit,eripiamus.

Iam verò veniamus ad præcepti explicationem. Ac primùm omnes interpretantur, *Non furaberis.* In quo quæritur, ſítne ſatis expreſſa vis ſignificatióque Hebraicæ vocis, & Legis mens explicata. Ac quidem quod ad vocem Hebraicam attinet, latiſſimè patet, vt ex 2.Samuel.15.v.6.apparet, vbi dicitur Abſalom hominum corda furatus, quia ſibi eorum animos conciliarat. Quod ad ſententiã Legis latiſſima quoque eſt, omnéque genus iniuriæ, quæ fit in bonis proximi, complectitur, vt explicat poſtea variis in locis Moſes ipſe, veluti Leuit.19.ver.11,& 13.Deuter.24.verſu 14.& 25.verſ.13. & 22.ver.1.Exod.23.v.4.Et tamen anguſtiſſima eſt Græcæ vocis κλέπτειν, & Latinæ furandi ſignificatio, vt vnum tantùm quoddam maleficij genus idque leue, notare videatur. Nam furtum primùm à furuo, quod atrum Latinis eſt, appellatum B denominatúmque putant, quemadmodum Varro libro 14.Rerum diuinar.quòd per obſcuras & atras noctes fures facilius furentur. Quam Varronis ſententiam & etymologiam ſequitur Non. Marcell.Improbat autem A.Gellius lib.1.cap. 18.Potius enim ab antiquo verbo Græco φῶρ furem appellatum cenſet: ſed vtranque etymologiæ rationem retinent Paulus Iuriſconſ.in l.j. D.De furtis. Alij à fraude vel ferendo furtum dictum eſſe putant, vti Sabinus.

Sed vndecunque furis furtíve vox deriuetur, certè furtum definiunt ſic, Furtũ eſt contrectatio rei alienę fraudulosa, lucri faciẽdi gratia vel ipſius rei, vel vſus eius, vel poſſeſſionis. Sic Iuriſconſ. in l.j. D. De furtis. Quod in rebus immobilibus & ſoli committi non putant:(Neque enim fundi vel domus furtum fit)ſed tantùm in rebus mobilibus quales ſunt fundi fructus, equus, & reliqua huiuſmodi, l.Verum eſt.j.D.De furtis. Scholaſtici aiũt eſſe de natura furti, vt quod eſt alienum occultè capiatur, non autem palàm. Sic enim ex communi ſcholæ ſententia ſcripſit Thomas in 2. 2ᵃ quęſt. C 66.Ergo ſiquid alienum palàm aufertur, nõ comprehendetur nomine furti. Itaque neque hoc pręcepto videbitur damnari & improbari ex illorum ſententia. Ex quo factum eſt, vt 14.quæſt.5.in tertia parte Gratianus ſic ſcriberet, Aliena rapere nõ eſt contra præceptum: Nullo ſiquidem Dei mandato, rapina videtur prohibita. Sed eſt veriſſimum nomine furti rapinam quoque damnari à Deo, & in hac Lege συνεκδοχικῶς comprehẽdi, quemadmodum in lib.Quæſt.in Exod.ait Auguſt. nimirum omnem illicitam rei alienæ vſurpationem.i.inuaſionem, occupationem, retẽtionem, auulſionémque furtum eſſe. Ergo nomine partis & ſpeciei vniuerſum genus rei alienæ illegitimè retinendæ vel poſſidendæ, vel contrectandæ continetur. Qui ſcribendi modus in toto hoc Decalogo frequens eſt & vſitatus.

Atque vt facilius magíſque ordine totum huius præcepti argumentum pertractetur, omnis de eo diſputatio in quinque capita præcipua diuidetur, è quibus continet

1 Quæ perſonæ vetentur furari.
2 Quas res vetemur.
A 3 Quo animo, quáve de cauſa.
4 Quibus modis furari prohibeamur.
5 Quot ſint furti hoc capite damnati genera.

Anteſtari verò licet nullum eſſe ſceleris genus quod plures ſpecies habeat, latiúſve pateat, ſi quæ de eo humana nomotheſia ſanxit, obſeruẽtur, notentúrque omnia. Nos ſingula breuiſſimè, & quæ maximè neceſſaria, atque ad rem pertinentia videntur, attingemus.

Ac primum quidem caput eſt, Quę perſonę vetentur furari. Quando verò non diſtinguit lex, neque nos quoque diſtinguemus. Hæc enim eſt à ſummo omnium magiſtratu Deo lata, quæ omne genus ſexus, ætatis, conditionis homines cõſtringit, & affatur, vti vnus ipſe omnium Deus eſt.

Ac de viris & fœminis ęquè intelligendum eſſe hoc præceptum certo certius eſt, & ad vtrunque ſexum pertinet vox κλέπτης, qua tum Paulus vtitur 1.Cor.6.v. 10. tum etiam Petrus 1.Petr.4. verſ.15. Sic explicandus quoque locus Rom.2.v.20.ídque exemplo Thobiæ, qui vetat vxorem ſuam furari. Thob.cap.2.verſ. 21. & Rachel dicitur eſſe furata deos patris ſui Laban. Geneſ.31.v.32.

B Hominum alij ſunt Puberes, alij Impuberes, vtrique prohibẽtur. Nam impuberes quidam ſunt doli capaces, qui furtum committere poſſunt.l. Impuberes: D.de furt.

Hominum alij ſunt Diuites, alij Pauperes & egeni, vtrique prohibentur. Atque in diuite hoc ſcelus lõgè grauius fœdiúſque eſt, quia habet vnde ſe ſuóſque exhibeat, & ideo excandeſcit Dauid cùm audiiſſet diuitem prædatum eſſe ouem pauperis vicini.2.Sam.12.

Sed nec pauper & egenus alienum, quo eget, furari aut rapere debet: potius à Domino precibus impetret, id eſt, à Deo ipſo poſcat qui benignus eſt & largus in omnes, & poteſt pręſtare nobis vltra ea quæ petimus, ait Paul.Epheſ.3.v.20. Philip. 4.v.19. Nec obſtat quod Prouer.6.ver.30.dicitur, quia κατά τι, non autem ἁπλῶς accipiendum illud eſt. Præterea hominis Chriſtiani eſt didiciſſe & abundare & penuriam pati. Philip.4. v.12. paucíſque contentum eſſe. Eſt enim magnus quæſtus Pietas cum animo ſua ſorte contento. 1. Timoth. 6.verſ.6.Et hoc quidem verum eſt tam de eo qui C πτωχὸς dicitur, id eſt Mendicus: quàm qui πένης, id id eſt, Pauper, eſt & cui aliquid rerum neceſſariarum deeſt, etſi non mendicat. Rectè etiam damnat Lactantius eam Ennij ſententiam,

Mendico qui dat quod edat, mendicum facit.

Facit enim pro Lactantio quod ſcriptum extat Deuter.15.v.4.& 11.quanquam M.Tullius li.2.De offic.Ennium in eo laudauit.

Hominum alij ſunt Sui Iuris, alij Alieni, velut Filiifamil. & Serui: omnes hi continentur prohibẽtúrque furari, & hi quidem tum ab alienis, tum ab iis, in quorum ſunt poteſtate. Nam patrem vel matrem expilare planè vetat Dominus, & qui filij putant, quod patri ſurripitur, ideo furtum non eſſe, quia paternorum bonorum ſpes ad eos pertinet, ſúntque eorum bonorum ſpe, atque iam quodammodo domini & hęredes, falluntur. Nam hęc ratio planè damnata eſt Prouerb.28.verſ.24.Sunt quidem ſpe hæredes filij, ſed nondum domini, quandiu parentes viuunt. Neque obſtat quod nec patri in filium, quem habet in poteſtate, quíque ſibi furtum fecit, nec domino in ſeruũ ſuũ datur furti actio iure ciuili Romano.l.nec cũ filiofamil.

A & l.ſerui.D.de furti.Furtum enim propterea non negatur commiſſum eſſe à ſeruo & filiofamilias, ſed illi non habent vnde pater vel dominus duplum auferat, cùm ipſorum bona ſint & patris & domini.

Præterea Vlpia.in l.Serui.D.De furtis.aliã quoque denegatæ huius furti actionis in ſeruum & filiumfam.rationem habet, quòd cùm ipſi patres & domini poſsint in ipſos fures ſtatuere, neceſſe non habent aduerſus eos litigare & ius petere.Ergo ſi ſeruus domino ſuo, vel filius patri ſuo quid ſurripiat, hoc capite Legis diuinæ damnantur, id quod etiam apparet ex epiſtola ad Philem.v.19.

Hominum alij ſunt Priuati, alij Magiſtratus:in vtriſque quidem turpe eſt furtum, ſed in Magiſtratibus turpius:& in iis omnibus,qui cæteris vitæ exemplo prælucere debent,quales ſunt Eccleſiæ & gregis Domini Paſtores, Diaconi,Presbyteri. 1. Pet.5.v.2.Ac Paſtores quidem auari, velut fures damnantur, extántque grauiſsimę Prophetarum in eorum auaritiam & ἀπληστίαν conciones. Iſ.56.ver.11.Hier.6.v.13.Mich.3.verſ.11.Sophon.3. B v.4.Ezech.13.& 33. Denique dicuntur peccata populi comedere, dum auaro animo & diteſcendi ſtudio Deo ſeruiunt.Oſe.4.v.8.

In priuatis quidem damnatum furtum eſſe lege Dei ſatis docent duræ illæ Prophetarum comminationes ex ore Dei in populum pronuntiatæ. Hier.7.v.9.Oſe.4.v.2.& dum dicuntur fruſto panis emere egenos.Am.2.v.6.7.8.v.4.5.

In magiſtratibus autem multo grauius hoc crimen damnatur, adeò vt appellentur ab Iſa.quidã Magiſtratus ſocij furum.Iſa.1. ver.23.quorum vox hæc nefaria ab Oſea refertur,Afferte,afferte. Oſe. 4.verſ.19. Etiam dicuntur pauperculum populum miſerè deuorare.Pſal.14.& Oſe.7.v.7.Quamobrẽ in iudicum auaritiam multa acerbè dicta extant. Et præclara eſt illa Philonis in expoſ.generali ſententia de furacibus magiſtratibus,ὅσοι τοίνυν τὴν κλεπτῶν ἰσχὺν προσέλαβον, ὅλας συλῶσι πόλεις, ἀλογοῦντες τιμωριῶν, διὸ τὸ ἐπικυδέστεροι νόμων εἶναι δοκεῖν, οὗτοι δ' εἰσὶν ὀλιγαρχικοὶ τὰς φύσεις, οἱ τὰς μεγάλας ἐργαζόμενοι κλοπὰς, σεμνοῖς ὀνόμασι τῆς ἀρχῆς καὶ ἡγεμονίας ἐπικρύπτοντες λῃστείαν τἀληθεστέραν. id eſt,Qui igitur furum authoritatem tuentur, totas C ciuitates expilant, nec pœnas ſceleratis irrogant, quia videntur eſſe legibus ipſis potentiores.Hi ſanè ſunt paucorum potentiæ tuendæ natura addicti, qui cùm magna furta perpetrarint, veriſsimũ ſuum latrocinium ſanctis nominibus imperij & magiſtratus obtegunt.

Hominum denique alij ſunt Pagani,alij Milites, vtrique prohibentur.Ac de Militibus maior quæſtio eſt.ſed quando Dominus ipſe ſanxit iura belli. Deuter.20.& reſpondit Ioannes Baptiſta militibus,neminem concutiatis. Luc.3.v. 14.atque Iſ. 33.v.1.Habac.2.v.8.Væ tibi, qui prædaris, nam & ipſe præda fies,non licet impunè militibus militię prætextu,à quouis quælibet capere. Quid igitur licet? & à quibus ? Ac quidem ab iis, quos tuentur ſtipendia accipere licet. Prædari verò eorúmque bona diripere non licet.Ergo ſolos hoſtes licet illis prædari. Deute.20.v.14.Nam bonus miles, vti ſtrenuus canis,inquit Plato,ſuos tuetur,& domeſticos: hoſtes verò & extraneos abigit atque allatrat.Prædæ verò nomine,non modò edulia,id eſt, quæ edi bibique poſſunt,continentur:ſed iumenta, homines & quicquid ad vſum vitæ huius confert,éſtque hoſti commodum futurum ad bellum A gerendum ſiue ad victum.1.Samuel.15. verſ.9. Iſ. 49.v.24. Pſal.149.30.v.20.2. Chron.20.v.25.Pſal. 68.v.13.Pſalm.149.

Sed eſt quæſitum, qui ſint cenſendi habendíque pro hoſtibus, vtrum omnes qui nobiſcum ſocia arma non iunxerunt. Et videntur ij omnes hoſtiũ perduelliúmque numero habendi, quia Chriſtus ait Matth.12. verſ.30.qui non eſt mecum contra me eſt: & exemplum Dauidis induci poteſt, qui cùm eſſet apud Philiſtinos,Amalechitas deprædatus eſt.1.Sam.27.v.8.At contrà obiicitur quod idẽ Chriſtus reſpondit Luc.9.v.50.qui non eſt contra me,pro me eſt.Præterea ſatis conſtat ex Iud. ca.11. Numer.20.& 21.v.21.non omnes ab Iſraelitis pro iuſtis hoſtibus habitos ex Dei præcepto, qui illis bellantibus auxilia non tulerunt,quando Idumæi & Moabitæ intacti à Iudæis ſinebantur, quanquã vicini populi eſſent,nec etiam confœderati. Ergo extranei ſunt vel Confœderati & ſocii & σύμμαχοι, vel Non. Sed nec omnes peregrini ſunt cenſendi hoſtes.Qui igitur?ij ſunt hoſtes quibus legitimus & ſummus illius regionis Magiſtratus nomine pu B blico publicè per fœcialem bellum denuntiauit. Qui tales ſunt, ii ſunt hoſtes habendi ſiue apertè bellum gerant, ſiue ex inſidiis, ſiue nocendo,ſiue non iuuando ſolum,quemadmodum definit Auguſt.in Ioſ.cap.7.quales qui portas ciuitatis nobis hoſpitium poſtulantibus claudunt, ne eorum hoſpitio amico vtamur.

Venio ad ſecundum caput, Quas res ſubripere vetamur,& certè rei nomine hoc loco tria ſignificamus,vel rem ipſam,vel vſum(ſi quis enim aliter vſus eſt rè mea aut longius,quàm conceſſeram,fur eſt,Gell.lib.7.cap.15.)vel denique ſolam nudámque rei poſſeſſionem & detentionem, vt Iuriſconſulti explicant. Nos verò commodioris doctrinæ cauſa, & vt propius ad ſacram ſcripturam totam hanc diſputationem accommodemus, rei nomine, quæ ſurripi poteſt,4.ſignificamus, nimirum in quibus omnibus furtum fieri poteſt.

1 Subſtantiam rei.
2 Qualitatem.
3 Quantitatem.
4 Commoditatem.

Ac res quidem ſi per ſe ſpectentur aut ſunt Sacræ C & diuinæ,aut Humanæ.

Res Diuinæ appellantur, quæ ſunt ad ſacrũ Dei cultum deſtinatæ, quáſve ſibi interdicto prolato Dominus reſeruauit,& in vſu commercióque hominum eſſe vetat. Quarum rerum furtum dicitur ſacrilegium. Quanquam enim Dominus per ſe iis rebus noſtris non egeat,Pſal.16.& 50.tamen ex fine & vſu,ad quem deſtinauit,ſuas eſſe pronuntiat, quas qui tollunt, Domino ipſi abſtuliſſe furatíque eſſe dicuntur à Propheta Malach.3.verſu 8. quales olim erant res votiuæ, interdictæ à Deo, decimæ, primitiæ, reliquáque huiuſmodi de quibus facta eſt mentio Leuit. 27. Sed & iure ciuili dicitur Sacrilegus,non qui priuata ſacra,ſed publica compilat,quocunque è loco tollat. Neque enim ſacrilegium eſt, cùm res priuatæ è ſacro loco ſurreptæ ſunt.l. Diui, & l.Sacrilegi. D. ad leg.Iul.Peculat. Idem Thomas in 2.2^{æ} quæſt.99. & 17. quæſt.4. Dominus grauiter vltus eſt hoc ſcelus in Põpeiũ & Craſſum vt ait Ioſeph.li.1.de Bello Iudaico, & in Heliodorum lib.2.Machab. cap.3.& in Achan.

A Ioſ.7.Auguſti.tracta.50.in Ioan.Euangel. iudicādus eſt fur ſacrilegus qui auſus fuerit non vndecunque tollere, ſed de Eccleſia tollere. Qui aliquid de Eccleſia furatur, Iudæ perdito cōparatur.

Res humanæ ſunt varij generis. Aut enim

illæ ſunt {
Noſtræ & propriæ.
Communes, nobis cum aliis priuatis, iure vſusfructus aut dominij.
Alienæ.

In quo quæſitum eſt, vtrum quis rei ſuæ & propriæ furtum facere poſſit. Et hæc probata eſt, iuſtitia eſſe, quæ ius ſuum cuique tribuit. Vnde vulgò dici ſolet. Nemo rei ſuæ fur eſt, cùm furtum ſit rei alienæ. Tertull. libro 4. aduerſus Marcio. nemo ſua furatur. Sed tamen poteſt multis modis alterius intereſſe, vt ne quis ab eo rem ſuam tollat atque auferat. Ergo in hoc præceptum committit qui facit id, éſtque fur & Dei & hominū iudicio appellandus. Nam quotieſcunque alterius intereſt rem meam apud eum eſſe, iuréque apud eum eſt, & manet, ſi ſubripio, ſum fur, & pecco in hoc caput legis. Ergo qui rem pignori à ſe datam vel B locatam eripit is fur eſt, rectéque in eo Iuriſcōſulti ſentiunt, & reſpondent l. in actione. §. qui rem. & l. ſi aues. D. de furtis. Sed & qui commodauit ad tempus ſi ante tempus ſurripit, fur quoque eſt. Vſum enim fecit commodatione conſenſúque ſuo alienum, quem tamen aufert, ac ita damnum dat alteri. l. ſi is cui. D. de furt. Denique etſi rem meam à bonæ fidei emptore ſurripio, fur ſum. intereſt enim illius apud ſe manere, nec ita auferri. l. Cùm æs. D. eod. donec iudicio aliter ſit conſtitutum.

Item quæſitum eſt, vtrum rei communis furtū fiat, & cùm vel proprietas vel vſusfructus illius non ſit vnius, ſed plurium, qui ſociis ius fructúmve adimit, fur eſt. Itaque rei communis furtum ab vno ſociorum fieri poteſt, & hoc ipſum etiā planè reſponſum eſt in l. ſi ſocius. D. de furt. & rectè.

Quod ſi res eſt omnino aliena, ea aut Publica, aut Priuata eſt.

Publicæ rei, veluti pecuniæ furtum fit, tū à priuato, tum ab ipſo etiam Magiſtratu, qui ſi eam in proprios vſus & commodum conuerterit, vel interceperit, eſt crimen Peculatus. Sin autem idem C Magiſtratus pecuniam publicam non totam inſumpſerit in eos vſus, ad quos deſtinata erat, ſed vel totam vel partem eius retineat prædetúrque, eſt crimen Repetundarum. Sic Ioas rex pecuniam ſacrificatoribus non inſumentibus in inſtaurationem templi adimit. 2. Reg. 12. Neque poteſt dici ideo non fieri furtum pecuniæ publicæ, quia nullius ſit. Eſt enim ipſius vniuerſitatis, ergo eſt alicuius, ſed non priuati & vnius hominis, vti ſeruus publicus eſt ſeruus omnium.

Quod ſi priuata res eſt, vetatur inuito ignorantéque Domino contrectari, retineri & poſſideri, eſt enim furtum: cuius ſpeciei furti varia extant genera in ſcriptura, plura adhuc in iure ciuili: ſed nos tantùm admonendi gratia, pauca ex ſacro Dei verbo colligemus, vt intelligatur quomodo de iis rebus conſtituendus ſit communis locus.

Ac primum quidem homines, ſiue liberi ſiue ſerui ſurripi poſſunt, quod genus furti appellatur Latinè Plagium, damnatúrque apertiſſimè tam iure diuino quàm humano. Ac diuino quidem Deut. 24. verſ. 7. 1. Timoth. 1. verſ. 10. Humano verò lege Flauia, vel vt alij volunt Fabia de Plagiariis, Plagium autem non puto dictum ἀπὸ τοῦ πλαγίου, A vt ſentit Alciat. ſed à nomine Plagæ, quod tegmen & grande linteum ſignificat, quo tegebantur velabantúrque homines qui abducebantur, ne agnoſcerentur.

Bruta quoque & pecudes priuatorū vetat Dominus abduci, vel celari. Quod ſi quis vnam tantùm ouem, vel pecudem abducit, fur eſt. Sin autē gregem ipſum vel totum, vel ex parte, dicitur Abigeus. Vnde furtum plurium pecudum de grege vel armento, dicitur proprio nomine Abigeatus. Numerus enim diſtinguit furem ab Abigeo, vt eſt in l. Aut facta. D. de pœn. Sed non modò ſurripere alienas pecudes prohibemur, ſed iubemur eas errantes reducere, reſtitueréque proximo, etiam nobis inimico. Deuter. 22. verſ. 1. Exod. 23. verſ. 4. Imò etiam iure ciuili qui aberrantem ouem vel equū in ſolitudine relictum abduxerit, fur eſt, inquit Vlpia. in l. j. §. Cæterùm. D. de Abigeis. Sic fuit Cacus abigeus, de quo Ouid. libr. 1. Faſtor. & Vergil. lib. 8. Æneid.

Sed & in agris ipſis Termini moueri prohibētur, qui agrorum fines diſterminant & ſeparāt, & B qui eos mouet loco, damnatur hoc præcepto, & fur eſt. Deuter. 19. verſ. 14. Prouerb. 22. verſ. 28. Oſe. 5. verſ. 10. Plato libr. 8. de legib. & tot. tit. D. de Termino moto.

Qualitatis verò fit furtum, ſi non eadem præſtatur quæ debetur, quæque promiſſa eſt; velut ſi vetus pro nouo ſupponitur cùm nouum eſſet promiſſum. Vel ſi nouum pro veteri: Si putrida pro integra merces datur diſtrahitúrque, quod facere ſolent pharmacopolæ in medicamentis ſæpiſſimè: cauponæ in vino propinando. Hos fures eſſe probatur argumento eorum, quæ Malach. 1. v. 13. Leuit. 27. v. 10. ſcripta ſunt. Quin reprehendit, & notat Amos 8. verſu 6. nefandum ſcelus eorum mercatorum, qui glumas, paleas, ſordes, quiſquiliáſque frumenti pro ipſo frumento bono vendebant. Id quod tempore famis fieri noſtro ſeculo adhuc ſolet. Amos 2. verſu 6.

Quantitatis quoque ratione furtum committitur, ſi falſo pondere, menſura, numero res præſtetur vel diſtrahatur, quàm publicè, vel licet, vel vēdita eſt & promiſſa. Deuter. 25. verſ. 13. Leuit. 19. v. C 35. Prouerb. 20. verſ. 10. Idem eſt legibus Romanis ſancitum quoque l. penult. D. Ad leg. Cornel. de falſ. Prouer. 11. verſ. 1, 16. verſ. 11. Mich. 6. verſ. 10. 11. Oſe. 12. verſ. 7.

Denique commoditatis, ſi res non traditur ſuo loco, & tempore. Plus enim minúſve ſolui poteſt re, loco, tempore & cauſa, vt docent Iuriſconſulti in §. ſi quis agens. De action. in inſtitut. & eius rei exemplum eſt, ſi quis Mercenarij hominis mercedem diutius differat, neque ſtatim eo petente perſoluat, certè pro fure habetur, Deuter. 24. verſ. 14. Iaco. 5. v. 4.

Venio ad tertium caput, Qua de cauſa furtum fieri vetetur. Triplex autem alieni vſurpandi cauſa eſſe poteſt. i. animus eius qui occupat. Nam

vel facit {
Alterius tantum fraudandi gratia.
Etiam illius rei lucrandæ animo.
Erogādæ & largiendæ ídque vel Deo, vel proximo egeno & pauperi.

Atque hæ cauſæ omnes damnatæ ſunt hoc præcepto.

Ac quidem, qui alij ſurripit aliquid, vt ille qui

domi-

A dominus eſt, priuetur fraudetúrque ſuo, fur eſt, damnatúrque Chriſti dicto, qui Marci 10. exponēs vim & mentem huius ſanctionis, docet omnino Deum vetare ἀποστερεῖν, id eſt, quenquam fraudare re vel iure ſuo, quanquam Iuriſconſulti illud ſolum furtum eſſe volunt, quod lucrandi animo aufertur. Sed Diuinæ legis (quæ omne damnum, quod proximo in bonis datur, dānat) mēs & ſententia latius patet. Ergo qui rem alienam dolo malo ſciénſque auertit, Deutero. 22. verſ. 1. intercipit, ad alium deriuat, ipſe eſt fur, quia alium fraudat, quod fieri vetat Lex. Vnde fit, vt quicunque opem, operam ſuā conſiliúmve furi & alienæ rei raptori præbet, dat aut fert, is verè damnetur hoc præcepto, ſitque coram Deo fur cenſendus. & idem ſenſerunt etiam Iuriſconſulti. l. is qui opem. D de furt. quorum in eo maximè laudanda eſt ſententia.

Qui verò rei alienæ lucrandæ, atque in ſuum commodum conuertendæ gratia intercipit, detinet, aut capit, is planè procúlque dubio fur eſt. De quo nemo dubitat, cadítque in hūc definitio propria furti.

B Sed quæſitum eſt de eo, qui rem alienam ſurripit erogandi, atque largiendi animo vel Deo ipſi, vel proximo inopi & egeno, vtrum fur cenſendus ſit, & non videtur fur appellandus. Cùm enim furtum ſine animo furandi non fiat, non habeat autem iſte animum furandi & interuertendi, fur non eſt. Maleficia enim ex animo & affectu æſtimanda ſunt. Præterea videtur hoc ipſum dicto Chriſti probari poſſe, qui iubet vt amicos nobis faciamus de mammona iniquitatis Luc 16. verſ. 9. Denique authoritate Baſilij qui Homil. 10. in Hexamer. in fi. laudat quandam mulierem, quæ marito furabatur, quod pauperibus ac Eccleſiæ largiebatur.

Sed contra ſentiendum eſt. Cùm enim illa Pauli ſententia ſit vna quædam de communibus diuinæ Theologiæ ἐννοίαις, non ſunt mala facienda, vt bona eueniant. Roman. 3. v. 8. illud ſtatuendum eſt, Non modò bona eſſe facienda, ſed etiam bene, id eſt, eo modo & ratione, quam Dominus ipſe ſuo verbo probat & præſcribit. Nam quemadmodum præclarè ſcribit Auguſt. lib. 5. in Iulia. vti nō ſunt facienda adulteria, vt filios generemus, ita nec furta C facienda voluntate paſcendi pauperes ſanctos. Ac quidem quoad Deum, odit ipſe omnes huiuſmodi victimas & tam polluta donaria, vt eſt ſcriptum Prouer. 15. v. 8. 21. v. 23. idque apertiſsimè explicatur Eccleſ. 34. v. 23. & ſeq. Quemadmodum etiam ex omni illicitè acquiſito neque vota Deo nuncupanda ſunt, neque dona offerenda, talis eſt autem meretricis quæſtus. Deut. 23. v. 18. Et quod laudat Baſ. Homil. 10. in Hexame. eam fœminam, quæ κλέψασα κατὰ κλέμματα ἀνδ ἀνδρὸς τὰς εὐποιΐας ἐποίησε, non ait eam animo furandi feciſſe, ſed quòd in occulto vellet facere ſolo Deo teſte. Sed neque ſequitur rectè factum fuiſſe, quoniam à Baſilio illa laudatur.

Quoad fratres egenos, non eſt iis ea ratione ſuccurrendū. Nam Nolite facere eleemoſynas de fœnore & vſuris, in ſermo. De verbis Domini tractatu. 35. ait Auguſt. cui conſentit quod ſcribit Gregor. ad Synagrium epiſcopum, Non eſt putanda eleemoſyna, ſi pauperibus diſpenſetur, quod ex illicitis rebus acquiritur, quod eſt relatum in cano. Non eſt 1. quæſt. 1.

Nec valet hæc furantis exceptio, At hic diues & auarus nihil pauperibus largitur cùm tamen poſſit. Nam hæc cogitatio eſt à Diabolo, inquit Aug. A & eſt 14. quæſt. 5.

Vnde dānanda eſt illa Thomę Aquinatis ſententia, qui in 2.2^{æ} quæſt. 66. artic. 7. ait Ex abundantia alterius egenorum neceſſitati ſubuenire non eſt furtum. Imò lōgè rectius Tull. libro 2. De officiis, extremum præceptum in beneficiis eſt, ait, ne quid contra æquitatem contendas. Itaque animaduertendum eſſe monet, ne cùm alios adiuuare volumus alios offendamus. Caius autem Iuriſconſultus in l. ſi pignore. D. De furt. Species furti eſt, ait, ex alieno largiri, & beneficij debitorem ſibi acquirere, vnde & is furti tenetur, qui ideo rem amouet, vt eam alij donet.

Quod obiicitur de dicto Chriſti, Luc. 16. v. 9. Paralogiſmus eſt ab æquiuocatione. Dicitur enim māmona iniquitatis illîc à Chriſto, quæ noſtra eſt pecunia, nō autem aliena: nec ideo appellatur iniquitatis, quòd iniquè parta ſit, ſed quòd niſi ea benè vtamur, impellat ad malum. Et idcirco Chriſtus appellat diuitias fallaces. Matth. 13. verſ. 23.

Sequitur quartum caput, Quibus modis furtum fieri prohibeatur. Reſp. Omnibus: imprimis autem B duos modos nōtat in vniuerſum Paulus, vim nimirum aut dolum. 1. Theſſal. 4. verſu 6.

Ergo qui vires alienas inuadit ἅρπαξ nominatur, qua voce etiā vtitur Paul. 1. Corinth. 5. verſ. 11. quales etiam ſunt qui in ſyluis graſſantur, & appellantur latrones turpiori nomine, quàm fures, λῃσταὶ à Græcis: talis fuit ille Barrabas Ioan. 18. & qui vnà cum Chriſto crucifixi ſunt. Luc. 23. Hoc quoque genus furti ſuo ſpecialíque nomine Rapina nominatur, de qua copioſè Scholaſtici. Thomas in 2.2^{æ} quæſt. 66. & 14. quæſt. 5. per totum.

Incidunt autē in hunc locum duæ quæſtiones, è quibus prima eſt de iis, quæ ſola præſcriptione lōgi temporis vel vſucapione quęſita ſunt, atque poſſidentur, vtrùm à nobis iuſtè retineātur, & nū potius videātur vi rapta eſſe vt earum rerum nomine coram Deo furti damnemur. Et quidem à Iuriſcōſultis inter legitimos rerū dominiíque acquirendi modos ſola vſucapio præſcriptióque lōgi temporis cenſetur, modò bona fides ab initio poſſeſſionis, interuenerit. l. ſi aliena res. D. de vſucap. Nam C malæ fidei poſſeſſor non vſucapit neque præſcribit. Itaq; cùm bono publico ea res introducta ſit, vt ait Caius l. j. D. de vſucap. non videtur furti dānari poſſe, qui ea ratione rē alienam poſſidet. Sed & M. Tull. lib. 1. De officiis. cap. De iuſtitia, inter legitimos naturaléſque rerum acquirēdarū modos, priuatarum rerum præſcriptionem recenſet, ſimiliſq; eſt, ait, priuatarum poſſeſſionum præſcriptio.

Canoniſtæ in can. Placuit. §. ſi verò. 16. quæſt. 3. ſcribūt ſētiúntque modò bona fides ab initio poſſeſſionis interuenerit, iuſtè res alienas ſola temporis præſcriptione acquiri: nec furti damnandum, qui ita poſſidet. Poſtea tamen hoc ſuum dictū iidē poſtea correxerunt cap. Quoniā. Ext. De præſcrip. volúntque non tantùm ab initio, ſed toto præſcriptionis tempore, bonam fidem deſiderari, vt res legitimè ea ratione poſſideri dici poſſit.

Philippus Melācht. in Epito. Philoſophiæ Moralis ſcribit præſcriptionem excuſare conſciētiam hominis Chriſtiani, præſertim ſi iuſtus ſimul titulus, bonáque fides interuenerint, quia lex eū modū probat. Itaque qui ita poſſidet, velut furē hoc Legis præcepto non comprehendi putat.

A Auguſtinus duobus locis videtur totam hanc quæſtionem aliter explicare, cuius ſententiæ ipſe aſſentior. Nempe, non ideo rem alienam à nobis iuſtè poſſideri, quia longo, imò longiſſimo tempore pręſcripta eſt, ſi poſtea reſcimus agnoſcimúſque rem eſſe alienam. Quocunque enim tempore alienum eſſe intellexerimus quod noſtrum exiſtimabamus, iniuſtè à nobis retinetur, ſumúſque verè fures cenſendi, niſi reſtituamus. Primus igitur Auguſtini locus eſt in commentariis in epiſt. Pauli ad Roman. cap. 14. verſ. 23. Quicquid ſine fide fit peccatum eſt, ait Paulus. Sic autem interpretatur Auguſtin. quicquid contra conſcientiam fit, ædificat ad gehennam. Alter eiuſdem Auguſtini locus eſt in libro De fide & operib. vbi ſic ait. Sicut in iure prædiorum tandiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſimè dicitur, quandiu ſe poſſidere ignorat alienum. Cùm vero ſcierit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit, tunc malæ fidei perhibetur, tũc iuſtè iniuſtus poſſeſſor vocabitur. Addi & tertius quoque locus poteſt ex lib. 2. cõtra Creſco. cap. 26. B Si quis tunica de latrocinio veſtiretur, ex illo fit iniquitatis veſtis, ex quo cognouerit: & ipſe iniquꝰ, niſi abiecerit. Facit in Auguſtini ſententiam quod Iud. 11. verſu 21. ſcriptum eſt, non ideò tantùm à Iudæis terrã Chananæorũ poſſeſſam iuſtè fuiſſe, quia iam per 300. annos eã occupauerant & incolebant: ſed quia eã Dominus dederat, cámque victores Iudæi ab hoſtibus victis, iure belli & victoriæ, id eſt, Iure gentium eripuerãt. Quòd ſi illa Auguſtini vox & ſententia quam probo locum habet in reliquorum hominum negotiis & rebus, ne ſola lõgi temporis præſcriptione iuſtè poſſideri & retineri à quoquam cenſeantur, tantò magis & æquius in iis rebus, quæ ab Eccleſia poſsidentur, exaudiẽda eſt. Ergo quum Eccleſia intelligit quod poſsidet, eſſe aliennum, etiam poſt longiſsimi temporis præſcriptionem, veris dominis reſtituat: apud ſe autẽ non retineat: quicquid contrà Canoniſtæ, Presbyterorum auaritiæ fauentes definierint.

Altera quæſtio eſt de rebus inuentis, vtrum qui eas retinet, fur cenſendus ſit, hócque præcepto dãnetur. De his ſic Hieronym. in Leuitic. cap. 6. verſ. 5. ait, Multi ſine peccato eſſe putãt, ſi alienũ, quod inuenerint, teneant: diſcant hoc peccatum ſimile C eſſe rapinæ, ſi inuẽta non reddant. Sed verior mihi longéque tutior videtur Iuriſconſultorum diſtinctio. Putant enim ſpectandum eſſe, eáne res, quam quis inuentam ſuſtulit & habet apud ſe, ſit proiecta à domino, quòd pro derelicta haberetur, an non. Nam in ea re quam quis ſuſtulit, quia pro derelicta à Domino eam haberi ſciret, furtum non fit. l. Falſus. § Sed ſi neque. D. De furt. In ea verò quam quis ignorans derelictam, aut ſciens à Domino perditam, inuenit ac abſtulit, non quidem reſtituendi animo, ſed retinendi, certè furtum fieri dubitari non poteſt. l. Falſus. § Qui alienum. D. De furt. Furtum enim fit, etſi ignoretur cuius res iacens ſit, quia quod ad nos non pertinet, omnino ſcire debemus ad alios pertinere, vt illud ſana conſcientia poſsideatur à nobis.

Quod autem furtum fit dolo malíſque artibus & technis, fraus à Latinis dicitur: fraudulentia verò à Scholaſticis, vti à Thoma in 2.2æ quæſt. 77. Quod genus varias ſub ſe habet ſpecies, & in vniuerſum verbo Dei damnatum eſt. Mich. 7. ver. 4, & 5. Pſal. 55. ver. 24. Prouerb. 6. v. 18, & 28. v. 22. Habac. 2. ver. 9. Leuit. 19. verſ. 13. Fit autem ſiue quis celet A rem alienam cùm ſit apud ſe: vel inficietur rem à ſe acceptam, vel apud ſe depoſitã: vel ſi inducat, perſuadeátque dolo malo alium, vt donet, vendat, illíque res ſua pereat. Ac quidem qui celat rem alienam, fraudem adhibet, furtúmque facit, vti docet Auguſt. in epiſt. ad Macedonian. & eſt relatum in cano. 1. 14. quæſt. 6. Prouerb. 28. v. 22.

Inficiãdo etiam alienum, quod apud nos depoſitum eſt, vel nobis petẽtibus mutuo aut commodato datum, furtum fit, Leuit. 19. v. 11. & 6. ver. 3. Exod. 22. verſ. 17. Vnde videndum eſt quàm rectè dicat, reſpondeátque Celſus in l. Inficiando. & l. j. § Sola. D. De furt. Inficiando depoſitum, furtum non fieri. Nec enim, ait, ipſa inficiatio eſt furtũ, ſed propè furtum. Atque hæc ipſa ratio addita, docet furtum eſſe, quod tamen ille negat furtum, propter ſcrupuloſam verbi acceptionem, appellandum.

Quòd ſi dolo malo quis alium inducat, vt illi res ſua pereat, certè fur eſt. Pertinéntque ad hoc caput omnes illæ fraudes, quæ in vendendo, locando, cæteríſque cõtractibus interueniunt, ſiue dolus cauſam B dederit contractui, ſiue non, ſed inciderit tantum. Præclarum eſt enim illud etiam profanorum hominum dictum, Cum bonis benè agier, & vt ait M. Tull. libro 3. De officiis. Tollendum eſt in rebus contrahẽdis omne mendacium. Epheſ. 4. verſ. 23. Zachar. 8. v. 16. idem docetur.

Sed præter hos duos furandi modos, alij quoque ſunt, & ij duo quoque, in quos variæ quæſtiones incidunt. Nam qui furatur, vel turpi infamíque nomine fur eſt: vel honneſto ſpecioſóque prætextu id facit.

Ac quidem turpi nomine fures ſunt deſides & ignaui homines, qui quanquam de ſuo viuunt, tamen ſunt fures. Nec enim damnanda eſt deſidia ideo ſolum, quòd iners eſt, inutilis, & offendiculum præbet: ſed quòd etiam quædam furti ſpecies eſt. Itaque Paulus Eph. 4. verſ. 28. cõiungit deſides cum furibus, Qui furabatur, ait, ne furetur, ſed operando victum quærat. Hæc enim Dei lex eſt, vt ſi quis nolit operari, nec edere ſinatur, 2. Theſſal. 3. v. 10. quia dixit Dominus præcepítque homini, vt in ſudore C vultus panem ſuum edat, Geneſ. 3. v. 19. Nam eſt fugiẽda otioſitas mater nugarum, nouerca virtutum, ait Bernard. lib. 2. De conſyder. cap. vltimo. Sunt igitur deſides, vti fuci, ignauum animal & fures, qui quantopere à Dei ſpiritu increpẽtur, arguantúrque, docent infiniti penè in lib. Prouerbiorum loci, veluti cap. 6. 10. 12. 18. 20. 28. cuius variæ eodem in loco enumerantur ſpecies: quales hę, otioſum eſſe, ſomniculoſum eſſe, negligẽter & perfunctoriè obire ſuum munus, Prouer. 18. verſ. 9. Hoc igitur capite damnantur, monachi otioſi & deſides homines, qui ad edendum non ad operandum nati videntur & l. Quidam ignauię ſectatores lib. 10. Codic. De decurionib. damnantur. Nam veteres Monachi ſoliti erant operari, vt docet Auguſt. in li. De oper. monach. P. Martyr in 2. Samuel. 2. 11. & dixit monachus Bernard. Sermo. 66. in Cãt. & alius quidam, eum monachum, qui non laboraret manibus, pro prædone habendum eſſe. Itaque nec vagabundi mendici & validi ſunt tolerandi inter Chriſtianos, 2. Theſſal. 3. v. 10. Vnde Titulus in Cod. De valid. mendicant.

Ad hoc idem genus furum pertinent, qui artes quidem aliquas exercent, ex quibus victum quęrãt:

A ſed eas tamen inhoneſtas & damnatas. Quo genere comprehenduntur Magi, Diuini, Idololatræ, Sacrificatores Baal, qui quanquam ſe iactant ſuis artibus viuere, tamen fures ſunt, quia illi victus quærendi modi, ſunt omnino turpes, & à Deo improbati, vide cano. vlt. 14. quęſt. 5. 1. Reg. 18. v. 19. Epheſ. 4. 28, in verbo ἐργαϑὼν.

Alterum autem genus eſt eorum furũ, qui ſpecioſo vocationis ſuę prętextu furãtur, quales Mercatores, Aduocati, Iudices ipſi & Magiſtratus, qui plus exigunt & lucrantur, quàm vel ſaluo cõſcientiæ charitatiſve iure liceat, vel muneris eorum ratio poſtulet.

Ac quidem Mercatores auaritiæ nomine damnantur ferè vulgò, non tantùm plerique, ſed potius omnes, Sap. 17. v. 12. Eccleſ. 26. v. 37. & 27. v. 1. & 42. v. 5. Habac. 2. v. 9. Itaque apud Hebræos mercator dicitur voce à verbo כנע deducta, quod fraudare ſignificat, Hoſ. 12. v. 7. apud Homer. lib. 2. Odyſſ. κέρδος cui plurimùm inhiãt Mercatores omnes ſignificat fraudem & δόλον, vt annotat doctiſſ. & vetuſtiſſ. Odyſſeæ interpres Didym', quòd ſine fraude & dolo lucrari mercatores ferè non ſoleant. B Nam qui emunt, vt reuendant, inquit Tull. lib. 1. de Offic. niſi admodum mentiantur non faciunt quæſtum. Denique ipſe Chryſoſtomus carnium, viníque venditores, mercatores, & caupones omnes, veluti impuriſſ. homines etſi homines Chriſtianos, tamẽ à Senatu Eccleſiaſtico ſemouet, quaſi venales homines omnes illi ſint. Falſa verò eſt iſta eorum κοινὰ δόξα, lucrari licere quantum poſſumus, vt docetur Sa. 15. v. 12. Oppugnat enim Chriſtianæ charitatis præcepta, & ex mercatura latrocinium facit. Mecum denique audiendus Bernardus epiſt. 82. libenter, ait, carebo quantolibet etiam ſpirituali quæſtu, qui non poſſit acquiri niſi cum ſcandalo.

Incidunt autem in hunc locum variæ quæſtiones. Ac primùm quidem de illicitis, licitiſve contractibus: vtrum hoc genus cõtractus & ſocietatis inter Chriſtianos locũ habere poſſit, vt alter operam tantum conferat, alter pecuniam. Num verò hoc potius ſit genus latrocinij, ex eius parte qui tãtùm operam ſuam confert, non autem pecuniam vllam? Et certè non dubito hoc genus ſocietatis licere, modò vterque damnum & lucrum participet, vel æqualiter, vel etiam inæqualiter, prout ex iuſta operæ & pecuniæ collatæ, vel pactæ æſtimatione inter eos poteſt conueniri. Aliâs verò hæc ſocietas leonina nominanda eſſet, in qua vnus tantùm lucrum ſentiret, nũquam autem damnum: alter autem damnum ſolus ferret & perciperet. De quo toto rerum genere breuius agam, quòd hoc argumentum copioſiſſimè, & vt omnia ſolet, eruditiſſimè, Franciſcus Hottomanus ſui ſeculi lumẽ in lib. De vſuris, explicauit, quem & propter doctrinam & propter pietatem omnes admirantur. Hoc igitur genus contractus videtur commemorari 2. Chronic. 9. ver. 10. & 1. Reg. 22. verſ. 50. Idem quoque reſpondent Iuriſconſulti in l. Si non fuerint. D. Pro ſocio. & probat Philippus in Epito. Moral. Philoſophiæ.

Quærit autem idem Philippus Melanchthon, vtrùm hoc genus contractus inter Chriſtianos locũ habere poſſit, vbi reditus fundi annuus emitur cũ pacto de reuendendo. Hoc genus triplex eſt. Nam, vel Fundus ipſe cum pacto reuendendi emitur: vel Certus tantùm reditus in aliquo fundo: vel Certus reditus in omnibus vẽditoris bonis quam nos A Galli ſolemus vocitare emptionem certi annui reditus, *Rentes conſtituees*. Ac quidem de duabus primis contractus pactique de reuendendo ſpeciebus apertè reſpondet Philippus ipſe eas vtraſque eſſe licitas & vtiles, quia nõ ſunt vſurariæ l. Si fundum. C. De pact. inter emptor. & venditor. Nam hoc eſt genus contractus, nõ pignus, ſed emptio, l. Ita quis. §. ea lege. D. De verborum obligat. Confirmatur verò hæc Philippi ſententia argumento eorũ, quæ ſcripta ſunt, Leuit. 25. v. 23. & ſeq. vbi dicitur, Terra nõ vendetur, diſtrahetúrque abſolutè & in perpetuum: ſed ad tempus.

Sed de tertia contractus ſpecie, maior quæſtio eſt, magiſque vexata & nobilis. Diſputãt. n. vtrùm ſit pignus vel mutuum, an potius vera emptio. Et certè, quãdo reditus fundi emitur, nec ius pretij repetendi habet emptor, emptio eſt, non autem mutuum. Hoc ſentit Philipp. & eſt ſcriptum in Extrauag. Regimini Titul. De emptio. & venditio. quæ eſt Martini quinti. In Extrauagantib. cõmunibus. Item Nouella authent. 160. in Authẽt. quæ iam huiuſmodi genus contractus fieri ſolitum tempore B Iuſtiniani commemorat. Putat tamen cum Baldo Philippus ſumma ratione conſtituendum, vt ſi bona venditoris aliqua inſigni calamitate vel damno affecta ſint, vt emptor viciſſim de reditu, pro proportione damni dati, remittere aliquid cogatur & teneatur.

Quæſitum eſt de eo quæſtu, qui fit in ludo, vtrum liceat, accipíque legitimè poſſit. Reſp. certè ſi vetitus ſit is ludus, vti eſt aleæ, non poteſt. Eſt enim merum furtum huiuſmodi quæſtus. l. fina. D. De aleatorib. & aleæ vſu, & docet Cyprian. in lib. contra aleam. Sed ex ludi publicè conceſſi generibus accipi poteſt. Eſt enim induſtriæ pretium is quæſtus, modò nihil auaro animo fiat cano. Epiſcopus, diſtinct. 35. Ambroſ. in lib. De Thobia, cap. 11. P. Martyr. in lib. Iud. cap. 14. & Nicol. de Lyra in præceptorio ſuo, modò ſit modiciſſimum lucrum,

Quæſitum deinde eſt de vſuris. Vtrum quæ vſuræ nomine accipiũtur, furti nomine & appellatione damnentur, quia ſit illicitus rei pecuniæve alie- C næ obtinẽdæ modus. Et hæc certè nobilis quæſtio eſt. Ac primùm quidem vetitum eſſe vſuras & exercere & exigere facilè ex variis ſcripturæ locis videri poteſt Exod. 22. v. 25. Leuit. 25. v. 35. Deuteron. 23. v. 19. Quod ne exiſtimemus merè eſſe politicum pręceptum facit quod eſt ſcriptum, Pſal. 15. v. 5. Prouerb. 28. verſ. 8. Ezech. 18. verſ. 8. Hierem. 15. v. 10. De nouo verò teſtamento locus eſt apud Luc. 6. 35. Multum date, &c. & Ariſtotel. lib. 1. Politic. cap. 6. dictum affertur. Facit tamen in contrariam ſententiam quod eſt ſcriptum Deuteron. 23. verſu 29. licuiſſe exigere fœnus ab extraneo, non autem à fratre Iudæo, idque eſt Prouerb. 29. v. 13. ſępe vſurarium à Domino miſericordiam eſſe conſecutum. Quæ autem per ſe peccata ſunt, non permittit Dominus ἁπλῶς: ſed omnino omníque loco, tempore, & omnibus vetat & fieri prohibet. Hanc controuerſiam quidam vt dirimant, primùm volunt vſuram in ſola pecuniæ exactione, quę fit pręter ſortem, conſiſtere: ſi quid autem aliud præter pecuniam exigatur non eſſe vſuram, etſi ſorti accedit, vt ſi frumenti acceſſio fiat præter ſortem, Nehem. 5. verſu 11. Sed facillimè hæc ſententia exploditur. Quicquid enim ad ſortem accedit, ſiue

A pecunia, ſiue ſpecies, velut far, hordeum, aliúdve huiuſmodi, vſura eſt. Dicit enim, damnátque Scriptura quicquid accedit pręter ſortē, Leuit.25.verſu 37.Ezech.18.v.8.& Prouerb. 28. verſ.8. & ſic quoque eum locum interpretatur Ambroſius in lib.de Thobia,cap.14.

Alii diſtinguunt inter fœnus & vſuram. Fœnus eſſe in ſolo mutuo,cùm debitor re creditoris vſus nō ſit: itaque eſſe turpiſſ. Nihil enim putat intereſſe Ambroſ.in lib.de Thob.inter funus & fœnus, & inter mortem & ſortem,cap. 10. Vſuram autem peti ratione vſus rei noſtræ. Itaque nomine eius quod intereſt deberi, rectéque exigi velut quandā compenſationem. inde duplex vſura facta:alia lucratoria dicta,alia compenſatoria. Hāc diſtinctionem improbat,irridétque Philippus in Epitō.Moralis Philoſoph.Scholaſtici variè hanc quęſtionem vexant, vti Thomas in 2. $2^{æ}$ quæſt.78.& 14. quæſt. 3. & 4. per totum, Durand. in 3. libro Sentent. P. Lombard.diſtinct. 37.Dixit Cato cùm B interrogaretur, Quid eſt fœnerari? Quid hominem occidere?Nec multum à Catonis ſententia diſſidet Baſilius Homil.poſteriore in Pſalmo 15.

Quid igitur ſentiendum? Muſculus variè diſputauit. Nempe licere pupillis,orphanis,& aliis ſimilibus vſuras exigere, ídque quidam etiam putant. Sed ſi res iſta per ſe damnata eſt,neque iis licet. Alii volunt has Iure Ciuili permitti,ne ceſſarent hominum inter ſe cōtractus,& commercia, maioríſque periculi euitandi gratia.

Qui verbis Hebraicis inhærent, dicunt longè diuerſum eſſe quod Hebræi vocant תרבית & quod נשך, vti diuerſæ quoque ſunt harum vocum radices. Nam תרבית à רבח deducitur quod apud eos augere & multiplicare ſignificat. Vnde & תרבית, eſt augmentum omne,acceſſióque ad ſortem. At verò נשך à verbo נשך deriuatur quod iis ſonat mordere,corrodere,& paulatim lentéque cōſumere. Ergo non omne תרבית.i.augmentum vetitum putāt: ſed quandoque conceſſum eſſe:ſed omnem נשׁך.i. Morſum & corroſionem proximi prohiberi volūt, eſſéque נשך tantùm vnam ſpeciem augmenti. Suā verò ſententiam confirmari putant ex eo, quod Deut.25. ver. 19. Leuit.6. verſ. 5.ſcriptum eſt, non arrodes vſuris proximum. Nam acceſſio, quæ arrodit, C contraria eſt charitati Chriſtianæ & æquitati naturali. Nam,vt ſerpens,ſemper illa vſura mordet,ſempérque ſibi ſuccedit, conuenítque in eam, quod eſt ſcriptum à Plutarcho in lib. Non fœnerandum eſſe.

Eſt Pylus ante Pylum,ſequitur Pylus altera poſt hāc.

Et huiuſmodi ſolum vſuras vetitas eſſe & damnatas aiunt,quales ſunt,quę nimię exiguntur,pro ratione ſortis. Ac ita canon Synodi Nicenæ intelligendus eſt,& quod Bernard.epiſt.322.fœneratores Chriſtianos publicè hanc artem exercentes, quos nos Banquierios vocamus, Iudæis comparat, & Baptizatos Iudæos vocat.i.verbis Chriſtum profitentes:ſed negant iidem,damnandam omnem quę fit ad ſortem,& ipſum capitale,acceſſionem, ne omnia commercia inter homines tollantur. Sed tamen hęc ſentētia diſtinctióque vel vno verbo tolli poteſt & refutari. Nam Leuit.25.verſ.36. Prouerb. 28.v.8.& Ezech.18.verſ.8.& 13.&22.ver.12.& תרבית & נשך damnatur,fitq; vtriuſque vocis diſertè mentio.Quid ergo?

Quando omnia ad charitatem ſunt reuocanda, éſtque ea Legis finis,ait Paulus 1.Timot.1.v.5.ex ea A definiendum eſt,Quid de vſuris ſentiendū ſit,concedendúmque homini Chriſtiano vel non : ídque breuiter,quoniā ſiquis plura requirat,videat Ioan. Calu.in Harmon. in Moſen in cap. 22. Exod. verſ. 25. Aut igitur proximo & fratri egenti ſuccurrimus, vel certanti de lucro faciendo. Si egenti ſuccurrimus mutuúmque damus,velut qui quęrit,petítque à nobis vnde ſe exhibeat & ſuam familiam alat, contra naturam eſt cōtráque Chriſtianæ charitatis præcepta, ſi quis ab eo acceſſionē exigat vllam,cùm ſæpe etiam ſors ipſa remittenda ſit & donanda:& hi caſus incidere poſſunt, Luc. 6. ver. 35. & ſæpiſſimè quidem, vt reſpondet Greg.Mag.lib. 7.epiſt.37.

Sin autem fratri certanti de lucro mutuum damus,vel rē ſuam augere volenti, fundos, villáſque nouas comparanti,vel ſuas exornanti, præter ſortem licet exigere acceſſionem,quātum lege publica definitum eſt,& tam æquo iure,quàm ab eodem licet partem reditus, vel fundi emere ſalua bonáque conſcientia,nec Chriſtiana charitas in eo violatur.Leuit.6.verſu 5.

Sin excipitur, At Dominus vetat ab eo qui frater B eſt, exigere omnino. Reſpon. Primùm illam prohibitionem ex noſtra diſtinctione eſſe intelligendam,quia acceſſio non damnatur,quæ nō mordet. Deinde dico politicum fuiſſe hoc præceptum , vti & illud, quo permiſit vt ab extraneo liceat. Nimirum vt æqualia eſſent inter Iudæos & extraneos commercia. Nam extranei ab iis vſuras exigebant & ſtipulabantur:æqualitas autem, vt ait Ariſtotel. libr.5. Ethicor. conſeruat commercia,& commercia tuētur hominum ſocietatem inter ſe. Cæterùm alii vocem Extraneos aliter accipiunt. Nimirum pro Chananeis relictis in terra, quos quia Dominus exterminari volebat,& eorum bona ad Iudęos transferri,idcirco permiſit ab iis ipſis vſuras exigi. Appian.autem ait lib.1.De bellis ciuilibus,pag.181. Fœnerari, Perſis,Romanis & Græcis, viſum δύσνει & ἐχθροποιόν. Denique quod affertur ex Cōcilii Niceni 1.ca.17. & 18. tantùm prohibet vſuras clericis, ac quidem immodicas,quales ſeſcuplas de centeſimis, C non autem omnibus fidelibus,nec omnes, vt apparet ex epiſt.1.Leonis 1.Pontif.Rom.

Quocūq; verò nomine ſeu vſuræ,ſeu eius quod intereſt ab egeno acceſſio auferatur, ſiue ea in pecunia,ſiue alia in re fiat,furtum eſt.Eſt enim piratica terreſtris huiuſmodi mercatura.

De Nautico verò fœnore vel traiectitia pecunia quæſitū eſt,vtrum exigi poſſit.Reſp. Hoc fœnus à communi vſurarum genere meritò diſtingui à Iuriſcōſultis,quia in hoc pecuniæ & ſortis ipſius periculum creditor in ſe recipit,nec tam mutuum eſt, quàm ſocietas. Vnde peti poteſt,vt meritò reſpondetur.Vide Bulingerum in lib.1.de ea re ſcripto,& Franciſci Hotomani librum De vſuris.

Denique quęſitum eſt,vtrum fur ſit Magiſtratus ſummus,qui ex rebus turpibus lucrum percipit,& tributum exigit,vel pręter regni publicas leges aliquid à populo & ſubditis exigit.

Ac quidem turpe tributū appellari poteſt quale Veſpaſiā.ex lotio,vt in eius vita ſcribit Sueton.exegit. Vnde natum eſt illud, quod refert Iuuenalis:

--lucri bonus eſt odor ex re
Qualibet.--

Simile quoque eſt illud, quod Roman. Pontifices

hodie

A hodie ex meretricibus Romę agentibus percipiūt, & quod olim Conſtātinopoli appellabatur χρυσάργυρον, de quo Euagr. lib.3.cap.39.& Nicephor. Hiſtoria.lib.16.cap.40.

Sed huius quæſtionis vtriuſque vna eſt ſolutio, quòd cùm hæc omnia ſint Regis,poſſitq́ue etſi nō bona conſcientia, tamen vi ſuæ authoritatis, & filios & filias, & reliqua quæ noſtra ſunt habere, vt eſt 1. Samuel.8. ver. 16. certè huiuſmodi tributa à ſubditis priuatis non ſunt illi deneganda & detrectanda. Et hoc quidem ius eſt Regis quoad ſubditos:non autem quoad Magiſtratus ipſius conſciētiam.Nam vt eſt Amos 3.10.huiuſmodi exactiones turpes vetare debet,quemadmodum Iuſtinian.ſuſtulit Caduca: & Anaſtaſius illud χρυσάργυρον,de quo copioſè eſt in Hiſtor. Eccl. Reprehendit Mauritium Imperatorem Gregorius Epiſt.77.quòd è Sicilia nimis graue tributum & turpe exigeret.Iubētur Reges Iudæi non premere, vexaréque populum tributis, Deuter. 17. verſu. 14. Pſal. 14.Mich. 3.v. 2.Sophon.3. verſ. 3. Id quod Roboamo malè ceſſit,& Achabo regi Iſraëlis.Porrò,vt de hac quo- B que rerum quæſtione breuiter dicam,aduocato licet iuſtum patrocinium vendere:Iudici tamen non licet ſentētiam vllam ſuam vendere,nec teſti teſtimonium, ait Auguſt.in epiſt.ad Macedon.& eſt in cano. Non ſanè.14. quæſt.5.& rectè quidem ſenſit Auguſt. quòd ſtipendia honeſta, tanquam commeatum aut ſui laboris pretium, à lege conſtituta vterque, id eſt, & Teſtis, & Iudex accipere poteſt: idque ſalua conſcientia.

Sequitur vltimum caput,quod eſt quintū.Quot ſint genera vel gradus furti hoc præcepto damnati. Et quidem Paulus 1.Corin.3.v. 10. tria genera recenſet, κλέπτην, ἅρπαγα, & πλεονέκτην. Nos vt breuiter explicemus, quatuor in hoc quoque præcepto, quemadmodum in ſuperioribus, gradus conſtituēdos eſſe dicimus;qui ſinguli & vniuerſi hoc capite Legis damnantur.Nam Theologi qui hoc caput explicant & perſequuntur,tres tantùm conſtituiſſe videntur,nimirum Cupiditatem,Vafritiem, & vim ſiue Violentiam.

At verò cùm de variis furti gradibus quæritur, C ſic ſtatuendum eſt,Nos furari,

Solo animo & affectu.
Aſpectu etiam & oculis.
vel Verbis & impoſtura, quod fecit Siba, 2. Samuel.16.
Facto ipſo & manu.

Iuriſconſulti dicunt,Furtum conceptum, Oblatū, Manifeſtum & non manifeſtum:in §. Conceptum. De furt.In Inſtitut.

Cur ſolo affectu & cupiditate fiat furtum,explicant Theologi,quia natura Legiſlatoris eſt ſpectāda,qui vti eſt ſpiritualis, ita Legem quoque edixit ſpiritualem,Roma.7.v.14. Præterea quod de adulterio reſpondit Chriſtus fideliſ. Legis diuinæ interpres,apud Matth. 5.verſ.28. ad omnia præcepta huius Legis transferendum atque accommodandum eſt,vt qui concupiuerit,ſolóque animi affectu optarit,perinde corā Deo reus teneatur, atque qui inter homines ſcelus ipſum perpetrarit,quia Deus cordiū ſcrutator eſt.Ergo hic eſt primus furti gradus,Anim⁹ affectúſque furādi,Habac.2.v.9.& ſeq.

Neque verò obſtat quod ſcribit Paulus Iuriſconſ. in l.j. D. de furt.ſola cogitatio furti faciendi non facit furem. Nam aliæ ſunt Dei aliæ verò hominum cogitationes & leges, vt ait Iſaias. Lex enim hominum tantum coërcet & damnat, quantum manu comprehendere poteſt, adeo vt Vlpia- A nus in l. Vulgaris.§.qui furti. D. de furtis reſponderit,qui furti faciendi cauſa conclaue intrauit,nōdū fur eſt,quanuis furandi cauſa intrauerit.At verò lex Dei etiā internos animi motus,& perturbationes,affectúſque damnat & reprimit.

Pertinet ad hunc gradum omnis Auaritiæ ſpecies.Eſt enim Auaritia,vt definit Ouid.in Faſt.opū furioſa cupido, & vt rectè Anſelmus in cap. 2.epiſtol. ad Roman. eſt Auaritia amor inſatiabilis habendi.Vnde illud Horatii,in epiſt.

Semper auarus eget,certum voto pete finem:

& Diphili in Comœdiis,Ἄρ' ἐστὶν ἀνοητότατον αἰσχροκέρδεια: & illud, φιλαργυρία τοῦτ' ἐστὶν, ὅταν τις ἀφεὶς σκοπεῖν τὰ δίκαια, τοῦ κέρδους διὰ παντὸς δοῦλος ᾖ.Quam ſententiam refert Stobæus in collectaneis λόγῳ 10.Thomas verò in 2.2ᵃ quæſt.118.Auaritia, inquit,eſt,cùm quis immoderatè diuitias, & res exteriores vel amat affectu,vel accipit,vel cōſeruat,& apud ſe retinet. Vnde fit vt illam M.Tull. definitionem, quæ ex Stoicorum ſententia lib. 4. Tuſcul.Quæſt. tandem cu- B ditur, ſanè non ſatis probem, Auaritia, inquit,eſt opinio vehemens de pecunia,quaſi valde expetenda ſit, inhærens & penitus inſita. Nimium enim vim Auaritiæ coarctat & reſtringit ille dum ad ſolum auri, nummíve ſacrum & inexplebilem appetitum reſtringit, cùm tamen in omni rerum exteriorū genere immoderatè expetendo poſita ſit vis Auaritiæ, vt docet Auguſt. lib. 3. de libero Arbitr. & pręclarè ſentit Thomas Auaritiam ex mēte ſcripturæ non modò liberalitati contrariam eſſe: ſed etiam toti iuſtitię,& noſtræ in proximos charitati, in 2.2ᵃ quęſt.118.diſt.47.Perinde enim ſonat Chriſtianis Auaritiæ vox, quod Ariſtotelicis & Philoſophis vox ἀνελευθερίας, quæ non modò φειδωλίαν. i. tenacitatem (quam Paulus 2. Cor. 9. v. 5. appellat πλεονεξίαν)continet:ſed etiam κιμβηκίαν. i. Sorditatem.Sunt enim tres ἀνελευθερίας ſpecies, αἰσχροκέρδεια Turpis quæſtus: φειδωλία Tenacitas: κιμβηκία,Sorditas,vt diſtinguis Ariſtoteles in libro De virtutibus,& copioſè ex philoſophorum dictis perſequi- C tur Stobæ.in collecta.λόγῳ 10. Et quanquam Auaritia ab auro & auendo ſit denominata: tamen latè patet eius ſignificatio,& illud omne complectitur, quod variis nominibus à Græcis dicitur φιλαργυρία, φιλοχρηματία,& πλεονεξία:denique eum omnem vitioſum animi affectum quo quis plus appetit, quàm ſatis eſt,vt inquit Auguſt.in Pſal.119.Paulus variis in locis variè appellauit,modò φιλαργυρίαν,& ex parte totum genus damnat.1.Timoth.6.ver.10. modò πλεονεξίαν,vti ferè vbique Coloſſ.3.v.5.Epheſ.5.verſ. 3.Quidam φιλοχρηματίαν appellant,vti Euagrius,cùm de illa inſatiabili Iuſtiniani Imperatoris auaritia agit Hiſtor.libro 4. cap. 29. & quam ita Euſebius quidam definiuit,φιλοχρηματία τῆς κτήσεως εὑρεῖν ἀρκοῦντα ὅρον οὐκ οἶδε. φιλοχρηματίαν γὰρ ἐφ' ἡμέρᾳ ἑκάστῃ ἐπιρρέων πλοῦτος οὐκ ἔσβεσεν, ὥσπερ οὐδὲ πυρκαϊὰν ὕλη ἐπιβαλλομένη. Stobæ. λόγ. 10.& ſunt Auari veluti Hydropici & hirudines mūdi.Ergo hic affectus accumulādi,congerendi, coaceruandíque damnatur, & eſt idolorum ſeruitus. Colo. 3. verſ.5.omnium malorum radix.1. Tim. 6. ver. 10. & animum & corpus exedens vitiū,vt diſputat ex Salluſtio A.Gell.lib. Noct. Attic.3.cap.1. Videndus eſt paſſim Ambroſ. imprimis lib. 2. De offic.cap.26.& varię tū Baſilii,tū Chryſoſto.in hāc

A peſtem Homilię. Omnia enim iura tum diuina tum humana violat: Spartã euertit, vt docet Plutarchus in Lyſandro, & vera eſt illa Catonis ſentẽtia, Auaritiam in ſe omnia vitia habere putabant veteres. refert Gell.lib.11.cap.2. Infiniti denique in Prouer. lib. loci hi. cap.3. v. 22. 21. verſ. 26. 15. verſu 27. Eccleſ.31.verſ.1.& 14.verſ. 4.5.& ſeq. Eccl. 4. verſ. 8. 5.verſ. 12. Mich. 6.v.10.11. Sopho.1.verſ.11. Auaritia autem eſt duplex, in congerendo auro vna, altera in fratre fraudando. Hierony. ad Epheſ.cap.5.

Secũdus gradus eſt aſpectus & illa inhiatio, quæ fit alienis bonis & opibus. Quidam enim aliena oculis deuorant, & vbique aurum gratius, quàm Solem ipſum intuentur, quanquam non ſurripiant. Itaque non modò affectu, ſed & aſpectu hi ſunt fures. Præclarum eſt illud Xenocratis dictum. Non minus turpe eſſe oculos, quàm pedes in aliena immittere. Damnántque Prophetæ hos inſatiabilis animi nutus. Mich.2.v. 2. Habac.2. verſ.8. & ſeq. & cùm damnat Petrꝰ ἀλλοτριεπισκόπους, 1.Petr.4. verſ. 15. non modò curioſos rerum alienarum, ſed hos oculatos poſſeſſionum alienarũ deuoratores etiam notat. Iſ.5.v.8. Habac.2.v.1.

B Tertius gradus, cùm verbis & impoſtura res aliena obtinetur, fitque tua, non tantùm oculis & aſpectu, qualis ille Siba ſeruus Miphiboſeth, qui Domini ſui bona blandis in Dauidem verbis ſurripuit, donóque à rege accepit. 2.Sa.16.verſ.4. Quãquam autẽ in l.falſus. §. ſi quis & in l.ſi quis ſeruus. D.de furt. Iuriſconſultus reſponderit, Si quis nihil in perſona ſua mentitus eſt, ſed verbis fraudem adhibuit, veluti ſi ſe locupletẽ dixit, fallax eſt magis, quam furtum facit: tamen apud Deum verbis furtum fit, cùm quæ res mea non eſt, meam tamen eſſe affirmo, etſi eam non vſurpo nec inuado.

Quartus gradus eſt, cùm furto ipſo manúque res aliena capitur. Amo. 3. verſu 10. Mich.3. Habac.2.v.6.

Sequitur vt de rerum furto ablatarum reſtitutione dicamus. Nam hic locus propriè in hunc tractatum incidit, & vulgò ex Auguſtini ſententia dici ſolet, Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum Auguſt. in epiſt. ad Macedon. & eſt in cã. 1.14. quæſt.6. Confirmatur hæc Auguſtini C ſententia duobus ſcripturæ locis, è quibus primus eſt Leuit.6.ver.2.3. alter eſt Num. 5. ver. 5.& 6. Nam ſimulata eſt pœnitentia furis, niſi reſtituat, cùm poteſt, quod abſtulit, aut quanti ea res eſt. Nam ſiue res ipſa reſtituitur, ſiue, vt ait Thomas in 2.2æ q.62. cùm res amplius reddi non poteſt, eius æquiualens & pretium, res reſtitui intelligitur. Etſi verò ignoratur à te furtum factum, tamen fratri cui eripuiſti, confiteri & reſtituere debes. Iac.5.v.16. Eze. 33. v.15. & Nu.5.6. Totum autem quod ablatum eſt reddi debet, non modò rei ablatæ ratione, ſed & culpæ, quales ſunt fructus, & reliquæ commoditates interceptæ. Plus autem reſtituere, quàm quod abſtulit, nemo cogendus eſt, quia reſtitutio eſt pars commutatiuæ iuſtitiæ, ait Thom. in 2.2æ quæſt. 62. artic. 21. Neque obſtat quod de Zachæo ſcripſit Luc.19. verſu 8. eum quadruplum rei ablatæ ſolitũ eſſe reſtituere. Ex magno enim peccati ſui odio id faciebat, qui cæteros ad idem faciendum minimè propterea obſtrinxit.

Sed ſi nõ poteſt fur reſtituere quod abſtulit propter inopiam, reſtituat quãtum poteſt, ait Auguſt. Qui ſi nihil habeat, lege politica Moſis iubetur diſtrahi. Exod. 22. verſ.3. tamen in foro conſcientiæ A modò verè, & ex animo pœniteat, non deſinit à Deo miſericordiam conſequi. Ezech. 33. verſ. 19. gratis & per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. 1.Corinth.6.v.11. Bernardus epiſt.77. Neque enim propter ipſam reſtitutionẽ Dominus remittit peccatum, ſed propter ſe. Iſ.43.ver.25. Ezech.18.v.28.

Iam de Pœna furti videamus quę fuerit. Ac quidem ſpiritalis eſt mors animæ. 1. Corinth. 6. ver. 10. Corporalis verò & Politica quę fuerit variè quęſitum eſt. Ac legibus quidem Romanorum Priuati furti, quod manifeſtum fuit, pœna erat tantùm pecuniaria Nempe quadrupli: non manifeſti verò pœna dupli extra pretium rei ademptæ. l. qui vas. & l.in furti. D.de furtis. Quanquam reſpondit Vlpia. in l. fin. D. de furt. Furti nomine ſæpe criminaliter & extraordinariè agi, vt furantium temeritas puniatur, & in l. reſpiciendum. §. furta. D. de pœn. in furta quædam domeſtica publicè animaduerſum eſſe ſatis apparet.

Publicarum rerum, ſurreptarum vel interuerſarum nomine Accuſatio ex legibus Iuliis repetundarum & peculatus inſtituta eſt, quia eſt crimẽ publicum. Nam ſcribit Nicepho, lib.17. Hiſtor. cap. vlti. B iudicum furacium crura frangi ſolita, vide Petrum Crinitum lib.3. De honeſt. diſcipl. cap.15.

Legibus autem Moſaicis quæ pœna conſtituta ſit in fures, videtur non ſatis eſſe definitũ Prouerb. 6. verſ.30. dicitur leue eſſe crimen furtum. Attamen 2.Samuel.12.ver.5. dicitur dignum eſſe morte. Exod. 22. ver. 1. Pœna eſt tantùm pecuniaria conſtituta, niſi fuerit fur nocturnus. Eũ enim occidere licuit. Ex quo fit, vt quemadmodum annotat P.Martyr in 2.Sam.12.verſ.6. quidem ſenſerint certam in fures pœnam non fuiſſe lege politica Moſis conſtitutam: ſed totum hoc ex iudicum arbitrio pependiſſe, qui definitam à lege pœnam etſi minuere non potuerunt, potuerunt tamen augere ex variis rerum, & perſonarum circunſtantiis. Sed verior ſententia eſt, diuerſas pœnas pro diuerſo furti genere ſancitas. Nã abigeorũ, balneariorũ, veſtimẽtariorũ furũ pœna conſtituta eſt dupli, vel quadrupli præter rei pretiũ. At eorum qui adhibito iuramẽto C furantur, & aliena occultè detinent, de quibus Leu.6. verſu 2. & Num.5. v.5. facta eſt mentio, pœna decernitur, quintuplum etiam præter rem ipſam, aut illius pretium. Ergo ſolùm pecuniaria pœna fuit, vti in bonis à fure damnum datur ſolùm. Hanc pœnam mutare iudicibus non licuit, ſed facti cognitio in eorum poteſtate erat. Si cædes, ſi vis, ſi aliquod ſcelus cum furto coniunctum fuit, propter maleficium duplicatum grauior pœna potuit infligi, vt 2.Sam.12. apparet.

Vltimum eſt, vt ex parte negatiua affirmatiuam colligamus, vt eſt Ezech.18. verſu 7. Ac primùm præcipua veræ Chriſtianæque charitatis effecta nobis commendantur, quæ in eo eſt, vt non noſtra quæramus. 1. Corinth.13. ſed aliorum neceſsitatibus & inopiæ communicemus, imprimis autem ſanctorum. Heb.13.v.2. Rom.12.v.13. quibus ſuccurrendum eſt nõ lingua, ſed, vt ait Ioannes, reipſa & opere. Ioan.3. verſu 18. Confirmantur autem hoc præcepto illæ duæ Iuriſcõſultorum κοιναὶ προλήψεις & αἰτήματα, Iuris præcepta eſſe Neminem lædere, ius ſuum cuique tribuere. Nam alieno abſtinere iubemur, & proximis etiam omnibus benefacere. Gal.6.v.10. Iuſtitia imprimis cõmutatiua, omnéſ-

A que legitimi contractus, & honeſtæ victus quærendi artes & rationes nobis commendantur, & ſanciuntur hoc præcepto. Sed & familiæ noſtrorúmque cura & exhibitio.1.Timoth.5.v.8. Sed & alienorum,pauperum,ægrorum,orphanorum,viduarum ſubleuatio, & ſuſtentatio, opitulatióque. Pſalm.146.v.7.& 9. Deu.14.v.27.15.v.7. Amos 5.4 verſ.1. 8. v.4. Prouerb. 14.verſu 31. Eccleſ.7. verſu 36.Nam qui dat pauperi, Deo fœneratur. Prouer. 19.v.17. Denique omnis charitatis erogantis ſpecies,& virtus,qualis eſt liberalitas, benignitas ſiue beneficentia, eleemoſyna, magnificentia, quíque πλεονεξίᾳ & omni auaritiæ contrarius eſt animus ſua ſorte contentus,hoc loco laudatur,probatur,& confirmatur.

CAP. XVI.

Noni diuinæ Legis præcepti,quod eſt, Non falſum teſtimonium aduerſus proximum tuum dices, expoſitio.

B

AC primum quidem de ordine huius præcepti quæſitum eſt, Quotum ſit numero in Lege Dei:& apertè reſpondent omnes eſſe nonum.Hoc & Philo Iudæus,& Ioſephus concedunt, itémque Scholaſtici omnes , & Theologi Chriſtiani, præterquam qui vltimum & ſequens præceptum in duo diuidunt.Cōſtituunt enim numero tantùm octauum:qui quantùm fallantur,poſtea ſuóque loco dicetur in ſeq. præcepti explicatione. Ergo poſt illud *Non furaberis* proximè hoc ſequitur, inquit Philo, κλέπτειν δ' ἀπειπὼν εὐθὺς τὸ ψευδομαρτυρεῖν ἀπαγορεύει, & ita quoque Paulus enumerat Romā.13.v.9.& Chriſtus ipſe Mar.10.v.19 Sic collocatum extat tum Exod.20.tum etiā Deut.5.v.20.

Sed huic ordini obſtat,quòd rerum ipſarum, de quibus in hoc & ſuperiori præcepto agitur,dignitas longè diuerſa eſt, longéque differens. Nam in ſuperiori præcepto de bonis hiſce terrenis tuendis agitur:hîc autem de bona fama & nominis exiſtimatione, quæ multis diuitiis longè pretioſior eſt, C longéque præferenda, vt ſcriptum eſt Prouerb.22. v.1. Itaque contumelia cenſetur eſſe grauius,atrociúſque delictum & malum quàm furtum, quando honos ſæpe vitæ ipſi præfertur, pro quo ſaluo tuēdo mori homines ſæpe nō recuſant, & ait Paulus Phil.4.v.8.quæcunque ſunt εὔφημα, ſummo ſtudio eſſe à nobis perſequenda. Eſt enim honos famæque dignitas,velut bonus quidam noſtri odor, per quem omnibus bene olemus,id eſt,cæteros ædificamus.Eccleſ.7.v.2.Hæc verò vna res eſt ſummopere conſeruanda, quia illius amiſſio damnum eſt irreparabile,quod ipſum rectè quoque monet lib.2.Ἔργ.καὶ Ἡμέρ.Heſiodus,

--Δεινὴν δὲ βροτῶν ὑπαλεύεο φήμην.
Φήμη γάρ τε κακὴ πέλεται,κούφη μὲν,ἀεῖραι
Ῥεῖα μάλ',ἀργαλέη δὲ φέρειν,χαλεπὴ δ' ἀποθέσθαι.

id eſt,

--Grauem verò mortalium euitato famam.
Fama enim mala eſt,leuis quidem,leuatu
Valde facilis, moleſta portatu,difficiliſque depoſitu.

Vide M.Tull.l.3. De finib. eam Eudoxiam appellat.Ergo cùm ſit famæ,quàm bonorū maior apud cordatos viros æſtimatio, hoc præceptum illi ſuperiori anteponi, atque anteuerti debuit. Reſp. A Cùm Dominus in hoc decalogo eum ordinē ſecutus ſit,vt de iis rebus,quæ nobis omnibus & magis & prius natura conciliantur,primū ediceret,priuſque præcepta poneret,rectè & huic propoſito cōuenienter factum eſſe,vt præceptum *Non furaberis,* antecederet præponeretúrque huic, *Non dices falſum teſtimonium,&c.*Prius enim omnibus nobis,ac magis,natura conciliat bonorum curam,quàm famæ,quia illa ſunt vitæ huius noſtræ neceſſaria adiumenta & adminicula potiora,quàm fama & honos.Bona enim victuſve ſunt cauſæ,& αἴτιον τοῦ ζῆν:famæ verò integritas eſt αἴτιον τοῦ καλῶς ζῆν. Prius autem natura ineſt, inditúrque ille affectus & appetitus viuendi,quàm bene viuendi. Itaque ſi ſenſum omnium hominum obſeruamus , prius quærunt omnes , στοργῇ φυσικῇ impellente , quæ ad vitam hanc tuendam pertinent , quàm quæ ad famæ honeſtatem : nóſque iis rebus , que bonorum nomine continentur , & ſuperiori præcepto ſanciuntur, hæc ipſa natura conciliat. Proximè enim ſecundū vitam ipſam illa amamus.Principio,ait Tull.lib.1. De officiis,omni animantium generi eſt à natura B tributum,vt ſe vitam corpúſque tueatur,declinétque ea,quæ ei nocitura videantur,quæque ſunt ad viuendum neceſſaria inquirat & paret , vt paſtum, &c.Poſt autem accēdit eadem natura ſtudium honeſtatis, ex quo bonæ famæ conſeruatio profecta eſt.Et quòd obiiciunt famam cordatis viris vita ipſa chariorem eſſe,hoc verum eſt,cordatis tantùm, non autem omnibus viris:ſed nos de iis ſtorgis loquimur,quæ in omnibus hominibus inſunt,non in vno tantùm eorū genere.Nā nec ipſi cordati,cordati eſſe potuiſſent,niſi & vixiſſent:& quæ ad hāc vitam tuendā pertinēt,paraſſent.Quod illo ſuperiori pręcepto continetur.Et verum eſt illud,omnia dabit homo pro corio.Iob.2.v.4. Ergo huius ordinis ratio conſtat,eáque optima.

Sed quæſitum eſt,Num ſuperuacuum ſit hoc totum præceptum, quando cum tertio huiuſdē Legis planè confundi videtur:quid enim aliud iubetur hoc loco,quàm quod illo , *Non accipies nomen Domini tui in vanum,&c.* Reſp. Duplex eſt inter vtrunque diſcrimen. Nam tertium illud ad Dei maieſtatem tuendam:hoc ad hominum exiſtimationem conſeruandam pertinet. C

Deinde illud tertium eo demum caſu violatur, ſi Dei nomen & maieſtas interponitur , tractatúrque irreuerēter. Hoc autem habet locum,etſi nulla Dei nominis fit mentio , aut cogitatio. Nam etiam in priuatis colloquiis, vbi nulla Dei expreſſa cogitatio vel mentio fit,proximorum fama exiſtimatióque ſæpe læditur.

Ergo huius præcepti ſumma eſt, Debere nos,vti vitam ipſam & cōiugia,& bona:ſic& famam proximorum tueri,veritatémque in omnibus rebus, dictis,& factis noſtris colere.

Huius autem præcepti æquitas eſt triplex , Diuina,Naturalis & Politica.

Ac diuina quidem, quia hoc fieri præcepit Dominus , cuius omnia conſilia & ſcita ſunt & ſanctiſsima & æquiſsima. Pſal.33.Exo.20. Sed & quādo ipſe veritas,& verax eſt, illius quoque eſt veritatem aduerſus mendacium tueri,iuberéque homines eſſe veraces,& ſui ſimiles.Ioan. 8.verſu 45. 14. verſus 6.18.verſu 49.Et quando etiam vera Chriſtianáque charitas gaudet veritate,1.Corin.13.ver-

A ſu 6. Charitatis verò præcepta hac ſecunda tabula tradũtur, certè de veritate præceptũ tradendũ fuit. Præclarum enim eſt illud Pythagoræ, qui interrogatus qua maximè re homines Deo ſimiles eſſent, Reſpondit εἰ ἀληθεύωσι, id eſt, ſi verum dicant. Magi ipſi maximum deorum, quem Oromaſdem vocãt, aſſerunt corpore quidem eſſe luci ſimilem: animâ verò veritati, vt refert Stobæ. in collecta. λόγ.11. & præclara eſt illa ἀληθείας (quæ apud Græcos veritas eſt) etymologia, quã affert Iãblichus, vt ἀλήθεια deducta ſit ἀπὸ τῶν θεῶν, ὥσπερ καὶ τοὔνομα δηλοῖ, ὅτι περὶ θεοὺς ποιεῖ τὴν ἐπιστροφὴν, καὶ τῶν θεῶν ἀκήρατον ἐνέργειαν. id eſt, vox ἀλήθεια (id eſt, Veritas) ἀπὸ τῶν θεῶν (id eſt, à Diis) deducta eſt, quemadmodum nomen ipſum indicat, quòd ad Deos noſtram curam & intentionem dirigit, & eorum actionem incorruptam (ſeruat.) id quod idem Stobæ. notat eodem λόγ.11. Alij ἀπὸ τοῦ α priuatiua particula & λήθη, id eſt, obliuio, malunt eſſe deductam, quòd nunquam deleatur veritas. Sed & Dei erat, famam, vti & cætera ſua dona in homines, conſeruare. Eſt enim Dei donum. Pſalm.112.v.4. longéque auro pretioſius & maius. Prou.22. Eccleſ.41.v.15.& 16. Eccle.7.v.2.

B Naturalis autem huius præcepti æquitas, tum ex variis profanorum hominum, qui ſolo naturæ lumine ducebantur, dictis apparet: tum ex firmiſſima quadam ratione. Ac quidem miro conſenſu omnes tum Poëtæ tum Oratores & Græci & Latini mendacium damnant. Homerus lib.4. Iliad.

οὐ γὰρ ἐπὶ ψευδέσσι πατὴρ Ζεὺς ἔσσετ' ἀρωγός:

& eiuſdem operis 9.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλησιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

& Heſiodus lib.1. Ἐργ. καὶ Ἡμέρ.

Ὃς δέ κε μαρτυρίῃσιν ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσας
Ψεύσεται, ἐν δὲ δίκην βλάψας, νήκεστον ἀάσθῃ.
Τοῦ δέ τ' ἀμαυροτέρη γενεὴ μετόπισθε λέλειπται.

id eſt,

Neque enim mentientibus Iupiter pater erit auxiliator.

item,

Inimicus ille quidem mihi eſt æquè, atque inferi porta,
Qui mente quidem aliud celat, aliud autem ore loquitur.

C item,

Qui verò teſtimoniis volens periurium iurando
Mentietur, in ius delinquens immedicabiliter leſus eſt.
Huius enim obſcurior poſteritas poſtea relicta eſt.

Plato in dialogo de Iuſto ait ψεύδεσθαι ἄρα ἄδικον, & Ariſtoteles libro 4. ἠθικῶν Νικομαχ. ψεῦδος ait ψεκτόν, quia turpiſſimum eſt vitium & homine ingenuo & liberali prorſus indignum, & rectè ait libro 2. de finibus Bonorum & Malorum. Tull. omnia vera diligimus: vana, falſa, fallentia odimus. Vnde factũ eſt, vt inter præſtantiſſimas virtutes ab omnibus Philoſophis Veritas collocetur: Mendacium verò inter fœdiſſima vitia. Philo in expoſitione Decalogi generali ait eſſe ἱεροπρεπεστάτην ἀλήθειαν, & tantùm veritati tribuendum cenſuerũt etiam ethnici omnes, vt arctiſſimæ amicitiæ preferretur: vnde etiam natum eſt illud, Amicus Plato, magis tamen amica veritas. De veritate autem, varia encomia videãtur apud Stobæum in collecta λόγ.11. Mendacij autem vituperium, & pulcherrimæ contra illud Ethnicorum ſententie apud eundem λόγ.12. vbi & illud eſt Menandri, ψεῦδος δὲ μισεῖ πᾶς φρόνιμος καὶ σοφός.

A Ratio verò quæ diſſuadet ne mentiamur aut falſa dicamus, eſt hæc, quòd rerum veritatem, quantum in ſe eſt, euertit, oppugnátque mendax. eſt enim mendacium rerum ipſarum naturæ contrarium. Res enim eatenus ſunt, quatenus verè ſunt: at qui mentitur, contrà aliúdque dicit, quàm quòd res eſt. Ac ita ipſi rerum naturæ & ſapientiæ, ordinationíque Dei repugnat.

Politica verò ratio ſuadet hoc præceptum ſanciri, quòd nuſquam & nunquam tuta erunt hominum inter ſe commercia, colloquia, contractus, pacta conuenta, ſi impunè mentiri, fallere, aut falſa dicere licet. Nam cùm multis aliis modis homines ab hominibus læduntur: imprimis autem ſermone & lingua, vt ait Iac. 3. ver. 2. Vnde hoc iniuriæ genus ex benè conſtituta ciuitate tollendum eſt, vt quietè & tranquillè inter ciues viuatur. Hinc factum eſt, vt optimis populorum legibus, imprimis Rom. de hoc ſcelere variæ conſtitutæ ſint & conditę leges. lex Cornelia, De iniuriis. lex Cornelia. De falſis, Senatuſconſultum Diui Claudii, & aliæ iis ſimiles Principũ conſtitutiones, quæ omnes contumeliam & iniuriam verbis factóve fieri vetant & prohibent. B De cæterorum verò populorum in illud ſcelus legibus eſt legendus Alexander ab Alexandro lib. 6. Genial. dierum. cap. 10. vbi copioſè ille.

Multa verò obiici poſſe videntur, quæ vim huius præcepti elidant & tollant. Ac primum quidem eſt

Quod affertur ex Luc. 24. ver. 28. Chriſtum abſit blaſphemia, mentitum: finxit enim ſe longius ire, & eſt Græcè προσεποιεῖτο. Ergo nouo Teſtamento videtur huius pręcepti authoritas antiquata. Sed falſum eſt. Approbat enim ſancítque eam etiam Chriſtus ipſe Mar. 10. ver. 19. & Paul. Rom. 13. verſ. 9. 1. Timoth. 1. ver. 10. Epheſ. 4. v. 25. Quid igitur ad hunc locum nos reſpõdebimus? Ambroſius intactum prætermiſit in ſuis commentariis in Lucam. Nicolaus de Lyra ſcribit non fuiſſe ibi aliquam falſitatem, ſed Chriſtum externo illo ſigno μυστικῶς demonſtraſſe, quantum ab eorum cordibus abeſſet, propter fidei defectum. Alii aliud afferunt, vt Auguſt. in quæſtio. Euangelii, & Thomas in 2. 2æ C q. 111. Solutio verò in eo poſita eſt, vt quid voce hac finxit, ſignificetur, & ad quos referenda ſit Chriſtumne, an verò viatores illos duos intelligamus. Ego ſic interpretor, vt ipſorum viatorum ratione dixerit Lucas, finxit Chriſtus ſe longius ire: non autem ipſius Chriſti. Nimirum, quòd reipſa & ex animo vellet Chriſtus ire longius. Itaque addit idem Lucas, & coegerunt eum, Græcè verò, καὶ παρεβιάσαντο. Sed cùm illi tamen reluctantem retinuiſſent, putarint Chriſtum finxiſſe ſe ire longius, vt ex euentus collatione cum illa Chriſti voluntate videatur illa fuiſſe fictio, non autem certa conſtitutáque animi deliberatio, quia non iuit longius Chriſtus. Sic vulgo dicimus euentum tantùm ſpectantes, ille fingebat ſe hoc velle, ſi à ſententia dimouetur, Gen. 19. v. 3.

Aliud quoque obiicitur aduerſus hoc præceptum, quod ex Matth. 5. verſ. 44. ſumptum eſt, eſſe nimirum remittendam iniuriam, & iis benedicendum qui nobis maledicunt, vt etiam docet Petrus, 1. Petr. 2. v. 23. Roman. 12. v. 14. Ergo totum hoc pręceptum euaneſcit. Reſp. Non ſequi, vt inutile ſit

A hoc præceptum , quia contumelias illatas condonare iubemur.Ex hoc enim ipſo qui faciunt contumeliam , intelligant quantum ſcelus admittant, quantúmque iuſto Dei iudicio damnentur.

Denique obiicitur quod ait Paulus, 1.Corinth. 4.ver.3.Mihi verò pro minimo eſt,ſi à vobis iudicer:ergo falſa hominũ teſtimonia ſpernenda ſunt, & mendacia contemnenda , quia Deus eſt veriſsimus & optimus factorum noſtrorum iudex.Reſp. Hoc Pauli dictum pertinet ad eorum , qui falſò à fratribus damnantur,iudicantúrve, cõſolationem, vt ſe potiùs integritate ſuæ conſcientiæ ſuſtẽtent, quàm falſis hominum de ſe iudiciis moueantur. (Nam vt ait Horat.

Nil conſcire ſibi,nulla palleſcere culpa,
Hic murus aheneus eſto.)---

tamen criminantium animum ea ſententia neque excuſat , neque eleuat : ſed hoc capite Legis planè & apertè hi damnantur,ne ſibi in eo ſcelere vel delitias homines faciant , vel coram Deo impunitatem promittant & ſperent. Quod de Patribus affertur qui ſunt mentiti,velut Abraham , obſtetrices Ægyptiæ,nihil efficit,quia legibus, non exem B plis eſt viuendum,& de iis agit Auguſt. in Quæſt. in Geneſin.

Ait Lex, *Non reſpondebis,&c.* Vertit Chriſtus, *ȣ ψευδομαρτυρήσεις,Non falſum teſtimonium dices.* At nõ videtur ſatis eſſe comprehenſum,quia Zachar.8.v.16.Oſe.4.ver.1.hoc pręceptum vetat omnino mẽtiri. Reſpon. Hoc caput , vti ſuperiora omnia, συνεκδοχικῶς conceptum ſcriptúmque eſſe , Nimirum vt ex ſpecie genus: & ex parte totum intelligamus. Quod autem vulgò vertunt aduerſus vel contra proximum,etiam verti poteſt De proximo tuo.Eſt enim ב non autem על. Quæ interpretatio ſuo vſu non caret,vt poſtea apparebit. Ergo quid hoc præceptum vetet videamus.Nam de omni verbo,etiam otioſo, rationem Deo reddendam oſtendit ipſe Chriſtus. itaque latiſsimè patet. Matth.12. v.36.Quinque verò capita totũ huius præcepti argumentum complectetur, è quibus erit 1 De Perſonis. 2 De rebus. 3 Qua de cauſa quóve animo mentiri vetemur. 4 Quibus modis. 5 Quot ſint genera falſi hoc loco prohibiti.

Sed imprimis notandum exiſtimamus,quod ve- C rè etiam ab Ethnicis obſeruatum iudicamus, Differre inter ſe longè latéque Mentiri & Mẽdaciũ dicere. Nã mentitur qui ipſe non falſus alium fallere conatur. Ergo contra animi ſui conſcientiam aliquid affirmat,negátve,qui mentitur: & vir bonus præſtare debet,ne mentiatur. Mendacium autem dicit,qui ipſe fallitur. Itaque hoc in bonum virum ſæpe cadit.Sed prudentius eſt præſtare, ne mendacium dicamus. Hoc primus obſeruauit & annotauit P. Nigidius, quod A. Gellius lib. 11. cap.11.& Nonius Marcellus poſtea deſcripſerunt.Bernard. Sermo.17.Cant. Eſt, ait, qui proculdubio profert mendacium , nec mentitur : & eſt qui veritatem, quam neſcit,affirmat,& mentitur. Nam ille,non quidem quod non eſt,eſſe dicit:ſed ſe quod credit, credere affirmat. Is autem , cùm ſe certum, vnde non eſt certus,eſſe ait,verum non dicit, etiam ſi verum ſit, de quo affirmat. Anſelmus etiam in 2. Corinth.1.probat.Sic enim ait, Non eſt iudicandus mendax qui dicit falſum, quod putat verum, quia quãtũ in ſe eſt, nõ fallit:ſed fallitur:& è cõtra mẽtitur,qui dicit verũ,quod putat falſum.Nec eſt liber à mendacio , qui ore neſciens vera loquitur, A ſciens autem voluntate mentitur. Nam eſt diabolus pater mendacii,Ioann.8.v.44.Ergo ait Bartol. datur actio iniuriarum,ſi quis dixerit alii,*mentiris.* Non datur autem ſi dicat, falſum aut mendacium dicis,aut,Non eſt verum. Nam ita quoque loquitur Scriptura,Geneſ.18.v.15.quanquam Chalcedonenſ.Synodus Act.1. voce Mentitur vtitur. Et Iuriſconſultus in l.Quid ſit falſum. D. Ad l. Cornel. De falſ.videtur hanc diſtinctionem confudiſſe: ſed certè vera eſt, & retinenda, ad hominum conuitia diſtinguenda. Lege autem Dei hócque præcepto, & mentiri & mendaciũ dicere prohibemur:vllúmve otioſum, & inutile verbum temere pronũtiare. Matth.12.v.36.

Venio ad primum caput, quod eſt de perſonis, quas vetat Lex vel mentiri,vel proximo facere cõtumeliam.Ac quidem quando Lex non diſtinguit, omnes comprehendi verum eſt. Ergo hominum, cùm alii ſint Puberes , alii Impuberes. Quæſitum vtrum vtrique contineantur? Iuriſconſultorum igitur hominum eſt hæc ſententia. Nam de puberibus apertè reſpondẽt eos cõprehendi. At in impuberibus B diſtinguunt, ſíntne ij iam doli capaces, an non. Qui enim nondum doli capax eſt, nõ poſſe teneri,quando ex affectu facientis æſtimanda eſt contumelia, & ſcelus. l. iij. D. De iniuriis. Itaque huiuſmodi impubes, vti neque furioſus,etiãſi aliquid falſum dicat, aut quod præ ſe ferre contumeliam videatur,nõ continetur,l.Impuberem.D. Ad l.Cornel.de falſis. Sed tamen maximè cauendum & proſpiciendum eſt, ne huiuſmodi dictis & ſententiis tam tenera ætas aſſueſcat.Nam

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.--

Et certum eſt pueros,niſi caſtigentur,ſæpéque obſeruentur,facillimè in mendaciũ prolabi:quia cùm ſit infirma ætas & magiſtri metuens, hoc ſe modo ferè in ſuo ſcelere tuetur. i. mendacio. Et quanquam pueros, tanquam puros. i. à mentis integritate,& veritate putat Varro appellatos eſſe , tamen natiua illa labes & corruptio , quæ peccatum originale dicitur , efficit vt ſint homines etiam penè ab ipſo partu mẽdaces,& hypocritæ. Geneſ.6.ver. 5.& 8.v.21.& id apertè dicitur,Pſal.58.v. 4. Quemadmodum C & illud generaliter dictum eſt , Omnis homo mendax, Pſal. 116. v. 11. Ergo & impuberes hoc præcepto monentur vt alii: & ſi fallunt, mentiuntúrque , continentur hac prohibitione Legis. Adeo quidem vt ſcripſerit & verè Tertullian. in Apologetic.cap. 8. quoſdam innata quadam animi prauitate mendacio gaudere & delectari.

Item hominum alii ſunt Priuati , alii Magiſtratus. Vtrique hoc capite Legis damnantur , ſi vel mentiantur , vel cuiquam conuitium & contumeliam faciant. Ac quidem Magiſtratus multa iure poteſtatis ſuę poteſt hominum ſceleratorum emẽdandorum gratiâ, & quæ à Magiſtratu iure poteſtatis fiunt,non damnantur hoc præcepto. Iuris enim executio nõ habet iniuriam , quemadmodum pręclarè ſenſerunt Iuriſconſulti,in l.iniuriarum actio.13. §. Is qui iure.& §.quæ iure. D.De iniuriis. Sed ſi quid vt priuatus , vel fiducia magiſtratus & authoritatis contumelioſè intẽperantérque in aliquem dixit aut fecit, certè comprehẽditur hac Lege,quia Deus non eſt perſonarum acceptor. Nam Principes mendaces vel cõtumelioſos grauiter re-

A prehendit Oſeas,cã.7.v.3. Iſa.1. & nocere Reipub. tales apparet,Prouer.29.v.8. Idem quoque reſpondit Vlpian.in l. Nec magiſtratibus.D.De iniuriis.

Ex priuatis, alij ſunt Digniores, alij Viliores perſonæ. Ad vtroſque pertinet Lex. Ac quidem quanto ſunt digniores perſonæ, tantò turpius eſt eas mentiri,tantóque magis lędunt alios exemplo. Decet enim graues viros grauitas veritáſque, maximè verò eos dedecet leuitas,contumelia & mendacium,Eccleſ.25.v.3. Viliores verò non excuſat perſonæ conditio vilis,quaſi nemini ſint offendiculum præbituri,ſi mentiantur, aut ſint leues. Nam vel Deũ ipſum offendunt,qui in omnes Legis ſuæ authoritatem ſanxit, neque eſt perſonarum acceptor.Acto.10.verſu 14. Roman.2.ver.11.Et in paupere etiam ipſo ſummopere laudatur,commendatúrque mentis ſimplicitas & integritas.Prouer.19. v.1.& 28.6.

Sed quæſitum eſt de patre & patrono, vtrum hac prohibitione teneãtur, ſi in filium & libertum aliquid conuitioſè, contumelioſéque dixerint & pronuntiarint,id eſt, animo conuitiandi, non autem emendandi? Et reſpondent Iuriſconſulti eſſe diſtinguendum. B Nam vel eſt atrox contumelia & iniuria,vel non:ſed tantùm leuis coercitio, & maledictum ſiue conuitium. Si non ſit contumelia, quæ fit à patre in filium, & à patrono in libertum, atrox, teneri eos non putant, quia ea reuerentia à liberis & libertis debetur,vt huiuſmodi leues iniurias benignè à patribus & patronis audiant.l.vij.§. Præterea & l. Item apud Labeonem.§.Itaque pretor.D. De iniuriis.Sed quando apud Deum, neque eſt liber,neque ſeruus,Gal.3.v.28.Patres & Patroni mendaces contumelioſique in liberos & libertos, item domini ipſi in ſeruos, hac prohibitione continentur: neque iure poteſtatis excuſantur, ſi conuitiãdi animo quid faciant. Nec item maritus, ſiquid ſimile in vxorem auſus ſit. Nam cùm vetat Paulus, patres prouocare liberos, Epheſ.6.verſ.4. & iubet dominos reddere ſeruis τὸ δίκαιον,Coloſſ.4. 1.certè huiuſmodi iniuriam prohibet,& fieri vetat ſiue dicto,ſiue etiam ipſo facto,Coloſſ.3.v.17.

Denique & Mares & fœminæ comprehenduntur æquè,quãquam Paulus λοιδοροὶ & ψεῦσαι & C ἐπιόρκους maſculino genere damnet. 1.Cor. 6.v.10.1.Timoth.1. v. 10. quia hac appellatione etiam fœminæ comprehenduntur. Sed & hæ tanto magis ab hoc vitio ſibi cauere debẽt,quòd ferè,vti eſt ſexus imbecillior minúſque ad vim paratus,ita ferè mendaciis,conuitiis iaciendis,& calũniis effingendis magis addictus & promptus eſt. Et vera eſt illa Propertij libro 1.Elegiar.ſententia.

Sed vobis facile eſt verba & componere fraudes,
Hoc vnum didicit fœmina ſemper opus.

Itaque fœminæ opera vſus eſt Ioab ad fraudẽ Dauidi faciendam. 2. Samuel.14. Sed vt ſexus non excuſat, ita neque regionis gentíſve corruptela, quæ inualuit, vt impunè liceret mentiri, ídque pro nihilo duceretur. Id quod in Cretenſibus ex poëtæ Callimachi verſib⁹ obſeruauit,annotauítque Paulus in epiſt.ad Tit.1.v.12.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί,

qui verſus eſt Callimachi(qui & ipſe Cres erat)nõ autem Epimenidis, vt vulgò putant: etſi dixit ille ipſe Cres omnes Cretenſes eſſe mendaces. Hoc autem de Cretenſibus dictum conuenit in noſtri temporis Canonicos. A Ergo omnes homines hoc caput perſtringit, cuiuſcunque ſint ætatis, ſexus, nationis & conditionis.

Secundum caput ſequitur,cui mentiri nõ liceat, aut contumeliam facere. Quod caput erit duplex. Primùm enim de perſonis agendũ eſt,quibus non licet iniuriã facere. Deinde de rebus,in quibus mẽdacium committi poteſt.

Ac quod ad perſonas,in vniuerſum reſpondendum eſt, Nos neque in Deum, neque in homines mendaces,contumelioſóſque eſſe debere.

In Deum verò, vel Deo mentiri poſſumus, vel apertè,vel fictè.Apertè,quale fuit illud Saræ mendacium,quæ ſe riſiſſe negauit.Gen.18.15.

Fictè verò, dicitur hypocriſis, quales qui ore quidem Deũ fatentur, factis tamen negant & corde,Tit.1.v.16.Vnde hypocriſin cum mendacio cõiungit Paulus,1.Timoth.4.v.2. Quanquam autem hypocriſis ab hiſtrionibus, qui alienas perſonas in ſcena rei geſtæ repræſentandæ cauſa induunt,tranſlatitium eſt nomen,vt docet Baſil. (Græcis enim ὑποκριταὶ, à Latinis hiſtriones & perſonati dicũtur) tamen propriè,& ex notiori ſignificato hypocriſis B dicitur in factis mendacium, quod fictè & latenter aduerſus Deum committitur, quales à Chriſto Phariſæi appellantur hypocritæ, Matth.23. Thomas tamen in 2. 2ª quæſtion.111. Hypocriſin facit tantùm eam,quæ ſanctitatem reuerentiámque erga Deum externã ſimulat. Sed generaliter in ſcriptura omnis diuinæ venerationis ſiue interna,ſiue externa ſimulatio ſolet appellari hypocriſis, vt docetur Eccl.32.v.19.& 33.v.2.qui certè author nõ eſt leuior Thoma. Opponit Thomas eo loco quæſt. 111. Hypocriſin veritati in vniuerſum: at Anſelmus in epiſt.ad Roman.12.ver.9.opponit ſimplicitati potiùs: Paulus verò fideliſſimus mentis Dei interpres,ſanctitati & integritati mentis hypocriſin docet aduerſari. Itaque generalis eſt hypocriſis appellatio,nõ tam anguſta,quàm vult Thomas. 1.Timoth.1.v.5.Rom.12.v.9.

Homo autem homini mentitur, itémque contumeliam facit,vel Nolenti,vel Volenti.

Ac nolenti quidem fit, vel Fraus, vt ſi facto fiat iniuria & damnum detur mentiendo: vel fit Contumelia,ſi tantùm dicto,vel facto fit iniuria,neque C damnum etiam detur.De fraude in ſuperiori præcepto dictum eſt.

De contumelia videamus.Ea dicitur à contemnendo,éſtque iniuria, quæ vel verbis vel facto fit, ait Iuriſconſ.in l.j.D.De iniuriis. Nam quod ſcribit Thomas tantùm verbis fieri contumeliam, in 2.2ª quæſt.72. fallitur: aliúdque docent Iuriſconſulti,verborum proprietatis homines obſeruantiſſimi. Sed accipit Thomas contumeliam pro conuitio, quod fit tantùm verbis, vt docetur in l.j.D. De iniuriis. Non.autem Marcell.ait contumeliam eſſe grauiorem iniuriam.Et cùm iubeat Paulus, vt alius alium honore præueniamus, certè contumelia fieri vetatur quæ facto fit, éſtq; proximi ἀτιμία, & contemptus,Roman.12.v.10. Mentiri autem etiam proximo quanquam priuato vetat tota Scriptura,Zachar.8.v.16.Epheſ.4.v.25.

Sed de volente quæſitum eſt, vtrùm illi fiat iniuria,ſi quis nimirum volenti mentiatur, aut quid contumelioſum dicat faciátve?Et reſpondet Iuriſconſul.Nulla iniuria eſt,quæ in volentẽ fit, in l.j.§.

Vſque

A Vſque adeò. D. De iniuriis, & ita quoque ſcribit Ariſtoteles lib. 5. ἠθικῶν Νικομαχ.cap. 9. & 11. modò nihil interſit Reipubl.id fieri. Sed tamen quia nō modò hominum, ſed & Dei ipſius rationem à nobis haberi exigit hæc Lex, Chriſtiano homini non licet iniuriam,mendacium, cōtumeliámque etiam ei facere,qui vult pati,& eā ſibi fieri optat. Omnino enim & per ſe,non ſolùm ex effectu & euētu id fieri vetat hoc caput Legis.

Volenti autem mentitur quis variis modis, ſed imprimis adulatione, de qua quæſitum eſt, an liceat homini Chriſtiano,an verò potiùs hoc capite Legis diuinæ damnetur. Adulatio ſiue Aſſentatio, κολακεία à Græcis dicitur.Deducta vox eſt apud Latinos à canibus ad homines. Eſt enim adulatio, blandimentum canum, vt ait Non. Marcell.Græci verò κόλακας,appellant,tāquam κόρακας,vt ait Antiſthenes, pulchra annominatione, & ſatius eſt in coruos, quàm in paraſitos incidere, quia hi viuentis animum corrumpunt:Corui verò tantùm mortui cadauer depaſcūtur.Eſt autem adulator, vt inquit, definítque Anſelmus in epiſt. ad Roman. 16. v. 18. blandus inimicus.Theophraſtus in characteribus, vt refert Stobæ. in collecta. λόγ. 14. B definit, κολακείαν ὁμιλίαν αἰσχρὰν, συμφέρουσαν δὲ τῷ κολακεύοντι.& ſiue Sacræ ſcripturæ dicta, ſeu ſecularis literaturæ ſententiam perpendimus, Aſſentatio adulatióque omnis eſt homine liberali & ingenuo indigna,nedum homine Chriſtiano, damnatúrque hoc præcepto, quia eſt turpiſſimum periculoſiſſimúmque genus falſi & mendacij. Fouet enim adulator vitia illius, cui blandè aſſentitur,ſiue id lucri gratia, ſiue gratis faciat, quæ propriè adulatio eſt,vt ait Thomas in 2. 2ª quæſt.115.& ſæpè Bernard.ſiue tantùm alterius delectandi animo, illíque applaudendi & blandiendi. Vnde Crates dicebat eos appellandos eſſe συγκατανευσιφάγους conniuepulones, quia conniuendo epulantur. Sed qui ſolùm alterius delectandi gratia mentiuntur, eos dicunt vocari iocoſos: nos vanos appellemus. Ergo quid ſit adulatio apparet, Nempe mendacium quod fit de aliena perſona, illi ipſi qui facit, lucrum afferens.Hoc genus C falſi damnatum eſt, éſtque teterrima peſtis, Prouerb. 20. v. 19, & 29. v. 5. Ambroſ. lib. De officiis, cap. 42. Pſal. 55. v. 22. Longéque potior eſt amici plaga, quàm aſſentatoris laus, Prouer. 27. v.5.& 6. Eſt enim omnis aſſentatio amicitiæ corruptela, & Tull.lib. 1. de Offic.Cauendum eſt,ait,ne aſſentationibus patefaciamus aures, néve adulari nos ſinamus.Imprimis autem in paſtore,qui vitia populi ſeuerè arguere debet damnabilis eſt,Ezech. 13. v. 10. & 20. & eſt præclara quoque Gregorij in hos ſententia, quæ extat cano. Sunt nonnulli. diſtinct. 46. Sed & Principibus valde cauendi huiuſmodi homines.Nulla enim maior eſt eorum peſtis,quęque magis Rempubl. lædat. Sic Sobna damnatur, Iſ.22. Sic Ionadab Ammonis vitia auget,2. Sam.13. Sic eſt Siba peſſimus Dauidis adulator, 2. Sam. 16. & hi ſunt mures aulici, Pſal.101. v. 7. Zoilus quidam,& Verconius aulæ fumiuenditor ab Alexandro propterea crematus eſt,vt Lamprid.ait.

Præterea fit conuitium & contumelia, itémque quis mentitur, vel Priuato, idque Amico, vel Inimico, vel ſibi ipſi.Nam de nobis mentiri vetamur quoque hoc præcepto,vt ait Auguſt.quemadmodum etiam de aliis, vel ipſi Magiſtratui. Vtriſque contumelioſi eſſe vetamur & conuitiatores. Nam A & iure punitur Semei,qui in Dauidem conuitia iactauerat,2. Samuel. 16.v. 5. & ſcriptum eſt,Principi populi tui non maledices,Exod. 22. v.18. Act.23. v. 5.Nam qui in proximum conuitium dixerit,velut Racha,ait Chriſtus,Matt.5.v.22.eſt reus mortis.

Sed obiicitur, Paulum videri conuitiatum magiſtratui & ſummo Sacrificatori,dum parietē dealbatum vocat.Reſpon.Ignorauit,vt ipſe teſtatur,cū fuiſſe ſummum Sacrificatorem, Actor.23. v.5. Itaque temeritatis iuſſúſque illius arguendi gratia, nō conuitiādi animo dixit Paulus.Iuſſerat enim Ananias Paulum in malam percuti.

Sed quæſitum,vtrùm ſemper ferenda ſit iniuria & contumelia,atque condonanda,quia & hoc fieri iubet Chriſtus,Matth. 5. & Paulus,Coloſſ. 3. verſ. 13. De ea verò loquimur,quæ nobis fit,non autem Deo. Nam hæc quæ fit Deo, nullo modo ferenda eſt, ſed coercenda & compeſcenda. Qua de re P. Martyr in 2. Samuel. 16. copioſè diſputat, & Thomas in 2. 2ª quæſt. 72. Et certè facta nobis iniuria non ſemper ferēda eſt,& muſſitanda, tum propter bonum ipſius cōuitiatoris & contumelioſi vt corrigatur: tum ne profectus multorum impediatur. B Hi enim, ait Gregor. Homil. 9.in Ezech. quorum vita in exemplo imitationis poſita eſt, debent detrahentium de ſe verba compeſcere: & verum eſt illud Salomonis, Qui imponit ſtulto ſilētium mitigat iras.Inde eſt can.Inter querelas,& cano. ſeq. 23.quęſt.4.Itaque Chriſtus arguit eum qui ſibi cōtumeliam fecerat,Ioan.18.v.23.& Iure ciuili eſt cōſtitutum, vt ſi quis intra annum non egiſſet iniuriæ,oblitus eſſe cenſeretur. l. Non ſolùm. §. Iniuriarum.D.De iniuriis.& cano.Si illic.23. quæſt. 4. Nam diſſimulatione aboletur hæc actio.

Veniamus ad eas res,in quibus falſum committere vetamur, & per quas fit proximo contumelia aut conuitium. Ac quidem Iuriſconſultus Vlpianus in l. j. §. Iniuriam autem fieri. D. De iniuriis, tria eſſe docet, ad quæ contumelia,iniuriáve pertinet. Aut enim in corpus infertur, aut ad dignitatē, aut ad infamiam pertinet.In corpus,cùm quis pulſatur: ad dignitatem, cùm comes matronæ abducitur:ad infamiam,cùm pudicitia attētatur.Neque modò viuo homini:ſed & defuncti cadaueri iniuriam contumeliámque fieri poſſe ſcribunt eadem l.j.§.etſi fortè:cuius rei exemplum extare videtur, C 2.Regum 4.v.2.& ſeq. Quæ certè eorum ſententia vera eſt. Et qui per ea contumeliam proximo faciunt,quę vel ad corpus,vel ad infamiam,vel ad dignitatē pertinent damnantur hoc præcepto. Quibus autem in rebus falſum committi poſſit, aliter explicādum eſt.Quod fieri in vniuerſum vetat hoc caput Legis.Nam eæ res in quibus falſum fit,ſunt, aut Diuinæ,aut Humanæ.

De diuinis,déque eo falſo,quod in iis poteſt cōmitti,dicitúrque Hæreſis,ſuprà à nobis eſt copioſè tractatum in tertium præceptum huius Legis.

Humanæ verò ſunt, aut Publicæ in quibus falſum fit:aut Priuatæ. In vtroque rerum genere vetat Lex falſum facere vel dicere. Ac quidem in iis rebus, quæ ſunt publicæ, fit falſum, ſi quis ea quæ ſūt publicæ authoritatis immutet, corrumpat,ſupponat,aut celet,velut pondera publica, aut Edictū publicum, aut Monetam publicam: de quibus rebus apertè reſpondent Iuriſconſulti,& eorum ſententia vera eſt,atque ad huius præcepti explicationem vtilis.

A Ac de falſis ponderibus, extat l.penult.D.Ad l. Corneliam de falſ.itémque de menſuris quemadmodum & Deuter.25. ver. 13. Leuit. 19.v.36.apertiſſima ſententia. Præterquam enim quòd furandi animo id faciunt falſarii, & ita velut fures damnantur, etiam ex hoc præcepto nono tenentur, quia falſum committũt.Sic ex vno facto plura delicta naſcuntur.

De falſis edictis Principum, quæ ſupponuntur, etiam extat l.Qui nomine.D. Ad l.Cornel. de falſ. & nullam habet dubitationem.Neque enim Principis authoritate abutēdum eſt,violátque hoc Dei mandatum apertiſſimè, qui in iis falſum committit,propiórque eſt, vt ſit iſte ſacrilegus, qualis ille Tribonianus qui leges pretio fixit atque refixit tēporibus Iuſtiniani.

Denique de falſa moneta,quã quis cudit,tinxit, ſignauit, raſit, extant toti tituli, per quos damnatur qui id fecit. C.ad tot. tit. de falſa moneta. & l. Quicunque. l. Lege Cornelia. D. Ad l.Cornel. de falſ.pulchréque ea ſententia cum hoc pręcepto cōuenit.Neque enim monetã cudere priuati poſſunt, ſalua conſcientia, etſi bonam & probam cudunt, B quia nota, quæ imponenda eſt,publicę eſt authoritatis:& quia ea poteſtas eſt publici iuris.Nam cui honos,honos tribuendus eſt,Roman.13.

Quæſitum eſt de Alchymiſtis,& auro alchymico,vtrùm hoc præcepto damnetur.Cui quæſtioni (quanquam nō ignoro quid Cedrenus autor Grecus de Cabade Perſarum rege agens de Alchymia ſcribat)tamen quia alii aliter de hac arte ſentiunt, Thomę verbis potiùs,quàm meis reſpondere malo,qui 2.2æ quæſt.77. artic. 2.& quæſt.9.art.2.ait ſi ab iis fiat verum aurum rebus, & mediis naturalibus adhibitis, illud aurum non eſſe damnandum, modò ne cudant monetam.formæ enim impreſſio ad ſolum Principem pertinet.

De priuatis rebus agendum eſt, in quibus falſum committitur. Fit autem in iudicio, vel extra iudicium.

Ac in iudicio vel à Litigante, vel ab Aduocatis, vel à Teſtibus, vel à Iudice ipſo. Qui omnes hoc præcepto damnantur. Et quia quæ in terris exercentur iudicia, ea Dei ſunt,non hominum, vt eſt. 2.Chronic.19. verſ. 6. Deut. 1. idcirco omne in iu- C diciis mendacium fieri, dicíve prohibetur,quia tāquam præſentes coram Deo aſtamus. Sancitúrque hoc imprimis præcepto omnium Iudiciorum authoritas,veneratio, & veritas. Itaque rei ipſi & litigantes contra ſe verum fateri debent, vt Achan, Ioſ. 7. Neque patroni cauſarum & aduocati debēt ſcientes prudentéſque in iudiciis cauſáque agenda mentiri,ſed nec falſam atque iniquam cauſam tueri:qui ſecus faciunt aduocati, hoc præcepto damnantur. Neque verò bona cauſa & vera ad ſe tuendam eget mēdacio,vt ait Plato,& rectiſſimè. Qua de re longior diſputatio eſt apud Thomam in 2.2æ quæſt.71.& in cano.Infames.3.quæſt.7.Nō eſſe autem infame Aduocati nomen,vt quidam putāt,viróque bono & Chriſtiano indignum apparet ex eo quod Chriſtus ipſe vocatur Aduocatus noſter, 1.Ioan. 2. verſu 2. & l.Aduocati qui glorioſa voce. C.De aduocatis diuerſorum iudiciorum.

Sed & teſtes qui adhibiti falſum teſtimonium dicunt,damnãtur hoc pręcepto apertiſſimè,Exod. 23.ver.5.Deuteron.19.verſ.16.Prouerb.19.ver. 5, & 25.ver. 18. Falſum verò teſtimonium triplici ratione damnatur,ait Thomas in 2.2æ quęſt.70. 1 Ratione periurii admiſſi. 2 Item iuſtitiæ violatæ. i. proximi læſi. 3 Propter ipſam falſitatem dicti. A Sed quæſitũ eſt,Quis ſit dicendus falſus teſtis. Reſpon. Qui profert ea quæ neſcit,ſiue animo vindictæ id faciat,ſiue ſpe lucri,ſiue gratis,Prou. 12.v.19. & 21.ver.28.Nam quæ vidimus & audiuimus teſtamur,ait Chriſtus, Ioan.3. & eæ ſunt optimæ, quæ à teſte afferri debent rationes,viſus & auditus.arg. 1.Ioan.1.verſ.1.& in Euãgelio,Ioan.21.ver.24. Addo, ſiue igitur id animo vindictæ quis faciat, ſiue non,Prouerb.24.ver.28.eſt falſus teſtis appellãdus. Ergo non eſt is tãtùm falſus teſtis,qui falſa in perniciem alicuius profert & teſtatur: ſed qui ſimpliciter ſibi ignota affirmat,negatúe in iudicio.

Sed quęſitum eſt,vtrùm quilibet teneatur teſtimonium dicere eorum quæ ſcit,vidit,audiuítque. Reſpon. Quãdo quis authoritate Iudicis interpellatur,certè debet, tenetúrque, neque teſtimonium ſuum cuiquam recuſare poteſt ſaluo conſcientiæ iure. Eſt enim pulcherrimum Auguſtini dictum, Ad Caſulanum. Vterque reus eſt,ait,& qui veritatem occultat,& qui mēdaciũ dicit,quia & ille prodeſſe non vult,& ille nocere deſyderat. B

Sed quęſitum eſt,vtrùm de omnibus debeat qui à Iudice interrogatur verum dicere. Reſp. De ſe quidem debet.De iis verò qui pro Dei gloria & fide necandi quæruntur, non debet. Ergo eo caſu quis ſocios celare poteſt.Neque tamen propterea Priſcillianiſtarum errori fauemur, aut latronum, qui pro ſociis reuelandis torquentur, obſtinationi.Sed Eccleſię verè Chriſtianæ latebras ſeruamus. Talis erat olim illa Iudicum luporum Eccleſiæ interrogatio. Quinam aderant veſtris concionibus? Comites autem aut ſocios ſceleris, nemo pius negare debet.

Sed neque iudex falſam ſententiam dolo malo proferre debet, vt rectè ait Auguſt. Eſt enim primus teſtis Deus, deinde conſcientia, cuius dictum in cano.Quicunque 11.quæſt.4.relatum eſt.

In quo duo quæruntur. Primum ſi rem aliter ſe habere iudex ipſe ſcit, quàm teſtes dicant. Secundum, ſi maior aſſeſſorum & conſiliariorum vox & numerus,aliter ſentiunt,quàm ipſe iudicãdum veréque pronuntiandũ putat,quid agendum illi erit. C

Quod ad primum,quando muti cauſam agendã eſſe docet Scriptura, ne innocens, indefenſúſque quiſquam opprimatur,Prouerb.31. ver.8. & 9.Ergo & illius etiam cauſſa eſt tuenda qui falſis teſtimoniis opprimitur. Itaque ſe recuſare eo caſu Iudex debet ipſéque pro veritate teſtimonium dicere. Nam aliâs & extra hunc caſum ſecundum allegata & probata iudex iudicet. Nobiſcum ſentiunt Thō.in 2.2æ quæſt 67.& Ariſt.lib.2.Politic.cap. 8.

Quod ad ſecundum,vtrum plurium ſententiam & opinionem iudex ſequi teneatur, dubia & vexata quæſtio eſt,nobilis tamen.Ac certè videtur potius ex ſua opinione,id eſt,ex eo quod ipſe æquum eſſe putat,iudicare debere:quia Exod.23. verſ.2.dictum eſt,Non ſequeris multitudinē ad malè agendum,neque pluribus in malo aſſentiēdum eſt.Pręterea Prouerb.24.ver.24.& ſequ.ea iudicia laudãtur quæ recta ſunt, non autem quæ ex plurium opinione & ſententia lata. Quid enim ſi omnes aſſeſſores & conſiliarii in alicuius perniciem coniurauerint,& in eum ſententiam ferant,poterítne,ſalua cōſcientia,iudex eorũ voci & ſuffragio accede-

A re & aſſentiri,vt ſecundum illos pronuntiet?Contrà verò obiicitur,nempe ſequi iudiciorum omniũ perturbationem , ſi hoc liceat, nihílque definiri iam poſſe , ſi vni contra plurium ſententiam pronuntiare conceditur. Sed & aduerſatur ſuperiori ſententiæ quod ait Ambroſ. & tamen eſt relatum in cano.iudicet.3.quæſt.7. iuxta leges & iura pronuntiet iudex , propriæ verò voluntati non indulgeat.Idem docet ſentítque Ariſtoteles libro 3.Politic.cap.11.Nam qui hominem imperare vult, ille beluam : qui legem,ille Deum. Denique Pſal.82. confirmatur hæc poſterior ſententia. Philipp. in epitome Moralis Philoſophiæ quædam attingit quæ ad hanc quæſtionem pertinent , & ante eum A.Gell.lib.14.cap.2.Sanè ſæpe hęc quæſtio ex facto incidit obrepítque huiuſmodi quædam cogitatio cordatis & ſanctis iudicibus. Quid igitur? Reſp. Diſtinguendum eſſe , eáne plurium vox,& ſententia,quid contra Deum illiúſque verbum apertè pronuntiari & definiri iubeat, an contra proprium tantùm ipſius iudicis ſenſum & B ſententiam.Si quid contra Deum omnium aſſeſſorum ſuffragia fieri velint & opinentur omnino recuſandum eſſe dico,potiúſque abeundum & cedendum magiſtratu,quàm vt cœlorum regnum amittatur. Eſt enim vitę ipſi præferendum illud, nedum ciuili dignitati Matth.5.& 18.& quoties pugnat conſcientia cum Magiſtratu , toties præferendum ius conſcientiæ,illúdque ſaluum & incolume eſt conſeruãdum.Sin autem quid contra proprium ipſius tantùm iudicis ſenſum pronuntiari plurium conſiliariorum vox decernat,ídque citra conſpirationem,quæ detegi poſſit,certè is pronuntiare debet ex plurium ſententia,1.quia plus vidẽt oculi quàm oculus. 2. Quia hic iudiciorũ ordo eſt,vt quid certi in hominũ ſentẽtiis ſequamur. Nam lites ex pluriũ ſenſu atque iudicio decidi & definiri debẽt.

Sed videamus quibus in rebus extra iudicia falſum committatur.Certè variis in rebus,ac certè in omnibus poteſt,tanta eſt hominum corruptela, vt optimis quibuſque abutatur ad ſuam nequitiam, vel voluptatem. Imprimis tamen committi poteſt falſum,vel in Teſtamentis, vel in Cõtractibus, vel in Nominis mutatione,vel in Colloquiis.

Ac in teſtamentis quidẽ,quia in iis falſum ſcribi C poteſt, vel ipſum adeò teſtamentum ſupponi.Sanctum enim & inuiolabile ſeruare & eſſe debet vltimum,quod iterum non redit,arbitrium. Et hoc genus falſi,etiam legibus politicis grauiſſimè vindicatum eſt.Ad hoc genus etiam pertinent Captatores teſtamentorum.

Vtrùm verò quis iubente teſtatore ſibi aliquid in illius teſtamentum aſcribere poſſit , ídque ſalua conſcientia. Reſpon. Niſi Lex vetet,poſſe. Neque enim ideo falſum eſt, quia propria legatarii manu eſt ſcriptum. Quando verò id fieri Lex vetat, velut Senatuſc. Libonianum apud Romanos prohibuit , abſtinendum eſt , quia honeſta ratione & æqua id fieri prohibitum eſt,nec eſt lex violanda.

In cõtractibus etiam falſum variis modis committi poteſt.Et quanquam,vt ait Auguſtin. in Enchirid. tutius eſt falli in contractibus,quàm in articulis fidei, tamen non ideo excuſatur qui in contractu fallit.

Sed quæſitum eſt,ſiquid in contractu vtriuſque partis conſenſu aliter ſciptum eſt, quàm eſt tamen geſtum,vtrùm ſit mendaciũ,pertineátque ad hanc Legis prohibitionem.Et diſtinguunt Iuriſconſulti. A Nam ſi in cuiuſquam alterius fraudem , perniciem, vel damnum,quid ab vtraque cõtrahentium parte geſtũ eſt,veluti ſi dies hypothecæ vel pignoris eſt prolatus à debitore, conſentiente quidem in hoc creditore, in alterius tamen fraudem , eſt crimen falſi,l. Si debitore. D. Ad l. Cornel.de falſ.& l.Si creditor.C.eod.Sin autem ea res ad nullius dãnum pertinet , ſimpliciter reſpondent plus valere quod agitur,quàm quod ſimulatè concipitur.Tot. tit.Cod.libr.4.Tamen quia vera & dicẽda & ſcribenda ſunt,& eſt cõtractus,aut eſſe debet rei geſtæ memoria, pertinet ad hoc præceptum vterque caſus.Neque enim veritas eſt,cùm quid aliter narratur,ſcribitúrque quàm ſit.

Quæſitum eſt de eo,qui duobus rem eandem in ſolidum vendit. Reſp. Certè eſt pernicioſiſſimus mendax. Itaque quia proximum fallit , hoc capite damnatur:ſed & lege Cornelia de falſ. l. Qui duobus.D.Ad l.Cornel.de falſis,vel ſi bonæ fidei emptor malit crimine ſtellionatus, vt in eo titulo reſponſum eſt.Æquè tamen conſtitutum eſt in l.Qui rem.C.De rei vendicatio.vt maneat res fiátque illius,qui primum eam emit. B

De nominis mutatione item quæſitum eſt , vtrũ ad hoc præceptum pertineat , quia & hæc quoque ſpecies quædã falſi eſſe videtur: itaque & hoc præcepto damnari.Sed tamen & Saulus Paulum vocari ſe voluit,& inſcripſit,& qui Syluanus dicebatur, dictus eſt & Sylas,& à Chriſto,Simon Bariona dictus eſt mutato nomine Petrꝰ, itaque ſe modò Petrum,modò Simonẽ inſcripſit,in epiſt.1.& 2.Petr. cap.1.Ergo licere videtur nomen ſuum mutare , & Ioſue prius Oſee dicebatur, & Salomon Iedidiah. 2. Samu. 12. v.25. Diſtinguunt Iuriſperiti,& rectè, éſtque eorum ſententia admittenda: cõſentit enim cum piorum hominum & Chriſtianorum,vel potiùs ipſius Chriſti facto.Aut enim ea nominis mutatio fit in alterius fraudem, aut non. Si in nullius fraudem fit,& perniciem,licet mutare nomen. Sin autem ea nominis mutatio in cuiuſquam damnum vertatur,nõ licet.l.Falſi nominis. D. Ad l.Cornel. de falſ.& l.Vni.C.De mutatio.nominis.

Sequitur tertium caput, nimirum : Quo animo, quáue de cauſa mentiri , vel contumeliam facere, C vel dicere , prohibemur hoc præcepto. Et quidem

quando vel { Propoſito animi,
Impetu,
Caſu , peccant homines. Primum de contumelia quæſitum eſt.Eſt enim contumelia à contemnendo dicta , vt ait Vlp.in l. j. D. De iniur. Vtrùm verò quolibet modo facta dictáue dãnetur. Et quidem Iuriſconſulti,qui eatenus de toto hoc iniuriarum argumento diſputant, quatenus ad hominum pacem inter ſe & externam politiam ea res ſpectat,diſtinguendum putant. Nam quando ſine affectu iniuriandi non fit iniuria, certè cõtumeliam eſſe non interpretantur,quę fit caſu potiùs,quàm animi propoſito,& affectu conuitiandi, velut ſi quis cùm ſeruo pugnum ducere vellet, aliũ in proximo ſtantem percuſſit. Eſt Pauli Iuriſconſulti reponſum in l.iiij.D.De iniuriis.Sed neq; hoc quoque factum iure diuino damnari hoc præcepto poteſt , quia præter mentem & animi propoſitum excidit potius,quàm accidit. Temeritas modò accuſari poteſt,animi verò conſcientia non poteſt.

Sin autem animo conuitii quid fiat , dicatúrve, A teneri putant,ſiue ignoret is qui conuitiatur,quis, qualíſve ſit cui contumeliam facit, ſiue non ignoret.l.4.C.de iniuriis.

Sin etiam calore impetúque animi quid contumelioſum in aliquem proferatur,eſſe etiam,ſed tamen leuiùs,puniendum hoc factum.l.5.C.de iniuriis. Quod & verũ eſt,& hoc præcepto damnatur.

Nos verò ſic,vt ad Theologica rem totam propius accommodemus, illud quod contumelioſè voce ipſa & ſignificatione ſonat, (Neqûe enim,vt rectè docent Philoſophi, verba quatenus ſunt ſoni,contumelioſa ſunt:ſed quatenus voces ſignificatiuę,vt & Thomas in 2.2æ quæſt.72.)

Illud inquam vel {
Conuitii animo,
Emendandi tantùm & corrigendi affectu dicitur.

Si conuitii animo dicitur à quocunque in quemcunque, ſiue notum ſiue ignotum, ſiue præſentem ſiue abſentem, ſiue ab eo qui in nos ius habet,ſiue qui ſubditus nobis eſt,fiat, damnatur hoc præcepto.Nemini enim eſt conuitiandum. Leuit.19.ver.16.Matth.5. verſu 22. 1.Corinth.6.verſu 10. λοίδοροι damnãtur.& 1.Corinth.13.ver.4.& 5.Charitas non irritatur,neque modum rationémve excedit, οὐ παροξύνεται. B & eodẽ pertinet quod ait Paul.2.Timoth.3. verſu 3. Deus enim qui cordium ſcrutator eſt, hos affectus damnat,cùm ſint à Chriſtiana charitate alieni prorſus.

Sed quid, ſi qui conuitiatus eſt, contendit eſſe vera quæ obiicit probroſè:& onus eorum probandorum in ſe ſuſcipit, vtrum quia vera probra ſunt, qui animo conuitiandi illa obiicit, meritò non damnetur. Horat. quidem Flaccus libr.2.Satyr.1.ſic ait,

Si mala condiderit in quem quis carmina,ius eſt,
Iudiciúmque eſto,ſi quis mala:ſed bona ſiquis
Iudice condiderit laudatur Cæſare:ſiquis
Opprobriis dignum latrauerit,integer ipſe:
Soluentur riſu tabulæ:tu miſſus abibis.

Et reſpondet Paulus Iuriſconſultus in l.eum qui nocentem.D.de iniuriis, quia peccata nocentium nota eſſe & oportet,& expedit, æquum & bonum non eſſe,eum,qui nocentem infamauit, ob eam rẽ damnari. Alii verò diſtinguunt, interſítne Reipu. illud probrum & conuitium ſciri,an non. Nam ſi C intereſt Reip.illud eſſe notum, veluti ſi quis eſſet hæreticus,leproſus,id eſt, elephantiaſi laboret,atque ita conuitiandi animo vocaretur, non teneri qui huiuſmodi verũ conuitium dixerit: Sin autem non interſit Reipub.illud patefactum eſſe, teneri damnaríque meritò iniuriarum nomine,etiam,qui verum conuitium dixerit.Eſt in l.Si quis auiam.C. de iniuriis.l.vni.C.de famoſ.libell.Hæc Iuriſconſultorum hominum ſententia eſt. Sed certè verius eſt,& hunc quoque, qui vera probra conuitiandi animo obiicit,hac prohibitione Legis diuinæ cõprehendi, quia is animus à Chriſtiana pietate & charitate prorſus eſt alienus. Non modò enim crimina & peccata hominum nocentium ſciri oportet: ſed eo modo quo præſcribit Dominus, & ab iis qui emendare debent & poſſunt, non ab omnibus, nec ab iis qui non poſſunt.Item purgandi corrigendíque animo non autem infamandi debent detegi.Pſal.50.v. 20.Prouerb.26.v.2. Cæterum, vt docet Hierony.Tom.2. Epiſt. de optimo genere interpretationis, qui ſcripta aliqua à ſe contumelioſè non profert,ſed in ſcriniis cõtinet, nõ poteſt accuſari. Volo in chartulis meis quaſlibet ineptias A ſcribere,remordere lædentes, digerere ſtomachũ, quandiu non profero cogitata,maledicta non crimina ſunt:imò ne maledicta quidẽ,quia aures publicæ neſciant.Sed tamen hoc præcepto cõtinetur, & coram Deo eſt conuitiator.

Qui autem emendandi animo aliquid obiicit, quia pro iure ſuo id facit, quatenus vel Paſtor eſt eccleſiæ,vel Magiſtratus,vel Chriſtian⁹, vel Pater, vel Præceptor,atque ex pio affectu, laudandus eſt, nedum damnãdus.Iac.5.v.19.Sic Paulus vocat Galatas ſtultos & inſenſatos. Galat. 3. v. 1. Sic Iſaias principes ſui temporis Gommorrithas & Sodomitas principes. Iſ.1. v. 10. Sic Chriſtus Phariſæos & Scribas hypocritas.Matth. 23. Sic diſciplinæ cauſa, vitiíque arguendi & reprehendendi animo Paſtores grauiſſimè poſſunt,ſalua conſcientia, populum & gregem arguere. Quî autem id facere poſſint, quæſtionis eſt.Sed reſponſio facilis eſt,eos omnes poſſe, quos ius vel Poteſtatis,vel Charitatis Chriſtianæ impellit, & mouet. Nam & Patres, & Domini, & Magiſtratus,& Paſtores, & Prophetæ,ſæpe caſtigandi animo multa obiiciunt, quæ nõ modò benignè interpretanda ſunt, non autem iniu- B rioſè dicta: ſed etiam dici & obiici neceſſe eſt, ſaluóque munere ſuo prætermittere nõ poſſunt,quáquam vox ipſa conuitium notare videatur.

Sed & quos Chriſtianæ charitatis verus affectus impellit,vt alios arguant de peccato, certè laudandi ſunt,nedum comprehendẽdi hac lege,ſi duriori verbo vtantur.

Nec obſtat quod ait Chriſtus Matth.7.v.1.Nolite iudicare.& Iacob.3.v.1.Nam blanda,lenis, vtilis, imò etiam aſpera admonitio fratrum non reprehenditur, damnatúrque à Chriſto: ſed tantùm leue & temerarium noſtrum de fratribus iudiciũ, eorúmque falſa accuſatio & contemptus. Iacob.4. verſ.11.& 5.v.19. quando & adhortari & monere & arguere alius alium expreſſiſſimè verbo Dei iubemur.Rõ.12.v.8.& 15.verſ.14.Hebr.3.v.13.1.Timoth. 5.v.20.Matth.18.

Et hæc quidẽ de Contumelia, quo animo,quáve de cauſa fieri dicíve prohibeatur,de qua vide P. Martyrem in 1.Samuel.cap.16.verſu 21.

Nunc autem videamus de Mẽdacio. Scholaſtici triplici ratione mendacium diuidi volunt. Pri- C mùm quidem ex ordine ſuo.Atque tunc octo mẽdacij genera cõſtituunt poſt Auguſtinum in libro de Mendacio.Secundùm ratione ipſius formæ dicunt duplex eſſe mendacium,alterum quod Extollendo,dicitur iactantia,& Arrogantia, ὑπερηφανεία,& ἀλαζονεία: alterum quod Minuendo mentitur, dicitur εἰρωνεία.Ariſtot.li.4.ἠθικ.Νικομαχ.Tertiùm denique in quantum mendacium habet rationem culpæ. Diſtingui vero hac poſtrema ratione mẽdaciũ volũt in tria genera.Aliud enim eſſe Iocoſum,aliud Officioſum,aliud Pernicioſum mendaciũ.Sic Magiſter ſentẽtiarũ,ſic Thomas in 2.2æ quæſt. 110. Sic cano.Primũ eſt capitale 2.2æ quęſt.2.Quod ad priores diuiſiones attinet ex poſtrema ſatis explicari poſſũt.Ergo de tertia potiſſimùm agẽdũ nobis eſt.

Ac quidem Pernicioſum mendacium vno conſenſu & ore damnant omnes.Eſt enim quod vel in damnum,vel in contumeliam proximi fit & committitur, quod apertè damnat hoc præceptũ. Illud eſt de quo ait Plato. li. 2. de Repub. τὸ μὲν δὴ τῷ ὄντι ψεῦδος οὐ μόνον ὑπὸ θεῶν, ἀλλὰ καὶ ὑπ' ἀνθρώπων μισεῖται.

A De Iocoſo maior quæſtio eſt, comprehendatúrne huius capitis prohibitione. Eſt autem quod alterius tantùm delectandi gratia fit, non autem decipiendi cauſa. Et certè videtur hoc genus homini Chriſtiano licere. Nam iubet Paulus, vt ſermo noſter det gratiam audientibus. Epheſ. 4. ver. 29. Et Chriſtus ipſe, vt ſalem in nobis habeamus. Mar. 9. v. 51. Sed aliud planè ſentiendum eſt. Cùm enim omnis ſcurrilitas & μωρολογία à Paulo damnata ſit, Epheſ. 5. v. 4. & à Chriſto verbum omne otioſum & inane, Matth. 12. v. 36. certè huiuſmodi quoque mēdacia ex Chriſtianorum hominum puris, caſtíſque ſermonibus, & ore ſunt explodenda, & hoc præcepto damnantur. Sunt enim ſcurrilitatis quædam ſpecies, quæ in vniuerſum non tātùm in homine Chriſtiano improbatur, ſed in omni bono viro & graui, vt docetur Prou. 21. ver. 17. Pater Ambroſius lib. 1. de officiis, ca. 22. & 23. Sit oratio, inquit, pura, ſimplex, plena grauitatis & ponderis. Væ enim vobis qui ridetis, ait Chriſtus. Luc. 6. Nō ſolum enim profuſos, ait idem, ſed & omnes etiam iocos declinandos eſſe arbitror.

B Quod autem obiiciūt gratiam ineſſe debere ſermoni noſtro, explicat idem Paulus illam χάριν eſſe οἰκοδομὴν id eſt, ædificationē, & iubet Scriptura, vt loquamur veritatem, nunquam autem vt alius alii mentiamur. Epheſ. 4. v. 25. Coloſ. 3. v. 9.

Vnde quęſitum eſt, vtrum Parabolis & μυθικοῖς .i. fabuloſis λόγοις vti liceat, quādo hi tantùm vidētur ad delectationem cōparati eſſe. Eſt autem Parabola rei veluti geſtę repręſentatio ad aliud ſignificandum. Μυθικὸς verò λόγος, aliquid ſimulatū emētitúmque habet apertè, quales illi ſunt ἀπόλογοι Æſopici & Poetici. Et videtur iis vti non licere, quia vetat Paulus προσέχειν Chriſtianos μύθοις, fabulis aures & animū præbere, & 2. Timoth. 4. v. 4. Ait Petrus ſe non conſectatum eſſe fabulas quaſdam arte compoſitas. 2. Petr. 1. v. 16. Sed tamen aliud reſpondendum eſt. Nam quantum ad Parabolas, iis vſus eſt Chriſtus optimum exemplar dictorum factorúmque noſtrorum: & Prophetæ ſæpe, vti Nathan. 2. Samuel 12. Fabulis etiam, quæ nihil habent in Deum blaſphemum etſi apertè aliquid effictum continent, vſos eſſe in Scriptura etiam alios quoſdam, & quidem rectè, apparet. C Iudic. 9. verſu 7. 2. Reg. 14. verſu 9. 2. Samuel 14. Magna enim eſt eius orationis vtilitas quū ſubducta perſona quid denūtiatur. Et quod ita ſępe ſit neceſſe fieri, facit humani ingenii ſtupiditas, quod in rebus illis melius comprehēdit, quid de ſe ſit ſub aliena perſona ſtatuendum. Qua ratione ſæpe Prophetæ ipſi teſtes aduocant bruta elemēta aduerſus homines & Dei populum immorigerum, & inobſequentem. Sentiunt autem omnes in iis ineſſe fictionem. Nam in rebus fiūt, vbi nihil quicquam tale intelligi poteſt, veluti locutos inter ſe mures. Quæ autem res non ſunt capaces habitus, neque ſunt priuationis. Ergo quum de iis rebus narratio nunquam vera dici potuerit, neque falſa dici poteſt. Et quia hoc argumentum latiſſimè diſputatur à P. Martyre in Iud. cap. 9. nos ad eum lectores remittemus.

Quod autem excipiunt Paulum damnaſſe μύθους, reſpondendum eſt, Non omnes damnaſſe, ſed tantùm inutiles, & aniles, γραώδεις ipſe vocat. 1. Timoth. 4. v. 7. quæ auocant à Dei veritate. Tit. 1. v. 14.

Quęſitum eſt de Scommatis, quæ ſunt faceta dicta, & aliquem perſtringunt, vtrū iis homini Chriſtiano vti liceat. A Diſtinguendum eſt. Aut enim ea ſunt λοιδορίαι, id eſt, conuitia aperta: aut non, ſed lepida & faceta tantùm, quædam dicteria. Si ſunt λοιδορίαι, iis vti omnino non licet.

Sin autem ſunt tantùm ſalſè dicta, adhuc videndum eſt perſpiciendúmque, qua de cauſa & animo dicantur. Aut enim iaciūtur ſolius ſcurrilitatis animo: aut inueterati apud aliquos vitii animi refricandi, reprehendendi, perſtringendíque animo & gratia. Vt ſolo ſcurrandi propoſito iactetur ſcomma aliquod, homine Chriſtiano indignum eſt. Vetatur enim pius eſſe ſcurra & dicax Iacob. 3. Ambroſ. lib. 1. De officiis. cap. 23.

Sin autem obſtinatorum hominum in ſuo aliquo ſcelere pudefaciendorum cauſa & gratia dicatur, vt Dei veritas iis lubentiùs faciliúſque illuceſcat & allubeſcat, ea demum mente & ratione ſcōmate nobis vti licet. Et hic eſt ſal & lepos, quo ſępe condiēdus eſt ſermo noſter, vti loquitur Paulus, Coloſſ. 4. v. 6. Sic ſæpe Iſaias, aliíque Prophetæ idololatras irridēt. Iſ. 28. v. 10. & 31. v. 3. Sic Elias irriſit eos, quemadmodum extat. 1. Reg. 18. v. 27. B

Denique quæſitum eſt de Officioſo ſiue vtili Mendacio. Eſt autem, quod vel Dei laudandi vel proximi adiuuandi gratia fit, nemini verò nocet: vtrum igitur homini Chriſtiano & bono viro liceat, vel ſuæ vel alienæ vitæ è periculo eripiendæ gratia, vel etiam ſalutis animæ, vel valetudinis corporis promouendæ mentiri. Et certè nobilis quæſtio eſt, ſed vexata tamen. De hoc mēdacii genere ſcribit Philip. in quodam opuſculo ſuo, vbi hūc decalogum explicat. P. Martyr variis in locis imprimis autem in 1. Samuel 21. & 2. Samuel. 15. verſ. 33. Auguſt. in lib. De mendacio ad Conſentium, & plerique alii viri docti. Alii igitur hoc mendacii genus omnino licere, & omnibus quidem hominibus, ſentiunt.

Quidam autem, vti Plato lib. 3. de Repub. diſtinguunt, priuatis id quidem licere non debere putāt: ſed Magiſtratui ob Reip. cauſam & commodum hoc mendacium cōcedendum eſſe. Ac eorum ſunt expendendæ rationes, qui officioſum mendacium homini Chriſtiano licere putant, è quibus prima C eſt hæc. Nam Platonis ſententiam ſecutus eſt probátque Origenes, quanquam falſam quemadmodum docet Hierony. tum in Epiſto. ad Pammach. & Oceanum: tū in priore Apologia aduerſ. Ruffinū.

1 Inclementem fortunam regendam eſſe prudentia & conſilio. Itaque circunſpectè videndum quid dicendum, quid tacendum, quid fingendum, ſimulandum, atque diſſimulandum ſit. Reſpō. Paralogiſ. eſt à petitione principii. De hoc enim ipſo quæritur, vtrum mentiri liceat, quia graui calamitate premimur, ſumúſque animo perplexo & dubio, veremúrque rerum euentum. Illud potius ſequendum, vt quæ recta ſunt per ſe faciamus, euentum autem Domino relinquamus. Iacta in Domino curam tuam, inquit Dauid Pſal. 37. & ipſe liberabit te. Eſt enim in manu Domini quid de eo de quo metuimus, futurum ſit: & Chriſtiana eſt illa ſententia, Nunquā mala, aut quæ ſpeciem mali habent, eſſe facienda, vt bona eueniant. Roman. 3. 1. Theſſal. 5. verſu 22.

2 Non eſſe contra charitatem Chriſtianam hoc mendacium. Ergo non damnari hac lege. Huius enim legis finis eſt Charitas, ait Paulus 1. Tim.

A 1.v.5. At proximi iuuandi, atque ſubleuandi gratia fit hoc mendacium. Reſp. De eo ipſo quęritur, an non veræ Chriſtianæque charitati repugnet is animus fratris per mendacium eripiendi & conſeruandi. Etſi enim is videtur amicus in eum affectus, non idcirco tamen concludendum eſt, etiam eſſe Chriſtianum. Neque enim quiſquis amat, Chriſtianè amat, Chriſtiana enim charitas gaudet veritatate, inquit Paulus. Ergo cũ mendacio nõ eſt charitas coniungenda & exercenda. 1. Cor. 13. v. 6.

3 Non eſſe hoc mendacium nec appellandum mẽdacium. non fit enim in cuiuſquam perniciem. Dicitur enim eſſe mendacium illud, quod fit voluntate fallendi, id eſt, in fraudem vel damnũ alicuius, Auguſt. in Enchirid. ca. 22. ſic definit Mendacium, eſt falſa vocis ſignificatio cum voluntate fallendi. At hinc nemo fallitur, id eſt, damnum ſentit aut incommodũ: ergo non cadit in illud definitio mendacii, nec eſt mendacium. Reſp. Paralogiſ. eſt ab æquiuocatione vocis fallendi. Fallitur enim & qui deceptus damnum ſentit ſiue famæ, ſiue pecuniæ: B & qui tantùm aliud ſibi perſuadet eſſe verũ, quàm quod eſt. Falli enim eſt aliter, quàm res eſt, animo perſuaſum eſſe. Ergo etiam is cui tu per officioſum mendacium mentiris, fallitur ipſe per ſe, & ita in te mendacis definitio cadit: pugnátque hæc oratio & reſponſio tua cum rei veritate & ſententia conſcientiáque tua.

4 Patres mentiti ſunt, & dicitur Rahab, quæ mentita eſt, fide excepiſſe hoſpitio exploratores Iudæos, atque ſeruata fuiſſe, Hebr. 11. ver. 31. Obſtetrices Ægyptiæ quæ ſunt pro grauidis Iudæorum mulieribus mentitæ, dicuntur à Deo benedictæ, Exod. 1. Abraham mẽtitus eſt, & Rebecca, cuius tamen conſilium rectè ſucceſsit. Iehu dum Baalis ſacerdotes omnes vno die necat & tollit, 2. Reg. 10. & apud Theodoritum libr. 4. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 11. laudatur Flauiani Antiocheni Epiſcopi mẽdacium, qui Euchitarum & Meſſalianorum hæreſin deprehendit & detexit ſimulatione & mendacio. Idem ſcribitur lib. 7. Hiſtor. Tripart. cap. 11. apud Nicephorum lib. 11. cap. 14.

Reſpon. Paralogiſmum eſſe à cauſa pro non cauſa. Neque ideo hoc mendacii genus probandum eſt & honeſtum, quia Patres mentiti ſunt: ſed ſi li- C cet per ſe, rectè atque ſine culpa feciſſe iudicandi ſunt. Neque enim exemplis viuitur, ſed legibus. Ac quidem quod pertinet ad Rahab, dicitur fide, non autem mendacio ſalua facta eſſe. Credidit enim verbis & promiſsionibus Dei, quas exploratores explicuerunt. Modum autem eorum eripiendorum ſecuta eſt ipſa potius ex animi ſui ſenſu, quàm ex verbo Dei, vt mẽtiendo eos dimitteret. Eodem loco dicitur meretrix, ſi quis ex eo putat ſaluam factam, fallitur: ita neque ex eo quòd mẽtita eſt, Deo probata eſt. Idem de obſtetricibus Ægyptiis, quarum zelum quidem & charitatem Dominus probauit, benedixítque, mendacium non item. De Iehu quod obiicitur, modus ipſe quem ille ſecutus eſt, mendaciúmque apertè eodem Scripturæ loco damnatur. Dicitur enim fraudulenter & captioſè feciſſe. 2. Reg. 10. ver. 19. Fraudes autem odit Dominus, Pſ. 5. Quod ad reliquos patres, eos variè excuſat Auguſt. in eóque anxiè torquetur, & diſputat laborioſè in libro Quæſtionum, ſuper Geneſ. ſed verior eſt ſolutio. Non ideo rectè factum eſſe, quia illi fecerunt: ſed ſi rectè fieret, non ſunt damnandi. Certè hi ſunt in eorum honeſta quidem & A admirabili vita, tanquam in pulchro corpore, næui & vitia, quæ non ſunt imitanda.

5 Denique profani homines & Ethnici philoſophi, graues tamen homines, ita ſentiunt in alterius commodum & ſalutem mentiri non eſſe vitium. Ac illa ſunt Diphili in Comœdia quæ dicitur Theſaurus, vt refert Stobæus, in collecta λόγῳ 12.

Ἀληθομυθεῖν χρεὼν, ὅπου λώϊον.
Ὑπολαμβάνω γὰρ τὸ ψεῦδος ἐπὶ σωτηρίᾳ
Λεγόμενον, οὐδὲν περιποιεῖν δυσχερές.

Plato in dialogo, De Iuſto, τί δαὶ, ait, τοὺς φίλους οὐκ ὠφελεῖν δίκαιον εἶναι φὴς. ἔγωγε. Πότερον μὴ ἐξαπατῶντας ἐπ' ὠφελείᾳ τῇ ἑαυτῶν ἢ καὶ ἐξαπατῶντας νὴ δία. Ergo concludit in alicuius commodum mentiri bono viro licere, idque per ſe iuſtum eſſe. Hieron. in epiſt. ad Galat. 2. verſ. 14. putauit quoque licere. Sed illius ſententiã doctiſsimè in epiſtol. refutauit Auguſtinus. Reſp. Paralogiſmum eſſe, à non cauſa, pro cauſa. Neque enim licet, quia ita cenſent ethnici homines. Caruerunt enim lumine diuino: & norma verbi Dei, ex qua huius quæſtionis ſolutio quærenda eſt. Sed & Eccleſiaſtici, vti Lactant. lib. 6. cap. 18. & in epit. B cap. 6. nocendi cauſa tantùm factum mendacium notant, vt & Tull. lib. 3. De officiis.

Ergo ſic ſtatuendum eſt mendacium aliud quidem alio grauius eſſe. Nullum tamen illius genus conceſſum eſſe homini Chriſtiano: & ſiue pernicioſum, ſiue iocoſum, ſiue officioſum ſit, hoc præcepto, apertóque Dei verbo damnari. Cuius ſententiæ noſtræ, nec quidem tam noſtræ, quàm doctiſsimorum quorumlibet & Chriſtianorũ Theologorum, innumeræ penè ſunt rationes, paucę tamen ex illis à nobis afferentur.

1 Deus eſt veritas. Odit autem quæ ſunt ſuæ naturæ contraria. Eſt autem contrarium veritati mendacium cuiuſcunque ſit generis. Ergo damnandum, Deóque odioſum. Ioan. 8. Iacob. 3. v. 14.

2 Diabolus dicitur author & pater mendacii, Ioan. 8. ver. 44. Neque diſtinguitur officioſi ne an pernicioſi.

3 Abſtinendum eſt ab omni ſpecie mali, & eo, in quo fratrum conſcientiam turbare & concutere poſſumus, 1. Theſſal. 5. verſ. 22. Hoc autem C mendacii genus officioſi videtur homine veraci indignum. Ergo eo abſtinendum Chriſtiano & pio homini.

4 Scriptum eſt, Pſal. 5. v. 7. Perdes qui loquuntur mendacium. Veteres & imprimis Auguſtin. in lib. De mendacio ad Conſentium, ita ferè citat Perdes omnes qui loquuntur, &c. Ergo ſiue iocoſum, ſiue officioſum, ſiue pernicioſum quis mendacium dicat, à Deo perdetur. Et quanquam in ipſo textu Hebræo non eſt vox כל quæ Latinè ſonat omnes, tamen facilè ex proximè ſuperiori verſiculo repetita intelligi poteſt, vbi eſt diſertè, Perdes omnes qui operantur iniquitatem.

5 Charitas veritate gaudet, nulláque iniuſtitiæ parte, 1. Corinth. 13. v. 6. Veritas autem eſt pars iuſtitiæ. Prouerb. 23. v. 23. & 12. v. 7. At mendacium pars iniuſtitiæ, ergo Chriſtianę charitati contrarium eſt, Eccleſ. 4. v. 33. & repugnat.

6 Denique ne in Dei quidem laudem eſt mentiendum, nedum in hominis cuiuſquam commodum, aut ſalutem, Iob. 13. 7, & 10. Eccleſ. 4. verſ. 24. Prouerb. 13. v. 17. Rom. 3. v. 8. & 1. Cor. 15.

Idem iam ſentiũt probati quique authores, Auguſtin. in lib. ad Conſentium. Cal. in cap. 1. Exod. v. 18.

A v.18.Thomas in 2.2æ quæſt.110.& ipſe Ariſtotel.li.4.Ethic.dãnat ψεῦδος per ſe & omnino.& 22.quæſt.2.per totum.Neque enim laxanda eſt iniuſtitiæ via hominibus, Iſa.5.v.18. Pindarus dixit,ἀλήθειαν eſſe μεγάλην ἀρχὴν τῆς ἀρετῆς: & damnat Plutarch. Mariũ, quod mendax eſſet.Laudat autem Metellum,quòd eſſet verax,in vita Marij.

Quòd ſi quæritur, Quid igitur in huiuſmodi animi colluctatione agendum? Cùm metuis proximum prodere,occulta veritatem, ait Auguſt. mẽdacium autẽ ne dixeris.Aliud enim eſt celare quod ſcis,neque patefacere:aliud eſt mentiri. Illud ſæpe licet & faciendum eſt.Hoc verò nunquam.

Incidunt in hũc locum quæſtiones duæ, vna de ſtratagematis,quæ fiũt in bello,& de exploratione. Altera de eo quod animi errore fit dicitúrve. Vtrùm hoc præcepto contineantur.

Et quidẽ, modò fides hoſti data à nobis ſeruetur ſtratagematis vti licet in iuſto bello, etſi ea fictum quid ſimulatúmque habeant. Sed qui hoſtis eſt de hoſte huiuſmodi quędam ſuſpicari debet extra fidem datam. Quando ex ſuo animo alterius animum & ingenium metiri debet.Eſtque hæc B belli Lex, vt & apertè, & ex inſidiis geri poſſit ſalua cõſcientia.Ergo nihil pręter ius fáſque fit.Nec falſum cõmittitur, ſed tãtùm veritatẽ celamus hoſtẽ. Sic Dominus ipſe ſæpe iuſſit ſuos vti & inſidiis & ſtratagematis,Ioſ.8.& 2.Samuel.5.v.23.Iudic.20.

De exploratoribus idem eſt ſentiendum, licere piis & Chriſtianis exploratoribus eſſe, quãdo Caleb & Ioſue eo munere ſunt functi, Numer.13. & notat P. Martyr in 2.Sam.10.v.7. Modò tamen ne quid impium admittatur, prætérque Dei præceptũ. Nam iurare, vt tutius explores hoſtes, aut eorum ſacris idololatricis intereſſe nõ licet: itémque mentiri,& falſa ad eos decipiendos & fallendos,téque eripiẽdum iactare,pio hominíque Chriſtiano non concedemus. Prudenter autem veritatem celare ſæpe licet.

De errore facilis reſponſio eſt.Siquis enim alterum ipſe deceptus fefellerit, & cùm rẽ ita eſſe exiſtimaret,affirmarit,quia eius affectus procul à men- C tiendo abeſt,neque ſcit ſe falſum dicere, mendacii quidem reus non eſt.Sed tamen eſt leuitatis,temeritatis, & incogitantiæ, quæ etiam hoc præcepto damnatur.Explorata enim nobis eſſe debent ea,de quibus loquimur, & omnis in pronuntiãdo temeritas abeſſe ab homine Chriſtiano debet. Auguſtin.in Enchirid.cap.18.& 22.

Sequitur quartum caput.Quot modis vel cõtumelia,vel mendaciũ,falſúmve fieri vetetur.Et quidem vtrunque variis modis fieri poteſt,qui omnes damnantur hoc præcepto. Nam, vt Iuriſconſulti docent, contumelia fit vel Dicto, vel Facto, vel Scripto,l. j.De iniuriis.

Dicto quidem, quod ſi ſimplex ſit, neque cum vociferatione,ſimplex leuíſque iniuria appellatur. Sin autem cum vociferatione, aut pluriũ acclamatione & conuentu,nominatur conuitium.l.item apud labeonem.§.Conuitium.D.De iniuriis.

Facto fit iniuria ſiue quis Pulſetur,vel Verberetur, vel Vi domus eius introeatur:aut ſi cuius pudicitia attẽtatur,vel appellatur. Denique ſi comes illius abducitur,l.j.D.eod.

Scripto verò fit cõtumelia,vel Famoſis libellis editis:vel ἐπιθέσει iniurioſa impoſita: vel,Inſcriptione aliqua in opere publico, priuatóque ad alicuius A cõtumeliam facta,tot.tit.C.De famoſ.libellis.Niſi tamen fiat Reipubl. cauſa.l. Quod reipub. D. De iniuriis.

Falſum autem committitur,vel Vtẽdo eo,quod quis ſcit eſſe falſum: vel Faciendo, non vtendo:vel & Vtendo & faciẽdo.D.& C.Ad l.Cornel. de falſ. l.ii. D. De fide inſtrumentorum. Et hæc quidem Iuriſconſulti.

Sed quando nos Theologica tractamus, eas diſtinctiones afferamus,quæ ad Theologorum inſtitutum & diſputationem videtur magis pertinere. Ergo duobus modis fit contumelia, vel Palàm & publicè:vel Priuatim.Si palàm fit,grauiſſima atrociſſimáque iniuria & contumelia eſt,ſiue ea ſit irriſio publica & dicacitas, ſiue κατάρα & maledictio. Vtraque damnata eſt,Iaco.3.v.9.& 4. v. 11. & famã fratris ea iniuria maximè lædit, quam tamen nos, quãtũ in nobis eſt,quantúmque ſaluo Dei honore & nomine licet,tueri debemus,Leuit.19.v.16,& 17. Ezech.22.ver.9.Pſal.50.ver.20.& Pſalm.109. ver. 18.Hebræi à verbo רגל deducunt מרגל. i. detractatores B & diffamatores, quòd huiuſmodi homines diſcurrere ſoleant, & vagari vicatim ad calumniãdũ criminãdúmque fratres,quod fieri vetat omnino Paulus.1.Timoth.5.verſu 13.& Prouerb.22.verſu 8. & dicuntur à Paulo tales ὑβρισταὶ Romã.1.verſu 30. Diræ autem & imprecationes quæ à nobis in proximi caput,vel valetudinẽ fiunt,quale eſt Diabolus te auferat,Quartana te vexet,tũ ex hoc præcepto dãnantur,tum ex ſexto,quia vindictę animo fiũt. Idẽ P.Martyr ſentit quoque in Rom.11.verſ.9.

Qui verò priuatim contumeliã faciunt, eos duplicis generis Paulus cõſtituiſſe videtur.Rom.1.v.29. & 30.2. Cor.12. v.20.nẽpe καταλάλους & ψιθυριστάς. id eſt, Detrectatores & Suſurrones.Nam qui contumeliam,verbis imprimis & maximè,proximo facit, aut eam Præſenti & coràm facit, aut Abſenti proximo.Si præſenti facit dicítve conuitiũ,dicitur κατάλαλος.i.detractor. Quãquam aliter Thomas diſtinguit in 2.2* quęſt.73.Nempe vt detractio ſit famę proximi imminutio,quę fit à nobis verbis quidem,ſed occultè & clàm.Anſelmus in Roman.1.v.3.ſentit ſcribitque detractionis ſignificationem latiſſimè patere. Eſt enim Anſelmo detractio aliorũ C bene geſta opera vel in malum vitioſè mutare,vel inuidendo fallaci fraude diminuere, cùm aut mala dicuntur,quæ bona ſunt:aut parua bona, quæ magna.Ergo detractio eſt alienę virtutis inſidioſa criminatio,obſcuratio,& imminutio. Nos autẽ καταλάλους ſic interpretari malum',vt ij ſint,qui aliis coràm pręſentibúſque contumeliam & probrũ obiiciunt,id eſt,in faciem.

Vnde quæſitum eſt, Num fuerit Paulus detractor, cùm in os dixit Petro, Tu Iudaizas, & neophytos Gẽtiles tua ſimulatione decipis,Galat.2.v.14.Putauit Hieronym.totum hũc Pauli locum eſſe officioſum mendacium, neque à Paulo Petrum vnquam reprehenſum.Negauit autem conſtantiſſimè Aug.Itaque reſponſio eſt,Nõ fuiſſe eam Pauli orationem detractionem, ſed grauem vtilem, & piam Petri admonitionẽ,increpationémque quòd Chriſti doctrina,& veritas, per Petrum imminueretur,neque ſatis cõſtanter,metu quodam Iudæorum,retineretur.

Qui autem abſenti maledicunt & detrahunt, non in faciem, non in os, ij ſuſurrones appellantur ψιθυρισταί. Et quanquam à ſono & ſuſurrando,&

A ab eo, quod in aurem clàm infunditur, dicatur ſuſurro, tamen pro eo in vniuerſum accipiatur, qui abſenti facit contumeliam. Hic etiam damnatur, vt & detractor & obtrectator, Rom.1.v.30.2.Corinth. 12.v.20.Iacob.3.v.11.De quo hominum genere cõqueritur Dauid, maléque illi imprecatur. Pſalm.52. Bernardus lib.2.de Conſiderat. Porrò detrahere, aut detrahentem audire quid horum damnabilius ſit, non facilè dixerim.

Incidit in hunc locum præclara totiéſque repetita in Scriptura laus ſobriæ, & continentis linguę, Prouerb.13.v.2.& 18.v.20.21.& 21.v.23. Eccleſ.8.v.1. & ſeq.Iacob.3.penè per totum, & quod eſt ex Gregorij libris ſumptum in cano. Ex merito. 6. quæſt. 1. Æſopica illa fabula de bono & malo linguæ, itémque illud quod breuiter mihi & commodè dictum videtur, & eſt Fauſti poetæ Franci:

Quid melius lingua? lingua quid peius eadem?
Triſtia cum dulci toxica melle gerit.

Suſurrones autem aliter à Thoma in 2. 2* quæſt. 74. explicari tamen, non ignoro: ſed vide Cyprian. lib.3. Ad Quirinum.

Mendacium autem, & falſum committitur

B tribus modis { Dicto,
Facto,
Taciturnitate. i. ſilentio ſiue occultatione veritatis, quando eam dici propter Dei gloriam, & profiteri neceſſe eſt.

Dicto fit mendacium, committitúrque, quẽadmodum ſuprà variè explicatum eſt, cùm illud quod pronũtiatur. i. affirmatur, negatúrve aliter ſe habet & ſonat, quàm veritas & res eſt.

Facto, quum perſonæ, conditionis, cultus ſimulatione, diſſimulationéve quid fit, aut aſſumitur, quod vel Dei gloriam, vel proximum lędit. Neque verò omnis ſimulatio, diſſimulatióve per ſe damnata eſt. Nã quando ſtratagema & exploratio, quæ fit de hoſtibus, homini Chriſtiano conceſſa eſt, ſępè aliquid facto ipſo ſimulandum aut diſſimulandum eſt. Nam veritas propriè in dictis & oratione verſatur, non autem in factis. Chriſtus ipſe ſæpe cùm ad cædem à Iudæis quæreretur, euanuit, & ſe ſubduxit eo modo, vt non agnoſceretur ab hoſtibus, C Ioan.8.v.59.& 10.v.39. Sic ſæpe Angeli induerũt corpora, & ſe hominum ſpecie & forma obtulerunt hominibus, cùm tamen naturâ tales nõ ſint: Sic & Chriſtus ipſe, Geneſ. 18. verſ.2. Nec falſum fit, quia licet æſtimare cuilibet quales ſimus, & vti dixi, veritas eſt in dictis.

Vnde quæſitum eſt, Vtrúmne rectè fecerit Dauid, dum fingit & ſimulat ſe ſtultum eſſe coram Achi rege Palæſtinorum. Quæ extat ſcripta hiſtoria, 1.Sam.21.& Pſ.34. Reſp. Quãdo ea ſimulatione Dei gloria apud profanos illos & Ethnicos homines euiluit, & eſt imminuta, certè damnanda eſt, miniméque excuſabilis Dauid. Irriſus enim eſt ipſe ab Achi & toto illius aulico comitatu velut ſtultus, quẽ tamen iam Dominus in regem vnxerat, & quẽ variis donis illuſtrauerat, quaſi Deus Iſraelis ſtultorum tantùm fautor eſſet & Deus.

Taciturnitate denique & ſilẽtio fit cõmittitúrq; ſæpe mendacium, quum veritatem celamus eo tẽpore, & apud eas perſonas, quibus proferenda eſt, veluti ſi quis Iudex, corã quo velut Chriſtiani accuſamur, nos de vera fide interroget, & ſciſcitetur, quæ ſit, nõ eſt tũc tacendũ. Huiuſmodi enim ſilentium proditioni ſimile eſt & par. Vę timidis, inquit ſpiritus Dei, Apocal. 24. verſ. 8. A Itaque qui metu huius vitæ veritatẽ Dei celant, iis cõdẽnatio apertiſſimè denũtiatur, Matth.10.ver.28.Luc.12.v.5. Ergo vbi de fide, doctrináque Chriſtiana agitur, veritas tegi, celaríque non debet, & eam occultare, mẽtiri eſt, 1.Pet.3. verſ. 15. De qua re extant variæ patrum ſentẽtię, Chryſoſtomi, Ambroſij, Auguſtini, & eſt in cano. Quiſquis metu, & cano. Nolite timere. 11. quæſt. 3. & Paulus Epheſ.5. verſu 8. & 9. docet veritatem iuſtitiæ adhærere, eſſéque vtranque fructum Spiritus ſancti in Chriſtianis.

Neque obſtat quod ait Auguſt. ſæpe poſſe occultari, celaríque veritatem. Hoc enim verum eſt, dum neque Dei maieſtas læditur, neque proximi charitas. Per ſe enim & eo caſu, aliud eſt Mentiri, aliud Celare veritatem. Auguſt in lib. De mendacio, ad Conſentium. Ergo nõ ſemper qui celat aliquid veri, dixit aliquid falſi. Cõtra Fauſt. lib.22. cap. 34. ait idem Auguſt.

Venio ad quintum & vltimum caput huius præcepti, Quot ſunt genera mendacii aut contumeliæ quæ hoc præcepto damnantur.

Paulus variis in locis videtur tres tantùm ſpecies B enumeraſſe, καταλάλους, ψιθυριστὰς, ὑβριστὰς, Romã.1.ver. 30. quæ ad contumeliam pertinent. Theologi hoc loco quatuor ſpecies has referre videntur, Suſpicionem malam, obtrectationem, maledicẽtiam, & Calumniam. Nos vero quô omnia tum contumeliarum tum mẽdacij genera hoc præcepto damnata commodiùs cõprehendantur, dicimus eſſe quatuor in vniuerſum, ad quæ infinitæ quædã alię ſpecies reuocari poſſunt. Ergo ſunt hæc genera:

1 Suſpicio falſa, maláve.
2 Auditio, auréſque patulæ ad alienas detractiones vel mendacia.
3 Temeritas omnis in loquendo, iudicandóve.
4 Falſitas. i. calumnia, mendaciúmque ipſum, quod vel de nobis ipſis commimiſcimur, vel in proximum.

Ac quidem ſuſpicio praua vel falſa de proximo damnatur hac Lege, quia & falſum committit, & cõtumeliam affert. Et quanquã eſt ſuſpicio occulta animi noſtri de alicuius probitate, vel nequitia opinio & ſenſus, qui ab hominibus videri nõ poteſt: C videt tamen eum Deus. Eſtque hæc Lex ſpiritalis, Rom.7.ver.14. quę non tantùm externa facta prohibet: ſed internas animi noſtri cogitationes damnat & cõplectitur, quia & eas videt Deus, qui cordium ſcrutator eſt, & à quo hæc Lex condita, Romã.8.v.27. Damnari verò malam de proximo ſuſpicionẽ, vetaríque nos eſſe in malam partem ſuſpicaces, ex eo ſatis intelligitur, quòd is animus & affectus eſt charitati Chriſtianæ planè contrarius. Nõ eſt enim charitas ſuſpicax, inquit Paulus, 1. Corinth.13.v.5. Itaque meritò Abraham ipſe pater fidelium ab ethnico Abimelech reprehenditur, quòd malè de ſe ſuóque populo eſſet ſuſpicatus, Geneſ. 20.ver.9. Item & Iſaac, Geneſ.26.verſ.10. Nemo enim ex ſuſpicionis arbitrio iudicandus eſt, inquit Auguſt. in Hõ. de Pœnit. ſed ex veritate. Ergo ſuſpicioſi homines damnantur hoc præcepto. Neque verò ſemper vera eſt illa, audiendáque ratio, Semel malus ſemper præſumitur eſſe in eodem genere malus: quia poſſunt reſipiſcere homines, vt exẽplũ Pauli docet, Actor.9.verſ.13. cõtráque vera eſt illa ſententia, Nemo deſperet meliora lapſis.

A Secundum genus, quod hoc præcepto comprehenditur, lõgius prouehitur. Eſt autem ſi quis prębeat patulas aures ad mendacia, vel contumelias alienas audiendas. Iſta enim aurium inſana delectatio, & voluptas, vel potiùs (vt loquitur Gregor.) pruritus eſt & turpiſsimus, & peſsimus, & eſt in cano. ex merito 6. quæſt. 1. Grauiſsimũ enim eſt libenter detractionem audire, inquit etiã Anſelmus in lib. De ſimilitudinib. ca. 19. Et qui audiũt, certè vulnera, & contumeliam auribus, non lingua inferũt ipſi: & quanquam in libr. Aduerſus Iudæos, ſic ſcribit Cyprianus, Aurium officium eſt, indifferenter, pariter, vana atque vtilia percipere & audire: tamẽ non excuſantur qui alienis calumniis & mẽdaciis inhiant auribus. Hoc quidem officium eſt Auriũ, ſonos qualeſcunque audire ratione obiecti, (eſt enim ſonus obiectum auditus) non autem ratione finis illud eſt auriũ officium. Condidit enim, creauítque Dominus eas, vt bona audiremus, non autem vt mala. Ergo qui prõptè huiuſmodi audiunt, & lubenter, damnantur.

Atque vt aures temerarię & prurientes damnantur hoc præcepto: ita & linguæ temeritas, quę certè multiplex eſt, nimirum vel in loquendo, vel in B iudicando.

Ac linguæ quidẽ temeritas in loquendo & ſermone appellatur loquacitas, ſeu garrulitas, ἀδολεσχία, cui Taciturnitas & σιωπὴ eſt contraria. Valde enim illud reprehendendum eſt, cùm lingua præcurrit mentem, vt ait Iſocrates ad Demonicum. Prouer. 15. verſ. 18. Ergo vt ἀδολεσχία illa & garrulitas peſsimum vitium eſt, ita σιωπὴ & Taciturnitas in tempore longè optima virtus. Eſt autẽ Loquacitas iſta, vt ait Aſtydamas, deambulatio linguæ.

Γλώσσης περίπατός ἐστιν ἀδολεσχία,
Λήροις ἐν οὐ δέοντι καιρῷ φιλοσοφῶν.

id eſt.

Lingua garrulitas eſt ambulatoria,
De nugis non congruenti tempore philoſophans.

Cuius quantum ſit vitium & malum apertè docet & ratio, ſiue natura, & ſcripturę authoritas. Ac quidem ſcripturæ authoritas. Iaco. 3. v. 23. & ſeq. 1. v. 19. omnis homo ſit tardus ad loquendum, velox ad audiendum. Prou. 17. verſ. 27. & 10. ver. 19. Eccleſ. 6. ver. 11. Eccleſ. 19. verſ. 6. & ſequen.

C Ratio verò quia binas aures dedit natura, vnam tantùm linguam, eámque duplici vallo, nimirum, dẽtium, & labiorum, coercitam ne temerè exiret. Itaque vectes & frenũ eſt illi iniiciendũ. Eccle. 28. ver. 28. & hoc ipſum etiã dixit Zeno Philoſophus. Huius autem ſunt plures ſpecies, velut πολυλογία, κενολογία, μωρολογία, λογοφιλία, λαλία quæ eſt ſermonis temeraria profuſio, & loquacitas: & ἀδολεσχία, quæ eſt inportuna oratio & faſtidioſa, vt definit Theophraſtus in Characteribus, de quibus vide Stobæ. in Collecta. λόγ. 36. vti de Taciturnitate & ſilentio decenti atque conuenienti in eodẽ opere. λόγ. 33. ἀσφαλὲς τὸ σιγᾶν, dicebat demoſthenes, &

Πολλοῖς γὰρ ἀνθρώποισι φάρμακον κακῶν
Σιγὴ, μάλιστα δ' ἐστὶ σώφρονος τρόπου σημεῖον, inquit

Carcinus.

Eodem modo multóq; magis Temeritas in iudicando damnatur. Eccle. 11. ver. 7. Nemo enim temerè & inauditus damnandus eſt etiã priuato iudicio noſtro. Hanc damnat Chriſtus Matt. 7. & Iacob. 4. verſ. 11. damnata in Heli. 1. Samuel 1. verſ. 14. Quanquam etiam nobis quoque ipſis eſt laborandum, vt ab omni etiam ſpecie mali abſtineamus, A ne quam iuſtam malè de nobis iudicandi occaſionem præbuiſſe videamur. Vera eſt enim illa Hieronymi ſententia, In multis etſi conſcientia criminis vulnus non habet, habet tamen fama ignominiam.

Denique falſitas ipſa, quæ fit, ſiue quis aliud ſentit quàm loquitur, ſiue quis ita ſentit vti & loquitur: ſed falſa & ſentit & loquitur.

Ac quidem qui aliud ſentit, quàm loquitur, eſt Bilinguis, & vaniſsimus Mendax, & ea lingua dicitur eſſe in vno homine duplex Iacob. 1. ver. 8, & 4. v. 8. Eccleſ. 28. v. 15. & ſeq. Sic dixit Verg. de Pœnis Tyrióſque bilingues, & Cyprian. lib. 3. Ad Quirinum de iis agit.

Et vti lingua duplex damnatur, ita & doloſa & calumniatrix, id eſt, quæ falſa & mendacia de fratre loquitur, quæ confinxit, & quæ cõuitiatrix eſt. Prouerb. 26. verſ. 28. & 12. verſ. 18.

De pœna huius criminis eſt agendum. Ac quidẽ hæc prima pœna eſt, vt Ariſtoteles, vel, vt alij volunt, Demetrius reſpondit, quòd mendaces ne creduntur quidem cùm vera dicunt. Sed Pœna ſpiritalis eſt Mors animæ, niſi illi reſipuerint. 1. Corin. 6. verſ. 10. 1. Timoth. 1. verſ. 10. B

Pœna verò politica lege Moſis falſi teſtis fuit Mors. Fuit enim hoc crimẽ capitale. Deut. 19. v. 16.

Legibus Romanor. antiquiſsima pœna falſi teſtis fuit, vt de ſaxo proiiceretur, Alexand. ab Alexãdro. lib. 6. cap. 10. Recentior deportatio, & omniũ bonorum publicatio, vel pro magnitudine negotij ſæpe mors indicta. l. j. §. ſi. D. Ad l. Cornel. De falſ. & l. vbi falſi. C. eod.

Scribit Ariſtot. lib. 2. πολιτικῶν, cap. vlt. Charondã primum omnium de falſis teſtib. quæſtionem habuiſſe, & in eos pœnam conſtituiſſe. Fuit autem is Catanæorum legiſlator poſt Numam, ſecundum Romanorum regem.

Iam ex negatiua, affirmatiua colligenda eſt, ex oppoſitis enim vitiis, quæ virtutes commendẽtur, facilè intelligunt omnes. Ac primum publicorum iudiciorum ſanctitas, authoritas & veneratio ſancitur, in quibus veritatem requirit Dominus. In iis enim fallere, mentiri, aut errare turpiſsimum periculoſúmque eſt.

In priuatis verò contractibus, teſtamentis, ſermonibus, colloquiis, cæteríſque negotiis etiã veritas coli, ſanctéque retineri debet, nequis alteri C mentiatur. Eſt enim, vt ait Philo in expoſitione generali Decalogi, ἀλήθεια κτῆμα ἱερώτατον, καὶ ἡλίου τρόπον φῶς πράγμασι περιτίθησιν ἵνα μηδὲν αὐτῆς ἐπικαλύπτηται. Nã, addit idem, qui mentiuntur præterquam quòd rebus ipſis noctem & tenebras inducunt, rei ſunt ſceleris & fauent delictis, & alios in errorem inducunt, qui putant ſe ſcire, quæ ex iis audiuerunt. Sed & Eutrapelia, quæ ludos, iocóſque noſtros moderatur, ne ſint immoderati, etiam hoc præcepto cõmendatur, vti & eo quod eſt, *Non mœchaberis*, de qua Ariſtot. li. 4. ἠθικῶν. & Thomas in 2. 2ª quæſt. 168. Neque hæc εὐτραπελία eſt ea, quam damnat Paulus Epheſ. 5. verſ. 4. quia vti corpori, ſic animo dãda eſt quies, ſed hæc longè diuerſa eſt à Paulina. Hæc enim moderatur riſus noſtros & iocos: illa Pauli effuſè aut immodeſtè in iocis & ludis verſatur.

Denique vti veritas omnis hoc præcepto commendatur, ita & linguæ ſobrietas. Denique hæ

A virtutes quatuor ſanciuntur.

1 Benigna de fratribus & ſancta opinio, vt de iis bene apud nos ſentiamus, eorúmque & dicta & facta quatenus fieri poteſt in meliorem partem interpretemur ſemper.

2 Auerſio, fugáque alienarum calumniarum, & mendacij audiendi.

3 Omnis ſermonis grauitas, modeſtia, ſobrietas, & in iudicando circunſpectio, diligénſque inquiſitio & moderatio.

4 Denique vbique bonæ proximi famæ commendatio & liberalis, ingenuáque prædicatio virtutis alienæ.

CAP. XVII.

Decimi diuinæ Legis præcepti, quod eſt, Non concupiſces domum proximi tui Non concupiſces vxorem, &c. expoſitio.

B PRimùm verba ipſa Legis quemadmodum interpretetur Græcus quidam videamus. Videtur enim quiddam in lege immutatum. Nempe quod addit. Neque agrum eius, quæ verba in Exodo non habentur, nec in Deuteronom. cap. 5. etſi à mente Legis non diſsidēt, ſed præſtat vt pręſcriptis verbis legem ipſam recitemus, atque ediſcamus. Quod autē pertinet ad hanc vocē ἐπιθυμεῖν, ea ſemper vſus quoque eſt vbique Paulus Roman. 7. verſ. 7. & 13. ver. 9. Iacob. 4. verſ. 2. 1. Ioan. 2. verſ. 16. & 17. Sed obſtare videtur, quòd huius vocis ἐπιθυμίας videtur eſſe media ſignificatio, vnde ἐπιθυμίαν κακὴν diſertè damnat Paulus Coloſſ. 3. v. 5. Hîc autē nō quodlibet deſyderium damnari intelligendum eſt: ſed illud modò, quod turpe eſt & charitati Chriſtianæ contrarium. 1. Corinth, 13. v. 5. id eſt, quod quærit quæ ſua ſunt.

Præterea duplici voce vtuntur Hebræi, vt apparet, חמד & אוה. hoc ſignificat cum delectatione quadam appetere: illud vehementem quandam animi C libidinem denotat. Vtrū igitur vel verbo συνήδεσθαι, vel ἐπιποθεῖν, vel βούλεσθαι, vel ἀγαπᾷν vti liceat, vt verba græca explicemus, vti ex his locis colligi videtur. Rom. 7. verſ. 21. Iac. 4. v. 5. 1. Ioan. 2. v. 15. Reſpōdeo, licet. Nam θεολογία Chriſtiana non eſt λογοδαιδαλία, ſed vera explicatio mētis Diuinæ. Verbo verò ἐπιθυμεῖν eſt pulcherrimè expreſſum, quam delectationem complectitur Lex. Nunc de ordine & æquitate huius legis videamus.

Ait Lex, *Non concupiſces domum proximi tui: Non concupiſces vxorem proximi tui, neque ſeruum, neque ancillam eius, neque bouē, neque aſinum eius, neque eorum quicquam, quæ ad eum pertinent.* Hactenus Lex. Cuius ad interpretationem priuſquam aggrediamur, quædam pro more noſtro præfabimur. Ac quidem quatuor, è quibus primum eſt.

Quanta ſit huius legis diuinæ præ omnibus aliis legibus dignitas & præſtātia, ſiue eæ politicæ ſint, ſiue naturales & philoſophicæ. Id quod optimè ex hoc præcepto intelligemus, quanquam numero decimum, & in tota hac lege vltimum eſt. Eò igitur pertingit hæc Lex, vt abdita cordis humani ſcrutetur, & prauas illius cogitationes & concupiſcentias damnet. Id quod certè alia nulla Lex præter hanc vnā facit aut ſancit. Itaque ait Paulus Roman. 7. verſ. 7. non noſſem Concupiſcentiam eſſe peccatum, niſi Lex dixiſſet, *Non concupiſces.* Atque quò melius ita ſe rē habere perſpiciamus, quid de A Concupiſcentiis & prauis hominum cogitationibus Philoſophi, vel Nomothetæ, ac in vniuerſum homines omnes ſuis ſententiis ſtatuāt, videamus. In quo generaliter dici poteſt, eos duo tātùm peccati genera agnouiſſe, Nimirū turpe ipſum factū, & certum animi propoſitum, voluntatémque rei malæ perpetrandæ: præterea nihil. Vnde fit, vt concupiſcentiam prętermittant, neque in peccatorum numero habeant. Sunt verò tres hominum ſententiæ explicandæ, ex quibus tota hæc quęſtio definietur. Nēpe Politicorū hominū ſiue Nomothetarū, Philoſophorū ſiue Poetarū, & Doctorū Romanorum ſiue Theologorū (qui dicūtur) Papiſtarū.

Ac Nomothetæ quidem, qui pacis politiæque inter homines ſtabiliendę gratia leges condiderūt, ſolam mali concupiſcentiam & cogitationem nūquam damnarunt, ſuiſve legibus puniuerunt, ſed eam demū voluntatē, quæ certum animi propoſi- B tum, certámq; rei malæ agendæ deliberationē cum aſſenſu haberet. Eſt in l. cogitationis. D. de pœn. l. j. §. ſola tamen. D. de furtis. etſi in l. impuberem. §. ſed etſi. D. Ad l. Cornel. De falſ. ſic ait Iuriſconſultus, etſi ad cogitationem animi nocens eſt, dicemus tamen pœnæ eximendum. Nec obſtat l. ſancimus. C. de pœn. Vnde Auguſtinus lib. 1. De libero Arbit. cap. 15. de lege politica loquens, ſic ait, Non autem vlciſcitur peccatum, cùm amātur iſta, ſed cùm aliis per improbitatem auferuntur. Signū enim aliquod aſſentientis malo voluntatis etiā requirit lex politica, quia ſolam mali concupiſcentiam non damnat. l. fugitiuus. D. De verbor. ſignificatio. Cicero, leges tantum puniunt, ait, quantum manu apprehendunt.

Philoſophi autem & Poetæ ethnici magnū quid & præclarum in ſpeciem ſenſiſſe vidētur. Nam eadem damnant, quæ ſuperiora præcepta, vnde Tertullia. in Apolog. cap. 45. ex aduerſariorum perſona, Eadem, inquit, & Philoſophi monent & profitentur innocentiam, iuſtitiam, patientiam, ſobrietatē, pudicitiā, maximéq; poſſunt cum Dei lege cō- C ſentire videri in hoc etiā pręcepto. Aiunt enim ſic,

Πάντων μὲν πρώτιστα κακῶν ἐπιθυμία ἐστίν.

& alibi non tātùm malum eſſe per ſe ἐπιθυμίαν (qua voce Lex Dei hoc loco vtitur) volunt: ſed etiam penè malorū omnium fontem. Dicebat enim Xenocrates non minus eſſe turpe oculos, quàm manus, in alienum agrum iniicere. Cicero lib. 2. De finib. ait cupiditatem radicitùs extrahendam, nō ſolum moderandam, aut certa menſura finiendam. Idem ille lib. 3. De finib. ait peccatum eſſe duplex: alterū cum effectu, vt patriam prodere: alterum ſine effectu, vt timere, in libidine eſſe. Thales dixit eū qui vel cogitaret malum non latere Deum, Laertius in Thalete. Iuuenalis ſatyr. 13.

Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat vllum,
Facti crimen habet.—

Reipſa autem nihil ab aliorum ſenſu Philoſophi differunt. Eas enim ſolas praui cogitationes, & volūtates dānant, atque inter peccata enumerāt, quas antegreſſa eſt animi deliberatio, ſecutáq; electio & conſenſus, id eſt, in quibus volūtas malo cogitato & propoſito aſſentitur, vt illud & velit & probet. Quæ autem conſenſum non habent, damnant quidem eas ἀκρατείας nomine nonnunquam, ſi ſint frequentes: inter vitia tamen eſſe non cenſent. Sic Ariſtoteles lib. 3. ἠθικῶν. Νικομαχ. ca. 2. Neque aliud

A de iis ſentire ſuadet, quod Ε'πιθυμίαν κακὸν πρόπιστον, id eſt Maximum vitium & malum appellant, quo nomine à Scriptura Concupiſcētia vocatur. Ε'πιθυμίας enim duplex eſt ſignificatio. Nam & Cupiditatem & Concupiſcentiam denotat. Cùm itaque ἐπιθυμίαν accuſant Philoſophi, tunc non pro Concupiſcentia, ſed pro Cupiditate, & coaceruandi auri nimio ſtudio (quæ Auaritia nominatur) ſumenda eſt. Sic enim eo verſu ſcribunt, Auaritiam (quam vocant vulgi more ἐπιθυμίαν) eſſe peſsimum vitium, & penè malorum omnium, quæ inter homines cōmittuntur, fontem. Eodem ſenſu voce ἐπιθυμίας vtitur etiam Iacobus in ſua epiſtola cap.4.verſ.2. & illud ipſum eſt, quod ait Paulus, 1.Tim.6.v.10. Ergo nihil ad mentem Legis diuinæ facit illa Philoſophorum ſententia.

Denique quid Scholaſtici ipſi Rom. ſentiant, videamus. Illi enim reſtant. Sed neque hi concupiſcentias pro peccatis agnoſcunt, aut habent. Philoſophiæ enim ſtudio contra Pauli præceptum, Coloſ.2.verſ.8. plus ſatis addicti, eas ſolas voluntates mali damnant, quibus fixus firmúſque mali perpetrandi conſenſus adiunctus eſt. Solas autē eas mali cogitationes, quæ nos titillant, non item, ſi modò B iis plenè non aſſentiamur. Et eæ tamen ſunt veræ concupiſcentiæ hoc Legis præcepto improbatæ. Quid igitur de tota hac re iſti ſentiunt? Certè varia & diuerſa, miniméque inter ſeſe conſentientia. Nam Pighius hæres & patronus Pelagij in baptizatis poſt baptiſmum ne peccata quidem eſſe aut dici debere Concupiſcentias ſcripſit. Alij diſtinguunt inter Concupiſcentiam quæ eſt

{ Formata.
{ Informis adhuc & ſcabra vel rudis, Illam quidem damnari affirmantes: Hanc autem rudem negantes peccatum eſſe. Magiſter ſentent. libr.2. diſtinct.39. & 49. Alij item dicunt

aliud eſſe animi {
Propaſsionem. Hieronym.
Antepaſsionem, Græci προπάθειαν vocant.
Paſsionem.

Propaſsionem vocāt, quam Ariſtoteles in ſuis Categoriis patibilem Qualitatem, nimirum ſubitum animi motum, & affectum, qui non eſt diuturnus, & vt ipſi loquuntur, moroſus, qualis eſt iræ momētaneæ vel libidinis. Itaque ex Ariſtotelis decretis C & ſententia iſti Theologi hanc apud Deum peccatum eſſe negāt. Paſsio autem illis eſt, animi forma, habitus & deliberatio cum conſenſu, à qua homines quales dicuntur, veluti iracundi, aut libidinoſi, & amantes. Hanc ſolā apud Deū damnari, quia & eam ſolam damnat Ariſtoteles. Denique hæc eſt Nicolai de Lyra in Matth.5.v.22. non modò ſentētia, ſed etiam oratio, quæ ex Bernardi ſermo. De Triplici genere cogitat. ſumpta videri poteſt, ſed perperam intellecto. Præclarè enim idem ſermo. 49. Cant. Cant. 51. doles, quia inuides: ſentis, ſed nō cōſentis. Paſsio eſt quandocunque ſananda, &c. Is appetitus, ait De Lyra, qui præuenit actū rationis ad appetendum, non eſt peccatum mortale, vel veniale, ſed motus ſenſualitatis, qui nō eſt in noſtra poteſtate. Hæc ille. Veluti ferè edaci, & voluptario homini obrepit quidā ciborum & deliciarum appetitus: ſic nobis incogitantibus ſubrepunt prauæ cogitationes & cōcupiſcentiæ, quas ille neque pro peccato mortali, neque pro veniali agnoſcit. Sed addit De Lyra. Hic appetitus, ſi retinetur poſtquā perceptus eſt, fit peccatū. Sed duplici modo retinetur. A Nimirū vel cum Moroſa & diuturna delectatione, & tunc eſt tantùm, ait, peccatum veniale: vel cū Cōſenſu, & non ſolū cum diuturna delectatione, tunc eſt peccatū mortale, antequā facto aut ſigno exprimatur. Qui omnis eorum error ex eo maxime fonte ſcatet, quòd illi ignorāt, quæ quantáque ſit humanę naturæ corruptio, labes & vitioſitas, & earū cogitationū, atque appetituum, qui ex ea per ſe proficiſcuntur. Sed illi Philoſophorū more nobis blandiuntur. Aiunt enim nos naturæ noſtræ etiam nondum regeneratæ, vi, & indole bona opera edere præſtaréq; poſſe, quoad ſubſtantiam operis: nō autē meritoria, quoad intentionē præcipiētis. Voluntatē enim noſtrā eſſe liberā, nō peccati ſeruā. Itaq; ipſam per ſe poſſe velle bona opera, quāquā Dei gratia, aiūt, & ſpiritu accedēte efficitur, vt illa volūtas noſtra, efficaciter velit & cōſequatur, quę velit. Vnde duplicē in nobis Dei gratiā faciūt,

Nempe { Præcedentem & Subſequentē } vel { Operantem. Cooperantem.

vel de {
Congruo.
Condigno.

Quòd ſi noſtra voluntas B cogitet ipſa per ſe mali aliquid, quanquam eo mali ſenſu titilletur, tamen ſi non aſſentiatur, non peccare, neque eam mali concupiſcentiā peccatū eſſe, quia ille ſenſus & motus à natura nobis inditus atque ingenitus eſt, extráque noſtrā poteſtatē. Hæc eorum ratio & oratio eſt, quæ his Bernardi verbis ſermo. De duplici iudicio, apertiſsimè refutatur. Eodē modo in anima, ſi peccatum ſuggeritur memoriæ per cogitationē, nullum tamen præbuerit aut voluntas affectū, aut deliberatio ipſa conſenſum, fateor quidem deformitas eſt, nec audire meretur illa anima, Tota pulchra es amica mea. Quod ſi voluntas quoque præoccupata ſenſu delectations afficitur, reſiſtit tamē adhuc deliberatio rationis, infirmatur quidē, ſed necdū moritur. Tunc verò mori dicitur, cùm & ipſa ratio ad peccatum per intentionem curuatur. Tunc enim conſentit, & de tali dicitur, Anima quæ peccauerit ipſa morietur. Itaque Scholaſtici grauiſsimè fallūtur. Nā concupiſcentia illa appetitúſque rei malæ, quæ cor noſtrū titillat & delectat, quanquam aſſenſu noſtro non probatur, aut retinetur, peccatū tamen eſt, idque grauiſsimū & fœdiſsimus carnis noſtræ effectus. textus hic, & Rom.7. verſ.7. Galat.5. C verſ.25. Et quanquā ex naturæ noſtræ proprio motu is appetitus oritur, ſæpe nobis incogitantibus, atque etiam renitentibus obrepit: itémque quod vulgò dicitur, Primi motus non ſunt in poteſtate hominis, id nos non excuſat. Ita enim eſt naturæ noſtræ lues & corruptio, vt nihil bonū ipſa per ſe cogitare poſsit, Hiere.4.verſ.22. Zachar.8.verſ.17. Roman.8.verſ. 6. & 7. ſed peccatū ſit coram Deo, quod ipſa profert & producit. Vti enim in corporibus cęcitas aut ſurditas, licet ſit à natura, labes eſt & πήρωσις corporis, ita omnis ἄτακτος naturæ cordis, carníſque noſtræ concupiſcentia, motus, & titillatio peccatum eſt, etſi ad eam ſponte natura noſtræ mouetur. Naturam enim iam vitiatam cauſam eſſe iſtorum motuum, nemo negare poteſt: vnde ſunt & ipſi vitioſi. Prima autem & integra natura noſtra huiuſmodi concupiſcentias, id eſt, ſpinas non producebat. Denique quanquam eas concupiſcentias Auguſtinus in electis infirmitates, & Hieron.

A fragilitates humanas vocant,non negant tamē eſſe peccatum:ſed fontē tantùm,è quo in nobis oriuntur & ſcaturiunt, his appellationibus notāt & oſtēdunt.quid ſit igitur hoc totum,vide Hieron.epiſt. 17.Auguſt.lib.1.De nuptiis.cap.23. vbi ait concupiſcētiam in renatis propriè nō eſſe peccatum, ſi illi non conſentitur:tamen peccatum dici,quia ex peccato nata eſt:ſed idem cap.24.explicat, Nō eſt,ait, id eſt,non deputatur peccatum renatis. Vide lib.1. ad Bonifa.cap.13.& lib. eodem 1. de Nuptiis. cap. 27.Quod etiam afferunt ex Paulo,Galat.5.verſ.16. concupiſcentias eas demum peccata eſſe,quę à nobis perficiuntur,perperam colligitur. Docet enim Paulus etiam ea,quę caro concupiſcit,peccata eſſe, ideóque illa perfici & executioni mandari vetat.

Secūdum autem huius pręfationis caput eſt De ordine huius præcepti. Vltimo verò loco ſitū eſt. Eſt enim in tota hac Lege decimum,& vltimū , & ordine & iure.Primùm,quia hic ordo in docendo B eſt optimus , vt à notis ad ignota progrediamur. Eſt autem hoc peccati genus,quod in concupiſcentiis verſatur,ignotius vulgò iis,de quibus ſuprà dictum eſt.i.homicidio,furto, adulterio. Eſſe enim quędam peccata nobis ignota docet Pſal.19.ver.13. Secundum, quòd poſtquam Lex ea peccata expoſuit,quæ in factis vel certa conſtitutáque volūtate verſantur,nunc de iis agit,quæ ſolæ concupiſcētiæ dicuntur , vt ordine à turpioribus grauioribúſque vitiis incipientes ad obſcuriora & magis tecta benè viuendo , perueniamus, nóſque ita faciliùs expurgemus.

Tertium eſt,Ecquæ ſit huius præcepti condendi & ſciſcendi ratio ſiue æquitas. Ea autem eſt duplex. Prima ducta eſt ab ipſius legiſlatoris natura. eſt autē Deus,qui cùm ſit Spiritus, ſimilem ſui legem dedit,nimirum ſpiritalem,id eſt,quæ ad intima vſque humani cordis penetraret,eáque perſcrutaretur,& tractaret:non ea tantùm,quæ oculis,aut humano iudicio damnantur , & perſpici poſſunt. Itaque hæc Lex dicitur ſpiritalis.Roman. 7. v. 14. Secunda ratio ducta eſt ab eo diſcrimine,quod inter C Dei & hominum Legem ſtatui debet.Quemadmodum enim Dei Iuſtitia longè humanam ſuperat:ſic à Deo Lex profecta longè melior, ſanctior, perfectiórque omnibus legibus humanis eſſe debet. Arguit enim Chriſtus Phariſæos,Matth.5.v.3. & 46.quòd Dei Legem nihil plus , quàm humana edicta,ſapere aut velle interpretabantur,quę tamē & turpia facta externa,& malo aſſentientes voluntates damnant. Ergo in hac diuina Lege aliquod præceptum extare oportuit, quod ſanctius quid à nobis exigeret,id eſt , & iam prohiberet ipſam in re mala & turpi cogitatam delectationem. Hoc autem illud eſt, quod eſt decimum. Vnde hæc Lex ἐξοχῶς ſancta dicitur,Roma.7.ver.12. & iuſta,Rom. 7.v.7.v.12.& perfecta,Iacob.1.v.25.

Quartum denique huius præfationis caput eſt, vtrum omnia illa , quibus in hoc præcepto concipiendo Lex vtitur, verba , vnum tantùm , an duo præcepta ſint & contineant?Putauit autem D.Auguſt.in Exod.quæſt. 71. eſſe duo quòd bis hæc eadem vox repetatur,*Non concupiſces.* Non eſt enim ſic ſcriptum , Non concupiſces domum proximi tui,neque vxorem eius, neque ſeruum, &c. ſed ſic diſtinctè,*Non concupiſces domum proximi tui: Non concupiſces vxorem proximi tui,neque ſeruum eius*,&c. Ergo ſunt duo pręcepta,inquit Auguſtinus. Sed ſi ſunt duo,ergo non iam ſolùm decem huius Legis A verba, & præcepta erunt , quot tamen eſſe ait Lex Deut.4.v. 13. ſed erunt vndecim, quem numerum non agnoſcit Moſes. Præterea Paulus in epiſt.ad Rom.cap.7.verſ.7. & cap.13. v.9.apertè docet vnū tantum præceptum his verbis ineſſe , nempe hoc, *Non concupiſces.* Ergo vnum tantùm eſt,non autem duo. Eſt autem hoc loco religioſior in verbis Auguſt. quàm par ſit, neque mentem Scripturæ in ea repetitione ſatis animaduertit. Bis enim eadem vox, *Concupiſces*, addita , repetitáque eſt conſultò. Primùm non eadem ſono, ſed tantùm ſenſu & ſignificatione eadem, explicandi gratia, vti Deut. 5. ver.21.vt ſequens ſit velut exemplum illuſtratióq; præcedentis.Secundùm, vt omnis excuſatio tollatur,quæ ſolet à nobis ex obiectorū,circa quæ concupiſcentia verſatur,varietate, & differentia afferri.Sic enim ſe homines excuſant,quaſi non peccēt, Equum tantùm vel ſeruū proximi concupiui, non vxorem.Ergo non peccaui.Flocci enim fit ſeruus, quem ego appetiui : at ſi vxorem, peccaſſem, quia B ſit à proximo,pluris vel etiam maximi. Imò verò de quacunque re concupiſcentia noſtra ſit,damnamur,quia genus ipſum concupiſcentiæ dānat Lex, non autem eius differentias,& apud Deum non æſtimatur rerum earum, quas concupiſcimus, pretium:ſed prauæ cogitationis noſtræ malum & natura,quæ diſplicet Deo. Neque ab hac noſtra ſententia longè abfuiſſe videtur Auguſt. cùm in eadē quæſt.71.ſic ait, Concupiſcētia porrò vxoris alienæ,& concupiſcentia domus alienæ,tātùm in peccando differunt.Hæc ille.

Iam verò ad eam partē veniamus,in qua ex parte totum colligendum eſt. Conſtat autem duabus maximè quæſtionibus,è quibus prima eſt,Quid ſit concupiſcentia:ſecūda , Cur quarundam nominatim rerum lex meminit.

Hoc igitur primùm explicemus , Quid ſit concupiſcentia : (hanc enim damnat Lex)ex eo potiſſimum Auguſtini loco ordientes,Agit, ait ille, aliquid concupiſcentia carnis & quando non exhibetur ei vel cordis aſſenſus,vbi regnet:vel membra & arma,quibus impleatur,quod iubet : Agit autem C quid niſi ipſa deſyderia mala & turpia?lib.1.De nuptiis.cap.27. & cap.29.ex aliqua parte remanet malum, quia concupiſcitur , etſi illi non conſentitur. & lib.2.cap.2.Ipſe cum vitiis conflictus, etſi nō eſt damnabilis,quia nō perficit iniquitatem:eſt tamen miſerabilis,quia non habet pacem. Item ex hoc eiuſdem Auguſtini dicto , quod eſt libro 2. ad Bonif.cap.8.Cogitare minus eſt,quàm cupere. Poſſumus enim quædam cogitare & non cupere , Lactant.libro 6.cap.13. Eſt enim penè ſupra humanum modum,ne in cogitationem quidem admittere,quod ſit vel factu malum vel improbum dictu.Itaque etiam iuſti homines,qui frænare ſe poſſunt ab omni opere iniuſto , nonnunquam tamen ipſa fragilitate vincuntur,vt tacita cogitatione concupiſcant. Hieronym. ad Saluinam , Difficile eſt, quin potius impoſſibile perturbationis initiis carere quempiam , quas ſignificantiùs Græci προπαθείας vocant,eò quòd incentiua vitiorum omnium titillent animos:& quaſi in meditullio noſtrum iudicium ſit vel abiicere cogitata, vel recipere. Ex quo primùm apparet illud conſtituendum eſſe, Non omnem omnium rerum appetitum,voluntatem,aut cogitationem damnari à Deo,ſed eam ſolùm, A lùm,quæ concupiſcentia eſt. Nam & ciborum appetitus, ſiue appetentia naturalis eſt, & licita: & quarundam rerum etiam magnarum deſyderium in Scriptura laudatur.Nam qui Epiſcopatum deſyderat,ait Paulus,bonum opus deſyderat, 1. Timot. 3.ver.1.& 2.Corinth.5.ver.9. Non exuit igitur Scriptura,neque priuat hominem omni appetitu & cogitatione,vt quidam putant, quaſi ἀπάθη & ἀναίσθητον,brutúmque hominem faciat.Quid enim ea ſpoliatus aliud foret homo, quàm truncus, quàm lapis,quàm inutile lignum? Ergo quædam velle & nolle:quædam appetere & reiicere, etiam ſcriptura ipſa concedente,licet. Ergo eſt cogitatio appetitúſque noſter,aut Bonus,aut Malus. Hic ſolus concupiſcentia dicitur.Quanquam eſſe ambiguam concupiſcentiæ ſignificationem docet Auguſt.lib. 2.De nupt.cap.10.Aliam enim eſſe carnis, aliam ſapientiæ.Eſt igitur concupiſcentia, mala cogitatio cum delectatione animi,nondum tamen malo aſſentientis,id eſt,nondum cum aſſenſu.

Quod vt melius intelligatur,tres cogitationum noſtrarum gradus conſtituendi ſunt,è quibus

B Primus eſt cogitatio rei malæ leuis & momentanea,quæ animum noſtrum præteruolat, priuſquam à nobis ipſis percipiatur & animaduertatur. Tam eſt enim ad omne malum fœcunda natura noſtra,Hierem.4.verſ.22.vt continuè & indeſinenter quædam turpia cogitet.Quæ cogitationes,quãquam ſunt veriſsimi corruptionis noſtræ originalis fructus & effectus, tamen quia ſunt leuiſsimæ, & nobis non percipientibus præterfluunt,non appellantur concupiſcentia,neque hoc præcepto dãnantur in electis.Sunt tamen amarus vitij noſtri in nobis feruentis & ebullientis ſudor & fumus.

Secundum cogitationum genus & gradus eſt, cùm iam illa cogitatio mali non tãtùm percipitur à nobis ipſis, ſed etiam nos quodammodo titillat & delectat,& pertentat tacito noſtrum pectus gaudio,quanquam illi tamen non aſſentiamur,imò etiam eam procul à nobis& repellamus & auertamus. Vtcũque enim praua illa titillatio & aculeus leuis ſit & ſubitus, iam tamen eſt concupiſcentia: Quia cùm à cupiendo aut concupiſcendo dicta ſit concupiſcentia, vbicunque cõcupiſcit, gliſcitque, aut ſeſe in noſtrum cor inſinuat gaudium & C delectatio aliqua de re turpi & mala,certè concupiſcẽtia eſt,quæ hoc præcepto damnatur. Nihil igitur neceſſe eſt nos iis cogitationibus aſſentiri, aut eas ſequi velle,vt damnabiles concupiſcentiæ nominentur.Nam etſi eas repudiamus,atque nobis ipſis iraſcimur, qui iſta cogitemus, & qui iis ſimus gauiſi, ſunt tamen concupiſcentiæ. Motus enim & ſenſus omnis iucundus mali,qui tacitè in nobis ſpirat & ſola cogitatione etiam inopinantibus,atque adeò ſæpe renitentibus obrepit,cõcupiſcentia eſt, & apud Deum grauiſsimum peccatum,quanquam id homines pro nihilo ducant.Lactantij autem illa ſententia,lib.6.cap.17. per quam cenſet plus eſſe cupere,quàm velle, nihil noſtræ huic diſtinctioni obſtat.Illa verò longè verior Chryſoſt.Homil.52. operis in Mat.imperfecti ſententia,quia aliud eſſe ait concupiſcere:aliud velle.Concupiſcere paſſionis eſt, velle autem eſt arbitrij. Frequenter enim concupiſcimus etiam quod nolumus. Itaque hæc concupiſcentia eſt tanquam ſtimulus & punctura tantùm quædam voluntatis: non formata adhærenſque voluntas.

Tertius cogitationum noſtrarum gradus eſt, A cùm non tantùm iis delectamur,& titillamur, ſed quaſi vincimur,adeò vt illis planè aſſentiamur, & omnino.Quod fit cùm apud nos animo conſtituimus illud ſequi aut cõmittere,quod cogitatio obtulit,quãtum in nobis eſt. Hoc tertium cogitationis genus vulgò voluntas certa & reſoluta, ſiue aſſenſus animi appellatur, quam ſolam omnes agnoſcunt eſſe peccatum & Philoſophi & Sophiſtæ Romani.Secundum autem cogitationis genus, quam concupiſcentiam appellauimus,non item. Itaque ſic iſti Sophiſtæ Romani peccatum definiunt, vt dicant eſſe actionem voluntariam, quæ per liberam electionem admittitur. Hæc autem definitio falſa eſt.Soli actuali peccato conuenit, nõ autem omni. Nam neque concupiſcentiæ,neque peccato originali apta eſt.Eſt igitur peccatum, & melius, vt P. Martyr in epiſtola ad Roman.cap.6.ver.13.definit, id quod in nobis Legi diuinæ quocunque modo aduerſatur, eſt ἀνομία 1.Ioan.3.verſ.4.

Iam ex hac definitione concupiſcentiæ apparet, non fruſtrà adiici hoc mandatũ ſuperioribus. Quidam enim ſuperfluum putarunt,quòd cùm in ſingulis B illis ſuperioribus,homicidio, adulterio, furto,non tantùm externa facta,ſed etiam eorum ſcelerum voluntates ipſę damnentur,hoc mandatum adiici non videbatur,aiunt,neceſſe. Sed illi hallucinantur.Hoc enim mandatum quid amplius damnat,quàm ſuperiora. Nam ſuperiora eas tãtùm voluntates & cogitationes comprehendebant, quæ ſunt cum aſſenſu & aliqua reſolutione, & tertij generis & gradus.Hoc autem eas cogitationes damnat,quæ ſunt ſecundi gradus & generis, nullúmq; adhuc aſſenſum habent,ſed iniectam tantùm titillationem aliquam cordi,ſi eam execramur.

Sed obſtat quod ait Iacob.1.verſ. 15. Concupiſcentiam ſolam non videri eſſe peccatũ, niſi poſtquam opere impleta eſt. Verùm reſponſio facilis eſt,Non hoc dicit Iacobus,ſed potius gradus, per quos ad peccandum allicimur exponit. Naturam autem,aut genus peccati non tradit. Ergo ſic docet nos allici primùm praua concupiſcentia, quæ niſi citò extinguatur, peccati opus producit, ob quod damnamur.Ex eo autem facilè apparet etiam ſolam concupiſcentiam à Iacobo damnari, quãdo & eam frænare docet,& hamum eſſe peccati,ait. C

Quęſitum autem eſt de turpibus & laſciuis inſomniis,& obſcœnis viſionibus,ſeu illuſionibus& pollutionibus,& de nocturni ſeminis fluxu: itémque de ſomniis quæ nobis noctu, vel interdiu dormientibus obueniũt,vtrùm ea ſint peccata, an nõ, & hoc pręcepto damnentur, an non. Ait autẽ Auguſt.non eſt in noſtra poteſtate quibus viſis angamur:ſed eſt in noſtra poteſtate ea reſpuere vel acceptare.Quidam tamen diſtinguunt,vtrùm ex pręcedenti aliqua noſtra turpi cogitatione diurna,& à vigilante facta, ea turpia inſomnia dormientibus eueniant,& obrepant,an non. Nam quæ vigilantes cogitauimus, ea ſolent poſtea dormientibus obuerſari,& vt ait Claudian.poeta,

Aucupibus volucres, Auriga ſomnia, currus.
& quæ tempore ſunt cogitata diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.

Si ergo ex aliqua noſtra turpi cogitatione, aut nimiis deliciis quibus indulſimus,ea turpium rerum inſomnia fiant,eas pollutiones ac phantaſias nocturnas eſſe peccata:certè ea ἐνύπνια velut fœdiſſima deteſtatur Plato libro 9.de Republ. Sin autem ex nulla præcedenti cogitatione incidant, (Nam & Plutarc.in libr.De profectu virtutum ait, Somnia ſana & honeſta, argumentum eſſe profectus virtutum in nobis.Idem in lib.De virtute & vitio) ſed temerè obrepant,non eſſe peccata.Hăc diſtinctionem ſecutus eſt cano. Non eſt peccatum. diſtinct. 6.In Decretis.Thomas in 2.2^{æ} q.154.art.5. Vtcunque certè omnes ii dormientium motus ſiue affectus ſunt carnis, corruptioniſque noſtræ fructus. Nam illa & dormientibus & vigilantibus ineſt & obrepit,petendúmque à Domino Deo eſt , vt illa inſomnia auertat,Leuit.15. Hoc tamen ipſum Auguſt.lib.De Bono coniuga.cap. 20. putat eſſe vmbram futuræ melioris reformationis noſtræ. Nec ea ſomnia damnat.Sed malè Bernard.in lib.De diſpenſat. ſcribit in quibuſdam monaſteris ob huiuſmodi laſciuas illuſiones veſtimēta lauari ſolita fuiſſe.Hoc enim eſt planè ſuperſtitioſum & Iudaicū.

Secūda præcipua huius capitis quæſtio eſt, Cur nominatim quarundam rerum ſex meminit , cùm in genere omnis concupiſcentia,& in re turpi delectatio damnata ſit hoc præcepto.Reſponſio eſt, quia pro more Scripturæ συνεκδοχικῶς ex parte totum,& ex ſpecie genus eſt intelligendum. Ergo quarundam rerum,vti domus,vxoris,ſerui,proximi meminit diſertè Lex,tum vt paucæ illæ pro exemplo cæterarum eſſent,tum quod quas res homines ferè ardentius & frequentius appetunt, & concupiſcunt,eæ ſunt,quas hîc lex memorat: domus,vxor,ſeruus,bos proximi.Hoc ipſum confirmat Hieronym.in epiſto.ad Algaſiā quæſt.8. Nos per concupiſcentiam, aut , omnes animæ perturbationes ſignificatas putamus, quibus mœremus & gaudemus:timemus & concupiſcimus. Confirmat etiā Auguſt.in Exod.quæſt.71.cum ait,Quod hîc viris dicitur, Non concupiſces vxorē proximi tui:intelligitur dici & præcipi quoque fœminis, Non concupiſces virum proximæ tuæ. Et ita ad omnes homines hoc præceptum pertinet, & ad omnes rerum malarum concupiſcentias. Nam has lex hoc capite omnino damnat, & apud Deum peccata eſſe pronuntiat.Hieronym.libro 1. in Pelagian.ait, Aut enim vitare poſſumus malam cogitationem,& conſequenter poſſumus carere peccato.Aut ſi vitare non poſſumus,reputatur in peccatum,quod caueri non poteſt.

Ex ſuperiori diſputatione facile eſt affirmatiuā partem huius præcepti colligere. Eſt autem hæc, vt Deum omnibus cordis corporiſve noſtri neruis & virib. & fibris timeamus,colamus, veneremur, eum vbique præſentem geſtemus,Nulláque ſit noſtra vel tantilla cogitatio,niſi de eo,aut eius voluntati & iuſtitiæ conſentanea.Ergo & corpore & animo Deo ſeruiendum eſt,cóque toto & integro, vt nulla pars noſtri eius metus vacua ſit, & omnes noſtræ ſiue internæ,ſiue externæ cogitationes ſint illi dicatæ atque conſecratæ. Denique Deum toto pectore,tota anima , totis viribus diligamus & amemus,ſiue eæ ſint vires voluntatis ſiue intelligētiæ noſtræ,Deut.6.ver.5.Matt.22.v.36, & 37. Luc. 10.v.27.& 1.Theſſal.4.v.3,& 4.& ca.5.verſ.23.

Quæ autem pœna huic culpæ & peccato debeatur,corporalis quidem & politica nulla eſt.Animi autem,mors æterna,quia eſt peccatum,Roman.6. v.23.& 7.v. 7. Et de Legis ipſius explicatione hactenus. Veniamus ad tertiam & vltimam huius tractatus partem, quæ breuem ſummæ & epitomes totius legis explicationem continet.

CAP. XVIII.

De ſumma totius Legis diuina.

VLTIMA huius libri pars, epitomen totius diuinę Legis continet,ne in immenſum fuſa res & materia vagetur: ſed certo cóque breui compendio concludatur, memoriæ noſtræ iuuandæ cauſa,vt ait Cypr.in explicatio. Dominicæ orationis. Quæ ſit autem huius Legis ſumma variè videtur expoſitum. Ac primum quidem Paulus,1.Timoth.1.verſ.5.finem Legis ait eſſe charitatem ex puro corde, bona conſcientia, & fide non ficta.Alibi quoque idem Paulus vno verbo totam Legem impleri ſcribit,eiuſque ſummam eſſe,Proximi charitatem.Rom.13.v.9.Galat.5.v.14. Chriſtus autem Matth. 22. verſ. 37. & Marc.12.verſ.29. ait eſſe duplicem huius legis ſummam, *Diliges Dominum Deum tuum toto corde,tota anima , totis viribus,& tota poteſtate tua:item*, *Diliges proximum ſicut teipſum*.Quod etiam Leuit.19.v.18.traditur. At Iacobus cap.2.verſu 8. totam huius Legis ſummam vno tantùm capite comprehendit, *Diliges proximum tuum,ſicut teipſum*. Cur tam variè? Quia cùm duplex ſit huius Legis tabula , vtriuſque ſua quædam eſt ſumma:& cùm quæritur,ecquæ ſit ſumma Legis,modò de prima,modò de ſecunda tantùm, modò de vtraque tabula reſponderi ſolet,prout ea res eſt,& quæſtio,de qua tractatur & agitur. Vtraque enim illa tabula ſiue ſeorſim & ſeparatim,ſiue collectim ſumpta,Lex dicitur.Ex quo fit, vt modò vno tantum capite, modò duobus ſumma huius Legis comprehendatur. Nam quum vniuerſæ Legis vtriuſque tabulæ ſumma quæritur, ſic eſt reſpōdendum, quemadmodum & Chriſtus & Moſes dicunt,Matth.22.verſ.37.Leuit.19.verſ.18. *Diliges Dominum Deum tuum toto corde,tota anima tua, & diliges proximum ſicut teipſum.* Cùm autem vnius tantùm tabulæ ſumma quæritur, velut ſi primę tabulæ ſumma quæritur, vnum tantùm ex his duobus caput reſpondetur. Nempe vel hoc, *Diliges Dominum Deum tuum toto corde*,&c.ſi de prima Legis tabula quæſtio eſt:vel hoc,*Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, ſi de ſecunda Legis tabula agitur. Ergo quando & Paulus & Iacobus ſcribūt ſummam Legis in eo eſſe, vt proximū diligamus, ſecundam tantùm tabulam ſpectant, de qua illis res erat:non autem vtranque. Quando autem & Chriſtus & Moſes ab eo capite ſummam huius Legis incipiunt,*Diliges Dominum Deum tuum toto corde*, vtriuſque tabulæ epitomen & compendium, non autem vnius tantùm , ſummam explicant & tradunt.

Eſt ergo hæc Legis diuinæ ſumma,Diliges Dominum Deum tuum,toto corde,tota anima, totis viribus & poteſtate tua,& proximum tuum , ſicut teipſum. Denique dilectio Dei & dilectio proximi,duo ſunt ſumma totius huius Legis capita.

Vtraque autem dilectio ita mutuo nexu iungitur,vt vna ab altera diuelli ſepararíque non poſſit. Nam qui Deum verè amat, idem ille amat & proximum.Mentitur enim qui ſe ait Deum diligere,ſi interim fratrem oderit,1.Ioan.4.v.20.Itaque is negatur eſſe à Deo,qui proximū non diligit, 1. Ioan. 3.ver.10. Nā qui ſe diligi præcepit Deus,idē ille & proxi-

A proximum diligi iubet,1.Ioan.4.verſ.7.8.11. Ioan. 13.verſ.34.& 15.verſ.12. Sunt igitur res inter ſe coniunctiſſimæ, prorſúſque inſeparabiles & indiuulſæ, Dei & proximi dilectio. Itaque addita eſt à Chriſto particula (Et) quæ vtranque inter ſe adhærere,annexámque eſſe planè demõſtrat. Atque hæc ita eſſe Lactantius Firmian.in Inſtitut.Chriſtia.apertiſſimè expoſuit. Vnde fit, vt vtraque dilectio vno & communi nomine ἀγάπη nominetur. Non enim diuerſis vocibus , ſed vna & eadem vtraque dilectio in Scriptura appellata eſt,quæ vehementiſſimum amoris affectum ſignificat. Hoc enim vox ἀγάπη denotat. Vnde Auguſt.in Sermo. de Aſcenſione Domini ait,Quia non alia charitas diligit proximum , quàm illa , quæ diligit Deum. Non ergo alia charitate,quàm qua proximum diligimus,ipſum Deum diligimus: ſed quia aliud eſt Deus , aliud proximus , vna charitate diliguntur, non ſunt tamen vnum quæ diliguntur. Vide eundem Auguſt.libro 1.De doctr. Chriſt.cap.22.23.& ſequ.Thomam in 2.2ª quæſt.23.& 24.

Neque obſtat quòd vnum ex iis duobus præceptis B dicitur eſſe & primum & magnum, nempe hoc, Diliges Dominum Deum toto corde,&c. Itaque ab altero differre videtur diuerſique generis eſſe ea dilectio, qua Deum amamus, ab ea, qua proximum. Non eſt tamen , ſed eſt vtraque eiuſdem generis. Nulláne verò inter vtranque eſt differentia?Eſt certè quædam. Nam dilectio Dei differt à dilectione proximi gradu,nõ qualitate:Obiecto,non natura amoris:ordine,nõ fine. Auguſt. in lib.1.De doctrina Chriſtia.cap.22.Nam & plus amandus eſt Deus , quàm proximus , qui eſt homo: & omnino Deus præſtantior eſt homine omni: & primus eſt diligendus Deus,vt proximus poſtea ritè diligatur: ſed neque ficta Dei, proximíve dilectio eſſe debet:neque alia,quàm intimus & vehementiſſimus cordis noſtri affectus : neque alium finem,quàm vnius Dei gloriam ſpectare vtranque charitatem oportet.

Eſt quidem vna alteri ὑπάλληλος, vt aiunt,id eſt, ſubordinata. Eſt enim Dei dilectio tãquam fons, & mater, ex qua proximi dilectio, velut riuus & filia,fluit & procreatur.Itaq; primus Deus omnino C amandus à nobis eſt, vt proximus poſtea diligi à nobis poſſit. Vnde fit,vt primùm de primo capite huius ſummæ , in quo de Dei dilectione agitur,videndum atque tractandum ſit.

Ille autem affectus,quo bruta animantia proſequimur, curamus, & in deliciis habemus , vti canes,boues, & aues quaſdam, toto genere ab vtraque & Dei & proximi charitate differt.Item à charitate differt ea συμπάθεια , quæ etiam inter brutas pecudes animaduertitur, veluti bos mugit ad bouem,vacca ad vaccam. Ergo charitas eſt affectus, non tantùm naturæ, ſed etiam rationis,etſi tamen nobis eſt à natura inſitus. Ariſtot.lib.8. ἠθικῶν.Νικομαχ.cap.5. Amorem nobis eſſe ad bruta animantia putat,non autem amicitiam,quia φίλησις πάθει.i.affectui:φιλία ἕξει,id eſt,habitui ſimilis eſt.

CAP. XIX.

Ecquæ ſit ſumma primæ Legis Tabulæ.

Eſt autem hæc primæ Legis Tabulæ ſumma, vt Deum toto corde , tota anima , totis viribus , totóque robore & animo noſtro diligamus, Matth.22.verſ.38.Huius autem ſententiæ hic ſenſus A atque ſignificatio eſt , vt nulla ſit noſtri pars Dei metu vacua, ſed vt omnis noſter zelus, cogitatio, voluntas, animi ſtudium, & corporis labor eô tendat, quò Deum & Dominum noſtrum diligamus, amemus, colamus, honoremus, & proſequamur. Quod eô difficilius fit , quia toti naturâ caro ſumus,& à Deo auerſi,cúmque eius voluntate toto proprióque motu & conatu belligerantes, Rom.7.v.14.& 8.v.8.Ex quo poteſt facilè intelligi,quàm ſit non modò arduum & difficile:ſed etiã omnino ἀδύνατον & impoſſibile Legem Dei implere,eíque ſatisfacere. Neque enim quamlibet iuſtitiæ regulam à nobis exigit , ſed planè perfectã: neque eam etiam dimidiatam,ſed totam. Atque hinc concluditur falſam eſſe Pelagianorũ ſententiam , qui nihil à Deo niſi nobis poſſibile in hac Lege pręſcriptum cenſent & aiunt,cùm non quid præſtare poſſemus, ſed quid ſibi deberemus Deus in hac Lege explicuerit, vt ex eo faciliùs noſtram condemnationem animaduerteremus. Neque enim difficultas ſolutionis liberat debitorem.

Quantum autem ſit amandus Deus hæc verba innuunt, neque tamen ſatis & perfectè explicant, B quia hoc neque cogitari , neque dici ſatis poteſt. Plus autem eſt amare,quàm diligere,ait Cicero,& ex eo Non.Marcell.ἀγαπᾷν. Bernard.in lib.De diligendo Deo , Cauſa diligendi Deum , Deus eſt: Modus,ſine modo diligere.Duplicem ob cauſam dixerim diligendum Deum, vel quia nihil iuſtius: vel quia nihil fructuoſius. Dilectio quæ tendit in Deum,tendit in immenſum & in infinitum.Nam ſine præmio & ſine intuitu pręmij diligitur Deus. Affectus eſt,non contractus charitas.Quid autem ſignificet vtraque vox, & vt immenſam quandam & infinitam vim amoris dilectioníſque noſtrę,erga Deum eſſe debere oſtendãt huius ſummæ verba,ex eo intelligitur,quòd & omnes hominis partes diſtinctè iis verbis comprehenduntur , & omnes in quaque illius parte vires & facultates. Id quod eò breuius tradimus , quia in expoſitionibus aliis ſolet locupletiùs & fuſiùs explicari. Hîc tria tantùm enumerat. At verò Luc.10. verſu 27. & Mar.12.verſ.29.quatuor alia traduntur. Sed eôdem res recidit. C

Ac primùm omnes hominis partes amor hic complectitur. Nam cùm homo conſtet partibus duabus , ſcilicet Corpore & Animo , & animus, ipſe duabus aliis, ſcilicet Voluntate ſiue Corde & Intelligentia ſiue Mente , vt eſt 1.Theſſ.5.verſ.23. omnium harum facta hîc mentio eſt.Nam Roboris aut pectoris nomine , vires & corpus : Cordis autem appellatione,voluntas: Animæ autem ſiue animi,intelligentia ſiue ratio ſignificatur. Itaque iubet Paulus , vt membra ipſa noſtra Deo conſecremus, Rom.6.verſ.13. & corpore etiam ipſo,vti optimo actionum noſtrarum inſtrumẽto, Deum à nobis eſſe glorificandum, docet 1.Corinth.6.v. 20. Et veram Dei confeſſionem atque laudationem non ſolùm corde , ſed etiam ore fieri debere tradit,Rom.10.ver.10 Corporis enim noſtri conditor eſt Deus , vti & animi. Vnde corpore , vti corde à nobis coli,honoraríque debet.Bernardus tamen Sermo.20. Cantic. Canticor. paulò alitér has tres voces interpretatur.

Animum autem & mentẽ & voluntatem Deo dedicandam,vti verum illius templum, pluſquàm

A notiſſimum eſt, & animo Deum colendum eſſe extra omnem controuerſiam poſitum eſt, & ab Ethnicis etiam poetis dictum, nedum vt à Chriſtianis Theologis negari vel poſſit, vel debeat. Ait enim Cato in diſtichis,

Si Deus eſt animus, nobis vt carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè ſit pura mente colendus.

Quid frequentiùs in Pſalmis occurrit, quàm illud, Toto corde laudabo, confitebor, canam tibi Domine Deus mi? Pſ.9.v.25. & 34.v.2.& 42.v.2.& 62. 63.&c. Et hæc certè λογικὴ & Dei naturæ conſentanea eſt, vt ait Paulus, Rom.12. v.2. λατρεία, quæ fit animo & voluntate. Cùm ſit enim Deus ſpiritus, & mens, Ioan.4. v.24. mente imprimis eſt colendus. Quod etiam ab Ethnico homine ſapienter dictum eſt.

Sed illa verba non tantùm Deum omnibus & ſingulis noſtri, id eſt, hominis partibus diligendum, colendum, & venerandum ſignificant: ſed etiam totis iis viribus, totóque eo conatu & poteſtate, quæ in ſingulis ineſt. Ait enim ſumma, *Totis viribus, toto animo*, id eſt, toto niſu & virtute ſiue fa-
B cultate, qua plurimùm & maximè quæque pars noſtri poteſt. Ergo non fictè, non perfunctoriè, non ad tempus tantùm: ſed verè, integrè, & perpetuò diligẽdus eſt Deus, vt nihil ſit in vlla hominis parte, quod non ſit Deo dicatum, ſiue vires, ſiue opus ſiue conatum, ſiue affectum, ſiue rem ipſam, ſiue vim & facultatem eius ſpectes. Et hæc eſt illorum verborum breuis explicatio.

CAP. XX.

Ecquæ ſit ſecunda huius Legis Tabulæ ſumma.

SEcundæ autem tabulæ hæc ſumma eſt, Diliges proximum tuum ſicut teipſum, Matth.22 v.39. Leuit.19.verſ. 18. In quo voce ἀγαπᾷν vtitur Scriptura quemadmodum in ſuperiore capite, vbi de Deo agit.

Hîc autem maximè vera Chriſtianæ charitatis natura eſt exponenda. Nam etſi vtraque Dei & proximi dilectio à Dei ſpiritu inditur, infũditúr-
C que mẽtibus noſtris, etſi vtraque ſancta eſt & cæleſtis, illa tamen ſuperior quæ eſt Dei dilectio, nõ ſatis à nobis explicari poteſt. Omnem enim humanum captum ſuperat. Cuius in nobis etiam exigui radij mirabiles tamen vires & effectus producunt, adeò vt nihil ſit in nobis eo charitatis diuinæ ſenſu potentius & firmius, Rom.8.v.37. Hæc autẽ proximi dilectio facilior explicatu eſt, & ad hominis captũ accommodatior, quia nihil tam naturale eſt, quàm hominem ab homine amari, id eſt, eundẽ penè à ſeipſo. Facilius enim & oritur & ſentitur in nobis, 1. Ioan.4.v.20. Ergo quid ſit videamus. Et hæc quidem proximi dilectio eſt, de qua etiam vide diſtin.2. de Pœnit. cano. Charitas. Thomas in 2.2æ quæſt.23.& ſeq. Augu. l.1. De doctr. Chriſtia. cap.23 & ſequ. Charitas ſiue dilectio Chriſtiana eſt propter Dei gloriam idem ſentire, velle & loqui, ſancti veríque alicuius finis gratia. Quæ definitio eſt per partes exponenda. Item Charitas eſt vinculum perfectionis, vt ab effectu Paulus definit, Coloſſ.3.ver.14.

Ac primùm quidem in ea genus eſt hoc totum Idẽ ſentire, velle & loqui, quia ita & Paulus definiiſſe videtur, 1. Corint.1.v.10.& Philip.2. verſu 2. & communis omnium hominum vox: aiunt enim A idem velle & nolle ea demum firma amicitia eſt. Itaque eos, qui ſe mutuò Chriſtianè diligũt, Paulus vocat συμψύχους & τὸ ἓν φρονοῦντας, Phil.2.ver.2.& alibi ὁμοθυμαδὸν viuere dicũtur ij, inter quos Chriſtiana illa charitas viget, Actor.1.verſ.14.& 2. verſ. 46. quaſi in pluribus illis corporibus vna tamen & eadem anima viuat & moueatur, & vna & eadẽ numero voluntas inſit, non autem plures in illis.

Quod autem additur Idem eos loqui, qui ſe Chriſtianè diligunt, non eſt ſuperfluum. Neque enim tacitè tantùm intrà ſe idem ſentire & velle debent: ſed etiam palàm & apertè profiteri, quia tegi ſe & occultari non ſinit tantus ille charitatis ardor, quin prodit ſe quacunque poteſt, vt & alterum ædificet, & indicium ſui oſtendat. Itaque obſcuræ illæ & timidæ conſenſus & amoris noſtri ſignificationes, veræ Chriſtianæque charitati planè repugnant, quia Charitas metum expellit è pectore. 1. Ioan.4.v.18.

Additur autem, Sancti, veríque alicuius finis gratia. Id quod eſt differentiæ loco in hac definitione. B Neque enim melior à nobis potuit differẽtia afferri. Et meritò. Ex fine enim maximè Chriſtiana charitas ab omni vel ſimulati affectus, vel vitioſi, improbatíque amoris genere diſtinguitur. Nam de omni re cuiuſlibet finis gratia idem velle & loqui Chriſtiana charitas non eſt: ſed demum ſanctè idem velle & loqui, Chriſtiana dilectio nominatur. Sæpe latrones inter ſe coeũt: ſæpe improbi inter ſe maleficiorum ſocietatem cõtrahunt (quæ Malorum coitio propriè appellatur) propter quæ perpetranda idem volunt & loquuntur, neque tamen is conſenſus & voluntas Chriſtiana charitas eſt appellanda. Non gaudet enim iniuſtitia charitas, neque illi conſentit vnquam, vt Paulus ait, 1. Corin.13.ver.6. ſed iuſtitiæ, qua delectatur. Itaque ſi rixæ, ſi contentionis noſtræ tuendæ gratia cum alio conſentimus, eíque adhæremus, neque hæc conſenſio animorum charitas eſt, ſed potius illius teterrima peſtis eſt, & labefactatio. Philip.2.v.3.

Neque verò ſanctum tantùm charitatis finem & diligentis animum eſſe oportet, ſed etiam verũ C & ſyncerum, vt & nihil aliud diligat, quàm quod amandum eſt, & ſiquid vitioſè amat, ſpecioſo prętextu nõ tegat. Nihil enim ficti, nihil ſimulati, nihil deniq; fraudis habet, ſed omnia cãdida ex puro corde bonáque & ſyncera conſcientia Chriſtiana charitas. 1. Timoth.1.verſu 5. Nam & illa ſolùm diligit quæ amanda ſunt: & quæ fictè aut vitioſè optantur pulchro nomine, neque diſſimulat, neque celat.

Eſt autem in vniuerſum triplex finis, propter quem homines inter ſe mutuò conſentiunt, Nimirum vel
Vitioſus & improbus.
Fictus.
Sanctus & verus, qui vtrique ſuperiori contrarius eſt.

Ac improbus quidem ſiue vitioſus finis eſt, ſi quis maleficij, ſcelerísve committendi cauſa cum alio conſentiat, qualis conſenſus eſt inter latrones, mœchos, adulteros, & alios improbos.

Fictus finis eſt, qui cùm non ſit ipſe per ſe improbus, non tamen eſt is, propter quem alius aliũ diligere à Deo iubemur. In quo explicando diligenter

A genter obſeruanda eſt Ariſtotelis optimi Philoſophi ſententia, qui lib. 8. ἠθικ. Νικομαχ. triplicem eſſe eum finem fictum oſtendit. Eſt enim aut

Commodum & lucrum.
Honos.
Voluptas iocoſa & ludicra, quam cōſectantur, qui ita amant: non autem eum, quem amant, propter ſeipſum, aut eo, quo Deus iubet, animo diligunt. Itaque qui commodi, beneficij aut lucri ab eo, quem amat, percipiendi gratia diligit, is non vera Chriſtianáque charitate diligit. Mercenariam enim charitatem, ac velut πορνὼ meritoriam facit. Hæc ferè vulgi amicitia & dilectio eſt, Nam vt ait Poeta,

Vulgus amicitias vtilitate probat.
& illud eiuſdem,
Cum fueris fœlix, multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Quidam autem honoratiores ob lucrum non amant, neque ob commodum aliquod pecuniarium: ſed laudari, coli, prædicari ſe ab iis volunt, quos diligunt: & eos idcirco amāt, vt habeāt laudum, beneficiorum, dictorum, factorúmve ſuorū B tubas & præcones. Sed neque ipſa eſt Chriſtiana charitas, ſed ethnica. Hoc modo ferè nobiliores, potentiores & doctiores amant ignobiliores, tenuiores & indoctiores.

Denique quidam etiā ioci, ludíque gratia diligūt, quòd voluptatem ex tali homine, & eam quidē non improbam capiant. Hęc ferè puerilis amicitia eſt, & ἁπλῶν, id eſt, Simpliciorum hominum.

Hos fines non ſpectat charitas Chriſtiana ſed eum ſolum, qui verus eſt, & propter quem Deus proximum, id eſt, alium eſſe diligendum tradit. Amat enim Chriſtianus alium propter Deum, & propter eum ipſum quem diligit, quia is Dei imago eſt, & pulcherrimum Dei opificium. Nā Deus ita fieri præcipit, cui parere vult Ioā. 15. v. 12. 1. Ioā. 3. v. 11. Ergo non ſpe lucri diligit Chriſtianus. Vnde fit, vt in eos maximè beneficium conferat, à quibus non ſit recepturus, quales ſunt pauperes, egeni, peregrini, viduæ, orfani, Iacob. 2. v. 6. Leuit. 19. ver. 34. Deut. 24. verſu 17. neque tantùm in diuites beneficus eſt. Iſ. 58. v. 7.

C Item quia neque laudis, neque præconij expectatione diligit, Matth. 6. ver. 3. etiam in hominem mutum, & beneficij immemorum, & ingratum promptus eſt, & liberalis Chriſtianus. Pſal. 7. v. 5. Pſal. 41. ver. 10. Pſal. 55. v. 14. Sic in Nabal ignotum Dauid beneficia contulit. 1. Samuel 25. v. 15.

Item quia voluptatem non ſpectat, etiam in eū largietur beneficium, & eum amabit Chriſtianus, qui ſibi infeſtus, moroſus, infenſus & moleſtus, atque adeo profeſſus inimicus erit. Et hæc quidem de vero Chriſtianæ charitatis fine.

Sanctus autem erit finis, ſi, quantum illæſa Dei maieſtate licet, amabit. Plus enim, aut aliter diligere non licet. Roman. 12. ver. 18. Is igitur finis eſt ſanctus qui &

Dei gloriam.
Proximi ædificationem, imprimis autem animæ illius ſalutem in eo ſpectat.

Quod quando fiat ex ſacra ſcriptura diſcendum eſt. Eſt enim fides charitatis fons, origo & mater.

Ex quibus omnibus cōſequenter intelligi poteſt, quæ ſint vera veræ Chriſtianæque charitatis effecta. Sunt autem duo, quæ Paulus 1. Corinth. 13. explicat fuſè quidem, etſi non omnino ordine: ad A quæ duo capita præcipua, quæ eo loco Paulus optimè tradit, omnia reuocabimus. Sunt autem illa duo, Concordia, & Benignitas, quæ vt nobis inſint, & præſtentur à nobis, quædam conſectanda ſunt, quædam etiam fugienda. Quæ vtraque in illo Pauli loco extant.

Ac Concordia quidem eſt veriſſimus charitatis effectus. Quid enim mutuæ dilectioni & amori conuenientius, quàm pax atque concordia? Quid autem nocetius, quàm animorum diuortium atque diſcordia? Itaque charitas appellatur Vinculum. Coloſſ. 3. verſ. 14. & qui verè ſtudent diligere, eos ad pacem & concordiam Paulus exhortatur, Roman. 12. verſ. 18. Vt autem ſit huiuſmodi Chriſtiana charitas,

1 Dicitur non eſſe inflata. 1. Corinth. 13. v. 14. οὐ φυσιοῦται. Nihil enim tam charitati contrarium, quam arrogantia animi & ſuperbia.

2 Non iraſcitur facilè vel temeré. Ira enim diſſoluit amicitiam.

3 Ergo non eſt ſuſpicax, aut ſuſpicioſa, οὐ λογίζεται τὸ κακόν. 1. Corinth. 13. verſ. 5. Serit enim lites & iurgia ſuſpicioſa natura. B

4 Non eſt item Irritabilis, οὐ παροξύνεται. 1. Corint. 13. ver. 5.

5 Denique non eſt Inſolens, οὐ περπερεύεται. 1. Corinth. 13. verſ. 4. Itaque huiuſmodi eſt vt neque dicto, vt eſt Hier. 9. verſ. 5. neque facto: ſed ne cogitatione quidem quenquam offendat. Zachar. 7. verſu 10. & 8. ver. 17.

1 Contrà verò Chriſtiana, veráque charitas eſt humilis. Nam eos qui ſe amaturi ſunt exhortatur Paulus ad animi humilitatem & modeſtiam. Coloſſ. 3. verſ. 12. Itaque neque iudicium ſibi alter aſſumit de fratre, neque eum deſpicit, ſed cedit ei, & honore præuenit. Iacob. 3. verſu 1. Roman. 12. verſu 10.

2 Eſt facilis & prompta ad condonandum & parcendum, ſi quis offenderit. Itaque ait Paulus πάντα στέγει, id eſt, omnia illata incommoda placidè tolerat & ſuſtinet. 1. Corinth. 13. verſ. 7. & iniuriam animo æquiſſimo condonat acceptam. Coloſſ. 3. v. 13. charitas enim operit multitudinem peccatorum. 1. Pet. 4. v. 8. Prou. 10. v. 12. C

3 Credit omnia magna animi ſimplicitate, & ne malè ſuſpicetur de quoquam aut falſò. 1. Corinth. 13. ver. 7.

4 Sperat omnia, id eſt, expectat in melius. Itaque facilè non irritatur. Omnia enim in bonam, æquiorémque partem interpretatur, & de meliori proximi emendatione non deſperat. 1. Corint. 13. ver. 7.

5 Denique patiens eſt in omnibus, quæ aduerſa nuntiantur aut prædicantur, ὑπομένει πάντα, ait Paulus 1. Corint. 13. verſ. 7. Nec tantum illata damna æquo animo fert: ſed etiam futura patienter expectat, adeò vt non ſe vlciſcatur, neque malum pro malo reddat. 1. Theſſ. 5. ver. 15. Roman. 12.

Benignitas etiam eſt ſecundus veræ, Chriſtianæque Charitatis effectus. Eſt enim benefica & munifica charitas erga eos, quos diligit. Iis enim & bene vult eſſe, &, quantum in ſe eſt, benefacit. Et ideo iubentur ij, qui proximum diligunt non tantùm ore, ſed etiam reipſa & opere ipſo diligere, quia aliâs decipere eſt, non autem diligere. Iacob. 2. v. 15. 1. Ioan. 3. v. 18.

A Ergo proximo ſuccurrit charitas & re,& ope,& conſilio. Nã ſiue rebus boníſque noſtris egeant, ſiue opera, induſtriáque ingenij noſtri, ſiue denique vita etiã ipſa, ſuccurrimus iis, quos verè Chriſtianéque diligimus. Ioan.15.v.13. Eô enim vſque progreditur, animátque nos vera charitas, vt vitã etiam ipſam pro proximis in pia, iuſtáque cauſa, ſi erit neceſſe, profundamus. Ergo charitas

1 Non eſt Inuidioſa,& alienæ fœlicitatis impatiens.1.Corint.13.v.4.Iacob.3.v.14.Galat.5.v.15. quacunque in re ea fœlicitas proximo obueniat, ſiue in bonis,ſiue in fama dignitatéque.

2 Non quærit quæ ſua ſunt, vt Paulus ait, 1. Corinth.13.v.5. Commoda enim propria ſpernit, vt aliena promoueat,& augeat.

3 Non inhoneſtè & illaudabiliter ſe gerit, οὐκ ἀσχημονεῖ.1.Corin.13.v.5.vt cùm bene cœperit, deficiat, aut fatiſcat benefaciendo.

Quid igitur eſt charitas? quid efficit, gignítque in nobis?

1 De alienis bonis æquè atque de propriis & ſuis lætatur: gemit etiam de alienis incommodis. B Roman.12.v.15.

2 Quærit, procurátque ea, quæ proximo profutura ſcit, aut ſuſpicatur, etiam non rogata illa aut interpellata, ſed ſponte ſua. Rom.12.v.11.

3 Denique indeſinẽter, & inceſſanter, omníque tempore & ratione, qua optimè poteſt, benefacit.2.Theſſ.3.v.13.

Hebræi ſanè 4. hominum genera eſſe volunt: vnum eorum qui dicunt, Meum, meum eſt: tuum, tuum eſt: qui planè ſunt charitatis expertes. Secũdum eorum, qui dicũt, Meum tuũ eſt,& Tuũ meũ eſt, qui Mercenariam & Phariſaicam charitatem inducunt. Tertium eorum, qui dicũt, Meũ meum eſt,& Tuum meum eſt, hi ſunt auari. Quartum, eorum qui dicunt, Meum tuum eſt,& Tuum tuũ eſt, atque hi verè Chriſtianam charitatem habent, qualem Paulus deſcripſit hoc loco.

Additur autem, *Proximum tuum.* In quo quæritur, quis ſit proximus. Proximi autem nomine omnes omnino homines continentur, cuiuſcunque ſint ſexus, nationis, cognationis, religionis & erga C nos affectionis, quos diligere, & quibus benefacere iubemur. Iſ.58.verſ.7. Carnem tuam ne deſpexeris, Rom.12.v.18. Galat.6.v.10. Luc. 10. verſu 30. Ratio eſt, quòd ea hominum eſt inter ſe ſimilitudo, ſiue corporis fabricam, ſiue animi conſtitutionem ſpectes, vt nihil ab homine penè homo differat, neque quicquam alteri tam ſit ſimile, non ouum ouo, lac lacti, aqua aquæ, quàm homo eſt hominis. Auguſt.lib.1.de Doctr. Chriſtia.cap.23. ait eſſe 4.diligenda, Angelos, Proximos, Noſipſos, & Corpora noſtra. Epheſ.5.v.29. ſed nos propriè hîc Legem Dei explicamus quæ ad homines pertinet, non ad Angelos.

Nam eadẽ eſt & vna in omnibus corporis compoſitio & fabrica, omnibus pedes deorſum, caput ſurſum, binæ manus, gemini oculi, vnicum cor, lingua vna, & reliqua ſimilia, de quibus in Anatomicis adminiſtrationibus luculẽter medici diſputãt, vt qui ea in vno nouerit, in omnibus viderit atque intellexerit. Quòd ſi quædam ſunt in parium mẽbrorum quantitate, colore, aptitudine, aut robore diſſimilitudines in diuerſis indiuiduis & hominibus ſingulis, non ſunt tamen illæ ſpecificæ, quemadmodum Dialectici loquuntur, differentiæ, ſed A quædam varietates ad ſingulorum indiuiduorum diſtinctionem à Deo additæ, & ad totius humani generis vſum & ornatum neceſſariæ. Nam vti in eadem dextra manu non ſunt omnes digiti eiuſdem quantitatis, quanquam tamen eiuſdem ſubſtantiæ ſunt, ídque ad cõmodiorẽ manus vſum & habilitatem à Deo factum eſt, neque in eodẽ corpore omnia membra eiuſdem coloris ad venuſtiorẽ formã, quanquam eiuſdem ſunt ſubſtantiæ: ita in ipſo vniuerſo genere humano ad maiores opportunitates, habilitatéſque non ſunt omnes homines à Deo conditi factíque eiuſdem quantitatis, coloris, & habitus, quanquam tamen omnes ſunt eiuſdem ſubſtantiæ & naturæ.

Quod autem attinet ad animum, omnes ad vnã Dei imaginem creati ſumus. Geneſ.1. verſu 27.1. Corinth.11.v.7. Ex quo fit, vt ſapientiſſimè Hebræi ſua lingua omnes homines nobis אח & רעת fratris & cognati ſiue cõſanguinei nomine commendent. Vna enim communi inter ſe & eadem cognatione omnes continemur. Luc.10. verſu 30. Itaque omnes inter nos & fratres ſumus, & cognati, iiſdem parentibus Adamo & Eua primum B orti, ab eodem Deo in mũdum producti quoque. Geneſ.19.v.7. Itaque vnum tantùm patrem, & eum quidem cœleſtem, iubemur agnoſcere, nempe Deum, Matt.23.v.9.& à Paulo dicimur nõ ſolùm ex eodem ſemine, ſed etiam ex eodem ſanguine facti. Act.17.v.26. Lactant.li.6.c.10. Nam ſi ab vno homine, quem Deus finxit, omnes orimur, certè conſanguinei ſumus:& ideo maximum ſcelus putãdum eſt odiſſe hominem, vel nocentem. Item ſi ab vno Deo inſpirati omnes, & animati ſumus, quid aliud, quàm fratres, ſumus? & quidẽ coniunctiores, qui animis, quàm qui corporibus. Hactenus ille.

Et hæc quidem nõ ſolum à Chriſtianis Theologis conſentienter ſcripturæ tradita ſunt: verùm etiam ab Ethnicis Philoſophis, imprimíſque à M. T. Cicerone li.1. De legibus, his verbis. Id iam patebit, ait, ſi hominum inter ipſos ſocietatem, coniunctionémque perſpexeris. Nihil enim eſt vnum vni tam ſimile, tam par, quàm omnes inter noſmetipſos ſumus. Quod ſi deprauatio conſuetudinum, ſi opinionum varietas non imbecillitatem C animorum torqueret, & flecteret quocunque cœpiſſet, ſui nemo ipſe tam ſimilis eſſet, quàm omes ſunt omniũ. Itaque quęcũque eſt hominis definitio, vna in omnes valet. Quod argumenti ſatis eſt, nullam diſſimilitudinem eſſe in genere. Quę ſi eſſet, nõ omnes vna definitio contineret. Et enim ratio, qua vna præſtamus beluis, per quam coniectura valemus, argumentamur: refellimus, diſſerimus, conficimus aliquid, concludimus, certè eſt communis: doctrina differens, diſcendi quidẽ facultate par. Nam & ſenſibus eadem omnia comprehenduntur, & ea, quæ mouent ſenſus, itidem mouent omnium: quæque in animis imprimuntur, de quibus ante dixi, inchoatæ intelligentiæ ſimiliter in omnibus imprimuntur, interpréſq; eſt mentis oratio, verbis diſcrepans, ſententiis congruens. Hactenus Cicero. Eôdem pertinet quod ſcribit Baſi. in Sermo. habito in Lacizis, πάντες συγγενεῖς, πάντες ἀδελφοὶ, ἑνὸς πατρὸς ἔκγονοι πάντες, &c.

Ergo ſexus diuerſus non eſt ſpectandus, neque fas eſt, vt fœminæ fœminas tantùm diligant: maſculi autem mares. Nam & mares & fœminæ ſeſe

A mutuò, & alij alios Chriſtianè diligere debent, quando fratres ſunt & vna definitione continentur, & ad vnam Dei imaginem mas & fœmina creati.Geneſ.1.verſ.27. Et, vt docet Ariſtot.quid inter marem & fœminam , excepto paucarũ quarundam partium vſu,intereſt?

Neque etiã regionis nationíſve diuerſitas ſpectanda,quando,vt Chriſtus docet, Iudæo , proximus fuit Samaritanus,non Iudæus.Luc.10.ver.30. Præterea diuerſus regionis ſitus naturalia illa cognationis humanæ iura non tollit, aut extinguit. Sæpe enim accidit,vt fratres ex iiſdem parentibus peregrinantibus , diuerſis tamen in locis, naſcantur: & qui in eadem domo & loco nati ſunt fratres,diuerſis tamen in regionibus habitent,qui nõ propterea fratres eſſe deſinunt. Vniuerſus enim mundus eſt hominũ domus ſeu domicilium. Lactan.lib.6.cap.11. Quid perſonas eligis?quid membra inſpicis? Pro homine tibi habendus eſt, quiſquis ideo precatur, quia te hominem nouit. Largitor cæcis, claudis, debilibus, deſtitutis, quibus niſi largiare , moriundum eſt:inutiles ſunt hominibus:ſed vtiles Deo:Hæc Lactant.

B Neque etiam religionis diuerſitas ſpectãda eſt. Sunt enim omnes homines ad Dei vnius imaginem creati.Gen.1.verſ.27. Quanquam tamen Dei filiis & fidei domeſticis imprimis eſt benefaciendum.Galat.6.verſ.10.inter quos non tantùm illa, quæ ſuperius expoſuimus, cõmunia ſunt,ſed hæc quoque arctiora vincula & fortiſſima , eadem fides,idem Deus,idem Baptiſma, eadem hæreditas cœleſtis,idem denique Chriſtus & Eccleſia. Eph. 4.v.4.5.6. quæ res nos magis illis obligant, quanquam tamen omnibus eſt benefaciendum.

Sed neque ſanguinis familiæque,ex qua oriundi ſimus , diuerſitas afferenda. Quanquam enim plus parentes , quàm qui non ſunt : plus fratres, quàm cognati diligendi ſunt: & in Chriſtiana charitate ſunt certi gradus obſeruandi, vt rectè Homil.2. in Cantic. Cantic. obſeruat Origenes , arctioráque inter has quàm inter illas perſonas vincula:ſumus tamen,vt ait Paulus, omnes ex eodem ſanguine.Itaque ſunt omnes diligendi, Actor.17. verſ.26.Lactant.lib.6.cap.12.Nam qui bonum facit vel conſanguineo,vel proximo, vel amico, aut C nullam , aut certè non magnam laudem meretur, quia id facere debet , éſtque impius ac deteſtabilis, niſi id fecerit. Qui autem benè facit alieno & ignoto,is verò dignus eſt laude,quoniam,vt faceret,ſola ductus eſt humanitate.

Denique neque ipſa eorum , quos amamus , aliena à nobis affectio & animus auerſus ſpectandus eſt , qualis eſt eorum , qui nobis ſunt inimici etiam capitales. Nam & hos diligere debemus, & iis benefacere, neque tantùm eorum bonis & rebus ſuccurrere , quantum in nobis eſt, Exod. 23. verſ.4, & 5. ſed etiam perſonis , ídque libenter & amico promptóque animo , ſi verè Chriſtiani ſumus,Matth.5.verſ.44. Ergo ſi inimicus eſurit,cibandus eſt,ſi ſitit, potandus eſt, vt Paulus ait,Roman.12.verſ.20.Prouerb.25.verſ.21.Neque obſtat, quod eſt 2.Samuel 19.verſ.7. & Heſiod.lib.1. ἔργων ϗ ἡμέρων. Nam illud dicitur ex ſenſus humani ſententia non ex diuini verbi mente. In quo tamen ipſo valde notanda eſt Hieronym. hæc ſententia, quæ extat lib.1. contra Pelagianos non vt fauere ille videatur Scholaſticis qui cenſent non ex præcepto,ſed duntaxat ex conſilio eſſe diligendos inimicos : verùm vt intelligamus non omnia noſtra A conſilia iis,qui nos oderunt, eſſe communicanda, quemadmodum amicis , qui nos diligunt , liberè ea euulgamus,ac enuntiamus. Præceptum eſt mihi,ait, vt diligam inimicos, & orem pro perſecutoribus. Nunquid iuſſum eſt, vt ita diligam quaſi proximos & conſanguineos & amicos?vt inter æmulum & neceſſarium nulla diſtantia ſit?Si inimicos diligo quaſi proximos, amicis quid amplius exhibebo ? Aut ſi hoc dixeris, illud tacere debueras, ne contraria ſibi in eodem loco dicere videaris,inimico nũquam eſſe credendum. Sed quomodo diligatur inimicus, & Lex docet,iumẽtum aduerſarij,ſi ceciderit,ſubleuandum. Et Apoſtolus, ſi eſurierit inimicus tuus,ciba illum : ſi ſitierit, da illi potum.Hoc enim faciens carbones ignis congregabis ſuper caput eius, non in maledictum aut condemnationem , vt plerique exiſtimant : ſed in correctionem, reſurrectionem , & plenitudinem, vt ſuperatus beneficiis , odij igne excocto frigore charitatis inimicus eſſe deſinat. Hæc Hieronym. vide Thomam in 2.2ª quæſt.24. qui peſſimè ex B hac ſententia Hieronym.deceptus eſt. Hieronymus autem iſta ſua ex Origenis Homil.2.in Cantica Canticorum tranſcripſit. Bernardi verò hæc ſententia , quæ eſt Sermo.50. Cant. Porrò inimicum hominem , quoniam nihil eſt , pro eo quod non diligit Deum,non potes quidem diligere tanquam teipſum,qui Deum diligis:diliges tamen,vt diligat,eſt ſubtilior , vti tota illius loci diſputatio de charitate.

Additur in ſumma,*Sicut teipſum.* Quæ ſanè comparatio non metam,aut regulam,finémque charitatis oſtendit,quem ſpectare debemus : ſed modũ tantùm , alacritatémque , & vehementiam animi & ardoris in ſuccurrendo , & iuuando proximo. Neque enim ex eo legitimus & rectus amor noſter erga proximum iudicandus eſt,quod ſic & ad eundem finem eum diligimus , propter quem & nos ipſos. Nam plerunque,& vt plurimum cæcus eſt amor noſtri,& ſemper in vitio habita eſt φιλαυτία , & ita ſe plerique amant , vt quod in ſe peſſimum eſt , foueant , velut voluptatem , auaritiam, iram.Quod autem optimum eſt negligant , veluti Dei metum,morum emendationem. Quo modo C & fine ſi quis alium diligat , vitioſa eſt iſta dilectio,& illegitima,& à Deo damnata. Sed quia ad nos noſtráque procuranda,agenda,& promouenda valde ſedui & vehementes , diligentes & alacres ſumus , eadem & tam alacri opera & animo in rebus & perſonis , vt aiunt , aliorum procurandis, apparcamus. Itaque eô pertinet illa ſimilitudo & comparatio, Sicut teipſum , Matth.7.ver. 12. Aliter Scholaſtici ſentiunt,charitatem benè ordinatam incipere à ſeipſo , quia regula eſt priùs quàm regulatum ex ea. Sed illi perperam,qui nos & amorem noſtri veram Chriſtianę charitatis regulam eſſe putant.

Quem autem finem in proximis diligẽdis ſpectare,& quam nobis regulam ſtatuere debeamus, alia docet comparatio.Nempe vt proximum diligamus,ſicut Chriſtus nos amauit,Ioan.13.verſ.34. 15.verſ.12. Ex quibus omnibus quæ ſit ſecundæ tabulæ vis & ſumma intelligitur. Auguſtinus in Ioan.Euangel.tract.65. Mandatum nouum do vobis,vt vos inuicem diligatis,non ſicut ſe diligũt qui corrumpunt:nõ ſicut ſe diligũt homines,quoniam homines ſunt:ſed ſicut ſe diligunt,quoniam

A dii ſunt, & filii Altiſſimi omnes, vt ſunt Filii eius vnici fratres ea dilectione inuicem diligentes, qua ipſe dilexit nos. Cyrillus tamen in Ioan.li.9.ca.23. putat his verbis Chriſti, *ſicut vos dilexi*, addi aliquid ad illam dilectionem proximi lege Dei præſcriptam, quaſi iam teneamur plus diligere proximum, quàm nos ipſos: quo nos modo Chriſtus dilexit, nempe plus quàm ſeipſum.

Optimè autem & conuenientiſſimè addi huic loco poſſe videntur quædam argumenta, ex quibus ad illam fraternam proximi charitatem excitemur atque inflammemur, quæ nos non omnia colligemus, ſed aliqua tantùm, quæ tradit Scriptura. Ex quibus illud certè

Vnum eſt, Proximos diligendos, quia id fieri Deus iubet, cui non parere nefas eſt, Ioan.13.verſu 34.& 15.verſu 12.

Alterum, Quia omnes Dei vnius eadem imago ſumus, Geneſ.1.v.27.

Tertium, Quia pulcherrimum omnium, quæ ſub cælo ſunt, Dei operum opificium ſumus, nos homines. Itaque ſi quod Dei opus amandum eſt, B vnus maximè homo eſt diligendus.

Quartum, Quia eum mutuum hominum inter ſeſe amorem natura ipſa conciliat, quam ſi ducem ſequimur, nos mutuò diligemus, ita ſimiles inter nos ſumus omnes, ita arctis omnes inter ſe ſocietatis vinculis ſumus coniuncti, vt qui alium odit, penè ſeipſum odio proſequi videatur.

Quintum, Illa ſpiritalis coniunctio, quæ eſt inter omnes Chriſtianos, ſatis eos inter ſe conciliare debet, id eſt, eadem fides, idem baptiſma, Epheſ.4.v.4.

Sextum, Ipſa humanæ conditionis ratio, nos ad hoc ipſum exhortatur. Nam cùm ſit homo animal natura πολιτικὸν & gregabile, ſui generis & ſpeciei alios amet neceſſe eſt. Vnde vox illa eſt apud Terentium, Homo ſum, humani à me nihil alienum puto. Et humanitatem, quæ nihil aliud eſt, quàm promptus & procliuis ad benefaciendum iis animus, qui ſunt noſtri generis, ab homine dictam & appellatam omnes tradũt, quia homines ex omnibus animalibus eam retinent & innatam gerunt.

Denique ipſius humanæ conuerſationis vtilitas C id exigit. Nam quanquam Deus hominem præſtantiſſima conditione creauit, noluit tamen eſſe in hac vita, & iis quæ ad eam neceſſaria ſunt, ἀυταρκῆ, ſed omnis vitæ noſtræ pars, ſexus, ætas, ſtatus, conditio, alieno, id eſt, hominis alterius auxilio eget. Neque enim quiſquam eſt ita locuples, & rebus omnibus, quæ ad vſum huius vitæ pertinent, abundans, vt egeat nemine. Ergo ea neceſſitas, &, quæ ex homine percipitur vtilitas, mutuóque ab homine redditur & præſtatur, homines inter ſe conciliat, quia mutuis ſe auxiliis egere ſentiunt & vident. Itaque vel ex ea vna cauſa ſe amant, 1.Ioan. 4.v.20. Præclarè enim dictum eſt ex nullo alio animantium genere ab homine tantam vtilitatem & commoditatem percipi, quanta ex alio homine capitur. Vnde natum prouerbium, Homo homini Deus. & illud Pauli notandum ex Galat.5.ver.15. Si alii alios mordetis & deuoratis, videte ne viciſſim alii ab aliis conſumamini.

CAP. XXI.

Admonitio vtilis de tota Lege Dei.

SED quia virtutis omnis laus & huius cogitationis finis in actione conſiſtit, addidit Scriptura poſt Legem editam atque recitatam, & promiſſiones, & minas, vt ad illius obſeruationem inuitaremur. A

Ac promiſſiones quidem ingentes, quæ extant Deuter.28.Iſa.41.v.8.& ſeq. & cap. 54. tum in noſtrum fauorem, tum in hoſtium & inimicorum noſtrorum perniciem.

Ac illæ quidem promiſſiones & benedictiones, quę in nos conferuntur, ſpectant partim nos ipſos noſtráſque, vt loquuntur, perſonas: partim res noſtras, qualia ſunt coniugia, liberi, bona, exiſtimatio, ſiue nominis noſtri fama: partim actiones & opera noſtra: denique tempora ipſa vitæ tranquillæ & pacificæ, Mich.4.verſu 3.

Imprimis autem ingens eſt, & infinita illa benedictio, Homo qui ea fecerit, viuet in iſtis, Leuit. 19.verſu 5.Galat.3.ver.12.Ezech. 20.v.21. per quam vitam æternam illi promitti certum eſt, qui Legem Dei omnino implerit, ſi quis reperiri poſſet. Nemo autem poteſt, Pſal.143.verſ.2.

Quæ autem in hoſtium noſtrorum perniciem B Deus effatur, ea certè quidem internecionem, atque eorum interitum perpetuum denuntiant, Amos 1.& 2.Nah.3.v.19.Sophon.2.v.4.Zachar.12.

Quia verò neſcio quo carnis ſuæ ſopore ſepulti, & voluptate ineſcati homines mirè in ſuis vitiis torpent, ac velut lethargici facilè ab iis excitari non poſſunt, ſunt minis, tanquam duriſſimis acutiſſimiſque flagris & ſtimulis, expergefaciendi, ne ſi ſuo more & ingenio viuere ſinantur, miſerè tandem pereant, 1.Corin.11.verſ.32. Itaque ad Dei minas diligenter eſſe attendendum docet Propheta Am.3. v. 5. adeò vt ſi quis eas irrideat grauiſſimè caſtigetur. Deut.29.19.

Ac minæ quidem illę Dei in ſuæ Legis contemptores ingentes, & grauiſſimæ cõtinentur eodem illo Deuter.cap.28.& Hierem.4.v.19.& 28. Neque maiores tamen, quàm par ſit, & quàm quas ipſi peccantes meremur. Nam peccati ſtipendiũ mors eſt, Rom.6.v. 23. & Deus ſemper modo & ratione punit, Hier.10.v.24.

Minæ autem Dei, ſicuti promiſſiones, tum in C nos ipſos, tum in res, tum in opera, tum etiam in tempora vitæ ſunt: Imprimíſque eſt illa grauiſſima Dei in nos immorigeros & inobſequentes cõminatio, Homo qui non perſiſtet in iis omnibus, maledicetur, Deut.27.v.26.Galat.3.v.10. Quæ certè pœnæ in nos durabunt, donec verè pœniteamus, & ex animo ad Deum conuertamur, eiúſque obſequium. Placatur enim Deus erga pœnitentes magna ſua per Chriſtum miſericordia, Oſe.5.ver. 14.& 6.ver.1.Amos 5.9.Soph.2.ver.1. non propter eorum pœnitentiam.

Has autem minas vt melius in noſtram ædificationem meditemur, hæc duo velut ἀξιώματα & effata Theologica ſtatuenda ſunt & cogitanda.

1 Deum vlciſci & vindicare nominis ſui contemptum, vt eſt Hier.24.9.Ioel.2. Neque enim vtcunque ſæpe tardet, vllius ſceleris à nobis admiſſi obliuiſcitur Deus, Pſal.90.8.Oſe.7.2. Sed tarditatem pœnę grauitate ſupplicii compenſat. Et quanuis calamitatum ſuarum cauſam in Deum ipſum, & eius doctrinam impii iampridem retorquent & deriuant, Hierem.44.verſ. 18. tamen falluntur. Nam immittuntur à Deo propter noſtra ſcelera

iuſtè

A iuſtè.Mich.1.12.Amos 3.6.propter quæ nõ ſolùm homines ipſos, ſed etiam reliqua omnia prorſus euertit & excindit,Ioel.1.v.7.Oſ.4.verſ. 3. & 7.v. 13.Soph.1.v.3.Neque etiam apud Deum nos excuſat vel mos,vel peccantium multitudo, Exod.23. verſ.1. & 2.quando,vt ait Hieron.epiſtola 38.peccantium multitudo non parit errori etiam apud homines,patrocinium.

2 Secundum ἀξίωμα eſt, Horrendum eſſe in manus Dei irati incidere,vt eſt Hebr.10.31.

Primùm quia infinitis modis & pœnarum generibus homines ſibi rebelles punit Deus, Nẽpe,

Per Angelos tũ bonos,tum etiã malos,Exo.14.

Per homines,& eos quidem partim nobis amicos atque domeſticos:partim autem extraneos & inimicos,quos in nos armat,animat,excitat,atque impellit,Hierem.13.v.14.& 19.v.9.Amos 7.1.Habac.1.Ioel 1.6.

Per bruta & fera animalia, vt eſt Hierem.8.17. quæ in nos animat.

Per mundi huius elementa, velut cœlum. Eſt enim cęlum pœnarum diuinarum theſaurus.Leuit.26.19.Deut.11.17.& 28.23.

B Per res inanimes,veluti per morbos omnis generis,imprimis autem per peſtem inobſequentes caſtigat Deus,Exod.15.ver.26.& 23.v,26.Deut.28.35.Amos 4.10.

Per gladium & bella,Oſe.11.6.Ezech.5.

Per famem,quam immmittit, dum vim panis infringit,Oſe.9.3.& 13.15.Amos 49.Agg.2.15.Per ignem,Oſ.8.14.

Per furorẽ animi immiſſum,Oſe.9.7.Am.2.14.

Per pudorem & ignominiam, Ezech.5.verſ.25. A Hierem. 24.6.Rom.6.21.Pſal.119.39. Sopho.3.v.5.

Par captiuitatem,Oſe.9.7.Hierem.15.2.

Per impœnitentiam denique,& ſenſum reprobum,in quem eos tradit, Oſe.11.7. Mich.2.11. Ro. 1.28.& 2.Theſſ.2.11.

Præterea nihil eos è Dei manu potentiſsima & longiſsima poteſt eripere.

Non nox,non dies Pſal.139.11.

Non corporis robur, aut celeritas fugæ, Am. 2.14.

Non eorum Principes,Oſe.8.4.& 10.3.

Non oppida munita, Soph.1.13. & 2.14. Iſa.34. 11.Amos 3.15.Malach.1.4.

Non denique aurum eorum, aut argentum eos eripiet,Pſal.49.Ezech.7.9.Sophon.1.v.13.Zacha.9.

Demum nuſquam eius pœnæ finis erit.Ex malo enim in aliud malum incident, & abyſſus abyſſum inuocat & accerſit, Amos 5.19. Pſ.42.8. Non ceſſabit enim pœna.donec à radice impij & obſtinati excindantur,Pſalm.53. Oſe.9.16.Amos 9.1. & ſine ſepulchro inhonorati,iaceant, Hierem.8.1.& B 6.6.& 22.19.

Has autem pœnas ſi quis irrideat, Deus in eum iudicium, irámque grauiſsimam comminatur, Deut.29.19.

Ex quibus apparet, quàm ſint formidanda Dei Optimi Maximi in nos iudicia, cuius eſt & poteſtas immenſa,& ira,atque vis intolerabilis, Nah.1. Pſalm.90.11.Ergo Legi Dei parendum eſt. Atque ex his omnibus totum illum de Lege Dei tractatum concludimus.

עשרת הדברים

וידבר אלהים את כל-הדברים האלה לאמר:

אנכי יהוה אלהיך אשר הוצאתיך מארץ מצרים מבית עבדים:

PRIMVM.

לא יהיה לך אלהים אחרים על פני:

C

SECVNDVM.

לא תעשה לך פסל וכל תמונה אשר בשמים ממעל ואשר בארץ מתחת ואשר במים מתחת לארץ:

לא תשתחוה להם ולא תעבדם כי אנכי יהוה אלהיך אל קנא פקד עון אבות על בנים על שלשים ועל רבעים לשנאי: ועשה חסד לאלפים אהבי ולשמרי מצותי:

TERTIVM.

לא תשא את שם יהוה אלהיך לשוא כי לא ינקה יהוה את אשר ישא את שמו לשוא:

QVARTVM.

זכור את יום השבת לקדשו: ששת ימים תעבד ועשית כל מלאכתך: ויום השביעי שבת ליהוה אלהיך לא תעשה כל מלאכה אתה ובנך ובתך עבדך ואמתך ובהמתך וגרך אשר

ΔΕΚΑ ΕΝΤΟΛΑΙ Θεοῦ.

Καὶ ἐλάλησε Κύριος πάντας τοὺς λόγους τούτους, λέγων Ἐγώ εἰμι Κύριος ὁ Θεός σου, ὅστις ἐξήγαγόν σε ἐκ γῆς Αἰγύπτου, ἐξ οἴκου δουλείας.

PRIMVM.

Οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ.

SECVNDVM.

Οὐ ποιήσεις ἑαυτῷ εἴδωλον, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα, ὅσα ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω, καὶ ὅσα ἐν τῇ γῇ κάτω, καὶ ὅσα ἐν τοῖς ὕδασιν ὑποκάτω τῆς γῆς. Οὐ προσκυνήσεις αὐτοῖς οὐδὲ μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς. ἐγὼ γάρ εἰμι Κύριος ὁ Θεός σου, Θεὸς ζηλωτὴς, ἀποδιδοὺς ἁμαρτίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, ἐπὶ τρίτην καὶ τετάρτην γενεὰν τοῖς μισοῦσί με, καὶ ποιῶν ἔλεος εἰς χιλιάδας τοῖς ἀγαπῶσί με, καὶ τοῖς φυλάττουσι τὰ προστάγματά μου.

TERTIVM.

Οὐ λήψῃ τὸ ὄνομα Κυρίου τοῦ Θεοῦ σου ἐπὶ ματαίῳ, οὐ γὰρ μὴ καθαρίσει Κύριος τὸν λαμβάνοντα τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐπὶ ματαίῳ.

QVARTVM.

Μνήσθητι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων ἁγιάζειν αὐτήν. ἓξ ἡμέρας ἐργᾷ, καὶ ποιήσεις πάντα τὰ ἔργα σου. τῇ δὲ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ σάββατα Κυρίῳ τῷ Θεῷ σου. οὐ ποιήσεις ἐν αὐτῇ πᾶν ἔργον σὺ, καὶ ὁ υἱός σου, καὶ ἡ θυγάτηρ σου, ὁ παῖς σου, καὶ ἡ παιδίσκη σου, ὁ βοῦς σου, καὶ τὸ ὑποζύγιον σου, καὶ πᾶν κτῆνός σου, ὁ προσήλυτος ὁ

LEX DEI EX Hebræo conuerſa:

Et loquutus eſt Deus omnia verba hæc dicendo Ego Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, de domo ſeruitutis.

PRIMVM.

Non erit tibi Deus alienus coram me.

SECVNDVM.

Ne facias tibi ſculptile neque omnẽ ſimilitudinem quæ in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum,nec eorũ quæ in aquis ſub terra. Non adorabis ea: neque coles ea:quia ego Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitãs iniquitatem patrum in filios ſuper ternos & ſuper quaternos odientium me: & faciens miſericordiã in millia iis qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.

TERTIVM.

Ne aſſumas nomen Domini Dei tui fruſtra: quia non inſontem habebit Dominus eum qui aſſumpſerit eius nomen fruſtra.

QVARTVM.

Memento diei ſabbathi vt ſanctifices eũ. ſex diebus operaberis & facies omne opus tuum: & die ſeptimo ſabbathũ Domini Dei tui. Ne facias omne opus tu & filiꝰ tuꝰ & filia tua, ſeruus tuus, & ancilla tua,& iumentum tuũ,& aduena tuus qui

C

A בשעריך: כי ששת ימים עשה יהוה את השמים ואת הארץ את הים ואת כל אשר בם וינח ביום השביעי על כן ברך יהוה את יום השבת ויקדשהו:

QVINTVM.

כבד את אביך ואת אמך למען יאריכון ימיך על האדמה אשר יהוה אלהיך נתן לך:

SEXTVM.

לא תרצח:

SEPTIMVM.

לא תנאף:

OCTAVVM.

לא תגנב:

NONVM.

לא תענה ברעך עד שקר:

DECIMVM.

לא תחמד בית רעך לא תחמד אשת רעך ועבדו ואמתו ושורו וחמרו וכל אשר לרעך: B

παροικῶν ἐν σοί. ἐν γὰρ ἓξ ἡμέραις ἐποίησε Κύριος τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, καὶ κατέπαυσε τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ. διὰ τοῦτο ηὐλόγησε Κύριος τὴν ἡμέραν τὴν ἑβδόμην, καὶ ἡγίασεν αὐτήν.

QVINTVM.

Τίμα τὸν πατέρα σου, καὶ τὴν μητέρα σου, ἵνα εὖ σοι γένηται, καὶ ἵνα μακροχρόνιος γένῃ ἐπὶ τῆς γῆς τῆς ἀγαθῆς, ἧς Κύριος ὁ Θεός σου δίδωσί σοι.

SEXTVM.

Οὐ φονεύσεις.

SEPTIMVM.

Οὐ μοιχεύσεις.

OCTAVVM.

Οὐ κλέψεις.

NONVM.

Οὐ ψευδομαρτυρήσεις κατὰ τοῦ πλησίον σου μαρτυρίαν ψευδῆ.

DECIMVM.

Οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον σου· οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν οἰκίαν τοῦ πλησίον σου, οὔτε τὸν ἀγρὸν αὐτοῦ, οὔτε τὸν παῖδα αὐτοῦ, οὔτε τὴν παιδίσκην αὐτοῦ, οὔτε τοῦ βοὸς αὐτοῦ, οὔτε τοῦ ὑποζυγίου αὐτοῦ, οὔτε παντὸς σκεύους αὐτοῦ, οὔτε ὅσα τῷ πλησίον σού ἐστι.

in portis tuis Quia ſex diebus fecit Dominus cælū & terrā, mare & omnia quæ in eis: & requieuit in die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus diei ſabbathi & ſanctificauit eum. A

QVINTVM.

Honora patrem tuum & matrem tuam vt prolongentur dies tui ſuper terram quam Dominus Deus tuus dat tibi.

SEXTVM.

Ne occidas.

SEPTIMVM.

Ne mœchus ſis.

OCTAVVM.

Ne furtum facias.

NONVM.

Ne loquaris in proximum tuum teſtimonium falſum.

DECIMVM.

Ne concupiſcas domum proximi tui, nec deſideres vxorem proximi tui, aut ſeruum eius, aut ancillam eius, aut bouem eius, aut aſinum eius, aut quicquam, quod proximi tui. B

ETHICES CHRISTIANÆ LIBER TERTIVS.

C

Cap. I.

Continuatio operis.

RESTAT noſtræ inſtitutæque diſputationis caput tertium, in quo varia tum virtutum, tum vitiorum vocabula, quæ partim in ſacra Scriptura, partim apud Philoſophos reperiuntur, ſunt nobis explicanda. Quia autem quæ ad veram pietatem, & ad primam Legis diuinæ tabulam pertinent, ex ſolo Dei verbo ſumi debent: ex Philoſophorum autem aut Scholaſticorum ſcriptis nullo modo: prætereà quia illa ipſa propriè ad Theologos, non ad hanc Ethicen ſunt referenda: operæpretium mihi viſus ſum facturus, & ſuſcepto argumento accommodatè, ſi tota idcirco prima tabula prætermiſſa, Virtutes & Vitia, quæ ad ſecundam pertinent, primùm breuiter, & velut in Indice proponerem, deinde definirem & exponerem.

QVÆ VIRTVTES ET VITIA AD QVODQVE SECVNDÆ legis diuinæ tabulæ præceptum referantur: quæ hic à nobis tanquam in tabula proponuntur.

Ad præceptum quintum, Honora Patrem & Matrem, &c.

Summa huius præcepti.

1 Diſtinguit varios dignitatis & vocationum, quæ ad huius vitæ commoditatem ſunt à Deo inſtitutæ, gradus.

2 Quemque in ſua vocatione & munere prudenter, conſtanter, & alacriter ſuæ vocationis finem ſpectantem verſari iubet.

3 Subditos præfectis ſibi à Deo hominibus parere & obſequi ex animo iubet.

A Et quia munera & vocationes ſunt partim Publicæ, vt Magiſtratus : partim Priuatæ, vt Patris, Domini, vt Mariti, quæ priuatam vtilitatem ſpectant, pertinet huius præcepti ratio partim ad publicas, quæ dicuntur, perſonas, & noſtrum erga eos officium, partim etiam ad priuatas, & noſtrũ erga eas munus.

Referuntur autem ad hoc præceptum & quidem quod ad publicas perſonas ſpectat, & noſtrum erga eas officium virtutes hæ.

Iuſtitia Diſtributiua.
Modeſtia.
Humilitas.
Gloriatio.
Magnanimitas.
Nulla perſonarum acceptio. ἐκδίκησις. i. Vindicta ſcelerum.
Prudentia.
Diſcretio, cui Vigilantia & Sobrietas ſubſeruiunt.
B Obedientia fidelis.
Obſeruantia, θεράπεια.
Subiectio Ingenua & voluntaria.

Ad Priuatas perſonas, & noſtrum erga eas officium pertinet, Parentes diligere, Gratiam referre, Amicitias colere, ad quæ tria referuntur hæ Virtutes.

Naturalis ſtorge.
Pietas erga Parentes & cognatos.
Gratitudo ſiue χάρις erga benefactores omnes.

Superioribus autem Virtutibus opponũtur hæc vitia quæ ad hoc præceptum referuntur, & ijs opponuntur, partim per Priuationem: partim per Actum
C *id eſt, Exceſſum vel Defectum.*

Per Exceſſum quidem.

Ambitio.
Præſumptio.
Arrogantia.
Υπερηφάνεια
ὑψόφια
Inanis gloria
Superbia
Oſtentatio
Φιλαυτία

Per Defectum autem.

Ignobilitas ἀναξία
βαναυσία
Timor
Væcordia
Mollities animi
Puſillanimitas
Inſenſibilitas
Intimiditas.

Per priuationem.

Iniuſtitia diſtributiua, quæ eſt in ſuffragiis.
Acceptio perſonarum.
Imprudentia.

Reliqua vitia.

Ακριϐοδίκαιον
Crudelitas
Lenitas affectata.

Subditorum ratione hæc Vitia pertinent ad hoc præceptum.

Inobedientia.
Contumacia
Rebellio.
Impietas erga parentes
Aſtorgia.
Ingratitudo.

Ad pręceptũ ſextum, Non occides.

Quod ad publicas perſonas, & earum officium, iubet.

1 Tueri Rempubl. quæ illis commiſſa eſt, ab omni hoſtium tum internorum, tum externorum genere.

2 Moderationem in pœnis publicis ſumẽdis adhibere.

Ergo ad hoc præceptum pertinent hæ Virtutes.

Iuſtitia Diſtributiua puniens ſcelera.
Fortitudo bellica.
Clementia.

Quod ad priuatas perſonas, & earum officium, iubet hoc præceptum.

Pro patria fortiter occumbere.
Iræ moderari.
Omnem beneuolentiæ cum proximo ineundę rationem quærere.
Perſonam eius non lædere.

Ergo pertinent ad hoc præceptum hæ Virtutes.

Fortitudo bellica.
Fiducia.
Ανεξικακία.
Patientia, ὑπομονή.
Manſuetudo animi.
Lenitas.
Condonatio.
Longanimitas.
Agnitio offenſæ.
φιλοφροσύνη.
Comitas.
Affabilitas.
Vrbanitas.
Æquabilitas.
Beneuolentia.
Concordia.
Amicitia.

Vitia verò hæc partim per priuationem ſuperiorum virtutum, partim per Exceſſum & Defectum pertinent ad hoc præceptum.

Timiditas.
Audacia, Intimiditas.
Sæuitia.
Feritas.
Cædes.
Veneficium.
Ira.
Lis.
Inimicitia.
Pugna.
Contentio.
Clamor.
Irritatio.
Diſſidium.
Querimonia.
Iracundia.
Amaritudo.
Excandeſcentia.
Odium.
Rancor.
Acidia. Maleuolentia.
Auſteritas nimia. ἀποτομία.
Pertinacia.
αὐθάδεια.
Agreſtitas.
Inhumanitas.
Diſcordia.

Ad Præceptum ſeptimum, Non Mœchaberis.

Quod ad publicas perſonas, iubet Lex,

1 Adulteria, ſcortationes & omnem externam laſciuiam puniri.

2 Omnem verecundiam & honeſtatem tum in coniugiis, tum in cæteris rebus publicis edictis ſanciri.

Ergo pertinent ad hoc præceptum hæ Virtutes.

Iuſtitia Diſtributiua puniens illegitimos coitus & laſciuiam.
σεμνότης publicè conſtituta.

Quod ad priuatas perſonas, & earum officium.

1 Omnem illegitimum & inhoneſtum concubitum damnat, qui vel naturæ ipſi, vel honeſtis moribus repugnat.

2 Omnia laſciuiæ & impudicitiæ incentiua & appendices.

3 Omnem in verbis, geſtu, & vita honeſtatem, caſtitatem & munditiem præcipit hæc Lex.

Ergo pertinent ad hoc præceptum hæ Virtutes.

Coniugij ſanctitas.
Temperantia.
Sobrietas.
Abſtinentia.
Caſtitas.
Pudicitia.
Verecundia.
Pudor.
Puritas, ſiue Munditia.
Ornatus.
Honeſtas.
in Ludis & Iocis.
Honeſtas.

Vitia ſuperioribus Virtutibus oppoſita tum per Priuationem tum per Actum. i. Exceſſum vel Defectum, & quæ ad hoc præceptum pertinent, ſunt hæc,

Impudicitia.
Intemperantia.
Impuritas.
Immunditia.
Inuerecundia.
Inhoneſtas.
Beſtialitas.
Inſenſibilitas.
Fornicatio.
Inceſtus.
Sodomia.
Stuprum.
Adulterium.
Comeſſatio.
Compotatio ſiue Ebrietas.
Vinolentia.
Gula.
Crapula.
Luxus.
Profuſio.
Vitioſus pudor.
Sermo putris.
Veſtitus indecorus.

Ad Præceptum, Non furaberis.

Quod ad publicas perſonas, iubet Lex

1 Puniri furta.

A 2 Distingui priuatorum dominia & conſeruari.

3 Contractus honeſtos: & commercia, per quę humana ſocietas cõſeruatur, valere.

Ergo pertinent ad hoc præceptum hæ Virtutes.

1 Iuſtitia Distributiua puniens furta.

2 Iudiciorum & Iudicum ſynceritas.

3 Iuſtitia Commutatiua, quæ ſancit & conſeruat hominum inter ſe tum priuatos, tum publicos contractus.

Quod ad priuatas perſonas iubet Lex.

1 Suũ cuique reddi.

B 2 Omne liberalitatis genus in proximum exerceri.

Ergo pertinent ad hoc præceptum hæ Virtutes.

Bona conſcientia in cõtrahendo.
Fidelitas ſiue fides.
Iuſtitia commutatiua in reddendo alieno.
Liberalitas. Benignitas.
Communicatio.
Bonitas.
Eleemoſyna.
Miſericordia.
Hoſpitalitas.
Lætitia de alieno bono.
Frugalitas.
Animus ſua ſorte contentus.
Labor, occupatio honeſta.
Gratitudo.

C *Vitia quæ ſuperioribus virtutibus opponuntur, partim per Priuationem, partim per Actum, id eſt, Exceſſum, vel Defectum ſunt hæc.*

Concuſſio quæ fit in Iudicio.
Magiſtratuum rapacitas.
ἀταξία contractuum.
Iniuſtitia.
Infidelitas.
Dolus malus, cuius ſunt variæ & partes, & ſpecies, hæ ſcilicet:
Simulatio, Hypocriſis.
Diſſimulatio.
ματαιότης Vanitas.
Leuitas ἀστασία.
Vis.
Furtum.
Rapina.
Plagium.
Inſpectio curioſa & auara rei alienæ.
Solicitudo nimia de futuro.
Pigritia.
Ignauia.
Inertia.
Auaritia, cuius hæ ſunt partes.
αἰσχροκέρδεια.
φειδωλία Tenacitas.
κιμβεία Sordes & Cucumeris ſectio.
Prodigalitas.
Profuſio bonorum.
φιλαργυρία.
Sorditics.
Ingratitudo.
Inuidia.

Ad preceptum, Non falſum teſtimoniũ dices, &c.

Quod ad publicas perſonas, iubet Lex

1 Iudicia ſanctè regere, & adminiſtrare.

2 Omne falſum in publicis iudiciis admiſſum punire.

3 Omnem detractionem de fama alterius & conuitium coercere.

Ergo pertinent ad hoc præceptum hæ Virtutes.

Iuſtitia Diſtributiua, puniens falſum.

Quod ad priuatos vetat Lex

1 Mentiri in iudicio.

2 Omnino falſũ dicere.

3 Famam proximi & tueri & augere.

Ergo pertinent ad hoc præceptum hæ Virtutes.

Prudens ſermo & conditus.
Veritas.
Libertas in dicendo.
Admonitio fraterna.
Sobrietas in Iudicando.
Animus de alio non ſuſpicax.
Linguæ moderatio.

Vitia ſuperioribus virtutibus oppoſita, tum per Priuationem, tum per Actus contrarios, id eſt, Exceſſum, vel Defectum, ſunt hæc.

Impunita maledicendi, tum in foro & iudiciis, tum extra forum licentia.

Mendacium ſiue illud ſit,
Officioſum.
Iocoſum.
Pernicioſum.
Ironia.
Iactantia.
Aſſentatio ſeu Adulatio.
Scurrilitas.
Garrulitas.
Percontatio alieni negotij curioſa.
Querimonia falſa de proximo.
Detractio de bona proximi fama, ſiue obtrectatio.
Conuitium & Contumelia quæ verbis fit.
Condemnatio temeraria proximi.
Linguæ temeritas & abuſus, qui fit in Verbo,
Stulto.
Otioſo.
Putri.
Iniurioſo.
Suſurratio.

Harum omnium Virtutum dux & moderatrix eſt *Charitas, & Prudentia.* A

Charitas, quæ alterius & ſalutem & vtilitatem ſpectat, non propriam: ſynceróque animo non fucato quicquam agit.

Prudentia, quę omnes circunſtantias diligenter perpendit, & media honeſtarum actionũ aptiſſima inueſtigat.

Prudentiæ igitur aduerſantur
Temeritas.
Incogitantia.
Indiligentia.

Charitati verò videntur aduerſari hæc
Malitia.
Aſtutia.
Vafrities.

Harum item omnium Virtutum fructus magnus íſque externus, B
εὐταξία vitę: & εὐθυμία, id eſt, Animi Tranquillitas, eſt.

CAP II.

Superiorum tum virtutum, tum vitiorum definitiones. Ac primum earum, quæ ad quintum præceptum referuntur.

IAm verò ad ſuperiorum omnium tum virtutum, tum etiam vitiorum definitiones accedamus, quia in ſuperiori noſtra tabula nomina tantùm, eáque nuda commemorauimus: quæ tam ſimplex nomenclatura multum iuuare rudiores non poteſt, niſi aliqua rerum ipſarum explicatio acceſſerit. Quare primo loco eas virtutes aſſumemus, quæ ad quintum præceptum pertinent. In quibus exponendis vitium quoque, quod cuique virtuti opponitur, éſtque in noſtro indice deſcriptum, conferemus. Virtutes enim & vitia, quæ C vulgò ad primam Legis tabulã referuntur, omnino prætermiſimus, quemadmodum monuimus, quòd neque ex Philoſophorum profanorum, neque ex Scholaſticorum libris tutò ſumi poſſint, & quæ ad eam Legis partem pertinent, depromi ex vera Theologia, non ex hac Ethica diſputatione debent. Quas autem hîc afferrimus definitiones, illæ non ſunt vſquequaque omnes ad Dialecticorum vel Logicorum potiùs, & Analyticorum regulas ſeuerè ſemper exigendæ. Popularem enim ſcribendi rationem, quemadmodum etiam in hac diſputatione faciendum eſſe monet Ariſtoteles, ſecuti ſumus, vt eſſemus faciliores.

Ac primum quidem hanc Bernardi ſententiam omnium futurarum definitionum fundamentum audiamus ex libro De gratia & libro arbitrio, Naturales, ait, & ſimplices affectiones ſunt nobis additamenta à gratia facta. Virtutes autem nihil ſunt, quàm ordinatio naturalium illarum affectionum. Nec aliud in iis ordinat gratia, quàm quod primum donauit creatio. Eſt autem hæc ordinatio

A dinatio omnimoda conuerſio voluntatis noſtræ ad Deum, & ex tota ſe voluntaria deuotáque ſubiectio. Requirit autem verum ſapere, & plenum poſſe perfecta virtus. Huic iungitur inſeparabiliter perfecta gloria, vt in hac vita eſſe non poſſit. Idem verò Bernard. Sermon. 22. Canticor, Nemo ait, aliunde veras virtutes ſperet, quàm à Domino virtutum. Quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem Chriſtum ignoratis? Vbinam quæſo, vera prudentia, niſi in Chriſti doctrina? Vbi vera iuſtitia, niſi in Chriſti miſericordia? Vbi vera temperantia, niſi in Chriſti vita? Vbi vera fortitudo niſi in Chriſti paſſione? Ergo quid de Virtutibus, quas ſumus perſecuturi, ſentiendũ ſit, iſtis Bernardi ſententiis apparet, de quibus agemus à iuſtitia, quæ primum in indice noſtro nobis occurrit, exorſi.

Iuſtitia eſt duplex, Generalis vel Specialis. Vtraque δικαιοσύνη dicta.

Iuſtitia generalis eſt, quæ omnia ad bonum commune ordinat, & quod conſentaneum eſt in quoque virtutum, rerum & actionum genere pręſcribit. B Itaque cæterarum virtutum actus illa moderatur, ne à finibus ſuis excedant, néve deficiant. Hæc habet obiectum Conſentaneum & Debitum in genere, ſiue Decorum vniuerſale actionis cum ſua regula. Ariſtoteles libro 5. Ethicor. capit. 1. Thomas in 2.2æ quæſt. 58. Ambroſius igitur in Oratio. De obitu fratris, multas eſſe iuſtitiæ ſpecies (iuſtitia hoc ſignificato ſumpta) ſcribit.

Hæc iuſtitia generalis duplex à Scholaſticis ſtatuitur, Legalis νομικὴ, quæ & condit Leges honeſtas & præſcriptas, ſiue latas obſeruat & tuetur: Et Æquitas, Ἐπιείκεια quæ eſt durioris legis ſententiæ temperatio, ſiue mitigatio quædam ex æqua & humana mentis illius interpretatione.

Iuſtitia particularis eſt ea virtus, quæ debitum & vinculum ſocietatis humanæ in priuatis & ſingularibus perſonis tuetur & præſcribit. Hæc duplex eſt, Diſtributiua, vel Commutatiua.

Diſtributiua, διανεμητικὴ Iuſtitia, eſt, quæ in honorum, pecuniarum, pœnarum, cæterarúmque rerum, C quæ diuidi inter eiuſdem ciuitatis ciues debẽt, diſtributione verſatur, habita diuerſæ & diſſimilis perſonarũ dignitatis capacitatis, & qualitatis ratione. In hac verſatur proportio geometrica. Nam rei diſtribuendæ ratione non præſtat omnibus æquam partem: ſed æquabilem tantùm, id eſt, conſentaneam cuiuſque perſonæ rationi & modulo. Hæc diſtributiua Iuſtitia duplex eſt, ſcilicet Puniens, vel Remunerans.

Huic autem iuſtitiæ diſtributiuæ ſubſeruiunt hę virtutes, ac quidẽ in perſonis deligẽdis Ἀπροσωποληψία, Prudẽtia, & Diſcretio. Denique quemadmodum Baſil. in Pſalmo 15 præclarè ſcribit, Μεγαλοφυοῦς διανοίας, καὶ πρὸς οὐδὲν καταχλινομένης τῇ ἀνθρωπίνων χρείᾳ, καὶ ἀνδρὸς τὴν τ δικαιοσύνης ἕξιν εἰς ἄκρον κατορθωκότος, τὸ, διανέμειν ἑκάστῳ τὰ πρὸς ἀξίαν.

In pœnis vel præmiis deferendis & exæquandis. Vindicatio & Remuneratio æqua.

Ἀπροσωποληψία eſt quæ nulla perſonarum acceptio dici poteſt: cui contraria eſt προσωποληψία, id eſt, acceptio perſonarum. Vtraque latiſſimè patet: maximè tamen in iudiciis, & hac iuſtitiæ ſpecie, id eſt, in diſtributiua, cauenda eſt, vt apparet Deuteronom. 1. verſu 17. & 10. verſu 17. & 2. Chronic. 19. verſ. 10.

Ἀπροσωποληψία eſt ea animi in perſonis deligendis A ſynceritas, vt externis earum qualitatibus, quæ ad rem & negotium præſens, de quo tunc agitur, minimè pertinent, nihil tribuatur, aut deferatur. Neque enim vel omnium perſonarum diſcrimen: neque etiam omnium qualitatum, quæ in perſonis ſpectari poſſunt, delectus & differentia tolli debet, vti ex Paulo colligi poteſt, 1. Timoth. 5. verſu 1. & 2. Maximè autem in diſtributiua iuſtitia: imò pro re, de qua quæretur, maximè illæ debent obſeruari. Quid igitur? Earum ſanè qualitatum ſiue verarum, ſiue fictarum & ad tempus quęſitarum (quæ nihil ad negotium conferunt, nihílque cum eo commune habent) conſideratio & æſtimatio dicitur eſſe vitioſa illa & damnata προσωποληψία, quæ ſuperiori virtuti contraria eſt. προσωποληψία autem vicinum eſt vitium illud, quod à Bernardo nominatur, credulitas facilis, libr. 2. De conſiderat. cap. vlt.

Prudentia, quæ huic iuſtitiæ generi ſubſeruit, non eſt illa generalis Prudentia, quæ Virtus Cardinalis vocatur, ſed illius tantùm particula quædam, B quæ in perſonis diiudicandis & diſcernendis ſagax eſt, & conſiderata: & credulitati illi facili à Bernardo commemoratæ opponitur. Prudentem enim eum eſſe oportet & circunſpectum, qui pœnarum vel præmiorum publicorum βραβευτὴς & moderator, ſiue diſceptator ſedet. Eſt igitur hæc prudentia, ſolertia animi in diuerſis perſonis ex iuſta ratione, vt vna alteri præferatur, comparandis.

Imprudentia igitur ſiue credulitas facilis huic opponitur.

Diſcretio Prudentiæ illi & iuſtitiæ diſtributiuæ ſubſeruit, etſi latiſſimè in omni aliarum comparationum genere vſum ſuum habet, veluti etiam in ſpiritibus Prophetarum, an veri ſint, diſcernendis, 1. Ioann. 4. verſ. 1. Διάκρισις ſiue δοκιμασία. Eſt autem diſcretio, examen & diſquiſitio diligens inter duo, quorum alterum reipſa tale eſt, quale nobis apparet: alterum falſam tantùm illius, quod eſſe creditur, imaginem & ſpeciem externam præ ſe C fert & gerit, Bernard. Sermo, 23. in Cantic. Facilè præeſt, qui matrem virtutum diſcretionem perfectè ſortitus eſt. Vino charitatis vſque ad contẽptum ſuæ gloriæ inebriatus. Virtus ſiquidem diſcretionis abſque charitatis feruore iacet: & feruor vehemens abſque diſcretionis temperamento præcipitat. Idem Sermo. 49. in Cantic. Quò eſt zelus feruidior & vehementior ſpiritus, eò vigilantiori opus eſt ſcientia, quæ zelum temperet & ordinet.

Diſcretioni ſubſeruit Ratiocinatio illa, quæ prudentiæ pars à Scholaſticis definitur, de qua illi ſunt conſulendi. Temeritas autem in Iudicando, & ſtatim approbando, quod leuiter apparuit & ſemel arriſit, huic diſcretioni opponitur, 1. Theſſal. 5. v. 21.

Vindicatio, quam D. egregius & mihi plurimùm charus N. Hemingius ἐκδίκησιν, & rectè ex Paulo 2. Cor. 7. v. 11. appellauit. Eſt autem is animi zelus, vt Anſelmus ait, quo impulſi magiſtratus, vel alij qui iure debent, tum eos puniunt, qui peccant: tum etiam oblatam paratámque iniuriam propulſant ab iis, quibus iniuſtè affertur. Cui virtuti duplex vitium opponitur, ſcilicet Crudelitas, & Lenitas affectata.

A Crudelitas ὠμότης. Eſt ſæuities animi per quam pœna maior quàm delicti ratio poſtulat, ab eo qui punit, exigitur eo ipſo, quòd puniens ipſo hominis cruciatu & acerbitate per ſe delectatur. Sic Claudius Cæſar. Sic Caligula ipſo cruciatu mortalium gaudebant. Præclarè quidem Auguſt. contra Adimant. cap. 17. Cùm vindicat homines, non acerbitate ſæuitiæ, ſed moderatione iuſtitiæ vindicent: ne relaxatio peccati plus noceat peccatori, quàm pœna vindictæ, ſed tamen crudelitas in puniendo eſt fugienda.

Lenitas affectata, quam ἄνεσιν generaliſſimo verbo quidam vocant, eſt iuſtæ & debitæ pœnæ vel remiſſio in totum: vel mitigatio, vel perfunctoria inflictio, vt impunè vel leuiter caſtigatum maneat peccatum, quod ſeuerè caſtigandum fuit. Huic autem eſt affinis & comes impunitas ſceleris, de qua Bernardus lib. 3. De conſiderat. cap. vlt. ſic ait, Impunitas iniuriæ ſoboles, inſolentiæ mater, radix impudentiæ, tranſgreſſionum nutrix.

Remunerans iuſtitia eſt, quę pro dignitate cuique honeſtæ actioni præmium conſtituit. Cui cõtrarium eſt vitium illud quod ἀκριβοδίκαιον ſiue nimis ſeuerum examẽ cuiuſque rei & actionis. B Cum hominibus enim agẽdum eſt in hac mortali vita, non tanquam cum Angelis, qui ſunt ἀναμάρτητοι. Et hæc iuſtitia remunerans inter homines, hominum tantùm ratione locum habere poteſt. Nam quoad Deum, noſtri ratione nulla propriè eſt remunerans iuſtitia. Ariſtoteles tamen ἀκριβοδίκαιον, lib. 5. ἠθικῶν Νικομαχ. appellat, quod Latini Summum ius. Et Æquitati ſiue ἐπιεικείᾳ contrarium eſt in iudicando, éſtque, vt ait Comicus, ſumma iniuria. Neque enim neceſſe habemus omnia pro noſtro iure agere & exigere.

Quia verò in eorum, qui Magiſtratum vel adepturi ſunt: vel iam ſunt adepti, animis ſpectantur, atque requiruntur διαθέσεις quædam, vt eum & ſuſcipere velint, & iam ſuſceptum rectè ac forti animo adminiſtrent, ad hoc idem præceptum quintum referuntur virtutes, quę ſequuntur. In iis quidem qui adepturi ſunt, Humilitas & Modeſtia. In iis verò, qui Magiſtratum aut dignitatem aliquam iam ſunt conſecuti, vel adhuc gerunt, Magnanimitas, & Gloriatio quædam, per quam tamen ni- C hil Dei gloriæ derogetur ab iis ipſis. Quanquam non nego latiùs patere quamque commemoratarum virtutum, quàm ad eos, qui dignitates, ſiue Eccleſiaſticas ſiue Ciuiles & politicas gerunt: cùm in toto vitæ Chriſtianæ curſu, atque etiam in qualibet ipſius parte hæ virtutes locum habere & poſſint & debeant.

Humilitas (quam vbique Paulus ταπεινοφροσύνην vocat: Plutarchus autem in Catone Vticensi ἀτυφίαν nominaſſe videtur) eſt ea virtus, quæ animum noſtrum ex ſerio tum priuatæ inopiæ, tum totius humanæ imbecillitatis & οὐδενείας ſenſu deiicit, vt nihil magnum & eminens ipſe appetat: ſed etiã in delato honore, & munere ſuam incapacitatem apud ſe agnoſcat, & ingenuè fateatur & deploret. Humilis eſt, qui neque ſibi quicquam arrogat, neque alios deſpicit, ſed eos ſibi præfert. Itaque minimè ſuperior eſſe affectat. Humilis eſt, ait Bernardus, qui humiliationem conuertit in humilitatem. Alij enim cum rancore humiliantur, alij patienter, alij libenter. Primi rei ſunt, ſecundi innoxij, vltimi iuſti. Etenim ſola gratiam, quam præfert, meretur læta, & abſoluta humilitas: non A autem coacta, vel extorta, ſerm. 34. Cantic. Canticor. De hac virtute Thomas 2.2^{æ} quæſt. 161. Anſel. in 1. Theſſalon. 5. Hemingius in lib. De lege Natura. Philoſophi verò hanc animi διάθεσιν vix inter laudabiles reponunt, adeò probum etiam virum elatum & ſuæ præſtantiæ ſenſu inflatum eſſe oportere ſentiunt. Auguſt. libro De virginitate. cap. 31. & 32. Humilitatis veræ laudes deſcribit Bernard. libro 2. De conſiderat. Bonus fundus humilitas, in quo omne ædificium ſpirituale conſtructum creſcit in templum Dei. Vis eius maior in maioribus: clarior in clarioribus. Quò enim celſior es cæteris, eò humilitate appare illuſtrior teipſo. Abſque humilitate nulla Virtus eſt virtus. Seruat acceptas virtutes: ſeruatas conſummat: idem Bernard. epiſt. 42. In vera autem humilitate conſiderare debemus ait idem lib. 2. De conſideratio. hæc quatuor,

1 Nos ipſos. In nobis autem ipſis debemus cogitare hæc tria,
 1 Quid ſumus.
 2 Qui ſumus.
 3 Quales ſumus. B
2 Quæ ſub nobis.
3 Quæ circa nos.
4 Quæ ſupra nos.

Huic Virtuti opponuntur κατ' ἔλλειψιν, id eſt, ſecundum defectum, Inſenſibilitas & Indignitas: opponuntur καθ' ὑπερβολὴν, id eſt, ſecundum exceſſum, Amor cæcus ſui, Præſumptio, & Superbia.

Inſenſibilitas eſt ἀναισθησία, quam vocat Ariſtoteles, & ex ea quoſdam ἀναισθήτους, & planè ſtupidos eſſe affirmat libro 3. ἠθικῶν. Eſt autem ſtupiditas quædam, & omnis dignitatis, omníſque præſtantiæ & gratiæ, quæ à Deo vel humanæ naturæ in vniuerſum, vel tibi priuatim collata eſt, abnegatio, abolitio, & ignoratio.

Indignitas, ἀναξίαν vocat D. Hemingius, eſt gratiæ particulariter à Deo in nos collatæ, quam agnoſcimus, externa, vti in cultu corporis, obſtinatáque obſcuratio, vel otioſa & infructuoſa poſſeſſio. Pugnat igitur hoc vitium cum dicto Chriſti de Talentis, Matth. 25. Et qui ita ſe ſordidè, ruſticè, atque inhumanè gerunt, vt dotes animi ſibi à Domino conceſſas de induſtria obſcurent, & pe- C nè extinguant, ſunt βάναυσοι, & ſordidi dicendi.

Amor ſui cæcus φιλαυτία dicitur. Eſt autem cùm quis ſe ſuáque omnia vel corporis vel animi bona pluris facit, quàm illa vel in ſeſe ſint, vel æſtimare oporteat. Hic amor cum vera animi demiſſione & humilitate pugnat.

Præſumptio, quæ in vitio ponitur, & à Superbia differt, eſt eius gratiæ, quam non habes, falſa & mendax iactatio & vindicatio.

Superbia (quam ὑπερηφάνειαν vocant, licet poſtea à nobis ὑπερηφάνεια opponetur Magnanimitati) eſt propriæ gloriæ & laudis, propter gratiam, & donum, quod quis à Deo habet, appetitio & inſolẽs arrogatio. Chryſoſt. in 1. Timo. cap. 6. Quod eſt in corporibus tumor: hoc in animis eſt ſuperbia. Auguſt. lib. 11. de Geneſ. ad lit. cap. 14. Superbia, ait, eſt amor propriæ excellentiæ, nimirum cùm quis à ſe habere ea putat, quæ bona habet: aut eorum bonorum laudem in ſe transfert. Itaque idem libro De Nat. & Grat. cap. 27. Cætera vitia tantùm in malefactis valent, ait: ſuperbia etiam in benefactis cauenda eſt. Hanc Bernardus diuidit, epiſtol. 43.

in Cæcam

A in Cæcam,quæ eſt intelligentiæ oſtentatio: in Vanam,quæ eſt voluntatis. Vtriuſque alibi 12.gradus facit. Thomas in $2.2^{\ae}$ quæſtio.162, Anſelm.in Rom.cap.1.

Modeſtia (quam ταπεινοφροσύνην etiam quidã vocant, Ariſtoteles autem libr.4. ἠθικ. cap.4. nomine proprio carere ſcribit, niſi fortaſſe φιλοτιμία dicatur) quemadmodum à Philoſophis ſumitur, patet anguſtiùs: vt autem à Scholaſticis, veluti Thom. in $2.2^{\ae}$ quæſtio.160. & Anſelm.in Philipp.4.latiùs: vt denique ab Ambroſio in l. De officiis latiſsimé. M.Tullio Ciceroni planè aliud eſt, quàm his omnibus. Scholaſticis eſt modeſtia ea virtus, quæ animi noſtri impetum & affectiones in rebus mediocribus, qualis eſt honor, geſtus, veſtitus, ſtudiũ regit & moderatur, ne modum in iis excedant. Itaque à modo ſeruando Modeſtia Latinis eſt appellata: per quam, vt ait Tullius, pudor honeſtus claram & ſtabilem comparat authoritatem. Peripateticis igitur, quorum princeps eſt Ariſtoteles, Modeſtia eſt mediocris cuiuſdam honoris, quantum ratio poſtulat, appetitio: atque propter oblatum ſiue adeptũ moderata & iuſta animi noſtri delectatio atque lætitia. Honorem enim appetere, B ſi modò vnde oportet, & qua via oportet, & ad quem finem oportet, nimirum ad Dei gloriam, & proximi ædificationem à nobis fiat, nõ improbandum eſſe etiam in homine Chriſtiano facilè probari poteſt ex hoc Pauli loco, 1. Timoth.3.ver. 1. ſi quis epiſcopatum deſyderat, bonum opus expetit, éſtque laudabile huiuſmodi deſyderium. Itẽ ex eo quod iubet idem Paulus, vt quæcunque ſunt εὔφημα procuremus, Philip.4.v.8.

Vitia modeſtię contraria ſunt duo, ἀφιλοτιμία, ingloria ſiue contemptio omnis laudis etiam honeſtæ, item ambitio.

Ambitio igitur eſt immoderata & immodica honoris appetitio, quatenus honor eſt quędã nominis noſtri popularis fama, non autem quatenus ex eo honore lucrum captamus, tunc enim pertinet ad auaritiam ambitio. Hanc igitur, de qua nũc agimus, in quatuor ſpecies, tanquam ſtirpem in ſuos ramos, deducũt Scholaſtici, qui de ijs ſunt cõſulendi: imprimis autem Thomas in $2.2^{\ae}$ quæſtio. C 131. Bernard.li.De conſiderat.ca.1. Nullum ibi venenum, nullũ gladium plus formida, quàm dominandi libidinẽ, quæ huius ambitionis comes eſt. Item Bern.Sermo.6.in Pſal. Qui habitat. Ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutũ ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem.

Magnanimitas μεγαλοψυχία Græcis differt à ſuperiore virtute, quòd hæc in magnis & eminentibus honoribus, quemadmodũ oportet, expetẽdis verſatur: illa verò Modeſtia in mediocribus tantùm. Itaq; gradu nõ forma propriè inter ſe hæ duæ virtutes differũt. Ergo Magnanimitas magna appetit, vt illuſtriora fiant in nobis Dei dona: & adeptos, collatóſque honores pro dignitate tuetur, nihil vel externè vel internè agẽs, ſentiénſq; pręclara illa noſtra conditione indignũ. Hanc virtutem prolixè perſequitur Ariſtoteles, libro 4. ἠθικ. apud quem cùm multa vitiosè in hoc argumento præcepta ſunt, tum illud imprimis, debere magnanimum immemorem eſſe accepti beneficii. Scholaſtici ſanè latè diffundunt hanc virtutem, nimirũ A ad omnia quæ ſunt alta, magna & eminentia, quẽadmodum, & ad quem finem oportet, conſectanda. Thomas in $2.2^{\ae}$ quæſt.129.

Vitia verò contraria magnanimitati ſunt, Puſillanimitas, ſiue Mollities animi, ſiue Timor: Arrogantia & Oſtentatio intolerabilis, quæ ὑπεροψία dici poteſt. Puſillanimitas Μικροψυχία eſt timor honoris egregij vel adipiſcendi, vel adepti adminiſtratio ſegnis, quæ mollities animi appellatur.

Pigra, ſomniculoſa & perfunctoria adminiſtratio, ſuperioris vitij comes eſt.

Oſtentatio eſt intolerabilis honoris alicuius eximij adepti, vel adipiſcendi iactatio & boatus, per quem qui in ea dignitate eſt ſeipſum immodicè & importunè oſtentat: vel etiam adeptum munus egregium ad aliorum iniuriam & contumeliam nimia ſuperbia & effræni licẽtia exercet. Hæc etiam videtur nominari poſſe & κενοδοξία & ὑπερηφάνεια, & ὑπεροψία, quòd qui tales ſunt, cæteros facilè etiam collegas ſpernunt, & fere deſpiciunt. De hac vide apud Chryſoſtom. Homil. 43. ad popul. B Antiochen.

Gloriatio, quam non commemorant Philoſophi, ex Paulo καύχησις dici videtur poſſe. 2. Theſſ.1. verſ.4. 2.Corinth.12.ver.5. Eſt operis noſtri & debitæ ex eo laudis non tantùm agnitio: ſed cùm oportet, vt oportet, & ad quem finem oportet ingenua prædicatio, & commemoratio apud alios. Bernard.ſerm.13.Canticor. Securus glorior, ſi, teſte conſcientia, de gloria conditoris nihil mihi vſurpo. Securus planè, quia iam non contra Dominum, ſed in Domino. Hæc autem gloriatio non ſolum non prohibetur: ſed & ſuadetur. Huic autẽ virtuti opponitur Inanis gloriatio, & Ingloriatio, ſiue fuga lucis & commendationis honeſtæ. Inanis gloriatio, ne hîc ſcrupuloſam illam inter famã, laudem, honorem, & gloriam diſtinctionem, quæ à Scholaſticis ſtatuitur, referamus quam falſam eſſe puto, non tantùm nimium ſubtilem. Eſt igitur gloriatio inanis, nullius laudis noſtræ tamen iactatio: vel eius, quæ debetur nobis, nimia prædicatio, per quam Deo, vel proximo debitam laudẽ obſcuramus, aut detrahimus. Ergo vtroque modo, C ſiue nos nunquam omnino, ne quidem cùm opus eſt, prædicemus, ſiue etiam nimiùm nos ipſos collaudemus, peccatur.

Et hæ quidem tot tum virtutes, tũ vitia in ipſis, qui præſunt, & dignitatem aliquam gerunt, obſeruari poſſunt: aut etiam iis plura, quæ ad hoc præceptum pertinent.

Ratione verò ſubditorum qui etiam ſpectãtur, ſunt etiã quædã & virtutes & vitia ad hoc præceptũ referẽda. Nã vt Præfectorũ eſt rectè imperare: ita ſubditorum eſt lubentur obſequi. Ex quo fit, vt hæ virtutes in ſubditis requirãtur, Subiectio ingenua & Voluntaria: Obedientia fidelis: & Obedientia vera, & non ficta.

Subiectio, ὑποταγὴ dici poteſt. Eſt voluntaria & ex ſerio diuinę ordinationis ſenſu facta animi ſummiſsio ei, qui etſi ſimilis & eiuſdem tecum naturæ quidem, tibi tamen præfectus eſt à Deo, & in ſublimiori gradu & poteſtate collocatus, Roman. 13.verſu 1. & 1.Pet.2.v.18. Coloſſ.3.v.22. Huic verò voluntariæ ſubiectioni aduerſantur ὀφθαλμοδουλεία, contumacia, rebellio, ἀναρχία & confuſio.

A Ὀφθαλμοδουλεία, quam Paulus vbique vocat, veluti Coloſ. 3. v. 22. Epheſ. 6. ver. 6. eſt fucata & ſimulata animi noſtri ſummiſsio, & obedientia, quæ vel pœnę metu, vel ſpe pręmij à nobis ei pręſtatur, cui parendum eſt: non autem ipſius Dei metu, neque in vera ſimplicitate cordis.

Contumacia eſt non tantùm voluntariæ & prõptæ ſubiectionis recuſatio: ſed etiam animi obduratio aduerſus legitimum præfecti iuſſum; quæ temporis ſpatio tacita & tecta durat, neque paret etiam interpellata.

Rebellio, eſt apertus & manifeſtus ſubditorum aduerſus legitimum Magiſtratus aut Superioris iuſſum auſus, & inceptio ſiue factis, ſiue verbis ſeſe prodens.

Anarchia & confuſio eſt legitimi magiſtratus & poteſtatis admittendæ, vel iam admiſſæ abnegatio, atque detrectatio.

Obedientia verò, ὑπακοὴ dici poteſt, eſt fidelis & prompta iuſſus & mandati à magiſtratu & eo, qui præeſt, facti executio, & præſtatio à nobis exhibita, quantum in nobis ſitum eſt. Coloſſ. 3. v. 22. Tit.
B 2. v. 9. Roman. 13.

Contraria huic vitia ſunt { Inobdientia.
Seditio.

Inobedientia eſt, quæ vel omnino negligit: vel ex parte tantùm: vel perfunctoriè, non autem ex animo legitimum ſuperioris iuſſum exequitur. De qua vide Thom. in 2. 2ᵃᵉ quæſt. 105.

Seditio eſt inter eiuſdem imperij & poteſtatis multitudinem & ſubditos, cõtra legitimum & patefactum magiſtratus iuſſum & mandatum orta diſcordia, ſpectans ad arma. De qua Thom. in 2. 2ᵃᵉ quæſt. 42. Plato libro 5. de Republ. ait, Simultas & inimicitiæ quæ inter cognatos ſunt aut conciues, eſt ſeditio: Quæ autem cum extraneis eſt bellum, præſertim ſi iuſſu Magiſtratus publicè gerantur iſtæ inimicitiæ.

Obſeruantia, quam θεράπειαν quidam vocant, alii τιμὴν ex Petro, eſt honoris, id eſt, externę reuerentiæ, & omnis ſubſidij, atque auxilij, quod & magiſtratus perſonæ, & dignitati tuendæ à ſubditis debetur, præſtatio. Tullius, Obſeruantia eſt, ait, per quam homines aliqua dignitate antecedentes
C cultu quodam & honore dignamur.

Huic opponitur Contemptio magiſtratus, de qua Petrus in 2. epiſtola cap. 2. v. 10. Et hęc quidem de magiſtratibus & ſubditis, atque iis virtutibus, quæ ad vtroſque pertinent. Nunc de iis agamus, quæ ad priuatas perſonas referuntur. Ergo hoc quinto præcepto commendatur

nobis {
- Storge naturalis in vniuerſum.
- Pietas erga parentes.
- Gratitudo & ἀντιπελαργία erga benefactores, & omnes eos, qui nobis ſunt loco parentum.

Storge στοργὴ, ſiue Affectio naturalis eſt is animi impetus, & propenſio naturalis, per quam verè & ex animo, quemadmodum oportet, diligimus omnes eos, & charos habemus, quos nobis natura vel propter cõmune ſanguinis vinculum: vel propter communem vitæ ipſius humanæ ſocietatem conciliauit. Itaque hæc Virtus & affectus animi ad Parentes: & viciſſim ad liberos: ad Vxorem: ad Domeſticos: ad Agnatos, Cognatos, Affines latè diffunditur: itémque ad Patriam ipſam, & conciues, & conterraneos omnes pertinet.

Cui contraria ſunt duo vitia ἀστοργία & Indulgentia nimia. A

Ἀστοργία eſt huius tam ſancti & naturalis affectus contemptio vel obliteratio propter odium, vel lucrum, vel aliam quamlibet turpem cauſam facta. Quod vitium eius animi ſtatus pars eſt, qui dicitur Senſus reprobus, & certiſsimum infidelitatis peſsimæ argumentũ eſt, atque Dei ipſius contemptus, à quo dependet omnis cognatio in terris Rõ. 1. v. 28. 29. & 2. Timoth. 3. v. 3. Epheſ. 3. verſ. 15. Quæ autẽ fit huiuſmodi affectus naturalis prætermiſsio potiùs, quàm contemptio & obliuio propter Dei nomen (id quod ſæpe facere debent ex Chriſti præcepto Chriſtiani viri Matth. 10. v. 37) ea non eſt ἀστοργία nominanda: ſed vera Pietas dicenda eſt.

Indulgentia nimia veræ στοργῇ contraria eſt, quæ eſt cùm vel plus quàm oportet: vel alio, quàm decet, modo diliguntur ij, quos ipſa natura nobis cõciliauit: qualis fuit Heli amor in liberos ſuos Ophni & Phineen 1. Samuel. 2.

Pietas erga Parentes dicta εὐσέβεια ſpecies quædã eſt illius στοργῆς generalis & naturalis affectionis, ea nimirum, quæ ipſos parentes qui nos genuerunt, B amplectitur ſummo atque ſyncero affectu & quãtum decet. Tam auguſto verò nomine vocatur hæc virtus, tum vt ad eam acriùs facilúſque liberi incitentur: tum verò quòd ille affectus noſtram in Deum ipſum (cuius parentes in his terris imaginem quandam nobis repræſentant) pietatem, venerationem, atque charitatem imitari maximè debeat.

Impietas ſuperiori virtuti repugnat, quæ quid ſit, ſatis iam intelligi poteſt.

Gratitudo ἀμοιβὴ à Paulo dicta, 1. Timoth. 5. v. 4. Ab alijs ἀντίδοσις: ab alijs ἀντιπελαργία, eſt officii & auxilij, quod ijs omnibus debemus, qui beneficium aliquod ſiue corporale, ſiue ſpirituale in nos contulerunt, agnitio ingenua: & quantum vires facultatéſque ſuppetunt, lubens præſtatio. De qua Thomas in 2. 2ᵃᵉ quæſt. 107.

Ingratitudo ἀχαριστία, eſt noſtri officij aduerſus noſtros benefactores prudẽn prætermiſsio, aut impudens denegatio. Nam, vt aiunt Iuriſconſulti, natura ipſa nos obligat ad ἀντίδωρα: & ſemper non tantùm apud Perſas: ſed etiam apud Græcos, Latinos, Gallos, Germanos, denique omnes gentes C grauiſsimum habitum eſt & homine ipſo indignum ingratitudinis vitium.

Gratitudini etiam contraria eſt idololatria quędam, quæ eſt nimius ille honor, qui benefactoribus noſtris, tanquam dijs tribuitur, dum nimium in illis hæremus: neque ad Deum ipſum, qui fons eſt, ac author omnium bonorum noſtrorum Iac. 1. v. 17, oculos attollimus. De qua in Præcepto ſecundo, & diſputatione de idololatria abundè à nobis antea dictum eſt.

CAP. III.

Definitiones virtutum, & vitiorum, quæ ad ſextum Præceptum referuntur.

FOrtitudo ad ſextum præceptum pertinet Ἀνδρεία dicta à Græcis, quòd vna omnium virtutum maximè ſit viro digna. De qua copioſè Ariſtotel. libro 3. cap. 6. Thomas in 2. 2ᵃᵉ quæſt.

A quęſt.123.& ſeq.Plato in Dialogo Nicia.Hanc autem M.Tullius ita definit, Fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio,& laborum perpeſsio. Alij verò ſic,fortitudo eſt animi virtus,quæ dolorem corporis,& malum omne impendens, adeóque mortem ipſam(quæ eſt omnium formidabilium maximè formidabilis) æquo animo tolerat, neque ſpe præmij,neque metu pœnę,neque ignoratione periculi imminentis, neque aliqua fiducia periculi euitandi, ſed quia Dei præcepto paret. Plutarchus in Agide aliter,ſic nimirum, Ἀνδρεία ἐστὶ φόβος ψόγου, καὶ δέος ἀδοξίας, οὐδ' ἀφοβία. In ſumma,fortitudo eſt ea animi firmitas,quæ omnia pericula, maximè præmeditata,& quæ oportet, & vt oportet, lubens ſubit propter officium faciundum. Huius ſunt variæ ſpecies conſtitutæ. Nam & in Ægritudine ſiue morbo, & in Tempeſtate maris, vel Syluis & incurſu latronum periculum atque dolorem patienter ferre quædam eſt animi fortitudo: maximè tamen quæ in bellis verſatur, & mortem conſideratè, ac lubenter pro patriæ ſalute ſubit, fortitudo laudata eſt, quæ bellica fortitudo dicitur, & ad hoc præceptum maximè pertinet (etſi B reliquæ eius ſpecies ad hoc quoque caput Legis referri debent) cuius ſunt hæc duo munera Aggredi,& Suſtinere.

In eo ipſo tamen prorſus timore carere fortem virum oportere ſentiendum non eſt: ſed eo tantùm metu carere,quo vincatur,& ab officio abducatur.Pulcherrima verò fortitudinis ſpecies,quæque propter finem etiam Bellicã laudem ſuperat, eſt Martyrium pro Chriſti gloria & ipſius doctrina tuenda,atque propaganda ſuſceptum.

Huic autem virtuti opponuntur per Priuationem ἀφοβία & Intimiditas animi ſiue ῥιψοκινδυνία:per Actum autem Ignauia & Audacia.

Sunt igitur quidam ita ἄφοβοι & ῥιψοκίνδυνοι, ac omnino bruti, vt nulla prorſus pericula apprehendant,qui Audaces etiam ipſos temeritate ſuperãt: & feræ potius,quàm homines ſunt cẽſendi. In his eſt Intimiditas iſta, quæ eſt priuatio fortitudinis.

Ignauia δειλία eſt, quæ fugit honeſta pericula, quæ ſunt ſubeunda pro faciendo officio, quod nimio metu percellatur is,cui illa ſe offerunt. Ille C verò tam timidus, qui muris ſtrepitum timet, eſt ignauus.

Audacia θάρσος eſt, quæ plura, quàm decet,pericula,& alia ſuſcipit propriæ penè vitę contemptu. Fortitudini annexa eſt fidẽtia ſiue fiducia. Eſt autem fidentia, vt ait Tullius, animus qui honeſtis in rebus certa cum ratione ſpem magnam cõcepit.

Clementia,συγγνώμη eſt Virtus animi, quæ magiſtratum aut etiam hominem priuatum ita mouet,vt leuiorem in peccato puniendo pœnam ,iuſta tamen de cauſa ſequatur: non autem ſeueriorẽ. Thomas in 2.2^{x} quæſt.157.

Cui opponitur In cõdonando,Lenitas nimia:In puniendo,Sæuitia & feritas.

Lenitas vitioſa,qualis fuit in Saule parcente regi Agago contra Dei præceptum.1.Samuel.15. cõdonat omnino peccata & impunita relinquit: vel contra Dei præſcriptum ſententiam lenit.

Sæuitia eadem eſt quę Crudelitas,niſi quod ſęuitia non tantùm in pœna acerbiore & maiore decernenda verſatur,quemadmodum crudelitas: ſed etiam in ipſa pœna exequenda & applicanda. Eſt enim ſæuus,qui ſæuit,id eſt,qui pœnam illam immanem & grauiorem ipſe infert & exequitur manu ſua & propria. A

Feritas eſt θηριότης auerſa mẽs ab omni humanitatis ſenſu. Vnde fit,vt quis etiam eum lędat,à quo nulla in re fuit vnquam offenſus:ſed propterea ſolũ lædit,quòd ipſa triſtitia & dolore humanæ naturæ in altero delectatur, qualis fuit Phalaris ille tyrannus Siciliæ: & Caligula Romanorum imperator.Bernard.ſermo.8.in Pſal. Qui habitat.Quid enim tam irreligioſum, imò quid tam inhumanũ & execrabile videtur, quàm cruore quantumlibet inimicorum, quantumlibet iniquorum paſcere velle oculos, & oblectare aſpectus ſupplicijs miſerorum? & reliqua quæ illic præclarè Bernard. Manſuetudo animi πρᾳότης,de quá Ariſtotel.lib.4. ἠθικ.Thomas in 2.2.quęſt.157.Anſel.in Galat.5.Eſt autem ea animi virtus, quæ irã concitationémque animi noſtri temperat & moderatur,ne ſit nimia. ἀοργησίαν quidem non inducit, quia non modò verè à Peripateticis dictum eſt, Iram eſſe cotem fortitudinis,quemadmodũ M.Tullius refert,ſed etiam quòd Chriſtus ipſe omnis virtutis exẽplar perfectiſsimũ nonnũquam iratus eſſe legitur. Mat.21.v. B 21.Neque verò Sanctus ſpiritus ἀπάθειαν in homine Chriſtiano requirit,quod Stoici faciunt:imò verò nec iram omnem idẽ in nobis damnat.Iraſcimini, ait Paulus,ſed nolite peccare.Epheſ.4.verſ.26.

Huic igitur virtuti opponitur ἀοργησία quam animi lentitudinem quidam appellant, & ὀργιλότης, id eſt,Iracundia,ſiue θυμὸς,id eſt, Excandeſcentia.

Ἀοργησίαν hîc iam non omnino iræ priuationem accipimus,vt ſuprà:ſed eius, quã ſuſcipere debuimus ex officio, animi commotionis ſuffocationem,atque prætermiſsionem. Cicero Lentitudinem conuertit.Sunt enim quidam ita non tantùm tepidi:ſed potiùs frigidi & Mitiones, vt commoueri nulla ratione,atque nullam ob rem etiam flagitioſiſſimam ac blaſphemiæ pleniſsimam æquũ eſſe cenſeant,vel poſsint: ſed omnia tanquam ſtipites & immobiles lapides etiã,obſcœna & ſpurca ſpectant,qualis ille Mitio Terentianus. Quæ ſanè eſt deteſtanda ἀοργησία, vel potius ἀζηλία erga Dei gloriam, quam nemo Chriſtianus induere debet.Paulus 2.Corinth.11.verſ.29. Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Itaque tepidi iſti tan- C dem ex Dei ore & libro euomentur. Apocal.3. verſu 16.Paulus Epheſ.4.v.26. Bernard. Sermo.13. in Pſal.Qui habitat. Ira eſt affectio hominum naturalis,ſed abutentibus bono naturæ grauis perditio eſt,& miſerãda eſt pernicies.Plato lib.2. de Republ.Fortiſſne erit & audax,qui iracundus non ſit, & eadeo vt φύλακας ciuitatum, & magiſtratus θυμοειδεῖς eſſe velit,non ſtupidos & ἀκινήτοις.non tamen illa inſana & temeraria ira ferri,quam damnat Ratio ipſa,& non tantùm Dei Verbum.

Ὀργιλότης,Iracundia. Hæc peccat vel nimia & immoderata, vel præcipiti & temeraria animi concitatione & impetu. Hic autem animi ſtatus eſt furor quidam, ſed breuis, vt ait Horatius, Ira furor breuis eſt, animum rege, qui niſi paret, Imperat: hunc frænis, hunc tu compeſce catena. Paulus in epiſtol.ad Epheſ. 4.verſ. 31. huic vitio tanquam fonti, ſuos riuos adiungit, nimirum πικρίαν, θυμὸν, ὀργὴν, prout magis minúſve accenſus eſt, & commotus ille animi iraſcentis impetus. Diſtinguunt tamen quidam, & rectè inter ὀργιλότητα, & ὀργὴν, id eſt, A Iracundiam, & Iram: quòd ὀργιλότης, id eſt, Iracũdia eſt animi propenſio naturalis ad facilè & temerè ex quauis cauſa iraſcendum vel etiam plus quã oportet iraſcendum, quanquam ex iuſta cauſa iraſcimur: Ὀργὴ verò, id eſt, Ira, eſt ipſe animi noſtri impetus, motus, inflammatio, commotio & perturbatio, quam idcirco Ariſtoteles meritò dicit eſſe animi noſtri πάθος.

Ergo quæ tum ex iracũdia, tum ex ira ipſa mala proueniãt, vt ex multis Scripturæ locis colligi poteſt, videamus. Sed & illa quoque ipſa iram atque iracundiam ſæpe gignũt, adeò vt ſæpe ſint cauſæ, ſæpe contrà ſint effecta: vt ex reipſa, & ex Ariſtotelis libris Rhetoricis ad Theodectẽ, intelligi poteſt, qui ſanè ſunt ad has diſputationes vtiliſsimi.

Illa verò adiuncta vitia ſunt partim Externa opera & turpia effecta, quæ cuiuis apparent, veluti Contentio, Clamor, Lis, Conuitium ſiue Maledicentia, Querimonia ſiue Conqueſtio, Vindicta, Pugna, Cædes & Veneficiũ: partim autem, Interni animi latentes affectus, qui, etſi ſeſe aliquãdo produnt, tamen ſæpius latẽt intus in animo concluſi, B qualis, Irritatio, Amaritudo, Excandeſcentia, Ira, Odium, Rancor, Inimicitia, Appetitus vindictæ, Maleuolentia, Diſsidium.

Hæc ex Paulo colligimus partim ex Galat. 5. v. 20. partim ex Epheſ. 4. v. 31. & Coloſſ. 3. v. 8. partim ex 2. Timoth. 3.

Primũ igitur effecta ipſa iræ, quæ cuilibet ſunt clara & perſpicua, videamus & definiamus, ex quibus ſex priora ferè intra verba conſiſtunt: reliqua tria etiam manum & vim adhibent.

Contentio, ἐρίθεια, quanquam Hieronym. conuertit Rixam in Epiſt. ad Galat. cap. 5. eſt duorum vel plurium inter ſe de re aliqua diſputatio temeraria, & rixoſa, quia vterque vincere & ſuperior eſſe certat. Tendit enim vterque ad ſe traducere, de quo agit cum alio. Itaque tales ſunt ad contradicendum parati ſemper.

Clamor κραυγὴ ex cõtentione naſcitur, & ſequitur. Eſt autem vocis humanæ præter modum & decorum tumultuoſa eleuatio.

Lis ἔρις, eſt vel in iudicio, vel extra iudiciũ duorum vel plurium inter ſe de re eadem animoſa, & C vindictæ non iuris aut veritatis quærendæ gratia facta diſceptatio & quæſtio. Ergo tunc nõ veritas quæritur, ſed animoſitas fatigatur, ait Anſelmus.

Conuitium ſiue maledicentia βλασφημία Paulo dicta eſt, exprobratio peccati admiſsi, vel defectus alicui inhærentis, veluti cæcitatis, animo iniuriandi facta atque obiecta. Quod vt à contumelia differat, vide Thom. in 2.2^{æ} quæſt. 72. Quanquã vtrũque M. Tull. ex Demoſthene diſtinxit meliùs.

Querimonia ſiue conqueſtio στεναγμὸς Iacobo in cap. 5. verſu 9. Eſt probroſè & vaga à nobis ſparſa apud quoſlibet de fratre nobis iniurioſo fama, & querela.

Vindicta ἐκδίκησις eſt vel conuitii, vel doloris in eum, à quo nos læſos eſſe dicimus, facta à nobis ipſis & propria æſtimatione inflictio & compenſatio.

Pugna μάχη differt à Bello, de quo copioſè in explicatione huius præcepti, quanquam non ſemper ita religioſè diſtinguũtur, ſed ſępe confunduntur: vti Iacob. 4. v. 1. Hæc igitur pugna priuata eſt. Bellum autem publicum quiddam quia publica authoritate ſuſcipitur, & à publica perſona, id eſt, Magiſtratu geritur. Pugna igitur hîc eſt priuatarũ perſonarum A rixoſa, & præter iuſſum, atque voluntatem Magiſtratus facta, ſiue armis adhibitis, ſiue non, corporis vel totius, vel partis pulſatio. A pugno enim propriè pugna dicta eſt, adeò vt qui ſolis pugnis, vel dentibus, vel vnguibus, ſine armis ſeſe pulſant, & quatiunt & tangunt, ſiue inter ſe rixoſè dimicant, pugnare, & meritò quidem, dicantur. Ergo hæc iam manu fit & facto, non tantùm verbis.

Cædes, φόνος, eſt vitæ huius mortalis facta iniurioſè & priuata authoritate alteri ereptio.

Veneficium φαρμακεία, eſt venenorum noxiorum in necem & perniciem alterius confectio: vel eorundem applicatio maleuola & non ignara mali, quod illic ineſt.

Iam veniamus ad eos affectus, quos intus accendit ὀργιλότης. E quibus primus eſt is (Nam à leuioribus & primis ad tetriores, & eos, qui ex primis illis naſcuntur, progredi volumus) qui dicitur

Irritatio ἐρίθεια καρδίας, Iacob. 3. verſ. 14. Eſt autem facilis propter reuocatam in animum factam nobis iniuriam, in eum qui fecit, impetus, & iræ B propenſio.

Amaritudo πικρία. Eſt acerba & grauis iniuriæ nobis factæ cogitatio, recoctio, & ſenſus, qui pectus & cor noſtrum mordet, & in eum, qui intulit, mouere atque calefacere incipit. Hæc amaros, graues, & malè gratos nobis efficit eos, à quibus nos læſos exiſtimamus.

Excandeſcentia θυμός. Eſt prima ſanguinis ebullitio, quæ iniuriæ nobis illatæ vindictam iam cogitat.

Ira ὀργή. Eſt accenſa & feruens ſanguinis ebullitio, quæ iniuriæ nobis factæ vindictã noſtræ æſtimatione expetit, & deſiderat.

Odium μῖσος. Eſt tanta cordis, atque affectus noſtri auerſio à perſona proximi, vt ne vultum quidem eius iam ferre, & iucundè intueri poſsimus, propter iniuriæ nobis illatæ recordationem. Itaque definitur ab aliis generaliter eſſe diſplicentia in appetitu & communicatione cum eo, quod nobis noxium eſſe apprehendimus, Thomas in 2.2^{æ} quæſt. 34. Auguſt. epiſt. 144. Inueteraſcens ira fit odium, dum quaſi iuſti doloris admixta dulcedo C diutius eã in vaſe retinet, donec aceſcat, váſque corrumpat.

Inimicitia ἔχθρα. Eſt ex odio conceptum deſiderium nocendi illi, quem iam odimus. Quod ſi apertis ſignis ſeſe declarat, apertę inimicitiæ dicũtur: ſin autem occultum adhuc eſt & latens in animo, ſimultas appellatur.

Rancor, vnde & rancidæ epulæ dictæ ἀπὸ τοῦ ῥαίνειν, eſt odium inueteratum. A Scholaſticis dicitur Acidia ab acido.

Maleuolentia, κακόνοια. Eſt animus in perniciem alterius quid cogitans, & optans odio priuato & vindictæ cupiditate.

Diſsidium, διχοστασία. Eſt apertum ab eo, à quo nos lęſos putamus, diuortium, ne iam cũ eo ſimus, & vllo modo communicemus, & verſemur.

Vti verò iracundiæ multa vitia ſunt adiuncta, quemadmodum explicuimus: ita mãſuetudini virtutes multæ ſunt annexæ, & ſubſeruientes: quæ tamẽ & ipſæ per ſe ſuũ in vitæ noſtræ actionibus regendis munus habent. Atque eæ à nobis breuiter, quia ad præceptũ ſextum pertinent, commemorabuntur

A buntur & definientur. Sunt igitur hæc ferè, Ἀνεξικακία, ſiue lenitas animi, Condonatio facilis offenſæ, Patientia, & Longanimitas.

Ἀνεξικακία, eſt lenitas animi, quæ mali iniuriæque acceptæ facilè obliuiſcitur propter præceptum Chriſti, & quòd nullam ſibi ex eo vindictam expetit.

Condonatio, συγγνώμη. Eſt animi lenitas quæ nõ modò non reuocat iniuriam ſibi factam: ſed eam lubenter etiam ei, qui veniã non deprecatur, ignoſcit propter Dei præceptum Coloſſ.3. verſ.13. & 1. Theſſal.5. v.13.

Patientia, ὑπομονή. Coloſſ.1. verſ.12. Iac.1. v.4. Eſt virtus animi, per quam omnia ſenſui & carni aduerſa, acerba & dura, iniuſtè nobis illata, æquo tamen animo, nullo manente in ipſum affligentem noſtro odio, toleramus; propter Dei præceptum. Itaque qui propter ſua ſcelera iuſtas pœnas luunt, eáſque patienter ferunt, propriè patientes dici nõ debent: & cùm tam præclaræ virtutis nomine donantur, lata ſignificatione tunc patiẽtia accipitur, 1. Petr.4. verſ.15. Thomas in 2.2^{x} quæſt.136. Anſel-
B mus in Galat.5.

Longanimitas, μακροψυχία, & μακροθυμία. Bernard. Serm.13. in Pſ. Qui habitat Magnanimitatem vocat & gradu à manſuetudine differre docet: ſed certè eſt ab ea diuerſa, quę Magnanimitas ſuprà dicta fuit. Eſt autem penè eadem cum patientia, gradu tantùm ab ea differens: quemadmodum magnificentia differt à liberalitate. Itaque ὑπομονῇ ferè coniungitur, vti Coloſſ. 1. verſu 11. Eſt autem longanimitas cùm duriſsima quæque & toleratu difficillima, nobis iniuſtè illata, non tantùm patienter, ſed etiam cum gaudio ad extremum vſque ſpiritum, totáque vita propter Dei voluntatem perferimus. Huius igitur fructus ſeu potius effecta ſunt duæ virtutes, & eę quidem eximiæ, Perſeuerantia in bono, & Conſtantia ad finem vſque.

Vitia ſuperioribus virtutibus, Patientiæ nimirũ atque longanimitati contraria, ſunt quatuor, Impatientia, Mollities, Durities, & Conniuentia.

Impatientia eſt tanta animi timiditas, & teneritudo, vt nihil omnino duri & acerbi ſenſus pati
C poſsit: ac ne ea quidem, quæ vulgò cæteri homines facilè patiuntur & ferunt.

Mollities animi, ἁπαλότης, eſt cùm quid ingratũ & inſuaue ſenſibus ferimus quidem, ſed molliùs, quàm viros graues & patientes deceat. Itaque eiulamus, conquerimur, imprecamur iis, qui nos affligunt, &, fœminarum more, ploramus. Quanquam enim in afflictione plorare homini Chriſtiano licet (Id quod ſæpe Dauidi, & aliis piis viris accidit, Eccleſiaſt.3. verſ.4. & 1. Samuel 20. v.41. Actor. 8. v.2.) muliebris tamen vel eiulatus, vel ploratus, qui animi mollitiem miſerrimam oſtẽdit, eſt prorſus etiam mulieribus ipſis indecorus, nedum viris, 1. Theſſalon.4. v.13.

Durities, σκληρότης. Eſt ſenſus naturalis prorſus hebes, & nullum rerum humanæ carni acerbarum guſtum retinens: vel quòd iam callum propter aſſiduas afflictiones obduxerit: vel quòd naturâ ſenſus eo iudicio priuatus ſit. Hic certè animi atque ſenſus noſtri ſtatus minimè eſt probandus: ſed planè eſt ferus & inhumanus, quemadmodũ Iob. 6. verſ.12. apparet, & qui patienter afflictiones ferunt, quia eas non ſentiunt: non patientes: ſed ſtipites potiùs ſunt dicendi & cenſendi. A

Conniuentia vel Indulgentia nimia. Eſt officii noſtri prætermiſsio in perſequẽda, ex legitima iuris via, iniuria, quæ nobis facta eſt. Neq; enim patiens & longanimis is demũ eſſe ſentiẽdus eſt, qui ſic omnem afflictionẽ, aut iniuriæ ſenſum amiſit, aut exuit, vt omnino de ea accepta cõqueri, & facienti reſiſtere non audeat, vel non poſsit: ſed is demum verè patiens eſt, qui ſtimulo doloris, quẽ patitur, non abducitur ab officio. Chriſtianus autem vir, & patientiæ laude ornandus, ſæpe non tãtùm de iniuria accepta conqueri poteſt, atque etiã debet, exemplo Chriſti & Pauli, Ioann.18. verſ.22. Actor.23. v.3. ſed etiã eã iudicio coram Magiſtratu perſequi debet, ne fiat ille, qui læſit, ſi maneat impunitus, ad iniuriam faciendam audacior, aut etiam ne inde alij impudentiores euadant.

Sunt verò præterea aliæ quoq; virtutes, in quibus vniuerſa tanquam humanitatis informatio cõtinetur, quòd quicquid ad comes & humanos mores pertinet, quicquid ad hominum inter ſe ſocietatem & beneuolentiam vel ineundam vel conſeruandam prodeſt, illarum præceptis ferè præſcri- B
bitur. Atque hæ ferè ſunt, nimirum, Hilaritas, Comitas, Vrbanitas, Affabilitas, Æquabilitas, Cõcordia, Beneuolentia, Amicitia, Placabilitas. Opponuntur autem his virtutibus, Auſteritas, vel Seueritas, Inhumanitas, Agreſtitas, Difficilis acceſſus, ſeu Grauitas, nimia Moroſitas: Pertinacia, Diſcordia, Μισανθρωπία: Inimicitia, Irreconciliabilitas.

Hilaritas φιλοφροσύνη vel ἱλαρότης. Eſt benigna, aperta, & candida animi noſtri, dum alios vel videmus, vel excipimus lætitia, quæ ipſo vultu & oculis à nobis ſignificatur.

Auſteritas vel Seueritas, σκυθρωπότης. Eſt alterius auerſatio, vel grauatim facta illius exceptio, quæ ipſo vultu demonſtrat triſtitiam quandam.

Comitas, πρᾳότης etiam dicta, ſæpe εὐτραπελία, qua tamen voce Paulus in malam partem vtitur, Eph. 5.4. Ab Ariſtotelicis verò omnibus Amicitia vocari ſolet, quæ in hominum inter ſe congreſsionibus verſatur. Eſt igitur hæc comitas blanda alterius ad nos inuitatio ex communi quadam noſtra erga omnes homines charitate: & illius qui ad nos accedit plena ſuauitatis retentio & tractatio. C

Inhumanitas videtur illi cõtrarium vitium. Eſt autem, per quam abigimus eos, qui ad nos adeũt, vel exceptos durè habemus.

Vrbanitas, quam nos ex Ariſtotele lib.4. ἠθικῶν, ca.8. Εὐτραπελίαν vocabimus, Eſt, quæ in ludicris, iocis, animique recreationibus, quas in cœtu & congreſsionibus cum aliis hominibus capimus, modum & decorum ſeruat. Inde frontem Vrbanam appellat Horatius. Iſta verò ludicra, vel in iocis, vel in verbis, vel in factis eſſe poſſunt, in quibus omnibus modũ adhibet hæc virtus, à qua εὐτράπελοι quaſi εὔτροποι dicti, vt vult Ariſtoteles, qui moderatè, vt oportet, iocis & luſu in hominum cõgreſſionibus vtuntur. Ergo iſte dicax eſt nonnunquã, ſed nunquam tamen eſt ſcurra. Sic Prophetæ nonnunquam ſunt dicaces in idololatras Iſai.14. verſu 11. 1. Reg.18. verſ.27. Ioann.9. verſ.27. Huic virtuti ſunt contraria vitia duo, Agreſtitas, & Scurrilitas.

Agreſtitas ἀγριότης, eſt inhumana & intempeſtiua ioci, riſus, honeſtæque animi recreationis, vel viriũ corporis refocillationis recuſatio & fuga. Vti

A enim plorandi: ita & ridendi tempus nonnunquã eſt, Eccleſiaſt.3. Pſal.126.ver.2. Qui igitur riſum omnem & remiſsionem animi auerſantur, & moleſtè ferunt, nihilque ludicri & iocularis admittere poſſunt, ſunt tum in ſeipſos ſæui, tum etiam in alios agreſtes & duri.

Scurrilitas, βωμολοχία. Eſt riſus iocique aliis mouendi intempeſtiuum & immoderatum ſtudium & affectatio. Hoc autem vitium nõ tantùm in verbis & dicacitate quadam inepta, ſed etiam in geſtu, motúque corporis indecoro, quem quis ad riſum aliis excitandum adhibet, verſatur quemadmodum ait Thomas in 2.2ª quæſt.148. art.6. Denique facetias captant ſcurræ, vt ait Anſel. in Epheſ.5. ver.4. ſed ineptas & inurbanas, dum & modum non ſeruant, & nimio placendi aliis ſtudio honeſtatem & decorum negligunt. De hoc vitio Plutarchus legendus in lib. De garrulitate.

Affabilitas, ἐυπροσηγορία vel φιλία illa, quæ in reliquis noſtrarum cum aliis hominibus congreſsionum partibus & actionibus verſatur. Eſt autem non tantùm facilis ad nos adeundos via & acceſſus
B patẽs, qui à nobis præbetur: ſed etiam ſuauis & iucunda aliis nobiſcum cõmunicandi facultas, quòd neminem offendere vlla in re ſtudeamus. Hanc nos Galli *Courteſiam* vocamus, quòd in curialibus & Aulicis hominibus hæc virtus maximè cerni ſoleat. Hæc igitur virtus omnia, quæ in aliis vtcunque probari & tolerari poſſunt, tolerat in congreſſu: quæ vituperanda ſunt, modeſtè reprehendit, quòd neminem à ſe arcere, neque cuiquam moleſtus eſſe is velit, qui affabilem ſe præſtat. Hãc virtutẽ iuſtitiæ partem conſtituit Thomas in 2.2 quæſt.114. Contrà Ariſtoteles eã ſuperiori virtuti, id eſt, Vrbanitati annectit, libro 4. cap.8. in fin. &, meo quidem iudicio, rectiùs. Huic autem virtuti duplex vitium opponitur, Moroſitas, vel Nimia grauitas: & Adulatio, de qua in præcepto nono.

Moroſitas ἀπροσηγορία. Eſt autem cùm vel nemini nos acceſsibiles & faciles prębemus, nimia quadam & intempeſtiua grauitate: vel nõ iis, quibus liberè patere debemus pro ratione humanitatis, vinculi, vel muneris noſtri. σεμνότης quidem & grauitas à nobis ſeruanda eſt in omni parte vitæ, quã
C etiam in Senibus & Paſtoribus maximè commendat Paulus, Tit.2. verſu 2. modò illa non ſit nimia: vel in moroſitatẽ non degeneret neque deflectat. Illud enim, quod dicitur μηδὲν ἄγαν, cùm vbique locum habere debet: tum maximè in hac grauitate moderanda: quæ facilè labitur in vitium.

Æquabilitas συμφρόνησις, eſt ſuperioris virtutis pars quædam. Eſt autem virtus quæ ad alterius mores tolerabiles ſeſe demittit, & honeſtè accommodat, conſeruandæ alendęque charitatis, & mutuæ ſocietatis gratia.

Pertinacia αὐθάδεια huic opponitur. Eſt vel priuatæ animi ſententiæ, vel ſpecialis vitæ generis: & ab aliis eiuſdem vocationis hominibus differentis obſtinata, & ἄλογος defenſio atque retentio. Qui tales ſunt, ἰδιογνώμονες ferè, non autem κοινογνώμονες cerni ſolent, quia proprio ſenſu, vt loquuntur, ſunt addicti, homines ſibi plurimum arrogantes, & ſuperbi.

Cõcordia συμφωνία & ὁμόνοια. Eſt effectus pulcherrimus vti & reliquę virtutes quatuor, quæ ſequuntur, ſuperiorum animi διαθέσεων, quæ proximè ſunt explicatæ. Eſt autem & animi & ſenſus & orationis ipſius multorum inter ſe conſenſio, nihil Dei A
præceptis contrarium, & ab iis alienum fouens & defendens. Aliâs enim coitio, ſiue coniuratio eſt, ſi plures quid Deo aduerſum conſpiratione inter ſe quadam facta tuentur, & probant, Iſa.8. verſ.12.

Diſcordia eſt animorum ſententiæ & orationis in re, in qua conſentire plures debuerũt, diſſenſus à charitate Chriſtiana diſsidens.

Beneuolentia εὔνοια. Eſt animi noſtri charitas ſiue affectus, quo etiam ignoto & abſenti, id eſt, ei quem nunquam vidimus, bona eſſe volumus, & deſideramus tum propter communem noſtram in omnes homines charitatem: tum propter ipſius abſentis egregiam virtutem, & Dei donum, quod nobis innotuit, & in eo honoratum eſſe cupimus. Ariſtote. lib.9. cap.5. Thomas autem in 2.2ª quęſt. 27. art.2. ſic ait, Beneuolentia eſt actus ſimplex voluntatis, quo volumus alicui bonum etiam non præſuppoſita vnione mutui inter illum & nos affectus. Sæpe enim iis ſumus beneuoli, qui nos non norunt, ac ne quidem ſciunt nos eſſe in mundo natos.

Μισανθρωπία & Timonianus animus, eſt affectus, B
qui hominis etiam ignoti pernicie & malo delectatur. Itaque etiam ei, quem nunquam vidit, malè precatur, & malè eſſe cupit. Id quod ab hominis humanitate planè alienum eſt.

Amicitia, φιλία. Eſt mutuus & reciprocus duorũ inter ſe affectus, quantus maximus eſſe poteſt, ex mutua & honeſta conſuetudine atque cõmunicatione primùm ortus: poſtea mutuo pacto & ſpeciali vinculo vltro citróque in Dei gloriam teſtatus, & in totius vitæ durationem & tempus vtrinque confirmatus & promiſſus. Has omnes in definitione conditiones addidi, tum vt ab amore, tũ vt à beneuolentia diſtinguatur amicitia: tum etiam vt amicitiæ ipſius origo, cauſæ, & effecta declarentur. Diſtinguitur igitur ab amore amicitia, quòd amor eſt naturalis quidam affectus, ſæpe ex nulla cauſa ortus, quæ nobis ipſis ſit nota, ſed tantùm ex quadam animi tacita delectatione & propenſione in hoc potius accenſus quàm in illud. Vnde ille eſt ſæpe brutus affectus, vti & quòd quoſdam non amamus. Non amo te, Sabidi, nec poſſum dicere quare: Hoc tantùm poſſum dicere, non amo te. C
At amicitia ſuæ in alium propenſionis & affectus iuſtas cauſas ſemper affert. Et quod Bernard. Sermo. De vita & quinq; ſenſibus quintuplicẽ amorem facit, Pium, Iocundum, Iuſtum, Violentum, Deuotum, nõ obſtat, & aliò pertinet. Diſtinguitur quoque à beneuolentia amicitia, quòd etſi vtraque eſt erga nobis ſimiles, & per conſequens erga homines, non autem erga bruta animantia: tamẽ beneuolentia erga eos eſt, quibuſcum nullã antea conſuetudinem habuimus. Amicitia autem tum ex veræ virtutis, quę in alio elucet, æſtimatione: tum etiam ex conuictu & conſuetudine contrahitur. Vnde Ariſtot. lib.8. Ethicor. cap.12. ἐν κοινωνίᾳ δὲ πᾶσα φιλία, ait. Poſtea non eſt ſemper in beneuolentia amor, ſed ſæpe ex vna tantùm parte apparet. At in vera amicitia, ſemper eſt reciprocus & mutuus inter amicos affectus. Deinde in amicitia pactum aliquod inter eos, qui ſunt amici, mutuum intercedit, in quo teſtatur vterque ſuum in alterũ votum. Denique effecta amicitiæ ſunt maxima, vti affectus ipſe maximus & ſummus in ea eſt. Nam quanta maxima bona ab homine homini

exoptari

A exoptari poſſunt, tanta ſibi mutuò exoptant veri amici, non aliud ſpectantes, quàm Dei gloriam, & mutuæ illius & ſpecialis charitatis, quam inierunt, perpetuam conſeruationem, atque acceſſionem. Eſt enim amicitia ſummum & præcipuum charitatis effectum.

Ἀφιλία potius, quàm ἔχθρα, eſt amicitiæ contraria. Eſt autem cùm quis nullum huiuſmodi cum nemine, etiam optante, & quærente affectum induere poteſt, ex peruerſa tanti amoris auerſatione & contemptu.

Placabilitas κατάλλαξις & συγγνώμη. Eſt offenſæ atque iniuriæ nobis factę facilis & ex animo deletio & obliuio propter Dei præceptum, & in priſtinam, cum eo, qui nos offendit, amicitiam reditio atque redintegratio.

Implacabilis autem animus illi contrarius eſt & ab homine Chriſtiano prorſus alienus. Atque de præcepto ſexto hactenus.

CAP. IIII.

B *Definitiones virtutum, & vitiorum quæ ad ſeptimum præceptum referuntur.*

HOneſtas publica σεμνότης, quam commẽdat Paulus, 1. Timot. 2. v. 2. Eſt morum caſtitas, id eſt, ſanctitas, & diſciplina Verbo Dei cõſentiens, quæ in rebus externis & publicis legibus ſancita eſt, & in omni ordinum genere apparet.

Huic contraria eſt ἀταξία, quam idem Paulus 2. Theſ. 3. damnat. Eſt autem externa vitæ diſſolutio, quæ vel in ſingulis: vel in toto ipſo Reipub. ordine apparet, manétque impunita, qualis fuit viuendi ratio Sodomis, & eſt vbicunque externa diſciplinæ honeſtas inter homines nulla viget.

Sanctitas coniugij quam Paulus 1. Teſſal. 4. ver. 3. & 4. commemorat, eſt finis huius præcepti, cui ſanctitati reliquæ virtutes, quæ ſequuntur, ſubſeruiunt, quòd partem tantùm vitæ, aut corporis noſtri aliquam ad honeſtatem informent, & puram conſeruent. Ex his autem virtutibus prima eſt

C Temperantia σωφροσύνη dicta, tanquam σώζουσα φρόνησιν quemadmodum ſcribit Ariſtoteles. Hæc Cardinalis virtus appellatur, ſicut & Iuſtitia & Fortitudo, & Prudentia, quòd ei plures aliæ virtutes, velut ſociæ, aut ancillæ ſubiiciantur & famulentur.

Temperantia igitur eſt virtus quæ animi noſtri motum & affectionem in voluptatibus corporis appetendis, fugiendíſque, quantum Dei præceptum iubet, regit & moderatur. Ergo non tollit, adimítque temperantia ſenſum omnem ſuauem voluptatis corporeæ: ſed eum tantum temperat, ne nos abducat ab officio. Quidam enim ſunt affectus, atque etiam voluptates in nobis naturales, quæ non ſunt tollendæ, ſed potius moderandæ: Quidam etiam ſunt & affectus & voluptates in nobis à peccato inſitæ profectæ, quæ non ſunt regendæ: ſed omnino extirpandę. Quam diſtinctionem cùm ignorarent Stoici, grauiſſimè ſunt hallucinati. Omnes enim animi motus damnarunt, ac ex homine ſtipitem, atque truncum, ſublatis, damnatíſque omnibus animi affectibus, effecerunt. Verſatur autem Temperantia in omnibus voluptatibus definiendis, & gubernandis, quę aliquo corporis ſenſu percipiuntur: A maximè tamen in iis, quæ guſtu & tactu corporis ſentiuntur, quales quæ in Cibo, & rebus Venereis inſunt. Vnde vim illam generalem Temperantię ſpectans Plut. lib. 7. Sympoſia. cap. 5. pulchrè definit Intemperãtiam, his verbis, ἐϛὶν ἀκρασία περὶ ἐδωδὰς, πότους, ἀφροδίσια, γεῦσιν ϗ ὄσφρησιν ἀσοχασία. Item Auguſtin. libro 22. cõtra Fauſt. cap. 29. Si voluptates eatenus excitentur & ſentiantur, quatenus ad reparandam vel cuſtodiendam mortalem hanc vitam pertinet, ſunt delectationes honeſtæ: ſin vltra fuerint prolapſæ, ſunt libidines turpes & illicitæ. Quatenus autem ſpecialem & propriam Temperantiæ materiam conſideramus, quæ eſt in Tactus & Guſtus voluptatibus fręnandis, rectè idem Auguſt. li. 2. De nuptiis. cap. 7. à Temperantia vſum & motum genitalium membrorum moderari ſcribit. Itémque rectè Ariſtotel. lib. 3. ἠθικ. cap. 10. Verſantur, ait, in iis voluptatibus temperantia & intemperantia: quarum reliquæ participes ſunt animantes: Illæ verò maximè ſunt, quæ in cibo, potu, & coitu ſentiũtur voluptates, quas in Problematib. idem ipſe B & A. Gell. lib. 19. Noct. Atticar. cap. 2. lib. 7. cap. 6. homini cum brutis animantibus communes eſſe docet. Aurium autem voluptatem, qualis ex Muſica, aut oratione eliganti percipitur: item oculorum aut olfactus delectationes reliqua animantia ferè neque conſectantur, neque curãt. Vide Thomam in 2. 2^{x} quæſt. 141. & ſequ. Huic autem virtuti opponuntur, Stupiditas, & Intemperantia.

Stupiditas ἀναισθησία eſt earum Voluptatum, quas Deus homini ad ſe, ſuámque hanc vitam tuendam inſeuit, vel nullus, vel hebes & obtuſus ſenſus: quem qui amiſit vel corpore ſanus nõ eſt, vel ſaltem animo, quia vel non habet integros ſenſus corporis, vel ſyncerum animi iudicium.

Intemperantia, ἀκρασία eſt immoderatus voluptatum corporis cùm adſunt, vel cùm haberi poſſunt, vſus & appetitus: vel nimius, quòd eæ abſint, iiſque minimè fruamur, dolor, & triſtitia. Iam ad alias virtutes veniamus, quæ ſunt annexæ Temperantiæ.

Sobrietas Νηφαλιότης, etſi generaliter accipi poteſt, tamen quando diſtinguitur ab Abſtinentia, dicitur Sobrietas eſſe moderatio vini inebriantis, C mentem turbantis, & ad laſciuiam nos vocantis. Huic opponuntur Vinolentia, Crapula, Ebrietas.

Hæc autem tria vitia penè ſunt eadem, differũt tantùm vt cauſa & effectus, quòd Crapula & Vinolentia ſunt Ebrietatis cauſæ.

Eſt Vinolentia, οἴνωσις, Petro οἰνοφλυγία. 1. Pet. 4. v. 3. immoderatus vini appetitus, vel praua bibendi conſuetudine excitatus: vel nimia delitiarum conquiſitione comparatus.

Crapula, κραιπάλη, ſiue compotatio, πότος, Petro, 1. Petr. 4. v. 3. eſt nimia vini, cibíque ingurgitatio, & præter vſum & vires naturæ ſumptio, ſiue potatio. Chryſoſt. Homil. 57. ad popul. Antiochẽ. horribilem ſui ſeculi luxum deſcribens ait eos farciſſe aues piſcibus, quas ad prunas torrerent. De qualitate, quantitate, ordine ciborum apponendorum magnam ſolicitudinem habent: & reliqua ſed planè furioſa feciſſe in ſuis conuiuiis.

Ebrietas, μέθη, eſt affectus ſuperioris vtriuſque vitij, quia eſt tum ligamen ipſum rationis, vt aiũt, ex nimia & immoderata vini ſumptione & bibi-

A tione contingens : tum nimia ipſa vini cuiuſlibet aſſumptio.Luc.21.v.34.Epheſ.5.verſ.18.vide Thomam quæſt. 142. 143.& ſeq.2.2ª.Aduerſus quam ebrietatem vide pulcherrimum locum apud Rodolphum Gualterum in Homil.in epiſt.ad Galat. Homil.50.in cap.5.ver.20.Peccant enim ebrij in 3. hæc præcepta, Non accipies nomen Domini tui in vanum:Non mœchaberis:Non furaberis.

Abſtinentia, ἐγκράτεια,à Paulo γυμνασία dicta 1. Timoth.4.verſ.8.1.Corinth.9.verſ.25.Eſt cibi vel ſomni ordinarij ſubſtractio ad Dei gloriã, & carnis noſtræ mortificationem neceſſaria, & à nobis obſeruata. Quæ enim fit, quaſi in ipſam naturam noſtram ſæuiamus, illa non virtutis:ſed peſſimi vitij:nempe Crudelitatis in nos ipſos nomine donanda eſt, qualis fuit veterum quorundam Monachorum. Huic contraria eſt tum Comeſſatio, tum Gula.

Comeſſatio,κώμη Petro.1.Pet.4.v.3. Eſt autem aſſidua cibi cuiuſlibet,etiam viliſſimi, & ſæpius quàm neceſſe ſit & expetant vires naturæ, ſumptio, quæ vel in cœtu aliorum fit, vel ſeorſim à nobis ſolis ob immoderatam voluptatem, quam B ex cibo capimus.Syriaca verſio ebrietatem & comeſſationem ita diſtinxit, vt ebrietatem μέθην ad nimium vſum vini referat : κῶμον autem comeſſationem ad nimiam carnis ſumptionem.

Gula,λαγνεία,& ingluuies,Eſt in cibo,ſomnóve immoderata,& naturę atque valetudinis fines excedens,delectatio,ſed in cibo maximè. Qua in re tripliciter peccari docent: in Cibi nimirum Subſtantia ipſa,ſi nimiùm exquiſitus eſt cibus & delicatus.Quantitate,ſi nimius eſt, & non ex legibus ſumptuariis. Qualitate,ſi nimium delicioſè conditus ſit cibus,qui tunc non cibus, ſed Cupediæ dicuntur,gallicè *Friandiſes*.

Temperantiæ ſubſeruiunt,Verecundia & Honeſtas, quæ contrarios Temperantiæ affectus domant in nobis & cohibent.

Verecundia,αἰδώς. Hanc magis affectui cuidam, quàm virtuti ſimilem eſſe dicit Ariſtotel. libro 4. ἠθικ.cap.9.Hîc autem de Verecundia,quæ honeſta eſt,& ſecundum Deum agimus: non autem vel de ea quæ tantùm eſt ſecundum carnem : vel quam C eorum pudet,quorum pudere non oportet.Eſt igitur hæc Verecundia ſancta Virtus,quæ turpitudinem omnem Temperantiæ contrariam fugit.Id quod ipſo vultus colore, imprimis autem rubore patefacit & declarat.Eſt igitur teſtimonium ſanæ mentis, & ſynceri iudicij de rebus obſcœnis, adhuc in nobis permanentis. Hæc maximè eſt in Adoleſcentibus:minus in Senibus,propter ætatis & ſanguinis penuriã.Huic opponitur Inuerecundia.

Inuerecundia, ἀναισχυντία, eſt turpitudinis vel nullus,vel hebes & obtuſus ſenſus.Quæ res vulnus conſcientiæ & deleti penè in nobis rerum honeſtarum & turpium ſpiritualis κριτηρίου oſtendit. De vtraque vide Thomam in 2.2ª quęſt.144.Anſel.in lib.De ſimilitud.c.112.113.

Pudor, αἰσχύνη, eſt verecundiæ potiſſimus effectus. Eſt autem eius turpitudinis ſenſus, qui in nobis reſtat,teſtificatio,quæ vel rubore vel pallore vultus fit. Nam quidam pudentes erubeſcunt, quidam pallent. Quanquam Scholaſtici ſic pudorem à pallore(ὠχρίασιν vocant Græci) diſtinguunt, vt pudorem dicant præcedere malum & turpe iã perpetratum. Pallorem autem eſſe metum & ſenſum mali adhuc perpetrandi, & nondum perpetrati.Huic contrarius eſt Pudor immodicus,& in iis rebus,de quibus minimè eſt pudendũ,quẽ Plutar.in li.de eo argumento ſcripto,δυσωπίαν vocat. A

Pudicitia,à Pudore dicta eſt, quæ eadem eſſe videtur,atque Caſtitas,ἁγνότης, etſi Scolaſtici diſtinguunt hoc modo.

Pudicitia eſt,aiunt,ea animi virtus,quę non tãtùm omnia externa illegitimæ veneris ſigna tollit & abolet in nobis,ne vlla appareãt:ſed etiam quæ omnino cordis & affectus mundi,& à Venere impura immunis ſigna demonſtrat.Itaque & dicta & facta noſtra moderatur, omnéſque delectationes auerſatur,ſiue eas videndo,ſiue audiendo, ſiue tãgendo capiamus,per quas appetitus ille ſcortationis irritatur vel prouocatur in nobis. Maximè enim circa Venerea regenda verſatur Pudicitia.

Caſtitas eſt integritatis tum animi,tum corporis noſtri & ab omni coitu illegitimo puritas: denique ab omni commixtione, quæ præter vel fidẽ à nobis datam,vel Dei præceptum fieret, integritas & conſeruatio.1.Corin.7.v.34.quanquam libr. 1.De ciuitate Dei, Auguſt.cẽſet etiam eam caſtam eſſe dicendam,quæ corpore polluta eſt,ſed inuita. B Ergo triplex eſt Caſtitas,Maritalis,quæ in coniugio ſeruari debet à coniugibus:Vidualis,quæ à vidua:& Virginalis, quæ à virgine cuſtodiri debet, donec illis omnibus ex Dei lege honeſtè nubere liceat.De vtraq; virtute Thomas in 2.2ª quæſt.115.

His duabus virtutibus opponuntur, Impudicitia,& Immundicia.

Impudicitia,ἐπιθυμίας,vel αἰσχρότητος,nomine ſæpe appellatur:ſæpe ἀναισχυντίας, quę quid ſit,ex ſuperiori definitione,quę de Pudicitia allata eſt,intelligi facilè poterit. Eſt autẽ quę inhoneſtę libidinis intus ardẽtis ſigna aliqua profert externè, vel dictis vel factis.Vnde omnes geſtus inhoneſti,& nictus oculorum Veneris conciliandæ gratia coniecti,aſſectationes mulierum,ſtultiloquia, & ſermo putris & obſcœnus, quem Paulus σαπρὸν appellat, Epheſ.4.verſ.29.& 5.v.4. ſunt huius impudicitiæ ſpecies,& partes,& effecta turpiſſima.

Immundicia, ἀκαθαρσία, eſt omnis pollutio corporis noſtri per coitum illegitimum admiſſa. Eſt C multiplex, vt in explicatione huius præcepti docuimus.Eſt enim Coitus cum Dæmone : Beſtialitas coitus cum bruto animanti : Sodomia, Inceſtus,Adulterium,Raptus, Stuprum.

Sequitur Honeſtas, quæ eſt altera temperantiæ famula, & illius velut in animis noſtris obſtetrix. Nam illi noſtros animos præparat, dum obiter affectus rationi contrarios ex animis noſtris euellit iam inſitos:aut ne inſerãtur,obſtat & impedit.

Honeſtas verſatur in externis rebus regendis, & iis quidem aliis,quàm quas pudicitia, vt diximus, moderatur. Itaque honeſtas hæc verſatur partim in Veſtitu & cultu corporis, Ornatus dicitur : vel in Ludis & Iocis laſciuis tollendis, Grauitas.

Honeſtas σεμνότης.Eſt autem quæ externa quædam moderatur & tollit, ex quibus Veneris illicitæ appetitus vel excitatur,vel fouetur in nobis.

Ornatus κοσμιότης. Eſt veſtitus cultúſque corporis,qualis nos pro ratione perſonæ decet, moderatio,ne quid ſordidum vel laſciuum vel affectatũ in eo inſit,vel appareat. Peccatur enim in eo genere variis modis,& multa ſæpiſſimè fiunt præter

A decorum, prætérque ſexus, aut perſonæ nobis à Deo impoſitæ rationem, quibus etiam fratres offenduntur. Peccatur enim vel in veſtium nimio Pretio, Nitore, Forma, Ornamentis & Mollitie, id eſt, & additione varia, quæ illis adiicitur. Neque enim ſordes in veſtitu noſtro eſſe debent: neque etiam in eo exquiſitum quiddam, & præter decorum ſectandum. De qua re ſunt præclariſſima etiã M. Tullij præcepta. Sed Pauli potius & Petri ſanctiſſimorum Chriſti Apoſtolorũ 1. Tim. 2. 1. Pet. 3. atque adeo ipſius Iſaiæ, Prophetæ Dei Iſai. 3. videat Thomam qui volet 2.2^{æ} quæſtio. 169. & imprimis Chryſoſtomum Homil. 68. in Euangel. Ioan. Huic virtuti contraria ſunt vitia Sordes & Luxus.

Sordes βαναυσία eſt nimia in honeſto, & qui nos decet, corporis veſtitu tuendo ſupináque negligentia, vel ex auaritia orta: vel ex propriæ dignitatis contemptu. De hac ipſa agit Ariſtot. tum lib. 4. tum lib. 7. Ethic.

Luxus & Profuſio A'σωτία, eſt nimia cultus, veſtitúſque corporis noſtri cura vel etiam ſumptus in B eo nimius. Hęc autem variis ex cauſis oriri poteſt: vel ex ambitione, vel ex turpi libidine atque placendi ſtudio.

Grauitas in ludis & iocis eſt, quæ in vtriſque nihil laſciui & impudici habet: ſed nec in vlla animi noſtri recreatione quicquam immundi & turpis eſſe ſinit.

Proteruia A'σέλγεια huic videtur contraria. Eſt autem cùm in vtriſque aliquid ad inhoneſtam venerem excitandam, vel ad excitatam fouendam dicimus, facimúſque lubẽtes, quaſi ab α priuatiua particula & σελαγίζειν quod eſt ſplendere, quòd tales minimè honeſti vel lucidi, ſed ſemper fœtidi, & ſordidi eſſe ſoleant. In epiſtola ad Galat. cap. 5. verſu 19. Syriaca verſio conuertit ἀσέλγειαν Fœtorẽ. Bernardus, Dolor, ait, continuus eſt cordi meo, quòd nonnullos tam prauos ad leuitatem, ad riſum, & ad ſcurrilia verba tam faciles video. Atque hæ ferè ſunt virtutes, & vitia, quæ ad hoc præceptum ſextum pertinent.

C

CAP. V.

Definitiones virtutum, vel vitiorum, quæ ad octauum præceptum referuntur.

VENIAMVS ad octauum præceptum, in quo maximè Iuſtitiæ Commutatiuæ, quæ dicitur, partes verſantur & ſpectari ſolent. Eſt autem iuſtitia hæc à Græcis propterea nominata συναλλακτική, quòd ἐν τοῖς συναλλάγμασι, id eſt, in contractibus hominum & commerciis, eorúmque iure conſeruando eluceat & laboret, atque ab iis omnem iniuriam arceat. Contractus autem aut ſunt Commercia, aut Maleficia. Commercium eſt duorum, pluriúmve voluntaria inter ſe pactio, atque conuentio ſiue re, ſiue verbis inita & contracta ad mutuæ hominum ſocietatis conſeruationem inuẽta. Maleficium eſt vnius, vel plurium in vnum quendam vel plures inuitos & non aſſentientes factum & communicatio. Hæc maleficia ſunt aut Clandeſtina, quæ fiunt clanculum, vti furtum: aut Violenta, quæ aperta vi fiunt, vt vis ipſa & iniuria. Eſt igitur iuſtitia commutatiua, voluntas quæ nulla perſonarum ratione habita ius ſuum cuique arithmetica proportione tribuit, vt A rei tantum cuique reſtituatur, quantum illis ab altero ablatũ eſt. Hæc igitur iuſtitiæ ſpecies Arithmeticam proportionem, quæ æquales rei partes ſimpliciter ſpectat, in iudicando & contrahendo ſequitur. Diſtributiua autem, de qua iam diximus, Geometricam potiùs proportionem ſpectat, quæ proportio perſonarum reſpectum, qualem oportet, in iudicando ac diſtribuendo habet. De hac Ariſt. libr. 5. ethic. M. Tullius in Officiis. Ambroſius etiam & Thomas in 2.2^{æ} quæſt. 61.

Commutatiuæ iuſtitię opponitur per priuationem quidem iniuſtitia. Actionis verò ratione, Per defectum, fraus: quæ Per exceſſum, caret nomine, Profuſio nominetur. Hęc iuſtitia primùm in ipſis Magiſtratibus & in foro conſideretur: deinde in priuatis, qui inter ſe contrahunt, atque in eorum pactionibus ſeu contractibus.

Quę forẽſis eſt, ſpectari debet, & in Iudice ipſo, Aduocato, Teſte, & Reo, de quibus etiam in ſequenti præcępto agetur. Sed in Iudice imprimis, qui ſyncerè iudicia exercere debet, atque in nullã partem declinare: ſed cuique, quod ſuum eſt, tribuere. Iudicia enim Dei exercet, non autem hominum vt eſt 2. Chronic. 19. Deuteron. 1. B Huic iudiciorum ſynceritati opponitur iudicis fauor, & ignorantia, tum facti, tum iuris, & odium, concuſſio, & huiuſmodi infiniti penè animi affectus vitioſi. Fauor eſt animi noſtri præter officium in alium beneuolentia & propenſio, quæ iudicium noſtrum rapit & excæcat in iudicando.

Concuſſio eſt pecuniæ ab alterutra parte litigante præter ſtatutum publicum, ſiue per ſe, ſiue per ſibi addictas perſonas exactio vel acceptio facta à Iudice, vel perſona publicum aliquod munus gerente ſiue clam, ſiue apertè: ſiue pecunia ipſa capiatur: ſiue aliud aliquid quod in pecuniam redigi poſſit Luc. 3. v. 13.

In priuatis perſonis hæc iniuſtitia eſt quatenus quidem ad hoc præceptum octauum pertinet, vel furtum, vel vis ſiue rapina, vel damnum iniuria datum. Omnibus autem his vitiis contraria eſt tum bona conſcientia, quæ in commerciis noſtris & contractibus adhibetur: tum fidelitas, in præſtando atque repræſentando promiſſo.

C Bona conſcientia eſt integrum mentis noſtræ ex vera charitate iudicantis, & factum noſtrum examinantis iudicium, de ſyncero & ſcopo, & modo in noſtris cum proximo commerciis ſpectato, & adhibito. Huic autem fraus & dolus malus opponitur.

Dolus malus (eſt enim & dolus bonus, vnde & bona indoles dicta eſt, qui minimè eſt reprehendendus) Eſt igitur dolus malus, vt Iuriſconſulti aiunt, cum aliud agitur, aliud ſimulatur vel diſſimulatur in damnum ac perniciem alterius, & vt re ſua priuetur. Anſelmo dolus eſt mentis calliditas in genere. Vide Cicer. lib. 3. de officiis.

Aſtutia σκαιωρία huic vicina eſt. Eſt autem excogitatio doli ipſius, & fraudis. Bernardi verba ſunt aurea ſermo. 64. Cant. aduerſus huius generis vitium. Ait enim ſufficit proinde ſi capiantur, qui huiuſmodi ſunt, hoc eſt, ſi prodas & deducas eos in mediũ: quippe quibus apparere, perire eſt. Non ſic cętera vitia, nam manifeſtè veniunt: manifeſtè nocent: ſcientes ſuperant, captiuant reluctantes, quia vi non dolo agunt. Ergo contra huiuſmodi apertè ſæuientes beſtias non inueſtigatione opus eſt:ſed frenatione ſolas has vulpes paruulas, diſſimulatrices maximas(quia proditæ iã non nocent) ſufficit educi in lucem & capi in calliditate ſua. Nam foueas habent.Hactenus Bernard.

Fraus ſubſeruit,vt ſcholaſtici volunt,aſtutiæ:vt autem ego ſentio,illius inuẽtrix eſt,ac mater.Itaq; peius audiunt fraudulenti homines, quàm aſtuti, minúſq; aſtutia eſt per ſe odioſa, quàm fraus. Eſt igitur Scholaſticis fraus ipſius doli atque aſtutiæ executio, quæ nõ verbis ſed facto aliquo & actione conſtat. Itaque illis latior eſt ſignificatio doli mali,quàm fraudis, quòd dolus malus generaliter animi noſtri occultationem proximo noxiam denotat, ſiue verbis, ſiue rei alicuius geſtione interpoſita, tanquam velo adhibito,fiat à nobis. Fraus autem eſt ſenſus atque animi noſtri obſcuratio, facti alicuius diſſimilis velamento in damnũ proximi obtecta: veluti ſi lautè excipiam quem fallere poſtea cogito,fraus eſt:Si blandè alloquar, dolus eſt ex iſtorum ſententia. Ego verò fraudem damnum potius ipſum, quod dolo malo datur, dici Latinè loquentibus affirmo. Thomas in $2.2^{æ}$ quæſtio.77.

Fidelitas eſt dictorum promiſſorúmque conſtantia. De qua præclarum eſt hoc Ouidij elogiũ, Non boue mactato cæleſtia numina gaudent:Sed, quæ pręſtanda eſt,& ſine teſte,fides.Infidelitas eſt inconſtantia,cui adiunctæ ſunt, & Leuitas animi, & Vanitas.Leuitas,per quam facilè & ſine vlla,vel ſine probabili ratione à pactione diſcedimus.

Vanitas, per quam temerè plus de nobis noſtríſque opibus, quàm in iis eſt, præſumimus & pollicemur.

Deinde verò lõgius progredimur,adeò vt fraudibus ſemel aſſuefacti, animum noſtrum proximi fraudandi nullo iam velo honeſto obiecto celemus:ſed apertè nos ipſos prodamus. Hinc tria illa oriuntur,Furtum,Vis,ſiue Rapina, & Damnũ iniuria datum, quod tamen à ſuperioribus quodammodo diſſimile eſt.

Furtum eſt rei alienæ inuito domino,nullóque magiſtratu iubente, vel permittente iure contrectatio facta. Quæ ſi in re ſacra fit,eſt Sacrilegium: ſi in re & pecunia publica eſt, Peculatus:ſi in Priuata eſt,furtum,vel quod eſt manifeſtum,vel non manifeſtum.

Rapina ſiue vis,eſt rei alienæ vel etiam ſuæ, ablatio vi facta & iure prohibente. Vis autem eſt duplex,Publica, nempe arma, vel hominum cœtus collectus:Priuata, veluti pulſatio, ictus inflictio vel alapæ impactio. De his Iuriſconſulti ſunt conſulendi in Rubricis de furtis. De vi ad legem Iuliam, de vi Publica & Priuata, & Thomas in $2.2^{æ}$ quæſt.66.

Damnum iniuriâ datum eſt, quod non animo lædendi,ſed huiuſmodi incogitantia, quam neque prudens hominis ratio, neque ius ipſum mutuæ inter homines ſocietatis, neque lex ipſa excuſat, datum eſt proximo, veluti ſi quis cædens arborem ramum à ſe cæſum ita proiiciat, vt aliquem tranſeuntem,& à ſe non præuiſum vulneret vel lædat. Hoc damnum lege Aquilia de damno iniuria dato in iure ciuili Romanorum vindicatur,quia culpâ non quidem accipientis,ſed dantis infertur. In quo damno culpa etiam ipſa diſtinguenda quoque eſt. Alia enim eſt lata,alia latior,alia latiſſima,quæ dolo malo æquiparatur.

Plagium eſt hominis, ſiue liberæ, ſiue ſeruilis conditionis ſurreptio,aut occultatio, & detentio iniuſta. Tit.in iure ciuili, ad leg. Flauiam De Plagiariis.Paulus 1.Timoth.verſ.10.Qui autem aliena ſcrinia & chartas expilant & ſurripiunt, quanta pœna digni ſint,vide Hieronym.Tom.2. epiſt.de optimo Genere interpretandi.

Virtutes quoque hę,huic octauo pręcepto ſubſeruiunt, quæ etiam in indice demonſtrantur,è quibus prima eſt.

Liberalitas. Philoſophis Ε'λευθερότης, potiùs ab ingenio illius qui habet, quàm à materia & fine dicta.Eſt autem ea animi virtus, per quam pecunias noſtras damus quibus oportet, & quomodo oportet,non ſpe recipiendi totidem, aut alterius mercedis:ſed ſolius præcepti & gloriæ Dei reſpectu,& affectu proximi ſubleuandi.Sed in accipiẽdis quoque cùm oportet pecuniis,& non accipiẽdis verſatur.In mediocribus pecuniis dandis dicitur Liberalitas. In magnis autem opibus effundendis & communicandis, quales habuit Salomo rex,dicitur Magnificentia, à Græcis Μεγαλοπρέπεια.

Liberalitati igitur opponuntur duo vitia, Prodigalitas,& Auaritia.

Magnificentiæ autem,Sordities miſera, & Oſtentatio,profuſióque furioſa.De his Ariſtot. lib. 4.ethic.& Thom.in $2.2^{æ}$ quæſt.117.& 134.

Prodigalitas, ἀσωτία, eſt nimia & inconſiderata pecuniæ profuſio, quæ funeſtum bonorum ſuorum exitum tandem facit & furioſum.

Auaritia ἀνελευθερία Ariſtoteli, πλεονεξία aliis, φιλαργυρία Paulo dicta.Eſt nimium noſtrum, ſiue ex diffidentia quadam de Dei promiſſionibus, ſiue ex ipſo pecuniæ amore in pecunia acquirenda, ſiue conſeruanda, & non danda ſtudium. Auaritia enim ab auro & auere dicta eſt, Hebræis בצע *Betſah*,quæ vox à concupiſcendo deducitur.

Huius variæ ſunt ſpecies, quas D. Hemingius ex Stobæo eſt perſecutus, & nos quædam in ipſa expoſitione præcepti diximus, quæ nihil neceſſe eſt hîc repetere.

Habet igitur Auaritia ferè has ſpecies αἰσχροκέρδειαν,Lucri cupiditatem inſatiabilem:φειδωλίαν,Tenacitatem,& nimiam Parſimoniam φιλαργυρίαν,Amorem pecuniæ collectæ:κιμβίαν, Sordes, qualis cucumeris ſectio, quæ in Prouerbium abiit. vide Thomam in $2.2^{æ}$ quæſt.118.

Α'ισχροκέρδεια,eſt ea, quam Auaritiam Anſelmus vocat & definit inſatiabilem amorem habendi in epiſt.ad Roman. Paulus ipſe πλεονεξίαν appellat, cap.1.ver.29.Semper auarus eget,certum voto pete finem,inquit ille.

Huic verò contrarius eſt Animus ſua ſorte contentus,quam Paulus αὐτάρκειαν vocat,1. Timoth.6. verſu 6.quæ,vt ait Paulus,magnus eſt quæſtus, ſi cum pietate ſit coniuncta. Eſt autem eius opum menſuræ quam Dominus dedit,grata & cum gratiarum actione coniuncta acceptatio,& in ea quaſi ſufficienti ſibi copia quies animi,quę,vt eas maiores accumulet,neque impium,neque iniuſtum, neque indecorum quicquam vult,aut molitur.

Tenacitas φειδωλία,eſt metus vel dolor vllius omnino pecuniæ in re honeſta,& neceſſaria effundendæ:vel quantum ſatis eſt, conferendæ, qualis illa eſt quam damnat Paulus 2.Corinth.9. verſ.6.

Huic contraria eſt Parſimonia honeſta, quæ

alio

A alio nomine videtur à Latinis dicta Frugalitas, à qua frugi homines etiam appellati, quam Tullius 3. Tuſc. σωφροσύνην dicendam cenſet: Græci verò χρηστότητα potius nominant. Inde frugi homines χρήσιμοι dicti. Eſt autem frugalitas moderata, & qualis oportet, pecuniæ rerúmque aliarum ad hanc vitam neceſſariarum conſeruatio & earundem, & quantum oportet, & quando oportet inſumptio. Itaque frugalitas & parſimonia honeſta quædam expendit: quædam etiam conſeruat & patremfamil. non ſolùm condum facit, ſed etiam promum. Cauendum tamen, ne quandoque tanquam frugi laudetur auarus, vt ait ille.

Φιλαργυρία, eſt inutilis coaceruatæ & congeſtę pecuniæ cuſtodia ex auido ipſius amore, qualis ille infelix Euclio apud Plautum in Aulular. & quales illi, quos deſcribit & perſtringit Horat. Satyr. lib. 1. Satyr. 1. Hanc damnat acerrimè Paulus, 1. Timot. 6. ver. 10. Hi monedulis ſunt ſimiles, quæ aurum congerunt & aſſeruant, quo nunquam ipſæ vtuntur.

Huic virtuti contraria eſt Communicatio κοινωνία. B Eſt autem ea animi noſtri voluntas, per quam aliis noſtras opes, eáſque opes, quæ nobis ipſis ſunt neceſſariæ, lubenter tamen & beneuolo animo quibus oportet, quantúmque ſatis eſt communicamus. Qui verò ſua communicant aliis more Calabri hoſpitis, quòd quæ donant pro derelicto habeant, atque dicunt, Veſcere ſodes, vt lubet, hæc hodie porcis comedenda relinques, certè præclaro communicationis nomine non ſunt ornandi. Ait enim ille,

Prodigus & ſtultus donat, quæ ſpernit & odit.

Κιμβεία, Sordes. Eſt moroſiſſima cuiuſque rei noſtræ, illiúſque partis retentio, & petitio, adeò vt ne corrigiam quidem calciamenti, nec aciculam amittere ſine expoſtulatione & querela poſſimus.

Huic verò contraria eſt ἀγαθωσύνη, Bonitas, à Paulo commemorata, Galat. 5. v. 22. Eſt autem animi lenitas, quæ de iure ſuo remittit, atque ei, à quo quis iniuria afficitur, vel re ſua priuatur, etiam benigna eſt, donat & condonat.

Magnificentia μεγαλοπρέπεια. Eſt quæ magnos & non vulgares, vel mediocres ſumptus, quando, & C in quibus rebus oportet, lubenter ad Dei gloriam facit, quemadmodum Dauid & Salomon, in exornando Hieroſolymitano Dei templo. Hæc verè regia eſt virtus, non priuatorum hominum. Vti frugalitas in priuatis laudatur potius, quàm in Regibus, quemadmodum pro rege Deiotaro præclarè docet M. Tullius. De hac multa ſunt eiuſdem Ciceronis præcepta, libr. 2. De officiis: & Ariſtot. libro 4. Ethic. cap. 2. Inter quæ illud quoque eſt ab Ariſtotele ſcriptum, eſſe magnifici domum pulchrè extructam habere. Quod tamen irridet ille, qui ſic ſcribit:

Quod pluris nulli eſt, quàm domus empta tibi,
Hæc animo magno credis, te, Quincte parare.
Falleris: hæc animus, Quincte, puſillus emit.

Verùm hæc Baſilij ſententia in Pſal. 28. naturam viri Magnanimi graphicè depingit, τὸν μεγαλοπρεπῆ οὐδεμία λυπήσει περίστασις, οὐδ᾽ ὅλως πάθος τι αὐτὸν ἐκταράξει. πῶς ὅτι γὰρ ὁ μεγαλοπρεπὴς ὑπερορᾷ πάντα τὰ σωματικά, οὐδενὸς ἐστὶ ἄξια κρίνων λόγου.

Huic contrarius eſt partim Stultus ἠλίθιος & oſtentator: partim Μικροπρεπὴς, immanè ſordidus.

Oſtentator & ἠλίθιος eſt, qui opes magnas præter dignitatem, & quibus in rebus minimè opus A eſt, expendit, vt in pila palmaria exornanda. Sic qui rex Citharœdo dat magnas opes, eſt ſtultus: item qui in perſonas viles, quales ſunt hiſtriones, & iocularij, multóque magis qui in Lenones magnam pecuniæ ſummam congerunt, ij ſunt ſtulti, vt appellat Horatius. Talis fuit M. Antonij filius, de quo Plutarc. in Antonio. Sed & qui ſuas opes ſuperbè ad ſui ipſius, non ad Dei gloriam oſtentat, eſt vanus, & ἠλίθιος, qualis Ezechias, in eo quod Iſ. 39. commemoratum eſt.

Sordities immanis μικροπρέπεια. Eſt in Rege & opulentiſſimo quouis homine illiberalis parſimonia, vel pecuniæ congeſtæ cuſtodia, cùm eam neceſſitas expendere iubet: qualis in Perſeo vltimo Macedonum rege fuit, de quo Plutarch. in Paulo Æmylio.

Superioribus autem virtutibus ſubſeruiunt, aut etiam eas ſuperant, Benignitas, Miſericordia, cuius ſpecies eſt Hoſpitalitas, Eleemoſyna, Lætitia de alieno bono, Gratitudo, Labor, atque honeſta occupatio.

Benignitas χρηστότης, vel beneficentia, Galat. 5. v. B 22. Eſt animi affectio quæ propter Dei præceptũ gratis ſua tribuit cuilibet egeno, & quicquid poteſt egenti, etiam non petenti, lubenter largitur, Anſelmus. Thom. in 2. 2æ q. 31. Tul. libr. 1. De officiis. Beneficentiam Scholaſtici etſi actum eſſe charitatis ſentiunt: ſpecialiter tamen referre & reſtringere videntur tum ad eos qui nobis ſunt chari, tanquam amici & cognati: tum etiam qui ſunt egentes, & inopes. Lactant. lib. 6. ca. 11. Beneficẽtia nulla eſt, vbi neceſſitas non eſt. Nam poſtea eleemoſynam volunt latiùs diffundere noſtram charitatem, nimirum erga omnes homines in vniuerſum. Differt verò benignitas à liberalitate, ea ratione, quòd liberalis etiam in non egentem & inopem confert. Benignus tantùm in egenum, ſed amicum, vt aiunt illi. Differt item à miſericordia, quòd benignitas nunquam eſt, niſi rei alicuius reali communicatione, imprimis autem pecuniæ collatione egeno ſubueniamus. Miſericordia verò eſt ſæpe in nudo affectu & commiſeratione, quia nihil conferre poſſimus, vt cùm opibus deſtituimur, quibus egeno ſuccurramus, quemadmodum Ioannes & Petrus, vt eſt Act. 3. verſ. 6. C

Huic videtur contraria nimia ſollicitudo de futuro, vel craſtino: item ficta charitas, quæ tantùm eſt in lingua, nihil autem reipſa præſtat. Hanc autem damnat Ioan. 1. epiſt. cap. 3. v. 18.

Miſericordia, ἀνθρωπία, eſt alienæ miſeriæ in corde noſtro, ex ſerio charitatis ſenſu, compaſſio, cui vtique, ſi poſſumus, ſubuenire cupimus. Sic Auguſt. lib. 9. De ciuitate Dei, cap. 5. Hæc à Stoicis in vitio ponitur, vt docet Tullius 3. Tuſcul. quanquam iidem vtilem eſſe aiunt ad opem ferendam, & calamitates indigorum ſubleuandas, Cicero, 5. Tuſcul. Scholaſtici ex Ariſtotele eam neque Theologicam, neque intellectiuam, neque Moralem virtutem eſſe cenſent, ſed tantùm laudabilem quendam animi impetum & πάθος. Paulus tamen Domini noſtri Ieſu Chriſti Apoſtolus, Coloſſ. 3. verſ. 12. Epheſ. 4. verſu 32. non tantùm vnam quandam de virtutum numero eſſe docet: ſed etiam ſummam virtutem, & infinitarum aliarum fontem & matrem. Cuius ſententia longè veriſſima eſt. Miſericordia igitur, A ait Bernard.epiſt. 12. non indicat, ſed afficit: non nititur diſcuſſione, ſed erga omnes in vniuerſum homines, quos quacunque ratione miſeros & afflictos videt, affectu ducitur & mouetur, vt illis ſuccurrat, ſiue dignos, ſiue indignos. Quo ſenſu illud Anſelm.in Matth.5.accipiendum eſt, Oportet miſericordiam addere iuſtitiæ, vt non ſolùm faciamus proximo, quod iuſtum eſt: ſed etiam plus, quàm iuſtum eſt. Hoc enim opus eſt miſericordiæ, vt quis à miſeria liberetur. Culpa tamen in delinquente non tam miſericordia, quàm indignatione digna eſt. Itaque miſericordia propriè non eſt in malo culpæ probãdo: ſed in eo ex compaſſione lapſus condonando & deplorando. Nemo enim, inquit Tull.4.Tuſcu.parricidę aut proditoris ſupplicio miſericordia commouetur. Itaque ex præcepto Chriſti, dat miſericors, & ſuccurrit ſi poteſt, omni petenti, atque afflicto, Luc. 6.v.30.& 36.ſiue noto, ſiue ignoto nobis. Id quod latiùs patet, quàm illa Philoſophorum liberalitas, quæ virtus dicitur. Itaque præclarè Hieronymus in Hilarione miſericordia, ait, artem non habet. B De hac vide Paul. Gal.6. Thom. in 2.2^{æ} quæſt.30.

Eleemoſyna ἐλεημοσύνη. Eſt miſericordiæ actus exterior, id eſt, qui ſe alicuius opis vel corporalis vel ſpiritualis præſtatione erga afflictum profert & patefacit. Eſt enim eleemoſyna, vel Corporalis, vel Spiritualis, quia vtrique noſtri parti conferri poteſt. De hac infiniti ſunt veterum libri, imprimis autem præclara eſt & luculenta Auguſtini diſputatio in Enchirid. cap. 70.& ſeq.vbi nos diximus. Lactant.lib.6.ca.11.12. 17. Thomas in 2. 2^{æ} q. 32. M. item Tulii Ciceronis li. 2. De officiis. Immanis autem eſt illa Manichæorum hæreticorum ſententia, qui panem mendicãti, etiam fratri Chriſtiano & ſupplici, dandum eſſe negant, vt ſcribit Auguſt. Contra Adimant.cap.17.

Vtrique virtuti opponitur, ac Miſericordiæ quidem Nemeſis inhumana: Eleemoſynæ autem durities & barbaries cordis humani. Itémque pauperis expilatio.

Nemeſis, νέμεσις inhumana ſiue ἀστοργία, quam intellexiſſe videtur Paulus, 2. Timoth. 3. verſ. 3. Eſt autem quæ de alieno commodo & fœlicitate C cruciatur: aliena autem calamitate & damno delectatur.

Pauperis expilatio, de qua ſæpe Prophetæ, eſt, quum egenti etiam ſua vel vi vel fraude adimuntur.

Hoſpitalitas, eſt non tantùm eius peregrini, cum quo amicitia nobis contracta eſt, vel vinculum neceſſitudinis intercedit: ſed etiam cuiuſlibet ignoti humana & comis in noſtrum tectum exceptio, conuictus & dimiſſio, qualis in Abrahamo fuit, & laudatur vbique in Scriptura, maximè autem Hebræ.13. Inhoſpitalitas illi contraria eſt.

Lętitia de alieno bono. Eſt virtus homine Chriſtiano maximè digna, quæ Æmulationi, ſiue Inuidiæ contraria eſt. Eſt autem ſyncerum animi noſtri gaudium cum gratiarum actione, quæ Deo fit à nobis, propter alterius vel nouum commodum & fœlicitatem, vel, recepti iam boni incrementum & acceſſionem.

Æmulatio ζῆλος duplex eſt, inquit Tull. 4. Tuſcul. Nam & in laude & in vitio nomen hoc ponitur. Æmulatio, quæ eſt virtutis alienæ imitatio laudanda eſt, de qua Paul.1.Corin.12.v.31.quia neque ſuperiori, neque vlli virtuti aduerſatur, neque de A illa nunc agimus: ſed de ea tantùm, quę vitioſa eſt, quam Cicero Inuidentiam melius dici putat, vulgò tamen inuidia vocatur.

Inuidia, φθόνος, Cypriano in lib. De liuore & inuidia, Liuor dicitur: eſt ęgritudo animi, ſi eo, quod concupiueris, alius potiatur, ipſe careas. Cicero. Alii ſic, Eſt animi triſtitia de alieno bono, quod illi vel lucrum, vel gloriam affert. Plutarchus in li.de Curioſitate diſtinguit φθόνον, id eſt inuidiam, & ἐπιχαιρεκακίαν gaudium de alienis malis. Inuidia ait ἐστὶ λύπη ἐπ' ἀλλοτρίοις ἀγαθοῖς, id eſt, inuidia eſt dolor propter aliena bona. Vnde illud rectè ab Horatio dictum eſt,

Inuidus alterius macreſcit rebus opimis.

Anſelmus in Roman.1.& Galat.5. duas illius partes conſtituit. Nimirum ſiue quis, quod ipſe eſt, alium eſſe nolit: ſiue ipſe eſſe velit quod alius eſt, id eſt, alium videns ſe præſtantiorem, id ægrè fert. Quod vtrumque in Pompeio & Cæſare rectè & breuiter eſt complexus Lucanus:

—nec iam ferre poteſt, Cæſárve priorem
Pompeiúſve parem.-

Inuidia enim dicta eſt à nimis intuendo fortunam alienam, vt ait M. Tullius. B De qua Thomas in 2.2^{æ} quæſt.36. Bernard. Sermo.13.in Pſ. Qui habitat. Baſiliſcus, vt aiunt, venenum in oculo gerit, peſſimum animal, & præ cæteris exitiale. Noſſe cupis oculum venenatum, oculum nequam, oculum faſcinãtem? Inuidiam cogitato. quid verò inuidere, niſi malum videre eſt?

Inuidiæ comes eſt, nimis accurata & curioſa Inſpectio alieni, Malitia, & Malignitas.

Inſpectio alieni curioſa præcedit inuidiam & ſequitur quoque. Eſt autem cùm non iuuandi animo, alienas res diligẽtius perſcrutamur. Id quod damnat Petrus, 1.Epiſt.4.ver.14.appellátque ἀλλοτριοεπισκοπεῖν.

Malitia, κακία. Quanquam κακίαν M. Tullius Vitioſitatem potiùs, quam malitiam verti debere cenſet, quòd malitia certi cuiuſdam vitii nomen eſt: vitioſitas omnium. Tuſcul. 4. & libro 3. De finib. Ergo malitia eſt mens & cogitatio noſtra, machinans alterum quocũque modo lædere. Huic contraria eſt ἀβλάβεια, innocentia.

C Innocentia eſt talis affectio animi, quæ nemini noceat, ac ne nocere quidem velit.

Malignitas κακοήθεια vel etiam πονηρία, Cicero alicubi, nequitiam vocat. Alii improbitatem vertunt. Eſt ipſius malitiæ & cogitationis noſtræ in proximum noxiæ effectum, quod vel opere, vel voto fit, & demonſtratur. Neque enim intra ſolius cogitationis fines ſe continet is, qui malignus eſt, vel nequam, vel improbus, Anſelm. in Rom. cap. 1. Alii putant πονηρίαν, quoniam à voce πόνος deriuatur, eſſe laborioſam alicuius conſilii praui executionem ad ea comparanda, quæ optas, vel deſunt.

Gratitudo εὐχαριστία. Eſt beneficii ab alio accepti agnitio, quæ & Deum illius boni authorem, & hominem tanquam inſtrumentum reuerenter habet.

Ingratitudo ἀχαριστία contrarium illi vitium eſt. Eſt autem beneficii ab alio accepti vel obliuio, vel non digna pro ratione beneficii & laude merentis gratiarum actio ex contemptu facta. Paulus 2. Timot.3.v.4. Hæc eſt hoſtis gratiæ, vt ait Bernard. in Sermo. de ſeptem miſer. Seneca libro 3. de Benefic. cap. 2. Ingratus eſt, qui diſſimulat: Ingratior

eſt,

A eſt, qui non reddit: Ingratiſsimus omnium, qui oblitus eſt. Bernard. Sermo, De vitio ingratitud. Non eſt reprehenſibile, quòd inſtanter petimus: ſed planè petitioni negat effectum, quòd inuenimur ingrati. Et fortè hoc etiam clementia eſſe videtur, ingratis negare, quod poſtulant. Ergo miſericordiæ res eſt, in hac parte ſubtrahere miſericordiam. Thomas in 2.2^{x} quæſt. 107.

Labor πόνος vel χολὴ, ſiue diligentia eſt ſeria corporis, animíve noſtri ad honeſtum & conceſſum aliquod opus, aut ſtudium applicatio, atque in eo ſtrenua occupatio, vt & Deo ſeruiamus, & proximo vtiles ſimus: ex quo etiam nobis victum quærere, ſi ita neceſſe eſt, poſſumus.

Pigritia ὀκνότης ſiue ἀταξία, quam vocat Paulus, 2. Theſſal. 3. Eſt ſuperiori animi virtuti contraria. Eſt autem operis ſtudiique, ad quod vocati, vel apti ſumus, vel in totum prætermiſsio, vel illius negligens & perfunctoria ſiue remiſſa functio, & aggreſsio. Huius ſunt variæ ſpecies, omnes damnandæ, & homini Chriſtiano fugiendæ. Nam, vel Nullum omnino ſtudium & opus ſuſcipimus & B nouimus, hæc eſt Inertia: vel Notum & iam ſuſceptum & probatum, non repetimus, eſt Deſidia: vel Suſceptum lentè & frigidè perſequimur, eſt Segnities & Ignauia. Denique inane otium & curioſum verbo Dei damnatur, 2. Theſſal. 3. Quod ſi quis etiam Tarditatis quæ Pigritiæ eſt affinis, definitionem quærat, is eſt Tardus, qui occaſionem ſua cunctatione effluere ſinit. Atque hæ tot tum virtutes, tum vitia ad octauum Legis diuinæ præceptum pertinent. Accedamus ad nonum.

CAP. VI.

Definitiones virtutum, & vitiorum, quæ ad nonum præceptum referuntur.

PRudens igitur ſermo ſiue conditus, quē Paulus vocat, Coloſ. 4. v. 6. primum in virtutum, quæ ad nonum numero præceptum referuntur, locum habet. Eſt autem prudens in quo lingna mentem non præcurrit, ſed contrà mēs linguam. Eſt conditus ſermo, qui cum ædificatione C aliquid admiſtæ honeſtæ vrbanitatis habet & ſapit. Denique moderatio linguæ dici debet tota hæc virtus, de qua Iacob. 3. & 1. Petr. 3. verſ. 10. & in libro Prouerbiorum variis locis.

Huic opponitur Intemperies linguæ, atque abuſus, qui multis modis à nobis cōmitti poteſt: ſed maximè in verbo Otioſo & Inani, Stulto, Putri, & Contumelioſo. Plura genera addit Bernard. Sermo. De triplici cuſtodia. Lingua enim ne ad verba quidam otioſa & inania nobis eſſe abutendum docet Chriſtus, Matth. 12. verſ. 36.

Stultus à Paulo nominatur μωρολογία, Epheſ. 5. v. 4. Stultiloquium. Eſt autem non tantùm inanis ſiue inutilis: ſed peruerſi, & quo quis meritò offenditur, ſermonis à ſciente facta prolatio.

Putris ſermo σαπρὸς eſt, qui cordis ipſius noſtri fœtorem, & in blaſphemis vel obſcœnis cogitationis nequitiam, ore ipſo & verbis prodit.

Contumelia, à qua contumelioſi à Paulo ὑβρισταὶ, dicti Roma. 1. ver. 30. à Iacobo cap. 2. ver. 6. ἀτιμῶντες, βλάσφημοι ab eodem Paulo 2. Tim. 3. 2. Eſt vt ait Anſelm. dictum vel factum ad alicuius dignitatē, & honeſtam famam prægrauandam & imminuendam ſcienter admiſſum. A Alij ſic, Eſt mali culpæ exprobratio. Alij, vel verbo vel facto, vel ſcripto, à nobis animo iniuriandi facta. Docent autem Scholaſtici lingua à nobis in alterius famam, & bonum nomen peccari variis modis, ſiue ille cuius nomen honeſtum lædimus, ſit Abſens, vel Præſens.

Ac quidem in Abſentem vel Detractione, vel Suſurratione peccatur. In præſentem autem Contumelia, Conuitio, Improperio ſiue Calumnia, Irriſione, & Imprecatione. Quæ omnia nos ſuis locis explicabimus. Vide de Contumelia Thomam in 2.2. quæſt. 72.

Huius autem intemperiei linguæ ſunt ſpecies eę, quas Paulus 1. Timoth. 5. v. 13. enumerat, Curioſitas ſiue Percontatio, Nugacitas, Garrulitas, & Scurrilitas quoque iis addi poteſt.

Curioſitas περιεργία. Eſt vel nimia & ſollicita rerum alienarum percontatio, & in iis ſcrutādis narrandíſve occupatio, quæ non alterius iuuandi gratiâ fit. Bernar. Serm. de ſeptem Donis. Parit curioſitas experientiam mali, vt facilè qui per multa vagatur, B offendat, facilè cadat in laqueum, facilè inueniat quod pernicioſè delectet. Cōfligit ſanè aduerſus hanc ſcientiam ſpiritus docens eligere bonum, &c. Differre videtur à πολυπραγμοσύνη, vt apparet ex Plutarch. in libr. De curioſitate, quòd πολυπραγμοσύνη ſit alienorum tantùm peccatorū diligens & nihil ad nos attinens perquiſitio, vt illius famæ labes aliqua à nobis aſpergi, ſi libeat, poſsit. Curioſitatis autē eſſe quadraginta quatuor genera ſcripſit Anſelm. in lib. De ſimilitudinib. De qua Thom. in 2.2^{x} qu. 167. At Auguſt. libr. De vtilitate credendi. cap. 9. opponit ſtudioſum curioſo. Nam vterque magna diſcendi & cognoſcendi cupiditate tenetur: ſed curioſus ea diſcit, & conſectatur, quæ nihil ad ſe attinent: ſtudioſus autem ea, quæ ad ſe ſpectāt, quatenus iis animum nutrit & ornat, non autem opes auget terrenas. Atque Auguſtini ſententiam ſecuti Sententiarij ſtudioſitatem curioſitati oppoſuerūt, quam latiſsimè diffundi, vti curioſitatem ipſam ſentiunt. De qua Thomas in 2.2^{x} quæſt. 166.

Nugacitas, φλυαρία. Eſt futilis de vanis rebus ſermo, ſiue quòd ad nos minimè eæ res ſpectent: C ſiue quòd falſa ſit talis de ijs narratio.

Garrulitas ἀδολεσχία, vt explicat Plutarch. in libr. de eo vitio ſcripto, eſt ſtultiloquium & immodica vbique, & ex qualibet, vel etiam ex nulla occaſione arrepta loquacitas. Hic & in theatro & in templo loquax eſt, omniáque & quæ ſcit, & quæ neſcit, effutit, qualis ille, qui deſcribitur ab Horatio, Satyr. lib. 1. Satyr. 8.

Ibam fortè via ſacra, &c.—

Vnde verum illud eſt,

Percontatorem fugito, nam garrulus idem eſt.

Scurrilitas hoc loco eſt ſcommatum ad riſum aliis mouendum affectatio, & ſtudium, quod nihil ædificationis habet. Vnde illud. Horat.

Rupit Hiarbitam Timagenis æmula lingua,
Dum ſtudet vrbanus, tenditque diſertus haberi.

Veritas ſiue Veracitas (ſi ſic loqui fas eſt) ſequitur, ἀλήθεια à Græcis dicta, vel potius ἀλήθευσις. Hæc primum eſt diſtinguenda tum à veritate, quæ eſt Vitæ, hæc eſt cōformitas omniū actionū noſtrarū

A cum Chriſti præceptis. Eſt.n. veritas generaliſsima, & omnes virtutes complectitur. Item & Doctrinæ eſt veritas, quæ eſt conſenſus noſter cum Dei verbo in iis, quæ credere iubemur. Pertinet enim hæc Veritas ad Primam Legis diuinæ tabulam, non autem ad ſecundam. Eſt igitur Veritas, de qua nunc agimus, conſtans animi voluntas & ſtudium, per quod quales ſimus, tum in dictis, tum in factis omnibus, & nos ipſos, & quæ in nobis, & quæ circa nos ſunt, ingenuè & candidè ad Dei gloriam, conſcientiæque ſynceritatem conſeruandam, & vita & oratione patefacimus, ac manifeſtamus. Hanc virtutem qui habet, dicitur ab Ariſtotel. lib. 4. Ethicor. cap. 7. Ἀληθευτικὸς, non tantùm Ἀληθὴς, cuius in eodem capite præclara eſt hæc ſententia, ὁ γὰρ φιλαληθὴς ἐν οἷς μὴ διαφέρει ἀληθεύων, ἀληθεύσει ἐν οἷς διαφέρει ἔτι μᾶλλον. id eſt, Qui veritatis eſt ſtudioſus, & vbi nihil refert, verax: verax erit, vbi refert multò magis. De qua D. Paulus Epheſ. 4. v. 25. Thomas autem in 2.2^{æ} quæſt. 109.

Huic autem virtuti varia vitia opponuntur, vel in Vniuerſum, vel Parculariter.

Ac in vniuerſum opponitur Falſitas ſiue Falſum, Hypocriſis, Simulatio, Diſsimulatio, Mendacium: quod ſi eſt in Iudiciis, dicitur vel Falſum teſtimonium, vel Falſa defenſio, vel Falſa ſententia: ſi eſt Extra iudicia, Mendacium. B

Falſitas ψεῦδος vnde ψευδόμενοι ab Ariſtotele dicti. Eſt autem in verbis & ſermone affirmatio, negatio vel narratio de re aliter quàm res eſt, à nobis, ſiue ſcientibus, ſiue ignorantibus, & rem ita ſe habere exiſtimantibus facta. Vnde diſtinguitur ſæpe, qui falſum dicit, ab eo, qui mentitur.

Hypocriſis eſt in factis fictio, & alia rei demõſtratio, quàm ſit in ſeſe. Propriè tamen dicitur de nobis ipſis maiorem ſanctitatem, vel religionem, quàm habeamus, externo geſtu & actionibus fingentibus & ſimulantibus.

Simulatio illi ſimillima eſt, aut potius eadem. Diſsimulatio eſt rei, quam habes, quaſi eam non habeas, occultatio & imminutio.

Mendacium eſt enuntiatio, id eſt affirmatio, vel negatio de re aliqua facta aliter quã ipſe enuntians C animo rem ſe habere ſentit. Itaque mendacium ſemper cum mala mentientis conſcientia coniunctum eſt. Ita Anſelmus, & rectè quidem. Eſt autem, vt in expoſitione præcepti diximus, multiplex Mendacium, nempe Officioſum, Iocoſum, & Pernicioſum.

Particulariter autem veritati opponuntur, ſi quidem agimus De nobis, Ironia & Iactantia: De aliis, Adulatio, ſiue aſſentatio, & Detractio.

Ironia εἰρώνεια, diſsimulatio eſt eorum Dei donorum quæ habes, non ad Dei gloriam illuſtrandam, ſed ad noſtram conditionem minuendam, abnegatio, & obſcuratio.

Iactãtia, ἀλαζονεία, eſt eorum Dei donorum, quæ non habemus, ſimulatio, & nobis à nobis ipſis facta attributio propriæ gloriæ cauſa: vel etiam eorum, quæ habemus, bonorum inſolens, & maior, quàm illa ſint in nobis, ob eundem finem prædicatio & venditatio. Hos Paulus 2. Timoth. 3. ver. 4. vocat τετυφωμένους, id eſt, inflatos.

Adulatio, ſiue Aſſentatio, κολακεία, eſt immodica & nimia alterius vel præſentis, vel abſentis laudatio ac prædicatio à nobis facta, vt illi placeamus & A applaudamus: Aſſetator igitur eſt blãdus inimicus.

Detractio, ſiue obtrectatio, καταλαλία, eſt is animus, qui aliorũ bona opera vel peruerſa interpretatione iis vitio vertit, & in mala commutat: vel debitam illis gloriam maligna æſtimatione imminuit. De hoc vitio, & quantum ſit, vide Bernard. ſermo. De triplici cuſtodia manus, linguæ, cordis.

Libertas, παῤῥησία, ſubſeruit veritati. Eſt autem animi noſtri, atque conſcientiæ integritas, quæ neque nobiſipſis, neque alijs quicquam eorum, quæ ſignificanda ſunt, ſimulare aut diſſimulare propter Dei præceptum vult, neque etiam poteſt.

Admonitio fraterna, νουθέτησις, libertati adiuncta eſt. Eſt autem alienæ culpæ reprehenſio facta, verbis nõ verberibus, ex pio & Chriſtiano animi noſtri erga proximum affectu facta coràm & præſenti. Atque vt varij culpæ gradus eſſe poſſunt, ſic varia ſunt Admonitionis genera. Nam vel Torpentem tantùm & tardum excitamus, Exhortatio eſt παράκλησις: vel declinare & aberrare iam incipientem in viam & ad officium reuocamus, Admonitio vel Correctio, ἐπανόρθωσις: vel immerſũ & indormientem peccatis excitamus, Increpatio eſt B ἔλεγχος, vel ἐπίπληξις. De quibus omnibus hominis Chriſtiani etiam priuati nedum Paſtoris aut Magiſtratus officiis erga proximum, vt Dei gloria & regnum in ſingulis promoueatur, & proximi ad ſalutem perueniant, vide præcepta Iacob. 5. ver. 19. 20. & Paul. 1. Theſ. 5. v. 14. 2. Tim. 3. v. 16. 17.

Huic virtuti adiuncta eſt alia virtus, quæ dicitur Conſolatio, παραμυθία. Eſt autem duplex: Nam vel nimio afflictionis mœrore deiectum propoſitis Dei promiſsionibus erigimus, quæ propriè dicitur Conſolatio: vel infirmum & imbecillum adhuc in cognitione ac præſtatione officij ſui ſuſtentamus, & benignis verbis corroboramus. Huius vtriuſq; meminit Paulus 1. Theſſal. 5. ver. 14.

Superioribus autem omnibus virtutibus ſunt quædam vitia contraria, quæ ſunt etiã explicanda, nimirum hæc, Proximi Irriſio, Calumnia ſiue Improperium, Conuitium, Querimonia, & Imprecatio. De quibus Thomas in 2.2^{æ} quæſt. 72.

Irriſio, χλευασμὸς, eſt de malo culpæ, vel pœna, C id eſt, alienæ vel culpæ vel afflictionis recitatio cum riſu & cachinno ad fratris contemptum à nobis facta.

Calumnia, διαβολή, eſt culpæ & peccati alicuius attributio falsò à nobis facta proximo, qua tamen caret, vt ipſe aliis puteat, illiúſque exiſtimatio apud bonos viros imminuatur.

Improperium, ſiue opprobrium, ἀτιμία eſt mali pœnæ, vel inhærentis maleuola recitatio vel non inhærentis mendax attributio à nobis facta proximo, vt eum irridendum aliis propinemus: veluti ſi quis cæco cæcitatem animo iniuriandi obiiciat: vel non claudum, claudum tamen illudendi & irridendi animo appellet.

Conuitium, λοιδορία, eſt mali culpæ, id eſt, culpæ & peccati, iniuriandi animo, exprobratio, ſiue ab vno, ſiue à pluribus ei, qui commiſit, facta, cum vociferatione, vel præſentibus aliis aliquibus.

Querimonia, ἀγανάκτησις, eſt noſtra de nulla, vel ea fratris in nos offenſa, quam condonare debuimus, expoſtulatio, & ingemiſcentia.

Imprecatio, κατάρα, eſt oratio, per quam malum pœnæ, id eſt, afflictionem aliquam optamus proximo, A ximò,nõ in ipſius emẽdationem,nec propter Dei gloriam, ſed vt ſatisfaciamus animi noſtri impotentiæ. De his omnibus vide Thomam in 2.2^{æ} quæſt.72.ad quæſt.78.

Denique duæ quædam virtutes etiam ſuperioribus addi debent, nimirum Animus de alio minimè ſuſpicioſus, & Sobrietas in iudicando & damnando proximo.

Animus non ſuſpicioſus eſt is,qui quod malum nondum in proximo percepit, in eo minimè ineſſe putat: vel ſi quid in ſpeciem mali in eo vidit, in meliorem tamen partem illud interpretatur. Charitas enim, vt ait Paulus, malum non cogitat, neque ſuſpicioſa eſt. 1. Corinth.13. verſ.5.

Suſpicio, ὑπόνοια, illi contraria eſt. Eſt autem animi noſtri facilitas in præſumendo proximi in nos affectu malo: ſiue eius facti, (quod in vtranque partem accipi poteſt) in deteriorem tãntùm interpretatio. Hi igitur ſunt ſuſpicaces, & maligni.

Sobrietas in iudicando commendatur Matth.7. B & Iacob.cap.3.verſu 1. Eſt autem virtus ea, per quam animi noſtri iudicium ſuſpendimus, ne quid de proximo, niſi nobis optimè antea compertum, vel apud nos taciti quaſi certum ſtatuamus, vel apud alios pronuntiemus & affirmemus. Huic contraria eſt tum Temeritas iudicandi,tum Suſurratio.

Temeritas προπέτεια vel πρόκριμα. Eſt nullo iuſto fundamento fulta animi noſtri de alio ſententia & pronuntiatio, qua quid illi vel addimus, vel detrahimus. Vtroque enim modo fieri poteſt.

Suſurratio ψιθυρισμὸς,de quo Paulus Roman. 1. verſu 3. Eſt autem de altero abſente in alterius aurem occulta & clandeſtina detractio, vt malum illi nomen conciliemus, ſiue apud eos, quibus iam honeſtè innotuit, ſiue apud alios quoslibet. Quæ ſanè ratio à Chriſtiana charitate alieniſsima eſt.

CAP. VII.

Peroratio operis.

PRVDENTIA quid ſit ſæpius dictum eſt in toto hoc opere,itémque quid charitas, vt iterũ definire nihil ſit neceſſe. Si quis tamen plura de vtraque requirat,videat de Charitate Thomam in 2.2^{æ} quæſt. 25.26. & ſequent. De Prudentia verò quæſt. 47. Vnum modò hîc addam. Diſcretionem Prudentiæ ſubſeruire, quæ quanta ſit virtus ex his Bernardi verbis Serm.49. Cantic. apparet, Diſcretio omni virtuti ordinem ponit. Ordo modum tribuit & decorem, etiam & perpetuitatem. Eſt ergo diſcretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix & auriga affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit, ipſáque affectio naturalis in perturbationem conuertetur,exterminiúmque naturæ. Hæc Bernardus veriſsimé. Plura his addi potuerunt. Sed B nos breuitati, quantum licuit, ſtuduimus, & poterit quilibet per ſeſe vel ex Patribus, vel ex Philoſophorum, vel etiam Poetarum ſcriptis excerpere, quæ ad harum virtutum, vel vitiorum naturam, originem & effecta explicanda, & obſeruanda pertinent. Itaque huic operi finem imponimus, Deum per vnigenitum Filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum precati, vt in his, non tanquam in contemplatiua & Theorica quadam Philoſophia, ſola virtutum cognitione contenti verſemur: ſed cùm huius ſcientiæ finem eſſe actionem antea demonſtrauerimus,ea, quæ hæ virtutes omnes præſcribunt, toto animi conatu efficere,& toto vitę curriculo pręſtare obnixè conemur,ac ſtudeamus. Itaque quæ à tergo ſunt obliti,ad ea,quæ in fronte reſtant,contendamus,& ſcopum verſus,vt monet Paulus, feramur, ad palmam ſupernæ illius vocationis, quæ nobis gratuitò in Chriſto Ieſu eſt promiſſa. Cui ſit cum Patre & Spiritu ſancto laus & gloria in æternum Amen.

FINIS.

L. D.

TRACTATVS DE AMICITIA CHRISTIANA.

VIRO CLARISSIMO P. HATTAEO Damberonio Regis Galliarum ſecretario.

S. P. D.

HVNC libellum quem ex varia ſupellectilis mea literaria diſsipatione tanquam poſtliminio recepi, quia tibi antea donatum dicatúmque eſſe volui, ſic nunc accipies tanquam ab amiciſsimo tibi homine profectum. Vale, Calen. Ian. anno temporis vlt. cIↃ. IↃ. Lxxix. B

T. D. Addictiſsimus
Lamb. Danæus.

IONATHAN, SIVE DE AMICITIA VERA ET CHRISTIANA, QVÆ EST CHARITATIS MAXIMVS EFFECTVS.

AD CLARISS. V. PETRVM HATTÆVM DAMBERONIVM REGIS GALLIARVM SECRETARIVM.

CAP. I.

De fundamento veræ Chriſtianæq; amicitiæ.

VERAE & Chriſtianæ amicitiæ fundamentum, eſt admiratio virtutis, & alicuius Dei doni in alio : cuius laus & vſus vel Deum ipſum, vel homines ſpectat. Sic Ionathan amicitiam cum Dauide iniit, quem fortitudinis & heroici pectoris ergô mirabatur, quòd Goliath fregiſſet. C 1. Sam. 18. v. 1. & 27. & 30. Ergo amamus, qui vel aliquo veræ pietatis dono, vel virtutis alicuius moralis, qualis eſt Iuſtitia, Fortitudo, Liberalitas, laude præ cæteris excellũt & inſignes ſunt. Et hęc quidem proxima cauſa eſt, quam ferè ſpectare ſolemus. Superior autem eſt illa, quæ fit tacito ſpiritus inſtinctu à Deo, mutua nimirum animorum conciliatio & inclinatio propenſióque volũtatis. Eſt enim à Deo omnis vera ſanctáque amicitia, & in eo fundatur, & ſtabilis permanet.

CAP. II.

Inter quos contrahi vera amicitia poſsit.

QVanquam autem multa conſuetudinis genera amicitiæ nomine donantur, tamẽ vnũ quoddam genus ex iis omnibus vera amicitia dici debet. hoc autem inter ſolos fideles & Chriſtianos, qui Dei ſpiritu & metu ducuntur, contrahi & eſſe poteſt.

Nã quando infideles inter ſe de re aliqua cõſentiunt, id aut mercedis & lucri, aut voluptatis, aut denique honoris ſui gratia faciunt, qui omnes fines ſunt à vera amicitia alieniſsimi. Ergo inter ſolos Dei fideles illa eſſe poteſt. Fideli enim cum infideli homine nulla ſocietas & conſenſio animorũ eſſe poteſt, quæ amicitia nominetur: quando nos ab eo hominũ genere procul ſecedere iubet Paul. 2. Corint. 6. v. 14. Quanquã autẽ cõmunis quædam cũ infidelibus conuerſatio nobis cõceſſa eſt, quãtum nimirũ vitæ huius humanæ ſocietas & neceſſitas exigit ad mutua officia obeunda: familiaris tamen C illa & frequens, amicáque cũ illis cõſuetudo fugienda eſt, ex qua ſecretior quædã amicitia contrahitur. 1. Corint. 5. ver. 1. 2. Theſſ. 3. v. 14. Sic inter Dauidem & Ionathan inita eſt, quorũ vterq; pius & Dei timens fuit. Pares enim cum paribus, vt eſt in prouerbio, facillimè congregantur.

CAP. III.

Quid ſit vera Chriſtianáque amicitia.

ERgo quid ſit vera amicitia, explicari debet. In quo primùm diſtinguunt Beneuolentiã, quã *εὔνοιαν* vocant, ab Amicitia, quæ ab iiſdẽ *φιλία* nominatur. Eſt enim Beneuolẽtia, cùm abſentes, quíque ſeſe mutuò nunquam aſpexere, diligunt propter virtutis & doni Dei, quod alter in altero agnoſcit, admirationẽ. Sic cùm nondum Paulus Petrum vidiſſet, neque Iacobum, neque Ioannem, iam tamen diligebat Galat. 1. 18. erátque ea amoris ſpecies, Beneuolentia, quia inter abſentes contracta fuerat.

Amicitia autem conuictum & amicorũ vultum & conuerſationem requirit. Itaque inter eos ſolos eſt, A los eſt,qui aut mutuò conuerſantur,& viuunt: aut diu iam ſimul vixêre. Conuictus enim (vt eſt in prouerbio) amicitiam & animorum conſenſionẽ auget. Eſt autem Amicitia, ea charitatis & dilectionis ſpecies, qua maior eſſe non poſsit, & cui nihil vel addi vel adiungi queat. Itaque mutuam frequentationẽ poſtulat,& conuictum: quia ex eo ſolet maior effici noſtra beneuolentia & affectus. Sic nõ modò illi amicitiæ, quæ inter Dauidem & Ionathã fuit, occaſionem & initium dedit domeſtica illa & familiaris conuerſatio Dauidis in domo Saulis:ſed etiam magnum attulit incrementũ. 1.Sam.18.v.2.& 16.item cap.20.v.5. Addit enim tãquam fomenta,& ignem ſubiicit illi flammæ, quæ in vtriuſque animo ardet, ille inquã quotidianus, aut certè frequens conuictus.Pſ.41.v.10. Neque tamen ſi qua iuſta abſentiæ cauſa interuenit,perit amicitia: quemadmodum neque inter Dauidem & Ionatham abſentes ſublata eſt:quando tam ardens & inflammatus animorum affectus facilè extingui non poteſt. Itaque bene fundata prius inter pręſẽtes amicitia,etiam durat inter abſentes.1. Sam.23. B v.16.quãtóque abſunt longius,tantò ferè vehemẽtius creſcit,augetúrque vtriuſque deſideriũ. Quod ſi aut longior ſit diuturniórque illa vtriuſque abſentia & mora: aut nondum benè cœpta amicitia (quæ eſt rerum humanarum conditio & inconſtantia) certè ſolet aut paulatim labi, aut frigeſcere, neque tam vehementes ardores excitare,quàm antea. Nam (vt ait Ariſtoteles)& verè id quidem, πολλὰς φιλίας σιωπὴ διαλύει.

Quid eſt igitur vera illa, Chriſtianáque amicitia,de qua loquimur? Multi multa afferunt,quæ illius vim & naturam ſi nõ omninò & planè explicant, pingunt tamen. Alij igitur latiùs, quàm par ſit,alij verò anguſtius definiunt. Nam qui amicitiã dicunt eſſe animorum de quibuſus rebus conſenſionem,non ſatis ipſi attendunt quid dicant,& latius vim amicitiæ extendunt quàm oporteat. De multis enim rebus inter ſe homines vel duo, vel plures variè conſentiunt. Nam ſæpè ad bene agendum,ſępè etiam ad malè quid perpetrandum conueniunt,qui animorum conſenſus coitio,non autem amicitia dici debet. Qui autem ſic defi- C niunt Amicitiam,vt illa ſit, bonorum inter ſe cõſenſus in rebus tantùm priuatis gerendis & tuendis,penè ex amicitia mercaturam faciunt,& ſocietatis contractum. Itaque eius vim reſtringũt. Nos autẽ ita rectè definiri Amicitiam poſſe exiſtimamus: vt ſit illa, Pactum inter duos Deo teſte factũ, de ſeſe ſuíſque mutuò diligendis, fouendis, & omninò conſeruandis ac tuendis, quatenus illæſa Dei maieſtate & gloria id facere licet. Quę definitio ſigillatim expoſita,magis elucebit,& verior certiórque eſſe apparebit. Hieronymus autem ita epiſt.5.definit: Amicitia eſt dilectio & vinculum animorum,caſta & ſyncera,& ſine æmulatione.

Ac primùm appellatur Pactum,quia in amicitia hoc ſingulare videtur eſſe,Quòd cõuentio pactióque quædam inter eos, quos ita amor coniunxit, ſemper interuenire videtur. Sic Ionathan & Dauid inter ſe conſentiunt,pacto interpoſito, & eo quidem non ſemel,ſed ſæpius repetito 1. Sam.18.v.3. 20.v.8.& 17.23.v.18. Nã præterquàm quod in vniuerſum iubet charitas, vt ſit inter nos animorum ſumma coniunctio & conſenſus, & vt idẽ omnes & loquamur & ſentiamus,1.Corin.1.v.10.præſertim exigit vera amicitia hoc ab amicis, vt illa con- A iunctio inter eos nota ſit & patefacta, non autem tacita & ignota. Tanta enim vis eſt illius affectus & amoris: qui eos inter ſe nectit & allicit, vt ſe celari, ſéque latere non patiatur, ſed in lucem proferat. Ex quo fit,vt alter alteri teſtetur, quantũ cupiat & ſe ab eo diligi, quem ipſe amat,& quantum illum ipſe diligat & amet. Inter cæteros quidẽ mortales ſæpe tacita & inteſtata manere poteſt illa animorum charitas & coniunctio: ſed inter amicos certè nõ ſolet. Itaque teſtationem pactúmque de mutuo alterius erga alterum affectu & voluntate interponunt,quaſi viuam cordis vtriuſque vocem, & firmius diuturniúſque perpetuitatis vinculum & firmamentum.

Dei verò nomen interuenit:quo vero autore omnis firma & ſtabilis amicitia contrahitur. Nam teſtem,& maius certiúſque voluntatis ſuæ pignus & argumentum,quod afferant,non habent. Quem enim meliorem Deo promiſsionis teſtem producent? Quem violatæ acriorem ſeueriorémque vindicem? hunc enim conſenſum, quem mutuò & dãt & accipiunt,perpetuum,non autem momentaneũ: B ſtabilem,non autem caducum & mutabilẽ eſſe optãt. Itaque Dei nomẽ interponunt : quo fundamẽto ſtabilius firmiúſq; nihil eſt. Itaque & Ionathan & Dauid coram Deo amicitiam iniiſſe ſcribuntur. 1.Sa.23.v.18. & alibi Amicitia pactum appellatur, Pſ.55.v.21. Cæterùm de eodem Ionathan traditum eſt,dediſſe eum Dauidi in vinculum & pignus initæ amicitiæ,non tantùm Dei nomen,ſed etiam viſibile munus & donum, nempè baltheum,enſem, arcum,pallium, & quæ tunc habebat veſtimenta. facit enim ea res, non ſolùm pacti promiſsíque memores, ſed etiam cultores & obſeruatores religioſiores.

Inter duos,additur:quia aut nunquam, aut rarò admodum tuta eſt inter plures, quàm inter duos amicitia. Tertius enim pro ſocio non eſt adhibẽdus,vt ſtabilis & illæſa maneat. Et quod ſcribitur de Dionyſio Siciliæ rege tertium ſe in Pythiæ & Damonis amicitiam adiici voluiſſe, nõ repugnat. Neque enim illa fuit coniunctio animorum cũ eo, quæ illorum duorum inter ſeſe erat : ſed potius fuit illa tantæ inter homines beneuolentiæ admi- C ratio,quæ potẽtiſsimo etiam regi optanda,fœlixque omnino viſa eſt,longéque ſua illa regia conditione & tutior & beatior. Sic Ionathan & Dauid ſoli,& duo amici facti ſunt. vileſcit enim aut negligitur inter plures amicitia,neq; vires ſuas obtinet.

Sequitur in definitione, de ſeſe & diligendis & conſeruandis. Sunt enim hæc duo præcipua veræ amicitiæ effecta, vt verè,non ſimulatè,ſe diligant qui ſunt amici: & quia ſeſe mutuò diligunt, ita ſe tueantur viciſsim.

Quòd poſtremò additum eſt, Quatenus illæſa Dei maieſtate & gloria licet, fines, ad quos vſque progreditur amicitia, definit & ſtatuit, quos violare eſt nefas. Ex quo fit, vt tria hæc imprimis ſint ad vim naturámque amicitiæ explicandam neceſſaria.

1. Quis ſcopus ſit amicorum.
2. Quæ effecta amicitiæ.
3. Denique qui fines & termini conſtituendi.

Quæ tria capita aggredior, ſi prius explicuero, Nũ præcepto illi generali,quod eſt de amãdis omnib⁹ hominib. repugnet & aduerſetur cõtracta inter alí-

A quos pios & fideles ſanctior arctiórque amicitia.

CAP. IIII.

Quæſtio, vtrùm pugnet cum præcepto de Charitate, æmicitiæ lex & ratio.

IN primis autem qui illa inter ſe pugnare ſentiunt,duo afferunt : è quibus hoc primum eſt, generale eſſe illud Dei præceptum, vt alios omnes mutuò diligamus, ſicut nos ipſos,Rō.13.v.8. Quòd ſi amicitiam illam arctam inter aliquos cōtrahere liceat,iam recedi putant ab illa generali de omnibus æquè amandis regula.

Secundum eſt huiuſmodi, Tanta eſſe debere noſtra erga omnes homines,etiam inimicos,officia, quæ illo præcepto iubentur,quod eſt de charitate, vt maiora & alia iis præſtari nequeāt, quos amicos appellamus. Quæ igitur vis eſt , aiunt , aut effectus huius ſingularis , & tam arctæ inter aliquos duos voluntatis,pactionis & amicitiæ? Matth.5.verſ.34. his argumentis vim amicitiæ & conſenſionem cōſuetudinémque tolli putant,quæ, vt aiunt , reddit B nos ad alios homines præter amicos colendos & ſubleuandos negligentiores:quia contenti amicis ſubueniſſe,alios laborantes ferè præterimus.

Sed alia ſunt,eáque firmiſsima argumenta , per quæ amicitiæ vis & conſuetudo ſtabilitur , & non modò conceſſa eſſe homini pio intelligitur, ſed etiam maximè honeſta,laudabilis & neceſſaria.

Prima ratio, Authoritas ſcripturæ, quæ eos colendos docet , quos in amicitiam noſtram recepimus. Itaque imprimis eos dānat ſpiritus ipſe Dei, qui interiorem illam amicitiam & animorum cōiunctionem violant,Pſal.41.verſ.10.55.ver.21.Iſa.3. verſ.5.Mic.7.ver.5.& 6.Eccleſ.22.verſ.25.

Secunda, Exemplum piorum. Illi enim amicitiā arctiorem inter ſe nonnunquam contraxerunt, tum priuatim,tum publicé. Et hoc eorum factum & conſilium Deus laudat , & ad imitandum proponit. Sic Dauid & Ionathan amici facti ſunt.1.Sā. 18.& ſeq.cap. Et quæ inter reges fœdera dicuntur, eadem illa pacta inter priuatos Amicitia nominanda eſt. Illa autem lege Dei probantur. Ergo & C amicitia.1.Reg.4.verſ.5.

Tertia ratio, Natura ipſa & communis omnium gentium vox:quæ Amicitię ius concelebrat,& introduxit. Itaque hanc ab iis ſententiam expreſsit, *Nō pluribus locis aqua & igni vtimur,quàm amicitia.* Multa de ea diſputant laudabiliter,magnoperéque tum Ariſtoteles, tum M. Cicero eam nobis commendant. Eſt autem communis illa naturæ & omnium populorum vox , taquam Dei, cui qui repugnant,ipſi ſuæ conſcientiæ contradicunt.

Denique , nihil ſuperiora argumenta euincunt aut efficiunt,quoniam eorum vtrique facilè reſpōderi poteſt. Ac primùm quidem reſpondeo non tolli generale Dei præceptum,propter conceſsionem arctoris cuiuſdam amicitiæ cum vno aliquo. Nam Deus ipſe, qui omnes homines diligendos docet,quoſdā tamen charitatis gradus lege ſua diſtinxit,quos ſequeremur:& propter quos plus aliquos diligimus. neque enim parem aut æqualem omnibus beneuolentiam à nobis exhiberi iubet: quando plus eſt diligenda vxor, quàm parentes: plus liberi , quàm extranei : plus fidei domeſtici, quàm infideles. Col.3.Gal.6.v.10. Quod igitur ſanguinis ratione licet,nimirum quoſdam à communi A publicáque noſtra charitate ſecernere, cur non etiam pactionis promiſsioniſque noſtræ iuratæ vi & ratione concedetur ? Itaque & Dominus noſter Ieſus Chriſtus omnis veræ charitatis exemplū Ioannem plus quàm cæteros ſuos diſcipulos dicitur dilexiſſe,Ioan.21.verſ.20.13.verſ.23. & Lazarum φιλῆσαι Ioan.11.ver.3.

Secundum autem eorum argumētum vanū eſt. Quærunt quid amicitiæ relinquitur,ſi omnes homines,etiam inimici ,ſint à nobis diligendi. Hoc certè,quòd quanquā omnes amamus, & ad omnes iuuandos & conſeruandos prompti & alacres ſumus,hos tamen habemus magis commendatos. Itaq; pulcherrimus charitatis fructus eſt Amicitia.

CAP. V.

De ſcopo veræ amicitiæ.

POrrò hominum inter ſe conciliandorum & coniungendorum fines ſunt plures. Nam aut vtilitatis propriæ & priuatæ , aut voluptatis cauſa, aut denique honoris adipiſcendi & laudis conſequendæ gratia inter ſe coeunt & adunantur. Quorum nullum ſpectat verus Chriſtianúſque a- B mic⁹:ſed hoc imprimis vt in iſta ſua amicitia Deus colatur,& proximus diligatur. Hoc enim vnū maximè curant & quærunt pij in toto vitæ ſuæ curſu. Sed amicitiæ contrahēdæ plures fines & ſcopi afferri poſſunt , è quibus tamen vnus eſt velut proprius & præcipuus. Eſt autem hic , vt nos ei adiūgamus,quē Deus ipſe ſuis donis ornauit, & admirabilem nobis oſtēdit,& reddit. Prima igitur animorum conciliatrix eſt Dei voluntas,quæ noſtros animos eò impellit: Tū poſtea, alienæ virtutis admiratio,cui adhærere & charos nos eſſe valde cupimus. Et quia ferè eas virtutes admiramur , quibus delectamur,& ad quas à Deo inditos nobis eſſe igniculos ſentimus,id eſt,ad quas nos eſſe aptiores credimus:fit,vt morum & affectuum ſimilitudo inter eos eſſe agnoſcatur, qui amicitiam contrahunt : ipsíque adeò amici tacito quodam teſtimonio & ſecretiori iudicio de rebus iiſdem eundem conſenſum habeant.

Itaque tertia hæc cauſa ad ineundam amicitiam C maximè valet & interuenit , Morum eiuſdémque ſtudij ſimilitudo. Nam idem velle atque idem nolle ea demum firma amicitia eſt : & paribus rebus ferè delectantur amici , imprimíſque in eiuſdem virtutis ſtudium natura duce ferè incumbūt.

Prima enim amicitię fundamēta iacit ea ſtudiorū paritas. Nā ꝙ nos ab amicis protegi ſperamus: quòd bonis admirabiles & ipſi quoque eſſe volumus: quòd denique communem omnium noſtrorum conſiliorum ſocium & adiutorem quærimus, ſunt iſta potius veræ amicitiæ effecta , quàm fines & ſcopus. Certè in ea animorū coniunctione, quæ inter Dauidem & Ionathan fuit , alius ſcopus non ſpectabatur.1.Sam.18.verſ.3. quàm quem expoſuimus. Quod autem dicitur Luc.16.ver.9. *Facite vobis amicos ex mā mona iniuſto,* non aliò ſpectat, quàm vt numos noſtros melius impendere diſcamus, quàm vulgus hominum nempe in pauperes, qui nos Deo ſuis precibus commendabunt : non in diuites, quos ferè tamē magis columus. Denique (vt ait Cicero lib.1.de Legib.) vbi illa ſancta amicitia, ſi non ipſe amicus per ſe amatur, toto pectore, vt dicitur?

A

CAP. VI.

De effectis veræ amicitiæ.

SVnt autem tres præcipui veræ amicitiæ effectus, Mutua in Deo dilectio, Conſenſio ſancta animorum, & Mutua pro viribus conſeruatio tuitióque.

Ac dilectio quidem eſt cordis affectus,quo aliquem vnum præter cæteros amamus, & ſpecialiter proſequimur,benè illi volētes & optantes.Dictum enim eſt diligere,quaſi deligere, & dilectio tanquam delectio :quòd quem diligimus,is à nobis ſpecialiter de omnibus delectus eſt & optatus, cui plus quàm omnibus aliis hominib' bene vellemus & precaremur.Ergo amamus omnes : paucos autem,aut vnum tantùm , vel fortaſſe etiā neminem diligimus.Nam plus eſt diligere, quàm amare, vt etiā in epiſtolis familiaribus annotat M. Cicero ad Pætum.Ex quo fit,vt vis amicitiæ conciliatrix eſſe non poſſit,neque etiam metus,ſed animi electio & volūtas in aliquem vnum, ita Deo B cor noſtrum diſponente,propenſa. Tam autē atque ita diligit amicus,vt amicum tanquam alterū ſe eſſe agnoſcat,nihílque plus ſibi ipſi quàm illi optet.Quod ſi intereſſe quippiam tantulum potuerit,iam amicitię nomen occiderit,ait,& verè quidem Cicero lib.1.de Legibus Eſt enim ea vis amicitiæ,vt ſimul atque ſibi aliquid, quàm alteri maluerit,nulla ſit.Facit autē hic amor , vt & de proſperis amici rebus amicus lætetur, & de aduerſis doleat & angatur : quemadmodum Ionathā dolet de calamitate & afflictione, quæ Dauidi accidebat.1.Sam.20.v.41. & 34. Adeóque tanta huius amoris & coniunctionis animorum vis eſt, vt collacrymentur,& congaudeant, atque collætentur. Denique hunc præfert alteri cuilibet, plúſque habet commendatum, quàm reliquos homines omnes : vt ipſi patri prætuliſſe Dauidem amicū Ionathan videatur,quatenus illæſa Dei voluntate potuit.Nam patris ſecretum aperit Dauidi,& explorat contra Dauidem quod ſit pater decreturus aut dicturus:neque patris turpitudinem veretur pate facere Ionathan.1.Sam.2.v.4.& 9.

C Illa verò tam vehemens dilectio mutua , mutuam quoque animorum conſenſionem inter amicos gignit,& ſanctam illam quidem:ſed & ſuauitatem, & deſyderium : quantóque abſunt longius, tantò magis & ardentius ſeſe requirunt tanquam anima vna abſentem ſui partem deſideret. denique quantò adſunt propius, tantò etiam magis illa affectionis mutuæ flāma exardeſcit, fitque quotidiana conuerſatione in dies ſuauior & iucūdior.Id quod ferè inter reliquos homines accidere non ſolet : inter quos aſſidua illa & frequens conuerſatio & familiaritas,aut odium aut cōtemptum parit & ſerit. Verùm amicos magis ſtrictiúſque inter ſeſe colligat & reſtringit. Natura enim ipſa ita conciliante & impellente, de iiſdem rebus eadem ferè iudicia faciunt & in omnibus rebus,quantum poſſunt,paria agunt,contendúntque inter ſe,vter alterum benefaciendo ſuperabit. Accedit præterea voluntas , & animi propoſitum tenax , quod non ſolùm illam conſenſus propenſionem conſeruat,ſed multò maximè auget. Itaque non diſſentiunt,non rixantur,non contendūt peruerſè inter ſe amici,ſed alter alteri cedit , alter alterum honore præuenit, alter facilè ſe de ſua A ſententia deiici ab altero patitur , & concedit, quantum Dei honore ſaluo & integro id licet.

Tertius denique Amicitiæ veræ effectus eſt, Mutua pro viribus cuiuſque amici ſui ſuorúmque tuitio & conſeruatio,& procuratio ſalutis & commodi. Quòd ſi propter ſocietatem, & eam charitatem,quæ inter omnes pios eſſe debet , omnes,qui natura coniuncti ſunt, pro noſtris ducimus , & tueri ſtudemus : quanto magis amicum pro ſuo conſeruabit amicus,qui etiam id ſe facturum & quidem iureiurando,promiſit? Itaque eadem dicet & pollicebitur,quæ Abiatharo Dauid: *Qui quæret animam tuam idem ille quæret & meam.* 1.Sam.22.v.23.Communes hoſpites, familiares,amicos , & (vt vulgò dicitur)inimicos habebunt. Omnia denique ſunt amicorum inter ſe communia , vt eſt in prouerbio. Imprimis autem ſalutis æternæ & animarum curam alter pro altero habebunt:tum verò corporis : denique & rerum reliquarum quæ ad eos pertinent , vel communiter iure amicitiæ(qualia ſunt ferè bona , pecuniæ , opes,& earum rerum vſus) vel priuatim ad ſingulos B & vnumquemque eorum,velut vxor.Ergo inſidias aut conſilia ſi quæ vni noxia alter intellexerit,reuelabit. Id quod præſtat Ionathan Dauidi 1. Sam.19.v.2.20.v.2.& 12.Pericula pro ſeſe iuuandis & defendendis ſubeunt vel præſente , vel abſente altero.Sic Ionathan,eáque grauiſſima. Ioan. 15.v. 13.1.Sam.20.v. 30.& 33. Mutuas enim operas præſtant.Denique monendo,conſulendo , opitulando,quantum quidem ſanctè ac honeſtè licet,alter alterum ſubleuat,adiuuat,fouet,conſolatur,erigit & ſuſtentat.Nam ſeſe mutuò vel re , vel conſilio, vel ope iuuant amici.

In conſiliis tamen & monitionibus dandis non adulatur amico amicus,neque ſi quæ alter in altero vitia deprehendit,celat. Tendit enim ſpectátque ad Dei gloriam promouendam Chriſtiana amicitia, non ad fouendos & alendos hominum errores. Rectè enim ſanctam illam Phocionis Athen.vocem vſurpat pius,*Non potes me vti aſſentatatore & amico.* Non modò enim & re & nomine differunt aſſentator atque amicus : ſed veriſſima omnis amicitiæ veræ peſtis & corruptela eſt certè C quidem aſſentatio atque adulatio:quæ quanquam magni affectus ſpeciem præ ſe gerit : vires tamen amicitiæ prorſus infringit, & eius adulterat naturam.Verba enim amici imitatur aſſentator,ſed nō animum, non ſyncerum illius amorem & affectū.

Porrò mutua debent eſſe omnia hæc,de quibus diximus , tria : quando non ſolùm mutua officia reddere conantur amici,ſed alter alterum benefaciendo ſuperare,atque etiam pręuenire, quantum quidem in ſe eſt,contendit. Ergo ſunt reciprocæ illæ præſtationes & dilectionis,& Conſenſus , & Tuitionis:non quòd tamen ſpe mercedis ,aut beneficij recuperandi beneficium conferat amicus (quando neque pius quilibet alius charitatē mercenariam erga proximum habet) ſed quòd aliter fieri ipſius amicitiæ vis & natura non ſinit, quàm vt hæc ſint mutua & reciproca. Eſt enim ea dilectio,quæ Amicitia nominatur,mutua , vt dixi, & reciproca, & ex earum rerum numero quæ πρός τι eſſe dicuntur.Ergo illa omnia officia mutuò præſtantur,accipiuntur,redduntúrque,quanquam tamen(& hoc diligenter notandum eſt)non ſemper

A paria atque ęqualia. Plus enim ſæpe ab altero alter accipit, quàm ei conferre poſſit, vel propter ſtatus conditioniſque amicorum diſcrimen, vel opum differentiam. Alter enim fortaſſe erit ditiſſimus, alter pauper: alter fortunatus, alter calamitoſus: alter exul, alter indigena. Sed tamen cui minora pauciorâque ſuppetunt, etſi non confert fortaſſe, quantum accipit, tantum tamen rependit & confert, quantum maximè poteſt. Ex quo fit, vt officia inter amicos ſemper quidem mutua ſint, non tamen ſemper paria & æqualia: quando nec affectus ipſe ſemper inter eos par eſt & æqualis, vt in Ionathan & Dauide apparet 1.Sam.20.verſu.41.

Sed non tantùm ſeſe & ſua mutuò amici conſeruant, ſed etiam, quantum poſſunt augenda procurant. Itaque nulla inuidentiæ labe laborant. Certiſſima enim amicitiæ peſtis & pernicies eſt ſecundum aſſentationem inuidia vel inuidentia.

CAP. VII.

Qui ſint veræ Chriſtianæque amicitiæ fines.

CVm de finibus veræ Chriſtianæque amicitię B diſputatur, duo quædam quæruntur, quæ in controuerſiam venire ſolent. Primum eſt, de tempore, ad quod vſque illa durare atque permanere debeat. Secundum autem de modo & ratione, per quam illa & colenda & conſeruanda eſt, id eſt quid quantúmque amici cauſa ſit ab amico præſtandum.

Ac de tempore quidem illud omninò reſponderi poteſt, ſi votum atque animus eorum ſpectetur, qui inter ſe amicitiam contrahunt, perpetuò inter eos eſſe durareque debere ſemel initã amicitiam, quãdiu quidem vtrique viuũt in hoc ſeculo.

Multa tamen ſæpe, vel præter eorum culpam, vel ex errore accidere poſſe verum eſt, cur ſit diſſuenda, vel etiam diſſoluẽda amicitia. Quid enim ſi ex amicis alter, ex fideli infidelis, ex Chriſtiano Turca, vel paganus factus ſit? Certè diſſui diſſoluíque debet, ſi talis permanet etiam poſt crebras admonitiones, amicitia: quanquam ea res & mœrorem affert, & ſæpe cunctationem ex ſpe melioris mentis & reſipiſcentiæ amici habet. Nam & mors amici, etſi eum in ſedem beatorum receptũ C eſſe credimus, etiam ægritudinem mœrorémque affert, & eum ſæpe maximum, vt in Dauide cernimus. 2.Sam. 1.verſ.26. Tamen & Dei & fragilitatis noſtræ legibus parendum eſt: ne more gigantum cum Deo pugnemus, aut noſtros affectus potiores, quàm Dei metum, ducamus irreligioſé. Ergo ſæpè iuſtiſſima diſſuendæ amicitiæ occaſio dari poteſt: votum tamen in perpetuum eius retinendæ concipi primùm debuit. Eſt igitur peſſima iſta quorundam vox & ſententia, *Ama tanquam oſurus*: quæ ſi obtinet, vis omnis ſecuritáſque labefactatur, quæ inter amicos eſſe debet, vt tutò & lubenter conſilia inter ſe communicent, alter apud alterum ſecretum ſuum deponere & velit, & audeat. Denique vt gratanter fidentérque inter ſe viuant, omninò debet explodi ex eorum animis iſta diabolica diffidentiæ vox, *Ama tanquam oſurus*: licet nonnunquam eueniat, vt odiſſe debeamus, quos ſemel & antea amauimus. ſed id præter ſpem, votúmque amicorum fit. Itaque illa potius fiduciæ plena vox audiatur, *Ama tanquam nunquã oſurus*. Ergo quandiu duo illi amici viuunt, voto conſeruanda tuendáque omnibus officiis eſt amicitia, ne vlla illius interrumpendæ aut diſſoluendæ ſpes concipiatur, quod nunquam faciunt qui A verè ſunt inter ſe amici. Præclarè enim Hierony. in epiſtola ad Ruffin. *Amicitia, quæ deſinere poteſt, vera nunquam fuit.*

Sed quęſitum eſt, Vno ex amicis defuncto, quid cum illius filiis ſuperſtes amicus agere pro iure ſuæ in patrem amicitiæ debeat, & vtrum eadem à micitia ad filios defunctorum continuetur? Et certè fortaſſe æquiſſimum cenſeri debet, vt filij quemadmodum cæterorum patris bonorum, ita amicitiæ paternæ hæredes ſint, vt præclarè dixit Iſocrates ſcribens ad Demonicum: quoniam inter maxima bona Amicitia paterna cenſetur, longéque pulchrior ſæpè omni paterna hæreditate ac vtilior. Atque ita ferè voto parentum contrahitur, vt initæ à ſeſe amicitiæ fructus ad poſteros etiam & liberos perueniat. Sic Ionathæ & Dauidis amicitia ad filios Ionathæ peruenit. 2.Sam.9. verſ. 1.& 7. Quod quanquam ex pacto, quod additum fuit (vt eſt 1.Sam.20.v.15.& 42) factum videri poſſit: hoc tamen amicorum votum eſt, vt ſuæ mutuæque amicitiæ fructus ad liberos quoque quodammodo pertineat: quia non ſibi tantùm, ſed & B ſuis quiſque pius & fidelis maximè proſpicit. Ergo amantur amici defuncti, & vxor, & liberi & alia quoque quæ ad eum pertinuerunt, adeóque canes ipſi & pecus amici, ipſo affectu impellente, iure quidem, & ex officio amicitiæ: non tamen tantundem atque ipſe defunctus amicus: ſed tantæ coniunctionis æſtus & ardor viuit adhuc in pectore ſuperſtitis, qui magnas amoris ſui ſcintillas emittit vbicunque aut amici vera imago (quales ſunt liberi) aut pia memoria elucet & refricatur.

Vnde quæſitum eſt de ea bonorum donatione quam Dauid exul in Sibam Miphiboſethi ſeruum contulit, & quam tamen poſtea de rei veritate & Sibæ perfidia edoctus, in totum non reuocauit. Bona enim Miphiboſethi, qui Ionathæ defuncti filius erat, Sybæ donauit, cùm illa tamen in memoriam Ionathę, filio illius reſeruaſſet, & attribui omnia iuſſiſſet, quò ſe ſuę paternæq; illius amicitiæ memorem eſſe indicaret. 2. Sam.9. verſ. 7. illa tamen Dauid dolo deceptus à Siba, eidem Miphiboſetho abſtulit, 2.Sam.16.verſu 4. Vtrum igitur hoc Dauidis poſtremum factum defendi poſſit, C quaſi contra ius fineſque veræ amicitiæ iuſſum nõ videatur? Imprimis autem, quando idem Dauid Sibæ & perfidia & mendacio ſe circumuentum potuit animaduertere, neque tamen amici filium tam miſeratur, vt fraudem ab illius ſeruo factã omnino vindicet, bonáque illi ſua omnia reſtituat, 2.Sam.19.ver.29. Certè omnino excuſari Dauid, meo quidem iudicio, non poteſt, quin peccauerit, & quidem pluribus modis: Nimirum quatenus à nobis & Rex, & Ionathæ patris Miphiboſeth amicus conſiderabitur.

Ac quidem hoc fuit regis pij officium, ſerui perfidiam in ſuum herum & dominum patefactam & apertam vlciſci. Hoc etiam fuit amici, filium defuncti amici fraude ſui ſerui deceptum, & bonis ſuis à ſeruo miſerè ſpoliatum ſubleuare, & in paternæ amicitiæ memoriam afflictum tueri & paternam hæreditatem, cùm poſſet, reſtituere.

Quod cùm neglexerit, certè muneris officiique ſui immemor Dauid fuiſſe meritò cenſendus eſt, contráque veræ amicitiæ ius & fines peccaſſe, ſuique & promiſſi & benefacti oblitum fuiſſe. Ergo non eſt in eo Dauidis factum ab aliis amicis ſe-

A quendum,& pro exemplo, quod imitentur, ſtatuendum. Si quis excipiat,ad defenſionem Dauidis, Quia pronuntiarat hoc Dauid, (quod quidam pro Iureiurando accipiunt) & iam donarat Sibæ ea bona, promiſſum reuocare non potuiſſe, facilis reſponſio eſt.Nam prius eadẽ illa bona Miphiboſeto Dauid donarat: & ea partitione bonorum, quam inter vtrumque fieri conceſſit,ſe iuſiurandi ſacramento apud Deum non liberauit. Iurarat enim Sibæ ſe omnia Miphiboſethi bona, non tantùm eorum partem donaturum. At partem tantùm illi relinquit: partem autem ademit. Ergo in ea ipſa partitione violatũ Dauidis iuriſiurandum ab eo ipſo eſt, & coram Deo reus nominis diuini in vanum accepti tenetur. Denique nihil afferri poteſt, per quod in eo Dauid à culpa violatæ amicitiæ & præſtiti iam olim Ionathæ iuſiurandi liberetur,1.Sam.20.verſu 42,vt ego iſta meditor.

Secundum autem,quod in finibus amicitiæ regendis quæritur, ad modum, rationémque pertinet, ſecundum quam, & ad quam vſque officia B ab amicis præſtari debeant, & ius amicitiæ extendatur.hic autem in vniuerſum modus, atque hi fines & metæ conſtitui debent,vt eatenus illa præſtentur,quatenus illæſa Dei maieſtate, voluntate & gloria poſſunt. Amplius enim aut vltrà neque debent, neque etiam homini Chriſtiano fas eſt. Nam quanquam inter homines ſummè diligendus eſt amicus,cui & voto & iuſiurandi ſacramento coniunctiſſimi ſumus: plus tamen diligendus eſt Deus,cui & nos,& noſtra, & amicos etiam ipſos debemus,atque in cuius nomen & autoritatem omnis amicitiæ vis & robur ſtabilitur & firmatur.Sic amat Paulus Petrum, plus tamen gloriam Dei,Galat.2.verſ.14.Sic *amat Ariſtoteles Platonem:magis tamen*(vt ipſe loquitur)*veritatem amat.* Atque ipſi ethnici homines diſertè, cùm de finibus amicitiæ interrogantur, & quônam vſque amicus pro amico progrediatur: reſpondent idem quod Pericles, *δεῖ συμπράττειν τοῖς φιλοῖς, ἀλλὰ μεχρὶ βωμῶν.* Ad aras igitur vſque licere ſibi amicis opitulari putant,& volunt: vlterius autem licere non exiſtimant:& rectè.Vt etiam A.Gellius lib.1. cap. C 3. Noc. Attic. annotauit. Quanquam enim & damnum rerum noſtrarum, & capitis periculum pro amico ſubeundum eſt, neque hoc damnum eſt recuſandum,ſi verè amici eſſe volumus, Ioan. 15.verſu 13.laus tamen Dei, ſalúſque æterna propriæ animæ plus nobis & commendata & inæſtimabilis eſſe debet quàm amici cauſſa. Neque in eo veri amici officio deeſſe videri debemus, ſi quid contra ius,fas,iuſtitiam, legem, ſanctóſque mores,pro amico etiam obnixè rogati facere nolumus: ſed potius facere pij Chriſtianíque amici A officium quòd Deo potius quàm hominibus parere,item quòd ſalutis ęternæ amici potius,quàm terrenæ vtilitatis ipſius ſtudioſi videri & eſſe cupimus. Accuſet enim ſeipſum potius, qui iniuſta petit quàm nos qui non paremus. Ille enim veros veræ amicitiæ fines egreditur,non autẽ nos. Sæpe quidem famę apud vulgus imminutio iniuſta pro amico ſubeunda eſt, nunquam tamen quicquam turpe, impium, fraudulentum, inhoneſtum, aut vitioſum amici aut hominis cuiuſquam cauſa committendum eſt. Ex quo apparet falſam explodendámque eſſe illam M. Tullij Ciceronis in lib.De amicitia, & aliorum quoque Philoſophorum ſententiam,qui cenſent,*ſi qua occaſio acciderit, vt minus iuſtæ amicorum voluntates adiuuandæ ſint, in quibus eorum aut caput agatur,aut fama,declinandum eſſe de via & honeſtate,modò ne ſumma turpitudo verſetur. Eſt enim quatenus amicitiæ venia dari poſſit,* aiunt. Gratificari quidem amico & poſſumus & debemus (eſt autem Gratificatio, iuris diligentioris facta & loco, & tempore remiſsio & imminutio) malè autem agendo, aut peccando in Dei præcepta perdere nos aut amicum non debemus. B Ergo amici cauſa neque in Capitolium faces iniicere, neque contra patriam bellum gerere, neque quemquam hominem priuatum aut magiſtratum lædere debemus. Nam (vt ait Paulus) *dilectio ſiue charitas non congaudet iniuſtitiæ*.1.Cor.13.verſ.6. Sed neque amici cauſa, próque eius ſalute mentiri licet, quanquam diſsimulare ſimularéue quædam illius cauſa,exemplo Ionathæ, fas eſt, ea nimirum quæ neque Deum offendunt, neque proximum. Cuius rei exemplum eſt,1.Sam.20.v.39.

Ex quo fit, vt Chuſai Arachitæ neque exemplum, neque factum omninò probemus aut exiſtimemus eſſe imitandum: qui cùm pro iure ſuæ in Dauidem amicitiæ illi officioſus eſſe vellet, alterum, nempe Abſalonem,dolo vafriciéque decipit 2.Sam.16.verſ.17.& mentitur, quanquam à Dauide, vt ita ſe gereret, eáque faceret, non tantùm admonitus, ſed etiam rogatus eſt, 2. Sam.15. verſ.34.Sed in iis omnibus ſedulò & diligenter eſt animaduertendum, non tantùm quid amicus pro ſe fieri poſtulet: ſed multò magis, quid præſtare ſit noſtri Chriſtianíque viri muneris. Aliâs enim C aſſentatores teterrimi ſumus,non autem amici.Et cùm vera amicitia quod ſentit, diſsimulare non debeat, quemadmodum ait Hieronym. grauiter eſt reprehendendus à nobis qui præter officium efflagitat aliquid. At hæc de Amicitiæ finibus, totóque eo virtutis genere, breuiter & ſummatim, ex eius amicitiæ meditatione, quæ inter Dauidem & Ionathan fuit, dicta ſint. Laus Deo. Amen.

L. D.

DE LVDO ALEAE.

LIBELLVS ADVERSVS CORRVPTISSIMOS HVIVS SECVLI MORES OMNINO NECESSARIVS.

Ad collegium Poſthimeliſſæum.

Εἰς κυβευτὰς, Παλλαδᾶ.

Πάντων Μουσοπόλων ἡ Καλλιόπη θεός ἐστιν,
Σεῖο δὲ Καλλιόπη, Ταβλιόπη λέγεται.

In Aleatorem ex Pallada.

Eſt dea Calliope doctorum maxima vatum:
At tua Calliope, Vane, fritillus erit. B

L. Danæi.

IDEM L. DANÆVS AD POSTHIMELISSÆVM COLLEGIVM.

In Aleam.

ERgóne lethali perdes, tu dira voluptas,
Chriſticolas, tu melle tuo, tanquam altera Circe?
Alea Scylla vorax, ſpecies certiſſima furti,
Non contenta tui ſemel exhauſiſſe profuſas
Sectatoris opes, animum quoque perfida merges?
Quin etiam corpus, nimia dum torpet in vmbra,
Mille reples ſæuis, requies vaniſſima, morbis:
Grande nefas, damnoſa lues, ſcelerata libido,
Fœda, furax, infamis, iners, furioſa, ruina
Illex, & ſacri contemptrix numinis, & nex.
Hæc nimirum adfers tecum mala, tetra voluptas.
Ne tanti ergo pio cuiquam ſit ludere iactis
Sortibus, & tali dubios aſciſcere caſus:
Sed valeant talíque vagi, chartæq́; nocentes,
Quæq́; alia incerto dant plurima damna rotatu. C
Me verò in veſtro iuratum aſcribite cœtu,
Poſthimelæa cohors, vos noſtri lumina ſecli,
Sorti hoſtem, ludique tamen non neſcium honeſti.

BREVIS ET VTILIS DE LVDO ALEÆ ADMONITIO.

In qua,

Quanta ex eo mala conſequantur, quíſve primus illius author fuerit ex veterum & Eccleſiaſticorum Patrum ſcriptis oſtenditur.

QVoniam (chariſſimi in Chriſto fratres) ea eſt morum noſtri huius ſeculi diſſolutio, támque cæcus & præceps animi ad omnem effrenem libidinem impetus, vt quanta in ludo aleæ non tantùm incommoda, ſed mala & ſcelera inſint, animaduertere ad hunc vſque diem homines neglexerint, viſum eſt de hoc argumento paucis agere, & pro meo in omnes pios, & Chriſtianos viros) qui morum reformationem ex animo deſiderant) affectu demõſtrare, quantum vna ea res habeat ſceleris & periculi. Quanquã verò ſcio nõ defuturos improbos homines etiam in media ipſa fortaſſe eccleſia, qui hunc noſtrum laborem, & animum irrideant, pro nihilóque ſint habituri, adeò vt ne poſt hanc quidem admonitionem reſipiſcant: futuros tamen alios non deſpero viros Dei timentes, & bonos, qui poſtquam huius ludi generis turpitudinem intellexerint, ab eo, cui fortaſſe prius addicti fuerant, ſe abduci facilè patiantur, quibúſque vtilis omni-

A omnino futura ſit noſtra hæc diſputatio,quia culturæ patientem(vt ait ille) aurem præbebunt. *Da ſapienti increpationem* (inquit Solomo Prouerb.9. v.9.) *& ſapientior erit:doce iuſtum,& addet doctrinam.* Itaque meipſum hoc ſermone Chryſpſtomi conſolabor,qui extat Homil.26.ad Pop.Antioch.*Scio quod multi,*ait,*nos ridebunt:ſed melius nunc hîc rideri, quàm tunc lugere.Ridebunt enim quotquot inſaniunt. Quis enim,quæſo,mente non carens mandatum ſeruari ridebit ? Quod ſi ridebunt, huiuſmodi non nos, ſed Chriſtum ridebunt.*

Cap. I.

Vtrùm homini Chriſtiano ludere, animúmque recreare omninò liceat.

ATque vt, vnde tota res altiſſimè poteſt arceſſi,ordiamur ex eo loco,ex quo commodiſſimè debet, quærunt & viri quidem graues,vtrum homini pio & Chriſtiano ſit vllo modo concedendũ,vt aliquo ludi genere ſeſe recreet. B Neque verò,cùm de eo diſputant , carere ratione prorſus videntur. Afferunt enim hæc , primùm, Reddendam eſſe Deo rationem à nobis non ſolùm de hac vniuerſa vita : ſed etiam de ſingulis ipſius vitæ noſtræ actionibus & momentis.Ecquæ verò ratio ocij ſui ab eo reddi poteſt, qui tempus ludendo perdidit?Pręterea,cùm omni etiam verbo otioſo ſit nobis abſtinendum, quemadmodum docet(Matth.12.verſ. 36.)Chriſtus,quòd nugæ omnes noſtræ Domino Deo diſpliceant, quãquam per eas,neque iuremus tamen,neque ſanctũ ipſius nomen blaſphememus : quomodo tandem apud eundem Deum inculpati cenſebimur , ſi quando tempus(quæ certè res eſt pretioſiſſima) otioſè & ſine vllo fructu ludendo traducamus? Nam quæcũque facimus,ita debemus agere,vt in ipſius Dei gloriam(quemadmodum præcipit Paulus 1. Cor. cap.10.verſu 31.)fiant. Cùm autem ludendo tempus vitámque terimus, illúdne obſecro à nobis in Dei gloriam intuẽtibus agi dici poteſt? Sed idem ipſe Paulus Apoſtolus Epheſ.5.ver.16.ſedulò monet,vt tempus redimamus. Nam illud antea vanis C ſtudiis impendimus, toto eo nimirũ tẽpore,quo viximus idololatræ. Num igitur poſtquã ſummo Dei beneficio Chriſtiani facti ſumus, & Euangelij luce donati,ludendo,nugãdo,otiãdóque,quod reſtat temporis par & æquum eſt amittere?*Satis eſt nobis*(inquit Petrus epiſtol.1.c.4.v.3.) *quòd anteacto vitæ tempore libidinem gentium patrauimus, quum incederemus in proteruijs,cupiditatibus, vinolentijs,comeſſationibus,compotationibus , & nefarijs ſimulacrorũ cultibus,vt quod reliquum eſt temporis in carne nõ amplius in cupiditatibus hominum , ſed voluntati Dei viuamus.* Ac quidem tot ſunt honeſta vitæ Chriſtianę officia,quę Deus exigit à nobis:tot occaſiones in ſingulas horas ſuppeditantur,vt vel Dei gloriã vel proximi ſalutem procuremus : ſingula horarum momenta nouum ſemper nobis ad id argumentum adferunt,& vt prætermiſſis tot illis ſanctis animi corporiſve exercitationibus & negotiis ſecuri & inertes ludis occupemur,non videtur ſanè quibuſdam hoc eſſe nobis Chriſtianis concedẽdum.Quod ſi quænã ſint illa tot exercitia quęrimus,aliquot eorum exempla proferemus,qualis eſt nimirum ipſius Verbi diuini & ſacroſancti diligens lectio:Patrum orthodoxorum collatio:Hiſtoriæ, A quę ad vitam rectè inſtituendam vtiliſſima eſt,cognitio: Ægrorum viſitatio:eorum,qui carceribus detinentur,conſolatio:Denique cuiuſque in ea,quam profitetur,arte diligens exercitatio & meditatio.Quæ omnia pręcipit verbo ſuo Dominus,Matth.25.v.35.36.Et cùm illa vel omninò , vel magnam partem omittamus, vt ludere , vaníſque rebus nos dedere concedatur , hoc ipſum(inquã) non ſatis concoquunt quidam,& boni viri:nec ſatis tutò permitti cuiquã homini Chriſtiano poſſe putant,vt vllam vitæ ſuæ partem ludis impendat. Atque ad huius ſuæ ſententię confirmationem iidem adducunt quod tum lib.1.de Offic.cap.23. tũ etiam in Pſal. 118. diſertiſſimè ſcribit Ambroſius, vbi omnia ludorum genera vir ſanctus ſemel videtur damnare. Nec minùs alter,& ipſe è priſcis patribus,D.nimirum Chryſoſtomus Homil. 6. in Euangelium ſecundum Matthæum ludos quoſuis improbat. Deniq; hæc eſt pulcherrima Baſilij ſentẽtia In Hexamero Homil.8.in fi. χολὴ ἄνευ φόβου θεοῦ πονηρίας διδάσκαλος τοῖς ἀχαιρευομένοις ἐστί. Atque hæc illi quidem pro ſua ſententia breuiter afferunt. Nos B tamen , qui humanæ imbecillitati condonandum aliquid eſſe fatemur,aliorum non minùs receptorum patrum , imprimis verò Auguſtini libro ſecundo de Muſica,authoritatẽ ſequimur,ac omninò interdicendum eſſe homini Chriſtiano ne aliquando ludat,animúmque recreet , pernegamus. Quin hoc ipſum ſapientis eſt hominis animum & corpus nimiis , grauibúſque laboribus fatigatum reficere , & interpoſitis ad tempus ſeriis ludendo recreare,quaſique ex onere reſpirare,quò poſſit & acriori & alacriori animo opus munúſque priſtinum repetere.

Illis autem ſuperioribus rationibus facilè vel vno verbo reſponderi poteſt,nimirum in iis rebus, quæ homini Chriſtiano tanquã ἀδιάφοραι ſunt conceſſæ,tamen diſtingui oportere.Quędã enim ſunt huiuſmodi vt perpetuò tamen in iis eſſe & verſari non debeamus , qualis eſt Ludus , qui ad tempus tantùm,illúdque breuiſſimum , concedi homini Chriſtiano poteſt. Diuturna verò in ea re occupatio aſſiduúſque vſus certè damnandus eſt , minıméque tolerabilis.Itaque quod ait ille vir militaris C de philoſophia,philoſophandum quidem eſſe,ſed paucis:id,& meliori quidem iure, de Ludo à nobis dici poteſt, Ludere quidem nonnũquam licere,ſed pauco tempore. Nam omnino Ludũ de vita tollere acerbius & durius eſt , quàm vt facilè humana natura pati poſſe videatur. Neque ſanè minus permittendũ eſt homini & Chriſtiano lõgis iam laboribus fatigato animum recreare Ludo,quàm eidem defeſſo concedendum eſt vt dormiat,ſitienti,vt bibat:eſurienti,vt edat.

Itaque ſcriptura ipſa, quæ rerum agendarum & fugiẽdarum optima ſanè regula nobis tradita eſt, eius rei tanquam conceſſæ meminit , quam etiam pro Dei beneficio commemorat.Zach.8.verſ.5.Et in ea Pauli ſententia quæ affertur , quæque eſt 1. Corinth.10.verſ.1.his verbis *Siue editis, ſiue bibitis, ſiue quid aliud facitis , omnia in Dei gloriam facite.* Ludos ipſos comprehenſos eſſe his *ſiue quid aliud facitis* vocibus negari non poteſt, cùm laboris intermiſſio , & honeſta animi relaxatio non minus ſit vtilis & ſæpe neceſſaria propter imbecillas & exhauſtas vires,quam quies,ſomnus,& cibus ipſe, A quo vegetamur. Et quidem Dominus noſter Ieſus Chriſtus Marc. capite ſecundo v. 27. præclarè hominem propter Dei gloriam conditum eſſe docens, ibidem Sabbathum ipſum propter hominẽ inſtitutum eſſe ſubiicit, non autẽ hominem propter Sabbathum.

Quod idem de Ludo nobis eſt ſentiendũ. Propter hominem enim eſt repertus, vt deiectæ vires reficiantur, & ſanitas corporis integra hac tanquã quiete conſeruetur, quò homo poſtea Deo ſeruiat, atque ſuo muneri incumbat tum alacrius, tũ etiam liberiùs. Certè in rerum, quæ vocantur indifferentes, ſúntq; homini Chriſtiano à Deo conceſſæ, numero Ludus cenſeri debet, quo tamen propterea minimè abutendum eſt, quemadmodũ nec re vlla alia, quæ ſit μέσος & ἀδιάφορος. Nimium verò dura eſt, miniméque tolerabilis videtur ſuperiorum ſententia, qui ſunt tam ſeueri, ne dicam inhumani, vt homini pio & fideli infinitis moleſtiis penè oppreſſo, vel etiam corporis labore fatigato, omnem animi relaxationem tanquam ſalutare morbi ſui remedium denegent. Nec enim B Dei gloriam non ſpectaſſe dicẽdus eſt is, qui cùm ſe oblectat, id agit, vt integris viribus maioríque poſtea & animi & corporis contẽtione redeat ad illud ſuum munus, ad quod à Deo ipſo vocatus eſt, inſeruiátque & Reipub. & familiæ cõmodius, quia firmiori corporis valetudine vtitur. Sic enim eſt humanum ingenium, tanquam arcus, vt præclarè illo carmine admonemur.

Arcus & arma tuæ tibi ſunt imitanda Dianæ.
Si nunquam ceſſes tendere, mollis erit.

Eſt igitur quemadmodum arcus, ſic ingenij noſtri acies, vt ſumma illa contentio remittenda ſit ne frangatur, & tandem nimio põdere obruatur, & hebeſcat. Quamobrem non damnamus in totũ Ludos, neque homini Chriſtiano illud denegamus, vt aliqua honeſta ratione ſeſe tueri, & recreare poſſit. Honeſti enim Ludi à nobis conceduntur etiam piis & fidelibus viris, modus tamen moderatióque in iis ſeruetur.

CAP. II.

C *Vtrùm in pecuniam, quam ſi viceris tibi habeas, ludere liceat.*

ILlud autem imprimis ſtatuendum eſt in nullo genere Ludi (alij enim honeſti & liberales: alij verò & turpes & illiciti poſtea demonſtrabuntur) homini Chriſtiano licere pecunia Ludere, quam ſuam faciat, ſibi habeat, & (vt loquuntur) coniiciat in crumenam. Cuius rei multæ ſunt rationes, eæque manifeſtæ, quarum aliquot à nobis afferentur.

Primum quòd commercij gratia non eſt inter homines inſtitutus Ludus, vt aliquid ex eo quod eſt alienum nobis acquiramus, & comparemus, ſed tantùm vt animi relaxandi, corporíſve reficiẽdi vel exercendi ratio quædam eſſet, adeo vt qui ad alium finem vtitur Ludo, is certè non vtatur, ſed abutatur peſſimè, commutétque honeſtam hominis recreationem in turpiſſimum lucri & auaritiæ genus, quod eſt nobis ſummopere, vt ait Paulus, fugiendum. Nec verò inter illa contractuum genera, quibus res noſtras alienare poſſumus, vnquam Ludus habitus eſt, ſiue diuinam, ſiue humanam nomotheſiam ſpectes. Si quę ſunt verò humanæ leges, quæ omnes honeſtos contrahendi A modos enumerent, certè ſunt illæ, quæ ius ciuile Romanorũ etiamnũ hodie appellantur. Hæ verò emptionem, venditionem, locationem, conductionem, emphyteoſin, infinitóſque alios contractus (per quos iure tum quæ noſtra ſunt ad alios transferimus: tum etiam quę ſunt aliena nobis acquirimus) recenſent. Ludum autem in eo numero nuſquam commemorant. Neque etiam ex eo rerũ & actionum humanarum genere Ludus eſt, ſi Ludi vel natura vel finis verè à nobis cogitetur. Quiſquis igitur alienam pecuniam idcirco apud ſe retinet, quòd eam ludendo ſit lucratus, iniuſtè eam detinet, neque meliori conſcientia, quàm fur habet rem à ſe furto ſublatam. Nam ſi hoc modo, id eſt, Ludo, rem pecuniámque alterius acquirere & comparare nobis licet, quid aliud, obſecro, pro Ludo, quàm inſatiabilis cuiuſdam auaritiæ genus inducimus & ipſam rerum naturam peruertimus, dum de ioco non tantùm rem ſeriam, ſed etiam lucroſam facimus?

Ludendo igitur alienam pecuniam lucrari perinde eſt, atque furari, neque id licet, ac ne ſi eam B quidem mores & ius priuatum alicuius ciuitatis retinere concedat. Obſtat enim ipſius naturæ lex, quæ cùm ſit priuato illo, municipalíque iure longè potentior, & æquior, potius eſt illi parendum. Quanquam me nõdum legiſſe memini vllius vnquam ciuitatis iure ſcripto id fuiſſe conſtitutum, vt huiuſmodi pecunia Ludo parta vel retineri poſſet, vel ſi non perſolueretur à debitore exigi. Nulla enim de eo debiti genere actio nec iudiciũ vllum legibus vnquam introductũ eſt, quod prætor ſe daturum dicat: niſi fortaſſe pilæ, quam vocant, palmariæ Ludum excipias, in quo ſingulariter illud aliquarum ciuitatum municipali eſt iure receptum, vt ſi eo Ludo modicam tantùm pecuniam (qualis eſt quinque aſſium ſiue groſſorum Gallicorũ) lucreris, iudicio petere poſſis. Qui Ludus idcirco ſpecialem hunc fauorem videtur obtinuiſſe, quòd in eo (quemadmodum Galenus docet) magna & ſalubris corporis exercitatio, animíque induſtria verſetur. In reliquis autem Ludi generibus de lucro & promiſſa pecunia neque actio neque iudicium datur: imò verò ſi quæ depo- C ſita eſt, poſt victoriam à victore ipſo pecunia retenta fuerit, tãquam ob iniuſtam & turpem cauſſam illa ſit apud poſſeſſorem, per eum, qui Ludendo amiſit, condicetur. Atque hanc noſtram ſentẽtiam Franciſcus Hottomanus Iuriſconſultorum noſtri temporis facilè princeps & Chriſtianus li. 2. de Vſuris cap. 2. planè confirmat. Docet enim omninò illud lucrum, quod in Ludo fit, eſſe iure ciuili damnatum atque etiam prohibitum ne exigatur. Auguſtinus autem epiſt. 54. quæ ad Macedonium ſcripta eſt, *lucrum huiuſmodi ipſi victori adimi præcipit, & in pauperes erogari.* Ei verò qui ſemel amiſit reſtituendum negat, vt hoc pacto tum victor ipſe re malè parta priuetur & ſpe ſua fruſtretur, tum etiam vt luſor ille temerarius & victus puniatur. Cuius ſentẽtiã quemadmodũ lubẽs amplector, ita cenſerem vtrunque præterea pecunia graui, quæ publico fiſco applicetur, à iudice multãdũ. Quænã enim inter Chriſtianos iſta vitæ ratio eſt, quæ vecordia obſecro, primùm, vt ꝙ animi tãtũ cauſa repertũ eſt, in fœdiſſimũ lucrũ propter hominũ auaritiã cõuertatur? Deinde, vt cùm

A tot egeni in media ipſa eccleſia quotidie cernãtur, tot tantíſq; rebus ad victũ neceſſariis deſtituãtur, qui & homines ſunt, & Chriſtiani, & fratres noſtri,ac noſtra ipſorũ caro, quemadmodũ Iſaias loquitur c. 58.v.7. nobis tamẽ iſtã egeſtatẽ intuentibus,& tamen prętermittentibus, tantum ſupereſſe pecuniæ,vt eã in ludo nugíſque profundere liceat? væ noſtræ inclementiæ,& iſti voluptati,quã grauiſſima poſtea pœna, ſummóque dolore empturi ſumus. Væ iſti pecuniarum perditioni, quam tum Deus ipſe,tum etiã pauperes,quos miſerè habẽtes contẽpſimus,vt animi noſtri libidinẽ in ludendo expleremus, aſtantibus ipſis beatis angelis nobis exprobrabunt,quemadmodũ diſertè ſcriptũ eſt apud Matt.25.verſ.44.Etiámne verò,vt liceat ditibus iſtis,qui ſe Chriſtianos vocant, non tãtùm lautè omni deliciarum genere perfrui,ſed etiã ad exſaturandam voluptatem libidinoſè & furioſè opes immenſas,& pecuniam ludendo proiicere,& profundere, B atque ita agere,quo modo miſer ille epulo,de quo eſt apud Lucam 16.verſ.19.vixit.Intereà verò pauper & afflictus ille Lazarus frater noſter ad ipſorum ianuam proſtratus,ab iis contemptus, petens & eiulans,miſerè fame pereat.In quem etiã canes ipſi,dum ipſius vulnera lambebant, quã potuerunt eleemoſynam humano penè affectu contulerunt.Nos autem & homines,& Chriſtiani,illíque homini afflicto ſimillimi nullam cõferemus? *Proh nefas*,ait Hieronym.ad Gaudentium, *viuimus quaſi altera die morituri*(.i.opiparè) *& ædificamus quaſi ſemper in hoc ſeculo victuri. Auro parietes, auro laquearia,auro fulgent capita columnarum: & nudus atque eſuriens ante fores noſtras Chriſtus in paupere moritur.* Quàm igitur turpe eſt, vt habeamus quod in ludum conſumamus,non habeamus autẽ quod pauperibus,& ipſis Chriſti membris benignè largiamur, vt iis ſubueniamus. Illud igitur, fratres, Chriſti conſilium,aut potius præceptũ ſequamur, Luc.capit.16.verſ.9.vt de mãmona iniquitatis nobis amicos faciámus,non eos quidem,qui illud ludo lucrantur,& nobis auferunt(neq; enim hi ſunt C propterea nobis amici, aut ſe referre gratiam debere putant)ſed ipſos Dei pauperes,Chriſti membra,& fratres noſtros, quorum nomine cẽtuplum reddet Deus ipſe nobis.Matth. 19. Ac certè præclara eſt illa Lactantij ſententia,libro ſexto,capite decimoſeptimo. *Multum intereſſe,vtrum pecuniam tuam productores, aleatores, lenonéſque diripiant, an eam pietati ac Deo præſtes,vtrúmve illam ventri, ac gulæ ingeras,an in theſauro iuſtitiæ reponas.* Vt ergo effundere in malam partem, vitium eſt:ſic in bonam virtus.Vetat Auguſtin.ne pecuniam noſtram ſcenicis Ludis impendamus: aut eam hiſtrionibns ipſis, qui quodammodo nobis operam ſuam locant,quorúmque ſæpe laudabilis eſt induſtria,demus.Quid igitur ſi luſoribus, & congerronibus iſtis eam propinemus, quos ipſi viciſſim delectamus,vt illi nos,à quibus nihil accipimus præter iacturam otij,& vitæ? Quæ cùm omnia ſint veriſſima,illud tandem concluſum manet, hoc totum quæſtus ſiue lucri genus, quod Ludo comparatur, eſſe inſtar furti manifeſti: & quod à nobis hac ratione retinetur,neque iuſta de cauſa, neque bona conſcientia poſſideri.

CAP. III.

De Ludis,& exercitationibus publicis,& præmiis,quæ à Repub. proponuntur.

A NE quis tamen laqueos conſcientiæ à nobis iniici exiſtimet, quos minimè oporteat, duplex exceptio ſubiicienda eſt, è quibus hæc prima eſt,publica illa exercitia, & certamina, quæ magiſtratus authoritate fiunt,etſi ludi vocantur,ſuperiori tamen noſtra regula non contineri: neque etiam damnari lucra & præmia, quæ in iis publicè à Repub.proponuntur. Illa enim non modò conſectari poſſumus,& pro iis contendere: ſed ſi in huiuſmodi certaminibus & exercitiis vicerimus,honeſtè auferre, habere, domi retinere, & conſeruare licet. Neque verò de eo dubitari poteſt,quin ſit conceſſum, & ſalua animi conſcientia fiat.Huiuſmodi enim præmia à magiſtratu, non à priuatis hominibus offeruntur. Quòd ſi nonnunquam à priuatis dantur,authoritate tamen publica valent. Deinde,quòd ad augendam hominum induſtriam B hæ corporis, animíque exercitationes dãtur. præterea, quòd ea ratione non tam priuatorũ relaxationi,quàm publicæ vtilitati conſulitur. Sũt enim hæc publica exercitia velut militiæ quædam præludia,& progymnaſmata, ad futuros caſus, vt Reip.à nobis in tẽpore ſuccurri poſſit, in quibus ciues exerceri operæpretium eſt,vt cùm opus erit, patrię ſubueniant.Sic ſclopetarij exercitatio,ſic iaculatio,ſic in arcu torquendo induſtria hodie locũ habet,& retinetur,quòd eæ res ſæpe magna obſeſſæ Reipub.auxilia attulerunt.

Atque,vt lubentius ad ea exercitia ciues ſe comparent, præmia publicè proponuntur, moderata illa quidem, tanquam induſtriæ quoddam honeſtum inuitamentum,& publica laus, quæ res ſummè eſt reipub. vtilis. Honos enim alit artes,incenduntúrque omnes ad ſtudia gloria. Itaque omni ferè hominum ætate huiuſmodi publicæ exercitationes ſunt inſtitutæ.

Quanquam autem veteres à noſtris quidẽ, quas nunc habemus,fuerint diuerſæ, tamen ad militarium armorum, quibus tunc vtebantur, rationem C comparatæ erant. Quum enim illo ſeculo, etſi pila eminus torquerent, tamen ſclopetos non haberent,ſed pugnarent comminus, atque hæreret pede pes,& viro vir,inter eos quoque hæc quinque publicæ exercitationis genera fere locum habuerunt, Lucta, Diſcus, Curſus ſiue Saltus, Ceſtus, & certamen Equeſtre vel curule, quæ etiam apud Homerum libro octauo Odyſſeæ, Maronem libro 5. Æneidos,& Pauſaniam commemorantur. Quibus Romani poſtea ναυμαχίαν adiecerunt, maximè tempore Auguſti Cæſaris, vt Actiacæ victoriæ perpetua memoria conſeruaretur, ea verò in Tiberi flumine fiebat. Additum quoque fuit poſtea & illud equeſtre certamen, quod Troiam veteres appellarunt, fiebátque in campo Martio: poſteriores autem dixerunt Torneamenta, quorum quia euentus ſæpe periculoſus extitit, & ratio adminiſtratióque erat ambitionis plena, merito publicis legibus poſtea ſublata ſunt. Sed vt ad propoſitum reuertamur, quæ præmia publicè hominibus in huiuſmodi exercitationibus & Ludis certantibus proponuntur ea ferè ſolent eſſe exigua, vt potius victoriæ pignus, & laus eſſe appareant, quàm magnus quidam vincen-

A tium quæſtus. Veteres enim(quemadmodū lib.5. Sympoſiacωn quæſt.3.& lib.8.& cap.4.Plutarchus ſcribit)hæc ſolùm quatuor,pro ampliſsimo publicorum certaminū pręmio, proponebant, Oleam, Pinum,Apium,Poma,quæ puſilla munera diutiſſimè pro magno laudis pręmio habita ſunt, vt idē Plutarchus in Catone Vticenſi docet his verbis, *Dona publicorum certaminum olim loco magnificorum præmiorum,Græci Betam,Lactucam,Raphanum,Pyra dabant:Romani verò,vini amphoras,carnem ſuillam,ficus,cucumeres,lignorum faſciculos.* Quæ poſtea humana ambitio,& auaritia mutauit.Nam in horum locum alia hodie ſucceſſerunt, [illegible] dātur victoribus.

Cap. IIII.

De iis,qui lucrum ex Ludo comparatum in ſympoſium,& communes epulas conuertunt.

B ALtera verò noſtræ,ſuperioriſque regulæ exceptio erit hæc, ne quiſquam exiſtimet exiguam quandam pecuniolæ ſummā, quæ non vt retineatur, ſed vt in communibus epulis inſumatur, in ludo à nobis damnari.Nec enim huiuſmodi lucrum quæſtus eſt, cùm ſtatim in beneuolentiæ conciliationem impendatur, & ipſius amittentis commodo ea ratione quodammodo cedat.Nam ex eo ipſo lucro,qui victus diſceſſit,partem capit,dum ex eo edit,bibítque. Totus enim hic quæſtus,ſumptus eſt,nō autē lucrum victoris, quia benignè cœtū excipit, & paſcit ad maiorem amicitiæ confirmationē, & ſanctius mutuæ inter eos ipſos ſocietatis vinculum retinendum. Quod inter homines Chriſtianos ſine animi ſcrupulo fieri proculdubio poteſt,modò tamen exigua ſit pecuniæ ſumma,in quam luditur, quæ & in iſtos vſus conuertatur. Quod ſi vel per ſe magna ſit illa C ſumma, vel pro perſonarum ludentium ratione immodica,debet vterque,& qui vincit,& qui vincitur à magiſtratu puniri, nec iſtiuſmodi ſumptus,ludúſque à nobis hoc loco conceditur.

Cap. V.

Quæ ludorum genera liceant,quæve prohibeantur,& vetentur.

IAm verò ad ipſa ludorū genera veniamus, quæ licent,quæúe prohibentur, ne tota hęc diſputatatio fruſtrà ſuſcepta videri poſsit.Difficilis ſanè quæſtio,& inter pleroſque variè agitata,de qua interrogatus ſic ſoleo reſpōdere. Ac ſi quæ genera vetentur prius oſtenderimus, facilè ſtatui de reliquis poterit,ea nimirum licere, hominíque Chriſtiano eſſe conceſſa.Ludorum igitur genera, quæ minimè licēt,ſunt varia.Primùm enim quicunque luſus, ludíve, more, & edicto eius ciuitatis,in qua viuimus,vetantur, & interdicuntur, ſunt omnino illiciti cenſendi, quanquam fortaſſe ex ipſo actionis ſuæ genere non ſint turpes,ſed tamen quandiu illic agimus,eſt nobis ab illis abſtinendum. Ea nāque libertatis Chriſtianæ, quæ in rerum ἀδιαφόρων vſu verſatur,cōditio eſt,vt pro variis rerum, locorum,temporum,perſonarúmque circūſtantiis reſtringi poſsit. Nec de iis leges à ſingulis ciuitatibus latæ,ſunt à nobis violandæ,maximè ſi nullum conſcientiis noſtris laqueum, aut ſuperſtitionem A iniiciant: ſed iuſta aliqua ratione, & ad illius loci rationem accommodata huiuſmodi prohibitiones nitantur.Has itaque leges ſi prætergredimur peſſimo exemplo peccamus, & magnū prębemus offendiculum. Secūdo autem loco omnes eos luſus, ludóſque inhoneſtos,& illiberales dico, in quibus actio aliqua ipſa per ſe turpis & fœda verſatur, quales laſciui ſermones,cōtrectationes impudicæ, geſtus inuerecūdi,& molles,quòd homines Chriſtianos oporteat,non tantùm ipſo malo,quod natura tale eſt, ſed etiam ab eo omni, quod aliquam turpitudinis ſpeciem præ ſe fert,abſtinere, vt monet Paulus,1.Theſſal.5.verſ. 22. Itaque huiuſmodi ludi omnes, in quibus aliqua obſcœnę rei repræſentatio,fictio,imitatio,aut proūntiatio ineſt,meritò tanquam turpes & laſciui damnantur. Sunt enim inhoneſtarum libidinū faces,& incendia.Tertio loco,qui luſus ludíve merâ aleâ, prorſúſq; dubio euentu luduntur,& ſtant,incōceſsi,& reiiciēdi B à nobis definiuntur. Sunt autem ij,in quibus tota victoriæ ratio pendet ab ipſa alea.Iam verò infiniti penè ludi hoc genere continentur, imprimis autem chartarum,ſiue foliorum,quæ vocantur,& talorum ſiue cuborum luſiones,quæ idcirco piis hominibus ſiue iis locupletibus, ſiue tenuis fortunæ: ſiue literatis,ſiue artificibus:ſiue publicè, ſiue priuatim:ſiue domi,ſiue foris:ſiue belli,ſiue pacis tēpore interdici debebunt.Nam is ludus, & euētus, qui *alea* nominatur,non tantùm hominū legibus, ſed etiam rationibus,quæ ex ſacroſancto Dei verbo ſumūtur,apertiſsimè damnatur. Galli quidem ferè foliorum, & talorum nominibus omne aleæ genus in ludo deſignant, plures tamē vetitæ iſtius luſionis,& aleæ ſpecies eſſe, fuiſſéque iam olim apud veteres,Iulius Pollux libro octauo Nomēclat. capit.vltimo luculenter teſtatur.

Cap. VI. C

Quid Alea propriè,& qui ludi hoc nomine comprehendantur.

VErùm in his ipſis Chartarum, & Talorum ludis quædam diſtinctio eſt adhibēda.Quidam enim ex iis ea ratione luduntur,& peraguntur, vt ad victoriam plus poſsit honeſta animi induſtria, quàm ipſe aleæ euentus, adeò vt arte ipſa corrigatur, quod peſsimè contráque votum ceciderit. Hi ludi propriè alea dici non debent, nec omnino ſunt prohibendi, tantùm modus adhibeatur.Alij verò ex mero ipſius aleæ velut caſu, & iactu pendent, in quibus nihil hominis induſtria,vt ſine impoſtura & fallacia ludatur, poteſt. Hoc iam poſtremū ludorum genus propriè *Alea* nominatur,& illud ipſum eſt, quod nos penitus improbandū,& ex Chriſtianorum hominū conuiuiis,congreſsionibus,cœtu, familiis, manibus eiiciendū,excutiēdúmque dicimus,quòd in his quicquid ſors dederit,à ludentibus acceptandum eſt, & retinendum.nec damnum,aut caſus iſte vlla arte,qua vti ſit conceſſum,emendari à nobis poteſt. Si quis enim in eo verſuta, & veteratoria quadam calliditate(quam agyrtę,& impoſtores quidam in ludendo tamen norunt, & afferunt) caſum aleæ moderari,aut regere conetur, in ipſius aleæ leges cōmittit,& deprehenſus ab omnibus tanquā nefarius deceptor expellitur.Quas fraudes qui in ludo

adhibent

A adhibent,grauiſsimas rixas & pugnas ſemper cōmouerūt,quod exēplo Temeni cuiuſdā cōfirmat in Meſſaniacis Pauſanias· Quamobrē huiuſmodi ludos aleā propriè, & verè dici fatendū eſt, quòd in iis tota victoriæ ſpes & ratio in ipſo dubio aleæ,id eſt, chartarum vel talorum euentu & iactu poſita eſt,nō in vlla laudabili & conceſſa hominis induſtria. Ac veteres quidē nobiſcū ſentiūt,qui aleā definiunt omne illud in quo ſors ipſa,& incertus nobis euētus dominatur. Vbi enim ipſa victoriȩ adipiſcendæ ratio victoribus ipſis eſt ignota , prorſus ſors,& alea ibi regnet neceſſe eſt, & idcirco is ludus Alea nominatur. Atque hoc ipſum eſt , quod nos hoc loco,totáque diſputatione noſtra dānandum,& improbādū ſuſcepimus,vt quàm lōgiſsimè ab hominū Chriſtianorū congreſsionibus arceatur,remoueatúrque,ſi iam nimia peccandi licentia fortaſſe ſit ingreſſum,& inductū. Vt autē nos ipſos tanti mali & facinoris aliquando pudeat,illius ſcelus,& incōmoda demōſtremus. Primùm profanos homines audiamus,qui verbi Dei luce deſtituebātur,à quibus tamen,quid de tam turpi rerum genere ſit ſentiendum,intelligemus.

B

CAP. VII.

Aleæ luſum ab ipſis profanis hominibus damnari.

M. T. Cicero Philipp. 2. M. Antonio Conſuli in medio ſenatu ſedēti pro ſummo probro obiecit,quòd aleator eſſet,illúdque hominū genus apud ſe haberet. Suetonius Trāquillus in Auguſto,ca.71.ſcribit hoc idē pro ſummo vitio in ſummo,& aliâs optimo illo principe habitū fuiſſe, adeóque vt magnis illius virtutibus fœdā aleȩ labē aſperſerit. Claudius Cȩſar ſtolidi ingenij iudicium maximè ex eo dedit, quòd aleȩ ludo ſummè delectaretur. Gobilo Lacedæmonius cùm ad Corinthios pro fœdere incūdo miſſus eſſet, eóſq; huiuſmodi ludo populariter addictos cerneret,re etiam nō tētata diſceſſit,quòd turpe, & periculoſum duceret Lacedæmoniis cū iſtis luſoribus, & otioſis hominibus fœdus,& amicitiā cōtrahere. Rex Perſarū talos ad Demetriū regē Aſiæ miſit,vt eo iudicio hominis ignauiā notaret. Aſconius Pædianus C in ſecundā diuinationē M. Ciceronis ſcribit huiuſmodi aleatores olim Romæ in quadruplū eius pecuniæ dānatos,quā ludendo amiſiſſent , vt ea pœna cȩteri terrerētur. Lege Roſcia exilio multabantur,qui ſupra facultatū ſuarū modū aliquid aleâ,vel luſerāt,vel amiſerant. Et quod in Cōuiuio ſcribit Plato eos,qui in cōuiuiis hiſtriones adhibēt,planè prodere ſe eſſe homines omnis melioris rerū cognitionis ignaros,qui apud ſe nullā verborum vel rerum ſupellectilem habeāt, ſed voluptatē ab ineptis hominibus mutuētur: idem nobis de Aleatoribus certè quidē dicendū eſt , eos huiuſmodi nugis deditos eſſe,quòd meliori, & liberaliori animi recreatione careant, quā apud ſe inuenire poſſint. Itaque ex rebus his inanibus voluptatem quærūt. Sed quid verbis opus eſt, cùm vel vna Romanorū lex quāto res illa odio digna ſit habita demōſtret, quæ lib.11. Pādectarum tit.5.extat, éſtque numero prima his verbis , *Si quis eū apud quē alea luſum eſſe dicetur,verberauerit,damnúmve ei dederit,ſiue quid eo tempore domo eius ſubtractum ſit , iudicium non dabo. In eum,qui aleæ ludendæ cauſa vim attulerit,vti quæque res erit,animaduertam.*

Lex eſt recitata. Ex qua etiam apparet omnem eum quæſtum,qui in hoc ludo fit,nullo modo neque iudicio,neque extra iudiciū legitimè peti poſſe,tam noxius nimirum,& bonis moribus contrarius à profanis ipſis cenſetur. Quin etiam grauis author Iuuenalis hunc ludum inter ea vitia enumerat,quibus maximè,& facillimè tota familia ſemper corrumpi ſolet, Satyra 14.

Si damnoſa ſenem iuuat alea,ludit & hæres
Bullatus,paruóque eadem mouet arma fritillo.

Iam verò quid Imperatores ipſi de tam turpi inertia cōſtituerint,videamus. Illud autem apertiſſimè ſancitū extat li.3.Codicis Iuſtinianei Tit. 43. his verbis , *Commodis igitur ſubiectorum proſpicientes hac lege decernimus , vt nulli liceat in publicis,vel priuatis domibus,vel locis, alea ludere:neque inſpicere. Et ſi contra factum fuerit,nulla ſequatur condemnatio, ſed ſolutum reddatur , & competentibus actionibus repetatur ab iis,qui dederunt,aut eorum hæredibus,* & paulò pòſt *epiſcopis locorum hoc prouidentibus, & præſidum auxilio vtentibus.* Itaque in eam rem diligenter B incumbere debent epiſcopi , paſtoréſque eccleſiæ ſi eam purā eſſe velint,vt hic ludus ex totius eccleſiæ cōſortio exulet,quemadmodū etiam ab Imperatoribus hæc cura diſertè illis quoque demādata eſt §.interdicimus. Authen. De ſacroſanc. Epiſcopis. nimirū tam magna ſemper huius ludi incōmoda viſa ſunt hominibus , etiā præter ſacri Dei nominis blaſphemias,quæ in iſtis rebus ſolēt eſſe frequētiſsimȩ. Quid verò ius ipſum Canonicū , quod vocatur,& à Papiſtis collectū eſt, fuítne in iſtos luſores lenius,& mitius,quàm ciuile, quāquā & clementiæ laudē Roma.pōtifices affectent, & iā corruptiſsimi cernerentur eccleſiȩ mores? Minimè verò. Nam eos etiam ius canonicū ſeueriſſimè damnat,& planè tanquā maximam hominum peſtem deteſtatur: Id quod tū ex cano. *Epiſcopus* diſt. 35. in decreto:tum etiā decretaliū lib.3.tit.1. c. *Clerici* apparet,adeo vt quodlibet hominū genus communi conſenſu , tanquam ipſius naturæ ore, grauiſsimè ſemper aleam damnarint,& ex Chriſtianorum cōmercio & cœtu lōgiſsimè exploſerint, quoniā illa non tātum homines priuatos,ſed vniuerſa ipſa regna,imprimis autem Aſiatica funditus euertit.

C

CAP. VIII.

Priſcos, & orthodoxos Patres damnaſſe hunc eundem ludum.

NEc minùs verò Chriſtiani homines, priſcíque illi Patres,& venerādi,hoc totū dānoſȩ, & illicitæ inertiæ genus execrantur,quàm ſuperiores illi,de quibus iam diximus, quanquam ſolius naturæ luce edocti. Imò verò longè vehementius in eum detonarunt. Cyprianus,quo nemo ſuo ſeculo fuit ſanctior, etiam Diabolum ipſum huius tam noxij inuenti primum authorem fuiſſe docet. Itaque toto pectore execrandum, & abominandū eſſe teſtatur vir ille pius , quia nullum nobis cum Diabolo, & ipſius muneribus commercium tutū, aut ſalutare eſſe poteſt. Eliberinæ ſynodi cap.70. hȩc verba ſunt. *Si quis fidelis alea,id eſt,tabula luſerit, placuit eum abſtinere.* Chryſoſto. Homil.31. in Euangeliū Ioan.c.4.nominatim talos,& alueolos & qui

A in iis ludi fiunt,perſtringit & deteſtatur. Bernardus etiã ad Milites de piis Chriſtianis, qui Hieroſolymis erant,ſcribens ſic ait, *Aleas deteſtantur. Mimos, & Magos, & fabulatores,ſcurrileſque cantilenas, tanquam vanitates,aut inſanias reſpuunt,& abominantur*. Baſil in Hexamer. Homil. 8.in fi. in Alea eſſe & iuramenta, & implacabiles diſcordias teſtatur, & ὠδῖνας,φιλοχρηματίας.Deniq; diabolũ ipſum qui totũ hoc genus ludi regit & gubernat.In canonibus Apoſtolorũ, qui dicuntur, quóſq; nonnulli vetuſtiſſimos eſſe ſentiunt, apertiſsimè hic idem ludus prohibetur,vt eſt cano. 41. & 42. vt nulla eccleſiæ ætas à nobis cogitari poſsit, nulliq; vnquã fideles homines fuerint, à quibus hoc diabolicæ luſionis genus planè non fuerit profligatum, & damnatũ. In veteri Valdenſium diſciplina,quæ verę & Chriſtianę Eccleſię fuerãt reliquię,his verbis iſte ludus fuit interdictus, *Amores præterea inhoneſti, chorea, impudici ac libidinoſi tactus,& amplexus:ludi item* B *chartarum, taxillorum, & id genus alia. Vnde infinita ac horrenda mala peccatáque iam in Deũ,iã etiã in proximum proſiliunt,prohibentur:ſed & veſtium illa multiformis, & monſtroſa varietas non admittitur*. Ferdinãdus Rex Arragoniæ nullũ aleatorẽ in aula ſua eſſe paſſus eſt & edicto aleã prohibuit.Laurent.Valla.Hiſtor.lib.3.Cæterum patrũ ipſorũ rationes, propter quas in illud tam acerbè,& meritò quidẽ inuehũtur,ſunt audiendæ,vt vel peruicaciſsimi,obſtinatiſſimíque huius ludi defenſores tandem aliquãdo ſilere,& ſui ipſius pudere diſcant. Ac ne videamur nos ipſi in eo duriores,vel fruſtrà tam multa dicere,extat Nicolai Lyrani, qui inter ſui ſeculi homines doctiſsim⁹ habitus eſt,libellus,qui Præceptorium nominatur, in quo ex variis ſcriptoribus rationes nouẽ collegit,propter quas Aleæ ludus inter Chriſtianos minimè tolerandus videri poſsit. Nos tamen tum ex eo ipſo Lyrano, tum etiam ex aliorũ ſcriptis præcipuas ſelegimus, propter quas pij omnes miniméque pertinaces homines facilè intelligent,quantum ſit nobis ab hoc toto ludorũ genere abhorrendum.

C

CAP. IX.

Aleæ ludum ab ipſamet ſacra ſcriptura reprobari.

AC primùm ita quidam, & rectè ſentiunt illud contra tertij præcepti,quod diuina lege continetur,mentem eſſe inſtitutũ. Cùm enim eo capite legis vetemur aſſumere nomen Domini in vanũ,colligũt nullo ſortis genere (in quo procul dubio Alea continetur)in rebus futilibus, otioſis,inanibúſque,tanquam re ſacra,eſſe vtendũ nobis,quòd ea ratione quodãmodo Dei prouidentiæ illudimus, eiúſq; maximis teſtimoniis,& effectis,qualis eſt ſors ipſa,vt eſt Prouerbio. 16.ver.33. 18.ver.18.temerè abutimur.Itaq; Dei ipſius vim, & potentiã hoc modo in vanum ſumi contendunt. Sic enim ſanctorũ exẽplis, deíque præceptis inſtituimur,vt ne ſortes(in quibus ſingulare Prouidentiæ Dei,quemadmodũ diximus, argumentũ ineſt) in re leui,ridicula, & nihili vnquam adhibeamus: ſed tunc tantùm, quum aliquod magni momenti negotium incidit, in quo Deum ipſum tanquam rei gerendæ extraordinarium moderatorem & arbitrum interuenire ſit neceſſe: ne ſi leuiter ſortes proponimus,non tantùm Deum ipſum tẽtare velle, A ſed etiam impiè eius extraordinarię potẽtiæ, & prouidẽtiæ facere inſignem iniuriã videamur. Ergo in Magiſtratuũ electionibus,in familia erciſcũda,in Paſtorum etiã eccleſiæ vocationibus, ſortibus vti nonnunquam fas eſt, quia in iis ſæpe Dei potius,quàm vlla hominum vox & ſuffragium neceſſarium eſt. In iocis autem, & ludo ſortibus vti nobis licere nolũt.Eſt autẽ Alea (quod nemo diffiteri poteſt)vna quędã ſortis ſpecies, eáq; præcipua.Quamobrẽ per eam ſi non apertiſsimè,ſaltem obliquè Dei numen violari in ludo confirmant.

Secũda huius ludi improbãdi ratio eſt quòd præter veriſsimã ludi naturã is inſtitutus eſt, & vſurpatus.Cùm enim hic ludi ſit finis,& ſcopus,vt per eũ vel animi induſtriã exerceamus,vel corporis vires foueamus,certè alea ab vtroq; lõgiſsimè abeſt. Neq; enim in ea corpus exercemus, vt in Lucta, & curſu,ſed ſæpe ne mouemus quidẽ corpus,ſi modò manus,digitos excipias,quia Aleatores otioſi,ludẽtéſque toto die ſedẽt inertes,& ignaui, adeo vt inde B ſæpiſsimè pro iuſta mercede grauiſsimũ illum articularem morbũ contrahant.Animi verò induſtriã aleatores nequaquã augẽt, quia (vti diximus) nihil illa in hoc ludo valet, vel efficit, cùm ex ipſa alea pẽdeat omninò victorię ſpes,ex quo fit,vt etiã qui vincit,miretur ſe viciſſe:neque quicquã de futura in poſterũ victoria ſibi polliceri poſsit. Inde etiã fit,vt qui diſcedit victus,non tã miretur,quàm indignetur ſe victũ eſſe,cùm in eo, quòd vincitur, nullam victoris ipſius induſtriam agnoſcat.Itaque eò animoſiùs,diutiúſque ludunt hoc genere homines,quòd nullam nec νίκης,nec ἀρετῆς probabilẽ cauſſam poſſunt intueri. Vnde neque ſibi ſatisfaciunt vnquam,& quò magis magíſque luſerint, eò quoque fiũt iſtius ludi cupidiores,quoniam neq; corporis, neque animi exercitatio, & laſſatio in hoc miſero,inertíque otio percipitur.

Tertia verò ratio eſt,ipſius Magiſtratus edictũ, per quod hi ludi interdicuntur. Sine offendiculo igitur iã eo modo ludi nõ poteſt, poſtquàm de eo lex eſt lata.Atque præclara eſt illa Pauli ſententia, & ad hoc argumentũ transferẽda,quę eſt 1. Corin. C 8.verſ.13.*Si eſca facit,vt offendat frater meus,nõ veſcar carnibus in æternum, nec faciã vt frater meus offendat*. Cùm verò longè facilius ſit nobis his nugis,quàm carne ad vitam hanc cõmodè ſuſtentandã abſtinere,quis dubitet, quin multò magis hæ nugæ ſint, ne fratres offendantur,fugiẽdæ, & abiiciẽdæ? Nec enim vlla nobis voluptas eſſe debet tanti, vt proptereà fratri offendiculũ præbeamus. Adde,quòd etiam ſi his ludis in perpetuum abſtinemus, alia tamen ratione,eáque honeſta,& animum, & corpus poſſumus recreare.

Quarta ratio,quòd Epheſ.5.v.16. & Coloſ. 4.v.5.iubet Paulus, vt tẽpus redimamus, atque honeſtis rebus,& occupationibus impẽdamus. Cùm enim nobis otiũ datur,vel verbi diuini legendi, vel amicos cõſolandi, vel ægros inuiſendi, vel in aliis rebus proficiẽdi,nõ eſt prætermittẽda,ſed arripiẽda ſtatim iſta occaſio,quę poſteà calua eſt,vt dicitur vel multis modis ſolet ĩpediri,vel interturbari. Multę enim cauſę incidũt,propter quas de iis reb. poſtea ne cogitare quidẽ poſsimus, quę noſtra eſt ſocordia. Quare nõ eſt otiũ hoc noſtrum & tempus,quod nobis tã pretioſum eſſe debet,tam liberaliter,ne dicam prodigè,aleæ iſti profundendum.

Quinta

A Quinta ratio eſt, ipſius ludi natura, quæ prȩter cȩteros hoc habet peculiare, & fœdũ, vt nos inertiſſimos, ignauiſſimos, auariſsimos ſuíq; cupidiſſimos reddat. Neq; enim ab eo poſſumus abduci, vbi ſemel eo delectari cœperimus, quia tũ propter ſedẽtariã quietẽ nullã corporis defatigationẽ, & laborẽ affert: tũ etiã propter incertũ illũ Aleæ euẽtum (ex quo vno tota pendet victoria) nullam ſolidam animi voluptatẽ parit, qua cõtenti diſcedamus. Itaque lucro ſemper inhiãtes facilẽ fore huius alȩ, tãquam fortunæ, mutationẽ, qui vincuntur, ſperant. Qui verò ſuperiores, & victores ſunt, eundẽ aleæ fauorẽ, & euentũ ſibi proſperũ ſemper futurũ & ipſi credũt. Ex quo fit, vt neutri parati ſint ab inſtituto ſemel ludo diſcedere, ſed obſtinatiſsimè, & pertinaciſsimè perſeuerẽt. Verùm quibus in ludis vel corporis exercitatio aliqua adhibetur, vel animi induſtria, finẽ tandẽ aliquẽ habeãt neceſſe eſt, vel propter laborẽ, & defatigationẽ membrorum: vel propter maiores ingenij vires, quȩ in altero ludẽtiũ manifeſtè cernũtur, vt alterũ ingenuè cedere, ſéq; inferiorẽ agnoſcere tãdẽ oporteat. Alea igitur neque finẽ, neque etiam modum habet vllum. B

Sexta ratio, ex turpiſsimo auaritiæ (quæ in hoc ludo plus, quàm cȩteris ineſt) genere & vitio ducitur. Vbi enim cupidius pecunia quæritur? Vbi auidius lucro inhiatur? Vbi animoſiùs luditur? Vbi veteratoriè magis agitur? adeò vt Epheſ. 4. ver. 14. Paulus κυβείαν, & aleã ipſam pro deceptione & veteratoria arte & aſtutia vſurpet? Nullus eſt ſanè ludus, vbi maior pecuniæ ſumma profundi ſoleat. Nullus, vbi ſit pertinacior inertia. Nã quoſdã ducatus etiã ipſos, & nõ tantùm equos, ornamẽta corporis, aurũ, argentũ, lapides pretioſos, ſupellectilem denique vniuerſam, hoc ludo amiſiſſe memoriæ proditũ eſt. Quidã etiã ſe ipſos in ludũ pro pecunia, qua carebãt, propoſuiſſe traduntur, qui victi durã poſtea ſeruitutẽ victorib. ſeruierunt, adeo vt hic ludus tandem prodeat, quemadmodum Iuſtiſtinianus ait, in acerbiſsimas ampliſsimarum familiarũ lachrymas, dum proprias ſubſtantias perdũt.

Denique nullum eſt vſurȩ genus ſceleratius, aut maius, quódque ſit cum hac lucri (quod fit aleâ) ſpecie cõferendum. Hîc enim ſine mutuo, ſinéque vllo labore noſtro pecuniæ fructum, & acceſſionẽ C maximam percipimus: atque etiam tantundẽ, quãta eſt ipſa ſors à nobis depoſita: ſed id ſtatim, & tẽporis momento, lucramur. Quæ omnia planè intolerabile genus auaritiæ in hoc ludo verſari probãt, ſúntque tetriora, quàm ſi vſuram vſuræ perciperemus, quod omnis hominum ætas pro ſummo flagitio ſemper exiſtimauit.

Poſtremò ſeptima huius ludi dãnandi, & ex honeſtorum ludorum numero expungendi, ratio eſt, quòd ſacroſancti Dei nominis blaſphemiæ teterrimæ, excandeſcentiæ maledicẽtiſsimæ, Diaboli inuocationes fœdiſsimæ, Dei ipſius abnegationes horrendæ in Alea frequentiſſimè inſunt, adeò vt penè iis nũquam careat. Id quod Imperator Iuſtinianus lege etiam edita teſtatur. Ex quo factũ eſt, vt alea tanto digna odio ſanorum hominum iudiciis cenſeretur, vt locus ipſe, & ædes, in quibus luditur, primùm confiſcari, deinde verò prorſus deſtrui iubeantur, vetetúrque ne in poſterum in iis mortalis quiſquam habitet, tãquam perpetua Dei ipſius ira in eo loco manſura ſit.

Poſtremò poſſem alia quoque incommoda propè infinita commemorare, ſed quid pluribus eſt opus, A cùm ea, quæ hactenus diximus, placidis manſuetíſque ingeniis ſatis fore ſperemus, qui rationi parêre & poſſunt, & didicerunt? Contumacibus autem, & ad turpes voluptates potiùs, quàm ad humanam ſocietatem natis hominibus, nihil vnquam ſatis eſſe poterit, quos perſuadere quidem non conabimur (quid enim oleũ perdemus?) ſed eos multis pecuniariis, pœniſque grauiſsimis à magiſtratu coercendos, & ab alea reuocandos eſſe potiùs cenſemus. Alias etiam rationes affert pro noſtra ſentẽtia tuenda P. Martyr doctor egregius in lib. Iudic. cap. 14. ſed nos eas tantùm adduximus, quas ſumus apud nos ipſos meditati.

Cap. x.

Reſponſio ad eorum obiectiones, qui aleæ ludum pertinaciter tuentur.

NE tamen iſti conquerantur (quod ſolent) ſe inauditâ, ~~aut non ſatis perpenſâ cauſâ~~ eſſe à B nobis ~~damnatos, age eorum rationes,~~ ſi quæ ſunt ~~audiamus.~~

Primùm igitur clamitant nos eſſe nimiùm ſeueros, & penè ſuperſtitioſos, dum videri volumus nimiùm iuſti. Quod ſedulò cauendum eſſe monemur Eccleſ. cap. 7. verſ. 17. ~~Fatemur ig~~itur id quidẽ verum, quod eſt apud Eccleſiaſt. Sed reſpõdemus tamen nobis eſſe nõ tantùm à malo ipſo, quod naturâ malum eſt: ſed etiam ab omni ſpecie mali abſtinendum, vt docet Paulus præclarè, 1. Theſſalon. cap. 5. verſ. 22. Suprà verò docuimus aleam non tantùm ipſis ludentibus damnoſam eſſe: ſed etiã ipſam per ſe fœdam, & naturâ ſua turpem. Quæ igitur nimia ſeueritas videri poteſt, ſi Alea, & tali iſti de Chriſtianorum hominum manibus à nobis excutiantur? Eſtne verò iſtud ſuperſtitioſum, aut Chriſtianorum libertatem Chriſtianis adimere (quod illi nobis obiiciunt) cùm & honeſtos ludos concedimus, & moderatam animi, corporíſque exercitationem relinquimus, per quam vtriuſque vires cõſeruentur? Chryſoſtomus ille Græcorum Theologorum diſertiſsimus Homil. 1. in ſui ſeculi corruptos mores, ad huiuſmodi quaſdam obiectiones, C quæ etiam tunc temporis à perditis hominibus iactabantur, reſpondet, negátque eos in emendanda Chriſtianorum vita eſſe ſeueros, qui quicquid in ea ſuperfluum, & ſuperuacaneum apparet, tollunt, & præſcindunt.

Quin ea ipſa Chriſtiana libertas, quam tantoperè iſti prætextunt, etiam in rebus mediis ita nobis moderanda eſt, vt neque contra honeſtas ciuitatis leges, neque ad proximorũ offenſionem vnquam ea vtamur, nedum vt eam licentioſè ad res naturâ ſua incommodas, inhoneſtas, & vetitas extendamus.

Secundo verò loco nobis obiiciunt: Nihil mali ſe in eo ludi genere perſpicere, modò ſine nominis Dei blaſphemia, ſine excandeſcentia, ſine vllo auaritiæ animo ludatur. Præclara ſanè exceptio; quaſi ſi in pecuniã ludatur, poſsit ſine auaritiæ, & lucrandi affectu ludi. Quin hoc etiam ipſum minimè cõcedendum docuimus, vt vllo pacto ſiue honeſti ſint ludi, ſiue inhoneſti, in quæſtum, pecuniámve ludatur. Quod autem ſe nihil perſpicere

A dicunt,cur meritò alea damnetur, falluntur grauiſſimè. Præter quàm quòd enim vtuntur alea,quæ manifeſtiſsimum ſortis genus eſt , quam in rebus nullius momenti vetantur vſurpare,etiam hæc ratio planè aduerſus iſtos pugnat , quòd aleæ vſus ſemper aleatoribus ipſis exitioſus , & miſerabilis eſt. Item vix ac ne vix quidem ſine nominis Dei blaſphemia fuit,adeò vt, quemadmodum eſt Prouerbio.capite decimoquarto,verſ. 12. & verſ. 13. iſtius breuis voluptatis finis ſit tandem ſumma nequitia , & perpetua animi ægritudo cum opum ipſarum profuſione coniuncta. Atque iſti quidem cupiditate ſua excæcati ad tempus ita ſentiunt:ſed poſtea noſtram ſententiam, & admonitionem veriſsimam eſſe, ni ſibi maturè proſpiciant , re ipſa experientur. Ergo Chryſoſto.tandem audiant Patrem in vitiis hominum indagandis & pernoſcendis exercitatiſsimum,qui Homl.15.ad pop.Antiochen.ſic ſcribit,*In theatra aſcendere: & equorum certamina ſpectare:& aleas tractare non videtur multis* B *peccatum eſſe manifeſtum: ſed infinita vitæ mala ſolet inferre.Nam ſpectacula in theatris fornicationem, petulantiam,& omnem incontinentiam peperit:curulis certaminis ſpectatio pugnas, conuicia, flagella: circa aleas ſtudium blaſphemias,damna, iras,conuitia , infinitáque his grauiora. Non tantùm igitur peccata fugiamus : ſed & hæc per quæ in peccata protrahimur.*

Tertio autem loco excipiunt , non ipſam quidem per ſe Aleam damnari , ſed nimium tantùm & immoderatum illius vſum improbari , & ſi quæ ſint iſti inertiæ velut addictæ & deſtinatæ domus. A quibus ego ſcire velim,quid vox ipſa *Alea* Latinè loquentibus ſignificet ? An non igitur Alea ipſa,id eſt, ipſe ludus Aleæ , ſicut & locus,in quo Aleâ luditur,eſt lege & damnata,& comprehenſa? Deinde vnde tandem nimius iſte,& immoderatus aleæ vſus proficiſcitur, niſi ex paruis primùm huius mali initiis,& conſuetudine,cui eſt maturè C occurrendum?

Quòd etiam afferunt, Vrbanitatem, quam εὐτραπελίαν Græci vocant,eſſe virtutem, quæ etiam in ludis & iocis verſatur, ſanè admitto : ſed primùm dico,eam in honeſtis tantùm & conceſsis ludis verſari : nõ autem in turpibus,& exitioſis aleis. Deinde illam eos ipſos ludos moderari,ne præter modum iis indulgeamus,aut occupemur.

Denique quòd petunt, Vbinam in tota ſacra Scriptura facta ſit tam odioſè Aleæ mentio, ſuam ignorantiam ~~produnt. Sunt enim ſacræ~~ Scripturæ A apertiſsimi ~~loci duo~~, in quibus non ſine horrore Aleæ vocem, & ludum legimus , è quibus primus eſt Pſalm.22. verſ.19. Alter autem apud Iohannem cap.19.verſu 24.vbi ſuper veſtimenta ipſius Chriſti ſors,& alea dicitur miſſa. Et certè eſt ferè omnium prima ad morum diſſolutionem , & nequitiam inducendam feneſtra, quæ patefieri à Satana in Dei Eccleſia ſolet,nempe Alea.

Breuiter , vt tandem totum hoc argumentum , & locum concludamus, viſum eſt operæpretium illum Cypriani patris optimi locum pro coronide annotare ex ipſius libro, qui de Alea ſcriptus eſt,vbi hunc ludum Satanæ inuentum eſſe Cyprianus demonſtrat. Cùm enim ille humani generis hoſtis idololatriam animis hominum altiùs imprimere,& in ipſa conuiuia , iocos, & ludos deducere vellet , vt ipſe quadam etiam cum voluptate, velut noxio melle , inter mortales B liberè regnaret, hoc nefandum ludi genus protulit.Itaque quæ in chartis & foliis figuræ hodie Reges,reginæ,& ſerui nominantur , olim & primùm idolorum ipſorum effigies erant,& idolorum manifeſta nomina habebant. Ætas autem poſterior quòd ſe Chriſtianam eſſe diceret , hoc idololatriæ veriſsimum & plauſibile quidem monumentum retinens,tantùm nomina iſta interpólauit. Nam pro antiquis illis idolorum imaginibus , & nominibus Caroli Magni , Lanceloti , & aliorum quorundam vel ducum vel regum nomina ineptè ſubſtituit : rem tamen ipſam , vſúmque muneris iſtius Satanici conſeruauit , adeò vt etiam inter Chriſtianos ipſos hæc idololatriæ periculoſiſsima etiamnum hodie veſtigia extent. Ergo nomen tantum mutatum eſt , id eſt color tantùm , & vultus:res autem ipſa, & maleficium , & fœditas manet eadem etiam inter Chriſtianos, inter quos Alea vſum habet. Quamobrem cùm ſit hactenus demonſtratum aleæ ludum ipſi Dei verbo eſſe C repugnantem, ipſis luſoribus prorſus damnoſum,& exitioſum , cum tot incommodis , & offendiculis coniunctum , bonis legibus contrarium , morum Chriſtianorum reformationi,& ſanctitati aduerſantem , denique eſſe Satanæ ipſius tanquam fœdiſsimum ſputum, crepitum , & inuentum, iam à nullo verè Chriſtiano viro dubitari poteſt, quin ſibi ſit penitus ab eo & fugiendum , & abſtinendum.

PHYSICE

L. D.

PHYSICE CHRISTIANA, SIVE, CHRISTIANA DE RERVM CREATARVM ORIGINE, ET VSV DISPVTATIO.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΛΑΜΒΗΡΤΟΥ ΤΟΥ

Δαναίου φυσικὴν Χριστιανὴν, Γαΐου Ἀντωνίου
τοῦ Σαρρακηνοῦ δεκάστιχον.

Εὖ ὁ Πλάτων πρὸ τοῦ, μετὰ τοῦτον ὁ Νικομάχειος
 Ὦιξαν τῆς σοφίης ἀστράπτοις κρυφίας.
Οὕνεκα συμπάντων προφερέστατον ἔλλαχον εὖχος·
 Οἱ περὶ ἀνδρομέην εὐδοκίμουν σοφίην.
Ἔξοχα δ' αὖ κείνων ἴδρις προφέρει ὁ Δαναῖος
 Ἐκ πηγῆς ἱερᾶς τὴν σοφίην ἀφύων.
Δόγμασι γὰρ παλαιῶν λαμπροῖς οὐκ εὐδοκεῖ ἄλλοις,
 Ἢ ὅσα συμφωνεῖ γράμμασι τοῖς ἁγίοις.
Οἱ γοῦν παμπόλλην χάριν ἴδμεναι ἄμμας ἔοικε,
 Δεικνοῦντι Χριστοῦ αἰπυτάτην σοφίην.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΑΥΤΗΝ

Αἰμυλίου τοῦ Πόρτου.

Οὐ βροτέης φύσεως ἔην ἀρχὰς αἴτιά τ' ὄντων
 Εὑρέμεναι δεῖξαί τ' ἔργον, Ἀριστότελες.
Ἀλλ' ἔτλη σοφίη κενεόφρων· ἐν σκοτίῃ δὲ
 Ἀμφαφόωσ' ἀχλὺν μάρψατο ἠερίην.
Νῦν δὲ πανυψίστοιο Δαναῖος ὅδ' ὢν ὑποφήτης
 Τὴν Χριστοῦ φυσικὴν γνήσιον ἐκπροφέρει.

IN LAMB. DANÆI DOctiſsimi viri Phyſicen Chriſtianam.

Τῆς φύσεως φενάκῃ, φύσεως ἤσχυναν ἄνακτα
Θαυμάσαι φύσεως κενεόφρονες· ἠ καὶ ἑαυτοῖς
Ἠδὲ φύσιν συγκρᾶ αἴσχεις ἐνέδησαν ἀνάγκῃ,
Εἰδώλῳ τέχνης αὐτοῖς φήναντες ἀτέχνοις.
Ἰδμοσύνης λάβον οὖν ψευδωνύμου αἰνὸν ἄποινον,
Μνημόσυνον γ' ἀπάτης λιποφθεγγέος ἠεροφοίτου.
 Ἀλλὰ σὺ, δῖε Δαναῖε, ἀμωμήτοισι λόγοισι
Θεσμὸν ἀμωμήτου φύσεως ξυνετῶς ἀποδείξας,
Καὶ φύσεως γενετῆρα Θεὸν, φύσεως καὶ ἄνακτα
Αἰδοίοις τιμῇσιν ἀμωμήτοισι γεραίρεις·
Ἠδὲ σοφὸς κεδνὴν κεδνῶς φύσιν ἀντιγεραίρεις,
Πλὴν αὐτὸς τιμῆς οὐκ ἤμβροτες, ἀγλαὰ δῶρα
Νημερτοῖς τέχνης μύστης λάβες, ἆθλον ἄμωμον
Θείας ἰδμοσύνης εὐωνύμου, ἀσκελὲς αἰὲν,
Μνημόσυνον σοφίης αἰειζώοιο χαράξας.

Io. Serrani.

In inanem mundi Philoſophiam.

Quidnam ſuſpicitis mortales vana ſophorum,
 Et teritis totos, ſed ſine fruge, dies?
Qui Ratione volunt humana cuncta doceri,
 Huicque ſubeſſe Deum, quicquid & orbis habet.
Dogma ſatis non eſt natæ ad cœleſtia menti
 Quod ratio dictat, lumine fulta ſuo.
Nec natura ſagax hominum primordia rerum
 Monſtrat: ſed ſummi myſtica verba Dei
Informant mentes, hæc ſunt documenta piorum.
 Hæc animos noſtros ſola beare queunt.
Cætera ventoſos pariunt, tumidóſque fauores
 Dementis vulgi, ludicra quæque ruunt.
Ergo Chriſticolæ Phyſicen hinc diſcite veram:
 Vos ſimiles ſummo reddet & ipſa Deo.

Tuſſanus Ducretus Medicus
L. Danæo D.D.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

NE cuiquam fortaſſe videatur noua, & à veterum Patrum ſententia aliena hæc Phyſices Chriſtianæ tractatio, placuit aliquot eorum authoritates afferre, vt hanc eſſe optimam de rebus Phyſicis Philoſophandi rationem appareat, quæque in Chriſtianis ſcholis obtinere debet, nempe ſi non ex prophanorum Philoſophorum ſcriptis, ſed ex ipſo Dei verbo hanc artem didicerimus.

EX BASILII HEXAMER.

Homilia prima.

COMPLVRA de rerum natura ſapientes Gręcorum diſſeruerunt, & nulla prorſus apud illos ratio, nulla ſententia fixa, ſtabilis immobilíſque permanſit, poſteriore ſemper antecedentem eiiciente: ita vt abſque vllo negotio opiniones illorum euertere poſſimus, cùm ipſi mutua inter ſe diſſentione ad ſubuertendum ſeipſos ſufficiant. Qui namque Deum ignorauerunt, ij mentis compotem cauſſam ortui rerum præeſſe non conceſſerunt: ſed ea quæ deinceps emergere videntur ad ſuam accommodata primam ignorationem in medium attulerunt ac concluſerunt. Quamobrem quidam ad materiales ſuppoſitiones confugerunt, vniuerſíque cauſam ad elementa mundi redegerũt atque accommodarunt. Quidam indiuidua & inſecabilia corpora & moles, atque meatus omnium quæ conſpiciuntur, continere naturam aſſeruerũt: & ortus occaſúſque rerum concurſionibus nunc ac coagmentationibus, nũc diſceptationibus corpuſculorum illorum inſecabilium fieri, validiorémque connexionem eorundem diuturniorum corporum durationis cauſſam eſſe. Stamen aranei qui hæc ſcribunt profectò texunt, qui pertenues adeo cauſſas, exiguáque principia cœli terræque ſupponunt, quæque in ratione rerum eſſe non poſſunt. Non enim dicere ſciuerunt illud, *In principio fecit Deus cœlum & terram.* Quapropter ſine gubernatione vlla prorſus, adminiſtrationéque hoc Vniuerſum eſſe, ac caſu fortunáque ferri putarunt, impietate propria decepti qua Deum eſſe negabãt: in quod abſurdum ne nos incidamus, is qui opificium mundi conſcripſit, in primis ſtatim verbis per introductum nomen Dei noſtram illuſtrauit mentẽ hoc exorſus modo, *In principio fecit Deus cœlum & terram, &c.*

EX AMBROSII HEXAmer. lib. 1. cap. 1.

TAntúmne opinionis aſſumpſiſſe homines, vt aliqui eorum tria principia conſtituerent omnium, Deum, & exemplar, & materiam: ſicut Plato diſcipulíque eius, & ea incorrupta & increata ac ſine initio eſſe aſſeuerarent: Deúmque nõ tanquam creatorem materiæ, ſed tanquam artificem ad exemplar, hoc eſt ideam intendentem, feciſſe mundum de materia, quam vocant hylen, quæ gignendi cauſſas rebus omnibus dediſſe aſſeratur: ipſum quoque mũdum incorruptum nec creatum, aut factum exiſtimarent: alij quoque, vt Ariſtoteles cum ſuis diſputandum putauit, vt duo principia ponerent materiam & ſpeciem: & tertium cum iis quod operatorium dicitur, cui ſuppeteret competenter efficere, quod adoriũdum putaſſet? Quid igitur tam inconueniens, quàm vt æternitatẽ operis cum Dei omnipotentis coniũgerent æternitate, vel ipſum opus Deum eſſe dicerẽt, vt cœlum & terram & mare diuinis proſequerẽtur honoribus? Ex quo factum eſt vt partes mundi Deos eſſe crederent: quamuis de ipſo mundo nõ mediocris inter eos quæſtio ſit. Nam Pythagoras vnum mundum aſſerit, alij innumerabiles dicũt eſſe mundos, vt ſcripſit Democritus, cui plurimum de Phyſicis autoritatis vetuſtas detulit: ipſum quoque mundum ſemper fuiſſe & fore Ariſtoteles vſurpat dicere: contra autem Plato non ſemper fuiſſe, ſed ſemper fore præſumit aſtruere, plurimi verò nec fuiſſe ſemper, nec ſemper fore ſcriptis ſuis teſtificantur. Inter has diſſenſiones eorum quæ poteſt eſſe veri æſtimatio, cùm alij mundum ipſum Deum eſſe dicant, quòd ei mens diuina, vt putant ineſſe videatur: alij partes eius, alij vtrũque: in quo nec quæ figura ſit deorum, nec qui numerus, nec qui locus, aut vita poſſit aut cura comprehendi? ſiquidẽ mundi æſtimatione volubilem, rotundum, ardentem, quibuſdam incitatum motibus ſiue ſenſu Deum cõueniat intelligi, qui alieno, nõ ſuo motu feratur.

EX CAP. II.

Vnde diuino ſpiritu præuidens ſanctus Moſes hos hominum errores fore, & iam fortè cœpiſſe, in exordio ſermonis ſui ſic ait, *In Principio fecit Deus cœlum & terram.* Initium rerum, autorem mundi, creationem materiæ comprehẽdens, vt Deum cognoſceres ante initium mundi eſſe, vel ipſum eſſe initium vniuerſorum: ſicut in Euangelio Dei Filius dicentibus ſibi, Tu quis es? reſpondit, *Initium,* quod & loquor vobis, & ipſum dediſſe gignendi rebus initium, & ipſum eſſe creatorem mundi, nõ, idea quadam duce, imitatorem materiæ, ex qua nõ ad arbitrium ſuum, ſed ad ſpeciem propoſitam ſua opera formaret. Pulchrè quoque ait, *In principio fecit*: vt incomprehenſibilem celeritatem operis exprimeret, cùm effectum priùs operationis impletæ, quàm indicium cœptæ explicuiſſet. Quis hoc dicat, aduertere debemus. Moſes vtique ille eruditus in omni ſapientia Ægyptiorum, quem de flumine collectum filia Pharaonis vt filium dilexit, & ſubſidiis regalibus fultũ omnibus ſecularis prudentiæ diſciplinis informari atque inſtrui deſiderauit. Qui cum de aqua nomen acceperit, non putauit tamen dicendum, quòd ex aqua cõſtarent omnia, vt Thales dixit.

& paulò poſt,

Nõ in viſione neque in ſomnio, ſed ore ad os cum Deo ſummo loquutus, neque in ſpecie, neque per ænigmata, ſed clara atque perſpicua præſentiæ diuinæ dignatione donatus. Is itaque Moſes aperuit os ſuum, & effudit quæ in eo Dominus loquebatur, ſecundum quod ei dixerat, cùm eum ad Pharaonem regem dirigeret, *Vade ergo, & ego aperiã os tuum & inſtruam te quid debeas loqui.* Etenim ſi quod de populo dimittendo diceret, à Deo acceperat, quanto magis quod de cœlo loqueretur? Denique non in perſuaſione humanæ ſapientiæ, neque in philoſophiæ ſimulatoriis diſputationibus, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, tanquam teſtis diuini operis auſus eſt dicere, *In principio fecit Deus cœlum & terram.* Non ille vt atomorum concurſione mũdus coiret, ſerum atque otioſum ſpectauit negotium: neque diſciplinam quandam materiæ, quã contemplando mũdum poſſit effingere; ſed autorem Deum exprimendum putauit. Aduertit enim vir plenus prudentiæ, quòd viſibilium atque inuiſibilium origines ſubſtantiarum & cauſſas rerum mens ſola diuina continet, non vt philoſophi diſputãt, validiorem atomorum complexionem perſeuerãtiæ iugis præſtare cauſſam, & iudicauit quòd telam araneæ texerent, qui ſic minuta & inſubſtãtiua principia cœlo ac terris darent: quæ vt fortuito coniungerentur, ita fortuito ac temere diſſoluerentur, niſi in ſui gubernatoris diuina virtute conſtarent. Nec immeritò gubernatorem neſciũt, qui non nouerunt Deum, per quem omnia reguntur & gubernantur.

CAP. III.

Sequamur ergo eum qui & autorem nouit & gubernatorem, nec vanis abducamur opinionibus. *In principio,* inquit. Quàm bonus ordo, vt illud primum aſſereret, quod negare conſueuerunt, & cognoſcerent principium eſſe mũdi, ne ſine principio mundum eſſe homines arbitrarentur.

ibidem,

Neque verò, ſi ipſe non comprehendas, idcirco

non

A non cœpit,aut nequaquam deſinet.Si ipſe circuitũ vel atramento,vel graphio ducas,vel centro exprimas, vnde cœperis, aut vbi deſieris, interuallo interpoſito, non facilè vel oculis colligis,vel mente repetis,& tamen & cœpiſſe & deſiuiſſe ipſe tibi teſtis es. Nam etſi ſenſum ſubterfugit, veritatem nõ ſubruit. Quæ autem initium habent, & finem habent:& quibus finis datur initium datum conſtat. Finem autem mundi futurum ipſe Saluator docet in Euangelio ſuo dicens, *Præterit enim figura huius mundi : &,cœlum & terra præteribunt*, & infra. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem mundi.* Quomodo ergo coæternum Deo mundum aſſerunt,& creatori omnium ſociant , atque æqualem eſſe diſputant creaturam,corpúſque materiale mũdi inuiſibili illi atque inacceſſibili naturæ diuinæ coniungendum putant , cùm præſertim ſecundum ſuam ſententiam nõ poſſunt negare, quoniam cuius partes corruptioni & mutabilitati ſubiacent, huius neceſſe eſt vniuerſitatem iiſdem paſſionibus,quibus propriæ portiones eius ſunt obnoxiæ, ſubiacere?

EX CYRILLI LIB. II.

B

aduerſus Iulianum.

Itaque multa quidem ille (*Iulianus*) aduerſus nos euomit , contra Moſem autem intempeſtiuè plura loquitur,& illius librum non vulgariter accuſat. Dixit enim librum Geneſeos nihil vſpiam veri dicere , collegiſſéque illum deliros quoſdam qui ſenuerint:& quę ſummo eloquio celebrare cõueniebat, ea omnia extenuaſſe : & dum ita ſimpliciter ac ruditer conſcriptus eſt , autorem voluiſſe videri , quòd dicat quippiam ſapiens & auditu dignum.Admiratus autem eſt ſapientum Græcorum opiniones ſuper ea re , Platonicáque præ aliorum plauſibus,& laudat & celebrat. Ego autem , quod hic iterum arroganter agit,prætereo,ſed quod friuolum in Græcorum poëſi ſurrectum ſupercilium inuenerit,pro virili tentabo dicere.

Operæpretium igitur arbitror ex illorum libris colligere & apponere ſingulorum opinionem,quã de mundi conſtitutione habere voluerunt. Deinde quid de mundi natiuitate Moſes ſenſerit ſubiiciam.Lectoribus enim apparebit quam ineptè illi & anguſtè delirent,& quàm dilucida ſit in ſcriptis C Moſis veritas.

Igitur Plutarchus,vir apud illos non ignobilis, in ſecũdo libro collectionis Phyſicorum dogmatum,ita inquit de mundo: Pythagoras primus nominauit vniuerſorum continentiam mundum , à rerum ordine qui in illo eſt. Thales, & qui ipſum ſequuti vnum mundum.Democritus & Epicurus, & illius diſcipulus Metrodorus, infinitos mundos in infinito ſecundum omnem circunſtãtiam. Empedocles Solis circuitum dixit circunſcriptionem mundi eſſe : Seleucus infinitum mundum. Diogenes vniuerſum quidem infinitum, mundum autem finitum. Stoici mundum & etiam totum differre volunt. Vniuerſum enim eſſe, quod cũ vacuo immenſo,totum autem abſque vacuo mundum,& ita idem eſt illis totum & mundus. Deinde de figura mundi iterum ſic dicit:Stoici quidem mundum dicunt eſſe figuræ ſphæricæ , alij autem ſimilem galeæ. Alij verò, vt Epicurus, mundos quidem eſſe ſphæricæ figuræ poſſe, poſſe autem & alias habere figuras. Iterum quoque dicit enarrans opiniones Græcorum Philoſophorũ,num animatus ſit mundus vel non. Sic enim alij quidem omnes animatum eſſe mundum, & prouidentia adminiſtrari dixerunt. Democritus autem & Epicurus, & quotquot atoma ac vacuum introducunt,neque animatum eſſe,neque prudentia adminiſtrari, ſed natura quadam irrationali ſic ſe habere aſſerunt. Ariſtoteles neque animatum totum per omnia,neque rationale, neque mentale, neque prouidentia adminiſtrari dicit: ſed cœleſtia quidem ſocietatem horum omnium habere,& ſphæras continere animatas & vitales : terrena autem nihil horum, bonum autem ordinem per euentum , non per prouidentiam ſortiri.Et hæc quidem dę illis.

Quoniam autem mẽs illis erat vltra examinare, vtrùm corruptibilis ſit mundus ſecundum naturã, vel non,iterum opiniones habuerũt etiam de hoc. Pythagoras & Stoici mundum quidem dicebant eſſe genitum à Deo , & quantum ad naturam attinet,corruptibilem:ſenſibilem enim eſſe, idcirco & corporalem,non corrumpendum tamen prouidẽtia & continentia Dei: Epicurus corruptibilem,vt animal & plãtam: Xenophanes ingenitum & perpetuum & incorruptibilem mundum : Ariſtoteles partem mundi ſub Sole paſſibilem,in qua & terrena finiantur.Audite ô viri,& iam intelligite,quanta in his deliramenta.Nam qui opinionibus ita inter ſe pugnant, & hoc ac illud confuſè, ſimpliciter ac inconſideratè ſecundum quod vnicuique videtur eructant,quomodo non exiſtimarentur potius diuinatores quàm veritatem edocti ? nam illi quidem vnum mundum , hi autem multos : & iterum alij quidem genitum aſſerunt, & ſunt qui his in vniuerſum reſiſtunt , & diuerſum ſentientes, aiunt incorruptibilem ac ingenitum eſſe. Adhuc & illi quidem prouidentia Dei gubernatum, alij verò aiunt eſſe abſque prouidentia : elementorum autem bene ordinatos motus,motibus per ſe , & accidentibus diſtribuunt. Et ſunt alij qui ipſum animatum eſſe dicũt,alij autem neque animatum, neque mẽtalem : & in ſumma mens eorum ſimilis eſt ebrio,hinc & inde ſe volutanti.

Quoniam autem in Platonis opinionibus , quę præ aliis elegit, maximè moratur : dixerim , quòd Plato & Pythagoras ideo honeſtiùs de Deo & mũdo opinantur,quia conuerſati inter Ægyptios,illorum eruditionem vel diſciplinam ſortiti ſũt, apud quos certè creber de ſapientiſſimo Moſe ſermo erat,& doctrinæ eius vſque ad miraculum obſeruabantur. Veruntamen dicunt Platonẽ ſenſiſſe quæ pugnent cum ſeipſo, & diſcipulum eius Ariſtotelem noluiſſe cum illo ſapere, ſed maluiſſe contradicere, & illi ſe opponere.Nam Porphyrius dicit, opinari quidem Platonẽ de cœlo, diceréque quòd corporea eius ſpecies conſtiterit ex quatuor elementis,ab anima inter ſe conſonantiam habentibus.Ideò dicit,interdum cõiunctionem,interdum diminutionem dici. Interpretatur item nomẽ:vocatum eſſe οὐρανὸν cœlum ab horaſthæ ὁρᾶσθαι videri, eo quòd viſibile quiddam videatur. Ariſtoteli autem non ita ſe habere videbatur. Vnde enim , inquit,compoſitum cœlum?neque enim ex quatuor elementis. Vnde imaginatur quintum quoddam corpus,quod cum quatuor illis communionem nõ habet.Item Plato mundum animalem eſſe dicit,&

animal mẽte prędítũ,tribuítque ei prouidentiã gubernari,genitúmq; eſſe,&corruptibile,quantũ adeius naturam attinet, definit. Verùm diſcipulus eius non idem ſenſit:neque enim animatum totum, neque mentalem, neque prudentia gubernatum, ſed neque genitum eſſe tribuit ei, ſed vult incorruptibilem ac ingenitum. Et iterum,vehemens ille & celebris Plato, tria principia vniuerſi eſſe aſſerit, Deum & naturam, & Ideam: & Deum quidẽ eſſe factorem, materiam autem ſubiectum, Ideam verò vniuſcuiuſque quod efficiendum eſt, exemplar. Iterum autem obluctatur illi Ariſtoteles, ídque nõ ſemel euenit. Ideam enim nec credere nec dicere vult. Duo autem inquit eſſe principia, Deũ & materiam. Tria iterum Plato principia eſſe dicens, Deum, & Materiam, & Ideam: adiicit etiam quartum,quod omnino Animam vocat,& ante illa materiam ingenitam dicens & genitam, ipſam deinde Ideam,quæ aliquando eſt,quod det ipſum ſecundum ſe ſubſiſtere: pugnat autem ſecum cum ſuis adinuentionibus, dicens in Dei cogitationibus ſubſiſtere ipſam,& non habere propriam ſubſiſtẽtiam,hoc eſt eſſentiam. Vtri igitur ſe addicet veritatis ſcrutator, vt irreprehenſibilem & abſque errore viam ſectetur? Vtrum ex nominatis aſſeremus à mendacio? Vtri ſuffragium feremus,quòd in nullo ſit lapſus? Imo quomodo erunt fide digni,vt aliquibus perſuadeant,qui tantum à veritate aberrãt, ita vt non ſolùm ab aliis, ſed & inter ſe, & ſecum quique diſſideant? Laudat hæc & celebrat ſapientiſſimus ille Iulianus,& Moſaica mordet,ac omnia perturbãs Platonis ſermones illis opponere audet.

GENEROSO DOMINO, DOMINO FRIDERICO A NACHOD, DOMINO IN DANOVIZ, ET
Beſko,&c. Domino ſuo & patrono benigniſsimo.

VETVS eſt & nobilis de Mundi origine & primo rerum ortu quæſtio, Baro generoſiſs. quæ non modò Philoſophorum, ſed etiam Chriſtianorum ingenia diu, multúmque exercuit, & vexauit, atq; tandem propter diuerſa hominum iudicia ſic dubia viſa eſt, vt quid de ea ſtatuerent multi, etiam autores grauiſſimi, non haberent. Nam inter Chriſtianos Origenes in libris περὶ ἀρχῶν, *(quod ipſius opus præter cætera egregium plerique æſtimant) & qui poſt eum Hexamera ſcripſerunt, ita in diuerſas ſententias diſcedunt, vt nihil certi ex eorum ſcriptis videatur definiri poſſe. Inter Philoſophos autem, homines Dei veritatiſque ignaros, longè etiam maior eſt opinionum varietas, vt quid in hoc argumento ſit ſequendum, diuinetur potiùs, quàm ex eorum dogmatis intelligatur. Ac de Philoſophis quidem fortaſſe non tam eſt quod miremur, eos, cùm verbo Dei, id eſt, vera cognitionis luce deſtituerentur, in tanta re cæcutÿſſe, & tantis tenebris immerſos vixiſſe. In Chriſtianis autem non eadem æquitate poteſt diſcordia diſſenſióque excuſari, quia veritatis vna eſt via, cuius in verbo Dei certiſſima, ſi modo ad illud attenderent, videbant fundamenta. Quænam igitur tanti etiam inter Chriſtianos ipſos de hac vna re diſſidÿ cauſa fuit? Profana nimirum Philoſophia, cuius tunc præceptis non tantùm imbuti & tincti: ſed farti, faſcinati, & decepti multi, nihil quicquam, quod iſtius (quam vnam maximi faciebant) artis decretis aduerſaretur, admittendum aut concedendum putabant. Atque hoc malum nõ ſolùm veteribus & primis illis Eccleſiæ ſeculis durauit, quibus plerique in ſcholis Philoſophorum vnà cum ipſo lacte enutriti, & poſtea ad fidem Chriſti traducti, facilè, quas iam imbiberant, & quas tandiu támque ſtudioſe ſemel amplexi fuerant, ſententias deponere mutaréque non poterant: ſed ne nunc quidem poſt Philoſophorũ nomina exſtincta ex multorum, qui Chriſtiani dici volunt, animis euelli poteſt: tam altè nimirum iſtius profanæ Philoſophiæ admiratio veneratióque quorundam mortalium mentibus inſedit, tantique eſt iſtis erroribus, tanquam veris præceptis, à teneris, vt ait ille, aſſueuiſſe. Itaque non dubito ferè, quin hic noſter de Chriſtiana Phyſica, id eſt, de emendandis ex Dei verbo Philoſophòrum decretis liber in multorum reprehenſionem incurrat, habeátque neceſſe ſummum aliquem & præſtantiſſimum virum, qui ſit apud omnes hominum ordines gratioſus, pro ſe patronum adhibere, cuius autoritate defenſus, & fauore commendatus tutus gratúſque in manus hominum venire poſſit. Tu verò is es, & quidem vnus, Baro excellentiſſime, cuius idcirco nomini, vtcunque locorum ſpatiis abs te remotiſſimus, dico atque nuncupo. Ac certè in te ſunt abundè omnia, quæ ad omnes aduerſariorum turmas propellendas valent, ſi modò hoc opus tibi probabitur, tuendúmque ſuſceperis. Nam aduerſus inueteratum iam profanorum hominum in hac Philoſophiæ parte regnum ſingularem illam tuã veréque Chriſtianam animi pietatem fortiter opponam, quæ cùm Deum verè, & ex puro ipſius verbo colat, omniáque ad eam tanquam veriſſimam normam, vti eſt, examinet & appendat, plus illi tuo lucido iudicio, quàm omnibus cæcis Philoſophis tribuendum eſſe nemo dubitabit. Aduerſus autem cæteros, inſignem illam tuam dignitatem atque autoritatem, tanquam clypeum, obÿciam, quæ abs te infinitis etiam in ipſas Dei tum Boëmicas, tum Morauicas Eccleſias beneficiis apud omnes mortales comparata, longè latéque per hominum ora ſparſa eſt, atque etiam ignotis tibi ipſi populis nota,* A *quæ omnes leuium quorũdam hominum calumnias, facile fulgore ſuo compeſcet. Atque has tibi laudes abs me non falsò tribui, cum omnes ſciunt, & fatentur, qui te norunt: tum verò imprimis generoſus ille tuus filius, & non minùs paternarum virtutum, quàm bonorum hæres Ioannes Georgius probat & oſtendit, qui cùm ſit & natiua quadam indole ſua, & doctiſſ. pientiſſimique viri Vvenceſlai Lauini præceptoris inſtitutione, & cura tuæ probitatis imago & virtutis delineatio, quãtæ in te ipſo illæ ſint, nullo iam negotio poteſt abs quouis intelligi. Et certè nos omnes, qui hîc viuimus, tibi plurimum vel vno hoc nomine debere profitemur, quod tantum ſingularis tui erga nos amoris pignus dediſti, nempe filium, de quo optima quæque ſperamus: & hoc ſummum veſtrarum Eccleſiarum cum noſtris in orthodoxa fide conſenſus teſtimonium extare voluiſti, qui vt perpetuò duret, nulliſque hominum contentionibus vnquam abrumpatur, Deum Opt. Maxim. precamur. Illa enim tua de omnibus etiam longinquis nationibus bene merendi voluntas, non modo ſingularis quædam virtus eſt, ſed etiam homine Chriſtiano digniſſima, quæ vna omnium maximè tibi familiaris eſt & propria. Quanquam verò & generis nobilitate præſtas, vt qui ex vetuſtiſſimo Nachoſiorũ* (quas ſolas vniuerſæ Nariſcorum gentis celeberrimæ reliquias eſſe puto) *ſtemmate originem ducis: & Morauicæ gentis bellicoſiſſimæ (qui ſunt Marcomanorum populorum, hoſtium etiam Romanis ipſis florentibus formidabilium, ſucceſſores) laudibus nobilitaris, inter quos latiſſimam ditionem obtines: illa tamen tua eximia, tibique penè peculiaris humanitas longè excellentiùs nomen tuum apud mortales omnes commendabit. Quod autem ad libellum noſtrum attinet, malo ex re ipſa, quàm ex oratione mea, quid quantumque vtilitatis habeat, æſtimari. Illud modò dicam, in eo me breuiter complexum,* B *quicquid apud veteres & ſanctiſſimos Patres vel contra Philoſophos, vel aduerſus hæreticos diſputatum vnquam legeram, nec quæſtionem eſſe à me vllam inuectam, quam antea illi non tractarint: nec vllam prætermiſſam, quæ ad eorum ſcripta cognoſcẽda vſum aliquem videretur habere potuiſſe. In quo non tam hominum curioſitati, quàm ſtudioſorum adoleſcentum vtilitati abs me conſultum fuiſſe ingenuè apud te profitebor. Itaque ſpero fore, vt tua commotus autoritate filius tuus generoſus Ioannes, & alij etiam Principes adoleſcentes, diligenter huiuſmodi ſtudia capeſſant, quæ vobis tantis viris, nec quidem immeritò, probari cognoſcent. Vale. Datum Calend. Decemb. M. D. LXXV.*

T. E. dedititiſſimus
L. Danæus Gallus.

PHYSICE CHRISTIANA, SIVE, DE RERVM CREATARVM ORIGINE ET VSV DISPVTATIO E SACRÆ SCRIPTVRÆ fontibus hauſta, & decerpta.

C

CAP. I.

Phyſice quid ſit, & quotuplex.

D. QVID eſt Phyſice?

P. Eſt creationis, & diſtinctionis totius huius mundi & partium eius, cauſſarum per quas talis extitit, itémque effectorum, quæ inde conſequuntur, vera & ad Dei opificis laudẽ pertinens cognitio, ſiue tractatio.

D. Vnde verò hanc tuã definitionem ſumis?

P. Duobus potiſsimùm è ſacrę Scripturæ locis, quorum primus eſt Prouerb. 30. v. 4. Alter autem Geneſ. cap. 1. in quibus illa quatuor breuiter commemorantur, quibus etiam ille locus addi poteſt, qui eſt Sapientiæ 7. v. 17. 18. vbi eadem illa in hac ſcientia explicari appertiſsimè traditur.

D. Hocne ſolo nomine iſta cognitio appellatur, an etiam alio?

P. Certè. Nam ex Paulo poteſt dici νόησις τῶν ποιημάτων θεοῦ Rom. 1. verſ. 20. Ex epiſtola ad Hebręos, νόησις τοῦ αἰῶνος. Denique rerum creatarũ ſcientiam, ἀπὸ τῆς κτίσεως, κτισικὴν, tam aptè & conuenienter denominare poſſumus, quàm ἀπὸ τῆς φύσεως φυσικὴ eſt dicta, ſi modò vocis illius vſus & tritus & receptus ab hominibus Græcis vel Latinis eſſet.

D Cur igitur Phyſicen vocas, quæ prophanorum Philoſophorum vox eſt?

P. Duabus de cauſsis. Ac primum quidem quòd non oporteat homines Chriſtianos eſſe tam ſcrupuloſos, ne dicam ſuperſtitioſos, vt communibus & iiſdem, quibus Ethnici, rerum vocabulis & appellationibus vti reformident, quãdo eodem Sole, aëre, terra, aqua, luce, cibis, ciuitate cum iiſdem fruimur. Itaque nec Scriptura ipſa ab hac voce, tanquã à monſtro abhorret, vt apparet Epheſ. 2. v. 3. 2. Petri 1. v. 4. Et veteres atque orthodoxi Patres hanc rerum cognitionem paſsim Phyſicen appellant, quemadmodum Baſil. Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus in Ench. ad Laurent. *Phyſici,* A (inquit) *ſunt qui rerum naturam rimantur*. Secundo autem loco quod cùm hæc vox φύσις, ex communi linguæ Græcæ vſu, iis ferè rebus tribuatur quæ non ſola eſſentiâ conſtāt, qualis eſt Deus, ſed quæ etiam accidētibus quibuſdam adiunctis ſunt compoſitæ, quales ſunt res eæ omnes quas oculis vſurpamus, & quibus hic mundus conſpicuus conſtat, propriè & commodè videtur φυσικὴ appellata eſſe ea ſcientia, quæ in harum mixtarum, cōpoſitarum, & (vt ita loquar) materiatarum rerum tractatione verſatur, vt diſtinguatur à Theologia. Itaque φυσικὴ eſt (aiunt ipſi) πραγματεία ἡ περὶ τὰς ὑλικὰς ϗ ὀργανικὰς ἀρχάς.

D. Quotuplex eſt Phyſice?

P. Duplex. Vna enim illius pars eſt Vniuerſalis, altera vero Particularis.

D. Quæ eſt Vniuerſalis?

P. Quæ generales & potiſſimas mundi partes explicat, earúmque originem, naturam & cauſſas: quales ſunt cælum & quatuor elementa, quòd illa ſint reliquarum partium comparatione velut prima principia, & cauſſæ ortus & compoſitionis rerum: ſed & quæ communem & generalem conſeruationis & propagationis omnium rerum modum & rationem tradit, eſt etiam ipſa pars Phyſices vni-
B uerſalis, quia tradit τὰ καθ᾽ ὅλου. Atq; hæc Geneſ. primo cap. ferè continentur.

D. Quæ eſt Particularis?

P. Quæ ſingulorum generum (quæ in rebus his creatis & conſpicuis diſtincta ſunt) naturas, vires, proprietates, & effecta diligenter perſequitur, quemadmodum quæ ſit hominis natura, quæ equi, quæ cuiuſque generis animalium, arborum, herbarum vires. Hæc autem partim medicinæ artis præceptionib. continetur, partim iis tractationibus, quæ hiſtoriæ animalium, & plantarum, ſimilibúſque nominibus à ſcriptoribus appellantur, cuius partes & fragmenta quædam, velut illuſtres gemmæ, paſſim in ſacra Scriptura ſparſæ collucent, integra tamen earum rerum hiſtoria & vniuerſa explicatio iiſdem libris minimè cōprehenſa eſt: poſtquam Solomonis libri de ſingularum rerum natura copioſè ſcripti incuria mortalium ſunt amiſſi.

CAP. II.

Phyſice vtrum homine Chriſtiano digna.

D. ESTNE aliqua Phyſices vtilitas?

C P. Multiplex. Sed ne omnes (ſunt enim propemodum infinitæ) percurram, afferam tantùm quinque. Prima eſt, quòd ex ea Deum co-
1 gnoſcimus, non ſolum rerum omnium creatorem, ſed etiam æternum, omnipotētem, beneficum, &c.
2 Secunda, quòd res ipſas creatas earúmque vires & naturas per eam intelligimus. Tertia, quod nos i-
3 pſos videmus & agnoſcimus quales ſimus, quibus rebus & partibus conſtemus, & quæ ſit cuiuſque partis noſtræ, id eſt, qualis animi, qualis item corporis noſtri conditio: quod eſſe optimum, vtiliſſimum, & præſtantiſſimum cognitionis genus omnes homines fatentur. Quarta, quod hæc Dei opera, tanta, tam varia, tam mira animo contemplantes, & oculis intuentes, non niſi hac arte adiuti
4 ad ſummas Dei laudes concinendas, & gratias agēdas, zelo & impetu rapimur. Id quod etiam Galeno, quanquam prophano Philoſopho, accidit, vt poſt deſcriptam vnius Dei operis, id eſt, hominis & partium corporis eius naturam, Deo hymnum A
caneret penè inuitus. Inde tot hymni, tot epodæ, tot Pſalmi à piis viris ſcripti & decantati. Quinta, quòd hæc intelligentes multos ſacræ Scripturę lo- 5
cos, qui hominibus iſtarum rerum ignaris ſunt nō tantùm obſcuri, ſed etiam inacceſſi & imperueſtigabiles, facilè & dilucidè ipſi explicamus, & ingredimur liberè. Itaque Phyſicē Theologo Chriſtiano maximè vtilem & neceſſariam ſcribit Auguſtinus. Quid dicam de animi voluptate, quam ſummā 6
affert hæc cognitio, & de commodis, quæ hominū 7.
vitæ maxima præbet, & demonſtrat?

D. Vnde iſta eſſe probas?

P. Ex his potiſſimum ſacræ Scripturæ locis: Pſal. 104. toto, Pſal. 136. 145. v. 10. Pſa. 147. 148. Iob. 12. verſ. 8. 9. 10. 36. v. 24. 25. 26. Act. 14. v. 17. Rom. 1. v. 20. Quibus etiam hos addere licebit. Sap. 8. v. 9. & ſequenti, & 13. v. 1. & ſequenti. Sed & Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſ. patres in Hexameris ſuis idem docent. Denique pium illum & vndecunque doctū Auguſt. in lib. de doctrina Chriſtiana, & lib. 8. de Gen. ad literā, cap. 8. audiamus. Idem planè affirmabit.

D. At verò obiiciuntur quædam quæ Phyſices cognitionem non tantùm inutilem, ſed etiam B
homine Chriſtiano indignam, illíque noxiam eſſe & periculoſam oſtendunt.

P. Certè. Et quanquam varij varia colligunt: omnia tamen ad duo argumentorum genera maximè referri poſſunt, quæ aduerſus harum rerū cognitionem proferūtur: è quibus primum ab autoritate ſumptum eſt: alterum à ratione & turpi, ſiue nocentiſſimo conſequenti.

D. Explica.

P. Primùm varias ſentētias colligūt partim è Scriptura ipſa, partim ex Patrib⁹ Eccleſiaſticis trāſcriptas, ex quibus poſtea ratiocinātur & cōcludūt.

D. Quænam ſunt illæ?

P. E ſacra quidem Scriptura hæc potiſſimùm affertur, quæ in lib. Eccleſiaſt. cap. 1. v. 13. ſcripta eſt his verbis: *Et dedi cor meum ad diſquirendum & inueſtigandum cum ſapientia omne quod fit ſub cœlo. Hanc occupationem malam dedit Deus filijs hominum, vt occupent ſe in ea.* Cui coniungunt illud Pauli 1. Cor. 1. v. 20. *Deus infatuauit ſapiētiam huius mundi.* Et ſi qui ſunt alij loci horum ſimiles: quibus facilis reſponſio parata eſt.

D. Quæ verò?

C P. Nimirum illud quod eſt apud Eccleſiaſten, non ἁπλῶς & abſolutè, ſed κατά τι tantùm & comparatè ad verum Dei cultum dictū eſſe. Neque enim damnat Solomon aut improbat veram cognitionē de rerum natura, quam illi ſummā Deus pro ſummo beneficio dederat, (eſſet enim erga Deum hominum homo ingratiſſimus) & propter quam tum à Regina Saba, tum etiam ab aliis regibus vicinis colebatur. Sed ſi hæc Phyſica cognitio cum vera pietate, ſi cum fide, ſi cum vero Dei metu, ſi cum interna animi regeneratione, ſi cum cognitione æternæ ſalutis & vitæ conferatur, eſt certè huius cōparatione leuis quædam animi occupatio infructuoſa & fatigans nos potiùs quàm conſcientiam noſtram ſuſtentans, & conſolans. Neque enim veram fœlicitatem affert, quemadmodum fides in Deum, ſi quis in ea ſeſe totum occupet, & quaſi animum atterat. Quòd autem ad Pauli locum, non video quo pacto Phyſices cognitionem oppugnet, A cùm ſapientiam mundi damnet Paulus, non autem ſapientiam de mundo, & de rebus creatis. Sapientia autem mundi appellata eſt ea, quæ carnis vitioſæ & cęcæ conſiliis & rationibus tota regitur, & iis acquieſcit: non ea, quæ de rerum cauſis ſobriè, & quantum opus eſſet, philoſophatur.

D. Sed è ſcriptis Patrum quid afferunt, vt nos ab hoc ſtudij Phyſici genere deterreant?

P. Infinitum eſſet omnes eorũ ſententias velle percenſere, aliquot tantùm afferemus.

D. Recita eas.

P. Lactantius lib.3. cap.8. ita ſcribit: *Quæ beatitudo erit mihi propoſita, ſi ſciero vnde Nilus oriatur, vel quicquid Phyſici de cœlo delirant? Quid quod earum rerum non eſt ſcientia, ſed opinio quæ pro ingeniis varia eſt?* Auguſt. etiam laudatur, qui lib.4. de Trinitate in proœmio ſic ait: *Laudabilior eſt animus, cui nota eſt infirmitas ſua, quàm qui, ea non perſpectâ, vias ſyderum ſcrutatur, mœnia mundi inquirit, fundamenta terrarum, faſtigia cœlorũ.* Et ne omnia perſequar, lib. de ſpiritu & anima cap.56. idem diſertè dicitur.

D. Habéſne quod ad iſta reſpondeas?

P. Maximè.

D. Ecquid verò?

P. Etiam hæc ipſa comparatè à Patribus dici, B quemadmodum apparet ex eo Auguſt. loco, qui modò abs te laudatus eſt. Arguebant enim iam Patres præpoſterum hominum ſtudiũ, quale in multis etiam nunc videmus, atque adeo viris Chriſtianis, qui contempta ſalutis doctrina, & ſpreto Euãgelicæ veritatis (quæ ſimplici ſtylo vtitur) ſtudio, ſe totos ad tumidas & inflatas iſtas de reb' Phyſicis artes conuertunt, illíſque ſe addicunt, & ambitioſã Philoſophi Phyſici appellationẽ Chriſtianæ pietati, & Theologiæ apertè præferũt. Itaque Patres, vt à tanto iſto errore homines reuocarẽt, in Phyſicos Philoſophos, & in eorum artem & dogmata multa, & verè quidẽ dixerunt: quemadmodum etiam Baſilius & Chryſoſtomus in ſuis Hexameris. Ipſam autem earum rerum cognitionem verã non damnant, quã etiam ex iis quidam perfectiſſimè atque pulcherrimè calluerunt.

D. Quódnã eſt alterũ argumentũ quod à cõſequenti ſumi dicis, & aduerſus Phyſicen afferri?

P. Hoc nempe quod commemorat Baſilius, ab ignauis hominibus ſuæ inertiæ & turpi ignorantiæ prætexi.

D. Ecquod verò?

C P. Vileſcere miraculum creationis mundi, in quo tamen ſumma Dei potẽtia, maieſtas, ſapientia elucet, nobíſque adoranda proponitur, ſi arte aliqua methodóve à nobis tradi, & comprehendi tãtum myſteriũ poſſe dicatur. Quid enim iſtud aliud eſt (aiunt) quàm operum Dei planè ſupranaturaliũ & diuinorum non modo capaces nos fingere, ſed etiam iudices, & tanquam cenſores cõſtituere? Denique, Deum ipſum tãquam Grammaticum, certis naturæ & artis legibus tandem ſubiicere?

D. Quid ad ea reſpondes?

P. Planè id ipſum, quod eodem loco Baſilius inter Græcos ſcriptores doctiſſimus.

D. Quid ille?

P. Tanto magis hoc Dei miraculum (quod in mundo creando apparuit) illuſtrari, & à nobis religioſiùs adorari, quãto illud diſtinctiùs explicatur, maiorq; eius vtilitas, & vis demonſtratur eſſe Et vt verũ hoc eſſe alio exẽplo intelligas, nónne decretũ Dei de nobis ſaluandis paſſim in Scriptura arcanũ A & myſterium Dei appellatur? Eſtque certè, in quo non minùs quàm in mũdi huius creatione Dei potẽtia, maieſtas, & ſapiẽtia nobis proponitur, & hoc tamen ſic dilucidè, ordine, diſtinctè fides, ſiue Euãgeliũ explicat, vt nihil ſupra: nec propterea tamen minuitur Dei cultus & veneratio, quòd illud arte & methodo quadã theologica comprehendimus, ſed tanto melius ardentiúſque Deum laudamus, quãto commodius, & diſtinctius iſta fuerunt à nobis percepta: deniq; fides ipſa, per quam coli vult Deus, eſt non ignorantia quædam, aut confuſus de Deo ſenſus, ſed enodata & explicata animi notio, quæ interrogata reſpondet de Deo, & eius erga homines infinita miſericordia. Ignoti enim (vt habet prouerbiũ vetus) nulla cupido. Ergo quum hiſtoria creationis mundi arte quadã explicatur, quũ vires à Deo inſitæ rebus tractantur, nõ vileſcit, ſed augeſcit Dei miraculum. Quãdo nec iſta tradimus quaſi profiteamur nos alias iſtarum rerum cauſſas, præter vnius Dei voluntatem & ſapientiam, allaturos: vel in iis etiam ipſis tãtum agnoſcere & animo conſequi poſſe, quanta eſt Dei ipſius potentia in condendis, & bonitas in tuendis: Vel tanquam velimus Deum Optimum Maximum, ſummúmque rerum omnium moderatorem vllis noſtris legibus B & placitis ſubiectum demonſtrare, ſed tantùm quãtùm arte iuuari poſſumus, in Dei operibus explicãdis commodè verſari, & quaſi admotis ſpecillis ad iſtam rerum naturę ſcholam minùs attentos in præclaro ipſarum ſtudio retinere.

Cap. III.

Phyſices cognitio vniuerſalis vnde tutiſſimò habeatur.

D. INtelligo iſta: perge ad reliqua.

P. Proximum eſt, vt, vnde hæc cognitio ducenda ſit atque haurienda, videamus: quoniam in eo nobis cum quibuſdam non conuenit, qui tutiùs certiúſque eam è prophanorum Philoſophorũ libris haberi volunt, quàm è ſacris Scripturis, quòd dicant neque in Scriptura vniuerſam traditam eſſe & ſi qua illius pars expoſita eſt, confuſè eã, non ordine arteve vlla tractari.

D. Vnde igitur tutiſſimè Phyſicam ſciẽtiam haberi cenſes?

P. Eius quidem partis, quę Phyſice Vniuerſalis à nobis appellata eſt cognitionem potiſſimum è ſacra Scriptura: Eius autem quæ Particularis dicta C eſt, è libris Medicorum, vel aliorum hominũ, qui hiſtorias plantarum & animalium ſcripſerunt.

D. Qua ratione id doces?

P. Primùm illud (vt opinor) inter omnes ſanæ mentis homines conſtat, quemque artificem poſſe omnium veriſſimè & optimè de ſui operis ratione diſſerere & loqui, eſſéque potiùs in ea re fidem illi adhibẽdam, quàm cuiquam alij. At verò cuiúſnam eſſe artificis hunc mundũ cenſes? Alteriúſne, quàm ſolius Dei? vt nemini potiùs quàm illi ipſi ſui operis, id eſt, mundi creationem & rationẽ in ſuo verbo nos docenti ſit credendum & aſſentiendum. Denique, quis veriùs rerum omnium cauſſas, momenta, effecta, exiſtendi modos & tẽpora quæ fuerint, ſcit, videt, nouit, quàm qui ipſe eorum omniũ autor eſt, & perpetuus adminiſtrator? Qui cùm ſit Deus, quando ipſe illa narrat, quis hominum tam vecors vnquam erit, vt illum potiſſimùm, cæ-

A teris etiam ſcriptoribus neglectis, non putet audiendum? Nos certè, ac ne vlli quidem Philoſophi, quantuncunque præſtantes ingenio, & abundantes otio, diligēti ſtudio inquirētes, aliud quàm obſcuras quaſdam & tenues Phyſicæ cognitionis ſcintillas aſſequimur, & quęcunque de iis rebus extra Dei verbum definimus, ita ſunt incerta, dubia, vexata, inter ſeſe etiam pugnantia, & ſæpe ipſi veritati contraria, vt ita didiciſſe vel docuiſſe nos tãdem pudeat. Id quod vel ex vno Plutarchi libro De placitis Philoſophorum apparet, vbi ne duos quidem in rerum creatarum cognitione inter ſeſe vnquam cõſenſiſſe docet vir ille doctiſſimus ac ſummus Philoſophus.

D. Sed habéſne quo tuam ſententiam verbi Dei autoritate confirmes, è ſacra Scriptura nimirũ percipi & diſci tutò & rectè poſſe hãc cognitionẽ?

P. Certè.

D. Recita igitur.

P. Primum teſtimonium eſt illud, quod disertè his verbis in Epiſtola ad Hebræos ſcriptum extat: *Per fidem intelligimus conſtructum fuiſſe mundum verbo Dei.* Ergo fide iſta intelligimus. Quod ſi fide, ergo per ſacram Scripturam: nec enim fides ſine B illa Scriptura eſſe poteſt. Quare veram & certam earum rerum cognitionem à Scriptura ſacra nobis demonſtrari, eſt certò concludendum. Secundum eſt, caput primum Geneſ. Nam Moſes ille, qui Dei iuſſu & præcepto, mundi huius & originis rerum omnium pręclaram illam & verè admirabilem hiſtoriam conſcripſit, aut vanus erit, aut mendax, ſi Phyſica cognitio Scripturâ ſacra non continetur. Quid enim aliud agit, quàm vt ortum rerũ, earúmque vires, naturas & effecta, id eſt, Phyſicen breuiſſimè quidem, ſed tamen veriſſimè & ordine explicet? Tertius eſt locus ille Prouerb. 8. cap. 22. & ſeq. vbi omnia per ſapientiam Dei & condita eſſe, & poſtea per eandem, vt ſunt condita, dicuntur conſeruari. Quartum autem teſtimonium Eccleſ. 42. v. 17. *Hanc ſapientiam Deus dedit ſuis ſanctis,* ait, *vt omnia ipſius miracula & opera recitent, ſcrutētur omnia, abyſſum etiã ipſam, &c.* Cui addere licet illud quod eſt Sap. 7. v. 22. & ſeq. Denique ſanctiſſimum Dei martyrem & patrem optimum Irenæũ audiamus, qui lib. 2. cap. 2. ſic ait: *Cui igitur magis credemus de* C *mundi fabricatione, iiſne qui prædicti ſunt, ſic fatua & inconſtantia garrientibus, an diſcipulis Domini & fideli famulo Dei Moſi & Propheta, qui primã geneſim mundi narrauit?* Idem Baſilius, idem Ambroſius, idem Chryſoſto. in procemiis ſuorum Hexamerõn planè vnóque conſenſu confirmant: vt qui Phyſicam cognitionem è ſacra Scriptura verè & commodè diſci poſſe negãt, & ſacroſancto Dei verbo, & doctiſſimis Patribus apertè repugnẽt. Denique audi Tertul. qui in Apologet. cap. 45. disertè & verè quidem pronuntiat Diuinam literaturam, quæ certè antiquiſſima eſt, theſaurũ fuiſſe poſteriori cuique ſapientiæ. *Inde Philoſophi,* ait, *ſitim ingenij ſui rigauerunt. Sed homines gloriæ & eloquentiæ ſolius libidinoſi, ſiquid in ſanctis Scripturis offenderunt, digeſtis pro inſtituto curioſitatis, ad propria opera verterunt.*

D. Nihílne contra afferunt qui aliter ſentiũt?

P. Duo potiſſimum argumenta.

D. Quænam illa?

P. Hoc primum, diſtingui cuiuſque artis fines oportere: eſſe autem aliud Phyſicen, aliud Theologiam: hanc tantùm ſacris Libris contineri, illam A autem alteram non eodem modo.

D. Eſtne illa conſecutio & affirmatio vera?

P. Minimè quidem.

D. Quamobrem iſtud?

P. Quòd quanquam verè illud ſumunt, diſtinguendas eſſe artes, & Theologiam (quæ vitæ æternæ promiſsiones, illiúſque viam & cauſſas docet) ſeparandã eſſe à Phyſice, quæ huius viſibilis mundi formationẽ, & rerũ, quæ in eo ſunt, naturas explicat, tamen illud iã non rectè negant in ſacra Scriptura mundi huius conſtitutionem, rerum vniuerſas formas, naturas & genera pleraque doceri, diſtingui, & ordine explicari. Iſta enim omnia in ea traduntur copioſè, quę eſt propria Phyſicę artis tractatio & materia. Ergo Phyſica etiam his ipſis Literis ſacris continentur. Sed & alio quodam exemplo idipſum diſcas licet. Nonne ab iiſdẽ iſtis Theologia & Ethica philoſophiæ pars toto genere diſcernũtur? Et tamẽ quis eorũ tam temerarius erit, qui Ethicen, eámque veriſsimam & vniuerſam ſacra Scriptura tradi negare audeat? Ergo diſtincti artium, & tractationũ fines non obſtãt quo minus eadem ſacra Scriptura iiſdémque literis & Phyſice B illa vniuerſalis, & Theologia ſit comprehẽſa, quia & ipſa Phyſice quodammodo Theologiæ pars eſt, illíque ſubſeruit. Eſt enim Dei agnoſcendi ratio pulcherrima. Id quod iuxta mecũ fatetur Ambroſ. Quid amplius? Ipſi illi Ethnici Philoſophi, cùm de mundo & eius fabricatione & partibus diſputant, rerúmque naturã ediſſerũt, dicunt ſe θεολογίζειν quemadmodũ in libro de Mũdo loquitur Ariſtoteles: vt iam mirum non ſit, ſi vera Chriſtianáque Theologia etiã in Phyſicis rebus, earúmq; explicatione ex parte verſari à nobis cẽſeatur: atque propterea ſacra Scriptura in iiſdẽ rebus tradendis ex parte occupata eſt, quia ad Dei gloriam illuſtrandam hæ ipſæ artes etiã pertinent. Nam ex his cõſpicuis rebus Dei potẽtia, ſapiẽtia, ęternitas cernitur.

D. Quod eſt alterum argumẽtum eorum qui contrà ſentiunt?

P. Hoc nimirum. Quæ Moſes ſcripſit ea ſimpliciſsimè explicata eſſe, & eo dicendi genere, quod ſit omnino ad captum noſtrum & ad humanæ imbecillitatis ſenſum attemperatum & accommodatum, C non autem ad rerum veritatem expreſſum & exactum: denique quòd accuratè & ſubtiliter res ipſas & earum naturas neque ſcrutetur, neque etiam exponat Moſes. Itaque volunt aliunde hauriẽdam & ediſcendam eſſe, veram, diſtinctam, & accuratam huius partis Phyſicæ cognitionem.

D. Quidnam ad ea reſpondes?

P. Fateor equidem à Moſe, quãquam omniũ qui vnquam vixerunt mortalium doctiſsimo, res Phyſicas non ἀκερσαματικῷ, id eſt, calamiſtrato, & ampulloſo quodam ſtylo deſcriptas, ſed nudo & ſimplici, & ornatu omni, tanquam veſte ſpoliato, quo faciliùs poſſet quiuis percipere, quæ ipſe ſcribebat. Sed vt ſimpliciter loquutus eſſe concedatur, non tamen mendaciter, falſò & ignoranter quicquam dixiſſe, aut de iis rebus ſcripſiſſe conuincetur Moſes. Aliud eſt igitur fateri ſtylum Moſis nudum & ſimplicem eſſe, qualis oratio veritatẽ decet: aliud autem falſum & mendacem eum affirmare, quod nemo poteſt, niſi perfrictę conſcientiæ homo. Ergo ſimpliciter quidem, ſed verè: nudè, ſed rectè: populariter, ſed ſyncerè tradit quæ ſunt nobis de mundo, eius partibus præcipuis, rerũ cauſis & effectis credenda, tenenda, & docenda inter homines. Ingenuè etiam fateor ad noſtri ſenſus captum Moſem ſe attemperaſſe: nego tamen, quod illi aiunt, propterea ad rei veritatem illum nec collimaſſe, nec attẽdiſſe. fuit enim illi propoſitum, facilè, nudè, & verè illa ſcribere.

D. At quidam exiſtimant, illa omnia, quę ipſe ſcripſit capite primo Geneſeos, allegoricè interpretanda eſſe. Itaque neque ſex illos dies eſſe temporum interualla putant, neque fœminam reipſa creatam ex Adami coſta, neque reliqua ita accipiẽda, quemadmodum verba Moſis præ ſe ferunt & ſonant. Quæ ſi vera eſt ſententia, quid tandem erit tuti & certi in toto illo capite & ſimilibus aliorum Prophetarum ſcriptis, quod ad Phyſicã cognitionem pertineat, & nos eam edocere poſſit?

P. Rectè mones. Fuit enim hæc quorundam ſententia, quam tamen refutat Auguſtin. tum lib. 1. in procœmio, tum etiam 8. cap. 2. de Geneſi ad literam. Sed diuus etiam Petrus 2. epiſt. ſuæ cap. 3. v. 5. & epiſt. ad Hebræos cap. 11. v. 3. hunc Allegoriſtarum errorem apertè oppugnant, dum affirmant ea, quæ Moſes de mundi creatione edidit, φυσικῶς & planè dicta eſſe, non autem allegoricè, & μετεώρως.

D. Quid tandem ex ſuperioribus omnibus efficis?

P. Illud nimirum quod libro 5. de Geneſi cap. 8. concludit Auguſtinus, Hæc quæ ſcripſit Moſes vera eſſe, licèt nullis aliis rationibus demonſtrentur. *Nam ſi quis argumentari voluerit, quo ea falſa eſſe conuincat, aut ipſe nulla vera de creaturarum cõditione atque adminiſtratione dicturus eſt: aut ſi vera dixerit, iſta non intelligendo falſa putat.* Quis enim credet Ariſtotelem vel Platonem cognouiſſe de mundi creatione & cauſſis rerum illa quæ ignorauit Moſes? Primũ, qui de Dei ipſius ſecretiſſima reuelatione illa accepit, quæ ſcripſit. Deinde, qui in omni honeſtarum artium, in primíſque Phyſices & Medicinæ cognitione (quæ duæ artes tunc maximè inter Ægyptios vigebant) eruditus fuit, quemadmodũ ait Scriptura Act. 7. v. 22. Denique etiam, quando qui primi inter Græcos ſummi Philoſophi extiterunt, illi vt Phyſica diſcerent, in Ægyptum diſcendi cauſſa venere, quemadmodum de Platone & Pythagora hiſtoriæ teſtantur. Atque planè (vt ſcribit Diogenes Laertius lib. 1. de Vitis Philoſophorum) omnis ea pars Philoſophiæ, quæ de natura rerum agit, ab exteris & Syris hominibus, id eſt, Iudæis ad Græcos manauit. Ergo dicemúſne contra teſtatiſſimã Scripturæ fidem quemquam vel ſummorum Philoſophorum, dicis cauſſa, Platonem vel Ariſtotelem ethnicos fuiſſe à Deo adhibitos conſiliarios ad mundi huius opificium & creationem, vt plura de ea illi ſciuerint, quàm ſeruus Dei Moſes, quem Deus ipſe docuit, & cui illa monſtrauit, quæ poſteriorum, in primíſque Eccleſiæ ſibi chariſſimæ inſtruendæ gratiâ in literas mitteret? Certè ſine inſigni in Deum ipſum blaſphemia iſta cogitari non poſſunt, nedum dici. Sed quemadmodum docet Auguſt. lib. 5. cap. 3. de Geneſi ad literam, quòd ſic nudè loquitur Moſes, id facit certo Spiritus ſancti conſilio, & animi iudicio, vt *altitudine ipſa rerum ſuperbos terreat, profunditate attentos teneat, veritate magnos paſcat, affabilitate paruulos nutriat.*

CAP. IIII.

Phyſices Christianæ, & Ethnicæ diſcrimen.

D. QVAE igitur inter Moſem & Ariſtotelem, id eſt, inter Chriſtianos Phyſicos, & profanos, in hoc doctrinæ genere eſt differentia?

P. Multiplex, quæ tamen in tribus rebus maximè perſpici poteſt.

D. Quænam ſunt illæ?

P. Primum, in fine ipſo huius cognitionis, quem vtrique ſpectant & ſequuntur.

D. Explica.

P. Chriſtiani Phyſici qui de rebus creatis agunt, ſuę diſputationis ſummam eò referunt, vt verus ille Deus Optimus Maximus, qui earum omnium autor eſt, parens & conditor agnoſcatur, laudetur, celebretur, denique colatur ardentiùs, & magis timeatur. At Ariſtotelici & Profani Phyſici ita de rerum natura diſputant, vt in ipſis rebus tanquam infimis gradibus & in certa quadam vi (quæ poſt earum creationem ſpectatur, & quam Naturam appellant) toti inhæreant, altius autem non aſſurgant, neque ad Deum opificem his tanquam ſcalis conſcendant. Itaque cauſſas ſecundas & tantùm inſtrumentales pro veris & primis, magno animi errore, conſtituunt. Eas autem quę ſunt præcipuæ, qualis eſt Deus, iuſſus item & præceptũ ipſius, omnino prætermittunt. Ergo faciunt δίον ex eo quod ipſi appellant ὄν: ex quo fit, vt plena ſit vanæ animi oſtentationis, concertationis, & rixationis inter ipſos hæc pulcherrima ſciẽtia: Dei autem gloriam neque illuſtret, neque attingat. Vnde quàm plurimi ex iſtis Phyſicis tandẽ euadunt planè naturales, id eſt, animales, & ἄθεοι. Denique, vt ait Bernardus, modum tantum & ordinem inueſtigãt factorum: Philoſophi Chriſtiani verò, finem ad quem facta ſint hæc omnia: & quæ facta ſint, & quomodo facta ſint tranſilientes.

D. At Italici tamen Philoſophi, qui Phyſica tractarunt, etiam θεόλογοι ſunt appellati, quales Pythagorici propè omnes, qui Dei opificis meminerunt. Anaxagoras à mente res omnes diſponente orſus eſt diſputationem de rerum natura. Libellus ille aureus de Mũdo, qui ſiue eſt Ariſtotelis, quod nõ puto: ſiue Nicolai Philoſophi, qui ante Plutarchum vixit: ſiue Alexãdri Aphrodiſienſis, qui poſtea: ſiue cuiuſquam alterius, diſputationẽ de Deo vnâ cum rerum naturalium explicatione certè cõiunxit.

P. Rectè meminiſti. Fuit enim hic vetus mos primorum Philoſophorum, qui etiam Gręcè Phyſica ſcripſerũt, vtpote qui illa ab Ægyptiis vel potius Syris (vt ait Laërtius) id eſt, Hebręis, vel eorum diſcipulis didicerant: ſed qui ſequuti ſunt poſtea Philoſophi, quantum hoc genus & modum rerum Phyſicarum tractandarum irriſerint, & quàm longè hos è ſcholis Phyſicorum exploſerint nõ ignoras. Ariſtotelica enim natio hodie regnũ obtinet, & qui nũc Phyſici vero nomine ſe dici volunt, neq; de Deo opifice diſputant ipſi in Phyſicis, neq; diſputandũ cẽſent. Itaque Ionicorũ Philoſophorum Phyſica inualuit in ſcholis: Italicorum autẽ reiecta eſt: qui quidẽ Ionici naturæ & rebus ipſis inhærẽt: & rebus creatis, veluti cœlo, Soli, & elemẽtis cauſſas rerũ gignendarũ primas, & præcipuas tribuunt:

D. Quænã eſt alia inter Chriſtianos Phyſicos, & Ariſtotelicos differentia?

P. In cauſſis ipſis explicandis,quarum cognitio tractatióque maximè ad Phyſicam pertinet.

D. Quomodo?

P. Primum Chriſtiani tum eas cauſſas quę verè ſunt,afferũt:tum etiam omnino alias quàm illi. Nã veras afferre quis dubitet,cùm ex ipſius veritatis,id eſt,verbi Dei fontibus eas habeant & didicerint? Alias autem & planè diuerſas cauſſas eos ſtatuere res ipſa & vtrorúmque diſputationes demõſtrant. Nã nos Deũ ipſum primã rerum,& efficientem cauſſam,& verè quidem profitemur, docemꝰ, & agnoſcimus : tum deinde vocem eius, & præceptum,per quod vis quædam cuique rei iniecta eſt, vti potẽtiſſimam cauſam ſpectamus,quæ eſt omnibus aliis cauſſis quæ à nobis cogitari aut fingi animo poſſunt, ſuperior & prior. Tertio denique loco vis illa rebus inſita & data à Deo pro cauſſa ſtatuitur à nobis , ſed quæ ſit tantùm ſecunda atque inſtrumẽtalis,non ipſa per ſe agens,vt docet Eſaias cap.44.verſ.3.4.non præcipua,ſed aliunde,nempe à Dei potentia & præcepto tota pendens, ſine qua Deus agit eadem quum vult,quę per eã ipſam ſolet efficere. Sic quũ gallina incubat ouis,è quibus poſtea naſcuntur pulli,quid ipſa aliud eſt quàm nudũ Dei inſtrumentum? quum ipſa, nec cor,nec caput, nec pedes pulli ſui formet in oui teſta , qua continentur,ſed tantùm ea cuſtodit & calefacit. Sic quũ mulier grauida vterũ gerit,formátne ipſa fœtũ ſuũ propriis manibus,quem poſtea parit? Certè nõ. ſed ſeminis à viro iniecti tantùm velut ciſta , fotrix & cuſtos eſt. Deus autẽ & virtus ſonúſq; vocis huius, Creſcite,& multiplicamini,& replete terrã,quæ in perpetuo vigore adhuc eſt, fœtum in muliere format,fingit,& producit. Philoſophi verò hanc cauſſam non agnoſcunt. Illi enim hanc ipſam vim datã rebus,poſteaquã conditæ ſunt, primam eſſe rerum omniũ cauſſam volunt. Itaque effectã cauſſam pro efficiẽte ſubſtituũt,inſtrumẽtalẽ pro agẽte:qui peſſimus in Phyſico error eſt. Deinde quia captũ humani ingenij tenuiſſimũ illũ quidẽ non ſubiiciunt inſcrutabili Dei ſapiẽtiæ,ſed Deũ ſibi ipſis,ſuóque captui,harũ omniũ rerũ cauſſas , & ortũ pro animi ſui figmẽto ſomniãtes. Deũ enim illũ incõprehenſibilẽ opificem cuidam ferrario vel lignario artifici ſimilem fingũt: tum deinde materiã illi volunt ab æterno ſubſterni,& pręparari : demũ formam accedere, (eſt enim rudis illa materia & informis ex eorũ ſentẽtia)atque ita materiã & formã prima rerũ naturaliũ principia ponunt. Quã diſſimillimarũ rerũ cõparationẽ meritò irridet & reiicit Auguſt. quæ vt nihil de Deo magnificè ſentit , ita planè cũ rerũ ipſarũ veritate,& mũdi huiꝰ creatione pugnat.

D. Quæ verò tertia differẽtia eſt inter profanos & Chriſtianos Phyſicos?

P. Illa eſt in ipſius artis tradẽdæ ratione, modo,& ordine.

D. Iſtud explica.

P. Chriſtiani & pij homines,quales Dei Prophetæ, quamquam ſæpè quidem vario ordine pro argumẽti à ſe ſuſcepti ratione res has viſibiles enumerant, modò à ſummis ad ima,modò ab imis ad ſumma progredientes,quemadmodum apparet ex Pſal. 104.136. Prouerb. 8. v. 23. 24. & ſeq.4.Eſd.6. v.38.& ſeq.in cantico puerorum v.53.& ſeq.ſemper tamen agnoſcunt eum eſſe verum rerum & creationis earum ordinem & modum,quem Moſes deſcripſit. At Philoſophi cum pro ingenij ſui libito mundi huius originem fingãt, inter ſe nullo modo cõſentiunt,vnde rerũ naturalium diſputatio ſit inchoanda. Eorũ igitur alij à materia quadam prima eam ordiũtur,& nobis inuehũt: alij à quatuor elementis tãtùm:alij à Chao,& eius diſtinctione : alij à cœlo:alij ab abyſſo ebulliente : denique quot capita,tot ſẽſus,& habet in eo quæque Philoſophorũ familia,quod nõ tãtũ ab alia diſſentiat, ſed ſæpè eiuſdem ſectæ & familiæ homines à ſeipſis.

CAP. V.

Phyſicæ cognitionis certitudo quæ & quanta ſit.

D. HACTENVS iſta,aliud autem ſubiice.

P. Ecquid verò?

D. Quæ ſit huius cognitionis firmitas & certitudo.

P. Certè in omnibus ipſius partibus , non eſt vna & eadem definiendi,& ſtatuẽdi ratio. Nã quæ in hac arte & cognitione ex Dei verbo diſcimus, & haurimus,illa ſunt certiſſima & veriſſima , quia certiſſimo innituntur fundamento,cui qui contradicit,ille ad agnatos,vt dicitur,erit nobis relegandus. Quæ autem pręter Dei verbum de rebus Phyſicis afferuntur,illa iam non ſunt tam fixa,& firma, quia humanæ rationis vel ſenſus iudicio tantùm confirmantur:quæ duo non ſunt incõcuſſa, & *ἀκίνητα* fulcimẽta. Sæpe enim humana ratio falli ſolet: ſæpiſſimè etiam ſenſus. Itaque rectè ſentiunt qui Phyſicæ cognitionis eius,quę ex Dei verbo nõ diſcitur, fundamẽtum duobus hiſce firmamentis potiſſimùm ſtare volũt, humana nimirum cõiecturâ, & hiſtorica experientiâ:in quibus etiã ipſis,quemadmodũ ſcribit in Enchiridio Auguſt.cap.9. Phyſici plura opinantur,quàm ſciant.

D. Eſtne propterea vana & omnino incerta ea Phyſicæ pars,quæ extra Dei verbũ traditur? éſtne etiam,vt quidam putant,contemnenda?

P. Minimè quidem.

D. Cur ita?

P. Quia nõ fruſtra Deus hæc duo *κριτήρια* dedit hominibus , animi ſcilicet rationem, & ſenſum corporis,vt docetur Iob.12.v.12.34.v.3.cuius vtriuſque iudicium, ſi non in omnibus certiſſimum eſt, & ſatis perſpicax , non eſt tamen ſemper mendax & falſum in omnibus. Itaque tãquam omnino vana & falſa damnari non debet ea tractatio quæ iis duobus erit ſubnixa & confirmata. Quis autẽ ſpernendam tot pulcherrimarum rerum & artium cognitionem meritò dixerit,quas Deus præter verbi ſui ſcripturam largitus eſt hominibus etiã Ethnicis ? qualia multa Plato , multa Ariſtoteles , multa Galenꝰ,multa alij Philoſophi,tum veteres tum recẽtiores,inuenêre,& docuere. Hoc qui ſpernit,dona Dei ſpernit , quibus etiam pii homines quidam à Deo fuerunt aliquando exornati,ad magnum ſuę in nos bonitatis teſtimonium , & humanæ naturæ miraculum,quemadmodum tum Moſes ipſe, tum Iobus , tum quatuor illi collocutores , Solomo Rex,Ethan Ezrelita,Heman,Calcol,Dorda,Ionatham patruus Dauidis, quos omnes Scriptura collaudat,& nominatim commemorat ad imitãdum. Actor.7.verſ.22.1.Reg.4.verſ.30.31. Pſal.88.& Pſal.89.1.Chronic.27.verſ.32.

CAP. VI.

Phyſices cognitionis fines.

D. HABEO de certitudine huius ſcientiæ ſatis: explica qui fines, & modus noſtræ in ea cognitionis eſſe debeat.

P. Hi duo erũt fines. Primum vt ex præcepto Pauli quæcunque in hoc ſcientię genere diſputantur, referantur ad vnius veri Dei Opt. Max. gloriam & cognitionẽ. Eſt enim hic humanæ Philoſophiæ pulcherrimus & veriſſimus finis, vt per eam ad veritatis & naturæ diuinę agnitionem perueniamus, quemadmodum etiam Plutarch' ſcribit. Alter autem, vt ne temere incerta pro certis ſequamur, & affirmemus. Eſt enim errare & labi cùm ſẽper turpe, tũ verò in his rebus turpiſſimum, quæ ſæpe ſunt magni momenti, & in quibus profiteri quod neſcias, honeſtum & humanum eſt. Itaque rectè, meo quidẽ iudicio, in libris de Geneſi ad litteram Auguſtinus *Huius vniuerſæ*, ait, *Dei creaturæ multa non nouimus, ſiue quæ in cœlis ſunt altiùs, quàm vt noſter ſẽſus ea poſſit attingere: ſiue quæ in regionibus terrarum ſunt fortaſſe inhabitabilibus, ſiue quæ deorſum latent in profũdo abyſſi.* Iſta verò de rebus incertis certò pronuntiandi temeritas fecit, vt à multis Phyſici irriderentur, à qua nobis tanquam à magno ambitionis humanæ veneno eſt abſtinendũ. Eſt igitur pręſertim in hac arte, curioſitas vitanda, ſobrietas adhibenda. Agnoſcamus enim nos longè inferiores Deo, nec omnium, quę ille fecit, rationẽ & cauſſam inuenire poſſe, vt ait Iren. lib. 2. cap. 43. & 45.

CAP. VII.

Phyſicæ cognitionis ſubiectum eſt creatura viſibilis, & aſpectabilis: ac primùm quidem mundus ipſe, quatenus eſt earum vniuerſitas quædam.

D. QVid ſit Phyſice, & quotuplex, intellexi, vnde etiam ediſcenda, item quæ huius cognitionis veritas, & qui fines: altiùs iã ingredere, & mihi, ecquod ſit huius ipſius tractationis obiectum, ſiue materia, circa quam verſetur, expone.

P. Faciam, ac lubens.

D. Quænam igitur huius artis & cognitionis eſt materia?

P. Creatura, & quidem non omnis, ſed ea tantùm, quę eſt ὁρατὸς, id eſt, nobis conſpicua, id ipſum eſt, quæ vno aliquo, vel omnibus corporis noſtri ſenſibus percipi poteſt.

D. Vnde iſta probas?

P. Duobus potiſſimùm ſacræ Scripturæ locis, quorum vnus eſt Rom. 1. verſ. 20. vbi res naturales ὁρατὰ τῆς κτίσεως appellãtur, diſtinguũturq; ab iis quę eodem loco vocantur ἀόρατα. Alter autem eſt Heb. 11. cap. 3. vbi etiam eędẽ βλεπόμενα nominantur. Quãquam quod eſt ſcriptum in libro Sapient. cap. 7. v. 17. 18. & 19. & c. 13. v. 2. hoc ipſum poterit illuſtrare & confirmare, ſi ſuperioribus locis coniungatur.

D. Explica hæc ipſa paulo latiùs.

P. Hoc igitur dico. Non omne illud quod eſt, & quod Græci vocant τὸ ὄν, pertinere ad Phyſicam tractationem. Nam Deus eſt, habetque non tantũ aliquam, ſed veriſſimam, & ὕπαρξιν & οὐσίαν: addo etiam, ſi ita loqui libet, φύσιν (quid enim vetat cũ Petro, 2. Petr. 1. verſ. 4. φύσιν θείαν, id eſt, naturam Diuinam dicere?) cuius tamen explicatio ab alia, & anguſtiori quidem arte, quàm ab iſta petenda eſt. Nam eſt Deus creator & κτιστὴς rerum, non autem creatura & κτίσις. Solius autem creaturæ natura & vis traditur hac cognitione & ſcientia.

D. Sed vniuerſæne creaturæ?

P. Minimè id quidem. Nam Angeli ex creaturarum genere ſunt, neque pertinent ad Phyſicos, quanquam eos naturam habere vulgo dicunt omnes, & paſsim occurrit apud Patres hæc loquendi ratio, Angelica natura. De qua idcirco Moſes toto illo primo Geneſeos capite non egit, quanquam ibi vniuerſam Phyſicæ materiam breuiſsimè eſt complexus.

D. At idem de tenebris eodem ca. primo egit, quæ res certè videri non poſſunt, & tamen ad hanc tractationem pertinent.

P. Rectè iudicas. pertinent enim ad rerum naturam explicandam, ſed κατὰ συμβεβηκὸς, id eſt per accidens, quia neque luminis, neque primæ rerum coagmẽtationis ratio dilucidè tradi potuit, niſi ex ſuis contrariis, vel potiùs ex priuantibus illuſtrarentur. Tenebræ enim, quatenus ſunt mera priuatio, ad hanc artem per ſe propriéque non pertinẽt: quatenus autem quendam in rerum natura vſum & locum habent, & vim Dei maiorẽ in mundi huius creatione oſtenderunt, rectè à Moſe commemorantur. De qua tota re infra.

D. Collige igitur quæ volebas, quæque effeciſti.

P. Cum neque Deus, neque Angeli ad Phyſicos, noſtrámque hanc diſputationem ſpectent, reſtat, vt materia huius cognitionis propriè dicatur eſſe ea tantùm creatura, quæ conſpicua eſt, circunſcripta, & localis, vt loquitur Auguſtinus, & corporea, id eſt quæ ſub ſenſus noſtros, vel omnes, vel aliquos cadit.

D. At Philoſophi plerique fere omnes aliud ſentiunt: putant enim huius artis ſubiectum eſſe rem eã, quæ mobilis eſt, quatenus mobilis eſt, nõ autẽ quatenus vel creata eſt, vel nobis conſpicua.

P. Ita eſt. Sed in eo dupliciter errant. Primum quod quum ſignificatio motus ſit ex eorum ipſorum ſententia latiſsima, vt ad Angelos etiam pertinere poſsit, quatenus, & loco ſæpe Dei iuſſu mouentur, & ex prima ſua origine (magna non tantum loci, ſed naturæ etiam eorum facta immutatione) ceciderunt, certè diſputatio de illis eſſet Phyſicæ ſcientiæ pars & propria, id quod tamen ipſi pertinaciter, & verè etiam negant. Hic primus eſt eorum error. Secundus, quòd Phyſica cognitio non pertineret, ad eas res quas videmus, ſi quę ex iis eſſent immobiles, veluti, quæ nec interirent nec mutarẽtur. Quod cũ homini propter peccatum poſt ipſius creationẽ perfectámque naturã maximè acciderit, certè ex iſtorum ſententia, nec homo ante peccatum magna ex parte eſſet res Phyſica, nec de eo tractatio ad Phyſicen referretur. Quod quàm ſit falſum, apparet ex Pauli dicto: qui omnium rerum quæ oculis cernuntur, cognitionem & Phyſicam eſſe vult, & gradum ad Dei ipſius agnitionem pronum & obuium. Apparet itẽ ex eo quod hominis puri & nondum peccatoris natura à Moſe inter res Phyſicas recẽſetur. Apparet denique ex variis Pſalmis, vbi inter rerũ veriſsimè

A Phyſicarũ genera, homo hominíſque natura,etiã qualis à Deo cõdita eſt enumeratur Pſa.8.Pſal.104. Pſal.139.v.13.15.16.Pſal.148.Denique quid aliud ſibi volunt, qui corpus mobile huius cognitionis ſubiectum conſtituunt, quàm quòd vnius & eiuſdem artis duo ſubiecta,nimirũ corpus ipſum & eius πάθος(qui eſt Motus)eſſe docent, cùm tamen vni arti vnum tantùm ſubiectum ſit tribuendum?

D. Cur igitur Philoſophi eas res, quas Phyſicas vocant,ex motu præcipuè definierunt?

P. Primum quod eorum cognitio omnis ſit, quemadmodum ipſi loquuntur, à poſteriori, non à priori. Res enim tum demum noſſe cœperunt, poſtquam ipſi extitere,& res omnes iã erant creatæ,atque etiam per peccatum hominis effectæ caducæ, id eſt,erant ad miſeriam & interitum iam à Deo deſtinatæ. Non animaduerterũt neque viderunt,cùm eſſent Dei verbo & luce deſtituti, quales primùm conditæ fuerant.Itaque cùm in rebus hiſce Phyſicis iam corruptis verſari cœpiſſent,maximas & perpetuas earum mutationes,fluctus,fluxuſque & ἀκαταστασίαν viderunt, & ex ea vna conditiones Phyſicas æſtimandas eſſe voluerunt.Deinde cùm motus & mutatio poſsint facillimè & B generaliſsimè obſeruari in hiſce rebus omnibus, quas cernimus quæque ſunt in hoc mundo, facile fuit ex motu res Phyſicas diſtinguere & definire. Eſt quidẽ motus in omnibus rebus Phyſicis,ſed etiam in aliis,quæ Phyſicæ non ſunt,ineſt, quales Angeli:vnde fit vt ex motu res Phyſicæ à non Phyſicis propriè ſeparari ſecernique non debeant.

D. Cur tu verò rem ex eo quòd conſpicua ipſa ſui naturâ eſt Phyſicam appellas?

P. Quia cũ ſumma duo rerũ genera ad ſuã gloriam condiderit Deus, vti ſæpiſsimè docet Auguſtinus,vnum viſibilium, alterũ inuiſibiliũ,viſibiliũ vel ὁρατῶν tantum genera complexus,& perſecutus eſt Moſes in Phyſica ſua tractatione,quæ cap.1.Geneſeos extat,& ea ſola tota Scriptura pro Phyſicis agnoſcit. Quare ex eo quod ſunt viſibiles,quemadmodũ diximus, res Phyſicæ ſunt definiẽdæ. Inuiſibilia autem & ἀόρατα,ſiue ea moueãtur,ſiue nõ, vt non Phyſica ad aliud artis genus planè reuocantur & reducuntur. Atque ad huius meæ ſententiæ confirmationẽ infinita penè veterũ Baſilii, Chryſoſtomi, Ambroſii, Auguſtini dicta congererem, C ſed in re tam aperta quid eſt opus?

D. Intelligo iſta:& vt video,ita & vis & ſentis ea omnia eſſe propriè artis Phyſicæ materiã & obiectum,quæ ſunt Dei creaturæ & ſenſibus noſtris perceptibiles & conſpicuæ,ſiue aſpectabiles.

P. Tenes.

D. Iam igitur ſingula iſta defini, vt tota hæc diſputatio,methodo quadam & ordine, procedat.

P. Faciam.

D. Quid eſt creatura?

P. Eſt res omnis,quę neq; à ſeipſa eſt,neq; ſemper fuit,ſed & aliquãdo,& à Deo producta eſt. Ita enim viri docti dicũt,& meo quidẽ iudicio, rectè.

D. At Paulus Rõ.8.v.20.videtur aliter docuiſſe,ſic nẽpe,vt ſit creatura res ea quæ vanitati, corruptioni, & ſeruituti propter peccatum ſit ſubiecta,quam eandem definitionem ſequitur in lib.de Trinitate Hilarius.

P. Pulchrè meminiſti.Sed Paulus non definit illic quid ſit creatura in vniuerſum & per ſe,ſed qualis nunc eſt poſt peccatũ, & quantũ ad argumenti ſuſcepti rationẽ fuit tũc neceſſariũ.Itaque vnã tantùm Creaturarũ ſpeciẽ ſpectabat:nec definit Paulus Creaturã à vera ipſius natura,ſed tantũ à qualitate & accidente, inhærente quidem, ſed tamen quod ſuperuenit creatis iam rebus,id eſt, creaturis iam exiſtentibus, ſed quæ plenam perfectámque naturam ſuam iam propter peccatum hominis ex parte amiſerant.Quod ipſum reſponderi debebit ſi quis nobis illud Auguſtini obiiciat, quod eſt in libro contra Felicianum, cap.7. *Creatura eſt ex eo,quod adhuc non,aut aliquando non fuit, rei cuiuslibet corruptibilis (quantum in ſe eſt)per omnipotentis Dei voluntatem facta ſubſtantia.*

D. Commodiùs igitur & veriùs, quid ſit in vniuerſum creatura aliter definiri cenſes?

P. Certè quidẽ.Nam neque beati Angeli veræ creaturæ dicerẽtur : neque etiam nos ipſi,ſi in illo primo & integro ſtatu ſuo Adam permanſiſſet,rectè vocaremur creaturę,ſi poſteriores definitiones retinentur:futuri enim eramus incorruptibiles, & omnis vanitatis expertes.Denique caro ipſa D.noſtri Ieſu Chriſti non rectè diceretur eſſe creatura, quemadmodum ab Auguſtino ſæpe appellatur: & res ipſa teſtatur eã fuiſſe creaturã. B Nã ab omni infirmitate per ſe libera potuit eſſe,quia à peccati labe,&corruptiõe illa fuit immunis,nec propter ſuũ peccatum fuit morti ſubiecta: etſi tamẽ Chriſtum carne mortuũ eſſe cõfitemur.Ergo omnia illa,quę ſunt ſanè abſurdiſsima,ſequẽtur eos qui pertinaciter nobiſcum pugnabũt.Vnde huius vocis,creatura,vis,& notio latiſsima,& veriſsima eſt illa,quam nos ſupra adduximus,& hoc loco ſequimur.

D. Eſtne verò ex tua definitione creatura nominanda,tũ ipſa rerũ eſſentia, tum earũ vires & proprietas,tum etiã adiuncta? veluti in homine eſt eſſentia quædã,quæ corpore & anima cõſtat:ineſt in eodem vis etiã & proprietas per quã ratiocinatur, agit,operatur,ſentit,mouetur, ambulat.Sunt verò etiã adiuncta quędã,quæ ſunt pars ὑφισταμένων,in ſingulis hominibus & indiuiduis, & quæ ſecernũt & cõſtituũt illud diuerſum ab aliis eiuſdẽ ſpeciei indiuiduis,quę in ſcholis Conditiones indiuiduãtes appellãtur.Et quę denique etiã illis ipſis ὑφισταμένοις ſunt,vt hic viuant,neceſſaria,qualis locus,tempus, color faciei,ſtatura corporis, & reliqua huiuſmodi, C quæ eſſentiæ ratione Dialectici accidẽtia vocãt. Peto igitur abs te,vtrũ illa tria rerũ genera,nimirũ eſſentiã rei,proprietatẽ,& accidens,inter ſe quidẽ, vt vides,diſtincta, creaturæ nomine complectaris

P. Sic eſt. Nã quicquid à Deo primùm inſtitũ eſt rebus,vel ex naturali quadam cõſequutione iis adiunctũ, & ab eo creatũ in hac rerũ vniuerſitate, ſiue illud ſubſtantia ſit, ſiue nominetur accidens, Creaturã appello.Quanquam videtur Moſes illud vel ſolùm vel maximè rerũ genus perſecutus quæ ſunt & appellãtur ſubſtantiæ, quas ſolas fateor primùm & per ſe ad Phyſicũ pertinere.Quicquid autẽ ab eo nõ eſt profectũ,ſed ab hominis arte,vel facto,vel mala detortáve voluntate additũ,illud non voco creaturã Dei,ac ne creaturã quidẽ.Nec enim creatura eſſe poteſt, niſi quę à Deo,qui eſt vnicus Creator,producta ſit.Ergo artificia hominũ& eorum opera & effecta,ſæpe quidẽ pręſtantiſsima,ad hanc artẽ nõ pertinebũt:ſed nec peccatũ hominis, niſi per accidẽs,& quatenus primæ & puræ rerum naturæ magna per illud immutatio facta eſt, quæ etiamnum hodie in rebus omnibus, imprimíſque

A in homine, quod eſt pulcherrimũ Dei opꝰ, apparet.

D. Creatura verò quomodo à Græcis appellatur?

P. Appellatur κτίσις: quanquam apud Græcos ea vox non tantùm rem ipſam conditam ſignificat, ſed etiam ſæpe Dei conditoris actionem: ſæpe etiam rei conditæ conditionem, qualis nunc eſt, qualemque cernimus.

D. Intelligo iſta. Sed quid vocas ὁρατὸν vel conſpicuum, quum creaturam ὁρατὸν materiã Phyſices dixiſti?

P. Non illud tantùm quod oculorum ſenſu percipi poteſt, qualis eſt ſubſtãtia, lux & color (quãquam id vox ὁρατὸν, propriè videtur ſignificare) ſed quod aliquo alio corporis ſenſu, veluti tactu, auditu, olfactu, guſtu cognoſcitur & tractatur: veluti odor, ſonus &c. Res autem corporeæ omnes, maximè ὁραταὶ, id eſt, viſibiles appellantur, quòd viſus ſit omniũ corporis ſenſuum certiſſimus, pulcherrimus, atque nobiliſſimus: & quòd rei viuentis actiones, & vitæ ipſius argumenta potiſſimùm oculorum ſenſu deprehenduntur, qualis eſt motus & B reſpiratio. Denique quòd quæ ſunt corporea, oculis meliùs iudicãtur quàm guſtu vel auditu: adeò vt dicere Creaturam ὁρατὸν & conſpicuam, eſſe materiam artis Phyſicę, perinde ſit, atque ſentire & velle, omnem, creaturam ſua naturâ ſenſibilem, eſſe verum & proprium illius obiectum: ſiue ea quidẽ corporea ſit, quales ſunt rerum ſubſtantiæ ſiue non, quales ſunt rerum vires, proprietates, qualitates, motus & actiones, quæ rebus ipſis corporeis natura primáque earum creatione & origine vel extrinſecus adhærent, vel etiam intrinſecus inhærent, illíſque iniectæ ſunt. Sunt enim hæc omnia genera, res vti diximus, Phyſicæ & naturales, & à Deo creatæ.

D. Teneo iſta. Dic verò quàm variè, quotque modis has creaturas tractet & conſideret Phyſicus Chriſtianus.

P. Duobus omninò modis, nimirũ quatenus eæ vniuerſæ vno aliquo complexu & toto tãquam corpore ambiente ſunt comprehẽſæ, qui mundus appellatur: vel per ſua quæque genera, eáq; diuerſa, ſunt eæ diſtinctæ & ſeorſim ſeparatæ. Id quod ſex dierum creationis hiſtoria particularis tradit.

C D. Quomodo id doces?

P. Quòd ſæpe Scriptura res viſibiles & creatas omnes nobis mundi nomine proponit, quẽadmodum Iſa.38.v.11. Ioan.1.v.9.9.v.39. Sæpe eaſdem diſtinctè & ſigillatim, ad multiformem illam Dei ſapientiam oſtendendam prædicat, quemadmodũ Pſal.104.147.v.8. Pſal.149. Itaque de illis vtraque hac ratione nobis quoque agendum eſt, vt quæ ad Dei agnitionem & gloriam ex rebus his creatis percipi & cognoſci poſſunt, atque etiam debent, abundè, quemadmodum Scriptura docet à nobis intelligantur & tandem euadamus Phyſici verè Chriſtiani.

D. A qua verò ex his duabus methodis priùs eſt ordiendum?

P. Ab ea ratione & tractatione, quæ nobis res omnes vno illo corpore, qui mundus appellatur, vniuerſè comprehenſas proponit.

D. Cur iſtud?

P Quia & generalior eſt & facilior iſta docẽdi via. Nam tota ſunt ſuis partibus notiora: faciliùs enim domum ipſam totam videris, quàm ſingulas eius partes oculis diſtinxeris, vel animo comprehenderis. A Deinde quæ de toto ipſo mundo dicta erunt, ad particulares de quoque rerũ genere tractatus viam & aditum nobis præbebunt. Erunt enim tanquam ſequentium fundamenta.

CAP. VIII.

Mundus quid.

D. DIc igitur de Mundo.

P. Cupio.

D. Quid eſt Mundus?

P. Mundi ſignificatio varia eſt, & multiplex quemadmodũ etiam docent Philoſophi, vti Laer. lib.7. & Plutarc. lib.1. De Placitis Philoſophorum: quæ certè primum omnium eſt diſtinguenda, ne decepti vocis ambiguitate, vel ludamus in tota hac diſputatione, vel fallamus.

D. Quot igitur ſũt huius vocis ſignificatiões?

P. Tres in primis. Primùm enim Mundus accipitur pro rebus ipſis creatis, quibus hæc tota machina viſibilis conſtat. Sic accipitur Ioan.1.verſ.10. B ſic 2.Petr.3.verſ.6. Præterea pro ea conditione vitioſa & miſera, quæ ex peccato hominis contracta omnibus hiſce rebus communiter nunc inhæret, in qua manifeſtiſſima ἀταξία ineſt, ſummáque rerũ perturbatio. Sic Ioan.2.ver.16.5.v.19. Denique ſumitur pro vna quadam mundi parte, eáque nobiliſſima, & præſtantiſſima, nimirum pro hominibus tantùm, ſæpe quidem pro omnibus. Rom.5.v.12. Ioan.3.v.16. ſæpe autem pro ſolis renatis & fidelibus. 1.Ioã.2.ver.2. Sæpe etiam pro reprobis & infidelibus. Sic 1.Cor.1.ver.21. Ioan.14. verſ.17. & 22. Aliàs etiam, ſi huius vocis Mũdi notionem ad certa capita reuoces, dixeris, Mundi nomine aliquãdo locum ipſum, aliquando ſubſtantiam rerum, aliquando homines vt præcipuam illius partem, aliquando eiuſdem illius partis, id eſt, hominum deprauationem intelligi.

D. Atqui mundus à Latinis propter pulcherrimum in eo rerum omnium ordinem nominatus eſt, vti à Græcis κόσμος ab ornatu, quæ certè nominis ratio, cum ea ſignificatione pugnat qua rerum confuſionem & vitium Mundi nomine aliquando denotari dicis.

C P. Veram tu quidem huius vocis, Mundus, notationem affers, à qua tamen poſtea vſus tum Gręcæ, tum etiam Latinę linguæ deflexit. Nam cùm homines animaduerterunt rebellionẽ, corruptionem, & perturbationem ineſſe generaliter in rebus mundi omnibus, eam etiam Mundi nomine ſignificarunt, quia inſeparabiliter per eum totũ diffuſa eſt, & ſingularum rerum tãquam medullis infixa. Qua ratione homines ſępe appellantur hominum communis ſors & miſeria. Hebræi autem appellãt mundum עלם Golam (quod Apoſtoli vertunt αἰῶνα Hebr.11.v.3.1.2. Epheſ.2.v.2.) non quidem ab ęternitate, quaſi fuerit ſemper & ab æterno mundus: ſed potiùs à fixo & certo illo ordine, quem Dominus Deus poſt res conditas in eo cõſtituit, quémque hodie ineſſe & in eo durare cernimus. qualis ortus & occaſus Solis, quatuor anni tempeſtatum mutatio. Atque ille durabit donec hic rerum ſtatus erit, vti apparet ex Geneſ.8.ver.22.9.v.9.10. & Iob.26.v.10. Eccleſ.8.v.11. Itaque cùm præterierit hæc Mũdi ætas & figura, & hic quoque rerum ordo peribit, 1.Corinth.7.v.31.2.Petr.3.v.47. ſed tamen ad

A illud vſque tempus duraturus eſt. Nam aliquando deſiturum eſſe hunc Mundum ſatis apertè ipſi illi Hebræi ſignificant , quum eundem vocant & dicun חדל Chadel Pſal.39.v.5.

D. Qua igitur notione,quove ex illis tribus ſignificato mũdus accipi in hac diſputatiõe debebit?

P. Primo.

D. Quid verò eſt Mundus?

P. Mundus eſt non tantùm omnium harum rerum viſibilium comprehenſio,& coaceruatio quædam,ſed ordinatiſſimè ſapientiſſiméq; à Deo facta earum in ſua quæque genera & ſpatia diſtinctio , cuius extrema duo poſuit cœlum & terram?

D. Vnde iſtam tuam definitionem probas?

P. Primùm iiſdẽ illis Scripturę locis,quibus huius artis materiam docuiſti eſſe hæc cõſpicua & viſibilia omnia: tum deinde ex eo quod mundi huius totam cõpaginem ordinatiſſimam Mundi nomine Scriptura ferè ſolet deſignare, veluti Geneſ. 14.v.22.2.v.4. Matth.11.v.25. & aliis penè infinitis.

B D. Cur vtrũque hoc in tua definitione cõplexus es,eſſe Mundum non tantum comprehenſionem quandam,ſed eam quæ iam diſtincta ſit.

P. Quia ſi res vniuerſas quibus hic Mũdus cõſtat,cogitemus animo confuſè,& inordinatè congeſtas,vel adhuc iacentes,& nõdum diſpoſitas,ſed tanquã rudera quædam collapſæ domus , vel tanquam ædificandæ paratam tantùm materiam, huiuſmodi rerum aceruus nondũ poteſt Mundus appellari.Eſt enim potiùs illud quod Græci Poetę & homines Chaos dixerunt:Hebræi autẽ בהו Bohu, id eſt,indigeſta moles,vnde vocẽ ipſam Chaos quidam deductã putant,facta leui figuræ vnius literæ ב in כ mutatione, quaſi pro Bohu Cohu Græci homines exaudiſſent , linguæ Hebraicæ faſtidioſi auditores & diſcipuli imperiti. Inde etiam eſt illa Latinè loquendi ratio,quam Verrius doctiſſimus grammaticus annotauit, vt Cohum veteres Mundum dixerint , & inde verbum inchoare deductum. C Sed ab Apoſtolo Mundus hic οἶκον, Hebr.3.v.4.id eſt,familiæ benè ordinatæ nomine donatus eſt,neque eſt Chaos.

Cap. IX.

Mundus vtrùm rectè & Chriſtianè vocetur Vniuerſitas.

D. SED quòd hic Mundus à quibuſdam Latinis Vniuerſitas appellatur:à Gręcis autem τὸ πᾶν,& τὰ ὅλα,tibíne probatur?

P. Etſi doctiſſimis atque pientiſſimis quibuſdam viris tam ſuperbũ nomen diſplicere ſcio,quia tamen graues autores,atque etiam Eccleſiaſtici patres & ſcriptores eo vocabulo ſunt vſi,equidẽ reiiciendum nõ cenſeo.Nam & Auguſt. in Enchir. cap.10.& lib.8. cap. 25 . de Geneſ.ad literã,& Tertul.alicubi & Irenæus lib.2.cap. 32. hanc vocẽ pro Mundo vſurpare non reformidant, ne & Ambroſium & Baſilium tibi laudem,& fortaſſe ex Hebr. 3.verſ.4.eorum ſententia confirmari poteſt. Quanquam enim præter hunc viſibilem Mundum aliæ ſunt Dei creaturæ,& eæ quidem plurimæ eximiæ, & pulcherrimæ,quales ſunt Angeli, & beatorũ hominum ſedes,videtúrque omnino arrogans & audax appellatio , vniuerſitas , quo tamen ſenſu hoc ab illis dicatur,& à nobis debeat exaudiri intelligunt omnes,vt ſit hic mundus vniuerſitas nõ omnium A quidem Dei creaturarum,ſed conſpicuarum tantùm & corporearum.

D. Hactenus de nomine Mundi:nunc de re ipſa videamus.

P. Ita diſputationis ordo poſtulat.

Cap. X.

Mundus & quæ in eo ſunt, Vtrùm ſolida corpora, an tantùm vmbræ quædam.

D. QVænam igitur de Mundo doceri ex ſacra Scriptura poſſunt?

P. Varia quidem,& omnia ſcitu digniſſima,quæ ad Dei opificis laudem & admirationem pertinent,è quibus alia Mundi ipſius naturam explicant,alia verò cauſſas.

B D. Ecquæ verò naturam Mundi, & totius huius Vniuerſitatis explanant?

P. Hæ ferè quæſtiones,quæ variè vel ab hæreticis vel à Philoſophis agitantur.

D. Quænam ex iis prima eſt?

P. Vtrùm Mundus hic,& quæ in eo continẽtur,ſint ſubſtantię,id eſt,ſolida quædã corpora, & verè, réque ipſa ſubſiſtentes naturæ : an verò vmbræ rerum quædam,& rerum ſpectra & imagines.

D. Cur id verò?

P. Quia non modò Plato vult , quæ hic ſunt, omnia eſſe idearũ quarũdam imagines , & vmbras tantùm naturarum,quæ ſunt in cœlo,& ſubſiſtunt in Dei mente:ſed etiam Valentiniani hæretici contendunt,quæcunque ſunt in hoc Mundo,eſſe tantùm nudas æonum ſuorũ imagines, ſpectra & vmbras euanidas. Ad quam ſuam ſententiam confirmandam adducunt,quod eſt apud Paulum 1. Corinth.7.v.31.Prætèrit figura huius mundi: quaſi vana ſint ſpectra, miniméque ſolida quęcunque hîc à nobis etiam oculis cernũtur: quale quid deſcripſit C ille his verſibus:

At ni docta comes tenues ſine corpore vitas
Edoceat volitare caua ſub imagine formas,
Irruat, & fruſtra ferro diuerberet vmbras.

D. Habéſne quod ad iſta reſpondeas?

P. Maximè.

D. Quænam illa?

P. Primùm quod ad Platonẽ valere eũ iubeamus,quia nõ modò Academicus eſt & pendẽs animi in omni re,incertúſque:ſed etiã ethnicus,& qui nihil pertineat ad nos Chriſtianos. Qui ſunt enim foris,nihil ad nos,vt ait Paulus.Sed quod ad Valẽtinianos,qui ſe Chriſtianos dici voluerũt, iſti optimè refutantur grauiſſiméque reprehenduntur ab Irenæo l.2.cap.7.operis aduerſus hæreſes inſtituti. Quanta enim ex ea ſententia abſurda,& incommoda conſequantur,vide. Oportebit cõfiteri res illas & ideas cæleſtes,quarum hæ terreſtres,ex iſtorum ſententia , ſunt vmbræ,eſſe corpora , quod eſt abſurdum. Nec enim merè ſpiritualium imago eſſe poteſt,quæ ſit corporea . Deinde totum hoc pulcherrimum Dei opus, qui Mundus appellatur , erit ſpectrum & merè ſomnium , non autem res ea quam eſſe nos exiſtimamus : quod eſt blaſphemum. Poſtea videre,palpare, ſentire, nihil planè aliud erit , quàm falli , decipi , & inſtar furioſorum & ebrioſorum hominũ ægrotare & ſomniare,nihil erit hoc ipſum quod eſſe dicitur:cibi ipſi,

quos

A quos edimus,erunt figmẽta:homines ipſi,quibuſcum verſamur,erunt vmbratiles:terra, quam calcamus, vmbra euanida,non autem ſolidum quoddã corpus & elementum. Denique Chriſtus ipſe qui ſimilis nobis factus eſt, fuerit homo imaginarius tantùm, non verus,quare paſsio eius imaginaria. Et quo pacto meliùs furor ille Marcionitarum ab inferis reuocari poteſt?Erit denique,contrà quàm tamen vetus prouerbium habet,vita ipſa hominũ fabula Mundus theatrum.

D. Quid ad Paulum reſpondes?

P. Non fauere eum Valentinianis. Neque enim loquitur Paulus de ipſis rebus & earum natura,qualis ſit:ſed de earum tantùm conditione,& ſtatu,quàm ſit momentaneus & leuis, ne illis inhæreamus.

D. Tu verò quomodo ſententiã tuam probas?

P. Pręter ea quę ſuperiùs abſurdiſsima ferè demonſtrauimus,& ipſa rerum experientiâ comprobantur: illud etiam accedit, quod apertè noſtram ſententiam confirmat,nempe dictum Petri,2.Pet. 3.v.10.& 12.Pſal.102.v.25.26. Denique omnes illi Scripturæ loci,in quibus Dominus ipſe teſtatur ſe B fundaſſe terram,creaſſe res:nõ autem euanida ſpectra, & inania rerum ſimulachra oculis nobiſque illudendis obiecisse.

Cap. xi.

Mundus vtrùm vnus,an plures.

D. INtelligo,dic quænam ſecundo loco de Mũdo quæri ſolent.

P. Vtrum Mundi ſint plures,an verò tantùm vnus.

D. Etiámne quidã Mundos eſſe plures volũt?

P. Certè.In quo ipſo duplex eſt eorũ ſentẽtia.

D. Expone.

P. Quidam enim plures eſſe ſentiunt, eóſque diuerſi generis. Alij autem plures,ſed eos omnes eiuſdem naturæ.

D. Quídnam primi illi ſibi volunt,qui mũdos eſſe diuerſi generis cenſent?

P. Illi conſtituunt mundos duos,quorũ vnus ſit νοητικὸς,& idealis, qui etiam verè ſubſiſtat, ſed ſupra hunc mundũ:alter verò χοϊκὸς,id eſt,terrenus & C typicus,ad illius ſpiritualis & idealis mundi formã & ſpeciem à Deo effictus,qui& ipſe ſubſiſtat quoque,& eſt mũdus hic quẽ nos mortales incolimus.

D. Etiámne iſta quidam dicunt?

P. Planè.Atque ij quidem non tantùm Philoſophi prophani,qualis Plato,Philo Iudæus, & Plutarchus in libro de facie lunæ:ſed etiam graues viri,& inter Chriſtianos ſcriptores non contẽnendi. Imprimis autẽ eſt illud Boethij lib.3. de cônſolat.

--cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo,pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens,ſimilíque ſub imagine
formam.

Id quod etiam ex quodam ſcripto Nazianzeni apparet,quod eſt inter epiſtolas Baſilii.

D. Eſtne vera iſtorum ſententia?

P. Minimè quidem.Nam iſtius idealis, quemadmodum vocant, Mũdi Scriptura nuſquam meminit:& qui ita ſentiunt de Deo,nimium pueriliter,ne dicam contumelioſè, loquuntur quaſi de ignaro & tyrone quodam opifice, qui nihil niſi ex obiecto ſibi exẽplari fingere & conari poſſit,nihil A autem queat ipſe per ſe meditari, nihil animo cogitare, & abſque rei repræſentatione intelligere. Quæ omnia quàm bene cũ Dei omnipotentia & incomprehenſibili illa ſapientia conueniant, ipſi viderint: ego quidem nõ video.Sed neque mecum videt Auguſtinus,qui lib. De fid. & ſymbolo cap. 2. totam iſtam & materiæ & Ideæ præexiſtentis in Deo cogitationem irridet. Denique iſte mundus ſpiritualis vbinam tandem locorum, & quonam modo ſubſiſtet,vtrùm in Dei mente tãquam ſubſtantia in ſubſtantia? Certè non poteſt.Nam Deus eſt ſimpliciſſima illa natura,quæ prorſus nihil,niſi ſeipſam habet & complectitur: vtrùm tanquã accidens,& informatio quædam aut phantaſia diuinæ mentis?Neque etiam id poteſt. Deus enim nõ admittit eiuſmodi accidens, qui quum videt præſentia,non abſtrahit rerum obiectarum formas & imagines:quum cogitat & meditatur, non ex vno ad aliud progreditur:quum operatur & agit, non ad ſpeciem priùs efformatam in animo opus ſuum cõſiderat,& examinat,ne erret.Hæc verò ſentẽtia ex Origenis fœtidis lacunis eſt ſumpta, vt docet Hiero.in procœ.Apolog.aduerſ.Ruffinũ.Ille enim B ſenſit ante has viſibiles creaturas(cœlũ,terrã, maria,& omnia quę in eis ſunt) fuiſſe alias inuiſibiles creaturas,in quibus & animas quoq;,quę ob quaſdã cauſas ſoli Deo notas deiectę ſint deorſũ in vallẽ lacrymarũ, in locũ afflictionis & peregrinationis noſtrę.In quo ſanctus cõſtitutus orabat,vt ad ſedẽ priſtinã reuerteretur dicẽs, *Hei mihi,quia incolatus meus prolongatus eſt.*

D. Atqui pręcepit Dominus Moſi,vt ad exemplar quod illi oſtẽſum fuerat in mõte, omnia faceret,Exod.25.verſ.40.Hebr.8.v.5.

P. Primùm quidẽ excipiã,ſi velim de rebus cœleſtibus tãtùm illic agi,nõ autẽ de Phyſicis. Deinde,alia eſt ratio Dei creatoris ſapiẽtiſsimi,alia Moſis creaturę & hominis,cõmuni aliorũ hominũ cæcitati & infirmitati obnoxij.Itaque vt quę iubebatur,rectè adminiſtraret, huiuſmodi exẽplari opus habuit Moſes.Sed nec hoc ipſum exẽplar,quod in monte oſtẽdit illi Dominus,.reipſa ſubſiſtebat, vt quiddã ὀυσιῶδες eſſet,mea quidem ſententia:ſed fuit huiuſmodi reprẹſentatio quædam & imago, quales rerum futurarum imagines multæ poſtea Prophetis,& antea Abrahamo, & cæteris Patriarchis C fuerunt à Deo obiectæ.

D. Qui plures mundos eiuſdem generis eſſe contendunt,quid conantur.

P. Hoc nimirũ,quòd quemadmodum nos hũc inhabitamus,ita alij alios,in quibus & alia terra ſit noſtræ ſimilis,& cœli alij,& alius Sol,Luna,réſque omnes illis & nobis eædem.Itaque alij eos mũdos infinitos eſſe numero cenſent:alij autem plures,alij pauciores eos faciunt.Inter quos ſunt numerandi Epicurei,& Democriti Philoſophi.

D. Súntne verò mundi plures.

P. Apage ſis infinitatẽ iſtam vel multitudinem mundorũ. Nam vnus eſt non plures:etſi de eo ipſo ex Clementis epiſt. quædam Hier. diſputat in ſuis commentariis ad epiſt.Pauli ad Ephe.2.v.2.Atque etiam Origenes plures Mũdos futuros eſſe ſenſit, non ſimul quidem omnes,ſed ſucceſsiuè, & alium poſt alium quemadmodum idem Hiero. tradit in epiſt.ad Anitum,de Errorib. Origenis. Ideóque Chriſtum ſæpius paſſurum dixit Orig. vt quod ſę-

A mel profuit,ſemper proſit aſſumptum.

D. Doce me cur ita ſentiendum putes.

P. Primùm quidem,quia cùm ſacra Scriptura accuratè præcipua opera Dei viſibilia recitet, ex quibus ipſius maieſtas & omnipotentia facilè percipi poſsit,vnius tantùm huius, non vllius alterius mūdi meminit.Qui ſi eſſent plures,certè cōmemoraſſet. Pertinebat enim ea maximè res ad Dei gloriam,& potentiā illuſtrandā.Deinde quis ſecundi aut tertij iſtius Mūdi ſtat⁹ ſit,ordo,cōditio,lapſus, cōſtantia,Saluator & Ieſus,quę itē vita ęterna,& à quo eiuſdē ſit ſalus,nuſquā explicatur, neque qua ratione à Deo hi alij Mundi facti ſint, & conditi: ſed de hoc vno hęc omnia ſolùm dicūtur.Ergo aut ab alio quodā Deo mūdos illos factos fuiſſe oportet, aut extitiſſe per ſe ipſos, quorū vtrūque planè blaſphemū eſt. Aut ſi ab hoc eodē Deo creati ſunt à quo hic,quē nos incolimus,cur reticet Scriptura? Certè ratio huius tam inuidi & periculoſi ſilentij B probabilis nulla poteſt afferri.Vnde fit vt rectè veteres ſenſerint & collegerint vnū eſſe Deum, quia vnus eſt mundus:contráque vnū eſſe mundū, quia vnus eſt Deus.Præterea totahęc variorū & multorum mundorū architectatio quā futilis eſt & inepta?Cur enim plures cōdidiſſet Deus,qui vnico & eo quidē latiſsimo poterat omnia etiā cōmodius cōplecti quæ illis diuerſis & ſeparatis mundis fuit cōprehenſurus? Atqui(vt verè & vulgò dicitur)*nihil agit fruſtra Deus & natura,& fruſtra temeréque per plura fit,quod poteſt perfici per pauciora.* Nam etiamſi plures cōdidiſſet Deus,illi mundi numero tātùm, non autem ſpecie differentes & diſsimiles inter ſe eſſent.Cur igitur ille cōdidiſſet ſæpius idem? Denique cùm eadem Scriptura ſæpe articulū ὁ addat quum de mundo loquitur,non plures,ſed vnū tantùm eúmque certū eſſe Ioan.1.v.10.demōſtrat. Eſt enim certæ rei ſignificans articulus ille,qui adiungitur.Quòd ſi plures mundi eſſe concedantur, eadem ratione numero infinitos eſſe fatendum eſt. Prætereo enim abſurda illa,quæ tamen neceſſariò inde conſequuntur, nullas fore vnquam eclipſes, & defectus lunæ vel ſolis: imò verò neque noctes C fore,cùm ſol ſemper aliquis alterius mūdi vel exoriretur nobis noſtro occidente,vel medio cœli ſpatio ſplenderet atque illuceſceret, noſtro eclipſin & vmbram ſubeunte.

D. At cur plures mundos non creauit Deus?

P. Non ἀδυναμία certè, vel impotentia quadā, quando ipſe eſt omnipotens. Non quòd exhauſti in tantæ molis fabrica ipſius ſenſus,aut defatigatæ iam vires eſſent: verbo enim ſolo omnia condidit, Pſal.33.Non quòd etiam materiæ,vt cenſent Peripatetici,inopiâ & penuria id euenerit,(aiunt enim ipſi, *Quod ſit ex tota ſua materia non eſt plurificabile*) & tota quæ fuerat præparata materia,in tantæ machinæ corpore conſumpta ſit. (Potuit enim qui hunc tantum mundum ex nihilo primùm creauit, ad alios infinitos materiam ſibi,ſi vellet,pręparare.)Sed ea ſola de cauſſa mundi plures conditi non NB. ſunt,quia Deus ipſe noluit. Nam quæcunque voluit,fecit,Pſal.115.v.3. Cur autem noluerit, ignota nobis ratio eſſe poteſt, iniuſta tamen non poteſt. Hunc autem mundum eſſe nobis, ad ſummæ ſuæ tum miſericordiæ, tum etiam iuſtitiæ celebrationem & laudem ſatis magnum argumentum ipſe vidit, qui omnia nouit, itaque hunc ſolum fabricauit & fecit. Ariſtoteles autem lib. 1. De cœlo & Mundo aliam rationem affert, cur vnus tantùm A Mundus creari potuerit,nempe ne Terra alterius iſtius Mundi cum terra huius noſtri coincideret: ſed iſta ratio ab Occano refutatur in lib.1.Sentent. Diſt.44.Quamobrem eam prætermittere volui.

Cap. XII.

Mundus hic vtrùm finitur.

D. Sed eſtne hic mundus finitus,quemadmodum diſputant quidam?

P. Non vnus modò eſt, ſed etiam finitus & terminatus.

D. Quomodo probas?

P. Quia illud eſt finitum,cuius extrema diſertè & perſpicuè demonſtrantur.Scriptura verò conſtituit cœlum & terram huius Mundi extrema & fines,quorum illud extimum eſt,hæc citima, vt Exod.20.v.11.Geneſ.2.v.2.& aliis locis apparet.Quare quin ſit finitus,certè dubitari non poteſt. Præterea B quæ inter creatorem ipſum & creaturam differentia, ſi vt ille infinitus & immenſus eſt: ita & creatura eſſet in immenſum patens & fuſa? Denique infinita duo conſtituerentur, quod planè eſſe & defendi non poteſt.

Cap. XIII.

Mundus hic vtrùm ſphæricus & rotundus.

D. Memini quæ hactenus à te cōfirmata ſunt,eſſe nimirum hunc mundū ὁμοιώδην non σποράδην:eſſe vnum, non plures: eſſe denique finitā quandā maſſam & comprehenſionem,non autem infinitam:adde alia quę reſtant.

P. In primis hoc quæri ſolet: Quæ ſit totius huius mundi, & imprimis corporis has res omnes ſuo complexu continentis forma,quoniam alij rotundam ſiue ſphæricam eam eſſe volunt, vt Ariſtoteles:alij ad εἰκοσαέδρου figuræ ſimilitudinem circunuexam,& multis angulis vndique faſtigiatam, vt C Plato:alij ad pellis extenſæ modum planam, & latè porrectam,vt Baſilius:alij aliam, eamque diuerſam conſtituunt,vt tradit Græcus autor Cleomedes in tit. περὶ κυκλικῆς θεωρείας.

D. Ecqua verò ex iis ſententiis vera eſt?

P. Deus ipſe nouit.Nos autem qui ex eius verbo iſta apertè definita nuſquam legimus (niſi fortè quis illud afferat quod eſt ſcriptum Iob.22. ver. 14.& ſphæræ terræ fit mentio Iſa.40.22.Iac.3.6. & maximè prouerbiorum 8.v.27.*Quando deſcribebat circulum in ſuperficie abyſſi.* vt probet mundum hūc & cœlum extimum velut circulum & rotam rotundum eſſe) ſæpe in contrarias ſententias diſcedimus & diſtrahimur. Orbicularem autem eſſe mundum mihi plane fit probabilius ex eo, quod eſt ſcriptū,quemadmodū dixi,Iob.22.v.14. & Eccleſ.24.v.8.tum quòd ea ſit omnium & pulcherrima & capaciſsima forma,qua certè ambitum hunc tot tantáque ſuo ſinu complectentem efformari oportuit: tum etiam quòd præcipuæ & tanquam integrales huius mundi partes, quæ ſunt cœlum, aqua,& terra, ipſis ſenſibus diiudicantur eſſe circulares & ſphæricæ, quibus totum ipſum Mundi ambitum figurâ ſimilem eſſe credibile eſt: de eo tamen quid indubitanter affirmem nō habeo,cùm

etſi

A etſi citima hæc,& inferior pars circunferentiæ,quã cernimus, ſupremi cœli,& omnia ambiẽtis curua, conuexa,& orbicularis eſſe concedatur, poteſt tamen fingi extima & ſuperior eiuſdem circunferentiæ pars alterius eſſe figuræ:& ſcio qui tympanoides eſſe extremum cœlum dixerunt.

D. Atqui apud Iſaiam dicitur cœlum vt tela, & cortina expanſum,& diffuſum, Iſa.40.v.22.cui conſentit quod eſt Pſal.104. v. 2. ergo planitiei ſimile eſt,quæ figura eſt orbi & circulo planè contraria.Nam orbis in ſe vertitur & conuoluitur.

P. Sanè vterque locus abs te laudatus non figuram,ſed finem cœli explicat,quod propterea ita à Deo terræ ſuperiectum & ſuperextenſum dicitur,tum vt commodius ſub eo , tanquam ſub pulcherrimo & latiſsimo tecto , homines habitarent (vnde & nos Galli huiuſmodi velamenta cœlum vernaculè,*vn ciel*, appellamus) tum etiam vt hoc quaſi velo quodã oculis obiecto homines arceantur,ne in myſteria & arcana illa diuina altiùs & curioſiùs penetrent atque inquirant.

D. Sed cùm eadem Scriptura ſacra ſuperiorem B ab inferiore loco in hoc mundo apertè diſtinguat,veluti Iſa. 35.v.9. 10. ſphæricus aut circularis videri nõ poteſt. Neq; enim in circulo quicquam ſupremum,quicquam imum dici ſolet,cùm à centro ad circunferentiam ductæ lineæ omnes ſint æquales,& ipſa circunferentia, quaquauerſum ſit & incumbat,ſemper ſuperiori ſit loco.

P. De hoc poſtea atque etiam ampliùs. Sed quod ad tollendum animi tui dubitationem ſatis nunc erit,ſic accipe : ex Mathematicorum regulis etiam in circulo notari , atq; adeo eſſe & infimum & ſupremum locum,cóſque inter ſe reipſa diſtinctos. Nam circuli medium & centrum quod vocant,eſt locus inferior & deorſum : circunferentia autem(quæ eſt linea illa conuexa quæ in ſeſe conuoluta , & reducta totum orbis ſpatium complectitur)eſt locus ſuperior & ſurſum , vt ex eo quòd hæ eædem ſitus & loci ſpecies , & differentiæ in mundo deſignantur,non ſit colligẽdum,quod vis, nempe mundi huius comprehenſionem non fieri ſphærica & orbiculari figura.

C

CAP. XIIII.

Mundi verum ſit vna quædam ſingularis anima.

D. QVID cùm ſit hic mundus vnus , cùm ſit finitus , num etiam vna quadam anima, eáque ſingulari continetur,quæ per ſingulas ipſius partes tanquam per membra ſit fuſa,id quod in humano corpore fieri videmus?

P. Quandam eſſe totius huius mundi animam,eámque numero vnam & ſingularem , celebris nominis Philoſophi iampridem ſenſerunt, quemadmodum Ariſtoteles & alij quidam : quorũ ſententiã ſequutus eſt qui ita ſcripſit & cecinit:

Principio cœlum,ac terras campóſque liquentes,
Lucentémque globum Lunæ, Titaniáque aſtra
Spiritus intus alit,totámque infuſa per artus
Mens agitat molem,& magno ſe corpore miſcet.

Sed hæc non tam ſententia & γνώμη eſt,quàm grauiſsimus quidam error,quemadmodum docet Auguſt.lib.contra Felician.Arian.c.12.

D. Quid ita?

P. Quia quæ corpora vno ſpiritu vnáque anima A continentur,illa ſunt cõtinua(vt corpus cuiuſque noſtrum)non ſeparata,vt grex: non ſibi tãtùm contigua,vt digiti manus inter ſe iũcti, & ædificia ſibi vicina. Huius autem corporis,qui mundus appellatur,partes ſunt non tantùm diſtinctæ , ſed etiam à ſeipſis loco & interuallo ſeparatę.Nam ſingulæ oues, ſinguli equi , ſingulæ arbores , ſinguli homines ſunt pars huius mũdi,& ſeparati illi quidem tum loco,tum etiam corporis mole & circũſcriptione,vt omnia hæc & ſingula vnam tantùm animam habere dici non poſſint. Quid enim futurum eſt,ſi vna quædam anima & ſpiritus re ipſa in his ſingulis rebus eſſe cogitetur?Hoc certè abſurdum,Animam (quæ eſt natura quædã ſimplex, & planè ſpiritualis) inſtar corporearum rerum re ipſa,non animo tantùm partibilem eſſe.Nec enim hoc incommodum euitari poteſt , cùm ea,quibus vna illa & ſingularis anima inerit,ſint re ipſa ſeparata, & diducta loco , & definita propria corporis cuiuſque circunſcriptione. Præterea ſequeretur omnes mundi partes eſſe animatas , velut ſolem, lunam , ſydera, cœlum ipſum , quæque cœleſtia B ſunt corpora , quod tamen apertiſsimè negat Auguſt.lib.contra Priſcillia.cap.8. & 9. & veram eſſe hanc Auguſtini ſententiam aduerſus Manichæos res ipſa oſtendit.Quis enim aſtra vel animata, vel ratione prædita vnquam dixerit ? Denique cùm ipſarum mundi partium quædam ſint mortales, vt bruta:quædam immortales,vt homines , qui fieri poteſt , vt vna hæc vniuerſi mundi anima ſingularis,tam contrarias ſibíque ipſis repugnantes qualitates & cõditiones admittat,vt ſit altera quidem ſui parte mortalis,altera verò immortalis?præſertim cùm ſit ipſa ſingularis , vna & ſimplex, nõ autẽ duplex & cõpoſita.Sed etiã in rebus ipſis, quæ moriuntur,quædam citiſsimè pereunt,vt vermiculi & muſcæ:quædam diuitiſsimè viuunt,vt cedri arbores,cornix,& & ceruus : vnde fiet vt hæc mundi anima, quæ tamen ex iſtorum ſententia tantùm vna eſt, & numero ſingularis & ſola, partim mortua dici poſsit,partim viua. Quæ omnia quàm ſint inepta,falſa,& pugnantia,vides.

D. Video.Atq; tibi aſſẽtior,qui vnã & ſingularẽ eſſe totius huius mundi animã veriſsimè neges. C

P. Imo verò præter ſuperiores rationes illa è ſacra Scriptura tanquam robuſtior poſtremo loco à nobis collocetur.Quod eo pacto Dei ſingulis rebus proprias & diſtinctas vires donantis & inſerẽtis bonitas & ſapientia non modò obſcuratur , ſed prorſus extinguitur & ex hominum animis euellitur,dum alij cuidam naturæ & animæ , non autem ipſi Deo eas vires, eámque rerum adminiſtrationem tribuimus,contrà quàm tamen ſentire & cõfiteri docemur Pſal.147.v.15.16.Epheſ.3.v.20.Iob. 8.verſ.5.

D. Atqui ſi non eſt vna quædam vniuerſitatis huius anima,quemadmodum doces , profectò Stoicorũ,Platonicorum & aliorũ quorundã Philoſophorum, atque etiam Priſcillianiſtarũ hæreticorum ſententia labaſcit,qui mundum hũc animal eſſe dicunt,ídque etiã ratione pręditũ & volũtate.

P. Rectè colligis.Eſt enim inepta prorſus & à ratione aliena iſtorum ſententia. Cùm enim illud tantùm animal ſit,& dici poſsit,cuius partes & mẽbra non modò vno eóque continuo corporis cõplexu continentur,ſed etiam vno ſpiritu regũtur, A certè mundus hic non eſt animal. Habet enim ſua membra diſuncta & ſeparata. Atque parum nos Stoicorum & aliorum, quos commemoraſti, Philoſophorum moueret autoritas, niſi aliquando ſcripſiſſet Auguſtinus ſe dubitare vtrùm Mundus hic animal ſit necne: quod vt negare nolit, ſic affirmare non audeat: cuius dubitatio tamen ſequenda probandáque minimè nobis eſt: quàquam defenſa eſt eſt ab Abelardo ſummo ſui tẽporis Theologo, vt ait Bernard. Epiſt. 190.

CAP. V.

Mundum in tempore factum eſſe, non eſſe æternum.

D. SED quæro ex te vtrùm hic Mũdus aliquãdo eſſe cœperit, an ſemper extiterit, ſitque æternus.

P. Mundum aliquando eſſe cœpiſſe multa argumenta probant, B è quibus Philo in libro de mundo quinque præcipua collegit. Nos autem noſtra, maximéque Chriſtiana exponemus.

D. Ecqua vero ſunt illa?

P. Hæc quatuor, primum ipſius diuinæ Scripturæ vox & autoritas, quæ ſic loquitur. *In principio creauit Deus cœlum & terram,* Geneſ. 1. v. 1. Secundum ratio certa. Si enim mundus Deo coæternus, eſt ergo & ipſe Deus: eſt enim ęternitas diuinę naturę, non modò propria, ſed ipſius, vt ita dicã, ipſiſſima eſſentia & præcipua pars & definitio, Exod. 3. v. 14. Apoc. 1. v. 8. Tertium, quòd cùm finem ſit habiturus hic mundus, habeántque ſingula quibus conſtat: principium naſcendi habuerit neceſſe eſt. Quanquam enim illud verè dicitur, non quicquid principium ortúmque habet, finem eſſe habiturum (quando multa ſemel nata ſunt, quæ, ſingulari Dei beneficio, interitum & mortem non ſentiunt, C quales angeli, & hominum animę quæ ſunt immortales) tamen certiſsimè affirmatur, quidquid finem habebit, illud idem exiſtendi & naſcendi principium habere. Quæ regula tam eſt generalis, vt nullam patiatur exceptionem. Quartum denique, quòd non modò conditi mundi cauſſæ ſunt explicatæ & tempus certum notatum: ſed etiam ad perpetuam eius memoriam conſeruandam certa temporum ſpatia præſcripta, veluti hebdomades ipſæ perſpicuè docent: & 50. illùd annorum interuallum (qui Iubilæus annus ab Hebræis dicebatur) à Deo ipſo obſeruari iuſſum, ex quo quot iã ętatibꝰ à primo mundi exordio abeſſemus, facilè perſpici intelligique poſſet.

D. At quod de Scriptura & Geneſ. cap. 1. affers aliter quidam interpretãtur. In principio quidem creata hæc omnia fuiſſe concedunt, ſed nõ in tempore. Nam principij notio & ſignificatio eſt multiplex, nec illic principium temporis intelligendũ eſſe dicunt vel cenſent.

P. Principij ſignificatum triplex eſt. Nam vel ad tempus, vel ad rem & cauſſas, vel denique ad ordinem pertinet. Principium temporis in iis rebus quę certo tempore gignuntur, eſt illud horæ momentũ, quo vel illæ concipiuntur, vel edũtur in lucem. Ea verò ſolum temporis principium habent, quæ in tempore fiunt. Principium rei quod appellatur & pro cauſſa ſumitur in iis rebus quæ ſunt coæuæ & contemporaneæ, eſt illa relatio, affectióque, per quam altera alterius cauſſa eſt cur ſit. A Sic in Sole & die, ſi inter ſe conferantur, dicimus ſolẽ diei luciſque huius eſſe principium, etſi eodẽ temporis momento vtrumque nobis apparet. Huiuſmodi principium tempus diuerſum aut certum nõ ponit. Ordinis deniq; ratione principium dicitur illud, quod in rebus eadem ſerie collocatis numerandi initium præbet, veluti in Trinitate ipſa Pater eſt principium inter tres illas perſonas quæ eſt vnus Deus. Inter plures eiuſdem dignitatis magiſtratus vnus eſt, à quo numeri initiũ incipit, qualis in hac ciuitate primus Syndicus.

D. Ergo Deum volunt iſti eſſe mundi huius principiũ, vti qui cauſſa eſt & opifex, & qui prior numerandus eſt appellatur principium.

P. Hoc quàm ſit abſurdum vide. Primùm enim quis erit huius dicti ſenſus, In principio creauit Deus cœlum & terrã, ſi ita explicare velint, Deus in principio, id eſt, Deus in Deo creauit cœlum & B terram? Præterea cur dixit, creauit, quæ vox nõ tantùm initium ortus ſtatuit, ſed etiam actionis vim, & temporum initium aliquod manifeſtè complectitur, & includit. Deinde in Hermogenianorum damnatam illam hæreſin (velimus nolimus) planè ea ratione incidemus, qui opus opifici faciũt coæternum, ſicque plures Deos omnino cõſtituemus. de quo errore mihi pluribus agendum putarẽ, niſi cũ integro opere iampridẽ iugulaſſet Tertullianus. Pręterea Scriptura ipſa de temporis principio hoc Moſis dictum diſertè interpretatur Prouerb. 8. v. 26. 27. 28. atque etiam his verbis & ea comparatione, dum de mũdi origine agit, vtitur, in quibus omnino temporis & ortus aliquod momentum & initium ineſt. Nam neque quod tam ſæpe Paulus ait de mundi ortu loquens πρὸ καταβολῆς intelligi poteſt. Epheſ. 1. verſ. 4. & quod alibi tempora quædam ſecularia vocat, 2. Timoth. 2. verſ. 9. Tit. C 1. verſ. 2. niſi hæc omnia tempus certũ originémque naſcendi, & exiſtendi aliquam habuiſſe fateamur. Quænam enim ſunt tempora αἰώνια, & ſecularia, quod vox καταβάλλειν ſignificat? nónne temporalis fundamentorum locatio intelligitur, & tempora αἰώνια dicit illa, quæ ex momento, & puncto temporis, quo hæc omnia condi cœperunt, fluxerunt, debentq; dinumerari? In quo nobiſcũ ſentit Aug. lib. contra Priſcillianiſt. cap. 6. Denique quomodo priſcorum hominũ ætates, vti Adami, Enochi, Noachi, diluuij illius vniuerſalis tempus quantum ab ipſo mũdi exordio abſit, diſtinietur, ſi nullum eſſet principium temporis quo Mundus hic creatus eſt? Adeò vt quoſdam ſcriptores Eccleſiaſticos de eo dubitaſſe, ipſe admodum mirer, in primis autem Auguſtinum ipſum, hominem in Scripturis exercitatiſsimum in libris de Geneſ. ad lit. etſi poſtea tamen in eo ipſo defendendo planè varius eſt, & ſępe à ſeipſo diſſentiens & diuerſus.

D. Atqui duo quędã tuæ ſententiæ pugnantia obiiciunt alij, è quibus primum eſt illud quod eſt Eccl. 18. verſ. 1. *Deus omnia creauit ſimul*: ad quod primo quoque loco reſpondeas obſecro.

P. Facile quidẽ fuerit. Nã ſi voluero, illud dicã, de quo inter nos (vt opinor cõſtat) lõgè ſemouẽdã ſeparandáque eſſe huius libri authoritatẽ à diuinis & canonicis Scripturis. Itaq; fidẽ nõ facit. Sed illud afferre malo quod ipſis cõtextus verbis confirmatur perperã locũ illũ trãsferri ſic, omnia ſimul creauit Deus. Nã ita ſonat authoris ipſius oratio, Qui

A viuit in æternum , omnia pariter creauit:κοινῇ ait. Ergo vnum tantùm authorem, & creatorem rerũ omnium agnoſcere docemur,vt ait Iren.li.4.c.21. atque Auguſt.in Ioan. Euang.Tract.2.non autem affirmantur quæ creata ſunt ſimul & eodem momento omnia extitiſſe,& ab eo producta,vel ab æterno vel ſine temporis principio fuiſſe. Hoc igitur ſignificat vox Pariter,vni nimirum,non pluribus poteſtatem tribui omnia creandi.Nam idẽ ille liber c.16.v.25.res creatas certo ordine & tempore diſpoſitas conditáſque fuiſſe tradit.Quanquam nõ ignoro quantũ vnius illius vocis ,*ſimul*, ſignificatio,lectióque Auguſtinum lib.5.cap.3.& 6.ca.6.de Geneſ. ad literam , atque etiam alios Patres ſæpe torſerit. Habes reſponſionem meam ad primam obiectionem tuam,vt pro Simul,reponas Pariter. Dic alteram.

D. Adferunt etiam quod eſt ſcriptum in Ioã. Euangelio,cap.1.v.1.*In principio erat verbum.* Nam ſi principij vocabulum ad tempus referendum putas , ergo Verbum ſiue λόγον ilum & Dei Filium tempore aliquo eſſe cœpiſſe , neque æternum eſſe B impiiſsimè dixeris.

P. Hac tanta Scripturæ authoritate certè quidẽ vrgeremur,niſi res ipſa,de qua agitur, nodi huius diſſolutionem,explicationémq; nobis afferret. Principij enim variam eſſe ſignificationẽ diximus, ergo pro re de qua diſputatur, ratione & natura accipi debebit, vt docet Chryſoſtomus in Euang. Ioan.Ac vides vt hoc verbum & λόγον Dei Ioannes apertè dicat non creatum in principio,ſed iam tũc fuiſſe in principio,quũ res à Deo crearẽtur:vt hoc ſuum,*In principio erat*,Ioannes opponat(quemadmodũ Cyrillus & Auguſtinus teſtâtur) dicto Moſis, & rerũ creationi,vbi ſic loquitur Scriptura , *In principio creauit Deus cælum*:non autem ſic,in principio erat cœlum.Deinde docet Ioannes λόγον illũ Θεοῦ eundem eſſe Deum. *Et erat*,ait,λόγος *ille Deus.* Quod eſt autem Deus,temporis ortum & principiũ habere non poteſt.Quare falſiſſimè in Chriſto de tempore & initio exiſtentię illud explicatur & intelligitur. Quamobrẽ aliã ſignificationẽ illic Principii vocabulum habebit:nempe eam,per quã omne temporis initium Ioãnes excludit, vt quàm C longiſsimè mens noſtra cogitando reſpiciat , & ſeſe extendat : antea tamen λόγον illum & Filium Dei extitiſſe, & diſtinctam à Patre hypoſtaſin habuiſſe certiſsimè credamus. Qua dicendi ratione ferè ſolet in Scripturis æternitas denotari,vt apparet Prouerb.8.Et eo etiam ipſo teſtimonio Ioannis oſtenditur,res has omnes in principio temporis fuiſſe conditas & productas , quia non fuerunt in principio vti λόγος:ſed factæ ſunt,cùm in principio non eſſent.

CAP. XVI.

Mundum hunc à ſeipſo non extitiſſe.

D. SEd poſtquam Mundum hunc initium exiſtendi habere docuiſti,hoc explica, vtrùm à ſeipſo extiterit mundus,an ab alio.

P. De hoc ipſo neminem,qui vel leuiſsimè ſacris literis tinctus ſit,dubitare puto, eſſe Mundum non à ſeipſo,ſed ab alio, nẽpe Deo. Nã ſi à ſeipſo exiſteret, eſſet immortalis & æternus, non autem in tempore cõditus.Sibi enim ipſi vires ad perpetuam A durationem ſubminiſtraſſet & ſemper fuiſſet.Præterea etiam eſſet Deus. Quicquid enim à ſeipſo eſt,& ὕπαρξιν habet,Deus ſit neceſſe eſt,cùm hac vna re maximè creator à creaturis diſtet, ꝙ ſit ille ſubſiſtâtque ſua ipſius virtute & poteſtate: hæ verò ipſius tantùm vi,potentiâ & fulcimẽto. Præclarè igitur Aug.in Enchiridio, *A ſeipſo*, ait , *nemo eſſe poteſt.Creatoris enim omnipotentia , & omnipotentis atque omnitenentis virtus cauſa eſt omni creaturæ ſubſiſtendi.*Hoc igitur qui negat,Dei nimirum voluntate & poteſtate Mundum extitiſſe , ſed qui eũ à ſeipſo naſcendi vim habuiſſe contendit , toti ſacræ ſcripturæ planè repugnat. Nihil enim eſt fere notius aut ſæpius inculcatum , quàm Deum eſſe mundi huius conditorem & creatorem: res autem omnes ipſius manu,voluntate & potentia productas.Quæ infinita teſtimonia ne colligam, en tibi duo pro omnibus Pſ.104.verſ.29. *Abſcondis faciem tuam,turbantur:auſers ſpiritum eorum , deficiunt & in puluerem ſuum reuertuntur : mittis ſpiritum tuum creantur,& innouas faciem terræ.* & Iſai.45.v.18. *Sic dixit Iehouah creator cælorum,& ipſe Deus formator terræ* B *& factor eius , ipſe , inquam , qui præparauit eam* &c. Itaque vulgo patres mundum Dei ἔργον ἀποτέλεσον appellabant.

CAP. XVII.

De cauſis huius Mundi, ac primùm de cauſa eius efficiente , qui eſt Deus,non Angeli , non item Dæmones.

D. QVæ ſunt igitur huius mundi cauſſæ?

P. Quatuor imprimis,Efficiens ſiue producens,materia,forma,& finis.

D. Potéſne mihi has ſigillatim explicare?

P. Cupio.

D. Ecqua igitur eſt efficiens mundi cauſa?

P. Deus,& is quidem ſolus.

D. Habéſne vnde iſtud tam breuiter enuntiatum probes?

P. Habeo.Ac primùm Deum eſſe, qui mundum hunc fecit,probat Moſes Gen.1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Confirmat Dauid C Pſal.33.v.6.*Verbo Iehouæ facti ſunt cœli,& ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum. Quoniam ipſe dixit,& fuit: ipſe præcepit,& extitit.* Item Iſaias 44.Item Iob.12. Vetus denique & nouũ teſtamentum. Hoc ipſum ex vetere quadã traditione acceptum ſubobſcurè ſignificauit Anaxagoras,qui mentem,νοῦν ipſe appellabat,id eſt , Deum rerũ omnium conditorem dixit,qui quanuis ſit ab aliis ſuæ ætatis Phyſicis irriſus,verè tamen ſenſit. At Marcionitæ,& poſtea Manichæi inſtant.Negãt enim hũc mundũ,in quo tanta rerum perturbatio ineſt, dignum Deo opus dici cenſerive poſſe.Quanta enim confuſio,quanta calamitas , quanta denique ἀταξία in hiſce rebus omnibus cernitur,vbi mali dominantur,vexantur boni,æſtas ſæpe frigida & autumnus grauis & periculoſus,& alia eiuſmodi eueniũt?Itaque ſi à Deo hæ res conditæ dicantur, erit Deus nõ ordinis autor,ſed ſummæ rerum confuſionis.

P. Malè iudicant, eſt enim Deus earum rerũ & ſubſtantiarum , quibus mundus conſtat , creator,& cauſa producens:non autem ipſius , quæ in

A eis ineſt,poſteáque ſuperuenit, confuſionis, quia illa eſt peccati hominis effectum,& eius vanitatis, cui per Adamum primũ res omnes ſubiectæ ſunt, pars magna,Rom.8. Ergo ea non eſt ab ipſo Deo producta,vel inſita,vel manans. Nam res primùm & bonas,& bene conſtitutas, nullíque ἀταξίᾳ obnoxias vel deformes creauit. Sic Romulus vrbem Romam condidit,non eas ſeditiones, quæ longis poſt eius mortẽ ſeculis, propter hominum ambitionem natę ſunt Romę.Quare aduerſus Marcionitas & Manichæos res ipſæ, earúmque natura & ſubſtantia,à ſuperueniente poſtea,& accedente illi malo diſtingui ſecerníque à nobis debet. Nam etiam Ethnici ipſi (quemadmodum Thales) ἔργον κάλλιστον appellarunt, & Deo dignum cenſuerunt, meliùs ſanè quàm hæretici.

D. Dic igitur quod cœperas.

P. Deus igitur creauit formauítque hũc mũdum:qui Deus,quia eſſentiâ vnus eſt,hypoſtaſi autem trinus,Pater,Filius,& Spiritus ſanctus,ſic intelligitur à Deo conditus mundus eſſe, vt totius illius Trinitatis opus ſit commune: non autẽ vel B ſolius Patris,vel ſolius Filij, vel ſolius Spiritus ſãcti ſingulare & peculiare:ſunt enim indiuiſa totius Trinitatis opera, quanquam in eodem opere ſit diſtincta cuiuſque perſonæ operatio & actio.

D. Expone quid dicas.

P. Patrem in mundi creatione operatum eſſe docet Moſes,Geneſ.1.ſed & Verbum quoque, id eſt,Filium,& Spiritum ſanctum.Pater creat volũtate: Verbum, ſiue Filius creat operatione, & ipſa productione: Spiritus autem Sãctus creat virium, naturæque inſitione,& motus vitæque iniectione, quæ cuique rei,vt operetur,& vt conſeruetur, ineſt.Itaque Ioan.c.1.v.3.& 14.quum per λόγον omnia condita eſſe demõſtraſſet,hunc ipſum eſſe Dei Filium poſtea tradit. Ergo Filius quoque creator mundi & eſt,& rectè nominatur. Spiritus autem Sanctus vires ad operandum indit,mouet,& ſuſtẽtat. C Itaque & ipſe quoque in mundi creatione partem tam egregij operis ſibi meritò vendicat, quæ etiam Iſa.40.v.7.& 13.apertè illi aſſeritur, tribuitúrque.Atque hoc ipſum eſt, quod præclarè dixit Baſilius, προκαταρκτικὴ αἰτία τῶν γινομένων, ὁ πατὴρ; Δημιουργικὴ ὁ υἱὸς, τελειωτικὴ τὸ πνεῦμα.

D. Alij aliter interpretãtur, quæ dicis,& Verbi ſiue Sermonis nomine, itémque Spiritus voce, non ſubſtantias quaſdam réſve vllas per ſe exiſtẽtes intelligunt:ſed modum tantùm doceri putant, per quém mundus hic conditus ſit, nimirum non machinatione quadam, nõ ferramentis adhibitis, non manuum vllo labore hanc tantam rerum molem coagmentatam & procreatam: ſed ſolo iuſſu, verbóque voluntatis Dei,id eſt, ſola patefactione & declaratione ipſius decreti Dei,quod ipſum per ſe eſt & potens & efficax. Non nego quin ea,quæ nobis per ſe ipſa ſunt ἀκατάληπτα,huiuſmodi ſymbolis patefacta ſint:& iis vocabulis & metaphoris deſignata,quibus percipi à nobis poſſent. Nimirum quòd Dei ęternus Filius,verbũ vel ſermo appellatur:Spiritus autem ſanctus, qui eſt perſona illa diuina & virtus ſubſtantialis per ſe ſubſiſtẽs,à Patre & Filio emanans,& tamẽ diſtincta,Spiritus nominatur:ſed quando alibi Scriptura ipſa docet verbũ illud vel ſermonẽ,nõ eſſe ſonum quendam patefactionémque volũtatis Dei,& ῥῆμα προφορικὸν,vt vocãt:Spiritum itẽ nõ eſſe vires rebus infuſas,ſed eſſe Deũ, & eum ipſum qui habitator cordiũ noſtrorum appellatur,Ioan.1.v.3.1.Cor.6.ver.16.quorum A vterque cum Deo Patre in huius Mundi creatione operatus eſſe variis Scripturæ locis docetur, quî iam dubitari poteſt, quin ſit recta & vera noſtra ſententia?

D. Sed perge,dic igitur vtrùm Deus ſolus hęc omnia creauit?

P. Solus.

D. Vnde id habes?

P. Ex Iſa.c.44.v.24. *Ego Iehouah faciẽs omnia, extendens cœlos ſolus*.Iob.41.ver.2.3.denique perpetua eſt hæc Scripturæ doctrina.Itẽ & ratione confirmatur.Solus enim eſt, qui ea, quæ non ſunt, vocat, & in lucem producit,eſt ſolus denique rerum autor & parens.

D. At quot quantíſque repugnantium agminibus circumſiſtêre?

P. Non ignoro.Nam & ab hęreticis penè innumeris, & ab Ethnicis Philoſophis vexabor, ſed me Dei verbum ſatis tutabitur, atque ſacroſancta B ipſius veritas pro me ſe illis omnibus opponet.

D. Dic igitur quę fuerunt hęreticorum in eo ſententiæ,aut potiùs errores.

P. Colligam ex Irenæo, maximè lib.1.& lib. 2.Ergo hæreticorum alij mundum ab alio quidem Deo meditatum & mente conceptum volunt: ab alio verò editũ,& procreatũ,veluti Valentinianorũ & Carpocratianorum quidã. Alij ab alia prorſus natura & diuerſa virtute, quàm quæ Deus dici debeat,rebúſque omnibus dominetur, conditum fuiſſe putant hunc mundum,quemadmodum Cerinthus,quam modò Hyſteram vocant,modò Demiurgum,ſeparántque ab eo,quem & verè Deum eſſe dicunt,& Propatora nominant. Alij exiſtimãt ab Angelis tantum fabricatum mundum, non à Deo,vt Simoniani,& Menandriani:tot ſunt nimirum diuerticula, vbi ſemel à recta via diſceſſeris.

D. Quid Philoſophi?

P. A dæmonibus ſuis (quos Angelos vocant, totóque genere à ſummo Deo diuerſos faciunt) C mundum factum eſſe contendunt, quemadmodũ Platonici & Auicenna. Epicurum enim qui fortuna,& caſu mundum hunc extitiſſe ait, inter Philoſophos non habeo: neque vacat iam aliorum ſententias recenſere.

D. Quid tu aduerſus tot aduerſariorum copias oppones?

P. Dei verbum, ac rationem etiam ab ipſis Philoſophis comprobatam. Ac quidẽ Dei verbũ, quod cùm creatorem eſſe vni Deo,tanquam proprium & ſingulare ipſius epitheton & attributum competat,angelis,aliique rei illud ipſum cõuenire non poteſt, *Gloriam enim meã alij nõ dabo*,inquit *Dominus*.Iſ.42.v.8,45.v.12. Prętereа tot dij à nobis ſtatuentur,quot creatores angeli.Nã qui creat,idẽ ille vitã dat & ſuſtẽtat,&ab eo opus eiuſmodi prorſus pẽdet atq; habet,vt ſit. Quare & angeli viuificatores erunt & ſuſtentatores, & dij & Iehouah.i. exiſtere facientes.Id autẽ quantũ Scripturę repugnet,facilè ex Iſ.45.v.18.Ioan.1.v.3.Col.1.v.16.intelligi poteſt:vnde pręclarè veréque nobiſcum negat lib.3.de Trinit.c.8.Auguſt.diabolos vel magos vllius animalculi, ac ne pedunculorum quidem eſſe creatores poſſe.Id quod etiã apertè cõfirmat Ioãnes Damaſcenus lib.2. De orthodoxa fide. Idem Aug.probat tract.2.&3.in Ioã.Euãg. *A quo*,inquit,

vermes

A *vermes creantur, ab eodem & Angeli.*

D. Ratio autem ecqua abs te afferri poteſt, quam tu ipſis approbes Philoſophis?

P. Hæc nimirum, *Natura principiorum amat ſingularitatem.* itaque ab Homero ſcitè dictum commemorat, laudátque Ariſtoteles: ὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἰς κοίρανος ἔστω. Atque eo argumento ipſe in lib. 12. Metaphyſicor. vſus, vnum eſſe ſummum, & cæteris eminentiorem Deum, atque aliorum regem, & principem demonſtrat. Hoc ipſum quoq; amplexus eſt Auguſt. li. 1. de nuptiis, c. 9. Et certè veriſsimum eſſe hoc effatum rerum ipſarum experientia docet. Ergo idem parua efficere poteſt, qui & magna facit: idemque Deus qui alta, humilia quoque producit & format, quia eſt omnipotens, quemadmodum etiam loquitur pater Iren. lib. 2. cap. 44. vt plures mundi huius creatores conſtitui non modò nihil ſit neceſſe, ſed etiam contra ipſorũ principiorũ naturã & ipſam Dei omnipoténtiã.

CAP. XVIII.

B *Mundum hunc, & quæ in eo ſunt, omnia ex nihilo creata eſſe à Deo, non tantùm ornata, aut digeſta, aut educta ex informi & præexiſtenti quadam materia & aceruo.*

D. SED Deum quomodo, quóve ſenſu mundi huius cauſſam productricem, & efficientem dicis?

P. Quia non tantùm vim aut ornatum indidit rebus, ſed res ipſas ex nihilo nulláque præcedente, & præexiſtente materia primùm effecit & produxit: quod propriè creare appellant.

D. Eſtne verò quid in ea vocis ſignificatione eximium & excellens, quod diuinæ potentiæ peculiare & proprium eſſe cenſeatur?

P. Maximé. Nam hoc modo Deus ab omni opificum genere longiſsimè ſecernitur, atque etiã ab omni alio genere cauſſarum, quales ſunt parentes & miniſtri, vel vires etiam ipſæ naturales.

D. Quid ita?

P. Quia omnis opifex, quamlibet potens & egregius, non niſi materia ſibi aliunde ſubminiſtrata, quicquam efficit, ipſe autẽ ex nulla nihil operari poteſt. Subtrahe ferrum ferrario artifici, lignum lignario, filium telario, quid aliud, quàm in ſuis officinis hiabunt? Ars enim omnis præparatã à natura materiam ſumit & poſtulat, in quam poſtea operatur, & varias formas inducit. Sed nec cauſſæ ipſæ, & vires quæ dicuntur naturales, & ſunt cuiuſque rei propriæ, ſine ſubſtrata ſibi materia aliquid producunt. Nam vt ſpectes & explores etiam maximas & totas naturæ rerum, quæ dicitur, vires, illud tamen verum perſpicitur quod eſt à Phyſicis pronuntiatum, Ex nihilo nihil fit. Quis ſine ſemine vnquam far aut adoreum habuit? quis ſine ſurculo conſito aut ſemine arbores, ſine grano ſparſo herbas & flores vidit? Sed qui creator reuera eſt, ipſe eam materiam, in qua & ex qua agit, ex nihilo facit, aliunde præparatã aut oblatam non habet. Materiam autem ipſam Deo coæternam, aut ex ſeſe exiſtentem conſtituere, à Deo autem ipſo ex nihilo primùm factam & productam, negare, eſt non Chriſtianorũ hominum, ſed planè Hermogenianorum hæreticorum. Vnde inter creare & generare diſcrimẽ latiſsimum conſtitutum eſt. Creantur quæ de nullo ſubſtantiali vel materiali principio fiunt: Generãtur autem quæ non ex nihilo, ſed ex priore materia facta vel nata ſunt. Quare nec Angeli boni nec dæmones vel diaboli, creatores ſunt, vel dici exiſtimaríve debent, nedum homines: quia κτίζειν creare, ſolius Dei eſt proprium. id quod hi loci cõfirmant: Auguſt. lib. 3. de Trinit. c. 8. Iſ. 45. Iob. 26. Pſalm. 33. Act. 17. verſ. 24. Nec ignoro tamen quid contra diſputent alij, poſſe nimirum poteſtatem creandi creaturis communicari.

D. At tuæ ſententiæ multa obſtant?

P. Quæ illa?

D. Primùm quod ipſe dixiſti, éſtque certiſſimum Phyſicorum ἀξίωμα & perpetua rerũ experientia, omnium hominum iudicio, confirmatum, Ex nihilo nihil fit. Quomodo igitur hæc omnia produxiſſet Deus, ſi nulla illi præparata materia fuit, id eſt, ſi nihil illi fuit, vnde faceret?

P. Vetus ſanè obiectio & à profanis hominibus ſæpe repetita, in qua explicanda Iuſtinus martyr, aut ſi quis alius ad ethnicorum interrogationes ſcripſit, multum antea laborauit, quẽ tamẽ nodũ diſſoluere facile mihi videor poſſe. Primùm quòd perperam, ne dicam peruerſè, ad naturæ iam creatæ & factæ leges reuocatur infinita & immẽſa illa Dei creatoris omnipotentia. Quid enim hoc aliud eſt, quàm creaturam creatori exæquare velle? Sed quemadmodum Dominus ipſe teſtatúr lõgè diuerſas eſſe ſuas cogitationes à noſtris, ita lõgè diuerſa eſt ipſius vis & potentia à noſtra omníq; naturæ huius conatu, & virtute ſuperior, Iob. 10. v. 45. Deinde quis ita concludet, Nunc & poſtquã hunc ordinem cõſtituit Dominus, vt ex nihilo nihil fiat, ſine præexiſtente materia nihil fit: ergo rerum initio, átque ante nas leges à Deo datas, idem locum habuit, nihílque alio modo fieri potuit. Agnoſcis ipſe quantum hallucinentur qui ita concludunt. Quemadmodum exempli cauſa, ſi quis vellet ideo non potuiſſe primas arbores ſtatim atque eo pũcto temporis, quo ſunt à Deo ſatæ, fructus ſuos protuliſſe, quòd nunc tã cito non ſoleãt, egeantque ad fructificandũ & matureſcendũ longis temporum ſpatiis & interuallis, ſi quis, inquã, ſic argumentetur, omnes ridebunt: & falſam eſſe orationem intelligent, etiam ex ipſo Iſaia 66. v. 8. nedum ex Moſe Geneſ. cap. 1. Fallitur enim qui ita ſentit magna temporum & conditionum diuerſarum, quæ in rebus diſtinguendæ ſunt, ignoratione & confuſione. Sic qui nobis aduerſus primam rerũ creationem illud obiiciunt, quod ais, ex nihilo nihil fit, quia nunc ex nihilo nihil fit, argumentantur à diuerſiſsimis & diſsimillimis temporibus & conditionibus, Nimirum à natura creãda & illegi, ad naturam creatam, & ad certas iam leges reuocatã, & conſtrictã. Quod genus concluſionis irridet etiam Auguſt. lib. 2. contra Pelagian. cap. 25. Denique nec à nobis dicitur ex nihilo tanquam ex materia creata eſſe hæc omnia, ſed cùm hæc prius nihil eſſent, à Deo facta eſſe, & aliquid iam eſſe. Sic Anſel. in Monolog. cap. 8. explicat erudité. Habes igitur quod ad tritiſsimũ & vulgatiſsimũ illud Philoſophorũ argumentum reſpõdeo. Ecquod eſt illud ſecũdum quod aduerſus nos afferri poſſe dicis

D. Quod ex Sapientiæ libro ſumunt, cap. 11. v. 18. *Neque enim omnipotenti manui tuæ, quæ mũdum ex informi materia effecit, defuit facultas vrſorũ multi-*

A *tudinem, animoſóſque leones in eos immittere.* Ergo de materia rudi & informi, non autem ex nihilo factus eſt mundus. Cui ſententiæ videtur aſtipulari Auguſtin. qui lib.3. de Trinitate cap.5. & 6. ait *Communem quandam materiam in cauſſis mundi materialibus conſiſtere.*

P. Hoc iam, quod affers, viſum eſt quibuſdã robuſtiſsimum argumentum. Itaque materiarii hæretici, qui & Hermogeniani dicti ſunt, eo innituntur præcipuè, aduerſus quos multa præclarè doctéque Tertullianus. Vt autem de illius libri authoritate nihil dicam, quemadmodum commonui antea, illud tamen reſpondebo, quod eſt veriſsimum, informem illam materiam, ex qua mundus dicitur effectus, illic & doceri, & credi à Deo ipſo ex nihilo primùm fuiſſe creatam, nõ ex aliqua alia materia cenſeri natam, effuſam, & ſuppeditatam, (eſſet enim tandem progreſſus in infinitum) non etiam per ſeſe exiſtentem, quia eſſet ipſa Deus. Sed ex recepta iam ſententia, quæ apud Rabbinos Hebræorum nota túc erat, plurimúmque poſtea inualuit, ſic ſcripſit, quicunque librum B illum ſcripſit, nimirum cælum & terram (quæ duo primo die à Deo creata commemorãtur, Gen.1.) fuiſſe tanquam primam cæterorum Dei operum, quæ ſubſequuta ſunt, materiam, quam Deus ipſe ſibi virtute ſua illa potenti præparauit, congeſsit, & primùm rudem ſubminiſtrauit ad tantum illud opificium ſuum poſtea complendũ, & efformãdum. Atque ita locus ille eſt explicandus. Quod autem ad Auguſtinum attinet, qui eum aduerſus nos citant prorſus hominem torquent. De prima enim totius mundi huius materia non agit Aug. quaſi vllam fuiſſe velit, aut etiam eam Deo coæternam fingat & cogitet: ſed loquitur de materia ſecunda, per quam in reb. iam creatis, aliæ ex aliis & tunc ortæ ſunt Dei iuſſu, vti è terra plantæ & animalia: & adhuc hodie fiunt & naſcuntur. *Præſeminata eſt*, ait ipſe, *etiam materia in rebus ipſis eorum* C *quæ ex iis naſcuntur & oriuntur.* libro 3. de Geneſ. ad literam. cap.14. libr. 2. cap.15. libro 1. cap.14. & 15. lib.5, cap.5.

D. Tertio loco contendunt non eam eſſe huius vocis Creauit, propriam vim & ſignificationẽ. nam Iſ.43. ver.15. dicit Dominus ſe creatorem eſſe Iſraelis, quem populum tamen ex ſemine natũ eſſe conſtat: & apud eundem prophetam, cap.65. v.18. ait, Ecce creo Hieruſalem: quem locum ſiue de ciuibus ſiue de vrbe ipſa intellexeris, certum eſt tamen id, ſine ſemine & materia à Deo factam non eſſe Ieruſalem. Atque vox Barah vtroque loco vſurpatur, vt in voculæ vnius religioſa illa & anguſta interpretatione inhærendũ non exiſtimẽ. Itẽ & illud eiuſdem prophetæ afferunt. *Ecce ego creo cœlũ nouum, & terram nouam*: cùm tamen hæc ipſa corpora, quæ iã ſunt cœlũ & terra, ſit tãtùm Domin⁹ innouaturus non ex nihilo iterum alia facturus.

P. Ita ſcriptum eſt apud Iſaiam quemadmodũ dicis. Sed hi loci noſtram ſententiam planè cõfirmant, nedum vt oppugnent. Nam vox creandi metaphoricῶs ſumpta eſt, & à vera propriáque notione parũ inflexa, quò Dei potẽtia in populo ſuo, & vrbe ſancta pręter ſpem reſtituenda, aliiſque rebus præter ordinarium modum inſtaurandis maior atque illuſtrior appareat. Quoniam enim quæ creantur præter naturæ ordinem ex nihilo fiũt, ita quia populum & vrbem (cuius nulla amplius extabant veſtigia, nullum ſemẽ, nulla etiam rudera videbantur) ſe repoſiturum, atque redintegraturũ A teſtatur Dominus, *creandi* voce appoſite vtitur, quòd hoc Dei opus ſit tanquam creatio quædam & mira alicuius rei ex nihilo productio & generatio. Quanquam nõ diffitebor ipſe *creandi* ſiue Barach ſignificationem ſæpe eſſe trãſlatam & acceptã liberiùs, vti quũ dicitur, *Cor mundũ crea in me Deus,* Pſ.51. v.12. Et, *Thronus peruerſorum creat iniquitatem,* Pſ.94. v.20. Hæc verò Auguſtini vox & ſententia, pace tanti viri dixerim, mihi certè probari nõ poteſt, qui lib.1. contra aduerſar. Legis & Prophetarum c.23. ita ſcribit: *Et ſi aliquando cum aliqua differẽtia facere & creare dicitur, hoc rectiùs poteſt intereſſe, quod dixi: vt facere ſit, quod omnino non erat: Creare autem ex eo quod iam erat ordinando aliquid conſtituere.* Nimiũ enim ſubtiliter voces iſtas *Facere* & *Creare* diſtinguit, quæ ſæpe inter ſe confunduntur.

D. Quid igitur?

P. Sic planè apertéque definit Scriptura, Deũ B eſſe mundi, id eſt, rerum omniũ quæ ſunt, creatorem, quia eas ex nihilo fecit, condidit, produxit, non autem ex vlla pręexiſtenti materia, & Deo ipſi coæterna, vel ab alio quodam artifice Deo, vt putant Manichæi, ſuppeditata. Inducit enim ea ſententia duos deos: & quum duos conſtituit, nullum relinquit. Aut enim nullus eſt Deus, aut eſt vnus. *Denique*, vt ait Ambroſius, *eſſet Deus figuræ tantùm inuentor, non autem moderator naturæ: & plus inueniſſet accepiſſétque, quàm contuliſſet, ſi vlla materia præexiſtebat.*

D. At quidam materiam vocabulo Tohu, à Scriptura deſignatã fuiſſe volunt: vnde poſtea Gręci homines & Philoſophi, qui ab Hebræis, & Phœnicibus Hebręorum vicinis ea primùm accepẽrũt, quæ de mundi ortu tradiderunt, vocem ὕλην effinxere, leui literarum quarundam immutatione, ex ſuæ linguæ vſu & idiomate facta. Eſt enim ὕλη Græcis idem (aiunt) quod Hebræis congeries rudis, & humida, tanquam vliginoſa quædam fæx & C terra, ex qua vi caloris accedentis multa procreantur. A qua voce ὕλη vocem ἰλὺς ὑλύδος, quæ fæcem, & algam, id eſt, lutoſam madidámque terrã ſignificat, deducunt, è qua multa in mari naſcuntur.

P. Quin inepta eiuſmodi multa ij comminiſcantur, qui errorem illum ſuum tuentur de prima materia præexiſtente, tanquam omnino ſit neceſſaria, ſemélq; imbiberunt, non dubito. Sed quàm nulla ſit vtriuſque vocis Tohu & ὕλη in litteris cognatio, vel potiùs quàm ſint hæc à vero aliena, ipſe vides, & alia cõquirere nihil neceſſe eſt, cùm Deus apertè creator cœli & terræ appelletur.

D. Imò etiam עשה Goſche יצר Iotſer, id eſt, factor & formator Deus nominatur, quemadmodum Iſa.66. v.22. Iob.35. v.10. & Iſa.54. v.5. veluti etiam Pſal.90. v.2.

P. Non temere aut fruſtra id quidem, ſed errorum, quos poſtea inter homines naſcituros pręuidit ſpiritus Dei, tollendorũ gratiâ. Eſt enim hominũ de origine rerũ error duplex, præter materiarios. Nã alij putant primùm & ſemper extitiſſe totam quandam maſſam, rudem illã quidem, & cõfuſam, quæ eſſet aceruus & congeries omnium rerum iam exiſtentium, & formatarum, ſed inter ſe perturbatarum, & commixtarũ, quod Chaos appellant. Et eam ſententiam Anaximenes primùm: poſtea verò Heſiodus in Theogonia amplexus

eſt,

A eſt, quam P. Naſo in Metamorphoſi deſcribit his verſibus:

Ante mare & terras, & quod tegit omnia cœlum,
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis, indigeſtáque moles:
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtáque eodem
Non bene iunctarum diſcordia ſemina rerum.

Itaque hoc Deo tantùm tribuũt, vt ſit huius tantæ molis & acerui confuſi diſtinctor, ornator, & ordinator: non autem creator in tempore, donans ei vt exiſteret. Itaque dixit poeta, *Erat* tanquam ab ęterno: non autem factum eſt illud chaos à Deo & creatum. Quare Deum appellant nõ κτιστὴν aut ποιητὴν, id eſt, creatorem mundi, ſed κοσμήτορα tantùm: & quemadmodũ ait Ambroſius, figuræ inuentorem, quaſi qui ornatũ tantùm quendam & ordinem rebus iam exiſtentibus, & certam vim naturamq́ue ſuam per ſe adeptis attulerit & induxerit, ſapienti quadam, aptáque earum diſtinctione, cuiuſq; partis in locũ ſuum ſeparatione atque diſtributione. Alij verò etiã aliquid Deo plus tribuunt: volunt enim materiam quidẽ ab æterno fuiſſe B ingentem molem, ſed tantùm materiam, non autem in ea res ipſas incluſas & cõprehenſas fuiſſe (quod tamen primi illi ſentiunt) & eam etiam rudem, & prorſus informem: quam Deus, quia immenſa erat, fruſtulatim atque minutatim accipiens, ſecuerit, &, vt eſt ſapientiſsimus artifex, in varias formas effinxerit. Atque ita in quamque eius materię partem ſuam quandam formam & ſpeciem induxerit. Sic ferrarius faber ex eadem ferri maſſa fruſtulatim diſſecta clauem, malleum, ſerram, vincula, aliáq; diuerſi generis & vſus opera format & cudit. Vnde ab iis Deus δημιοῦργος appellatur, nõ κτιστὴς, non ποιητής. At verò Scriptura hoc totum Deo tribuit. Nimirum & quòd res ſunt, & quòd eam vim, poteſtatem, naturam, & formam habent, quam in ijs ineſſe videmus. Denique quòd eo loco & ſitu collocatæ & diſtinctæ cernuntur, vt ornatum huic moli tantum afferant, quantum qualémque videmus, & quantum nemo ſatis vnquam explicare dignè poſsit. Quare ſcriptura dicit Deum non tantum Barah, quod eſt creare, & Græcè κτίζειν aut ποιεῖν: ſed & Gaſcha quod eſt operari: Græcè autem C ἐργάζεσθαι aut δημιουργεῖν: atque etiam Iatſar, quod eſt ornatũ & ordinem inducere, Græcè autem κοσμεῖν, vt omnia quæ in hoc mundo inſunt & cernuntur, ab vno Deo eſſe, id eſt, vt res ſint, & huiuſmodi ſint, certiſsimè conſtituamus, intelligamus, atque vi ipſa veritatis victi fateamur.

D. Habéſne vnde tuam ſententiã confirmes?

P. Maximè, & iſtis præſertim Sacræ ſcripturę locis, Iſa. 43. verſu 7. cap. 45. verſu 12, & 18. Item Iob. cap. 26. verſu 13. cap. 35. verſu 10. vbi tot támque diuerſis nominibus vnus & idem Deus appellatur.

Cap. xix.

De cauſſa impellente, id eſt, propter quam Deus mundum hunc condidit.

D. QVæ autem Deum ipſum cauſa præcipuè impulit vt hunc modum conderet, ipſe nullius egẽs, atque in æterna illa felicitate habitans, & ad quem nulla felicitatis & immortalitatis acceſsio fieri ex toto hoc opificio poteſt? A

P. Mera ipſius bonitas, id eſt, voluntas illa benigniſsima ſuæ felicitatis quibuſdam rebus cõmunicandæ, quantum fieri per earum rerum, quas etiam creauit, naturam poteſt. Itaque & Angelos in cœlo, & homines in terrra condidit, vt ſuæ illius beatitudinis quodam modo κοινωνοὺς & participes haberet ipſe ſummè bonus, ſummè benignus, ſummè perfectus, & in ſeſe, ex ſeſe ſummè perfectéque totus beatus.

D. Vnde id probas?

P. Et autoritate & ratione. Ac autoritas quidem eſt ea, primùm, quæ è Scriptura ſumitur. Pſ. 36. v. 6. *Iehouah vſque ad cœlos miſericordia tua.* Pſal. 33. v. 5. *Miſericordiâ Iehouæ plena eſt terra.* Pſ. 34. v. 9. *Videte quòd bonus Iehouah.* & Pſal. 103. v. 17. *Miſericordia Iehouæ à ſeculo, & vſque in ſeculum*, & Pſ. 111. v. 4. In primis autem, Pſ. 136. per totum. & Pſ. 145. v. 9. *Bonus Iehouah vniuerſis & miſericordia eius ſuper omnia opera ipſius.* Deinde à Pattribus. Nam apertè ſolam Dei bonitatem cauſſam eſſe propter quam hæc omnia fecerit Deus, teſtatur Auguſt. lib. 1. de Gen. ad literam c. 8. & in Enchirid. ca. 9. Et B Iren. 3. cap. 45. & 46. & Fulgentius in lib. de fide ad Petr. ca. 3. Quòd ſi etiam Ethnicos homines in ea re laudare placet, habes Platonem in Timæo autorem inter eos grauiſſimũ, qui luce naturali teſtimonióque propriæ conſcientiæ ductus ita ſcripſit, quæ Cic. in libr. de Vniuerſitate ita expreſſit: *Quæramus igitur cauſſam, quæ impulerit eum, qui hac machinatus eſt, vt originem rerum & molitionem nouam quæreret. Bonus erat. Bonus autem inuidet nemini.* Atque hãc præclaram Platonis ſententiam aliis verbis expreſsit Dionyſius ille in lib. de Diuinis nominib. c. 4. part. 1. (eſt enim is autor merè Platonicus) *Ipſe*, ait, *autor beneficus entium amor* (*cùm antea in bono excellenter eſſet*) *nequaquam ſe in ſeipſo manere infœcundum permiſit, ſed ſe ipſum ad operandum cõmouit per excellentiam cuncta gignentem.* Itaque alij ſic dicunt, *Sciebat Deus & volebat ſuam beatitudinem eſſe communicabilem.* Etſi enim ſine his rebus omnibus diuina bonitas in Deo & pleniſsimè & perfectiſsimè ineſt & inerat, vt apparet ex Pſal. 16. atque etiam illibata conſeruatur: *ſunt tamen hæ res creatæ manifeſtatiua*, vt loquuntur in ſcholis, *condecentia bonitatis Dei*, id eſt, eam bonitatem Deum omnino C & rectè decere demonſtrant. hæc illi.

D. Audio autoritatem, affer rationem.

P. Cùm à nobis hominibus nihil proficiſcatur, ac ne ab Angelis quidem electis & beatis, vnde Deus vel quoad ęternitatem ſuam ſtabilior: vel quo ad ſtatum conditionémque ſuam melior beatiorq́ue fiat, vt eſt Pſal. 16. v. 2. (Neque enim ei qui omnino, & ex ſeſe perfectus eſt, quicquam adiici poteſt) certè nulla eum indigentia impulit, vt hęc conderet: ſed hæc vna tantùm cauſſa, nimirum voluntas ipſius ſummè benigna. Itaque, quemadmodum Tit. 3. v. 4. dicitur, mera Dei bonitas vt hominum ſalutis, ita & eorum creationis cauſa eſt. Quod ſi hominum, & cæterarũ quoq; rerum eadẽ cauſſa eſt. Qui a ſuperiorẽ Bonitate & Voluntate Dei cauſsã quærit, ille, quemadmodum ait Aug. in lib. 83. q. 28. quidpiam Deo maius, & ipſa æternitate prius & antiquius quærit. *Qui quærit*, ait ille, *quare voluerit Deus Mundũ facere, cauſam quærit voluntatis Dei. Omnis autem cauſſa efficiens maior eſt eo, quod efficitur. Nihil autem maius eſt voluntate Dei.*

A

CAP. XX.

Mundus hic, Dei filius dici non poteſt.

D. PErcepi quę dixiſti hactenus de Deo, qui eſt efficiens huius mundi cauſſa non tantùm vt opifex, non vt deſcriptor, & ornator ſolùm: ſed multò magis vt creator & ex nihilo producens: vnum modò adde, Num propterea mundus hic Dei filius dici poſsit.

P. Veterem quęſtionē renouas, de qua Aug. in Enchirid. cap. 38. & 39. agit perſpicué. Certè ſi propriè & & intelligenter loqui volumus, neque poteſt, neque debet hic mundus dici filius Dei. Primùm, quia non ex ipſa ſubſtantia diuina factus eſt. At qui propriè filij appellantur, è patris ſemine & ſubſtantia gignuntur. Deinde non quicquid ex alio oritur & naſci dicitur, filius tamen eius dici debet, ex quo naſcitur. Pediculi enim ex carne hominis gignũtur, nec tamen filij hominum, aut carnis dicuntur. Deuique cùm Dei ad mundum cõparatio & ratio ea ſit potiùs, quæ eſt opificis ad opus, quàm quæ patris ad filium, mundus Dei opus B & ἀποτέλεσμα quidem dici poterit & appellari: filius autem nullo modo. Ἀποτελέσματος autem vocabulo Mundum appellauit Irenæus.

CAP. XI.

Quid ad res poſtea creandas pro materia à Deo primùm creatum & conſtitutum.

D. HActenus de cauſſa efficiente, nunc de materia mundi aliquid expone.

P. Quid verò eam tibi commemorẽ, quæ nulla fuit, quemadmodum ſuprà copioſè diſputaui, vt vox etiam ipſa, *creandi*, ſi propriam eius ſignificationem ſpectes, demonſtrat? Nec puto operæpretium Philoſophorum, qui penè omnes in hunc ſcopulum impegerunt, ſententiam refutare: vel Hermogenianorum hæreſin reuincere, qui eum errorem in Eccleſia Dei iam extinctum ex Stoicorum ſchola & dogmatis reuocarunt, & à Philoſophis ψυχικοῖς hominibus mundi originem diſcere maluerunt, quàm à veris Chriſtianis, atque C etiam ex ipſo Dei verbo. Quorum argumenta omnia opere præclaro & vtili confutauit Tertull. qui liber in manibus hominum verſatur, éſtque lectione dignißimus.

D. Nec verò illam quæro, quæ nulla fuit: ſed iſtud potiùs, vtrùm ex rebus ipſis creatis ex nihilo aliquid à Deo ipſo diſpoſitum, præparatũ, & productum fuerit, quod poſtea ceteris rebus creandis vicem, vſúmque præberet, & ex quo poſtea Deus reliqua efficeret vel efformaret.

P. Difficilem me quæſtionem ingredi iubes, quæ & paria penè rationum momenta habet, & pari numero graues autores. Doctorum enim ſcriptorum alii putant Cœlum & Terram de quibus Geneſ. 1. verſu 1. dicitur, *In principio creauit Deus cælum & terram*, à Deo quidem creata ex nihilo ſed primùm tamen & ante omnia, vt eſſet reliquarum rerum creandarum materia parata. Itaque nihil reliquis diebus eſſe à Deo actum, niſi vt hæc materia & maſſa confuſè primùm edita, & rerum omnium ſemina continens diſtingueretur in ſua genera & elementa, & quodque rerum genus ornaretur atque ſuis legibus vinciretur. Alij A autem aliud exiſtimant, iſta initio futuræ explicationis προοιμίῳ tantùm quodam & anticipatione fuiſſe propoſita, vt ſumma totius futuræ narrationis meliùs intelligeretur, & tanti ædificij, qualis mundus, limites primùm deſignarentur. Sic periti architecti domum amplam conſtructuri certis regionibus, finibus, & lineamentis totum opus futurum circunſcribunt, & deſignant, vt intra eas metas reliquas ædificij partes quærant, atque aptè collocent, ſéque ipſi inter eas contineant. Ergo (aiunt) cœlum & terra proponuntur à Moſe, idque in ingreſſu narrationis, vt quos limites futura deſcriptio, totúmque ipſum opus habeat intelligamus, quemadmodum poſt narrationem creationis idem ille eoſdem quoque limites iterum repetit, & totum opus à ſe expoſitum eodem modo concludit. Geneſ. 2. verſu 1. Ergo in principio creauit Deus cœlum & terram, id eſt, primum omnium ſumma omnium Dei operum (de quorum creatione dicturus eſt) nobis cogitanda proponitur. Deinde docet & Iren. lib. 2. cap. 10. 11. & 16. Deum non eſſe ſimilem hominibus, qui vlla etiam à ſe creata & præparata B materia eguerit ad reliquarum rerum molitionem & opificium.

D. Quid tu igitur? aliùdne ſentis?

P. Certè probabilior mihi videri ſolet piorũ interpretatio, & ſententia, qui cælum & terram (qualis illic commemoratur) ex nihilo quidẽ primùm à Deo creata eſſe volunt, ſed velut rudem totius futuri operis & ornatus materiã, ex qua Deus ſua vi, & potentia eduxit reliqua. Quãquam enim Deus omnipotens nulla egebat materia, neque ad cœlum & terram primum creanda, neque ad reliquorum dierum opera producenda, vti neque hominis ſemine opus habet, ſi velit, ad homines hodie ſerendos: tamen non *quid quantúmque potuerit in iſtis quæſtionibus quærendum eſt*, ait Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ſed quid rerum natura patiatur, & quid voluerit, & nobis ipſe verbo ſuo patefecerit. Nec caret hæc mea ſententia iuſto ſuo firmamento, id eſt, vel authoritate hominũ, vel etiã ratione. Autoritas eſt non hæc modò, quòd Philo Iudeus & paſsim Rabbini, & Hebræorum eruditiſsimi ſic locum illum Moſis explicant: ſed etiam C Auguſtinus ſæpe, veluti lib. 5. de Geneſ. ad lit. cap. 3. & 5. & lib. 1. cap. 5. Ambroſius etiam in Hexamero, Chryſoſtomus, Baſilius, alii.

D. Sed ecqua ratio tuæ ſententię afferri poteſt?

P. Duplex. Ac prima quidem, quòd iſta expoſitio optimè cum verbis & ſerie Moſis cõuenit: deinde quòd ipſa voce Principij & ſignificatione eius videtur planè confirmari. Principiũ enim cõparatè ad alia dicitur. Itaque vt doceret quo modo ex iis duobus reliqua poſtea facta eſſẽt, apertè pręfatur Moſes, cœlum illud & illam terrã in principio, id eſt, ante omnia illa Dei opera creata eſſe, & ad reliquorum operum vſum, id eſt, vnde ſequentia poſtea deſumpta, & tanquam prognata ſunt. Cuius ſententiæ veſtigia, quanquam veritate manifeſtè interpolatâ, videntur extare tum apud Heſiodum in Theogonia, tum apud Ouidiũ notiſsimo illo loco Metã. 1. *Ante mare & terras &c.* Sed hæc quoque ratio afferri poteſt, quòd res ipſa, inprimis verò terra, ſic nobis deſcribitur, & appellatur à Moſe Tohu & Bohu, ex quo apparet fuiſſe rudem quandã futuri mundi maſſam, ſeminariũ, &

mate-

materiam à Deo ipſo tunc tantùm, non autem ab æterno paratam. Quin autem confuſionis aliquid etiam tum fuerit in ipſo cœlo, negari non poteſt, quum nondum cœleſtes terreſtréſque materiæ à ſeipſis diſtinctæ & ſeparatæ fuerint: quod demum & ſecũdo die factum eſt. Quòd cœli nullus adhuc erat ornatus, nullus quoque ſplendor, vel lux in eo micabat. Sed illa confuſio maior in terra fuit. Itaque de ea dictum eſt Tohu & Bohu.

CAP. XXII.

Materia rerum terrenarum qualis fuerit, & quàm commodè à Deo præparata.

D. QVid igitur voces hæ Tohu & Bohu ſignificant?

P. Primùm informe quiddam, rude, confuſum, ſed aptum tamen diſpoſitúmque ad formã ornatúmque admittendum & ſuſcipiendum. Itaque hac ratione loquendi vtitur Scriptura, quum quid impolitum, & indigeſtum deſignat, veluti Iſai. 34. v. 11. 40. 17. Talis igitur quædam fuit tunc illius terræ facies, qualis fermè ab illo canitur his verbis:

Quaque erat & tellus illic & pontus & aer:
Sic erat inſtabilis tellus, innabilis vnda,
Luce carens aer, nulli ſua forma manebat.

Deinde vt omnium rerum ſumma ſunt genera duo, vnum cœleſte, alterum terrenum: ſic duplex materia à Deo conſtituta primum omnium fuit, à Deo, inquam, qui cuius, & quotuplicis naturæ futura erãt ſua opera non ignorabat, ſed iam tum præparabat. Cæleſtium enim mundi partium cœleſtis materies parata eſt, & perfecta quidem, cælum. Terrenarum autem terra, & ea etiam madida, humida, & vliginoſa, cui propterea aqua ſuperfuſa fuit, quemadmodum eſt in Pſal. 104. v. 6. vt ex eis duobus elementis vnum tantum corpus tunc extaret. Ac quidem in cœli illius, quale tunc fuerit, explicationem minùs immoratur Moſes, quia fuit quiddam efformatum magis & compoſitum. In terræ autem ſtatu deſcribendo fuſior eſt. Terram enim illam primam & materialem appellat Tohu, & Bohu, id eſt, confuſam quãdam maſſam: qualis à nobis cogitetur neceſſe eſt, ſi cũ ornatũ, & diſtinctionem, quam poſtea addidit Dominus, animo ab illa diſtraxeris.

D. Quid igitur vocabulum Tohu notat in Scriptura?

P. Hoc ipſum quod nos Latinè inane dicimus & deſolatum, nimirum cuius nullus eſt vſus & commoditas, quod neque fructum, neque ſui vſuram aliquam præbeat. Itaque quod ſit nihili. Vnde fit vt nihilum ſæpe vertatur hęc eadem vox: veluti Iob 26. 7. Iſ. 24. ver. 10. & 40. ſub finẽ. Quare eam vtilitatem, quam nos hodie ex terra percipimus, excludit vis & notio huius vocis Tohu.

D. Quid verò vox Bohu?

P. Illud ipſum denotat apud Hebræos quod apud Latinos informe & incompoſitum. Eſt autẽ illud informe, à quo omnis diſtinctio, ordo, aptáque & vtilis partium collocatio abeſt, & quod nihil niſi confuſum & horrendum quiddam præ ſe fert ſpectantibus: non quod tamen omni prorſus forma careret. Quod fieri non potuit, cùm iam nomen haberet, & Terra appellaretur. Sic Iſa. 29. verſu 21. accipitur: & res à ſua forma denominetur.

D. Miram tu mihi mundi huius fabricandi originem & materiam à Deo creatam narras.

P. Atque huiuſmodi eſſe oportuit, tũ vt immenſam ſummi, & optimi Dei potentiam melius intelligeremus, qui è tali tantáque rerum cõfuſione, & tantis tenebris tam admirabilem, vt ait Paulus 2. Cor. 4. v. 6. ornatum, lucem, & vſum eduxit: tum etiam quòd quæ res ita primùm inſtituebatur, vt eſſet variarum formarum velut materia, receptaculum, ſuſceptrix & matrix quædam, talis eſſe debebat. Quanquam fateor terram iam ab ipſo ſuæ creationis momento, ſuam, eámque propriam formam habuiſſe, ſed quę, quatenus à nobis materia ſpectatur, alias poſſet admittere & induere. Itaque hæc eadem materia & terra vides quàm pulchrè à Deo aptata, & diſpoſita ad formas rerum poſtea ſuſcipiendas narretur.

CAP. XXIII.

Abyſſus aquarum cur huic materiæ & terræ ſuperfuſa.

D. QVomodo iſtud?

P. Quod aquarum vorago & abyſſus commiſta cùm illa terra tum temporis fuiſſe dicitur.

D. At hoc ipſum auget horribilem tantæ illius confuſionis faciem.

P. Verum dicis, ſed ex potentia Dei magis illuſtratur. Atqui hæc etiam ipſa aquæ cum terra coagulatio, & commiſtio fuit omnino neceſſaria ad hoc ipſum quod dicimus, nempe, vt eſſet terra omnium terrenarum rerum, quas ex ea oriri Dominus volebat, bene & commodè præparata quædam materia.

D. Explica teipſum.

P. Semen & materiam rerum omnium formabilem eſſe oportuit, & vt ita loquar, ductilem & tractabilem, id quod ſine humore eſſe non poterat in terra. Itaque terra humorem admiſtum habuit, quæ natura ſua ſicca & dura quædam res eſt, nec ſibi cohærens nec in longũ aut latum tractabilis, niſi colligante, & emolliente humore talis fieret. Vnde in eodem corpore creata comprehẽſaque à Deo eſt vis illa immenſa aquarum, quę dicitur Abyſſus, ſub qua terra ipſa informis concludebatur, & latebat. Ex quo etiam Chaos maius, & magis ad explicandũ difficile fuiſſe tota illa maſſa apparet, ex qua tamen tanta pulchritudo, tantus ordo, tantus nitor, tantáque venuſtas & illa quidẽ venuſtiſſima, à Deo producta eſt. Quæ omnia in prima materia fuiſſe neceſſaria, etiam ipſorum Philoſophorum prophanorum autoritate demonſtrarem pluribus, niſi locus ipſe Scripturę ſatis perſpicuè id comprobaret.

D. Quomodo?

P. Dicit enim Moſes, *& tenebræ erant in ſuperficie voraginis vel abyſſi, & Spiritus Dei agitabat ſeſe in ſuperficie aquarum*, Geneſ. 1. v. 1. vt duo hic à nobis contra omnium Philoſophorum ſentẽtiam ſtatuere ſit neceſſe, Primum quidem, materiam omnium operum, quę poſtea à Deo producta ſunt, non fuiſſe exilem quandam rem cogitatione, & animo potiùs quàm mole corporis comprehenſi-

A bilem:ſed fuiſſe ingentem illam molem & globũ, qui poſtea in ſuas partes ſeorſum deductus,& diſſectus terram hanc, quam calcamus, & mare immenſum quod nauigamus,continebat. Materiam enim primam,tanquam tenuem & fugientẽ quandam vmbram illi conſiderant,& prorſus forma carentem. Quod fieri non poteſt. Neque enim res quæ exiſtit, omnino carere forma poteſt : quia quod omnino forma caret, nihil eſt,neque propterea eſt.De qua ſic in lib.cõtra fundam. epiſtol. Manichæorum,cap.29.*informem quandam materiam ſine ſpecie, ſine qualitate,ſine menſura, ſine numero & pondere,ſine ordine & diſtinctione, cõfuſum neſcio quid, atque omnino expers omnis qualitatis.Vnde quidam doctores Græci ἄποιον vocant.* Sed hanc ſententiam irridet Auguſtinus.Secundum efficitur, Non vnam quandam & communem rerum omnium viſibiliũ materiam primam eſſe conſtituendam, ſed diuerſam , nempe rerum cœleſtium vnam,quæ eſt cœlum : alteram terrenarum , quæ eſt terra & aqua, quæ & eodem corpore comprehẽſa eſt, & eodem tempore ad terram emolliendam creata, quæ tria ſunt condita primùm ex nihilo,nimirum cœlum, B terra,& abyſſus.

D. Sed quænam eſt illa abyſſus & vorago?

P. Planè hoc ipſum quod poſtea mare appellatur, ſed appellatur ἄβυσσος à Græcis : ab Hebræis autem Tehom. Abyſſus, quòd fundo tanta aquarũ vorago & collectio careat,quod ſciri, tẽtari & explicari poſsit:nimirum tam altè patet, ἀπὸ τ͂ βυθοῦ. Tehom autem quòd fremitu horriſono, & fragore formidabili moueatur, concutiatúrq; tanta illa copia aquarum, quia ſuapte natura fluctuat & in ſeſe recidit & reuoluitur, non autẽ manet quieta.

D. Sed de eo diſputatur, vtrùm ea abyſſus & moles aquarum infuſa terræ venis & meatibus fuerit intus permiſta, an tantum eius ſuperficiei ſuperfuſa,& ſuperiecta:quia ſi ſuperfuſam tantũ dixeris,vix propterea molleſcere tanta terræ moles potuerit : ſin autem etiam commiſta terræ erit,& Chaos horribilius effeceris, & naturæ elemẽtique illius duri liquefactionem & emollitionem meliùs intellexeris.Nec enim iis,quemadmodum credo, aſſentiris, qui illam abyſſum aquarum, tenuẽ, C & raram tantùm nebulam fuiſſe ſentiunt,quæ terram obtegebat:id quod refert Auguſtinus.

P. Nõ aſſentior,ſed quin vtroque illo modo, quem explicaſti, magnum & horrendum Chaos conſtituatur & demonſtretur, ſiue commiſta terræ , ſiue tantùm ſuperfuſa abyſſus fuerit, non dubito. Nec etiam ambigi poteſt, quin tot tantiſque aquis circunfluum, & complutum terræ illius corpus ſatis macerari , & colliqueſcere iam potuerit. Sed tamen vt exponam quod ex ſacroſancto Dei verbo in hac quæſtione ſtatui mihi videtur poſſe, afferam quod eſt ſcriptum Pſal.104.v.6.De terra enim loquens ſic ait, *Voragine tanquam veſtimento operueras eam:* vt nõ commiſta ſingulis terræ partibus ſingulæ abyſſi & aquæ guttæ fuerint,quod illi putãt,ſed toti corpori terræ tota aquarum moles incumberet, & in eius ſuperficie innataret. Quemadmodum poſtea tempore Noe in diluuio factum eſt.Cuius ſententiæ hæc quoque ratio eſt, quòd & Spiritus Dei, & tenebræ, quæ incumbebant informi illi moli,non terræ ipſi , ſed aquis & voraginis ſuperficiei ſuperfuſa ſcribuntur,vt terram totam illa voragine fuiſſe inuolutam & obtectam planè appareat.Deinde cum die tertio ſeparata eſt abyſſus à terra,cõgregatæ tãtùm ſunt aquę A ex illa ſuperfuſione,& expanſione, quæ ſuper terram erat,non autem dicuntur aquæ expreſſæ è terra tanquam è ſpongia,quod tamen erat neceſſe.

CAP. XXIIII.

Tenebræ cur ſuper eadem molis & materiæ facie.

D. Sed cur tenebræ ſuper illam confuſæ materiæ faciem & molem erant?

P. Vt eo magis immẽſa illa Dei veri virtus, ſapientia, & potentia eluceat, qui etiam confuſa mole, & tot impedimentis concurrentibus, tam pulchrum rerum ordinem tam citò, tantáque vi ſua eduxit, etiam cùm modus ipſe eius diſtinguẽdæ(vt docet Paulus 2. Cor.4.v.6.) & explicandæ omnino alienus eſſet: ſolent enim omnia in luce diſtingui. Ergo etiam tenebræ erant præter ipſam molis confuſionem Deo obiectæ. Quomodo igitur egitDeus,& iſta diſtinxit,cùm eſſent tenebrę? virtute ſua immenſa & omnipotenti.Auget enim B illæ maximè iſtius tantæ confuſionis horrorem,faciúntque vt eius diſſolutio & explicatio planè deſperatum opus videatur. Nam ſi ad id quod confuſum & iam implicatum eſt,tenebræ acceſſerint, omnis illius euoluendi & explicandi ſpes, & ratio adempta nobis erit , vt cuilibet mundi creandi & diſtinguendi viam, quam primùm Dominus eſt ingreſſus,cogitanti opus hoc non difficile tãtùm, ſed planè impoſsibile cenſeatur. Mundi autem iã diſtincti ornatum & formam intuenti , opus hoc ex prius digeſtiſsimis &ordinatiſsimis principiis, & partibus conſtitutis ortum eſſe iudicetur,& lucem primùm ante res ipſas fuiſſe putet.

D. Num verò fit Deo iniuria,quum qui eſt ſapientiſsimus,optimus, perfectiſsimus , pulcherrimus, molem hanc materiámque primam tam cõfuſam condidiſſe narratur, & tenebras conſtituiſſe,qui & potuit,&,vt videtur, debuit ſtatim & primo quoque momento edere eam diſtinctã & ornatam.

P. Certè Manichæi cùm hæc imperitè cogitarent,& perperam animaduerterent , ſunt decepti. C Sed Valentiniani quoque eorum patriarchæ, propterea impegerũt. Nam impiis ſuis in hoc rerum genere cogitationibus inducti dixerunt, Mũdum hunc,eiúſque exordia prima, & materiã eſſe fructum & effectum fœdæ cuiuſdam labis, & ignorantiæ Dei, non autem cõſulti cuiuſdam numinis & opificis opus, quod ſine horrore ne legi quidem poteſt. Aduerſus quos diſertiſsimè atque etiam acutè pater Iren.lib.2.ca.3.Sed vt reſpondeã ipſe,atque afferam quod ad hanc quęſtionem pertinet:dico Dominũ,qui, vt ſuæ gloriæ & potẽtiæ notas diuitias faceret,omnia cõdidit, voluiſſe hac potiſsimum via & ratione in mundo creando ſe patefacere,atque illis vti.Ergo quemadmodũ Dei ſapientiſsimi erat,viam,quam iudicauit eſſe ad ſeſe patefaciendũ optimã,eligere & inuenire:ita noſtrũ eſt,eam quam ipſe elegit,comprobare, venerari,& adorare. Fides enim ad hæc Dei opera intelligenda regula & animis noſtris dux eſſe debet, quæ ſi nõ acceſſerit,nihil quicquã in hoc toto Dei opere,etſi patẽtiſsimo atq; pulcherrimo, ſalutariter vtiliterq; cogitabimus. Nã vt eſt ſcriptũ Heb. 11.v.3.*Per fidem intelligimus constructũ fuiſſe mundum.*

A Hæc igitur, vanas ingeniorum noſtrorum rationes ſecuti, definire non debemus.

D. At nonne hæc de tenebris materiæ illi primæ circunfuſis narratio ſententiam Ariſtotel. confirmat de priuatione, quam tertium eſſe rerum omnium principium ille ſtatuit li.1. Phyſici auditus?

P. Apage ſis iſtud de priuatione, tanquam mundi principio, inſomnium, & delirium. Quî enim poteſt priuatio (quæ res nulla eſt) rei cauſſa cēſeri? tanquam ignē frigoris cauſſam dicas, & cōtendas. Deinde priuatio Ariſtotelica in ipſa materia hæret infuſa: at tenebræ, de quibus Moſes agit, extra materiæ corpus fuerunt, & nullam ad formam ſuſcipiēdam commoditatem afferunt, quod tamē facit priuatio Ariſtotelica: imò potiùs ſpem omnem formæ inducendæ adimebant tenebræ, vt prorſus cum Moſe pugnet Ariſtotelis conſilium.

CAP. XXV.

B *Spiritus Dei cur ſuper hac ipſa materia & mole.*

D. DE materia prima huius mundi, eiúſque mira confuſione, & , vt ita dicam, contribulatione dixiſti, expone cur commemoratus ſit à Moſe Dei Spiritus.

P. Multis de cauſſis, potiſſimùm tribus. Primùm quidem, vt mundi creationem non ſolius Patris & Filij, ſed & Spiritus quoque ſancti (qui καθ᾽ ὑπόστασιν ab illis eſt diſtinctus) opus eſſe intelligeremus. Quanquam ſi propiùs verba ſpectes, vox, *Spiritus Dei*, notat eo loco non perſonam illā tertiam Trinitatis infinitam, & nullo loco concluſam, ſed ipſius tantùm effectum & vires & pręſentiam quandam, quę ſeſe exerebat, & manifeſtabat illic. Sed eſt in Scriptura frequens, vt Spiritus ſancti & dona & ſymbola pro ipſo accipiantur, & quum illa commemorantur, ipſe illic ſuo ſpecialique modo fuiſſe intelligatur, vti Lucæ 3. quia alio nobis modo, quàm per illos ſuos effectus, & dona innoteſcere non poteſt. Ergo Spiritus Dei ſuum in condendo hoc mundo munus, & C explicatè, & diſtinctè habet. Secundum, vt qua vi, & quo ſpiritu illa tanta & prima moles etiam ab initio ſuſtentata fuerit, agnoſcamus. Non à ſe ipſa illa quidem, non ab aquis circunfuſis, non à tenebris incumbentibus, quæ potiùs primam illam materiam tanquam in vtero naſcentem obruerent, & abortiuam facerent: ſed à Dei Spiritu illo omnipotente, omniáque vi ſua diuina ſuſtentante & viuificante, per quem illa terræ & aquæ moles immenſa, & tam ſtupida ſubſiſtebat, vigebat, vegetabatur, ſuſtinebatur, retinebatur, & (vt ita loquar) animabatur, vt iſta omnia & eorum vires ad Dei vnius gloriam referamus.

D. Quomodo id probas?

P. Quod Spiritu Dei etiā hodie omnia ſubſiſtunt & ſuſtentantur, quāquam vim & naturam propriam iam ſortita ſunt, nedum vt illo tempore ab eo deſtituerentur, vt eſt Pſa.104.v.39.139.v.7. 1.Tim.6.v.13. Actor.1.v.18.19.

D. Quæ tertia ratio eſt?

P. Vt qua ratione, quo motu, quóve progreſſu res omnes ex prima illa materia & mole à Deo extractæ, & eductæ prodierint, meliùs explicaretur. Vti enim hodie prima rerum ſemina, etiam A poſtquam iacta ſunt, videmus vi diuina nō ſolùm ſuſtentari, ſed etiam foueri, proritari, & calefieri vt parturiant, & quę continent in ſeſe concluſa corpora emittant: ſic in illa prima rerum materia factum eſt, adeò vt prima rerum ſemina *idem ſpiritus* vi ſua ſuſtentare: & foueret, qui nunc eadem mouet: ſed illa ipſius actio manifeſtiùs oſtendebatur tunc, propterea quod nondum erat ex verbo Dei indita vis aliqua ordinaria gignendi, & producendi rebus ipſis. nam illa poſtea data eſt. Itaque potenter ſeſe in iis manifeſtabat Spititus Dei, & eam molem fouebat. Id quod etiam perſpicuè docet Moſes ipſo dicendi genere, quo eſt vſus.

D. Explica tete.

P. Hoc quod dico non tantum verba Moſis innuunt, ſed planè demonſtrant.

D. Quænam illa?

P. Hæc nimirum, *& ſpiritus Dei agitabat ſeſe in ſuperficie aquarum.*

D. Quid verò illa ſibi volunt?

P. Spiritum Dei robur vegetum indidiſſe illi tam magnæ moli, non ſolùm per quam eſſet, ſeſé- B que ſuſtineret, & tāquam portaret: ſed etiam vim quandam inſeruiſſe, iniciſſe & excitaſſe in ea, per quam poſtea ad parturiendum, & velut concipiēdum incaleſceret. Vtrunque enim notat vox Hebræa, Merachephet. Nam non ſolùm ſuſtentare & agitare ſignificat, ſed etiam fouere, vti aues pullos ſuos fouent: & vim incaleſcendi, ſeque concitandi immittere. Deut.32. verſu 11. quod Paulus videtur conuertiſſe θάλπειν, Epheſ.5.verſ.29. Quemadmodum idem Dei Spiritus Pſ.104.v.30. operari dicitur, & emitti, vt res etiamnum hodie gignantur, & prodeant in lucem: qui ſi ceſſet aut ſubtrahatur, res nullæ naſcentur, quantumlibet earum ſemina iacta ſint, & homines ipſi laborent, & enitantur, ſed ſuffocatæ in ipſis terræ viſceribus & matrum vteris iacebunt. Hier.tom.2.epiſt.ad Oceanum ſic ait, *Solus ſpiritus Dei in auriga modū ſuper aquas ferebatur, & naſcentem mundū in figura Baptiſmi parturiebat.* Sed hæc nimis longè petita eſt allegoria.

D. Sed cur illa ſpiritus actio & vis ex quadā ſui agitatione, motitatione & venti flatu deſcripta eſt? C

P. Quoniam ipſius Spiritus ſancti præſentiæ & actionis ſymbolum fuit hęc agitatio & flatus, vti columba alibi fuit eiuſdem Spiritus ſancti præſentis ſacramētum. Mat.3.v.16. Alibi linguæ igneæ operationis & donorum eius ſigilla & notæ, Actor.1. Alibi etiam flatus emiſſio & ſpiratio ex ore, Ioan.20.v.22. Quāquam enim ille Spiritus Dei, qui eſt Deus, non eſt ventus quidam, tamen eius operatio hoc agitationis & ſpirationis ſymbolo notata eſt, & deſignata: eſt enim viuificās ſpiritus: vita autem ex motu, & agitatione maximè perſpicitur, & à morte diſcernitur, quæ eſt perpetua, & ſtupida rerum quies. Act.17.v. 28. vt ex ipſo etiam ſymboli genere ſatis doceatur, quorſum adeſſet Dei Spiritus, & quid efficeret, nimirum vim rebus iniiciebat.

D. Sed cur in ſuperficie aquarū erat ille Spiritus, cùm nec aquam fuiſſe creatam dixerit antea Moſes, & potuerit etiam in iſtius molis meditullio latens, vti fermentum quóddam, vel ignis totam maſſam intus calefacere & ſuſtentare?

P. Fuiſſe aquam vnà cum terra primā editā, A & à Deo ſimul creatam ſatis oſtendit Moſes, cùm ſtatim ſubiungat: *Et tenebræ erant in ſuperficie abyſſi*, id eſt, erant in aquarum mole. Vtrumque enim elementum fuiſſe vnicam corporis vnius molem, verba illa demonſtrant, inconditam quidem illam primùm, & quę duobus illis iunctis conſtaret, nec in ea re dubitationis quicquam hęrere poteſt. Cur autem in ſuperficie & ſummo aquarum, id eſt, totius molis, non autem in imo vel meditullio illa vis & Spiritus Dei appareret, ratio eſt, non quòd ille non penetraret ad imum vſque, & ſummam tantùm molis ſuperficiem ſuſtentaret, (Dei enim Spiritus iam tum ad inferos vſque pertingebat, Pſal.139.v.7. & ſingulas iſtius molis partes etiam abditiſſimas vi ſua replebat, & permeabat) ſed quòd cùm ſic iſta omnia, & fieri, & extare voluerit Deus, vt in his manifeſta, perſpicua, & facilis cognitu, non autem latens & occulta eius potētia eſſet, in ſuperficie totius molis, & in aperto, non autem in imo fundo, vel in medio eius, id eſt, in abſcondito ſymbola illius oportebat apparere, & ſeſe proferre. Deinde oportuit eundem Spiritum B totam molem, non tantùm vnam eius partem amplecti & fouere, quod illa ſpiritus circum vniuerſam molem geſtatio & notitatio factum fuiſſe demonſtrat.

D. Cur autem terram aquam, & cœlum vocat, quæ nondum vel hoc nomine vel propriâ naturâ diſtincta erāt, & donat? nam ſequētibus diebus poſt res iam ſecretas ita nominata ſunt.

P. Cœlum quidem ipſum iam tum fuit factū à Deo, & nominatum cœlum, ſed ratio, nomen & etymon ex poſteriore opificio, quod eſt ſecundæ diei opus & expanſio, intelligitur. Itaque per πρόληψιν & anticipationem quandam ita appellantur Cœlum & terra, ne ſi illa corpora nullis nominibus & vocabulis deſignarentur, res ipſa explicari non poſſet. Præterea quòd tùm res eæ ſuis propriiſque nominibus dicuntur poſtea appellatæ, non alia quædam iis ſubſtantia indita eſt, ſed eadē retenta, quæ inerat illis, quum adhuc confuſæ erant: ſed tantùm ornatus additus, per quem tū ab aliis, quæ diuerſi generis erant, fuerunt diſtinctæ: tum ipſæ in ſeſe formatiores factæ.

C D. Quid autem? Tune Anaxagorę ſententiā probas, aut reuocas, qui omnia omnibus primùm putat commiſta fuiſſe, & ex quolibet fieri quodlibet, & rerum ortum nihil aliud vocat, quam ἀνάκρισιν & diſtinctionem ex confuſo quodam, cui priùs inerant, aceruo?

P. Minimè id quidem: nec enim in illa terræ mole, de qua iampridem diſputo, vel arbores iam conditas, vel homiines formatos, vel pecora iam procreata latuiſſe dico, & quibuſdam inuolucris obtecta & implicata extitiſſe, id quod ſenſit Anaxagoras: & idipſum refutat Moſes, qui quæ ſequētibus diebus ſunt producta, demonſtrat fuiſſe facta, non tātùm ſecreta, nec ex aceruo vel quodam penu rerum deprompta, ſeparatáque. In illa tamē prima materia, verè quidem dixerim cùm Auguſtino, infuſa fuiſſe ſemina primordialiter & radicaliter rerum ex ea poſtea prognatarum, quæ nec quidem ab ipſius terræ ſubſtantia diuerſa erant, & in illius tamen viſceribus incluſa laterent: ſed Dei verbo & ſpiritu agente apta effecta terra res illas poſtea produxit, quas ex ea extare Deus voluit. Denique quomodo rerum omnium illam σύγχυσιν Anaxagoricam inducimus, qui tam apertè A rerum cœleſtium à rerum terrenarum materiā diuerſam & ſeparatam in ſacra Scriptura legimus? Rerum enim omnium cœleſtium tanquam materia fuit, vt puto, illud cœlum, quod vnà cum terra à Deo prima die creatum fuiſſe traditur.

CAP. XXVI.

De rerum cæleſtium, quæ ſunt viſibiles, materia.

D. SED de illo primo cœlo rerum cœleſtium ſeminario quid ſentiendum eſt?

P. Fuiſſe illud non locum iſtum, qui aer ſiue expanſio dicta eſt, & ſequēti die creata eſt, Geneſ.1.ver.8. ſed potiùs materiam rerum cœleſtium à Deo præparatam, quæ generali nomine cœlum appellatur.

D. Quale vero fuit illud cœlum, quod materiam cœleſtium vocas?

P. Primùm quidem obſcurum, tenebroſum, B etſi ſubſtantiâ quidem erat ſubtiliſſima, ſed informe & inornatum, nondum ab illa terræ & aquæ mole loco ſpatióque vllo interiecto ſeparatum vt apparet Geneſ.1.v.6. ſed adhuc illi adiunctum & vicinum ſiue contiguum.

D. Sed fuerūne illi cœleſti materiæ macerādæ neceſſariæ aquæ, quemadmodum terrenæ, vt ex ea poſtea cœleſtia producerentur?

P. Apage ſis. Minimè. n. legimus cœleſtia illa corpora, qualis Sol, luna, aſtra, totáque illa cæleſtis regio, quæ dicitur, quæque ſupra elementarem à Deo collocata eſt, è cœlo ita producta quemadmodum è terra terreſtria. Nec enim ſicut dictum eſt Geneſ.1.v.11. germinet terra germen herbam producentem ſemen, & producant aquæ reptile, Geneſ.1.v.20: ita ſcriptum aut à Deo præceptum fuit, Producat cœlum ſolem & lunam: ſed ſic, Sint luminaria in expanſione cœli. Geneſ.1.verſ.14. ex quo ſatis liquet cœlum illud primū non eo modo cœleſtium materiam extitiſſe, tanquam fęcundus, & prolifius quidam eorum pater fuerit: nec eodē eſſe etiam modo materiam cœleſtium deſtinatum C quo terra terreſtrium materia & matrix à Deo conſtituta fuit.

D. Cur autem Dominus tam vario modo ex iis materiis res eſſe, & effici voluit, nec eadē ratione cœleſtia ex cœlo, vti terreſtria ex terra naſci?

P. Non tantùm idcirco, quòd quemadmodū diuerſæ materiæ diſſimiliſque generis erant ab ipſo conditę (quanquam tamen omnes ſunt corporeæ) diuerſo quoque modo eas fungi vſunque ſui præſtare oportet, vt earum differentia intelligeretur: ſed etiam vt in tanta producendi varietate, Deus meliùs tum immenſam potentiam ſuam, tū illam ſuam πολυποίκιλον ſapientiam nobis oſtenderet. Sic in vno & eodem homine formando alia ratione corpus: alia verò animum ipſius Deus creauit, & adhuc creat & fingit, qui tamen eâdem ratione vtrunque producere poteſt.

CAP. XXVII.

Mundi forma quæ.

Hactenus

A D. HActenus de materia huius mundi, nunc de forma expone ſi quid habes.

P. Cupio.

D. Ecqua igitur huius tãti operis forma eſt?

P. Vnica quidem,quæ οὐσιώδης ſit,ſtatui minimè poteſt.Nam,vt antea docuimus,nõ poteſt eſſe vnica & ſingularis quædam totius huius mundi anima,quæ in ſingulas eius partes,tanquam corporis artus diffuſa cieat,agat,mouecátque tantam hãc machinam & molẽ, quicquid Ariſtotelici & Platonici ſentiant. Atque etiam rectè negat Auguſtin.lib.7.de Geneſ.ad Liter.cap.12. Deum huius mundi tanquam animantis animam eſſe, quando ipſe ſupra mundi corpus omnémque ſpiritum habitat,atque etiam extra mundi totius fines diffunditur.Sed ſua cuique rerum generi & natura,& forma à Deo data eſt, de qua in ſingularibus tractatibus,qui inſtitui de ſingulis generibus ſolent, diſputatur. Rotunditas autem illa quam mundo quidam tribuunt,vti formam non interna & οὐσιώδης,id eſt eſſentialis mundi forma, cenſeri dicíve debet,ſed accidentalis tantùm & externa.

B D. At nonne Scriptura mũdo partes tribuit,& ſitus differentias,tãquam animali, atque etiam diſtinctas inter ſe regiones?

P. Tribuit, ſed quæ propterea eſſe vnam & eandem totius huius mundi formam, ſpiritum,& animam non probent, nec eum eſſe animal euincant.

D. Cur ita?

P. Quia cum corporis & coalitionis ſit genus triplex,vnum ſimplex & continuum, qualis homo:ſecundum contiguum, qualis tota aliqua domus:tertium diſiunctum, qualis grex: rectè quidem dicitur omne genus corporis, tanquam totum quoddam partes ſemper aliquas habere,in quas diſſecatur, & ſitus ſiue loci diuerſas differentias,quę poſſunt in eo notari:vna tamen anima,& ſpiritu vno, vel forma vna omne genus corporis nõ cõtinetur:ſed illud tãtùm,quod ſimplex,& cõtinuũ eſt à nobis appellatũ,velut ſinguli noſtrum.

Cap. XXVIII.

C *De mundi partibus,& primùm de ætherea & elementari regione.*

D. QVænam ſunt igitur mundi præcipuæ partes,quas refert Scriptura?

P. Varij quidem generis. Aliæ enim ſunt integrales, & totum ipſum mundum conſtituentes quas οὐσιώδεις appellamus:aliæ verò diſtinguentes tantùm, & certi tantùm vſus, certarúmque commoditatum gratiâ definitæ.

D Quæ ſunt verò mundi partes integrales,& eum conſtituentes?

P. Summatim quidem duæ in Scriptura fere proponuntur,cœlum,& terra:vti Coloſ.1.verſ.16. Geneſ.1.& 2.Iſai.1.v.1. & infinitis penè aliis locis: quanquam Geneſ.49.verſu 25. Cœlum & abyſſus enumerantur.

D. Quid tunc Cœli nomine complectitur Scriptura?

P. Illam omnem vniuerſitatis huius regionem,quæ ætherea à Philoſophis dicta eſt,& continet cœleſtia, & ingenitabilia corpora quæ perdurant,neque à die ſuæ creationis ſunt mutata, vt ait Petrus 2.Petr.3.v.4.

D. Quid terræ appellatione? A

P. Non hoc ſolùm corpus & elementũ,quod propriè terram nominamus,ſed totam illam mũdi huius regionem,quæ à Philoſophis Elementaris dicitur,& quæ genitabilia corpora, quotidiéque variantia & mutabilia habet.

D. Differúntne hæ regiones duæ?

P. Maximè,& re,& nomine. Ac nomine quidẽ,ꝙ illa prior cœli vocabulo:hęc poſterior mũdi pars elemẽtorũ appellatione etiã à Scriptura deſignatur.Nam Petrus 2.Petri 3.verſ.10.& 15. voces has οὐρανοὺς & στοιχεῖα diſtinguit: quemadmodum etiã Hebræorum doctores ex Amos prophetæ cap.9.v.6.eaſdem regiones diſtinctis nominibus appellant.Re autem,quòd illa durat,& in ſuo ſtatu perſtat:hæc quotidie mutatur, & vices naſcendi pereundíque habet.Illa Deo reſeruata,hæc hominum vſui conceſſa dicitur,Pſal.115.ver.16. Illa ſtridore tantùm & leui perſtrictu flãmæ extremo die peritura docetur,quòd ſubtilis omnino & tenuis naturæ ſit.Hæc autem ęſtu,& magno ignis incendio cremata conflagrabit,& diſſoluetur,adeo vt quod in terrenis lignis fieri videmus quum aduruntur B nimirum vt crepent,exhalent, & aliquem vaporẽ emittant,qui ex humidioribus partibus exit: ita dicitur elementa ęſtuantia fore & liquefactum iri, quòd ſint naturæ durioris, craſſioris, & ſpiſsioris, minúſque puræ, & defæcatæ. Sed & hæc quoque differentia inter vtranque mundi partem obſeruari poteſt, quòd quæ in priori illa inſunt, ſunt cauſſæ efficientes vel principia earum rerum quæ hic gignũtur.Itaque ſunt extra res ipſas, quas producunt.Sed quę in ſecunda & elementari mũdi parte continentur,ſunt earum ipſarum rerum, quæ hîc fiunt,materiales cauſæ.Itaque in ipſis rebus inſunt,earúmque ſubſtantiam conſtituunt, & componunt: quod vocabulum Elementi propriè ſumptum ſignificat.

D. Quouſque autem patet vtraque regio, & quæ ſunt vtriuſque extrema vel fines?

P. Dicam nunc breuiter, aliâs fortaſſe latiùs: Ætheream regionem & cœleſtem,quidam à ſummo cœlo ad lunæ orbem definiunt, quem ipſum eſſe illius quoque regionis partem cenſent. Elemẽtarem autem ab eo loco,qui huic orbi & ſphęræ C ſubiicitur ad imum vſque terræ centrum. Alij tamen lunam ipſam ad terrenam & elementarem mundi regionem potiùs putant pertinere, de qua varia hominum opinione videndus eſt Plutarch. in lib.de facie quæ in lunæ orbe apparet. Sed prima ſententia verior nobis ſemper viſa eſt.

D. Quid igitur de ea generali rerum diſtributione ſentis,per quam quæ ſunt in hoc mundo, omnia diſtribuuntur non in duo, ſed in quatuor rerum genera,nempe earum quæ ſunt in cœlo,ſuper terram,ſub terra,& in mari,veluti Apocalypſ. 5. v. 13. & Paulus tria rerum genera manifeſtè diſtinxit,videlicet ἐπουρανίων,ἐπιγείων,ϗ καταχθονίων, id eſt,cœleſtium, terreſtrium, & ſubterraneorum, Philip.2.v.10.

P. Illæ, de quibus dixiſti, rerum vniuerſæ partitiones, & ſi quæ ſunt aliæ ad hæc duo rerum genera ſumma,quę propoſui,poſſunt facillimè reuocari.Nam quæ terrena,& elementaris regio dicitur,complectitur omnia quæ ſuper terram,& in terra,& in mari ſunt. Imò etiam ea quæ ſubterranea nominantur,quæ ferè in Scriptura nihil aliud

A ſunt,quàm ea quæ ſunt in mari, vti apparet ex interpretatione,quæ ab ipſo Deo facta eſt, Exo.20. 4.Ætherea autem complectitur omnia cœleſtia, quæ dicuntur.

Cap. XXIX.

De Mundi Ortu,Occaſu, Septentrione, Meridie.

D. Dic iam de eo partium genere, quas diſtinguentes tantùm, non etiam conſtituentes appellaſti.

P. Illæ ſunt quatuor Hebræis vocabulis ita deſignatæ.קדם Quedem, ימים Iamim,צפון Tſaphõ, נגב vel ימים Negeb vel Iamim. Græcis autem ſic Ἀνατολὴ,Δυσμὴ,Βόρειον,Μεσυμβρία. Latinis etiam hoc modo,Oriens,vel Ortus,Occaſus, Septẽtrio,Meridies,quas omnes hoc vocabulo,Adam comprehenſas & deſignatas putat Auguſt.Hebræa Grȩcis adaptans.

B D. Sed quæ horum vocabulorum imponendorum ratio fuit?

P. Græcorum quidem & Latinorũ nihil neceſſe eſt quæri etymologias, cùm vulgo pateant. Hebræarum autem appellationum hæc eſt fere ratio,Ortus dicitur Quedem, quia eſt prior ſiue anterior mundi pars. Occaſus autem Iamim , quod mare ſignificat,quòd ad plagam & regionẽ mũdi occidentalem ſit magnum illud mare,quod Mediterraneum appellatur.Septentrio Tſaphõ quòd occulta & ignota ea mundi pars Hebræis hominibus fuerit, ſi terræ regiones ſpectes, & populos, quibuſcum nullum commercium propter longinquitatem locorum habebant. Vnde contrà illis euenit,quàm nobis,qui ſeptentrionalem & arcticum polum aſsiduè videmus. Antarcticum autem ſemper abſconditum habemus. Meridies autem dicitur ab iis Negeb,quòd ea mundi regio perpetuis ſolis ardoribus ſicca ſit,exhauſta,& aduſta:vel etiam Iamim primâ longâ, vt à priore Iamim differat,quod eſt prima ſyllaba breui, quia nobis verſus Orientem NB - ſpectantibus, Meridies ad dextram C ſit,non ad ſiniſtram.

D. Vbi verò hæ quatuor mundi plagæ in Scriptura commemorantur?

P. In infinitis penè locis,è quibus hi pauci à nobis afferentur.Geneſ.13.14.& 28.v.14. Pſal.107. v.3.Iſ.47.v.5.6.Pſal.75.v.7.

D. Cur autem has partes diſtinguentes tantùm nominas?

P. Quia vſus commoditatíſque hominũ gratia à nobis obſeruantur.

D. Cuius verò commoditatis?

P. Maximè quadruplicis,è quib.duæ publicũ & omnium hominum vſum ſpectant:duæ priuatam cuiuſque regionis,& loci commoditatem.

D. Explica.

P. Ad omnium hominum vſum hæc plagarũ diſtinctio neceſſaria fuit duabus de cauſsis. Primùm, vt vniuerſæ terræ atque orbis huius nationes,& populi inter ſeſe diſtinguerentur, quorum alij ad ortum Solis,alij ad occaſum habitare dicũtur,alij ad Septentrionem,alij ad Meridiem. Deinde ad ſolis ipſius(quo nationes omnes vtuntur) curſum notandum,qui ab Oriente progreſſus per Meridiem in Occidentem tandem peruenit. A Denique ad vim & originem ventorum explicandã. Quæ omnia, niſi diſtinctis iſtis quatuor mundi plagis, intelligi & obſeruari non poſſunt. Quod autem ad priuatum etiam vſum, fuit omnino neceſſe eaſdem diſcerni. Primùm,vt cuiuſque regni, populi, & regionis ſitus & limites deſcribantur. Deinde vt in vnoquoque territorio ædificiorum, agrorum,locorum termini , & fines deſignarentur, & pangerentur, líſque de finibus agrorum, meliùs tãdem tolleretur inter homines priuatos.

D. Intelligo quæ dicis:ſed hæ regiones ipſáne rerum natura diſtinctæ ſunt, an tantùm hominum opinione conſtitutȩ,vt quam mundi plagam quiſque populus vel homo priuatus velit, Ortum vel Occaſum faciat, itémque Septentrionem:vel Meridiem : quoniam quæ regio cœli vel terræ Thſaphon & occulta Iudæis eſt, dicitúrque Septentrio:ea ſæpe nobis aperta,patens & conſpicua eſt, vti omnibus Septentrionalibus populis, Septentrionalis cœli regio quæ fuit Iudæis ignorata ? Et contrà cœli regio Meridionalis & polus mundi,qui illis conſpicuus eſt,nobis eſt occultus B qualis Canopus qui dicitur. Denique quæ illis dextra eſt pars mundi, nobis & aliis eſt ſæpe ſiniſtra.Vnde illud Vergilij de polo Arctico loquẽs,

Hic vertex nobis ſemper ſublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra videt,manéſque profundi.

Item & illud Lucani poetæ,

Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem,
Vmbras mirati nemorum non ire ſiniſtras,
& cætera ſimilia.

P. Minimè verò.Sunt enim naturâ ipſâ definitæ hæ mundi plagæ,quando nec ortus alibi eſſe poteſt,quàm vbi ſol oritur:nec Occaſus,quàm vbi occidit.Nec Septentrio Meridiéſve, niſi in cõtrariis & planè oppoſitis mundi partibus conſtitui:Septentrio , vbi Septentrionales populi habitant:Meridies autem in aduerſa parte. Etſi enim Ortus & Occaſus ſolis hîc κατὰ πλάτος, nõ autẽ ἐν ἀκμῇ,& in vno quodam cœli puncto à nobis accipitur(quia alius eſt ſolis ortus hybernus, alius vernus,alius æſtiuus)in certa tantùm mundi parte & eadem ſemper ſol oritur , nec certas metas tranſgreditur,quas illi Dominus ad curſum ſuum toto C anno peragendum conſtituit.Ergo non opinione tantùm hæc plagarum mundi diſtinctio conſtat, aut pro cuiuſque arbitrio:ſed naturâ ipſâ , & vera rerum ſeparatione,& experientia definita eſt.

D. De quinque illis plagis,& zonis, quas in cœlo & in terra Aſtrologi deſcribunt , de quibus ita Virgilius,

Quinque tenent cœlum zonæ:

& illud:

--totidémque plagæ tellure premuntur,
Quarum quæ media eſt non eſt habitabilis æſtu.
Nix tegit alta duas,quarum vna ad Septentrionalem polum,altera ad Antarcticum:
Medias *inter vtranque locauit,*
Temperiémque dedit miſta cum frigore flamma.

Itaque habitabiles appellantur, dic quid ſentias.

P. Quanquã tã apertè Scriptura iſta nõ diſtinguit,tamen ipſa vocat aliud Arets,& terram:aliud autem Tebet οἰκουμένῳ & orbem habitabilem , Iſa. 34.verſ.1.38. verſu 11. vnde quaſdam mundi huius regiones commodiùs , frequentiúſque habitari

verum

A verum eſt,quando & frigoris & æſtus vim ſæpe eſſe hominibus intolerabilem videmus. Pſ.146.v.17. Pſal.91.ver.6.Pſ.121.verſ.6. Atque experientia ipſa id verum eſſe docet: nec eam mundi partitionem, quia vſum aliquem habet,reiiciendam puto,quãquam iſta nouis hominum noſtri ſeculi nauigationibus iam perluſtrata commodiùs percipi poſſunt.

CAP. XXX.

In Mundo vbi Surſum, Deorſum, Ante, Retro, Dextrorſum, Siniſtrorſum.

D. DIc iam de diuerſis ſitus vel loci differentiis,quæ in mũdo deſignantur & notãtur.

P. Sunt numero ſex, atque eæ ex tribus iis dimenſionibus, quæ ſunt corporum propriæ, ſumuntur. Nempe ſurſum, deorſum,ante,retro, dextrorſum,ſiniſtrorſum.

D. Quomodo id?

P. Quia habet corpus omne naturale; vt ſit
B longum, latum,& altum ſiue ſolidum, id eſt,ſpiſſum. Nã quæ planæ,& ἐν ἐπιπέδῳ fiunt delineationes, ſuperficies tantùm ſunt,non corpora. Vnaquæque igitur ex iis tribus dimenſionibus per rectam lineam ſumitur,& deſignatur. At omnis rectæ lineæ ſunt duo extrema: Ergo trium illarum dimenſionum ſiue linearum rectarum erunt extrema ſex,quæ totidem diuerſas loci vel ſitus differentias conſtituunt,& diſtinguũt. At in longitudine ſurſum alterum extremum appellamus, alterum autem deorſum. In latitudine dextrum, & ſiniſtrum collocamus. In altitudine ſiue ſoliditate, Ante & ponè. Quãquam hæ duæ poſteriores differentiæ non in omni corporum genere obſeruari poſſunt,ſed in eo tantùm,quod animalis corpus dicitur & ſenſu præditum eſt.

D. Quid verò? Tu tres tantùm corporis dimenſiones enumeras, cùm Paulus commemoret quatuor, μῆκος, πλάτος, βάθος, καὶ ὕψος, id eſt, longitudinem,latitudinem,profunditatem, & altitudinẽ. Epheſ.3. verſ.18. vti Iob.11. verſu 8.9. eædem commemorantur.

C P. Rectè meminiſti. Sed duæ illæ, nimirum profunditas,& altitudo re & ſubiecto idem ſunt, ratione autem tantùm inter ſe diſtinguuntur.

D. Explica teipſum.

P. Quemadmodũ eſt eadem via,ait Ariſtotel. quæ Athenis ducit Thebas, & quæ Thebis ducit Athenas: quemadmodum in eadem ſcala,& in iiſdem gradibus reipſa & ſubiecti ratione idem eſt aſcenſus & deſcenſus: aſcenſus quidem ſi ab imo ad ſummum gradum ſcandas: deſcenſus autem ſi à ſummo ad imum delabaris. Sic idem eſt reipſa altitudo, & profunditas, ſed altitudo tunc dicitur, quum ab imo ad ſummum ſuſpicis, & oculis contendis: Profunditas quum à ſummo ad imum & fundum oculos deiicis, vt pro vtraque dimenſione vna tantùm linea nobis ſumenda ſit. Atque ita fit, vt ſint tantùm ſex differentiæ loci, non autem octo.

D. Ecquæ igitur in hoc mũdo regiones dextræ, ſiniſtræ, priores,poſteriores: ſublimes, humileſque vel ſunt,vel dici debent?

P. Certè, ſi, quàm variæ de ea vna re ſunt
hominum ſententiæ pluribus explicem, erò non A
modò moleſtus,ſed extra ſuſcepti argumenti fines euagabor. Aliter enim Aſtronomi & alibi eas definiunt, aliter Augures qui dicti ſunt, aliter hiſtorici. Denique in eo ipſo eſt etiam ſua quibuſdam gentibus & peculiaris opinio, & ſententia, veluti Ægyptiorum,qui cùm Orientem anteriorem mũdi partem eſſe velint, Occidentem etiam poſteriorem: Dextram tamen in Septentrione, Siniſtram autem in Meridie ſtatuunt, vti Plutarchus in Iſide ſcribit,contrà quàm & ipſa rerum natura, & conſequutio ferat, & patiatur. Ariſtoteli verò Oriens eſt dextra mundi pars, Occidens ſiniſtra, quia ſic mundus mouetur, ait, quemadmodum homo, à dextris in ſiniſtram motus & progreſſus ſui initium inchoans, cui neceſſariò erit Septentrio anterior, Meridies autem poſterior Mundi pars; & regio. Varro l.6. de lingua Latina aliud ſentit, Siniſtra eſſe ab Oriente, Dextra ab Occaſu,antica ad meridiem,poſtica ad Septentrionem. At verò Scriptura aliter.

D. Quid illa?

P. Orientem vocat anteriorem Mundi partem; ídque conſtanter: Occidentem verò poſteriorem: Meridiem, dextram: Septentrionem autem,ſiniſtram. B

D. Vnde id probas?

P. Imprimis ex illo Iobi loco, qui eſt cap.23. verſ.8.& 9.& quia omnino conſequens eſt,vt ſi ad Orientem anticam mundi partem conſtituas, ſit Septentrio ſiniſtra,Meridies dextra mundi pars,vt nobis ad Orientem cõuertentibus faciem, & ſpectantibus facilè apparere poteſt,& hoc ipſum neceſſariò colligi quoque docet Dionyſius Halicarnaſſeus lib.2. Ἀρχαιολογ.

D. Cur autem Orientem faciem, & anticam mundi partem facit Scriptura?

P. Quòd quemadmodum in facie & priori parte hominis ſenſus noſtri ſunt collocati, in primíſque oculi,lumẽ,& vultus noſter,ſic ab ea mũdi parte lux primùm oritur nobis. Vnde fit,vt eòdem etiam omnium hominum vultus ſeſe conuertant,imò etiam belluarum,quæ cùm mane in agris & pratis paſcuntur, Orientem ſolem propter lumen ſpectant.Itaque natura ipſa duce hanc mundi C
partem omnia fatentur & agnoſcunt eſſe tanquam faciem,oculos,& antica mundi.

D. Imò verò iſta in mundo diſtingui potiùs videntur noſtri ratione,quàm natura.

P. Certè noſtri maximè ratione ſic mundus diſtinguitur. Nam in circulo propriè & per ſe nihil dextrum, nihil ſiniſtrum, nihil ante,nihil ponè accipi poteſt,cùm ſint omnes circunferentiæ partes in eo figuræ genere æqualiter ſitæ. Itaque rectè Arnobius lib.4. *Mũdus ipſe per ſe ſibi neque dextras* (ait) *neque læuas, neque ſuperas regiones habet, neque imas,neque anticas, neque poſticas. Quicquid enim teres eſt,nullum habet initium,nullum finem. Itaque quum dicimus dextra eſt hæc regio,hæc læua,non ad mundi habitum dicimus, ſed ad poſitionem noſtram ſitúmque reuocamus.* Hæc ille. Ex quo etiam ipſo apparet,quàm inſulſa ſit,& nullo fundamento innitatur ea antiquorum Hetruſcorum augurum ſententia,qui læua fulmina,læua auguria,læua cœli ſigna fœliciora naturâ ipſâ iudicarunt, quàm quæ ex alia mundi parte coruſcabant. Nam quod mihi

A læuum eſt,tibi dextrum erit,quia ex hominum diuerſa ratione iſtæ loci & ſitus differentiæ variant, & mutantur.

D. Quid autem,ſurſum & deorſum, notátne etiam Scriptura in mundo?

P. Apertè.

D. Vbi?

P. Iobi cap.11.v.8.& 9.& Exod.20.v.4.

D. Ecqua verò mundi pars ſuperior,& ecqua inferior?

P. Tota cœleſtis regio ſuperior dicitur.Terrena verò,& terra ipſa,inferior.

D. Vnde probas?

P. Ex ſuperioribus Iobi & Exodi locis, cui coniungas licet Rom.10.verſ.6.Deuter.5.ver.8.& alios ſimiles penè infinitos, vti Iſai. 44. verſu 23. Prouerb.25.verſ.2.

D. Quid autem, idne naturâ ipſa,an hominū tantùm opinione conſtat, vt ſit vna mundi pars ſuperior,altera inferior?

P. Naturâ, quia & quæ leuia ſunt ſurſum naturâ tendunt,illa autem petunt cœlum:& quę grauia,deorſum,illa autem B deſcendunt in terram.Deinde ſi cauſarū ordo ſpectetur, hic eſt à Deo cōſtitutus,vt ſuperiora agant in ea quæ ſunt inferiora: & cœlum agit in terrena hæc,& eius influentiæ & effectus à nobis variè ſentiuntur,multáque in terra vel producunt,vel extinguunt nimiis veluti pluuiis,vel æſtu.Ergo cœlum eſt natura loci,& ſitu ipſo ſuperius quàm terra.

D. At de eo grauis eſt Auguſtini diſceptatio lib.83.quæſt.29.Quærit enim vtrum in hoc vniuerſo quod circulari figura continetur,aliquid ſurſū, aliquid deorſum deſignari poſsit, cùm partes omnes æquali ſitu iaceant.

P. De circuli ipſius circunferētia hoc fortaſſe quæri potuit,quod voluit Aug. vtrùm eius pars vna ſit inferior,altera ſuperior : ſunt enim omnes inter ſe æquali ſitu.Sed de rebus ipſis,quæ circulo comprehenduntur,caret hæc quæſtio omni dubitatione. Nam in omni circulo circunferentia eſt ſuperior eius pars,centrum verò inferior:ad quam partem quæ res propiùs accedunt, ſunt quoque inferiores, vti ſuperiores eæ, quæ viciniores ſunt C circunferentiæ circuli.

D. Ecquod verò eſt mundi medium?

P. Medium mundi dupliciter peti poteſt,vel ſubſtantiæ ratione,vel loci, id quod ſummus philoſophus Plutarchus in libro de cōtrarietate Stoicorum primus obſeruauit. Eſt mundi medium ratione ſubſtantiæ,non vnum quoddam corpus,ſed multa,qualis aer,& aqua,& quę partim cœleſtem, partim terrenam naturam participant.Loci autem ratione medium mundi ſtatuitur Terra ab his,qui mundi ambitum, & circumplexum rotundæ & ſphæricæ figuræ eſſe contendunt:quia, vt volunt, terra cētri locum tenet totius huius vniuerſi comparatione.De quo etſi pugnant ij, qui aliquos eſſe Antipodas negant, id quod & Lactantius & Auguſtinus probati ſcriptores fecere, tamen Antipodas eſſe verius eſt, & credibilius, quum etiam nihil pro Lactantio & Auguſtino ex Scriptura afferri poſsit, & res ipſa eos eſſe apertè demonſtret, nimirum regionum ſitus, & polorum eleuatio.

A

CAP. XXXI.

Mundi finis præcipuus, Dei opificis gloria & cognitio.

D. HActenus de mundi cauſſa efficiente, materia,& forma dixiſti: reſtat quarta & vltima explicāda,quæ eſt finalis,de qua abs te quæro, quis fuerit huius mundi creandi finis, quem notat Scriptura?

P. Rectè tu quidem addidiſti,quē notat Scriptura.Nam è Philoſophis, vno modò Platone vel Triſmegiſto excepto,nullus eſt, qui etſi mundum hunc admiretur, explicet tamen qua de cauſſa extiterit, & quis ſit vel illius naſcendi vel nunc ſubſiſtendi finis.Ac ne Ariſtoteles quidem, quanquam de rerum natura plus minus 30.libros variè ſcripſit, qui hodie extant, & hominum manibus teruntur.

D. Quis igitur, & creandi, & conſeruandi mundi finis eſt?

P. Vt vno verbo dicam,Deus ipſe æternus & immortalis,propter cuius gloriam & agnoſcendā B & celebrandam conditus eſt.

D. Vnde id probas?

P. Non equidē tam quia ſic ſcribit pater Irenęus lib.2.ca.64. quàm quòd ipſe Dei Spiritus ita nos docet. Primùm enim omnia propter Dei ipſius veri,& qui nobis in verbo ſuo patefactus eſt, gloriam creata eſſe tradit apertè ſacra Scriptura, Prouerb.16.verſu 4.tum deinde Paulus, qui τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ ex rebus his creatis & conſpicuis haberi ſcribit,Rom.1.verſ.20.Eſt enim hic mundus familiaris & communis omnium gentium, populorū, nationum liber, & pulcherrimum ſpeculum, in quo Dei potentia, ſapientia, bonitas ſe dilucidè cernendam, intuendam & agnoſcendam proponit, quemadmodum copioſè docetur Pſalm.19.v.1.2.3.4.5. cui coniungas licet quod eſt in libro ſapientiæ 13 verſ.1.& 5. Vnde illud eſt Iobi cap.36.ver.25.*Memento vt magnifices opus eius* (Dei) *quod contemplantur homines,quódque omnes homines vident, & homo intuetur eminus.*Itaque Iſaias cap.44. verſ. 23. non homines modò, ſed & reliquas creaturas ad laudem Deo canendam inuitat. Quod idem fit C Pſalm.148.Id quod præclarè his verbis docet Baſilius Homilia in Pſalm. 28. Ἐπιτείνει τὴν δόξαν θεοῦ ὁ δυνάμενος τοὺς λόγους ἀποδιδόναι, καθ' οὓς ἐκτίσαι τὰ σύμπαντα, καὶ καθ' οὓς συγκρατεῖται. *Illuſtrat is Dei gloriam qui poteſt reddere rationem, per quā hæc omnia condita ſunt, & contemperata.*

D. Sed cùm Dei gloria ſit virtutum excellētiæque eius prædicatio, ecquæ Dei virtutes (Sic enim τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ vocat Paulus, Romanorum ca.1.19) ecqua eius ſupereminens magnitudo in hoc mundo & ſpeculo elucet, in quo tot rerum confuſiones cernuntur?

P. Infinitę illę quidem & innumerabiles virtutes,excellentia etiam, & maieſtas tam auguſta & incomprehēſibilis ſeſe nobis offert,vt etiam Deitas ipſa θειότης Dei æterna in huius mundi intuitu & cōtemplatione verè coruſcet,vt ait Paulus. Sed ne per omnes ſpatiemur,& vt diſputatio hæc finē aliquam tandem inueniat, ad trium potiſsimùm Dei virtutum cognitionem mundi huius finem contrahemus,& reuocabimus.

D. Ec-

A D. Ecquæ ſunt illæ?

P. Potentia, ſapientia, bonitas,

D. Cedò mihi earum rerum exemplum.

P. Primum potentia Dei in huius mundi opificio apparet immenſa, & planè infinita, longéque omnem humani ingenii captum viréſque ſuperans. Quòd Deus ex nihilo hæc, quòd tot numero, & quòd tanta mole, quòd tã ſpatioſa loco creauit. Quæ quum per ſe ſingula ſpectantur, & conſiderantur, maximas omnino opificis vires requirunt: quum autem vniuerſa cernuntur, prorſus incomprehenſibilem, & infinitam illius potentiam fuiſſe demonſtrant. Hanc Dei potentiam ex mũdi creatione nobis agnoſcendã meditandámq; proponit tum Pſalm. 19. nominatim: tum etiam is, qui eſt numero 145. Quid enim omnes alios Scripturæ & Prophetarum locos hîc commemorem?

D. Cedò ſapientiæ Dei exemplum ex mundi huius opificio, & contemplatione.

P. Facilè illa perſpicitur. Primùm quòd in vno & eodem toto, tam varias támque multiplices partes, & rerum genera tam diuerſa poſuit, B deinde ꝙ cuique generi ſuam vim & naturã eámque ab alia ſeparatam dedit, poſtea quòd cuiq; naturæ certũ propriúmq; locum & motum tribuit. Denique quòd non modò ſingulis rerum generibus, ſed etiam ſingulis ſingulorum indiuiduorum partibus vſum, finem, & propriam vtilitatem, effectúmque aſſignat. Itaque nihil vel etiam minimum fruſtra effecit illa Dei ſapientia, quæ verè eſt, quemadmodum appellat Paulus, πολυποικίλος, Epheſ. 3. verſu 10. Cœlos igitur intelligentiâ inſcrutabilíque planè ſapientia feciſſe dicitur, Pſal. 136. verſu 5. & quum hæc mundi machina cogitanti Dauidi animo obuerſaretur, exclamauit, *Mirabilior eſt ſcientia tua ſuper me, excelſa eſt, non potero eam attingere.* Pſalm. 139. verſu 6. cui addi poteſt, quod eſt Eccleſiaſtici capit. 39. verſ. 26. Hæc noſtra ſententia etiam Prouerb. cap. 8. verſ. 27. 28. & ſeq. & cap. 21. ver. 30. confirmatur, & ex eo etiam ipſo, quòd quæ diuerſæ, ſibíque contrariæ ſunt hominum & rerum qualitates & naturæ, vtiliter eâdem Dei ſapientiâ ſunt tales creatæ. Nam & pauperem & diuitem ſapienter fecit diſtinxitque C Dominus, Prouerb. 22. verſ. 2. Denique, quæ à nobis leuia paruáque cenſentur, vti muſca, vermis, papilio, in iis etiam Dei ſapientia apparet mirabilis, adeò vt verũ eſſe agnoſcamus illud quod à Plinio profano homine dictum eſt. *Nuſquam magis tota natura quàm in minimis.* Id quod etiam in quadam ſua ad Eunomium epiſtola docet Baſilius Magnus.

D. Quid Dei bonitas, eáne in huius mundi opificio & creaturis illuſtris apparet?

P. Maximé. Quanquam enim in redemptione humani generis, quæ per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum facta eſt, ea maior elucet: tamen illa & ſumma & incomprehenſibilis quoque in huius mundi creatione, conſtitutione, conſeruationéque nobis patefacta eſt.

D. Oſtende.

P. Primùm hæc ſumma Dei bonitas eſt, quòd eſſe & exiſtere voluit, quæ antea non erant. Deinde quòd iis vt eſſent, vitam naturámque dedit, quæ ab alio, quàm ab ipſo (qui omnis vitæ fons eſt) hauriri non potuit: poſtea quòd ſingulis rerum generibus ſuum quemdam peculiarem & eum etiam commodiſsimum, & conuenientem A cibum & pabulum non modò ſemel aſsignauit, ſed dietim parat, diſtribuit & profundit. Denique quòd omnia, quæ ſunt, etiam hodie conſeruat, & tuetur, & rebus ſingulis magna ſua benignitate bonus pater non modò donauit eas partes & membra per quæ ſe vitámque ſuam commodè agant: ſed etiam eos motus & ſenſus tribuit, per quos vita hac iucundè, & quadam ſuaui cum voluptate lubentes fruantur. Quæ ſingula enumerare eſſet infinitum. Itaque vniuerſa terra eius bonitate plena eſſe, & verè quidem, affirmatur, Pſal. 33. v. 5. & multitudo bonitatis Dei eructari dicitur ab ipſius operibus. Pſalm. 145. v. 7. *Aperit enim manum ſuam, & ſaturat omne viuens ad ſatietatem & voluntatem.* Et eôdem videntur pertinere Pſalm. 147. & 148. cui addas licet, Eccleſ. 30. verſ. 27. vt iam rectè cõcludi poſsit illud, quod etiam omnes orthodoxi patres ſenſerunt, imprimis autem Tertullianus ſæpe ſcripſit, *Deum ex mundi huius opificio cognoſci, ex verbi autem ſui prædicatione recognoſci.*

D. At infinitæ rerum confuſiones in hoc mũdo apparent, quæ illam bonitatis, ſapientiæ & potentiæ Dei lucem obſcurant. B

P. Tenebras quidem aliquas, & aliquandiu effundunt, ne perſpicuè à multis cernantur, prorſus tamen neque obſcurant, neque delent illarum virtutum Dei veſtigia, quæ in ſuis operibus impreſsit. Deinde cùm ex ipſæ rerum confuſiones quæ dicuntur, ſint iuſti ipſius iudicii effecta, ſi à nobis, quemadmodum oportet, conſiderentur, etiam illuſtrant Dei potentiam, & ſapientiam, nedum vt obſcurent.

CAP. XXXII.

Ex mundi huius aſpectu quæ Dei cognitio habeatur.

D. AT Dei cognitio, quæ ex huius mundi intuitu, & rebus conſpicuis haberi poteſt, éſtne ipſa per ſe αυτάρκης, id eſt, ad plenã Dei notitiam conſequendam ſufficiens, an potiùs initia tantùm quædam eius cognitionis tradit & continet, quæ nobis eſt poſtea pleniùs perfectiúſque aliunde quærenda, & ediſcenda, nempe ex Dei ipſius verbo ſcripto, & patefacto? C Nec enim ex mũdi huius fabrica, Chriſtus à nobis cognoſci poteſt noſter Saluator, & Mediator apud Deum.

P. Rectè ſentis. Reſpondet enim Paulus Rõ. 1. v. 20. hanc cognitionem, quæ habetur ex mũdo, etſi vera eſt, tamen non eſſe nobis ἀυτάρκη, vt ſalutẽ in Chriſto oblatam intelligamus, ſed eatenus tantùm vtilem, quatenus per eam reddamur ἀναπολόγητοι, id eſt, inexcuſabiles. Docet enim nos Deum creatorem: non ſufficit autem, vt eundem intelligamus eſſe noſtrum per Chriſtum redemptorem, quia ad eam cognitionem ſine prædicatione Euangelij & Verbi Dei peruenire non poſſumus. Itaque non eſt illa Dei cognitio σωτηριώδης, in qua nobis eſt ſubſiſtendum, ſed potiùs στοιχειώδης, à qua nobis eſt inchoandum, & ad alia meliora & altiora poſtea progrediendum. Nam Ethnici & Philoſophi, qui hanc cognitionem rerum naturalium maximè ſunt ſequuti, neque ſalutis hominum rationem quæ eſt in vno Chriſto perceperunt: neque ipſi ſalui ſunt facti, quia ca-

A ruerunt fide.Prodeſt tamen, atque maximè prodeſt,vt Deum verum,qui hæc condidit quæramus: & inuentum,ſi quo pacto ipſe dederit, adoremus. Saltem hoc à nobis etiam nolentib.euincit,cũ eſſe & quærendum & colendum, qui hæc omnia condidit,& nunc tuetur.Itaque reddit nos ſi non quęramus,aut non adoremus, inexcuſabiles. At verò plerique eam inueſtigandi Dei viam vel omnino non viderunt: vel eam ingreſsi,Dei gloriam illam, quam commemoraſti, non animaduerterunt: vel etiam quanto magis in hac mundi rerúmque naturalium cognitione profecerãt, tãto ſecuriùs audentiúſque Deũ ipſum ſpreuerunt,quẽadmodũ olim Epicurei Philoſophi,& nũc adeo nimis multi.

P. Magna ſunt iſta hominum vitia, & magna peruerſitatis humani ingenij accuſatio eſt hęc,quã narras: non opificis culpa, aut defectus lucis Dei gloriæ,quæ in ipſius operibus inhæret ſplendidiſsima.Illa enim lux in hoc mũdo ſatis elucet,& indelebiliter quidem,atque etiã facillimè perſpicitur,ſiquis modò ad eam oculos attollat,& conuertat.Nam Deus magna vbique in hoc mũdo & B illuſtria illius ſuæ bonitatis,potentiæ, & ſapientiæ veſtigia inſculpſit, apertiſsima etiam teſtimonia, & quantumuis rudibus hominib.perſpicua documẽta obiicit,quæ qui non videt,ſe ſuámque cęcitatẽ, aut ſocordiam accuſet, non autem libri nobis à Deo propoſiti aut ſtyli huius difficultatẽ, aut ſpeculi,(quod in huius mundi contemplatione ſplẽdidiſsimum habemus) obſcuritatem.Nam Pſ.19. ſatis huiuſmodi calumniam à Deo, eiúſque opificio ſummouet, vtpote qui veritatẽ ſuam in cœlis firmaſſe dicitur, Pſa.89.v.3.qui bonitatem, qui cętera laudis ſuæ argumenta in iiſdem cælaturã quadam viuiſque coloribus diſtinxit,& inuſsit. Idem Acto.14.v.15.16.17.quoque probatur.Itaque quòd tam aperta Dei ſigna olim non viderunt homines, nec hodie vident: nec in iis proficiunt ad Dei cognitionem conſequendam, fit eorum vitio, qui C propter peccatum ſuum olim, atque etiam nunc quam habent reliquam,prorſus ſua tum malitia,tũ etiam ſuperbia extinguunt, veram mẽtis lucem amiſerunt. Quod ſi homines in primo creationis ſuæ ſtatu manſiſſent,certè hæc ſigna nec obſcurè, nec tenuiter cernerẽt,ſed lucida & perſpicua agnoſcerent,& ſumma eſſe faterentur.

D. Quid igitur, ſi hic mundus tantarum Dei virtutum ſpeculum eſt, illúdque tam lucidũ,tamque clarũ,cur alibi homo,cur etiam Chriſtus dicitur eſſe imago Dei, in qua ille ſe nobis contemplandum & agnoſcendum proponit?fruſtra enim aliud ſpeculum nobis obiecit Deus, ſi hic mundus erat tam illuſtre,quàm facis.Col.1.v.15.

P. Vnius & eiuſdẽ rei plures eſſe poſſe imagines eáſq; diuerſo & diſsimili modo ſi dixerimus, nihil dicemus abſurdum.Vnde quanquam illa tria dicuntur eſſe ſpecula,in quibus ſe Deus repræſentet,diuerſa tamen ratione lataq; differentia ita appellantur. Mundus enim non dicitur Dei imago, quod de homine tamẽ,& Chriſto dicitur,quia mũdus eſt tãtùm ſpeculum virtutũ Dei,quatenus earũ eſt ſubiectum,id eſt,illud,in quo ſe illæ exerunt,& demonſtrant variis modis & effectis. Homo autẽ eſt imago Dei,nõ tantùm ſpeculum potẽtiæ eius, ſed & naturæ eius quodammodo,quia præ cæteris mundi huius creaturis proximè ad Dei ipſius naturam A homo accedit,ac velut ipſius efformationem gerebat in mentis lumine,& voluntatis rectitudine, quam primùm habuit. Chriſtus verò qui eſt Deus manifeſtatus in carne, qui ſine peccato fuit, cui diuinitas inhabitauit,qui tota vita omnibúſque modis Dei naturę ſpecimen,& exẽplar per immenſam ſuam potentiam,ſapiẽtiam, clementiã demonſtrauit, eſt longè excellentiore modo Dei imago,quàm etiam homo iſte primus, quantumuis integer & ſanus. Itaque mundus nihil quicquã cum Chriſto ſimile , & ita expreſſum habet, qui nobis eſt non modò bonitatis,ſapientię,& potentiæ Dei imago, & σκιογραφία quædam, ſed ὑποστάσεως Patris lucidiſsimus ipſiſsimúſque character. Heb. 1.v.3.Itaque non tantùm dicitur εἰκὼν ſed ἀπαύγασμα & viuus ſplendor gloriæ Patris.Et,vt quæ ſit quãtáque differentia , meliùs intelligatur, obſeruemus, mundum & hominem eſſe quidem illuſtrẽ, ſed tamen adumbratam adhuc ſpeciem earum rerum,quas nobis de Deo demonſtrant. Chriſtum B autem eſſe exſculptam illam formam ,in cuius intimo, natiuo, & ſubſtantiali ſplendore infinitam Dei potentiam & incomprehẽſibilem φιλανθρωπίαν ſiue bonitatem erga nos homines contemplari & apertiſsimè cernere poſſumus.Itaque in cæteris rebus Deum ſpeculantes & cogitantes, ſtatim, quæ noſtra eſt vanitas, euaneſcimus:in Chriſto autem eum contemplantes, firmiſsimè ſolidiſſiméque ſubſiſtimus,& acquieſcimus.Vnde à Cyrillo lib.9. in Ioann. cap.33.dicitur Chriſtus naturalis & ſubſtantialis imago Dei Patris.Cui cõſentit Baſil. qui λόγον appellat εἰκόνα ζῶσαν τοῦ πατρὸς θεοῦ,li.1.cõtra Eunomiũ : & à Nazianzeno ἐκμαγεῖον,quaſi expreſsiſſima forma , verbo ex Platone ad Theologiã trãſlato.Ergo non ſunt iſta inter ſe comparanda, quæ genere,& modo repræſentationis differunt.

CAP. XXXIII.

C

Mundi fines non præcipui,duo.

D. SEd ánnon etiam ſunt alij mundi fines?

P. Sunt duo, ſed ij minus præcipui.

D. Quinam illi?

P. Primus hic,nempe omnium hominum vſus. Hominum enim cauſſa mundus hic conditus eſt, homo autem ipſe Dei gratiâ. Alter autem & ſecundus Eccleſiæ. Eſt enim creatus mundus vt eſſet futuræ Eccleſiæ , quam Deus habere volebat , & in cœlum poſtea traducere , præparatum , & conſtitutum ad tempus domicilium , & hoſpitium,in quo proprio quodam iure ſuo eſſet, & maneret.

D. Vnde iſta probas?

P. Primum quidem ex Pſalmo 8. Secundum ex eo quod ait Paulus Romanorum 4. verſu 13. Neque etiam illud Bernardi addere pigebit Sermone 3. de Pentecoſt. *Nec latuit eos, quoniam omnia propter ſeipſum fecit Deus : omnia propter ſuos. Aliter tamen propter ipſum , aliter propter ſuos. Omnia fecit propter ſeipſum gratuita ſua bonitate : omnia propter electos ſuos , id eſt, propter eorum vtilitatem,vt illa quidem efficiens cauſa ſit: hæc finis.*

A

Cap. XXXIIII.

De Modo & machinis, quibus hæc tanta mundi moles à Deo excitata eſt: & primùm de Verbo Dei, quod in mundi huius creatione interuenit.

D. HActenus quæ ſunt mundi huius cauſſæ explicaſti, nunc modum expone, & inſtrumenta per quæ hæc cõdita extiterũt. Quum enim de mundi creatione agitur, quærunt aliqui, qui vectes, quæ molitiones, quæ machinæ ad hanc tantam molem excitandam fuerint adhibitæ, nec ſibi ſatisfactum putant, niſi ad illam animi ſui dubitationem reſpondeatur.

P. Qui huius mundi creandi inſtrumenta quærunt, faciunt imperitè, cùm ipſa Creandi vox hoc totum opus planè miraculoſum, & ſupranaturale eſſe ſatis demonſtret. Nec enim à Deo vlla inſtrumenta, vllæve machinationes tanquam ab architecto propter virium infirmitatem fuerunt B aſciſcendæ. Sed omnis hæc architectatio, omníſq; illius modus longè à noſtra ratione diuerſus fuit.

D. Ecquis igitur fuit?

P. In modo huius mundi condendi explicando quatuor ferè verſantur, quæ prætermittenda non ſunt à nobis, pertinéntque ad Dei gloriam, & omnipotentiam illuſtrandam, è quibus primum eſt, mundum hunc per Dei verbum & iuſſum extitiſſe.

D. Vnde id probas?

P. En tibi locus Scripturæ apertiſsimus Pſal. 33. v. 9. *Quia ipſe dixit, & fuit, ipſe præcepit, & extitit.* & Pſal. 148. v. 5. *Ipſe præcepit & creata ſunt.* Deinde Moſes Geneſ. cap. 1. vbique ante rerum, quæ ſingulis diebus editæ ſunt, productionem & ortum, diſertè verbum præceptúmque Dei antegreſſum cõmemorat, *Dixítque Deus, Fiat*, &c. Quid, quòd Stoici λόγον θεοῦ eſſe cauſam totius naturæ efficientem dixerunt, quemadmodum libro 7. in vita Zenonis refert Laertius?

D. At obſtant duo.

C P. Quænam verò?

D. Primum illud quod eſt Iſa. 45. v. 12. *Manus meæ tetenderunt cœlos*: ergo non verbo, ſed manibus ipſis hæc effecit Deus.

P. Hoc certè manifeſtiſsimam metaphoram continet, cùm Deo tribuat manus, & noſtræ tarditatis ratione comparetur Deus opifici mechanico propriis manibus operãti, qualia multa in Scripturis paſsim occurrunt. Et cùm creandi vox eo ipſo loco poſita ſit, planè nos reuocat ad diuinum illud & extraordinarium Dei opus, illiúſque modum cogitandum, quem commemorat Moſes.

D. Secundum obſtat, quòd alibi vbi in pari rerum genere, & argumento verbi Dei fit mẽtio, tamen ſola Dei voluntas, eáque tacita intelligitur, non autem verbo vllo, iuſſúve expreſſa, veluti Pſ. 147. v. 15. & 18. agens de glacie, *Mittit verbum ſuum, & liquefacit eam.*

P. Rectè dicis. Sed in Geneſi aliud dicendum ſentiendúmque eſſe docet contextus orationis, & mens ipſa Moſis, vbi diſertè ſcriptum eſt, Deum loquutum eſſe, præcepiſſéque id oriri, quod fieret. Itaque non tantùm nuda tacitáque illîc accipienda eſt Dei voluntas, ſed verbi alicuius vociſque A ipſius, & iuſſus prolatione, & emiſsione patefacta. Quam meam ſententiam confirmat interpretatio ab ipſa Scriptura facta, quæ verbi, & vocis alicuius emiſsionem factam fuiſſe notat. Nam Pſa. 33. ver. 6. poſtquã dictũ eſt verbo Dei facta hæc eſſe, veræ explicationis gratiâ additur, *& ſpiritu oris eius.* Eſt autem vox emiſsio expiratióque aeris & ſpiritus, quæ fit ore. Vnde & illud eſt Chryſoſtom. Hom. in Euangel. Ioan. ex miraculis à Chriſto factis apparere quomodo omnia primùm condita ſint. Vt enim per verbum ſuum prolatum imperauit ventis, mari, & reliquis rebus: ita hæc omnia eodem modo fuiſſe primùm à Deo creata.

D. Atque hac ratione Deo linguam, palatũ, & dentes affingens (ſine quibus vox emitti non poteſt) videris fœdiſsimum Anthropomorphitarum errorem ab inferis reuocare.

P. Abſit verò, vt tam impia quædam de illo infinito, & omnipotente Domino ſentiam. Sed quemadmodum quum legem daret in monte Sinai, audienter, & intelligibiliter loquutus eſt Dominus, idq́ue nemo negat: quum colloqueretur B idem cum Moſe, quum item reſponſa per Vrim & Thumim daret, loquebatur, & vocem emittebat Deus, idq́ue ipſo populo audiente, nec propterea tamen lingua, os, palatum, dentes, diuinæ naturę affinguntur. Sic neque quum in principio rerum mundíque creatione dicitur Deus loquutus, diuina eius forma, & natura in humanam à nobis mutatur, ſed οἰκονομίᾳ quadam ~~id factum eſt. ſumpſit e~~nim Dominus ~~, & quidem ad tempus~~, ea quæ ad huius vocis ſonum clarum~~, & perceptibilem eden~~dum fuerunt neceſſaria, quæ poſtea deſiit habere.

D. Loquutum igitur planè perſpicuéque Dominum Deum intelligis?

P. Sanè. quanquam non ignoro quid de ea re ſenſerit lib. 1. de Gen. ad Liter. c. 6. Auguſtinus.

D. At verò ad Filium quidam iſta referunt, quum dicitur Deus verbo ſuo omnia condidiſſe, vt per verbum Filium intelligant, quia per eum condita ſunt omnia. Coloſ. 1. v. 16.

P. Non repugno, modò mihi concedant, vti Filius *Verbum* dicitur, ita ipſius præſentiæ, potentiæ, perſonæ atque etiam operationis ſymbolum C hanc vocem fuiſſe. Id quod etiam Patrem à Filio diſtinguit. Aſſentior igitur Auguſtino qui Tracta. 23. in Ioannis Euangel. ſic ſcribit: *Nihil creaturarum eſſet extrinſecus, niſi hoc Pater feciſſet per Filium.*

D. Cur verò loquutus eſt, & præcepit ea fieri Deus?

P. Præcepit, vt quæ poſtea nata ſunt, non terræ, non aquæ, vnde prodibant: non cœli, nõ vllius creaturæ virtute denique & poteſtate extitiſſe intelligeremus: ſed ſolius Domini præcepto, & vi iuſſus. Itaque illi vni laudẽ de ſingulis rebus creatis tribuamus. Loquutus eſt autem, non quòd ſolius taciteq́; voluntatis virtute & decreto nõ poſſet formare omnia, qui iam cœlum & terram ſine illo effato verbo effecerat, ſed cùm vellet Deus iam ſe patefacere, & manifeſtare per opera ſua ad extra, eum modũ adhibuit, per quem vnum in iis ſe maximè & certiſsimè agnoſci vult & præcipit, nimirum verbum & vocem ſuam. Huius autem verbi ſũma & ſcopus eſt Chriſtus æternus æterni patris Filius, poſtea in carne manifeſtat⁹: itaq; rectè ex eo

A . ruerunt fide. Prodeſt tamen, atque maximè prodeſt, vt Deum verum, qui hæc condidit quæramus: & inuentum, ſi quo pacto ipſe dederit, adoremus. Saltem hoc à nobis etiam nolentib. euincit, cū eſſe & quærendum & colendum, qui hæc omnia condidit, & nunc tuetur. Itaque reddit nos ſi non quęramus, aut non adoremus, inexcuſabiles. At verò plerique eam inueſtigandi Dei viam vel omnino non viderunt: vel eam ingreſsi, Dei gloriam illam, quam commemoraſti, non animaduerterunt: vel etiam quanto magis in hac mundi rerúmque naturalium cognitione profecerāt, tāto ſecuriùs audentiúſque Deū ipſum ſpreuerunt, quēadmodū olim Epicurei Philoſophi, & nūc adeo nimis multi.

P. Magna ſunt iſta hominum vitia, & magna peruerſitatis humani ingenij accuſatio eſt hęc, quā narras: non opificis culpa, aut defectus lucis Dei gloriæ, quæ in ipſius operibus inhæret ſplendidiſſima. Illa enim lux in hoc mūdo ſatis elucet, & indelebiliter quidem, atque etiā facillimè perſpicitur, ſiquis modò ad eam oculos attollat, & conuertat. Nam Deus magna vbique in hoc mūdo & illu B ſtria illius ſuæ bonitatis, potentiæ, & ſapientiæ veſtigia inſculpſit, apertiſsima etiam teſtimonia, & quantumuis rudibus hominib. perſpicua documēta obiicit, quæ qui non videt, ſe ſuámque cęcitatē, aut ſocordiam accuſet, non autem libri nobis à Deo propoſiti aut ſtyli huius difficultatē, aut ſpeculi, (quod in huius mundi contemplatione ſplēdidiſsimum habemus) obſcuritatem. Nam Pſ. 19. ſatis huiuſmodi calumniam à Deo, eiúſque opificio ſummouet, vtpote qui veritatē ſuam in cœlis firmaſſe dicitur, Pſa. 89. v. 3. qui bonitatem, qui cętera laudis ſuæ argumenta in iiſdem cælaturâ quadam viuíſque coloribus diſtinxit, & inuſsit. Idem Acto. 14. v. 15. 16. 17. quoque probatur. Itaque quòd tam aperta Dei ſigna olim non viderunt homines, nec hodie vident: nec in iis proficiunt ad Dei cognitionem conſequendam, fit eorum vitio, qui C propter peccatum ſuum olim, atque etiam nunc quam habent reliquam, prorſus ſua tum malitia, tū etiam ſuperbia extinguunt, veram mētis lucem amiſerunt. Quod ſi homines in primo creationis ſuæ ſtatu manſiſſent, certè hæc ſigna nec obſcurè, nec tenúiter cernerēt, ſed lucida & perſpicua agnoſcerent, & ſumma eſſe faterentur.

D. Quid igitur, ſi hic mundus tantarum Dei virtutum ſpeculum eſt, illúdque tam lucidū, tamque clarū, cur alibi homo, cur etiam Chriſtus dicitur eſſe imago Dei, in qua ille ſe nobis contemplandum & agnoſcendum proponit? fruſtra enim aliud ſpeculum nobis obiecit Deus, ſi hic mundus erat tam illuſtre, quàm facis. Col. 1. v. 15.

P. Vnius & eiuſdē rei plures eſſe poſſe imagines eáſq; diuerſo & diſsimili modo ſi dixerimus, nihil dicemus abſurdum. Vnde quanquam illa tria dicuntur eſſe ſpecula, in quibus ſe Deus repræſentet, diuerſa tamen ratione lataq; differentia ita appellantur. Mundus enim non dicitur Dei imago, quod de homine tamē, & Chriſto dicitur, quia mūdus eſt tātùm ſpeculum virtutū Dei, quatenus earū eſt ſubiectum, id eſt, illud, in quo ſe illæ exerunt, & demonſtrant variis modis & effectis. Homo autē eſt imago Dei, nō tantùm ſpeculum potētiæ eius, ſed & naturæ eius quodammodo, quia præ cæteris mundi huius creaturis proximè ad Dei ipſius naturam A homo accedit, ac velut ipſius efformationem gerebat in mentis lumine, & voluntatis rectitudine, quam primùm habuit. Chriſtus verò qui eſt Deus manifeſtatus in carne, qui ſine peccato fuit, cui diuinitas inhabitauit, qui tota vita omnibúſque modis Dei naturę ſpecimen, & exēplar per immenſam ſuam potentiam, ſapiētiam, clementiā demonſtrauit, eſt longè excellentiore modo Dei imago, quàm etiam homo iſte primus, quantumuis integer & ſanus. Itaque mundus nihil quicquā cum Chriſto ſimile, & ita expreſſum habet, qui nobis eſt non modò bonitatis, ſapientię, & potentiæ Dei imago, & σκιογραφία quædam, ſed ὑποστάσεως Patris lucidiſsimus ipſiſsimúſque character. Heb. 1. v. 3. Itaque non tantùm dicitur εἰκὼν ſed ἀπαύγασμα & viuus ſplendor gloriæ Patris. Et, vt quæ ſit quātáque differentia, meliùs intelligatur, obſeruemus, mundum & hominem eſſe quidem illuſtrē, ſed tamen adumbratam adhuc ſpeciem earum rerum, quas nobis de Deo demonſtrant. Chriſtum B autem eſſe exſculptam illam formam, in cuius intimo, natiuo, & ſubſtantiali ſplendore infinitam Dei potentiam & incomprehēſibilem φιλανθρωπίαν ſiue bonitatem erga nos homines contemplari & apertiſsimè cernere poſſumus. Itaque in cæteris rebus Deum ſpeculantes & cogitantes, ſtatim, quæ noſtra eſt vanitas, euaneſcimus: in Chriſto autem eum contemplantes, firmiſsimè ſolidiſſiméque ſubſiſtimus, & acquieſcimus. Vnde à Cyrillo lib. 9. in Ioann. cap. 33. dicitur Chriſtus naturalis & ſubſtantialis imago Dei Patris. Cui cōſentit Baſil. qui λόγον appellat εἰκόνα ζῶσαν τοῦ πατρὸς θεοῦ, li. 1. cōtra Eunomiū: & à Nazianzeno ἐκμαγεῖον, quaſi expreſsiſſima forma, verbo ex Platone ad Theologiā trāſlato. Ergo non ſunt iſta inter ſe comparanda, quæ genere, & modo repræſentationis differunt.

CAP. XXXIII.

C

Mundi fines non præcipui, duo.

D. SEd ánnon etiam ſunt alij mundi fines?

P. Sunt duo, ſed ij minus præcipui.

D. Quínam illi?

P. Primus hic, nempe omnium hominum vſus. Hominum enim cauſſa mundus hic conditus eſt, homo autem ipſe Dei gratiâ. Alter autem & ſecundus Eccleſiæ. Eſt enim creatus mundus vt eſſet futuræ Eccleſiæ, quam Deus habere volebat, & in cœlum poſtea traducere, præparatum, & conſtitutum ad tempus domicilium, & hoſpitium, in quo proprio quodam iure ſuo eſſet, & maneret.

D. Vnde iſta probas?

P. Primum quidem ex Pſalmo 8. Secundum ex eo quod ait Paulus Romanorum 4. verſu 13. Neque etiam illud Bernardi addere pigebit Sermone 3. de Pentecoſt. *Nec latuit eos, quoniam omnia propter ſeipſum fecit Deus: omnia propter ſuos. Aliter tamen propter ipſum, aliter propter ſuos. Omnia fecit propter ſeipſum gratuita ſua bonitate: omnia propter electos ſuos, id eſt, propter eorum vtilitatem, vt illa quidem efficiens cauſa ſit: hæc finis.*

CAP. XXXIIII.

De Modo & machinis, quibus hac tanta mundi moles à Deo excitata eſt: & primùm de Verbo Dei, quod in mundi huius creatione interuenit.

D. HActenus quæ ſunt mundi huius cauſſæ explicaſti, nunc modum expone, & inſtrumenta per quæ hæc cõdita extiterũt. Quum enim de mundi creatione agitur, quærunt aliqui, qui vectes, quæ molitiones, quæ machinæ ad hanc tantam molem excitandam fuerint adhibitæ, nec ſibi ſatisfactum putant, niſi ad illam animi ſui dubitationem reſpondeatur.

P. Qui huius mundi creandi inſtrumenta quærunt, faciunt imperitè, cùm ipſa Creandi vox hoc totum opus planè miraculoſum, & ſupranaturale eſſe ſatis demonſtret. Nec enim à Deo vlla inſtrumenta, vllæve machinationes tanquam ab
B architecto propter virium infirmitatem fuerunt aſciſcendæ. Sed omnis hæc architectatio, omniſq; illius modus longè à noſtra ratione diuerſus fuit.

D. Ecquis igitur fuit?

P. In modo huius mundi condendi explicando quatuor ferè verſantur, quæ prætermittenda non ſunt à nobis, pertinéntque ad Dei gloriam, & omnipotentiam illuſtrandam, è quibus primum eſt, mundum hunc per Dei verbum & iuſſum extitiſſe.

D. Vnde id probas?

P. En tibi locus Scripturæ apertiſsimus Pſal. 33.v.9. *Quia ipſe dixit, & fuit, ipſe præcepit, & extitit.* & Pſal.148.v.5. *Ipſe præcepit & creata ſunt.* Deinde Moſes Geneſ.cap.1.vbique ante rerum, quæ ſingulis diebus editæ ſunt, productionem & ortum, disertè verbum præceptúmque Dei antegreſſum cõmemorat, *Dixítque Deus, Fiat,*&c. Quid, quòd Stoici λόγον θεοῦ eſſe cauſam totius naturæ efficientem dixerunt, quemadmodum libro 7. in vita Zenonis refert Laertius?

D. At obſtant duo.

C P. Quænam verò?

D. Primum illud quod eſt Iſa.45.v.12. *Manus meæ tetenderunt cœlos:* ergo non verbo, ſed manibus ipſis hæc effecit Deus.

P. Hoc certè manifeſtiſsimam metaphoram continet, cùm Deo tribuat manus, & noſtræ tarditatis ratione comparetur Deus opifici mechanico propriis manibus operãti, qualia multa in Scripturis paſsim occurrunt. Et cùm creandi vox eo ipſo loco poſita ſit, planè nos reuocat ad diuinum illud & extraordinarium Dei opus, illiúſque modum cogitandum, quem commemorat Moſes.

D. Secundum obſtat, quòd alibi vbi in pari rerum genere, & argumento verbi Dei fit mẽtio, tamen ſola Dei voluntas, eáque tacita intelligitur, non autem verbo vllo, iuſſúve expreſſa, veluti Pſ. 147.v.15.& 18.agens de glacie, *Mittit verbum ſuum, & liquefacit eam.*

P. Rectè dicis. Sed in Geneſi aliud dicendum ſentiendúmque eſſe docet contextus orationis, & mens ipſa Moſis, vbi disertè ſcriptum eſt, Deum loquutum eſſe, præcepiſſéque id oriri, quod fieret. Itaque non tantùm nuda tacitáque illic accipienda eſt Dei voluntas, ſed verbi alicuius vociſque ipſius, & iuſſus prolatione, & emiſsione patefacta. Quam meam ſententiam confirmat interpretatio ab ipſa Scriptura facta, quæ verbi, & vocis alicuius emiſsionem factam fuiſſe notat. Nam Pſa.33.ver.6. poſtquã dictũ eſt verbo Dei facta hæc eſſe, veræ explicationis gratiã additur, *& ſpiritu oris eius.* Eſt autem vox emiſsio expiratióque aeris & ſpiritus, quæ fit ore. Vnde & illud eſt Chryſoſtom. Hom. in Euangel. Ioan. ex miraculis à Chriſto factis apparere quomodo omnia primùm condita ſint. Vt enim per verbum ſuum prolatum imperauit ventis, mari, & reliquis rebus: ita hæc omnia eodem modo fuiſſe primùm à Deo creata.

D. Atque hac ratione Deo linguam, palatũ, & dentes affingens (ſine quibus vox emitti non poteſt) videris fœdiſsimum Anthropomorphitarum errorem ab inferis reuocare.

P. Abſit verò, vt tam impia quædam de illo infinito, & omnipotente Domino ſentiam. Sed quemadmodum quum legem daret in monte Sinai, audienter, & intelligibiliter loquutus eſt Dominus, idque nemo negat: quum colloqueretur B
idem cum Moſe, quum item reſponſa per Vrim & Thumim daret, loquebatur, & vocem emittebat Deus, idque ipſo populo audiente, nec propterea tamen lingua, os, palatum, dentes, diuinæ naturę affinguntur. Sic neque quum in principio rerum mundíque creatione dicitur Deus loquutus, diuina eius forma, & natura in humanam à nobis mutatur, ſed οἰκονομίᾳ quadam ~~id factum eſt. ſumpſit e~~nim Dominus ~~, & quidem ad tempus~~, ea quæ ad huius vocis ſonum ~~clarum, & perceptibilem eden~~dum fuerunt neceſſaria, quæ poſtea deſiit habere.

D. Loquutum igitur planè perſpicuéque Dominum Deum intelligis?

P. Sanè. quanquam non ignoro quid de ea re ſenſerit lib.1.de Gen. ad Liter.c.6. Auguſtinus.

D. At verò ad Filium quidam iſta referunt, quum dicitur Deus verbo ſuo omnia condidiſſe, vt per verbum Filium intelligant, quia per eum condita ſunt omnia. Coloſ.1.v.16.

P. Non repugno, modò mihi concedant, vti Filius *Verbum* dicitur, ita ipſius præſentiæ, potentiæ, perſonæ atque etiam operationis ſymbolum C
hanc vocem fuiſſe. Id quod etiam Patrem à Filio diſtinguit. Aſſentior igitur Auguſtino qui Tracta.23. in Ioannis Euangel. ſic ſcribit: *Nihil creaturarum eſſet extrinſecus, niſi hoc Pater feciſſet per Filium.*

D. Cur verò loquutus eſt, & præcepit ea fieri Deus?

P. Præcepit, vt quæ poſtea nata ſunt, non terræ, non aquæ, vnde prodibant: non cœli, nõ vllius creaturæ virtute denique & poteſtate extitiſſe intelligeremus: ſed ſolius Domini præcepto, & vi iuſſus. Itaque illi vni laudẽ de ſingulis rebus creatis tribuamus. Loquutus eſt autem, non quòd ſolius tacitęq; voluntatis virtute & decreto nõ poſſet formare omnia, qui iam cœlum & terram ſine illo effato verbo effecerat, ſed cùm vellet Deus iam ſe patefacere, & manifeſtare per opera ſua ad extra, eum modũ adhibuit, per quem vnum in iis ſe maximè & certiſsimè agnoſci vult & præcipit, nimirum verbum & vocem ſuam. Huius autem verbi ſũma & ſcopus eſt Chriſtus æternus æterni patris Filius, poſtea in carne manifeſtat⁹: itaq; rectè ex eo

A Chriſtum Dei Filium operatũ eſſe in mundi creatione colligunt. Et quidem eſt triplex modus, & liber, per quem Deus ſe reuelat nobis , nimirum creaturæ, ſcripturę, & vitę. Sed qui Scripturæ liber appellatur, eſt lõgè certior, verior, vberiorque nobis in hoc mũdo verſantibus. itaque primo loco nobis à Deo ipſo propoſitus eſt, & exhibitus. Denique vt meam ſententiam confirmem, affero quod ait Irenæus, *Deum condidiſſe omnia vocabulo* , i. voce libr.2.cap.5. & quod ait Tertullia. libr.4. aduerſus Marcio. his verbis, *Incredibile planè vt poteſtas Creatoris verbo remedium vitij vnius operata eſt, quæ verbo tantam mundi molem ſemel protulit.* Vbi verbum pro voce proculdubio accipitur. & in epiſtol. ad Hebræos, 1.v.3.11.v.3. Scriptura vtitur voce ῥήματι.

Cap. xxxv.

De luce, quæ ad mundi creationem adhibita eſt.

B D. QVid autem in modo huius creationis explicando ſecundo loco conſiderandum ais?

P. Lucem. Condidit enim eam tanquam ad cæterorum operum ſuorum effectionem neceſſariam.

D. Cur verò?

P. Tum vt ea tanquam lumine accenſo & adhibito confuſa illa moles videretur, & in ſuas partes & membra ſecaretur, tum etiam quòd vis quędam ignea ad madidæ illius materiæ calefactionẽ & fœcundationem fuit adiungenda. Omnia enim, quæ hîc fiunt, ex igneo quodam calore, tanquam patre accedente & agente, naſcũtur. Itaque lux illa prima condita fuit tanquam illius viuifici caloris extrinſecus accedentis fons communis & matrix, qui ad reliqua producenda inſtrumentum à Deo parabatur. Non quòd tamẽ ſine ea luce nihil in illa ſua mole intueri & cernere poſſet Deus, qui etiam hodie abditiſsima quæque, & tenebras obſcuriſsimas videt, & cui nihil prorſus eſt tectum: non etiã quòd eo egeret organo, qui eſt per ſe omnipotẽs: C ſed vt intelligamus quàm magna ſapientiâ res has viſibiles crearit , & quas ſecundas earum cauſas (quæ etiam nunc cernuntur, & agunt) primùm conſtituerit. Denique vti in rebus viſibilibus condendis, aliis generis eiuſdem rebus conuenientiſsimè vſus ſit, quæ ſunt etiam hodie rerum gignendarum Phyſicæ, & inſtrumentales, & potiſsimæ, & præcipuæ cauſſæ. Tres autem ſunt: nimirum terra, aqua, & ille ſplendens, lucidus, & viuificus calor, qui omnibus rebus adhibetur & conuenit, quòd ſit rebus omnibus calor ille naturalis. Hoc eſt igitur quod ſecundo loco in creationis rerum ratione tradenda ſpectandum dico.

Cap. xxxvi.

Sine labore & fatigatione Dei mundus hic à Deo conditus.

D. QVid tertio loco conſideras?.

P. Iſtud nimirum, quòd ſine labore & fatigatione vlla Deus hanc tantam, tamque immenſam molẽ fabricauit, ne metuant Epicurei A homines quaſi Deo moleſtiam exhibeamus, quoniam ne minimum quidem opus ſuum homines ſine laſsitudine membrorum efficiãt. Itaque ex eo quanta ſit Dei omnipotentia præ humanis viribus facilimè apparet. Quod diximus, dixit Iſaias ca.40, v.28. Item Auguſtinus lib.4. de Geneſ. ad liter. ca. 8. Vnde ſubitò confeſtimque edita eſſe omnia dicuntur, quæ creata ſunt, & tanquam capitis nutu apparuiſſe. Pſal.33.v.9.4. Eſd.6.v.48. quia nihil voluntati & præcepto Dei poterat obſtare.

Cap. xxvii.

Mundus hic per partes conditus non ſimul totus.

D. QVid quarto loco obſeruandum putas?

P. Quod per partes, & ſex dies hæc vniuerſitas condita eſt, quemadmodum docet Moſes, Gen.1.4. Eſdr.v.44. & ſeq. non ſimul tota. Atque vt meliùs memoriæ cõmẽdetur, quid quoque die factum ſit, hos verſus ipſi conſcripſimus.

Prima dies cœlum & terram, lucémque creauit:
Altera diſtendit ſpacium, diſcrimen aquarum: B
Tertia ſecernens vndas, dat gramina terris;
Quarta creat ſolem & lunam, cœleſtiáque aſtra:
Quinta dedit piſces, eadem genus omne volantum:
Sexta tulit pecudes, hominẽ quoque , quem Deus ipſe
Condidit, inde operis requies lex ſeptima fulſit.

D. Cur verò non ſimul eodémque die creauit omnia Deus, qui eſt omnipotens?

P. Quia eſt omnipotens, non egebat tempore ad mundi huius conſtitutionem, vt ait Ambroſius Epiſt.39. non item ἀδυναμίᾳ, defatigatione, imbecillitatéque Dei virium id factũ , vt per ſex dies conderet: ſed quia eſt ſapientiſsimus, ſapientiſsima optimáque ratione ita per dies aliquot opera ſua edere voluit. Nam quæ fiunt, ordinem quærunt. Ordo autem & tempus & numerum exigit diſtinctum. Primùm igitur hoc ipſo nos monere voluit Deus, non confuſè , non perturbatè ſe operatum: itaque non perfunctoriè, non per tranſennam tanta C ipſius opera eſſe à nobis meditanda, cogitandáque: ſed ordine, ſigillatim, & particulatim ſingula. Deinde oſtendit quantam in iis ipſis conſiderandis diligentiam animique ſedulitatẽ adhibere debeamus , cùm ipſe à ſe tanquam meditatam fuiſſe ſui operis rationem hac dierum & operum diſtinctione demõſtret. Præterea omnia ſua opera à nobis nunquam ſatis comprehendi poſſe docet, quorum eſt ea ratio, & productio , & tam latè patens, vt habeamus quid in iis per ſingulos & totos hebdomadæ dies meditemur & contemplemur & ita per totum annum. Quid enim aliud eſt annus, quàm eiuſdem hebdomadæ repetitio? Nam in cuiuſque partis & operis effectione tota dies conſumpta & definita eſt. Denique mundum non ſimul, ſed paulatim, id eſt, per aliquod tẽporis ſpatiũ condere voluit Deus, quia ſtatim ab ipſa mũdi origine, ſtatum, legem, & ordinem naturalem, quẽ poſtea res ipſæ conditæ ſequuturæ, habituræque erãt, oſtedere volebat, nimirum eum, per quem omnia ad ortũ ſuum temporum ſpatia requirunt, id eſt per tempus conſtituuntur, & producũtur: non

A autem momento punctóque temporis exiſtunt quemadmodum videmus.Sic quæ è terra naſcuntur,hunc ordinem etiamnum hodie ſeruant, vt nō ſtatim & repente, ſed per interualla temporis oriantur. Sic è fœmina partus humani poſt tempus eduntur:ſic è terra fruges naſcuntur:ſic ex arboribus fructus funduntur.nihil autem ſtatim fit, niſi admodum miraculoſé. Fuit itaque, illud primæ rerum creationis tempus, primordialis rerum in tempore poſtea gignendarum lex.

D. Et cur ſeptimo demū die ceſſauit Deus?

P. Quia voluit. Nec enim verior vlla afferri ratio poteſt.Cur autem voluerit iuſta ratio eſt,etſi nobis ignota. Nam quæ de ſeptenarij numeri dignitate ab Ambroſio epiſtol.39. ab Auguſtino variis in locis,atque etiam à quibuſdam aliis : denique ab ipſis etiam Ethnicis Philoſophis diſputantur,ad Mathematicos, in primis autem Arithmeticos,& Pythagoricos relegamus.

B

CAP. XXXVIII.

De loco vbi conditus eſt mundus.

D. HActenus quid ſit mundus,quæ eius cauſſa,quis etiam illius condendi modus fuerit,explicaſti:adde etiam quæ de loco,tēpore,& ſtatu huius mundi creati quæri ſolent, vt concludatur tandem tota hæc diſputatio.

P. Faciam ſi ordine de iſtis interrogaueris.

D. Primùm igitur quæro de loco,vbi conditus eſt mundus,quis & qualis fuerit.

P. Illum fuiſſe oportet vacuum quoddam ſpatium,quod Græci vocant κενὸν : Hebræi autem Tohu,in quo crearetur & poneretur.

D. Quid ita?

P. Quia ſi iam plenus corporibus fuiſſet locus,vbi mundus tantáque machina collocabatur, non potuiſſet in occupato iam loco aliud corpus conſtitui. Nec enim duo corpora in eodem loco ſimul eſſe poſſunt. Præterea hoc ipſum,quod dico planè confirmatur.Hebræi dicunt ex Iob. cap.26. C v.7.Extendit Aquilonem ſuper vacuum, &c.Etſi enim Deus ante mundum hunc conditum omne illud ſpatium,in quo nunc eſt mundus,occupabat, replebátque vi ſua nobis incognita , modóque ineffabili, ſicuti etiam nūc implet omnia, poſtquā condita ſunt, vi & modo ſuæ præſentiæ, & maieſtatis & potentiæ (vnde מעונה Megonah Deus appellatur.Deut.33.verſ.27.id eſt,qui omnia implet) tamen huius,quæ per rerum creationem facta eſt, impletionis reſpectu, locus hic vbi nunc eſt poſitus mundus,vacuum quiddam certè erat.

D. Quid igitur , vacuúmne in rerum natura eſſe vis contra quod tantopere pugnat Ariſtoteles,& ipſa etiam rerum experientia?

P. Vt vanis Valētinianorum de Bytho erroribus quos Irenæus lib.2.c.4.& 7.copioſè refutat, anſam omnem præcidam,ſic dico:Ante mundum quidem cōditum, huius mundi locum & ſpatium fuiſſe vacuum:poſt conditum autem iam non eſſe vacuum,ſed plenum.

D. Non relinquis igitur vacuum in rerum natura,& mundi huius complexu.

P. Si quidem illud tantum plenum appelles, quod aere hoc,quem vocant,repleatur, quem nos haurimus id eſt,attrahimus,& expiramus, multa A ſunt vacua nominanda. Nam illud omne mundi ſpatium,quod eſt ſupra cælum lunæ(id autem eſſe volunt latiſſimum)erit vacuum. Sin autem appelles plenum illud, quod aliquo ſui generis corpore & aliqua natura occupatur , nullam in toto hoc condito mundo partem vacuam eſſe dixerim ac ne eam quidem, quam cœlorum globo & ſpatio comprehendi Aſtronomi docent, ſed plenam & occupatam,non modò quia nihil fruſtra condidit Deus.(hoc enim repugnat ipſius ſapientiæ)ſed etiam quòd tota cœli expanſio,quanta quanta eſt, corpus eſt cœleſte. Nam vacui loci nullus eſt in rerum natura iam condita effectus , nullus vſus: plurimi autem , iique pulcherrimi quotidie cernuntur ex eo quòd omnia plena eſſe vult natura: nihil autem vacuum & inane , vel cucurbitarum medicinalium vſus,fontium & aquarum in ſuprema loca deductio docet.Quare qui Philoſophi vacuum eſſe in hoc mundo contendunt,non modò ipſi cerebro vacui iudicióque carere videntur,ſed manifeſtiſſimè contra ipſam rerum experientiam pugnare,quos propterea omittendos cenſeo. B

CAP. XXXIX.

De tempore,quo conditus eſt hic Mundus.

D. DIxiſti de loco,age de tempore, quo conditus eſt hic mundus.

P. Cœpiſſe aliquando mundum hunc exiſtere,neque æternum eſſe, neque Deo coæuum, non tantùm ſacroſancta verbi Dei maieſtas teſtatur , ſed vetuſtiſſimorum etiam Philoſophorum ſententiæ docent,qui quo propiùs ab ipſa mundi origine abfuerunt,eo melius à Patribus tradita didicerunt,retinuerúntque. Nam ſic Platonem in Timæo,ſic Stoicos omnes ſenſiſſe, fidem faciunt eorum ſcripta. Quin etam primorum ſcriptorum hic fuit ſummus conſenſus, Mundum aliquando cœpiſſe,quorum antiquiſſimus,qui vixit ante Orpheum,Linus mundi γένεσιν , & ortum ipſum deſcripſit ita ordiens:

Tempus erat, quo cuncta ſimul ſunt condita quondam,

quemadmodum Diogenes Laertius tradit. C

D. Atqui huic ſententiæ tuæ duo in primis obſtant, è quibus alterum ab Ariſtotelicis affertur,alterum ab Epicureis.

P. Quænam ſunt illa?

D. Primum eſt. Cùm mundus hic ſit ſphæricæ figuræ,& rotundæ , in ea neque initium neque finem notari poſſe:ex quo fit , vt cùm etiam moueatur , motu circ[illegible]i cietur , qui motus neque principium neque finem etiam habet,ſed eſt motus perpetuus,& perennis: atque idcirco æternus. Quod ſi æternus eſt mundi motus , æternus quoque & ipſe mundus erit. Atque ita Peripatetici ex figura & motu mundi æternitatem ipſius concludunt.

P. Leue planè argumentum. Primùm enim quis illis concedet omnes mundi partes circulari illo ſphericóque motu cieri,quando nec ignis,nec aer,nec aqua,nec terra (vt illi ipſi ſcribunt) hoc motu ferantur:ſed ad rectam lineam & perpendiculum:ignis & aer,ſurſum : Aqua verò , & terra deorſū? Deinde vt hoc liberaliter illis largiamur, mundum hunc eſſe ſphericæ figuræ, & formæ:

A quis tamen efficiet propterea motus principium in ea obſeruari,atque aſsignari non poſſe?cùm nō à ſeſe,ſed ab alio,nempe ſummo illo Deo, vel (vt ipſi loquuntur)à prima quadam intelligentia moueatur,& incitetur. Quod autem dicitur in rota, ſphæra,& in circulo principium motus non poſſe deſignari in hoc potiùs quàm in illo circūferētiæ puncto,verum tantùm eſt ipſius rei, & figuræ ratione, non autem ſi ſpectetur manus, actióque cauſſæ mouentis:cuius ratione in ſphæra illud pūctum principiū motus eſſe dicitur, vnde primùm is mouere incipit, qui illā ſphæram voluit & ciet. Ergo etſi ipſe mundus principium motus, neque à ſeſe habere,neque à ſua figura poteſt,habet tamē à Deo,qui aliquando incepit, & ex certo puncto circunferentiæ certóque loco nimirum Oriente eum mouere & agere in eam partē, in quam voluitur, videlicet Occidentem, quia non ipſe à ſeſe cietur mundus.Etſi autem ignoratur à nobis hodie quænam cœli circunferentiæ pars primum à Deo impulſa eſt,& commota (vides enim quàm multa & varia de magno mundi anno, homines affirment,qui eſt ille mundi ſtatus in quo cœlum, B & omnia ad eum locum redibunt , vbi primùm creata ſunt) certum eſt tamen aliquando cœpiſſe moueri cœlum,à certo aliquo ſuæ circunferentiæ puncto & parte.

D. Alterum eſt quod obſtat. Dicunt abſurdū omnino eſſe, niſi Deus ab æterno mundum condidiſſe dicatur.Quid enim illi venit in mentem,vt poſt infinita annorum curricula iam elapſa tandē hæc creare vellet? Quærūt igitur,cur tādiu iners, & otioſus Deus manſerit,cur tādiu ſterterit, quid tunc agebat, quid tandiu ceſſabat, cur non priùs hoc tam præclarum opus edebat ? & ſanè variis ſannis Deum afficiunt.

P. Vulgare Epicurei hominis Vellei argumētum refers:cui placet illud reſpōdere quod à quodam Chriſtiano ſene lepide dictum ſcribit Auguſtinus,qui ab huiuſmodi hominum genere interrogatus, quid Deus antequam mundum crearet, ageret,reſpōdit infernum architectabatur,& moliebatur, in quo curioſos & iſta quærentes homines in perpetuum torqueret. Quæ enim eſt iſta C impietas tam arcana ſcrutari velle:quæ impudentia eò vſque ſe proripere ? Quæ blaſphemia, velle vt Deus nobis ſui facti præteritæque vitæ rationē reddat, à quo nos iudicari oportet ? Quid autem habuit Deus neceſſe, vt priùs iſta conderet, quibus neque eget,vt ſit, neque vt beatior feliciórq; viuat?Habet enim Deus in ſeſe, eúmque ab æterno perfectiſsimum,feliciſsimum,& pleniſsimum naturæ ſtatum, qui ſibi ipſi ad omnia eſt αὐτάρκης, nullius autem rei, neque Angeli, neque hominis egens, Pſ.16.v.2. Sed neque tunc otiabatur Deus, (ne rideant Epicurei)neque iners ſtertebat,priuſquam mundum iſtum conderet:ſed tunc, quemadmo dum etiam nunc,in operibus Ad intra occupabatur,id eſt,ſui ipſius contemplatione mirificè oblectabatur:ſeipſo ſuáque illa perfecta & inenarrabili gloria fruebatur : in ſuæ eſſentiæ latiſsima incomprehenſibilique luce diſtinebatur, quod ex Prouer.8.v.30.& ex Ioan.cap.17.v.4.facilè intelligi poteſt.Ita etiam Irenæus lib.4.cap.28.

D. Hæc intelligo:dic iam,quo tempore conditus eſt hic mundus.

P. Aut de die, aut de menſe, aut de anno iſtud quæris? A

D. Imo verò de tribus his ſigillatim.

P. De die,ita mihi videtur dici poſſe,initium & primum creandi mundi diem fuiſſe eum,quem nunc Chriſtiani Dominicum appellamus, & qui ab Hebræis prima Sabbathorum dies appellabatur , non autem quem diem Lunæ nominamus vulgo.

D. Cur id verò?

P. Quia conſtat Dominum ſex continuis diebus ante Sabbathum,& ſeptimam diem operatum eſſe : fuit autem apud Hebræos olim Sabbathi & ſeptima dies,ea quæ à nobis dies Saturni nūc dicitur, quæ diem dominicum proximè antecedit, & diem Veneris proximè ſequitur. Nam ne Chriſtiani Iudaizare,vt ita loquar,id eſt,veteres Iudæorum cæremonias retinere viderentur,vtque Domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectionem piè colerent,ex qua nouus Eccleſiæ ſtatus cœpit, pro Sabbatho Iudæorum,diem ſequentem ad quietis diē elegerunt,vt apparet ex Act.20.1.Cor.16. & Apocal.1.id quod etiam extat in hiſtoria Eccleſiaſtica, quem appellarunt Dominicum.Atque vt ante diē Sabbathi ſex dies continuos numerare haberéque B poſsis,non à die Lunæ, ſed à Dominica incipiendū eſt:& ſic erunt ſex,poſt quos erit illa dies Sabbathi,ſeptima,ſic,Nempe,dies Dominica, Lunæ, Martis,Mercurij,Iouis,Veneris,poſt quos dies eſt ſeptima,Sabbathi dies. Vnde die Dominica Dominus opus creationis mundi cœperit : id quod Synodo quoque Palæſtina confirmatum eſſe ſcribit Euſeb.lib.5.Hiſtor.cap.23.& 25.Bernard. ſexta feria,*In patibulo redemit hominem ipſa die,qua fecerat hominem in initio.*

D. Sed quo menſe videtur tibi mundus ſic conditus?

P. Dicam tantùm,quod magis mihi veriſimile occurrit, & veniam peto,precabórque, ne quis in eo ipſo me curioſum exiſtimet : de hoc tamen dicendum eſt, quia à multis quæritur. Certè eo menſe mihi videtur creatus mundus, qui ab Hebræis dicitur Tiſri, reſpondet autem partim Auguſto,partim Septembri noſtro,(nam poſt æquinoctium Autumnale incipit) vt prorſus non aſſentiar iis,qui mundum menſe Martio & Veris tempore conditum ſcribunt & exiſtimant. C

D. Ecqua verò tuæ ſententię ratio afferri poteſt?

P. Multiplex illa quidem. Ac non hæc modò, quòd Autumni tempore terra ad optimorum fructuum ſemina recipienda magis idonea eſt, veluti farris,ſiliginis. Tunc enim videtur ad concipiendum magis apta:quemadmodum verno tempore ad pariendum,& æſtate ad fundendū:hyeme enim terra coquit ſemina,quæ recepit,& ea medio ſinu complexa,tanquam mater in aluo format,& fouet ea velut fœtus ſuos,quos poſtea tanquam grādiores Veris tempore in lucem producit , æſtate iam planè perfectos maturos edit. Itaque ver & æſtas magis obſtetrices manus, quàm vim prolificam terræ afferre videntur,quam tamen vim iniicit eidem terræ Autumnus, veluti primæ rerum creationis,primæque ſuæ rerum productionis adhuc memor & veteris præcepti Dei illo tempore ſibi facti vigorem, effectum, & energiam adhuc retinens.Vnde menſem hunc Tiſri appellatū Hebręi volunt, non à muſto : ſed à ſucco, quem maximè

tunc

A tunc terra habet. Eo denique modo Græci ὀπῶραν tanquam ὀποῦ ὧραν, id eſt, lactei ſucci è terra extrahendi idoneam rebus omnibus in terra naſcentibus tempeſtatem, dixerunt Autumnum. Sed huius meæ ſententiæ hæc quoque duplex ratio eſt. Prima, quòd, vt docet ſacra Scriptura Leuit. 28.v. 9. & ſeq. hic menſis fuit ſemper etiam à prima hominum ætate (quàm longiſsimè repetatur) anni principium, & menſis primus. Itaque in contractibus, in negotiis publicis & priuatis, in ipſa denique mundi ætate ſupputãda (quod per Iubilæos annos fiebat) anni ab hoc menſe apud Priſcos & Iudæos incipiebant, in hoc etiam finiebant. vnde Adami ætas, & reliquorum Patrum, qui ante diluuium, & poſtea vixerunt, anni vitæ ab hoc menſe ſunt numerandi & ſupputandi. Altera ratio eſt, quòd feſtum tubarum & clangoris, quod prima huius menſis die fieri Lege Dei iubebatur, ea maximè de cauſſa videtur à Deo præceptum, vt primæ rerum originis & mundi creationis eo menſe factæ memoria ſanctè in Eccleſia conſeruaretur, & coleretur. Nec fruſtra eum diem feſtum eſſe B voluit Dominus, neque tubis iſtis & inſtrumentis tantùm honoris deferri præcepit, quas tunc maximè vexatas & inflatas fuiſſe legimus: neque vt Iudæi more Ethnicorum Romanorum aliquod Tubiliſtrum haberent: ſed hoc tam læto ſono homines, mundúmque vniuerſum primæ ſuæ natiuitatis voluit admonere, quæ vt in primam huius menſis diem Dei voluntate incidit, ita piè eadem die repetebatur, & commemorabatur in Eccleſia, vt genethliacῶn ſuorum mundus meminiſſet: ex quo factum eſt vt multa feſta hoc eodem menſe ſeptimo fieri à Deo iuberentur, & dictus ſit etiam hic menſis Ætanim, id eſt, fortium menſis. 1. Regũ 8. verſu 2. Quid, quòd Chriſtum eodem menſe natum quidam contendunt, nec ſine ratione?

D. At dicitur Niſan fuiſſe primus anni menſis Exo. 12. v. 1. qui noſtro Martio, & Aprili reſpondet, & in æquinoctium vernum incidit.

P. Rectè meminiſti. Sed ad illud dupliciter reſpondeo. Primùm non ſemper Niſan aut Martium fuiſſe anni principium, ſed demum poſtquã populus Iſrael ex Ægypto egreſſus eſt, ad tãti Dei C beneficij, id eſt, nouæ fundationis, & inſtaurationis illius gentis memoriam celebrandam, & conſeruandam. Deinde non omnium rerum, quæ in populo Dei fiebant, ratione, Niſan menſis fuit initium anni, ſed tantùm ſacrorum, feſtorúmque dierum & tabernaculi ratione. Habuit enim tabernaculum vti ſuum ſiclum peculiare, & à communi diuerſum: ita proprium & peculiare anni initiũ à politici anni ratione differens, vt iam tunc intelligerẽt homines Politici & Eccleſiaſtici regiminis diſcrimẽ cõſtituẽdum eſſe, rationem vtriuſq; diuerſam, & naturã ſeparatam & diſtinguendã.

D. Quotum verò iam annum numeras ab eo quo conditus eſt primùm mundus?

P. Vt plerique exiſtimant à mundo condito ad hunc annum 1575. quo iſta ſcripſimus, effluxerunt anni circiter quinque millia quingenti quinquaginta quinque.

D. Quomodo verò hunc numerum inis, aut qua ratione colligis?

P. Breui quadam hac ratiocinatione: à mũdi creatione ad vniuerſale diluuium, quod ſub Noa contigit, numerantur ex ſacræ Scripturæ hiſtoria anni 1656. A diluuio ad promiſſionem Abrahamo A primùm factam à Deo, iuſſionémque de egrediẽdo ex Vr Chaldæorum fluxerunt anni 427. Ab illa promiſſione ad exitum filiorum Iſrael ex terra Ægypti, qui fuit ſub Moſe, ſunt anni 430. vt eſt Exodi 12. v. 40. Ab exitu de terra Ægyptiorum ad Salmonici templi inchoationem, quę cœpit anno quarto regni Salomonis, intercedunt anni 480. vt eſt. 1. Reg. 6. A quo tempore ad tranſmigrationẽ populi Iudaici in Babylonem & captiuitatem ſub Babyloniis, eam dico quæ ſub Rege Ioacimo cœpit, ſunt anni circiter 397. paulo minus. Mãſit populus in ea captiuitate per annos 70. vt prædixerat fore Ieremias ca. 25. Ab egreſſu Iudæorum de Babylonica ſeruitute, & à die edicti Cyri de liberandis remittendíſque in patrium ſolum Iudæis, vſque ad Chriſtum paſſum ſunt hebdomades annorum ſeptuaginta, id eſt, anni 490. vt ſcribit Daniel Propheta. Dan. 9. A Chriſto autem paſſo ad noſtra vſque tẽpora ſunt anni 1575. Ergo ſi omnes hi numeri in vnam ſummam colligantur, efficient annos 5555. id eſt, quinquies mille quingẽtos quinquagintaquinque, quanto temporis interuallo à B prima mundi creatione hodie diſtamus: quanquã Hebræorum Rabbini ab hac annorum ſumma diſſentiũt, ſed nos & Scripturam ſequimur, & doctiſſimos viros, qui de hac re veriſſimè ſcripſerũt.

CAP. XL.

Mundus hic bonus à Deo conditus.

D. ISta intellexi: perge ad reliqua quæ propoſueras, téque dicturum promiſeras.

P. Quænam illa?

D. Tandem expone aliquid de Mundi ſtatu, & primùm quidem qualis hic mundus à Deo fuerit conditus.

P. Facilè, vnóque verbo rem totam expediã. Bonus conditus eſt non tantùm vniuerſus, ſed etiam ſingulæ eius partes. Nam apertè diſertéque poſt cuiuſque diei opus addidit Moſes, *Et vidit Deus quòd eſſet bonum*, & ita eſt Geneſ. c. 1. ſcriptũ. C

D. Quid verò illa bonitas complectitur & ſignificat?

P. Nõ morum quidem aut vitæ ſanctitatem, neque conſcientiæ integritatem. Plurimæ enim Mundi huius partes, neque ſenſum, neque animi rationem, neque conſcientiam habent, ſine qua vitæ ſanctitas eſſe non poteſt. Quare hæc vox, *Bonum*, mihi videtur tria præcipuè denotare.

D. Quænam veró?

P. Primùm naturarum à Deo creatarum totiúſque ipſius mundi integritatem, ſecũdùm pulcritudinem, tertiùm vtilitatem hac voce deſignari puto. Nam quæ integra ſanáque ſunt: quæ item pulcra: & quæ etiam vtilia, appellantur bona, ídque communi omnium hominum conſuetudine: quanquam Auguſtinus in libro de Natura Boni contra Manichæos, præter iſtarum rerum eſſentiã ſiue ſubſtantiam, hæc tria tanquam vniuerſalia quædam bona conſtituit, modum, ſpeciem, & ordinem, de quibus ait: *Hæc ergo tria vbi magna ſunt, magna bona ſunt: vbi parua ſunt, parua bona ſunt: vbi nulla ſunt, nullum bonũ eſt.* Sed noſtrã potiùs ſentẽ-

A tiam ſequimur,vt huius ſententiæ,*quia bona erant*, vim & mentem teneamus.

D. Explica igitur teipſum.

P. Mundus hic,queque in eo creata ſunt,ſingula bona erant, ſi qualia à Deo primùm condita ſunt,cogitetur. Ac primum quidem naturæ ipſius ratione. Habebant enim eam tum integram , & plenam,id eſt,nulla ſui parte deficientem: tum etiam prorſus ſanam,& validam, non autem qualis nunc eſt,infirmam,ægram,& vulneratam. Itaque & cœli & terræ perfectiſſima erat natura,itémque omnium animalium,herbarum , rerúmque cæterarum à Deo creatarum,& vires vegetæ,robuſtæque,non quales nunc,ſauciæ & valetudinarię,quę vix ſe ſuſtentant,ſuóque munere ęgrè funguntur, ac ne ſemper quidem. Deinde ſi pulchritudo earũ rerum,totiúſque mundi ſpectetur,qualis primùm factus eſt,huius ratione,& bonus ipſe erat mũdus, & ſingulæ eius partes bonæ. Habebant enim in ſeipſis mirum formæ ſpecieíque etiam externæ decorem & elucentem ornatum, delectationem oculorum,& iucunditatem, atquę etiam legitimã B membrorum omnium in quoque corpore proportionem & conuenientiam,cuius ratione(Nam eius veſtigia multa reliqua ſunt) etiam nũc ab ornatu mundus κόσμος à Græcis eſt appellatus. Sed totius etiam ipſius mundi ratione habuerunt admirabilem ordinem. Nam quæque res ſuo aptóque loco à Deo ſapientiſſimè collocata eſt ,& inter ſe omnes ſumma concordia & mutua quadam ,beneuolentia mirificè conſentiebant , & cœlum terræ reſpondebat,& terra cœlo quatenus & quãdo oportuit vnum alteri ſeruire:quæ nunc, ſparſa per peccatum diſcordiâ,ſe rarò iuuãt, nec dat cœlum aquam ſuam tempeſtiuam terræ , nec maturè in terra cœlum halitus & vapores, quando neceſſe eſt , ſubminiſtrat. Denique ipſa rerum , quales à Deo ſunt creatæ, vtilitas fuit ſumma, cuius etiam ratione mundus & eius partes ſingulæ bonæ dicuntur. Nam ſanè erant ſingularum vires, validæ ad id producendum & efficiendum, ad quod erant à Deo deſtinatæ : & fertiles erant, quia vim benedictionémque Dei illis datam integram non delibatam retinebant adhuc , nõdum C peccatum impediebat,aut eam imminuerat : quæ nunc penè ſepulta eſt,& mortua,vt ne minima ex parte nobis appareat, maximè hoc ſeneſcente , & ad decrepitam ætatem vergente ſeculo. Manſiſſéntque tot & tantæ Dei dotes in omnibus creaturis perpetuò,ſi peccatum hominis non interueniſſet. Nunc autem res omnes exſpectant inſtaurationem filiorum Dei gementes & liberationem ab hac vanitate , cui ſubiectæ ſunt , vt ait Paulus Rom.8. Ergo quod Scholaſtici tam anxiè in lib.1. Sentent.Diſt.44.diſputant , vtrùm hic mundus melior creari potuerit quàm primùm cõditus ſit, fruſtra quæritur , cùm omnia & ſingula valde bona & optima non tantùm Dei ipſius operantis ratione,ſed ipſarum rerum creatarum reſpectu,(ſiue earum eſſentia ſiue accidentia ſpectentur)condita fuiſſe ab ipſomet Dei Spiritu pronuntientur. Quo ſtolidior Occani ſententia cenſenda eſt, qui eo loco ſcribit , à Deo potuiſſe alium mundum condi,ab hoc ſpecie, non tantùm numero diuerſum & iſto etiam meliorem. Sed quid iſtis hominibus furioſis facias,qui in ipſam Dei maieſtatem tam temere & irreuerenter irruunt?

A

CAP. XLI.

Mundus hic qualis hodie poſt peccatum.

D. QValis igitur nunc eſt hic mundus poſt Adami peccatum?

P. Qualem vno verbo deſcribit Paulus, nimirum,vt creatura nunc ſit ματαιότητι,id eſt , vanitati ſubiecta.Itaque ſuſpirat & gemit, expectans inſtaurationem filiorum Dei.Rom.8.v.20. Adeo vt hæc vanitas illi bonitati, in qua primùm res ſunt creatæ,ſit contraria.

D. Quid igitur,peccatúmne hominis rerum eſſentiam & naturam aboleuit?

P. Nequaquam:ſed integritatem eius ſanitatémque imminuit. Nam peccatum tria maximè induxit,quæ ſunt tribus illis ſuperioribus dotibus oppoſita.Nempe debilitatem , & tanquam morbum in viribus naturalibus ἀταξίαν : & diſſenſum quẽdam inter res ipſas in ordine: & cùm ſibi opportunè non reſpondeant,ſterilitatem, ſiue infœcunditatem in fœtu fructúque ſuo proferendo,& gignendo.4.Eſdr.5.v.52. adeo vt quotidie decreſcat terræ cæterarúmque rerum vbertas, & vires, B nedum vt eæ ſint vires quales primùm à Deo eæ habuere,ídque fit propter peccatum hominis , vt facilè colligi poteſt ex Ierem.4.v.24.25. Denique factus eſt propterea mundus hic totus confuſus ſiue caligo,maximè autem inferior & elementaris hæc ipſius pars Iob.10. v. 21.22.caduca ſiue tranſitoria, vti eſt Prouer.31.v.8.& 2.Pet.3.v.10.vt aliquando perire poſſet.

D. Quid verò ante peccatum hominis, nónne erat mundus hic mortalis & periturus?

P. De eo quid dicam non habeo,quando nihil me docuit Scriptura : vnum modò hoc affirmare poſſum, per ſe quidem , & qua ratione erat creatura,mutabilem fuiſſe hunc mundum , niſi à Deo ſuſtentatus fuiſſet : ſed vtrum in perpetuum fuerit à Deo ſuſtentandus, ſi homo non peccaſſet, non dicam.Homo quidem,cuius tanquam domicilium creatus erat ipſe mundus , futurus erat etſi inexterminabilis, vt loquitur Auguſtinus poſt librum Sapientiæ in libro de Agone Chriſtiano, tamen in cœlum meliorémque ſortem alius poſt alium aliquando tranſportandus. Sed vtrùm in C mundo ſemper aliqui fuiſſent homines , nec vnquam viuere hîc aliqui deſiiſſent,hoc ignoro.

CAP. XLII.

Venena & res noxiæ vnde in mundo natæ.

D. AT ſi tam bonus primùm conditus eſt hic mundus,ſingulęque eius partes:vnde venena,vnde tot noxiæ, & lethales herbæ, vnde tot vel ſolo viſu oculorum peſtiferi hominibus ſerpentes nati ſunt?

P. Ex peccato,& propter peccatum hominis tot hæ peſtes, venena, noxiæque herbæ, & feræ ſunt natæ, vt indicant Domini ipſius verba apud Moſem,Geneſ.3. v. 18.Nihil enim à Deo primùm conditum eſt,quod eſſet venenum,& cuiquam lethale,noxium,& incommodum. Itaque ſi res in ea natura manſiſſent, in qua primùm ſunt à Deo optimo maximo creatæ, nulla nunc eſſent neque mala,neque venena. Nec enim ab eo,qui ſummè

bonus

A bonus eſt,quicquam,niſi bonum fieri, aut proficiſci poteſt : ſed neque hodie quicquam eſt purè omníque ratione venenum, ſed quod vni rei incommodum eſt,& noxium,veluti homini, eſt alteri vtile & ſalubre vti ſerpenti.

D. Intelligo. Sed poſt peccatum hominis cur venena,noxias herbas,& feras eſſe, & reſtare vult Deus?

P. Multæ ſunt rationes, imprimis autem hæ duæ quas affert Auguſtin.lib.3.de Gene. ad liter. cap.17.Primùm ad hominis vindictam,& pœnam iſta durant.Itaque illa omnia nocent homini,propter cuius peccatum ſunt venena.Deinde ad eiuſdem hominis tentationem & exercitium proſunt, vt ſuam imbecillitatem homo agnoſcat,& à Deo auxilium petat.Sed hæc quoque tertia ratio afferri poteſt,ꝙ illę herbę,quæ ſunt homini noxię, qualis cicuta,aconitus, & colocynthides, ſunt ipſius terræ mali ſucci, &velut excrementa quædam, quæ eiici omnino neceſſe eſt, vt cæterorum terræ fructuum ſuccus ſanus,& ſyncerus reſtet,atque etiam nobis ſalubris & commodus.

B D. Sed ſi quæ Deus primùm creauit erant tã bona,(Nam non modò bona,ſed etiam valde bona dixit Moſes)quæ inter Deum ipſum & eius opera differentia ſtatuetur?

P. Triplex diſcrimen, id eſt, latiſsimum, & maximum inter ea nihilominus apparet. Nempe quòd Deus à ſe,ſummè,& incommutabiliter bonus eſt : quod quidam aliter his verbis declarant, Deus eſt bonus Origine, Perfectione & cauſſa. Res autem createę non à ſe,ſed à Deo:non ſummè, ſed quantum modò fert earum natura : non incõmutabiliter, bonæ erant, vt ab ea decidere non poſſent. Neque enim ea bonitas vnquam in iis periiſſet, &in vanitatem commutata fuiſſet, ſi fuiſſent incommutabiliter bonæ. Sic Auguſtin. In Enchir. & pater Athanaſius Dialogo I. explicant ac reſpondent. Sed ne dubitaremus eas bonas fuiſſe, diſertè hoc addidit Moſes, *Vidit Deus quòd eſſet bonum.*

C

CAP. XLIII.

Bona cur diſertè dicantur fuiſſe,quæ creata erant.

D. CVr verò diſertè hæc addidit Moſes?

P. Duplici de cauſſa. Ne hæc Dei opera viſibilia perfunctoriè & leuiter, vt multi faciunt, tranſeamus, quaſi nihil magnopere excellens,aut eximium habeant,quò nos rapi oporteat. Habent enim, ídque ipſum nobis teſtatur Deus ipſe.Ac multominus, ne Momum illum hominẽ blaſphemum,aut Manichæos hæreticos,Marcionitáſque imitati,hæc Dei tam egregia opera damnemus,vituperemus,& rideamus propter eã, quæ nunc in illis eſt per peccatum hominis ἀταξίαν : Id quod ſine magna Dei ipſius iniuria fieri non poteſt,& quum id facimus,nomen Dei ſumimus in vanum.Itaque Manichęi damnandi,& quicunque alij creaturas ipſas per ſe, & quales à Deo factæ ſunt,malas eſſe contendunt.Nam eſt falſiſsimum 1.Timoth.4.verſu 4.Præterea,hæc admonitio atque ſententia facit ne idem nũc diſputemus,quod curioſi quidam,vtrùm Deus, vel res ſingulas : vel A vniuerſitatem ipſam meliùs,aut meliorem efficere potuerit, quàm creata primùm eſt. Hoc enim ſcrutari & quærere, quid aliud eſt, quàm poſitas hîc nobis à Dei Spiritu metas tranſilire, & animo noſtro peregrinanti indulgere?Nam Deus omnia quæ condidit,valde bona fecit. Denique hæc ipſa commonefactio apprimè vel eo nomine nobis vtilis eſt, ne temere his Dei creaturis (quæ ſæpe nobis viles videntur) ad noſtram libidinem, luxúmque intemperanter abutamur, quas tam pretioſas eſſe ſanctus ipſe Spiritus pronuntiat. Quare his ipſis ſobriè, modeſtè & prudenter ſanè eſt vtendum.

D. Cur verò hæc eadem oratio, *Et vidit Deus quòd eſſet bonum*,in aliquarum dierum,vti ſecundæ diei opificio,prætermiſſa eſt?

P. Quod illa dies totius operis, quod poſtea factum eſt, inchoationem tãtùm, nondum autem conſummationem continet. Itaque ea benedictio ad extremum vſque operis differtur.

B

CAP. XLIIII.

Bina,& ſibi contraria quadam, Vtrùm in prima rerum creatione fecerit Deus.

D. SED quia de ſtatu in quo primùm mundus hic conditus eſt agis,hoc etiam expone, vtrùm in primis rebus conditis vera ſit illa ſententia,quæ facta ſunt à Deo,bina,& ſibi oppoſita creata eſſe,vt vnum alteri aduerſaretur.Itaque aiunt frigida & calida, alta & ima, alba & nigra, parua & magna primum condita eſſe,vt vires rerũ mutuo quodam inter ſe temperamento conſeruarentur. Hoc ſcriptum eſt Eccleſ. 42.verſu.25.& 33. verſ.15. Id quod etiam Auguſtinus libr. 2. de Ciuitate Dei cap. 18. & Iren. libro 2. cap. 43. ſequuntur.

P. Verum eſt quod dicis.Neque enim vnius qualitatis, coloris, magnitudinis, omnia à Deo primùm facta ſunt,vti nec vnius generis vel naturæ:ſed alia fuerunt ima,alia ſumma, alia humida, alia ſicca,alia frigida,alia calida, aliud dies, aliud nox.Nihil tamen malum à Deo factum eſt. C Cur autem tam variè Deus hæc crearit,ratio eſt, tum quòd in ea varietate maior Dei potentia & ſapiẽtia elucebat : tum quia res ipſæ hac contrariarum virium,& naturarum ἀντιθέσει & mitigatione faciliùs conſeruantur. Quis enim obſecro,rerum ſtatus futurus erat,ſi omnia calida eſſent? Quis ſtupor,ſi omnia frigida?Quæ miſeria ſi ſemper tenebræ?Quę laſſitudo,ſi ſemper dies?Itaque cùm huius mundi & rerum,quæ in eo conditæ erant, naturas Deus condidiſſet viciſſitudine quadam recreandas & ſubleuandas,quia corporeæ erant : itémque mutuò quodam nexu & temperamento fouendas,quia diuerſæ,eiúſdem totius partes erãt, contrarias qualitates illis indidit, vt aliæ aliarum eſſent cohibitiones quædam fræna & temperamenta.Denique vt quædam viciſſitudo in illis rebus ineſſet,vnde earum differentia ab Angelis,denique ab ipſa Dei eſſentia perſpicuè intelligeretur, qui nullis huiuſmodi ad ſui conſeruationem mediis eget.Sic ciuitas bene conſtituta, variis tamen ordinibus conſtat,variiſque hominum generibus,pauperibus, diuitibus, ſubditis,præfectis, A adoleſcentibus,agricolis, militibus, qui omnes ſunt quidem ſtatu inter ſe diuerſi, diſſimiles,& ſępe etiam repugnantes:& tamen ad mutuam ſalutem & conſeruationem totius ciuitatis neceſſarij. ex eóque ipſo fit ornatior atque abundantior ciuitas,& ad vitæ huius vſus aptior. Itaque hâc ſententiam præclariſſimo Tertulliani teſtimonio confirmabo,qui in Apolog.c.45.ſic ait, *Quæ ratio vniuerſitatem ex diuerſitate compoſuit, vt omnia à multis ſubſtantiis ſub vnitate comparent ex vacuo & ſolido : ex animali & inanimali: ex comprehenſibili & incomprehenſibili:ex luce & tenebris, & ipſa vita & morte.* Nec propterea fauemus Manichæorum errori, qui initio rerum duas gentes fuiſſe contendunt,quæ ſeſe mutuo affligerent,lucis & tenebrarum. Vnus enim & idem & ſolus Deus eſt, qui omnia condidit, & hæc ſibi *ἐναντία* ad totius operis conſeruationẽ ſapiẽtiſſimè inſtituit,& cõparauit.

D. At verò iſta rerum varietas ſummam diſcordiam inducere videtur, cùm oporteret tamen mundum hunc, tanquam vnum quoddam totum, partibus ſibi mutuo planè conſentientibus, B & amicè inter ſe coniurantibus exędificari & coaleſcere. Quod ne fiat, videtur hæc contrarietas rerum obſtare maximè.

P. Non rectè colligis. Neque enim iſta rerum diſſimilitudo,& qualitatum proprietatúmque etiam contrariarum varietas diſcordiam inuehit. Imò verò ſummam harmoniam,ſummúmq; cõſenſum inducit,& retinet. Quemadmodũ in corpore humano ipſa membrorum diuerſitas & vis, actio,motus,locus,functio, ſæpe contrario ſummam concordiam inter membra oſtendit,eſtque ad totius corporis vitam, ſubminiſtrationem, & defenſionem neceſſaria. Hoc idem fit in hoc mũdo, qui eſt vnum quoddam complexum, & corpus. Cur autem hæc rerum diſſimillimarum diſcordia ſit tam concors, támque ſibi conſentiens, & vna tam & firma & perpetua, fit ſumma & incomprehenſibili Dei Opt. Max. ſapientiâ, qui hæc omnia inter ſe optimè, quemadmodũ oportuit contemperauit,& fecit cùm ad ſeſe,tum ad aliarum rerum rationem, & comparationem apto pondere,numero,& menſura, vt eſt Sapien.12.v. C 21.& docet poſtea Auguſtinus libr.4.de Geneſ.ad Liter. Quod autem pondus, qui numerus, quæ menſura ea ſit,quęve eius contemperationis proportio, propter quam mundus hic in ſuis partibus eſt tam concors & concinnus, quanquam anxiè Philoſophi diſputant, neque tamen ab iis inuentum eſt,neque explicatum. Deus ipſe nouit, A atque is ſolus.

Cap. XLV.

Poſt mundi creationem quomodo dicatur Deus ceſſaſſe & quieuiſſe.

D. VNum modò reſtat quod quæram.

P. Quidnam illud eſt?

D. Vtrùm Deus ex eo tempore,quo mundũ hunc abſoluit,res aliquas omnino creare ceſſauerit,cùm animas hominum quotidie creare videatur ex nihilo,& vſque nunc operetur ipſe, quemadmodum docet Chriſtus Ioan.5.ver.17.

P. Facilis reſponſio. Huius enim tantũ mundi & operis,quod tunc facere Deus inſtituerat,ratione dicitur ceſſaſſe,id eſt,*κατά τι*,quemadmodum etiam reſpondet Auguſtinus li.4.de Geneſ.ad Literam. Non autem omnino & abſolutè,quaſi neque mundum hunc à ſe factum nunc regat & adminiſtret Deus, neque noui quicquam amplius creare iam poſſit, quando nihil eorum quæ nunc fiunt,niſi eo agente eueniant: cuius benigniſſima prouidentia omnia à ſe creata ſemper gubernauit B & gubernat:cuius infinita potentia ſingula in ſingulis operatur & agit,quemadmodũ docet Paulus Epheſ.1.v.23. cuius denique vires neq; temporis vetuſtate debilitatæ interierunt,quo minus creari quotidie multa poſſint,neq; ſunt languidiores effectæ. Ergo creat adhuc multa noua Dominus,videlicet hominum animas quotidie: ſed totum illud opus ſuum, & inſtitutum à ſe mundi huius *πλήρωμα* & ornatum, omnibus ſuis partibus conſummatiſſimum, & perfectiſſimum ſex illis diebus Deus perfecit,& abſoluit :ſeptimo autem die quieuit. *Nullum autem,* vt ait Auguſtinus, *operum ſuorum diem ſanctificauit Deus,ſed ſolum quietis diem, vt intelligeretur Deus eſſe beatior ſuis ipſis operibus. Nullo enim opere ſuo ſic delectatus eſt, vt ſeipſo. Vnde quietis ſuæ,non operis diem ſanctificauit.* Et quoniam ad quietem Dei peruenimus, & nos quoque hoc loco quieſcamus, & ſuſceptam diſputationem fi- C niam. Quæ enim de prima mundi creatione & rerum origine in vniuerſum dici videntur poſſe, & ad phyſicen Chriſtianam pertinent, ſunt fere à nobis explicata. Gratias verò Deo agimus, qui,vt hæc commentaremur, animum & vires nobis ſuppeditauit.

L. D.

PHYSICES CHRISTIANAE PARS ALTERA, SIVE DE RERVM CREATARVM NATVRA.

QVAE IN SEX TRACTATVS PRO DIERVM, QVIBVS Deus ipſe operatus eſt, numero diuiditur. Quot autem, & quàm varia rerum genera contineat, ex titulis ſingulorum capitum facilè apparebit.

ILLVSTRI AC MAGNIFICO VIRO D. Petro Sborouio à Sborovv: Palatino & Generali Capitaneo Cracouienſi, Stobnicenſi, Camionecenſi, Tlumacenſi Præfecto: Senatori Regni Poloniæ primario.

PAVLVS Apoſtolus Domini noſtri Ieſu Chriſti in Epiſtola ad Romanos docens quis fuerit huius mundi (in quo nos homines verſamur) primùm condendi finis: & quis eiuſdem conditi eſſe debeat perpetuus inter mortales vſus, τὰ ἀόρατα τοῦ Θεοῦ, *ait,* ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα, καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. *Præclara ſanè ſententia, & verè diuino illo, Apoſtolicóque ſpiritu digna: qua breuius meliúſque totius Phyſices Philoſophiæ ſcopus certè non potuit explicari. Quis enim tam egregia opera intuens, opificem ipſum non admiretur: & oculis iiſdem, quibus hæc cernit, penè non videat? Itaque Philoſophi ipſi, qui modò cordatiores ac ſynceriores in his rebus tractandis fuerunt, quamquam vera fide, eáque luce (quæ ex Dei verbo à nobis hauritur) deſtituti: tamen tacito naturæ ipſius ſenſu ac conſcientiæ ſuæ teſtimonio commonefacti, ex huius Mundi vniuerſi, & ſingularum, quæ in eo ſunt, rerum contemplatione, tanquā ſcala quadā ab ipſis terris ad cælum vſque ſupremum pertingente ſubuecti, tandem ad Deū ipſum harū rerum* δημιουργὸν *conſcēderunt, eúmque tum ex parte cognouerunt (quatenus nimirum ex nudis, ſoliſque luminis naturalis homini relicti radiis id fieri poteſt) tum etiam adorandum eſſe vno conſenſu confeſſi ſunt. Notus eſt Platonis Dialogus, in quo de rebus naturalibus ille diſputat, quique Timæus appellatur. Eſt in manibus Aureus ille ſiue Nicolai Peripatetici, ſiue ipſius Ariſtotelis libellus, qui* περὶ κόσμου *inſcribitur. Verſatur in manibus Philonis liber* περὶ κοσμοποιίας. *Denique, vt infinita alia huiuſmodi philoſophorum ſcripta prætercam, eſt celebris ipſius Ariſtotelis in libris de Cælo & Mundo, de Deo, calóque beatiſſimo ipſius Dei domicilio pulcherrima ſententia. Atque hæc omnia ex vno, & eodem illo fonte profecta ſunt, nimirum ex hoc naturæ enuntiato, Totum hoc mundi, quàm latiſſimè patet, & quantumuis varia rerum genera complectatur, opificium ad vnius veri Dei gloriam, tanquam ad ſuum ac* κυριώτατον *finem eſſe referendum. Quò magis reprehendendi ſunt non modò Epicurei illi veteres philoſophi planè profani: ſed etiam poſt patefactum ac redditum terris Dei Optimi Max. beneficio cæleſte verbum ac Euangeliū, homines Chriſtiani, qui in ſcholis ſuis pulcherrimā hanc* φυσικῆς φιλοσοφίας *artē profitētes, ipſius Dei opificis nomen ſacratiſſ. vel prorſus obruūt: vel tenuiter admodum, in vna aut altera duntaxat huius mundi parte, velut in diſputatione de cælo explicanda, attingunt, quaſi hæc ipſa, quæ & caduca & in ſingula horarum momenta perire cernimus, ſeſe produxerint, aut iam producta, ſe ſua vi ſuóque robore, ac potentia (nulla Dei manu ferente) ſuſtentent, Ex quo factum eſt, vt in Phyſicorum Chriſtianorum & ſcholis & libris ſepultum vbique appareat Dei ipſius numen, & cogitatio omnis. Qui certè quemadmodum ſe vocabulo ipſo* φυσικοὺς *appellarunt, ſic & mente & animo merè* φυσικοὶ *& Animales, vt loquitur Paulus, eſſe perſeuerant. Cum autem mihi in huiuſmodi ſcripta ſæpius*

A incidenti (Nam per ſingulos ferè annos aliqui Phyſici tractatus ab hominibus Chriſtianum non en profitentibus in lucem eduntur) non ſine magna ipſius Dei iniuria hoc fieri videretur, cúmque profanam, ac prorſus ἐθνικὴν ac Epicuream Philoſophandi rationem (quam veteres & Orthodoxi Patres omnes meritò damnarunt) inter Chriſtianos reuocet, ὥσπερ δὲ φιλοσόφημα ex ſcholis Chriſtianorum proſcribat: non potui non aliam ipſe de Rebus Naturalibus Philoſophandi viam meditari & inſiſtere, quam ex ipſo Sanctiſsimo & omni ex parte puriſsimo Dei verbo potiùs, quàm ex vllis profanorum hominum ſcriptis partim collegi, partim inſtitui. Hanc autem & ad animorum conſolationem eſſe vberrimam, & ad Dei opera ordine perſpicienda facillimam poſteà ſum expertus. Equidem veterum ac orthodoxorum Patrum ſcripta de iiſdem rebus perluſtrans, comperio eos ſic de rebus naturalibus diſputare ſolitos fuiſſe. Nam inter Græcos primus Rhodon genere Aſianus, quemadmodum Hieronym. ſcribit: & poſt Rhodonem Candidus quidam: poſt Candidum autem Appion: poſt Appionem Hippolytus: poſt Hippolytum Baſilius: & poſt Baſilium Gregorius Nyſſenus: poſt Nyſſenum Chryſoſtomus, eo modo Mundi huius opificium in ſuis Hexameris explicarunt. Inter Latinos autem Ambroſius ille Auguſtini præceptor: & poſt Ambroſium Anſelmus (quanquam hic omnino ieiuniùs) idem eodémque modo, vt ad Dei vnius gloriam vniuerſam de rebus naturalibus diſputationem referrent, fecere. Auguſtinus autem, etſi XII. libros de Geneſi ſcripſit, in eo tamen totus fuit, vt Origeniſtarum tum falſas tum inutiles ἀλληγορίας in caput primum Geneſeos ab iſtis ἀτεςβαλοῦσι hominibus B prolatas confutaret. Ergo tantorum ſcriptorum veſtigia ſecutus temerè feciſſe videri non poſſum, ſi contraria multis via & ratione περὶ φυσικῶν ſum philoſophatus Vnde euenit vt cùm ſuperioribus annis meam illam meditationem aliquot viris bonis communicaſſem, illius partis, quæ vocatur περὶ ἀρχῶν (quæque in hac tractatione primum locum iure obtinet) edendæ authores mihi fuerint. Nec eos omnino fefellit opinio. Nam quibuſdam θεῖα potius, quàm ἀνθρώπινα ſapientibus, ſic illa arriſit, vt alteram hanc Chriſtianæ Philoſophiæ, & Phyſices partem, quæ eſt περὶ τῆς τῶν κτισῶν φύσεως, iidem amici mei tandem à me extorquerent. Quæ ſi cæteris piis tantam afferat in legendo vtilitatem, quantam ipſe in ſcribendo voluptatem ex ea cepi, næ mihi mei huius laboris maximum fructum videbor conſecutus. Vt autem in Dei ipſius gloriam hæc noſtra opera cedat, & vt noſtris hominibus, id eſt, Chriſtianis ad verè Chriſtianéque philoſophandum viam demonſtret, faxit per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ipſe Deus, à quo vno omnis operis, & ſtudij, & tractationis recta initia, & progreſſus, & finis, & vtilitas, ac fructus expectari debet. Hoc autem ſcriptionis genus, quod & varium eſt, & multiplex, & vna cum ipſa natura per rerum creatarum genera latè vagatur, ac denique totum ipſum mundum, illiúſque partes penè ſingulas pertractat atque complectitur, cui potiùs, quàm tibi, Illuſtriſſ. Palatine, nuncuparem, cuius & veræ pietatis, & ſolidæ eruditionis, atque clementiæ tanta eſt apud exteras etiam gentes celebritas, vt, quamuis facie no- C bis ſis ignotus, fama tamen ipſa virtutum tuarum ſis notiſsimus. Nam, vt prætermittam præſtantiſsimam illam tuam dignitatem Cracouienſis Palatinatus (quam præ cæteris omnibus propter ſummam tuam in ſuperiores reges fidelitatem, & in rebus grauiſsimis adminiſtrandis incredibilem prudentiam conſecutus es, quæque meritò apud omnes autoritatem tibi conciliat, ac commendationem) quis feruens illud tuum in orthodoxam fidem propagandam ſtudium in tantis de religione certaminibus (quæ hodie exſtant) non & admiretur & laudet? Χρυσῶν περὶ ἀνθρώπων χρυσοῖ εἰσὶν λόγοι, inquit prouerbium vetus. Itaque cùm apud bonos omnes tam latè propagaretur nominis tui fama, volui & ipſe, quamuis longo terrarum interuallo abs te diſsitus, hoc meo munuſculo illam tuam excellentem Excel. demereri. Acceſsit etiam Iohannis Thenaudij Bituricenſis, id eſt, Galli, & penè ciuis mei de ſumma tua in populares noſtros, atque adeò in omnes extraneos pro Chriſti gloria afflictos humanitate frequens teſtificatio: quo nomine me quoque (vt qui meorum ciuium afflictionibus compatiar) tibi plurimùm ſentio debere, ſempérque eſſe debiturum. Sed & grauiſsima quoque aliorum de te iudicia, ac Doct. nobiliſsimique viri Threcij imprimis (cuius in opere Domini laus cognita eſt) teſtimonia à multis audita, me audentiorem ad te ſalutandum, tibíque hoc opus dedicandum reddiderunt, vt qui Dei gloria delectaris, non modò haberes ipſe: ſed ſub tuo nomine etiam alij laudum Deo canendarum, ampliſsima ex hoc opere, & quotidiana argumenta. Quamobrem ſpero fore, vt pro tua humanitate, hunc mei in te obſequij arrhabonem V. EXC. accipere non dedignetur, ac tam longinquum de ſuis virtutibus teſtimonium non aſpernetur. Quod vt tam læto beneuolóque animo accipiat, gratúmque habeat, quàm illi prompto deditóque a me donatur, etiam atque etiam excellentem Excell. T. Palatine Illuſtriſs. obſecro. Si cui verò hoc σύγγραμμα noſtrum prolixius eſſe videbitur, certè hoc ipſum vſurpabo, atque eadem me reſponſione defendam, qua ſe in eodem argumento Baſilius tuetur, Homil. 8. Hexameri. Ὅταν μὲν ἀπίδω, ait, πρὸς τὸ πλῆθος τῶν εἰρημένων, ἔξω ἐμαυτὸν ὁρῶ τοῦ μέτρου φερόμενον. ὅταν δὲ πάλιν πρὸς τὸ ποικίλον τῆς ἐν τοῖς δημιουργήμασι σοφίας ἀποβλέψω, οὐδ᾽ ἦρχθαι νομίζω τῆς διηγήσεως.

Vale.

A *Vale. Deus Omnipotens Mundi creator & custos per vnigenitum filium ſuum D. N. Ieſum Chriſtum & totum regnum Polonicum, & T. Excell. imprimis magna ſua miſericordia tueatur, & Spiritu ſuo ſancto regat, & corroboret, vt Eccleſiæ ipſius quàm diutiſsimè prodeſſe in his terris poſsis. Iterum Vale.* A

T. C. Addictiſſ.
Lambertus Danæus.

Ad Lectorem.

QVàm autem futura ſit vtilis omnibus piis, & veræ Theologiæ ſtudioſis hæc Phyſices Chriſtianæ pars, ex iis aliquot, quæ ſubiecimus, teſtimoniis omnes intelligere malumus, quàm ex noſtra ipſorum commendatione.

1. *Reg.* 4. *v.* 32. *&* 33.

Schelomo elocutus etiam eſt de Plantis, à Cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad muſcum, qui prodit à pariete, B *denique locutus eſt de Iumentis, & de Volucribus, & de Reptilibus, & de Piſcibus. Quamobrem veniebant ex omnibus populis ad audiendam ſapientiam Schelomonis: ab omnibus regibus terræ, qui audierant de ſapientia eius.*

Chryſoſtomus Homil. 9 ad populum Antioch.

Scytha, & Barbarus, & Indus, & Ægyptius, & omnis homo ſuper terram vadens hanc vocem naturæ ex cœli & ſyderum, totiúſque mundi huius aſpectu audit. Non enim per aures, ſed per oculos in mentem incidit noſtram. Viſibilium enim participatio eadem omnibus, neque differens, ſicut linguarum. In hunc pariter librum & idiota, & ſapiens intueri poterunt & pauper & diues: & quocunque quis venerit, in cœlum ſuſpiciens, ſufficientem accipit doctrinam ex aſpectu. Quod quidem ipſe propheta innuens dicebat: Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. Quod autem dicit, tale eſt, Non eſt gens neque lingua, quæ hanc vocem intelligere non poſſit.

Auguſtinus libro 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 29. B

ISta etiam narratio demonſtrationi ſimilis, qua nō præterita, ſed præſentia indicantur ignaris. In quo genere ſunt quæcunque de locorum ſitu, naturíſque animalium, lignorum, lapidum, herbarum, aliorúmve corporum ſcripta ſunt. De quo genere ſuperiùs egimus, eámque cognitionem valere ad ænigmata ſcripturarum ſoluenda docuimus: non vt pro quibuſdam ſignis adhibeantur, tanquam ad remedia vel machinamenta ſuperſtitionis alicuius: nam & illud genus iam diſtinctum ab hoc licito & libero ſeparauimus. Aliud eſt enim dicere, tritam iſtam herbam ſi biberis, venter non dolebit: & aliud eſt dicere, iſtam herbam collo ſi ſuſpenderis, venter non dolebit. Ibi enim probatur contemperatio ſalubris, hîc ſignificatio ſuperſtitioſa damnatur.

C PHYSICES CHRISTIANAE PARS SECVNDA, QVÆ EST, DE RERVM CREATARVM NATVRA. C

CAP. I.

Ratio ordinis & continuationis huius partis cum ſuperiore.

D. HACTENVS generales rerū gignendarum cauſſæ ſunt abs te explicatæ, & quæ de Mundo in vniuerſum quæri ſolent, quam diſputationem de prima rerum creatarum origine ſiue ἀρχῶν, id eſt de Primis Naturalium rerum Principiis appellas, expone iam quod ordine ſequitur. Et eſt ſecundo loco Phyſico Chriſtiano addiſcendum.

P. Quia quo pacto, quáve fabrica res primùm & generaliter creatæ ſunt diximus: proximum eſt, vt quæ ſit earum creatarum natura tractetur.

D. Quid verò crearíne res ſine illa vi & natura ſua potuerunt? aut nunc iam creatis & exiſtentibus, id eſt in lucem, & hunc mundum productis quaſi iam formatis quidem, ſed adhuc iacentibus corporibus ſuperuenit illud, quod naturam vocas?

P. Minimè quidem. Ipſo enim, quò primùm res quæque cōdita eſt, temporis momento, naturā quoque ſuam habuit, inditam à Deo, & donatam: ſed ideo diſtingui hic tractatus à ſuperiori debuit, ne quid confunderetur. Itaque propria vis cuiuſq; rerum generis eſt hîc exponenda, & ſex dierum hiſtoria rerúmque iis diebus creatarum natura ſigillatim, & diſtinctè nobis erit perſequenda.

CAP. II.

Natura quid ſit, & primùm de voce ipſa.

D. ERGO de natura rerum dicturus primùm expone quid vox hæc *natura* ſignificet.

P. Cupio. Quod vt faciliùs explanem, ſciendum eſt naturam, quę à Latinis appellatur, à Græcis φύσιν nominari: ex Hebræorum autem mente מן Min dici poſſe: à Rabinis verò טבע teuagh appellari, quorum variorum vocabulorum etymologiæ ſunt prius tradendæ.

D. Cur id?

P. Quia ad futuram rei ipſius definitionem multùm conferunt, nóſque iuuabūt poſtea. מן Min

A igitur dicitur quòd cuiuſque rei natura ſit velut propria & peculiaris rerum eiuſdem generis facies, imago, & ſpecies quædam, ex qua illæ dignoſcuntur ab aliis: טבע Teuagh autem, quòd natura rei cuiuſque ſit proprietas quædam illi internè immerſa, in ea latens & abdita, tanquam in illius rei ſinu & viſceribus, quæ à Deo inſita eſt, atque ita arctè cohæret, vt illi inſeparabiliter infixa & immerſa ſit. φύσιν appellant Græci ἀπὸ τοῦ φύεσθαι quaſi ſit natura vis illa, per quam res aliæ ex aliarum ſemine, corpore, & propagatione fiunt & producuntur. Quanquam hanc ipſam vocem φύεσθαι ἀπὸ τοῦ φυσιῦν (quod eſt intumeſcere) quidam deducunt, quoniam quæ naturali modo gignunt ſoleãt priùs intumeſcere quàm pariant & fœtum edãt. Id quod in Arboribus, & Plantis germinantibus, & florem emittentibus apparet: Maximè autem in animalibus fœminis prægnantibus. Nam illæ vterum ferunt antequam pariant. Naturam autem apud Latinos à naſcendo dictam eſſe quis ignorat? Quanquam tamen quædam etiam, quæ non naſcuntur, naturam habere dici poſſunt: ſpiritus enim nõ naſcitur, & tamen natura quædam eius eſſe dicitur, vt docet libro 3. contra Maxim. cap. 15. Auguſtin. B Eſt autem propriè naſci, ex alterius ſemine & ſubſtantiæ ipſius fluxu fieri, quòd ea maximè naſci & naturali modo videantur, quæ ita ex aliis fiunt. Quæ autem alio modo (veluti ex propagine ſarmentorum vitis, ex incubatione gallinæ pullus) nõ tam naſci quàm produci, aut gigni vel fieri dici debent, ſi propriè loquimur. Itaque ex hac etymologiæ ratione, videtur latiſsima illa naturæ ſignificatio reſtringi.

D. Quæ igitur & quotuplex eſt iſtius vocis *natura* ſignificatio?

P. Multiplex. Ac primum quidem ea per quam pro Deo ipſo natura accipitur, quia certè eſt naturarum natura ſumma: & naturæ ipſius author, vt ait Seneca libr. 4. de Benefic. ſed eo modo nõ eſt à nobis hîc accipienda natura. Ergo pro rebus ipſis à Deo effectis ſumetur. In quo etiam ipſo triplex eſt naturæ ſignificatum: aut enim pro ſubiectis & ὑφισταμένοις, id eſt, pro corporibus ipſis & indiuiduis ponitur, quæ ſunt tota quædam compoſita, quæ conſtant eſſentia & proprietate quadam, atque C præterea etiam quibuſdam accidentibus veluti quãtitate, qualitate & variis huiuſmodi rebus, quibus circũſcribitur propria cuiuſq; indiuidui hypoſtaſis & ſubſiſtentia. Sic homines, equi & ſingula animalia dicuntur eſſe naturæ, quæ alio etiam nomine res naturales appellantut. Sic Iac. 3. verſ. 7. naturæ vox accipitur. Deinde ſumitur pro vi, & cauſſa quadam interna omnibus rebus eiuſdem generis communi & inhærente, qua agente & mouente illæ operantur & agunt, quæ etiam & forma rei ſolet appellari. Tertiò natura dicitur affectus, inclinatio, adiunctum, & qualitas quædam vel plurium, vel vnius ſingularis rei propria, quæ neque conſuetudine agendi, neque arte induſtriáve vlla poſtea accedente cõtracta eſt, ſed ab ipſa cõceptione vel ortus momẽto illi rei iniecta eſt, & adhęret: ſic natura filij iræ eſſe dicimur à Paulo Epheſ. 2. v. 3. Sic contra naturam ardent mares in mares Rom. 1. Quia præter naturalem & inſitum à Deo motum hic tam fœdus appetitus in quibuſdam ineſt. Eam autẽ naturæ ſignificationẽ prætermitto, quũ illa pro mẽbris genitalibus accipitur, vt apud Cic. & M. Varronem nonnunquam, quia ſunt illæ partes ad gignendum & ad naturæ conſeruationem maximè neceſſariæ. A

D. Quo verò modo à nobis ſumetur in hoc argumento natura?

P. Tum pro rebus ipſis naturalibus, tum pro ea cauſſa & vi, quæ in illis à Deo vero & Opt. Max. inſita ineſt actionum eiuſmodi rebus conuenientium & conſentanearum effectrix.

CAP. III.

Quid differant inter ſe eſſentia, natura, hypoſtaſis.

D. QVAENAM igitur eſt inter hęc tria οὐσίαν φύσιν & ὑπόστασιν, *eſſentiam, naturam,* & *hypoſtaſin* differentia?

P. Vt alias differentias omittam, hæc maxima apparet, quòd οὐσία *eſſentia* dicitur in quaque re ſimplex, & ab omnibus proprietatibus, accidentibúſque ſuis nudata materiæ & formæ cõpages. Sic ὐσία θεῖα, id eſt eſſentia diuina nominatur: φύσις verò præter ipſam rei eſſentiam etiam adiunctas ei proprietates continet atque ſignificat: ὑπόστασις autem ab vtroque differt, quòd cùm & eſſentia & natura communes quædam pluribus indiuiduis res ſint, ὑπόστασις ipſam indiuidui formam & conſtitutionem peculiariter denotat. B Ergo ὑπόστασις eſt cuiuſque indiuidui propria ratio & conſiſtentia, id eſt eſſentia proprietatibus & accidentibus, id eſt ὐσίᾳ & φύσει conſtans. Ergo ipſa tum eſſentia, tum natura generalis in ſingulis hypoſtaſibus & rebus exiſtit: ſed hæc diſputatio eſt alterius θεωρίας & artis, quàm huius, quemadmodum ex Damaſceni libro de Dialectica, & Iſagoge facilè colligi poteſt.

CAP. IIII.

Natura quid ſit, & primùm ex Ariſtotele.

D. EXPLICA quid ſit natura.

P. Si ex Ariſtotele (vt infinitos alios prętermittam) velim definire, dicetur à nobis natura eſſe principium motus & quietis in iis rebus, in quibus primò & per ſe ineſt. Quam ego definitionem certè quidem nõ vſquequaque probauerim. C

D. Cur ita?

P. Quia quoties natura pro Deo ipſo non ſumitur, malè (vt mihi quidem videtur) illa dicitur eſſe rerum principium & primum, & per ſe. Prima enim rerum omniũ & actionum huiuſmodi cauſſa eſt Deus, nõ autem hæc vis creata, & natura à Deo inſita, & de qua agimus nunc. Deinde ſolus Deus eſt cauſſa per ſe verè, nec ab alio impulſa, nec vllo egẽs alio motore. Verùm quæ vis in rebus ſingulis natura nominatur, etſi ineſt illis non accidentariè quidem, non etiam hominis arte, opera, aut manu, ſed ab ipſo ſtatim earum ortu & à Deo iniecta & infuſa: illa tamen nõ eſt cauſſa abſolutè per ſe, ſed tantum inſtrumentalis & à Deo impulſa. Nam cauſa per ſe dicitur eſſe ea, quæ ſeipſam ſiſtit & mouet cùm vult: ab alio autem neque impellitur, neque retinetur, ſi operari velit. At Deus agit operaturque omnia in omnibus, vt Paulus docet Epheſ. 1. verſ. 23. adeo vt quę vires rerum naturales cernuntur,

tur,

tur, eæ ſint noſtri quidem ratione & æſtimatione cauſæ per ſe, Dei autem reſpectu inſtrumentales tãtùm: quibus in iis rebus Deus vtitur ad res ipſas ciendas, agendas, & ad id, quod vult ipſe, efficiendum. Denique cur ex vnius tantum *motus & quietis* conſideratione generaliter natura definitur, cùm auerſio ſiue fuga: robur & laſſitudo: principium & finis: actio & paſsio, multáque alia eiuſmodi ſint omnium rerum naturalium communia: non tantùm vnus iſte motus & quies, baſes & columnæ naturæ iſtius Ariſtotelicæ?

CAP. V.

Natura propriè quid ſit, in hoc argumento.

D. QVid igitur naturam vocas?

P. Vim organicam indiuiduis rebus à prima earum creatione inſitam à Deo, & infuſam, vt omniũ eiuſdem ſpeciei indiuiduorum eſſet communis, per quam ſua munia & finem, ad quem ſunt à Deo deſtinatæ, expeditæ & nulla repugnante in iis parte ſingulæ ordinariè obeant. Ex qua noſtra definitione certè multa elucent & colliguntur.

D. Quænam?

P. Primùm quidem illud quod veteres omnes & orthodoxi patres veriſſimè & pientiſſimè affirmarunt, *Naturam nihil aliud eſſe, quàm Θεοῦ φωνὴν.* Talem enim vnumquodque rerum genus naturam eſt adeptum, qualem in iis eſſe ipſe Deus à prima earum creatione voluit & iniecit. Deinde apparet naturam eſſe vim à Deo ipſo emanantem, vt eſt Sap.cap.7.v.26.27. non à ſeipſá, non à rebus aliis, non ab ipſo mundi ordine, non à cœli & elementorum poteſtate & ſitu, vnde ſi quæpiam ars ſit & hominis induſtria, quæ & ipſam rerum naturam transformare in aliud genus ſe poſſe iactet, vana cenſenda eſt, quia id ſe pręſtare poſſe pollicetur, quod vnius Dei proprium eſt, id eſt, formas veras rebus dare & inſerere, vel iam inſitas mutare & transformare. Tertiò apparet naturam non exiſtere extra res ſingulas, neque alibi quærendam eſſe ipſe affirmo. Nec enim natura eſt Chimera quædam imaginaria & extra indiuidua ſubſiſtens. Nam in ipſa rerum creatione prima ſingulorum generum vis cuique Indiuiduo, tanquam totius generis radici & ſtirpi, indita eſt à Deo, vt ex eo ad vniuerſum earum rerum genus poſtea tranſiret ea vis. Quarto deniq; & vltimo loco colligimus eam naturam non motus quietiſve rerum duntaxat gratiâ à Deo conceſſam, ſed eius pulcherrimi finis & muneris ordinarij exequendi, ad quod ſingula rerum genera primùm ipſe ſapientiſſimus & potentiſſimus creauit. Dei enim voluntatis implendæ gratiâ conditus eſt hic mundus, & ſingula quę ſunt in eo: non autem tantùm vt ſe mouerent, & poſt motum quieſcerent. Ex quo etiam efficitur in nullo rerum genere eius naturam rectè intelligi percipique poſſe, niſi propter quem finem conditum ſit vnumquodque genus priùs notaueris. Eſt enim natura ordinarius quidam eius muneris exequendi tenor & perpetua vis à Deo conſtituta.

D. At naturam nouercam, non matrem multi dixerunt: in primis autem de hominis natione. Id quod Plinius ſcripſit, & antè eum libro 3. de Republ. M. Tullius.

P. Apage tantam prophanorum hominum blaſphemiam. Nam hoc in naturam conuitium non ad vim creatam & rebus à Deo inſitam pertinet: ſed in Deum ipſum iactatum eſt, quaſi homini felicitatem ille inuiderit, quem creaturarum omnium terrenarum & conſpicuarum optimam & præſtantiſſimam (etiam illis ipſis teſtibus) Deus condidit.

CAP. VI.

Quæ naturalia, quæ contra naturam, quæ ſupra naturam dicantur. Quid monſtra, quid item Miracula.

D. QVia verò vocis huius *Natura* vim explicuiſti, dic etiam quæ naturalia appellas, & quæ non naturalia.

P. Omnia quæ Deus ad finem eum, ad quem res creauit, facilè exequendum indidit, ſuntque illis ipſis rebus neceſſaria, & conſequentia, appello naturalia. Non naturalia verò quæ dicuntur, illa ſunt triplicis generis. Quædam enim ſunt contra naturam, quædam præter naturam, quædam ſupra naturam ſeu miracula. Contra naturam ſunt ea, quæ vim illam, proprietates eſſentiales cuique rei, vel naturam à Deo inſitam impediunt omnino, & res ipſas deſtruunt, & tollunt, vti mors. Præter naturam autem ſunt quæ etſi non omnino eam vim impediunt, aliqua tamen ex parte retardant, & id afferunt, ſine quo faciliùs vis illa ageret & operaretur, vt ſex digiti in manu. Quæ autem in rebus ipſis potiùs, quàm à rebus ipſis ſupra vim illam inſitam fiunt, non ordine & vi naturæ, ſed extraordinaria quadam & maiore Dei poteſtate, veluti ſi ferrum natet, illa ſupra naturam & Miracula vulgò nominantur. Sunt igitur non naturalia, & quæ cõtra naturam ſunt, & quæ præter naturam, & quæ ſupra naturam ſiue miraculoſa dicuntur, ἀντιφυσικὰ παραφυσικὰ, & μεταφυσικὰ, Græci appellant.

D. Quid igitur, monſtráne, & miracula tanquam eadem confundis?

P. Minimè gentium.

D. Quomodo verò illa diſtinguis?

P. Quoniam etſi vtraque ſunt non naturalia: nomine tamen, & re latiſſimè inter ſe differunt. Monſtra enim appellantur illa naturæ molimina, vel opera, in quibus quia à propoſito ſibi fine aberrauit, inſignem naturæ deformitatem cernimus. Itaque monſtra ſunt certi naturæ, naturaliſve ſpeciei defectus, ac labes, quæ in aliquo alicuius ſpeciei indiuiduo apparet: veluti quum aliquis binis capitibus naſcitur, vel gemino naſo, vel vno tantum extante in fronte oculo: qualis olim cyclops ille Polyphemus, traditur, qui fuit in genere ſeu ſpecie humana Monſtrum. Hæc autem labes inſignem, ac notabilem aliquam deformitatem afferre debet, vt quod naſcitur Monſtrum appelletur. Nam ſi verruca tantùm in facie, aut digitus breuior, aut vnus ex oculis cæcus fuerit in aliquo naſcente, id propterea Monſtrum cenſeri non debet. Sed ſi pro homine Boue mulier pariat (id quod ſæpe accidiſſe varię teſtatur hiſtorię) ſi quis obuerſo in tergũ vultu naſcatur: ſi vultu vulpino, ſi quaternis brachiis, aut inſigni aliqua ſimili deformitate, A is procul dubio Monſtrum eſt. Ergo hæc quæ tam inſignis apparet in Monſtris deformitas, duplex eſt: aut enim eſt formæ internæ & ipſius ſpeciei tota deprauatio, vt ſi vacca ſimiam pariat: Simia vitulum: Capra leunculum: Leæna hirculum: mulier edat brutum animal. Aut externæ formæ inſignis deturpatio, & labefactatio, mutatióque, vt ſi qua mulier partum edit hircinis pedibus: aut vitulino vultu: aut oculis in pectore extantibus. Totius formæ internæ deprauationis cauſam duntaxat vnam eſſe dixerim, ipſum nempe Deum, qui immediatè talia portenta in ipſa rerum natura edit ac exiſtere vult, tanquam magna iræ ſuæ in hunc orbem iudicia, & ipſius etiam generis rerum (in quo talia Monſtra naſcuntur) ludibrium, & apertum deſpectum, & contumeliam: huiuſmodi monſtra quędā accidiſſe in populo Dei nuſquam commemorat S. ſcriptura. Ioſephus tamen lib. 7. de Bello Iudaico cap. 12. vnum accidiſſe recitat. Inter ſuos autem B ſæpe apparuiſſe ſcribunt ipſi profani, imprimíſque C. Suetonius in libello de Prodigiis. Formæ verò externæ deturpationis in Monſtris duplex eſt cauſa. Deus quidem ipſe velut ſumma, & remota cauſſa: deinde cauſſæ quædam naturales, quæ ſunt propinquiores cauſſæ magiſque huiuſmodi euentorum propriæ. Nam quæ deformitas in externæ formæ mutatione contingit, ea vel propter vis ipſius agentis imbecillitatem euenit: vel propter materiæ vitium, quæ materia vel plus æquo abundat, vel deficit. Quum enim vis illa naturalis formam procreans, & indiuiduum ex ſemine producens infirmior eſt, quàm vt ſcopum ſuum attingere, eóque opus ſuum perducere poſsit, fiunt diſtortiones inſignes, fœdi ſitus membrorum, &c. huiuſmodi. Quum materiæ ſeminalis inopia laboratum eſt, deficiunt membra, vel omnino: vel à iuſta ſui menſura, & proportione. Quum autem eiuſdem ſeminalis materiæ nimia copia fuit, tum mēbra vltra modum vel geminantur vel excreſcunt. Atque ita quæ ſit ratio monſtrorum in rebus naturalibus procreandorum vides.

C D. Quid Miracula, quænam eſſe definis?

P. Omnia illa opera, in quibus vel res naturalis, ſed non naturali modo procreatur: vel iam procreatæ vitium, morbus, tabes, & labefactatio, eáque ſiue naturalis, ſiue ſuperueniens inſtauratur, & in ſuum verúmque ſtatum reponitur. Ergo monſtra impediunt, vel labefactant naturam: miracula verò conſeruant, vel inſtaurant. Sed hîc miracula generaliter definimus. Eſt enim iſtorum miraculorum genus in vniuerſum duplex. Vnum quum res naturalis vel fit, vel reſtituitur, vel ſanatur naturalibus quidem mediis rebus adhibitis: ſed vel non omnibus iis, quæ neceſſariò à nobis adhiberi ſolent, vel non naturali modo, & via. Sic Diaboli ſæpè miracula edunt, ſic Agyrtæ homines & ſortilegi portenta oſtendunt. Sic ſæpe etiam doctiſsimi in vno quopiam morbo curando medici. Sic τερατοποιοὶ omnes miracula facere dici poſſunt: hoc enim miraculorum genus τέρας propriè dici puto. Alterum miraculorum genus eſt, quæ propriè σημεῖα dicuntur, & à ſolo Deo fiunt. Ea fiunt, quæ nullis omnino adhibitis mediis, aut etiam contra ipſarum rerum naturalium vim, naturam ipſam inſtaurant, & ſanant: hoc opus vnius Dei eſt. Ille enim ſolus vti naturam condidit, ſic naturam immutare, flectere, euertere poteſt. *Neque enim valet natura contra naturę Dominum*, vt ait Hieronym. Hæc ſunt quæ de mõſtris, & miraculis quærebas. A

CAP. VII.

Totius futuræ diſputationis partitio.

D. POSTQVAM quid ſit natura in vniuerſum dixiſti, ſigillatim iam quæ, & qualis in ſingulis rerum generibus illa ſit, expone.

P. Ad id propero. Quod vt commodiſsimè faciam, eum ordinem ſequar, quem Deus ipſe in mūdo iſto creando, id eſt, in rebus ipſis producendis tenuit. Quem enim huius diſputationis tutiorem ducem, quàm Deum ipſum elegerimus? Ergo ſingulorum dierum opus ſeorſim tractabo, etſi hæc ipſa Dei opera conſpicua Scriptura nobis vario ordine, vti in prima parte huius operis diximus, proponit. B

D. Rectè: nec enim Deo duce aberrare poſſumus. Dic igitur quid prima die condidit ille ſapientiſsimus rerum opifex & creator Deus?

P. Lucem.

CAP. VIII.

Dies prima, ſeu de Luce & primùm cur creata.

D. CVR autem lucem condidit Deus, cui tenebræ ipſę ſunt lumen, vt eſt Pſalm. 139. verſ. 11. 12.

P. Duplici de cauſſa. Primùm quidem vt ipſum ſuum opus perſpicuè conſpiciendum pręberet, quod in tenebris ignotum & obſcurum nobis futurum erat: quæ ratio certè vera eſt & alibi affertur. Quare hanc primam diem, diem diſtinctionis vulgò nominant. Deinde quòd hæc ipſa lux C erat commodiſsimum, conuenientiſsimum & neceſſarium reliquarum rerum gignendarum & producendarum organum, & inſtrumentū, non ipſius quidem Dei (qui per ſe omnipotenti illa ſua virtute omnia efficere poteſt) ſed ordinis & illius legis ratione, quam Dominus in ipſo rerum creationis exordio in poſterum valituram inſtituebat, & quam nunc quoque vigere experimur. Rerum enim naturalium naturalis ortus & ordo lucem ipſam & lucis effectum (qui eſt calor quidam radicalis, cæleſtis, & omnium rerum generi cognatus) maximè requirit. Itaque omni creaturarum viſibilium generi eſt lux gratiſsima, amiciſſima & naturalis: eſtque ſecundum Deum cauſſa rerum & gignendarum, & ſuſtentandarum vna quædam maxima & præcipua. Omnia enim quæ producuntur & viuunt, lucem hanc deſiderant.

D. Atqui non dicitur Deus emittere lucem, & faciem terræ renouare, ſed emittere ſpiritum ſuum Pſal. 104.

P. Quia noluit ſcriptura nos in ſecundis rerum gignendarum cauſis ſubſiſtere & totos hærere: ſed ad primam vſque conſcendere, qui eſt Deus.

A

CAP. IX.

Lux quid ſit.

D. QVID verò vocas lucem?

P. Primùm minimè hîc conſtituo duplicem lucem, quemadmodum lib.4.cap.1.de Trinitate & lib.1.cap.9.de Gen.ad literam tradit Auguſtinus, vnam nimirum incorpoream quæ tum angelos tum etiam animas hominum ſignificet:alteram corpoream, quam omnes creaturæ oculis vident:ſed de luce duntaxat corporea, id eſt, conſpicua hoc loco agi certiſſimum eſt. Itaque minimè iis aſſentior, qui cùm hîc creatam lucem cõmemorari audiũt, de Angelorum creatione ſtatim cogitant, atque ſic locum hunc interpretantur & accipiunt.

D. Quamobrem verò?

P. Quia Moſes ipſe docet lucem hanc à Deo appellatam eſſe diem. Vbi autem vſquã in ſcriptura Angeli nominantur dies? Deinde hîc tantùm traditur earum rerum creatio, quæ ſunt phyſicæ, vt in ſuperiori parte docuimus, id eſt, quæ ſunt nobi conſpicuæ & ὁρατὰ. De Angelis autem & naturis illis planè ſpiritualibus nihil tradi hoc loco B à Moſe veriſſimum eſt.

D. Ergo lucem hanc oculis noſtris conſpicuam, & cuius acceſſu fit dies:receſſu, nox & tenebræ, verè propriéque generari hoc loco ſentis, quã eſſe dicis cauſam rerum gignendarum præcipuam, & potentiſſimam, ſed naturalem tamen, id eſt, in hoc mundi ſtatu conſtituendo & conſeruando neceſſariam: Dei verò ratione tantùm organicam & inſtrumentalem, quia hãc ipſam Deus mouet, ciet & ſuſtentat.

P. Planè. Nec enim eſt corpus vllum naturale, quod vt viuat hac luce carere poſſit. Nullum eſt enim, quod ſi vitam habet, idem non in ſe habeat quoque calorem aliquem, at calor iſte eſt huius lucis à Deo primùm creatæ effectum. Eſt enim calor lucis hui’ cœleſtis vis ſeu vigor ſcl: per omnia hæc inferiora inſinuãs, per ſingula membra ſe diffundens, internè latens & corpora vegetans & viuificans. Color autem eiuſdem lucis effectum quoque eſt, ſed externè in ipſa corporis ſuperficie apparet, & corpus ipſum viſibile & conſpicuum dũtaxat reddit: non autem res ipſas viuificat aut ſuſtentat color:ſed ſolum facit vt ab aliis corporibus C diſtingui & ſecerni poſſint. Itaque omnia ſunt coloratiora quò plus participant iſtius lucis: coloratur enim res quæque à luce qualitates quaſdam & temperamenta mouente quæ educuntur in ſuperficiem corporis, à quibus emanat quædam flamma & fulgor externus qui color appellatur.

D. Quid eſt igitur lux?

P. Paulus eſt Epheſ. 5. verſu 13. ab effectu ſic breuiter definit. Lux eſt quæ omnia manifeſtat. Nos autem latius ſic, Lux eſt qualitas cœleſtis primo die creata, quæ rebus externè adueniens vi ſua eas calefacit adiuuátque vt oriantur & viuant, & illuſtrat, vt dignoſcantur. Nam quod ad hominis vitam, etſi illa ab anima eſt, anima tamen Luce & calore vti inſtrumento adiuuatur.

CAP. X.

Definitio Lucis explicatur.

D. EXPLICA verò hanc tuam definitionem. A

P. Cupio.

D. Cur qualitatem appellas?

P. Quia quanquam eſt lucis vis maxima, actio efficaciſſima, vſus etiam aſſiduus:res tamen ipſa eã minimè corpus eſſe oſtendit, ſed qualitatem tantùm in corpore, vti in ſubiecto, ſubſiſtentem: vnde à ſubiecto(cui neceſſariò ineſt)corporea fortaſſe à Patribus dicta eſt.

D. At de eo ipſo à pleriſque dubitatum eſt, & anxiè quæſitum vtrũ lux hæc ſit corpus & ſubſtantia quædam tenuiſſima, an verò qualitas.

P. Certè. Nam Auguſt. ipſe lib.4. de anima, ad Vincent.cap. 12.eam inter corpora.i.ſubſtantias corporeas etſi tenuiſſimas, recenſet. Quidni verò? qui etiam Angelos ipſos malos poſt ſuum peccatũ corpora factos eſſe ſcribit? Sed repugnat Auguſtino & aliis Auguſtino aſſentiẽtibus, hęc ratio, quòd in hunc aërem lux hæc diffunditur, & illi miſceri cernitur. Atqui aër hic eſt corpus:ergo aut creſcere hunc aërem lucis, tanquam alterius corporis acceſſiõe oportet:aut duo corpora ſimul eſſe, & quidem eodem prorſus loco, quod nemo ſanus conceſſerit. Præterea omnis actio motúſve rei & ſub- B ſtantię(quæ eſt corporea)fit in tempore, & vt aiũt, ſucceſſiuè. At quę à luce illuſtrantur ſimul momẽtóque illuminantur, id eſt nictu oculi agit lux. Vnde facilè intelligi poteſt, lucem non eſſe corpus, id eſt, ſubſtãtiam vllo modo corpoream. Incorporea verò ſubſtantia eſſe non poteſt, quia vel Angelus vel anima humana eſſet, neque iam res phyſica eſſet, id quod ſentire eſt planè abſurdum. Cæterùm quum hæc lux qualitas à nobis appellatur, nũ accidẽtaria quædam affectio, & quales aliæ multę ſunt, eſſe cenſetur:ſed vis effuſa in res, quæ puriſſimi ſui caloris iniectu & immiſſione magna effecta in rebus omnibus(tanquam earum pariendarum communis quædam obſtetrix) producit, & rebus ipſis iam productis inditur, quia ad eum vſum à Deo facta eſt.

D. Cur autem abs te cœleſtis appellatur?

P. Quoniam hîc non de terreno iſto lumine, quod in lucernis & lychynis noſtris accẽditur, lucet, & oleo nutritur, agimus:ſed de illo æthereo & cœleſti, quod in prima rerum origine cõditum eſt, & nunc quoque perdurat. C Etſi enim hęc lux, atque hic ignis, quo vtimur, dicitur eſſe illius velut ſcintilla & fauilla quædam tenuis à Deo, magna miſericordiâ, cõceſſa ad humani generis vſum & commoditatem, quemadmodum ad fabrorum ærariorum, ferrariornm, ſtannariorum, omniúmque metallicorum, & calcinatorum & Pyritechnorum artes & opera, item ad ciborum noſtrorum concoctionem, quò ſint ſalubriores nobis & concoctu faciliora alimenta, item ad calefactionẽ nimiíque frigoris depulſionem & infinitas alias vitæ huius opportunitates: tamen toto genere diuerſa eſt iſta lux ab illa cœleſti & ætherea luce, de qua hoc loco. Nam cœleſtis lux nullo terreno alimento & pabulo ad ſui ſuſtentationem eget, illa verò terrena eget:cœleſtis nunquam extinguitur in cœlo, at quæ in terris eſt lux, & ſæpe, & facilè:illa lucido & puro lumine conſtat, iſta fuligine & fumis plena eſt, Denique hæc rerum & mater & alumna eſt, iſta conſumptrix ac interemptrix. Verùm cœleſtis à nobis quoque appellatur hæc lux, quòd in cœlo primùm creata videtur, & illinc certè qua-

A cunque ſparſa. Sed vbicunque primum creata fuerit à Deo, certè in cœlo & terra velut in ſubiecto nimirum ſubſtitit, & nunc in cœlo tanquam proprio fonte collecta eſt, ex quo vis eius & effectus ad nos defluit & peruenit. Diſtinguũt quidẽ Phyſici calorem in tria genera, nempe in cœleſtem, elementarem, & inſitum ſiue natiuũ: ex quibus cœleſtem volunt fœcundè efficere ſemina, ſed & eum ipſum etiam qui inſitus & naturalis ab iis dicitur, volunt ſolis ſyderúmque calori, id eſt cœleſti illi luci proportione quadam eſſe reſpondentem. Id quod lib. 2. de generatione animal. cap. 2. & 3 ſcribit & confirmat Ariſt. & poſt Ariſt. Ioh. Fernelius medicus doctiſsimus. Ex quo ſatis apparet, eos licet huius veritatis & librorum Moſis ignaros, ipſo tamen ſenſu naturæ inductos vim veritatis palpaſſe & lucem hanc cœleſtem, rerum (quæ olim creatæ ſunt, & nunc creantur) obſtetricem & matrem conſtituiſſe, & vidiſſe.

CAP. XI.

Dubitationes tollit.

D. AT tuæ ſententiæ duo obſtant.

P. Quænam illa?

D. Primum quod Stoici apud M. Tull. Cic.
B lib. 2. de nat. deor. contendunt. Aſtra & ſydera cœleſtia, in quibus illa lux ſubſidet, ali quibuſdã perpetuis vaporibus terræ qui in cœlum attolluntur: Ergo non alit, ſed necat: neque conſeruat, ſed conſumit hæc tua lux cœleſtis res omnes.

P. Quis verò hoc eos docuit, aut vnde hos cibos illi creaturarum generi deſtinatos eſſe didicerunt? Nam cùm legamus in Geneſi quæ cuique rerum ſpeciei cibaria & alimenta conſtituerit Dominus, de aſtrorum & ſyderum alimentis nihil certè, vel illic vel alibi in Scriptura vſquam legimus. Deinde quis iſtis concedet ad aſtra vſque & ſupra Lunam ferri craſſos iſtos & terrenos vapores, qui ex his terris exhalant, cũ eos in hoc inferiore aëre videamus concreſcere, & in aquas & imbres congelari & reſolui?

D. Secundo loco obiicitur quod ex ſuperiore tua ſententia ſequitur, nempe eſſe igitur cœlum calidum, quoniam eſt, vt tu quidem vis, iſtius lucis æthereæ ſubiectum, receptaculum, & domicilium, quod tamen pertinaciter Peripatetici ad hunc vſ-
C que diem negauerunt. Foret enim cœlum corruptibile & mortale, & periturum. Denique foret cœlum calidum & frigidum, ſiccum & humidum: quas tamen proprias eſſe elementorum, id eſt, inferiorum & miſtorum tantùm corporum qualitates volunt: nullo autem modo ipſi cœlo (quod eſt ex eorum ſententia immortale & elemẽtis ſuperius) communicabiles.

P. Audio quid dicant: non video cur dicant Id eſt, aut quomodo ſuam ſententiam verè probent. Nam conſequẽs illud, quod inde vt magnũ quoddam abſurdum metuunt, non vrget nos, fore nimirum propterea hoc cœlum mortale, ſi & illa lux cœleſtis calida eſſe ſtatuatur: & cœlum illius eſſe domicilium. Vides enim vt facilè diffletur & rideatur à nobis hæc ratio. Quis enim verè Chriſtianus, cœlum hoc per ſeſe mortale, & corruptibile eſſe negauerit? Sed illi cùm æternũ & idcirco immortalem eſſe hunc mundum, & cœlum magno errore animi ſtatuerent, nullum calorem cœlo tribuendum exiſtimarunt. Quanquam tamen nec ipſi Peripatetici lucem ſũt auſi denegare & detrahere ſuo illi immortali cœlo, in quo certè illi ſibi non conſtant, quia lux illa ſine calore eſſe non poteſt, quem efficit in his rebus inferioribus non ex radiorum reflexione tantùm, etſi ratione reflexionis augetur: ſed vi propria ſui luminis, & in cœlo efficit non illum omnia adurentem & populãtem calorem, ſed amicum, gratum, & fouẽtem ipſam cœli naturam, quia huiuſmodi & tam ſolidos cœlos fabricatus eſt Deus omnipotẽs, vt ſubſtantia illa ſolidiſſima iſto calore nullam ſui imminutionem pateretur. Nam nec in ipſis terrenis rebus (quæ ſubſtantia fluida, & labili, faciléque mutabili conſtant) hæc lux alium calorem efficit & effũdit, quàm agnatum rebus omnibus viuentibus. Hæc lux denique eſt ille ignis, qui ab iis ipſis philoſophis pro quarto elemẽto in omnium rerum ortu & generatione etiamnũ hodie neceſſario ſtatuitur & agnoſcitur: Ipſi ignẽ vocant: Scriptura ab vſu primario & præſtantiori, veriorique lucem appellauit.

CAP. XII. B

Calor naturalis à calore cœleſti eſt.

D. CVR autem addidiſti, Externè adueniens?

P. Quia in rebus naturalibus & viuentibus præter hanc lucem & calorem (qui è cœlis ſpargitur) eſt etiam alius quidam calor, ſed internus ab hoc cœleſti & externo excitatus atque à Deo datus inſitúſque, per quem vita, actio, ſenſus, viréſque in iis primùm & propriè conſeruantur. Quo deficiente vita quoque iſta corporea naturaliter deficit & minuitur. Quo denique extincto vita quoque ipſa extinguitur. Ergo hic naturalis calor à cœleſti, vt rectè quoque Fernelius Medicorum ſui temporis facilè princeps ſenſit, pẽdet, éſtque omnium naturalium in rebus actionum ὀργανικὸν principium & impulſiuum ſeu κινητικὸν aut ἐνεργητικὸν à Deo conſtitutum, & animæ attributum. Denique ipſius corporeæ vitæ tanquam vinculum retinendæ: quo calore diſſoluto, res ipſas mori neceſſe eſt. Itaque Zenoni Stoico hanc veritatem etiã obſcurè cernenti vita hæc noſtra tota igni tantùm C
conſtare videbatur.

D. Quis igitur huius lucis à Deo creatæ vſus, & tunc fuit, & nunc quoque eſt inter nos?

P. Omnino duplex, vt à nobis eſt annotatũ ſupra. Primus quidẽ, vt per ſplendorem ipſius res diſtinguãtur, agnoſcãtur, ſuúmque inter nos vſum & πραγματείαν habeant. Vnde hic primus lucis creatæ dies, dies diſtinctionis, vti diximus, à Theologis appellatur. Nec enim in tenebris vlla eſt rerum etiam præſentium commoditas, vlláque tuta cõtrectatio, quæ in luce apparet facillima & commodiſſima. Id quod olim in tenebris Ægyptiis, nunc autẽ in nocte, & in obſcuris locis facilè cernitur. Alter autem lucis huius vſus eſt, vt per hunc ipſum calorem calor natiuus (qui dicitur rebus omnibus neceſſarius) infundatur, vt vires illis ad vitam, & proprias functiones perficiendas dentur: & datæ à Deo inſitæque excitẽtur, corroborentur, augeantur, adeò vt res neque naſci poſſint ſine hac luce, neque natæ creſcere & conſeruari. Verum etiam eſt illud vetus ab Ariſtotele vſurpatum, ſed ab eo primùm minimè inuentum, *Sol & homo hominem generant,* A *rant.* Quare aduenit rebus gignẽdis iſta lux moderata quidem, quæ eſt caloris illius naturalis, interni & radicalis mater vti diximus. Ex quo fit, vt hæc eadem cœleſtis lux dicatur eſſe rebus omnibus & gratiſſima & iucundiſſima, quoniam in ea ſentiunt ſuæ vitæ agnatum quiddam & familiare. Prouerb. 15. verſ. 30. Habet igitur hæc lux quæ eſt ſelectum à Deo inſtrumentum, vt efficiat hęc duo Splendorem ſiue Candorem quo illuſtrat: & calorem quo calefacit, ac radicalem natiuúmque calorem iniicit. Ex quo fit quoque, vt ab Hebræis vocibus cognatis lux & flamma אורה & אור appellentur, & diei calor tribuatur: & Nocti gelu, Hie. 36. verſ. 30. A luce autem fit lumen, id eſt, illuſtratio, Græci φωτισμὸν vocant ἀπὸ τȣ̃ φωτὸς. Eſt enim lumen ſplendor ille & fulgor externus, qui fit à lucis in rem denſam, & ſibi obiectam incidentis reflexione, & tanquam remiſſione vel reuerberatione. Eſt igitur lucis imago quædam & expanſio in rebus corporeis lumen, à quo lucida, & illuſtrata & luminoſa corpora quoque nominantur.

D. At quidam ſentiunt primam illam lucem B à Deo creatam ſuperiora tantùm mundi illuſtrare, quales ſunt cœli: non etiam inferiora hæc: qualis eſt tota regio noſtra ſublunaris & elemẽtaris. Itaque Solem præter lucem illam primam à Deo cõditum fuiſſe volunt, vt hæc illuminaret.

P. Qui id dicunt ſomniant. Nam lucem à Deo adhibitam fuiſſe legimus ad cœli & terrę ipſius diſtinctionem faciendam, quibus vocibus vtraque mundi pars ſignificatur, & id quod volunt eſſe falſum diſputatio de Sole poſteà perſpicuè docebit.

D. Obſtat verò tibi quod in Hexameri ſui lib. 1. ſcribit Ambroſius, *lucem nec in põdere, vt res alias: nec in menſura, nec in numero factam à Deo fuiſſe*, ſed tantùm vt eius tota gratia eſſet in aſpectu. Debet autem lux, ſi aliarum rerum ortũ iuuat, certo quodam pondere, menſura & portione ad eas adiungi & contemperata eſſe, qua tamen ex Ambroſij dicto caret.

P. Verum quidem dicis, nec aliud, quàm tu, ſentit Ambroſius, ſed docet tantùm quo potiſſimùm ſenſu lucis huius à Deo datæ vſus, beneficiúmque agnoſcatur & percipiatur à nobis, nempe C oculis: non autem aliis ſenſibus, velut auribus aut palato, quibus pondus, menſura, aut numerus cæterarum tamẽ rerum diſcerni diiudicaríque poteſt, velut pondus digitis, mẽſura auribus ſæpe iudicari à nobis poteſt.

CAP. XIII.

Lux vnde à Deo producta.

D. VNDE verò lux producta primum eſt à Deo?

P. Non ex materia quapiam. Nec enim ipſa ſubſtãtia quædã eſt: ſed quod magis mirere, quódque Paulus ipſe ait, ex Tenebris.

D. Quónam autem loco dicit hoc Paulus?

P. In poſteriore ad Corinthios epiſt. cap. 4. v. 6. *quoniam Deus*, ait, *qui dixit, vt è tenebris lux ſplendeſceret, is eſt qui ſplenduit, &c.*

D. Fieríne id poteſt, aut quomodo tam παράδοξον quiddam intelligi debet?

P. E Tenebris quidem ipſis poſſe Deum lucẽ educere, vti è pumice & ſilice, quæ ſunt res naturâ ſicciſſimæ & omni humore exſuctæ, aquam in deſerto elicuit, omnipotentia ipſius ſatis fidem facit. A Poteſt enim rerum naturam immutare, poteſt vim nouam iniicere, poteſt contraria ex contrariis, detracta eorum repugnantia, iíſque ad ſimilem conſentientémque inter ſe naturam priùs reductis extrahere, vti ex ſaxis, & lapidibus ipſis duris homines, atque etiam carneos & molles filios Abrahæ facere, quemadmodum ſcriptum eſt Matth. 3. verſ. 4. & Ezech. 37. Sed quòd Deus dicitur è tenebris eduxiſſe lucem, illud non mihi videtur ſic eſſe intelligẽdum, quaſi tenebræ Deo fuerint veluti theſaurus, in quo lux illa prius ab eo recondita eſſet, & vnde lucem & ſplendorem Deus produxerit. Nec enim ex iis καθ' αὑτὸ lux creata eſt, aut genita tanquam ex materia. Nam ex mera priuatione, quales ſunt tenebræ, aliquid fieri non poteſt, ſed in eo loco & in iis rebus, in quibus priùs meræ ac ſolæ tenebræ erant & regnabant, lucem naſci, oriri, & ſplendere Deus iuſſit. Denique pro eo quod vbique tenebræ erant, lucem eſſe voluit. ſic ex nihilo Deus omnia dicitur creaſſe, non quòd nihilum ipſum fuerit materia rerum conditarum: ſed cùm omnia priùs nihil eſſent, ea tamẽ eſſe & aliquid eſſe voluerit. Denique in mediis ipſis tenebris vi iuſſionis Dei lux emerſit. B

CAP. XIIII.

Lux vbi primum condita & vbi collocata.

D. VBI verò primum à Deo creata lux eſt?

P. Alij eam in ſola illa mundi parte fulſiſſe, creatámque eſſe volunt, quæ cœlum appellabatur, & à terra & abyſſo diſtinguitur: alij in vniuerſo eo opere, quod iam conditum extabat, id eſt in terra, abyſſo & cœlo, Geneſ. 1. verſ. 1. ſed in cœlo tãtùm creatam, ex eóque natam certè quidem potiùs dixerim, vnde in vniuerſa Dei opera poſteà emanauit, eſtque diffuſa.

D. Cur id verò?

P. Quia in eo ſolùm loco nunc quoque eſt atque à Deo ipſo omnis collecta & conſtituta, eſt: & ex eo ad nos effũditur. Nec enim eam in terra, aqua, ac ne in aere quidem ipſo (quanquam puriore elemento) ſitam eſſe manetémque cernimus, C quia has mundi partes modò tenebris obſeſſas, & obſcuratas, modò luce ſplẽdentes, & illuſtratas eſſe apparet. Cœlum autem ipſum ſuperius propter ſydera iſtius lucis vaſa atque adminiſtra ſplendẽs, candens, & lucidum ſemper eſt: quia illud eſt proprium, & primæuum domicilium lucis, de qua nũc agimus, itaque Sol & Luna in eo ſunt conſtituta: Quanquam lux iſta eſt cœli ipſius ſuperioris & aeris huius inferioris qualitas tantùm non ipſa οὐσία eorum.

D. Quid igitur, vniuerſam hanc lucem in cœlo, id eſt, cœleſti regione mundi conditam à Deo collectam & depoſitam eſſe ſentis?

P. Certè, ex quo etiam loco nobis diſpenſatur à Deo benignè: quanquam quædam cœli partes ſunt illius illuſtriorem partem & clariores radios tanquam ex fonte vberiores riuos ſortitæ, veluti ſydera, & planetæ: fons autem eius & tanquam ſcaturigo in Sole & Luna à Deo collecta & abdita eſt, Hier. 31. verſ. 38. Itaque ſunt illa duo Dei organa, & velut Miniſtri ſelecti illius lucis nobis, totſ-

A que huic inferiori mundo traiiciendæ & communicandæ, qui motu ſuo, & circuitu tantum Dei beneficium ad nos deferunt, vt eſt Pſ. 19. & 104.

D. Hæc quum dicis fortaſſe non animaduertis quæ tria tibi obſtant.

P. Quænam autem illa?

D. Primum quidem hoc quod eſt Iobi 38. v. 19. *Vbinam eſt via in qua habitat lux, & Tenebrarum vbi eſt locus*? ex quo apparet ignorari ab hominibus viam rationémque lucis hominibus tranſmittendæ ac diſpenſandæ. Quid tu igitur eam tam audacter, ne quid dicam grauiùs, definis?

P. Non negat Dominus omninò ſciri hanc viam poſſe, quia ipſe eam reuelauit, vt poſteà apparebit in diſputatione de Sole: ſed nimium ſcrupuloſam huius rei inquiſitionem reprimit, ne exactam totius huius tam mirãdi operis, quod ab ipſo factum eſt, rationem à nobis iniri poſſe ſperemus. Quod ipſum fatemur noſipſi quoque. Sed ecquod eſt obiectum ſecundum, quod aduerſus nos afferri poſſe dicis?

D. Nempe nec cœlum, nec Solem poſſe eſſe ſubiectum lucis. Eſt enim ſubiectum lucis corpus denſum, non autem corpus διαφανὲς perſpicuum & tranſparens, quale eſt cœlum. Quod autem dico, B conſentiens etiam omnium philoſophorum diſciplina tradit, & perpetua rerum experientia docet eſſe verum. Adeò vt nec aer ipſe, nec vitrum, quoniam tenue eſt, lucis ſubiectum eſſe poſſit. Cœlum igitur illud ſublime & candens, ſydera ætherea, Sol ipſe aureus, & tam ſubtilis naturæ longéque tenuioris, quàm hic aer, & planè διαφανὴς, quomodo lucis ſubiectum à te dicuntur & defenduntur?

P. Sumam nunc quod alibi ſum tibi probaturus, nempe cœlum hoc ſuperius & Solem & ſydera quoque ipſa ſolida eſſe corpora, non autem inſtar aeris huius tantùm διαφανῆ & tranſparentia. Itaque firmamentum à Latinis & à Græcis στερεὸν appellatur. Quamobrem eſſe poſſe lucis ſubiecta receptaculáque negari non debet. Quid igitur tertio loco nobis obiicis?

D. Affero abſurdum illud ſequi cùm Solem lucis (quam vis eſſe & ipſam calidam, atque etiam calefacientem) receptaculum & fontem eſſe dicis, oportere ipſum quoque Solem mirè eſſe calidum, C adeóque iam prorſus aduſtum: oportere etiam Lunam eſſe calidam, quam tamen frigidam eſſe ex ipſius effectis perſpicuè deprehendimus.

P. Cœlum, Solem & ſydera calida eſſe negant philoſophi, ne caduca & mortalia fore concedant. Id quod quum ex malo, falſóque principio ortum ſit, falſam quoque eſſe iſtam conſecutionem neceſſe eſt. Eſt enim cœlum hoc per ſe mortale, quia ſolus Deus habet immortalitatem. Non conſumitur tamen ab iſto lucis calore, vti neque Solis neque Lunę corpus conſumitur eo, quia eſt illi cognatus, familiaris, amicus, & tanquam conſanguineus iſte calor, & propter materiæ, qua conſtant illa corpora, genus & firmitudinem, quæ non eſt iiſdem paſſionibus, quibus hæc infetior & elementaris regio, obnoxia, & penetrabilis. Quòd autem lunæ lux & ſplendor frigidus eſſe apparet, non autem (vti lumen Solis) calidus, verum quidem eſt quando confertur Luna cum Sole, nõ autem ſi Lunæ ipſius lux per ſeſe ſpectetur. Etſi enim non tantos caloris effectus Luna producit quantos Sol, nego tamẽ eam proferre nullos. Nam educit vapores ex terra, & alit fruges teneras. A Denique ſi nox prorſus calore careret, omnia ſtatim interirent. Sed quòd frigida cẽſetur Luna fit tum propter noctis tenebras, tum etiam propter terræ exhalationes, quæ tũc temporis maximè in aerem tolluntur, neque diſcutiuntur vt in die à Sole fit propter imbecillum Lunæ præ Sole calorem. Eſt enim Lunæ lux propter ἄνεσιν parens & extractrix humorum. Sol autem propter ἐπίτασιν eiuſdem lucis ſiccitatis cauſa eſt. Eſt denique Luna ὑγροποιητικὸς potius quàm θερμοποιητικὸς, vt alibi dicetur.

CAP. XV.

Lucis cæleſtis an genus multiplex.

D. ESTNE verò vnum tantùm illius cœleſtis & ætheræ lucis genus vnáque natura: an multiplex?

P. Etſi vim illius intendi remittíq; poſſe cõcedo, vt modò maiores, modò minores effect⁹ producat, vnius tamen eſſe naturæ dixerim omnẽ lucẽ B quæ in cœlo eſt, & eſt ſplẽdens, candẽs ſiue albicãs & calefaciens. Apparent autem varij iſtius lucis vel luminis gradus diſtincti quibuſdam Græcorum vocabulis. Sunt enim Græcis hæc tria, φῶς, αὔγασμα, λαμπρότης, ſiue λάμψις, lux, ſplendor, claritas: φῶς eſt ipſa cauſa luminis: lumẽ autem ſi eſt ordinario maius, ſplendor & αὔγασμα dicitur. Cùm autem nullis obſtaculis & tenebris obiectis illud lumen impeditur, ſed vndique purum putum emicat, λαμπρότης aut etiã λάμψις, id eſt, claritas nominari ſolet. Ignis autem huius noſtri triplicem ſpeciem conſtituit Ariſtoteles in Topicis, *flammam* nimirum, *carbonem* & *prunam*.

D. De quo igitur huius ætheræ lucis gradu intelligitur quod ſcribit Paulus 1. Tim. 6. verſ. 16. *Deus habitat lucem inacceſſam*?

P. Hoc certè μεταφορικῶς à Paulo dictũ eſſe nemo ſanus dubitat, vt ſumma arcanáque nobis eſſe Dei maieſtas oſtẽdatur, & omni animi veneratione & demiſſione adoranda. Quam noſtrã interpretationem confirmat. Pſ. 97. verſu 2. & 3. C

CAP. XVI.

Lux cæleſtis cur dicta Dies.

D. CVR verò hæc lux eſt appellata Dies?

P. A præcipuo quodam ipſius & fine & effecto, non tamẽ ſolo, quod eſt vt diẽ hunc lucidum nobis efficiat. Igitur lux & dies differunt non re quidem ipſa, & eſſentia: ſed modo diſpenſationis. Eſt enim lux tunc dies, quum nobis à Deo per certas horas diſpenſatur ordinariè.

CAR. XVII.

De Die quid ſit, & quotuplex.

D. QVID eſt igitur dies?

P. Multiplex quidem eſt in ſcriptura Diei ſignificatio. Nam præter metaphoricas acceptiones, quibus illa ſępe vtitur, vt dies pro fœlici

A lici quodam rerum ſtatu ſumatur, veluti dies læti, dies maligni Pſ. 18. verſ. 24,& pſ.22.verſ. 5. propria etiam ipſius diei ſignificatio duplex eſt. Aut enim pro die, quam vocant artificialem, ſumitur, aut pro die naturali.

D. Quid eſt dies artificialis?

P. Illud temporis ſpatium, quo Sol ſupra noſtrum horizõtem & hemiſphærium verſatur id eſt intra cœli & orbis iſtius partem nobis perſpicuam lucet. Hoc quidem ſpatium varium eſt, neque ſemper vnum & idem etiam eidem regioni: ſed æſtate maius eſt & omnibus obliquum ſphęræ & mundi ſitum habentibus: quoniam ſol æſtate illis citiùs oritur, & tardiùs occidit :hyeme autem minùs. Id quod ipſa quoque experientia docet eſſe verum.

D. Quid eſt naturalis dies?

P. Illud omne temporis ſpatium, quod die artificiali, & nocte, quę conſequitur, continetur, vulgóque in xxiiij æquales & Æquinoctiales horas diuidi ſolet. Sic dies accipitur cùm in ſcriptura aliquis ſatur dierum dicitur deceſſiſſe. Sic exaudiendum eſt cùm à Iuriſconſultis dicitur, Tota dies, in quam quod dari promiſſum eſt, debitori cedit. Sic in bello ſumitur, cùm in xx. vel xxx. dies dicuntur pactæ induciæ.

B D. Sed quo ſignificato dies ſumitur, cùm lux appellatur dies?

P. Certè eo, quo diem artificialem appellauimus diem.

CAP. XVIII.

De partibus Diei & primùm de Mane, Meridie, Veſpere.

D. QVAE verò ſunt diei huius partes?

P. Diei lucẽtis diuiſio fieri poteſt duplex, vna quidẽ ab ipſis eſſentialib' diei partibus: altera ab eius tẽporis ſpatiis, per ꝙ durat dies.

D. Expone primùm eam diei diuiſionẽ, quæ à partibus ducta eſt.

P. Dies omnis, qui lux & artificialis dicitur, habet has tres præcipuas partes. Mane nimirum, Veſperi, & Mediam ipſam diem, quãdo Sol ad ſummum cœli verticem & axem peruenit, ad quem Sol poſt ortum matutinum gradatim ſingulis diebus aſcendit: & quem locum conſecutus poſtea eodem die declinat & deſcendit. Sed à Iuriſconſultis, & ab C Heſiodo lib.2.ἔργ. κ̀ ἡμερ. duæ, quæ totam lucis durationem complectuntur. Meridiem quidem Aſtronomi ἐν ἀκμῇ, & vno quodam cœli puncto, & verticali circulo faciunt. Ἐν πλάτει verò latiùs hîc conſiderantur manè & veſperi à nobis. Manè quidem eſt, vt ait Varro, principium diei, & omne illud temporis ſpatium, quo Sol oritur nobis & incipit illuceſcere ſupra noſtrum Horizontem perſpicuè emergens: manè dictus quòd tunc emanat dies, ὄρθρον à Græcis, ab Hebræis בקר Boquér, quòd tunc opus à quoque ſuum repeti, réſque omnis inquiri ſoleat, vt eſt Pſal.104.verſu 23. Matutini verò ipſius temporis duæ ſunt partes, vna quæ Diluculum, vel, vt alij volunt, Crepaſculum appellatur, & illud eſt quod ὄρθρον βάθος, id eſt, ſummum manè dixit Lucas, Luc.24.verſu 1. quódque πρωῒ quoq; vocatur. Eſt autem tenebris noctíque adhuc multæ miſta lux & omnino imbecilla, vnde λυκόφως dicta à Græcis. Altera matutini temporis pars nominatur Aurora, ἠώς, à Græcis: ab Hebræis שחר Sachar Geneſ.19.verſ.15. quòd iam illuceſcat dies & tenebræ depulſæ & à luce victæ fugiant. A Hæc durat vſque ad initium veſperæ, id eſt declinationis diei apud Hebræos. Atque hæc duo ita diſtinguenda eſſe docet Iobi locus, cap.38.ver.12. Cęterùm veſpera eſt illud tempus quod à meridie incipiens ſemper habet lucis diminutionem paulatim factam: cuius pars etiam eſt quod dicitur nocturnum crepuſculum, quæ pars diei tota paulatim nocteſcit. Dicitur autem veſpera à veſpero ſeu Veſperugine ſtella (vt ait Varro) quæ noctis tẽpus præit: ab Hebræis autem עבר Géuer, quòd tũc adhuc lux & tenebræ permiſceantur. Ergo veſpera eſt duplex, vna lucens ſtatim nempe poſt meridiem: altera nocteſcens, poſt horam videlicet quintam pomeridianam vſque ad occidentem perſpicuè Solem, vbi nox eſt Ioan.13.verſ. 30.

D. Habétne verò dies omnis veſpere & manè, cùm dicat Zacharias cap.14.verſ.7. fore, vt ſit dies aliquis ſine veſpere: videatur etiam hæc dies prima fuiſſe ſine Manè.

P. Quod ad Zachariæ locum attinet ille metaphoram habet, ex qua æternæ vitæ deſcriptio nobis colligenda eſt, vti apparet ex Apocal. 22. verſ. 5. Quod autem ad primam hanc diem, non video cur ſine manè fuiſſe dicatur, cùm aliud, & diſertè B quidem, ſcribat Moſes Geneſi 1.verſ.5. & nihil obſtet quominus dicamus, & ſentiamus primã diem non ſtatim ictu oculi exortam, ſed paulatim, vti nunc fit, è tenebris emerſiſſe: productáque à Deo fuiſſe.

D. Cur autem primam diei partem, veſpere facit Scriptura, non manè potius, cùm hæc quàm illud per rerum naturam initium exorientis diei & inchoatio eſſe æquius videri poſsit.

P. Cùm Veſpere diei initium conſtituit Scriptura, tunc diem non artificialem, & lucentem intelligit: ſed totum & naturalem, qui etiam noctem complectitur. Nam talis diei certè quidem vera, primaria, & legitima definiendi ratio debet à Veſpere, non à Manè duci, quia à veſperè & tenebris primùm cœpit naturalis dies.

D. Quid verò? Nónne quod alij atque adeò infiniti populi aliter in ea re obſeruant, legiſti vnquam, quorum alij à media potiùs nocte diem naturalem inchoant, vti nos Galli, & olim Romani, C vt docet Plutarchus de Roma.quæſt.probl.84. alij à Solis ortu: alij à Meridie, cuius rei & Gellius, & Alexander ab Alexandro, & Cẽſorinus, & Plinius in naturali hiſtoria ſunt teſtes locupletiſſimi?

P. Legi ſanè, neque vna fuit in ea re omnium populorum ſententia & conſenſus. Naturalis tamen & primaria conſtituendæ diei ratio, quæ eſſe ſanctior, melior & verior poteſt, quàm quæ eſt ab ipſo Deo ſapientiſſimo (qui & diem, & noctem condidit) definita? Nam quæ ab ea ratione inchoãdæ diei nationes diſceſſerunt non tam rerum naturam, quàm propriam quãdam rationem, & commoditatem ſecutæ mihi videri ſolent.

CAP. XIX.

Diei diuiſio in xxiiij. horas.

D. QVAE autem eſt altera diei partitio, quæ ex ſpatij, & temporis, quo totus durat dies, diſtinctione ſumitur?

P. Nimirum vt in 24. horas diuidatur. Hora-

A rum autẽ primus Daniel Propheta meminiſſe videtur,niſi quis fortè illud adferat quod eſt de horologio Achazi lib.2. Regum cap. 20. verſ. 11. ſcriptum ante Danielem. Horas verò alij faciunt & conſtituũt omnes inter ſe æquales,& horæ Æquatoris appellantur:alij autem inæquales,quæ Zodiaci horæ dicuntur,adeò vt luce diei creſcente,veluti in ſolſtitio æſtiuo, 12. horæ diei lucentis ſint longiſſimæ:noctis autem horæ breuiſſimæ:contra verò accidat noctibus auctis,vt in ſolſtitio hyberno. His autem horas appellãt Zodiaci horas,quòd eas ex Zodiaco metiantur,ab ortu Solis ad illius occaſum,12.numerant,quemadmodum Matth.27.verſ. 46.& cap.20.verſ.2.apparet.

D. At non ſemper. Nam Marcus 15. verſ. 25. vocat horam tertiam,quam Ioan.19. verſ.14. ſextã.

P. Verum dicis:ſępe enim totam diem lucentem in quatuor tantùm horas Maiores diuidebãt, vt faciliùs & breuiùs numerarent. Quarum quatuor horarum quæque tres minores horas Zodiaci continebat,vt docet Epiphanius autor Græcus. Quanquam ſcio in Ioannis v. Cod. manuſcripto eo loco legi non *ſextam horam*,ſed *tertiam*, vt apud B Marcum ipſum legitur, quam lectionem ſi retinemus, nulla erit inter Ioannem & Marcum diſcrepantia.

CAP. XX.

Dies cur creatus.

D. QVIS verò huius diei lucidi creandi ſcopus fuit & finis, propter quem à nocte & tenebris diſtingueretur?

P. Duplex. Vnus quidem generalis,nempe vt Dei potentiam, ſapientiam, & bonitatem omnibus hominibus,dies ipſe tanquã vocaliſſimus quidam præco enarret,& detegat,quæ nocte inuoluta non tam facilè & perſpicuè cerni poſſunt,quanquã quodammodo quoque nox, vt eſt ſcriptum Pſ. 19. idem facit. Alter autẽ proprius & ſpecialis, vt homines hoc ſpatium aptum & idoneum ad munus ſuum & opus exequendũ habeant,quemad. Pſ.104. verſ. 23. explicatũ eſt,cùm nocte nihil propter tenebras efficere poſsint.

C

CAP. XXI.

De tenebris & quid ſint.

D. HACTENVS de luce, & die: nunc verò age de tenebris & nocte.

P. Rectè mones. Præclarè nanquè Chryſtoſt. Homil. 8. ad Pop. Antioch. *Non enim minus vtilitatis quàm dies nox nobis affert. Sed ſicut in arboribus dixi, quòd fructuoſis infructuoſæ æmulam præbent vtilitatem, facientes ne cogamur ad ædificia domeſticas arbores cædere: Sic nox non minorem quàm dies vſum affert, cùm laborum ſit requies, & morborum medicina. Sæpe enim medici multa operati & infinita medicamenta moliti ab ægritudine laborantem liberare non potuerunt. Somnus autem ſponte adueniens omnem ſoluit ægritudinem: nec morbis tantùm corporis, ſed & animæ nox eſt medicina dolẽtes animas ſedans.* Hactenus ille. Ergo cùm ſit nox tam vtilis, de ea ſuo iam loco diſſeramus. Ac primùm tenebras ante lucem extitiſſe,ſi modò de priuatione dici poteſt,eam extitere, docet apertè Moſes, & poſt Moſen Paulus. 2. Corinth.4. Erãt enim tenebræ ſuper faciem terrę ante lucem creatam. Accedit autem ad huius ſententiæ A confirmationem & explicationem etiam Auguſtini autoritas qui lib.2.ad Bonifa.cap. 7. ſic ait. *Tenebras prius eſſe voluit Deus, vt quæ faciebat, non ex vlla percepta in iis pulchritudine,talia à Deo effici conſtaret,ſed merâ ſua gratia.* Denique huius tam veræ hiſtoriæ & narrationis in primorum Philoſophorum mentibus inhæſerunt quædam veſtigia & reliquiæ, quando Thaletem Mileſium legimus conſtãter defendiſſe tenebras fuiſſe priores & anteriores luce. Id quod de eo tradit Diogenes Laertius.

D. Quid ſunt autem Tenebræ?

P. Merè priuatio lucis creatæ. Qui enim tenebras ſacrum & pullum veſtimentum cœlorum ex Iſ.50.verſ.3.definiunt,vti lucem indumentum cœlorum ex Pſ.104.v.2.illi nimium metaphoricè vel allegoricè rę̃ explicant,& loquuntur. Qui etiã Tenebras corpꝰ eſſe aliquod putãt, in meris tenebris ipſi verſantur,& planè fallũtur. Sed noſtrã definitionem planè cõfirmat Augu.lib. cont.epiſt. fundament.Manich.cap.30.& 31.

D. At tenebræ Ægyptiæ dicuntur fuiſſe palpabiles Exod.10.verſ. 21. 22. & dẽſiores,quàm quæ B nunc appellantur Cimmeriæ:atque etiam lib.4.de placitis Philoſophorum c.15. Plutarchus ſcribit & Stoicos omnes & ſenſiſſe & probaſſe tenebras eſſe quiddam ὁρατὸν & viſibile,ergo & corporeæ.

P. Sunt quidem in aere & corpore tenebræ, vti in ſubiecto, non ſunt tamen ipſæ vel corpora, vel corporeæ. Et quod viſibiles eas eſſe Stoici putant, κατὰ συμβεβηκὸς & à contrario fit, non κατ᾽ αὐτὸ. Ideò enim videntur à nobis & percipiuntur tenebræ, quia luce deſtituti in tenebris nos eſſe agnoſcimus, cùm aliarum rerum nihil videamus: non quia tenebræ ſint aliquid, ſed quia lux non cernitur. Sic inquit Auguſtinus. *Dicimus nos auribus percipere ſilentium, non quia eſt aliquid: ſed quia ſonus non eſt niſi fortaſſe Manichæi eſſe volumus.* Dicuntur autem palpabiles cùm corpus ipſum & ſubiectum in quo ſunt,velut aer, tam ſpiſſum ſit,& obiicitur nobis,vt palpari manibus poſſit. Ergo in tenui & raro aere effuſæ tenebræ non ſunt palpabiles,in condenſato autem & conglobato ſunt palpabiles,quãquã illas tenebras Ægyptias miraculoſas & extra- C ordinarias & mirum in modum ſpiſſas fuiſſe credo,concedóque.

CAP. XXII.

De nocte & eius partibus.

D. CVR verò Tenebræ Nox appellantur?

P. A præcipuo quodam earum effecto. Eſt enim hæc nox, quæ luci & diei ſuccedit, maxima tenebrarum pars, etſi diuerſa inter ſe nomina ſortiuntur nox & tenebræ. Tenebræ enim appellantur חשך Choſchec quòd ſint obſcuræ. At verò nox לילה quòd tunc feræ prodeuntes è ſuis luſtris vlulare ſoleant vt eſt Pſal.104.v.21.

D. Quid eſt igitur Nox?

P. Tenebræ lucenti diei viciſsim ſuccedentes vt eſt Geneſ.8.verſ.22. At Philoſophi & Aſtronomi aliter noctem definiunt. Volunt enim eam ex vmbra terræ in noſtrum hemiſphærium incurrente effici,adeò vt quibus in locis illa vmbra tunc nõ eſt,& in quã partem hemiſphærij vmbra non incurrit, A currit, neque illîc quoque eſſe noctem & tenebras poſſe contendant.

P Nimium illi anguſtè tenebras, noctémque definiunt. Etſi enim Dominus, qui nihil fecit fruſtrà, Solis motu ad ſubducendam nobis lucem viciſſimque tenebras inducendas, nunc vtitur, incurrátque in noctem terræ vmbra in hoc ordinario mundi ſtatu & viciſſitudine diei ac noctis: tamen ante hunc ſolis curſum, quem videmus, & prius quàm vmbra terræ vlla extitiſſet, iam tenebræ & nox erant. Fuerunt enim ſtatim à prima die: Sol autem & eius motus quarta demum extitit & conſtitutus eſt, à quo tum demū illa ex terræ vmbra obſcuratio & nox fieri potuit. Deinde cùm terrâ nōdum apparente, ſed aquis eam adhuc contegentibus iam eſſent nox & tenebræ manifeſtæ, quomodo potuit vmbra terræ eſſe vel ſola, vel propria tenebrarum & noctis cauſa? Vera igitur noctis & tenebrarum cauſa eſt deficiens illa quidem potiùs, quàm efficiens quærenda, nempe abſentia lucis: quæ quoties fit ſiue interiectu vmbræ terræ, ſiue alia quapiam ratione (vt infinitis modis nobis Deus ſuam lucem ſubducere poteſt) certè tunc eſt nox, tunc ſunt tenebræ. Imò verò ipſa incurrens & interpoſita inter nos & cœleſtem lucem vmbra terræ eſt tantùm inſtrumentalis cauſa, per quam lu- B cem nobis Dominus noctu adimit: ipſarum autem tenebrarum cauſa veriſſima eſt abſentia & priuatio lucis. Sed & illud quoque noſtram ſententiam cōfirmat, euertit autem Philoſophorum: quòd per tres horas continuas, quum Chriſtus crucifigeretur, & quo tempore Sol in ſummo axe cœli ſtabat, & in Iudæorum hemiſphærio, & ſupra illius regionis horizontem verſabatur, fuit tamen nox, & tenebræ horrendæ. Quod certè propter terræ vmbram tunc accidiſſe dici non poteſt, quia nunquā illa nobis tenebras offundit, infuſcátque aciem noſtram, niſi cùm Sol ſub noſtro horizonte verſatur. At tunc in medio cœlo ſtabat, & in ipſo meridie cæcutierunt homines. Quod quanquam diuinitùs atque extraordinariè factum eſſe concedo, efficit tamē vt intelligamus, & ſine vlla terræ vmbra noctem tenebráſque induci poſſe (quales primæ fuerunt) & ex ea vna re noctis tenebrarúmque rationem non (vt Philoſophi volunt) æſtimandam, ſed ex ipſius lucis abſentia & impedimento, quacunque tandem de cauſa fiat & eueniat nobis.

C D. Quomodo verò nox diuidi ſolet?

P. Variè. A militibus quidem in exercitu, & ab iis etiam, qui certas in ea laboris vices obeunt, in quatuor vigilias, tanquam in quatuor parteis vniuerſa nox diuiditur, vti apparet ex Luc.12.verſ. 38. Ab aliis autem aliter pro vſus ſui commoditate, vti ab agricolis in tres partes, nempe in tēpus cōcubium, mediam noctem, & gallicinium, quam appellat Varro extremam noctem, quæ cum crepuſculo matutino coniungitur: éſtque ſummum illud manè quod dicitur à Luc. 24. verſ.1. & à Matthæo extremum diei præcedentis Matth.28.verſ.1. Nam Euangeliſtæ more Romanorum à Solis ortu diem illîc numerant, & inchoant, non autem à Solis occaſu in præcedenti die more Hebræorum, quanquam de re & hiſtoria inter Hebræos geſta ſcribunt. Siquis tamen diſtinctiùs Noctis partes requirit, hæ ſunt. Occidente Sole dicebatur Veſpera ſeu ſerum Diei: Ab hoc tempore prima fax: deinde concubia & intempeſta: poſtea Media Nox: A mox inclinatio noctis: deinde Gallicinium: poſtea Conticinium, quum Galli conticeſcunt, & homines etiamnum quieſcūt: Poſt hæc Diluculum, quo rareſcunt tenebræ: deinde Mane clarum. Galli tamen ter noctu canunt, vt & experientia docet, & locus Marci 14. verſ.68. & 72. non ſemel tātum. Primùm, circa horam primam poſt mediam noctem, ſecundò circa horam tertiam, tertiò diluculo.

CAP. XXIII.

Noctis creandæ finis.

D. ECQVIS verò noctis condendæ finis fuit Deo propoſitus?

P. Triplex. Ac primum quidem hominum atque animalium ſubleuatio. Nā nox eſt illa vtriſque neceſſaria quies, cùm aſſiduo labori ſupereſſe non poſſunt. Homo autem cùm creatus eſſet terrenꝰ nec Deo æqualis, nec Angelis, ſed qui intermiſſione quadam & ceſſatione opus haberet ad recreandas vires, noctis tempus à Deo ſapientiſſimè cōſtitutum habuit, vt in eo actiones corporis aliquā- B diu remitteret. Quæ ratio cùm in primo homine, & adhuc integro vegetóque locum habuerit, multò magis in nobis hodie poſt peccatum tam infirmis & imbecillis effectis habere debet. Quo magis eſt admiranda damnandáque animi phreneſis & intemperies potius quàm pietas veterum illorum monachorum, qui noctu quieſcere, & laborem intermittere nefas eſſe cenſebant. Quid enim eſt cum Deo & natura ipſa, more Gigantum pugnare, niſi hoc eſt, quāuis tales & Hieronymus, & vetus Eccleſiaſtica hiſtoria laudet? Et primus quidem hic fuit noctis condendæ finis Deo, præter ipſius gloriam, vt ex Pſal. 19. iam diximus, nempe humanarum virium quies & recreatio, atque laboris intermiſſio. Secundus verò finis noctis creandæ eſt rerum omnium (quæ interdiu lucis calore exſicantur & torrentur) refrigeratio & humectatio quædam. Habet enim hoc proprium nox & ſuum, vt ſit humida & frigida, quemadmodum dies vt ſit calidus & ſiccus, Ierem.36. verſ. 30. Pſal. 121. verſ. 6. C Eſt autem hæc frigoris & caloris viciſſitudo rebus omnibus & gignendis & conſeruandis maximè neceſſaria, ne ſi perpetuò dies fuiſſet, lucis æſtu cuncta arderent: ne ſi item perpetuò nox eſſet, gelu & frigore cuncta torpeſcerent, & perirent. Ergo ſumma Dei Opt. Max. bonitas rebus à ſe creatis has diei & noctis vices ordinarias poſuit & ſanxit. Tertius denique noctis finis fuit hominis ſecuritas, & ferarum, quæ nunc homini ſunt horrendæ, tuta vagatio. Illæ enim noctu ſuis è luſtris egrediuntur, quas Deus quanquam truculentas, tamen lucis ſplēdore pauidas attonitáſque reddit, & interdiu in ſpeluncis abditas retinet, quales ſerpentes, vrſi, leones, lupi, ne hominibus ad ſua munia pergentibus occurſent, eóſque lædant aut etiam perterrefaciant. Noctu autem audaces illæ ad paſtum egrediuntur, quo tempore homines ſeſe domi viciſſim continēt. Atque hic finis pulcherrimè eſt explicatus Pſ. 104. verſ. 20. 21. 22. Ex quo certè apparet quàm nobis vel ex ſolius noctis vſu ſit admirabilis Dei potentia, bonitas & ſapientia.

TRACTATVS SECVNDVS, ſeu Dies ſecunda.

De expanſione.

D. DE luce & die,de tenebris & nocte abundè dixiſſe mihi videris. Nunc ad ſecundam diem aggredere, quam & ipſam, & quæ in ea fecit Dominus Deus explica,earúmque rerũ naturã expone,qualis ſit,quantum quidem animo conſequi potes.

P. Ordine quæris.

D. Quid igitur ſecunda die effecit Dominus?

P. Spatium & interuallum inter res terreſtres & cœleſtes tum iam creatas,tum etiam poſtea creandas: ne illæ nullo interuallo inter ſe iunctæ & contiguæ premerentur ac confuſæ manerent. Primo enim die Deus videtur fundamentum & tectum,id eſt,terram & cœlum,nullo ſpatio interiecto coniunctim creaſſe.

D. Vnde id habes?

P. Ex Dei Propheta, veriſſimóque iſtarum B rerum ſcriptore & hiſtorico Moſe, qui Geneſis 1. verſ.6.ſic ait, *Dixit quoque Deus, Eſto expãſio in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis : & fecit Deus expanſionem, diuiſitq; aquas quæ erant ſub expanſione ab aquis, quæ erant ſupra expanſionem, & fuit ita. Vocauítque Deus expanſionem illam cœlum(vel cœlos) & fuit veſpera, & fuit manè dies ſecundus.*

CAP. I.

Ratio ordinis operis ſecundæ Diei, & cur expanſio creata ſit.

D. IAM verò aſſentior tibi. Sed quàm cõuenienter & ordine hæc expãſio interiecta ſit à Deo ad vtraſque res illas cœleſtes,vt ais,& terreſtres diſtinguẽdas(ſiue quæ iam creatæ, ſiue adhuc creandæ erant)rationem expone.

P. Hoc primum omnium contendo, quanquam rachia & expãſio illa quoddam interſtitium, & diſcrimen eſſe dicatur, idque conſtitutum inter aquas:ex rerum tamen ipſarum accurata & diligẽti conſideratione ſatis intelligi hoc interuallum inter vniuerſas res ipſas aſpectabiliter (quarum aliæ terrenæ,aliæ cœleſtes in Scriptura vocantur) facere C quoque diſcrimẽ. Quid enim aliud erant aquæ ſub expanſione manentes quàm tota illa moles, quæ mare & terram.i.res omnes terrenas vno quidem corpore tunc temporis complectebatur? Quid autẽ erat ſupra aquas , quàm res cœleſtes & æthereæ, qualis iam Sol,Luna,cœli ipſius volumen & contextus,itémque ſtellæ? Ergo iis extremis & finibus tunc rectè & commodè deſignatum eſt hoc inter res cœleſtes & terrenas interſtitium. Aquæ enim cœleſtes vti elementaris regionis ſunt finis,ita initium æthereæ regionis. Vtraque enim illa , terrena inquam, & cœleſtia antea ſibi adhærebant , ſéque proximè attingebant, quia nullum adhuc interiectum erat inter ea medium ſpatium, quod hac die factum eſt. Hæc igitur ſecunda dies veriùs dies diſtinctionis rerum appellanda eſt: vti prima dies,de qua iam diximus,dies creationis. Nam vti tũc prima ſemina cæterarum rerum ſunt à Deo ex nihilo creata , præcipuúmque earum educendarum inſtrumentum fabrefactum eſt,nimirum lux:ſic nũc A interſtitium conſtitutum eſt ad vtrãque rerum naturam ſecernendam,ſeparandámque à ſeſe,vt quẽadmodum terrena ſunt à cœleſtibus naturâ diuerſa : ita manifeſtè diſiunctum quoque locum & ſeparatum etiam manifeſto interuallo ſortirentur & haberent. Itaque tunc quodammodo factum eſt quod cecinit ille etſi confuſè. *Nam cœlo terras , & terris abſcidit vndas. Et liquidũ ſpiſſo ſecreuit ab athere cœlum.* Quanquam enim rerum eſſentiæ erant īpſæ iam per ſe aliæ & ſeparatæ,nondum tamen locorũ ſpatiis erant à ſe diductę & ſecretæ. Cæterum illud non verè dixit poëta eodem tempore *cœlum terris abſciſſum, & tũc abſciſſas à terris vndas.* Id enim tertia demum die factum eſt. Hoc autem vt à cœlo terra abſcinderetur factum eſt die ſecunda , vt hîc videmus. Sed Poëta Ethnicus ex veteri quadã traditione, & iam corrupta & interpolata vera harum rerum hiſtoria propter longinquitatem temporis ſic locutus eſt. Nam tanti myſterij, & tam altæ atque à ſuo ſeculo remotæ ſapientiæ veſtigia tantùm quædam, memoriámque à ſanctioribus patribus traditam didicerat,adhúcque retinebat.

D. Quid igitur,aquas illas cœleſtes tu vis eſſe B ſummam & extremam elementaris regionis partem:æthereæ autem & cœleſtis initium?

P. Planè.

D. Quid etiã aquas terreſtres,vt mare ipſum, vis eſſe principium & initium citimum tractus & expanſionis iſtius à Deo ſecunda die creatæ , quæ vſque ad eos cœlos(qui prima die creati ſunt)pertingat?

P. Illud ipſum. Atque hic locus & tractus vulgò aëri à Philoſophis tribuitur.

CAP. II.

Aquas cœleſtes eſſe eiuſdem generis, & naturæ cuius & terreſtres.

D. NVM autẽ has cœleſtes aquas toto genere à marinis,& noſtris differentes facis?

P. Minimè. Sunt enim genere eædem : ſpecie tantùm & proprietate quadam atque raritate tenuitatéque ab iis differentes. Ex eodem enim aquarum cumulo & aceruo à Deo de- C cerptæ, &, vt dixit ille , abſciſſæ ſunt ad alios quidem vſus, ad quos Dominns eas deſtinauit & ſeparauit:ad quos vſus nobis præſtandos eſt data illis vis & natura apta & idonea,planéque conueniens.

D. Ergo rectè ſentit Auguſtinus , qui aquas cœleſtes eas eſſe & dici ſcribit ex quibus & nubes gignuntur, & pluuiæ creantur, quę decidũt in has terras.Sic enim ille ſentit lib.2.de Gẽ.ad lit.& pręclarè.Alij autẽ omnino abſurdè,qui cœlos ipſos aqueos eſſe putant. Quòd ſi cœli ſunt aquei , ergo frigidæ & elementariæ qualitatis ſunt participes, & eadem incommoda patientur , quæ hic aër vel mare. Quod eſt falſum. Manent enim in eo ſtatu, in quo ſunt primùm conditi , ſtabiliter & nulla alteratione mutati. Alij denique aquas cœleſtes malè interpretantur volúntque cùm aër natura ſua ſit ſuperior quàm aqua , aquam in cœlis & ſupra expanſionem iſtam (quæ eſt locus aëri proprius) nullam eſſe omnino poſſe:& hoc totum quod de aqua à Moſe ſcribitur, metaphoricè accipiendum eſſe contendunt. Atque hoc poſtremum ſentiunt, A verúmque eſſe affirmant Scholaſtici penè omnes, quæ ſententia planè Origeniſtarum errorem & allegorias(contra quas libros 12.de Geneſ.ad literam ſcripſit Auguſtinus)redolet & ſapit.

P. Quin variè aquæ cœleſtes explicentur non dubito:ſed veram eſſe hanc noſtrã,vel potiùs Auguſtini ſentẽtiam ſatis poſtea apparebit,poſtquam de ipſa Expanſione, & eius vſu plura dixerimus. Quamobrem hoc ſit à nobis tandem concluſum & effectum,ſecunda hac die non tantùm aquas,ſed in vniuerſum res terrenas quæ iam erant, quæque poſtea naſci debebãt, à cœleſtibus & æthereis fuiſſe ſecretas; locóque ſeparatas,quemadmodũ ſunt illæ inter ſe natura diuerſæ & diſtinctæ. Nam eandem ſedem, eaſdémque omnino leges habere vel pati non poterant. Quare & rebus iã creatis,& poſtea creandis quærendus cõſtituendúſque erat locus. Quod niſi Dominus feciſſet, manſiſſet in hoc mundo & tam admirabili opificio ſumma rerum confuſio, niſi, inquam, interpoſito iuſto quodam ſpatio, diuiſæ illæ à ſe ipſis fuiſſent. Id quod per expanſionis huius(quę ſecunda die extitit)interiectionem potentiſſimè,commodiſſimè,ſapientiſſiméque effectum eſt. Denique,ſi in his tam diuinis & admirabilibus operibus licet vti ſimilitudine ab B opificiis hominum ſumpta, prima die materiem mundi,id eſt,huius ædificij congeſſit, & præparauit ad ædificandum mũdum: ſed quia illius tectum & pauimentum ſimul coniuncta erant,ſecunda die Deus expanſione facta contignationes mundi, id eſt, huius ædificij tabulata conſtituit, & tectum à pauimento diſtinxit. Nam tectum, id eſt, cœlum verbi ſui virtute tanquam prehenſione quapiam & cochlea (quod in ſuis artificiis fabri faciunt) in altum ſubleuauit,nimirum vt eſſent in mundo cõmodæ & idoneę cuique rei pro ſua natura ſedes atque habitationes conſtitutæ,& eæ quidem diuerſæ, vti ipſæ res ſunt inter ſe diſſimiles. Quare primùm cœpit in hoc mundo, id eſt, in hoc Dei ædificio apparere ἀνώγειον id eſt cœnaculũ ſuperius, & cæteræ contignationes diſtinctæ, quæ priùs erãt confuſę. Sic enim Pſal.104.verſ.3.loquitur.

D. Intelligo quid velis;conſtitutum eſſe hoc ſpatium,vt doceremur certum cuique rei & naturalem locum eſſe oportere. C

P. Sic eſt.

D. Quid eſt igitur locus?

P. Duplex eſt,vt Phyſici aiũt, vnus proprius, quem quæque res ſola occupat & proximè: alter communis, in quo multæ res eiuſdem generis vel diuerſi eſſe poſſunt, qualis eſt hic aër, & expanſio, in qua multa varij generis animalia habitant. Proprius igitur cuique rei locus eſt,quem res ipſa implet, & quidem totum,& ſola,& proximè eum attingens.

D. Quomodo verò hunc locum definis?

P. Damaſcenus ſic explicauit, *Locus corporalis eſt finis eius,quod continet; reſpectu eius quod continetur*: Bernardus autem ſic, *locus vnicuique rei eſt finis ſuæ ſubſtantiæ*. Sic verò dilucidiùs dici videtur poſſe, vt in genere ſit locus ſuæ cuiuſque rei eſſentiæ & hypoſtaſis terminus, & finitio. Itaque quod locum habet, omnino infinitum non eſt: & contrà quicquid non eſt ipſa ſuæ eſſentiæ proprietate infinitum,locum habeat neceſſe eſt. Sed quia quædã hypoſtaſes ſunt corporeæ: quædam ſpirituales, vt Angeli: idcirco fit vt corporeæ ſint in loco circunſcriptiuè, A id eſt, eo modo vt dimenſiones, quibus earum corpora terminantur & circunſcribuntur, deſignari poſſint. Quædam autem non ſunt corporeæ,& ſunt in loco, non quidem circunſcriptiuè,ſed vt vocant definitiuè: quia dimẽſionibus carẽt,vt Animi hominũ per ſe conſiderati,& Angeli.

D. Video quis ſit huius expanſionis generalis vſus & communis vtilitas. Dic quæ ſint aliæ commoditates. Ex his enim ritè perceptis faciliùs intelligetur quid ſit iſta expanſio.

CAP. III.

Expanſionis variæ vtilitates.

P. RECTE colligis. Itaque præter hoc diſcrimen & intervallum, quod inter res aſpectabiles terrenas, & cœleſtes hac ratione poſitum eſt, duæ ſunt præterea huius expanſionis commoditates.

D. Ecquæ verò?

P. Prima hæc, vt aquæ ſuperiores & cœleſtes à terrenis & inferioribus ſepararentur. Altera vt intercapedo aliqua relinqueretur, mediúmq; ſpatium, in quo arbores & plantæ cùm crearentur, & naſcerentur, ſe extenderent & eueherent: in quo B etiam homines & animalia ſe porrigerent, & creſcendo in altum ſeſe extollerent, & proceritatem membrorum haberent,denique vbi reſpirarẽt. Nã & homines nanos & pomiliones eſſe oportuit, itémque animalia minima, & arbores digitales, ſi nullus medius locus conſtitutus eſſet inter cœlum & terram, vbi illa omnia ſeſe proferre poſſent & expandere. Denique omnis omnium rerum vita, vſus, commoditáſque impedita aut ſublata foret, niſi hæc expanſio atque intercapedo crearetur atque interiiceretur, & tãquam liberum ſpatium relinqueretur.

CAP. IIII.

Expanſio quid ſit, & eam eſſe duplicem.

D. TENEO rationem,atque finem huius expanſionis. De re ipſa nunc age, & primùm quid ſit.

P. Dominus ipſe hoc ſpatiũ appellauit primùm רקיע.i.expanſionem. C Quæ vox quàm ſit latæ ſignificationis ex eo apparet,quòd etiam tractus ille omnis,qui eſt ab aquis cœleſtibus ad cœlum vſque extimum,& ſupremum,nominatur etiam expãſio, & raguiah,in quo tractu & raguiah Sol, Luna, ſydera collocata ſunt. Deinde quòd terræ ipſius ſuperficies,quam calcamus & latiſſimè expanſam videmus,raguiah etiam appellatur Iſ.42.verſ.24. Denique quòd generaliter ad omnem loci ſpatiíque alicuius extẽſionẽ vox illa pertineat, vti ex Ezech. 1.verſ.22.& 23.facilè intelligi poteſt.

D. Quomodo igitur, & pro quo tractu accipitur hæc expanſio,quæ ſecundo die creata eſt?

P. Pro eo tãtùm,qui diſtinguit aquas ab aquis, & totam hanc elementarem regionem ab æthera interuentu ſuo diſpeſcit, quemadmodum docuimus. Qui locus eſſe aëris proprius à vulgo Philoſophorum cenſetur.

D. Eſtne verò & alia expanſio ſiue raquiah præter hanc?

P. Sanè,& ea quidem hac noſtra ſuperior,quę eſt illa,quæ vniuerſam æthera regionem com-

A plectitur ac habet, pertinétque ab aquis cœleſtibus ad cœlum illud ſupremũ, poſt quod ſunt beatorum ſedes & throni. Quod ſpatium & Lunam & aſtra habet, & cœlum quod propriè appellatur, & primo Die creatum eſt.

D. Atqui & hæc expanſio, quæ ſecunda Die creata eſt, cœlum quoque nominatur.

P. Verum dicis. Quicquid enim ſpatij ab hoc terræ globo ſurſum eſt in infinitum generaliter in Scriptura שמים Schamaiim, id eſt, cœlum appellatur, non quòd vtriuſque illius ſpatij, eius inquam, quod à nobis ad nubes pertingit: & illius, quod à nubibus ad cœlum vſque extimum porrigitur, ſit eadem proprietas, vis, & natura: ſed quòd cùm illius ſuperioris natura & ſubſtantia nobis ſit ignota, prorſus fuit ex hac inferiore (quę nobis notior eſt) denominanda atque nobis demõſtranda. Propriam enim vocis rationem inquirentibus Schamaiim appellatum eſſe apparebit, vel ex eo quòd illìc ſint & conſiſtant aquæ, vel ex eo quòd illìc ſimul ignis ſiue ſplendor aliquis & aquæ ſint velut ſimul miſtæ. Vnde huic inferiori & elementari expanſioni B potiùs quàm æthereæ illi aſtra continenti hæc appellatio, (ſi propriam nominis notationem ſpectamus) conuenit, quemadmodum etiam dicitur à Deo ipſo huic eſſe iſta denominatio impoſita. Superiori autem illi (quæ prima Die creata eſt, & ſydera habet, & Solẽ, & Lunã) trãſlatitiè hæc appellatio accommodatur, quòd alio vel commodiori vocabulo illam nobis ſignificari oportere non exiſtimarit Dominus. Ex quo fit, vt eadem etiam ratione locus ipſe, qui beatorum ſpirituum domicilium & ſedes eſt, & vbi procul dubio nullæ ſunt aquæ, Schamaiim tamen & cœlum eadem voce, etſi non eodem etymo, denominetur.

CAP. V.

Continuum eſſe totum illud ſpatium, quod eſt à terris ad extimum cœlum.

D. ESTNE tamen continuus vtriuſque expanſionis tractus, an interruptus?

P. Continuus. Nam cõtinua quadam productione & extenſione latè ſeſe effundit, & cohæret omne illud ſpatium, quod à nobis in ſublime C extollitur, & vno nomine cœlum appellatur. Cuius totius latiſsimi & immẽſi ſpatij, quidam, & viri quidem doctiſsimi, verbum Dei ſecuti tres partes diſtinctas conſtituunt. Primam eam, quæ à noſtræ terræ ſuperficie ad nubes & aquas illas cœleſtes patet, quas etiã aquas ipſa complectitur, quod primum cœlum appellant & aërem. Secũdam autem eam, quæ ab his aquis cœleſtibus ad cœlũ vſque extimum pertingit, quod ſtellas habet, & hanc nominant ſecundum cœlum ſiue firmamentum, ſiue æthéream regionem. Tertiam denique faciũt eam, quæ ſupra extimum cœlum patet in infinitũ, & eſt beatorum & Chriſti ipſius (quatenus homo in cœlum ſe recepit, illícque eſt) ſedes, quam dicũt tertium eſſe cœlum, in quod Paulus ſe raptũ fuiſſe teſtatur 1. Corinth. 12. 2. & alibi cœlum cœlorum, vel cœli cœlorum. Reg. 8. 27. Pſalm. 115. 16. & quod etiam ſupra cœlos eſſe dicitur, quia ſupra primum, & ſecundum cœlum eſt, id eſt ſupra aerem & firmamentum, loco quidem nobis admirando, ſed ſi quis curioſius inquirere velit, ignoto. Sic Heb. 7. 26. Chriſtus conſcendens in illud cœlum dicitur A ſublimior cœlis factus, & Eph. 4. 10. ſupra omnes cœlos aſcẽdiſſe. Tertij denique cœli meminit Scriptura, non autem vllius vlterioris, & ſuperioris.

D. Sed quia nunc de hac prima citima, & nobis viciniori expanſione tantùm agimus, quæ primum cœlum appellatur, & eſt nobis proximum, nondum autem de ſecundo, de quo in opere quartæ Diei dicendum nobis erit (nam de tertio cœlo nuſquam agit Phyſicus, cùm ſit extra haſce res omnes aſpectabiles, & extra totius Phyſices cognitionis fines) explica, quæ ſit huius expanſionis, & cœli natura, quæ partes, & quis denique vſus.

CAP. VI.

De prima expanſionis, quæ dicitur Aer, natura, & primùm eum non eſſe corpus.

P. QVOD ad naturam huius expanſionis, & cœli primi ac inferioris pertinet, illa eſt locus. Quod ad partes eius, nullę in Scriptura diſtinguuntur: quædam tamen poſſunt obſeruari. Quod ad vſum, idcirco eſt hęc expanſio facta, vt diſcerneret & ſepararet aquas terrenas ab B aquis cœleſtibus propter ſummas, & penè infinitas hominum commoditates.

D. Breuiùs tu quidem quàm vellem, itaque de iiſdem rebus expone aliquid fuſiùs, & ordine quo petam. Dic igitur, éſtne hæc expãſio corpus, ídque plenum, an vacuum: & ſi plenum, cuius rei, aeríſne, quem Philoſophi vocant, facis, an alterius cuiuſdã naturæ & corporis?

P. Expanſio hæc, quæ diſtinguit aquas ab aquis, eſt locus, id eſt ſpatium & interuallum quoddam inter duo corpora interiectum, non autẽ corpus, ſed quia eſt locus, vel interuallum, ideò ex ſuis finibus, quibus circumſcribitur, definitur & deſignatur. Dicitur enim eſſe & iacere inter aquas, & aquas. Expãſionis igitur huius fines & termini ſunt duo corpora aquea, vnde extra corpus cogitari à nobis & deſignari non poteſt. Pręterea locus & interuallum ipſum per ſe non ſubſiſtit, cùm ſit ex earum rerũ numero, quæ Relata & πρός τι dicuntur, & ad aliud naturam ſuam relationémque habent. Nam & locus & interuallum eſt ratione corporis C contenti locus, atque etiam in corpore, & ſubſtantia quapiam. Ex quo fit, vt locus non niſi ex corporum aliquorum deſcriptione & relatione intelligi poſſit, exempli cauſâ iũge primùm manus, poſtea iunctas eas diſiunge, & ſepara, expanſionem inter eas mediã ſpatiũmque reliqueris, corpus autem nullum propterea effeceris & produxeris. Sic in hac expanſionis creatione factum eſt. Non eſſe autem ipſam expanſionem corpus vel ex eo ſolo ſatis intelligi poteſt, quòd infinitos humores, qui in eam exhalant, iſte locus excipit, qui per eam trãſeunt, & ad aquas illas cœleſtes ſiue ſuperiores tandem perueniunt. Quod certè omnino fieri non poſſet, ſi illa eſſet corpus, niſi fortaſſe, aut dimenſionum penetrationem, aut corporum per corpora traiectionem fieri Phyſicè ordinarióque rerum modo poſſe imperitè & falsò concedamus.

CAP. VII.

Non item eſſe vacuum quidpiam.

A D. QVID igitur,hoc totum, & tantum locorum interuallum vacuum eſſe cenſes, quum per illud alia corpora variè permeent & penetrent?

P. Vacuum eſſe vel manere non conceſſerim, cùm corporibus tum noſtris,tum aqueis & vaporibus impleatur: ſed dico non eſſe hanc expanſionem ipſam per ſe corpus quoddam, quod ſit nouum cõditum à Deo, ſed tantùm latum quoddam inter aquas interuallum cõſtitutum, quod humores(qui ſurſum ferrẽtur)reciperet, & terrenis corporibus ſpatium liberum & capax, in quo creſcerent,ſpirarent,& mouerẽtur,relinqueret, quod vt ita fieret vacuum primùm creatum eſſe oportuit, poſtea verò impleri.

D. Cuius verò rei iam illud plenũ eſſe dicis?

P. Philoſophi quidem illud duorum elementorum receptaculum eſſe cenſent, nimirum aeris & ignis:ego verò minimè illis aſſẽtior: ſed vel corporibus terrenis,vel aquis ipſis impletur.

CAP. VIII.

De elemento ignis,Vtrùm ſit aliquod.

B D. QVID ita?

P. Quia velle & defendere eſſe aliquod ignis elementum valde à veritate alienum mihi ſemper viſum eſt. Primùm enim quid aliud precor eſt iſte ignis, quàm lucidus ille calor, qui primo Die creatus eſt, de quo iam diximus, quíque tantùm abeſt, vt aliorum corporũ gignendorum materia & elemẽtum Phyſicum eſſe queat, vt ipſe per ſe non ſubſiſtat:ſed in alio ſit, tanquam accidens in ſubiecto? At quod eſt elementum,aliarum rerum componendarũ, neceſſe eſt per ſe,non autem in alio ὕπαρξιν habeat: eſt enim materia. Id quod ipſi illi Philoſophi fatebuntur eſſe verum. Deinde qui ignem hunc & quartum elementũ ſtatuunt,nihil aliud eſſe volunt,quàm ſuperiorẽ tertij elementi,id eſt,aeris partem,quæ raptu, & motu cœleſtium orbium propter viciniã accenditur, adeò vt vnum & idem elementum in duo diſcerpere cogantur.Poſtea quomodo non perpetuò lucebit & ardebit hic ignis, adeò vt nec illud luminare maius quod noctis illuſtrandæ cauſſa factum C eſt & Luna appellatur, nec ſtellas ipſas, quæ eandem ob cauſam à Deo conditæ ſunt fieri oportuerit, cùm hic elementaris ignis colluceret in mediis tenebris, & lumen calorémque illum ſuum abundè nobis ſpargeret.Denique huius elementaris ignis à luce, quæ prima die creata eſt, diuerſi nuſquam Scriptura meminit, ac ne Moſes quidem toto capite 1.Geneſeos, nec etiam cap. Pro.30.4. vbi vera tamen rerum naturalium elementa recitantur, vt prætermittam alia penè infinita abſurda,quæ ex ea ſententia conſequuntur, quale hoc, quòd hæc inferior mundi regio non tantùm ambuſta,ſed iam pridem iſto igne cõſumpta eſſet. Quòd item nullæ iam nubes crearentur, quia in ſuprema aeris parte illæ gignuntur, vt ipſi illi Philoſophi conſentiunt.

D. Atqui Sap.13.2.huius ignis mentio fieri videtur:& Auguſtinus variis in locis, imprimis autem lib.2.de Geneſ.cap.1.& opere imperfecto cap. 4.quatuor hæc elementa diſertè commemorat, *Ignem, Aerem, Aquam Terram*, vt alios ſcriptores Eccleſiaſticos non attingam. Denique hunc eſſe oportere primus Hippocrates: & poſt eum medici A robuſtiſsimo argumento docent, quoniam non modò noſtra,ſed omnium harum rerum inferiorum corpora quatuor humoribus conſtare & tẽperata eſſe ratio demonſtrat, qui ſunt quatuor illorum elementorum propriæ qualitates:inter illas autem eſt viuificus & natiuus calor, qui propria eſt ignis elementaris qualitas.

P. Quod ad medicos attinet, lucẽ, quæ prima die creata eſt, illis ſubſtituimus, cuius beneficio aut potiùs miniſterio omnia illa commoda à Deo conſequuntur, quæ ab igne ſuo elementari petũt. Itaque eorum argumentis non premimur. Quod ad Auguſtinum,varius in eo ipſe eſt, nec ſibi ſemper conſentiens,vtrùm ſint quatuor tãtùm, vtrùm verò plura,vtrùm etiam pauciora conſpicabilis huius mundi elementa, quando id ignorari citra vllum fidei periculum poſſe idem ſcribit lib. 2.cõtra Pelag.cap.23. Quod ad locum & caput 13. libri Sapientiæ, facilem reſponſionem habet. Neque enim illîc agitur de igne illo Philoſophico & elementari à luce cœleſti diſtincto, ſed vel de luce ipſa & Sole, qui ab ethnicis pro Deo habitus eſt & B Mitra appellatus: vel de igne hoc noſtro, qui à Perſis,& vicinis nationibus ſanctiſsimè colebatur, & ante ipſorum reges religioſiſsimè circunferebatur. Vides igitur, vt hæc nos argumẽta non arguãt, nec cogant fateri aliquod eſſe igneum elementum in hac expanſione collocatum.

D. At verò afferri pro iſto igne etiam illud poteſt,quod eſt ſcriptum Exod.3.3.de igne,qui in rubo Moſi apparuit lucidus ille quidem, non tamen vrens, nec rubum conſumens, qualem ſuum elementarem ignem eſſe Philoſophi dicunt.

P. Imo verò hoc ipſum maximè illorum ſententiam euertit, cùm doceatur eum ignem, qui in hac inferiore mundi parte nil adurit, nec deficit, naturalem eſſe non poſſe: ſed planè miraculoſum eſſe cenſendum, qualis ille fuit. Vrit enim & conſumit propriæ naturæ vi omnis elementaris & inferioris huius mundi ignis.

CAP. IX.

De aere,an ſit,& quid ſit.

C D. QVID igitur, quando huius expanſionis interuallum ignis receptaculum eſſe negas,nec vis eſſe vllum ignem elementarem à luce cœleſti diſtinctũ, qua re,quæſo, quóve igitur corpore plena erit hæc expanſio, quæ ſecunda die facta eſt, & cuius tandem rei locus & receptaculum, vtrùm aeris, quem Philoſophi nominant?

P. Vtrùm Aer ſit nécne, & quid ſit aer, quæri etiam poteſt,qualem quidem Philoſophi conſtituunt. Nec ſanè caret ea quæſtio diſputatione.Primùm enim Scriptura etſi ventorum, nubium, tonitruum,grandinum,earúmque rerum, & meteororum, ac impreſsionum, quæ in hac expanſione gignuntur,& in aere, & ex aere à Philoſophis fieri cenſentur,ſæpe & perſpicuè meminit: aeris tamen iſtius,quem Philoſophi ſtatuũt, & ab aquæ natura diuerſum diſtinctúmque elementum dicunt,nuſquam facit mentionem. Quod tamen erat neceſſe. Deinde quum aſpirationis exſpirationiſque, quã vita hæc noſtra continetur:quum item halitus,qui à nobis attrahitur, & vbi huius aeris maximus

A vſus à Philoſophis cogitatur,eadem Scriptura meminit,nuſquam tamẽ aerem,id eſt, tertium quoddam & diſtinctum à terra,& aqua elementũ commemorat,aut facit. Præterea cur non creationem huius ipſius tertij elementi, & tam ad rerum omnium vitæ conſeruationem & ſanitatem, vt volunt medici,neceſſarij recitaſſet veriſsimus totius naturæ hiſtoricus Moſes, ſi Deus vllũ condidiſſet, & eſſe voluiſſet,cùm & herbarũ,& arborum,& reptiliũ, & auium(quæ in iſto aëre verſarẽtur) creationẽ & originẽ tradiderit,atq; deſcriptã reliquerit idem Moſes?quę ſunt ad totius huius mundi rationem, & cognitionem minùs neceſſariæ partes? Denique quæ tãta neceſsitas cogit, vt tertij cuiuſdam, præter terram & aquam corporis & elemẽti noua natura ponatur,cùm ab aquis eadem,multóque veriùs & commodius habeamus,quæ pſi à ſuo Aere petunt & emendicant? Nimirum vt quæ calidiora ſunt refrigerentur,& quę ſicciora humectentur?Nam aër,etiam illis ipſis definientibus,nihil aliud eſt quàm tenuior quidam & rarior ipſius aquæ vapor aliquo calore eductus, & in ſublimen hunc locum, qui expanſio dicitur,ſublatus. Quæ omnia ſi ſunt vera, cur tertium quoddam corpus, ab vtriuſque,id eſt,terrę,& aquæ natura diuerſum ſtatuendum ſit,non video ego quidem.

B D. Quorſum verò tandem nos deduces,qui vt ſuprà Phyſicis illum ſuum elemẽtarem ignem eripuiſti, ita nunc aerem? de qua tua ſententia te fortaſſe depellent hæ fortiſſimæ rationes, & validiſſima argumenta. Primùm, quòd aeris ipſius Scriptura apertè meminit, ad quam confugis: meminit enim Paulus aeris 1. Corin.9.27.Epheſ.2.2.Deinde quod illius ipſius locum eſſe definit, vbi ſunt nubes 1. Theſſ. 4.17. & vnde pluuia decidit in terram Iſ.45.8.Cùm enim ἀέρος vocabulo vtatur Paulus ex Græcorum ſignificato, illi autem Αἴθραν ἀπὸ τοῦ ἀέρος diſtinguant (Αἴθραν enim & Αἰθέρα appellant cœleſtem regionem,quæ ſydera habet,& quã Homerus lib. 6. Odyſſ. deſcripſit, Ἀέρα verò hoc tertiũ inferioris mundi elementum)dubitari iam nõ poteſt,quin illud tertium à Terra & Aqua naturâ ſeparatum elementum Paulus eſſe velit. Quod etiam Sap.13.2.videtur confirmari.Sed & hoc quoque argumentum longè maximi in hac quæſtione momenti affertur, quòd nomen quoque diuerſum à cœlorum voce habet aer apud Hebræos,vt ex nomine ipſo diuerſo rẽ quoque & naturam eius diuerſam eſſe intelligamus. C Aerem enim appellant שחק quod à voce ſchamaim diſtinguit Hieremias 51.9.& Iob.36. 28.dicitur eſſe nubium, & pluuiarũ materia,quòd minutiſſima,& ſubtiliſſima ſit illius corporis(qualis eſt ipſarum quoque nubium)ſubſtantia. A themate enim, & radice שחק deducitur, quod notat comminuere,vt aerem eſſe iam neque dubitari, neque negari poſſit. Prætermitto enim Medicorum rationes, quia cum ex aquæ tenuiſſimis vaporibus idem beneficium nobis dari dixeris,quod illi ab aere ſuo petunt, eorum rationibus ſatisfeciſſe mihi videris.

P. Rectè colligis. Itaque ſupereſt, vt tribus illis tuis argumentis reſpondeam. Hoc autem ſic facio.Primùm igitur omnium non nego vocabulum *Aeris* apud ſacros ſcriptores, quemadmodum etiam apud alios, eſſe in vſu, & aliquid denotare, quod ex communi hominum intelligentia & opinione definitur eſſe tenuiſſimũ corpus. Sed de hoc A tota nobis cũ Philoſophis cõtrouerſia eſt, Vtrùm quod aerem illi vocant,ſit ab æquæ natura ita differens quiddam & diuerſum, vt aliud ab ea elemẽtum conſtituat,ſicut illi putant.Hoc negamus,cuius noſtræ ſententiæ antequam ratio afferatur, M. T. Ciceronem illum inſignem patronum audiamus,qui libro 2.de Natur.Deorum ſic ſcribit, *Ille verò aer, & multo quidem calore admiſtus eſt.Ipſe enim oritur ex reſpiratione aquarum, earum enim quaſi vapor quidam aer habendus eſt.* Hæc igitur noſtra ratio eſt, Quòd nullum corpus extra terram & aquas in hac inferiori Mundi parte, & regione à Deo creatum legimus,nec tum potuit illud tertiũ aeris elementum ab alio eſſe,quàm à Deo:nec potuit prætermitti illud,quod erat tam generale & commune cęterarum rerum gignendarum fundamentum, & tanquã materia. Deinde quæcunque ex ſuo aere fieri Philoſophi ſentiunt, eadem illa effecta Scriptura tribuit aquis,vt aues,vt halitum vitæ, & cætera huiuſmodi. Et quod aerem hunc ſuum humidiſſimum ex quatuor elemẽtis eſſe Philoſophi volunt,falluntur.Primùm enim pugnat hæc ſentẽtia cum aliorum decretis, qui illum eundem aerem non humidiſſimum, ſed frigidiſſimũ potiùs affirmant eſſe.De qua re prolixa & vtilis eſt Plutarchi diſputatio in lib. De primo frigido. B Poſtea quis hoc aeri potiùs, quàm aquæ tribuerit humidũ nimirum eſſe,cùm humida dicatur ea,quæ ſunt aquæ plena,non autem ea,quæ ſunt plena aeris: Aues enim ex illorum dogmate ſunt maximè aereæ, minimè tamen humidæ eſſe ab iis conceduntur: ſed potiùs ſunt humidiſſimi piſces, qui ſunt in aquis, & ijs paſcũtur.Nam & lintea,& terram, & corpus ipſum noſtrum tunc humidum vocamus,quũ aquę plurimum eſt illi permiſtum & infuſum,nõ quum plurimum aeris.Denique euincit ipſa Etymi ratio, vt ὑγρὸν ἀπὸ τοῦ ὕδατος quaſi ὑδρὸν potiùs,quàm ἀπὸ τοῦ ἀέρος appellatum eſſe appareat, quemadmodũ apud Latinos humidum ab humore nominatur. Humor autem non eſt aer,ſed eſt aqua rei terrenæ perfuſa & immiſta. Certè Auguſt.libr.2.de Geneſ. cap. 14. aerem aliud quidpiam ab aqua eſſe non putat, ſed ſub eius nomine contineri & natura docet. Quod enim eum שחק propriè appellari ais,falleris. Nã ſic ipſa aqua in expanſione contenta,& in nubes compacta potiùs nominatur,quoniam quum ea reſoluitur & quum ex ea fit pluuia, in tenuiſſimas quaſ- C dam partes comminuitur & frãgitur, quaſi in grana quædam minima contuſa.

D. Quid igitur hoc eſſe cenſes, quod illi aerẽ dixerũt,& quo plena eſt hæc expanſio quæ ſecunda die fuit creata?

P. *Aer*,qui dicitur, eſt aqua illa cœleſtis luce illuſtrata,quæ tum per hanc expanſionem, tum etiam ſupra expanſionem diffuſa eſt:quia mirum in modum eſt ſuâ naturâ pellucida & cæterarum aquarum comparatione, & reliquorum inferiorũ corporum ratione. Itaque exiſtimata eſt toto genere à noſtris, & inferioribus his aquis eſſe differens ac diuerſa. Vnde aliud quoque nomen homines rei veritatis ignari illi impoſuerunt.Nam illam aquam primùm Græci appellarunt Ἀέρα ab Hebræis appellationem ſuam,vt opinor,mutuantes, quos poſtea ſecuti Latini Aerem dixerunt eandem aquam cœleſtem & pellucidiſſimam, atque tenuiſſimam.Nam ab Hebræo vocabulo אור Aor (quod lucem ſignificat) quis deductam neget

hanç

A hanc vocem Aer?Ergo Aer dicitur, & eſt tota illa aquæ natura clarior, magíſque διαφανὴς, & perſpicua, quàm hæc noſtra vel fluuialis, vel marina, vel terrena, quæque eſt luce plena, ſubtilis, ſublimíſque, & quæ in ipſa expanſione, & ſupra expanſionem effuſa eſt. Illa eadem aqua attrahitur reſpirando expirandóque à nobis, & nubes gignit, & pluuias, quæ etiam eſt prima omnium impreſſionum cœleſtium & meteororum materia, quæ à Scriptura aqua cœleſtis ſolet appellari. Adeò vt mihi contra priſcorum hominum opinionem, rerúmque ipſarum veritatem ſenſiſſe videantur, qui Aerem tenebroſiſsimum corpus eſſe dixerunt, atque etiam contra ipſius Dei Verbum, quod quidē illam naturam & ſubſtantiam aqueam (quæ in hac expanſione eſt) ſimilem facit ſpeculo, & vitro fuſo, vt eſt Iob.37.18. Quare nihil aliud eſſe Aerem iſtum Philoſophorum iam verè affirmarim, quàm aquas illas ſuperiores, ipſo quidem genere eaſdem B cum his noſtris inferioribus, loco tamen, raritate, & tenuitate corporis, itémque perſpicuitate ab illis diſsimiles & diuerſas, quoniam eæ ad alios vſus à Deo ſint deſtinatæ, & conſtitutæ. Itaque ad eos ipſos vſus ſunt ab eodem Deo commodè præparatæ & idoneæ factæ, & loco proprio collocatæ, non quidem deperditione mutationéque naturæ ſuæ aqueę, ſed tantùm adaptatione, & quadam rarefactione. Cæterum omnes cœleſtes aquæ iſta expanſione capiuntur: illic enim hæc expanſio finitur, vbi hæ aquæ cœleſtes deſinunt. Qui locus eſt, vnde iam Ætherea regio, cœleſtíſque illa ſyderum ſedes incipit, & ſuam quoque expanſionem inchoat.

CAP. X.

Expanſionis citimæ vſus.

D. QVIS igitur huius expāſionis vſus eſt prę ter illum, quem ſupra expoſuiſti?

P. Primùm, vt hoc totum cœleſtis aquæ corpus & molem diſtinguat ab inferiori mole noſtrarum aquarum, & eam complectatur. Supra enim cœleſtes aquas non eſt producta hæc ex- C panſio, quæ ſecundo die condita eſt, ſed potiùs iſtam expanſionem illæ aquæ concludunt & circunſcribunt. Quia verò hæc expanſio cœlum appellata eſt, illæ quoque ipſæ aquæ quas continet nominantur cœleſtes. Sic igitur diſtinguit aquas ab aquis hoc interuallum, atque hic expanſionis locus, vt quæ infra eam ſubſidunt, ſint de numero & genere inferiorum aquarū: quæ verò ſupra eam ſunt à Deo collocatæ, id eſt, in ſuprema illius parte, eæ cœleſtes & ſuperiores aquæ nominantur. Deinde hic quoque eſt vſus expanſionis, vt hoc interſtitiū ſit vaporum omnium & humorum, qui ex aquis inferioribus, & ex terra exhalant, ſit, inquam, tanquam ingens quoddam horreum & concameratio. Nec aliter diſtingueret aquas ab aquis hæc expanſio, niſi eſſet magnum quoddam ſpatium & interuallum vt oſtenditur Ezech. 8. 3. ſupra quod etiam ſunt collocatæ aquæ illæ cœleſtes, vt iam ſæpe diximus, quæ & ipſæ expanſionis primæ, id eſt, Secundo die creatæ nomine veniunt intelligendæ & comprehendendæ. Hoc verò ſpatium, quod eſt inter aquas illas cœleſtes, & has noſtras inferiores medium, neq; vacuum, neque inane reipſa A eſt, quanquam tamen tale quiddam eſſe nobis apparet, & à Poetis quoque ex vulgi iudicio appellatur inane: ſed eſt humoribus iſtis aqueis, & vaporibus, exhalationibúſque continuis, & dietim euaporantibus è terra & aquis noſtris inferioribus (veluti è mari ipſo ſurgentibus) plenum & refertum, quæ modò frigore conſtringente dēſiores, & craſſiores fiunt: modò verò calore extenuante rariores, ſubtilioréſque cernuntur.

D. Quomodo verò iſtam tuam ſententiam probas, & veram eſſe doces?

P. Nimirum, quòd nubes, earúmque in cœlo expanſio & collocatio artificioſæ cuidam cōtignationi, concameratioui, & fornici ſimilis eſſe dicitur Pſal.104.3 Ex quo facilè intelligi poteſt nubes in alto ſupra expanſionem hanc ſuſpenſas & longè à terra, & mari ſemotas eſſe, nimirum interiecto toto illo medio expanſionis ſpatio. Deinde Iob. 38.37. & Pſal.33.7. nubes, vti penſiles vtres & lagenæ quædam aquarum pluuiarum plenę appellātur, ex quibus Dominus ſuum imbrem deorſum nobis effundit, Iob.36.28. Ergo inter nos & eas ſit collocatum B medium aliquod ingens interuallum oportet, ſupra quod illæ conſiſtant, & euectæ maneant. Denique Pſal. 147. 8. dicitur Deus operire & implere iſtam expāſionem vaporibus & humoribus, qui ſurſum ex aquis & terra feruntur, adeò quidē, vt quemadmodum ſcriptum eſt Iob.36.32. &, vt re ipſa experimur, conſpectum lucis ipſius & diei nobis adimant iſti vapores, qui in hac expanſione colligūtur, tam ſunt ſæpe denſi. Inde verò colligitur, quod diximus, hanc expanſionem inter cœlum ſydereum, & noſtras has ſedes à Deo diffuſam & collocatam eſſe, vt eſſet omnium humorum aqueorum & terrenorum latiſsimum quoddam granarium & receptaculum.

CAP. XI.

Qantum ſit interuallū huius citimæ expāſionis.

D. INTELLIGO quæ de expanſionis natura & vſu hactenus expoſuiſti. Perge verò vlteriùs, & quæ ſit tam vaſti ſpatij altitudo, quę C tabulata illius ſiue partes ſint, expone, & quid ſint aquæ cæleſtes, quæ in quaq; eius expanſionis parte gignātur meteora & impreſsiones, vt id quod nos ipſi fieri ſæpe cernimus, abs te quoq; ex ſacra Scriptura depromptum habeamus.

P. Cupio id quidem. Ac eſſe tanti huius interualli & expanſionis magnam aliquam intercapedinem, & altitudinem dubitari non poteſt, quia id & viſus ipſe oſtendit, & paſsim Scriptura docet. Ait enim eam eſſe excelſum illud cœlū & ſpatiū, è quo nobis pluuię defluūt: denique dicitur nobis eſſe ignotum, quanta ſit illius altitudo Iob.11. verſ. 8.9. Id quod apertiſsimè 4. Eſdræ 6. verſ.4. & 41. affirmatur. Quāta ſit autem illa ſublimitas, & quot milliaribus vel paraſangis diſtendatur neminem adhuc vidi qui definire poſſet, quíque certò vel ab aliis didiciſſet, vel ipſe comperiſſet. Quanta quidē ſit vel ſummorum montiū altitudo quidam conati ſunt explicare, & in eo laudata eſt Dicæarchi Philoſophi, & aliorum quorundam diligentia: ſed quando ſupra excelſiſsima altiſsimorum mōtium iuga adhuc extenditur & ſe porrigit huius expan-

A ſionis tractus,mihi non videtur quàm ſurſum alta ſit & producatur,definiri certò poſſe.

CAP. XII.

In quot partes ſeu regiones diuidatur hæc Expanſio.

D. SED in quot & quas regiones & partes tota diuiditur?

P. Ariſtoteles quidem totum hoc ſpatium, quod aërem,id eſt aquas iſtas cæleſtes continet,in tres regiones diſtribuit lib. 1. Meteorolog. nempe in Summam, quæ propter ignis viciniam ſemper calet: Infimam,quæ noſtris capitibus proximè imminet,& variè propter Solis acceſſum vel receſſum afficitur & temperatur: & Mediam regionem, quæ inter vtranque interiecta eſt, & quam ille perpetuò frigidam eſſe putat, non naturâ quidem, ſed B ἀντιπεριστάσει, & continua quadam oppoſitorum inter ſe pugna. Sed quis hoc Ariſtoteli concedet, ſemper frigore rigere mediam illam aëris regionem,cùm ſi hoc verum eſſet,nunquam æſtas à nobis ſentiretur? Nam ſummus ille Solis calor ſuperioris & proximi illius loci frigiditate extingueretur,nec ad nos pertingeret. Nam, ait,die & nocte viget iſta frigiditas,& quò magis Solis æſtu intenditur,tantò etiam magis ipſa augetur, & vires habet maiores. Deinde quomodo in ſummis montium iugis(quæ in ea media aëris regione ſunt) vlla gramina,herbæ,arbores naſcerentur etiam proceriſsimæ, quoniam illa omnia huiuſmodi perpetuo illo frigore interirent, nec enim quicquam in terris naſci,conſeruaríque viuens poteſt,niſi ſumma caloris vi, & æſtu,qui nunquam eſt in eo loco, vt vult Ariſtoteles. Denique quia fruſtra per plura fit (vt aiunt) quod idem per pauciora effici poteſt, duas tantùm huius totius expanſionis regiones conſtituimus, Vnam ſuperiorem,quæ proximè C aquis cœleſtibus ſubiicitur, eáſque tanquam fornix quædam ſuſtentat: alteram autem inferiorem, quæ ad nos vſque pertingit. Atque in harum vtraque varia Meteora gignuntur & fiunt.

CAP. XIII.

Aquæ cœleſtes quid ſint.

D. EXplica igitur primum quæ ſint aquæ cœleſtes: deinde varia illa meteororum & impreſsionum genera, quæ in hac expanſione & concameratione fieri Scriptura docet, vt ais.

P. Aquas cœleſtes quidam exiſtimant dici, & eſſe eas tantùm nubes,quæ ex vaporibus, ex terra ſublatis concreſcunt, & poſtea in terram decidũt, poſtquam in pluuias & imbres ſunt ſolutæ: adeò vt ſi nullæ ex aquis his inferioribus è terra exhalationes ſurſum ferrentur, nullæ quoque aquæ cœleſtes eſſent: & poſtquam eæ nubes (quę nobis apparent) fuerint in pluuiam diſsipatæ,aquæ quoque cœleſtes eſſe deſinunt. Itaque ex eorum ſententia quotidie & oriuntur,& ceſſant eſſe aquæ cœleſtes. Hæc quidam. Alij verò aliter,contrariaque omnino via incedunt. Volunt enim aquas & eas quidem veras eſſe ſupra ſtellas & earum orbem, illícque perpetuò conſiſtere: idcóque Saturni Planetæ A motum & curſum eſſe tardiorem affirmant, quòd illis aquis ſit vicinior Saturnus. Quam eorum ſententiam refert Auguſtinus libro de Geneſ. cap. 8. videtúrque confirmari Pſal. 148. verſ. 4. Ait enim Pſal. *Laudate eum cœli cælorum, & aquæ,quæ ſuper cœlos,* quaſi certè dicat & velit,etiã ſupra cœlos ipſos extimos & ſummos(qui ſunt cœli cœlorum) eſſe aliquas veras aquas, quæ cœleſtes appellantur.

D. Quid tu verò de tota hac re ſentis?

P. Superiores ſententias refutare non puto neceſſe. Vbi enim meam ipſe & dixero, & confirmaro, ſatis illæ ipſæ per ſe corruent & collabentur. Sic igitur ſentio. Quum dicitur hæc expanſio idcirco condita,vt diſtingueret inter aquas,& aquas, eáque ſit conſtituta vt perpetua eſſet & manens die & nocte inter eas ſeparatio & interuallum, omnino oportere(ne vanum ſit Dei præceptum) vt ſupra hanc expanſionem exiſtant aliquæ aquæ, eæq; perpetuæ,in eo loco conſiſtentes, & permanentes B ſemper,quemadmodum ſunt infra eam. Ex eo enim & optimè, & verè intelligitur illa eſſe diſcrimen & perpetua extenſio inter vtraſque, quòd vtræque exiſtunt, & illæ quidem vt in ſuo naturalíque loco ſemper. Ergo nos Deus inter duo illa aquarum genera, terrenum & cœleſte (quorum cœleſte à nobis remotius eſt) tanquam inter duo ſepulchra ſumma ſua ſapientia collocauit, & potentiſsima gratia collocatos nunc conſeruat. Eſſe autem illic,id eſt,in ſuprema elementaris huius regionis & expanſionis parte aquas à Deo conſtitutas multis rationibus poteſt doceri. Primùm quidem authoritate Scripturæ. Illa enim aquas ibi aliquas collocat Geneſ. 1. verſ. 7. *Diuiſitque aquas,quæ erant ſub expanſione, ab aquis quæ ſunt ſupra expanſionem.* Non dixit, Diuiſit aquas quæ attollendæ erant & colligendæ ab aquis noſtris: ſed dixit *aquas quæ ſunt ſupra expanſionem*. Item C Geneſ. 7. verſ. 11. & 8. verſ. 2. de Diluuio agens Moſes docet eas catarractas, quæ cœleſtes aquas continent, fuiſſe tunc Dei iuſſu ruptas & effuſas, quòd non factum eſſet, ſi nullæ illic eſſent aquæ perpetuæ. Pſal. etiam 104. verſ. 3. *Contignat*, ait Scriptura, *& concamerat aquis ſuperiora ſua*, de cœlo loquens. Ex quo fit,vt Iob. 26. verſ. 9. Deus dicatur conſolidaſſe & coarctaſſe ſyderei cœli & ſolij ſedíſque ſuæ ſuperficiem aquis illis cœleſtibus, ne liquidior & fluidior eſſet. Denique illæ ſunt aquæ quæ ſupra cœlum ſunt, non autem ſunt ipſi cœli aquæ(ſic enim locus ille explicandus eſt, & de hac expanſione noſtra nõ autem de ſummo & ſupremo cœlo accipiendus) Pſal. 148. verſ. 4. Deinde verò ratio hoc ipſum probat. Cùm enim non tantùm omnia aquis ad vitam egeant (vnde illud eſt à Pindaro veriſsimè pronuntiatum ὕδωρ μὲν ἄριστον & à Plutarcho poſtea doctiſsimè libello quodam diſputatum)ſed maximè cœleſtibus,quas per pluuias & imbres ad nos Deus demittit,alantur, & nutriantur: in primis autem plantæ omnes, & ſemina quæ terræ mandantur: immenſam quandam aquarum vim & copiam in locis ſuperioribus à Deo collectam congregatamque eſſe oportet,pręter eã quæ illuc ex vaporibus terrenis attollitur. Cur enim cœlum ferreum minaretur Dominus & non potiùs vapores è terra nullos excitandos, ſi nullæ illic aquæ exiſtentes eſſent, vnde ad nos pluuia manaret: ſed omnis aqua cœleſtis & pluuia ex vaporibus

A poribus & exhalationibus è terra & mari excitatis gigneretur? Nec verò tanta vis aquarum (quanta pluit & effunditur) ex ſolis illis terræ vel maris vaporibus profundi & ſuggeri poteſt, quia partim antequam in extimam illam expanſionis partem perueniant, conſumuntur: partim conſtricti & conglobati in aquas, quantumuis illi ſint magni, mole tamen paucas reſoluuntur. Nam, vt aiunt, ex quindecim vaporum libris, vix penè vna aquæ vncia confici poteſt, quemadmodum ex niuis magna mole liquefacta apparet. Ergo aliquas in hac expanſione, & ſuperiori loco eſſe & conſiſtere aquas præter terræ vapores oportet. Denique ſenſus ipſe idem docet, & confirmat. Cur enim, & quomodo hoc cœlum, quæ eſt extima huius expanſionis regio, tam pellucidum & tanquam Chryſtallus (quæ nihil eſt aliud, quàm aqua per diuturnum tempus congelata) nobis attentè aſpicientibus appareret, præterea candens & ſerenum, ſi nulli in eo terreni vapores ſunt, niſi quia illîc ſũt lucidiſsimæ quędam aquæ, & puriſsimę à Deo pro ſingulari ipſius ſapientia eatenus & tantùm conſolidatæ & conglobatæ, quatenus & quantùm illîc conſiſtere & permanere voluit? Denique facit quoque hæc ratio, vt ibi aquæ, id eſt, corpus aliquod, etſi tenue, B ſolidum tamen eſſe concludam, quòd eo ſuperiori loco ſunt cõſtitutæ, velut velum quoddam à Deo oculis noſtris obiectum, in quo viſus noſter terminaretur, & ſparſus retineretur, ne vlteriùs intueri humani aſpectus imbecillitas poſſet, vt homines doceret ne vellent conarentúrque in cœlum ipſum altius, & ipſius Dei domicilium penetrare, & quæ ſupra illud ſunt curioſè inquirere, & perſcrutari.

D. Quales igitur has ſuperiores aquas eſſe putas?

P. Genere quidem & naturâ cum hiſce inferioribus & noſtris eaſdem: ſplendore verò, raritate, tenuitate maiori, ſoliditate etiam ab illis & diuerſas & differẽtes, quòd ratio loci (in quo ſunt collocatæ & ſitæ) tales eas eſſe oportere requirat & demonſtret, ne vel obtutus noſtros, ſi eſſent tenebroſæ & craſſæ, obſcurarent: vel in terram ſtatim magnis imbribus, niſi eſſent leuiores, & ſolidè inter ſe compactæ, deciderent.

C

CAP. XIIII.

Quomodo aquæ in expanſione hac citima conſiſtere poſsint.

D. QVo verò modo aquæ in eo loco tanquã naturali & proprio conſiſtere poſſunt, cùm ſint aere grauiores, & naturâ ſua ponderoſæ: itaque inferiorem locum appetãt? Quamobrem ibi non niſi βιαίως & contra naturam ſuam videntur à quoquam conſtitui poſſe?

P. Miram tu nobis obiectionem affers, quam ex Philoſophorũ lacunis, non ex ipſius verbi Dei limpidiſsimo fonte hauſiſti. Cui vt ſatisfaciam, hoc dico, Hunc cuique rerum generi proprium & naturalem locum eſſe, quem illi Dominus ab initio creationis aſſignauit. Itaque qui contra hanc Dei vocem & præceptum aliquid naturale eſſe definiunt, næ illi, quid ſit natura, quidq́ue illud quod naturale dici debeat, ignorant. Ergo ille ſuperior locus eſt aquis cœleſtibus verè naturalis, & prius: alius autem eſſe non poteſt, quia hunc Dominus illis locum definiuit atque circumſcripſit. A Hoc enim ipſum eſt, quod voluit, quum expãſionẽ inter aquas & aquas eſſe iubet: nimirũ hũc ſuperioribus aquis locum pręparauit & quidẽ naturalem: & eas ibi, tanquam intra ſuos proprióſq; fines concluſit, & ſuſpendit. Diſtinguũtur enim hac expanſione, tanquam firmiſsima fornice, quã Dominus ſubiecit illis, & per quam eas retinet in ſublimi. Deinde quòd aerem ab his aquis cœleſtibus diſtinguis & diuerſum facis, ſtupiſsimè, quẽadmodum antea docuimus, falleris. Virtute igitur verbi Dei, quod naturam rerum condidit, ab initio ita conſtitutum eſt, & expanſio aquis cœleſtibus data & deſignata eſt, vt proprius locus: quemadmodum & mari ſuus locus, ſuíq; limites ſunt deſcripti, intra quos ſe, velut intra ſuum propriúmq; locũ, mare coërcet. Nec verò magis mirum videri debet, quòd aquæ illæ cœleſtes ſunt in ſuperiori loco, quàm quòd nubes ipſæ (quæ ſunt, & aquę, & aquis plenæ) eò ſponte feruntur, & ibi quoque conſiſtunt vti in ſuo naturalíque loco. Verbo enim Dei fit vtrunque, vt eſt Iob. 26. verſ. 8. à quo ipſo Deo etiam aptam cõuenientémque huic loco naturam ſunt illæ cœleſtes aquæ ſortitæ. Quod denique de B aëre dicis & obiicis, infra quem aquę naturâ ſubſidere debeant, de his inferioribus aquis tantùm verè affirmatur, non de illis cœleſtibus. Quare aquas cœleſtes, etiam ſupra vapores, & terræ exhalationes (quas Philoſophi Aërem appellant) eſſe & conſiſtere poſſe iam eſt minimè mirandum.

CAP. XV.

De Meteoris & duplici eorum genere.

D. HACTENVS de aquis cœleſtibus: nunc de Meteoris & impreſsionibus, quæ in tanto hoc expanſionis ſpatio fiunt, ediſſere aliquid ex Dei verbo.

P. Cupio, atque ordine. Itaque primùm à definitione ipſa ducam huius diſputationis exordiũ. Meteoron appellant Græci μετέωρον illud omne quod eſt, vel res & natura quædam exiſtens: vel apparitio tantùm quædam in ſublimi aliqua huius expãſionis parte oculis obiecta. C Itaque Meteororum duplex genus conſtituunt, Vnum eorũ quod ὑπόστασιν & οὐσίαν habet aliquam, fitque in aëre hoc, quem vocant, ex noui alicuius corporis generatione & concretione. Alterum eorum, quæ ἔμφασιν tantùm coloríſque ſpeciem aliquã nobis in nube repræſentant, cùm tamen nullus reipſa ſit eiuſmodi color, qualis in nube apparet eſſe. De poſteriori genere priùs, ſi ita placet, dicam.

D. Placet verò.

CAP. XVI.

De Meteoris, quæ tantùm ἔμφασιν habent, & eorum cauſſis.

P. ERGO huius generis ſublimium impreſſionum, ac meteororum hæ ferè ſunt ſpecies & differentiæ. Iris ſiue arcus cœleſtis, Parelij, & Paraſelinij, Halo ſiue Area (quam alij coronam quoque vocant) varij denique nubium colores.

A D. Quæ verò horum omnium cauſa eſt?

P. Rectè ſanè quæris, & ab eo loco nos primum omnium incipere oportet. Eſt autem horum cauſa duplex. Efficiens quidem Deus, qui Solis radios, & lumen in nubes infundit: materia verò eorum ipſa nubis moles, itémque diuerſa temperatio, & concretio. Ac Deum eſſe harum omnium tam admirabilium nobis & pulchrarum (quid enim hac cognitione iucundius?) rerum authorem & Hier.51.verſ.16.& Pſalm.148.verſ.8.docent. Præterea etiam ratio ipſa. Fiũt enim à Deo hęc omnia, & ad eum etiam finem, vt ad ipſius potentiæ, ſapientiǽque, gloriam & laudem magis accẽdamur, quas Dei virtutes in his meteoris, tanquam lucidiſsimis quibuſdam ſpeculis, intueri debemus. Nubes autem, quæ in aëre ſublimis eſt, atque ex oppoſito luci obiicitur, hos omnes colores diuerſos excipit, & eorum ſubiectum eſt. Creantur autẽ, quoniam Solis vel Lunæ lumẽ in quaſdam nubis partes denſioribus vel tenuioribus humoribus conſtantes variè incidit.

CAP. XVII.

B

De Iride, ſiue Arcu cæleſti.

D. DIc verò primùm de Iride.

P. Iris, ſiue Arcus cœleſtis fit ex Solis luce in nubem variè compoſitam & temperatam, ſed ex diametro Soli ipſi obiectam incurrente ac incidente, pluuioſo tempore. Hinc enim varij in ea colores, imprimis autem hi tres, puniceus, croceus, & viridis cernuntur.

D. Quomodo verò?

P. Videtur in ſpeciem hoc meteoron eſſe quidam arcus, propterea quòd in ea nube fit, quæ vtrinque ad terram propendet. Illa enim nubes eſt tumens, & plena pluuiæ. Vnde in modum Arcus incuruetur neceſſe eſt, eáque ipſa ratio eſt cur fiat pluuioſo tempore, vt eſt Geneſ.9.& Ezech.1. verſ. 28. Fit autem Iris à Solis, non autem à Lunæ, aut aliorum ſyderum luce, & radiis: quia ſunt illi imbecilliores. Etſi verò à Solis radiis fit, die tamen aduesperaſcente poteſt nonnunquam exiſtere & apparere maximè æſtiuo tempore, quoniam eo tempore ſunt acres & viuidi radij Solis etiã cadentis, à quibus humores in contrariam cœli partem, id
C eſt, in Orientem attolluntur. Hyeme autem idem non contingit, vt die aduesperaſcente fiat Iris: quia ſunt tunc infirmiores radij Solis, niſi fortaſſe, ídque rarò admodum aliqua die hyemis ſereniſsima ſcilicet id eueniat. Iridem igitur à ſe viſam eſſe noctis cuiuſdam initio ſcribit quoque Ariſtoteles. Cæterùm fit Iris quum planè illi nubi Sol eſt oppoſitus: quia neque illam nubem in formam arcus formaret, & è terra attolleret Sol: neque plures in ea colores videndos efficeret, niſi ei ex aduerſo obiiceretur. Eſt autem Iris tanquam dimidia quædam pars alicuius arcus variegati, ſublimis, & in aëre ſuſpenſi. Eccleſ.43.verſ.12.13.

D. Vnde verò tres illi colores naſcuntur tam diuerſi, & eo ſemper ordine, vt puniceus primus & ſublimior, croceus medius, vltimus verò viridis nobis in ea nube appareat?

P. Illud accidit ex diuerſo vaporis genere, quo miſta eſt conſtátque ea ipſa nubes. Qua enim parte eſt nubes purior & defecatior, quum lux Solis in eam incidit, gignit croceum colorem, qui albũ A
proximè refert. Quæ verò eiuſdem nubis pars eſt iam concretior, & magis terrena, Solis lux in illam incurrẽs colorem puniceum, & iam obſcuriorem nobis efficit. Poſtrema denique & terris vicinior particula eiuſdem nubis: quia duabus illis ſuperioribus compoſitior eſt & craſsior, cùm lumen Solis recipit, colorem viridem & penè atrum oculis noſtris reddit ac repræſentat.

D. At videtur Iris ante diluuium non extitiſſe, cùm ſit à Deo data hominibus in ſignum nunquam poſtea futuræ vniuerſarum aquarum inundationis & eluuionis in Mundum, vt eſt Geneſ.9.verſ.12.

P. Non ſatis firmo nituntur fundamento, qui ſic concludunt, nec meliori, quàm ſi quis boues ante ſacrificia lege Moſis præcepta, vel aquam ante Baptiſmum non fuiſſe colligat, vel panem ante inſtitutam à Domino noſtro Ieſu Chriſto ſacroſanctam Cœnam: quoniam illa tunc primum pro ſignis ſunt à Deo conſtituta & data. Quæ tamen fuerunt res iam naturales, antequam à Chriſto nobis in ſigna ſacra inſtituerentur. Ego verò ex eo B
contrariam potiùs ſententiam cõfirmo, Irim quidem & Arcum illum cœleſtem priùs in rerum natura extitiſſe: demum autem poſt aquarum inundationem, & Noæ tẽpore fuiſſe propoſitũ à Deo hominibus in ſignum perpetuę pluuiarum moderationis & coërcitionis futuræ, vt ex Iſa. 54. verſ. 9. colligi poteſt. Quanquam in eo ipſo mira Dei poteſtas & ſapientia elucet, quòd Irim ſignum velit eſſe certiſsimum cohibitionis aquarum, quæ tamen ex ſua natura effuſionis & pluuiæ futuræ ſignificatio & prognoſticon eſt nobis certiſsimum, atque ex ſua ipſius natura & originis ratione.

D. Cur verò varij colores in aliis nubibus nonnunquam accidunt & cernuntur?

P. Eâdem de cauſa, quia vel tenuior, vel denſior eſt nubes, in quam ſe Solis radij infundunt & induunt. Vti igitur ignis per fumum varias colorum ſpecies oculis noſtris obiicit: vti in puerorum bullis aqueis, dum eæ ad Solem obiiciuntur, varii colores apparent: ſic in nubibus ipſis euenit, vt quanquam nouum corpus in iis nullum gignatur, nihílque verè in iis exiſtat, tamen iſtę ἐμφάσεις & C
apparitiones quædam diuerſæ oculis noſtris obiiciuntur propter lumen Solis in eas incidens, ac effinguntur dum ad oculos noſtros illi radij reflectuntur à nube. Nam in denſioribus nubibus vel puniceus color apparet, vel viridis: in rarioribus autem albus & candidus. Horum quidem meteororum diſputatio à nobis prætermitti poterat, vt celeriùs ad ſecundum genus veniremus: ſed tamen quia commemorat Scriptura multas eſſe nubium differentias, eáſque & admirabiles, & ſtupendas (id quod ad hoc genus pertinere quoque videtur Iob. 36. verſu 29. 37. verſ. 16.) idcirco breuiter illa ſuperiora Meteora commemorauimus & attigimus.

CAP. XVIII.

De Parheliis, Paraſeliniis, Halo ſiue Corona, & Area.

D. QVID

A D. QVID autem ſunt Parhelij?

P. Sunt radij Solis,qui in fluida & iam penè in aquas conuerſa nube illuſtriùs propter illius liquefactionem fieri iam cœptam collucent.Itaque ſunt certiſsimum proximi, & futuri imbris indicium. Nubem enim eam, in qua apparent,roridam eſſe,& iam diſſolui cœptam arguunt. Nos Galli eos Solis radios chordas, quoniam earum ſimilitudinem referunt, appellamus.Certè ſunt virgis longioribus ſimiles:& Virgæ à quibuſdam nominantur:à Græcis autem παρήλιοι.Quoniam autem Luna lumen quoque & ipſa habet, quanquam tamen imbecillius Sole, quum in tenuem aliquam & iam liqueſcentem nubē illa lux Lunæ immittit ſeſe,& induit, vti Sol parelios, ita ipſa paraſelinios efficere poteſt, quanquam id euenit omnino rariùs.Sæpe autem propter læuitatem,æqualémque raritatis & tenuitatis (quæ eſt in tota nube Soli oppoſita)diffuſionem fit, vt gemini, B tergeminique in cœlo Soles:itémque Lunæ nobis plures,tanquam in ſpeculo facies appareant.Id quod quum fit,hominum vulgus imperitum, tanquam triſte quiddam & infauſtum admiratur & interpretatur:accidit tamen,vt vides, ex cauſis naturalibus, non quòd nouum aliquod Solis corpus tunc à Deo gignatur & creetur, aut quòd ipſum Solis,vel Lunæ corpus diffundatur, vel multiplicetur in plures Soles vel Lunas:ſed eſt tantùm ἐπιφαινοια quædam & appareſcentia, quæ obuerſatur oculis noſtris,vti ſi in ſpeculo facies eadem multiplicaretur reflexione.

D. Quid eſt Halo,quam tu ex Græco Aream, & Coronam appellas?

P. Eſt nubes tenuior ſiue purior & æqualis, quę alicui lucido ſyderi ſubiecta illius luce propter ſuam raritatem illuſtratur ſplendidiùs, quàm reliquæ nubes,quæ tunc temporis ſunt etiam in cœlo. Quoniam verò lux illa ſyderis vndique in eam nubem æqualiter cadit ex ſydere, quod eſt circulare & rotundum, fit quoque ipſa apparitio circularis formæ. Vnde corona & velut circulus candēs eſſe apparet,qui illud ſydus, à quo fit, totum ambit & obtegit nobis.

C

CAP. XIX.

De Meteoris, quæ ſubſiſtentiam habent, quid ſint, à quo fiant, & Cur.

D. HACTENVS de primo meteororum genere dixiſti:accede ad ſecūdum, quod eſt eorum quæ exiſtentiam habent, nouæque materiæ alicuius creatione, & generatione ſeu accumulatione in aëre fiunt.Itaque ὑπόστασιν dicuntur habere,ſuntque corpora quædam, etſi imperfecta,id eſt,non conſtantia omnibus elementis:ſed tantùm aqua. Terra enim propriè nō conſtant,etſi aliquid ex ea admiſtum nonnunquam habere poſſunt.

P. Rectè ſentis. Eſt enim hoc impreſsionum ſublimium genus corpus quoddam tenue, & inanimum,vapore conſtans,& in aliqua huius expanſionis ſiue aëris ſupra nos diffuſi regione condenſatum: non in terræ viſceribus compactum quod Deus tum ad ſuæ potentiæ & maieſtatis demonſtrationem,tum etiam ad hominum vel terrorem, vel vſum ex cauſis ſecundis,id eſt, aquis creat, & efficit. A Nam inter mirabilia Dei opera, & hoc rerum genus recenſetur quoque Pſal.148.verſ.8. & à Deo effici non tantùm ordinariæ cuiuſdam naturę vi(quam pro Deo Philoſophi nobis ſubſtituunt) vel ex eo ſatis apparet,quòd Deus pręter ordinem à ſe in his rebus inferioribus conſtitutum,illa,quū vult,creat:qualia fuerunt ſigna omnia in Ægypto edita à Moſe,& alia multa,quæ Scriptura commemorat extraordinaria,miraculoſa, & ſupranaturalia.Itaque,ad hanc diſputationem non pertinent, quoniam etſi à Deo fiunt,fiunt tamen citra& pręter cauſſas naturales, de quibus ſolis hoc loco agimus.Præterea hoc ipſum probat Meteora hęc naturalia à Deo fieri, quòd quando hæc naturali ratione fieri dicimus,ſacra Scriptura(quæ vna veriſſimè loqui didicit)illa à Deo fieri & dicit & docet. Veluti Iob.5.verſ.9.9.verſ.5.Hier.51. verſ. 16. & aliis penè infinitis locis. Finem autem harum impreſsionum omnium eſſe apparet,primùm Dei ipſius gloriam, qui hæc mirabilia operatur. Nam à nullo artifice mortali iſta fieri poſſunt. Vnde fit, vt ex iis, tanquam fortiſsimis potentiæ ipſius argumentis B timendus, inuocandus, laudandúſque à nobis Deus in Scriptura proponatur.Pſ.148.Iob. 37.38.Tum deinde ad hominum terrorem & ſupplicia fiunt,vt Deum vereri,& metuere diſcamus, vt eſt in Pſ.29.Denique ad vſum quoque, & commoditatem maximam, & noſtram, & cæterorum animantium creantur à Deo,quorum vitæ proſpicit hac ratione, atque his ſuis inſtrumentis pater ille miſericordiſsimus,& benigniſsimus, vt eſt apud Iob.37.verſ.13.38.verſ. 26. Itaque cùm harum rerum cauſam tum efficientem, tum finalem habeamus: reſtat vt videamus quæ ſit earum materia:forma enim in cuiuſque meteori genere,& explicatione diſcetur commodiùs.

CAP. XX.

De materia huius ſecundi generis Meteororum & quotuplex.

D. ATqui Solem potiùs,quàm Deum iſtorū effectorū cauſſam Ariſtotelici ſtatuunt.

P. C Ita eſt. Sed ineptè illi,qui inſtrumentum à vera & ipſiſsima cauſa non diſtinguunt. Vtitur quidem Deus Sole ad eos vapores, vnde Meteora fiunt, ex aquis, & terra excitandos euehendóſque in ſublime: ſed Solem velut inſtrumētum adhibet,ſine quo ipſe (qui eſt ſemper omnipotēs, nullíque creaturæ vel totam,vel partem ſuæ potētiæ reſignauit) eadem illa per ſe efficere quando vult,poteſt.

D. Expone igitur quæ ſit horum corporum tam ſubtilium materia.

P. Illa eſt,Vapor ſiue humor quidam,qui partim ex aquis cœleſtibus eſt, partim etiam ex mari & humidis terræ huius locis oritur. Nam ex iſtis locis in expanſionem vapor educitur, & euehitur à Sole,vbi tandem vapor iſte concreſcit,& variam vim à Deo (prout eo ipſe ſapientiſſimus vti deſtinat)accipit,vt eſt Hier.10.ver.13.51.v.16.& apud Iobum paſsim.

D. Eſtne verò huius tam multiplicis vaporis (qui ex vtroque elemento educitur) genus tantùm vnum & ſimplex?

P. Etſi & diſtingui & demonſtari non poteſt

A in tota illa vaporum in aëre pendentium maſſa, quinam vapores ex mari & aquis: quinam verò ex terra educti ſunt, dici tamen & definiri, ipſa rerum experientia magiſtra & duce, poteſt eorũ vaporum quoſdam eſſe calidiores & ſicciores, quoſdam verò frigidiores & humidiores: ex quibus duobus vaporum generibus diuerſa quoque meteororum, & Aëris impreſsionum genera naſcuntur, nempe Ignea, & Pluuia. Quæ diuiſio & genus duplex vaporum videtur confirmari Pſal. 148. verſ. 8. vbi exhalatio quæ קיטור Quitor appellatur ab humido vapore diſcernitur. Ergo quæ ex humidiore, frigidioréque vapore ſublato fiunt, & concreſcunt meteora, ſunt pluuia. Quæ verò ex calidiore & ſicciore ſunt, ignea & fulminea: ſed de illis primùm, quæ pluuioſa ſunt & humidiora: quia maior ad nos eorum peruenit vſus.

CAP. XXI.

De Nubibus, quid ſint, & de variis earum differentiis.

D. DIc igitur de pluuioſis Meteoris.

P. Illa certè ſunt varij generis, veluti pluuia ipſa, B Nix, Grando, Pruina, Ros, Gelu, Man, & ſimilia, quorum omnium, vt etiam igneorum mater quædam communis, & genitrix eſt nubes: tanquam autem pater quidam, & genitor à Deo ordinatus eſt Sol. Itaque à nube ordiamur.

D. Rectè mones, vt ex illa tanquam fundamento progrediamur. Quid eſt igitur nubes?

P. Eſt corpus quoddam vel ex vapore in ſublime exhalato & ſublato concretum, vel ex aquis illis cœleſtibus in expanſione conſtitutis condenſatum & compactum. Itaque nubium ſunt hi duo perennes & perpetui fontes, tum mare & terra nimirum, è quibus in cœlum hoc noſtrum & proximum vapores aſcendunt, Hier. 4. verſ. 13. 1. Reg. 18. verſ. 44. tum etiam aquæ illæ in hac expanſione diffuſæ & cœleſtes, quas Philoſophi appellant aërem. Eorum igitur vaporum conglobatio, & condenſatio, quæ fit vi frigoris accedentis & illi ſuperuenientis, eſt tanquam aquarum compactio, quæ tandem vnum corpus efficit, & nubes appel- C latur, vt ait Auguſt. lib. 2. de Geneſ. cap. 4. Vnde maximas nubes à mari putat eſſe idem. Huius verò nubis, quum incipit concreſcere, initium, aut etiam quum iam deſinit, & deficit, finis & reliquiæ tenues, à quibuſdam Nubecula (diſtinctionis cauſa) nominatur. Nubium etiam multæ ſunt aliæ differentiæ, quoniam earum aliæ ſteriles ſunt, & pluuia carent: aliæ vberes, & fœcundæ, quæ pluuiam effundunt. Iob. 36. verſ. 29. Iud. Epiſt. ver. 12. Prouerb. 25. verſ. 14. Proprius enim nubium fœtus, & velut fructus vel partus, videntur eſſe pluuiæ, ad quas vel geſtandas & continendas ad tempus, vel, quando vult Dominus, effundendas, nubes ſunt à Deo, tanquam cœleſtes & ſublimes quidam vtres, conditæ & conſtitutæ. Iob. 38. ver. 27. Sed & eæ ipſæ ſurſum expanduntur à Deo, vt nos, omniáque hæc inferiora à nimio Solis æſtu & ardore defendant, atque tanquam pulcherrimum, latiſsimúmque πέτασμα & velum tegant, vt dicitur Iob. 36. verſ. 30. & 32. Sæpe etiam vt ſuam per ea potentiam Deus oſtendat hominibus, beneficiúmque conſeruationis huius Mundi, quoniam ſæpe A tam magnas nubes ille excitat, vt totum mare, totámque terram vnica penè obumbret, atque operiat. Nubes verò & à vento & à Sole ſæpe excitantur, quemadmodum etiam ab iiſdem cauſis diſcutiuntur, & diſſoluuntur Iob. 37. verſ. 11. Denique feruntur, ſtántque, magno Dei miraculo, in ſublimi nubes: adeò vt quando in proprium, & deſtinatum ſibi à Deo locum illæ peruenerint, abſint, quemadmodum quidam volunt, ab huius terræ ſuperficie paulò minùs ſex Gallicis leucis.

CAP. XXII.

De Pluuia, eius cauſis, & generibus.

D. INTELLIGO iſta. Dic iam quid ſit pluuia.

P. Eſt nubis (quæ in ſublimi pendebat) diſſolutio in guttas aquæ, id eſt, eſt nubis liquefactio, quæ multas ob cauſas fit à Deo vi caloris aduenientis, & nubem illam emollientis atque eliquantis.

D. Explica ſingulas tuæ definitionis partes.

P. Dicitur eſſe diſſolutio nubis, quoniam nubes mater eſt pluuiæ, & vas, & vter vti diximus, B Iob. 38. verſ. 37. Pſal. 147. verſ. 37. Additur autem eam diſſolui in aquæ guttas, vt ſit Pluuia: quia niſi in aquam æſtu Solis nubes colliqueſcat, fit ex ea vel nix, vel grando: non autem pluuia. Præterea ſi ita ſit calore Solis exſiccata nubes, aut ipſa per ſe tam exhauſta, & tenuis, vt in aquam reſolui non poſsit, euaneſcere ſolet, & ex ea pluuia fieri nō poteſt, vt æſtiuo tempore, & ſummis Solis ardoribus euenire videmus, vt eſt 1. Samuel. 12. verſ. 16. Quòd autem in ſublimi pendere dicitur à nobis hæc nubes, ideò fit, vt à rore diſtinguatur Pluuia. Nam & verbum ipſum Dei, & rerum experientia docet, è cœlo, & ſuperiore huius expanſionis parte ſemper pluuias decidere in terram Iſa. 55. verſ. 10. Fit autem & profunditur Pluuia à Deo Hierem. 14. verſ. 22. ne hæc hominum vitæ tam neceſſaria, & tam admiranda beneficia ipſis vaporibus vel Soli tribuamus, & non potiùs ipſi omnium bonorum autori. Multis autem de cauſis Pluuia à Deo immittitur, quemadmodum Iob. 37. verſ. 13. docetur: ſæpe quidem ad hominum magnos vſus, & vtilitates admi- C randas, veluti vt terram inebriet, atque emolliat, fœcundámque reddat ad producendum ſemen commiſſum Pſal. 65. verſ. 11. vt terrę germina, & arbores naſcantur, & vt nimij Solis ardores (qui omnia exhauriunt) temperentur, mitigentúrque. Sæpe etiã demittit pluuias Deus ad nos flagellandos. Nam per eas omnia terræ ſata, & ſpem victus, & meſsis corrumpit. Vnde Dei iudicia in ea apparêre nonnunquam & veriſsima quidem, dicuntur Iob. 36. verſ. 31. 37. verſ. 7. 8. Eliquatur autem nubes in pluuiã, id eſt, guttas aquæ calore Solis: eiaculatur autem & in guttas ſpargitur vi venti, tanquam ſi quiſpiam inflatis buccis multam aquam contineat, & eam vi eiiciat: ea ita eiecta in guttulas diſpergitur, quia confertim & vi impetúque eiicitur. Et quoniam ex aquis in ſublimi concreſcentibus fit Pluuia, euenit vt etiam quædam animalia futuram pluuiam longè præſentiant & præſagiant propter immutationem aëris, quam facilè percipiunt, vti aues, & buculæ, & oues, quemadmodum & Plinius, & Maro ſcripſerunt, & Iob. 36. verſ. 33.

A verſ.33. Pluuiæ autem demittendæ & tempus ſtatutum, & demenſum, vt & menſura eſt penes ſolum Deum, non autem penes aſtra, non penes homines, non etiam penes Angelos ipſos beatos, nedum penes Diabolos & dæmones Iob. 28.verſ.26.

D. Quot verò ſunt genera pluuiæ?

P. In primis duo (præter ſerotinam, & matutinam pluuiam) vnum naturale & ordinarium, quod explicuimus:alterum miraculoſum & extraordinarium, quod vel præter ſuperiores cauſas fit, veluti ſi pluat ſine nube, vel lapides pluant, non aquæ : vel quod alia quædam habet adiuncta, vti carnem, ſulphur, & alia ſimilia.

D. Sed naturalis pluuia eſtne vnius tantùm generis?

P. Eſt duplicis. Aut enim cõfertim & copioſior & vehementior cadit, & tunc Nimbus appellatur Ezech.13.verſ.11. Hebræis verò Géſchen Gen. 7.v.12. vel leuior & moderatior & pluuia ſiue Imber nominatur Iob. 37. verſ.6. Sapores etiam varios habent ſæpe pluuiæ prout vapor vel nubes illa, B ex qua decidit pluuia, variè miſcetur terrenæ materiæ:nam puriori, & defecatæ interdum:interdum etiam impuriori, & fæculentæ materiæ terrenæ concreta eſt nubes.

D. Quid? Miraculoſæ & prodigioſæ pluuiæ vnde fiunt?

P. Certè fieri facillimè dixerim & magno hominum ſtupore, & certiſsimo Dei in nos mortales irati iudicio. Vnde autem fiant, & quomodo cõcreſcant, non facilè expediam, quia vt plurimùm præter naturæ ordinem iſta fiunt. Lapides enim aliquando pluiſſe, tum aliæ veræ hiſtoriæ teſtantur, tum verò ſacra ipſa Scriptura, cui fidem nemo ſanus derogauerit Ioſ.10.verſu 11. Carnem item pluiſſe docet cap.11. Numer. Sulphur etiam, & ignẽ enarratio euerſionis Sodomæ & Gomorrhæ docet, quæ ſcripta extat Geneſ.19. In vniuerſum igitur de hoc prodigioſæ pluuiæ genere ita mihi videtur ſtatui poſſe, eã à Deo fieri ad hominũ peccata iuſtè vlciſcenda. Quas pluuias nonnũquam tum per bonos, tum etiã per malos Angelos (prout hos vel illos ſuæ voluntatis miniſtros eſſe C vult) immittit Dominus: ſæpe ſine illorum miniſterio, ſed ex naturalibus etiam cauſis. Nam nubes tunc ſolidius & robuſtius concreſcere, & denſari ſolet, quum pro pluuia lapides ex nube cœleſti fiunt, & pluunt. Quod etiam euenit in grãdine. Vel etiam vehementius ſuccenditur, veluti ſi pro aqua ſanguinem, ſulphur, & ignem demittat. Vel aliunde attrahit aliquid Sol & nubes, vt quum carnes & far Dominus pluit:quod ſępe eueniſſe legimus. Vel denique ſi nihil aliunde in nubem attrahitur, ſed ſi iſta in nube ipſa Dei voluntate generantur, concoqui miro modo terrenam materiam cum aquea neceſſe eſt, & alio modo præparari, quàm cum ex ea fit tantùm pluuia. In primis autem ſi illud far, & illæ carnes pluuiæ alere nos poſsint, magna concoctione nubis opus eſt, id quod nonnunquam accidit.

CAP. XXIII.

De Niue, & eius cauſsis.

D. DIc iam de Niue. A

P. Nix eſt nubis diſſolutio, quæ in guttas quidem aquæ propter nimium frigus eã conſtringens eliquari non poteſt:ſed in floccos & denſiores quaſdam partes ab frigore compactas, & albicantes à Deo rumpitur, & in terram decidit. Quis à Deo eſſe tantum, támque mirandum opus negare auſit, cùm niuium theſauros penes ipſum eſſe Scriptura ipſa ſacra teſtetur? Iob. 38.verſ.22.23. Pſal.148.verſ. 8. Prouer.26.verſ.1. Itaque nonniſi magnis caloribus liquari nix poteſt, vt eſt Iob.24. verſu 19. maximè vetuſta & denſa: quia ſolidiùs, quàm pluuia, frigore denſata eſt. Fieri autem eam propter ſummum frigus vel ex eo apparet, quòd hyeme fit maximè, & inter rerum frigidiſsimarum genera recenſetur Pſalm.147. verſu 6.17. Albam quoque niuem eſſe quicquid inſanus ille Anaxagoras contrà ſenſerit, res ipſa indicat, & comparatio ea, per quam Nix eſſe candidior lanâ dicitur. Ratio verò huius eſt, quòd vt in glaciata aqua: ſic in niue, & nube, quum tam vehementer vi frigoris conſtringitur, qui in ea ſunt ſubtiliores & leuiores ſpiritus exhalare conantur, ſed B celeritate concretionis & vi frigoris repercutiuntur, ac intus retinentur, faciuntque vt aqua ſpumeſcat, & propterea albicet nix, & niteſcat, vt eſt Threno.4. verſu 7. veluti in ſummo ebullientis aquæ fieri cernimus. Itaque præclarè Plutarchus in Sympoſiacis docet, quum nix liqueſcit, ſonum & flatum quendam ab ea emitti, qui intus continebatur. Finis autem & vtilitas niuis quanta ſit docet Dominus ipſe Iſai. 55. verſ.10. Terram enim fœcundat, cui optimi ſterquilinij, fimi, & pinguedinis loco ab eò datur.

CAP. XXIIII.

De Grandine, & cauſis Grandinis.

D. AT verò grando quid eſt?

P. Eſt diſſolutio, eliquatióque nubis in guttas aquæ, quæ ſingulæ dum in terram decidunt, conſtringũtur à Deo vi frigoris in quod incurrunt, & citiſsimè, ſpiſsiſsiméque condenſantur. Eſſe verò & fieri hoc opus à Deo docet vbique Scriptura Pſal.148.verſ.8. Huius etiam theſauros C immenſos apud ſe habet Dominus, imprimis ad caſtigandos, puniendóſque homines. Grandine enim tanquam bellico inſtrumento, & ſclopo tormentario, ac eo quidem ſæuiſsimo, & duriſsimo contra nos ſæpe vtitur, & bellum gerit Dominus, vt eſt Iob.38. verſu 27. & Pſalm.105.v. 32. Eſt autem & dura & rotunda Grando (de naturali enim & ordinaria loquor.) Ac dura quidem, propterea quòd validiſsimè induratur, & fortiſsimè conſtringitur à frigore ſuperueniẽte, cùm iam eſſet aqua effecta: Vnde ipſius orbes Lapides grandinis appellantur Ezech.13.ver.11. Et alibi definitur Grando eſſe corroboratio condenſatióque nubis. i. concretio aquæ ſolidior Eccleſia. 43.verſ.16. Itaque ſalit & crepitat dum cadit. Rotunda verò eſt, quia guttæ ipſæ aquarum & nubis, quæ ita concreſcunt, erant iam rotundæ figuræ, dũ caderent. Eſt enim & aqua ipſa vniuerſa, & ſingulæ aquę guttæ rotundæ figuræ.

D. Quotuplex verò genus eſt Grandinis?

P. Duplex. Vna enim eſt planè miraculo-

A ſa, de qua Exod. 9. verſ. 24. & Apocalyp. 16. verſ. 21. ſit mentio: altera naturalis, de qua diximus.

CAP. XXV.

De Pruina, Gelu, Glacie, & Chryſtallo.

D. QVid verò, Pruina ab iiſne ſuperioribus differt?

P. Maximè, & re, & nomine, vt è Pſal. 147. verſ. 16. & Iob. 38. v. 29. facilè colligi poteſt.

D. Quid eſt igitur Pruina?

P. Eſt vapor humidus & copioſus, qui in ſublime & cœlum ferri incipiens, eò tamen propter magnum frigus ſuperueniens tandem peruenire non potuit. Itaque in aëre & hac expanſione nobis proxima & capitibus imminente concretus manet, & denſas tenebras nobis offundit. Id quod Autumno maximè, aut hyemis tempore poſt frigidam noctem manè cerni, & fieri ſolet: & ſæpiſſimè quidem in locis humidioribus, & ad lacum vel mare ſitis. Inde de cœlo deſcendere dicitur, quia decidit, Iob. 38. verſ. 29. Et quia eſt denſior aeris B compactio, ab Hebræis Cephór tanquam Bitumen Aeris & Aquæ à bituminando denominatur. Solis autẽ radiis & calore diſcutitur à Deo. Quæ diſcutio Pruinæ eo die futuræ ſerenitatis ſignum eſt.

D. Quid verò eſt gelu vel glacies?

P. Aquarum in ima huius aeris ſiue expanſionis parte conſiſtẽtia cõglobatio ſiue concretio à Deo vi frigoris facta & compacta. A Deo enim eam eſſe fateamur neceſſe eſt cum Iobo 38. ver. 29. & Dauide Pſal. 147. verſ. 17. quia ad expurgandam hanc vicinam nobis aeris regionẽ ita fieri Dominus vult. Et quia vi frigoris fit glacies, vt plurimùm hyeme accidit, aut etiam frigidiore aliquo vento ſpirante, vt eſt Iob. 37. verſ. 10. vel etiam nocte, quia frigidiores eſſe ſolent noctes Hierem. 36. verſu 32. Sed eadem Dei verbo liqueſcit ſiue Solis æſtum immittentis, ſiue ventum aliquem leniorem calidioremque emittentis Pſal. 147. ver. 18. ne C nimio eius rigore & diuturnitate homines, & terræ ſemina intereant aut extinguantur. Eſt enim frigus naturæ inimiciſſimum, & brutis etiam ipſis animantibus, quanquam piloſis & armatis, horrendum, vt docet lib. 2. ἔργων ϗ ἡμερῶν Heſiodus. Alba verò eſt glacies ex eadem cauſa, ex qua niuem candidam eſſe diximus.

D. Quotuplex verò eſt glacies?

P. Duplex, prout frigus ipſum, à quo aquæ conſtringuntur, eſt vel vehementius & diuturnius: vel mitius. Nam quum aqua momentaneo quodam frigore, etſi magno, conglaciatur, eſt gelu leuius, ſtatimque liquefieri poteſt. Ea igitur eſt glacies ordinaria. Quæ autem aquæ magno & diuturno frigore congelaſcunt, & indurantur: veluti per decem vel viginti annos continuos, appellantur Chryſtallus, qualis in Alpinis montibus nobíſque vicinis reperiri ſolet, & quidem pretioſiſſima atque puriſſima. Illîc enim ſolet concreſcere tam fortiter & robuſtè, vt inſtar lapidis ſit dura, de quo glaciei genere eſt Iob. 38. verſ. 30.

CAP. XXVI.

De Rore & Manna, & eorum cauſſis.

D. QVid eſt Ros? A

P. Eſt vapor ſubtilior, & tenuior, qui leui & miti frigore in terræ, aut herbarum ſuperficie à Deo compactus eſt, tum ad eas fouendas, tum etiam ad aerem ipſum, in quo verſamur, refrigerandũ. Itaque à Deo eſt Iob. 38. v. 28. & quia miti frigore concretus eſt, ſtatim exoriente Sole in ſtillas & guttas aquæ diſſoluitur, quæ inſident in herbis. Æſtate autem fieri ſolet, ſiqua nempe nox tunc fuit humidior: Manè autem apparet. Nam ſi valentior fuiſſet hic humor, factus eſſet nubes, & pluuia, vt inquit poſt Ariſtotelem Plutarchus: ſed ſubſtitit in terræ ſuperficie propter imbecillitatem exhalationis, & ſuæ materiæ. Rori autem proxima eſt Manna, quæ dicitur: Manna autem fœmineo genere ex vulgari & recepta iam conſuetudine dixerim, quanquam neutro dici à quibúſvis Grammaticis non ignoro.

D. Quid verò eſt Manna, quam vulgò vocant?

P. Eſt tenue & globoſum quoddam corpus, quod ex rore cœleſti & quodam ex ſudore ſiue cremore earum rerum (quibus inſidet) compactum à Deo eſt, magnáque aeris temperie decidit in terram, in herbas, & arbores. Itaque nec in quauis terræ regione fit, ſed ea tantùm, B in qua temperatior eſt aer propter æſtus & frigoris ſucceſſionem, vti in monte Libano, & in Calabria Italiæ regione. Nec ex quolibet rore cœleſti: ſed eo, cui ex herbis ipſis peculiaris quidam ſudor acceſſerit, fit Manna. Ex quo euenit, vt alium, quàm merus Ros, ſaporem habeat Manna, & ſæpe etiam à ſeipſa diuerſum & varium pro diuerſitate & copia humoris Rori cœleſti admixti. Fit etiam, vt facilè recens Manna Solis calore diſſoluatur. Quod ſi frigore induruerit, in annum vnum, aut multos conſeruari poteſt.

D. Eſt-ne autem hæc Manna noſtra & vulgaris eadem cum illa, de qua Exod. 16. facta mentio eſt?

P. Noſtra quidem ab illa propter quandam formæ & originis ſimilitudinem nomen accipit, quia vtraque & rotunda, & gummoſa, & cœleſtis C eſt: longè tamẽ vtraque differt, & quæ populo Dei ſolùm in deſerto Sinai pluebat, eſt excellentior quàm noſtra atque etiam quàm illa, quæ in Arabia naſcitur, & optima perhibetur, vocaturque ab ipſis Arabibus Tereniabin.

D. Ecquę igitur inter noſtram, & illam miraculoſam Mannam differentia conſtitui poteſt?

P. Maximè triplex. Illa enim per totos 40. annos ſingulis diebus ordinaria fuit: noſtra verò certis tantùm anni tempeſtatibus depluit. Illa ſeruari vltra diem non potuit, niſi quæ in diem Sabbathi plueret, illa quoque tantundem alebat, quantùm panis: noſtra verò in plures dies & ſæpe etiã in annos ſolet cuſtodiri, neq; alere nos poteſt, ſed tantùm medicamenti loco accipitur. Illa denique nõ naturali ratione, ſed planè diuina & miraculoſa fiebat ſine vllo terræ, vel herbarum cremore, cùm nõ plueret in aridiſſimis illis Arabiæ deſertis: noſtra verò naturali modo cõcreſcit. Itaque illa ſtatim putreſcebat, & miraculo quidem, vnde (vt alii volunt) ab eo quòd paratus & obuius eſſet cibus, eſt nominata Man, & magnitudine ſimilis erat ſemini coriandri, vt docetur Exod. 16. & Num. 11.

Formâ

A Formâ verò & colore margaritæ nondum politæ, quę candida & grumoſa eſſe ſolet, & Bdellium appellatur: quanquam Ambroſius Epiſt. 62. tale Man etiamnum hodie reperiri ſcribit, quale olim populo Dei in deſerto pluebat.

CAP. XXVII.

De Meteoris ignitis & eorum cauſſa.

D. Age verò de illo etiam altero Meteororum genere dic aliquid, quæ ignea nominaſti.

P. Cupio: ſed de iis tantùm, quæ ſacra Scriptura commemorat. Nec enim mihi animus eſt Meteorologicos Ariſtotelis libros, aut quatuor illos naturalium quæſtionum, quos Seneca ſcripſit, explicare: nec quæ alij de his rebus prolixè tradiderunt, veluti Plato, Plutarchus, Laertius, & alij.

D. Quot igitur, & quæ ignea Meteora in Scriptura reperiuntur?

P. Hæc ferè tria, Fulmen, Fulgur ſiue fulgetrum, & Tonitru. B Ventorum quidem meminit, ſed ij tertium quoddam & mixtum ex vtriſque impreſsionum genus conſtituunt: quia partim frigida, partim etiam calida naturâ conſtant.

D. Quæ igitur igneorum Meteororum ſunt cauſæ?

P. Efficiens quidem Dominus Deus, id quod apud Iobum ſæpiſsimè ſcriptum extat, ſed imprimis 38. ver. 35. Finis verò patefactio Dei tũ iuſtitię, quæ his telis vtitur: tum potentiæ, quæ nobis hoc modo planè ſtupenda apparet Pſalm. 29. Eccle. 39. ver. 34. Materia verò eſt vapor ſuperior eo, de quo iam diximus, & ſiccior, & calidior, qui æſtatis tempore in cœlum à Sole educitur: vnde diſtinctionis cauſâ exhalatio à Latinis Phyſicis: à Græcis autem θυμίασις: ab Hebræis אור Aór appellatur vapor, vnde iſta Meteora ignea fiũt: quia ſit vapore pluuioſo pellucidior, & ſplendidior, & ſiccior. Hic igitur vapor in altum ſublatus ibi frigore condenſatur, & conſtringitur magis minúſve, prout Dominus eo vti deſtinat, ex quo etiam variæ iam illæ ſpecies C naſcuntur.

CAP. XXVIII.

De Fulmine, Fulgetro, & Fulgure.

D. Quid eſt igitur fulmen?

P. Eſt exhalatio calida & ſicca, quæ in hac expanſione ita refrigerata eſt, vt, quãquam calida manet, lucem tamen emittere & ignem concipere non poſsit: ſed propter tum molem ipſam ſuam, & propter vim magnam frigoris ſeſe opponentis, & illam exhalationem ac molem repercutientis celerrimè delabitur, & à Deo in terrã tanquam telum citiſsimum contorquetur. Vnde ab Hebræis סער Sagar à terrendo dicta eſt, quòd nos mortales perterrefaciat. A Græcis autem τύφος, vel à fumo, quem ſecum circumfert: vel à ſtupore, quẽ iniicit. A Latinis etiam procella à percellendo. Vnde Iob 36. verſ. 32. dicitur fulmen creari ex nube aſcendente, & indignante ſe ab alia frigida ſibi obiecta reprimi & cõſtringi. In quo certè duarum tam contrariarum nubium concurſu fit aëris ſæpe pugna, & quædam mutua irritatio. Inde & A fulmen naſcitur, & coruſcatio diſsilit, & tonitru inſonat.

D. Quid verò quum iſta dicis, Num vllum fulmen igneum eſſe poſſe, & ignẽ emittere negas?

P. Minimè equidem. Nam fateor eſſe quoddã fulminis genus ardens & accenſum, ſed illud ad huius noſtri fulguris definitionem refero: quia quod fulmen igneum eſt, & vomẽs flammam differt ab eo quod ignem non emittit, duntaxat intentione & remiſsione caloris: non genere. Varia autem illa fulminum genera, quæ & Ariſtot. in libro de Mundo, & Seneca in Quæſt. Naturalib. & poſt eum Plinius lib. 2. Nat. Hiſt. commemorat, eorúmque ſignificationes, expiationes, & effecta ne attingere quidem hoc loco velim, nedũ explicare. Quanquam è fulminibus alia aliis propter materiæ. i. exhalationis variam rationem tenuiora, ſubtiliora, & penetrantiora eſſe concedo. Quędam etiam vehementiora eſſe neque nos ipſi negamus, & Ariſtoteli triplex illud ſuum fulminis genus concedimus, de quo ille in libro de Mundo ad Alexandrum agit.

D Quid eſt igitur fulgur? B

P. Eſt mirè calida, ſiccáque exhalatio, quæ poſtquàm in ſublimi euecta eſt, vndique vi frigoris à Deo conſtringitur, comprimitúrque, ex quo ignis diſſilit, & emicat, & Tonitru ſiue ſonus vehemens fracta nube tãdẽ auditur. Quoniam enim ſuperat in ea nube calor, facilè accenditur, ignẽque concipit, & inflammatur: non autem vt typho & fulmen, (de quo diximus) ſine coruſcatione eſt. Itaque ab Hebræis hoc fulgur appellatur ברק Baraq à fulgore & ſplendore Pſal. 144. verſ. 6. quem emittit, quia fulgore ſuo oculos noſtros perſtringit, propter quẽ magno impetu, magnóque mortalium metu decidit in terram. Nam à Deo ad ſuæ iræ, ſuæque potentiæ teſtimonium deiicitur. Hoc igitur eſt fulmen igneum, de quo quærebas, etſi ſæpe ſine tonitru fit, & tunc Fulgetrum à Latinis, à Græcis autẽ σέλας appellatur. Hoc autem ardens fulmen Dei ſagittam vocat Scriptura, & ignem, & carbones ardentes, vt apparet Pſalm. 11. verſ. 6. 104. verſu 4. 144. verſ. 6. & paſsim alibi. Cuius C certè mira quædam vis eſt, & quæ nos attonitos reddit, dum accendit, infuſcat, adurit, occidit, euertit, & intorquet: vel homines beſtiáſque ipſas trepidas, ſtupentes, pauentéſque facit, vt eſt Pſalm. 28. adeò, vt ex iis quædam ſæpe metu abortiant, quemadmodum Capræ & Damæ, quæ ſunt animalia timidiſsima.

D. Sed quærunt, Num ſe mali Angeli in eo fulmine vel fulgure miſceant, & coniungant, quando tam terra tamque horrenda quædam illius effecta cernuntur?

P. Abſit vt idem ſentiam quod Priſcillianiſtę hæretici, qui fulgura & tonitrua Diaboli opera & creaturas eſſe dicunt. Agnoſco enim hæc ipſa eſſe ſolius Dei opera: ſed tamen Dominum huiuſmodi ſua tela cõtorſiſſe aliquando per malorum Angelorum extraordinarium miniſterium teſtatur Scriptura, veluti Pſal. 78. v. 49. Neque ex eo tamen cõcludi debet ſemper eũ per eos ipſos illa mittere: ſæpe enim per ventos, ſæpe etiã ex cauſis naturalibus eadẽ gignuntur. Maneat modò fixum iſtud, quòd illa ipſe per ſe eadẽ iaculari poteſt, & quemadmodum antea docui, dicuntur eſſe ſagittæ Dei, A non autem Diaboli:item ignis Dei, non Diaboli, Pſal.97.verſ.3.4. Denique dicitur Deus ipſe non Diabolus fulmini & tonitrui viam præſcribere Iob.28.verſ.26. per quæ ſuam potentiam manifeſtat, & iuſtè nonnunquam hominum ſcelera punit, vt eſt Eccl.39.ver.34. vt horum iaculatores eſſe dæmonas nihil ſit neceſſe ſemper fateri.

Cap. xxix.

De Tonitru, & Coruſcatione.

D. QVid igitur vocas Tonitru?

P. Sonum illum, qui fit propter effractam nubem in expanſione. Fit autem ſonus, vti ſi pannum abrumpas violentiùs:aut ſi aër aliquis in folle concluſus vi erumpat. Id quod obſeruari poteſt in caſtaneis, nam fit ſonus quum earum cortex frangitur, ſic dum vi diſſilit ignis ex rupta & diſciſſa nube fit fragor ingens, & ſonitus, id quod Tonitru appellatur, ab Hebræis autem, B *Dei, & ſuperbiæ vox*, quia Dominus per eam vocem homines, beſtias, & cœlum ipſum (tantus nimirum, & tam formidabilis eſt illius ſonus) terrefacit Iob.26.verſ.11. Inde & illud etiam eſt, quãquam hominis profani libr. 1. Metamorphoſeon, *Fecit & humanas motura tonitrua mentes.* Eiuſdem autem nubis illa pars, quæ humidior fuit, nec potuit inflammari, in pluuiam & imbrem diſſoluitur, cúmque denſiſsimum & plurimum propter magnam nubis molem & materiam, quâ conſtat.

D. Cur igitur lux & coruſcatio priùs apparet nobis, quàm ſonus audiatur, quando priùs frangitur nubes, quàm ignis erumpat, & cerni poſsit?

P. Propterea quòd eſt longè tardior aurium, quàm oculorum ſenſus. Quod apparet in iis, qui in ſylua ligna cædunt, quorum ictus priùs à nobis videtur, quàm ſonus audiatur. Atque hanc rationem non prætermiſit, ignorauítque Scriptura Iob.37.verſ.4.5.

Cap. xxx.

De ventis, eorum natura, & cauſis.

C

D. QVid igitur in meteoris explicandum reſtat?

P. Ventorum natura.

D. Putáſne verò de Ventis quicquam à nobis ſciri poſſe, quum Dominus noſter Ieſus Chriſtus apud Ioan.cap.3.verſ.8.dicat, *Ventus, quò vult, ſpirat: & ſonitum eius audis:ſed neſcis, vnde veniat, & quò vadat.* Ergo de hoc rerum genere nihil certi, tradi videtur poſſe.

P. Loquitur Chriſtus de prima Ventorum cauſa, quæ Deus eſt, & ex cuius ſolius nutu illorũ motus omnis pendet, vt eſt traditum, Iob.28. Hæc igitur cauſſa nullis hominum legibus & præceptis obſtringitur, vt ita ventos neceſſariò impellat, quemadmodum homines quantũuis Phyſici, pręſcripſerunt. Præterea eadem Chriſti ſententia de hominum vulgo, vel eorum, qui Phyſicen non didicere, cognitione accipienda eſt. Itaque non antiquat pulcherrimam hanc Phyſices partem, quæ de Ventis agit, ſed tantum docet omnes omnium Phyſicorum regulas Dei tamen imperio & nutui ſubiici, vt eatenus veræ ſint, quatenus ipſe vult.

A Aliâs enim, vt ex Eccleſia. cap. 1.verſ. 6. apparet, etiam ventorum flatus & motus certa quædam eſt ratio & cognitio. Idem probatur Matth.16. verſ.1.2.

D. Ad quod meteororum genus illos refers?

P. Hoc genus medium, ſeu potiùs mixtum appello & conſtituo: quoniam tum calidæ, tum etiam frigidæ exhalationis eſt particeps quilibet ventus, quemadmodum ipſa rerum experientia docet. Venti enim omnes in ſuis exordiis ſunt frigidi, ſudi, & ſicci propter continuam, & diffluentem aëris pulſi ſucceſsionem, quæ in his fit:in fine verò & in iis locis, in quibus deſinunt venti, ſunt propter coaceruationẽ nubium iam ab iis factam & pluuioſi, & humidi. Nam nubes, quas contraxerunt illi, ſunt calidiores & humidæ. Id quod etiam in libro de ventorum natura tradit copioſè Theophraſtus.

D. Quid eſt igitur ventus?

P. Eſt fluor aëris, vt ait Arnob. vt autem Auguſtinus, aër fluctuans: vt autem ego ex ipſa Scri- B ptura colligi poſſe exiſtimo, eſt ventus exhalationis in ſublime eductæ motus vel diſperſio, quæ in hac expanſione proximiore & viciniore nobis, id eſt, aëre à Deo fit. Quod dico, idem Iob. 38.ver.24. traditur. Siue enim moles nubis tota vagetur in quadam huius expanſionis & aëris parte, ſiue per partes diducatur in varia loca, fit ventus.

D. At ventum alij corpus quoddam eſſe putant, quod præter aërem hunc à Deo ſit conditũ, quia dicitur. *Ego ſum Deus creans ventum*, Amos 4. verſ. 13. quemadmodum reliqua aſpectabilia corpora, quæ in hoc mundo cernimus, Deus creauit.

P. Hunc fuiſſe quorundam ſententiam non ignoro, quę ipſa ſe tamen refutat. Quomodo enim ventus erit corpus, cùm ventus vbique in Scriptura Spiritus appelletur, & Hebraicè רוח? Spiritus autem & corpus ita inter ſe ex vſu Scripturæ pugnant, vt vnum alterum eſſe nunquam poſsit, & certò certius ſit ventum non videri, ſed tantùm ſentiri poſſe Ioan.3.verſ.8.

D. Atqui ſi ventus non eſt corpus: ad Phyſicen non pertinebit. Quod qui ſentiunt do- C ctorum omnium opinioni & iudicio planè aduerſantur.

P. Non eſt ſanè ventus ipſe per ſe corpus quoddam præter aërem, ſi materiam ſpectes, nec aliud quàm aëris, & humidæ naturæ in expanſione hac inferiori collocatę agitatio, ſi formam quęras. Ergo ventus eſt corporis aërij, id eſt, nubis, & eius aquæ ſiue exhalationis, quæ pendet in hac expanſione πάθος tantùm & affectio. Eſt enim diuagatio, motus, & impulſio illius aquæ cæleſtis. Vnde ab Auguſtino illa vnda & nubes ſuperior dicitur *vnda flabilis*: hæc autem inferior aqua, quæ cum terrę ipſius globo & corpore coniuncta eſt, ab eodem nominatur *vnda labilis.* Ad Phyſicam autem diſputationem pertinent Venti, quia non ea ſolùm quæ ſunt corpora, ſed etiam corporum affectiones ad Phyſicen pertinent.

D. Intelligo. Dic verò quæ ſunt ventorum cauſſæ.

P. Finis quidem ventorum hic eſt, vt ſint miniſtri Dei, & ipſius voluntatem exequantur in hominum commodum, ſiue damnum. Dicunt quidem Philoſophi, & rectè quidem, fieri ventos,

vt ſint

A vt ſint verriculum aëris,ne nimia quiete & ſegnitie aër putreſcat,& pariat graues morbos. Imprimis autem vis & effectus in mari cernitur.Pſ.104. verſ.3.Geneſ.8.ver.7. Efficiens autem eorum cauſa eſt Deus , non autem Aër tantùm Ierem. 10. verſ.13.Vnde & ventis Deus imperat,quemadmodum ſuo exemplo docuit Chriſtus ſedans , & ſtatim tranquillans turbatum ventis mare, & eos coërcens Matth.18. Diſpenſat ſolus illorum tempus, menſuram, & pondus,atque etiam,quamuis leuis quædam res ſit ventus, tamen impetum eorum moderatur,vt flent ex ea parte,qua Dominus eos flare vult , & quandiu, & ad quos effectus ipſe iubet,vt eſt Iob.28.ver.25.ne, ſicut Philoſophi faciunt,tãtorum, tãmque admirabilium effectorum cauſam huic Soli : vel,vt Aſtrologi, aſtris,& creaturis potiùs, quàm Deo ipſi creatori tribuamus. Illi enim Solem ventorum omnium patrem vno conſenſu nominant , quem vt inſtrumentum tantùm ad excitandos ventos interuenire , & à Deo ſæpe adhiberi non negamus : ſæpe etiam prætermitti. Sed ventus eſt,Dei opus, & ventilabrum. B Nam etiam ventus Dei halitus & ſpiratio in Scriptura nominatur,Exodi 15.verſ.8.

D. Quomodo autem gignitur ventus , id eſt, quomodo fit is, quem dicis, aëris motus & agitatio?

P. Duabus maximè de cauſis.Prima quòd paulatim & continuè aſcendẽs exhalatio,& vapor ille, qui quidem leuis eſt, à ſuperiore nube(quæ iam in aëre eſt) impeditur & intercluditur. Vnde fit conflictatio & concurſus duarum nubium : & ex eo concurſu repercuſsio inferioris & aſcendentis. Illa autem deiecta feratur in latus neceſſe eſt , quia cùm ſit leuis , deorſum ferri nequit: nec etiam ſurſum aſcendere poteſt , quia prohibetur. Vnde ventorum exordia parua eſſe ſolent, & initia ferè apparent lentiora.Accedit autem ad eam propenſionem iam cœptam aliarum aëris partium facilis impulſio & motus. Nam vti in aqua lapillo iniecto fiunt ex vno circulo plures circuli & vndæ : ſic in aëre, vbi ſemel motus eius eſt inchoatus , fit ſucceſsiuè proximi cuiuſq; aëris agitatio,& impulſio. Vnde paulatim crebreſcit, C augetúrque iſta impulſio.Ita quidẽ ventus fit diuturnus, quia ſibi ſuccedit continuo quodam fluxu exhalans materia.Altera ratio eſt, quòd ſæpe magna quædam vaporis moles aſcendens impellit, & ciet eam nubem, quam iam ſurſum ſtantem inuenit. Quod quum accidit , incipit ventus, fitque ex hac poſtrema cauſſa vehemens etiam in ipſo exordio,quia non niſi magna concuſsione & impulſione illa quieta & hærens iam in aëre nubes moueri potuit. Tam diuturnus tamen ventus ex hac cauſſa eſſe non ſolet, quàm ex ſuperiore cauſa, quia materia continua nõ ſuppeditatur,vt in priori,ſed ſtatim iſte conflictus nubis pertranſit.

D. Quot verò ſunt venti?

P. Si quæ alij dixerunt de variis ventorum generibus explicare coner, infinitam diſputationem ingrediar. Sed eſt Theophraſti liber iis neceſſarius,qui in iſtis minutiis volunt edoceri.Ventorum enim alij ſunt generales , vt quatuor ij , de quibus in Scriptura facta mentio eſt, & cardinales Venti , vel progenitores cæterorum appellantur. Alij ſunt Particulares & Prouinciales: quidã vnius cuiuſdam duntaxat loci proprij ac ſingulares, vt qui in Hirpinis Apuliæ regione regnat. A Quidam ex alto ſiue mari oriri, & flare incipiunt in terram,qui Altani dicuntur :alij è terra in mare deferuntur & ſæuiunt,qui ſunt Apogæi. Denique infinita propè eſt de hoc rerum genere, nautarũ, qui maria peragrant, diſputatio , & diſtinctiones ventorum multiplices. Sed intra Scripturæ fines nos continebimus.

D. Nec ipſe latiùs vagari velim. Quotuplex igitur ventorum genus illa recenſet?

CAP. XXXI.

De Turbine,& Typhone.

P. PRimum duplex, Turbinem & ventum. Id quod ex 1.Reg.19.verſ.11. 12. colligi facilè poteſt.

D. Quid eſt Turbo?

P. Eſt vehementior, incitatiórque ventus à Deo excitatus, qui vi quadam extraordinaria aërẽ impellit , tum propter molem ingentem nubis , à qua hic ventus excitatur : tum etiam quòd in ſeſe B conuoluitur , & contorquetur talis nubis impulſio , vt ſe ex ea conuolutione nubes ipſa facilè explicare & euoluere non poſsit. Sic enim ex Ezech. 1.verſ.4.definiri poteſt. Itaque hic ventus ea , in quæ impellitur , euertit , proſternit,euellit,extollit,rapitque, etiã ſurſum euehit , vt apparet 1.Reg. 19. verſ.11. quia illa contortio & circumactio nubis eſt tanquam manus quædam robuſtiſsima,quę quicquid apprehendit arctè conſtringit,& eleuat: &,quia magnus eſt huius venti impetus,deiicit,& ſuperat quæ illi reſiſtunt,& obnituntur. Appellatur autem ventus iſte à Græcis πρηστὴρ ab igne,quem ſæpe concipit : quoniam ita variè & violenter circumagitur nubes , vt quaſi æſtuet in ſeſe euoluenda &c. Ab Hebræis autem dicitur זלעפה zalgapah à terrore & timore,quem incutit hominibus Pſal. 11. verſ.7.& Pſ.148.verſ.8. hoc Dominus vtitur ad vitia hominum punienda , vti telo cœleſti & potentiſsimo pilo.

CAP. XXXII.

C

De Numero ventorum,& Aura.

D. ORdinarios autem & leuiores ventos quot conſtituit enumerátque Scriptura?

P. Quatuor præcipuos , qui ex quatuor mundi cardinibus,& plagis, & regionibus flant & ſentiuntur. Sed etiam alios quoſdam præterea commemorat: & Auram etiam , quæ nihil aliud eſt , quàm leue quoddam exordium & initium venti , qui propter ſummum caloris æſtum neque continuare neque augeri poteſt : quia ſtatim tota illa exhalatio conſumitur vi Solis , & difflatur. Itaque ex Ierem.4.v.11.hæc aura ventus ſiccus dici poteſt , qui nec ad ſpargendum, nec ad purgandum aërem hunc robuſtus eſt , & validus , ſed tantùm vtilis & idoneus ad nos refrigerandos. Qui autem ex quatuor illis cœli finibus, vt loquitur Ierem. 49. verſu 36. erumpunt ac oriuntur , propriis in Scriptura nominibus carent , quicquid ex Pſalm.7.verſ.26.colligere quidam conentur : à Latinis tamen hominibus ita

A videntur appellati. Qui ab Oriente flat, Eurus ſiue Subſolanus (nec enim hîc ſcrupulosè vocabulorũ differentiis immorabor) nominari ſolet. Qui ab Occidente, Zephyrus. Qui à Meridie, Auſter. Qui autem à Septentrione, Aquilo à pernicitate & celeritate motus. Quos omnes præclaris his verſibus complexus eſt in Metamorphoſi Ouidius,

Eurus ad Auroram Nabathæáque regna receſſit:
Veſper, & occiduo quæ littora ſole tepeſcunt
Proxima ſunt Zephyro: Scythiam, Septémque
triones
Horrifer inuaſit Boreas: contraria tellus
Niuibus aſsiduis pluuióque madeſcit ab Auſtro.

De quorum ventorum proprietatibus notat etiã quædam Scriptura. Nam quæ de ventorum ſucceſſu ſcribit affirmátque tanquam ex tripode, & tanquam Dei ipſius conſiliis interfuiſſet Theophraſtus Peripateticus Philoſophus, primùm nimium ille audenter facit: deinde etiam illa ipſa ex parte eſſe falſa quotidiana certè experientia oſtendit. Nam vni Deo cognitum eſt, qui quibus ſuccedant venti, & quanto tempore quęque flare velit, B Eccl.1.v.6. præterquam quòd quædam longo vſu ex cuiuſque regionis ſitu poſſunt obſeruari regulæ, veluti in his regionibus iſta eſt tradita, quòd ſi Aquilo vltra tres dies flare perſtiterit, ante dies nouem deſinere non ſoleat. Item illud obſeruatur verum eſſe ſolere, ventos vel in contrarios, vel in proximè collaterales mutari. Denique ventos, qui cum Sole oriuntur, increbreſcere paulatim, & fieri vehementiſsimos meridie: mitigari autem poſtea, & Sole Occidente tandem deſinere. Qui verò venti Sole cadente incipiunt, augentur paulatim, & media nocte ſunt ſæuiſsimi & maximi: manè autem, & Sole Oriente ceſſant. Hæc ſunt catholica ventorum longo hominum vſu annotata & comprobata.

CAP. XXXIII.

C *Regulæ quædam de Ventis.*

D. SEd quænam ſunt illa, quæ de ventis Scriptura tradit?

P. Nempe Septentrionales ventos ſudos eſſe, ſiccos, & frigidos, vt eſt Iob.37.verſ.9.22. Prou.25.ver.23. Eccleſ.43.verſ.18.19.22.& ſeq.

D. Eſtne verò id perpetuum, & ſimile in omnibus mundi regionibus.

P. Minimé. Sunt enim venti Septentrionales in Ægypto calidiores, quàm nobis propter temperiem aëris, & æſtum illius regionis: & quia iam in illis locis collectæ ſunt ab iis nubes, propter quas calidi ſentiuntur. Id quod ex Etheſiarum, qui per 40. dies in Ægypto continuè flant, obſeruatione notum eſt.

D. Cur igitur nobis venti iſti frigidi ſentiuntur?

P. Frigidi ſunt & nobis, & ipſis Iudæis, quoniam Iudæi, etſi ſunt ad Meridiem ſiti, tamen venti Septentrionales ab altis montibus, qui ſunt Iudææ vicini, Iudæis oriuntur, & frigidi ſunt. Ventorum autem exordia omnium ſunt frigida propter aëris continuam ſucceſsionem, & depulſionem. Ex eadem ſunt Venti omnes Septentrionales etiam ſicci & ſudi, quòd eæ nubes, vnde venti creantur, protruduntur. Itaque ſudum aërem tunc faciunt. Id quod verum eſt præterquam in Cæcia vento, qui in Thracia, ſtatim atque oritur, colligit nubes; propterea quòd montibus maximis A illæ conſtringuntur, vt propelli vlteriùs nequeant. Ex niuibus autem Venti Septentrionales exhalant, quæ diutiſsimè in altis montibus concreuerunt. Itaque ſunt frigidiſsimi. Nec dubito quin etiam ij venti, qui è Polo Antarctico perflant in Antipodibus ſint vti Septentrionales nobis, ita illis Antipodibus & ſudi & frigidi.

D. Quid Auſtrales venti, ſiue Meridionales?

P. Calidi & humidi ſunt, ſiue pluuioſi. Itaque cùm flant omnia madent, etiam veſtes ipſæ & parietes & lintea, vt eſt Iob.37.verſu 17. Cuius rei cauſa eſt, quòd illi venti accumulant nubes, quas è longinquis partibus & regionibus ad nos detrudunt: & quia langueſcit iſtorum ventorum vis, longiùs protrudere non poſſunt nubem, atque etiam quòd è calidis mundi plagis oriuntur. Itaque exhalationem calidam ſecum vehunt & ferũt. Etſi verò ſunt ſæpe impetuoſi & celerem aëris ſucceſſionem afferunt, non ſunt tamen propterea frigi- B di: quia calidus eſt aër ille, quem ſecum iſti venti aduehunt propter ipſius exhalationis naturam, ex qua iſti Auſtrales venti excitantur.

D. Quid Orientales?

P. Vt plurimùm ſunt adurentes & noxij, peſtilentioſi, ac morbos inferentes. Nam vt dicitur Iob.38.verſ.24. illi oriuntur cum Sole, à quo calefit tum aër, tum nubes ipſa. Quare etiam ſicci ſunt & calidi, & faciunt nos ex ea cauſa languidiores: quia naturæ vires externo iſto calore diſſoluũtur. Sed nocent etiam frugibus, & herbarum ſuccum exſugunt, & exhauriunt, in quas facilè propter ſuum calorem penetrãt. Vnde Dominus ſæpe populum ſuum hoc vento ſe puniturum eſſe minatus eſt Agg.1.& Deut.28.

D. Qui verò ſunt alij venti, quos commemorat Scriptura?

P. Hi ferè, Africus, Chorus, Notus, Euroclydon, veluti Act.27. & 28. Africus eſt Græcis λίψ, C qui inter Zephyrum & Auſtrum ſitus eſt, propinquior tamẽ Auſtro, Su oueſt à nautis dictus. Chorus inter Africum & Zephyrum medius eſt proximus Zephyro, Oueſt ſu. Euroclydon eſt Eurus ille quidem, ſed is, qui vehementiùs mare agitat & turbat, & à fluctibus, quos excitat, ſolet hoc triſti & infami cognomine Euroclydon, quaſi mergens Eurus nominari.

D. Reſtátne aliquid in ſecundæ diei opere explicandum?

P. Minimè, quod quidem ex diuina Scriptura ſumi poſsit. Nam Cometarum, Lampadum, Doliorum, Chaſmatum cœli, Caprarum ſaltantiũ, & aliorum eiuſmodi igneorum meteororum, quæ nonnunquam in hac expanſione (quæ ſub cœlo Lunæ eſt) apparent, nuſquam meminit Scriptura, quorum tamen eadem eſt materia quæ & pluuiarum & fulgurum, eo excepto, quòd pluuiæ partim ex humida, partim ex calida nube gignuntur. Iſta verò ignea ex valde calida, & prorſus ſicca nube, & materia, quæ propter aëris æſtum facilè accenditur. Quæ certè Meteora & naturales cauſas habent, vti ſuperiora: & ordinarias ſui procreationes, vt ſint ineptiſsimi qui diuinitatem quandam iis tribuunt, & diuinare futura ex iis volũt. Sed hæc prætermittimus, quia in Scriptura non extant. Itaque ad tertiam diem accedamus.

A

TRACTATVS TERTIVS,

Siue Dies Tertia.

CAP. I.

De Congregatione aquarum.

D. RECITA primùm verba ipſa Moſis.

P. Sic illa habent Geneſis I. verſ.9. *Et dixit Deus. Congregentur aquæ quæ ſunt ſub cœlo in locum vnũ, appareátque arida: & fuit ita. Vocauitque Deus aridam Arets .i.terram. Congregationem verò aquarum vocauit iamim.i.mare. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et dixit Deus Germinet terra germen herbam ſeminificantem ſemen, arborem fructiferam facientem (ſiue producentē) fructum ſecundum ſpeciem ſuam, cui inſit ſemen ſuum ſuper terram: & factum eſt ita. Et produxit terra germē herbam ſeminificantem ſemen ſecundum ſpeciem ſuam: & arborem facientem fructum, in qua ſemen eius ineſſet, & vidit Deus quòd bonum eſſet. Et fuit ſerum & fuit* B *manè dies tertius.*

D. Hæc vberrima eſt narratio, & oratio.

P. Video. Sed commodioris explicationis gratiâ totum huius tertiæ diei opus in duo capita diſtinguam. Quorum primum, quemadmodum verba ipſa Moſis declarant, aquarum inferiorum, quæque ſub hac expanſione relictæ ſunt, ſeparationem à terra continet. Alterum autem primam plantarum procreationem, qualis à Deo primùm facta eſt, diſtinctè exponit.

CAP. II.

Cur Deus ab inferiori, & terrena parte Mundi ornatum illius inchoarit.

D. SIc verò facilis futura eſt tota diſputatio. Sed primùm abs te quæro, cur terram hanc ab aquis ſeparat Deus: cur terram tanta rerum varietate exornat priùs, quàm cœlum ipſum, cur denique plantas terreſtres priùs naſci, quàm Solem, & Lunam, & ſydera illa cœleſtia pulcherri- C ma voluit, qui non niſi ſapiẽtiſsimè, & ordine ſuo ſingula feciſſe & condidiſſe cogitari poteſt?

P. Rectè quæris. Faceſsit enim ea res negotiũ hominibus iſta ex animi ſui ſenſu iudicantibus, & res haſce terrenas cum illis cœleſtibus comparantibus: quòd quemadmodum cœleſtes dignitate ſuperant terrenas, ita priùs condendæ creandæq́; fuiſſe videantur.

D. Cur igitur aliter factum eſt?

P. Quòd nos totos ad ſe tanquam verum & ſolum autorem traducere velit Dominus Deus in rerum omnium creatione & natura explicanda, & meditanda: non vult autem nos ex prophanorũ Philoſophorum diſciplina illa exiſtimare & definire. Quamobrem intelligamus iſta extitiſſe vi & potentiâ quadam alia, quàm vel cœli, vel Solis, vel aliarum cauſſarum. Philoſophi quidem ſic ſentiũt, hæc terrena à cœleſtibus illis, tanquam à veris & efficaciſsimis, producta primùm eſſe, & nunc etiã generari & contineri. Qua ſuâ ſententiâ Dei nomen & gloriam prorſus illi ſepeliunt, quũ omnia & ſingula ſolius & vnius omnipotentis Dei iuſſu, potentiâ, virtute procreata perfectáque fuiſſe legamus, etiam antequam illæ Philoſophicæ cauſſæ, A id eſt, Sol ipſe, Luna, & ſydera in rerum natura extarent. Ergo rerum omnium productionem, naturam, vim conſeruationémque vnius Dei potentiæ tribuendam, & ad illius vnius gloriam referẽdam eſſe minimè iam dubitemus.

CAP. III.

Cur aquas à Terra ſeparauit Deus.

D. INtelligò. Quid igitur primo loco iuſsit, & voluit fieri hoc tertio die Deus?

P. Aquas has omnes, quæ ſub expanſione manſerant, ac à cœleſtibus erant ſecretæ, in vnum aliquod corpus & locum colligi, quod hîc Mare appellauit, alibi verò Abyſſum Pſ.33.verſ.7.

D. Cur autem Deus aut has ipſas Aquas primùm diſtinctè non creauit: aut ita à ſe vna quadã mole comprehenſas omnes Aquas, in eâdam non reliquit: ſed poſtea ſeparauit? Neque enim hæc tã varia ſententia ſapientis, & ſibi per omnia cõſtantis opificis, qualis eſt Deus, fuiſſe videri poteſt.

P. Imò verò, quòd vtrunque ita factum eſt, B ſummæ tum ſapientiæ, tum etiam potentiæ Dei maximum eſt argumentum. Ac ſapientiæ quidem ex eo miraculum apparet, quòd quæ confuſa primùm erant, poſtea tam ſcitè diſtinguere potuit, tã pulchrè exornare, tam aptè denique diuerſis ſuiſque locis collocare. Potentia verò ipſius ex eo fit illuſtrior, quòd non tantùm quædam confuſa, imperfecta, incompoſitáque ſemel edere potuit, ſed etiam eadem ipſa, eâdem illa ſua virtute & potentia poſtea componere, fingere, & perficere. Ita autem in rerum naturalium & aſpectabilium ordine & generatione comparatum eſt, & euenire perpetua quadam naturæ lege & regula videmus, vt Res naturales & Mundanæ non ſtatim vnóque temporis momento gignantur, ſed certis quibuſdam gradibus & momẽtis. Itaque per partes paulatim perficiuntur, & conſummantur. In quo harum rerum terrenarum manifeſta differentia tum ab Angelica, tum etiam à Diuina natura intelligitur. quarum illa vno momento perfecta extitit, nempe Angelica: hæc ab æterno eſt, nempe Diuina. C

D. Cur verò ab Aquis ſecreta, & tanquam abſterſa terra eſt, à quibus erat antea obruta & immerſa?

P. Multis quidem de cauſis id factum eſt: ſed hæ in primis duæ annotãtur in Scriptura. Primùm ne terra, quæ vnum quoddam eſt ex præcipuis mundi huius elementis, prorſus abſcondita & latens perpetuò maneret, adeóque iners, otioſa, inanis, & inutilis, id eſt, tohu & bohu ſemper eſſet. Id quod omninò erat futurum, ſi aquis obtecta & inuoluta terra perpetuò futura erat. Abyſſo enim aquarum, tanquam veſtimento, primum operta erat: & illæ ſupra montes quoſuis ſtabant & eminebant, vt eſt in Pſ.104.verſ.6. Deinde vt eſſet aliquod animalium, imprimis autẽ hominum ipſorum (qui à Deo creandi erant) domicilium conueniens & aptum. Illud autem eſt terra, non cœlum: non ipſum mare, quia Deus hominum, & terrenorum animalium naturam diuerſam eſſe volebat ab alitibus & piſcibus. Itaque diuerſa quoque ab illis habitatio fuit conſtituenda & præparanda. Itaque Pſ.115.ver.15. dicitur Deus dediſſe terram fi-

A liis hominum ad commodam nimirum habitationem & eorum naturæ congruentem.

D. Ergo Deus aquas inferiores, quæ erant ſub expanſione, à terra ſegregauit & dimouit?

P. Et quidem omnes, quas in vnum locum collegit, quod appellatur Mare.

CAP. IIII.

Cur in vnum omnes inferiores aquæ collectæ ſunt.

D. AT tamen multi paſſim fluuij, multi riui ſparſi per terram apparent. An verò tũc non ſic erat, ſed omnes aquæ ſic collectæ fuerunt, vt nullæ aquarum ſcaturigines & fontes in terra relinquerentur? Nam nec Arida dici poſſe videtur ea terræ pars, quæ aquam profundit (eſt enim ea, quæ aquam effundit, terra humida) at terram totam Aridam & ſiccam eſſe, atque talem apparere Deus voluit.

P. Certè quod aquæ in vnum locum collectæ, & à terra ſeparatæ dicuntur, vt illa Arida B appareret, non debet alio modo factũ eſſe intelligi, quàm quomodo etiamnum hodie ſe habere videmus, nimirum, vt illa tam immenſa aquarum moles (quæ priùs toti ſuperficiei terræ effuſa erat) colligeretur in vnum locum. Et tamen tantum aquæ relinqueretur iſti terræ aridæ & ſiccæ, quantum futuris creandiſque animalibus & hominibus ſatis ad habitandum vidit eſſe Dominus commodum. Itaque flumina & fontes varios in terra etiam ab initio Deus ſparſit, quemadmodum ex quatuor fluuiis illis, quibus Paradiſus terreſtris circunſcriptus alluebatur, facilè colligimus. Quod factum eſt, vt potum hominibus, & pecudibus neceſſariũ aquæ illæ in terra relictæ præberent. Sed & perennes quaſdam ad terram irrigandam venas & aquas ſupereſſe voluit Dominus, ad magnam rerum omnium (quæ hîc in terra naſcuntur) commoditatem. Illud igitur non eſt negandum, manſiſſe in terra quaſdam aquas ad hominum & reliquorum animantium vſum neceſſarias: ſed illæ quæ totam terram priùs operiebant ſunt dimotæ & abſterſæ, & in alium locum depulſæ. Illud verò magis ſtu- C pendum atque admirandum eſt, quòd cùm aquis omnis terra antea obruta, & immerſa eſſet, ſtatim tamen ita exſiccata, & iis liberata ad primam Dei vocem apparuit, vt arida eſſet, & appellaretur.

CAP. V.

In quem locum collectæ ſunt illæ aquæ, & quomodo.

D. SEd ecquem in locum collectæ ſunt aquæ? an in vnum aliquem qui extra terram omnem ſit: an in eum, qui terræ ipſius ſit pars quædam?

P. Certè in eum, qui terrę ipſius portio quędam eſt. Nam mari quamlibet alto & profundo, ſubſtrata tamen eſt aliqua terra & ſubiecta. Quod verum eſſe vel alga ipſa, quę in maris fundo naſcitur, demonſtrat: item & nautarum bolides, quæ in pelagus profundiſſimum deiectę, terram, quę mari ſubiecta eſt, attrahunt, vel attingunt, vt apparet ex Act. 27. verſ. 28.

D. At illud planè mirum eſt, quod etiam in vna quadam terræ parte, tanquam in vno alueo, A colligi potuerit tam immenſa illa aquarum copia & moles, quæ vniuerſam terram priùs occupabat, & tegebat.

P. Planè mirum, & magnum Dei opus iſtud eſt, quódque à nobis ſatis comprehendi non poteſt. Sed qui ſumus, qui noſtri ingenij tam exigui captum ad Dei immenſam illam ſapientiam exæquemus? Itaque ita congeſta eſt à Domino & collocata tota hæc aquarum moles, vt aptè, & liberè tamẽ in illo ſuo alueo ludat & cõſiſtat. Ex quo fit, vt facilè poſſit intelligi mare, id eſt, huiuſmodi aquarum molem non modò cõglobatam & à Deo compreſſam fuiſſe: ſed in medio ſui extumeſcentem, & altiorem effectam, vt maiorem aquarum copiam in medio cõprehẽderet, & haberet, quàm in litoribus, & extremitatibus ſuis. Nam mare à litoribus ſenſim in faſtigium aſſurgit vſque ad medium ſui, in quo iam eſt profundiſsimum, altiſſimum, & copioſiſsimum Mare quodlibet, & præſertim magnum Mare, qui dicitur Oceanus. Vnde illîc longè altius, & eminẽtius eſt mare, quàm terra: in litoribus autẽ eſt ſecus: terra enim eſt altior, B quàm Mare in litoribus. Itaque hac maximè ratione tam breui ſpatio tanta aquarum copia à Deo facillimè comprehendi potuit.

CAP. VI.

Quomodo vocetur ille locus, vbi collectæ ſunt Aquæ.

D. EStne verò in vnum tantùm Mare, & in vnum quendam alueum: an verò in plures & diuerſos ab eo collecta eſt omnis hæc aqua?

P. De eo varia hominum, & imprimis Geographorum diſputatio eſt. Nam alij ſentiunt omnia, quæ vſquam ſunt Maria ab vno hoc maximo, & latiſſimo, qui Oceanus appellatur, deriuari ſiue occultis meatibus, vt Mare Caſpium: ſiue manifeſtis irruptionibus, & inſinuationibus in terras, quales omnes ſinus Maris, qui dicuntur: veluti Arabicus, Perſicus, & Mare hoc noſtrum, quod Mediterraneum vocant. Alij Caſpium Mare ab Oceano fluere negant, quòd illud Mare lacunam C tantùm eſſe volunt quandam, non autem Mare appellant. Nam variorum è Caſpiis, Medicis, & Scythicis montibus fluminum, torrẽtium, & fontium receptaculum tantùm, & velut quẽdam hiatum terræ Caſpium Mare eſſe putant. Denique non deſunt qui & magnum illum Oceanum, & Mare hoc noſtrum Mediterraneũ à Palude Meotide eſſe & oriri contendant & argumentur, tanquam à prima, & vera aquarum omnium origine & ſcaturigine: & certè immẽſa quædam aquarum abyſſus & vorago illic eſt atque nullis adhuc nautis comperta, etſi in reliquis partibus Maris altitudinem ipſius iidem Nautæ reperiunt. Vnde etiam illud Lucani eſt.

Oceanúmque negat ſolas admittere Gades.

Sed dubitari de mente Scripturæ non poteſt, cui eſt acquieſcendum. Illa enim Oceanum eſſe patrẽ propagatorémque reliquorum omnium, quę ſunt vbique in terra, pelagorum docet. Nam eſt Oceanus maximè proprius aquarum alueus, locus, & collectio, & verum illud Mare, quod Scriptura nominat ימים Iamim.

A

CAP. VII.

De aquis,& earum cauſsis.

D. DIc igitur de aquis primum,Quæ ſint earũ cauſæ,quæ natura, quæ item illis accidãt cognitione digna, quæ Græci πάθη nominant.

P. Cupio.Ac primùm cauſſæ aquarũ, & ipſius adeò Maris ſunt imprimis duæ nobis obſeruãdæ, efficiens, & finis:è quibus efficiens eſt Deus ille ſummus & Opt.Max.qui ſe in verbo ſuo per Prophetas & Apoſtolos patefecit,rerum omniũ conditor,ordinator,atque conſeruator. Id quod infinitis propè ſacræ Scripturæ locis confirmari poteſt,ſed paucis ex ea teſtimoniis erimus contenti. Nam is eſſe prædicatur qui ſolus & aperire fontes,& exſiccare poteſt : qui Mare increpare audet: qui illud reddit meabile & firmum , vt eſt Pſ.74.15.106.9.Matth.14.29. Denique qui quando , & quomodo vult,non tantùm fluenta quædam exigua:ſed flumina etiam maxima, atque adeò Mare B etiam ipſum exhaurit,vel immittit in terras Iſ.42.15.45.18. & qui dicit profundiſsimo pelago & abyſſo,*exſiccate* Iſ.44.27.

D. Quis verò aquarum & Maris efficiendi ſcopus & finis eſt?

P. Aquarum quidem hic primus finis eſt, Dei ipſius opificis in tam admirandò opere laus & gloria. Secundus vt haberent animantia & homines ipſi conuenientiſsimum,obuium, & paratu facilimum potum. In quo altera victus corporis pars poſita eſt:atque hæc ratio pulcherrimè demõſtrata eſt Pſ.104.10.& 11. *Qui emittit fontes in conuallibus,inter montes fluunt.Potum dant omnibus beſtijs agreſtibus, & frangunt onagri ſitim ſuam:iuxta eoſdem fontes volucres cœli habitant, inter frondes dant vocem.* Sed etiam vt terram irrigarent,aquas condidit, & manere cum terra voluit Deus benigniſsimus, ne vel nimia ſua ſiccitate,aut Solis ardoribus exhauſta,infœcunda & ſterilis eſſet. Id quod ſæpe locis ἀνύδροις & inaquoſis accidere videmus. Maris autẽ ipſius & collectionis, ſeparationíſque aquarum à C terra, quanquam ratio ſuprà expoſita eſt , & ſumma vtilitas demonſtrata : addam tamen etiam duplicem eiuſdem operis finẽ : è quibus primus eſt, quòd Mare videtur eſſe pulcherrimum & maximum quoddam miraculorum Dei theatrum , ac quidem longè terrâ ipſa illuſtrius, & excellentius, vt eſt ſcriptum Pſal.107.24.& ſeq. Id quod apparet, & probari facilè poteſt ex motu Maris,piſciũ innumerabili varietate, rebúſque iis quæ in Mari naſcuntur.Denique quòd Dei ipſius iudicia & miſericordia ab hominibus Mare nauigantibus maniſeſtiſsimè aſsiduéque cernantur.Alter autem finis tam latæ támque vaſtæ alicuius aquarum diffuſionis colligendæ, & diſpergendæ fuit, vt haberent homines breuem & facilem mutuæ inter ſe mercaturæ exercendæ,& commerciorum communicationis viam, & iter, quemadmodum indicat Pſ.104.25.& 26.& Iſaias 23.1.2. docet exemplũ Salomonis 1.Reg.9.26.27.Etſi enim terreſtre iter videtur eſſe tutius, eſt tamen nauigatio & commodior & breuior, & aptior ad merces hominum in longinquas regiones vehendas à Domino cõceſſa,adeò vt illi Fla.Horatij ſententiæ minimè aſſentiar,qui ſic cecinit,

Illi robur,& aes triplex A
Circa pectus erat,qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus:nec timuit præcipitem Africum.

Vſum enim optimi elemẽti hominibus adimit, qui nauigationem damnat : quando omnino plures è mari , quàm è terra commoditates à nobis percipiuntur.Atque ſi authoritas authoritati, ethnica ethnicæ eſt opponenda,obiicio iſti Heſiodũ, qui lib.2.Dierum, & operum, nauigationem vti optimam,& compendiariam rei familiaris augẽdæ viam eſſe ſcribit. Certè hoc antiquiſsimum quoddam & vtiliſsimum inuentum eſſe docet Ezechiel de Tyriis loquens cap.27.

CAP. VIII.

Aqua quid ſit, & de varijs Aquæ generibus.

D. DIxiſti de cauſsis.Nũc de re. Quid eſt igitur Aqua?

P. Aqua hæc inferior eſt ſubſtantia quędam B corporea,quæ ſuâ naturâ fluida eſt, non ſtãs, neque etiam viſcoſa, aut vnctuoſa,ſed liquida, & reſolui facilis, omnis liquationis cauſa in rebus concretis, non ſolida, neque renitens, humida & humectans,non ſicca aut areſaciens. Vnde à terra latiſsimè aqua diſtat : plurimùm etiã ab oleo, ſucco,& humore Ezech.32.14. Nam ſunt quidem iſta ex aqua,ſed iam cõcreta. Etſi autem aqua hæc inferior illa ſuperiori craſsior,& ſpiſsior eſt,habet tamen has omnes qualitates & proprietates quas diximus,illíque nunc tribuimus. Id quod ex effectis facilè poteſt intelligi. Vnde planè miraculum fuit, quòd ex ſicco pumice Dominus elicit aquam Pſ.78.15.Num.20.

D. Atqui videtur abs te prætermiſſa eſſe qualitas illa,quæ maximè propria aquæ cenſetur. Eſt autẽ frigiditas. Summè enim frigida ſcribitur definitúrque eſſe aqua.

P. Quàm variè Philoſophi de ea re digladiẽtur inter ſe non ignoro. Scripſit enim illorum de hac quæſtione concertationes Plutarchus in lib. qui de Primo frigido inſcript⁹ eſt. Sed ſi id,quod C ipſe ſentio,liberè mihi pronuntiare fas eſt, dicam equidem aquam ipſam per ſe non eſſe magis frigidam(eſt enim frigiditas caloris tãtùm priuatio) quàm terra eſt:eius tamen magis ſuſceptibilem & capacem eſſe, quàm terra eſt , propter naturæ & ſubſtantiæ ſuæ (quæ liquida eſt) robur infirmum, & minimè externæ qualitati reſiſtẽs,cui terra diutiùs propter ſuam duritiem reſiſtit.Eſt enim aqua corpus & elementum ad patiendum , quàm ad agẽdum magis aptum & natum.Ex quo fit, vt quæ aquæ frigore afficiuntur facilè obrigeſcant, vt niues:& quæ aquæ refrigerantur (vt fit in pleriſque locis)fiunt ſtatim frigidiſsimæ : quia Aqua facilè impreſsionem alienam recipit:Terra vero difficilè. Quæ denique aquæ vel leui tantùm calore perſtringuntur, fiunt tamen ſtatim calidæ. Quòd ſi Aqua per ſe, ſuáque natura frigida eſſet,non tam facilè calorem admitteret, & natiuam qualitatem amitteret. Sentiat tamen de ea quiſque per me licet, quod voluerit, ne nimium videar contentioſus. Alij etiam ita de aqua ſentiunt, eam diaphanã, & pellucidam quidem eſſe , non tamen ipſam per

A ſe lucidam : quam eandem volunt magis, quàm aër, & aquę cœleſtes ſint, terminabilem eſſe, id eſt, faciliùs conſtringi continerique poſſe aliquo loco, quàm Aquæ cœleſtes, & Aër in loco contineatur.

D. Quot verò ſunt aquarum genera?

P. Humorum quidem genera varia ſunt : aquæ verò genus vnum eſt & ſimplex, ſi eius eſſentia ſpectetur: diuerſa tamen ex modo diſpenſationis, & vſus, ſiue etiam earum collocationis conſtitui poſſunt. Ergo aliquæ ſpecies earum enumerari poſſunt, Exod. 7. 19.

D. Quæ?

P. Alia aqua dicitur Mare, alia fons, alia flumen, alia torrens, & lacus, & ſtagnum: quæ omnes genere quidem inter ſe conueniunt, οἰκονομίας tantùm ratione differunt & diſtinguuntur, id eſt, copia aquarum, vel inopia, ſcaturiginis, itē & fluxus modo, qui vel momentaneus, vel perennis eſt.

Cap. ix.

De Mari, & variis eius partibus.

B D. Quid eſt autem Mare?

P. Aquarum immenſa collectio, & earum penu quoddam & theſaurus, è quo fluuij poſtea emergunt, & ſcaturiunt, Pſ. 33. 7. Dictū autem eſt ab Hebræis Iamim, facta & deducta voce à Maim, & tranſpoſitis quibuſdam literis, quòd aquæ etiam ipſæ à Deo tranſpoſitæ mare effecerunt, vt à quodam magno viro audiſſe me memini. In mari autem profunditas ſumma πέλαγος à Græcis appellatur, tanquam πέρα τ̃ γῆς. i. procul à terra ſit, vt Grammatici volunt: ab Hebræis autē מעמקים Maqhamuquim ab altitudine aquæ : eſſe autem ſummam volunt Maris profunditatem decem tantùm ſtadiorum, vt Plutarchus in Paulo Æmilio ſcripſit. Alij volunt tantùm patere deorſum Mare, quantùm ſurſum ad cœlum extolluntur altiſſimi montes. Scriptura verò id nuſquam definit. Certè immenſa eſt maris profunditas & altitudo.

D. Quid igitur, Poetæ Lucano doctiſſimo aſſentiris, qui, ſi flumina in mare ire deſinant, non C putat tamen illud exſiccatum iri & exhauſtum, ſic enim ille.

Veluti ſi cuncta minentur
Flumina, quos miſcent pelago ſubducere fontes,
Non magis ablatis vnquam decreſceret æquor,
Quàm nunc creſcit aquis.

Alij tamen aliter, nimirum Mare eſſe fluuiorū, & aquarum per terras ſparſarum lacunam tantùm & receptaculum quoddam.

P. At Mare dicitur congregatio aquarum & theſaurus, & velut promptuarium quoddam, non tantùm alueus earum & receptaculum, vt citra omnia flumina eſſe illud magnam aquarum quandam vim, & molem illîc conſeruatam veriſſimè affirmari poſſit. Idque vel ex vno Iſaiæ loco apparere poteſt, qui eſt cap. 19. 5. 6. vbi & Mare & fluuios ipſos diſtinctè ſe eſſe exſiccaturum Dominus comminatur.

D. Cùm verò aquarum naturam ipſam per ſe fluidam eſſe ſuprà dixeris, quomodo igitur certis finibus & terminis Mare & tanta aquarum moles coercetur, atque continetur?

P. Huius ſanè tam miræ immenſi & ſemper frementis Maris compreſſionis, & intra ſuos certóſque A limites circunſcriptionis, variæ rationes afferuntur. Etſi enim latum eſt Mare, vt eſt Pſal. 104. 25. & quadam expanſione (quæ vaga & effrenis eſſe videtur) effuſum, certos tamen terminos habet, quos non egreditur, neque ſuperat, niſi eos Deus iratus conuellat, & moueat ad vlciſcenda hominum ſcelera Iob. 26. 12. Sed quæ cauſa ſit tanti támque ſtupendi miraculi quærunt homines. Alij igitur putant id fieri propter incumbentes Mari nebulas & caliginem, quæ ita illud comprimunt, coercent, & vndiquaque cogunt, vt longiùs aqua effluere non poſſit. Ita quidam ex Iob. 38. 9. Alij arenam ipſam, quę eſt in litore Maris, obſtare credunt, quò minùs aqua, quanquam natura ſua fluida, longiùs vagetur, & ſeſe diffundat. Illam enim arenam tanquam fortiſſimum obicem à Deo oppoſitam eſſe Mari, & idcirco eam præſertim in litore ſparſam eſſe, quæ Mare cohiberet. Id quod ab eo Scripturæ loco fortaſſe non diſſentit, qui eſt Hier. 5. 22. Verius tamen dixerim, vnius Dei Decretum cauſſam eſſe, cur ſe intra ſuos, certóſque limites, & terminos mare contineat, & in iis ludat, B fluat, refluátque. Quæ mea ſententia apertiſſimè Pſ. 104. 9. & Iob. 30. 18. confirmatur. Itaque Dominus Mare, & aquas omnes deprimit, cùm ad terram & litora ſua appropinquant. Ex quo fit, vt litora emineant ſintque longè aquis ſibi vicinis ſuperiora, & altiora. Quod ſanè valde mirum eſt, cū aquę elementum ſuapte vi ſit & leuius, & ſuperius terrâ: ſed hoc perpetuum ſuæ potentiæ & bonitatis erga nos miraculum & teſtimonium proponit nobis Dominus. Aliter enim futurum erat, vt vniuerſam terram iterum & ſtatim operirent aquę.

Cap. x.

De Fluxu & Refluxu Maris.

D. Dic tamen de Fluxu, & refluxu Maris, qui bis quotidie fit in Oceano: in Euripo ſepties : in Mari autem Mediterraneo lenius, vt vix deprehendatur.

P. Rectè addis cùm ſentis etiam in Mari Mediterraneo fieri iſtos Maris motus, & reciprocationes: quanquam tamen illę minus in eo animaduertuntur. C Cur igitur fluat, & refluat Mare, ratio eſt duplex. Ac prima quidem, ne torpeſcens & quieſcens tanta aquarum moles ſtatim putreſcat. Docet enim quotidiana rerum experientia, aquas quietas vel propter aliquam algam & fæcem, quæ in imo fit, vel ex eo quòd incluſi in ea ſpiritus, nō exhalant, putere. Hoc autem lutum & cœnum, hoc motu reciproco verrit & è fundo ſuo propellit Mare, vt docet Iſ. 57. 20. id quod Vino etiam accidit torpenti, ſed huius natura non eſt tam imbecillis & externis qualitatibus obnoxia, quàm aquæ natura eſt. Eſt enim vinum naturâ & hypoſtaſi robuſtius, & magis coctum, & epuratum. Itaque qui aquam ſanam ſeruare diutius volunt, eam ſaliunt. Altera ratio huius Fluxus, & refluxus Maris eſt, commodior hominum nauigatio, & maris ipſius vſus. Ita verò in illo ſuo alueo aqua Maris lata mouetur, vt vnum quoddam corpus eſſe dicas quod libratur in diuerſas partes certo horarum interuallo, adeò, vt hac parte decurrens, & decedens aqua, incurrat eodem momento, & influat in contrariam partem, veluti quum in Septentrionē

fluit

A fluit & intumeſcit, defluit ex Meridiana parte, cõtráque. Currit autem vſque ad medium & ſummum maris vtrinque aqua, & illîc conſiſtit. Itaque ſub Æquatore ſunt periculoſiores maris æſtus. Cæterùm quæ cauſſa ita Mare Magnum ſeu Oceanum quotidie agitet, diuerſæ ſunt hominum ſententiæ. In primis autem tres ſunt præcipuæ, quas mihi videtur breuiſſimè & doctiſſimè Lucanus his verſibus complexus fuiſſe.

Quaque tacet littus dubium, quod terra fretúmque
Vindicat alternis vicibus: cùm funditur ingens
Oceanus, vel cûm refugis ſe fluctibus aufert.
Ventus ab extremo pelagus ſic axe volutet,
Deſtituátque ferens: an ſydere mota ſecundo
Tethyos Vnda vaga lunaribus æſtuet horis:
Flammiger an Titan, vt alentes hauriat vndas,
Erigat Oceanum, fluctúſque ad ſydera tollat,
Quærite, quos agitat Mundi Labor.

Præter has autem omnes alia quædam ratio mihi quoque videri ſolet iſtius aquarum reciprocationis, quæ fit in Mari, nempe Sol ipſe, qui non quidẽ B mare extollit, vt inde aquas hauriat ad ſe alẽdum, quemadmodum ſcribit Lucanus: ſed quòd vi caloris & luminis ſui potentis facilè agitet, moueátque corpus hoc Maris, iam ſuapte naturâ fluidũ, ſequax, liquidum, & externis impreſsionibus facilè obnoxium. Nam & Luna ipſa, cuius lucis non eſt tantum robur, quantum luminis Solis, cùm tamen eſt plena magis intumeſcit Mare: & ſunt eius æſtus & reciprocationes tunc temporis maiores, quia tunc maiori luce prædita eſt Luna, & in noſtro orbe noſtri ratione potentior, atque robuſtior tunc eſt ipſius luminis vis. Quòd ſi gemina illa Solis nimirum & Lunæ vis coniuncta ſit, & concurrat, vt in Plenilunio, tunc verò omnino validius attrahitur, & mouetur Mare. Quanquam nõ diffitebor Lunam quadam naturæ ſuæ proprietate dominari humìdis, & frigidis: quia à Deo condita eſt, vt præeſſet nocti, quæ eſt humida & frigida. Ex quo imperium quoddam ſuum in Mare, & cætera omnia (quæ ſunt humida) exercet. Certè diuina Scriptura hoc tantum, támque mirandum opus vnius Dei proprium eſſe affirmat, qui Maris C fluctus excitat, & excurrere iubet, qui eoſdem intumeſcentes coërcet, & in ſuum alueum reuocat: qui denique tam fero elemento potentiſsimè tamen imperat, vt eſt Iob.26.12. Pſ.65.8. Iſ.51.15.

D. At cur Mare ſæpe ita inũdat, vt terras occupet, vel ſic recedit, vt nouæ terræ & inſulæ appareant?

P. Id fit Dei voluntate & potentia, vt eſt Iob. 28.4. dũ iuſta ſua in mortales iudicia exercet. Itaque quorundam hominum ſedes & regiones ſubmergit, dum in eas Dominus iratus immittit aquas: quorundam etiam commerciis ſolitis, & prioribus commoditatibus deſtituit, dum illis proximum & vicinum Mare adimit. Quod vt fiat, Dominus terræ motus ſæpe immittit in eas regiones, ſæpe etiam magnos ventos excitat, qui eas aquas propellunt vel hauriunt. Denique nihil aliud eſt inſula, quàm quædam Maris pars exſiccata Iſ.42.15. Niſi illa fortaſſe ſit mobilis & fluctuans inſula, quales eſſe quaſdam in Italia ſcribit Plinius libro 2. Natur. Hiſt. cap.95. & tradunt etiam Iuriſconſulti. Idem enim euenit aquis quoque aliis, vt fluuialibus Iob.38.3. Sæpe enim contingit, vt in eadem parte Maris ſcirpi, iunci, A & arundines naſcantur, quibus cùm aliqua ſuperna gleba adhæſerit, ita paulatim gignitur inſula, quæ natat & fluctuat in mari, maximè cùm aliquis vehementior flat ventus. Sed de his inſulis poſtea. Iuncos enim in Mari propter algam & fecem (quæ in fundo eſt) naſci argumento eſt mare iunceum, quod appellat Scriptura Suph: alij autem ſcriptores Mare rubrum vocant, ſiue Erythræum.

D. Cur verò & vnde rubrum dicitur?

P. A colore, qui in eo Mari apparet propter Solis radios in eam aquam terreſtrem, & iam per ſeſe ex arena rubentem incidẽtes. Itaque eæ aquæ impuriores & denſiores ſunt, & colorem rubrum efficiunt, repræſentántque hominum oculis. Qui color in nubibus etiam ſæpe apparet: & hunc ipſum colorem alibi ex eadem cauſſa in aquis accidiſſe commemorat Scriptura 2. Reg.3.22. ne ad Ethnicorum hominum fabulas, & Erythræi Regis monumentum, (quod iuxta illud Mare ſitum eſſe volunt) recurramus in huius appellationis ratione reddenda. B

CAP. XI.

De Maris ſalſugine, & aliarum Aquarum.

D. Dic de ſalſedine Maris.

P. Perutiliter verò atque percommodè Mare à Deo ſalitum eſt, quanquam aqua ipſa, ſi per ſe ſpectetur & ex natura ſua, huiuſmodi ſaporem nullum habet. Saporem enim proprium, quemadmodum & colorem ipſa in ſe nullum habet aqua, cùm ſit corpus διαφανὴς, & per quod omnes à nobis ſapores guſtantur, & rebus inſeruntur. Sed Mare ſalſum eſſe fuit omnino neceſſarium. Primùm propter piſces ipſos, qui hominibus in cibum deſtinandi erant, nimirum ne in mari ipſo viui putreſcerent, ſi ſola & inſipida aqua alerentur: id quod euenire erat neceſſe, atque ita piſcium eſus hominibus peſtilens futurus erat & noxius, piſcéſque ipſi inſipidi futuri, qui iſto Sale condîti iam ſapiunt. Nam C ea ſalis Natura eſt, vt cibos condiat Matth. 6. Iob. 6. 6. Quanquam vnum illud Philoſophis libenter conceſſerim magis in ſuperficie, quàm in fundo ſalſum eſſe Mare: ſalſugine tamen illa, id eſt, ſuo condimento ima & profunda Maris carere nunquam equidem concedam. Nam ex fæce ipſa maris ſalem naturâ ipſa procreari docet Ezech. 45. verſu 11. quòd natura Mari tale quoddam ſeminarium iniecerit. Altera ratio eſt, ne mare ipſum putreſceret, quemadmodum iam diximus, ſalitum illud eſſe oportuit. Putant autem Philoſophi ſalſum fieri mare, quòd aduſti quidam vapores in illud ex aëre defluant, & quòd magnis Solis ardoribus ſuperficies Maris torreatur. Itaque æſtate & in ſumma parte eſſe tetrioris, atque magis amari ſaporis mare, quàm hyeme & in fundo ipſò.

D. At verò ad aquarum amarorem tollendum vſus eſt ſale Eliſæus Propheta 2. Reg. 2.20.

P. Verum eſt: ſed id miraculo factum eſſe nemo dubitat, nõ verò naturali ratione aut proprie-

A tate ſalis, qui cùm ſit aduſta & cocta quædam maris ſpuma,potius efficit amara quæ prius dulcia erant,quàm dulcia, quæ iam erant amara : qualis quoque fuit illa medicatio amaræ aquę,de qua eſt Exod.15.24.

D. Cur etiam præter Mare ſæpe fontes ſalſi, & aquæ ſalſæ reperiuntur,quæ ex mediis terræ viſceribus ſcaturiunt,& oriuntur?

P. Quòd per ſulphureas terræ venas aquæ illæ percolantur & permeāt:aut ex nitroſis & ſalitis terræ partibus oriuntur. Vnde huiuſmodi ſaporem contrahunt.Solent autem propter vim abſtergendi, quam habent , eſſe quibuſdam morbis ſalubriores huiuſmodi aquæ. Terram autem quibuſdam locis acres iſtos & amaros humores continere certum eſt , qui vel propter aëris temperamentum gignuntur,vel ſunt ipſius ſoli excremēta quędam & ſudores,cùm montes totos ſale cōſtare variæ regionum hiſtoriæ teſtētur, & demōſtrent.

CAP. XII.

B

De Coralio & Succino,quod in Mari reperitur.

D. QVid verò , nihil-ne aliud in Mari obſeruari poteſt?

P. Certè infinita quædam alia poſſunt , vt docet Scriptura Iob.26.5.Multa enim, eáque ſtupenda ſub aquis,& in aquis fiunt & naſcuntur. Ac certè nullum eſt elementum, quod plura naturæ, id eſt,Dei miracula habeat,vt planè mirum ſit,cur Plato in Phædone nihil ἀξιόλογον in Mari cerni dixerit.Atque dicis cauſâ Coralium,& lignum illud,quod Almughim vocat Scriptura , vt Rabini volunt,& Succinum illud odoratum , quod Cethi piſcis marini eſſe excrementum volunt , vel etiam genitale illius ſemen. Cuius magna copia in Maſſylia Marrachoſij regni regione nobiliſſima, in maris ipſius litore (vti in reliquis litoribus ferè C ſunt conchæ & oſtrea)legitur & reperitur.

D. Quomodo verò Coralium fit in Mari?

P. Primùm eſt ſurculus,& velut iuncus quidam , qui quandiu ſub aquis latet, eſt tenerrimus & molliſſimus : vbi verò ſeſe ſupra aquas extulit dureſcit ſtatim,& conſtringitur ſtatim non paulatim , ídque tactu aëris,quem ſentit , quemadmodum earum rerum hiſtorici tradunt. Quanquam pulcherrima Coralia non in aquis , ſed in Mediterraneis locis,qualis eſt Syria,naſci ſacra hiſtoria teſtatur Exech.27.16.Iob.58.28.ſiue alba,ſiue purpurea Coralia velis.

CAP. XIII.

De variis ſimplicium aquarum generibus.

D. DIc iam de reliquis aquarū generibus,quæ ſunt ſimplices aquæ non mixtæ, quales animalium humores,& ſucci plantarum.

P. Illa ſunt Fons , Flumen,Torrens,Lacus, Stagnum.

D. Defini iſta ordine.

P. Fōs eſt terræ locus ex quo naturaliter fluit ſucceſſiuè,id eſt ſcaturit aqua:eſt & fons mendax, è quo non ſalit aqua Hier.15.18.2.Pet.2.17. Flumē eſt eius fontis riuus perennis,ſed magna aquarum mole fluens. Nam ſi parua aquarum copia è fonte fluit,riuus eſt,vel riuulus:non autem flumē. Torrens A eſt non continuè , ſed per quædam tantum temporis interualla vel anni tempeſtates fluens, maximè ex niuibus liquefactis,vel pluuia cadente aqua abundantior,& copioſior. Itaque perennes & perpetuos fontes non habet torrens. Lacus eſt aquarum conſiſtentium & non fluentium, ſed tamen naturaliter illic enaſcentium locus & receptaculum.Stagnum eſt locus terræ , in quo artificioſè collecta eſt aqua,ibíque conſeruatur.

CAP. XIIII.

De Fluminibus,& vnde oriantur.

D. SEd vnde flumina oriuntur?

P. Equidem ſi varias de eorum origine ſententias vel duntaxat enumerare velim, finē nullum noſtra reperiet oratio, nedum ſi velim eas refutare. Alij enim ea naſci putant ex pluuiis & terrę vaporibus,qui primùm ſurſum feruntur,pòſt autem in aquam concreti deorſum defluunt , & ſe B in concauis vel ſpongioſis terræ locis colligunt. Sed hanc ſententiam Senec.lib.7.Quæſt. Nat.falſam eſſe docet. Alij,velut Ariſtoteles, ſentiūt flumina oriri ex aëre in terræ cauernis & hiatibus, velut poris,collecto & comprehenſo , qui frigore primùm in terra craſſeſcit, pòſt autē æſtu Solis liquefactus erumpit,& certo,id eſt,vno quodam loco fontem ac initium ſuum habet,aquis nimirum in vnum illum locum guttatim ex ſingulis illis terræ meatibus confluentibus. Qua de re copioſè Plutarchus quoque in Æmil. Sed nos iſtis omiſſis quid S.Scriptura doceat,perpendamus.

D. Ecquid verò illa?

P. Nempe quod eſt in Eccleſiaſtę,cap.1.verſ. 7.*Omnia flumina pergunt ad mare,& mare non impletur:ad locum vnde proficiſcuntur flumina,illuc reuertūtur,vt rurſum redeant.*Ergo ex mari ipſo, velut vero ac perenni aquarū fonte,omnia flumina oriuntur.Subit enim ex mari aqua per cauos & internos C terræ meatus , tanquam ſanguis aut phlegma per varias corporis noſtri venas : ex quibus in vnum tandem locum congregata illa aqua fontem emittit,ex quo flumen enaſcitur. Hoc flumē ſæpe quidem exiguum eſt in ipſo ſuo ortu : ſed poſtea acceſſione aliarum aquarum magnum fit , id quod de Eridano,& Danubio , & Gange omnes hiſtorici tradunt. Hæc vera & ſimplex eſt fontium atque fluminum origo , quanquam Auguſtinus ex Platonis Timæo(qui Tartarum quendam in mediis terræ viſceribus ſtatuit , quaſi fluminum omnium parentem)exiſtimat li.5. de Geneſ. ad Lit. cap.10. ex Abyſſo quadam , quæ ſub terra lateat, fluere omnia flumina , quæ poſtea variis tractibus veníſque per vniuerſam terram diſtribuantur.Sed nos vni ſacri verbi ſententiæ conſtanter adhæreamus,quanuis non negauerim flumina pluuiarum & vaporum terrenorum , tanquam alienarum opum,acceſſione ſæpe diteſcere ac intumeſcere. Itaque æſtate fieri quædam pauperiora , & velut magnis opibus illis detractis tenuiora videmus. Vnde 1.Reg.17.v.7.dicitur Carith fluuius propter nimium æſtatis ardorem exaruiſſe.

D. At verò aliquid huic Scripturę loco videtur repugnare.

P. Quid autem illud eſt?

A D. Primum quidem, quod è montibus altiſſimis oriuntur ſæpe maxima flumina, vt apparet ex Pſalm.104.verſ.13. in quem locum non videtur aqua poſſe conſcendere. Nam illa, vtpote grauis, potius in conuallibus ſubſiſtit. Secundum autem, quod è ſilice & rupe aridiſsima Dominus aquam in deſerto Sinai eduxit, quæ aqua perpetuò Iſraëlitas ſequebatur, erátque illis perennis, non autem diaria vel tantum momentanea. Id quod cum Moſe Num.21.verſ.17. tradit quoque Paulus 1.Cor.10. verſ.4.

P. Rectè mones. Sed facilis eſt ad vtramque tuam dubitationem reſponſio. Et quidem quod vereris vt in altiſsimos illos montes aqua conſcēdere poſsit (è quibus tamen maxima flumina paſſim proruunt) parùm mihi ad cauſam ipſam fontium præcipuam attendere videris. Eſt enim Dei ipſius iuſſus, vt apparet ex Iſai.41.verſ.18. qui hoc vel illo in monte: hac vel illa in planitie: hac vel illa in conualle vult flumen hoc vel illud oriri & ſcaturire non tantum vis ipſa & copia aquę vel ſitus terræ eſt cauſa, cur eo in loco fluat flumen. Quum igitur arcanus ille Dei iuſſus (qui tamen B nobis ex ipſo euentu innoteſcit) aquā è mari propellat, vt ſuam ipſe tum potentiam, tū in homines benignitatem demonſtret, quid metuis, ne aqua vel ad ſummum vſque ipſum cœlum poſsit educi, quum etiam naturali ordine & ſitu aquam ipſam locum tota terra ſuperiorem tenere Philoſophi ipſi doceant, & primum Aqua ipſa excelſiſsimos quoſque Terræ montes ſuperaret, & conſcenderet? Sed & vi caloris, qui inhæret illis terræ locis vbi flumen naſcitur, aqua facillimè ſurſum attrahitur, & allabitur. In depreſsis quidē & planis locis ſæpe etiā ſunt flumina magna, vt ex Pſ.104.v.10.& 11. apparet, ad faciliorem nimirum hominum ferarúmque aquationem & potum, & quòd propter loci decliuitatem, illic facillimè congregentur aquæ: ſed tamen etiam in montibus ipſis oriuntur fluuij, ne nimium ea pars terrę arida ſit, atque propterea hominibus prorſus inutilis & iners. Ergo Dominus flumina tanquam irrigationes quaſdam in montibus eſſe vult. Et hæc quidem ad primum C tuum obiectum eſto mea reſponſio. Ad ſecundum autem quod ex Moſe affers, dico, iſtius, de quo Moſes meminit, fluminis & originem & perennitatem & curſum planè miraculoſum fuiſſe. Itaque illa extraordinaria non ſunt cum hac de ordinariis fluuiorum cauſis diſputatione coniungenda, ſed ſeiungenda.

D. Sed quid ad illud reſpondebis, quod ipſa rerum experientia compertum eſt in inſula Ferro nominata vna ex Canariis inſulis, quę olim μακάρων νῆσοι appellabantur?

P. Quid verò illud eſt?

D. Nempe perennes aquas ex foliis cuiuſdā arboris exſudare & ſtillare tanta copiâ, vt etiam omnibus incolis ad potum ſufficiant. Vnde verò iſta aqua aliunde, quā ex aëre in ipſa arbore & foliis nocte congelato, & poſtea Solis exortu atque calore liquefacto eſſe poteſt?

P. Rectè ſentis. Oportet enim huiuſmodi arborem totam, ipſiúſque folia poros habere quamplurimos, quibus aër cōprehēſus & poſtea eliquatus tantam aquarum copiā effundat. Itaque illa aqua ex aëre eſt. Quanquā è terra quoq; eſſe, & at[illegible] radices in ramos & folia poteſt. Sed hoc ſpeciale & vnum non eſt trahendum in A regulam & legem generalem originis aquarum.

D. Cur verò Dominus tum mare ipſum, tum flumina & fontes in terra variis in locis diſperſit?

P. Ad maiorem tum hominum ipſorum, tū cæterarum quoque rerum commoditatem. Nam maria variis terræ locis ita miſcuit & infudit, vt homines poſſent ipſi inter ſe habere communem vitæ ſocietatem, Eccleſiæ communicationem, commercia denique ac mercimonia, atque ſic alii ab aliis ſubleuarentur exportatione, importationéque rerum neceſſariarum ſi alienis egerent: fontes autem & flumina ſparſit, vt haberent & homines, & feræ, & plantæ adeò ipſæ (nam has terra ad perpetuum animalium victum producere iuſſa eſt) vnde & biberent & irrigarentur, atque vnde ad ſui ſuſtentationem humorem colligerent.

D. Cur verò ex fontibus iſtis alij calidas, alij ſulphureas, alij alterius vel odoris vel ſaporis aquas effundunt, quemadmodum ex epiſtola Iac. cap.3.ver.11.& Ieſ.11.ver.8.intelligitur?

P. Iſta varietas tum ſaporum, tum odorū, adde etiam colorū in aquis & fontibus oritur ex terræ venis, per quas aqua tanquam per tubos & ca- B nales ſubterraneos fluit atque percolatur. Eſt enim aqua ipſa per ſe ſine odore, ſapore, & colore, qui quidem apertè percipi poſsit, & ab aliis certo nomine diſtingui. Sed quod aqua non habet naturâ, ex contagio terræ & percolatione contrahit: veluti quum vinum aromaticum pharmacopolæ conficiunt & condiunt, illud percolant & traiiciūt per ſaccarum, ex qua percolatione ſaccari ſaporem & odorem vinum manifeſtè induit.

CAP. XV.

De Inſulis, & earum diuerſo genere.

D. DEnique, vt tandem totū hunc de aquis locum concludas, quid de Inſulis ſentis?

P. Idem quod alij, Eas nimirum eſſe terræ partes, vel quòd aqua iis in locis exſiccata eſt Dei iuſſu, vt eſt Iſ.42.verſ.14. idque æſtu Solis, ſiue receſſu ipſius aquæ: vel quòd Aqua ipſa locum Terræ tam altum & eminentem primùm ſuperare, & C operire non potuerit. Sunt enim montes quidam in mediis etiam aquis (qui Saxa & Aræ à Latinis vocantur) ad quorum ſummum faſtigium aquæ non peruenerunt, quum primum à Deo iuſſæ ſunt decedere de ſuperficie terræ. Hæ ſunt igitur ferè duæ inſularum cauſæ præcipuæ, nempe vel ipſius aquæ defectus, vel terrę ipſius in ea pręſertim parte altitudo. Itaque earum tractatio ad terrę tractatum qui ſequitur potiùs pertinet, quàm ad iſtum qui eſt de Aquis. Quanquam tamen non ignoro Inſulas idcirco appellatas, quòd ſint in Salo, id eſt, in Mari ſitæ.

D. At quum terra ſolida ſit & fixa, inſulæ autē pleræque fluctuantes (quemadmodum & Iuriſconſulti, homines magno rerum vſu docti, ſcribunt in Rubrica de Acquirendo rerum dominio, & diſertè meminit earum Ca. Plinius libro 2. Natural. Hiſtor. cap. 95.) quomodo eas eſſe genus quoddam Terræ reſpondes, & non potiùs aquæ?

P. Quæ inſulæ ſic fluctuant, quemadmodum ad Cutilias aquas, & in Lydia quædam cōm-

A memorantur(quæ & ventis & contis impelli poſſunt) illæ fiunt ab ipſa maris alga (quam Nautæ Hybernici Nagarbam vocant, vt eſt in lib. de Spiritu & litera c.24.) ex imo & fundo maris in ipſius ſuperficiem emergente, quemadmodum tibi iam explicaui, & poſtea adhæreſcente iuncis, aut craſſiori alicui materiæ, quæ ſupernatat maris aquæ. Itaque quum huiuſmodi ſordes magna copia in aquæ ſuperficie coaluerunt, & iuncis, aliiſque huiuſmodi viminibus inter ſe firmè colligantur, fit quædam inſula: quæ quia ipſi duntaxat Aquæ, neque alij Terræ affixa inhæret, ea facilè vento moueri, vel contis impelli poteſt. Itaque fluctuat.

D. Cur verò ſacra Scriptura paſsim Europã, cæteraſque regiones, quæ extra Syriacum mare iacent, Inſulas appellat: quanquam eæ ſæpe nullo mari alluantur? veluti cùm Geneſ.10. verſ.5. dicitur. *Et ab ijs diuiſæ ſunt Inſulæ Gentium.* & Iſ.40. ver. 15. *Inſulæ velut puluis coram Domino*: & Soph.2. verſ. 11. *Omnes Inſulæ Gentium eum adorabunt.* Quibus in locis & ſimilibus aliis proculdubio Inſulæ vocabulum regionem ſignificat, etiam quæ neque B maritima eſt, neque mari vicina, aut affuſa, aut circunflua.

P. Vt mihi quidem videtur, Scriptura duplici de cauſa ſic loquitur. Primùm, quòd ad eas regiones nonniſi traiecto mari, tanquam ad inſulas, à Iudæis perueniri poterat. Deinde, quòd quæ in eo Mundi tractu Europæ loca & regiones primùm poſt diluuium notæ, cultæ, atque ab hominibus habitatæ fuerunt, certè fuerunt inſulæ. Quum enim arca Noæ in Armeniæ montibus poſt perditum & deletum humanum genus (vna modò Noæ familia excepta) ſubſtitiſſet, homines ab eo loco in Europam paulatim retroceſſerunt habitandi gratia, & ad Inſulas Aſiæ vicinas penetrarunt, quas illi primùm quidem incoluerunt: ſed creſcente incolarum multitudine in continentem illis Inſulis oppoſitam (quæ nunc Europa & Africa dicitur) traiecerunt. Sic Hiſpani noſtrâ, patrúmque memoriâ primum inſulas Canarias Hiſpaniæ vicinas occuparunt: C deinde Hiſpaniolam quemadmodum nunc appellant: demum in ipſam Americam continentem Indiam Occidentalem, quam Peru & Terram gemmarum nominant, ſuis nauigationibus penetrarunt. Ex quo fit, vt quia ipſæ inſulæ, in ea Mundi parte primùm innotuerunt, tota regio etiam vlterior, & quæ eſt Mediterranea, miniméque maritima, tamen Inſularum nomine ex veteri traditione & vſu loquendi iam recepto nominaretur. Sic Romani velabrum appellabant multis poſtea ſeculis eam vrbis Romæ partem, licet exſiccata eſſet, quam olim ratibus traieciſſent, vt docet Varro in libris de Lingua Latina.

D. Quam tu verò ex Inſulis ab hominibus vtilitatem capi poſſe putas? aut cur eas in mari ipſo poſitas à Deo cenſes?

P. Non ob eam quidem rationem, quam ſcribit Ambroſ. vt eſſent Inſulæ Eremitarum, & Monachorum futurorum fœdiſsima luſtra & cauernæ: multóque minus, vt eſſent latronum & piratarum arces & præſidia: ſed vt ſuam omnipotentiam in illis oſtenderet Dominus in medio mari terram nimirum ſtabiliẽs: & aliquod nauigãtibus refrigerium daret, atque hoſpitium tutum pararet.

D. Vellem quidem de fluminibus & fontibus aliquibus, de quibus in ſacra Scriptura facta A mentio eſt, aliquid abs te quærere, veluti de Siloë, de Iordane, de Euphrate, de Nilo, & aliis aliquot: ſed ea diſputatio ad Geographiam, quemadmodũ video, pertinet. Ergo illa abs te hoc loco φυσικὰ tantùm tractanti permittenda eſt.

P. Rectè facis, qui artium, tanquam agrorum, conſtitutos fines ſine piaculo neque conuellendos, neque confundendos eſſe exiſtimas.

CAP. XVI.

Partitio futuræ diſputationis de Terra.

D. Perge iam igitur ad reliquam huius diei tertiæ partem explicandam.

P. Pergam verò ac lubens.

D. Quænam illa eſt.

P. Quæ de Terræ nimirum exſiccatione agit, id eſt, de Terra ipſa, quatenus ab Aqua ſeparatum & ſecretum quoddam corpus ac Elementum eſt: deinde de iis agendum eſt, quæ ex ipſo terræ corpore, velut matre, primùm procreata ſunt: & adhuc hodie, Dei iuſſu, ex eâdem vim ſuam vegetam retinente naſcuntur.

D. Primùm igitur Moſis ipſius verba recita ex Geneſ.1. ver.10.

P. Sic habent. *Aridam autem vocauit Deus Terram.* B Item verſ.11. *Dixit inſuper Deus, Germinet terra germen, herbam producentem ſemen, Arborem fructiferam facientem fructum iuxta ſpeciem ſuam, cui inſit ſemen ſuum ſupra terram: & ita fuit. Produxit enim terra germen, herbam producentem ſemen iuxta ſpeciem ſuam, & arborem facientem fructum, cui inerat ſemen ſuum, iuxta ſpeciem ſuam. Viditque Deus, quòd eſſet bonũ: & fuit veſpera, & fuit manè dies tertius.* Hacten' Moſes.

D. Tu verò, vt hæc omnia quodam ordine nobis exponas quid ais?

P. Totum horum verborum argumentum in duo capita diſtribuo, quorum primum de Terra ipſa: alterum verò de iis, quæ ex ipſo Terræ corpore ſic oriuntur ac producuntur, vt tamen ipſi adhæreant, tractat.

D. Dic igitur ſigillatim ac ordine de vnoquoque, ac primùm quidem de Terra ipſa.

P. Interroga.

CAP. XVII.

De terra, Vnde dicta ſit, & de varijs eius appellationibus. C

D. Expone primum omnium ipſum Terræ vocabulum.

P. Illud elemẽtũ & corpus, quod primo die Dominus ipſe *Terram* appellauit, & hoc tertio *Aridam*, variis vocabulis ſolet deſignari. A Latinis quidem, Terra dicitur tanquam vile quoddam corpus. *Terra enim dicitur, quòd pedibus teratur*, quemadmodum grauis autor M. Varro libr.4. de Lingua Lat. tradit. Inde antiquitus in Ritualibus libris Tera per ſimplex R elementum ſcribebatur: non autem vti nunc per duplex R Terra. Vnde ſuperficies ſiue pars huius Elementi ſuperior, quæ teritur, Terra dicta eſt. Alij tamen à voce Græca δαίρα potiùs nominatam primùm Tairam volunt à Latinis, quæ deinde euphoniæ cauſa Terra ſit appellata. Sed videtur alia eſſe facilima etymi vocabuli huius, Terra, ratio, ſi eam ex Hebræo ארץ

vocabu-

A vocabulo inuerſo nimirũ Thera fiat. Id quod me viri docti docuerunt. Eadem quoque dicitur, *Tellus*, quia fructus eius tollimus, vt quidam etymologici ſentiunt. Eadem *Humus*, vbi humida eſt, in inferiore nimirum ſui parte. A Græcis autem, & γῆ, & χθὼν, & Ἄρουρα, & aliis quoque nominibus vocatur. γῆ quidem, quòd omnia capiat: quanquam Baſil. γῆς vocabulum nullam terræ commendationem habere putat: Ἄρουρα verò quòd aretur: χθὼν verò cur dicta ſit, nondum apud vllum probatum autorem inuenire potui. Sed ab Hebræis variis quoque appellationibus donata eſt. Dicitur enim ארץ Aerets in vniuerſum, & corpus ipſum terræ integrum, & illius pars quælibet: adeò quidem vt vox iſta in Scriptura nonnunquam in genere pro quouis loco ponatur, vt in Pſal.146.verſ.4. Nam dicta eſt Aerets quòd excurrat, id eſt, extendatur velut planities quædam. Præterea nominatur אדמה Adamah à colore, quòd pura puta terra (qualis ea, ex qua ſumptum eſt primi hominis corpus) rubra fuerit. Vnde & ipſe quoque primus homo eſt appellatus Adam: quanquam terram, B quæ colitur, quæque à Latinis Ager vel Aruum peculiariter nominatur, Adamah, propriè dici quidam volunt: cui contraria eſt ea tellus, quæ nec ſeritur nec colitur. Hier.2.verſ.2.& 6. Denique dicitur תבל Tebel, non quidem omnis, ſed ea tantùm quæ incoſitur & habitatur ab hominibus, quam *Orbem* Latini, & Græci οἰκουμένην appellant, Iſa.13. verſ.11. Pſalm.98.verſu 7. Sic apud Lucam in Euangelio cap.2.verſu 2. nominatur οἰκουμένη. Cui contrarium eſt deſertum, quod definitur eſſe illa terræ pars & regio, quæ ab hominibus non habitatur: ſed vel à feris occupatur, vel omnino aut valde inculta & infrequentata manet. Neque tamen iſtę nomenclaturæ variæ ſunt tam ad viuum reſecandæ, & explicandæ, vt non ſæpe confundãtur inter ſe, vt apparet ex Iſa.34.verſ.1.38.v.11. Pſal.90.v.2.

C

CAP. XVIII.

Cur Terra dicta ſit Arida peculiari nomine.

D. Arida verò eadem nominata eſt.

P. Rectè ſentis: ſed demum poſtquã Dei iuſſu aquæ ex ipſius ſuperficie (quam totam antea occupabant) receſſerunt in ipſum Maris alueum. Quoniam igitur dilapſis aquis exſiccata eſt terræ ſuperficies, idcirco tellus dicta eſt Arida à Latinis, voce quidem, vt videtur, ab Hebræo vocabulo Aerets deflexa: à Græcis autem ξηρά: ab Hebræis verò יבשה Iabaſcha atque etiã חרבה Charabah, vt Gen.1.& Agg.2.verſ.7. quòd aruerit, id eſt, ex aquis nimirum emergens ac enatans, vt ait Petrus 2.Pet.3. verſ.8. ſicca tandem effecta fuerit. *Arida* autem eſſe proprium, qualis iam eſt, Terræ vocabulum ſentit Baſilius, quòd quum vnumquodque Elementum ſuam quandam ἰδιάζουσαν ἰδιότητα, id eſt, maximè propriam formam ac proprietatem eſſentialem habeat, Siccitas velut ἰδίωμα quoddam φύσεως γηικῆς χαρακτηριστικὸν eſt à Deo Terræ attributum. Ergo per ſiccitatem Terra ab aliis, & rebus & elementis, velut εἰδοποιητικῇ quadam, ſiue συστατικῇ differentiâ ſecernitur. Quare tunc demũ Terra terra eſſe cœpit, & propriam naturam adepta eſt, quum expers aquæ velut alieni & immiſti elementi Arida apparuit. Quare παρθενική, id eſt, Virginalis terra huiuſmodi à Clemente lib.1.Strõ. dicta eſt, quòd alieni & ſibi immiſti corporis copulatione A tunc carere cœperit: adeò vt Aridę vox, formam: Terrę autem vocabulum materiam iſtius corporis deſignare ex mente quidem Baſilij & Ambroſij videatur.

CAP. XIX.

Terra quomodo exſiccata.

D. Qvomodo verò ſicca effecta eſt?

P. Non vi quidem aut calore Solis extenuantis, aut exſiccantis aquas, nondum enim erat Sol: non item aquis temporis diuturnitate euaneſcentibus, aut alueũ ſibi lõga mora paulatim cauantibus: ſed vt eſt Pſalm.66.verſ.6.& 9. ſtatim & vno die, id eſt, Aquis vno penè momento ex tota Terræ ſuperficie ad Dei omnipotentis iuſſum decedentibus, & in eam terræ partẽ confluentibus & decurrentibus, quam Dominus ipſe pro aquarum alueo eodem illo tempore depreſſit. Nam quandam terræ partem, B eámque maximam, (id eſt, tantam, quantam totus ipſe Oceanus, & variè per orbem terrarum ſparſa maria occupant) à Deo ſtatim in alueũ excauatam fuiſſe, & ſubſidiſſe nemo, vt quidẽ arbitror, negabit. Vbicunque enim eſt collectum & infuſum mare, ibidem quoque terram mari ſubſterni, ac ſubiacere veriſsimum atque certiſsimum eſt, ídque à nautis iniecta in mare bolide facillimè deprehenditur. Idcirco à Stoicis Terra ὑποστάθμην, tanquam aquarũ fulcimentum dicta eſt. Quamobrem Aquæ ſeu Mare ex ſuperficie terræ recedentes, neque priſtinũ terræ locum, neque formam immutarunt (vt tamẽ ij Philoſophi exiſtimant, qui in terra aliud magnitudinis, aliud autem grauitatis ipſius centrum conſtituunt) ſed partes tantùm quaſdam terræ mare excauauit, atque depreſsit, quæ tamen excauatio neque totius terræ naturam, neque ſitum, neque centrum variauit. Veluti ſiquis in globo æneo C particulam ferro depreſſerit, quam cera poſtea impleat, manebit illius globi forma & centrum idem, quod erat priùs: etſi quiddam illi parti ad plenam cæterarum partium æqualitatem deeſſe verum eſt. Sic Dominus quanquam quaſdam terræ partes in alueum maris depreſsit, eundem tamen Terræ & ſitum, & figuram reliquit, quam habuit priùs à Deo: vt idem & ſuæ magnitudinis, & grauitatis centrum nunc quoque hoc terræ elementum habeat, quod ante aquarum receſſum habuit.

CAP. XX.

Terra cur Arida facta.

D. Cvr verò terra Arida effecta eſt?

P. Duplici de cauſa: Primùm quidem, vt Terra, quæ antea inconſpicua & ἀόρατος erat propter aquam vndique affuſam, cerni poſſet. Itaque ne tantum Dei Opt. Max. opus perpetuò lateret, eam aquis, velut expanſo & eam occultante velamento, Dominus ipſe exuit atque detexit. Deinde ne perpetuò quoque inanis, vacua atque ſine vllo vſu & fructu maneret, quem nunc multiplicem atque vberrimũ præbet. Atque hoc ipſum docet Iſaias Propheta cap.45.ver.18. nimirũ terrã, qualis nunc eſt, à Deo factam vt tum ab hominibus: tum etiam à cæteris animantibus incole-

A retur,quibus eam Dominus pro domicilio deſtinabat.Ergo ad hominum, atque etiam volantium & terrenorum animantium vſum & commoditatem mira & incomprehenſibili Dei benignitate & potentiâ terra facta eſt Arida, vt illis animalibus in ea futuris tutam commodámque habitationem & ſedem præberet:atque etiam vt iiſdem alimenta funderet, victúmque ſuppeditaret idoneum. Id quod,ſi aquis cooperta manſiſſet,facere non poterat. Quare minimè illis aſſentior, qui Terram velut Mundi totius ſordes & fæcem eſſe putant, & ea de cauſſa eam in imo loco collocatam. Nã Dominus eam homini ipſi,quem ad ſuam imaginem conditurus erat,nequaquam deſtinaſſet,ſi eſſet res quæpiam tam vilis, quàm illi cenſent, & contra quàm eſt in Pſal.115.verſ.16.Illa potiùs mihi videtur Terræ laus recitanda ,quam Plinius etſi homo ethnicus ,verè tamen libr.2.Natural.Hiſtor. cap. 63. his verbis cecinit. *Sic hominum illa,vt cœlum Dei, quæ nos naſcentes excipit, natos alit, ſemélque editos ſuſtinet ſemper, nouiſſimè complexa gremio,iam à reliqua natura abdicatos,tum maximè vt ma-* B *ter operiens. Hæc benigna mitis,indulgénſque, vſúſque mortalium ſemper ancilla,quæ coacta generat? quæ ſponte fundit? quos odores ſaporéſque? quos ſuccos? quos tactus? quos colores? quàm bona fide creditum reddit fœnus? quæ noſtri cauſa alit? Illa ſerpentem homine percuſſo non recipit ampliùs: pœnáſque etiam inertium nomine exigit:illa medicas fundit herbas, & ſemper homini parturit.* Hæc ille. Quæ terra non à ſe quidem habet, ſed à Dei numine,& vi illi iniecta,quam in ea perpetuò ac quotidie fouet,ciet,& ſuſtentat idem Dominus,qui dedit.Itaque Terræ fertilitas ac ſterilitas non ab ipſa ſed à Deo eſſe dicitur , Pſalm.107. verſ.34.65.verſ.10.11.12.

D. Intelligo cur Arida ſit effecta Terra:expone cætera quæ diſputari de ea ſolent.

P. Faciam,ſi ordine quæſieris.

CAP. XXI.

Terra vbi totius huius Vniuerſitatis ratione ſita.

C D. PRimum igitur,de ſitu Terræ, quæro quid ſentias.

P. Idem quod in ſuperiori huius diſputationis parte diximus, eam nimirum in medio huius conſpicui Mundi loco , mirâ Dei potentiâ & ſapientia,collocatam ac ſtabilitam eſſe,quanquam id nonnulli negant.

D. Quinam verò.

P. Imprimis Pythagorici,qui idcirco Terram in Mundi meditullio ſitam eſſe negant , quoniam is locus eſt ex eorum ſententia nobilior reliquis partibus, quæ ſurſum vel deorſum, Dextrorſum vel Siniſtrorſum collocantur.Nobilior autem locus nobiliori elemento (quem Ignem eſſe volũt) conuenit,non autem terræ. Hæc de Pythagoreorum dogmate tradit Ariſtot. lib.2.de Cœlo.Varro lib.6. de Ling.Lat.& Plutarch. tum in Numa, tum in lib.de Defectu oraculorum.

D. Quid autem ipſe ſentis?

P. Falsò affirmari , ſi in medio mundi loco terra conſtituatur, nobiliorem illi locum tribui: imò potiùs infimus illi locus hac ratione aſsignatur. In circulo enim (quam figuram , vt docuimus,cœlum extimum ſortitum eſt)infimus ac humillimus totius circuli locus eſt ipſum mediũ ſiue centrum,in quo à Deo ſapientiſsimè & potentiſsimè collocata atque ſtabilita eſt Terra , non quidem propter materiæ, qua terra conſtat, præſtãtiam præ aqua,vel ipſo cœlo: ſed propter ipſius corporis & molis pondus & grauitatem,qua conſtat,quæ nonniſi infimo loco conſiſtere potuit. A

D. Cur verò?

P. Quia, quò inferius iſta terræ grauitas deſcendat iam non habet,quum ſit infimo loco ſita: nam nihil eſt infimo inferius.

D. Planè igitur eam meditullium huius mundi obtinere cenſes.

P. Cenſeo. Atque cur ſic exiſtimem hæc eſt ratio multiplex,quam ex ipſa diuina Scriptura duco.Prima quòd à cœlo (quod totius huius mundi ſupremum locum occupare nemo ſanus dubitat) longiſsimè ſpatij & interualli ratione diſtat terra, vt dicitur Pſ.103.v.11.Qui verò locus quàm longiſſimè à ſupremo diſiungitur, is proculdubio eſt infimus.Ergo ſit infimo loco Terra neceſſe eſt, aut verum non dixerit Scriptura.Id quod vel omnino cogitaſſe nefas eſt.Secunda autem,quòd cœlum & B Terra inter ſe opponuntur in Scriptura,veluti imũ ſummo quemadmodum ex Epheſ.cap.4.v.9. apparet.Tertiò,quòd vbique infima loca tribuuntur terræ vti Pſ.95.v.4.& aliis paſsim locis.Vnde terram infimo omnino loco collocatam eſſe apparet. Quid quòd etiam Philoſophi ipſi, qui veriſsimè præ cæteris de rerum natura ſcripſiſſe videntur, (quales Platonici) nobiſcum faciunt,vt ex Platonis Timæo apparet? Varro certè li.4.& 6.de Ling. Lat.ſic ait. *Cœli dicuntur loca ſupera, & ea ſunt Deorum: Terræ loca infera, & ea hominum.* Item. *Ibi enim omnia naſcuntur in medio , quòd Terra mundi media.*

D. Quomodo verò tam immenſa moles , & tam ponderoſa potuit illîc firma cõſiſtere, & ſubſidere,nullis ſubnixa radicibus , nullis ſuffulta vectibus,nulli fundata ſolidæ extra ſe baſi?

P. Immenſâ ſanè Dei potentiâ fit iſtud quod commemoras. Philoſophi quidem eius rei rationẽ tum circulari formæ,quæ ſeſe ad hũc modum vndique comprimit:tum grauitati terræ: tum etiam infimo,vt dixi,loco aſsignant,in quem delapſa nõ C habet iam quò vlteriùs progrediatur ac delabatur : ſed hæ rationes ſunt, vt loquuntur in ſcholis ,à poſteriori.Ergo hoc etſi ordinarium & continuatum eſt ab ipſius terræ creatione ad noſtra hæc vſque tempora, ingens tamen eſſe Dei miraculum nemo pius certè dubitare poteſt, nimirum quòd terra tanquam in vacuo, & ſuper nihilum ſuſpẽſa eſt:vt eſt apud Iob.26.v.7. vndique liquidiſſimis & molliſsimis, id eſt,facilè cedentibus corporibus qualis Aqua & Aer,affuſa,ac circũdata & compreſſa ſic tamen firma hæret,conſiſtit, & manet.Dei igitur eo loco terram collocantis ſapientia potentiſsima , & potentia ſapientiſsima , ſunt verę baſes & columnæ,quibus terra innixa ſuſtinetur & fulcitur:atque eæ quidem certè ſunt firmiſsimæ,vt dicitur 1.Sam.2.Itaque licet mihi cum ſummo illo Phyſico & Philoſopho ſummo Iobo exclamare in perſona Dei Iob.ca.38.ver.4. & ſeq. *Vbinam ô homo eras,quando fundabam terram? annuntia ſi noſti intelligentiam. Quis diſpoſuit menſuras eius quod noſcas? aut quis extendit ſuper eam lineam? ſuper quo baſes eius defixæ ſunt? aut quis iecit lapidem eius*

angula-

A *angularem?*

D. At duo quædam iſti tuæ ſententiæ videntur aduerſari.

P. Quænam verò illa?

D. Primùm quòd Paulus quædam loca inferiora, quàm eſt terra ipſa, agnoſcit, quæ καταχθόνια nominat Phil.2.10. id eſt ſubterranea. deinde quoniam terra ipſa ſupra mare & Aquas fundata ac extenſa eſſe dicitur Pſalm.24.verſ.2.& 136.verſ.6. Quid tu igitur ad hæc reſpondes?

P. Nimirum ad locum Pauli dico ea ipſa, quę ſubterranea nominantur, non eſſe inferiora, quàm Terra ipſa eſt: ſed eſſe tantùm partes ipſius Terræ inferiores. Etſi enim in medio mundi, atque ita infimo loco ſita eſt terra: ipſa tamen (quia magnū quoddam corpus eſt) per ſeſe conſiderata habet quaſdam ſui partes ſuperiores, quaſdam verò inferiores. Quemadmodum igitur ſuperiora Terræ Επίγεια vocantur à Paulo: ſic inferiora καταχθόνια nominantur. Vides igitur vt nihil terrâ ipſa tota inferius eſſe putet Paulus quum hæc ſcribit.

D. Quid autem ad locos Pſalmorum reſpõdes, B vbi Terra ſuper Aquas fundata eſſe dicitur? Id quod etiam ſenſiſſe quodammodo videtur Aug. lib.3. de Geneſ. ad Lit. cap.9.

P. Vox, *fundari*, neque ſitum totius terræ, neque rationem ſtabilitatis illius iſtis in locis ſignificat. Nam mare ipſum & Aquæ omnes ſupra terrā ipſam potiùs, ſitus ratione, fundatæ ſunt, quàm Terra ſuper Aquas, quum omnibus Aquis aliqua ſemper ſubſtrata ſit terra, velut ἕδος & pauimentum, quæ eſt nimirum earum alueus. Prætereà etiam tam molle elementum, quàm eſt Aqua, terram conſtringere & cogere minimè poteſt, vt comprimatur, contineatúrque certo quodam loco. Fūdata igitur terra dicitur ſuper aquas κατά τι, & certæ cuiuſdam ſuę partis ratione, nempe litorum tantùm & riparum reſpectu, quæ quum eminentiores aquis ad litus & ripam appellentibus appareant, idcirco terra ſuperior aquis in ea parte dicitur. Fundari enim & Fundata, idem eſt atque ſuperiorem eſſe ac eminere, ratione dicendi Hebręis familiariſsima, vt ex antecedenti intelligatur conſequens. Quoniam enim quæ ſuper alia fundātur C & exſtruuntur ſuis fundamentis eminent, idcirco *Fundari* pro eminere, ac elatiorem eſſe ſumit ferè, ac iis præſertim locis, ſacra Scriptura.

D. Paucis quidem verbis magno me errore liberaſti ac extricaſti. Vtinam & alios quoque qui tam contentioſè inter ſe de horum in Pſalmis locorum explicatione rixantur. Sed Terra quam infimam Mundi partem dixiſti, & in medio ſitam, nónne & ipſa aliquod etiam medium habet?

P. Habet certè, & quaſdam partes altiores, quaſdam humiliores. Etſi enim terra ad Mundi huius vniuerſitatem collata eſt inſtar tenuiſsimi cuiuſdam puncti & grani, ac denique velut geometrica στιγμή: tamen per ſe conſiderata eſt, vt vides, ingens quædam corporis moles, quæ ſuas dimenſiones habet, eáſque facilè notabiles, vt ex variis ſcripturæ locis intelligi facilè poteſt, veluti Iſ. 44.v.23. Iob.9.v.9.

CAP. XXII.

De Terræ vmbilico, & longitudine.

D. ECquis igitur eſt Terræ vmbilicus, & medius locus? A

P. Si altitudinis, ſiue profunditatis mediū locum requiris, is certè eſt imperueſtigabilis, vti & terræ ipſius profunditas & immenſus hiatus, quanquam tamen non eſt infinitus. Itaque ſic Dominus ipſe apud Hiere. cap.31. ver.37. *Si menſurari poſſint cœli ſurſum, & inueſtigari fundamenta Terræ deorſum.* Hoc igitur pro ἀδυνάτῳ planè poſitum eſt. Quanquam non ignoro quid alii de eo affirment, eſſe nimirum longis peregrinationibus hominum Terræ totius ambitum & circumferentiā repertam, ex qua non ſolùm tota Terræ Diametri longitudo & ratio, ſed etiam ipſius Diametri medium iniri iam poſsit. Id quod ex Ptolomæo, & Martiano Capella libr.5. colligunt, eam nempe habere, in longitudine paulò minùs quàm mille octingentas ſeptuaginta quinque leucas noſtrates gallicas. Quod tamen aliorum ſupputationi de totius Terræ ambitu minimè quidem conuenit: ſed ita variæ ſunt in re difficili hominum ſententiæ.

D. Apage verò iſtam tam curioſam Geometrarum de ἀμετρήτῳ Dei opere indagationem. B

P. Imò & hoc quoque quidam addunt, nimirum locum, vbi Sion & Hieruſalem olim condita fuit, eſſe vmbilicum totius terræ, ſi ab ortu ad occaſum lineam (ex qua longitudo terræ æſtimari ſolet) duxeris. Sionem enim ſitam fuiſſe ſub eo mundi Meridiano, qui feliciſsimus ac verè ab vtroque illo mundi extremo medius dici debet. Hæc & ſcriptores quidem vetuſti ſentiunt, atque etiam ſcribunt, decepti illo Ezechielis Prophetæ loco, qui eſt c.38.v.12. vbi qui in Mediterraneis regionibus tutiſsimè habitare cēſentur, dicūtur eſſe in vmbilico terræ. Meminit quidem medij terræ loci Lactant. lib.7. cap.19. ſed eum qui ſit, non definit. Alij aliter. Nam eum locum, vbi olim Delphici Apollinis templum ſitum erat meditullium totius terrę conſtituunt. Alii montem Parnaſſum, ad quem templum ipſum Apollinis ſitum erat. Id quod Plutarch. in libro de Oraculorum defectu tradit, & Lucan. libr. 5. Pharſalici belli. Plato quoque lib.4. de repub. vbi ait Apollinem καθήμενον ἐν μέσῳ τῆς γῆς ἐπὶ τοῦ ὀμφαλοῦ oracula mortalibus & reli- C giones fundere ac inſtituere.

CAP. XXIII.

De cæteris Terræ dimenſionibus.

D. QVid tu verò, etiámne longitudinem, latitudinem, & profunditatem tribuis terræ, quæ (quemadmodum antea dixiſti) ab Aſtronomis inſtar cuiuſdam tantùm exigui puncti eſſe fingitur?

P. Cœli quidem extimi, & totius huius vniuerſitatis comparatione eſt tā exigua Terra, quàm Aſtronomi dicunt, quando etiam quædam ſtellæ, ac eæ nō paucæ, firmamēto affixæ, ſūt multis partibus maiores quàm terra tota, quemadmodū iidē oſtendunt. Sed quarundā huius vniuerſitatis partium reſpectu, itémque per ſeſe, ſi terra ipſa ſpectetur, eſt certè ingens quædam moles, quæ omnes veri ſolidíque corporis dimenſiones, eáſque facilè notabiles habet. Itaque à Græcis quidem poëtis ἀπέραντος tanquam infinita nominatur, quoniam eius menſura & dimenſio, vel vix, vel

A ægrè à nobis iniri poteſt, vt dicitur Iob. 38. verſ. 5. & 18. eſt tamen & finita & limitata, & certis finibus atque ambitu comprehenſa, vt ex Iſa. 40. verſ. 28. & Pſal. 98. verſ. 3. facilè colligi poteſt. Quem ambitum quidam eſſe volunt Leucarum Gallicarum nouem millium & amplius: alii autem habere Leucas decies mille & ducentas. Sed penes autores ipſos fides eſto. Ptolomæi ratio qui ſingulis gradibus cœli in 360. diuiſi quindecim Leucas tribuit, videtur ad terræ ſpatium dimetiendum eſſe aptiſſima & facillima.

D. Expone igitur iſtas dimenſiones terræ.

P. Aſtronomi duos Coluros, quos vocant conſtituunt ſeſe interſecantes, ex quibus in recto Sphæræ ſitu duas iſtas Terræ dimenſiones definiunt ac deſignant. Sed nos hîc populariùs agemus. Longitudo igitur Terræ eſt totũ illud ipſius ſpatium, quantumcunque eſt, quod ab ortu ad occaſum porrigitur. Ergo ab Indiæ extremis litoribus ad Gades vſque, & vlteriores etiam regiones Terra in longitudinem extenditur: latitudo Terræ eſt illud interuallum, quod à Meridie B Septentrionem verſus, contráque porrigitur, veluti ab extremo Africæ promontorio (quod Caput bonæ ſpei vocant) pertingit ad vltimas vſque Septentrionis inſulas & oras, quales ſunt Orcades, & illa veteribus memorata Thyle. In qua ipſa dimenſione & linea quidam ὕψος, ſiue altitudinem terræ etiam collocant. Vnde quæ Terræ pars ſuperior, quæ inferior ſit cenſenda, illi quoque definiunt.

D. Quomodo verò?

P. Quoniam non noſtri tantùm reſpectu, qui in hoc ab Æquatore verſus polum Arcticum tendente hemiſphærio habitamus: ſed totius adeò mundi ipſius ratione eas terræ partes quæ ad Septentrionem vergunt, in Terra ſuperiores eſſe ſentiunt: illas autem, quæ ſunt ad Meridiem, ſemper inferiores.

D. Sed quo potiſſimùm argumento id concludunt?

C P. Quòd arca illa Noæ in Armeniæ (quæ certè mundi regio ad Septentrionem ſita eſt) montibus primùm ex diluuio ſubſtiterit, primúmque illîc Terra ſicca apparuerit, quum reliquæ orbis regiones adhuc immerſæ aquis abſconderentur & laterent, vt eſt ſcriptum à Moſe Gen. 8. ver. 4.

D. Hoc quidem quod affers manifeſtè probat montes ipſos Armenios eſſe cæteris eminentiores atque altiores: totam autem Septentrionalem tamen Terræ plagam propterea Meridionali ſuperiorem eſſe non efficit, quum in circularis & rotundæ figuræ ambitu atque circunferentia (cuius eſſe terram ipſam Aſtronomi vnà cum Geometris vno conſenſu demonſtrant) nihil ſit ſuperius, nihil inferius: ſed omnes illius partes ſint inter ſe ſitus ratione æquales. Quid tu igitur?

P. Certè cenſeo Meridionalibus populis partes terræ Antarcticas tam eſſe ſuperiores & ſublimiores, quàm nobis Septentrionalibus Septentrionales ſunt, cæterarum reſpectu, ſuperiores, etſi omnium ſummos & altiſſimos eſſe eos Montes concedo, in quibus primùm ex diluuio ingens illa Arca, quæ mundi ſeminarium vehebat, ſubſtitit atque adhæſit.

D. Quam tu igitur Terræ altitudinem eſſe definis?

A P. Eam, quæ deſignatur Diametro, id eſt, eâ linea, quæ ab hac terræ, quam incolimus, ſuperficie per totius corporis terræ ſpiſſitudinem ducta pertingit ad eos homines, qui ſunt nobis Antipodes (id eſt, qui aduerſa nobis vrgẽt veſtigia.) Quod terræ interuallum quidam autumant eſſe vigeſies maius eo quod à ſuperficie terræ ad imum profundiſſimi pelagi metiri & reperire poſſumus. Sed ſi de ambitu terræ conſtaret, facilè iſtius Diametri ratio & menſura poſſet à quouis iniri ex regulis & præceptis Geometrarum, qui volunt Diametrum eſſe ſua circunferentiâ ter minorem, & aliquot paucis partibus. Atque hæc quidem hactenus, quæ nos breuiſſimo hoc diſticho ſumus complexi,

Lata via eſt medio mundi quà diſtat ab orbe:
Solis ab exortu diſſita, longa via eſt.

CAP. XXIIII.

De figura Terræ.

D. DE lõgitudine quidem & latitudine Terræ ſatis. Sed de ipſius figura & motu habéſne quod dicas?

B P. Perpauca.

D. Expone verò.

P. Primùm quidem, quòd ad figuram terræ, quanquam eam alii totam planam & extenſam eſſe ſentiunt: alii alterius figuræ: apertus tamen eſt, miniméque dubius ſacræ Scripturæ ſenſus apud Iſa. 40. ver. 22. vbi ſphærica ac rotunda figura Terrę tribuitur. Id quod communis quoque omnium populorum Latinè loquentium conſenſus approbat. Nam omnes eam Orbem appellarunt. Eam tamen abſoluti Orbis formam habere in tanta montium celſitudine, tanta camporum planitie, tanta vallium depreſſione quidam non exiſtimant: ſed tantùm vniuerſum ipſius Terræ amplexum (ſi linearum capita tantùm notentur) figuram abſoluti orbis efficere. Sed quum montes omnes ad totius ipſius Terræ magnitudinem ne granum quidem milii eſſe videantur, quomodo, obſecro, C illi ſuam Terræ rotunditatem detrahent, imminuent, aut corrumpent?

D. Rectè tu quidem quoad montes. Sed illi diuinæ Scripturæ loci magis me, pióſque omnes fortaſſe perturbant, in quibus extenſa fuiſſe à Deo terra dicitur, non in orbem circunducta, veluti Pſal. 136. verſ. 6. Iſ. 45. v. 8. c. 44. verſ. 24.

P. Vocabuli, *Extendere*, homonymiâ pueriliter deciperis, qui illud, vt multi tamen patres, ad figuram Terræ referas, quaſi plana, non rotunda terra à Deo facta ſit. Quin potius per vocem *extendere* infinitam illam Dei potentiam intelligo, per quam terra, qualiſcunque eſt, & quàm diues, & ſtabilis, & latè patens, & olim à Deo creata eſt, & nunc quoque ſuſtentatur. Quod enim *extendere* de Terra dixit Pſalmus, idem de germinibus, & fructu ipſo Terræ dixit Iſ. 42. verſ. 5. vt perſpicuè hoc verbum non de figura graminum & herbarum: ſed de vi, multitudine, efficacia, reliquáque ſubſiſtendi ratione dictum eſſe appareat, quam à ſe vno, veluti vero rerum omnium & ſuperiorum & inferiorum creatore, eſſe & pendere pronuntiat ipſe Deus. Itaque ſe ea extendiſſe ait.

A

CAP. XXV.

De Montibus, quando primùm facti, & quæ ex ÿs vtilitas percipiatur.

D. SEd de montibus,quid ipſe ſentis? Accedíſne eorum ſententiæ, qui eos non quum primùm Terra crearetur à Deo factos eſſe exiſtimant:ſed poſtea ex aquarum diluuij defluxu natos,& velut excauatos putant?

P. Minimè verò. Nam ante vniuerſalem illã Mundi inundationem, montes iam extitiſſe certũ eſt,quum Geneſ.cap.7.verſu 19.& 20.ſcribat Moſes,Aquas tunc quouis monte altiores fuiſſe, ídq; quindecim cubitis. Initio igitur Mundi,& quum terra aquis ſuperfuſis liberaretur, montes cœpiſſe equidem credo. Itaque à primis ſeculis Dominus ipſe eos, quemadmodum cæteras mundi partes, creaſſe dicitur,id eſt,quum primùm formaret terram Pſalm. 90.verſ.2.104.verſ.6.& 8. Atque tam miraculoſum ſanè opus fecit Dominus, partim quidem ad nominis ſui gloriam, vt in tam vaſta terrarum mole extollenda atque etiam ~~nunc~~ hodie ſuſtentanda, infinitas potentiæ ſuæ vires aduerſus rebelles ſibi homines oſtenderet. Quò fit, vt ad Dei gloriam canendam vnà cum reliquis rerum creatarũ generibus montes quoque inuitentur,Pſ.148.verſ.9. Partim etiam ad hominũ ipſorum commoditatem conditi ſunt in prima rerum creatione Montes.

D. Ecqua verò ex tanta Telluris inæqualitate vtilitas à nobis percipitur, quum Montes tantùm deformitas quædam, ac veluti terræ verrucæ, potiùs appellandi videantur?

P. Falleris.Nam maxima ex iis vtilitas ſentitur,quia non modò ad domandos fluminum impetus,fluctúſque maris frangendos, ad compages quaſdam telluris arctiùs vinciendas Deus condidit montes: ſed etiam ad coërcendas & tanquam ἀῤῥήκτοις clauſtris continendas in ſuis quaſque regionibus varias Mundi nationes ac gentes, quibus ſemel perruptis illæ,tanquam magna calamitatum moles,reliquo Mundo incubuerunt,cúmque vni- C uerſum ſúſque déque habuerunt, vti Gothi & Vandali,quando in orbem Romanum fractis ſuis repagulis irruperunt. Sic Alpes Italos à Gallis & Germanis feliciter dirimunt.Sic Armenij & Gortynij montes Turcos & Parthos à Syris & Aſianis populis prudenter antea ſeparabant.Quos limites ac terminos poſtquam ac quotieſcũque homines furioſè mouerunt,magnæ rerum perturbationes, & Monarchiarum euerſiones ſunt conſecutæ.Sed & iſta quoque accedit ad nos ex hac telluris inæqualitate commoditas, quòd multa in montibus aridíſque & elatis locis vel feliciùs,vel tãtùm proueniunt,quæ neque in conuallibus,neque in planitie naſci poſſunt,veluti Abietes,Cedri,variáque ligna & plantæ, ex quibus magnæ à nobis vtilitates percipiuntur,quibúſque,niſi eſſet montoſa terra,omnino careremus. Denique pinguius aruorũ in conuallibus ſitorum ſolum fit ea ipſa ratione, quæ arua poſtea ad frumenta & ſegetes vitæ humanæ neceſſarias conferuntur. Nonne igitur iſta terræ inæqualitas eſt magnum Dei potentiæ, & erga genus humanum benignitatis ac prouidentiç argumentum?

D. Certè iſtud iam negari non poteſt.

P. Ex quo fit, vt Montes firmare & ſtabilire A ſolius Dei opus eſſe dicatur Pſ.65.verſ.6.Quod & certè verum eſt.

D. Verùm & per Terræ motũ montes quoſdam extitiſſe,& vi ventorum terram attollentium ſæpe etiam eos naſci in hiſtoriis legimus.

P. Planè ita eſt.Sed & hoc ipſum Dei quoque opus eſt,qui quemadmodum montes primũ creauit,& creatos ſtabilit:ita nouos, quum vult, producit, vel ad iræ,vel ad ſuæ bonitatis in homines manifeſta teſtimonia. In quo ſæpe mediis illis cauſſis quas commemoraſti vtitur, ſæpe nullis. Dominus enim ſolus eſt, qui tantam Terræ molẽ attollere poteſt, eámque, ſi quando voluerit, etiã transferre,vt eſt ſcriptum apud Iob.9.v.5.Id quod de facto, ac miraculoſè quidem accidiſſe teſtatur Plinius lib.2.Natu.Hiſt.cap.84.Ecquid verò mirum, id à Deo fieri, quum coram Dei facie non modò colles, ſed etiam altiſsimi montes contremiſcant, vt ex hiſtoria ſacra Exod.cap.19. narrata apparet, apertéque confirmatur Pſ.114.atque etiã coram eo tanquam mollis cera colliqueſcant ac ſubſidant, Pſ.97.verſ.5.nedum vt homines vlli.i. B vermes terræ in Deum ceruicem attollere, & ſeſe erigere vel audeant vel debeant?

D. Rectè tu quidem.Hoc tamen tam ſtupendum Dei miraculũ, (quia ordinariè oculis noſtris obiicitur)ferè à nobis contemni ſolet:quod certè diligenter in memoriam reuocandum, & à nobis cum Dei laude conſiderandum eſſe mones.

P. Ecquis verò tantam Terræ molem aſpiciens, tantam ſaxorum congeriem & immanitatẽ intuens ſæpe capitibus noſtris imminentem, & vno quaſi filo appenſam: certè leui (vt in multis montibus ipſi videmus) conglutinatione inter ſe cohærentem,ecquis,inquam,iſta cernens non admiretur?Quis hoc eſſe manifeſtiſsimum Dei miraculum nõ agnoſcat?ecquis tam ſtupidus & væcors eſt,vt clauſis oculis iſta præterire poſsit? Etſi verò ſummorum mõtium altitudinem ſupra ſtadia decem(recta linea nimirum ad perpẽdiculum demiſſa) obſeruari non poſſe ſcribit in Æmyl.Plutarch.quæ Leucam noſtratem Gallicam non efficiunt: certum eſt tamen & ipſa experientiâ & dimenſione compertum, in Alpibus,(vt vir doctus C & ſuæ gentis lumen Ioſias Simlerus ſcripſit)montes eſſe quoſdam qui 30.M.P.id eſt.15.Leucas noſtrates excedant. Id quod nauigationibus Hiſpanorum in Canarias inſulas de eo monte(qui Picus Tanarifle à nautis vocatur) quoque confirmatum eſt,& memoriæ proditum.

D. Quid verò?nónne & illa in mõtibus quoque mira quædam res eſt,quam Echo appellant:& cuius etiam Ezech.7.v.7.meminit?

P. Huius rei non tam ſtupẽda ratio eſt,quoniam à cauſa, eáque merè naturali efficitur. Eſt enim Echo ſonus & fluxus aëris ab aliquo corpore ſolido repercuſsi,& in orbem ſeſe conuoluentis:qui quia neque diffunditur, neque ſtatim euaneſcit,idcirco reddit extremas verborum noſtrorum ſyllabas, vt quaſi altera quædam plangentis aut loquentis hominis vox eſſe videatur. Hæc igitur eſt ἠχὼ,ſiue Echo,quæ etiam ipſo vocabuli etymo apud Grçcos vocem ſignificat.

CAP. XXVI.

Terra vtrum ſtet.

A D. De terræ ſigura iam ſatis eſt, dic de Motu.

P. Quid motum in ea re quæris, quæ ſic à Deo condita eſt, vt ſtaret, perpetuámque quietem pro ſui ſtabilimento haberet? Stat enim Terra,non mouetur vel recto,vel circulari motu, niſi ſi qua fortaſſe illius pars à reliqua mole, velut membrum à ſuo corpore,auulſa fuerit, & ſurſum proiecta.Sed & illa quoque auulſa naturalem ſedē inſtinctu quodam impetúque naturę ſtatim petit, ac requirit.

D. Vnde verò id probas, Terram nimirum ſtare,& non moueri?

P. Certè triplex huius rei ratio eſt.Prima quidem quæ ex ſacra Scriptura ducitur. Nam Eccleſ. 1.v.4.& Pſ.104.v.5. Terra ſtare atque in perpetuū quidem dicitur,& ſic,vt nunquam ſe moueat. Altera ratio eſt, quòd & baſes & columnæ paſſim in Scriptura tribuuntur Terræ, appellatúrque Firma,& Scabellum pedū Dei. Quibus certè epithetis ſtabilis ipſius quies ſignificatur.Tertia deniquę ratio eſt ipſa experientia,qua Terram ſtare, cœlū autem moueri ſenſu, certiſſimiſque argumentis B deprehendimus.

D. Multa verò tuam hanc tam breuem reſponſionem oppugnant,ſed duo in primis.

P. Cedò,quænam illa?

D. Primùm,quòd omni hominum ætate, à multis,iiſque doctis viris tuæ huic ſententiæ contradicitur. Nam ſcribit Ariſtot. iam ſuo ſeculo pleróſque Philoſophos, velut Pythagoricos ſic ſenſiſſe,Terram moueri circa centrum Mūdi. Nicetas Syracuſius,vt ex Theophraſto M. Tul. 4.Academ.refert,omnia in cœlo ſtare, & nihil præter terram in Mundo moueri ſenſit,& apud Plutarch. lib.3.de placitis Philoſophorum cap.13.extant huiuſmodi ſententiæ,& noſtro ſeculo extitit Copernicus,qui eas renouare vellet.

P. Non magis certè quidem mirum eſt, veſanos quoſdam & ambitioſos homines ita contra rerum ipſarum naturam & experientiam ſenſiſſe, quàm quod de Anaxagora ſummo inter eoſdem Phyſico ſcriptum eſt,eum dixiſſe non ioco ſed ſerio,Niuem eſſe nigram,miniméque albam. Nam quòd quidam excipiunt.Si Terra eſt corpus C naturale,ergo mouetur : quia Ariſtotelicis Motus eſt ἀχώριστον & οὐσιῶδες ἰδίωμα cuiuſuis corporis naturalis,facilem reſponſionem habet.Primùm quòd vt ſuperiori huius argumenti tractatu diximus, falſa eſt Ariſtotelicorum definitio, dum ita motum corpori naturali alligant.Deinde quòd iſte motus rebus naturalibus ineſt δυνάμει, non ſemper ἐνεργείᾳ.Nam quæ res naturales in ſuo proprióque loco,id eſt, toti earum ſpeciei à Deo deſtinato ſitæ ſunt,illæ non mouentur,pręſertim ad locum:quia proprium locum nactæ ſunt, & quem earum natura deſiderat. Ergo res naturales mouentur ad locum ſuum,vbi ex eo deiectæ ac expulſæ ſunt:nō autem quum eum ſunt adeptæ. Cæteras autem monſtroſæ illius,quam recitas, ſententiæ refutationes, vtcunque magni & celebres Mathematici habiti ſint, qui eam vel inuexerunt vel tuentur, Mathematicis aliis ſapientioribus & modeſtioribus in præſentia relinquo.Quænā eſt igitur altera tua aduerſus ſuperiorem meam de quiete Terræ ſententiam obiectio?

D. Quòd Terræmotus ſæpe extitiſſe cōmemorat ipſamet ſacra Scriptura, veluti reſurgente Domino Ieſu Chriſto Math.28.v.2.& qualis fuit A is terræ motus,de quo tum Amos cap.1. tum Zacharias cap.14.Dei Prophetæ meminerunt, & is quoque tam vehemens, qui ſub mortem Chriſti 12.Syriæ vrbes vt aiunt omnes vno penè momento euertit,fuítque,vt ait Plinius, omnium maximus qui vnquam fuerunt: ſiue is ſit de quo Euangeliſtæ loquuntur,ſiue alius.

P. Rectè mones. Sed huiuſmodi motus extraordinarium quoddam Dei opus eſt,id eſt,pręter naturam Terræ accidit,vt docetur Iob.9.verſ.6. atque adeò ſæpe manifeſto Dei miraculo fit, qualis is motus fuit,de quo eſt in Act.4.v.31.Nōnunquam tamē ex cauſa naturali fit,nempe quum extraordinariè ventus Terram ſuccutit.Quod idcirco à Deo fit,vt ſe,terrámque hāc,id eſt, ſedem ſuam ſolo Dei beneficio ſtare & conſiſtere mortales intelligant, ac propterea Dei potentiam & benignitatem erga ſeſe admirentur.

CAP. XXVII.

De Terræmotu vnde accidat. B

D. Vnde igitur fit iſte extraordinarius, & nō planè miraculoſus Terræmotus?

P. Nimirum quum vehemens aliquis ventus ſeſe in terram hiantem, aut aliqua alia ratione apertam inſinuauit, támque altè in eam penetrauit,vt inde egredi non poſſit propterea quòd illæ terræ rimæ iam valde coaluerint, vel alij aditus obſtructi ſint. Ita igitur extra locum ſedémque ſuam in terræ viſceribus,tanquam in carcere, cōcluſus vehemens ille ventus luctatur, & exitum quâcunque poteſt quærit & tentat magna vi, magnóque eius terræ partis,in quam incubuit, impulſu & agitatu.Vnde fit,vt Terra in illa duntaxat parte,non autē vniuerſa ab huiuſmodi impetuoſo vento moueatur,ac variis modis ſuccutiatur. Sed tandem vel foramine facto,vel reperto ventus iſte elabitur & exit, atque ita deſinit Terræmotus. Quare, vt plurimùm iiſdem in locis hiatus terræ ſequuntur,ſubſidítque ſolum & Tellus, vel montes naſcuntur vel explanantur, vbi Terræmotus magnus accidit. Id quod, quemadmodum dixi, C Dominus facit ad immenſas potentiæ ſuæ vires hominibus oſtendendas, & ad eorum peccata & rebelliones vlciſcendas.Nah.1.verſ.5.

CAP. XXVIII.

Terra vtrùm animata ſit,vel ſaltem viuat.

D. Intelligo quæ de Terra dixiſti. Vnum modò ſupereſt quod de ea ſcire ex te velim.

P. Ecquid verò?

D. Num illa ſenſum habeat,& Animam, quū tam diuerſa rerum & fructuum genera producat.

P. De ſenſu quidem:quo vel dolor & cruciatus animi percipitur,quum corpus noſtrum laceratur,foditur,& lancinatur : vel quo voluptas & delectatio excitatur,calórque naturalis à corde in reliqua membra maior diffunditur,ſi quid corpori gratum & iucundum attingitur:de hoc, inquā, ſenſu, non eſt quod dubites Terram eo prorſus carere. Nam & facultate illa ſentiente priuata eſt, quam quæ res habent, Animalia vocantur : & iis quoque corporis partibus & organis caret, quibus fit iſte ſenſus iucundus vel moleſtus, quales ſunt nerui, muſculi, medullæ, & flammulæ illæ arteriis comprehenſæ, quæ Spiritus animales à Medicis nominãtur. Nam etſi lapides dicũtur oſſa terræ, & vapores ſpiritus Terræ, & quædam diſtinctiones, venæ: eſt improprium loquendi genus, & ab animalibus tranſlatum ad iſta inanimata. De ea verò facultate, qua quidpiam in ſuo genere viuere & ſuſtentari dicitur, & ſuas functiones pulchrè obire poteſt, (ſiue ea ψυχὴ. i. Anima appelletur, ſiue vt Gregorius Nyſſenus mauult, tantùm δυνάμις ζωτικὴ. i. facultas quædam vitalis) non puto negari poſſe, quin Terra prædita ſit huiuſmodi quadã δυνάμει, non quidem merè δυνατικὴ, & quæ ſe non proferat: ſed potiùs ἐνεργητικὴ, & quæ ſingulis horarum momentis ſeſe euidentiſſimâ operatione demonſtret. Singulis enim horis aliquid è Terra producitur, & in ea fit, vnde percipi facillimè iſta facultas poteſt. Suſtentatur enim Terra à ſua illa forma, quanquam eſt mole grauiſſima: durat etiam, & fouetur in Terra vis illa, qua & germina & arbores ex ſeſe producit: & productas humore quodã cuique natiuo & viuifico alit: obit munus & functiones illas ſuas præſtantiſſimas, dum ſemina ſibi demandata, tanquam matrice quadam, recepta fouet, & poſtea parturit. Quæ quanquam ſumma Dei potentiâ, benignitate in genus humanum, ac prouidentia de rebus ſingulis & vniuerſis etiam nunc fieri concedo: ineſſe tamen in terra, vti in cęteris corporibus, vim quandam tanquam formam illi à Deo primùm iniectam, & quotidie adhuc in ea vigentem negari non poteſt, per quam Terra quotidie producit & efficit iſta omnia, quæ vides.

D. Habéſne vnde iſtam tuam ſententiam probes?

P. Præter ipſam rerum experientiam, quæ à nemine ſano repudiari poteſt, etiam affertur à me hæc è ſacra Scriptura ratio, quòd Spiritus Dei dicitur Geneſ.1.verſu 2. fouiſſe & incubuiſſe Terræ & Aquis, quum primùm à Deo creatæ & editæ ſunt. Fuit autem iſta Spiritus Dei incubatio nixus non fruſtraneus, non iners, non otioſus: ſed qui vim & facultatem prolificam, & vegetabilem Terræ & aquis iniecit, per quam & quæ iuſſa ſunt, primùm produxerunt: & nunc quoque ſuos fœtus pariunt. Indidit igitur ille Spiritus Dei fouendo Terram & Aquam vires eas quas nunc habet vtrumque hoc elementum, & quę vires illis ſunt vita quædam. Acceſſit altera quoque cauſa & æquè potens, nempe Dei verbum quod iuſſit vt iſta perpetua lege ac continua viciſſitudine fierent, Geneſ.8.verſ.21. Nihil autem iubet fieri Dominus, quin ad illud ipſum vires & facultates idoneas largiatur: vt has quoque Terræ datas & ſuppeditatas eſſe nequaquam ſit nobis dubitãdum. Hæc autem facultas & ἐνέργεια tam potens & excellens eſt Terrę δυνάμις plane ζωτικὴ, vel φυλακτικὴ, aut συνεκτικὴ, id eſt, virtus conſeruatrix: & ſuſtẽtatrix vnde & viuere ipſam, & à Deo viuificari verè dici poteſt. Sic enim Paulus quoque ipſe loquitur 1. Timoth.6.verſ.13.

D. Ita verò ſentiens Priſcillianizas.

P. Minimè verò.

D. Cur ita?

P. Quia Priſcillianiſtæ & Senſum & Rationem Cœlo ac Terræ ineſſe dicebant: ego verò vtrunque illis detraho, vitã tamẽ ſiue ἐνεργητικὴν δυνάμιν concedo: atque eam aliquam etiam pulcherrimam, per quam in ſuo eſſe conſeruãtur, ac munere ſibi à Deo præcepto pulchrè, vt vides, etiamnum hodie funguntur. Qua ſententiâ quid verius eſſe poteſt?

D. Sed quum Terra Animalia die ſexto produxerit, quomodo eam anima ſentiente (quam omnia animalia habent, & vnde ζῶα propriè dicuntur) priuare ac ſpoliare meritò poteris? Sic enim ſcriptum eſt Geneſ.1.ver.24. *Producat Terra animam viuentem, reptilia & beſtias agri.*

P. Quoniam Terra materiam propriè tãtùm illis tribuit & ſuppeditauit: vis autem illa ſentiẽs, qua præditæ ſunt beſtiæ è terra natæ, eſt tantùm humorum (quibus illæ conſtant) viuidum quoddã & efficax temperamentum, quod Dominus magna vi potentiæ ſuæ, & ſupra eum vigorem (quem ſola Terra illis communicare potuit) ex huiuſmodi corporum temperatura & mixtione eduxit eodem momento & verbo, quo illa fieri è terra, & in diuerſas ſpecies abire voluit. Niſi enim vires, & eas etiam maiores, quàm quas Terra habet, Dominus verbo ſuo indidiſſet, nũquam variæ rerum vel Animalium ſpecies natæ eſſent: ſed omnia ex Terra vnius tãtùm ſpeciei & formæ fuiſſent producta. Quemadmodum igitur Ranas è madida tellure naſci videmus, è quarum corpore ita temperato Sol vehemens vegetantem & ſentientem animam elicit: ſic Dominus Deus primùm in corporibus animalium à Terra productis, propter eorum diuerſam è Terra temperiem, diuerſas quoque facultates & ἐνεργείας eduxit, nempe animã ſentientem, quæ in toto Animalium genere manet.

CAP. XXIX.

Eorum, quæ è Terra producuntur, diuiſio.

D. Sed de Terra quidem ipſa hactenus. Perge nunc ad ea, quæ ex ipſa terra, Dei iuſſu, producta ſunt.

P. Cupio, ſi modò earum rerum generalem differentiam priùs attulero. Nam earum quædam ipſi Terræ adhæſerunt, atque etiam nunc adhęrẽt, vti Lapides, Metalla, Germina & Arbores: quædã verò ab ea prorſus ſeparata & auulſa fuerunt, quemadmodum Beſtiæ & omnium animalium genus, quod nunc quoque auulſum à Terra manet. Nam prima illa Dei vox fuit certiſſima lex naturæ, & ſecuturi rerum ortus & propagationis norma, adeò vt quod illîc primùm factum eſſe animaduertimus, nũc quoque in perpetuum duret: & quam naturam & conditionem ſortita ſunt, eam nunc quoque retineant, quandiu quidem erit hic Mundus. Hæc igitur ſumma eſt rerum è terra productarum partitio.

D. Omnéſne hac die tertia ex ea productæ ſunt?

P. Minimè: ſed eæ tantùm, quæ ipſi Terræ tanquam magis cognatæ vel affines adhæſerunt, fuéruntque illius tãquam infirmioris adhuc & imbecillioris matris partus. Sic enim Dominus in harum rerũ creatione progreſſus videtur, vt à ſimplicioribus ad compoſitioria: à rudioribus ad formatiora: ab imbecillioribus ad fortiora: à ma-

A gis confuſis ad diſtinctiora opera pergeret.

D. Eſtne verò iſtarum rerum, quæ Terræ adhærent, & tertiâ hac die ex ea productæ ſunt, genus vnum & ſimplex?

P. Imò earum genus eſt duplex. Quædam enim intus imiſque Terræ viſceribus ſunt affixæ, quæ à Phyſiologis foſſilia vocantur generali nomine, veluti Lapides ac Metalla: quædam ipſi tantùm Telluris ſuperficiei adhærent, & foras, id eſt, in lucem prodeuntes apparent, vt Plantæ & Arbores.

CAP. XXX.

Cur Metallorum creationis nulla facta eſt mentio à Moſe.

D. DIc igitur de primo earum genere, & primo quidem loco.

P. De Lapidibus & Metallis quęris, id eſt foſſilibus, quæ dicantur.

D. De iis ipſis, de quibus tamen hoc primum ex te cupio ſcire, cur earum creationis nulla eſt à Moſe facta mentio.

B P. Quoniam de iis tantùm operum Dei generibus ſibi tractandum putauit Moſes, quę in oculos noſtros incurrunt, & à nobis paſſim cernuntur. Itaque iſta rerum genera, quoniam in terra demerſa latent, atque à Deo veluti abſcondita fuerunt, à Moſe prætermittuntur.

CAP. XXXI.

De Lapidibus vulgaribus, vnde fiant, de Bitumine, Argilla, & alijs Terræ ſpeciebus.

D. INtelligo iſta, perge ad ea quæ inſtituiſti, & primùm de lapidibus expone, quomodo è terra oriantur.

P. Lapidum, qui è terra naſcuntur, eſt etiam genus duplex. Alij enim ſimpliciter & vulgares lapides, Petræ vel Saxa appellantur: alij vero Pretioſi lapides nominantur, veluti Gemmæ, & iis affines Margaritæ.

D. Expone igitur breuiter de vulgaribus lapidibus, quomodo è Terra fiant.

C P. Non poteſt meliùs & breuiùs explicari, quàm his ſacræ Scripturæ verbis, quæ extant apud Iob.c.38.verſ.38.nimirum, *Quum dureſcit puluis* (id eſt terra) *in duritiem, & gleba ſeu partes eius ſibi inuicē adhæreſcunt.* Quid enim aliud longis ſuis diſputationibus Phyſiologi docent agentes de origine lapidum, quàm quod tam breui orationis compendio complexa eſt ſacra Scriptura?

D. Quid igitur illi?

P. In ipſis terræ viſceribus aiunt duo humorum genera naſci & ineſſe, propterea quòd ſumma Dei prouidentiâ & ſapientiâ aquea quædam humiditas Terræ admixta fuit, quò illa eſſet & ad fruges producendas aptior, & ad totius molis ſuę conglutinationem conſeruandam firmior. Nam ſi tam exſucta manſiſſet Terra, quàm eſt ipſe puluis, ſtatim totum ipſius terræ corpus diſſolueretur, & ventis vehementioribus perflatum tandem in auras enaneſceret. Ergo habet Terra, emittítque è mediis ſuis venis & viſceribus duo humorum genera: alterum quidem, quod eſt frigidius, & faciliùs exareſcit atque conſtringitur: alterum vero calidius, quòd minus facilè & citò concreſcit. Ergo humor ſiue vapor ille frigidior terrę copioſiùs A admixtus facit eã primùm velut viſcoſam ac glutinoſam. Nam illas partes, quibus ineſt, colligat ſimul. Sed quum vel ipſius Terræ frigore natiuo, vel alio externo vapor ille conſtringitur, Terram quoq; ipſam, cui adhæret, cõſtringit, & quò vehementiùs iſte vapor in Terra cõſtringitur ac comprimitur, eò magis terrę partes quoque coniungit ac duriores efficit. Itaque quum eſt ita conſtricta terra fit dura atque demum lapideſcit. Eſt enim lapis, vt Plutarchus lib.6.Sympoſi.Quęſtio.quinta definit, frigefactio, & conglaciatio humoris eius, qui in media terra eſt. Hieronym. in Hilarione, Littus quod Palæſtinæ, Ægyptóque prætenditur per naturam molle, ait, arenis in ſaxa dureſcentibus aſperatur, paulatímque cohærens ſibi glarea perdit tactum, cùm non perdat ſenſum: non eſt idem tangenti, & tamen idem eſt aſpectui. Apud Londinum in Britannia limus marginis defluente ſubinde aqua paulatim in ſaxa dureſcit, manente priſtina limi ſpecie. Atque hoc infinitæ ſuæ potentiæ & benignitatis in homines miraculum extare Dominus voluit, vt miremur quomodo vis B caloris & frigoris eò vſque penetrare poſſit, & quomodo vis cœli peruadere in tam profundas tenebras queat, vt dicitur Iob.28.v.3.aut cur non tota terra lapideſcat, ac tandem cur non tota reddatur ſterilis & effœta. Nam, vt eſt apud eundem Iob.c.28.v.5. Dominus hominibus iratus ſæpe facit, vt quæ Terra priùs frugifera & fertiliſſima fuit, tota in ſulphurei, ac ſterilis loci & infauſti agri ſpeciē conuertatur, naturámque ſuam mutet.

CAP. XXXII.

Lapidum Vulgarium cur quidam maiores, quidam verò minores.

D. CVr autem è lapidibus ipſis quidam ſunt maiores & duriores, quemadmodum Petra, Rupes, & Saxa, quæ vocantur: quidam verò minores & teneriores, vt facilè frangi poſſint: quidam denique leuiores, vt pumex: & ſic quidem, vt etiam nonnulli aquis fluctuent? vt tradit Plinius lib.36.Natur.Hiſt.cap.17.

C P. Quanquam lapis omnis ex eo dictus exiſtimatur ab Etymologicis ſcriptoribus, quòd ob duritiem ſuam lædat pedem hominis in eum incurrentis ac offendẽtis, tamē alium alio & maiorem & duriorem & leuiorem eſſe, nemo diffiteri poteſt. Fiunt igitur maiores minorésve lapides pro diuerſa quantitate materiæ, quæ in iis Terræ locis ineſt, in quibus primum lapides iſti creantur. Neque enim omnis terra lapidibus etiam vulgaribus gignendis apta eſt: neque etiam quæ apta eſt, omnis eandem materiæ quantitatem & humoris copiam habet, aut frigoris, id eſt, cauſæ efficientis parem vim ſentit. Fiunt autem duriores aut teneriores lapides pro diuerſa adſtrictionis & compreſſionis ipſius materiæ ratione. Nam duriores ſunt ij lapides, qui magis conſtringuntur, inter quos marmora principatum obtinent: teneriores, qui minùs: leuiores denique fiunt lapides, quòd minùs ſunt ſolidi & denſi. Ex quo fit, vt qui lapides partes rariores habent, qualis Pumex, ſint leuiores, quia multum aeris, & parùm terreni habēt. Creſcere verò lapides in ipſis Terræ viſceribus non magis eſt mirum, quàm metalla donec ab ea auellan-

A aucllãtur,aut in ea humor deficiat.Sed vbi humor eos deficit,paulatim puluereſcit ſuperior lapidis pars,quæ deinde vehementi venti flatu excutitur, & ita paulatim ſaxum ipſum denudatur atque aperitur, quale quidem in ipſis Terræ viſceribus concretum fuit, adeò vt ſæpe mira & penè monſtroſa quædam ſaxorum congeries & moles,& tamen eadem ſæpe tenui velut filo inter ſe cohærẽs ac nixa appareat, veluti in ea Galliæ parte quæ Nemoroſium ad Lupanam appellatur, regione Lutetiæ Pariſiorum vicina.Sũt etiam & aliæ quædam terræ ſpecies ac formæ ex pingui & viſcoſo quodam humore illi naturaliter admixto concretę,quæ lapides non ſunt.Nam Bitumen terrę ſpecies eſt nempe adhæreſcentis, tenacis, & ductilis admodum vulgaris collæ liquefactæ. Atque iſta ſpecies Terræ in tota Babylonica regione naſcitur,& in lacu Aſphaltide, quemadmodum Geneſ. 11.v.3.traditum eſt,& à Plinio lib.35.Nat.Hiſt.ca. 15.Alibi Argilla creſcit,quæ eſt humoris, ſed minùs fluidi, minúſque tenacis, quã in Bitumine, percollatio cum terra, qualis olim in Sodomitico B agro gignebatur,vt eſt Gen.14.verſ.10.quæ in Bitumen cõuerſa eſt,vt Cimoliam,Samiam Eretriã, Chiam, Sardam, & cætera huiuſmodi terrarum genera prætermittam, quarum tractatio pertinet ad medicos,& ad morborum curationem.

Cap. XXXIII.

De Pretioſis lapidibus, & quotuplex eorum ſit genus.

D. HActenus de vulgaribus lapidibus, dic de iis quos Pretioſos nominaſti.

P. Ij ſunt, quos λιθοις τιμίοις Paulus appellauit 1.Cor.3.v.12.ex loquendi conſuetudine vulgò recepta, non quòd nos Chriſtiani eos ſic pretioſos habere debeamus, aut tanti facere, vt nos iis ornare, aut eos comparare aſſueſcamus, aut illis inhiemus,aut denique eos momenti pretiíque vllius præ Dei metu,& noſtra in fratres charitate ac benignitate faciamus. Nam iſtis ornari & comi Chriſtianas etiam mulieres dedecet,nedum viros, C quemadmodum Paulus docet 1.Timoth.2.verſ.9. Atque hæc ipſa ſi habẽtur etiam propter regnum Dei,& vt fratribus egentibus ſubueniamus, ſpernenda ſunt atque diſtrahenda, quemadmodum docet ipſe Chriſtus Math.13.verſ.45.Sed nominãtur Pretioſi,quòd in iis excellens præ cæteris, id eſt,vulgaribus lapidibus & mira quædã vis & qualitas eluceat.Atque illud certè ſummæ Dei opificis potentiæ, & πολυποικίλου ſapientiæ teſtimonium eſt, qui tantos & tam lucidos ſplendores in corporibus tam vilibus,& è tam craſſa materia,qualis eſt terra,deſumptis recondere ac colligere potuerit. In quo certè potentiſſimus ille opifex Deus quaſi cœlum terræ mirabili quodam artificio & ſapientiâ, ad ſuæ prodigalitatis opes oſtentandas, admiſcuiſſe videtur, atque etiam quandam ipſius Solaris lucis ſpeciem in tam exiguis & terrenis corporibus concluſiſſe.

D. Sunt igitur iſta opera Dei præclariſſima.

P. Quis negat? & idcirco tanquam eximiæ potentiæ ipſius ſpecula nobis eſſe debent:ſed non ideò pretioſa, vt eorum deſiderio inſaniamus, quemadmodum plerique homines faciunt terræ huic addicti,cęloque propterea valedicẽtes.Quorum hominum ſtoliditatem præclarè veteres illi A patres Chriſtiani,imprimíſque Tertull.in lib. De cultu Mulierum ſalsè irriſit.Sed ad rem veniamus.

D. Cupio.Dic igitur de pretioſis lapidibus.

P. Eorum genus duplex eſſe exiſtimatur à pleriſque.Alij enim Gemmæ dicuntur: alij verò, vt illi quidem cenſent,Margaritæ, quarum neque eadẽ eſt origo,neque vires,neque qualitates,quæ Gemmarũ.Ergo etſi ſunt res hæ duæ inter ſe quadam affinitate ſplendoris cognatæ,ſunt tamen toto genere diuerſæ & differentes.

Cap. XXXIIII.

De Gemmis, & earum natura, & quid à Margaritis differant.

D. QVid igitur Gemma à Margarita differt?

P. Et nomine,& re.Ac nomine quidẽ,quòd Gemmæ quaſi Gummæ dictæ videntur,quòd ſint quidam è terra enaſcens ſudor & viſcoſitas, ſed lucida & tranſparẽs,etiam ante quàm polita ſit manu artificis: adeò vt ſuo fulgore oculos perſtringant Gemmæ.Hinc ab Hebræis Peninim appellatas fuiſſe quidam putant, quòd earum B lux ita viuidè ſit emicans & ſcintillãs, vt ruborem ardorémque quendã præ ſe ferre videatur, Threnorum 4.verſ.7.Alij verò malunt eas vocari Carcod. Ergo Gemmę in terra naſcuntur,ac quidem in montibus ſunt frequentiſſimæ & pulcherrimę. Gemmas enim montes gignunt, quanquam tamẽ in planis & ſaxoſis locis & arenoſis reperiuntur,& ſæpè ita abduntur, vt ne à perſpicaciſſimis etiam auibus cerni poſſint,vt eſt Iob.28. verſ.3. ſed eas è ſuis locis vel effodi, & detegi hominum induſtria ſit neceſſe. In quo ipſo maior eſt Dei Opt. Max. potentia, qui res tam lucidas in mediis terræ viſceribus & tenebris:tam ſplendidas in tam obſcuro loco eſſe vult Solis ipſius lucem quodammodo repręſentantes,& è tam cæco & bruto elemento, quàm eſt terra,mirabiles producat. In terra igitur Gemmæ naſcuntur,id eſt,ij lapides, qui propriè pretioſi dicuntur. Margaritæ autem, quas ita ab Argarico ſinu denominatas eſſe quidam putant (& quas nos Perlas appellamus)ex oſtreis & conchis in mari gignuntur. Itaque in medio pelago C fit maxima earum piſcatura ab vrinatoribus auellentibus eas ob oſtreis & ſaxis, aut in imo maris fundo oſtrea venantibus.Sed tamen in litore maris ſæpe etiam reperiuntur. Quamobrem Margaritæ dicuntur eſſe partus concharum pro qualitate roris accepti, quæ & augentur & nutriuntur in oſtreis per eam partem, per quam carni oſtreorũ & Pinnarum ipſæ adhærent.Margaritarum autem eę ſunt ſplẽdidiſſimę,quę in profundo maris verſantur:at quæ in ſuperficie aquæ natant,eæ minùs ſplendent.Ergo hæc eſt inter Gemmas & Margaritas differentia, Quòd Gemmæ ſint è genere lapidum,& terræ pars quædam: Margaritæ autem ſunt oſtreorum fœtus (etſi in iis ſæpe fiunt quas Narquas Perlarum vulgò nominant) & Maris ac piſcium quoddam excremẽtum, quemadmodum loquitur Tertull. Gemmæ conſtant humore terreno,ac multùm igneo & aërio: Margaritæ aqueo fluido,& obſcuro. Gemmæ ſunt διαφανεῖς & trãſparentes,vt vocant,id eſt,pellucidæ,adeò quidem vt qui lapides eximij è terra naſcuntur,& Marchaſitæ dicuntur,pretioſi tamen non vocentur, niſi

A ſint pellucidi, quales multi ex Oriente à noſtris lapidariis afferuntur. Margaritę non ſunt pellucidæ. Gemmarum lux & ſplendor nunquam ſeneſcit, ſed perpetuum vigorem, & ſemper integrum retinet & illibatum: Margaritæ ſeneſcunt, ſuáſque tãquam ætates habent. Gemmarum denique pretium eſt in magnitudine, luce, & effectis quibuſdam: Margaritarum pretium eſt in magnitudine, candore, læuore & orbe. Vides igitur vt Margaritæ, quanquam cum Gemmis affinitatem ratione vſus & pretij & lucis cuiuſdam habeant, ab iis tamen ſint toto genere diſsimiles, & diuerſæ. Nos autem de Gemmis tantùm hîc agimus. Nam de Margaritis copioſè Plin. lib. 9. c. 35. & 36. & Athenæus lib. 3. cap. 8. itémque Iſidorus lib. 16. cap. 10. Etymologικῶν.

CAP. XXXV.

De Bdellio, & quid ſit.

D. QVid verò Bdellion vocat Scriptura ſacra Geneſ. 2. v. 12. בדלח Hebraicè Bedolah?

P. Si quàm variè vnicum illud vocabulũ B explicetur, quæris, infinitæ ſunt illius interpretationes. Alij enim Iaſpidem lapidem eſſe volunt: alij Carbunculum: alij album quendam lapidem. Nec deſunt etiam qui Bdellium arborem interpretentur, quæ ab Arabibus dicatur etiamnum hodie Bdolchon. Non deſunt denique, qui aliter quoque illum Geneſis locum reddant. Locus tamen, quem affers, poſtulat, ſi cum Num. 11. v. 7. & Exod. 16. v. 14. conferatur, vt Bdellion Margaritã eſſe dicamus: ſiue vox illa pro toto ipſo earum genere ſumatur, ſiue pro vna quadam eximia earum ſpecie, qualis eſt illa Margarita, quæ quia nunquã eodem partu bina editur, vt ait ex Plinio Solinus, idcirco à Latinis Vnio eſt nominata. Quod Margaritarum genus in Oriente excellentiſsimum naſci, præſertim verò in Perſico ſinu, teſtes ſunt omnes hiſtorici. De quo ipſo Bdellio aliquid in Periplo Erithræi maris ſcripſit grauis autor Arrianus, & in eum Arriani locum G. Stuchius vir doctiſſimus. Quanquam quidam malunt Bdellion ſignificare vniuerſum ipſum genus Margaritarum quod candidum quidem eſt, ſed algoſum adhuc C & rotundum, & nondum manu artificis politum, & præparatum. Cui ego ſententiæ potiùs acceſſerim. Nam ab hoc informi Bdellio Sarracenicum gummi à Dioſcoride ex Arabico idiomate nominatum eſt Bdellion.

CAP. XXXVI.

De variis Gemmarum generibus.

D. INtelligo iſta. Dic igitur aliquid de Gemmis, & quot ſint earum præcipua genera.

P. Medicorum iſta & Aurifabrorum propria tractatio eſt: tamen quatenus ea ad quorundam ſacræ Scripturę locorum explicationem facere videtur, dicam breuiter de iis aliquid. In ſumma Metallici homines & Philoſophi, qui iſta diligentiùs perſcrutantur, in vniuerſum genera Gẽmarũ potiſſima cõſtituũt quatuor, quæ quatuor huiuſce Mundi elementis reſpondere colorũ ſimilitudine volunt. Primum genus eſt Carbunculus ſeu Rubinus, quem alij Pyropum appellare malunt. Hic igni elemento colore reſpondet. Secundum genus eſt Sapphyrus, qui Aeri. Tertius Beryllus ſeu A Adamas, qui Aquæ. Quartum denique Smaragdus, qui Terrę virenti ſimilis apparet ob colorem. Ergo hæc Metallici tradunt. Sacra verò Scriptura duodecim pretioſiſſima Gemmarum genera diſtinxiſſe videtur: Exod. 28. v. 17. 39. v. 10. Quãquam tamen eadem non videtur vbique ſemper eadem genera enumeraſſe, veluti Ezech. 28. v. 8. & Apocalyp. 21. v. 19. & 20. Neque enim eædem prorſus Gemmæ, neque eodem ordine, Exod. 28. ver. 17. & Apocalyp. 21. v. 19. recenſentur, quicquid plerique ſentiant. Sed neque inter Hebræos ipſos peritiores de omnium vocabulorum gemmas illas duodecim deſignantium propria ſignificatione ſatis conſtat. Verùm tamen inter ipſa illa duodecim gemmarum genera, alia aliis præſtantiora facit Scriptura ſacra quemadmodum ex Iſa. 54. v. 11. 12. Ezech. 28. v. 13. apparet.

D. Ecquæ igitur ſunt genera illa duodecim?

P. Exponam, ſi primùm admonuero, illa omnia in ſancto ſummi illius ſacerdotis (qui vnigenitum Dei Filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, verè ſummum noſtrum apud Deum B ſacerdotem repræſentabat) Pectorali inſerta fuiſſe, in quibus ipſis nomina duodecim filiorum Iſrael, ſecundum ortus & natiuitatis ſuæ prærogatiuam inſculpta Dei iuſſu, inſcriptáque erant, vt expreſſè dicitur Exod. 28. v. 10. Primùm vt hoc tãto veſtitus ſacerdotalis ſplendore, infiniti illi omnis ſapientiæ ac ſanctitatis theſauri (qui reuerâ in Chriſto etiam Homine inſunt, vt inquit Paulus Coloſſ. 2. v. 3.) typicè ſignificarentur ac demõſtrarẽtur Eccleſiæ. Deinde, vt quanta ſit Deo ipſi de nobis ſingulis, qui Eccleſiæ ipſius membra ſumus, cura & ſolicitudo, hac ſacerdotis in medio corde & pectore ſuo Iſraelitarum nomina geſtantis figura, doceret. Erant autem nomina filiorum Iſraelis in pectore deſcripta hoc ordine, Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Dan, Nephthali, Gad, Aſer, Iſſachar, Zabulon, Ioſeph, Beniamin. Sic autem erãt conſtituti lapides illi 12. pretioſi ſeu gemmæ, vt quæque gemma nomen vnum duntaxat ex illis duodecim nominibus inſculptum haberet, prima nempe gemma, nomen primum, id eſt Rubenis: ſecunda ſecũdum, id eſt Simeonis, & ſic deinceps. C Sed de hoc toto argumento vide fuſius Hieronymum in epiſtola ad Fabiolam Tom. 3. epiſtolarũ.

CAP. XXXVII.

De duodecim Gemmis, quarum in ſacra Scriptura facta eſt mentio.

D. QVæ fuit igitur prima gemma, quę ſecunda, quæ tertia, & quæ reliquæ?

P. Prima ab eo nomine Hebræo vocatur quod rubere ſignificat. Itaque alij Pyropum, vti dixi, vocant: alij verò Sardium. Sed is, meo iudicio, non poteſt eſſe Sardius: quia Sardius, ſiue pro Onyche, ſiue pro Sardonyche accipiatur, non rubet. Id quod omnes ſciunt, qui eum vel ſemel oculis viderint. Ego igitur Aodem eam eſſe gemmam puto, quæ dicitur à lapidariis noſtratibus Eſpinella, quæ quidem eſt Rubini ſpecies quædam, eáque lucida & ignea: ſed Rubino ipſo tenerior, minúſque ſolida & viuida. Huic Rubenis

A nomen fuit inſcriptum,cui videtur iſto ſplendoris imminuti genere fuiſſe Ruben ſimillimus.Secunda gemma Topazius à pleriſque ferè omnibus appellatur & conuertitur : qui lapis crocei coloris eſt,non viridis,& certè lucet ille quidem & tranſparet. Hic Simeonis nomen inſcriptum habuit. Tertia gemma à fulgore rutilantíque ſplendore ac emicatione(qualis in fulgetri coruſcatione apparet) nominatur. Itaque Carbunculus conuertitur:malè autẽ meo iudicio,Smaragdus. Etſi enim Smaragdus quaſi Maragdus, vt ait Athenæus, à ſplendore vocatus eſt : tamen Smaragdi ſplendor coruſcationi fulguris minimè ſimilis eſt, vt ipſe aſpectus indicat.Meliùs igitur Carbunculus nominatur.Eſt enim Carbũculus Rubini ſpecies ea quę omnium pulcherrima & præſtantiſsima eſt, & lucem tanquam fulgetri nobis eum procul intuentibus iaculatur,adeò vt in media nocte & tenebris etiam luceat, & velut Sol quidam illuſtret ſibi vicina loca.Hæc gemma nomẽ Leui habuit, quia in ea tribu & familia ſplendor maximus totius Iſraelitici populi poſitus fuit:ſiquidem munus ſacerdotale illi Tribui ſpecialiter demandatum cõſideres. B Quarta gemma variè vertitur. Alij Chryſopraſum vocant,alij Smaragdum. Ipſe malim Smaragdum. Eſt enim Chryſopraſus Gemma quę ſpeciẽ & colorem auri à viridi colore tenuiter diluti habet, id eſt, Chryſopraſus croceo viridíque colore tinctus eſt.Nam luce ſubnigricante Chryſopraſus præditus eſt. Smaragdus igitur quum totus viridis ſit coloris,ciúſque lucidi(quãquam etiam quodammodo terreni,qualis eſt nimirum color viridis caulis) lucet,& micat, & ſplendorem ſuum egregiè retinet.Itaque Iudæ nomen inſcriptum habuit.Denique eam naturam ſeruat,quam lapidi Smaragdo alibi Hebræi ipſi tribuunt. Hunc lapidem quidam ſentiunt ab adultero geſtari non poſſe, quòd caſtitatis ſit indicium.Quintus lapis dicitur Sapphirus etiã Hebraica deſcriptione & etymo, vt de eo ambigi non poſsit.Eſt autem totus cærulæi, & cœleſtis coloris, etſi Iob.28.ver. 6. grana quædam auri aſperſa ineſſe quibuſdam Sapphiris ſcriptum eſt. Habuit Danis nomen inſculptum.Sextus dicitur à contundendo,quem alij Iaſpidem vertunt: alij Adamantem,& quidem veriùs.Ex eo enim Adamas appellatur,quòd ne mallei quidem ferrei,aut incu- C dis ictibus cedit : ſed ſolo Hirci ſanguine diſſolui poteſt. Vnde Adamantina vincula ſunt appellata. Atque hic lapis alio quoque nomine à perſpicuitate,quæ illi tribuitur in Iob.28.verſ.17.Beryllus à pleriſque nominatur,quòd luceat tanquam Chryſtallus:& certè Beryllus,Thalaſsius,& Adamas videntur tantùm eſſe ſplendidioris& purioris Chryſtalli ſpecies. Candorem enim excellentiſsimum verus Adamas retinet. Sed quoniam ſe aduerſus ictus omnes conſeruat, dicitur Schamis, tanquam ſilice ipſo durior,Ezech.3.v.9.Hier.17. v.1. Hic lapis in pectorali ſummi ſacerdotis Nephthali nomẽ habuit.Septimus dictus eſt Lyncuius,quaſi Lyncei vrinâ concretus. Fuluum eſſe iſtum lapidem quidam volunt, ſed eſt cinericij coloris, candidioris tamen & lucidi.Stellina à noſtris vulgò dictus, vt quidam putant,quòd ſtellæ variè ſparſæ in hoc lapide cernantur:alij aliter vocabulum illud cõuertunt. Hic in acetum coniectus graditur tanquam tanti acoris vulnus fugiens. Habuit Gadi nomen. Octauus Achates nominatur,etiam & ipſe coloris flaui, vel ſubcinericij, ſed in croceum tendentis, A & pulchrè tamen pellucidi,qui ex parte ſeu extremitate lapidis Sardonychini præſtantiſsima decidi ſolet,quæ & ipſa Achates vulgò nominatur. Hic habuit Aſeris nomen.Nonus fuit Amethyſtus.Ab Hebræis dictus eſt à ſomniando,quòd Lemurum timorem & vana inſomnia depellère credatur. A Græcis Amethyſtus,quòd mira quadam vi fumos vini in cerebrum tendentes retrahat vel diſsipet: itáque ebrietatem cohibet, cui eſt inimiciſsimus: vnde ebrioſorum hominum furioſa inſomnia ſanat,& tollit.Eſt hic lapis duplicis coloris.Quidam enim Amethyſti eſſe violacei coloris cernuntur: alij verò rubei,ſed dilutioris,qualis vini rubelli generoſioris color eſſe ſolet. Habuit iſte lapis nomẽ Iſſacharis.Decimus lapis pretioſus ab Hebræis Tharſis nominatur, quem alij Hyacinthum, alij Chryſolithum, alij Beryllum Thalaſsium conuertunt. Hyacinthus eſt flaui coloris, qualis eſſe ſolet mali aurei perpulchri, quod nos Aurangium malum vulgò nominamus.Huiuſmodi Hyacinthi Indici apparent. Chryſolithus eſt viridis quidem coloris,ſed ſtupidioris:lucidi tamen,qui à quibuſ- B dam Perido vocari perhibetur.Hic à Chryſopraſo differt,quòd Chryſopraſus eſt crocei vel fului cõloris,viriditate quadam intermixti, quam viriditatem admixtam Perido non habet. Sed hi colores minimè cum colore maris(qui voce Tharſis ſignificari videtur)conueniunt. Itaque potiùs hunc decimum lapidem eum eſſe puto,qui Beryllus Thalaſsius appellatur.Habet enim Beryllus Thalaſſius colorem non modò aqueum,ſed marinum, cũ candore quodam, ſed eo obſcuro & ſubnigricante mixtum,qui tamen in eo ipſo lapide lucet. Eſt denique Beryllus iſte genus quoddam Adamantis & Chryſtalli, ſed obſcurius. Hic Zabulonis nomen habuit inſcriptum. Vndecimus lapis etiam & ipſe variè vertitur.Ab aliis enim Sardius appellatur:ab aliis Onyx.At hi tamen lapides & gemmæ inter ſe colore longè differunt. Onyx enim vnguem humanum colore ſubliuido refert, quoniam in eo eſt obſcura quædam, miniméque tranſparens albedo,Sardius autem eſt fuluus. Onychem tamen interpretantur vocem Hebraicam vulgò ferè omnes, quorum ſententiæ & ipſe aſtipulor. Ioſephi nomen hic lapis habebat. C Duodecimus lapis Iaſpis dicitur etiam Hebraicè, vt de eo dubitari nequaquam poſsit. Dictum eum volunt etiam alio nomine à frangendo, quòd durior ſit & validior. Habet hic lapis colorem variũ nigro,rubro, & candido mixtum,quanquam excellentiſsimum Iaſpidis genus viridis eſſe coloris lapidarij ipſi peritiores ſentiunt.In hoc Beniamini nomen fuit inſcriptum.Et hæc quidem de gemmis, & variis earum generibus hactenus.

Cap. XXXVIII.

De chalcolibano quid ſit.

D. VNum verò reſtat,quod ſcire exte velim, quid χαλκολίβανον Scriptura nominet, Apocalyp.1.verſ.15.& 2.verſ.18.

P. Valdè certè vel diligens, vel curioſus es, qui tam minutim ſingula perſequaris. Dicam tamen, quod ſentio : licet nemini præiudicium factum eſſe velim. Alij illud Orichalcon eſſe putant:alij è

A Libano monte effoſſum aliquem nouũ lapidem: alij incognitum noſtris temporibus metallum. Ego verò facilè mihi perſuadeo nihil aliud hac voce ſignificari,quàm quod eſt apud Daniel.10.verſ. 6.nempe æs candidiſsimum ac lucidiſsimum:quale eſt æs Solis repercuſſu,vel ignis ardore candens, vt ex cap. 2.verſ.18.Apocalyp. apparet. Sed quod duobus diſtinctis vocabulis dixit Daniel,Nechoſſech Lebanoth,hac vnica voce compoſita ex Græco & Hebræo dixit Euangeliſta χαλκολίβανον. χαλκὸν enim æs ſignificat, Lebanos autem non tantum album,ſed rubore quodam ardens & candens nominatur.

CAP. XXXIX.

De Metallis, & primùm de voce ipſa, Metallum.

B D. PErge iam porrò,& eodem modo de metallis age,quo de Gemmis, quoniam metalla ſunt alterum foſsilium genus.

P. Cupio.

D. Expone verò primùm cur foſsilia illa Metalla dicantur.

P. Μέταλλον à Græcis appellatum eſt hoc rerum foſsilium genus, propterea quòd ita ferè in hoc rerum genere euenit, vt vbicunque vena vna .i.vnius metalli inuenta eſt,non procul ibidem inueniatur & altera alterius metalli: vel etiam quòd vbi vnius vena metalli defecerit, ibidem alterius, ſed vilioris metalli vena ſolet ſuccedere & apparere. Agnaſcuntur enim ſibi & ſuccedunt ferè metalla,& habent vicinas venas ac minerias,quas vocãt, quoniam ex eadem materia omnia naſcuntur.

CAP. XL.

C

De Metallorum generatione.

D. QVomodo igitur in Terra metalla generantur?

P. Eorum ortus cauſa ratione quidẽ materiæ vna eſt: efficiens autem & conſtringens cauſa eſt multiplex. Omnium igitur metallorum mater communis eſt ipſa Terra, quemadmodum & Iob.28.verſ.1.& 2. & Deut. 8. verſ. 9. perſpicuè demonſtratur. Nam illa ſuppeditat communem omnibus materiam,quâ conſtant,nempe halitum quendam viſcoſum,ſed humidiorem tamen eo, ex quo lapides concreſcunt. Hic igitur viſcoſus halitus lapideo humidior in locis ſubterraneis & in mediis ipſius terræ viſceribus vi quadam ſyderum & calore Solis è Terra exprimitur primum:poſtea verò frigore in eadem terra concreſcit,& cum ſicco terreſtri permiſcetur, ac agglutinatur. Vnde fit,vt pro diuerſa ratione iſtius mixtionis, diuerſa quoque ex eodem illo lento,pingui & viſcoſo humore metallorum genera naſcantur atque producantur. Habet enim vnumquodque metallorum genus ſuum & pondus,& odorem, & colorem , & effectum naturaliter ab alio diuerſum ac differens. In quo mira Dei tum ſapientia,tum etiam potentia certè quidem nobis elucet, ſi modò oculos ad illa ſubterranea videnda idoneos habemus, quòd in vna & eadem materia tam diuerſas metallorum formas creat:ex terra tot opes fundat: ex imis, vt ita dicam,abyſsi tenebris corpora tamẽ tam ſplendida,támque lucida producat. A

D. In quo verò propriè Metallorum natura poſita eſt,vt à lapidibus illa differant?

P. Rectè quæris.Quædam enim ſunt ſemimetalla,quæ imperiti homines cum metallis confundunt.Quædam etiam à Metallis toto genere diuerſa ſunt,vt Stibium , & Biſemutum , quod alij glaciale ſtannum vocant , quæ duo & alia his ſimilia tamen inter metalla nonnulli recenſent. Ergo hæ ſunt quatuor eius foſsilis(quod verè Metallum dici debet) proprietates,vt à nõ metallis diſtinguatur. 1. Vt metallum ſit liquabile.2. Vt poſtquam liquatum fuerit, tamen ad ſuam formam poſtea redeat congelatum & frigefactum. 3. Vt ductile ſit malleo. 4. Vt durum quidem ſit,ſed tamen impreſsile. Quanquam verò ex Metallis quædam faciliùs iſtas omnes notas admittunt,quædam difficiliùs : omnia tamen , quæ verè metalla ſunt,has quatuor ſuſcipiunt. Differunt autem à lapidibus B metalla , quòd in lapidibus halitus terræ ex quo fiunt, & ſit ſiccior , & validiùs cum ſicco terreſtri permiſcetur ſiue implicatur : neque tam facilè liquantur lapides,quàm metalla,ſiqui liquefiant:neque etiam lapides omnes malleo ducuntur, aut extenduntur.

CAP. XLI.

De Vitro,& vt à Metallis differat.

D. POrrò de vitro quid ſentis? an etiam illud ad metallorum genus refers?

P. Minimè equidem, etſi tamen de eo diſputant nonnulli,& aliud ſentiunt.

D. Cur tu ſic iudicas?

P. Primùm,quia vitrum eſt artis Pyrotechnicæ,non autem naturæ ipſius opus. Deinde quoniam vitrum non eſt,quod putant illi,malleo ductile: at quodlibet metallum per omnem dimenſionem malleo extendi poteſt.Ex quo apparet eſſe C vi ignis,quo vitrum concoquitur,humiditatem radicalem magis in vitro exhauſtam,quàm in metallis,quæ è terra generantur.

CAP. XLII.

De Metallorum effoſſoribus.

D. ERgo craſſum & viſcoſum eſſe eum humorem ais,ex quo metalla in Terræ viſceribus procreantur. Nã vi frigoris primùm concreſcunt,deinde interno & natiuo quodam calore concoquuntur:itaque aliud alio magis in ipſa Terræ aluo defecantur,& purgantur.

P. Rectè ſentis.Is enim vapor, qui eſt materia metallorum , eſt tam craſſus & fumidus , vt in ipſis fodinis & mineriis (vnde metalla effodiuntur) multi vaporibus iſtis enecentur & ſuffocentur. Ex quo fit etiam , vt qui in iis verſantur aſsiduè variis morbis & catharris obnoxij ſint, & facie liuida , colore pallido , ac propter tetri illius odoris ex fodinarum cuniculis exhalantis fœtorem & grauitatem intra paucos annos iidem extinguantur. Vnde in quibus locis olim erant fodinæ metallicæ , principes huiuſmodi regionis Mancipiorum,vel ad mortem damnatorum hominum operâ ad metalla eruenda vtebantur.Hinc in

iure

A iure ciuili Romanorum quidam dicuntur damnati ad metallum. Quid? quòd Dominus ipſe ad vlciſcendam inſanam illam hominum in perfodienda ac perſcrutanda terra auaritiã & ἀπληστίαν, Demonas quoſdam effoſſoribus iſtis ſæpe obiicit, vt tandem aliquando contenti eſſe diſcamus & ab iſtis ſepulchris & cuniculis (in quos ſæpe per plus quàm 200. gradus deſcendẽdum eſt ſcalis inter ſe alligatis) in hoc cœlum & locum ſibi à Deo deſtinatum recipere ſe velint & conentur?

D. Mirum certè Dei Opt. Max. in iſtos χθονωρύχας iudicium, ſi tamen propterea reſipiſcerent. Quanquam enim Dominus metalla ad hominum vſum, vt cætera condidit: tamen modus in iis ſcrutandis & effodiendis tenendus eſt, ne auaritiæ noſtræ fræna laxemus: ac ne potiùs talpæ, ſerpentes, & mures, quàm homines eſſe videamur.

Cap. XLIII.

De Metallorum materia & cauſſa efficiente.

P. SEd, vt dicere cœperam, præter viſcoſum illum humorem qui cum ſicco terreſtri, B ſeu cum terra conglutinatur (éſtque illud quod recentes quidam Philoſophi, ſed rerum metallicarum minimè imperiti Argentum viuum appellant, atque eſſe pro materia propinqua omnium metallorum contendunt) eſt & calor quidam nobis conſiderandus, qui & ipſe in iſto humore iam vi frigoris cum illo terreſtri ſicco, ſiue cum terra affixus continetur. Hic calor eſt natiua illa vis, quam iidem recentiores Metallici Philoſophi Sulphur appellant, quæ humorem cum terra in metallis variè temperat, miſcet & concoquit, facítque vt ex metalis aliud alio ſit purius atque perfectius. Denique idem calor varios metallorum colores, varias vires, & ἐνεργείας in metallis, ſicut in plantis ipſis, & corporum animalibus, gignit. Ergo hic calor, quãquã vt in reliquis rebus, ſic in metallis pro Dei ſapientiſs. potentia & prouidentia variè agit: tamen ad metallorum concoctionem atque productionem etiam diuerſa ipſius loci, & plagæ terræ, itémque aëris temperies, C & ſitus multum prodeſt. Nam varia Solis, Lunæ, & reliquorum aſtrorum influentia & efficacitate, vt in reliquarum rerum inanimatarum, ſic in metallorum variorum procreatione Deus ipſe vtitur. Vnde fit, vt quidam metalla ipſa nomine aſtrorum appellent, nempe Solem, & Lunam, & Saturnum, & Mercurium &c. Ex quo etiam euenit, vt vel non omnes terræ metalla ferre poſsint, licet humorem illum viſcoſum intra ſe habeant: vel etiam quæ Terræ ea ferunt, non omnes omne genus tamen metalli fundant: ſed hæ aurum tantùm, illæ ferrum, iſtæ ſtannum, aliæ aliud metalli genus.

Cap. XLIIII.

De variis Metallorum generibus.

D. INtelligo quæ ſit Metallorum origo, Dic quænam eorum ſint genera ſeu ſpecies.

P. De hoc ipſo magna eſt inter doctos noſtræ huius ætatis viros controuerſia, quam vt inter eos placatam eſſe cupimus: ita nemo, quemadmodum opinamur, adimet nobis liberam ſententiæ de ea A re noſtræ dictionem. Diſputant igitur illi vtrum Metalla diſtinguantur inter ſe εἰδοποιητικαῖς differentiis, quæ diuerſas & inter ſe incommunicabiles formas efficiant, quemadmodum eſt Homo & Brutum, ſic nempe vt vnum Metalli genus in alterum conuerti ac mutari, neque arte vlla, neque naturæ ipſius concoquentis & annitentis conatu vllo poſsit. An verò potiùs tantùm differant inter ſe metalla modo perfecti & imperfecti, & quodam digeſtionis ſeu concoctionis aut indigeſtionis gradu, vt Mas & Fœmina, Omphacium & Vinum, Ouum & Pullus. Nam quidam volunt Metalla omnia ad vnam auri formam (quæ quidem perfectiſsima eſt) tendere: ſed in tramite & via illa deficere, non ſolùm propter materię ἀνικανότητα ſed etiam propter efficientium aut concurrentium cauſarum imbecillitatem & impotentiã. Quamobrem, quæ ad primum illum concoctionis metallicæ (qualis eſt in Auro) gradum peruenire non poſſunt, in ſecundis tertiiſve concoctionis metallicæ gradibus ſubſiſtunt, & fiunt vel Argentum, vel æs, vel ſtannum, vel cuprum, vel ferrum. Hæc grauis eſt inter eos controuerſia (quẽadmodum dixi) quæ adhuc hodie durat, habétque B vtraque autores & patronos non ſpernendos. Mihi tamen vtrorumque rationes perpendenti videntur Metalla, quamuis pondus, colores, vires, ſedes diuerſas, & multa huiuſmodi diſcrepantia inter ſe habeant (vnde diuerſa quoque tanquam diuerſarum eiuſdem generis formarum nomina ſortiuntur) eſſe tamen omnia diuerſos tantùm eiuſdem materiæ meliùs aut peiùs concoctæ gradus. Nam in omni auro argentum ineſſe & experientia docet, & ex veterum autoritate ſcribit Plin. lib. 33. Natur. Hiſtor. cap. 4. Quòd ſi quis mihi non aſſentitur, ipſe ſuo iudicio per me liberè frui poterit.

D. Sed hæc omitte, Species ipſas metallorum, quæ ita nominantur recenſe.

P. Cupio. Eas igitur quidam quatuor tantùm conſtituunt, nempe, Aurum, Argentum, Ferrum, Plumbum: alij ſex, alij ſeptem, quæ magis eſt recepta ſententia. Nam ſi ea quæ ſunt Ezech. 22. ver. 18. & 27. verſ. 12. cum Numer. 31. verſ. 22. Dan. 2. ver. 31. conferantur, plura quàm quatuor metallorum genera C eſſe facilè perſpici poterit.

D. Recenſe igitur ea.

P. Aurum, Argentum, Aes, Stannum, Plumbum, Cuprum, & Ferrum, cui Orichalcum etiam quidam addunt, quæ erit octaua ſpecies.

D. Cur verò Aurum argento præponis, quum ferè in ſacra Scriptura Argentum priore loco numeretur, Aurum verò poſteriore, vti Pſal. 15. Hier. 10. verſ. 4?

P. Quia pretij reſpectus habendus eſt, quem nos conſiderantes Argentum vilius auro, ex communi hominum æſtimatione eſſe, dicimus, (præclarè enim ille, Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum) itaque priore loco collocatur, & Argento præfertur, vti apud Paulum apparet 1. Corinth. 3. verſ. 12. 2. Tim. 2. verſ. 20. Deriuatur quidem vox vtraque apud Hebræos ex vocabulis quæ deſiderare ac concupiſcere ſignificant, quòd ſit vtrumque hoc Metalli genus valde in pretio inter mortales, & ſummis ſæpe votis deſideretur ac expetatur. Sed quia prior argenti quàm auri vſus in-

A ter primos homines fuit, vt docet Plin. lib. 33. cap. 3. quanquam etiam & aurum & argentum apud veteres rarum fuit, tamen ſemper aurum argento rarius fuiſſe docet Athenæus lib. 6. ca. 4. Dipnoſophiſtar. iidcirco argentum in veterum ſcriptis priori loco recenſeri ſolet, éſtque auro vilius.

CAP. XLV.

De Auro, & Auri natura.

D. POrrò expone breuiter ſi quid de iſtis Metallorum generibus habes.

P. Habeo quædam.

D. Dic igitur, & primùm, quia ſic enumeraſti, de Auro.

P. Aurum à Latinis dicitur metallum omniũ generoſiſsimum, perfectiſsimum, atq; etiam pretioſiſsimum: vocem autem ipſam *Aurum*, quidam deducunt ab antiquo vocabulo Græco αὖρον, vnde θησαυροὶ dicti ſunt Gazophylacia templorum ad ponẽdum Aurum deſtinata: alij à verbo ὠρεῖν, quod cuſtodire ſignificat Aurum eſſe dictum malunt, quoniam diligentiſsimè ab iis aſſeruari ſolet aurum, qui habent: B alij à nomine inuentoris, qui Aurum vocabatur, dictum putant: alij ab auendo, quòd mortales aueant & cupiant maximè vnum ex omnibus metallis aurum. Ab Hebræis variis nominibus appellatur, quæ ſingula diuerſam etymi rationem habent. Conſtituunt enim Hebræi ſeptem ſpecies vel genera Auri, vt quidem tradit Hieronym. in Hierem. 10. verſ. 4. Vt autem alij etiam plura: atque ſingula hæc genera proprias appellationes obtinent, vt ex Iob. 28. verſ. 1. 2. & ſeq. Thren. 4. verſ. 2. colligitur, nempe, Sagur, Aupir, Dahab, Batſir, Zahab, Paz, Cetem, Charab. quæ pro vario modo & gradu purioris aut impurioris auri & materiæ diſtinguuntur. Noſtri verò aurifabri, plus quàm 20. Auri gradus & differentias agnoſcunt pro ratione variæ illius mixturæ cum aliis inferioribus metallis: ſed eas ſuis propriiſque nominibus non ſecernunt. Quòd enim aurum Cyprium, Aurum Hungaricum, &c. appellant, patriam auri, non differentiam notant. Præcipua verò huic materiæ & metallo, id eſt, Auro dignitas, & inter mortales commendatio eſt non C ex colore, qui in argento eſt clarior (etſi lumen Solis poëtæ vocarunt aureum) magíſque diei ſimilis: non ex pondere, aut facilitate, per quam vtrunque cedit plumbo: ſed ex vſu & ipſius mixturæ (qua conſtat Aurum præ cæteris metallis) temperatiſsima perfectiſsimáque ratione. Primum enim vni Auro ex omnibus metallis maximè nihil deperit igne, vt ait Ariſtot. lib. 3. Meteor. cap. 6. imò quò ſæpiùs arſit, proficit magis ad bonitatem. Purificatur igne etiam argentum, vt verè Pſal. 12. verſ. 6. dicitur, nam ſepties liquatum & epuratum argentum dicitur optimum: tamen aurum ſolidius ſemper eſt, minúſque excremẽtoſum, quàm argentum, fitque ſine detrimento ſui ſemper purius. Reliqua verò metalla liquata in cineritio & copella, præter aurum & argentum, euaneſcunt, alia faciliùs, alia difficiliùs, prout terra impurior puriórve magis minúſve illis ineſt. Liquari igitur Aurum poteſt ſine vlla ſui deperditione. Plinius tamen libro 29. Natur. Hiſtor. cap. 4. tradit, ſi auro liqueſcenti membra gallinarum miſceantur, in ſe ſe conſumi, quod ij ſe experiri dicunt, qui torques A aureos in iuſculorum, (quæ Iuſcula reſtaurãtia vocantur) confectionem iniiciunt. Imò verò poteſt Aurum iam reddi potabile. Id quod rerum experientia verum eſſe docet, & metallicorum Philoſophorum, ac verè ἀλφηστῶν induſtria tandem inuenit. Præterea, ſecunda commendationis Auri inter mortales hæc cauſa eſt, quòd Aurum eſt puriſsimum. Vnde fit, vt nec vſu illi quicquam depereat. Ferrum enim, etſi duriſsimum videtur, tamen propter impuram terram illi plurimam admixtam aſſiduo vſu & contrectatione conteritur & deperit. Imò igne expurgatum ferrum ſæpius tandem chalybs fit: ſed idem liquatũ in copella euaneſcit, faciliimè autem omnium metallorum plumbum igne conſumitur, vt eſt apud Hier. 6. verſ. 29. quia pondus ipſum plumbi arguit illud habere ſcoriæ & fecis & terrenæ materiæ plurimùm admixtum. Eſt enim grauiſsimum plũbum Exod. 15. verſ. 10. A quo damno Aurum eſt omnino expers & immune, quoniam puriſsimum eſt. Vnde minima ac penè nulla excrementa, dum liquatur exhalat: cætera verò metalla emittunt craſſos fumos dum B liqueſiunt, qui etiam parietibus adhærent: (Vnde Pompholix & Turia fit) & tetros ac graues odores exhalant, qui ſunt corporum & cinifloaum valetudini vehementer noxij. Sapores etiam amaros in liquoribus relinquunt reliqua metalla, Aurum autem & Argentum ſubdulces, quòd cæteris metallis plurimùm aduſtæ terræ ineſt: his autẽ duobus omnia inſunt magis ad iuſtum temperamentum exæquata, Auro inquam, & argento. Vnde fit, vt quia tam purum eſt metallum Aurum, *Aurum* pro *puro* acceperit Zachar. cap. 4. v. 12. Tertio loco, neque ærugo, neque rubigo (quæ eſt quædam exſiccatæ terræ exhalatio in ipſa corporis ſuperficie remanens & ſubſidens) Aurum conterit, aut eius bonitatem vel pondus imminuit, quæ cætera tamen metalla labefactat: quoniam in Auro minimum eſt, quemadmodum diximus, impuræ materiæ. Quarto, mirum in modum Aurum ductile eſt, adeò vt etiam neri, & fieri textile poſsit. Denique Vnũ Aurum innatat Argento viuo propter materiæ, quam cum argento viuo communem habet, affinitatem: non propter pondus. Cæterùm non idcirco iſta à me prædicantur vt augeam hominũ C auaritiam, quæ potiùs omnibus modis minuenda eſt ac deteſtanda: ſed tantum vt metallorum naturam explicem, quantum quidem in Scriptura mentio eorum facta eſt. Nam vtcunque ea, quæ de Auro & Argento diximus, vera ſint, quid eſt tamen Aurum aliud, quàm fulua quædam Terræ particula & glebula? quid item eſt argentum aliud, quàm quædam alba terræ portio, cui inhiare, inſeruire, aut confidere (quod auari omnes faciunt) quid, obſecro, aliud eſt, quàm blaſphemum & impium idololatram eſſe, vt docet ſelectiſsimum illud Dei organõ Paulus Coloſſ. 3. verſ. 5? quàm inſanire? quàm ventos reti captare, & imbecillimis in rebus ſpem ſuam miſerrimè ac ſtultiſsimè collocare? Quod fieri à Chriſtianis hominibus omnino mirum eſt, ac deplorandum.

CAP. XLVI.

De Auro Auphir quid ſit.

D. Rectè

A D. REctè tu quidem. Atque vtinam quicunque Chriſtianum nomen profitentur hanc tuam tam neceſſariam exhortationem exaudirent. Sed quia ad Chriſtianam Phyſicam iſtam diſputatio de Auro, quam aggreſſus es, pertinet, expone ecquod illud Auri genus eſſe putes, quod Aupir ſacra Scriptura ferè vocat אופיר. Pſal.45.verſ.10.Iob.22. verſ.24. 28. verſ. 16.& aliis penè infinitis locis, de quo ipſo eſt diſputatio Hieronym.in epiſtol.ad Marcellam *Nuper*, &c. Tom. 3. Epiſtolar. qui tamen ait alibi, Ophir genus eſt auri vel à loco Indiæ, vel à colore nomine indito.

P. Idem ſanè, quod Latini Aurum Obrizum vocant, id eſt, optimum, Plin.lib.33.cap.3.putat Obrizum dici, quòd ſimili colore, atque ignis ipſe rubeat. Ergo Obrizum appellari, quòd obradiet, vt ait Iſid.lib.16. Etymol.cap.17.Hieronymus autem in Hierem.10.hoc etymon affert, quòd illud
B Aurum reſplenderet in facie idolorum. Itaque purgationis & liquationis reſpectu dici Obryzum putant. Sed facilis eſt etymi iſtius, *Obryzum*, ratio, quam viri docti, & in primis Mercerus noſtra hac ætate reddidit, nempe dici Aurum Obrizum, tanquam Ophirizum, id eſt ex Ophir aductum. Ex Ophir enim ſolitum eſſe aduehi optimum aurum & puriſsimum, etiam ante quàm purgaretur, ſed quale in ipſis Terræ venis reperitur, teſtis eſt ſacra Scrip.cap.22.verſ.49.1.Regũ.Regionibus quidem calidis delectatur Auri vti & Argẽti genus & ortus. Pluribus quidem in locis & modis vtrumq; hoc metallum reperiri teſtantur hiſtorici, nempe vel in ramentis fluuiorum: vel in ſcrobibus puteorum: vel in ruina montium: ſed tamen quod eſt optimum Aurum, illud eſt Plinio & aliis Indicum: ſacræ verò ſcripturæ Ophirizum, quod Græci & Latini poſtea Obrizum corruptè dixerunt.

D. Quiſnam verò eſt iſte Ophir tam diues locus, & auri fodina tam locuples & aurea?

P. Plerique eum eſſe locum exiſtimant, qui alio nomine in Scriptura veluti Geneſ.2.v.11. Heuilah nominatur, vbi memoratur eſſe optimum aurum, éſtque ea regio proculdubio ad Orientalem Indiã, quę à veteribus Cherſoneſus Aurea, à recentioribus autem Iapam vel Iauam videtur appellata,
C quę etiam nõ hodie optimi auri copia plurimum abundat. Alij in Seba regione, quæ felicis Arabiæ prouincia eſt, collocant Ophir, quoniã Ezech.27. verſ.22.ex Arabicis regionibus adferri probatiſsimum aurum commemorat. Nõ deſunt qui Ophir velint illam eſſe Orientis plagam, quæ regnum Pegu, quaſi diceres Peru nominatur, quæ & Auri & Oryzæ feraciſsima eſt. Quidam in Septentrione ſitum eſſe volunt, vbi & gemmæ & auri conflatura, & annulorum vſus, qui auro fiũt, à Prometheo, vel à Lydo Scytha primùm repertus fuiſſe traditur. Denique ſunt qui Ophir eam regionem eſſe dicãt, quę nunc Perua ab Hiſpanis appellatur, quæ proculdubio auri optimi feraciſsima eſt. Facit autem & nauigationis diuturnum tẽpus, (nam totũ triẽnium in eam nauigationem ex portu maris Rubri ſoluentes Iudæi conſumebant, vt ex 1.Reg.10. ver. 12.apparet) & literarum ratio, vt poſtrema ſententia ac interpretatio vero ſimilior mihi videatur. Nam ex literis אופיר, i.A, u, p, i, r, tranſpoſitis, facilè fit Perua, quam etymologiarum rationem atque inuentionem velut antiquam & optimam, nonnunquã ſequitur quoque Plato in Theæteto. A
Præterea, 2.Chron.3. verſ.6. Peruani auri tanquam optimi fit mentio. Quæ vox ad Peru inſulæ denominationem accedit.

CAP. XLVII.

De Metallorum inter ſe mixtura.

D. AT quædam metalla etſi liquantur, ſimul tamen miſceri non poſſe docet rerum experientia, veluti æs & plumbum: & de eo nobiſcum quoque conſentiunt Iuriſconſulti. Sed neque ferrum, vllúmve metallũ fuſum propriè miſcetur cum terra, quanquam tamen è terra omnia oriuntur, Dan.2. verſ.43.

P. Verum dicis, ídque accidit tum propter exſuccæ metallorum materiæ ariditatem, tum etiam impuritatem, quæ quum viſcoſo humore careat, neque miſceri, neque validè alteri adhęrere poteſt. Quæ enim nimium ſicca ſunt, eadem ſunt incoagulabilia, quemadmodum loquuntur. B

CAP. XLVIII.

Orichalcon quid ſit & vndè dicatur.

D. SEd eſt quod ex te ſcire velim, nempe Orichalcon quid voces.

P. Quidam eſſe putant æs illud, quod in montibus effoditur, vnde Græco vocabulo ὀρείχαλκον putant appellatum. Alij, vt Feſtus Pompeius, dictum volunt ab auro, quod & Orum olim pronuntiabatur, quòd ſit metalli quædam ſpecies ex ære & auro naturæ vi ferruminata & concreta. Quod genus metalli Electrum Iuriſconſulti nominarũt, & raro admodum iam reperiri tellure effœta ait Iulius Pollux Onomaſt.lib.8. cap.23. Quanquam Plinius lib. 34. cap. 2. hoc metalli genus veterum ſeculo & frequens & notum & facile repertu fuiſſe ſcribit. Vnde illud eſt Valerij Flacci Argonaut.lib.3.

—Ecce ſuper foribus Bellona recluſis
Nuda latus, paſtúque mouens orichalca ſonoro.

Et in Syria olim effoſum fuiſſe, & in mari rubro adhuc eſſe ſcribit Arrian⁹ in περίπλ. maris Erythrei. C
Eſt igitur illud genus metalli Orichalcum, quod ære & auro conflatum eſt naturali quadã mixtione & cõcretione, cui etiam aliquid argenti admixtum eſſe vulgò cenſent. Vnde Cupro ipſo longè præſtantius & pretioſius æſtimatur.

CAP. XLIX.

De Mineralibus quid ſint.

D: SEd poſtquam hoc argumentum ſemel ingreſſus es, adde hoc quoque; obſecro, vt explices quænam ſunt illa, quæ vulgò Mineralia vocantur.

P. Sunt Mineralia corpora concreta è ſicco terreſtri, & halitu quodã calidiore, in terræ viſceribus comprehenſo: qui, quia calidior eſt, adurit terrenã, cui validè miſcetur, materiam. Itaque mineralia illud temperamentum, aut viſcoſum humorem non retinent, quem diximus ineſſe in metallis. Ex quo fit, vt Mineralia imperfecta metalla à quibuſdã nominentur. Habent igitur illa aduſtæ materiæ tum

A ſaporem, tum odorem, quo afficiunt ea omnia, quibus adhibentur, quanquam ex iis alia magis, alia verò minùs. Vim abſtergendi ac mordicantem omnia Mineralia habent ob eandem rationē. Huiuſmodi ſunt ſulphurum omnia genera, item ſaliū natiuorum, quales in montibus ſæpe exſcindūtur, itémque Salis, qui in cauernis & ruinoſis locis reperitur, adhærétque ſaxis & parietibus, ac propterea Sal Petræ nominatur. Denique quale Nitrum illud Macedonicū, & Ægyptiaticū ſeu Memphiticū, quod fuit Salis genus, & apud veteres maximè in vſu, nobis autē (Deo beneficiū illud ſuū ob peccata noſtra denegāte) deperiit. Eſt ex Mineralium genere & Sauo, quo linteorum ſordes abſterguntur in lexiuio. Vtriuſq; autem & Nitri & Sauonis mentionem apud Hierem. fieri cap. 2. v. 22. pleriq; autumant. Hæc ſunt igitur quæ ſcire deſiderabas.

B

Cap. L.

De iis quæ è Terra naſcuntur illique adhærent, & in ſuperficie eius apparent.

D. PLANE. Neque iam habeo quid ampliùs de foſsilibus ex te quæram, qui ſunt ſubterranei & κατωφανεῖς terræ partus: perge igitur iam ad ſubterraneos & ἀνωφανεῖς fœtus eiuſdē terræ, id eſt, eos, qui in ipſa eius ſuperficie cernuntur & apparent.

P. Hoc ipſum inſtitutæ diſputationis ordo poſtulat. Quære igitur, ſi quid velis.

D. Primùm ſcire velim quot ſint eorum terrę fructuum, ſeu fœtus ſpecies.

P. In ſumma duæ à Scriptura ſtatuuntur, quarum vna Herbarum, altera arborum nomine nuncupatur. Ait enim Dominus, *Germinet Terra germen, herbam producentem ſemen: arborem fructiferam:* & poſtea, *Produxit terra germen, herbam producentem ſemen iuxta ſpeciem ſuam: & arborem facientem fructū.* C Vtraque autem eodem genere à Philoſophis comprehenditur, quod nimirum Plantam, ſeu ſtirpem Latini: φυτὸν Græci appellant.

D. Atqui, ſi rectè memini, tres iſtorum ſuper terram exſtantium terræ fœtuū ſpecies ab omnibus Phyſiologis enumerantur, nimirum, Arbor, Frutex, & Herba. Tu verò fruticem prętermittis, idcircóne quod induſtria hominum hoc plantarū genus eſſe repertum velis, neque eſſe naturale: an ve ò quod etſi ipſum quoque naturale eſſe concedis, tamen primùm à Deo conditum fuiſſe, vt cætera duo, non cenſes?

P. Neutrum certè. Nam & fruticem naturale φυτὸν eſſe, & à Deo quoque Opt. Max. omnipotenti, in prima rerum creatione, vt cætera, creatum eſſe & dico & ſentio: ſed frutices vnà cum Scriptura ſub Arboris nomine complector à qua ſpecie ratione tantùm diuturnitatis & magnitudinis differt, vt poſtea ſuo loco diſſeretur.

D. Vt igitur ordine hæc tua diſputatio procedat, à quo primùm ordiris?

Cap. LI.

Planta vel ſtirps vnde dicta

P. A Definitione ipſius & Herbarum & Arborum generis, quod eſt φυτὸν, id eſt, Stirps vel Planta. Sic enim ferè indiſcriminatim Latini φυτὸν conuertunt Stirpem vel A Plantam.

D. Eſtne verò inter hæc ipſa vocabula aliqua differentia?

P. Sanè, ſi ad viuum reſeces, & ex etymologicorum ſcriptorum tabulis atque cenſura pendeas: Plantam enim volunt eam tantùm eſſe φυτοῦ ſpeciem, quæ in terra plantatur, & pangitur, quod fit quum terræ ſurculus defigitur in Terram ab homine, atque hic ſurculus poſtea ſuſtentatur palo. Stirpem autem volunt eſſe eam ſpeciem φυτοῦ, quæ tanta firmitate caulis prædita eſt, vt palo non egeat & στεῤῥόπους alio nomine dicitur. Sed hallucinantur iſti. Nam & Plantæ & Stirpis vocabula à communi vſu ad hæc rerum genera promiſcuè traducta ſunt. Plāta enim propriè eſt ima pedis humani pars, quę ſolum etiam vocata eſt à veteribus, quia ſolo inſiſtit planta pedis. Stirps eſt ipſum caput generis ac familię. Quæ igitur in herbis & Arboribus eſt ramorum, & ſtolonum matrix, vel quæ terræ inſiſtit totum corpus ſuſtentās dicta eſt & Plāta & Stirps: B φυτὸν à Gręcis, quòd nihil ſimplicius haberent, quo ſimpliciſsimum & primum illum Terræ fructum appellarent Græci.

Cap. LII.

Cur Plantas priùs creauit, quàm res alias Deus.

D. NOMINIS etymon intelligo: rem ipſam defini.

P. Dominus in mundi huius, & earum rerum, quibut Mundus conſtat, prima creatione ſic eſt progreſſus, vt à ſimplicioribus & imperfectioribus inciperet, & poſtea ea quæ magis ſunt perfecta ac compoſita conderet. Quam Dei actionem pro lege naturæ etiam non hodie ſtatutam eſſe in earundem rerum procreatione ſeu propagatione animaduertimus. Sic enim omnia naturalia gi- C gnuntur, vt primùm quiddam ſimpliciſsimum & imperfectum fiat, quod poſtea fit paulatim perfectum, magiſque compoſitum. Sic in fœtus humani formatione, primùm fit ſemen, deinde embryo, deinde ſentiens fœtus. Denique in rebus omnibus illud experimur, quod ait Auguſtinus libro 1. de Symbolo ad catechumen. cap. 3. *Nemo incipit à perfecto.* Deus igitur primum omnium è Terra edidit illud rerum genus, quod eſt cæteris ex eadem terra procreatis longè ſimplicius & imperfectius, atque illud plantam vocant. Putat Ambroſius idcirco primum Plātas & herbas à Deo conditas eſſe, quia ſunt ſobrietatis cibus.

D. Túne verò Deum quicquam imperfectum condidiſſe dicis?

P Non equidem in ſuo genere: ſed aliarū tantùm rerum (quas ex eadem terra naſci voluit) comparatione. Sunt enim animalia (quæ etiam & ipſa è terra nata ſunt) plantis perfectiora. Eſt igitur quælibet planta in ſuo genere etiam perfectiſsima à Deo condita, ex qua poſtea alia eiuſdem ſpeciei poſtea nata, & naſcens hodie & ipſa quoque perfecta eſt, ſed in ſuo genere. Quò enim poſterius à Deo quidque eſt creatū, eò perfectius eſt rerum genus. Plures enim & pauciores animæ vires à Deo ſortitum eſt atque adeptum quod primò productum eſt.

D. Sed

A D. Sed id impotentiáne quadam Dei ſic euenit,vel ignoratione,quaſi tam peritus,& potēs artifex primùm non eſſet Deus, ſitq́ue aliquid operando aut meditando ampliùs ipſe conſecutus?

P. Apage iſtam blaſphemiam. Sed Dominus voluit per eum ordinem, quo res omnes naturales primùm creabat, legem futuræ propagationi ſtatuere, per quam natura ab imperfectis ad perfecta tendit.

obj.

D. At obſtat tuæ ſentētiæ,quod dicitur, ſimpliciora eſſe perfectiora compoſitis, ergo Plantæ perfectiores ſunt animalibus, quia ſunt minùs compoſitæ.

P. Erras:tua enim regula locum habet,vbi de materiæ congerie agitur,quæ quò maior eſt,eò res eſt imperfectior.

D. Quid igitur? Num vno ſolùm elemento conſtare ſtirpes ſentis?

P. Minimè: nam omnibus conſtant, id eſt,iis quatuor quæ Philoſophi conſtituunt: quanquam tamen humor in Plantis videtur maximè dominari.Ex humore enim poſtea naſcuntur in Plantis illæ qualitates, quæ nominantur calidæ,frigidæ,exB ſiccantes & humectantes. Sed quum plantas dicim⁹ eſſe ſimpliciſſimum quiddam inter reliqua rerum terrenarum genera, dicimus eas eſſe imperfectius quoddam rerum genus, quia vocem *Simplex* tunc vſurpamus,non quidem reſpicientes ad quātitatem corporis & molis illius terrenę & aſpectabilis,quâ Plantæ cōſtant(quis enim hominem,vel pecudem vllam proceræ arboris veluti Quercus, Abietis, Pinus corpore maiorem eſſe, & terrenæ humidæq́ue materiæ plus habere dixerit?)ſed Plātas dicimus ſimplicia corpora reſpectu virium, & internæ illius facultatis,quæ eam ſuſtentant.Nam illa eſt in Plantis tenuis & vna præ ea, quæ in cæteris rerum terrenarum generibus multiplex, varia,& excellens apparet. Quò enim aliquod rerum genus pluribus facultatibus interiùs eminet & pollet,eò certè præſtantius atque perfectius eſt.

CAP. LIII.

Planta quid ſit.

C D. EXPONE teipſum.

P. Faciam,ſi primùm dixero quid ſit Planta. Eſt igitur Planta corpus mixtum,quod & primùm, & nunc quoque, ſed nunc ordinariè è terra naſcitur, Dei iuſſu, & ad ipſius gloriam manifeſtandam, tamen ſenſu carens,Terræ autem inſeparabiliter adhęrens,cuius Terrę ſucco velut lacte alitur,vireſcens ac facultate vegetate duntaxat præditum.

D. Multa quidem ſimul vna tua definitione complexus videris,quæ ſunt ſigillatim enodanda.

P. Cupio. Ex eo enim apparebit cur Planta vocetur Simplex corpus,nō,vti dixi, ratione Mixtionis & materię, quæ in iis,vt in aliis rebus,compoſita eſt & concreta ex omnibus rerum naturaliū elementis:ſed reſpectu tantùm imbecillimæ prę aliis terrenis rebus facultatis & ſimplicis, qua conſtat,& quâ tamen Planta quęlibet in ſuo genere ſatis ſuſtentatur. Quare Plantæ ſunt rerum genera ſimpliciora, id eſt, imperfectiora & minùs à Deo ornata, quam animalia: quia ſenſu carent Plantæ. A Primùm igitur dixi Plantas omnes eſſe corpora,& ea quidem mixta,non autem vno quodam dūtaxat elemento conſtare, vel Aqua, vel Terra, vel aere, etſi earum pleræquæ aquis maximè delectantur ac nutriūtur,vt eſt Pſ.1.Sed & vino quaſdam irrigatas etiam feliciùs creſcere quidam ſcripſit.

D. At è terra duntaxat, non etiam ex Aquis Plantæ dicuntur iuſſu Dei productæ: ergo vno tātùm elemento conſtant.

P. Rectè ſentis: ſed ea erat terra, quæ adhuc propter Aquas heſterno die depulſas tota madebat. Vi autem præcepti Dei Terra ſtatuta eſt mater ac matrix Plantarum, non tunc tantùm,ſed in poſterum quoque, & nunc. (Eſt enim hoc Verbum Dei omnipotentis & iuſſus lex naturæ perpetua) Dominus igitur terrâ illa adhuc madente tāquam ſecunda cauſa à ſe probè iam præparata vſus eſt ad Plantarum productionem, vt ex ipſa narrationis ſerie, & rerum creatarum ordine apparet. Sed & idem quoque hodie fit. Nā quas nunc quoque terra Plantas producit, eas ipſas Dominus ipſe produci primùm voluit è terra. Sed prima rerum genera in Indiuiduis & extraordinariè & ἀσπερμάτως à Deo primum creata ſunt.Nunc autem ordinariè & ex ſemine gignūtur. Nam indiuidua illa prima totam ſpeciei ſuæ poſtea propagandæ ac futuræ naturam B & conditionem repræſentabant,quam in alia eiuſdem ſpeciei indiuidua ex ſe poſtea edita & producta tranſmiſerunt. Itaque perpetua ſucceſſione indiuiduorum, ſummo Dei beneficio, ſpecies ipſæ durant, quales à Deo primùm ſunt conditæ,ſi modò excipias eam labem, quam peccatum hominis illis poſtea inuexit.Ergo quę primùm extraordinariè,id eſt,ſine ſemine & miraculoſè è terra Dei iuſſu nata ſunt,nunc ordinariè, id eſt ex ſemine priorum indiuiduorum & lege naturæ (poſt acceptum nimirum diuinum præceptum)gignuntur.Id quod in noſtra definitione diximus.

D. Cur ad Dei gloriam tantùm dixiſti Plantas productas eſſe,quum etiam ad vſum & eſum animalium,ac pręſertim hominum plantas primùm editas eſſe Dominus pronuntiet:atque etiam hodie id verum eſſe, Dei beneficium ac rerum experientia demonſtret? vt eſt Geneſ.1.ver.29.*Ecce dedi vobis omnem herbam producentem ſemen, & omne lignum in quo eſt fructus arboris ducentis ſemen,vobis erit in eſcam.* C *Ac omni beſtiæ terræ,cunctiſque volucribus cœli:atque omnibus reptantibus ſupra terram,in quibus eſt anima viuens,omne olus herbæ erit in eſcam.* & Pſal. 104. verſ.14.idem docetur.

P. Quia genus ipſum Plantarum omnium in vniuerſum ſpectaui. Nō ſunt autem iam poſt peccatum hominis omnes Plātæ ad eſum idoneę,Domino nimirum ſuam illam liberalitatem contrahente, & nobis ingratis iuſtè denegante. Itaque eum finem complexus ſum, qui ne nunc quidem poſt peccatum Adami ceſſauit,aut à quauis vel minima planta & herbula abeſſe poteſt. Quælibet enim eſt nobis maximum ac luculētiſſimum & potentiæ,& ſapientiæ,& benignitatis Dei,tum agnoſcendæ, tum etiam prædicandæ argumentum. Ergo primus & potiſſimus Plantarum productarum & producendarum finis eſt Dei gloria Prouerb.16. verſ.4.Pſal.148.ver.9.non tantùm , vt vult Plinius de arboribns loquens,*vt nobis materiam ad ædificandum, aut cibum ad edendum ſuppeditarent.* Secundus

A autem, quem dixiſti, finis eſt, nempe Hominis vſus Eccleſ.3.verſ.12.1.Tim.4.verſ.4. qui etiam poſt peccatum nobis conceſſus manet, magna nimirum Dei erga genus humanum benignitate, & infinita miſericordiâ ac liberalitate, quemadmodum apparet Gen. 9. verſ. 3. Quanquam tamen non omnes herbas iam, vt primùm & olim comedere ſalubriter poſſumus: ſed ex iis tantùm quaſdam, quæ olera à Latinis dicuntur.

CAP. LIIII.

Cur Plantæ à Deo creatæ.

D. DIc igitur in ſumma, ecquis eſt huius tanti Dei operis nempe Plantarum finis & vſus?

P. In ſumma, prȩter Dei gloriam triplex. Primus quidem, Hominum, vt commemoraſti, vſus, qui certè quidem eſt multiplex. Nam vel ad vſum vitæ ſubſtentandæ iis vtimur, id eſt ad edendum, vti lactuca, ſatureia, bugloſſa, malua, pepone, melone, cepiis, alliis, itémque pomis, piris, prunis: vel ad cremandum: vel ad ædificãdum: vel ad medicamenta aduerſus morbos nobis ingruentes paranda: vel denique ad ipſam corporis voluptatem, vel B animi delectationem, vti roſis, floribus, Amarantho, Hyacinthis & cæteris ſimilibus, vt ſcribit Damaſc. Hic igitur primus eſt Plantarum creãdarum finis, qui, vt vides, penè eſt infinitus, adeò quidem vt Ethnici homines propterea & Herbas ipſas, & Arbores, è quibus tot commoda ipſi perciperent, Deos ac numina quædam eſſe crederent, verum Deum nempe ignorantes. Id quod Plinius diſertè annotauit. Secundus Plantarum creandarum finis eſt Brutorum & animalium paſtus, victus, vel etiã medicina. Nam vtroque hoc modo Plantis vtuntur animalia, etiam ipſa quæ vocantur Bruta, eas nimirum depaſcentes in victum, vel iis ſibi medẽtes in morbis, vt Ceruæ vulneratæ quȩrunt Dictamum, Canes Hyoſciamum: Hirundines Chelidoniam: Feles Calamintham, quæ propterea Herba cati eſt appellata. Tertius denique Plantarum vſus eſt terræ ipſius ornatus, decor, & venuſtas, vt præclarè docet Ambroſius. Quàm enim horrenda & C deformis terrȩ ipſius facies apparet, quum terra omni ſuo iſto ornamẽto, & velut veſtimẽto ſpoliata ac nuda cernitur à nobis? Ex quo quanta, quámque infinita ad Deo & laudes & gratias canendas argumẽta inde nobis ſuppeditẽtur, iã omnes Chriſtiani, piíque homines, quemadmodum ſpero vident.

P. Rectè mones. & idcirco ad Deum creatorẽ ſuum laudãdum & agnoſcendum Plantæ quoque ipſæ inuitantur Pſ. 104. v. 9. Atque vtinam ſic de Plantis philoſopharentur noſtri temporis Phyſiologi. Sed perge in definitione tua explicanda.

CAP. LV.

Plantæ qua vita ſint prædita.

P. ADdidi eas vi & facultate tantùm vegetante præditas eſſe.

D. Cur id verò?

P. Primùm vt eorum opiniones cõuellerem, qui Plantas etiam ζῶα & ſenſu prædita Animalia eſſe docent, qualis Plato, & alij plerique, de quibus Plutarch. lib. 5. cap. 26. de placitis philoſoph. agit copioſè. Deinde vt earum diſcrimen ab animalibus A explicarem, quæ ſenſum, & non tantùm vegetantem animæ facultatem habent. Ex quo ipſo apparet quamobrem Plantæ Simplicius, i. Imperfectius rerum genus eſſe dicantur à me.

D. Quid igitur vegetantem facultatem vocas?

P. Eam vim internam, quam Grego. Nyſſ. ζωτικὴν δύναμιν appellat, id eſt, per quã interno quodam calore & vigore à Deo ex elementorum mixtione excitato obeuntur ea omnia munia, quæ ad primum rerum terrenarum ſuſtentandarum gradum pertinent. Quale eſt primum, vt res ipſæ ſubſiſtant, & per ſeſe ſint. Deinde vt genus ſuum conſeruent. Quæ omnia verbo ζῶ Paulus complexus videtur Act. 17. v. 28. Alij autem hanc omnem virtutem nomine ζωῆς primo ſuo ſignificato ſumtæ contineri malũt, quo eodem in loco vtitur Paulus.

D. Quænam igitur ſunt illa munia vitæ ſeu Animæ ſeu facultatis vegetantis?

P. Tria, nimirum: alendi, vt illȩ ſubſiſtant: creſcendi, vt ſuam, iuſtámque menſuram nanciſcantur: denique gignendi, vt ſuam ſpeciem conſeruẽt. Vis igitur & Anima, quæ hæc tria alicui corpori præſtat, vegetans appellatur à Philoſophis, quæ B certè in plantis ineſt. Itaque Plantæ, à Deo ipſo ſemen proferre iubentur ſecundum ſuam ſpeciem, vt eam conſeruent, quod certè non poſſent, niſi alerentur, & ad iuſtam menſuram ſuam peruenirẽt. Itaque tum Herbæ, tum etiam Arbores habent Animam vegetantem: habent terram velut ventrem, ex qua quælibet Planta cibum, id eſt, humorem ſuæ naturæ conſentaneum haurit, vt ait Iſa. ca. 40. ver. 24. 55. v. 10. Habet Radices, velut quoddam os patulum & latè diffuſum, quo humorem illum ſumit. Habet truncum quoque, id eſt, ſiue caulem, ſiue caudicem, velut cauam quandam venam, in quam humor ille & ſuccus iam in radice quodammodo inuitatus aſcendit. Habet Fibras, & venas, tum in ipſo trunco, tum in ſingulis ramis ſuis, atque etiam foliis ſparſas, quibus & tota ipſa Planta, & pars eius quælibet alimentum ſibi neceſſarium ex trunco attrahit. Habet ramos vel folia, tanquam brachia, quibus latè diffunditur, vt in menſuram iuſtam & ſuam excreſcat. Habet denique Planta extrema quædam, per quæ folia, & muſcum, & ſtolones quoſdam velut excrementa emittit: atque e- C tiã nonnunquã ſemen. Denique videtur is mihi rectè dixiſſe, qui Arborem quodammodo hominem inuerſum eſſe dixit. Ita nimirũ ſummus ille & ſapientiſ. rerum omnium opifex Deus omnia Plantis ad eam facultatem Animæ vegetatiuam neceſſaria ſuppeditauit, vt in omnibus ſuis operibus admirabilis & potentiſ. appareret. Plãtæ igitur vigorem illũ ζωτικὸν à Deo habẽt qui eſt calor & vigor quidã internus, & quoddã ex elementorũ mixtione naſcens & elicitũ in illis temperamentũ, nõ autem eſt οὐσία quædam per ſe ſubſiſtens, & ab ipſo earũ corpore ſeparata vel ſeparabilis. Hic vigor adiuuatur à ſucco, quem quælibet Planta è terra, velut è matris ſuæ vberibus ſibi maximè conſentaneum ſugit & puculiariter attrahit. Sic etiã fœtus humanus, qui temperamento naſcitur melancholico è nutrice humorem potentiſſimũ attrahit melãcholicum, & atram bilem ebibit. Sed & calor Solis & aëris temperamentum adiuuant iſtum vigorem, non eũ gignũt (ne quemadmodũ Plinius ſen-

tit

A tit lib.16.cap.25. à Fauonio eam vim Plantis inſeri dicamus.) Ergo hic vigor Plantis datus digerit humorem & ſuccum attractum è terra, pro cuiuſque ſpeciei ratione & modo, gignítque in quaque plãta pro ſua ſpecie eos colores, ſapores, qualitates, humores, & odores, qui ineſſe debẽt: quoniam ille internus vigor eſt forma plantarum, & ſecundus earum artifex, id eſt, ſecunda à Deo cauſſa. Nam ex forma illa, quæ cuiuſlibet ſpeciei plantæ propria eſt, omnia illa, color, inquã, ſapor, odor, actio diuerſa & ἐνέργεια naſcuntur & producuntur, velut effecta ex propria cauſſa. Hæc eſt igitur omnium plantarum vis & facultas cõmunis, quæ & in Herbis, & in arboribus ineſt, & quam vegetantem earum ſiue vim, ſiue animam, per me appellare potes. Hæc intus eſt, & in ipſis latet, ac ne tum quidem deperditur, imò manet in iis, quum per hyemis ſæuitiam Plantæ exaruerunt, & omni ornamento ſuo ſpoliatæ mortuæque apparent, vt Iſa.6. verſ.23. docet.

D. Ergo tribuis Animam Plantis?

P Tribuo quidem, quatenus Anima eſt vis quædam interna, id eſt, vigor quidam in rebus latens ex temperamento à Deo excitatus, motum B internum neque ſpontaneum, neque localem iis afferens. Sic enim explicat Aug. lib.7. de Geneſ. ad Lit. cap.15. & 16. & idem lib.1. de Ciuit. Dei. cap.20. his verbis. *Cur non ergo*, ait, *& herbas, & quicquid humo radicibus alitur, ac figitur, præceptum, non occides, comprehendit? Nam & hoc genus rerum, quamuis non ſentit, dicitur tamen viuere: ac per hoc poteſt & mori: proinde etiam cùm vis adhibetur, occidi.* Denique Paulus ipſe de ſeminibus loquens ea ζωοποιεῖσθαι, & ἀποθνήσκειν dixit 1.Cor.15. verſ.36. id eſt, & *viuificari & mori*. Ergò & præclarè & conſentienter Scripturæ Bernardus Serm.81. in Cant. *Eſt*, ait, *& pecorum, eſt & arborum vita, ſenſu altera vigens, altera carens: at neutri tamen idem eſt eſſe, quod viuere: quum, vt quidem multorum opinio eſt, ante in elementis, quàm vel illa, vel iſta in ramis extiterint. Ac ſecundum hoc quum deſinunt viuificari, ſimul viuere ceſſant: ſed non & eſſe.* Hæc Bernard. Quid quod anima (quam נפש Hebræi dicunt) cadaueri tribuitur Numer.5. v.2. 6. v.6. Iob.6. v.6. quãquam vocem נפש eo loco accipi pro perſona ſeu ὑποστάσει peritiſſimi Hebræi interpretãtur? Licet paſſim quoque in ſacra Scriptura obſeruare & Animam cum vita coniungi, item & vitam pro C anima: & animam pro vita ſumi: quòd quæcunque viuant animam habent, contráque: quãquam quæcunque viuunt vel animam habent, eadem non habent רוח vel ſpiritum נשמה quem Hebræi vocant, id eſt eum halitum, qui naribus ducitur, Pſ. 150. verſ. 6. Iſ. 2. ver. 22. Nam hic halitus ſolis iis rebus, quæ ſentiunt, ineſt, id eſt quæ Animam ſentientem habent.

D. At Plantæ videntur refugere quædam, velut nimios æſtus, vitis caules vel braſſicas, quædam etiam expetere, velut moderatas pluuias, vites vlmos appetunt, quare videntur ſenſu præditæ eſſe plantæ.

P. Contrahunt illæ quidem ſeſe, vel extendunt motu quodam fibrarum vel venarum, prout quædam naturæ earum cõſentanea aut diſſentanea imminent: ſed tamen non ſentiunt Plantæ. Nam quum vis illa interna, quę in ipſis ineſt, attrahat ea, quæ ſibi ſuæque vitæ cognata ſunt, diſtẽdit ſeu dilatat tantùm fibras ſuas, & ſic iſta arripit: quum autem eadem vis auerſatur ea, quæ ſibi ſunt inimica, A eaſdem fibras ſtringit ac contrahit tantùm, nõ autem ſentit. Et hoc eſt quod fugam vel odium, appetitum vel auerſionẽ in Plantis tralatitiè dicimus.

Cap. LVI.

Plantæ vt viuant adhærent Terræ.

D. SED cur in definitione addidiſti Plantas inſeparabiliter adhærere terræ?

P. Quoniam ab ea euelli tanquam à radice ſua non poſſunt, quin eodem momento ad interitum tendant, & iam deficere ac perire, id eſt, mori incipiant. In quo ipſo differunt Plantæ à metallis & lapidibus. Nam hæc à terræ viſceribus, in quibus naſcuntur, auulſa & effoſſa, formam tamen ſuam retinent, διαμονὴν conſeruãt, & non intereunt. Cuius quidem rei & differentiæ cauſa eſt, quòd in Metallis & lapidibus humor cum ſicco terreſtri validè miſtus eſt & agglutinatus, vnde fit cõſtans, vt facilè diſſolui & exhalare non poſſit. At in Plãtis imbecilliùs miſcetur & liquidiùs, vnde citò euaneſcit. Quanquã tamen in arboribus, quàm in her- B bis validiùs idem terræ humor commiſtus eſt. Itaque diutius durant arbores. In ipſis quoque herbis quædam ſunt diuturniores, veluti far, quod ſæpe triennale reperitur, propter mixtionis non modò bonũ temperamentum, ſed etiam firmitatem: quędam momentaneæ ſunt & citiſſimæ.

Plantæ alimento egent, quod avulsæ n̄ habent.

Cap. LVII.

Plantæ è Terra naſcentes virorem habent.

D. DENIQVE cur addidiſti *vireſcens*?

P. Quoniam aliquid in illis obſeruari oportuit, quod cõmuniter in omnibus plantis ineſſet. Eſt autem iſtud, quòd etſi plantæ & ſtirpes omnes habent ſuas quaſdam ætates, nempe adoleſcentiam & ſenectutem, item vt ſuos colores & ſapores: tamen illa ſunt diuerſa in ſingulis plantarum generibus. Verùm in hoc omnes (vel paucæ admodum excipiuntur) penè conſentiũt, quòd primùm è terra erumpentes ac emergentes apparent viridi quodam colore (alię quidem magis, aliæ ve- C rò minus.) Itaque in lib.2. de Plantis, viriditas dicitur eſſe affectus maximè communis plantarum.

Cap. LVIII.

De variis Coloribus & Saporibus Plantarum, & vnde hi gignantur, itémque de odoribus.

D. CVr verò id?

P. Quia cùm ſtirpium materia ſit fluidus, non autem craſſus Terræ humor, qui calore Solis excitatus & aliquatenus in Terra iam concoctus tenuitérque coagulatus poſtea erumpit è Terra, ſit color ſtirpium viridis neceſſe eſt. Nam color viridis è terreno, quod fluido humore dilutum eſt & luce illuſtratum, gignitur, vt in Braſſica apparet. Quod ſi terrenus humor craſſior, denſior, & viſcoſior eſt, Plantarum color in atrum vergit, vt in Amaraco, ſeu Maiorana: ſin dilutior eſt, in croceum tendit, vt in Croco, Calatiana, & Dente Leonis. Si idem humor dilutus luce illuſtrior

A fit,in violaceum vergit ſeu purpuraceum, vt in Anemone erratica: ſin cum terreno valido magna lucis & humoris vis inſit,in rubrum, vt in Amarantho: ſin variæ iſtæ mixtiones fiant (infinita illa Dei tum ſapientia tum potentia ita temperante) varij quoque colores in eâdem planta,imò in eodem folio naſcuntur & apparent,vt in Flammea, Petilio flore, & Symphyto cernimus. Si bene dilutum eſt humore perſpicuo terrenũ illud & viſcoſum Plantarum,ſitque defecatius,in candidum colorem vergit color, qui ex ea mixtura naſcitur, vt in Liliis, flore Millefolij.

D. Pulchrè tu quidem de coloribus Plantarum: dic etiam aliquid de Saporibus, & quod iis conſequens eſt,de Odoribus.

P. Iſta Medicorum propria eſt tractatio,dicam tamen breuiter aliquid quia poſtulas.Sapor eſt vis & qualitas, quæ ex humido aqueo, ſed craſsiore per terrenum colato rei mixtæ inhæret & retinetur. Odor eſt halitus qui ex humido aëreo & ſicciore cum materia terreſtri concreto & concocto, fit,& è re mixta exhalat ſeu foras emittitur. Pro varia igitur humidi cum illa terrena materia, concoctione,mixtione,& proportione, fiunt quoque diuerſi tum ſapores,tum etiam odores. Ac quidem ſapores. Nam ſi humor ille aqueus eſt optimè cōco B ctus cum ſuo terreſtri,fit ſapor dulcis. Si aduſtus, vergit ſapor in amarum,vt in Abſynthio: ſi nuſquã digeſtus,in ſaporem inſipidum, vt in Beta: ſi digeri quidem cœptus, ſed qui non potuit perfici, fit acris vel auſterus,vt in Piris ſylueſtribus: ſi violentiùs primùm concoctus, ſed frigiditate poſtea ſuperueniente repreſſus ſit, & interruptus, acetoſus ſapor enaſcitur, vt in Oxali,in citreo, & aureo malo. Et ſic de aliis ſeptem ſaporum generibus, quos enumerant tum Medici,tum Phyſiologi, ſentiendum. Odores autẽ ex eâdem varia humidi purioris & calidioris cum ſua terreſtri materia,digeſtione,& proportione gignuntur, qui & ipſi,vt iidem Phyſiologi & Medici tradunt, ſunt varij. Nam cùm humor ille moderatè,& ad iuſtam menſuram concoctus eſt,vaporem ſeu odorem dulcè fragrantem emittit,vt in Menta: Si nullo modo digeſtus eſt,nullum exhalat,vt in lapide & ligno. Si aduſtus ac torridus vi caloris in ſuo illo terreſtri fuit,aſperum efflat odorem,vt Angelica. Si lentè concoquitur nec tamen digeritur,emittit tetrum & graueolentem odorem, vt in putreſcentibus omnibus. C Quod de aliis quoque odorum generibus eſt ſentiendum: quis enim infinitam illam Dei Opt.Max. potentiam complecti: quis ſapientiam immenſam ſatis admirari: quis benignitatem in hunc mũdũ inexhauſtam animo meditari ſatis poſſit, nedum ſatis verbis eloqui? Mihi quidem infinitam illam rerum à Deo creatarum vim intuẽri & varietatem contemplanti: venuſtatem ſpectanti: vtilitatem exploranti ſępe venit in mentem illud Dauidis Prophetæ,etſi in alio argumento ab eo pronũtiatum. Pſ.139.16. *Mirabilior eſt ſcientia ſupra me, excelſa eſt, non potero ad eam attingere.* Quocunque enim vel animum vel oculos conuertas,omnia Dei bonitate plena ſunt: ſapientiæ opera illuſtria ſunt: potentiæ argumenta perſpicua ſunt. Denique nõ tantùm ex ore infantium hominum: ſed ex ipſarum plãtarum ἀφωνίᾳ tam clamoſa perfeciſti laudẽ tuam Domine Deus ac impij,profani & ἄθεοι omnes conuinci poſſunt,eſſe te,ô Deus alme: & ſubſiſtere ab ęterno & regere hunc mundum vniuerſum & tibi in ſecula ſeculorum & vltra benedicendum eſſe, gratiáſque & laudes immortales à nobis perpetuò cõcinendas. Tibi igitur Trino & Vni, Patri & Filio & Spiritui ſancto ſacratiſſ. iſtius machinæ opifici laus & gloria in æternum. Amen. Amen. Amen. Hæc ſunt nimirum,quo nos Plantarum & ſtirpium tam admirabilis conſideratio rapere debet. Aliàs enim & ſolâ vel oſtentationis vel vtilitatis ex iis capiendæ cauſa de tã præclaris Dei operibus philoſophari,opificis ipſius nomẽ perpetua obliuione obruẽtes, eſt inſignis ingratitudo, apertum ſcelus,&, vt inquit ille,ſumma tandem vanitas. A

CAP. LIX.

De Partibus Plantarum.

D. HACTENVS generalem definitionẽ Plantæ, id eſt fructus illius, qui in ſuperficie Terræ apparet, dixiſti: explica eiuſdem partes.

P. Partes ſtirpium ſunt duplicis generis. Aliæ enim ſunt omnino neceſſariæ, & quidem externæ, tres,nempe Radix, item Truncus vel ſtirps, ſiue is Caulis eſt,vt in herbis: ſiue Caudex,vt in arborib⁹. B Denique venæ quædam per totum ſtirpis corpus diffuſæ,quaſi ſucci ad alimentum neceſſarij pertrahendi canales vaſa atque vehicula. Internæ verò partes ſunt medulla & ſuccus. Aliæ verò non ſunt ita neceſſariæ partes,veluti pedunculi, rami, folia, ſtolones, quoniam abſque his poteſt & eſſe & viuere Planta.

CAP. LX.

De variis Plantarum ſeu ſtirpium generibus.

D. QVID verò de ſtirpium generibus? poteſne etiam aliquid dicere?

P. Interroga.

D. Quot ſunt?

P. Species ſeu genera ſtirpium vel plantarum ſunt varia,prout in illis vel ᵇοὐσιῶδες quiddam: vel accidentarium ſpectamus. Nam accidentis ratione ſtirpium aliæ dicuntur Albæ,alię Nigræ. Etſi verò C 1 hæc differentia in omnibus ſtirpium generibus nõ reperitur, in quibuſdam tamen poteſt obſeruari. Albæ dicuntur, quæ ſunt colore candidiore præ aliis eiuſdem ſpeciei ſtirpibus, vti Sãtalum album. Hæ Plantæ albæ in locis frigidioribus vt plurimũ naſci ſolent. Idem de Acere, vt Plinius lib. 16. cap. 10. tradit, dici poteſt: de Vlmo vt eſt in libro de Plantis Ariſtoteli inſcripto: & de Terebinthi fructu,de Leucoio, & aliis pleriſque. Aliæ item ſunt ſylueſtres plantæ, aliæ cicures & domeſticæ quæ 2. propter culturam & valentiores ſeu robuſtiores ſunt,& fertiliores,& denique fructus mitiores ferre ſolent. Aliæ ſunt plantæ montanæ, quæ monti- 3. bus gaudent, vt Cedrus, Laryx & Tæda. Aliæ ſunt aquoſæ, quæ amant aquas,vt Populus, Salix, Malua. Quum verò οὐσιῶδες quiddam ſpectatur in ſtirpibus,diſtinguuntur generaliter in Herbas & Arbores,quibus alij tertium genus addunt, nẽpe frutices, quos Græci φρύγανα vocant. Sed frutices ſunt de genere Arborum infirmiorum,pumilionum,ac minus longæuarum.

CAP.

A

Cap. LXI.

Herba quid ſit, & quomodo generetur.

D. QVid igitur Herbam vocat Scriptura?

P. Germen terræ virens. Sic enim Dominus dixit, *Producat Terra germen, id eſt, herbam producentem ſemen* Gen.1.11. Alij verò ſic definiunt, vt ſit Herba, quæ intermortua, tamen ex eadem radice poſtea fūdit ſtipitem vel ſcapum. Sed alij aliter quoque, & quidē meliùs, ſic nempe, Herba eſt planta, cuius ſatu exeunt ilico bina folia, poſtea foliola, quæ è ſubſtantia ſeminis in ipſa transmutati primùm fiunt. Quæ definitio ad eas tantùm herbas pertinet, quæ ex primis à Deo conditis natæ ſunt, atque etiamnum hodie gignuntur. Nam quæ primùm Dei iuſſu à Terra productæ ſunt, eæ ſine ſatu, & ſine ſemine miraculoſè extiterunt.

D. Intelligo. Sed expone, quum iubeat Dominus Germen primum produci, deinde Herbam, & Hebręi ipſi diſtinguāt inter voces דשא Deſſcha, & עשב Gheſcheb è quibus illa eſt herbula & germen adhuc è terra erūpens: hæc autem Gheſcheb herba iam maior & creſcens, quæ eſt geniculata, quæque iam & flores & fructum & ſemē ferre B poteſt, quæ ſit herbarum gignendarum ratio.

P. Facilè ex Marci 4.28. Iſa. 45.5. intelligi illa ratio poteſt, ſi cum hoc loco diligenter cōferatur. Primùm igitur Dei verbo & iuſſu tum ſine ſemine (fuit enim Dei iuſſus illis pro ſemine) vti nunc è ſemine iacto & mādato Terræ herba βλαστάνει. i. germinat & protrudit vi ſeminis calentis in terræ aluo & paulatim intumeſcentis aliquam herbulam quæ ſupra ſuperficiem terræ ſeſe exerit. Eſt igitur hæc prima protruſio herbæ, & viroris βλάστησις & Germinatio, quū naſcentia in terra ex abdito Terræ ſinu, nimirum in illius ſuperficiem erumpunt: quoniam iam abundè nutrita in terra fuerint illius ſucco & humore, velut primo lacte, Iſ. 40. 25. Pſ. 65.10. Poſt βλάστησιν fit Αὔξησις id eſt incrementū germinis, vt ait Baſilius, per quod iam incipit herba eſſe χόρτος & fœnum, ſeu χλὸς, vt ait Iulius Pollux: & poſt χόρτον fit χλοὴ, vel ποὰ, vel βοτάνη, herba longè grandior ſuo illo primo germine. Denique fit tandem eadem terra ἀπαρτισμὸς & perfecta herba, articulata ſeu geniculata. Hæc perfecta herba profert fructus, florem, fructum, & poſtea ſemen niſi ali- C qua externa vis, vel interna cauſa obſtet. Quæ omnia in primis quidem ſtirpibus & plantis momento temporis, vel ſaltem vnica tantum die impleta ſunt. Hodie verò temporis interuallo fiunt, adeò quidem vt Lotos & Ægilops, nonniſi poſt annum è ſemine ſuo naſcātur. Neque tamē omnes herbæ eodem modo & tempore florem: neque etiam omnes florem à ſemine ſeparatū ſemper habent, neque etiam omnes ſemen effundunt & oſtendunt. Anemone floret hyeme: Lappa canaria florem intus occultum & reconditum retinet, vt animalia quæ in ſe pariunt. Apſace toto anno floret. Denique quis vnquam iſtarum rerum & infinitæ Dei potentiæ recitandæ finis eſſet, ſi ſingula perſequi vellemus?

Cap. LXII.

De ſemine Herbarum, & vtrum omnes è ſemine naſci poſſint.

A D. CVr verò Dominus iubet Plantas omnes ſemen ſecundum ſuam ſpeciē producere?

P. Ad cuiuſque ſpeciei continuationem. Nam indiuidua, id eſt ſingulæ Herbæ ſiue arbores tandem pereunt. Itaque tota ſpecies ipſa interiret, niſi quadam propagationis ſucceſſione alię in demortuarum locum ſubſtituerentur. Non eſt autem hæc Dei præcepti ſententia, quaſi velit ſingulas in quaque ſpecie plantas, id eſt, Herbas & plantas ſemen producere. Quædam enim, vt diximus, abortiunt, quædam etiam ſunt infertiles, vt in animalibus.

D. Sed quamobrem ad propagationem voluit Dominus quamque à ſe primum conditam plantam ſemen afferre, quum aliis etiam modis propagentur ſtirpes, veluti arbores, inſitione, inoculatione, Radicis ſeu ſtolonum extenſione, infoliatione, & Herbæ pleræque, quum nimirum ſurculi detracti panguntur in terram, veluti in Cariophyllis, & Amaraco experimur?

P. Quoniam ſemen eſt prima, & vera, & naturalis propagandarum ac ſubſtituendarum ſtirpium B ratio. Reliqui verò modi ſunt artificiales, & plantam ipſam iam natam requirunt. Nam in ſemine, vt ait præclarè Auguſt. lib.5. de Geneſ. cap.4. & 23, *Cauſaliter, potentialiter, rationabiliter & primitus inſunt, quæ poſtea tempore euoluuntur, non mole quidem corporis: ſed vi potentiæ.* Itaque ſemen eſt velut theſaurus quidam earum omnium partium, quæ in quaque ſtirpe poſtea naſcuntur & effundūtur, propter Dei Opt. Max. verbum quod adhuc hodie ſuum vigorem in illis habet, & vim infundit. Præterea ſurculi ipſi & folia, quæ in inſitionib' ad propagationem ſumuntur, ſunt vice primæui ſeminis, per quod plantæ è plantis gignuntur: ſed compendioſior quædam natiuitatis via iſta reperta eſt, vt ſtatim nouę illæ ſtirpes fructum ſuum afferrent, & eum quidem mitiorem, quaſi culturâ hominis iam elaboratum.

D. At non omnes ſtirpes videntur è ſemine naſci aut ſemen afferre, veluti Alliū: præterea multæ ſpecies è erra naſcuntur ſpontè.

P. Falleris. Etſi enim ſemen ipſum ſeparatum C non effundunt, habent tamen ſeminariam vim in ſeſe incluſam, & aliquod ſemē ἀνάλογον, ex quo naſcuntur etiam ea, quæ & ſine ſemine eſſe videntur, & è terra ſpontè producuntur. Ex nihilo enim nihil fit ordine & lege naturę. Deinde ſtirpes non effundunt aut habent omnes ſua ſemina eodem modo prodeuntia. Aliæ habent illud latens, aliæ emittunt foras, pro ſuæ ſpeciei ratione & ea varietate, qua à ſumma illa Dei ſapientia primum conditæ ſunt. Quod verò ſingulæ plantæ vel fructum, vel ſemen non ferunt, nihil obſtat. Nam in aliis eiuſdē ſpeciei indiuiduis ſtirpibus ipſa earum ſpecies ſeu genus continuatur & conſeruatur. In quibuſdam igitur vel formæ & vis in iis agentis imbecillitas: vel materiæ copia inopiáve: vel meatuū exiguitas: vel calor & frigus externū impedit, quò min' & fructum & ſemen ferant: imò verò quò minus ſępe folia. Hæ enim ferè ſunt ſterilitatis plātarū cauſæ.

Cap. LXIII.

De Plantis Maribus & Fœminis, vtrum ea diſtinctio ſexus ad generationem plantarum ſit neceſſaria.

A D. QVid verò, quum in plantis Phyſiologi diſtinguant, & alias eſſe mares velint: alias fœminas, vt in Tilia, Palma, Terebintho, Phlomo, Canabi, & ſimilibus, ſitne quædam ſecretior maris & fœminæ coniunctio etiam in plantis ad propagationem nouarum ſtirpium?

P Apageſis iſtum errorem de coitu Plantarum inter ſe. Nam neque omnes plantarum ſpecies in marem & fœminam diſtingui poſſunt, etſi tamen omnes propagantur in ſua ſpecie: & quę in Plantis Mares appellantur multæ nullum ſemen emittunt. Solæ enim fœminæ id faciunt in pleriſque, & idcircò fœminæ appellantur. Sed Mares Plantæ robuſtiores quaſdam vires habent, vnde Mares nominantur. Denique tota hæc diſtinctio metaphoricè tantùm intelligenda eſt, non quòd in plantis mares vſum eum præſtent fœminis ad generationem, quem in Animalium genere videmus.

CAP. LXIIII.

Herba quid differat ab Arbore.

D. DEnique quid Herba differt ab Arbore?

P. Variis modis. Etſi enim Terra vtriuſque ſtirpium generis parens eſt, idē Terrenus B humor vtriuſque cibus: idem Sol, aeríſque temperies varia vtriuſque ſecundum Deum Opt Max. cauſa generans, & è terræ aluo educēs: tamen multa ſunt propter temperamenti & mixtionis terreni, & humidi variam rationem & gradum inter Herbas & Arbores diſcrimina. Nam ex humidiore & liquidiore Terræ ſucco creantur herbæ: tenaciore verò & magis viſcoſo, Arbores. Herbæ tenuiore mole conſtant: Arbores corpulentiore. Itaque imbecilliores & minùs diuturnæ ſunt herbæ: imò ſtatim & ipſe earum flos ac decor omnis flacceſsit vel Solis ardore arefactus, vel vi hyemis & frigore ſtrāgulatus ac extinctus: quia ſtatim ſuccus vi frigoris in corde aut medulla herbæ concreſcit, vt ait Theophraſtus, adeò quidem, vt herbæ ferè intra annum viuant. Æſtu quidem vehementi magis florent Cichorium, Malua, Batrachiū: ſæuiente tamen extinguuntur. Violæ albæ ad trimatum vſque durant. Roſa ad quinquennium, etiam nō reciſa, vt ait Plin. lib. 21. cap. 11. C Topiaria herba ſæpè ſupplet inopiam florum. Vinca Peruinca, quā nos Galli (Peruinche) appellamus, ſemper viret. Denique quædam Herbæ non tantùm renaſcuntur, vt Gentiana: ſed etiam, vt loquuntur Græci, δειπίζουσιν, id eſt, perennant, vt Agrimonia. Paucæ tamen perpetuant. Vera enim eſt illa Spiritus ſancti ſententia & comparatio, qui res maximè caducas & fluxas, & citiſſimè momentóque pereuntes floribus herbarum etiam ſpendidiſſimis ac lucidiſſimis ſimiles eſſe docet quoniam flores omnes herbarum ſunt natura fluxi, decidui, & momentanei. *Omnis caro eſt vt gramen, & omnis gloria hominis vt flos graminis: Exaruit gramen & flos eius decidit. Verbum autem Domini manet in æternum*, ait Petrus in Epi. 1. 24. Iac. 1. 9. 10. Iſ. 40. 6. 1. Pſ. 103. 15. At verò arbores, vtpote quæ ſunt ſolidiore humore & terreſtri materia compactæ, & validiùs mixtæ, proceriores naſcuntur, robuſtiores ſunt, & ſe ſua duritie & cortice faciliùs aduerſus vim æſtus & frigoris tuētur. Denique annoſiùs viuunt, adeò quidem vt ex iis quædam penè ad ſexcentos vſque annos durēt. Imò verò Buxum æternam eſſe putant quidam, & Cedrum maximè A longæuam, & Ebenum: Mira certè ſunt, quæ de earum ætate ſcribit li. 16. Naturalis Hiſt. Plinius cap. 40. & 44. itémque mira, quæ de earum proceritate & latitudine, & quæ de Platano Mutiani ab eodem ſcribuntur.

CAP. LXV.

De varÿs Herbarum generibus.

D. HErbarum verò genera quot diſtinguis?

P. Duo. Nam aut ſimplex herba appellatur, Gręcè χόρτος: aut olus, Græcè λάχανον, Hebraicè ירק jereq.

D. Quid differunt iſta?

P. Olus eſt omnis ſatiua herba vſui hominis cibario etiam nunc poſt peccatum apta, & à Deo conceſſa. Nam primùm omnes herbæ erant vſui hominis commodæ: nunc autem propter hominis peccatum non ſunt, tum vt meminerint primi Adami peccati homines, tum etiam vt peccare iam metuant. Olera verò dicta ſunt, quòd oleant, id eſt, crēſcant, vt volunt Grammatici, & trāſlata in hortum ex agreſtibus culta & mitia fiant. Inter Olera autem primum locum Braſſica olim quidem obtinuit, B vnde olus κατ' ἐξοχὴν dicebatur, quemadmodū doctiſſimè Ioſephus Scaliger adnotauit. Nunc verò à pleriſque cenſetur eſſe Lactuca. Ego verò palmam Spinatiis tribuo.

D. Quid verò eſt herba ſimplex?

P. Primùm herba à ſerpendo dicta eſt: poſteà tantùm viride pecorum pabulum herba eſt nominata vt ait Nonius. Sic Pſ. 104. 14. Deinde cùm & ad odoratum, & ad medicinam, & ad coronas, plātis, quę olera eſſe non poſſunt, vterentur homines, & eæ quoque ſtirpes herbæ dictæ ſunt. Vnde odoratæ, medicinales, & Coronariæ herbæ, & *Herbam dare*, apud Latinos pro victum ac ſuperatum ſe fateri, vt ait Pompeius Sextus, vſurpatur.

CAP. LXVI.

Herbæ quædam cur ſint odoratæ.

D. DIc verò nonnihil de quibuſdam Plantis quarum S. Scriptura ſpecialius meminit.

P. Quęre igitur, ſi quid velis, & breuiter C quidem, & de quibuſdam tantùm. Nam Medicorum propria eſt iſta tractatio, & cùm Leuinus Lemnius hoc ipſum præclaro opere perſequutus ſit, actum ageremus.

D. Non quæram igitur de Alliis, Cepis, Porris, Melonibus & Peponibus, Cucumeribus, quæ olera in Ægypto ſuauiſſima erant, vtpote regione & pingui & calidiſſima. Itaque populus Dei habuit ea in delitiis, & in memoriā ſæpè meliora Dei dona ſpernens reuocauit, vt eſt Numer. 11. 5. Sunt enim hæc olerum genera cuiuis notiſſima. Non quæram etiam de Croco, Nardo, Cypero, Cinnamomo, & aliis odoratis herbis, quarum item meminit Scriptura Cant. 4. 14. Iſta enim facilè à Pharmacopolis aut Seplaſiariis, qui dicuntur, diſci poſſunt. Sed in genere quæro, vnde ſint quædam herbæ odorantes?

P. Ex valdè calido humore cum terreno puriſſimo non tantùm in iis percolato, ſed etiam validè & fortiter permixto & concocto. Quod ſi humor ille vehemēs & calidus moderatè coctus eſt, fit Aroma ſuaue: ſin ardore quodam accenſus, fit

A acutus & grauis odor, vt antea dixi de odoribus. Aromatum meminit Canticum Cantic. 4. 16. 5. 1. quorum feraciſsima eſt Arabia Felix, vt & 1.Reg. 10.15. traditur, & ab Arriano in περίπλῳ Erithræi maris.

Cap. LXVII.

De Mandragora, & quid ſit, de Colocynthide, Palma Chriſti, & Hyſſopo.

D. Dic de Mandragora, de qua facta eſt mentio Gen.30.14.15.

P. Eam habere in radice vim incitandi ad venerem quidam exiſtimant, vnde Circæa dicatur: alij verò putãt ſemen malorum Mandragoræ cum ſulphure appoſitum, & potum, purgare vuluam, vt meliùs poſtea concipere mulier poſsit. Idcircò à Rachele acceptam. Sed quomodo id fieri poſsit, quum eam refrigerare potiùs, quàm calefacere Medici ſcribant, & ſtatim calore palleſcere? hyeme autem viriditatem aſſequi? Præterea cur à Rachele deſiderata ſit, non exprimit Scriptura. Nam ſi veneris cauſa, nimium certè ſalax videretur tam pia mulier, neque viri concubitum Leæ conceſſiſ- B ſet: ſed ipſa poſt Mandragoræ eſum eum appetiuiſſet, præſertim cùm tam eſſet liberorum appetens. Ergo mihi videtur potiùs Rachel Mandragoram petiuiſſe, quòd malorum illius odore & guſtu delectaretur. Eſt enim mandragora ſuaueolens, vt dicitur Cant.7.13. & mala eius, etſi in his frigidioribus regionibus non eduntur ſine periculo, & καρηβαρεία, tamen, vt ait Plinius lib.26.cap.13. in aliis regionibus, præſertim calidioribus (in quibus naſcentes nimiam illam frigiditatem corrigunt) ſuauiter manduntur. Denique ad meæ ſententiæ confirmationem locum Auguſtini ex lib. 22. contra Fauſtum cap.56. afferam. Sic igitur ille, *Cùm hac Mandragoræ mala*, ait, *ipſe vidiſſem, & propter iſtum ipſum S. Scripturæ locum id mihi obtigiſſe gratularer (rara enim res eſt) naturam eorum diligenter, quantum potui perſcrutatus ſum: non aliqua à communi ſenſu remotiore ſcientia, quæ docet virtutes radicum, & poteſtates herbarum: ſed quantum mihi & cuilibet homini renuntiabat viſus, & olfactus & guſtus. Proinde rem comperi pulchram & ſuaueolentem, ſapore autem inſipido: & ideo cur eam mulier tantopere concupiuerit ignorare me fateor, niſi propter raritatem, & odoris iucunditatem.*

C D. Dic quoque de Colocynthide, quam pro ſalubri olere Propheta iniecerat in ollam, vt refertur 2.Reg.4.39. quum tamen ſit amariſsima, & ad ſolas medicinas apta.

P. Parùm in ſimplicibus, vt vocant, id eſt, ſtirpibus agnoſcendis verſatum fuiſſe pium illum hominem apparet: quòd tunc homines vna ſua quadam arte contenti, illíque addicti, alias non tractarent. Ergo tũc non ſic fiebat, quemadmodũ nunc, nimirùm vt iidem & Miniſterium Verbi Diuini, & Humanam medicinam factitarent. Verè enim Ariſtoteles ſuadet εἷς πρὸς ἕν, id eſt, vnus vni rei addictus ſit, non multis. Neque tamen incoloratè deceptus eſt Propheta vir ſimplex, & cœleſtibus potiùs, quàm terrenis diiudicandis aſſuetus. Nam κολοκυνθὶς eſt cucurbitæ ſpecies. Cucurbita enim alia ſatiua eſt: alia ſylueſtris quæ eſt planta amara, atque hoc nomen habet, ad differentiã ſatiuæ, quæ κολοκύνθη dicitur, & eſt dulcis ſaporis. Eſt igitur Colocynthis ſimilis dulci cucurbitæ & ſatiuæ: Sed A tamen minor, vt docet Plinius, & rerum experientia quoque: ſimiliter tamen vti Cucurbita flagella per terram extendit, fructu eſt rotundo, atque foliis, vt cucumis vſualis. Cucurbitarum autẽ & Cucumerum in iure condiendo vſum eſſe vetuſtiſſimum docet Athenæus lib. 9. cap. 3. Itaque mirum non eſt, ſi ea ſimilitudine decipiatur aliquis.

D. Quid de illa iam ſentis, de qua facta eſt apud Prophetam Ionam mẽtio, cap. 4.6. & quæ latifolia eſt, & ſtatim adeò firma creſcit, vt nullis haſtilibus vel palis egeat?

P. Quidam cucurbitam interpretãtur: alij hederam, quæ extraordinariè in immenſum, atque etiam ſtatim Dei voluntate ad Prophetam obtegendum creuerit. Alij vitem albam eſſe putarunt. Sed quid diuti⁹ de ea dubitare neceſſe eſt? etſi Auguſtinus contra Hieronymum prolixè, vt ex ipſorum Epiſtolis apparet, propter eam rixatus eſt, quum vir doctiſſimus Ioannes Mercerus in ſuis in eum Ionæ locum commentariis apertiſſimis rationibus doceat, eam eſſe herbam, quam vulgò Palmam Chriſti vocamus: alij Cici: Arabes Elkerua (vnde fit oleum de Kerua) nominarunt. B

D. Denique, dic etiam de Hyſſopo aliquid de qua & Pſ. 51. 7. & Leuitici, & Numerorum libro ſæpiſſimè facta mentio eſt, & Ioan.19.22. Hanc κάλαμον videtur appellaſſe Matth. 27. Denique quæ tanquam viliſſima & humillima quædam omnium Plantarum videtur cõmemorari 1.Reg. 4.33. adeóque ipſis parietibus adnaſci, quod tamen in his regionibus fieri minimè cernimus.

P. Hyſſopus herba eſt vulgaris & ſatis nota, vtilis multis modis & tuſſientibus, & iuri condiendo, atque eſt odorata: quæ collecta in faſciculum poteſt ad aſperſionem eſſe apta. Eſſe tamẽ tam procera non ſolet, vt arundinis & calami vſum præſtet in his locis. Idque nemo Medicorum adhuc tradidit, quum ſeſquipedalem magnitudinem, etiam quando maxima creſcit, hîc tamen non excedat. Sed in illis calidioribus regionibus procerior fortaſſe naſci, vt Synapi, ſolet: adeò vt illis in locis penè Synapi arboreſcat, vt apparet ex Matth. 13.32. Nam neque eædẽ herbæ omnibus locis æquè lætantur & creſcũt. Etſi Synapi, quod, vt ait Athenæus, Naphy ab Athenienſib. dicitur, hîc altè aſ- C ſurgit. Ergo quibuſdam herbis ſoli huius, quàm illius natura, & aëris temperies magis prodeſt. Denique, *Non Terra ferre omnes omnia poſſunt*, vt ait ille. Duplex quidem Hyſſopi genus ſtatuitur, vnum montanum, alterum hortenſe. Sed tamen neutrum in tantam altitudinem aſſurgit. Quid igitur ſi Hyſſopus illa tam longa, dicatur eſſe ea, quæ Gratioſa nominatur, & folia habet Hyſſopi ſimilia quæque in dodrantalem magnitudinem creſcit? Denique quæ cenſetur à pleriſque eſſe Hyſſopus montana? Quid denique ſi calamum illum, de quo fit mentio Matth.27. dixerimus fuiſſe arundinem, cui hyſſopi faſciculus & ſpongia aceto intincta alligabantur? Nam quòd Hyſſopus adnaſci parietibus dicitur 1.Reg.4.33. vix eſt, vt vel in illis etiam regionibus id fieri credam, quum nemo eorum, qui plantarum etiam in Syria naſcẽtium naturas deſcripſerunt, id memoriæ prodiderit. Illa igitur herba, quæ parietibus dicitur adnaſci, & dicitur tam vilis & parua, vt Cedro arbori proceræ & pretioſæ opponatur, non eſt hyſſopus, ſed illa quæ Saluia

A vita à Pharmacopolis nominatur, aut quæ ab aliis vocatur Adianton nigrum, & Polytrichon, quod vetuſtis parietibus creſcit. Et hæc quidem hactenus, quia peculiaris de iis rebus diſputatio alium tractatum requirit, & quidem longiorem, id eſt, plenam Naturalium plantarum (quę in S.Scriptura continentur) hiſtoriam, quam ad medicos remittimus, & ad eum, quem tibi dixi, Leuinum Lemniũ, virum doctiſſimum & pium.

CAP. LXVIII.

De Frutice quid ſit, & vt ab Arbore diſtinguatur.

D. ERgo ad alterã Plantarum ſpeciem accede.

P. Ea eſt Arborum, ſub qua etiam frutices comprehenduntur.

D. Quid igitur eſt frutex?

P. Illud eſt, quod Græci φρύγανον vocant, quaſi lignum aridum & cremiale, vnde apud Demoſthenẽ φρυγανοφόρους dicti ſunt, vt docet Iullius Pollux: B Latini verò fruticem à fruge vocant, nõ autem à fronde, qua terram propter humilitatem obtegat: vt vult tamen Iſidorus. Eſt igitur frutex plãta, quæ ab radice, caule multiplici ramoſóque ſe attollit. Nam ſtatim ab radice ſeſe in ramos diffundit, vt Rubus & Paliurus. Itaque differt ab Arbore humilitate, & ramorum tam præcipiti & multiplici effuſione. Etſi tamen eſt imitamentum Arboris: vti olus frugum. Sobolem procreat frutex ipſi parenti æqualem: quod non faciunt arbores: quia cùm in magnitudinem inſignem excreſcant arbores, tantum humidi & lenti humoris vitalis non habent, vt & ſtipiti, & ramis ad tantam magnitudinem ſufficere queant.

CAP. LXIX.

De vite, & illius vſu.

D. DA aliquod fruticis exemplum ex S. Scriptura ſumptum.

P. En tibi vitis, quæ ſic eſt in genere poculentorum planta nobiliſſima, vti Ador in genere eſculentorum planta præſtantiſſima. Hæc à Noah C plantata, & exculta eſt, vt eſt Gen.9.20.21. quæ miros hodie profert vſus, ſi quis modò illius fructu, id eſt, vino, moderatè vtatur, vt eſt Pſalm. 104.15. Non tantùm ad victum, ſed etiam ad proſperam valetudinem tuendam ſalubre eſt vinum, vt apparet 1.Tim.5. 23. Nec tantùm hominibus & animalibus: ſed etiam Plantis ipſis vtile eſt vinum, quod magis mireris, quãdoquidem Plinius ſcribit etiam vino quaſdam arbores irrigatas meliùs creſcere. Vinorum genera inter Iudæos fuerunt, tum ad cibos, tum ad medicinam hæc optima, vt annotat R. Kimhi in Oſeam. 14. 85. Libaniticum, Carmeliticum, Hermontinum, & Engaddinum, quanquam vini quoque Damaſceni meminit Ezech. 28.18. Eſt igitur vitis frutex, id eſt, vt ait idẽ Ezech. 17. 16. humilis arbuſcula, quę Vere floret, atque tunc ſuauiſſimum odorem emittit, Cant. Cant. 2.13. Odore enim vitis ſerpens fugatur, atque, vt ait Bernardus Sermo. 60. in Cantica, omne animal venenatum cedit loco, quia tam ſuauem vitium odorem ferre non poteſt. Ab hac vite plures ſimilitudines ducit Scriptura, vti Pſalm. 80. 9. & ſequent. Iſa.5. Hiere.8. & ab Hebræis cum fœtu A mulieris fructus vitis comparatur. Nam quum fructus eius adhuc flos eſt & minutulus, & nondum formatus, dicitur Gemma, Semadak ab Hebræis. Poſtquam iam agnoſcitur vua in vite & adoleuit, ita vt matureſcere incipiat, dicitur Omphax, Beſek. Vbi verò maturuit, vua dicitur vel Botrus, Ghanab. Denique tantùm addam, apud Græcos differre Ἄμπελον & Ἀμπελῶνα, vti differunt Latinè vitis, & vinea. Vitis eſt frutex ipſe & arbor, Ἄμπελος. Ἀμπελὼν verò eſt vinea, id eſt, locus, vbi vites cõſitæ ſunt. Itaque dixit Chriſtus Ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος. Ego ſum vitis, non autem vinea, vt quidam perperam illum locum conuertunt, Ioann.15.5. Et hæc quidem de frutice.

CAP. LXX.

Arbor vnde dicta ſit, & Vtrum omnes ſemen ferant.

D. DIc igitur de ipſo Arborum genere, quæ appellantur à Moſe.

P. Arborem ab Aruo dictam eſſe volunt B quidam Etymologici, quòd arbores aruis & terræ infixæ nempe radicibus inhæreant. Ligni vocabulo appellant Hebræi Arborem. Etſi Latinis Lignũ id videtur eſſe, quod à radice ſua & arbore iam deciduum & abſciſſum eſt, & vita caret. Itaque Varro Ligna putat appellata à legendo, quòd ea caduca legerentur in agro, quibus in focum vterentur. Græcis ξύλον eſt Lignum: & Δένδρον Arbor. Sed generaliter complexus eſt Moſes eam plantæ ſpeciẽ, quæ à Latinis Arbor vel Arbos dicitur.

D. Imò verò videtur tantùm eas commemoraſſe, quæ fructum & ſemen proferunt. Sic enim ait Deus, *Germinet terra arborem fructificãtem facientem ſemen iuxta ſpeciem ſuam.* Vnde ſteriles arbores videtur Moſes prorſus excluſiſſe à Dei opificio, quaſi extra ſpecies à Deo primùm creatas iam extent.

P. Sanè nulla ſpecies eſt omninò ſterilium arborum: aliâs enim prorſus interiret. Nam quamuis ſint ex arboribus quædam maximè longæuæ, vt diximus, nulla tamen eſt perpetua, quin temporis C vetuſtate tandem deficiat, ac cariem in ipſa terra ſentiat. Itaque aliæ in demortuarum locum ſunt ſubſtituendæ, vt ſpecies non modò propagetur, ſed vt duret. Poſſunt quidem in vnoquoque arborum genere indiuidua, id eſt, tantùm quædam duntaxat arbores ſteriles reperiri: non autem omnia eiuſdem ſpeciei indiuidua, id eſt tota ipſa ſpecies non poteſt eſſe infertilis. Illud verò certiſſimum eſt, quæ primæ à Terra Dei iuſſu productæ ſunt arbores, quum quæque vice ſeminis toti ſuæ ſpeciei ſterneretur, & à Deo conſtitueretur, ſingulas fructum & ſemen ſuum produxiſſe. Fructum quidem, quia nondum propter peccatum hominis terra maledicta fuerat à Deo. Peccatum enim omnis ſterilitatis & infœcunditatis, quæ hodie vbique in hoc mundo apparet, eſt primaria cauſa. Semen verò tulerunt Arbores primùm creatæ à Deo, quoniam ad ſpeciem ſuam propagandam potentiſsimi Dei Opt. Max. iuſſu quælibet Arbor primùm creata eſt.

D. Quid verò quòd in arboribus à Moſe fructus & ſemen apertè diſtinguitur, & primus quidem fructus nominatur, quaſi primus ſemper ap-

A parcat:poſterius autem ſemen,éſtne in omni arborum genere verum? Num verò eæ Arbores, quæ vel ſemen cum fructu ferunt, & iſta duo inter ſe non diſtinguunt: vel omninò neque fructum neque ſemen ferunt, velut Tamarix ſcopis faciendis tantùm naſcens, Populus, Alnus, & quæ infelices Arbores olim dicebantur, & damnatæ religione cenſebantur,non naturales & à Deo primùm creatæ, ſed induſtriâ tantùm hominum ſunt repertæ Arborum ſpecies?

P. Infinitam quandam apparere Dei ſapientiſſ.& potentiſſimi vim & ſapientiam,in Arborum natura certè negari non poteſt,ſi modò eas vel ad momentum temporis contẽplatus ſemel quis fuerit,præſertímque earum fructus varij generis,quẽadmodum Plin. lib. 15. Natural. Hiſt. cap.38.pulcherrimè deſcripſit. Omnes tamen arborum ſpecies ſunt à Deo conditæ, nullæ ſpecies hominum ingenio productæ. Nam quæ inſitionibus,emplaſtrationibus, tranſlationibus, variáque hominum diligentiâ, curâ vel induſtriâ poſtea repertæ ſunt Arborum ſpecies, eæ tantùm ſunt humorum tanquam colorum (quales à tinctoribus quotidie fiunt) quædam mixtiones & contemperationes: B non noua autem rerum genera. Nemo enim niſi vnus ille Mundi opifex Deus, noua rerum genera producere poteſt. Fateor igitur in omnibus arborum generibus nec flores à fructu, nec fructum à ſemine re & ſubiecto ſemper ſeparari. Sed tamen hoc dico,nullam eſſe arborem, quæ non ex ſeminali ratione naſcatur vti de Plantis diximus:& quæ etiamſi idem pro fructu & ſemine habet,vt Punica, non diſtinguat tamen illud ipſum & colore, & robore, & maturitate quando id fructus tantùm rationem habet, & quando idem ipſum iam ſemen in ea fit.Eſt enim Plantarum ſemen fœtus iam maturior ac figuratior. Itaque quidã ſunt fructus Arborum & eſui & generationi ſimul apti. Nonnulli etiam fructus habent ſeparatim quod eſui deſtinetur,vt pulpas:& ſpeciatim quod generationi,velut ſemen, quales pyri.Sũt fructus quidam Arborum, qui edendi tantùm ſint,vt Vuæ, & Punica Απύρηνα. Denique quædam Plantæ florem ſine fructu ferũt, ſicut in Ieſemino: quædam fructum ſine flore, vt Ficus:denique quædam ſunt,in qubus flos ſeminis facit officium.Ita nimirùm verè in iſtis rebus(quas C tamen ferè negligimus) immenſa Dei noſtri potentia,& πολυποικίλος ſapientia quemadmodum loquitur Paulus Ephe.3.etiã magis & vberiùs, quàm vllius humani ingenij captus animaduertere poſſit, apparet. Denique & fructum,& ſemen diſtinctum ferũt etiam olera multa, vt ex eo arboris natura definiri non debeat.

CAP. LXXI.

Arbor quid ſit, & qualis Arborum natura.

D. VNde igitur?

P. Ex eo quòd, vti diximus, arbor eſt, quàm herba, fortior, robuſtior, procerior,& annoſior, nimirùm propter humoris, quo arbor conſtat:ſucci, quem è terra extrahit:& caloris interni vim ac copiam, quam habet, maiorem, quæ & tantum ſtipitem paulatim format,& viſcoſo lentóque Terræ humore eam paſcit & conſeruat,adeò quidẽ vt propterea omnis ferè arbor reſecta repullulaſcat.Quãquam enim ferè ſtatim atque A è Terra nata eſt Arbor ſcapum habet,temporis tamẽ interuallo, quælibet in ſuam illam iuſtam altitudinem excreſcit. Primùm igitur vel ſemen vel ſtirps vel ſurculus ſuccum Terrę ebibẽs fit ſcapus:tum arbor, ídque ſuo tempore(ſunt enim ſuæ cuilibet incremento ætates à Deo conſtitutæ, pro cuiuſque arboris ſpecie) poſtea aptis anni tempeſtatibus floret,etſi tamen non omnes florent,quoniam quædam ſunt ità triſtęs, vt non ſentiant iſta annorum gaudia,qualis,Picea,Larix,Pinus. Denique germinant etiam eæ Arbores,quæ non florẽt. In quibuſdam fit duplex germinatio nimia ſoli vbertate,& inuitantis cœli voluntate.Quæ non florent Arbores,partum tantùm habent & maturitatem:quæ autem florent etiam tertium illud, quod eſt conceptionis tempus.Morus tamen in hoc ſingulare quiddam habet. Nam poſt longam pariendi cunctationem,(propter quam Arborum ſapiẽtiſſima dicitur)toto impetu propellit materiam,vt tota floribus cooperiatur, quæ pridie veſperi nullos habebat,extraordinariæ Dei vocationis ad aliquod munus imaginem nobis repręſentans. Demum Arbores pro conditione ſuæ ſpeciei iuſta ætate decurſa fiunt muſcoſæ, vetulæ, & ſenes. Itaque quaſi longis annis defatigatæ,& tanquam vario B partus labore exhauſtæ cernuntur.Ac ſuccus in iis propter caloris interni imbecillitatem deficit, ac tandem illæ moriuntur.Sunt enim & ipſæ propter peccatum Hominis variis morborum generibus obnoxię,propter quod omnis creatura,quemadmodum ait Paulus,eſt vanitati ſubiecta,Rom,8. 20. vt homo,qui omnium Dominus conſtitutus à Deo fuerat, idem Deo inobſequens ſuæ nequitiæ pœnam vbique effuſam cerneret,eóque ipſo & vehementiùs pœniteret & Deum metueret.Sunt igitur hi Arborum morbi, Vermiculatio, Rubigo, Contuſio à colliſione foliorum aut ramorum, Vis ventorum,Sideratio,nimia pinguedo radicum,viſcum ſeu muſcus adhærens, & alij ſimiles morbi, quibus niſi maturè boni ſedulíque agricolæ medeantur, illæ tandem intereunt. Eſt & ſterilitas, quam ex denſitate nimia vel robore fieri credit Theophraſtus,quòd omnis ſuccus in ipſius ſtipitis alimentum conuertatur,quam tamen ex aliis quoque cauſis naſci antea diximus. Sylueſtres autẽ arbores C ſunt minus,quàm vrbanæ morbis iſtis obnoxiæ,quòd ſint naturâ robuſtiores tanquam minus delitiis noſtris aſſuetæ. Cariem tamẽ quædam Arbores nequaquam ſentiũt, veluti Cedrus,Ebenus,Cupreſſus,vt Plin.l.16.Nat. Hiſt.cap.40. tradit. Quanquam tamen arbor nulla eſt immortalis. Quædam arbores folia non amittunt; vt Laurus. Quædam habent facilè decidua. Præterea quarundam inter ſe diſsidia eſt, quarundam etiam concordia:ita quidem,vt quę diſſident, ſi vicinis locis plantentur, ſeſe refugiant, vti vitis ad Olus & Braſſicam aſſita facere ſolet; quemadmodum M.Varro ſcribit. Quæ verò inter ſe conueniunt, faciliùs ſibi inſeruntur, & lætiùs vicinæ proueniunt,vt Cotonæ malum & Prunus. Denique etiam in proceriſſimis & annoſiſſimis quibúſvis arboribus ζωτικὴ δύναμις magnis operationib. non vtitur.In iis enim tãtum effecta facultatis vegetãtis producit,quia quemadmodum docetur Pſ. 104.16. illis è terra alimentum ad vitam & propagationem coquit.

CAP. LXXII.

De variis Arborum generibus.

D. ARborum verò genera quæ ſtatues?

P. Quid illa tibi enumerem, quæ ſunt penè infinita? Quod enim eorum quatuor tantùm eſſe genera quidam ſcripſerunt, nimirũ Quercum, Eſculum, Robur, Cerrum, ij de Sylueſtribus duntaxat ſenſiſſe videntur, quarum tamen ſunt infinitæ aliæ ſpecies, quemadmodum & vrbanarum. Sed hoc nobis potius ad Dei gloriam eſt obſeruãdum, vt quanta ſit ipſius in genus humanum benignitas à nobis prædicetur, quod aliæ cibos, quibus veſcimur, producunt: aliæ lanuginem, bombycem, lanas, & tomenta, vel Sericum, quibus veſtimur, vt ſericę & cotoneę in regionibus Indię Occidentalis nuper repertis: aliæ ligna ad ædificandũ: aliæ ad cremandum: aliæ odores: aliæ Reſinam: alię varia gummi genera: aliæ ea, quæ ad corporis medicinam ſunt neceſſaria. Denique quis omnes arborum vſus recẽſere poſſit, quum eos ipſos omnes nondum, quantumuis diligenti ſtudio Medici & Phyſici in earum rerum inueſtigatione verſati ſint, intelligant, vt ex eo Dei benignitatem erga genus humanum nunquam ſatis agnoſci poſſe verè ſit fatendum. Quid quòd & illa quoque Arborum laus eſt, quod & Terræ ipſi venuſtatem afferunt: & defeſſis viatoribus vmbram: & Auibus ſedes præbent, quibus illæ inſidentes tam ſuauiter cantillant, quaſi Deo beneficij tanti erga ſe nomine gratias agentes, & hominibus quoque ipſis ſummam voluptatem præbentes?

CAP. LXXIII.

De Gummi Arborum quid ſit, & de Reſina.

D. QVid verò Gummi vocas, quod ex Arboribus, vti Reſinam colligi dixiſti?

P. Reſina & Gummi videntur quidem ſimillimi arborum fœtus: qui tamẽ & diuerſi ſunt & ex diuerſis arboribus naſcuntur. Nonnulli certè Reſinæ nomine generaliter & Gummi & Picem & Reſinam & Lacrymam & quidquid oleaginoſi liquoris ex arboribus colligitur, complectuntur: qui iſtorum liquorum differentiam non ſatis, mea quidem ſententia, obſeruant. Verior igitur eſt eorum oratio, qui in Pineis Reſinam: in aliis arboribus ſudantibus Gummi vocant. Eſt igitur Gummi arboris viſcum, id eſt, ſudor arboris & liquor tenacior inhærens ſuo parenti, ſed magis tamen naturâ & eſſentia exſuccus & aqueus, quàm Reſina. Reſina verò eſt viſcoſior pinguiórque arborum ſudor & humor. Itaque Reſina oleo diſſoluitur: Gummi vero aquâ, cui magis ſimile eſt. Reſina igitur liquata fit pix: Gummi autẽ liquari vix poteſt. Reſina in ignem iniecta odores gratos & ſuaues exhalat. Gummi penè vel nullos, vel tetros. Vtrumque fructus genus & ſucco arboris eget, vti materia: & calore, quo educitur: & frigore modico, quo conſtringitur & ſpiſſatur: ſed gummi nonniſi fructu detracto fit. Calidior igitur eſt Reſina, Gummi frigidius. Gummi vti viſcum ex omnibus arboris partibus, vt vult Theophraſtus, colligitur in vnum locum. Reſina in pluribus ramis eſſe ſolet. Sed & ſæpe quædam Arbores nonniſi igne ambuſtæ reſinant. Porrò Gummi in quibuſdam Arboribus eſt excrementum, in aliis fructus, in aliis verò ſemen. Reſina verò ſemper fructus, aut fructus pars. Diſtillat quidem vtrumque ex arbore antequam ſpiſſetur. His ſudoribus ſimillima eſt fruticum atque arbuſtorum quorũdam lachryma, qui eſt pretioſiſſimus quidem illorum humor, ſeu liquidior, naturáque minus terrenus, Itaque fluit, neque concreſcere in Reſinam, aut Gummi poteſt propterea quòd ſit quædamvelut puriſsima, aërea, & quinta quædam huiuſmodi Arborum eſſentia diſtillans, qualis in Vite, & Balſamo cernitur. Reſinant igitur Pinus, Terrebinthus, Abies, Thus, Myrha, Lentiſcus, Iuniperus, & illis ſimiles, de quibus Pſ.45.9. Oſ.14.9. Iſ.41.19. Hier.8.22. Ezech.27.17. Gummi verò manat è Ceraſis, Amygdalis, Spina AEgyptiaca, & ex iis arboribus, quæ Succinum gignunt.

CAP. LXXIIII.

De circunciſione arborum, quæ olim Iudæis præcipiebatur.

D. QVid verò, ſi fructus illi, quos Arbor quęque homini in eſum poſt peccatum profert, ſunt ipſius Naturæ, id eſt, Dei opus, cur iubebantur Iudęi circumcidere arbores? vt eſt ſcriptum Leu.19.23. & 24. Cuius etiam moris meminiſſe videtur Plinius lib.14. Nat. Hiſt. c.19. adeò vt eius arboris, quæ plantata erat, eo demùm fructu (quem illa quarto anno tuliſſet) veſci liceret: priorum autem annorum fructibus tanquam impuris vti nequaquam Iudæis concederetur?

P. Quoniam Dominus ſuo populo volebat oſtendere, quicquid terra gignit eſſe non quidem per ſe, ſed propter peccatum hominis (quod rebus iam conditis perpetratum eſt) quodammodo profanum ac pollutum, donec noua quadam Dei benedictione purgetur. Itaque hanc Arborum Circunciſionem Iudæis, quos veteri illa ceremoniarum pædagogia edocebat ac regebat, inſtituerat Dominus, vt illius nouæ ſanctificationis recordarentur. Sed & hoc quoque modo Dominus voluit interiicere maceriem & diſcrimen inter ſuum populum & reliquas gentes, vt intelligerent Iudæi, ſe, quia Dei populus eſſent, meliori conſcientiâ, quàm illas fructibus terrę veſci. Nobis autem, quũ Chriſtus fuerit omnium legis ceremoniarum implementum, & plenam Dei benedictionem non modò explicarit, ſed fide credentibus confirmarit, iam iſta vetus Ceremonia non eſt vſurpanda, vt ne Chriſti beneficium obſcuremus, aut impiè ſubuertamus.

CAP. LXXV.

Terra vt Arbores gignere poſſit.

D, VNum modò reſtat, quod in generali iſta tua de Arboribus & Plantis diſputatione ex te ſcire velim.

P, Quid Porrò illud eſt?

D. Quomoda Terra, quæ naturâ, quemadmodum omnes concedunt, ſicca eſt & frigida, vel nũc poſsit Plantas iſtas producere, quum generatio omnis humido & calido egeat: vel etiam tunc potuerit, quum nondum Sol conditus eſſet, qui terram radiis ſuis calefaceret.

P. Non caret certè quidem admiratione tantum

A tum Dei opus, etſi nobis eſt ordinarium: ſed ſumus tam ſtupidi, vt infinitam illam Dei potentiam quæ etiamnum hodie nobis in iis ſplendidè elucet, contemnamus: quia id ordine quodam continuo fieri cernimus. Dei igitur ille iuſſus tunc primùm id effecit, qui nunc quoque vigens adhuc effectum ſuum robúrque demonſtrat. Ergo vires illas Terrę iniecit Dominus Deus, quas tamen contrahit & adimit, quum illi viſum eſt, propter hominum peccata vlciſcēda, vt eſt Pſ.107.34. Primùm igitur miraculosè Terra omnia iſta produxit, Deo illi vberrimè ſuppeditãte & humorem & calorem ad ea gignenda idoneum, ídque extraordinariè, id eſt ſine ſemine vllo & abſque Sole. Nunc verò, etſi idem ille iuſſus vigorem habet, vtitur tamen Deus cauſſis ſecundis. Ita ſemen Terrę mandatur, ita rorem pluuiámque Cœli cum Terræ calore vſque Solis temperat, & miſcet, quemadmodum docetur Pſ.65.9.10. vt pulcherrima iſta rerum ſeges, id eſt, herbarum varietas & Arborum venuſtas naſcatur. Quod argumentum ad concinēdas Deo Opt. Max. laudes copioſiſſimum nobis, etſi ingratis & mutis, verſatur tamen quotidiè ante oculos.

B

CAP. LXXVI.

De Arbore Setim quod genus Arboris ſit.

D. HActenus iſta generalia, pauca de quibuſdam Arboribus mihi ediſſere, de quibus S.Scriptura eloquitur.

P. Cupio, modò ipſe & de paucis quæras, & breuiter.

D. Dic primùm igitur, quid ligna שטים Schitim eſſe putes, quibus conſtructum tabernaculum fuiſſe apparet Exod.25.5.& 35.24. Deut.10.3.

P. LXX quidē Interpretes omnia Ligna quæ ſunt ἄσηπτα, id eſt quæ minimè putreſcūt, Schitim eſſe autumauerunt. Decebat enim, vt tam auguſtū Dei tabernaculum de ligno minimè cariei obnoxio ædificaretur. Huiuſmodi autem arborum genera ſunt plura, veluti Cupreſſus, Cedrus, Ebenus, Lotos, & aliæ, quas Plinius lib. 16. Natural. Hiſt. cap.40. enumerat. Quamobrem alij ab hac priori ſententia non omnino diſſentientes ſentiunt Scitim arbores eſſe optima & robuſtiſſima Cedrorum genera, quorum materiæ & ligno æternita- C tem tribuerunt veteres. Itaque ex Cedrino ligno fere Deorum ſuorum ſimulachra profani idololatræ fabricarunt, vt ait idem Plinius: & inde illud eſt Poëtæ de memorabili & immortalitate digna ſententia,

--- Et Cedro digna locutus.

Hieronym. in Ioel. 3.18. ait, Scitim Arborem naſci in Eremo, Albæ ſpinæ non quidem magnitudine, ſed foliis & colore eſſe ſimilem. Eſſe enim hanc arborem grandem & fortem, magnæ leuitatis & pulchritudinis, ex qua (tam grandis nimirum eſt) latiſſima Tabulata cæduntur, & Vaſa torcularia, quæ gemellæ dicuntur, ſunt. Addit autem idem Hierony. Cuiuſmodi ligna nec in locis cultis, nec in Romano ſolo, abſque Arabiæ ſolitudine, inueniuntur. Huius Arborum ſpeciei ab Iſaia factam quoque eſſe mentionem volunt 41.19. & inde fontem Scitim appellatum ab Ioele 3.18. qui ſitus ſit prope Limadem oppidum iuxta Mare mortuum ſeu Aſphaltiten in Iudæa. Non deſunt, qui omnia A ligna dolata & tornata ligna Scitim dici velint ex etymo vocis. Ego verò, ſi modò aliquis coniecturis in tam multiplici interpretatione locus relinquatur, exiſtimo Scitim arbores eſſe eas, quas Larices optimas Græci vocant. Sunt enim huiuſmodi, vt nullis fiſſile rimis ſit hoc genus arboris. Itaque ſeſe à vermibus & carie facilè tueatur, odore ſit non iniucundo, mellei ſeu crocei coloris, tractabile. Quod in montibus naſcitur & ſaxoſis locis & (quod dictu mirum eſt) flammam ex igne non concipit, tardéque & ægrè comburitur. Perpetuo ergo illi Dei tabernaculo perpetua quoque & impatibilis hęc Arbor & materies maximè conſentanea fuiſſe videtur.

CAP. LXXVII.

De Arbore Almugim.

D. QVid verò Almugim, quas ex Ophir regione aduectas fuiſſe vnà cum auro & margaritis conſtat ex tam remota nimirum regione à Iudæa, vt demum toto triennio nauigatio perficeretur, vt ex 1.Reg.10.11.12.22. apparet?

P. Hieronymus Thuina ligna interpretatur, B alij Corallia. Sed qui Corallia, nō ſatis aptè, ſi, quis fuerit Almugim vſus, perpēdatur. Ex iis enim fulcra domui Iehouæ & Templo ſubſtrata ſunt: ex quibus iiſdem Nablia Muſicorum quoque ficta ſunt à Solomone. Qui verò Thuina explicant, propterea quòd Apoca. 18. 12. ξύλον θύινον nominatur, mihi quidem ſatis ſuam ſententiam nondum probant. Quanquam enim Thya arbor (à qua Thuinū lignum volunt appellatum) quæ & Trogele, vt ait Plinius lib.13.cap.16. nominatur, olim in pretio habita fuerit, & immortalis propter materiæ ἀφθαρσίαν cenſita, adeò vt veterum templorum contignationes ex ea factas fuiſſe idem Plinius ſcribat: tamen quid neceſſe fuit, pro ea arbore conuehenda in Ophir vſque proficiſci, & tam longam periculoſámque triennij nauigationem ſuſcipere, quum Thyia & in Libano monte, vt eſt 2.Chronic. 2. verſ. 8. & in Cirenaica regione naſcatur optima, quæ regio Ægypto vicina eſt, neque ita longè à Iudæa remota, vt triennio opus fuerit? Denique non mari Rubro, ſed Mediterraneo ex Iudæa nauigandum erat. C Mihi igitur ſit ſimilior vero eorum ſentētia, qui & aurum Ophiriſum volunt fuiſſe Phiruſianum ſeu Peruſianū: & Almugim iſtas, eſſe eas arbores, quas Briſilianas hodie vocamus, quæ ex iiſdem regionibus, & quidem ſolis, ad nos conuehuntur. Denibuc arbores quę & ad tingēdum aptæ ſunt, & grati odoris, & coloris. Sic enim etiam veteres quidam Rabbini Almugin vocem explicarunt, quod genus Arboris & illis ſeculis, & noſtris certè in honore eſt & pretioſum & rarum cenſetur. Si quis tamen aliter ſentiat, afferat diſſenſus ſui rationem.

CAP. LXXVIII.

De Balſamo, Ficu, Olea.

D. DE Balſamo quid ais, de quo Hierem.51.8?

P. Reſinam vox ipſa Hebræa ſignificat, quā Balſamum conuertunt. Et tamen non intempeſtiuè. Nā vni terrarum Iudææ Balſamū ferre, natura ſiue Deus cōceſſerat, quod omnibꝰ odoribus, quemadmodum ait Plinius prefertur. Itaque

A pretioſiſſimum ſemper habitum eſt Balſamum, adeò quidem vt pondus eius argento rependatur. Nam exiguo ſtillatu lachrymam illam, quæ Balſamum ſiue Opobalſamum appellatur, frutex ſeu arbuſcula ipſa emittit quotannis, nimirum æſtate tātùm, & diebus ipſis Canicularibus, inciſa vngue ferreo. Atque hic ſuccus & liquor collectus valde ad plagas idoneus eſt. Nam vlcera ſordida expurgat, cruda concoquit, ſquammas oſſium extrahit, carnem replet, & ęgrè reſpirantibus valdè prodeſt. Frutex ipſe viti ſimilior, quàm Myrto proceritate: folia foliis rutæ exalbidis ſimillima habet. Succus ipſe, ſi eſt ſyncerus, in laneam veſtem infuſus neque maculam facit: neque ſi eluatur, notam relinquit. Olim in valle Hierichonti vrbi vicina, in regio viridario duntaxat naſcebatur. Poſtea in Ægypto quoque excoli cœpit, vbi duntaxat verum Balſamum ad vrbem Ægypti Memphin iam naſci dicitur, & exiguo, id eſt, vno tantùm aut altero frutice iam ſuperſtite: cæteris vel iniuria cœli, vel hominum negligentiâ, vel potius iuſto Dei in mortales iudicio (qui hoc ſuum beneficium illis ademptum eſſe propter ipſorum peccata voluit) cæteris inquā eius arbuſculę ſtipitibus & plantis extinctis.

D. Intelligo. Dic de ficu & Olea, ex quibus B plures ſimilitudines ducit Scriptura, veluti Rom. 11.17. Pſ.128.3. Hier.11.16. Nam ficuum & oliuarum magna copia fuiſſe in Iudæa, quæ calida regio eſt, videtur, quum felix pacis tempus ferè ſignificare ſoleat hoc genere dicēdi. *Sedebit quiſque ſub ficu ſua & ſub vite* Zachar.1. *Et comedet quiſque de ficu ſua*, 2. Reg.18.31. Iſa.36.16.

P. Quid arbores & fructus vel ipſis lippis ac tonſoribus notiſsimos, vis à me tibi explicari? Dicam tamen. Ac primùm de Fico & arbore, & Ficu id eſt, fructu. Arbor ipſa Ficus antiquiſsima eſt: nā ſimplicis vitæ, ait Athenæus lib.3.ca.3. principium extitit, certè prima vſū ſui Adamo præbuiſſe poſt peccatum cenſeri poteſt. Fici enim foliis parentes noſtri, poſtquam peccarunt, pudenda contexêre, vt refert ſacra hiſtoria Geneſ. 3. 7. propter foliorum latitudinem, vt ego quidem arbitror: vt autem Irenæus libr.3.cap. 31. propter eorum aſperitatem, vt hac foliorum aſperitate ac pūctuâ quodammodo ad pœnitentiam, ait ille, ſolicitarētur. Et ſanè propterea quòd nō modò oleaginoſo, ſed etiam nitroſo quodam humore conC ſtet ficus, vim abſtergendi habent eius folia: quemadmodum fructus, vt Medici dicunt, facultatem molliendi ac leniendi, vnde ad aperiendas hæmorroidas foliis vulgò vtuntur, quemadmodum caricas, id eſt, fructum fici exſiccatū Iſaias Propheta adhibuit ad curationē vlceris, quo grauiſſimè rex Ezech. laborabat Iſ. 38. 21. Habita igitur eſt hæc Arbor etiam apud veteres commendatiſſima: & primum ſecundum vitem locum obtinuit, quemadmodum ipſius fructus nempe ficus ipſa inter pomorum genera ſecundum gradum tenet. Eius enim, vti vitis, fructus ex omnibus pomorum generibus ſoli nos alunt. Ficus ſępe bifera eſt, & quum nō eſt bifera, tria ficuum genera proferre poteſt, nempe ficus pręcoces quę πρόδρομοι dicuntur: ficus maturas, quæ exſucciores factæ & cōditæ farinâ, caricæ nominantur: item ficus, quæ Groſſi vocantur, ſúntque eæ ficus, quæ crudæ manent. Sunt præterea ὄλυνθοι, id eſt, ficus ſylueſtres, quæ caprificorum fructus eſſe dicuntur, de quibus A factam eſſe Amos ca.7.14. mentionem quidam volunt: ſed falluntur. Fit enim mentio Sycomororum. Verùm tamen matureſcendæ ficui tēpus eſt Æſtas, vt docet Chriſtus ipſe Matth. 24. 32. Itaque quum groſſos (groſſos enim pro floribus habent, vt eſt Cantic.2.13. Hier.24. 2.) emittunt ficus, inſtantis æſtatis eſt initium ſeu indicium. Cùm ſunt autem ficus maturæ leuiter concuſſæ humi facilè ac ſtatim decidunt. Nahum.3. 12. Ficuum penè ſunt infinitæ ſpecies, inter quas Damaſcenæ præſtantiſſimæ habentur, & Africanæ, vt ait Plinius: vt autem Athenæus, Calliſtruthiæ. Huic & arbori, & fructui affinis eſt Sycomorus, de qua eſt apud Luc. 19. 4. (quam eſſe AEgyptiam ficum quidam autumant) fico ipſa procerior & longè diuerſo loco naſcens. Nam ficus aut rarò, aut infeliciter admodùm, quod ſit humidiſſima, in AEgypto creſcit. Sycomorus contrà illic lætiſſimè. Sicomorus in Iudæa videtur fuiſſe Arbor vilis, quæque vulgaris cenſeretur, quæ in publicis ciuitatum areis, ac paſſim per agros naſcebatur. Itaque vt Cedrus habebatur arbor præſtantiſſima: ſic Sycomorus viliſſima, vt fa- B cile 2. Chronic. 1. 15. colligi poteſt. Hæc ſunt, quæ vt de fico & ficu dicerem, mihi in mentem venerunt. De Olea verò poſſent infinita dici: ſed iſta ex Medicorum aut Phyſiologicorum ſcriptorum libris diſcentur & depromentur commodè. Aliquid tamē in tuam, atque tui ſimilium gratiam afferam. Eſt Olea arbor, quæ proceritate Myrto ſimilis eſt, pretioſa ſemper habita, vt ex ea comparatione apparet, qua vtitur Oſeas cap.14. 7. Etſi enim in Decapoli Syriæ regione oleas laudatiſſimas eſſe ſcribit Plinius, tamē vniuerſam arborem oleam apud veteres, vt idem ait, profanis vſibus pollui vetitum fuit: atque etiam ne altaria in ſacris ex ea arbore accenderentur. Erat etiam Oliuæ ramus inter Gentes inſigne pacis, ideò, vt quidam exiſtimant, quòd eam mitigatæ Dei in genus humanum iræ ſignum olim fuiſſe à maioribus ſuis accepiſſent, & veteri memoria retinerent, nimirum quum Columba ex arca Nohæ emiſſa folium illius ad Noham retulit: atque inde Noha aquas Diluuij receſsiſſe prudentiſsimè propter arboris C & caudicis humilitatem coniecit. Quæ hiſtoria Geneſ.8. 11. copioſè tradita eſt, & per manus inter ipſos profanos conſeruata. Serò Græcis eius ſerendæ atque excolendæ ratio nota fuit, ſi cum Scriptura ſacra, & aliarum regionum conſuetudine conferatur. Oleæ folia non decidunt: ea verò Salicis foliis habet ſimillima. Nimiis aquis læditur, iis autem quemadmodum Salix non delectatur. Eſt enim olea ſiccior vite, & ficu: Lauro tamen humidior: ineſtque oleæ non tam lentor quàm pinguedo. Pingue autem quod eſt, plus habet aëris, quàm terræ. Vnde fit, vt oleum, qui eſt baccæ, id eſt, oliuæ expreſſus ſuccus à nullo humore prematur, quemadmodum in Ioan. Euang. tractat.6. ſcribit Auguſtinus, ſed diruptis omnibus exiliat, & ſupereemineat, Charitatis naturam hac ſua eminentiâ nobis repręſentans, vt putat Auguſtin. Vt autem ego puto fidei potius, quæ eſt inuicta res: quemadmodum in eo quoque quod nullo, quantumuis ſæuo, frigore ferè congelaſcit, propter caloris ſemina, quę habet, fidem Chriſtianā verè adumbrat. De calore oleæ videndus

A dus eſt A. Gellius. Olea verò quanto fœcundior eſt,eò minores frondes emittit: vti quo ſumus meliores, eò minus ſordium habemus. Olea verò profert oliuam, cuius ſunt variæ ſpecies. Ex oliuis fit oleum. Sunt autem duo liquores hominibus ſaluberrimi,intus vini:extra olei. Cæterùm quanquam oleum plantis omnibus eſt inimicum, amurca tamen, quæ eſt olei fæx, ipſi oleæ ad radicem effuſa prodeſt, & vbique effuſa herbas nocentes extinguit. Oliua ante maturitatem collecta, & in muria aſſeruata ad pellenda ciborum faſtidia & nauſeam maximè iuuat. Oleum verò infinitum propè in vita humana vſum habet, vt eſt in Pſ.104.15. & Pſ. 23. Nam extrinſecus adhibitum, corpus vngit,membra fouet & corroborat,aſpera mitigat, dolores & vulnera lenit, vigorem atque agilitatem membris reſtituit, aſtringit,& refrigerat,quemadmodum ex 2. Chron.28.15.Luc.10.34. intelligitur, adeò, vt optimè vis illa Spiritus ſancti,qua ſanitas & vigor ad bene viuendum animis noſtris per Baptiſmum iniicitur,dum nobis B Chriſtus applicatur:vis,inquã, illa Spiritus ſancti cum oleo rectè comparetur, & vnctio à Ioanne nominetur 1.Ep.Ioan.cap.2.27. Idem enim oleum olearum commune & vulgare in Eccleſia Dei ex Chriſti præcepto ad ſanandos corporis morbos ſacramentaliter adhibitum fuit, vt ſpiritualis ſanationis,quam per fidem in Chriſtum obtinemus,ſymbolum eſſet. Id quod ex Iacob. 5.14.Marc.6.13.apparet:illud enim genus olei,quo & Chriſtus vti eo loco iubet, & vnxerunt Apoſtoli, fuit ſimplex oleum, quale populariter in vſu fuit, non incantatum,non mixtum,non aromaticum: quia Dominus ad Euangelica Sacramenta aſſumpſit pro ſignis res communes,& quæ facilè parabiles eſſent, quemadmodum eodem oleo vulgari ſanctus ille Patriarcha Iacob vnxit lapidem in Bethel, ſupra quem recubuerat, Gen. 28. 18. Eliſæus Hazael in regem Syriæ, & Iehu in regem Iſraelis, vt eſt traditum 1. Reg. 19. 15. & 2. Reg. 9. 1. Illud autem oleum, quo ſub lege ceremoniali reges Iuda, & ſummi ſacerdotes vngebantur, erat ex Dei præcepto mixtum pretioſiſſimis & ſuauiſſimis odoribus, atque erat aromaticum. Nam huiuſmodi genus vnguinis adhiberi tunc temporis, & in vſu C ad res ſpirituales ſignificandas eſſe apud rudem illum populum Deus volebat, vt earum dignitatatum,quæ Chriſti typi erant,eminentia & ſplendor, melius deſignaretur illo oleo aromatico. Itaque confectionis huius ſacri olei ratio & Lex extat ab ipſo Deo præſcripta Exo.30. 31.& deinceps. Oleum verò, quo faciem vnxerunt Iudæi, vt eſt Pſ.104.15.& Pſ.23.5.aromaticum quoque fuiſſe cẽſeo, quanquam ab eo aromatici olei genere longè diuerſum, quo ſacri Sacerdotes inaugurabantur. Nam variè miſceri ſolitum fuiſſe oleum vt eſſet odoratum & fragrans, nitorémque cutis induceret & ſordes elueret, oſtendit etiam Athenæus lib.2.cap.29. Dipnoſophiſtῶn. Oleaſter verò oleæ ſimilis eſt:eſt enim olea ſylueſtris, quam propterea Paulus Rõ. 11.17.vocat Ἀγριέλαιον,alii κότινον,Homerus φυλίην lib. 5. Odyſſ. quemadmodum etiam frugifera, & quaſi cicurata & domeſtica καλλιέλαιος appellatur. Oleaſter autem iſte Olea miti & culta longè robuſtior eſt, habétque folia foliis oleæ latiora. Amara radice eſt, & tyrannica, cuius etiam lachryma eſt duplex, vt tradit Iſidorus libro 17. Etymologiῶν,nempe vna minimè mordicans ſimilis A Gummi: altera mordicans Ammoniaci guttam referens. Oleaſtro verò inſertus oleæ ramus vim mutat radicis Oleaſtri,& vertit eam, vt idem Iſidorus ſcribit, in propriam qualitatem, vt dulcem efficiat. Quod nobis in Chriſto per fidem inſitis aliter accidit. Ille enim nos in ſuam naturam mutat,ſuáſque nobis qualitates inſerit & communicat:non autem nos in eum noſtras (quæ ſunt vitioſæ & corruptæ) iniicimus. Etſi autem cuiuſuis arboris viciniam Olea refugit, imprimis autem quercus,adeò quidem, vt altera propè alteram.i. olea propè quercum depacta, breui tempore pereat (tantum eſt nimirum earum inter ſe diſsidium.) Non oportet tamen hominem Chriſtianum quorumuis etiam inimicorum conſuetudinem vitare,ſed tantùm improborum ac ſceleratorum,quorum deplorata prorſus mens eſt ac reſipiſcentia, ne iſtorum familiaritate in Chriſtiano viro,tanquam quercus vicinitate olea, vita pereat. Pręclarum verò & illud eſt de Olea,ex quo noſtra cum probis conſuetudo oſtenditur, quod ſurculi oleoſi cum ſtipite matricis non oleoſæ vix coeũt, B & quod ſerius fit inſitio in olea: ſic nos in amicis deligendis,cum quibus familiariter conuerſemur, ſerios ac diligentes eſſe oportet. Hæc ſunt igitur quę de olea,oliua,oleo,& oleaſtro tibi commemorare volui. Reſtat verò tibi aliquid, de quo in hoc argumento interrogare velis?

Cap. LXXIX.

De Palma, & illius admirabili natura.

D. VNica modò Arbor, eáque non totius Syriæ: ſed penè tantùm Palæſtinæ propria, & Iudææ,etſi tamen in aliis regionibus, iiſque calidis naſcitur,vti Africa,Ægypto, Cypro: ſed feliciſsimè in Iudæa ad vrbem Hierichuntis: quicquid de Dactylorum regione Africana recentiores hiſtorici ſcribant, vbi plurimas Palmas eſſe tradunt.

P. Ecquæ illa eſt?

D. Palma, de qua nonnihil dicas velim, atque ſic finita erit tota hæc tua de tertia creationis die C Diſputatio. Palmæ verò meminit Pſalm. 92. 12. & Hiere.10.5.de qua ipſa arbore Pſalmi primi arborem intelligendam quidam cenſent.

P. Cupio. Palmam Hebræi vocant Tamar,vnde poſtea Mauris Tamarindus dicta, & Seplaſiariis quoque ea nimirùm palmæ ſpecies,quę Sylueſtris eſt & agreſtis: à Græcis autem ἰξυφοίνιξ dicta lõgè à vera Palma,de qua quęris,& in Iudæa omniũ leniſsimè creſcit, diuerſa. Palma igitur quæ vera eſt, qualem Iudæa producit, ſecundum Vitem & oleum & ficum pomum pretioſiſsimũ & vitæ humanæ ſaluberrimum profert, quæ etſi & genere & ſpecie à ficu differt, habet tamẽ multa cum ficu affinia. Eſt verò Palma arbor tereti & procera ſtipite,orbibus ordine in eo ſcandentibus, arbor tamen omnium rectiſsima, vt oſtendit locus Cant. cap.7.7.& Hier.10.5.quæ diutiſsimè viget & viuit, vt eſt Pſal.92.12.imò ſemper folia habet & fructus. Nã in iã maturorũ locum alii fructus eodem in loco,& eadem parte ſtatim ſuccedunt,vt ſcribit Plinius. Non eſt tamen,vti Salix, ſecundũ aquas proueniens & læta,ſed infrugifera. Sed, quæ eſt Pſal.1.

A ſecundum aquas plantata, feliciter creſcit, & perpetuò folia & fructus habet. Ergo de Palma ille locus Pſalmi nequaquam intelligi poteſt. A Colore ſpadiceo φοίνιξ à Græcis vt quidem exiſtimo appellatur. Gaudet ſalſis locis & irriguis, quia vtifructus illius calorem deſiderat, ſic radix refrigerationem. Vnde ſitiente anno plurimùm læditur Palma. Hęc apud veteres etiam victoriæ fuit inſigne, vt apparet etiam ex Apoc. 7.9. præſertim in Græcorũ certaminibus, quemadmodum docet Plutarchus lib. 8. Sympoſiῶν Quæſt. 4. tantus nimirùm illi arbori honos habitus eſt, etſi in Græcia propter aëris & ſoli frigiditatem ſterilis eſt. Ponderi non cedit, ſed quo magis rami illius premuntur, eò aſſurgunt altiùs, de quo ipſo quoque diſputat Plutarchus in Quæſt. Natural. Quæſt. 32. Vnde eius rami dicuntur βαΐα quòd vi auellantur, Ioan. 12. verſ. 13. Duplex eſt, Mas & Fœmina, quæ & colore & fructu inter ſe diſtinguuntur. Fœmina fructum non fert, niſi B propè marem conſeratur, dicitúrque maris fructus ψὴν, vt ait Iullius Pollux: fœminæ βάλανος. Vtraque ſpecies ab ea planta diuerſa eſt, quæ Ricinus vel Latyris Maior appellatur quæ eſt herba arboreſcens: itémque ab ea, quę Satyrij ſpecies eſt, & vtraque Palma Chriſti à Seplaſiariis nominari ſolet. In Arabia etiam naſcitur Palma, veluti apud Moſen 70. commemorantur viſæ in deſerto Arabię Exodi 15.27. ſed eæ ſunt languidæ & dulces, neque Iudaicis comparandæ: ac ne illæ quidem, quæ (quoniam in regis Perſarum viridario naſcuntur) Regię nominantur. Palma in cacumine folia gerit, vbi & medullam quoque ſeu ſuccum ſuauem habet, qui etiam Cerebrum ad humani capitis imitationem, & à Plinio, & ab Athenæo nominatur. Folium autem ipſum Palmæ dicitur propriè θαλλὸς, vt ait Iullius Pollux. Ex Palma 360. vtilitates percipi à Babyloniis, ideóque ab illis eam maximè honorari tradit Plutarchus. Hinc factum eſt, vt apud Ægyptios fuerit ſymbolum anni Solaris, qui 365. diebus abC ſoluitur. Denique etiam ab iis ex eadem vinũ fieri: ſed quod graue ſit & noxium capiti, vt videre eſt apud Xenophõtem in Hellenicis, quemadmodum in Normandia Galliæ regione è Piris & Pomis Siceram fieri videmus. Fructus igitur Palmæ ob longitudinem & gracilitatem δάκτυλος à Gręcis eſt appellatus: & φοῖνιξ etiam: qui non naſcitur, vt in cæteris Arboribus, inter folia: ſed racematim dependet à ſuis inter ramos palmitibus, & pediculis & noui veteribus ſtatim ſuccedunt. Emergit fructus iſte ex inuolucro, quod ἐλάτη dicitur, quo eum natura contexuit. Extenuatis autem & exhauſti hominis viribus prodeſt, & radicalem, quem vocant, humorem fouet. Eſt varij generis & coloris: alius enim eſt Candidus, alius niger, alius herbacei, alius punicei coloris: omnis tamen Palmæ fructus non eſt in carne: ſed caro dicitur ea, quæ in medio nucleum ſiue os habet, ex quo ſato prouenit optimè Palma. Semen tamen, & ſeminis operimentum, vti in Amygdalis, in Palma naſcitur: & ſoboles ſeminis ſeu parentis ſui elegantiam reddit, quoniam è ſeminibus aliud alio præſtantius ſæpe reperitur. Denique folia Palmæ non decidunt. Atque hæc ſunt, ex quibus ſimilitudines, quę ex Palma in ſacra Scriptura ducuntur, iam facilè poterunt intelligi. Det autem nobis Dominus Deus, vt vnâ cum veris ſignatis & ipſius electis per Chriſtum Mediatorem noſtrum, aliquãdo in Cœlo Palmam & victoriam de morte & peccato & inferno reportemus. A Itaque, vt video, iam concludenda nobis eſt huius tertiæ diei diſputatio.

TRACTATVS QVARTVS
Siue Dies Quarta.
De Corporibus Cœleſtibus.

CAP. I.
Ratio ordinis & ſeriei.

D. RECTE. Sed huius finis erit ſequẽtis, nempe de Die quarta, diſputationis initium.

P. Non recuſo. Nam totam rerum creatarum & conſpicuarum naturam ex Dei Verbo & Moſis libro exponere ordine cupienti, id fa- B cere neceſſe eſt. Itaq; nos in hunc locũ rerũ ipſarũ natura, ſeries, atque ordo hiſtoriæ deduxit.

D. Vnde verò hanc tuam diſputationem ordiris.

P. Ex ipſis Moſis verbis, quæ ſunt veriſsimũ totius huius noſtræ Phyſices Chriſtianæ fundamentum.

D. Recitą ea.

P. Sic lib. Geneſ. cap. 1. 14. & deinceps habent. *Dixit etiam Deus, ſint luminaria in expanſione Cœli, vt diuidant diem à nocte, & ſint in ſigna, & tẽpora, & dies, & annos. Sint luminaria in expanſione Cœli, vt illuminent terram, & fuit ita. Fecit igitur Deus duo luminaria magna, Luminare maius in dominium diei: & Luminare minus ad dominium noctis, & ſtellas. Et poſuit ea Deus in expanſione cœli, vt illuminarent terram, vtque dominarentur diei, ac nocti: ac diuiderent lucem à tenebris, & vidit Deus, quòd eſſet bonum. Et fuit veſpera, & fuit manè dies quartus.* C

CAP. II.
Diſputationis futuræ partitio.

D. VErba recitaſti. Dic iam quid illa contineant.

P. In vniuerſum corporum, quæ vocãtur cœleſtium tum creationem, tum naturam. Itaque quartam hanc diem ſoleo nominare diſputationẽ de corporibus cœleſtibus: alij ornatum Cœli appellant: quam etiam facilioris explicationis gratiâ in tria hæc capita diſtribuo, vt primum eorũ corporum creationem exponat: Secundum naturam: Tertium vſum & finẽ, propter quẽ à Deo OPT. MAX. creata ſunt.

D. Intelligo quę ſit futurę diſputationis ſumma: nunc ſingula tuæ diſtributionis membra: & quid, quantúmque in quoque comprehenſum ſit, perpendamus.

P. Ita facilis & dilucida futura eſt tota hæc, excellens illa quidem, ſed tamen ardua, & perobſcura tractatio.

CAP. III.
Corpora cœleſtia cur demum die quarta ſint condita, poſt Plantas iam è terra productas.

D. Primùm

A D. PRimùm igitur de Creatione Corporum Cæleſtium age, atque mihi expone, vtrùm conſentaneum, aut etiam verum ſit, illa tam egregia corpora quarta demùm mundi naſcentis die edita fuiſſe. Id enim videtur pleriſque Philoſophis non tam mirum, quàm abſurdum, & ab omni rerum veritate alienum.

P. Quid ita verò?

D. Rationes afferunt, per quas illi ſuam ſententiam confirmant, è quibus hæc prima eſt. Simpliciſſima & pulcherrima corpora, qualia ſunt hæc cœleſtia, videri vel primùm producta fuiſſe, vel certè producenda. Quò enim quidque dignius ac excellentius eſt, eò prius quoque eſſe originis ac temporis ratione. Quid tu verò reſpondes?

P. Eos grauiſſimè falli. Nam vel ipſa rerum natura docere illos potuit, ea, quæ in homine pulcherrima ſunt, poſteriùs apparere, quemadmodum animæ ea pars, quæ μέρος λογικὸν appellatur. Poſtrema enim ſe exerit & demonſtrat in nobis. Sic ergo progreditur natura, vt ab imperfectioribus B ad perfectiora pergat: & quæ pulchriora ſunt, tanquam colophonem quendam operis ſui poſtremo loco & tempore natura parit. Concedo quidem Cœlum ipſum ac ſydera eſſe excellentiora, quàm terra & Plantæ ſint, quia nulla in cœlo mutatio huiuſmodi cernitur, qualis in Terra eſt: propterea tamen prius naſci oportuiſſe non concedo, quoniam potius præſtantiora iudicantur ob id ipſum cœleſtia, quòd poſteriùs à Deo condita ſunt. A confuſis enim ad magis diſtincta: ab informibus ad magis formata: denique à tenuioribus ad pulchriora & perfectiora progreſſus eſt in Mũdi creatione etiam Deus ipſe. Habes igitur, quod ad primam illam obiectionem quærebas.

D. Secundo verò loco iidem obiiciunt, Solem & Lunam, & Sydera poſt Plantas & Arbores condi non potuiſſe, cùm earum producendarum hæc ipſa ſint cauſæ. *Sol enim & Homo*, aiunt, *generant hominem*. Et præclarè Theophraſtus, *Annus non tellus fructificat*, id eſt, influentia & vis Syderum, quę anni efficit tempeſtates, vim illam prolificam & productricem (ex qua Plantæ naſcuntur) Terræ C iniicit vel excitat. Ergo cauſam effecto ſuo poſteriorem creaſſet Deus, quod verè dici poſſe non putant.

P. Huic illorum tam robuſtæ, vt putas, rationi breuiter & commodè reſpondet cum Ambroſio & Chryſoſtomo Baſilius, nimirum ne Sol, vel Luna, vel Sydera huius Mundi, & rerum, quas è terra percipimus, cauſa probabili quadam ratione cẽſerentur, idcircóque cum colore aliquo ab hominibus colerentur, voluiſſe Dominum ea etiam ipſa ante Solem, & Lunam, & Sydera, exiſtere. Ergo maior ac turpior eſt eorum Populorum idololatria, minúſque excuſabilis, qui Cœleſtia hæc corpora pro Diis venerati ſunt, vt Dominus ipſe Deut. 4. conqueritur. Rebus enim iam conditis, Sol & Luna creata ſunt, & reliqua aſtra: quæ tamẽ ne fruſtrà & inutiliter & ad nullos vſus à Deo producta fuiſſe cenſerentur, docet Dominus ipſe, quorſum illa condiderit. Itaque nunc rebus conſeruandis ac producendis inſeruiunt, & vſum pręſtant ex Dei prouidẽtia & ordinatione maximum.

D. Intelligo, Sed tertio & vltimo loco dicunt, quum & Lux & Nox & Dies ante hanc quartam diem fuiſſe dicatur, oportuiſſe Solem & Lunam (quorum ille diei dominatur, éſtque vehiculũ Lucis, illa nocti) & Sydera quoque iam facta fuiſſe. Et idcircò Iob. cap. 38. 7. citant, ex quo colligunt initio, & primo Mundi die cœleſtia corpora iam extitiſſe, & Deo iubilaſſe. A

P. Reſpondebo ſi velim, idem quod nonnulli, Lucem illam, quæ prioribus diebus fuit, in genere Lucem nominari, quòd tunc dies à nocte diſtinguebatur. Sed quum Sol conditus eſt, tantùm ampliorem, & tamen definitum eiuſdem lucis vſum demonſtratum fuiſſe, qui per Solem nobis communicatur. Sed dico id quod res eſt, Idcirco ante Solem, & ante Corpora illa Cœleſtia creata Lucem extitiſſe, vt tanti illius beneficij, quod Lucis miniſterio percipimus, Deum in ſolidum autorẽ eſſe agnoſcamus, non autem Solem ipſum, vel Sydera: cùm Lux ante Solem ipſum fuerit, atque Mundo illuxerit, ſuúmque vſum abundè præſtiterit. Colligit igitur Dominus in Sole, Luna, & Aſtris, tanquã in Vaſis, illam iam à ſe conditam Lucem, quam diuerſa menſura illis infudit, vt eam tum de die, tum de nocte, quantùm vult, rebus inferioribus communicent ac velut adminiſtrent. Sunt igitur Corpora Cœleſtia illius Lucis vehicula, & vti dixi, vaſa, quam, velut infuſum ac ſuæ ſubſtantiæ adiunctum ſplendorem, habent, conſeruant, ac nobis B (quantam ad ſuæ miſericordiæ, vel iræ teſtimoniũ Dominus ipſe id fieri vult) vel præbent, vel ſubtrahunt. Itaque illa ſunt tantùm Lucis adminiſtra, nõ veræ illius cauſæ. Quod autem ad locum Iobi, nihil officit. Docet quidẽ omnia Dei opera ſui productione, & tam admirabili creatione fuiſſe collętata: quo verò ordine creata ſint, non exponit. Vnde perperam ex eo loco colligitur Sydera primo die condita fuiſſe, cùm id manifeſta Scripturæ autoritas refutet.

CAP. IIII.

Cur corpora Cœleſtia ante omnia animalia ſint condita.

D. SAtis tu quidem ad eorum rationes reſpondiſti, qui cœleſtia corpora quarto demum die extitiſſe negant: explica iam cur illa ipſa antea Piſces & terrena Animalia à Deo condita C ſunt.

P. Quamuis nihil aliud afferrem, quàm quòd ſapientiſsimo illi Mundi Opifici ſic viſum eſt, piis omnibus & moderatis ingeniis ſatisfacerem. Eſt enim vnius Dei voluntas omnium rerum optima ratio. Quis enim illo ſapientior eſt, aut quis illi cõſiliarius fuit? Iſa. 40. Huius tamen tam ſapientis operis ratio hæc mihi videri ſolet, vt etiam pertinacioribus ſatisfaciam, quod Dominus tria elementa & corpora à ſe iam creata atque diſtincta (Cœlũ dico, Mare, & Terram) pleno ornatu, id eſt, venuſtate & vſu abſoluturus, à Cœlo incepit, & ab Ætherea regione: Deinde ad Mare: demum ad Terram ipſam, id eſt, ad Elementarem regionem deſcendit. Itaque ea corpora ſuis ciuibus, & omni decore reliquo perfectiſsimè completurus eum ordinem ſequutus eſt, quem prius in collocandis & diſponendis ipſis corporibus & locis ſeu ſedibus obſeruauerat. Nam à ſublimioribus ad ima peruenit, in quo certè maior ipſius ſapientia ac conſtantia apparet, quòd quemadmodum, & quo ordine

A totum hunc mundum prius digeſſerat, ita, eodémque ordine poſtea ornauit.

D. Ergo hic quartus dies ciues, vt ita loquar, ac Ornatum Cœleſtis ſeu Æthereæ, quæ vocatur, regionis exponit.

P. Nimirùm. Itaque quæcunque hoc die creauit Dominus, paſsim in Scriptura ſacra nominatur *& ornatus* Cœli propter venuſtatem: & *Exercitus*, propter corporum illorum Cœleſtium, Syderum nempe, infinitam multitudinem, Iob.26.13. Iſa. 43. 5. Gen.2.1. Ad quæ Dei opera, tãquam ad pulcherrima & lucidiſsima ipſius infinitæ maieſtatis, Sapientiæ, & Potentiæ ſpecula reuocamur ſępiſsimè, vti Iſa.40.26. Pſal.8. Pſ.19. Pſal.139.7. Ex quo apparet, quàm ſint impij, qui, vt ait Ambroſius, hanc quartam cuiuſque Septimanæ diem, vt inauſpicatam habent, & damnant.

CAP. V.

Quid ſupra cœlos, cœleſtiáque corpora ſit, & inhabitet.

D. Porrò ſupra cœlos iſtos cõſpicuos, ſupráque omnia hæc (quæ oculis intuemur) Sydera nihilne omnino eſt?

B P. Imò optima quæque & immortalia illic ſunt, & quidem ea ipſa etiam à Deo creata vti & cætera. Sunt igitur ibi loca beatorum Spirituum, ſedes Angelorum & domicilia felicitatis, quæ Paulus videtur appellaſſe modò *Tertium cœlum*, modò *thronos* Coloſſ.1.16. alij cœlum Empyreum vocãt, quaſi igne candidiſsimo ſplendens. Sed quàm rectè hoc ipſi viderint, quum ea ſit locorum illorum natura, quæ neque cum elementis hiſce terrenis conferri poſsit: neque vlla ratione à nobis explicari. Adorandum ſanè myſterium potius, quàm noſtri ingenij captu metiendum. Sed earum rerum diſputatio minimè ad hunc locum, qui Phyſica tãtùm complectitur pertinet. Sunt enim iſta prorſus ἀόρατα nobis. Itaque rerum Phyſicarum nomine & genere non continentur: quanquam tamen ſunt res creatæ.

D. Eſtne verò hic quoque ipſe locus, in quem D.N. Ieſus Chriſtus quadrageſimo à Reſurrectione die aſcendit, ὑψηλότερος οὐρανῶν, id eſt, ſublimior

C cœlis factus? Dicitur enim Hebr. 7. 26. ſublimior cœlis, & aſcendiſſe ſupra omnes cœlos. Epheſ.4.10.

P. Sanè. Nam quanquam ille ipſe locus etiam cœlorum nomine paſsim in Scriptura vocatur Actor.1.10.3.21.1. Petr.3.22. eſt tamen hic conſpicuus conſpicuis & ὁρατοῖς cœlis (in quibus Aſtra collocauit Dominus) ſublimior. Ergo in eo D. N. I. Chriſtus verus quidẽ Deus, ſed quâ homo eſt, verſatur & manet ſedens ad dexteram Dei Patris, id eſt, gloriâ immenſa, ipſiſque adeò Angelis beatis ac cœleſtibus ineffabili & adoranda Maieſtate donatus. Vnde etiam venturus eſt in fine ſeculorum, vt iudicet viuos ac mortuos, quemadmodum eſt Act.1.10. Matth.26.64. disertè ſcriptum: ac omnis pia, eruditáque vetuſtas, & orthodoxa Eccleſia confitetur.

D. Cur hic ornatus Ætherεę regionis, id eſt, cur cœleſtia corpora hac quarta die, & quidẽ quo debuerunt ordine condita ſint, intelligo: expone verò quomodo ſint facta.

A

CAP. VI.

Quomodo corpora cœleſtia condita ſint in Expanſione.

P. Certè diuerſo à Plantarum & Animantium Creatione modo.

D. Vnde iſtud colligis?

P. Quoniam verbis aliis vſus eſt in iis producendis Dominus: & diſsimili naſcendi ratione ex ſuo illo Rachiah, id eſt, Cœleſti materia iam prima die à Domino creata extiterũt, quàm plantæ & Animantia ex Terra vel Aqua: quanquam tamen omnia Dei iuſſu & voluntate, Potentia, Sapientia ineffabiliſque ac miraculoſo modo prodierunt.

D. Explica teipſum.

P. Verba igitur quibus harum rerum cœleſtium ortus deſcribitur hæc ſunt, *Sint Luminaria in expanſione*: item *Fecit Deus Luminaria, & poſuit ea Deus in expanſione.* Gen.1.14.17. Illa autem, quibus Plantarum ac Animantium ortus exponitur, hæc ſunt, *Producat Terra, producant Aquæ.*

B D. At dicitur Deus *feciſſe beſtias* Gen.1.25. vti *& cœlos* iſtos: & *creaſſe cœlos magnos* verſ.21. Denique ita opus vniuerſum creationis Mundi concludit Moſes, vt nullum diſcrimen in modo rei vllius producendæ ſtatuere videatur Gen.1.31.2.2.

P. Non rectè animaduertis, cur Moſes generaliter ſcripſerit *Deum & feciſſe, & creaſſe omnia*, quum ex eo concludis non fuiſſe diſsimilem rei vllius producendæ modum. Sic etenim ille generaliter loquutus eſt, vt oſtenderet nihil à ſeipſo extitiſſe: ſed omnia à Deo: nullum alium, præter vnum illum verum & vnum omnium Deum, eſſe vel totius Mundi, vel vllius ipſius partis opificem, quemadmodum fanatici ac hæretici quidam ſenſerunt. Denique, vt ſolum Deum veram & vnicam eſſe huius vniuerſitatis efficientem cauſam demonſtraret, ſic disertè bis térve loquitur Moſes. Sed quum particularem cuiuſque rerum generis creandi rationem deſcribit ac enarrat, tum verò diuerſum rerum terrenarum ac cœleſtium creandarum modum fuiſſe manifeſtè docet. Illæ enim terrenæ iubentur è Terra vel aqua produci: Hæ

C verò cœleſtes iubentur duntaxat in ipſo expanſo cœli ſpatio exiſtere & exoriri. Itaque dicitur Dominus *illas in expanſione poſuiſſe*: cùm tamen idem minimè dicatur Plantas in Terra poſuiſſe: ſed terra ipſa potius eas produxiſſe ac effudiſſe commemoretur. Idem de piſcibus, idem de terreſtribus brutis animantibus ſentio. Quamobrem diuerſa eſſe narrationis verba, quibus vtriuſque (rerũ cœleſtium dico, ac terrenarum) generis productio deſcribitur, nemini iam ambiguum eſſe poteſt.

D. Quid igitur hęc verba, *Sint Luminaria in expanſione, & poſuit ea Deus in expanſione*, ſignificant?

P. Deum iuſsiſſe quidem, vt illa corpora cœleſtia, quæ Aſtra & Sydera vocamus, in ipſa cœleſti expanſione exiſterent ac orirentur: non tamen ſic ex ipſo cœlo vel cœleſti, ſi ita vis appellare, materia (quæ prima die ex nihilo creata fuerat, & cœlum appellata) enaſci vel produci voluit, queàdmodum plantæ è terra die præcedente extiterant. Quæ enim produci iubentur, ſic facta apparent, vt primùm ex ſuis materiis Dei iuſſu oriantur. Deinde, vt non ſemel tantùm ex iis naſci poſsint. Nam

vim

A vim prolificam ad continuandam eiuſdem rerum generis propagationem iniecit ei materiæ Dominus, quam *producere* aliquid iuſsit. Id quod vox ipſa *Producendi* tum apud Hebræos, tum etiam apud Latinos declarat. *Egredi fecit ex ſe*, aiunt Hebræi. *Produxit* dicunt Latini, quoniam ex ſeſe.i. ſuo corpore, vi iniectæ & conceſſæ ſibi fœcunditatis Terra vel Aqua extraxit quod iubebatur edere. Cœleſtia verò illa corpora nullam huiuſmodi materiā habuiſſe videntur, vnde orirentur: & ſi qua illorum materia fuit, ſemel tantùm illa Aſtra protulit. Fœcunditatis verò vim in poſterum nullam accepiſſe videri poteſt. Itaque Terra ipſa & Aqua adhuc hodie ſuos fœtus edunt, etſi non tot, quot olim. Nam ſimilia ex ſimilibus poſtea naſci in omni iſtarum rerum productarum genere voluit, ne vileſceret miraculum creationis, & ne prima illa indiuidua primùm creata non totius ſuæ ſpeciei Rationem & Legem accepiſſe: ſed ſingulare tantùm alicuius ἀτόμου beneficium habuiſſe exiſtimentur. Ergo etiamnum hodie ex vi illa ſibi iniecta fructus proferunt. Terra quidem Herbas, & quædam etiam Animalia, velut Ranas: Aqua verò B piſces, & varia Oſtreorum genera. Nam Verba Domini ad ipſam materiam dirigebãtur, quę producere iubebatur: at in Cœleſtibus Corporibus gignendis non materiam, ſed ipſamet corpora edenda Dominus alloquitur, vt nullum aut exiguũ materiæ vſum ac rationem in iis agnoſcere poſsimus.

CAP. VII.

Dubitationes tolluntur, docetúrque Cœleſtia corpora non eſſe immateriata.

D. At duo quædam tuæ iſti interpretationi repugnant.

P. Ecquæ verè?

D. Primùm quòd Cœleſtia hæc corpora ἄϋλα, & tanquam Deum ipſum ſimplicia fingere videris, ſi per te ſunt omnino immateriata: quum neque Animæ ipſę hominum, neque Angeli materia ſua quodammodo careant. Quicquid enim creatũ eſt, quantumuis ſpirituale, cœleſte, aut ſimplex appelletur, eſſentia & proprietatibus quibuſdam ac qualitatibus velut accidentibus eſſentiæ adiunctis C veſtitum & concretum eſt. Eſſentia verò ipſa in Angelis & Animis hominum quanquam non eſt propriè materia, tamen longè differt à ſimplicisſima Dei eſſentia. Ex quo fit, vt ſolus Deus verè & propriè ſimplex, & ἀσύνθετος dici poſsit. Quid igitur ad hæc reſpondes?

P. Quum Cœleſtia hæc corpora nego ex pręcedente materia propriè producta eſſe, non idcirco tamen hæc ipſa ſtatuo materia omni, id eſt, ſua materia carere, quæ (vti & eorum ipſorum forma) eo ipſo temporis momẽto à Deo illis data ſit, quo condebantur: ſed hoc duntaxat volo, non ſic iſta ex vllo quopiam ſubiecto, atque antea fabricato, &, vt Phyſici loquuntur, priùs exiſtente à Deo corpore effuſa eſſe, quemadmodum Plantæ, Piſces, & terrena Animãtia ex Aqua, & Terra nata ſunt. Cur enim non diceret Deus, *Producat Cœlum Solem & Lunam*? Neque tamen ἀδυναμία hæc Dei fuit, vt Cœlo vim eandem gignendi inijcere non potuerit: ſed ea fuit ſumma ſapientia, quòd noluit, quum aliam rerum harum cœleſtium conditionem eſſe vellet, atque etiam oporteret, quàm iſtarum terrenarum. A Itaque non ex vllo præcedenti elemento & corpore per modum ſeminis producta ſunt illa corpora cœleſtia, ſed potentia Dei, quæ creabat omnia, velut ex nihilo ſtatim ad Dei iuſſum in ipſa expanſione ſuperiori extiterunt: quanquam & hæc ipſa corpora cœleſtia formam ac materiam ſuam, ſed non aliunde eductam habent, quàm è Cœlo priùs condito. Dixit enim Dominus, *Sint luminaria in expanſione*.

D. Secundum obiicitur, quod & tu ipſe primo tractatu huius diſputationis dixiſti: & alij quoque plerique ſentiũt, Cœlum nimirum illud, quod primo die creatum eſt, ſic rude ac inornatum conditum fuiſſe, vt eſſet cœleſtium corporum poſtea gignendorum materia.

P. Fateor equidem me & ſenſiſſe & dixiſſe cœlum illud inornatum adhuc, fuiſſe rude quiddã, ac materiam rerum cœleſtium: ſed eo ſenſu, vt has poſtea editas vellem tantùm eiuſdem eſſe cum cœlo illo primùm condito naturæ ac materiæ: non autem ipſum illud cœlum corpora hæc produxiſſe, B & ex ſeſe velut ſeminali ratione emiſiſſe. Itaque in primo illo corpore qualis eiuſdem rerum generis materia, ſtatus, conditio, ac qualitas futura eſſet, Dominus oſtendit: nõ autem illud Cœlum rerum cœleſtium parentem ſeminali modo quemadmodum terram rerum terrenarum conſtituit. Id quod verum eſſe probat diuerſum loquendi genus, quo Dominus ipſe vſus eſt. Itaque neque hæc ipſa cœleſtia corpora producunt alia ex ſeipſis, vti Terrena corpora ex ſeſe alia gignunt.

CAP. VIII.

Cœleſtia corpora alia ex ſe ipſis non gignunt.

D. QVamobrem verò non ſic Cœlum illud vim gignendi cœleſtia habere voluit Deus, quemadmodum Terram Terreſtria, & Aquam Aquea & volatilia?

P. Quod iam tum aliam eſſe cœleſtium illorum corporum cõditionem decreuerat, quàm reliquarum huius Mundi partium. Quum enim ea minimè ordinariæ viciſsitudini & interitui aſsiduò obnoxia eſſe vellet, ſed ſingula illa in ſuo ſtatu C conſtanter permanere & perdurare vſque ad conſummationem ſeculi: neque ea vi prolificãdi prædita naſci voluit, neque laborem & legem naſcendi habere, vt vel alia ex aliis gignerentur, vel vt vnumquodque corpus cœleſte aliud ſimile ſibi produceret. Iſta igitur corpora cœleſtia, & ſingulariter, & ſingularia condidit Dominus: & perpetua in eodem ſuo ſtatu permanendi ac perdurandi lege, donec quidem hic mundus erit.

CAP. IX.

Cœleſtium corporum conditio & natura præ terrenis excellens.

D. SEd quánam de Cauſa tam excellenti conditione prædita eſſe illa corpora voluit Deus, præ terrenis & inferioribus?

P. Duplici. Primùm quidem quoniam illã immortali illi Cœlo, & beatorũ domicilio velut Deo ipſi futura erant viciniora. Itaque ea præclara qua-

A dam dote donata eſſe voluit. Nam diſsimili conditione & ſorte à rebus hiſce terrenis,& à Deo remotiſsimis eſſe oportebat. Deinde, quum illa corpora,vti loco ſuperiore à Deo ponebantur & collocabantur,ſic vi & poteſtate inferioribus pręſtarent,eſſéntque inferioris huius Mundi & regendi & conſeruandi cauſſæ,ſecundæ illæ quidem,ſed tamen validæ & moderatrices,neceſſe erat ne immẽſa quædam in rebus inferioribus confuſio perturbatióque quotidie cerneretur,illas ſuperiores cauſſas perpetuum ac ſtabilem ſtatum ſuum habere,ne ſi ipſę etiam nonnunquam interirent,vel vario,incerto,ac confuſo motu verſarentur, omnino nihil ineſſet certi conſtitutíque in rerum inferiorum generatione,conſeruatione,adminiſtratione,& vſu.Itaque illa ſuperiora minimè, vt hæc inferiora, ſunt fluxa,mutabilia,perpetuáque viciſsitudine,& nouorum indiuiduorum ortus interitúſve lege pereuntia,aut renaſcentia:ſed qualia primùm condita ſunt,ad hunc vſque diem conſtanter nulla debilitatione viriũ : nulla materiæ imminutione aut B fluxu:nulla ſenſibili qualitatis amiſsione vel deperditione facta perſeuerant.Hæc verò inferiora, etſi in ſuis ſpeciebus perpetuantur, in ſingulis tamen & indiuiduis cuiuſque ſpeciei cadunt & oriuntur quotidie,vel certo temporis ſpatio mutantur,imminuuntur,ac denique tanquam reciproco quodã fluxu generãtur & intereunt, quemadmodũ etiam præclarè in Timæo docet Plato.

CAP. X.

Singulas ſtellas creauit Deus, non tantùm duo Luminaria magna.

D. QVid? Vtrum ſingulas ſtellas creauit Dominus, cùm magnorum luminarium.i. Solis & Lunæ tantùm meminiſſe videatur Moſes?

P. Certè ſingulas produxit, & quidẽ primùm: ſed Synecdochicῶς præcipua tantùm commemorauit Moſes,vt quum de his maioribus & pręſtantioribus Aſtris tam apertum teſtimonium habeamus,minimè de illis minoribus dubitemus. Ita- C que Pſal. 147. 4. Iſa.45. Iob. 38. Deus omnibus ſtellis nomina tanquam earum opifex & Dominus impoſuiſſe, ac eorum-curſus regere dicitur. Id quod Pſal.8. & Pſal.136. ver.7.8.apertiùs adhuc dicitur.

D. Nullæne verò nouæ ſtellæ à primo creationis earum die editæ cenſendæ ſunt,ac ne ea quidem,quæ in Domini natiuitate apparuit?

P. Nullæ certè. Nec enim illæ generantur vel intereunt : ſed quæ, quot, & quales primùm conditæ ſunt,permanent & durant.Quæ autem in natiuitate Chriſti apparuit,vel Cometa fuit illuſtris: vel vna ex ordinariis ſtellis , quæ ſingularem curſum tunc tenuit.

CAP. XI.

De corporum Cœleſtium οὐσία qualis ſit,& primùm quid ſit ſtella.

D. INtelligo , quæ ad Creationis iſtorum corporum modum ac rationem pertinent : expone ſecundo loco,quę ſit eorundem natura,id eſt,quę afferri poſsit eorum οὐσίας definitio. A

P. Cupio, ſed vt hæc diſputationis pars ordine progrediatur,in certa quædam capita diſtribuenda eſt.

D. Ecquæ verò?

P. In hæc tria.Primùm de ipſa corporum Cœleſtium οὐσίᾳ tractemus:deinde de loco: demum de eorundem motu.Nam quæ de figura eorum quærentur,facilè inde colligi poterunt.

D. Sequere igitur partitionem abs te propoſitam,& primùm de ipſa corporũ cœleſtiũ οὐσίᾳ age.

P. Vt commodè hæc tam ardua quæſtio definiatur(quid enim re iſta tam procul ab oculis & ſenſibus noſtris remota obſcurius eſſe poteſt?) illud videndum eſt,quid ſit ſtella.

D. Quid eſt igitur ſtella?

P. Non diſtinguam voces ipſas *Stella*, *Sydus*, *& Aſtrum*,quòd iis promiſcuè autores vtantur:etſi quidam ſtellę nomen generale eſſe putant : Sydus autem appellant collectionem ſtellarum vnam quandam in cœlo effigiem repræſentãtium. Aſtrũ denique ſtellam vnam ſolitariam. Quemadmodũ enim Ἄστρα à lucendo Græcis dicuntur: ita Latinis Stellæ à ſtillando vel ſcintillando:& Sidera à ſidendo,vt à Feſto,& Varrone traditum eſt. Cocauim B Hebræi generaliter ſtellas omnes lucentes appellant,etſi quaſdam ſpeciali nomine donarũt, atque ab aliis diſtinxerunt.

D. De voce non quæro , ſed de re,quid ſit in genere ſtella.

P. Ariſtotelici ſtellam eſſe dicunt denſiorem partem eius orbis,cui affixa eſt. Qualis eſt nodus in tabula lignea ſcitè læuigata atque perpolita , vel clauus candidiſsimo alicui parieti impactus.Vt enim ſtella luceret,oportuiſſe ea parte cœlum , cui ipſa inhæret,eſſe denſius.Nam ſi tam διαφανὲς & pellucidum eſſet ipſum corpus ſtellæ , quàm reliquæ ſui orbis partes,non magis ſtella ſplenderet & lucem conciperet,quàm reliquum orbis corpus:qui tamen in alia ſui parte neque nobis lucet , neque ſplendet.Nam eſt in reliquo ſui corpore orbis ille,cui ſtella affixa eſt,ſubtilior, pellucidior atque tenuior,quàm vt lumen vllum emittat. Atque hi, quemadmodum totam illam Æthercam regionẽ negant ex vllo quatuor elementorum conſtare:ſic & ſtellas ex eadem materia componi negant : vláſve qualitates,quæ quidem ex elementis,aut elementorum contemperatione vel mixtione naſcan- C tur, ſuſcipere. Itaque neque eas calidas aut frigidas: leues vel graues:duras vel molles eſſe volunt: quanquam tamen eas concedunt in ſe quidem eſſe lucidas: in hæc inferiora verò cauſaliter (quia ex collectione reflexionéque emiſſæ lucis nobis lucent)calidas vel frigidas.Hæc Ariſtotelici. Itaque quinta quadam eſſentia cœlum,atque aſtra conſtare contendunt.Alij autem eas eiuſdem naturę,cuius & quatuor elementa eſſe volunt. Nonnulli nõ tantùm calidæ,ſed etiam igneæ naturæ & οὐσίας, etſi de cœli materia nihil quicquam affirmant. Inter quos Auguſtinus cenſeri poteſt , vt ex ipſius lib.2. de Gen.ad Lit.cap.3.intelligimus.

D. Quid tu verò?

P. Certè dixerim ipſe ſtellas & corpora cœleſtia,eiuſdem eſſe naturę cum ipſo Cœlo quod primo die creatũ eſt,éſtque longè à cœlo hoc noſtro inferiore(in quo Aquę cœleſtes conſiſtunt, & qui

A Aer vocari ſolet) certè diuerſum: tamen habere ipſas ſtellas hoc pro munere ſibi iniuncto, ſingulare, nempè quòd nobis lucem hanc & diurnam & nocturnam Dei iuſſu adminiſtrant. Itaque eam lucem collectam habēt, velut vaſa quædam & inſtrumenta ad hunc vſum à Deo deſtinata, vt eſt Hier.31.35. Quod idem de primo & ſuperiori illo cœlo non legimus, quando etiam illud ipſum ante lucem à Deo creatam obſcurum erat: & idcirco conditum eſt, vt eſſet nobis obſcurum quoddam velum, quod oculos noſtros à rerum ſuperiorum intuitu arceret.

D. Ecquam verò tuæ ſententiæ rationem affers?

P. Primum quòd hæc ipſa corpora & ſtellas ſacra Scriptura attribuat Cœlo iſti, quod prima die conditum eſt, cuius eas & ornatum & exercitum, vti iam docuimus, appellat. Deinde quòd & Chriſtus ipſe Matth.24.29. Luc.21.25. & Petrus in poſter. Epiſt. cap 3.10.12. ſimul vtrunque, id eſt, & cœlum iſtud, & ſtellas iſtas tanquam res eiuſdem inter ſe naturæ coniungit, & eodem modo diſſoluendum eſſe vtrunque docet: quum tamen alium B diſſoluendorum elementorum modum deſcribat. Denique quoniam quis ſtatus, quæ conditio, quæ conſtantia, quæ natura in illo Cœlo obſeruari poteſt, eadem etiam in ipſis ſtellis animaduertitur.

D. Quid igitur? Cœline illius partem, & quidem denſiorem ſtellas eſſe cenſes?

P. Minimè equidem. imò verò, vt poſtea dicturus ſum, ne in illo quidem ſupremo, noſtri ratione, cœlo, eas ſitas & collocatas eſſe cenſeo. Itaque fruſtra & cœlum fixarum ſtellarum, & firmamentum appellari: ſed tamen materiam earum, & Cœli eſſe eandem videor mihi ſatis probare atque confirmare poſſe.

CAP. XII.

De Cœlo extimo, quod, & quale ſit.

D. DE eo igitur age.

P. Cœlum illud ſupremum extimum ſeu extremum, & quod primo die creatum eſt, pulcherrimum Dei opus eſſe nemo diffiteri C poteſt. Itaque ab Hebræis ערבה Gurauah, à pulchritudine nonnunquam appellatur vti Pſál. 68.5. Eſt enim lucidiſsimum infinitæ Dei Opt. Max. potentiæ & ſapientiæ ſpeculum atque teſtimonium, vt eodem Pſ.68.34. demonſtratur. Hoc Cœlum à nubium & pluuiarum receptaculo & loco, qui שחק Schacaq dicitur, toto genere differt. Cœlum porrò, quod à cælando Latini nominant Cœlum idcirco, quia ſtellis cœlatum ſit, & ornatum, magis eſt expanſio ipſa latiſsima, in qua ſunt ſtellæ, quàm ipſum ſupremum Cœlum ac extimum. Cæterùm Cœlum extimum noſtri ratione, & aſpectabile eſſe, & conſtare materia, & ea quidem toto genere à rebus his inferioribus diſsimili, ſatis ex effectis apparet. Etſi enim creatum eſt ſimul cum Terra, mirâ tamen Dei potentia diuerſam ab eo & materiam & naturam ſortitum eſt, quemadmodum res ipſa, & tot ſeculorum experientia confirmata docet. Eam verò non quintam, vt Ariſtoteles, eſſentiam dixerim: ſed tertiam tantùm ab Aquæ & Terræ natura diſcrepantem miniméque iiſdem mutationibus aut perturbationibus obnoxiam, quibus Terra & Aqua quatitur & ſubdita eſt.

A D. At quidam Cœli huius materiã eſſe Chryſtallinam exiſtimant, ex Ezech.1.22. Itaque eſſe tenuiſsimam & ſubtiliſsimam, quæ oculis à nobis propter ſummam διαφανότητα & pulluciditatem cerni non poſsit.

P. Quid illa ſit, nõ facilè dixerim. Nam quod ex Ezechiele affers ad expanſionem ipſam in qua ſunt ſydera collocata, pertinet: non ad extimum illud corpus & cœlum, de quo agimus. Quemadmodum & illud, quod eodem Prophetæ capite verſ.26. dicitur eſſe Sapphyri colore. Iſtæ enim metaphoræ colorem quidem oſtendunt, quem oculis noſtris præbet nitor tum aeris, tũ illius quoque expanſionis ſuperioris, in qua ſunt ſydera: ὕλην tamen Cœli & Syderum non explicant, quia neque eam ſcire ad ſalutem noſtram attinebat, & tam egregiæ naturæ explicandæ ratio alia non erat, quàm huiuſmodi quibuſdam metaphoris ac ſimilitudinibus.

D. Quomodo igitur Cœli illius extimi naturam explicabis?

P. Ex pulcherrimo ipſius proprio. Eſt igitur hæc illius natura, vt licet primo die (vti Aqua & B Terra) creata à Deo ſit, minimè tamẽ ex illis duobus elementis conſtet: ſed tertia quadam eſſentiâ ſimpliciore, leuiore, conſtantiore, ſeu firmiore, quæ neque labefactata eſt à die originis ſuæ, neque vllam mutationem ſenſit: & tamen eſt ipſa per ſe caduca, vti creata omnia conſpicua, & tandem cum reliquo Mundo peritura, quemadmodum tota Scriptura teſtatur Pſal.102. Matt.5.18.

D. At nonnulli illud Cœlum στερέωμα vocant à ſoliditate; quod Latinè conuertunt *Firmamentum*.

P. Si illi ſoliditatem interpretantur perpetuam, & conſtantem naturæ ſtatúſque ſui conſeruationem, facilè quidem illis aſſentiar: ſin eam ad conſtructionis, & ipſarum illius partium condenſationem, aut materiæ craſsitiem & duritiem, illi viderint, quid dicant, & quomodo quod dixerint, probent: eorum enim ſententiam non probo. Sed neque etiam mecum probat Cedrenus autor Græcus, qui cœlum στερέωμα ἀπὸ τῆς στερήσεως & tenuitate dictum putat. Eſt igitur ea Cœli, & ſtellarum, id eſt, cœleſtium corporum natura ab his inferioribus differens, C 1. Quòd hęc terrena & indies, vel ſingulis etiam horarum ſpatiis debilitantur, ac tandem mutantur, & naturæ lege intereunt: Cœleſtia verò illa, in ſuo illo primo ſtatu omnia & ſingula permanent. 2. Quòd hæc inferiora propter ſingulorum indiuiduorum interitum generantur alia ex aliis, vt genus ipſum earum perpetuetur: Cœleſtia verò ipſa, etſi ſunt indiuidua, eadem tamen permanent. Itaque cùm in iis indiuidua minimè intereant, nec opus habent generatione tanquam noua labis acceptę reſarcitione, & in demortuorum locum ſubſtitutione ad ſpeciei ſuæ conſeruationem.

CAP. XIII.

Cœleſtia corpora non ſunt animalia.

D. AT verò tu hac ratione ea corpora Deos facere videris?

P. Apage profanã iſtã blaſphemiã, & idolo

A latriam horribilem, quam meritiſsimò damnat Scriptura. Eſt enim Cœlum creatura, & periturũ, & ſola Dei ſapientiâ ſic ſuſtentatur: non autem ſua virtute tandiu perdurat. Imò verò neque ipſum, illáve corpora cœleſtia ſunt animata, ac animalia, etſi vi illis à Deo iniecta, in ſuo ſtatu firmiter perſtant. Quo modo verò Animalia & ſenſu prædita eſſe iſta poſſunt, quæ ne vegetantem quidem animam habent, qua nec opus habent, cum non egeant cibo?

D. Atqui Priſcillianiſtæ ſydera animata eſſe putant, & idem pleriſque quoque Philoſophi, tum Ariſtotelici, tum Platonici volunt.

P. Sic eſt. Sed iidẽ illi ea ipſa ſydera Deos eſſe impiè crediderunt, & vnà cum reliquis miserè atque inſanè adorarunt. Priſcillianiſtas autem quid mihi commemoras, quos hæreticos fuiſſe, & quidem iam pridem damnatos, non ignoras?

D. Quid, quod Auguſtinus ea etiam ipſa propter tam excellentem & conſtantem naturam, ad Angelorum & Eccleſiæ ſocietatem quodammodo pertinere ſcribit in Enchirid. ad Laurentium B cap.58. & in lib. de Gen. cap.8. in fine?

P. Auguſtinus in ea re, quemadmodum in aliis pleriſque, πλατωνίζει. Quanquan ille dubitãter, non autem aſſeueranter iſta ait, quæ commemoras. Quomodo verò eſſe in Eccleſia cenſeri poſſunt Aſtra, quæ etſi lucida eſſe Auguſtinus concedit: ſenſum tamen (qui etiam nobis eſt cũ Brutis communis) habere, & quidem verè, idem negat?

D. Stellas igitur, & corpora illa cœleſtia eſſe eiuſdem naturæ nimirum vis, quam in cœlo ſupra expoſuiſti.

P. Planè, cùm vti illud: ſic ipſæ illi vicinę perpetuò ſtatum ſuum, eúmque illibatum retinuerint. Quanquam tamen mortales ſunt & ipſæ. Neque verò ex aqua, neque ex terra productæ dicuntur, vt aqueæ, vel terrenæ cenſeri poſsint: ſed eandem omnino, quam Cœlum illud primo die conditum, legem acceperunt, atque etiamnum hodie ſeruant. Lucidas igitur eſſe ſtellas, & quidem per C ſe ſuáque natura, id eſt, vi illis à Deo inſita, qui negat, ipſi Dei verbo apertiſsimè repugnat, etſi quũ eſt nimia tenebrarum & noctis vis, tenuis illa ſtellarum lux facilè offuſcatur. Nam vt lucem ipſam nobis etiam noctu adminiſtrarent (quantùm quidem noctis ratio, & laboris quietiſve viciſsitudo exigit) conditæ ſunt à Deo, quanquam quidam Ariſtotelem potius, quàm Moſem ſecuti, eas lucem à Sole mutuari contendunt: & ex ſeſe habere nolunt.

CAP. XIIII.

Stellæ vtrum calidæ, frigidæ, &c.

D. SVntne etiam calidæ, & frigidæ, & huiuſmodi, quales multos effectus in his inferioribus producunt?

P. Cùm de eo nihil Scriptura perſpicuè affirmet, certè poteſt quilibet Chriſtianus dicere, quod olim Romani iudices, *Non liquet* vel *Amplio*. Alii tamen eas eſſe & calidas exiſtimant & frigidas, quòd quæ talia non ſunt huiuſmodi nulla effecta producunt. At multa calefacit Sol, multa Luna refrigerat: Stellæ quoque ſua quædam huiuſmodi effecta demonſtrant: ex quibus ea omnia calida vel frigida quoque eſſe cõcludunt. Alij reflexionum. i. collectorum & conſpiſſatorum lucis radiorum, quos in ſolidum aliquod corpus emittũt, vi & geminatione inferiora ab iis calefieri contẽdunt. A Sed quam illi cauſam afferent, cur quædam ab iiſdem ſtellis, velut à Luna, refrigerentur? Certè huius effecti cauſam minimè, meo quidem iudicio, reflexionem illam ſuam ſtatuent, & eſſe dicent, quoniam potius illa reflexio radiorũ Lunæ calefaceret. Alij volunt quoniã Aſtrorũ motus eſt primus motus localis, iſque motus omnes in his rebus inferioribus mutationes efficit, inter quas præcipua eſt Calefactio ac refrigeratio, idcirco ab aſtrorũ motu, non autem à radiorũ vi aut lucis eorũ reflexione res & calefieri & frigefieri. Denique hæc vna cauſa fuit, quamobrem Ariſtotelici negarent cœleſtia illa corpora has qualitates ſuſcipere poſſe, quòd ea & æterna & immortalia eſſe contenderent: quod conſequens cùm ſit falſiſſimũ, vt ex perpetuo fidei Chriſtianæ dogmate intelligimus (ſunt enim illa ipſa, vt hæc terrena & à Deo creata omnia, & per ſe caduca & mortalia atque διάλυτα) eſt igitur falſum quoque Ariſtotelicorum antecedens. Itaque mihi præclarè Auguſtinus ſenſiſſe videtur, qui *plaraque ex iis calida eſſe* ſcribit: & Bernardus quoque, qui ait Sermo. 3. de verb. Domini, *Lunam ſplendorem habere ſine feruore. Solem autem & ſplendorem ſimul*, *& feruorem.* B Quomodo denique & ξηραντικὰ & ὑγραντικὰ à Ptolomæo aſtra vocantur, ſi neque calorem, neque frigus habere dici poſſent? Adeò vt mihi non magnoperè contendendum eſſe exiſtimem, ſi quis iſta corpora volet ſuſcipere huiuſmodi qualitates, quemadmodum & lucem ipſam, à quibus tamen qualitatibus minimè, quemadmodũ nec à luce ipſa, eorũ οὐσία labefactetur propter materiæ ipſius, qua conſtant, diuerſitatem & ſtabilitatem: & maiorem, quàm in his rebus terrenis, illius στερρότητα ſiue firmitudinem, qua ἀμετάβλητος Dei ordinatione ac ſuſtentatione perdurat.

CAP. XV.

De Corporum Cæleſtium loco.

D. HActenus de Corporum illorum οὐσίᾳ, & velut materia abs te dictum eſt: nunc de loco explana, quid ex ſacra Scriptura didiceris.

P. Facilis ſanè reſponſio. Quid enim nodum in ſcirpo quærimus, aut quid apertiùs dici poteſt C quàm quod his verbis dixit Moſes? *Poſuit ea Deus in expanſione.* Quid eſt autem hæc expanſio aliud, quàm illud totum ſpatium, quod inter Cœlum extimum & aquas cœleſtes ſiue aerem intercedit, quam alij regionem Æthercam appellant?

D. At expãſio ſæpe pro eo ſpatio, ſupra quod nubes & aquæ cœleſtes conſiſtunt, accipitur.

P. Verum dicis: ſed hoc ſignificato iam à nobis accipi non poteſt, cùm illud ſpatium non ſyderibus & ſtellis: ſed auibus & volucribus deſtinatũ eſſe poſtea Moſes ipſe apertè demonſtret. Præterea ſupra cœleſtes illas aquas, Solem & Lunam & cæteras ſtellas collocatas eſſe tum ipſa rerum experientia docet, quum à nubibus obſcurentur: tũ Aſtronomorum diligens obſeruatio & demonſtratio probat.

D. Nullã igitur ſtellã illi primo Cœlo affigis.

P. Sed nec veritas ipſa, id eſt, Spiritus Dei per Moſem loquens affixit. Itaque fruſtra illud ſtellarum

A larum fixarum cœlum eſſe quidam putant atque appellant. Omnis enim, quantacunque eſt, ſtellarum multitudo (eſt autem nobis infinita, quanuis earum numerus ſit Deo & certus & comprehenſus Pſ.147.4.) medio illo ſpatio continetur, quod eſt inter aquas cœleſtes, & Cœlum illud conſpicuum, quod & ſupremum eſt, & primo die creatum fuit, *In expanſione enim ea poſuit Deus*, ait Moſes: non ait *poſuit ea in illo primo Cœlo*, quod erat dictu facillimum, & intellectu, ſi modò res ita haberet.

D. Paradoxon quiddam nobis narras.

P. Non dubito quin id multis ipſum Moſis locum non ſatis diligenter perpendentibus, nouū videatur: ſed tamen quod dico, vetus eſſe contendo, quia verum eſt, & ex ipſis ſacræ Scripturæ verbis apertè ductum.

CAP. XVI.

De orbibus cœleſtibus an ſint aliqui.

D. QVid verò, Stellaſne ipſas ſingulas in ſin- B gulis orbibus eſſe putas: an quæ fixæ dicuntur vno quodam ſpatio & ambitu contineri? quæ verò ſeptem Planetæ nominantur, quia diuerſum à reliquis motum habent, ſingulos ſuis ſeparatiſque circulis & cœlis volui cenſes?

P. Non deſunt qui ſic in tota iſta ſuperiori expanſione, tanquam in magno loci ſpatio, ſtellas agitari & moueri velint, quemadmodum in mari & aquis piſces, in aëre volucres: & in terra homines mouentur, nullis orbibus inter ſe diſtinctas. Quam ſententiam magnis rationibus tuetur Fracaſtorius ex dogmate veterum Pythagoreorū. Sic enim & ad replendum illud ſpatium conditas eſſe ſtellas, & illius eſſe habitatores atque incolas, quêadmodum aues expanſionis inferioris: & piſces ſunt aquarum ac Maris incolæ. Inde fieri, vt earum verus motus ad hunc vſque diem, quantamcunque in eo perſcrutando diligentiam Aſtronomi poſuerint, tamen ab illis ignoretur. Nam antea illi nouem tantùm orbes ſeu Cœlos: poſtea decē: at nunc vndecim fabricantur, quia motum latitudinis præter iampridem additum Trepidationis, C & Titubationis motum, neceſſarium eſſe putant ad ſtellarum iſtarum fixarum curſum exactè & accuratè percipiendum & definiendum. Mouentur igitur in illo tam lato ſpatio Sydera & ſtellæ non citò, ſed lentè: non perturbato rotatu, ſed certiſſimo ſtatóque curſu, quem ſtella quæque ſuis certiſque temporum ſpatiis conficit.

D. Huicne opinioni aſſentiris?

P. Equidem vt illud expanſionis ſpatium, in quo ſunt corpora hæc cœleſtia, non puto iis circulis & orbibus diuiſum atque diſſectū, quos Aſtronomi in Cœlo pingunt ac diſtinguunt: ſed totum illud ſpatium, quàm latum & magnum eſt, vnū tamen & continuum eſſe ſentio: ſic Aſtronomis aſſentior, qui diuerſis interuallis tanquam locorum ſpatiis & ſedibus ſtellas fixas à Planetis ſitas putant: atque etiam illas fixas docent his Planetis eſſe loco ſuperiores. Id quod veriſſimū eſſe & ratio demonſtrat, & experientia ac obſeruatio diuturna. Nam illum tam apertum locum Prophetæ Amos, qui eſt cap.9.6. quis in dubium reuocare poſſit? Præterea aliæ aliarum curſum impedirent & interciperent, ſi in eadem omnino linea omnes concurrerent, motúſque ſuos diuerſis modis agitarent. A

D. Quot igitur iſtorum Corporum Cœleſtium diſtincta ſpatia conſtituis?

P. Ex Damaſceno, viro & Chriſtiano & in Aſtronomicis diligenter verſato ſic didicimus, locum eſſe ſtellis omnibus, quas fixas vocant, deſignatum ac conſtitutum, latum & longo ſpatio diſtentum: in quo præter vulgares ſtellas ea quoq; ſigna ſita ſint & moueantur, quæ tribuuntur Zodiaco circulo. Is enim propter varias animalium figuras (quas varius ſtellarū ſitus noſtris oculis repræſentat) *ſphæra ſignorum ſeu ſyderū* ab Hebræis & Arabibus Phyſiologis appellatur. Hic igitur Zodiacus eſt velut primus locus in ſuperiori illa expanſione obſeruādus. Deinde Aſtra & Sydera reliqua. Tum poſtea in eadem expanſione ſequuntur varia ſpatia, in quibus ſunt Planetæ collocati ordine: alij quidem ſuperiori, alij verò inferiori loco, qui Planetæ, quia cæteris lucidiores ſunt, ſtellæ Luminis videntur appellari Iſ.13.10. Pſalm.148.3. Hi autem, in ſuo quiſque ſpatio, mouentur, ne quia diuerſos & diſſimiles motus habent, ſibi ipſis obſtarent poſiti in eadem linea. B Sed vtrum orbem ſuum eundo findat Planeta, vt auis aërem ſcindit, dum volat: & piſcis aquam, dum natat: an quiſque cuidam orbi ſuo affixus ſit, cum quo tamen proprio quodam motu voluatur, longa eſt & dura inter iſtarum rerum ſcriptores & indagatores, Aſtronomos dico, & Ariſtotelicos Phyſicos, altercatio. Inde enim nati ſunt Epicycli, Eccentrici, Æquantes, Deferentes Circuli, & cætera huiuſmodi præter Eclipticam illam Zodiaci Lineam, à qua certis duntaxat ſpatiis & menſuris (quas illi gradus vocāt) cuique ſpatiari & diſcedere fas eſt.

CAP. XVII.

De Planetis, qui ſunt ſeptem.

D. QVi ſunt igitur iſti Planetæ?

P. Nollem iſtius appellationis meminiſſe, quia profanorum idolorum nominibus appellantur, atque vtinam à Chriſtianis ſcriptoribus, qui iſta tractarunt, aliis vocabulis denominati nobis fuiſſent Planetæ. Dicam tamen, quia ſciſcitaris. Sunt igitur hi ſeptem, vt ex Iſ.30.26. colligunt quidam, C Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, qui (quicquid plerique diſputent) Medius eſt, nempe Cor & Dux reliquorum Planetarum: poſt quem ſequuntur ordine Venus, Mercurius, & Luna. Diuerſo autem motu à cæteris ſtellis hos ſeptem Planetas ferri ſciunt omnes, qui iſtarum rerum cognitionem vel ſummis tantùm labris deguſtârunt: & eos eſſe longè cæteris ſtellis ſplendidiores, adeò quidem, vt etiam Venus ſeu Veſperugo, præter Solem & Lunam, etiam vmbram efficere, & lucem poſt occaſum Solis prorogare dicatur, & quidem ex reliquis quinque Planetis ſola. Græci ſuis eos nominibus, iiſque ſæpe variis, appellant, quæ & Damaſc. lib. 2. de Orthodoxa fide: & Ptolemęus: atque ante vtrumque & Plato & Ariſtoteles commemorarunt, ex quibus illa peti potuerunt.

CAP. XVIII.

Stellæ & cœleſtia corpora cur ſupra terrena ſunt collocata.

A D. CVr verò ſuprà Cœleſtes illas aquas Stellæ ſunt à Deo collocatæ? Num vt aquis ſtellæ vicinæ earum exhalatione velut cibo paſcerentur,quemadmodum & Platonici & Stoici volunt?

P. Quid verò iſtis opus eſt paſtu, quæ neque vllum ſuæ ſubſtantiæ detrimentum ac imminutionem,ſicut hæc inferiora,ſentiunt? neque vllam mutationem aut labefactationem, quemadmodũ diximus:ſed tam integræ plenæque (quãtum quidem à nobis percipi poteſt) permanent etiam hodie, quàm primùm à Deo creatæ ſunt. Hæc igitur cauſa fuit,cur eo potiſsimùm loco à Deo ponerentur hæc corpora Cœleſtia,quòd voluit Deus hæc inferiora ab illis ſuperioribus regi, & per eorum motum tum conſeruari,tum etiam determinari.Itaque vires quædam à ſtellis in hæc inferiora de illo ſuperiori loco influunt, vt Plantæ creſcant:& animalia ſuę vitę ſpatia conſtituta habeãt, ac peragant. Superioribus enim illis corporibus Deus vtitur,tanquam ſecundis quibuſdam cauſis, à ſe in eum vſum creatis:qui tamen eſt ipſe per ſe-
B ſe omnipotens, neque propterea ſuum imperium ſuámque potentiam illis remiſit. Quamobrem illas ſtellas ſupra omnia inferiora & terrena collocauit, inter quæ terrena etiam illæ cœleſtes aquæ comprehenduntur.

D. Sed quàm procul ſtellæ ab hac Terra diſtant?

P. Non omnes quidem pari interuallo. Nam ex ipſis etiam Planetis, alii ſunt nobis viciniores, quàm alij.Luna nobis eſt citima ac proxima. Sol ſuperior quàm Luna. Aſtra autem fixa ſunt ſuperiora Planetis omnibus & à terris remotiora.Vnde excelſæ præ cæteris dicuntur,Iob.22.12. Itaque & mole etiam maiores ſunt ſtellæ illæ fixæ, quàm Planetæ : & in ipſis Planetis ij corporis mole maiores deprehenduntur , qui ſuperioribus gradibus & ſedibus ſiti ſunt. Lunæ igitur diſtantia à Centro Mundi continet ſemidiametrũ Terræ ſexagies & quater. Minima verò Solis diſtantia à Centro Mundi continet ſemidiametrum Terræ millies & ſeptuagies. Ergo interuallum duo-
C rum magnorum Luminum inter ſeſe cõtinet diametrum Terrę millies ſexies,vt huius ſupputationis diligentes Indagatores Aſtronomi tradiderũt. Ex quo fit,vt rectè & Baſil.& Ambroſius ſtupidos iſtos damnent, qui Solem tantùm bipedalem eſſe exiſtimarũt,quales Epicurei. Exiguus quidem Sol videtur, ſed id fit propter tam longum locorum interuallum , propter quod humanus caligat aſpectus , veluti cùm procul Inſulas etiam maximas intuentes punctum terræ tantùm eſſe eas iudicemus. Cùm enim vno momento totum hemiſphæritum Sol irradiet , id eſt , dimidiam Terræ partem , Solem maximum eſſe oportet. Quod & de Luna quoque dicendum eſt, eam non eſſe bipedalem. De reliquorum Planetarum ſpatiis ex iiſdem Aſtronomis diſces, imprimis autem ex Alfragano celeberrimo Arabe & Aſtronomo,cui ſucceſsit Albategni. Sed & idem Planeta ſæpe nobis vicinior eſt,ſæpe remotior. Vnde eorum Auges & Epigæi diſtinguuntur.

CAP. XIX.

De motu cœleſtium corporum,& cœli ipſius.

D. ET hæc quidem de ſitu & loco corporum A
illorum cœleſtium ſatis:dic de Motu.

P. Moueri & cœlum ipſum , & Cœleſtia Corpora qui negat,is mihi nõ tantùm omni corporis ſenſu & motu carere ipſe videtur : ſed etiam apertiſsimè & Rerum Euidentiæ , & Dei Verbo repugnare, quum ex Pſ.19.& ex Eccleſiaſte cap.1. Solem moueri perſpicuè cognoſcamus:& id experiamur quotidie in ſyderibus,quę cernimus ab ortu in occaſum ferri & cieri. Sed & cur & quomodo moueantur, maior quęſtio eſt , longéque difficilior.Moueri Cœlũ ipſum, motúque illo vehementiſsimo & celerrimo (quid enim celerius ac velocius,quàm intra XXIIII.horarũ ſpatium vniuerſum hũc Terrarũ orbem circumire, tãtúmque ambitum conficere?) motu,inquam , Cœli totam illam ſuperiorem expanſionem , & quæ in ea ſunt corpora rapi veriſsimum eſt.Quod vel oculorum ipſorum aſpectus,& quantulacunque ſyderũ obſeruatio probat, adeò vt ne ruſtici quidẽ, qui ſolo oculorum aſpectu edocti ſunt, id ignorent. Cur verò ſic Cœlum ipſum moueatur , reliquáque ſe-
cum,id eſt,ſuo motu cieat,& moueat, ratio eſt , vt B
lux illa Cœleſtis nobis vario modo diſpenſetur ad rerum inferiorum tum ortum & conſeruationem: tum etiam labefactationem, ac tandem interitum. Ipſum quidem Cœlum ſic voluitur & circungyratur (in gyrum enim volui docet Scriptura Iob.22. 14.) vt faciliùs ſuperiora velet , ac obtegat nobis cœleſtia, quæ ſupra ſe ſunt. Nam nobis vel acerrimè in ea intuentibus & inquirentibus, aſpectum tamen illarum rerum ſua illa volutatione cœlum intercipit. Hic enim fuit eius creandi finis,vt eſt Pſalm. 104.2. nempe vt nobis ad comprimendam noſtram curioſitatem frænum eſſet, & ad cœleſtia illa ἀόρατα nobis intercludenda tanquam velũ & obſcuriſsimum aulæum obiiceretur.Mouentur autem & cœlum & Sydera in gyrum, & circa vniuerſam Terram , nequa Terræ pars Lucis illius Cœleſtis expers eſſet : quâ ſi careret, iners, triſtis, infœcunda , & prorſus Bohu quædam maneret. Quod eſſe iterum in Terra Dominus noluit poſt ſeparatas aquas à Terra. Vnde autem.i.qua de cauſa ſic præceps voluatur & moueatur & Cœlum , &
cœleſtia,quærunt plerique.Nam perpetuo ac irre- C
quieto & tamen illaborioſo,eodémque vniformi, non diuerſo : naturali & conſentaneo:non autem coacto vel violento motu Cœlum ita in gyrum cieri ſciunt omnes.Cuius tam perpetui,admirabilis & ſtupendi motus cauſam alij tribuũt materiæ ipſius Cœli:alii formæ:alij figuræ:alij intelligẽtię, quæ cuique orbi cœleſti affixa , & tanquam homo glebæ addictus,alligata ſit. Anſelmus lib.2. Cur Deus Homo.cap.18.putat *violentia* , vt ipſe loquitur,id eſt , *inclinatione naturalis conditionis,non vi alicuius æternæ animæ,cœlum ſic volui & circumagi*. Singulis Planetarum , & aſtrorum orbibus ſingulos angelos (quas Ariſtotelici *Intelligentias* vocant) eſſe præpoſitos qui ſic eos moueant,ſcribunt Rabbini,imprimíſque Dauid Kimhi in Oſe. 12.1.quorum ſententiam videtur ſecutus eſſe primus Cyprianus,deinde Hieronymus in Abac.cap.1. ídque etiam quidam confirmari putant Iob. 22. 14. De quo ipſo videndus eſt Bernardus lib.5. de Conſidera.poſt Ariſtotelicos.

D. Quid verò ipſe ſentis?

P. Apage iſtud de intelligentiis Ariſtotelicis, A aut Angelis Rabbinicis affixis alicui cœlo,& orbes illos Cœleſtes cientibus ac rotātibus inſomnium. Angelos enim iſtis orbibus tanquam Ixiona, aut Syſiphum ſuæ rotæ & ſaxo voluendo affigit miſerè iſta ſententia, & perpetuò affigit: quos quidem etſi piis ad conſeruationem dari, aut prouinciis ad tempus deſtinari ſacra Scriptura teſtatur Hebr.1.14.Pſal.34.7.Daniel.10.21.tamen iſtis globis cœleſtibus adſcriptos eſſe nuſquam docet. Ergo vigore agilitatéque formæ,ac vi proprietatéque naturę ſibi à Deo inſitæ ſic Cœlū perpetuo motu ad huius inferioris Mundi pulcherrimam Conſtitutionem & conſeruationem cietur, quemadmodum Terra à Cœlo remotiſsima, illíque ſubiecta perpetuò ſtat, vi & torpedine quadam naturali illi à Deo inſita, vt Terra faciliùs effecta & influentias cœli & corporum cœleſtium reciperet: vt quemadmodum illa duo Cœlum, inquam illud,& Terra hæc locis contrariis diſsita ſunt & diſiuncta: ſic & contraria qualitate prędita eſſent. Cœlum enim conſtanter idem manet, etſi mouetur:Terra mutatur in dies, etſi ſtat.Ergo contraria inter ſe B conditione & lege conſiſtunt & vtuntur Cœlum, & Terra. In quo ipſo apparet ſumma Dei tum potententia,tum ſapientia.

Cap. XX.

Aſtra moueri motu cæli extimi ſeu ſummi.

D. QVid Aſtra?

P. Aſtra tanquam agitabilia corpora vehementi illo motu facillimè rapiuntur, & ſpontè contorquentur. Nam ad illius expanſionis ſupremæ,quæ ſuper aquas cœleſtes eſt,ornatum & cōplementum condita ſunt, vt effecta duorum illorum Luminarium maiorū,id eſt,Solis & Lunæ, quodammodo mitigent & variè temperent, lucémque, quantam quidem illis Dominus dedit, adminiſtrent nobis.

Cap. XXI.

Planetæ duplici motu cientur,ſuo,& cæli, id eſt,alieno.

C D. QVid Planetæ?

P. Illi etſi Planetæ velut vagi & errones appellantur, tamen in expanſione proculdubio ſe certis legibus & regulis mouent,ſed alio,quàm Cœlum ipſum,motu & ordine. Planetæ enim ab Occaſu ad ortum: Cœlum ab Ortu ad Occaſum ſeſe ciet. Vtrum autem ſinguli ſingulos orbes habeant: vtrum circum eos ſe volutent & contorqueant, an potius eos circungyrent & circumeant:vtrum denique in aliqua orbis ſui parte infixi perpetuò manentes ipſum ſuum orbem cōuertant, eſt alterius artis,quàm iſtius,propria tractatio:eſſe autem certos, & certis temporibus definitos Planetarum & reliquorum Aſtrorum motus, apertiſsimè docet ſacra Scriptura,quæ totam curſus & motus eorum rationem lineæ definitæ & circunſcriptæ nomine deſignauit.Pſal.19.5.

D. Atqui dicitur Sol,qui vnus eſt ex Planetis, iſque præcipuus, moueri ab ortu ad occaſum:cur non itidem & cæteri Planetæ?

P. Non agit illîc de proprio Solis motu Scriptura, qui intra 365 dies.i. intra annum plenum conficitur:ſed de eo potius,quo Sol à Cœlo rapitur & voluitur per ſingulos dies, ſitque intra 24. A horarum ſpatium, quo eodem motu & reliqui quoque Planetæ cientur: Et tamen in ſuis ſedibus ab alio capite & loco ordientes motus ſuos peragunt, vti ſi quis in naui, quæ deorſum labitur, ipſe contra à puppi in proram eat & contendat.

D. Cur autem duos iſtos motus tam diuerſos & diſsimiles fieri, & à corporibus Cœleſtibus obiri oportuit:& cur ipſos etiam Planetas eſſe inter ſe tam diſpares, nempè alios tardiores, alios velociores?

P. Primùm diuerſos corporum illorum cœleſtium motus ad diuerſos effectus in his rebus inferioribus producendos eſſe oportebat. Nam ſi vnus tantùm ſimplex, & perpetuò vniformis, vt vocant,eorum motus fuiſſet, fuiſſet quoque ſemper vnum & ſimplex eorum effectum, nempe vel generatio duntaxat: vel corruptio, eáque vniformis, id eſt, vnius generis. Ergo neque rerum variarum, neque diuerſis temporibus ortus vel interitus fuiſſet. Quoniam igitur, vt admirabilis & πολυποίκιλος illa Dei ſapientia, ac potentia eniteret, B diuerſas res ipſas,rerum ortus & earum interitus, mutationes,viciſsitudines eſſe diuerſiſque temporibus, & diuerſas fieri oportuit, idcircò diuerſos quoque corporum cœleſtium & cauſarum ſecundarum (quibus ad hęc omnia producenda Dominus vtitur) motus,conuerſiones, & concurſus eſſe oportuit.Itaque rectè dicitur *Rerum fores primus aperuiſſe*, qui diuerſos illos motus, diuerſáque Zodiaci ſigna obſeruauit, & eorum ſignorum motum declarauit. Idcirco autem ſunt tam diſpares inter ſe Planetarum motus, (alij nimirum ſunt celeriores, alij tardiores) vt alii aliorum vim & effecta temperent,& vt ex iis omnibus, tāquam iuſto temperamento,inter ſe libratis,tandem moderata & iuſta contemperatio eſſe poſſet, & pro diuerſis rerum inferiorum generibus diuerſæ res & formæ,diuerſæque etiam in quaque re qualitates efficerentur & naſcerentur. Quamobrem quū in hoc Mundo rerum generatio ceſſabit,(id quod poſt vltimum diem futurum eſt) etiam motum cœlorum & Aſtrorum ceſſaturum eſſe omnes Phyſici Chriſtiani arbitrantur. C

Cap. XXII.

De Sono,vtrum concentus fiat in cælis.

D. QVid verò de Sono illo,& concentu muſico ſentis, quem ex iſto Aſtrorum & Planetarum motu tam ordinato effici ſcribit cum Platone & Cicerone Ambroſius libr.2. Hexamer.cap.2?

P. Sunt iſta fabulæ. Neque enim iſta ſuperior & cœleſtis expanſio aërem vllum habet, ſine quo tamen non fit ſonus. Neque enim illa Cœleſtia Corpora,dum feruntur,attingunt aliquid durum, qualis eſt in Cithara fides, vnde concentus aliquis Muſicus oriri poſsit.

Cap. XXIII.

De Sole,& eius motu.

D. ERgo Solis curſus certo temporis ſpatiò conficitur.

P. Plané. Continet autem illud ſpatiū 365.

A dies, & quidpiam paulò minus quadrante diei: quod quoniam non eſt exactè, & ad amuſsim adhuc animaduerſum etiam ab eruditiſsimis Aſtronomis: (Nec enim iſta tam à terris remota minimèque verbo ſuo demonſtrata, exactè à nobis cõprehendi Deus voluit, vt humani ingenij imbecillitatem etiam inuiti agnoſcamus) accidit, vt à tẽpore Octauij Cæſaris Auguſti(qui annum ad primam verámque Æquinoctiorum & Solſtitiorum rationem poſt Iulium Cæſarem reduxerat) ad noſtram vſque ætatem Sol quatuordecim penè dies progreſſus ſit. Veteribus enim idem anni & Brumæ dies fuit, Vnde illud.

Principium capiunt Phœbus, & annus idem.

Plinij verò ſeculo, Brumæ ſeu Solſtitij Hyemalis dies vigeſimo quinto Decembris erat, qui nunc & noſtra hac ætate in eiuſdem menſis vndecimum diem incidit, adeò vt niſi annus corrigatur, futurũ ſit, vt tandem in menſibus Vernis æſtatem habeamus. Etſi verò Iob.38.19.20. Lucis & Tenebrarum, & per conſequens Solis via incerta ſtatui videatur, tamen ex Eccleſ.cap.1.5. apparet, certum, B certiſque legibus & terminis à Deo circunſcriptum eſſe Solis curſum. Sed quod apud Iobum dicitur, oſtendit tantùm ignotam eſſe nobis exactiſſimam iſtarum rerum rationem & cognitionem, ne nos ipſam Dei ſapientiam totam animo cõplecti poſſe ſperemus, quod quidam Aſtronomicæ artis ſtudioſi audacter ſibi pollicentur. Ad Solis autem curſum cæterorum Planetarum motus referuntur & diiudicantur. Itaque modò Soli Antegradi, modò Retrogradi, modò Coniuncti dicuntur: nonnunquam etiam ipſi Stationarij, cùm eorum nimirum Epicycli ſunt in puncto vel Orientis, vel Occidentis. Sol verò ipſe aureus perpetuò in Zodiaci circuli Ecliptica linea tanquam virtus in mediocritate, verſatur, à qua nunquam, tanquã vir bonus à Dei præceptis, diſcedit. Illa autem eſt totius Zodaici media quædam linea velut Zona, quæ & Solis ipſius & Planetarum reliquorũ motus, itémque Eclipſeon regula eſt certiſsima. Hæc C in quatuor punctis interſecatur. In Ariete & Libra ab Æquatore, quæ ſigna ſunt ſibi ex Diametro oppoſita. A quibus duobus punctis æquinoctia duo, nempe Vernum, & Autumnale fiunt. Item eadẽ Ecliptica Linea interſecatur à Cancro & Capricorno in Coluris, in quibus etiam duobus locis ſunt duo Anni Solſtitia, quorum vnum Æſtiuum, alterum Hybernum appellatur.

CAP. XXIIII.

De Luna, & Lunæ motu.

D. Quid Luna?

P. Ea ſingulis diebus viginti ſeptem, atque horis ſeptem, minutis 43. & Secundis 12. ad idem punctum Zodiaci redit, vnde digreſſa fuerat. Itaque curſum ſuum celerrimè perficit. Sed quia tamẽ omnino exactè illud tempus à nobis obſeruari non poteſt, coniunctiones Lunæ cum Sole pinguiori Minerua accipimus, toto illo curſus Lunæ tempore fieri, quo nobis eſt Luna occultata à Sole, donec appareat, quod ferè continet 29.dies. Ex quo fit, vt inter Lunarem & Solarem annum (qui Solaris annus eſt 12.menſium) toti dies vndecim interſint, qui Dies Epactæ & Intercalares dicuntur.

D. At & Sol & Luna curſum illum ſuum intermittere poſſunt, quod tempore Ioſuæ accidit, A vt eſt ſcriptũ Ioſ.10.12.13.& in illa Eclipſi celeberrima, quæ patiente Domino noſtro Ieſu Chriſto contigit, vt eſt Luc.23.45. Poteſt etiam Sol curſum ſuum reflectere: id quod Ezechiæ Iudæorum Regis ætate factum eſt, Iſa.38.8. Vnde in toto iſtorum Luminarium motu nihil certi videtur conſtitui poſſe.

P. Falleris. Miracula enim mihi narras, quæ ſummâ Dei potentia facta ſunt, præter ordinariũ iſtorum Planetarum curſum, quæ tamen ordinarium illum neque ſuſtulerunt, neque immutarunt. Nam Sol poſteà in ſuum ordinem & gradum, quem tenere debuit, rediit, & ſeſe reſtituit.

CAP. XXV.

De Eclipſi, & Solis & Lunæ.

D. Quid verò? Num Eclipſes tum Solis, tum Lunæ (quæ ſæpiſsimè cernuntur) incertum horum ſyderũ motũ eſſe oſtẽdũt?

P. Minimè verò: Imò longè certiſsimum, quũ & ab Aſtronomis longè ante prædici ſoleant, & certis legibus fiant. Nimirùm Eclipſis Solis, cùm inter Solem & nos interdiu Luna diametraliter interpoſita eſt. Eclipſis Lunæ, cùm noctu vmbra terræ nobis intercipit lumẽ Lunę, propterea quod B Sol ſub terra exiſtens eſt diametraliter, & ad certũ illum ſitum(quam caudam & caput Draconis vocant, cúmque ab Ariete incipiunt) oppoſitus Lunę. Solis autem Eclipſis eſſe poteſt totalis quidem ratione ipſius Solis, qui nobis totus intercipi poteſt: non poteſt tamen eſſe vniuerſalis, vt eodem tempore omnibus hominibus verſantibus in eodem hemiſphærio lumen Solis auferatur, niſi id fiat miraculo extraordinario. At Lunæ Eclipſis, & totalis, & vniuerſalis eſſe poteſt, quia Terra maior eſt, quàm Luna: & in Terræ vmbra immergitur vel tota, vel ex parte tantùm Luna cùm deficit. Reliqua perſequi quid neceſſe eſt, quum ea & diſertiſsimè & doctiſsimè ex ſolertiſsimis quibuſque ſcriptoribus tradiderit in ſcripto Phyſico Germaniæ Lumen D. Philippus Melanchthon?

CAP. XXVI.

De Figura ſtellarum, & cur ſcintillant.

D. Expone verò reliqua, quæ de iſtis corporibus Cœleſtibus, imprimíſque de Sole & C Luna quæri ſolent.

P. Cupio. Et primùm de figura Stellarum omnium (in quibus iam Planetas complectuntur) quæri ſolet. Alij enim eas Sphæricas: alii conoidales eſſe malunt. Certè Sol & Luna rotundæ figuræ ſunt, taléſque nobis apparent. At reliqua Sydera fortaſsè ſunt eiuſdem formę: ſed quia ſcintillant, in radios & digitos diſſecta eſſe nobis videntur.

D. Cur verò ſcintillant?

P. Quoniam lumẽ earum remotius eſt à nobis. Ergo in hoc oculorum noſtrorum radij intuentes nutant, titubant, atque vacillant, propter loci longinquitatem. Itaque ipſæ ſtellæ titubare & vacillare nobis videntur, quod ſcintillare appellamus.

CAP. XXVII.

Stellæ vtrum omnes lumen in ſe habeant, & æquales ſint.

D. Ha-

A D. HAbentne ipſæ ſtellæ omnes lumen in ſe aliquod, an à Sole illud duntaxat, & totũ mutuantur?

P. Quidni verò habeất, cùm luminaria, ſicut & Sol & Luna, appellentur? Sed Sol & Luna dicuntur magna luminaria: Reliqua verò ſydera minora, nempe quia neque tantâ, neque tam viuida luce à Deo prædita ſunt, quàm illa duo. Id quidẽ Philoſophi plerique negant, & volunt reliqua ſuũ lumen omninò ab vno Sole mutuari. Sed quis Chriſtianus illis potius fidem habuerit, quam ipſi Hieremiæ veriſsimi Dei vero Prophetæ. cap. 31. 35. & Iſaiæ 30. 26? Nam iidem illi Philoſophi etiam Lunam ipſam negant in ſe lumen habere vllum, contra quàm tamen ex Ezech. 32. 7. probari facilè poteſt. Denique Paulus diſtinguit ſtellas à Sole nõ priuatione luminis, ſed tantùm gradu 1. Corint. 15. 41.

D. Suntne verò iſta cœleſtia corpora omnia eiuſdem ſpeciei, & magnitudinis inter ſeſe?

P. Eiuſdem quidem ſpeciei ſunt omnia: etſi alia aliis gloriâ, & lucis gradu differunt quemadmodum B & Paulus 1. Cor. 15. 41. & Daniel 12. 3. perſpicuè docent. Vti inter auri genera aliud alio fulgentius eſt: non propterea tamẽ vnum eſt alterius naturæ, quàm alterum. Magnitudinis autem non ſunt omnia eiuſdem. Nam maiora ſunt illa Sydera quæ longiùs à terra recedunt. Itaque etſi Lunæ Circulus eſt ipſo corpore Terræ maior, & quidẽ, vt nonnulli volunt, centies: ipſa tamen Luna eſt ſexies minor quàm Terra: etſi alij Lunam eſſe vigeſimam nonam tantùm terræ partem malunt: Sol autẽ eſt 165. partibus quàm Terra. Cætera Aſtronomi dicant.

D. Suntne verò quædam Stellæ nobis notæ? Nam omnes notas eſſe quî fieri poſſet, cùm earum numerus dicatur eſſe infinitus, Gen. 15?

P. Aſtronomi longa obſeruatione plus quã duo millia ſtellarum in Cœlo dicuntur annotaſſe: tamen certis nominibus & figuris quadraginta octo diſtinguunt, quarum aliæ ad Septentrionem, aliæ ad Meridiem ſitæ ſunt: quas enumerat Proclus in libro de Sphæra.

D. Affer quarundam exempla & nomina.

C P. Legendum eſt Iobi cap. 38. 31. & cap. 9. 9. Arcturus Geſch nominatur, quia eſt aggregatio ſtellarum. Orion eſt nimboſus & pluuinus, Ceſil dicitur. Pleiades, quæ ſunt in cornu Tauri, Mazzaret Vergiliæ delitioſæ dictæ, quia ver faciant Cimo Hebraicè. Solem autem Hebræi, & Lunam fœminino genere nominant. Solem Schamos, Lunam Iarcha. Itaque quæ regina Cœli ex ſuperſtitione idololatrarum paſſim apud Prophetas appellatur, eſt Sol ipſe, non autem Luna. Quanquam & Solem à calore vocant Chamah Iob. 30. 28. & Lunam à cãdore Lebanach. De Sole autem, quid tam abſurdum, quàm quod Manichæi fabulantur, illum eſſe nauim inuerſam, in qua puellę & pueri habitent, & quædam huiuſmodi fabuloſa, quæ lib. 20. contra Fauſtum cap. 6. commemorat, refutátque Auguſtinus?

CAP. XXVIII.

Luna qualis condita, cur maculoſa, & cur diuerſæ in ea ſpecies & figuræ apparent.

D. QValis verò Luna primùm condita eſt? A

P. Sequor in eo Baſilij & Damaſceni ſententiam, qui plenam conditam eſſe autumant. Itaque propterea totis vndecim diebus annum Lunarem minorem eſſe, quàm ſit Solaris. Cùm enim à Nouilunio ad Plenilunium intercedant dies quindecim, Die autem mundi quarta Sol & Luna conditi fuerint, & Luna tunc plena fuerit, videtur Luna præceſſiſſe ipſa habitus ſui figurâ Solem vndecim diebus, quos illi poſtea reddere cogitur in fine anni, vt annus Solaris & Lunaris inter ſe exæquentur.

D. Dic & illud quoque, cur maculoſa Luna appareat, & quædam in ea humani vultus ſpecies ineſſe videatur.

P. Quoniam corpus Lunæ, ſicuti Terræ vicinius eſt: ita fæcis terrenæ tanquam contagionem quandam habet. Eſt enim Lunæ corpus craſſius & ſolidius cæteris Planetis & Stellis. Itaque candidior eſt ipſius lux & dilutior, minúſque calida, quia & aquis cœleſtibus propinquior eſt, & magis quoque terrena.

D. Ecquæ denique in Luna creſcente & decreſcente B formæ & mutationes cerni ſolent? Sunt enim illæ, vt Baſil. conſet, Eccleſiæ modò creſcentis, modò afflictionibus acciſæ, figuræ & typi quidam.

P. Etſi verò ſemper tota dimidio globo Luna à Sole illuſtratur, quia tamen ſæpe tantùm pars illius illuſtratæ partis nobis obiicitur, ſæpe tota, idcircò in Luna formæ iſtæ apparent. Nam Luna creſcens primùm apparet μηνοειδὴς & κερατοειδὴς, id eſt, obuerſa Soli eſt ipſius facies, quę in noſtros oculos quidem incurrit, (vnde Corniculata, Falcata, Bicornis cernitur) ſed illa cornua eiicit in contrariam Soli, à cuius coniunctione tunc diſcedit, partem. Id fit, cùm à Sole receſſit iam ſexaginta partes ſeu gradus Zodiaci. Deinde cùm ab eodem Sole diſtare cœperit nonaginta gradus, fit Luna διχότομος, id eſt, dimidiata. Tertia Lunæ figura eſt quum eſt illa ἀμφίκυρτος. i. globoſa & pluſquam dimidia, nempe, quum à Sole centum viginti partes diſceſſit. Quarta eſt πλησισελήνη, ſeu πλησιφαὴς & propè plena, quum à Sole nimirum diſtat gradibus centum quinquaginta. Quinta eſt πανσέληνος. i. plena C Luna cùm à Sole receſsit centum octoginta gradus. Deinde decreſcens Luna incipit fieri contrario ordine: (neque verò cùm decreſcit Luna, corporis ſui imminutionem ſentit: ſed luminis tantùm, idque noſtri aſpectus ratione) primũ πλησιφαὴς, deinde ἀμφίκυρτος, poſtea διχότομος, demum μηνοειδὴς. Sed tunc cornua Solem verſus conuertit, ad cuius σύνοδον ſeu coniunctionem illa tendit. Hæc ſunt, quæ explicatè & diſtinctè tradit Damaſcenus, quæ eadem, ſed admodum confuſè dicere voluiſſe videtur Iſidorus, vt Aſtronomos iam omittam. Denique Luna ſolet, vt iſti ſentiunt, ad eum locum in quo primùm condita eſt, reuerti intra annos quingẽtos triginta duos, in quibus inſignes ſemper mutationes extitiſſe quidam volunt.

D. De motu verò Solis quid affers?

P. Illud quod Scriptura, eum in Cœlo habere ampliſſimum domicilium ſibi à Deo ipſo præparatum & aſſignatum, *vnde tanquam ſponſus egrediens de thalamo ſuo, gaudet, vt potens ad currendam viam. Ab extremo cœlorum egreſſio eius, & reuolutio eius vſque ad extrema eorum*, vt eſt in Pſ. 19. Itaque quoti-

A die intra diurna xxiiii. horarum ſpatia ab Oriente ad Occaſum motu Cœli conuoluitur:qui proprio tantùm intra 165.& quadrantem diei, ſpatium intra duos tropicos concluſum,conficit & peragrat.

Cap. xxix.

Cur cœleſtia corpora tot & tanta condita ſint.

D. HActenus iſta.Nunc tertium, & vltimum huius diſputationis locũ qui abs te propoſitus eſt, ingredere : nempe vt finem propter quem iſta cœleſtia corpora creata ſint, exponas.

P. Ordine quidem tu iſtud & meminiſti, & quæris. Itaque cupio me, meámque fidem hoc promiſſo quàm primùm liberare.

D. Rectè facis.Quæro igitur,ecquis fuerit,& iſtorum corporum, & tot numero atque tantorum mole creandorum finis?

P. Tot numero tantáque corporis mole cõdita ſunt iſta cœleſtia,vt illius cœleſtis, & ſuperaque B expanſionis(quę ſpatio immenſa eſt,ac propemodum infinita)ornatus, πλήρωμα, ac velut ciues, & incolæ eſſent. Oportuit igitur ea penè numero eſſe infinita:& mole corporis ingentia,& immenſa,vt tantum mundi ſpatium replerent. Non quidem ἀδυναμίᾳ quadam Dei factum eſt, vt hæc numero diuerſa, & plura fierent, quaſi per vnicum cœleſte corpus idem nobis præſtare non poſſet, quod per illa plura:ſed iſta tanta varietas aſtrorũ, tam multiplex numerus,tãta diuerſitas, & cœlum illud.i.expanſionem reddit ornatiorem: & admirabiliorem nobis Dei ipſius tanti operis authoris, ac effectoris ſapientiam, potentiam, maieſtatem probat,ac oſtendit : ne minus in illa cœleſti parte potens, & ſtupendum diuinæ naturæ ſpeculum nobis obiiceretur, quàm in tot támque diuerſis Terræ plantis,& Volucrum,Piſcium, ac aliorum animantium generibus in hac inferiori Mundi parte cernitur.Infinitum igitur illud ſpatium infinita corpora : & ornatus, ac venuſtas tam diuerſa poſtulabat. Hæc igitur cauſa eſt, quamobrem & tot, & tanta illa cœleſtia condiderit Deus. Finis C autem cur ea creata ſunt,eſt multiplex: ſed peculiaris,& maximè proprius hîc à Moſe breuiter,ſed tamen commodè,eſt declaratus, vt *illa nobis eſſent in ſigna,tempora,dies,& annos*.

Cap. xxx.

Corporum cœleſtium vſus multiplex explicatur.

D. QVinam igitur ſunt iſti fines?

P. Ex iis alij ſunt remotiores: alij verò propinquiores.

D. Quinam verò ſunt illi remotiores?

P. Primus quidem cœleſtium horum corporum condendorum finis fuit Dei ipſius opificis gloria : qui finis etſi eſt remotior, eſt tamen primus,& is ad quem cæteri reducuntur,ac,vt ita dicam,ſubſeruiunt.

D. Vnde verò tuam iſtam ſententiam probas?

P. Quiſnam verò Chriſtianus de eo dubitare poteſt?Nonne enim prophani ipſi Philoſophi, vt Cicero li.2.de Nat.Deo.in hoc ſublime, cœleſte, candens,& fuſum cœlum intuentes,quem Æthera nominarunt,idem confeſſi ſunt,& Dei, qui tantum,támque excellens ædificium architectatus erat, ſummam eſſe potentiam propterea agnouerunt? A Nónne ex tanto, tam ſcito, tam vario iſtius ſuperioris regionis ornatu infinitã opificis ipſius ſapientiam eſſe iidem illi demonſtrarunt? Quorũ luculentas in hoc argumento ſententias ipſe trãſcripſiſſem,niſi in promptu eſſent, & Clementis Strommatei liber Pędagogus inſcriptus:& Iuſtini Martyris diſputatio de Monarchia Dei : & Euſebij libri de Præparatione Euangelica: Theodoreti Epiſcopi Cyri de prouidentia orationes elegantes,& aliud eiuſdem opus περὶ ἑλληνικῶν παθημάτων idem oſtenderent:in quibus omnibus infinitę, ac graues Philoſophorum de hoc ipſo ſententiæ deſcriptæ extant. Vnum hoc dicam, etiam ex eorundem ſententia,& dogmate, hominem ipſum Ἄνθρωπον à Græcis eſſe nominatum,quòd cœleſtiũ illorum corporum contemplandorum gratiâ eum natum eſſe exiſtimarent. At illi certè meliùs ſenſiſſent, ſi non ipſorum cœleſtium corporum videndorum : ſed Dei ipſius potius, nempe eorum authoris, contemplandi & agnoſcendi gratia hominem conditum eſſe dixiſſent. Erectos quidem B in cœlum oculos habemus,vt ait ille,

Pronáque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit,cœlúmque videre
Iuſſit,& erectos ad ſydera tollere vultus:

Sed non vt cœlum ipſum(quod nobis famulatur) ſed Cœli Dominum & colamus, & contemplemur,& eum in cœlo(quod ipſius domicilium eſſe κατ᾽ ὀνομασίαν dicitur, quanquam tamen vbique eſt Deus)quæramus. Quia tamen aliquam meæ ſententiæ confirmationem ex ſacra Scriptura poſtulas,en tibi multiplicem. Admirabilem Dei potẽtiam ex illis cœleſtibus corporibus præſertim agnoſci docet his verbis Pſal. 8. *Quum video cœlos tuos, opus digitorum tuorum, Lunam,& ſtellas, quæ præparaſti,quid eſt homo,quòd memor es eius?* Quum ἄψευστον eſſe Dei veritatem certiſſimis argumentis confirmat Scriptura,eam nobis ex cœli certiſſimo & conſtantiſſimo ordine depromit,*In Cœlis*, ait, *firmaſti veritatem tuam* Pſal.89.v.3. Quum Dei ſapientiam incomprehenſibilem eadem nobis proponit,cœlorum,cœleſtiúmque corporum,& pulcherrimi illorum ornatus meminit,Pſ.104.verſ.2. C 136. verſ.5.7.8.9.denique quid ſingula perſequar? quum & ad Deum opificem ſuum laudandum, ac celebrandum inuitentur Pſal.148.v.3.4.& ad Deũ audiendum Iſ.1.v. 1. & ex eorum, tanquam communium toti orbi nuntiorum, ſonitu, & voce (quæ nulli hominum generi, vel nationi ignota eſſe poteſt) omnes homines ad Deum verum & agnoſcendum,& prædicandum ſatis prouocari,inſtruíque dicantur Pſalm.19.verſ.5.Rom.10.ver.18. *Nam in omnem terram exit etiam nunc ſonus eorum*, quemadmodum & ab eo die, quo condita ſunt, exiuit.*Cœli igitur enarrant gloriam Dei, & opus manuum eius annuntiat expanſio.Dies diei eloquuntur ſermonem :& nox nocti indicat ſcientiam. Non eſt ſermo, nec ſunt verba, vbi non audiatur vox eorum.* Iſtáne verò iam tibi ſatisfaciunt?

D. Planè:modò tamen illud addatur,hæc ipſa tam ſplendida naturæ maieſtatiſque diuinæ, & potẽtiæ ſpecula,neque Deos eſſe, neque Deorum μορφὰς & figuras, vel ἀγάλματα θεῶν, in quo furioſè, obſtinatéque omnium penè ſeculorum homines idololatræ peccarunt : & id ſentiens quoque ſubobſcurè

A obſcurè tamen locutus eſt Philo ipſe Iudæus, & ab idololatria gentium alienus.

P. Rectè ſentis. Nec enim quicquam ſtultius, aut in homines ipſos contumelioſius dici poteſt, quàm ſi cogantur iſtis corporibus, tanquam diis, ſeruire, eáque adorare quæ hominibus ipſis miniſterij, & vſus cauſâ à Deo parata ſunt, nempe vt illa ſeruorum more nobis famularentur. Deut. 4. v. 19. *Néve attollas oculos tuos in cœlum, vt videas Solem & Lunam, & ſtellas, omnē militiā Cœli, & impellaris, & incurues te illis, coláſque ea, quæ diſtribuit Iehouah Deus tuus omnib. populis ſub toto cœlo.* Ergo Dei ipſiꝰ gloria, & agnitio fuit primus, & potiſsimus, quanquam non proximus iſtorum omnium corporum condendorum finis, vt etiam doctor Gentium Paulus oſtendit Rom. 1. verſ. 20. Iob. 36. ver. 25. Sap. 13. ver. 1. & 5.

D. Ecquis ſecundus?

P. Nimirum vt ad Solis, & Lunæ, reliquorúmque ſyderum imitationem, & nos quoque ipſi munia nobis à Deo demandata indefatigato animo, conſtantique labore, & curſu obeamus, & B perſequamur. Quanquam enim, & quietis, & intermiſſionis id agendo propter corporū noſtrorū imbecillitatem egemus: defatigari tamen mollitie quadam, & eo modo, vt prouinciam nobis impoſitam neque conceſſa veniâ, neque miſſione impetrata deſeramus, eſt omnino turpiſsimum, atque ab homine Chriſtiano prorſus alienum.

D. Intelligo hos fines. Dic iam quinam ſint his propinquiores.

P. Sunt & hi quoque duo.

D. Ecquinam verò?

CAP. XXXI.

De Corporum Cæleſtium in hæc inferiora influentia.

C P. PRimus, vt illa corpora ſuperiora eſſent rerum inferiorum maximè terrenarum tum gignendarum & conſeruandarum, tum etiam terminandarum, ac finiendarum ſecundæ quædam cauſæ, quibus Dominus ordinariè quidē vtitur: quanquam eas tamen, quum illi viſum eſt, prorſus omittit, nec eadem deſinit infinitâ illâ omnipotentia ſua producere, quæ illis adhibitis ſolet.

D. Quomodo verò iſtud?

P. Quoniam non modò loco ſuperiora ſunt iſta corpora cœleſtia, atque mutuus quidam conſenſus eſt inter omnia Dei Opt. Max. opera: ſed etiam vi quadam ſibi à Deo infuſa in res iſtas inferiores temperamenta, ac qualitates partim iniiciunt: partim mouent, & excitant, per quas iſtæ res terrenæ vel producuntur & conſeruantur: vel etiam flacceſcunt, marceſcunt, & tandē intereunt, ac corrumpuntur. Has qualitates ex iſtis corporibus dependentes, & effectas vulgò Cœleſtium corporum influentias appellant: quæ non è terrena, aut elementari regione in cœleſtem aſcendunt & influunt, ſed ex cœleſti illa & ſuperiori in hanc terrenam & inferiorem deſcendunt.

D. Quomodo verò hoc verum eſſe doces?

P. Multis certè rationibus, è quibus eſt prima ipſius ſacræ Scripturæ autoritas. Nā Cœlū ipſum dicitur eſſe theſaurus Domini, per quod nempe A fit terra vel fertilis pluuiis immiſsis: vel inſœcūda & ænea, ſi ſit cœlum ipſum, quod illi imminet, ferreum, & in eam immite, Deut. 26. verſ. 12. & 23. Deinde illa eſt apertiſsima apud Oſeam Prophetam ſententia cap. 2. v. 21. his verbis. *Et erit in die illa exaudiam, dicit Iehouah, exaudiam cœlos, & ipſi exaudient terram. Terra verò exaudiet triticum, & vinum & oleum.* Ex qua quis verè concludi neget, cœlo, & corporibus illis cœleſtibus ſuperioribus dari in hæc inferiora magnam vim, ac efficacitatem in vtramque partem, ſeu vt fœcundentur: ſeu vt ſterileſcant? Itaque Dominus ipſe minatur fore, vt cœlum ferreum inobſequenti populo ſuo efficiat, quò omnis terræ fructus denegetur. Quod certè non efficeretur, niſi vi quadam, influentiáq;, vt vocant, ſua cœlum in ſibi inferiora corpora ageret, ad pluuias, vel ſiccitates: tempeſtates, vel ſerenitates: qualitates denique quaſdam infundendas, & excitandas in aëre ac terra. Et quid aliud ſibi vult Dominus ipſe quū ait *illa nobis eſſe in ſigna?* B Secunda verò meæ ſententiæ ratio eſt ipſa experientia, quæ veriſsimum eſſe docet à cœlo, cœleſtibúſque corporibus inferiorum rerum ortum, habitudinem, vel immutationem effici. Itaque vulgo dici ſolet: *Non terra, ſed annus, id eſt ipſa cæli tempeſtas, & influentia fructificat.* Non quidem quaſi Dominus illis vim ſuam reſignarit (qui hæc omnia, & ſingula tum potentiſsimè, tum etiam liberrimè nihilominus adminiſtrat) ſed ne temerè hunc rerum inter ſe ordinem ipſe conſtituiſſe videretur, voluit res inferiores à ſuperioribus quodammodo regi. Tertia ratio eſt ipſorum eccleſiaſticorum ac orthodoxorum Patrum authoritas, atque conſenſus, imprimiſque Auguſtini, cùm aliis in locis, tum lib. 3. de Trinitate cap. 4. Deficiēs Luna, inquit Baſil. corpora facit rariora: plena verò facit humidiora, & Ambro. lib. 4. cap. 7. Lunæ defectu compatiuntur elementa: & proceſſu eius, quæ fuerant exinanita cumulantur. Idem Baſil. C Lunæ mutatio iuuat & ad terræ fructus, & ad vitā Animalium. Aer, Solis, & Lunæ ortu, & diſceſſu mutatur: vtrumque ſydus illuminat tenebras, fouet ſemina, auget fructus: & Luna rore reponit humorem, quem Sol calore exhauſerat. Quarta denique ratio, ipſe omnium gentium & populorum conſenſus, qui hanc noſtram ſententiam ſuo ſuffragio, ac calculo ſemper comprobarunt.

D. Quid igitur Ariſtotelicis reſpondebis, qui Solem, & Lunam ad motus tantùm rerum inferiorum ciendos ordinari putant: reliquos verò Planetas volunt eſſe deſtinatos etiam ad ipſum rerum inferiorum *eſſe* conſeruandum?

P. Nugæ. Si qui enim ex Planetis maximam in hæc inferiora vim habent, ſunt hi duo, Sol nimirum, & Luna. Itaque maiora luminaria à Deo nuncupantur. Reliqui longè minorem potentiā nacti ſunt. Ex quo fit, vt omninò aliud, quàm iſti dicunt, nobis ſit ſentiendum: & ſi illi ipſi ſibi conſtarent, hanc ſuam ſententiam damnarent. Aiunt enim alibi, *Sol & homo*, non autem *Mars & homo, vel Saturnus, & homo generant hominem.*

CAP. XXXII.

Quæ ſit ſignificatio corporum cæleſtium.

A D. AT ſi vera eſt tua iſta ſententia, vt hæc inferiora corpora regantur, atque agantur ab illis ſuperioribus, & Stoicum fatum inducis:& pernicioſiſſimam illam Aſtrologiæ iudiciariæ laudem confirmas, quaſi futura poſſint ex aſtris prædici,& denuntiari. Denique quaſi ea ipſa ſint rerum,quæ hîc inter nos eueniunt, efficientes cauſæ. Itaque ab iis & pendendum nobis erit,& metuendum, contra quàm tamen fieri velit ipſe Dominus Hier.10.

P. Nihil quicquam huiuſmodi ex noſtra ſententia concludi poteſt. Primùm enim videndum eſt, & in quas res inferiores cœleſtia corpora habeant ex noſtra ſententia, exerceántque vires ſuas: tum quas, quantáſque vires: denique quomodo exerceant. Nam primùm omnium cœleſtia corpora non in omnia vim habent, quæ illis ſunt inferiora: ſed in ea tantùm quæ ordinario ac ἀπροαιρέτῳ naturę modo ac lege fiunt,atque gubernantur. Qualis aër ipſe qui dicitur, plantæ, bruta quoque animantia. Eſt enim earum rerum moderatio,ac gubernatio omnis merè παθητικὴ,& naturæ B non quidem eligentis: ſed ordinario duntaxat vinculo,& legi aſtrictæ. Quæ autem ſunt & βουλητικὰ,& προαιρετικὰ,quales homines eorúmq; actiones ſunt, eę res nō ſunt φυσικαὶ ſed μεταφυσικαὶ,quatenus προαιρέσει quid agunt. Vnde nō ſubiiciuntur Aſtris. Nō enim omnino eſt παθητικὴ ſed eſt etiã ἐνεργητικὴ, & κινητικὴ earũ rerum gubernatio,atque actio. Agunt enim & ipſæ motu propriæ voluntatis: non autem duntaxat aguntur,ſicuti illæ res, quæ nihil, niſi merè φυσικὸν habent. Itaque cæteræ res & voluntate, & animi ratione,& electione, & iudicio carent. Cùm igitur illa corpora cœleſtia ſint merè naturalia,in eas actiones, quæ ſunt propriæ animi humani(quæ actiones planè ſunt μεταφυσικαὶ,etiam ipſis Philoſophis omnibus approbantibus)in eas, inquam,actiones nullam vim habēt cœleſtia corpora:quoniam illæ ex προαιρέσει, & electione ipſius animi, & voluntatis humanæ deliberatione pendent:non ex coacto,aut bruto, aut merè παθητικῷ naturæ.i.certę cuiuſdam legis creatę motu. Deinde in quas res habent vires corpora cœleſtia,eatenus tantùm habent, quatenus vires rebus à Deo C iam inſitas non tollant,aut aboleant, aut immutent,nouámque legem,aut conditionem illis non afferant. Itaque excitant duntaxat iacentes in iis rebus vires, ſemina actionum latentia corroborant:qualitates iam inditas, & infuſas rebus inferioribus mouent, vt quali lege hæc inferiora Dominus eſſe,& conſiſtere voluit: ita eorum quodque in ſuo genere ſub ea conditione & lege à cœleſtibus corporibus cietur,& impellitur. Denique ipſamet corpora cœleſtia nequaquam ipſa agunt, ſi propriè loqui volumus:ſed omnino à Deo agũtur,& à natura,id eſt,à lege ſibi impoſita. Cùm enim & ſenſu,& ratione careant, quomodo propriè vel ſeſe,vel alia agere dici poſſunt? Itaque à Deo,& quidem merè παθητικῶς pendet eorum actio,& motus. Sunt quidem cauſæ ſecundæ effectorum,quæ in rebus terrenis προαιρέσει carentibus eueniunt:ſed à quibus tamen cauſis propterea dependendum non ſit,quin potius ab earum authore,& impulſore Deo.

CAP. XXXIII.

De Fato Stoico.

D. EX iſtiſne tuis regulis Stoicum fatũ refutari poſſe putas? A

P. Maximè. Eſt enim fatum Stoicorum huiuſmodi cauſarum connexio, quæ, ſuperiore cauſa ſemel impulſa, neceſſitatem etiam Deo ipſi ineuitabilem afferat. Itaque illi ex cœlis iam in iſtum motum impulſis omnia ſic & eo modo fieri,& pendere cenſent, vt ne Deus quidem ipſe iã vel ſiſtere,vel obſtare,vel aliter facere, aut ſine his quicquam iam exequi queat. Verùm nos Deo Opt. Max. Potentiſſimo, ac Sapientiſſimo ius ſuum,& quidem pleniſſimum, ac liberrimum relinquímus,omnia ſuperiora & inferiora immutãdi,impediendi,alitérque impellendi. Denique vnum Deum etiam in hoc ipſo Naturæ iam creatæ ordine,verum,ſolum,& liberum ἐνεργοῦν, atque ἡγεμονικὸν,& ἀρχιτεκτονικὸν αἴτιον agnoſcimus:cætera verò omnia illius tantùm eſſe inſtrumenta quædam, quibus & carere poteſt: & tamen eadem efficere, quę iſtis(tanquam organis,ſecundíſque cauſis adhibitis)producere ſolet. Nam populum ſuum cœlitus per 40.annos pauit in deſerto,ſine pane: Eliam 40. diebus: Noctu ſplendidè populo ſuo ex B Ægypto exeunti ſine Sole præluxit : Solem cohibuit,quum voluit:& aquarum Iordanis decurſum ſtitit longo ſpatio. Denique *omnia quæcunq; vult facit*, & quidē ſapiēter,potenter,& iuſtè Pſ.115. At fatum Stoicum,inquit Auguſt.li.2.ad Bonifacium cap.2.eſt noſtrę voluntatis impulſio,& ſiue bonarum, ſiue malarum rerum euentus ex ſyderum poſitione pendens. Hoc Dei prouidentiam, ait idem,oppugnat,quę fato ſuperior eſt,& omnia regit nō per ſtellas:ſed per ſeueritatis, bonitatíſque ſuæ æternum,altúmque cõſilium. Et hæc quidem ad fatum Stoicum dicta ſunto. Aſtrologis autem Iudiciariis quid reſpondeam mox audies.

CAP. XXXIIII.

Signi vox quid ſignificet apud Moſem.

D. PErge igitur.

P. Quartus, & vltimus iſtorum corporum cœleſtium finis eſt, *vt ſint nobis in ſigna & tempora, & dies & annos:* imprimíſque duo illa luminaria,quorum vnum diei:alterum nocti dominari Dominus ipſe voluit. C

D. Explica teipſum.

P. Cupio:modò tu,quæ putas obſcura, quæras ex me.

D. Primùm verba hæc, *eſſe in ſigna*, quid ſignificant?

P. Duplex eſt iſtius ſententiæ explicatio. Alij vocem,*ſigna*,ad verba ſequentia referunt,ſic, *erunt in ſigna temporum,annorum,ac dierum.* Sydera enim cœleſtia,imprimíſque Sol,& Luna annum, anníque tempeſtates,& dies,& menſes deſcribunt, ac deſignant. Ergo verba hęc, *Et tempora*,non διαιρετικῶς,id eſt,diſiunctiuè legenda,ſed ἐξηγητικῶς, & cõiunctiuè explicanda eſſe volunt : quomodo accipienda ſunt verba hæc quoque *In tempora & dies, & annos*, Id eſt,in deſcriptionem temporis annorum,& dierum. Atque hęc ferè Hebręorum phraſis eſt,vt Vau ἐξηγητικὸν faciant: & quod Latini, ac Græci ferè coniunctim efferunt, id faciunt Hebræi diſiũctim. Ergo in ſigna,& tēpora, & annos, id in ſigna,ac deſignationem temporum & annorum eſſe &c. Quæ mihi non vſquequaque videtur repudian-

A repudianda interpretatio. Alij verò aliter. Quadruplicem enim ſyderum vſum deſcribi putant, nempe vt illa ſint,1.ſigna quædam.2.vt tempora,3.vt annos,4.vt dies nobis deſignent. Cui ego ſententiæ potiùs certè ſubſcripſerim.

D. Vocabulum *ſigna*, quid hoc loco igitur declarat?

P. Non quidem miracula,& prodigia,quamquam vox ipſa,Aot,qua hîc vtitur Moſes, id nonnunquam ſignificat in Scriptura. Nam certum,& ordinarium rerum iſtarum vſum definit,& conſtituit hac oratione Dominus, vt oſtenditur Geneſ. 8.v.22:non autem aliquid extraordinarium (quale eſt miraculum,& prodigium.) Ergo in ſigna erũt .i.ſignabunt, indicabunt, oſtendent,ac denuntiabunt aliquid futurum,antequã eueniat.Hæc enim propria eſt ſigni & σημείου (quo vocabulo reddi hoc loco Hebræum vocabulum Aot debet) notio. Neque verò hîc nobis illa diſiunctio eſt ſcrupuloſè retinenda inter Signum, & Indicium, quorũ illud eſſe volunt quum non fallimur, & quum res ipſa iã quodãmodo eſt in actu,veluti vbi è camino B exit fumus,eſt ſignum ignis ibi latentis. Indicium autem, volunt eſſe illud, quod ex coniectura tantùm,& quidem ſæpe falſa, colligimus : eſt tamen nota quædam,quam auguramur. Veluti ſi ſanguis ibi fuſus eſt:ibi homo occiſus eſt.

D. Quidni verò hæc diſtinctio retineatur , & vox ſignum propriè hoc loco ſumatur , ne videatur Deus vel falli, vel fallere poſſe, ſi quæ voluit nobis eſſe in ſigna,ea incerta & ψευστὰ eſſe dicãtur?

P. Quoniam quum hæc conſtituantur ſigna rerum, quæ in hac inferiori, & perturbata Mundi parte eueniunt, non eſt mirum ſi ſæpe in iis nos homines propter noſtram ignorationem, & rerũ iſtarum inferiorum inconſtantiam fallamur. Id quod propter hominis peccatum iuſto Dei iudicio,fit,& euenit.Primùm quidem & ante peccatũ illa cœleſtia ſydera erant earum rerum ſigna certiſsima,& ἄψευστα,quarũ ſigna deſignata à Deo fuerant:ſed iam cùm Dominus ad vlciſcenda hominum ſcelera rerum vices ſæpe mutet , & ad ſuorũ conſolationem, minas ſuas etiam paratas ſæpe, & denuntiatas mitiget, fit vt ex iſtorum corporum C curſu,atque aſpectu,non ſemper omninò,certiſsimè,ac, vt ita dicam, infallibiliter futura etiam ea, quæ ex ipſis piè coniicere poſſumus, tamen præuideamus,aut ſentiamus.Dominus enim ipſe mutat tempora, vt eſt apud Daniel.2.v.21.ac eorum, vt cæterarum rerum,eſt Dominus. Nec propterea tamen Deus mendax eſt. Sunt enim hæc ſigna qualia Mundi huius inferioris ſtatus iam propter hominis in eo verſantis peccatum cõfuſus,& perturbatus pati poteſt. Et vt in diuinis ipſis ſignis, & ſacramentis (quæ longè certiora ſunt rerum, quas deſignant , ſigna, quàm ſydera hæc, rerum, quarum indicia dicuntur) in diuinis,inquam, illis ſignis , ſi non omnes conſequuntur quod illa demonſtrant , non eſt propterea Deus mendax, ſed homo potius infidelis : ſic (vt diuina illa his inferioribus quodammodo comparem)de iſtis ſignis cœleſtibus eſt dicendum, ſi in iis rebus, quarum ſunt ſigna,homines malè coniiciunt,id ſibi,ſuæq; ignorantiæ tribuant : non autem Deo aſcribant. Imò verò hoc dicam, homines magna temeritate & curioſitate in multis rebus vti velle ſyderibus tanquam ſignis , ad quas Dominus ea ſigna eſſe noluit. Item ſæpe quædam ſub conditione vult A Deus nobis denuntiari,niſi illi obſecuti fuerimus, vel niſi reſipuerimus.

Cap. xxxv.

Quarum rerum ſigna ſint corpora cœleſtia.

D. Qvarum igitur rerum hæc corpora cœleſtia,imprimíſq; Sol,& Luna ſunt ſigna?

P. Earum primùm,quæ nulla hominum deliberatione adminiſtrantur,nec in eam cadunt: deinde,quæ ex iſtis ipſis ſyderibus ipſo naturæ ordine quodammodo pendent, quale eſt proximæ pluuiæ,aut ſerenitatis:tempeſtatis, aut tranquillitatis:frigoris,aut æſtatis indicium,in quibus tamẽ ipſis ſępe falluntur homines etiam prudentiſsimi, ac exercitatiſsimi.

D. Proba hoc ipſum.

P. Vnus erit pro omnibus D.N.Ieſus Chriſtus,qui ſic ait, *Quando eſt ſerum diei,dicitis, Serenitas erit:rubet enim cœlum.Et mane , Hodie erit tempeſtas,rubet enim cœlum triſte.* Matth.16.item Luc.12. B v.54. *Quum videritis nubem exorientem ab occaſu ſtatim dicitis, Imber erit, & ita fit:& quum Auſtrũ flantem,dicitis,Æſtus erit,& fit æſtus.* Sic Elias ex nube exoriente mare verſus pluuiam fore naturaliter prædicit. 1.Reg.18.v.43.Sic miratur populus Dei cum Samuele, quòd ſudo tempore,& omni nube carente,tonet tamen 1.Samuel.7. verſu 10. Huiuſmodi rerum, & euentorum proximè futurorum ſunt indicia Sol, & Luna, & quædam ſtellæ, quas propterea Dominus hominibus notas eſſe voluit, vti Orion tempeſtatis,Iob.34.quò pertinere quoque videtur Pſ.65.v.9.Vnde fit, vt animalia quoque ipſa, quantumuis bruta, hæc ipſa quoque & ſentiant,& præſagiant. Ex quo nata ſunt illa prognoſtica pluuiæ, quę & Verg.li.1. Georg. deſcripſit:& ruſtici quoque ipſi apprimè norunt. Sunt igitur hæc ſigna,ait, & præclarè Baſil.eorum, quæ ad aëris mutationem, & tempeſtates anni inſtantes pertinent.

D. Cur autem addis *proximè futurarum*?

P. Quoniam ſi quis in annum, aut ſemeſtre, aut bimeſtre tempus aliquid futurum & euenturũ C promittat ex ſyderibus, tanquam ex cauſsis veris & ἀιδίοις,ille certè vanus eſt:&, vt nonnunquam, quod ita prædixerit,acciderit,id tamen tanto anteà ſpatio præuideri non potuit, ſed fortuitò,vt aiunt,euenit.Non ſunt enim hæc cœleſtia corpora tam remota,& diſsita à ſuis ſignificationibus,& effectis ſigna : vt ex iis futura in menſem denuntiare poſsint.

D. At quidam etiam hoc ipſum prædictionis genus,quod probas,damnant:quoniam omnis omnino cœlorum aſpectus,vt futurum ex eo prænuntietur,videtur eſſe vetitus Deut.18.10.Iſ.47.v. 13.*Seruent te*, ait Dominus, *ſpeculantes cœlum , qui contemplantur ſtellas, quique cognoſcere faciunt menſes,ab iis quæ ventura ſunt ſuper te.*

P. Nimium quidem illi ſunt ſeueri, atq; pluſquam oportet,rigidi,qui ita ſentiunt, quum Dominus noſter huius dicti Moſis, id eſt, ſuæ ipſius ſententiæ ſit interpres iuſtiſsimus. Vterque autẽ ille locus abs te citatus reprehendit Aſtrologos iudiciarios:non eos,qui ſe intra iſtas legitimas, & verbo Dei præſcriptas metas continent.

A

CAP. XXXVI.

Contra Aſtrologos Iudiciarios.

D. QVinam ſunt igitur iſti, quos Aſtrologos Iudiciarios vocas,& peſſimè: ac in ipſius Dei contumeliam ad prędictionem rerum futurarum cœlo abuti dicis?

P. Sunt ij,qui,quæ priuatim vel publicè, vel ex hominum deliberatione, vel ex ſola Dei ipſius voluntate geruntur,& fiunt, ex aſtris pendere cẽſent,eáque ſe poſſe denuntiare venditant. Itaque ψηφοφόροις ſuperbo nomine ipſi ſe nominant,& γενεθλιακοὺς. Iſti igitur mercimoniorum & itinerum lucra,hominum dignitates,ſtatus, aut liberos naſcituros,actionum ſucceſſus fœlices,& infœlices, ingenij tarditatem,aut dotes, & reliqua huiuſmodi nobis imminentia ex ſtellarum ſitu, concurſu, aſpectu,& inter ſe retrogradatione, vel coniunctione prædicunt:vel Rerum publicarum, & Regnorum euerſiones,mutationes,aut de familia in familiam migrationes,& trãſlationes eodem modo, B ſi Deo placet,diuinant,quorum hominum nõ modò vęcors,ſed inſana prorſus,atque etiam blaſphema eſt mens,ac oratio.

D. Cur verò?

P. Primùm quòd huiuſmodi cognitionem futuri rerum euentus ſibi ſoli Dominus reſeruauit,vt eſt Iſ.48.v.5.7.41.ver.22.23. Itaque ipſi Deo duntaxat iſta ſunt nota,niſi ſi Prophetæ alicui extraordinariè ea ipſe reuelet. Solus enim Dei ſpiritus,aut cui ipſe patefecit,nouit arcana Dei, inquit Paulus 1.Corinth.2.v.11.Deinde prorſus blaſphema,& idololatriæ plena eſt iſta ratio,& prędictio. Aſtris enim,& ſtellis tribuit id, quod vnius Dei proprium eſt,nempe mentes hominum regere,& inflectere:regna euertere,vel ſtabilire.Dan.2.v.12. Prou.21.v.1. Quanquam verò Aſtrologi iſti excipiunt ſe confiteri quòd ea ipſa,quæ prædicunt, à Deo fiant:ſed tantùm contẽdunt ea ipſa priùs per aſtra hominibus denuntiari futura: tamen ſic ipſi ea tribuũt ſtellis,vt potentiam,ac cauſam efficiẽdi in iis ipſis ſtellis, & earum influentiis eſſe ſentiant.Præclarè igitur Auguſt.libr. 6. de Geneſ.ad C Liter.c.12.& 18. *Potentia ſua Deus numeros creaturæ dedit, non ipſam potentiam eiſdem numeris alligauit.* Nec enim ſunt iſtæ cauſæ. Nam eas in ſua voluntate Deus reſeruauit.Deinde quis iſtis vel concedet,vel reuelauit, Aſtra, & ſtellas à ſe obſeruatas, vel à profanis hominibus Orientalibus primùm deſignatas,eſſe Prophetas Dei,& voluntatis ipſius interpretes nobis,& nuntios? Nam Scriptura ſacra,imò Dominus ipſe contra omnino, ídque apertiſſimè docet apud Iſaiam cap.44. ver.24.*Diſſipat Deus ſigna mendacium hominum,& diuinos inſanire facit,conuertit ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam facit.*cap.47.v.13.*fatigata es multitudinę conſiliorum tuorum,ſtent, & ſeruent te ſpeculantes cœlum,qui contemplantur ſtellas,quíque cognoſcere faciunt menſes,&c.* Ex quo fit, vt idem Dominus ac Deus vetet apud Prophetas ſuos iis rebus attendere,vti apud eundem Iſaiam apparet ex c.2.Deu.18.vel à ſtellis,& ſyderibus,eorúmve ſignificatione (quæ nulla eſt,imò falſa) ſibi metuere, apud Hiere.10.v.2. Tertio loco eſt falſiſſima Aſtrologorum ſcientia,id quod ipſe rerum euentus ſemper,perpetuóque comprobauit. Itaque à prophanis ipſis irriſi ſunt ac odio habiti Mathematici iſti, A qui iidem ſunt,atque Iudiciarij Aſtrologi. Nã totâ Italiâ à Tiberio Cæſare exacti ſunt, qui tamẽ impenſè,ſi quis alius mortalis, operam dederat huic arti.Ergo,vt præclarè ait Ambroſius, futura ab iſtis ſcire & inutile eſt quærentibus: & impoſſibile pollicentibus. Poſtea breuiſſimi temporis lapſus facit, vt à tota coniectura ſua iſti longiſſimè aberrent. Nam ἀκριβῶς,vt docebat in libris de Ciuitate Dei Auguſt. natiuitatis vllius pueri noſſe non poſſunt, cùm infinitum Cœli ſpatium conuoluatur,propter celeritatem illius motus, ab eo tempore,quo natus eſt iſte infans,cuius ſtatus, & horoſcopus deſcribitur: & quo horoſcopus ab Aſtrologo obſeruari,intueríque potuit.Præterea etiam multi eodem tempore,in eodem oppido,ſępe ſub eodem tecto ex iiſdem parentibus naſcuntur diſſimillimæ tamen conditionis, vt apparet in Eſau,& Iacob,& in iis qui ex ſucceſſione regnum accipiunt,etſi ſunt gemelli.Ergo vana eſt iſta prędictio genethliacorum hominum.Quid verò ineptius,ait Baſilius,quàm ex iis, quæ nullam inter ſe connexionem habent,aliquid concludere,& efficere velle? B Qui ſub Ariete natus eſt, erit diues, aiunt.Quæ verò iſtius conſecutionis ratio eſt?Sub Tauro vicino illi ſydere natus, erit miſer. Quis dæmõ hoc iſtis reuelauit?Porrò quàm hoc ſanum eſt,& æquum ſtatuere aſtra pro locorum, & ſitus ſui diuerſitate: non autem pro cuiuſque hominis dignitate eſſe ἀγαθοποιὰ,vel κακοποιὰ. Denique nihil erit in hominum poteſtate,ſi nos noſtręque actiones ex aſtrorum ſitu, motu, concurſu, & aſpectu pendent, quemadmodum iſti ſuperciliosè pronuntiant.

D. At multa contrà obiiciuntur.

P. Ecquæ verò illa?

D. Primùm ipſa experientia, quæ iſtos ſæpe multa vera dixiſſe probat.

P. Atqui & Satan ipſe verum ſæpe dixit: ergo illi credendum erit,& ab eo diſcendum.Antichriſtus quædam miracula edidit:ergo eſt verus.Eueniunt igitur quædam,& iuſto quidem Dei iudicio in homines iſtis artibus attendentes, ab iſtis prænunciata,quo magis decipiantur,vt iis accidit,qui in Samaria Simoni Mago attendebant. C

D. Secundo loco Chriſtus ipſe dixit futurorum bellorum, & euerſionis Regnorum ſigna in cœlo,in Sole,Luna,& in ſtellis fore, Luc.21.v.25. Matth.24.v.29.

P. Quæ ſigna in cœlo, & ſyderibus fore denuntiat Chriſtus, ea neque Regnorum euerſionis,neque belli,neque pacis, neque huiuſmodi rerum euentus prognoſtica,aut ſigna ſunt: ſed ſunt ipſius Mundi conſummationis initia, quia lucere Sol & Luna tunc deſinent, ſtellæ cadent, fiétque illa innouatio rerum omnium:vnde & cœlum nouum,& terra noua erit,de quo ſæpe Prophetæ cõcionantur:vt Iſ.66.Apoc.21.v.1.Ergo non ordinariorum effectorum,ſed vnius tantùm Mundi abolitionis ſigna illa ſtatuit Chriſtus. Itaque nullo modo hoc D. N. Ieſu Chriſti dicto iuuantur iſti Mathematici.Deinde quæ futura in Sole, & Luna dicit Chriſtus,ea ſunt huiuſmodi, vt diſertè, & propter extraordinarium euentum ſigna iræ Dei eſſe apertè appareant, quoniam ordinem naturæ immutari, vel euerti ab eo teſtantur. At quæ Aſtrologi iſti ſigna ſuarum prædictionum conſtituunt,ea

A tuunt,ea ſunt ordinariarũ vitæ actionum,& euentorum ſigna,quæ in vſitato,& ordinario aſtrorum curſu ineſſe & cerni volunt.

D. Tertiò afferunt, quòd quũ Dominus ipſe pro noſtra ſalute pateretur, fuerunt ſigna in Sole, ex quibus homines artis Aſtrologicæ ſtudioſi, & intelligentes (veluti Dionyſius ille Areopagita,de quo ſcribunt omnes hiſtorici eccleſiaſtici)aliquid nouum,& mirum fieri ſtatim coniecerunt,& pronuntiarunt. Dixit enim Areopagita Dionyſius, animaduerſa extraordinaria illa totius Solis eclipſi,de qua Matth.27. *aut mundi machina deſtruitur: aut Deus natura patitur.*

P. Nimirum(ſiquidem illa narratio vera eſt) ex extraordinario, & planè miraculoſo Solis pathemate iſtud colligebat Dionyſius. At Aſtrologi iudiciarii ex ordinario Solis motu,exortu,& occaſu ſyderum,concurſu, aſpectu,ſua illa Mundi fata, quæ vocant,augurantur, & pronuntiant , quæ tamen omnia non ex naturæ ordine , ſed ex hominũ deliberatione , atque etiam arcana Dei ipſius voluntate prorſus dependent.

B D. Sed quoniam ſunt iſti in ſuo errore pertinaces,adducam etiam quartum argumẽtum,quod iidem pro ſe afferunt,extátque apud Matth. cap.2. Magos nimirum, qui fuerũt Aſtrologiæ deditiſſimi,& inter Oriẽtales populos ſoli Sapiẽtes,ac Philoſophi habiti, ex ſtella,& ſydere cœleſti rectè cõieciſſe natum eſſe quendam futurum Iudæorum regem,atque eos ipſos ad eum videndum , & ſalutandum veniſſe.

P. Veriſsima quidem eſt illa hiſtoria , quam narras:ſed quod iſti ex ea concludunt minimè tamen efficitur:nempe dignitatis,ſtudii, & cõditionis in illo futuræ prædictionem ex aſtris coniici, eámque ex naſcentis hominis horoſcopo, poſitúque ſyderum colligi poſſe. Primùm enim illud exemplum vnum eſt, & ſingulare:ex ſingulari autem nihil rectè vniuerſaliter concludi poteſt.Deinde hanc ipſam ſtellam ordinariam fuiſſe,quis illis concedet ?Denique reſpondeo eos non ex ſolo iſtius ſyderis aſpectu : ſed interno quoque ſpiritus Dei motu,ac inſtinctu admonitos fuiſſe ,atque cognouiſſe magnum quid & extraordinarium in C Iudæa eueniſſe. Imò etiã ſcribit Baſilius in Homilia de Natiuitate Chriſti idcirco magos iſtos ex ſtellis cognouiſſe natum eſſe regem : quia vis aſtrorũ & ars ipſorum elanguere cœperit. Tertul.in libr. de idololatr. aliam ſolutionem affert, quòd iuſsi ſint illi Magi redire aliâ viâ, id eſt, illam artem ſuã Aſtrologiámque deſerere. Ergo Deus illis huiuſmodi viſum,ſed extraordinariè obiecit, cuius ipſi capaces erant , & ad quod attendere tum potuerant , tum etiam ſoliti erant. Quare perpetuam inde regulam diuinandi ex aſtris, & ex eorum ordinario curſu cudere velle, quæ mentis, quæſo, ſanitas eſt?

D. Sed & hoc quoque quintum , ac vltimum argumentum habent,quod ex Iſ.13.ver.10. Ezech. 32.v.78. ſumunt, nempe Deum regni Medorum, & Ægyptiorum euerſionem cum ſignis , quæ in Sole,& ſyderibus apparebant,coniungere.

P. Ne multa dicam , quæ poſſunt reſponderi, & illud imprimis,illa ſigna eſſe nõ ordinarios curſus:ſed extraordinaria,& miraculoſa effecta,quę in Sole,& ſyderibus vult Dominus apparere ad tempus:hoc vnum affirmabo,peſsimè hallucinari eos, qui ex iſtiuſmodi Scripturæ locis Aſtrologiã Iudiciariam,illiúſque prædictiones confirmant. A Sunt enim eę locutiones,& iis ſimiles omnes metaphoricæ, ex quibus aliud,quàm quod verba ipſa per ſe ſonant , colligitur: quemadmodum & illa locutio metaphorica eſt,quæ eſt apud eundem Iſ.cap.24.v. 18.19.de terræ motu. Quum enim Dominus,aut horrenda iſta ſua in homines iudicia:aut admiranda miſericordiæ in electos ſuæ opera depingit,his metaphoris à Solis, Lunæ,& rerum tum cœleſtiũ: tum etiam terrenarum euentu ductis vtitur: nempe fore, *vt terra concutiatur , Sol & Luna obſcuretur, aſtra concidant* : quoniam tunc ſumma rerum perturbatio futura eſt,ingens hominum pauor,& ſtupor:denique ſumma admiratio, & nouitas, qualis eſſet,ſi neque Sol,neque Luna nobis lucerent,& ſi terra concuteretur.Quod vel ex vno Ioelis c.2.loco ſatis oſtẽdi poteſt,vbi miſsionem Spiritus ſancti in Apoſt.ſimili metaphora deſcribit Propheta: quanquam quoad rei veritatem,tunc quum in eos Spiritus S. miſſus eſt neque Sol,neque Luna fuerint obſcurata , neque extiterit vllus terræ motus, quemadmodum ex Actis cap.2.facilè colligitur. B

D. Abundè iam mihi,atque ipſis adeò Aſtrologis,quemadmodũ ſpero,ſatisfeciſti : & quo ſenſu aſtra dicantur eſſe in ſigna docuiſti. Nam quod quidam ſcribunt à Magis Lunam de Cœlo deduci,ſunt prorſus aniles fabulæ,vti concilio Aquileienſi præclarè definitũ eſt. Itaque iſtis nugis refutandis immorari te nolim.Perge ergo, ac explica, quid hæc verba ſibi velint,*in Tempora,in Dies , & in Annos.*

CAP. XXXVII.

Tempora vt per cœleſtia corpora ſignificentur.

P. Reliquum aſtrorum vſum demonſtrant, nempe, vt ex eorum motu Annos obſeruare,atque diſtinguere poſsimus. Anni tempeſtates conſtituere , quæ cuique operi faciundo ſunt idoneæ, & vtiles.Præterea diẽ ipſum à nocte diſcernere , ac deniq; certã Menſium rationem,& cõſtitutionem habere.Nam Annorum,& Dierum nomine complector quoque Menſes,qui C ex Lunæ curſu ferè apud omnes populos definiri ſolent:quemadmodum Anni ex Solis motu,quum ad idem Zodiaci pũctũ,à quo cœperat digredi,regreditur Sol : quanquam tamen Ægyptii Lunares annos habuiſſe dicuntur. Neque tamen omnes ab eodem ſolaris curſus puncto annum inchoant,vt ex hiſtoriis apparet. Menſes pro annis Ægyptii numerarunt , & annum ab Auguſto noſtro menſe inchoarunt. Romani in menſibus ſuis diſtinguendis , non tam videntur habuiſſe rationem Lunæ,quàm duodecim ſignorum Zodiaci,vel anni in 12.partes quoquomodo diſtribuendi ad ſuorum principum aſſentationem, & commendationem : & Annum à conuerſione Solis hyemali menſe Ianuario inchoant.

D. Expone teipſum paulò fuſius. Et primùm quid vocas Tempora?

P. Voco tempora Tempeſtates anni diuerſas, quas Græci ἔτους ὥρας appellant. gal. *ſaiſons.* id eſt, idonea cuique operi terreno,ac neceſſario faciendo anni ſpatia,quale eſt tempus ſementis, meſsis, frumentationis , plantationis , inſitionis arborum: ſyluæ item cædendæ,colligendorum,premẽdorum,ac condendorum fructuum terræ,& ſi quę

A ſunt alia huiuſmodi. Iſta enim tempora omnia ex mediocri Solis , & ſyderum obſeruatione etiam ruſtici ipſi norunt:quoniam quemadmodum mortales omnes iſta corpora intuentur : ſic eorum vires ſentiunt:éſtque huiuſmodi liber facilis, & naturalis. Itaque mediocri tantùm cura,& diligentia opus eſt , vt intelligatur : nec enim Dominus temerè cœlum,& Solem,& Lunam ita volui voluit, & quodque eorum ſuis legibus & ſpatiis coërceri progrediendo à meridie in Septentrionem: deinde à Septentrione in Meridiem regrediendo: oriendo,occidendo. Nam ſi fruſtrà iſta fierẽt, fruſtrà illa cõdidiſſe videretur. Ad magnas igitur hominum vtilitates iſta creata ſunt, vt vel ex Palladij de Re Ruſt. vno libello ſatis percipi poteſt , itémque ex Varrone , & Arato poeta. Itaque facilis , & naturalis , & in propatulo poſita eſt à Deo ipſo eius vſus ſcientia, non reconditâ quadam arte habet opus.

D. Quî porro iſtud?

P. Quoniam ſunt quatuor puncta in Cœlo, quæ Zodiacum,id eſt,ſigniferum illum orbem (in cuius medio,& eclipticâ,quæ vocatur linea , ſem-
B per Sol verſatur) in quatuor partes diuidunt , è quibus bina ſibi ſemper ſunt ex diametro oppoſita. Eorum punctorum vnum eſt in primo gradu ſigni Arietis qui dicitur: cui oppoſitum eſt aliud, quod eſt in primo gradu Librę. Hæc loca cũ ſubit Sol facit Æquinoctia,id eſt , diem nocti æqualem reddit. Vernum,in Ariete. Autumnale æquinoctium in Libra. Eſt ex reliquis duobus punctis vnum in primo gradu Cancri, cui ex diametro opponitur aliud,quod eſt in primo gradu Capricorni : in quibus duobus fiunt duo totius Anni Solſtitia : Æſtiuũ,in Cancro : Hyemale,in Capricorno. Ex his quatuor locis quatuor Anni tempeſtates diſtinguuntur : Ver, cùm Sol ingreditur Arietem. Eſt autẽ Ver humidum,& calidum: Æſtas fit, quum quidem idem Sol verſus Septentrionẽ conſcendens adit Cancrum. Eſt autem hæc conuerſio Solis æſtiua:hæc tempeſtas calida eſt,& ſicca. Autumnus ſequitur , qui incipit Sole Libram ſubeũte,& tùnc denuo fit dies nocti æqualis. Eſt autem Autumnus humidus,& frigidus. Hyems denique
C cõtingit,quæ eſt frigida, & ſicca,quũ Sol ad Meridiem deſcendẽs Capricornũ ingreditur. Sed & alia quoque ſydera iſtis ipſis Anni tẽpeſtatibus apparent,ex quibus illæ deſcribi quoque ſolent à Poëtis,& Latinis,& Græcis, quæque (quoniã diuerſa ſunt apud ſingulas nationes mẽſium nomina) fuit prima generalis,& notior earum tempeſtatum diſtinguendarum ratio : veluti Virgiliarum exortus matutinus ver eſſe oſtendit. Earũdem occaſus matutinus hyemem. Fidiculæ occaſus Autumnum oſtendit. Canis autem,aut,vt alij malunt , Delphini exortus Æſtatem. Ver habet menſes Martium, Aprilem , Maium. Signa Zodiaci , Arietem,Taurum,Geminos. Æſtas habet menſes Iunium,Iuliũ, Augſtũ. Signa Zodiaci, Cancrum, Leonem, Virginem. Autumnus menſes Septembrem , Octobrem , Nouembrem. Signa Libram,Scorpionem, Sagittarium. Hyems menſes,Decembrem, Ianuarium, Februarium. Signa Zodiaci Capricornum, Aquarium,Piſces. Hęc ſunt igitur,ex quibus aſtra, & imprimis Solem , & Lunam , nobis à Deo data eſſe intelligimus ad tempora.i. anni tempeſtates deſignandas.

A

CAP. XXXVIII.

Tempus in vniuerſum quid ſit, & quid Æternitas.

D. NOnne verò ex iis,quid ſit tempus intelligi poteſt?

P. Sanè , ſed Philoſophi generaliùs definiunt. Eſt enim illis tempus rei cuiuſque duratio, quæ certo modo deſignari, & notari poteſt : vnde ex cœli conuerſione,ſiue alio quopiam modo illa poſsit intelligi,& explicari,tempus eſt. Quæ verò res nullam menſuram habet,ex qua ipſius duratio definiri poſsit,vt Deus,eſt æterna.

D. Verùm Ariſtoteles eſſe tempus vult,*numerum motus ex cœli conuerſione obſeruatum & definitum.*

P. Non omnino abſurdé. Nam & illud tempus ſeu ſpatium,quod ex eo Die cœpit, quo Cœlum & creatum eſt,& volui cœpit, dicitur à Paulo χρόνος αἰώνιος.i. tempus ab huius Mundi creatione incipiens. Et ſic ferè quoque homines tempus definiunt,ac metiuntur:quanquam tamen & tempus B cogitari poteſt ante hunc Mundum conditum,ſed illud metiri ægrè poſſumus.

D. Quid igitur? éſtne æternitas illa duratio,& ὕπαρξις rei,quę ante αἰωνίοις χρόνοις,vt Paulus loquitur Tit.1.v.2.1.Timoth.1.v.9.fuit, & ſolùm animo cogitari poteſt , ac etiam ne cogitari quidem , tam eſt nimirum infirma , & exilis humanæ mentis acies,& proſpectio?

P. Sic eſt. Quamobrem Æternitas ſolet à ſcriptura ſacra deſignari eo modo loquendi , quo aliquid ante omne principium iam ſubſtitiſſe dicitur. Sic Ioan.1.v.1.oſtendẽs æternitatem Filii Dei, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος .i. *In principio erat ſermo ille* , ait. Quod & idem Prouerb.8.v.30.extat. Quidam tamen ſempiternitatem ab Æternitate diſtinguunt non re quidem & ſubiecto : ſed modo tantùm relationis,ac comparationis. Æternum enim appellant , quum illud ex ſeſe , & in ſeſe conſideratur. Sempiternum autem,quum idem noſtri.i. noſtræ durationis,& rationis comparatione cogitatur. Sic itaque definiunt Æternitatem , vt ſit duratio indiuiſibilis C tota ſimul exiſtens. Nam , vt inquit Boethius,diuinum *nunc* permanens,neque mouens ſeſe,atque conſiſtens æternitatem facit. Sempiternitas autem iiſdem eſt, quam noſtrum *nunc* currens, & manens facit. Denique illud Auguſtini verum eſt, *Motus ſi nullus eſſet corporalis,aut ſpiritualis, quo per præſens præteritis futura ſuccederent,nullum omninò tempus eſſet* lib.5.de Geneſ.ad Lit.cap.5. In tempore igitur ſumus,& omnia in tempore ſunt creata,& tamen quid tempus ſit penè ignoramus : etſi tamen nonnullæ res creatæ ſunt, vti Angeli,& Animi hominum , quæ futuræ ſempiternæ & immortales eſſent.

CAP. XXXIX.

Dies , & Anni vt fiant à corporibus cæleſtibus.

D. QVomodo verò eadem ſydera ſunt *in Dies, & Annos & menſes* conſtituta?

P. Quòd ex Sole Anni vulgaris,qui & Solaris dicitur,ratio pendet. Nã intra 365.dies,& quadrãtẽ diei paulò minus fit Annus,id eſt,illa cõuolutio,& regreſsio Solis ad idem Zodiaci punctum,

etſi

A etſi quiddam tamen adhuc huic ſpatio deeſſe nõnulli volunt. Luna mẽſes efficit, qui in Anno ſunt duodecim, vt apparet ex Ezechiel. 32. v. 1. Luna enim duodecies eodem ſpatio 365. dierum totum Zodiacum circuit. Ac præterea vndecim dies habet excurrentes, quibus ſuperatur Luna à Sole, qui dies vndecim à Romanis, vti à Iulio Cæſare, & poſtea ab Auguſto (variis diebus cuique menſi additis) per ſingulos annos intercalantur, præter quadrantem diei, qui adhuc ſupereſt, & ſingulis quadrienniis intercalatur quoque. Ab Hebræis autem intercalabantur ferè ſingulis trienniis dies iſti vndecim, vnde menſis iſte ab illis dicebatur intercalaris. Huius autem interſtitij & differentiæ inter 12. menſes Lunares, & plenũ Solis curſum, ſeu annum mẽtio apertè fit in Geneſi, vbi diluuij (quod ſub Noah contigit) tempus deſcribitur.

D. Quomodo verò aſtra ſunt in dies?

P. Propterea quòd ordinari⁹, & quotidianus Solis motus, qui fit quotidie ab ortu ad occaſum ſupra noſtrum hemiſphærium, Diem efficit: quẽadmodum eiuſdem Solis abſentia noctem: Sol e-
B nim diei dominatur, Luna verò nocti Pſ. 137. Suntque hæc duo luminaria propter vſum (ad quem à Deo deſtinabãtur) ſic creata, vt eſſẽt cæteris maiora. Sol tamen eſt maior Lunâ. Benignitate verò ſumma Dominus & Pater ille clementiſsimus per publicos hoſce miniſtros ſuos, Solẽ dico & Lunã, omnibus hominibus .i. & pauperibus, & diuitib⁹, & bonis, & malis, vt eſt Matth. 5. ſuã lucẽ largitur gratis, & diſpenſat. Nam ſi illa pretio quantumuis exiguo emeretur, ſoli diuites ea fruerentur: ſin bonis tantùm concederetur, exiguus omninò illius vſus in hoc Mundo eſſet, & obſcura vtilitas. Vt igitur Dominus ille Deus curã de omnibus hominibus ſuam, ſuámque in eos infinitam beneficẽtiã oſtenderet, ingentis ſui in vniuerſum genus humanum beneficij, nempe lucis, Solem & Lunam miniſtros, eóſque publicos, id eſt æquè omnibus inſeruientes: atque etiam gratuitos eſſe voluit, cui ſit laus, & gloria in ſecula ſeculorum, & vltra. Amen.

D. Iámne videtur tota diei quartæ explicatio abſoluta?

P. Certé.

C

TRACTATVS QVINTVS

Siue Dies Quinta.

De Animantibus Aquatilibus, & Volatilibus.

CAP. I.

Ratio ordinis huius Diei, & rerum in ea creatarum.

D. QVid ſequitur igitur?

P. Vt ad opus Diei quintæ accedamus.

D. Ecquod verò illud fuit?

P. Quale his verbis Geneſ. cap. 1. v. 20. deſcribit Moſes. *Dixit præterea Deus, Producant Aquæ reptile animæ viuentis: & volatile volet ſuper terram in ſuperficie expanſionis cœli. Creauit igitur Deus Cœlos magnos, & omnem animam viuentem, reptantem, quam produxerunt aquæ iuxta ſpeciem ſuam, atque omne volatile alatum ſecundum ſpeciem ſuam, viditque Deus quòd eſſet bonum: benedixitque illis Deus dicendo, Creſcite, ac multiplicamini, & replete aquas, quæ* A *ſunt in maribus: & volatile multiplicet ſeſe in terras. Et fuit veſpera, fuitque manè dies quintus.* Hactenus Moſes.

CAP. II.

Totius futuræ diſputationis partitio.

D. IN quot verò partes totum huius Diei opus atque argumentum diuides?

P. In duas, quarum prima Piſcium, & Animalium in aquis reptantium, ſeu natantium creationem atque naturam explicat. Altera verò Volatilium, ſeu Volantium Animalium. De quibus ſinguiis partibus nobis eſt ordine dicendũ. Et quoniã quæ diei ſextæ diſputatio poſtea ſequetur, eadem quoque eſt de Animalibus, ſed terreſtribus, eius rerum generis (quod Animal dicitur) ratio ac natura exponenda nobis eſt, ad facilem totius ſequentis tractationis explicationem.

CAP. III.

Animal quid ſit.

B

D. QVid eſt igitur Animal?

P. Illud rerum creatarum, atque corporearum genus, quod (vt Philoſophi volunt) & ſentit, & mouetur: vt autem ſacra Scriptura definit, quod & viuit, & reſpirat. Viuentium enim rerum nõ eſt genus vnum, ſed multiplex: atque etiam, vt in explicatione diei tertiæ diximus, aliud alio perfectius, ac excellentius viuit. Etſi enim omnis viuendi, vitæque ratio, ac fons in rebus viuentibus ineſt ab ea vi, quæ Anima dicitur, illiſque à Deo vel ex ipſo corporis temperamento excitatur: vel extrinſecus iis, velut hominibus, inſeritur. Pſalm. 36. tamen non ſunt in omnibus iis rebus, quæ viuunt (quæque animatæ dicuntur) eadem, & paria vitæ effecta, & argumenta. Quædam enim ſic viuunt, vt tantùm vegetentur, ſibíque ſimile procreent, vt Plantæ. Quædam verò ſic, vt etiam & ſentiant, vel (quod idem eſt) reſpirent, & ſeſe loco moueant, vt Animalia. Quædam denique ſic viuũt, vt etiã ratione, ac λογισμῷ præterea vtantur, quales homines à Deo Opt. Max. in hoc Mundo ſoli ſunt conditi.

C

D. Explica iſta paulò latiùs.

P. Hebræi videntur generaliter appellare יקום Iequom quicquid in hac inferiori Mundi parte ſubſiſtit, & quoquomodo viuit Geneſ. 7. verſ. 4. 23. Deuter. 11. verſ. 6. Sed quod ſubſiſtit, habétque [illegible] naturale in hac elementari Mũdi regione, vel eſt Dei imago. i. γένος & progenies, quemadmodum poſt Aratum loquitur Paulus, qualis eſt homo à Deo ipſo ad ſui imaginem conditus, Act. 17. verſ. 29: vel non eſt imago, & progenies Dei. Hoc autem poſtremum rerum genus vel habet tantùm ζωὴν, veluti plantæ: vel etiam κίνησιν, qualia Animalia, quæ iam definire cupimus. Hæc igitur animalia primùm omnium ſunt plantis perfectiora: quia plures, excellentioréſque functiones obeunt: & habent ipſam corporis ſui ſtructuram tum venuſtiorem, tum etiam partium numero magis abſolutam, & ad ſui conſeruationem magis aptatam, & αὐταρκῆ. Hanc igitur Animalis naturam iidem Hebræi vocabulo חיה Chaia à vita deducto deſcribunt, quaſi Plantarum comparatione animalia ſola viuere videantur: & Veteres

A quoque *viuere* & *ſentire* idem eſſe ſtatuebāt,vt quæ non ſentirent, nec ea quoque viuere arbitrarentur,aut dicerent. Vnde Græci ζῶον Animal dixerunt ad Hebræi Chaia imitationem. Eſt enim ζῶον ἀπὸ τῆς ζωῆς (quæ ſignificat vitam) deriuatum. Ex quo fit,vt hoc primùm loco & die Moſes viuentis creaturæ meminerit, quoniam Animalia (quæ viuere primùm cenſentur) deſcribit: quod idem de Plantis non dixerat prius, eas nimirum viuere. Sed cùm huius tam excellentis ſupra Plantas vitæ rationem, propria, & effecta tum Prophani Philoſophi: tum etiam Hebræi diligenter annotarent, eáque diuerſa eſſe obſeruarent, actum eſt,vt (etſi vtrique motum localem huic rerum generi tribuant)illi tamen Græci à ſentiendi facultate Animal definirent: hi verò Hebræi potiùs idem à reſpirandi effectu,& poteſtate deſignarent.Animal enim eſſe dicunt Philoſophi Græci, & Naturales illud quod ſentit: Hebræi autem illud,quod reſpirat,vt apparet Geneſ.7. ver.22. Id eſt,quod aliquo frigido extrinſecus attracto, vel adhibito ac admoto, interni caloris vim, quâ viuit, B refocillat,fouet,ac conſeruat. Itaque propriè vocant animal נשמה Neſchamah,quia halitum habet,& cor refrigerat.

D. Vtri vero tibi videntur meliùs ſenſiſſe, & Animal definiuiſſe rectiùs?

P. Proculdubio Hebræi. Nam ipſum vitæ in Animalibus conſeruandæ generale fundamentū, verámque cauſam perſpexerūt,nempe interni caloris refrigerationem, quam Reſpirationem populari vocabulo nominare ſolent, ſiue aër & aqua in hac inferiore expanſione Mundi diffuſa ab his animalibus naribus ducatur: ſiue etiam alio elemento,quàm aqua,ſummum illum feruentem intus calorem refrigerent,ac temperent. Refrigeratio autem eſt omnibus Animalibus in vniuerſum communis: neque vllum eorum genus refrigeratione carere poteſt. Philoſophi verò effectum potius vitæ,illudque ſæpe in pleriſque Animaliū generibus obſcurum quàm vitæ cauſam ſpectarunt in definiendo Animali, vt in Polypo,& C ſimilibus,qui exiguam ſentiendi vim participare videntur. Deinde magis propriè Hebræi Animal Neſchema vocant: quàm Græci ζῶον quoniam ζῶον latiùs omnino patet,quàm ad ſola animalia. Denique ipſi etiam Latini eam Animam,quam in Animalibus ipſis primùm animaduerterunt,ab illa reſpiratione,& aere refrigerante denominarunt Animam.Dicta eſt enim Anima ἀπὸ τοῦ ἀνέμου. i. vento,quem tenuiſſimum ducit,qui reſpirat. Sed & Græci quoque Philoſophi ψυχὴν ἀπὸ τοῦ ψύχεως.i.à refrigeratione vocarunt,quemadmodum interpretantur Platonici. Vnde Empedocles ſenſit Animalis Animam eſſe,& proficiſci ab externa reſpiratione, propterea quòd vitam ſuam propriè, præterque Plantarum rationem Animalia conſeruant,reſpirando,& ſeſe refrigerando. Ex quo fit,vt *Animal*, *Spiritus*, *Anima*, & *Reſpiratio* apud Hebræos pro eodem ſæpe ſumantur Iſ. 2. v.22.42. v.2.Threnor.4.ver.20. Et quia interni illius caloris (quo præditum eſt Animal omne, quoniam eſt plātis perfectius,ad præſtātiorésque operationes à Deo conditū)per vniuerſum Animalis corpus diffuſi ſedes eſt in ſāguine,idcirco dicitur Animaliū (homine modò excepto,cuius alia Animæ ratio eſt) vita eſſe in ipſorū ſanguine,Leu.17.v.14.

A

CAP. IIII.

Senſus quid,& quotuplex in Animalibus.

D. CVm igitur alij ex ſenſu: alij ex reſpiratione: alij ex motu naturam Animalium definiāt,quid hæc tria ſint,breuiter expone.

P. Expono.A ſenſu autem trium horum explicationem exordiēs.Senſus eſt duplex, Interior, & Exterior. Senſus exterior eſt, ea corporis facultas,quæ primùm apprehendit,ac recipit res externè obiectas, ſiue eas attingat corporeo conſpicuóque contactu, ſiue radiis quibuſdam & vaporibus ex ſe ad obiecta corpora emiſſis. Harum rerum receptarum phantaſmata poſtea ſenſui interiori ſenſus exterior per neruos & ſpiritus animales defert. Senſus interior eſt ea animæ facultas, quæ per delata ad ſe phantaſmata res obiectas ab externo ſenſu diiudicat. Itaque hic internus ſenſus numero duntaxat vnus eſt,& *Communis* appellatur,qui quanquam vnus eſt,omnium tamen exteriorū ſenſuum actiones velut arbiter diiudicat. Verſatur autem in occipite, & anteriore, capitis, ac cerebri noſtri parte. Cuius miniſtri, internuntij,ac velut ſatellites ſunt illi ſenſus exteriores, qui ſunt numero quinque: nimirum Viſus, Auditus, B Olfactus, Guſtus, & Tactus,quos omnes omnia animalium genera non participant tamen. Talpæ enim viſu carent. Alia Animalia auditu, vt pleraque piſcium genera &c. Quanquam verò in ipſis ſenſibus,aliud ſit ſenſus viuacitas,vt loquitur Auguſt.quæ eſt integrarum virium tum ſenſus interioris,tum organorum ipſorum actio:aliud autem ſenſus ipſe (qui ſæpe obſcurè,& ægrè ſuum obiectum percipit) tamen etiā ſenſu aliquo vno prorſus,non tantùm illius viuacitate carent Animalia pleraque. Ergo ſenſus eſt animæ facultas:ſentire eſt illius animæ facultatis communis cum ſuo corpore actio. Senſus fit per obiectarum ſpecierum phantaſmata abſtractè recepta per neruos, & ſpiritus quoſdam calidos, & tenues, quos animales vocant medici,& in arteriis conſiſtere volunt, quibus cùm careant Plantæ, neque phantaſmata recipiunt vlla, neque propterea ſentiunt. Ex ſenſibus autem exterioribus quinque,duo,Tactus nimirum & Guſtus communiter omnibus animalibus inſunt,& ſeſe attingentia obiecta iudicant:Guſtus quidem oblatum cibum, & nutrimētum, C quod per linguam, & humorem diiudicat à veneno. Tactus autem qualibet parte corporis diffuſus diſcernit noxia,quæ ſeſe attingunt, naturámque ſuam lædunt, & euertunt. Id quod tactus neruoſæ cuiuſdam contexturæ (quæ per vniuerſū corpus ſparſa eſt) beneficio facit. Odoratus autem, Viſus,& Auditus diiudicant obiecta, quæ à ſeſe remota ſunt,& è longinquo nocere, vel prodeſſe poſſunt, nēpe Viſus colores: Auditus ſonos:Olfactus odores. Quod partim neruorum, & humorum: partim membranarum illis partibus corporis adiunctarum ope, & interuentu fit. Atque hi tres ſenſus in perfectioribus animalibus inſunt. Auditus verò, etiam in iis,quæ diſcere aliquid poſſunt. Omnis autem ſenſus fons, & principium eſt Cerebrum:inſtrumenta nerui, & ſpiritus illi tenuiſſimi in arteriis contenti, atque à venis, quibus ſunt vicinæ arteriæ, calefacti,qui dicuntur Spiritus Animales. Quædam porrò

ſen-

A ſenſuum actiones in Animalibus neceſſariò conſequuntur,veluti Vigilia,& Somnus, quorum illa fit,& durat,donec operantur, & excitantur ſenſus ipſi exteriores.Somnus autem eſt cùm halitu quodam, & vapore in cerebrum aſcendente, ad quietem,& recreationem naturę ſenſus ſopiti conquieſcunt, & ceſſant ab operando. Item Iuuentus & Senectus ſenſuum actiones ſequūtur in Animalibus,è quibus Iuuētus eſt omne illud ſpatium,quo vegetus ſenſuum vigor adhuc manet,& res quæq; ad perfectiſsimum ſtatus ſui gradum adhuc pergit.Senectus verò eſt naturalium viriū inclinatio, & labefactatio,& ad decremētum,ac interitū naturæ progreſsio.Item Mors, & Vita, & vitæ longitudo, ac breuitas in Animalibus apparet, è quibus Vita eſt quandiu humidum radicale (quod eſt interni animalium caloris velut pabulum quoddam) durat,& ſuppetit cuique Animali ſuſtentādo. Mors autem eſt quando idem humidum, vel omnino calore conſumptum eſt,ac deficit: vel ita frigore concretū eſt,vt alimentum calori præbere amplius non poſsit.Longitudo verò vitæ eſt in iis
B Animalibus,quæ plus humido illo radicali, & calore natiuo abundant. Breuitas verò vitæ eſt eorum Animalium vita, quæ languidius, ac imbecillius vtrumque, humidum illud, inquam, & calorem naturalem habent. Habent autem animalia, quæ perfecta vocantur, ferè hæc omnia. Prætereàque etiam Memoriam, id eſt, altam, & reconditam receptorum phantaſmatum impreſſionem,eorúmque conſeruationem, & retentionem. Itaque per memoriam poſſunt phantaſmata reuocare iam præterita,ſed talia tantùm, qualia ſuſceperunt, & condiderunt.i.memoriæ tradiderunt. Reminiſcentiam autem ſola ea animalia habent,quæ συλλογιστικὰ nominantur.i.quę Ratiocinatione vtuntur,quales ſunt homines:quoniam Reminiſcentia ex rerum ſimilium,& diſsimilium interſe comparatione oritur. Vnde nec eadem omnino phantaſmata,qualia primùm accepit, primùm regerit: ſed ex aliorum collatione in iſtorum tanquam oblitorum memoriam redit.Itaque in Reminiſcentia συλλογισμῷ vtendum eſt, quod non fit in Memoria.

C

CAP. V.

De Reſpiratione Animalium,quid ſit & quomodo fiat.

D. DIc de reſpiratione, quoniam de ſenſu ſatis abs te iam dictum eſt.

P. Reſpiratio duplex eſt:Expiratio,& Inſpiratio.Inſpiratio eſt frigidi exterioris attractio, & receptio, vt ad fontem vſque caloris interni penetret : nempe ad Cor ipſum Animalis ad caloris natiui fuliginem expellendam.Exſpiratio eſt illius frigidi recepti emiſsio,poſt quàm & frigefecit,ſiue recreauit calorem internum, & ipſum frigidum eſſe deſiit. Itaque quum illud frigidum externum, aut nimiâ copiâ receptum eſt: aut nimia frigiditate conſtrictum & compactum, ad caloris interni ſedem penetrare non poteſt, ſtatim ſuffocatur Animal & fit πνῖξ. Quemadmodum ſi deficit alimentum illi calori tuendo cognatum, & conſentaneum,Animal marceſcit,& deficit. Cur autem cōtinuam illam reſpirationem fieri ſit neceſſe ratio eſt, interni caloris (quo Animalium omnium vita,naturáq; ſuſtentatur)vis,feruor,& velut incēdium A, quod ſtatim vniuerſum animantis corpus inflammaret, niſi externo aliquo frigido, velut aquâ ſuffuſa, aſsiduè refrigeraretur. Quanquam verò ex ipſis Animalibus alia aliis ſunt longè calidiora,omnia tamen calida ſunt, id eſt, calorem illum internum & natiuum habent. Itaque pro naturæ, ſpecieíque ſuæ conditione æſtuant, niſi recreentur contraria qualitate,id eſt,frigore.Dicuntur certè quædam animalia eſſe exanguia,quę quidē frigidiora ſunt ſanguineis:ſed tamen & ipſa, & carnem,& ſanguinem habent, & calorem, & idcirco etiam ipſa egēt refrigeratione, quemadmodum Piſcium multa genera.Id quod docent,Paulus 1. Corinth.15. verſ.39. & ille Leuitici locus qui eſt cap.17.v.14.Iſtius igitur caloris, qui eſt vitæ in omnibus animalibus,vehiculum, ac ſedes eſt ſanguis:pabulum autem humidū radicale:fons,Cor: ſed ſanguis, qui eſt caloris vehiculum in omnibus animalibus, non quidem rubet,ſed candidum eſt in pleriſque, velut lac, idcircóque non appellatur tunc ſanguis, & αἷμα, quoniam αἷμα dici ſolet ex vſu hominum ille humor qui eſt colore rubro,vel B purpureo.Sed lac ipſum quid aliud eſt etiam in iis Animantibus, quæ lac habent, & ſanguinem, quàm iam tinctus quidem ab Hepate ſanguis: ſed in mammis dealbatus à glandibus,quibus refertæ ſunt mammæ,& albæ ſunt? Ergo ad Cordis,& caloris (qui in corde, velut totius animalium vitæ fonte ineſt) refrigerationem,pulmonem Deus fabricatus eſt,aut quiddam(vt in multis animalibus Pulmone carentibus) Pulmoni ſimile, quod eūdē tamen vſum illis præſtat Animalibus, quē Pulmo Animalibus ſanguine iſto rubro abūdātibus.Pulmo autem perpetua quadam ſui ſublatione,ac depreſsione (contractionem,& dilatationem συστολὴν ϗ διαστολὴν vocant) externum frigidum tum attrahit ad ſe:tum expellit,cùm eſt opus, atque ita tanquā follis quidam perpetuus Cordi familiaris ac vicinus leniter Cor recreat, refrigerat, ac reficit. Quemadmodum enim ſenſus principium, & fons eſt in Cerebro : ſic vitę, & caloris fons eſt in corde,à quo ſanguis perficitur,iam quodammodo ab Hepate præparatus, & tinctus, vt in vniuerſum corpus per venas poſtea à corde diuidatur, ac ſum C miniſtretur. Atque hoc pacto partes illæ, quæ ex animalibus, noſtriſque corporibus quotidie defluunt quodammodo reſtituuntur, ac reſarciuntur. Denique vt totum hunc locum concludam præclarè Auguſt.libr.3.de Anima cap.4. *Pulmones namque Anima (cuius motu mouentur etiam cætera corporis membra) ad hunc aëreum ſpiritum ducendum, atque reddendum,ſicut folles mouet. Præter enim alimenta ſolida,& fluxa (vnde eſt cibus & Potus) hoc tertium hominibus Deus alimentum circumfundit aurarum, quas ita carpimus, vt ſine cibo,& potu diu eſſe poſſimus. Sine hoc autem alimento tertio, quod aura nobis (qua vndique circumſiſtit) ſpirantibus, & reſpirantibus exhibet, nec exiguo temporis ſpatio poſſumus viuere. Sicut autem cibus,& potus non ſolum ingerendi, verùm etiam per meatus ad hoc inſtitutos egerendi,ne vtroque lædant,vel non intrando, vel non exeundo : ita hoc tertium fabrile elementum (quia in nobis manere non ſinitur) nec morando corrumpitur, ſed egeritur,mox vt ingeritur, non alios,ſed eoſdem meatus, id eſt,os aut nares, aut vtrunque, & qua intraret, & qua exiret,accepit.* Hæc doctiſsimè Auguſt. qui

A pauciſſimis verbis totam huius rei explicationem complexus eſt. Ex quo fit, vt quàm facilè vita hominum ipſorum (quoniam & ipſi Animalia ſunt) extingui poſſit, iam intelligatur, ſitque mirus ſtupor noſter, dum ita ſuperbimus. Nam momento temporis extinguimur, & totus corporeæ huius vitæ ſpiritus eſt in breui narium, & oris agitatione, & aſpiratione.

CAP. VI.

De Motu Animalium, & quomodo fiat.

D. REctè mones, & hoc nobis die noctéque meditandum Iſaias proponit cap. 3. Sed dic de motu animalium, quoniam de Senſu & Reſpiratione, abs te dictum eſt.

P. Propriè is eſt, quem τοπικὸν appellant. Nam is motus qui κίνησις generaliter dicitur habétque αὔξησιν, & μείωσιν: γένεσιν, καὶ φθορὰν, & ἀλλοίωσιν ſpecies, pertinet etiam ad Plantas, non tantum ad Animalia. Hic igitur motus, de quo nunc agimus, quíque localis eſt, & proprius Animalium, eſt vel totius, B vel vnius alicuius partis corporis animalis traductio de vno loco in alium à ſentiente, ac appetente Animæ facultate in Animali excitata, & facta. Dico verò eum motum eſſe traductionem generaliter, quam κατὰ τόπον φορὰν Græci vocãt: ſiue illa reptando: ſiue natando: ſiue volando: ſiue progrediendo: ſiue ſeſe conuoluendo fiat. Tot enim ſunt huius motus localis modi, ac velut ſpecies diuerſæ. Addo etiam à *ſentiente*, *& appetente Animæ facultate eum* excitari motum, quoniam etſi cœlum loco mouetur, propterea tamen nequaquam Animal eſt. Non voluitur enim Cœlum ſenſu appetitum per externum aliquod obiectum ciente, & impellente: ſed inclinatione quadam Materiæ ita à Deo diſpoſitæ: vel ex propenſione, ac vi ſuæ figuræ circularis, vt quidam malunt. At animalia externis obiectis mouentur, & cientur ad illum motum localem, quem habent. Neque verò tam cientur, quàm ſeipſa mouent, cient, & impellunt ſponte quadã, ac appetitu illa eo deferente. Differunt enim in eo maximè Animata ab Inanimatis, quòd hæc mouentur duntaxat: illa verò ſeipſa etiam mouent, neque tantùm ab alio C mouentur. Habent enim inanima tantùm principium παθητικόν. i. motus paſſiuum: at Animata, & Animalia omnia etiam principium ἐνεργητικὸν, id eſt, actiuum, & ſeſe ciens, & incitans ad locum nouum appetendum. Hic autem motus non ineſt omni Animalium generi: quæ enim ſaxis, aut ſcopulis adhærent, vt Polypi, etſi ſentiunt, loco tamen non mouentur toto quidem corpore: ſed parte tantùm quadam corporis, nempe ore, quod ad rorem cœli hauriẽdum, aut ad Pinnam, vel oſtrea maris, aut aliud conſentaneum cibi genus capiendum dilatant. In quibus igitur hic Motus ineſt, hoc modo fit. Senſus externus ab externo obiecto mouetur primùm, & excitatur. Nam, vt vulgò, & verè quidem dicitur, *obiectum mouet potentiam*. Senſus exterior igitur prior excitatus interiorem afficit, ad quem phantaſmata rei obiectæ defert citiſsimé. Senſus interior & ipſe appetentẽ Animalis facultatem ſibi vicinam, & accubãtem ſtatim proritat, ac excitat: quoniam illa, quod ſub phantaſmate ſibi à ſenſu interiori offertur, cõmodum, vel incommodum ſibi eſſe perſpicit, id eſt, naturæ ſuæ vel diſſentaneum, vel conſentaneũ eſſe iudicat. A Hinc iam igitur quædam appetentia & incitatio animalis naſcitur, vel ad illud ipſum non iam in phantaſmate, ſed reipſa perſequendũ & adipiſcendum: vel ad illud idem fugiendum, & auerſandum. Quod vt fiat, quia commouendum eſt ſæpe totum corpus, ſępe tantùm vna illius pars quædam: ſic cuiuſque animalis appetitus vel ipſum totum corpus ciet, & propellit: vel partem tãtùm illius. Atque hic idem localis motus operâ, ac beneficio neruorum (qui partes corporis inter ſe connectunt) peragitur ab Appetente, vti diximus, Animæ facultate. Fit autem ſemper ſuper firmo, fixóque quopiam externo, cui innitatur illud quod mouetur in Animali: quoniã mobile mobili innixum moueri nullo modo poteſt, ſed ſtatim labitur. Veluti, ſi quis in fluido luto, ſeu glacie rupta incedat, ſtatim cadit: eſt enim fluxa, lubrica huiuſmodi corporum inſiſtẽtia, vbi nihil eſt in loco ipſo, per quem motus fit, firmum, cui Animal ſeſe mouẽs innitatur, & incumbat. Quòd autem B præter hæc omnia quoddam principium internũ fixum, & firmum etiam in Animali requirit Ariſtot. vt hic motus expediri poſſit ab Animali (quod principium ille Cor appellat) & ſubtile nimiùm eſt, & certè nugatorium. Nihil enim facit, vel confert quies, aut firmitas Cordis, vel Animæ ad motum localem Animalis, qui ad corpus tantùm pertinet: & vt moueretur, ſaltitarétque intus Cor ipſum Animalis, ſemper tamen æquè facilè Animal moueretur, ac ſi Cor ipſius quieſceret: modò exterior ille locus, cui Animal inſiſtit, ſit firmus, & ſtabilis, nõ autem lubricus. Requiritur enim iſta firmitas in loco, in quo fit motus, propter põdus, & libramentum ipſius corporis & animalis, quod ibi mouetur, nempe vt ſit aliquid, quo onus & moles ipſa corporis & animalis ſuſtineri ac inſiſtere poſſit. Ex quo fit vt aues, & piſciculi, qui minimè graues ſunt, etiam in parùm firmo loco, ſed lubrico ſeſe tamen facilè moueãt, velut in Aere, in quo eodem homines tamen ſeſe agitare non poſſunt. Fit quoque eadem de cauſa, vt C ſine vllo huiuſmodi firmo loco Cœlũ moueatur, quia non eſt corpus, vt hæc noſtra, graue & ponderoſum. In cuius tamẽ cœli motus ratione explicanda tã grauiter inter ſe digladiãtur Ariſtotelici, & tam varia, futiliáque quotidie comminiſcuntur. Hæc ſunt igitur, quæ requirebas, & ex quibus Animalis definitio, & vniuerſum rerum die quinto, & ſexto creatarum (vno modò homine excepto propter immortalem Animam, quæ ſummo Dei beneficio illi conceſſa eſt) genus intelligi poteſt.

CAP. VII.

Vis Sentiendi, Reſpirandi, & ſeſe loco Mouendi vnde inſit Animalibus.

D. VNde verò Animalibus iſta vis ineſt, & ſentiendi, & reſpirandi, & ſeſe mouendi loco?

P. Duplex Animalium genus eſt. Vnum Λογικὸν, qualis Homo, quod ſuum, peculiarémque (propter Animæ, quam habet, ſingularem rationẽ) tractatum deſiderat, éſtque ea diſputatio planè Metaphyſica, ſeu Theologica. Alterum Brutũ ſeu Ἄλογον, quod reliqua omnia Animantium genera complectitur. Sic enim etiam ab Hebræis nominatur בעיר Beghir hoc genus Animalium

A lium Iſ.19.v.11.Hier.10.v.21. quia ſtulta ſunt,& ratione carent reliqua animantia, vbi vnum hominem exceperis. Ergo quanquam in omnibus animantibus tam Brutis, quàm in homine ipſo vires iſtæ pendent ab illorum Anima:tamen diuerſa eſt Animæ definitio, quæ Brutis, & quæ Homini conuenit.

D. Quid eſt igitur Brutorum animantium Anima?

P. Eſt inſitus illis à Deo vigor, & calor, qui ex corporis eorum temperamento excitatus, & pendens, illíque planè colligatus vi efficaciſſimâ eorum corpus agitat,& mouet. Ergo vniuerſum corpus Bruti Animalis eſt illius vigoris inſtrumentum. Corporis autem Temperamentum eſt eiuſdem vigoris fons: Cor autem Animalium eſt præcipua eiuſdem quoque vigoris ſedes. Id quod vel ex eo poteſt confirmari, quoniam Cor eſt in vnoquoque Animali, etiam in homine ipſo primùm viuens,& poſtremùm moriens. Vnde fit,vt cẽſeam etiam Animæ humanæ ſedem eſſe in Corde ipſo hominis:non autem, vt plerique volunt, B in Cerebro. Vtitur autem Anima Corpore, quẽadmodum ad varia munia, ita variis quoque eius locis,& partibus, iiſdémque diſtinctis pro operis quod molitur,ratione. Nam Deus non collocauit in qualibet corporis parte idonea ad quaſuis animalis,& vigoris iſtius functiones obeũdas inſtrumenta. In Ventriculo igitur Deus animalis vegetãdi organa poſuit:in Cerebro ſentiẽdi: in Corde & viuendi,& expetendi, ſeu concupiſcendi. Itaque Animalis Anima, & eadem numero exiſtens, habet tamen varias illas operationes in diuerſis vnius & eiuſdem corporis partibus, & locis:porrò has operandi vires facultates vocarunt:adeò vt vnam numero,& eandem in quoque Animali, Animam, tamen nonnulli philoſophi multiplicem appellarint propter diuerſas nimirum in diuerſis Corporis ſedibus illius operationes ac facultates. Anima verò hominis à qua hæ operationes eædẽ pendent,extrinſecus à Deo immittitur, iniicitúrque corpori ipſi iam organizato, & ab eodem Deo aptato,neque eſt vigor tantùm quidam, ſed eſt eſſentia quædam ſpiritualis ad Dei ipſius imaC ginem condita,quę neque ex corporis ipſius temperamento pendet,ſed à Dei ſpiritu regitur:neque corpori alligata eſt, extra quod verè ſubſiſtit & viuit. De qua ſic ſcribit Hieronymus ad Fabiolam Tom. 3.epiſtol. *Quæritur vbi ſit Anima principale. Plato, in cerebro: Chriſtus monſtrat in corde, &c.*

CAP. VIII.

De Brutorum animantium Anima, qualis ſit.

D. Qualis igitur iſta Brutorum Animalium anima eſt?

P. Certè & mortalis, & ratione carens. Quanquam enim ex Animalibus pleraque & memoriam habent rerum præteritarum: & ſenſu acerrimo prædita ſunt, velut Canes & Aquilæ:nulla tamen præter vnum hominem Animam habẽt immortalem,aut ratiocinatione vtentem. Quò fit vt cùm animalia,velut Canes,odorentur, quam potiſſimùm viam inſiſtere ad dominos ſuos inueſtigandos debeant, ratione tamen non vtantur. Eſſe verò mortalem brutorum Animantium Animam,& vnà cum corpore diſſolubilem probat primùm ipſa verbi diuini autoritas ſacroſancta A Pſ.49.v.12. vbi illa prorſus,id eſt,& anima,& corpore ſimul diſſolui,ac perire dicũtur. Deinde Eccleſiaſtes cap. 12.v. 9. vbi ſolus hominum ſpiritus ad Deum reuerti, proptereáque immortalis eſſe docetur. Sed & omnis piæ, & eruditæ vetuſtatis conſenſus idem certè probat,cuius ſentẽtia in lib. de Fide ad Pet.cap.3.explicata eſt, nempe huiuſmodi animãtium animam vnâ cum ipſorum corpore interire. Atque huius rei apertiſſima hæc ratio eſt, quòd cùm ea naſcatur ex temperamento corporum,cui natiuus calor, velut forma, acceſſit: certè illo temperamento diſſoluto, & calore extincto,ſeu diſſipato,pereat huiuſmodi vis, & anima quoque neceſſe eſt. Denique quid prophanos ipſos Philoſophos adducam, qui idem omnino (vnis modò Epicureis exceptis)ſenſerunt?

D. At obiicitur, quod eſt Eccleſiaſtes cap.3. verſ.21. incertam eſſe animæ tam hominis quàm Bruti mortui cõditionem, eámque videri parem.

P. Quis non videt iſta ex prophanorum, & atheorum hominum ſenſu recitari,vt ipſi refutẽtur,quemadmodum & illud apud Iſaiam, *Edamus,* B *Bibamus,cras moriemur.* Iſa. 22.v.3. eámque conditionis hominum,& brutorum mortuorum incertitudinem ſumi, quatenus non Dei promiſſiones: ſed huius Mundi,& vitæ caducæ euentum duntaxat ſpectamus,qui videtur vtriſque eſſe par, & ſimilis,quia vtrique moriuntur.

P. Cur verò ratione carere reliqua Animalia præter vnum hominem cenſes,quum ſerpens tam benè raciocinatus eſſe cum Adamo appareat. Geneſ.3.verſ.2.& Plutarchus aliud probare videatur duobus integris dialogis?

P. Quòd ad ſerpentem illum attinet, eo quidem tanquam inſtrumento ad decipiendam mulierem vſus eſt Satan. Itaque Serpens expreſſit verba ipſa,quæ audiebat Eua:ſed ratiocinatio ipſa, & orationis ſeries, ac συλλογισμὸς fuit ab ipſo Satana loquente per Serpentem. Quod extraordinarium tamen fuit. Neque enim etſi primo cum homine verſabantur Animalia, illíque tanquam ad ipſius imperium parata miniſteria prę ſtò aderant,colloqui tamen cum eo ſolebant,vel poterant. Sed ſola Eua id potuit facere. Itaque ante eam conditam C Dominus ipſe pronũtiat nullum eſſe inter omnia Animalia à ſe condita ipſi homini accommodatũ auxilium.Geneſ.2.v.20. Quod enim Balaami Aſinæ accidit,extraordinarium fuit, & præter ipſius Animalium generis naturam, nempe vt & cum domino ſuo Balaamo colloqueretur, & ratiocinatione quadam vteretur. Id quod extat ſcriptum Numero.22.v.23 2.Petr.2.v.16. Quod autem Plutarchum ſenſiſſe ſcribis, hæc, quæ dicuntur ζῶα ἄλογα, eſſe λογικὰ, fuit hominis prophani in ea re, vti plurimis aliis,error. Sed quid mirum eſt Plutarchum verbi diuini hominem ignarum in iſto errore fuiſſe, in quo etiam Lactantium verſatum eſſe legimus? Nõ ſunt igitur ratione prædita bruta animantia,quoniam ad Dei imaginem (quæ eſt ratio)condita non ſunt:ſed ſenſum tantùm à Deo acceperunt. Itaque neque ratiocinantur, vt aliud ex alio medio quodam argumento adhibito colligant: neque προαίρεσιν animi ex voluntate habent, neque Deum ex ſuis operibus norunt:neque conſcientiam habent:neque ad pietatem, aut cultum Dei(quæ eſt religio)inſtitui poſſunt, neque pec-

A cant, neque ex virtutis præceptis viuunt: ſed ſola ſenſus voluntate ducuntur, quoniam omnia illa ſuperiora ſunt imaginis Dei effecta, qua imagine bruta animantia proculdubiò carent. Ea tamen omnia homo habet, & ingenti quidem ac ſingulari Dei Optim. Maxim. beneficio, quoniam ad Dei imaginem homo ſolus formatus eſt.

CAP. IX.

Animalia, tertium quoddam à Plantis & Corporibus cœleſtibus genus, cur ſint à Deo condita.

D. HActenus iſta, quibus animalis definitio copioſe explicata eſt: nũc ad reliqua perge. Ac primùm expone propter quẽ finẽ Animalia. i. aliud quoddã, & tertium rerũ genus à Plantarum, & Corporum cœleſtium natura diuerſum condiderit Deus.

P. Creandorum Animalium, id eſt, tertij huius rerum generis ratio, & finis mihi quidem videri ſolet triplex. E quibus primus eſt, Dei ipſius B opificis laus, & gloria. Ex hoc enim vno rerum genere, quàm potens, quàm ſapiens, quàm benignus ſit ille ſummus opifex Deus longè meliùs agnoſcitur, quàm ex toto ſuperiorum dierum opere. Quantò enim Animalia ſunt perfectiora quædam opera, quàm omnia quæ præceſſerunt: quantò pluribus membris conſtant: quantò munera excellentiora obeunt: quantò denique conſummatiora ſunt: tantò in iis & Dei omnipotentia maior, & Sapientia diuinior, & benignitas admirabilior certè quidem elucet: adeò vt ſuperiora omnia, velut præludia, ac rudimenta tantùm quędam immenſarum virtutum Dei eſſe videantur: hęc autem Animalia ipſius opificis tanquam abſolutiſſimum opus, & perfectiſſimum. Quamobrẽ Dauid ex eo operis genere totus in Dei laudem, & admirationem rapitur Pſ.104. Ea ipſa ad Dei laudem, & potentiam, & ſapientiam, & Maieſtatem prædicandam tanquam lucentiſſima argumenta ſumuntur à Prophetis, & vnà quoque cum cæteris creaturis inuitantur: quia illius inuiſibilis maC ieſtatis ſpecula lucidiſſima nobis à Deo propoſita ſunt, obuerſanturque ante oculos Pſal.148. Sed quò maior eſt iſtorum Animalium varietas, quò maior diſſimilitudo, quò plura eorum genera, quò partib⁹, victus genere, functionibus, vſu, colore, odore, inter ſe diſſimiliora: eò magis πολυποίκιλος & infinita illa Dei Opt. Max. ſapientia demonſtratur. Hic igitur primus eſt huius tertij rerum generis condendi finis, vt maior Dei gloria, ac potentia, ſapiẽtiaque in tam multiplici rerum varietate, & tamen tam ſcitè concinnata appareret. Alter finis eſt hominis ipſius vſus: nã & hæc ipſa in vſum & commoditatem hominum creauit Deus: primùm ne in tanto, tàmque vaſto Mundi huius domicilio, in quo collocandus erat, verſaretur ſolitarius, & ſolus. Deinde ne in eo eſſet ſine principatu quodam ſplendido, ac delectatione. Præterea etiam ne poſt peccatum neceſſariarum rerum vſu homo ipſe deſtitueretur. Ergo primùm Deus Animalia dedit homini ad principatum Pſalm.8. Geneſ. 2. verſu 19. Deinde etiam ad victum 1. Timoth.4. verſu 4. Act.10. verſu 13. Geneſ.9. verſu 3. Quamobrem ea ipſa Animalia Dominus Deus ad Adamum adduxit, vt pote in quæ dabat ei imperium: & Adamus ipſe pro iure Dominij in ea ſui illis Animalibus, tanquam ſeruis, ſubiectiſque ſibi rebus nomen impoſuit, quæ ſemper fuit Dominorum in ſeruos poteſtas, vt ex Daniel. cap.2. & 2. Reg. 23. verſ.34. 24. verſ.17. apparet. Denique huius ipſius poteſtatis veſtigia manifeſtiſſima etiã nunc hæc ſunt, quòd ad occurſum, & aſpectum hominis, tanquam Domini ſui pauet feræ, immanéſque beſtiæ quælibet, ſi non fuerint ab homine irritatæ. Quod autem ad victum pertinet, certè ea ipſa ad cibum homini dedit poſt peccatum Deus. Itaque peccarunt grauiter, & ſeſe erga Deum tantæ ſuæ in genus humanum benignitatis fœdè ingratos oſtenderunt Philoſophi Pythagorici, cæterique omnes eorum ſententiam ſecuti, velut hodie Monachi quidam, & olim Manichæi hæretici, qui omnium Animalium carnibus abſtinendum nobis eſſe docuerunt. Tertius denique Animaliũ creandorum fuit finis, vt totius Mundi, rerúmque omnium, quæ in eo ſunt, vnus duntaxat creator, & Dominus eſſe oſtenderetur, nimirum verus ille, & vnicus Deus, Deus Abrahæ, Deus Iſaaci, & Deus Iacobi. B Hîc enim Philoſophi, Hereticique omnes refutantur, qui ex iis rebus, quæ eſſentiã conſtant quaſdam in hoc Mundo eſſe opus Dei cenſent: quaſdam autem eſſe negant, quales Marcionitę, ac Manichæi, & his ſimiles alij.

D. At duo quædam tuam ſententiam oppugnant.

P. Ecquæ verò?

D. Primùm hoc, quòd omnia Animalia per contemptum ac deſpectum appellentur *Caro* in Scriptura, Geneſ.7.v.21. quaſi videantur eſſe opera ipſa Maieſtate Dei prorſus indigna.

P. Nequaquam verò propterea illa nominãtur *Caro*, quòd ſint indigna Dei potentiã opera, ſi per ſe ſpectentur: ſed vt quanta ſit etiam horum ipſorũ tam egregiorũ Dei operum ab ipſo opifice Deo differentia denotetur. Ille enim ſpiritus eſt æternus, immortalis, immutabilis: at illa quanquam & per ſe præclara, & aliorum Dei operum comparatione excellentiſſima, ſunt tamen *Caro*, id eſt, res ſuapte naturâ mortalis, caduca, fluxa, mutabilis, quæ neque nobis pro Deo colenda eſt, C neque pro ſpei noſtræ fundamento collocanda. Vt igitur earum rerum infirmitas, & à natura tum diuina, tum Angelica diſcrimen breuiter annotaretur, appellatur à Spiritu ſancto *Caro*, quemadmodum & homo ipſe, ne inſoleſcat, ſuíſque viribus confidat. Pſ.90. verſu 6. 78. verſ.39. & vt à reliquis rerum creatarum generibus diſtinguantur, quę neque tam perfecta humorum mixtione conſtant: neque tam robuſtum ſuccum, & calidum humorem habent, qui ſanguis appellatur. Ecquod eſt ſecundum tuum obiectum?

D. Nempe quòd ex omni animalium iſtorum à Deo creatorum genere quædam immunda eſſe pronuntiantur etiam ab ipſo Deo vti eſt in ſacra Scriptura Geneſ.7.v.2. quibus neque Deo ſacrificare, neque veſci Iudæis olim licuit. Geneſ.8. verſ. 20. Leuit. 11. verſ.1. & 20. verſ.25. Ergo nec illa ſunt Dei opera.

P. Præclarè meminiſti. Fuit enim hoc vnum quoddã ex robuſtiſſimis Marcionitarũ, & Manichæorum hæreticorũ argumentis, de quo legẽdus eſt Auguſtinus lib.31. contra Fauſtum Manichæũ.

A Huius tamen obiectionis facilis eſt ſolutio, nempe Animalia quædam immunda olim vocata eſſe, & à mundis diſtincta, non ipſius eſſentiæ eorum, aut creationis ratione:ſed quòd poſt peccatum hominis propter victus,ac paſtus rationem quiddam vel ſordidum, vel crudele habere videantur. Itaque eorum eſu interdictus eſt olim Dei populus: primùm quia figuris, & ceremoniis à Deo regebatur,propter infantiam in qua adhuc populus ille,quanquam tamen erat Dei Eccleſia, verſabatur, vt docet Paulus Gal.4.v.1. Vt igitur quicquid ſordium, aut crudelitatis ſpeciem præ ſe fert, ſedulò euitare doceretur ille populus, & vt ſanctus eſſet, & ab iſtorum Animalium moribus abſtineret,huiuſmodi Animalia edere vetabatur. Deinde quia nondum Eccleſiæ Dei plena libertas obtigerat, quæ nobis Domini Chriſti beneficio, & aduentu data eſt. Vt igitur futurum illum liberatorem ardẽtiùs expectarent pij,intelligerentq; ſe ſub iugo ſeruitutis liberum ſibi rerum vſum reſtringentis adhuc eſſe, quarundam rerum vſu interdicti ſunt. Nobis quidem Chriſtianis, etſi omnis turpitudo B & crudelitas eſt vitanda, quemadmodum olim & Iudæis:omniſque adeò ſpecies mali, vt apparet 1. Theſſ.5.v.22. Act.13.v.29.fugienda : tamen neque iſtis figuris egemus : neque noſtra in cibis iſtis libertas reſtricta eſt,cùm ab iis vitæ ſanctitas nullo modo pendeat, quemadmodum docet Chriſtus. Sed ab vna cordis ſanctitate. Matt.15.v.10. Itaque quoad conſcientiam hodie per Euangeliũ omnia ſunt facta munda mundis. Tit.1.v.15.

CAP. X.

Animalia cur demùm die quinto creari cœpta.

D. PORrò cur demùm quinto die Dominus Animalia iſta creare cœpit, id eſt, poſt Plantas,& Poſt cœleſtia corpora?

P. Poſt Plantas creanda fuerunt Animalia,ꝙ paratos ad paſcendum cibos habere debebant. Sunt autem iſtorum animaliũ cibi,herbæ, & Terræ germẽ.Gen.1.v.19.Pſ.104.v.14. Itaque herbas, & Germen Terræ prius extare,& creari oportuit, C quàm naſcerentur Animalia. Poſt Solem autem, Lunam, & illa diem noctémque non tantùm diſtinguentia,ſed etiam illuſtrãtia ſydera edita ſunt Animalia, quòd eorum propter naturæ rationem noctu ſpatiari,& victum quærere debebant,quod non niſi nocte iam ſyderibus illuſtratâ fieri poterat,Pſ.104.v.21. Etſi verò propter hominis peccatum accidit, vt quædam Animalia ſint iam nobis formidoloſa,tamen vt noctu paſcerentur,& vagarentur,habuerunt à primo creationis ſuæ tempore,& conditione,vt quidem exiſtimo. Sed & illa quoque ratio accedit, quòd cùm Deus æthercam regionem iam ornaſſet, ſuiſque velut ciuibus impleſſet, fuit quoque elementaris iſta ornanda, & ſuis ciuibus ac incolis aſsignanda.Id quod ſapienter, & ordine cœptum fieri à Deo hoc quinto die videmus.

CAP. XI.

Cur piſces primi ex omnibus Animalibus creati.

D. CVr verò à Piſcibus cœpit Deus hanc regionem inferiorem ornare,ac non potiùs ab Auibus,quæ in ſuperiori, quàm piſces, regione huius Vniuerſitatis verſantur? A

P. Quoniam cùm vtrumque Animalium genus,nempe Piſces, & Aues ex aquis non cœleſtibus quidem(quæ nubes dicuntur) ſed his inferioribus producendum eſſet, ab eo primùm genere ex lege naturæ cœpit,quod & magis imperfectum eſt, & paucioribus minúſque diſtinctis membris præditum. Eſt enim hæc naturæ inferioris in generando lex à Deo data,& progreſſus, & ordo ex illo Dei opere inſtitutus, vt ab imperfectioribus ad perfectiora : à magis confuſis ad diſtinctiora pergat:non quidem tanquam Deus ἀδυναμίᾳ quadam nõ potuerit illa Animalia perfectiora,priora vel etiam operũ ſuorum prima condere:ſed quòd Deus ex iſto ſui operis ordine ſtatuere vellet normam,& legem futuram rebus his inferioribus poſtea naſcendis,quæ propter virium imbecillitatẽ, neque ęqualem ſuo creatori potentiam,ortum rerum ſic moliuntur,vt ab imperfectioribus ad perfectiora procedant. Sunt autem Piſces Animalia B illa quidem,ſed inertiora,imperfectiora,membris & paucioribus & minus diſtinctis conſtãtia,quàm Aues,& Terrenæ pecudes. Denique quorum etiã Anima ipſa, quemadmodum ait Philo , eſt ἀργοτάτη,nedũ corpus:quia humida naturâ penè omnino conſtant:parum autem & terrena,& ignea,ſeu calida:quanquam tamen neutra prorſus carent, cùm & viuant,& refrigeratione opus habeant propter calorem internum:& fruſta quoque ipſa piſcium mortuorum in fundo aquæ propter ponderoſitatem,terrenámque materiam tandem ſubſidãt. Vt illud prætermittam quod Plutarchus ſcribit, cenſeri Piſces Animalia viliora,minúſque hominum, & Deorum conſortio digna.Itaque neque vnquã à piſcibus Deorum profanorum quiſquam denominatus fuit:neque iis vnquam Piſce,vt putat ille, ſacrificatum eſt. Id quod de Græcis hominibus idololatris duntaxat eſt intelligendum.Nam apud Palæſtinos fuit Piſcis Deus, proptereaque Dagon appellatus:& Ægyptij ſacerdotes religionis,ac venerationis ergò,non per deſpectum, Piſcibus abſtinuerunt. Id quod, ab iiſdem poſtea didicerunt C facere Pythagorei Philoſophi. Cæterùm quod Philo ſcribit, Deum cœpiſſe quinta potiſſimum die creare Animalia, quoniam Animalia habent multa quina, veluti ſenſus quinque, & digitos quinque , prorſus inepta ratio ſemper mihi viſa eſt. Oportuit enim eadem ratione, & quadrifolium plantam quarta die creari, & Pentafolium quinta die.

CAP. XII.

Generalis Brutorum animantium diuiſio.

D. INtelligo iſta, & cur quinto demùm die illa condi debuerunt,ſitque etiam à Piſcibus inchoatum : expone in vniuerſum quot ſint Brutorum Animantium genera.

P. Variæ eorum diuiſiones afferri poſſunt. Primùm enim in duo genera,omnia(quicquid de leporibus,& aliis ſimilibus dicatur) diſtinguũtur, nẽpe Marem,& fœminam: quæ diſtinctio ob eorum propagationẽ à Deo cõſtituta eſt, vt apparet ex Geneſ.6.v.19.& 7.v.2.3. Atque hæc ſanè diffe-

A rentia non tam eſt εἰδοποιητικὴ, quàm χωριστικὴ certarum quarundam functionum & partium quas ad generandum habẽt diuerſas in omni Animalium genere Mas,& fœmina. Nam partes ipſas genitales diuerſo modo in corpore ſitas habent:& vires, & calorem internum gradu diſſimilem. Mas quidem ferè robuſtiorem : fœmina verò imbecilliorem, quemadmodum præclarè docet Ariſtoteles. Mas habet mẽbra genitalia ad ſemen emittendũ aptata à Deo:fœmina ad recipiendum accommodata. Vnde fœmina ab Hebræis Nequebah à foramine dicta eſt, Mulier à Latinis tanquam mollior, quàm Mas: & fœmina quòd fœmore, & inguinis ratione à mari differat, vt ait Iſidorus. Hæc prima eſt diuiſio.

Secunda, vt Animalia partiamur in tria genera, nempe Volatilia, Reptilia, & Iumenta. Quæ ipſa ſic quoque ſubdiuidũt alij, vt ex iis aliud ſit Multipes :aliud quadrupes : aliud bipes. Item aliud ſquamigerum, aliud corticoſum :aliud ſanguineũ, aliud exãgue. Denique quarta hæc quoque diſtinctio Animalium affertur, vt Animalium ſint hæ B quatuor ſpecies, Homo:Iumentum ſeu pecus:Reptile:& Volatile. Quanquam enim nonnunquam ſecerni videntur Piſces à Reptilibus, vti primo Reg.4.verſ.33. nonnunquam etiam Piſcium branchiæ vocantur alæ, vti Leuit.11. v.10. Quanquam etiam Reptilium genus eſt varium, adeò vt & pleraque Aquatilium Animalium repere dicãtur Leuit.11.ver.10.& Terreſtrium quoque v.41. & Volatilium Deuter.14.verſ.19.vt hæc genera ſic inter ſe confundi videantur : tamen mihi valde probatur illa Animalia in 4. genera diſtribuens partitio. Denique quanquam aliquando Aues à volatilibus diſtingui videntur, velut ſpecies à ſuo genere, quemadmodum Geneſ.7.v.14. Pſ.148.v.10. tamen hæc videtur eſſe generaliſſima Animalium omnium diuiſio, vt alia πορευτικὰ dicantur, quæ pedibus nimirum gradiuntur: alia πτηνὰ, vel πτητικὰ, quæ alis,& plumis volant:alia denique ἑρπετὰ, quæ ſerpunt, cùm pedibus,& alis careant. Eſt enim πορευτικὸν, quod pedibus incedit,& mouetur. Eſt πτηνὸν quod alis ſurſum tollitur,& ita de loco in locũ C migrat. Eſt ἑρπετὸν quod totius corporis tractu, & conuolutione ſeſe mouet,& torquet:vnde metatheſi vnius elemẽti facta Latinis eſt repere,& addito(S)Serpere, à quo ſerpentes nominati, qui Reptilium nomine,& genere proculdubio continentur : ne quis fortaſſe exiſtimet id Animalium genus,(quia nobis hodie ſummè venenatum, & noxium eſt)à Deo nõ fuiſſe in prima rerum creatione conditum,& productum. Cæterùm quò infinita Dei opificis Opt.Max. omnipotentia, ac ſapientia in hoc quoque operum genere illuſtrius agnoſcatur, ea breuiter hic afferemus, quæ Philoſophi ipſi prophani in hoc argumento, piè tamen & rectè tradiderunt : vt nos Chriſtiani ab iis prouocati in maiores Dei laudes prorumpamus, eum vehementiùs admiremur, colamus pientiùs, denique in ipſius prouidentiam, ac potentiam certiùs acquieſcamus,& recũbamus:niſi fortaſſe hæc alienorũ ſcriptorũ breuis repetitio tibi moleſta eſt.

D. Immo verò & mihi iucunda eſt, & pro ſuſcepto argumento commoda, atque tempeſtiua, ne dicam, omnino neceſſaria.

P. Animalium igitur tria hæc genera in vniuerſum ſtatuunt,
- Aues,
- Piſces,
- Terreſtria Animalia, quæ πεζὰ

A vocant: etſi non omnia tamen terreſtria pedes habent, quales ſunt Angues, qui ſunt Ariſtoteli πεζοί. De inſectis autem Animalibus dubitatur ab iis, vtrum illa ſint inter terreſtria, an aquea, an potius aeria cenſenda. Sunt enim ex inſectis quędam quę in Aere, quædam quæ in aquis, quædam quæ in Terra degũt,& verſantur. Iam verò, vt iidem Philoſophi docent, horum trium generum ſingulorũ variæ ſunt ſpecies, ac differentiæ : quæ ſumuntur partim ab eorum forma, partim à Materia, ſeu partibus, quibus conſtant, habéntque alij ab aliis diuerſis:partim ab accidente, vt à moribus eorũ, ab vſu, à victu : quoniam quædam in vno tantùm elemento viuunt:alia in duobus, quæ ἀμφίβια dicũtur, vt quæ in aere,& aqua degunt, vel etiam viuunt, quales Cancri, Loligo, Pecten, Muræna: aut quæ in Terra,& Aqua, vt Ardea, Vitulus marinus &c. Ariſtoteles à refrigerationis, ſeu reſpirationis modo diſtinguit omnia Animalia in hoc ipſo penè Hebræorum.i.ſacræ Scripturæ ſententię aſſentiens, qui Animalia à reſpiratione definiunt. B Nam ait ille, alimentum primùm omnium refrigerat Animalia : deinde eadem refrigerat ambiens elementum, velut Aer, aut Aqua. Aerem igitur quędam Animalia ducunt pulmone:quædam nõ pulmone, ſed quoniam eo carent, habent corpus ſectum ſub diazomate, in qubus Aer penetrat per tenuem diazomatis membranam, velut in inſectis, quę exanguia ſunt,& tamen calidiora. Ex quo fit, vt illa ſonum aliquem edant, dum eam membranam mouent, quales Apes,& Veſpæ. Ex aquatilibus Malacoſtraca ſunt exanguia, vt Cancri. Nã Oſtracoderma mollia, vt Polypi, aquam obiter admittunt, dum cibum capiunt, quam tamen mox reddunt, ne in ventrem dilabatur. Atque hæc reddunt illam aquam, alia per foramina capitis : alia per partes quæ βραγχοειδία dicuntur per quas eandem aquam accipiant. Oſtracoderma igitur toto corpore compreſſo aquam ſumptam exprimunt, & reddunt, velut per ſpongiam. Omnibus autem Aquatilibus exanguibus(quia parùm caloris habent)elementum ambiens, ſeu Aer, ſeu Aqua ſufficit ad refrigerationem, quæ etiam propterea C aliquandiu ſpiritum cohibere poſſunt, & ſine reſpiratione durare, quoniam ea minùs refrigeratione opus habent, quàm Terrena Animalia, & in meatibus pulmonum aerem extrinſecus hauſtum diu retinent. Itaque vrinari, aut in aqua incluſa diu latere poſſunt. Quorum verò Animalium copioſior eſt calor, ea refrigerãtur recepto in ſe Aere, aut Aqua, quemadmodum omnia, quæ ſanguine prædita ſunt, quibus omnibus Hepar ineſt:prima ſanguinis officina:& poſtea Cor caloris vitalis fons. Hæc autem ipſa Animalia, quorum ſanguis calidior eſt, aerem hauriunt per os, vel nares, quẽ ad pulmonem,& Cor per arteriam deducunt. Cæterùm ex iis ipſis ſanguineis animalibus alia pulmonem habent ſanguine tinctum abundantiore, vt quadrupeda viuipara, quę neceſſariò per interualla continua reſpirant.i. Aerem recentem hauriunt:& exſpirãt.i. craſſiorem ſanguinis halitum, & fuliginem emittunt. Sic Ceti, Balænæ, Delphini, qui tamen aquam non capiunt, niſi cibi capiẽdi causâ, quam per quandam capitis fiſtulam poſtea emittunt.

A emittunt. Aliorum Animalium calidiorum pulmo minus ſanguineus eſt, vt Ouiparorũ quadrupedum(& ex Viuiparis Lutræ,& Phocæ) Serpentum,& Auium.

D. Iucunda ſanè auditio,& diſputatio.

P. Immo verò etiã perutilis,& homini Chriſtiano neceſſaria,vt Deum, eiúſque infinitam omnipotentiam admirari diſcat, & oculos ſeu in cœlum,ſeu in Aquas,ſeu in Terram coniiciẽs exclamare poſſit illud Dauidis, *Domine quàm admirabile eſt nomen tuum. Tua ſapientia eſt altior omni mea cogitatione.* Sed neque hæc ipſa ſunt ſatis.

CAP. XIII.

Vtrum omne animalium genus complexus ſit Moſes.

D. Quid igitur reſtat?

P. Vt ſingula genera, quæ à Moſe commemorantur,explicemus.

D. At minimè omnia ille complexus eſt.Nã B Serpentes,Vermes,& Inſecta animalia, de quibus etiam dubitat Auguſt.lib.3.de Geneſ. cap.14. an à Deo creata ſint,& ea quæ ex diuerſorum animaliũ coitu,& admiſſura naſcuntur velut Muli, videtur Moſes prætermiſiſſe : quum hoc Animalium genus etiam multis poſt conditum Mundum ſeculis ortum,ac natum eſſe appareat.Geneſ. 36.verſ.24.

P. Falleris.Nam,vti ſupra diximus, Serpẽtes partim ad Reptilia pertinẽt : partim ad πορευτικὰ,ſi pedibus,non autem ſtomacho incedant.Etſi enim Dominus omne ſerpentum terreſtriuum genus ad rependum damnauit,quos priùs erecto,& non in terram prono corpore inceſſiſſe plerique exiſtimant,Geneſ.3.v.14.tamen quidam ſerpẽtes pedes quoque habent:quidam etiam alas, quibus ipſis, & in rependo & volando vtuntur, quemadmodum Dracones.Inſecta verò,& Vermes,vt Papiliones,partim in Volatilium numero ſunt:partim in reptantium,vt Terreni vermes omnes, qui tamen repunt, ſiue ſint Lumbrici.i.maiores, ſiue minores vermes.Omnes(vt ait Plinius)oculorum luce carentes,ac priuati propter frigiditatẽ.Quod C denique de Mulis affers, qui ſunt tertium quoddam genus Animalium, ex diuerſæ ſpeciei animalibus prognatum, veluti ex equa, & aſino, nihil euincit. Sunt enim huiuſmodi fœtus, & Animalia duorum Animalis generum commixtio tantùm quædam, & temperatio, non autem propriè ſpecies quædam Animalium à toto procreantium genere omnino diuerſa.Id quod tamẽ in vniuerſo Piſcium genere nunquam fit,vt ex diuerſis generis Animalibus vlli Piſces gignantur, vt ait ex Plinio Baſilius: & ex Baſilio Ambroſius. Et ſanè mutantur tribus modis Animalia. Vnus eſt,quum mutatur in ipſa generatione ſemen, velut ex equo fit Mulus: mutatur enim tunc equus. Alter,quum iam genitum animal mutatur, vt de Pſyche,Chryſalide,Campe traditum eſt,quę poſtquam natæ ſunt,mutantur.Tertius,quum mutantur accidentia tantùm, vt vox,color & eiuſmodi alia in Animalibus.

CAP. XIIII.

Piſces vnde producti.

D. HActenus iſta percepi,quæ in genere de a- A nimalibus, eorúmque varia diſtinctione dixiſti,accede iam ad ipſos Piſces,ſeu Aquatilia Animantia.

P. Cupis?

D. Vnde igitur producta ſunt Repentia, ſeu Aquatilia.Sic enim iam Piſces generaliter,& νηκτικὰ voco Animalia.i.in aquis ſiue marinis,ſiue dulcibus natantia.Nam vt præclarè docet Baſil.natare eſt repere,quoniam vnâ totum corpus trahunt omnia,quæ vel natant,vel repunt. Vnde Pſ.104.v.25.inter reptilia recenſentur Piſces.

P. Ex aquis illa prodierunt. Quanquam repit etiam quoddam ſerpentum terreſtrium genus vt Seps,& Ceraſta, quod ad terrena Animalia referendum propterea eſt. Sed Piſces tantùm iam complecteris, de Serpentibus poſteà fortaſſe quæſiturus.

D. Poteſtne verò ex ſolis aquis aliquid produci, quũ & fluidæ ſint,& minimè tenaces, & ſolidæ: maximè verò Piſces, qui terreſtri quadam materia etiam conſtare videntur?

P. Concretio aquæ in producendis Piſcibus ſtatim ad Dei vocem,& iuſſum facta eſt. Ergo aqua ita conſtricta, incraſſata, vel potius firmiter coagulata eſt,vt corpus piſcium ſolidum,ac tenax B ex aquis fieret,humidum illud quidem, & frigidũ vi,effectu,qualitate:ſed tamen conſiſtentia,& ὑποστάσει ſua firmum,& bene compactum. Quod Dominus poſtea ita temperauit, vt & calor naturalis in ijs Animalibus ineſſet:& ſenſus quoque,& motus,adeò vt & reſpiratione,id eſt, refrigeratione, ac ventilatione egeant.Ergo vt rectè ſcripſit Ambroſius, Aqua,& Piſces ſunt eiuſdem inter ſe generis,& materiæ.Id quod & Medici docent, & ipſa Piſcium natura, qui extra aquas ſtatim putreſcunt,ac moriũtur,velut à propria natura, & matrice auulſi,vt eſt Iſ. 50. v.2. Denique cibus ipſe & victus ex piſcium eſu frequens noſtram ſententiã cõfirmat.Itaque frigidi piſces in loco frigido,nẽpe Aquis,ſunt à Deo collocati propter naturæ ſimilitudinem,& cognationem:& vt eſſet quædam proportio inter locum,& locatum.

D. At ij tamen ſunt ſuauiſſimi, vnde dici ſolitum eſt, *aut piſcem olet, aut florem:* & ſæpe ſunt faciliores concoctu,quàm carnes quædam.

P. Verũ dicis.Itaq; in delitijs olim habebãtur, fuitq; ſumptuoſius habitũ, tũ a- C pud Romanos in cõuiuio Piſcẽ, quàm Carnẽ apponere.Id quod ex Plutarchi Sympoſijs, & Athenæi li.7.Dipnoſoph.apparet. Et vera eſt iſta Ambroſij ſententia, *quod timemus in Terris, amamus in Aquis, vt lupos, & vulpes, & canes.* Et quod faciles ſunt concoctu piſces,fit,quia facilè propter humiditatem naturalem à calore ſtomachi diſſoluũtur: ſunt tamen natura omnes & frigidi,& humidi:etſi alij quàm alij plus,& minus.

D. Ergo Piſces ex ſolis aquis natos eſſe putas.

P. Id certè ipſorum σύστασιν oſtendit, & ipſa Sancti Sp. vox. Sed ex aqua incraſſata producti ſunt,& compacti Piſces.

D. Atqui Empedocles ſenſit primùm creatos fuiſſe Piſces,ídque extra Aquam, poſtea verò in Aquam tranſlatos.

P. Quis verò iſti delirio contra ipſiſſimum Dei verbũ crediderit, cùm non tantùm in Aquis, A ſed etiam ex Aquis eos productos eſſe ex Moſe diſcamus?

Cap. XV.

Piſces eſſe animalia, & quædam in eorum natura obſeruata.

D. QVin etiam eoſdem eſſe Animalia?

P. Quis negare poteſt, etſi Piſces aliis veluti auibus, & terreſtribus Animalibus ſunt imperfectiores: tum quòd minorem membrorum numerum habent: tum etiam quòd membra eorũ ſunt minus diſtincta, & ſeparata? Nam & memoriam etiam habent Piſces quidam præter ſenſum, & motum, quemadmodum ex illa celeberrima Delphini Puteolani hiſtoria ab A. Gellio lib. 7. tradita, Thynnorum hyematione aliiſque plurimis exemplis ſatis intelligi poteſt. Atque de hac ipſa re doctè Auguſt. lib. 3. de Gen. ad Lit. c. 8. Denique & ſomnum capiũt Piſces in Aquis, & quietem, vt reficiãt vires, de quo Plin. li. 9. Natur. Hiſt. cap. 7. apertè ſcribit. Quæ omnia non niſi & viuis, & Animalibus conueniunt. Etſi verò in piſcinis, B & viuariis ſeruantur, cicurari tamen Piſces poſſe quidam negant. Id quod ex ſuperiori hiſtoria falſum apparet. Quin & propter humorem, quo abundãt, maiora ſunt Aquatica animalia ferè terrenis: quanuis (excepto Cetorum, & Balænarum genere) tamen ſunt iiſdem terrenis ob mollem humoris naturam (qua conſtant) infirmiora, languidiora, ac ſtupidiora, vti omnia Aquatilia Animalia Iob. 41. v. 24. Iſta verò ferè in Piſcibus obſeruari in commune ſolent. Paucis ineſt gula, quã tamen Anguillæ habent, & Congri: ferè autem in cæteris Piſcibus ori venter adiũctus eſt. Cor ineſt pleriſque, ſed inuerſum, contra quàm in cæteris Animalibus: à quo in branchias meatus quidam porrigitur, per quos duci videtur ſpiritus, id eſt, fit ventilatio, & refrigeratio cordis, Pulmone carent Piſces. Teſtes nullos habent: ſed binos tãtùm meatus à vena maiuſcula ad ſpinam protenſos in oſtium excremẽti, qui pleni humore ſeminali ſtatuto coitus tempore in meatus fœminarum illud ſemen effundunt, per attritum nimirum maris cũ C fœmina. Lingua Piſcibus eſt dura; & penè oſſea omnibus, elixa tamen mollior fit. Aures & nares perſpicuas non habent, quanquam foraminula quædam narium obſeruari in Piſcibus poſſe quidam contendunt. Auditu tamen, & olfactu propterea non carent Piſces. Squamas, Pinnas, Caudam, & Branchias habent: etſi non omnes hæc omnia quatuor. Squamæ velut pili corpus Piſcium ab externis iniuriis, vti calore, & frigore nimio Aquæ, vel Aeris, defendunt. Pinnæ, & caudæ ad natandum tam Piſcibus proſunt, quàm pedes, aut alæ auibus ſunt ad volandum neceſſariæ. Branchiæ ad refrigerationem ſunt Piſcibus à Deo conceſſæ. Sed quid iſtis immorari cogito diutius, quæ ex hiſtoricis, aut medicis libris luculenter peti debent?

Cap. XVI.

Aquatilium ſeu Piſcium in diuerſas ſpecies diuiſio varia.

D. REcenſe igitur Aquatilium genera: quò Dei gloria maior, admirabiliórque cunctis appareat, veréque ſit hæc tua Phyſice, & meditatio de rerum natura Chriſtiana. A

P. Multiplex certè eorum conſideratio fieri poteſt. Nam quintuplicem Piſcium diuiſionem proponit Pater Baſilius. Prima ſumitur ab incedẽdi ſeu rependi modo. Alia enim ex aquatilibus Animalibus pedes habent, alia natant tantùm, alia vtrũq; poſſunt, vt Crocodili: ὑπόποδα, ſeu πορευτικὰ, νηκτικὰ, & ἀμφίβια ille hæc genera appellat. Secunda conſideratio ducitur à partu: aut enim ſunt ζωοτόκα, id eſt, Animalia viua pariunt, & dicuntur σελάχη, quia ſquamis carent: aut ſunt ᾠοτόκα. i. oua pariunt, & dicuntur λεπιδωτὰ quia ſquamas habent. Tertia diuiſio ſequitur ex habitationis eorum ratione. Alia enim ſunt πελάγια, quæ in medio mari, & longè à litore ſemper habitant: alia αἰγιαλώδη quæ litora vt plurimum frequentant. Alia βύθια quæ in profundo aquæ ſemper verſãtur. Alia πετρώδη, quę circum ſaxa, & ſcopulos maris vt plurimum natãt, vel iis adhærent, vt Polypus, qui & vt venetur, & metu in illius ſaxi ſæpe colorẽ mutatur, cui affixus eſt. In his autem *omnibus* qui habent certas ſedes eſt hoc admirandum, quemadmodum Baſil. tradit, quòd vnumquodque eorum genus regionem B ſibi à Deo datam, & deſtinatam nunquam egreditur, vt ad alienam ingrediatur: etſi nullis terminis, & montibus impeditur: vt vel à Piſcibus ipſis diſcamus noſtro eſſe contenti, aliena autem nequaquam appetere. Quarta Aquatilium conſideratio eſt ex ipſorum conuerſatione, & velut moribus. Alia enim ſunt Ἀγελαῖα, quæ gregatim ſemper incedunt, vt haleces, & Thynni: alia Σποραδικὰ, quæ ſolitariè natãt. Denique ex magnitudine, alia ſunt ὑπέρογκα, & vaſta mole corporis vt Ceti, & Balænę: alia λεπτότατα, vt piſcicul.: alia μέσα. i. mediæ inter vtrumque genus magnitudinis. Et hæc quidem pulcherrima Piſcium diſtributio eſt. Sed & alia quoque afferri ſolet, quæ ex Oppiano collecta eſt, pertinétque præſertim ad Marinorum Piſcium naturam explicandam. Piſcium igitur Marinorum alij ſunt litorales: alij non litorales. Litoralium alij arenoſo loco arenis paſcuntur, & iis rebus, quæ arenæ admiſcentur, vt Hippus & Cuculus: vel in Cœnoſo, & paludibus verſantur, quæ τενάγη vocantur, vt Raia, Bos, Paſtinaca: vel in herboſo, & algoſo inter herbas degũt, C vt Mænis, Tragus, Atherina: vel in loco oſtiis fluuiorum adiuncto, & ſtagnis dulcioris aquę, vt Cephalus, Lupus: vel muſcoſo eminente altiùs, & tamen alga aliquatenus obducto, vt Perca, Iulis, Salpa: vel denique in humili, & arenoſo mari ſunt, vt Cirrhus, Mulus. Cæterùm qui Piſces non ſunt litorales, ij ſunt ſaxatiles: vel non. Saxatiles Piſces, & præſertim Marini paſcuntur vel in loco herboſo ſub Alga, vt Sargus, Vmbra, Faber: vel in conchis, & patellis plenis, cauernoſiſque, vt Piſces ſubire poſſint, vt Phagoi, Murænæ: vel in rimoſo, id eſt, rimas, & ſpecus habente, qui in ſuis latibulis tamẽ manent, vt Ouis, Hepatus. Teſtaceorum alia in petris: alia in arenis degunt. Solus Adonis, ſeu Exocœtus relicto mari vndas ſecutus in petram ſe recipit quietis cauſâ. Locuſta, & Aſtacus in ſinibus maris petras incolunt. Non Saxatiles autem Piſces ſunt etiam, & ipſi varij generis. Nam alij ſunt ambigui, quod & in petra, & in arenis degant, vt Aurata, Draco, Siunis. Alij Pelagij procul à terra verſantes, vt Thynni, Xiphiæ, & quædam Canum marinorum ſpecies.

Alij

A Alij ſunt vagi,qui certam ſedem non ſeruant, ſed modò ad ſaxa,modò ad litus,modò ad pelagus feruntur,vt Chalcides,Triſſæ, Antiæ, Magni Cetacei,Delphini:alii denique Amphibij,qui & in terra,& in aqua apparent,& paſcūtur,vt Cācri,Squillæ. Atque vt hæc ipſa ad Dei gloriam meliùs adhuc intelligas,afferam & hanc quoque Piſciū conſiderationem,Piſcium alij in ſola Aqua degunt, & viuunt,vt Piſces propriè dicti plurimi:Apua ex Aqua tantum.Alii in aqua,& terra degunt,& viuūt, vt Polypus,qui ad fructus arborum,& ad ſalſamenta exit: Vitulus marinus,qui & Piſcibus & vitium botris paſcitur. Tiburo depaſcitur herbas in ora maris,exerto ex aquis ore.Alij in aqua, & aere degunt,non ſolùm ad victum,ſed vſu vario.Quidam enim aere vtuntur, velut inſtrumento ad motum, inſtar volatus,vt Loligo, Hirundo, Miluago, Pecten:alij Piſces eo vtuntur ad ſpirandum , vt Delphini.Nonnulli ad cibum conſequendum,vt Cancri:alij ad leporem,Polypus,Teſtudo,Muræna cū ſerpente coniugij gratiâ.

B D. O miram,& inſcrutabilem Dei potentiā: ô iucundam Dei operum contemplationem:ô admirabilem Dei ſapientiam!

CAP. XVII.

Varij Piſcium Marinorum ordines diſtinguuntur.

D. IMò verò longè amplius mirabere,atque ita eſſe fatebere, ſi varios quoque Aquatilium Animalium ordines expoſuero, quos vir Chriſtianus,& medicus,ſuę ætatis Coryphęus Cōradus Geſnerus obſeruauit.

D. Rogo verò,vt eos mihi recites.

P. Faciam,& equidem breuiſſimè. Ait igitur ille, Piſcium alij ſunt Marini:alij aquis ducibus viuunt.Piſcium marinorum ſunt 17. ordines inter ſe diſſimiles,ac diſtincti.

Primus continet Piſciculos,qui nullo certo C genere comprehunduntur, qualis eſt Apua , quæ ex ſpuma maris naſcitur, Sardini, Haleces, Gobio, Blemus, Alauda,ſeu criſtata,ſeu non:Pholis.

Secundus habet Piſces marinos ſaxatiles,qualis Scarus,Merula,Turdus,cuius ſunt 12.genera. Attagenus,Tibicinen, Pauo,Anthias,Antopia dictus, Iulis,ſeu Teragne,Adonis, ſeu Exocœtus, Canadella,Parca marina,Phycis.

Tertius ordo habet Piſces,qui Lyræ ſpeciem præ ſe ferunt ipſa corporis,vel roſtri conſtitutione,& idcirco, Lyriformes appellantur. Hi ſunt corpore tereti, capite craſſo: vt Lyra, quæ grunnit, Lyra cornuta, Cuculus, Lucerna, quòd tranquillis noctibus lingua per os inſecta lucet,Corax, Hirundo,Vranoſcopus,Mullus, qui & purpureus eſt,& barbatus,& imberbis.

Quartus ordo continet Piſces compreſſos, ſquamoſos, & litorales, vt Aurata ab auri colore, Sparus,Cantharus,Sargus,Malanurus, Melandrinus,Rubellio,Phagrus,Synagrus, Mormylus,Orphus,Hepatus,Chromis,Glaucus,Vmbra, Coracinus, qui pupillas oculorum perpetuò mouet. Huic ordini adiunguntur Piſces lati, non ſquamoſi,qualis Mus, Aper, Strommateus, per cuius totum corpus Lineæ aureæ extenduntur, Nouacula,Faber.

A Quintus Piſces ſimpliciter dictos complectitur,vt Mæna, Sinaris, Boops, Salpa, Mugil, cuius ſpecies,multæ;Cephalus, Lupus, ſeu λάβραξ,Sphyræna,Hippurus, Aſellus, cuius variæ ſunt ſpecies, Muſtella, ſeu Cyrrus, Araneus, Draco, Scorpius, Lacertus.

Sextus ordo habet Piſces ſpinoſos, & longos, quorum ſpecies ferè ſerpentina eſt ; qualis Muræna,Mirus maritus Murænæ, Serpens, cuius variæ ſunt ſpecies,Acus,Saurus.

Septimus ordo eſt Piſcium marinorum ſpinoſorum,& planorum,qualis eſt Rhombus, cuius variæ ſunt ſpecies,Citharus,Paſſer,ſeu ψῆττα in varia genera diuiſa, Bugloſſus ſeu Solea ſeu Sandalium (cuius variæ ſunt ſpecies, vti Cynogloſſus, Arnogloſſus,Hippogloſſus)Tænia cuius item multę differentiæ.

Octauus ordo eſt Piſcium ſimilium Lacertis,Lacertus,Colias maior,& minor,Scomber, qui vitri inſtar ſplēdet,Pelamys,Thunnus, cuius variæ ſunt ſpecies,Ammia, Pompilus, Gladius, ſeu Xiphias, Glaucus,cuius variæ ſpecies. B

Nonus ordo habet Cartilagineos planos, Cuiuſmodi eſt Rana piſcatrix, Paſtinaca (cuius varia genera ſunt) Aquila,Torpedo Græcè Νάρκη. Raia læuis, cuius multæ ſunt ſpecies, & differentiæ: Raia aſpera in multas & ipſa differentias diuiſa, Squatiua.

Decimus ordo continet Cartilagineos longos, qualis eſt Galeus, Achantias, ſeu Muſtella, cuius variæ ſunt diſtinctiones,Canis,Canicula, Vulpes, cuius partus, etiam quum exiit è matre,ille tamen adhæret vmbilico, Zygæna, Gloſſopetra, Maltha, Simia.

Vndecimus complectitur Cartilagineos orbiculatos,cuiuſmodi eſt Orbis Ægyptius,Scutalus, Echinalus,Britannicus,cuius item variæ ſpecies, Luna piſcis,Orthragoriſcus.

Duodecimus ordo eſt Cetorum, qui propriè dicuntur.In hoc ordine ſunt Delphinus, Phocœna,Phoca dictus à boatu, quē magnū edit,Brechmechin C circiter decem cubitos longa: Balæna, cuius variæ ſunt ſpecies,vt Orca, Phyſter, Scolopendra,Ziphius:Teſtudo,cuius variæ ſunt ſpecies. Atque huic ordini addi debent monſtra marina, veluti Leo,Piſcis, Monachus, Epiſcopus, Syrene, Triton.

Decimus tertius ordo habet Piſces marinos molles,qualis eſt Sæpia, Loligo, Polypus teſtâ inincluſus(vel ouum Polypi)Lepus marinus,Vrtica, cuius variæ ſunt differentiæ,& varij colores.

Decimus quartus eſt cruſtaceorum. In iis autem omnibus ineſt ſalſus ſuccus,carnes ſunt duræ, quæ aluum ſiſtunt eſę,quia concoctu ſunt difficiles. Ad hunc ordinem pertinet Cancer, cuius varia ſunt genera(Heracleoticus inter Cancros excellentiſſimus:alius eſt latipes, alius vndulatus, alius varius, alius hirſutus)Orſus,Pagurus, Maia, Aranea, cruſtata,Pinnoteres,(qui eſt Cancer paruus quū Pinnam ſubit)Aſtacus,Locuſta marina, Caridon, ſeu Colybdæna,Squilla,cuius variæ ſunt ſpecies,Mantis,ſeu Cicada marina.

Decimus quintus ordo habet Piſces teſtaceos, qui conchylia dicuntur apud Latinos,& miras rerum ſpecies marinarum,qualis eſt Lepas, Patella, ſeu Lopas,Auris marina,ſeu Patella fera:Oſtrea,cuius variæ ſunt ſpecies,Muſculus vulgaris,Concha, A Tellina,Photas,Chama,Pecten,Pectunculus,Cõcha mater vnionum,Pinna,Vnguis,Solen,Turbo, cuius variæ ſunt ſpecies.Purpura turbinatorum generis nobiliſsima concha, Murex, Buccina, Trochus,Neribes:Cochlea, cuius variæ ſunt differentiæ,Balamis marina,Echinus, ſeu Caſtanea, cuius genera multa,Stella marina,Sol marinus.Huic ordini adduntur Holothuriorum variæ ſpecies.Sunt autem Holothuria,quæ nõ tam teſta, quàm corio duro tecta ſunt,etſi Zoophyta duo ſunt corio duro tecta.Ad Holothuria pertinet Tethe, vel Tethya ſimilis fungis terræ, & lac emittit mamillis, vnde Tethe dicta eſt:pertinet ad eadem Pudendum virile,item Pulmo marinus.

Decimus ſextus complectitur inſecta marina, qualis eſt Hippocampus,Eruca,quæ ore & oculis caret,Pediculus,Pulex,Oeſtrus, Hirudo, Vermis, Lumbricus.

Decimus ſeptimus ordo cõtinet Zoophyta marina, qualis eſt Eſchara,Cucumis,Vua marina, Manus,Perna. Et hæ quidem tot ſunt Marinorum B Piſcium ſpecies.

CAP. XVIII.

Non Marinorum Piſcium varii ordines, variáque genera.

D. QVid de iis,qui dulcibus aquis aluntur?

P. Sunt etiam & horum varij ordines, & ſpecies obſeruatæ.

D. Explica igitur eas,& quidem breuiter.

P. Qui Piſces in aquis dulcibus viuunt,aut fluuiatiles dicti ſunt,quoniam in fluuiis verſantur:aut lacuſtres, quòd in lacubus degant:aut Amphibij, quia in Terra,& in Aqua promiſcuè viuunt.

CAP. XIX.

De variis Piſcium Fluuiatilium generibus.

D. DIc verò de fluuiatilibus primo loco,quandoquidem primos recenſuiſti.

C P. Eorum ſunt ferè quinque ordines, & differentiæ ab eodem viro clariſsimo,& doctiſsimo Geſnero poſt alios obſeruatæ. Primus ordo complectitur Piſciculos, id eſt, Piſces minutulos, qui ſunt ac degunt in fluuiis, qualis eſt Phoxinus tam ſquamoſus,quàm leuis,Epelanus ſemper ouis prægnans, Aculeatus, ſeu Centriſcus pungens ſuis aculeis,Alburnus,Gobio,Lampreda, Pœcilias qui eſt muſtella nempe foſsilis(Sũt enim quidã Piſces foſsiles,quorum pellis non eſt tenax:ſunt etiã quidã terreni,qui in terra habitãt,etſi in aquis tamen naſcũtur,vt docet Plinius lib.9.c.57. Porcus à quo Crocodili necantur (Nam Porci iſti ſpinas ad caput habent, & Crocodilorum ventrem ingreſsi lacerant) Mugil,ſeu Lentiſcus, cuius variæ ſunt ſpecies.

Secũdus ordo habet fluuiatiles Piſces,qui (quia ſaxa frequentant)dicũtur ſaxatiles,qualis eſt Cottus, ſeu Bottus, Aſper, Cobites, cuius variæ ſunt Species:eſt enim Cobites alius aculeatus, alius barbatus,qui & Pœcilia dicitur.

Tertius ordo eſt fluuiatilium latorũ, qualis Cyprinus,ſeu Carpio,Cyprinus latus,ſeu Brema,Charax,Orfus,Rutilus,Ballerus,Tinca.

Quartus continet Piſces fluuiatiles, qui ſimpliciter Piſces dicuntur,qualis eſt Perca,Capito, cuius variæ ſunt ſpecies, Mugil, ſeu πανηγυϛὴς,Naſus, Barbus, Muſtela, Trutta (cuius varia ſunt genera, quoniam alia fluuiatilis, alia paluſtris Vmbla dicta:alia item magna,alia parua:alia item nigrior,alia lucidior)Salar etiam, qui à quibuſdam dicitur Trutta,& Torrentina,& Pyrnus, qui legitur apud Athenæum: Thymallus, Vmbra Truttæ ſimilis, Lucius, quaſi Lupus fluuiatilis, Græcè λάβραχος à voracitate,Eſos Plinio dictus,qui viuit plus quàm 300.annos,Spyræna,Oſtracion,Anguilla. A

Quintus ordo eſt fluuiatilium Anadromorum id eſt eorum Piſcium, qui è mari in fluuio ſubeũt, qualis Thariſſa,quæ & Clupea, & Alauſa dicitur, Lampetra à fulgore ſic nominata, & Vermis aquatilis,Salmo, Salar quoque dictus ab Auſonio, Silurus ab agilitate caudæ, ſeu Glanus, Accipenſer,Antacæus,Attilus,Galeus, Rhodius, ſeu Ichthyocolla ex Piſce & glutine concretus,Canis pinguis. Et hæc quidem ſunt genera obſeruata Piſcium fluuiatilium.

CAP. XX.

B

Piſcium non fluuiatilium neque etiam Marinorum genera.

D. QVæ verò non fluuiatilium Piſcium ſunt genera?

P. Illi ſunt varij ordinis. Ac primus quidem eorum ordo eſt lacuſtrium: qualis eſt Lauaretus, Albula, Albula parua, Farra, Pala, Trutta, Carpio,Vmbla,ſeu Vmbra, Salmo Lacuſtris,Agonus,Calcis,Liparis.

Secundus eorum ordo continet Cruſtaceos Piſces,qui neque marini ſunt,neque fluuiatiles, qualis eſt Cancer(Fluuiatilis enim dictus eſt Eſcreuiſſa)Aſtacus.

Tertius ordo Teſtaceos, qualis eſt Cochlea fluuiatilis,Concha,Muſculus.

Quartus ordo continet inſecta in dulcibus aquis viuentia,qualis eſt Vermis,Hirudo, ſeu Sanguiſuga,Phryganium,Vermiculus,Tinea,Libella, Cantharis,Cicada,Squilla.

Quintus ordo non fluuiatiliũ Piſcium eſt Amphibiorum: & primùm quidem eorum Amphibiorum,quæ viuipara dicuntur, vt Fiber, ſeu Caſtor,Lutra,Hippopotamus. C Deinde eorum, quæ ſunt ouipara, veluti Crocodilus eſt, Lacertus Rana,cuius & ipſius variæ ſunt ſpecies.Aliæ.n. Ranæ ex ſemine procreantur:aliæ cœlitus decidunt:quæ ex ſemine naſcuntur,ſunt vel Terreſtres, vel Fluuiatiles,vel Paluſtres:Terreſtres dicuntur,vel Calamitæ,ſeu Sancti Martini,vel Rubellæ, quæ ſunt vel Buffones,vel Gibboſæ,vel Cornutę,vel Foſsiles. Fluuiatiles ſunt Ranæ edules, ſeu virides ſint, ſeu Flaueſcentes,ſeu nigriores. Paluſtres quædam ſunt venenatæ.Quę Piſcium genera quum ſint tot, & tam varia,longa hominum diligentiâ,longóque vſu,& ſtudio obſeruata, ſunt tamen operum Dei (quæ in Aquis apparent,& eorum Reptilium,quę Aquæ Dei iuſſu produxerunt)ſunt, inquam, ea omnia pars tantùm operum Dei exigua, nedum, vt infinitam illius potentiam nos aut animo,aut verbis complecti arbitremur poſſe. Et certè vera eſt illa hominum ſententia,etſi vulgi opinionem appellat

A pellat Plinius, *Nempe quicquid naſcitur in parte Naturæ vlla, & in mari eſſe, prætérque multa, quæ nuſquam alibi.* Rerum enim non ſolùm Animalium in mari ſimulachra eſſe licet intelligere intuentibus in mari, vuam, gladium, ſerras, cucumin vero & colore, & odore ſimilem. Adeóque purpura ipſa è mari naſcitur.

D. Certè quantò diutiùs iſta tractas, tantò magis Deum ipſum tantæ rerum varietatis opificem & laudandum, & colendum eſſe agnoſco: cuius ſapientiæ, ac omnipotentiæ vel ſolum Mare locupletiſſimum eſt theatrum, atque ſpeculum.

CAP. XXI.

De Piſce Leuiathan.

P. DE vno modò Piſce dicam, de quo agit Scriptura diſertè, eúmque nobis tan- B quam operum Dei aquatilium, miraculum proponit Iob. 40. & 41. quem Leuiathan vocat. Eſt enim, vt in hominibus, ita & in Animalibus, & in Piſcibus, id eſt, eſt in omni rerum genere quiddam in vniuerſo ipſorum genere minimum: quiddam verò maximum, veluti Pumiliones, aut Pygmæi ſunt in vniuerſo hominum genere res minima: Gigantes autẽ (de quibus fit mẽtio in Scriptura) in eodem genere res maxima. In terreſtribus Animalibus Elephas eſt maximus. Minimus autem eſt Mus, aut gurgulio. In auibus maxima eſt Struthiocamelus, minima paſſerculus. Sic in vniuerſo Piſcium genere maximus eſt Leuiathan, qui dicitur: at minimus Apua, quam noſtri Millecantonem vocant, & ſi qui adhuc ſint piſciculi Apuâ minores. Dicitur autem Leuiathan (qui, vti dixi, eſt caput in ſuo. i. Piſcium genere) à varia, & valida ſquamarum inter ſe connexione, éſtque ex cetaceorum genere Balæna vaſtiſſima, quæ tantæ eſt amplitudinis, vt latiſſima quædam C Rupes, aut inſula potiùs, quàm vnum quoddam Animal in mari natans appareat. Totas naues vel maximas etiam oneratas facillimè cum oneribus ipſis euertit, & diſiicit. Tantam aquarum copiam, & diluuiem per fiſtulam capitis eructat, vt ait Plinius, ſeu euomit: & tantum vnâ fumum exhalat, vt mare aliud emittere videatur, naues impleat, tenebras circum inducat, denique litora ipſa, ac vicinam continentem natans quatiat: hic Piſcis certè quidem monſtrum potiùs eſſe videtur, quàm Animal quoddã, vt eſt Pſ. 74. v. 14. 104. v. 26. adeò vt vel ſola iſtius Piſcis lingua diſſecta in fruſta doliola quamplurima complere ſoleat. Id quod ipſa rerum experientia verum eſſe docent Oceani nautæ. Denique ita deſcribitur Iob. 41. verſu 6. & ſeq. *Squamæ ipſius ſunt res magnificæ, vt fortia ſcutorum, clauſum eſt vnumquodque eorum clauſura arcta. Vna alteri appropinquat, & ventus non ingreditur inter illas: vna alteri iungitur, retinent ſeſe, & non ſeparantur. Sternutationibus eius ignis accenditur, & oculi eius vt palpebræ auroræ. De ore eius lampades procedunt, è naribus eius egreditur fumus, ſicut ex olla feruente, aut aheno, Flamma de ore eius egreditur. In collo eius moratur fortitudo. Particulæ carnis eius cohærent. Cor eius firmum eſt, vt lapis. Qui attigerit eum gladio, non permanebit haſta, telum, & lorica. Reputat vt paleam ferrũ, Non fugat eum ſagitta. Sub eo ſunt acutæ teſtæ, feruere facit ſicut ollam profundum. Nõ eſt ſuper terrã ei ſimile, omne ſublime deſpicit, & eſt rex ſuper omnes elatos.* Et A tamen hic ipſe tam horrendus, & vaſtus Piſcis minima quædam operum Dei tantùm eſt particula, ac velut mica. In ſumma mira ſunt & amicitiarum, & inimicitiarum inter ſe Piſcium exempla.

CAP. XXII.

Mira quædam de Piſcium inter ſe concordia & diſcordia, & aliis rebus.

ORca Balænam ita infeſtè perſequitur, vt non priùs eam deſerat, ſi ſemel aggreſſa fuerit, quàm cum partu trucidarit. Mugil, & Lupus mutuo odio inter ſe flagrant. Conger, & Muræna caudas inter ſe prærodunt. Ad Polypi conſpectũ Locuſta moritur. At contra Thynnorum mira eſt inter ſe ſocietas: item Echini, & Murænæ: item Balænæ, & Muſculi, qui eam oculis orbatam propter pondus ſuperciliorum (quæ habet Balęna in oculis denſa & varia) ducit per infeſta vada. B Mira item piſcium in venando induſtria, velut Paſtinacæ, quæ cùm ſit tardiſſima Mugilem tamen velociſſimum radio ſuo figit tranſeuntem. Mira denique in prædicanda cœli, & maris, & anni tempeſtate, aut ſerenitate ſunt piſcium auguria, vt Delphinorum, Thynnorum, Echinorum. Sed quis iſta, quanquam ad Dei gloriam ſpectant, omnia enumerare queat?

CAP. XXIII.

De mira Piſcium fæcunditate, & vnde illa ſit, & quomodo concipiant & pariant.

D. ERgo finem iam faciamus: hoc modò explicato, quòd Dominus Piſces à ſe ex aqua productos, & creatos iuſſit creſcere, & multiplicari. Bis enim fœcunditatis benedictionem illis impartitus eſſe videtur. Itaque duplo maior eſt in Piſcibus, quàm in reliquis brutis animantibus fertilitas, fœcunditáſve. C

P. Rectè meminiſti. Sunt enim fœcunda mirum in modum omnia Piſcium genera. Itaque ſine numero eſſe dicuntur Pſal. 104. v. 24. quod idem de terreſtribus & volatilibus Animalibus non pronuntiatur. Et Plutarchus ipſe ſcriptor longo rerum vſu edoctus lib. 5. Sympoſi. quæſt. 10. tradit etiam marinos Piſces longè eſſe terrenis Animalibus fœcundiores. Nam in humido Elemento quum ſint, facilè cõcipiunt, & quidem magno numero: ex quo fit, vt Piſces etiam fœminæ ſint Maribus Piſcibus maiores propter copiam humoris. Quid quòd etiam quædam Piſcium genera bis in anno pariunt, vt ſaxatiles omnes? Quidã ter, vt Chaalcis: quidã ſexies, vt Cyprinus? Quanquam autem nonnulli volunt in quibuſdam Piſcium generibus non eſſe mares, vt in Erythinis: omnes tamen fœminæ Piſces etiam in eo genere ouis grauidæ capiuntur, & fœcundæ ſunt propter illud Dei præceptum tam locuples & ἐνεργητικώτατον, *Creſcite & Multiplicamini.* Cęterùm vt de hoc quoque dicamus, Piſces attritu ventrium coëunt, & quidem tanta celeritate, vt viſum fallant. Fœmina coitus tempore marem ſequitur, cuius ventrem roſtro pulſat: contráque mas partus tempore fœminæ ventrem irritat, vt oua emittat. Oua igi-

A tur à fœmina edita ſiue in fundo aquæ illa ſubſidant, ſiue innatent aquæ, inter ſe verſant Mas & Fœmina, quibus vitale virus hoc pacto infundũt. Nec tamen in tanta ouorum à qualibet fœmina profuſorum,& ſeminatorum multitudine ſingulis ouis id contingit, vt viuificentur, alioquin replerentur maria, & ſtagna Piſcibus. Ouis igitur ſuis non incubant Piſces, nec laborioſè fœtus ſuos alunt,nec nidificant,ſed ouum ab iis acceptum mare fingit in Piſcem,& alit.

D. Cur verò tam fœcundos eſſe Piſces Dominus voluit?

P. Tum propter Elementi, quod replere debẽt,vaſtitatem,nempe Maris, quod longè maius, latius, ac ſpatioſius elementum eſt, quàm Terra: tum etiam quòd in ipſis piſcibus alii aliis, nempe minores maioribus ſint pro cibo, quod eſt,vel Oppiano teſte, turpiſſimum, etſi eam fœditatem homines ipſi ab humanitate dicti ſuperant in ſuis C contractibus. Ditiores enim vorant pauperiores & tenuiores. Deuorantur igitur Minores Piſces à Maioribus,quanquam nullus in ſuum genus ſæuit Piſcis. Itaque infinitam eſſe Piſcium multitudinem oportebat,vt hoc quotidianum victus diſpẽdiũ reſarciretur. Aliàs enim mare tandem exhauriretur,& maneret ſine incolis vacuũ ac deſolatũ. B

CAP. XXIIII.

De ſerpentibus,ad quod Animalium genus pertineant,& quid per ſe ſint,& quot eorum genera ſumma.

D. QVoniam hoc de repentibus Animalibus argumentum tractas, dic etiam & de ſerpẽtibus aliquid.Illi enim etiam repunt:quia pectori innitentes totum corpus vno niſu trahunt.Quanquam & ſpiris ſe conuoluunt, vnde & ſerpentes dicti ſunt, & orbes huiuſmodi Spiræ appellatæ.

P. Ordine quæris.Sunt enim, & potiſsimum quidem illi inter repentium Animalium genera cenſendi,& idcirco ſinguli ſerpentes coſtas triginta habent: quanquam ſingulis hominibus ſunt tantùm octonæ datæ:nimirum vt ſerpentes ſe faciliùs C conuoluere poſſent,ac in orbem complicare.Sunt igitur Serpentes ſanguinea animalia, etſi non tam perfecta, quàm quadrupeda: præſertim Terreni, qui non ſunt Dracones.Sunt enim plurima genera ſerpentum,ſed duo præcipua: Angues qui in Aquis verſantur,ſuntque fere Maiores Ezech.32.v.2. & Serpentes,qui in Terris.In vtroque autẽ genere reperiuntur, qui vel pedes habent, vel alas, vt Dracones,vel tantùm ſerpunt. De quo poſtremo genere potiſsimum nunc agimus. Sũt igitur hi ita à Deo facti, vt omnes omnium maximè Animaliũ in Terram ſint deiecti,omniũ laborioſiſsimi nunc viuant,& incedant, Colore ſunt inter ſe vario, & differente.Caput dorſo affixũ habent: Cor in gutture: & pulmonem exiguum. Itaque cùm ſint voraciſsimi ſe erigunt magno labore, vt cibum deglutiant: quia propter corporis, & gulæ longitudinem,ac tenuitatem ægrè traiiciunt cibos in ventriculum.Nares,& aures habent,eáſque foraminibus deſignatas, non eminentes. Quædam eorum genera etiam bina capita,quædam ſeptena habent, vt Hydri.Oculos etiam habent. Pollent inter cætera Animalia viſu,& auditu: quibus ſibi aſsiduè cauent, ſunt enim timidiſsimi, & aſtutiſsimi, & ſibi A proſpicientiſſimi propter inimicitias, quas ſibi cum humano genere intercedere ſentiunt.Itaque eam Serpentum proſpicientiam, & prudentiam imitari nos Chriſtiani iubemur,eámque cum Columbarum ſimplicitate coniungere, Mat.10. Habent enim minimè ingenium rude, ſed perſpicax præſertim in quærendis ſibi latibulis tutis,etſi natura ſunt frigida. Viſum tanquam ſenectutem ineunte vere renouant,quem propter hyemem,& frigiditatem locorum(quibus tota ea anni tempeſtate incluſi manent)ſentiunt fieri hebetiorem.Oculos igitur ad Marathrum admouent,quo contacto ſtatim viſum perſpicaciorem reddunt. Pellem veterem Vere quoque exuunt,nouam aſſumunt, atque his tunc occurrere eſt periculoſiſsimum, vt ſint nobis veteris hominis abdicandi exemplum. Eſt autem tunc eorum virus præſentiſsimum.Serpentibus ſunt dentes fere ſerrati:in dentibus,& capite venenum gerunt, quod totum è felle eorum proficiſci quidam volunt,Iſa.20. verſ.16. Bifidam linguam habent lacerti:Serpentes triſulcam, quæ B tenuiſsima eſt:fibras atri coloris, quâ ſibilum non vocem illi emittunt. Inteſtina iis longa ſunt, nulli tamen teſtes, ſed meatus tantùm horum loco dati,qui cùm pleni ſunt prolifico humore, non ſolum attritu maſculi,& fœminæ:ſed etiam complexu mutuo coeunt,adeò ſibi circunuoluti, vt vnus exiſtimari ſerpens poſsit, iſque biceps. Fœminæ oblonga oua pariunt Iſa.59. verſ. 5. quæ continua ſerie inter ſe cohærent quidem,quibuſdam tamen fiſſuris diſtinguuntur. Hæc poſtea calore fœminæ fouent,& excludunt. Quę ſerpentes viuiparę ſunt, vt Dracones volantes, quales multi ſunt in Ægypto Iſa. 14. verſu 29. 30. verſ. 6. illis ſunt mammæ datæ quibus fœtus ſuos educant Threno. 4. verſ. 3.Quæ verò oua tantùm ponunt & pariunt, nullas habent mammas. Vniuerſum autem ſerpentum genus, antequàm eius miniſterio Satan fefelliſſet hominem, erat homini familiare, vtpote maiori præ cæteris animantibus prudentiâ præditum Geneſ.3. verſ. 1. ſed poſtea & à Deo maledictum eſt Geneſ.3.verſu 14.& pœnæ fugæque perpetuò addictum,ac etiam vniuerſo generi humano infeſtiſsimum,ac inimiciſsimum redditũ Pſal.91. verſ. C 14.Iſa.19.v.5.Itaque perpetuò quærit latebras, fugítque ab homine,cui ſentit ſe exoſum. Hunc etiam odit. Nam eum veneno, & morſu ſuo enecat,ſæpe etiam ſolo viſu, quemadmodum Baſiliſcus, qui etiam reliquo ſerpentum generi eſt exitialis,quamquam minimus eſt. Quid de Viperarũ toto genere dicã, cuius ſemper funeſta familia eſt, & dirus ortus?Fœmina marem necat in coeundo, & caput illi dentibus abſcindit. Fœtus matrem in vindictam patris exeundo lacerãt, & trucidant aluum eius erodentes. Quid dicam de Tarantula,à qua ſi quis ſub Solis ardoribus ictus fuerit, viſum, & ſermonem amittit, neque ſanari niſi cantu, & muſica poteſt? In ſerpentibus etiam illud mirũ eſt,quod & Plinius,& Ælianus, & alij plerique tradunt,Serpentem vbi ſemel hominem interfecerit,nunquam ampliùs à Terra recipi,nec eum ſubterraneam latebram vllam ingredi poſſe, ſed perpetuò poſtea vagari. Serpenti quoque ipſi venenum eſt hominis ieiuni ſaliua, propter ipſius ſerpẽtis frigiditatem.Terræ autem puluere pręcipuè veſci-

A veſcitur ſerpens, Geneſ.3. Sed & hanc quoque pœnam præter cætera Animalia ſentit, quia ſemel Satanæ famulatus eſt, vt facilè Magorum diabolicis ſibilis, ſeu demurmurationibus incantari poſsit, quemadmodum facilè colligitur ex Pſal.58.ver.4. Hier. 8. verſ.17. adeò quidem vt tunc nocere non poſsit, Eccleſiaſtes 10.v.11. Id quod ante nos obſeruauit, & ſcripſit Auguſt.lib.11. de Geneſi ad literam cap.28.

Cap. xxv.

Serpentes Dominus creauit, vti cætera Animalia, ſed non venenatos homini & noxios, quales hodie ſunt.

D. Mira tu quidem de Serpente narras. Fecítne ergo Dominus, & hoc Reptilium genus homini tam inimicum?

P. Fecit certè. vt apparet Gen.3. verſ.1. & Iob. 26. verſ.13. ſed non inimicum homini, imò illi familiariſsimum. Iſtæ verò inimicitiæ, ac ſimultates truces, ex eo, quòd Satan eius miniſterio ad decipiendum hominem abuſus eſt, ortæ ſunt. Itaq; hęc diſcordia (vti & reliquæ odiorum occaſiones) B Satanæ ſanè eſt tribuenda.

D. Quomodo verò tam hoſtem hominis Serpentem facis, quum varia amicitiæ, & conſuetudinis inter Dracones & hominis familiaris exempla ab Æliano recitentur lib.9.hiſto. Animal. & ex medulla ſpinæ hominis ſerpentes naſcantur?

P. Quod ad Amicitias iſtas, genus ipſum Serpentum vniuerſum ſemper humano generi noxiũ, ac implacabile manet, vt diſcimus ex Iſa.59. verſ.5. Iob.20. verſ.15. Sed fortaſſe vnus, aut alter longo metu aſſuefactus, & victus, paſtúſque ſuauitate allectus, vni tamen cuidam homini familiaris, & innoxius fuerit. Sed iſta exempla, & rara ſunt, & miraculoſa, quæ Deus ad damnandam quorundã hominum immanem feritatem extare voluit, qui nũquam vel cuiquam alij primùm conciliari poſſunt: vel ſemel offenſi poſtea reconciliari. Atque hi certè digni ſunt, qui inter teterrimas belluas potius, quàm inter homines, qui ab humanitate ita appel- C lantur, numerentur. Quòd autem ex medulla ſpinæ humanæ præſertim in ſterquilinio putrefactæ Serpentes naſci traditum eſt, id oſtendit non quidem ſerpentis, & hominis inter ſe conſenſum, aut amicitiam: ſed humani corporis ſaniem, tabem, fœditatem, cruorem, ac internum virus, (quod illi per peccatum infuſum eſt) quòd ex eo putrefacto tam noxium Animal naſcatur: quum ex equi viſceribus longè honeſtiora Animalia generentur, nimirum mellificæ apes. Atque hæc quidem de Serpentibus.

Cap. xxvi.

De Volatilibus ſeu Auibus, vnde nata.

D. Reſtat igitur, vt ad ſecundum huius quintæ diei opus accedas, nẽpe ad Volatilia.

P. Sic eſt. In quo equidẽ ero breuior, quoniam in ſuperiori diſputatione magna ex parte iã ſunt expoſita omnia, ex quibus generalis Auium natura intelligi poteſt.

D. Expone igitur, quæ ad ſingularem earum explicationem videntur pertinere. A

P. Interroga.

D. Vnde verò primùm natæ ſunt Aues?

P. Ex Aquis, quemadmodum ipſum Dei Verbum apertè teſtatur, quod antea recitatum eſt.

D. Ex iiſdémne aquis, ex quibus & Piſces?

P. Sic apertè Moſes. Nam de aquis inferioribus agens addit Dominum iuſsiſſe, vt ex iis reptile illud, quod & alatum eſt, & volat verſus ſuperficiem expanſionis, produceretur, quanquam tamen quidam exiſtimant, Aues ex cœleſtibus & ſuperioribus aquis fuiſſe productas, non autem ab his inferioribus ſeu marinis ſeu fluuiatilibus. Tertij denique cenſent partim ex Aquis, partim ex Terra Volatilia fuiſſe producta, quoniam ex iis quædam mari, quædam autem tellure delectantur, & viuũt, paſtúmque quærunt. Sed mecum facit & Fulgentius lib. de Fide ad Petr.ca.3. & Aug.lib.3.de Gen. cap.5. & 6.

Cap. xxvii. B

Vtrum ex Ouo natæ ſint primùm Aues.

D. At nõne oua priùs, quàm Animalia ipſa creata ſunt, vt ex Ouis Animalia poſtea naſcerentur?

P. Veterem illam, & variè inter Philoſophos vexatam quæſtionem renouas, de qua & Plutarchus in Sympoſiacis, & ex eo Macrobius lib.7. Saturnaliorum prolixè egerunt: Vtrum Gallina an Ouum prius extiterit. Et certè Auguſt. qui putat (quum dicitur Terra vel Aqua produxiſſe id quod iubebatur) potentia tantùm, nõ actu id factum intelligi oportere, eorum fauet ſententiæ, qui ouum priùs, quàm Gallinam extitiſſe ſentiunt. Verùm apertiſsimè Dei verbum docet aliud, nimirũ Animalia ipſa integra, perfectáque priùs à Deo cõdita eſſe, & quidem in ſingulis rerum indiuiduis talia, qualia totum ipſum ſingulorum indiuiduorum genus eſſe, & poſtea continuari volebat. Itaque nõ δυνάμει tantùm, ſed ἐνεργείᾳ, & re ipſa (miraculoſa quidem omnipotẽtiæ Dei virtute) Animalia ipſa, & reliquæ res conditæ extiterunt, ac productæ ſunt à Deo, & primùm quidem: poſteà verò earũ C fructus ſuo tempore ab iis ſingulis pro ſua ſpecie ſunt editi. Denique ſingula & indiuidua primùm extiterunt, non autem ipſæ rerum vniuerſales ſpecies, quas Ideas Plato vocat. Has autem fingit eſſe res quaſdam in diuina mẽte reipſa, & τῷ ὄντως ſubſiſtentes. Id quod eſt ineptiſsimum, vt in prima huius operis parte iam diximus. At contrà veriſsima eſt Ariſtotelis ſententia, qui ἄτομα, & indiuidua cẽſet priùs extitiſſe, ideóque ea πρώτας οὐσίας appellat: ſpecies autem vniuerſales οὐσίας δευτέρας, quia ſunt tãtùm collectæ & comprehẽſæ animo naturę ex indiuiduorum inter ſe ſimilitudine & φύσει.

Cap. xxviii.

De Mira Auium & Piſcium affinitate inter ſe.

D. An verò potuerunt ex iiſdem Aquis Aues produci, ex quibus Piſces, cùm vtriuſque Animalium generis ſit tam diuerſa natura, temperamẽtum, victus, ac habitatio?

A P. Illas certè quidem vel ex Aquis, vel ex Terris, vel ex ipſo ſublimi cœlo naſci atque oriri oportuit. Non quidem ex illo ſublimi cœlo natæ ſunt Aues. Non eſt enim illud fœcundum, aut prolificum, aut ſemen emittens, vti diximus. Non ex terris. Neque enim & in expanſione, id eſt, in alieno à ſua natura loco habitare, & volare, neque tam leuis, agiliſque naturę eſſe potuiſſent. Ergo ex Aquis productę ſunt, quibus ſunt ſimillimæ. Et quoniam iuſſæ ſunt volare ſupra Terram, & verſus ſuperficiem expanſionis cœlorum, eam naturam ſunt ſortitæ, quæ illi loco eſſet maximè apta & conſentanea: ac iis præſertim aquis conueniens & conſentiens, in quarum regione, ſeu expanſione volant, nempe Aquis cœleſtibus. Sunt igitur Aues, vti illæ Aquæ, ſubtiles, & agiles: ſunt tenues: ſunt calidæ: ſunt leues. Sed tamen ſunt Aues ex aquis iſtis inferioribus. Nam ſi ex illis ſuperioribus & cœleſtibus naſcebantur, nihil neceſſe erat eas volando eum locum quærere, in quo vti natæ eſſent: ita perpetuò habitaſſent. Non habitant autem in Aere & expanſione, quanquam verſus eam volant vel ſpatiandi, exercendíque corporis gratia: vel victus quærendi B cauſſa: vel illius loci implendi & ornandi ergò. Ergo ex iſtis Aquis Aues ortas eſſe corporis earum Materia probat apertiſsimè, cùm Plumis, id eſt, multis aqueis, & humidis excrementis earum corpora conſtent: & domicilij ratio probat quoque, quia etſi in expanſione cœli nonnunquam verſantur, ſubſidunt tamen in hac inferiori parte Mundi ſidentes vel in Montibus, vel in Arboribus, vel in Aquis ipſis, dum quieſcere volunt. Dominus autem vnicuique rei à ſe conditæ pro ratione ſuæ naturæ locum aptum, & idoneum dedit: itémque naturam quoque pro loci illis deſignati ratione congruentē. Ergo cum Aquis cœleſtibus & ſuperioribus affinitatem naturámque communem Aues habere oportet, quarum ſunt incolæ, & ciues, & quarum regionem ac ſedem pro naturali ſpatiandi, non autem perpetuo commorandi loco ſunt ſortitæ. Errant autem qui exiſtimant Aues in expanſione & Aere ſuſpenſas perpetuò manere, quemadmodum ſuſpenſę in eodem aere & expanſione nubes manent: ſed vel in Aquis, vel in Terra commorantur. Volant autem & exſpatiantur per expanſionem. Quòd autem eas, quia diſsimile C à Piſcibus Temperamentum habent, ex iiſdem Aquis, ex quibus Piſces, produci non potuiſſe cenſes, non rectè iudicas. Deus enim vt infinitam illam ſuam omnipotentiam oſtenderet, ex eodem elemento, & materia, duo rerum genera diuerſi temperamenti condidit. Vnum frigidum, nempe Piſces: alterum calidum, nimirum Aues. Itaque nō materia, aut ortu inter ſe propriè differunt: ſed tantùm gradu, id eſt, Intentione, & Remiſsione interni caloris. Vnde peſsimè ille, quanquam eſt magnus Philoſophus habitus, qui ſenſit, & ſcripſit, *Aues ex genere hominum leuium eſſe effectas.* Longè verò rectiùs Baſil. ἐςι τις συγγένεια τοῖς πετομένοις πρὸς τὰ νηκτὰ. i. *volatilibus affinitas cum natantibus, & Piſcibus.* Primùm enim in eo conueniunt, quòd penè eodem modo incedunt. Nam volandi vſus, ait Ambroſius, eſt ſpecies quædam natandi. Itaque vt aues habent alas: ita Piſces pinnas, rectéque, & doctè dixit quidam *remigium alarum.* Vt enim totū corpus vno conatu auferunt Piſces: ita & Aues. Deinde vti ſquamæ Piſcibus ſunt multæ: ſic plumæ Auibus, quæ ſunt copioſi humoris in vtriſque excre- A menta. Tertiùm quòd vti Aues: ſic & Piſces caudâ viam, atque iter ſuum, illæ quidem in aëre, ſeu expanſione: hi in vndis degunt, flectunt, ac moderantur. Quartùm quòd, vt in Piſcibus, ſic & in Auibus aures, & oculi ſunt, vt plurimùm ſola foramina quædam. Quintùm quòd palpebram inferiorem duntaxat mouent, & Piſces, & Aues. Sextùm quòd vtrumque hoc Animalium genus veſica caret, quia omnes humores in vſum, & tegmen corporis magna Dei & ſapientia, & prouidentia in vtriſque conuertuntur. Denique aues ex materia humida ortas eſſe, vel ex eo poteſt effici, quòd cùm ſint calidiſsimæ naturæ, potu tamē exiguo cōtentæ ſunt. Eſt tamen inter vtrumque genus quędam differentia. Primùm quòd naturæ ſunt calidioris Aues: Piſces frigidioris: Aues nullæ ſunt ſine pedibus (nullum enim πτηνὸν, vt aiunt, eſt ἄπους, niſi fortaſſe illa duo genera reperta Hiſpanicis nauigationibus excipias) Piſces autem vt plurimum ſunt ἄποδες. Aues in ſuperioribus aquis, Piſces in inferioribus verſantur. Itaque accommodatam ad eum locum & ſubeundum, & incolendum, quem Dominus vtrique B aſsignabat, naturam vtrumque genus à Deo ſortitum eſt, factæque ſunt propterea Aues leuiores, calidiores, purgatiores, agiliores: Piſces frigidiores, tardiores, ac feculentiores. In vtroque tamen genere Dominus excrementis iſtis humidis ad ſummam eorum commoditatem vtitur: in Auibus, vt volent: in Piſcibus, vt natent.

C A P. XXIX.

Cur ex iiſdem Aquis Piſces prius, quàm Aues conditi ſint.

D. CVr autem poſt Piſces conditum eſt genus Volatilium, non autem priùs, cùm ſuperius elemētum, & locum Dominus Volatilibus attribuerit?

P. Quoniam ſunt volatilia perfectiora Animantium genera, quàm Piſces. Ab imperfectioribus autem ad perfectiora progreſſus eſt in hac prima rerum creatione Dominus, vt oſtenderet, quæ eſſet futura naturalis rerum ortus perpetua, & naturalis regula, & lex: nempe hæc ipſa, vt ab imper- C fectioribus ad perfectiores gradus natura procedat. Atque ita differētia oſtēderetur eſſe inter Res Naturales, quę paulatim progrediūtur, ac perficiūtur: & res diuinas, quę momēto & ſtatim conſummantur. Sunt verò in Aqueis Animalibus hebetiores naturę ſenſus quàm in Reptilibus & Auibus, tum externi, quēadmodū viſus, & auditus: tū etiā interni, velut memoria. Itaq; varios animi motus exprimūt Aues, quos Piſces nō poſſunt effingere, vt triſtitiā, gaudiū, amorē &c. Vnde fit, vt minus facilè cicurari poſsint Piſces, quàm Aues, etſi in viuariis illi ſeruantur, vti Aues in auiariis. Vt igitur Aues ſunt Piſcibus & Aqueis animalibus perfectiores: ſic quadrupeda animantia ſunt volatilibus perfectiora. Itaq; poſterius quoq; ſunt cōdita quadrupeda. Sed & membrorū quoque diſtinctio minus eſt in Aqueis apparens, quàm in Auibus: minúſque in Auibus quàm in quadrupedibus, etiā ſi cum his Struthiocamelum Africam, vel Ægyptiam compares, quæ eſt tamen, quemadmodum inquit Plinius, auium maxima, & perfectiſsima.

D. Quis

A D. Quis igitur locus eſt Auibus à Deo aſſignatus?

P. Volandi quidem gratiâ expanſio inferior, quæ nobis contigua eſt, & Aer appellari ſolet. Nec enim ſupra iſtam expanſionem volant, quantumuis altè ſe in cœlum quædam euehant. Paſcendi verò & quieſcendi ratione varius locus eſt illis à Deo datus.

Cap. xxx.

Aues cur conditæ ſint à Deo.

D. CVr autem Aues à Deo conditæ ſunt?

P. Propter Dei ipſorum opificis gloriam, hominis vſum, atque etiam delectationē, quem ſuaui illo ſuo cantu recreant, vt inhumanus videatur, qui omnino iſta Muſica naturali non delectetur. Ex Geneſ. 9. v. 2. 3. & Pſ. 8. Pſ. 104. v. 12. 1. Timoth. 4. Act. 10. v. 12. 13. ſatis intelligi poteſt hic finis duplex.

B

Cap. xxxi.

De Auium natura in genere, & earum generatione.

D. QVænam eſt igitur generalis Volatilium natura?

P. Primùm omnia ſunt ſanguinea. Itaque & Cor, & Hepar, & Pulmonem, & Arterias, & Venas, reliquáque ſanguinis opificio, & officinæ ſubſeruientia membra habent. Sed & teſticulos: Veſica autem carent: fœmella vuluam iuxta ſeptum adiunctam habent. Bipeda autem ſunt omnia, quæ propriè Auium, & Volatilium numero comprehenduntur. Crura habent, ſed in aduerſum, atque nos, inflexa. Geniculatio enim eorum retrorſum fit nō antrorſum. Alata ſunt omnia Roſtrata, Caudata, plumis veſtita: quædam etiam ad maiorē decorem criſtas geſtant. Pernices autem valde ſunt omnes eæ Aues, quæ firmas, & validas alas habent: & quoniā calidioris ſubtilioriſque materiæ ſunt, quàm & Piſces, & quadrupeda, terrenáque Animantia, idcirco etiam ſunt melioris, & ſalubrioris C nobis ſucci. Id quod medici docent. Ortus verò eorum, ſeu generatio mira eſt. Primùm quidem, quæ ex iis ſunt pennata & vngues habent aduncos, ſunt infœcundiora: fugacia verò Volatilia ſunt fœcundiora, quàm quæ inter ea ipſa maiori robore valent. Generatio Auium ſimplex eſt: omnes enim oua pariunt, ex quibus poſtea pullos ſuos excludunt magno certè quidem Dei miraculo, & ſolerti naturæ ipſius induſtriâ. Omnium auium ouum intus eſt bicolor, nempe eſt lutei coloris pars ea, quæ in meditullio oui eſt, quæ Vitellus, & Vitellum appellatur. Pars autem vitello ſuperior (quæ & ipſa interna eſt) alba eſt. Vnde albumen à quibuſdam vocatur, & ab aliis Auis lac, vt ait Athenæus. Cruſta verò vtrumque hunc oui humorem externè complectens (eſt enim in ouo & alia pellicula interna) primùm velut oui pellicula quædam apparet: deinde aeris tactu indureſcit. Putamē denique & fit, & vocatur. Quædam bis in die oua ponunt, vſitatius tamen ſemel, in tantum tamen ſunt aliquæ fœcundæ, vt ſexaginta oua pariant. Ouum verò ex ſemine maris in femellæ vterum recepto coaleſcit: etſi quædam aues ſine mare oua tamen A ponūt, vti gallinæ quædam. Oua ad ſpinam Auium intus adhęrent. Omnibus autem ouis in medio vitelli parua ineſt velut gutta ſanguinea, ex qua fieri Cor auium, & quidem primum omnium mēbrorum putant Ariſtotelici: Galenus autē potiùs Hepar. Hæc gutta etiam in ouo palpitat. Ipſum Animal, id eſt, Auis ex albo liquore oui corporatur: luteo eius cibatur, quod circumfunditur albumini creſcente pullo. Caput in ouo eſt maius toto corpore. In eodem ouo caput ſupra dextrum pedem habet pullus: intra 10. dies fœtus, ſeu pullus formatur: intra 20. dies ſi moueatur ouum iam viuentis pulli vox auditur, inde plumeſcit. Fœminę ſolę incubant ouis, & quidem pertinaciſſimè, ac magna etiam tædia tolerantes, calore tandem ſuos pullos excludunt. Quanquam & hoc quoque obſeruauit Auguſt. vt ipſe tradit lib. 1. de Nuptiis cap. 4. quaſdam Aues eſſe, quæ & fouendi, & nutriendi fœtus partita tempora cum maribus habēt. Quædam denique Aues bis anno pariunt, vt Turtures, Merulę. Quædam decies, vt Columbæ. Cæteræ ſemel tantùm. Sed & illud eſt obſeruandum, quod lib. 1. de B Plant. Hiſt. tradit Theophraſtus, Auibus nidificantibus, pennas decidere, quemadmodum folia arboribus: & pilos quadrupedibus, vt nos ipſi Chriſtiani de nouo homine induendo ſeriò cogitemus. Sed quid me iſta perſequi ſigillatim neceſſe eſt, quæ ex Ariſtotele, Plinio, Æliano, aliiſque ſcriptoribus colligi poſſunt?

Cap. xxxii.

De variis Volatilium generibus in vniuerſum.

D. QVot igitur ſunt Volatilium genera?

P. Varia, ſed breuiter (vt quanta ſit etiam in hoc opere Dei Opt. Max. ſapiētia, bonitas, & potentia cognoſcatur, atque à nobis prædicetur) ea duntaxat recenſebo, non autem explicabo: etſi & ex Leuit. 11. & Deut. 14. pleraque intelligi poſſunt.

D. Enumera verò.

P. Aues ex varia conſideratione diuidi poſſunt. C Aues quidem, vt nonnulli exiſtimant, appellantur, quod auia. i. incerta itinera in aëre ſectentur. Eſt enim incerta, & inueſtigabilis via nauis, via auis, & via Iuuenis, quemadmodum ait Sapiens ille: ſeu Aues (vt Feſtus mauult) ab aduentu dicuntur, quòd inde veniant, vnde quis minimè ſuſpicetur. Volucres à volando nominantur. Pluribus enim nominibus appellantur, vt apparet Ezech. 39. v. 4. & ſunt quædam pennatorum genera, quæ tenuiter admodum volant. Volatus à vola dicitur, quæ in Auibus eſt pars media alarum, ait Iſidorus; cuius motu pennæ agitātur: vti vola dicitur in aliis animātibus pars media pedis, aut manus. Alæ ſunt in quibus pennæ per ordinem fixæ volandi vſum præbent. Aues autem omnino frequentes eſſe in vna AEgypto faciiè colligi poteſt ex Oſ. 11. v. 11. vt hoc obiter dicam. Auium igitur hæc ſit prima cōſideratio, nempe ex alarum varia forma. Aliæ ſunt Aliſidæ, vt Aquilæ: aliæ Alicutes, quas δερμόπτερα vocant, vt Veſpertiliones: aliæ πτιλωταὶ, quæ non volant propriè: aliæ κολεόπτερα, quòd vaginâ tectas alas habeant. Secunda Auium conſideratio fit ex victu, ex quo diſtinguuntur à Baſilio ſic, vt Auium

A aliæ ſint Carniuoræ: aliæ ſeminilegæ: aliæ diſcriminatim quolibet victu alantur. Ex veſtitu autem aliæ ſunt varij coloris(vt Pſittacus)quæ etiam cæteris Auibus ſunt mirabiles,vt docet Hier. 12. v. 9. Aliæ vnius tantùm coloris, vt coruus. Ex congregandi modo aliæ ſunt gregabiles,vt columbæ:aliæ non,vt Aues rapaces: aliæ item Αὐτόνομοι ſine rege, & duce aliquo in ſuo cœtu viuentes: aliæ ducem habent, vt Grues, Apes. Ex habitatione quoque diuiduntur Aues ſic,vt aliæ noctu vagētur,vt Noctua, Nycticorax:aliæ interdiu: aliæ ſint certæ regionis incolæ per totum annum: aliæ vagæ,& peregrinātes,vt Grues,Ciconiæ,Turdi:alię cum hominibus habitent: aliæ eum horreant, vt Noctua. Ex moribus,aliæ ſunt feræ:aliæ manſuetę:aliæ ſeruant tanquam legem coniugij, vt Cornix, Turtur: aliæ non, quæ promiſcuo cum quolibet mare ſui generis coitu vtuntur. Aliæ partus obliuiſcuntur, vt Corui:aliæ eum curant diligenter,vt Paſſer,quę ſæpe cernitur ad pullos ſuos ore ferens eſcam, qua ſe fraudauerit ipſam,vt eſt apud interpretem Plutarch. Aliæ denique ſunt vocales:aliæ præterea B etiam canorę:aliæ φιλόκαλοι,vt Gallus:aliæ doloſæ,vt Perdix. Hæ ſunt igitur variæ Auium conſiderationes,quæ ad Dei ſummi, & earum opificis gloriam à Patribus Eccleſiaſticis afferuntur: ſed adiūgam, vt argumentum adhuc maius piis omnibus ad Deum laudādum ſuggeram, alias quoque Auium diuiſiones ex doctorū ſcriptorū libris deſumptas.

Auium igitur aliæ in ſolo aëre, & ex ſolo aere viuunt,vt Manucodiata. Hirundo non in ſolo aëre eſt,ſed in ſolo viuit. Aliæ in ſola aqua viuunt, vt in terra Braſilia,Anſeres marini:in Oceano Sur Chinam verſus,Aues,item, quæ Apodes dicuntur:alię in ſola terra viuunt,vt Struthiocamelus:alię in terra,& aqua, vt Ardea: aliæ in Aere,& terra, vt Veſpertiliones, qui & in aere culices venantur, & in terra ſuillas pernas populantur: aliæ in tribus elementis vitā, ſed nō victum habent, vt Cygnus. Sic igitur quidā Aues partiuntur. At nōnulli alij plura earum genera recenſent. Itaque aliam quoque diuiſionem & ipſi afferunt. Conſtituunt enim ferè ſeptem earum ordines, quorum quidem continet

Primꝰ Aues maximas,qualis eſt Struthiocamelus, C Aquila,Hyphęetus,Accipiter maior,& minor, Tinniculus,Milluus,Buteo, Falco, Æſalon ſeu Eſmerillus,Vultur,Bubo,Vlula,Noctua.

Secundus orbo habet Aues medias, qualis eſt Grus,Coruus,Cornix vulgaris,& Aquatica,Graculus,Pica,Turdus, Vpupa,Merula, Cuculus, Picus Martius viridis,Oriolus,Pſittacus.

Tertius ordo habet Aues mediis minores.i.minimas,qualis eſt Oſſifraga,Paſſer,Carduelis,Linaria, Fringilla, Citrinella, Parus maior, Luſcinia, Regulus, Hirundo, Cypſelus. Sed iidem quoque tres ordines reperiūtur in pulueratricibus Auibus, quales ſunt (quāquam ferè videntur pulueratrices omnes eſſe gallinacei generis) Gallus, Pauo, Colūba,Vrogallus maior,ſeu Phaſianus minor,Trochilus terreſtris,Otis,Alauda vulgaris,& Criſtata, & Galerita,Attagen,Perdix Græca,quæ & Coturnix,Perdix minor,Palumbus maior, & torquatus, Turtur,Ortygometra,Coturnix, dicta Qualea.

Quartus ordo continet Aues Palmipedes, quæ in Aquis natant. Atque hæ ferę ſunt Anatum, & Mergorum genera, qualis Anſer ferus, Anſer domeſticus,Anas Indica, & vulgaris (ſunt autem Anatū A plura genera,velut Anas torquata,quę Maior eſt,& Minor,Anas quadrupes,Anas Platycynchos, Anas media Pelops dicta,Anas Muſcaria) Querquedula,Pica Marina,Cygnus,Anſeres Marini Stoici,& equi dicti à Scotis,Coruus aquaticus ſeu Mergus maior,& Phalacrocorax,Mergus Anſeri ſimilis magnitudine,Anſer arborū,qui in ſalicibus moratur,Mergus & caſtaneus,& albus, Vrinatrix maior, Fulica,Pelecanus,Palea,Onocrotalus.

Quintus ordo continet palmipedes, quæ circa Aquas volitant,qualis Larus maior,& minor,Gauia cinericia,Merops,qui & hirundo Marina, Merops Apiaſter,Plumbinus.

Sextus ordo habet aues non palmipedes, circa aquas tamen volitantes,qualis hirūdo riparia, Capella,cuius ſpecies Patra,& Vannellus.

Septimus ordo complectitur Aues circumeuntes Aquas, non autem circa eas volitantes, fidipedes,non palmipedes, quæ ferè ſunt gallinagines, qualis Trochilus aquaticus,Phæopus varij generis à colore oculorum dictus,Polyopus,Glottis,Rhodopus,Ochiopus,Melampus,Ruſticula,vel perdix ruſtica, Numenius, ſeu Arquata maior, Totamis, C Ardea,quæ vel pulla eſt, vel cinerea, vel alba, vel ſtellaris, vel fuſca:Ciconia vulgaris, & Nigra,Merula aquatica,Motacilla,quæ eſt vel Aquatica, vel alba,vel flaua,Charadrius.

Atque hæc ferè ſunt varia illa Auium genera, quæ à doctis viris obſeruata ſunt: ex quibus tā variis, & multiplicibus,tam differentibus, ac diſcrepantibus inter ſe victu,colore, habitatione, quàm ſit infinita Dei Opt. Max. omnipotentia, ſapientia, & bonitas certè quidem omnes pij, & eruditi viri facilè animaduertunt.

D. Verè tu quidem miram quoque mihi in hoc etiam rerum genere Dei maieſtatem & gloriam oſtendiſti:tamen vt & hæc quoque amplior ſit,quædam Auium genera à ſacra Scriptura commemorata expone.

CAP. XXXIII.

De Aquila & Accipitre. B

P. CVpio,& quidem breuiter,& carptim,quæ magis digna cognitione Chriſtiani hominis videbuntur.

D. Aggredere igitur.

P. Aquila primùm occurrit, quæ magna Auis dicitur Ezech.17.3. Quem enim inter quadrupedes gradum Leo obtinet: quem inter Piſces Delphinus,eundem inter Aues Aquila. Eius ſunt varia genera. Maxima tamen Auium vel Pennatorum eſt Struthiocamelus Ægyptiaca, quæ hominis equo inſidentis magnitudinem excedit: cuiuſque ſunt oua talantariâ grandine maiora. Aquila nidulatur altiſsimo in loco Iob.39.v.30.31.nempe in ſaxis,& petris Abd.v.4. Quum autem duos pullos excluſit ſæuiſsima eſt in ſobolem,ait Baſilius. Vnum enim ex his expellit è nido,alis eum verberans, diffidentia victus:alterum tantùm retinet. Alij autem id fieri ab ea volunt ſummo erga prolem (quæ verè ſua eſt)affectu. Sed & probat fœtus ſuos obuertens illis ora ad Solem. Nam qui oculis directis Solem non aſpexerint,aut necat tanquam oſsifragæ,& non ſuum fœtum,aut extrudit. Videt acutiſsimè,& longiſsimè Aquila Iob.39.v.32.33. Eſt i-

A tem auis perniciſsima, Thren.4.v.19. & vt eſt Iſa.40.v.30. volat altiſsimè. Denique in ſenectute renouatur, vt eſt ſcriptum Pſ.103.v.5. quoniam Aquila non deficit ſenio, aut ægritudine, vt aliæ aues: ſed ſemper etiam in extrema ſenecta vegeta eſt. Tamen cùm ſuperius roſtrum ita accreſcat, vt aduncitas aperiri non poſsit, fame tandem perit, quia etſi ad tempus ſolo potu viuit, tandem tamen ne bibere quidem poteſt.

Accipiter plumas nouas ſumpturus it verſus Auſtrum propter æſtum, vt eſt Iob.39.verſ.29.

CAP. XXXIIII.

De Bubone, Ciconia, Columba, Coruo.

BVbo eſt nocturna, & inauſpicata Auis & ſolitaria Pſam.102.verſ.7. Iſa.13. & 34. onuſta plumis.

Ciconia eſt piiſsima: alit enim parentes ſenio cōfectos, quos in viridaria, & prata propriis alis deuehit, vt illic paſcantur: deinde paſtos in nidum reuehit. Eſt igitur nobis pietatis exemplum Ciconia: vnde νόμοι πελαργικοὶ dicti, & ἀντιπελαργεῖν pro B beneficium rependere ſumitur. Tempora ſua nouit, vt eſt Hier.8.verſ.7. Nam mirâ ſolertiâ omnes ſtato tempore, vt Grues, propter frigus auolant, & reuolant æſtate, præeuntibus & δορυφόροις, vt loquitur Baſilius, Cornicibus, cum quibus eſt illis ius quoddam hoſpitalitatis, & συμμαχίας aduerſus ſerpentes imprimis, etſi quo è loco veniant, & quò ſe recipiant Ciconię incompertum adhuc eſt mortalib⁹. Habitat Ciconia in ſyluis, & nidulatur in proceris abietibus, vt eſt Pſ.104.v.17.

Columba auis eſt innocens, & ſimplex, & quæ felle caret, vt ſcribit Auguſt. tract.6. in Euang. Iohannis. Itaque illi ſimiles eſſe iubemur à Chriſto Matth.10. verſ. 16. Perpetuò gemit propter ſolicitudinem de fœtu, quem ſingulis penè mēſibus recētem excludit, vel oua ponit. Eſt autem illius gemitus placidiſsimus, non autem tanquam animalis obmurmurantis. Iſ. 38. verſu 14. Eſt timida Pſ. C 55. verſu 7. Columbæ in ſignum amicitiæ oſcula inter ſe iungunt. Oſculo enim concipiunt: nec Morticinio, nec prædâ viuunt, vt Corui. Alta petunt, & prærupta tecta, ſed Candida Cant. 2. verſ. 14. Tutò oua deponunt, & latentes pariunt. Hier. 48. verſ. 28. Videntur autem Columbæ optimæ in Aſſyria naſci Oſ.11.v.11.

Coruus ferum Animal, & crudele in natos. Pullos enim deſerit. Pſ.147.v.9. quia recens nati albeſcunt, idcircoque à patribus, & matribus è nido eiiciuntur, vt ſuppoſiti fœtus, donec iidem nigreſcāt. Interim tamen illi eiecti paſcuntur muſcis genitis ex ipſorum ſtercore. In quo mira Dei prouidentia prorſus apparet, Iob.39.v.3. Siti tamē maximè torquentur, antequam ficus coquantur, ſcilicet Autumno per ſexagenos dies.

CAP. XXXV.

De Dracone volante, Pelecano, Sirutbione, Turture, Vulture.

DRaco fera auis, & ex ſerpentum genere, vento paſcitur Hier.14.v.6.

Pauo alis exultat, & illâ coloris, & plumarum varietate, quæ in cauda tanquam oculi quidam fictitij elucet Iob.39.v.16. In Syria multi ſunt Pauones Ezech. 27. v. 15. A

Pelecanus, & Paſſer ſolitariæ Aues. Paſſer laſciuus, ſed homini familiaris Auis. Pelecanus in deſertis viuēs, & qui vita, ſeu ſanguine ſuo effuſo pullorum ſuorum cæcitati mederi dicitur Pſ.102. v.7. In Ægypto frequentem Pelecanum eſſe quidam ſcribunt. Inſignis Chriſti pro nobis morientis, & morte ſua nos redimentis typus.

Struthio eſt & pennis, & plumis donata à Deo Iob.39.v.16. propter molem corporis, & tamen omnibus hiſce adiumētis vix ſe poteſt è terra ſubleuare. Nec enim in ſublime fertur. In deſertis habitat Iſ.43.v.20. ferrum propter bonitatem ſtomachi & vorat, & digerit. Crudelitatis tamē, & ἀστοργίας in ſuum fœtum notatur, Threno. 4. verſ. 3. Nam cùm multa oua pariat, eorum partem in terra deſerit, & reliquis incubat, quę ſentit fœcunda: ex infœcūdis autem ouis ſuis paſtum præbet pullis ſuis.

Turturem cernere eſt, ait Bernardus Sermo.59. in Cantica, tempore viduitatis ſingularem vbique, vbique gementem, nec vnquam in viridi ramo ſedentem. B

Vultur hominis, & exercitus totius internecionem odoratur (Nam mortem, & cadauer hominum ſequitur) & eò congregatur, vbi acies ſunt cōflicturæ. Vide Iſ.34.verſ.15.

Quid cæteras Aues perſequar? quid Philomelæ auiculę ſuauitatem: Phœnicis miraculoſam inſtaurationem, quæ noſtræ reſurrectionis typus eſt: Hirundinis: Gruis: aut aliarum huiuſmodi ſolertiam, & exempla pulcherrima, quæ ex variis authoribus, imprimiſque ex lib. Plutarch. qui Gryllus appellatur, peti poſſunt? Itaque hæc quinta Dies iam hoc loco finienda eſt.

CAP. XXXVI.

De Inauſpicatis Auibus, veluti, Siim, Ochim, Striges, &c.

D. IMmò verò quædam duo præter ſuperiora omnia, addas obſecro.

P. Ecquę illa?

D. Primùm, vt de inauſpicatis illis Auibus, de quibus facta eſt mentio in Scriptura, dicas aliquid. C Deinde de inſectis Animalibus, quoniam & hoc Animantium genus volucribus eſt affine: continet enim Apes, & Locuſtas, quæ vel volant, vel volandi quandam ſimilitudinem habent.

P. Cupio equidem, quia poſtulas, quantùm tamen potero, ne tibi morem non geſtum eſſe cōqueraris.

D. Priori verò loco age de infauſtis illis auibus, quarum non modò Iſaias meminit ſæpius, veluti cap.13.v.21.22.14.v.23.34.v.11.12.13.14. Sed etiam Hier.cap.50.v.39.

P. Varia recitantur earum Auium genera, aut ſi mauis, Animalium, quę Siim, & Ochim illìc appellantur, & Vlulæ, & Sriges, & Bubones. His adduntur Dæmones, quos alii tamen Lamias, Satyros, & Faunos interpretantur, de quibus ſic in vita Pauli Eremitæ Hierony. *Conſpicit hominem equo mixtum, cui opinio Poëtarum Hippocentauro vocabulum indidit. Verum hæc vtrum diabolus ad terrendum eum ſimulauerit, an (vt aſſolet) eremus monſtruoſorum animalium ferax iſtam quoque gignat beſtiam,* A *incertum habemus*.& poſtea. *Nec mora inter ſaxoſum conuallem haud grandem homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus aſperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes deſinebat. Quo cognito gradum preſſit Antonius, & quiſnam eſſet interrogans: hoc ab eo reſponſum accepit. Mortalis ego ſum, & vnus ex accolis Eremi, quos vario deluſa errore gentilitas, Faunos, Satyróſque & Incubos vocans colit. Legatione fungor gregis mei: precamur vt pro nobis communem Deum depreceris*, &c. Hæc non ſunt eiuſdem generis omnia. Siim enim, & Ochim ab habitatione & effectu generaliter vocantur omnia ſiue Auium, ſiue terrenorum Animalium (meo quidem iudicio) genera, quæ in locis ſiccis, id eſt, deſertis, & incultis, omníque humano veſtigio carẽtibus habitãt. Propterea igitur hominibus ipſis iſta Animalia terrorem incutiunt, quum cernuntur, nobíſque occurrunt, vel cùm inſueta eorum vox auditur. Nec enim quicquam fauſtum, aut fœlix portendere cenſetur iſte inſolitarum, & ab omni hominum conſortio remotarum beſtiarum aſpectus, occurſus, vel etiam vox, quæ non tam vox eſt, quàm vlulatus, gemitus, planctus, & feralis quidam triſtíſque ſonus. Vnde iſta Animalia à vocibus, quas effingunt, & Vlulæ, & Bubones, & Striges appellantur. Deinde noctu B tantùm incedunt, quæ res maiorem quoque horrorem mortalibus incutit. Denique non tantùm deſerta incolunt, & loca deſolata: ſed & ruinoſa, & dira, atque abominata, & quæ aliquo Dei iudicio inſignia ſunt, ac execranda hominibus. Sed quia earum beſtiarum funebrium, & tam triſtium genera nobis in Auibus, quàm in terrenis Animalib⁹ notiora ſunt: idcircò Siim, & Ochim tantum ex Auium genere eſſe plerique ferè omnes putant: quanquam ex Rabinis quidam etiam quadrupedes faciunt. Has tamen & ſylueſtres, & feras, & nocturnas eſſe beſtias omnes certè conſentiunt. Quãquam verò ſtulta eſt ethnicorum hominum opinio, qui ex iſtarum Auium, & Animalium occurſu, vel ſono, quæ fauſta, infauſtáque ſibi vel priuatim, vel publicè euentura eſſent, augurabantur: eſt tamen inſolens, horribilis, & non ſine quadam ſignificatione iræ Dei iſtarum belluarum habitatio: præſertim in iis locis, in quibus olim miranda hominum palatia videbantur. Cæterùm quæ adduntur C de Dæmonibus, & Satyris, Faunis, & Lamiis cum iſtis Siim & Ochim coniunctim in iiſdem locis verſantibus, pertinet ad aſtucias Diaboli, qui abutitur iſtis Auibus, quæ hominibus ſunt formidoloſæ propter inaſſuetudinem: itémque locis deſertis ad terrendos homines, ſibíque ſubiiciendos, quos (Deo id iuſtè ſic fieri decernente) Satan iſtis occaſionibus faſcinat, & eludit, quia ſunt infideles, miniméque ad auxilium Dei recurrentes. Hæc laruarum & lamiarum eſt natura, inquit Hierony. in procemio quæſtionum Hebraicarum, vt terreãt paruulos, & in angulis garriant tenebroſis.

D. Primum poſtulatum meũ impleuiſti: exple ſecundum, vt poſtea totum hunc locum, & argumentum quintæ diei concludas.

CAP. XXXVII.

De inſectis Animalibus, cur ſic dicta, & de eorum natura.

P. ILlud erat (ſi bene memini) de eo Animalium genere, quæ vocantur à Latinis Inſecta: ἔντομα à Græcis. A

D. Rectè meminiſti, de quibus aliquid dicas obſecro.

P. Sũt hæc Animalia Inſecta nominata, quòd inciſuris quibuſdam, alia binis, alia ternis, alia pluribus diſtinctum corpus habeant: maximè verò in qua parte Cor illis iacet. Nam per eas Cor refrigerant: nimirum membrana (quæ in ea corporis parte illis ineſt tenuiſſima) externè priùs refrigerata. Galenus tamen ſentit etiam inſecta ſpiritum, & aerem in corpus ducere, & reſpirare, vti cætera quoque Animalia, haberéque ad eam rem, etſi exigua, tamen omnia idonea neceſſaria ac interna inſtrumenta, veluti Pulmones, Arteriam, &c. quanquam nos ea diſtinguere oculis nequeamus. Id quod etiã Hierony. in Oſe. 13. v. 3. contra Plinium lib. 11. cap. 3. verum eſſe affirmat. In quo certè infinita eſt vis ſummi illius Dei earũ opificis, qui in tantillo corpore (ſunt enim inſecta immenſæ ſubtilitatis) tot illa, & tam multa ponere, & diſtinguere membra potuerit. Sed quis Dei ſapientiam, & potentiã ſatis vnquã pro dignitate admirari, aut commemorare poſsit? Nuſquam ſanè magis tota natura eſt, B quàm in minimis, nuſquam ſpectatius, quàm in inſectis naturæ artificium eſt. Ergo non tantùm illa viuunt vt Arbores: ſed & ſpirant, vt Animalia, & Cor refrigerant: etſi inteſtinum implicatum, & quidem duntaxat vnum multa ex illis habere videntur. Sine ſanguine autem hæc genera omnia ſunt. Corpus habent arenti ſimile, vt Aranea: ſed tamen neruo mollius. Viuaciſsima ſunt. Nam ſuffocata facilè reuiuiſcunt inſecta, ſi cineribus inuoluantur. Ratio enim vitalis in illis non inhæret certis quibuſdam membris, vt in aliis Animalibus: ſed in totius corporis calore ineſt. Hyemem omnia infeſtam ſentiunt ob tenuitatem corporis. Itaque ſeſe tunc locis tectis abdunt, vt Apes, & Cicadæ: aut in calidis viuunt, vt Grilli, qui dicuntur. Externas verò corporis partes manifeſtas, & diſtinctas habent, Caput: Ventrem: atque etiam plurima eorum genera etiam alas habent. In nullo Animalium genere plures ſunt pedes. In capite os habẽt, & dentes, & proboſcidem, quaſi linguam, id eſt, C quiddam eminens, vt aculeum, quo cibos guſtant, & herbas depaſcunt, vt Muſcæ, & Locuſtę. Habent etiam oculos, & Senſus exteriores omnes, odoratum, guſtum, auditum, viſum, & tactum. Inter os & ventrem eſt quiddam ſeptum intermedium, vbi illa refrigerantur. Alas quaſdam tenui, & fragili membranâ conſtantes habent, eas tamen ſine caule, vt Cicadæ: quædam pẽnis compoſitas, vt Apes. Generatio verò Inſectorum fit pro diſtinctione generum. Quædam enim ex ſola putredine & ſordibus naſcuntur, vt Tineæ, Culices, Pulices, Pedunculi, Cimices, Erucæ. Quædam etiam ex ſemine & coitu Animalium ſui generis, vt Cicadæ Locuſtæ, quæ oua condenſa in terra pariunt demiſſo ſpinæ caule. Nam quod de Apibus quidam ſcribunt eas ex ſemine aut coitu prolem ſubſtituere, apertiſsimè à P. Vergilio Marone omnis Philoſophiæ peritiſsimo poëta his verſibus refutatur,

> *Illum adeò placuiſſe Apibus mirabere morem,*
> *Quòd nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes*
> *In Venerem ſoluunt, aut fœtus nixibus edunt:*

A *Verùm ipſæ foliis natos,& ſuauibus herbis*
'Ore legunt.

Etſi verò in quibuſdam eorum generibus ſexus diſtingui non poteſt : in quibuſdam tamen poteſt, vt in Muſcis, quarum vna initur , altera init : vt in Cicadis,in quo genere fœmina muta eſt, & ex more honeſtarum matronarum ſilentium ſibi conuenire exiſtimat. In coitu diutiſsimè commorantur: ſtatim tamen pariunt , vt Cicendella poſtridie. Quędam etiam nidos faciunt in ſublimi,vt Veſpę: Crabrones in cauernis,ac ſubterraneis locis.

D. Mira quidem tu mihi de iſto animalculorum genere narras.

P. Imò audi Auguſtinum ipſum ſic lib. 3. de Geneſ.ad literam cap.14.loquentem.*Ineſt*,ait,*in omnibus his natura ſua decus,ſic vt in his maior ſit admiratio bene conſiderantis , & laus vberior omnipotentis Dei artificis. Maiori attentione ſtupemus agilitatem muſcæ volantis,quàm magnitudinem iumenti gradientis.*Et quod idem Auguſtinus ait,inſectorum Animalium genus non tam pertinere ad numerum B habitatorum , quàm ad implementum habitationis, non facit vt ille exiſtimauerit eſſe fruſtrà à Deo creatum hoc Animalium genus:aut ab alio,quàm à Deo , à quo eodem & cætera producta ſunt productum : ſed exiguam tantùm corporis molem, quæ in his Animalibus cernitur, deſignare voluit Auguſtinus.

CAP. XXXVIII.

Animalia inſecta cur condita ſunt.

D. CVr verò condita ſunt,& hęc Inſecta,id eſt, tam parua Animalia?

P. Ad maiorem,atque illuſtriorem Dei ipſius opificis gloriam,cùm ipſius omnipotentia,& ſapientia in his præſtantior appareat,quàm in aliis maioribus Animalib'. Nam valde mirum eſt,cùm hæc ſint tam exigua Animalcula,tamen tot membra habere potuiſſe,& tam diſtincta, & tot ſenſus: tot denique functiones poſſe obire,vt nihil ſit penè hoc rerum genere admirabilius. Exemplo ſunt Apes,quarum induſtriam ne ſummi quidem ingenij viri ſatis vnquam imitari poſſunt,item nec Po- C litiam , & manſuetudinem , quum & Regnum , & Regem(qui eſt ſine aculeo)inter ſe habeant, vti & Veſpæ quædam. Exemplo ſunt quoque Araneæ, quarum in texendo ſolertia tãta eſt, vt idem facere homines ipſos docuerint:Exemplo Formicę,quarum eſt tanta ſagacitas, & prudẽtia, vt pigri homines, & inertes à viro ſapientiſſimo Solomone ad eas remittantur:Prouerb. 6.v.6.30. v. 35. Ergo hic primus eſt eorum finis , Dei nimirum gloria. Secũdus,hominis vtilitas,quem & ſuo exemplo multa docent,ſi modò diligenter attendat: & ſuo artificio, & labore iuuant. Ab ijs mel habemus, ab iiſdem ceram,nempe ab Apibus : iiſdem etiam tanquam cibis totæ gentes victitarunt olim , & nunc quoque viuunt atque aluntur ; vt locuſtis. Denique quid dicam quanta hominum multitudo ex iis vermiculis, qui Sericum pariunt,& Bombyces dicuntur, & victum, & quæſtum hodie ſibi comparet?In Italia præſertim.Denique per hęc ipſa Animalcula Dominus grauiſſima ſua iudicia in homines , ac totas gentes etiam potentiſſimas ſæpenumero exercet.Id quod Plinius(quanquam prophanus ſcriptor)tamen lib.11.Nat.Hiſt.cap. 29. verum A eſſe agnoſcit,veluti per Muſcas,Locuſtas,& pedũculos gentem potẽtiſſimam,nempe Ægyptios debellauit. Exo. 8. & cap.10. Pſ.105.verſ.30. Ioel.1. v. 4. quicquid Hierony. à Rabinis fortaſſe deceptus, in eo loco allegorias quærat. Per Bruchos , Erucas,Locuſtas grauiſſimè populum ſuum puniuit idem Dominus.

D. Primum,& poſtremum finem,quem dicis facilè intelligo:medium verò nõ item,nempe quibuſdam inſectis homines veſci.

CAP. XXXIX.

Cicadis & locuſtis quoſdam victitaſſe probatur.

P. CErtè fruſtrà dubitas. Quid enim notius eſt,quã Cicadas, & Locuſtas Parthis fuiſſe in cibo,& quidem grato , quanuis opibus,& cibis aliis Parthi abundarent,quemadmodũ Plin.lib.11.Natu.hiſt.cap.26.& 29.teſtatur. Sed & B Ælianus lib.16.hiſt.Animal.cap.35.ita ſcribit. *Ad Acridophagos deſerta regionis confinia incolentes,maxima macie,ac nigrore infuſcatos homines verno tempore Zephyrus, & Lybicus venti ex deſerto maximam Locuſtarum vim conferunt. Locuſtæ ab iis ingenti fumo ſuffocatæ ad terram tanta copia decidunt , vt omni illi nationi in ſuauem victum ſufficiant. Eas enim ſale conditas ad veſcendum ſeruant.* Sed negarine poteſt, quin deſertis verbis inter genera ciborum locuſtas ipſas recenſeat Moſes.Leuit.11.ver.22.& quod de Ioanne Baptiſta manifeſtè ſcriptum extat in Euangelio,cum locuſtas & mel agreſtre pro quotidiano alimento comeſſe Mat.3.v.4?

D. At quidam illum Scripturæ locum aliter explicãt,& ἀκρίδας, interpretantur eſſe ἄκρα δένδρων, id eſt, ſummitates ſurculorum, aut ramorum , qui apparent in arboribus. Sic enim Nicephorus Calliſtus exponit,& alij plerique.

P. Nempe quod Locuſtas , & Cicadas hominibus pro alimento eſſe poſſe illi aut ignorarent, aut non crederent. Quid autem hoc plus mirũ eſt, C aut à naturæ humanæ ratione alienum , quàm homines & ſerpentibus innoxiè veſci , & perpetuis piſcibus?Id quod in America Inſula plerique populi toti faciunt , & notum eſt quid de populis Ichthyophagis omnes autores ſcribant. Quid? quod pullos equinos quidam populi in Alpibus in cibis delicatiſsimis habuerunt,vt apparet ex Conciliis Eccleſiaſticis , & nunc quoque id cernimus. Sed illas Locuſtas,& Cicadas, quas pro cibis fuiſſe ſcriptum legimus, nõ tam tenues, & exſuccas eſſe crediderim,quàm ſunt noſtræ. Itaque eas eſſe alimento vtiles.facilè mihi perſuadeo , cum Hieronymo in Epiſtola ad Marcellam de Breſilla.

CAP. XL.

De varijs Inſectorum Animalium generibus.

D. EStne verò vnum tantùm Inſectorũ genus?

P. Minimè. Illa enim diuiduntur primùm à forma. Nã Inſectorum alia pẽnata ſunt,vt Apes:Veſpæ:alia vaginulâ quadam pennas incluſas habent, vt Cantharis , Scarabeus : alia pedibus

A multis ſunt prædita: vt Formicæ, Centipedes. Quę autem plures pedes habent, diutius viuunt, vt Scolopendra. Deinde diſtinguuntur à pelle. Alia enim ſunt molliora, vt Eruca, Bruchus: alia ſunt duriora, & cruſtacea, vt Locuſtæ: aut teſtacea, vt Limax, qui intra teſtam ſuam tandem deficit, & exhauſto humore conſumitur, Pſ.58.v.9. Tertia eorum diuiſio ſumitur à ratione victus: Alia enim inſecta ſolo rore & humore viuunt, vt Apes, Cicadæ: alia venatu, Aranei: alia herbis, vt Locuſta, quæ idcirco ab Hebræis dicitur ארבה Arbah, à multitudine, & ילק Ieleg à lingendo, quia herbas lingant paſcendo. Alia fructibus, vt Bombyces, Erucæ, Bruchi, Formicæ: alia quouis cibo, vt Muſcæ. Denique etiã ex moribus ſuis diſcernuntur. Alia enim ſunt induſtria, & artem aliquam exercent, vt Apes, Formicæ: alia ſunt inertia, vt Fuci, & Veſpæ: alia canora, vt in vrbibus Grylli: in agris Locuſtæ. Deniq; nullus eſſet dicendi, diuidendíque finis.

D. Certè hoc Animalium genus abs te Phyſicen Chriſtianam tradente prætermiſſum eſſe minimè oportuit, in quo tam locuples, tam copioſum, B tam lucidum gloriæ Dei Opt. Max. teſtimonium, atque argumentum elucet.

P. Neque etiam me aliò properantem tamen abs te fuiſſe interpellatum moleſtè fero. Quid igitur in huius quintæ diei diſputatione iam reſtat, quod ſcire deſideres?

D. Nihil puto.

P. Quid igitur? ceſſamúſne?

TRACTATVS SEXTI,

ſiue Diei Sextæ.

De Animalibus Terrenis.

CAP. I.

Ratio Ordinis.

D. EST tibi iam ad diei Sextæ, & vltimæ C explicationem accedendum.

P. Cupio, vt tandem tota hæc tractatio plena ſit, ac concluſa.

D. Ingredere igitur eum locum.

P. Primùm verba ipſa Moſis ſunt pro more noſtro, atque pro totius futuræ explicationis fundamento recitanda, quemadmodum extant cap.1. Geneſeos v.24.& ſeq.

D. Recita igitur.

P. Ita habent: *Dixit item Deus, Producat Terra animam viuentem ſecũdum ſpeciem ſuam, Iumenta, Reptilia, atque Beſtias Terra, ſecundum, ſpeciem ſuã fuítque ita. Fecit ergo Deus beſtias Terra ſecundum ſpeciem ſuam, & Iumenta ſecundum ſpeciem ſuam, atque omnia Reptilia Terra ſecundum ſpeciem ſuam, vidítque Deus quòd eſſet bonum.* Hactenus Moſes. Nam quæ ſequuntur non addam etſi ad ſextæ huius diei opificium pertinent.

D. Cur non verò?

P. Quia de Hominis creatione agũt, qui cùm duplici naturâ cõſtet, nimirum Corpore terreno, & Anima ſpirituali, ac immortali: quæ de humano corpore tradi poſſunt, ea tum Ph. Melanchthon in A lib. de Anima copioſè deſcripſit: tum etiam Galenus in lib. de Vſu Partium corporis humani, & alij Medici Anatomici hodie tractãt, quorum propria eſt iſta diſputatio. Quæ autem ad humanæ Animæ (quę & ἐνυπόστατον quiddam eſt, ac οὐσία ſpiritualis, & immortalis, non tantùm temperamentũ corporis) naturam, explicationémque pertinent, illa certè quidem à Theologis: non autem hîc à nobis ſimpliciter Phyſicen ſcribẽtibus, tradi oportet. Itaque ſupereſt ad plenam iuſtámque Chriſtianę Phyſices tractationem, vt de terreſtribus tantùm animalibus aliquid eo modo, quo de cæteris iam egimus, breuiter dicamus.

CAP. II.

Terrena Animalia cur poſtrema creata.

D. DIc igitur primùm, Cur terrena Animalia poſtrema omnium ſunt creata?

P. Quoniam ſunt ſuperioribus Animalium generibus perfectiora. Nam habẽt & mẽbra plura, eáque ipſa magis diſtincta, quàm Aues, & Piſces: & plures, vegetioréſque Animæ functiones, & quæ etiam iſta generant ſunt omnino perfectiora. Denique cùm homo omnium Animantium ſit perfectiſſimus, ad humani corporis naturam proximè accedunt Terrena Animalia: imprimis autem quadrupeda viuipara. Ex quo fit, vt hoc Animalium genus, nempe Terrenum à Moſe appelletur *Anima viuens*: ſuperiora autem duntaxat *Reptile, aut Volatile Animæ viuentis*, quaſi Animæ vis robuſtior, certior, viuidior, perfectiórque in iſtis, quam in illis ſuperioribus animalibus inſit, & quaſi ſuperiora animãtium genera ſint potiùs corpora quædam habentia aliquid Animæ, quàm habentia totam ipſam Animam, id eſt, totas Animæ vires, quas tamen hæc Terrena habent. Vnde & memoria magis pollent terrena animantia, quàm vel Aquatilia, & Volatilia: itémque vi imaginatiuâ, motu, vegetante facultate, & cæteris huiuſmodi Animæ actionibus nobiliſſimis. C Itaque omnium operum Dei (quæ quidem ſunt in hoc Mũdo) perfectiſſima, atque præſtantiſſima cõtinet huius diei exegeſis, & explicatio, quemadmodum ait cum Baſilio Ambroſius.

CAP. III.

Terrena Animalia vnde producta.

D. EX eadémne igitur Terra hæc Animalia producta ſunt, ex qua & Plantæ?

P. Certè, quanquam tamen vim diuerſam à Plantis & diſſimilem ſunt ſortita. Nam vt Dominus oſtenderet ſe infinita ſua potentiã ex quolibet quodlibet potuiſſe educere (non quidem quo ſenſu dixit, ſenſitque Anaxagoras) ex eâdem Terra diuerſa rerum genera inter ſe tota naturæ ratione diſcrepantia produxit, Plantas nimirum ſenſu carẽtes, & imperfectiſſimo vitæ genere præditas: ac Animalia hæc Terrena αἰσθητικὰ, id eſt, ſenſum, perfectiſſimámque, præter vnum hominem, vitæ rationem adepta.

A

CAP. IIII.

Anima Animalium Terrenorum & Brutorum vnde producta ſit.

D. EStne verò Anima illa Animalium ſentiens producta è Terra, cum Animâ ſentiente Terra ipſa careat?

P. Minimè quidem ex Terra Anima illa ſentiens effuſa eſt, aut educta, quaſi iam exiſtens illic lateret: ſed materiam ipſam corporum terrenis Animalibus Terra præbuit, quæ variè, ſummóque æquilibrio per calorem infuſum à Deo temperata eſt: Ex quo materiæ, ſeu corporum calido temperamento illa Anima ſentiens, & ciens, ſeu mouens totum corpus poſtea nata eſt, & conſecuta. Ergo huiuſmodi temperamento prorſus extincto, perit quoque prorſus iſtorum Animalium Anima. Neque enim immortalis eſt: neque diuerſi generis ab humoribus, quibus illa conſtant: ſed omnis ὁμοειδὴς & B ſpecie vna eſt, quemadmodum loquitur Baſilius. Neque tamen aſſentior Empedocli, qui exiſtimat procreationes Animalium, neutiquam primùm omnibus ſuis partibus abſolutas extitiſſe. Quæ enim Animalia Dei iuſſu è Terra primùm producta ſunt, & omnibus ſuis partibus abſoluta, & reipſa perfecta extiterũt: non potentiâ ſed actu.

D. Cur igitur ante hominem hæc cõdita ſunt, cùm ijs omnibus præſtantior ſit homo?

P. Quoniã & hæc ipſa imperfectiora ſunt homine in ipſo Animalium genere: & omnia ſunt hominis Mancipia, & δοῦλα. Itaque priùs creata ſunt. Hominem enim Deus in hunc Mundum tanquàm in paratiſsimum, rebúſque omnibus, & neceſſariis, & decoris abundantiſsimum domicilium introduxit: ac demum exiſtere iuſsit, poſtquam omnia illa producta eſſent, vt Dominum ſuum & vehementer expectarent, & expectatum libẽter exciperẽt, quum adueniret, illíſque à Deo demonſtraretur.

CAP. V.

Terrena Animalia cur creata ſint.

C D. ECquis verò horum Animalium creandorum finis fuit?

P. Idem, qui & ſuperiorum Animaliũ: nempe triplex, primus quidem, Dei ipſius gloria. Nam ex his infinita illius potentia facilimè demonſtratur, qui tam perfecta, & omnibus numeris abſoluta cõdere potuerit: & πολυποίκιλος Sapientia, qui tam diuerſa, & diſsimilia in his ipſis genera produxerit: & Bonitas, qui ſingulis eorum generibus cibum, & locum & cætera neceſſaria ſuppeditauerit. Vnde & ad Deum opificem ſuum laudandum hæc Animalia inuitantur, vti & cætera Pſ.148. hic eſt primus finis. Secundus autem, hominis ipſius vtilitas, ac dignitas, vt haberet homo, quibus & ad commoditatem, & ad cibum vteretur, & quibus etiam imperaret. Geneſ.1.& 8. & Pſalm. 8. Tertius denique eorundem creandorum finis eſt, vt hoc quoque elementum, nempe terra, ſuos quaſi peculiares ciues haberet: neque eſſet expanſio cœli quæ Terræ contigua eſt, inanis prorſus & vacua, atque prorſus incolis ſuis priuata, quos & expanſio altior, & cœlum ipſum ſuperius erat à Deo iam ſortitum.

CAP. VI.

Terrena Animalia variis nominibus appellantur.

A

D. ISta intelligo. Explica igitur horum Animalium, quæ Terrena dicuntur, naturam, idque generaliter, ac breuiter.

P. Cupio. Primùm omnium nomen ipſum varium eſt, quo iſtud rerum genus appellatur, בהמה Behemah ab Hebræis dicitur, ſiue à ſtrepitu quem edit reſpirando, aut in cœtu: ſiue à multitudine, ſiue à corporis vaſtitate. Sunt enim eæ beſtiæ Behemoth quæ ſunt vaſto corpore. A Græcis θηρία dicuntur, quæ feræ à Latinis, & quæ ſunt immanſuetæ, vt Tigris ὑποζύγια verò, quæ veterina, & Iumenta ab iiſdem Latinis nominantur, quòd homines iuuent: vel generaliter ζῶα quòd Animam illam viuentem, quam hic appellat Moſes ὑπερέχων, & cæteris animantibus excellentiorem habeant. A Latinis verò variis vocabulis hoc animaliũ genus deſignatur. Nam generaliter & Pecudes, & Pecora nominantur, & Beſtiæ, & Belluæ. Pecus dicitur, ait quidam, omne quod humana lingua, & effigie caret. Quæ ſi vera eſſet ſententia, certè neque Pſittaci, B neque Simiæ pecudum numero continerentur, quum illi linguam, iſtæ effigiem humanam habeant. Ergo verius eſt quod ait Nonius Marcellus, Pecus appellari, nõ ſolùm quadrupes Animal, verum omnia Animalia ratione carentia, adeò quidem, vt ex vſu Latinæ linguæ etiam Piſces Squamigerum pecus dicatur. Eſt autem hæc tam generalis vocis iſtius, *Pecus*, ſignificatio à propria, & primæua *huius vocabuli* ſignificatione per ὁμοίωσιν deducta, cùm Pecus nõ omne Brutorum Animantium genus primùm ſit dictum, ſed illa ſolum Animalia, quæ vel paſtores ad paſtum agebant, vt ſentit M. Terentius Varro (Nam ab eo quòd paſcebant pecora vniuerſa denominata fuiſſe ſcribit) vel quæ tondebantur, quia lanam, vel pilos variis hominũ commoditatibus vtiles gerunt, vt ſentit Ioſephus Scaliger. A Græco enim ποκάδες dictæ ſunt pecudes Latinè, nempe quæ πόκον, id eſt, vellus haberẽt. Sed generaliter ad omne brutorum Animalium genus poſtea Pecoris vocabulum extenſum eſt. Pecora igitur ſeu Pecudes dici voluit Iſidorus ex Augu- C ſtino, omnia Animantia terrena, quæ homini vel ad veſcendum data ſunt vti oues, capræ, ſues: vel ad alios eius vſus ſunt commoda, velut equi, cameli, muli, quę Pecorum nomine vocantur vulgò. Pecus enim à paſcendo generaliter dictum eſſe volũt: & quidam Pecudes quaſi pecuedes ab eo quòd à nobis edantur denominatas exiſtimãt. Maiorum Animalium genera, vt Boum, Ceruorum, Taurorum cœtus armenta nominantur. Greges autem ſunt Minorum Animantium terrenorum homini cõmodorũ, quales ſunt oues, capræ &c. Eorũ enim collecta multitudo grex appellatur. Nã & oues in ſacrificiis Hebræi צאן Tſon pro minore Pecude: & שור Schor Bouẽ pro maiore accipiũt, vti apud Latinos Taurus maxima hoſtia: ouis minima vocabatur. Belluã à bello dictã putat Sext⁹ Põpeius, quòd bellũ ſit more belluarũ pernicioſa diſſenſio. Beſtię verò dicuntur, quòd bruta ſint. Quanquã Auguſt. li.3. de Geneſi ad literam cap. 11. cenſet Beſtias appellari ea terrenorum Animalium genera dũtaxat, quæ non ſunt homini in cibũ conceſſa. Hæc nimirum tam varia eſt vnius rerum generis appellatio; & appellationis cauſa, ſiue Etymologia.

A

CAP. VII.

De Terrenorum Animalium natura in genere, & de eorum generatione.

D. HActenus de nomine, dic iam de re.

P. Omnium in vniuerſum Animalium, imprimis autem terrenorũ forma eſt huiuſmodi, vt rectè obſeruarunt Baſilius, ac Ambroſius, vt caput, atque oculi eorum, ſenſúſque omnes (qui ſunt in capite collocati) verſus humum deiiciantur. Eſt enim abiectum hoc rerum genus ad paſtum. ventrem enim aſpicit, cuius voluptatem ſequitur: & Terram ſpectat, ex qua deſumptum eſt. At Deus, qui hominem ad ſui imaginem creabat, & ad ſe vnum & contemplandum, & laudandum architectabatur,

Os homini ſublime dedit, cœlúmque videre
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Mira tamẽ Dei Opt. Max. virtus in Brutis, & Terrenis Animantibus, atque etiam imperueſtigabilis Prouidentia, & Sapientia apparet. primùm quòd B eſt ἀμήχανος in iſto rerũ genere φυσικὴ στοργὴ τῶν τέκνων καὶ γονέων πρὸς ἀλλήλους. i. naturalis ille, & mutuus parentum erga fœtus ſuos affectus eſt ſyncerus, & non ſimulatus, qui tamen ab hominibus, (quæ eorum vanitas, & hypocriſis eſt aſcititia per peccatũ) ſæpe ſimulatur, cùm ſit nullus. Deinde quòd arma ſibi innata geſtat quodque iſtorum Animaliũ genus, quibus vel ſe defendit, vt Lepori data eſt leuitas, & Ceruis velocitas: vel alium ſe aggredientem offendit, & lædit, vt Dentes Vrſo, Cornua Tauro ſunt à Deo tributa, vngues Leoni. Sunt autẽ Cornua, vti & vngues, & excremẽtoſi humores, & viſcoſi, qui calore decocti primùm intus indurueruñt, & poſtea frigore foris denſati ſunt, in pedibus quidem, vt vngues: in capite verò, & fronte, vt Cornua, quæ & ipſa fronti adhærẽt firmiter, vt in Tauro: vel ſũt decidua, vt in Ceruis. Pręterea quòd nullum membrum, etſi habent propè infinita, inutile aut ſuperfluum iſtis Animalibus dedit Deus. Imò cuique pro victus genere valde cõmoda, & neceſſaria omnia. Nam quę paſcunt herbas, habent colla longiora, vt Cameli: quæ præda viuunt, habent vngues robuſtiſſimos, & collum breuius. Quę non C bene mandunt, vel quòd altero, id eſt, ſuperiori dentium ordine careant: vel quòd vorent auidiùs, Deus iis thecas cibi, duplicẽmque ſtomachum tribuit. Itaque ruminant, id eſt, cibum iam manſum, & in vnum ſtomachi ſinum iam delapſum per guttur reuocãt, & iterum mandunt, transmittũntque ad alterum ſinum ſtomachi meliùs attritum, & præparatum ad digeſtionem, ſalubriorẽmque ſanguinem efficiendum. Quod guttur quia Rumen à veteribus Latinis appellabatur, idcirco Ruminare factum eſt. Quod à belluis ad homines tranſlatum ſeriam, & diuturnam de re aliqua meditationem ſignificat. Quædam enim Animalia etiam quaternos ventris ſinus habent, vt quidam annotauere. Denique in eo quoque mira fuit Dei prouidentia, quòd ex terrenis animantibus, ea, quæ vorant, & edunt alias beſtias, ſunt ὀλιγοτόκα. i. infœcundiora, vt Leo. Nam vnum tantùm parit vno partu Lęęna. Quæ verò ab aliis deuorantur, & manduntur ſunt πολυγονώτερα, & fœcũdiora, vti Oues, & Caprę agreſtes, quæ ſemper gemellos edunt, ne eorum genus nimirũ deficeret. Quanquã tamẽ Lupa plures vno A partu edit. & tamen Ouis domeſtica vnum tantùm agnum vno partu: quanquam ouibus iſtis, & agnis Lupi, & Homines ipſi veſcuntur, nihilominus earum genus mirâ Dei prouidentiâ non deficit. Habent autem omnia terrena Animalia ſanguinem, itẽmque partes ſimilares nimirum Carnem, oſſa, Cartilaginem, neruos, & alios quidem ad exquiſitum ſenſum: alios autem ad fugam tãtùm, & auerſionem triſtantium illis à Deo datos, quales ſunt multi in ventriculo. Habent & diſſimilares partes, ac membra exteriora, quę omnes videmus, Caput, os, & oris rictum humano maiorem, aures, nares, dentes, pleraque ſerratos, quales feræ: & linguam habent quoque: ſed eam duriorem, habent collũ, pectus, dorſum, pedes, quorum duo priores vice brachiorum ſunt illis dati: poſteriores pro pedibus. His autem pedibus ſpina dorſi iacens, & tranſuerſa impoſita eſt: quæ eadem eſt erecta in homine immittens ſe, aut deſinens in os ſacrum. Vnde cætera animalia in terram prona ſpectant: homo verò in cœlum erectus eſt. Pedum vngulam quædã bifidam, & diuiſam habent, vt Bos, & Sus, quæ fir- B miùs inſiſtunt, & gradiuntur: quædam non habẽt diuiſam, vt Cuniculi, Lepores, Leuit. 11. qui minus altè imprimunt ſua veſtigia, ſúntque fugaciores. Habent enim planam vngulam pedum & Solipeda appellantur. Quædam in quinque digitos diuiſos habent pedes, vt Feles, Simiæ. Veſtiũtur autem aut corio nudo, & velut raſo: aut pilis, aut villis, qui ſũt longiores, & magis hirſuti, quàm pili: aut ſetis, quę ſunt pili duriores, ac ſicciores: aut lanâ, qui ſunt pili, & meliores, & pinguiores. Quædam Animalia & στέαρ habent. i. Seuum: & πιμελὴν. i. Adipẽ, ſeu pinguedinem. στέαρ eſt humor firmior, & ſolidior inter carnem, & oſſa, quem habent omnia quadrupeda non cornuta. Pinguedinem autem ſeu πιμελὴν quæ habent, eam inter cutem, & carnem. Illa autem eſt fluidior humor, & magis aquoſus. Itaque pinguedo omnis tolli facilè poteſt, & velut excremẽtum aquoſum facilè corrumpitur, iubebatúrque in omnibus ſacrificiis detrahi de victima, & adoleri Deo: at non item ſeuum ipſum Leuit. 3. Generatio C verò eorum coitu maris, & fœminæ fit: mare fœminam ſubeunte ferè in poſteriori corporis parte (auerſantibus nimirum id oculis) & quia in ea parte corporis vterque habet organa ſemen emittentia collocata. Mas tempore coitus ferocit: fœmina poſt partum. Itaque quod Piſcibus, & Volatilibus dictum eſt, *Creſcite, & multiplicamini*, & his quoque dictum cenſeri debet, quoniam creſcunt: & non fruſtra Dominus in terrenorum Animaliũ genere Marem à fœmina diſtinxit. Quanquam in Leporibus tam marem, quàm fœminam parere traditum eſt. Et quædam Animalia, velut Mures, ex putredine naſci eſt certiſſimum ſine coitu maris, & fœminæ. De quibus omnibus idcircò breuiùs tracto, quòd præclara ſunt Ariſtotelis varia opuſcula de Generatione Animalium, de Partibus Animalium, de hiſtoria Animalium, quæ ſunt ab hominibus iſtarum rerum ſtudioſis diligenter euoluenda, & perlegenda.

CAP. VIII.

De variis Terrenorum Animalium generibus

D. EStne verò vnum tãtùm Terrenorum Animalium genus?

P. Minimè cèrtè, ſed multiplex, prout diuer ſo

A ſo modo ea conſideramus. Ac primùm quidē Terrena animantia partitur hîc Moſes in Iumenta, Reptilia, & Beſtias agri: Iumenta ſunt, quæ homini commoditatem afferunt. Itaque ab eo tractari poſſunt, velut Boues, Equi, Oues, Canes ipſi. Beſtiæ ſunt feræ, quæ procul ab hominum conſortio fugiunt, vt Leones, Tigres, Vrſi. Itaque in ſolitudine. i. ſyluis, deſertis, & agris habitare dicuntur Pſ. 104. v. 20. 21. 22. 23. Reptilia denique ſunt ſerpentes terreni, de quorum natura iam diximus, cùm ſimiles ſint volantibus, & in aqua degentibus ſerpentibus. Alibi S. Scriptura alio modo Terrena Animalia diuidit. Quædam. n. Vnguifida vocat, quædam non. Quædam Ruminantia, quædam nō Leu. 11. & Deu. 14. Terrenorum igitur Animalium conſideratio eſt multiplex, proptereáque varia diuiſio. Nam formarum ſingularum differentiæ petuntur vel à partibus diuerſis: vel à ratione victus: vel ab actionibus: vel à tempore vitæ: vel ab aliis accidētibus, vti à colore, motu, & loco. Veluti Animalium terrenorum quædam ſunt cornuta, vt Tauri, Cerui, Hirci: quædam ſunt mutila, vt Canes, Equi, Leones. In ipſis etiam cornutis quædam ſunt ramoſiora, B vt Cerui: quædam bina tantum habent cornua, vt Tauri: quædam vnum tantùm, vt Monoceros, & Aſinorum Scythicorum quædam ſpecies. Vt verò locupletiꝰ Dei in hoc etiam Animalium genere laudandi argumentum cuiuis Chriſtiano ſuppeditem, varia Terrenorum Animalium genera breuiter recenſebo, quemadmodum ea docti ſcriptores diſtinxerunt. Ac primùm, ex ratione victus eorum. Alia & in terra degunt, & è terra viuunt, vt Buffones: alia ſunt quidem in terra, de terra tamen non viuunt, vt quæ frugibus veſcuntur. Alia etiam ex aqua viuunt, vt Lutrę, quę & in Terra, & in aqua viuunt. Quædam Piſcium ſunt auidiſſima, aquæ tamen contactum perhorreſcunt, vt Feles. Alia ex aere viuunt, vt Chamæleon, qui colores omnes præter candidum induit. Secundùm diuidūtur quadrupeda, terrenáque animalia, quòd eorum quædam ſunt ὠοτόκα. i. ouipara, vt Chamæleon, Teſtudo, Lacertarum genera, & Ranarū terreſtrium. Quędam autem ſunt ζωοτόκα. i. viuum animal parientia. Tertiùm diſtinguuntur ex variis C ipſorum formis. In qua diſtributione ſex ordines diuerſos conſtituunt.

Primus ordo continet Manſueta Animalia quadrupeda, quæ vel greges, vel armenta conſtituunt, & quę Ruminant, ſúntque cornuta, qualis Taurus, Bos, Vacca, Bubalus, Ouis maxima in Hirtha inſula polari, & in Arabia πλατύκερος. i. quæ caudam latam habet: Hirculus, Capra Vulgaris: item Mambrina à monte Mambre prope Hebron ciuitatem dicta, & quæ in Ægypto in regione Damiata fert equitantem, ſellam, & frenum, aures habens oblongas, & pendulas.

Secundus ordo complectitur ex Manſuetis terrenis Animalibus, quæ ſunt Iumenta, atque ſolipeda, non biſulca, non item Cornuta, qualis eſt Equus, Aſinus, Mulus, Camelus, tam Bactriana, quæ dorſum in medio concauum habet, vt ſellam ſeſſori præbeat: quàm Arabica, quæ gibbum habet elatum in medio dorſi, & dicitur Dromodaria: itē Sus, vel Scropha: Canis, cuius multæ ſunt ſpecies, nempe Canis Scoticus paruus, & vt plurimum ruſticus nigris aſperſus maculis: Canis Britannicus ſagax: item & Moloſſus, qui & Dogus appellatur: Canis venaticus: Canis Auiarius, ſeu AquaticꝰA, qui Anates in Aqua capit, & venatur propenſione naturali, & qui natura Barbatus eſt, & piloſus: Canis Campeſtris, qui Accipitrem ſequitur: Canis Getulus curtꝰ, & toto corpore hiſpidus: & Canis Meliteus: item Felis, & felium diuerſa genera.

Tertius ordo capit feras terreſtres Cornutas, qualis eſt Vrus à Lithuanis Thur dictus: Biſon à Biſtonia Thracia dictus, à Polonis Tuber: Bonaſus, Bubalus, qui boue minor eſt, & in Africa viſitur, Ibex, Capricornus cornibus, vt Capra, repandis, & in dorſum reflexis, quæ eadem maculis, & orbiculis diſtincta ſunt. Capra fera, ſeu Rupicapra, *Chamois* Gallis, Dama, Strephiceros, ſeu Ouis Cretica, Tragelaphus, Muſmon vel Muflo, qui eſt Hircus ſylueſtris, Pygargus, qui eſt Capræ genus, Colon in Sarmatia noſtrati oui ſimilis, habet cornua parua, & acuta: Camelopardalis, Allocamelus: Ceruus ſiue qui maximus eſt, & Spatina dicitur: ſiue qui Palmatus, quia cornua habet in fine latiora, & diffuſa in limbo. Capreolus, ſeu Dorcas, ſeu Hinnulus. Alce, Hippelaphus, id eſt, Equiceruus, Tarandus, ſeu Ceruus Scythicus Ramifer dictus, quia tres ordines cornuum gerit, Rhinoceros, Elephas, B Monoceros.

Quartus ordo complectitur feras non cornutas maiores, qualis eſt Vrſus, Leo, Tigris, Leopardus, vel Pardalis, ſeu Panthera maior dicta: Panthera minor Onzia dicta: Genetha genus Pantheræ ex Hiſpania: Catus Zibelinus, qui maculis interpunctus eſt, gignit ciuetam, Cyphi dictam. Eſt autem odoratus humor in genitaliū pelle adhærēs: Lynx, ſeu Lupus Ceruinus, Hyæna, Lupus, Gulolupus, tum marinus, tum Scythicus: Aper: Caſtor, vel Fiber, Lutra, Hyſtrix, ſeu portans ſpicas: Melus, ſeu Taxus: Vulpes, Simia, Cynocephalus, Cercopithecus: Martes, ſeu Foina: Puterius: Muſtella: Viuerra, Furo dictus, Ichneumō, qui & Mus Ægyptius: Tatus, qui eſt Mus ex orbe nouo ab Indico mure differens, & Lepus.

Quintus ordo continet Feras non cornutas mediæ magnitudinis, qualis eſt Cuniculus vulgaris, & Indicus Echinus: Mus Alpinus, Glis: Sciurus vulgaris, & Africanus, Sorex alius ſyluaticus, alius domeſticus, Talpa. C

Sextus ordo comprehendit reliquas feras non cornutas, id eſt, eas, quæ ferè ſunt Murium ſpecies, & quæ vel arbores ſcandunt, vel non, qualis eſt, Chamæleon, Teſtudo, Lacerta, Salamandra, Stellio: Buffo: Rana rubeta: Ranunculus. Atque hæ ferè ſunt tot, & tam multiplices Terreſtrium Animalium ſpecies.

CAP. IX.

Terrena Animalia vt in Arca Noæ eſſe potuerunt.

D. Mirum certè Dei Opt. Max. opificium mihi narras. Quomodo verò tā varia Terreſtrium Animalium genera in vna illa Arca, quæ à Noach fabricata fuit Dei iuſſu, cum Inundatio orbis inſtaret, contineri potuerunt? vt dicitur Geneſ. c. 7.

P. Quoniam quemadmodum Buteo docet in libello de ea re nominatim ſcripto fuit ampliſſima illa Arca ſeu Nauigium, ac in varias ſellas Dei iuſſu diſtinctum. Præterea quòd hæc tam diuerſa Animalium genera ferè ad

A triginta duntaxat reuocari poſſunt, adeò vt facilè fuerit in tam ſpatioſo domicilio, ac primo illius tabulato ea collocare.

CAP. X.

De quibuſdam Animalib. peculiariter, vt de Apro, Cane, Ceruo.

D. HActenus iſta. Paucas verò iſtorum Animalium terreſtrium ſpecies ex ſacra Scriptura perſequere.

P. Aper ſylueſtris vitem edit, vt dicitur Pſ. 80.v.14.

Canis apud Hebræos tanquam fœdum, turpe Animal nominatur, & minimi eſt pretij: quáquam tamen propter eius cum homine familiaritatem, & beneuolentiam erga dominos, proptérque multum vſum, quem in venatu præſtat: & induſtriam, qua pollet variè commendatur à rerum naturalium ſcriptoribus.

Ceruus, & Caprea pariunt ſuos fœtus difficillimè, ac ægerrimè Iob.39.v.5.6. Ceruæ tamen fœtus ſtatim atque in lucem æditus eſt, herbam depaſcit. B Hierem. 14. v. 5. Eſt autem timidiſſimum Animal Ceruus Pſ.29. v. 9. quod ſitibundum aquas etiam cum clamore, & barritu inueſtigat diligentiſſimè, & pertinaciſſimè, Pſ. 42.v.1. Eſt enim Animal ſicciſſimum, & Melancholia abundans. Ex omnibus Animalibus Brutis, Ceruus moriturus, lachrymas fundit. Cerua videt acutiſſimè: Ceruus ſerpentum inimicus ac debellator eſt.

CAP. XI.

De Elephante, Equo, Leone, Lupo.

ELephas inter quadrupeda Animalia eſt maximum: itaque cùm ſit inſtar multorum Animalium, Behemoth ab Hebræis appellatum eſſe quidam autumant, & dici caput operum Dei. Iob.40.verſ. 10. Alij de Crocodilo eum Iobi locũ intelligi malunt, quorum ſentẽtiæ ipſe potiùs ſub- C ſcripſerim. Eſt autem Elephas animal & ſapientiſſimum, & mitiſſimum, cuius vox Barritus dicitur. Huic cum Draconibus perpetua ſimultas, & dimicatio eſt, quòd illius ſanguis cùm ſit frigidiſſimus à ſerpentibus, præſertim Draconibus appetitur, vt illius hauſtu ſeſe refrigerent. Itaque Elephantem illi ex inſidiis aggrediuntur, quos ipſe vel proboſcide vorat, vel pede conterit. 300. annos viuere autor eſt Baſilius, quia eſt fortiter compactum ipſius temperamentum.

Equus, & eius natura pulcherrimè deſcripta eſt Iob.39.v.19.& ſeq. Eſt forte Animal ac robuſtum, impauidum, militare, velox, docile, placidiſſimum: ac hominis, imprimis autem Domini ſui manu, & conſuetudine gaudẽs, eiúſque affectus penè intelligens. Cuius varias ſpecies & differentias annotauit Iſidorus lib. 12. Etymolog. poſt Plinium lib. 8. cap.42.& Ælianum lib.4.hiſtor. Animalium.

Leonis quoque natura deſcripta eſt Iob. 39. v. 1. Animal eſt ſuperbum & ferum, Pſa.104.v.21. quod velut terreſtrium Animalium Rex videtur eſſe, quanquam & ſtrepitu rotarum, & Galli gallinacei cantu terretur. Prædã viuit, éſtque & robuſtius cæteris Animãtibus, excepto Tauro, & ab aliis A- A nimalibus timetur. Et tamen tam ferox Animal ex omnibus feris clementiſſimum eſt in ſupplices, proſtratis parcit: & vbi ſæuit, in viros potius quàm in fœminas ſæuit: in infantes non niſi magna fame. In Africa, & frequens eſt, ſed & in Samaria quoque Syriæ, vt teſtis eſt hiſtoria ſacra. lib. 2.Reg. cap. 17. v.25. Vnde Hebræi, qui eam regionem incolebant, habent varia Leonum nomina, & plura, quàm reliquæ gentes pro variis Leonum ætatibus. Hier.51.verſ.38. Cur vocãt catulum Leonis: Caphir Leonem iuuenculum, qui maior eſt catulo, quod ſe adhuc occultet in antro: *Arih* grandiorem, & prouectiorem iam Leonem à capienda præda, & diſcerpenda. Rugitus eius ſonorus atque etiam horrendus, & irarum plenus. Oſ. 11. v.9.10. Am.3.

Lupus, & Leopardus feræ beſtiæ, & voraces: maximè autem veſpertinus Lupus Habacuc 1. v. 8. Hier.5.ver.6.

CAP. XII.

De Mulo, Onagro, Vulpe. B

MVlorum, & Mularum vſus fuit in Iudæa vti adhuc eſt in Syria, frequentiſſimus, quò vecturæ, & equitationis genere etiam principes ipſi vtebãtur, vti apparet ex 2.Reg.13. quoniam id Animalium genus facillimè, & numeroſiſſimè illis in locis naſcitur, atque alitur: Mulas enim ſteriles alibi gentium quàm in Iudæa eſſe ſcribunt: ſed in Iudæa fœcũdas eſſe tradit Polydorus Verg. lib.3. de Monſtris, & Prodigiis, vti in Cappadocia Theophraſtus. Illius igitur ſterilitatis cauſam non eſſe, vt vult Plinius lib.8.cap.44. quòd è duobus diuerſis generibus nata nunquam gignant (Gignitur autem Mula ex Equo, & Aſina) ſed quia in aliis regionibus frigidior ſit earum natura, quàm vt cõcipere, aut ſemen retinere poſſit. Alij tamẽ, vt Plutarchus huius rei cauſam eſſe vult anguſtias vuluæ earum, quæ tam arcta ſit, vt ſemen maris excipere non poſſit.

Onager eſt Aſinus ſylueſtris, de quo ſæpius meminit Scriptura, ſed imprimis Hiſt.2.verſ.24. C 14.verſ.6. Iob.14. & 39. In deſertis habitat, & ferus admodum eſt, herbis paſcitur: &, ſi defecerit, vento. Itaque velociſſimum Animal eſt. Fœminæ maritos quoquò duxerint, ſequuntur. Vxorum multitudine gaudent, fœminis parientibus aſſident. Si mas editus fuerit, illius teſticulos conatur abſcindere ob Zelotypiam ſummam, qua laborat etiam aduerſus fœtum. Certo tantùm anni menſe inuenitur, etſi in Phrygia, & Lycaonia, & Africa habitat.

Vulpes dicitur quaſi volipes, quòd ſit velox, Vineas maximè lædit Vulpes. Racemos enim depaſcit, imprimis parua adhuc Cant.2. verſ.15. Animal aſtutum, & doloſum. Nam dum non habet eſcam fingit ſe mortuum: ad quam velut cadauer deſcendentes volucres ab eadem capiuntur. Cauda venatur veſpas: venatur & Lepores, quos longo curſu defatigatos tandem capit. Glaciem tranſituræ aure ad glaciem appoſita craſſitudinem gelu, & itineris ſecuritatem coniectant. Atque hæc quidem hactenus.

A

CAP. XIII.

Epilogus totius huius operis.

D. QVid igitur reſtat?

P. Hoc vnum, nempe, vt Deum illum Opt. Max. harum rerum omnium ſapientiſsimum ac potentiſsimum opificem, atque adeò nunc quoque gubernatorem perpetuis laudibus celebremus, admiremur, veneremur, colamus: ſed ex ipſius verbo, ex quo vno vera illius cultus ratio, & adoratio intelligi poteſt, atque ſalutis noſtræ, quæ per vnum D.N. Ieſum Chriſtum parta & promiſſa nobis eſt via, diſci. Ergo exclamemus cum illo vero Dei vate Dauide Pſa.8. *Iehouah Domine noſter, quàm magnum & admirabile eſt nomen tuum per vniuerſam terram. Iehouah Domine noſter, quàm magnum, & admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. Laudate Deum de cœlis! laudate eum in excelſis*: adde totum Pſalm.148. *Denique omnis ſpiritus laudet Dominum.* Atque hîc iam ſit noſtræ de rebus naturalibus diſputationis finis.

Ex Pſal.8.

O Deus ô Mundi ſolus qui flectis habenas,
Vt tua ſe virtus partes diffundit in omnes!

L. D.

B

DE VENEFICIS, QVOS OLIM *SORTILEGOS*, NVNC AVTEM VVLGO *SORTIARIOS* VOCANT,

DIALOGVS:

IN QVO QVAE DE HOC ARGVMENTO QVAERI SOlent breuiter & commode explicantur.

Tractatus propter varias & controuerſas de hac quæſtione hominum ſententias vtiliſsimus, & rerum capitalium iudicibus maximè neceſſarius.

C

LECTORI SALVTEM.

QVAE ſit & quanta huius argumenti vtilitas, ſatis ex ipſa diſputatione poſtea apparebit. Ne curioſis tamen hominum ingeniis potius quàm ſobriis, hoc datum eſſe cuiquam videatur, hoc anteſtari, Lector beneuole, & verè quidem licet, me & amicorum precibus & multorum quæſtionibus vexatum tandem hoc ſcripti genus edere voluiſſe. Nihil habet anilium fabularum, quas ſi collegiſſem, ex paruo in immenſum, & 14. librorum volumen, hic tractatus excreuiſſet. Continet igitur ea tantùm quæ certiſſimæ rerum geſtarum hiſtoriæ teſtantur, & piorum doctorúmque ſcriptorum iudicia, denique quid ex Dei verbo in tota hac controuerſia ſit ſtatuendum. Nouum etiam eſſe hoc argumētum, & ab iis qui de Dæmonum illuſionibus tractarunt, totum hunc locum integrum relictum, qui legerint, mecum fatebuntur. Interim hoc quidquid eſt ſuſcepti in tuam gratiam laboris, Lector humaniſſime, æqui boníque conſule, & in tuum commodum fruere. Vale, Datum Genabi ad Ligerim, Calend. Iull. 1574.

DE VENEFICIS, QVOS VVLGO SORTIARIOS VOCANT,

DIALOGVS.

Interlocutores.

Antonius & Theophilus.

Antonius.

MIRA ſunt,Theophile,quæ nuper quidam Lutetia Pariſiorũ redeũtes narrauere, Nimirum tribus abhinc menſibus infinitum penè veneficorum hominum numerum in Gallia deprehẽſum eſſe,de quorum crimine à ſummo ipſo Pariſienſi ſenatu iam pronuntiatum eſt, quotidiéque iudicia exercentur, prout B huius ſceleris rei ad eum ex variis prouinciis adducuntur varij.Et quod magis mirere, huiuſmodi etiam ex quolibet hominum ordine annotãtur quidam,imprimíſque nobiles,tum viri,tum fœminæ, docti etiam,& qui rerum cognitione habentur inſignes. Quid enim de vulgo hominum imperito illo & ignaro dicam? quales agricolæ,vinitores,paſtores,coloni,artifices, reliquíque eiuſdem generis,& ij etiã vel iam ſenes & adhuc iuuenes, è quibus certo certius eſt penè innumerabiles eſſe veneficos & Sortiarios.

THEO. Neque tu nihil,neque omnia dicis,Antoni,quando affirmarũt fide digni homines etiam corpore mancos & debiles,quales cæci, in eorum numero reperiri:Inter quos vnus nomine Honoratus cæteris notior capitis ſupplicio ſenatus decreto Lutetiæ affectus eſt,de quo planè incredibilia narrantur,cùm ipſe è ſodalitio xv. viginti virorum,vt vocant,id eſt, è trecẽtorum cæcorum collegio eſſet.Et ſanè quod ad me attinet,nihil neceſſe erat in eam ſententiam, de qua tamen ambigunt multi, me magis cõfirmari,nimirum eſſe quoſdam veneficos & Sortiarios. De quo ſum bene perſuaſus,ídque iampridem,& tam firmis,vt ſpero,rationibus, vt qui eas intellexerit, amplius apud ſe de C eo non ſit dubitaturus:tum deinde in eo ipſo ſum planè confirmatus,quòd variis in mundi regionibus huiuſmodi maleficos homines animaduerti. Nam qui non tantùm Galliam noſtram, ſed reliquos celebres orbis populos & partes perluſtrarunt, accuſatos & conuictos, & damnatos huius ſceleris quàm plures viderunt ipſi. Et ne percurram omnes, vna Sabaudica natio tot, tantos,támque confertos horum hominum greges habet, vt exſtirpari nullo modo poſſint, quidquid iudicum illius loci ſeueritas in puniendo, & diligentia in perquirẽdo conetur,adeò vt vel in vna ciuitatè homines pluſquam 80.numero,vnius anni ſpatio capitis pœna mulctati audiantur.

ANT. Hoc certè quod refers ſtupendum maximè eſt.

THE. Aliud addã atque etiam admirabilius,eò iam audaciæ & furoris quoſdã ex iis veniſſe, vt palàm & ingenuè profiteantur ſe,ſi quem magni nominis virũ pro duce nacti ſemel fuerint, tanto eſſe numero,támque magno, vt vel cõtra vnũ aliquem regem bellum apertè gerere audeant, de quo ſperent artis ſuæ auxilio tam facilè ſe victoriã reportaturos, quàm olim Hunni de Sigiberto Francorũ rege,magicis incãtationibus obtinuerunt,quẽadmodũ Gregorius Turonenſis epiſcopus & Frãcorum hiſtoriographus,lib.4.c.29. eueniſſe tradit.

ANT. At plerique tamen iſtas planè fabulas eſſe credunt,ſiqui venefici & Sortiarij eſſe dicantur, nec ſibi perſuadent poſſe quenquam ab iis lædi. Itaque hanc tuam ſententiam irrident, quòd nulla firma certáque ratione niti videatur.

THEO. Non ſum eius rei neſcius,Antoni,& certè memini cùm Genabi ad Ligerim agerẽ, veneficũ quendã nõ tantùm accuſatũ & deprehẽſum,ſed ab illius vrbis magiſtratibus poſt iuſtã legitimámque criminis inquiſitionẽ damnatũ, qui ad ſummũ Pariſiorũ ſenatum prouocauit.Nec ſenatus ipſe tunc accuſationem admiſit, ſed totũ hoc crimen & factum ludibrio habuit, atque tanquã vanum omiſit. B Sed tamen cùm idem ille veneficus in ſcelere perſtaret, multóſque veneno ſuſtuliſſet, tandẽ iuſſu magiſtratus Genabi vitam laqueo finiuit.

ANT. Quid igitur,Theophile, itáne ſentis,eſſe quoſdam ex eo veneficorũ genere,qui vocantur Sortiarij,poſſéque eos ipſos intoxicare ſiue homines ſiue bruta animãtia, ídque diabolica arte & eo modo & ratione quã ipſi vti ſe cõfitentur & iactãt?

THE. Certè quidẽ,Antoni,ita ſentio,neque tibi ſi iſta ficta & emẽtita crederẽ,confirmarẽ.Ac fortaſſe poſtquã quib⁹ ad eã rẽ argumẽtis impellar,audieris,ipſe pedibus in meam ſententiam iturus es.

ANT. Licétne verò iam tibi per otium iſta mihi exponere?

THE. Maximè,& vt tibi morem geram planéque ſatisfaciam, aliis quæſtionibus, ſiquæ à te moueantur,paratus ſum reſpondere.

ANT. Valde mihi in eo gratulor, quòd te tam mihi beneuolentem ſum nactus, cupióque abs te, mi Theophile,iſta audire. Hoc modò ingenij mei C tarditati cõcede,vt ne me anteuertas,ſed ad ſingula, prout à me poſtulabuntur, benignè & ordine reſpondeas.

THE. Ita faciam.

ANT. Atqui eò magis iſtam abs te de re tam neceſſaria audiendi & diſcendi occaſionem oblatam eſſe lętor,quòd hęc ſit hodie vexatiſſima quęſtio, & quæ ferè à nullo non hominum genere agitari ſolet,ſed tam variè, vt nulli penè inter ſe conſentiant, & hi hanc, illi illam ſententiam ſequuntur,ſæpéque temeritate ingenii potius, quàm iuſta aliqua ratione de ea ſtatuunt.Pręterea cùm non ſit hæc parui momenti res, verẽdum mihi videtur,ne ſi in ea errem,mihi poſtea fraudi ſit iſta quæſtionis tam vtilis ignoratio.

THE. Rectè iudicas, quando ipſe tam dubios animíque in ea re incertos quoſdam perſpexi, vt eodem die bis ſententiam mutarent, & poſt meridiem aliud omnino & diuerſum ſentirent ab eo, quod iidem ipſi mane vt verum laudabant. Quoſdam autem ita in eo pernegando pertinaces, & temere obſtinatos animaduerti,vt eos neque fide di

gni

A gni teſtes, neque ipſa rei confeſsio conſtãs crimẽ ſuum agnoſcentis & deteſtantis ab animi errore reuocaret, & induceret vt eſſe veneficos Sortiarios tandem crederent. Itaque omnino neceſſarium iudico quid in eo ſequendum ſit ſtatuere.

Ant. Ergo quid tu ſentias, aueo audire. Quanquam qui Lutetia reuerſi iſta nobis retulere addebant, Ieſuitam quendam Hiſpanum nomine Maledonatum, hominem certè, vt vides mali nominis, & ominis, tam curioſè de toto hoc argumento diſſeruiſſe, vt nauſeam moueret ſuis etiam earum rerum auidiſsimis auditoribus, propoſito publicè themate & libello per quem ſe de Dęmonibus dicturum profeſſus eſt.

Theo. Quod verò ad me, mi Antoni, primùm atteſtari licet, me nolle tecum de hac etſi vtili quęſtione agere, vt tibi ad vanas iſtas matæologias & curioſas diſputationes aditum patefaciam. Eſt enim curioſitas vani animi, ſtudij & occupationis parens & mater, & meritò ſemper à bonis dãnata, quemadmodũ Prouer.18.v.2.ſcriptum eſt, Nõ cõ B placebit ſibi ſtultus in intelligentia, niſi cùm manifeſtabitur cor eius. Sed ea tantùm gratia hoc ſum argumentũ ingreſſus, vt è multorũ animis eum errorẽ euellerẽ, ſi fieri poteſt, per quẽ vllos eſſe Sortiarios negant, vel ab iis aliquid infici & tabefieri poſſe. Itaque iſti hominum generi fauent, verẽtúrque eos, ſi quando in ipſorum manus inciderint, damnare & ſupplicio afficere, quamquã apertè malefici eſſe arguantur, probentúrque Satanica & Sortiariorũ arte & via in multa eſſe graſſati. Quãobrẽ niſi nos hoc maximè tempore moueret neceſsitas vrgerétque, ne verbum quidẽ vnum de ea re facerẽ. Oportet enim nos imitari veteres & priſtinos illos Chriſtianos, qui è ſuis cõgreſsionibus & ſcholis omne curioſæ cognitionis genus eiecerunt, libros etiã inutiles cremarunt. Id quod factũ eſſe tẽpore Pauli in minore, quæ dicitur, Aſia, Actor.19. v.19. à Luca cõmemoratur. Et ſanè, ſi verum fateri velimus, aliæ ſunt & eæ lõgè quidẽ vtiliores, quęque magis hominẽ Chriſtianũ deceant, quæſtiones, quanquã fortaſſe non tam ingenii noſtri vanitati plauſibiles & gratæ, qui & ſupra cœlos vagari, C & infra inferos perſcrutari cuncta volumus.

Ant. Video quid metuas, quámque timidè hoc ſuſcipias agendũ, ne qui iſta audierint aut legerint, poſtea vanitatis potius quàm pietatis occaſionem inde nacti videantur, aut ipſi arripiant: quales ſunt qui iſta audire geſtiunt quidẽ, non tamen vt magis ſe in Dei metu confirment, ſub potenti ipſius manu ſubiiciãt, cúmque gratiarũ actione & animi admiratione tanti támque benigni & cæleſtis Patris bonitatẽ erga genus humanum (quod aduerſus Satanæ Sortiariorúmque maximas & latentiſsimas inſidias cõſeruat) celebrent: ſed vt campum latiſsimũ ſibi oblatũ putẽt, in quo extra veras fidei metas liberè ſpatientur. Qui certè ex eorum numero eſſe & meritò cenſentur, qui ſemper quidem quærunt, nihil tamẽ addiſcunt: ſemper dubitant, nihil autem diffiniunt, 2. Timoth.3.verſ.7.

The. Verum dicis, mi Antoni. Nihil enim eſſe poteſt periculoſius atq; pernicioſius, quàm ſi ſtulto ſtultitiæ, curioſo argutiæ anſa prębeatur. Itaque in eo ipſo veniam abs te peto, Antoni, ſi ſigillatim tibi nõ expoſuero quæ ſint & quot genera diabolorum, quæ eorũ inter ſe differẽtiæ, qui ſtatus, qui colores, qui humores, deniq; quæ ipſi inter ſe cõmercia habeant, & cætera huiuſmodi nugamenta. A quæ tamen omnia ſtudioſè & diligenter perquirunt & tractant ij, qui inter doctores ſcholaſticos argutiores volũt videri. Equidem de diabolis eorúmque miniſtris Sortiariis lubenter diſputare nõ ſoleo, quos tanquã fœdiſsima mõſtra, & crudeles feras auerſor. Nec enim vllã mihi cum illis ſocietatẽ & fœdus intercedere velim, fitque ſummo Dei Opt. Max. aduerſus me beneficio, vt eatenus mihi nota ſint eorũ ſtudia, & artes, quatenus de iis verbo Dei ſacroſancto omnes edocemur. Quòd ſi vir ethnicus & portẽtoſæ religionis philoſophus Iãblichus, ſi Proclus, ſi frigidus certè quidem Chriſtianus Pſellus altiùs in iſtarũ rerũ cognitionẽ penetrarunt, & dæmonũ arcana diligentiùs perſcrutati ſunt tradiderúntque quàm ipſe coner, equidẽ non inuideo, faciléque illis huiuſmodi portentorum cognitionẽ concedo, modò mihi verã pietatis ſcientiam retineã, in eáque quotidie proficiam, quæ ſola hominibus eſt ſalutaris, per quam, vt eſt apud Ioan.17.v.3. cognoſcimus verum Deũ, & quẽ miſit Ieſum Chriſtum.

Ant. Atqui ne ipſe quidẽ, Theophile, talium rerũ cognitionẽ vllam niſi admodũ ſobriam mihi optem, nec alia vnquam mihi valde placuit: ac niſi B tẽporum ratio, & aſsiduę controuerſæq; de eo hominũ quæſtiones nos agitarent & mouerent, toto hoc argumẽto putarẽ abſtinendũ. Quid enim hoc ipſum, lubenter nimirum & cupidè iſta audire velle, aliud innuit aut præſagit quàm iam eos quodãmodo veneficos & Sortiarios fieri cupere & ſtudere? Reſponde igitur ad ea de quibus ipſe interrogabo, & quantum quidem pulcherrimi illius libri, quo verbum Dei continetur, autoritate id intelligi decidíque poteſt.

Theo. Deum imprimis precabor, vt ipſe ad id præſtandum vires ingenii ſuppetat, méque intra ſui verbi fines coerceat, ne diuager longiùs. Quid enim aliud futura eſt tota hæc diſputatio noſtra, ſi ab illo abceſſeris, quàm aniles fabulæ (quas tamen conſectantur in hoc argumento multi) & quàm vt ex Scylla in Charybdin, vt aiunt, id eſt, in meros confuſionis labyrinthos tandem incidamus? Cuius rei fidem faciunt Scholaſticorum, C Doctorum, & aliorum quorundam de hac ipſa re edita iam ſcripta. Scholaſtici enim, vel in vna hac quæſtione, vtrum diaboli miracula faciant, & noua corpora creent, quibus ad illudendum hominibus vtãtur, quàm varii & diuerſi alii ab aliis abeũt, quãdo Scotũ à Thoma Aquinate in eo diſſentientem, & ab vtroque etiã Occanũ, denique aliis alios aduerſantes legimus, qui tamẽ omnes ex vna ſchola profecti ſũt? Verùm agè, interroga ſi quid velis.

Ant. Quæro hoc primùm ex te, Quid vocabulum hoc Sortiarius ſignificet: vnde etiam deductum ſit, quando tu eoſdem Veneficos appellas.

CAP. I.

Quid vox Sortiarius notet, & vnde primùm ſumpta ſit.

THEOPHILVS.

VOx hæc, Sortiarius, proculdubio ab vſitatiore Latina, Sortilegus, deducta eſt, quam & ipſam homines Latini ad Græcorum imitationem formauere: vt enim hi χρησμολόγους

A appellãt, ita Latini Sortilegos dixere. Ac χρησμολόγοι ſũt qui per Satanica illa oracula futura prænũtiant: & Sortilegi ij qui futura diuinant ex eiuſdẽ Satanæ reuelatione & commercio, iactis nimirũ ſortibus quibuſdam, quales erant olim tali, hodie autẽ ſaccus cilicius qui conuertitur ad certorũ verborum demurmurationem. Galli ex Latino Sortilegus, linguæ ſuę morem ſequentes, & facta quadã vocabuli ipſius decurtatione, fecerunt *Sorcier*. Hebræi nihil in tota hac nominũ ratione vel cum Græcis vel cum Latinis hominibus, vel etiã cũ nobis Gallis habẽt cõmune. Quos enim Sortiarios vocamus eos appellant ipſi *Chobarim*, quòd malo & clandeſtino aſtu ad ſua ſcelera committenda vtantur. Sed dubitari non poteſt, quin vox Sortiarius à Sortilego antiquiore vocabulo ſumpta ſit. Id autem qua ratione euenerit, exponam. Primum omnium conſtat, ex plurimis cauſsis, propter quas mortales ſeſe diabolo adiunxerunt, ſéque illi obſtrinxerunt, hanc vnam & maximã & antiquiſsimam extitiſſe, nimirum vt, qua ſumus omnes animi vanitate & curioſitate nati, futura cognoſceremus, eáque etiã aliis prædiceremus. Nec enim quiſquam ſua ſorte B contentus eſt, ſed certatim omnes in Dei arcana penetrare volumus, eiúſque ſummã illam pręſcientiam cõſecuti nobis videmur, ſi quædam futura & aliis adhuc ignota ipſi præſciuerimus. Hanc vanitatẽ cùm in animis hominũ ineſſe videret omnibus ſeculis Satan, & futura prænoſſe geſtirent homines, iſtam hominum demulcẽdorũ ſibíque deuinciendorum & cõciliandorum occaſionẽ ſedulò arripuit. Itaque pollicitus eſt ſe facilè iis pręſtiturum & effecturũ quæ ipſi cuperẽt, daturúmque rerũ futurarũ cognitionem, ſi ſibi parere & audire vellent. Id quod vani, inſani, curioſique homines nequaquã renuere. Itaque tandẽ contractũ eſt inter vtroſque, Satanã dico, & iſtos diuinandi cupidos homines, arctiſsimũ fœdus & vinculũ, vt Satã futura præmonſtraret, ipſi in eius mancipio & peculio de cætero eſſent. Atque ita diuini iſti & Sortilegi exorti ſunt, qui primi omniũ mortaliũ cum Satana cõmercium habuere, amicitiámque cõtraxere. Ex quo poſtea factum eſt, vt quicunque Sata- C næ addicti eſſent, eo nomine, quod iã notũ & cõmune erat, Sortilegi dicerentur. Neque enim vlla vnquã ætas iſto diuinorũ Satanicorũ genere & peſte caruit, quando eæ artes antiquiſsimæ fuiſſe traduntur, & penè poſt mundum conditum ſatóſque à Deo homines natæ & repertæ.

ANT. Qua ratione id probas?

THE. Primùm verbi Dei apertiſsima autoritate, quæ huius generis ſcelerum inter antiquiſsima mundi crimina meminit. Quàm fuit enim vetus Magorum Ægyptiorũ ars & diuinatio Satanica, illa quidem de qua eſt in Geneſ. cap. 40. 41? Deinde vir vndecũque doctus M. Varro, & totius antiquitatis indagator diligentiſsimus, iam prima mundi ętate quatuor iſta diuinationis genera fuiſſe docet, quæ ad ſua vſque tẽpora retenta ſunt. Ex quatuor enim mundi huius elementis, per quæ res futuras prędicere homines à Satana didicerãt, quatuor diuinationis ſpecies ſunt cõſtitutę: Pyromãtia, quæ per ignẽ: Aëromantia, quæ per aerem: Hydromantia, quæ per aquã: denique Geomantia, quæ per terram & ex terra euentorũ prænotionem coniectabat. Alij autem & poſteriores quinque diuinationis genera repererũt, vel potius ipſi finxerũt. Scriptura A verò ſacra lõgè his omnibus & certior & vetuſtior plures Satanicæ prædictionis ſpecies recenſet, & octo enumerat, quamquam nec ipſa omnia illius genera complexa eſt. Ecquod enim creaturæ genus dici poteſt, quo ad eam rem homines ſuggeſtione Satanæ non ſint abuſi?

ANT. Ecquæ verò, ſunt illa octo genera, quę tu à ſacra Scriptura recenſeri ais?

THE. Nihil addo. Tot enim Deut. 18. verſ. 10. & 11. & Leui. 23. ver. 23. diſertè recitãtur & diſtinguũtur. Quæ vt tibi explicẽ, nõ ſequar equidẽ eum ordinem, quo illic enumerãtur, ſed quàm breuiſsimè quámque facillime potero illa tibi enarrabo.

ANT. Dic igitur.

THE. Primũ dãnatę diuinationis genus quod ex ſuperioribus locis colligitur, eſt eorũ qui *Coſemim* ab Hebręis, à Latinis autem Diuini appellantur. Ij ſunt qui arcana quadam & ſecreta cum Satana cõmunicatione diuinãt, qui ſunt reliquis aſtutiores longéque callidiores. Nec enim ſe detegi volũt, videntúrque potius prudenti quadam rerum coniectura, aut quodam inſtinctu Dei quàm vlla dãnata B ratione futura prædicere, quia ſuum illud, quod cũ diabolo habent, commercium ſtudioſè celãt. Vnde fit vt nõnunquam in bonam partem, atque pro prudentibus viris, vox *Coſemim*, in Scriptura ſumatur, vti apud Iſaiam cap. 3. Secundum diuinorũ genus appellatur *Aobot* ab Hebræis: à Latinis vel Gręcis potius Pythonici, nos Galli hoc genus hominũ eſſe dicimus, qui dæmonem familiarem & domeſticum habere dicuntur. Hi apertè & citra diſsimulationem cum Satana colloquuntur & cõmunicant, eóque tanquã famulo ad imperata exequẽda vtuntur. itaque cum eo conuerſantur. Vocabãtur autem *Aobot*, quòd cùm impulſu illius ſui dæmonis diuinant, tanquã ex vtre quodam obſcuram & confuſam vocem è ventre emittunt, quod Delphis ex tripode Pythoniſſa etiam faciebat, ídque fœdiſsima & horrenda prorſus ratione. Reliquæ ſex diuinationis ſpecies hoc diſcriminis cum ſuperioribus duabus habent, quòd quanquam etiã ipſæ opera & arte Satanæ fiunt, tamen in his ſex ſequẽtibus Satan ipſe per ſe neque agit neque corã colloquitur cum iis qui diuinant, (id quod in duabus illis primis fieri diximus) ſed interpoſito alterius C nomine, aut ſignis quibuſdam & mediis adhibitis, quæ ipſe tamen præcipit & demonſtrat. Tertium igitur diuinorum genus eſt eorũ, quos Latini dicunt Necromantios, qui ex mortuis opera diaboli futura præſcire deſiderant. Quod genus etſi abſurdiſsimũ iam ætate Homeri in vſu fuit, cuius ipſe meminit lib. 11. Odyſſ. Qua quidẽ in re etſi interuenit Satan, & agit hoc totum, celato tamẽ nomine alienáque perſona interpoſita id facit. Quartum genus ii ſunt qui appellantur ab Hebræis *Megonim*, (à quo fortaſſe Magi dicti videri poterãt, ſed alii ſunt quos Magos appellamus) à Latinis Aſtrologi & Mathematici. Hi futura prædicere ſe poſſe putant ex quorumdam ſignorum, locorum, & ſtellarum obſeruatione, earúmque ſitu & aſpectu, vt vocant. Quales olim Romæ Augures qui ex certis regionibus quas in aere deſcribebant, vaticinabantur: quales hodie Aſtrologi iudiciarii. Quintum genus appellant Hebræi *Menacheſim*, Latini verò Magos, qui & ipſi à diabolo diuinationem didicere ex certis figuris, characteribus, delineationibus, & certorum

etiam

etiam verborum ſuperſtitioſa demurmuratione ſuper re propoſita. Itaque artem ſuam exercent quibuſdam ſymbolis, quæ docuit præcepítque malus iſte magiſter Satan. Tales ſunt Hydromantii, & ex eo genere fuit illa diuinatio per ſcyphum, de qua Geneſ. 44. verſ. 5. facta mentio eſt. Sextum genus ſunt *Idegonim* Hebraicè: Latinè Arioli, qui bonam, vt aiunt, fortunam prædicunt. Hi ex obiectis ſibi rebus, non autem à ſe conquiſitis & effictis diuinare pollicentur. Id quod ex eadem Satanæ ſchola prodiit. Huiuſmodi ſunt hodie ſomniorū coniectores: chiromantii, qui ex manuum lineamentis quæcunque futura ſint, præſagire ſe poſſe profitentur. Tales olim fuerunt fulgurum & tonitruorum interpretes: tales quoque qui ex extis victimarum augurabantur, aut ex cantu, aut ex eſu auiū, qui & Extiſpices & Oſcines dicti ſunt. Qui omnes probabili quadam coniectura niti videntur velle, non autem vana ſuperſtitione. Septimū genus ſunt Hebræis *Mecaſephim*, Latinis Pręſtigiatores & Faſcinatores. Hi incantationibus & meris illuſionibus oculorum agunt & faſcinant homines, videntúrque ea repræſentare, quæ polli-
B centur, decipiunt tamen. Huiuſmodi fuerūt incantatores Pharaonis, qui hoc ipſo nomine etiam appellantur, Exod. 7. verſ. 11. Octauū denique & vltimum diuinorum genus eſt eorum quos Hebræi *Chobarim* vocant, Deuteronom. 18. verſ. 11. Latini Sortilegos, qui certis locis aliquando colliguntur cum Satana, & multa maleficia perpetrant. Vides igitur quàm ſit antiquum hoc totū Satanicorum diuinorum genus, & vt ab iis illi qui hodie Sortiarii vocantur, ſint & profecti & nominati.

Ant. Atqui, Theophile, longum latúmque diſcrimen eſſe videtur, ſi quis rem ad viuum reſecet, inter Sortilegi & Sortiarii notam propriámque ſignificationem. Memini enim me, cùm puer adhuc in ſcholis eſſem, à præceptore didiciſſe Sortilegos Latinè dici non qui veneno lædunt, ſed qui ſortium quarundam iactu diuinant, quales fabæ, cubi, cippi, aut verſus ex aliquo poeta inſperatò occurrentes. Id quod aliquando Septimio Seuero Romanorum Imperatori accidiſſe idem narrabat. Ille enim cùm imperium occupaturus de ſui conſilii euentu, per ſortes Vergilianas quæreret, fortè incidit in hūc verſum qui eſt Æneid. li. 6.

C *Tu regere imperio populos Romane memento.*

Quemadmodum in eius vita ſcribit Lampridius. At qui à nobis Sortiarii appellantur, ii magna ex parte nihil diuinant, ſed tantùm intoxicant & veneno necant clam, Satanicíſque artibus inſtructi. Quòd ſi etiam nonnunquam futura prænontiant, non ſortibus, quemadmodum veteres illi, id faciunt, ſed ex ſola Satanæ reuelatione.

The. Sunt illa quæ dicis, Antoni, veriſſima. Nec enim, ſi verè & rectè loqui volumus, ii quos Sortiarios dicimus, ſunt Sortilegi nominandi, ſed Satanici venefici potius & intoxicatores. Quia tamen cùm ita lædunt, ab ipſo Satana id facere didicere, & cum eo fœdus iniuere, vt & illi priores qui Sortilegi appellātur, Satanæ denique totos ſe mācipant, vt etiam illi Sortilegi: factum eſt vt à populo non ita in verbis ſcrupuloſo & religioſo Sortilegi & Sortiarii dicti ſint & qui per ſortes diuinant Satana docente, & qui homines brutáque veneno tollunt eodem Satana toxica præbente, quia vtrique ſe vni & eidem Satanæ addicunt, illiúſque
A opera vtuntur. Itaque à parte totum genus denominatum eſt, & ex vocabulo iam noto aliud deductum. Ac certè videtur hæc tota veneficorum gēs & natio, quò inter homines odio digna eſſet maiore (& meritò quidem) hoc præſertim Sortiariorum nomine appellata. Sic enim vocati ſunt, poſtea quàm Euangelium iam mundo innotuit, quo ſeculo totum Satanicæ diuinationis genus, maximè omnibus hominibus exoſū fuit, prout debuit, quemadmodū docetur 1. Sam. 15. v. 23. Præterea in hac nomenclatura, id eſt, nominis imponendi ratione, nō eſt Latinæ linguæ puritas proprietáſque ſpectādā. Sortilegi enim & Sortiarii dici & nominari tum demum cœperunt hi venefici cùm Gothi iam in Italiā irrupiſſent, & linguæ Latinæ proprietas prorſus obſoluiſſet. Itaque Itali hoc vocabulo primi in ea ſignificatione vſi eſſe perhibētur: iam barbara nec amplius Latina Italia. Id quod ex tit. De Sortilegis in Decretalibus apparet, quamquam eo videtur alicubi vſus Auguſtinus ſui temporis conſuetudinem, & notam iam inter Chriſtianos ſignificationem ſecutus. Idem denique col-
B ligi poteſt ex poſtremo cano. 33. quæſt. 1. vbi barbarè, apertè tamē iā Sortiarij dicūtur. Aliter enim nemo dubitat aliud eſſe hominē intoxicare, aliud incātare, aliud apud Græcos eſſe γοητεῖαν, aliud item φαρμακεῖαν, quanquā vtrūque arte diaboli fiat. In tota Allobrogū regione hi malefici vocātur Eryges, ſiue à voce Gręca Erynnis, quæ furorē animi, & libidinē miſerè hominis trucidādi ſignificat: vel ab hac potius, vt quidā putāt, ἴυγξ, quę aues quaſdā ferales & infauſtas apud Theocritum poetam notat.

Ant. Quibúſnam igitur nominibus veteres illi & priſci puræ Latinitatis autores hos maleficos homines appellabant?

The. Mares quidē Veneficos, fœminas autem his artibus addictas nominabāt Veneficas, Sagas, Theſſalas, Magas, Lamias, Striges. Quę appellationes omnes ex optimo Latini ſermonis autore puróque ſcriptore Horatio Flacco lib. 1. Carmi. ode 27. Epod. ode 17. lib. 1. Sermo. Saty. 8. poſſunt obſeruari. Talis ipſius ſeculo fuit Canidia quædā, de qua ipſe conqueritur. Talis Circe illa, de qua Homerus lib. 10. Odyſſ. Talis Medea, de qua Ouidius libro 7. Metamorphoſ. Talis denique illa, de qua
C Lucanus libro 6. Pharſalidos, & plures aliæ, quarum in variis hiſtoriis facta mentio eſt. Et quāuis ii, quos commemoraui, ſcriptores ſint poetæ, nihil tamen in eo, niſi ea quæ iam ſuo ſeculo & nota & vſitata videbant, finxerunt. Sed vt poetas omittā, & Cæſar libro primo Commentariorum de Bello Gallico, Germanarum virginum, & Cornel. Tacitus Annalium libro ſecundo, Martinæ cuiuſdam meminit, quæ Germanicum Cæſarem ea veneficii & intoxicandi ratione interfecit.

Ant. Intelligo, Theophile, cur & qui Sortiarii appellentur, & quo nomine propriè donandi ſint, ſi modò Latinè loqui volumus. Sed quia vulgi cōſuetudo ſequenda eſt, hos Satanicos veneficos appellemus Sortiarios, & eorum maleficium intoxicationē: & qui ab iis læduntur, dicamus intoxicatos, vt ab omnibus noſtra diſputatio intelligatur, de quibus ipſis ex te quæro, vtrum id hominū genus ante Chriſtum natum extiterit, an demū poſt paſſum Chriſtum cœperit eſſe & agnoſci.

The. Vox quidem Sortiariorum poſt Chriſtū natum reperta atque audita eſt: res autem ipſa &

A genus hoc maleficorum longè antè Chriſtum natum fuit & innotuit.Neque enim, mi Antoni,tibi perſuadeas, Chriſtum, qui venit ad opera diaboli deſtruẽda,nouam illi in homines poteſtatẽ, quam antea non haberet,adieciſſe,nouúmque hoc maleficii teterrimi genus aut antea ignotum, aut primùm ab eo in mundum inductum fuiſſe. Iſta ſine atroci in Chriſtum ipſum blaſphemia ne cogitari quidem poſſunt,nedum dici. Præterea ſiquis ita ſentiat,argumento luce ipſa meridiana clariore refutabitur. Nam & Moſes,& totum vetus Teſtamentum(quod Chriſti natiuitatem præceſsit) horum veneficorum apertiſsimè meminit, Deut. 18. Sap.12.Fuit enim Satan ſemper ſui ſimilis,& qualẽ hodie experimur,talem omnis ætas vidit & ſenſit, qui inflammauit & impulit filios infidelitatis ad priuatæ iniuriæ vindictam, fratrúmque iniuſtam cædem,quia,vt ait Ioan. 8. verſ. 44. homicida eſt ab initio.Et hæc quidem quod ad ipſam vocis Sortiarius originem & notionem.

CAP. II.

B *Vtrum ſint quidam Sortiarij, id eſt, ex hoc Satanicorum veneficorum genere.*

ANTONIVS.

AT pollicitus es,Theophile, certis robuſtiſqueque rationibus te probaturum quoſdam in mundo eſſe Sortiarios,id eſt,ex hoc veneficorum diabolicorum genere & ordine.

THEO.Ita recepi,Antoni,ſúmque, ſi ita vis, paratus iam præſtare.

ANT.Perfice promiſſum. Neque enim rem ita ſe habere poſſe ad hanc vſque diem credidi, nec dum etiam,niſi aliud euincis,credo.

THE. Enitar. Quod vt faciã,ſic dico,Tres ſunt in vniuerſum rei alicuius probandæ modi & loci præcipui,quanquam illa planè incredibilis eſſe ſtatuitur.Illi autem loci tres ſunt hi,Hominum autoritas,rerum ipſarum experiẽtia,& recto animi iudicio vtens atque innixa ratio. Qui loci omnes noC ſtram ſententiã confirmabunt, neque ex his vnus tantùm,quamquã is erat ſatis. Ac primùm autoritas.Sunt enim dilucida & perſpicua teſtimonia tũ ex ipſa ſacroſancta Scriptura,tum etiã ex aliis autoribus deprompta,quæ planè teſtificantur,extare in mundo tale veneficorum genus,quos & Satanicos & Sortiarios diximus.Reſponde,Antoni,Sanctiſsimóne Dei verbo aſſentiris?.

ANT. Abſit verò, Theophile, vt ab eo diſſentiam.

THE. Rectè facis. Nam vt docemur 2. Petr. 1. verſ.19.ſcriptura,qua illud continetur,eſt certiſsima lux & veritas, quæ etiam diuinitus eſt inſpirata quemadmodum ait Paulus 2.Timoth.3.verſ.16. quam tamen noſtri ſeculi homines Athei prorſus negligunt & repudiant.

ANT. Totus ſum, Theophile, ab iſtis alienus, Deíque ipſius gratia, illi verbo planè credo atque aſſentior.

THE. Hoc verò Dei verbum (quod certiſsimum & veriſsimum eſſe agnoſcis & confiteris) eſſe quoſdam ex iſto veneficorum & Sortiariorum Satanicorum genere iampridem confirmauit.Quæ res ſatis oſtendit eſſe quoſdam huiuſmodi maleficos.Vide in veteri Teſtamẽto Deut. cap. A 18.Vide Hier.cap.27.v.9.vbi Hieron.ita ſcribit:*Et maleficos quos vel Veneficos poſſumus appellare,vel dæmonum phantaſmatibus ſeruientes,qui Hebraice dicuntur Caſſaphim.*Lege Mich.cap.5.v.12. vbi tales venefici cõiungũtur cum diuinis & Magis. Lege Pſ. 58. verſ.8.Nahum prophetam ca.3.v.4.& ſimiles alios locos.Quòd ſi è nouo etiam Teſtamento (quæ eſt altera diuinæ Scripturæ pars)idẽ tibi demonſtrari velis,vide epiſtolam Pauli ad Galatas cap.3.v. 1. & ca.5.v.20.vbi optimi & doctiſsimi quique interpretes,tum veteres, tum etiam recentiores vno conſenſu omnes eſſe quoſdam Sortiarios colligũt, qui Satanica arte & via hominum animos,corpus,vitã denique ipſam lædant.

ANT. Locos tu quidem complures mihi congeſsiſti, quos domi per otium legam & inter ſe comparabo.

THE. Quantum ad alios. ſcriptores ſiue eccleſiaſticos,ſiue etiam profanos autores,ſiquis omnes enumerare volet,erunt infiniti,qui tamẽ eſſe quoſdam Sortiarios & probant & teſtantur. Quos hîc ſingulos commemorare nõ puto mihi neceſſe:ſed B tantùm ex iis quoſdam.

ANT. Compendio orationis ſtudendum eſt, & aliquot tantùm contentus ero.

THE. De eccleſiaſticis,in quorum numero eos ſacræ Scripturæ libros comprehẽdo,qui nominãtur Apocryphi, eſt mihi teſtis primus producẽdus liber Sapientiæ cap.12.v.4. *Quia ſortilegiis & veneficiis vtebantur*(ait de Chananæis loquens) *& ſacrificiis impiis.* Tum ſecundo loco concilium Carthaginenſe,item & Conſtatinopolitanum ſecundum, quod in Trullo fuit,artic. 61. vbi diſertè & nominatim huius generis veneficorum mẽtio facta eſt, & lethalia maleficia eorum ſcelera nominantur. Tertio loco teſtem producam Aurelium Auguſtinum,qui variis in locis, imprimis autem in ſermo.207.de Tempore,qui aduerſus huius generis homines magno cum Auguſtini ſtomacho habitus eſt,quos etiam appellat Incantatores, & quos docet arte operáque Satanæ efficere,vt alij è ſanis ægroti fiant, alii ex ægrotis ſani. Prætereà tractatu 7.in Ioan.Euãgelium,idem Auguſt. planè execratur eos,qui incantationibus,ligaturis,miríſque inimici noſtri(is autem eſt diabolus) modis ope- C rantur, nocéntque hominibus & cæteris rebus. Quarto denique loco ecce tibi Trithemius Abbas Spanhemenſis de eadem re integrum librum edidit, atque reſpondit ad eas quæſtiones quæ illi à Maximiliano Germanorũ Imperatore huius, qui hodie viuit,proauo proponebantur. Quid prætereà? Víſne,Antoni,alia aliorum teſtimonia audire, etiámne leges ipſas?Eſt lex antiqua & decãtata illa quidem 12.Tabularũ,quę hoc maleficorum genus puniebat,quos etiã meſſem incantare poſſe,ait, de qua lege Plinius lib.28.Natur.hiſtor.cap.2.Nónne alia Romanorũ lex & illa etiã lege 12.Tabularũ poſterior,quæ Lex Cornelia dicta eſt,eoſdẽ dãnat & perſequitur? Ex Imperatoribus Conſtantinopolitanis Leo cõſtitutione quadam ſua quæ eſt 65. idẽ agit.Denique vir in omni rerum genere verſatus Vergilius tum eclog.3.tum etiã 8. tales eſſe quoſdam confirmat,vt Troilum de Malueto magnum Iuriſconſultum, & Martinum Arlæum Theologum prætermittã, pluréſq; & penè infinitos alios, qui ętate recẽtiores ſuperioribus vixere,& quoſdã

A ex hoc veneficorum Satanicorum genere eſſe doctè veréque teſtantur. Aut hoc teſtium ſatis eſt, aut neſcio quid ſit ſatis.

Ant. Certè plus quàm vellem. Verùm, Theophile, vnum quendam ex animo meo ſcrupulum, qui me malè habet, tollas velim.

Theo. Ecquis autem ille eſt?

Ant. Hoc nempe quòd videtur Hieronym. autor non contemnendus in ſuis commentariis in epiſtolam Pauli ad Galatas, cap. 3. verſ. 1. *(*quem locum ad tuæ ſententiæ fidem faciendam tu ipſe antea protuliſti) apertè negare Paulum ita ſenſiſſe vnquam eſſe quoſdam Sortiarios, quanquam tamen ita ſcribit, *O Inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit*? Sed in eo Paulus ex communi hominum conſuetudine ita loquitur, & recepta vulgò ſententia, nõ quòd ipſe vllos eſſe huiuſmodi crediderit aut vnquam agnouerit.

The. Verè tu quidem, Antoni, & memoriter Hieronymi mentem recitaſti, & certè ita primùm ſenſiſſe videtur Hieronymus: Sed idẽ poſtea in eũdem B etiã locũ aliud addit, mutátq; ſtatim ſententiã. Quod vt tu ipſe videas, totum locũ trãſcripſi. *Dicitur faſcinus*, ait Hieronymus, *propriè infantibus nocere, & ætati paruulæ, & his qui necdum firmo veſtigio figunt gradum. Vnde & quidam è gentilibus.*

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos. Hoc vtrùm verũ nécne Deus viderit, quia poteſt fieri, vt & dæmones huic peccato ſeruiant, & quoſcunque in Dei opere vel cœpiſſe, vel profeciſſe cognouerint, eos à bonis operibus auertant. Nunc illud in cauſſa eſt, quod ex opinione vulgi ſumptum putamus exemplum. Ex quibus verbis apparet quàm ſit de ea re vir ille incertus & dubius, & ſolet in alia eorundem cõmentariorum parte in aliis rebus grauiſsimè iuſtiſsiméq; reprehendi, quemadmodum ab Auguſtino de mẽdacio Pauli, vt hîc eum vel peccaſſe vel nutaſſe, nihil mirum cuiquam videri debeat. Sed id ſenſerit Hieronymus, alij certè non minùs graues & docti eiuſdẽ loci interpretes aliud ipſi ſcribunt & ex hoc Pauli loco colligunt, eſſe nimirum Sortiarios. In quam ſententiam iuit Chryſoſto. ſcriptor probatus, & recentiores etiam alij. Quod ad Auguſtinum, qui C nulla in re Hieronymo cedit vel inferior eſt, quid ſcripſerit, ſuprà diximus.

Ant. Iſta mihi ſatisfaciunt, Theophile, neque plura hominum teſtimonia deſidero, illud ſubiice quod pollicitus es, éſtque ſecunda ſententiæ tuæ probatio. Doce me, inquam, ipſa rerum experiẽtia compertum eſſe quoſdam Sortiarios extare.

Theo. Debitum à me rectè exigis, & ordine omnia meminiſti. Itaque vno verbo rem totam conficiam.

Ant. Agè igitur.

The. Ergo quod ad experientiam eámque certam, hoc dico, omni hominum ætate obſeruatum & animaduerſum, quoſdã eſſe qui diabolicis iſtis modis & technis homines intoxicarent. Cur enim de iis leges ſcriptæ eſſent, ſi nulli vnquã extitiſſent? Cur pœnæ in eos ſancitę? Neque enim de iis rebus, quæ non ſunt, leges promulgantur: & par eſt earũ rerum quæ non ſunt, & quæ non apparent, in iure ciuili iudicium, quemadmodum Iuriſconſulti docent. Cùm quæreretur à ſapientiſsimo illo Athenienſium Legiſlatore Solone, cur nullam aduerſus parricidas legem ſcripſiſſet, reſpondit. Quòd neminem vnquam parricidam fore ſuſpicaretur. Igitur & ante Chriſtum natum & poſtea hoc genus A maleficorum paſsim extitit. Ac ante Chriſtũ fuiſſe teſtis eſt, íſque fideliſsimus & locupletiſsimus Moſes ille vir Dei ſanctiſsimus, qui iuſſu Dei tot locis eos commemorat & damnat, Exod. 22. verſ. 19. Leuit. 19. v. 31. & 20. v. 27. Nume. 23. v. 28. Deut. 18. v. 11. Ferunt etiam Zoroaſten hominem Perſicæ nationis, magnúmque Magum & Aſtrologum iudiciarium, primum omnium mortalium hoc genus veneficii exercuiſſe, & cęteros poſtea docuiſſe, qui ſicut ipſe, erant idololatræ. Poſt Chriſtum autẽ incarnatum eoſdem fuiſſe, teſtes ſunt infinitæ hiſtoriæ, & hominum narrationes de iis ſcriptæ: teſtes etiam iudicũ ſententiæ in eos latæ: teſtes leges & pœnæ in eos cõſtitutæ tum Iure Ciuili, tum etiam eo quod Canonicum vocant, quando & tituli & Rubricæ integrę de eo delicti genere ſcriptæ etiãnum hodie leguntur, quemadmodum in Gratiani decreto apparet cauſa 26. q. 1. 2. 3. 4. & 5. Quin etiã iidẽ hi venefici in noſtra Gallia maximè noti ſemper fuerunt. Quod verum eſſe cõfirmant innumerabilia Parlamentorum, vt vocant, arreſta de iis facta, quæ plerique docti homines collegere. Imprimis autẽ noſtrã hanc ſententiã tuetur quorundam articulorum & dogmatũ celebris & ſolemnis dãnatio B à Sorbona Pariſiẽſi facta ſub Carolo VI. Frãcorum rege, anno Domini 1398. Quæ dogmata paſsim Lutetiæ profitebantur ſcholaſtici illius Academię. Quid? nónne hæc noſtra ætas videt huius maleficii damnatos quam plurimos?

Ant. Cur verò id fiat noſtro ſeculo, potéſne, Theophile, rationem mihi afferre?

The. Eſt hoc quidem horrendum Dei aduerſus nos iudicium, cuius eſt ignota nobis cauſſa. Sũt verò Dei iudicia etſi nobis ignota, iuſta tamen & ſancta, quemadmodum ex Pſal. 25. verſ. 10. veriſſimè & pientiſſimè in pari argumento, & lib. De Diuinatione Dæmonum, ait Auguſtinus.

Ant. Quid igitur, éſtne hac noſtra ætate hominum puniẽdorum maior & iuſtior Deo cauſſa, quàm fuit iampridem, & trecentis abhinc annis?

The. Certè, Antoni, maior nunc, quàm olim, quantò mundus hic ſacroſanctum Dei verbum, patefactúmque ipſius lumen reiicit & impuden- C tiùs & obſtinatiùs. Quanto enim homines magis ſe in Deum ingratos hodie prębent, tantò Deo iuſtior eſt eorum deſerendorũ cauſſa, tradendorúmque Satanæ ad nominis ſui contemptum vindicãdum. Quare hoc maximè tẽpore, quo grauiſſima & fœdiſſima hominum in Dei doctrinã rebellio manifeſtè cernitur, Satan hanc poteſtatem à Deo accepit, vt tales ſibi addiceret, & cribraret, conceſſáque illi eſt erroris ſumma efficacia ad multos f[illegible]lendos, irretiendos, & abducendos, quẽadmodum ipſe Dei Spiritus id fore iampridem teſtatus eſt, 2. Theſſ. 2. verſ. 10. & Deum miſſurum eſſe vim & energiam deceptionis, vt homines credant Satanæ & mendacio, & damnentur qui non crediderunt veritati, ſed acquieuerunt iniuſtitiæ, quia amorem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent.

Ant. Verùm aliud contendunt quidam, iſta nempe omnia, quæ de Sortiariis dicuntur, ficta commentáque eſſe: vel ſi ita eueniant, animi tantùm morbo, & melancholico quodam humore, in iis fieri hæc viſa & phantaſmata, non autem vllius diuini aduerſus homines iudicii iſtas notas eſſe atque teſtimonia.

THE. At ii grauiſſimè hallucinantur, mi Antoni,& quidem non minùs,quàm qui volunt Dæmoniacos & Lunaticos,qui tempore Domini noſtri Ieſu Chriſti vixerunt,& ſunt ab eo ſanati,nihil niſi ſumma quadam melancholia,& flaua bile abundantes & laborantes homines fuiſſe. Quorum ſententia eſt planè blaſphema.Nam & fidei Chriſtianæ certitudinem tollunt, & diuinam Domini noſtri Ieſu Chriſti naturam negant,& aduerſus ipſam rei veritatem pugnant, & mentiuntur.Quo enim modo ipſi diaboli in eorum corporibus loquuti eſſent,magno cum impetu ex dæmoniacis exiuiſſent,membra eorum laceraſſent,ſi iſta mera animi ægri ſomnia,& phantaſiæ,& tantùm morbi cuiuſdam melancholici acceſſiones fuerunt? Sic Sortiarii ſunt planè miſera Satanæ mancipia, ab eóque reguntur,hunc ipſi adorant, illi ſe addicũt, atque etiam cereas candelas honoris ergò offerũt. Quanquam eorum quidam abiectiores & turpiores apparent. Nam cùm ſe illis Satan humana ſpecie offert,eius nates(quod eſt etiam dictu fœdiſſimum)deoſculantur, quod à ſe factum ipſi poſtea liberè agnoſcunt & confitẽtur.Atque iis propterea accidit, vt in tam reprobum animi ſenſum tradãtur,quòd Deus eos iuſtiſſimè punit,qui,quemadmodum dixi,obſtinatiſſimè & ingratiſſimè vel omnino ſpernunt Euangelium Dei ſibi oblatum, vel acceptum intellectúmque frigidè omnino & leuiter tantùm deguſtant.In quibus duobus ſummus Dei Opt.Max.contemptus cernitur. Quanquam etiam,Antoni, illud mihi verè dicturus videor, quòd quemadmodum dominus Deus primum vnigeniti filii ſui Ieſu Chriſti aduentum nobilitare, celeberrimúmque toti mundo reddere volens, multos quoque illo ſeculo dæmoniacos, lunaticos,cęcos,mutos,ſurdos eſſe voluit,quos ſanaret Chriſtus, & quam illi gloriæ ſegetem præbebat Pater:ſic hac noſtra ætate, qua ſummo ſuo in genus humanum & incomprehenſibili beneficio ſacroſancti Euangelij ſui lucem dono reſtituit, iuſtè vult,vt plures huius lucis patefactæ contemptores in Satanæ laqueos hodie incidant quàm antea,fiántque Sortiarii,id eſt,ſint Satanæ addicti, vt & qui Deũ ſpernũt, magis iſtorũ miſerorũ exẽplo terreantur: & pii qui Euangeliũ vera fide amplexi ſunt ardentius Deum laudent,gratiáſque tanti beneficii in ſe collati nomine Deo agant maiores, ſuámque conditionẽ beatã iudicent,qui è tãto malo & tanta Satanæ poteſtate ſint ſingulari Dei beneficio erepti. Intelligíſne igitur, Antoni, quamobrem hodie plures,quàm olim Sortiarii euadãt?

ANT. Sanè,Theophile,& tibi,qui me id docueris,ago iam gratias.Sed tamẽ, quò ſim planè in tua ſententia confirmatus,adde tertium argumentum, quod ex recti iudicij ratione ſumptum eſſe dixiſti.

THE.Rectè admones,penè enim prætermiſerã. Itaque aggredior.Efficit ratio rectè iudicans & ſanè, vt Sortiarios eſſe credamus.Eſt autẽ hæc. Vbicunque vera & efficax alicuius rei cauſſa adeſt, ibi effectũ quoque ſequi eſt neceſſe.Exẽpli cauſſa,vbicunque eſt ſol,illic quoque lumẽ & dies eſt,quia vtriuſque vera & efficax cauſſa eſt ſol.Vbicũque flat Aquilo,illic friget,quia eſt is vẽtus frigoris pater. Atque vt hoc noſtrũ axioma ad propoſitũ argumentũ accõmodemus, ſic tradunt Philoſophi qui in rerum cauſis explicãdis verſantur, Quæ cauſſæ ſunt anima & volũtate præditæ,ſi in iis voluntas & poteſtas ad agendũ ſimul cõcurrant, effectũ ex iis neceſſariò continuóque ſequi. Dicis cauſſa,Si quis eſurit,& ad manũ habet panem,edit:Si quis ſitit,& in prõptu habet vinũ,bibit:Si quis alget, & afferatur illi ignis,calefacit ſeſe. Habet enim & velle & poſſe,vt aiunt,ergo agat neceſſe eſt. Satã horũ veneficiorũ & intoxicationũ proculdubio cauſſa eſt. Ille autẽ & volũtatẽ & poteſtatẽ vnà habet ei⁹ mali perpetrãdi, & ad illud homines attrahẽdi & ſibi addicẽdi, (cõceditur enim illi hæc poteſtas à Deo iuſto in homines iſtos rebelles iudicio:) ergo dubitandũ nõ eſt quin eos ſibi lucretur & impellat ad id ſceleris.Quod vt tibi latiùs exponam, hoc mihi Antoni,concedis,vt credo, Semper in hoc mundo fuiſſe homines aliquos infideles, id eſt, qui vel verum Deum ex ipſius verbo non norunt, vel agnitum ſpreuerunt.

ANT. Hoc per me ſumas licet, quando tales videmus nimium multos.

THE.Sed nec illud negaueris,Satanã ex quo tẽpore primã originẽ ſuã deſeruit,éſtque factus diabolus,ſemper id ſategiſſe,&, quantũ quidem in ſe fuit,conatum eſſe & perfeciſſe, vt mortales à veri Dei cognitione, & certa ſalutis ſuæ fiducia abducerẽtur,denique vt Deũ ipſiuſq; promiſsiones reſpuerẽt & cõtẽnerẽt:& perſuaſiſſe ſiue induxiſſe vt ſe illi addicerẽt,quos & ad Dei cultũ frigidos videbat,& ad promiſsiones amplectẽdas negligentes.

ANT.Iſtud verè dicis.Eſt enim Satan leoni rugienti ſimilis,qui ſemper quærit quem deuoret & à Deo abducat,vt Petrus loquitur,1.Pet.5.verſ.8.

THE. Rectè meminiſti,Antoni. Nam & ea ipſa cauſſa eſt propter quam idem ſerpens antiquus in Apocalyp.20.ver.2.appellatur,id eſt,communis & coniuratus humani generis hoſtis,vt Chriſtus ait, Matth.13.verſ.28.qui operatur & efficit præſertim in filiis infidelitatis, id quod conatur & vult, quẽadmodum Paulus ait,Epheſ.2.v.2.Nam ira Dei venit in homines contumaces.Cùm igitur ex his locis conſtet Satanã id cupere & velle vt homines à Dei metu & fide abducat, reſtat vt videamus, habeátne idem poteſtatem abducendi eos.

ANT. Tum certè tua illa ratio erit concluſa. Sed obſecro, Theophile, habétne Satan poteſtatem in homines tantam,vt eos à Deo poſſit auertere,& ad ſe traducere,cùm ſint ipſi Dei creaturæ ad ipſius imaginẽ efformatæ, & maximè ad vnius illius gloriam?

THE. Fateor ego quidem, Antoni, Satanam nunquam huiuſmodi poteſtatem habiturum fuiſſe,niſi eſſet illi data à Deo omnipotente, qui hac iuſtiſſima ratione punit eos, qui ſe ingratiſſimè & impiiſſimè deſerunt. Quanquam verò ratio à nobis huius explicari non poteſt, cur hunc potius, quàm illum dominus tradat Satanæ, & abduci velit,præterquam quod hæc eſt iuſta Dei voluntas, qui ita decreuit: nemo tamen vnquam Sortiarius niſi ſua culpa euaſit,& quin priùs ſciẽs prudénſve Deum renuntiarit creatorem & opificem ſuum, vitæ autorem, & omnium bonorum largitorem, quem deſerit, & impudentiſſimè perfidioſiſſiméque pro Deo ſuo habere renuit, ſi modò nomen dat Satanæ,& Sortiarius futurus eſt.

ANT. Eſtne verò hoc credibile quod ais,Theophile,hominem quenquam Deum ſuum renũtiare,& Satanæ, quem eſſe Satanam verè ſciat, velle audire,nedum ſe illi in mancipium addicere?

A THEO. Iſtud quidē nimiū verū eſt, atque id faciunt,quotquot tandem euadūt Sortiarii. Poſtquā enim Satan eos quos ambit & aſſectatur,ſemel cōuenit, apertè iam quis ſit confitetur, ſe nimirum Satanā & verè & diabolum illum eſſe quem docet Scriptura. Itaque iubet vt Deum creatorem ſuum illiúſque poteſtatem abiurēt,ſibi autem perpetuū cultum & obſequium voueant,ſibi,inquā,qui illic præſens adeſt, ſe pro Deo agnoſcant,ſe inuocēt,ſe precentur,ſibi cōfidant.Tum deinde eoſdē iubet, vt ſe cernui adorent, qua ratione & quo corporis geſtu ipſe vult & probat. Itaque eorum alij genibus ipſius aduoluuntur, alij candelas incenſas & nigras offerunt,alij aliqua parte corporis, quo tūc viſibilis apparet eum oſculantur, alii alia ratione,prout ipſe id iubet fieri.

ANT. O quàm meritò & iure igitur à Deo miſeri iſti & deteſtabiles homines ſic puniuntur, cui tam ſceleratè perfidè & ſcienter renūtiant,creatori ſuo,patri,ſaluatori. Nec iam cur id fiat miror.

THE. Propter eam ipſam cauſſam dat Deus Satanæ tantam in eos efficaciam,quemadmodum B dixi,1.Reg.22.v.22. Ac niſi Deus daret, hanc poteſtatem planè non haberet Satan.

ANT. Nihil verò in tota iſta tua narratione animaduerti, quod à fide veri tam ſit alienū quàm quidam autumant, & certè iam miror, cur illi in animum inducere non poſsint eſſe aliquos Sortiarios.

THE. Vnum modò addam, vt totum hunc locum tandem cōcludam,ex variis nimirum cauſsis homines fieri tales. Alij enim ſumma de Dei promiſsionibus & amore erga ſe diffidētia,alij ſumma & teterrima animi vanitate & curioſitate impulſi, tales euadunt,cùm naturę humanæ modū & gradū ſuperbè faſtidiant. Hoc autē quàm verum ſit, vide. Quidam enim iā Sortiarij extiterūt ſpe inopię ſuæ ſubleuandæ;cùm iis Satan montes aureos,vt aiūt, polliceretur. Pecunia enim ad exhibēdam familiā egebant,vel ære alieno erant obruti atque onerati,adeo, vt nummorum accipiendorum ſpe ſe lubenter Satanæ addixerint. Alij cùm ſe à potentioribus quibuſdam opprimi viderēt, neque ſe tuēdi haberent poteſtatem,factam tamen ſibi iniuriam C non ferrent, Satanæ auxilium (eſt enim is vindictæ amans & cædis) aduocarunt,ſéque illi prompto animo vendiderunt & manciparunt. Quę duo hominum genera ſumma de Dei erga ſe amore & auxilio diffidentia tales euadunt, quaſi eos neglexerit Deus,neque afflictos tueatur. Hac via & ratione à Satana abducuntur præſertim ruſticani homines & ignari & pauperes , & iniuria affecti ,vt Sortiarii fiant. Sunt verò alii, qui curioſa quadam & ſuperba animi vanitate,dum ſe intra humani ingenii metas continere non poſſunt, feruntur, fiúntque Satanæ mancipia , dum futura prænoſſe, eáque prædicere aliis volunt:vel dum facilè nullóque negotio multa facere,quæ alii nō poſſunt,ambitioſè cupiunt. Quomodo à Satana ſeducūtur qui inter homines videntur honoratiores & doctiores,quales nobiles quidam & primariæ fœminæ, ſcholaſtici plures. Qui omnes iuſtè à Deo puniuntur,quòd Deum ſpreuerunt, ſéque ſcientes Satanæ deuouerunt.

ANT. Iam verò, Theophile,planè in animum induco meum,eſſe Satanicos veneficos quoſdā, & Sortiarios, & quaſdam intoxicationes quæ ab iis fiunt. Sed obſecro, vt de eo quoque mihi reſpondeas,In quæ rerum genera illa ſua venena Satanica effundere & ſpargere queant.

THE. Cupio ego quidem, ſed eatenus tamē, quātum ex veris rerum hiſtoriis didici. Nec enim eorum ſtudium probo,qui in hoc argumento tractando aniles fabulas ſunt cōſectati, & eas in magna quædam ſua volumina laborioſè retulerunt.

CAP. III.

In quæ rerum genera Sortiarij venena ſua ſpargere poſsint,vt noceant.

ANTONIVS.

HOc mihi ipſi ſatis erit, nec enim puerilibus iſtis nugis delector. Quid igitur, Theophile, etiámne in homines , etiamne in bruta animantia hoc hominum genus ſuum illud Satanicum venenum & toxicum ſpargere, etiam poteſt? Quid verò,etiámne aërem,aquam,herbas eodem toxico inficere,& in omnia graſſari,quemadmodum ipſi apertè confitentur,ſe quarundam vrbium cœlum & aërem circunquaque ſus artibus corrupiſſe?

THE. Non eſt hoc,mi Antoni,à ratione alienum, B quemadmodum vides , vt qui immanem gigantem deiicere poteſt, idem ille puerulū aliquē viribus infirmum & imbecillum queat. Sic qui hominem veneno lædere poteſt, is multò magis cætera. Eſt enim homo animal prudens , ſagax , prouidum,periculi proſpiciens, ad Dei imaginē creatum. Hoc qui decipere & lædere poteſt, multò faciliùs fateatur ſe intoxicare animal brutum & incogitans poſſe , qualis equus, aries,bos, vacca,quæ nulla tanta diligentia ſibi in periculis cauent , & proſpiciunt,quāta homines ſibi. Atq; etiā qui bruta poteſt,multò etiam meliùs herbam veneno inficiet , arborem,ſegetem,peſſulum oſtii,ſcalarum gradus,vinum denique,aquam,aerem. Quę res omnes à nobis cùm volumus,contrectantur. Et in hæc quidem omnia graſſari poſſunt Sortiarii,quatenus Deus vult per ea ipſa in homines nominis ſui cōtemptum vlciſci & peccata noſtra caſtigare.

ANT. In omnia igitur graſſari poſſunt, neque eſt quicquam , vt video, quod eorum maleficium & venena euitet.

THEO. Cùm ſint hi & Satanici & ſubtiles C admodum venefici , certè quidem inficere veneno ſuo poſſunt quicquid in his terris natura ſua eſt corruptibile & mortale , niſi à Deo conſeruetur. Nihil autem eſt in hoc inferiore mundo,quod nō ſit huiuſmodi , & mortale dico , & corruptibile. Quare eorum artes in omnia hæc inferiora graſſari poſſe planè fateamur.

ANT. Earum verò rerum exempla mihi aliqua proferto, Theophile.

THEO. Faciam. Ac primùm eos in homines graſſari certo certius eſt. Id enim quotidie fieri cernimus. Quoſdam enim venenis ſuis interficiunt: alios languentes & tabidos reddunt. Vidi qui nutricum mammas vnico & ſolo manus attactu lacte exhauſiſſent & exſiccaſſent. Vidi qui cholicos morbos grauiſsimos induxerant, qui tormina , qui podagram , qui paralyſin, qui apoplexiam , qui mancos & debiles homines effecerant , alióſque morbos iniecerant, A quos poſtea nec ipſi,nec medicinæ artis peritiſsimi noſſe & curare poterant.Atque iſti Sortiarij in omnem hominum ſexum,ætatem, ordinem, ſine delectu & diſcrimine crudeliter ſæuiunt,qua animi impotentia & vindicta ferũtur.Quid amplius? Coloni ipſi dominos ſuos intoxicant odio perciti. Quod ad pecudes & pecora,illi ea veneno necant variis quidem modis:nec modò necant,ſed ſi libuerit,intumeſcere faciunt, aut macras reddunt, adeò vt nihil iſtorum ſcelere ſit peius & pernicioſius.Præterea incantant feras beluas,& eas ſiſtunt, vt etiam manu capere poſsis, quemadmodum eſt in Pſal.58.verſ.5.veluti ſerpentes & aſpides. Quãquam enim Auguſti.li.11.de Geneſi ad liter.ca.28. ſcribit id in ſerpẽte à Satana fieri eò facilius,quòd per ſerpentis colloquium primitus humana natura ſeducta eſt,quaſi huius ſui miniſterij hæc pœna ſit,vt magis iuſsis Satanæ & euocationibꝰ ſit ſubiectus ſerpens: tamen rerum ipſarum experientia docet,quod in eo fit,idem in cæteris animantibus quoque à Sortiariis fieri poſſe. Neque etiam ſacra Scriptura,Geneſ.3. tradit plus addictum fuiſſe B ſerpentem Satanæ, quàm reliquas beluas. Denique eſt tota hæc Auguſtini ratio, meo quidem iudicio,ſubtilior.Quod ad herbas,arbores, earúmque baccas & fructus,cæteráque huiuſmodi,certè etiã ab illis intoxicantur. Id quod pręclara illa Vergilij ſententia quæ ex quotidiana rerum experientia ducta eſt,oſtendit eclog.8.

Has herbas,atque hæc Ponto mihi lecta venena,
Ipſe dedit Mœris:naſcuntur plurima Ponto.

Item,

Atque ſatas aliò vidi traducere meſſes.

In quem locum Seruius Honoratus interpres doctiſsimus, quemadmodum & Plinius eo quem iã citaui loco,docent quæ pœna lege 12. Tabularum conſtituta eſſet, ſi quis meſſes incantaſſet. Quod ad aërem ipſum & aquam,quid iis faciliùs corrũpi & vitiari poteſt,adeò vt hæc elementa neque iã commoda cuiquã neque ſalubria ſint futura, imò verò noxia & tabifica?Cuius rei fidem facit,quòd vel ſolus odor & vapor peſtilens ſæpe totam regionem in quam exhalat,ita inficit,vt inde grauiſſimi & contagioſi morbi naſcantur.Nunquámne, C quæſo,fando audiſti quid in Cãpania Italiæ parte euenerit, & vt tota regio illa quàm Auernus, qui dicitur(eſt autem terræ antrum vnde grauis & putris halitus æſtuat) exhalat, noxia ſit, adeò vt quæ aues præteruolant,ſolo illius loci odore concidãt mortuæ?Quid de mari mortuo(quod ita in Iudęa vocatur)dicam, cuius halitus tam eſt peſtilens & exitioſus, vt tota vicinia deſerta ſit & inculta, arbores ipſæ exuſtæ & terra ſterilis & infrugifera, propter huiuſmodi odorem?

Ant. Hæc omnia memini me aliquando legiſſe,ſed dic tu ipſe ſi qua vnquam in hiſtoria cõmemoratum eſt aërem ab iſto hominum genere corruptum eſſe.

The. Maximè,imprimíſque in hiſtoria Calliſti Nicephori ſcriptoris eccleſiaſtici, qui lib.14. c.18.narrat,quemadmodũ Perſæ Magi vt apud ſuũ regem odioſam redderent Chriſtianã religionẽ, effecerint vt putridus & fœtidus omnino odor peſtilentioſúſq; exhalaret ex eo loco, in quẽ Maruthas Chriſtianæ eccleſiæ epiſcopus, cæteríque Perſæ Chriſtiani ad Deũ precandum cõueniebãt.

Ant. Atqui aër perpetuò fluit, ventóq;ſemper aliquo difflatur,ne torpeſcat,& quieſcat. Qui A certè motus, ne illa tabes in aëre vnquam gignatur,facit.

The. At aqua fluit ipſa quoque quam tamẽ tu corrumpi ab iis poſſe concedis. Qua enim ratione aqua,eadem & aer infici poteſt,quia odor ille grauis ſpargitur diffunditúrque per vtrunque, quæ ipſa ſunt tenuis & imbecillæ ad reſiſtendum naturæ elementa. Facilè enim vtrunque corrumpitur, quia externam qualitatem citò admittit & ſentit. Exempli cauſſa,eadem aqua,modò incaleſcit,modò frigeſcit:aer eodem die caleſcit , eodem tepet, & frigeſcit.Id quod maximè vere & autumno fieri experimur. Nam manè frigidus,meridie calidus,veſperi tepidus idem ſentitur. Cùm ſit autem aer liquidior quàm aqua & ad repugnandum imbecillior, longè citiùs etiam faciliúſque afficitur ab externis qualitatibus & agentibus.

Anto. Verùm,quidam in animum ſuum hæc ab iſtis fieri non inducunt, ſed potius magna animi vanitate, & quadam oſtentatione ſuæ artis & potentiæ ita aſtutè iactare,quò perterrefaciant homines:vel etiam inſanè prædicari,quia quidam ex B iis melancholia quadã laborantes ita ſe aliquando crediderunt poſſe.

Theo. Fateor ego quidem,Antoni, quòd qui primus hoc efficit, Deus eſt ipſe,qui his modis & his hominibus tanquam inſtrumentis hominum peccata coercet : verumtamen pernego quod iſti contendunt,iſta ſemper eſſe animi ægroti falſa ſomnia,cùm Sortiarii aiũt ſe intoxicare aerem: imò verò ſæpe id & veriſsimè ab iis fit. Quod vel hac ratione demonſtrari poteſt. Primùm quòd nulla aliena cogitatio & animi phantaſia à nobis, reipſa ſentiri poteſt, neque poteſt illa corpus noſtrum actu ipſo,quod aiunt,lædere.Cogita me abs te eſſe occiſum , & iſtud animo finge quantum potes, proptereáne erit vel proſperæ valetudinis meæ imminutio vel tantillum facta?Minimè verò.Neque enim contagionem immittit,aut ſpargit morbos in aliena corpora vana cuiuſquam imaginatio,& falſa.Atqui reipſa iniectos morbos à Sortiariis ſentimus,peſtes etiam inductas eáſque ſęuiſſimas videmus,& alia huiuſmodi effecta,quæ negari non poſſunt.Deinde ipſi conſtanter in mediis etiã C eculeis & tormentis hæc à ſe facta eſſe confitentur,maximè verò cùm propter ea crimina ducũtur ad ſupplicium. Denique conſenſus ipſe, qui inter eos omnes apparet,noſtram ſententiam cõfirmat. In vanis enim animi cogitationibus non poteſt eſſe vna & eadem omniũ vox,ſed alius ab alio diuerſè quid imaginari poteſt. Propria eſt enim ſua cuiuſque animi actio,neque tanta inter tot,& tam variis locis diſperſos homines, vanæ cogitationis conformitas & conſenſio,neque in loco ipſo,tempore, modóque agendi confeſsio tam vna & concors eſſe vnquam poteſt inter aliquos,niſi iſta reipſa euenirent,atque ita eſſent vt ab iſtis fieri dicũtur. Quid quod ipſe iam dicam, eſtque longè mirabilius,etiam nodant ,quemadmodum noſtri loquuntur,ligulam,id eſt impediunt quo minus cõiuges ſibi mutuo debitum coniugale reddant, aut certè ne eorum alter id poſsit.

Ant. Quid tu ais,Theophile?

The. Planè ita eſt,Antoni. Nam ſi ſuis venenis poſſunt hominum valitudinem lædere, vires & robur corporis minuere, neruos emollire, ſen-

A ſus hebetare, internos etiam humores ipſos perturbare, quî mirum eſt,ſi vim illam genitabilem, quę eſt in vaſis quibuſdam corporis humani ſeminariis impediunt,vel ipſorum vaſorum refrigeratione nimia iniecta per venenũ, vel excitato quodam alterius in alterum coniugẽ (quos ita vexant) odio & faſtidio? Quod quidẽ arte Satanica ab illis fieri facilè conceſſerim,ſed fieri tamẽ, vt inter eos diſcordias & diſsidia ſerant,inter quos ſumma pax eſſe debuit. Sic enim ſeſe impij illi vlciſcũtur, quia eos oderunt,quos ita afficiunt,quãuis ſæpe immerentes & innoxios,ſed ad ſui magiſtri Satanæ imitationẽ zizania ſerere gaudent inter homines, Mat. 13.v.39. Ioan.3. verſ.10.

ANT. Habéſne tui dicti vel exempla vel argumenta.

THEO. Vtraque. Ac exempla quidem penè infinita etiam quotidiana & quæ verſantur hodie ante oculos. Teſtimonia verò ſiue argumenta certiſsima. Primùm Auguſtinus ipſe inter varios nocendi modos,quos Sortiariis tribuit tractatu 7. in Ioan. etiam ligaturas recenſet, cuius hæc ligatura B ſpecies eſt. Deinde quòd eclog.8. poetarum facilè princeps & ſui ſeculi doctorum doctiſsimus Vergilius idem probat. Eſt enim ex ipſa rerum experientia ſumptum hoc.

Necte tribus nodis trinos Amarylli colores,
Necte Amarylli modò : & Veneris, dic, vincula necto.

Præterea hoc ipſum confirmatur cano. Si per. qui eſt poſtremus 33. quæſt.1. in Decreto. Quòd ſi Sortiarii poſſunt impedire vim animæ nutritiuam, vt latè diſputat probátque Thomas Aquinas in prima Summa quæſt.3. art.4. eadem ratione poſſunt & generatiuam corrumpere,& impedire.

ANT. Eò me adigis,vt quid iam dicam,aut quò me vertam,neſciam.

THE. Quid verò,ſi illud etiam addidero,quod longè magis ſtupendum videbitur,quódque tamẽ Auguſtinus & Apuleius diſertè tradunt? Quanquam ego fieri poſſe pernego.

ANT. Quid illud eſt?

THE. Sortiarios nimirum poſſe mutare homines in alias rerum formas, id eſt, eos in lupos, C vrſos,aſinos conuertere.

ANT. Itáne,quæſo,D. ille Auguſtinus?

THE. Certè, Antoni. Lege tu librum illius de Ciuitate Dei decimum octauum, capite decimo ſeptimo & decimo octauo, vbi refert Auguſtinus plures tum ex ethnicis tum etiam ex Chriſtianis qui ita ſe immutatos dixêre, præſertim verò Daniænetum,& Præſtantem quendam,ſed & alios.

ANT. Iſtud quidem fieri non poteſt, vt dæmõ vel diabolus quiſquam naturam eſſentiámque noſtram,quam vocant,immutet. Hoc enim ſolius Dei proprium eſt,vti creare naturas, ita eas immutare poſſe. Id quod Satan efficere,neque ipſe per ſe, neque per ſuos illos famulos Sortiarios vllo modo poteſt.

THE. Rectè ſentis, atque ita etiam alibi ipſe Auguſtinus ſcribit. Quanquã enim qui iſta ſe fuiſſe dicunt,tales ſe opinantur aliquando vixiſſe, fallũtur tamen,ſúntque ea animi deliria & falſæ phãtaſiæ ſiue imaginationes quæ magna vi illuſionis cuiuſdam aut morbi eorũ animis inhęſerunt. Quin tamen ita quoſdam perſuadeat Satan,non diffido. Quod vt faciat,ſopit eorum externos ſenſus & occæcat, tum deinde varias rerum formas obiicit, A quas perturbatis iam eorum humoribus & animis imprimit tam efficaciter, vt ſe reipſa huiuſmodi quædam eſſe & fuiſſe credant. Sic medici docent quoſdã eſſe corporis morbos in quibus videmur nobis eſſe lupi,porci,boues,muli,itẽ toti vitrei vel cerei & alia quædam. Vidi etiam qui ſe gallum gallinaceum eſſe affirmaret & deieraret. Quamobrẽ veriſsima huiuſmodi animi illuſionum & deceptionum cauſſa quæ tamen Sortiariorum artibus fieri poteſt,ex eo pendet,quòd perturbatis corporis humoribus & temperamento animi ipſi hominum quodammodo immutantur,& à ſe alienati redduntur Satanæ miniſterio,ne alia agnoſcant, quàm quæ obiiciuntur. Itaque facilè ſibi perſuadent, qui vexantur ita, ſe tales eſſe,quales ſe dictitant,quæ tamen ſunt meræ Satanæ illuſiones.

ANT. At Nabugadnezar Aſſyriorum rex in brutum animal mutatus eſt, & herbas per ſeptem annos depaſtus,vt eſt apud Danielem cap.4.

THE. Ita eſt. Sed illud de Nabugadnezar ita intelligendum eſt,ne mutatam humanam eius naturam in bruti animalis eſſentiam putes aut ſentias. B Mutata enim eſt eius conuerſatio,& humanæ ſocietatis amãs animus & affectus. Deinde vt id in eo eueniſſe concedamus,Dei ipſius omnipotentia & creatoris poteſtate,non autem Satanæ vi,(per quã ſolam Sortiarii operantur) effectum eſt. Poteſt quidem Deus rerum naturas & eſſentias ipſas tollere aut commutare,Satan autem non poteſt. Quare illa etiã falſiſsima cenſenda ſunt,quæ de Lycanthropis quibuſdam narrantur. Quanquam tamen alii id fieri apud Septẽtrionales populos ſolere affirmant, veluti apud Boryſtenem Fluuium & Tanaim. Nam quod Varro ſcripſit eſſe in Arcadia lacum,quem qui traiecerint, euadant lupi, ita accipiendum puto,quòd propter metum quem in traiiciendo periculoſiſsimo illo lacu homines concipiunt,ſibi videantur eſſe lupis. Aliâs, meras nugas & aniles fabulas totam illam narrationẽ dixerim.

ANT. Hactenus in quæ rerum genera Sortiarii graſſari poſsint abundè explicaſti: vnũ modò adiice. Cur iſti ipſi impuri homines etiam pios & verè Chriſtianos homines poſſunt intoxicare & venenis ſuis lædere? Id quod verum eſſe certiſsima re- C rum experientia & quotidiana demonſtrat.

THE. Huius tuæ quęſtionis ſolutio facilis eſt, Antoni: Primum id fit, quòd Deus iuſtiſsimus ea ratione ſuorum filiorũ peccata punit. Quos enim pios & verè Chriſtianos dicimus,ij non carẽt ſuis, non tantùm ſæpe infirmitatibus & næuis, ſed etiã ſæpe grauiſsimis criminibus & peccatis, vt docet Ioan.1. verſ.9.10. *Si dixerimus quia peccata non habemus,mẽdacem facimus Deum.* Itaque illi iuſtè à Deo affliguntur. Præterea hoc crucis genere ſuorum patientiã explorat Deus. Quemadmodũ enim Iobum ſeruum ſuum per Chaldæorum hominum impiiſſimorum iniurias probauit, ita ſæpe ſuos per Sortiariorum venena & maleficia tentat,ídque in fidelium ipſorum commodum & ſalutem. Nã, vt ait Paulus Rom. 5. verſ.3. *Afflictio gignit patientiam : patientia probationem : probatio ſpem, quæ non confundit , quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum.* Itaque has ipſas afflictiones pii patienter ferre debent, vt ſe Deo ſubiiciant , ipſiúſque voluntati totos conforment.

A **Ant.** Hęrebam, vt aiũt, in aqua, facilécque fuit, vt video, eam animi dubitationem tollere. Sed quia commodè ad tria illa reſpondiſti quæ poſtulabam, Quid vox Sortiarius ſignificet: Vtrùm quidam ſint huiuſmodi: denique, In quas res ſuas vires artéſque Satanicas exerceant Sortiarij: quæſo, Theophile, vt quartum caput adiicias, mihíque explices, Qua via & ratione iſti intoxicare vel venenis ſuis vti & ſoleant & poſsint.

Cap. IIII.

Qua ratione quibúſque modis Sortiarÿ intoxicent.

Theophilvs.

QVid verò, Antoni, túne cenſes me in iſtorum arte tam peritum, támque verſatum, vt ſingula tibi exponã. Vides quæ fuerit mea initio huius congreſſus ſermoniſque noſtri anteſtatio, me nullam cum Satana, nullam cum Sortiariis ipſis iniiſſe vnquam familiaritatem, quam ne B expeto quidem: imò verò nec cognitionis iſtarum rerum laudem mihi vendico. Tamẽ quantum potero enitar vt honeſto tuo ſtudio ſatisfaciam. Hoc igitur quæris ex me, Qua ratione & via Sortiarii operentur, & venenis ſuis inficiãt. In quo primùm reſpondebo illud quod eſt veriſsimum, Hoc totum ab iis opera, inſtinctu, & doctrina miſerrimi & peſſimi illius Satanæ fieri. Hoc enim verè tibi affirmarim, nullum non Sortiarium cum Satana fœdus & commercium iniiſſe, ſéque illi deuouiſſe. In cuius ſuæ addictionis fidem notã à Satana inuſtam & impreſſam aliqua corporis ſui parte geſtãt illi, alii quidẽ ſub oculorũ palpebra, alij inter nates ipſas, alii in oris palato, vt ea ratione nobis illa ſit occulta & ignota. Quanquam autẽ quidam velint nõ omnes Sortiarios eſſe aliquo ſtigmate à Satana notatos, & compunctos, ſed eos tantùm de quibus ipſe dubitat: quos autem ſibi fidos ducit, eos abſque nota relinqui: certiùs tamẽ veriúſque dixerim neminem ex illis eſſe, cui non impreſſerit ſui in eũ iuris & poteſtatis aliquod indicium & veſtigium. C Quod vt facilè agnoſcant rerum capitalium & huiuſmodi ſcelerum iudices, id imprimis curant, poſtquam iſti capti fuerint, vt toto corpore tondeantur, nouaculáque abradantur, ne fortè ſub pilo corporis celetur hoc ſtigma. Pactum igitur cum Satana contraxerunt, viciſsimque ſtipulati conſenſerunt. Satan quidem, vt illi pro Deo ſe in poſterum agnoſcant & colant: illi autẽ, vt eos Satan iuuet & inuocatus adſit. Itaque ex pacto Satan iis ſuccurrit, & ad eorum preces & vota agit: ipſi viciſsim eius monitis parent, atque obſequuntur.

Ant. At cùm Satan ſit natura ſua mendaciſsimus, imò verò ipſius mendacij parens, ſtátne, obſecro, ſuis promiſsis, vt ea etiam impleat, quemadmodum hîc dixiſti?

The. Non eſt Satan ſemper mendax, etſi ſemper eſt fallax. Sæpè enim verum dicit, vt eos decipiat qui ſe audiũt. Sæpe etiam promiſſa præſtat, ne impoſtorem putemus, imò veridicum. Quãdo Satan de Chriſto mediatore noſtro dixit, Mar.1. verſu 24. *Tu es ille ſanctus Dei*: verum dicebat, nec mentiebatur. Animus tamen eius quis tunc fuit? Nempe is, vt qui iſta audiebant poſtea fallerentur. Quando idem de Paulo & Sila profeſſus eſt Acto.16. verſ.17. his verbis, *Iſti homines ſerui ſunt Dei illius ſummi qui annuntiãt vobis viam ſalutis*, Verum quidem dicebat, impoſtor tamen erat, & eo pacto ſibi ad decipiendos homines quærebat aditum. Sic quando implet Satan promiſſa, fidémque à ſe datam præſtat Sortiariis, hoc agit nimirum vt eos poſtea faciliùs tutiúſque ſeducat, atque ſibi meliùs arctiúſque conciliet & addicat. A

Ant. Perge verò, atque modum per quem illi operantur, expone.

The. Hæc ferè prima eſt contractus inter eos ineundi ratio. Satan primo loco hoc ab iſtis exigit, vt planè liberè & apertè vero Deo rerum omnium creatori, & cœli abyſsíque domino renũtient, ſibíque ſeruiant, qui ſe tunc non diſsimulanter Satanã eſſe profitetur. Itaque in poſterum ab ipſius nutu & voluntate pendeant, auxilióque innitantur. Quæ veri Dei abnegatio & ſceleſtiſsima abiuratio eſt primus iſtorum execrandorum hominum Satanæ conciliandorum gradus & ingreſſus, primáque iſtius negotii ſtipulatio. Hoc modo & tam fœdo in eius mancipium receptis iſtis, Satan iam notam B imprimit vel dentibus vel manu, & liberè quenquam effari iubet, quid à ſe fieri expetat, docétque tutiſſimas & occultiſſimas ſui vlciſcendi, ſi quos oderunt, vias. Itaque pulueres, radices & venena porrigit illis vel ipſe per ſe, vel per alios quos illic habet paratos, vt quem libuerit, impunè & ſecurè intoxicent. Iam verò væcors iſte & nouus Satanæ famulus in ſui obſequii fidẽ perẽdie aliquid de bonis ſuis offert & donat patrono, quidam canem ſuum, alii gallinam ſuam, alii felẽ ſuũ. In quo ipſo prioris promiſsionis maior confirmatio ineſt atque ratihabitio, & tetrior veri Dei denegatio. Denique hæc malorum ſumma additur. Sed diffidens Satan de ſuorum conſtantia, aliquanto poſt eos conuocat in Synagogam diabolicam, tum etiam vt ex iis reſciat, quam rectè & diligenter intoxicandi munus mãdatum impleuerint, & quos necauerint. Itaque certis locis conueniunt, non omnes autem ſemel & ſimul, ſed quos illi libitum fuit conuocare, adeo vt in quibus locis ſint coadunandi ipſe deſignet, item qua diei vel noctis hora. C In quo nihil certi conſtitutíque habet. nec enim fiunt iſti conuentus hebdomadatim, menſtruatim vel etiam annuatim, ſed quando quotiéſque iſti magiſtro viſum eſt. Sæpe autem ipſe per ſe, ſæpe per alios denuntiat vt conueniant. Cùm autem per ſe id agit, humana forma illis apparet, aut ſaltem ea, qua dignoſci ab iis poſſit, adeò vt nonnunquam eueniat, vt in eodem hominũ cœtu ſolus Sortiarius Satanã præſentẽ agnoſcat, cæteri nõ poſsint, quanquam hominem cernũt aliquem, ſed quis qualíſve ſit prorſus ignorãt. Cùm per ſuos diſcipulos & alios Sortiarios euocat, & locus & tẽpus præſcribitur, ad quod in tam miſeros cœtus & ſynagogas quas Satanica ſabbatha vocant, veniãt. Itaq; euocati adſunt. Quòd ſi quis eorũ itineris longitudinem cauſetur, aut corporis imbecillitatem & laborem, aut denique hominum metum & periculum, iis omnibus excuſationibus ſatisfacit ipſe. Nam pollicetur in eum locum eos ſe eſſe delaturũ, qui nõ poſſunt per vires corporis infirmas proficiſci: ſępe ope auxilióq; baculi & virgæ cuiuſdam abs ſe datæ, aut etiam vi vnguẽti id ſe præſtaturum & effecturum docet: ſæpe denique

equum

A equum illis offert,quo vehantur. Quòd ſi adhuc metuant ,explicat rationem & modum per quē fiant per totū itineris ſpatium inuiſibiles,& tutò accedant.Itaq; omnem illis excuſationem tandē adimit,& prætextum, ne ceſſent : & quòd iſta auxilia præbet,ideo facit vt eorum ſtudioſior amantiórq; eſſe videatur, atq; eos magis ſemper ſibi deuinciat & habeat obſtrictos.Ergo cōuenientibus illis apparet,velut eius cœtus antiſtes,variis formis. Aliquādo enim hominis figura & ſpecie cum iis agit, aliàs hirci turpiſsimi forma, aliàs alia facie.Iuſiurādū autem illi datum omnes tunc repetūt,de ipſo pro Deo agnoſcendo: choreas etiam eo præſultore ducunt,aut circa eum ad turpiſsimas cantilenas in ipſius tamen laudem & nomen confictas lætiſſimi ſaltitāt.Quibus rebus omnibus peractis,quęrit ex iis quid iterum à ſe petant,quibus venenis ad homines intoxicandos egeant. Itaque prout eorum quiſque malignum animi ſui in alios votum patefacit,ipſe vindictæ modum ſuggerit. Nam aliis venena confecta & parata præbet ,alios docet noua cōficere & miſcere. Aliis quaſdam formas & B characteres dat , certáque vel verba , vel vnguenta quorū vi quicquid præſcire velint,vel efficere,voti cōpotes fore certiſsimè pollicetur. Deniq; ſi qua in re ſe præſente ſuóque auxilio egeant affuturum ex pacto promittit.Ergo ii modi,per quos Sortiarii intoxicant,ſunt partim mala venena & manifeſta,quorum ingredientia,vt vocant,ſunt planè deleteria,& pro lethalibus damnātur à doctis medicis: partim ſine veneno nobis quidem vel ipſiſmet Sortiariis cognito,quanquam tamen aliquod iniiciunt.Partim etiā nullum viſibile toxicum adhibēt ad lædendū,quod eſt duobus illis prioribus modis lōgè magis ſtupendū. Ergo ſiquæ venena manifeſta & noxia medicamēta iſti infuderint, à medicis deprehenduntur,& talia eſſe demōſtrantur, poſtquam ex eorum cōfeſsione didicerunt quibus rebus cōſtent & conficiantur. Quæ autem ab iis adhibita ignorantur,& quæ ſint & quibus etiam miſceantur rebus,non deſinunt tamen ea ipſa lędere. Quemadmodū nec ſi videntur quidē aliquod malum pharmacum non adhibuiſſe, intoxicare deſinunt,veluti cùm ſolo oris halitu id faciunt & flatu, C vel intra dentes radicem ſibi à Satana datam tenēt & premunt,ſolóque alloquio homines perdunt & necant. Quod autem ipſi ſæpe non attingūt eos, quos tamen intoxicant,mirū videri non debet.Fit enim tunc intoxicatio ab ipſo Satana veneno vel puluere vel radice clanculum iniecta & difflata iſtis id fieri poſtulantibus. Id quod Satan pręſtat ex pacto vti dixi conuento, propter quod quibuſdam in rebus famulatur illis,& crudele miniſterium præbet.

Ant. Totus cohorrui , Theophile, dum illa ſuperiora tam horrēda,támque verè Satanica enarrares.Totus contremui , & expaui,ita me Deus amet,tam erant ſtupenda.Ergo hæ ſunt Satanæ artes,per quas ſibi Sortiarios addicit.

Theo. Sunt iſtæ,Antoni.

Ant. Sed vnde illas tènes aut didiciſti , obſecro?

The. Ex infinitis penè eorum confeſsionibus conſtantiſsimis & ſimillimis:ex innumeris aduerſus eos iudiciis conſtitutis , ex quibus hæc omnia colligere paſsim licet.

Ant. Verùm tria quædā mihi in tota illa tua ſuperiore narratione abſurda planè videntur, & A quæ nemo facilè tibi concederet.

Theo. Quænam autem ſunt illa?

Ant. Primùm quidem omnium mihi tecum conuenit , poſſe Satanā humana forma hominibus apparere. Quod ſi fieri poſſe negemus,tollatur & negetur ille diaboli cum Chriſto congreſſus , de quo ſacra Scriptura teſtatur, Mat.4.vbi Satā Chriſto coram viſibiliter & hominis ſpecie viſus eſt. Secundo loco & hoc facilè tibi conceſſerim , non poſſe Sortiarios boni quicquam à Satana diſcere vel edoceri , ſed quæ ſint infauſti maligníque omnino ingenii præcepta, quale illud eſt , ſeipſum vlciſci,intoxicare etiam ignotos, trucidare inopinantes,& omnia hæc clanculum adminiſtrare,nemine conſcio aut percipiente. Sunt enim qui ſeipſos vlciſcuntur,aut qui fratres ſuos oderunt , filii diaboli , vt ait Ioannes,1. Ioan.3.verſ.10.quemadmodum contrà Dei præcepto omnes diligere iubemur, Matth.5.verſ.44.Hæc duo vera eſſe cēſeo.

Theo. In quibus ergo à me diſſentis , Antoni?

Ant. In his tribus nimirum , Primum in eo, B quod ipſi Sortiarij aiunt,& tu quoque eorum cōfeſsionem ſecutus,ſe verè & reapſe,id eſt, corporaliter iſtis indictis à Satana cœtibus intereſſe. Secundum in eo:quod dixiſti,eò loci ſæpe ipſos à Satana etiam deferri. Tertium in eo,quod poſtremò addidiſti,Poſſe eos ſine aliquo veneno iniecto homines intoxicare.Neq; enim mihi perſuadeo poſſe quicquam meris vocibus,verbis figuris,vel characteribus lædi,iuuari,vel intoxicari.

The. Ordine ad illa tria reſpondebo.Et quidem quod ad primum : Nō credis,Antoni,Sortiarios præſentes ſuis iſtis cœtibus & Synagogis diabolicis intereſſe , quanquam de eo glorientur ipſi. Ecquo igitur modo id fieri dicis?

Ant. Sola animi cogitatione & illuſione diabolica , quemadmodū in ſomniis multa nos vidiſſe credimus,& iis locis interfuiſſe à quibus tamen abfuimus:ſæpe nos conueniſſe,qui longiſsimè tamen à nobis peregrè agebāt,etiam plus quàm milliaribus ducentis. Id quod Sortiariis accidit aſtu diaboli, qui ſæpe nos aliis etiam in rebus deludit, adeò vt ſæpe cernere,tangere,palpare ea nos exiſtimemus,quæ nec cernimus tamen nec palpamus. C Atque vt ne me putes ſine ratione eáquę probabili ita ſentire,mecū faciunt viri plerique etiā doctiſſimi ex antiquis. Tu mihi in tota hac quæſtione Auguſtinū ſępe laudas. At ille ipſe vbi ipſe de mutatis hominum formis agit,veluti li.18.de Ciuitate Dei,docet quæ ita fieri credūtur,ita euenire, quòd illa animi facultas,quę ex quinq; pręcipuis vna eſt, & phātaſia appellatur,éſtque in anteriore parte cerebri,quòd phantaſia,inquā , læſa ſit & perturbata Satanæ vi,ſenſúſq; externi ſepulti, & mirè ab eodē impediti.Cur igitur idē de hac pręſētia Sortiariorū non ſtatuemus ? Quòd ſi ebrij homines,cùm in cerebrū eorū tolluntur è ſtomacho calidi vapores, putant ſe ea videre,quæ abſunt:ſi melācholiæ morbus multa eo morbo ægris perſuadet , quæ neque vident neque adſunt , æquiori certè ratione deffiniemus,Satanæ,qui longè iis ſuperioribus cauſsis potentior eſt ad turbandas animi vires , illuſione iſta Sortiariis accidere , non quòd reipſa illic ſint præſentes. Poteſt igitur Satan & animi facultates, & corporis vires lædere & vincire, vt docet

A Thomas Aquinas,& ante eum Auguſt.libr. 7. de Geneſi ad liter.cap.11.dixerat. Præterea idem Auguſt.in quadam ſua epiſtola ad Nebridium familiarem ſuum,quæ eſt numero 72. diſtinguit tria phantaſmatum noſtrorum genera. Primum genus eſt eorum quæ noſtra phantaſia ex rebus ipſis viſis cõcipit.Secundum genus eorũ, quæ ipſa per ſe inuenit , & quibus ſimilia nuſquam antea vel vidit vel audiuit.Tertiũ genus eorum,quæ ex aliorũ ſermone concepta ipſa finxit. Itaque hæc Sortiariorũ phantaſmata ex ſecũdo illo genere erãt,quãdo ſcilicet phantaſia ipſa per ſe multa excogitat,& inuenit. Quod vt tibi certiùs ex eodem illo autore cõfirmẽ,idem epiſtola ad Euodiũ 101. de prodigioſis viſis ſcribit, quòd quando illa viſa ita viuaciter & efficaciter nobis obiiciuntur,vt nos vidiſſe ea verè credamus, animæ propterea è noſtris corporibus non emigrant,neque peregrinantur in iis locis , in quibus nos tũc putabamus verſari,ſed in corporibus noſtris manẽt etiã eo ipſo momento, quo illa tam perſpicuè cernebãt.Itaque vi obiectorum fit, vt videamus ea.Senſus autem corporei interim ſo- B piuntur in nobis , vt excitari nullo modo poſsint, dũ iſta viſio obuerſatur.Vnde fit vt poſtea excitati & colloquutos nos eſſe , & bibiſſe,& ediſſe,& vidiſſe illa arbitremur , ꝙ obiecta ſit animis noſtris viua & efficax earum rerum omnium ſpecies , qua afficiebamur.Atque huius rei exempla paſsim extant etiam apud eundem Auguſtinum. Nam in epiſtola 100.medici cuiuſdã Carthaginenſis nomine Gennadij meminit,qui cùm dubitaret, Vtrùm poſt hanc vitam altera eſſet ſperanda,in ſomnis tã perſpicuè chorum angelorũ & eorũ cãtus audiuit, vt in cœlis ſe fuiſſe crederet ,cuius tamẽ corpus interea in lecto decubuerat & in cubiculo manſerat, quẽadmodum fatebatur ipſe.Item lib.18. de Ciuitate Dei cap.18.refert de alio quodam, qui verè ſe cum Philoſopho Platonico de Platonis ſcriptis in ſomnis contuliſſe confirmabat,& ab eo cuiuſdã huius autoris loci explicationẽ, quam antea ignorabat, habuiſſe.In vitis Patrum, quæ appellantur, C ſcriptũ eſt de patre qui nõ noctu & in ſomniis,ſed media ipſa die , & aperta luce cùm filiam ſuam oculis cerneret,ſibi vaccam videre videretur,quã tamen alij,imprimíſque Macharius, & hominem & virginẽ eſſe agnoſcebat & teſtabatur. Quid verò? ipſe tu,Theophile,nónne aliquando lib.6. Genialium dierũ qui ab Alexandro Neapolitano ſcripti ſunt, cap.21.legiſti de reo quodam qui ad inferos ſe deſcẽdiſſe opinatus eſt,cuius rei teſtimonia ipſi iudici certiſsima indicauit? Arcanũ enim quoddã ipſius,quod nulli hominum notũ erat , detexit & aperuit.Quid?in cano Epiſcopi.26.quæſt.5. qui ex concilio Aquileienſi tranſcriptus eſt,nónne apertè pronuntiatur has omnes Sortiariorum voces,& cogitationes vana ſpectra,meráſque nugas,& animi illuſiones eſſe,quas Satan huiuſmodi rerũ ſummus artifex illis obiicit ,cùm tamen eorũ corpora eodem ſemper loco maneant ? Denique vt totum hunc locum tandem concludam , hæc ſunt verba ſiue Auguſtini,ſiue alius fuit eius libelli autor, qui de Spiritu & litera inſcriptus eſt. Nam cap.28.ita ait,*Idcirco quædam futura prædicant , & quædam mira faciunt,quibus homines alliciunt & ſeducunt. Vnde quædam mulierculæ poſt Satan conuerſæ,dæmonum illuſionibus,& phantaſmatibus ſeductæ credunt ſe & profitentur nocturnis horis cum Diana paganorum dea,vel* A *cum Herodiade & Minerua & innumera mulierum multitudine equitare, earúmque iuſſionibus obtemperare.Ipſe námque Satanas, qui transfigurat ſe in Angelũ lucis,cùm mentem cuiuſque mulierculæ ceperit , & hanc ſibi per infidelitatem ſubiugauerit, ilico transformat ſe in diuerſarum perſonarũ ſpecies ac ſimilitudines:& mentem,quã captiuã tenet in ſomnis deludẽs,modò læta,modò triſtia,modò cognitas,modò incognitas perſonas oſtendens per deuia quæque deducit. Et cùm ſolus hæc patitur ſpiritus infidelis , nec in animo,nec in corpore euenire opinatur,idcirco nimis ſtultus & hebes eſt, qui hæc omnia quæ in ſpiritu fiunt,etiam in corpore accidere arbitratur,cùm Ezechiel & alij Prophetæ,Ioannes etiam Euangeliſta & Apoſtoli in ſpiritu,non in corpore viſiones viderint.* Quid firmius & apertius pro me iam dici poteſt,Theophile,tuæque opinioni magis repugnans & contrarium? Quibus omnibus ſi mihi abundè ſatisfeceris,ſubſcribã illi ſententiæ, qua affirmas Sortiarios pręſentes in illis cœtibus adeſſe.

THE.. Quin hæc res in controuerſiam à multis ſit adducta,nõ diffitebor,Antoni, planéq; viſa eſt B quibuſdã incredibilis. Sed etiã tibi dabo hoc quoque,ſæpe ab iis quædam dici quæ nõ fecerint,ſæpe etiã eos opinari & quidẽ falsò ſe inter eos verſari & agere,qui tamen ab iis procul abſunt. Hæc ipſe concedam non grauatè. Ex eo tamen effici nego quod cõcludis nũquam igitur eos huiuſmodi cœtibus & ſynagogis præſentes adeſſe. Qui itaque tã certè deffiniunt Sortiariorum corpora domi eſſe, dum ipſi ſe in mediis iſtis ſociorum gregibus verſari putant,nimium fidenter loquuntur. Nam ipſa rerum experientia aliud docet. Nónne reperti ſunt plures,qui vana animi curioſitate inducti eos cœtus adiere,qui præſẽtes corpore iis in locis fuerunt,in quibus iſti Sortiarij coadunabantur ,vnde poſtea domum ſuam regreſsi ſunt magno itineris labore,ídque vicinis ſcientibus atque videntibus? Narratur quidam in Ambarrorum finibus, qui hodie Ducatus Niuernenſis dicitur,qui à colono ſuo impulſus eò venit.Narratur noſtra hac ætate alius qui in Pictonũ agro cùm amore cuiuſdam primariæ fœminæ (quæ illuc conueniebat,erátque C Sortiaria) perditè teneretur,eò etiam acceſsit, vt eam alloqui liceret & videre.Tũ deinde qui fieri poſſet vt Sortiarij ipſi locos notarẽt,perſonas ipſas de vultu agnoſcerent,numerũ noſſent , vicinas arbores, ſepes , flumina , domos diſtinguerent,ſi hæc vana tantùm animi ſpectra fuiſſe dicãtur, neque iis cœtibus ipſi interfuiſſe?Cur è ſuis ædibus, cur ex vrbibus ſummo veſpere egrederentur , vt eò conueniant:cur in itinere conficiendo laborarent : quomodo viſibiliter & perſonaliter,vt ita loquar , ex iis locis reuerterentur,niſi perſonaliter quoq; pręſentes illic fuiſſent,& non ſola animi ſomniatione & imaginatione ? Ergo conſtantes ipſorũ Sortiariorũ cõfeſsiones infinitáque teſtimonia tibi,Antoni,aduerſantur,tuæque ſentẽtiæ.At iſtę ſunt vanæ eorum oſtentationes & animi deliria,ais. Sed nimiùm periculoſa,Antoni.Tunc enim iſta confitentur cùm morti proximi & propter hoc ipſum dãnati ad ſupplicia ducũtur,cùm,cruciantur, cùm eos huiuſmodi verba iuuare ampliùs non poſſunt. Denique vbiq; ita. Præterea quemadmodũ in lib. de Humanitate Chriſti, ſcribit pater ſanctiſsimus Athanaſius,animi cogitationes vtcũque validæ & profundæ corpora tamen noſtra de loco in locum non transferunt,neque alios,qui abſunt, attingũt.

A At Sortiariorum corpora mouentur. Quare fit, vt ſola animi cogitatione iſta iis accidere non ſit credendum. Et quod ad tua argumenta ſpectat, equidem diſtinguendum dico. Quædam ſunt enim de quibus falſò iſti gloriantur, quòd per rerum naturam ea fieri non poſſunt, quæ tamen à ſe contendunt facta. Huiuſmodi omnia vana animi illuſione illis contingunt. At quò minus illic ſint præſentes, quæ cauſſa, obſecro, quæ ratio, quis rerum ordo obſtare poteſt, præſertim cùm inde redeant corporaliter & viſibiliter, id eſt, reipſa, atque ab iis locis etiã corpore abfuerint, in quibus antea verſabantur? Nam ille ipſe reus, quem poſtremùm commemoraſti, quíque ad inferos iit, abfuit per duos dies, & cùm diligenter in toto carcere perquireretur, tamen non potuit reperiri. Ergo quæ cum natura corporum noſtrorum pugnant, ea ſi facta ab iſtis prædicentur, falſa ſunt, & meræ dæmonis illuſiones illa meritò cẽſentur. Qualia ſunt illa quorum concilium Aquileienſe meminit, veluti equitare in luna, conuenire cum Herodiade, cum Diana, cum Minerua, quæ Paganorum deæ B appellantur: alloqui iam mortuum hominẽ, duodecim illos heroas, quos vocant, id eſt, Hectorem, Achillem, Rollandum, & alios ſimiles oculis cernere, & cætera huiuſmodi quæ ſunt mera quidem ſpectra & vana Satanæ figmenta, quæ oculis vel animis hominum obiiciuntur. Huius generis ſunt etiam illa quæ tum ex Auguſtino, tum etiam è libro de Anima & Spiritu ipſe adduxiſti, quæ fieri reipſa non poſſunt, quia cum rerum natura eorũ implementum & veritas planè apertéque pugnat. Sed hoc quod nos de congreſsionibus Sortiariorum & coitionibus & modo ipſo conueniendi affirmamus, quid habet à rerum ordine alienum, aut corporum noſtrorum vi & eſſentiæ contrarium? Denique qui tam certò deffiniũt in iis extraordinariis viſionibus, & in raptu atque ecſtaſi animi prorſus ſempérque corpora noſtra abeſſe ab iis rebus quas tunc cernimus, confidentiùs ſanè loquuntur, quàm ſanctus ille Dei ſeruus & Chriſti Apoſtolus Paulus, qui de ſuo raptu (quanquam is ab eo genere fuit diſsimilis de quo nũc loquimur. nam Dei ipſius, non autem Satanæ manu & po- C tentia euenit.) ſed ille de ſuo raptu loquens 2. Corinth. 12. v. 3. ſic ait, *Et noui huiuſmodi hominem (an in corpore, an extra corpus neſcio: Deus nouit) raptum fuiſſe in paradiſum & audiſſe ineffabilia verba, quæ nõ liceat, homini loqui.* Hæc ſunt, Antoni, quæ tuæ dubitationi, vt credo, ſatisfaciunt, eámque tibi iam, vt ſpero, explicabunt.

Ant. Imò verò eorum ipſorum corpora in eodem lecto & cubiculo deprehenduntur & eſſe & manere, à quibus tamen oportuit abeſſe procul, ſi reuera & perſonaliter in quem alium locum ipſi veniſſent.

The. Perſtas etiam, Antoni, in ſententia. Quã vt planè refutem hoc pernego, quod ais, & vt verum & confeſſum tibi ſumis, Vera eorum corpora percepta eſſe in lecto & cubiculo, dum illi ſe abfuiſſe dicebant. Fuerunt enim potiùs corporum quædam ſimulacra à Satana ſuppoſita, & effigies obiectæ, quàm vera Sortiariorum corpora. Non venit in mentem, obſecro, quid Michol vxor Dauidis fecerit, & excogitarit, cùm fugam mariti ſui celare vellet & patrem Saulem, & patris ſeruos, qui eum ad cædem quærerẽt? Nónne legiſti, quod eſt ſcriptum 1. Samuel 19? quemadmodũ illa aſtutè A quidem, non tamẽ Satanica arte nec Sortiariorum more, pro Dauidis corpore ſtatuam ſuppoſuerit, cui culcitram ſubiecerit, veſtimentis etiam ornarit adeò doctè & ſcitè vt verè Dauidem illic eſſe crederent, qui ſimulacrum ita apprimè adornatum ipſis oculis viderant. Sic Satan vt nos celet ſuorum diſcipulorum abſentiam, pro vero eorum corpore, quod abeſt, ſæpe falſum nobis illud inquirentibus ſubſtituit. Ex quo fit, vt plerique exiſtiment Sortiarios iis cœtibus non intereſſe σωματικῶς, quos ſe adiiſſe tamen contẽdunt, quia falſa & à Satana ſuppoſita in lecto aut cubiculo eorum ſimulacra pro veris corporibus accipiunt & vident. Sed qui ita iudicant, grauiſſimè falluntur.

Ant. Teneo quid dicas. Sed quod ſecundo loco à me propoſitũ eſt, diſſolue. Fieri enim mihi non videtur poſſe, vt aliquando à Satana Sortiarij eò loci deferantur, quod tamen dixiſti.

Theo. Quid tu? nonne verum cenſes quod & Math. 4. v. 8. & Luc. 4. verſ. 9. ſcriptum extat de Chriſto, cum à Satana in pinnaculum templi Hieroſolymitani è deſerto fuiſſe tranſlatum?

Ant. Imò veriſſimum. Sed Dei voluntate id B factum eſt, fuitque hæc tota res extraordinaria.

The. Facilè hoc tibi concedo. Sed eadẽ Dei voluntate iuſtóque eius iudicio fieri dico, vt diabolus Sortiarios ita poſſit contrectare, deferre, & vehere, vt eos omnino in eius poteſtate eſſe appareat. Quòd ſi tam ſanctum & impollutum corpus, quale fuit Chriſti, auſus eſt Satan attingere, in quod nullum ius illi propter peccatum fuit. Si potuit idem Chriſtum ipſum ſublimem corripere & per aerem deferre, non reformidat audax ille aggreſſor Sortiariorum corpora contrectare & baiulare, quãdo illorum & corpus & animum ſuum eſſe iampridem agnoſcit. Quòd ſi Deus in Sortiariorum animos dedit Satanæ poteſtatem, vt à fide abducerentur, multò magis eidem in eorum corpora hoc daturus, vt contrectentur & geſtentur. Multò minùs enim Deus animas quàm corpora hominum concedit Satanæ, quod Iobi exemplo confirmatur, Iob. 2. v. 6. Denique hoc onus vehendorum & deferendorũ Sortiariorum non ſemper ſibi ſumit Satan, ſed aliquando tantùm, & cùm omnem effugiendi congreſſus excuſationem illis C vult eſſe ademptam.

Ant. At mirum ipſe horrorem incuteret, ſi eos attingeret aut contrectaret.

The. Verum dicis, ſi quidem ea forma qua diabolus eſt, illis videretur aut occurreret, quę eſt certè quidem teterrima & formidabiliſſima, ſed alia ſpecie alienóque vultu ſeſe iis offert. Qua enim angelus eſt, videri non poteſt. Sed quemadmodum cùm primùm eos aggreditur & affatur, humana effigie aut alia tolerabili & conſueta illis forma id facit: ita cùm eos deferre parat, ſe in equi vel muli, vel auis, vel alterius animalis ſpeciẽ tranſfigurat. Quid verò? Nonnunquam etiam defert, neque videtur tamen ab iis ipſis. Nam baculum offert, quem tibiis inſerant, certáque verborum precatione in ipſius nomen concepta (quam imperat & docet) baculus iſte eos vehere & geſtare cenſetur eò loci, quò deueniendum eſt, itáque iis perſuadet, tanquam à baculo portentur, cùm ipſe interim eos vehat. Cùm ſit enim naturæ angelicæ, imò verò aeris princeps, vt ait Paulus Epheſ.

A 6.v.12.mirum videri non debet,ſi ea operetur quæ nos nullo modo poſſumus,agátque longè, quàm nos & celerius,& agiliùs.

Ant. Fama quidem de Brunone quodam Abbate accepi, qui temporis momento ex Inſubria Romam à diabolo delatus eſt:item de Theophilo quodam, de quo eadem narrantur. Sed quid tu,Theophile,iſtáne etiam vera eſſe iudicas?

The. Veráne ſint quæ de duobus iſtis ferũtur,nec ſcio,nec admodum curo: Sed hac ratione me in mea ſententia confirmo,quòd ſi Satan,Dei conceſſione, poteſt corpora noſtra lædere & interficere,id quod ex hiſtoria Iobi & aliorum colligitur:multò magis eodem Deo concedente poterit ea portare,ſubleuare,contrectare, & quemadmodum lupus ouem à ſe correptam agere. Nec propterea tamen Satan cenſendus eſt equus, mulus,aut iumentum,quale tunc oculis videtur. Sed ſi quemadmodum Paulus docet 2.Corinth.12. v.14. ille ſe transformat in angelum lucis, multò magis multóque faciliùs harum rerum vultus induit,quia non tam facilè virũ Dei imitatur,quàm B muli ſpectrum poteſt repræſentare. Alexander igitur ille Neapolitanus,quem teſtem antea pro te laudaſti,li.4.Genial.dierum c.19.ſcribit de Thoma quodam monacho, qui vulgò verax vir habitus eſt,eum narrare ſolitum cùm fortè in aliquem ex fratribus monachis acerbius excanduiſſet, & in eo animi æſtu in ſolitudinem ſe ſubduxiſſet, Satanam humana ſibi forma apparuiſſe, cúmque per longum ſpatium comitatum, diu multa perſuadere conaretur. Et cum ad fluentum quoddam magnum in eo deſerto tandem deueniſſent,addebat ſe à Satana arreptum & in humeros ſublatum traductum in alteram fluminis ripã fuiſſe. Ex quibus omnibus apparet nouum omnino non eſſe,ſi quoſdam deferat Satan animo ſibi eos vel lucrandi vel fortiùs obſtringendi.

Ant. Atqui vix fieri poſſe videtur vt tam citò transferat, præſertim in tam longinquum locum in quem ſe conueniſſe aiunt.

The. Antea quid de Chriſto ipſo apertè ſcriptum ſit,Luc.4.v.5.dixi, eum à Satana temporis puncto traductum Hieroſolymas,ipsíque oſtẽſa eſſe omnia regna mundi. Itaque,Antoni,quo- C modo tandiu de hac re dubites omnino non video,cùm tanta ſit vectoris huius,id eſt,Satanę celeritas, & in agendo vis & potentia. Nihil enim hunc impedire poteſt eorum,quæ nobis feſtinantibus obſtant. Neque illi laborioſum aut arduum eſt currẽti aerem diffindere, quemadmodum nobis.eſt enim angelicæ & ſubtiliſſimæ naturę, non autem corporeæ, quia ſpiritus eſt. Quamobrem Auguſtinus in lib.de Diuinatio.Dæmonum cap.3. ſcribit eum curſus celeritate ſuperare velociſsimos homines,vel etiam animalia quælibet, aues adeò ipſas. Cuius ſententiam amplexus Thomas Aquinas in Summa quæſt.110.quęſt.3. ſcribit corpora ipſa Satanæ cedere,inter quæ ſe celeriùs ideo mouet,ne illi eunti & progredienti obſtent. Ac ne amplius de tota hac re ſis dubius, Antoni, aut animi anceps, afferam tibi etiam profanorũ ſcriptorum tum dicta,tum etiam exempla:ne hęc poſterioribus temporis à ſolis Chriſtianis credita exiſtimes.Eſtne,obſecro, quicquam in tota Romanorum hiſtoria notius, quàm raptus ille Romuli primi Romæ vrbis parentis.& cõditoris? Atqui ille à Satana ſub teſtibus multis raptus eſt pro- A pter horrẽdas diuinationes,ſuperſtitiones, latrocinia, & mulierum raptiones, quas ipſe induxerat iuſſerátque. Quanquam enim alij aliter de eius obitu ſcribunt, Plutarchus tamen autor fide digniſſimus,& inter Græcos Latinóſque ſcriptores diligentiſſimus & veriſſimus ſemper habitus, ſic de eo narrat : Certo nimirum quodam die eum à Satana in aerem toto Roma.populo ſpectãte ſublatum & abreptum.Ac à Satana id factum eſſe variæ rerum circunſtantiæ,quæ ab eo commemorãtur demonſtrant. Igitur magna procellæ & aeris tẽpeſtas coorta præceſſit,tantæque tenebrę,quantæ noctis eſſe ſolent,tum tonitrua horroris plena, adeò vt vniuerſus populus,qui illic erat collectus, his tantis terroribus conſternatus trepidiſſimè diffugerit.Atque hoc quidem certiſsimum raptus corporis à Satana facti exemplum eſt. Quod etiã fieri poſſe aliis duobus exemplis & confirmat & illuſtrat idem Plutarchus, Ariſtei nempe Proconeſienſis,& Cleomedis Aſtipaleenſis. Nam Ariſteus temporis momento à dæmone raptus eſt è taberna fullonia,& traiectus in Italiæ vrbem, quæ B Crotona nominatur.Erat autem ea in Calabria ſita,vbi cum multis eſt collocutus.Cleomedes autẽ tãta mole corporis quãta gigas & homo violẽtus, cùm aliquot pueros miſerè & crudeliter occidiſſet ab eorũ patribus cõquæſitus in vaſtiſſima quadã arca ſe,vt occultaret,arctiſſimè concluſit. Ea autẽ ſtatim à patribus iratis reperta & effracta Cleomedes tamen nõ eſt illic inuẽtus.Inde enim à dæmone ſubductus & tranſportatus ſtatim fuerat. Adducerem in medium Alexandri nomine Sexti Papæ Romani raptum,qui in ore omnium eſt ,& conſtantiſſimè fertur à Satana factus. Sed vereor ne id Paparum odio me dicere exiſtimes, quibus certè quidem minimè faueo. Quare ex his omnibus iam illud concludi poteſt,eſſe facillimum Satanæ, qui natura ſua Angelus eſt, noſtra corpora abrepta aliò transferre & traducere, ídque etiam temporis puncto. Ad quod comprobandum etiã illud,quod in hiſtoria Suſannę ver.35.de Habacuc ſcriptum eſt,poſſem tibi commemorare. traditur enim è Iudæa Babylonem ab Angelo tranſuectus, ídque etiam momento. Sed te in meam ſenten- C tiam planè tranſiiſſe nunc arbitror.

Ant. Feciſti tu quidem,Theophile,vt iã mihi nutet animus, nondum tamen omnino impuliſti.Quod feceris,ſi huic poſtremę quęſtioni meę feceris etiam ſatis. Cur igitur ſi quæ dixiſti, vera ſunt, vnguentis & oleis quibuſdam eos vti iubet quos ipſe vehit?nihil enim neceſſe erat.

The. Acrem te ſententię tuę propugnatorẽ video, quando ita inſiſtis ſingulis quæſtionibus: dicã tamẽ quod tibi petis explicari.Ac primùm ne tibi perſuadeas Satanam præcipere omnibus Sortiariis,vt iis vnguẽtis vtãtur.Id enim quibuſdã tãtũ imperat,quos videt aut ad audendũ timidiores, aut delicatiores ad tolerandũ formidabilẽ illũ ſuũ attactũ,quales fœminæ vel etiã viri quidã. Itaque ſtupefacit eorũ ſẽſus iis medicamẽtis, quib⁹ vngi præcipiũtur,ne dũ ferũtur ſentiant dolorem, vel horreãt ipſius manus & raptũ ſuũ. Nec enim vnguẽta iſta aut olea huiuſmodi quicquã ad motum aut iter peragẽdũ poſſunt vel pertinẽt vlla ex parte:ſed adhiberi tamẽ iubẽtur,vel vt ea ratione eos detineat auocétq; à cogitatione cõtactus ſui: vel ſi

certè

A certè proſunt, eatenus id faciunt, quatenus per ea ſenſus corporis conſepulti iacent. Itaque Satan ipſe interim eos aſportat. Quamquã & aliud quoque ſtudet in eo Satan, nimirum vt ſacroſancta eccleſiæ Sacramenta à Deo inſtituta adũbret & perfidè imitetur, quò magis miſeri illi Sortiarij & velint & aſſueſcant ipſi confidere & eum admirari, & tantæ poteſtatis ergò venerari, cùm tamen reuera ipſe ille ſit, qui eos portat & ſubcollatos baiulat quò ſunt transferendi.

ANT. Atqui, Theophile, alius qui volet talem ſibi famulum quærat, ego certè recuſo & toto pectore auerſor.

THEO. Et ego ipſe, Antoni. Sed iam éſtne tibi perſuaſum quod dixi?

ANT. Penè quidem. Tertiæ modò obiectioni & animi mei dubitationi reſponde.

THE. Ecquæ verò illa eſt?

ANT. Non videntur mihi Sortiarij poſſe intoxicare quenquã niſi adhibito & iniecto ab ipſis veneno. Incantationibus enim, figuris, verbis, cõſecrationibus, deuotionibus, aut characteribus B meris & ſolis, niſi aſpergatur quoque venenum, eos lædere poſſe, non ſit mihi veriſsimile. Si igitur Satan illis porrexit venenum, aut miſcere docuit illud quod adhibent, quin facilè illi iam intoxicare queant, non dubito. Quin etiam eorum maleficiorum ſit Satan artifex peritiſsimus non nego. Rerum enim creatarum vires & naturas apprimè nouit. Id quod etiam Auguſtinus lib. 5. de Diuinat. Dæmonum teſtatur. Sed quòd iidem nullo veneno, puluere, radice adhibita lædere aut intoxicare quenquam poſsint, non poſſum in animum inducere meum. Nec enim verba, numeri, figuræ, verborum certa forma, certíſque precationum & præſcriptis formulis demurmurationes, item characteres ad inuenenandos homines ſunt inſtituti, ſed ad alios & diſsimiles planè vſus, quẽadmodum pater Irenæus lib. 2. cap. 40. & 43. apertiſsimè demonſtrat. Nec ille tantùm vir Chriſtianus, ſed etiam tam vanam quorundam ſententiam alicubi irridet Ariſtoteles autor ethnicus, nedum vt eam nos Chriſtiani homines comprobemus. Præterea illud ex certiſsimis Phyſicæ ſcientiæ re- C gulis deffinitur, Nullam omnino actionem ſine medio interueniente, & extremis rei patientis applicato fieri poſſe. Exempli cauſſa, Cùm me impellis, manus tua me attingit: cùm ab igne calefio, ignis primùm aërem calefacit, aër autem me. Id quod nullo modo interuenit, cùm per verba aut characteres, aut figuras, aut verborum certas formulas intoxicatio fieri dicitur. Itaque Plinius ſcriptor in omni penè rerum genere verſatus, lib. 28. Natur. Hiſtor. cap. 2. iſta fieri poſſe apertè, & omnino mecum pernegat.

THE. Iam verò longe doctior mihi videris, Antoni, quàm antea & initio ſermonis huius noſtri, vbi primarum ſcholarum tantùm memineras: nunc etiam te ſummum Phyſicum exhibes, facíſque vt difficilius certamen ingrediar: tuæ dubitationi tamen reſpondebo. Negáſne, Antoni, quod eſt ſcriptum Pſal. 58. v. 5. 6. de ſerpente? & ita Bucchananus poëta Chriſtianus ſuauiſsimè cecinit,

Lingua venenum peſtifera gerunt,
Auréſque occludunt conſilijs, velut
Obturat aures callida aſpis,
Quæ magicos metuit ſuſurros.

ANT. Minimè id quidem. A

THE. Ergo negare non potes quin ſono, verbis & incantationibus Magi & Sortiarij noceant, & aliquid efficiant.

ANT. At iſta non niſi medio quodam adhibito fiunt.

THE. Hoc verum eſt, quod dicis. Interuenit enim & modus & medium aliquod, illúdque conſentaneum & aptum ad iſta omnia maleficia perpetranda: ſed ab ipſo Satana adhibitum, non nobis, non ipſi Sortiario notum. Efficit igitur Satan, id quod ego tecum affirmarim, vel venenis iniectis vel alio modo, quanquam nobis admirabili & inuiſibili, quæcunque ſolis iſtis figuris, verborum formulis & characteribus videntur euenire.

ANT. Quomodo id?

THE. Primùm ex fœdere & pacto Satan illis inuocantibus & adiurantibus adeſt, & obſequitur implétque ipſe quę figurarum verborum iſtorum aut characterum vi & energia effici poſſe promiſit, tum vt verus, tum etiam vt potens appareat, & illa, quæ demonſtrauit, magnæ eſſe poteſtatis & mométi planè perſuadeat. Qùa ratione & fortiùs B ſibi obſtringit vanos iſtos homines, & ad ſe religioſiùs colendum impellit. Atque in creaturas transfert apertè diuinæ maieſtatis & potẽtiæ munus, quò homines Deum lubentius deſerere, ipſis autem creaturis obſtupeſcentes adhærere, i. veri idololatræ tandẽ euadere velint. Præterea hoc modo ſimiarum more vera illa Sacramenta quę Deus dedit eccleſiæ ſuæ, imitari ſtudet, & in contemptũ adducere, pariáq; ipſe facere videtur poſſe, deniq; in ipſa ſigna rei ſignatæ vim & effectum traducit.

ANT. Non fiunt igitur iſta ſolis verbis, ſolíſve characterum formis, ſed etiam mediis quibuſdam venenis vel occultis illis quidem, à Satana tamen adhibitis & modo etiam ignoto quem nec Sortiarios ipſos docuit.

THE. Rectè, Antoni, intelligis. Eſt enim Satanæ in eo ſuo ſcelere tegendo, artificióque celãdo ſumma fraus. Itaque ipſius cum Sortiariis pactum conuentum ei ſimillimum mihi videri ſolet, quod latrones duo in ſyluis graſſantes inire ſolent. Illi enim vt tutiùs lateant, & vt cautiùs atque faciliùs inſidias iter facientibus ſtruant, ita agunt, & con- C ſentiunt inter ſe, vt eorum alter in ipſo itinere appareat, alter in ſyluis abditus lateat, qui tamen ad certum quendam ſibilum & ſignum de quo inter eos conuenit, excitatur, & tranſeuntem viatorem indicatum iugulat, quamquam prior ille etiã ſceleris ſocius & conſcius quo inſtrumento id ab altero factum ſit, ſępe neque viderit ipſe neq; ſciat. Alio etiam exemplo idem illuſtrari atque tibi explicari poteſt. Solent homines nobiles qui cũ aliis graues inimicitias exercent, adiungere ſibi ſeruos audaciſsimos, eóſque habere comites, quibus cùm innuerint certa quidẽ, ſed inter eos ſolos nota ratione, tunc illi ſibi indicatos & infeſtos dominis ſuis adoriuntur, etiã ſæpe abſente, aut nõ ſpectãte domino qui id facere tamen iuſsit. Eodem modo Satan ad ſigna illa conuẽta adeſt, & promiſſũ ſuũ præſtat, idémque exequitur quod Sortiarij volũt, vt eos magis magíſq; ſemper habeat obſequẽtes. Itaq; hoc dicã amplius, etiam has figuras & characteres ipſa per ſe nihil niſi mera nugamẽta & ludicra oculorũ ſpectacula eſſe, quæ à peſsimo pręceptore propoſita miſeros illos detinẽt, nec rationẽ

A huiuſmodi euentus aliam veriorémque exquirũt, quanquã hæc ipſa nullius ſint momenti ad id efficiendum quod conãtur,nec ab ipſis Sortiariis intelligatur,quid quãtúmque proſint. Sed quemadmodum ludiones & circulatores quidam qui mira in medio circo facere videri volunt , varia manuũ geſticulatione,multíſque verbis profuſis aures & oculos ſpectatorum occupant & obtundunt, ne percipiant qua ratione pro duobus cippis tres aut quatuor quos inter digitos occultabant , fuerint ſtatim ſubſtituti(quod omne tamẽ ſola manuum ſubtilitate fit:)Sic Satã ſuis, quos à diligentiore iſtarum rerũ inquiſitione arcere vult , vana iſta figuratum,& verborũ figmenta & ſpectra ſiue ſpectacula obiicit,vt iis obſtupefacti retineantur,neque diligentiùs altiúſque,cur hoc fiat,perſcrutentur:quæ tamen non ſunt ex vllo cauſſarum genere ad huiuſmodi euentus comparata.

Ant. Quanam igitur ratione Satan ipſe operatur,dũ incantationibus aut ſuperſtitioſis characterũ deſcriptionibus aut certis precationum formulis agere videtur,iã mihi Theophile,expone.

B The. Hoc ipſum ſtudeo. Ac primùm illud conſtituo habeóque apud me certiſſimum,Antoni,Satanam non niſi & per cauſſas & per modum naturalem efficere quicquam poſſe. Nam quicquid ille vel ipſe per ſe , vel per ſuos & Magos & Sortiarios facit , aut omnino mera animi oculorúmve illuſio eſt,aut verus cauſſarum tantùm naturalium effectus. Aliud enim aut potentius agere nihil quicquam poteſt.

Ant. At nónne miracula etiam facere,quemadmodum loquitur Paulus 2.Theſſal.2.ver.9.& in Apocalyp.16.v.14.dicitur?

The. Quid verò,Antoni,appellas miraculũ?

Ant. Voco miraculum opus aliquod , quod contra vim ipſis rebus naturalibus à Deo inſitam efficitur,quemadmodum cùm ferrũ enatat ipſum per ſe ex aqua , quod in hiſtoria Eliæ narratur 2. Reg.6.v.6.quando lapis inſidet aquę,cùm aqua in vinum reuera conuertitur,cùm mortui verè , non C autem fictè excitantur,& reuiuiſcunt.

The. Verè tu quidem , Antoni , & propriè deffiniſti quid ſit miraculum.Nam quemadmodũ Auguſt. ſcribit, id tantùm miraculum dici debet, quod omnes omniũ rerũ creatarum vires ſuperat, nec ab iis effici poteſt.Itaque miraculũ ſolius Dei potentię opus eſt,quod eſt eo nomine dignum & propriè appellandum.Paulus autẽ & Apocalypſis hac voce iis locis quos tu laudaſti ,tã ſtrictè tamque anguſtè non vtuntur, ſed latiùs pro omni eo opere , quod & nouum & mirum hominibus videri ſolet,quamquam & modo & ex cauſſis etiam naturalibus producitur.Vnde vox illa Miraculum pro eo accipitur ſæpe,quod rectiùs Mirum dixerimus.Nam quod ad miraculum , quemadmodum tu ipſe illud & verè quidem deſcripſiſti , à Satana fieri certè quidem minimè poteſt.

Ant. Quid igitur?éſtne aliqua inter Mirum & Miraculum differentia?

The. Latiſſima,ſiue rẽ ſiue nomẽ ipſum ſpectes.Iam enim quod ad vocẽ ipſam,aliud eſt Mirũ , quòd σημεῖον & θαῦμα à Græcis ferè appellatur: aliud autem Miraculũ, quod τέρας.vnde vóces iſtas diſtinguit lib.3.de Trinita.Auguſtinus.Eſt igitur Mirum , opus non vulgare illud quidem & commune, ſed tamen quod per cauſſas naturales efficitur & producitur:quanquam eæ ſæpe nobis ſunt A omnino ignotæ,aut paucis tantùm cognitæ , vel etiam ea via & ratione fit,qua nos homines vti,etiam in eadem aut ſimili re neque ſolemus neque etiam didicimus.Exempli cauſſa, cùm magnus ille & ingenioſus artifex,atque etiam ſummus philoſophus Archytas Tarentinus ligneam columbam per aerem volantem oſtẽtaret,erat ea quidem res mira,non tamen miraculum. fiebat enim iſte motus in corpore ligneo certis æquilibriis,certáque linearum ratione & artificio,& conſtitutione tam arcta,vt vna alteram attraheret.Itaque totum hoc fuit naturale opus. Cùm idem Archytas efficiebat,quod in vita Marcelli ſcribit Plutarchus,dum in Sicilia obſiderentur Syracuſę,vt adoleſcẽs vnus nauem onerariam ingenti ponderis vnco traheret & attolleret,mirum opus erat,nõ miraculum. fiebat enim per cauſſas naturales & cochleas, ex Mathematicorum regulis.Sic docti medici multa mira efficiunt,ſic hodie Mechanici qui dicũtur,nulla tamen miracula. B Itaque quoad ea quæ mira dici poſſunt,Satan quidẽ facilè & nullo negotio multa efficit , longéque excellentiora quàm illa quæ nos homines poſſumus,quia illius præ noſtris,& vires & ingenium eſt longè præſtantiſſimum.Nulla tamen miracula idem facit.

Ant. Cur ita?

The. Propter varias rationes,imprimis autẽ tres. Ac prima propter naturæ ipſius Satanæ præ noſtra excellentiã.Eſt enim angelicæ & ſpiritualis naturę:nos autẽ & terreni & carnales ſumus.Quãobrem multa poteſt quę eadem non poſſumus.Secunda verò propter motus & actionum ipſius celeritatem. Puncto enim temporis tantum itineris & vię conficit,quantum nos graues & lenti vel ſex diebus poſſemus.Quare momento tẽporis ex hoc loco in illum etſi longiſſimum fertur, quia ne aër quidem illi obſiſtit.Tertia autem propter variam rerum naturaliũ cognitionẽ,longámque experiẽtiam quam nactus eſt,cui noſtra comparata planè ignorãtia eſt.Quare fit vt etiam in rebus naturalibus & ſciat & efficiat quæ nos non aſſequimur. C

Ant. Cur autem , vt vis,vera miracula operari Satan non poteſt?

The. Primùm quòd in miraculo vero edendo,oporteat deſtruere & abolere à Deo datam iã rebus ipſis naturam.Id quod Satan nequit. Solius enim eſt Dei,vti condere & creare,ita euertere & abolere naturam rerum. Secundùm,quòd in miraculo ſit neceſſe nouas vires & proprietates rebus ipſis inſerere. Id quod ille nullo modo etiam poteſt.Eſt enim verus Deus ſolus proprietatum, quæ rebus inſunt,autor & creator.Tertiùm,quòd verum miraculum eſt huiuſmodi opus,quod rerũ omnium creatarum vires & potentiam excedit, quamlibet ſint illæ excellentes.Quare Petrus Act. 3.ver.12.cùm claudum illum ſanaſſet & verè miraculum edidiſſet,ita inquit,*Viri Iſraelita,quid miramini ſuper hoc , aut quid intentos oculos in nos habetis, quaſi propria vi aut pietate effecerimus vt hic ambularet? Deus Abraham,Deus Iſaac,&c.* Quibus verbis, vt vides , demonſtratur vnius Dei propriam eſſe faciendorum miraculorum poteſtatem.

Ant. Atqui Angeli benedicti , Apoſtoli, multíque etiam viri pij miracula fecerunt.

The. Deo quidem operante in illis fecerunt miracula.Ipſa enim poteſtas quę illa efficit,in vno

Deo

A Deo reſidet,penes enim vnum eſt, nec in creaturā vllam vnquā tranſportatur.quia vt eſt apud Iſaiā, gloriam ſuam ſibíque propriam nunquam dat alteri Deus.Itaque illi,quos proximè commemoraſti,boni angeli, apoſtoli,prophetæ & fideles homines,fuerunt in edendis miraculis,quę feciſſe dicuntur,Dei tantum inſtrumenta,& ea quidē merè paſſiua,non autem actiua,vt vocant: nec ſequitur tamen quod ſi in miraculis Deus eſt vſus illis ſuis ſeruis:Satana quoque vtatur, & per eum miracula facere velit.non vult enim Deus,ídque iuſtè, gloriam ſuam diabolis & Satanę cōmunicare ea menſura,qua Angelis beatis & ſanctis hominibus cōfert.Id quod vel ex eo ſatis conſtat, quòd Moſes & Aaron ſerui Dei fecerunt verè miracula, quæ tamen Pharaonis Magi, quanquam exercitati in Satanicis artibus diſcipuli & præſtantiſſimi ipſius miniſtri,efficere nunquā potuerunt,agnouerúntque ipſi ſolius Dei digito præſtari,& omnem vim naturæ longè ſuperare,vt eſt ſcriptum Exod. 8.v.18.Atqui huius inter Satanam & veros Dei ſeruos diſcriminis, diuerſique Dei conſilij,hęc ratio eſt, B quòd Satan in edēdis miraculis nō ſpectat Dei gloriā: at boni angeli & ſancti viri eò ſolùm reſpiciūt & tēdunt.Itaque miraculorū Dei inſtrumēta ſæpe hi ſunt,iſte autem nunquam. Et quanquam illud verum eſt,Satanam nihil omnino poſſe, niſi quātum, & quando & in quibus rebus Deus ipſe illi concedit:tamen rerum ordinem à Deo conſtitutū neque euertere,neque immutare poteſt,neque tāta illi poteſtas à Deo tribuitur,neque etiam vt per alias res,quàm naturales,operari valeat, etſi ſæpe quidem nobis ignotas,deinde etiam quas ea celeritate impellit, vt totum ipſum opus miraculum nobis eſſe videatur. Citò enim colligit ea media eáſque cauſſas,quibus agit. Verbi gratia, ſtatim nubes cōgregat,vnde emittit pluuiam:confeſtim cogit & ſpiſſat aerē, vt ex eo condenſatum quoddam viſibile corpus & ſpectrum nobis obiiciat: venena momento miſcet,vnde lædit.Continuò ea repræſentat aut fugat quæ petuntur poſtulantúrque ab eo.Præterea ita celeriter hæc omnia efficit, vt mira nobis videatur iſtarum rerum celeritas, quę tamē ſingula per cauſſas naturales fiūt. Quare C quēadmodū antea dixi, figuræ,delineationes, ſoni,incātationes,deniq; certarū precū demurmurationes ſuperſtitioſæ, nō ſunt rerū à Sortiariis effectarū cauſſę, ſed tātùm promiſſionis à Satana illis factę ſymbola & arrhabones.Itaq; facit Satā ipſe, quę illi conātur & quæ putāt ſe iis rationibꝰ præſtitiſſe & effeciſſe. Ipſe enim hoc ſymbolū inſtituit, quod inutile non vult videri,aut abſurdū & nugatoriū. Itaque vnius Satanæ opera huiuſmodi omnia fiunt & eueniunt.Nec in eo vnius Hieronymi qui de eo ambigit,ſententia nos mouere debebit.Nam nutat ipſe,& contra hunc apertè ſentit Ioan.Chryſoſtomus in ſuis homiliis in epiſtolam Pauli ad Galat.cap.3.v.2.item & alij non minoris autoritatis. E recentioribus etiam quid doctiſſimus ille Theologus Petrus Martyr in 1.Sam. cap.28.ſcribat,ſciunt omnes.Quare vt ſemel concludam,omnia hæc ex pacto agit Satan.Eadem etiam ratione fit, vt diaboli à Sortiariis coniurentur,vt aiunt, & exorcizentur:aut euocentur, aut aduocentur & adſint præſentes & colloquantur, quòd ipſi hoc ſignum & ſymbolum conſtituerūt, ad quod ſe repræſentarent,aut abigerentur. Hac ratione Numa Pompilius ſecundus Romanorum A rex,& magnus,ſi quiſquam alius,Magus & Sortiarius,ſæpe ſæpius cum diabolis & congreſſus eſt & collocutus, quemadmodum in ipſius vita autor grauiſſimus Plutarchus ſcribit. Cùm autem,Antoni, tribus illis tuis dubitationibus reſponſum ſit,quid reſtat amplius?

ANT. Quæro ex te,Vtrùm omnia Sortiariorum venena ſunt lethalia, & mortis periculum inducunt?

THEO. Cur à me hoc ſcire vis,quod ne ipſi quidem illi ſciunt? Solus enim Deus id nouit, in cuius manu mors & vita noſtra ſita eſt,nō in Sortiariis,nō in ipſius diaboli poteſtate, quemadmodum Eccleſiaſtici cap.8.verſ.9. eſt ſcriptum. Ipſe quidem Sortiariorum animus & affectus in eo varius eſt: ſæpe enim vt noceant tantùm ad tempus,venena ſua infundūt:ſæpe autem vt ſint prorſus lethalia. Itaque minis territi conantur ea extinguere & tollere ab iis quibus iniecerunt, & operam Satanæ propterea implorant,ſed tamen ſępe non poſſunt adimere, quicquid tentauerint, quòd aliter de nobis Deo viſum ſit. Ille enim terminos B vitæ noſtræ conſtituit, qui præteriri non poſſunt,vt eſt Iob.14.v.5.

ANT. Quid præterea,Theophile, poſſúntne poſtquam in poteſtatem iudicum venerunt, & in carceribus ipſis vti ſuis illis venenis,& nocere?

THE. Si dicam quod ſentio,poſſe eos reſpōderim,ſi modò cum ſuo Satana communicent. Si quæris quod hominum vulgus ſentit, non poſſe. Ergo ſi liberè & commodè poſſent & venena ſua habere,& eum Satana colloqui,quemadmodum aliàs ſolent,& cùm ſunt domi ſuæ, poſſe eos etiam in medio carcere intoxicare dixerim. Nec enim impedit vel iudicis autoritas ipſa per ſe, vel locus. Cuius meæ ſententiæ fidem facit, quòd Sortiarios multos Satan etiā in ipſo carcere ſtrangulauit, & ad necem vſque pugnis mulctauit,quòd etiam iā à iudicibus damnatos & in carcere vinctos,ad mortem & ſuſpendium adegit.Cuius rei infinita penè exempla tibi commemorare poſſum. Sed duabus C tamen de cauſſis videntur mihi Sortiarij in carcere conſtituti non intoxicare. Prima, quòd commodè illic venena ſua habere non poſſunt.Secunda,quòd liberè cum ſuo artifice & doctore Satana communicare non audent,Se enim putant obſeruari,& vincti ſunt,& non niſi per carceris cuſtodem, id eſt, teſtem adhibitum ſua venena habere poſſunt.Id quod maximè timent, ne à iudice deprehendantur. Quare ferè non ſolent dum ſunt in carcere quenquam lædere Sortiarij. Vnde prudētes & ſeduli iudices maximè dant operam,vt dum ab iis non ſperantur aut exſpectantur,adſint tamē, vt eos obſeruent. Denique verentur Sortiarij ne iam vincti conuincantur vti ſuis venenis,quod facilè fieret.Eſt enim hominum genus & timidiſſimum & ignauiſſimum Sortiariorum,quod Deum reiecit.itaque plurimum ſibi proſpicit & cauet.

ANT. Certè,Theophile, in tuam me ſententiam planè adducis. Itaque iam & Sortiarios eſſe credo,& intoxicare poſſe,& infinita illa maleficia, quæ commemoraſti perpetrare. Sed qua tandem pœna digni ſint tam ſcelerati homines, & in Deum perfidi & nefarij,obſecro te,expone.

CAP. V.

Qua pœna digni ſint Sortiarij.

THEOPHILVS.

NOn eſt meum, Antoni, leges condere aut promulgare vllas, quod reges, & in quaque ciuitate principes ſoli poſſunt. Deinde ita vſus & mores hominum iam obtinuere, vt ſcelerũ pœnæ propè omnes ſint arbitrariæ. Id tantùm igitur reſpondere poſſum, Sortiarios tanquam publicos humani generis & illius autoris Dei hoſtes, eſſe quoq; publico omniũ hominũ & ordinũ odio digniſſimos. Sunt enim à fide ſceleratiſſimi apoſtatæ, Dei potentiæ perfidi abiuratores, rei læſæ Maieſtatis diuinæ, transfugæ teterrimi, proditores Dei fœdiſſimi, aſſeclæ diaboli turpiſſimi, denique diabolici venefici & impoſtores. Quare & vt veneficus & vt apoſtata puniri à magiſtratu rectè poteſt Sortiarius, quia & Deum deſeruit ſuũ creatorem: & in Satanæ partes & caſtra manifeſtè trãſiit. Vnde fit, vt lege Dei Sortiarius morte damnetur, Deut.18.verſ.10.& alibi inter grauiſſima teterrimáque ſcelera recenſetur 1.Sam.15.ver.23. Sed & ſancta patrum cõcilia eccleſiaſtica eoſdem execrantur. Velut Conſtantinopolitani concilij ſecundi artic.60.61.& 26.quæſt.1.2.3.quæ ſunt iuris canonici leges. Iure autem ciuili Romanorum hęc hominũ genera grauiſſimè puniuntur. Lege enim Iulia de veneficis, capitis pœna in eos ſancita eſt. Sed nec ea contentus imperator Leo, ipſe nouella authentica conſtitutione ſua 65. eoſdem grauiori pœna affecit. Denique nemo vnquam fuit tum veterum tum etiam recentiorũ hominum rectè ſentiens & ſanus, qui non fateretur hos eſſe peſſimos omnium mortales, itaque pœna acerbiſſima dignos ſemper iudicaret.

ANT. Demiror igitur quomodo etiam hodie exiſtant iudices quidam tam molles, & parum toti humano generi beneuoli, vt vereantur, vel nolint tam horrendas feras, quales Sortiarij, è medio tollere, & ſi quando in eorum manus inciderint, punire.

THEO. Miror & ipſe, Antoni, qui certè oſtendunt hac ſua animi leuitate, quàm verè Deum contemnant, ſintque ipſius cultus & honoris magni ſpretores & aperti: cuius acerrimos & coniuratos hoſtes deprehenſos impunitos dimittunt, & ſinunt ſuperſtites viuere. Sed quid reſtat, Antoni, quod ex me ſcire cupias?

CAP. VI.

Vtrum liceat homini Chriſtiano Sortiariorum opera & auxilio in morbo aliiſque rebus vti.

ANTONIVS.

VTrùm homo Chriſtianus poſſit saluâ animi pietate & conſcientia eorum auxilio vti in morbo curando quem vel ipſi vel eorum ſocij immiſerũt, aut cuius ſe remedium ſcire profitentur. Denique vtrùm eorum opera iuſtè vti poſſimus, ſiue in publicis ſiue in priuatis rebus commodi alicuius gratia, veluti in bello ipſo.

THE. Tandem, Antoni, longiùs me protraxiſti, quàm primùm inſtituiſſem. Sed quia hoc argumentum iam ſum ingreſſus, idque ipſe, cui nihil denegare poſſum, petis, dicam non grauatè. Ac primùm quidem non fuerunt de eo eædem omnium hominum ſententiæ, ac ne legum quidem ipſarum. Nam à quibuſdã hominibus inducta eſt hæc diſtinctio damnabilis, vt Sortiariorũ quoſdã bonos, quoſdã malos appellarent. Quoad leges, non omnes inter ſe conſentiunt, inter quas tamen diuina ſemper vna & eadem fuit, ſibique ipſa conſentiens. Eos enim vbique damnat & punit. *Veneficum*, ait lex, *viuere non ſines*, Exod.22.ver.18. Leges autem humanæ variæ extant, ſibíque etiam nonnunquam contrariæ. Nam quandiu Reges & qui rerum ſunt potiti, idolis ſeruierunt, etiam Magorum & Sortiariorum opera & auxilio ſunt ſine animi ſcrupulo vſi: quorum exemplum ſubditi poſtea ſecuti, & ipſi paſſim eos homines quanquam impuros in pretio & vſu habuerunt. Id quod adhuc fit à Barbaris quibuſdam gentibus & idololatris, quales quæ ad extremum Septentrionem & Orientem habitant, & in regno quod dicitur Cãbalu, vbi Magnus ille Tartarorum Chanus & rex ſedem habet. In omni Perſarum imperio etiam num hodie iſtorum hominum artes & induſtria probatur. Fuítque ſæpe habitum inter ethnicos homines pro ſumma doctrinæ laude, ſi quis peritus Magiæ cenſeretur. Apud Ægyptios, vt apparet ex Scriptura Exo.ca.3.proculdubiò laudabantur. Romæ etiam Imperatores quidam Magiæ ſtudio ſe dediderunt, & Sortiariorum operam adhibuerunt. Nero Imperator, quemadmodum in eius vita Suetonius ſcribit, ſummus inter Magicæ ſcientię magiſtros habitus eſt, quanquam tamen poſtea huius artis vanitate deprehenſa totum hoc ſtudiũ abdicarit & damnarit, vt C. Plinius tradidit. Adrianus quoque Imp. Nerone poſterior (quod in ipſius vita ſcribit Dion hiſtoricus) huic arti operã dedit, atque etiam Sortiariorum opera ad ſanandam hydropiſin in quã inciderat, vſus eſt. Hũnorum gens vniuerſa, quemadmodum ſupra ex Gregorio Turonenſi commemoraui, in bellis gerendis procurandáque victoria eorundem auxilium adhibuit. Cyprianus ipſe, qui poſtea Chriſtianus factus eſt, & epiſcopus Carthaginenſis, antequam ad fidem Chriſti conuerteretur, huic ſtudio & addictus & intentus admodum fuiſſe legitur, quod poſtea ſummo Dei beneficio abiurauit repudiauítque. Quæ omnia exempla ſatis oſtendũt, quàm fuerit inter profanos & veri Dei ignorantes homines in pretio horum hominum opera, aut certè non damnata nec improbata vanitas & impoſtura, cùm ea vulgò in vſu eſſet. Sed cùm in huius auxilij & artis cura & miniſterio multa vana, multa abſurda, multa etiam viſu horrenda deprehenſa eſſent, tum propter dæmonum inuocationes, tum etiam miros hominum iſtorum geſtus & ſuperſtitiones, paulatim etiam ſuboleſcente fide Chriſtiana, factum eſt vt Romanorum imperatorum legibus poſtea non licuerit paſſim Sortiariorum hominum opera vti, ſed demũ ſi ita publica quædam vel priuata vtilitas ſuaderet. Itaque in Codice Iuſtinianeo lib.9.tit.18.l.iiij. ſic ſcriptum eſt, quæ eſt lex à Conſtantino Magno edita:

Eorum eſt ſcientia punienda & ſeueriſſimis meritò legibus vindicanda, qui Magicis accincti artibus, aut cõtra ſalutem hominum moliti aut pudicos animos ad libidinem deflexiſſe deteguntur. Nullis verò criminatio-

nibus

A *nibus implicanda ſunt remedia humanis quæſita corporibus,aut in agreſtibus locis innocenter adhibita ſuffragia,ne maturis vindemiis metuerentur imbres,aut ventis,grandiniſque lapidatione quaterentur, quibus non cuiuſquam ſalus aut æſtimatio læderetur , ſed quorum proficerent actus,ne diuina munera & labores hominum ſternerentur. Datum X.Calend.Iun. Aquileiæ,Criſpo & Conſtantino Coſs.*

Ant. Mira quidem lex , Theophile,& perniciosa parúmque Chriſtiana,ſi modò eam Imperator Chriſtianus Conſtantinus primus tulit & promulgauit.

The. Imò verò ſic mihi perſuadeo, Antoni, nondum tunc verè fide Chriſtiana imbutum fuiſſe Conſtantinum,cùm illam ſcripſit. Vide enim quantum Magis & Sortiariis tribuit.Vult enim vt eorum arte liceat vti, modò commodo aliquo id fiat.Id quod ſanè nõ cõcederet, ſi eſſet ipſe Chriſtianus.Itaque ea lex à Leone poſtea non tantùm emendata,ſed omnino antiquata eſt. Vetat enim B ne quacunque occaſione iis vtamur, totúmque hoc Sortiariorum miniſterium impoſturam & fallaciam appellat. quam poſteriorem legem tanquam ſanctiorem ſummus omnium hominum cõſenſus poſtea cõprobauit. Auguſtinus,cuius verba extant deſcripta cano. Admoueant.26. q.7. docet iſtorum auxiliũ merã deceptionẽ meráſq; Satanæ inſidias eſſe.Denique ca.2.tit. De Sortilegis. Extra in Decretal. hoc ipſum damnatur. Quorũ omniũ iudiciorum ratio eſt certè quidẽ æquiſſima.

Ant. Quænam verò illa eſt?

The. Quòd nullum nos cum Satana commercium habere oporteat, ſiue id directò & mediatè,vt loquuntur, ſiue indirectò aut etiam immediatè fiat:nec eius ope,re,aut conſilio adiuuari vllo modo debeamus. Eſt enim verus Deus ad quem nobis eſt ſemper & in omni afflictione recurrendum.Cur enim , de quo ſtomachabatur & rectè quidem Elias propheta 2. Reg.1.v.3. à Beelzebub conſiliũ & auxilium petimus,cùm ſit Deus in Iſrael?Ergo ita Deo adhærere atque ex eo pendere nos oportet , C vt nulla ratione nullóque modo vel Satanam ipſum , vel ipſius miniſtros vllos (quales Sortiarij)approbemus,ambiamus,aſſectemur,quemadmodum monemur Pſ.81.v.11.Neque enim duobus dominis ſeruire poſſumus,Deo nẽpe & diabolo. Quare huic renuntiandum planè eſt,vt illi omnino & ſoli adhæreamus.

Ant. At iſtorum auxilium & ſæpe rectè ſucceſſit atque feliciter.

The. Infirma eſt iſta ratio & prorſus inualida. Dei enim præceptum potiùs ſpectandum eſt, qui nos quacunque de cauſſa ad Sortiarios ire vetat,vt eſt Deut.18.verſ.10.Quid enim aliud agit ea via Satan , quàm vt nos à veri Dei metu abducat, ad ſe autem traducat?Namque quicquid auxilij ab eo accipimus , vt corporibus noſtris medeámur, cedit in animarum noſtrarum peſtem & perniciẽ. Se enim ſeparant à Deo homines hoc modo, quæ vera animarum mors eſt. Vnde fit , vt omnis illa Satanæ Sortiariorúmque opera & auxilium ſit lethale animæ venenum, quod cane peius & angue, vt dicitur,fugiendum eſt.Sed quòd quibuſdã feliciter ea res ceſſiſſe dicitur,id quãtulũ eſt,& quàm raro accidit?quando è decẽ qui ad eiuſmodi auxiliũ confugerunt,vix ac ne vix quidẽ vnus reperiatur qui opẽ ſenſerit. Deinde iſta non ex ſucceſſu, ſed ex Dei præcepto ſunt ſtatuẽda.Nam & qui furatus eſt,ſępe lautius viuit:probandúmne propterea furtum erit? A Ergo vt omnes qui hoc remediũ tentarunt, bene ſemper habuerint , ídque concedatur,quando aperta eſt de eo adhibẽdo Dei prohibitio,ne hoc quidem oblatum nobis acceptare debemus,nedum vltro ipſi quærere. Si quando enim ad alterius,quàm vnius Dei auxilium confugimus , prodimus in eo turpiſſimam animi noſtri diffidentiam,infidelitatem,rebellionem atque etiam ſceleratiſſimum numinis Dei contemptum. Quibus vitiis & malis ipſius iram , imprimis autem mortem æternam in nos attrahimus.

Ant. Quid igitur ? nullóne modo Sortiariorum auxilio & opera licet nobis vti , vt aliquod noſtris malis remedium adhibeamus?

The. Quidam in eo diſtinguunt. Si enim id fieri à nobis velit & iubeat magiſtratus , nos tunc ſalua conſciẽtia eorum auxilio & remediis vti putant poſſe.Aliter autem,neque concedi , neque etiam eſſe fas contendunt.Itaque quãdo magiſtratus ipſe iubet eos opem ferre nobis,non autem ipſi eorum opem imploramus,in eo à nobis dicũt non peccari,ſi eos admittimus. B Quod ſi ad eos ipſi vltro recurrimus,tunc imploramus,aiunt , eorum opem,iis blandimur & applaudimus,& amicè ad nos inuitamus.In quo grauiter peccatur.Sed ſi nobis non petentibus id fieri ipſe magiſtratus velit & imperet, tunc penè inuiti eorum auxilium ſentimus,in quo caremus omni animi ſcrupulo & culpa. Interuenit enim magiſtratus tanquam Dei ipſius autoritas, cui parere oporteat , quia à Deo habet imperium. Hoc igitur eſt iſtius diſtinctionis fundamentum ſiue firmamentum. Sed quàm ſit illud infirmum,imò etiam & vanum & falſum, vide,Antoni. Primùm , vetat generaliter Paulus Rom.3.v.8.ne vmquam malum faciamus , vt inde bona eueniant , quacunque tandem autoritate id facere iubeamur , ſiue iudicis & magiſtratus , ſiue alterius cuiuſquam.Deinde argumentari , credo, licebit nobis à pari. Si iudex & magiſtratus idola colere iubeat,ſi furari,ſi mœchari , Satanam amplecti,poſſumúſne ea tunc facere ſalua conſcientia,quia iubet magiſtratus? C Nemo certè, quemadmodum puto,ſanus vmquam conceſſerit. Cæterùm cùm idẽ magiſtratus iubet vt Sortiarius Satanica ſua opera nos iuuet,& vt ipſi nos ea ratione curandos præbeamus,illíque committamus præcipit apertè,ídque facimus:perpetramus , aſſentimúrque malo.Itaque ne ſi per totum quidem vitę curriculum nobis ęgrotis in lectulo decumbendũ eſſet,ad huiuſmodi opem & artes Satanæ recurrẽdũ eſt , etiamſi velit & imperet magiſtratus etiam ſummus.Neque enim iſtud fieri poteſt,quin Satanæ vires agnoſcamus,cuius auxilio vtamur, & acquieſcamus,cui tamẽ per baptiſmũ noſtrũ omnino atque iãpridem renũtiauimus. Nec verò eſt in poteſtate Satanæ efficere vt vel viuamus, vel moriamur,ſed ſolius Dei.Hoc quidẽ conſuli & cõcedi poteſt. Quòd ſi qui Sortiarius eſſe dicitur,poteſt nulla ſuperſtitioſa ratione nullóque cũ Satana cõmercio,ſed ex medicorum regulis & præceptis conceſſíſque medicamẽtis nobis mederi , tũc eius manu,opera , & auxilio vti ſaluo Dei metu nobis licere.Cùm enim quæ offerũtur remedia nihil habẽt dãnatũ aut contagionis cũ Satanæ artibus,ſed innitũtur cauſſis veris & naturalibus , ídq; cõſtat, tunc ea acceptare poſſumus,nõ ſpectato, ſi vel vir vel fœmina,ſi vrbanus,vel ruſticanus ea porrigit, A applicat,aut didicit. Nã nec omnes qui hoc Sortiarij crimine apud vulgus prægrauantur,ſunt tales,& ſæpe quidam immeritò in ſuſpicionẽ iſtam venerunt. Quamobrem hoc ſit tãdem concluſum & effectum ex ſuperioribus,neque debere , neque oportere nos Sortiariorum opera vti , niſi & ipſi in eorum numero eſſe velimus. Deúmque verum & Saluatorem noſtrum abnegare,quoties aliquod cum Satana commercium habent,aut ab eo remedij ſui cognitionem poſtulant & accipiunt.

CAP. VII.

Qua ratione nobis à Sortiariorum artibus & maleficiis cauere poſſimus.

ANTONIVS.

QVid igitur,Theophile, qua tandem ratione nobis cauere ab iis poſſumus : aut ſi ſemel intoxicati fuerimus, curabimur & ſanabimur?

THE. Quod ad curationem intoxicationum, Antoni,hoc poſt Auguſtinum affirmare non B dubitabo,medicos etiam doctiſſimos magna ex parte in iis morborum generibus cæcutire remediáque ignorare,tam ſunt illa mira, noua & occulta. Ex Satanæ enim officina prodeunt,& eius artibus iniiciuntur:quę vt plurimum ſunt nobis mortalibus ignotæ. Nec tamen medicinæ auxilium in iis ſpernendum eſt , imò verò ſedulò adhibendum, omnia tentanda quæ ars illa præcipit, ex eius cõſilio agendum,vt ſi Domino placuerit, priſtinam valetudinem recipiamus. Poteſt enim ille iuſtis illis remediis benedicere , & nos in integrum vt antea reſtituere. Nam & ars medica Dei donum eſt erga homines ampliſſimum, vt eſt Eccleſ.38.v. 2.cuius magna ſunt effecta : & ſæpe antea atque etiam nunc , Deo concedente , multos huiuſmodi intoxicatos illa ſanat. Quòd ſi poſtquam omnia legitimè explorauerimus,non ſuccedit,ad Sortiarios tamen nullo modo confugiendum eſt, neque malo nodo malus,vt aiũt,aut etiam peior cuneus quærendus,nec vt corpus ſaluum habeamus, debemus animum perdere. Id quod hodie faciunt tamen nimiùm multi impij illi quidem & perfidi. C Quid igitur? Patiẽter Dei auxilium expectandum eſt,ab eius prouidentia dependendum. Nos igitur illi totos committamus,ardenter inuocemus, & ſuſpiremus ad eum,vera animi conuerſione ad eũ accedamus. Ille enim ſuccurret quantum nobis ad ſuam gloriam animæque noſtræ ſalutem vtile eſſe viderit. Denique hoc tandem animo habeamus perſuaſum,eum eſſe vnum qui in manu ſua mortis & vitæ noſtræ exitus ingreſſúſque, vt loquitur Scriptura,habet,quod vt certiſſimè credamus, eſt etiam ſæpiſſimè à Dei Spiritu repetitum Pſal.37. verſ.5.27.verſ.14.50.verſ.15.Eccl.8.verſ.8.Pſal.68. verſ.21. Scit igitur ille quo modo in nobis glorificari velit,quod quantúmque vitæ noſtræ tempus cõſtituerit & eſſe debeat,& quatenus nos interim caſtigari oporteat. Itaque eius ſapientiſſimo conſilio acquieſcamus. Nec enim tentatio pluſquam humana nos correptura eſt , quemadmodum ille pollicetur 1.Cor.10.ver.13. Quando enim cum huiuſmodi malis conflictamur penè immedicabilibus & deſperatis , maximè ex Dei verbo conſolationes ſunt quærendæ & nobis proponendæ.

ANT. At quo pacto iſtorum hominum furorẽ & ingenium euitare tandem poterimus? A

THE. Nullum eſt aduerſus eos medicamentum, Antoni,nulla potio , nullum præceptũ quod de ea re,quam quæris, certum diffinitúmque ſit, hoc vno excepto,vt nos ardẽtiſſimè quotidie ſinguliſque momentis,vitámque noſtram Deo Opt. Max.parenti noſtro precibus commendemus , ſiue mane è lectulo ſurgentes , ſiue cùm cubitum diſcedimus. Et quia impij illi Satanicíque homines nos & dum bibimus,& dum edimus , & dum incedimus aſtutè & clam intoxicant , oportet ex præcepto Pauli , nomine Dei priùs per Chriſtum inuocato hæc omnia agere,nõ autẽ eo prætermiſſo quid tentare aut aggredi. Nam ſi nos in Dei tutelam commiſerimus , qui eſt ſummus rex , pater proſpicientiſſimus,& qui Satanam ipſum eiúſque vires frenat & cohibet,angelorum exercitum nobis ad cuſtodiam circumfundit:ſi inquam,ille pro nobis eſt,quis nocebit? Quod ipſum teſtatur Scriptura,*Si Deus eſt pro nobis qui contra nos?* Rom.8.v. 30. Itaq; imprimis diligentérque meditanda eſt illa Dei promiſſio dulciſſima,& excellẽtiſſima,quæ nobis per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum facta,extat diſertiſſimis verbis in Pſal. 91. ita à Bucchananо expreſſa: B

Si protegendam conſilio Dei
Credas ſalutem,rem,ſobolem,domum,
Inſana cùm ſors intonabit,
Si Domini fugias ſub vmbram,
Securus omnem fer violentiam
Sortiſque mortiſque,& terrificas minas
Contemne,ſecurus tumultum
Deſpicias creperi duelli:
E fraude cæca te Deus eximet,
Frangétque caſſes inſidiantium.
Nec ſæuiens latè venenum
Lethiferæ patiere peſtis.
Expandet alas te ſuper,& ſuis
Pennis fouebit rebus in aſperis:
Certúſque promiſſæ ſalutis
Sub clypei latitabis vmbra.
Nec te nec ædes vis propius tuas,
Nec damna tangent. Nam Deus angelos
Cuſtodiæ tuæ ſalutis
Præficiet,vigiléſque ad omnes C
Motus,viarum qui reſerent moras:
Qui per ſalebras te manibus ferant,
Ne ſancietur pes recuſſus
Obijcibus ſcopulorum acutis.
Securus atras inter & aſpides
Deges,&c.

Atque hic eſt veriſſimus tutiſſimúſque meo quidem iudicio , modus per quem nobis ab iſtis caueamus. Quãquam non caret ratione quod quidam conſulunt,ne facilè ab iſtis lædamur , nobis non eſſe familiariter cum iis conuerſandum , neque eos admittendos,quanquam illi nos aſſectentur nobíſque paraſitẽtur. Eſt enim hoc genus hominum adulantiſſimum & diſſimulantiſſ.qui prçceptoris ſui Satanæ ingenium imitati iis ſuauiter blãdiuntur, quos conãtur & ſtudent crudeliter & perfidè interficere. Denique hoc quoque remediũ & conſiliũ tanquã optimũ à me habeto,ne iſti noceãt:nimirũ, Monendos eſſe rerum capitalium iudices omnes,præſertim verò ſũmos & qui Parlamentorum conſiliarij ſiue ſenatores appellantur, vt prætermiſſis vanis quibuſdam & curioſis de ea re quæ-

A re quæſtionibus, toti in eo ſint, vt diligenter iſtos inquirant, deprehenſos ſeuerè caſtigent. Nec enim ſæuior aut tetrior vlla humani generis peſtis eſſe dicíve poteſt, quàm ſunt Sortiarij, quos lex poſtrema tit. De maleficis, Cod. vult à quouis agnitos comprehendi & in iudicium & vincula deduci, tam horrendum hoc crimen ſemper viſum eſt. Atque vtinam, Antoni, vt qui legum condendarum ius & poteſtatem à Deo ſunt adepti, ita in legibus ſuis poſuiſſent, vt ſumma de iſtis tam apoſtatis & ſceleratis hominibus ſtatuendi poteſtas cuique in ſuo territorio iudici eſſet conceſſa, ne longa illa iudiciorum tela & variarum appellationum ſiue prouocationum, quas interiiciunt, ambitu & anfractu tandem è iudicum manibus elaberentur. Id quod euenit. Nam ſumma poteſtas conceſſa eſt cuique prouinciæ præſidi de latronibus & iis qui ex inſidiis nos aggrediuntur, quos aſſaſinatores vocant, ſtatuendi. cur non igitur & de iis criminibus ſine prouocatione vlla iudicandi? Quando longè peius, longéque intolerabilius crimen eſt eius qui veneno occidit, quàm qui gladio: eius qui clam, quàm qui palam & apertè nos B inuadit. Hoc poſtremum eſt, Antoni, de quo pro tota huius noſtræ diſputationis coronide te monitum velim, Omnes iam ex ſuperioribus omnibus perſpicere & intelligere debere quantũ nos Deo commendare debeamus & aſsiduè, ne in iſtorum hominum & maleficorum laqueos incidamus, néve ab iis lædamur. Sunt enim hoſtes & tectiſsimi. Quemadmodum etiam de eo gratias eidem Deo agere debemus, quòd nos à tantis Satanæ tam infeſti aduerſarij technis defendit, ne in A eũdem cum Sortiariis errorem & nominis ipſius abiurationem miſerè corruamus. Denique vides ipſe, Antoni, quantis cum laudibus ſummi illius cæleſtiſque parentis infinita tum bonitas, tum etiam prouidentia erga genus humanum admirãda ſit, celebranda atque etiam prædicanda. Ac bonitas quidem ſumma in eo, quòd cùm tam multi omni tempore fuerint Sortiarij, qui tam nefariè perfidéque eum apertè denegarint, Satanam pro Deo elegerint, vniuerſum orbem prorſus funditúſque iam non perdiderit, Id quod iuſtiſsimè potuit. Prouidentia autem admirabilis, quòd cùm Satan tam ſtudioſè conetur homines à ſua ſalute, quę in Deo eſt, abducere, & tam potenter támque aſtutè etiam operetur, tamen Deus maiorem hominum numerum etiamnum hodie mera ſua gratia ab iſtius inſidiis conſeruarit, iſtius vires cohibuerit, conſilia diſsiparit, denique effecerit efficiátque vt ſanior numerus vincat, cuius terrore impij illi cohibentur, ne lædant quantum velint, nec etiam electi ipſi & filij Dei propterea à fide dimoueantur, ſed conſtanter perſeuerent. Soli autem Deo immortali, omnipotenti, benigniſsimo, B laus, honor & gloria in æternum. Amen. Nunquidnam etiam ampliùs à me petis Antoni?

ANTON. Nihil quicquam. Abunde enim in toto hoc argumento mihi ſatisfeciſti, cuius tanti beneficij nomine ſummas tibi gratias ago. Itaque vale, Theophile.

THE. Et tu quoque, Antoni.

FINIS.

L. D.

METHODVS

SACRAE SCRIPTVRAE IN PVBLICIS TVM PRAELECTIONIBVS TVM CONCIONIBVS VTILITER ATQVE INTELLIGENTER TRACTANDAE:

QVÆ PRAXI, ID EST, ALIQVOT
exemplis, & perpetuo in Epiſtolam PAVLI *ad*
PHILEMONEM *commentario*
illuſtratur.

AD D. HIEREMIAM BASTINGIVM.

PETIS à me, frater amantiſsime, atque ita petis, vt tibi denegare propter amicitiam noſtram iam non audeam, vt qua ratione, quáque methodo cenſeam Scripturam ſacram optimè tum in prælectionibus, tum in concionibus tractari poſſe, perſcribam. Ego verò, quemadmodum ſæpe antea, ſic nunc quoque reſpondeo, eam demum mihi videri ſanctiſsimā atque veriſsimam diuini verbi explicandi rationem, quam primùm Prophetæ: deinde Apoſtoli, viri ab ipſo Dei Spiritu ἀμέσως *edocti, nobis reliquerunt. Id eſt, in qua ſolida doctrina omni curioſitate & vaniloquentia, vt eſt apud Paulum, ſemota, magna cū veneratione ipſius veritatis traditur. Itaque ſi quis diligenter in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis erit verſatus, is mihi videtur facillimè, quæ ſit vera ſacræ Scripturæ docendæ ratio, aſſequi poſſe. Nam ſancta tradet, & ea quidem ſanctè. Denique id præſtabit, quod eſt optimi ſiue Paſtoris ſiue Doctoris vniuerſum munus, vt viam Dei in veritate doceat. Ergo neque circa quæſtiones ac verborum pugnas inſaniet, neque eas diſputationes aut exercitationes inducet, quas peruerſas vocat Paulus & hominum mente corruptorum. i. eorum, qui quæſtui habent pietatem, aut diſcipulorum gregem captant & venantur: denique in carne gloriantur. In ſumma, vt ait idem Paulus, optimus doctor, atque Scripturæ ſacræ interpres, & per ſanam doctrinam exhortabitur, & contradicentes conuincet, quibus duobus, & quidem ordine, ſummus ille Theologus Paulus, totam iſtius methodi quam quæris explicationem breuiter complexus eſt. De hoc enim ipſo iam grauiter conqueror (etſi nondum ferè præterierunt anni quinquaginta quatuor, ab eo tempore, quo primùm, ſummo Dei optimi maximi beneficio, pura Euangelij lux atque doctrina mundo reſtituta eſt) quòd in Euangelicis ſcholis ſacra Theologia, id eſt ſimplex diuinæ Scripturæ tractatio, quæ tota ad Dei gloriam, & conſcientiarum conſolationem comparata eſt, in matæologiam quandam & affectatam Sorbonicarum quæſtionum, & Summarum imitationem, id eſt, ad inanem tantùm & curioſam animorum crucem, & ad ipſorum docentium oſtentationem, omnis penè iam detorta atque conuerſa eſt. Hæc igitur quum antea non ſemel ad te ſcripſiſſem, tamen non ſatisfecerunt. Ais enim eam eſſe in pleriſque ſacræ Theologiæ candidatis (tibi enim, tuæque eruditioni, quæ ipſa ſibi facilè methodum comparabit, iſta mea ſcriptio minimè neceſſaria eſt) Ais, inquam, eam eſſe in pleriſque ingenij tenuitatem, vt quāuis in Scripturæ ſacræ lectione multa verſentur aſſiduè, vix tamen methodum illam ſummam & perfectiſſimam animaduertant, quam imitari poſſint: & vt aliquam in ea obſeruent, illam tamen eſſe ad ſingula quædam Theologiæ capita, quæ illis in locis traduntur, accommodatā potiùs, quàm ad vniuerſum docendi tractandæque Scripturæ genus. Quemadmodum illa eſt diſputatio Pauli in prima parte Epiſt. ad Romanos, de cauſis noſtræ ſalutis, illius argumentis ſpecialis: itémque illa altera in ſecunda eiuſdem Epiſtolæ parte, de hominum electione & reprobatione, de Dei prædeſti-*

Matt.22.v.6.
1.Tim.6.v.4.5.
1.Cor.1.v.12.
Gal.4.v.17.6.v.13.
Tit.1.9.

A natione,ei tractationi ſingularis & accommodata. Adeo vt illa videatur vnius alicuius argumẽti A
& loci Theologici explicandi gratia propria,potiùs quàm explicationis omnium ſacræ Scripturæ
locorum communis & generalis. Quamobrem inſtas,& nulladum à me potuit vel excuſatio, vel
reſponſio afferri,quæ me tanto non dicam labore,ſed onere:& tanta non dicam temeritate,ſed inuidia
liberaret. Quam enim temeritatis & inuidiæ plenum exiſtimas,ſi quis vnus quænam ſit iuſta
iſta & methodica ſingulorum Scripturæ verſiculorum enucleandorũ ratio, definire ex ſuo ſenſu
velit? Quid hoc eſt niſi μεγαλοφρονεῖν, & de ſe ſapere plus quàm oportet,id eſt ſeipſum tanquã doctißimorum
atque optimorum quorumque Theologorum cenſorẽ temerè conſtituere atque pronũtiare?
Quod ſi eruditißimus ille,& ſine cõtrouerſia ſũmo in qualibet ἐγκυκλοπαιδείας parte iudicio præditus
Iulius Scaliger magnã mortaliũ inuidiam, in re tamen longè leuiori, nõ euitauit,quia poetarum
omnium ſcripta ad eius regulæ (quam ſibi,nec ſine magnis rationibus finxit) examen reuocat,
quid de eo futurum cenſes,qui ad ſuæ vnius opinionis calculum, cæterorum hominum iudicium,
in re tanti momenti, & in qua tot egregij excellentéſque Doctores eluxerunt, atque adeò
etiamnum hodie florent, appendere vel dimetiri velit? Audax ſanè facinus,ne dicam arrogans
& ſuperbum, & quod à moderatis pijſque viris omnibus meritò damnari debet. Itaque non
committam, vt tantæ culpæ coram Dei Eccleſia reus peragar, potiúſque vel in æternum ſiluero,
quàm videar cuiquam coæqualium meorum, nedum præceptorum (quorum plerique Dei
gratia adhuc viuunt) tantum præiudicium facere voluiſſe. Ergo ſi iſtud à me poſtulas,vt omniũ
optimam & iuſtißimam Scripturæ tractandæ rationem iudicem, ignorare me quænam illa ſit fateor, B
& quæ cui ſit præferenda, quia habet doctißimus quiſque ſuam,eámque ab alijs dißimilem,
B quam & facilem nouit, & magno cum auditorum fructu retinet. Sed & ea quoque eſt ſacræ Scripturæ
οἰκονομία támque diuerſa, vt cuiuſlibet loci & verſiculi explicatio,non ſemper eandem methodum,
& eadem præcepta perpetuò admittat. Præterea illud mihi, & verè quidem,dicturus videor,
non maiorem eſſe in cibis iudicandis palati guſtúſque humani varietatem quàm in notione
animi cuiuſque ſui explicanda (quæ proculdubio etiam in vna & eadem re ſæpe ſingulorum
dißimillima eſt,nedum multorum ſit vna & eadem) diuerſus eſt cuiuſque delectus,& iudicium.
Habent enim ſinguli diuerſa à Deo Patre luminum dona, & pro ea menſura quam quiſque
accepit, agere atque incedere debebit. Sin autem à me hoc duntaxat exigis, vt qua methodo vt
plurimum in tractanda, & publicè prælegenda Scriptura ſacra vti ſoleam exponam,ita tamen vt
ex eo nullum cuiquam aliud probanti & ſequenti,præiudicium factum velim. Ergo ſi hoc petis,
facilè ſanè iam mihi erit id quod petis perſcribere, vt ſi fortaſſe quiſpiam hoc meo exemplo & conſilio
adiuuari poßit,nullius ſtudijs,quantũ quidem in me ſitũ erit, deſim. Ediderunt iam aliquot
antè annis plerique alij,& ij quidem viri eruditißimi,ſuas præſertim in Epiſtolas Pauli, breues
ἐξηγήσεις,alij quidem in omnes,alij verò tantùm in vnam quandam Epiſtolam, in quibus artificiũ
Pauli,id eſt,methodum Spiritus Dei per eum loquentis,facilè perſpicuéque tradiderunt, qui magnum
ad eã methodum, quam quæris,afferunt adiumentum.In quo ſcripti genere quia Theodorus
Beza,Philippus Melanchthõ,& N.Hemingius inter cæteros,meo quidẽ iudicio, principem tenẽt
locum,eorum ſcripta certè quidem vtilißima tibi ſæpe perlegenda,euoluẽdáque cenſeo,vt ab illis
C ſuccum quendam,& tanquam habitudinem animi methodicam haurire tandem poßis. Eos enim C
ſcriptores facilè imitamur,ac eos mores penè imbibimus, ingeniúmq; eorũ exprimimus, cũ quibus
verſamur aßidué.Sed quoniã illi nõ tam γενικῶς.i.generalẽ quandam rationẽ in qualibet Scripturæ
parte demonſtrare videntur,quàm εἰδικῶς.i.peculiarem,ad certã quandã hypotheſin, & ad vnã
tantùm Scripturæ partem quã tractãdam ſuſceperant, ſuas cogitationes conuertiſſe,nõ erit hic noſter
labor iã fortaſſe infructuoſus. Generalem enim illam quam ad quancũque Scripturæ nõ tãtùm
partẽ,ſed penè verſiculum enodandũ adhibere poßis,requiris:quã ego tibi ex meo tãtùm more,breuiter
explico.Et quia cũ mecũ eſſes, N.Hemingij libellũ, cui Paſtor nomẽ fecit, itẽ A.Hyperij aliud
opuſculũ,quod ille de ſtudio Theologico inſcripſit,ſimul in eodémque volumine coniunxeras, cura
vt hoc quoque noſtrum,qualecunque tandem eſt, quia ad te mittitur,his duobus adiungas:vt
poſtquam ab Hemingio didiceris, qualis fidelis verbi Dei miniſtri, & veri Eccleſiæ Dei paſtoris
vita & mores eſſe debeant:ab Hyperio autem illo nunquam ſatis laudato Theologo,quæ vera ſit
& vtilis Theologici ſtudij perſequendi ratio,cognoueris: ex ipſo noſtro ſchediaſmate, quæ facilis ſit
ipſius ſacræ Scripturæ & doctrinæ diuturno illo ac Teologico ſtudio comparata, tradendæ & explicandæ
methodus,intelligas.Ex iſtis enim tribus inter ſe iunctis,iam & ſanctè viuere,& cum fructu
ſacris Literis incumbere,ac denique quod ſemel didiceris, vtiliter alios, Domino dante,docere
poteris. Quanquam autem aliæ ſunt Eccleſiaſtici Doctoris, aliæ verò Paſtoris concionantis par-

A *tes in tractanda publicè ſacra Scriptura, nec vtriuſque muneris ſunt omnino fines ijdem, facilè tamen* A *ſi quod Doctoris eſt impleueris, ad ea quæ Paſtoris ſunt poſtea conſcendes. Illud enim Doctoris munus, velut gradus inferior, ad illum Paſtoris ſuperiorem viam munit ac præparat, cùm in eo vno, quoad publicæ Scripturæ tractationem (nam Sacramentorum adminiſtrationem non complector, à qua ſimplex Doctor abſtinere, meo quidem iudicio, debet) totum iſtorum munerum diſcrimen poſitum ſit, quòd Doctor quidem hæc duo præſtat, nempe vt ſanam doctrinam doceat, & contradicentes arguat: Paſtor autem præterea hoc addit, vt ex iſta ſana doctrina, quemadmodum ait Paulus, exhortetur, id eſt, vt ipſe alibi explicat, mores hominum corrigat. Ergo non tantùm ad docendum & redarguendum ſacra Scriptura Paſtor vtitur (quod & Doctor Eccleſiaſticus ex ſui muneris ratione facere debet) ſed etiam ad corrigendum. i. ad increpandum, obiurgandum, exhortandum, & conſolandum, vt Paulus idem variis in locis expoſuit. Quam eius ſententiam præclarè perſequutus eſt in opere de ſtudio Theologico Andreas Hyperius. Quamobrem qua ratione in prælectionibus publicis priuatiſue tradendam hanc ſacram ſcripturam, quæ iſta docet, exiſtimem, paucis accipe, poſtea de concionandi methodo aliquid auditurus.*

1. Ti. 1. v.6
2. Tim. 3. v.16.
2. Tim. 4. v.2.
1. Tim. 4. v.1.
Rom. 5. v.4.

* * *

CVM inanis verborum ſonitus, & vana declamatio, ſit in ſolida cuiuſuis argumenti explicatione fugienda, maximè in ſacræ Scripturæ explicatione damnanda eſt, quæ quemadmodum diuinum verbum pro ſubiecto habet, ita nihil niſi ſanum atque vtile continere debebit. Ex quo fit vt Laconica illa breuitas B mirum in modum Chriſtianos deceat Theologos: ſed quia illud etiam ferè accidit quod ait Horatius Flaccus,

—breuis eſſe laboro, Obſcurus fio,

danda eſt opera, ne quam illa breuitas obſcuritatē pariat: aut ne iſtius obſcuritatis euitandæ ſtudiū tædioſam prolixitatem afferat. Illud autem facillimè fiet, ſi & continuatio argumenti quod tractādum ſuſceperis cum ſuperiore aptè fiat: deinde ſi ſumma totius futuræ diſputationis proponatur, quam vel totam explices, nulla diſtributione adhibita, quia fortaſis diuidi non poterit, vel poſtea in ſua membra, & tanquam capita, partiaris. Deniq; ſi argumentum ipſum quod occurrit, vel vniuerſum, vel per ſuas partes ſigillatim, quantum quidē verſiculus qui erit in manibus poſtulabit, perſequaris, nec in locum communem temerè delabēs: C nec ea quæ ex loco communi ad tuum inſtitutum erunt accommodata negligenter prætermittens. Ergo penſiculatim & adhibito modo atque iudicio, velut Lesbia quadam norma, quid, quantúmque res quælibet exiget, primùm ex ipſa Scriptura ſacra, deinde ex loco cōmuni, demū ex doctorū interpretū cōmētariis, tibi ad explicationē aſſumes.

Hæc ferè mea eſt ratio & method⁹. Sed quia iſta omnia breuius quàm neceſſe eſt dixiſſe me ſentio, iam latius ſingula & particulatim explicabo.

Tribus igitur locis, iiſque ſolis vti conſueui, quibus omnia ſuperiora facilè & breuiter cōplector. Hi autem loci ſic à me nominantur, Locus, Rhetoricus, Locus Dialecticus, Locus Theologicus: quos tres, quantum quidem fas eſt, atque ſuſcepta materia patitur, etiā in cuiuſque ſacri verſiculi tractatione cēſeo adhibendos atque coniūgendos.

Voco locum Rhetoricum breuem cōtinuationis & ſeriei, ſuſcepti loci, cū ſuperiore demonſtrationem ſiue rationē, quæ vno vocabulo penè deſignari ſolet. Hoc autem vocabulum quia nobis à Rhetoribus mutuari neceſſe eſt, idcirco locū noménque huius cōtinuationis & annotationis appello locum Rhetoricum. Continet autem hic locus ea quæ Rhetores in Oratorum ſcriptis vtiliter obſeruare ſolent, vt coniunctio connexióque totius orationis intelligatur, ne ea velut ſcopę quædā diſſolutæ eſſe videatur. Atq; illa vocabula quæ ordinis & cōtinuationis rationē oſtendunt, etſi ſunt apud Rhetores ipſos propemodum infinita: pauca tamen omnino ad vſum ſacræ ſcripturæ ſunt ſcitu neceſſaria. Sunt autem ferè hæc: πρόθεσις, προορισμός, B ὁρισμὸς, αἰτιολογία, τάξις, ἀντίθεσις, ὑποφορὰ, πέρανσις, παρέκβασις, μετάβασις, ἐξήγησις, ἀπεξεργασία, ſiue ἐπιμονὴ, αὔξησις, κατάφασις. Quæ in candidatorū Theologię adoleſcētū gratiā expono. Quāquā enim Beda Angloſaxo, qui vulgò Venerabilis appellatur, ſchemata & tropos quibus ferè ſacra ſcriptura vti ſolet copioſè tractauit, hunc tamē locū integrū reliquit. Sed neq; vir doctiſsimus And. Hyperius, quum locos argumentorum qui paſsim in eadem ſacra ſcriptura occurrunt, luculenter ſequitur, hęc ipſa vllo modo attigit.

Πρόθεσις propoſitio, eſt breuis futuræ diſputationis explicatio, quæ ſtatim initio fit. Sic Paulus Rō. 1. verſu decimoſexto, de vniuerſo Euangelii fructu dicturus, iiſque Dei beneficiis quæ per Chriſtum in vniuerſum genus humanum effunduntur, & per Euangelii prædicationem communicantur, C ſtatim vnóque verbo futuram diſputationem totam προθέσει breuiſsima complectitur. *Eſt*, ait, *Euangelium potentia Dei ad ſalutem cuiuis credenti, Iudæo primum, tum etiam Græco.* Sic in Epiſtola ad Corint. prima cap. 1. v. 10. diſſenſiones & ſchiſmata, quæ inter eos erant reprehenſurus, hoc ipſum primo ſtatim loco breuiſsimè proponit his verbis Precor autem vos fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt non ſint inter vos diſſenſiones. Sic Marcus ſcripturus hiſtoriam Euangelicam, quod ſit ſuum conſilium initio libri primùm proponit, Marci primo v. primo. *Principium Euangelij Ieſu Chriſti Filij Dei.* Lucas Euangelium à ſe ſcriptum orditur eadem ratione, Luc. 1. verſ. 3. 4. *Viſum eſt mihi, &c.* Ergo qui huiuſmodi locos explicans ſic dicit, Eſt hic locus πρόθεσις totius argumenti tractandi, vno verbo ordinem cōtinuationémque breuiſsimè notat, per quam iam magna lux & facilitas futuræ diſputationi, meo quidē iudicio, affertur. Efficit enim hęc admonitio breuis, ne in incerto vagetur auditoris animus, ſed vt habeat quò tan-

A tanquam ad loci ſuſcepti ſcopum ſemper tendat, & ſi ſemel aberrauerit (vt ſæpe fit) quò recurrat, & ſe tanquam à longinqua peregrinatione recipiat. Idem igitur in aliis quoque ordinem ſeriémque orationis ſignificantibus vocabulis & agendū & obſeruādum eſt, vt vel ea breuiter annotemus: aut ſi vocabula quidem ipſa (quemadmodum nihil neceſſe eſt illis nominandis religioſè, ne dicam pueriliter, ſemper aſtringi velle) non vſurpamus, rem tamen ipſam, rationémque continuationis quam illa demōſtrant, paucis complectamur. Sed nos iuniores & candidatos tantùm hoc loco inſtituimus, non autem ſummos illos & iam exercitatos, conſummatóſque omnibus ſuis numeris Paſtores aut Theologos.

Προορισμὸς eſt breuis ad plenam futurámque rei definitionem præparatio, atque præmunitio. Hac Paulus Rom.1.ver.2.3.4. vtitur. Dicturus enim de Euangelio Dei, & illius tota materia, eam quæ qualíſve ſit, breuiter prædeſignat, his verbis *Quod* (Euangelium) *ante promiſerat Deus per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis, De filio ſuo facto ex ſemine Da*B*uidis ſecundum carnem, Declarato Filio Dei per potētiam, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, per reſurrectionem à mortuis.* Idem Paulus in Epiſtola ad Coloſſ. de Chriſti dignitate, & eminentia ſupra creaturas omnes, dicturus, προορισμῷ prius id proponit, cap. 1.v.15. his verbis. *Qui eſt imago Dei inconſpicui, primogenitus omnis creaturæ.* Ergo iſtos ſacræ Scripturæ locos in manibus habens, ſic indico primo ſtatim loco, Hic locus vel verſiculus, eſt προορισμός.

Ὁρισμὸς definitio, eſt breuis naturæ rei deſcriptio & explicatio, quæ vel ex ipſa rei eſſentia, vel ex proprietatibus & effectis, vel ex adiunctis duci ſolet. Sic Paulus Galat.3.v.24. *Lex eſt pædagogus ad Chriſtum.* In Epiſt. ad Ephe.4.v.24. *Quid eſt nouus homo? Qui ſecundum Deum conditus eſt ad iuſtitiam & ſanctimoniam veram.* Sed quoniam hic locus etiā ad Dialecticos pertinet, à quibus abundè traditur, breuius à nobis hîc attingetur.

Αἰτιολογία redditio cauſſæ, eſt breuis ſentētiæ quę præceſſit confirmatio, iuſto argumento innitens. Hæc vt plurimum occurrit in ſacra ſcriptura. Pau. Galat.3.v.18. *Nam ſi ex Lege eſt hæreditas, non iam ex* C *promiſſione.* Eſt αἰτιολογία à contrariis ducta. Sunt enim merces & gratia, item lex & promiſſio, res inter ſe contrariæ, non tantùm diuerſæ aut oppoſitæ, vt idem Paulus docet Rom.11.v.6. *Quod ſi per gratiam, iam non ex operibus: alioquin gratia iam nō eſt gratia. Sin ex operibus, iam non gratia: alioquin opus iā non eſſe opus.* In Epiſt. ad Coloſſ.1. verſu 16. Chriſti ἀξίωμα ſupra omnes creaturas confirmans. *Nam per eum condita ſunt omnia quæ in cœlis ſunt & quæ in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue dominia, ſiue imperia, ſiue poteſtates: omnia, inquam, per eum, & eius reſpectu condita ſunt.* In Euangelio ſecundum Ioannem, occurrit infinitis penè locis. Nunc hic ſit pro omnibus, qui eſt cap.6.v.55. *Caro enim mea verè cibus, &c.* Ergo Miniſter vel Doctor hos locos tractās, ſi ſtatim indicarit eſſe αἰτιολογίαν, admonet auditorē ordinis & ſeriei totiꝰ orationis. Hac ordinis ratiōe nihil eſt frequētiꝰ in Scriptura.

Τάξις, ordo eſt methodica & cohærens rerum inter ſe copulatio, vt quæ ordine naturæ priores ſunt & generaliores, priore loco dicantur, quę poſteriores & ſpecialiores, poſteriore tradantur. Sed ſi quæ tēporis ratione priores ſunt, prius tradantur, vt in hiſtoriarum & rei geſtæ narratione, eſt A etiam τάξις. Hanc etiam vocant ἀκολούθησιν. Sic Eph.5.ver.21.22. Paulus, poſtquam de generali Chiſtianorum inter ſe ſubiectione egit, ad peculiaria pręcepta deſcendit, & ad eas ſpecies, per quæ vxor viro, filius patri, ſeruus domino ſubiicitur. Idem in Epiſt. ad Coloſ.3.verſ.17.18. poſtquàm generaliter Chriſtianorum omnium officia deſcripſit, particularia vxoris erga maritum, & viciſſim mariti erga vxorem: liberorum erga parentes, contráque parentum erga liberos, &c. tradit. Sic quum à theſi ad hypotheſin deſcendit Paulus eſt ἀκολούθησις.

Hæc igitur vel per ἀνάβασιν fit, vel per κατάβασιν. Per ἀνάβασιν, ſi ex effectis ad cauſas, ab hypotheſi ad theſin aſcendimus. Per κατάβασιν fit quum à cauſſis ad effecta, à theſi ad hypotheſin & applicationem deſcendimus ac delabimur. Per ἀνάβασιν Paulus in Epiſt. ad Romanos, ab effectis ad cauſſas ſalutis noſtræ. i. à remiſſione peccatorum & reconciliatione noſtra conſcendit ad diſputationem de electione & reprobatione hominum. In Epiſtola verò ad Epheſios, idem à cauſſis ad effecta. i. à præ- B deſtinatione Dei de nobis, ad explicanda Dei per Chriſtum beneficia erga nos, καταβάσει pulcherrima deſcendit. Omnis ea ſacræ Scripturæ pars, quæ hiſtoriā continet, maximè ex hoc Rhetorico loco continuari debet, in qua vel quæ prius geſta ſunt, prius narrat ſacra hiſtoria: vel ex his quæ poſterius euenerunt ad ea nos reuocat, tanquam ad caput, quæ prius geſta erant.

Ἀντίθεσις, Oppoſitio eſt breuis rerum diſparatarum, vel inter ſe pugnantium collatio: quæ etiam frequens eſt in diuinis literis. Paulus Eph.4.v.20. comparat veros Chriſtianos cum infidelibus. & v. 22.24. conferens veterem hominem cū nouo ait, Nempe, *deponere quod ad priſtinam conuerſationem attinet, veterem illū hominem, &c. & induere nouum illum hominem qui ſecundum Deum conditus eſt, &c.* Galat.3.v.11.12. *Iuſtus ex fide viuit. Lex autem non eſt ex fide.* Cap.5. eiuſdem Epiſtolę v.16.17. & ſeq. ver. 22. & ſequent. vbi pulcherrima eſt ἀντίθεσις. Ergo qui in his locis verſabitur, rationem continuationis demonſtrabit, vel vno ἀντιθέσεως vocabulo vſurpato, ſic, Hic locus eſt ἀντίθεσις.

Ἐξήγησις expoſitio, eſt facilis obſcuræ rei vel bre- C uis dictæ explicatio, nempe quū vel in partes ſuas diſtribuitur, vel modus rei factæ explicatur, vel quum, quod omnino ſubintelligendum erat, ſiue illud pręcedat, ſiue etiam ſequatur, additur & ſubiicitur. Paulus in Epiſtola ad Coloſſenſes 1. ver.22. quum dixiſſet Deum recōciliaſſe ſibi omnia, ſubiecit modum, *In corpore illo carnis ſuæ.* Rom.3. Dixerat antea, Non eſt iuſtus, non eſt qui intelligat: ſed v.13. partes iſtius deprauationis & rebellionis deſcribit, *Sepulchrum apertum guttur eorum, linguis ſuis ad dolum vſi ſunt: venenum aſpidum ſub labiis eorum, &c. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* Item eodem c.v.24. dixerat, gratis iuſtificantur homines, cuius ſuæ ſententiæ breuiſſimæ ſubiicit ἐξήγησιν, *Dei gratia per redemptionem factam in Ieſu Chriſto, quem propoſuit placamentum per fidem in ſanguinem ipſius, &c.* Gal.4.v.9. dixerat, Seruitis elementis: hoc explicat per ἐξήγησιν. *Dies obſeruatis, & menſes & tempora & annos.* Eph.4.v.11. Dixerat, Chriſtus aſcendens impleuit omnia: Poſtea interpretatur, *Dedit igitur vt hoc faceret, alios quidē Apoſtolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangeliſtas,* A *alios autem Paſtores & doctores.* Ergo ſinguli hi loci propter ἐξήγησιν continuari cum ſuperioribus intelliguntur.

ἀπεξεργασία ſiue ἐπιμονή, Commoratio eſt accurata & continuata eiuſdẽ rei tractatio & confirmatio, quia ſit magni momenti. Sic Paulus Epiſtola ad Galatas,capite tertio & quarto,de vſu Legaliũ ceremoniarũ in Chriſtiana Eccleſia nõ neceſſariarũ abrogãdo operoſè agit & diſputat. In Epiſtola ad Romanos capite nono,decimo,vndecimo,de electione & reprobatione hominum. Sic in Epiſtola ad Epheſios capite ſecũdo,verſu primo,eſt ἐπιμονή, quia continuat idẽ argumentũ quod ſuperiori capite demõſtrauerat, ſed nouo medio aſſumpto,& argumẽto prolato.In Epiſtola ad Philippenſes ſecũdo,verſu ſecũdo & tertio eſt ἀπεξεργασία. Operoſè enim in mutua charitate Chriſtiana cõmẽdãda immoratur.Sic in Epiſtola ad Coloſſenſes primo, verſu decimoſeptimo,eſt ἐπιμονή. In prima ad Timotheum 3.eſt ἐπιμονή. Nã in deſcribẽdis dotibus, Epiſcopo & Diacono neceſſariis, accuratus eſt Paulus. Ergo qui rationẽ ordinis in illis verſiculis vno verbo docere volunt, indicent eſſe vel ἀπεξεργασίαν, B vel ἐπιμονήν.

αὔξησις amplificatio, eſt illuſtris alicuius rei deſcriptio & exornatio, vt maior digniórque appareat. Sic Paulus in Epiſtola ad Philippenſes ſuam conditionem deſcribens,ſingula enumerauit quæ ſplendorem illi conciliare apud homines Iudæos poterant,capite tertio, v.5.& 6. *Circunciſus octauo die,ex gẽte Iſraelis:tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis,religione Phariſæus.* Sic idẽ Rom.5.v.7.8.Cõmẽdans enim Paulus Chriſti erga nos charitatem quæ in ipſius morte pro nobis apparuit,ſic ait, *Enimuero vix pro iuſto quiſquã moriatur. Nã pro eo qui ſit ipſi vtilis,forſitan aliquis etiam mori ſuſtineat. Commendat autẽ ſuã charitatem erga nos Deus,quòd quum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Idẽ in Epiſtola ad Epheſ.amplificans beneficiũ vocationis Gentiũ ad Euãgeliũ c.2.v.11.12. *Propterea memẽtote vos quondam gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea,quæ vocatur circunciſio in carne, & quæ manibus fit,vos inquã,illo tempore fuiſſe abſque* C *Chriſto,alienos à republica Iſraelis,extraneos à pactis promiſſionis,ſpẽ non habentes, Dei expertes in mundo. At nũc in Chriſto Ieſu,vos,qui olim eratis procul, propinqui facti eſtis,per ſanguinẽ Chriſti.* Et v.15. *Nempe igitur non amplius eſtis hoſpites,& inquilini, ſed conciues ſanctorũ, ac domeſtici fidei.* Ioſ.c.7.v.1. *Peccauit Iſrael,& etiã trãgreſſi ſunt pactũ meũ quod præce perã eis,& etiã acceperũt de anathemate,& etiã furati ſunt, & etiã poſuerunt inter vaſa ſua.* In eadẽ Epiſtola c.1. v.19.20.agens de Dei erga nos per Chriſtũ beneficio, *Quæ ſit excellens illa magnitudo potentiæ ipſius in nobis qui credidimus,quam exeruit in Chriſto,* &c.

Κατάφασις affirmatio, eſt ſeria alicuius ſententiæ denuntiatio, vel pronuntiatio breuiter comprehenſa. Paulus Gal.3.v.17. *Hoc autem dico, pactionem ante confirmatam à Deo,&c.* Item 1.Cor.4.v.1. *Scripſi vobis in Epiſtola ne commiſceamini ſcortatoribus.* Gal. 5.verſ.2. *Ecce ego Paulus dico vobis,ſi circuncidamini, Chriſtum nihil vobis prodeſſe.* Epheſ.4.verſ.17. *Hoc ego dico & obteſtor per Dominum,ne amplius verſemini ſicut reliquæ Gentes.* In eadem Epiſt.cap.5. verſ. 6. *Ne quiſquam vos ſeducat inanibus ſermonibus,propter hæc venit ira Dei in homines cõtumaces.* Denique quoties Scriptura hac voce vtitur *Abſit.* Item iſta, *Ne erretis* (quæ etiam obteſtatio dici ſolet) eſt καταφάσεως ſpecies quædam, obteſtationis vel deteſtationis formam redolens. A

ὑποφορὰ occupatio,eſt breuis reſponſio ad aduerſarij obiectionem à nobis pręmeditatã,ſiue verba ipſa aduerſariorum recitemus, ſiue illis tacitè reſpondeamus.Paulus Rõ.3.v.3.anteuertens aduerſariorum Euangelij calumnias,ait, *Legem igitur inanem reddimus per fidem?* Cui reſponſionem ſubiicit. *Abſit.Imo Legem ſtabilimus.* Et ſequens cap. nempe 4. v.1. aliud eorundem aduerſariorum argumentum, à laude & teſtimonio inſigni, quod Scriptura ſacra reddit Abrahamo,aduerſus iuſtificationem ex fide ſumptum anteueniens ait, *Quid igitur dicemus patrem noſtrum Abrahamum adeptum eſſe ſecundum carnem?* Itidem in eadem Epiſt.ca.3. v.8.refutans calumnias eorum, qui ad omnis ſceleris licentiam abutebantur prædicatione de gratuita peccatorum remiſſione, ait, *An non ſicut de nobis malè loquuntur, ſicut quidam aiunt nos dicere, faciemus mala vt bona eueniant?* Reſpondet Paulus, *Quorum damnatio iuſta eſt.* Galat.3.v.28.pręueniens diſtinctionem illam toties allatam à Iudæis de diſcrimine Iudæorum & Gentium. *Non eſt Iudæus: neque Græcus:non eſt ſeruus; neque liber : non eſt maſculus,nec fœmina.Omnes etiam vos vnus eſtis in Chriſto Ieſu.* B Chriſtus ipſe Luc. 4.v.23. Et dixit ad eos *Omnino dicetis hoc prouerbium. Medice cura teipſum, quæcunque audiuimus facta fuiſſe in Capernaum. Fac etiam hic in patria tua.* Subiicit reſponſionem Chriſtus huic obiectioni, *Amen dico vobis,nemo Propheta in patria ſua* &c.

Πέρασις,ſiue ἐπίλογος conclusio, eſt breuis totius argumenti antea explicati collectio, & ſumma, Paulus Rom. 3.v.28. Concludens totam diſputationem à ſe tractatam ait, *Colligimus igitur fide iuſtificari hominem, abſque operibus legis.* 2.Theſſ.2. verſ. 12. oſtendens quorſum Dominus Antichriſtum eſſe velit, *vt damnẽtur omnes qui non crediderunt veritati,ſed adquieuerunt in iniuſtitia.* Coloſſ.3. v.17. omnia præcepta à ſe tradita concludens ,ac docens quorſum ſpectarunt omnia, ſic colligit. *Et quicquid egeritis ſermone,aut facto,in nomine Domini Ieſu facite,gratias agentes Deo & Patri per eum.* Epheſ.5. C v.15.ſummam omnium præceptorum ſuorũ colligens, *Videte igitur,* ait, *quomodo accuratè incedatis,nõ vt inſipientes,ſed vt ſapientes.* Galat.4.verſ.29. poſt longam illam diſputationem,cui nempe Abrahami ſemini benedictiones Dei factæ ſint, & ex qua cauſa,vtrum ex legis operibus:an ex fide in Chriſtum,ſic tandem concludit, *Quod ſi vos eſtis Chriſti, Abrahæ ſemen eſtis, & ſecundum promiſſionem hæredes,* breuiter complexus,cui & ex qua cauſa ſalutis promiſſio à Deo ſit facta.In Euangelio ſecundum Matt.24.v.42.Chriſtus ipſe oſtendens ſcopũ totius exhortationis & orationis ſuæ, ſic tandem concludit, *Vigilate ergo.*

παρέκβασις digreſſio, eſt leuis à propoſito argumẽto diſceſſio,vtiliter & commodè facta.2. Cor. 11.v.20.vbi Paul.in ſuorũ pro Eccleſia Dei laborũ cõmemorationẽ excurrit,quã digreſſionẽ etiã ca. ſeq.perſequitur.Itẽ Gal.1.v.17.& ſeq.vbi ſuę vocationis rationẽ & curſũ aptiſſima digreſione perſequitur,& c.ſeq.nẽpe 2.v.2.& ſeq.ex qua poſtea eodẽ c.2.v.15.& 16.ingreditur,tãquã repetita via, iuſtũ illius Epiſtolæ argumentũ,nẽpe de vera iuſtificationis noſtræ cauſa, quam eſſe docet fidem in Chriſtũ,nõ opera vlla legis,vel ceremonialia,quæ tunc maximè vrgebantur inter Galatas : vel mo-

A ralia, de quibus etiam eſt Pauli concluſio generalis. Idem Paulus Coloſſ.3.verſ.11.digreditur breuiter in laudes veteris hominis, cuius proximè meminerat. Matth.cap.14.v.3. & ſeq.pulcherrimā digreſsionem habet de morte Ioannis. Ait enim, *In illo tēpore audiuit Herodes Tetrarcha famam de Ieſu, & dixit pueris ſuis, Iſte eſt Ioānes ille Baptiſta, ipſe reſurrexit à mortuis, & propterea virtutes agūt in eo.* Deinde ſequēs digreſsio. Nā Herodes prehēderat Ioannē & vinxerat eum, & cōiecerat eū in carcerem propter Herodiadē vxorē Philippi fratris ſui, &c.

Μετάβασις transitio, eſt apta & lenis ad aliā & ſuperiora coniunctam tractationem acceſsio & aggreſsio. Paul.Epiſt.ad Rō.c.9.v.3.& 10.aptè & cōmodè à diſputatione de iuſtificatione & ſanctificatione noſtra, ad tractatū de prædeſtinatione Dei tranſit. *Neque hunc ſolùm, ſed Rebecca, cùm ex vno concepiſſet, nēpe ex Iſaac patre noſtro, hæc experta eſt. Nōdū enim natis pueris, cùm nihil feciſſēt boni aut mali, vt propoſitū Dei, quod eſt ſecundū ipſius electionē, id eſt, nō ex operibus, ſed ex vocante, firmū maneret.* Idē B Paulus quotieſcūque in ſuis Epiſtolis à tractatione de doctrina fidei, ad exhortationes ad bene viuēdum deſcendit, tranſitio eſt: vt in Epiſt.ad Epheſ.cap.4. v.1.& 5.ver.1. Coloſ.3.v.12. *Induimini igitur, vt electi Dei ſancti & dilecti, viſceribus miſerationum, benignitate, modeſtia, manſuetudine, lenitate.* Phi.3.v.1.quum à doctrina fidei ad errores vanámque cirunciſorum iactantiam accedere vellet, *Quod ſupereſt*, ait, *fratres mei gaudete. Eadem ſcribere vobis haud quidem me piget, vobis autem tutum eſt.* Idem in 2.ad Theſſal. 3. verſu 1.& 1.ad Timoth.4.verſu 1 *Spiritus autem dicit diſertè, fore, vt poſterioribus tēporibus deſciſcant quidam à fide*, &c. Hi omnes loci & verſiculi tranſitionem habent. Atque hęc quidē & huic ſimilia ad locū illū Rhetoricum (quem nos appellamus) pertinēt, qui, quemadmodū dixi, vno verbo totā conſtructionis, orationíſq; ſeriē & loci quem tractamus, cum ſuperiore ordinem exponit.

Sequitur locus ~~Dialecticus, qui ſtatim ſuperiori~~ ſubiici debebit. Eſt autem is, qui locum & ſedem argumenti ſiue rationis breuiter oſtendit, qua vtitur ea ſcripturæ particula, quam tractamus. C Exempli gratia, exponentes verſiculum 1.cap.4.Epiſtolę ad Galatas, vbi ſic ait Paulus. *Hoc autem dico (quandiu hæres eſt infans, nihil differt à ſeruo, quamuis ſit Dominus omnium.* Primum locum Rhetoricū ſic annotabimus. Eſt totus quidem hic locus ἀπεξεργασία, hic autem verſiculus κατάφασις, ſiue ſeria eiuſdē ſententiæ aſſeueratio. Addemus poſtea locum Dialecticum ſic, Hîc autem vtitur Paulus argumento ſiue ratione ducta à ſimili. Comparat enim Iudęos qui fuerunt ſub Lege, infanti qui adhuc in tutoris poteſtate manet. Ergo cùm ſedem argumenti & probationis qua vtitur ſcriptura deſignamus, locū Dialecticū annotamus. Eſt enim Dialectices propria argumenti inuentio, & eius poſtea collocatio vt inde fiat iuſta plenáque probatio, id eſt, ſyllogiſmus ſuis omnibus numeris perfectus & abſolutus. Aliud exemplum tractātes v.3.c.15.prioris Epiſtolæ Pauli ad Corinthios, vbi ſic ſcribit Paulus, *Tradidi enim vobis imprimis quod acceperam, Chriſtū videlicet mortuū eſſe pro peccatis noſtris ſecūdū ſcripturas, & ſepultum fuiſſe, & excitatum tertio die ſecundum ſcripturas, ita dicemus.* Locꝰ Rhetoricus eſt πρόθεσις. Hac enim deſignatione totius loci continuatio cū ſuperiori, & cum ſequenti explicatur. Nam cum A initio huius capitis 15. trāſire cœperit ad aliam diſputationem Paulus, hîc de qua re ſit ſibi agendum breuiter proponit. Nam oſtēdit ſe cōfirmare velle doctrinam de reſurrectione carnis, quā illis antea tradiderat, πρόθεσις igitur eſt locus Rhetoricꝰ. Locus autem Dialecticus ſic explicabitur. Vtitur autē argumento, quod ab authoritate ſcripturæ ſumptum eſt. Ergo locus Dialecticus eſt locus ab authoritate. Aliud exēplū in verſu vigeſimoquinto, capite ſecundo epiſtolæ ad Romanos. *Nam circūciſio quidem prodeſt ſi Legem ſeruaris*, &c. Locus Rhetoricus & ſeries orationis eſt occupatio. Locus autem Dialecticus, quo refutantur ij, qui in carnali circunciſione ſanctimoniam quærunt, eſt diſtinctio ac definitio circunciſionis, quam Paulus duplicem facit, ſpiritualem nimirum & carnalem. Quare locus Dialecticus eſt à diſtinctione & definitione. Ex his autem paucis exemplis, facilè iam intelligi poteſt, quid appellemus locum Rhetoricum, quid item Dialecticum, & vt vterque ſtatim ſit explicandus atque coniungendus, non quidem B vt iis ipſis verbis, aut ſemper, aut neceſſariò vtamur, quibus & Rhetores & Dialectici illos locos appellant: ſed tamen res ipſa, quæ illis denotatur, víſq; ipſa & notio, quæ iſtis vocibus ſubiicitur, eſt breuiter & commodè exponenda. Denique vt ſemel dicam, loci Dialectici ſunt ii, ex quibus argumenta ad fidem propoſitæ rei faciendam, ac ſententiam, quæ tractatur, confirmandum ducuntur. atque hi loci multiplices certè quidem ſunt. Nam & à rebus internis ducuntur, & ab externis: ab internis quidem, vti à genere, à ſpecie, à differentia, à forma rei, à materia, à definitione, à proprio. Sed & à rebus quoque externis argumenta ſumi poſſunt, & iis quidem vel artificialibus: vel inartificialibus, vt vocant. Ab artificialibus, veluti ab iis rebus, quæ conſenſum aliquem, cōnexionem vel etiam cognationem cum re propoſita habent, veluti à cauſſa, ab effectis, ab adiunctis, ab antecedenti, à concomitante, à conſequenti, à pari, à ſimili, ab accidente, à circunſtantia. Sed & ab iis quoque rebus C argumentamur, quæ rei propoſitæ ſunt diſsimiles, veluti à diſparibus, à repugnantibus, à contrariis, à diſſimili, ab oppoſitis & aliis huiuſmodi. Denique inartificiales loci ſunt, & tamen in ſacra Theologia maximi momenti, duo: Primus quidem & præcipuus, ab authoritate ſacræ Scripturæ. Secundus à teſtimonio veterum & orthodoxorum Patrum. Quos omnes, vel qui ex iſtis maximè in ſacra Scriptura frequētes ſunt, quia Andreas Hyperius cōmodè & copioſè, in libris de Theologico ſtudio expoſuit, hoc loco fuſius nō perſequemur. Itaq; ad tertiā noſtræ methodi partē, nēpe ad locū Theologicū accedemus ſi prius vni cuidam obiectioni reſponderimus, quæ duos ſuperiores locos arcere à ſacræ ſcripturæ tractatione omnino videtur. Eſt autem ea, quæ partim ex Petri 2. Epiſt. cap.1. verſ. 16. partim ex Pauli Epiſtola ad Coloſſ.cap.2.verſ. 8.& 1.ad Corinthios 2.verſ. 1.& 4.ſumitur. Vetant enim hi ſāctiſsimi Apoſtoli Chriſti, & optimi tractandæ Theologicæ præceptores, ne arte cōpoſitas fabulas ſequamur, aut perſuaſoria humanæ facundiæ & ſapientiæ verba adhibeamus, deniq; ne vaniloquentiam amemus, aut eā Philoſophiæ partem quæ nos deprædatur. Quid autem, dicet quis, aliud facimus, dum locos iſtos Rhetoricos & Dia-

2.Pet.1. verſ.16.
Coloſſ.2. verſ.8.
1.Cor.2. verſ.4.
1.Tim.1. ver.6.

A lecticos in ea quærimus ? Ergo faceſcere è Chri-
ſtianorum ſcholis ſtatim iubebunt noſtram hanc
totam tractandæ ſcripturæ ſacræ rationem. Quid
igitur?Sanè neque Spiritum ſanctum , neque illius
amanuenſes Prophetas & Apoſtolos ad Rhetorũ
ſuperſtitioſum artificium,vel ad Dialecticorũ mo
roſas de ſyllogiſmo leges & ſpinas reuocam⁹.Ab-
ſit enim à nobis iſta cogitatio,& tam inepta & exi-
lis de diuinis ſcripturis , quæ omnem humanũ ca-
ptum ſuperant æſtimatio.Neq; enim Dei eloquiũ
alia,quàm ſua ipſius virtute,& efficacitate,quę per
Spiritũ ſanctũ gignitur in cordibus noſtris ,robu-
ſtũ,vel ad perſuadẽdum nos aptum eſſe credimus.
Sed illud tantũ conamur,vt quæ in illo ſacro & di
uino verbo obſcurè dicta videri poſſunt,quęque à
multis perturbatè leguntur (quũ tamẽ illa ſumma
methodo à Dei ſpiritu tradita ſint) dilucidè & qua
ratione ſcripta ſunt,explicentur.Sũt enim & Pro-
phetæ & Apoſtoli inaffectati illi quidẽ,ſed tamen
ſũmi potentiſſimiq; & Rhetores & Dialectici:qui
ita Dei ſpiritu ducebãtur,dũ ſalutarẽ Dei doctrinã
nobis mãdarũt ſcriptis,vt & methodo,qualis ver-
bi diuini maieſtatem decet optima vterentur, & à
nobis certo ordine,certáque ratione,non autẽ cõ-
B fusè ſua ſcripta intelligi & tractari vellẽt.Ergo nul
la fit verbo ſacro iniuria , cùm artificium , quod in
iis ineſt , ſanctiſſimè & magna cum veneratione
obſeruamus, vt tota ſalutis noſtræ ratio ex ipſo
ſancti Spiritus artificio & dictamine fiat nobis
notior & familiarior. Sed etiam illa ratio accedit,
per quam tãta in nos noſtrámque methodum ca-
lũnia refutatur,quòd cùm vtraq; illa pulcherrima
ſcientia,Rhetoricã dico & Dialecticã,ſit ampliſſi-
mũ Dei donũ erga homines,vt mentis noſtræ ſen-
ſa ordine & vtiliter exprimamus,quę inuidia eſt,ſi
vtramque ad ſui authoris laudẽ cõuertamus,& eas
ſacræ Theologiæ cogamus ancillari? Sed de hac re
& obiectione pauciora mihi dicẽda arbitror,quo-
niam cordatos homines exiſtimo ex ipſo hoc no-
ſtro ſcripto ſatis agnoſcere poſſe, quãtũ ab iis diſ-
ſentiamus & diſcrepemus, qui fabulas arte cõpo-
ſitas pro ſana & cœleſti Dei doctrina tradendas
C eſſe volunt:atque etiam ab iis,qui vim illam inex-
plicabilem ſacræ ſcripturæ in Rhetorum pigmen-
tis,aut Dialecticorũ vinculis poſitam arbitrantur.
Vtrunque igitur locum adhibemus , quatenus eæ
artes ſunt omnis orationis fontes quidã,& tanquã
moderatrices, quibúſq; nulla ſani hominis oratio,
aut accurata ſcriptio carere poſſit. De loco ~~igitur~~
Theologico , quæ noſtræ ~~huius methodi pars eſt~~
tertia & vltima,breuiter iam dicamus.

Locum Theologicum appello eam tractationẽ, quæ de re ipſa agit quam ſacræ Scripturæ docent. Poſtquam enim ſeriem ſtyli, orationíſque ordinẽ in quauis ſcripturæ diuinæ parte obſeruaueris, atque vim & locum argumenti quod eo loco continetur diligenter annotaueris,proximum eſt , vt rẽ ipſam explices & demonſtres , id eſt , quænam ſunt illa , quæ à Spiritu Dei illîc ad noſtram ſalutẽ tradũtur.Quod quia in ſacræ Scripturæ tractatione ex doctrinæ cœleſtis veræque Theologiæ fontibus eſt hauriendũ, idcirco nos locũ hunc Theologicum nominamus. Ergo in hac tertia parte diligens & accurata rerum diuinarũ explicatio verſatur , quæ vt commodè & intelligenter , atque etiam,vt liberè dicam,verè fieri poſſit, hoc ordine mihi videtur incedendum.

A I. Præceptum. Primo igitur loco,ſũma doctrinæ, quæ illo loco cõtinetur, breuiter à Paſtore vel Doctore proponetur,antequam in illius interpretationem ingrediatur altius, vt primùm omniũ habeat ante oculos auditor quorſũ pertineat futura diſputatio.

II. Hæc igitur ſumma totam illius loci hypotheſin & materiam continebit,quæ & ipſa vel in ſua mẽbra,ſiquidem fieri poteſt, eáque pauca diuidetur. vel(nec enim quodlibet argumẽtũ tam latè patet, vt tanquam totum quoddam multas partes habeat in quas diuidatur) tota ſemel ſimulque tractabitur.

III. Si diuiſa fuerit in quædam membra & capita, vnumquodque eorũ ſeorſum explicabitur,ac diligenter obſeruabimus,vt præfemur ea quæ vtrique communia ſunt, & tali diſputationi lucem afferũt, ſuntque velut αἰτήματα, & poſtulata Theologica, præſupponenda, vt poſtea dilucida ſingularum illius textus partium interpretatio commodè fiat.

IV. Ad ſingulorum verò capitum ſiue membrorum explanationem accedens Paſtor aut Doctor , hac methodo,ſi modò ſanam doctrinam, eámque etiã rectè docere velit,vtatur. Primum vt vocum ſeu verborum,quibus vtitur illic ſcriptura , verã germanámque explicationem afferat,ne ignorata vocabulorum ſignificatione , qualis ſequenda illîc & ſpectanda eſt,tota ſententia ignoretur.

B V. Expoſita verò ſignificatione verborũ iam alios ſacræ Scripturæ locos,qui huic ſuo quem habet in manibus,ſimiles erunt diligenter cõiunget , comparabit & citabit,atque,quid in illis idẽ , vel aliter quàm in hoc ſuo inſit,quid illi plus,vel minus quã iſti cõtineãt,vel etiã quid ſimile habeãt,perpẽdet.

Deinde diſſimiles in ſpeciem locos,qui fortè in VI.
ſacra ſcriptura occurrent,cum hoc ſuo conferat &
examinet prudẽter, vt ſi qua inde vel dubitatio vel
hæſitatio auditorum animis ſuboriri poſſit,dilu-
cidè enodet atque diſſoluat , atque hanc ſuam ſo-
lutionẽ vel aliquo ſcripturę loco:vel orthodoxę &
eruditæ vetuſtatis.i.patris alicuius pii teſtimonio
& authoritate,ſi poteſt,cõfirmabit maximè in pię
lectionibus.Nã in ſacris cõcionibus hac patrũ au- C
thoritate citãda prorſus piũ fidelémq; Paſtorẽ ab-
ſtinere velim,& vni⁹.Dei ſacro verbo contẽtũ eſſe
iuſſerim.Laxior autẽ & liberior eſt in eo Docto-
ris,quàm Paſtoris,in agẽdo ratio, quoniã ille qui-
dem Doctor ferè apud doctos viros , hic autẽ Pa-
ſtor apud rudem & imperitam plebeculã hominũ
admiratricem ſępius verba facit,quã ab iſto more,
id eſt,à fundamento fidei ſuæ ex hominum ſcriptis
petendo,auocandam eſſe prorſus ſentio.Vni enim
Dei verbo , non hominum ſententiis inniti fides
Chriſtianorum hominum debet.Similium autem
aut diſſimilium ſacræ Scripturæ locorum copiam
ac ſuppellectilẽ ſuppeditabit,non tantùm diligens
illius lectio,(quam & Paſtoribus & Doctoribus
iniungit in perſona Timothei Paulus) ſed etiam 1. Tim. 4. v. 13.
pia & frequẽs meditatio,ac priuata annotatio. De
patribus idẽ ſentiendũ eſt,qui laudãdi ſunt.Sed ille
certè nũquã eos citabit, qui nunquam eos legerit.

VII. Poſt locorum ſimilium ac diſſimilium ex ſacra Scriptura collationem,accedat Paſtor aut Doctor ad Doctrinę Papiſticę, & earum hæreſeon examẽ, quæ ex huiuſmodi loco fundamentũ & fulcimentum,quantumuis exiguum , habere videntur , vel etiam quæ ex eo apertè refutantur.Huiuſmodi autem collatio ex libris 4. P. Lombardi & Summis

Thomæ

A Thomæ Aquinatis, quoad Papiſticam & pontificiam doctrinam: quoad hæreſes autẽ ex libro Auguſtini de hæreſibus ad Quoduultdeum facilimè haurietur, modò ad certa religionis capita referãtur, quemadmodum illîc fecimus.

IIX. Sed ſi quid ab Ethnicis & profanis ſcriptoribus, & quidem illuſtrioribus, dictũ legeris, quod oppugnet illius, quem tractabis loci ſententiam, idipſum breuiter refutes, vt quod ait Paulus, omnino ſacra doctrina tradatur, & omnes contradicentes refellantur.

IX. Quòd ſi ſuſceptus locus patiatur ἀντίθεσιν aliquã inter Renatum & non Renatum hominem fieri: inter nouum hominem & veterem: inter noſtrum ſtatum, qualis iam nunc eſt, & eum qualem ante peccatum habuimus, ne prætermittatur. Non modò enim huiuſmodi comparatio totam diſputationem plurimum illuſtrare ſolet: ſed etiam nos ipſos confirmat, & magis magíſque ad beneficiorum Dei admirationem rapit. Atque hic locus in exhortationibus ad bene viuendum occurrit frequentiſsimè, éſtque imprimis neceſſarius. Denique poſt explicatam illius loci hypotheſin, veniẽdum eſt ad theſin, ſi res fortaſſe ipſa generalius dici aut conſiderari poterit.

X. B Videndum eſt enim quum quid adiunctis quibuſdam circũſtantiis à ſacra Scriptura dictum eſt, vtrum illis detractis idem affirmari poſsit: an verò illa doctrina ex circunſtantiarum adiectione pendeat, ac, vt ita loquar, limitetur. Quod ſi ad theſin extendi doctrina poterit, colligendum erit ex loco à te ſuſcepto & tractato πόρισμα. i. corollariũ generale, quod pro ratione & vſu Eccleſiæ perſequẽdũ erit. i. quantũ vel diſſoluti hominum mores, vel iã naſcẽtes in Dei Eccleſia errores, id fieri poſtulant atq; patiuntur. Communium autem locorum frequentatio & repetitio in concionibus præſertim, magis, quàm Crambe bis terve appoſita, mors eſt. Sin autem doctrina & thema ad theſin reuocari non poterit, tunc ſingulæ illius dicti & loci circũſtantiæ erunt accuratè perpendendæ & perſequẽdæ. Atque huius circunſtantiarum obſeruationis vſus certè in hiſtoriarum & miraculorum ſacrorum explicatione maximè ſolet habere locum.

C Hæc autem ſunt pauciſsima præcepta, ex quibus intelligi poſſe puto, quale ſit meũ de vtili methodo in ſacra Scriptura tractanda iudicium. Addenda tamen duo quædam reſtãt, in quibus debet eſſe peculiaris Paſtorum concionantiũ cura & cogitatio. Ac primũ quidem vt viuas exhortationes ad ſingulas ſuæ doctrinæ partes adiungant, vt non tantũ ſana doctrina ab illis piè tradatur: ſed ad eius praxin homines commoueantur. Sic enim & vitæ turpitudo corrigetur, & Deus piè coletur, & charitas Chriſtiana vigebit, id eſt, tẽperanter, piè & iuſtè à Chriſtianis viuetur, vt ait Paulus, quę eſt ſumma omnium exhortationum, quæ fiunt à piis paſtoribus. Tit. 2. verſ. 12. Atque hęc ex variis exhortationum locis, qui paſsim in Prophetarum concionibus occurrũt, (ſi modò Paſtores rectè & diligenter eos notauerint) illi conſequentur. Alterum eſt, vt iidem Paſtores concionantes aptis ſimilitudinibus ſcripturæ, ſæpe quidem obſcuræ, ſententiam populo illuſtrent, facilémque reddant. Facit enim apta cõparatio, rerum cœleſtium cum terrenis & rerum ignotarum cum notis, (qua omnium Doctorum atque Paſtorum exemplar, Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſæpiſsimè vſus eſt) vt res obſcuræ & à communi vulgi ſenſu remotę, non tantùm melius intelligantur, ſed etiam facilius mente credantur. A Sic Paulus in difficillima illa quæſtione de reſurrectione carnis explicanda, facillima ſimilitudine. à ſatione & granis in terra manentibus, & poſtea reuiuiſcentibus ſumpta vſus eſt, qua non modò rẽ aliâs ἀκατάληπτον illuſtrauit: ſed etiam penè popularem reddidit. Sic Chryſoſtomus: ſic Baſilius: ſic optimi ac diſertiſsimi quique Paſtores docuerunt: quas rerum terrenarum cum cœleſtibus commodas comparationes & ſimilitudines, qui dedignatur apud plebẽ aſſumere, nę is mihi videtur, vel nĩmium de ſe ſuperbè ſentire, vtpote qui Chriſti pulcherrimam atque ſanctiſsimã in docendo methodum aſpernetur: vel adhuc neſcire quid ſit docere & paſcere gregem Domini, tametſi fortaſſe ſe magnum Doctorem & Paſtorem putet. Ineptæ autẽ ſimilitudines & nimium humiles & abiectæ, maieſtatem verbo Dei detrahunt: nimium autem frequentes aut cõtinuatæ (quod certè quidã effectãt) vel periculoſas allegorias in ſcripturam inducunt, vel obſcuros & ænigmaticos ſenſus in animis auditorum pariunt. Itaque ab vtroque naufragij periculo cauẽdum eſt. B Atque hæc ſunt, mi frater, quæ tibi diſcedenti eram pollicitus, quæ apud te latere ſatius eſſe puto, quàm cuiquam communicare, multóque minus euulgari. Vt tamen iſta præcepta tanquam & praxi quadam coniuncta facilius intelligerentur, ſubieci aliquot exempla, ex quibus, quæ diximus, perſpicere poteris. Ex illis autem hoc eſto primum.

PRAXIS SVPERIORVM PRÆCEPTORVM.

Ex Epiſtola ad Rom. cap. 1. verſ. 17.

IVSTITIA enim Dei per illud retegitur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt. Iuſtus ex fide viuit.

C Locus Rhetoricus. Eſt αἰτιολογία. Nam ſuperiorem ſententiam probat Paulus, nempe Euangelium eſſe potentiã Dei ad ſalutem cuiuis credenti, ídque duplici ratione, Locus Dialecticus. Prima ducitur à conſequẽti, quod eſt omnino & neceſſariò cum ſalute coniunctum, eſt autem fides & iuſtitia. Altera ratio ſumpta eſt ab authoritate ſacræ ſcripturæ, nempe Abacuc Prophetæ, quæ & ipſa ſuperioris rationis & conſecutionis confirmatio eſt. Summa doctrinæ. Summa autem huius loci & argumentationis eſt hæc, quia ex Euangelio eſt fides, ex fide iuſtitia, ex iuſtitia vita, ex vita ſalus, ergo & ex Euangelio eſt ſalus. Vitam autem & iuſtitiam eſſe ex fide probat hoc teſtimonio, *Iuſtus ex fide viuit.* Diſtributio doctrinæ. Cæterùm hic verſiculus nobis in duo membra ſiue capita eſt primùm diuidendus: quorum primũ priorem rationem à Paulo allatam explicabit, ſecundum autem poſteriorem ſiue ſecundam. Locus Theologicus. Ergo ad primam accedamus, quæ vt facilius intelligatur, iſtud primo loco omnino eſt obſeruandum, hæc duo tanquam αἰτήματα Theologica & veriſſima à Paulo poſtulari, primum fidem eſſe ex Euãgelio: Secundũ, vitam & ſalutem ſeſe conſequi neceſſariò, vt quę res vitã, nẽpe ęternã, afferat, eadem ſalutem quoque. Ait igitur Paulus. *Ex fide retegitur*

A *iuſtitia.* Atq; hoc vti cōceſſum à quouis Chriſtiano ſumit, fides ex Euangelio eſt, Ergo iuſtitia ex Euāgelio eſt. Fidem verò eſſe ex Euangelio, eſt, non ex ipſis characteribus & literis, quibus Euangelii doctrina ſcriptis mandata eſt, non itē ex libris & codicibus, quibus huiuſmodi ſcriptura continetur, hauriri vel infundi illam certiſsimā animi fiduciā, per quā Dei per Chriſtū promiſsioni acquieſcim⁹: ſed eſt ſubiectū ipſum (quod fides apprehēdit) in Euangelij prædicatione contineri & doceri, nēpe Chriſtum pro nobis hominē factū, ex ſemine Dauid, & declaratum filium Dei virtute illa immenſa reſurrectionis ſuę, vt idem Paulus προορισμῷ quodā hoc ipſo capite verſ.3.4. explicauit. Eſt quidem fides verè & propriè ipſius Spiritus ſancti opus in nobis, & donum Dei, non hominum, nō denique Paſtorum ipſorum qui Euangelium nobis annuntiant, Epheſ.2.v.8. ſed quia Dominus Euangelij, id eſt, doctrinæ huius prædicatione vtitur tanquā inſtrumēto ad fidem cordibus noſtris inſerendā, idcirco dicitur fides eſſe ex Euāgelio. Vnde hoc loco Euāgelium Metomyιῶs (nēpe materia pro ipſa actione) accipitur & pro ipſa prædicatione doctrinæ Euangelicæ. i. eius doctrinę, quę Chriſtū nobis redēptorem & ſanctificatorē denuntiat & demōſtrat. Similis locus ſup.v.15. *Non me pudet Euangelij*: id eſt, prædicationis huius doctrinæ. Item alius, ſimilis Phil.1.v.27. fides Euangelij appellatur, vbi Euangelium eodem ſignificato ſumendum eſt.

Primi membri explicatio.

Explicatio vocabuli.

B

Similis locus.

Iā verò illud videamus, quod propriè hoc primum caput tradit, nempe iuſtitiā eſſe ex fide: atque etiam eam, quæ nōdum perfecta eſt, ſed quæ quotidie creſcit & augeſcit, vt ipſe loquitur 2.Cor.10. v.15. Quid autem iuſtitiæ nomine & quam iuſtitiā retegi hoc loco ſignificet Paulus, explicatu facile eſt. Eā enim iuſtitiā intelligit, qua corā Deo ipſo, nō autē corā hominib⁹, in foro, in familiis noſtris, in tribunalib. iudicum iuſti cenſemur. Nā tota hæc diſputatio, non de politica vitæ noſtræ ratione, nō de honeſta noſtri fama & exiſtimatione apud homines inſtituta eſt: ſed de vera ſalute & vita ęterna animorū, quā à ſolo Deo cōſequimur. Ergo de illa ſtatus noſtri ratione, vox *iuſtitia* hoc loco audiēda eſt, quæ apud Deū ipſum humana iuſtitia cenſetur & definitur, quęque efficit, vt iuſti corā Dei tribunali appellemur. Hæc ex fide retegitur, id eſt, per Euangeliū apertè demōſtratur, & per fidē à nobis obtinetur. Ratio eſt, quia per fidem Chriſtū nobis in Euāgelio prædicatum amplectimur, qui eſt illa iuſtitia noſtra corā Deo. Eſt enim is qui nos iuſtificat. Ergo neque vlli iuſtitiā illam cōſequuti ſunt, quàm qui Chriſtū fide ſuſceperūt, neq; poſſunt qui veram fidē in Chriſtū habēt, eā iuſtitiā nō habere. Ait autē Paulus, *Retegitur*, apertè, perſpicuè, clariſſimè denūciatur, oſtenditur, patefit, per illud, nēpe per pręedicationē Euangelii, fide à nobis apprehēſam. Diſertè verò vtrūque & expreſsit & diſtinxit Paulus, nempe Euangelium quod prædicari prius oportet: deinde fidē ſubiecit, quę illud verā fiduciā apprehendit. Similis locus Iſa.53.v.11. *Scientia ſui iuſtificabit iuſtus ſeruus meus multos*, &c. Item Epheſ.2. v.3. *Gratia eſtis ſalui facti per fidem.* Iuſtificari enim & ſaluari ſunt mutuò ſeſe conſequentia, & penè in ſcriptura Synonyma. Infra 3.verſ.22. hunc locum explicat Paulus: item 2.Corinth.3.verſ.9. Euangelium, Miniſterium iuſtitiæ nominat. Addit autem ex fide in fidem. i. ex fide etiam imperfecta iuſtitiam illam conſquimur, qualis eſt ea quæ quotidie ſua quædam incrementa accipit, & ex fide in fidem maiorem progreditur. Similis locutio Pſal. 84.verſ.7.

C

A

Hoc verò videtur à Paulo additum, tū vt magis magíſque in dies proficiamus: tum etiam vt omnē deſperandi occaſionem adimeret, ſi nondum perfectam omnibúſque ſuis numeris abſolutam fidem adepti ſimus. Nondum enim quiſquam noſtrum eam metam & menſuram fidei apprehendit aut habet, quæ eſt ſumma atque apprehendenda, ſed eſt ad eam contendendum, Philip.3.verſ.12.13. Nunc enim ex parte tantum cognoſcimus, 1.Corinth.13.verſ.9.

Diſsimilis locus.

Diſsimile videtur, quòd ſi fidem imperfectam habemus, ergo & imperfectam iuſtitiam. Nā pro qua menſura in nobis fides eſt, pro eadem & ipſius effecta: at imperfecta iuſtitia coram Deo non eſt iuſtitia, Iacob.2.ver.10. Ergo quę eſt ex imperfecta fide iuſtitia, coram Deo iuſtitia non eſt. Reſpōſio, quanquam imperfecta in nobis eſt fides, illa tamē eum Chriſtum amplectitur, qui eſt plena noſtra iuſtitia. Nam ex ipſo Chriſto, non autē ex fidei noſtræ menſura, perfecta iuſtitia noſtra pendet. Ergo qui fidem imperfectam habet, plenam tamē iuſtitiam in Chriſto conſequitur. Verbi gratia, qui Solē nō tam fortiter & directis oculis intuetur, quàm qui totū Solem lucidiſsimum aſpicere poteſt, luce tamen illius illuſtratur, & videt: fides enim imperfecta & iuſtificans dicitur, nō quæ dimidiatū tantùm Chriſtum apprehendit, ſed quæ totum quidē habet, non tamen tanto affectu, tantáque animi confidentia, quantum oportet, & quæ ſit perfecta.

B

Collatio hæreſeon

Ex hoc loco igitur refutari poſſunt Adamitæ & Anabaptiſtæ, qui niſi omnino perfectam fidē habeamus, non putant nos in numero electorum atque ſaluandorum cenſendos eſſe.

Et hæc exempli cauſa dicta ſint. Secundum autem caput eiuſdem verſiculi hîc non attingam.

ALIVD EXEMPLVM, ex Epiſtola Pauli ad Galatas cap.3.verſ.13.

C

AT Chriſtus nos redemit ab execratione Legis, dum pro nobis factus eſt execratio. Scriptum eſt enim, Execrabilis omnis qui pendet in ligno.

Locus Rhetoricus.

Eſt ὑποφορά. Occurrit enim tacitæ obiectioni quę ex ſuperiori ſententia oritur. Nam docuit Paulus neminem à lege benedici, niſi qui eam implerit: Nemo autē eam implet. Ergo nemo benedicetur. Qua ratione igitur nos fideles, quos dixit benedicendos cum fideli Abrahamo ſuprà v.9. benedicemur? Reſpondet, propter Chriſtū, qui iſtam maledictionem in ſe tranſtulit, & illam Dei benedictionem nobis comparauit. Sumpta eſt autē hæc ſolutio, ex diuinæ iuſtitiæ natura & regulis, ex quibus ſuprà idem Paulus argumentabatur. Quemadmodum enim illa iuſtè reos & maledictos pronūtiat, qui ſeſe trāſgrediūtur, ita plena pœnæ in trāſgreſſores cōſtitutæ perſolutione cōtenta eſt, qualē à Chriſto factā eſſe hîc explicat Paulus, dū ait, *pro nobis factus eſt execratio.* Ergo à legis maledictione & execratione per Chriſtū liberati ſum⁹, quia ipſe

Locus Dialecticus.

Summa doctrinæ.

A pro nobis illam.i.tam duram & horrendam Dei maledictionem pertulit: atque huius rei fidē facit ab autoritate ſcripturæ.

Diſtributio. capitis.

Eſt igitur huius verſiculi caput duplex. Primum totius ſolutionis & liberationis noſtræ rationem explicat. Secundúm, ſacræ Scripturæ locum ac autoritatem. Vt autem rectè tota huius ſolutionis conſecutio, & Pauli ratio intelligatur, illud eſt primò velut αἴτημα concedendum & conſtituendum, quod eſſe veriſſimum non tantùm veri Theologi, ſed Chriſtiani omnes fatebuntur, quòd Chriſtus homo factus eſt, mortuus eſt, execratio factus eſt: pro nobis talem factum eſſe. Itaque eius rei fructum ad nos pertinere quemadmodum idem Paulus docet Ro. 5. v. 8. Io. 3. v. 16. Ergo vt ad primum caput accedamus, nos à legis maledictione redemit Chriſtus qui eam pertulit. Non tantum autem maledictio quæpiam & vulgaris: ſed execratio & horrendum exitium nobis à lege intentabatur, in qua & Deo ipſi, & creaturis in perpetuum exoſi, deteſtabiles, ſicque ita miſerrimi futuri eramus, vt B ex magnitudine pœnæ à qua redempti ſumus, magnitudo beneficii Chriſti in nos melius intelligatur. Dixit etiam Paulus, *Chriſtus nos redemit*, vt noſtram hanc liberationem minimè in ipſo Chriſto gratuitam eſſe perpendamus: ſed iuſtum pretium ab eo fuiſſe perſolutum.i.pœnas omnes, & totam quam pro peccatis noſtris in Legem merebatur maledictionem in Chriſtum fuiſſe tranſlatas, & ab eo toleratas. Ergo nobis quidem gratuita facta eſt execrationis remiſſio & peccati condonatio: ſed eadē in Chriſto ſeuerè à Deo punita & exacta eſt. Idcirco Chriſtus dicitur alibi non tantum nos redemiſſe, ſed eſſe ipſum noſtrę redēptionis τιμὴν & ἀντίλυτρον.i.iuſtum pretium. 1. Cor. 6. v. 20. 1. Tim. 2. v. 6. Ex quo colligitur nos venditos eſſe peccato, per noſtram in legem inobedientiam.

Αἴτημα.

Similis autem huic locus eſt Rom. 3. v. 15. vbi dicitur Chriſtus placamentum noſtrum per ſuū ſan C guinē. 8. v. 3. vbi dicitur Chriſtus condēnaſſe.i.abſorbuiſſe peccatum in carne. Iſa. 50. v. 8. & 53. Hier. 25. v. 6. ex quib. locis hoc Pauli dictum explicatur.

Diſſimilis autem locus Matt. 19. v. 17. vbi remittimur ad obſeruationē mandatorū, vt ſalui fiamus. Reſpōſio. Vbi ex ſeſe ipſis & ex ſuis operib. homines præſumunt ſe ſalutē conſequi poſſe, ad legis obſeruationem remittūtur, ex qua reuincuntur rei & damnati. Id quod ille ſuorum operum iactator, de quo ibi Matthęus, quærebat. Sed hæc via ſalutis eſt omnino nobis ἀδύνατος, vt eodem cap. 26. oſtendit Chriſtus. Ergo ad Chriſtum veniēdum eſt, cuius ſatisfactione, iuſtitia & ſanctitate ſalui ſimus, id quod docet Paulus hoc loco.

Obſtat etiam quod dictum eſt, quiſque portabit iniquitatē ſuam, Ezechiel 18. Reſp. Chriſtus à Deo nobis vnus datus eſt, qui noſtras iniquitates portaret, atquę ita peccata noſtra velut debita diſſolueret, vti fideiuſſor pro alio ſoluere poteſt. Alius autem nemo id poteſt præter vnum Chriſtū, quia cùm cæteri homines ſint & ipſi rei corā Deo, minimè pro alienis peccatis dici poſſunt pati, ſed pro ſuis tantum: pro quibus ne minima quidē ex parte Deo ſatisfacere poſſunt.

Deniq; videtur diſſimilis locus in Epiſt. ad Coloſſ. 1. v. 24. vbi ait Paulus ſe ſupplere reliquias afflictionum Chriſti in carne ſua pro Eccleſia. Reſpōſio. Locus ille neque Paulum, neque aliū quenquā cum Chriſto, noſtræ redemptionis, & liberationis à legis execratione ſocium coniungit. A Nā torcular iſtud, vt eſt apud Iſaiam, calcauit ſolus Chriſtus: imò ne de pœnis quidem aut afflictionibus Chriſti agit, quatenus per eas redempti ſumus: ſed tantum quatenus per eas & veritatem doctrinæ cœleſtis obſignauit, 1. Timoth. 6. verſ. 13. & nobis ad idem faciendum exemplum dedit, 1. Petr. 3. ver. 21. Quod enim in capite Eccleſiæ factum eſt, idem in membris quoque cerni & fieri eſt perpulchrum & neceſſarium.

Collatio hæreſeon.

Cum autem Paulus hîc doceat, ſolum duntaxat Chriſtū nos redemiſſe, atque pro nobis execrationem factum eſſe, ſatis refutatur Papiſtarum certè blaſphemia & error intolerabilis, qui ſuorū ſanctorum afflictiones atque ſanguinē cū pretioſiſſimo illo Chriſti ſanguine fœdè miſcent, nempe ἐν φακῇ μύρον, vt eſt in veteri prouerbio: tanquam martyrū atque ſanctorum παθήματα ſint quoque pars noſtræ liberationis & redemptionis apud Deum. Atque inde indulgentiarum ſuarū mercimonia exercent. B Quo nihil magis ſacrilegum vnquā Sol ipſe vidit. Eſt enim non tantum Chriſtus pro nobis execratio factus, ſed ſolus: atque ille non tantùm redemit nos tranſlata in ſeſe noſtra maledictione, ſed etiam ſolus. Ieſa. 53. 1. Timo. 2. v. 5. Aut enim multos Chriſtos eſſe oportet: aut hunc qui verè Deus & homo eſt αὐταρκῆ nobis agnoſcere debemus. Id quod abūdè in Epiſtola ad Hebræos oſtenditur.

Præterea cùm Chriſtus nos redemerit tanquā opus ſuum.i.iure creationis, & beneficio electionis, ex eo colligit Hieronymus damnari Marcionitas, qui nos mundúmque hūc, opus eſſe alterius Dei, quàm Chriſti & Dei Euangelii, miſerè obſtinatéque affirmabant.

Quod autem dicitur factus execratio pro nobis, eodem ſenſu & ſignificato intelligendum eſt, quo alibi ab eodem Paulo idem Chriſtus dicitur factus peccatū peo nobis, 2. Cor. 5. v. 21. non quòd vel vlla peccati labes inhæſerit Chriſto: vel ipſe per ſeſe C Deo Patri fuerit vnquā exoſus, ſed quòd quas pœnas peccatum noſtrum & execratio noſtra merebatur, omnes abundè pertulit, quemadmodum fideiuſſor alenum creditum, ipſe inſons, luit.

Πόρισμα.

Ex hoc autem ipſo loco colligo, nō modò Chriſtum pro nobis verè paſſum eſſe, cùm verè ab ea pœna liberati ſimus (qua certè ſententia Manichęi & Docetæ omnes hæretici iugulantur, qui imaginantur Chriſtum imaginariè tantū.i.per ludibriū tantum & deridiculum paſſum eſſe) ſed etiam concludo eundem Chriſtum omnes & corporis & animi pœnas, quas peccata noſtra corā iuſtiſſimo illo Iudice Deo merebantur, omnino ſuſtinuiſſe, expiaſſe, & pro nobis perſoluiſſe. Aliàs enim ab illa execratione minimè adhuc liberati cenſeremur. Vnde verum eſt illud Pauli, quis condemnabit electos Dei? Chriſtus pro nobis mortuus eſt, id eſt, execratio factus eſt. Reliquam huius verſiculi partem hîc non perſequar.

ALIVD EXEMPLVM
ex Epiſtola Pauli ad Epheſ.
cap. 3. verſ. 1.

HVius rei gratia ego Paulus ſum captiuus ille Chriſti Ieſu pro vobis Gentibus.

A

Locus Rhetoricus.

Locus Dialecticus.

Summa doctrinæ.

B

Perſonarũ, id eſt, circunſtãtiarũ obſeruatio.

Hoc caput penè totũ eſt πολεμικὸν.hic autẽ verſiculus eſt ὑποφορὰ. Nam Paulus obuiam it magno infirmorum offendiculo, ne propter ſua vincula Euangelii doctrina malè audiat, aut minus alacriter excipiatur.Quanquã autem huic obiectioni plenè reſpõdet demũ ver.13.huius capitis, tamen hîc etiã quiddã molitur atque affert quod ſit huic offendiculo remediũ.Pendet igitur hæc obiectio ex perſonæ Pauli cõditione & circũſtãtia illius tẽporis,quo vinctus erat Paulus Romæ propter Euangelium Chriſti:Non autẽ ex re ipſa, id eſt, doctrinæ ipſius vlla labe.Huius autẽ, quam adfert,reſpõſionis hoc loco duplex eſt locus. Vnus qui à cauſa ſuorũ vinculorũ ſumitur, alter à fine, propter quẽ vinctus eſt,quo vtroque modo obiectionẽ aduerſus ſuam doctrinã & offendiculũ diluit. Sũma igitur obiectionis hæc eſt.Non poteſt videri cœleſtis doctrina & Deo grata,cuius præcones & miniſtri tam durè & fœdè apud Principes vinciuntur.Summa reſponſionis hæc eſt,Ego vincior propter Dei nomen propagandũ,& illius cœleſtis doctrinę cõfirmationem quam ex me audiſtis : ídque propter vos ipſos,id eſt,veſtro bono & cõmodo id potior. vtrũque autem honeſtum eſt , nẽpe & pro Chriſti veritate pati,Act.5.v.40. & pro ſalute atque fide aliorum fideliũ confirmanda Colo.1.v.24. Mirum autem nõ eſt ſi tunc cauebat Epheſiis Paulus hac admonitione, & aliquã ſuæ doctrinæ imminutionem apud eos fieri poſſe propter hæc vincula præſenſit , quando Timotheum ipſum virum in fide Chriſti fundatiſſimum admonet idẽ Paulus ne ipſum pudeat Euangelii propter ſua vincula 2. Timoth.1.v.8.Sunt enim vincula ſigna maleficiorum & iræ Dei potius,quàm amoris,vel honeſtæ vitæ, & puræ doctrinæ,interprete & iudice carnali ſenſu.Aliud enim docet Spiritus Dei,vbi pro nomine Chriſti affligimur,1.Pet.4.v.15.&.16.2.Cor.11.v.23. & ſequentib.& vulgò dici ſolet Ictus fuſtium non infamat, ſed cauſa.

Verborũ expoſitio.

C

Cum autẽ addit Pro vobis Gentibus , primùm ſuum miniſteriũ apud eos commendat,in quorum vtilitatẽ cedit:deinde fœlicem eſſe Gentium conditionem demonſtrat,quibus arcanum ſalutis iam patefit,quemadmodum & Iudæis.Ad id autem ſe deſtinatum eſſe commemorat,ne non ſatis prudẽter hoc tentaſſe propter quod vinctus eſt videatur, ſed potius ſe Deo iubenti paruiſſe oſtendat.

Similis locus.

Similis locus eſt Galat.2.verſ.8.Act. 22.v.21.22. Rom.15.v.15.& 16.

Diſſimilis locus Rom.1.v. 4. vbi ait Paulus, Omnibus debitor ſum,& Matt.28.& 19. videtur generaliter dici ſingulis Apoſtolis. Docete omnes Gentes.R.Ex Paulo ipſo Galat. 2.v.8. apparet etſi omnes Apoſtoli potuerũt vbique Euangeliũ Chriſti prædicare,ſpecialiter tamen ipſum Gẽtibus, Petrum autem Iudæis à Deo deſtinatum fuiſſe.

ALIVD EXEMPLVM

ex eadem Epiſtola ad Epheſ. cap. 3. verſ. 5.

QVod aliis ætatibus non innotuit filiis hominum,vt nunc retectum eſt ſanctis eius Apoſtolis, & Prophetis per Spiritum.

A

Locus Rhetoricus.

Locus Dialecticus.

Partitio doctrinæ.

Αὔξησις.Eſt enim hic locus commendatio & amplificatio tum ipſius doctrinæ cœleſtis, tũ Dei gratiæ , quæ Pauli ſeculo cõmunicata eſt hominibus. Locus autem amplificationis ſumptus eſt à cõparatis.Ac doctrina quidem cõmendatur, quòd iam perſpicuum eſt omne illud quod antea abditum in ea & obſcurum erat: Dei autẽ gratia,quòd hoc ſeculo & Apoſtolis & cæteris fidelibus per prædicationẽ Euangelii Dominus retexerit benignè quod antea homines penè omnes, omnéſque ætates celauerat.Locus difficilis,quem vt ordine explicem, & facilè, reuoco ad tria capita & quæſtiones, quæ ex Pauli verbis apertè oriuntur.Primũ enim quęritur de quo ſeculo vel ætate intelligat quũ ait aliis ſeculis hoc Chriſti myſteriũ ignotum fuiſſe. Secũdò quæritur etiam quoſnam hîc filios hominum intelligat , quum negat filiis hominum innotuiſſe. Tertiò , quos complectatur hîc Apoſtolorum & Prophetarum nomine,quibus nunc patefactũ eſſe hoc myſterum ait.

B

Venio igitur ad primum caput. Quod ad tẽpora & ætates quas hîc inter ſe confert Paulus perſpicuum eſt ex Pauli verbis omne illud tẽpus, quod à creatione mundi ad tempus prædicati Euangelii effluxerat , diuidi in duas tanquã ætates,eam nẽpe quæ præceſsit,& eam quæ ſequuta eſt Chriſti aduentũ atque prædicationẽ Euangelii. Certũ eſt enim nõ fuiſſe parẽ de Dei arcano notitiã ſuperioris ætatis,& ante Chriſti aduentũ præteritæ,atque huius.Noſtra enim longè maior eſt & vberior , cũ qui minimus eſt ſub prædicatione Euangelii ſit maior etiam Ioãne ipſo Baptiſta, quemadmodum ait Chriſtus Matt.11.v.11.

Similis locus Rom.16.v.24.

C

Diſſimilis Tit.1.v.2.Reſp.eſt promiſsionẽ quidẽ ſalutis hominũ per Chriſtũ fuiſſe ab initio mũdi,tam dilucidã tamen illius cognitionẽ nõ fuiſſe ante aduentũ Chriſti.Ergo tẽpus omne cõplectitur Paulus,quod & diluuiũ præceſſit,& ſequutum eſt,atque etiã illud , quod poſt legem datã & ceremonias (quæ huius arcani inuolucra & ſymbola quædam erant) fluxit, vt quàm felix ſit hæc noſtra conditio præ illa patrũ intelligamus.1.Pet.1.v.12.

Secundo autem loco agendum eſt de perſonis, quibus tantã lucem Euangelii ignotã fuiſſe ait Paulus his verbis,*filiis hominum, &c.* Hęc verba ita interpretantur quidã , vt Gentiles tantũ & infideles homines ſignificari putent,non etiam Iudæos. Et certè verum eſt Ethnicos quantumuis ſapientes habitos , ac vel ſummos quidẽ eorum Philoſophos, de Chriſto ne γρῦ vel locutos vel cogitãtes fuiſſe, ac ne per ſomnium quidẽ. Itaque ait Paulus ſupr. cap.1.v.9.*Patefacto vobis*,non autẽ ait omnibus hominibus.Nã hęc cognitio de modo & ratione ęternę hominũ ſalutis, ex ſola Dei reuelatione haberi poteſt.Matt.16.v.17.non ex carne & ſenſu, Ioan.3. nõ ex rerũ naturalium contẽplatione,Rom.1. non vi & acie ingenii noſtri , ſed Dei donum eſt, vt ait Paulus infrà v.8.Imo verò cum annuntiaretur Gẽtibus pro ſtultitia ab illis habita eſt , vt ait Paulus 1.Cor.2.v.13.Eſtque inter maxima Dei miracula à Paulo recẽſitũ,quòd Chriſtus prędicatus eſt Gẽtibus atq; fides illi prędicationi habita.1.Tim.3.v.16.

Obſtare autem videtur quod Sybillę videntur aliquid prædixiſſe de Chriſto,quæ tamen fuerunt vates prophanæ,& procuidubio infideles.Nam ex his teſtimonia ſępe citat Lactãtius aduerſus Gentes, A tes,& extat anagrammatiſmus ille, in quo literæ capitales voces Ieſus Chriſtus Saluator habent,ab illis Sybillis editus,de quo Cicero in li. de diuinatione,& Nicephor. Calliſtus. Accedit ad hanc dubitationem,quod ſcribit Auguſt. lib.2.contra Pelagium cap.27. Philoſophos Ethnicos cognouiſſe filium vt Deum, tametſi non vt Redemptorem. Clemẽs Stromateus quoque ait Philoſophiã idem fuiſſe idemq; docuiſſe Philoſophos, quod fides & Euangeliũ docet Chriſtianos. Denique afferuntur quędam ex Trimegiſto & Platonis epiſtola tertia quæ eſt ad Dionem,vbi Trinitatis.i.Patris,Filii & Spiritus ſancti mentio fieri videtur. Reſpõdeo verò & primũ quod obiicitur de Sybillis,dico eas de Chriſto quidem aliquid prædixiſſe,ſed ea,que neque ipſæ,neque alii infideles homines,earũ ſcripta legentes intellexerunt.Nam vt ἐνθουσιάσαι quædam & abreptitiæ mulieres loquebãtur, nec earum rerum erant participes,quas prædicebant. Idem de Trimegiſto, idẽ de Platone reſpondeo.Etſi illi B aliquid à cõmuni ſenſu & opinione hominũ remotum dixerunt,& quædam altius de Diuina natura quàm vulgus Philoſophorum ſcripſerũt,quod ab Ægyptiis,& ex veteri Iudæorum traditione didicerunt,id tamen ipſum illi ipſi minimè intellexerunt.Sed nec in illis ſuis ſcriptis vllam de vera ratione ſalutis humanæ literam reliquerunt.Quamobrem rectè dicitur à Paulo, hoc arcanum fuiſſe Ethnicis hominibus,ſuperioribus ætatibus omnino occultum & abſconditum.

Alii igitur his Pauli verbis *filiis hominum* etiam Iudæos ipſos contineri volunt, nec verò tantũ Iudæorum vulgus,qui vt plurimũ ipſis legalibus ceremoniis & ritibus & ſacrificiis,veluti operi cuidã operato,ſalutem conferenti ex ipſa actione inhærebant,ſed etiam Prophetas ipſos comprehendũt, quibus ignotum fuiſſe hoc arcanum contendunt. Hæc interpretatio ita cõmouit & perturbauit Hieronymum,vt hîc varios Scripturæ locos accumulet,quibus probat,nõ fuiſſe Prophetas myſterii & doctrinæ Euangelicę ignaros,neque etiam futurę vocationis Gentium.Et certè, verum eſt Prophetas & eos ex Iudæis,qui veram ſacrificiorum & C ceremoniarum legis ſignificationem intellexerunt, cognouiſſe rationem ſalutis æternæ in Chriſto futuram & à Deo promiſſam.Nã Prophetæ de Chriſto paſſuro & reſurrecturo perſpicuè loquuti ſũt, vti Iſaias cap.53.Dauid in Pſ.22.& idcirco Chriſtus de ſe agens remittit nos ad ſacras Scripturas,id eſt, ad ſcripta Prophetarum,quæ etiam ipſa ſæpe citantur ab Euangeliſtis,ne doctrina Euangelii noua,& Prophetis ignota fuiſſe videatur. Denique Petrus in priore Epiſtola cap.1.v. 11. ait, eos prædixiſſe & παθήματα & δόξας futuras Chriſti. Neque etiã dum Prophetę vaticinabantur , loquebantur tanquam abreptitij & phanatici homines,ſed,vt inquit Auguſtinus,erant & intelligẽtes & participes earum rerum quas fore prædicebant.Ergo hoc negari nõ poteſt,fuiſſe notam populo Dei ſemper,Euãgelii, id eſt,mortis & reſurrectionis Chriſti , atque fructuum qui inde naſcebantur,doctrinã. Aliàs enim fide caruiſſet Eccleſia quæ fides Chriſtum tanquã proprium obiectum reſpicit. Quòd ſi fide caruit, & ſalute.Eſt enim ſalus ex fide.Atque ita populus Dei,Eccleſia eſſe nõ potuerit:quia Chriſto, id eſt, ſuo fundamento caruerit: quæ omnia ſunt vel cogitatu abſurda.Et hîc diligenter vox comparationis à Paulo expreſſa notanda eſt,in verbis ὡς νῦν, id eſt,vt nunc.Ergo concedimus notum fuiſſe Eccleſiæ Dei hoc arcanum etiam ante aduentum Chriſti:ſed non ea menſura , neque eo modo & tã perſpicuè,quàm & poſt prędicationem Euangelii innotuit,& nunc innoteſcit.Ergo noſtri cõparatione Patrum cognitio fuit obſcura , noſtra verò eſt Perſpicua:Patrum generalis,noſtra ſpecialis: Patrum velut confuſa,noſtra diſtincta. Non fuerunt igitur illi Patres in tenebris,ſed velut in aurora tãtum eius lucis & diei , qui nobis iam plena meridie & pleno Sole lucet. A

Ex hoc autẽ loco vti ex cap.2.v.20.intelligi poteſt quænam ſit differentia inter vetus & nouum Teſtamentum. πόεισμαι

Tertio & vltimo loco quæritur quibus dicat Paulus,iam eſſe reuelatũ hoc myſterium de vocatione Gentium: Videtur enim reſtringere hanc tã perſpicuam cognitionem ad ſolos Chriſti Prophetas & Apoſtolos,id eſt,ad Doctores Eccleſiæ. Sic enim Prophetarum nomine Doctores omnes cõprehendi puto,vti Rom.12.v.6. B

At obſtat Chriſti dictũ Matt.11.v.11. vbi hãc cognitionẽ tam clarã & Euãgelii & vocationis Gentium ad omnes fideles pertinere videtur dici. Reſpondeo verò Paulum hîc tantùm cõparatè loqui, non autem ſimpliciter. Docet enim quibus maximè,non autẽ quibus ſolis ſit reuelatum hoc myſterium de vocatione Gẽtium,de abolitis ceremoniis Legis per Chriſtũ,&c. Nã iis quos Dominus Doctores Eccleſiæ conſtituebat maximè cognitã fuiſſe oportet hanc Dei voluntatem de vocandis Gentibus,& aſcribendis in album & cenſum populi Dei.Nobis quidem omnibus hoc idẽ reuelatum quoque eſt per eorum prędicationem & miniſterium.Neque nos Paulus hoc loco excludit,qui nõ ſumus Eccleſiæ Doctores.

Quod autem Apoſtolis & Prophetis plurali numero,non autem ſibi ſoli hoc arcanum notum eſſe ait, hoc non modò ad collegarum laudem & commendationem dixit Paulus: ſed etiam vt inuidiam & oſtentationis ſpeciem à ſe remoueret. C Prophetas autem hîc ſubiicit Apoſtolis , quoniam nõ de his Prophetis agit hoc loco , quos vetus teſtamentum habuit,quales Iſaias,Ieremias,&c. ſed de iis quos nouum teſtamentum habuit & habet. Ii autem ſunt qui ſcripturam interpretantur & linguarum cognitionem habent,ſiue miraculo infuſam,ſiue ſtudio comparatam,de quibus idem Paulus agit priore Epiſtola ad Corinthios ca.14.Nam illi Prophetæ veteris Teſtamenti tempore priores fuerunt Apoſtolis : hi verò Euangelici Prophetę, poſteriores.Itaque hîc nihil perturbat aut confuſè dicit Paulus.

Denique addit per Spiritum , in quo eſt commendatio huius reuelationis ab autore , nempe Dei ſpiritu , ne tam noua Iudæis doctrina videatur eſſe Pauli & Apoſtolorum commentum: ſed potius intelligatur eſſe Dei ipſius arcanum & Spiritus ſancti doctrina. Ergo breuiter hac voce Paulus videtur refutare calumnias, quas hæc doctrina patiebatur,& ipſe illius pręco,vt apparet ex Actis cap.21.

EPISTOLA PAVLI APOSTOLI AD PHILEMONEM.

PAVLVS captiuus Chriſti Ieſu, & Timotheus frater Philemoni dilecto & adiutori noſtro,

2 *Et Apphiæ dilectæ, & Archippo commilitoni noſtro, & quæ domi tuæ eſt Eccleſiæ.*

3 *Gratia* ſit *vobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.*

4 *Gratias ago Deo meo, ſemper mentionem tui faciens in precibus meis.*

5 *Quod audiam tuam charitatem, ac fidem quam habes erga Dominum Ieſum, & erga omnes ſanctos.*

6 *Vt communicatio fidei tuæ efficax fiat, vt agnoſcatur quicquid boni eſt in vobis per Chriſtum Ieſum.*

7 *Gaudium enim habemus multum, & conſolationem ſuper dilectione tua, quòd viſcera ſanctorum refocillata ſunt per te, frater.*

8 *Quapropter quanuis multam in Chriſto libertatem habeam mandandi tibi quod officij tui eſt:*

9 Tamen *propter charitatem potius precor, quum talis ſim, nempe Paulus ſenex, nunc autem etiam captiuus Ieſu Chriſti.*

10 *Precor autem pro filio meo, quem genui in vinculis meis, Oneſimo.*

11 *Quondam tibi inutili, nunc verò tibi & mihi perutili: quem remiſi.*

12 *Tu autem eum, id eſt, viſcera mea, excipe.*

13 *Quem ego cupiebam apud me retinere, vt pro te miniſtraret mihi in vinculis Euangelij.*

14 *Sed abſque tua ſententia nihil volui facere, ne velut ex neceſſitate ſit beneficium tuum, ſed ſpontaneum.*

15 *Nam mirum ni ſeceſſit ad tempus vt perpetuum eum reciperes:*

16 *Non iam vt ſeruum, ſed amplius quàm ſeruum, fratrem dilectum, maxime mihi, quanto autem magis tibi & in carne & in Domino?*

17 *Itaque ſi putas noſtra eſſe communia, excipe eum tanquam me.*

18 *Quòd ſiquid læſit te, aut debet, hoc mihi imputato.*

19 *Ego Paulus ſcripſi mea manu, ego dependam: vt ne dicam tibi te etiam te ipſum mihi inſuper debere.*

20 *Etiam, frater,* hunc *ego fructum abs te conſequar in Domino: refocilla mea viſcera in Domino.*

21 *Scripſi tibi, confiſus fore vt auſcultes, vt qui norim te etiam amplius, quàm dico facturum eſſe.*

22 *Simul autem etiam para mihi hoſpitium: ſpero enim me per preces veſtras donãdum vobis.*

23 *Salutant te, Epaphras, (meus in captiuitate propter Ieſum Chriſtum ſocius.)*

24 *Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas, adiutores mei.*

25 *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti* ſit *cum ſpiritu veſtro, Amen.*

Ad Philemonem miſſa fuit Roma
per Oneſimum ſeruum.

IN PAVLI EPISTOLAM AD PHILEMONEM

LAMBERTI DANAEI COMMENTARIVS.

Ad quod Paulinarum epiſtolarum genus hæc referatur.

EX hac Epiſtola,ſi cum ſuperioribus cõparetur,Paulinarũ duplex genus colligi poteſt. Vnũ earum epiſtolarũ,quę ad totas Eccleſias ſcriptę ſunt,velutiad Romanos,ad Corinthios,Galatas, Epheſios, &c. Alterũ earũ,quæ ad vnum aliquẽ extãt veluti ad Timotheũ, Titũ,& hunc ipſum Philemonẽ.Ex quo poſtremo genere aliæ ſunt quæ de publicis totiuſque Eccleſiæ rebus agũt:quales tres proximè ſuperiores:alię, quæ de priuatis tantũ rebus,qualis hæc vna. Vnde quæſitũ eſt fueritne operæpretiũ huiuſmodi Pauli priuata ſcripta ſeruari,& extare, cùm nihil neceſſe ſit ſingulas vel ipſius Chriſti actiones ſcriptis tradi & memoriæ. Præterea cũ longè fuerit vtilius publicas Pauli epiſtolas cuſtodiri,qualis illa fuit,quę ad Laodicenos ab eo ſcripta erat , cuius meminit Tertullianus lib.3. Aduerſus Marcionẽ, & Paulus ipſe vt videtur,Coloſſ.1.v.16.Itẽ & illa quæ prima ad Corinthios fuit,cuius facta eſt mẽtio 1.Cor.5.v.9.Ad quã dubitationẽ facilis eſt reſponſio.Ac primùm quidem quòd publicæ quædã Pauli epiſtolæ amiſſæ ſunt,id factũ non tam negligẽtia Chriſtianorum aut contẽptu earum , quàm tẽporum iniuria , quũ paſsim in Chriſtianos,eorúmque ſcripta ſęuiretur,& nequiſsimi Tyranni de toto Chriſtianorũ ſcriptorũ genere abolendo tunc cogitarent, ſtudioſéque ſatagerẽt.Itaque magna Dei prouidẽtia & benignitate erga homines ſuámque Eccleſiã factum eſt,vt aliquæ eorũ epiſtolæ extent, non omnes autẽ perierint,quæ ſunt ſedulò ſeruatæ etiã tunc quũ eſſent illi adhuc ſuperſtites,& nunc à nobis ſeruandæ, quæcunque ſcriptę ſunt.Quod autẽ putant nõ magni ita valdè intereſſe huiuſmodi priuata Pauli ſcripta & officia extare , quia nõ ſit neceſſe ſingula Apoſtolorũ & dicta & facta curioſè ſcrutari,nõ ſatis animaduertunt,quid hæc epiſtola contineat,quęque nobis vſum hodie præſtet.Ita enim pro priuato & ad priuatũ ſcripta eſt,vt in ea totius Eccleſiæ rationẽ Paulus videatur habuiſſe, dum tam egregiũ & ſingulare Charitatis & modeſtiæ ſuæ exemplũ nobis omnibus imitandũ prębe ret, qui tantus pro tã humili vilíque ſeruo tã ſuppliciter apud amicũ ſeſe demittat,oret,& intercedat.Ergo ex hac epiſtola ecquod ſit omniũ Chriſtianorũ in ſubleuandis fratribus etiã humilimæ conditionis officiũ docemur. Præterea etiã quod ſit ius Paſtorũ in gregẽ,& de grege:qui eorundem Paſtorum animus , in quẽcunque Chriſti ſeruum, & quàm feruens affectus. Neque verò repudianda ſunt ea ſcripta , quę ſingulas Apoſtolorũ actiones cõtinent , quũ ſcriptura ipſa quędã in ſpeciẽ leuia perſcrutetur,& tradat, veluti qualis fuerit veſtitus Elię,color,& vultus in Dauide , orario Noemi ad nucrus,amictus Samuelis pueri.Atque etiã,vt hoc loco præclarè annotat Chryſoſtomus poſt Athanaſiũ,vtile eſt extare,& noſſe quo cultu incederẽt veri ſancti,quid domi,quid foris egerũt,quibus cibis victitarũt,quibus officiis cõmunẽ hominũ ſocietatẽ ſuo tẽpore coluerũt. Deniq; quid vbique toto vitę curſu dixerint,aut geſſerint. Quũ vitã Luculli, Coriolani,Cæſaris,Cicerõis,& ſimiliũ ſæpe attẽtè & vtiliter legamꝰ,in quibꝰ tamẽ huiuſmodi quædã cõtinẽtur. Nã ex iis,quales in ſimilibꝰ actionibꝰ ipſi eſſe & quẽadmodũ nos gerere oporteat ĩtelligimꝰ.

Vtrum vtilis ſit hæc epiſtola.

Habet autem hæc quanquam breuiſsima,vti cęteræ epiſtolæ Pauli,tria capita

Partitio huius Epiſtolæ.

Proœmium
Nimirum Argumentum
Epilogum epiſtolæ.

Proœmium ipſum capita tria,
Quis ſcribat
Ad quem ſcribat
Quæ ſit ſalutatio.

Quando autem ſcripta ſit apparet ex ſubnotatione & hypographę̃ epiſtolæ. Nã & Romæ ſcriptã apparet,& quum captiuus eſſet adhuc Paulus pro nomine Chriſti,nõdum autem in libera cuſtodia.

Annotat autem Athanaſius ex verſ.24.hanc epiſtolam ſcriptam eſſe ante eam, quæ eſt ſecunda ad Timotheũ vti facilè intelligi poteſt ex 2. Timoth. 4.v.10.Ego verò ex verſ.23.huius,cõiicio etiã fuiſſe miſſam & ſcriptã antè epiſtolã ad Coloſſenſes,quũ iam tũ Oneſimus,de quo hic loquitur notoriè apud Paulum verſaretur & honorificè inter fratres eſſet,id eſt,in Dei Eccleſia haberetur,Col. 4.v.19.

AD VERSVM PRIMVM.

Docet quis ſcribat.Scribunt autẽ Paulus & Timotheus,è quibus pręcipuę ſunt partes Pauli ipſiꝰ rogantis Philemonem virum Dei timentem.Suus autem cuique titulus maioris cõmendationis cauſa tribuitur. Paulus eſt vinctus Chriſti:at Timotheus frater. Hîc autẽ omittit Paulus & miniſterii & dignitatis ſuę mentionẽ quum ſe neque ſeruum neque Apoſtolũ nominet , nõ quòd tunc vel munus ſuũ deſidioſè abieciſſet , vel faſtidioſè recuſaret & deprecaretur ob minitantes Euangelio calamitates,ſed quòd nihil iis titulis ſibi apud Philemonẽ opus eſſe intelligeret,cui notus & charus erat. Nec enim agitur de confirmãda Euangelii doctrina,ſed priuatũ officiũ præſtat.Itaq; ne intẽpeſtiuè aut ambitioſè ſuos titulos iactare Paulus videretur cõmodè hoc loco prætermittit.Fratris nomine non tantũ Chriſtianũ eſſe Timotheũ denotat,ſed muneris quoq; illius obiter meminit. Erat enim Euãgeliſta inter omnes notiſsimus.Itaque illum eſſe Timotheũ indicat , qui ſatis ſit omnibus notus,& qui ſatis à cæteris eiuſdem nominis hominibus ipſo profeſsionis Chriſtianæ genere diſtingui poſsit.Plus tamen eſt vinctum eſſe Chriſti, quàm ſimpliciter fratrẽ eſſe,quia vincula ſunt publica fidei & zeli noſtri in Deum teſtimonia, Chriſti ſtigmata ad Galatas ſexto verſu 17. Hoc autem ſibi tribuit Paulus , non quidem arroganter aut ambitioſè , vt quid plus eſſe appareat , quàm Timotheus , ſed quòd ipſe præcipuas rogandi par-

A tes aſſumpſit in hac epiſtola. Adiunxit tamen ſibi Timotheũ tum honoris ergò, ne tam fidelẽ Chriſti ſeruum ſpernere aut flocci facere videretur. Vti & in Epiſtola Coloſſ.1.& 2.Theſſ. tũ vt preces Timothei cum iſtis coniunctæ intelligantur, maiúſque præterea apud offenſum Dominũ pro ſeruo pondus habeant. Docet ſecundo loco ad quẽ ſcripta ſit hæc epiſtola, ad Philemonẽ, Apphiã, & Archippum. Fit autẽ primo loco Philemonis mẽtio, quem & dilectũ & cooperariũ Paulus vocat. Dilectum quidẽ, vt ſuum erga eum amorem imprimis teſtetur. Neque enim fictè locutum eſſe Paulũ exiſtimandum eſt. De hoc verò planè perſuaſum Philemonẽ valde referebat, vt eum exoraret, & ad cauſæ, quam agebat ſtatũ, ne cum ab eo Paulus poſtulet non ſatis Philemonis rebus proſpicere aut curã habere earum videretur, ſed petere ab eo de cuius damno non ſit ipſe ſollicitus. At aliud ſuadet illa ſuæ in eum charitatis anteſtatio. Charitas enim nõ agit indecorè, 1.Corint.13.v.5. Sed & honoris quoque ergò à Paulo appellatur cooperarius, vt à ſe coli & diligi, plurimíque fieri & quidẽ meritò Phile- B mon intelligat. Itaque agit cauſam hanc aliàs difficilem apud beneuolũ iam ſibi hominẽ, & de illius

Explicatio vocabuli. erga ſe honorifica opinione perſuaſum. Συνεργὸς hîc accipitur vti 1.Corinth.3.v.9. pro eo qui ſingulari aliquo vocationis munere in Eccleſia innotuit & opus Dei agit, quales ſunt Paſtores, Diaconi, Presbyteri. Non autẽ ſolũ pro eo qui quoque modo potuit pro virili Chriſti regnum promouere, quales omnes nos ſumus συνεργοὶ, & ita Priſcilla, & Maria mulieres à Paulo συνεργοὶ dicuntur. Rom.16.

Πόρισμα. v.3.& 6. Philip.4.v.2.& 3. Ex quo apparet iam tum in Eccleſia Philemonẽ adeptum fuiſſe munus aliquod Eccleſiaſticũ, & ex Dorothei Catalogo ſatis intelligi poteſt cui Eccleſiæ præfuerit. Ergo autẽ ipſo muneris ſui nomine admonetur officii ſui, & vt facilẽ exorabilémque ſe in ſerui culpa præbeat, quãdo qui gregi Domini pręſunt cęteris debẽt eſſe omnis patientiæ, modeſtiæ, lenitatíſque animi, & virtutis exemplum. 1.Petr.5.v.3. qualis fuit Moſes.

AD VERSVM II.

Philemonis autẽ primùm meminit Paulus, quòd C illius potiſsimùm intererat id cõcedi, de quo hac Epiſtola acturus eſt Paulus, & quòd illius eſſet primum ſeruo ſuo culpã condonare. Cadit enim ſeruus domino ſuo, in cuius eſt poteſtate, & ad eũ res iſta imprimis pertinet. Rom.14.v.4. Adiungit autem & Apphiam & Archippum. Quare verò? Tum honoris ergo: tum etiam facilioris impetrationis gratia. Ac impetrationis quidẽ, vt hos velut eiuſdẽ cauſæ patronos & pro ſeruo aduocatos habeat apud dominũ valde & meritò irritatũ: Honoris autem, quia honorificè hic vterque à Paulo appella-

Explicatio vocabuli. tur pietatis ergô. Nam Apphiã dilectã: Archippũ autẽ συστρατιώτην appellat. In qua voce à re militari ad Eccleſiaſticũ munus tralatio ducta eſt, vti 2. Tim. 2.v.3. Philip.2.25. Στρατιώτην autem, id eſt, militẽ vocat Paulus non tantùm ea ratione qua Chriſtiani omnes qui Chriſto nomen dederunt ſub eius vexillis militant & pro eius gloria decertãt: ſed qua-

2.Tim.4. ver.8. tenus ſpeciale illud docendi munus in Eccleſiã habuit. Eſt enim hic Archippus, de quo Paulus Coloſſ.4.v.17. dequo vide Dorotheũ in Catalogo. Apphiã autem fœminã adiungit Paulus, quã vxorem

Similis locus. Philemonis fuiſſe equidem reor. Sic Ioan. ad Electam ſcripſit, primariã pietate fœminã 2.Ioã.& ſępe cum maritis Paulus vxores pias cõiunxit, qualis A hæc fuit, vti Rom.16.v.3. Sic Auguſtinus Paulino & Theraſiæ ſcripſit. Sed & totã Philemonis familiã addit, quò magis ſuã de eo, & iis, quæ ad eum pertinent, curam & ſtudiũ teſtetur: atque ita beneuolũ & amicũ magis ſibi reddat eum. Vocat autem eam familiã Eccleſiam, vti & Rom.16.v.5.1.Corint. 16. Similis locus. v.19. Coloſſ.4.v.15. quòd quilibet piorũ cœtus ſiue paruus ſiue magnus Deo purè ſeruiens vbicunque ſit in Chriſto collectus, ſit Eccleſia Dei, & Deo grata & quòd hoc teſtimonio Paulus, Philemonis familiam ſyncerè in Chriſti fide inſtructã, & ſanctè ſe gerentem demõſtret, quales cũ omniũ tũ Paſtorum imprimis familias eſſe oportet, Deut.11.v. 19. 1.Timoth.3.

AD VERSVM III.

Τάξις eſt. Eſt enim tertia pars procœmii, in qua ſalutatio Pauli cõtinetur. Optat autẽ illis omnibus gratiã & pacem. Ac primũ quidem gratiã, quæ pacis fons eſt & mater. Eſt enim gratia acceptatio noſtri à Deo gratis facta per remiſsionem peccatorũ & gratuitã iuſtificationem. Pax autem eſt ille gratuitæ dignationis diuinæ fructus vberrimus, & re- B bus in omnibus proſperrimus, qui ſcatet ex illo Dei erga nos fauore & acceptatiõe. Inde enim manant omnia bona. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Addit ſæpe Paulus ἔλεος his duobus, vti 1. & 2. Timoth. item ad Titum. Sed his duobus cõtentus fuit, vt ſępe Coloſſ.1.v.2. Theſſal.1. Corint.1.ver.3. Addit autem veriſsimas vtriuſque boni cauſas, Deum Patrem & Chriſtum Dominum: tũ vt intelligamus vnde illa nobis dona conferantur: tum etiam, vt inde ad gratiarum actionem Deo dandam ardentius accendamur, quũ omnia bona & ſpiritualia & terrena à Deo nobis, cóque vno profluere intelligimus. Deum autem patrem primũ nominat, poſt autem Chriſtũ Dominum. Quòd ille eſt fons omniũ bonorũ primus. Hic autem quatenus homo eſt, eſt mediator & cõciliator & canalis nobis eorũ bonorũ apud Patrem. 2.Cor.1.v.17. Non autem nos ipſi. Patrem autẽ appellat reſpectu Relationis, quæ in voce Filii intelligitur, non autẽ diuinitatis, quæ eſt in Chriſto. Chriſtũ autẽ Dominum vocat, quatenus homo factus eſt hæres & Dominus omnium rerum à Patre conſtitutus. Matth. C 28.v.18. Ioan.13.v.13.1.Corinth.8.v.6.

AD VERSVM IIII.

Iam verò incipit epiſtolæ argumentum. Orditúrque Paulus à gratulatione, & ſua de eo cura & ſtudio. Huius autem Epiſtolæ hæc ſumma eſt. Pe- Argumẽti ſũma. tit à Philemone vt Oneſimo ſeruo culpam tum fugæ tum furti ab eo commiſsi condonet & remittat: quod vt Paulus impetret & preces admiſcet & Chriſtiana argumenta apud Chriſtianum valida. Ac preces quidem hæ ſunt,

Verſ. 10. Oro pro filio.

Me pro Chriſto afflictum ſubleua, pro communi omnium cauſa & ſalute me laborentem.

Verſ. 18. Mihi culpam & debitum imputa.

Verſ. 20. Refocilla mea viſcera hac conceſsione & liberalitate.

Argumenta verò ſunt varia. Omnia tamen ab honeſto ſeu officio & decoro hominis Chriſtiani ducta. Imprimis hæc quatuor,

Verſ. 7. Oportet inſigniter liberalem virum Paulo hoc concedere. Talis eſt Philemon.

Verſ.

A Verſ. II. Decet Dominum eique prodeſt ſeruum ſuum iam ſibi vtilem ex inutili factum benignè admittere. Talis eſt Oneſimus iam.

Verſ.16. Decet Chriſtianum dominum etiam alienum ſeruum Chriſtianum pro fratre agnoſcere, multò magis ergo ſuum.

Verſ.19. Cui te ipſum debes, ei roganti ſeruū tuum negare non potes. Se ipſum debet Paulo Philemō, Ergo illi roganti ſeruum negare non debet.

Incidit autem in ipſum argumēti ingreſſum hęc vtiliſſima & vexata quæſtio vtrùm pro homine apertè ſcelerato ſit honeſtū homini Chriſtiano, nedum Epiſcopo & Apoſtolo Chriſti intercedere apud priuatum vel magiſtratum quum minuenda ſunt ſcelera: non autem impunitate augēda. Apparet ex Canon. Maximinus 23. quæſt. 3. & Can. Hi qui 14. quæſt. 6. fuiſſe hoc anxiè diſputatum inter cordatos viros, de qua ipſa quæſtione & re Auguſtinus in epiſtolis, veluti epiſt. 158. 119. 60. ad Macedonium, & Petrus Martyr in 1. Reg. 20. verſ. 31. variè egerunt. Ac certè cùm certa verè pœnitentiæ ſpes affulſit in eo qui ſceleratus erat, licet intercedere non apud priuatum, ſed etiam apud magiſtratum, B eatenus tamen, quatenus ſaluo Dei honore & Reip. incolumitate pœna minuatur, non autem vt crimen tollatur. Cum autem nulla ſpes pœnitentiæ in ſcelerato affulget, non intercedere licet. Alit enim ita interceſſio nequitiam. Vti ſi in hæreticos pœna ſit à magiſtratu ciuili conſtituta & maneant hæretici. Iſai. 5. verſ. 26. Deuterō. 13. v. 8. 2. Corinth. 2. v. 7. Quòd autem à gratulatione orditur & precibus Paulus, id facit ſuo more vti in epiſtola ad Rom. 2. Philip. 1. verſu 3. Coloſſ. 1. verſ. 3. 1. Theſſ. 1. v. 2. Quemadmodum ipſe docet Epheſ. 5. verſ. 20. de omnibus gratiæ Deo agantur. Atque ea ratione nō ſolum beneuolum ſibi reddit Philemonem, ſed etiam ad perſeuerādum facilè cohortatur, qui tam benè cœperit, vt manifeſt⁹ ſit tener fidei in eo fructus. Quum autem ei laudem tribuit neque aſſentandi neque blandiendi ſtudio facit, ſed duplici de cauſa. Primùm, quòd ita ſe res habebat vt ſummam fidei & charitatis laudē apud omnes haberet Philemon. C Veras enim piorum virtutes commemorare eſt operæpretium ad cæterorum exemplum & Dei laudem. Sic Ioā. Caium laudat, 3. Ioan. 2. Quòd eius laudis & virtutis commemoratio ad ſtatum cauſæ pertinet, quam agit Paulus. Eò magis mouebit, vt condonet, quòd charitate erga omnes vtatur, quæ hoc iubet vt etiam ſeruo parcamus. Vox autem πάντοτε facit duplicem huius ſententiæ ſenſum. Si enim verbo εὐχαριστῶ coniungatur, indicat nunquam non Paulo in mentem venire Philemonis fidei & charitatis propter quam Deo gratias agit. Sin autem ad μνείαν referatur, alius erit ſenſus magis cōſentaneus menti Pauli, vt apparet ex Philipp. 1. verſ. 3. Coloſſ. 1. verſ. 3.

Similis locus.

AD VERSVM V.

Subiectio eſt ne fingere Paulus videatur more Rhetorum inanem laudem. Duplici ergo nomine de Philemone Deo gratias agit Paulus

illius & Pietatis
charitatis nomine.

Locus Rhetoricus.

Hæc ſunt eximia Dei dona in homines & omnium Chriſtianarum virtutū longè principes & prēſtātiſsimę. Aliâs idē Paul⁹ ſolius fidei nomine gratias agit. Philipp. 1. v. 4. Tanto magis vbi & charitas adiuncta eſt. Alibi his duabus tertiam adiunxit nempe ſpem. 1. Theſſ. 1. v. 3. At ſępe harum duarum tantùm meminit Coloſſ. 1. v. 4. 2. Theſſ. 1. v. 3. Vtitur autem Paulus ea figura, vbi ſunt relata relatis, etſi paulum inuerſa, ſed quemadmodum reſtituenda ſit & collocanda, apparet ex verſ. 4. Coloſſ. 1. Eſſet enim plena directáque oratio ſic, ἀκούων σου τὴν ἀγάπην ϗ τὴν πίστιν ἣν ἔχεις εἰς πάντας τοὺς ἁγίους ϗ πρὸς τὸν κύριον Ἰησοῦν. Vti enim charitas præcedit, fides ſequitur, ſic illud quod debet ad charitatem referri ordine relationis præcedere debuit. Puto verò ita à Paulo inuerſum ordinem de induſtria, nulla verò librariorum culpa, aut incuria, quòd liberiore ſtylo vti ſpiritus Dei voluerit, quàm vt ſe minutis illis Rhetorum præceptis ſubiiceret, itáque cùm vult, ea ſequitur & iis vtitur, vti Coloſſ. 1. v. 4. quum etiam viſum eſt ſpernit, ne ex humanæ eloquentiæ viribus & floſculis vim ſcripturæ metiamur. Epheſ. 5. v. 14. Coloſ. 2. verſ. 8. Quam autem hîc vocat fidem alibi veritatem quoque appellat. Epheſ. 4. v. 16.

Locus Dialecticus.

A

Similis locus & diſſimilis.

B

Ergo ita definit Paulus vt
Fides Chriſtum Dominum reſpiciat,
Charitas homines, omnes ſanctos & fideles.

Eſt enim fides certa animi perſuaſio à Dei ſpiritu infuſa per verbi prædicationem, per quam Chriſtum eſſe Dominum & Saluatorem noſtrum agnoſcimus, Alibi dicit Paulus πίστιν ἐν Χριστῷ, hîc autem πρὸς Χριστὸν, ſed nihil refert. Nam Chriſtus eſt & finis, ad quem & materia in qua ſpes ſalutis noſtræ conquieſcit & ſpectat. Charitas ergo homines ſpectat. Eſt enim is Chriſtiani animi affectus, qui ex fide in Deum manans omnia noſtra in proximos & omnes homines, imprimis autē ſanctos profundit 1. Corinth. 13. Quod autem nominatim charitatem εἰς ἁγίους eſſe ſcribit Paulus, κατ' ἐξοχὴν dictum eſt. Extenditur enim etiam ad alios velut infideles & hypocritas, qui ſancti non ſunt, Galat. ſexto, verſu ſexto.

AD VERSVM VI.

Locus eſt obſcurus propter vnius voculæ ὅπως ſignificationem. Mihi tamen videtur hic eſſe verior ſenſus, vt ſit αὔξησις ſuperioris ſententiæ, cui cohæret, non ſit autem hic verſiculus cū aliis quatuor coniungendus. Neque enim ὅπως hîc coniunctio eſt rationalis, ſed potius explicatiua, & ἐξηγητικὴ quę idem valet atque quomodo. Non autem, Vt. Non enim mihi videtur Paulus rationem reddere cur agat gratias Deo, de quo ſupra meminit: ſed fuſius exponere quæ fuerit Philemonis, quantáque & quàm celebris tū fides tum charitas. Itaque ex ſuperiori repetendum eſt ἀκούων. Audiens tuam charitatem & fidem, audiens quomodo cōmunicatio fidei tuę efficax fuerit: non autem orās, vt ſit efficax. De re enim iam nota agit Paulus non autem futura, quam fidei optet. Eſt verò hîc ἀσύνδετον. Nam particula ϗ addita, locum hunc longè facillimum reddit: ſed ſolemus in amplificationibus coniunctiones omittere, quò ſit grauior, & ornatior tota ſententia, qualis eſt hæc. Auget igitur laudem Philemonis ex vberrimo eius fidei fructu,

Locus Rhetoricus:

Loc⁹ Dialecticus.

A

Diſtributio.

Explicatio vocabuli.

B

Secundi membri explicatio.

ab effectis conſtantiſſimis & homine pio digniſſimis. In quo ipſo duo apertè demonſtrat Paulus. Primùm quid ſit charitas: deinde quod inde laudis, beneficiíque per Chriſtum collati argumentum oriatur. Ergo definit vel potius deſcribit charitatem tum à cauſa tum ab effectis. Eſt enim charitas communicatio ex fide proficiſcens, quæ eſt efficax, id eſt opere non verbo tenus præſtatur, 1. Ioan.3.v.18. Vel Charitas eſt fidei noſtræ communicatio efficax. Igitur effectus ſuos producit operéque ipſo demonſtratur, non tamen ore vel corde tecta continetur. Iacob. 2. ver. 26. Vox autem πίστεως hîc non tam doctrinam aut rem quæ communicatur, ſignificat, quàm fontem ipſum oſtendit & materiem, vnde illa inter nos communicatio naſcitur. Naſcitur autẽ ex fide vera Charitas, Ioan. 4.v.20. Qui autem fratres diligunt non tam illius nudam doctrinam, quàm opes ſuas communicant. Atque ex eo ipſo laudatur hîc Philemon, quem liberalitatis nomine & Charitatis laudarat. Alterum eſt, quod hîc docet, nempe quæ inde laus ad Chriſtum vel Deum ipſum perueniat, hæc nimirum, quòd ea communicatione Chriſtiana illuſtratur Chriſti beneficium. Nam quæ Deus propter eum & per eum in nos confert, patefiunt, demonſtrantur, illuceſcunt, & magna cum admiratione innoteſcunt omnibus. Ergo oſtendiſti (ait Paulus) quãta ſunt illa bona, quæ vos accepiſtis in Chriſto, quum tanta contuliſti in omnes fratres & ſanctos Chriſtianos. ἀγαθὸν igitur vocat illa, quæ Charitas confert: πᾶν autẽ, quia ſumma ſunt & maxima qualis communicatio inter multos alios 3. Ioan. verſ. 6.

AD VERSVM VII.

Locus Rhetoricus.

Loc⁹ Dialecticus.

Summa doctrinę.

C

Similis locus. Diſtributio.

Locus Amplificationis.

Vocabuli explicatio.

Alia αὔξησις & amplificatio celebris illius Philemonis charitatis, tum à ſuo ipſius, tum ab aliorum teſtimonio, & gaudio, nec eo quidem vulgari, ſed magno, quodque & ſibi conſolationem animo attulit in mediis illis ſuis malis & duriſſimis vĩculis. Vnde certè apparet magnam fuiſſe animi lætitiam, & à ſigno illo colligitur magnam celebrémque fuiſſe de Charitate Philemonis famam, & laudem in Dei Eccleſia, vt meritò propterea & Deo gratiæ fuerint agendæ, & de ea bene ſperãdum ſibi putet Paulus pro Oneſimo. Simile eſt 3. Ioan. v. 3. Ergo triplex eſt amplificationis locus. Primùm, quòd non ſolus ipſe, ſed cæteri quoque fratres ex ea Charitatis fama magnam animi lætitiam ceperint. Sic 1. Theſſ. 1. v. 3. Vox ἔχομεν id deſignat. Deinde quòd non tantum gaudium, ſed (quod plus eſt) animi quoque conſolationem ea charitas afferat in tam triſti, miſera, & afflicta rerum & temporum Eccleſiæ conditione. Ex quo fit vt meritò πολλὴν, id eſt, magnum eſſe illud gaudium Paulus dixerit. In quo ipſo non eſt vulgare charitatis Pauli exemplum, qui alienis virtutibus delectatur, tantum abeſt, vt inuideat more infidelium. Rom. 12. verſ. 10. Tertium quòd ſanctorum animi iam penè deficientes inſtaurati abundè reſtitutíque ſint, nõ modò conſolationem accipientes, ſed vigorem etiam priſtinum. Ergo μετωνυμικῶς σπλάγχνα pro tenerrimis deuotiſſimíſque Deo animis, ſedem pro affectu nimirum accipit. Philip. 2. v. 1. Luc. 1. v. 78. οἰκτιρμοὺς vocat. Rom. 12. v. 1. Hi enim more Hebr. vocant Rechemim numero plurali, quia vera charitas multis affectibus æſtuat, ait Bucerus, vt ſunt plura viſcera alui, vel vt illa pars eſt ſedes affectũ noſtrorum. πεπαῦσθαι autem μεταφορικῶς transfert à rerum commotarum ſimilitudine & impetu vel laborioſa agitatione ad placidam animi felicémque quietem, quam tunc animi noſtri aſſequuntur, quum Dei gloriam promoueri audiunt & pios celebrari vident. Pſalm. 89. verſ. 52. Illa autem benigna fratris appellatio excitandi cauſa adiecta eſt. χάριν pro χαρὰν poſuit, vti 2. Corint. 1. v. 15. & id notat Chryſoſtomus.

AD VERSVM VIII.

Locus Rhetoricus.

Locus Dialecticus.

B

Similis locus.

C

Τάξις eſt. Eſt enim primum argumentum Pauli quod ex ſuperiori laude colligitur, & ductum eſt à proprio charitatis, quæ nempe faciles exorabileſque reddat eos, in quibus ineſt. non autem tetricos aut crudeles & ſæuos, 1. Corinth. 13. verſ. 5. & 6. Ea in te ineſt Philemon tum ex fama, tum ex ipſo effectu, ergo facilis eſto & exorabilis. Vtitur autem Paulus apertiſſimè artificioſa, valdéque modeſta μείωσιν, id eſt, diminutione qua id quod ſibi iure competit, remittit, vt modeſtius & humanius cum Philemone agat. Qua forma dicendi ſe mirè Philemoni inſinuat, cum quo tam beneuolè & demiſſè agit. Similis locus 1. Thе. 2. v. 6. & 7. In quo ipſo docemur quàm prudẽter offenſi animi tractãdi & irati leniẽdi ſint. Denique quã modeſtè cum omnibus nos gerere debeamus, etiã pro aliis etiã infimis, & non omnia pro noſtro iure agere. Magnum eſt hoc ταπεινοφροσύνης exemplum. Ergo prius exponit Paulus liberè quid ſibi liceat, poſteà tamẽ quid poſtulet. Poteſt igitur pro ſuo iure imperare Paulus Apoſtolus & Paſtor, Philemoni dignitate longè inferiori, id quod eſt ſui Chriſtianique officii, nimirum vt culpam alienam condonet Philemon, & ſe mitem in ſuos præſtet. Coloſſ. 3. verſ. 13. Matth. 6. verſ. 14. Luc. 15. verſ. 16. Sed quam authoritatem & libertatem habeat duplici ratione explicat Paulus. Primũ ἐν Χριστῷ. In Chriſto. Quare exprimit muneris ſui authoritatem. Nam Apoſtolorum eſt præcipere in Chriſto, id eſt, verbis & authoritate Chriſti. Ergo ea dignitas illi competit ratione Apoſtolatus, non autem perſonæ & cuiuſdam principatus. 2. Theſſal. 3. v. 12. Similis planè locus eſt 1. Tim. 3. v. 13. Qui bene miniſtrarunt, ait Paulus, multam libertatem habent per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Diſſimilis locus 1. Pet. 2. 5. v. 3. Solutio eſt ex verbis ἐν Χριστῷ. Tyrãnicum enim imperium paſtoribus non conceditur. Sic Paulus ſed tamen quatenus Chriſtus ipſe permittit. 1. Corinth. 4. verſ. 21. 2. Corinth. 10. verſ. 2. Secundò docet qua de re paſtores præcipere queant, De officio cuiuſque tum in genere, tum pro cuiuſque vocatione. Nam ἀνῆκον hîc καθῆκον ſignificat, vt Stoici vocant, & Cicero meminit lib. 1. De officiis.

AD VERSVM. IX.

Summa doctrinæ.

Attemperatio & Chriſtiana remiſſio iuris ſui, quæ ſummum tum modeſtiæ tum etiam prudentiæ & manſuetudinis exemplum nobis præbet. Rom. 22. v. 19. Ex Antitheſi autem verborum eadem melius apparet. Nam παῤῥησίαν ἀγάπῃ, ἐπιτάττειν τῷ παρακαλεῖν opponit hîc Paulus. Auget autem vim argumenti, & petitionis ſuæ ęquitatem ex ſua perſona, ex qua varia argumenta colligit. Ego (inquit)

qui

A

Explicatio vocabuli.

Similis locus.

qui ſum ille Paulus & captiuus & Senex, hoc à te pia charitate atque flagitans peto poſtulóque. notat igitur duplicem in ſua perſona circunſtantiam Paulus quòd & ſit πρεσβύτης & δέσμιος Christi. πρεσβύτου autem nomen, Athanaſ. vel (vt alii malũt) Bulgarus ad ætatem reſoluit. Ex quo colligere licet iã ſenem fuiſſe Paulum quum Romam deductus eſt. Alii ad munus dignitatémque Pauli, 1. Petr. 3. verſ. 1. quæ res maius pondus apud collegam habitura erat. Δεσμίου, id eſt, Chriſtiani vincti pro Chriſto, communique fide magna apud omnes fideles, cõmendatio, & authoritas eſſe debet. Similis locus Galat. 6. verſ. 17. quia à Deo ſunt inſigniter tales decorati. Apocalyp. 7. verſ. 14. Sic mos antiquus valuit, tempore Cypriani vt Martyres in Eccleſia plurimum precibus poſſent.

AD VERSVM X.

Locus Rhetoricus.

Locus Dialecticus.

B

Summa doctrinę.

Similis locus.

C

Diſsimilis locus.

Ἐξήγησις. Summam enim epiſtolę continet, quam & precatione & inſinuatione exponit. Precatio eſt παρακαλῶ. Eſt autem inſinuatio quando non ſtatim exponit pro quo poſtulet, ſed pri⁹ honeſta filii appellatione odioſam Oneſimi mentionem emollit, & mitigat. In quo ipſo ſecundum poſtulationis Pauli argumentum ineſt, & æquitas petitionis, vti in ſequentibus, quia incoloratæ preces iſtiuſmodi non ſolent apud nos magni eſſe momenti. Eſt autem ductum argumentum ab officio, quod pertinet ad locum de proprio, ſic, Honeſta eſt patris de filio ſolicitudo, cura & poſtulatio, Ego ſum pater & Oneſimus filius. Ergo ex officio facio vt pro eo orẽ. In quo tacita quoque occupatio ineſt, ſi quis offendatur, quòd nempe Paulus pro nequam & fugitiuo ſeruo poſtulet. Nam iuſta ratio & excuſatio hæc eſt, Eſt ille meus filius. Auget autem atque interpretatur ſuam mentem & excuſationem. Auget quidem quatenus addit ſe eum exemiſſe in vinculis. Solent enim eſſe chariora, quæ præter ſpem & in ſummis malis nobis bona eueniũt. Interpretatur autem quatenus nõ natura, ſed prædicatione à ſe genitum eſſe teſtatur. Similis locus 1. Timoth. 1. v. 1. Galat. 4. v. 19. Eſt ergo hæc ſpiritualis cognatio, quum per verbi quaſi ſeminis iniectionem paſtor fidem inſerit, quæ nos & Deo primum & ipſi Eccleſiæ naſci facit. Quanuis enim eius natiuitatis ſpiritualis laus ſit penes Spiritũ ſanctũ. Ioan. 3. non autem penes externum verbi Dei miniſterium, quatenus tamen hominibus miniſtris Deus vtitur (Fides enim ex auditu, auditus autem per verbi prædicationem fit, Rom. 10. v. 17.) iis quoque ipſis honoris ſui partem communicat Deus, vt eos patres eſſe & quidem Spirituales non autem carnales agnoſcam⁹, 1. Corinth. 4. verſ. 17. & 16. Sic Elias vocabatur 2. Reg. 2. Diſſimilis locus 1. Corinth. 3. verſ. 7. cuius ex hac diſtinctione facilis eſt conciliatio.

AD VERSVM XI.

Locus Rhetoricus.

Loc⁹ Dialecticus.

A

Summa doctrinę.

Πόρισμα.

Αὔξησις. Auget autem ex comparatione prioris Oneſimi ſtatus cum præſenti ſuæ petitionis æquitate. Ineſt enim huic ſententiæ & verſiculo collatio, quę contrariis membris conſtat ποτὲ σοὶ, νυνὶ δὲ & ἄχρηστον, εὔχρηστον. Eſt autem argumentum perſuaſorium ductum ab vtili, vti ſuperius ab honeſto. Vtiliter & æqua ratione poſtulatur à quolibet, vt recipiat, admittátque quod ſibi iam ex inutili vtile factum eſt. Talis eſt Oneſimus. Ergo à Philemone æqua ratione recipi debet. Duo autem oſtendit Paulus & culpam Oneſimi, quam ingenuè fatetur: & emendationem, quam eum iam expertum fuiſſe veriſimile eſt. Ita nos in alicui⁹ factis verſari oportet, vt liberè quod eſt culpæ vel pœnitentiæ quoque agnoſcamus, ne vitiorũ alienorũ fautores vel virtutũ diſſimulatores videamur. Sic Abigail cõiugis Nabal culpã fatetur. Apparet autẽ quanta pro pœnitẽtibus lapſis cura noſtra eſſe debeat. Auget autem illius conuerſionis fructum, quũ eam ſibi quoque vtilem fore Paulus dicat. neque verò malè & falſò augurabatur Paulus. Hic eſt enim ille frugi Oneſimus, de quo poſtea Paulus Col. 4. v. 9. & de quo Dorotheus in Catalogo. Similis locus 2. Corinth. 2. v. 7.

AD VERSVM XII.

Similis locus.

Locus Rhetoricus.

Partitio doctrinę.

B

Breuitas eſt cum interpretatione, quæ ſummam commendationem continet. Ac breuitas quidem in eo, quòd ſuæ petitionis ſummam proponit, vt Oneſimum excipiat. Interpretatur verò quòd eũ ſua viſcera nuncupat, id eſt eum, quem ſummo tenerrimóque amore proſequitur. Ex hoc loco duo colliguntur, id eſt. Quanta eſſe debeat Pauli exemplo noſtra modeſtia, qui ſe tam humiliter pro ſeruo demittit. Nam eum non modò filium, vel fratrem, vt poſtea: ſed viſcera ſua, id eſt, chariſsimum dilectiſsimúmque appellat, & verè agnoſcit. Itaque neque μεγαλοφρονεῖ Paulus neque φυσιοῦται, quod nec faciendum quoque eſſe ipſe docet. Rom. 12. 1. Cor. 13. ſed omnia omnibus fit, 1. Cor. 9. v. 22. Secundo loco eſt obſeruandum, quanta de iis cura habenda ſit quos Chriſto Domino lucrati ſumus, Gal. 4. v. 19.

AD VERSVM XIII.

Locus Rhetoricus & Dialecticus.

C

Similis locus.

Confirmatio eſt ſuæ in Oneſimum voluntatis, & de eo opinionis à ſigno. Quos enim apud nos retinemus, ij & à nobis diligi, & plurimi fieri ſolent. Neque enim quos odimus ſponte & vltro retinemus, neque quos ſpernimus & nihili facimus. Fit autem maius argumentum eius rei, quod & apud ſe & in ſuis vinculis retinere cuperet Oneſimum. Duplex enim illa circunſtantia maiorem fidem facit, quàm ſi vel alio tempore vel apud alios retineret. Fidiſsimos enim ſolũ & nobis & tẽpore tãtæ calamitatis ſeligere cõſueuimus. Vnde talem Paulus Oneſimũ exiſtimabat. Cauſſam autẽ obiter ſubiungit, Cur Oneſimũ retinere voluerit, ne temere prætérque ius ſuũ ipſe voluiſſe videatur alieno ſeruo vti. Ratio eſt, Quòd ea vincula ſibi pro Euãgelio iniecta ſunt. Itaque prò communi omnium fidelium ſalute. Coloſſ. 1. ver. 24. Philipp. 1. v. 24. 2. Cor. 1. verſ. 6. Itaque oporteat omnes Chriſtianos Pauli curam habere. Hebr. 13. verſ. 3. Ergo à fructu ſumpta eſt probatio iuris Paulini: & tacitè illud anteuertit, quod obiici potuit. Quòd autem idem addit, pro te, magis ſui facti æquitatem Paulus oſtendit. Nam ipſum Philemonem dominum pro ſe ſubleuando retinere potuit: tantò magis illius ſeruum Oneſimum. Simile argumẽtum eſt Matth. 25. v. 36. Ea verò ratione ſummè & egregiè pium Philemonem fuiſſe demõſtrat, nihil autem illi detrahit. Solet enim illud officium ab iis ſolùm exigi qui eximiè pii, ſancti, veríque fideles cenſentur. 2. Reg. 3. v. 11.

A

AD VERSVM XIIII.

Correctio eſt ſiue temperatio iuris ſummi quod Paulus habebat. In quo mira ſancti viri modeſtia, æquitas, manſuetudo, & diſcretio elucet. Quòd ſi Paulum illum ter-maximum non puduit tam demiſſè & humiliter cum Philemone pro ſeruo agere, væ nobis qui tantos faſtus & ſpiritus vnius dignitatis vel eccleſiaſticæ vel Ciuilis elatos animos gerimus. Vide de Moſe Num.12.verſ.3.

Πόρισμ. Similis locus.

Omnia enim nobis concedi volumus, & ad viuum reſecamus indignantes, ſi quis ſtatim nobis omnia & in omnibus non ceſſerit. Sed charitas nõ eſt inflata, 1. Corinth. 13. Diſſimile exemplum, 1. Reg.19. verſ. 20. Reſp. illic agit de cauſa Chriſti non de priuata, at hîc de eo quod Dei iuſſum attingebat. Rationem autem ſubiicit, quæ ducta eſt à proprio & natura Beneficii ſiue officii. Eſt autem, vt ſit ſpontaneum beneficium, non autem coactum. Eſt enim omnis honeſta actio ab eo animi habitu, qui eſt προαιρετικὸς proficiſcens, vt Ariſt. lib. 3. ἠθικῶν Νικομαχ. diſputat. Imprimis autem beneficium, quod hic ἀγαθὸν vocat Paulus. Hilarem enim datorem diligit Deus, & dona noſtra ex animo æſtimat, id eſt, affectu noſtro, non autem ex pretio, 2. Corinth.9. verſ.7. Marc.12. verſ.44.

Diſſimilis locus.

B Verborum explicatio.

Opponit autem hic ἀναγκαῖον & ἀκούσιον, cùm potius ἑκούσιον ſit ἀκουσίῳ contrarium, neque ſit quicquid eſt ἀκούσιον ἀναγκαῖον, ſed ſæpe pro eodem & ἑκούσιον & ἀναγκαῖον ſumuntur: & hîc ex hypotheſi loquitur Paulus & pro ſubiecta materia. Γνώμη verò eſt, non tãtùm βούλησις, ſed ratione iudicióque cõſtituta voluntatis electio, quæ ſententia dicitur à Latinis.

AD VERSVM XV.

Locus Rhetoricus.

Ἀνθυποφορά eſt. Occupat enim & anteuertit quod obiici potuit. Dici enim poterat quomodo pro ſeruo nequam tam anxiè poſtulas & deprecaris, vel fugitiuum remittis? Reſpõdet autem ex futuri boni ſpe. Erit melior Oneſimus, & perpetuus apud ſuum dominum in poſterum. In quo obſeruanda eſt cõparatio & ἀντίθεσις πρὸς ὥραν, & αἰώνιον. Facilè pro æterno bono futuro breuis & momentanea iniuria obliteranda & delẽda eſt Rom.8.v.18. Quia verò de hominis ingenio illud recipit Paulus & pollicetur, addidit Τάχα. Eſt enim varium & mutabile hominum ingenium, neque facilè aliquid certi de eo nobis recipere vel aliis polliceri debemus. Eſt ergo mitigatio vel potius lenis interpretatio fugæ Oneſimi, per quam quod potuit videri factum improbè in meliorem partem trahit. Et hoc ipſum eſt charitatis proprium, ne malè de quoquam ſuſpicetur, 1. Corinth.13. verſ. 5. Sed facilis iſtius obiectionis ſolutio fuit. Hæc verò lõgè difficilior, quæ ſumpta eſt ex titulo D. de Seruo fugitiuo. l.1.§. Eſt & generalis epiſtola diuorum Marci & Cõmodi Nam lex iubet vt vnuſquiſque eorum, qui ſeruum fugitiuum apprehẽderint in publicum deducat, id eſt, vt interpretatur Vlpianus, ad magiſtratus & ad publica miniſteria, iubétque eos puniri, apud quos fugitiui ſerui deliteſcunt. Imprimis ſi tales eſſe ſciant, qui crimine contingantur. Præterea Paulus ipſe 1. Timoth. capite primo, verſu decimo, damnat plagiarios. Plagii autem ſpecies eſſe videtur, ſi quis alienum ſeruum inſcio domino apud ſe habeat & retineat, quod videtur Paulus feciſſe. Quid igitur? Paulus enim edictis principis Romani, quum eſſet Romæ, parere debuit. Reſponſionem autem quidã afferunt ex temporis circunſtantia, & diuerſitate. Illa enim diuorum epiſtola multis ſeculis ætatem Pauli ſecuta eſt. Itaque nondum obtinebat locum, nec erat in vſu: imò nec edita. Sed tamen iam alieni ſerui retineri vetabantur, maximè ſi eſſent fugitiui, & ipſe Paulus dãnat plagiarios. Verior igitur ſolutio eſt, illam legem cum quodam æquitatis temperamento fuiſſe accipiendam, vt non quicunque apud ſe alienum ſeruum fugitiuum haberet, legis illius pœna teneretur, ſed qui retinendi, celandi, blandiendíque animo haberet, nõ autem emendi, & ad dominum reducendi. Sic & illa lex de ſanctitate portarum eſt accipienda, quam aliter Paulus violaſſe videretur. Actor.9. verſu vigeſimoquinto. Præterea ex eo tempore, quo Oneſimus animum habuit ad dominum reuertendi (etſi tamen tandiu latuit quoad ira domin' efferbuiſſet) iam fugitiuus eſſe deſierat, vt ait Vlpian. lib.1. ad edictum. Ædil. Curul. l. quis ſit fugitiuus. §. ſit autem in hoc tamẽ D. De Ædilitio edicto. Deuteronõ.23. verſu quindecimo, idem docetur.

Explicatio verborum. C

Diſſimilis locus ex Ethnicis.

Ex Scriptura.

A

AD VERSVM XVI.

Locus Rhetoricus. B Summa doctrinæ.

Loc' Dialecticus.

Ἐξήγησις eſt, quę oſtendit, qua iam conditione Oneſimus ſit à domino habendus. In qua ineſt beneficii è fuga Oneſimi profecti amplificatio. Non modò iam tibi perpetuus & vtilis factus eſt, ſed & frater & diligẽdus. Vtitur autẽ ἀντιθέσει, quæ totam orationem ornat & explicat, quæ eſt inter δοῦλον & ἀδελφὸν ἀγαπητόν. In eo etiam ipſo ineſt argumẽtum, quod ad ſuæ petitionis confirmationem maximè pertinet. Ductum eſt autẽ ab officio pii Chriſtianíque hominis, cuius eſt, Seruum Chriſtianum pro fratre benignè agnoſcere beneuoléque ſuſcipere. Talis iam eſt poſt fugam Oneſimus. Ergo humaniter excipiendus. Cæterùm quum ait οὐκ ἔτι ὡς δοῦλον, ἀλλ' ὑπὲρ δοῦλον, ſubiectio eſt, quæ interpretatione ſubſequenti fit dilucidior & planior. Nam ait ὡς ἀδελφὸν, cúmque ἀγαπητὸν & charum. Hoc autẽ poſtremum adiecisse videtur Paulus non modò ex cõmuni charitatis lege, quæ inter Chriſtianos viget, per quam alii aliis ſunt amici, & mutuò φιλόστοργοι vt ait Paulus Rom.12. verſ.10. ſed multò magis propter præſentem hypotheſin, & perſonæ Philemonis circunſtantiam, qui iratior in ſeruum meritò præſumi coniciíque potuit, quam iracundiam vno verbo tollendam docet, quum ſeruum dilectum eſſe vult. Similis locus eſt 1. Timoth. 6. verſ. 2. ſed diſſimilis huic eſt Prouer.29. verſ. 19. Nimiũ enim leniter eum tractare videtur. R. ſciebat de quo ageret Paulus & alius iam homo erat Oneſimus. Vtitur poſtea continendi animi iræque illius cauſa argumento à minori ad maius. Vocat autem ἀδελφὸν, quia perſonæ vilis cõditio & ſtatus ille ſeruilis nõ impedit quominus pro fratre & Chriſtiano habeatur, paríque cum domino iure & priuilegio ſpirituali vtatur & fruatur, Galat. 3. v. 28. Coloſſ.3. v.11. 1. Corinth. 7. verſ. 22. Diſſimilis locus eſt ſup. verſ. 14. vbi Oneſimum remittit, & Rom. 13. verſ.7. Libertas enim Chriſtiana & vocatio illa ad Chriſtum iura politica neque confundit, neque tollit. At hîc parem domino ſeruum facere videtur. Reſponſio eſt. Non hîc agit de iure politico tollendáque ſeruili conditione Paulus, ſed de lenienda ira & dedignatione Chriſtiana hominis vtcunque ſerui. Spectatur enim iam Oneſimus quatenus Chriſtianus.

C

A

Explicatio verborum.

πόσῳ δὲ μᾶλλον. Argumentum eſt à minori ad maius, quod cum interrogatione effertur ad perſtringendum iræ impetum. Eſt autem huiuſmodi, Si Oneſimum diligo, qui mihi Chriſtianitatis iure tãtùm coniunctus eſt, próq; fratre agnoſco: quãto magis tu eundẽ debes agnoſcere, qui & Chriſtianitatis iure & carnis. i. familię nomine tibi iũctus eſt? Vtrunque ergo ſpectat Paulus, & commune Chriſtianæ fidei vinculum & vinculum familiæ, quod eſt inter eos, qui ſub iiſdem tectis habitant, & ſunt eiuſdem domus membra arctius. Sic σαρκὸς vox accipi debet, non ad nationem referri, vel ad corporale miniſterium, vt Bulgarus ſentit: ſed ad familiæ rationem & iura, quę inter ſe propiore vinculo nectitur, & arctiore continetur, quàm reliqui inter ſe homines.

Locus Rhetoricus.

AD VERSVM XVII.

Summa doctrinę.

B

Locus Dialecticus.

Verborũ explicatio.

C

Peroratio atque concluſio totius poſtulationis, quæ cum precibus coniuncta eſt & magna amoris ſui ſignificatione. Eò enim referri debent illa duo, ſi me habes participem, &, vt me ipſum. In quibus ardentiſſimi affectus notio atque ſignificatio ineſt. Sed & ſummæ modeſtiæ exemplum hîc quoque in Paulo elucet, quòd ſeruum non tantum fratrem & filium appellat, ſed pro ſe ipſo haberi vult, ſuóque loco ſubſtitui, adeò vt penè illi fugitiuo ius honorémque ſuum iam reſignet. Hoc charitatis eſt effectum. Nam illa non eſt aliorum contemptrix aut faſtidioſa 1. Corinth. 13. In eo autem ipſo argumẽtum ęquitáſque poſtulationis Pauli ineſt, quod ductum eſt à natura officióque veræ amicitiæ. Amicorum eſt habere omnia communia: & κοινωνοὺς eſſe inter ſe, & habere quę ſunt amicorum pro ſuis. Nos ſumꝰ amici, Ergo Oneſimum, quem pro meo agnoſco, etiam pro tuo agnoſcere & admittere debes. Plus autem dicit Paulus, quum ait, Pro me ipſo, in quo maior eſt ſui erga Oneſimum amoris ſignificatio & deſiderii, atque precum iſtarum põdus ex eo maius apparet. Eſt autem obſcurus nõnihil Pauli ſenſus. Nam veteres κοινωνίαν illam, de qua hîc Paulus, referunt ad animorum & ſententiarum conſenſum, quaſi dicat, Si mecum idem ſentis. Recentiores videntur ad bonorum vſum & communionem referre, quæ etiam inter amicos eſſe debet, & ſic κοινωνὸς particeps dici videtur apud Terentium, vbi eſt ille meus particeps. Filii enim, qui ſui hęredes erant, iam κοινωνοὶ cum patribus eſſe cenſebantur voto naturæ, propter ſpem certiſſimã ſucceſſionis. Ego malim eo ſenſu accipere, quo dixi, vt ad bonorum communionem non referatur (neque enim ſubiiceret Paulus v. ſeq. Si quid debet tibi ego perſoluam) ſed ad eundem animorum cõſẽſum, id eſt, ad commune illud amicorum & mutuum pro ſeſe ſtudium, quo quæ ſunt aliena. i. amicorum eadem humanitate habent, excipiũt & tractant, quâ ſua ipſorum propria. Quum pro ſeruo pœnitente tantum ſtudium gerat Paulus, vt illi cõdonetur, cur nos duri ſumus, & væ noſtræ ſæuitiæ.

AD VERSVM XVIII.

Locus Rhetoricus.

A

Verborũ explicatio.

Diſsimilis locus.

Occupatio eſt. Obiici enim potuit, quid de dãno, quod ille fugitiuus dedit, fiet? Reſpondet Paulus. Me fideiuſſorem vel debendi habe. Propria enim manu ſubſcripſi, & ſpondeo pro noxa & damno tibi ab eo dato. Cauet igitur ne ſit Philemõ ad condonandum tardior propter res amiſſas: cùm culpa quidem & offenſio facilè remitti ſoleat: res autem ſublatæ non facilè donari. Nec enim quiſpiam ſuum iactare vel donare velle præſumitur. Apparet autem furem fuiſſe Oneſimum non ſolũ fugitiuum. Id quod accidere ſolebat. Minuit autem crimen Paulus his verbis, *Si quid te læſit*, quod longè mitius eſt, quàm ſi dixiſſet, Si furatus eſt. Quod etiam addit, *Si quid debet* eodem pertinet. Sed quæritur, potueritne inter dominum & illius ſeruum obligatio naſci, Ratione debiti & rei pecuniariæ. Reſp. Ciuilis non potuit: ſed potuit naturalis, quę non tã obligatio eſt nominanda, quàm debitio, vt loquitur Seneca. Ex maleficio enim & furto potuit ſeruus domino obligari. Videtur autem hic eſſe contractus, qui dicitur vel conſtituta pecunia, cùm ſit ſine ſtipulatione: vel Nominibus & literis fieri olim dicebatur apud Iuriſconſultos: Eſt autem fideiuſſio, quia pro alio conſtituit ſe reũ debendi Paulus. Obſtat huic promiſsioni inopia Pauli, Philip. 4. v. 16. Sed tanta fuit Pauli humanitas vt deprecetur pro ipſo etiam damno quod Oneſimus dedit.

AD VERSVM XIX.

Locus Rhetoricus.

B

Ἐκτύπωσις. Hæc enim videtur fuiſſe formula eorum verborum, quæ in obligatione Nominum & literarum concipiebantur. Vtcunque alludit Paulus ad morem eorum qui ſe priuato chirographo, id eſt, priuata ſcriptura obligabant, vt maius pro Oneſimo ipſius ſtudium appareat. Simile quid Tertullianus libro de idololatr. Nec verò peccatorum remiſsio tollit ciuiles pœnas, vt Auguſt. lib. 3. de anima cap. 9. docet, nec debita noſtra quibus aliis & Chriſtianis fratribus tenemur. *Ne dicam* ἐξήγησις vel correctio eſt, qua explicat quo animo ſe apud Philemonem obliget, vt remitti debitum velit, & accepto ferri, non autem exigi. παῤῥησία eſt quoque, quia liberè exponit quid paſtoribus & iis, per quos ad Chriſtum adducimur, debeamus, vti & 1. Corinth. 9. Debemus autem illis non modò noſtra: ſed etiam nos ipſos quia è mortis faucibus nos eripuerunt, qui perieramus, Rom. 15. v. 27. 1. Corinth. 9.

C

Diſsimilis locus.

Efficitur autem hîc à maiori ad minus Philemonem hoc debere Paulo, quod Oneſimus abſtulit, quando & ſeipſum illi debet. Obſtat locus Actor. 20. verſ. 33. Reſponſ. docet quidem Paulus ſe non exegiſſe quod debebatur ſibi, ne lucri cupiditate Euangelium videretur prædicare: hæc tamen debentur paſtoribus, etſi non expetuntur, aut requiruntur. σεαυτὸν autem dictio Emphaſim & ἐνεργείαν habet hoc loco, quia melius explicat id deberi Paulo, quod ipſe poſtulat.

AD VERSVM. XX.

Locus Rhetoricus.

πάθος eſt ex precatione, in qua ſui amoris erga Oneſimum vehemens maximúmque teſtimonium oſtendit Paulus. precatio enim eſt, eáque ardentiſſima. Quaſi diceret Amabò, vel, Certè tunc verè & ipſe fructum ſentiam tuæ illius charitatis, quam omnibus exhibes, quum eo me facto, & grata conceſſione conſolatus eris, recrearis, refeceris, & pro Oneſimo laborantem ſubleuaris. Forma orationis ſolutum appellatur, quia articulus coniũgentibus caret, quæ res optimè ardentiſſimis affectibus cõuenit, & inſtanti precationi, qualis hæc eſt. Quòd ſi quis obiiciat, videri Paulum nimium premere &

A quaſi vim ſuis precibus afferre Philemoni, cui fuerit poſt modeſtam poſtulationem hoc totum liberè cõcedendum & permittendum, vt fugitiuum exciperet, illique & culpam fugæ, & noxam furti condonaret. Reſponſio eſt. Habuiſſe rationẽ Paulum infirmitatis Oneſimi, quem cùm Domino lucratus eſſet, voluit etiam eundem Chriſto, quantum in ſe fuit, cõſeruare ne ſeuerius à domino habitus, offenderetur in ipſo limine, quòd tam duros Chriſtianos videret, quibus tamen ipſe adiungi voluiſſet, Actor.20.verſ.35. Infirmorum habenda ratio eſt, 1.Theſſ.5.v.14.2.Cor.11. Quis ſcandalizatur & ego non vror? In eo verò ducta eſt à morbis corporis ad animi ægritudinẽ metaphora, Refocilla mea viſcera. Etſi enim more Hebræorũ dictum eſt, 2.Corinth.7.verſ.15.tamen etiam ipſi Hebræi tranſlatione vtuntur, dum loquuntur eo modo. Vti enim fomentationibus leniendi ſunt præcordiorum & viſcerum dolores: ita animi ſui curam & ſolicitudinem tanquam morbum internũ illo opere ſubleuari petit Paulus. Ex hoc autem verſiculo duo quædam colligi poſſunt, cùm ita anxiè pro Oneſimo dominum precatur Paulus, Primò, quod ius ſit dominorum omnium in ſeruos etiam Chriſtianos. Nempe quod ad Imperiũ, quod ad ſtarum, quod ad rerum acquiſitionem idem ius illis manet, quod prius in eos habebant. Neque enim religio Chriſtiana ius polliticum tollit, ſed ſtabilit & confirmat, 1.Cori.5.21.Ephe.21.v.2. Obſtat Luc.25.v.44. Reſpond. Hoc fuit ius politicum Iudæorum, non omnium gentiũ. Neque obſtat. Gal.3.v.28. Aliò enim pertinet, ad animæ ſalutem, quæ omnibus æquè impartitur à Deo. Neque item, 1.Cor.7.v.23. pertinet enim ad doctrinam. Secundò quàm Deo boniſque diſpliceat obſtinatio & contumacia in defendendis peccatis.

Verborũ explicatio.

Πόρισμα

B

AD VERSVM XXI.

Excuſatio eſt, vel ὑποφορὰ potius ne temerè vel nimium audẽter ſcripſiſſe videatur (Id quod obiici potuit) ad ignotum ſibi ex facie hominẽ, & quòd in deprecando tota ſita ſit hæc epiſtola. Reſpondet autem Paulus ex ſua, eáque honeſta de Philemone opinione & fiducia. In quo oſtendit, quàm ſit honorificum ſuum iudicium de eo, dum & obſequẽtiſſimum & promptiſſimum & liberaliſſimum eſſe iudicet. Itaque ductum eſt argumentum à cõtrariis. Non debui timidè ſcribere ad obſequentẽ, vel timidè & dubitanter quid poſtulare à liberaliſſimo homine. Notandum autem eſt quod Paulus ait, *Confiſus*: non tantùm dixit *ſperaui*, vel *credidi*: ſed *confiſus ſum*. Plus enim eſt cõfidentia, quia ex certa animi perſuaſione oritur. Item & illud notãdum, in quo ſummam manſuetudinis & beneficẽtię laudem eidem Philemoni tribuit, vt eum ſinguli imitemur, *Vltra*, vel *Supra quod dico & peto*. Cur autem id meritò ſperauerit Paulus duplex eſt ratio, tũ fama illa certa & celebris de ęius charitate, tũ quòd illud quod monet Paulus eſt ἀνῆκον, id eſt, officium Chriſtiani hominis, ad quod præſtandum pii ſunt & obſequentiſſimi & promptiſſimi. Magnũ quoq; Paulinæ charitatis ſpecimen hîc apparet, qui tã beneuolè de fratre ſentiat etiã ſibi de vultu ignoto, Magna lenitatis & prudentiæ eiuſdem Pauli ſignificatio, qui ſe tam ſedulò & ſollicitè excuſet, ne hominem ſibi etiam obnoxium fidei nomine, Philemonem offendat.

Locus Rhetoricus.

C

Locus Dialecticus.

Verborũ explicatio.

AD VERSVM XXII.

A

Confirmatio eſt ſuę de Philemonis liberalitate & obſequio erga ſe ſentẽtiæ, cùm poſtulat vt etiam ſibi hoſpitium præparet, quo excipiatur ab eo. Videtur autem Paulus intempeſtiuè & imprudenter petere, quum nolint homines tot ſimul & tanta à ſe exigi exemplo Nabalis, 1.Sam.25. Reſp. facilis eſt, Paulum conſideraſſe prudẽter cum quo ſibi negotium eſſet. Nimirum cum homine liberaliſſimo. Itaque ex perſonæ circunſtantia non modò prudẽter, ſed etiam Chriſtianè agit. Vti enim eſt ingenui hominis cui iam multum debeas, eidem plurima velle debere: ita eſt Chriſtiani non fatigari benefaciendo, ſed in dies maiorem ſementem facere, 2. Corint. 13. verſ. 4. Rationem addit, ἐλπίζω γὰρ &c. cur omnino parari putat. *Precibus* vox valde notãda eſt. Ex ea enim colligi poteſt, quanta ſit precum Chriſtianarum vis, Iacob.5 v.16. Ioan.16. verſ. 24. Similis locus Rom.15.v.30. Epheſ.6.verſ.19. Quod autẽ ait ἐλπίζω, Chriſtianè loquitur, qui nolit de futuro rerum euentu certius ſibi polliceri, quàm oporteat & fas ſit, cũ in ſua vnius poteſtate Dominus euentum rerum poſuerit. Sic & in epiſtol. ad Rom.15.verſ.28. ſperat ſe venturum in Hiſpaniam: & 1.Corinth.16. diutius ſe in Macedonia commoraturum: quorum tamen neutrum euenit, vti neque quod hoc loco ſperat. Eſtne igitur vel vana vel temeraria Pauli ſpes? Minimè gentium. Eatenus enim ipſe & voluit & ſperauit, quatenus Deus ipſe id fieri decreuerat, qui ſolus id poteſt & ſcit, an ſit euenturum. Apparet tamen quàm faciles tunc milites haberet, & benè de ſua cauſa apud ſæuiſſimum Tyrannum Neronem ſperaret, vti & Philipp.4.verſ.22.

Locus Rhetoricus.

Diſſimilis locus.

Circunſtãtiæ notatio.

Verborũ expoſitio.

Similis locus.

B

Diſſimilis locus.

Πόρισμα

AD VERSVM XXIII.

Eſt vltima huius epiſtolæ pars, nẽpe Epilogus, qui ſalutationes tum ſuas tum amicorum continet. Ac præmittit quidem amicorum, tum ſuas ſubiicit. Cur id? Tum vt Philemonem magis magíſque excitet ob gratam horum tantorum virorum memoriam: tum vt quinam ſecum egregiã operam in Chriſti Euangelio nauent, oſtendat. Ac certè tacita quædã Philemonis laus & exhortatio in eo eſt, quòd tanti viri de Philemone ſolicitè inquirant, ſéque illi commendatos velint, fauſtáque omnia illi precantur. Præterea magna animi cõſolatio in eo, quòd pius & fidelis Philemon, intelligit quot adhuc viri pro Chriſti nomine, ídque Romæ ſtrenuè laborent. Sed & hoc ipſum ad eorum, qui memorantur hoc loco, commendationem quoque pertinet, quia quemadmodum, qui deficiũt à fide ſunt offendiculo multis: ita qui perſeuerant ſunt ædificationi. Quæ cauſſa eſt, cur eos συνεργοὺς appellet, nẽpe, vt de illis honorificentius, pij omnes ſentiant, atque eorum exemplo ſtent & Chriſti regnum quiſque pro virili promoueat. Similis locus tum Coloſſen.4. tum etiam 2.Timoth.4. Quemadmodum enim turpe eſt illud, Omnes quærunt quæ ſua ſunt, Philip.2. verſ.21. ita valde honeſtum & lætabile, quum omnes, aut qui vel tãtillum poſſunt, ſtudẽt Dei gloriam procurare, ſúntque illius operarij. Salutationis autem voce non tantùm amoris mutuæq; charitatis ſignificatio atque atteſtatio denotatur, quemadmodum vulgò inter homines:

Locus Rhetoricus.

C

Similis locus.

A mines:ſed multo magis ſollicita quędā cura de eo & piū fauſtúmque votum erga illum, Colo.4.v.12. Quinque verò expreſſè meminit.vel quòd ii inter cæteros inſigniores doniſque cœleſtibus ornatiores & præſtantiores tunc erant:vel quòd ex omnibus qui tum Romæ verſabantur notiores:vel quòd tunc ſoli cum Paulo manſerant. Plures autem poſtea cum eo fuiſſe apparet ex 2.Timoth.4. cùm hîc neque Tychici neque Creſcentis meminerit, neque Ariſtarchi. Epaphras fuit Coloſſenſis, de quo eſt pręclarum illud Pauli teſtimonium,quod extat Col.4.verſ. 12. de quo, vti de cæteris conſulendus eſt in catalogo Dorotheus. Videtur autem fuiſſe Euangeliſta,ſicut & Timotheus. Ornat verò eum cumulatè Paulus,quū συναιχμάλωτον vocat. Fuerítne verò vnà cū Paulo in vinculis propter nomē Chriſti,ſiue eidem tantùm miniſtrarit,dum eſſet in vinculis,tanquam comes & ſocius vinculorum Pauli magno animi zelo in tātum Dei ſeruum, incertum eſt. Vti de Epaphrodito,Philip.2.v.25.Sed ſic etiam Ariſtarchū vocat,Col.4.v.10.quem Pauli peregrinationis duntaxat comitem fuiſſe cōſtat,eique miniſtraſſe,Act.27.v.2.non autem vinctum fuiſſe.

AD VERSVM XXIIII.

B Hi quatuor qui fuerint ex aliis Pauli epiſtolis intelligi poteſt. Ac Marcus quidē hic nō eſt ille Euāgeliſta,perpetuus Petri comes,vt aiūt, cuius etiam ipſe Petrus meminit,1.Petr.5.v.13.& qui ex ore Petri Euangelium Chriſti ſcripſiſſe perhibetur. Sed neq; eſt hic ille Marcus,qui Ioannes dictus eſt:ſed alius Marcus,de quo Paulus,2.Tim.4. v.11. & Coloſſ.4.v.10. Barnabæ conſobrinus. Nam Ioannes Marcus de quo eſt Actor.15.v.37.propter quem aſſumendum grauis incidit Paulo cum Barnaba cōtentio,ſua priuatáque negocia Chriſti publicis aliquando præpoſuit, vt eſt Act.13. v.13. Ariſtarchus hic idem eſt, cuius Coloſſ. 4. v.10. meminit cum præconio Paulus,Theſſalonicēſis,vt tradit Lucas, qui cum Paulo Hieroſolymis Romam nauigarat, vt ei miniſtraret,liberalitérq; ſuccurreret. Act.27. v.2. Demas quoq; hic eſt, cuius duabꝰ aliis in epiſtolis àPaulo facta mentio eſt.Laudabiliter quidē, Coloſſ.4.v.14.Turpiter autē,1.Tim. 4. ver. 10.Seculum enim amplexus Paulum vinctum reliquerat. Cuius exēplo docemur,quātū nobis ipſis C metuere debeamus ne olim ſtantes poſtea cadamus,& ne mūdi huius delitiis,velut eſca,deliniti à Chriſto deficiamꝰ.Lucas eſt quartꝰ,cuius & Euſeb. & Hierō. in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum meminit,itémq.Dorotheus,profeſſione medicus, vt Paulus ait,Coloſſ.4.v.14 qui ex 2.Tim.4.v.11.Cōſtantiſſimus Pauli etiam vincti comes fuiſſe apparet.Hic & Euangelium ex ore Pauli,vt aiunt,& Acta Apoſt.velut teſtis αὐτόπτης ſcripſit. Quanquam verò inter hos alios aliis feruentiores, & in opere Domini promouendo ardētiores fuiſſe veriſſimiliter creditur,vti varia ſunt Dei dona: omnes tamē vno nomine cōmuniter ornat, dū συνεργοὺς appellat,quo nihil glorioſius & inſignius dici potuit.

AD VERSVM XXV.

Poſtrema precatio ſeu ſalutatio Pauli, quam cū charitatis erga Philemonem ſuæ teſtificandæ gratia addit:tum etiam commendandæ huius epiſtolæ cauſa.Hoc verò in more poſitum fuit Apoſtolis,vt hoc pulchro fine ſuas epiſtolas clauderent,vt finis reſponderet initio epiſtolæ,vbi gratiam & pacem A etiā ab initio precatur.Ratio huius rei eſt. 1. vt diſcamꝰ & claudere & inchoare omnes noſtras actiones à Dei nomine.2.vt doceat quid potiſſimum ſit homini Chriſtiano conſectandum, optandum, & retinendum ad ſalutis ſuæ vitæque cōſolationem, & certitudinem. Eſt autem gratia Chriſti. Similis penè locus,1. Corinth. 16.verſ. 23. Philipp.4.verſ. 23.2.Theſſal.3.verſ.18. Rom. 16.Optat autē & precatur Paulus vt gratia Chriſti, id eſt, quæ nobis à Chriſto allata eſt,ſit maneátq; cum omnibus illis. In quo oſtendit Paulus ſe non vnius Philemonis ſtudioſum eſſe, aut curioſum: ſed & eorum quorū meminit,ſed & totius Eccleſiæ,quę illic eſt,cui gratiam Chriſti adeſſe perpetuò optat. Quod autem optat & precatur, oſtendit quàm ſit neceſſaria ea res.Eſt enim tanta,vt in ea ſalutis noſtræ omniúmque fideliū cardo verſetur. Itaque verba hæc μετὰ πνεύματος ὑμῶν ſic accipio vt idem ſignificent atque illa μετὰ πάντων ὑμῶν quibus vſus eſt Paulus 4.ad Philipp.3.& 2.Theſſ.3.v.18.

Similis locus.

Præterea πνεύματος nomen etiam alibi poſitum videtur pro affectu pio vti 1. Cor.5.v.4.μετωνυμικῶς ſedes pro re locata vel etiam pro tota perſona συνεκδοχικῶς,vti.1.Petr.3.v.19.Ergo ſit Domini Chriſti gratia, cū ſpiritu veſtro,id eſt, B Vobiſcum: vel cum illo veſtro pio erga Deum affectu,& ardore animi. Gratia verò quid hoc loco ſignificet, itémque aliis ſimilibus locis & loquendi formis quæri poteſt. Alii enim putant ſignificare gratuitum illum amorem, quo nos Deus in Chriſto filio ſuo proſequitur & amplectitur. Vti ſuprà ſignificatum eſt v.3.Bulgarus, vel(vt alii volunt)Athanaſius in 2.Epiſt.ad Theſſ.3.v.18. accipit pro gratuita peccatorum remiſsione,quæ fit nobis per Chriſtum.Propterea enim paſſus eſt,1.Ioan.2 v.1.& 2.Verior mihi quidē videtur eorū ſententia, qui hîc & in ſimilibus aliis Pauli precationibꝰ gratiam ſumunt non tantum pro gratuita peccatorū noſtrorum remiſsione,quæ vna tantum ſalutis noſtræ pars eſt:ſed pro toto noſtræ redemptionis beneficio & ſalutis complexu ac implemento, quod nobis in Chriſto abūdè ſuppetit & donatur gratis. Hinc fit vt hęc gratia dicatur eſſeChriſti quatenus Dominꝰ eſt noſter.i. Deus factꝰ homo pro nobis, carne noſtra ſuſcepta,in qua paſſus eſt, reſurrexit, ad cœlos aſcendit. Ea ratione enim Dominus dicitur,quia à Patre poteſtatē in omnia accepit. C Nā quemadmodū pater dicitur Deus:ita Chriſtus dicitur Dominus,vt docet Paulus ipſe,1.Cor.8.v.16. Noſtram autem illam ſentētiam & interpretationem confirmat ipſe Paulus optimus ſui interpres, qui in 2. Cor.13.v.13. precās vocem Gratiæ vſurpauit,vt doctiſsimus interpres & Theologus explicuit Ioannes Caluinus.Ergo ea gratia & ſalutis donatio eſt à Chriſto, quatenus ille eſt Ieſus, id eſt, Saluator ille mundi ab initio promiſſus: & Dominus,id eſt,impleta Dei voluntate noſtráque redēptione Poteſtatem à Deo Patre in omnia accepit, vt ſuper ſuos inimicos regnet,donec tradat regnū Patri,& cui laus & gloria in ſecula ſeculorū. Amē. Rom.9.v.5.Addit Amen, quæ eſt ratificatio ſuperioris precationis,oſtendítque quàm ſincero & vehemēti affectu pro iis poſtulet & precetur à Deo, cùm hæc dona illis dari ſeriò optet, & permanere cupiat.Vox hęc ab Hebręis ſumpta,Ratificationē, Verámque votorum communicationem denotat, 1.Cor.14.v.16.2.Cor.1.v.20.Pſal.89.verſ.53.

BEDAE PRESBYTERI ANGLOSAXONIS DE SCHEMATIBVS ET TROPIS SACRARVM LITERARVM LIBER.

PRAEFATIO.

SOLET aliquoties in Scripturis ordo verborum cauſa decoris aliter quàm vulgaris via dicĕdi habet, figuratus inueniri: quod Grammatici Græcè σχῆμα vocant, nos habitum, vel formam, vel figuram rectè nominamus: quia per hoc quodammodo vertitur & ornatur oratio. Solet iterum tropica locutio reperiri, quæ fit tranſlata dictione à propria ſignificatione ad non propriam ſimilitudinem, neceſſitatis aut ornatus gratia. Equidem gloriantur Græci talium ſe figurarum vel troporum fuiſſe repertores. Sed vt cognoſcas dilectiſſime fili, cognoſcãt itĕ omnes qui hæc legere voluerint, quòd B ſancta ſcriptura cæteris omnibus ſcripturis nõ ſolum authoritate, quia diuina eſt: vel vtilitate, quia ad vitam ducit æternam: ſed & antiquitate, & ipſa præeminet poſitione dicendi: placuit mihi collectis de ipſa exĕplis oſtendere, quia nihil huiuſmodi ſchematũ, ſiue troporum valĕt prætendere vllis ſeculis eloquentiæ magiſtri, quã non illa præceſſerit. Sunt autem multæ ſchematum ſpecies, ſed eminentiores hæ: Πρόληψις, Ζεῦγμα, Ὑποζεῦξις, σύλληψις, Ἀναδίπλωσις, Ἀναφορὰ, Ἐπανάληψις, Ἐπιζεῦξις, παρονομασία, Σχέσις ὀνομάτων, Παροίμιον, Ὁμοιοτέλευτον, Ὁμοιόπτωτον, πολύπτωτον, Εἱρμός, Πολυσύνδετον, Διάλυτον.

Πρόληψις, præoccupatio ſiue præſumptio dicitur. Figura eſt, quando ea quæ ſequi debent, anteponũtur: vt, 12. AEnei. Interea reges, ingenti mole Latinus
Quadriiugo vehitur curru. Et:
--bigis it Turnus in albis. Et:
--iuxta Aſcanius magnæ ſpes altera Romæ
Pſal.26. Procedunt caſtris. Et in Pſalmis: Fundamĕta eius C in montibus ſanctis, diligit dominus portas Sion. Antè poſuit eius: & poſtea cuius, id eſt, domini. Et Pſal.22. alibi: Diuiſerunt ſibi veſtimĕta mea, & ſuper veſtĕ meam miſerunt ſortem. Pro diuident, & mittent. Ezech.9. Et Ezechiel nihil anteponens, ita incipit: Et factũ eſt in triceſimo anno. Sermonĕ cõiunctiõis poſuit nihil aliud antè, cui hoc ſubiungeretur, præponĕs.

Ζεῦγμα, coniunctio dicitur, figura quando multa pendentia aut vno verbo, aut vna ſentĕtia concluduntur: vt, Virg.3. AEneid. Troiugena interpres diuûm qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarij lauros, qui ſydera ſentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omnia pennæ.
Ephe.4. Huic ſimile eſt illud in Apoſtolo: Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis. Sententia autem, vt Pſalmiſta pręponens: Pſal.14. Qui ingreditur ſine macula, operatur iuſtitiam, Qui loquitur veritatem in corde ſuo, &c. ad vltimum ita concludit: Qui facit hęc, non commouebitur in æternum.

Ὑποζεῦξις, eſt figura ſuperiori contraria, vbi ſingula verba, vel ſententiæ, ſingulis quibuſque clauſulis ſubiunguntur: vt,
Virg.10. AEneid. Regĕ adit, & regi memorat nomĕnque genúſque,
Quidve petat, quídve ipſe ferat: Mezentius arma
Quæ ſibi conciliet, violentáque pectora Turni
Edocet: humanis quæ ſit fiducia rebus,
Admonet: immiſcétque preces, haud fit mora, Tarchon.
Iungit opes, fœdúſque ferit.

Tale eſt & illud, in verbo, vt in Pſalmo: Pſal.144. Virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt: Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitiam tuam exultabunt. 1.Cor.13. Et Apoſtolus: Siue prophetiæ, inquit, euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. Pſal.26. Sententiæ: vt, Si conſiſtant aduerſum me caſtra, nõ timebit cor meum: Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.

4 Σύλληψις, eſt diſſimilium clauſularum per vnum verbum conglutinata conceptio: vt, Virgil.1. Æneid.
--hîc illius arma, hîc currus fuit. B

Hoc ſchema latè patet, & fieri ſolet non ſolum per partes orationis, ſed & per accidentia partium orationum. Itĕ: Sylleps ſis eſt, cùm ſingularis dictio plurali verbo adiungitur: vt,
Virg.Buc. --ſunt nobis mitia poma,
Caſtaneæ molles, & preſſi copia lactis.
Pſal.77. Pſal.149. Simile eſt illud: cum caſus diſcrepantes in vnam ſignificationem congregamus: vt, Attendite populus meus Legem meam. Et, Ad faciendam vindictam in nationib', increpationes in populis. Quod enim ait, ad faciendam, numeri ſingularis eſt: quod addidit increpationes, pluralis eſt. Fit etiam Syllepſis in ſenſu, id eſt, vbi pro multis vnus, vel pro vno multi ponuntur. Pro multis vnus: vt, Immiſit in eis muſcam caninam, & comedit eos rana, & exterminauit eos. Cum non vnam ad exterminandos Ægyptios muſcam vel ranam, ſed innumeras immitteret. Item pro vno multi: vt, C Pſal.2. Adſtiterũt reges terrę, & principes conuenerunt in vnum. Reges enim pro Herode: Principes pro Pilato poſitos Apoſtoli intellexerunt quemadmodũ continetur in Actibus Apoſtol.

5 Ἀναδίπλωσις, eſt congeminatio dictionis, quæ in vltima parte præcedentis verſus, & prima ſequentis iteratur, vt:
Virg. 10. Æneid. - ſequitur pulcherrimus Aſtur,
Aſtur equo fidens, & verſicoloribus armis.

Pſal.121. Simile eſt illud: Stãtes erãt pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem, Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas. Hiere.2. Et Hieremias: Me dereliquerunt fontĕ aquæ viuę, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.

6 Ἀναφορὰ eſt relatio, cũ eadem dictio bis ſæpiúſve per principia verſuum repetitur: vt, Affectib. ſeruit illud ſchema maximè.
Nate meæ vires, mea magna potentia ſolus,
Nate patris ſummi qui tela Tiphoëa temnis.
Simile eſt illud: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Et quo antea ſumus vſi: Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: Pſal.26. Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Fit autem Anaphora & in eodem verſu per principia ſenſuum: vt, Pſal.28. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros: quæ figura, Pſalmis vſitatiſſima eſt.

A Hanc quidam Epanaphoram vocant.

7 Ἐπανάληψις eſt verbi in principio verſus poſiti in eiuſdem fine repetitio vt,

Virg.2 Georg. Ante etiam ſceptrum Dictæi regis,& ante.

Philip.4. Pſal.8. Simile eſt illud: Gaudete in Domino ſemper, iterum dico Gaudete. Et in pſalmo: Deus quis ſimilis erit tibi? ne taceas, neque compeſcaris Deus.

8 Ἐπίζευξις eſt eiuſdem verbi in eodem verſu ſine aliqua dilatione congeminatio:vt,

Virg.9. AEneid. Me me adſum qui feci, in me conuertite ferrum
O Rutuli, mea fraus omnis.

Eſa.40. Eſa.51. Eſa.38. Huic ſimile eſt illud: Conſolamini conſolamini popule meus, Dicit Dominus veſter. Et iterum: Eleuare eleuare, conſurge Hieruſalem. Et iterum: Viuens viuens ipſe confitebitur tibi. Et in Pſalmo: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Alibi repetitio eiuſdem ſermonis palilogiæ obtinet nomen.

9 Παρονομασία denominatio dicitur, quoties dictio penè ſimilis ponitur in ſignificatione diuerſa, mutata videlicet litera vel ſyllaba:vt,

Terent. in And. Nam inceptio eſt amentium, haud amantium. Et apud Ciceronem: Qui fuit locus feliciſſimus, nunc B erit locus deſertiſſimus. Et: Cuſtodia ſacrorum nō honoris, ſed oneris eſſe exiſtimabitur. Tale quoq; eſt illud, vt in Pſalmo 21. iuxta Hebraicam veritatem: In te confiſi ſunt, & nō ſunt confuſi. Et Apoſtolus: Philip.3. Videte malos operarios, videte conciſionem. Nos autem ſumus circūciſio qui ſpiritu Deo Eſa.5. ſeruimus. Quam Eſaias Propheta figuram elegantiſſimè in ſua lingua confecit, vbi ait: Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iuſtitiam, & ecce clamor. Hebraicè enim iudicium למשפט, iniquitas משפח, iuſtitia לצדקה clamor, צעקה appellatur. Pulchrè itaque vna vel addita vel mutata litera ſic verborum ſimilitudinem temperauit, vt pro למשפט diceret משפח:& pro לצדקה poneret צעקה.

10 Σχέσις ὀνομάτων, id eſt, multitudo nominū cōiūctorum, diuerſo ſono vnam rem ſignificantium:vt,

Marſa manus, Peligna cohors, feſtina virûm vis. Eſa.1 Simile illud quoque: Væ gēti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis. Et in Pſal.105. Pſalmis: Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus.

11 C Παρόμοιον, eſt cum ab eiſdem literis diuerſa verba ſumuntur: vt,

Ennius. O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti.

Quæ nimirum figura, quia ad poſitionem literarum pertinet, melius in ea lingua, qua ſcripta eſt, editáque requiretur. Habemus tamen & in noſtra Pſal.117. Pſal.57. trāſlatione vnde demus exemplū. Dictū eſt etenim in Pſalmo: Benediximus vobis de domo Domini, De9 Dominus & inluxit nobis. Et in alio: Ira illius ſecundum ſimilitudinē ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas.

12 Ὁμοιοτέλευτον, ſimilis terminatio dicitur, figura quoties media & poſtrema verſus ſiue ſententiæ ſimili ſyllaba finiuntur:vt,

Enius teſte Diomede. Eos reduci q̄ relinqui, reuehi quàm deſeri malui.

Eccle.6. Eccl.7. Simile eſt in Eccleſiaſte: Meli9 eſt videre quod cupias, quàm deſiderare quod neſcias. Et iterum: Melius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorū adulatione decipi. Hac figura Poetæ & Oratores ſæpe vtūtur: Poetæ hoc modo:

Peruia diuiſi patuerunt cærula ponti.

Oratores verò ita: Beatus Iob Deo ſoli agnitus in tranquillitate, ad maiorem notitiam perducendus, tactus eſt verbere, vt odorem ſuarum virium tantò latius ſpargeret, quantò maiore aromatum incenſione flagraret. Quo ſchemate ipſe qui hæc dixit, A ſæpiſſimè vſus fuiſſe reperitur.

* Et huiuſmodi orationes eſſe reor, quas Hieronymus cachinnas rhetorū declamationes appellat.

13 Ὁμοιόπτωτον, cum in ſimiles ſonos exeunt dicta plurima:vt,

Ennius Mœrentes, flentes, lacrymantes, cōmiſerāt es. Tale Pſal.97. eſt etiā illud: Cantate, exultate, & pſallite. Et Ezech. Ezechiel: Quòd ſi genuerit filium latronem, effundentem ſanguinem: & paulò pòſt, in montibus comedentem, & vxorem proximi ſui polluentem, egenū & pauperem contriſtantem, rapientem rapinas, pignus non reddentē, & ad idola leuātē oculos ſuos, abominationem facientem, ad vſuram dantem, & amplius accipientem, nunquid vita viuet?

14 Πολύπτωτον, eſt cū diuerſis caſib9 variatur oratio:vt,

Virg.4. AEneid. Littora littoribus contraria, fluctibus vndas.
Imprecor, arma armis, pugnent ipſique nepotes.

Rom.11. Vt Apoſtolus: Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſūt omnia: ipſi honor, & gloria, in ſecula ſeculorum. Pſal.17. Et in Pſalmo: Niue dealbabuntur in Selmō, mons Dei, mons coagulatus, mons pinguis, vt quid ſuſpicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. B

15 Εἱρμός, conuenientia dicitur, quando ſeries orationis tenorem ſuum vſque ad vltimū ſeruat, nulla videlicet alia vel cauſa, vel perſona mutata:vt,

Virg.6. AEneid. Principio cœlum ac terrā, campóſque liquentes,
Lucētémque globum Lunæ, Titaniáque aſtra Spiritus intus alit.

Pſal.53. Simile eſt illud, vt in Pſalmo: Deus in nomine tuo ſaluū me fac, &c. vſque dū ait: Non propoſuerunt Deū ante cōſpectū ſuū. Orat.n. Propheta, vt auxilio Domini ſaluatoris ab hoſtiū inſectatiōe liberetur.

16 Πολυσύνδετον eſt oratio multis nexa coniūctionibus:vt, Athamáſque, Thoáſque, Pelidéſq; Neoptolemus, primúſque Machaō. Simile eſt illud in Pſal.41. Pſalmo: Dominus conſeruet eum, & beatum faciat eū, & emundet in terra animam eius, & non tradat eū in manus inimicorum eius.

C Διάλυτον, vel ἀσύνδετον eſt figura ſuperiori contraria, carens coniunctionibus: vt, - Ite, Ferte citi flam-17 Virg.4. Aeneid. mas, date tela, impellite remos. Tale eſt illud in Pſal.65. Pſalmo: Iubilate Deo omnis terra, Pſalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius, dicite Deo, quàm terribilia ſunt opera tua Domine.

DE TROPIS.

TRopus eſt dictio tranſlata à propria ſignificatione ad nō propriā ſimilitudinē, ornatus, neceſſitatíſve cauſa. Sunt autē tropi qui Latinè modi, vel mores interpretari poſſunt, numero tredecim, Μεταφορά, Κατάχρησις, Μετάληψις, Μετωνυμία, Ἀντονομασία, Ἐπίθετον, συνεκδοχή, Ὀνοματοποιΐα, Περίφρασις, Ὑπέρβατον, Ὑπερβολή, Ἀλληγορία, Ὁμοίωσις.

1 Μεταφορά, eſt rerū verborúmque trāſlatio. Hæc fit modis quatuor: ab animali ad animale, ab inanimali ad inanimale, ab animali ad inanimale, ab inanimali ad animale. Ergo ab animali ad animale fit ſic:vt.

Typhin aurigam celeres fecêre carinæ.

Nam & auriga, & gubernator animam habent.

Pſal.2. Pſal.138. Simile eſt in ſacra Scriptura illud: Quare fremuerunt gentes? Et: Dominus qui eripuit me de ore leonis, & de manu vrſi. Et: Si ſumpſero pennas meas ante lucem. Nam & homines, & beſtiæ, & volucres animam habent.

Ab inanimali ad animale:vt,

--pelagus tenuêre rates, nec iam amplius vllā. nam

A & Pelagus & rates animam non habent.
Simile eſt illud in ſacra ſcriptura: Aperi Libane
Zach.11. portas tuas.Et:Qui perambulat ſemitas maris.Trãſ-
Pſal.8. latio eſt enim à ciuitate ad montem : & à terra ad
mare, quorum nullum animam habet.
Ab animali ad animale:vt,

Atlantis cinctum aſſiduè cum nubibus atris,
Piniferúmque caput vento quaſſatur & imbri,
Nix humeros infuſa tegit,tum flumina mento
Præcipitant ſenis,& glacie riget horrida barba.

Nam vt hæc animalis ſunt, ita mons animam non
habet,cui membra hominis adſcribuntur.
Amos 2. Huic ſimile eſt illud : Exiccatus eſt vertex Car-
meli:homines enim, non montes verticem habẽt.
Ab inanimali ad animale:vt,

Aut ſi fama mouet,ſi tantum pectore robur
Concipis.

Nam vt robur animam non habet, ita Turnus,cui
hæc dicuntur,animam habet.Huic ſimile eſt illud.
Ezech.11. Auferam à vobis cor lapideum:nõ enim lapis, ſed
populus animam habet.

Μεταφορὰ autem aut partis vnius eſt,vt Fluctuare
B ſegetes.Non poteſt enim dici,ſegetare fluctus:aut
quas Græci ἀνακολούθας vocant. ἀντιστροφὴ eſt,id eſt,reciproca : vt,remigium alarum:
Nam & alæ auium,& alarum remigia dicũtur.Hic
tropus & ad Deum fit multifariè:à volucribus: vt,
Sub vmbra alarum tuarum protege me.A feris:vt,
Pſal.16. Dominus de Sion rugiet.A membris humanis:vt,
Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo
Ioel.3. ponderauit?Ab homine interiore:vt Inueni Dauid
Eſa.40. filium Ieſſe,virum ſecundum cor meum, A moti-
Pſal.2. bus mentis humanæ vt, Tunc loquetur ad eos in
Gen.6. ira ſua.Et,Pœnitet me hominem feciſſe. Et Zela-
Zach.1. tus ſum Sion zelo magno:& innumera huiuſmodi.
Amos 2. A rebus inſenſibilibus:vt,Ecce ego ſtridebo ſuper
vos,ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno.Qui vi-
delicet tropus & in communi locutione vſitatiſſi-
mus eſt,vt cùm dicimus,fluctuare ſegetes, gẽmare
2 vites,floridam iuuentutem,& lacteam caniciem.

Κατάχρησις eſt vſurpatio ſiue abuſio nominis a-
lieni aut verbi, ad ſignificandam rem quæ propria
appellatiõe defecit:& eo à metaphora differt,quòd
C illa vocabulum habenti largitur:hæc quia non ha-
bet propriũ, alieno vtitur, vt parricidam dicimus,
qui occiderit patrem: & piſcinam, quæ piſces non
habet. Hæc enim niſi extrinſecus ſumerent ſuum
vocabulum non haberent,Huic ſimile & illud:Po-
nes vectes in quatuor angulis menſæ per ſingulos
2.Par.4. pedes,& ſextũ ſagũ in fronte tecti duplicis:& ibi,cõ-
fringit cornua arcuum.Et,Labium illius erat quaſi
labiũ calicis,& repandi lilii,pedes quippe,& frons,
& cornu,& labium,hominum tantum ſunt,& ani-
mantium,non etiam rerum inſenſibilium:quę no-
mina ſi ſcriptura prælatis rebus non impoſuiſſet,
Ioan.5. quod proprium his diceret non haberet. Ad hunc
tropum pertinet quod ſcriptum eſt, Eſt autẽ Hie-
roſolymis Probatica piſcina : à piſcibus enim no-
men accepit aqua,quæ nequaquam propter piſces,
ſed ad lauandas,vt ferunt hoſtias collecta eſt,vnde
Probaticæ cognomen ſortita eſt.

Μετάληψις,eſt dictio gradatim pergẽs ad id quod
3 oſtendit,& ab eo quod præcedit,id quod ſequitur
inſinuans:vt,

--ſpeluncis abdidit atris. Et:
Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas. Et,
Virg.1. AEneid. Inque manus chartæ nodáſque venit arundo.

Virg.Buc. Nam per manum verba,per arundinẽ literæ ſigni-
ficatæ ſunt. Tale eſt illud: Labores manuum tuarũ A
manducabis:labores enim poſuit pro his quæ la-
borando adquiruntur bonis.Nec nõ & illud:Dra-
co iſte quem formaſti,ad inludendum ei: per dra- Pſal.103.
conem diabolus,per diabolum bonus Angelus in-
telligendus eſt,qualis à Deo formatus eſt.

Μετωνυμία,eſt quædam veluti tranſnominatio,ab
alia ſignificatione ad aliam proximitatem trãſlata. 4
Huius multæ ſunt ſpecies : Per id quod continet,
id quod cõtinetur:per id quod cõtinetur, id quod
continet : Per inuentorem, id quod inuentum eſt:
per inuentum , inuentorem : per efficientem , id
quod efficitur : per id quod efficitur, efficien-
tem.Aut enim per id quod continet, id quod con-
tinetur oſtendit:vt, Nunc pateras libate Ioui. Et,
Theatra plaudunt,prata mugiunt: dum illic homi-
nes plaudũt,hic boues mugiunt.Aut contrà, per id
quod continetur,id quod continet:vt,

Crateras læti ſtatuunt,& vina coronant. Et:
--iam proximus ardet Vcalegon. Virg.2. AEneid.

Dum non ille ſed
domus eius arderet. Aut per inuentorem id quod
inuentum eſt : vt Sine Cerere & Libero friget Ve-
nus. Et:

Commixtã Vulcanus mittit ad aſtra fauillã.

Vult B
enim per Cererem , frumenti inuentricem, intel-
ligere panẽ:per Liberũ,inuentorẽ vitis,vinum:per
Venerẽ,libidinẽ:per Vulcanũ,ignẽ.Aut cõtrà,per
inuentũ inuentorẽ demonſtrat: Vt, Vinum preca- Plautus.
mur,pro Libero,qui vinum apud Græcos inuenit.
Item per efficientem id quod efficitur : ſicut pigrũ
frigus,quòd pigros homines faciat. Et timor pal-
lidus.eò quòd pallidos homines reddat. Aut con-
trà per id quod efficitur efficiens:vt,

Iungit equos auri genitor , ſpumantiáque addit
Fræna feris.

Spumantia fræna dixit,cũ vtique nõ ipſa faciant
ſpumas, ſed equus qui ea gerit ſpumis conſpergat
infuſis.His ſimilia ſunt illa de ſacra Scriptura , per
id quod cõtinet,id quod cõtinetur oſtendit:vt,Ef-
fundẽs hydriã in canalibus: Et contrà:vt,Accipe li- Gen.24.
teras tuas. Neque enim hydria effundebatur , ſed C
quod in ea continebatur : nec literę in manus,nec
charta quę literas cõtinet adſumitur.Et iterũ:Et di-
mitte eã,& vadat,& aſpicietis.Nõ.n.arca,nec plau-
ſtrum, ſed qui cõtinebatur, vel boues qui ducebãt
plauſtrũ,ire poterãt.Hæc & per efficientẽ,id quod
fit,& ecõtrà per hoc quod fit , efficientẽ deſignat.

Ἀντονομασία,eſt ſignificatio vice nominis poſita,&
accidẽtibus videlicet,propriã ſignificat perſonam,
quę tribus fit modis:Ab animo,à corpore,extrin-
ſecus. Ab animo : vt, Magnanimúſque Anchiſia-
des.A corpore:vt,--ipſe arduus,altáque pulſat ſy- Virg.2.
dera.Extrinſecus:vt Infelix puer,atque impar cõ- AEneid.
greſſus Achilli.

His ſimile eſt illud, Ab animo:vt, Nũquid nõ tu Eza.51.
percuſſiſti ſuperbũ?A corpore: vt, Vir ſpurius alti-
tudinis ſex cubitorũ,& palmo. Ab elatione.n.ani- 1. Reg.17.
mi diabolus hic intelligitur ſuperbus. A quãtitate
corporis Goliat gigas ſignificatur.Extrinſecus quę
ſumũtur,in plures ſpecies diuiduntur: Deſcendũt
enim à genere:vt,Nunquid omnibꝰ vobis dabit fi-
lius Iſai agrum?A loco:vt, Autorẽ ſeditionis ſectæ
Nazaræorũ. Ab actu:Qui autẽ tradidit eum,dedit Matth.26
eis ſignum dicens. Ab euentu : vt, Diſcipulus ille Ioan.19.
quem diligebat Ieſus:Per hunc tropum aliquoties
& Dominus ipſe demonſtratur:A genere : vt,Ho-
ſanna filio Dauid.A loco:vt,Qui ſedes ſuper Che-
rubin

A rubin appare. Ab actu: vt,Peccaui.quid faciam tibi ô cuſtos hominum?

6 Ἐπίθετον, eſt propoſita dictio proprio nomini: Nam Antonomaſia vicem nominis ſuſtinet: Epitheton nunquam eſt ſine nomine: vt, Dira Celæno.Et,Diua Camilla:Et,Alma Ceres. Et, Obſcœnique canes, importunæque volucres. Tale eſt in ſacra ſcriptura:vt,Dilectus Deo & hominib' Moſes: Et Miſericors, & miſerator Dominus: Et Iuſtum Loth oppreſſum. Fit etiam Epitheton modis tribus, Ab animo,A corpore,Extrinſecus.His duobus tropis aut vituperamus aliquem,vel oſtendimus,vel ornamus.

7 Συνεκδοχὴ, eſt ſignificatio pleni intellectus capax cùm plus minúſve pronuntiat. Aut enim à parte totum oſtendit:vt,

Haud aliter puppéſque tuæ,pubéſque tuorũ. Aut contrà: vt,--Et ingens à vertice põtus In puppim ferit, excutitur pronúſque magiſter: Et, Gramineas,alii fontémque ignémque ferebant. Similiter in ſacra Scriptura aut totum à parte oſtenditur: vt, B In LXXII. animab.ingreſſus eſt Iacob Ægyptum. Cum non ſolæ animæ,ſed cum corporibus ſuis ingreſſæ ſint.Aut contrà:vtTulerunt Dominũ meũ: Dominũ dixit,cum Domini corpus quęreret.Aut Ioan.1. enim totum à parte oſtendit:vt, Verbũ caro factũ eſt: Et,Eramus verò in naue vniuerſæ animæ,ducentę ſeptuaginta ſex.Aut contrà:vt ibi,Ergo propter paraſceuẽ Iudæorũ,quia iuxta erat monumẽtum vbi poſuerunt Ieſum.

8 Ὀνοματοποιΐα,eſt nomẽ de ſono factum: vt Tinnitus æris, clangor tubarum, hinnitus equorum, mugitus boum,balatus ouium,latratus canum,rugitus leonum, ſtridor valuarum. Inueniuntur hæ & in ſacra ſcriptura: vt, Cymbalum tinniens: Et, Quaſi tuba exalta vocẽ tuã:Et,Canite tuba:Et,Nũ Eſa. 56. quid circundabis collum equi hinnitum?Et,Rugi- Eſa.16. tus leonis:Et, Vox leænæ:Et,Canes muti non valentes latrare. Ad hunc tropum pertinere quidam exiſtimant ſibilos ſerpentium, porcorum ſtridores,cæterorúmque vocem confuſam animantium, C quæ & ipſa in ſcripturis ſanctis ſępius reperiuntur.

9 Περίφρασις,eſt circũlocutio,quæ fit aut ornãdę rei cauſa quæ pulchra eſt,aut vitãdę quæ turpis eſt:vt,

Et iam prima nouo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens aurora cubile:Et,
--nimio ne luxu obtuſior vſus
Sit genitali aruo ſulcos oblimet inertes.

Similiter & in ſacra ſcriptura veritatem ſplendidè producit:vt eſt, Scimus quoniã ſi terreſtris do- 2.Cor.5. mus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem habemus ex Deo, domum nõ manufactam, æternam in cœlis. Fœditatem euitans: Rom.1. vt,Nam fœminę eorum immutauerunt naturalem vſum,in eum vſum qui eſt contra naturam.

Ὑπέρβατον,eſt tranſcenſio quædam, verborum or- 10 dinem turbans,huius ſpecies ſunt quinque:

Ὑστερολογία, Ἀναστροφὴ, Παρένθεσις, Τμῆσις, Σύγχυσις.

Ὑστερολογία, vel Ὕστερον πρότερον eſt ſententia cũ ordo 1 verbis mutatur:vt,

--torrere parant flãmis, & frangere ſaxo. Et Poſt- Virg. 1. Æneid. quàm altos tetigit fluctus,& ad æquora venit. Pri' enim frangũtur fruges,& poſtea coquũtur:& antè ad æquora venit, & ſic tetigit fluctus. Tale eſt & Pſal.23. illud: Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.Prius enim Dominus miſerando iuſtificat impium, & ſic benedicendo coronat iuſtum. A

Ἀναστροφὴ, eſt verborum tantum ordo præpoſterus:vt,Italiam cõtra:pro cõtra Italiam. Et Littora 2 circũ:pro circum littora.Tale eſt illud: quamobrẽ Virgil.1. Æneid. ego deprecabor Dominum:pro ob quam rem.

Παρένθεσις eſt interpoſita ratiocinatio diuiſæ ſententiæ:vt, 3

Æneas(neque enim patrius conſiſtere mentem
Paſſus amor)rapidum ad naues præmittit Achatẽ

Tale eſt & illud Apoſtoli:Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatũ circũciſionis, operatus eſt & Galat.2. mihi inter gẽtes. Et cum cognouiſſent gratiã quæ mihi data eſt, Iacobus & Cephas & Ioannes dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis.

Τμῆσις,eſt ſimplicis verbi ſectio,aut vnius compoſiti,vna dictione vel pluribus interiectis:vt Ta- 4 lis Hyperboreo ſeptem ſubiecta trioni.

Et multũ nebulæ circũ Dea fudit amictu.Pro circũfudit. Virg.1. AEneid. Hæc ſpecies licet in ſacra Scriptura facilè non inueniatur, tamẽ habetur in Chriſtiano poeta,vt eſt,

B Hiero quem genuit ſolymis Dauidica proles: hoc eſt,Hieruſalem.

Σύγχυσις,eſt hyperbatõ ex omni parte cõfuſum:vt, Treis notus abreptas in ſaxa latãtia torquet, Saxa 5 vocant Itali mediis quæ in fluctibus aras.Eſt enim Virg.1. Aeneid. hic ordo: treis abreptas naues Notus in ſaxa torquet,quæ ſaxa in mediis fluctibus latẽtia Itali aras vocãt.Simile eſt illud in ſacra ſcriptura:Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ,& poſteriora dorſi eius in ſpecie auri.Prius enim hic,vt Auguſtinus ait,quærẽdus eſt ordo verborum, quomodo finiatur ſententia, quæ vtique pendet, & dicitur, Si dormiatis, deinde incertum eſt,vtrũ hæ pẽnæ,an,ô vos pennę,& ad ipſas pẽnas loqui videatur. Vtrum ergo verbis quæ præceſſerũt finitur iſta ſententia,vt ſit,ordo,Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa,ſi dormiatis inter medios cleros ô vos pẽnæ colũbæ deargentatæ:An his quę ſequũtur,vt ordo ſit,Si dormiatis inter medios cleros,pennæ colũbæ deargẽtatæ,niue dealbabuntur in Selmon:id eſt,ipſę pennę dealbabũtur,ſi dormiatis inter medios cleros:vt illos hoc dicere intelligatur,qui ſpeciei domos tã- C quam ſpolia diuiduntur: id eſt, Si dormiatis inter medios cleros,ô vos qui diuidimini ſpeciei domus per manifeſtationem ſpiritus ad vtilitatem, vt alii quidem detur per ſpiritum ſapiẽtia,alii ſermo ſcientiæ ſecundum eundẽ ſpiritum, alii fides,alii genera linguarum,in eodem ſpiritu,&c.Si ergo dormiatis vos inter medios cleros, tunc pennæ colũbæ deargentatæ niue dealbabuntur in Selmõ: poteſt & ſic intelligi. Si vos pẽnæ colũbæ dormiatis inter medios cleros,niue dealbabuntur in Selmõ: vt ſubintelligatur homines,qui per gratiam remiſſionem accipiunt peccatorum. Vnde etiam de ipſa eccleſia in Cantico Canticorum:Quæ eſt iſta,quæ aſcendit dealbata? Promiſſio quippe Dei tenetur per Prophetam dicentem:Si fuerint peccata veſtra tanquam fœnicium,ſicut niuem dealbabo. Poteſt Eſa.1. & ſic intelligi,vt in eo quod dictum eſt:pennę colũbæ deargentatæ,ſubaudiatur eritis:vt iſte ſit ſenſus:Vos qui tãquã ſpolia ſpeciei domus diuidimini,ſi dormiatis inter medios cleros,pennæ columbę deargẽtatę eritis:id eſt, in altiora eleuabimini, ô pagani tũc eccleſiæ cohærẽtes.Nullam quippe aliã melius intelligi puto columbam deargentatam;

A quàm de qua dictum eſt: Vna eſt columba mea: De- Cant.6. argentata eſt autem, quia diuinis eloquiis erudita. Eloquia nanque Domini, alio loco, eloquia caſta dicuntur, Argentum igne examinatum, terra purgatum ſeptuplum. Magnum itaque eſt bonũ, dormire inter medios cleros, quos nonnulli duo teſtamenta eſſe voluerũt, vt dormire ſit inter duos medios cleros, in eorum teſtamẽtorum autoritate requieſcere, vt quando aliquis ex his profertur, & probatur, omnis intentio pacifica quiete finiatur.

Τώρβολὴ eſt dictio fidem excedens, augendi minuendíve cauſa. Augendi: vt, niue candidior:, Minuendi: vt tardior teſtudine. Tale eſt & illud Aqui- Luit.29. Thren.4. lis cœli velociores, leonibus fortiores. Minuendi: vt, Terrebit te ſonitus folii volantis. Et, Nigrata ſuper carbonem facies eorum.

12 Α᾽λληγορεία, eſt tropus quo aliud ſignificatur quàm dicitur: vt,

2.Geor. Et iam tempus equûm fumantia ſoluere colla: hoc eſt carmen finiri. Huic ſimile eſt illud: Leuate Ioan.4. oculos veſtros, & videte regiones quia albæ ſunt iam ad meſſem: Hoc eſt, intelligite, quia populi B ſunt iam parati ad credendum. Huius ſpecies multæ ſunt ex quibus eminent,

Ε᾽ιρωνεία, Α᾽ντίφρασις, Αἴνιγμα, Χαριεντισμὸς, Παροιμία, Σαρκασμὸς, Α᾽στεισμός.

1 Εἰρωνεία, eſt tropus per contrarium quod conatur oſtendens: vt,

Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis
Túque puérque tuus, magnum & memorabile nomẽ, Vna dolo diuûm ſi fœmina victa duorum eſt.

Hanc niſi grauitas pronuntiationis adiuuerit, cõfiteri videbitur quod negare contendit. Huic ſimi- 3. Reg.18. le eſt illud: Clamate voce maiore, Deus eſt enim Baal, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt, aut in itinere, aut dormit, vt excitetur.

2 Αντίφρασις, eſt vnius verbi ironia: vt, bellum, hoc eſt, minimè bellum. Lucus, quòd minimè luceat. Parcę, quòd minimè parcant. Item in ſacra ſcriptu- Matth.26. ra: vt, Amice ad quid veniſti? Inter Ironiam & Antiphraſin hoc diſtat, quod Ironia pronuntiatione ſola indicat quod intelligi vult: Antiphraſis verò, C non voce pronuntiantis ſignificat contrarium, ſed ſuis tamen verbis, quorum origo contraria.

3 Αἴνιγμα. eſt obſcuta ſentẽtia per occultam ſimilitudinem rerum: vt,

Mater me genuit, eadẽ mox gignitur ex me. Cùm ſignificat aquam in glaciem conuerti, & ex eadem rurſus effluere. Tale eſt illud in ſacra ſcriptura: vt Pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in ſpecie auri. Cum ſignificet eloquia ſcripturæ ſpiritualis diuino lumine plena, ſenſum verò eius interiorem maiori cœleſtis ſapientiæ gratia refulgentem, vel certè vitam ſanctæ eccleſiæ pręſentem, virtutem pennis gaudẽtem, futuram autẽ, quę in cœlis eſt, æterna cũ Domino claritate futuram.

4 Χαριεντισμὸς, eſt trop⁹, quo dura dictu gratius proferuntur: vt cùm interrogantibus nobis, num nos quæſierit aliquis, Reſponderetur, Bona fortuna: Exinde intelligitur, neminem nos quæſiſſe. Simile Gen.29. eſt illud: Nónne pro Rachel ſeruiui tibi, quare impoſuiſti mihi? Vno enim verbo iniuriã quã patiebatur grauiſſimam tẽperantius loquẽs ſignificauit.

5 Παροιμία, eſt accommodatum rebus, temporibúſque prouerbium: vt, Aduerſus ſtimulum calces: Et, 2.Pet.2. Lupus eſt in fabula. Huic ſimile eſt illud: Canis re- 2.Reg.10. uerſus ad vomitũ ſuum. Et, Non & Saul inter Prophetas? Quorum vnum cum quemlibet poſt actam A pœnitentiam ad vitia relabi: altero tunc vtimur, cũ indoctum quemque officium docendi adſumere, vel aliud quid artis, quàm nõ didicit, ſibimet vſurpare viderimus. Hic tropus adeò latè patet, vt liber Solomonis, quem nos ſecundum Hebræos Parabolas dicimus, apud Græcos ex eo nomen Parœmiarum, hoc eſt, Prouerbiorum acceperit.

6 Σαρκασμὸς, eſt plena odio, hoſtiliſque irriſio: vt,

En agros, & quam bello Troiane petiſti Virg.10.
Heſperiam metire iacens, hæc præmia qui me.

Et in ſacra autoritate: Alios ſaluos fecit: ſeipſum Matth. 27 non poteſt ſaluum facere: Si rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.

7 Α᾽στεισμὸς, eſt tropus multiplex, numeroſæque virtutis: Nam Α᾽στεισμὸς putatur, quicquid dictum ſimplicitate ruſtica caret, & faceta vrbanitate expolitum eſt: vt illud, Qui Bauium non odit, amet tua Virg.in Buc. carmina Mæui. Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos. Tale eſt & illud: Vtinam abſcindantur Galat.5 qui vos conturbant. Notandum ſanè, quòd allegoria aliquando factis, aliquando verbis tantum- B modo fit: factis quidem, vt ſcriptum eſt: Quoniam Galat.4. Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera, quæ ſunt duo teſtamenta, vt Apoſtolus exponit. Verbis autem ſolummodo: vt, E- Eſa.11. gredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: Quo ſignificatur, de ſtirpe Dauid per virginem Mariam, Dominum Saluatorem fuiſſe naſciturum. Aliquando factis ſimul & verbis vna eadémque res allegoricè ſignificatur. Factis quidem: vt Vendiderunt Ioſeph Iſmaelitis xxx. Gen.37. argenteis. Verbis: vt, Appenderũt mercedem meã Zach.11. xxx. argenteis. Item factis: vt, Stat autem Dauid ru- 1. Reg.16. fus, & pulcher aſpectu, & vnxit eum Samuel in medio fratrũ ſuorum. Verbis: vt, Dilectus meus candi- Can.4. dus, & rubicũdus, electus, ex millibus: quod vtrunque myſticè ſignificat Mediatorẽ Dei & hominũ, decorũ quidẽ ſapientia & virtute, ſed ſui fuiſſe ſan- Pſal.44. guinis effuſione roſeũ, eundémque vnctũ à Deo C Patre oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis. Item allegoria verbi ſiue operis, aliquando hiſtoricam rem, aliquando typicam, aliquando tropologicam, id eſt, moralem, rationalem, aliquãdo anagogen, hoc eſt ſenſum ad ſuperiora ducentem, figuratè denunciat. Per hiſtoricam nanque hiſtoria figuratur, cũ factura primorum ſex ſiue ſeptem dierum, totidem computatur ætatibus ver verbum. Dum hoc Gen.43. quod dicit Iacob Patriarcha Catulus leonis Iuda ad prædam fili mi aſcendiſti, & cætera, de regno ac victoriis Dauid intelliguntur. Per verbum, ſpiritualis de Chriſto, ſiue eccleſia ſenſus, cum idem ſermo Patriarchæ de Dominica paſsione, ac reſurſurrectione fideliter accipitur. Item allegoria facta, tropologicam, hoc eſt, moralem perfectionẽ Gen.49. deſignat: vt, Tunica talaris & polymita, quam Iacob Patriarcha filio ſuo Ioſeph fecit, variarum virtutum gratiã, qua nos Deus Pater vſque ad terminum vitæ noſtræ ſemper iudui præcipit & donat, inſinuat. Allegoria verbi eandem morũ perfectionem ſignificat: vt, Sint lumbi veſtri pręcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Allegoria facti, anagogicum, hoc eſt, ad ſuperiora ducentẽ ſenſum exprimit: vt, Septimus ab Adam Enoch tranſlatus eſt de mundo, Sabbathum futuræ beatitudinis, quę poſt opera bona ſeculi huius, quę ſex ætatibus peragitur, electis in finẽ ſeruatur, figuratè præſignat.

A Allegoria verbi, eadem vitæ cœlestis gaudium demonstrat: vt, Mat.24. Vbicunque fuerit corpus, illic cõgregabuntur & æquilæ. Quia vbi Mediator Dei & hominum eſt corpore, ibi nimirum & nunc ſubleuatæ ad cœlos animæ, & celebrata gloria resurrectionis, colligentur corpora iuſtorum. Nonnunquã in vna eadémque re vel verbo, hiſtoria ſimul & myſticus de Chriſto vel eccleſia ſenſus, & tropologia, & anagoge figuraliter intimatur: vt, Ioan.2. Templum Domini: Iuxta hiſtoriam, Domus quam ędificauit Solomon: Iuxta allegoriam, Corpus Dominicum de quo ait: Soluite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Siue eccleſia eius cui di-1.Cor.3. citur: Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Per tropologiam, quiſque fidelium, quibus dicitur: An neſcitis, quia corpora veſtra templũ ſunt ſpiritus ſancti, qui in vobis eſt? Per anagogen, ſuperni gaudij mãſiones, cui adſpirabat qui ait: Beati Pſal.83. Pſal.144. qui habitant in domo tua, in ſeculum ſeculi laudabunt te. Simili modo quod dicitur, Lauda Hieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Siõ: Quoniã B confortauit ſeras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te: De ciuibus terrenæ Hieruſalem, de eccleſia Chriſti, de anima quóque electa, de patria cœleſti iuxta hiſtoriam, iuxta allegoriam, iuxta tropologiã, iuxta anagogen, rectè poteſt accipi. Iuxta allegoriam, de eccleſia diximus, ſequentes exemplũ doctiſsimi tractatoris Gregorii, qui in libris Moralibus ea quæ de Chriſto ſiue eccleſia per figuram dicta, ſiue facta interpretabatur, allegoriã propriè nuncupare ſolebat.

13 Ὁμοίωσις, eſt minus notæ rei, per ſimilitudinem eius, quæ magis nota eſt, demonſtratio: huius ſpecies ſunt tres, Εἴκων, παραβολὴ, παράδειγμα. A

14 Εἰκων eſt perſonarum inter ſe vel eorum quæ perſonis accidũt, comparatio: vt, Os humeróſque Deo ſimilis. Simile eſt illud in ſacra ſcriptura: vt, vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre. Et, Neque nubent, neque ducent vxores, Ioan.1. Mat.22. neque enim vltra mori poterunt, ęquales enim angelis erunt.

2. παραβολὴ, eſt rerum genere diſsimilium comparatio: vt,

Qualis mugitus, fugit cum ſaucius aram
Taurus, & incertam excuſsit ceruice ſecurim,

Simile eſt & illud: Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, Mat.13. Et, Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. Ioan.3.

3 παράδειγμα, eſt præpoſitio, ſiue enarratio exẽpli hortantis aut deterrentis: Hortantis, vt,

Antenor potuit mediis elapſus Achiuis
Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus,

Deterrentis: vt:

At non ſic Phrygius penetrat Lacedæmona paſtor, B
Ledæámque Helenam Troianas vexit ad vrbes,

Simile eſt & illud: Exhortantis: vt, Helias, homo Iaco.3. erat ſimilis nobis, paſsibilis? & orationem orauit vt non plueret ſuper terram, & non pluit annis tri-Matt.6. bus, & menſibus ſex. Et, Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Deterrentis: vt, In illa hora qui fuerit in tecto, Mat.24. & vaſa eius in domo, non deſcendat tollere illa: & qui in agro, ſimiliter non redeat retro. Memores Luc.17. eſtote vxoris Loth.

C L. D. C

IN D. PAVLI PRIOREM EPISTOLAM AD TIMOTHEVM COMMENTARIVS.

IN QVO NON SOLVM IPSIVS EPISTOLAE DOCTRINA, & artificium ſingulorúmque argumentorum loci explicantur: ſed etiam vera Diſciplinæ Eccleſiaſticæ forma, tum ex Dei verbo, atque ex ipſo Paulo, tum ex veteribus ſynodis repetita atque reſtituta eſt, vt legitima & Apoſtolica regendæ Dei Eccleſiæ ratio & norma hodie in vſum reuocari poſsit.

AD LECTOREM.

Quod ſæpius, Lector optime, iuris Pontificij canones, & Gratiani Decretum citauimus, ea ſolùm mente fecimus, vt ex his tanquam ex quadam illius temporis hiſtoria, quæ veteris Diſciplinæ Eccleſiaſticę veſtigia tunc adhuc (& ſi tamen corruptioribus iam Eccleſiæ temporibus) reſtarent, intelligatur: non vt ex iſtis ſcriptoribus quicquam dubium & anceps decidatur. Nam etiam ex hoc ipſo perſpicient omnes, quantùm poſteriori ætate Romana Eccleſia etiam ab eo tantillo (quod veteris diſciplinæ reliquum erat) diſceſſerit: & in quàm miſeram horribilémque tyrannidem & confuſionem iam, iuſto Dei iudicio, inciderit, vt ab ea nos ſummo Dei Optimi Maximi beneficio liberatos eſſe lætemur, Deóque ipſi perpetuò gratias agamus.

ILLVSTRISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. GVLIELMO PRINCIPI AVRAICO Comiti Naſſæuæo &c. Chriſti gloriæ aſſertori in Hollandia & Zelandia fortiſsimo, Gratiam & pacem à Domino.

Vetus eſt illud, Princeps Illuſtriſsime, etiam ab Ariſtotele vſurpatum, Nihil eſſe in ipſa rerum vniuerſitate pulchrius ordine. Quid enim vel oculis iucundum, vel menti etiam ipſi & animo hominis gratum obuerſari poteſt, quod ſit confuſum, & nulla partium apta ſeparatione diſtinctum? Certè quocunque non tantùm oculos, ſed omnes animi ſenſus conuerterimus, ſi quæ in eos incurrunt, neque ordine digeſta, neque apto ſitu inter ſe cohærentia, neque conuenienti loco & modo collocata nobis apparebunt: ea neque vtilitatem, neque venuſtatem aliquā habere ſtatim pronuntiabimus, tātúmque ab illis oculorum, animíque intuitum auertemus, quantum ea nos ad ſe rapiunt, quæ commoda, propriáque ratione, & diſpoſitione diſtinguūtur. Hoc in Regno, hoc in Rep. hoc in oppidis, hoc in pagis, hoc in priuatorū ædibus, hoc in hortis, & cultis ſedibus, hoc in ſolitudine, hoc in rebus quæ natura gignuntur, hoc in artificiis quæ hominum induſtria efficiuntur, verum eſſe ipſa rerum experientia, & publica mortalium omnium, non tantùm piorum, ſed etiam profanorū hominū vóx teſtatur. denique Mundus ipſe, pulcherrimum Dei opus, ab ordine κόσμος nominatur. Quò magis deteſtanda eſt B *eorum ſententia, qui rerum confuſione non tantum apud ſe delectantur: ſed omnia publica priuatáque euertere, & perturbationem (iuſto ordine ſublato) in res omnes inducere conantur, quos homines ἀτάκτοις & ἀναρχικοὺς, tanquam monſtra, & generis humani ἀλάστορας, iam pridē veteres appellarunt. Cæterum ſi qua in re alia ordinis obſeruatio diligens non tantum vtilis, ſed etiam omnino neceſſaria eſt, maximè in Eccleſia Dei locum habere ex Pauli Apoſtoli præcepto debet. Eſt enim Eccleſia domus Dei, id eſt ſummi illius regum Regis, in qua idcirco omnia circunſpectè, aptè, decenter, &, vt Paulus ipſe loquitur, εὐσχημόνως ϗ κατὰ τάξιν fieri oportet: nihil autem confuſè, & perturbatè, ne ex iſta domus turpitudine ad ipſum patrem familiàs, id eſt, ad Deum optimum Maximum aliqua labes quodammodo redundet. Itaque ipſe eadem benignitate qua in ſacratiſsimo ſuo verbo omnia, quæ ſunt ad ſalutem æternam, ipſiúſque Eccleſiæ ſuæ fundamentum neceſſaria, præſcripſit: ita etiam quæ ſunt ad eiuſdem Eccleſiæ ordinem, & ornamentum vtilia, demonſtrauit, ne qua deeſſet pars ad veræ Eccleſiæ conſtitutionem neceſſaria, quam non ab ipſius ore & verbo abundè diſceremus. Vt verò hæ præceptiones, quæ Eccleſiæ neceſſarium ordinem continent etiam nomine ipſo ab iis diſtinguerētur, quæ doctrinam fidei complectuntur, generaliter diſciplinæ Eccleſiaſticæ vocabulo vulgò ſunt appellatæ. Quemadmodum enim ea verbi Dei pars, & ea veritatis cognitio, quæ quid de Deo Patre, de Chriſto, eiuſque naturis & officio, de Spiritu Sancto, de cauſis noſtræ iuſtificationis, de vita æterna, nobis credendum ſit, oſtendit oſſa & neruos ipſámque adeò veræ Eccleſiæ, tanquam corporis ὕλην, & conſtitutionem continet & ædificat. Sic illa eiuſdem verbi Dei pars, quæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ præcepta tradit, huius Eccleſiæ, velut corporis iam ſuis membris conſtantis, ſed nudi veſtimentum, cultum, & ornamentum cōpingit & conſarcinat, quò decorè veſtiri poſsit, vt ex eo quanta ſit vtriuſque, id eſt, doctrinæ & diſciplinæ Eccleſiæ inter ſe conſenſio coniunctióque, ſatis iam intelligi poſsit. Erit enim cœtus hominum,* C *eorum qui puram Dei prædicationem amplexi ſunt, velut nudum quoddam, & ſuis ornamentis carens, & deſtitutum corpus, niſi diſciplinam Eccleſiaſticam ad veritatis lucem & profeſsionem adiunxerit. Denique illa eadem diſciplina rectè cuſtos ipſius fidei doctrinæ, mater virtutum, vinculum honeſtatis, neruus ſocietatis Chriſtianæ à Patribus Eccleſiaſticis appellatur: cuius certè tanta vis eſt, vt ſola illud conciliet Eccleſiæ, quod decorum, venuſtatem, ſplendorem, & ornamentum appellamus, adeóque ſpecioſam eam reddat, vt ab hæreticis (qui iſtius diſciplinæ fuerunt ſemper hoſtes maximi & infeſtiſsimi) inuidioſo nomine lenocinium, vt ait Tertull. Eccleſiaſtica diſciplina diceretur. Cùm ſit igitur hæc diſciplina illa iuſtitiæ pars & regula, per quam externus ordo, & totius Eccleſiæ legitima adminiſtratio præſcripta eſt, quis eam ſpernendam negligendámve vnquam exiſtimauerit? Cuius inſtitutio non tantùm ſub nouo Teſtamento fieri cœpta eſt: ſed etiam in lege veteri à Deo ipſo iam olim tradita fuit, vt in libello de Politia Iudaica doctiſsimè iam pridē docuit Cornelius Bertramus Hebraicæ linguæ profeſſor eruditiſsimus, & collega meus. Quid enim aliud ſibi volūt illa Dei præcepta, quæ Leuiticam tribum à reliquis diſtinguunt vt ex ea ſola miniſtri templi eligantur: quæ in ipſa tribu Leuitica iura Sacerdotum & Leuitarum diſcernunt, quæ quanta ſummi Sacerdotis, quanta aliorum ſit poteſtas deſcribunt? quæ qui ritus cuique ſacrificiorum generi, quæ libamina, quæ oblatio ſit neceſſaria definiunt? denique tota ipſa lex ceremonialis vetus à Deo ipſo dictata, quid aliud, obſecro, eſt, quàm ampliſsima & luculentiſsima diſciplinæ Eccleſiaſticæ deſcriptio, non tantum autem quædam*

illius

A illius delineatio? Nec verò minus benignè Deus per Apoſtolos ſub nouo teſtamẽto eandẽ diſciplinã nobis inſtituit, vel potius colapſam inſtaurauit & reſtituit: vt pote omnino ad rectè conſtituẽdam regendámque ſuam Eccleſiam neceſſariam, quàm ſub veteri deſcripſerat. Id quod cùm ex variis aliis noui Teſtamenti locis apparet: tum maximè ex libro Actorum, ex prima Pauli epiſtola ad Corinthios, ex hac ad Timotheum, & vna illa, quæ eſt ad Titum ſcripta: in quibus omnibus quicquid ad legitimam Eccleſiæ gubernationem, & diſciplinam Eccleſiaſticam maximè pertinet, ſiue totam ipſam Eccleſiam, ſiue priuatos regendos ſpectes, illud inquam totum accuratè & copioſè deſcriptum eſt. Vnde mirum & abſurdum ſæpe mihi videri ſolet, quòd tot poſtea canones, tot ſynodorum decreta, tot Eccleſiæ conſtitutiones, tum generales, tum particulares ad conſtituendam diſciplinam Eccleſiaſticam fuerunt conſcriptæ. Quid enim his fuit opus? Sed magno contemptu & ignorantia eorum præceptorũ, quæ ab Apoſtolis ipſis, id eſt, à Dei ſpiritu antea tradita fuerant id certè factum fuit, quòd hæc diuina præcepta ſpernerent homines, vt ſua commenta, vt traditiones, ſæpe etiam ineptiſſimas, ac diſciplinæ ipſo Dei verbo præſcriptæ contrarias in Eccleſiam Dei inueherent. Quid igitur, dicet quis, éſtne verbo Dei, & in nouo Teſtamento diſciplina hæc Eccleſiaſtica tam accuratè tradita, vt nihil iam addi poſſit, aut ea authoritate cõſtituta, vt ab ea ſine piaculo, diſcedi non debeat? Certè vt huic quæſtioni ſatisfaciam, diſtinguendum dico. Sunt enim plures iſtius Eccleſiaſticæ diſciplinæ partes, quarum alia generalem tantum Eccleſiæ (qnacunque orbis terrarum parte eſſe poteſt) & fundandæ & retinendæ, & regendæ modum continet, & deſcribit, veluti in Dei Eccleſia vocem Domini noſtri Ieſu Chriſti audiendam eſſe eámque ſolam: Sacramenta piis tantùm & fidelibus danda eſſe &c. huiuſmodi, quæ B generaliter ſunt conſeruandæ Eccleſiæ præcepta. Alia magis particulares illius adminiſtrãdæ normas & præcepta tradit & perſequitur. Hæc verò poſterior diſciplinæ Eccleſiaſticæ pars hæc 4. capita complecti videtur: nempe, 1. Perſonarum, quæ ad Eccleſiaſticum aliquod munus vocandæ ſunt, electionẽ, 2. Muneris & officij perſonarum iam electarum deſcriptionem, 3. Cenſuræ, morumque correctionis, quæ tum in conſiſtorio tum extra conſiſtorium fieri & applicari ſingulis debet, rationem. 4. Eorum qui cenſura Eccleſiaſtica affecti ſunt, & Eccleſiæ iudicio abſtent, vel excommunicati dicuntur, cum eadem Eccleſia reconciliationem. Cùm igitur de hoc quærimus, vtrum omnium horum capitũ ſingula ſic præcepta tradita ſint, vt his nihil addi poſſit, reſpondeo, in quaque re quædam eſſe οὐσιώδη, quædam verò συμβεβηκότα. Sunt οὐσιώδη, id eſt eſſentialia, quæ rei ipſius vel tota natura ſunt, aut illius pars: veluti in hoc ipſo argumento, Si quis neget in paſtorum aut eligendorum vocatione legitima eorum vitam & doctrinam examinandam, vel approbationem à populo expectandam eſſe, ille ea negat, quæ ſunt Electionis legitimæ οὐσιώδη. Si quis item hoc examen non ab Eccleſia, non à pluribus, ſed ab vno quopiã ſolo fieri & mero vnius arbitratu ſtare debere doceat, is οὐσιώδη electionis tollit. Sed ſi quis hoc vel illo loco, hoc vel illo tempore, hoc vel illo modo examen à pluribus fieri debere diſputet, is περὶ συμβεβηκότων tantùm diſputat, veluti, exempli gratia, vetus electio & examẽ paſtorum olim à tribus viciniorībus epiſcopis ſeu paſtoribus conuocatis cum presbyterio & Eccleſia (cui dandus erat Paſtor) fiebat: item in metropolitana tantum vrbe, certo tempore, nempe ieiunij publici tẽpore. Denique manuum eleuatione (quæ χειροτονία dicebatur) non ſolo conſenſu populi, aut ſolo vocis ſuffragio. ſanè iſta omnia ſunt accidẽtaria, non eſſentialia in electione. Sic igitur ſtatuimus, quæ verbo Dei fieri & obſeruari ad regendam Eccleſiam iubentur, ſiue illa de perſonis eligendis, ſiue de iam electarum munere, ſiue de reliquis diſciplinæ Eccleſiaſticæ capitibus agant, illa, inquam, eſſe οὐσιώδη. Quæ autem in quaque vel prouincia, vel Eccleſia ad hæc ipſa præſtanda, & ad praxin deducenda commodiora iudicantur, & C conſtituuntur, ea eſſe συμβεβηκότα quædam, veluti vt hoc potius quàm illo tempore fiat verbi Dei concio: hoc potius quàm illo presbyterorum vel diaconorum numero contenta ſit hæc Eccleſia, hoc eſt C συμβεβηκὸς miniméque οὐσιῶδες. Iam igitur ad quæſtionem propoſitam ex hac diſtinctione ſic reſpondemus, vt quæ ſunt diſciplinæ Eccleſiaſticæ οὐσιώδη augeri minuíve nouis præceptionibus vel conſtitutionibus hominum poſſe negemus: quæ ſunt autem συμβεβηκότα, & augeri & minui & temperari à quaque non tantùm prouincia, ſed etiam cœtu & Eccleſia pro ſua vel commoditate vel incommoditatē poſſe: pro varia denique locorum, rerum, temporum, & perſonarum circunſtantia concedamus. Eodémque modo reſpondemus ad alteram illam quorundam petitionem, in qua quærunt vtrum Eccleſia à couſtituta ſemel per Apoſtolos diſciplina recedere poſſit, ac vtrum ſit vna & eadem diſciplinæ Eccleſiaſticæ in omnibus Euangelicis Eccleſiis forma retinenda? Nam ſi de eſſentialibus diſciplinæ Eccleſiaſticæ agunt, dicimus illa ab omnibus Eccleſiis æqualiter eadémque eſſe & ſeruanda & retinenda, veluti vt ſit regimen Eccleſiæ non Monarchicum, ſed Ariſtocraticum: vt ſit in quaque Eccleſia ſenatus & cœtus aliquis Presbyterorum ab Eccleſia electorum, ſine quo nemo vel Paſtor, vel alius quiſquam negotia Eccleſiæ gerat: ſit aliqua ſcelerum & morum vitioſorum cenſura, eáque non vnius alicuius arbitratu, ſed ἡγουμένων, & vt ait Hiero. Presbyterorũ, æſtimatione & iudicio fiat: ſit denique excommunicatio, non ex quorundam Iuriſconſultorũ & pragmaticorũ, ſed ex Dei verbo iudicãtium

A hominũ ſenſu & iudicio, lata in non pœnitentẽ, approbante & collecta Eccleſia. Itaque οὐσίαν diſciplinæ Eccleſiaſticæ in omnibus Eccleſiis reformatis & Euãgelicis eãdẽ eſſe oportere ingenuè, & apertè reſpondemus. Sin autẽ de externis & accidentalibus huic diſciplinæ rebus quæritur, in quibus cõmoditas incommoditáſque praxeως, vſus, & executionis diſciplinæ iſtius verſatur, dicimus illas variari poſſe, atque etiam ſæpe oportere propter diuerſam diuerſorum temporum, rerum, & perſonarũ rationem: nedum vt loci & regiones diuerſæ eandem ſemper diſciplinæ formam patiantur, aut requirant. Itaque quæ hoc loco, & in his regionibus commodè geruntur (vti in Gallia Cœnæ Dominicæ adminiſtratio per ſingula anni quadrimeſtria) in aliis fortaſſe regionibus commodè iiſdem temporibus nõ fierent aut celebrarentur. Sic in aliqua Eccleſia excommunicatio ex ſcripto fiet, in alia verò potius ore ipſo Paſtoris pronũtiabitur. Sic in hac Eccleſia eius qui poſt profeſſionẽ Chriſti fuit idololatra & trãſfuga, poſteáque ad Eccleſiam rediit, confeſſio die tantum dominica fiet, in illa quotidie: hic ex ſcripto, alibi ore ipſius pœnitentis. Hæc igitur omnia diuerſam formam habere poſſunt, modò tamen coercitio morum, agnitio culpæ, ſeparatio hædorum ab agnis in domo Domini ſemper retineatur, fiátque quod fieri præcipit Deus. Denique modò ſit Eccleſia & Dei domus εὔτακτος, non autem ſentina improborum, ſed rectè adminiſtrata familia. Subſtantia igitur diſciplinæ vbique in Eccleſiis Dei eadem eſſe debet: accidens autem illius mutari poteſt. Ergo diligenter quid eſſentiale, quid accidentale, ſit, diſtinguendum eſſe reſpondemus. Porro nemini, ac ne quidem ipſi ſummo magiſtratui, vel Eccleſiæ toti concedendum arbitramur, vt illa, quæ ſunt οὐσιώδη diſciplinæ Eccleſiaſticæ, tollere, vel immutare poſſit. Etſi enim in rebus politicis Rex, ſummúſque magiſtratus nouas leges ferre, & veteres abrogare B iure poteſtatis ſibi à Deo conceſſæ poteſt, in diſciplinæ tamen Eccleſiaſticæ fundamento vel veteri, & à Deo iam poſito tollendo: vel nouo reperiendo conſtituendóque idem ius non habet. Cuius rei hæc ratio eſt, & quidem manifeſtiſſima, quòd cùm diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſcopus & finis hic ſit, primùm vt Paſtores, & qui Eccleſiæ Dei præeſſe debent legitimã vocationem habeant. Poſtea vt hominũ conſcientiæ gubernentur, & ad pœnitentiam conuerſionémque ad Deum adducantur, ad ſolum Deum diſciplinæ Eccleſiaſticæ definitio legiſlatióque ſanè quidem pertineat neceſſe eſt, quia iſte ſolus Eccleſiæ, & cœtus iſtius Rex eſt, dominus, moderator & legiſlator, idémque ſolus conſcientiarum noſtrarum legitimus gubernator, arbiter, atque rector. Itaque ſolus ille poteſt leges, tum legitimæ vocationis eorum, qui in ſua domo præeſſe debent, præſcribere: tum etiam mouendæ hominum conſcientiæ, ingignendæque pœnitentiæ modum nobis demonſtrare. In quibus duobus capitibus laus & vis ſumma vniuerſæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quemadmodum diximus, finíſque poſitus eſt. De quibus rebus leges alias, & ab ijs, quas Chriſtus præſcripſit, diuerſas ferre neque Reges vlli, ac ne vniuerſa quidem ipſa Dei Eccleſia (quæ eſt in his terris) poteſt. Nam & ipſa eccleſia eſt duntaxat ſerua Dei, & non domina, & reges quoque ipſi ſunt in hoc cœtu membra tantùm non caput: membra quidem honorabilia, non tamen ſic membra, vt in hoc cœtu regendo imperent pro ſuo arbitratu, ſed tantùm vt Dei mandata à pijs & inter pios obſeruari ſedulò curent. Vocationum enim eccleſiaſticarum, & conſcientiarum noſtrarum proculdubio ſolus Deus & ſcrutator & gubernator & Rex & autor eſſe debet & poteſt. Itaque cùm hominum conſcientias immutare, inflectere, ad Deum adducere, huius diſciplinæ eccleſiaſticæ propoſitũ ſit & finis, quomodo, quáve via id fieri rectè poſſit, à nemine, præterquàm ab vno Deo præſcribi, definiríve poteſt, quia ſolus ille eas fabricatus eſt: ſolus quomodo eæ regendæ, fle- C ctendæ, ac immutandæ ſint, nouit, ſolus earum dominus eſt, Ipſius enim ſolius templa & ſedes ſunt noſtræ conſcientiæ. Vnde velle ab alio, & mortali quidem homine, leges inflectendæ, & conuertendæ noſtræ conſcientiæ præter Dei verbum habere, eſt hallucinari velle, eſt operam perdere, eſt ſummam iniuriam Deo (qui ſibi vni hoc totum ius reſeruauit) inferre. Poſſunt igitur Reges, regúmque conſiliarij, viri prudentes, leges de publica inter ipſos ciues pace tuenda dictare & commentari: leges autem de conſcientiæ hominum regendæ, aut inflectendæ ratione & modo (præter eas, quæ Dei verbo præſcriptæ ſunt) nouas cogitare & comminiſci, denique de legitima eorum qui eccleſiam (id eſt domum Dei, non ipſorum regum) gubernant, vocatione præter Dei .i. ipſius Domini domus, voluntatem leges inquam & regulas condere & ſancire certè quidem illi nullo iure poſſunt. Ac, vti dixi, nec Eccleſia quidem ipſa vniuerſa & collecta in Oecumenicis, quæ vocant, concilijs hoc quoque poteſt: adeo vt mera fuerit tyrannis, & in ius ipſum Dei inuaſio improbiſſima quicquid Synodi illæ Oecumenicæ contra præſcriptam verbo Dei diſciplinæ Eccleſiaſticæ οὐσίαν induxerunt & ſanciuerunt: quanquam ſe aliquid melius & ſanctius moliri exiſtimarent. Quod verum eſſe, vel ipſa Eccleſiæ confuſio, ruináque, quæ inde conſecuta eſt, manifeſtè declarat. Nam ſi illa Apoſtolicis ſcriptis præſcripta diſciplina retenta fuiſſet, nunquam in eam perturbationem Eccleſia incidiſſet, à qua miſerrimè tandem peſſundata eſt. Quid igitur, damnamúſne omnes eas Euangelicas Eccleſias in quibus vel nulla diſciplina Eccleſiaſtica omnino obſeruatur, vel Apoſtolica non retinetur: ſed in quibus ea vel corrupta eſt: vel etiam alia pro vera ſubſtituta? Ad hãc odioſam quidẽ quæſtionẽ, & quæ tamẽ ſæpe nobis

obijci-

A *obijcitur, ingenuè quidem, ſed tamen placidè & modeſtè reſpõdemus. Nos propter carentiã & ἀπουσίαν diſciplinæ Eccleſiaſticæ minimè damnare Eccleſias & cœtus illos hominum, in quibus vera puráque Euangelij Chriſti prædicatio retinetur, ſummota omni idololatria: ergo non diffitemur & eas etiam veras eſſe Dei Eccleſias. Vnica enim eſt, eáque fundamentalis veræ Eccleſiæ nota in his terris, pura nimirum verbi Dei prædicatio à legitimo paſtore facta, quæ vbicunque eſt, illic quoque eſt Grex Domini, iuxta illud Chriſti, Oues meæ vocem meam audiunt: etſi ab eo cœtu ſæpe Sacramentorum adminiſtratio, ſæpe etiam morum correctio, Eccleſiaſticæq́ diſciplinæ vſus & praxis exulat, atque abeſt. Quod enim hæ duæ poſteriores notæ, tanquam neceſſariæ, ad veræ Eccleſiæ deſignationẽ à nonnullis pronuntiantur, oſtendunt illi tantùm, quid quantúmque requiratur, vt omnibus ſuis numeris abſoluta ſit veræ Eccleſiæ facies. non autem illud volunt, omninò Dei Eccleſiam dici eum cœtum non poſſe, in quo purè & verè verbum diuinum prædicatur, ſi nulla ſit diſciplinæ Eccleſiaſticæ praxis. Sunt igitur huiuſmodi Eccleſiæ quidem, ſed non omnibus ſuis partibus & numeris abſolutæ: quin potius claudicantes. Sic ille à nobis dicitur homo, cui brachium vtrunque abſciſſum eſt, ſi modò idem ille ratiocinatur. Sed hoc conari, hoc ſtudere, hoc efficere omnibus modis debent illæ Eccleſiæ, quæ ſummo Dei beneficio idololatriam abiecerunt, verum Dei verbum & vitæ æternæ fundamentum receperunt, & adhuc tamen iſta diſciplina carent, vt hoc tam præclarum ornamentum. i. diſciplinam hanc Eccleſiaſticam (qualis ab Apoſtolis præſcripta eſt) ad corpus illud Eccleſiæ ſuæ adiungant, & addant, vt non modò neruos & oſſa Eccleſiæ habeant, ſed etiam vt ſanguinem, colorem, venuſtatem, vires denique Eccleſiæ integras retineant. Attendendum eſt enim diligenter ad illud Spiritus ſancti dictum,* rectas faciendas eſſe vias noſtras, ne quod claudicat tandem prorſus abducatur à via. B *Nam ſiquæ neceſſaria ſunt per incuriam in Dei Eccleſia negligantur, temporis ſucceſſu illa penitus à Deo tandem abalienatur. Quia verò hæc diſciplina maximè hac Pauli Epiſtola, quæ prior eſt ad Timotheum, eſt explicata, idcirco eam potiſſimum delegi, in cuius interpretatione meam de toto hoc argumento ſententiam breuiter, more meo, exponerem. Scripſerunt in hanc ipſam Pauli Epiſtolam varii, tum veteres, tum recentiores interpretes, eruditi illi quidem: ſed qui ſe in hoc de diſciplinæ Eccleſiaſticæ argumento maximè oſtentare voluerit fuit Claudius Spenſæus. Is enim præter magnos in ipſum Pauli contextum commentarios, etiam tres libros Digreſſionum, quas appellat, & ipſos quoque prolixos edidit in hanc Pauli Epiſtolam. Tantum autem abeſt, vt, meo quidem iudicio, quiſquam iis adiuuari poſſit, vt nihil ſit & ſcriptore iſto obſcurius: & illius diſputationibus perplexis magis perturbatum atque confuſum. Sunt enim iſti ſcholaſtici, è quorum numero fuiit Spenſæus, iuſto Dei iudicio occæcati: & tam tenebriones, vt in pleriſque ne ſeipſos quidem intelligant, quia ſunt in tenebris & mataologia educati. Certè cum in eos commentarios incidiſſem, nihílque in iis proficerem, maturè ab iſtis digreſſionibus & errore ad ipſum Paulum & verum iter redii, fecíque illud, quod habet prouerbium vetus, bibi & fugi. Quantum autem hoc meo labore ipſe ſim conſecutus, & rem cæteroquin propter temporis vetuſtatem, diutúrnamque deſuetudinem, iam obſoletam ac difficilem illuſtrarim, aliorum eſto iudicium: certè magnis laboribus & lucubrationibus hæc vetuſtatis rudera nobis eruenda fuerunt. Precor autem Dominum Deum vt hos meos labores Eccleſiæ ſuæ vtiles, piiſque viris ſuaues eſſe velit. T. verò E. Princeps Illuſtriſ. cui eos animo demiſſiſſimo ac lubentiſſimo dono dicóque, ſi probabuntur, certè operæ meæ rectè collocatæ fructum hunc maximum iam ero conſecutus. Quamobrem autem hoc, quicquid eſt operæ meæ, T. E. dedicarem cùm variæ & multæ ſunt, eæq́ graues cauſæ,* C *tum hoc imprimis, quòd cum ſummo Dei Optimi Maximi beneficio, tuáque illa plus heroica virtute & conſtantia Zelandiæ & Hollandiæ, totiúſque illius tractus Eccleſiæ Dei pace recreentur, nihil vel ad eas iam præclarè inſtituendas: vel quæ erunt conſtitutæ retinendas hac diſputatione aptius atque vtilius, addo etiam magis neceſſarium eſſe exiſtimem. Quemadmodum enim Eccleſiaſticæ diſciplinæ contemptus, atque prætermiſſio magnas in Eccleſiam ruinas ſemper induxit: ita diligens illius obſeruatio & ad Apoſtolicam normam reuocatio, non tantum cæleſtem ipſam doctrinam ſartam tectam, purámque inter mortales conſeruauit, ſed etiam mores ipſos hominum nomen Chriſti profitentium, ſi qua in parte ad vitia delabebantur ad meliorem frugem conuertit, & in Dei metu officióque continuit: eſt denique hæc eadem aduerſus enaſcentes hæreſes ſepes & munimentum validiſſimum, aduerſus iam natas & infeliciſſimè pullulantes, tamquam aduerſus magica venena, remedium præſentiſſimum. Quanquam autem T. E. doctiſſimorum virorum, imprimis autem generoſiſſimi præſtantiſſimique illius viri Ph. Marnixij Domini montis Sancti Aldegondij, & fideliſſimi verbi Dei Miniſtri Taffini, (à quibus hæc iſta diſcet) eruditiſſimis ſermonibus non caret, hæc tamen in commune veſtrarum Eccleſiarum commodum, tanquam ſymbolum, & ipſe pro virili volui conferre, vt illæ intelligant quantum T. E. & illis ipſis bene ex animo velim, ac feliciſſima atque optima quæque à Deo ardentibus votis exoptem. Tuæ verò virtuti, Princeps Illuſtriſſime, quid non debeatur, cùm ab omnibus fidelibus & Chriſtianis viris, tum verò à noſtris Gallis, quorũ ſalus & incolumitas ſemper ſum-*

mæ curæ fuit tibi, fratríque tuo Illuſtriſſ. Comiti Ludouico? cuius felix memoria nunquam caneſcet, ac ne ſeclis quidem innumerabilibus, cuius vtriuſq; & armis & prudentia Eccleſiæ Gallicanæ ab aduerſariorum atrociſſimis iniuriis contra leges patrias, morémque maiorum illatis tandiu ſunt defenſæ: denique cùm tua ſit hodie in orbe terrarum gloria, tantáque rerum pro Dei gloria aſſerenda geſtarũ laus, vt parem tibi támque conſtantem Principem nulla adhuc hominum ætas viderit. Tu Prouinciã tibi commiſſam ab Hiſpanorum ac extraneorũ tyrannide eripuiſti, tu Belgium inteſtinis morbis profligatum ac iam deploratum inexpectata ratione & medicina ſanaſti, ac in iura maiorum priſtinúmque ſplendorem reſtituiſti. Tu hoſtibus id triumphum iam canentibus fugam inieciſti, & victor ipſe triumphatórque Chriſti vexilla præferens rediiſti. Tu pietatis aſſertor, tu Iuſtitiæ publicæque ſalutis vindex fortiſſimus ore omnium mortaliũ celebraris, adeò quidem, vt qui tanta, támque præclara & pro Domini noſtri Ieſu Chriſti regno amplificãdo & pro patria libertate tutãda bene geris, tu quoq; bene inter omnes mortales mereris audire. Βροτοῖς γὰρ, *ait Euripid.* χρηστὰ πράγματα χρηστῶν ἀφορμὰς ἐνδίδωσ' ἀεὶ λόγων. *Ego verò Princeps Clementiſſ. cùm tot admirandas virtutes tuas commendari vbique gentiũ intelligam, & hoc quoque in T. E. obſeruantiæ teſtimonium & tuarum laudum prædicationis conatum & ſymbolum extare volui. quod vt grato benignóque animo T. E accipiat obnixè precor. Dominus Deus ſolus, Æternus, Sapiens, Bonus, Iuſtus, Miſericors, te velut alterum Danielem, Spiritu ſuo corroboret ac confirmet, & ad Eccleſiæ ſuæ præſidiũ diutiſſimè feliciſſiméque nobis, & toti Belgio incolumem conſeruet. Geneuæ Kal. Auguſti Anno temporis vltimi,* CIↃ IↃ LXXVII.

T. E. Addictiſſimus

Lambertus Danæus.

IN D. PAVLI APOSTOLI PRIOREM AD TIMOTHEVM EPISTOLAM.

L. Danæi Commentarius.

CAP. PRIMVM.

PAVLVS Apoſtolus Ieſu Chriſti ex ordinatione Dei ſeruatoris noſtri, & Domini Ieſu Chriſti, ſpei noſtræ.

Paulinarum Epiſtolarũ genus eſt duplex, vnum earum, quæ ad Eccleſias totas ſcriptæ ſunt. Alterum, earum quę ad particulares quaſdam perſonas quę erãt, vel Eccleſiaſticæ, vti vtraque ad Timoth. & vna ad Titum: vel Priuatæ, vt ea quæ eſt ad Philemonem. Nam quæ circunferuntur Pauli Epiſtolæ ad Senecam & contrà, ſunt fictæ, meo quidem iudicio, & ementitæ: quemadmodum ex Epiſt. 2. ad Theſſalo. cap. 13. verſ. 17. conſtat, iam de eo conqueſtum eſſe Paulum, ſuo nomine iam ſupponi ſolitas fuiſſe quaſdam epiſtolas: quanquam non ignoro quantùm fidei his Pauli ad Senecam epiſtolis tribuat Sabellicus lib. 2. Enneadum. 7. Quantò verò eſt dignior, qui Eccleſiæ præeſt priuato homine, ita vberiora & locupletiora ſunt earum Epiſtolarum argumenta, quæ ad præfectos Eccleſię ſcriptæ ſunt (quales ſunt illæ quæ ad Timotheum, & Titum, quæ penè ſunt paris argumenti) quàm earum, quæ ad priuatos.

Quæ fuerit autẽ huius Epiſtolæ ad Timotheum ſcribendæ ratio, & occaſio, facilè ex ipſo Paulo v. 3. intelligitur, nimirum, quòd iam quidam ſanam Euangelii doctrinam, ab ipſo Paulo & aliis fidelibus Chriſti miniſtris traditam, & explicatã variè corrumperent tum in Subſtantia ipſa & doctrina, tum in modo & forma illius tradendæ. Cui malo vt maturè occurreret Paulus Timotheum monet quid opus ſit facto, non tam ipſius quidem gratiâ, quàm aliorum, id eſt, iſtorum doctrinam veram & ſanam deprauantium.

Quando ſcripta fuerit infra cap. hoc ipſo verſ. 3. Vnde ſcripta ſit in fine huius Epiſtolæ dicetur, Domino fauente.

Diuiditur autem totum corpus, & σύνταγμα huius Epiſtolæ in duas tantùm partes, nempe, Salutationem, & argumẽti ſuſcepti tractationẽ. Epilogo enim, id eſt, poſtrema illa parte caret, in qua variæ ſalutationes eſſe ſolent, quæ in aliis tamen Epiſtolis extant, quæ hoc loco non erant neceſſariæ.

A Salutatio autem hæc tria continet vbique, nimirum
Quis ſcribat,
Ad quem ſcribatur,
Summam precationis.

Ergo quæritur, quis ſcribat?
Scribit
Paulus, perſonam deſignat,
Apoſtolus, munus ſuum deſcribit.
Plus eſt enim dixiſſe Apoſtolũ, quàm ſeruum Dei ſimpliciter, quod alibi facit. Chryſoſtom. hoc annotat.

Apoſtolum autem ſe vocat, & Ieſu Chriſti: nõ hominum: in quo eſt commendatio muneris. Nihil enim niſi apprimè ſalutare habet legatio & munus huiuſmodi & à Chriſto demandatũ & Dei ipſius ordinatione ſiue decreto. In quo ineſt confirmatio huius muneris. In hac autem ſtatim epigraphẽ apparet tum ſummum amoris Pauli erga Timotheum & luculentiſsimum teſtimonium: tũ illius muneris & Apoſtolatus firmamentum maximum. Quod non ipſius quidem Timothei gratiâ fit, ſed aliorum, quos admoniturus erat Timotheus, nec quidem tam ſuo, quàm Pauli nomine B & authoritate. Itaque hanc authoritatem aſſertam prius cõfirmatámque eſſe oportuit. Deinde ipſius quoque Timothei & confirmandi & cõmendandi apud Eccleſiam cauſâ, qui à Paulo miſſus erat, hoc additum eſt, quò iuſtior ipſius vocatio appareat, Pauli vocatione ſemel ſtabilita, etſi de ea Epheſij incerti eſſe non potuerunt, inter quos vixit per biennium Paulus. Nihil autem hoc loco fit à Paulo oſtentationis & iactantiæ animo, ſed quòd muneris authoritatem defendi aduerſus quorundam impoſtorum calumnias oportuit, viditq; pro temporis circunſtantia eſſe neceſſe. Cæterum docet hic locus à quo mitti debeamus & vocari, nẽpe à Deo. Nemo enim vſurpat ſibi honorẽ Hebr. 5. v. 4. etſi non omnes extraordinariè (vti Paulus) vocantur.

Finem autem, & cauſſam tanti Dei beneficij erga homines oſtendit, dum appellat Deum *ſeruatorem*. Quia enim Deus nos ſeruare vult, etiam mittit ad nos, qui ipſius Euangelium & voluntatem annuntient. Pſal. 74. Luc 13. ver. 34. id eſt, qui iſtius viam ſalutis exponant nobis.

C Vocat autem Patrem ſeruatorem vti Tit. 1. v. 3. & 2. v. 10. & Chriſtum ſpem noſtram. Vti enim Pater dedit Filium, per quem ſeruamur. Ioan. 3. v. 16. ita Filius eſt fundamentum ſpei & ſalutis noſtræ, vt cùm hæc Patri & Filio communiter tribuũtur, intelligamus eſſe indiuiſa Trinitatis opera, & tres perſonas paris, non autem diſsimilis maieſtatis & poteſtatis. Hæc breuiùs perſequor, quia à multis copioſè tractata ſunt.

2 *Timotheo germano filio in fide. Gratia ſit tibi, miſericordia & pax à Deo Patre noſtro, & Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Timotheus quis fuerit apparet ex Act. 16. & variis Epiſtolarum Pauli locis: Hunc autem vocat & Filium in fide, vt diſtinguat à carnali filio: & Germanum. i. verum & referentem veros mores patris Pauli: non igitur fuit hypocrita & fictitius, vt hodie multi qui magnorum Dei ſeruorũ & filij ſunt & diſcipuli. Quod vtrunque pertinet ad Timothei laudem & imitationem. Sic Titum appellat Filium Tit. 1. v. 3. & Corinthios quoque 1. Corinth. 4. verſ. 14. Tamen obſtat quod ait Chriſtus Math. 23 v. 9. & Hebr. 12. ver. 9. Vnus eſt Pater animorum, nempe, Deus. Reſpon. Verum eſt per ſe & propriè vnicum eſſe animorũ noſtrorum Patrem, nimirum Deum ipſum; ſed cõmunicatione quadam, & quatenus homines ſunt huius noſtræ in fide & Eccleſia Dei generationis, aut potius regenerationis inſtrumẽta, vox ipſa Patris benignè illis à Deo communicatur, vti & Patribus carnalibus eadem vox Patris. Plus autẽ debemus Patribus qui nos in Dei metu inſtruunt, quàm qui nos tãtùm corpore gignunt. Nec quod paſtores dicantur patres noſtri in fide excuſat patres ipſos corporum & carnales, quò minus inſtituant liberos ſuos in vero Dei metu & pietate Deut. 4. v. 11. & 11. v. 19. ſed differentia tamen oſtẽditur inter vtrunq; genus patrum, quorũ alij ſunt nobis tantùm ſpirituales Patres, alij ſunt carnales.

Filij autem dicuntur, ait Auguſtinus contra Adimantum cap. 5. aut
Natura
Doctrina
Imitatione. B

Hìc & doctrinæ & imitationis ratione Timotheus filius dicitur, non tantùm ætatis, vt tamen putat Eraſmus. Salutatio eſt in his verbis poſita
Gratia
Miſericordia
Pax.
& hæc omnia à
Deo Patre noſtro
Domino Ieſu Chriſto.

Miſericordia addita eſt hìc, vti in Epiſtola ad Titum, præter ſtylum & communem morem Pauli, quò magis ſuum erga Timotheum amorẽ teſtaretur, & ſe miro erga eum affectu impelli & affici oſtenderet. Recto autem ordine & naturali vtitur in his enumerandis Paulus, & progreditur à cauſis ad effecta. Eſt enim gratia cauſa miſericordiæ, vt miſericordia ipſa cauſa pacis noſtrę. Eſt igitur gratia gratuita noſtri acceptatio, quæ fit à Deo, quã ſequitur miſericordia, id eſt peccatorum noſtrorũ remiſsio. Itaque vocem miſericordiæ hìc paſsiuè pro effecto, quod in nobis apparet: nõ autem actiuè in Deo accipimus.

Author autem tot & tantorum donorum eſt Deus Pater noſter, in & per Chriſtum Dominum C noſtrum, in quo omnes Dei promiſsiones & beneficia ſunt, Amen & Etiam.

3 *Quemadmodum te ſum precatus vt permaneres Epheſi, quum proficiſcerer in Macedoniam,* permaneto, *vt denunties quibuſdam ne diuerſam doctrinam doceant.*

Secunda pars huius Epiſtolæ ſequitur, in qua de re ipſa & argumento eſt agendum. Primum autem occaſionem ſcribendi narrat, deinde rẽ ipſam aggreditur Paulus. Ex ipſa verò diſputatione apparet magnam partem eſſe hanc epiſtolã ἐπανορθωτικὴν & διδακτικήν. Conſtat autem ſex capitibus, quorũ ſumma breuiter hac noſtra tabula comprehenſa eſt. In ſumma in hac Epiſtola plena miniſterij Euangelici deſcriptio continetur, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtitutio explicatióque. Nam quæ ad particulares quæſtiones pertinent, ſúntque ſcitu neceſſaria videntur à Paulo tradita in Epiſtola ad Corinthios.

A

- Continet igitur hæc Epiſtola præcepta, partim
  - Vniuerſalia nempe de
    - Miniſterio ipſo Euangelico, id eſt, Tum De
      - Perſonis, quæ præſunt Eccleſiæ
        - Quot ſint. Sunt autem earum tres ordines
          - Epiſcopi
          - Presbyteri
          - Diaconi.
        - Quales eſſe debeant & eligi ſiue
          - Ipſi per ſe ſpectentur
          - Familia eorum
          - Extraneorum teſtimonium
          - Vocationis ipſius modus.
      - Munere earum & eo quidem vel
        - Priuato quod poſitum eſt in eo vt ſe & in
          - Pietate & vitæ ſanctitate exerceant
          - Aſsidua ſcripturæ lectione.
        - Publico quod eſt in
          - Docendo
            - Sanam doctrinam
            - Sanctè & purè.
            - Reprehendendo falſam ſiue illa ſit de
              - Genealogiis
              - Cibis, coniugiis,
              - Inanibus quæſtionibus.
          - Precando pro quouis hominum genere, vbi de decoro cœtus agitur
          - Reprehendendo & caſtigando tum
            - Præpoſitos ipſos Eccleſiæ
              - Cum animi lenitate
              - Sine perſonarum acceptione
              - Cùm patuerint peccata
            - Gregē, quod fieri debet
              - Conſtanter omnia & ſuſtinentes
                - Probra
                - Plagas
    - Perſonis quæ Miniſterio ſub ſunt inter quas agit præcipuè Paulus de
      - Viduis & quæ
        - Eliguntur ad miniſteria pauperum
        - Aluntur ab Eccleſia
      - Seruis
      - Diuitibus. His omnibus abſoluitur tractatio & argumentum huius Epiſtolæ vberrimum.
  - Peculiaria nempe vt Timotheus
    - Conſtanter ſuo munere fungatur.
    - Secundum Prophetias prædictas.
    - Vino vtatur propter ſtomachum.

Precatus) Blanda & modeſta admonitio: quę eo acutius pūgit & magis ſeriò, quò maior eſt Pauli in Timotheum authoritas. i. præceptoris & patris in filium, & diſcipulum ius & affectus. Vtrunque autem poteſt Paſtor, Denuntiare vt præfectus &
B paſtor: & Precari vt frater, 2. Theſſ. 3. v. 12. Nā quā hîc ſibi non tribuit, dat Timotheo poſtea poteſtatem: nimirum, Denuntiandi & quaſi iubendi. Hîc autem nihil de Papali authoritate & Petri iure agitur in Timotheo Epheſo præficiendo, cuius cōſenſus in Timotheo vocando non interuenit, neque à Paulo eſt vel quæſitus, vel expectatus.

Annotauit Eraſ. lucidiora eſſe Græca, q̃ Latina, quod verū eſt, & repetēdū eſt aliquid ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, ſic Quēadmodū te rogaui, vt permaneres Epheſi, maneto, vt denūcies, &c. Sic enim facilè fluit ſenſus.

Proficiſcerer in Macedoniā) Hæc eſt tertia profectio (quemadmodum obſeruauit D. Th. Beza præceptor meus) quæ contigiſſe videtur anno à Pauli conuerſione 28. & à nato Chriſto 62. Huius fit mentio Act. 19. & 20. Ergo ſcripta eſt hæc Epiſtola ante eas, quæ ſunt ad Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes. Poſt eam tamen vtranque quæ eſt ad Corinthios, & ad Titum. Poſt vtranque eam, quę ad Theſſalonicenſes ſcripta eſt, vt quidam putant.

Apparet etiam Paulum habuiſſe Epheſiorum
C Eccleſiā cōmendatiſsimā, cui tā ſolicitè proſpicit.

Ne aliter doceant) Cur hoc timuerit Paulus ratio ſatis intelligi poteſt ex Apocaly. 2. v. 6. & quòd iā Galatæ, quæ erāt vicinæ Eccleſię, abducti fuerāt à ſynceritate & puritate doctrinæ Euāgelij per huiuſmodi pſeudofratres concionatores, & nebulones, qui aliter, quā Apoſtoli, Euāgelij prætextu docebāt. Quid ſit autē ἑτεροδιδασκαλεῖν hîc & inf. c. 6. v. 3. varia eſt interpretū ſentētia: ſed ex legitimi paſtoris definitione facilè tāquā ex cōtrario perſpicietur. Illa autē definitio extat apud Matt. 22. v. 16. vbi de Chriſto agitur. Eſt igitur verus Paſtor qui docet viā Domini in veritate, idq; ſine perſonarū acceptiōe Mala. 2. Ergo peccatur vel in Re & doctrina, vel in Forma & modo docēdi, quā ὑποτύπωσι appellat Paulus 2. Tim. 1. v. 13. vel in Applicatione & vſu doctrinæ 2. Tim. 2. v. 15. Quibus omnibus vitiis & modis aliquis ἑτεροδιδασκαλεῖ. i. peccat in docēdo.

4 *Nec attendant fabulis & genealogijs infinitis, quæ potius quæſtiones præbent, quàm ædificationem Dei quæ eſt per fidem.*

Ἐξήγησις. Illuſtrat exēplo quod ſup. verſic. præcepit. Quid ſit nimirū ἑτεροδιδασκαλεῖν. Ex hoc autē loco apparet nō eos tātū in docēdo peccare, qui falſa tradūt, ſed etiā eos qui vana & inutilia. Denique qui nō neceſſaria curioſè & diu inquirūt & perſcrutātur. Cuiuſmodi olim fuit genealogiarū perceuſio, vel inueſtigatio: Hodie infinitę quæſtiōes quę
B ſunt in ſcholaſtica. Primū de hypotheſi agam⁹, deinde veniam⁹ ad theſin. Ac falſa eſt eorū interpretatio & ſentētia qui volūt nomine genealogiæ hîc intelligi, vel Mathematicas deſcriptiones natiuitatū, quas tamē dānatas eſſe agnoſcimus: vel lōgas illas ſeries & diſputationes de Æonibus, quas Valētinus ipſiuſq; diſcipuli etiā poſt Pauli mortē nimirū circa annū à Chriſto paſſo c x. inuexerūt in Eccleſiam, tanquam fidei doctrinam neceſſariam.

Quod ad horoſcoporū inſpectionē & natiuitates quæ ab Aſtrologis fiūt, illę nō γενεαλογίαι appellātur, ſed γενέσεις & γενεθλιαλογίαι, & qui eas tractāt & docēt, nō γενεαλόγοι, ſed γενεθλιακοὶ nominātur. Hanc tamē interpretationē videtur amplexus Chryſoſt. quæ huic loco minimè conuenit. Quāquā autē inter Epheſios, qui Iudęi nō erāt, verſabatur Tim. tamen inter Iudæos maximè huiuſmodi quæſtiones, quas hîc damnat Paulus, fiebant, vti etiā Tit. 1. v. 14. eas Iudaicas fabulas vocat Paulus. Sed vel iā huiuſmodi fermentū in Eccleſiam Dei irrepſerat, vel ex ea communicatione, quæ fidelibus cum Iudæis conuerſis intercedebat hoc periculum iam Eccleſiæ imminere potuit & præuideri à Paulo.

Fuerunt autē huiuſmodi de Genealogiis diſputationes. Quis ex qua familia ortus eſſet ſiue de ſe
C Iudæi agerent: ſiue de gentibus. Id quod partim oſtētationis plenū eſt, partim inanis cognitionis.

Μῦθοις, igitur vocat huiuſmodi quęſtiones, quòd etſi ſæpe nō ſint prorſus res falſæ & fictæ pro animi libito: tamē sūt inutiles, vti fabulę & fictę narrationes. Μῦθος autē vnde noſtri Galli duxiſſe vidētur ſuū illud *Mot* & Latinè Mutire, eſt vox aliquid ſignificans hominus ore egreſſa & prolata, & generalis illius ſignificatio eſt & acceptio. Sermonē enim quēlibet notat etiam apud Homerū vox Μῦθος. Iubet igitur ſobriè poti⁹ eas delibare Paul⁹, quàm iis inhęrere & immorari. Ait enim *Ne attēdāt*. Nā quaſdā tradit etiā Dei verbum nec inanes, nec infructuoſas: nec tātùm vetus Teſtamentum, ſed etiā nouū, vti Genealogiam Chriſti ipſius. Id quod fit ad fidei noſtræ cōfirmationē, & veræ humanitatis Chriſti approbationē, in quib⁹ eatenus nobis verſari licet quatenus & modū teneamus, & ſcopū à Spiritu ſancto propoſitū nō tranſiliamus. Sic fecerūt quoque Patres, vt Auguſtinus lib. 2. 3. 7. contra Fauſtum, & lib. 2. de Conſenſ. Euangeliſt. Hæ diſputationes & inueſtigationes nimiæ, videtur ex eo cœpiſſe, quòd ante Chriſtum & ſub lege

A ſtudioſè inter Iudæos cuiuſque familiæ deſcriptio fiebat, & tum publicis archiuis, tum priuatis monimentis religiosè & diligenter ſeruabatur, adeò vt reiecti ſint & expulſi ex ſacrificatorum numero qui ſuam Genealogiam oſtendere non poſſent. Num.1.v.18, & Nehē.7.v.62.Igitur iuſsi ſunt eas habere tum in archiuis publicis tum priuatis ſcriniis Iudæi Numer.25.v.5.adeò vt Prophetæ ipſi libros totos de iis ediderint vt eſt 2.Chro.12.v.15.& 13.v.22.Sed in eo ratio diuerſa fuit illis & nobis: illi expectabant Chriſtum ex vna quadam & certa ſuæ gentis familia, & genere naſciturum, non ex quauis tribu. Idcirco diſtinctio familiarum diligenter retinēda ab iis fuit vt melius poſtea Chriſtum agnoſcerent. Nos iam ex ea familia natū ſcimus & habemus, vt hac inueſtigatione nobis hodie nō ſit opus. Deinde prædicatur Chriſtus, vt nō vnius tantùm familiæ vel gentis: ſed omniū populorum, omnium nationum Mediator, Deus & Redemptor, vt in ſola Iudæorum gente nō ſit B hodie nobis Chriſtus quærendus. Dixit, & quidem rectè, Aug. etiam veteris Teſtamēti Genealogias ad Chriſtum pertinuiſſe lib.19.contra Fauſt. cap. 31. Vnde apud illos ante natum Chriſtum fuit hęc quæſtio tolerabilior, quæ hodie ceſſat niſi ſi ſumus infideles, & Chriſtum verè natum ſecundum Prophetas dubitemus.

Duplici nomine cōdemnat eas Paulus, quòd & ſint Infinitæ, & Inutiles ad vitæ pietatem in nobis ſerendam & gignendam. Vtrunque pugnat cum vero omnis ſtudij & inquiſitionis fine. Quęrimus enim vt inueniamus: & vt tandem ad aliquam cognitionem, atque etiam eam nobis vtilē perueniamus & inſiſtamus ei acquieſcentes. Quem fructū aut vſum nō præſtant hæ quæſtiones. Ædificationem igitur eam dicit quæ eſt in fide, id eſt, quę ſecundum ipſius Dei voluntatem, verbum, & præceptum eſt, & ſolida. Nam finis Theologiæ veræ, eſt ædificatio conſcientiarum noſtrarum, non vana & turgida ſcientia variarum diſputationum & quæſtionum. Ædificant enim, ſed ad pugnas & clamores tantùm eæ quæſtiones, quæ ſunt de C huiuſmodi rebus, ac propterea vt ſunt ita meritò appellantur inutiles, 2 Timoth.2.v.16.& 23.

5 *Porrò finis mandati eſt charitas ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ſimulata.*

Ἀντίθεσις. Opponit ex aduerſo inutilibus iſtis quæſtionibus veram Theologiæ tractationē, quæ charitatem pro fine habet, Verbū Dei pro fundamento, πρᾶξιν autem, eámque legitimam, pro cognitionis fructu & pro iuſto finis ad quem tēdit teſtimonio: quæ tria breuiſsimè quidem, ſed tamē grauiter complectitur hoc loco Paulus.

Finis præcepti.) id eſt legis Dei, quā ſuæ curioſitati prætexebant, eſt charitas. Ergo non ineptæ & inutiles quæſtiones iſtæ. Legis nomine Scripturā ſacram intelligit, quæ Legis nomine appellatur, ꝙ tūc tēporis alia nulla ſacra ſcriptio adhuc eſſet, niſi de Lege, quæ hic etiā Propheras cōplectitur, etſi Legem ipſam à Prophetarū ſcriptis nōnunquam diſtinctā legimus Luc.24. Sed & Legis nomen latiſsimè patere certū eſt apud Paulū. Vnde Lex fidei, Lex peccati, Lex carnis & Lex Spiritus à Paulo dicitur Rom.3.v.8. Hîc autem pro Verbi diuini tractatione. Nā docet Paulus quis ſit veræ Theologiæ finis. Is autē eſt non theoreticus ſed practicus, nō inanis ſed fructuoſus conſolatióq; animarū, quia charitas actionē producit, nec in ſola cōtēplatione vel in verbis ſolis & lingua verſatur 1. A Ioā.3.v.18. Scholaſtici aliud de ſua Theologia ſentiunt, cuius finē conſtituunt contemplationem & Theoriā. Aiunt enim, præſtantiſsimæ ſcientiæ eſt præſtantiſsimus finis. At Theologia eſt ars præſtantiſsima. Hæc concedimus. Sed quod aiunt, Cōtemplatio eſt nobilior actione. Reſp. Actionē hîc non accipi à nobis pro opere mechanico: ſed pro præſtatione aliqua, cuius fructus ſit Dei gloria & ædificatio cōſcientiarū. Contēplatio autem nuda & mera eſt imperfectus actus & humanæ imbecillitatis indicium potius quàm laus potētię, ſi deſit ſcilicet iſtius cōtemplationis aliquis effectus & fructus qui cognitionem noſtram cōſequi poſsit.

Aiunt iſti, Dixit Chriſtus Luc. 10. meliorem partē elegit Maria ſibi. Reſp. Verſabatur in actione, non in nuda diſputatione & contemplatione, cuiꝰ exercēdæ gratiâ mūdo ipſi renūtiabat Maria.

Aiunt, Præſtantiſsimæ hominis partis actio eſt præſtantiſsima, Animus autem, cuius propria eſt contemplatio, eſt corpore excellentior. Ergo & cōtemplatio eſt nobilior actione. Reſp. Vera eſſet cōcluſio, ſi actio, de qua loquimur, ſolius corporis B viribus fieret, nō autē præcipuè operatione ipſius animi noſtri, id eſt, intellectu & Voluntate noſtra ad cuius obſequium poſtea formantur corporis membra. Ergo quum dicimus actionem eſſe finē veræ Theologiæ & Chriſtianæ, nomine Actionis vel Operis non intelligimus ſeruile & mechanicum aliquod opus, ſed actionem intellectus & volūtatis noſtrę ad Deū tendētis nobiliſsimā. Nā ipſi illi Scholaſtici etiā conſtituunt intellectū practicum eſſe facultatē animi humani præſtantiſsimā.

Aiunt, Oculus eſt præſtantior manu. Reſp. Κατά τι. Neque etiam hîc operis nomine intelligimus tantùm manuales actiones, ſed cultum Dei, reformationē vitę quę ſunt actiones nobiliſsimę.

Charitas.) Et ad Deū, & ad homines referri poteſt hæc charitas, quia Dei verbum vtrūque docet & Deū & homines diligere. Nos tamē de charitate ea, quę proximū ſpectat, hoc loco intelligemus.

C Huic igitur charitati addit, Cor purum, Conſcientiam bonam, Fidem veram & ſynceram. Per quæ tria non tantùm vera charitas deſcripta eſt, ſed etiam fundamentum illius & vſus demonſtratur, ne hanc charitatem, quam finem præcepti dixit, putemus eſſe quiddam otioſum, & cōtemplatiuum, vt quidam fingunt. Eſt enim affectus charitas qui in animis noſtris eſt, non vt lateat: ſed vt ſeſe proferat ipſo opere.

Quia igitur charitas eſt animi affectus huiuſmodi, Duo habeat oportet, nempe, Veritatem & opus, vt docet Ioan. in Epiſt.3. verſ.18.

Cor purum.) habet charitatis veritatem. Itaque
opponitur cordi { Impuro, quod ſordida & fœditates amat & diligit
Ficto ſeu duplici, quod non eſt integrum & purum à ſimulatione & hypocriſi tum in Deum, tum in proximos.

Conſcientia bona.) Vſum & opus illius habet. Nam & finem actionum noſtrarum regit, & circunſtantias prudenter tractat & perſpicit in agēdo. Tunc enim eſt bona conſciētia in nobis cùm cor noſtrum nos non condemnat, ſed coram Deo licet atteſtari nos & rectum finem habuiſſe, & diligenter omnia, quæ circunſpicienda erant, perſpexiſſe, quantum in nobis fuit.

Fides autē eſt fons, origo atq; etiā regula & nor-

A ma vtriuſque, quæ docet ex Dei verbo nos quò ſpectare debeamus, quid odiſſe, quid diligere, & quomodo pro cuiuſque vocatione nos gerere. Itaque coniungenda eſt cum verbo Dei. Nõ vult autem Paulus hanc fidem eſſe hypocriticam quæ ſpeciem tantùm pietatis & metus Dei præ ſe ferat: ſit tamen ab vtroque remotiſsima.

Hæc fides igitur ad cognitionem ipſius doctrinæ refertur, quæ in nobis eſſe debet ἐν ἀληθείᾳ vt loquitur Col.1.v.6. id eſt, & qualẽ eſſe ex Dei verbo oportet, nõ autẽ qualis ex noſtris aut hominũ commentis, & ſenſu haberi, formarique poteſt.

6 *A quibus quum quidam vt à ſcopo aberrarint, deflexerunt ad vaniloquentiam.*

Confirmatio ſuperioris ſententię à contrario. Nam qui ab hoc ſcopo deflexerunt, inciderunt in miſeram vaniloquentiam, & inutile ſtudium, quãtumuis magni aliorum Doctores eſſe vellent vel viderentur. Hęc verò Pauli ſententia pulcherrimã B confirmationem recipit non tantùm ex hęreticorum doctrina, qui vanitati illi planè dediti fuerũt, relicto veræ Theologiæ ſcopo, vt Valẽtiniani Manichei & alij: ſed imprimis ex ſomniis Scholaſticorum, qui nunc ſoli Theologi videri, & dici (ſi Deo placet) volũt. Hinc apud eos portenta quæſtionum, & myriades natæ inutilium diſputationum, in quibus tota ætas tamẽ teritur: ac de quæſtionibus quidem hæc ſunt pauca exempla.

1 Vtrũ gratia qua nos diligit Deus, & nos viciſsim Deum, ſit eadem. Vtrum quid creatum ſit an increatum, ſubſiſtens per ſe, an accidens.

2 Vtrum realitates an notionalitates ſint pręſtantiores.

3 Vtrum perſonæ in Trinitate vera numeri appellatione dicantur tres.

4 Vtrum Pater producat Filium ratione intellectus vel voluntatis.

5 Vtrum numerus perſonarũ in diuinis pertineat ad eſſentiam an ad rationem.

6 Vtrum Deus poſsit quoduis malum, etiam odium ſui, præcipere: & quoduis bonum etiam amorem & cultum ſui prohibere.

C 7. Vtrum in Deo ſit intellectus agens & paſſibilis.

8. Vtrum mundus melius condi potuerit.

9 Vtrum Papa ſit miſericordior Chriſto, quum Chriſtus neminem à pœnis purgatorij liberarit.

10 Vtrum Papa poſsit vniuerſum purgatorium tollere vel exhaurire. Denique vide Eraſmum hoc loco, ne has fæces diutius tractemus.

7 *Quum velint eſſe Legis doctores, nec intelligant quæ loquuntur, neque de quibus aſſeuerant.*

Deſcriptio eſt iſtius generis hominum, & ſuperioris dicti amplificatio, vt doceat quicunque ab illo ſcopo aberrant, eos incidere in vaniloquium, quantumuis magni ſint doctores. His autem tribuit Paulus Epitheta quatuor, nimirũ quòd ſint 1 Arrogantes, Volunt. 2. Timoth. 3.2 Ignari Coloſſ. 2. verſu 18. 3 Docendi munus præ ſe ferant, & ſibi vſurpent Roman. 2. vocantur Rabi Matth. 23. ver. 7. 4. Temerarij aſſertores & habere ſe clauem ſcientiæ iactant. Matth. 23. Ex quibus omnibus intelligitur, quàm graphicè & verè hîc nobis à Paulo propoſita ſit Scholaſtica Theologia & Magiſtrorum noſtrorum mores & ingenia A deſcripta, ne nõ facilè hodie agnoſci poſſent, niſi planè vel in ipſo meridie cæcutire velimus. Denique cùm totam fidei doctrinam corrumpant, nulli tamen & doctiores & ſanctiores videri volunt, quàm furfures iſti & Midæ portantes auriculas aſini.

8 *Scimus autem bonam eſſe Legem, ſiquis ea legitimè vtatur.*

Hypophora per quam occurrit calumniæ, qua & ipſe, & doctrina Euãgelij grauabatur, quaſi Dei Legem, quæ ſacroſancta eſt, & Prophetarũ teſtimoniis confirmata, ſperneret & damnaret Paulus tanquam vanam doctrinam, quia Genealogias, & huiuſmodi quæſtiones ſuperius reprehenderat. Nec verò vno tantùm loco Paulus cogitur ſe ab ea graui accuſatione defendere, quaſi Dei Legem damnaret: ſed ſæpius, vti Rõ.7.v.12. & Gal.3.v.24. Ex quo facilè intelligitur, quàm valdè & aſtutè oppugnata ſit Euangelij doctrina ab iſtis nebulonibus & aërem ipſum ſubtilitate ſuarum quæſtionum fatigãtibus hominibus: quaſi manifeſto Dei verbo eſſet contraria Euangelij puri prædicatio. Quod idem nobis à Doctoribus Papiſtarum obiicitur. Sed ex hoc ipſo loco apparet eos qui tunc B tẽporis tam ſanctis admonitionibus repugnarent maximè fuiſſe Iudæos. Illi enim de lege gloriabãtur quam acceperant, & qua etiam abutentes circa huiuſmodi quæſtiones langueſcebant. Gentes verò ad fidem conuerſæ, vix ac ne vix quidem iſtas de Genealogijs quæſtiones attingebant: vel legis à Moſe datæ meminerant, de qua ante Euangeliũ nõ audierant: neque in ea, vti Iudæi, innutriti fuerant. Pręclara eſt hæc confeſsio Pauli Apoſtoli de vſu legis & veteris Teſtamenti in Eccleſia Chriſtiana & ſub Euangelio valde notãda cõtra Marcionitas, & Manichæos. Obſeruandum tamen eſt hîc Paulum non in vniuerſum de toto vſu Legis agere, ſed de eo tantùm vſu, qui erat maximè ad præſentẽ quæſtionẽ accõmodatus, & vt vnam illã Iudaizantium doctorũ ambitionem & iactãtiam contũderet: qui quum nihil niſi garrulitatẽ & vaniloquentiam monſtrarent, præ ſe tamen ferebãt C magnam Legis obſeruationẽ, prædicationẽ, & reuerentiam. Ergo docet quis ſit verus Legis, quam prædicant, vſus, per quem Lex ipſa nobis ſalutaris & vtilis eſſe poſsit. Eſt autem, ſi ex ea cor purũ & ſanam conſcientiam habere didicerimus per fidem, quæ eſt in Chriſto.

Lex bona eſt, ſi quis legitimè ea vtatur.) Legitimus Legis vſus eſt, quum ad eum finem ea vtimur, ad quẽ nobis à Deo data eſt & promulgata. Eſt enim is demum rectus illius vſus, qui quis ſit ſupra docuit v.5. & 9. Paulus alludit etiã aptè paronomaſia quadam ad vocẽ νόμου in verbis νόμος & νομίμως. Nec enim Lex eſt doctrina vtilis non vtenti illa legitimè, & vt oportet. Sed obiicitur, etſi quis non vtatur rectè Lege, tamẽ ipſam legẽ per ſe bonã ſemper eſſe. Qui enim eã in maiorem peccandi occaſionẽ trahunt, ea legitimè non vtuntur, non deſinit tamẽ Lex propterea eſſe bona. Simile quiddã de Sacramẽtis afferri poteſt, quę ſemper ſunt ſigna ſalutis per ſe, quanquam impii vtantur iis ad hypocriſin ſuam fucandam & tegendam. Reſp. Hoc verũ eſſe, ſed à Paulo demonſtratur hoc loco non tantùm quid res ſit ipſa, id eſt, Lex ſit in ſeſe: ſed quid in nobis, & qualis eius fructus eſſe & produci de-

A ci debeat,ne ea abutamur.Erit autem tum demum fructuoſa,ſi ad quem finẽ data eſt, cogitemus.i.vt fidem cũ charitate ex ea diſcamus & exerceamus.

9 Nempe *ſciens Legem iuſto poſitam non eſſe ,ſed Legis contemptoribus, & ijs qui ſubijci neſciunt:impijs & peccatoribus, nefarijs & profanis,patricidis & matricidis,homicidis,*

10 Scortatoribus, maſculorum cõcubitoribus, plagiarijs, & mendacibus, periuris , & ſiquid aliud eſt quod ſanæ doctrinæ ſit oppoſitum.

Ἐξήγησις. Explicat enim quis ſit is legitimus Legis finis , de quo dixit. Eſt autem vt per Legẽ hominũ mores & vitia corrigantur, & emendentur: non autem vt in vanis quæſtionibus occupemur. Poſita enim eſt, vt ſcelera hominum, veluti homicidia,adulteria,mendacia coerceantur:non autẽ ad bonos,& qui iam ſancti ſunt reformandos & reprimendos.Mirum autẽ hîc videri poteſt,cur cùm illę quęſtiones,quas dãnat Paulus,ad Legem cęremonialem & politicam pertineant ,tamen de lege morali agat,non autẽ de cæremoniali aut politica. Reſpõ.Quòd illa parte Legis,quę eſt moralis,iſtos ſibi aduerſarios homines magis premi poſſe videt,quia ſe pietatis & ſanctitatis nomine cõmẽdabant. B Deinde cùm præcipua Legis diuinæ pars ſit Moralis,reliquæ verò duæ ſint illius quædam appendices tantùm,de legis Moralis vſu aptè & conuenienter agit Paulus, ex quo & Cæremonialis & Politicæ legis vſus quoque pendet & intelligitur. Itaque nõ extra rẽ reſpondet & arguit Paulus. Similis eſt hodie noſtrorũ aduerſariorum & Monachorum faſtus,& arrogantia :qui cùm toti criminibus ſcateant,nihil tamen,niſi Legem Dei, mãdata,& ſanctitatem vitę crepant,vt videantur ſancti,& nos oppugnant,quaſi eadem illa ſpernamus & damnemus.Quibus reſpõdemus eos eſſe pares iſtis hypocritis à Paulo deſcriptis. Quod ait Paulus,Legem non eſſe poſitam iuſto , ex eius mente facilem ſenſum habet , nempe quòd qui ſponte iã parent Legi , & virtutem ſequuntur,illi nullis loris & habenis vinciri debeant , nullis aliis præceptis egeant , quibus ad vitæ ſanctitatem adducantur:ſed illi tantùm iis egeant,qui ſunt immorigeri,rebelles, & diſſoluti. C Hæc ſententia dignitatem & commendationem Legis non imminuit, quaſi iuſtis & iis qui Dei ſpiritu aguntur ſit vel cõtraria vel inutilis,ſed eos tãtùm perſtringit,cũ quibus egit Paul⁹,quos facilè quidẽ docet eſſe tales,quales hîc alieno nomine pinguntur.i. homicidas, adulteros,&c.Iuſto etiam eſt vtilis Lex,primùm quia viam iuſtitiæ inchoanti perfectionem docet & omnis virtutis eſt norma. Pelagius putauit eatenus Dei verbum & Legem vtilem eſſe, quatenus tantùm eſt liber continens doctrinam morum,cõtra quem variè diſputauit Auguſtinus.

Exlegibus autem hominibus eſſe poſitam Legem poteſt videri mirum,ſed verum eſt , quia vt coerceret hominum rebellionem poſita Lex eſt, & exlegibus poſita eſt,ne maneant exleges.

Hîc autem deſcribuntur gradus nequitiæ: & primùm fontes ipſi duo,Rebellio,& Contumacia in Legem,ex quibus riuuli iſti fluunt,duo ſcilicet, Impietas ad primam tabulam,& Peccatum, id eſt offenſio proximi, ad ſecundam tabulam pertinẽs. Hæ res paruæ primum , poſtea creſcunt , & diſſolutiores fiunt, adeò vt tandem euadant homines, Nefarij , id eſt, publicè & nullo pudore peccantes,& Profani. A Inde infinita genera vitiorum naſcuntur,quæ reuocat ad tria genera,Vim, Libidinẽ,Fraudes ſiue furando ſiue mentiẽdo fiant. Decimũ verſiculum explicuimus in Ethicis noſtris.

11 Quæ eſt,*ſecundum glorioſum Euangelium beati Dei,quod concreditum eſt mihi.*

Denique eaſdem quæſtiones inutiles docet cõtrarias eſſe Euangelio ipſi. Commendat autem Euangelium nomine,*Glorioſi*,à differentia ſcilicet quæ non eſt de ſcriptura,ſed de effectu intelligẽda, *Dei* ab authore,quem vocat non tantùm benedictum ſed beatum.Definit denique illud Euangelium eſſe eam doctrinam , quæ ab ipſo & collegis prędicatur Chriſti mandato.Itaque videri poteſt argumentum ab enumeratione partium ſcripturæ ſumptum. Habet enim Legem & Euangelium,cui vtrique hę quęſtiones inutiles repugnãt. Opponit igitur Euangelium Dei iſti Matæologiæ,quam & à Lege & ab Euãgelio damnari docet. Quo ipſo demõſtrat Paulus cõſentire inter ſe vtranque doctrinã contra Manichæos. Sanã quoque doctrinã hanc vocat,quia ædificat ad pietatẽ. B Denique Deũ illius authorẽ μακάριον dicit & quòd in ſe felix ſit & beatus , & quòd aliis felicitatẽ donet & afferat.Benedictum alibi vocat eadem ſcriptura Deũ,id eſt dignũ omni laude & inuocatione.Paulus autem appellat hoc idem Euangelium 2.Timot.2.v.8.ſuum Euangelium,id eſt, quod ipſi creditum erat,non cuius ipſe ſit author.

12 Gratiam igitur ei habeo, qui me robuſtum effecit , id eſt, *Chriſto Ieſu Domino noſtro, quòd me fidelem duxerit,vt qui* me *in miniſterio conſtituerit.*

Ἔκϐασις ſiue digreſsio ex iniecta mentione ſui miniſterii & Apoſtolatus,quem tuetur & cõmẽdat hoc loco.Cur autẽ excurrat Paulus duplex ratio eſt.Prima,vt hęc ſit hypophora cõtra calũnias, quas inuidi homines illi obiiciebãt propter ſuperiorem vitam.Quomodo enim videri poteſt Euangelij pręco,qui tã atrociter illud antea fuit inſectatus?Captatas autẽ fuiſſe huiuſcemodi occaſiones ab aduerſariis Euangelij apparet tum ex 1. ad Corint.15.tum quòd ad Epiſt.ad Gal.& hîc ſuum miniſteriũ tuetur. C Secunda ratio cur ſuũ Apoſtolatum Paulus commendet,eſt,vt Timotheo, quẽ exhortaturus erat ad difficile certamẽ ſuſcipiẽdũ, ſeipſum in exemplum proponeret,in quo ſumma Dei potẽtia,vis,miſericordia , & virtus illuxit,ne fatiſceret,aut expaueſceret Timoth.Ita verò totũ ſuum miniſterium aſſerit Paulus,vt illius gloriam & laudem vni Deo vindicet , non ſibi , non bonis ſuis operibus,aut præparationibus.Hoc ſignificat *Gratiã habeo.* Gratiæ enim aguntur beneficiorum nomine acceptorum:non autem meritorũ à nobis aut operum collatorum.*Chriſto.*) Deum eſſe ex eo intelligim⁹ Chriſtũ,cui & vocatio, & virtus cõferens dona ſalutaria & nobis neceſſaria tribuitur.2. Corint.3.v.5. omnis noſtra idoneitas ex Deo eſt.

Potentem reddidit.) Non dicit Paulus,qui me tãtùm iuuit,ſuſtinuit, erexit:ſed qui reddidit potẽtẽ,vt valerẽ:alibi ait ἰχύνωσε, & robuſtũ vt perſiſterẽ.Ergo prorſ⁹ extenuat & deiicit vires ſuas Pau. quas ſe ab vno Deo fatetur habere. Neque hîc de prima ſua ad Euãgeliũ vocatione tãtùm,ſed de toto miniſterio ſuo & Apoſtolatu agit. Vires enim

A à Deo nobis ſuggeri oportet ad vocationes noſtras obeundas. Vires etiam ad perſeuerandum. Vnde ait idem Paulus, collocās me in Miniſterio. Hoc idem de nobis ſentire debemus, & ex animo quidem, nō autem ſimulatè & fictè: nec illud Leonis x. Pontif. Rom. blaſphemum vſurpare, nos à Deo vocari meritis licet imparibus.

Fidelem duxerit.) Illud ducere eſt efficere. Non inuenit enim nos Deus tales, ſed efficit. Nec enim idcirco Paulum vocauit Deus quòd fidelem inuenerit 1. quia erat blaſphemus 2. quia fruſtra ſuperius dixiſſet Robuſtum me fecit. Erat enim dicendū Robuſtū inuenit. 3. Deinde & quod illa fidelitas eſt idoneitas, quæ non eſt à nobis, ſed à Deo. Et ſeipſum ſuperiorémque ſententiam planè euerteret Paulus, ſi quid in eo præceſsiſſe boni operis fingamus, propter quod ipſe à Deo ſit vocatus.

13 *Qui prius eram blaſphemus & perſequutor & iniurioſus: ſed mei miſertus eſt. nam ignorans id faciebam fidei expers.*

B Comparatio eſt, ex qua Dei gratia maximè amplificatur, & maximè quod aduerſarij in calumniæ cauſam arripiebant, transfert in ſuum cōmodum, & ſui miniſterii maiorem commendationem. Accuſabant igitur quod fuiſſet Paulus antea

- Blaſphemus.
- Inſectator
- Violentus.

Quæ omnia concedit ille, quia & vera erant, & ſic Dei gloria maior, & ſua vocatio ad Apoſtolatū illuſtrior apparet. Cùm enim talis fuerit, mirum eſt vocatum tamen à Deo eſſe Act. 9. & 13. Nō loquitur de ſe Paulus vt hypocritæ, ſua peccata minuēs, ſed ea exaggerat. eſt enim hæc gradatio: Fui blaſphemus. i. maledicere ſolitus Deo. Deinde perſequutor. Denique rabioſus & contumelias omnes coniungens. Mirū Dei opus in Paulo vocando, vt de multis perſecutoribus verbi Dei non ſit hodie deſperandum. Opponit autem Dei miſericordiā, per quam non tantùm veniam ſuperiorum vitiorū conſequutus eſt, ſed etiam pulcherrimam illā ad Apoſtolatum vocationem adeptus, omnibus ſuis ſceleribus ne futuris operibus vel quæ Deus poſt C Pauli vocationem edenda ab eo præuiderat, electionis huius cauſam tribuamus.

Addit tamen rationem, quia feci, & ignorans & ἐν ἀπιστίᾳ. id eſt, carēs fide & cognitione. Nō tantùm igitur docet ſe ignarū fuiſſe prius: ſed ſe de fide & verbo Euāgelii quicquam antea audiiſſe vel fuiſſe edoctum negat. Hîc igitur ἀπιστία eſt ſpecies ignorantiæ, quæ eſt maximè excuſabilis, quum quis nō ignorat ea, de quibus oblata illi eſt cognitio: ſed de quibus nunquam audiuit. Ergo ἀπιστία non eſt hoc loco infidelitas & incredulitas cum quadam malitia & animi obſtinatione coniuncta: ſed ſimplex & pręcedenti verbi Domini prædicatione carens. Vnde quęſitum eſt vtrum ignorantia excuſet peccatores à peccato. Quidā diſtinguūt inter ignorātiam Simplicem & Malitioſam. Alii inter ea quæ ignorantur. Aut enim ſunt vt illi aiunt, præcepta pertinentia ad Primam Legis tabulā, aut ad Secūdam. Illa ignorare non conceditur, vt volunt. Hæc autem licet, quæ ſunt Secundæ tabulæ. Reſ. Ignorantia excuſat non à toto: ſed à tanto, Rom. 2. v. 12. Nā ſi cæcus cæcum duxerit ambo in foueā cadent: & qui ducit, & ipſe qui ducitur. vt eſt Matth. 15. & apparet, Geneſ. 20. ver. 5. & 7. Hinc autem quidam colligunt definitionem peccati in Spiritum ſanctum: ſed non ſatis apté. A

14 *Superabundauit autem gratia Domini noſtri cum fide & dilectione in Chriſto Ieſu.*

Αὔξησις Dei gratiæ, quæ vice confirmationis addita eſt, & ex verbis ipſis Pauli apparet, vt omnis ſuperioris vitæ labes deleta eſſe doceatur. Probat autem hoc ipſum etiam ex effectis contrariis ſuperiori illi vitæ, nempe ex fide, quæ opponitur blaſphemiæ priori: & ex Charitate in Chriſto, quæ opponitur Perſecutionibus, & Contumeliis prioribus in Dei Eccleſiam factis.

15 *Fidus*, eſt hic, *ſermo, & modis omnibus dignus quem amplectamur, Chriſtum Ieſum veniſſe in mundum vt peccatores ſeruaret, quorum primus ſum ego.*

16 *Verùm ideo miſertus eſt mei, vt in me primo oſtenderet Ieſus Chriſtus omnem Clementiam, vt eſſem exemplo crediturus ipſi in vitam æternam.*

Ἀνάκλασις, eáque ſummo illuſtrandæ Dei gloriæ B ſtudio inducta, vt quod contra miniſterium Pauli maximè videbatur antea obiici poſſe, hoc totum ad pios conſolandos confirmadóſque iam valeat, quum in Paulo, tanquam pulcherrimo quodam ſpeculo, inſigne & ſingulare Dei miſericordiæ exemplum etiam maximi quique peccatores habeant. Ergo primùm ſe deſcribit: deinde ex aduerſo Dei miſericordiam confert. Demum cæteros ſuo exemplo cōſolatur & exhortatur ad idem ſperandum. Magnum autem huius ſpei & certum fundamētum primum omnium ponit, nempe, Chriſtum factum eſſe hominem, vt peccatores nimirū redimeret, etiam ſceleratiſsimos. Quod fundamētum, quia magni eſt momenti, commendat ſolita præfatione, *fidus eſt ſermo* & dignus infr. ca. 3. v. 1, 2. Tim. 2. v. 19. Quāquā enim vniuerſa ſcriptura ſacra eſt per ſe, & in omnibus ſuis partibus amplectēda, & ſermo fidus, tamē imprimis illa, quæ ſūma fidei noſtræ, ſalutis & ſpei, capita cōplectitur, ſingulari quodā modo amplectēda eſt. qualis hæc & inf. c. 3. C v. 16. Cæterū Chriſtū veniſſe, vt ſaluos faceret homines, eſt certiſsimū. idcirco. n. dicitur Ieſus Mat. 1. & eſt hoc ipſū αἴτημα θεολογικὸν, quod nulli Chriſtiano eſſe ignotū poteſt nec debet, ideóq; diligētius & retinēdū & cōmemorandū. Vnde fit, vt mirū videri nō debeat, ſi qui talis antea fuit Paulus, miſericordiam iā eſt cōſequutus. Ea enim gratia factus eſt homo & Ieſus Dei Filius Chriſtus. At fuit maximus peccator Paulus: fatetur id quidem ipſe, nō tantùm modeſta quadam ſui deiectione vtens: ſed verè & ex ſerio ſenſu animi ſui loquens, & quali à nobis infidelitas omnis maximéq; obſtinata debet apprehēdi cū pauore ac horrore conſciētię. Et hoc ſuū tā graue, & grande peccatum eſſe illuſtriſsimū ſummæ Dei miſericordiæ erga omnes peccatores ſpeculum docet, ne deſperent vlli, ſed conuertātur ad Deū, & in eo ſpem vitæ æternę habeant. Ex hoc loco apparet quàm ſit enorme ſcelus perſequi Chriſti doctrinam & ſeruos, quanquam homines zeli velo conātur excuſare tā impium facinus. Perſequuntur enim Chriſtum ipſum, quo ſcelere nullum eſſe maius poteſt Act. 9. quāquam ex iis tamē ipſis alii aliis grauiùs peccāt: Ij grauius, qui ſciētes veram eſſe eā doctrinam nihilominus inſectātur.

Leuiùs autem qui eam eſſe Dei doctrinam ignorant,inter quos fuit Paulus.In ſe verò primo dicit patefactam Dei clemētiam illam ingentem, quod non eſt accipiendum, ratione temporis. Omnes enim ſumus natura filij iræ, & neminē ante Paulum vocauit ad ſe Chriſtus, aut hodie vocat , qui non ſit natura illius hoſtis & perſequutor, ſi votū ſpectes: Sed ſe primum vocat aliorum comparatione,& ſceleris ſui deteſtatione,id eſt , inſignem peccatorem & cæteris capitaliorem Eccleſiæ Dei. Definit autem fidem & à ſubiecto, circa quod verſatur(Eſt autem Chriſtus)& à fine, quem ſpectat vel potius ſperat.Eſt autem vita æterna.

17 Regi autem æterno,immortali, inuiſibili,ſoli ſapienti Deo honor , ſit *& gloria in ſecula ſeculorum.Amen.*

Epiphonema,id eſt,ſententia ſummi ardoris & vehementiæ plena,in quam ex diuinæ erga ſe miſericordiæ meditatione erumpit Paulus,quoniam zeli ſui feruorem,& ſuæ gratiarum actionis ſilentium comprimere iam non poſſit amplius. Itaque effundit hanc præclariſſimam vocem de ſtupenda Dei bonitate, primùm quidem erga ſe patefacta: deinde quæ cernitur in cæteris rebus omnibus. Quæ namque de Deo hoc loco dicuntur,illi ſemper competunt, quanquam ad Pauli cōuerſionem optimè quadrant , in qua Deus ſuæ bonitatis , ſapientiæ,gloriæ, & immutabilitatis ſpecimen eximium oſtendit.Ergo ſi quid mirum & incredibile ineſt ac occurrit in tanta Pauli conuerſione : ne mirentur.nam eſt Deus qui conuertit, Deus, inquam,ille rex,& æternus,qui poteſt omnia , & ab æterno fuit. Si quid alienum , & nouum apparet in eadem factum conuerſione , eſt Deus ille ſapiens.Si quid præter humanam rationem extitiſſe cernitur,idem ille Deus eſt inuiſibilis, vt qui alia, quàm carnali ratione operatur & exequitur ſua conſilia,ſua beneficia confert,& Euangelium ſuū prouehit. Itaque hæc omnia Epitheta ſunt tot ἀπολογίαι,ne fictitium hoc eſſe videatur, ne impoſſibile factu quod Paulus de ſe narrat, & de Dei miſericordia in conuertendis ſceleratiſſimis.

Similia Epiphonemata paſſim apud Paulum occurrunt,vti Romanor.9.v.5.& infra 6.v.16.

Quatuor autem Epitheta Deo tribuit. Vocat enim Regem ſeculorum,immortalem,inuiſibilē, ſapientem & quidē ſolum.Alia quoque alibi Deo nomina tribuuntur, ſed hîc ſelegit Paulus , quæ magis circunſtantiis ſui facti & vocationis conueniebant,Rom.1.v.20.& Exod.34.v.6.7.& paſſim in Pſalmis & hæc,& alia leguntur.

Rex ſeculorum) dicitur quia condidit tempora non tantùm hæc quæ dicuntur Αἰώνια Tit.1.v. 2.& à rerum conditarum ſiue creatarū initio cœperunt : ſed illa quæ fluxerunt ante mundi creationē ſi modò nobis liceat bona Peripateticorum veniâ illam durationem tempus appellare,vt docet Auguſtinus in lib.Confe.11. Eſt enim Deus ante omnem temporis non tantùm durationem:ſed etiā cogitationem. Itaque quidā Ἀΐδιον propterea Deū appellare malnnt,& diſtinguit Baſil.in lib. contra Eunomium inter ἄφθαρτον,ἀθάνατον,Αἰώνιον,& Ἀΐδιον. Iſtud tamen Epitheton quidam de Chriſto propriè ſcribi putant, quia Pater ſeculi nominatur Iſai.9.v.6.ſed alius eſt illius loci ſenſus.Idcirco autem Deus.i. Trinitas ipſa appellatur Rex ſeculorum ,vt immutabilis & æternus Deus eſſe intelligatur,qui nullum temporis principiū habeat: Cui ſubſequens eſt,vt ſit immortalis. Hoc enim ſignificat ἄφθαρτος.Nec ſanè ad mores incorruptos pertinet hæc vox,vt nonnunquam accipitur. ſed finē temporis excludit , quemadmodum æternitas principium ὑπάρξεως.

*Inuiſibilem)*vocat iuxta illud Chriſti,Deum nemo vidit vnquam Ioan.1.v.18.id eſt, humano viſu Deus conſpici non poteſt,vt explicat Auguſtinus lib.1.de Trinitate cap.6. Beati quidem Deum vident & videbūt,ſed alia ratione & viſione, quàm hæc noſtra eſt.Hoc de ſolo Patre quidam dici putant, quia Filius per carnem aſſumptam factus eſt nobis conſpicuus Deus quemadmodum etiam loquitur Paulus infra 3.v.16. At nec in Chriſto ipſa deitas fuit conſpecta,imò velo carnis fuit obducta & obtecta.Præterea dicit Chriſtus ipſe,qui me videt,videt & Patrem Ioa.14.v.9. vt ad Filium quoque hic locus referri debeat,quatenus Deus eſt.

*Sapientem)*vocat non eo modo, quo nos homines ſæpe ſapientes dicimur,ſed incomprehenſibili prorſus ſapientia, qua ſolus ſapiens eſt & quæ quemadmodum ait in 1. Corinth.2. ſapientia repugnat & aduerſatur mundi & hominum ſapientiæ,vt ſi quid in ipſius operibus non comprehendimus,obmuteſcamus,& Dei conſilium immenſum adoremus,non autem intemperie quadam animi agitati obſtrepamus Deo,quod multi faciūt.

Soli) Quæſitum eſt vtrum hæc vox ad Deum, an ad vocabulum ſapienti ſit referenda : quaſi hîc Deus vel ſolus Sapiens, vel ſolus Deus appelletur qui eſt æternus , immortalis , inuiſibilis. Variæ ſunt interpretationes.Ego verò potius exiſtimauerim illud coniungendum eſſe cum proxima voce,Sapienti.Hîc enim miram Dei ſapientiam prædicat Paulus, quæ nulli homini ſatis nota eſſe poteſt , per quam è miſerrimis & deſperatiſſimis peccatoribus,& Euangelij perſecutoribus præcones , paſtoréſque Eccleſiæ ſuæ facit mutans eos mira ſua potentia & virtute,vt ex lupis ſæuiſſimis fiant oues placidiſſimæ Iſai.11.

Honorem autem & gloriam tribuit Deo. Alibi alia quoque tribuuntur,vti in Epiſt. Iudæ in fine & 2. Petri 3.v.18. quæ duo videntur ita ſeparari & diſtingui poſſe, vt τιμὴ ſit ipſius maieſtatis Dei excellentia,ſplendor,admiratio,& virtus : δόξα verò illius tantæ virtutis prædicatio,præconium,& celebratio , quæ fit ore hominum,vel Angelorum. Prius enim Dei maieſtas agnoſcenda eſt,pòſt prędicanda. Similis autem huic locus eſt 1.Chronicor.29.ver.11.

Quæritur autem,Vtrum hæc de ſolo Patre , an etiam de Filio dicantur,& de Spiritu ſancto ; quia Arriani ad ſolum Patrem hæc pertinere volunt, quem vnum propriè quoque contendunt eſſe Deum.Chryſoſtomus autem ad Filium hîc refert. Reſpond.Si verba ſpectentur , ad Patrem referri, cui ſuprà quæ ſunt propria diuinitatis tribuerat Paulus:ſi tamen res ipſa definiatur etiam ad Filiū, & Spiritum ſanctum referri,quia paris ſunt Filius & Spiritus ſanctus cum Patre dignitatis:& confirmatur 2. Petri 3.v.18. noſtra ſententia. Quia verò ſuperio.verſiculo Chriſtum nobis vti mediatorē, & hominem Paulus propoſuit , ex more ſuo & ſcripturæ , in Patris perſona complectitur & reſtringit,quæ ſunt propria diuinæ naturæ. Eſt ve-

A rò periculoſa Eraſmi annotatio ad hunc locum, qui id rarum eſſe in Apoſtolicis literis ait, vt Dei vocabulum Chriſto & Spiritui ſancto tribuatur. Ac ne in ſymbolo quidem Apoſtolico, Filium & Spiritum ſanctum Dei nomine concedit proponi nobis. In quo toto cœlo errat. Nam qua ratione Patrem confitemur eſſe Deum, cùm dicimus Credo *in Patrem*:eâdem etiam Filiū agnoſcimus Deū, quia ſic enuntiamus,& *in Filium* : idem de Spiritu ſancto & *in Spiritum ſanctum*, præterquā quod ita pronuntiatur prima illa pars Symboli Credo in Deū,vt illic diſpūctio adhibeatur Credo in Deū, & ſubſiſtat vox : deinde explicatur quis ſit ille Deus,nempe Pater, Filius,& Sp.ſanctus diſtinctè.

18 *Hoc mandatum commendo tibi, fili Timothee,* nempe *vt ſecundum prægreſſas de te prophetias, milites per eas bonam illā militiam.*

Regreſsio eſt ad propoſitum,& huius Epiſtolæ proprium argumentum,quod digreſsione illa ſuperiori de vocatione miraculoſa Pauli fuerat interruptum.Ergo poſtquam à quibus vitiis Paſtori B Eccleſiæ ſit cauendū docuit, adiicit quæ ſit ſumma totius muneris ipſorum, nempe vt & Fidē ſanam habeant,& Conſcientiam bonam & integrā. Fidei nomine doctrinā vniuerſam intelligit, quæ ex puro Dei verbo docetur in Eccleſia :imprimis autem Euangelium ſignificat,quæ pars Scripturæ fidem nobis propriè proponit, Bona conſcientia ad ipſius paſtoralis muneris executionem pertinet. Facit enim illa, vt ſyncerè rectè & integrè, quemadmodum oportet, in toto & vitæ & vocationis noſtræ curſu verſemur, & nauigemus, donec ad portum peruenerimus. Eſt autem is portus mors.De vtraque ſup.copioſè ver.5.

Ex hoc autem loco facilè intelligi poteſt, quod paſtoris mun⁹ eſſe velit Paulus.Id quod ipſe Tit. 1.v.9.amplius docet,& Petrus 1.Pet.5.v.2. Nempe vt paſcant gregem Domini verbo Dei,quod proprium eſt animorum alimentum. Ad quod & doctrina pura, ſiue ſana cognitione illius verbi opus eſt : & prudenti ſynceráque eiuſdem diſpenſatione,& ὀρθοτομίᾳ vt loquitur Paulus ipſe inf.2.Timo. 2.id eſt,ne ſit perſonarū acceptator Miniſter verbi C Dei:ſed exactor à quoque officij, & cultus Dei. Quod ſi idem tunc de officio Epiſcopi receptum & conſtitutum fuiſſet, quod poſtea & in Papatu conſtitutum eſt, certè neque doctrinā neque bonam conſcientiam commendaret & requireret in Epiſcopo Paulus. Quanquam enim Epiſcopū explorandum & examinandum illi ſcribunt cano. Qui Epiſcopus ordinandus .diſtin.23.tamen cùm munus Epiſcopi deſcribunt & definiunt,eo modo illi loquuntur, vt nihil planè cum hoc Pauli loco conueniat in can. Perlectis diſt.25. Ad Epiſcopū pertinet Baſilicarum conſecratio, Vnctio altaris, conſecratio Chriſmatis:ipſe prædicta officia & ordines Eccleſiaſticos diſtribuit:ipſe ſacras virgines benedicit,&c.Quæ mera ſunt tam ſanctæ dignitatis ludibria, nimirum tam procul à vero Epiſcopatus fine in Papatu receſſum eſt.

Commendat autem Paulus hanc ſuam, quanquam breuem paſtoralis muneris deſcriptionem duplici argumēto, Generali,& Speciali,quo diligentiùs & à nobis omnibus, & à Timotheo ipſo excipiatur & obſeruetur. Generalis quidem ratio eſt quę à genere ſumpta eſt,dū Præceptū appellat, A ergo non negligēdū impunè,& Depoſitū.Specialis ratio cōmendationis ſpectat Timotheū,& tū à ſuo in eū amore, tū ab ipſius officio ducitur , qui Prophetias de ſe habeat plures Præcedētes, vt certus ſit de Dei auxilio, & ſua vocatione. Quod ad Prophetias, quidam, vt Chryſoſtomus , eas accipiunt de ordinaria via & electione , quam obſeruatam eſſe vult in Timothei electione: alij de extraordinaria accipiunt, qualis illa, quæ clara Dei voce facta eſt Act.13.Tale de Timotheo extitiſſe Dei teſtimonium volūt.Act.16.v.2. Ego extraordinariam electionem accipio hoc loco.

Vt milites per eas .)Explicat Paulus qui modus ſit Euangelici miniſterij fideliter exequendi, nimirū durū ſæpe certamē ſubeundū eſſe,ſed in eo debere Timotheū ſuſtētari bona ſpe quæ Dei promiſſionibus generalibus,& præcedentibus illis Prophetiis incumbat.Miniſterij verò Euangelici curſum cōparat militari certamini,nec hîc modò,ſed in 2.Timo.2.v.3,4.v.7.vti & Deus ipſe ſe cōparat duci. Exod.15.v.5.vt intelligatur qualis ſit Miniſtrorū conditio,nimirū dura & certaminū aduerſus hæreſes & vitia hominū plena. B Neq; verò hoc facit,vt Epiſcopi militarib⁹ ſe negotiis immiſceāt. Iure enim damnātur,qui arma tractant,Epiſcopi. Nā nemo militās Deo,ſe implicare debet illis negotiis 2.Timo.2.v.4.Hoc enim genus militiæ eſt ſpirituale,non carnale,& arma Epiſcoporum ſunt ſpiritualia:nēpe,preces,lachrymæ,verbū Dei:non autem carnalia,qualis eſt gladius,bombarda,&c.

19 *Retinens fidem & bonam conſcientiam: qua repulſa, nonnulli fidei naufragium fecerūt.*

Continuatio eſt : ſimilitudine enim docet quātum ſit erroris huius,qui in miniſterio Euangelico cōmittitur ,imprimis autem in bonæ cōſcientiæ deſertione periculū. Eſt enim fidei naufragiū. In quo & magnitudo periculi , quia fit iactura fidei:& terror oſtenditur atque metus, quia naufragiū appellatur. Eſt igitur bona conſcientia velut arca fidei & ſanæ doctrinæ,ac intelligentiæ theſaurus:tanquam illius cynoſura,à qua qui deflectunt, ſe & nauem, id eſt, intelligentiam illam ſanā perdunt,iuſto Dei iudicio in eos graſſante perciti.Ex C ea igitur ſcilicet bona conſcientia totum vitæ noſtræ curſum regere debemus. Quod autem bonā conſcientiam homines Ethnici cōmendant,quale eſt illud, Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa. Hic murus aheneus eſto.&,Conſcientia mille teſtes.item, Bono viro nihil præter culpam præſtādum, & cætera huiuſmodi : vim quidem teſtimonij conſcientiæ demonſtrant,quanta ſit:præcipuū tamen periculum, quod ex ea ſpreta metuendum eſt,non oſtēdunt, quod eſt hoc, amiſſio & euerſio verę fidei doctrinæ,& cognitionis de noſtra ſalute & Dei erga nos miſericordia.

20 *Ex quibus Hymenæus & Alexander: quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare.*

Hoc ipſum duobus exemplis confirmat,Hymenæi & Alexādri, de quorum altero agit hic ipſe in 2.Tim.2.v.17.cuius errorem qualis fuerit deſcribit,in quē Alexādrū quoq; incidiſſe veriſimile eſt. Fuit autē hic Alexāder Epheſi⁹ Act.19.v.13.Vtrūque autē ad terrorē cæterorū pſeudopaſtorū punit Paulus excōmunicatione quā ſolenniter antea in Eccleſia factam fuiſſe verum eſt.Hîc autē eam

repetit,

A repetit, vt intelligant omnes, quo iudicio digni ſint omnes hæretici obſtinati. Verba autem hæc *tradidi Satanæ* quid ſignificent, D. Beza in 1. Cor. 5. v. 5. explicuit, ad quem lectorem remitto. Nam illìc melius explicatur, quàm in canon. Audi denique. De forma vero Papiſticæ excommunicationis vbi duodecim Sacerdotes circumſtant Epiſcopum & lucernas ardentes habent, quas in terram proiiciunt. vide canon. Debent duodecim Sacerdotes 11. quæſt. 3.

CAP. II.

ADhortor igitur ante omnia vt fiant deprecationes, preces, poſtulationes, gratiarum actiones pro quibuſuis hominibus.

Tranſitio eſt ad alteram Euangelici muneris partem, quæ eſt publicarum precum pro quolibet hominum genere conceptio & profuſio coram Deo. Quæ diſputatio commodè ſubiicitur tum ad ſuſceptum argumentum, quia paſtorem Eccleſiæ B de omnibus ſui muneris partibus Paulus informat: tum etiam ad ſuperiorem concluſionem, quia hoc ipſum eſt optimum pietatis Chriſtianæ exercitium, & veræ fidei conſeruandæ modus tutiſſimus. Precibus enim impetramus à Deo, vt in ſana ipſius doctrina & metu pergamus, confirmemur, & creſcamus. Hoc autem loco & capite Paulus breuiter complexus eſt, quæcunque de oratione ſiue precibus Chriſtianorum quæri poſſunt. 1 Quæ ſit, & quot eius genera. 2 A quibus ſint preces fundendæ. 3 Pro quibus. 4 Vbi ſiue quo in loco. 5 Quando. 6 Quomodo & qua cum animi reuerētia, & totius cœtus decoro: quæ ſingula ſuis locis à nobis (Domino dante) explicabuntur.

Loquitur autem imprimis Paulus de publicis Eccleſiæ precibus, non de ſingulorum Chriſtianorum priuatis precationibus, quæ fiunt à quoque domi & in conclaui. Nec enim has in domibus ſingulorum fidelium paſtores facere debent: vel ſufficiunt.

C Sed primo loco quæſitum eſt, Quot ſint paſtoralis curæ & muneris partes, vt intelligatur quàm rectè & ordine omnia perſequatur Paulus. Reſpondent Canoniſtę eſſe tres, Altaria ſiue baſilicas totas conſecrare: virginibus benedicere: Eccleſiaſticos ordines diſtribuere, vt diximus ſupra ex canon. Perlectis §. Ad Epiſcopum, Diſtinct. 25. Hæc Euangelici miniſterij definitio prorſus inepta eſt, & vana, cùm nihil huic ſimile doceat Scriptura. Quare illi ipſi ſe reuocant, & alibi corrigunt, & melius ſapiunt, tota diſtinct. 85. Nam docent Epiſcoporum munus eſſe vt doceant, corripiant, liberales ſint. Priora duo reipſa pars ſunt paſtoralis muneris: tertium & poſtremum non item, ſed illi cum omnibus Chriſtianis commune. in Epiſt. verò ad Hebræos cap. 5. v. 1, 8. ver. 3, 9. verſ. 24. dicitur fuiſſe officium Sacerdotis offerre, & precari pro populo. Paulus in Epiſt. ad Titum 1. verſ. 9. inf. ca. 4. ver. 11. 2. Timoth. 4. verſ. 2. ait, miniſterium Euāgelicum poſitum eſſe in eo, vt paſtores doceant ſanam doctrinam, refutent falſam, denuntient & corripiant ſiue increpent aberrantes in Eccleſia. Hìc autem addit etiam ad eoſdem paſtores pertinere, vt ipſi pręcentur publicè pro tota Eccleſia, & pręcipuis illius membris. Ratio eſt, 1. quia, vt ait A Chryſoſtom. Paſtor eſt velut communis totius cœtus pater, Qui omnium curam gerit. 2. Quia eſt publicum totius Eccleſiæ os, vt nos in doctrina, & iis quæ huic connexa ſunt, erudiat, qualis eſt oratio. Ergo & precari debet, quia eo precante tota Eccleſia orat. 3. Hoc fuit officium olim ſacrificatoris, in quo nulla cæremonia continetur. Hebr. 9. verſ. 24. Numeror. 6. ver. 23. 4. Denique mos veteris Eccleſiæ, quæ Dei ſpiritu regebatur, in qua pro toto cœtu, & ipſius nomine Paſtores fundebāt preces DEO, & populo benedicebāt, vt ex variis hiſtoriis cōſtat, & annotat Auguſtinus Epiſt. 90.

Ergo cùm ſint hæc tria præcipua paſtoris munera & officia, Docere, Corripere, & Precari, cōplexus eſt Paulus Docēdi verbo etiam correptionem. Precationem autem hìc ſeorſim perſequitur, quia eſt miniſterij Euangelici pars præcipua, vti diximus.

Magnam autem vim eſſe huius publicæ precationis, & magnam illius habendam eſſe curam à paſtore, docent hæc verba Pauli & commendatio, *ante omnia* πρῶτον πάντων. Eſt enim comparatio, & B commendatio huius exercitij, tanquam omnino neceſſarij in Eccleſia Chriſti, & vtiliſſimi, denique retinendi. Neque tamen hæc verba confirmant, vel iuuant Audæorum ſiue Meſſalaniorum hæreticorum errorem, qui puppim & proram ſalutis in precationibus, id eſt, certis ſtatiſque horis factis orationibus & demurmurationibus (quod hodie faciunt Monachi Papiſtici) ponebant: ſed tantùm docet Paulus, quàm debeamus ſedulò & diligenter precari Deum: & quàm ſolicitum de eo debeat eſſe non modò paſtoris, ſed ſingulorum etiam fidelium ſtudium. Preces enim publicas quidam impiiſſimè etiam hodie contemnunt.

Ait autem Paulus, *Adhortor*, Quę vox negligentiam noſtram perſtringit, & arguit. Quanquam enim & Dei ipſius maieſtas, & promiſſio iuſsióq;, item fructus ipſe, quē ex precibus noſtris vberrimum ſentimus, ſatis nos ad precandum excitare deberet, ſumus tamen natura noſtra mirè ad orādum frigidi, & torpentes. Itaque exhortandi & euigilandi ſumus. Chriſtus ipſe nos ad petendum & precandum adhortatur. Petite & inuenietis, C Matth. 7. ver. 7. Væ igitur ſomnio pigritięque noſtræ &c. Luc. 17.

Vt fiant deprecationes.) Primum præceptum ponit quod eſt, faciendas eſſe preces in Dei cœtu cui ſecundum adiungit, nempe pro omnibus: ex quibus tertium iam facilè colligi poteſt, A quo fieri debeant: nempe, à paſtore. Nam agit (vti diximus) de publicis precibus. Sed ex hoc ipſo loco definiri poteſt, Quid ſit oratio, & quot illius ſint genera ſiue ſpecies. Precandus eſt igitur Deus quod extra dubium eſt, & concedunt non modò Chriſtiani homines: ſed etiam Ethnici & profani, vt & Tertullian. in libro de Teſtim. conſcientię: & Iuſtinus Martyr in lib. de Monarchia Dei copioſè docent: item, Iuuenalis, Perſius, & Horatius & alij Poëtæ id docent. Homerus, & Virgilius, qui ſuos inducunt preces fundentes ad Deum, & eum inuocantes. Nec gens vlla eſt, quæ ſi teſtimonium & vocē propriæ conſcientiæ audiat, hoc axioma neget eſſe verum, vel refutet.

Vult autem Paulus fieri deprecationes, preces poſtulationes, & gratiarum actiones. In quo pri-

A mum eſt obſeruandum non temere tot voces eſſe ſimul congeſtas,ſed partim vt precandi aſſiduitatem & ſtudium inflammet, incitet & iniiciat nobis his tot verbis,nóſque excitet, quemadmodum dixi:partim verò vt diuerſa eſſe precationum genera oſtendat,quemadmodum diuerſi ſunt hominum affectus,diuerſa hominum conditio,diuerſa noſtri ſtatus ratio,& ita paſtor ſcitè accommodet quæ ſunt cuiuſque orationis generis propria. Denique,vt oſtenderet Paulus regum ,& principum, cęterorúmque hominum commemorationem in nullo precum genere omittendam eſſe, tot ſpecies commemorauit, itáque omnes negligentiæ tollit excuſationes.

Cap.1. Quæritur autem primum quomodo hæ voces differunt, δέησις, προσευχή, ἔντευξις, & Εὐχαριστία. Quod vt commodè fiat,primùm explicetur & definiatur, quid ſit oratio in genere.

Eſt oratio (ait Damaſcenus) πρεπόντων αἴτησις , id eſt,Decentium poſtulatio petitióque à Deo. Igitur complectitur res,quæ ſunt à Deo poſtulandæ. Illas enim ſolas fas eſt,& decet nos petere à Deo. B Dicitur autem à Latinis Oratio ab ore, quia ore fit. Nec enim orationem vocabant quæ intus & corde tantùm conciperetur , non etiam ore proferretur. Vnde orationis vim in dicendo maximam & in geſtu eſſe reſpondent. Varro libr.5.de lingua Latina. Hebræi vocant תפלה à iudicando, quia deiici nos coram Deo neceſſe eſt,ſi verè precari velimus , id quod ex animo ſenſúque noſtræ inopiæ facilè fiet. Definitur etiam oratio Dei veneratio animi noſtri vota & affectus illi pandens, vt auxilium ab eo impetremus. Id colligitur ex Tertulliano & Pſ.142.v.2.

Quotuplex autem ſit oratio quæritur.Reſp.Eſt duplex,implorans eáque pro nobis , vt Bona det Deus,Mala auertat & auerruncet:vel pro aliis.Et agens gratias,Eſt Εὐχαριστία vti Pſ.22.

Quæ inuocat & petit αἴτησις appelletur nomine generali,& oratio ſiue εὐχή.Quæ verò pro nobis ipſis poſtulat à Deo bona προσευχὴ dicitur,vt Pſal. 61.Quæ petit vt à nobis auerruncentur & abigantur mala,δέησις,vti Pſ.140.

Quæ pro aliis interpellat & intercedit apud Deũ C eſt ἔντευξις,vel μεσιτεία.Hæc tot ſunt genera precationum publicarum.Vide tamẽ Auguſt. Epiſt.59.

Cap.2. Quæritur autẽ à quo fieri preces debeat & poſſint.Reſp.Ab omnibus in vniuerſum : ſed priuatæ à priuatis.Publicę verò à ſolis iis qui Eccleſiæ præſunt, quales paſtores & olim Diaconi. Ac quoad priuatos ſcribit Chryſoſtom. iam olim fuiſſe ſolitos Chriſtianos bis in die ſcilicet,mane, & veſperi domi precari,adeò vt milites ipſi in caſtris id conſueſſent, & data eſt illis à Conſtantino breuis formula & precatio,quam mane & veſperi dicerent.Euſeb.lib.4.de vita Conſtantini. Sed de publicis precibus hîc agimus.

Primùm igitur paſtores debent precari publicè, ad eos enim hæc res pertinet. Sed etiam ex veteri Eccleſiæ diſciplina Diaconi poſſunt & Preſbyteri etiam ij,qui doctrinã non tractant. Eorum enim muneri preces adiunctas fuiſſe ſcriptum eſt,in cano.Perlectis, §. ad Diaconum diſt.25.& apud Socratem Scolaſt.li.2.Hiſtor.cap.11. etiam præſente Epiſcopo,quanquam eodem præſente ſacramenta adminiſtrare Diaconus non potuit,vt eſt in cano.Peruenit,diſt.93.niſi ab Epiſcopo iuſſus eſſet.

Quod autem obiici poteſt de Solomone, qui, A adſtante ſummo ſacrificatore, tamen preces publicas pro populo fudit,vt eſt 1.Regum 8.v.14. nõ obſtat.Hoc enim ſemel tantùm factum eſt,& quidẽ extraordinariè. Nã Azarias rex & ſucceſſor Solomonis,qui in Sacerdotij munus irruere voluit,à Deo lepra percuſſus eſt,& ſegrex factus 2. Regum 26.verſ.18.

Cap.3. Quæritur pro quib. fieri debeant preces.Reſp.pro omnibus,id eſt, quouis hominum genere,religione,ſexu,ætate,cõditione. Sic enim vox πάντες hoc loco ſumitur , vti & poſtea quemadmodum doctiſſimus Beza obſeruauit. Ratio eſt,Quòd homines quoſuis pro Dei creaturis , & pro proximis noſtris agnoſcere debeamus. Ergo omniũ vita,ſalus,& cõditio nobis curæ debet eſſe,nec quiſquam negligendus , quantumuis pauper,humilis & abiectus.

Excipiunt tamen quoſdam Scholaſtici , imprimis inimicos noſtros,pro quibus non putant ſpecialiter orandum eſſe. Communia enim humanitatis officia tantùm illis tribui oportere:non autẽ hæc tam egregia,quæ ſolis amicis debemus,qualis B eſt oratio.Durand.in lib.3.Sẽtent.diſtin.30.quęſt. 1.& Thomas in 2.2^{æ} quæſt.25.Quæ ſententia quàm ſit falſa docet Chriſtus ipſe Matt.5.v.44.Precamini pro iis,ait,qui vos infeſtãt.item docet hîc Paulus qui iubet nos precari pro regibus , qui tunc proculdubio erant infeſti hoſtes Chriſtiani nominis,& perſecutores.

Quæritur verò vtrum pro excommunicatis & hæreticis ſit in publicis precibus precandus Deus. Nam qui orat cum excõmunicato , eſt & ipſe excommunicatus.canon. Qui communicauerit 11. quæſt. 3. quĩ canon eſt ex conc.Carthag.4.cap.73. Deinde dicit Ioan. ne ſalutandos quidem eos eſſe, aut Aue illis dicendum 2.Ioan.ver.10.11.quare nec pro iis videtur eſſe precandum.Reſpond. Cùm aberrantes ſint in viam reuocandi,vt monet Iacobus c.5.v.19.nec excommunicatio ad ſubuerſionẽ, ſed ad ædificationem ſit inſtituta, vt conuertatur ad Deum qui peccauit.2.Cor.7.v.10,10.v.8. etiam pro hæreticis & excommunicatis eſt precandum, eóque vehementius & ardentiùs,quò magis ſunt à Deo illi alieni & exitio ſuo proximi. Atque hæc C breuis reſponſio eſt.

Quęritur etiã Vtrũ pro viuis ſolùm ſit in Eccleſia precandũ,an etiã pro mortuis:hæc quæſtio videtur ardua & valde difficilis propter morẽ veteris Eccleſiæ,& propter ea quæ ſcribit Epiph.cõtra Aerianos hæreſ.75.qui hoc fieri debere negarunt. Omitto enim quod Papiſtæ ex 2.Machab.12.v.43. & 45.afferũt.Primùm enim non ſic legitur , vt legũt,Bonum eſt orare pro mortuis,& totus ille locus pertinet ad ſpẽ de reſurrectione carnis, nõ ad preces pro mortuis.Deinde quod eſt v.46.*Res eſt igitur ſalutaris & ſancta* , planè gloſſema eſſe apparet.Denique nec fidẽ meretur ille totus liber cùm ſit Apocryphus,& excuſationem authoris longe à Canonicis libris diſſimilẽ cõtineat c.15.v.39. Afferũtur igitur teſtimonia veterũ,imprimis autẽ Auguſtini li.de Cura pro mortuis c.18. quod canonizatur(vt vocãt)cano.Nõ æſtimemus 13.quæſt. 2.itẽ aliud eiuſdẽ Auguſtini dictum c.110.in Enchirid. Sed etiã Arnobius vetus ſcriptor Eccleſiaſticus idẽ cõfirmat li.4.Aduerſ.gentes ſub finẽ libri, nempe pro viuis & mortuis in Dei Eccleſia preca-

tos

A tos eſſe Chriſtianos.Reſpon. Nullo verbi diuini fundamento niti Auguſt.vel Arnobium, ſed ſola quadã erga mortuos beneuolentia & humanitate, ſolíſque coniecturis.Id quod nec Auguſtinus ipſe diſſimulat. Præterea poſſunt adduci alij eiuſdem Auguſt.loci,ex quibus quàm varius in ea re fuerit intelligetur,quemadmodum in Enchirid,pridem annotauimus. Denique opponuntur Auguſtino ſcriptores,patréſque Eccleſiaſtici, & ij quidẽ pij, & Orthodoxi,quẽadmodũ Ambroſius in lib. qui inſcribitur Abrahã cap.9.vbi id tantùm mortuis à viuis præſtandũ docet,vt eos ſepeliant: nõ vt pro iis orent, id quod etiam videtur confirmari poſſe reſponſo Chriſti quod eſt Matt.8.v.22. Obiicitur etiã Hieronymus, cuius hæc eſt apertiſſima ſententia.In præſenti ſeculo ſiue orationibus ſiue cõſiliis inuicem poſſe nos iuuari. Cùm autẽ ante tribunal Chriſti venerimus,nec Iob,nec Noe, nec Danielẽ,rogare poſſe pro quoquam. Quam ſententiam Papiſtæ ipſi in ſuos canones retulerunt Can.in præſenti 13.diſt.2.

Origo autem huius mali ex paruis initiis cœpit. B Primùm ex eo quod cœpit piorum,qui pro nomine Chriſti paſſi erant,& mortui,in Eccleſia & imprimis in Synaxi,publica mẽtio publicè fieri. Vnde Martyrologia nata ſunt, qui ſunt libri in quibus nomina Martyrũ deſcripta erant,quæ ex ſcripto in cõmunicatione Cœnæ recitabãtur. Inde ad eorũ ſepulchra cœperũt homines precari, & vigilias agere,& liba offerre, vt docet Auguſtinus in li.de Moribus Eccleſ.c.14. & Epiſt.119.quẽ tamẽ morẽ idem Epiſt.64.ſublatũ & abolitũ eſſe cupit.

Addunt Papiſtæ quaſdã exceptiones alias, quæ ſunt nullius momenti.Ac primùm interdicunt ne omnino pro iis oretur, qui ſibi manus violentas attulerunt:qui ſi mortui ſunt,vera eſt eorum ſentẽtia,ſin minus,falſa.Poſſunt enim reſipiſcere.Eſt tamen hoc Papiſtarũ dictum in cano.Placuit vt hi 23.quæſt.5.& eſt ex concil.Braccarenſ.Act.34.

Deinde iubent,ne precemur pro clericis qui in bello pro Gentilibus occubuerunt,dũ eorũ partes & caſtra ſequuntur.Eſt ex Tiburiẽſi cõcilio in cano.Quicunque clericus 23.quæſt. 8.Sed hæc exceptio vana eſt,quia non eſt pro mortuis orandum.

C Excipiũtur igitur ab hoc Pauli dicto ij ſoli,qui in Spiritum ſanctum peccant,pro quibus minimè eſt precandũ,quemadmodũ docet Ioan.1. Epiſt.5. v.16.& exemplo Saulis confirmatur 1.Sam.16.v.1.

2 *Pro regibus & quibuſuis in eminentia conſtitutis : vt tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate & honeſtate.*

Πρόθεσις quæ non modò ſuperius præceptum illuſtrat:ſed etiã explicat. Addit enim illud ipſum, de quo magis ambigua & anceps quæſtio erat pro ratione temporis,quia tum omnes penè magiſtratus:imprimis autem ſummus, qui erat Romanor. Imperator,erant & infideles, & perſecutores Eccleſiæ.Iubet tamẽ vt pro iis Magiſtratibus precemur,non tantùm Summis,quales regũ nomine ſignificantur:ſed etiã Inferioribus,qui deſcribũtur ex eo,quod ſupra reliquum populũ eminent.Dubitati verò de iis maximè potuit,quòd Euangelicæ doctrinæ eſſent hoſtes, qualis Nero Imperat. Diſſimilis locus 1.Theſſal.2.v.16.vbi qui prædicationẽ Euangelij impediũt,in manifeſtorũ reproborũ numero & albo recenſentur. A Deinde vetus Eccleſia preces concepit aduerſus Iulianum Apoſtatã imperatorem.Sed ſolutio ex eo eſt, quod ij, de quibus agit Paulus in Theſſ.c.2.non ignorãtia, non ſola infidelitate animi : ſed obſtinata prorſus malitia peccabant,& tanquã in Spiritũ ſanctũ, vti peccauit Iulia.Apoſtata. Diſtinguendi verò ſunt qui hoc modo peccant ab iſtis, de quibus agit Paulus hoc loco.

Similis locus eſt,Hier.29.v.7.orate pro pace Babylonis.itẽ orate pro iis qui vos perſequũtur.Denique vetus mos Eccleſię idem probat,in qua pro Imperatoribus & præſidibus prouinciarum, quãquã eã affligerent,orabatur,quemadmodũ ſcribit in Apologet.Tertul.& Iuſtin.Martyr.Ioſephus li.2.de Bello Iudaico c.17.refert Sacerdotes Iudæos ſolitos eſſe in Templo Hieroſolymitano precari pro regibus externis,& idololatris, ijs præſertim, qui illis imperabant.Proſper li.1.de Vocatio. Gẽtiũ c.12.ſcribit ſuo tẽpore celebratas fuiſſe in Eccleſia huiuſmodi precationes.Supplicat enim Eccleſia Deo,ait,non tantùm pro ſanctis & in Chriſto B iam regeneratis,ſed etiã pro omnibus infidelibus& inimicis Crucis Chriſti,pro idolorum cultoribus,pro Iudæis,&c.

Donatiſtę tamen contrà diſputant,quòd Imperatoris edicto pœna in eos,ſi in errore perſtarent, indicta eſſet.Nullos enim aut paucos omnino reges pios fuiſſe contendunt, vel Eccleſiæ fauentes. Sed eorum argumentis ineptiſſimis & falſiſſimis reſpondet Auguſtinus in lib. Contra ſecundam Epiſt.Gaudentij.

Addit autem rationem Paulus,quò & ſuperiorẽ exhortationẽ confirmet,& nos ardentiùs inflammet,atque ſtimulos addat & excitet ad officiũ.Eſt autẽ ducta hæc ratio ab immẽſa quadam vtilitate, quæ triplex hîc enumeratur, nimirum quòd Magiſtratuum ope & miniſterio Pax,Pietas, & Honeſtas inter homines ſtabilitur & conſeruatur.

Ac pax quidem ſiue tranquillitas tũ publica tũ priuata, ad quam conſtituendam ordinatus eſt à Deo Magiſtratus:atque etiã Dei præcepto gladiũ gerit,vt docet idem Paulus Rom.13.Vtraque verò pax eſt Dei donum,& ſummũ omninóque neceſſarium humanæ ſocietatis retinendæ vinculum. C

Pietas verò,quæ Dei cultum continet,etiam ad Magiſtratus politici,non tantùm paſtoris curã & officium pertinet,quia vtriuſque tabulæ conſtitutus eſt cuſtos Magiſtratus. Auguſt.lib.3. Contra Creſco.c.51.In hoc Reges,ſicut eis diuinitus præcipitur,Deo ſeruiunt,in quantum Reges ſunt,ſi in ſuo Regno bona iubeant,mala prohibeant,nõ ſolũm quę pertinẽt ad humanam ſocietatem,verùm etiam quæ ad diuinam religionem.Conuenit autẽ hæc ſententia cum Pſal.101.& cum exemplis Ioſiæ, Ezechiæ,Theodoſij,Conſtantini Magni & aliorũ piorum regum, qui cultum Dei deprauatum ex ipſius verbo reformarunt & reſtituerunt. Ex hoc autem loco concludi certiſſimè poteſt etiam inquiſitionem de hæreſi,& punitionem eorum, qui meritò erroris & hæreſis damnati ſunt,ad Magiſtratum pertinere,quemadmodum etiam diſputauit Auguſtinus,quanquam Caſtellioniſtę hoc noſtro ſeculo negant,& farraginem omniúmque errorum licentiam concedẽdam ſcribunt & defendunt,ne quis,aiunt, propter ſuam opinionem pu-

A niatur, quaſi vera religio ſit opinio quædã & hominum commentum.

Honeſtas decorum propriè eſt, vt non tantùm noſtra cum proximo commercia regãtur rectis & æquis legibus, ſed etiam omnis honeſta modeſtáque conuerſatio inter nos locum habeat, etiam in rebus mediis, & quas indifferentes vocant veluti in cõmuni veſtitu, victu, officio, & quatenus pro quoque hominum genere & vocatione diſtinctio quædam officiorum eſt inter homines adhibẽda. Hæc εὐταξία, ordo & politia honeſta magnã ædificationem habet, & veræ pietatis quodammodo cuſtos eſt.

Confutat autem hic locus pulcherrimè Anabaptiſtas, qui Magiſtratum ex Eccleſia Dei tollũt, vt peſtiferam ἀναρχίαν inducãt. Quàm ſit autem illius vſus vtilis & Eccleſiæ neceſſarius vel vna hæc Pauli ſententia perſpicuè demonſtrat.

Sed quæſitum eſt, Num pro iis tantùm Magiſtratibus ſit precandum, qui ſuo rectè defunguntur officio, & à quibus pax, pietas, honeſtáſque cõſtituitur aut cõſeruatur. Reſp. Ipſum Magiſtratus finem, qualis à Deo præſcribitur, ſpectandum, nõ autem vitia perſonarum quæ eos gerũt. Hic enim in vniuerſum harum vocationum finis eſt, quem B proponit Paulus, propter quem nobis commendati eſſe debẽt Magiſtratus, id eſt, qui munus publicum gerunt, quanquã malè officio ſuo fungantur. Sed pro bonis orandũ eſt, vt eos nobis Dominus conſeruet. Pro malis autem vt eos cõuertat & ad officium faciundum excitet ſpiritu ſuo. Itaque ſemper pro ijs orandum eſt.

3 *Nam hoc bonum eſt, & acceptum coram ſeruatore noſtro Deo.*

Ἀπολογία eſt, eáque duplex. Nam altera ducitur à Noſtro officio vel rei ipſius natura καλὸν ἐστι: altera à Conſequenti vel connexis: ſunt preces tribuẽdæ magiſtratibus, quia & eos Dominus ad gratiæ ſuæ participationem & Eccleſiæ communionem vocat. Itaque hoc Eccleſiæ ſubſidio priuandi non ſunt. Ex hoc autem loco colligitur ecquod ſit verum noſtrarum precum fundamentum nimirum Dei volũtas & promiſsio. Hæc enim vna eſt optima C rectè legitiméque orandi regula quemadmodum etiã tradit Ioan. in 1. Epiſtola c. 5. v. 14. Denique hæc eadem valet in omni cultus Dei parte.

4 *Qui quoſuis homines vult ſeruari, & ad agnitionem veritatis venire.*

Altera ratio à connexis ſumpta eſt. Non ſunt enim priuandi & excludendi à publicis Eccleſiæ precibus ij, ex quibus Deus ipſe colligit Eccleſiã, & qui ad eam ſpe promiſsionéque à Deo accepta pertinent. At Magiſtratus, etiam qui nunc ſunt à Dei cognitione alieniſsimi, ſpe tamẽ ad eam pertinent. Quamobrem non ſunt eo fructu, dono & ea ſpe defraudandi. Ac propoſitio quidem huius ſyllogiſmi veriſsima eſt, quæ non tantùm hac ratione quæ naturalis eſt confirmatur, quòd quæ ſunt inter ſe connexa, non ſunt diuellenda, ſed etiã authoritate Scripturæ Act. 11. ver. 17. Non eſt noſtrum (inquit Petrus) Deũ prohibere & ijs gratiæ teſtimonia aut aditum denegare & præcludere, quibus eam Dominus ipſe largitur & concedit. Voto enim Dei ſubſeruire debemus.

Aſſumptio verò confirmatur à Paulo, & hîc diſertiſsimè eſt expreſſa, adhibetúrque argumẽtum à genere ad ſpeciẽ, ſic, vult Deus omnes homines A ſaluos fieri, & ad fidem & Eccleſiam vocari, Ergo & Magiſtratus.

Quæſitum verò eſt, quæ ſit huius tam generalis Pauli ſententiæ ratio, *vult Deus omnes homines*. &c. Reſpond. Explicari hac ſentẽtia antiqua Prophetarum vaticinia, quæ de vocatione Gentium loquuntur, in quibus, Dei gratia omnibus hominibus, ſublato nationis, ſexꝰ, ætatis, & ordinis diſcrimine, promiſcuè promittitur, imprimíſq; illa differentia quæ olim inter Gẽtes & Iudæos cõſtituta erat, hodie ceſſat, quale vaticinium eſt Pſal. 2. Pete à me & dabo tibi gẽtes in hæreditatẽ tuã. Mal. 1. v. 11. Nomen meum à ſolis ortu ad occaſum magnũ eſt etiam inter gentes Iſa. 11. v. 10. Et illo tempore, erit, requirent gentes radicem Ieſai, &c. In primis autem de vocatione magiſtratuũ ad fidem & Eccleſiam iidem Prophetæ Dei concionati ſunt, veluti Iſa. 32. v. 1. & 2. Ecce in iuſtitia regnabit rex, & principes in iudicio præerũt. & Erit ille vir velut latibulũ à vento, receptus ab imbre, riui aquarũ in terra arida: vmbra magnæ rupis in terra laborioſa &c. item cap. 60. v. 16. Et ſuges lac Gentium, mamillam regũ ſuges. Quæ omnia Dei verba non dubitat Paulus impletum iri. Itaque verè etiã Magiſtratus ad Dei Eccleſiam pertinere pronuntiat. B

Deinde à natura & definitione Euãgelii idẽ probari poteſt. Eſt autẽ Euãgeliũ potentia Dei ad ſalutem omni credenti ſiue Iudæo, ſiue Gentili, vt docet idem Paulus Romanor. 1. v. 16. Nec enim, vt Lex, ſic Euangelium vni tantùm hominum generi & nationi deſtinatum aut proponendum erat. Ex hoc autem loco intelligimus etiam nos pro Ethnicis & Gentilibus veluti pro Turcis, Iudæis, & iis qui adhuc in orbe terrarum idololatriæ manent (quales in India & inſula America innumerabiles penè ſunt populi) Deum orandum eſſe. Id quod etiam hoc loco Chryſoſtom. annotauit, quamquã de eo variæ fuerunt Auguſtini tempore quæſtiones quemadmodum ex ipſius Epiſtolis apparet.

Modum etiam per ἐξήγησιν addit, quo ad ſalutem homines perducuntur, nimirũ per veritatis agnitionem. Hîc autem veritas non eſt accipienda cuiuſuis cognitionis doctoris & diſciplinę certũ effatũ, certáque ſententia, & cum reipſa conſentiẽs, C ſed Euangelium tantùm quod κατ' ὀνομασίαν & inſigniter veritas appellatur, tũ quòd illa ſit certiſſima doctrina & à Deo ipſo immediatè profecta: tum etiam quòd ſola ſit veritas ęſtimanda à nobis & conſectanda, & perſequenda: reliquæ verò artes quatenus huic ſubſeruiunt & ad vitæ huius commoditatem pertinent, exercendæ. Ex quo etiam colligitur non alios velle Deum ſaluos fieri, quàm qui ad fidẽ Euangelij perueniunt, illíque credunt. Non ſunt enim ita duo diſtrahẽda, quæ hîc Paulus coniũgit, ne quis ſe putet contempto ſpretóq; Euangelio ſalutem æternam conſequi poſſe, ad quam ſola fides eſt via. Id quod tamen hodie multi factitãt, qui quẽque in ſua, quã vocant, religione ſaluum fieri ſentiunt. Quæ fuit Rhetorianorũ hæreſis, nunc autẽ eſt Turcarũ impiiſsmia ſententia.

Variè verò de horum verborũ, *Vult Deus omnes ſaluos fieri* ſenſu quæſitum eſt, quemadmodum ex Auguſtino apparet in Enchirid. cap. 103. Primum enim videntur Libertiniſtarum & Origeniſtarũ errorem confirmare, qui negant vllum hominem eſſe à Deo damnandum, & æterna morte puniendum.

A dum.Deinde etiam fauere eorum errori , qui reprobationem Dei prorſus tollũt,quaſi omnes homines ſint à Deo electi, nulli autẽ reprobati. Denique hoc ipſo loco perperam explicato ſe tuentur & Pelagiani,qui liberum ad vtranque benè & malè agendi electionem arbitrium in nobis ſtatuunt:& Semipelagiani quoque , qui Dei gratiam de congruo quam appellant,cum libero noſtro arbitrio tanquam duo ſimul & æqualiter cooperãtia in bene agendo coniungunt.Sic Caſsianus perperã explicauit c.7.Collatio.13.Hi verò errores omnes ex eo naſcuntur , quòd vox ipſa *omnes* , non rectè ſumitur hoc loco. Ac Scholaſtici quidem nonnunquam ita ſentiunt ideo omnes dici à Deo ſaluos fieri quia dedit Deus omnibus hominibus naturam per nos ordinabilẽ ad felicitatem vt loquuntur. Cõtrà verò noſtra felicitas nõ ex naturæ noſtræ conditione,ſed ex mera Dei gratia pendet, & eatenus ordinabilis eſt ad eam noſtra natura, quatenus Deus ipſe nos ita fingit,deſtinat,& ordinat: B non autem quatenus reliquis hominibus pares & ſimiles naturâ ſumus.

Alij ſic explicant,vt vocem omnes coniungendam eſſe doceant cum eo quod ſequitur *ad veritatis agnitionem peruenire*,quaſi non vniuerſaliter neque tam latè ſit accipienda quàm ſonat : ſed ex ſequenti illa ſententia reſtringenda,vt ii tantùm intelligantur cõprehendi,qui credunt, vel credituri ſunt Euangelio. Confirmatur ex Matt.14.v.35.36.

Tertia interpretatio eſt eorũ qui volunt omnes ſaluos fieri à Deo qui ſalui fiunt:quaſi hîc nõ definiatur,qui ſalui futuri ſint:ſed à quo ſalui fiãt ,qui ſaluantur.Sic nonnunquam explicat Auguſtinus.

Verior autem ſententia & iuſtior, meo quidem iudicio,interpretatio eſt hæc,vt vox Omnes tollat diſcrimen ordinum, nationum,ſexuum & huiuſmodi rerum, quæ inter homines percipiuntur. Ex omni enim hominũ genere,ſexu, ætate , Deus aliquos ad ſe per Euãgelium vocat.Itaque nõ pro ſingulis generum accipitur,ſed pro generibus ſingulorum,vt loquuntur in Scholis,id eſt, non pro perſonis,ſed pro hominum generibus.

C Duplex eſt enim huius vocis ſignificatio. Sæpe enim ita dicimus *omnes*, vt ſingulos cõplectamur: ſæpe verò,vt quoſuis, non autem ſingulos.Sic dicitur Chriſtꝰ ſanaſſe πάντα νόσον,id eſt,quẽuis morbum.Mat.9.v.35. Sic Paulus in 2.Theſ.1.v.3. coniungit ἕκαστον cum voce πάντων. Et hanc eſſe duplicẽ huius vocis ſignificationem primus obſeruauit Ariſtoteles lib. 2. Politic. optimus Græcæ linguæ author & interpres.

5 *Vnus enim Deus , vnus etiam mediator Dei & hominum,homo Chriſtus Ieſus.*

Αἰτιολογία ſuperioris ſententiæ, ab effectu. Non eſſet vnus Deus, & vnus mediator omnium , niſi omnes,id eſt,quoſuis homines ſaluos faceret. Si enim vnius tantùm hominum generis vel ordinis ſalutem procurat & perficit Deus,neceſſe eſt plures deos cõſtitui:itémq; plures mediatores. Quorum vtrumque blaſphemum eſt.

Similis locus eſt Rom.3.ver.29.Pſal.105. verſ.7. & 33.ver.5.

Obſtat autem Pſal.76.vbi in ſola Iudæa notus Deus eſſe dicitur.Reſponſio eſt,Sublatũ nunc eſſe inter Gentes & Iudæos diſcrimẽ,quod olim fuit, quia vtrique,diruta per Chriſtum maceria,in vnũ populum coaluerunt. A

Deus autem quorumuis hominum vnus neque eſſe,neque dici poteſt,niſi ſuæ bonitatis , clementiæ, miſericordiæ & electionis teſtimonia & effecta proferat in quoſuis. Quamobrem quoſuis ad ſalutem vocare & efficaciter quidem debet.

Iam verò ex hoc Pauli reſponſo Manichæorũ, Marcionitarum & huiuſmodi aliorum hæreticorũ error fanaticus refellitur,qui duos Deos , duóque principia conſtituunt , & alium Iudæorum Deum , alium autem noſtrum , ſomniant. Vnus autem eſt omnium Deus,non plures.

Sed etiam mediator vnus eſt,non pluret.Is autẽ eſt Chriſtus homo.Quod variis rationibus cõfirmari poteſt.Prima,Quòd vnicũ eſt ſemẽ illud Abrahæ,in quo promittuntur benedicendæ omnes mũdi nationes Geneſ.15,& 17.Gal.3.v.16. Secũda, Quod ad vnum & eundẽ nos reuocat tota veteris & noui teſtamenti ſcriptura.Veteris enim Legis cæremoniæ & ſacrificia nos ad eundem Chriſtum deducunt,ad quem etiam Euangelium. Itaque Chriſtus is , qui per Euangelium prædicatur, dicitur eſſe finis legis. Tertia,Quemadmodum B Deus non habet duos filios naturales : ita neque duos mediatores conſtituit,ſed de vno tantùm illa Dei vox eſt,Ille eſt Filius meus dilectus,in quo mihi complacui Matth.3.

Conſentit cum hoc dogmate,& quidem veriſſimo Auguſtinus qui lib.2.contra Epiſtolam Parmenia.cap.8.negat plures eſſe mediatores hominum:ſed vnum tantùm Ieſum Chriſtum.

Similis eſt locus in Epiſtola ad Hebræos cap. 7.v.26. Non enim potuit quilibet Pontifex apud Deũ munere mediatoris pro nobis & officio fungi:ſed is ſolus qui pius,innocens,ſegregatus à peccatoribus,& ſublimior cœlis factus eſt. Is autem eſt Chriſtus ſolus.

Obſtare verò multa videntur quæ afferri poſſunt.Ac primum

Prima ratio , Quod alij pro aliis orare iubemur.Iac.5.Reſponſio eſt,quòd noſtræ illæ preces non propter nos gratæ ſunt Deo: ſed vnius Chriſti merito & interceſsione. C Eatenus enim Deo placent,quatenus & fidei & mutuæ inter nos charitatis ſunt effecta atque fructus, quæ vtraque innititur Chriſto.

2 Moſes & Sacerdotes Leuitici dicũtur fuiſſe interceſſores & mediatores inter Deum & populum Exod.32.Reſp.Puerilem eſſe obiectionem.Illîc enim intercedere nihil aliud ſignificat quàm internuntium & medium eſſe : non autem ipſam Dei gratiam nobis promereri.

Tertia,Obiicitur locus Gal.3.v.20.Reſp.Eſt ſophiſtica obiectio.Negatur quidẽ internũtiꝰ & mediator eſſe vnius tãtùm,nõ autẽ negatur eſſe vnꝰ.

Quarta,Angeli & Sancti vita functi,ſunt noſtri coram Deo interceſſores.Nã ſine mediatore non poſſumus accedere ad Deum , vti nec regem ſine purpurato,qui nos intromittat,adimus.Reſ.Præter verbum Dei & Angeli & ſancti noſtri mediatores inducuntur. Nam de Angelis nominatim vetat Paulus ne colantur.Coloſſ:2.De ſanctis vita iam defunctis ratio prohibet,quòd & ipſi mediatore egent:neque fuerunt ſancti & impulluti. noſter autem aduocatus apud Deum debeat eſſe *δίκαιος*,vt docet 1.Ioan.2.verſ.2.

Quod enim affertur de mediatore alio inter-

A ceſsionis & ſalutis, cōuellitur vel ex hoc ipſo Pauli loco, vbi agitur de precibus & interceſsione. Item Hebr.7.v.15,& 9.v.24.

Addit Paulus Chriſtum hominē eſſe. Primùm quòd ea ratione Chriſtꝰ mediator noſter eſt, quatenus homo pro nobis factꝰ eſt. Deꝰ enim manēs pati & implere illa, quæ ſunt nobis ad ſalutem neceſſaria, non potuit. Deinde ne immenſus ille diuinæ maieſtatis fulgor & ſplēdor, ad quem nobis, qui ſumus terræ vermes & homines, accedendum eſt nos perterreat. Habemus enim qui nobis facilē ad Deū aditum præbeat, Chriſtum nēpe, qui noſtris infirmitatibus compatitur, & qui, quia noſtrā naturā aſſumpſit, nobis iam formidabilis eſſe non poteſt. Heb.4.v.15. Ber. ſermo. 73. Canti. in tanta trepidatione electis fiduciam præſtat naturæ ſimilitudo. Denique vt facilius quia naturam omnibus hominibus communem Chriſtus aſſumpſit, intelligamus quorumuis hominum eum mediatorem eſſe, non vnius tantùm hominum generis, humanitatis vel hominis Chriſti mentionem fecit Paulus.

Quæſitum eſt autem, Vtrum Chriſtus, quà tantùm homo eſt, noſter mediator ſit, quod & Stācarus, Menno quidam, & hodie noui Arriani ſentiunt, B an etiam quâ Deus eſt. Reſp. Cùm mediatoris œconomia & officium ad totam Chriſti perſonā pertineat, neq; aliter ſaluator noſter eſſe potuerit Chriſtus, niſi eſſet Emmanuel, id eſt nobiſcum Deus, idcirco & quà Deus, & quà homo eſt Chriſtū mediatorē noſtrum eſſe fateamur neceſſe eſt.

Hoc autem docet & confirmat Auguſt. cùm in Enchirid. tum verò pulcherrimè in lib. de Ouib. & lib. Cōfeſsionum. De qua re cùm copioſiſsimè doctiſ. noſtri temporis Theologi D. Caluinus in Epiſtola 312. & Theodo. Beza Epiſt.28. diſſeruerint, planè ſuperuacaneum puto latiùs hoc argumentum perſequi.

6 *Qui ſemetipſum dedit redemptionis pretium pro quibuſuis*, Chriſtus inquam, *teſtimonium illud ſuis temporibus* deſtinatum.

Αὔξησις eſt, per quam nō modò ſuperiorem rationem confirmat à connexis: ſed etiam mediationis C & interceſsionis Chriſti pro nobis fundamentum explicat. Eſt autem ipſius ſacrificium pro nobis, quod hîc ὑπογραφῇ quadam deſcribitur. Sunt enim res inter ſe connexæ, ſacrificium & interceſſio apud Deum: atque etiam ita inter ſe comparatæ, vt vna alterius cauſa ſit. Id quod his Epiſtolæ ad Hebræos locis confirmatur cap.4. v.14.5. v.1.7.v.15.8.ver.3.9.v.24. atque etiam hac ratione. Quòd cùm hic ſit interceſsionis finis, vt Deum nobis propitium & beneuolentem reddat, is demum apud Deum pro nobis intercedere poteſt, qui eum nobis placare poteſt. Placatur autē Deus, non alia ratione, quam plena pœnæ peccatis noſtris debitæ perſolutione. Id autem ſolum Chriſti ſacrificium & mors potuit. Ergo illa mors Chriſti interceſsionis pro nobis eſt fulcimentum & fundamētum. Vnde perperā Scholaſtici, qui ſalutis & interceſsionis mediatores diuerſos faciunt. Quod eſſe nō poſſe ſatis ex ſuperiore argumēto apparet.

Definitur autem & ornatur hoc Chriſti ſacrificium magna laude & encomio, quod ductū eſt ab ipſius effecto. Id autem eſt Redemptio noſtra cuius illud ſacrificium fuit pretium integrum, plena merces, & iuſta ſatisfactio ſiue perſolutio. A Dicitur autem Chriſtus non tantùm Seipſum dediſſe: ſed etiam Ipſe ſe dediſſe. Nam neque aliud pro peccatis noſtris, quàm ſeipſum dedit: neque cùm dedit, inuitus aut ignorans id fecit, ſed volēs. In quo ipſo commendatur impenſè Chriſti erga nos beneficium & charitas. Similis locus Tit.2.v.14.

Nec caret ἐμφάσει, quòd ſanguis Chriſti illo ſacrificio effusꝰ appellatur ἀντίλυτρον, quia ſanguis ille Chriſti agni immolati longè eſt maioris pretii, & effectus, quàm vitulorum & hircorū omniū ſanguis. Eſt enim ille agni immolati ſāguis, omni auro lapidéque pretioſo ęſtimabilior & potior, vt eſt Heb.9.v.12.1.Pet.1.v.19. & verè plena & æqualis noſtro peccato & debito ſatisfactio & pretiū. 1.Corinth.1.v.30. Vnde non tantùm λυτρὸν: ſed ἀντίλυτρον dicitur, quod Latini dicunt contra auro venire i.i. iuſtū, & æquale rei ipſi pretiū eſſe. Ex quo diluitur illa curioſorū hominum diſputatio, Vtrū fuerit pœna, quam pro nobis Chriſtus pertulit, ęqualis peccatis noſtris, vt peccata ex merito Chriſti deleātur. Fuit enim, vt hîc docet Paulus, æquiualens, id eſt, æquata ipſi peccatorum noſtrorum fœtori apud Deum, & planè ſatisfactioria pœna Chriſti perpeſsio & obedientia.

Secundo verò loco notandum eſt, Nullam aliā B ſatisfaciendi diuinæ iuſtitiæ pro peccatis noſtris rationem eſſe à Deo cōſtitutam, illíque gratam & acceptam, præter ſanguinem vnius Chriſti. Itaque nec opera quæ vocant bona: nec cæremoniæ, nec vllius alicuius rei, quantumuis pretioſæ, donatio, aut ratio poteſt pars eſſe ſatisfactionis noſtræ corā Deo, quæ in ſolidū in vna Chriſti morte quærenda nobis eſt. Sed nec ex parte tantùm Chriſtus ſatisfecit, veluti vt deleat ea tantùm peccata, quæ dicuntur venialia: aut quæ ante Baptiſmum commiſimus, nobíſque nocebant: ſed etiam omnia expungit, & redemit.

Addit Paulus τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις. Hæc abrupta videtur eſſe oratio, itaque obſcurū habet ſenſum, & diuerſas interpretationes. Alij enim ad ſequentem verſiculū referunt: alij huic coniungunt: alij mutandam cenſent vocem μαρτύριον in vocem μυστήριον. Mihi verò videtur planus & facilis horum verborū ſenſus, ſi ab initio quinti verſiculi ad hūc C vſque locum parentheſin produci intelligamus. Itaque continua orationis ſerie hæc, quæ iā ſequūtur, coniungantur cum illa ſuperiore Pauli ſentētia. *Qui quoſuis homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionē veritatis peruenire.* (Vnus enim Deus, &c. *iuxta teſtimonium proprijs temporibus patefactum, ad quod ipſum implendum & exequendum, ego conſtitutus ſum*, &c. At ſupplendam eſſe poſt hæc verba τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις vocem φανερωθὲν apparet ex Tit.1.v.2. & Coloſſ.1.verſ.26. Vocat autem hîc teſtimonium Paulus, antiqua Prophetarnm vaticinia de vocatione quorumuis hominum & gentium, ne id fruſtra & temerè Eccleſiæ polliceri ipſe videatur Paulus nullóque in eo niti ſacræ ſcripturæ teſtimonio & fundamento, qualia tamen multa ſupra cap.4. annotauimus & ipſe Paulus obſeruauit & affert in Epiſt. ad Romanos cap.15. verſ.9.10.11.12. Ergo vocem μαρτύριον non refero ad Chriſtum: ſed ad totum complexum ſuperius *Vult Deus quoſuis homines ſaluos fieri.* Hoc teſtimonium & illa vaticinia antiqua ignota aut etiam obſcura iis ipſis, quibus antea annuntiabantur, ſuis, id eſt, Euangelij temporibus patefacta ſunt, & illuſtrata

A atque impleta. Nouit enim ſolus Dominus temporũ articulos, & rerum opportunas maturitates, quas ipſe decernit & conſtituit. Itaque huius rei perficiẽdæ gratia Paulus cæteriq; Apoſtoli à Chriſto & vocati & miſsi ſunt. Id quod ipſe ſequenti verſiculo ſubiicit,& explicat.

7 *Cuius conſtitutus ſum ego præco & Apoſtolus(veritatẽ dico per Chriſtum,non mentior) doctor*,inquam, *Gentium cum fide ac veritate.*

Ἀπολογία eſt & confirmatio proximè ſuperioris ſententię ab effectu vel à conſequẽte.Deũ enim id decreuiſſe dubitari nõ poteſt,cùm executus ſit , & propterea Paulũ miſerit,qui per Euangelij prędicationem quoſuis vocaret ad agnitionẽ veritatis. Itaque ſuum apoſtolatum,qui à Deo erat, pro iuſta huius teſtimonij & voluntatis Dei de vocãdis Gentibus probatione affert Paulus. Vocat autem ſe Κήρυκα,id eſt,Præconem,& Ἀπόστολον, quæ duo ita inter ſe vidẽtur differre,quòd illud eſt generalius: hoc ſpecialius. Plures enim ſunt verbi Dei κήρυκες B & præcones,quàm Apoſtoli:tũ deinde,quod κῆρυξ dicitur Paulus ratiõne executionis ipſius miniſterii,& prædicationis verbi Dei:Ἀπόστολος autẽ ratione vocationis & gradus , in quem à Deo collocatus & aſſumptus erat.Hoc autẽ ipſum poſtea definit cùm ait διδάσκαλος ἐθνῶν.Quę & ſuperiorem noſtram ſententiam & interpretationem confirmãt, & finem miniſterij Apoſtolici , imprimis autem Paulini,oſtendunt.

Obſtat quod Rom.1.ſe Iudæorum quoque debitorem appellat.Reſp.Gentium præſertim cauſa deſignatus erat Apoſtolus Actor.13, & Galat.1.v. 16.2.v.8.quanquam Iudæis Euangelium quoque pro re nata annuntiauit.

Iureiurando etiam ſuam vocationem confirmat, quòd vocatio Gentium tunc res noua prorſus & aliena à Dei conſilio cenſeretur , qui tanto tempore ſolos Iudęos pro ſuo populo agnouerat, & res iſta eſſet magni momenti. Quamobrem nõ videtur temerè & de re nihili ſumptum à Paulo Dei nomen. Similis autem iuramenti formula eſt etiam apud eundem Paulum Roman.9.verſ.1.

Ἐν χριστῷ dupliciter vel in Chriſto,id eſt,Chriſto C linguam meam & mentem dirigente, & commouente:vel per Chriſtum,id eſt,teſte Chriſto ipſo, quem huius rei & meæ vocationis & muneris teſtem produco.In qua poſtrema ſententia conueniunt docti interpretes.Quęritur autem Num verò tunc per creaturas iuretur,quum per Chriſtum iuratur.Sed reſponſio facilis eſt.Non iurari, quia Chriſtus non tantùm eſt homo & creatura : ſed etiam Deus. Deinde hîc videtur Chriſtus potius teſtis,quàm iudex produci.Teſtes verò poſſunt à nobis,vt à Prophetis , appellari etiam mutæ creaturæ,nedum Chriſtus.

Addit denique,in Fide,& Veritate.Quibus verbis & eam doctrinam confirmat,quam Gẽtes docebat,cùm fidem appellat: & animi ſui ſynceritatem,cùm huic fidei veritatem coniungit.His autẽ verbis breuiter comprehenſa eſt veri paſtoris definitio. Eſt enim is,qui in Eccleſia Dei legitimè vocatus docet fidem,id eſt,ſanam doctrinã in veritate,id eſt,ſana conſcientia & recto fine. Quam definitionem confirmat Petrus 1.Pet.5.verſ.2.3.4.

8 *Velim igitur viros precari in quouis loco,puras manus attollentes abſque ira & diſceptatione.*

Hic verſiculus varia capita complectitur , quæ A ad orationem pertinent,quæque breuiter quidem ſed commodè Paulus hîc tradit. Tria enim comprehenſa ſunt. 1 Quo animi affectu ſeu præparatione orandum ſit. 2 In quo loco. 3 Quo geſtu.

Sunt autem hæc præcepta non Pauli , ſed Dei. Itaque vox βούλομαι non priuatũ quoddã humanæ mentis commentum ſignificat, vti nec 1.Corinth. 10. v.1. ſed praxin horum præceptotum à ſe seriò requiri docet his verbis Paulus, ſine qua non poteſt probari,& Deo grata eſſe noſtra oratio.

Ac quod ad præparationem (nec enim illotis manibus & impræmeditati ad Deum orãdum debemus accedere) duo imprimis requirit à nobis, Sanctitatem ſiue puritatem vitæ,& Fidem.

Sanctitatem autem illam vitæ deſignat & deſcribit ab enumeratione partium , nẽpe à Manuũ ſanctitate & puritate,& à cordis charitate. Vult enim & manus noſtras (id eſt,opera externa) eſſe ſanctas,vt eſt Iſa.1.ver.13.& corda ab omni in proximum ira & irritatione vacua,vt eſt Mat.6.v.15.5. v.24.Vera enim ſanctitas tum externis,tum etiam B internis operibus conſtat,& definienda eſt:& impium eſt,ſi quis vel animo vel opere ipſo ſceleratus & profanus ad Deum orandum accedat , ſine animi pœnitentia & reſipiſcentia Pſal.5.verſ.6. Id quod etiã homines profani ſenſerunt vti Heſiod. lib.1.ἔργ.ϗ ἡμερ.& Plato,& ex Platone M. Tull. lib. 2.de Legibus.

Videtur etiã hæc ſanctitas,quæ vera eſt, hîc eſſe oppoſita à Paulo omnibus illis externis ritibus,lotionibus,& carnalibus purgationibus , quæ veteri Dei lege hominibus templum ingreſſuris præcipiebantur,de quibus agit Apoſto.ad Heb.9.v.10. & Moſes Leuitici c.6.13.15.16.19.quibus ingẽs etiã cumulus à Phariſæis additus erat poſtea per δευτερώσεις , vt apparet Mar.7.v.4. Quæ lotiones antiquæ à Deo præceptæ veræ quidem animi vitæque ſanctitatis ſigna erant & figurę earum:tamen implementum & corpus in Chriſto habetur & confertur. Quanquam verò de publicis precibus hîc agit Paulus : in priuatis tamen eundem animum ſanctum & purum requiri certiſsimum C eſt,& oſtendit Chriſtus.Mat.5.ver.24. Eſt in canon.Nihil.& canon.Non mediocriter , quod eſt dictum Hieronym.De conſecrat.diſtinct.5.

Certa verò animi fiduciâ,quæ in gratuitis Dei promiſsionibus acquieſcat,orandum eſſe docet & Chriſtus ipſe Ioan.4.v.23,& Iac.1.v.6.& Paul.Romanor.10.verſ.14.quia vera precatio & Dei inuocatio eſt fidei effectus : quæ cum animi hæſitatione prorſus pugnat.

Quæ poſtea de certo quodã ieiunio, de lotione manuũ addita ſunt à Patribus,de quibus hîc Chryſoſt.Hom.7.vbi quoſdam ſolicitos fuiſſe notat de huiuſmodi rebus:non modò legales , ſed etiam Ethnicorum cæremonias,aut potius ſuperſtitiones reponunt nobis,& redolent , etſi animus ſobrius longè ardentius Deum precatur , quàm ſatur & cibi plenus.

Videndum iam eſt de loco , vbi orandum ſit. Reſp. verò vbique poſſe. Conuenit enim Paulo cũ Chriſto Ioan.4.verſ.21.Quemadmodum enim Deus non eſt acceptor perſonarum, ita nec locorum.Nam Domini eſt terra,& plenitudo eius.Pſ. 24.Videtúrque abſurdũ , vt Deus,cuius latiſsimè per vniuerſum orbẽ diffunditur maieſtas & potẽ-

A tia,vbi agnoſci,inuocari & coli non poſsit , vt eſt Malach.1.v.11.Chryſoſt.in Ioan.Euan.Homil.32. Qui igitur ſunt veri adoratores ? Qui nullo loco cultum diuinum circunſcribũt, qui Deum in ſpiritu colunt,ſicut & Paulus.

Obſtat tamen quod eſt ſcriptum Deut.12.v.5,& 2.Chronic. 7. verſ.12. templum Dei à Solomone conſtructum eum fuiſſe locum , quem Dominus ſpecialiter elegerat , vt ibi inuocaretur. Itaq; verſus illud templum conuerſus etiam in media Babylone precabatur Daniel,vt ipſe ſcribit cap. 6.v. 10.Reſpõ.verò pro tempore ita conſtitutũ à Deo fuiſſe,vt quanquam vbique inuocari poſſet nomẽ ipſius , ſacrificari tamen ſolùm in templo Hieroſolymitano tunc temporis fas eſſet , quia & cæremonię tunc locum habebant,& gratia Dei nondũ diffuſa erat in omnes Gentes.Denique hac pædagogia Dominus tunc volebat ſuos ad vnionem fidei & doctrinæ exhortari,prouocare , & adducere , & futuram libertatem ſub Chriſto maiorem oſtendere,qualis etiam eſt.

Ergo ſublatum eſt illud locorum vetus diſcri- B men,vti nec iam cultus Dei in ſacrificiis hoſtiarũ cõſiſtit.Quò fit vt vbique piè colatur & adoretur De⁹,& vt illa ſacrificia,quæ hodie exigit,quæ ſunt gratiarum actiones , vbique terrarum illi offerri poſsint.Atq; eò præcipuè pertinet hic locus Pauli,vt Iudaicum illud locorum diſcrimẽ ſublatum eſſe per Euangelii prædicationem intelligamus,& quę,quantáque ſit iam noſtra per Chriſtum libertas per quam & locorum & rituum ſeruitus nobis per Chriſtum adẽpta eſt,cognoſcamus.Chryſoſto.Homil.79.ad pop.Antioch.Licet in balneo ſis ora:vbicunque ſis ora:Templum es , ne locum quæras.Hieremias in cœno Deum exorauit : Iob in ſtercore:Ionas in ventre ceti.Non eſt quærendus locus.

Neque tamen cõfuſionem inducit vel inuehit in Eccleſiam Paulus , in qua iubet ipſe vt omnia ἐυτάκτως & ordine fiant,quaſi iam nolit vllum eſſe communi totius Eccleſiæ conſilio & delectu cõſtitutum locum , in quem Chriſtiani ad Deũ precandum certo tempore conueniant,ſéque adunẽt: ſed vt ſparſi, & , prout quemque feret animi im- C petus,orent ſeparati & diſiecti. Hoc enim planè furioſum eſſet,& μανιῶδες:ſed religionem propter loca vllam animis noſtris inhærere vetat quaſi locus ipſe ſanctiorem gratiorémque Deo noſtram orationem efficiat. Quod ſuperſtitioſi homines, id eſt, Papiſtæ etiam non hodie putant.

Vnde ex hoc loco votiuę illę ad terram ſanctã, & alia quædam Martyrum loca peregrinationes & precationes meritò damnantur,quæ ea de cauſa ſuſcipiuntur à ſuperſtitioſis,ꝙ neſcio quid maioris ſãctitatis in illis locis,& ipſi quã Domin⁹ pedibus ſuis calcauit,terrę ineſſe iudicant.Quod falſiſsimum eſt. Si qua enim hodie eſt terra maledicta , eſt Iudæa:& huiuſmodi cogitatio plena eſt idololatriæ & blaſphemiæ.Nec iuuãtur huiuſmodi ſuperſtitioſi homines exemplo Naamani Syri, qui,vt eſt 2.Reg.5.terræ ipſius ſanctæ glebas quaſdam & onera ſecum apportauit.Illo enim tempore cæremoniæ locum adhuc habebãt, & extra terram à ſe delectam ſibi ſacrificari Dominus nolebat.Quanquam aliquid in eo Naamani infirmitati cõceſſum eſſe manifeſtò apparet,quòd ſacrificat, & extra templum Dei.Mos autem iſte viſitationũ monumentorum Martyrum,& terræ ſanctæ , votiuarúmque peregrinationum ex ſuperſtitioſa & A nimia Martyrũ veneratione primùm ortus latius poſtea ſerpſit,& ex errore errorẽ produxit.Quàm parum honorificè de Hieruſalẽ loquatur Chriſtus ipſe apparet Matth.23.v.37.dum eam homicidam Prophetarũ appellat:& poſt eum Paulus , dum eã ſeruæ & ancillæ confert.Gal.4.quicquid Hierõymus ſuperſtitiosè contra contendat in Epiſtol. Paulæ ad Marcellam.Itaque & ſequens ætas : quæ Apoſtolorum temporibus vicina fuit,idem ſentiebat,quæ ne monumenta quidem martyrum ſæpe norat.Sepultura enim eorum contenti, vt de Stephano docemur Act.7,& 8. venerationem iſtam, quæ cũ idololatria coniuncta eſt omittebant: imo verò deteſtabantur & damnabant. Primum Helena Conſtantini Magni mater mulier ſuperſtitioſo & fœmineo quodam zelo commota,terram, quã vocant,ſanctam inuiſit , non ipſius quidem terræ gratia,ſed Chriſti cauſa & fidei ſuæ vt veriſimile eſt,magis confirmandæ,quia fidẽ & ſuam & aliorũ ipſo aſpectu rerũ & monumẽtis paſsionis Chriſti(quæ à Iudęis, Ethnicis,& quibuſdam hęreticis B negabatur) & quæ ſedulò illa conquiſiuit,confirmare voluit.Quãquam iam in eo peccatum eſt tamen,quòd plus fidei de Domino cruci, clauis , & ſepulchro,quàm ipſi Spiritui ſancto , Apoſtolicis ſcriptis & Euangelicis tribuiſſe videatur.Sed poſt orbem Chriſtianum factum ſupplicarunt ſuperſtitioſi ad Martyrum monumenta,ad quæ concurrebant,tanquam auguſtiora quædam loca, quòd illîc Martyrũ,quorũ fides Deo accepta fuerat , oſſa iacerent. Sic Monica mater Auguſtini ex Africa Mediolanũ quotãnis pergebat ad Geruaſii & Protaſij Martyrũ ſepulchra,quę tẽpore Ambroſii Epiſcopi eruta fuerant. Nec tamẽ oſsibus & cadaueri ipſorũ Martyrũ hic honos tribuebatur primùm, ſed ipſi defunctorũ tãtùm fidei : peccatũ eſt in eo tamẽ quia extra verbũ Dei id fiebat. Quod ipſum etiã iã quibuſdã in Eccleſia bonis viris diſplicuit, & Ærius extitit Conſtantini Magni ſeculo, qui omnia illa & meritò quidem damnauit, quanquam ipſe,quòd iam communi errore hæc recepta erãt, tãquã hæreticus propterea habitus eſt. Facit enim cõmunis & receptus iam inter omnes error ius & C confirmationẽ vt ſcribunt Iuriſcõſulti in L. Barbarius D.de of.Prętor.Item Vigilantius tempore Hieronymi extitit,qui hoc totũ ſuperſtitioſi cultus genus in reliquiis ſanctorũ colẽdis apertè idololatricum eſſe probauit.Error tamen obtinuit tũ negligentiâ paſtorũ,tũ quia homines ſuis cõmentis potius , quàm ex verbo cœleſti Deum adorare cupiunt.Inde furioſa ædificatio templorum conſequuta,quę in diuorum honorem facta ſunt,poſt annũ præſertim 600.à Chriſto paſſo ſub Iuſtiniano imperatore Conſtãtinopol. homine iis ſuperſtitionibus inſanè addicto,vt apparet ex Procopij li.de ædificiis Iuſtinia.Et poſt eorum ædificationẽ,eámque etiam ſumptuoſam & magnificam religio & veneratio iis addita eſt , pòſt deinde ipſe cultus Dei iis concluſus,aut alligatus , vt nulla ſacra legitima & Deo grata oratio extra ea fieri poſſe ab hominibus etiam Chriſtianis cenſeretur.

Nec illa ſuperſtitio defendi poteſt exemplo eorum,qui in ſepulchrum Elizæi cadauer quoddam feſtinantes & coacti proiecerant. vt eſt 2. Reg.13. verſ.21. Nam illi cadauer Elizæi non coluerunt:

A deinde id coacti fecerunt. Demum nulla inde ſuperſtitio nata dicitur ad ſepulchrũ Elizæi:ſed tantùm propterea fuit doctrina Prophetæ,quæ in animis hominum adhuc recens inhærebat,confirmatior facta,& Deus ipſe maiori honore ab illius ſeculi hominibus cultus.

Templa igitur in Eccleſiis Dei eſſe vtile quidẽ eſt:ſed tamẽ nec ſumptuoſa, nec ſuperſtitioſa, ſed quæ ad capiendum populũ ſint ſatis cõmodè extructa, & quibus ſanctitas nulla religióque aſcribatur. Hoc enim eſt planè ſuperſtitioſum & Iudaicum. Primùm enim ſine templis propriis fuit Eccleſia Chriſtiana tempore Apoſtolorũ, & poſt eos etiam temporibus Iuſtini Martyris:falſa ſunt enim quæ in Higini & Sexti Roman. Epiſcoporũ Epiſtolis de conſecratione templorum in decretis & alibi extant. Sub Diocletiano primùm apparet Chriſtianos habuiſſe oratoria quædam, & προσευκτηρίους οἴκους, vt vocat Euſeb. lib.9.Hiſtor.cap. 10. & Ruffi. in Hiſtor. Eccleſiaſt. Templa igitur Chriſtianorum imperatorum ætate & imperio demum ædificari cœperunt & oratoria dicebãtur, B quæ ſi ampliora erant,Baſilicæ:nõdum autem ναοὶ aut ἱερά. Hæ Baſilicæ etiam ſæpe à Cęſarum nominibus, à quibus fuerant extructæ, vocabantur, & denominabantur, vti Baſilica Conſtantini Euag. li.2.cap.7,& 3.cap.2.poſtea Apoſtolorũ & martyrum vocabulis nuncupari cœperunt, in quorum erant honorem & memoriam conſtructa,Sozom. lib.6.cap.8.quanquam ea Martyribus,non vt diis, ſed vt hominibus, quorum memoriam colebant, conſecrabant, vti ait Auguſtinus lib.22.de Ciuit. Dei cap.10.& ſæpe martyriũ ipſum fuit totius Baſilicæ tantùm pars quædam, ca.8. Demum eadem templa cõſecrari, dedicari, quibuſdámque ritibus ſancta credi & fieri cœperunt. Quod ante Conſtantinum Magnum factum & vſurpatum fuiſſe nõ videtur. Sed cùm primus ipſe in loco Caluariæ templum Martyrum exædificaſſet, poſtea ad maiorem,vt illi volebant, venerationẽ,ſed potius ad Conſtantini Imperatoris adulationem & ad morẽ Paganorum,profanatũ illud eſt potius, quàm dedicatũ,& conſecratum à quibuſdã inſulſis Epiſcopis,Syris,Sozomenus lib.2.cap.26.& Euſeb.lib.4. C de vita Conſtantini. Quo ſcelere etiam pollutum eſt templum illud auguſtum, quod Saluatori noſtro Hieroſolymis idem Conſtantinus extruxit. Hunc tamen morem & exẽplum ſecuti ſunt poſtea alij Epiſcopi auidè,non ſpectato, ſi ex Dei verbo id fieret,neque quid ex eo mali conſequeretur: ſed placuit nouitas & ille ritus & inauguratio in Conſtantini tẽplo iam vſurpata & probata à quibuſdam,& ab Euſebio Cæſarienſi Rhetoricoterῶς laudata. Itaque Baſilius ipſe Epiſcopus vir alioqui doctus, ad Epiſcopi & ad tẽpli Baſilicæ conſecrationem ſolenniorem & venerabiliorem alios ſecũ Epiſcopos conuocauit, vt tradit Sozom. lib.4.ca. 13.Quod idem factitatum fuiſſe in Occidentalibus Eccleſiis,ſed poſtea apparet ex Epiſtolis Ambroſij.Demum certæ cæremoniæ ſunt inſtitutæ, adhibitæ,& verba,& precationes,quibus ſanctitas ipſis lapidibus inhęreret.Ita repetita & repoſita ſunt in Dei Eccleſia, quæ profani homines in dedicandis idoliis ſuis obſeruare cõſueuerãt, de quibꝰ agitur de Cõſecr.diſt.1.Cęterũ illa iãdedicata tẽpla appellarũt auguſto nomine ναοὺς,ἐκκλησίας,ἱερὰ, vt apparet ex Epiſtolis Sidonij Apollinaris.Quorũ etiã templorũ inter Chriſtianos,vt inter Iudæos,tres partes cõſtituerũt. Nẽpe Sanctũ ſanctorũ,vbi eſt A magnum altare,Ἅγιον:& Sanctum ſiue χόρον,vbi eſt chorus Sacerdotum canentium:Ναὸν,vbi eſt plebs.

Sed quæſitum eſt, verſus quam mundi partẽ & plagam ſit orandum. Reſpon. Si quidem verbum Dei,à quo ſolo pendere debemus,ſpectemus perinde eſt, neque refert in quam mundi regionem cõuerſi precemur.Sin autem morem Papiſtarum, verſus orientem orant,& eôdem etiam templorũ ſuorum capita conuertunt. Vetus quidem Eccleſia etiam ſub Conſtantino liberior fuit, vt docet Socrates lib 5.cap.22.Rationem Papiſtæ afferunt, quod ad Orientem fuerit ſitus paradiſus. Sed ex Ezechiel.8.verſ.16.reſpondemus damnatos eſſe à Deo,qui verſus Orientem quadam religione ducti orarent,nec quia ibi primum paradiſum collocauerat Deus, voluit templum ſuum eò vergere. Vrbs enim Hieruſalem verſus meridiem. Templum autem,quod in monte Sion erat,ad Septentrionem ſitum fuit,vti apparet ex Pſal.48. & Ezechiel.40.verſ.2.Denique videntur Papiſtę veteres Perſas idololatras imitari,qui præciſè ad Orientẽ orandum eſſe docent,tantum abeſt, vt ſit hæc tra- B ditio Apoſtolica.Quod item idem Baſil.ſermo.2. de Baptiſ.c.8.in loco nõ ſacrato myſteria nõ putat poſſe celebrari,fallitur & non videt vbi verbũ Dei prædicatur,ibi locum eſſe ſacrum 1. Tim.4.ver.4.

Tertio loco ex ipſo verſu quæritur. Quo geſtu ſit orandũ.De quo quia nihil eſt hoc loco diſertè præſcriptum,ſed nec in toto Dei verbo,intelligitur habere ea res liberas obſeruationes, modò ne quod offendiculum aliis nimia affectatione vel diſſenſione præbeamus. Chriſtus ipſe & ſtans & flexis genibus orauit, publicanus ſtans in templo precatus eſt,Luc.18.ver.13.22.verſ.41. In Actis videmus poſitis genibus Chriſtianos veteres ſæpe oraſſe Actor.7.9.& 20.Stantes orant, qui ſpe promiſſionum Dei eriguntur. Flexis autem genibus id faciũt qui propter peccatorum ſuorum ſenſum deiecti coram Deo humiliantur & proſternuntur. Quidam etiam proſtrati orarunt, vt Elias 1.Reg. 18.Nec in eo ſynodorum decreta magni eſſe momenti ad ſtabiliendam pietatem exiſtimemus,ſed morem potius regionis,in qua ſumus, ſequamur, modò ne ſit in eo more & ritu aliqua idololatria C apparẽs.De manibus etiam quæſitum eſt,quo earum ſitu,& geſtu ſit orandum.Reſp. Alij iũctis, alij ſupinis,alij ſublatis orarunt,vt docet Clemens Alexandr.li.7. Stroma.Itaque totũ hoc genus obſeruationum & cæremoniarum liberum eſt. Et quod ait hoc loco Paulus, Attollẽtes manus, metonymicè dictum eſt. Nã ſignum pro re ſignata poſitum eſt,vti Iſai.1.ver.15.nimirum pro ipſo cordis affectu,qui ad Deum erigi debet.Hîc enim geſtus feruorem animi deſignat, quo preces ad Deum noſtras concipi debere ſignificat Apoſtolus: non quòd homines Chriſtianos huic cæremoniæ in precando velit eſſe alligatos & aſtrictos.

Denique quæri etiam poteſt de tempore, quo preces concipi & fieri à Chriſtianis debent. Reſp. Quod quidẽ ad priuatas,non tantùm quotidie ſemel:ſed etiã & bis & ſæpius in die fieri oportere, nimirũ mane & veſperi,cùm ſurgimus aut cubitũ diſcedimus,vt omnes actiones noſtrę à Deo incipiant & finiant. Id quod exẽplo Dauidis ita faciẽdum eſſe monemur Pſa.55.v.18.& ſuo ſeculo in omnibus familiis factitatũ ſcribit diſertè hoc loco Chryſoſtomus. Quod autẽ ad precationes publi-

A cas nulla fuit ante Chriſtianos imperatores de eo lex in Eccleſia conſtituta,cùm non auderẽt Chriſtiani homines propter perſecutiones liberè conuenire. Poſt ſancitam verò Eccleſiæ libertatem toties orarunt,quoties ad audiendũ Dei verbum, vel ad Sacramentorum participationem colligebatur Eccleſia,quia ſine precibus nunquã dimittebatur cœtus piorũ,vti docent & Iuſtinus Martyr & Tertul.in Apologet. & Socrates lib.5.c.16. Certis tamen horis non erant precationes primũ inſtitutæ,alligatæ,& vinctæ: ſed creuit poſtea ſuperſtitio, & deuincta eſt certis horis orandi conſuetudo & neceſsitas,etiam ſine publico Eccleſiæ cœtu,& ſine prædicatione verbi Dei.Id quod docet Hieronymus ad Euſtochium,adeò quidem, vt etiam ſine conuocatione Eccleſiæ omnibus penè diei horis preces publicè fieri decernerentur, diluculo , deinde tertia diei , id eſt, à luce ſolis exorta ſupra horizontem hora,pòſt ſexta,præterea nona. Denique ſub verſpertinum diei tempus. Vnde illæ horæ inter Papiſtas dictæ ſunt Canonicæ nempe B 1. 3. 6. 9. de quibus etiam meminit Clemens Stromat.libr.7.Sedulius,Caſsianus, Beda & alij.Atque hæc tota res magnam ſecũ ſuperſtitionum primum traxit,& verum finem orationis,atque vim extinxit:atque in opinionem meriti,& ſatisfactionis conuertit.Deniq; Euchitarum errorẽ in Eccleſiã induxit,qui nihil,niſi precari .i.demurmurare certa verba ſolebãt,& in eo prorã & puppim ſalutis collocabant,vti diximus. Hæc nos omnia breuiter hîc complecti voluimus ,vt tanquã locus communis haberetur. Sequitur iã vt de decoro,quod nõ tãtùm in precibus,ſed in cõgreſsionibus publicis & Eccleſiaſticis ſeruandum ſit videamus,quod ſequentibus verſiculis explicatur.

9 *Itidem & mulieres amictu honeſto, cum verecundia & modeſtia ornare ſeſe , non cincinnis , vel auro , vel margaritis , vel pretioſo veſtitu.*

μερισμὸς eſt.ſupra enim de viris egit,nunc autẽ de fœminis Chriſtianis , quales eas in Eccleſia Dei eſſe & conuenire oporteat , vt ad ritè orandũ ſint cõparatæ.Quo fit,vt hîc de Chriſtianarũ mulierũ C officio & decoro duplici ratione & reſpectu Paulus agat.Nimirum quatenus ſunt ſpectandæ tũ in ſeſe,tum in totius Eccleſiæ cœtu. Ac in ſeſe debẽt eſſe Caſtæ,& Modeſtæ.Cœtus autem Eccleſiaſtici ratione,Silentes,& Diſcentes.

Primùm igitur ait *Itidem.* Nam ne ſe à conſortio & communicatione precum Eccleſiæ excludi propter ſexus infirmitatem,& maiora virorũ priuilegia putent mulieres Chriſtianæ, docet eũdem illis aditũ ad Deũ patere ,& eandẽ orandi fiduciã dari,quã ſuprà viris eſſe conceſſam oſtendit.Deus enim ſuas promiſsiones vtrique ſexui communes propoſuit: & tã dicitur Sara parẽs & mater fideliũ mulierum:quàm Abraham fideliũ virorũ 1.Pet.3.

Cõmunis vtriſque Baptiſmus,Cœna Domini, Prædicatio Euangelii,fides,& gloria æterna,quia vtriſque cõmunis eſt imago Dei. Ergo mulieres, vti & viros,orare,& Deũ precari vult: ſed tacitas, non autem in cœtu eas preces fundere & cõcipere. Vult autem Paulus eas eſſe in cœtu Domini amictas & veſtitas Honeſtè , Verecundè & Modeſtè. Atque huic muliebri cultui & ornatui opponit,Cincinnos & calamiſtros, Aurum & argentum , margaritas in veſtibus , Pretioſum A ſiue ſumptuoſum veſtitum. Denique opera bona ab illis requirit & efflagitat , quæ opponuntur omni impudicitiæ,vanitati,ambitioni , faſtui muliebri. Decent autem maximè opera bona fœminas Chriſtianas. Chryſoſto.Homil.21. ad pop. Antiochen.

Ac primùm ſimilis eſt locus.1.Pet. verſ.3.Tit.2. verſ.2.Iſai.3.

Diſsimile videri poteſt exẽplum & factũ Eſtheræ:Eſth.cap.5. & Iudithæ,quæ ſe comit & ornat aliquid actura egregium.Reſpond. Non agi illic de precibus,nec de cœtu Eccleſiæ adeundo:ſed de marito rege,eóque infideli demulcendo: item de caſtris infidelium ingrediendis. Nec hoc ipſum exemplum ſatis eſt tutum imitari. Obſtare etiam videtur c.24.Geneſ.ver,47.vbi annuli & armillæ dantur Rebeccæ ſponſæ Iſaaci. Reſp. Non ad laſciuũ ornatũ, ſed vt eſſet pignus futuri cõiugij,iſta Rebeccæ fuiſſe & miſſa ab Abrahamo & donata.

Certum autem eſt,etſi de mulieribus Chriſtianis agatur hoc loco:hæc tamen præcepta etiã pertinere ad viros Chriſtianos , quibus eo turpius B eſt comi laſciuè , ſumptuoſè & diſſolutè ornari quòd ſunt viri & mares. Nam etiam Ethnici homines ſic docent.

Sint procul à nobis iuuenes vt fœmina cõpti:
Fine coli modico forma virilis amat.

& M.T.lib.1.De off.ſic.Cùm autem pulchritudinis duo genera ſint,quorum in altero venuſtas ſit: in altero dignitas:venuſtatem muliebrem dicere debemus:dignitatem virilem.Ergo & à forma remoueatur omnis viro nõ dignus ornatus : & huic ſimile vitium in geſtu motúque caueatur.

Et paulò pòſt. Adhibenda eſt præterea munditia non odioſa,neque exquiſita nimis: tãtùm quæ fugiat agreſtem & inhumanam negligentiam.Hęc illic.Patres etiam ſcriptoréſque Eccleſiaſtici veluti Tertullian. in lib.de Habitu mulierum & Cyprian.in lib.de Cultu virginum nobiſcum faciũt, qui hæc præcepta ad viros perſpicuè referunt. Idem in concilio Gangrenſi cap.21.& eſt in canõ. Parſimoniam,diſtinct.41. ne res noua aut nullius C momenti eſſe cenſeatur.Idem etiam ſtatutum eſt aliis ſynodis veluti Laodicena.

Præterea hæc ipſa præcepta nõ ad ſolas mulieres,quæ virginitatẽ vouent inter Papiſtas,& Nõnæ dicuntur,pertinent:ſed ad omnes & coniugatas & celibes,& viduas quemadmodum præclarè hoc loco docet Chryſoſt.& Gregor.Nazianzenus in lib περὶ γυναικῶν κεκαλλωπισμένων.Nam tẽpore Pauli nondũ erant monaſteria , nec iſtæ virgines Veſtales & Nonnæ viſæ & natæ. Hæ enim cultus diuini corruptelæ ſub Vitaliano Pontifice Romano maximè receptæ & probatę videntur,ſub quo tria hæc tanquam venena Chriſtianæ pietatis præſentiſsima nata ſunt , & conſtituta , Monachorum cœnobia erecta , Reges in Monachos detonſi, Scortatio quotidiana in ſtatũ ſanctũ canonizata.

Quæſitum verò eſt de primariis mulieribus,veluti reginis , principiſsis,duciſsis & huiuſmodi alijs primarijs fœminis,vtrum ad eas quoque hæc pręcepta ſint extẽdenda. Reſp.Etſi diſcrimen perſonarum etiam in Dei Eccleſia habendum eſt , omnia tamen etiam in illis, ſi modò ſunt Chriſtianę,ad modeſtiam,& pudicitiã cõpoſita eſſe debẽt, quamquam illis multa cõcedi & poſſunt & debẽt pro ratione dignitatis,quę aliis priuatis & priua-

A torum mulieribus non ſunt permittenda. Nam & Solomonis vxoris cultus ſumptuoſus ille quidem & magnificus deſcribitur laudatúrque Pſal. 45.

Denique hęc eadem præcepta locum habent in mulieribus,etiã cùm domi ſunt, non tantùm cùm prodeunt in publicum,& conueniunt in cœtu Eccleſiæ.Perſtringit autem Paulus breuiter omnem eum ornatum aſcititiũ , qui eſt vel In ipſo corpore noſtro velut cincinni,vel Circa corpus , qualis eſt veſtitus : cultus noſter nimius quem damnat, ſiue ille ſit nimius ratione Materiæ , veluti quia ſumptuoſior , vel Additæ exquiſitæque lautitiæ, venuſtatis,aut operæ manus.Ad primum pertinet ἱματισμὸς πολυτελής. Palliola enim illa fere eſſe ſolebãt ſumptuoſiſſima, magníque pretij,vt ex diſputatione Hieronym. aduerſ. Iouinia. intelligitur: purpurea ſcilicet.Ad ſecundum membrum , & ad exquiſitas lautitias veſtitus pertinent ornamenta margaritarum, auri , phrygionicæ operæ quæ adduntur.Item torques,armillæ,annuli , &c.huiuſmodi de quibus Tertullianus libr.de Habitu mulierum:& Cyprianus quoque.Et pulchra eſt veráque illa Plauti ſententia in Moſtell.ſcen.3.Act.1. B

Poſtea nequaquam exornata eſt benè ſi morata eſt malé.

Pulchrum ornatum turpes mores peius cœno collinunt.

Sed tamen,nequa hîc ſuperſtitio naſcatur , auri vſum prorſus nõ damnat Paulus,quemadmodum nec margaritarum:vti nec Petrus Palliorum. ſed tantùm nimiam in iis laſciuiam,arrogantiã, ſumptum,faſtum,immodeſtiæque plenam cultus muliebris rationem & Chriſtianis indecoram. Quãquam enim longè potius animi in muliere diſſoluti aut ſuperbi ratio habenda eſt , quàm externi ornatus:tamen nec externus iſte cultus,qui impudicitiam aut proteruiam redolet,maléque modeſtæ mulieri & probæ conuenit,tolerandus eſt. Ac de ea ipſa re ſunt leges ſumptuariæ à Magiſtratibus Chriſtianis ferendæ. Quem luxum etiam vetus Eccleſia in Synodis repreſſit.Oportet enim eo modo mulieres Chriſtianas veſtiri, quo interna earum pudicitia apparere poſſit,etiam infidelibus C hominibus. Nam vt,& rectè quidem ſuo ſeculo eſt conqueſtus Chryſoſtom. quædam mulieres ita exornatæ ad templum & cœtũ Domini incedunt, & ad ſacram Domini Cœnam ſumendam accedunt,vt illîc potius ſaltaturæ,quàm Deũ precaturæ videantur. Nec verò iis prodeſt hæc exceptio,Sic culta viro & marito meo placeo. Nec enim illæ,vt lenoni marito placeant,debent ſtudere:& quæ ſic exornata, aut fuco pigmentata incedit,certè naturam formámque,quam à Deo accepit,odit.Sed neque hæc altera earum ratio eſt audienda,Sunt hęc omnia ex τῶν ἀδιαφόρων genere.Neque enim hæc cùm offendiculum cuiquam præbent,ſunt adiaphora : ſed damnata ſunt iiſque eſt abſtinendum. In ſumma cultum mulierum non damnat Paulus modò ſit honeſtus , & modeſtiæ verecundiæque Chriſtianarum mulierum conueniens & cõſentaneus.Et rectè etiã docet Plutarchus lib.6.Sympoſ. quæſt.7.abſterſionẽ ſordiũ & ſpurcitiei à cultu inhoneſto & ſũptuoſo differre.

10 *Sed(quod decet mulieres pietatem ſpondentes)operibus bonis.*

Ἀντίθεσις eſt.Faſtui enim & ſuperbiæ , atque laſciuæ illi mulierum pompæ ſuperiori verſiculo A deſcriptæ verum earum ornatum opponit, nimirum bona opera,id eſt,pro externo ornatu,vt loquitur Petrus,internum requirit qui in eo poſitus eſt,vt ſit earum animus placidus & quietus ,nulliſque vitiis expugnari poſſit. Rationem autem addit ab officio ductam. Nempe quòd honeſta & ſancta opera verè Chriſtianas mulieres & religionem profitentes deceant: non autem ille externus veſtitus , quo pudor omnis ab illis proiectus & conculcatus videtur exulare.

11 *Mulier cum ſilentio diſcito cum omni ſubiectione.*

Alterum & ſecũdum de mulieribus Chriſtianis præceptum , quod ad Eccleſiæ publicíque cœtus politiam & decorum pertinet,Ne in eo loquãtur, ſed ſileant,& diſcant.Similis huic locus eſt 1.Cor. 14.v.34.Id quod etiam concilio Carthaginenſi ca. 95.conſtitutum eſt ,refertúrque canon.mulier,diſtinct.23.quantumuis docta & pia ſit iſta mulier.

Diſſimilia tamen exempla videntur afferri poſſe.De Debora Iudic.c.4,& Olda muleribus prophetiſſis B 2.Reg.22.v.14.quæ in Eccleſia docuerũt. Sed reſpõſio parata eſt,illa nimirum exempla planè eſſe extraordinaria , itaque hæc Pauli præcepta minimè immutare.Affertur etiam illud quod Euſeb.lib.1.de vita Conſtantini ſcripſit,mulieres eligere è ſuo ſexu ſolitas fuiſſe aliquas,quæ eas docerent , ne in publicis congreſſionibus conuenirent cum viris,quòd Licinij imperatoris Rom.edicto, & lege in Syria ſimul cum viris congregari & cõuenire vetabantur.Sed reſpondemus,Illud præter morem Eccleſiæ , & præter Dei præcepta iuſſum eſſe à Licinio homine profano,vt mulieres ipſę in cœtu mulierum docerent,nõ autem cum viris ad preces & conciones conuenirent.

Denique quod de Pepuzianorum hæreticorum ſecta,& ſententia dici poſſe videtur habet facilem reſponſionem.Voluerunt illi quidem,ſed hæretici, mulieres eſſe poſſe & presbyteridas in Eccleſia,& docere,& Sacramenta quoque adminiſtrare (id quod hodie Papiſtæ ex Marcionitarum dogmate obſtetricibus in caſu neceſſitatis cõcedũt,vt nimirũ paruulos baptizarẽt.)Verùm propterea ab C omnibus orthodoxis ſunt Pepuziani damnati,atque etiam Synodo Carthaginenſi 4.vt diximus,& meritiſſimò.

Hoc autem præceptum Pauli locum habet,dum ſunt in cœtu publico mulieres : non autem cùm ſunt domi,quia familiam ſuam inſtituere poſſunt priuatim,maximè ſi deſit paterfamiliâs,& ſint viduæ.Nam tunc precari Deum & docere ſuos liberos Dei metum,& poſſunt & debent.

Requirit autem Paulus & ſilentium,ne vices loquendi ſibi dandas eſſe putent mulieres,quãquam fortaſſe modeſtiæ cauſa primæ in Eccleſia loqui nollent.Deinde ab iiſdem ſubiectionem poſtulat ne putent æquum,vt propter maritorum ſuorum dignitatem & opes : vel propter etiam familiam ſuam ipſę ſaltem ſecundum Paſtores & Miniſtros verbi Dei aliquod munus Eccleſiaſticum gerant. Hoc enim illis prorſus interdictum eſt à Spiritu ſancto.Huius autem prohibitionis variæ ſunt rationes,quas affert Paulus ſequentib.verſiculis.

12 *Mulieri enim docere nõ permitto,neque authoritatẽ vſurpare in virũ,ſed eſſe in ſilẽtio.*

A Prima ratio quæ explicatur hoc loco,à differentia, quæ à Deo ipſo conſtituta eſt inter vtrunque ſexum virilem nempe & muliebrem, ducta eſt. Secunda verò à genere. Deus neque mulieres pręeſſe vult,neque docere,neque in viros authoritatẽ vſurpare: At mulier quæ loquitur in Eccleſia & docet, pręeſt,& in viros ſumit quoddam imperiũ & authoritatem. Ergo mulier loqui, & docere in Eccleſia neque poteſt,neque debet. Nec obſtat quòd eas in Diaconatum alleget Paulus inf.c.5.v.9. Nudum enim illæ manuum miniſterium præbent,Diaconis autem ipſis parent. Sed ex hoc loco de eo quoque inter quoſdam diſputatum eſt, Vtrum honeſtum ſit mulieres regnare,id eſt,viris imperare,& ſummum imperium & ius in viros & mares obtinere.Id quod in Hiſpania,Anglia,Scotia variiſque aliis regionibus locum habet. Cuius etiam rei extant exempla in Semiramide Aſſyriorum regina,Candace Æthiopum Actor.8. ver.27. Cleopatra Ægyptiorum ſub Auguſto, & Zenobia B fortiſſima muliere ſub Adriano imperatore(cuius Zenobiæ imperio etiam multę Eccleſiæ Chriſtianę paruerunt)In populo autem Dei nihil quicquã tale habemus,ſiue Iudaicum ſiue Iſraëliticum regnum ſpectetur.Nam quod de Athalia poteſt afferri 2.Reg.11.facilè diluitur: fuit enim vſurpatio & inuaſio iniuſta regni ea Athaliæ dominatio:nõ autem regnum & poteſtas legitima cui populus lubens aſſentiretur,vt poſtea apparuit. Quarè iuſtè quoque illa à ſummo ſacrificatore Ioiada de regni ſolio deturbata & deiecta eſt, atque etiam propter vſurpatum regnum necata. Quod de Amazonum regno commemoratur, primum vt fabuloſum non fuerit(quemadmodum omnino fabuloſum non putant Arrianus,& Q.Curtius quique res geſtas Alexandri Magni ſcripſerunt) tamen præter rerum naturam conſtitutum eſt illud regnum,& in virilis ſexus apertam contumeliam. Quid enim magis portentoſum & monſtroſum & à muliebris ingenij manſuetudine alienum, quàm videre armatarũ mulierum exercitum contra viros concurrentem: ac latiſſimam quandam terræ plagam cernere,quæ omnino viris & maribus careret? Itaque videntur illæ contra ipſam C fœminei ſexus vel potius humanam naturã pugnaſſe, & auxilium,quod à Deo optimum & præſtantiſſimum paratum eſt mulieribus,nempe maritos reieciſſe. Vnde prorſus breuique tempore tota illa Amazonum gens deleta eſt.Sed ad propoſitã quęſtionem reuertamur. Quanquam verò Iſai.3.v.11. pro magno Dei maledictionis ſigno poſitum legimus, ꝙ pueri & mulieres imperiũ in aliqua gente obtineant:tamẽ illud ipſum nõ eſt perpetuũ.Sępe enim pueri reges,velut Solomon & Ioſias,ſanctiſſimè & feliciſſimè regnarunt,fuitque eorum imperium omni bonorum genere à Deo cumulatũ. Idem de mulieribus quibuſdam, & earum imperio dici poteſt,quibus Dominus mirum in modũ benedixit,vt ex variis hiſtoriis apparet. Certè de illuſtriſſima regina Angliæ Elizabetha, quæ nunc feliciſſimè regnat,dici poteſt,nihil terrarum orbẽ vidiſſe vnquam illius regno felicius & optabilius. Sapienter tamen ſibi cõſuluiſſe videntur ij populi qui legibus ſuis & publico iure cauerunt, ne inter ſe & in ſeſe fœminę dominarẽtur, ſummũmq; ius & imperium haberent,quia ſi genus ipſum muliebre cum virili conferamus, ad multa munia, quæ A regni adminiſtratio requirit,ſunt illæ minus propter ſexus ſui naturam & imbecillitatem aptæ & habiles:quale eſt præeſſe exercitui, ius dicere in publico ſedentes.Quæ certè res dedecent prorſus muliebrem verecundiam.Sed mares decent. Itaque viris in mulieres:non autem mulieribus in viros regnum imperium eſt tribuendum & concedendum. Vnde iure ciuili Roman.L.mulieres D. de Regul. Iuris mulieres à virilibus muneribus & officiis adminiſtrandis rectè arcentur: qualia ſunt omnia quæ in publico exerceri debent.Et illud eſt Aug.libr.1.de Nupt.c.9.Nec dubitari poteſt viros potius fœminis, quàm fœminas viris,principari. Vnde non poteſt mulier eſſe Romã.imperatrix & cùm Athalia in Iudæa & Irene mater Conſtantini tertij imperium Conſtantinopoli. gerere voluit, vtraque omnia ſubuertit, Idolorum cultum in Dei Eccleſiam inuexit,& hæc præterea Saracenis Roma.imperium lacerandum obiecit. Vnde & Carolus Magnus fuit tunc temporis in Romanum imperium aſciſcendus in Occidente:& Nicephorus in Oriente.Et hæc quidem de ſummo in mares imperio dicta ſint, quod maribus eſt potius tribuendum.Vbi autem inferiores iuriſdictiones quales Ducum,Comitum,Baronum, Caſtellano- B rũ,ſunt patrimoniales,vt in Gallia,illæ à mulieribus haberi & poſſideri poſſunt, meo quidem iudicio, quia non ſunt ſumma imperia iſtæ dignitates,& officia ab earum patrimonio ſeiuncta: ſed tamen ab iiſdem mulieribus nec poſſunt, nec debent hæ iuriſdictiones exerceri: ſed à viris per eas delegatis. Quanquam hoc omnino perperam & peſſimè receptum eſt vſquam gentium, vt ſit iuriſdictio vlla pars patrimonij, & reditus noſtri ac dominij,ſed tam latè patet & graſſatur in omnia auaritia,vt etiã res ſacratiſſimas,qualis eſt Magiſtratus,fecerit patrimoniales & in cẽſu numeret:non autẽ virtuti & doctrinæ eorũ,qui ſunt capaces eorũ munerũ,tribuat.Vide quæ ſcribuntur can.Mulierẽ 33.quæſt.5. de hoc argumẽto.

13. *Adam enim prior formatus eſt, deinde Eua.*

Ἀπολογία eſt ſuperioris ſententiæ ab ordine naturali ducta, quem Dominus Deus inter vtrũque C ſexum conſtituit rerum initio,& ſtatim ab ipſa vtriuſque creatione. Is autẽ fuit,vt pareret mulier. Vir autem caput & ſuperior eſſet.Id quod ex ipſo ordine creationis apparet. Adã enim, qui eſt mas & vir,prior creatus eſt.Eua autem,quæ eſt fœmina,poſterior.Sed tamẽ eodem die vt docetur tum Gen.c.1.v.27.tum 2.v.18.Non tam autem ex natiuitatis ordine Paulus argumentatur & probat virum ſuperiorem eſſe:quàm ex fine creationis mulieris. Nam creata eſt fœmina,vt eſſet viro in adiutorium,& ad eum, tãquam ſuum propriũmque finem reſpiceret. Quæ autem ad finem aliquẽ deſtinantur illiſque ſubſeruiunt,ſunt eo fine minora, inferiora, ac illi ſubiecta. Id quod verũ eſſe ratio omnis & naturalis & Philoſophica docet.Nam alioquin à ſolo natiuitatis & productionis tẽpore, & ordine ratio ducta nihil efficit & concludit.Piſces enim,herbæ,ſydera & reliquæ omnes creaturæ,quæ homini ſubiiciuntur ex Dei præcepto Pſ. 8.præferendæ tamen homini eſſent contra mẽtem & Chriſti,& Pauli.Omnia enim propter hominẽ facta ſunt,etiam Sabbatum ipſum:non autem homo propter Sabbatum.

14 *Et Adam non fuit ſeductus: ſed mulier ſeducta, cauſa tranſgreſsionis fuit.*

Alterum argumentum à cauſa tum efficiente, tũ incurrente ſumptum. Efficiẽs igitur cauſa eſt Dei præceptum & voluntas, quæ eam mulieri pœnam inflixit. Incurrens autẽ, tranſgreſſio mulieris, propter quam talem pœnam merita eſt & huic ſeruituti & ſubiectioni addicta. Æquum enim fuit, vt quæ ſeipſam regere non potuit, alterius conſilio & imperio regenda ſubiiceretur à Deo. Eſt autem ſubiecta viri imperio & poteſtati, vt eſt Geneſ. 3. Quanquam autem illud Moſis propriè pertinet ad virum & mulierem coniuges inter ſe: non autem vt quilibet viri in quaſlibet mulieres imperiũ ſibi arripiant: tamen ex eo intelligitur, in quẽ gradum viri ſupra mulieres euecti ſint à Deo. Propter tranſgreſſionem autem mulieris facta iam eſt durior & ſeruilior mulieris conditio, quæ ad virũ tantùm ſuum tanquam ad ſuum finem tunc ſpectabat. Sed nunc ærumna & iugum additum eſt huic ſeruituti, quæ prius erat omnino & liberalis & voluntaria. Nunc enim dura eſt, etiam cùm eſt ad virum & maritum proprium. Ex quo ipſo apparet Deum & confirmaſſe priorem ſubiectionẽ, & eam propter peccatũ effeciſſe duriorem & auſteriorem. Valde autem notandũ eſt, quod ex verbo *ſeducta* colligit Bernard. ſermo. de Duplici Baptiſm. his verbis, Serpens ô Eua decepit te, non impulit, aut coegit. mulier tibi, ô Adam, de ligno dedit: ſed offerendo, non vtique violentiam inferẽdo. Neque enim poteſtate illius, ſed tua volũtate factũ eſt, vt eius voci plus obedieris, quàm diuinę.

15 *Seruabitur tamen liberos gignendo, ſi manſerit in fide, ac charitate, & ſanctificatione cum modeſtia.*

Hypophora eſt quæ magnam conſolationem tamen continet, ne ſe prorſus ſpe ſalutis orbatas eſſe mulieres exiſtiment. Id quod illis potuit in animum incidere, vel nobis etiam ipſis, dum eas eſſe nobis tanti cauſas mali audimus. Per eas enim factum eſt, vt vniuerſum genus humanum ſiue virile, ſiue etiam muliebre periret. Ergo prorſus ſalutis exortes videbantur. Sed contrà Paulus, Hanc ipſam pœnam tranſgreſſionis, & hanc in coniugio ſubiectionem mulierum docet in ipſarum commodum & ſalutem cedere, mira Dei ſapientia nimirum, qui è tenebris lucem eduxit, vt eſt 2. Cor. 4. v. 6. Sic conuertit hoc ſuum in eas iudicium Dominus in earum ipſarum conſolationem & ſalutis viam, dum hanc ſubiectionem erga maritos vocationem earum propriam eſſe ſtatuit. In quo illud primum eſt obſeruandum vocem διὰ non denotare hoc loco cauſam efficientem: ſed mediam tantùm, per quam, tanquam per iter à Deo demõſtratum, eſt illis pergendum & progrediẽdum. In quo peccant Papiſtę & Pelagiani, omnéſque Operiſtę, & quidem grauiter, qui ſalutis noſtræ cauſas in noſtris operibus quærunt & conſtituunt. Quid enim de viduis, quæ nullos liberos vnquam ſuſceperunt: de virginibus, & iis etiam quæ cùm ſint coniuges, nullos liberos tamen pepererunt, futurũ eſſet (vt rectè hoc loco Chryſoſt. animaduertit) ſi ſalus mulierum ἐκ τεκνογονίας tota pendet? Certè ſaluę non fierent. Sed & Thomas Aquinas hîc delirat, dum laudes virginitatis & celibatus cum hoc Pauli dicto cõciliare, & placare nititur, quod cum illis apertè & perſpicuè pugnat. Ergo hîc vocatio & munus mulierum deſcribitur etiam in eo ipſo, in quo pœnam ſui peccati ſentiunt. Eſt autem, vt liberos non tantùm ſuſcipiant & gignant: ſed vt educent, curent, & onera illa primæ liberorum nutricationis, certè quidem moleſtiſſima, lubentes volentéſque deuorent & ſuſcipiãt. Τεκνογονία enim hoc loco non tantùm parturitionem ipſam mulierum ſignificat: ſed quicquid illi adiunctum eſt, & imminet iuſtæ matrum curæ, vt liberi editi educantur. Vnde meritò matres puerperæ damnãtur, quę filios, ſi poſſunt, ſuos nõ alũt, de quo Plutarchus in lib. de Liberorum Educatio. & dictum Gregorij in canon. Ad eius diſtinct. 5. Mille quidẽ ſunt tædia, quæ contra Iouinia. enumerat Hieronym. tam minutim, vt ipſe puerpera fuiſſe aliquãdo videatur, qui tamẽ perpetuò vixit celebs. Mille etiam dolores & moleſtiæ non tantùm leuiter deguſtandæ: ſed diutiſſimè deuorandæ, tum in partu, tum poſt partum. Quæ tamen omnia ſi libenti & grato animo deuorat, atque ſuſcipit mater, Deo grata eſt, & in ſua vocatione incedit: ad trimatum autem vſque lex Ciuilis iubet vt mater ipſa alat liberos ſuos, eóſque præcipuè curet.

Sed addit Paulus alias quoque virtutes, quas eſſe neceſſarias oſtendit, vt mulier Deo placeat, quarum aliæ communes illis ſunt etiam cum viris, nempe Fides, & Charitas: aliæ illarum proprię, Sanctificatio, & Modeſtia. Quæ enim virtus nos Deo commendat eſt fides. Illa enim nos & deducit ad Chriſtum, & cum eo coniungit. Illa charitatem quoque gignit, extra quam nihil à matribus ipſis fieri Deo gratum poteſt, quia ſi inuitæ, repugnantes, & coactæ potius officium faciunt, quàm ex charitate, diſplicent Deo.

Sanctificatio, quã requirit à mulieribus, non eſt tãtùm generalis omnium vitæ actionũ ad Dei voluntatem conformatio 1. Theſſ. 4. v. 4. ſed maximè ſanctimonia quędã corporis, qua ſe vxores & mulieres ab omni turpitudine, immũditia, & laſciuia puras cõſeruãt, quę impudicitię opponitur: & alio nomine dicitur caſtitas. Modeſtia, luxui & ſũptuoſo illi cultui, de quo ſuperius dixit, opponitur.

CAP. III.

F*Idus eſt* hic *ſermo, Si quis Epiſcopatum appetit, præclarum opus deſiderat.*

Tranſitio eſt. Poſtquam enim de paſtorum officio diſſeruit, de eorumdem electione, qualis eſſe debeat, agit, vt in ea parte reginen Eccleſiæ & ratio illius inſtituendæ & conſeruandæ eſſet nobis certa, Deíque verbo præſcripta. Commodè tamen & molli tranſitione ad hunc locum & argumentum deſcendit Paulus, quaſi per hypophoram, quæ ex ſuperiori diſputatione, per quam mulieres à docendi munere & Epiſcopatu ſemotæ ſunt, oriri videbatur. Cùm enim ſit officium & munus virile Epiſcopatus, videbantur omnes viri huius tantæ dignitatis & muneris capaces: quod tamen negat eſſe verum Paulus, cùm certas quaſdam conditiones in iis requirat, qui ſunt ad hoc munus vocandi, vt ſint idonei: propter quas cæteri ab eo munere arcentur. Ergo vt nullius mulieris proprium munus eſt Epiſcopatus: ita non cuiuſlibet viri opus eſt. Eſt autem vtiliſſima hæc diſputatio, tum vt interdicta mulieribus huius adminiſtrationis ratio intelligatur, quæ ſumitur propter ipſius difficilem & arduam curam,cuius non ſunt illę capaces:tum vt hoc ipſum munus in ſeſe quātum ſit, quámque excellens & eximiū demonſtretur, ne ad illud quiſquā temerè cooptetur : aut ne iam cooptati & vocati perfunctoriè & leuiter eo defungantur,ſed intelligant,quæ ab ipſis requirātur.Denique vt eſſet certa quædam regula ab ipſo Dei ſpiritu,non ab hominibus præſcripta, ad quā legitimæ vocationes in Eccleſia reuocarentur, & examinarentur. Itaque non licet hominibus priuatis vel Magiſtratibus:ſed ne ſynodis quidē ipſis aliquid de electione perſonarum Eccleſiaſticarum ab his præceptis diſſentiens vel contrariū ſtatuere.Nā hos canonas Paulus præfatione etiā ſancit.

In electione autem perſonarum Eccleſiaſticarū tria quæri & poſſunt,& ſolent.Nempe 1 Qui eligendi ſint. 2 A quibus eligendi. 3 Quomodo eligendi. Quod vltimū caput de forma electionis agit.Hìc de perſonis, quæ eligi poſſūt:alibi in hac ipſa,& de iis ad quos ius eligendi pertinet & de legitima electionis forma,dicetur. Primū enim eſt naturâ,vt ſint quædam perſonæ,quę eligi poſsint, de quibus idcirco primo loco fuit dicendum.

Agit autē Paulus hoc toto capite de Epiſcopis, & Diaconis.Attamē aliæ ſunt Eccleſiaſticæ & neceſſariæ dignitates prętcr Diaconos & Epiſcopos,quales Presbyteri,de quibus nihil penit⁹ hoc loco traditum eſſe à Paulo quidam exiſtimant.Volūt enim Presbyterorum electionem explicari in Epiſtola ad Titum cap.1.Hìc verò Epiſcoporum. Sed falſa eſt eorum ſententia.Eoſdem enim vocat Paulus Presbyteros & Epiſcopos,vti apparet ex c. 1.v.5,& 7.Epiſtolæ ad Titū.Atque etiam ex 1. Pet. 5.v.1.& annotat cum Chryſoſtomo Hieronym.in Epiſtola ad Euagrium.ex quibus Iſidorus didicit, cuius dictum eſt in canone Cleros & clericos §. Presbyter diſtinct.21.Itaque priuſquam ad ea,quæ hìc tradit & præcipit Paulus,accedamus, illud explicandum eſt,vtrū idem ſit Epiſcoporū, & Presbyterorum , de quibus in ſacra ſcriptura & præſertim in Apoſtolicis ſcriptis fit mentio, nomen, dignitas,vocatio,munus,& præſtatio. Nam Diaconi ab Epiſcopis hìc diſtinguuntur & ſeparantur apertè.Presbyteri vox Græcis eſt πρεσβύτερος. Itaq; eſt Græca.Differunt autem hæ voces γέρων,παλαιὸς, & πρεσβύτερος vti vetus & ſenex apud Latinos,quòd παλαιὸς & γέρων eſt ætatis, vt docet Plato li.2.de Repub. πρεσβὺς autem etiā dignitatis, vt ex Plutarcho in Nicia colligi poteſt.Horum igitur Presbyterorum (qui à dignitate non autem ab ætate hic nominantur)in ſcriptura duplex eſt genus.Vnū eorū qui tantùm moribus inuigilant. Alterum eorum qui & moribus & doctrinæ attendunt,& in vtroque laborant.Id quod ex hac ipſa Epiſtola, ca.5.v. 17.facilè colligi poteſt.Quod ad primū igitur eorum genus,vti à ſecundo diſtinguitur : ita ab Epiſcopis & doctoribus eſt ſecernendum. Sunt enim illi Presbyteri tātùm morum & diſciplinæ cuſtodes & inſpectores:non etiam præcones doctrinæ. Cur autē hoc genus fuerit in Eccleſia neceſſariū vel inductū,ratio mihi nulla videtur alia eſſe, quā ꝙ etiam illo tēpore, quanuis multis donis abundaret Eccleſia Dei, tamen non ſatis multi idonei viri ad vtrūque hoc munus obeundū reperirētur, vt etiā Epiphan.teſtatur.Ergo ad formam veteris & Iudaici Synedrij habuit Eccleſia Chriſtiana hos Presbyteros diſciplinæ φύλακας, qui non erant omnes cōcionatores verbi Dei. Et hæc quidem de primo Presbyterorū genere qui morum tantùm curam habent in Eccleſia Dei. Ergo de ſecundo Presbyterorum genere agimus, eorum nēpe, qui etiam in doctrina laborā,& qui morum atq; etiā regiminis Eccleſiæ curā habent.Hos nihil ab Epiſcopis differre dicimus & ex Dei verbo affirmamus ſiue eorū electionem,ſiue munus,ſiue perſonæ conditionem,ſpectes:ſed iis omnino pares eſſe debere:&, cùm rectè adminiſtrata eſt Eccleſia, ſemper fuiſſe his rationibus demonſtramus.Nam quod ſcribit Hierony.in Epiſtola ad Euagr.Quid enim facit,excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?veriſsimum eſt:& illa ordinatio,quā pro eminentiori gradu ſolam relinquit Epiſcopo, eſt tantū manus impoſitio quæ fit ab Epiſcopo ei,qui à toto Presbyterio electus eſt.

Prima ratio, quòd quos Paulus iubet Presbyteros oppidatim creari,eoſdem vocat idem Epiſcopos Tit.1.v.5,& 7.

Secunda,Quod cùm Presbyteros Epheſiorum alloqueretur Paulus quos accerſiuerat , & euocauerat Miletū,eos omnes Epiſcopos nominat,& iis eadem præcipit quæ Epiſcopalis muneris propria ſunt, & poſtea ad ſolos Epiſcopos pertinere exiſtimata & definita ſunt Actor.20.v 17,18.

Tertia, Quòd Petrus tribuit Presbyteris hoc ipſum munus,vt paſcant gregem Domini,& illius curam habeant 1.Pet.5.v.2.3.Prælatos enim omnes Presbyteri vox complectitur (vt explicat Bernard. ſermo.in Pſal.Audiam) quorum eſt prodeſſe magis,quàm præeſſe.

Quarta, Quòd ad Presbyteros negotia Eccleſię deferuntur,ab iiſdem illa geruntur, & adminiſtrātur.Atqui hoc ipſum alibi tribuitur Epiſcopis Philip.1.v.1. Act.11.v.30,16.v.4.Itaque omnes æquali nomine ἡγούμενοι à Scriptura appellantur. Heb.13. v.7.Vnde Cyprian.in lib.de Simplicit. Prælatorum,Vnus eſt Epiſcopatus, cuius in ſolidum ſinguli participes ſumus.

Quinta,Quòd plures Epiſcopos in ſingulis ciuitatibus fuiſſe, præterquam Alexandriæ, quæ eſt vrbs Ægypti,ſcribit Epiphanius hæreſ.68.Hieronym. Alexandriæ à Marco Euangeliſta vſque ad Heraclā & Dionyſiū Epiſcopos, Presbyteri ſemper vnū ex ſe electū in excelſiori gradu collocatū, Epiſcopū nominabant. Ergo aliæ Eccleſiæ hunc morem primum non habebant.At ſi Epiſcopi nomen eſſet προστασίας, non poſſent eiuſdem ciuitatis plures eſſe Epiſcopi, quia in eodem cœtu plures eſſe & primi,& capita non poſſunt.

His autem obſtant quædam, quæ in contrariū afferri videntur poſſe. Primùm ꝙ hæretici habiti ſunt,qui Presbyteros Epiſcopis adæquarunt,quales Aeriani vt docet Epiphan.& Auguſtinus in li. de Hæreſ.ad Quodvultd.vbi nos diximus.

Secundum, Quòd præter Presbyteros habent Epiſcopi apicem Pontificatus & præeminentiæ. Itaque multa licent Epiſcopis in Presbyteros hodie,quæ non item Presbyteris in Epiſcopos. Solus enim Epiſcop⁹ creat Presbyteros:nulli autē Presbyteri ſoli creant Epiſcopum,vt eſt in cano. Cleros & clericos.§.Presbyter.diſtinct.21.& tota diſtinct.67. Nam in Epiſcopo omnium ordinationum poteſtas ineſt,ait Ambroſius.

Tertium, Quòd vt libro 1.cap.6.refert Ruffin. Synodo Nicena cap.10.vetitum eſt, ne in vna ciuitate duo eſſent Epiſcopi.itaque ex vetere conſuetudine Eccleſiæ vnus è toto Presbyterorum col-

A legio cæteris præficiebatur,ad quē velut cæterorū præſidem & præpoſitum Eccleſiæ negotia referrentur, quem & προεστῶτα & πρόεδρον Iuſtinus Martyr in 2.Apolog.nominat.

Quartum,denique quòd æquiſſimum videatur vti in politia ciuili & humana:ita in politia Eccleſiaſtica vnum aliquem præeſſe cæteris , qui velut totius chori dux ſit &moderator perpetuus.

Reſpon.Et quidem ad prima tria argumenta ex Hieronymo in Epiſtolam Pauli ad Titum , Sicut Presbyteri,ait,ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei,qui ſibi præpoſitus fuerit,eſſe ſubiectos : ita Epiſcopi nouerint ſe magis conſuetudine,quàm diſpoſitionis dominicæ veritate Presbyteris eſſe maiores,& in commune debere Eccleſiam regere. Nec enim hoc προεδρίας & præeminentiæ perpetuæ ius,quod vni tributum eſt,ex Dei verbo ſumptum eſt:ſed humanum planè commentum eſt dū nimium Eccleſiaſticę politię formam & regimen ad ciuilis diſciplinæ normam homines exigunt & reuocant, contra præceptum & Chriſti Luc.22.v.25.& Petri 1.Pet.5.v.3.Idem docet Auguſtinus B Epiſt.19.hæc honorum diuerſa vocabula & diſtincta ex hominum tantùm conſuetudine,nō ex Dei verbo introducta & recepta in Eccleſia eſſe.Nam neque tempore Apoſtolorum hæc diſtinctio in Eccleſia fuit:neque Epaphroditum ,quem remittit Philippenſ.neque Archippum , quem Coloſſis agentem exhortatur Paulus, aut Epiſcopum , aut Presbyteris præpoſitum appellat. Imo Irenæus Higinum Epiſc.Roma.ſemper Presbyterum duntaxat vocat,vt docet Euſeb.lib.5.cap.26.nunquam autem Epiſcopum , aut Presbyteris præpoſitum. Et quum nihil ſit ad Dei verbum addendum,dicimus omnino temerè introductum fuiſſe & receptum in Eccleſiis Dei hunc Epiſcopatum & has præpoſituras,eſſéque eum iſtus tyrānidis,quę poſtea miſerrima irrepſit in Eccleſiam, veriſſima ſemina & fundamenta,vti apparet ex Epiſt.3.Ioannis vbi Diotrephes φιλοπρωτεύων damnatur v.9.Atque varia eſſe huius proeſtaſiæ incommoda docet Caluinus cùm Epiſt. 375.tum in ſuis commentariis in Epiſt.ad Philip.cap.1.quamquam tamen is fuit vetus mos,& iampridem receptus,vt apparet C ex Nicena Synodo prima & ex Ruffino docuimus.Vnde igitur & cur primum eſt introductus? Reſp.Primùm quidē,vt ex Epiph. & Hieronym. apparet,hoc Alexandriæ inſtitutum fuiſſe, præter morē cæterarū Eccleſiarum. Cur autem inſtitueretur iſta dignitas & præeminentia Epiſcopatus, ratio eſt,vt ait Hieronym. nimirum vt ſchiſmatū occaſio tolleretur,& diſſenſionum plantaria euellerentur. Ita ille in Epiſto.ad Euagrium , cuius dictum refertur in canon. Legimus in Iſaia , diſt. 93. & ipſe repetit in Epiſt. Pauli ad Titum cap.1. Sic quoque Baſilius in Epiſtola ad Eccleſiam Ancyranam,Membra,ait , Eccleſiæ hac dignitate tanquam vna quadam anima in concordiam & communionem adducuntur.Contrà vero res ipſa docuit , iſtud fuiſſe veriſſimum vniuerſalis à fide Chriſti apoſtaſiæ ſemen & fundamentum : & ſæuiſſimæ illius tyrannidis, quæ in Papatu etiamnū hodie viget,fulcimentum maximum potius,quàm concordiæ in vera fide vinculum. Id quod iampridem ſcripſit Nazianzen.Homil. 2. de Maximo Cynico ſe abſēte Epiſcopo Cōſtātinopoli creato.

Quod ad quartum argumentum attinet,prorſus elumbe eſt.Neque enim regimen Eccleſiæ eſt reuocandum ad ciuilis politiæ rationem & normā, A vt docet Chriſtus Luc. 22.v.25. & Petrus etiam 1. Pet.5.v.3.quia Dominus ipſe,qui ſuæ Eccleſiæ eſt rex , eius quoque regendæ regulam nobis verbo ſuo præſcripſit prorſus abs Monarchica alienam. Denique tantum inde malum ſerpſit,id eſt,ex hac Epiſcoporum prælatura, vt quemadmodum ſcribit contra Luciferia. Hieronym. non ſatis rectè cēſerētur baptizari,qui à Presbyteris tātū erant baptizati,niſi poſtea manus illis ab ipſo Epiſcopo & præpoſito iſto imponerentur:à quo ſolo dari ſpiritum ſanctum crediderunt.Atque inde putidum illud confirmationis ſuæ Sacramentum Papiſtæ fabricati ſunt. Hoc eſſe verum apparet ex Homil. 13.de Reditu ſeu Regreſſu Ioan.Chryſoſto.

Veniamus ad verba Pauli.Commendat futuram tractationem,tum à Modo ipſo dicendi,tum à Re ipſa.Modus dicendi eſt , præfatio quam attexuit, quò futuram doctrinam veram eſſe,& retinēdam intelligeremus,velut Dei ipſius vocē : non autem exiſtimemus hæc præcepta poſſe à nobis ſperni,& quæ hîc traduntur,inter ἀδιάφορα recenſenda reponendáque eſſe. Eſt enim ſolius Dei in ſua domo B vocationes conſtituere.

Res autem ipſa,eſt dignitas Epiſcopatus. Epiſcopi verò vox ex vſu communi ſumpta eſt ab Apoſtolis. Dicti ſunt enim Epiſcopi à Græcis qui rei alicui cum aliqua poteſtate præerant. Cicero in Epiſtolis ad Atticum vocat Epiſcopum , eum, ad quem delectus,& ſumma rerum defertur. Homerus lib.10. Iliad. huius vocis ἐπισκόπους meminit. Suidas ab Athenienſ.ſcribit eſſe dictos,Epiſcopos Prætores qui ad res ſociorum inſpiciendas mittebantur. Plutarch.tum in Numa, tum in Pericle hac voce vtitur.Hanc dignitatem eſſe rem pulcherrimam & præſtantiſſimam docet hoc loco Paulus. Itaque non eſſe quoſlibet illius capaces, χαλεπὰ γὰρ καὶ δύσκολα τὰ καλὰ , vt ex veteri prouerbio dixit Plato:ſed multa in iis requiri, qui ad tantum munus obeundum ſe accingunt: aut à nobis eligi, vt ſint idonei,debebunt. Quidam enim ſunt nimium audaces,qui nec ſe, nec munus hoc , quod affectant norūt.Itaque ſunt illi tanti muneris difficultate deterrendi. Eſt enim , vt ait Gregorius C Magnus Lib.1.Paſtoral. in Proleg. regimen animarum ars artium. i. difficillima omnium cura & paucis committenda.

Ne propterea tamen alij hoc munus tā arduum repudient,adiicit cōſolationē,eos qui hoc munus expetunt,rectè facere,& opus Deo gratū exoptare. Atque ita Paulus,Audaces reprimit,& Timidos excitat. Chriſti enim hominis imaginē gerit Epiſcopus,vti Magiſtratus ipſius Dei , vt Auguſtinus in libr.Quæſtio.veter.& noui Teſtamenti quæſt.35.ſcribit.Loquitur autem hîc Paulus nō de ambitioſo deſyderio.Hoc enim maximè in iis dānatur,qui Eccleſię præfici volūt.non itē de auaro: ſed de ſancto illo animi affectu , per quē Dei glorię prodeſſe, eámq; promouere,quantū Dominus ipſe legitimè dederit,auēt ij,qui Epiſcopatū deſiderant:nec pręoccupantes locū & ſeſe intrudētes, nec fugiētes,cùm precibus Eccleſiæ flagitātur. Et vera eſt illa Auguſtini ſententia lib.19.de Ciuitate Dei cap.19.Otiū ſanctum quærit charitas veritatis:negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis.

Sed & illa quoque Iſidori vera.Pleriq; ſacerdotes ſuæ magis vtilitatis cauſa, quàm gregis pręeſſe deſiderant. Nec vt proſint,præſules eſſe cupiunt:

A ſed magis vt diuites fiant & honorentur. Suſcipiũt enim ſublimitatis culmẽ non pro Paſtorali regimine, ſed pro ſolius honoris ambitione, atque abiecto opere dignitatis, ſolã nominis appetunt dignitatem. Hæc Iſidior. li. 3. de ſummo Bono ca. 34. quæ Aquiſgranenſe Concil. ſub Lodoico Pio ca. 15. in ipſam talium Epiſcoporum contumeliam iã pridem repetiuit.

Epiſcopatum autem definit Paulus ἔργον non τιμὴν, quia, vt ibidem dicit, & rectè quidem Auguſtinus, epiſcopatus eſt nomen operis & oneris: nõ autẽ honoris. Væ igitur deſidioſis & canibus mutis, qui ſe tamen vocant Epiſcopos, vt eſt apud Iſai. 56. Videtur autem hæc ſumpta definitio ex Exod. cap. 39. ſed imprimis ver. 41. vbi quæ Aaron & Leuitę habere ſingularia & peculiaria iubentur, ad miniſtrandum Deo, non ornamenti cauſa illis data eſſe commemorantur: ſed potius miniſterij & operis illis à Deo iniuncti gratia.

2 *Oportet igitur Epiſcopum irreprehenſum eſſe, vnius vxoris virum, vigilantem, ſobrium,* B *compoſitum, hoſpitalem, aptum ad docendum.*

Varias dotes poſtea recenſet Paulus, quibus ornatum eſſe Epiſcopum oportet, vt ſit maioris inter ſuos authoritatis, & tanquam exemplar totius gregis, vt docet Petrus 1. Epiſt. cap. 5. Manant enim in vulgus exempla regentum, & paſtorem oportet non tantùm doctrina: ſed & vitę probitate ac ſanctitate cęteris prętucere Matt. 5. vt ſit ſal, quia quodammodo in ipſius Dei doctrinam, quam prædicant, redundant paſtorum vitia & probra. Vnde fit, vt etiam in lege veteri ſymbolis quibuſdam doceret Dominus quantas dotes in Sacerdotibus ineſſe oporteret. Omnis enim ille cultus & ſummi Sacerdotis ornatus, qui Exo. 28. v. 30. 31. & ſequent. deſcribitur, quanta pietas, ſanctitáſque à paſtore Eccleſiæ requiratur, oſtendit: quemadmodum etiam explicat Iſychius lib. 6. in Leuitici cap. 21, & 22. Gregor. Magnus Epiſt. 24. Externa enim illa Leuitici miniſterij ſpecies & ſplendor fuit interni ornatus & vitæ & doctrinæ quæ in veris Paſtoribus Eccleſiæ requiritur, ſymbolũ, vt præclarè docet Gregor. Magnus, in Paſtorali libr. 2. & C Iſidorus Libr. 3. De ſummo Bono, & ante hos omnes Hieronym. Tomo 3. Epiſtola ad Fabiolam. Ex iis autem tot virtutibus, quas deſcribit Paulus hoc loco, vt veram perfectámque boni Epiſcopi ideam habeamus, quædam oſtendunt, qualem Epiſcopum ipſum In ſeſe eſſe oporteat, & Ratione ſuæ familiæ, Item, Extraneorum & infidelium. Quæ omnia diſtribuo in tria hęc capita, vt congeſtas hîc à Paulo dotes diſtinguere aliqua ratione poſſimus. Berna. autem Serm. 77. in Cantica breuiter has omnes dotes videtur his verbis complexus. Ad ſolam ciuitatis, id eſt Eccleſiæ cuſtodiam, vt quantum ſatis eſt, procuretur, opus eſt viro forti, ſpirituali, fideli: forti ad propulſandas iniurias: ſpirituali ad deprehẽdendas inſidias: fideli, qui non, quæ ſua ſunt, quærat. Sed & ſi doctus fuerit, non ſit autem bonus: verendum, ne nõ tã nutriat doctrina vberi, quàm ſterili vita noceat. Innocens etiam ſed abſque ſermone conuerſatio quantum exemplo prodeſt, tantùm ſilentio nocet. Idiota enim paſtor quomodo in paſcua diuinorũ eloquiorum deducet greges dominicos? Hieronymus in Epiſtola ad Oceanum, quæ incipit, *Nũquam fili Oceane*, totum hoc argumentum explicat, A ſed breuius quàm res tanta dici merebatur. Explicat etiam Auguſtinus in Libello ad Paſtores, ſed non perſequitur ſingula. Denique Aquiſgranenſi concilio, quod ſub Lodoico Pio habitum eſt, iſte locus tractatur propter corruptiſſimos tunc temporis Epiſcoporũ mores & collapſam diſciplinam Eccleſiæ. Nos latiſſimè totã hanc rẽ perſequemur.

Ergo diligentius iſta Pauli præcepta ſunt iam obſeruanda. Primum, Quòd ex quibus cauſis Epiſcopi eligi prohibentur: ex iiſdem electi deponũtur. Eas autem hîc expreſſas à Spiritu ſancto habemus. Secundum, Quòd præter has conditiones & qualitates, aliæ ſunt ſynodorum decretis poſtea additæ, quarum quædam prorſus ſunt reiiciendæ, nec nobis Euangelij lucem adeptis iam retinendę, vel in Epiſcoporum electione requirendæ, & obſeruandæ. Nec ferè locus eſt, quem ſcrupuloſius Canoniſtæ tractarint, quàm hic qui eſt de clericorum & Epiſcoporum electione vti apparet tota prima parte Decretorum & à diſtinct. 23. ad 102. Nos quantum videbitur, & ad vſum noſtrum, & ad Eccleſiæ papiſticæ perturbationem & σύγχυσιν B patefaciendam, ex illis etiam hauriemus. Primum igitur ait, *Irreprehenſibilem*, vel *irreprehenſum*. Paulus in Epiſtola ad Titum 1. verſ. 7. ἀνέγκλητον, id eſt, non à quoquam publici criminis accuſatum, ſed inculpatum. Ratio eſt quòd multum de dignitate & authoritate Epiſcopi & paſtoris detrahit publica non tantùm ſceleris damnatio: ſed etiam accuſatio, quia in ea perpetrati criminis ſuſpicio quædam ineſt, quanquam non eſt conuictus. At qui cæteros reprehenſurus eſt, debet ne ſordeſcat eius admonitio, omnibus vitiis carere. Debet enim omni vitio carere, qui in alterum dicere paratus eſt, vt ait M. Tull. Iſtud verò Pauli dictum, vt ſit irreprehenſus Epiſcopus, de publica infamia & de eo ſcelere, quod accuſatione publica obnoxium, aut dignum eſt, intelligitur, quo carere & illius accuſatione, debet futurus paſtor: non autem de peccato vel infirmitate qualibet accipitur, cui etiã optimi quique ſunt obnoxij, vt ea in futuro Epiſcopo nulla ineſſe omnino poſſit. Ἀνέγκλητοι quidẽ eſſe poſſumus, Ἀναμάρτητοι verò eſſe nõ poſſumus. Peccatorum igitur, vt docet etiam ſæpe & appoſitè quidem ad huius loci explicationem Auguſt. C quædam ſunt Crimina, & Peccata, vel infirmitates tantùm humanæ naturæ, & vitioſitatis humanæ appendices & communes omnibus hominibus propter inhærentem nobis peccati originalis radicem. Peccata in futuro Epiſcopo ineſſe poſſunt, crimina in eo nulla ineſſe vel tolerari debent. Itaque ſi quis ſit homicida, adulter, falſus teſtis, latro, pirata, vel ſeditioſus, Epiſcopus ne eligitor: electus per ignorantiam deponitor, vt eſt in Agathenſi concilio ca. 50. & in canon. Si Epiſcopus diſtinct. 50. Idémque Ambroſius docet Epiſtola 82.

Hîc autem variæ quæſtiones incidunt & oriuntur, quarum quaſdam tantùm, quæ ſunt vtiliores, breuiter tractabimus.

Prima eſt, Vtrum hac eadem voce *irreprehenſus* comprehendantur peccata quæ ſcelera quidẽ ſunt, publica pœna tamẽ minimè puniuntur, qualis ſub Paganiſmo idololatria: & in Papatu, ſacrificium miſſæ, vt qui hæc admiſerit, id eſt, qui idololatra fuerit, qui Miſſam blaſphemã cantauerit eligi non poſſit in Epiſcopũ. Nec enim iſta peccata publicè in Papatu accuſari poſſunt, nedũ dãnari. Reſpond.

Diſtin-

A Diſtinguendũ eſſe. Aut enim de eo quærimus, qui ignorans talis fuit: aut qui fidem Chriſti ſemel ſuſceptam abnegauit. Ignorans, & poſtea ad fidẽ cõuerſus poteſt exemplo Pauli, fieri Epiſcopus. Non poteſt autem is qui ſciens & abnegata Chriſti fide talis fuit. Nec enim tam ſpectat Paulus in criminibus & vera infamia definienda, quid leges hominũ ſtatuerint, quàm quid Dei verbum damnet. Ergo Chriſtianus qui defecit à fide, qui apoſtata fuit, qui Chriſtum abnegauit publicè, qui Chriſtũ profeſſus, idolis poſtea ſacrificauerit, eligi certè non poteſt in Epiſcopũ. Augu. epiſt. 50. & eſt in can. Preſbyteros & canon. Hi qui poſt, diſt. 50. Quod enim Marcel. Epiſcopus Roma. poſt fidei abnegationẽ retentus eſt in Epiſcopatu, propter magnam eius pœnitentiam factum eſt, quam demonſtrauit. Qui igitur nondum Chriſtum agnoſcentes & profeſsi idolis ſeruierunt, & poſtea ad fidem conuertũtur: non impediuntur propterea, ſi cætera habeant, in paſtores Eccleſiæ eligi.

Secundo loco quæſitum eſt, Qui accuſati tãtùm B quidem ſunt criminis publici, non autem damnati vtrum eligendi omnino poſtea nunquã ſint. Inhęret enim quædam labes in iſtis, & opinio turpis apud bonos & graues viros. Reſpon. Hoc totum ex facto pendere. Nam ſi veriſimilis nota & ſuſpicio infamię aut malę turpiſque vitę iis inhęret, qui accuſati ſunt & non conuicti, eligi non debent, quãquam prorſus non ſint conuicti, quia Epiſcopum non tantùm carere ipſo vitio & crimine apud Deũ oportet: ſed etiã apud homines criminis ſuſpicione, vt Eccleſia melius ædificetur. Sin prorſus innocens eſt pronuntiatus, maiórque illius integritas inde apparuerit, & eluxerit, eligi & admitti poteſt, etiam is, qui publicè criminis accuſatus eſt.

Quæſitũ denique eſt, vtrum Epiſcopi vel Preſbyteri, vel Diaconi, qui apertè in huiuſmodi ſcelera inciderint, fuerintque propterea depoſiti, iterũ eligi ad eoſdem vel maiores vel inferiores gradus Eccleſiaſticos poſsint, ſi appareat eos verè pœnitere, & vtiles Eccleſiæ eſſe poſſe. Reſpõd. in eo variã fuiſſe veteris Eccleſiæ ſententiã. Primùm enim fuit ſeuerior Eccleſia: & erat moribus receptũ, vt C lapſi ſiue in hæreſin, ſiue in apoſtaſiã, ſiue in aliud aliquod crimen, & vitiũ, & depoſiti propterea, nõ admitterentur vnquã poſtea in gradũ vllum Eccleſiaſticũ, propter ædificationẽ Eccleſiæ. Deinde aliud receptũ & conſtitutũ fuit, nempe vt etiam recipi poſſent, ſi pœnituiſſent. Quam ſecundã ſentẽtiam cùm Luciferiani damnarẽt & improbarẽt, hæretici ſunt habiti. Denique tandem res tota in concilio Agathenſi cõpoſita & cõſtituta eſt, vt lapſi nimirum & reſtitui & retineri in gradu poſſent: ad maiores tamen non poſſent prouehi. Excepti tament ſunt ex eo numero Apoſtatę. canon. Contumaces & cano. Domino ſancto diſtinct. 50.

Vnius vxoris virum. Secunda Epiſcopi futuri cõditio. Primùm autem huius loci explicatio vera vidẽda eſt. Deinde ratio pręcepti. Deniq; quæ huius loci poſtea corruptela ſiue deprauatio facta fuerit.

Ac quidẽ primùm hic locus à patribus verè & purè & ſyncerè explicat' eſt, veluti à Iuſtino & hîc à Chryſoſt. Atque etiã ab Hieronymo, quanquam infeſtiſsimo nuptiarũ hoſte: itẽ ab Ambroſ. epiſt. 82. & Theodoreto (etſi poſtea Gręca Eccleſia cum Latina de huius loci explicatiõe diſputauit & diſſenſit.) Ne is nimirum in Epiſcopũ eligeretur, qui vno eodẽmque tẽpore duas apud ſe haberet vxores. A Tales enim tunc multi etiam Iudæi erant, qui exẽplo Dauidis, Salomonis & aliorũ Patriarcharũ abuſi duaspluréſque ſimul coniuges ducebãt. Nũquam autem illi acceperunt ita hunc locum, quaſi qui coniux ſit, Epiſcopus fieri non poſſet, aut quaſi qui iam factus eſſet Epiſcopus, vxorem ducere, ſi velit, non deberet aut auderet. Nondum enim impia Syricij Rom. Epiſcopi ſententẽtia edita fuerat, quę Epiſcopos cœlibes effecit. Hierony. Oceano tom. 2. epiſtolar. Hoc quod dicit, *Vnius vxoris virum*, poteſt aliter diſſeri. Ex Iudæis erat Apoſtolus. Prima Chriſti Eccleſia de Iſrael reliquiis congregabatur. Sciebat Lege conceſſum, & exẽplo Patriarcharum ac Moſi familiari populo nouerat in multis vxoribus liberos ſpargere: ipſis quoque Sacerdotibus huius licentiæ patebat arbitrium. Præcepit ergo ne eandem licentiam Eccleſiæ ſibi vendicarent Sacerdotes: ne bina pariter & trina coniugia ſortiantur, ſed vt ſingulas vno tempore vxores habeant. Quidam coactè interpretantur *vxores* pro Eccleſiis: *viros* pro Epiſcopis debere accipi. B Ergo apparet eſſe poſſe Epiſcopos coniuges, ſed tamen non poſſe eſſe digamos. Digamum enim & quidem verè interpretabantur, qui duas ſimul vxores haberet, & eodem tempore. Sed & duas quoque vxores habere cenſendi ſunt, qui primam quidem vxorem repudiarunt: ſed extra cauſas verbo Dei comprehenſas, & aliam illi repudiatæ ſuperinduxerunt, qualia multa ex non iuſtis cauſis fiebant olim diuortia tum inter Iudæos ipſos, tum etiam inter Gentes. Nec enim huiuſmodi coniugia abſunt ab impuris adulteriis, vt docet Chriſtus Matth. 19. verſu 9. quia extra cauſas à Deo explicatas fiunt. Ergo & hi quoque ſunt digami, vti & priores illi, qui duas vxores habent, quos Epiſcopos eſſe nõ vult Paulus.

Ratio verò huius præcepti eſt multiplex. Primùm ædificatio Eccleſiæ. Cùm enim multæ coniuges eiuſdem viri, ſint profanatio matrimonii à Deo inſtituti: & magnæ libidinis & incontinentię ſignũ, réſque ea ſit omnino per ſe fœda & turpis, perinde atque ſi plura corpora vnũ tantùm caput haberent, ab ea fœditate maximè paſtori Eccleſiæ C eſt fugiendum & abſtinendũ. Denique cùm Deus ipſe grauiſſimè huiuſmodi coniugiis, quæ ſunt adulterio paria, offendatur, illa prohiberi debuerunt, maximè futuris paſtoribus. Cur autẽ diſertè iſtud commemorare oportuerit ratio eſt, tũ Iudæorum receptus & vulgaris iam mos, vt docet Chryſoſto. qui ſibi plures ſimul vxores ſumebant: tum communis omnium penè populorum, imprimis autem Gręcorum & Orientalium opinio, barbara quidẽ, ſed tamẽ iam confirmata: qui id minimè turpe putabant, maximè ſi priori vxori repudii libellus etiã ſine cauſſa miſſus eſſet. Nã & Diogenes Laert. ſcribit in Socrate id præceptum fuiſſe & edictum Athenis, vt duas vxores vir quiſque haberet: & Socrat. lib. 4. cap. 32. tradit eandem legem etiam à Valentinia. 3. imp. Romano repetitam fuiſſe & ſancitam, tam leue peccatum habebatur Polygamia.

Ephiphan. in lib. Hæreſ. de Cataphrygib. agẽs putat ad Chriſti ſummi Sacerdotis imitationẽ, cuius imaginem gerũt Eccleſiæ doctores, iſtud à Paulo præcipi. Nã quemadmodũ habet Chriſtus vnam tãtùm Eccleſiam: ſic Epiſcopus (ait) vnam tantùm

A vxorẽ habere debet. Auguſt.lib. de Bono cõiugali ca. 18.vnitatem Gentium nomine vnius vxoris ſignificari ait.Ineptè certè,pace tantorum virorum dictum ſit,vtrique.Ergo proculdubio Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos coniuges habuit vetus Eccleſia & proxima Apoſtolorũ temporibus ætas, vt apparet ex Hiſtoria Eccleſiaſtica: imprimiſque Euſeb.lib.6.cap.42.Socrat.Scholaſt. lib.5.cap. 22. Sed & ex ipſis quoque Papiſtarũ canonibus & decreto Gratiani.Sed & Auguſt.cùm ſcribit ad Paulinum Nolæ Epiſcopũ Tarracaſiæ quoque ipſius vxoris meminit,nec eum quòd coniux eſſet, indignum iudicat Epiſcopatu.

Secuta eſt autẽ alia ætas,quæ propter cœlibatus & virginitatis peruerſam admirationẽ, hũc locum primùm à vero ſenſu deflexit & detorſit. Deinde prorſus corrupit. Ac detorſerũt miſerè hunc locũ ij,qui ita ſunt interpretati, eos eſſe eligendos Epiſcopos,qui fuerãt quidẽ ante electionẽ viri vnius vxoris:non autẽ,qui coniuges tunc erant,cùm eligerentur.Sic Ambroſius accipit epiſt.82. Sed ij falluntur peſſimè.Nam & hîc & ad Titum 1.v. 6.diſertè dicit Paulus,ſi quis *eſt* tempore præſenti: nõ B autem,ſi quis fuit,tempore præterito.

Corrũpunt planè hunc locũ alii & ridiculè explicant,qui vxorẽ hîc Eccleſiam appellant & à Paulo ſignificari voce vxoris putant.Vnius ergo vxoris virũ eſſe,eſt vnius Eccleſiæ & Sacerdotii Epiſcopũ & adminiſtrũ eſſe.At tũc,id eſt, tẽpore Pauli nondũ erant Sacerdotia,& quęſtus Eccleſiaſtici. Vt mera ſit cauillatio & peruerſio Scripturæ, ſic mẽtẽ Pauli explicare.Ergo ſic variè corruptus eſt hic locus. Quòd autẽ ait Paulus,*vxoris*,ita fuit ſtrictè acceptũ à Patribus,vt præter mentẽ Pauli quidã laqueũ poſtea induxerint conſcientiis hominũ.

Vxorem enim eam tantùm eſſe volũt,quæ antea honeſtę vitę mulier fuerit.Itaque ſi quis minus honeſtam mulierẽ,ſi quis ſcenicam mulierẽ,quæ ſpectaculis inſeruierit:item aliã quãpiam ex turpi cauſa olim notã duxerit,excludi ab omni Eccleſiaſtico miniſterio debere putant, & Synodorum decretis ſanciuerunt. Eſt in canonibus Apoſtolorũ,qui dicuntur,éſtque relatũ in canon.Si quis viduã & eiectam diſt.34.& à Neocæſarienſi cõcilio(quod Nicenum primũ præceſsit)repetitũ cap. 8. Quod etſi C non improbo ab iis ita eſſe conſtitutum, ex eo tamen laqueũ cõſcientiis vllum induci nolim, & ita ſtrictè in omnibus obſeruari.Nam hoc ita conſtitutum ſolùm eſt à Patribus illis,quòd Eccleſiæ ædificatio in tanta meretricum copia, & inter gentes profanas verſantibus,exigere huiuſmodi quiddam videretur.Oſeas tamen duxit meretricem in vxorem,ſi quibuſdam credimus.

Sed & ſi quis eam vxorẽ habet,quã ex legũ præſcripto ducere non poteſt,veluti ſi intra eum gradum,qui legibus alicuius prouinciæ politicis prohibetur,ad munus Eccleſiaſticũ vocari & admitti non debebit ex Synodo 6.generali,quæ fuit Conſtantinopolita.in Trullo,& eſt in cano. Presbyterum nõ legalibus.diſt.28.vbi Gratianus ſe imperitum prorſus prodit:vel ſi per ignorantiam admiſſus eſt ad Epiſcopatũ, interdici muneris ſui exercitio debebit,ex iiſdem Synodi decretis.

Additũ quoque eſt à cõcilio Chalcedonẽſi cap. 14.& ſancitũ,ne qui vxorem hæreticã, aut Paganã ſiue Gẽtilem & idololatrã duxiſſet fieret Epiſcopus & clericus,ne fortaſſe illa virum à fide Chriſti abducat,aut pietatem Chriſtianam profanet, & calumnietur,quia hoſtis eſt & inimica. A Sic eſt in cano.Quoniam in quibuſdam diſt.32.Sed & qui duas ſucceſsiuè & legitimè ductas vxores habuerũt, Digami ſunt appellati ab iſtis, ſed perperam. Itaque ab officio paſtorum prohibiti ſunt ex mala interpretatione huius loci.Nã nec ſecundæ nuptiæ, nec tertiæ peccatum habent, ſi caſtè ſeruẽtur,Auguſt. in libro.De fide ad Petr. quãquam Bernard.ſerm. 58.Cantic.damnat,exemplo turturis,numeroſitatem nuptiarũ:ſed ex monachica ſuperſtitione vti eam quoque Tertullianus damnauit ex Montaniſtarum errore.

Denique vxorẽ vnam dixit Paulus.Quid ſi quis vxori vni quidẽ legitimè ductæ ſuperinducit concubinam, Vtrũ is paſtor & Epiſcopus eligi poteſt? Eſt enim hæc concubina & pellex, non vxor. Reſpond.Tergiuerſationem eſſe. Nam plana eſt Pauli ſententia,per quam omnem in eo qui Epiſcopus eſt futurus,turpis & obſcœnę libidinis notã dãnat ne propterea malè audiat Dei verbum,aut ipſe ſit offendiculo cuiquam.Itaque qui pellicem cũ vxore habet in conſortio,eſt adulter,& prohibetur eligi & hîc & can.Apoſtolorum 17.Aurelia.concilio cap.4.Agathenſi cap.55.& eſt in canon.1.diſtin. 33. B & tota diſtinct.34.

Si excipiatur ſeparatam eſſe Euangelii doctrinã à vitiis Miniſtrorũ,qui eam annuntiant,nec eã quę per ſe pura eſt,illorum ſordibus pollui poſſe. Reſpond.Per ſe quidem illud verum eſſe:opinione tamen hominum non item. Putant enim homines Miniſtrorum vitiis tanquã attrectatione quadam, doctrinã illam cæleſtem pollui. Itaque illa minus & lubenter & reuerenter iam auditur,cùm huiuſmodi quędam perſonæ fœdæ & turpes in diuinũ miniſterium aſciſcuntur,& alleguntur.

Venio iam ad eas poſtremæ ætatis conſtitutiones,per quas hoc Pauli dictum & præceptum non tantùm inflexum eſt à vero ſenſu: ſed omnino immutatum,& ſublatum ex nimia & præpoſtera cœlibatus admiratione.

Ac primũ quæſitum eſt anxiè,Vtrum cœlibatus eſſet Miniſtris Eccleſiaſticis,ſiue iam vocatis & ordinatis,ſiue vocandis & creandis pręciſè indicendus & præfiniendus. Reſpond. Cùm neque donũ continentiæ ſit in noſtra poteſtate,neque ſemper, C & vel in perpetuũ à Deo detur,ſi cui detur:ſed ſæpe tantùm ad tempus:perperam & iniquè eos agere,qui illum præſcribunt Epiſcopis & vllis Miniſtris Eccleſiaſticis, vel iã electis,vel eligẽdis. Onerant enim hominum conſcientias præter Dei verbum,quod facere non licet,iiſque leges imponũt: quod ſolius eſt Dei. Deinde Cataphrygum & Encratitarum hæreſin,(qui nuptias damnarunt)& reuocant & cõfirmant.Etſi enim nuptias non in totum tollere videntur : eatenus tamẽ illis hæreticis aſſentiuntur, quatenus ſanctam illam Dei inſtitutionem(quæ eſt coniugium) putant polluere quoſdam pios:aut ſaltẽ obſtare, quò minus illi ad Dei obſequium ſint apti & idonei, cùm tamẽ aliàs iis nihil eorũ,quæ Dei verbum in paſtoribus requirit,pro captu humanæ infirmitatis,deſit.

Quare cùm Synodo Nicena prima de ea lege clericis imponenda ageretur & diſceptaretur,obſtitit vir ſanctus Paphnutius Epiſcopus & Chriſti Martyr & ipſe ἄγαμος tamen,qui ex Dei verbo omni hominum generi honeſtum eſſe cõiugium docuit ex

Hebr.

A Heb.13.4. Atque hæc Hiſtoria extat apud Sozom. lib.1.cap.23. quicquid Torrenſis contra debacchetur. Nam Theodorus Beza in lib. de Polygamia ipſa Synodi Nicenæ verba Græca recitauit ex veteri codice Græco excerpta, & illius ipſius rei fit mentio in ipſo Decreto cano. Nicena diſtin. 31. vt mirum ſit fuiſſe tam impudentes quoſdam vt id negarent actũ eſſe in Nicena ſynodo prima quod ipſi eorum canones ſeuerisſimè clamant factum fuiſſe. Et noſtro ſeculo ad fratrum Boemorum interrogationes de ea re (obſeruant enim illi in ſuis Miniſtris cœlibatum) quod eſſet ſuum iudiciũ ſcripſit reſponditque D.Cal.epiſt.339.

Cogi quidem vxores ducere non debent ex hoc Pauli loco Epiſcopi, ſed neque prohiberi poſſunt. Hoc enim totũ eſt planè liberum & ἀδιάφορον. Vnde neceſsitas aut lex in neutram partem ſtatui debet & induci. Nam etiam Eunuchus Epiſcopus eligi poteſt, vt docet Euſebius lib.7.cap.32. qui certè vxorem ducere non poteſt.

Quibus verò gradibus ad hanc tandem Coniugii prohibitionem, vel potius profanationẽ in Eccleſia ventum ſit, iam explicemus. B

Primùm igitur coniugatos Miniſtros æquè & promiſcuè, atque cœlibes habuit vetus Dei Eccleſia, & bene inſtituta. Id quod durauit diutiſsimè, quando etiam Gregorius Nyſſenus, vt ait Nicephorus, fuit vxoratus.

Poſtea verò aliud, tum in Ordinãdis in miniſterium, tum in Ordinatis receptum eſt. Ac Ordinati iam Epiſcopi, qui erant coniuges, vxores ſuas retinebant, iiſque vti poterant, neque id etiam obſtabat eorum miniſterio exercendo & muneri retinendo, Socrat.lib.5.cap.22. canon. de Syracuſanæ § Siue ergo diſt.28. cano. Apoſtolorum 5. & ita Gangrenſi etiã cõcilio, quod fuit ſub Syluestro Roma. Epiſcopo conſtitutum fuit.

Ordinandi verò primùm cœperunt in ipſa electione interpellari vtrum continentes eſſe vellent & in perpetuum abſtinere coniugio an non. Qui ſi promiſiſſent ſe continentes futuros: vel etiam tacuiſſent interrogati, poſt electionem ad miniſteriũ Eccleſiaſticum vxorem ducere iam non poterant. cano. Diaconus. diſtinct.27. Hic enim vel ſilẽtium ipſum pro voto perpetuæ continentiæ habebatur. Itaque ſi poſtea matrimonium inibant, ordine ſuo C mouebantur. Neque tamẽ vt ſcortatores, vel adulteri puniebantur, neque Sacramentorũ vſu, & participatione interdicebantur, vt ex Neocæſarienſi concilio apparet. Quod tamen decretum, & quam tam ſeueram Eccleſiæ diſciplinam neque Auguſt. neque etiam Hieronym. probarunt, can. Quidam. diſtinct.27. Sin autem Ordinandi de promittenda perpetua ἀγαμίᾳ interpellati vel omnino recuſaſſent vouere & polliceri continentiam: vel ad tempus tantùm promiſiſſent: neque eligi prohibebantur, vt docet Zonaras in interpretatione cano. Apoſtoli 26. neque poſt electionem ad Eccleſiaſticum munus vetabantur vxores ducere, ex Ancyranæ Synodi cap.10. Differebatur tamen ſæpe electio, & ſpectabant illo tempore, num quem alium inuenire poſſent, idoneum tamen, qui continẽtem & abſtinentem à coniugio vitam polliceretur, vt eum potius eligerent: eſt in cano. de Syracuſanæ, diſtinct. 28. Quod ſi neminem continentiam vouentem idoneum paſtorali muneri reperiebant, hunc qui continentiam nolebat promittere, eligebant, idque fas erat. Gregor. Magnus epiſt.42. A

Et quidem in iis qui ad maiora munera & officia Eccleſię vocabantur, obſeruabatur iſta ſtipulalatio, & interrogatio, veluti in iis, qui ad Epiſcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum adoptandi erant. In ſubdiaconis verò, acoluthis; lectoribus & aliis inferioribus, & minoribus ordinibus idẽ neq; fiebat, neque habebat locum, quia poterant etiam electi vxorem ducere, neque de vouenda ἀγαμίᾳ tales eligendi interpellabantur. cano. Si quis verò, & can. Seriatim diſt.32. cano. Lex continentiæ diſt.31. Quanquam poſtea id immutatum eſt in ſubdiaconis, quibus fuit interdictum ne vxores ducerent: vt ſcribit Berna. Abbas Clareua. epiſtola 203.

Ratio verò, cur iſtę ſtipulationes & anteſtationes in ordinandis fierent, duplex afferri ſolet. Prima quidem paupertas Eccleſiarum, quæ tot familiis alẽdis, Epiſcoporum nimirum, Presbyterorũ, & Diaconorum ſatis eſſe non poterant, in tam tenuibus adhuc opibus. Nam Eccleſiæ tunc vel nulla erant æraria, vel exigua admodũ, quia quæ bona habebant Eccleſiæ pauperibus erogabãtur, vt plurimum. B Etſi verò bona Eccleſię ſemper diſtinguebantur à bonis Epiſcopi, tamen illius ætatis homines metuebant, ne coniugati Miniſtri bona Eccleſiæ ad vxores, aut affines, aut filios ſuos clàm deriuarent, & tranſportarent. Eſt in cano. De Syracuſanæ. diſt.28. Sed non debuit diffidentia de Dei erga nos beneuolentia, & erga ſuos prouidentia inducere hos metus, & aſpergere iſtam labem Chriſtianæ Eccleſię. Si enim Dominus proſpicit auium neceſsitati, & dat illis cibum & eſcam, multo magis ſuis proſpiciet, & imprimis verbi ſui fidelibus Miniſtris Matth.6.v.25. quamuis Eccleſia iis propter inopiam non ſubueniret. Deinde nonne iis pręcipuè, vti Chriſtianis pauperibus, ex ęrario pauperum erogari debuit?

Secũda verò iſtius poſtulationis ab Ordinãdis ratio fuit, quòd continentes Miniſtros ſanctiores, quã cõiugatos eſſe exiſtimarẽt & mũdiores, quia Dominus iuſsiſſet ſuũ populũ aliquãdo vxoribus abſtinere, vt ſe ſanctificaret Exod.19. Deniq; propter dictũ Pauli 1.Cor.7.v.5. liberiores & paratiores eſſe putabant: vt orationi & ſuo muneri vacarent. Quæ tamẽ opinio ex peruerſa cœlibatus admiratione & laude profecta eſt, & ex Encratitarum hæreticorum cœno deducta, in vituperium & cõtumeliam coniugii, can. Ante triennium diſtin. 31. C

Atque hic mos in Occidente potiùs & ſtrictius ſiue religioſius, quàm in Oriente primùm obſeruabatur. Imprimis autẽ Romæ obtinuerat, quem tamen apertè improbat Gregor. Magnus lib.1.epiſt. 42. & apparet ex cano. Placuit Epiſcopos. diſtin.32. cano. Ante trienniũ, diſt. 31. quàm hoc ægrè fuerit receptum. Nam Græci Epiſcopi & Orientales vel rarò pollicitationem iſtam de continentia exigebant: vel eam etiam non obſeruabant, vt docet Socrat.lib.5.cap.22. Hoc tantùm conſtituerunt, vt ne liceat ordinato Epiſcopo accipere aliã, priori vxore defuncta & mortua cano. De Syracuſanæ in fi. diſt.28. cano. Quoniam diſtinct.31.

Denique tandẽ poſt varias diſputationes & laudes virginitatis & cœlibatus eò res rediit, vt mariti & coniuges viri ad aliquam dignitatẽ Eccleſiaſticam non poſſent aſſumi, Arelat. concilio 4.cap. 2.cano. Aſſumi diſt 28. cui ſubſcripſit Callixtus Papa Rom. At verò Hulderic⁹ Auguſtan⁹ Epiſcopus, A qui vixit ante annos 700. acerrimè ei decreto reſtitit & Nicolao Papę.Quod nouum etiam decretum & inauditum appellat can. De Syracuſanæ. & prorſus improbatur Gangrenſis Synodi cap.4.Synodo Conſtantinopolitana,quæ fuit ſexta vniuerſalis Synodus,quæ vtraque Synodus multis ſeculis & Arelatenſe illud concilium 4.& Callixtum Pontificem præceſſit.Sed & ante vtráque Nicena quoque prima ca.13.& ante hanc Nicenam cano.Apoſtolico,qui eſt N.6.qui etiã eſt in cano.Si quis,diſtinct.28.adeò vt Leo imperator cognomẽto Philoſophus Nouella ſua 2. iubeat hoc decretum ex Dei Eccleſia faceſſere , & prorſus in perſonarum Eccleſiaſticarum electionibus ſilere. Denique Syneſius Epiſcopus ad Eutropium negat ſuam ſe vxorem dimiſſurum,quam ei & Deus ipſe, & lex habere concedunt.Cùm autem ita variè de coniugio Sacerdotum diſceptaretur, primus Syricius Papa, qui vixit circa annum Domini 400. & Ambroſij Mediolanenſis Epiſcopi ætate, magna temeritate & nullo Sacræ Scripturæ nixus fundamento defi- B niuit & ſanxit,Sacerdotes manerent cœlibes oportere,cui videtur Ambroſ.epiſt. 80. & 81. aſſenſus. Hiſpania verò vniuerſa,& Germania contradixit, adeò vt hæc etiam poſt longum poſtea tempus Epiſcopos & Presbyteros coniuges haberet. Syricii dictum eſt in diſtin. 8. Anno verò Domini 1074. vt ait Nauclerus,contra Hildebrandũ,id eſt, Gregorium 7.Papam Germani de eo certarũt grauiſſimè.Et hęc quidem in Ordinandis ad munus Eccleſiaſticum obtinebant. In iam Ordinatis verò iſtud obſeruatum primum eſt,vt vxores ſuas, quas tunc habebant,retinerent,iíſque vterẽtur: niſi eas cõtra ſpontaneam promiſſionem iam factam duxiſſent.Tunc enim ab officio deponebantur, quia vxores duxerant. Tamen rata iſta coniugia eſſe & haberi oportere iudicabatur:ne tales à ſuis vxoribus diuellerentur. Sed inter digamos tamẽ pœnitebant.Poſtea verò iuſſi ſunt , etiam qui coniuges & mariti electi fuerant,vxorum ſuarum vſu abſtinere,quod fuit Abelonitarum hæreticorũ dogma vt docet in li.de Hæreſ.Auguſt.Ergo retinere eas, & tamen ſine vſu,domi habere poterant & conce- C debantur. Itaque fere in monaſteria , quòd iſta vxoris ſine vſu retẽtio mali eſſet exẽpli,ordinatiorũ miniſtrorum vxores detrudebantur. Tãdem verò creſcente in Eccleſia ſuperſtitione & inſtante Syricio Papa impuriſſimo, & eius ſucceſſoribus Papis,coacti ſunt , vel inuiti,Epiſcopi & Presbyteri eas deſerere,& huiuſmodi coniugia, velut inceſtæ nuptiæ,propter violatum continentiæ votũ , ſunt omnino & apertè damnata , & diſſoluta tanquam nulla eſſent.can.Presbyteris & can.ſeq.diſt. 27. & omne conſortium cum mulieribus clericis interdictum demum eſt , niſi cum cognatis & ſibi ſanguine coniunctis fœminis , cum quibus etiam nimium frequens conſuetudo propter ſuſpicionem fuit prohibita can.Interdixit.diſt.32.& cano.Quorundam.diſtinct.34.Sed quum homines temerarii honeſtum matrimonium miniſtris Eccleſiaſticis prohibuerunt,& interdixerũt,eos ad fœdiſſimam ſcortationem & adulteria grauiſſima pellexerunt & inuitarunt vt ait etiã Bernard.ipſe ſer.de cõuerſis ca.29. quibus nihil eſt inter huiuſmodi cœlibes clericos frequẽtius.Saluianus Maſſil. Epiſcop' qui vetuſtiſſimus eſt,ſic improbat iſtam coniugii continentiã & nondũ tamẽ prohibitionẽ li.5. de Prouidentia Dei.Licita nõ faciunt,illicita cõmittunt, temperant à concubitu , non temperant à rapina. A Quid agis ſtulta perſuaſio?Peccata interdixit De', non coniugia.Poſt huiuſmodi igitur conſtitutiones receptas tantum extitit coniugii inter clericos odium,vt pro hæreticis & Nicolaitis vulgò dãnarentur,qui coniugium iis licere docerent. Itaque Arnoldus Brixianus,& ipſe Monachus,ętate Bernardi damnatus eſt , ob eam cauſam, ſed iniuſtiſſimè.Longior hiſtoria de hac tota re eſt apud Balæum & Centuriatores. Quod fuiſſe inuentũ Heliodori cuiuſdam tradit Socrat.lib.5.cap.22.

Addit Paulus νηφάλεον quem alii ſobrium,alii vigilantem vertunt:ſed vox ſequens σώφρονα ſobrium ſignificat.Nos hoc loco *vigilatẽ* interpretabimur. Hoc ipſum eſt quod ait idem Paul. in Epiſtola ad Titum 1.v.8.ἐγκρατῆ,cui virtuti ἀσωτία contraria eſt, quam etiam reprehendit in Epiſcopo pręſertim & paſtore, totáque ipſius familia Paulus Tit.1.v.6. Hoc quidem præcipit Chriſtianis omnibus Chriſtus,vt ſint vigilantes Mat.24. verſ.42.& 25.ver.13. tamẽ à paſtoribus & iis qui aliis præſunt vigilãtia multo æquius & ſeuerius requiritur propter corũ B munus.Eſt enim hæc vigilantia pars illius fidelitatis & curæ,quam ab illis exigit Scriptura 1.Cor.4. v.2.& 1.Pet.5.v. 2. Et quia huius vigilantiæ comes eſt ſobrietas,vti negligentię comes eſt ebrietas,vt docet Chriſtus Luc.21. v.34. idcirco ab eodem Epiſcopo poſtea requirit Paulus , ne ſit vinoſus, vt poſtea dicetur. Huic autem virtuti duo quædam vitia opponuntur,Negligẽtia,& Abſentia.Ac negligens ſui muneris paſtor eſſe non debet , nec illud per contemptum ſpernere:Paulus 1. Corinth. 9.v.16.Væ mihi niſi euangelizauero , ad hoc enim miſſus ſum. Sed neque abſens eſſe debet diutius à ſuo grege.Quomodo enim vigilare poteſt,qui abſens eſt?Vnde præſentiam & reſidentiam paſtorũ dicit eſſe prorſus neceſſariam Paulus,nedum vt ab ea Eccleſia cui paſtores dati ſunt, abeſſe perpetuò poſſint,quod faciunt prælati Papiſtici Phil.2.v.25. Act.20.v.28.vt diſpẽſatio certè de nõ reſidẽdo:vel de pluralitate beneficiorum,quam vocãt,omnino contra ipſam Paſtoralis muneris naturam & definitionẽ inſtituta apparet , veriſſimáque ſubuerſio eſt officii & muneris Epiſcopalis & peſtis. Quæ C nullo modo danda paſtoribus eſt,nec toleranda in Eccleſia Dei.Conqueſti ſunt Patres in Synodo Ariminenſi collecti,quòd diutius quàm vtilitas Eccleſiarum poſtularet , à ſuis ſedibus prætextu Synodi abeſſent,vt tradit Socrat.li.2.ca. 37. Bernardus ſermo.77.in Cant.Propterea attendite vobis quicunque opus miniſterii huius ſortiti eſtis. Ciuitas eſt Eccleſia vobis commiſſa , vigilate ad cuſtodiã concordiámque,ſponſa eſt,ſtudete ornatui. Oues ſunt,intendite paſtui. Porrò cuſtodia ciuitatis,vt ſit ſufficiens trifaria erit,à vi tyrannorum,à fraude hæreticorum,à tentationibus Dæmonum.Sponſę verò ornatus in bonis operibus,& moribus,& ordinibus.At paſtus omnium communiter quidem in paſcuis ſcripturarum tãquam in hæreditate Domini,&c.

Huius autem negligentiæ & abſentiæ caſtgatio non tantùm ad Synodum,aut conſiſtorium Eccleſiaſticum pertinet , ſed etiam ad Magiſtratum piũ & fidelẽ,vt docemur exemplo Cõſtantini Magni, & refert Sozomen.lib.2.cap.4.

Ex huius autẽ præcepti occaſione, & rectè quidem, factũ eſt , vt paſtores & Epiſcopi Venatores & Aleatores,non tantùm damnarentur: ſed etiam depone-

deponerentur,qua iis rebus & ſtudiis occupati,& rebus Eccleſiæ attendere & moribus hominum inuigilare non poſſunt. Denique nimiæ diſſolutionis vitæ huiuſmodi ſtudia & occupationes ſunt certiſsima teſtimonia, quamquam Germanis & Gallis Epiſcopis ſemper nimium iſtæ res aſsiduæ & familiares fuerunt vt eſt in can.Quorumdam & ſeq.diſtinct.34.cano.Epiſcopus diſtinct.35.

Subiicit Paulus σώφρονα. Alii prudentem vertunt alii ſobrium (Malè prudentem, eſt enim φρόνιμος prudens,non σώφρων) Huic autem temperantiæ cõiungit Paulus iuſtitiam. Vult enim eſſe temperantem,& iuſtum Tit.1.v. 8. Temperantem in ſeipſo, ne abripiatur vllo vitioſo affectu ad turpia perpetranda. Iuſtum verò ad alios,ne quemquam offendat, aut re aut verbo, aut manu , aut lingua vel rapiendo,vel fraudando. Quæ hîc diſputant Canoniſtæ de prudẽtia Epiſcopi,qualis eſſe debeat, nos in explicatione vocis Νεοφύτου dicemus.

Κόσμιον,id eſt,Compoſitum, alii, vt Canoniſtæ Ornatum. mens Pauli eſt, vt omnis vitæ ratio ab Epiſcopo rectè ſit,ſanctéque inſtituta & compoſita,vt neque leuitas in eo appareat : neque moroſitas quædã.Itaque grauem Epiſcopum eſſe oportet,non quidem,vt non ſe affabilem & cuilibet acceſsibilem præbeat (eſt enim iſta toruitas potius & inhumanitas,quàm grauitas)ſed ne ſe contẽptibilem cuiquam oſtendat & præbeat. Vnde rectè ij explicant,qui concludunt ex hoc loco, Neque ſcurram,neque adulatorem, neque leuem eſſe debere Epiſcopum Epheſ.4.v.5. Bernard.ſermo 46. Cantic.cant. Cupreſſus item boni æquè odoris & imputribile lignum,incorruptæ vitę,& fidei etiam quemuis de clero debere eſſe demonſtrat. Nicol. Hemingius in Paſtore ſuo multa quidem quæ ad hanc diſputationem pertinent perſequitur: ſed ſine autoritate, & ſine Dei verbo ſuas quæſtiones decidere voluit.Quod certè multis non ſatisfacit.

Papiſtæ igitur & Canoniſtæ quædam argumento huius vocis afferunt,quæ non videntur omnino prætermittenda,quædam etiam quæ ſunt refutanda & prætermittenda.Ornatum igitur hunc,quem ab Epiſcopo requiri putant,faciunt duplicem , nimirum alium Externum , & alium Internum.Externum ornatum collocant in Cultu, & Inceſſu, quem vtrũque requirunt in Epiſcopo, honeſtum, & modeſtum,& rectè quidem.Itaque quòd ad cultum & veſtitum priuatum Epiſcoporum, conſtitutum eſt,vt neque ſordidus ſit,neque ſplendidus & fulgidus,ſed ſit illorũ perſonę & ordini congruẽs, & decens & accõmodatus,concilio Agathẽſi cap. 20. & Gangrenſi cap. 21. & eſt in can. Clerici qui, diſt.23.itémque 21.quæſt.4. per totum. Quod ad inceſſum etiam eſt ſancitum,ne ſit mollis ſiue fractus:néve militaris can. Parſimoniam cum veſte, diſtinct.41.

Nominatim autẽ præſcriptũ eſt concilio Martini Papæ,vt clerici veſtes talares geſtarent, & iis induerẽtur.Deinde ne barbã,& comã nutrirẽt, in quo manifeſta cõcilii Carthaginẽſis deprauatio & falſificatio à Gratiano facta eſt, vbi vetantur clerici omnes barbã radere,pro quo iſte ſuppoſuit vetari eos barbã nutrire.Ergo comam alere nõ debẽt clerici:ſed attonſo capite eſſe,auribus patẽtibus,& deſuper habere caput in modum Sphęrę abraſum, vt eſt in concilio Carthagin.4.Additum eſt extra li.3.Tit.de vita & hõeſtate clericor.ne diſciſſas caligas & induſia operoſè facta induãt & geſtẽt,quæ fuerũt iam monachales ſuperſtitiones & pars humanarũ traditionũ periculoſa. Modus quidẽ in iis omnibus ſeruandus eſt,quẽ ratio locorũ & perſonarũ exigit & honeſtas ipſa poſtulat. Sed iſtæ leges in nugis ſanctitatẽ paſtorũ poſtea collocarunt.

Quæſitum eſt etiã,Vtrum militari habitu & more veſtiri poſsit & debeat Epiſcopus : aut habitum quem habet,vtrum in militarem veſtẽ mutare poſſit,& Epiſcopus manere? Reſpondeo ex concilio Gangrenſi cap.21.Epiſcopo eo veſtitus genere,nẽpe militari, non licere vti aſsiduè & ordinariè. Ex cauſa tamen eum nonnunquam ſumere poſſe pro ratione locorum & temporum,vti docet Theodoret.lib.4.Hiſto.cap.13.exemplo Euſebij pii Epiſcopi militarem veſtem aſſumentis.Coniungunt cum hoc loco diſputationem,de Integritate membrorum:& de Nobilitate ſeu Diuitiis ordinandorum quia hæc etiã duo videntur quodãmodo pars eſſe externi ornatus , & ſpecies quædã cõmendationis apud homines.Imprimis autẽ in perſona,quę quotidie in publicũ prodire debet,deformitas videtur eſſe odioſa,& incõcinna.Vnde vulgò tritũ prouerbiũ.Forma digna imperio,& in Philopemene (vt in eius vita ſcribit Plutarchus) deformitas vultus contemptum gignebat. Quamobrem quæſitũ eſt, vtrum qui non eſt integro corpore & toto in Epiſcopum eligi poſsit & debeat.In quo diſtinguenda eſt Deformitas Ἀχαλλία à Mutilatione corporis, quã vocant, id eſt,πηρώσει membrorũ. Ac quidẽ de deformibus hæc regula conſtituta eſt,vt deformes ab Eccleſiaſticis dignitatibus non arceantur adipiſcendis:nec adepti etiam deponantur.Deformitas autem eleganti formæ opponitur. Mutilatio autem integritati corporis.Itaque ab ea differt.

Ergo de mutilatis & corpore vitiatis & truncatis hominibus tum Ilerdẽſi concilio , tum canonibus Apoſtolor.tum reſponſis Pontificum , veluti Gregorii Maximi lib.2.epiſto.25.ſtatutũ eſt,vt qui ſeipſos ſcientes prudẽtéſque,& per impatientiam aliquo membro mutilarũt,ne dignitatẽ Eccleſiaſticam adipiſcantur:& adepti deponãtur can. Præcipimus diſtinct. 34. & can. Si quis diſtinct. 55. Imprimis autem qui ſeipſos caſtrarunt, quia tales ſunt homicidæ ſui cano.22.Apoſtolorum.

Qui autem vi & renitẽtes mutilati corpore ſunt aut caſtrati: vel ex iuſta honeſtáque cauſa id paſsi ſunt in ſe fieri, veluti valetudinis tuendæ cauſa , & ex conſilio medicorũ,vt ſanarẽtur à morbo,vti ſępe integra mẽbra ſunt reſcindẽda, ne totũ corpus putreſcat:itẽ propter nomen Chriſti,vt in perſecutionibus eruti ſunt multis oculi,pręciſę aures,pręciſa mẽbra:ij neque dignitatẽ Eccleſiaſticã nãciſci prohibeantur,neq; adepti deponãtur.Sic Paphnutius altero oculo vi afflictionũ amiſſo manſit Epiſcopus,eóque laudabilior. Sic cano.21.Apoſtolo. & in concilio Martini ſiue Braccarẽſi cap.21.quod refertur cano.Eunuchus & cap.ſeq.& cano.Lator. diſtinct.55.conſtitutum fuit.

Aliàs,& his cauſis & caſibꝰ exceptis, ſancitũ eſt, ne mutilati vitiatíq; corpore in Epiſcopos vel clericos ordinentur,quales cæci,ſurdi, claudi , eunuchi,exſecti,lippi etiã,& gibboſi,can. Hinc etenim, diſtin.49.quia ſummus noſter Sacerdos Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cuius,vt iſti aiũt,imaginẽ Epiſcopi gerũt,fuit integer : & ſummus olim Sacerdos lege Dei vetebatur eſſe vel vitiatꝰ corpore vel

A mutilatus Leuit.21.Heb.7.v.26.Reſpõdeo verò iã totum hoc planè eſſe ſuperſtitioſum, nos ad illas veteres cæremonias reuocare:& dignitatem miniſterii ex iſtis rebus metiri, non ex doctrina potius & morum ſanctitate. Itaque vetus Eccleſia aliud obſeruauit & probauit, & Eunuchos paſtores habuit, vt & de Origene ſcriptum eſt & de Dorotheo Euſeb.lib. 7. Hiſt. cap.32. Ergo modò ne ſit in eligendo vel electo ea infirmitas, quæ muneri ipſius obeundo & præſtando obſtet, veluti cæcitas & ἀλαλία, poteſt quis & eligi & ordinari: neç electus deponendus eſt propter corporis mutilationem aut vitia membrorum, quæ ipſius oneri obeundo non affert impedimentum. Eſt hæc diſtinctio noſtra ſumpta ex duobus canonibus Apoſtolorum qui vocantur, nempe 77.& 78.& nobiſcum conſentit Zonaras illorum canonum interpres.

De nobilitate generis etiam quęſitum eſt, cùm in ea ſit apud homines dignitas quædam & commendatio magna, Vtrum nobiles in electione ſint aliis non nobilibus præferendi. Reſpondent Auguſt.epiſt.148.& Ambroſius lib.4.de paradiſo, Virtute vnuſquiſque gratiam ſibi comparet:non loci, B non generis nobilitate. quamquam in Papatu aliter obtinuit, ídque peſsimo exemplo. Nam apud iſtos generoſi & nobiles aliis præferuntur, etiam in Eccleſiaſticis muneribus adipiſcendis, vbi tamẽ minimè omnium gratiæ & fauori locus eſſe debebat.

Pauperi verò diuitem præferre in adminiſtranda Eccleſia, & munere Eccleſiaſtico deferendo nõ tantùm inutile eſt, ſed etiam contra Pauli & ipſius Dei præceptum, *Non multi nobiles eſtis*, ait, *non multi diuites* 1. Corinth.1.verſ.27.Nã quę ſunt ſtulta & infirma in mundo, elegit Deus, vt mundi ſuperbiã contundat.

Sextam conditionem addit Paulus, ſit hoſpitalis. φιλόξενος, plus eſt, quàm quòd Latini dicunt eſſe hoſpitalem. Exigit enim promptum ad hanc ipſam liberalitatem exercendam & hilarem animũ. Hæc autẽ liberalitatis ſpecies omnibus Chriſtianis pręcipitur Heb.13. verſ. 2. imprimis autem verbi Dei Miniſtris, vt ſint cæteris exemplo. Coniungit autẽ Paulus hanc cum ſuperiore conditionẽ, vt ſit φιλάγαθος, id eſt, bonorum virorum amans Epiſcopus, C quia ſimiles ferè iis ſumus, quibuſcum verſamur. Nam illam Chryſoſt.ſententiam, quæ eſt Homil. 43.in Matth.23.maximè probamus, vt ſit omnis Sacerdos ſanctus. Nec eò pertinet quòd vtranque vocem coniunxit Paulus φιλόξενον, & φιλάγαθον, vt excipiendorum hoſpitum delectum diligẽtiſsimè faciat Epiſcopus, & ſolùm veros, cordatos, pios bonóſque Chriſtianos excipiat: alios autem negligat miniméque excipiat, quia nõ tantùm omnibus eſt benefaciendũ, etiam iis qui ſunt hypocritæ: ſed etiã mali & ſegnes homines ſæpe ſunt beneficiis & huiuſmodi liberalitate alliciendi, vel ad meliorem frugem reuocandi. Quædam tamen conuiuia, quæ fiebãt olim in baſilicis propter veteres agapas, quę fuerunt in vſu, fieri hodie ad hoſpites iſtos excipiendos, & benignè tractandos non probat Auguſt.epiſt.109. Quarta pars redituũ Eccleſiæ olim excipiendis hoſpitibus pauperibus deſtinata & Epiſcopo commiſſa erat, vide diſtinct.42.

Διδακτικὸν Septima cõditio. Hoc autẽ ipſum quid ſit Paulus explicat Tit.1.v.9.nempe eſſe huiuſmodi, qui poſsit Sanã doctrinã appoſitè tradere, & cõtradicentes conuincere. Sunt autem tria contradi- A centium genera, Hæretici, Iudęi, & Pagani, imprimíſque ipſi Philoſophi. Planè hæc virtus & conditio ad Epiſcopum pertinet, quoniam is debet eſſe doctor in Dei Eccleſia, & quidẽ vocalis: non autẽ canis mutus & idolũ, quales Epiſcopi Papiſtici Iſ. 56.v.11.non item ſolum pręceptor mutus & ἄφωνος, quales ſunt qui ſcriptis tãtùm erudire nos poſſunt, non autem viua voce, quòd aut muti ſint omnino natura vel lingua exciſa: aut prorſus inepti ad docendum. Itaque mittit Chriſtus diſcipulos vt prædicent, id eſt, quemadmodum explicat Paulus, vt denuntient & doceant, inf.cap.4.v.11.Id quod etiã apparet ex dicto Petri in 1.cap.5.v.2.Paſcite, & ex Ezech.22.v.26.& 30.cap.33. Quod non niſi à loquente & vocali paſtore fieri poteſt. Clamoſos tamen concionatores, & Stentoreos, quoſdam indoctos homines & inconditos, qui nihil niſi boãt in templis & vaſtè vociferantur, non probamus. Obtundunt enim tantùm auditorum aures, nõ ædificant neque docent.

Iam verò ex hoc loco, & verè & appoſitè colligit in epiſt.ad Titum Hieronym. Inertiam, deſidiam, ſomnum & otiũ excuti Miniſtris verbi Dei B & paſtoribus Eccleſiæ hac voce. Qui enim ſe his vitiis dedunt & ſegnitiei præſertim, non poſſunt ipſi eſſe διδακτικοὶ. Oportet igitur ſedulò & diligenter Epiſcopum & paſtorem Eccleſiæ euoluere ſcripturas, & earum lectioni intendere, quod etiam ipſi Timotheo, licet tanto viro, præſcripſit Paulus inf.cap.4.verſ.13. Ergo & ſacrarum ſcripturarum libros verſare & legere eos oportet aſſiduè, vt diſcant atque etiam hæreticorum ſcripta noſſe, vt eos refutent, quemadmodum etiam diſertè cõcil. Carthag.4.cap. 16. præceptum eſt, & eſt in cano. Epiſcopus diſtinct.37. Clericum tamen, ſed non Epiſcopum commendat & agnoſcit Gregor. Magnus epiſt.175. qui ne legere quidem poterat, cui vt Epiſcopi lingua ſit codex, præcipit.

Quęſitum eſt autem vtrum in artium, quas ſeculares vocant (qualis Poëtica, Hiſtoria, Dialectica, Phyſica, linguarum variarum cognitio & interpretatio) cognitione verſatum & peritum eſſe Epiſcopum, aut paſtorem Eccleſiæ oporteat. Reſpondeo, Quidam, ne has quidem Epiſcopis, aut eorum filiis (excepta linguarum trium nempe Hebraicæ, Græ- C cæ, Latinæ, cognitione) attingendas putant, quia corrumpunt bonos mores colloquia praua, & per Philoſophiam nos à veritate abduci & ſæpe decipi docet Paulus Coloſſ.2.verſ.8. Quæ ſententia in artes quidem ipſas, quæ ſunt Dei dona, certè eſt iniurioſa. Quamobrem ſequenda potius eſt illa, & Baſilii in Homilia ad Iuuenes, vt ex gentilium ſcriptis &c. & Hieronymi ad Damaſ. De filio prodigo ſcribentis ſententia, qui omnibus politioribus artibus & humanioribus inſtructum, ſi poteſt fieri, Epiſcopum vult eſſe. Ac ne ſeculares quidem literas, qualis eſt Poëtica, ignorare. Multa enim illæ artes, ad docendum veram Theologiam, adiumenta conferunt, imprimis autem Dialectica, & Phyſica, & ſunt animi noſtri ornamenta. Implendus ſibi quiſque bonis eſt artibus, illæ ſunt animi fruges, vt ait ille in Ætna. Paulum ipſum ſummum fuiſſe Dialecticum, ex illius ſcriptis apparet: & Auguſtinum in omni bonæ literaturæ genere verſatum fuiſſe: ſed maximè in Dialecticis intelligitur, ex illius opu-

ſculis

A ſculis variis, & libris contra Donatiſtas, & alios hæreticos editis. Idem de aliis ſcriptoribus Eccleſiaſticis docet Hieronym. tom.2.epiſt. ad Orator. magnum Romanum. Sed tamen in earum artium ſtudiis, vel pertractandis, vel perſequendis, modus adhibeatur. Placet. n. hîc illa Neoptolemi apud Ennium ſententia, Philoſophandum quidem eſſe ſed paucis: nam omnino haud placet. Nota eſt verò hiſtoria de Hieronymo ab angelo in ſomnis flagellato, quòd Ciceronianorum librorũ lectioni nimium eſſet addictus, vt ipſe ad Euſtoch. ſcribit de Cuſtod. virginit. Et hîc vſurpemus illud, Bibi & fugi. Bernard. ſermo.36. in Cantica cant. Videar fortaſſe in ſugillatione ſcientiæ nimius, & reprehendere doctos, ac prohibere ſtudia literarum, abſit. Non ignoro quantum Eccleſiæ profuerint, & proſint literati ſiue ad refellẽdos eos, qui ex aduerſo ſunt: ſiue ad ſimplices inſtruendos. Ergo, vt rectè ex variis Patrum ſcriptis definitum eſt, & eſt diſtinct.37. deguſtentur, & legantur quidem ſeculares literæ: itémque aliæ artes ediſcantur, ſed ne verbo Dei, eiúſque lectioni præferantur ab vllis Chriſtianis, nedum ab Epiſcopis. Ex quo fit, vt rectè reprehenſus ſit à Gregorio Magno Epiſcopus B quidam qui in cœtu Eccleſiæ pro eo, quod debebat ipſam Euangelij doctrinam explicare, & populum exhortari ex ea, conſolari, & docere, Grammatices rationem in ſuis concionibus exponebat & perſequebatur, vti qui hodie in Actis Apoſtolorũ aut veteri teſtamento interpretando in ſola Chronologiæ vel Topographiæ ratione, & deſcriptione explicanda toti ſunt & immorantur. Vnde mira & damnanda fuit Heliodori Theſſalonicenſis clerici reſponſio, qui cùm interpellaretur vt fabuloſam illam Æthiopicam Hiſtoriam à ſe conſcriptam, quę tota amoris inſani imaginem pingit, deleret, reſpõdit, ſe malle Epiſcopatu priuari, quàm vt huiuſmodi ſcriptum ſuum periret. Hoc igitur vt non decet Epiſcopum: ita nec illud tam eſſe cõmunis literaturæ ignarum, vt ſi Latinè loqui cogatur, barbariſmos aut ſolœciſmos ridiculè cõmittat. Quanquam propterea tamen non erit is à munere ſuo deponendus, quemadmodum ſcribit Auguſtinus de Catechizand. Rudib.

C • Hac autem voce Διδακτικὸν continetur & illud vt Epiſcopus ſit prudens & ſciat ὀρθοτομεῖν verbum Dei (vt loquitur Paulus 2. Timoth.2. verſ.15.) id eſt verbum Dei pro tempore, perſonis, locis cuique ad ædificationem applicare. Docebant autem olim Epiſcopi ſtantes, & κολοϐίωνα induti, vt dicit Epiphan. hæreſi 69. de Arrianis. Eſt autem κολοϐίων breuis tunica ſine manicis & pectore tenus demiſſa, Gall. *vn Roquet*, poſtea *colleron*. Sed docebant in Ambone ſtantes, qui erectus erat in cœtu, vt facilius audirentur docentes Epiſcopi Socr. lib.6. cap. 5. Eſt autem Ambo ſedes eminens in cœtu aliquo.

3 *Non vinoſum, non percuſſorem, non turpiter lucri cupidum: ſed moderatum, alienum à pugnis, alienum ab auaritia.*

Suprà virtutes explicauit, quæ decent Epiſcopos: nunc exponit vitia, quæ dedecent eos. Itaque eſt hic verſiculus ἀντίθεσις. Non omnia tamen enumerat, ſed tãtùm quædã, ex quibus maius Eccleſiæ offendiculũ præbetur, ad quorũ exemplum de aliis, quæ prætermiſſa ſunt, ſtatuere poſſumꝰ quid ſit de toto hoc genere definiẽdũ. Multa verò à quibꝰ nõ A tantùm Epiſcopi, ſed in vniuerſum clerici abſtinere debent, ſunt in cap. clerici officia Extr. de vita & honeſt. cleric. his verbis. Clerici officia vel cõmercia ſecularia nõ exerceãt, maximè inhoneſta. Mimis, ioculatoribus, & hiſtrionibus non intendant. Et tabernas prorſus euitent, niſi fortè cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti. Ad aleas & taxillos nõ ludant, nec huiuſmodi ludis interſint. Coronam & tonſuram habeãt congruentem. Et ſe in officiis Eccleſiaſticis, & aliis bonis ſtudiis exerceant diligenter. Clauſa deferant deſuper indumenta, nimia breuitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis aut viridibus, nec non manicis aut ſotularibus conſuticiis, frænis, ſellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam ſuperfluitatem gerentibus, non vtantur. Cappas manicatas ad diuinum officium intra Eccleſiam non gerant, ſed nec alibi, qui ſunt in Sacerdotio & perſonatibus conſtituti: niſi iuſta cauſa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes, ſed nec annulos: niſi quibus competit ex officio dignitatis. Pontifices autem in publico, & in Eccleſia ſuperindumentis B lineis omnes vtantur: niſi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem. Palliis diffibulatis non vtantur in publico, ſed vel poſt collũ, vel ante pectus hinc inde connexis. Videtur etiam in his ipſis paucis enumerandis, Paul. habuiſſe rationem gentis, in qua verſabatur Timotheus. Erãt enim Græci & Aſiani, quanquam hîc eſt doctrina generalis, quę ad omnes pertinet. Ergo vetat Epiſcopum eſſe

Vinoſum) Non damnat quidẽ vſum vini aut aliorum ciborum Paulus, id quod & Manichæi, & alij hæretici faciunt: ſed modum in iis adhibẽdum eſſe oſtendit præſertim à paſtore, à quo Temperãtiam ſupra requirebat. Quæſitum autem qui ſint πάροινοι appellandi, vtrum ebrij vel ebrioſi homines tãtùm: an etiam qui nimia vini voluptate titillantur, illíque ſunt nimium addicti, Gall. *frians de vin*. Chryſoſtom. πάροινον accipit pro ferocis ingenij homine, quales eſſe ſolent qui nimium ſe vino ingurgitant. Canoniſtæ cap. 1. diſtinct. 35. exponunt definiúntque eum, qui ſe non ſemel, ſed ſæpius vino repleuit, & ingurgitauit & ebrius factus eſt. C Vtraque interpretatio nõ ſatis quadrat. Ratio enim huius pręcepti eſt ex effectis vini ducta. Ea verò nimirum ſũt luxus, omnis intemperies & libido. Vera. n. eſt illa Hieron. ſententia, ad Titum 1. Vbicunque ſaturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominatur. Nunquam ego ebrium caſtum putabo. Ex quo fit, vt nõ tantùm ebrii & ebrioſi: ſed etiam qui ardentius vinum appetunt, hac voce comprehendantur, damnẽtur, atq; prohibeãtur, ne ſint Epiſcopi aut paſtores Eccleſiæ: aut ſi in huiuſmodi vitia inciderint, vt deponantur. Quare Vinolentia, Ebrietas, & Luxus, damnantur in Epiſcopo non ab homine: ſed à Dei ſpiritu, vt hoc notent paſtores vinoſi & ebrioſi. Imo verò ſępiſſimè ebrij. De quo ipſe Calu. epiſt.370. videndus.

Hoc eodem præcepto Pauli vetantur paſtores, imò verò Chriſtiani omnes conuiuia & inuitationes illas ad potandum ex compacto facere. Id quod etiam Ethnicis quibuſdã diſplicuit, vt Aſſuero regi. Eſther 1. Et concilij Laodiceni capite 55. concilio Agathenſi cap.4. vetitum eſt ſeueriſſimè. Auguſtinus etiam epiſt.65. ad Aurelium Auguſt. gra-

A uiſſimè comeſſationes iſtas & ebrietates damnat & execratur in ipſo grege, nedum in paſtoribus Chriſtianis.

Denique cauponas & popinas ipſas ingredi vetantur clerici, niſi peregrinentur in aliena regione. Id quod diutiſſimè & ſanctiſſimè, fuit tum in Oriente, tum in tota Græcia obſeruatum: adeò vt miram hanc Chriſtianorum clericorum ſobrietatem, & tanquam caſtitatem & temperantiam laudauerit etiam Iulianus apoſtata, nominis Chriſtiani infeſtiſſim' hoſtis, voluerítque Sacerdotes ipſos Paganorum eodem modo cauponis & popinis abſtinere, vt eſt apud Sozom. lib. 5. cap. 36. & extat de ea re decretũ concilij Laodiceni cap. 24. Denique cano. Non oportet, & cano. ſeq. diſtinct. 44. de ijs rebus, & miniſtris Eccleſiæ qui huiuſmodi loca adeunt & frequentant ſeueriſſimè edictum eſt.

Non percuſſorem.) Decet enim famulum Dei mãſuetudo animi atque in omnes humanitas. Vti enim Chriſtus fuit animo miti, ſic paſtores, qui illius imaginem hîc in Dei populo gerunt, mites eſſe oportet. Vnde nec inferiores clericos etiam peccantes B pugnis cædere licuit vnquam Epiſcopo, cui tamen multa in clericos ſuos iure poteſtatis Epiſcopalis concedebantur & licebant. Sed nec quenquam è plebe & grege Domini cædere poteſt, etiã minus in Dei Verbo proficiẽtẽ, vt eſt diſertè ſcriptum can. Apoſtol. 27. & hunc locum citat Zonaras illius canonis interpres. ſed ne Iudæos quidem ipſos aut idololatras, qui ſunt ab Eccleſia alieni, vt à blaſphemiis in Deum eos cogat abſtinere. Toleta. concilio 4. cap. 56. cano. Neminem quiſquam. diſtin. 35. Verborum enim correctione, non verberum metu, timeri debet Epiſcopus, vt Greg. Magnus reſpõdit. epiſt. 52. Indict. ij. Nec paſtores percuſſores excuſat quòd Dominus noſter emẽtes & vendentes de templo flagello eiecit. Nã illud fecit Chriſtus iure poteſtatis, quæ competebat ſummo Sacerdoti in ea, quæ intra Templi ſeptum fiebant 2. Chron. 26. item tanquam Dei Filius, & ipſius Templi Dominus, quæ poteſtas illi ſoli in Eccleſiam competit. C Nam in Eccleſia ipſa Chriſtus verè eſt & fuit & Sacerdos ſummus & Dominus ſũmus.

Ius tamen patriæ poteſtatis in liberos ſuos non amittit Epiſcopus propter hoc dictum Pauli: neq; ius ſuum in ſeruos, quin eos moderatè, cùm res poſtulat, caſtigare etiam verberibus poſſit. Pertinet enim hæc Pauli ſententia ad eos, qui feroci & militari animo & imperioſo pugnos & verbera adhibent, vbi verba & ſanctas exhortationes aut admonitiones afferre & in promptu habere debebant: non autem ad eos, qui in ſuos domeſtica diſciplina vtuntur.

Denique quæſitum eſt de Epiſcopo, vtrum ad bellum proficiſci poſſit, in acie armat' ſtare, duellum ſibi delatum committere, & acceptare. Denique torneamenta, quæ vocant, vel ipſe obire, vel ſpectare. Ac quidem quod ad militiam pertinet, ſcripſit Origenes Homilia 6. ad cap. 8. Leuit. Eſt & aliud opus, ait, quod fecit Moſes, ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos. Sed quid facit? orat. Id quod eſt relatum in canon. Si quis vult diſt. 36. Adeò vt vetentur clerici manu authoritatéque propria ipſi in hoſtes arma ſumere, & cũ aliis fidelibus (nam de infidelium exercitu dubitandum nõ putabant, quin omnino ab eo Epiſcopi abeſſe deberent) ad arma concurrere, in hoſtem pugnare, ſéque illi obiicere. Id quod cùm fieret à Gallicanis A epiſcopis & Siculis reprehenſum grauiter eſt, vt eſt in can. Reprehenſibile & can. Si quis Epiſcopus. §. reprehenduntur 23. quæſt. 8. Nam prorſus abeſſe à cõſiliis pugnæ, ſecularíſque militiæ negotiis Epiſcopos oportere ſancitum eſt ſynodorum decretis propter illud Pauli 2. Tim. 2. verſ. 4. Nemo militãs Deo, implicat ſe ſecularibus negotiis. Sed etiam ab omni cædis humanæ participatione oportere eoſdem immunes eſſe decretum eſt, quòd ea res pertinere videretur tum ad tuendam miniſterii Euangelici innocentiam & ſanctitatem: tum etiam ad authoritatem illius commendandam & augendam apud omnes Braccarenſ. Synod. cap. 26. & eſt in canon. Si quis viduam diſtinct. 50. Vnde poſtea ſynodo Ilerdenſi fuit cap. 1. conſtitutum, vt clerici etiã qui in obſidionis neceſſitate poſiti hominem, id eſt, hoſtem obſidentem occidiſſent, tribus tamen annis pœnitentiam agerent, & ab officij ſui executione ſuſpenderentur. Nimirum tam eſt viſum Epiſcopali manſuetudine & munere indignum cũ arma tractare. Ex quo etiam factum eſt & conſtitutum, vt clerici pugnantes in duello etiam ſibi B oblato deponãtur. Nec modò ipſi pugnantes caſtigentur, ſed etiam ſi huiuſmodi duella & homicidia ab alis facta ſpectent cum cæteris, de gradu deiiciantur: & in vniuerſum omnia athletarum ſpectacula & hominum gladiatorum, & in arena pugnantium ludi & certamina ſunt Epiſcopis interdicta, & eorum etiam aſpectus, & delectatio, Concilij Laodic. cap. 42. & eſt in canõ. Non oportet. de conſecrat. diſtinct. 5. Ex quo iam facilè colligi poteſt eos non debere bellis intereſſe, in acie armatos ſtare, in exercitu verſari, & certaminibus præſentes ſe præbere, ex iſtarum Synodorum decretis.

Sed obſtant huic ſententię multa & veterum dicta & exempla, & ipſa adeò ſacræ Scripturę authoritas. Ac quidem dicta, veluti Ambro. lib. 1. de Officiis cap. 27. fortitudo, quę bello tuetur à Barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena iuſtitia eſt. Hieron. in Sophoniam cap. 1. idem ſentit. Auguſt. lib. 22. cap. 74. contra Fauſtum & multa huiuſmodi collecta ſunt in tota C 23. quæſt. 1. 2. & 3. Exempla etiam extant tum prętorianorum, qui dicebantur, Epiſcoporum, qui imperatoris comitatum ſequebãtur, ſiue in bello ſiue in pace: tum etiam Leonis 4 Roma. Epiſcopi quod refertur in cano. Igitur cùm ſæpe 23. quæſt. 8. Ratio quoque idem ſuadet. Operæpretium eſt enim intereſſe in exercitu homines pios & Epiſcopos, qui militum inſolentiam reprimant, fundant quotidianas preces ad Deum pro toto exercitu, eum cõſolentur & animent, vt dicitur Ambroſius ipſe pi' Epiſcopus verſat' eſſe in caſtris Theodoſij aduerſus Eugenium proficiſcentis, & expeditionem parãtis. Denique authoritas verbi Dei iſtarum ſynodorum omnibus decretis obiicitur & opponitur. Nam & Moſes & Aaron bellis iis interfuerunt, quæ ſuo tempore à Dei populo gerebãtur: & Numer. 10. verſ. 1. 2. 3. iubentur Sacerdotes ſacras tubas deferre in bellum, illíque præſentes adeſſe. Apparet ex epiſt. 225. Bernardum Monachum pro pace inter regem Galliæ Ludouicum & Comitem Burgundiæ ineunda imploratum. Sed ex his locis factum eſt, vt in cano. Si in morte Longobardorum § ſed notandum eſt. diſt. 23. quæſt. 8. diſtinguatur inſulſè inter eos, qui munus Epiſcopale habent.

Alij

A Alij enim ex ijs, Solis decimis contenti ſunt eáſque habent pro victu, qui ſunt nudi & ſimplices Epiſcopi, quales in Italia: ſed alij Prædia, villas, caſtella, & ciuitates poſſident, quales Epiſcopi qui vulgò Barones, Comites, Duces dicuntur & Pares, vt in Germania, & Gallia multi. Ipſis enim Epiſcopatibus annexæ ſunt dignitates Baronatus, Comitatus & Ducatus, electoratus & pariatus. Solis & nudis ſiue ſimplicibus Epiſcopis arma tractare, bellíſque intereſſe concedi oportere inſulſi homines Pontificij & Canoniſtæ negant. Aliis autē, qui dignitates politicas ſuo Epiſcopatui adiunctas habent, licere putant, propter eas dignitates. Ego verò reſpondeo. Primum vitioſè omnino huiuſmodi munera politica annecti & coniungi cum Eccleſiaſtico munere, ſiue Epiſcopatu, ſiue Archiepiſcopatu, ſiue alio quolibet, cùm diuerſa ſit Eccleſiaſtica diſciplina à politica ſiue ciuili: & ius ſoli, vt vocāt, à iure poli ſit toto genere differens diuerſum & diſtinguendum. Itaque peſſimo fundamento & magno prorſus abuſui iſta diſtinctio innititur. Deinde falſum eſt ſimplices Epiſcopos nō poſſe intereſſe iuſtis & legitimis præliis, & bellis. Tam enim B gregem ſuum ſequi in aduerſis rebus, quàm proſperis, & tam in bello, quàm in pace debent Epiſcopi omnes, qui verè ſuo officio fungi volent, ſi modò per valetudinem id facere ipſi poſſunt. Præterea cùm iuſta bella ſint Dei ipſius bella, non hominum, vt eſt 2. Chronic. 19. v. 7. vti præter Domini os, & verbum ſuſcipi non debent: ita nec ſine eo adminiſtranda ſunt. Niſi autem adſint paſtores & miniſtri verbi & oris Dei interpretes, non poſſūt bella vel ſuſcipi, vel geri conſulto Domini ore. Ergo eos intereſſe iuſtis bellis & expedit & oportet. Sed & in acie ipſa & prælio verſari poſſunt, & dimicare, cùm ſancta & honeſta cauſa belli ſuſcipiendi fuit, non modò ad reliquum exercitum cōfirmandum, ſed etiam vt Deus ipſe inuocetur & proteruia inſolētiáque militum reprimatur. Quare ſunt omnino inepti qui D. Zuinglium optimum Dei ſeruum & verbi ipſius præconem egregium damnant, quòd in aciem cum hoſtibus deſcendere, C illícque dimicare auſus fuerit. Id enim & bona conſcientia in honeſta belli cauſa potuit, & idem nunc quoque licet cæteris. Miniſtri verò ſtratioticis moribus & planè militaribus ſunt omnino dānandi vt Cal. epiſt. 354. docet, propter ferociam ingenii, & proteruiam quæ manſuetudini paſtorali contraria eſt.

Non turpis lucri cupidum) Hoc tertium eſt vitium quod in Epiſcopo futuro atque etiam electo damnat Paulus, tāquam omnis mali & offendiculi maximi fontem, nimirum auaritia. Eſt enim mater & radix omnium vitiorum. Similis locus. Tit. 1. verſ. 7. 1. Pet. 5. verſ. 3. Sed vt nec lucrum quærere nec captare debet Epiſcopus: ita neque gloriam ſuam ſpectare, nec ventrem commoditatémque ſuam aliquam pro fine ſui miniſterij ſibi proponere. Galat. 6. verſ. 13. Philip. 1. Eſt quidem dignus operarius mercede ſua, vt ait Chriſtus Matth. 10. verſ. 10. ſed aliud eſt alimentum & victus neceſſarius: aliud autem lucrum & imprimis turpe, quod hîc ſpectari à nobis vetat Paulus. Deinde nec hic ipſe debet eſſe doctorum Eccleſiæ finis, dum hoc munus tam ſanctum, vel ſuſcipiunt, vel exercent, vt inde viuant & alantur, ſed vt Dei gloriam promoueant. Alimentum enim & victus quædam acceſſio potius eſt, quàm ſcopus & finis huius muneris, & rectè faciētem A officium ſequi debet alimentum, vti vmbra corpus ſequitur.

Sed quæſitum eſt, Quod ſit lucrum illud turpe; quod cōſectari vetantur Epiſcopi, & paſtores Eccleſiæ. Reſpond. Omne illud, quod legibus municipalibus, vel honeſtis moribus accipi prohibetur, pugnátque cum verbo Dei, æquitate naturæ, & vera Chriſtianáque charitate. Nam debet eſſe exemplum gregis paſtor, & totus ex Dei prouidentia pendere. Hoc turpe lucrum videtur etiam explicaſſe Auguſt. Serm. 19. de Verbis Domini ſecundum Mattheum his verbis. Si presbyter interceſſiones vendit, viduarum munera amplectitur libēter, negotiator magis videri poteſt, quā Clericus. Nec dicere poſſumus, Nemo nos inuaſores arguit: violentiæ nemo accuſat: quaſi nō interdū maiorē prædā à viduabus blandimenta illiciant, quàm tormenta. Nec intereſt apud Deum, Vtrum Vi an Circunuentione quis res alienas occupet.

De acceſsione igitur quæſitum eſt, etiā ea quam ex conſtitutionibus Principum vel ciuitatis cuiuſque B nobis accipere & ſtipulari licet, vtrum eam exigere ex pecunia à ſe mutuò data poſsit paſtor Eccleſiæ & Epiſcopus? Et quidem canone Apoſtolorum 44. Niceni concilij ca. 17. & Laodiceni cap. 5. omnino vetitum & interdictum prorſus eſt Epiſcopis, vt neque ſuo, neque etiam alieno nomine (veluti ſi tutores alicuius pupilli eſſent, vel alieni negotii procuratores) vſuras etiam aliis conceſſas ipſi exigant, & ſtipulentur: quod id præter eorum dignitatem eſſe videatur, ſítque hæc ſumma auaritiæ (quæ ab Epiſcopis abeſſe debet) ſpecies. Idem tota diſtinct. 47. eſt conſtitutum & definitum. & Elibertino concil. cap. 20. Sed tamen duriora illa, vt verum dicam, decreta videntur, quòd omnino ſine exceptione perceptio qualiſcūque fructus ex pecunia mutuò data paſtori interdicitur, quæ tamē ſępe bona cōſcientia fieri poteſt. Itaque potius amplector D. Caluini conſilium in epiſtola 346. vt cenſeam omnino quidē & in genere illud in Miniſtro non eſſe damnandnm, ſi fructum aliquem ex ſua pecunia ſentiat, moderationem tamen non tātùm C ex legib⁹ eius ciuitatis, in qua verſatur: ſed potius ex veræ & Chriſtianæ charitatis ſenſu & præceptis eſſe adhibendam, & quidem eam, vt omne offendiculum iuſtum Paſtores caueant, eámque legem adhibeant, quam ipſe Caluinus ibidem præſcribit, & neceſſariam eſſe docet.

Quę tria ſequūtur ſunt trium ſuperiorum vitiorum ex ἀντιθέτου explicationes. Itaque longiori iam interpretatione non egent.

4 Qui *ſuæ domui bene præſit, qui liberos contineat in ſubiectione cum omni honeſtate.*

Τάξις cum tranſitione coniuncta. Poſtquā enim docuit quæ in Epiſcopo ſpectari debent ex ipſius perſona, iam addit quæ aliorum ratione in eodem requirantur. Ac primùm quidem Liberorum ratione & totins familiæ. 2 Vocationis ipſius ad Euangelium. 3 Extraneorum. Nam quædam in eo ex tribus his cauſis conſyderari oportet, quas hîc ordine tradit & tractat Paulus.

Ergo familię & imprimis Liberorum inſtitutio ſpectari debet, qualis ab eo facta ſit, qui in Epiſcopatum petitur. Qui enim domui ſuæ rectè præeſſe non poteſt, quomodo idem poterit Eccleſiā, quæ

A maioris eſt ponderis,gubernare?

Simile præceptum eſt Tit. 1. v. 6. Ratio huius præceptionis eſt tum ea, quæ à Paulo poſtea ſubiicitur: tum quòd quodammodo ingenium paternum referunt filiorum mores,adeò vt ex illis iudicari poſſit, quàm ſit ſedulus & diligens pater in munere ſuo obeūdo: & quàm erga Dei gloriā vehementer ſit affectus, & ſeriò, maximè cùm facilè imperium habere poſſit pater in liberos, ſi ſemel rectè eos inſtituerit. Nam qui domi ſuæ gloriam Dei ſperni videt, & patitur, ille facilè idem patietur fieri alibi, vbi tam aſſiduus non eſt, & vbi tam æquum & facile imperium non habebit.

Hæc autem cura familiæ, quæ in Epiſcopo laudatur, non eſt in eo, vt attentus ſit ad rem, ditet & locupletet ſuos liberos: & vt optimum ſe œconomum rerum, quæ ad alimenta familiæ pertinent (quamquam & hæc curanda ſunt)oſtendat, ſpretâ morum in ſua familia curâ. Denique non eò pertinet,vt aſtutum, vel callidum, vel addictum bonis opibúſque terrenis familiæ ſuæ acquirendis Epiſcopum eſſe debere doceat Paulus. Auaritiæ enim B iſta ſunt præcepta potius & effecta quàm pietatis. Hieronym. *Domum ſuam bene regentem*, non vt opes augeat,non vt Regias paret epulas. Neque enim,vt etiam ait hoc loco Chryſoſtom. eò pertinet mens huius præcepti Pauli: ſed ad curam pietatis & morum, quos ſanctos & honeſtos à patre Epiſcopo futuro & tradi,& traditos eſſe liberis vult Paulus. Id quod etiam ipſa eius verba ſatis probant. Vult enim liberos Epiſcopi inſtitutos eſſe in omni Reuerentia & ſubiectione præſtanda patri ipſi, & in omni reliqua honeſtate & ſanctitate. Addit Paulus in Epiſtola ad Titum,In fide etiam Chriſtiana eos à patre edoctos & informatos eſſe oportere. Nec enim is eligendus eſt Epiſcopus,cuius familia idololatra eſt: vel à quo liberi ipſi non ſunt in fide & doctrina veræ pietatis & Chriſtianæ imbuti & inſtructi. Id quod veterum conciliorum canonibus ſanctè quoque fuit ſancitum.

Ex hoc autem loco confirmatur noſtra ſententia,qui negamus cœlibatum Epiſcopis futuris C imponendum,quum ipſam familiæ & liberorum gubernationem certiſſimum argumentum eſſe indolis epiſcopalis,ingeniíque ad maius munus ſtrenuè capeſſendum idonei, demonſtrat Paulus hoc loco.

Item nominatim meminit liberorum futuri Epiſcopi. Ergo eum vxorem vel antea habuiſſe, vel adhuc habere ſatis colligitur. Nec enim illa Hieronym. ſententia & allegoria probāda eſt, qui nomine filiorum & filiarum Epiſcopi cogitationes & opera intelligi vult,vt ſcribit in Epiſt. ad Titum 1. Verba enim hęc Pauli ſine allegoria debent accipi.

Præterea ex hoc ipſo loco docetur, quàm lōgè ſint aptiores ad Epiſcopatum coniuges, quàm cœlibes viri, & vt ſpecimen quoddam maioris humanitatis,& induſtriæ, prudentíſque adminiſtrationis in ijs appareat,qui familiam habent,id eſt, vxorem & liberos: quàm qui perpetuò cœlibes & ſolitarij vixerunt. Certè vt non debet homo Chriſtianus eſſe ἄπολις,& tanquam fera quædam in ſolitudine vaga viuere: ita etiam non debet ab ijs officiis humanitatis alienus eſſe & expers,quæ quodammodo naturam noſtram excolunt, reddúntq; politiorē. Ex quo fit,vt totū genus illud hominū, qui in vita Monachica conſenuerunt,ſit ad munus Epiſcopale ineptiſſimū nō tātùm propter ignorātiā diſciplinæ & cōmunis hominum ſocietatis: ſed A etiā quòd in ſolitudine enutriti penè ſolent eſſe αὐθάδεις, & magna humanioris illius cōuerſatiōis ſuauitate carēt,per quā homines mutuā ſocietatē inter ſe ipſos tuētur. Et tamē aliquādo hic fuit receptus mos,vt Epiſcopi ex hoc hominum Monachorū genere & cœno maximè eligerētur,vt apparet ex cā. Monachus.diſt.77. Id quod ſuo ſeculo probatum fuiſſe ſcribit Ambroſius epiſt. 82. Sed hi homines ſecū in Eccleſiā maximas & peſſimas ſuperſtitiones quoque,quas ſemel iā imbiberant, inuexerunt magno certè Eccleſię damno. Hodie quidē Monachus ſine Abbatis ſui cōſēſu, nec clericus, nec Epiſcopus fieri poteſt, nō propter ſuperiorē rationē: ſed quia Monachi mācipiorū loco cenſentur. Sunt enim Abbatis ſerui,vt apparet diſtinct.54.& 58.

Quærit Hieronym. an ſit æquū propter immodeſtos liberorum mores patres arceri ab Epiſcopatu,cùm eadem ratione videantur liberi ab Epiſcopatu prohibendi,nempe,propter ſceleratam parētum vitam. Quod tamē prorſus eſſet iniquū. Deinde quàm abſurdum eſt, ait ille, cenſere, Iſaacum propter Eſau filij turpem vitam,ſi viueret, ab epiſcopatu arcendum eſſe? Sed reſpōdeo,primùm nō B eſſe parem rationem, cur propter vitia parētū filij prohibeantur hunc gradum aſſequi: atque cur parentes non admittantur propter ſceleratos liberorum ſuorum mores. Nam filij parentes ſuos regere non debent,quemadmodū patres debēt inſtituere liberos ſuos. Itaque animi morúmque filij iudiciū nō fiet ex paterno luxu,quod ſit neceſſarium & validum argumentum. At ex diſſolutis familiæ moribus intelligitur quale ſit ingeniū ipſius patrisfamilias. Deinde reſpondeo,Hîc Paulū agere de tota familia,nō de vna tātùm eius parte. Nam ſi è pluribus liberis in eadem familia inſtitutis, alij quidē ſanctè inſtituti cernantur: alii verò luxu diffluētes appareant,hic luxus non tā ex paterna diſciplina & moribus naſci videbitur, quàm ex prauo ipſorum liberorum ingenio,quod eſt procliue ad libidinē.

5 (*Nam ſi quis propria domui præeſſe neſcit,quomodo Eccleſiam Dei curabit?* C

Argumentum eſt à minori ad maius,quo vtitur Chriſtus Matth.24.de talentis agens,cuius ratio & firmamentum eſt,non modò certiſſimū: ſed etiam notiſſimum, & ab omnibus conceſſum,hoc nempe,eū qui minorem nauim regere non poteſt, nec maiorem poſſe. Maior autem vis huius argumenti apparet,in his verbis *Propria domui*: *Eccleſiam Dei*. Eſt.n. Eccleſia & ipſa dom⁹ vt inf. verſ.15.docebit Paulus, & ad Hebr.3.verſ.3.4.5.ſed domus nō priuati cuiuſdam hominis,ſed regis nō etiā familia & domus alicui⁹ humani regis mortalis: ſed Dei ipſi⁹ ſūmi & cæleſtis omniū imperatoris. Hoc Pauli dictū explicauit Aug.cuius verba referuntur in cano. Qui nec.2.Quęſt.7. Qui nec regiminis in ſe rationē habet: nec ſua crimina deterſit: nec filiorū culpā correxit,canis impudicus dicēdus eſt magis,quàm Epiſcopus. Ex hoc autem intelligitur quāta ſit paſtorum Eccleſiæ dignitas, qui domo Dei præficiuntur. Ex hoc quoque coligimus Eccleſiæ dominium ad quemquam hominum non pertinere: nec cuiquam licere in ea ſibi ius authoritatémque, niſi Deo ipſo, id eſt, Domino deferente vſurpare, vt eſt in epiſt.ad Hebr.

A 6 *Non nouitium: ne inflatus, in criminationem incidat diaboli.*

Non nouitium, vel Neophytũ, Metaphora traducta à plantis ad homines fideles, qui etiam in Dei domo, & Eccleſia plantæ nominãtur. Pſal.92. verſ.14. & Chriſtus ipſe ita appellat, omnis arbor, vel plantatio, quã Pater meus non plantauerit, &c. Matth.15. Ac primum qui Neophyti dicti ſunt explicandum eſt, propterea quòd abuſi ſunt Monachi hac voce ad votorum ſuorum diſtinctionem. Dicuntur enim Neophyti ab iſtis ij qui propoſitum alicuius religionis recẽter aſſumpſerunt, ſúntque adhuc intra annum ſuæ, quam vocant, probationis. Sic definitur cano. Quoniã. §. Neophytus. diſtinct.48. Apud veteres autem alij Neophyti dicebantur, ij nimirum, qui nouiter baptizati fuerãt, & exceſſerant ex Catechumenis. Catechumeni enim erant qui fidei Chriſtianæ nomen dederant quidem, nondum tamen erant baptizati, quòd nõdum ſatis in fide edocti & inſtructi viderẽtur. Sic in concilio Carthag.4.cap.30. appellantur.

B Cur autem de hoc admonuerit Eccleſiam Paulus, ratio eſt, quòd tunc Dei dona in Eccleſiã mirè effuſa erant, vt etiam ſæpe adhuc nouitii, & tunc primum recepti in fidem homines excellerent magnis Dei donis, præſtanti doctrina, & ingenio ornati eſſent à Deo. Hos tamẽ vetat admitti indiſcriminatim Paulus, quia nondum ſatis probati ſunt. Nam qui tam citò promouentur non modò turgidi ſunt, inflati, & ambitioſi: ſed etiam ſæpe regendæ Eccleſiæ ſunt ignari. Vnde facile in Diaboli laqueos incidunt, & ab officio modeſtiáque abripiuntur, quæ in paſtore Eccleſiæ requiritur. Hieronymus tom.2. epiſt ad Ocean. Heri Catechumenus, hodie Pontifex: heri in amphitheatro, hodie in altario: veſpere in circo, mane in Eccleſia: dudũ fautor hiſtrionum, nunc virginum conſecrator. Ignorat momentaneus ſacerdos humilitatem: ignorat blanditias Chriſti, neſcit ſeipſum contemnere: de dignitate transfertur ad dignitatẽ, non fleuit, nõ mores ſuos reprehendit, & aſsidua meditatione correxit. De Cathedra quodammodo ducitur ad Cathedram, id eſt, de ſuperbia ad ſuperbiam.

C Hæc præceptio Pauli ſũpta eſt ex eo Moſis pręcepto, vt docet & vult Bernard. ſermo.64. Cantic. vbi Deuter.15. vetat lex, ne in primogenito bouis quis aret. Quæ legis interpretatio ſanè allegorica nimis eſt. Potius ex ipſa rerum experientia ducta eſt. Neophytos enim in omni actionum genere, ſi ſtatim promoueantur, ſuperbos eſſe certiſſimum eſt. Itaque hæc Pauli præceptio etiam Synodo Nicæna prima repetita eſt, vt apparet cap. 2. & cano. Quoniam multa. diſtinct.48. Cyrillꝰ lib.2. in Ioan. Euangel.c.95. Qui teneros in fide in interiora ſanctorum introducentes, ac illotis, vt dicitur, manibus agnũ Dei committentes, Sacerdotali dignitate nondum bene Catechumenos ornant, ſciant ſe nõ paruam huius rei in die iudicij rationem eſſe reddituros. Atq; hæc fuit vetus Eccleſię diſciplina etiã poſt Apoſtolos, tamẽ poſtea contẽpta eſt. Nã cùm Ambroſius adhuc Neophytus extraordinariè Mediolanẽſis Epiſcopus creatus fuiſſet, voluerũt homines ſtatim poſt baptiſmũ etiam quoſuis eligi in clericos vel Epiſcopos poſſe. Id quod ſuo ſeculo iã factitatum fuiſſe ſcribit Hieronymus, qui fuit Ambroſio æqualis. vide Greg. Magnũ ep.95. Indict.13.

A Verum tamen hæc Pauli regula non vſque adeò præciſa eſt, & ſtricta, vt omnino ab ea, ex iuſta tamen cauſa, diſcedi non poſſit. Sed iuſtam cauſam eſſe oportet, quia huiuſmodi perſonarum electiones ſunt certè periculoſę, & tanquam extraordinariæ. Si tamen vel Eccleſiæ neceſſitas, vel eximiæ Neophyti dotes, vel ſumma eius modeſtia iã probata in aliis rebus, eum eligendum ſuadeant, eligẽdus eſt: neque à Pauli præcepto diſcedemus, quia rationem ſubiicit Paulus, propter quam vetat eos eligi, non quòd Neophytos omnino neget poſſe ex aliqua iuſta cauſa vocari ad Epiſcopatũ vel doctoratũ: ſed ne tales inflentur. Quod periculum ab iis abeſt, qui iam ſuæ modeſtię magnum & certum ſpecimen ediderunt.

Iam verò huius præcepti occaſiõe veteres ſynodi quædam ſanciuerunt: quæ non ſunt omnino vel prætermittenda, vel vt inutilia negligenda.

B Et primùm voluerunt, vt qui ad maiores gradus Eccleſiaſticos promouerẽtur, illi ex minoribus ordinibus & inferioribus gradibus aſſumerentur. Id quod audio adhuc in Boëmicis Eccleſijs ſtrictè & religioſè obſeruari. Hoc decretum extat tot. Tit. & diſtinct. 52. Vt nemo per ſaltum ordinetur. Dicebantur autem per ſaltum ordinari & promoueri qui prætermiſſis omnino aliis gradibus, id eſt mediis, & inferioribus non acceptis & deguſtatis, ad maiores dignitates prouehebantur. Erant enim in eccleſiaſticis muneribus certi ordines conſtituti, per quos gradatim erat ad Epiſcopatum conſcendendum, ne quiſquam non ſatis probatus, aut expertus in paſtorem Eccleſiæ, & tam arduum munus eligeretur. Erant igitur hi ordines Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Cantor, Cerearius, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Epiſcopus, cã. illud diſt. 77. Sed hos omnes tamen rigidè obſeruare in ſingulis eligẽdis ac velut ex neceſſitare quadam, eſt certè ſuperſtitio, cùm etiam ex iſtis quidã ordines non ſint. Satis eſt, ſi qua legitima ratione is qui in doctorem vel paſtorem Eccleſię aſciſcendus eſt, probatus ſit in doctrina & moribus: ſiue quod in aliquibus inferioribus gradibus iam ſubſtiterit: ſiue quòd alibi alióque modo ſit probatus. C Nam ex iſtis tot ordinibus, quidam ſunt & inanes & ſuperſtitioſi.

Denique hoc ipſum poſtea videmus in abuſum, & ridiculum quiddam in Papatu fuiſſe conuerſum. Omnes enim iſti ordines ſacrificulandis ab Epiſcopo conferuntur, ſed fruſtrà, & ſunt tituli & dignitates vanæ & ſine effectu. Secundo loco, Certa quædam ætas cuique ordini Eccleſiaſtico adipiſcendo eſt Synodis conſtituta, infra quã haberi obtineríque illi gradus non poſſent, veluti Synodo ſexta vniuerſali, concilio Carthag. 3. cap. 4. Agathenſi cap.16. Toletano 4. cap.17.

Itaque decreuerunt vt Diaconi quidẽ ante viceſimum quintum ætatis annum nulli eligerentur.

Presbyteri verò & Epiſcopi nulli ante triceſimum ætatis annũ, quæ eſt iuſta hominis ætas, crearentur. cano. Placuit. diſtinct. 77. & tota diſt. 78. Quod ex Numerorum cap. 4. & 8. ſumptum aut imitatum videri poteſt. Et certè æquum eſt iuſtam aliquam ætatem, & certam definiri, aut ſpectari in Eccleſiaſticis perſonis eligendis, ad quam tamen dona Dei minimè ſunt reſtringenda. Nam & Timotheus quanuis ipſe admodum adoleſcens eſſet, tamen iam erat Euangeliſta: & Dominus, cui vult,

& quando vult dona ſua largitur: vt potius hoc totum ex dotibus ingenii, & Dei donis erga ſingulos ſit æſtimandum & diiudicandum, quinam ſint idonei & eligendi, quàm ex certo annorum numero à nobis conſtituto.

Tertio loco quæſitum eſt, vtrum Epiſcopum futurum oporteat, ſecularium, quæ vocant, negotiorum peritum eſſe, eáque tractare & adminiſtrare poſſe: in quo videtur fuiſſe diuerſa tum Patrum, tum Eccleſiæ veteris diſciplina, & conſuetudo. Ac primùm in hac quæſtione, diſciplina Eccleſiaſtica à negotiis ſecularibus diſtingui debet. Diſciplinæ enim Eccleſiaſticæ imperitus & ignarus non debet eſſe Epiſcopus, ne magna in Dei Eccleſiã perturbatio cõfuſióque ab eo inducatur. Rudes enim diſciplinæ & ordinis Eccleſiaſtici homines ſæpè turpiſsimè grauiſsiméque peccant. Atque huiuſmodi diſciplinę ignorãtes homines etiam electos, repudiatos tamen poſtea eſſe apparet ex diſtinct. 59.cano.Qui Eccleſiaſticis.

Negotia verò ſecularia quid ſint, eſt vidẽdum. Non ſunt autem omnia, quæ hîc in mundo (qui ſeculum vocatur) à nobis aguntur. omnis enim rerum etiam priuatarum, & domeſticarum adminiſtratio & cura Epiſcopis interdiceretur, cùm dicat Paulus 2.Timoth.2.verſ.6. Nemo militans Deo implicet ſe ſecularibus negotiis. Sed ea tãtùm negotia dicuntur ſecularia, quæ ad huius vitæ corporeę vſum, & cõmoditatẽ ſpectãt omnino, & per ſe, nóſque à cura rerum diuinarũ auocãt, ſiue noſtro, ſiue alieno nomine à nobis illa gerãtur, qualis eſt Negotiatio, ſiue Mercatura mercium, Aduocatio in Prætoriis & foro iudiciali, Ratiociniorum alienorum ſuſceptio, Procuratio domorum, bonorúmve alienorum, Conductio publicorum redituum: canon.Perlatum eſt ad nos.& canon.Conſequens.diſtinct.88.cano. Placuit 21. quæſt.3.canon. Te quidẽ oportet.11.quæſt.1, quia in his omnibus lucrum quæſtúſque per ſe ſpectatur, & ſolius vitæ huius corporeæ cauſa geruntur, & inſtituuntur hæc negotia.

Pauperum quidem, Viduarum, Pupillorum, Orphanorum, & Extraneorum, denique omnium miſerabilium perſonarum, quæ dicuntur, negotia Epiſcopo curæ eſſe debent, quia eſt Dei ſeruus. Non tamẽ vt illis ſic implicẽtur, vt à lectione ſcripturę, cõcionibus de verbo Dei, reliquiſque ſui muneris partibꝰ propterea abſtrahatur. Hoc enim fieri vetat Paul.2.Timoth.2.v.6.& confirmatur exemplo Apoſtolorum Actor.6.verſ.2. Adeò vt iam tempore Cypriani Carthaginẽſis Epiſcopi ex vetuſta quadã Eccleſiæ diſciplina excuſarentur Paſtores Eccleſię à munere tutelæ etiam teſtamentariæ, quemadmodum eſt in ipſius Epiſtolis lib.1.Epiſt.9.& poſitum extat in cano. Cyprianus 21.quæſt.3. Itaque ſæpius repetitum eſt in ſynodis, ne Epiſcopi, imò verò ne clerici vlli ſeculariũ negotiorũ curam adminiſtrationémque ſuſciperent aut gererent, veluti Carthaginenſi Synodo, quæ conuenit in Hiſpania cap. 6. & eſt relatum in canon.Peruenit & ſeq.21.quęſt.3. Idẽ antea fuerat conſtitutũ concilio Carthaginẽſi 4.c.15. Adeò vt ne vel tãquam arbiter vel iudex de huiuſmodi negotiis cognoſcere permitteretur, vt ex veteri quadã Clementis epiſtola (ſi modò eius eſt) colligũt Canoniſtæ in cano. Te quidẽ 11.quęſt.1. Artificio tamen aliquo ſibi victum quærere non prohibetur Paſtor, ſi ſuo quoq; muneri ſupereſſe poteſt, & propterea non abducatur. Otioſos enim eos eſſe vetant canones concil.Carthag.4.cap. 49. & ſi vide diſtin.91.per totum. Quanquam propterea neque Anabaptiſtarum errorem, neque aliorum phanaticorum delirium probo, qui Apoſtolos quicquam proprium habuiſſe aut poſſediſſe negant. Itaque ſtipẽdia à paſtoribus Eccleſiæ peti ſana conſcientia poſſe negant, illiſque res ſoli etiam patrimoniales adimunt.

Sed hic error fuit quòd Eccleſię temporalia bona, ingentia illa quidem & plena litium, immenſáſque poſſeſſiones curare, & adminiſtrare poſſe crediderunt Epiſcopos & clericos, quia ad Eccleſiæ quæſtum & commodum ea cura pertinebat, id eſt ad paucorum hominum (qui ſe clericos dicebant) alimenta, & quorumdam templorum commodũ, cùm tamen iis ipſis agendis magis à lectione ſcripturæ, & reliquis partibus ſui muneris auocentur, quàm ſi regias opes adminiſtrarent. Sed quia iſta Eccleſiaſtica negotia vocantur, eam curã & diſtractionem non damnabant: & ad eam dictum Pauli pertinere nolebant, ne lucris & commodis ipſorũ quicquam decederet & detraheretur. Atqui & hęc ipſa cura, eſt cura rerum ſeculariũ, & implicat nos ita vt officio ſatisfacere & ſupereſſe non poſſimus, adeóque hæc ipſa cura à Paulo damnata eſt 2. Timoth.2.verſ.6. Vnde rectius quidam Epiſcopi, tẽpore Iuſtiniani imperatoris, qui alios præter ſe, prætérque clericos ipſos, id eſt, præter Diaconos & Presbyteros, habebant, qui ea bona Eccleſiæ adminiſtrarent, quos homines Oeconomos Eccleſię vocabant, vt apparet in cõſtitutionibus Iuſtin.lib. 1.Codic.Tit.de Epiſcopis. Pro quibus poſtea ſeculo corruptiſſimo & creſcẽtibus Eccleſię bonis aduocatos nobiles habuerunt. Oeconomos autem bonorum Eccleſiæ viros bonos habere præſtaret etiam in ijs locis, vbi poſt ſuſceptum verum Euãgelium, bona tamen Eccleſiaſtica ab Epiſcopis retinentur, vel ab ipſis Miniſtris poſſidẽtur, ne in iis procurandis, & defendendis, & adminiſtrandis occuparentur ij, qui in rebus melioribus verſari, & toti eſſe deberent. Sed bonus eſt odor lucri. Peius autem illa bona ad homines aulicos transferũtur, tanquam præda ex Papatu capta.

Ergo quæritur, num ſecularium negotiorũ ſcientes eſſe Epiſcopos futuros oporteat. In quo reſponſum eſt varie & conſtitutum diuerſè. Nam diſtinct.39. apertè ſancitum, oportere tales eſſe Epiſcopos, adeò vt qui eorum negotiorum rudes ſunt & imperiti, deponendi dicantur. At diſtinct. 88. & 21.quæſt.3.aliud omnino reſpõſum eſt & variis patrum dictis confirmatum. Sed vtriuſque reſpõſionis tam diuerſæ conciliatio hæc affertur à Papiſticis. Nempe requiri quidem, vt Epiſcopi futuri eorum negotiorũ rudes omnino & imperiti non ſint, quoad ſcientiam: adminiſtratores tamẽ & geſtores non ſint, quoad ipſam curam & ſolicitudinem, ne à munere ſuo auocentur & diſtrahantur. Sed quorſum in illis ſcientia huiuſmodi rerum requiritur, ſi earum cura, & adminiſtratio ijſdem denegatur? Et quod eſt in illa diſtinct.39. ſecularium negotiorum peritiam futuris Epiſcopis, & ijs qui iam ſunt Epiſcopatum adepti, eſſe neceſſariã planè ex abuſu miniſterij Epiſcopalis profectum eſſe nemo nõ perſpicuè videt. Exempla enim eorum temporum afferuntur, in quibus Epiſcopi iam non tam legẽdo Dei verbo, & explicando vacabant, quàm opibus & diuitiis nomine Eccleſiæ congerendis & cumulandis, ad quas certè ſecularium commerciorum & negotiorum cognitio, & ſciētia omnino neceſſaria fuit. Deſierant igitur iam Epiſcopi eſſe veri paſtores & aurei Epiſcopi, & quales hic deſcribit Paulus: ſed erant iam aſtuti homines, auari mercatores, & ambitioſi, qui pietatis & religionis prætextu, ampla latifundia, dignitates, ampláſque ſibi poſſeſsiones comparabāt, in iíſque tuendis & augendis poſitum eſſe Epiſcopi munus cenſebant, quò diteſceret his mundanis opibus Eccleſia, & veras ſperneret cæleſtéſque diuitias. Id quod tandem euenit. Itaque bona eorum cœperunt eſſe aurea: ipſi verò facti ſunt plumbei. Bernar. epiſtola 78. deteſtatur quendam ſui ſeculi clericum, qui & Diaconus eſſet, & Decanus, & regius dapifer, quod intolerandum eſſe docet in Dei Eccleſia.

Cæterum qui id Epiſcopis licere putant, ſecularibus ſe negotiis nimirum immiſcere & implicare, aliquot rationes afferunt, quas operæpretium eſt examinaſſe, vt intra ſuos fines & à Deo præſcriptos, tandem verus Epiſcopatus, & verbi Dei miniſterium reuocetur & coerceatur.

Prima eſt ex Deuteron. 17. verſ. 9. vbi Sacerdos Magnus & Leuitæ cōſtituuntur iudices cauſarum, & litium. Ergo ſecularibus negotiis ſeſe immiſcebant. Reſp. Cùm Dominus politiam ipſam, quam in ſuo populo vigere volebat, ſuo verbo comprehendiſſet, cuius interpretationem commiſerat Sacerdoti ſummo, & Leuitis Malac. 3. æquum tunc erat, vt in dubia interpretatione legis politicæ, quæ Verbi diuini pars erat, ad eos recurreretur. Sed nunc leges politicę à verbo Dei ſeparantur, nec eo comprehenduntur, vt olim. Præterea ad ſacrificatores tantùm recurrebatur, ſi de interpretatione alicuius loci, & legis ſcriptæ dubitatio fortè naſcebatur, non in quauis controuerſia, nec cùm erat quæſtio facti. Tunc enim ad alios iudices remittebatur diſceptatio.

Secundò obiicitur cano. Ecce plenariè. diſtin. 39. exemplum Chriſti, qui turbis ſequentibus non tantùm ſpiritualia, ſed etiā carnalia, veluti cibum, dedit. Debere igitur Epiſcopos carnalia ſuo gregi adminiſtrare. Itaque debere implicari negotiis ſecularibus. Reſp. Extraordinaria Chriſti facta non eſſe nobis in exemplum trahenda. Nec enim ſemper pauit Chriſtus omnes turbas, quæ ipſum ſequebantur: nec quas pauit, ordinariè aluit: ſed extraordinariè, non etiam ſe fatigans in quærendo illis cibo.

Tertiò afferunt exempla Patrum, veluti Danielis ipſius, qui cùm eſſet Propheta, tamen adminiſtrabat negotia regis Babyloniorum, & Perſarum. Reſpond Hoc eſſe extraordinarium. Voluit enim Deus ad ſubleuationem ſui populi captiui, Danielem præeſſe rebus & negotiis illius regis, à quo captiuus detinebatur, vt eſſet clemens ſeruitus ſui populi. Ambroſius item Mediolanenſis Epiſcopus laudatur, qui pro Valentiniano legationes ſæpius obiit ad Maximum tyrannum, qui erat Colonię & Treuiris, vti ex ipſius epiſtolis apparet. Reſpond. Illud factum eſſe raò quidem, nempe cùm ſumma Eccleſiæ & Reipub. vtilitas poſtulauit, ſed ſtatim expedita legatione & explicata ad munus ſuum redit Ambroſius. Itaque poteſt Eccleſia quidem ſuo paſtore nonnunquam vti ad res ſuas & ſeculares agendas: ſi quidem cum videat ad ea negotia aptum & idoneum: ſed tamen id rariſsimè faciendum eſt, & cauendum ne à ſuo munere, quod in verbi prædicatione & vigili Eccleſiæ cura conſiſtit, abducatur vel tantillū. Longè igitur præſtaret Epiſcopos, qui tā ſunt ad ſecularia negotia tractāda idonei, vt maiorem per eos vtilitatē Eccleſia ſentiat, quàm per alios quoſuis: prę ſtaret (inquam) eos ex honeſta cauſa à munere illo ſuo Epiſcopali honeſtam miſſionem habere, & liberari prorſus & dimitti, quàm eos in Epiſcopatu retineri: & interim ſecularibus negotiis perpetuò eos diſtineri, diſtrahi, & occupari. Et hæc mea eſt ſententia.

7 *Oportet autem eum etiam bonum habere teſtimonium ab extraneis: ne in probrum incidat & laqueum Diaboli.*

Tertium eſt quod requirit Paulus, ſed aliorum ratione, nimirum ipſorum Extraneorū, id eſt, infidelium. Vult igitur futuros Epiſcopos tā eſſe probatæ vitæ, vt etiam à fide Chriſtiana extranei homines nihil habeant, quod in ipſorum vita reprehendant. Hoc idem ab omnibus Chriſtianis requirit Chriſtus Matth. 5. & Paulus Col. 4. v 5. quia vita noſtra debet eſſe lux mūdi: multò igitur magis hęc lux in paſtore deſideratur. Nec obſtat quod idem Paulus ait 2. Cor. 6. v. 8. per gloriam & ignominiā nobis eſſe incedendum: item qui ſunt foris, nihil ad nos 1. Cor. 5. v. 12. Hoc enim verum eſt quod ad doctrinam ipſam. Nam doctrinam noſtram nunquam probabunt infideles: quare in ea ab illorum iudiciis vllo modo non eſt dependendum, non magis, quàm à cæcis: ſed in vita & moribus ſecus eſt. Nam debet eſſe vita illa noſtra tam ſancta, vt etiam ignorātes, & infirmos Chriſto lucrifaciamus. Cōfirmat ſuam ſententiam Paulus à conſequēti. Qui enim vitiis ſecurè indulgent, ſunt probroſi, & In Diaboli laqueum incidunt, quia nullo pudore poſtea retinentur, cùm ſe vidēt etiam poſt ſceleratam & turpem vitam ad tantam dignitatem tamen admitti, promoueri, & poſci. Vnde fræna & habenas impunè laxant omnibus vitiis, & à Satana poſſidētur. Quod quærit Chryſoſtom. Quid de iis ſtatuēdum ſit, qui vel falſò laudantur ab extraneis & infidelibus, vel immeritò vituperantur: Reſpōſio facilis eſt, Eccleſiam nimirum debere iudicium ſuū adhibere, nec omnino ex infidelium ſuffragio pendere, & ſtatuere, quid de eligendo ſit ſentiendum.

8 *Diaconos itidem honeſtos, non bilingues, nō multo vino deditos, nō turpiter lucri cupidos.*

Tranſitio eſt. ad Diaconos enim pertinet ſequēs diſputatio & præceptio, quos deſcribit Paulus, & ordine quidem. Nam de Epiſcopis prius egerat: ſequens igitur erat, vt ageret de Diaconis. Hos enim duos ordines Eccleſia Dei maximè habet.

In quo duo quæruntur. 1 Quid vox Διάκονος hîc ſignificet. Ac ipſa per ſe & ex verbi etymo eſt latiſſima hui' vocis ſignificatio. Omnē enim Miniſtrū ſignificat ſiue priuatū, ſiue publicū, id eſt, omnem eū, qui ſuam operā ſuúmque miniſterium alij exhibet, & imprimis Eccleſiæ. Vnde etiam Apoſtoli ipſi Diaconi nōnumquam in Scriptura vocantur. Ex quo etiam factum eſt, vt quidam exiſtimarent, hîc Diaconi vocabulum priuatum Epiſcopi famulum denotare, quē qualis eſſe debeat, deſcriberet Paulus, ſed falluntur. Lata verò hæc ſignificatio poſtea reſtricta eſt ad eos, qui in Eccleſia

A Dei ęrarij pauperum curam adminiſtrationémque habent,& circa pauperum miniſterium & ſubleuationem occupantur, quales ij de quibus Acto.6.& Phili.1.v.1. & Rom.12.verſ.7,& 8.quo ferè ſignificato accipitur cùm ab Epiſcopis in Eccleſia Diaconi diſtinguūtur.Atque etiam hoc loco iſta poſtrema & ſtrictiori notione ſumitur. Inſulſè verò Papiſtæ à Diaconis Διακόνιον appellarunt locum quendam ædis ſacræ penitiorem & ſecretiorem,in quo ſacra Eccleſiæ vaſa reponuntur,& conduntur: quod Secretarium alio nomine nuncupāt: & Diaconos Secretarios,quòd huius loci claues geſtent, curámque habeant, can. Non oportet diſtinct. 23, etſi ex concilio Laodiceno videtur hęc ſignificatio ſumpta.Sed iam erat corruptiſſima Eccleſię diſciplina,deſierántque,qui Diaconi tunc vocabantur, eſſe veri Diaconi,quales vetus Eccleſia habuit: & hîc deſcribit Paulus.

2 Quæſitum eſt,cur prætermiſſa ſit diſputatio de Presbyteris, vt quales eſſe debeant, & eligi, B intelligeremus. Reſpondet Chryſoſt.quòd Epiſcoporum nomine Presbyteri,præſertim docentes in Eccleſia & prędicantes,continētur.Quod verū eſt vt apparet ex Epiſtola Pauli ad Tit.cap.1.Acto.20. & alijs multis Scripturæ locis.Differunt enim, ait Chryſo. Presbyter & Epiſcopus ſolùm ordinatione,non poteſtate,non gradu,non miniſterio,quia aliæ quædam tantùm & plures cæremoniæ in ordinandis Epiſcopis obſeruabantur, quàm in conſtituendis Presbyteris. Præterea apparet ex hoc ipſo Paulo Rom.12. omnia Eccleſiaſtica munera, quæ quidē perpetua & ordinaria ſunt, in duo genera vniuerſaliter diuidi, nempe in Prophetas & Diaconos. Prophetarum autem nomine omnes qui legitimè docent intelligi: Diaconorum verò omnes,qui quum non doceant, aliis neceſſariis functionibus in Eccleſia funguntur,quales Presbyteri ſimplices,Diaconi, & collegium viduarū, de quibus poſtea Paulus agit cap.5.

Ex huius autem loci & ordinis(quem hic Paulus obſeruat & in Epiſtola ad Philipp.1. verſ.1.)ratione C quæſitum eſt, vtri gradu ſint priores & ſuperiores in Dei Eccleſia cenſendi, Presbyteríne, an Diaconi.Etſi enim Diaconi hîc ſubiiciuntur Epiſcopis:videntur tamen illis ex ſententia Hieron. in epiſt.ad Ruſticum pręponi.Hæc enim illius verba ſunt,vt ſi diſtinctio locorum creditur in mundo,etiam in altari Dei videant ſibi Epiſcopi, qui ſuperbi ſunt, Diaconos anteponi. Deinde videntur ex veteri diſciplina Eccleſiæ etiam ad honeſtiora quædam officia & miniſteria quàm Presbyteri ipſi admitti.Ipſi enim(vt ibidem tradit Hierō. quanuis conquerens)Sacerdotibus de menſa Domini calicem tradūt:non autem Diaconis Preſbyteri.Id etiam trāſcriptum eſt in cano.Diaconi ſunt quos diſtinct.63.Sed etiam videntur aliquādo prędicaſſe, abſente Epiſcopo, & adminiſtraſſe Sacramenta Diaconi, etiam præſentibus Presbyteris in cano.In ſancta diſtinct.92.qui canones à nobis nō vt doctrinæ Chriſtianæ firmamenta citantur: ſed vt rei geſtæ hiſtoriæ tātùm.Denique vidētur Diaconi ſæpius,quàm ipſi Presbyteri locum & vicem Metropolitanorum ſuorum repręſentaſſe,& obtinuiſſe in veteribus Synodis,ex eo quòd Rom.Epiſcopi ſuas partes Diaconis ſæpiùs,quàm Presbyteris demandarint:quòd his facilè carere nō poſſent: illis autem Diaconis facilius poſſent.Et hunc morem poſtea ſecuti ſunt alii Epiſcopi, imprimíſque A Metropolitani,vt ſe ad Roman.Eccleſiæ exemplar conformarent, adeò vt ex iſtis cauſis Presbyteris Diaconi cēſeri cœperint præferendi,& ijs eſſe gradu ſuperiores maioréſq;.Quid igitur de hac re ſtatuendum ſit,quæritur. Reſp. Primùm omnes iſtas de proëdria & præeminentia diſputationes (quæ ſunt veriſſima diſſidiorum ſemina, & damnabilis ambitionis effecta) de Eccleſia Dei, imprimis autem de cœtu præpoſitorum Eccleſiæ (inter quos ſunt & Presbyteri & Diaconi)tollendas eſſe & faceſſere oportere, tanquam certiſſima & præſentiſſima Eccleſiæ venena, vt docet Chriſtus ipſe Luc. 22.verſ. 25. tamen ſi quid de ea re dicendum eſt, tū ex veteri diſciplina Eccleſiæ:tum ratione muneris vtrorumque,certè Presbyteri ſunt Diaconis priores.Itaque in veteribus Synodis veluti Nicæna prima cap. 14. Laodicæna cap.20. Carthag.4.cap. 37. eſt ſtatutum, vt ne Diaconi quidem inter Presbyteros ſedeant, nimirum ne ijs æquales eſſe videantur.Hieronym.in epiſto. ad Euagriū Tom. 2.Epiſtolarum.Id quod etiā in tota diſtinct. 93. fuit poſitum & narratum. Ita nimirum ius iſtud canonicum perturbatum eſt,& ſibi non cōſtat.Nam quod B ad prædicationē verbi Dei, quæ illis aliquādo cōceſſa eſt,de eo quàm rectè factū ſit,aut potius ineptè poſtea dicetur,ſed primùm de perſonis ipſis agendum eſt.

Eadem autem requirit Paulus in Diaconis, quæ in Epiſcopis ſuprà,ſiue ipſorū perſonæ ſpectentur: ſiue familiæ: ſiue iudicia & teſtimonia aliorum & infidelium.Addidit autē,*ne ſint Bilingues.* Hæc autem vox non tantùm impudentem mendacem, & impoſtorem ſignificat,quo ſenſu Virgil.dixit,

--Tyrióſque Bilingues.

ſed etiam diſſimulatorem ſimulatorémque.Denique qui id quod ſe præſtare non poſſe intelligit, pollicetur: & qui cùm de promiſſo interpellatur, ita variat, mutat, & excuſat promiſſionem à ſe factā,vt iam aliud videatur dicere,quàm prius. Huic vitio ſimile eſt διψυχίας vitium, quod damnat Iac. 4.verſ.8. cum cor duplex gerimus. Hoc autem vitium inter reliqua maximè Diaconis fugiendum C eſt,qui cùm ſæpe magna pauperum importunitate vexentur & premātur,honeſtè quidem eos dimittere coguntur,& promiſſis implere,quæ tamē poſtea præſtare non poſſunt.Hoc autem offendiculū gignit,& à veritate Chriſtiana, quæ in omnibꝰ noſtris tum dictis tum factis ineſſe debet, eſt alieniſſimum.Hoc idem vitium omnibus Chriſtianis fugiendum eſt, & maximè Paſtoribus.

9 *Tenentes myſterium fidei cum pura conſcientia.*

Ἀκολούθητος eſt,poſtquam de moribus Diaconorum dixit,de eorumdē doctrina,qualis eſſe debeat diſſerit,nimirum eos fideles, probéque in fidei arcanis inſtitutos eſſe oportere. In quo magnam & non tantùm vulgarem vel leuem in fide Chriſtiana cognitionem eos habere vult Paulus, dum eos iubet,Non tantùm tenere fidem,id eſt,conſtanter & apprimè eā didiciſſe & tueri: ſed etiam arcanum ipſum ſiue myſterium fidei ab iiſdem perceptū eſſe poſtulat.Quo verbo altior quædā cognitio ſignificari videtur:quanquā ſalutis fidei,Chriſtianęque doctrinę quęlibet pars mvſteriū propter argumēti maieſtatē & rei ipſius difficultatē, niſi Dei ſpiritu

ſimus

A ſimus illuminati, fere nominatur in ſcriptura. Refert Chryſoſt.hanc Pauli ſententiã ad verſ.6.quaſi hęc ratio ſit,cur Epiſcopum non oporteat eſſe nouitium:ſed hîc agit Paulus de Diaconis, non de Epiſcopis.

Ergo quæritur cur hoc requirat in Diaconis Paulus.Reſp.Ratio eſt multiplex.Ac prima quidẽ, quòd cùm Diaconi ſint non tãtùm pars quędã Eccleſiæ : ſed præcipua quædam pars & nobiliſſima (ſunt enim ex ἡγεμόνων & præpoſitorũ numero) eos quoque oportet rectè & pulchrè in fidei Chriſtianæ doctrina, & arcano eſſe inſtitutos & edoctos. Abſurdũ enim eſſet eos præfici Eccleſiæ, qui veræ & proprię ipſius Eccleſiæ doctrinę ignari & rudes eſſent. Altera ratio eſt,quòd cùm pauperum & afflictorum qui ſunt in Eccleſia curam habeãt Diaconi,ad eorum quoque officium pertinet eos cõſolari,erigere,ſuſtẽtare,& cõfirmare in fide.Quod nõ poſſunt,niſi doctrinam fidei apprimè ſciant & teneant.Quidam tertiam huius dicti rationem afferunt,ſed falſam,nimirum quòd ad Diaconorum officiũ pertineat concionari de Dei verbo,& illud prędicare quemadmodum Philippus,& Stephanus B fecerunt.Id quod etiam ex Iuone Carnutẽſi tradit Gratianꝰ in cano.Perlectis,§ ad Diaconũ.diſtinct. 25.Hæc autẽ ſẽtẽtia falſa eſt.Nã quod de Stephano & Philippo affertur eos prædicaſſe,verũ eſt:ſed nõ quatenus illi tantùm erant Diaconi,imò verò potius quatenus etiam Euangeliſta vterque fuit , vti tũc temporis varia Dei dona in vno & eodem fuerunt à Deo cumulata.

Ergo admonet me hic locus,vt de Diaconorum officio aliquid dicam tum ex Dei verbo, tũ ex ea quæ in veteribus Synodis extat, diſciplina. Diaconorum in verbo Dei duplex genus eſſe videtur, vt colligitur ex Paulo Romanor. 12. verſ. 7. 8.Alij enim verſabantur in ipſius ærarij collectione, cura, procuratione tota.Hi ſunt velut Oeconomi Eccleſiæ. Tales fuerunt etiam Procuratores dicti, Hermi.lib. 8. cap. 12. cuius generis exempla ſunt Nehem. cap.13.v.13.& hodie ij qui hoſpitalium & πτωχοδοχείων Prouiſores appellãtur. Alij in ſingularum partium,& eleemoſynarum,quæ ſingulis pauperi- C bus & egenis fiũt,diſtributione & erogatione occupantur. Tales ſunt qui dietim vel hebdomadatim eleemoſynas cuique pauperi fratri diſtribuũt, qui ſæpe habẽt tãquã ſubſidiarias operas & miniſtras adiũctas Diaconiſſas,de quibus poſtea.Hi autẽ ſeptẽ primũ ſunt creati,& hic numerus retentus eſt Romæ vt ait Sozõ.lib.7.cap. 19. poſtea ad imitationẽ Romanæ Eccleſiæ Neocæſarienſi Synodo cap.14.ſancitũ eſt,vt etiã ſi nõ eſſet magna ciuitas, in qua eſſet Eccleſia,ſeptẽ tamẽ Diaconi in ea crearẽtur.Eſt decretũ in cã.Diaconi ſeptẽ diſtin.93.Sed hoc decretum poſtea Carthag. Synodo prima fuit emẽdatũ,cùm pro amplitudine Eccleſię ſæpe plures,ſæpe pauciores Diaconi requirãtur.Itaque hoc totũ iudicio cuiuſq; Eccleſiæ eſt permittẽdum, nõ autẽ præciſè definiẽdũ.Nã & Romæ poſtea,vt docet lib. 2. Chronic. Martinus Polonus , auctus eſt Diaconorũ numerus,& geminatꝰ,vt pro ſeptẽ hodie ſint ſexdecim Diaconi,ex quibus alij ipſiꝰ Papę miniſterio & cubiculo ſunt addicti,vt ait ille.Ergo Diaconorũ verũ munus eſt, tũ Ærarium Eccleſiæ colligere,curare & adminiſtrare, tum ex eo ærario pauperibus fratribus ſubuenire,tũ Sanis,tũ Ægrotis,tũ etiã Ciuibus & Indigenis, tũ Peregrinis, qui ad nos ex alijs regionibus adueniũt.Ad eos autem A per ſe & ratione muneris ipſius neq; verbi Dei prędicatio pertinet:neque Sacramentorũ adminiſtratio. Hæc fuit vetuſtiſſima Diaconatus deſcriptio: quę tamẽ poſtea magna hominũ temeritate immutata eſt , & cũ Epiſcoporum munere penè confuſa, quos tamẽ hîc & Philip.1.apertè diſtinguit Paulus.

Ac primùm Diaconorũ muneris perturbatio facta eſt,cũ velut oculi Epiſcopi dici cœperũt, quoniam omnia totius Eccleſiæ acta oberrantes perluſtrabant , & ad Epiſcopum offendicula quæ in Eccleſia naſcebantur,deferebant,vt eſt in can.Diaconi Eccleſiæ diſtin.93. Vnde apparet eos in locũ Presbyterorum, ad quorum curã ea diligentia de inſpiciendis hominum piorum moribus pertinet, temerè fuiſſe ſubſtitutos. Ac quidẽ è Scholaſticis magna ignorãtia nullos præter Epiſcopos & Diaconos in Eccleſia ordines conſtituunt,quòd excepto Epiſcopali officio reliqua munia à Diaconis ſuſcepta & obita fuiſſe dicunt.Quod eſt falſum,cũ etiam ex 1.Cor.16.appareat ſæpe quoſdam etiã extra ordinẽ ab Eccleſia delegatos , & electos ad curam & adminiſtrationem Eccleſiaſticæ pecuniæ, quia Diaconi ſatis eſſe tanto oneri non poterant. B

Hoc Diaconorum munus iam tam latè patens etiam amplificari poſtea cœpit, & penè cùm Epiſcopi officio confundi , certè in multis adæquari. Nam in cano.Prælectis §.Ad Diaconum pertinet, diſtinct.25.hæc omnia Diaconis tanquam muneris eorum partes tribuuntur.

1 Aſsiſtere Sacerdotibus,id eſt Epiſcopis.
2 Miniſtrare in omnibus,quæ aguntur in Sacramentis Chriſti, veluti & in Baptiſmo, chriſmate, patena,calice.
3 Oblationes inferre & diſponere ſuper altare.
4 Componere & ſternere menſam Domini.
5 Crucem ferre.
6 Prædicare ad populum Euãgelium, & Apoſtolicas Epiſtolas.
7 Officium precandi.
8 Exhortatur & iubet populũ clamare ad Deũ, & ad eum cor & aures erigere & habere.

Vnde hic ordo inter ſacros pręcipuè refertur,tũ propter materiam (aiunt Canoniſtæ)quam tractat C (eſt autẽ Euchariſtia) tũ propter ipſã inſtitutionis formã,quæ in Papatu magnas cęremonias habet.

Cùm verò tãta complecteretur hoc vnum Diaconorum munus, vt penè reliquas omnes dignitates Eccleſiaſticas abſorberet,cõtẽtiones variæ natæ ſunt,& cogitatũ eſt , de hoc officio intra certos quoſdam cancellos & limites coercẽdo.Itaque Synodis conſtitutum eſt, vt Diaconi in poſterum neque calicem benedicerẽt,neque corpus Chriſti offerrent:itẽ neque pręcinerent populo,id eſt,cantũ publicũ moderarentur, nec ea tractarẽt & vſurparent, quæ primis ſuperioribúſque ordinibus ſunt decreta.Id quod ex concilijs Laodicẽſi & Carthaginenſi apparet,& eſt relatum in cano.Nõ oportet & ſeq. diſt.93.cano.In ſancta,diſt.92.

Denique Durandus anxiè verſat hanc quæſtionem,in lib.4. Sententiarum P. Lombardi diſt.13. quæſt.4.Vtrum ad Diaconum pertineat Euchariſtiam populo miniſtrare,tam multa abſurda cõſequuntur,vbi ſemel à verbo Dei diſceſſum eſt.

Longè autem peſſimè & verbo Dei & munere Diaconi abutũtur,qui Diaconos tantùm titularios

A hodie habent, nulli rei, niſi pompæ & ſuperſtitioni inſeruientes. Id quod fit in Papatu.

10 *Atque hi etiam probentur priùs, deinde miniſtrent, ſi ſint inculpati.*

Τάξις. Ordine perſequitur Paulus ſingula, quę ad legitimam Diaconorum electionem pertinent: & ordinem ipſum, qui ſeruandus eſt, pręſcribit. Ergo priùs eos examinari vult: poſtea verò eligi & ad officium admitti. Vnde qui ſine examine, vel luſorio quodam examinis genere eliguntur, vti in Papatu, ſunt omnino abdicandi & reiiciendi. Ad quos verò hoc examen pertineat, ad vniuerſúmne populum, an ad ſenatum, an ad vtroſque, infra dicetur.

11 *Vxores itidem honeſtas, nõ calumnioſas, ſobrias, fidas in omnibus.*

12 *Diaconi ſint vnius vxoris mariti, qui liberis rectè præſint, & proprijs domibus.*

Iſta ſunt ſuperius explicata partim hoc ipſo capite partim cap. 2. vbi de mulieribus Chriſtianis diſputauimus.

13 *Nam qui bene miniſtrauerint, gradum* B *ſibi bonum acquirunt, & multam libertatem per fidem quæ* eſt *in Chriſto Ieſu.*

Αἰτιολογία eſt ab effectu. Nec enim tales Diaconos fruſtra à ſe requiri docet Paulus: ſed quis ſit harum virtutum in illis fructus nunc oſtendit, nimirum Gradus honoríſque in Eccleſia maioris commendatio, & Bonæ conſcientiæ, magnæq́ue apud fideles libertatis & authoritatis comparatio & teſtificatio. Hoc primum opponere videtur Paulus contumeliis, calumniis, conuitiis & probris, quę vulgò patiuntur ij, qui ſanctè & ſyncerè Deo ſeruiunt & ipſius Eccleſiæ miniſtrant, qui præ cæteris apud profanos homines probris conſpui ſolent. Sed & hic idem effectus Diaconatum tanquam præcipuũ quoddam in Dei Eccleſia munus commendat. Denique Diaconos ipſos conſolatur, & docet gregem ipſum, & ſingulos pios & fideles, quantum huiuſmodi perſonis, qui ſyncerè hoc munere vel fungũtur, vel functi ſunt, debeant. Vtitur autem Paulus in Epiſtola ad Philemonem v. 8. eadem phraſi, Libertatem C habere.

14 *Hæc tibi ſcribo, ſperans fore vt celeriùs ad te veniam.*

Παράκλησις eſt. Conſolatur enim Timotheum, & admonet cur tam minutim ſingula ſit perſecutus. Denique ſpem facit proximi aduentus ſui. Primùm ipſius Timothei cauſa, ne cùm ad abſentes literæ ſcribantur, exiſtimet velle Paulum diutius abeſſe, quàm Eccleſiæ vtilitas poſtulet. Ad tempus enim reliquerat Timotheum Epheſi Paulus, vt ipſe docuit cap. 1. donec in Macedoniam ad conſtituendas Eccleſias proficiſceretur. Itaque ne ſui promiſſi oblitus cẽſeretur, aut hoc falſo pretextu Timotheũ reliquiſſe, hoc addidit. Simile quiddam apparet 2. Corinth. 1. Deinde hoc ipſum Timothei excitandi cauſa videri poteſt additum, quanquam ipſe per ſe diligens eſſet, ſed vt alacriore animo in illud opus incumberet, in quo ſuæ diligẽtiæ teſtem oculatum Paulum eſſet poſthac habiturus.

Sed & aliorum quoque cauſa videtur hoc adiectum, vt ſi qui eſſent peruicaces & cõtumaces, metu aduentus Pauli cõprimerentur. Hinc autẽ Pauli ſolicitudo de Eccleſiis apparet, qui ne minimum A tempus differre potuit, quin ea quæ videbantur egere correctione quadam, emendaret.

Dicit autem, *ſperans*, Neque enim noſtræ vitæ ſumus nos ipſi arbitri: ſed Dominus, &, vt monet Iacob. 4. v. 15. ipſe de nobis ſtatuit, vt ex eius ſolo nutu pendere toti debeamus. Rediit autem Epheſum Paulus, vt apparet ex Act. 18. poſt hãc Epiſt. ſcriptã.

15 *Quòd ſi tardius venero, vt noris quomodo oporteat in domo Dei verſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & ſtabilimentum veritatis.*

Occupatio eſt, quæ cum commendatione miniſterii Euangelici eſt coniuncta. Monet enim Paulus ſi tardiùs venerit, ecquod muneris ſui rectè gerendi remedium habeat Timotheus. nempe hæc ipſa præcepta, quæ continentur hac Epiſtola, tum in ſuperioribus capitibus: tum etiam in ſequentibus. Itaque paraſceue etiam eſt ad ſequentes præceptiones hic locus.

Ex hoc autem loco apertiſsimè demonſtratur, quis ſit eorum præceptorum, quæ hîc de adminiſtrandæ Eccleſiæ ratione traduntur, vſus. Quidam B enim exiſtimant (quos ipſe aliquando audiui) quæ hîc de diſciplina Eccleſiaſtica præſcribũtur à Paulo, veluti de Epiſcoporum, & Diaconorum electione, & munere: de cenſura morum quę fit à paſtoribus, denique quæ regulæ politiæ Eccleſiaſticæ cap. 5. & tota hac Epiſtola tradũtur eſſe tãtùm ſingulares quaſdam pręceptiones & particulares, quę tunc temporis vſum ſuum haberent, ſed quæ generalem & perpetuam politię Eccleſię normam & regulam minimè contineant, miniméque præſcribant. Itaque non debere hodie ad hanc formam à Paulo deſcriptam, politiam & rationem Eccleſiæ Chriſtianę adminiſtrandæ vel reuocari, vel examinari. At contrà hoc loco docet, affirmátque diſertè Paulus, ſe Timotheo ea præſcribere, quæ in domo Dei obtinere, & inſtitui debeant, vt pulchrè illa & regatur, & adminiſtretur. Neque verò tempus certum, aut etiam locũ aliquem deſignat Paulus, cuius ratione vtiles ſint hę pręceptiones, & neceſſariæ: ſed generalis eſt affirmatio Pauli, vt ſcias, ait, *quomodo te regere debeas in domo Dei*, id eſt, Eccleſia, non dixit Epheſi tantùm, aut in Aſia: non C dixit, hoc tempore, nẽpe quo ſunt Magiſtratus infideles & idololatræ: ſed doceo (ait Paulus) quomodo te, id eſt, omnes veros Epiſcopos (eſt enim in perſona vnius Timothei omnium bonorum Epiſcoporum officiũ deſcriptum) ſe gerere oporteat in Dei Eccleſia, qualis illa Dei domus eſt, & ex Dei voluntate rectè adminiſtrari debet, in qua omnia εὐτάκτως fieri & tempore & loco neceſſe eſt. At ijdẽ excipiunt diſciplinam Eccleſiaſticam eſſe mutabilem. Reſp. Diſtinguendum eſſe. Quædam enim eſſe in ea Eſſentialia, aio, quædã Accidentalia. Eſſentialia ſunt omnia, quę & de electione & de munere perſonarum Eccleſiaſticarum hîc traduntur, quia cùm hæc ſint publica Eccleſiæ munera, electio in ijs omnino neceſſaria eſt. Et cùm hæc ſint munera, officia & munia quædam habent, quibus definiũtur, vti paſtoris Eccleſiaſtici eſt aſſiduè verbo Dei paſcere gregẽ ſuum: ſuper eo vigilare, & morũ vitæq́ue illius habere curã. Presbyterorũ & Seniorũ eſt attẽdere gregi Domini, ne hęreſes vel vitia obrepant in Eccleſia, ſiue apertè, ſiue ſenſim.

Accidentalia ſunt, quæ ad particularem earum rerum modum ſeruandum, formámque aliquam conſti-

A conſtituendam, & cuiuſque populi commoditatis rationem habendam pertinent: veluti, quoties in hebdomade ſit Epiſcopo concionandum: quibus diebus, qua hora, quot locis, & cætera quæ ſunt huiuſmodi. Sed quæ præſcribit hîc Paulus ſunt eſſentialia. Quare hæc à nulla Eccleſia ſine piaculo prætermitti poſſunt: niſi domum Dei verè domum confuſionis facere velimus. Nec vlla vllius regni vel reipublicæ commoditas, vtilitáſque aliud ſuadere aut inducere nos debet, vt ab his Pauli, id eſt, Dei Spiritus præceptis recedamus: aliáque vel Epiſcoporum, vel Diaconorum munera faciamus. Sed nec Synodi quidem ipſæ ſunt audiendæ, ſi ab his Pauli regulis diſcedunt, quia à Dei verbo in Eccleſia Dei regenda, illiúſque politia conſtituenda diſcedunt. Quod eſt nefas.

Domo Dei) Commendat hîc non tantùm Eccleſiam Paulus: ſed ipſum potius miniſterium Euangelicum à re, & obiecto, circa quod verſatur, Nimirum ab Eccleſia, cuius ædificandę, adminiſtrandæ, & conſeruandæ gratia conſtitutum eſt. Magnam enim eſſe eam dignitatem oportet, quæ domo B Dei præeſt, eíque gubernandæ præficitur. Illa verò dignitas & cura eſt miniſteriū verbi Dei. Excitat verò hoc ipſum etiam paſtores pios vt de ſe ſuáque diligentia cogitent, & cui muneri ſint à Deo præpoſiti ſeriò meditentur, & ſæpe apud ſe proponant. Similis locus Act.20.v.28.

Magna verò cōmendatio Eccleſiæ (cuius paſcendæ gratia Epiſcopi & Presbyteri eliguntur) continetur paucis his Pauli verbis, *columna eſt*, ait *& ſtabilimentum veritatis Eccleſia*. Hîc enim doctrinam Eccleſiæ pręfert omnibus aliis, quia illæ non ſunt vel veritas, vel illa ſalutaris veritas, quam vnā pios & Chriſtianos homines ſectari oportet. Itaque longè vniuerſæ Philoſophiæ præferenda eſt hæc doctrina, quę in Dei Eccleſia docetur, & prædicatur, quia hæc eſt ſola veritatis nomine digna. Etſi verò quædam vera à Philoſophia traduntur, tamen illa veritas non eſt (vt idem Paulus ad Titum I.v.I. ait) κατ' εὐσέβειαν, ſed magna ex parte hominibꝰ C inutilis, vel certè cum hac nullo modo conferēda, quia hæc ad animorum vitam æternam pertinet.

Deinde, vt ſcribit Chryſoſtomus, hæc vox *veritas* diſcrimen notat inter doctrinam eam, quæ olim Iudæis ſub lege annuntiabatur: & eam, quæ nunc Chriſtianis annuntiatur. Illi enim vmbras tantùm, id eſt, figuras & cæremonias habuere: nos autem ipſam veritatem & corpus in Chriſto, vt docet Paulus Coloſſ.2.v.17. Ex quo fit, vt Ioan.I.v.17. dicatur per Moſem data Lex: per Chriſtum verò veritas & gratia.

Huius autem tam ſalutaris, & ſacræ veritatis cuſtos, conſeruatrix, & publicus velut tabellio apud quem depoſita eſt, eſt Eccleſia illa Dei viui, nempe per ordinariam & puram verbi Dei prædicationem, quæ ab veris Epiſcopis & paſtoribus facta eſt. Nam, vt ait Paulus Rom.3.verſ.2. Credita ſunt (ἐπιστεύθησαν) Dei Eccleſiæ, non autem Satanæ Synagogæ, nō Antichriſtiano cœtui: ſed Chriſtianę Eccleſiæ diuina oracula & eloquia, quia in hoc tantùm vno hominum cœtu illa explicantur, docentur & conſeruantur, per ordinarium verbi Dei miniſterium, quod in Eccleſia viget. Vnde idē Paul. Rom.9.verſ.4. Legem, & fœdera, & eorum fœderum tabulas fuiſſe apud Iſraëlitas, ait, quia & cum iis pactum erat fœdus Dei, & eius fœderis tabulæ apud eos ſolos aſſeruabantur, & cuſtodiebantur, A velut apud fideliſsimum & publicum tabellionem manent acta & inſtrumenta contractuum. Hoc ſenſu vocat Paulus veram & Euangelicam Dei Eccleſiam, Columnam, & ſtabilimentum veritatis, non quidem tanquam iſtius veritatis Eccleſia ſit cauſa, ſed tantùm cuſtos, Conſeruatrix, & Propagatrix. Veritatis enim, quæ in Eccleſia Dei prædicatur, cauſa eſt Deus ipſe, cuius eſt hæc veritas vox & verbū. Ergo ratione perpetui & ordinarij miniſterii & prædicationis puri verbi Dei, quæ in vera Eccleſia locum habere debet, dicitur Eccleſia Columna veritatis: nō ratione rei ipſius, id eſt, Eccleſiæ ipſius, quaſi certitudinem ſuam ab Eccleſia, id eſt, hominū iudicio & approbatione habeat ſacroſancta Dei veritas. Neque enim ab hominibus pēdet diuinæ vocis commendatio, aut certitudo: ſed in diuina voce hominum ipſorum definitio & ſententia de veritate aut falſitate alicuius doctrinę fūdata eſſe debet Ioan.5, verſ.39.

Ergo duobus modis Paulus hîc nobis deſcribit Eccleſiam 1 Cùm domum Dei appellat. 2 Cùm columnam veritatis. Ac domus quidem Dei vocatur Eccleſia, quia eſt piorum & fidelium hominum B cœtus Matth.21. verſ.33. Certè ſi quo in alio mūdi loco, maximè in eo cœtu illuſtria ſpecialiáque pręſentiæ Dei ſigna & teſtimonia extant. Ergo dicebatur Deus habitare in ſuo tabernaculo, & in Sione, propter ſuę præſentię & maieſtatis ſigna peculiaria, quæ in eo loco poſita à Deo ipſo erant Pſal. 76. quia illîc & verbum Dei purum audiebatur, & cultus ab eo præceptus exercebatur. Non quòd Deus corporaliter illîc verſaretur: non quòd extra eum cœtum vſquam alibi eſſet Deus, qui ſemper vbique eſt: non quòd etiam Deus eodem, quo ipſa Eccleſia, loco concludatur: ſed quòd cùm ſe maximè hominibus communicet, per verbum ſuum, per Sacramenta, & per cultum: hos omnes modos ſola Dei Eccleſia ex omnibus hominum cœtibus habet, quæ retinet.

Deinde quòd Eccleſia dicitur Columna veritatis, oſtēdit hanc eſſe veram & vnicam Eccleſiæ verę notam, nempe veritatem & verbum ipſum Dei. C Huic enim vni fundamento innititur. Nam oues meę vocem meam audiūt, ait Chriſtus Ioa.10. adeò vt ſublata & abolita illa veritate, vel mutata in mēdacium, deſinat quoque eſſe illîc Eccleſia, & vbi illa veritas annuntiatur, illîc quoque naſcitur Eccleſia. Ergo nō eſt Eccleſia vel locis, vel certis perſonis alligata & aſtricta, ſed doctrinę verbi Dei, vt etiā definiuit Synodus Gāgrēſis de ſanctitate agēs.

Abuſi ſunt igitur perſpicuè hoc loco Papiſtę dū hinc colligunt, verbi Dei certitudinem ex Eccleſię approbatione & hominum ſuffragio pēdere. Nam falſum eſt. Subiiceretur enim Deus hominibus, id eſt, creator creaturæ, & omnipotēs vermibus terræ: & poſſent homines ſuam Deo veritatē adimere ſi vellent, vel illi conſeruare, quæ tamen penes eum vnum reſidet, neque ex hominum iudicio & authoritate pendet, vel immutari poteſt Iacob. I. v.17. Præclarè enim Iren.lib.3.cap.I.& II. Euāgeliū eſt columen fidei noſtrę, nō hominū authoritas. Et quod cōtra fūdamēt. Manichęo. epiſtol. cap.5. ſcribit Auguſt. Ego verò Euangelio non crederē, niſi me Catholicæ Eccleſiæ cōmoueret authoritas, dictū eſt aduerſꝰ eos qui pro animi libito, ex ſola ſuorū præceptorū & quidē recētiū approbatione, hos

A ſacræ Scripturæ libros recipiebãt vt authenticos: illos autem,vt falſatos,reiiciebant,quod faciebant Manichæi, quibus opponit Auguſtinus maiorem & fideliorem hominum approbationem, nempe diuturnum totius Eccleſiæ conſenſum.

Denique quod iidem Papiſtæ ex hoc loco colligunt,Eccleſiam errare non poſſe falſum eſt, ſi ex eorum ſenſu accipiatur. Nam Sacerdotũ,qui Chriſtum damnarunt, collegium ex eorum definitione erit Eccleſia.Atque hi tamen grauiſſimè errarunt, & veram atque vnicam illam Dei veritatem, id eſt,Chriſtum ipſum reiecerunt. Deinde cùm ipſi illi Papiſtę non ſint Eccleſia Dei,fruſtrà ad ſe trãsferunt hanc laudem. Fatemur quidem Eccleſiam, quatenus vnicum & purum illud Dei verbum pro fidei regula amplectitur, retinet, & ſequitur, falli non poſſe:ſed quia hominibus conſtat Eccleſia, in quibus ſæpe maior pars meliorem vincit, quíque non ſemper ad ſolum Dei verbum collimant, aut attendunt: vel qui purum Dei verbum etiam propoſitum non retinent, idcirco rectè dicitur etiam huiuſmodi cœtus,qui Dei Eccleſia dicuntur in his terris, errare poſſe, & ſæpè etiam grauiſſimè erraſſe, vt apparet in ſecunda Synodo Nicæna,vbi idolatria conſtituta eſt. B

16 *Et ſine controuerſia magnum eſt pietatis myſterium:Deus conſpicuus factus eſt in carne,iuſtificatus eſt in ſpiritu,conſpectus eſt ab Angelis,prædicatus eſt Gentibus fides illi babita eſt in mundo,ſurſum receptus eſt in gloriam.*

Altera miniſterij Euangelici cõmendatio à ſubiecto & materia, circa quam verſatur. Hãc autem, vocat myſterium magnum, quod tamen explicat quale, quantúmque ſit,quò magis ad ſuum munus attendant præpoſiti Eccleſiæ, illúdque reuerenter colant, non autem perfunctoriè. Similis etiam eſt admonitio Pauli Actor.20. verſ.28. Ergo falſa eſt eorum ſententia, qui putant hîc à Paulo tãtùm cõferri legis cæremonias cum doctrina Euangelij,tũ quòd maior ſit huius,quàm illarum vis:tum quòd non eadem iam requirat in futuro paſtore Eccleſiæ euangelicæ,quæ in lege ſua Dominus ſtatuit,& præcepit obſeruari à ſummo Sacerdote. Quæ ſententia eſt Chryſoſtom.& Eraſmi.Locus hic eſt C ſanè ſingularis vbi auguſtè, & breuiter tamen præcipua doctrinæ Chriſtianæ capita, & ſumma Dei in nos beneficia complexus eſt Paulus. Atque huiuſmodi locos annotare operæpretium eſt,vt ſummam quandã fidei noſtræ memoria conſeruemus, Similis etiam eſt locus alius apud eundem Paul. 1. Corinth.2. v.2.apud Lucam Luc.24.v.47, & Heb. 13.v.8.& ſeq.

Vt autem ordine & methodo quadam hîc locus explicetur, eſt in ſuas partes diſtribuendus. Sunt autem duæ.Primum enim hanc Dei veritatem cõmendat & explicat ex genere doctrinæ cuius conſeruandæ , publicandæ, & retinẽdæ inter homines gratia miniſterium Euangelicum conſtitutum eſt. Eſt enim conſtitutum , vt arcana Dei & myſteria manifeſtentur hominibus. Vocat igitur eã doctrinam 1 Myſterium, id eſt, arcanum. 2 Magnum ídque 3 Sine controuerſia tale eſſe affirmat. Myſterij vox hîc non ſignificat Sacramentũ,quo ſenſu Cœna Domini,& Baptiſmus Sacramenta dicũtur: ſed doctrinã arcanã,auguſtã,humani ingenij viribus & induſtria incõprehẽſibilẽ & ex ſola Dei gratia,& reuelatione notã,qualis profectò eſt doctrina fidei, & ſalutis noſtræ, vti docet Paulus Epheſ. A 3.verſ.4,5.Quamquam hoc ipſo ſenſu,quo vſurpat Paulus myſterium hoc loco, veteres Patres vocarunt doctrinam Euangelij,Sacramẽtũ fidei,& ipſã fidem Sacramentum: delectati nimirum voce ipſa Sacramenti , tanquam auguſta , & doctrinæ huius maieſtati conſentanea.

Auget verò hanc appellationem à comparatione.*Magnum* enim vocat. Nã inter arcana ipſa Dei aliud alio maius eſt , & auguſtius. Hoc autem eſt ſummum:& ipſa mundi creatione lõgè etiam maius ac præſtantius.

Addit *ſine controuerſia*, id eſt,prout eſt omnibus in confeſſo. Amplificatio item eſt à conſenſu omnium piorum,& verè de pietate ſentientium.Sed obſtat quòd hoc myſterium multi negant vnquam extitiſſe:alij huic non aſſentiũtur.Alijs verò eſt offendiculum vti Iudæis, alijs ſtultitia vt Gentibus. Reſpond.Iſtud à Paulo dici non ex hominum infidelium iudicio,ſed ex fidelium tantùm & piorum ſenſu. Præclara igitur eſt illa Bernardi ſententia ſermo.45. Cantic.ab hoc loco non aliena. Quàm mihi decorus es Domine mi, in ipſa huius tui depoſitione decoris.Etenim vbi te exinaniſti,ibi pietas B magis enituit: vbi charitas plus effulſit, ibi amplius gratia radiauit.Quàm ſpectabilis & ſtupẽdus etiam virtutibus ſupernis in conceptu de Spiritu, in ortu de virgine, in vitæ innocentia,in doctrinæ fluento,in coruſcationibus miraculorum:in reuelationibus Sacramentorum.Quàm denique rutilãs ſol iuſtitiæ poſt occaſum,de corde terrę reſurgens, quàm formoſus in ſtola tua:demum rex gloriæ in alta cœlorum te recipis. Sequitur

Altera pars huius verſiculi,quæ rei ipſius,id eſt, veritatis & doctrinæ Euangelicę ſummam cõtinet & velut differentiam. Ex quo ipſo magis admirabilis,inſcrutabilis, & auguſta apparet hæc veritas, eóque ipſo excellentius eſt Euangelicum miniſterium,per quod illa diſpenſatur & annuntiatur.Habet verò hæc explicatio quatuor partes. Proponit enim 1 Rem ipſam. i. Incarnationem Chriſti , in qua ineſt etiam Approbatio ipſius deitatis, 2 Teſtimonium huius myſterij. 3 Prædicationem & receptionem admirabilem eiuſdem. 4 Cõditionem C denique ſtatúmque maieſtatis incarnati Chriſti,in qua nunc eſt.Quę ſingula ſummam conſolationem nobis afferunt,& miram Dei tum potẽtiã, tum etiam ſapientiam oſtendunt.

Primùm igitur Deus dicitur conſpicuus factus eſſe in carne (nec enim quæ ſequuntur , referenda ſunt ad myſterium , ſed ad Chriſtum , etſi & vetus interpres,& Eraſmus, & alicubi Fulgentius ita accipiunt , & corruptè in quibuſdam exemplaribus olim legebatur ὃ,pro ὃς,quod ὃς etiã ex θεὸς factum eſt,vt fidei noſtræ de deitate Chriſti doctrina certiſſima,quę hîc continetur,conuelleretur.)Hic autem Deus, qui eſt conſpicuus nobis factus, eſt Filius Dei & λόγος,nõ autem ipſe Pater Heb.1.Ioann. 1.qui Filius vti Deus eſt Prouerb.8.ita Deꝰ, & magnus quidẽ,apppellatur Rom.9.verſ.5.Tit.2. verſ. 13.quantũuis id negent Arriani,qui refutantur Ioã. 10.v. 30. Hic igitur Deus Filius conſpicuus nobis factus eſt,nõ tãtùm aliquo ſigno præſentię ſuę hominibus dato,vt cùm in rubo ardẽti apparuit: non etiã aſſumpta tantùm ad tempus humana forma vt cùm apparuit Abrahamo ſedẽti ad quercũ Mamré.Gen.18.& Exod.3.Nec quale illud,

Et

Et Deus humana luſtro ſub imagine terras.

Sed per vnionem hypoſtaticam per quam vniuit ſibi, id eſt diuinæ ſuæ naturæ humanam naturam, vt fieret vnũ & idẽ ὑφιστάμενον, qui eſſet verus Deus & verus homo. Diuina quidem natura non eſt humana dicenda: ſed quia illa vtraque natura, diuina nempe & humana, vnica tantùm perſona eſt, idcirco idem dicitur & Deus & homo, & homo ille qui apparuit nobis dicitur eſſe Deus. Quare cùm ſit, Deus, Deus in carne nobis eſt manifeſtatus. Et præclara eſt illa Auguſtini in tractat. 3. in Euangel. Ioan. ſimilitudo, nempe per illam vnionem hypoſtaticam & aſſumptionem humanæ naturæ factum eſſe collyriũ, per quod à nobis & oculis penè ipſis diuinitas cerneretur.

Modum autem addidit Paulus, per quem id factum eſt, *in carne*, id eſt, per humanam naturam, quam verbum aſſumpſit Ioan. 1. verſ. 14. Hebr. 2. v. 16. Quare idem ipſe Chriſtus ait, Qui me videt, videt & Patrem Ioann. 14. verſ. 9. Hoc ipſum etiam explicat Ioan. 1. Epiſt. 1. verſ. 1. 2. 3. Quod enim erat per ſe æternum, inuiſibile & à principio aſſumpſit eam naturam, quæ videri, tangi, palparíve potuit, per quam factus eſt Deus nobis quodammodo propter vnionem hypoſtaticam conſpicuus & viſibilis, non conuerſione diuinæ naturæ: ſed aſſumptione humanæ, & vnione cum diuina, quæ vtraque in vnam perſonam Chriſti coaluit. Ergo carnis vox hîc non vitioſitatem illam (quam natiuam habemus) ſignificat: ſed humanam naturam & eſſentiam totam & veram, quatenus corpore & animo illa conſtat: non autem quæ tantùm corpore conſtat, ne in errorem Apollinariſtarum incidamus.

Aſſumpta verò eſt hæc caro ſiue humana natura in vnionem verbi hypoſtaticam, vt in perpetuum illi maneret in poſterum coniuncta. Quare neque per ſe ſuum eſſe habet, neque extra Dei verbum, neque ſeorſim & ſeparatim eſt illa humanitas: ſed verbi Dei humanitas, & in Dei tantùm verbo habens ſunm exiſtere, non per ſe & ſeorſim, vt habet humanitas Petri, & Pauli, & mea. Quare hîc reuocamur ad myſterium illud auguſtum incarnationis Chriſti, per quam σωματικῶς, id eſt, ὑποστατικῶς & ad ἑνὸς ὑφισταμένου ὑπόστασιν & ἕνωσιν vtraque illa natura coniuncta eſt, inconfuſas tamen proprietates ſuas retinens & conſeruans. Quare duæ naturæ ſunt hîc nobis propoſitæ Deus & Caro: id eſt, Deus verus & verus homo, & vtriuſque vnio & cõiunctio tamẽ, cùm Deus manifeſtatus per carnem dicitur. Si enim maneret ſeparatum verbum ab humana natura & carne: vel ſi caro ſeorſim à verbo exiſteret, tanquam duæ quædam diuerſæ perſonæ (quod ſenſit impius Neſtorius) mẽtiretur, & falſò diceret Paulus, Deum in carne nobis eſſe manifeſtatum. Si eſſet confuſa & abſorpta caro, id eſt, humana natura aſſumpta à diuina aſſumẽte, vt voluit blaſphemus ille Eutyches, falſò quoque diſtingueretur, ac commemoraretur hîc vtraque natura. Si vnica tantùm in Chriſto natura, falſò etiam diceretur idem Chriſtus Deus & caro. Hoc igitur ſtu[illegible]ndum eſt quòd cùm toto genere Deus & caro diſſideant, vtraque tamen natura in vnicam Chriſti perſonam coaluerit, & vnica ſit perſona per incarnationem & vnionem. Sed & illud quoque eſt hoc loco obſeruandum, Paulum vti ea ratione dicendi, per quã de naturis loquitur in concreto, vt dialecticorum ſcholæ vocant, *Deus*, inquiens, *eſt manifeſtatus*: non autẽ in abſtracto ſic, diuinitas eſt manifeſtata. Nec enim verè in abſtracto diceretur, etſi verè pronuntiatur in concreto, quia concretionis vocabula totam Chriſti perſonam deſignãt vtraque natura cõſtantem. Abſtracta autem vocabula naturas ipſas ſeorſim & per ſe conſideratas.

Iuſtificatus Spiritu) Eſt adiunctio & ἔνδειξις & velut ſuperioris myſterii amplificatio, quod in illa etiam vili natura, quã pro nobis aſſumpſit Chriſtus (vt docet Paulus Philip. 2.) eluxit, refulſit, & apparuit manifeſtiſsimè etiam diuina Chriſti natura, quæ hîc Spíritus appellatur. Itaque conuenit hic locus cum Rom. cap. 1. verſ. 4. vbi vna quædam ſpecies iſtius diuinæ virtutis recenſetur, nempe Reſurrectio. Sic etiam 1. Petr. 3. verſ. 18, vbi hæc vis ſpiritus appellatur. Ergo iuſtificare hîc eſt nõ iuſtum declarare & probum virum: ſed veriſsimè oſtendere & inconcuſsis argumentis (quæque refelli nõ poſſunt) demonſtrare aliquid, probare, & deprehẽdere. Sic Matth. 11. verſ. 19. Quæ enim exactè perfecta ſunt & exquiſitè ſiue ad amuſsim probata, dicuntur iuſtificata eſſe etiam apud nos Gallos. Vnde vulgò dicimus, *Iuſtifier vn arreſt de conte.* Iuſtitia enim appellatur omnis exacta ratio, quæ obſeruata eſt in re aliqua demonſtranda. Hoc Pauli dictum oſtendit potentiam Chriſti non in pompis & apparatu quodam externo apparuiſſe: ſed in ſpiritu, id eſt, in virtute diuina, miraculis, operibus, doctrina cœleſti, & incomprehenſibili ipſius erga homines efficacitate. Deinde tollit Paulus hac voce omnem illam hæſitationem animi, quæ poteſt inhærere nobis, propter humilem Chriſti hominis ſtatum, qui fuit ſeruilis, abiectus, & contemptus.

Viſus ſiue *conſpectus ab Angelis.*) Hæc eſt ſecunda pars, quæ continet teſtimonium Angelorum de præcedenti myſterio. Auget autem hæc circunſtantia hoc miraculum, & Dei potentiam, quæ in hoc fidei noſtræ myſterio eluxit: quod non modò homines ad tantæ rei dignitatem, id eſt, Chriſtum hominem factum eſſe, obſtupuerunt: ſed Angeli etiam ipſi illud idem videre geſtierunt, & videntes delectati ſunt, Deúmque laudarunt, ſúntque admirati. Hæc enim omnia complectitur hæc Pauli ſententia de Angelis, vt apparet ex Luc. 2. v. 14. Viderunt igitur hoc Angeli, quaſi rem ſibi nouam & admirabilem. Etſi enim illi ſaluandum eſſe aliquando mundum ſciebãt, & Chriſtum hominem futurum, & occidendum prædixerat etiam ipſe Gabriel Angelus Danie. 9. ſingula tamen myſteria, & Dei miracula, quæ in hac incarnatione, paſsione, & reſurrectione Chriſti facta ſunt, & futura erant, ipſúmque adeò modum, priuſquam illa fierent, ignorabãt. Vnde Angelis ipſis admirabile fuit hoc tantum Dei opus, quod Euangelico tamen miniſterio prædicatur, & dilucidè explicatur. Hos autem Angelos teſtes hic produci huius tanti myſterii certum eſt, quò certior ſit fides noſtra, & auguſtior.

Prædicatus eſt Gentibus) Tertia pars huius explicationis, & myſterii, in qua nõ minus ſummum Dei arcanum, quàm in ſuperioribus, continetur. Eſt autem manifeſtatio tanti myſterii facta hominibus, quæ & ipſa planè eſt miraculoſa. Nam facta eſt & excepta à Gentibus, quæ erant antea prorſus infideles & à Deo omnino alienæ.

A Quarta verò pars nimirum de gloria Chriſti explicatur ferè in articulo, Sedet ad dextram Dei Patris,quæ cùm ſit ex Catechiſmis notiſsima, & ab aliis copioſiſsimè explicata,maximè propter infœlices iſtas de Cœna Domini controuerſias, & de vbiquitate corporis Chriſti, idcirco nos eam hîc omittimus.Studemus enim breuitati.

CAP. IIII.

SPIRITVS autem diſertè dicit fore vt poſterioribus temporibus deſciſcant quidam à fide, ſpiritibus deceptoribus attendentes, ac doctrinis dæmoniorum.

Tranſitio eſt,per quam à contrario ſuperiorem doctrinam non tantùm illuſtrat:ſed etiam confirmat & commendat,ne verbi Dei præcones ſegnes ſint in ea tuenda & conſeruanda, cùm aliquando futurum eſſe audiant,vt miſerè corrumpatur & labefactetur, peſsimæque ſuperſtitiones pro ea in Eccleſiam inducantur.Similis locus & admonitio B fit à Paulo Actor.20.v.29.à Ioanne 1. Epiſt.2.v.19. à Petro 2.Epiſt.3.v.3.& à Iuda Thaddæo Apoſtolo,vt apparet ex ipſius Epiſt.v.4. Neque eò magis terreri debemus: quòd ſit à pluribus iſta admonitio:ſed potiùs eò diligentiùs cauere nobis,& proſpicere ne decipiamur:minúſq; offendamur oportet, cùm huiuſmodi hæreſes obrepunt, quas fore iampridem ſpiritus Dei prædixerat.

Duo verò quædam præcipuè ſunt hîc obſeruanda, 1 Quanti momenti ſit hæc prædictio. 2 Quid contineat. Magni enim eſſe momenti ex eo apparet,quod ῥητῶς, id eſt diſertè & præciſè à Dei ſpiritu prædicta fuit,& reuelata. Etſi enim omnium eorum,quæ Paulus annunciauit, Spiritus ſanctus eſt author: hanc tamen tanquam ſpecialem quandam prophetiam & admonitionem vtilem futurã Eccleſiæ manifeſtauit,& obſeruari voluit Spiritus ſanctus.Quæri verò poteſt, vbi hoc prædixerit Spiritus.Reſpond.Alium librum,& aliũ locum,quàm hunc ipſum,non eſſe quærendum. Satis enim eſt hanc fuiſſe prophetiam,quæ Paulo & Eccleſiæ reuelata fuerit. Nec enim fuit Paulus mendax: ſed Dei propheta: & de his rebus, vti de aliis multis, Dei voluntatem compererat quemadmodum apparet ex 2.Theſſ.3.

C Non poſſet fortaſſe prima fronte hæc doctrina,quæ hic à Paulo damnatur,vti Dæmoniaca, & hypocriſis plena,tanti eſſe momenti videri, cùm de cibis tantùm agat,& matrimoniis. Reſpondeo tamen cùm hac ratione veræ ſanctitatis definitio, & cultus Dei natura prorſus peruerſa fuerit, & in meram non modò ſuperſtitionem,ſed impietatem vel hypocriſin conuerſa,meritò deteſtandam & periculi plenam dici & damnari. Cùm enim huiuſmodi ſententiæ inter Chriſtianos obtinent, iam rebus externis alligatur vera ſanctitas,nimirum ciborum & coniugii continentiæ. Deinde hac ratione cenſetur Deus melius coli. Demum hac feneſtra ſemel patefacta certatim homines ex ingenij ſui vanitate in ἐθελοθρησκείας ruunt, & Deum ex ſui animi commentis colunt: non autem amplius ex ſacroſancto ipſius verbo: quæ res omnis impietatis proculdubio fons eſt ac origo Coloſſ.2.

Magnopere igitur huiuſmodi doctrinæ venenũ nobis cauendum eſſe ſatis docent hæc Pauli verba per quæ eam vocat, Defectionem à fide, Dæmoniorum doctrinam,vt etiam Iacob.3.v.15.docet eã eſſe plenam hypocriſeos,& Conſcientiam cauterio infectam afferre. A

Alterum caput huius diſputationis rem ipſam explicat,& Cauſam huius doctrinæ,& Tempus & Doctrinam ipſam ſiue illius dogmata. Cauſa verò huius doctrinæ eſt multiplex, quædam Superior, Spiritus deceptores,& quædam inferior Defectio à fide,& Hypocriſis,maláque hominum,tum Docentium,tum Diſcentium conſcientia. Vocat autem hic Paulus *ſpiritus* non homines quidem horum dogmatum & errorũ præcones & miniſtros: ſed Satanam ipſum, & illius Angelos,quos poſtea Dæmones nominat,quia illi ſunt & flabella & authores veræ doctrinæ corrumpendæ, ne homines ad ſalutem perueniant.Præterea qui hæc venena ſpargunt,etiam ſpiritum iactant, ſed ille eſt ſpiritus vertiginis & erroris,cui Dominus ad puniẽdum nominis ſui contemptum dat efficaciam.Hi igitur ſpiritus dicuntur πλάνοι, id eſt,nõ tãtùm deceptores,ſed etiã ſeductores, quia nos à recta via, cui iam inſiſtebamus,& in qua iam incedebamus, B deflectunt, id eſt, à verbo Dei abducunt,cui vni tanquam ſoli veritatis columnæ eſt acquieſcendũ: quod plus eſt, quàm nos adhuc veritatis ignaros decipere,& in errore confirmare.

Ex parte autem auditorum cauſa quoque notata eſt,nempe defectio à fide,& à ſana doctrina.Doctores igitur appellat ψευδολόγους. Eorum enim doctrina eſt falſa,& contraria veræ & ſanæ doctrinæ. Diſcipulos autem vocat ἀποστάτας & homines leues, qui veritatem iam perceptam facilè deſerunt, qua ſunt ingenii vanitate. Omnis ergo mali iſtius & ruinæ fons & origo ex eo eſt,quòd homines à verbo Dei deſciſcunt, & deficiunt ad vana animi ſui figmenta ſcilicet,& ad impias ſuggeſtiones Satanæ,quibus attendunt. Dixit enim attendunt. Eſt autem attendere diligentem animi curam & operam ponere, & non perfunctiorè vel leuiter aliquid deguſtare quod ſtatim deſeras: ſed magno ſtudio & diligenti noſſe, perquirere, & ediſcere. Sunt autem homines nouarum rerum & blaſphemarum auidiſsimi natura :ſed imprimis ij,qui huiuſmodi doctrinæ attendunt. Tempus quoque deſignauit Paulus,non quidem tempora omnium nouiſsima:ſed tantùm poſteriora. Quòd notãdum eſt, vt eo magis intelligamus,vtrum iſtud Pauli dictum ad Papiſtas pertinere poſsit,de quo ſeq.verſiculo agetur. C

2 Per hypocriſin falſiloquorum,quorum conſcientia cauterio reſecta eſt.

Ἐπεξεργασία.Operoſè enim & diligenter Paulus ſingula notat, quæ in ipſis hæreſeωn authoribus ſunt obſeruanda,vt eæ ſint nobis magis deteſtabiles,& earum cauſę magis turpes & fœdę appareãt. Itaque obſeruanda ſunt encomia, quæ iſtius doctrinæ authoribus hîc à Paulo tribuuntur. Tribuit igitur his,Hypocriſin, & Conſcientiam cauteriatã iſtis inquã,authoribus hæreſeωn, quos ψευδολόγους quoque appellat.

Hypocriſin hîc quidam referunt ad eorum doctrinam,qui variis ſuperſtitionibus & cæremoniis verum Dei cultum corrumpunt. Hunc enim prætextum accipiũt hæretici & impoſtores homines, quo melius mendacia ſua tegant, vt eſt Coloſſ. 2.

verſ.

A verſu 23. nimirum quòd auguſtiorem,ſanctiorémque Dei cultum inducere ſe iactent & cogitent. Itaque in eorum ἐθελοθρησκείᾳ & ſuperſtitioſo cultu apparet & humilitas, & abſtinentia quædam maceratióque corporis maior quàm in reliquis hominibus. Et quanquam peſſima conſcientia præditi ſunt,neque ſint ipſi ſibi conſcii ſe quod agunt,propter Dei gloriam agere: hunc tamen fucum & prætextum purioris & ſanctioris Dei cultus,clamoſiſsimè obtendunt. Sic quidam vocem hanc explicant.

Alii *hypocriſin* ad impudentem potius audaciam qua vtuntur, referunt, cùm eo hominum genere nihil ſit magis effrons & impudens. Id quod etiam docet Paulus 2. Timoth. 3. Mihi verò videtur Paulus hîc tria complexus eſſe, nempe 1 Doctrinam ipſam. 2 Mores. 3 Internum affectum animi. Sanæ doctrinæ opponitur tum quod ſuprà dixit eam doctrinam Diabolicam eſſe: tum quod hoc loco vocat iſtos ψευδολόγους, vel ψευδολογιῶν: vt alii legere malũt hoc loco. Moribus ſanctis B opponit Paulus iſtorum hypocriſin,vti ferè in ſcriptura opponi ſolet.

Interno animi affectui recto & pio,qualis in veris doctoribus ineſt,opponit Paulus conſcientiam eam,quam cauterio notatam & infectam vocat, id eſt,non ſanam & rectam. Hæc autem docent hęreticorum,hoc loco deſcriptorum neque eſſe ſanam doctrinam,neque ſanctos mores,neque rectum animi affectum in ſuis illis commentis tradendis, quicquid illi tamen contra prætendãt & prætexãt, vel perſuadere conentur.

Cauteriatam verò conſcientiam quam appellet Paulus variè etiam quæſitum eſt. Alii enim interpretantur putrem,& morbidam:alii nullam,vtpote quæ iam perdita prorſus & exciſa ſit, vt ſunt ea, quæ cauterio ambuſta ſunt:alii vexatam & perpetuo Dei iudicio tanquam cauterio quodam turbatam,fluctuantem,& afflictam,atque ipſe hanc poſtremam interpretationem ſequor. Nam nulla nõ ineſt in iis conſcientia, cùm eam cauteriatam eſſe dicat Paulus,non autem deperditam. Putris quidem eſt,id eſt, malè ſana,ſed quæ ſunt putria non C ſunt huiuſmodi, vt nihil planè ſentiant & omnino emortua ſint. Hîc conſcientiam explicat Paulus,quę aſsiduè iudicio Dei vexetur & torqueatur propter malum teſtimonium & hypocriſin, quam ſimulat,& propter finem peſsimũ, propter quem iſtos errores propagat, cuius ipſa ſibi teſtis ac conſcia eſt,vt quę ſit αὐτοκατάκριτος,vt idem Paulus loquitur Tit.3.verſ.10.

3 *Prohibentium contrahere matrimonium,* iubentium *abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad participandum cum gratiarum actione fidelibus,& iis qui cognouerunt veritatem.*

Ἐξήγησις. Rem enim ipſam & doctrinã illam falſam iam explicat. Duas autem illius ſpecies enumerat,nempe Ciborum prohibitionem, & Coniugii, ſiue quòd illæ tunc præcipuè ſubnaſcerentur: ſiue quòd primæ. Certè ex iis duab' rebus ſuperſtitioſè interdictis infinita poſtea aliarũ ſuperſtitionum ſcaturigo & cõgeries vel genera ſunt nata,& inducta. Magno verò noſtro bono explicatio harũ hæreſeωn & diabolicæ doctrinæ à Paulo particularis addita eſt,ne vlli,ac ne hæretici quidem ipſi,generalem illam falſæ doctrinæ deſcriptionẽ à Paulo propoſitam à ſe detorquere,& in alios torquere A poſſent,eſſétque incertum, quinam hîc deſignarentur à Spiritu ſancto. Huius autem prohibitionis meminit Epiphã. in Collyridianis,vbi etiã tertium caput addit, nempe Mortuorum adorationẽ ſiue cultum. Meminit etiam Socrat. lib. 2. cap. 43. Euſeb. lib. 5. Hiſtor. Eccleſ.

Hîc autem notandum eſt à Paulo non certas quaſdam perſonas, ſed doctrinã potius ipſam notari,quæ vel in In vniuerſum,vel In parte Cibos & coniugia prohibet,atque in earum rerum abſtinẽtia cultum Dei & partem pietatis atque ſanctitatis vitæ noſtræ conſtituit. Id quod prorſus cum verbo Dei pugnat.

Ac plures ſunt ſectæ, quæ his Pauli verbis damnantur. Primùm, quæ in vniuerſum damnarunt ea quæ hîc commemorantur,& quę nobis conceſſa eſſe Deus voluit. Deinde,quę non in totum,ſed ex parte tantùm hęc eadem prohibuerunt,de quibus & hîc doctiſſimè Cal.& nos in lib. Auguſt. de Hæreſ. ad Quodvultdeũ diximus. Manichęi igitur B comprehenduntur,Encratitæ,Cataphryges,Montaniſtæ, qui omnes in hac parte Pythagoreorum delirio faſcinati ſunt. Sed & Priſcillianiſtæ quoque,vt ait Bernard. ſerm 66. in Cant. qui in eũdem cum ſuperioribus errorem inciderunt. Deinde Papiſtæ ipſi,qui eadem iſta tantùm ex parte,non autem in totum,vt illi priores hæretici, damnarunt, quos hic notat Paulus: quãquam cibos omnes nemo vnquam prorſus & in totum prohibuit, propterea quod ſine his vita hæc corporis ſuſtentari non poteſt. Sed ex cibis, alii negant cõcedi Chriſtianis hominibus Carnes, vt Manichæi: alii vinũ, vt Encratitæ & iidẽ Manichæi. Atq; hæ prohibitiones habent ſpeciẽ magnę humilitatis & corporis macerationis: ſed tamen cùm ſint ἐθελοθρησκείαι, & Dei cultus in illis ſtatuatur, ſunt diabolicæ & in Deũ ipſum blaſphemæ ſuperſtitiones,quæ ſunt omnino ex Dei Eccleſia profligandæ,vt docet Paulus Coloſſ.2. & Tit.1. vbi de iiſdem rebus agit. Ac de quadam ciborum differentia & diſtinctione, non ea quidem,quæ poſtea ab hæreticis & Papiſtis inuecta eſt, & de qua Paulus hîc vaticinatur: ſed quæ ex Moſaica præceptione defendebatur,vt C apparet Leuitic.20. verſ. 25. & Deut.14. iam tunc contentio & certamen erat in Dei Eccleſia,vt docet Paulus Rom.14. verſ.3. 1.Cor.10. verſ.25. & 27. vt de futuro ſuper his rebus maiori errore, peſte ac pernicie periculoſiore fuerit operepretium Eccleſiam moneri.

Neque verò quod inter deteſtandos hæreticos hîc cenſentur,qui ciborum vſum prohibent, facit vt ingluuies,crapula, luxus & intemperies probetur. Nam nec eò pertinet hæc prohibitio ciborum vt ſobriè nõ viuatur: ſed vt ne in his rebus pars cultus Dei cẽſeatur poſita: nec quod addit Paulus,eos nobis à Deo conceſſos eſſe,aliter intelligendũ eſt, quàm vt iis, cõſeruata moderatione & tẽperantia Euangelica & Chriſtiana vtamur. Cauẽdum enim eſt,ne crapula & cibis grauentur corda noſtra, vt docet Chriſtus ipſe Luc.21.v.34. Sic hunc locũ explicat quoque Auguſt. lib. contra Adimantum Manich. cap.14. Et aliud eſt prohibere cibos,aliud autem intemperantiorem eorum vſum dãnare,quod etiam nos facimus ex Dei verbo.

Sed neque ieiunia quoque tolluntur & abrogantur,quorum vſus frequens fuit in Eccleſia Dei,at-

A que vtinam inter nos eſſet frequentior & religioſior eorum obſeruatio, cùm ab Eccleſia ex iuſtis cauſis publicè indicuntur. Aliud enim eſt cibos ex ſuperſtitioſa opinione damnare, & in eorum delectu & vſu regnum Dei collocare, quod facere vetat Paulus & hic & Rom.14.verſ.17. aliud autem iis ad tempus abſtinere tantùm ad comprimendam carnis laſciuiam, quæ nimio paſtu, tanquam ferox equus, ſuperbit & furit. Itaque ieiunia non damnantur hoc loco à Paulo. Sic Auguſt. aduerſus Manichæos libro 6. contra Fauſtum cap. 8. & 30. cap.5. Sic Bernard. ſermo.66. in Cantic. qui planè cum hoc loco conuenit, & huius loci Pauli interpres eſt optimus.

Hanc autem eſſe hæreſin, & diabolicam doctrinam variis argumentis & rationibus probat Paulus: ſed imprimis à fine, propter quem cibi à Deo creati ſunt. Duplex quidẽ erroris genus hîc à Paulo propoſitum eſt, vnum de cibis: alterum de coniugio: tamen hoc primum ſolum perſequitur, & refutat: alterum prętermittit, quod hoc malũ nondum vicinum eſſe præuideret Paulus. Sed apertiſſimè B in Epiſt. ad Hebr. cap.13.v.4. refutatur, & iugulatur iſte error de prohibitione coniugii. Etſi verò præcipuus confutationis locus à fine ducitur, alia tamen argumenta admiſcentur, quæ ſingulis penè Pauli verbis comprehenſa ſunt. Hæc autem optima erroris cuiuſuis tollẽdi via & ratio eſt, ſi ad Dei ordinationem & verbum noſtras ſententias & definitiones reuocemus. Quod ipſum in diſputatione de Cœna facit alibi Paul. 1.Corinth.11. Sed ſingula verba examinemus. Nam in iis varia latent argumenta, quemadmodum diximus.

Deus creauit.) Locus refutationis à temeritate iſtorum hominum & à ſacrilegii crimine. Nemo in rem alienam, & præſertim Dei, ius habet. At cibi ſunt Dei creaturæ, non iſtorum. Ergo Dei eſt, non horum, leges de cibis præſcribere. Et qui aliter faciunt, ingerunt ſe in aliena quæ ad eos non pertinent, de quibus nullum ius habent definiendi & ſtatuendi, vt ait Paulus Coloſſ.2.v.18. Eſt enim quiſque rei tantùm ſuæ, non autem alienæ legitimus moderator. Hinc ſanè refutantur varij hæretici, quorum alij vinum, alii carnes, alii aliud eſſe Diaboli, non autem Dei opus & creaturã peſsimè atque falſiſsimè contendebant.

C *Ad participandum.*) Ait Paulus εἰς μετάληψιν. vox εἰς finẽ declarat. Μετάληψις vſum, more dicendi in quauis lingua vſitato, vt etiam in Odyſſeam Homeri annotat Didymus interpres antiquiſsimus, vt ex antecedenti conſequens, & contrà concludatur & intelligatur. Nec enim tantùm à nobis cibos aſſumi poſſe vult, & concedit Deus vt tractentur, ſpectentur, conſeruentur: ſed vt edantur, conſumantur, & iis famen noſtram ſubleuemus. Sunt enim cibi ex iſtarum rerum genere, quæ vſu ipſo conſumuntur. Itaque in genere ſuo functionem, vt aiunt Iuriſconſulti, recipiunt. Eſt autem hic locus ex præcipuis refutationis ſuperioris erroris argumentis. Ducitur à fine, propter quem à Deo ipſo illæ res ſunt conditæ & creatæ. Ad eum enim ſunt omnia referenda, niſi & Dei ordinationi reſiſtere, & eius placitum euertere impiè atque impudenter velimus. Ergo cùm Dominus hominem creaſſet, tamen noluit eum ſibi ſuo arbitrio ex creaturis ipſius rapere ad victum quas vellet: ſed ipſe tanquam optimus paterfamilias quas & quantum vidit neceſſarias eſſe, illi conceſsit benigniſsimè. A Conceſsit autem eas, quas cibi nomine propter vſum appellamus.

Confirmatur autem hoc Pauli dictum Geneſ.1. verſ.29.9.verſ.3. Matth.15.verſ.11.& Actor.10.v.13. Explicatur etiam à Fulgentio in lib. de Fide ad Petrum cap.42.

Diſsimiles tamen loci quidã, qui ſolebant à Manichæis huius erroris ſummis patronis afferri & à Papiſtis etiã regeruntur, ſunt ſanè à nobis diluẽdi. Ac primùm Papiſtæ excipiũt, cibos iſtos nõ ipſos per ſe ſuaque ſubſtantiæ ratione polluere edẽtes, ſed propter Eccleſiæ prohibitionem & authoritatem, quæ violatur à ſumentibus. Reſpondeo verò ipſam Eccleſiam id prohibere non poſſe. Neq; enim in res alienas ius habet, neque conſciẽtiis noſtris legem & iugum imponere poteſt, quod Dominus ipſe non impoſuit. Itaque petunt illi principium, vt loquuntur, cùm volunt illã Eccleſię prohibitionem de ciborum vſu & differentia firmam & legitimam eſſe. Quam quæſtionem breuius tracto, quia ab infinitis noſtro ſeculo, imprimis autẽ à D. D. Luthero, & Caluino explicata eſt. B

Manichæi verò & Tatiani alios aliquot ſcripturæ locos obiiciunt aduerſus Paulum. Primùm Geneſ.1.verſ. 29. vbi nulla fit carnis mentio inter eos cibos, qui homini conceduntur à Deo: ſed tãtùm herbarum, olerum, & fructuum arboris. Ergo ſi ad primam Dei inſtitutionem reuocemur, carne nos abſtinere oportere aiunt. Reſpon. Paulum ſpectare non illam modò conceſsionem quæ homini primùm à Deo facta eſt: ſed eam quæ poſtea tanquam illius beneficii ampliatio quædam, acceſsit, & extat Geneſ.9.verſ.3. vbi carnium eſus diſertè conceditur, & exprimitur.

Secundum locum Pauli afferunt, ex 1.Corinth. 9. verſ. 7. vbi lactis tantùm & eius eſus meminit Paulus, non etiam carnis. Reſpon. Non excludere illam Pauli ſententiam eſum carnis, cuius ipſe meminit, vti rei licitæ etiam in eadem Epiſtola.8.ver.13. Nam illîc alia Pauli mens eſt & ſcopus quàm vt explicet vtrum homini Chriſtiano carnem edere liceat, nec ne.

Tertiò dicunt inter res ad victum humanum neceſſarias non recẽſeri carnes in Eccleſiaſtic.cap.39. v.31.& 32. cùm tamen multa ciborum genera enumerentur. Reſpond. Quod illic prætermiſſum eſt, alibi additũ eſſe. C Neque ex eo libro regulam fidei vitæque inſtituẽdæ petendã eſſe, cùm ſit liber Apocryphus. Denique illic συνεκδοχικῶς ex ſpecie vna reliqua ciborum genera intelligi oportere.

Quartò, docent Deũ ipſum hanc ciborum differentiam inſtituiſſe maioris cuiuſdã ſanctitatis gratia: & olim carnium eſũ interdixiſſe populo ſuo. Leuit.11.& Deut.22. Quæ res non eſt viſa leuis momenti, cùm laudentur qui etiam mortẽ obire non recuſarunt, ne vetitas à Deo carnes eſitarẽt, vt apparet ex hiſtoria Macchabæorũ. Reſpõd. Cùm adhuc ſub pædagogia verſaretur Dei populus, nec eius libertatis, quam per Chriſtũ adepti ſumus, plenum vſum haberet (quò inter Chriſti nondum manifeſtati & manifeſtati tempora perſpicuum diſcrimen appareret) Dominum voluiſſe quibuſdã vmbris vitæ ſpiritualis ſanctitatem, quam à ſuis exigebat, illis repræſentare, quæ illis quidẽ partim variis lotionibus: partim iſta ciborũ diſtinctiõe propoſita fuit, tanquã rudioribus adhuc puerulis. Quę

cauſa

A cauſa in nobis ceſſat, qui per Chriſti aduentum & gratiam ad legitimam Eccleſiæ ætatẽ peruenimus, & pueri eſſe deſiimus. Itaque hęc cauſa fuit inſtituti iſtius delectus ciborum à Deo, nempe vt illis adhuc rudioribus eſſet vitæ ſanctioris delineatio & ſignificatio non quòd cibi prohibiti ipſi per ſe impuri eſſent, aut quòd per ſeſe ipſi cibi conceſsi eſſent puriores, cùm tota ea res carnalis fuerit (vt ait Scriptura) quæ propriè animos non attingit, vt docetur in Epiſt. ad Hebræos cap.9.verſ.10.7. ver.16. Hoc idem præclarè & copioſè explicat Cyrillus lib.9. contra Iulia. Apoſtat. Ex rerum enim ſeu ciborum prohibitorum genere colligi docet Cyrillus & pietatem & ſeriam Legis Dei meditationẽ: & ſanctitatem vitæ prudentiámque præceptam fuiſſe à Deo Iudæis. Atque hæc ipſa tamen hodie firmiſsima eſt Papiſtarum ratio, quam à Manichęis ſumpſerunt.

Cum gratiarum actione.) Tertiũ argumentum ab hæreticorum blaſphemia ductum. Eſt autem doctrina blaſphema, quæ Deum ſpoliat ſuo honore, & ea gratiarum actione, quę propter ſumma ipſius in genus humanum beneficia illi debetur. At hæc B Deum iſto honore priuat. Ergo, &c. Addit autem quibus maximè creaturarum vſus ſit conceſſus à Deo, nimirum piis, qui eum nouerunt, & in eum credunt. Hîc enim, noſſe, non ſimplicem & hiſtoricam agnitionem ſignificat: ſed cordi inhærentem, & cum animi fiducia coniunctam, per quam in Deum homines acquieſcunt vera animi fiducia & πληροφορίᾳ. Similis locus Roman.4.v.13.

Diſsimilis locus Matth.5. v.45. & Pſal. 17. v.14. vbi dicuntur etiam infideles à Deo impleri ipſius theſauris. Reſpond. Dantur quidem à Deo terrena bona etiam infidelibus hominibus: ſed in eorum exitium & perniciem, quò magis reddãtur inexcuſabiles. Itaque non tam iis vtuntur, quàm abutuntur: neque tam vſus ab iis fit, quàm deprædatio quædam, quoniam Deum dantem ſpernunt, in cuius contumeliam & contemptum iſta dona ſumunt & conſumunt, quem non agnoſcunt eorum authorem.

4 ***Nam quicquid creauit Deus, bonum** eſt, **nec quicquam reÿciendum** eſt, **ſi cum gratiarum actione ſumatur.***

C Eſt hic locus canon, & quidem generalis, ac maximè neceſſarius. Iis omnibus nimirum vti nobis licere, quæ in noſtrum commodum creauit Dominus, modò cum gratiarũ actione illa ſumamus. Ex quo colligitur, 1 ad eum finem rebus creatis vtendum ad quem à Deo conditæ ſunt. 2 Non modò Deo gratias agendas, poſtquã iis rebus vſi ſumus: ſed etiã Deum inuocãdũ, vt vti liceat, cùm ex eius manu ſint eæ res ſumendæ: cuius propriè ſunt, vt apparet ex oratione Dominica. καλὸν verò non refertur hoc loco ad mores honeſtos: ſed ad vſum, qui à nobis Dei nomen inuocantibus rectè fieri & ſalua cõſciẽtia poteſt. Aliàs enim perinde atque fures damnaremur etiã ex minutulæ cuiuſuis rei vſu: & meritò quidem, quaſi rem alienam contrectantes: niſi Dominus ipſe nobis eã in vſum concederet, eámque cõmoditatẽ ex rebus à ſe creatis permitteret. Bonitas item ciborum hîc non pertinet ad valetudinẽ & ſanitatẽ corporis, nec ad ſalubritatẽ ipſorũ ciborũ. Neque enim hîc medicum agit Paulus, ſed Theologũ & Apoſtolum: ne quis fortè obiiciat ſibi aliquos cibos nõ eſſe ſalubres, dum iis vtitur. A Atq; propterea hunc Pauli locũ calũnietur quia generaliter dicit Paul⁹ οὐδὲν ἀπόβλητον, id eſt, nihil eſſe reiiciendũ ex iis, quæ Dominus in vſum & cibũ hominũ creauit. Quid enim liceat cõſcientiæ noſtræ ratione ſpectat Paulus, nõ autem quid cõferat ſtomacho noſtro, vel valetudini corporis.

Hîc tamẽ & inferiori verſiculo duplicem ciborum bonitatem proponere videtur, Vnam, quæ ex ipſorum ſubſtantia: & Alteram, quæ ex vſu noſtro conſideranda & æſtimanda nobis eſt. Quod ad primam: illa nobis teſtata eſt Geneſ. cap.1. Quæcũque enim cõdidit Deus, illa ſubſtãtiæ, in qua ſunt creata, ratione bona ſunt, vt Dominus ipſe pronuntiauit. Nec obſtat quòd quædam ex iis ſunt nobis venena. Reſpondeo enim non idcirco mala eſſe. Malum enim, quod bonitati rerum creatarum opponitur, non eſt vſus noxius (nam arbore ſcientię boni & mali impunè vti nõ licuit Adamo) ſed eſt malum hoc loco qualitas interna quæ peccatũ in nobis producit: & Dei ordinationi cõtraria eſt nobiſque propterea noxia, & deteſtanda. Deinde quæ creaturæ ſunt nobis venena, illæ non ſunt nobis in cibum à Deo deſtinatæ. Denique hoc ipſum vitiũ, B quod rebus creatis nunc ineſt & ſuperuenit, nõ ex ipſa Dei creatione, ſed ex peccato hominis acceſſit. Diſtinguendum autem eſt vitium & accidens à rei natura & ſubſtantia, vt docet Auguſtinus in articulis contra Felicem Manichæum cap.8. 9. & in lib. de Fide ad Petr. cap.42.

Si cum gratiarum.) Altera bonitas ciborũ ex vſu ipſo, & noſtri ratione bonitas appellanda. Vſus autem hic certis legibus à Paulo circunſcriptus eſt, vt à profanorum mẽſis piorum hominum cõuiuia & victus ſeparẽtur. Cur autẽ has leges addat Paulus, ratio eſt, quòd pro conceſſo ſumit, Nihil nobis, tãquam à nobis ipſis, in Dei creaturis iuris eſſe vel licere, ſed id tantùm, quod Deus, qui eſt earum Dominus, quantúmque conceſsit, & largitur. Ergo ſi, vel alio Modo, vel fine, illis vtamur, ſanè peccamus. Quoad modum autẽ, Dominus non vult nos immoderatè ſuis rebus & donis vti, quia hic planè abuſus eſt, non vſus: atque ipſius dona nõ ſunt ſpernenda, aut contẽptim habenda, quod ij faciũt, qui per crapulam & gulam ſeſe ingurgitãt, ſed magni ſunt æſtimãda. Quoad finem verò, ideo ſumi vult, C tanquam à ſua ipſius manu hos cibos ſumamus, vt ipſe eorum author agnoſcatur & laudetur.

Similis locus Pſal.16. & Pſ.50. Huius autẽ totius rei rationem reddit ſequenti verſiculo Paulus.

5 ***Sanctificatur enim per verbum Dei & preces.***

Αἰτιολογία eſt ducta à cauſa inſtrumentali (quæ refertur ad genus cauſarum efficientiũ) per quam ciborum vſus fit nobis purus, ſanctus, & legitimus, conſciẽtiæ noſtræ ratione. Ergo ſanctificatio hoc loco opponitur non tantùm profanationi ciborũ: ſed etiã malæ cõſciẽtiæ, & ei vſui, qui nobis in exitium & condemnationem apud Deum cedit. Sanctificatur cibus cùm eum ſalua conſcientia ſumimus, & eo vtimur, quia nobis Dominus ipſe eum largitur ad finem huiuſmodi. Neque verò ſic ſanctificari cibus dicitur, quẽadmodum homo. Nam qui à ſpiritu Dei ſanctificatur homo, is immutatur, & nouam tanquam naturam induit. At qui cibus ſanctificatur in noſtrũ vſum, totã integrámq;

A naturam ſuam retinet, ſit tamen Deo gratus ex eò, quod Deus noſtra inuocatione illius author eſſe à nobis agnoſcitur & prædicatur. Ex hoc autem loco perperam explicato natæ ſunt magicæ illę cibo rum, velut ouorum, vini, pernarum, aquæ execrationes & incantationes, quas Pontificij faciunt, quáſque D. Martinus Chemnicius prolixè in Examinis Trident. concilii poſtrema parte perſequitur & refutat doctiſsimè. Duplex autem huius cibi ſanctificādi ratio proponitur, Verbū Dei, & Precatio. Verbum Dei, quia tum demum ſana conſciētia ſumimus hos cibos, cùm per Dei verbum intelligimus eos nobis in eſum conceſſos & datos eſſe. Itaque hoc Dei verbum fide à nobis apprehendi prius debet, quàm hic cibus ſanctificari poſsit. Cur autem ad Dei ſermonem ſit nobis recurrendum, ratio eſt, quòd per Adamum omne ius illud, quod prius in Dei creaturas, & mundum hūc habuimus, perdidimus. Quod nobis reſtitutum eſſe nōniſi ex Dei verbo fide apprehenſo poſſumus agnoſcere. Hanc fidē ſequitur precatio noſtra, quæ à Deo petit, B quod eſt ipſe mera ſua benignitate pollicitus, & agnoſcit eum tantorum bonorum authorē eſſe. Atque tunc demum noſtrum eſſe & à Deo nobis donatū, quod apponitur, intelligimus, vt ſine animi ſcrupulo vtamur.

Hæc autem ſanctificatio communis menſæ differt ab ea, quæ fit in myſtica Cœna Domini, vti præclarè docet hoc loco Caluinus.

Quærit Chryſoſtom. de deliciis ciborum, vtrū iis vti liceat homini Chriſtiano. Reſpond. verò cùm nobis profuſa liberalitate ſua dona largitus ſit Dominus, nec vnius tantùm generis cibos in vſum noſtrum creauerit, poſſe nos cum gratiarum actione etiam cibis lautioribus vti, neque tantùm vulgaribus, modò omnis luxus, ingluuies, intemperantia, & crapula abſit.

6 *Hæc ſi ſubieceris fratribus bonus eris miniſter Ieſu Chriſti, innutritus in ſermonibus fidei bonæque doctrinæ, quam aſſectatus es.*

Παράκλησις & exhortatio, per quam quæ de paſtoris officio & vera doctrina contra hæreſes tuenda in vniuerſum dixit, applicat ad Timoth. Sic enim C nobis agendum eſt, vt quæ ſunt noſtri muneris diligenter perpendamus, & ex iis intelligamus, vtrū fungamur officio. Duo verò præcipit Paulus 1. vt ſuperiorem doctrinam Timot. ſuggerat, 2 vt fratribus ipſis. Suggerere (inquit Chryſoſtomus) eſt frequenter proponere. Vt enim cibis quotidie ad paſtum corporis egemus: ſic Dei verbo & ſana doctrina ad pabulum animi, vt ſemel ſanam doctrinā propoſuiſſe non ſit ſatis: neque odioſa cenſeri debeat huius doctrinæ tam neceſſariæ & ſalutaris repetitio, vt eſt 2. Petr. 1. v. 12. & 3. v. 1. cùm Satanę impetus in oppugnanda Dei doctrina nunquam fatiſcat & conquieſcat.

Dixit autem Paulus ὑποτιθέμενος. i. ſubiiciens vel ſuggerens non autem imperans, vt obſeruat hoc loco Chryſoſt. quòd diſtincta ſit muneris & miniſterii Eccleſiaſtici ratio à ciuili imperio. Magiſtratus imperat: denuntiat autem tātùm Miniſter verbi Dei. Quæ tamen denuntiatio habet coniuncta Dei iudicia & minas, ſi non illi pareatur, longè omni pœna corporali formidabiliores & tetriores. Paulus tamē 2. Theſſ. 3. v. 12. vtrūq; cōiunxit & imperiū & obſecrationē, quia Domini ipſius nomine agunt Miniſtri Euangelici: nō autē ſuo & priuato. A

Bonus eris miniſter) Duplex exhortationis locus nimirum tum ab officii ratione, tum à prima Timothei vitæ inſtitutione. Ergo vtrunque nobis ſedulò cogitandum eſt, & quid munus, in quo verſemur, requirat: & quid ſuſceptæ vitæ ratio & inſtitutio. Vtrunque enim eſt noſtræ vocationis à Deo factæ certiſsimum teſtimonium.

Quatenus igitur Miniſter munus ſuū conſiderat tria hęc ſpectare debet, vt ſit Miniſter, vt Ieſu Chriſti, vt Bonus ſiue fidelis. Quæ his tribus opponuntur, nēpe Miniſtris Otioſis, Humanæ doctrinæ, & Infidelibus. Hi verò ſunt, qui vel Seipſos, id eſt, ſuā gloriā, vel quæſtū ſuū quærunt. Ergo ſana doctrina à fidis Miniſtris verbi Dei proponenda eſt: non autē inanes, non futiles, & ſubtiles quidē, ſed futiles quædā quæſtiones, quæ neque noſtras cōſcientias ædificant: neque Dei gloriā, ſalutíſque doctrinam vllo modo explicant vel illuſtrant.

Quod autē addit, *Innutritus ſermonibus fidei, &c.* magnam vim & pōdus exhortioni addit. Eſt enim prima educatio tanquam tacitum futuræ vocationis indicium à Deo demonſtratum. B

Denique turpe eſt illa talenta, quæ Deus in nos cōtulit, vel omnino perdere, vel infructuoſa habere, vt docet Chriſtus Matt. 25. Vtitur autē his verbis Paulus, ex quibus intelligitur, ſeriā prius operā Timotheū nauaſſe in ſacris literis, & doctrina fidei Euangelica. Id quod apparet etiā ex 2. Timot. 1. v. 5. ſup. cap. 1. v. 18. Ex hoc autē loco quęri duo poſſunt 1. Vtrum eos ſolos in miniſterium Euangelicū eligi oporteat, qui à primis & teneris annis ſacris ſcripturis ſunt innutriti & eas conſectati: an etiam alii poſsint. Reſpond. Deum quidem in quem vult dona ſua conferre. Itaque eum nobis eligendum eſſe, cui maiores dotes & χαρίσματα Deus ipſe dederit. Tamen longè tutiùs eſſe, vt, niſi magna aliqua cauſa ſubſit, ij potiſsimum eligantur, qui diutius in ſacræ Scripturæ lectione verſati ſunt, & à teneris annis ſanam Domini doctrinam tum didicerūt, tum etiam profeſsi ſunt.

Secūdò quęritur, An à ſuſcepta ſemel profeſsione Euāgelici miniſterii abduci & reuocari homines paſtores poſsint. Vult enim Paulus Timotheū C in ea cognitione & arte perſeuerare, quā ſemel aſſectatus eſt. Deinde damnantur & Demas & Marcus, qui Paulum deſeruerant, & ſuſceptā ſemel miniſterii vicariā delegationē reliquerāt, mutato vitæ genere ac inſtituto. Reſp. Deum nullū huiuſmodi tam arctum & ſtrictū vinculum inter paſtorem & gregem inſtituiſſe, vt nunquam ſolui poſsit. Sępe enim ex multis, & iis quidē iuſtis, cauſis liberātur paſtores, & habent à ſuo ſuſceptóque munere legitimā miſsionē. Id tamen, niſi ex iuſta cauſa fiat, proculdubio in temeritatis & eius quidem turpiſſimæ non tantùm ſuſpicionem, ſed etiam criminationem meritò incidit, qui conſiliū ſuſcepti ſemel miniſterii mutauit & deſeruit. Et quòd Demas, & Marcus damnantur, ex eo eſt, quòd ſeculum Deo prętulerant: non tamen propterea excommunicantur, aut eiiciuntur ex Eccleſia à Paulo etſi nulla fuit deſerendi miniſterii iuſta, quæ ab iis prætenderetur cauſa. Et quòd ait Bernard. epiſtola 87. Aut ergo oportuit te gregem dominicum minimè ſeruandum ſuſcipere: aut ſuſceptum nequaquam relinquere, iuxta illud Alligatus es vxori, noli quęrere ſolutionem. Primum falſa ſimilitudine nititur

A cōiugij,& vinculi paſtoralis: deinde nec eũ ipſum Ogerium, qui gregem ſuum deſeruerat, damnat, tanquam qui ſit ab Eccleſia expellendus, ſed qui ſui facti & temeritatis pœnitere debeat, non de eo gloriari. Et ſanè in eo falluntur homines, qui non putant magis licere paſtori Eccleſiaſtico miniſterij profeſsionē ſemel ſuſceptã mutare, quàm maritato coniugem non adulteram dimittere. Etſi ſine ratione iſta vitæ mutatio fieri non debet.

7 *Cæterum profanas & aniles fabulas reijce: ſed exerce teipſum ad pietatem.*

Ἀντίθεσις. Sanæ enim & ſuperiori doctrinæ opponit Paulus fabulas, quas Prophanas, & Aniles vocat. Fabularũ nomine intelligit tũ ſuperius dãnatã de prohibitione ciborum doctrinam: tum etiã reliquas, quæ in rebus externis cultum Dei conſtituunt. Prophanas vocat, quòd ſint blaſphemæ. Aniles autem, quòd ſint nihili. Eſt autē hoc poſtremum dictum ex forma quadam vulgaris prouerbij ſumptum, quia ſolent anus mulieres fabulas & fictitia quædam commemorare lubentiùs, quòd B propter ætatem multa ſibi tribuunt: atque ſunt natura verboſæ. Has tamen fabulas Chryſoſt. refert non ad ſuperiorem doctrinam, ſed ad Iudaicas traditiones, & cæremonias: ſed perperam, vt quilibet facilè animaduertere poteſt.

Sed exerce teipſum) Tranſitio eſt, per quam ad alteram miniſterij & muneris Euangelici partē accedit Paul. Eſt autem hæc altera pars Pia & religioſa vita. Neque enim paſtores tantũ ſanã doctrinam tradere debent, ſed etiam vitæ ſuæ honeſto exemplo eam confirmare, & cæteris prælucere. Quemadmodum Chriſtus ipſe Matth. 5. v. 13. & Petrus 1. Pet. 3. v. 2. 3. docent. Ratio igitur huius additionis duplex eſt. Prima, quòd Miniſtri verbi Dei cæterorum comparatione eſſe debent lux mundi, & lucidum exemplar ſanctæ vitæ non tantùm fidelibus, ſed etiam ipſis infidelibus, vt docet inf. v. 12. Paul. & Tit. 2. v. 7. Secunda verò, ꝙ doctrinæ ſuæ fidem illi derogant, qui ſunt turpis & inhoneſtæ vitę paſtores. Si quis enim docet non eſſe furandũ & ipſe furetur, eleuat ſuæ præceptioni vim & au- C thoritatē, quemadmodũ ait Paul. Rom. 2. Contrà verò ipſa ſuæ doctrinæ praxi & Præſtatione conſtanti cæteros in ea doctrina cõfirmat. Cauendũ igitur nobis eſt, ne prædicantes aliis ipſi reprobemur, nobíſq; verè obiiciatur illud, quod Chriſtus Phariſæis, Dicunt, ſed non faciunt 1. Corin 9. v. 27. Matt. 23. v. 3. Pulchra igitur eſt harmonia rectè docentis & ſanctè viuentis Miniſtri verbi Dei.

Similis huic locus eſt 2. Timoth. 2. verſ. 15. Tit. 2. verſu 7.

Diſsimiles verò loci afferri videntur poſſe. Primùm dictum Chriſti Matt. 23. v. 1. Etſi enim erant Phariſæi moribus impuris, eorum tamen ſanã doctrinam ſequendam & retinendã eſſe docet Chriſtus. Reſpond. Gregis quidem ratione illa Chriſti ſententia vera eſt, eorum nempe paſtorum doctrinam eſſe amplectendam, qui à veritate non diſcedunt. Sed tamē illi ipſi ſi malè vixerint, eò grauius ſunt damnandi, ꝙ eos, quos verbis ædificare ſtudent, vitæ turpiſsimæ exemplo perdunt. Poſtea verò aduerſus hunc locum obiicitur illa Chriſti ſententia, Martha ſolicita es circa plurima Luc 10. v. 41. Ex qua vitam contemplatiuam Actiuæ, quam vocãt, & quã hac voce, γύμναζε, ſignificaſſe videtur Paulus, præferri colligunt. Reſpond. Nihil illum A locum cum hoc Pauli habere cõmune. Alia enim planè Chriſti mens & illic, quàm vt piæ & actiuæ, quam vocant, vitæ ſtudium reſtinguere in nobis conetur Chriſtus: quod actiuę vitę genus hîc proculdubio etiam Paulus commendat: atque vanæ & Monachicæ hominum ſpeculationi. i. vitæ contemplatiuæ poſtponit: quicquid de loco illo Lucæ Monachi imperiti ſentiant.

Ait γύμναζε *Exerce)* Qua voce duo demonſtrat Paulus, 1 Continuum vitæ noſtræ ſtudium & exercitiũ in eo eſſe debere, vt ſanctè, & piè, & religioſè viuamus. Is enim eſt finis, propter quem ſalutaris illa Dei gratia per Chriſtum apparuit. 2 Vt intelligamus quàm natura inepti & indociles ad huiuſmodi opus ſimus, ad quod nos idcirco formari longa & perpetua exercitatione, cura, meditatione, & vigilantia neceſſe eſt. Itaque ad illud non naſcimur apti. Nam ad malè agendum nõ eſt nobis vlla exercitatione opus, cùm ſpõte in illam partem propendeamus & procliues ſimus. Denique ex hoc loco verum eſſe intelligitur, quod ait Bernardus epiſt. 201. Paſtoris officium eſſe, vt pa- B ſcat gregem ſuum verbo: paſcat exemplo, paſcat & ſanctarum fructu orationum. Nam vocis virtus eſt opus, & operi & voci gratiam efficaciámque promeretur oratio.

Pietatem) Non tantùm doctrinam ipſam de fide complectitur hoc loco vox εὐσεβείας: ſed ipſius doctrinæ præſtationem & praxin, quæ in vita, cõuerſatione, charitate, cultu Dei, cæteríſque ſimilibus aliis rebus poſita eſt, vt Paulus ipſe inf. v. 12. interpretatur. Id quod ex ſequentis verſiculi ἀντιθέσει manifeſtiſsimè apparet.

Ex hoc loco facilè colligi poteſt, Chriſtianæ Theologiæ cognitioníſque veri Dei verum finem non in mera contemplatione & θεωρίᾳ conſtitui à Paulo: ſed in vita & actione ipſa, per quam tales efficimur, quales nos eſſe oportere doctrina ipſa iubet, atque ipſo Chriſtianorũ nomine profitemur. Vnde fit, vt omnino Monachiſmus ille Papiſticus ſubruatur, qui Chriſtianæ religionis profeſsionē in nuda rerum contemplatione, & doctrinæ meditatione collocat & definit, ſi modò veram Chriſti doctrinam haberent tamen. C

8 *Nam corporalis exercitatio paululũ habet vtilitatis: at pietas ad omnia vtilis eſt, vt quæ promiſsionem habeat vitæ præſentis ac futuræ.*

Ὑποφορά eſt. Occurrit enim tacitæ obiectioni, quæ ex corrupto iam hominum iudicio fieri potuit: vel quam in poſterum fieri debere ſanctus Apoſtolus & ſpiritu prophetico plenus iam tũ præuidit. Cùm ergo mirum in modum ſemper homines ad externas illas actiones quę ſpeciem pietatis præ ſe ferre videntur, ſtupeant, mirum erat Paulũ vnius tantùm pietatis meminiſſe, in qua nos exerceri, & operam ponere vellet: non etiam externarum vllarum cæremoniarum, quas tantoperè homines tamen laudant & admirantur. Reſpon. Paulus, illam vnam pietatem vtilem eſſe tum in ſeſe, tũ aliarum exercitationum & operum, quæ homines conſectantur, ratione & comparatione.

Apparet verò tum ex hoc loco, tum etiam ex epiſtola ad Col. 2. iam ætate Pauli plus ſatis externę illi vitæ rationi & auſteritati homines etiam qui Chriſtũ profitebantur, tribuiſſe, illíque addictos fuiſſe. Quod ex eo profectum videri poteſt, pri-

A mùm quòd fermentum illud Phariſæorum, quod tamẽ toties Chriſtus reprehenderat, iam inualuerat apud pleroſque, quemadmodum ex quorũdam animis falſa illa de rituum Papiſticorum, & habitus monachalis ſanctitate perſuaſio euelli hodie non poteſt. Matt. 23. Deinde hæc hæreſeôn & ſuperſtitionum ſemina, quæ poſtea creuerunt, & Papiſmum & Monachiſmum penitus, vti fœtus infœliciſsimos, pepererunt, à Satana iaciebantur, & ſerebantur in animis Chriſtianorum hominum, id eſt, myſterium iniquitatis iam agebatur vt docet Paul. 2. The. 2. Denique quòd humanum ingenium vti ſuapte natura vanum eſt ita vanarum rerum amãs eſt & auidũ, quales ſunt omnes illæ externæ cultus Dei vel vitę ſanctitatis ſpecies. Itaque maturè tãtę huic veræ fidei & religionis peſti occurrere voluit Dei ſpiritus: ſed propterea tamen non eſt exciſa tãti, támq; noxii mali radix: ſed ſtatim in Eccleſiã pullulauit, primùm per Nicolaitas, & Ebionæos: deinde per Gnoſticos, denique per Monachos, per quos tandem vis & authoritas huius tam ſacroſancti Pauli præcepti, non tantùm B eluſa, ſed abrogata & prorſus antiquata eſt.

Quæſitum autem eſt, Quid corporalis exercitationis nomine complectatur Paulus. Putat Chryſoſtom. corporis agitationem, quæ ſanitati cõferat, ſignificari, qualis eſt venatio, ludus, foſsio, aut quæ exercitamenta iubentur à Medicis ad ſuperfluos corporis humores conſumẽdos fieri. Rationem addit ille, quòd corporis exercitationem cum ea, quæ animi eſt, & ſpiritualis, cõfert, vt hãc vtilem, illã nullius momenti homini Chriſtiano eſſe doceat. falſa eſt hæc interpretatio. Nam non agit medicum Paulus, ſed Theologum. Et vt ſupra cùm de cibis agebat, de iis eatenus diſputauit, quatenus ad conſcientiæ tranquillitatem pertinere cenſebantur, non autem ad corporis valetudinem: ſic hoc loco de exercitatione corporis differẽs eam intelligit, in qua cultus Dei & noſtræ ſanctitatis pars quædam conſtituitur, quoniam in rebus externis eam homines collocabant.

Eſt igitur exercitatio iſta, de qua nunc agit Paulus, alia quàm cenſet Chryſoſtomus, & eſt ea per quam carnis mortificatio, vitæ ſanctitas, & C externa quædã pietatis cultúſque Dei profeſsio demõſtrari videtur inter homines, qualis quę in ieiuniis & afflictione magna corporis verſatur. Hæc tamẽ dicitur per contemptum σωματικὴ, ne per eam animus verè reformari cenſeatur, aut quiſquã reipſa propterea religioſior ſapientiórque fieri iudicetur: cùm tota vis & effectus iſtarum rerum circa corporis tantùm macerationem, afflictationem & vexationem cernatur.

Sed & σωματικὴ quoque nominatur à ſubiecto. Eſt enim corpus, quod his modis atteritur, affligitur, & has externas actiones agit: quamquam ratione finis, quem ſpectant qui hæc tædia perferunt, dici quoq; poteſt hæc exercitatio ſpiritualis, quòd ſpiritualis vitæ gratia fit.

Hæc igitur omnia externa ſibi imponunt homines, & quæ vocantur nunc Regulæ ordinis ſuſcepti & profeſsi, eas appellarunt Patres Ἄσκησιν. Vnde veteres Monachi & Μονάζοντες & Ἀσκηταὶ, qua voce Gladiatores & Athletas appellat Plato lib. 3. de Republ. dicti ſunt: Paulus autẽ nominat γυμνασίαν, quòd Ἄσκησις magis quiddam ſpirituale ſignificare videtur: γυμνασία verò quandam tantùm corporis vexationem ac agitationem, quæ non tam commendat A monaſticum ſtatum, quàm illi commendatum eſſe inter homines voluerunt. Sed præſtabat vocem Spiritus ſancti retinere.

In his autem externis rebus præſcriptis obſeruandis verſatur tota Monachiſmi eſſentia, quam vocant. Nam in tribus hiſce potiſsimum poſita dicitur, in voto Obedientiæ, Paupertatis, & Continentiæ, tum matrimonij, tum certorum quorumdam ciborum.

Sed & illud quoque notandum eſt, Paulum hîc non loqui de ſuperſtitioſa earum rerum obſeruatione, qualis fit in Papatu, & præſertim à Monachis (eã enim prorſus damnaſſet Paulus, eſt enim ſuperſtitioſa, cùm pars ſalutis noſtræ aliqua in iis rebus ſtatuitur vti fit à Monachis) ſed de rerũ indifferentium diſcrimine cõſtituto, & in iis obſeruatione quadam carnis cõterendæ gratia, ad tempus indicta, qualis à piis viris pro varia rerũ, tẽporum, locorum, circunſtantia fieri & ſuſcipi poteſt.

Hanc tamen totam vitæ rationem & obſeruationem, etiam ad tempus factam, dicit Paulus eſſe minimi momenti. Atqui Monachi in iis ipſis rebus B vitam Angelicam ſitam eſſe volũt, & proram & puppim ſalutis & ſanctitatis collocant.

Neque tamẽ prorſus tales exercitationes damnat Paulus. Inter eas enim eſt ieiunium, & huiuſmodi ſeruitus & maceratio corporis, qualem ſe etiam obſeruaſſe ad carnem ſubigendam ſcribit ipſe 1. Cor. 9. v. 27. & Pſal. 35. v. 13.

Similis locus eſt Matth. 9. verſ. 14. & 15. verſ. 2. Roman. 14. verſ. 17. 1. Corinth. 7. verſ. 5. Diſsimilis autem, primùm, quia ait Paulus Epheſ. 5. v. 29. fouendam eſſe carnẽ: at qui iſtas rigidas exercitationes obſeruat, vexat ſeſe, ſuúmque corpus. Ergo videtur inhumanus & ſæuus, vt hæ non tantùm parum vtiles dici debeant: ſed ſint prorſus damnandæ. Reſpond. Cum moderatione iſtas eſſe à nobis ſuſcipiendas, & ad tempus tantùm: non autem cũ ſuperſtitione, vel in perpetuum, vt docet Paulus 1. Corinth. 7. verſ. 5. Nam omnes illæ auſteræ, & ſeueræ Monachorum regulæ ab iis etiam cum periculo vitæ & valetudinis detrimento obſeruatæ, fuerũt ſuperſtitiones meræ & Diaboli præſtigiæ, qualia quatriduana ieiunia, perpetuæ humi cubationes, C ſtationes continuæ, vt ſibi ſedere non permitterent: & reliquæ huiuſmodi ſæuæ præceptiones vel potius crudelitates in ipſã humanã naturã.

Obſtat etiã quod ait Paulus Rom. 14. v. 17. Regnum Dei non eſſe in eſca & in potu. Ergo fruſtrà ſuſcipiuntur iſta vel ad breuiſsimum tempus. Reſpond. Cùm iſta ſine cauſa & temerè fiunt, fruſtrà reuera ſuſcipi à nobis. Cùm autem ad carnem laſciuientem domandam, vel vt paratiores promptioréſque ad Deum precandum ſimus, non fruſtrà: quanquam in iis rebus tamen regnum Dei nõ eſt poſitum, ſed in vera fide, regeneratione, ſpe, & obſequio eo, quod mandatis Dei præſtatur.

Pietas autem ad omnia.) Ἀντίθεσις eſt, ex qua ſuperior ſententia illuſtratur. Pietatem autem vocat verum Dei cultum, qui ei ex ipſius verbo exhibetur. Primùm autem hic fidem cõtinet, deinde charitatẽ: deinde cordis ſanctitatem & puritatem, quæ externis actionibus ſe patefacit. Hæc vna res vtiliſſima eſt, & inf. cap. 6. verſ. 6. magnus quæſtus appellatur. Cęterum exemplo Chriſti, qui nihil pręter cęterorum hominum morem habuit: &

Ioan-

A Ioannis Baptiſtæ, qui iſtas exercitationes retinuit, nec propterea tamen Chriſto melior fuit, aut ſanctior, imò verò nec cum eo vlla in re conferēdus, hoc Pauli dictū perſpicuè confirmatur. Fuit enim ſanctior illa Chriſti vita communis, quàm auſtera & rigida vita, quam tenuit Ioannes.

Huius autē ſuæ definitionis & laudis de pietate argumentum Paulus profert ab effectu, vel ſigno, quòd pietas vera ſine his exercitationibus habet promiſsiones, nimirum vitæ, tum Præſentis, tum futuræ, Magna certè laus veræ religionis. Sed cur vitę pręſētis promiſsiones habeat pietas, ratio eſt, quòd Deus eſt ſuorum in vniuerſum & per omne tempus Pater & σωτὴρ, non tantùm poſt hanc vitā: ſed etiā in hac ipſa vita. Bern. ſermo. 4. in Pſal. Qui habitat. Credo in his ſcapulis geminā Dei promiſſionem intelligendam, vitę ſcilicet eius, quæ nunc eſt: pariter & futuræ. Si enim ſolum promitteret regnum, & in itinere deeſſet viaticum, omnino conquererentur homines & reſponderent: Magnum quidem eſt, quod promittitur, ſed illuc perueniendi facultas nulla datur. Vnde omnem B excuſationem Deus ademit. Deus igitur iam ſe eorum Deum ex hac vita eſſe oſtendit, & iis benefacit Pſalm. 36. Incipit enim Dei promiſsio impleri in iis, etiam in hac vita.

Obſtat quod fides res ſpirituales, & eas etiam abſentes ſpectat, non autē præſentes. Neque propriè corpus: ſed potius beat & ſpectat animū. Bona enim ſpiritualia pollicetur Deus potius, quàm temporalia Hebr. 11. ver. 1. Reſpon. Bonorum quidem ſpiritualium promiſsionem potiſsimùm & præcipuè habent & ſpectant fides & pietas: ſed tamen etiam de ſuis curam habet in hoc mundo Deus, & illis bona terrena, quantum ſatis eſſe perſpicit, largitur. Nam ea à ſe peti & vult & pręcipit in oratione Dominica.

Sunt autem quæcunque à Deo pii obtinemus ex mera ipſius bonitate, & ea gratuita, non ex merito: ſiue bona terrena, ſiue cœleſtia ſpectentur, vt docet perſpicuè hic locus, qui ea omnia Dei promiſsiones appellat.

Admonet hic locus, vt de Monachis aliquid dicamus, quia hi Α᾽σκηταὶ primū ſunt appellati: veluti C à Philone Iudæo, ſi modò de Monachis Chriſtianis potius, quàm de Eſſęnis & Iudęorū Monachis agit Philo: deinde à Baſilio, & alijs, qui etiam Monaſticas regulas Α᾽σκητηρίων nomine inſcripſerunt. Μονάζοντες & Μοναχοὶ appellati ſunt, quòd vitæ ſolitariæ genus elegiſſent, qui hoc modo viuere inſtituiſſent. Μοναχὸν autem putant Canoniſtæ ex cā. Placuit. § Agnoſcat 16. quæſt. 1. dictum compoſita voce, ἀπὸ τ̃ μόνον & ἄχος. Quæ ſanè vera eſt hoc tempore Monachorum etymologia. Sunt enim illi re vera vnica peſtis mundi, vt & ex veteri quoque Epigrammate iampridem intelligebamus. Sed falluntur & Papæ & Papiſtæ & Monachi in nominis ſui etymo. Eſt enim ſyllaba χος ἐπένθεσις tantùm, ad vocem μόνας, à qua fit deriuatio vocis huius, Μοναχὸς. Vnde & Μοναχῷ & Μοναχοῦ & Μοναχῶς vocabula Græcis ſcriptoribus etiam ante Monachorū exortū defunctis vſitatiſsima. Baſi. de Trinitate agens quāque perſonam Μοναχῶς ἐκφωνεῖσθαι .i. ſeorſim pronūtiari dixit. Latinè ipſi ſe Religioſos vocarūt, quaſi reliquus populus Chriſtian⁹ ſit irreligioſus. Item & Canonicos quoque & Regulares & aliis nominibus ad ſui commendationem. Sed & A Mandritæ etiam ſunt appellati à cauernis, quas illi Troglodytæ ſubibant, & vbi latebant.

Monachus quid ſit nondum perſpicuè definiri potuit, etſi varię à variis deſcriptiones tētatę ſunt. Neque enim ex veſtitu & profeſsionis veſtimēto definiri poteſt, quia, vt vulgò dicitur, veſtitus non facit Monachum: & tale eſt monſtrum Monachus vt vna forma non conſtet. Tandem definitum eſt, eſſe eum Monachum, qui hæc tria vota ſolenniter ſuſcepiſſet ſeruanda, Paupertatem, Continentiam coniugij, & Obedientiam vni cuidam certo præpoſito, & in eadem vitæ regula degenti.

Viuendi quidem inſtituta & regulas poſſe eſſe in quoque ordine Monachorum diuerſas, hæc tamen tria vota eſſe ipſius vitæ Monaſticæ eſſentialia, & ab ea ſemper indiuulſa. Quod Thomas Aquinas in 2.2ª & in opere Contra impugnant. Religion. prolixè docet. Nam qui definiunt Monachum eſſe militem Chriſti. vel agricolam terrę: vel Angelicum hominem, non modò rem non explicant: ſed quod experientia huius ætatis demōſtrat, mentiuntur, cùm nullus hodie Monachus ſit B huiuſmodi. Vtcunque hoc maximè ſuperſtitioſum vitę genus, eſt & à Turcis etiam hodie in blaſphema ipſorum doctrina ſemper retentum, (habent enim & Turcæ ipſi ſuos Monachos) quia fuco faciendo hoc genus hominum eſt aptiſſimum. A Iudæorum Eſſenis, vt multi exiſtimant, primum introductum fuit, & inſtitutum: & inde poſtea ad Chriſtianos tranſlatum à ſuperſtitioſis hominibus primùm Ægyptiis, deinde Syriis, poſtea Aſiaticis, demum Græcis & Europæis, ne vlla pars orbis tanti mali expers eſſet, & immunis.

Certè poſt Chriſtum natum Anno 300. maximè in Ægypto commendari cœpit. Fuit enim ea regio, vti Arianiſmi, & Meletianiſmi, maximarū hæreſeon: ita etiam Monachiſmi ſatrix & ferax, ſiue propter ſolitudines, quas hoc hominum genus ferum prorſus & agreſte captat: ſiue propter innatam illi genti ſuperſtitionem præter cæteras mundi nationes. In Occidente hoc hominum genus fuit poſterius & notum & receptum, & demum ſub Vitaliano Pontifice Roman. cœperunt Monachorum cœnobia erigi. Sed tamen, vt externis rebus homines ferè faciliúſque capiuntur, quàm C vera ſanctitate: ſic hoc nouo hominū genere exorto & terris mōſtrato, omnes miro ſtupore affici, nouum hoc vitæ genus in cœlum tollere, & cùm ad ſcripturę regulam non examinarent, (quod tamen Baſil. Magnus vitæ Monaſticæ præco fieri vult) ſolum beatum prædicare cœperunt. Hinc laudes horum hominum immenſæ extiterunt, & hyperbolicè decantatæ, etiam à priſcis ſcriptoribus, quibuſdam, qui Baſilium ſunt ſequuti, Nam Iuſtini Martyris, Tertulliani, Cypriani, Irenæi, Ignatij ſeculo hoc monſtrum hominum nōdum natum in orbe Chriſtiano fuerat, quicquid Euſebius ex Philone narret: cùm Philo non de Chriſtianis, ſed de Eſſænis Iudæis loquatur, (Id quod etiam vetus inſcriptio illius Philonis libri quæ habebat περὶ ἰεσσαίων confirmat) quę res nō fuit, vt aliæ multæ, ab Euſebio obſeruata, quemadmodum præclarè Chemnitius in Examine Tridētini concilij probat, quicquid Dionyſius ille conſecrationis Monachorum in Hierarchia meminerit. ſed ipſe vixit circa annum Domini 300. Ab Euſtathio quodam Sebaſtiæ Cappadocū ciuitatis

A Epiſcopo fuiſſe inſtitutos putant circa annũ 300. qui, vti & ipſum illius inſtitutum tota Grangrenſi ſynodo damnatur apertiſsimè.

Quidam hoc hominum genus ex perſequutionibus, iis præſertim, quæ ſæuiſsimæ contigerunt ſub Maximino, & poſtea Diocletiano, exortũ cẽſent, quòd cogerentur pij homines in vaſtas ſolitudines confugere, vt perſequutorum immanitatem euitarent. Et certè hæc cauſa erat probabilis niſi ἐξ αἱρέσεως potius animi, quàm ex vlla neceſsitate appareret homines hoc ſibi iugum impoſuiſſe, & eo tempore, quo nullæ erãt perſequutiones: ſed ſumma pace fruebatur Eccleſia. Deinde niſi ipſa hiſtoria Eccleſiaſtica eo tempore, quo Monachiſmus adhuc penè recens erat, ſcripta aliud diceret, quæ refert hoc inſtitutum vitæ ad quendam Ammonium virum Ægyptium & cõiugem. Eremitarum enim author fuit Salas, vt ait Nicephorus, quanquam Iſidorus in lib. de Officiis nõ tantùm à Ioãne Baptiſta: ſed etiã ab vſque Elia Propheta huius vitæ primordia repetit, tam eſt bonus Monachorum patronus. Certatim igitur omnes ingenii ſui aciem in hoc vitæ genus extollendum contulerunt. Alij enim, vt Ambroſius epiſt. 82. Monaſteria ſcholas & officinas virtutum B appellarunt, Chryſoſtom. dixit, Vt in cœlo ſunt aſtra: ſic in terra eſſe ordines diuerſos Monachorum. Alius dixit, Vt è paradiſo terreſtri quatuor flumina fluebãt, ſic ex Eccleſia quatuor Monachorum ordines extitiſſe. Alius, velut Hieronym. & Bernard. ſuſceptionem Monachiſmi vocat ſecundum Baptiſmum, per quẽ remiſsio omnium peccatorum obtineatur. Alius Monachiſmum eſſe dixit Angelicam vitam, vt Thomiſtæ omnes, quò ſibi maiores in vitæ ſuæ errore delicias faciãt. Nos & ex ſuperſtitione primum inuentum eſſe hoc vitæ inſtitutum defendimus: & merè eſſe Diabolicum, cùm pars quædam cultus Dei, & vitæ ſanctitatis in hoc externo rerum genere ab iis poſita fuit, & præter Dei verbum hæc ſalutaris & beata vita definita, & appellata.

Etſi enim admittimus minus fuiſſe olim corruptos Monachorum mores, quàm nunc ſunt, tamẽ hæc ipſa vitę inſtitutio fuit à Chriſti vita C prorſus aliena, & ſuperſtitionis plena, & nulla alia de cauſa, niſi ex ἐθελοθρησκείᾳ & idololatrica rerum externarum admiratione inuenta, & ſuſcepta. Admitto igitur quod de Monachis ſuæ ætatis ſcribit Chryſoſt. Homil. 14. in 1. Timoth. 5. his verbis, quę recito vt appareat, quantũ noſtri Monachi ab illis veteribus differant. Veræ, ait ille, domus luctus ſunt Monaſteria, vbi cinis atque cilicium: vbi ſolitudo, vbi riſus nullus, nullus negotiorum ſecularium ſtrepitus, vbi ieiunia, vbi terrenorum duritia lectulorum, vbi mũda ſunt omnia. Nullus ibi nidoribus locus, nulli ſanguinis riui, &c. quę quantũ ab Monaſtica vita noſtri ſeculi differunt vident omnes. Aquiſgranenſi concilio quod ſub Lodoico Pio cõuenit Mores verorũ Monachorũ ex variis autoribus deſcribuntur, qui nullã prorſus cõuenientiã cum noſtrorum Monachorum regulis & vita habẽt. Et Bernardus in Apol. ad Guill. Abbatem veriſsimè multa de luxu Monachorum & ἀσωτίᾳ dixit, quæ hodie, vt alia vitia omnia, in iis maior eſt & intolerabilior, quàm vnquam: imò verò prorſus inſanabilis & inueterata. Sed & hoc vitæ genus viris quibuſdam bonis ſtatim diſplicuit, & poſtea Synodis vti Gangrenſ. & Matiſconenſi A, improbatum eſt, &, velut ſuperſtitioſum, damnatum. Modum verò non habuit, cùm quotidie noui ritus, inauditæque ſuperſtitiones inducãtur, vt nouus Monachorũ ordo excudatur, veluti Stilidæ olim: nunc Ieſuitæ, adeò vt non ſi mihi centum ſint linguæ, ſint oráque centum, ferrea vox, poſsim eorum varias comprehẽdere formas. Sed & illud immane, quod inter eos ipſos huiuſmodi genera reperiuntur, quæ humanam exuãt naturam prorſus & in beluinã mutent, qualia ſunt hæc Armẽta, βοσκοὶ & ἀπαθεῖς vt eſt apud Nicephorum lib. 14. cap. 50. Tamen nunquam iſtæ laudes tantùm obtinuerunt, vt propterea reliqua Chriſtianorum genera, quæ nihil cũ iſta αὐθαδείᾳ & vitę genere commune habẽt, minus ad Chriſtum pertinere cenſerentur. Dixit Paphnutius Epiſcopus in Nicæna Synodo, in omni ordine, & nõ in ſolo Monachatu, poſſe homines placere Deo. Bernard. in ſermo. in Pſal. Audiam: tam coniugatos, quàm Monachos eſſe ſaluandos affirmat: & idem in ſermone 66. in Canticum cantic.

Eorum genera fuerunt primùm duo tantùm, Eremitarum, & Cœnobitarum, vt ait Sozom. lib. 3 ca. 16. Quæ multiplicata poſtea, vt docet Euagrius lib. 1. cap. 21. in quatuor excreuerunt, vti etiam ex B Caſsiano apparet Collat. 18. cap. 4. Alij enim fuerũt Cœnobitæ, alii Anachoretæ, alii Sarabaitę, alii Rhomoboitæ, vt etiam docet Hieron. Cœnobitæ qui ſub vno capite in cœtu viuunt: Anachoretæ qui in cœnobiis primum inſtituti, ſeorſim poſtea vel ſinguli, vel bini in ſolitudines ſecedunt, ibíque habitant, non in cœtu. Horum author fuiſſe dicitur ab aliis Paulus quidã, ab aliis Antonius. Quod vitæ genus planè ferũ eſt & agreſte & ab ipſa hominis natura & definitione diſſentaneum, qua dicitur homo eſſe ζῶον πολιτικὸν, & præclarè M. Tullius docet ne ſi quidẽ alicui omnia virgula diuina ſuppeterent, optaturum tamen eum vt viueret in ſolitudine & procul à reliquis mortalibus more ferarũ, quod iſti Anachoretæ faciunt. Sarabaitæ in cellulis habitant, & Anachoretis ſunt peiores, homines vagi & auari, qui in Ægypto præſertim fuerunt. Rhomobitę qui terni habitant in cellulis ſuo arbitratu viuẽtes, effrenes, & nulli capiti parentes. C Hi peſsimi omnium vt in epiſt. ad Euſtoch. teſtatur Hieron. qui eos vidit. Stilidæ ſiue Columnarij à Simeone inſtituti, vt ait Euagrius, qui in columnis habitant, vt nec in terra, nec in cœlo viuere videantur. Socrat. lib. 4. cap. 23. 4. hæc genera enumerat Gnoſticos, Cœnobitas, Practicos, Eremitas, vt varium fuiſſe hoc totum genus facilè appareat. Hi etiam ordines & diſtinctiones poſterioribus temporibus ſunt mutatæ, & alijs nominibus appellatæ. His enim ſucceſſerũt quatuor alii Monachorũ ordines, nẽpe Benedictinorũ, Auguſtinianorũ, Carmelitarum, Pręmonſtrenſiũ, qui poſtea ſe in infinitas propagines diffuderunt, Mẽdicantium (quos verius alii fratres Manducãtes vocant) & non Mendicãtium, & variæ diſtinctiones inter eos inductæ à colore veſtis, à genere cibi, à forma calceorum, ab amplitudine manicarũ, à forma pallij, & huiuſmodi aliis nugis, quaſi eę res ſint porta cœli & ſalutis noſtræ cauſæ. Antea tamen tres tantùm ordines Monachorum enumerabantur, ſcilicet, Sancti Baſilii, Sãcti Auguſtini, & Sãcti Benedicti, vt eſt in cano. Pernicioſam 18. quæſt. 2.

A Anno verò Domini 500.iſta non apum,ſed fucorum potius examina variè & ſparſa ſunt & multiplicata per totum terrarum orbem, imprimis autem per palæſtinam,Cappadociam, Aſiam, Græciam,& Ægyptum, tanquam Apocalypſeos locuſtæ,ſeſe diffuderunt, & præcipuè in Saiti,ſiue Saitide Ægypti Nomo ſiue præfectura,vt Sozomenus lib.6.cap.7.tradit.

Monaſteria verò in vrbibus etiam furioſè erigi cœperũt Anno Domini 700.& poſtea. Velut autem ſcholæ quædam ędificari primùm cœperunt, & velut officinæ literarum in ſumma totius mũdi barbarie:quæ per Gothos,Vãdalos,Hunnos,& Erulos inducta fuerat. Vnde Iuo ſcribit in Iuſtiniano Florum quendam Gallorum Francorũ procerem prope Aurelianenſem ciuitatem cœnobiũ ſancti Benedicti condidiſſe , vbi Maurus ipſius Benedicti diſcipulus,vt ait Sabell.Ennead.8. libr. 2.docuerit, & Floriacenum Monaſterium adhuc hodie appellatur.Certè ab hoc vitæ inſtituto prorſus nunc noſtri Monachi degenerarunt, quorum B cœnobia , non ſunt literarum officinæ, ſed haræ porcorum, & paſcua hominum cantillando viuẽtium,more cicadarum. Tamen poſtea vſurpatum eſt,vt pœnæ loco in Monaſteria detruderẽtur homines inertes,ſcelerati & immorigeri,& tonderẽtur,vt ex hiſtorijs præſertim Francogallorum apparet,& Gregorio Turonenſi.

Quis autem vſus fuerit iſtorum hominum variè quæſitum eſt,quæ item regulæ.

Ac regulæ vt Nicephorus ait libr.9.cap.14. hæ primæ erant,vt omnia eſſent libera,votum autem perpetuum iſta profeſsio nõ haberet: adeò vt nec ciborũ , nec ieiuniorũ certa tẽpora & indicta eſſent,ſed quantũ vellent ederẽt,& biberẽt,& operarẽtur:itẽ quando vellent, ieiunarent.Atque ita Pachoimus primas regulas inſtituerat. Sequuti ſunt alij qui reſtrinxerunt illam libertatem. Ac primũ in veſtitu:poſt autem in cibis. Qui primus autem inſtituta iſta ſcrupuloſius & minutius vel explicaſſe vel tradidiſſe cenſetur,eſt Baſilius , ſiue is eſt,qui Magnus dicitur:ſiue alius,eóque recentior.Ergo quoad habitũ , cucullis ſunt vſi ſumpto more ab Ægyptiis Monachis , vt Caſsia.ſcribit. C Melotis item.i.ouilibus veſtimẽtis,& vilibus pãnis, Colobiis lineis ad mediam tãtùm cubiti partẽ pertingentibus,id eſt,ad ipſam plicaturam brachij,& non vlteriùs , vt expeditas ad operandum manus haberẽt,Cilicio,& Succinctoriis ſiue ſubligaculis , & pelliceis,quæ lineo colobio operiebantur,vnde ſuperpellicia dicta , Gal.*des ſurpelis*. Colores in habitu varios habuere , & geſtauere: calceamentorum nullus inter eos, vtpote in calidis regionibus primum habitantes,fuit vſus , vt Caſsianus docet. Quoad ipſam autẽ corporis eorum formam,comas alebant & barbam reſecabãt, contrà quàm tamen Epiph.hęreſ.80.decorum viris Chriſtianis eſſe cenſet.Barbam enim μορφὴν ἀνδρὸς vocat,& in concilio Carthaginenſi clerici barbas radere vetiti ſunt : ſed non ſunt Monachi de numero clericorum. Accincti ſemper lũbis incedebant,& pecunias cumulare vetabantur.Nuptiis item & feſtiuitatibus intereſſe prohibebantur.Operari autẽ iubebantur quotidie,id eſt,in agro aliquid fodere,aut arare,aut ferre , vt victus vel ipſis, vel toti ſodalitio,in quo viuebãt,ſupereſſe poſſet.

Præcepta quoque in ciborum delectu & genere contra Pauli regulam illis inſtituta ſunt. Alii A enim herbas tãtùm,alij,oua,alij piſces , alij omnia comedere permittuntur.Ieiunia tamẽ quædam illis ad certam menſuram & dies certos præſcripta fuerunt:& mirum ſilentium,quod nõ eſt hodie in noſtris Monachis , cùm nuſquam inuidia & murmur maius frequentiúſque locum habeat. Deniq; nulli Monacho eſſe ſine cella licuit,ne velut piſcis ſine aqua viuere exiſtimaretur.Hæ ſunt nugæ, ſed potius hæ ſunt ſuperſtitiones & idololatricæ cæremonię,in quib' hoc vitæ inſtitutũ,& Chriſtiana(ſi Deo placet)ſanctitas fuit tãdẽ,abolitis veræ ſãctimoniæ præceptis,collocata. Quaſi illa in his externis & ἀδιαφόροις rebus inſit,quæ in mẽtis renouatione,veteris hominis depoſitione, & noui ſuſceptione poſita eſt,in fide Chriſti, in charitate proximi, in omni internę & externę immũditiæ expurgatione.Sed ita homines ſibi præſtigias iſtas fecerũt,vt aliud quid eſſe ſanctũ,quã iſtã viuẽdi rationẽ nõ arbitrarẽtur.Deniq; iſti homines& ſeditionũ in Eccleſia magnarũ autores fuerunt,vt Euagr. lib.3.cap.32.totáq; Hiſtoria Eccleſiaſtica docet:& peſsimorũ errorũ tum ipſi inuentores , tũ propagatores, B veluti Meſſalianorum , Anthropomorphitarum,Pelagianorum, Iudæorum,Abelonitarum,Samaritanorum. Quod non tantùm teſtatur Theodorit.li.1.c.1. Hiſt. ſed ipſa rerum veritas & experientia: cùm nulli alij ſint hodie Antichriſti, totiúſq; Papiſticę perfidię maiores patroni,& fulcimẽta,quã tota iſta Monachorũ factio & coitio.

Sed quæſitum eſt,cuius in Eccleſia vſus fuerint iſti homines.Reſp.Certè nullius,cùm nec Presbyteri,nec Diaconi,nec Epiſcopi eſſent. Itaque de ſe verè illi iſtud Horatianum dicere poſſunt,

Nos numerus ſumus,& fruges conſumere nati,
Proci Penelopes,nebulones,Alcinoique.

Monachi officia populo celebrare nõ poſſunt. Monachus officiũ plangentis habet, nõ docentis. Ergo nullum munus Eccleſiaſticũ gerunt,ſed nec gerere,quatenus Monachi ſunt, debẽt aut poſſũt: non concionari apud populũ: non Sacramẽta adminiſtrare. Claret enim & certum eſt,ait Bernardus, quòd publicè prædicare Monacho non conuenit,nec Sacramenta adminiſtrare,quia ne clericorum quidem loco & numero cenſentur. Nullã C enim in Eccleſia vocationẽ legitimã habent Monachi,vt eſt can.Alia eſt cauſa,& cã. Nemo poteſt 16.qu.1.& apud eundẽ Bernardũ epiſt.42.labor & latebræ,ait,& volũtaria paupertas,hæc ſũt Monachorum inſignia, hæc vitã ſolẽt nobilitare Monaſticã.At, *Audite noſtri ſeculi Monachi* , veſtri oculi omne ſublime vident , veſtri pedes omne forum circũeunt:veſtræ linguæ in omnibus audiũtur cõciliis:veſtræ manus omne alienum diripiũt patrimoniũ.Quod ſi Monachorũ ſceleratiſsimã vitam pingere aut narrare vellem , nulla mihi Ilias ſatis eſſet. Sed quæro, cuius primum rei & vtilitatis gratia hoc vitæ & hominum genus inſtitutum, inuentum , & productum fuit ? Reſpondeo ego quidem , Nullius. Nam in canon. Generaliter § Hoc idem 16. quæſtio. 1. Abbatem quemlibet & cuiuſlibet Monachorum cœtus præfectũ ſimplici oſtiario Eccleſiæ poſtponendum eſſe & ſubiiciendum apertè reſpõſum eſt,durauítque vſque ad Syricii Papæ ſpurciſsimi tẽpora, vt Monachi Monachi ſimpliciter manerẽt,clerici autẽ nullo modo fierent,non prædicarent, non celebrarẽt

A officia in Eccleſia.Poſtea verò paulatim gens iſta, inſtar locuſtarũ,è ſuis deſertis, & è ſuo cœno velut ranæ emergere cœperunt, & tandem effecerunt, vt ſpeciali priuilegio (ſed toti ordini à Bonifacio quarto, vt alij volunt: vt autem alij,ab Innocentio ſecundo conceſſo) quilibet Monachus Sacerdos & ſacrificulus fieri poſsit & Doctor,& prædicator, & Sacramentorum adminiſtrator de conſenſu Abbatis,& Epiſcopi,& curionis, in cuius parœcia iſta agit.Ex quo poſtea factum eſt, vt in maximas Eccleſiæ Papiſticæ dignitates, veluti Epiſcopatus,Archiepiſcopatus,Papatum denique ipſum,iſti crabrones & locuſtæ inuolarent,& iam ipſius Papiſmi ſolæ columnæ reſtarent. Quo hominum genere nihil habet vniuerſus orbis peſtilentioſius,ſuperſtitioſius,impudentius, audacius,crudelius,ambitioſius,aut deniq; magis auarum & rapax.Hoc autẽ omne vitæ inſtitutũ quàm procul abſit à Pauli præcepto, & ἀσκήσει cuius hîc mentionem facit,vident omnes:imò verò vt nihil B quicquam cum Dei verbo cõſentaneũ habeat,ſed potius mortis Chriſti beneficium, & noſtræ corã Deo iuſtificationis cauſam (quæ in vno Chriſti ſanguine eſt) ad cibos & colores veſtiũ meráſque ſuperſtitiones & blaſphemias transferant, in hac Euãgelii luce intelligũt omnes, vt mihi nõ duxerim neceſſe diutius iſta refellere,quæ vel indicaſſe ſatis refutaſſe eſt.Redimus igitur ad Paulũ noſtrũ.

9 *Fidus* eſt *hic ſermo,& dignus qui omnibus modis recipiatur.*

Commendatio ſuperioris doctrinę ab vtilitate & illius præſtãtia. Tũ enim fidelis eſt hæc doctrina:tũ verò omnibus vtilis,qui illam audiũt, illíq; credunt.Præcautio quoque & præmunitio quædã hæc eſſe videtur aduerſus varias animi dubitationes,quæ ex ſuperiori doctrina ſolent oriri.Tantũ .n.abeſt,vt fideles felices iudicentur, vt miſeri & probroſi paſsim & vulgò eſſe cenſeantur. Quod iudicium falſum eſſe pronũtiat hoc loco Spiritus ſanctus & ſeq.verſiculo. Quæ ſit autem ſententia huius orationis ſuprà c.1.v.15.fuſius expoſuimus.

10 *Nam idcirco etiam fatigamur, & pro-* C *bris afficimur, quòd ſperemus in Deo viuo, qui eſt conſeruator omnium hominum ,maximè* verò *fidelium.*

Occupatio eſt,quæ per digreſsionẽ iniecta eſt, ne ſuperior illa pietatis commendatio falſa eſſe cenſeatur,propter varios rerum euentus & duram piorum ſortem,quæ in hoc mundo prorſus miſera eſſe apparet & afflicta,tum in corpore ipſo , tũ in honore. Reſpondet autem & negat eam ſortẽ Paulus propterea eſſe miſeram & infelicem exiſtimandam,ídque reſpon. propter Cauſam propter quam patiuntur pii:& Exitum,qui cernitur,& inde ſperatur.Ac finis ſiue cauſa , propter quam pii affligũtur,pręclariſsima eſt.Eſt enim pietas & ipſa doctrina cœleſtis,& ſpes in Deo viuo,non in idolis,qua nihil melius.

Exitus etiam lætus & felix eſt. Id quod probat argumento ſumpto à minori ad maius. Deus enim,qui omnium hominũ eſt conſeruator,multò maximè ſuorum & fideliũ cuſtos eſt & liberator.Hæc eſt ſumma totius doctrinæ Pauli.Diſputat Chryſoſt. atque ambigit, vtrum vox σωτὴρ hoc loco referri ad vitam,& ſalutem æternam debeat. Sed hîc non poteſt.Neque enim omnes homines A vitam æternam conſequũtur,ſed ſoli fideles, quãquam tamen omnium eſt cuſtos, conſeruator, & benefactor Deus,vt eſt Pſal.36. quatenus nempe omnium hominum eſt creator & opifex.

Spem autem coniungit cum doctrina Paulus cùm ait (*quòd ſperemus in Deo*) quia hæc cognitio, quæ per fidem & Euangelium à nobis habetur,nõ eſt euanida quædam phantaſia de Deo, ſed eſt huiuſmodi agnitio,quæ ſpem, eámque certã in Deũ nobis afferat,& inſerat. In quo differt à reliquo cognitionis genere.Nã alię ſunt tantùm in animo & intellectu verſantes cogitationes,neque cor hominis mouẽt,afficiũt & mutant,hæc verò etiam in corde ipſo eſt certiſsima fiducia , quod afficit & inclinat ad Deum amandum, eiúſque promiſsiones certiſsimè ſperandas & expectãdas,vt eſt in c. 5.Epiſt.Pauli ad Roma.Sed & vox hæc ſperamus, pro credimus poſita videri etiam hoc loco poteſt.

11 *Hæc denuntia & doce.*

Commẽdatio ſuperioris doctrĩnæ ab vtilitate, quę ex illius pręadicatione colligitur.Eſt enim hęc vtilis doctrina , cuius prædicatio eſt ſic à Paulo pręcepta,vt & ſępius inculcetur,& pro imperio & poteſtate miniſterii Euangelici proponatur, vti B Dei ipſius vox.Ergo comparatione quadam ſuperiorem doctrinam magni eſſe in Eccleſia momẽti docet probátque.Nam vt alia capita doctrinę doceri à paſtore debeant:hoc tamẽ doctrinæ caput, per quod falſus Dei cultus oppugnatur,inanes cæremonię & ſuperſtitiones euelluntur,ſępiſsimè & frequentiſsimè repeti,doceri , ac inculcari debet. Atque hoc faciendum eſſe affirmat Dei ſpiritus,id eſt,doctor ille,qui optimè nouit, de quibus ſedulò & ſæpius edocendi & commonefaciendi ſumus. Quò minus nobis moleſtum aut faſtidioſum eſſe oportet , ſi ſæpe ſæpius in Eccleſia hanc eandem doctrinam à paſtoribus audiamus , quia maximè nobis eſt ſalutaris. Paulus Philip.3.ver.1. dicit tutũ & vtile eſſe,vt eadem nobis ſæpius repetantur.Idem docet & affirmat Petrus in 2.Epiſt.c. 1.v.13.Vnde væ delicatis hominũ auribus,qui abuſus doctrinæ & ſuperſtitiones Papiſticas nunquã à concionatoribus Euangelij taxari vellent. C

Denique ex hoc ipſo apparet,eã maximè à paſtoribus doctrinam proponendam,quæ neceſſaria eſt,& vtilis:non autem quæ inutiles & vanas quęſtiones habeat.

Colligit verò ex hoc Pauli dicto Chryſoſt. duplex eſſe paſtoris munus in proponendo Dei verbo pro rerum,quas tractat, & perſonarum , apud quas agit,ratione,nimirum vt Doceat: & Ea quæ ſunt obſcura,& Eos,qui ſunt obſequentiores. Itẽ vt Denuntiet,pro poteſtate & imperio ſibi à Deo dato,Ea,quæ omnes concedunt eſſe vera,Eis, qui ſunt contumaciores & magis rebelles.Quod certè verum eſt. Debet enim paſtor nonnunquam increpare & virga.i. ſeueritate vti, vt ait Paulus 1. Cor.4.v.21.& 2.Tim.4.

12 *Nemo tuam iuuentutem deſpiciat ,ſed eſto exemplar fidelium in ſermone, in conuerſatione,in charitate,in ſpiritu,in fide,in puritate.*

Νουθέτησις.Admonet enim qua ratione & grauitate ſuperior doctrina ſit à Timotheo proponenda ac illi ipſi ſit in omni miniſterii Euangelici quod obibat ratione conuerſandum & agendum.

Adeo

A Adeo vt etiam hæc præcepta ad reliquos paſtores pertineant, qui nobis in Timotheo, tanquam in perfecti miniſtri idea, à Paulo depicti proponuntur. Eſt verò hic locus etiam tacita regreſſio ad ſuperiùs inſtitutam diſputationem de officio veri & Euangelici paſtoris, quam & hoc, & ſequenti capite perſequitur. Hæc eſt igitur ratio ordinis, ne putemus hoc ſcriptum Pauli eſſe ſcopas diſſolutas. Quod Athei obiiciunt. Summa verò huius doctrinæ eò pertinet, vt doceantur paſtores ſuperiorem doctrinam reuerenter & grauiter tractandã eſſe: & in reliquis miniſterij & muneris ſui partibus ita illis eſſe conuerſandũ, vt nemo eos, quantumuis ętate iuuenes, deſpiciat vel contemnat: ſed ſint totius gregis exemplar in Verbis, & factis, & in Doctrina, & in vita. Videri autem poteſt non ad omnes in vniuerſum verbi Dei miniſtros pertinere hæc Pauli exhortatio: ſed ad eos tantùm, qui adhuc iuuenes ſunt: neque dum ſibi per ætatem eam authoritatem compararunt, per quam ſint populo commendabiles & venerandi, quales ſunt adoleſcentes adhuc paſtores, & nondum B prouectæ ætatis. Sed cùm etiam minus honorentur, qui, quanuis ætate grandæui, moribus tamen ſunt iuuenes, certè ad ſenes etiam hæc præcepta pertinent, ne hi ipſi in ea ætate propter morũ diſſolutionem contemnantur, ſi idem agant, quod homines moribus iuuenes & proterui, & laſciui & leues. Quæ certè vitia adoleſcentiam ſequi & comitari ſolent.

Dicit Paulus νεότητος, id eſt, Iuuentutis. Differt hæc ætas, à Pueritia, Adoleſcentia, Virili maturáque ætate, & Senectute. Eſt enim iuuentus poſt adoleſcentiam, & ante virilem ætatẽ veluti à decimo ſeptimo anno ætatis ad viceſimum quintum, intra quos annos exiſtimo tunc fuiſſe Timotheũ: quemadmodum adoleſcentia eſt poſt pueritiam, & ante iuuentutem à ſeptimo anno ætatis ad decimum ſeptimum. Sic Pythagorici diſtinxerunt vt apparet ex Laertio lib.8. in vita Pythagoræ, etſi plures annos cuique ætati ille tribuit. Solô Athenienſis in epigrammate diſtinguit hominis totam vitam in ſeptem ætates. Sed Ioannes in prima Epiſtola cap.2. verſ.13, & 14. tres tantùm conſtituit. C Nos noſtram diſtributionem ſequimur, ex qua cuius tunc ætatis fuerit Timotheus intelligi poteſt, & quantis in ea ætate Dei donis, & iis quidem ſummis & egregiis, ornatus fuerit. Id quod etiam apparet ex ſecunda Epiſtola ad eundem & ad Philip.2. verſ.18.

Remedium autem per ſubiectionem affert Paulus, per quod efficiatur, ne vlla paſtoris ætas contemni vel poſſit, vel debeat. Eſt autem ſi illi ſe exemplar cæterorum fidelium præbeant in vita & doctrina. Gregorius Magnus ad Ioãnem Epiſcopum Corinthiorum epiſt.99. Indict.13. Inſtructio commiſſi populi fraternitatis veſtræ ſit actio. Videat in vobis quod diligat: cernat quod imitari feſtinet. Exemplo veſtro viuere doceatur. A recto itinere, te duce non deuiet: ad Deum vos ſequendo perueniat. Igitur ex hoc loco colligitur iuuenes eligi poſſe in miniſtros, ſi iis Dei donis excellant, quæ ad tantum munus requiruntur. Supra cap.3. v.6. diximus, quæ ætas olim cuique muneri Eccleſiaſtico exercendo præſcripta fuerit à Synodis vt hîc repetere nihil ſit neceſſe. Sed apologo lepidiſſimo docet Æſopus non ſemper canitiei & barbæ A ineſſe ſapientiam.

Deſcribit autem fuſius Paulus illa duo, quæ diximus, id eſt, quibus in rebus paſtores gregis exẽplar, vt ipſe cum Petro 1.ep.ca.5. loquitur, eſſe debeant. Ac primum ſummatim quidem inquit, ἐν λόγῳ, id eſt, Verbis ſiue dictis, ἐν ἀναστροφῇ, id eſt, Cõuerſatione & factis, toti gregi prælucere paſtorem oportere. Poſtea verò quaſdam virtutes addit, ex quibus diſtinctius hæc duo parantur & docentur: & tum vitæ, tum ipſius linguæ vera reformatio oritur, tanquam ex ipſis fontibus. Obiter dixerim hoc genus dicẽdi eſſe ἀσύνδετον, quod maiorem vim habet, & facit, vt ſingula diligentius perpendantur à nobis. Ergo inter eas virtutes præcipuè commemorat Paulus, Charitatem, cui ſubicit Spiritum ſiue zelum. Charitas autem hîc tum ea, quæ in Deũ, tum in proximum eſt, ſignificatur, cui ſubſeruire debet ſpiritus ipſe, id eſt, feruor animi: atque illa etiam dona, quæ Dominus cuique fidelium donat & concedit, charitati ancillari oportet. Deinde addit charitati ſuum fontem: nempe Fidem, cui ſubiicit Puritatem ſiue Caſtitatem. Ergo fides B hæc non tantùm eſt doctrina, vel cognitio: ſed etiam ipſa in Dei promiſſiones per Chriſtum acquieſcens aſſenſio & voluntas: quæ parit ex ſe tanquam vberrimum fructum ἁγνείαν, id eſt, caſtitatem. Hæc autem caſtitas non tantùm abſtinet alieno thoro & libidine laſciua: ſed omni vitę impuritate, quæ Chriſtianæ ſanctitati contraria eſt. Ex his igitur quatuor fontibus penè omnis vitæ ſanctitas, reformatio & exemplum naſcitur. Ergo vanę illę Epiſcoporum commendationes ex inſulis, lituo ſiue pedo, chirothecis, annulis, cothurnis, ſandaliis, & cæteris huiuſmodi nugis faceſſant, quę in Papatu, tamen tanquam certiſſima Epiſcopatus inſignia, ornamenta, & teſtimonia dantur, & ſolenniter geſtantur.

13 *Interim dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.*

Ἀκολούθησις eſt. Nam ſequuntur varię exhortationes, quas muneris Eccleſiaſtici dignitati conſentaneas eſſe vidit Paulus, & neceſſariò addendas. Ex his autem quantum ſit hoc onus, quámque ſedulò C capeſſendum & diligenter exercendum intelligere certè debemus, ne ſegnes ſocordéſve ipſo Epiſcopatus titulo, vel faſtigio turgidi & inſolentes, vel etiam reditu & bonis contenti torpeamus. Sũt enim hæ cohortationes, tot Spiritus ſancti aduerſus paſtores negligentes & muneris ſui grauitatẽ non apprehendentes fulmina vel tonitrua. Neque enim tam Timothei gratia dicuntur iſta, quàm omnium paſtorum, quorum veriſſimam & optimã ideam nobis in Timotheo format & pingit. Denique ſi tam ardens in Dei metu & tantus vir Timotheus iis ſtimulis eguit, quid nos? & quot quãtiſque exclamationibus & puncturis ſumus excitandi? Eſt autem hic exhortationis & admonitionis locus non vnus, ſed quadruplex. Omnes quidẽ eò tendunt, vt ſedulò & diligenter paſtores ſuo muneri intendant & incumbant, quilibet tamen locus exhortationis habet quoddam peculiare & neceſſariò conſiderandum.

Prima igitur hæc eſt exhortatio & admonitio, attendendum & aſſiduè verſandum Miniſtro Euãgelico in Sacræ ſcripturæ lectione. Vox enim, *lectionis*, generaliter hoc loco enunciata ad Sacræ

A ſcripturæ tamen lectionē ſpecialiter reſtringi debet, quia non ſimpliciter hoc requirit à Paſtoribus Paulus, vt aliquid legant quodcūque tandem ſit,ſed vt ſacrum Dei verbum euoluant. Hanc eſſe Pauli mentem apparet ex fine, propter quem attendendū lectioni docet, nimirum vt paſtor Doceat gregem ſuum, & Exhortetur, quæ ſunt duæ muneris eccleſiaſtici partes præcipuæ. Doctrina, in Verorum dogmatum traditione, & Falſorum refutatione poſita eſt. Quorum neutrum vllus facere,niſi apprimè & abundè verbo Dei inſtructus & diligenter in eo verſatus,poteſt,cùm ex eo vno fonte & veritas Dei ſit haurienda, & mendacium illis armis oppugnandum,illóque gladio iugulandum,Actor.18.v.28.

Exhortatio eſt in Bene iam currentibus confirmādis,Improborum acri reprehenſione:denique in frigidis excitandis. Illi autem ſtimuli non niſi ex Dei promiſſionibus & minis,addi poſſunt.Hęc igitur omnia Dei verbo continentur,quod idcirco & verſandum & meditandum eſt diligenter. Ergo non ſatis eſt Epiſcopos & paſtores quædam B legere (nam nec fabulas Poetarum, nec vanas & inutiles Philoſophorū ſcriptitationes terere debent,aut iis immorari)ſed oportet eos Dei verbū ſcriptum aſſiduè contrectare. Vt autem ad Phariſæorum ſcripta & ſcholas non remittit ſuum Timotheum Paulus, neque nos etiam ad Scholaſticorum & Sophiſtarum Sorboniſtarū Academias reuocandi ſumus,vt veri Theologi euadamus: ſed ad ſacrum Dei verbum & ad eas ſcholas,vbi illud purè docetur.

Sic Paulus 2.Timot.4.v.13.libros ſuos & membranas,in quibus aliquid deſcripſerat priuatę memorię cauſa,ſibi Troade afferri vult.Similis locus 2.Pet.1.v.19.Diſſimilis Matth.10.v.19.Reſp. Chriſtum quidem nolle paſtores eſſe in legendo Dei verbo negligentes:terreri tamen nos non vult vel cōſpectu vel doctrina vel fama noſtrorum aduerſariorum,cùm ipſe nobis ſit ſuo ſpiritu potentiſſimè affuturus, & quæ ad conuincendos veritatis Dei hoſtes neceſſaria ſunt ſuggeſturus.

Addit Paulus,*donec venio*.Quę limitatio nō C excludit tamen reliquū tempus,quaſi præſente Paulo Dei verbum contemnere Timotheus debuerit.Nec facit paſtorum, & pręceptorū noſtrorum magna & excellens doctrina, vt in Dei ſcriptura euoluenda fiamus deſidioſiores : ſed contrà nos magis illorum egregiæ dotes debent excitare, vt quæ illi proponunt doctiſſimè,ad exemplū Theſſalonicenſium,cū ſcripto Dei verbo conferamus, diligentiúſque & lubētius à tātis viris ediſcamus.

Denique quod nullum tempus præſcribit Paulus,ac ne longiſſimum quidem, poſt quod ceſſare debeat à ſtudiis Timotheus, oſtendit nos per totum vitæ tempus proficere poſſe : tamen non facit, vt videatur inepta certorum annorum certíque ſpatij definitio, intra quod tum Theologiæ, tum aliis artibus & facultatibus ſit ſtudendum,operáque ponenda, quanquam potius ex ipſo cuiuſque profectu id diiudicandum eſt, qui apti ſint ad miniſterium vel gradum adipiſcēdum, quíque plurimū profecerint,quàm ex ipſo temporis curriculo & ſpatio, quo verſantur in Academiis. Quod autem quidam putant, & ex hoc loco colligunt fuiſſe ſcriptam hanc epiſtolam, cùm Paulus in Syriam poſtremùm venturus eſſet, non video habere ſatis firmum argumentum & fundamentum. A

14 *Ne negligito donum quod in te eſt:quod datum eſt tibi ad prophetandum,cum impoſitione manuum presbyterij.*

Secūda exhortatio ab officio vel fine donorum Dei,quam amplificat etiam à circunſtantia, eáque duplici nempe à Doni Dei excellentia, quo pręditus erat Timotheus,& Prophetia quæ de Timotheo præceſſerat,quod vtrunque delebit & deturpabit Timotheus,niſi ſuo muneri diligenter operam nauet & impendat. Eodem verò modo debet quiſque animaduertere , quæ à Deo dona peculiaria acceperit, ne apud ipſum otioſa & infructuoſa lateant , aut inutilia maneant, & defoſſa : ſed vt illa in Eccleſiæ vſum communem, propter quem illa talenta data ſunt à Domino, conferantur.

Similis locus Matth.25.v.14.1.Pet.4.v.10.

Quò autem maiora ſunt Dei dona erga nos, eò diligentiores in cæteris lucrandis eſſe debemus B, ne illa apud nos otioſa iaceant , vel rubiginem contrahant. Nam cum fœnore à Deo repetentur.

De Prophetia autem, quæ de Timotheo præceſſit,quod dicit hoc loco Paulus, etſi quidam ſic explicant, quaſi finis illius Dei doni oſtendatur: non autem vlla inſignis prædictio Dei & teſtimonium de futuris in Timotheo donis antegreſſa ſit:tamen malo accipere vti ſupra 1. verſu 18.& 2. Timoth.1.v.9. Explicatum autem eſt à nobis ſupra eo ipſo cap.v.18.

Χάρισμα autem dixit Paulus,non χρίσμα, ne quis hebes Papiſta putet chriſma,quo ipſi ſuperſtitioſè vtuntur ad ſuos Sacerdotes & Epiſcopos vngendos & inaugurandos, hîc eſſe à Paulo commemoratum & quæſitum.

De impoſitione manuum infra, vti & de voce hac *Presbyterij*, quæ cœtum ſignificat Presbyterorum contra quàm ſentit Eraſmus:putat enim ille Epiſcopatum ſignificari hoc loco, & finem deſignari non inſtrumentum & modum , quo vocatus eſt Timotheus:infra dicetur cap.5.v.22. C

Hic locus commendat authoritatem Presbyterij,& vocationes ordinarias,quę hominum miniſterio fiunt,quàm qui maximè ,ne quis prætextu ingentium donorum & egregiæ ſuæ doctrinæ in Eccleſiam intrudat ipſe ſeſe, cùm Timotheus tantus vir etiam de quo præceſſerant ſpiritus Dei apertæ prophetiæ, tamen ordinario modo deſignatus ſit miniſter & præco verbi Dei.

15 *Hæc exerce,in his eſto:vt tuus profectus manifeſtus ſit inter omnes.*

Tertia admonitio de ipſa operis difficultate, vt ea perſpecta diligentius paſtores ſuo muneri incumbāt.Habet autem ſummos ſtimulos ipſa ſtyli,quo Paulus vtitur,ratio,*meditare* (ait)*in his eſto*. Vrget enim paſtores ne alibi diutius aut lubentius occupentur, quàm in hoc munere ſuo, tanquam in ſua Sparta exornanda. Ergo damnantur ex hoc Pauli dicto paſtores omnes, qui in iis, quæ propria ſunt ſui muneris,perfunctoriè & παρέργως verſantur:in aliis autem rebus, quæ propriè ad eos non pertinent, ſeriò, aſſiduè & diligentius

A tius inſunt eáque ſatagunt. Faciunt enim ἔργον πάρεργον: & πάρεργον ἔργον,vt ait Prouerbium vetus, cõtra exemplum Apoſtolorum,qui cùm ſe viderent à vero ſui muneris officio propter curam menſarum diſtrahi & auocari, quamquam ea res & ſancta erat & pia, tamen voluerunt ſe ea cura leuari, vt liberius meliúſque veris & potioribus exercitiis ſuæ vocationis inſeruirent ac incũberent. Nec valet hæc quorũdã paſtorũ, qui ſunt πολυπράγμονες excuſatio,quòd Reipubl.commoditas,& ratio poſtulet, vt in iſtis ciuilibus & extraneis rebus ipſi verſentur,& occupentur.Facit enim hæc ratio, vt hodie quidam Epiſcopi potius ſint militares Duces,vel pręfecti ærarij:vel forenſes iudices,vel cãcellarij regni,vel Cõſiliarij regni,quàm paſtores, miniſtri & præcones verbi Dei cœleſtiſque doctrinæ,& pabuli gregi ſuo diſpenſatores.Denique quid illis Epiſcopatus eſt aliud,quàm reditus quidam pinguis & opulentus vel ad fruendas voluptates,vel ad familiæ onera ſuſtinenda,quæ ampla eſt, interea dum aliis negotiis vacant, quæ tamen ab Epiſcoporum munere ſunt alieniſsima?

B Μελέτα. Meditatio non eſt leuis quædam cogitatio,ſed aſſidua & frequens eiuſdem cogitationis repetitio,cura,& mentis volutatio,vt aptiores ad id, quod meditamur,fiamus.Sed non ſolum horũ præceptorum cogitationem requirit Paulus, imò verò etiam executionem & praxin,ne contemplatiuæ vitæ homines hinc ſibi patrocinium quærãt. Ex hoc etiam ipſo oſtenditur,quàm ſit difficile & arduum hoc miniſterij opus quocirca diligenter eſt in illud incumbendum.

Profectus tuus.)Eſt finis quem in munere ſuo faciendo ſpectare debet paſtor Euangelicus, nempe propagatio Dei gloriæ, & ipſiuſmet Eccleſiæ maior in dies profectus & incrementum. Itaque vocem,*Profectus*,non refero ad perſonam Timothei:ſed ad Eccleſiam potius.

Manifeſtus ſit)Quid ſi nullus profectus, nullum incrementum Eccleſiæ appareat, éſtne propterea paſtori deſperandum?Eſtne etiam ipſe propterea, vt deſes & negligens damnandus?Reſpond. Hoc quidem lugendum eſſe,ſine vllo profectu prædicari Dei verbum : ſi tamen paſtor quantum in ſe C eſt,ſyncerè paſcat gregem ſuum,vigilet, in eo ſit totus,& officium faciat, neque illi deſperandum eſſe : neque eum, vt negligentem,damnandum, 1.Pet.5.v.2.

16 *Attende tibi ipſi & doctrinæ: perſiſte in iſtis. id enim ſi feceris,& teipſum ſeruabis & eos qui te audierint.*

Quarta exhortatio à fructu huiuſmodi laboris, & eo quidem vberrimo.Eſt autem is fructus,ſalus animarum, tum in Paſtore ipſo,tum in Grege & Eccleſia. Quod vt fiat vult Paulus vt quilibet paſtor Euangelicus,Attendat ſibi,& Perſiſtat in officio.Attendat autem,id eſt,diligenter videat: & non perfunctoriè conſideret, & Qualis ipſe ſit in ſeſe & moribus,& Qualis ſit ea doctrina, quam docet gregem Domini: vt ſi quæ vitia vel in ſeſe: vel in ſua doctrina ineſſe animaduertat corrigat, & emẽdet.Denique ea vitia potius à ſeipſo, quàm ab aliis diſcat,ne videatur negligenter aut perfunctoriè officium ſuum facere.

Perſiſtat verò,id eſt,continuet,neque fatigetur aut fatiſcat, néve ſuſceptum ſemel opus propter infinitas penè moleſtias deſerat. Id enim eſt non A modò leuis animi : ſed etiam infidelitatis & diffidentiæ de Dei miſericordia ſignum veriſſimum.Ergo perſeueret,quantumuis difficile opus hoc videatur.

Finis tandem & fructus ſuauiſſimus,atque adeò ſalutaris ſequitur,ſalus nimirum ipſius paſtoris dũ in munere ſuo obeundo fideliter Deo paret. Habent enim in eo ipſo optimum miſericordiæ Dei erga ſe teſtimonium paſtores, quia opera bona ſunt noſtræ adoptionis & æternæ ſalutis certa teſtimonia & indicia, præſertim quæ in cuiuſque vocationis opere implendo & obeundo apparent 1.Tim.2.v.15.

Ipſius quoque gregis ſalus conſequitur,quia ea ratione & per miniſterium Euangelij Dominus adducit ſuos ad ſalutem.Vnde Miniſtri Euangelici ſunt ſalutis hominum miniſtri & organa.Deus autem ipſe eſt illius author & cauſa.Eadem phraſi alibi quoque vtitur ſcriptura, vt Iacob.5.verſ.21. Prouerb.23.verſ.14. Hæc autem magna laus eſt miniſterij Euangelici, per quod ſeruari dicimur, vti quòd operarij cum Deo iidem miniſtri vo- B cantur 1.Cor.3.

CAP. V.

SEniorem ne increpato, ſed hortare vt patrem,iuniores vt fratres.

Μετάβασις.Tranſit enim iam, & ordine quidem Paulus, à doctrina ad mores, cuius vtriuſque rei cura ad veros paſtores & Eccleſię præpoſitos pertinet. Sed prius de vitiis, quæ doctrinæ ratione obrepunt,& hæreſes dicuntur,fuit dicendum. Poſtea autem de morũ vitiis, & eorum emẽdatione, quam hoc loco perſequitur,vti & in Epiſtola poſteriori ad hunc ipſum Timotheum, & ad Titum cap.2. Dicitur autem alio nomine hæc correctio & emendatio,cenſura Eccleſiaſtica, quæ poteſtatis clauium pars eſt.Sic autem & hoc loco & alibi loqui videtur Paulus,vt vni Epiſcopo totam eam tribuat,non autem toti ipſi Eccleſiæ,nõ item cœtui & ſenatui Presbyterorum. Id quod perperam intellectum duplicem errorem peperit. Primum C eorum,qui totam Eccleſiæ ipſius iuriſdictionem vnius tantùm perſonæ, id eſt, Epiſcopi arbitrio vindicarunt & aſſeruerunt, ex quo ipſo inducta eſt poſtea ſuperba Epiſcoporum tyrannis. Alterũ eorum,qui vt hunc errorem corrigerent, ipſi ſecundum induxerunt,& ad vniuerſam, quam vocant, Eccleſiam, id eſt, ad ſingulos de Eccleſia hanc poteſtatem retraxerunt, & ita per malum malo mederi ſtuduerunt, malo nodo vt eſt in Prouerbio,malum cuneum quærentes. Denique inciderunt in Scyllam, dum cupiunt vitare Charybdin.De quo toto argumento & vtiliſſimo, & futuræ diſputationis ſequentiúmque toto hoc capite præceptorum fundamento nobis aliquid eſt dicendum. Eſt autem hic ſtatus cauſæ & controuerſiæ(quæ etiamnum his noſtris tẽporibus acerbè à quibuſdam agitatur) Ad quos nimirum Eccleſiaſticæ cenſuræ ius & poteſtas pertineat. Hoc enim pro conceſſo ſumimus, quod tota docet ſcriptura,cùm vitæ ſanctè & honeſtè inſtituendæ gratia,& vt Dei gloriæ inſeruiamus, ſcriptura & doctrina cœleſtis nobis prædicetur, omnino neceſſe eſſe,vt aliqua ſit Eccleſiæ diſciplina & turpiũ

A morum emendatio,per quam homines tum in officio contineantur, tum, ſi ſemel abducti fuerint, reuocentur. Nam qui Eccleſiaſticam diſciplinam prorſus tollunt,quid aliud Eccleſiæ quàm laruam nobis inducunt,& omnem peccandi effrenem licentiam probant?contra quos Pſal.50. & Heb.12. v.8.& dictum Tertulliani de Habitu virginum,itē Cypriani lib.2.Epiſto.7.valere debet. Diſciplina enim Eccleſiæ, inquiūt illi, & caſtigatio Eccleſiaſtica morum eſt fidei cuſtos, quam qui repudiant, fidem ipſam nomine tenus habent.

Secundo autem loco poſtulamus & ſumimus hoc nobis concedi,quod eſt veriſsimum.Hāc morum correctionem & vitiorum emendationē,quę Eccleſiaſtica iuriſdictio & ius clauium dicitur,latiſsimè differre & toto genere diſsimilem eſſe à ciuili & politica, quam vocant, iuriſdictione, quæ Magiſtratibus competit.

Tertio denique & hoc quoque tanquam αἴτημα præſupponendum eſt, quod alibi verum eſſe probabimus, Deo dante,& iam ex parte docuimus B ſupra cap.3. ex veteri & bene conſtituta Chriſtianæ Eccleſiæ inſtitutione,non vnicum Epiſcopum id eſt,non vnam quandam dūtaxat perſonam ad regendam totam Eccleſiam electam & ordinatam fuiſſe (id quod nunc fit in Papatu) ſed plures ſimul delectos, quibus Eccleſiæ cura demādaretur, tum in iis quæ ad doctrinam pertinent & hi erant Paſtores, & Doctores : tum etiam in iis, quæ ad mores,& Pauperum ærarium,quales erant Paſtores iidem,Presbyteri,Diaconi.Ex quo fit vt à Tertulliano in Apolog.cap.39. Rectores Eccleſiæ dicantur non duntaxat ſoli Epiſcopi, ſed cum illis etiam Diaconi, & Presbyteri, tanquam ipſorum Epiſcoporum collegæ. Quod idem in lib. de fuga in perſequutione confirmat, & infinitis penè locis Cyprianus. Atque etiam Auguſtinus, veluti in Enchirid.cap.65.

Ergo his ita præmunitis quæſitum eſt, Vtrum ad vnum tantùm Epiſcopum, vel delegatum ab eo aliquem,ius cenſurę & emendationis morum, (quæ Eccleſiaſtica dicitur) eiúſque cognitio tota pertineat:an potius ad plures?Quod ſi pertinet ad C plures,vtrum ad totum cœtum Eccleſiæ,an ad ſingulos fideles qui ſunt de eo cœtu, an ad eos tantùm qui Eccleſiæ præfecti, Authores, ἡγούμενοι, & Præpoſiti dicuntur, quales ſunt Presbyteri & paſtores ſimul,qui alio nomine dicuntur ſenatus Eccleſiaſticus.

Ac primùm ad vnum duntaxat totam eam poteſtatem & cognitionem pertinere nō poſſe probat Chriſti & Pauli dictum. Chriſtus vult peruicaciam rebellium denuntiari & dici Eccleſiæ.Ergo non vni tantum,Matth.18.verſ.17. Paulus quæ geruntur in Eccleſia à Presbyterio fieri docet, id eſt, à quodam cœtu hominum. Ergo non à ſolo illius Eccleſiæ Epiſcopo, ſuprà cap.4.ver.14. Philipp.1.verſ.1.Actor.11.ver.30.Deinde Eccleſia ipſa Dei transformaretur in regnum terrenum, eſſétque iam Monarchia, non Ariſtocratia, ſi vnus in ea dominaretur,& omnia ſolus ageret.Quod fieri & eſſe vetant hi ſcripturæ loci Matth.20.verſ.25.1. Pet.5.verſ.3. Hieronym. ad Ruſtic.penes cœtum Presbyterorum,quem vocat ſenatum morum,cēſuram eſſe apertè ſcribit.

Denique mos ipſe vetuſtiſsimus primæ Eccleſiæ huic vnius dominationi in Eccleſia repugnat. Nā omnia ex cōmuni cōſenſu totius cœtus præpoſitorum A Eccleſiæ geri ſolita fuiſſe,nō vnius autem hominis duntaxat arbitrio,probāt hi ſcripturæ loci, vbi congregata fuiſſe Eccleſia dicitur ad res & negotia Eccleſiaſtica gerenda, & decernēda & diſpicienda Actor.15. v.4.22.v.30. Ioan.9.v.24. Actor.21.ver.18.1.Cor.5.v.4.16.v.3.

Nec in contrarium efficit quicquam eorum ratio,qui omnia,quæ tum in cœlo,tum in terra fiūt, ad vnum principium,non ad plura reuocari variis exemplis docent, quæ fuit ineptiſsimi cuiuſdam Itali & Veneti Cardinalatum ambientis recēs pro Papiſtica & Romana tyrannide in Eccleſia tuenda defenſio. Hoc enim verum eſſe concedimus, & ipſam Eccleſiam vnicum caput habere ipſi contendimus:ſed Chriſtum,non autem hominem vllum mortalem, à quo capite, & eo quidem vnico & ſummo, ſunt cæteri,tanquam à ſummo iudice, delegati,qui paſtores in Eccleſia præficiuntur. Et vt inter ipſos delegatos nullus ſine ſacrilegio & læſæ maieſtatis crimine ſummi magiſtratus ius ſibi vindicare poteſt:ita nec in Eccleſia vel vniuerſa, B vel particulari quiſquam ius ſummi paſtoris & ipſius capitis ſine aperta in Chriſtum blaſphemia nomen ſibi tribuere debet. Quod item obiiciunt, olim ſub lege fuiſſe inter Leuitas vnum quendam ſummum ſacrificatorem & Sacerdotem,habet facile reſponſum. Quia certis figuris ſub lege,Chriſti dignitas,vti & Sacrificium adumbrabatur, donec ipſe apparuiſſet,fuiſſe propterea vnum quendam inter multos fratres ſummum Sacerdotem, qui Chriſti figura erat. Itaque fuit ea res legalium cæremoniarum pars, quæ omnes Chriſti aduentu abolitæ ſunt, & quæ ſine piaculo à Chriſtianis in vſum reuocari non poſſunt.

Nec efficit etiam quicquam hæc quorundam obiectio,qui idcirco putant ab vno quodam (cui hæ partes ſunt totius Eccleſiæ conſenſu demandatæ) veluti Epiſcopo, aut ipſius officiali,cenſurā Eccleſiaſticā fieri, quia quod agit, vt delegatus ab vniuerſa Eccleſia agit,non vt priuatus. Delegatio enim iſta nunquam vel ab Eccleſia fieri,vel à quoquam ſuſcipi ſana conſcientia poteſt, cùm alium ordinem ad ſeipſam regendam inſtituere Eccleſià C ipſa vniuerſa non poſsit,quàm illum,quem Chriſtus & ipſius Apoſtoli præſcripſerunt,& obſeruari præceperunt. Illi autem regiam iſtam vnius in Eccleſia regenda authoritatem,vti docuimus, ſiue per vſurpationem, ſiue per delegationem inſtitutam damnarunt. Neque enim vti homines in rebus politicis, quæ ad hanc corporis vitam pertinent,multa mutant,inſtituunt, corrigunt, figunt & refigunt, ídque iure & prudenter : ita in ipſius diſciplinæ & cenſuræ Eccleſiaſticę eſſentia immutare & nouare quicquam poſſunt, quia huius diſciplinæ finis & ſcopus animas ſpectat, & ad earum gubernationem refertur, vtque ad pœnitentiam homines adducātur. Cuius [illegible] cognitio, efficacia, modus,ratio,& iuriſdictio ſolius Dei propria eſt, ei nota & relicta : nullius autem regis aut cœtus mortalium imperio aut prudentiæ conceſſa. Ergo immutare ipſius cenſuræ & diſciplinæ Eccleſiaſticæ fundamentum(quale eſt,vt ex Ariſtocratica fiat monarchica adminiſtratio Eccleſiæ) nemo homo,quamuis Rex & Imperator poteſt,ac ne vniuerſus quidem ipſius Eccleſiæ cœtus. Accidentalia quidem moderari poſſunt, quæ pertinent ad

faciliorem

A faciliorem iſtius diſciplinæ & cenſuræ vſum vel praxin. Atque eo ſenſu concedimus formam diſciplinæ vel cenſuræ Eccleſiaſticæ eandem in omnibus gentibus conſtitui non poſſe. Nempe quum de accidentalibus, non autem eſſentialibus vel diſciplinæ, vel cenſurę Eccleſiaſticæ diſputatur. Nā eſſentialia eadem vbique gentium in Eccleſiis Dei eſſe debent: accidentalia mutari & variari ex variis cauſis poſſunt. Ergo ad plures illud ius, ea cognitio, & poteſtas gerendi & decernendi & diſpiciendi pertinet. Sed vtrum ſic ad vniuerſam Eccleſiam, nimirum, vt ſuffragium ſinguli in Eccleſia de qualibet re Eccleſiaſtica ferant, vbi aliquis admonendus vel reprehēdendus erit? Reſ. Per ſolos Eccleſiæ ἡγεμόνας & præpoſitos eam poteſtatē oportere exerceri, etſi totius Eccleſiæ communis poteſtas eſt, & in ipſius cœtus ædificationem à Chriſto conceſſa & relicta: non ſolùm autem præpoſitorū ipſorum gratiâ aut ratione eſt. Atque noſtra hæc ſententia, cui multi obſiſtunt, planè eſt confirmāda, B ſcilicet ad ſolos Eccleſiæ præpoſitos eius iuris & poteſtatis exercitium pertinere, non autem ad ſingulos de cœtu & populo Eccleſiæ. Probatur autem his ferè rationibus.

Primùm authoritate verbi Dei Actor. 11. ver. 15. 21. & 22. Petrus & Paulus coram Apoſtolis & præpoſitis rationem reddunt ſui facti, non coram vno quodam Epiſcopo: quanquam, ſi quibuſdam credimus, iam erat Iacobus frater Domini Hieroſolymorum Epiſcopus. Non etiam ſinguli de Eccleſia in ſuffragia mittuntur. Sed coram præpoſitis Eccleſiæ, qui Eccleſia vocantur, ea tota diſputatio diſceptatur. Petrus ipſe priore Epiſtola cap. 5. ver. 5. negat ſe vllum in cœtum Domini habere principatum. Iudæorum mores tempore Chriſti, multa quidem in doctrina corrupta habebant: tamen veteris diſciplinæ & à Deo inſtitutæ veſtigia retinebantur. Itaque cùm Chriſtus ipſe ſuæ vitæ & doctrinæ rationem redditurus ſiſtitur, conuocantur Scribę, Phariſæi, principes Sacerdotum, id eſt, præpoſiti Eccleſiæ, totúmque ſynedrion: non autem ſolus ſummus Pontifex ſibi de Chriſto ſumit C iudicium. Non item iudicant ſinguli de populo, ſed qui præpoſiti erant Eccleſiæ duntaxat. Denique Chriſtus nos iubet ad plures, non ad vnum tantùm aliquem referre, ſi qui nos offenderunt, nobis ſponte non reconciliantur Mat. 18. verſ. 16. 1. Tim. 5. ver. 19.

Secundùm, ratione. Eſt morum coercitio & cenſura Eccleſiaſtica cum verbi Dei prædicatione indiuulsè coniunctâ, & illius tanquam appendix quædam 2. Timoth. 3. verſ. 16. Malach. 2. verſ. 4. Itaque Paulus ipſe præcipit, vt qui Eccleſiam paſcere volunt, iidem eam increpent 2. Timoth. 4. At Presbyteri ſunt Paſtores & ποιμένας Eccleſiæ, nō autem quilibet de populo. Ergo & ij ipſi, non autem ſinguli de populo, Eccleſiæ correctores, cenſores, iudices eſſe & conſtitui debent. Deinde iidem illi curam animarum noſtrarum habere dicuntur, vt eſt Hebr. 13. ver. 7. Iidem reprehenduntur, niſi nos admonuerint ſceleris noſtri, Ezechiel. 34. Iidem verbo Dei iubentur Eccleſiæ curam habere. Ergo ad eos, non ad populum cognitio & exercitium huius cenſuræ & poteſtatis pertinet. Denique vetuſtiſſimus Eccleſiæ ipſius Chriſtanæ mos & vſus idem probat. Nam ſemper Presbyteri cum eo, qui Epiſcopus dictus eſt, iudicarunt de ſcandalis & cēſuris, quæ cuiq; fieri debēt, Ambro. A epiſt. 28. Cyprian. epiſt. 39. & 40. non autem vnus ille Epiſcopus, quantumuis magnis animi dotibus excellens, non item quilibet de populo. Ergo hæc iuriſdictio eſt totius quidem Eccleſiæ, ratione poteſtatis, Præpoſitorum autem, ratione exercitij & adminiſtrationis.

Qui verò contrà ſentiunt, ad totum Eccleſiæ cœtum & multitudinem hoc exercitium poteſtatis pertinere, afferunt

1 Dictum Chriſti Matth. 15. verſ. 17. Dic Eccleſiæ. Reſp. Eccleſiæ nomen illîc accipi pro iis, qui totius Eccleſiæ authoritate fulti & vocati legitimè Eccleſiæ præſunt ac inuigilant. Sic quod Senatus Roman. decreuit, dicitur Romana ciuitas decreuiſſe. Sic conuocati principes tribuum Iſraeliticarum totum populum repręſentabant. Num. 1. v. 16. Ita explicatur etiam cā. Nullus. diſtinct. 63.

2 Obiicitur Paulus 1. Corin. 5. qui conuocaſſe videtur totam Eccleſiam, cùm ait verſ. 4. vobis & meo ſpiritu conuocatis in nomine Domini, cùm de inceſtuoſo iudicando ageretur. Ergo ad illius ſuffragia hęc cenſura pertinet. i. ad ſingulos de populo. B Reſp. Paulum decernere quidem quid ſit faciendum, ſed à Presbyteris & Senatu Eccleſiæ: id enim ſuffragiis populi non permittit. Itaque non pertinet ad populum ea deliberatio: ſed ad præpoſitos Eccleſiæ, populo aſſentiente. Aiunt Quod ad omnes pertinet, ab omnibus fieri debet. Reſpond. ex Ambroſio in lib. de Dignitate Sacerdotal. cap. 3. Agi quidem debere à quoque pro loco & munere, quod in Dei Eccleſia gerit. Aliud enim eſt, quod ab Epiſcopo requirit Deus: aliud quod à Laico. Sed cùm ſint paſtores & Presbyteri Eccleſiæ ἡγούμενοι, ad eos cenſurę iudicium pertinet, ad quos eoſdem pertinet immorigeros Deo diuini iudicij metu iniecto compeſcere. Ad totam verò Eccleſiam ſpectat diſcere alieno exemplo, quemque Deo rebellem pœna eſſe dignum. Itaque publicæ cenſuræ in Eccleſia fieri debent ad ipſius ædificationē, & vt intelligant omnes ſcelera in cœtu Chriſtianorum nō eſſe toleranda in cano. C Certum eſt 5. ſed adhuc 24. quæſt. 4. Aliæ obiectiones afferūtur, ſed omnino leues. Executioni igitur publicę cenſurę interuenire debet notitia & conſenſus Eccleſiæ audientis & admonitæ de pœna ſcelerati hominis & obſtinati: ipſius tamen iudicium & executio ad ſolos præpoſitos Eccleſiæ pertinet.

Quod autem quidam exiſtimant, vbi eſt verè Chriſtianus Magiſtratus, ibi nullam eſſe cēſuram Eccleſiaſticam debere, illi certè Eccleſiaſticam & Politicam iuriſdictionem inter ſe peſſimè confundunt. Deinde non vident ſe refutari Exod. 10. v. 8. vbi Eccleſiaſtica cenſura, & pœna politica locum in vno & eodem homine & negotio habet, diuerſo tamen reſpectu.

Auguſtinus certè vixit ſub imperatoribus Chriſtianis, & tamen idem libr. 11. de Geneſ. ad lit. cap. 40. docet ſolitos eſſe Epiſcopos vti aduerſus ſcandaloſos homines excommunicatione & cenſura Eccleſiaſtica. Idem confirmatur omnibus Synodis, quæ ſub Chriſtianis imperatoribus habitæ ſunt, vbi cenſuræ Eccleſiaſticæ & confirmatæ & retentæ ſunt. Idem denique, ſi quis hoc etiam genus probationis admittat, tota 24. quæſtio. 4. Sed & Deus ipſe pœnam exigit à nobis ſcelerum noſtrorum tum in corpore, tum in anima. Nec ea

A ſanè eſt duplex pœna: ſed vna tantùm. Tanta enim peccato debetur, & ea, per quam & animus & corpus peccatoris puniatur, quia peccatum hominis & totius ſuppoſiti actio eſt.

Quibus expoſitis iam accedamus ad ipſa Pauli verba. Diſtinguit autem hoc loco homines Paulus ab Ætate, & Sexu. Ab ætate, alij ſunt Seniores, alii Iuniores. A ſexu, alii ſunt Mares, alii Fœminę. Hîc enim πρεσβυτέρων vocem ad ætatem refero, non autem ad dignitatem Eccleſiaſticam, quemadmodum tamen ſæpe accipitur, velut inf. verſ. 17. 19. & 1. Pet. 5. verſ. 1. Id quod ex ἀντιθέσει & voce νεωτέροις apparet. Cur autem hæc præcepta danda exiſtimauerit Paulus, ratio eſt, quòd oporteat miniſtrum verbi Dei & paſtorem ὀρθοτομεῖν, id eſt, rectè & pro cuiuſque captu & vtilitate diſpenſare ſanā doctrinam, & quæ ex ea proficiſcūtur admonitiones 2. Timoth. 2. v. 15. Id quod feciſſe Ioannem animaduertimus 1. Epiſt. cap. 2. v. 12. 13. 14. Sed obſtat quòd hac ratione, quam inducit hoc loco Paulus videtur haberi & præſcribi acceptio perſonarum, quā in vero & fideli diſpenſatore verbi ſui eſſe vetat Deus Mala. 2. v. 9. Præterea cùm in Chriſto neque ſit mas, neque fœmina, neque ſeruus, neque liber, neque ſenex, neque adoleſcens, cur iſta vel ſexus B vel ætatis ratio & diſtinctio fit? Reſpon. Perſonarum acceptionem non induci, cùm omnes reprehendantur qui peccarunt. Sed aliud eſt prudens & fidelis verbi doctrinæque cœleſtis diſpenſatio, quam Paulus ὀρθοτομίαν appellauit: aliud autem perſonarum gratioſa & damnata acceptatio, quæ dicitur προσωποληψία. Quod autem affertur in Chriſto neque marem eſſe, neque fœminam Galat. 3. ver. 28. aliò prorſus pertinet, quàm ad hoc argumentum.

Quæritur etiam vtrum hæc præcepta ad priuatas tantum, an verò ad publicas etiam reprehēſiones, quæ fiunt à Miniſtris, pertineant. Publicæ verò ſunt admonitiones, quæ & in conſiſtorio fiūt, & nomine totius Eccleſiæ à ſenatu Eccleſiaſtico, vel ab aliquo Presbytero, quamquam priuatim & domi fiant. Reſpond. Quidam ad priuatas tantùm admonitiones & reprehēſiones hæc præcepta referenda eſſe putant. Quidam autem ad publicas C duntaxat. Ego verò ad vtraſque, quia ſemper ratio ætatis & ſexus à nobis habenda eſt. In quaque enim ætate vt oportet tractanda, magna quædam non tantùm prudentiæ, ſed etiam charitatis pars poſita eſt, quæ vtraque & à publicis & à priuatis admonitionibus nunquam abeſſe debet, vt ſuum vſum & fructum habeant.

Illud autem notandum eſt, cum ita Paulus nos agere iubet, nolle tamē nos vel perſonarū acceptatores vel aſſentatores eſſe, vt alienis vitiis blādiamur & faueamus: ſed ne nimium acerba & acri agēdi ratione & oratione vtētes peccatores ipſos à Dei doctrina auertamus. Quæ certè acerbitas prorſus eſt inutilis, quamquam tamē grauitas eſt à paſtore retinenda Tit. 1. v. 7.

Hæc igitur ſunt de his rebus Pauli præcepta & rationes. 1 Paſtor Euangelicus, tanquam peritus animorum medicus, pro ſuæ ætatis & ſexus ratione tractato quemque, neminem imprudenti & acerba agendi ratione offendito. 2 Seniores tum mares, tum fœminas, peccantes tanquam patres & matres, paſtor Euangelicus leniter admoneto. 3. Iuniores tum mares, tum fœminas, peccantes velut fratres & ſorores idem commonefacito. A 4 Fœminæ imprimis autem iuniores ita à paſtore Euangelico moneantur, vt ſummus caſtitatis pudor in ipſa agendi & loquendi cum illis ratione eluceat & appareat.

Ἐπιπλήξῃς. Quidam ad pugnos & verbera referunt, quæ quidem infligi viris ſenioribus à Timotheo vetet Paulus: ſed perperam. Pertinet enim hic locus ad verba tantùm acerbiora in paſtore damnanda non ad verbera. Nam ſupra Paulus docuit non debere paſtorē eſſe percuſſorem & πλήκτην. Ratio verò horum omnium præceptorum eſt in vniuerſum duplex. Prima, quod omnis reprehenſio eſt ipſa per ſe iam acerba. Itaque quadam verborum lenitate eſt mitiganda, & tanquam condienda, vt ſit vtilis peccatori, lubentiúſque ab eo audiatur.

Secunda, quòd iſta ratione paſtores agentes, nō impetu quodam animi ferri, ſed ſumma charitate eos impelli apparebit, cùm vitia reprehendunt. Maiorem autem vim & pondus habet noſtra oratio, vbi ſibi perſuadent homines, ſe à nobis non animo iniuriandi: ſed ſummo beneuolentiæ affectu commoneri, & reprehendi.

Quod ad ſpeciales cuiuſque præcepti rationes, ſunt duæ. Prima, quòd ætas illa iuuenilis, qualis B fuit in Timotheo, omnino rationē hanc agendi neceſſariam eſſe ſuadet. Multò enim odioſiores ſunt reprehenſiones, quæ nobis ab adoleſcentibus fiunt, quàm quæ à ſenibus & maturæ iam ætatis viris. Senum enim prudentiam admiramur: atque illis propter ætatem facilè cedimus.

Secunda ratio, quòd hæc ſenum & iuniorum appellatio, quam preſcribit hîc Paulus, cum lege Dei maximè conuenit & conſentit. Illa enim iubet, vt ſenes, & ipſam ſenectutem veneremur. Vnde Seniores pro patribus agnoſcere ſuadet. Qui verò ſunt nobis ætate æquales, fratrum nomine & ſororum ferè vulgò, amicitiæ ergò, à nobis appellantur.

2 *Mulieres natu grandiores, vt matres: iuniores & ſorores, cùm omni puritate.*

Cùm omni caſtitate) Etiam in ipſo agendi cum C illis iunioribus fœminis modo, ne prætextu muneris & officij noſtri, imò verò verbi Dei, videamur impuræ libidinis ſemina quædam aut irritamenta iacere. Illud enim certè eſt accipere nomen Dei in vanum.

3 *Viduas honora quæ verè viduæ ſunt.*

Πρόσθεσις. Nam inter eas perſonas, quarum maxima & peculiaris quædam à nobis ratio habenda eſt in Dei Eccleſia, meritò cēſentur viduæ, de quibus idcirco hoc loco quædam præcepta Paulus tradit. Viduarum autem, quæ in Eccleſia verſabātur, ætate Pauli, duplex fuit genus, Vnum earum quæ ſimpliciter viduæ erant: Alterum earum, quæ Allectæ & cooptatæ erant in miniſterium Diaconorum. De primo genere agit primo loco Paulus, de ſecundo poſtea hoc ipſo capite verſ. 9. & ſeq.

Viduæ nobis à Deo commendantur paſſim in ſcriptura veluti Exod. 22. verſu 22. Zach. 7. verſ. 10. Pſalm. 146. ver. 9. & Luc. 7. verſu. 12. Hæc vidua erat, & aſpexit ſuper eam Dominus. Itaque in iure ciuili Vidua, Pupillus, & Peregrinus dicuntur Miſera-

A ſerabiles perſonæ li.2.Codic.i.tales,quæ ſint ipſæ per ſe miſeratione dignæ: non autem Deo exoſæ, ſed cui ſunt plurimum curæ,vt mirum videri non poſsit,ſi earum curam habuit Eccleſia Dei,præſertim fidelium & piarum. Itaque hos tres canonas de viduis ſubleuandis tradit Paulus.

1 Viduarum fidelium curam, quàm fieri poteſt,maximam paſtor Euangelicus habeto.

2 Viduas egenas liberi earum qui poſſunt,ſine onere Eccleſiæ alunto.

3 Quæ viduæ piæ ſunt & fideles & omnino deſtitutæ bonis, & aliis auxiliis, ab ipſa Eccleſia aluntor,& exhibentor.

Hos tres canones ex tota hac diſputatione colligimus. Ac quidem duos ex hoc verſiculo, nempe 1.& 3.Secundum autem canonem ex ſequenti verſiculo, qui eſt 4. Τίμα Hebræorum more dictum eſt, vti in præcepto quarto *Honora patrem & matrem*, qua voce non tantùm reuerenter & ſollicitè curandas eſſe viduas à paſtore intelligimus, ſed etiam alendas ab Eccleſia,& exhibendas, ſi aliũde B non poſsint ſe ſuſtentare. Hoc idem præceptum transferri ad vniuerſum pauperum fideliũ genus & poteſt & debet, qui ſi à ſuis poſſunt, debent ali ſine onere Eccleſiæ:ſin minus,ab Eccleſia. Debet enim inter nos ea vigere charitas & tanta, vt nemo inter nos egeat, quemadmodũ Dominus ipſe præcepit,neq; ſit mendicus Deut.15.v.4.non quidem vt pauperes qui ſunt eiiciantur:ſed vt alantur à nobis & ſubleuentur.

Vnde ſic olim etiam nondum planè corruptis Eccleſiæ Romanæ moribus à Gelaſio primo conſtitutum fuit,vt ex omnibus Eccleſiæ reditibus fierent quatuor partes (in quibus ipſis etiam fideliũ oblationes continebantur) ex quibus vna tantùm pars erat Epiſcopi: ſecunda clericorum: tertia in ſolidum pauperum,quarta verò fabricæ templi applicanda,quemadmodum relatũ eſt in cano.Quatuor autem & can.ſeq.12.quæſt.2.Adeò vt Bernar. epiſt.348.velit etiam ſacros Eccleſiæ calices vendi & diſtrahi,vt pauperibus ſuccurratur.Quod antea fecerat quoq; Exuperius Tholoſanus Epiſcopus, vt Hierony. ſcribit.

C *Verè vidua*) Quænam autem illa ſit verè vidua poſtea docet Paulus inf. ver.5. eſt autem quæ Pia eſt,& Deſtituta omni alia ope. Vnde illa Hierony. definitio, quæ eſt in illius quadam epiſtola ad Fabiolam non ſatis huic loco conuenit, vbi de officio paſtoris euangelici agitur. Vidua eſt,ait, cuius maritus mortuus eſt. Primum enim de piis tantùm viduis hic locus intelligitur, non de omnibus: deinde propriè quod ad ſubſidium dandum ſpectat,de iis tantùm intelligitur, quæ deſtituuntur omni alio auxilio & ope:nõ de omnibus egenis,etiam viduis.

4 *Quòd ſi qua vidua liberos aut nepotes habet,diſcant in primis* in *propriam domum pietatem exercere, & vicem rependere parẽtibus.hoc enim eſt honeſtum & acceptum coram Deo.*

Παρακολούθησις, ſiue Τάξις. Proſpicit enim viduis & docet à quibus illæ ſint alendæ. Nempe à propriis liberis,id eſt,filiis, nepotibus, abnepotibus in infinitum,ſi quos tamen illa habet, qui id facere poſsint. Videtur autem in genere ipſo dicendi Paulus alludere ad cap.21.Geneſ.v.23.vbi vidua ſic deſcribi videtur.

Vox igitur Μανθανέτωσαν ad liberos viduarum A pertinet. Æqua ſanè ratio, vt etiam hoc loco nepotes,& in infinitum alij, liberorum nomine cõprehendantur,quia ab auia tãquam à propria ſtirpe ſuam originem habent,& vt ſint.Itaque eos,vti authores, poſt Deum generis vitæque ſuę debent agnoſcere pij homines & filij.

Ratio huius præcepti hîc multiplex affertur à Paulo. 1 A conſequenti vel conſentaneis. Sibi ipſis hoc quodammodo liberi impendunt, quod in parentes ſuos conferunt: habent enim à parentibus, vt ſint, & ſunt cum illis vna caro & vnus ſanguis. 2 Ab officio,oportet liberos rependere parentibus quodãmodo quod ab iis acceperũt. Id enim lex ipſa naturæ iubet & dictat, quæ nos obligat ad ἀντιδῶρα, vt Iuriſconſulti docent, & ad ἀντιπελαργίαν, quam hoc loco vocat ἀμοιβὴν Paulus. Hoc exẽplo Ciconiarum facere docemur. 3 Ab honeſto. Hoc ipſum Deo gratum eſt & acceptũ. Quod ex præcepto *Honora patrem & matrem*, ſatis intelligi poteſt. Illa enim voce, *Honora*: non tantùm reuerentia quædam externa ſignificatur, B ſed etiam ſubſidium vitæ, quod eſt à liberis parentibus præſtandum. Quod officium etiam pietas hoc loco nominatur,& à Platone iuſtitia. At hæc omnia iura ſemel violant, qui religionis & Monaſticę vitæ,quam profitentur,prætextu,ſe ab ea de parentibus alendis cura liberatos eſſe contendunt,quòd Monachi facti ſint. Denique omne liberorum in parentes obſequium abiiciunt, & officium ſuum propter votum Monachatus à ſe ſemel ſuſceptum, ceſſare & nullum iam vſum aut locum habere debere ſentiunt.Quæ ſanè eſt horrenda impietas & omnis humani ſenſus violatio.

Quod autem de parentibus alendis à propriis liberis & nepotibus Paulus hòc loco præcipit & tradit,omnino latius patet. Omnes enim eos,qui parentum loco ſunt,etiam complectitur:non tantùm eos,qui nos è ſuo ſanguine genuerunt, qualis eſt patruus,amita,matertera,frater,& ſoror, denique quales ſunt omnes,qui nobis aliqua ſanguinis neceſſitudine ſunt coniuncti: quos egentes & inopes deſerere, cùm ipſi abundemus opibus, eſt certè criminoſum, nefas & impium. Eſt enim Charitatis regula amplianda, & ex pari ratione, C quid Dominus nobis hîc præſcribat,ſatis intelligi poteſt.Itaque Leuit.18.illæ perſonæ, quas commemoraui, nobis parentes ipſos referre dicuntur & pietas Abrahami nota eſt, qui patrem Thare aſſumpſit. Dauidis, qui omnes è ſua familia ſecum in deſerto habuit,& aluit,itémque patrẽ & matrẽ tuto loco depoſuit apud regem Moabitarum 1. Samuel.22.Idem in l.alimenta C.de negotiis geſt. ab hominibus profanis reſponſum eſt.

5 *Porrò quæ verè vidua eſt ac ſola, ſperat in Deo, & permanet in ſupplicationibus & precibus nocte ac die.*

Ἐξήγησις eſt ſiue ὁρισμός. Exponit enim quænam ſint illæ verè viduę,quas ſupra honorare pręcepit. Ex hac autem ipſa deſcriptione, quales viduæ piæ eſſe debeant,intelligitur.Hæc autem verba potius indicandi,quàm imperandi modo ſunt accipiẽda, quemadmodum fecit Ambroſius, ídque omnino rectè,& ex propria Græcarũ vocum ſignificatione. Ait igitur Paulus *verè vidua eſt ea quæ manet in precibus*: non autem ſic ait quaſi præcipiens, ve-

A rè vidua maneto, vel maneat in precibus. Primum igitur harum, quarum cura ab Eccleſia maximè ſuſcipi debet, conditionem proponit, & quàm ſit paſtorum Euangelicorum ſollicitudine digna, docet Paulus: deinde ab effectu ſiue proprio earum munere eaſdē depingit, nempe à precibus & pietate eximia. Eſt in cano. Vidua, diſtinct. 34. aliqua de viduis diſputatio ex Hieronym. ſed quæ nihil, niſi ſuperſtitioſum & mancum, habeat. Eæ igitur viduæ Eccleſię eleemoſynis ſubleuari debent, quę deſcribuntur hoc loco. Nam ex his Pauli præceptis etiam aliæ regulę & canones de pauperibus ab Eccleſia alendis ſunt decerpendi, vt & Paſtores, & Diaconi Eccleſiæ intelligant, quos in albo pauperum habere, quibúſque ex ærario Eccleſiaſtico ſuccurrere debeant, ne ſi aliud hominum genus alant, fucos potius quàm pauperes nutriant & paſcant: & temerè tenues Eccleſiæ opes profundant. Magna enim cura eſt adhibenda, vt prudenter, & quibus oportet, fidelium eleemoſynæ diſtribuantur, vt etiam 2. Theſſ. 3. docet Paulus.

B Videtur autem hoc loco proponi duplex veræ & pauperis viduæ deſcriptio, vna ab Etymi ratione & explicatione ſumpta, altera ab officio & munere earum. Nam cùm ait Paulus χῆρα ἐστιν ἡ μεμονωμένη vocis ipſius χήρας ſignificationem ſynonymo explicauit. χῆρα enim ἀπὸ τοῦ χηροῦν, quod eſt deſolare, deſtituere, orbare, proculdubio deducitur. Hoc autem ipſum vox ſequens μεμονωμένη planè deſignat, quæ ſolam eſſe, deſertam, & pręſidio deſtitutam ſignificat. Id quod ex Geneſ. 15. verſ. 3. videtur ſumptum. Sed à Latinis ipſis viduertas dicta eſt calamitas, vt ſcribit Sext. Pompeius. Hæc igitur μονώτης & ſolitudo non tantùm marito priuatam eſſe oportere hanc viduam docet (neque enim aliter vidua dici poſſet) ſed & liberis, & cognatis, & omni alio humano præſidio deſtitutam. Quæ iam conditio planè eſt afflictiſſima & commiſeratione, atque Eccleſiæ & paſtorum cura digniſſima. Quare ipſo viduæ nomine, id eſt, deſertæ & deſtitutæ mulieris appellatione, quæ certè ſtatum miſerabilem denotat, illæ nobis commendatiſſimæ eſſe debent. Vbi enim melior eleemoſyna, aut vbi iuſtior miſericordia eſſe poteſt, quàm vbi eſt maior miſeria atque afflictio? C Neque tamen, ſi quæ viduæ eos liberos aut propinquos habeant, à quibus præter officium deſerantur, ſunt ab Eccleſiæ eleemoſyna arcendæ, & deſerendæ, quia perinde eſt tales cognatos habere, atque omnino nullos. Hæc igitur eſt prima viduæ definitio.

Sequitur altera, ex qua maior etiam commendationis earum ratio apparet. Eas enim verè viduas appellat, quæ Pietatem habent, & Eam exercent ſuo ſpecialíque modo, qui eas deceat. Quod enim de viduis ait hoc loco Paulus, proprium quodammodo earum eſſe videtur, nō etiam commune cæterarum mulierum. Eſt verò vtraque definitio coniungenda: vt quæ ſit vera vidua, poſſit agnoſci. Neq; enim omnis quę ſola eſt & deſtituta alieno auxilio, eſt vera vidua, ſi piā ſe non præſtet. Neque omnis mulier, quæ pia eſt, vidua quoque eſt, aut ea vidua, de qua hîc Paulus agit, quæ ab Eccleſia debeat ali, veluti ſi non eſt μεμονωμένη. Neque enim omnes etiam, quę ſolæ ſunt & deſertæ, piæ ſunt: ſed quæ vtrunque miſera experitur, ea demum verè eſt vidua.

Spes autem in Deum hoc loco continet περιγραφὴν fidei, cuius ſpes eſt effectus. A Itaque perinde eſt, atque ſi diceret Paulus eam eſſe viduā, quæ veram fidem habet. Appoſitè tamen ſpei potius (quæ aduerſus res duras & afflictas pugnat) quàm fidei nunc meminit, quia de afflictis perſonis agit, quas ſpes corroborat, vt intelligamus qualem ſe præſtare Chriſtianam viduam oporteat in rebus acciſis, & cùm ſe omnino deſtitutam videt. Nimirum igitur in Deum ſperare debet, non autem animi diffidentia deſperare, aut propter huiuſmodi res aduerſas veram religionem abiurare, aut inſtar infidelium mulierum in Deum ipſum impiè murmurare, & blaſphemare.

Permaneat in ſupplicationibus.) Hoc iam ptopriū eſt Chriſtianarum viduarum munus, & earū quæ ſunt maximè ab Eccleſia ſubleuandæ, vt ipſis externis actionibus & operibus ſe totas Deo eſſe deditas atque conſecratas oſtendant. Itaque συνεκδοχικῶς Paulus à parte & ſpecie totum genus piarū externarúmque actionum expreſſit. Simile quiddam de Anna Phanuelis filia & prophetiſſa narrat Lucas 2. verſ. 37 & 1. Samuel. 2. v. 22. facta eſt eius conſuetudinis mentio. Ergo aſſiduitas iſta precā- B di demonſtrat huiuſmodi viduam eſſe debere, quæ, omnibus aliis rebus poſtpoſitis ſoli Deo, ipſiúſque negotiis & Eccleſiæ inſeruiat & vacet. Denique ea curet, quæ ſunt Domini, non autem mundi huius, vt loquitur idem Paulus 1. Corinth. 7. verſ. 32. Nam quæ nupta eſt mulier, varia ſolicitudine, variíſque curis & cogitationibus ſæpe propter familiam diſtrahitur, ne tam liberè támque aſſiduè, & frequenter precibus publicis intereſſe, & de Deo ipſo cogitare poſſit. Hæc igitur ſunt quodammodo propria viduarum opera, quia hęc aſſiduitas precationū non poteſt pari modo à reliquis exigi quæ non ſunt, vti viduæ, ab omnibus impedimentis ſolutæ, ſed occupantur in iuſta rerum domeſticarū cura, qualis erat Martha Luc. 10. verſ. 40.

Obſtant verò duo huic Pauli præcepto: è quibus primum eſt, videri Paulum magnam hominū animis ſuperſtitionem iniicere, cùm Chriſtianas mulieres vult diem & noctem in precibus permanere. Atque iſtæ videntur fuiſſe ſuperſtitioſæ Monacharum & Monialium inſtituendarum cauſæ, C nimirum vt illæ nihil niſi precarentur: & tum pro ſe, tum pro aliis, preces Deo aſſiduè funderent.

Cuius etiam vitæ exemplum Meſſalianorum hęreticorum erroribus, & moribus inductum eſt, ſed eſt prorſus à Dei præceptis alienum. Itaque Pſallianorum hæreticorū ſurculus vel potius propago miſerrima fuit iſtud Monachorum inſtitutum, vt ex Caſſiano, qui prolixè omnes iſtas nugas deſcripſit, facilè colligi poteſt. Reſpond. Non laudari hîc à Paulo otium illud inutile & ſuperſtitioſam precationum inſtitutionem, qualem hodie habent obſeruántque Monachi, vel etiam alij Papiſtæ ſuperſtitioſi, qui ſuas etiam preces venales habēt, quemadmodū olim inter Ethnicos pręficæ illæ in funeribus adhibitæ mercenarię: ſed tantùm oſtendit Paulus ecquod ſit verum & legitimum earum, quæ nullis negotiis domeſticis diſtrahuntur, exercitium, nempe, vt in iis quæ ſunt Dei, prorſus ſe occupent, qualis eſt nimirum precatio, concionum aſſidua frequentatio, & reliqua huiuſmodi pietatis & charitatis veriſſima officia & exercitia.

A Neque tamen cùm hæc officia à viduis requirit Paulus, ab iiſdem reliquos homines & mulieres,veluti coniuges,excuſat:ſed ex comparatione, quæ etiã verſiculo proximo ſequitur, docet quod ſit potiſsimum viduarum mulierum,quę ſolę ſunt atque ſine familia, iuſtum ſtudium ac exercitium. Neque etiam hoc loco vlli verborum demurmurationi,quantumuis aſsiduæ,Paulus pietatem alligat,ſed ex opere externo,quæ ſit interna fides & pietas,& vt deprehendi poſsit,ſolùm demonſtrat. Nam poteſt in ea ipſa aſsiduitate precandi ineſſe damnabilis ſuperſtitio,quam non probaret certè quidem Paulus: quales quædam mulierculæ cernuntur maximè in Papatu, quæ omnes aras atque omnia templa quotidie circumeunt, tanquam in iis Deus habitet aut colatur ſanctius : aut etiam ipſo precum & vocum repetito numero delectetur, contra Domini noſtri Ieſu Chriſti ſententiã Matth.6.v.7. Itaque res ſuas domeſticas, curámque familiæ & mariti præter officium deſerunt. Quid de iis dicam,quę coniuges cùm ſint,etiam in Ieſuitarum,id eſt,peſsimorum idololatrarum or- B dinem,inuitis maritis,cooptari ſe volunt?

Obſtat item quod in Actis Apoſtolorum 9.v. 39. affertur, vbi alia viduæ Chriſtianæ exercitia deſcribũtur,nempe opera manuum, labores corporis, qualia ſunt nere,ſuere,ſarcire & cætera huiuſmodi,quę magnam humanę ſocietati commoditatem afferunt. Reſpond. Vtrumque rectè inter ſe conuenire & conſentire. Nempe Dei cultui intereſſe aſsiduè, quod hîc deſcribitur: & pauperum curam habere, ac ea, quæ prodeſſe illis poſſunt,parare,quod faciebat Dorcas. Vnum enim alterius comes eſt.

6 *At quæ in luxu viuit*, ea *viuens mortua eſt.*

Ἀντίθεσις eſt, eáque duplex, Vna quidem, quæ ſuperiorem ſententiam illuſtrat ex contraria viduæ deſcriptione. Altera,quæ in ipſius verſiculi ſententia,quanquam breuiſsima, latet, habétque magnam emphaſin, pulchrámque inſolentis viduæ picturam, quam inf.ver.13. copioſiùs poſtea C perſequitur Paulus.

Primum igitur laſciuientem & luxu diffluentem viduam opponit veræ viduæ Paulus. Neque enim huiuſmodi ab Eccleſia ali vult, imò potius ſeriò admoneri, vt exitium ſuum intelligat & apprehendat. Vocat autem eam σπαταλῶσαν,qua voce idem ſignificare videntur Græci quod vocabulo ἐντρυφᾷν,vt apparet ex Iacob.5.verſ.5.Eæ verò ſunt huiuſmodi omnes, quæ cùm viris ſunt orbatæ, delitiis,corporis voluptatibus,laſciuię indulgent, item ſumptuoſis veſtimẽtis,magnis virorum cœtibus inuiſendis delectantur, ſéque ita & corpore & vultu & cultu componunt,comũt,& cõparant, vt viris placeant, arrideant,ac allubeſcant, quales penè ſunt hoc noſtro ſeculo infinitæ. Itaque illæ etiam ipſo Dei flagello miſerrimæ gaudent, & lętantur,quòd viros ſuos, id eſt, optimum vitæ ſuæ ſubſidium amiſerint.Nam hac ratione ſe ad omnẽ laſciuiam perpetrandam liberiores eſſe iam putant.Certum eſt autem ſemper apud probas mulieres, & bene moratas etiam ciuitates alium fuiſſe viduarum,quantumuis iuuenes adhuc eſſent relictæ, & alium coniugum mulierum habitum, & cultum, vti ex libro Iudith, & hiſtoria Thamaris Gene.38.v.14.apparet & ex Tertull,non quidem, A vt aliqua ſuperſtitio in cultu induceretur: ſed vt modeſtia & honeſtas perſonarum & ordinum in Eccleſia conſeruaretur. Quæ certè diſtinctio honeſtati, atque etiam ipſius naturæ ſenſui conſentanea propter diſſolutiſsimos noſtri huius ſeculi mores iam ſublata & antiquata eſt, adeò vt magis comptæ & diſſolutæ viduæ noſtris his temporibus nunc incedant & cernantur, etiam quæ ſe Chriſtianas,ſi Deo placet,appellant,quàm & coniuges & maritatæ.

Alterum autem eſt,quod etiam hoc loco ἀντίθετον continet, nempe quod ait Paulus, ζῶσα τέθνηκε, id eſt, viuens mortua eſt. Quæ enim poteſt eſſe hæc vita, quæ tota offendiculi plena eſt.& certiſſimum futuræ mortis æternæ indicium ac teſtimonium? Hæc autem ſententia quamquam contradictionem implicare videatur, vt aiunt, & prorſus ἀδύνατος eſſe, facilè tamen explicari poteſt, quemadmodum docet hoc loco Chryſoſtomus.Eſt enim duplex,

Vita, { Corporis,
Animi.
& B
Mors { Corporis,
Animi.

Sæpe autem vita corporis cum animi morte coniuncta eſt,vt hoc loco. Sæpè autem diſiuncta ab ea, vt cùm pij corpore moriuntur, vt animo viuant:mundo moriuntur,vt Deo viuãt.Ergo viduę laſciuæ viuunt quidem corpore, animo tamen mortuæ ſunt. Sic infideles dicuntur & à Chriſto & à Paulo mortui 1.Cor.15.v.29.Matt.8.v.22.Sunt enim ad omnia quæ ad vitam æternam pertinent, immobiles,& inepti,& inutiles,vt ait Chryſoſtomus: vnde perinde atque mortuæ meritò inter pios cenſentur hæ viduæ.

7 *Hæc igitur denuntiato, vt ſint irreprehenſæ.*

Hæc repetitio, ſiue potius admonitio à Paulo facta ſuperiorem doctrinam valde vtilem eſſe docet, neque ſemel tantùm pronuntiandam, ſed ſæpius in Dei Eccleſia inculcãdã,vt animis hominum inhæreat altiùs. Eiuſdem autem maximus fructus hîc oſtenditur, cùm,ſi obſeruetur, omne C offendiculum ſublatum iri dicat Paulus, foréque Eccleſiam ipſam irreprehenſibilem,& boni apud omnes odoris.Fidelibus autem & infidelibus bene olere debemus omnes.

8 *Quòd ſi qua ſuis & maximè domeſticis non prouidet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior.*

Ἀπολογία eſt ſuperioris canonis de parentibus alendis à liberis, & contrà, quæ tum à turpi ducta dici poteſt,tum etiam à repugnantibus: eſt autem hæc ſententia generalis, quæ tam ad mares,quàm ad fœminas pertinet. Itaque relatiuo communis generis vſus eſt Paulus. Hoc autẽ pro certo & confeſſo ſumit,quod pii fatentur, debere Chriſtianum quẽlibet,ſiue marem, ſiue fœminam longè ſanctiori viuẽdi ratione omnibus innoteſcere, quàm infideles homines ſoleant: adeò vt quęcunque vel honeſtas ipſa,vel iuſtitiæ & pietatis leges poſtulant,ea lubentiſsimè omnia præſtare ſtudeat. Sic Chriſtus Matth.5.verſ.46. Nam ſi dilexeritis eos, qui diligunt vos,quam mercedẽ

A habebitis? nonne publicani hæc faciunt? Eſt etiam huius hypotheſeos & ſententiæ ratio apertiſsima ex definitione Chriſtiani viri, & Chriſtianæ doctrinæ ſiue religionis. Eſt enim vir Chriſtianus, qui cæteris hominibus vitæ ſanctioris facem in omnibus præfert Matth.5. Eſt enim Chriſtianiſmus vt Baſil. definit Homilia 10. in Examero. noſtra cum Deo ſimilitudo, quantum humana natura illius capax eſſe in hoc mũdo poteſt. Eſt igitur vir Chriſtianus non tantum, vt cæteri, ad Dei gloriam natus: ſed ad Dei optimam ſimilitudinem & perpetuum obſequium Deo præſtandum & formatus & intentus. Denique vt ait Paulus 2. Timo. 3. v. 17. ἄρτιος ἄνθρωπος πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. Id quod de infidelibus hominibus dici minimè poteſt. Itaque Paul. Rom. 13. & Petrus 1. epiſt. cap. 3. latum diſcrimen inter fideles & infideles conſtituunt: veluti quòd appellantur fideles filij lucis, homines Dei, & ſerui Dei. At infideles appellãtur filii tenebrarum, filii diaboli, & ſerui peccati. Ergo hic canon eſt, Chriſtianus quilibet vt cæteris exemplum ſit pietatis, ſuorum omnium, B imprimis autem domeſticorum curã habeat. Qui ſecus faxit, fidem abnegaſſe, & infideli deterior eſſe cenſetor. Voce προνοεῖν & animi & corporis noſtrorũ curam complectitur demandátque Paulus quamquam de alimentis maximè agit hoc loco. Neque enim qui corporis & vitæ huius caducæ curam habet, is animum, qui longè potior hominis pars eſt, debebit negligere: ſic interpretatur Chryſoſt. & confirmatur Deuter. 11. verſ. 19. Epheſ. 6. verſ. 4. in verbis ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου.

Suorum & domeſticorum) Omnes intelligit Paulus, qui ad nos ſiue iure ſanguinis, ſiue iure familię & ſubiectionis pertinent. Eſt enim omnium illorum à nobis cura habenda. Quamquam enim omnes non ſunt pari gradu coniuncti nobis, etiam qui ſanguinis neceſsitudine ſunt deuincti, nulli tamen ſunt à nobis ſpernendi & deſerendi. Quamquam etiam ſæpè in alienas familias tranſiiſſe vidẽtur noſtri liberi, vel per adoptionem ciuilẽ: vel per coniugia: propterea tamen ius illud & vinculũ ſanguinis non eſt abolitum, neque abruptum, vt eos negligere debeamus, Iura enim ſanguinis nullo modo tolli poſſunt. C Vnde perpetuò ad noſtrũ erga conſanguineos & cognatos officium præſtandum, ac curam de iis habendam iure naturæ, diuinóque præcepto manemus obligati.

Hos autem gradus ſtatuit hoc loco Paulus, vt Domeſticos primũ nobis commẽdet, & præferat iis, quos ἰδίους appellauit. Ratio eſt, quòd hi domeſtici, quos intelligit Paulus & ſanguis ſunt noſter atque etiam noſtræ familiæ pars, quæ nobis pręcipuè commendatur: & cui à Deo præficimur ſpecialiori atque arctiori quodam vinculo. Non vult autem ſeruos à nobis propinquis & cognatis pręferri, etſi ſerui ſunt domeſticorũ numero. ***Fidẽ abnegat*** qui ſecus facit ait Paulus: duplicem notam huiuſmodi hominibus inurit, & Infidelitatis & ferinæ vel beluinæ crudelitatis: vel etiam ſæuioris quam ferina eſt. Quæ vtraque ab homine debet certè quidem eſſe alieniſsima. Itaque hoc argumentum eſt à repugnantibus humanæ & Chriſtianæ charitati moribus ductum.

Fidem abnegare eſt non verbis ipſis diſertis abiurare fidem in Chriſtum, illius doctrinam, quam antea amplexus eras, iam exſpuere: ſed vim & fructũ illius ac præcepta, quæ fides Chriſtiana A tradit, ſpernere & cõculcare. Qua ratione dicit idẽ Paulus Tit. 1. v. 16. multos ore quidem profiteri Chriſtum, qui factis eum abnegent, quoniam illi ſunt Dei verbo immorigeri & rebelles. Docet autem fides Chriſtiana non tantùm omnem paternitatem & cognationem hominũ inter ipſos eſſe à Deo. Itaque ſperni ſine Dei ipſius contemptu non poſſe, vt docet Paulus Epheſ. 3. ver. 15. ſed etiã eam, ex illa paternitate, qua Pater Filium generat, quodammodo profluere. Docet etiam nos eſſe hac lege Dei filios, vt illi tanquam patri obſequamur, & quã cuique noſtrûm dedit pater ille clementiſſimus curam, prouinciã, locũ, & vocationem, eam lubẽtiſsimè tueamur: neque eam per incuriam aut negligentiam deſeramus. Præceptum enim Dei *Honora patrem & matrem* etiam parentes ad curam liberorum & Domeſticorum ſuorum obſtringit.

Videtur autem dici poſſe in iſtos crudeles aliquid amplius, nimirũ eos qui ſuos negligunt, eſſe non tantùm infidelibus peiores: ſed etiam brutis ipſis animãtibus deteriores & ſtupidiores, quę ex ſe nata ſuſcipiũt, fouent, amplectuntur, & educant, B ipſo naturæ inſtinctu tantũ impulſa, id quod certè verum eſt. Obſtare autem videtur huic comparationi quòd infidelitatis & contempti muneris notam ferè facit ἀστοργίαν Paulus, vti in epiſtola ad Rom. 1. verſ. 31. 2. Timoth. 3. verſu 3. At hîc etiam στοργὰς φυσικὰς Infidelibus hominibus relinquit. Reſp. Docere Paulum, cùm ita Rom. 1. verſ. 31. loquitur: quò tandem delabantur infideles, qui Deum contemnunt: non propterea tamen eos omnes, qui cœleſtis veritatis luce deſtituuntur, ἀστόργους eſſe omnino pronuntiare. In quibuſdam enim infidelibus manent iſtę ſtorgæ. At obiici poteſt, multi infideles fuerunt ἄστοργοι, & ſuorũ negligentes, quos etiam feris ac beſtiis ſæpè obiecerunt ac expoſuerunt. Reſpond. Paulum hîc loqui de iis, qui naturam humanam non prorſus exuerunt quales inter eos ſunt multi: qui naturales illos & inſitos à Deo omnibus hominibus affectus retinent & ſentiũt. Diſputat hîc inſulsè Thomas, C vtrum ex hoc Pauli dicto colligi debeat patres fideles ſuorum liberorum & domeſticorum negligentes, eſſe ἁπλῶς & omnino peiores & deteriores infidelibus & ethnicis, vt nulla iam in re iis ſint præferendi: ſed ſint vtrique inter ſe æquales & per omnia conferendi, adeò vt quemadmodum infideliũ paruuli baptizari non poſſunt, neque etiam iſtorum fidelium paruuli baptizari debeant. Reſpon. Hoc Pauli dictum eſſe κατά τι accipiendum. Quoad ipſos fideles hypocritas, planè in exitium illis cedunt Dei dona vt mitior ſit futura conditio & pœna Sodomę, quàm iſtorũ contemptorum Dei. Quòd autem ad ipſa Dei dona qualis eſt baptiſmus ſuũ habent effectũ, & firma ſunt, atque adeò valent ad eum finem, ad quem Deus dedit illa. Itaque vti ingratitudo Iudæornm non aboleuit ſignum fœderis nempe circunciſionem: ſic neque improbitas parentum efficit quò minus liberi ex fœdere in populo Dei cenſeantur. Particularis quidem effectus donorum Dei in ipſis improbis nullus eſt, generalis autem effectus eorundem manet propter baptiſmum & fœdus Dei, vt propterea non ſint omnino cum infidelibus exæquandi, nec debeant eorum liberi à Baptiſmo arceri.

A 9 *Vidua allegatur non minor annis ſexaginta,quæ fuerit vnius viri vxor.*

Τάξις. Ingreſſus enim Paulus diſputationem de viduis,quæ ab eccleſia aluntur, canonem addit de iiſdem valde neceſſarium,maximè pro ratione & illius temporis,& huius quod poſtea ſubſecutum eſt.Nam noſtro hoc ſeculo in omnibus reformatis eccleſiis ceſſat huius canonis & præcepti vſus. Ex quo apparet,quæ ad particularem eccleſiæ politiam pertinēt & pro ratione tantùm temporum aut locorum aut perſonarum conſtituta & recepta ſunt,ea nō eſſe perpetua:ſed pro diuerſa temporum, locorum perſonarum &c.circunſtantia mutari poſſe : quemadmodum etiam ex iis apparet,quæ à prima ſynodo Hieroſolymitana,quę ab Apoſtolis habita eſt,decreta ſunt Actor.15 Neque enim illa ſemper fuerunt obſeruata , quod in eo cernitur,quod de ſuffocato conſtitutū eſt.Illud enim prorſus hodie & ceſſat & ſublatum eſt.

Hic igitur canon de Viduis à Paulo ſancitur, vt inter diaconiſſas eccleſię,ea demum vidua B allegatur,quæ ſexagenaria eſt.In quo vox hæc, καταλεγέσθω non tantùm additionem ad numerum iam conſtitutum & aſcriptionem ſignificat :ſed etiam nouam eius ordinis in aliqua eccleſia, ſi quæ iis egeret,nullas dū tamē haberet,electionē. Id quod fieri neceſſe erat in iis eccleſiis, vti dixi, in quibus nullæ adhuc diaconiſſæ erant,& quæ tamē iis opus haberent.Itaque & deligi & allegi ſignificat hoc loco de nouo creare , ſi oporteat,& in album ſiue numerum iam electarum adſcribere.

Loquitur autem Paulus de Vidua fideli,& quę pietatem veram iam profeſſa ſit:non autem de infideli , id quod ex ſuperiori diſputatione ſatis apparet.

Duo autem ſpectari in iis viduis iubet Paulus è quibus alterum Abeſſe debet, alterum Adeſſe. Abeſſe hæc duo iubet, vt ſit minor ſexagenaria & Duos maritos habuerit. Adeſſe autem vult vt 1 Liberos ſuos educauerit. 2 Hoſpitalis fuerit erga extraneos. 3 Miſericors erga afflictos. 4 De omni bono opere teſtimonium idoneum habeat.Itaque ait Chryſoſto. eadē penè hîc à Paulo C in vidua requiri,quæ ſupra in epiſcopis ipſis.Et certè cùm hæ viduę munus aliquod in eccleſia habuerint,ídque publicū,tales deligi oportuit , quæ eſſent ædificationi omnibus ſiue fidelibus,ſiue infidelibus & & extraneis futuræ:ne Dei gloria , & Eccleſiæ progreſſio impediretur.

Hoc autem intelligatur,totum hoc argumentū altius arceſſendū eſſe,nēpe ex eo loco, qui eſt Act. 6.verſ.1.& 9.ver.39.Rom.16.ver.1.2.Nam legimus primam & Apoſtolicam eccleſiam ab ipſo ſui exordio habuiſſe mulieres Viduas imprimis,ad certa quædam & quotidiana tum erga vniuerſam eccleſiam ipſam , tum erga fideles pauperes & egenos fratres miniſteria deſtinatas,quæ poſtea Diaconiſſæ ad imitationem marium,qui Diaconi dicebantur,appellatę ſunt.Sic enim Phœben appellat Paulus Rom.16.ver.1.Cur autem id factum ſit & inductum in eccleſiam quæri poteſt. Nam non modò Paulus 1.Corinth.14.& ſupr.2.vetat mulieres loqui in eccleſia , & publicum aliquod munus gerere:ſed etiam quæcunque leges politicæ rectè vtriuſque ſexus diſcrimen agnouiſſe vidētur,quales ſunt Romanæ,idem faciunt. Illis enim mulier prohibetur publicum aliquod munus exercere l. A Mulier.ff.de Regul.Iuris.Cur igitur & ſibi ipſi iam non conſentire videtur Paulus:& rectè conſtitutū illud inter mares & fœminas diſcrimen tollere,atque adeo naturæ ipſi tanquam aduerſari?Reſp.neque ſibi,neque naturæ repugnare hoc Pauli præceptum: vel antiquiſſimum illum eccleſiæ Chriſtianæ morem , quæ huiuſmodi fœminas ad pauperum miniſterium accerſiuit , deditque illis in eccleſia munus atque aliquam dignitatem: publicam quidem ratione fructus & vtilitatis , quæ ad omnes ex ea proueniebat: priuatā autem ratione iniunctæ ipſis prouinciæ,& deſcripti deffinitique certis anguſtiſque finibus earū muneris.Differunt enim hæ Diaconiſſæ,atq; earū munus à Diaconis: ꝙ Diaconi toti ærario eccleſiaſtico & curæ vniuerſorū eccleſiæ pauperū præficiuntur : hæ verò certo cuidam miniſterio tantùm , atque adeo ſub Diaconis ſunt,quibus ſubiiciuntur & parent,reddúntque rationem ſuæ vocationis : Diaconi verò ipſi,toti eccleſiæ. Vnde non tam fuit munus hoc publicum , quàm ſubſidium aliquod à Diaconis B quæſitum:partim,quòd vniuerſis eccleſiæ pauperibus ſubuenire propter numerū tunc non poſſent:partim , quòd vt & Epiphanius & Chryſoſt. ait,pleraque circa pauperes vel ægrotos,vel menſas ipſas eccleſiæ parandas commodius à fœminis adminiſtrantur,quàm à maribus:nec modò commodius:ſed etiam honeſtius fiunt & geruntur : vt ſi ægrotet Chriſtiana mulier, vel hæmorroide laboret,aut aliis huiuſmodi morbis occultis,& quæ honeſtè à maribus tractari non poſſunt. Ad eam enim honeſtius alia mulier admittitur, quam mas aliquis Diaconus & medicus : ergo honeſtas hoc munus ſuaſit admittendum.

Deinde neceſſitas. Neque enim omnia munia & miniſteria primū obire potuerunt ſoli Diaconi, cū tota eccleſia,more Laconū, ſimul epularetur, & Ἀγάπας & cōuiuia cōmunia celebraret in teſtimoniū mutuę charitatis.Sic enim fiebat & vt alij aliis.i.ditiores pauperibus ſubuenirent , ac ea quæ erant victui neceſſaria tanquam in communi ſuppeditarentur Actor.4.& 6. Itaque aliquæ ſubſidiariæ operæ & miniſteria , eáque commoda C Diaconis quærenda ad menſarum adminiſtrationem fuerunt,ad quæ aſcitæ ſunt hę fœminæ.Quas vetuſtiſſ.& primæua eccleſia habuit. Deinde verò cæteræ eccleſiæ,imprimis autem eæ,in quibus diligens pauperum cura & ratio habita eſt,eum morem , eáſque Diaconiſſas retinuerunt etiam poſt Apoſtolorum tempora.

Tertiò videntur hę mulieres diaconiſſę ad Marthæ imitationem toleratæ vel inductæ in eccleſia, atque ad exemplum earum mulierum piarum,quę Chriſto miniſtrabant,de quibus Lucas 10.v.41.8.v.3.Vtcunque vtilis viſa eſt eccleſiæ pro tempore illa acceſſio & ſubſidiaria mulierum opera, antequā eſſent in Chriſtiana eccleſia Ptochodocheia, Noſodocheia & Hoſpitalia quæ dicuntur, quòd commodiſſimum eſſet & maximè idoneum mulierum miniſterium quibuſdam in rebus , atque adeo aptius,quàm Diaconorum.

Vnde quæ ætas ſecuta eſt tempora Apoſtolica, Diaconiſſas habuit,vt ex conciliis Neocæſarienſi, Laodiceno,& Carthaginenſi apparet , & ex veterum ſcriptis , imprimis autem Epiphanio , qui

A vixit ſub Theodoſio maiore, & hiſtoria eccleſiaſtica:adeo vt magnæ dignitatis poſtea huiuſmodi Diaconiſſæ in eccleſia fuerint. Nam Iſchyrias Diaconiſſa interfuit ſynodo Chalcedonenſi quemadmodum Euagrius ſcribit lib.2.cap.16.& Pulcheria etiam ipſius Theodoſij Iunioris Cõſtantinopol. Imperatoris ſoror in Diaconiſſam electa eſt vt ex Hermio Sozom.facilè colligi poteſt.

Præter Diaconiſſas autem neque Presbyteridas, neque epiſcopiſſas mulieres habebat Chriſtiana eccleſia, quãquam Pepuziani hæretici nullam Maribus dignitatem in eccleſia tribuerent, quam eandem etiam fœminis non concederẽt. At ex Pauli præcepto aliud ſemper orthodoxa eccleſia obſeruauit. Nullũ enim huiuſmodi munus vnquam fœminis delegauit, quod in docendo verſaretur. Itaque Epiphan. Hæreſ. Collyridianorum quæ eſt 79. ſic ſcribit. πρεσβυτερίδες ἢ ἱερίσσαι οὐκ εἰσὶν ἐν ἐκκλησίᾳ. ἱερουργεῖν γὰρ ἐν ἐκκλησίᾳ μὴ δύνανται.

Iam verò ad Paulum veniamus, & ea quę requirit in iſtis diaconiſsis.

B *Ne minor ſexaginta annis*. Ratio eſt duplex quòd Iuniores oportet dare operam liberis & quòd laſciuiunt quæ nondum eam ætatem attigerunt, quia nondum planè in iis extinctus eſt vigor generandi. Quæritur verò cur ſexageſimũ annũ ſtatuat Paulus, cùm quinquageſimus annus fœminis cenſeatur prorſus ſterilis & infœcundus, vt vulgò annotant interpretes in Luc.1.v.36.& Iuriſconſulti in l.viui C.de Caduc.Toll.Reſp. Anno quidem L. fieri vtplurimum ſteriles fœminas: non tamen ſemper. Quædam enim poſt L. annum peperiſſe dicuntur. At poſt LX. nulla eſt, quæ concepiſſe referatur, niſi miraculo id factũ ſit, & præter naturæ ordinem, id quod Saræ vxori Abrahami accidit Geneſ.18.ver.11.

In ſexagenariis autem fœminis videtur vigor ille naturę & prolificus prorſus periiſſe & defeciſſe.

Sed cur tantùm tribuit ætati ſenili Paulus, qui ſupra Timotheum adoleſcentem nobis commendabat.cap.4.v.12. Reſp. Chryſoſt. propriè non tribuere Paulum id honoris ætati, quaſi ſexagenariæ laſciuæ fieri non poſsint: ſed quòd minus in hac C ætate offendicula illa naſcantur, quæ euitanda poſtea docet. Neque enim ipſa per ſe ætas facit ſapientes vel prudentes homines: ſed Deus potius & rerum præteritarum experientia. Deinde cùm leges ferantur de iis, quæ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ accidunt, nõ debet propter paucas aliquot ſexagenarias inſolentes toti ætati ſuus honor detrahi. Iam verò, quia hæc capacitas non ex ætatis ſenio & beneficio propriè pendet, imminutum eſt annorum tẽpus & ſpatium à Paulo hoc loco pręſcriptum, volueruntque homines videri ſpiritu ipſo Dei ſapientiores. Itaque concilio Chalcedonenſi cõſtitutum eſt, vt ſtatim poſt 40. annum ætatis eligi mulieres ad iſtum Diaconatũ poſſent, eſt in can. Diaconiſſas 27. quæſt.1. id quod eſt confirmatum cõcilio Carthaginenſi 4. vt eſt in cano. ſanctimoniales 20. quæſt.1. in quo poſtea variè peccatum eſt, vt docebimus. Primus autem hanc Pauli de ætate illa præceptionem infregit Hierony. in Epiſt. ad Saluinã, dũ ait ita Paulum iuſsiſſe tum quia rudem adhuc inſtituebat Eccleſiam Chriſti: tũ quòd quũ eæ viduæ ab Eccleſia eſſent alendæ, tam vetuſtas eligi voluit, quæ propriis manibus non poſſent laborare.

Addit Paulus, *Vnius viri vxor*. Hoc verò probari poteſt exemplo Annæ, de qua Luc.1.ver.36. Reſpondet autem illi, quod de epiſcopis & Diaconis agens idem Paulus dixerat, *Vnius vxoris vir*. Itaque ex illo loco facilè iam intelligi poteſt quæ ſit vis huius loci, ſententia atque mens. Primum enim non damnat nuptias Paulus ſiue primas, ſiue ſecundas, ſiue tertias, ſiue vlteriores. Hanc enim eſſe diabolicam doctrinam ſupra aſſeruit cap.4. verſ.1.2.3. Deinde nõ iniicit hunc laqueum viduarum conſcientiis, quaſi præcipiat, vt in viduitate permaneant, etiam eæ, quæ denuo vel iterum nubere vellẽt: neque hoc loco etiam viduitatem aut cœlibatum tanquam per ſe ſanctiorẽ præfert honeſto coniugio Paulus, vti neque 1. Corinth. 7. ver.8.9.34.& 35. Denique cùm neque ante Pauli ætatem, neque eius ſeculo vſquam terrarum obtineret, vt vna mulier eodẽ tempore duobus nupta eſſet viris (etſi inter Iudæos vir vnus ſolebat ex vitioſa patrũ imitatione duas vel plures vxores ducere) ſatis intelligitur eam dici plurium maritorum vxorem eſſe, quæ quanquam eſt ex iniuſta B cauſa repudiata à viro, tamen eo viuo alteri non nubet, ſed propter vinculum coniugii, & Dei pręceptum, quandiu prior ille maritus à quo iniuſtè repudiata fuit, viuit, éſtque ſuperſtes, alterius coniugio abſtinet. Quæ enim ex iniuſta, vel potius nulla cauſa repudiatur, manet vxor: & vel reconciliari debet vel innupta manere 1. Corinth.7.verſ.10. Neque tamen impeditur, quæ ita immeritò repudiata eſt à viro, viro ipſo ad alteras nuptias cõuolante, quin & ipſa alii nubere poſsit. Sed hoc præſertim in ea, quæ in Diaconatum allegenda eſt, requirit Paulus quoniam maioris continentiæ ſignum & exemplum in iſta muliere cerni debeat. Erit autem hoc certiſsimum, ſi immeritò repudiata, tamen alteri non nupſit, ſed continuit. Sed quid ſi meritò illa repudiata eſt, veluti propter adulterium, vel quod ipſa ſit deſertrix coniugii? Nemo dubitare tunc poteſt, quin ea ad hoc munus Eccleſiaſticum eligenda omnino non ſit, ſed ab hoc honore ſit arcenda.

Vult autem Paulus, vt quæ eſt allegenda, fuerit Vxor. C Ergo ſi fuit vel concubina, vel pellex, vel meretrix eligi non poterit. neque enim ſine magno Eccleſiæ offendiculo tales cooptari in vllam Eccleſiaſticam dignitatem poſſunt, quamlibet pœniteant.

Ait Paulus. *Quæ fuerit*. Quid ſi adhuc illa ſit vxor, etiam in illa ætate ſexagenaria, num allegi & aſciſci poterit, cùm illud, quod de Epiſcopo ſuprà dicitur, *Sit Epiſcopus vnius vxoris vir*, locũ habeat: ſiue adhuc ſit ille maritus & vir vnius vxoris: ſiue mortua vxore maritus fuerit & iã eſſe deſierit. Reſpond. non eſſe ex mente Pauli eligendam ſexagenariam, quæ adhuc vxor manet, quia de viduis loquitur Paulus: & variis illis muneribus & curis nimium illa diſtraheretur, ſi iã alligata ſit viro ſuo, & tamẽ cura etiam pauperum illi ſit gerenda. Vtrique enim oneri ac curæ vna ſatis eſſe non poteſt. Nam quæ nupta eſt, inquit Paulus, curat ea, quæ ſunt mundi, & quomodo placitura ſit viro 1.Corinth.7.verſ.34. Ergo ea, quæ ſunt Dei & pauperum, liberè, quemadmodum Diaconiſſam decet, iam curare aut adminiſtrare nõ poteſt.

A teſt.Alia verò & diuerſa eſt ratio viri & epiſcopi, qui quanquam cùm eſt maritus curat, quomodo ſit vxori placiturus.1.Corint.7.verſ.31. tamen non perinde in ea cura ſubiicitur vxori, quemadmodum vxor viro. Itaque manens maritus, munus eccleſiaſticum gerere ac obire poteſt.

10 *In operibus bonis idoneo teſtimonio ornata, ſi liberos educauit, ſi fuit hoſpitalis, ſi ſanctorum pedes lauit, ſi afflictis ſubuenit, ſi omne bonum opus eſt aſſiduè ſectata.*

Αὔξησις. Amplificat enim ornamenta futuræ & eligendæ Diaconiſſæ, quòd eam publica voce totius eccleſiæ & aliorum etiam extraneorum hominum, qui à fide Chriſti ſunt alieni, conſenſu vult habere idoneum teſtimonium & probitatis, & charitatis,& beneficentiæ, & curæ & diligentiæ.Hoc idem ſupra in Epiſcopis requirebat cap. 3. verſ.7. ex quo apparet quanti ſit momenti publica illa fama & opinio de nobis concepta, modò non temere, ſed idoneis argumentis & teſtibus fulta ſpargatur.Eſt enim velut quidam odor, quē B nobiſcum circumferimus : & ſi quidem illa bona eſt bonus eſt & ſuauis gratúſque ille odor, quem emittimus : ſin verò illa eſt mala,eſt etiam odor à nobis effluens malus,& malè olens qui alios,cum quibus verſamur,offendit.Itaque iubet Paulus, vt quæcumque ſunt εὔφημα.i. bonum nomen bonis conciliant,& cogitemus & procuremus. Philipp. 4.verſ.8. Id quod etiam Heſiod.libr.1.ἔργ.ϗ ἡμέρ. præclariſſimè verſibus monet.Αὔξησιν ſuperiorem ſequitur ἐξήγησις.Aliquot enim exemplis, & generibus actionum explicat atque illuſtrat quod generaliter antea dixerat Paul.Affert autem quatuor eorum bonorum operum ſpecies, quæ maximè futuro muneri & allegendæ diaconiſſæ quadrant atque conueniunt.Cùm enim pauperum cura illi committenda ſit, quæ res & Miſericordem animum,& diligentem atque etiam demiſſum requirit,ea bona opera commemorat Paulus,ex quibus huiuſmodi animus facilè argui & deprehendi in nobis poteſt.

Diligentiæ ſignum erit,ſi liberos proprios ſtudioſè,& diligenter ipſa educauit & curauit.

C Miſericors & humanus illius deprehendetur animus,ſi hoſpitalis fuit, & afflictis ſubuenit.

Demiſſus autem illius animus , ſi ſanctorum pedes lauare non eſt dedignata.

Denique pietas & probitas eius intelligetur ,ſi quodlibet opus bonum aſſiduè & ſtudioſè conſectata eſt.Hæc eſt breuiter mens Pauli.

Quod ſi hæc tam diligenter in iis,qui ad minora eccleſiæ munera vocantur,obſeruari vult Paulus,id eſt , Dei ſpiritus,& ab illis requirit has virtutes,quid ſentiendum ſtatuendúmque nobis eſt de iis , qui ad maiora munera eccleſiaſtica accerſuntur & eligũtur?Hæne virtutes ab iis abeſſe debebunt?Minimè ſanè.Itaque in iis & diligentia & miſericors animus , & demiſſus & pius ſpectetur.

Quod ait,*Si liberos educauit,* mouet dubitationem quaſi Paulus ſteriles ſexagenarias,quę vxores fuerunt nullóſque liberos pepererũt,ab hoc munere arceat, illíſque tanquam hanc notam inurat propter ſterilitatem , vt eligi ad hoc munus non poſſint. At eæ ſæpè ſunt aptiſſimæ.An non igitur quæ fuerunt ſteriles allegi & cooptari poterunt? Sanè poterunt.Neque enim vniuerſum iudicium quod de mulierum piarum diligentia haberi poteſt, A Paulus reſtringit ad vnicam curam,& educationem ſuſceptorum liberorum:ſed hoc tanquam veriſſimum & optimum inter cætera earum diligentiæ teſtimonium protulit.Ergo quæ mulieres nunquam liberos ſuſtulerunt in coniugio , aut etiam quæ nunquam fuerunt coniuges , poſſunt,ſi erunt idoneæ,in diaconiſſas eligi.

Quod ait,*Si fuit hoſpitalis,ſi afflictis ſubuenit,* mouet etiam quæſtionem,quaſi ſolas diuites eligi & cooptari ad hoc munus velit Paulus. Illæ enim ſunt, quæ & extraneos excipere apud ſe & ſuis opibus afflictis ſubuenire (ἐπήρκεσεν enim dixit Paulus .i.quantũ ſatis eſt,ſumminiſtrauit egenis)poſſunt. Quæ autem ſunt egenæ & ipſæ pauperes idẽ præſtare nequeunt. Ergo ab hoc munere ſummouebuntur, quas tamen ſæpe magis eſſe ad hoc miniſterium idoneas,quàm dites mulieres certum eſt, & experientia comprobatum.Reſp.Non excludit pauperes Paulus,imò maximè de iis allegendis agit hoc loco. Sed neque etiam diuites ab eodem munere ſuſcipiendo arcet : cæterum quæ pauper eſt,poteſt tamen & miſericors & benefica ,& hoſpitalis eſſe,& afflictis ſubuenire,ſi quantum in ſe B eſt,illa egenis præſtat,ſi corporis miniſterium exhibet,ſi operam ſuam illis impẽdit & prębet,quãdo pecuniam conferre non poteſt.Denique & vidua paupercula,quæ minuta duo in gazophylaciũ miſit,maiorem,quàm alij Iudæi opulentiſſimi eleemoſynam contulit : & Petrus ac Ioannes cùm pecuniam non haberent,ſummo tamen beneficio claudum affecerunt,vt eſt Luc.21.v.2.Actor.2.

Quod idem Paulus ait. *Quæ lauit pedes.*)ſumptum videri poteſt partim ex Gene.18.ver.4.19.v.2.43.ver.24.vbi hæc eadem ratio dicendi vſurpatur:partim ex recepto tunc more inter Orientales homines quem adhuc ſuo tempore fuiſſe obſeruatum tradit Auguſtin.tract.58.in Euangel. Ioan. Nam cùm qui ferè pedibus iter faciunt,ſole, nimióque labore incaleſcant,ſunt eorum pedes abluendi vt refrigerentur recreentur & refocillentur. Qui autem equo incedunt & iter conficiunt, non egent ferè hoc auxilio & miniſterio.Ergo ex conſuetudine loci hoc annotauit Paulus. Hoc au- C tem ipſum magnam animi demiſſionem ſignificat , cùm viliſſima & ſordidiſſima hominis pars ferè ſint pedes : quos quæcunque ita contrectare, & curare non dedignatur,certè nec vilia quælibet alia munera & miniſteria, quæ pauperibus ægrotantibus impendi neceſſe eſt, obire eadem vnquã recuſabit.Chriſtus ipſe in ſignum humilitatis lauit pedes diſcipulorum Ioan.13. Idem fecit & illa mulier,quæ lacrymis ſuis lauit pedes Chriſti. Luc. 7.verſu 38.

11 *Porrò iuniores viduas recuſa:poſtquam enim laſciuire cœperint aduerſus Chriſtum, nubere volunt.*

Ἀντίθεσις eſt,ex qua ſuperior ſententia non tantùm illuſtratur:ſed etiam probatur. Ex eo enim, quod ſubiicit Paulus, apparet, cur demum ſexagenarias mulieres allegi voluerit & præſcripſerit. Varia enim offendicula,quæ à iunioribus oriuntur,id ſuaſerunt. Itaque non ea eſt cauſa cur ſexagenariæ demum eligantur, ne diutius alantur diaconiſſæ ab Eccleſia:ſed ne ſcandalum præbeãt

A vitæ mutatione & laſciuia.

Vult autem vt recuſentur iuniores, etiamſi ſe offerant, & paratæ ſint hoc munus acceptare : vel etiam ſi aliâs idoneæ viderentur. Quod verò ait Paulus παραιτοῦ, non eſt eo modo accipiendum, quaſi in ſolius Timothei arbitrium totam hanc electionem conferat, quam tum ex Presbyterii, tum ex totius Eccleſiæ conſenſu fieri ſolitam eſſe certum eſt : ſed ita loquitur Paulus, quòd paſtor omnium Eccleſiæ actionum & electionum moderator eſt. Notandũ eſt autẽ, quòd viduas iuniores tantùm recuſari & electas à munere diaconiſſæ deponi ac reiici vult, etiamſi poſtea nubant: non autem præcipit eas excommunicari & eiici de Eccleſia : vel vſu & participatione Sacramentorum arceri & prohiberi, quemadmodum de Nonnis & Virginibus poſtea Synodis ineptiſsimis ſancitum eſt. Atque vtinam hæc Pauli moderatio ſemper in Eccleſia locũ habuiſſet: ſed poſtea longius progreſsi ſunt Epiſcopi, maximè poſtquã nata eſt ſuperſtitioſa illa de cœlibatus merito & dignitate opinio. Primùm enim ſanciuerunt B Eccleſiaſtici canones, vt vidua iunior, atque etiam vt Monialis, quæ poſt votum nubit, inter digamos tantùm cenſeretur, & reponeretur, canon. Quotquot 27.quæſt.1.Poſt autem inualeſcẽte ſuperſtitione ſancitum eſt in eas aliquid acerbius. Voluerunt enim, vt ſi qua Monialis poſt votum nupſiſſet, vt non tantùm Sacramentorum vſu priuaretur : ſed etiam à toto Eccleſiæ cœtu excommunicaretur, quia votum de cœlibatu & continentia violarat, quod Deo gratum eſſe falsò & inſulsè crediderunt. Eſt hæc pœna conſtituta in ca. Virgines 27. quæſt.1. qui ex conſilio Elibertino decerptus eſt.

Sed iam quæ ſint illa offendicula, quæ præbent viduæ iuniores ad Diaconatum electæ videamus. Sunt autem imprimis hæc duo nimirum, quòd 1 Inſtitutum vitæ genus in magnã cõtumeliã Chriſti commutant magnam animi leuitatem & carnis laſciuiam demonſtrantes. 2 In hoc ipſo vitæ genere ſuſcepto ſi perſtent, magna tamen Eccleſiæ præbent offendicula, dum ſunt Otioſæ, Diſcurſatrices, Nugaces, Garrulæ. Cæterum cùm C improbat Paulus quòd nubant hæ viduæ, quæ iam electę ſunt, non ideo facit, quaſi ſecundas nuptias dãnet, vel etiam tertias, & quartas, id quod Montaniſtarum hæreticorum, aut Papiſtarum Montanizantium proprium eſt, ſed quòd tale quid fit ex animi magna tum Leuitate, quæ graues matronas & eas quæ ſunt hoc munus publicum adeptæ, nõ decet : tum Laſciuia ſiue infræni ac indomita carnis petulantia, quam tamen abieciſſe debuerant, & exuiſſe. Id quod etiam cum Chriſtiani nominis & doctrinæ contumelia coniunctum eſt. Irridetur enim Dei Eccleſia, quòd tam leues homines habeat, vt qui munus à ſe ſuſceptum ſtatim abdicẽt, relinquant, & huic mũdum & carnis delicias præferant. Quaſi Chriſtus à ſuis parui fiat & contemnatur apertè, etiam iis ipſis qui tamen maiores in fide progreſſus feciſſe videbantur.

Vox καταστρηνιάζειν cum ſequenti, id eſt, χριστοῦ conſtruitur. Eſt autem στρηνιάζειν ἀπὸ τοῦ στερεῖν vel στρηνὲς deductum, quod durum ſignificat & pertinax: qualia ſunt animantia nimium ſaginata. Itaque ſunt petulantiæ plena & indomita, vnde cibus eſt illis detrahendus, vt in ordinem cogantur & pareant, quemadmodum & Xenophon & ipſa rerum A experientia faciendum docet. Hac igitur ſimilitudine vtitur Paulus, vt carnis noſtræ laſciuiã eo turpiorem ac fœdiorem eſſe demonſtret, quòd brutis & petulantibus animalibus comparatur.

Chryſoſtomus autem interpretatur hanc vocẽ fornicari, ſed Apocalyp.18.v.7.& 9. explicatur eo ſignificato, quo nunc accipimus.

12 *Ex eo damnandæ quòd primam fidem reiecerint.*

Αὔξησις eſt. Amplificat enim harum iuniorum viduarum laſciuiam à conſequenti, quòd hac ratione, & vitæ genere tandem ſibi extremum exitium accerſant. Nam eò tandem prolabuntur, vt Munus à ſe ſuſceptum deſerant, & Fidem ipſam primam Chriſto datam abnegent. Voces autem has πρώτην πίστιν variè interpretes accipiunt. Alii de voto non nubendi ſumunt, quaſi ab iis interponi huiuſmodi votum ſolitum fuerit, cùm eligebantur : quod nullo certè ſcripturæ loco probari poteſt. Alii de fide Chriſto in Baptiſmo data : alii de munere Diaconatus acceptato, quod diligẽter B ſe præſtaturas eſſe, in eóque perſeueraturas pollicebantur. Quod poſtea cùm nubendi pruritu & libidine deſerunt, fidem à ſe datam violant, ac frãgunt. Sed ea ſententia magis placet arg. verſ.15. infrà, quæ fidem primam refert ad eam promiſsionem, quæ primùm fit Chriſto à nobis in Baptiſmo, quam reiicere dicuntur, quæ à fide Chriſti & profeſsione Euangelii poſtea deficiunt, & ad Gẽtiliſmum, vel priorem idololatriam reuertuntur. Sic Athanaſ. explicat lib.6. de Trinit. Hieronym. in præfat. ad Tit. Vincentius Lyrinenſis, & eſt ſimilis locus Apocaly.2.v.3. Veritæ enim probrum inter Chriſtianos propter eam animi ſui leuitatem malunt prorſus à Chriſto deſciſcere, quàm huiuſmodi cõtumelias audire & pati. Nicolao, de quo eſt in Actis, Diacono id ſanè accidiſſe narratur, qui ne opinionem leuitatis & temeritatis inter Chriſtianos ſubiret, maluit condere nouam hęreſin, nouum ſibi cœtum colligere, & ab Eccleſia diſcedere, cùm continentiam à ſe promiſſam ſeruare non poſſet.

Quæ autem hîc narrat Paulus, rerum ipſarum C experientia edoctus didicerat, quemadmodum ipſe teſtatur.

13 *Simul autem etiam otioſæ diſcunt circumire domos : imò non ſolùm otioſæ, ſed etiam nugaces & curioſæ, garrientes quæ non oportet.*

Altera ſuperioris amplificationis pars, in qua iuniorum viduarum in munere Diaconatus permanentium offendicula & mala deſcribũtur. Tria verò enumerat Paulus, non quod ſola hæc obſeruari poſsint: ſed quòd maximè ſoleant. Deinde quòd ex his paucis, quæ ſint reliqua incommoda quæ ex eodem fonte naſcuntur, id eſt, ex huiuſmodi iuniorum mulierum electione, facilè iam per ſe poteſt quilibet intelligere. Ergo eas, etiam dum hoc munus adminiſtrant, docet eſſe, Otioſas (cui vitio diſcurſationem adiungit) & Nugaces, & Garrulas. Garrulitatis autem vitium breuiter definit Paulus dum ait, *eaſdem loqui quæ non decet.* Porrò hæc vitia ideo pariũt magna inter Chriſtianos offendicula, quòd ſint contra diuinæ legis præceptum nonum, quod eſt, Non falſum teſtimonium aduerſus proximum tuum dices, quódque

A que ex his infinita mala naſcuntur.

Sunt otioſæ) At obſtat, quòd eas ipſas poſtea vocat περιέργους.i.pluſquam oportet occupatas & curioſas. Reſp. Hæc duo vitia inter ſe rectè cōuenire. Nam nihil agentes illæ rerum, quæ ad ſe pertinent, ſunt in alienis perſcrutandis curioſæ. Itaque ἀργαὶ appellantur, quòd nihil ſuum agunt. Περίεργοι verò quòd aliena negotia plus quàm ſua curant, atque etiam plus quàm oportet, quemadmodum ait ille, Excuſsis propriis aliena negotia curo. Imò verò etſi ſæpe habent domi, quæ agant: magno & turpi animi veterno illa negligunt, vt nimirum de rebus alienis cogitent, & diſputent.

Circumeunt domos) Annexum penè ſemper otio & ſegnitiæ vitium, nimirum diſcurſatio. Hoc autem prætextu maximè id facere videbantur iſtæ mulieres, quòd tanquam publicæ quædam perſonæ & pauperum curam habentes in alienas ædes poſſent, ſolerént que liberrimè ingredi 2. Timoth. 3. verſu 6. Videtur autem etiam his verbis detractrices eaſdem appellare Paulus, more dicendi Hebræis vſitatiſsimo, qui & detrectare & diſcurrere eadem voce רגל *Ragal* dixerunt, quòd B detractores iugiter eant, & referant verba hinc inde ex aliis audita. Peccant igitur hi in nonum legis diuinæ præceptum.

Imò verò) Amplificatio eſt ſuperioris mali per adiectionem & πρόσθεσιν. Non ſolùm enim ſunt otioſæ: ſed etiam Nugaces, & Curioſæ vel plus quàm oportet negotioſæ. φλυαροὺς appellat Paulus, quos Latini Nugaces, quæ vox videtur deriuari à voce φλύαξ, ακος, quæ temulentum hominem ſignificat, quòd hæ ſint duo maximè inter ſe connexa vitia, Temulentia nempe, & Nugacitas. Itaque vt Plutarch. lib. 8. Sympoſiacôn Problema. I. nihil aliud eſſe videtur φλυαρία quàm λήρησις πάροινος. Nugari quoque, ait idem, propriè nihil aliud eſt, quā vano & futili ſermone vti, & eo, qui vel mendax eſt: vel qui quamquam verus eſt, ad propoſitum tamen nihil facit & attinet. Vnde poſtea rixæ, iurgia, & contumeliæ oriuntur, atque varia offendicula, Vocem autem ipſam *nugæ* Latinam ab Hebræa הגה *hagáh* quod more auium garrire ſignificat deduci putat Ioſephus Scaliger in lib. Varro- C nis de lingua Latina.

Quamquam autem Plutarchus in lib. περὶ ἀδολεχίας videtur facere φλυαρίας ſiue ληρήσεως, duo genera, Temulentiam quam οἴνωσιν vocat, & ἀδολεχίαν quam garrulitatem vertunt, quas ita diſtinguit, vt temulentia ſit nimia inter pocula vel inter potandum orta ex vino ſumpto loquacitas. Garrulitas verò ſit ſtultiloquium nimiáque loquacitas vbiq; & ex qualibet, vel etiam nulla oblata occaſione. Itaque garrulus in foro, in theatro, in deambulatione, domi, interdiu, & noctu nugatur, & loquax eſt. Temulentus autem tantùm in menſa & inter pocula: iſta tamen diſtinctio etiam hunc Pauli locum illuſtrat & extendit. Sed videtur vtranq; quidem, ſed maximè ſecundam ſpeciem hoc loco dānaſſe Paulus vti etiam Pſal. 140. v. 10. apertè inter vitia peſsima recenſetur iſta nugacitas.

Curioſas vocat tum eas, quæ plura quàm deceat, ſcire affectant, tū etiam, quæ diligētius & penitius ea, quæ ſciri poſſunt, curant & inueſtigant, quàm ſit neceſſe. Itaque ſunt illæ nimium negotioſæ, ſed vbi nō oportet. In quibus autē oportet otioſæ. Alio nomine πολυπράγμονες eædem appel- A lantur. Quamquam Plutarch. in libr. de Curioſitate eos tantùm videtur definire πολυπράγμονας, qui in alienis erratis ſiue peccatis, vnde alteri naſcitur aliqua infamia, curioſius indagādis occupant ſeſe. At ſiue in peccatis, ſiue in aliis etiam rebus, quę ad nos non pertinent, inueſtigandis nimium laboremus, hîc περιέργων nomine à Paulo ſignificamur. Quamquam verò hæc vitia ferè ſunt omnibus fœminis communia, maximè tamen eas dedecet, quæ cæteris prælucere vitæ exemplo debent. Inquirere autem in alienum factum, quatenus illud ad nos ſpectat: vel Dei gloria proximíque vtilitas poſtulat, vel inde promouetur: denique quantum ex muneris noſtri ratione vel Chriſtianæ charitatis officio tenemur, non eſt curioſitas: ſed eſt officium, quod eſt ſanè laudandum. Eò denique pertinere videntur poſtrema huius verſiculi verba *loquentes quæ nō oportet*. Nec enim de alio loqui prohibemur ſemper, ſed videndū eſt Quid, Quomodo, & Quatenus loqui de eo liceat.

Priuſquam autem totum hunc dè Diaconiſſis locum finiamus, duo ſcitu neceſſaria ſunt enodan- B da. Primùm quidem, vtrum eas hodie in reformatis Chriſtianíſque Eccleſiis retinere ſit operæpretium, cùm nos quàm maximè fieri poteſt, proximè ad veterem & Apoſtolicam Eccleſiam accedere tum in doctrina: tum etiam in diſciplina & politia Eccleſiaſtica oporteat. Quid igitur? Reſpondeo aliquod diſcrimen eſſe nobis ſtatuēdum inter doctrinam veteris Eccleſiæ, & inter generalem qua illa vſa eſt, diſciplinā. Nam cùm doctrina Apoſtolica ſit Chriſti ipſius vox & ſapientia, cui tanquam vero & vnico fidei & ſalutis fundamento innititur Eccleſia, certè ab ea doctrina vniuerſa ne tantillum quidem à nobis recedi vllo tempore debet. Itaque nulla occaſio afferri vel fingi vnquam poteſt, propter quam vel in vno apice, quanquam minimo, doctrina Apoſtolorum immutetur Matth. 5. v. 18. At illius diſciplinæ vniuerſæ, quam illa vſurpauit, non eadem omnino ratio eſt. Cùm enim ſit diſciplina tanquam decorum quoddam veſtimentum ad res, tempora, perſonas C accommodatum, fit, vt quemadmodum hæc variari poſſunt: ita poſſit quoque aliquibus in rebus mutari etiam diſciplina vetus. Tantùm diſtinctionem hanc adhibeamus, vt in diſciplina ipſa Eccleſiaſtica, diſtinguamus ea, quæ ſunt Fundamentalia politiæ Eccleſiaſticę, ab Acceſſoriis & leuioribus. Fundamentalia verò ſunt hæc in politia Eccleſiaſtica. Primùm vt ſit aliqua politia Eccleſiaſtica, & quidam ordo in Dei domo, qui tollat confuſionem. Deinde, vt legitimę perſonarum vocationes, per quas Dei verbū legitimè adminiſtratur, charitáſque & ſanctitas vitæ exercetur in Eccleſia, retineantur, veluti Paſtores, Presbyteri, Diaconi.

Tertiò, vt ij electi legitimè & ex pręſcripto Dei verbo ſuo munere fungantur, vel deponantur, & remoueantur.

Acceſſoria dico, quæ, vt hæc fiant & obſeruentur, in Eccleſia quaque pro tempore, perſonis & locis ſtatui poſſunt. Acceſſoria incolumi manente diſciplina in Eccleſia, variari poſſunt. Maneat enim ſemper diſciplinæ fundamentum & pars præcipua, ſed tantùm ea mutentur, quæ commodioris illius obſeruationis gratia tunc viſa ſunt

A neceſſaria: veluti vt futurus & eligendus Epiſcopus à tribus Epiſcopis, non à duobus tantùm eligeretur. Hoc mutari poteſt incolumi Eccleſia & diſciplina. Vt in vrbe Metropolit. electio fiat & examen futuri Epiſcopi, nõ alibi. Hoc etiam mutari poteſt. Itaque vetus Eccleſia in iis rebus ſæpe diuerſam formam habuit & ſecuta eſt, incolumi nihilominus Dei verbo, ipſóque fundamento Eccleſiaſticæ diſciplinæ retento. Ex quo fit, vt cùm hæ Diaconiſſæ fuerint tantùm ſubſidiariæ Diaconorum manus & operæ (propter egenorum & ægrotorum ingentem numerum & multitudinem penè infinitam) quo tempore Noſodochiis, Xenodochiis, & Ptochodochiis careret Eccleſia poſteà pauperum numero decreſcente & Ptochodochiis conſtitutis, non fuerunt eædem Eccleſiis neceſſariæ. Itaque neque ſunt hodie à nobis retinendæ, niſi eadem & par aliqua cauſa, qualis illo ſeculo fuit, occurreret, & eas retinere ſuaderet. Quæ cùm nulla ſit, ceſſante cauſa, ceſſet effectus neceſſe eſt. Eodem modo videmus veteres habuiſſe plures officiorum Eccleſiaſticorum gradus (vti apparet ex aliquot Synodis etiã quando adhuc erat tolerabilis Eccleſiæ forma) quàm nunc habeamus. Itaque quemadmodum illæ dignitates tanquam B nobis inutiles hodie propter diuerſam locorum, rerum & perſonarum inter nos & illos rationem exploſæ ſunt, & ceſſant, qualis Subdiaconatus, Acolythatus, Archidiaconatus, Archipresbyteratus: ſic & hic Diaconiſſarum mulierum ordo deſiit, nullo prorſus detrimento vel in doctrina, vel in diſciplina ipſa ab Eccleſia accepto.

Secunda verò quæſtio, quæ ad hunc quoque locum maximè pertinet, eſt huiuſmodi. Vtrùm rectè à Papiſtis ſanctimoniales ſint in iſtarum Diaconiſſarum, quas nullius iam eſſe in Eccleſia vſus videbant, locum ſubſtitutæ: atque vtrum eorum conſilium & inſtitutum ſit probandũ, & ſequendum nécne. Reſpond. Minimè id quidem, quia in eo ſtatu hominum & genere inſtituendo nihil niſi planè Satanicum, ſuperſtitioſum, & in Deum ipſum blaſphemum à Papiſtis inductum eſt. Primùm, quia cœlibatum illis ſuis ſanctimonialibus tanquam legem ad vitam æternam aſſequendam C neceſſariam, & veriſſimæ ſanctitatis partem indicunt. Deinde, quòd in eo ipſo cultum Dei ſitum eſſe contendunt. Tertiò quòd in iis ipſis à Patrum conſuetudine receſſerunt, & à meliori more in Eccleſia iam recepto & inueterato.

Quod vt melius intelligatur, rem totam fuſius ſic explico. Cùm κακοζηλίᾳ quadam homines omnia quę Apoſtolorum temporibus obſeruata fuerant, ſibi putarent imitanda, neque locorum, neque temporum, neque rerum diſſimilium rationem haberent, etiam & ipſi ſuas Diaconiſſas retinere præciſè voluerunt. Sed cùm poſterioribus temporibus & mutatis circunſtantiis earum nullum in Eccleſia vſum eſſe cernerent, magno Eccleſię malo, magnóque conſcientiarum detrimento peſſima tamen eius ordinis inſtituẽdi ratio reperta eſt.

Inſtigabant virgines Chriſtianas quidam Epiſcopi, vt ſe Deo dicarent, atque, vt illi loquebantur, conſecrarent. Deinde vt in ſignum iſtius conſecrationis ſe velo, tanquam caſtitatis & verecundię teſtimonio, ſemper tegerent, & obnubilarent. Quod ex Pauli conſilio facere ſe & iubere iactitabant 1. Corinth. 11. Hinc variæ Baſilij, Hieronymi, Auguſtini, Ambroſij, Fulgentij epiſtolæ ad varias A virgines ſcriptæ, quia etiam ante ætatem horum omnium huiuſmodi votum in magno apud Eccleſiam pretio iam haberetur. Tamẽ, vt ex iiſdem ſcriptoribus apparet, & imprimis ex Cypriano & Tertulliano in libr. de cultu & habitu virginum, hoc totum voti genus etiam conceptum & nuncupatum adhuc liberum erat. In priuatis enim parentum vel cognatorum ædibus huiuſmodi virgines, quæ ſanctæ vel conſecratæ Deo dicebantur, manebant non in vllo monaſterio & ſimul, etiamſi in eadem ciuitate plures huiuſmodi eſſent. Atque etiam ſæpe ipſæ domos ſeorſim, quæque ſuã, habebãt, ex quibus vel ſolæ, vel comitatæ cùm volebant, & cùm libebat egrediebantur, nihílqueà cæterarum virginum conditione differebant, niſi quòd eas cæteris caſtitatis exemplum eſſe oporteret. Id apparet ex cã. Nuptiarum 27. quæſt. 1. Quin etiam poſtea eædem, ſi volebant, poterant nubere. Et quanquam in eo opinione quadam leuitatis apud pios grauabantur, propterea tamen neque ſacra Cœna iis interdicebatur, neque etiam ipſæ Eccleſia excommunicabantur, vti poſtea factum eſt. Hoc igitur mali initium & exordium fuit, ſed latiùs poſtea Satanæ aſtu prouectum atque propagatum eſt. Primùm quidem his nominibus vocari B cœperunt, vt Moniales, Sanctimoniales, Virgines & Nonnæ dicerentur. Poſtea verò Monachę & ad prophanarum imitationem, virgines Veſtales: ad quarum inſtituta reuocatæ vetitæ ſunt ne priuatas ædes haberent, id eſt habitacula vel cellulas ſeorſim incolerent: ſed iuſſæ ſunt vt in communi habitarent & viuerent. Hoc primum fuit, deinde ſancitum eſt, ne aliæ Sanctimoniales cenſerentur, quàm quæ alicui Monaſterio certo, certæque regulæ ſeſe in perpetuum addixiſſent can. Pernicioſam 18. quæſt. 2. Concil. tamen Agath. vetabantur iſta Monacharum Monaſteria & cellæ (quibus iſtæ concludebantur) iuxta Monachorum & virorum caulas & luſtra propter periculum & offendiculũ ædificari, vti eſt in cano. Monaſteria puellarum quæſt. 2. Cœpta ſunt autem ædificari earum cœnobia maximè, poſt annum Domini 700. Antea enim etſi fuerant quædam, omnino tamen pauca & rara erant fœminarum & virginum Monaſteria C extructa. Atque tres tantùm earum ordines conceſſi ſunt primùm, & probati eodem illo ſeculo, nempe poſt annum Domini 700. quòd tunc demum ex Synodo Hiſpalenſi cap. 11. ad inſtituta Monachorum cœperunt reuocari. i. ex magna ſuperſtitione regi & inſtitui Moniales: id quod antea non fiebat. Tres autem illi Monacharum ordines primùm hi fuerunt, ordo Baſilij, Benedicti, Auguſtini, extra quos nulli fœminæ eſſe licuit Moniali, quodcunque votum vouiſſet & ſuſcepiſſet can. Pernicioſam 18. quæſt. 2. Hodie verò infinita prorſus ſunt earum genera, & adeò diuerſa, vt nihil inter ſe ſimile penè habeant. Sunt enim hoc noſtro ſeculo Monachæ, Benedictinæ, Bernardinæ, Franciſcanę, Dominicanæ, Carmelitanæ, Cleranæ, Auguſtinianæ, & aliæ plures ſpecies.

Ita verò primùm fuerat in ſuſcipiẽda profeſſione cõſtitutũ, vt nulla ante 40. ætatis annũ votũ vllius ordinis ſuſciperet, aut ſi ſuſcepiſſet ne obligaretur, can. Diaconiſſam 27. q. 1, can. Sanctimoniales 20. q. 1. Deinde hoc tempus, tanquam longius eſſet,

eſſet, reſtrictum eſt, atque conſtitutum vt ſtatim poſt viceſimum quintum ætatis annum poſſet virgo quælibet votum Monaſticum ſuſcipere, & à Prælato conſecrari can.Placuit diſtinct. 77. & 20.quæſt.1.Sed & hoc ipſum quoque annorũ ſpatium poſtea eſt imminutum, atque ſancitum, vt ſtatim poſt pubertatis annos poſſent mulieres virginitatem perpetuam vouere: quanquam conſecratio earum differebatur vſque ad annum ætatis viceſimum quintũ: ſed poſtea receptum inſtitutúmque eſt, vt ſtatim poſt annos pubertatis.i. poſt duodecimum ætatis annum poſſet, quæ votũ ordinis & vitæ Monaſticæ ſuſcepiſſet etiam à Pręlato conſecrari cano.Puella 20.quæſt.2. quem ex concilio Triburienſi ſumptum eſſe volunt. Ante autem duodecimum ætatis annum, ne ex parentũ quidem iuſſu & confirmatione, votum ab iis factum ratum eſſet conſtitutum eſt.Denique nequa inuita in Monaſterium detruderetur,ſed ſi qua ergaſtulum illud iubẽtibus parentibus eſſet ingreſſa,decimo quinto anno ætatis interrogetur à Pręlato de voto, cui ſi ipſa non aſſentitur, ne votum ante illam ætatem factum omnino valeat.Sic can. Firma can. Sicut & ſeq.20.quæſtione 1.ſancitum eſt,à quibus tamen hodie planè diſceſſum eſt.Coguntur enim etiam antequam penè vſum rationis habeãt miſeræ puellulæ,vt ſe in Monaſterium aliquod detrudi ſinãt quòd vel nõ ſatis formoſę ſint, vel cęteris liberis pars hæreditatis maior accreſcat his in piſtrinum illud & Monaſterium relegatis.

Quæ virgo vel vidua votum ipſa ſibi impoſuerat, & habitum Monialis aſſumpſerat domi ſuæ vel in ædibus patris, non autem ab Epiſcopo vel prælato illud acceperat: primum poterat illud,ſi vellet poſtea deponere, neque cogebatur in eo vitæ ſtatu inuita permanere, niſi fuiſſet poſtea ab Epiſcopo conſecrata. Pòſt autem aliud decretum eſt. Nam neque deponere illud velum potuit, ac ne ea quæ illud priuatim domi ſuæ aſſumpſerat: ſed cogebatur etiam ante conſecrationem factam in eo ſtatu & habitu permanere perpetuo vitæ tempore,& Monaſterium ingredi can. Si quis ſacra 27.q.1. & can.Mulieres cano.De viduis & Puellis eod.Ita nimirum paulatim auctæ ſunt ſuperſtitiones,& durior conſcientiis laqueus iniectus.

Cùm ſanctimonialis à prælato conſecratur,ſtola alba induitur, & chriſmate vngitur, vt ait Alcuinus. Primus autem eam conſecrari inſtituit Baſilius magnus,vt plærique volunt. Pòſt autem eadem fœmina vel virgo tondetur.Quanquam ne tonderetur Chriſtiana mulier,& concilio Gãgreno interdictũ fuerat, & expreſſo Pauli præcepto, quod ipſius naturæ voci & ſenſui conſentaneum eſt 1.Corinth.11.Socrat.lib.2.cap.43. Sed boni ſcilicet illi patres omnia iura diuina & humana, vt ſuas ſuperſtitiones ſtabilirent, peruerterunt: & ſúſque déque habuerunt.Nam & ex cano.Quęcũque diſtinct.30. ita in Eccleſia fuiſſe olim obſeruatum quemadmodum dicimus,conſtat.

Conſecratæ Moniales habent Monachos qui illis præſint,nimirum oues lupis committuntur, (quanquam tamen vt ab earum acceſſu iſti arceãtur ex concilio Hiſpal.& can. in decima 18. quæſt. 2.ſancitum eſt, ſed fruſtrà) Poſt iſtam conſecrationem nubere iſtæ mulieres ex iure Pontificio iam non poſſunt.Quanquã olim infamia tantùm quadã in Eccleſia notabantur, & tanquam Digamæ tantùm cenſebantur,ſi quæ nupſiſſent, atque adeò ex concilio Ancyrano & can. Quotquot 27. quæſt.ita erat conſtitutum. Poſtea verò ipſa ſuperſtitione nullum iam modum ſeruante prorſus ab Eccleſia ſunt excommunicatæ, quæ poſt iſtam conſecrationem nupſiſſent can.virgines 27. quæſt.1.Atque ita miſerrimus conſcientiis hominum laqueus ſemper durior,& maior iniectus eſt: & πρὸς τὸ ἀδύνατον tandem contra rerum naturam miſeræ illæ mulieres ſunt obligatę,nempe vt perpetuò cœlibes manerent, quãtumuis intus æſtuarent & magno igni vrerentur.

In Monaſteriis autem illis & cœnobiis,tanquã carceribus concluſæ horas canonicas, quas Papiſtæ appellant,& aliquot Pſalmos tantùm cantillant.Nam neque Miſſam canere ipſę poſſunt,neq; vaſa ſacra aut veſtimenta,quibus in Miſſa ſacrificuli vtuntur, cõtrectare,ac ne quidem ſine piaculo attingere audent cã.Sanctimonialis & can. ſeq. diſtinct.23. Atqui etiam ſeculo Hieronym. Sacris literis quæ virginitatem vouebant diligenter operam dabant,illúdque exercitium,non autem cantillandi in templis habebant,quod magis erat tolerabile. Atque has ſuperſtitioſas pro ijs Diaconiſsis,de quibus Paulus agit, Papiſtæ ſubſtituunt: quæ quales ſint, & vt à verbo Dei alienæ, atque etiam à veteribus canonibus & more Eccleſiæ diſſentaneæ,omnes iam vident qui modò aliquid videre poſſunt.Sed pergamus ad Paulum.

14 *Velim igitur iuniores nubere, liberos gignere, domum adminiſtrare, nullam occaſionem dare aduerſario ad maledicendum.*

Ἀπόδοσις eſt vel potius Ἐπανόρθωσις. Rationem enim ſubiicit, per quam ſuperiori malo Eccleſia mederi poteſt. In quo ipſo canon vtiliſsimus,& quidem generalis, qui ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinet,continetur.eſt autem hic canon,Iuniores viduæ Chriſtianæ nubunto,& liberos ſuſcipiunto, familiáſque ſuas habento, quas curent, & adminiſtrent, vt omnia ſuperiora mala euitent & omnem nominis Dei blaſphemandi occaſionem cuilibet calumniatori & aduerſario adimant. Singula verò huius canonis verba momentum & pondus aliquod habent.*Volo*,inquit Paulus. Primum videtur alienum ab Apoſtolica dignitate & doctrina præceptum: mulieribus iam plus nimiò nupturientibus & nuptiales lætitias concupiſcentibus præcipere vt nubant. Illud enim eſt oleũ addere camino,non autẽ frigidam ſuffundere,vel laſciuas illas carnis libidines extinguere. Reſp. Duplici nomine hoc præceptum ſubiici à Paulo,1.vt ecquod ſit optimum vitæ genus, quod viduæ iuniores eligere debeant, vt ſint ædificationi, doceat. Nec enim ad nuptiales lætitias eas inuitat Paulus, ſed docet quæ ſit ratio omnium ſuperiorum offendiculorum tollendorum. 2. vt non minus Deo gratas eſſe,quę nubunt,quàm quæ viduę manent contra ſuperiores errores,de quibus c.4. ſup.dixit demõſtret.Nã ex hoc ipſo apparet ſecũdas nuptias in mulieribus à Paulo minimè damnari,imò verò & iuberi & probari,nedum vt viris ſint interdictę.Quas tamen Papiſtæ ex Encratitarum deliriis & hæreſi damnant.

Quæſitum eſt autem ad quas viduas hoc præceptum pertineat; vtrum ad eas tantùm, quæ ſunt pauperes, an ad omnes: Vtrum etiam ad eas

A tantum, de quibus ad Diaconatum eligendis actũ eſt in Eccleſia:an ad quaſlibet.Reſp. Ad omnes. Id quod ex ratione,quæ ſubiecta eſt,apparet manifeſté. Non minus enim diuites,quàm pauperes eſſe poſſunt,otioſæ,garrulæ,& nugaces, itémque propter periculum carnis, atque nuptiarum offendiculum infidelibus hominibus præbere.

Volo) Sic & ſup.cap.2.verſu 8.& 1.Corinth.7. verſ.7. ſed diuerſo ſenſu. Hæc enim vox modò vim præcepti habet, vti in cap.2.verſ.8.Modò autem conſilij tantùm cuiuſdam & exhortationis, vti hoc loco.Itaq; pro ſubiecta materia huius vocis,Volo,ſignificatio accipienda eſt. Nec tamen illam Papiſtarum diſtinctionem probamus inter conſilia & præcepta, quaſi conſilia quiddam & pius & ſanctius contineant:cũ hoc ipſum conſiliũ Pauli etiam ex eorum ſententia minimè contineat eam vitæ rationem,quæ ab illis ſanctior cenſetur, ſed eam potius quæ minus ex eorum ſententia,ſit & ſeuera & ſancta.Suadet enim Nuptias, non cœlibatum.Præclarè autem hoc loco, Chryſoſtom.negat hîc tradi præceptum à Paulo B abſolutè cui quiſquam obſtringatur,niſi vt ſuperiora mala euitet. Aliàs enim nubere aut non nubere viduis liberum eſt,vt apparet ex 1.Corinth. neque cuiuſquam conſcientia irretitur & laqueo conſtringitur hoc loco, ſi nullum eſt offendiculum. Atque etiam ex hoc ipſo loco apparet ſecũdas nuptias,de quibus proculdubio Paulus agit cũ de Viduarum nuptiis hîc diſputet, minimè eſſe vel damnatas,vel Deo exoſas,quicquid vel Montaniſtę, vel poſt eos Papiſtæ ſentiant:è quibus illi ſecũdas nuptias omnino improbant: hi verò eas tanquam infames impedimentum eſſe cenſent ad eccleſiaſtica numera ſubeũda. Nihil certè moror dictum vel Tertullian.vel Bernard.ſerm.59.cant.quorum ille fuit Montaniſta, iſte monachali ſuperſtitione iam faſcinatus. Quod ſi ſecundæ nuptiæ nõ damnantur,nec tertiæ Aug.libr. de fide ad Petr.cap.3. in fine.Bernard.ſerm. 66.cantic.eam quoque ſententiam refutat quę vult honeſtiora eſſe inter virgines connubia,quàm quæ iam nupſerunt.

Viduas) Ex hoc loco apparet, quàm ſit laſciuiæ dedita natura,& ingenium omnium hominum ſed C imprimis mulierum, de quibus hîc agit Paulus: quamquam tamen ab eo malo non ſunt mares liberi & immunes.Nam & quæ 1.Corinth. 7. tradit Paulus & hîc,ęquè ad vtrumque ſexum pertinent, ſi quod offendiculum oritur & naſcitur.

Iuniores ſexaginta annis ſuprà definiuit Paulus:non quod tamen omnes, quæ ea ætate minores ſunt,nubere velit:ſed eas tantùm, quæ liberos ſuſcipere,& familias adminiſtrare poſſunt. Nam ſi quæ L.annos nata eſt,vel ea ſit corporis conſtitutione,vt hæc mala fugiat,illi nullam legem dat Paul.hoc loco.

Nubere) Tria præſcribit, in quibus omne muliebre officium contineri videtur. Nimirum Nubere,liberos procreare,familiã adminiſtrare.Nubere. Hoc pertinet,vti diximus,ad ſecundas nuptias:& ſi iam ſecundò nupſerat,& vidua reſtet,ad tertias & quartas & quintas nuptias,qualis illa, de qua Hierony.ait, ſepties eam nupſiſſe, erat Vercellis apud Inſubres. Liberos procreare τεκνογονεῖν. Quid ſignificet vide ſupra cap.2.v.15.

Οἰκοδεσποτεῖν. Eſt in verbis Græcis ὁμοιοτέλευτον, & orationis ornatus. Hoc autem οἰκοδεσποτεῖν eſt A familiam adminiſtret, non vt marito ſuo præſit, & ſit ſuperior vxor, ſed pro eo iure, quod habet tanquam mater familiâs, cæteris quidem præeſſe eam vult Paulus, interim tamen agnoſcere virũ caput ſuum,illique ſubiici & parêre.*Nullam occaſionem.* Subiectio eſt,quæ totius vitæ Chriſtianæ ſcopum demõſtrat. Nos enim ædificationi omnibus eſſe oportet Fidelibus & Infidelibus,Infirmis & Validis. Itaque hac ratione vſus eſt ſæpiſsimè Paulus vti ſup.3.verſ.6.Tit.2.verſ.8. ſed & Petrus quoque 1. Epiſt.cap.2.verſ.12.15.& Chriſtus ipſe Matth.5.in fi.idem argumentum afferunt. Ἀντικείμενον autem generaliter accipio pro calumniatore & aduerſario vti 2.Theſſa.2.v.4. Nec enim Satan ipſe maledicit per ſe de doctrina, ſed homines profani,Infideles & calumniatores detrahũt & de nobis & de doctrina Chriſti,quam profitemur.

15 *Iam enim nonnullæ deflexerunt,ſequutæ Satanam.*

Confirmatio eſt ſuprioris ſententiæ ab exemplo. Debent enim aliena pericula reddere nos B cautiores ac prudentiores. Nam felix, quem faciunt aliena pericula cautũ.Hoc ipſum pro exemplo & documento Papiſtis eſſe debuit, vt tyrãnicas ſuas de cœlibatu leges tollerent, & abrogarent, cùm inde tot mala naſci & emergere quotidie cernerent:ſed mordicus doctrinam ſuam non modò retinent, verumetiam ipſi Dei legi impiiſſimè præferunt. Neque tamen ſic ſemper concludendum eſt. Illud omne nimirum eſſe mutandum, vnde aliquod periculum, & aliqua diſceſsio ab eccleſia ſit exorta. Sic enim omnis & correptio & diſciplina eccleſiaſtica tolleretur, propter quam multi à fide defecerunt, & ab eccleſia Chriſti receſſerũt,vti Nouatiani & Donatiſtæ.Reſp.igitur cauſſam ipſam ſeceſsionis ſpectãdam eſſe.Nam ſi quis idcircò deflectit à fide,quòd iugum Chriſti ferre nolit, diſcedat. Sin autem quòd tyrannidis præter Chriſti legem iugum ſibi impoſitum ferre non poteſt & recuſat,certè illud iugum tollendum eſt,& demendum.Neque enim quiſquam iugum Chriſti durum ſentiet, niſi qui omnino ſceleratꝰ & impius eſſe volet.Ergo C quædã nimio iſto rigore cœlibatus iã offenſæ diſceſſerant atque deflexerant à fide, & ad Satanam reuerſæ erant,abiurata nimirum Euãgelii doctrina.

16 *Quòd ſi quis fidelis aut ſi qua fidelis habet viduas,eis ſubuenito, & non onerator Eccleſia,vt ijs quæ verè viduæ ſunt ſubueniat.*

Concluſio eſt totius ſuperioris diſputationis de viduis pauperibus, quæ quidem ſunt fideles. Continet autem hic locus etiam canonem illi primo ſimillimum,qui ſup.verſ.4.explicatus eſt. Eſt autem hic canon ſextus numero, Quiſque fidelis ſuas viduas alito: Illis,quæ à cognatis ali & exhiberi poſſunt, eccleſia ne grauator, vt aliis omni auxilio deſtitutis ſubuenire & ſuppeditare poſsit quod ſatis eſt.

Primum quoad verba, Eraſmus cenſet hæc ἢ πιστὴ à ſtudioſo aliquo qui mentem Pauli plenius explicare gloſſemate voluit, fuiſſe addita. Vult igitur hunc locum ſic reſtituendum eſſe εἴ τις πιστὸς ἔχει χήρας. Sed perinde eſt. Nam etiam ſi vox iſta πιστὴ non addatur, tamen ex mente Pauli intelligitur.Nihil enim hîc de viris præceptum eſt,qui

propin-

A propinquas & cognatas viduas alere poſſũt, quod idem ad fœminas non pertineat. Nam etiam illæ ſi ſunt diuites, pauperes cõſanguineos ſuis opibus ſuſtentare & ſubleuare certè debent, exẽplo illius Tabithæ de qua eſt facta mentio Act.9.& Electę, de qua Ioãnes 2.epiſtola, quæ vtraque ſuis opibus alienos fouit, nedum cognatos fideles egentes, ſi quos habuit. Item & Ioannæ mulieris, & aliarum de quibus eſt Luc.8.v.3. Quęſitum eſt autem, Quid ſi illæ viduæ quæ ſe à piis propinquis ali poſtulãt, ipſæ non ſunt piæ. Reſp. Etſi omnibus eſt benefaciendum, vt docet idem Paulus Galat. 6. imprimis tamen de domeſticis fidei hoc Pauli præceptum intelligendũ eſſe, & de Viduis piis, quæ nomẽ derũt Chriſto, quarum maxima & potiſſima ratio ſẽper haberi debet à cognatis piis & Chriſtianis.

Dicit autem Paulus Ἐπαρκεῖτω, id eſt, abundè & copioſè ſumminiſtret. Ἀρκεῖν enim eſt copioſè, & quantum ſatis eſt atque neceſſarium, ſuppeditare. In quo tamen præclarè Chryſoſto. annotauit, non præcipi à Paulo, vt delicię illis Viduis vel à cognatis vel ab eccleſia, à qua aluntur, præbeantur: ſed quod ad victum modeſtum, ſobrium ac earũ conB ditioni aptum ſit ſatis & conueniat. Neque tamen ſic, vt Viduæ illæ alantur otioſæ & inertes: ſed vt illæ ipſæ victum ſibi, quantum arte vel manibus ſuis vel labore poſſunt, comparent etiam, veluti lanificio, ſerificio, ſuendo, nendo, aliiſque rationibus honeſtis. Quòd ſi iſtæ viduæ & pauperes laborent, iam cognati vel eccleſia addat, ſi quid illis ad neceſſarium victũ deeſt, Idque pro ipſorum præbẽtium facultatibus. Neque enim vel cognati, vel eccleſia cogitur omnia quæ viduis & aliis pauperibus deſunt, ſuppeditare, niſi id fieri ipſorum facultates & opes patiantur. Vera eſt enim etiam inter Chriſtianos illa Ennii ſententia à M. Tul. Cicerone rectè explicata, ita aliis largiendum eſſe, vt noſtræ familiæ etiam ſubuenire poſſimus. Pro eo enim quod quiſq; habet dare debet, & in eo Deo acceptus eſt: non autem pro eo, quod non habet. Exhaurire enim ſeipſum prorſus nemo tenetur, ne ſit huiuſmodi ſubuentio ipſi ſubuenienti oppreſſio, & ne poſtea ipſe mendicet, vt docet Paulus 2. Cor.8.v.12.13. Etſi parcè tamen grauatè & tenuiter non eſt ſubueniendum proximo ſed lubenter &, C vti dixi, quantum poſſumus.

Vt ius. Æquiſſima ratio quæ ducta eſt à fine ærarii eccleſiaſtici. Eccleſiam enim ad ſuos pauperes alendos pecunias à piis collatas habuiſſe apparet ex Sozom.lib.7.cap.26.& Euagr.lib.5.ca.5. ne præter æquum ſe onerari exiſtiment propter hoc pręceptum iſtarum viduarum cognati. Etſi enim eccleſiæ ærarium, eſt commune omnium pauperum ærarium, tamen videndum eſt & proſpiciendum ne ſtatim exhauriatur: omnibus enim ſufficere diu nõ poterit. Reſeruetur igitur illud maiori inopiæ, & eorum pręſertim egeſtati, qui non habent, vnde ſe aliunde exhibeant, ſiue ſint Viduæ: ſiue Mares pauperes. Qui habent vnde aliunde adiiuuentur, eccleſiam ne grauent. Hæc ſanè de pauperibus viduis cura perititit diu in eccleſia Chriſtiana purioribus ſeculis maximéque epiſcopi iubebantur illi prouidere & proſpicere vt apparet ex variis Synodorum decretis & imprimis Synodo Carthag. 4. poſtea põtificii παρεπίσκοποι, qui nihil omnino, niſi ſuum lucrum ex eccleſia captant, totã hanc pauperum curam neglexerunt, miniméque ad ſe pertinere exiſtimarunt: ſed ipſi dona Viduis, pupillis, A & aliis eccleſię Dei pauperibus deſtinata ſacrilegè inuaſerunt. Quorum certè bonorum ſunt Deo rationem redditurí: atque ii omnes etiam, qui in reformatis eccleſiis, bona, quę ad pauperes pertinẽt, hodie aliò transferunt, & ſibi propriiſque commodis applicant. Quod faciunt nimium multi, in primis autem Nobiles & Principes Chriſtia. Quid autem de bonis eccleſiaſticis ſit inter nos conſtituendum, vide Cal. epiſt. 372. 384. 394.

17 *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habentor: maxime qui laborant in ſermone & doctrina.*

Παρέκβασις Tranſitio eſt. Tractat enim iam aliud caput diſciplinæ & politiæ eccleſiaſticæ Paulus, quod ad Miniſterii eccleſiaſtici munus æquè pertinet, atque ſuperior cura & diſputatio. Eſt autem hoc caput de Presbyterorum, & eorum, qui præſunt eccleſiæ munere, id eſt, tum aliorũ erga ipſos: tum eorum ipſorum erga ſeipſos: tum eorundem etiam erga alios officio & cura in vniuerſum.

Ac quidem de aliorum erga ipſos, & ipſorum B cura erga ſeipſos, quid nimirum præſtare inter ſe debeant, oſtendit Paulus vſque ad verſ.24. varióſque canones conſtituit omnino & ſemper eccleſiæ neceſſarios, ſi modò eam rectè adminiſtrare ipſi velint.

Cur autem hæc præſcribat Paulus facilis ratio eſt. Nam ſi vel minimi cuiuſque ratio in Dei eccleſia haberi debet, multò magis eorum, qui præſunt eccleſiæ. Si ſinguli qui ſunt in eccleſia ordines, regendi ſunt certis legibus, vt omnia rectè fiant in Dei eccleſia, multò magis ij, à quibus maius periculum imminet. Ergo tria quædam hîc proponit.

1 Quid præſtandum Presbyteris.
2 Quibus Presbyteris.
3 Cur præſtari illis aliquid debeat.

Presbyterorum autem nomen hoc loco, & in toto hoc argumento & capite, dignitatis nomen eſt, non ætatis, quicquid Chryſoſto. & alij contrà ſentiant, vti ſæpe alibi & 1. Petr.5.v.1. accipitur. Id au- C tem eſſe ita accipiẽdum apparet ex his verbis, *Qui laborant in ſermone.*

Ergo illis *debetur honor, iſque duplex*, vt ait Paulus. Honoris voce ſubſidium omne piúmque officium, more Hebręorum, ſignificatur, vti ſupra eodem ſignificato verſ.3. Viduas honora & 1. Petr.3. verſ. 7. *Vir vxori honorem tribuat.* Sumpta eſt hæc dicendi ratio ex lege Dei & præcepto 5. *Honora patrem.* Sunt enim nomine parentum, ſed ſpiritualium comprehenſi, qui nos verbo Dei paſcunt: & præſunt nobis, nóſque in Chriſto vel genuerũt: vel iam genitos cœleſti cibo alunt, quod faciunt hi Presbyteri. Itaque hic canon Pauli ex quinto legis diuinæ præcepto ductus eſt. Conſentit autem hic locus cum 1. Corinth.9.& Heb.13.v.7. 1. Theſſ.5.v. 12.13. Galat.6.v.6.

Cùm autẽ hoc præcipit tam diſertè Paulus obliquè taxat illius ætatis ingratitudinem in ſuos Paſtores, nec tantùm cauet in futuram poſteritatem. Hoc tamen malũ regnat adhuc hodie, & hac ipſa ratione verbo cœleſti priuare Eccleſias tẽtat Satã: multos certè à ſuſcipiẽdo cœleſti miniſterio deterret, quòd eos efficiat famelicos, qui Deo ipſi in tã

A honeſta neceſſariáque cauſa ſeruiāt: quorum operæ & labori nullus alius,vt ait Chryſoſtomus, eſt conſerendus. Et rectè. Ergo quod aliis collatum diceretur eleemoſyna,Presbyteris præſtitum dicitur honorarium,ſtipendium,Debitum, à Chriſto ipſo μισθὸς.

Ait Paulus *Duplicis*,vt cæterorum comparatione, quibus aliquid etiam ſpecialiter debemus,eos nobis magis commendet.Sic tamē quidam interpretantur,Duplici honore,perinde & tantum eſſe, atque ſi dixiſſet,Magno.Alii verò cōparatè hoc dici putāt,alii abſolutè.Abſolutè quòd & in hac vita digni ſint verbi Dei miniſtri ſtipendio & ſubſidio victus:& in futura vita,felicitate æterna. Qui certè errant,ſi nos miniſtróſve ipſos aliquid apud Deum mereri poſſe putant. Chryſoſt. rectius duplicem honorem explicat Venerationem ipſorum perſonæ,id eſt,reuerentiam : & Subſidium vitæ ac alimoniæ. Certè vtrumque Paſtoribus, vti Parentibus ipſis,deberi veriſsimum eſt. Qui verò comparatè hunc locum accipiunt,referunt ad ſuperiora præcepta de viduis alendis & honorandis. Iſtis enim viduis lōgè magis ſunt honorādi Presbyteri B & paſtores.Quæ ſentētia videtur huic loco cōſentanea & commoda.Non vult autem magnas opes & honores congeri in Miniſtros Paulus, etſi duplici honore dicit dignos. Rectè enim Chryſoſto. Ego eccleſiæ præſules audenter dixerim, ait, nihil præter victum & veſtitū habere oportere, vti inf. cap.6.v.8.explicabitur.Præclarè quoque Eraſmus ait,Sacerdotes & prædicatores quidam hodie nihil ſunt,niſi decimatores.

Obſtat autem quod propriis manibus victum ſibi quæſiuit ipſe Paulus inſeruiens eccleſiis : ergo Miniſtri Verbi Dei βιωτικὰ ſibi comparare debent. Actor.20.v.34.Quod eſt præcipuum & Anabaptiſtarum quorundam,& Apoſtolicorum hæreticorum argumētum.Reſpond.ex Chryſoſt. ne paſtores inopia coacti à ſtudiis & melioribus rebus diſtrahātur,iis victum eſſe ab eccleſia ſuppeditandū. Nā & victū ſibi manib' artificióq; quærere,& ſuo muneri ſupereſſe ſimul nō poſſūt Miniſtri omnes, niſi dona illa prophetiæ & cognitionis ſcripturarū egregia haberēt extraordinaria & infuſa,qualia certè habuit Paulus. Pluſquam belluina verò ingra- C titudo eſt , denegare carnalia ei, qui tibi cœleſtia affatim præbet,vt loquitur Paul.Rom.15.v.27.Neque negat Paulus ſe ab vllis eccleſiis vnquam accepiſſe ſtipendium.2.Cor.11.v.8.ſed eo tantùm abſtinuiſſe,cùm eccleſiæ ædificatio id fieri poſtulabat. Eodem modo eſt reſpondendum, ſi quis obiiciat Nehe. 5.v.15. Reſp.enī Nehemiā id feciſſe propter populi paupertatem: nō autē quòd victum exigere ab eo per ſe non exiſtimaret honeſtū, aut licere. Itaque non eſt lex generalis illud Pauli vel Nehemiæ factum,ſed ſingulare quoddam pro temporis ratione aſſumptum.Ergo nimis ſunt hodie impudentes Catabaptiſtæ,qui illius facti & exēpli prætextu omnes verbi Dei Miniſtros ad manualia opera cogendos eſſe contendunt,vt victum ſibi comparēt:aduerſus quos præclarè Bulling.li. 2. Tract. 7.Cōtra Catabaptiſtas. Nec fures certè nec latrones ſunt verbi Dei Miniſtri,qui iuſta à grege ſuo ſtipendia,quantum quidem ad victum & veſtitum ſatis eſt,exigunt,vt iſti calumniantur.Nec ſunt fuci,cùm ſtrenuè verbo Dei nauātes operam, ita viuunt ſine manuali labore.Galat.6.v.6. Nā Dominus ipſe ita loquitur Numer.18.v.31. Tum comedetis A ipſas decimas in quouis loco vos, & familiæ veſtræ.Nam merces eſt vobis pro Miniſterio veſtro in tentorio conuentus & Paulus 1.Cor.9.v.13. qui ſacris operantur,è re ſacra edunt.

Secundum caput eſt,quibus Presbyteris debeatur?Reſpon.Iis præſertim qui in verbo Dei & Doctrina laborant. Ergo eſt duplex Presbyterorum genus, Vnum eorum,qui doctrinæ cæleſtis ſunt miniſtri:qui nihil ab Epiſcopis & Paſtoribus differunt:Alterum eorum, qui moribus fidelium tantùm inuigilant,& eos inſpiciunt, ne quid offendiculi in Eccleſia Dei ex quoquam oriatur. Hi ſunt quos in Gallia vulgò Supervigilantes dicimus qui vnà cum Miniſtris verbi Dei conſiſtorium ſiue ſenatum Eccleſiaſticum conſtituunt. Sed quæritur vtrum hoc poſtremum genus Presbyterorum ſit negligendū ab Eccleſia.Reſp. Minimè verò,ſiquidem iſti quoque egeant:ſed primum genus magis commēdatum nobis eſſe debet.Ex quo fit, vt Paulus addiderit *Maximè*.Similis locus Galat.6. v.6. Ait enim *communicet qui inſtituitur in ſermone ei, qui ſe inſtituit,omnia bona.*

Obſtat quod ait Chriſtus Matth.10.v. 8. *Gratis accepiſtis,gratis date*. Reſp. Eum gratis præeſſe & B paſcere gregem,qui nec lucrandi nec diteſcēdi animo id facit:quamquam victum ſibi neceſſarium à grege,id eſt,ab Eccleſia accipit, quemadmodum docet & Chriſtus eodem loco,& Paulus 1.Corint. 9.2.Cor.11.verſ.8.

Vult autem iſtos Presbyteros laborare , ergo non otioſos eſſe vult,non etiam perfunctoriè tantùm fungi ſuo munere:non denique pro ſua tantùm commoditate inſeruire eccleſiæ : ſed magno animi zelo,totíſq; & animi & corporis viribus incumbere,vt optimam muneris ſui rationem Deo reddere poſsint & populum in Dei metu erudiant.adeò vt ſæpe de ſe teſtetur Paulus ſe nō tantùm laboraſſe,ſed etiā laſsitudine , quaſi exhauſtis viribus,paſſum eſſe,tantæ ærumnæ corporis in eo munere faciendo nimirum ſæpe ſunt (vt 2.Theſſ. 3.v.8.docet ipſe)perferendæ,ne ſint velut muti canes,vt ait Iſaias.Sed & laborare in ſermone & Doctrina,non qualibet, ſed cœleſti & Euāgelica iidē C iubentur,per quam homines ad veram agnitionē Dei deducant. Quidam ſermonem pro exhortationibus accipiunt. Doctrinam pro ipſa traditione methodica cœleſtis myſterii. Quod vtrunque fit concionando. Optimè Chryſoſtom. qui docet exigi à paſtore his verbis , vt Prædicet,doceat, & concionetur:non tantum vt ſtudeat,& vt operam det priuatim Dei verbo,illúdque meditetur & ſpeculetur ipſe,vt tantùm vitæ ſanctæ exemplo gregē ſuum inſtituat.Docere igitur debet paſtor , & eatenus officium facit , quatenus viua voce illud exponit.*Ite*,ait Chriſtus,*docete*.Ergo qui abſūt à ſuo grege : qui in grege ipſo muti ſunt,qui etſi per alios docent,ipſi nunquam id faciunt, omnino ſunt indigni nomine Paſtorum & Presbyterorum : & duplici illo honore , de quo agit hoc loco Paulus, priuandi. Placuit autem etiam gloſſam ex Iure Canonico addere in canon. Non omnes 2. quæſt.3. Sic autē habet. Malus Presbyter ęquiparatur coruo in nigredine vitiorum : in raucedine vocis : in voracitate oblationum mortuorum:in fœtore ſpiritus: in garrulitate,& in furto. Sed & illud quoque Auguſtini Sermo. 19.de Verb. Domini ſecun-

dum

A dum Matthæum, ſi Presbyter interceſsiones vendit, viduarũ munera libenter amplectitur, negotiator magis videri poteſt, quàm Clericus.

18 *Dicit enim Scriptura, Boui trituranti non obligabis os. Et, Dignus eſt operarius mercede ſua.*

Ἀπολογία eſt, in qua tertium caput continetur nempe, Cur hic honor Presbyteris debeatur. Affertur autem à Paulo ratio duplex, quarum Prima ducitur ab exemplo, quod etiam diuina lege comprobatur. Secunda ab officio & communi hominum ſententia. Ergo videtur hîc vti duplici autoritate Paulus, nimirum Diuina, & Humana: Diuina, cùm ait. *Dicit enim ſcriptura, Boui trituranti* &c. qui locus ſumptus eſt ex Deut.25.verſ. 4. & 1. Corinth.9.verſ. 9. explicatur fuſius ab eodem Paulo. In cuius tamen loci explanatione fallitur turpiſsimè Hieronym. in Abac. in hæc verba cap.1. *Mundi ſunt oculi tui.* De quo vide Lombard.lib.1.Diſt. 39. cap.4.D.

Humana verò autoritas eſt, cùm ait, *Dignus operarius mercede ſua*: B quæ in prouerbium abiit, ipſa naturæ voce inter omnes mortales confirmata: adeò quidem vt cùm Chriſtus ipſe hoc idem dixit Mat. 10.verſ.10.Luc. 10.verſ. 7. ex communi prouerbio ſumpſiſſe videatur. Nihil enim hoc dicto magis tritum eſt, & vulgare. Niſi quis fortaſſe ductum malit ex eo, quod ſæpè in ſcriptura legitur, eſſe dignum *mercenarium mercede ſua* Deut. 24.v.15. Geneſ.31.verſ.12. Ad quod ipſum quoque reſpexit Iacobus cap.5.v.4.

Neque tamen, etſi dignus eſt Paſtor ſuo ſtipendio & ſuo honorario, tãquam mercede, propterea paſcere gregem debet eo animo, vt inde ſtipendia accipiat, & mereatur. Nam huiuſmodi animus eſt Auaritiæ (quæ eſt omnibus fugienda, imprimis autem Paſtoribus Luc.12.v.15.1.Petr.1.v. 2.) ſurculus, quanuis nõ expetat inde diteſcere, vel opes cumulare. Præcipuus enim Paſtorum ſcopus eſſe debet Dei ipſius gloria. Victus autem ipſorum eſt acceſſio quædam tantùm, quem idcirco petunt & ſpectant, quia ad faciendum & melius, & alacrius, & liberiùs officium, ille neceſſarius eſt.

Mirum autẽ eſt prætermiſſam hîc eſſe cõfirmationem huius ſententiæ, quæ fieri potuit exemplo Leuitarum, qui à reliquo populo Iſraelitico C alebantur Dei iuſſu ex decimis, & aliis oblationibus: ſed ab eodem Paulo in 1.Corinth.9.v.13. hæc ratio non eſt neglecta.

Vnde errant, qui ſtipendia Miniſtris tribui putant tanquam meras & gratuitas tantùm eleemoſynas putántque liberum eſſe ea perſoluere vel nõ: debentur enim vti iuſtiſsima merces, etſi nulla eſt tanto eorum labori æqualis, quemadmodum ait Chryſoſto. Scholaſtici & Canoniſtæ in can. Qui pro pecunia 1.quæſt.1.cano. Altare.1.quæſt. 3. diſtinguunt inter illud quod accipitur tanquam Pretium operæ & Suſtentatio vitæ. Illud quidem accipi à Paſtore negant poſſe, hanc autem concedunt. Nec eſt ſanè inutilis vel incommoda iſta diſtinctio. Vide Durand. in lib.4.Sent diſtinct.25. quæſt.3.4.

19 *Aduerſus presbyterum accuſationem ne admittito, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.*

Tranſitio eſt: iã enim agit de ſecunda huius argumenti parte, nimirum ecquod ſit ipſorum Presbyterorum aduerſus ſeipſos & collegas ſuos officiũ, A ne quid ex ea parte offendiculi naſcatur. In primis enim cauẽdum eſt, ne illi ſe mutuò excuſent & ſibi parcant, dum tamen alios caſtigant ſeuerè: atque ne in illis locũ habeat prouerbiũ vetus, Mutuo muli ſcabunt. Potius illis in mentem veniat illa Chriſti ſententia, *vos eſtis ſal terræ. ſi ſal euanuerit in quo ſalietur? vos eſtis lux mundi.* Matth.5.v.13.14. Item illa, *ſint lumbi veſtri præcincti & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Luc.12.verſ.35. Sed & illa quoque Petri, debere paſtores toti gregi eſſe exemplar vitæ ſanitate doctrinæque puritate, cęteriſque pręlucere. 1.Pet.5.v. 3. Ergo quemadmodũ vna ex parte diligenter illis cauendũ eſt ne propriis collegarúmve peccatis conniueant: ſic ex altera parte proſpiciendum, ne ad facilem criminationem & accuſationem aditum aliquem proteruis hominibus & iugum diſciplinæ eccleſiaſticæ renuentibus & excutientibus præbeant. Falſa eſt quidem illa Papiſtarum ratio, qui poſtquam vniuerſum Domini gregem diſtribuerunt in Laicos & Clericos, fingunt laicos eſſe infeſtos ac perpetuos Clericorũ hoſtes, eóſq; innato quodã ex clericalis dignitatis fulgore B & priuilegiis odiò proſequi. Itaque cano. Nullus laicus, & canon. Laicos.2. quæſt.7. omnes laicos, quãuis probatæ vitæ viros pontificij ab accuſatione & teſtimonio in clericos dicendo ſummouent. Sed peruerſè. Primũ enim cõtra Chriſtia. charitatis præcepta illud odium in omnibus, qui ſubiiciũtur, ineſſe præſumunt, cùm non ſit charitas ſuſpicioſa. Deinde res ipſa docet, qui Chriſtiani aliis ſubſunt, eos propter Dei verbum ex animo paſtores, præpoſitóſque ſuos diligere, illíſque ſubiici lubenter velle, quia non ſunt paſtores euangelici animorum tyranni. Quid igitur? Poſſunt fateor in eccleſia Dei eſſe effrænes homines: poſſunt eſſe ſimplices: poſſunt eſſe hypocritæ & aſtuti, qui cùm doctrinæ ipſius firmitatẽ concutere non poſſunt, neque aliter myſteria arrodere: in perſonas miniſtrorum debacchantur impudenter, vt eorum autoritatem eleuent & imminuant quantum poſſunt.

Atque ea ſemper arte Satan tacitè tanquam per cuniculos Eccleſiam Dei conatus eſt euertere. Itaque huic & Satanæ technæ, & improborum audaciæ fuit occurrendum, præcludendúſque huiuſmodi criminationibus aditus. Imprimis quòd multorum accuſationi & calumniis obnoxius eſſe ſolet, qui in omnium oculis verſatur, C qui in vitas omnium inquirit, qui omnium vitia reprehendit, tam ſunt nimirum homines correctionis impatientes, vt recriminatione etiam falſiſsima ſeſe vlciſci ſtudeant aduerſus eos, à quibus tamen meritò arguuntur. Eſt autem hoc paſtorum officium, vt eſt Ezechiel.18. tanquam hominis in ſpecula collocati qui deſpicere omnia, ac turpia quæque redarguere debet. Ex quo fit, vt ſint multis odioſi, & malignorum obtrectationibus pateant, ſintque obnoxij. Id quod in cauſa Bonifacij docet Auguſtinus epi. 137. Vnde huic quoque periculo cauendum & proſpiciendum fuit. Vtrumque autem hoc malum, de quo diximus, excludit & ſummouet canon, quem hoc loco ſancit Paulus, aut potius Dei ipſius ſpiritus. Eſt autẽ huiuſmodi, Presbyteri ne aduerſus Presbyterũ facilẽ vel accuſationem ipſam admittunto, niſi duorum vel trium teſtimonio crimen cùm defertur, ſit ſtatim confirmatum.

A Qui canon vt cōmodè declaretur, ſunt hæc tria ordine nobis perquirenda.

1 De quibus Presbyteris agat Paulus.
2 Quid de illis præcipiat.
3 Cur hoc iubeat & velit.

Primum caput facile eſt,& ex ſuperioribus verſiculis ſatis apparet. Agit enim de iis,qui dignitatis,non autem ætatis ratione Presbyteri ſunt,quorum officium & munus in fine huius capitis perſequitur & exponit ſigillatim. Quanquam aliud ſentit Chryſoſtom.& ad ætatem refert,cui,tanquā minus ad peccandum procliui, vult parci, minúſque facilè aduerſus eam vel ſolam ipſam accuſationem admitti. Sed hæc ratio Chryſoſt. ſæpe quidem apparet falſiſſima cùm ſenes quoſdam videamus ad omne ſcelus propenſiſſimos.

Secundum igitur caput eſt. Quid de Presbyteteris hoc loco Paulus præcipiat. Reſpō. Ne contra eos vel ſola duntaxat accuſatio, citra duorum vel trium teſtimoniū, excipiatur vel à toto collegio Presbyterorum,vel ab vno aliquo Presbytero, nedum vt condemnatio de iis temere à quoquā fiat. B Quærunt autem, quid hoc nouo præcepto fuerit opus,& in Presbyteris præſertim,de quibus hîc aliquid ſpecialius ſancire Paulus videtur, cùm in omni accuſatione hoc ipſum locum habere videatur. Nam Deut.17.v.6. ſic ait lex Ex ore duorū vel trium ſtabit & ratū erit verbum & accuſatio, quæ fiet de aliquo. Itaque hoc ipſum tam leuis momēti quibuſdam hoc loco viſum eſt,vt omnino delendum cenſerent,tanquam inutile & ſuperuacaneū, cùm tamen ſingulare priuilegiūm, & à Deo ipſo paſtoribus & Presbyteris conceſſum cōtineat. Reſpon. igitur aliud eſſe Accuſationem ipſam, aliud Iudicium,quod de accuſato fit,cōtinétque vel abſolutionem vel condemnationem rei à iudice factam. Iudicatio igitur ſiue ſententia ſine teſtibus & legitimis probationibus in vniuerſum à nemine fieri debet. Ac eò pertinet locus Deut.17. Accuſatio autem ipſa certè admitti ſine teſtibus à Iudice de quouis alio poteſt, præterquam in hoc caſu verbo Dei expreſſo: ſi modò, qui accuſant non ſunt omnino infames perſonę: vt eſt præclarè reſpōſum ab Euſebio Vercellenſi Epiſcopo,& extat in canone C De accuſatoribus 3. quæſt.5. Presbyteri igitur admitti à collegis ſine teſtibus, iíſque duobus vel tribus,ne accuſatio quidem ipſa poteſt. In quo eſt Presbyterorum prærogatiua præter cæteros homines hîc à Paulo expreſſa,quia variis hominum calumniis,multorúmque inuidiæ ſunt obnoxii.

Teſtes autem eos hîc requirit Paulus, qui in cæteros reos audiri & admitti poſſunt,non alios. Ergo huius canonis & priuilegii ratio (in quo tertia huius verſiculi pars poſita erat) apparet eſſe, non quòd presbyterorum peccatis, & vitiis parcere & conniuere ſuadeat Paulus (quos grauius propter dignitatē peccare certum eſt)non quòd priuilegia fori & immunitatis perſonis Eccleſiaſticis tribui qui Rom.13.omnes atque etiam paſtores ipſos magiſtratibus ſubditos eſſe iubet,vti & Petrus 1.Petr. 2.17. Non quòd ſemina odii & ſuſpicionum inter gregē & paſtorem ſerere,aut alere cupiat: ſed quòd rerum ipſarum experiētia doceat quoſdam odiſſe principes & eos omnes qui ſibi præſunt : atque etiam tantam eſſe humanæ mentis malignitatem,vt eos qui vitia noſtra reprehendunt, maximè in odiū ac inuidiam aliorum adducere conemur. Cui malo & effræni licentiæ occurſum eſſe ſapienti iſto remedio voluit Paulus. A

Illud autem priuilegium,vt Epiſcopi nonniſi à ſeptuaginta teſtibus,iíſque non Laicis hominibus conuicti damnari poſsint, prorſus impunitatem peccandi dat Epiſcopis. Quod tamen canon. Placuit 2.quæſt.4.cōtinetur. Item illa clericorum priuilegia,per quę vetantur in vniuerſum Laici clericos accuſare,& inter clericos ipſos ij, qui inferioris ſunt gradus,prohibētur ſuperiores deferre, aut in eos teſtimonium dicere,ſunt omnino tollenda & abroganda,tanquam nefandiſsima omniū ſcelerum in Epiſcopis vela. Atque illa omnia latè 2. quæſt.7.per totum explicantur. Feneſtram enim ad nequitiam patefaciunt, & nullum Epiſcoporū corrigendorum locum relinquunt, planéque pugnant cum mente Pauli.

20 *Et qui peccant,coram omnibus argue,vt & reliqui timeant.*

Alter canon de pœna Presbyterorum ſic conuictorum. Eſt autem hic,vt Presbyteri, qui publicè B & notoriè peccarunt,publicè,id eſt,in cœtu totius Eccleſiæ arguantur.

Ratio autem eſt,quòd huiuſmodi crimina & facta,quæ pluribus teſtibus probantur, etiam antequam delata ſunt,pluribus ſunt nota,prẹſertim verò ſi à Presbyteris commiſſa fuerint. Verè enim ille, Nam lux altiſsima fati, Occultū nihil eſſe ſinit. Cùm igitur crimina illa pluribus iam innotuerunt & in ore hominum & cognitione verſantur, ſunt iam publica. Ex quo fit, vt etiam ſint publica cēſura notanda, & publicè arguenda, quemadmodum hoc loco præcipit Paulus.

Deinde cùm Presbyteri cæteris exemplo eſſe debeant vitæ ſanctitate, ita & pœnitentia, ſi deliquerint:& cenſura atque caſtigatione, ſi non reſipuerint,vt ſint de populo reliqui ad iniuriam, & peccandum tardiores. Sed etiam olim reliquis Eccleſiis ſignificabantur ij,qui ob ſcelus erant depoſiti,vt ex concilio Carthagienenſi 1. & 2. apparet, & ex Cypria. Atque has literas *formatas* appellabant. Certè Presbyter Flauianus Epiſcopum ſuum publicè reprehendit,quòd in Chriſtiana religione C veram fidem ſimularet,vt ait Theod.lib. 5. cap. 3. & idem li.5.cap.28.laudat Chryſoſtom. quòd ſuos Presbyteros liberè, tum moneret, tum publicis cenſuris caſtigaret. Vt autem malè agentes Presbyteri ſunt ſemper reprehendendi: ita bene agentes ſunt & cohortandi & laudandi, vti Epiſcopi Ægyptii Athanaſium exulem propter fidem aliis Eccleſiis commendarūt,vt apparet ex Tripar.hiſt. lib.4.cap.19.

Plato annotat tria eſſe ſupplicii,per quod crimē punitur,genera κόλασιν, τιμὴν, παράδειγμα. κόλασις eſt in ipſius delinquentis corpore & ſenſu inflicta pœna,vti ictus fuſtium,abſciſsio auriculæ. Τιμὴ pœna ea,quæ ob publicam tranquillitatem violatam impoſita eſt,qualis eſt infamia, exilium,multa pecuniaria. Neutra caſtigatio pertinet ad Eccleſiā ſed ad magiſtratum. quamquam ab Eugenio primo conſtitutum eſt,vt liceret Epiſcopis ſuos Presbyteros criminis conuictos carcere multare,qui certè fuit manifeſtus poteſtatis abuſus. Παράδειγμα eſt pœna,quæ cæterorū erudiendorū vel terrendorū cauſa publicè cōſtituta eſt, atque hæc ab Eccleſia imponi poteſt. Verbū indę eſt παραδειγματίζειν,quo

A vtitur Matth.1.Duo verò poſſe obiici videntur.

1 Quod eſt Matth.18.v.15.Mitius reprehendendos eſſe qui peccant,quàm hîc Paulus iubeat,nimirum inter nos & illos ſolum.Reſp.Illud Chriſti dictum de priuatis offenſis intelligẽdum eſſe, nimirum cùm nos priuatim læſi ſumus,necdum offenſio publicè innotuit. Hoc autem delictum, quod publicè docet arguendũ Paulus, eſt publicũ. Nec enim niſi propter publica aut publicè nota crimina vel peccata reprehendi in Cœtu Eccleſiæ quiſquam debet,ſiue is ſit paſtor & Presbyter, ſiue priuatus.Atque ita hunc locum explicat Auguſtinus, nempe de peccatis Presbyterorum, quæ non latẽt, ſed publica ſunt. De Corrept. & Grat.cap.16.cuius ſententiæ planè aſſentior.

2 Obiicitur,peccata quæ occulta eſſe oportuit, nota fieri hac ratione.Id quod & ab officio hominis Chriſtiani alienum eſt,& pugnat cum ędificatione Eccleſiæ, ac illa veneratione, quæ deferenda eſt præfectis noſtris.Reſpond.Ea tantùm argui publicè ex hoc Pauli præcepto poſſe,quæ publicè nota ſunt:non autem quæ occulta ſunt,quǽque celari, B & ad cæterorum ædificationem tegi oportet,vt in exemplo Petri à ſe publicè in Eccleſia reprehẽſi apparet Galat.2.v.14.In ſumma omnino diſciplina aliqua Eccleſiaſtica opus eſt in Eccleſia Dei, ſi modò hominum effrænem licentiam coerceri, & morum ſanctorum neruum aliquem, atque vinculum inter nos retineri volumus.Id quod,etſi veriſſimum eſt,Doctoris tamen eximij, & primarij D. Ro.Gualteri verbis potiùs,quàm meis intelligi malo,qui in præfatione doctiſsimorum illorum ſuorum in Galatas commentariorũ ita ſcribit. *Quare*,ait, *Eccleſiis diſciplina opus eſt, ſine qua non magis conſiſtere poſſunt,quàm res domeſtica, quæ patrefamilias & moderatore idoneo deſtituitur: non magis item quàm Reſpub.quæ nullis legibus gubernatur, aut nullos habet legum vindices. Etenim non minus verè quàm prudenter olim quidam dixerunt,malum eſſe ſub principe viuere,ſub quo nihil liceat:ſed multò peiorem eſſe eorum ſortem,qui principem habent,ſub quo licent omnia.* Atqui huic loco cõmodum adiicere libet quod idẽ Doctor præſtantiſsimus & pientiſsimus in iiſdẽ commentariis ad cap.2.Homi.14. his verbis diſertiſsimè,ſanctiſsiméque ſcribit. *Admonemur hoc exẽplo* (de Petro à Paulo publicè reprehenſo agens ait) C *nullam vel in Eccleſia,vel in Republ. dignitatẽ eſſe tãtam,quæ cenſura & reprehẽſioni eos eximat,qui aliquid præter officium faciunt. Etenim cùm omnium Dominus ſit Deus,eius quoque verbo omnes homines cuiuſcunque ſint loci, aut ordinis,ſubijci,& obedire conuenit,& ad omnes verbi Dei præcones pertinet, quod olim Hieremiæ dicebat Deus, Ecce ego te facio hodie ciuitatem munitã, columnam ferream,& murum æneum contra omnem terram,contra reges Iuda,contra Principes eius,contra ſacerdotes,contra vniuerſum populum terræ.* Hæc Gualterus mihi obſeruandiſsimus.

Ex hoc autem loco colligitur,iam tempore Pauli in Dei Eccleſia duplex cenſuræ Eccleſiaſticæ genus fuiſſe vſitatum,vnum priuatum, alterum Publicum.Priuatum eſt,cùm qui offendit, agnoſcit culpã eámq; fatetur ei,quem offendit, nullo cõfeſſionis teſte adhibito,ſed inter ſe & eum,quẽ offendit,tãtùm & priuatim id facit.Hãc deſcripſit Chriſtus Matth.18. deſcripſit quoque Iacobus cap.5.v.16.quæ ſæpe à Paſtore fieri præſcribitur ad mutuã reconciliationem:& non præcepta, tamen ex officio A à quoque noſtrum fieri debet, vt bonum conſcientiæ teſtimonium habeamus.

Publicum cenſuræ genus eſt,cùm agnitio offenſionis non fit fratri ſoli offenſo: ſed adhibitis aliis velut illius confeſsionis teſtibus. Hæc etiam à Chriſto commemorata eſt Matth.18.verſ.16. Hîc autem Bernard.ſermo.44. cõſilium locum habet, qui oleo ſuauium admonitionum mordacia medicamenta,& vinum compunctionis ſæpe docet eſſe adhibendum,duris videlicet & præfractis. Denique ſi duritia tanta eſt,etiam cenſuræ Eccleſiaſticę baculo percellendum contemptorem docet, qui priuatim reconciliari cum fratre nolit. Huius autem poſtremæ cenſuræ multæ ſunt ſpecies & differentiæ,quæ ex loci & multitudinis,in qua fit,ratione ſumuntur. Eò enim magis publica eſt hæc confeſsio & cenſura, quò maior eſt cœtus, & frequentior celebriórque locus,in quo fit,atque quò plures illius teſtes adhibentur.Ergo ſic à nobis videtur diuidi poſſe vt Alia dicatur Conſiſtorialis: alia Eccleſiaſtica cenſura.Conſiſtorialis eſt,quę coram ſolo ſenatu Eccleſiaſtico fit ab eo, qui peccauit. B Cœtum enim Presbyterorum ſenatum Eccleſiæ vocat Hieronym.

Eccleſiaſtica, quæ fit præſente & aduocata vniuerſa illius loci & vrbis Eccleſia,& nõ tãtùm ſenatu Eccleſiaſtico præſente, id eſt, eo tempore & loco,quo cœtus Eccleſiæ conuenit,& frequens eſt.

Publica verò nũquam, niſi pro publico delicto, indici debet. Publicũ autẽ delictũ duobus modis dicitur,vel quod pluribus, vel quod Omnibus notum eſt:ídque,vel ex ipſius facti perpetrandi ratione vt quod in publico loco,vel coram magno cœtu hominum committitur: & ex ſparſo poſtea illius facti rumore,& pluribus cõmunicato,vti multa peccata priuatim & clàm primùm admiſſa poſtea ex fama innoteſcunt,& diuulgantur.Ergo quę delicta omnibus innotuerunt ea coram omnibus agnoſci operæpretium eſt,& de iis publicam in totius Eccleſiæ cœtu exomologeſin fieri oportet, ſi verum remedium morbo adhibere velimus.

Quæ pluribus tantùm & non toti Eccleſiæ nec maiori parti innotuerunt peccata,illa in ſenatu tãtùm Eccleſiaſtico: non autem coram vniuerſa Eccleſia cõfiteri oportet,ne latiùs illud pateſiat,quod occultum eſſe debuit.

Illa verò delicti noſtri,quo offendebatur Eccleſia, C confeſsio publicè præſentéque tota Eccleſia facta, exomologeſis ſpeciali & antiquo nomine dicta eſt,quemadmodũ ex Latino Cypriano,& Græcis ſcriptoribus apparet.

Hæc in vſu fuit etiam primis Eccleſiæ vetuſtiſsimíſque temporibus, vti ex hoc loco ſatis probari quoque poteſt:& ex Eccleſiaſtica hiſtoria penè tota. Philippus imperator qui poſt Decium Romæ regnauit,ſic pœnituit,atque confeſſus eſt, vt teſtatur Euſeb.lib.6.Hiſtor.cap.34.Ecebolius quidam, etiam ex conſuetudine iam recepta,ſic peccata ſua agnouit Socrat.lib.3.cap.13. Theodoſius imperator, qui Maior dictus eſt, ſic ſuum delictum,quod erat publicum,in Eccleſia Mediolanenſi agnouit, Theodorit.lib.5.Hiſtor.cap.18.& Sozom.libro 7. cap.24.Atque hic locus eſt vtiliſsimus.

Aliquot igitur quæſtiones in hoc argumento ſunt nobis explicandæ,quæ magnum in exercenda diſciplina Eccleſiaſtica vſum habere ſolent.Ac primùm quæritur.

A In quo peccati genere locum hæc publica exomologeſis habere debeat.Reſp. Cùm differat iuriſdictio ciuilis ab Eccleſiaſtica,& hæc tantùm voluntaria ſit,illa verò contentioſa:hæc ſolius pœnitentiæ animique ſalutis teſtificandæ gratia comparata ſit:illa publicæ tranquillitatis tuendæ cauſa ſit conſtituta : in eo tantùm locum habere poſſe ſiue publicam ſiue priuatam delicti confeſsionem, qui agnoſcit ſe deliquiſſe, ídque ſponte fateri paratus eſt.Nam in eo qui negat à ſe peccatum eſſe (quia vel factũ ipſum à ſe commiſſum pernegat, vel hoc ſuum factum negat eſſe peccatum,& damnãdum) nulla certè vel publica vel priuata exomologeſis propriè locum habere poteſt,etſi hic teſtibus ipſis fuerit in ſenatu Eccleſiæ conuictus feciſſe Id,quod tamen pernegat.Itaque huiuſmodi pertinax eſt ad magiſtratum remittẽdus,vt de facto ipſo amplius inquirat.Sed tamen obſtinatum hominem & pernicacem Eccleſia nonnunquã excommunicatione aut ſuſpenſione Cœnę perſtringere poteſt,id eſt ſi factum à ſe cõmiſſum eſſe agnoſcens,tantùm qualitatem facti , id eſt, ἀνομίαν & turpitudinem illius non vult talẽ videre,& idcirco non pœnitere. B Negantem autem id à ſe,de quo accuſatur factũ , nũquam Eccleſia damnabit, neque ad confeſsionem delicti, in cuius perpetrati denegatione perſiſtit, coget,aut adiget,ſed confitentem tantùm & verè pœnitentem, inquam, Eccleſia ad confeſsionem adducet. Probo igitur id quod in canon.Presbyter xv. quæſt. I. in eandem ſententiam ſcriptũ eſt. Et hæc quidem in vniuerſum de iis, qui cenſura Eccleſiaſtica ad delicti cõfeſsionem compelli debent & poſſunt. Quod ſi de iis, qui publicè confiteri debent, quæritur, Reſpondeo eos tantùm ad id eſſe compellẽdos, iiſque ſolis indicendum eſſe, quorum delictum & factum iam publicum & notorium eſt Eccleſiæ.

Quæſitum eſt,Quomodo fieri hæc publica cõfeſſio debeat. Atque hoc partim ad formam externã ſpectat:partim etiã ad ipſius peccatoris publicè cõfitentis officium. Ac quidem quod ad ipſum confitentem attinet,nemo per nuntiũ neque per ſcriptum facere illam confeſsionẽ olim potuit,ſed corporali præſentia,& ipſo ore ſuo,vt eſt pręclarè reſponſum ab Auguſtino in lib. de Pœnitent. & eſt C relatum in canon.Quem pœnitet.diſt.I. de Pœnitentia,& hoc ipſum retinendum cenſeo.

Quod autem ad formam & ritus externos. Primùm hæc publica cõfeſsio ſimpliciſsimè in Eccleſia fieri ſolebat. Deinde verò huic ſimplicitati additæ ſunt quædam cæremoniæ,ad maiorem oſtentationẽ & pompã.Ergo concilio Agathenſi cõſtitutum eſt,vt publicè confitens initio Quadrageſimę ſtaret nudis pedibus pro foribus templi, ſacco indutus,cilicio caput tegens,& ſupra caput cinerẽ ſpargens,vultu in terram demiſſo. Deinde exomologeſi facta, Eccleſiæ conciliabatur per manuum impoſitionem à paſtore ſiue Sacerdote. Quæ res fuerunt pompæ potius externæ,quàm vera caſtigatio delicti:ſed quæſita ratio eſt nugarum in Eccleſiam pro vera pœnitêntia ſubſtituendarum, & affectata inepta quædam ſeueritas. Iſta referuntur in can.Pœnitentes & cano. In capite quadrageſimæ diſtinct.50.quæ prorſus à noſtris Eccleſiis exulare debent. Quid enim ſigna hæc pœnitentiæ præſcribi neceſſe eſt, cùm qui verè pœnitet , ſatis illa exhibeat: imò verò potius attollendus ſit,& erigendus,quàm deprimendus,ne incidat in deſperationem? A

Quæritur qui publicam exomologeſin facere poſsint & permittantur.Reſpõ. Omnes debere,& non tantùm poſſe,qui eo peccati genere deliquerunt,cuius pœna debet eſſe confeſsio publica.Itaque nullius dignitatis , ſexus & cõditionis ratio habẽda eſt,ne ſit in Eccleſia Dei damnabilis illa perſonarum acceptio.Quod fieri vetat Dominus Malach.2.v.9.Apparet etiam id ipſum ex hoc loco,vbi ne Presbyteris quidem ipſis parcit Paulus. itẽ exẽplo Theodoſii imperatoris qui ab Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo ad eam compulſus eſt.Quare pernicioſiſsima eſt Canonici Iuris & Romanici deciſio,atque ſententia , quæ negat clericos vllos quantumuis grauiter errantes ad hanc confeſsionẽ & exomologeſin publicã dãnandos ac compellendos,vel etiam ſi velint, admittendos, ne toti ordini clericorum fiat iniuria.Itaque clericos detrudũt in Monaſteria vbi pœnitentiam agant ſolitarij , & nulli noti. Ita præceptum eſt in canone Alienum, & can.confirmandi.diſt. 50. qui planè & apertiſsimè cum hoc Pauli præcepto pugnant.

B Quæſitum eſt quoque,quoties in vita fieri publica hæc exomologeſis poſsit.Reſpond. Auguſtinus in Epiſtola ad Macedonianum ſemel tantùm in vita,ne vileſcat Eccleſiæ autoritas:aut ne fiant audaciores homines ad peccãdum: ſi ſæpius in vita cuiquam liceat publicè pœnitere,cano.Quamuis cautè diſt. 50. Sed cùm nulli peccatori pœnitenti ſit ſpes veniæ,& remiſsionis peccatorum deneganda: toties in vita fieri hęc publica cõfeſsio poteſt,quoties quis eo modo deliquit,quo iuſtè publica confeſsio indici atque imponi debet.Et iſte fuit certè nimius Patrum rigor & penè Nouatianorum error,nimiáque auſteritas quæ homines ad deſperationem tandem adducebat,quaſi denegata peccatorum remiſsionis impetrandæ ſpe. Quoties igitur vocat ad ſe peccatorem Dominus , toties ille eſt ab Eccleſia admittendus,etiam in die ſeptuageſies ſepties,vti docet Chriſtus ipſe Matth. 18. niſi (vti diximus)velimus eſſe Nouatiani.

Præclarè verò Bernard.quatuor eſſe docet,quæ nos à publica hac exomologeſi deterrẽt, quæ ſunt omnino nobis & cauenda & debellanda, ſi peccauerimus.Sunt autem illa quatuor, Pudor,Timor, C Spes,Deſperatio.Itaque rectè idem Ad milit. Tẽpli cap.12.*Et quidem verbum in corde pectoris operatur ſalutiferam contritionem. Verbum verò in ore noxiã tollit confuſionem,ne impediat neceſſariam cõfeſſionem. Ait enim ſcriptura. Eſt pudor adducens peccatum, & eſt pudor adducens gloriam. Bonus pudor eſt, quo peccaſſe, aut certè peccare confunderis. Huiuſmodi proculdubio pudor fugat opprobrium, parat gloriam, dum aut peccatũ omnino non admittit: aut certè admiſſum & pœnitendo punit, & confitendo expellit: ſi tamen gloria etiã noſtra hac eſt, teſtimonium bona conſcientia.* Hic igitur pudor eſt ſecũdum Deum, qui nos ad eum reuocat,facítque vt peccati nos pudeat:non autẽ reſipiſcentiæ,& melioris frugis.Pręclarè enim Auguſtinus in Ioan.tract.12.*Qui confitetur & accuſat peccata ſua,iam cum Deo facit. Cùm autem cœperit tibi diſplicere quod feciſti, inde incipiunt bona opera tua, quia accuſas mala opera tua.*Denique hæc cẽſura eſt pars poteſtatis clauium , quæ à Domino Deo data eſt Eccleſiæ.Quam qui impugnat,optimum Eccleſiæ doctrinæque Chriſtianæ retinẽdæ neruum & vinculum

A culum tollit,nimirum autoritatem illi à Deo ipſo conceſſam,& ius tuendæ conſeruãdæque Dei gloriæ ac reformandæ hominum vitæ in melius.

Obiiciunt tamen quidam atque afferunt aliquot rationes, per quas iſtam diſciplinæ Eccleſiaſticæ partem abrogent, vel ſaltem in odium adducant ſi poſſunt.

Primum autem eorum argumentum eſt. Quid prodeſt hæc cõfeſſio, ſi iam peccator voce Dominica & interna Spiritus ſancti vi reſipuit & reſuſcitatus eſt. Cui argumento reſpondet Auguſt.in ſermone 8.de Verb. Domini ſecundum Matthæum. Quid prodeſt Eccleſia & autoritas ipſius confitẽti, cui Domin’ dixit, Quæ ſoluetis in terra,&c. Ipſum Lazarum attende, cum vinculis prodit : iam viuebat,ſed nõdum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo fecit Eccleſia & confeſſio,niſi quod ait Dominus continuò ad diſcipulos,Soluite illum,& ſinite abire.Ergo nõ eſt ſatis ei qui publicè peccauit, interni animi compunctione affici,niſi datum à ſe offendiculum tollat, & reſarciat aperta culpæ ſuæ confeſſione,vt ſi qui prius illius exemplo peccare vellent vel didiciſſent,iam contrario eiuſdem B exemplo reſipiſcant, & auertantur. Fit enim hæc confeſſio non ad peccatorum remiſſionem impetrandam à Deo : ſed ad Eccleſiam ædificandam, quæ ſcelere illius deſtrui videbatur.

Obiiciũt item,Hæc confeſſio publica affert infamiam, cùm iam peccatũ negare non poſſit is qui publicè agnouit. Reſpond. Minimè verò, Imò & Eccleſię,& ipſis adeò Angelis illa gaudium affert, cùm ſit certiſſimum reſipiſcentiæ animi teſtimonium, & aberrantis ouis receptio, atque inuentio. Malach.18.verſ.10.Luc.15.verſ.10.Neque certè laudem dare Deo(quod fit hac publica confeſſione apertiſſimè, quemadmodum docet Auguſtinus in Pſal.141.)cuiquam Chriſtiano vnquã irrogauit infamiam. Et longè diſtat hæc Eccleſiaſtica cenſura à ciuili confeſſione,quę Amenda honoraria vocatur:quòd hæc hominum ratione fit, illa Dei : hæc pro pœna ſtatuta eſt,illa pro ędificatione Eccleſię, & teſtimonio æternæ ſalutis.

Cæteræ obiectiones ſũt leues & nullius momẽ- C ti.Itaque à nobis prætermittentur hoc loco.

21 *Obteſtor in conſpectu Dei,& Domini Ieſu Chriſti, & electorum Angelorum, vt hæc ſerues abſque eo,vt vnum alteri præferas,nihil faciens in alteram partem declinando.*

Alius canon,qui tamẽ ex ſuperiori pendet. Itaque hic verſiculus eſt ἀκολούθως Cùm enim de iudicio aduerſus Presbyteros inſtituendo ſupra pręceperit, docet, quale hoc iudicium eſſe & fieri debeat,ne in iudicando peccetur.

Eſt autem huius canonis ſumma, ſummã in Eccleſiaſticis iudiciis ſynceritatem adhibendam eſſe, nę vel in perſonarum iudicandarum acceptatione, vel ipſius iudicantis temeritate peccetur.Hoc autẽ præceptum quanquam à Paulo in iis iudiciis, quæ aduerſus Presbyteros & Paſtores Eccleſię exercẽtur traditum eſt,tamen in vniuerſum ad omnia iudicia, ſiue politica, ſiue Eccleſiaſtica pertinet, de quocunque ſiue priuato, ſiue ἡγεμόνως illa fiant. Atque hũc canonem in omnibus Eccleſiaſticis iudiciis obtinere debere præclarè traditũ eſt à Theodorito lib. Hiſtor.2.cap.16.& à Liberio Rom.Epiſcopo A reſponſum aduerſus Conſtantij imperatoris minas Athanaſium ex præiudicio quodam deponi præcipientis.Hoc idem etiam præceptum in politicis iudiciis locum habere apparet ex 2. Chronic. 19. ver. 6. adeò vt maximi ſit vſus in omnibus rebus, ſitque ipſius iudicum conſcientiæ dirigendæ tanquam norma,vt rectè officium faciant.Nos tamen de Eccleſiaſticis tantùm iudiciis hîc agemus Pauli veſtigiis inſiſtentes.Non nudè autem,neque ſimpliciter hoc præcipit Paulus, ſed cum obteſtatione,eáque grauiſſima & terribili, quemadmodũ loquitur Chryſoſt.Ratio autem huius obteſtationis tam ſeriæ eſt duplex. Primùm quòd de re maximi momenti,& latè fuſa & patenti acturus excitare eos voluit quos affatur,& ad quos hoc præceptũ pertinet,quos hoc fulgure & ſtimulo perſtringit.Agitur enim de Iudiciorum ſynceritate,ex qua vna re tum vitæ & ſocietatis humanæ conſeruatio: tum eccleſiæ ipſius vinculum,pax & diſciplinæ omnis ratio pẽdet.Itaque hac ſynceritate neglecta, aut violata multam rerum confuſionem & perturbationem tum in politicis,tum in eccleſiaſticis rebus ſequi neceſſe eſt. B Altera ratio addendæ huius obteſtationis eſt rei ipſi’,quæ præcipitur, difficultas.Nihil enim tam arduum & difficile etiam optimo cuique & cordatiſſimo, quàm illam ſyncerã, æquam,& mediam viam in iudicando tenere,vt in nullam partem vel perſonarum acceptatione & reſpectu:vel ipſe proprio animi motu à veritate vel officio deflectas. Admonet enim hîc Paulus Timotheum,non gregarium quempiam & nouitium paſtorem:ſed egregium & inſignem. Itaque proponit Paulus nobis alios noſtræ ſententiæ iudices futuros, quorum reuerentia & metu affici debemus, ne quid vel hominibus vel noſtris affectibus tribuamus.

Singula verò huius obteſtationis verba ſunt diligenter obſeruanda & perpendenda. Ac primum quòd vel Iudices vel teſtes quos producit præſentes eſſe teſtatur. Quòd enim dicit perinde eſt, atque ſi ſpectatores,ac αὐτόπτας eos eſſe affirmaret,deinde teſtes adhibet grauiſſimos nempe,Deũ ipſum, Ieſum Chriſtum,& Angelos ſanctos. Dei nomine C hic propriè Patrem intelligimus,quòd Ieſu Chriſti Filij ſeorſũ poſtea facta mentio eſt.Patris enim & Dei voce complectitur Paulus quicquid generaliter ad diuinam naturam pertinet, & eſt trium perſonarum commune:quo eodem dicendi genere paſſim vtitur ſcriptura. Ergo & Patrem & Filium ipſum, quà Deus eſt, & Spiritum ſanctum teſtem eſſe noſtrarum actionum:& earum imprimis, quæ in eccleſia & in iudiciis fiunt,quibus duabus nobis ipſa Dei maieſtas maximè repreſentatur,ſpectatorem pronuntiat Paulus. Nam Deus etiam nudas cordis noſtri cogitationes, nouit, & intuetur,non tantùm ipſas actiones noſtras,perſpicitque quæ ab hominibus cerni non poſſunt.Inde illud eſt etiam apud profanos homines vulgare ὄμμα θεοῦ πάντα καθορᾷ. Dei oculus omnia perſpicit.Itaque rectè teſtis & vindex aduocatur Deus noſtrarum actionũ. qui vbique eſt,omnia videt,& omnium futurus eſt iudex. Similes autem huic ſcripturæ loci ſunt penè infiniti.veluti 1.Samuel.20.ver.42.2.Chron.24.ver. 22.Atque hic primus eſt teſtis.

Ieſum Chriſtum ſecundo loco teſtem citat & producit Paulus, quem Dominum vocat. Domi-

A In quo peccati genere locum hæc publica exomologeſis habere debeat.Reſp. Cùm differat iuriſdictio ciuilis ab Eccleſiaſtica,& hæc tantùm voluntaria ſit,illa verò contentioſa:hæc ſolius pœnitentiæ animíque ſalutis teſtificandæ gratia comparata ſit:illa publicæ tranquillitatis tuendæ cauſa ſit conſtituta : in eo tantùm locum habere poſſe ſiue publicam ſiue priuatam delicti confeſsionem, qui agnoſcit ſe deliquiſſe , ídque ſponte fateri paratus eſt.Nam in eo qui negat à ſe peccatum eſſe (quia vel factũ ipſum à ſe commiſſum pernegat, vel hoc ſuum factum negat eſſe peccatum,& damnãdum) nulla certè vel publica vel priuata exomologeſis propriè locum habere poteſt,etſi hic teſtibus ipſis fuerit in ſenatu Eccleſiæ conuictus feciſſe Id,quod tamen pernegat.Itaque huiuſmodi pertinax eſt ad magiſtratum remittẽdus,vt de facto ipſo amplius inquirat.Sed tamen obſtinatum hominem & pernicacem Eccleſia nonnunquã excommunicatione aut ſuſpenſione Cœnę perſtringere poteſt,id eſt ſi factum à ſe cõmiſſum eſſe agnoſcens,tantùm qualitatem facti , id eſt, ἀνομίαν & turpitudinem illius non vult talẽ videre,& idcirco non pœnitere. B Negantem autem id à ſe,de quo accuſatur factũ , nũquam Eccleſia damnabit, neque ad confeſsionem delicti, in cuius perpetrati denegatione perſiſtit, coget,aut adiget,ſed confitentem tantùm & verè pœnitentem,inquam, Eccleſia ad confeſsionem adducet. Probo igitur id quod in canon.Presbyter xv. quæſt. 1. in eandem ſententiam ſcriptũ eſt. Et hæc quidem in vniuerſum de iis , qui cenſura Eccleſiaſtica ad delicti cõfeſsionem compelli debent & poſſunt. Quod ſi de iis, qui publicè confiteri debent , quæritur , Reſpondeo eos tantùm ad id eſſe compellẽdos, iíſque ſolis indicendum eſſe, quorum delictum & factum iam publicum & notorium eſt Eccleſiæ.

Quæſitum eſt,Quomodo fieri hæc publica cõfeſſio debeat. Atque hoc partim ad formam externã ſpectat:partim etiã ad ipſius peccatoris publicè cõfitentis officium. Ac quidem quod ad ipſum confitentem attinet,nemo per nuntiũ neque per ſcriptum facere illam confeſsionẽ olim potuit,ſed corporali præſentia,& ipſo ore ſuo,vt eſt pręclarè reſponſum ab Auguſtino in lib. de Pœnitent. & eſt C relatum in canon.Quem pœnitet.diſt.1. de Pœnitentia,& hoc ipſum retinendum cenſeo.

Quod autem ad formam & ritus externos. Primùm hæc publica cõfeſsio ſimpliciſsimè in Eccleſia fieri ſolebat. Deinde verò huic ſimplicitati additæ ſunt quædam cæremoniæ,ad maiorem oſtentationẽ & pompã.Ergo concilio Agathenſi cõſtitutum eſt,vt publicè confitens initio Quadrageſimę ſtaret nudis pedibus pro foribus templi, ſacco indutus,cilicio caput tegens,& ſupra caput cinerẽ ſpargens,vultu in terram demiſſo. Deinde exomologeſi facta, Eccleſiæ conciliabatur per manuum impoſitionem à paſtore ſiue Sacerdote. Quæ res fuerunt pompæ potius externæ,quàm vera caſtigatio delicti:ſed quæſita ratio eſt nugarum in Eccleſiam pro vera pœnitẽntia ſubſtituendarum, & affectata inepta quædam ſeueritas. Iſta referuntur in can.Pœnitentes & cano. In capite quadrageſimæ diſtinct.50.quæ prorſus à noſtris Eccleſiis exulare debent. Quid enim ſigna hæc pœnitentiæ præſcribi neceſſe eſt, cùm qui verè pœnitet , ſatis illa exhibeat : imò verò potius attollendus ſit,& erigendus,quàm deprimendus,ne incidat in deſperationem? A

Quæritur qui publicam exomologeſin facere poſsint & permittantur.Reſpõ. Omnes debere,& non tantùm poſſe,qui eo peccati genere deliquerunt,cuius pœna debet eſſe confeſsio publica.Itaque nullius dignitatis , ſexus & cõditionis ratio habẽda eſt,ne ſit in Eccleſia Dei damnabilis illa perſonarum acceptio.Quod fieri vetat Dominus Malach.2.v.9.Apparet etiam id ipſum ex hoc loco,vbi ne Presbyteris quidem ipſis parcit Paulus. itẽ exẽplo Theodoſii imperatoris qui ab Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo ad eam compulſus eſt.Quare pernicioſiſsima eſt Canonici Iuris & Romanici deciſio,atque ſententia , quæ negat clericos vllos quantumuis grauiter errantes ad hanc confeſsionẽ & exomologeſin publicã dãnandos ac compellendos,vel etiam ſi velint, admittendos, ne toti ordini clericorum fiat iniuria.Itaque clericos detrudũt in Monaſteria vbi pœnitentiam agant ſolitarij , & nulli noti. Ita præceptum eſt in canone Alienum, & can.confirmandi.diſt. 50. qui planè & apertiſsimè cum hoc Pauli præcepto pugnant.

B Quæſitum eſt quoque,quoties in vita fieri publica hæc exomologeſis poſsit.Reſpond. Auguſtinus in Epiſtola ad Macedonianum ſemel tantùm in vita,ne vileſcat Eccleſiæ autoritas:aut ne fiant audaciores homines ad peccãdum: ſi ſæpius in vita cuiquam liceat publicè pœnitere,cano.Quamuis cautè diſt. 50. Sed cùm nulli peccatori pœnitenti ſit ſpes veniæ,& remiſsionis peccatorum deneganda: toties in vita fieri hęc publica cõfeſsio poteſt,quoties quis eo modo deliquit,quo iuſtè publica confeſsio indici atque imponi debet.Et iſte fuit certè nimius Patrum rigor & penè Nouatianorum error,nimiáque auſteritas quæ homines ad deſperationem tandem adducebat,quaſi denegata peccatorum remiſsionis impetrandæ ſpe. Quoties igitur vocat ad ſe peccatorem Dominus , toties ille eſt ab Eccleſia admittendus,etiam in die ſeptuageſies ſepties,vti docet Chriſtus ipſe Matth. 18. niſi (vti diximus)velimus eſſe Nouatiani.

Præclarè verò Bernard.quatuor eſſe docet,quæ nos à publica hac exomologeſi deterrẽt, quæ ſunt omnino nobis & cauenda & debellanda, ſi peccauerimus. C Sunt autem illa quatuor, Pudor,Timor, Spes,Deſperatio.Itaque rectè idem Ad milit. Tẽpli cap.12. *Et quidem verbum in corde pectoris operatur ſalutiferam contritionem. Verbum verò in ore noxiã tollit confuſionem,ne impediat neceſſariam cõfeſſionem. Ait enim ſcriptura. Eſt pudor adducens peccatum, & eſt pudor adducens gloriam. Bonus pudor eſt , quo peccaſſe,aut certè peccare confunderis. Huiuſmodi proculdubio pudor fugat opprobrium, parat gloriam , dum aut peccatũ omnino non admittit:aut certè admiſſum & pœnitendo punit,& confitendo expellit: ſi tamen gloria etiã noſtra hac eſt,teſtimonium bona conſcientia.* Hic igitur pudor eſt ſecũdum Deum, qui nos ad eum reuocat,facítque vt peccati nos pudeat:non autẽ reſipiſcentiæ,& melioris frugis. Pręclarè enim Auguſtinus in Ioan.tract.12. *Qui confitetur & accuſat peccata ſua,iam cum Deo facit. Cùm autem cœperit tibi diſplicere quod feciſti, inde incipiunt bona opera tua , quia accuſas mala opera tua.* Denique hæc cẽſura eſt pars poteſtatis clauium , quæ à Domino Deo data eſt Eccleſiæ. Quam qui impugnat,optimum Eccleſiæ doctrinæque Chriſtianæ retinẽdæ neruum & vinculum

A culum tollit,nimirum autoritatem illi à Deo ipſo conceſſam,& ius tuendæ conſeruādæque Dei gloriæ ac reformandæ hominum vitæ in melius.

Obiiciunt tamen quidam atque afferunt aliquot rationes, per quas iſtam diſciplinæ Eccleſiaſticæ partem abrogent, vel ſaltem in odium adducant ſi poſſunt.

Primum autem eorum argumentum eſt. Quid prodeſt hæc cōfeſſio, ſi iam peccator voce Dominica & interna Spiritus ſancti vi reſipuit & reſuſcitatus eſt. Cui argumento reſpondet Auguſt. in ſermone 8. de Verb. Domini ſecundum Matthæum. Quid prodeſt Eccleſia & autoritas ipſius confitēti, cui Domin' dixit, Quæ ſoluetis in terra,&c. Ipſum Lazarum attende, cum vinculis prodit: iam viuebat, ſed nōdum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo fecit Eccleſia & confeſſio, niſi quod ait Dominus continuò ad diſcipulos, Soluite illum,& ſinite abire. Ergo nō eſt ſatis ei qui publicè peccauit, interni animi compunctione affici, niſi datum à ſe offendiculum tollat, & reſarciat aperta culpæ ſuæ confeſſione, vt ſi qui prius illius exemplo peccare vellent vel didiciſſent, iam contrario eiuſdem B exemplo reſipiſcant, & auertantur. Fit enim hæc confeſſio non ad peccatorum remiſſionem impetrandam à Deo: ſed ad Eccleſiam ædificandam, quæ ſcelere illius deſtrui videbatur.

Obiiciūt item, Hæc confeſſio publica affert infamiam, cùm iam peccatū negare non poſſit is qui publicè agnouit. Reſpond. Minimè verò, Imò & Eccleſię,& ipſis adeò Angelis illa gaudium affert, cùm ſit certiſſimum reſipiſcentiæ animi teſtimonium, & aberrantis ouis receptio, atque inuentio. Malach. 18. verſ. 10. Luc. 15. verſ. 10. Neque certè laudem dare Deo (quod fit hac publica confeſſione apertiſſimè, quemadmodum docet Auguſtinus in Pſal. 141.) cuiquam Chriſtiano vnquā irrogauit infamiam. Et longè diſtat hæc Eccleſiaſtica cenſura à ciuili confeſſione, quę Amenda honoraria vocatur: quòd hæc hominum ratione fit, illa Dei: hæc pro pœna ſtatuta eſt, illa pro ędificatione Eccleſię, & teſtimonio æternæ ſalutis.

C Cæteræ obiectiones ſūt leues & nullius momēti. Itaque à nobis prætermittentur hoc loco.

21 Obteſtor in conſpectu Dei, & Domini Ieſu Chriſti, & electorum Angelorum, vt hæc ſerues abſque eo, vt vnum alteri præferas, nihil faciens in alteram partem declinando.

Alius canon, qui tamē ex ſuperiori pendet. Itaque hic verſiculus eſt ἀκολούθως Cùm enim de iudicio aduerſus Presbyteros inſtituendo ſupra pręceperit, docet, quale hoc iudicium eſſe & fieri debeat, ne in iudicando peccetur.

Eſt autem huius canonis ſumma, ſummā in Eccleſiaſticis iudiciis ſynceritatem adhibendam eſſe, ne vel in perſonarum iudicandarum acceptatione, vel ipſius iudicantis temeritate peccetur. Hoc autē præceptum quanquam à Paulo in iis iudiciis, quæ aduerſus Presbyteros & Paſtores Eccleſię exercētur traditum eſt, tamen in vniuerſum ad omnia iudicia, ſiue politica, ſiue Eccleſiaſtica pertinet, de quocunque ſiue priuato, ſiue ἡγεμονίῳ illa fiant. Atque hūc canonem in omnibus Eccleſiaſticis iudiciis obtinere debere præclarè traditū eſt à Theodorito lib. Hiſtor. 2. cap. 16. & à Liberio Rom. Epi- A ſcopo reſponſum aduerſus Conſtantij imperatoris minas Athanaſium ex præiudicio quodam deponi præcipientis. Hoc idem etiam præceptum in politicis iudiciis locum habere apparet ex 2. Chronic. 19. ver. 6. adeò vt maximi ſit vſus in omnibus rebus, ſitque ipſius iudicum conſcientiæ dirigendæ tanquam norma, vt rectè officium faciant. Nos tamen de Eccleſiaſticis tantùm iudiciis hîc agemus Pauli veſtigiis inſiſtentes. Non nudè autem, neque ſimpliciter hoc præcipit Paulus, ſed cum obteſtatione, eáque grauiſſima & terribili, quemadmodū loquitur Chryſoſt. Ratio autem huius obteſtationis tam ſeriæ eſt duplex. Primùm quòd de re maximi momenti,& latè fuſa & patenti acturus excitare eos voluit quos affatur,& ad quos hoc præceptū pertinet, quos hoc fulgure & ſtimulo perſtringit. Agitur enim de Iudiciorum ſynceritate, ex qua vna re tum vitæ & ſocietatis humanæ conſeruatio: tum eccleſiæ ipſius vinculum, pax & diſciplinæ omnis ratio pēdet. Itaque hac ſynceritate neglecta, aut violata multam rerum confuſionem & perturbationem tum in politicis, tum in eccleſiaſticis rebus ſequi neceſſe eſt. B Altera ratio addendæ huius obteſtationis eſt rei ipſi', quæ præcipitur, difficultas. Nihil enim tam arduum & difficile etiam optimo cuique & cordatiſſimo, quàm illam ſyncerā, æquam,& mediam viam in iudicando tenere, vt in nullam partem vel perſonarum acceptatione & reſpectu: vel ipſe proprio animi motu à veritate vel officio deflectas. Admonet enim hîc Paulus Timotheum, non gregarium quempiam & nouitium paſtorem: ſed egregium & inſignem. Itaque proponit Paulus nobis alios noſtræ ſententiæ iudices futuros, quorum reuerentia & metu affici debemus, ne quid vel hominibus vel noſtris affectibus tribuamus.

Singula verò huius obteſtationis verba ſunt diligenter obſeruanda & perpendenda. Ac primum quòd vel Iudices vel teſtes quos producit præſentes eſſe teſtatur. Quod enim dicit perinde eſt, atque ſi ſpectatores, ac αὐτόπτας eos eſſe affirmaret, deinde teſtes adhibet grauiſſimos nempe, Deū ipſum, Ieſum Chriſtum,& Angelos ſanctos. C Dei nomine hîc propriè Patrem intelligimus, quòd Ieſu Chriſti Filij ſeorſū poſtea facta mentio eſt. Patris enim & Dei voce complectitur Paulus quicquid generaliter ad diuinam naturam pertinet, & eſt trium perſonarum commune: quo eodem dicendi genere paſſim vtitur ſcriptura. Ergo & Patrem & Filium ipſum, quà Deus eſt, & Spiritum ſanctum teſtem eſſe noſtrarum actionum: & earum imprimis, quæ in eccleſia & in iudiciis fiunt, quibus duabus nobis ipſa Dei maieſtas maximè repræſentatur, ſpectatorem pronuntiat Paulus. Nam Deus etiam nudas cordis noſtri cogitationes, nouit, & intuetur, non tantùm ipſas actiones noſtras, perſpicitque quæ ab hominibus cerni non poſſunt. Inde illud eſt etiam apud profanos homines vulgare ὄμμα θεοῦ πάντα καθορᾷ. Dei oculus omnia perſpicit. Itaque rectè teſtis & vindex aduocatur Deus noſtrarum actionū. qui vbique eſt, omnia videt,& omnium futurus eſt iudex. Similes autem huic ſcripturæ loci ſunt penè infiniti. veluti 1. Samuel. 20. ver. 42. 2. Chron. 24. ver. 22. Atque hic primus eſt teſtis.

Ieſum Chriſtum ſecundo loco teſtem citat & producit Paulus, quem Dominum vocat. Domi-

A nus eſt Chriſtus quòd ſit conſtitutus à patre rex & Dominus omnium, datáque illi poteſtas in cœlum & in terram. Item quòd omne iudicium pater cōceſſit filio, neque iudicat quenquam vt eſt Ioan. 5. verſ. 22. Sed & quatenus eccleſiæ caput eſt Chriſtus eccleſiaſticis iudiciis præeſt, neque tātum vt teſtis & ſpectator iis intereſt: ſed vt iudex ipſe futurus, ac rationem eorum à paſtoribus, tāquam à Miniſtris à ſe delegatis, exacturus. Etſi verò Chriſtus mediator & quatenus Ieſus Chriſtus eſt, homo, eſt & Deus: tamen quà homo eſt, non eſt iam in his terris, neque in medio noſtri verſatur ſiue viſibilis, ſiue inuiſibilis præſentiæ, vt noſtras actiones oculis cernat, modo: ſed tantùm quà Deus eſt & omnia hæc inferiora videt. Rectè tamē Ieſus Chriſtus dicitur teſtis omnium actionum noſtrarum, quia ille Deus & homo, eſt vnica tantùm perſona, quæ hypoſtatica vnione vtraque illa natura conſtat. Neque hîc curioſè diſputandum eſt, Vtrum humana Chriſti natura, quę in cœlos euecta eſt, omnia, quę hîc in terris geruntur, ex ſeſe ſciat. Quanquā enim ſupra omnes angelos dignitate eſt euecta, tamē illa non eſt in deitatem mutata, vel deificaca. De ſolo B Deo dicitur illum, quæ hîc fiūt, omnia noſſe & videre: quanquam Chriſtum, qui homo eſt ad Dei dexteram exaltatus, nō tantùm ea ſcire, quæ angeli, fatemur: ſed omnia, quæ ad eccleſiæ ſuæ adminiſtrationem, totiúſque huius mūdi curam quam à patre acceptam habet, pertinēt & ſpectant, habere nota & perſpecta.

Addit, *electis Angelis*. Primum electos vocat, vt eos diſtinguat à malis Angelis qui vulgò dicuntur & qui à Chriſto Angeli Diaboli, id eſt, maledicti nominātur in Math. 25. verſ. 41. deinde docet, quod hi ipſi angeli propter cuſtodiam fideliū ſibi à Deo demādatam interſint eccleſiæ cœtibus, & actionibus eccleſiaſticis, tanquam teſtes & ſpectatores paſtorum negligentiæ vel temeritatis: vel perfidiæ, ſi quam admittant. Meritò igitur tertio loco citātur. Sunt enim ſpiritus Miniſtratorij, qui ad ſubſidium fidelium & piorum à Deo mittūtur. Itaque actiones noſtras norunt. Incidūt autem in hunc locum variæ quæſtiones, quas breuiter tantum perſtrin- C gemus, & explicabimus.

Ac primū igitur quæritur, veluti à Baſilio libro de ſpiritu ſancto ca. 13. vtrum licuerit Paulo, Angelos Chriſto & Deo adiungere. Nū verò iſta ſit blaſphemia parem facere creaturam creatori, eámque illi honore adæquare. Id quod planè idololatricū eſt. Chryſoſtomus reſpōdet per modeſtiam id fieri à Paulo, vt pote qui non ſolum Deum teſtem, qui nobis eſt inacceſſibilis lōgéq; digniſſimus adhibere voluerit: ſed etiam creaturas ipſas, quæ ſunt nobis notiores ac familiariores: imprimis igitur Angelos bonos cōmemoraſſe, qui ſunt nobis conciues Epheſ. 2. v. 19. Hæc Chryſoſtomus. Reſpōdeo verò diſtinguendum eſſe finem, propter quem &, Deus & Angeli in teſtimonium producuntur. Etſi enim vtrique appellantur, vt ſit maioris momenti hęc obteſtatio, & percellantur vehementius lectorum, & eorum ad quos hęc admonitio ſpectat, animi, tamen & Deus & Chriſtus non tantùm producuntur vt teſtes à Paulo, ſed etiam vt vindices futuri, & Iudices paſtorum culpæ, & negligētiæ: Angeli verò proponuntur & appellantur tantùm, vt teſtes. Ex quo ſit, vt non adæquentur Deo Angeli: neque habeat hic locus quicquam, quod idololatriam ſapiat, aut in Deum blaſphemiam. A

Teſtes verò harum rerum, quæ in eccleſia gerūtur, citari meritò poſſe Angelos certum eſt, & eos imprimis, quibus à Deo eccleſiæ cura demandatur vt ex Daniele 10. verſ. 13. apparet. Et huic noſtræ ſententiæ conſentit Bernar. ſer. 7. cantic. cantic. Doleo perinde aliquos veſtrûm graui in ſacris vigiliis deprimi ſomno, nec cœli ciues reuereri: ſed in præſentia principum tanquam mortuos apparere, cùm veſtra ipſi alacritate permoti veſtris intereſſe ſolenniis delectentur. Angelos igitur inuiſibiles cum piis verſari ſcribit. Itaque Chriſtus ipſe venturus dicitur cum Angelis illis beatis Luc. 9. v. 26. Iudæ v. 14. Et ipſi gaudent ſi quis peccator ad Deum conuertatur. Luc. 15. v. 10. quia id ſciunt, cùm cura piorum quibuſdam ſit commiſſa. Quod idem de ſanctis & in cœlum receptis hominibus dici nō poteſt. Nam idem munus nō eſt illis à Deo impoſitum & demandatum vt nos in viis noſtris cōſeruent. Quod tamen eſt à Deo Bonis angelis præceptum. Pſ. 91. Denique Paulus in 1. Corinth. 11. verſ. 10. & Epheſ. 3. ver. 10, præſentes & ſpectatores eos intereſſe cœtibus eccleſiaſticis docet & aſſerit. B Propter quos etiam ait honeſtum eſſe & decorum, vt fœminæ Chriſtianæ velentur in Dei eccleſia & conuentu.

Secundo loco quæritur, Cur hos electos appellet: Num etiam alij, qui mali dicuntur reprobati à Deo fuerint, & dici poſsint. Reſp. Etſi illa electio & reprobatio, de qua tam ſępe in ſcriptura fit mētio, propriè ad homines pertinet, non ad Angelos: tamen cùm nihil præter Dei voluntatem acciderit etiam in lapſu angelorū, imò verò cum ex Angelis alii ceciderint, alii perſtiterint, Deo ipſo ita ordinante & prædeſtinante. Denique cùm ex ipſo Dei decreto hoc totum ita euenerit, dubitari non poſſe, eos Angelos, qui perſtiterunt in ſua origine, à Deo electos quidē mera ipſius gratia fuiſſe: Eos autem qui ceciderunt, reprobatos ab eodem Deo: ídque iuſta de cauſa, quanquam nobis ignota. Voluit enim Deus hac ratione, & in angelis, & in hominibus, ſuæ tum miſericordiæ, tum etiam iuſtitiæ diuitias ad gloriam nominis ſui, patefacere & demonſtrare. C Nam licet opifici facere de opere ſuo, quod ipſi libuerit. Ergo boni Angeli electi fuerūt etiam ante quàm à Deo crearentur. Non autem ex vllis eorum meritis: ſed ex ſola Dei ipſius dignatione & gratia, vt loquitur Bernardus: quicquid Scholaſtici ex Auguſtino malè intellecto dicant & philoſophentur: Mali verò reprobati fuerunt, vt Boni electi.

Tertio loco quæſitum eſt, ecquæ ſit iſtius electionis Angelorum cauſa: Num Chriſtus quatenus mediator eccleſiæ: cuius etiam illi ſunt membra: præſertim cùm Paulus Coloſſ. 1. verſ. 20. ſcribat Deum ſibi reconciliaſſe omnia per Chriſtum. Ex quo colligūt quidam Chriſtum eſſe etiam electorum Angelorum Mediatorem, alio tamen modo, quàm hominum piorum & electorum. Reſp. verò ipſe, ceterorum rationibus breuitatis cauſa omiſſis, Chriſtum quatenus creator eorum eſt, non autem quatenus paſſus in carne, videri horum bonorum Angelorum etiam mediatorem eſſe. Cùm enim Deus nunquam iis fuerit offenſus, nulla reconciliatione certè opus habuerunt. Deinde hæc eorum electio à Iuda definitur conſeruatio & confirmatio ipſius eorum primi ſtatus & originis, adeò

vt

A vt nihil prorſus illis reſtitutū fuiſſe per huiuſmodi electionem dicatur, quoniam nihil prius fuerat ademptū, neque quicquam ab iis amiſſum. Ergo ipſi quatenus & quales à Deo primùm cōditi fuerunt,Deo autori ſuo certè placuerunt.Neque vera tamen huius eorum electionis cauſa eſt, qualitas illa & ſtatus in quo tantùm creati ſunt. (Omnes enim angeli,etiam qui ceciderunt,dicerētur & fuiſſent electi,quia in eodem ſtatu felici omnes cōditi ſunt)ſed præceſſit hæc Dei ſecretior electio etiam illorum creationem & ortum,& ab æterno in Deo fuit. Statum igitur excellētem mirum in modum omnes quidem à Deo mera ipſius gratia erant cōſecuti:ſed Dei illa gratia, per quam ſunt alij dicti electi,& prior eſt, & maior gratia creationis,quia per eam in eo ſtatu electi permanſerunt. In Filio verò hæc electio facta eſt,tāquā mediatore omnis boni apud Deum, quia ne angeli quidem ipſi corā Deo ſatis ſunt puri,Iob.4.& vt in Filio omnis gratia firma eſſet, & donaretur, cuicumque donatur. B Probo igitur Aquinatis hanc ſententiam in 1. par. quæſt. 23. Artic. 1. Prædeſtinari conuenit Angelis, ſicut & hominibus,licet nunquam fuerint miſeri. Nam motus nō accipit ſpeciem à termino A quo: ſed à termino Ad quem.Nihil enim refert quātum ad rationem dealbationis,vtrum iſte qui dealbatur fuerit niger,an pallidus,an ruber.Et ſimiliter nihil refert ad rationem prędeſtinationis,vtrum aliquis prędeſtinetur in vitam ęternam à ſtatu miſerię,vel nō.Hæc Thomas.Hoc verò qui à Deo electi fuerunt, plus iam ſunt adepti poſt malorum lapſum, quòd de feliciſſ.illius conditionis ſuæ ſtatu perpetuo futuro iam à Deo certiſſimi effecti & ſunt, & in eo ſtabiliti & in æternum confirmati: Id quod, Deo illis reuelante,iam cognoſcunt & intelligunt. Bernardus in Sermo.5. de feſto omnium ſanctor. Inter Angelos & homines aſſignari poteſt iſta diuerſitas ſanctitatis. Neque enim tanquam triumphantes honorari poſſe videntur,qui nūquam pugnaſſe noſcuntur. Aliter tamen honorādi ſunt etiā ipſi,tanquam amici tui Deus, cuius nimirum voluntati ſemper adhæſerunt, tanta vtique felicitate C quāta facilitate. Aliud igitur in Angelis ſanctitatis genus.Et ſer.5.de viſio.Nō eſt innata eis ſed à Deo collata iuſtitia,quæ inferior eſt diuina iuſtitia. Idē Bernardus,ſerm.22.Cantic.Cant. Si angeli,ait,nūquam redempti ſunt, alij vtique non egentes, alij non promerentes:illi quidem quia nec lapſi ſunt, hi autem quia irreuocabiles ſunt, quo pacto tu dicis Dominum Ieſum Chriſtum eis fuiſſe redēptionem?Audi breuiter. Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti angelo,ne laberetur:ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendens. Et hac ratione fuit æquè vtrique redēptio ſoluens illum hominem,ſeruans iſtum angelū.Liquet ergo ſanctis angelis Chriſtum Dominum fuiſſe redemptionem,ſicut iuſtitiam,ſicut ſapientiam,ſicut ſanctificationem.Hæc Bernard. Auguſt. in Enchirid. ad Laurentium cap.28.idem ſentit.

Ac de obteſtatione quidem hęc dicta ſunto. Videamus iā,à quibus vitiis paſtori iudiciū eccleſiaſticum exercenti ſit cauendum, atque fugiendum.

Duo autem ſunt,nimirum.1.Prælatio perſonarum propter ipſarum dignitatē 2. Temeritas,propter iudicantis affectum. Neminem enim propter dignitatem excuſari debere cenſet Paulus. Neminem etiam propter affectum iudicis præcipitanter, & inconſideratè damnandum eſſe vult. Quæ A duplex ratio magnos in Iudicando errores inducit,ex quibus tandem euertitur eccleſia.Cauſſæ igitur propter quas peruertuntur iudicia ſunt in nobis: vel in illis ipſis, de quibus iudicamus, à nobis quæruntur.Vocem Προκρίματος ad præiudicia illa referunt,per quæ non perſona: ſed cauſa potius Presbyteri,qui iudicandus eſt,vel grauatur, vel leuatur,id eſt, antequam cognitum ſit à nobis de eo (de cuius cauſa agitur) iam animi quadam præcipiti ſententia domi cōcepta definitū eſt. πρόσκλισιν autem eam eſſe volunt in iudicando rationem,quę leges ordinarias & ſtatutas prætermittit, vt faueat illi,de quo agitur.Sed Græcæ vocis ſignificatio nō patitur hanc interpretationem, potiúſque ſequenda nobis eſt D.Bezæ explicatio. Vtcunque Paulus non omnia iudiciorum peruerſorum vitia nunc enumerat:ſed ex iis aliqua, ex quibus paucis cætera colligere licet. Gregorius Magnus.4. eſſe ſummas iudiciorum corrumpendorum cauſas ſcribit, ſcilicet Timorem,Cupiditatem, Odiū, Amorem, cuius ſententia deſcripta eſt in Can. Quatuor mo B dis.11.quæſt.3. Quæ ſanè aliqua ex parte exponit, quæ breuius hîc Paulus recenſet.

22 *Manus citò ne cui imponito , neque communicato peccatis alienis : temetipſum purum ſerua.*

Canon præſtantiſsimus,qui etiam ad paſtorum erga paſtores officium pertinet. Nam ſuperiores canones ad paſtores iam creatos ſpectabāt: hic autem de Paſtoribus adhuc creandis agit. Hoc vno breuiter complexus eſt Paulus optimam & totam penè eligendorum paſtorum rationem,quæ nobis hodie obſeruanda quoque eſt, vt legitimè vocatos paſtores habeamus. Quæ res tanti eſt in eccleſia momenti,vt propter eam ſuperiorem obteſtationem à Paulo præmiſſam eſſe cenſeat Chryſoſto. Certè cùm de ea re monitum Timotheum eſſe oportuerit:& magni periculi plenam eſſe, & grauis momenti in eccleſia ordinanda, iam dubitari non debet.Hæc autem præcepti ſumma eſt. Neminem in Eccleſia Dei citò & temere promouendum eſſe ad aliquod munus eccleſiaſticum,quantumuis exi C guum:de eo enim muneris genere,id eſt, eccleſiaſtico, Paulum agere, non de politicis Magiſtratibus apparet ex phraſi ipſa qua vtitur.Ait enim *Ne manus imponas.* Non quòd tamen & ipſi ciuiles magiſtratus Θεοῦ διάκονοι & ſacri etiam non ſint, ſed hîc Eccleſiaſtica tantùm perſequitur Paulus.

Quæritur autem,quæ ſit huius præcepti occaſio, & cur de eo fuerint etiam prudentiſsimi cuiuſque Eccleſiæ paſtores, qualis Timotheus, qualéſque nobis ſub Timothei perſona proponuntur, monendi.Reſp.Fuiſſe multiplicem neceſsitatem ac rationem cur hoc præceptum Spiritus ſanctus adderet:ſed imprimis fuit triplex,nimirum ſcilicet propter Impudentiam,Importunitatem tum Populorum tum Ordinandorum, & Nouitatis ſtudium erat neceſſarium hoc præceptum. Nam ferè homines nouis miniſtris gaudent: Ergo ne qui ſemel arriſit,ſtatim probetur & eligatur,cauendum eſt.Nā permulti ſunt,in quibus egregiæ quidem animi dotes elucent,qualis eſt vel zelus in Dei gloriam, vel etiam ſumma doctrina,quíque propterea ſunt cōmendabiles: qui tamen ad munus Eccleſiaſticum ſunt prorſus propter alios defectus inepti, illiúſ-

A que incapaces. Et certè qui ad huiuſmodi munera alios commẽdant,hoc notent diligenter, quod ait hoc loco Paulus,quódque Horatius Flaccus, quãquam Poëta prophanus,rectè monuit,

Qualem commendes etiam atque etiam aſpice,ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Affert autem remedia aduerſus omnes ſuperiores rationes,quibus impulſi eligentes peccare ſolẽt. Primum igitur remedium primáque excuſatio iuſtiſſima, quæ contrà afferri debet eſt hæc,neminem Dei pręceptis pręponendum,& idcirco vtcũque precibus inſtent & vrgeant nos alij, non eſſe alienis tamen peccatis communicãdum. Nam qui indignum eligit,vel eligi conſentit,reus eſt omniũ errorum & peccatorum, quæ poſtea electus ille committit. Deinde conſentit cum malè agentibus, quatenus ipſe temerariis eorum ſuffragiis conſenſum ſuum addit atque adiũgit. Verum eſt enim illud,Agentes & Conſentientes pari pœna puniuntur:Iacob patriarcha Geneſ.49.verſ.6.negat ſe malo conſilio Simeonis & Leui de necandis B Sichemitis aſſenſum eſſe. Pſ.50.verſ.18. Qui cũ furibus currunt,pro furibus habentur apud Deum. Denique ait Paul.1.Theſſ.5.ab omni malo malíque ſpecie eſſe nobis abſtinẽdũ. Neque hoc cuiuſquã gratię cõcedendum à nobis eſt, vt in illius fauorem peccemus,officium noſtrũ negligamus,& Deum ipſum deſeramus atque offendamus,cui nos noſtri ſuffragij & vocis rationem reddere aliquãdo oportebit.

Quòd ſi iterũ inſtent & premant nos alij, quod plura ſint aliorum & contraria nobis ſuffragia,nos tamen puros ſeruemus,quid nobis videatur,liberè declaremus,& noſtra conſilia ab huiuſmodi temerario ſuffragio indignis hominibus dando ſeparemus. Atque hoc eſt ſecundum remedium, ſiue ſecunda legitima excuſatio & præmunitio boni paſtoris aduerſus inſtantes quorundam preces & ſuffragia iam lata itémque aduerſus calumnias multorum,qui nos putant, dũ noſtra ſuffragia quibuſdam iam ab aliis electis & probatis denegamus,vel tam citò in illis non aſſentimur, duci aliquo in eos odio vel inuidia,vel etiam nos eſſe crudeles & niC mium ſeueros. Sed valeat potius apud nos hæc tutiſſima conſolatio,quòd puram conſcientiam ſeruare volumus ac ſtudemus. Neque tamen,ſi à maiori ſuffragiorum parte vincamur,ſolíque diſſentimus,ſeditionẽ in ſenatu,aut cœtu aut eccleſia Dei mouere debemus:aut quicquam perturbatè agere, vt vincat noſtra vnius vox: ſed liberauerimus animas noſtras atque officio functi erimus abundè,ſi primùm noſtram ſentẽtiam illiúſque rationes expoſuerimus:deinde,ſi res ſit tanti momenti,eo ordine vtamur ad huiuſmodi electionem impediendam,vel retardãdam,qui & legitimus eſt, & in eccleſia Dei conſtitutus & receptus, qualis eſt nimirum prouocatio à ſenatu eccleſiaſtico ad maiorem Miniſtrorum vicinorum cœtum,quẽ Claſſem vocant:à Claſſe ad Synodum ipſam prouincialẽ:à Synodo prouinciali ad ſynodum Generalẽ & Nationalem quam vocant.

Ait Paulus,*Citò*. Fit autẽ *Citò* ex Pauli mẽte,quãdo vel non legitimum:vel non ſatis exactũ & certũ examẽ de eligẽdo ſiue promouẽdo paſtore pręceſſit:ſed vel nullũ omnino,vel leue tãtùm & perfunctoriũ,quale fit in Papatu, & in multis etiam mediis ipſis Dei viui eccleſiis , neque de omnibus iis rebus,quę ad tale miniſterium obeundum ritè deſiderãtur. A Ergo quẽadmodũ ſunt diuerſæ vocationes in eccleſia Dei : & aliæ aliis ſunt digniores & grauiores:ita ſerius & maius in his, quàm illis examen eſſe & fieri debet,veluti in Paſtore ipſo,quàm in ſolo Presbytero vel Diacono plura inquirantur neceſſe eſt,quia maius eſt paſtoris quã Diaconi onus. Ac quidem examen,quod in paſtore requiritur,eſt ferè triplex:fieri enim debet de doctrina ipſius,Vita & moribus,& Aptitudine ad docendum gregem & populum Dei. Id quod ſatis ex Tit. 1. & eadem epiſtola cap.3.apparet.

Et quia luculentus eſt hic locus,cõtinétque maximum totius Politiæ eccleſiaſticæ caput & pulcherrimum(quod eſt de electione & vocatione dignitatum Eccleſiaſticarum)de eo nobis breuiter aliquid arbitramur eſſe dicendum. Habebit autem hic locus quatuor capita ſcilicet 1 Quid ſit electio 2 Qui eligant 3 Quando 4 Quomodo fieri debeat electio. In primis autẽ hoc pro certiſſimo fundamẽto conſtituatur,nempe quòd

Electio vocationem ordinariam præcedere debet,quẽadmodũ vocatio ipſa anteit muneris ipſius B ſuſceptionem & functionẽ,ſi modò bona cõſcientia volumus munus aliquod in Eccleſia Dei gerere ac adminiſtrare. Vocationem autem,de qua nũc agimus,κλησίαν aut χειροτονίαν potius quàm ἐκλογὴν appellandam eſſe dicimus, quòd ἐκλογὴ ad cauſas ſalutis noſtræ pertineat,vti docet Paul.Rom.11.verſ.5. quæ diſputatio eſt remota ab hoc argumento. Eſt enim vocatio hęc ſepoſitio deſignatióque tantùm alicuius perſonæ ad munus aliquod Eccleſiaſticum gerendum.

Ac primùm neminem ſine vocatione legitima in Eccleſia Dei rectè ſanáq; conſciẽtia munus vllum obtinere poſſe docet tum autoritas ſacrę ſcripturæ:tum etiam ratio.

Ac ſcriptura quidem Hiere.23.verſ.21. Currebãt, & ego nòn mittebam eos. Heb.5.verſ.5. Nemo ſibi ſumit honorem,ſed qui vocatur à Deo

Rom. 10. verſ. 15. Quomodo prædicabunt, niſi miſſi fuerint?

1.Timot.4.verſ.14. Ne negligito donum quod C in te eſt,quod eſt tibi datum ad prophetãdum per impoſitionem manuum Presbyterij.

Tit. 1. verſ. 5. Idcirco reliqui te , vt oppidatim conſtituas Presbyteros.

Denique infiniti penè ſunt loci his ſimiles,quos illi ſtudioſè collegerũt,qui de ea re cõmunes locos ſcripſerunt:nos autem ſumma tantum rerum faſtigia ſequimur,& carpimus,vt ſimus breuiores.

Ratio verò,cur ſine legitima vocatione præcedente nemo bona conſcientia vllo munere eccleſiaſtico fungi poſſit,eſt multiplex.

Prima,quòd in eccleſia Dei omnia fieri ordine certáque ratione,& decenter debeant 1.Corint.14. Ergo nemo pro animi ſui libito hãc vel illã dignitatem ſibi in eccleſia ſumere debebit, quia hæc eſt ſumma ἀταξία & rerum confuſio.

Secũda, Quòd in veteri eccleſia,quæ Chriſti aduẽtum præceſſit,nemo niſi ex Deo vocãte & præcepto munus habuit:In ea etiam eccleſia,quã Chriſtus per euãgelij prædicationem inſtaurauit, Apoſtoli ipſi à Chriſto vocati ſũt. Ergo præter & Legalis,& Euãgelicæ eccleſiæ formam,præcepta,& inſtituta id eſt præter ipſum Dei verbum in munere aliquo verſantur,qui illud citra vocationem vllam legitimam vſurpant,& in eccleſia exercent.

Tertia. Neque Moſes,& Aaron,neque Apoſto-

A li:ac ne Chriſtus quidem ipſe quanquam Dei filius,niſi prius legitimè vocatus,munus ſibi aſſumpſit in Eccleſia Dei.Ergo nemo ſibi honorem tribuere in Eccleſia Dei, citra legitimam vocationem debet.

4 Dominus Deus eſt Eccleſiæ tanquam peculiaris ſuæ domus & proprii peculii ſolus paterfamiliâs & legiſlator,& diſpẽſator.Ergo qui aliquid in ea citra ipſius voluntatẽ vſurpat,fur eſt,& latro: non autẽ legitimus illius adminiſtrator & geſtor.

5 Qui præter legitimam vocationẽ Eccleſiaſticam dignitatẽ adit,perinde facit, atque qui domũ alienam alio aditu & modo, quàm per oſtium ingreditur. Hoc autem furum eſt,& latronum,non autem legitimè ingrediẽtium. ergo qui hac ratione,id eſt,ſine legitima vocatione eccleſiaſticũ munus gerunt ſunt fures,non Paſtores Eccleſiæ.

Quod autem nobis obiicitur de Prophetis, eos ſine vocatione ſæpe fuiſſe, & munus illud ſuum in Eccleſia Dei exercuiſſe,falſiſsimum eſt, vt ſuo exemplo docet Amos, cap.7.verſ.15. Item Hier.1.v.5.Sed vocatio illa prophetarum vt plurimum fuit extraordinaria. Eos enim Dominus ipſe vocabat B & excitabat,ex qua tribu volebat,quo tempore volebat,ſed vocabat tamen. Deinde eorum vocationem Deus vel ipſo rerum ab iis prædictarum euẽtu:vel aliis modis apertè confirmabat, adeò, vt illi ab eo miſsi eſſe ſatis ab omnibus ad eorum prophetias attẽdentibus intelligerentur. Idẽ eſt reſpondendum deChriſto cuius vocatio & à Deo ipſo in ipſo baptiſmo fuit patefacta,etiam olim à prophetis prædicta,etſi non fuit ordinaria.

Aeriani hæretici damnati ſunt:& nũc Anabaptiſtæ,& Enthouſiaſtæ quidã nebulones meritò reiiciuntur,qui vocationes in Eccleſia Dei ſecurè ſpernunt,vt ſe ingerant atque intrudant ad eccleſiaſtica munera magno animi faſtu & ambitione.

Ergo propter tria præcedere legitima vocatio debet, antequam quis munus aliquod in Eccleſia Dei gerat vel ſumat. 1 Propter Dei præceptum. 2 Propter eccleſiæ ipſius ordinem & diſciplinam. 3 Propter ipſius,qui dignitatem illam accipit,cõſcientiam, quæ aliàs nunquam tuta & quieta eſſe C poteſt:non magis quàm furis quandiu re à ſe furto ablata vtitur,vel eam retinet. Magnam enim animis noſtris cõſolationem affert legitima vocatio, quoties à peruerſis,vel obſtinatis hominibus vexamur, & negotia nobis præbet Satan. Quid eſt? Reſpond.

Vocatio igitur hæc, eſt ad munus aliquod facta ab alio, quàm à ſeipſo,adoptio ac deſignatio.Hæc igitur duplex eſt,Interna & Externa.

Interna eſt à Deo,ac ea quidem immediatè.Externa verò,etſi à Deo eſt,quia ipſe illius celebrandæ modum verbo ſuo præſcripſit: mediatè tamen eſt ab hominibus illam Dei ordinationem ſequentibus.Neutra ſine altera tuta ſatis eſſe poteſt vel ſalutaris. Interna tamen potior eſt, ſed externa noſtri ratione tutior.

Interna vocatio eſt interna & latẽs animi noſtri affectio atque inclinatio à Deo immiſſa ad aliquod legitimum munus gerendum, quæ illius deſideriũ in animo noſtro parit. Igitur affectus infunditur à Deo, neque ex ambitione, neque ex auaritia, nec ex alio aliquo turpi vel carnali motu in nobis ineſſe debet.Bernard.ſerm.58. in Cant. ſic eam definit.Eſt inuitatio & ſtimulatio quędã charitatis piè nos ſollicitãtis æmulari fraternã ſalutem, æmulari A decorem domus Dei,incremẽta lucrorum eius,incrementa frugum iuſtitiæ eius, laudem & gloriam nominis illius.Iſtiuſmodi ergo erga Deũ religioſis affectibus quoties is qui animas regere, aut ſtudio prædicationis ex officio intendere habet: hominem ſuum interiorem ſẽſerit permoueri,toties pro certo ſponſum adeſſe intelligat,toties ſe ab illo ad vineas inuitari.

Externa vocatio eſt,hominum qui iudicare poſſunt de noſtra ad aliquod munus capacitate & idoneitate teſtimonium libero,non redempto nõ captato ipſorũ ſuffragio, in Dei timore & via à Deo præſcripta atque legitima patefactum & declaratũ.

Vt ſit autem hæc externa vocatio noſtra legitima, duo hæc cõcurrere debent:è quibus tamen vnum alterum præcedit,nimirum Electio,quę pręcedit: Ordinatio ſeu approbatio electi, ſequitur electionem.

Electio eſt,eorum qui poſſunt & debent ſyncerum atque ſanctum de nobis teſtimoniũ,per quod deſignamur ad certum munus gerendum.

Ergo hîc videndũ 1 A quibus fieri debeat electio. 2 Quando. 3. Quomodo.Ac quidã primum B illud ſtatuendum eſt, quòd Nemo à ſeipſo eligi vel debet, vel poteſt. Verum enim illud eſt, Nemo iudex ferendus in propriæ ratione cauſæ:item & illud,Laus in proprio ore ſordeſcit. Neque obſtat quod ſuprà de interna eligendorum vocatione diximus.Etſi enim eſſe debet, interna vocatio &affectus in eo qui munus aliquod acceptat:ea tamen interna vocatio etiam externã, tanquã ſenſus illius interni teſtem, adhibet, & expectat,niſi quis extraordinariè à Deo ipſo impelleretur. Interna enim vocatio,quæ externam ſpernit,nõ tantùm falſa eſt, & mera arrogantia, ſed etiam violat Dei præceptum:& turbat diſciplinã Eccleſiæ:neq; à Deo eſt, ſed eſt animi impia phreneſis. Id quod etiam in quadam ſua ad Magnum epiſtola Cypriã. reſpondit. Sed & ipſum electionis & vocationis nomen huic à ſeipſo de ſeipſo factæ ordinationi planè repugnat,cùm is demum dicatur Vocari,qui ab alio accerſitur.

Sed neque à quolibet Electio facta legitima eſt, in muneribꝰ præſertim Eccleſiaſticis.Nam ab vno tantùm aliquo facta alicuius ad dignitatem Eccleſiaſticam C electio,rata & legitima non eſt,ſiue ab ipſo principe illa fiat,ſiue ab eo,qui Eccleſię patronus dicitur,ſiue ab eo ſolo qui in Diœceſi Metropolitanus eſt,& Eccleſiæ προεστῶς & πρόεδρος. Neque enim Eccleſiæ,quæ in terris eſt,regimen & adminiſtratio nobis à Chriſto relicta, eſt Monarchia quædam: ac multò minus tyrannis:ſed eſt Ariſtocratia,vt docemur parabola Chriſti,quæ eſt Matt. 24.verſ.49.& 25.verſ.14. Itaque vetat Petrus etiam ipſos Epiſcopos Κυριεύειν in Eccleſia:& Chriſtꝰ ipſe diſſimilem planè regum in ſuos ſubditos:& Paſtorum in Eccleſias ſuas poteſtatem eſſe dixit 1. Pet.5. Luc. 22. Itaque qui omnes ſimiles faciunt, omnia perturbant.Quare ne à rege quidem ipſo ſolo, vel ab vno dũtaxat Epiſcopo vel Archiepiſcopo,facta electio legitima eſt, quantumuis magna cenſeatur inter homines iſtorum authoritas,vt præclarè annotat Theodorus lector lib.2.Collecta.Sed in Dei Eccleſia Chriſti vnius lex dominari debet:quę nulla ratione infringi poteſt,vt rectè adminiſtrata Eccleſia dici poſſit.Præter enim vnum Chriſtum ne-

A mo eſt in Dei Eccleſia αὐτοκράτωρ: nemo illius domus Dominus:ſed ſolus Chriſtus eſt ille vnus, extra cuius pręceptum nemo in ea dignitatem legitimam obtinet. Non vult autē Chriſtus ab vno quodam ſolo patrono, vel Rege, vel Pontifice & Epiſcopo aliquos eligi & aſciri ad munera Eccleſiæ ſuę, vt perſpicuè poſtea apparebit. Quod ipſum recte quoque vetitum eſt fieri ab Adriano Rō. Pontifice, vt eſt in canone Nullus. & à Nicolao in cano. Porro, & can. ſeq. diſtin. 63. Atque inde orta ſunt grauiſſima illa, & plus quàm nefaria bella inter Henricos imperatores Rom. & Gregorios Pōtif. Rom. cùm vtrique ad ſe ſolum ius illud electionum trahere conarentur. Nec obſtat, quod Titus, Timotheus, Paulus ſoli videntur Presbyteros & Epiſcopos Eccleſiis præfeciſſe, vti ex hoc loco videtur colligi poſſe, & Act.16. Tit.1. Reſpondeo enim illud genus dicendi *Conſtituas, imponas*, &c. ex mente Pauli eſſe ſic intelligendum, Nō vt vni cuidam ſoli electio tota committatur iúſque illud tribuatur:ſed vt ſynecdochicωs complexus eſſe ea dicēdi ratione intelligatur omnes Paulus, & omnia, quæ fieri in legitima vocationis Eccleſiaſticæ ratione B & forma debent & ſolent (vt ex his verbis Tit.1.v.5. *Vt tibi mandaui*) facilè concludi poteſt. Sed cùm in iis electionibus præcipuæ quædā partes eſſent tum Titi, tum Timothei, tum ipſius Pauli, & Barnabæ, vtpote qui eccleſias ipſas quomodo id fieri oporteret, erudiebant, & qui huiuſmodi electionibus, tanquam totius actionis moderatores intererant, atque præſidebant: idcirco tota actio illis quodammodo tribuitur, quæ tamen & totius presbyterii, & totius ipſius Eccleſiæ communis eſt, & tunc erat, vti apparet ex capite 4.v.14. ſupra, & Actor.14.verſ.23.

Neque etiam obſtat, quòd Epiſcopus πρόεδρος appellatur à Patribus, quaſi vnus ille totam Eccleſiam pro arbitrio poſsit adminiſtrare, & in ea quos velit, præficere. Nam vox illa πρόεδρος ordinem tantùm declarat, quo inter collegas ſuos & compreſbyteros ſedere deberet ipſe, qui Epiſcopus dicebatur: non autem regiam, aut ſummam prætoriámque poteſtatem in Eccleſiam illi tribuit. Quod diC cimus confirmat Ambroſius lib. de Digni. Sacerd. cap.6. Solio in Eccleſia editiore Epiſcopus reſidet, ait, vt cunctos aſpiciat. Edictum quoque Chriſti quod ſupra ex Luc.22. commemorauimus, idē probat. Eſt enim ſolus Chriſtus Eccleſiæ rex, non autem mortalis quiſpiam.

Pertinet autem electio, & deſignatio ipſa ad totam Eccleſiā, in qua fit:ſed diuerſa ratione. Quemadmodum enim totius Eccleſię paſtor eſt futurus: ita ab omnibus debet ordinari & approbari ne quiſquam gregi inuito paſtor obtrudatur. Præterea etiam illud veriſsimum eſt, quod omnes tangit & ſpectat, ab omnibus fieri debere. Huiuſmodi enim negotium totius Eccleſiæ, non vnius autem illius partis negotium eſt, cùm qui paſtor eligitur, Eccleſiæ vniuerſæ detur.

Ergo peſsimè faciunt, qui plebem quam vocant ab omni ſuffragio in Eccleſiaſticarum dignitatū electionibus ferendo repellunt & ſemouent, tanquam non ſit & ipſa plebs pars Eccleſiæ Dei, eáque maxima.

Peſsimè quoque hallucinantur qui non diſtinguunt quæ ſint Presbyterii, quæ autem plebis, in electionibus iſtis partes:ſed quod eſt illius, iſti tribuunt, inducentes in Eccleſiam Dei magnam omnino A confuſionem. Præclarè enim Ambroſius in libr. de Sacerdot. dignitate cap.3, Aliud eſt, ait, quod ab Epiſcopo requirit Dominus: aliud quod à plebe. Idem Chryſoſt. in libro 3. de Sacerdotio infra medium. Hierony. ad Nepotia. Nō omnia poſſumus omnes. Alius in Eccleſia eſt oculus, alius lingua, alius manus, alius pes, auris, venter, &c. Lege Pauli Epiſtolam ad Corinthios quomodo diuerſa membra vnum corpus efficiant. Idem quoque Bernard. ſermo 49. Cant. cuius ætate iam hæc perturbata & popularis in electione ordinandorum ratio, à quibuſdam videtur fuiſſe inuecta. Ordinauit me in charitatem, ait. Factum autē eſt hoc cùm in Eccleſia quoſdam quidē dedit Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Euangeliſtas, &c. Oportet autem vt hos vnâ omnes charitas liget & cōtēperet in vnitatem corporis Chriſti. Quod minimè omnino facere potuerit, ſi ipſa nō fuerit ordinata. Nam ſi ſuo quiſque feratur impetu ſecundum ſpiritum, quem accepit: & ad quæque volet, indifferenter, prout afficitur, & non rationis iudicio con- B uolarit, dum ſibi aſſignato officio nemo contentus erit, ſed omnes omnia indiſcreta adminiſtratione attentabūt, non planè vnitas erit, ſed magis confuſio. Hæc Bernardus.

Sic igitur tota hæc res eſt diſtinguēda, vt in vocatione & electione duos quoſdam actus diſtinctos obſeruemus & ſeparemus, nempe Electionē ipſam ſiue præſentationem perſonæ: & Acceptationem, quam alij Ordinationem, alij Confirmationem appellant.

Hæc igitur Electio ſiue præſentatio, quam dico eſt ipſius perſonæ ad munus aliquod Eccleſiaſticū vocandæ prima agnitio, agnitæ tentatio, deguſtatio, probatio, & examinatio, quæ tū de ipſius vita, tum de doctrina fieri debet, & ita examinatæ atq; conſentientis denuntiatio & præſentatio, quæ fit toti populo & Eccleſiæ ſimul collectæ. Hæ verò ſunt Presbyterij, & quidem totius, partes nō plebis aut populi.

Approbatio autem eligendi eſt, de perſona iam à Presbyterio examinata diligēter & propoſita liberum, ſed tamen iuſta aliqua ratione nitens totius C populi & Eccleſiæ ſuffragium, per quod poſt commodum aliquot dierum interuallum cōceſſum, illam perſonam populus vniuerſus, vel acceptat, vel reiicit atque repudiat. Hæc igitur approbatio ad plebem & totum populum Eccleſiæ ſanè pertinet.

Hoc verum eſſe atque ita factitandum, vt ſit legitima ordinariáque eligendorum & electorū vocatio, apparet tum exemplis veteris, & primitiuæ Eccleſiæ: tum etiam exemplis illius, quæ ſubſecuta eſt prima illa tempora. Denique firmiſſimis rationibus idem comprobatur.

Ac primùm plebem non eſſe ab ordinationibus vocandorum ac præficiendorū muneribus Eccleſiaſticis excludendā, demonſtrant exempla veteris Eccleſiæ, in qua proculdubio χειροτονία totius Eccleſiæ interueniebat, vt ex Act.6. & 14. oſtēdi facilè poteſt. Itaque ſuo iure perfidè priuant Eccleſiam, qui paſtorem populo inſcio & non aſſentienti, obtrudunt. Quod fit in Papatu. faciunt enim maximam Eccleſiæ iniuriam, cùm eam iudicio & ſuo ſuffragio ſpolient. Qui propterea, verè ſunt Sacrilegi nominandi. Nec enim eſt paſtor legitimus qui inſcio & inuito, vel non aſſentienti gregi præſidet

& da-

A & datur, vt ait Gregorius Magnus epiſtola 87. & 90. Itaque olim etiam iam corruptis Eccleſiæ moribus & inclinata diſciplina, tamẽ irritæ factæ ſunt omnes Eccleſiaſticæ vocationes, quæ ἄνευ λαοῦ συνίσεως, id eſt, vt vertit Cyprianus, ſine conſcientia & aſſenſu populi fierent. Quod cõfirmat Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerd. Cyprianus lib. 1. Epiſt. 4. lib. 2. epiſt. 3. & 5. Theodoret. in Hiſtor. cap. 20. & 22. lib. 4. Gregor. lib. 1. epiſt. 5. lib. 2. epiſt. 69. Atque de hac ipſa electionis forma ſeruanda extat conſtitutio Caroli & Ludouici Imper. in canon. Sacrorum canonũ diſtinct. 63. Leo quoque primus Pontifex Rom. negat vllum verum eſſe Epiſcopum, niſi qui à clero electus & à plebe expetitus fuerit. in canon. In nomine diſtinct. 23. Quam ipſam etiam ſuo ſeculo adhuc fuiſſe obſeruatam teſtatur variis in locis Bernardus epiſtol. 202. & 150. & 164. 13. & 27, id eſt, vt populus electioni aſſentiretur. Denique hoc ipſum verum eſſe iure canonico etiam cõfirmatur, quemadmodum apparet ex canone, Plebis Diotrenſis & canon. ſeq. & cano. Nolle diſtinct. 63. can. Factus, vbi dictum Cypriani aureum recitatur. 7. quæſt. 1. Idem teſtatur Ambroſius lib. 10. B epiſtola 82. Vnde quàm impij ſint Trident. concilij canones huic contrarij manifeſtè apparet.

Neque tamẽ propter tumultum popularem, aut votum populi temerarium in vnum aliquem, qui erit indignus debet ille à Presbyterio deſignari & eligi. Oſtendit enim hoc loco Paulus nullo modo eſſe cum alienis peccatis communicandum. Quod etiam à Leone Epiſcopo Roma. reſponſum eſt, & refertur in can. Miramur, diſtinctione 61. Sed aliud eſt denegare plebi iuſtum ſuúmque ſuffragium: aliud autem illius temeritati obſequi, & obtemperare. Ac quidem hæc ſunt iura totius populi & Eccleſiæ.

Presbyterorum autem eſt, primùm perſonam ipſam, quæ idonea ad munus vacuum videri poteſt, inquirere ex toto populo, eámque deſignare oculis, & de ea inter ſe agere atque conferre. Præire enim debent toti Eccleſiæ Presbyteri. Itaque non tantùm eum agnoſcere de vultu vel facie debent, quem deſignant: ſed etiam de qualitate. Vnde fit C vt primum examen ipſius eligẽdi ad eoſdem Presbyteros pertineat, ne indignum proponant populo. Nam parum eſt perſonam ipſam noſſe, niſi ingenij vires noueris. Itaque doctrinam ordinandi debent Presbyteri tentare, tum quæſtionibus illi propoſitis, tum periculum facientes de illius dexteritate in tractanda proponendáque & interpretanda Sacra ſcriptura.

Cur autem hoc primum ſuffragium ad Presbyteros pertineat, nõ autem ad vniuerſam Eccleſiam & populum, quemadmodum tamen quidam cenſent, & contentioſè diſputant, ratio eſt:

Prima, Quòd Prebyteri & Paſtores dicuntur ποιμένες & ἡγούμενοι Eccleſiæ. Hebr. 13. verſ. 7. id eſt, præpoſiti (vt loquitur Tertull. in Apolog. cap. 39.) Vnde ſua voce ſuóque conſilio præire populo debent, & viam futuræ deliberationis oſtendere. Ergo non plebs præire debet ſua voce Presbyteri: ſed Presbyteri populo & plebi.

Secũda, Quòd illi ipſi ſunt, vt eſt in cano. Eccleſia habet 16. quæſt. 1. Eccleſię ſenatus (vt ait Hieronymus) ad quem prima rerum Eccleſiaſticarum deliberatio & cura pertinet, atque etiam referenda eſt: itémque, vt idem Hieronymus ait, morum cenſura. Sic Paulus Philip. 1. verſ. 1. ad eos ſcribit, A vt per eos ipſius Epiſtola innoteſcat reliquæ Eccleſiæ. Sic ad eos per manum Pauli & Barnabæ eleemoſynæ Eccleſiarum deferuntur. Act. 11. verſ. 30. Sic illi ipſi Presbyteri Hieroſolymis conueniũt, & primum audiunt Paulum, tum eundem Eccleſiæ vniuerſæ ſiſtunt, Actor. 20. verſ. 28. 21. verſ. 18. 11. verſ. 13.

Tertia, Exemplum ipſius primitiuæ Eccleſiæ. Apoſtoli enim ipſi primi de Diaconis eligẽdis deliberant. i. de perſonis, quas ad eam dignitatẽ promouent. Ideo verba, quæ ſunt Actor. 6. ita explico, vt ſemper penes Apoſtolos ipſos prima totius actionis cogitatio, deliberatio, & adminiſtratio fuerit, ſecuta autem ſit Eccleſia eorum conſiliũ. Quãquam etiã in eo loco aliquid ſpeciale fuiſſe videri poteſt, nimirum vt toti multitudini prima illa ſuffragiorum ferendorum poteſtas deferretur, propter murmur Græcorum, qui conquerebãtur Hebræos ſibi in Eccleſiæ muneribus præferri.

Quarta, Ex ipſa loquẽdi ratione, qua vtitur ſcriptura Actor. 15. verſ. 22. 16. verſ. 4. 1. Corinth. 16. verſ. 3. ὡς ἂν δοκιμάσητε. Ex qua phraſi luce clarius intelligitur à populo & vniuerſa Eccleſia probari tantùm, B vel improbari, quæ Presbyteri & ipſi præpoſiti Eccleſiæ è re Eccleſiæ eſſe iudicarant atque propoſuerant.

Quinta, Exempla poſterioris Eccleſiæ, quę tum canonibus ſuis ſanxit, tum etiam vſu ipſo & praxi demonſtrauit à plebe tantùm aſſenſum requiri, vt quæ à Presbyterio geſta ſunt, iuſta aliqua ratione plebs vel rata haberet, vel irrita faceret. Laodice. Synod. can. 13. qui eſt relatus cap. Non eſt permittendum diſtinct. 63. Sic Cyprianus electiones Eccleſiaſticas celebrauit lib. 1. epiſtola 3. & 4. Sic ſuo quoque ſeculo factum eſſe ſcripſit Socrates lib. 2. Hiſtor. cap. 6.

Sed ſi erit ſummus Magiſtratus fidelis, in cuius territorio aliquis ad dignitatem Eccleſiaſticam eſt aſciſcendus, debet certè ſpecialis iſtius Magiſtratus conſenſus præter eum, qui à toto populo præſtatur, expectari & accedere. Id quod ex Socrate lib. 5. cap. 2. Theod. lib. 5. cap. 9. can. Reatina diſt. 63, & Bernar. epiſt. 282. Platina in Bonif. 3. facilè colligi & confirmari poteſt. C Nam ad eum ipſum Magiſtratum pertinet, ſi Presbyterium ſit nimium negligens in ſubſtituendo aliquo in locum vacantis & mortui vel depoſiti paſtoris, illud cogere & edictis ſuis increpare, vt apparet ex Hermio lib. 1. cap. 13. Euagr. lib. 4. cap. 37. Neque aliud (ſi rectè intelligantur) in can. Porrò, & cano. ſeq. diſtinct. 63. conſtitutum eſt.

Accedere quoque debet ipſius electi conſenſus, antequã populo denuntietur & proponatur & hoc rectè in canone Sicut alterius 7. quæſt. 1. conſtitutum eſt, Ne inuitus quiſquam & omnino repugnans præponatur, præficiatúrque Eccleſiæ. Quod omnino periculoſum eſt neque fieri vllo modo debet.

Trinũdinum autem ſiue ſpatium trium hebdomadarum populo ſiue plebi concedi ſolitum fuiſſe, intra quod de electo à Presbyterio viro & illi oblato atque etiã audito populus iudicaret, apparet ex Socrate Scholaſt. lib. 5. cap. 5.

Ipſius autem populi aſſẽſum χειροτονίᾳ, id eſt, manuum eleuatione præſtari & fieri ſolitum fuiſſe apud Græcos ex more gentis illius certiſſimum

A eſt, idque conſtat tum ex profanis: tum etiam ex Eccleſiaſticis ſcriptorib⁹ infinitis. Itaq;& in Actis Apoſtolorum:& ſæpe apud patres electiones ipſæ χειροτονίας voce nominãtur. Videtur verò etiam hæc conſenſus prębendi & teſtificãdi ratio vſitata fuiſſe inter Hebręos ex Nehem.8.v.7.Apud nos Gallos in omnibus ferè conuentibus publicis conſenſus noſter ſolet modeſtiſſimè ſolo ſilentio ſignificari,poſt propoſitam negotij, de quo agitur, cõſultationem:modeſtiæ,inquam,cauſa. Id quod in electionibus Eccleſiaſticis hodie quoque in reformatis Galliæ Eccleſijs obſeruamus.

Negant autem quidam obſtinatiſſimè,liberum populo ſuffragium eligendi relinqui, niſi duo aut tres populo præſentẽtur,ſiue proponantur à Presbyterio,quorum ſit libera populi optio.Nam ſi vnus,iſque dũtaxat offeratur & præſentetur, ecquæ electionis libertas populo reſtat,aiũt, cùm ſit electio de duobus vt minimũ vnius optio?Reſpõdeo verò vbi copia atque facultas plurium idoneorum populo offerendorum datur,& ſuppetit, nõ vnum tantùm, me authore, populo proponendum eſſe: ſed duos aut plures. Vbi autem vnus tantùm B idoneus eſſe poteſt, etiam in eo ipſo liberam eſſe populi electionem,deliberationẽ,& aſſenſionẽ. dico adeò, vt ſi quẽ etiã magis aptum agnouerit populus,aut vnus aliquis è populo,de eo Presbyterium monere & poſſit & debeat. Atque hæc omnia quæ diximus in ordinaria vocatione locum habent.Nã extraordinaria vocatio alia eſt, quæ nulla habet præcepta.

Secundũ caput eſt.Quando electio ſit celebranda.Reſponſio verò facilis eſt,nimirũ vbi prior paſtor vel defunctus eſt:vel legitimè depoſitus.Nam vel viuente adhuc, vel manente & officio fungẽte priori, ſecundus eligi non debebit, niſi fortaſſe in ſubſidium defeſſi,veluti ſi nimia ſit iam ſuperſtitis infirmitas,ſenectus,morb⁹,cæcitas,aut aliud quippiã ſimile,alius aduocari poteſt,qui illi primo tantũ accedit,non autem ſuccedit, vt docet Socra.lib. 7.cap.4.Herm.lib.8.cap. 26. Bernard epiſtola 126. & tota 7.quæſt.1.in Decretis reſponſum eſt.Quod ſi prior paſtor defunctus erat,illud ferè fuit C obſeruatum,vt non niſi demum poſt tertium ſepulturæ diem in locum defuncti de alio eligẽdo ageret Eccleſia, vt eſt in canone Nullus Pontifice, diſtinctione 79. Viri etiam graues, & Epiſcopi ſuarum Eccleſiarum amantiſſimi ſæpe ſibi Succeſſores ipſi deſignarunt, etiam viui,quòd futurum periculum proſpicerent in futura poſt ſuum obitum electione.Hos autem ita ab ipſis deſignatos, poſtea populus atque vniuerſa Eccleſia comprobabat antequã legitimi fierẽt paſtores, vti Auguſtin⁹ & Athanaſius,& alij ſibi ſucceſſores elegerunt.Auguſt.epi. 110.Theo. Hiſt.libr.4. cap.20. Euſeb. libr.7. cap. 32. Atque hęc de ſecũdo capite & de tempore electionis.

Tertiũ caput eſt,Quomodo ſit electio celebranda. Reſpond. Sic eſſe celebrandam, vt & Perſona idonea reperiatur,& Ratio animúſque eligentium ſit ſyncerus.

Perſona verò cognoſcetur idonea,ſi fiat ſerium examen ac diligens ipſius tũ in Doctrina ipſa,& illius explicãdæ methodo,tũ Vita & moribus, ſíntne in eo tales,quales antea pręſcripſit Paulus cap.3.

Imperitia verò pſalmodiæ & cantus, doctum & probum hominem à munere Epiſcopi excludere minimè vel debet, vel poteſt, quicquid à Gregorio A Magno contrà reſponſum ſit, & probatum in cano.Florentinum Archidiaconum diſtinct.85. & in ipſius epiſtola 89.Indict.13.Sed iam Epiſcopi officium in cantilenas conuerſum fuerat, relicto abdicatóque ab illis munere & onere concionãdi. Fuit etiam olim diligenter & ſancitum, & obſeruatum,vt conſtitutionum Eccleſiaſticarum nemo ignarus in Paſtorem Eccleſiæ ordinaretur,vt tradit Sozom. lib. 4. cap.24. Quæ ſanè conditio non eſt in futuro Paſtore negligenda,ſi quis talis reperiri poteſt.Sin minus,eligi tamen poterit, qui non erit omnino ordinis Eccleſiaſtici ignarus, ò reliquas animi dotes habeat, quæ ſunt ad paſtorale munus neceſſariæ. Neque enim cantus Eccleſiaſtici neque iſtarum regularum Synodicarum ignoratio aditum piis & doctis viris ad paſtoris officiũ excludere debent,quia illa duo vel vſu, vel exercitatione facilè poſtea ediſci poſſunt.

Animus autem eligentium erit ſyncerus, ſi neque Auaritia(Bracarenſi Synodo 3. cap.6.)Fauore, Ambitione, vi & armis & carnali aliquo affectu ad B electionem progrediantur,vel impellantur qui ferunt ſuffragia: ſed ſolam Dei gloriam, & Eccleſiæ vocantis ædificationem ſpectent,ſibique pro ſcopo verè animo proponant.Gregor. Mag. epiſt.95.

Ieiunium etiam publicè indici ſolitũ fuiſſe,cùm fiebat aliqua Eccleſiaſtica electio, teſtatur Bernard. epiſtola 202. Et certè quatuor illa tempora, quæ dicũtur in Papatu(quibus publicum ieiunium toti Eccleſiæ indictum eſt) erant eæ anni tempeſtates,quibus paſſim & publicè in tota Eccleſia electiones Eccleſiaſticorum munerum celebrari cũ precibus & ieiunio ſolebãt. Apparet ex can. Ordinationes diſt.75.atque etiã ex eo quod clericis adhuc hodie in Papatu Epiſcopi ordines quos vocãt conferunt illo tẽpore,quicquid aliter Leo, & Calixtus ſentiant & ſcribant,in canone Ieiuniũ & cano.Huius obſeruantiæ diſtinct.76.

Poſt Presbyterij electionem & populi approbationem,olim quidem(vt ex Cypria. lib. 2. epiſt. 11. apparet) qui electus fuerat publico ſcripto propoſito publicè ſignificabatur, vt ſi quod eſſet impedimentũ,quod obiici poſſet,intelligeretur. C Hoc malè prætermiſſum eſt hoc tempore.Poſt talẽ igitur electionẽ ordinatio ſiue confirmatio, ſiue manuum impoſitio fieri ſolebat electo. His enim tot nominibus vna res & eadem appellata eſt à veteribus.

Eſt autem ordinatio hęc ipſius electæ atque approbatæ perſonæ in munus illud, ad quod idonea viſa eſt,receptio & miſſio,quę fit præſente vniuerſo populo, cum inuocatione Dei nominis. Itaque tunc in illius muneris profeſſionem mittitur ab vniuerſa Eccleſia electus. Hæc etiam cum ieiunio & publicis precibus fieri certè debet, appellatúrque ferè in ſcriptura, Impoſitio manuum veluti hoc loco Actor. 6. verſ. 6. ſupra 3. verſ. 14. 2. Timoth. 1. verſ. 6. à cæremonia quæ in Eccleſia obſeruabatur.Ergo electus Presbyter,vel Paſtor vel Epiſcopus in poſſeſſionem mittendus,eſt ordinandus vel confirmandus, vt loquuntur:quod vt fieret, more vſitato tempore Apoſtolorum, manus imponebantur Electo atque approbato can.Presbyter diſtinct. 23. & hoc loco. Fuit enim hæc cæremonia ex veteribus & legalibus ritibus ad tempus retenta, vel potius ad imitationem impoſitionis manuum, quæ fiebat ſuper hoſtiam ſacrificandam, recepta in Chriſtiana Eccleſia, vt apparet ex Leuitic.1. & 8. Iacob benedicturus filios Ioſephi, manus illis imponit, vt eſt. Gen.48.v.14. Moſes electurus Ioſue in ſucceſſorem ex Dei mãdato manus illi imponit. Num.27.v.18. Chriſtus etiam ipſe paruulos benedicturus manum illis imponit Mat.19.v.15. Atque etiam illa in Baptiſmo locũ habuit, vti apparet Hebr.6. v.2. In ægrotis etiam & dono miraculorum Mar.16.v.18. Vt mirum non ſit cur Paulꝰ illius meminerit & Eccleſia eã vſurparit.

Cur autem iſta manuum impoſitio fieret duplex ratio eſt.

1 Vt intelligeret is, cui manus imponebantur, ſe totum Deo aſſeri & deſtinari. Denique in ſe à Deo manus iniici, vt iã abrenuntians rebus omnibus ſuis & mũdi negotiis totus muneri ſuo ad Dei gloriam incumberet atque inſeruiret. Vnde preces adiungebantur, vt eum Dominus ipſe præſtaret, & efficeret talem.

2 Ratio eſt, vt Spiritus ſancti dona in electum effunderentur, cúmque quatenus, quáque menſura Dominus ipſe videbat conducere, impleret. Quod ipſum etiam tota Eccleſia pro electo ſummis votis à Deo petebat. Vnde ab Auguſt. manuũ impoſitio nihil aliud eſſe definitur, quàm oratio ſuper hominem. de Baptiſmo lib.4.

Hæc tamen cæremonia, cùm ſit tantùm ritus quidam, non vſque adeò certè neceſſaria eſt, modò preces adhibeantur in confirmando electo, & Eccleſia vniuerſa vota ſua cum eo coniungat, vt ſpiritu Dei corroboretur. Id verũ eſſe apparet, quòd Paulus ipſe non ſemper hac voce & cæremonia vtitur, cùm de electione Epiſcoporum agit. vti Tit. 1.verſ.5.

Deinde quòd etiam ipſis Papiſtis & canonibus teſtibus, non requiritur hæc impoſitio manuum in omnibus ordinibus & dignitatibus Eccleſiaſticis veluti in Acolytho, & Subdiaconis ordinandis, vt expreſſè refertur can. Subdiaconus & cano. ſeq. diſtinct, 24. quicquid ibi gloſſa gloſſet, & diſtinguat.

Tertiò, quod etiam ipſis Papiſtis teſtibus, vis tota huius impoſitionis manuũ à precibus pendeat, non ab ipſo ritu & iniectione manuum in ordinãdos, adeo vt ſit tantùm illa cęremonia ſignũ quoddam externum commendationis cuiuſdam, quæ à tota Eccleſia fit Deo, illius perſonæ, quæ iam electa eſt, & quæ in poſſeſsionem ſui muneris eſt mittenda. Vnde prætermiſſa precatione nihil omnino valet & efficit ipſa manuum impoſitio, etiam ab Epiſcopo facta vt eſt in can. Quorundam Diſt. 24. Ergo cùm preces retinentur, ipſis canonibus Papiſticis autoribus ipſa manuũ impoſitionis vis, finis, & ſubſtantia conſeruatur. Quod eſt ſatis. Neque eſt manuum impoſitio eſſentialis pars & ritus legitimæ vocationis.

Denique dum hanc cæremoniam præciſè vrgẽt homines, videmus eos incidere in vanas quæſtiones & ineptas, veluti De triplici manuum impoſitione Vna Ordinatoria, altera Confirmatoria, tertia Curatoria, vt eſt in canone Manus.1.quæſt.1.

Item vtrum repeti in eodem poſsit manuum impoſitio.

Item vtrum ſic manus imponi debeant, vt caput ipſum electi attingant, de quo anxiè quæritur in can. Epiſcopus diſt.23. Ergo fatui ſunt, qui hærent in ea nuda cæremonia, & proram & puppim legitimæ vocationis eccleſiaſticæ conſtituunt quod faciunt Papiſtæ, cùm illa ſit in rerum indifferentium numero: neque ſit pars vlla eſſentialis legitimæ vocationis: ſed tantùm illius teſtificandæ adminiculum externum & ſignum quoddam confirmatæ electionis.

Ergo & retineri & omitti poteſt pro more regionis, in qua electus ordinatur.

Additum eſt denique, vt eſſet legitima ordinatio epiſcopi, nimirum vt tres epiſcopi vicini ordinationi ſiue confirmationi intereſſent, ſiue manus vnà cum vniuerſa eccleſia, de cuius paſtore eligendo agitur, imponerent. Id quod ex Apoſtolorum canonibus ſumptum putant, & ſtudioſè retinent Papiſtæ, quod tamen & oneroſum eſt pauperibus eccleſiis, & ad ambitionem & pompam fit ab illis videtúrque inuentum Quanquam tamen operæpretium eſt ad conſeruandam fidei concordiam, & vnionem tum doctrinæ tum charitatis electum epiſcopum quærere & habere manus aſſociationem à vicinis epiſcopis & paſtoribus: quam ſe ab aliis Apoſtolis accepiſſe teſtatur Paulus Galat.2.verſ.9. & concilio Mileuit. cano.15. ordinati in vna eccleſia aliis epiſcopis vicinis ſtatim ſignificabantur publico ſcripto miſſo ab ordinatoribus: ſed præciſè tres alios epiſcopos accerſere & aduocare eſt planè eccleſiis graue & oneroſum, tamen Græcanicæ eccleſiæ ſtudioſè, vti faſtum omnem externum, & alia pompernalia retinuerunt, quemadmodum apparet ex Hiſtoria Euagrij lib.2.cap.8. Socrat.lib.5.cap.7.lib.4.cap.3. can. epiſcopus diſt.23.

Item conſtitutum erat & obſeruatum in iſta ordinatione vt epiſcopus non niſi in vrbe metropolitana confirmaretur, vt ex concilio Toletano apparet & eſt in can. Qui in aliquo Diſt.62.

Denique niſi electus curaret ſeſe intra quinque menſes conſecrandum ab Archiepiſcopo ſuo amitteret ius ſibi quæſitum cano. Quoniam Diſt. 100. Sed hæc omnia cuiuſque eccleſiæ iudicio ſunt relinquenda, quando quis ſit ordinandus, & eligendus. Nam velle præciſè vt ab Archiepiſcopo quis confirmetur & ordinetur, vtque in vrbe metropolitana, id planè redolet veterem tyrannidem Antichriſti, quæ prorſus eſt in eccleſia Chriſtiana abolenda: & quilibet paſtor melius inter gregem ſibi deſtinandum confirmatur. Demum additæ ſunt quædam veſtes à communibus diuerſæ, & ornamenta, vt auguſtior haberetur inauguratio. Item oleum, chirothecę & ſimiles quædam nugæ planè ſuperſtitioſæ & pueriles. Quæ ſunt omnia reiicienda. Nam dum formoſam eccleſiam illiúſque dignitates ſpecioſas repræſentare nobis conantur, meretricios illam cultus induunt: & ex caſta & Chriſti ſponſa verum ſcortum & fœtidum effecerunt. Poſtremò circa annum 700. à Chriſto paſſo in Italicis & occidentalibus Eccleſiis reliqui epiſcopi cœperunt confirmationem ſuæ dignitatis petere à Roma. Epiſcopo. Vide quę Iſych. ſcrib. lib.6. in cap.21. & 22. Leuit. Ex his autem omnibus apparet quàm nulla ſit, vel non legitima eorum verbi Dei Miniſtrorum, vel eccleſię paſtorum Vocatio, qui ſolius regis, vel reginæ, vel patroni, vel epiſcopi, vel archiepiſcopi autoritate, diplomate, bullis, iuſſu, & iudicio fit vel eligitur. Id quod dolendum eſt adhuc fieri in iis ec-

A clesiis, quæ tamen purum Dei verbum habent & ſequuntur, veluti in media Anglia. Nam Anglos homines alioqui ſapientiſſimos, acutiſſimos, & pientiſſimos, in iſtis tamen Papiſticæ idololatriæ & tyrannidis reliquiis agnoſcendis & tollēdis, ſcientes prudentéſque cæcutire, mirum eſt. Itaque præclarè ſentiunt, qui omnem illam chartulariam & epiſcopaticam curionum, & paſtorum eccleſiæ creandorum rationem, item ex ſolo epiſcopi conſenſu & diplomate miniſtrorum verbi cęleſtis vocationem, approbationem, & inaugurationem dānant, tollendámque ex reformata ad Dei verbum eccleſia cēſent: quòd ordo Dei verbo præſcriptus in ordinatione huiuſmodi perſonarum ſit prætermiſſus, ac violatus ſicuti perſpicuè appareat. Denique & Senatui eccleſiaſtico & Populo Chriſtiano ius omne ſuum atque ſuffragium miſerè ſit hac ratione & in hoc genere vocationum eccleſiaſticarum ademptum, & in vnum quendam epiſcopum magna tyrannide atque abuſu trāſlatum. Dominus Deus talibus corruptionibus, quæ adhuc in eccleſiis ipſius ſuperſunt & defenduntur, mederi magna B ſua miſericordia dignetur & velit, quæ tandē certè magnam eccleſiæ Dei ruinam ſecū trahēt, & ipſum ſacroſanctum verbi Dei miniſterium reddent efficiéntque vel mercenarium: vel omnino cōtemptibile & abiectum. Quod Dominus auertat.

Vna modò quæſtio ſupereſt in hoc argumento, Nimirum, quid de eorum adminiſtratione ſit ſentiendum, qui nō ſunt legitimè vocati: atque vtrū iis ſana conſciētia adhęrere debeamus. In quo certè diſtinguēdum eſt. Aut.n.eſt Omnino illegitima vocatio eius, qui eccleſiam aliquā adminiſtrat: vel Non omnino illegitima, ſed tantum ex parte.

Illegitima omnino eſt ea, in qua omnia Dei verbo pręſcripta, ſunt pręter miſſa vel violata, vt ſi quis ſeipſum intruſerit priuata autoritate. Non omnino ſed tantùm ex parte illegitima eſt ea, in qua tātùm quędam ex illis non obſeruata fuerūt, ſed prętermiſſa. Ergo cuiꝰ omnino illegitima vocatio eſt, is certè pro priuato habēdus eſt, ac huiuſmodi vocatio pro nulla. Itaque neque ſacramenta conferre poteſt, neque reliqua negotia eccleſiæ gerere: & C quæ geſſit pro nullis habētur, niſi fortaſſe eſſet extraordinaria illius vocatio, id eſt, quæ ſignis teſtimoniiſque certis à Deo confirmata eſſet. Sola autem propagati Euangelij, & fructus, qui inde multus emergit, conſideratio non confirmat huiuſmodi omnino illegitimam vocationem, vti neque fœtus enatus illegitimam copulam, quę interceſſit inter adulteros.

Vitium autem iſtud tolli poteſt, ſi poſtea ordine & legitimè vocetur is, qui primum illegitimè in miniſterio verſabatur.

Qui autem ex parte tātùm eſt illegitimè electus & vocatus, veluti ſi per Simoniam quis munus adeptus ſit, & non legitimo populi vel ſenatus Eccleſiaſtici conſenſu, conſenſu tamen gradum obtinet, non eſt habenda pro omnino nulla huiuſmodi vocatio, ſed vitium illud eſt corrigendū. Itaque iſti ſacramenta conferre poſſunt, quia vtcunq; nō omnino verā & ſatis legitimā vocationē habeant: habent tamē aliquā. Sic Scribæ & Phariſæi in Cathedra Moſis ſedebāt. Sic Caiaphas in Pontificatu ſummo erat, quem pretio redemerat. Itaque exemplo & Apoſtolorum, & Chriſti ipſius, qui eos monuit & reprehendit non autem ſeceſſionem à corpore Eccleſiæ fecit, ab iis nos ſegregare in alium A cœtum non debemus, nec à toto Eccleſiæ corpore: (Id enim eſſet Donatiſtarum hęreſin reuocare) ſed pacem Eccleſiæ, quātū in nobis eſt, colere nos oportet, etſi iſtud vitiū quod in eorum perſonis & electione inhæret, dānare oportet: & quātum poſſumus tum emēdare tum etiam emendatum velle.

Hac ratione fit, vt etiam à ſacrificulis Papiſticis collatus Baptiſmus non ſit in Eccleſia Dei repetēdus: à priuato autem collatus idem baptiſmus ſit tamen repetendus, & pro nullo habēdus. Etſi enim in Eccleſia Dei illegitimam vocationem Papiſtici ſacrificuli habent: tamē ex conſenſu populi habēt aliquam. Eſt autem aliud, vt ait Auguſtinus lib. 2. contra epiſt. Parmenia. cap. 13. aliquid prorſus non habere: aliud autē aliquid pernicioſè habere: aliud aliquid ſalubriter habere. Quod tertium ſolum eligendum nobis eſt. Sed tamen vti magiſtratus vitio creatus, Magiſtratus tamen eſt propter populi conſenſum, quemadmodum lib. 5. de lingua Latina docet Varro: ita iſti ſacrifici etſi vitio creati ſunt Epiſcopi & Presbyteri, vt, παρεπίσκοποι potius, quàm ἐπίσκοποι ſint meritò appellandi, tamen quadātenus Presbyteri ſunt & Epiſcopi, præſertim apud eum B populum, qui in eo conſenſit.

Cæterum obiter monendi ſunt lectores, quoſdam referre totum hunc Pauli locum, vbi de non imponendis citò manibus agitur, ad reconciliationes publicas lapſorum, quæ fieri ſolitæ ſunt in Eccleſia per impoſitionem manuum, quemadmodum ex Cypriano lib. 1. epiſt. 14. facilè colligi poteſt, & ex veterum ſcriptis & canonibus Synodorum. Sed tamen aptius videtur, ſi referamus hunc locum ad electiones Eccleſiaſticarum fūctionum: imprimis autem Paſtorum. Illæ enim reconciliationes lapſorum veluti idolis ſacrificantium, & libellariorum, qui dicebantur, quæ per manuū impoſitionem fiebant, videntur demum poſt obitum & tempora Apoſtolorum notæ & vſitatæ fuiſſe ea forma in Eccleſia, quam refert Cyprianus: vti & multæ aliæ cæremoniæ poſt Apoſtolos in Eccleſiam ſunt inductæ, & obſeruatæ.

23 *Ne amplius eſto abſtemius: ſed vino pauculo* C *vtere, propter ſtomachum tuum & crebras tuas infirmitates.*

Etſi hunc verſiculū quidā ſubiiciunt ſequēti, tamen nos ſequemur ordinem quem codices vulgares habent. Eſt igitur hic locus quoque cōtinuatio ſiue Ἀκολούθησις ſuperioris argumēti, in quo de Presbyterorum officio agitur. continet autem hic verſiculus præceptum, quod ad omnes in vniuerſum Presbyteros & prępoſitos eccleſię pertinet, quatenus ij exemplar gregis nō tantùm in doctrina: ſed maximè in vita eſſe debent, iuxta dictum Chriſti. Matth. 5. Vos eſtis ſal terrę: & Petri in 1. epiſt. cap. 5.

Quanquam enim hic locus quiddam peculiare, & quod ad Timotheum ſigillatim ſpectat, tradere videtur: vis tamen & ratio præcepti eſt generalis, & ad omnes, qui aliquo fungūtur munere in eccleſia Dei, extenditur. Hunc autem ordinem in huius verſiculi explicatione ſequemur, vt primum quæ ad ſpecialem huius loci explicationem faciunt, dicamus: deinde præceptū Pauli ad omnes generaliter producamus ex ipſius mente & ſcopo. Si quis tamen luculentiſsimā huius verſiculi explicationē quærat,, legat primā Chryſoſt. Homiliā ad populū Antiochenū, vbi hunc locum ex profeſſo declarat.

Iubet

A Iubet igitur Paulus, vt Timotheus vtatur pauculo vino, ídque propter ipſius valetudinem & ſtomachi debilitatem, vt ſuo muneri melius ſupereſſe poſsit.

In quo quibuſdã videtur nimis abrupta & perturbata orationis huius & ſtyli Pauli ratio, quòd à præcepto generali, de electione presbyterorum, ſtatim tranſeat, aut potius tranſuolet ad præcepta medicinæ: & ea, quæ peculiariter ad valetudinem & ſtomachum Timothei pertinent. Quæ igitur ſeriei & continuationis huius loci afferri ratio poteſt? Reſpondent quidam aptè hunc locum cum ſuperiori connecti. Cùm enim ſuperiori proximè verſiculo voluerit Paulus Timotheum eſſe ἁγνὸν, id eſt, caſtum, vt interpretantur illi: meritò quoque de vini potione præceptum ſubiici, quæ caſtitati repugnare videri poterat. Itaque ne caſtitatis retinendæ prętextu nimia & immodica abſtinentia ab eo ſuſciperetur, vtilem hanc admonitionem Paulum ſubiunxiſſe volunt. Hæc Chryſoſto. Hæc Anſelmus: hæc penè cæterorum omnium ſententia eſt. Nos tamẽ aliud exiſtimamus. Nam quẽadmodum vox ἁγνὸς ad caſtitatem corporis ſiue cœ- B libatum, quemadmodum tamen illi fingunt, minimè pertinet: ſic neque hoc præceptum additum eſt propter caſtitatem. Quid igitur? Cùm oporteat omnes fideles Eccleſiæ Paſtores & Miniſtros verbi Dei vitæ ſuæ luce & ſanctitate præire reliquo gregi, docet hoc loco Paulus exemplo Timothei quatenus eos victus ſobrietatem & rationem habere deceat, vt in cibo ipſo cæteris quoque vitæ exemplum paſtores præbeant.

Timotheum autem vult Paulus vti vino, ſed modico: ex quo apparet eum fuiſſe abſtemium, non tam quidem natura, quàm vitæ magna continentia. Non vetat enim nudè, ne Timoth. aquam bibat. ὀλίγῳ. Hæc vox non tam ad qualitatem vini, quàm ad quantitatem referenda eſt, vt ὀλίγον οἶνον intelligamus, nõ ὀλιγόφορον. i. quòd aquæ minimum ferat: ſed paucum, & quo quis inebriari non poſſit. Diſertè verò vocem hanc, ὀλίγον addidit, vt hoc ſuum præceptum atque doctrinam Euãgelii ab omni calumnia vindicaret. Nã videri poterat ex hac C Pauli iuſsione Euangeliũ incitare, ac impellere homines ad vinum hauriendum, ſeſéque ingurgitandum, niſi hoc temperamentũ atque hanc velut exceptionem ſubtexuiſſet Paulus. Id quod ſobrii homines inter Ethnicos vituperaſſent & meritò quidem. Nam & Oſ. 7. v. 5. & Prou. 31. quanta, quámque grauia Dei iudicia in οἰνοπότας, id eſt, vinolentos & inſobrios homines denuntientur, apparet. Denique Luc. 21. v. 34. Chriſtus & crapulam & ebrietatem damnat. Quare meritò moderationem atque ſobrietatem hac voce ὀλίγον præſcripſit Paulus, etiam Timotheo ſua iam ſponte ſobrio & temperanti, nedũ vt præceptum de ſobrietate ſeruanda cuiquam graue aut intempeſtiuũ videri poſsit.

Cur autem præſcripſerit vſum vini Timotheo, ratio eſt, nõ quòd medicum agat Paulus: ſed quòd in ſuæ ipſius valetudinis detrimentum & virium corporis debilitationem nimiam abſtemius eſſet, ídque ſponte, hac ſibi lege impoſita, ad domandos carnis impetus & libidinoſos motus, qui in iuuenili illa ętate magni & feruentes eſſe potuerunt, niſi hac tanquam frigida ſuffuſa, id eſt, vini detractione, temperarentur & extinguerentur. Itaque A Timotheus habita tum ſuæ ætatis, tum vocationis ratione, vino ſponte abſtinebat: non ſuperſtitione aliqua, quaſi vini vſu Deus offenderetur: non hæreſi, quaſi hanc Dei creaturam damnaret, quòd poſtea fecerunt Aquarii & Seueriani: non voto aliquo ſuſcepto, quale fuit veterum Nazaræorum votum: non denique odio & auerſatione ipſius guſtus & odoris, quod faciunt ij, qui natura ſunt abſtemii, & vinũ guſtare non poſſunt: ſed certo animi propoſito & inſtituto, vt carnis libidinẽ in tam feruente ętate, tanquam æſtate, reprimeret, atque cõpeſceret: vti qui equis, ne nimiũ ferociãt, pabuli partem adimunt, ne nimiũ impinguentur.

Ergo qui ſuperſtitione aliqua ducti, qui hæreſi alicui addicti, qui voto conſtricti, vino abſtinent, hoc Timothei exẽplo iuuari vel defendi non poſſunt, cuius factum hîc à Paulo commemoratũ eſt ab illis diſsimillimum.

Denique ratio addita eſt à Paulo, & modus, ex quo Timotheum æſtimare vult, quatenus & vino & cæteris cibis abſtinere debeat. Nimirum quatenus ratio valetudinis & corporis ſanitas patitur B id fieri: non vt longæui tantum fiamus: ſed vt commodiùs & facilius Deo inſeruiamus. Atque hæc quidem particulariter pertinent ad Timotheum: Videamus iam quæ ex his colligi debeant, & ad omnes Presbyteros & Eccleſiæ præpoſitos diffundantur. Duo verò canones ex hoc verſiculo à nobis excerpentur, iíque generales & vtiles.

1 Presbyteri eam victus rationem ac ſobrietatem inſtituunto, quæ & ipſorum muneri facilè obeundo conducat, & cæteris ad exemplum temperantiæ eſſe & prælucere poſsit.

2 Presbyteri atque præpoſiti Eccleſiæ in ea victus ſui ſobrietate ac ratione inſtituenda, & bonæ valetudinis ſuæ, & virium ſtomachi atque totius corporis ſui rationem habento.

Atque hic vterque canon eſt explicandus.

Ac primùm quidem primus.

Iam inde à primis Apoſtolorum temporibus propter & Muneris eminentiam, & functionum ipſarum Eccleſiaſticarum finem receptum eſt, vt maior quædam ſanctitas à præpoſitis Eccleſiæ requireretur, quã à reliquo populo Chriſtiano. Qui C enim in eo gradu collocantur, vitæ exemplo cæteris prælucere debẽt, quemadmodum docet Petrus 1. Epiſt. 5. verſ. 3. Vnde à Chriſto appellãtur *& Lux & ſal terræ*, in quo cæteri ſaliuntur. Matth. 5. Neque modò in iis, quę ad cultum Dei, verámque vitæ reformationem & ſanctimoniam pertinent, quale eſt vt ſcortatione abſtineant, furto, cæde, idololatria, hęc ſeuerior vitę ratio in præpoſitis Eccleſię requirebatur: ſed etiam in rebus ἀδιαφόροις & mediis: & quę etiam licent reliquis Chriſtianis, nempe propter muneris ipſius Eccleſiaſtici dignitatem & ſanctitatem, maiorémque commendationem. Vnde Paulus 1. Corinth. 9. verſ. 27. ait ſe contundere corpus ſuum, & ſubiicere, ne cùm aliis prædicauerit, ipſe reprobus fiat, cedátque illi in exitium, quod ab aliis requirit. Et quę ſecuta ſunt Apoſtolos tempora auſteriorem, rigidiorem, ſeueriorémque ſemper præpoſitis Eccleſię, quàm reliquo populo, diſciplinam indixerunt, quemadmodum & ex canonibus Apoſtolorum, qui dicuntur & decretis ſynodorum apparet, maximéque ex eo, quòd Teleſphorus Epiſcopus Roma. ieiu-

A nium Quadrageſimale primùm ſolis clericis indixerat,à quibus ſeruabatur, nõ etiam à reliquo Eccleſiæ populo,vt apparet etiam ex ipſo decreto.

Ratio huius ſeuerioris regulæ illis imponendæ fuit duplex.

Prima,quòd debẽt propter doctrinæ(quam ardentius & purius profitentur quàm reliqui) cõfirmationem & commendationem, quemadmodum diximus,in omnibus quę non modò honeſta ſunt, ſed ſpeciem honeſti habẽt, prælucere reliquo gregi.Itaque non modò omnem crapulam,luxum,laſciuiam fugere debent præpoſiti Eccleſiæ , ſed vel ſolam illorum vitiorum vmbrã & ſpeciem,vt alios ſuo exemplo ædificent, cæleſtémque doctrinam commendent.Nã ſic vitia aliorum liberius reprehendere poſſunt.Eſt enim hæc & veriſſima & maximè notabilis Hieronymi ſententia, An non confuſio & ignominia eſt Ieſum Chriſtum crucifixum & pauperem,& eſurientem fartis prædicare corporibus, & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas,tumentiáque ora proferre?Si in Apoſtolorum loco ſumus , non ſolum ſermonem eorum imite- B mur,ſed etiam conuerſationem & abſtinentiam. Hæc Hieronymus in Mich.

Secũda,quòd fere homines,quale eſt humanum ingenium,iis rebus externis plurimùm tribuunt à quibus ſi quis abſtinet,is & Dei timentior, & ſanctior à vulgo iudicatur. Coloſſ.2.in fin.

Tertia quoque ratio addi poteſt. Quòd etiã(quę eſt noſtra vitioſitas & corruptela)in vſu rerum indifferentium nimium libero , minúſque ſeuero caro fit laſciuior, & intemperantior,quam tamẽ cõtundere neceſſe eſt.Id quod fieri niſi rerum earum, etiam conceſſarum, detractione ſæpe non poteſt. Adeò,vt ei, qui verè temperanter, & ſobriè viuere velit, carníſque obſcœnos motus comprimere,omnino ſit neceſſe multis rebus ad tempus , vel in perpetuum abſtinere,quæ tamen licent:ſed earum vſu carebit ipſe ſponte,non quidem propter conſcientiam,quaſi vetita ſint edi,ſed quòd hoc fręno carnis libido & rebellio domatur, & rationi ſubiicitur. Partiar autem totam hanc diſputationem in tria capita,nempe vt agam de fine huius abſtinentiæ,De Cibis,& De modo illius.

C Finis autem,propter quẽ quis iis cibis & rebus abſtinet,varius eſſe poteſt,vnus tamen, íſque ſolus probandus eſt,quem ſecutus eſt Timotheus, vt ex hoc loco apparet , nempe vt Deo liberiùs inſeruiamus.

Ac primùm quidẽ Ethnici ipſi & gentiles quibuſdam cibis abſtinuerunt propter ſuperſtitioſas opiniones,& planè in Deum blaſphemas.Ægyptij porris,caulibus,cepis & aliis oleribus id genus ſeuerè abſtinuerunt,quemadmodũ M.Tullius,Diodorus Siculus, Iuuenalis , aliíque plures authores tradiderunt.Pythagorici philoſophi carnibus abſtinuerunt.Philiſtinis,qui & Palæſtini,piſcium genus nullum edere concedebatur , & quidem hi omnes,quòd eos cibos quibus abſtinebant,Deos eſſe crederent,aut ita diis conſecratos atque ſanctos, vt in hominum mortalium vſu & commercio eſſe minimè deberent.Hic finis prorſus & blaſphemus eſt in Deum, qui è creaturis creatorem facit: & proculdubio damnandus.

Deinde Hæretici ſucceſſerunt, qui quibuſdam cibis abſtinent, ſed non ea ratione , propter quam A Timotheus,& pij debẽt.Nã Seueriani& Aquei vino abſtinuerunt , quòd opus diaboli eſſe contenderent. Manichæi carne : alij aliis cibis , quod eos eſſe nefandas & diabolicas creaturas crederent, vt in lib.de Hæreſibus docuimus.Hic finis damnandus quoque eſt,& impugnat dictũ Pauli ſup. cap. 4. ver. 4. omnis cibus creatura Dei eſt, & bonum quiddam. Denique etiam cano. Si quis Presbyter Diſt.30.improbatur.

Tertij etiam & ipſi peccant in fine propter quẽ cibis abſtinẽdum eſt.Etſi enim omnes cibos à Deo creatos, productóſque fatentur : ita tamen eos diſtinguunt,vt ex iis alios aliis ſanctiores & ad vitam æternam comparandam aptiores exiſtiment,abuſi eo Dei conſilio, per quod in veteri lege quoſdam cibos interdixit ſuo populo,vt eſt Deut. 14. Leuit. 11.Tales fuerunt Tatiani, Encratitæ , & eorum diſcipuli: tales hodie Monachi. Et hic quoque finis eſt improbus,& transfert ad terrena mundi elemẽta quod vnius Dei Spiritus eſt proprium,nimirum ſanctificare noſtras conſcientias.Itaque damnãdus eſt iuxta illud Pauli ſup. 4. ver. 4. cibus quilibet à Deo conditus in vſum hominis minimè reiiciẽdus eſt,& Roma.4.verſ.17.Nõ eſt regnum Dei eſca & B potus,ſed iuſtitia & pax,& gaudiũ per ſpiritũ ſanctum & 1.Cor.8.verſ. 8. eſca nos non commendat Deo Auguſt.in lib.quęſt.Euange.nec in abſtinendo,ait,nec in manducando eſt iuſtitia. Et ne quis ſibi nimium in ea ciborum abſtinentia placeat,hęretici etiam plerique ea excelluerunt, quemadmodum Socrates lib.7.cap.17.tradit.

Alij voto, eóque perpetuo , hanc abſtinentiam ciborum ſibi indicũt propter illud Pauli in eadem Epiſt.ad Rom.14.verſ.21.Bonum eſt nõ veſci carnibus,neque bibere vinum:& illud etiam quod eſt 1.Corinth. 8. verſ. 13.ſi eſca facit,vt offendat frater meus, non veſcar carnibus in æternum. Vtroque modo,hoc nimirũ, & ſuperiore in Chriſtiana Eccleſia grauiter peccatum eſt,& penè primis Eccleſiæ temporibus,dùm inconſiderato quodam ſanctitatis zelo homines ducũtur. Atq; hic finis proximè à nobis commemoratus ex eo ſatis refutatur, quòd Pauli dictũ cõditionaliter & κατά τι prolatũ tanquam ſimpliciter ſit dictum & effatum iſti accipiunt.Docet enim Paul. quibuſdam cibis abſtinẽdum tunc,cùm proximi ædificatio,& iuſta ratio id C exigit:non autem ex voto id fieri vult, neque ſimpliciter & omnino. Verus igitur & legitimus huiuſmodi ciborum abſtinentiæ finis,íſque probandus,eſt ille,quem ſcriptura præſcribit.Eſt autem is duplex vel Carnis noſtræ extraordinaria mortificatio,vel Infirmorum fratrum ratio & ædificatio, qui ad tempus ſunt tolerandi à nobis.

Primus finis commemoratur à Paulo 1. Corin. 9.verſ.27. contundo corpus meum,& in ſeruitutẽ redigo.Item Coloſſ.2.verſ.23.Sic ieiunium inſtitutum & vſum habuit in Dei Eccleſia vel à tota , vel ab vno aliquo priuatim ſuſceptũ. Atque certè ibi rectè obſeruat Chryſoſtomus dici à Paulo *Caſtigo & in ſeruitutẽ redigo*:nõ dixit,perdo & punio. Non enim inimica caro eſt,ſed *caſtigo & redigo in ſeruitutẽ*,quod Domini eſt,nõ hoſtis:magiſtri,nõ inimici:exercitatoris,nõ aduerſarij.Bernard.ſerm.66.in Cãticũ docet, Nos cibis poſſe abſtinere triplici de cauſa,vel ex medicorũ pręceptis,quod nõ reprehẽditur,ſi tamẽ nimia nõ ſit cura corporis:vel ex regulis

gulis abſtinentiæ,vt mortificetur caro,quod etiã ſi ſine ſuperſtitione fiat laudandum eſt : vel ex inſania hæreticorum, quod eſt omnino damnandum. Et in epiſtola ad Coloſſ. idem Chryſoſto. Deus, ait, corpori honorem ſuum contribuit, ipſi verò (de nimium abſtinentibus loquens) non cum honore vtuntur corpore.Denique concilio Gangrenſi,quod vicinum fuit primo Niceno,nimia iſta abſtinentia,& ſi qua vis in ea ponatur eſt grauiter reprehenſa. Quod verò ſcribit Gregor. Mag.pios à licitis rebus ferè abſtinere, vel vt ſibi merita apud Deum omnipotentem augeant,vel vt culpas vitæ anteactæ deleant,ſitque hæc abſtinẽtia pro pœna, eſt falſiſsimum, etſi probatur cano. Sunt qui 27. quæſt.2.

Secundus finis expreſſus eſt ſæpe à Paulo in epiſtolis,præſertim in ea,quæ eſt ad Romanos cap.14. & 15. 1.ad Corinthios 9.atque etiam in Actor.cap. 15.à Synodo Hieroſolymitana.Propter ædificationem enim infirmorum,qui nõ poterant videri peccare malitia,ſed nuda tantùm ignorantia, Paulus ſe omnia omnibus factum eſſe dicit : & iubẽt Apoſtoli collecti quibuſdam cibis Chriſtianos abſtinere ob eandem cauſam.

Alterum caput huius diſputationis eſt de rebus quibus abſtinere ſolerent veteres, & nunc debeamus ipſi abſtinere. In quo nullum eſt præceptum diſertè ab ipſo Dei verbo poſitum:ſed debet quiſque iis cibis abſtinere,quibus libidinẽ in ſeſe maximè vel accendi, vel excitari ſentit & experitur. Itaque qui carnis eſu ſe proritari vident,carne abſtinere debent.Qui verò piſcium eſitatione ſe laſciuiores fieri ſentiunt (eſt enim cibi genus delicatiſsimum,vt teſtatur in Sympoſiac.Plutarchus,piſcium eſus)Piſcibus abſtinebunt.Qui vino ſe libidinoſiores effici cõperient,vinum ne bibant,quia quo maximè caro noſtra proritatur, illud eſt ſubtrahẽdum,quemadmodũ ferocienti equo nimium pabulum(quemadmodum in libro de Arte equeſtri tradit Xenophon)eſt ſubducendum,vt contundatur, & dometur facilius. Qui verò eſu leguminum ſe ad peccandum magis incitari ſentiunt, leguminibus potius quàm carne debent abſtinere: quia fontes & incentiuum peccati eſt tollendum, non illud,quod libidinem in nobis non accendit. Item quorum ciborum eſu maximè offenduntur infirmi adhuc fratres,quibuſcum verſamur,illis eſt abſtinendum,non eſt autem par ratio in aliis cibis. Fieret enim temerè & ſine cauſa. Neque verò hîc nobis Nazaræorum votum, de quo eſt Numeror. 6.quiſquam in vſum & præceptum reuocet. Fuit enim illud cæremoniale,& iam per Chriſtum implementum atque finem habuit. Itaque deſiit eſſe in vſu. Neque etiam quiſquam regerat, reponátque vetus illud diſcrimen ciborum,quod in lege ſua cæremoniali Dominus inſtituit Deuter.14. Leuitic.11.quia illud etiam fuit planè cæremoniale.Vnde Apoſtoli ipſi de vſu ciborum interrogati minimè illud inter homines retinuerunt in concilio Hieroſolymitano Actor.15. Quin etiam illud ciborum diſcrimen ſæpe Paulus oppugnat, imprimis autem in Epiſtola ad Galatas. Denique neque etiam aliquis nobis obtrudat illud,quod eſt Leuit. 10. v. 9. quia & hoc ipſum planè antiquatum eſt à Chriſto,vti & altare & Sacerdotium.

Fuerunt tamẽ certa quædam ciborum genera, quib⁹ maximè ἐγκρατεύοντες & μονάζοντες Chriſtiani abſtinere ſolebant,partim ex nimia iã ſuperſtitione, partim ex inepta virorum piorum imitatione. Ac quidem imitatione, quòd antiquiſsimi Chriſtiani propter perſecutiones in deſerta ac vaſtas ſolitudines fugere coacti, ſæpe herbis tantùm, aqua pura,ſecundo pane,& ſiliquis,ſimilibúſque rebus illic vixerunt,cùm neque caro, neque vinum, neque alii cibi propter incultum locum ſuppeterent illis neque illic reperirentur. Horum vitam imitari ſe putauerunt,qui tam vilibus cibis poſtea, etiam ſine neceſsitate, & in mediis vebibus victitarunt.

Superſtitione verò quidam impellebãtur, quòd iam plus ſatis externę iſti vitę auſteritati,& curioſitati quadam veræ ſanctitatis ignoratione homines tribuebant. Ergo qui ſe reliquis puriores atque mundiores eſſe inter Chriſtianos volebant, vt ex Euſebio libro 2.cap.17.lib.6. cap. 3. Socrate lib. 4.cap.23.aliiſque veterum locis colligitur,primum ferè abſtinuerunt his cibis (quanquam tamen, vt ait Paulus Tit.1.omnia ſunt munda mundis)abſtinuerunt,inquam,Carne,Oleo,Vino:Oleribus interim,& reliquis rebus indiſcriminatim veſcentes, puram etiam aquam potantes,non conditam, non miſtam,non ſaccaro,non herbis vim illius augentibus,aut vſum guſtúmque gratiorem facientibus temperatam.Poſtea creuit ſuperſtitio, & hæc initia latius poſtea ſunt propagata,adeò vt poſtea, & iam tempore Gangrẽſis Synodi, quę fuit ſub Cõſtantino Magno, Sagimen omne & pinguedo, & non tantùm caro ipſa Monachis & abſtinentibus interdiceretur. Demum acceſsit decretum Gregorii Magni,quod abſtinere cupientibus prohibet & interdicit eſu omnis rei, quæ ſementinam carnis originem habeat,adeò vt iam non ſolum caro ipſa ſit prohibita:ſed & caſeus,& ouum,& lac,& butyrum,quia ſementinam carnis,id eſt,à carne originem habent. Hoc iam ſequuntur omnes Papiſtæ, & eſt in canon.Denique diſtinct. 4. tanquam hoc ſit perfectiſsimum abſtinentiæ genus. Bernardus tamen ſermo.66.in Cant. videtur ſentire hanc ſententiam eſſe ex Manichæorum hæreſi deriuatam. Cæterũ,ait, quid ſibi vult, quod ita generaliter omne,quod ex coitu generatur,vitatur? Nẽpe horrent lac,& quicquid ex eo conficitur, vt in eo Bernardo neque cum Gregorio Magno, neque cum ſuperſtitioſis noſtri temporis Papiſtis conueniat, qui generaliter omnes cibos iſtos prohibent. Mirum tamen cùm & votum Nazaræorum vini interdictionem contineret, & Timotheus vino potius, quàm aliis reliquis cibis ad carnem domandã abſtinuiſſe dicatur : & ſcribat apertiſsimè Hieronym.in epiſt.ad Galat.cap.5.ſe non pœnitere illius ſententiæ per quam ſcripſit ei qui virginitatẽ ſeruare velit vinum ita fugiendum eſſe vt venenũ. In Epiſt.ad Nepotia. Libenter carebo poculo (id eſt, vino) in quo ſuſpicio eſt veneni. Porrò illa Hieronymi ſententia eſt in ipſius libro de Cuſtodia virginitatis: & veteres Monachi vino potiſsimum non vtebantur. Præterea cùm tota diſtinct. 35. vini incommoda atque pericula varia enumerentur, maximéque Epiſcopis,& ſanctioribus viris cauendum prædicetur.Denique cùm Prouerb. 31.ſerium aliquid acturis vinum interdicatur, mirum,inquam,eſt,nullos tamen Monachos noſtros etiam abſtinentiſsimos & rigidiſsimæ vitæ regulã profeſſos, Vino tamen abſtinere voluiſſe,niſi for-

A taſſe Berna. excipias, qui ſe vino docet abſtinuiſſe. Atqui tamē Paul⁹ Epheſ.5.v.18.in vno hoc cibi genere laſciuiā & ἀσωτίαν ineſſe teſtatur potius, quàm in reliquis omnibus cibis. Ex quo apparet Monachiſmū noſtri temporis, addo etiā Ieſuiſmum, eſſe meram hypocriſin, in quo non vera abſtinentia præſcripta eſt, ſed ſola tantùm oſtentatio & abſtinentiæ vmbra, cùm vino potius, quàm carne eſſet illis abſtinendum, ſi verè carnem contundere ſtudebant. Atque hæc de cibis.

Sequitur tertium & vltimum huius diſputationis caput, in quo altera regula à nobis in vitæ ratione, quæ à præpoſitis Eccleſiæ ſeruanda eſt, conſtituta cōtinetur & exponitur. Quæritur enim De modo ſuſcipiendæ iſtius abſtinentiæ, & inſtituendæ ſobriæ victus rationis, quis eſſe & ſtatui debeat. Breuiter autem reſpondet Paulus eum eſſe modum legitimum, atque laudandum, in quo valetudinis ratio habetur à nobis. Ex quo fit, vt tria colligamus. primum nō eſſe nobis omnino omnibus cibis abſtinēdum. Neque enim tunc, niſi modo planè miraculoſo, viuere poſſemus. Deinde B conſequitur, non ſemper, aut in perpetuum extraordinaria illa ciborum abſtinentia vtendum nobis eſſe, ſed tantùm ad tempus. Nam deficerent vires, & paulatim ita debilitaretur natura, vt nulli negotio ſupereſſe poſſemus. Sobrietas quidem nobis eſt per totum vitæ curriculum ſeruanda: ſed hæc quoque non ſemper in iiſdem cibis fugiendis verſatur. Præterea cùm de extraordinaria quæritur, quæ ad domandum magnum carnis impetum adhibetur, ea certè perpetuò obſeruanda & tuenda non eſt. Vt igitur non ſunt iidem impetus ſenilis, atque iuuenilis ætatis: ita neque eadem vitæ ratio ab vtriſque eſt ſuſcipienda, vel vtriſque pręſcribēda. Mutantur enim hæc pro tempore, ætate, locis, perſonis, vt etiam præclarè ſcripſit, ſenſitque Auguſtinus in quæſtion. Euangelii. Non enim, ait, intereſt omnino quid alimentorum ſumas, vt ſuccurras neceſsitati corporis, dummodo congruat in generibus alimentorum cum his, cum quibus tibi viuendum eſt: neque quantum ſumas intereſt multū, cùm videamus aliorum ſtomachum citius ſaturari, &c. Deinde ita concludit idem Auguſtinus, C Magis ergo intereſt, non quid vel quantum alimentorum pro congruentia hominum atque perſonæ ſuæ, & pro ſuæ valetudinis neceſsitate quis accipiat: ſed quāta facilitate, & ſeueritate animi iis careat, cùm iis vel oportet, vel neceſſe eſt carere, vt illud in animo Chriſtiani compleatur, quod ait Apoſtolus, Scio & minus habere: ſcio & abūdare. Tertium denique quod ex hoc Pauli dicto colligitur, eſt huiuſmodi. Nihil in iniuriam naturæ, & nimiam corporis debilitationem vel inſtituendū, vel inſtitutum & ſemel ſuſceptum retinēdum nobis eſſe. Quod Timothei exemplo docemur hoc loco, qui, quemadmodum veriſsimile eſt, poſt hāc Pauli commonefactionem vino vſus eſt, quo tamen abſtinere decreuerat. Sed quia ea abſtinentia debilitabantur vires corporis naturales, poſtea vinum in victum adhibuit. Eſt enim non modò vita hæc donum Dei: itaque à nobis minimè ſpernenda: ſed virium naturalium & ſanitas & integritas quoque donum Dei eſt, quæ quantum quidem in nobis eſt, fouenda, ſuſtentanda, tuendáque eſt, vt noſtro muneri ſatis eſſe poſsimus. Aliàs enim noſtra culpa fit, quòd inutiles aut minus idonei euadimus. A Præclarum eſt exemplum veteris Eccleſiæ, quę Alcibiadem quendam nimis auſterè viuentem monuit, vt ea viuendi ratione abſtineret, vinúmque biberet. Atque ille ſapienti Eccleſiæ conſilio paruit libens, vt refert Euſeb. lib.5. Hiſto. cap. 3. Vnde falſa & planè reſpuenda eſt illa laus, quā Bernardus ſermo.6. in Pſal. Qui habitat, quibuſdam Monachis tribuit, nimirum quòd variis corporis exercitiis & abſtinentiis contererētur ſupra vires, ſupra naturam, ſupráque conſuetudinem. Malè quoque idem Bernard. ſermo.30. Cantic. Monachum te fore profeſſus es, non medicum: nec de complexione tibi iudicādum, ſed de profeſsione. Verior illa eſt eiuſdem Bernard. ſententia ſermo. 10. in Pſal. Qui habitat. Nec ſanè dixerim vt vel ipſam odio habeas carnem tuam. Dilige eam tanquam tibi datam in adiutorium, & ad æternæ beatitudinis conſortium præparatam: cæterū ſic amet anima carnem, vt non ipſa in carnem tranſiiſſe putetur. Sed & illa quoque eiuſdem ſententia ſermo. 4. in eundem Pſalmum veriſsima eſt Dominum voluiſſe, vt in manna cælitus compluta omnis ſaporis, omníſque odoris delectatio ineſſet, vt liberum B eſſe ciborum vſum atque à Deo ſibi conceſſum homines intelligerent. Nam hîc vini vſum pręſcribit Paulus, in quo ſuauitas voluptáſque guſtus vna cum vtilitate coniuncta eſt, vt eſt Pſal.104. verſ.16. nec ignorauit Bernar. tam ſeueram vitæ rationem meritò illo etiam ſeculo dici crudelitatē, vt ex eius epiſtolis apparet, de qua purgare quidem Monaſticam vitam nititur: ſed nō poteſt, vti neque ad hoc argumentum reſpondit Thomas in Apologia & defenſione Monaſticę vitę, quia eſt ineuitabile aduerſus eam telum. Modus tamen is adhiberi debet in cibis, in quo nullum ebrietatis, ac intemperātiæ ſpecimen aut veſtigium appareat.

Atque eò pertinet, quod ait Paulus, *modico vino vtere*: non enim ad ebrietatem & ſatietatem ſed ad ſanitatem ſumi & vinum, & reliquos cibos vult Deus cum gratiarum actione.

Denique ex hoc ipſo loco futilis & inepta prorſus deprehendi poteſt illa Bernardi ſententia, qui epiſt.321. negat honeſtati & puritati vitę Monaſticæ, id eſt, ſanctæ conuenire, vti medicamentis & potionibus ad expellendum morbum idoneis. C Nimium certè fuit ille ſeuerus, & præter æquitatem ac rationem. Æquior Chryſoſto. qui & hîc ait Timotheum ad medicos remiſſum, non autem miraculo curatum à Paulo: & in Homil. 14. in hanc epiſtolam de vita Monaſtica agens, vſum medicamentorum Monachis, cùm eſt opus, non adimit, ſed cōcedit: quanquam tamen rigidior eorum cenſor habitus eſt Chryſoſt. Sed Satan ſemel via ſuperſtitionibus patefacta, eas in immenſum poſtea adauxit, & in iugum intolerabile tādem aggregauit ad torquendas hominum conſcientias.

24 *Quorundam hominum peccata antè manifeſta ſunt, præeuntia damnationi: quoſdam verò ſubſequuntur:*

25 *Itidem & bona opera ante manifeſta ſunt: & ea quæ ſecus habent, occultari non poſſunt.*

Diuerſa quoque eſt huius verſiculi cum ſuperiore nectendi ratio. Putant enim quidam cum verſ.22. coniungendum, verſ. autem 23. per parentheſin

A theſin inſertum & legendum quoque. Alii aliud. Nos autem hunc locum tum παρακολούθησιν, tum etiam νουθέτησιν eſſe cenſemus, & idcirco cum ſuperiore argumento rectè conuenire atque coniungi poſſe, quòd præcepta duo contineat ad Paſtorum & Presbyterorum munus ſpectantia, ex quibus vniuerſa penè totius cenſuræ Eccleſiaſticę ratio definiri poteſt. Id quod maximè ad Presbyterorum officium pertinet. Atque id iam hoc toto capite perſequitur Paulus. Sic igitur ſtatuo canonem tradi iam à Paulo, per quē quomodo prępoſiti Eccleſiæ ſe in cenſuris Eccleſiaſticis gerere aduerſus gregem ſuum debeant, inſtruantur, id eſt, quale ſit eorum munus erga vniuerſum populũ ſibi cõmiſſum & demandatũ à Deo. Quæ ſanè tertia pars eſt muneris paſtoralis, vti ſupra diximus, maxima. Prima enim docet quomodo erga ſeipſos gerere debeãt. Secunda quomodo aduerſus collegas ſuos. Tertia hæc, quomodo erga vniuerſum Eccleſiæ ſuæ cœtum. In qua ipſa parte poſita eſt ratio & diſputatio de cenſura Eccleſiaſtica. Quamquam huius præceptionis, quę nunc traditur, tantam vim eſſe támque latè patẽtem fateor, vt etiam ad ſuperius B præceptum, quod ad electionem atque ordinationem paſtorum Eccleſiæ pertinet, referri poſsit & in eo magnum vſum habeat. Quare hic totus locus hũc canonem vtiliſsimum, & valde neceſſarium ex noſtra interpretatione continebit.

In cenſuris Eccleſiaſticis præpoſiti Eccleſiæ ne temerè progrediuntor: ſed Deum ipſum præeuntem ſequuntor, qui ſuo tempore bonos & malos detegit.

Malos, antequam à Deo patefacti fuerint, prępoſiti ne eiiciunto. Bonos autem, antequã ipſis operibus tales apparuerint, ne ſpeciali honore præpoſiti decoranto: aut cæteris præferunto.

Horum autem omnium canonum ratio eſt illa quam affert Paulus, quòd nimirum multorum peccata ſæpe latent idque diu: multorum etiam ſæpe bona opera & candor animi & ſynceritas diu occulta manet, ita Domino diſpenſante res humanas eáſque adminiſtrante.

Cur autem id accidat magna ſapientíque Dei prouidentia fit. Nam ſi quicũque ſunt improbi & hypocritæ in Dei Ecceſia, ſtatim apparerẽt, neque C piorum fides explorari & probari tam certò poſſet: neque pii ipſi tam officioſi in hoc mundo viuerent, neque etiam tuti eſſent, ſed ab impiis opprimerentur. Facit igitur hæc commiſtio, vt melius, certiúſque qui ſunt probi & veri Dei ſerui manifeſti fiant, cùm, tam multis diffluentibus & eiectis, illi firmi tamẽ maneãt. Sic hæreſes probant piorũ fidem, quemadmodum Paulus ait 1. Corinth. 11. verſ. 19. Præterea ſi pij omnes agnoſcerentur, impii verò apertè quoque ſtatim oſtenderentur à Deo, nulla ſpes reſipiſcentiæ relicta illis videretur, omníſque noſtræ in delinquentibus conuertendis induſtriæ & charitatis effectus ceſſaret. Dominus igitur vult aliorum ſtatum & animum nobis occultum eſſe, vt cum iis & lubentius verſemur: & magis ſollicitè nobis ipſis caueamus. Sed etiã illis ipſis, qui peccarũt, hęc dilatio datur à Deo, tanquam occaſio maturius reſipiſcendi, atque ad Deum redeundi.

Denique Dominus ipſe, qui rerum omnium maturitates & tempora nouit, atque etiam conſtituit, videt quando & quæ manifeſtari tum ad ipſius gloriam, tum etiam ad noſtram ędificationem A oporteat. Neque vult nos omnia illa ſcire quę ſcit ipſe.

Huc pertinet quod Eccleſia Dei comparatur à Chriſto ipſo ſagenę ſiue reti, quo boni & mali piſces capiuntur Matth. 13. v. 47. Areę, in qua bonum granum & palcę promiſcuè conduntur. Matth. 3. v. 12. Item agro, in quo bonum ſemen & loliũ quoque naſcitur Matth. 13. v. 25. Denique domui amplę in qua ſunt quędam vaſa honeſta, quędam ſordida 2. Timoth. 2. v. 20. Nam quos domi ſuę adhuc tolerat Dominus ipſe, non eſt noſtrum eos expellere vel arcere: neque Deo ipſo vel ſapientiores, vel iuſtiores, vel ardentiores ſumus ad ipſius gloriam promouendam.

Hoc etiam ipſum pertinet tum ad Paſtorum ipſorum excuſationem, tum ad Bonorum conſolationem. Ac quidem excuſantur paſtores, qui quanquam diligentiam, quam potuerunt, ſummam adhibuerunt, vident & animaduertunt tamen in Eccleſia Dei adhuc latere quoſdam improbos & hypocritas, qui paulatim detegũtur, & à Deo ex ſuis tenebris in lucem pertrahuntur, patefactis eorum ſceleribus. Ergo non ſunt accuſandi fideles & diligentes B Eccleſiæ præpoſiti, ſi ex iis, qui ab ipſis electi ſunt & ordinati, aliqui poſtea apparuerunt eſſe nebulones, & peſtes Eccleſiæ, aut ſi quoſdã in Eccleſia Dei fouerint & retinuerint qui poſtea detecti ſunt improbiſsimi, & peſsimi. Nam ad tempus multorum peccata latent, & tempore patent, vt ait etiam ille Ethnicus. Neque ſtatim prodũtur improbi. Bonis etiam viris hæc eadem commixtio & occultatio conſolationem affert, ſi quando videntur ſperni, & præ aliis negligi: quòd cogitant vnius Dei eſſe hominum animos & ſynceritatem mentis prodere atque patefacere, id eſt, in lucem proferre, cùm voluerit. Interim igitur ſua ſorte & obſcuritate contenti viuunt, neque murmurant, vel in Deum ipſum, vel homines.

Quod autem ait Paulus verſ. 25. *Quæ ſecus ſunt*, id eſt, quæ praua ſunt, nõ poſſe occultari, & in perpetuum celari, ita accipiendum eſt, vt hoc fieri ſæpiſſimè, & vt plurimùm, intelligamus, non autem vt ſemper. C Sæpe enim multorum & bona opera, & turpiſsima ſcelera latent nos & occulta manẽt perpetuò, quia ita Deo viſum eſt. Sed vt plurimũ Dominus detegit improbos: & piorum ſyncerũ animum prodit, vt eſt in Pſal. 37. v. 6. & Pſal. 112.

Ex hoc igitur loco colligimus iudicium de moribus: & cenſuram, per quam peccata hominũ Eccleſiaſtica pœna coercentur, pertinere ad Præpoſitos Eccleſię, quos hoc loco alloquitur Paulus. Quã ſententiam confirmat Chriſtus Matth. 18. Quæcũque ligaueritis in terra, erunt ligata & in cælis. Itẽ & illud Bernardi, paſtorum eſt vigilare ſuper gregem propter tria neceſſaria, nimirũ ad diſciplinã, ad cuſtodiã, ad preces. In diſciplina rigor iuſtitiæ: in cuſtodia ſpiritus conſilii: in precibus affectus cõpaſsionis requiritur. Cenſura verò hæc eſt multiplex, vt ſupra eſt demõſtratũ. Reſtat autẽ vt de excommunicatione dicamus, quia de reliquis generibus cenſuræ Eccleſiaſticæ quid ſtatuendũ ſit, ex iis, quæ hoc ipſo capite dicta ſunt à nobis, facilè poteſt intelligi. Ergo de Excõmunicatione dicamus, de qua ſeptem hæc fere quæri ſolent.

1 Vtrum excommunicatio habere locũ in Dei Eccleſia debeat.

A 2 A quo fieri debeat.
3 Propter quas cauſas fieri debeat.
4 Quomodo fieri debeat.
5 Quando fieri debeat.
6 Quis eius finis eſſe debeat, id eſt, ad quem finem fiat.
7 Quis illius factæ ſit effectus.

Hæc ſingula ordine explicemus.

Ac quidem, vtrum excommunicatio locum in Eccleſia habere debeat, dubitari non poteſt. Primùm, propter Dei ipſius præceptum ita fieri iubentis: deinde propter perpetuum ipſius Eccleſiæ vſum. Ac præceptum Dei tum in veteri, tum nouo teſtamento extat variis in locis. Iam inde ab orbe condito, & ab ipſis mundi initiis excommunicationem fuiſſe ex Dei præcepto conſtitutam apparet ex Geneſ. 4. v. 14. & 16. 17. item Ioſue 6. verſ. 18. Exod. 10. ver. 8. & aliis locis veteris Teſtamenti. In nouo etiam extat præceptum Chriſti, quod Matth. 18. & Ioan. 20. recitant. Ex quibus ipſis locis eã ſpiritualis cenſuræ & caſtigationis ſpeciẽ in vſu fuiſſe in Eccleſia docetur, vti ex Ioan. cap. 9. & 1. Cor. B 5. & 2. 7. & hoc ipſo loco. Verum eſt tamen illud Iſidori lib. 3. de Summo Bono. Eccleſię cenſura arrogantibus ſæpe videtur eſſe ſuperbia: & quod à bonis piè fit, crudeliter fieri putatur à prauis, quia non diſcernunt recto oculo, quod à bonis recto fit animo. Sed calumniis iſtis nullus patere debet apud pios locus. Ergo omnino neceſſaria eſt in Eccleſia cenſura morum & correctio iſta. Neque de eo dubitari potuit, niſi duo quædam argumenta contra afferrentur. Primùm neminem inuitum cogendum eſſe, vt rectè viuat aut ſentiat. Nam vt vulgò dicitur, Inuitum qui ſeruat idem facit occidenti. Id autem faciunt, qui inobſequentes Deo excommunicant. Huic argumento ſæpe reſpondit Auguſtinus in diſputationibus contra Donatiſtas & negat veram eſſe hanc ſententiam. Sæpe enim qui primùm inuitus ab errore vitæ vel doctrinæ abductus eſt, poſtea volens & lubens in recto itinere permanſit. Præterea cùm quis corrigitur inuitus, ſi hoc ipſum illi non prodeſt, quia inuitus id facit: aliis tamen prodeſt, qui metu pœnæ coercentur, ne ad eadem ſcelera exemplo per- C trahantur. Denique hæc eadem ratio facit ne in ſceleratos homines vllos, quantumuis impios & deteſtabiles, pœnæ vllæ etiam à Magiſtratu decernantur, quia ea ratione inuiti reſipiſcere & modeſtè viuere cogũtur. Itaque hæc prima ratio eſt abſurdiſsima.

Alterum argumentum, quod contra vſum excommunicationis affertur, ducitur ex loco Pauli 2. Corinth. 10. verſ. 8. Nempe datam eſſe paſtoribus; & Miniſtris verbi Dei poteſtatem ad ædificationem, non ad ſubuerſionem & deſtructionem. At excommunicatio deſtruit gregem Domini, quem minuit, & eum ipſum qui excõmunicatur, perdit, quia exponit Diabolo: ergo ea vti paſtoribus non licet in Eccleſia. Reſpond. Aliquid fieri in ædificationem Eccleſiæ duobus modis, vel per ſe, vel per conſequens. Per ſe, cùm aliquid in ea plantatur: per conſequens, cùm quod illi noxium eſt euellitur. Eſt enim ſimilis agro Eccleſia Dei, vt eſt apud Matth. 13. At in agro ſiue quid noxiarũ herbarum (quæ bonas & vtiles ſuffocant) extirpemus: ſiue quod vtile ſemen ſeramus, agro proſumus. Ergo eodem modo de Eccleſia ſtatuendum, A qui ex ea eiicit improbos multum iuuat & prodeſt Eccleſiæ. Cætera argumenta breuius perſequor, quoniam Auguſti. lib. de Fide & Operib. Tom. 4. cap. 1. 2. 3. & ſeq. illis reſpondiſſe copioſè mihi videtur.

Quod autem obiicitur ſæpe quoſdam ea abuſos eſſe ad priuatam animi ſui vindictam: ſæpe bonos ex Eccleſia Dei depulſos ea ratione, non oppugnat noſtram ſententiam. Ea enim ſunt vitia perſonarum malè ſua poteſtate vtentium, non autem rei ipſius. Sed diſtinguunt ſic quidam, nimirum, vt velint quibus in locis & Eccleſiis fidelis eſt Magiſtratus, in iis nullum excommunicationis vſum eſſe debere, in quibus autem non eſt Magiſtratus fidelis, in iis tantùm debere: quia fidelis Magiſtratus ſi fungitur officio, punit ſcelera, quæ cõtra Dei verbum admittũtur. Nemo autem vnius criminis & peccati ratione duplicem pœnam ferre & pati debet: μὴ δεῖν δὶς ἐκδικεῖν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, quemadmodum Zonaras tradit in can. Apoſtol. 25. & 29. Quod tamen accideret, ſi idem etiam ab Eccleſia excõmunicaretur. Reſp. Peccatum omne quod contra Dei B præcepta fit, eſſe huiuſmodi, vt ex Dei ipſius definitione & corporis & animi pœnã mereatur, quia vtriuſque partis noſtræ creator eſt Deus. Et quum duplici illa pœna afficitur peccator, vna tãtùm pœna afficitur, id eſt, ea, quæ debetur, & indicta eſt à Deo ipſo: etſi in diuerſis noſtri partibus à nobis vna illa pœna ſentitur. Itaque Eſdræ capite 10. verſ. 8. vtraque pœna in rebelles indicitur: ciuilis nimirum, quæ eſt mulcta: & Eccleſiaſtica, quæ eſt excommunicatio, quia vtriuſque partis noſtræ Dominus author eſt. Eſt enim peccatũ toti' ſuppoſiti actio, itaque totum ſuppoſitum ad pœnam Deus ipſe exigit. Quæ noſtra ſententia etiam concilio Cabilionenſi ſub Carolo Magno, cap. 25. (quod extat Tom. 2. Conciliorum) confirmatur. Sed & Neſtorius hæreticus nõ tantùm ab Epheſina Synodo ab Epiſcopali functione amotus eſt: ſed etiam exilio ab Imperatore Chriſtiano multatus.

Ergo in Dei Eccleſia vſum habere debet excommunicatio, etiam vbi eſt Magiſtratus verè fidelis.

Quæritur autem, quid ſit excommunicatio. Ac C dubitari nõ poteſt, eam eſſe cenſuræ & coercitionis Eccleſiaſticæ ſpeciem quandam. Ergo ſic eam definiunt nonnulli, vt generaliter eſſe velint à qualibet ſocietate fidelium hominum ſeparationem: itémque ab aliquo, vel omnibus donis Dei in Eccleſiam effuſis interdictionem & publicam hominis ſcelerati prohibitionem. Verùm hæc definitio generalior eſt. Vnde ſic rectius definiri poteſt excommunicatio, vt ſit vel ab ipſo Eccleſię cœtu toto: vel ab aliquo Dei dono, quod quidem omnium Chriſtianorum commune ſit, publica & legitima interdictio ſiue ſeparatio hominis impuri & non pœnitentis. Iſychius Ignem pœnalem appellauit μεταφορικῶς. Ex quo fit, vt à quibuſdã, veluti à Scholaſticis duplex excõmunicatio ſtatuatur, vna nimirum Minor, quæ eſt interdictio tãtùm à Sacramentis, vel ab vno tãtùm eorũ, nõ autẽ à cœtu Eccleſiæ: altera Maior, per quã non tãtùm à Sacramẽtis, ſed ab ipſo etiã toto Eccleſiæ cœtu quis ſeparatur, quam ipſam etiam diuidunt in Excommunicationem quæ appellatur hoc nomine: & Anathema, cuius etiam fit mentio apud Paulũ. Galat. 1. & 1. Cor. 16. & alibi in ſcriptis Patrum.

A Qui inter Hebræos iſta ſcrupuloſius & diligentius ſcrutantur, ſanctionum legis conſtituunt genus triplex.

1 Auerſationem, quam appellant נדוי quæ eſt interdictio ab ingreſſu templi ad tempus propter corporis immunditiam.

2 Deuotionem,quam vocant חרם quæ eſt extremo exitio addictio & reſpondet noſtrę excommunicationi,per quam quis à cœtu Eccleſię ſeponitur donec reſipiſcat:Hoc ipſum aliis verbis dicitur exterminari è populo Dei,item ἀποσυνάγωγον fieri Ioan.12.v.42.16.v.2.9.v.22.

3 Adiudicationem, quam dicunt שמתא eſt ſimilis anathemati.

De ſecundo genere tãtùm loquitur hîc Paulus, & nos quoque,quod etiam vtramque excommunicationem continet & maiorem & minorem.

Ethnici homines videntur ſimile excõmunicationi quiddam habuiſſe ex praua imitatione Eccleſiæ Dei:quã planè ſimiarũ more faciebant.Quoſdã ſacris ſuis interdicebant,quos ἐναγεῖς, id eſt, deteſtabiles appellabant,& ipſam ſententiam ἐναγός.Sic Alcibiades factus eſt,& excommunicatus Athenis, B vt Plutarchus docet.

Ergo quæſitum eſt ſecundo loco,à quo excommunicatio fieri debeat.Vtrum ab vno tantùm an à ſenatu Eccleſiaſtico, an verò à tota ipſa Eccleſia. Dixit Chriſtus Matth.18.v.17.Dic Eccleſiæ. Dicit contrà Paulus, hunc notate, tanquam rem totam ad ſe deferri velit,ſibîque ipſe autoritatem eã vendicet. Et refertur à Theodorito Cyri Epiſcopo hiſtor.lib.5.cap.37.de quodam Heremita, qui ſolus Theodoſium imperatorẽ Conſtantinopolitan. huius nominis ſecundum excõmunicauerit.Scholaſtici dicunt Epiſcopos, & eo ſuperiores omnes ordines poſſe excommunicare:at qui ſunt Epiſcopo inferiores non poſſe, adeò vt & Presbytero & Diacono idem non concedant,quaſi ex vnius Epiſcopi nutu & ſententia id fieri debeat.Sic igitur illi cenſent.Certè ab vno ſolo,quamquam Epiſcopo,fieri neque debet, neq; poteſt excõmunicatio. Dicit enim Chriſtus,dic Eccleſiæ:& Paulus de excommunicatione agens, vult Eccleſiam cum ſuo ſpiritu congregatam eſſe 1.Corinth.5.v. 4. Ratio eſt quòd differũt regna politica ab Eccleſia,& Ec- C cleſiaſtico regimine. Nam regna vnius regis nutu adminiſtrantur,at Eccleſia non item.Nec enim paſtor eſt rex & dominus Eccleſiæ (vt ait Petrus) 1.Petr.5.v.3.

Ait igitur Chriſtus reges & principes dominãtur inter ſuos ſubditos : vos autem non ſic in gregem Domini & Eccleſiã.Quare vnus quidã,quantumuis magna in Eccleſia præditus poteſtate,non poteſt ſolus excommunicare. Nec aliud ſibi vult Paulus cùm ait,Notate per epiſtolã. Vult quidem rebelles ſibi ſignificari,vt pudore maiori afficiantur,quòd tam probroſè innoteſcãt apud eum, quẽ reuereri debẽt.Quod ſi dicamus & legamus, *Notate*,referentes vocẽ *Epiſtolæ*, ad verba *ſermonem noſtrum*, hæc erit mens Pauli vt velit rebelles à tota Theſſalonicenſium Eccleſia excommunicari.

Et quod dicitur Paſtor πρόεδρος nõ tribuit illi ius & imperium regium in Eccleſiam: ſed in publicis cœtibus eminentiorem tantùm locum,& primam in decernendo deliberandóque vocem.

Sed vtrum à Senatu Eccleſiaſtico, an verò à tota ipſa multitudine Eccleſiæ & à quoque fideli ſuffragium ſigillatim ferente fieri debeat, quæſitum A eſt.Reſ. Senatu ſuffragium ferente in conſiſtorio fieri debet excommunicatio, ad quem ſenatũ morum & doctrinę cura,diiudicatio,& ęſtimatio pertinet,conſcia tamen & approbante poſtea eccleſia tota, cui illa res,actio, ſententia ſenatus & cauſſa nota fieri debet,vt eam approbet ipſa , vel reprobet vt ſuprà docuimus.Quod enim omnes tangit, ab omnibus fieri debet,ſed à quoque pro eo gradu (vt docet Ambroſius libro de Dignitate ſacerdotali.cap.31.)& ordine,quem habet in Dei Eccleſia. Hæc ſententia editis libris confirmata eſt,& abundè antea à nobis probata. Obiter autẽ,quid in hoc dicto Chriſti, dic Eccleſiæ, vox *Eccleſiæ* valeat & ſignificet explicatum eſt in cano. Nullus in verbo Eccleſia diſtinct.63.item cano. Eccleſia de conſecratio.diſtinct.1.& cano.ſcire.7.quæſt.1.nempe denotare Senatum Eccleſiaſticum,ne putent, qui nobis contradicunt,nouam aliquam interpretationẽ à nobis excuſam,& fabrefactam eſſe. Eſt igitur illic *Eccleſiæ* vox accepta pro ipſo cœtu præpoſitorum Eccleſię,id eſt,pro paſtoribus & Presbyteris. B ſed & Dauid Kimhi in Oſ. 5. ait nomine Domus Iſrael ſæpe ſolum Synedrion cõtineri,& deſignari in ſacra ſcriptura.

Quæritur autem tertio loco. Propter quas cauſſas fieri debeat excommunicatio.Auguſt.lib.de Fide & operib.cap.19.eorum ſententiam refutat,qui ob tria tantùm hæc vitia, nempe Impudicitiã,Idololatriam , & Homicidiũ excommunicationẽ fieri debere contendebant.Scholaſtici diſtinguunt , & volunt minorem quidem propter peccatũ quodlibet fieri poſſe.Maiorem autem excommunicationem non niſi propter crimen,id eſt,tale peccatum,quod & graue ſit , & pœnam publicam à magiſtratu mereatur , quale eſt adulterium , homicidium voluntarium,falſi crimen &c. Vtranque tamen non niſi propter rem & delictum iam notorium,fieri debere.Hæc illi.Alii aliter diſtinguunt. Volunt enim ex iis tantùm cauſis & criminibus excommunicationem iaci poſſe in aliquem,ex quibus quis damnatus lege Dei lapidabatur& moriebatur.Ex quibus autem cauſis damnatus neque lapidaretur , neque vltimo capitis ſupplicio afficere- C tur,non poſſe quemquam excommunicari. Neutra diſtinctio nititur autoritate ſcripturæ. Ac quidem proxima ciuilem Iudæorum politiam cũ Eccleſiaſtica planè confundit:illa autem altera Scholaſticorum diſtinctio cauſas excommunicationis veras non animaduertit,quas in 2. Theſſalon.3. vno verbo tradit Paulus,dum ait, εἴ τις οὐχ ὑπακούει.Ergo & in peccato , & in crimine contumacia animi & obſtinatio in perſeuerando vel non pœnitendo eſt veriſsima excommunicationis cauſa:vti reſipiſcentia & dolor peccati eſt cauſa abſolutionis aut reuocationis in Dei cœtum & Eccleſiam. Confirmatur noſtra ſententia dicto Chriſti Mat.18. v.17. vbi expreſſè cõtumacia peccatoris deſcribitur his verbis. Si te non audit , dic Eccleſiæ , ſi non audit Eccleſiam , ſit tibi Ethnicus. Ergo contumaciam , & pertinaciam animi damnat Chriſtus: & qui corrigi non vult etiam in re leui , per quam tamen offendiculum præbet Eccleſiæ , ſed in ea perſeuerat, monitus ſæpe ſæpius ,poterit tandem excommunicari ſi ædificatio Eccleſiæ id requirat.

Notorium autem eſſe delictum oportet, quia

A propter ſcādalum ſit excommunicatio. Quod autem eſt ignotum,offendiculum præbere cuiquam non poteſt. Ergo ignotum peccatum,vel crimen quantumuis magnum,non eſt excommunicabile. Manifeſta autem peccata non ſunt occulta correctione purganda.Palàm enim ſunt arguendi , qui palàm nocent,vt dum aperta obiurgatione ſanantur,hi, qui eos imitando deliquerant, corrigantur, ait Aquiſgranenſe Concil. ſub Lodoic.Pio cap.36.Ergo ſi nullum crimen aut peccatum ſubeſt,propter quod quis excommunicetur: aut ſi notorium non eſt, non eſt iuſta Excommunicatio. cano.Quomodo & cano.Non ſolum & qui iuſtus eſt.ij.quæſt.3. Iniuſtæ tamen excommunicationi parendum eſt vſque ad cauſæ cognitionem,& appellationis examen.cano. Si Epiſcopus §.Nonnullis. ij.quæſt.3.

Quæritur,Quid ſi ea res,propter quam quis reprehenditur,verbo Dei non eſt expreſſè damnata & definita, Vtrum perſeuerans in ea excommunicari poſsit, velut propter veſtitum nimis ſumptuoſum,nimias menſæ lautitias.Reſpond. Cùm B rebellio ſit excommunicationis cauſa,rebellio autem eſſe non poſsit, ſi in nulla re Dei præceptum violetur,certè quādo illud quod facimus,& quomodo facimus,lege Dei non eſt vetitum,ex eo neque offendiculum , neque iuſta reprehenſio naſcitur , neque propterea excommunicatio fieri vlla debet vel poteſt. Sed quoniam in tota vita noſtra ex Dei verbo,Dei & proximi ratio eſt habēda, fit, vt & in re ipſa quā facimus,& in modo , quo quid gerimus,poſsit dupliciter à nobis peccari , nempe vel Dei,vel proximi ratione & reſpectu. Ergo alterutro modo peccantes , & in eo peccato noſtro obſtinatè & contumaciter perſeuerātes poſſumus excommunicari:tamen Eccleſię iudicia non debēt eſſe temeraria.

Quartùm autem quæritur, quomodo excommunicatio fieri debeat.Primùm vtrum Voce ipſa , an potius ex Scripto. Deinde qua verborum forma. Ac quidem videntur ex ſcripto excommunicati ij,de quibus agit in 2.Theſſ. 3. Paulus, non autem viua voce.Ait enim,*notate per epiſtolam*. Et fortaſſe C ad euitandam excommunicatorum inuidiam & odium hoc prodeſt.Sed contrà vſus Eccleſiæ obtinuit.Fieri enim viua voce ſolet:ſcripto tamen poteſt. Vtcunque ea poſtea debet aliis innoteſcere, quorum intererit ſcire.Et hoc ſibi vult in 2.Theſſ. Paulus: Sic autem,ſiue verbis ſiue ſcripto fiat, cōcipienda eſt,vt & perſona ipſa excommunicanda: & factum,propter quod eiicitur quis è Dei Eccleſia,populo per paſtorem,vel Presbyteros ſignificetur apertè,non autem occultetur,ne ſit aliis inutilis iſta cenſura. Qua autem forma verborum debeat fieri,diſputatum eſt. Et certè varia & diuerſa verborum formula vſa eſt ſemper Eccleſia pro locorum,rerum,& factorum,de quibus agebatur,varia ratione. Eius rei exempla extant apud Syneſium Epiſcopum epiſtola 58. & 66. & apud Euagrium hiſtoricum libro 4.cap. 38. Qui enim putant his Pauli verbis vtendum præciſè, Tradimus Satanæ ad interitum carnis, vti eſt 1. Corinth.5. verſ.5. 1.Timoth.1.verſ.20. ſunt nimium in verbis religioſi. Deinde vim illorum verborum *Tradimus Satanæ ad interitum carnis*, non rectè capiunt & intelligunt.Ideo enim tradit Satanæ Paulus,vt caro,id eſt,vitioſa animi libido in iis intereat prorſus:non(vt interpretatur Auguſtinus lib.3.cap.10. A contra Parmenia. & Greg. in Leuit. Homil.15) in carnis & corporis afflictionem.Nāque hoc falſum eſſe ſæpe apparet . Neque enim omnes excommunicati in carne & corpore ſuo hîc viuentes cruciantur & vexantur à Diabolo. Vixit enim Iulianus apoſtata ſanus corpore , & validis membris etiam excommunicatus.Sed oſtendit Paulus finem excōmunicationis,Nimirū,vt praua animi libido euellatur in iis,per quam Dei verbo ſunt immorigeri: & ſpiritus; id eſt, vis & afflatus ſpiritus Dei ſit in illis ipſis potens,& viuus.Ergo hæc verborum forma libera eſt , modò vis excommunicationis & iſtius cenſuræ exprimatur.

Quinto loco quæritur, quando fieri debeat excommunicatio , an ſtatim atque quis publicè deliquit : an demum quando emendari iam amplius non poteſt,vel quia nō eſt viuus , vel quia eſt obſtinatus & deſperatus. Reſpond. Quanquam huiuſmodi quædam vitia ſæpe committuntur,vt ſtatim videantur eiiciendi,qui ea perpetrauere, ſintque tanquam Eccleſię peſtes,tamen ſi qui commiſit,ex animo dolet,pœnitet,& emendatur , nō debet excommunicari. Ergo ſtatim fieri non debet, B ſed poſtquam agnitus eſt is,qui deliquit, cōtumax & obſtinatus perditè.Iuberi quidem poteſt etiam pœnitens ſceleris , vt ſi ita ſit ex ædificatione Eccleſiæ Cœna abſtineat,ſed ad tempus tantùm,non in perpetuum. Præterea illud fit explorandæ huiuſmodi hominis pœnitentiæ cauſâ , vt quantum fieri poteſt,ſciatur,veráne ſit,an falſa reſipiſcentia eius,qui ſe pœnitere facti ſui teſtatur.Hoc ipſum docet Paulus ſępe ſuo exemplo. Nam quos excōmunicari iubet,ij ſunt qui poſt plures admonitiones vitam tamen in meliorem frugem commutare ſpreuerant.Ergo ne porcis margaritę contra Chriſti præceptum dentur,examinari & explorari eorum pœnitentia debet.

Quod autem quæritur de mortuis hominibus & iam vita functis , vtrū excommunicari poſsint, Reſponſio eſt,eos poſſe excommunicari.Exempla ſunt non illa vulgata Stephani 6. & Formoſi primi & Sergii primi Pōtificum Romanorum , qui ſuos C prædeceſſores iam mortuos excommunicarunt & perſecuti ſunt,vti L. Sylla C. Marium iam defunctum:ſed illa potius,de quibus hiſtorię extāt apud Euagrium lib.4.cap.38.item apud Socratem Scholaſticum lib.7.cap.45.Et ita etiam ſcribunt & ſentiunt Scholaſtici: atque huius omnis excommunicationis vis in mortuo ad illius nomen & doctrinam,non autem ad perſonam quæ iam nobiſcum non verſatur euitandam,pertinet.

Ter verò an quater prius debeat moneri excommunicandus,definiri certò non poteſt. Ex rerum enim,& locorum circunſtantia hoc totum diiudicandum eſt.Quanquam quidam leges Roman.imitati & ſequentes exiſtimant,vt minimùm bis monendos eſſe,qui excommunicari debebūt.Ter autem admoneri eos ſatis eſſe putant , quia trina denuntiatio facta ex iuris ciuilis regulis ſufficit , & ſatis interpellat, vt quis contumax eſſe iudicetur. Afferūt Paulū Tit.3.v.10.& Theophylact.in Matt. 18.Sed tota hæc quæſtio eſt facti,& relinquēda prudentiæ ſenatus Eccleſiaſtici.

Sextum quęritur,quis excommunicationis ſit finis,quem ſpectare debeamus.Ac multi quidē ſpectari poſſunt,imprimis autē tres debēt obſeruari.

A Vnus eſt ipſius peccatoris ſanitas,id eſt,excommunicatum, ipſiúſque ſalutem reſpicit nempe vt hac ratione pudore afficiatur,atque ab errore reuocetur.Hunc finem annotat Paulus, cùm ait, vt eum pudeat 2.Corinth.2.ver.7,7.verſu 12.Pudore enim ſolent homines ad reſipiſcentiam adduci. Hoc eſt quod aliis verbis dicit Paulus vti 1. Corinth.5.ver. 5.ad interitum carnis & vitioſæ naturæ,quæ in nobis ineſt.Neque tamen quòd homines vereri magnus ſit profectus , ſi ipſe per ſe ſpectetur : ſed ꝙ eſt optimus & maximè noſtræ naturæ conſentaneus modus peccatorum corrigendorum, pudor & verecundia peccati. Volunt enim omnes rectè de ſe & honeſtè ab aliis ſentiri & iudicari.

Secundus finis, eſt ipſius Eccleſiæ incolumitas id eſt,ſpectat ipſum Eccleſiæ cœtum, ne propter vnius priuati ſcelus malè audiat tota Eccleſia , videatúrque,ſi talem retineat, potius ſentina malorum, & porcorum eſſe hara, quàm Dei ſacratiſſima ara & templum.Sic improbos & impios è Dei Eccleſia eiici vult & præcipit Paul.Epheſ.5.verſ. B 34. Nihil enim immundum in Dei Eccleſia tolerari debet, quantum quidem percipi & deprehendi poteſt.

Tertius excommunicationis finis eſt aliorum fidelium vtilitas,vt hoc exemplo territi ab huiuſmodi peccatis & criminibus abſtineant. Corrumpunt enim facilè bonos mores colloquia & exempla aliorum praua. Ergo hac ſeueritate perſpecta etiam mali in officio continentur,& timent.

Septimo autem & vltimo loco quæritur, quæ ſit legitimæ & iuſtæ excommunicationis pœna & effectum. Et certè,vti diuini cuiuſdam & cœleſtis fulminis,magnus eſt fragor & vis magna. Duo autem effecta ſolent enumerari excommunicationis præcipua & potiſſima. Vnum, quod ratione Dei: alterum quod Hominum,ſpectari debet. Ac Dei quidem ratione excommunicatio legitimè & iuſtè facta excommunicatum ſeparat à Chriſto & vita æterna.Dicit enim Chriſtus quæcunque ligaueritis in terra Matth. 18. erunt ligata in cælis ne huius teli vis imbecilla eſſe iudicetur:aut Dei verbi authoritas vileſcat apud homines.Certè excommunicatio conſcientiam propriè ſpectat, & C animarum ſalutem,quam adimit obſtinato : non eſt autem pœna politica,vt quidam putant. Vti enim diſtincta eſt iuriſdictio ciuils , & Eccleſiaſtica: ita ſunt diuerſi vtriuſque fines , pœnæ diuerſæ, & effectus diuerſi.Ciuilis enim iuriſdictio in corpus aut bona hæc terrena exercetur : Eccleſiaſtica in animam ſiue conſcientiam,& in bona ęterna,quibus nos priuat.Itaque à paſtoribus infligitur, non à ciuili magiſtratu.

Hominum autem ratione priuat excommunicatio excommunicatum non omnium quidem hominum : ſed Fidelium tantùm & Chriſtianorum communione.In quo quæritur,quanam communione Fidelium,vtrum omni prorſus communione cum Fidelibus : an certarum tantùm rerum & bonorum cum iis participatione & vſu communi. Reſpondent Scholaſtici maiorem excommunicationem priuare excommunicatum omni licita communione cum Fidelibus, ſiue in bonis ſpiritualibus, ſiue corporalibus, terrenis, & ciuilibus. Nos in vniuerſum ſtatuimus, excommunicationem legitimam arcere per ſe excommunicatum ab omnibus ſpiritualibus & communibus bonis, A quæ Dominus ſuæ Eccleſię,id eſt,omnibus Fidelibus largitus eſt. Cùm enim excommunicati extra Dei Eccleſiam eiecti ſint , non ſunt iis magis, quàm canibus & porcis danda illa bona,quę Dominus ſuorum filiorum propria & peculiaria eſſe vult,illiſque ſolis reſeruata,iuxta dictum Chriſti, Non ſunt margaritæ obiiciendæ porcis , itémque illud , Non eſt bonum dare panem filiorum canibus Matth.15.verſ.26.7.verſ.6. Aliis autem donis, quæ non ſunt generaliter omnibus veris & piis Chriſtianis data non priuat excommunicatio excommunicatum,qualis eſt donum linguarum, ſanationum,& alia huiuſmodi. Vnde priuantur excommunicati vſu Sacramentorum,Cœnæ , & Baptiſmi,ſi non fuerint adhuc baptizati , quanquam nondum baptizatos excommunicari moris non fuit, quia nondum in Eccleſia eſſe huiuſmodi cēſentur.i.qui baptizati non ſunt,etſi iam Catechumeni fuerunt,& tempus catecheſeos impleuerūt. Auguſtinus li.11.de Geneſi ad liter.cap.40.Solēt, ait,in hoc paradiſo,id eſt , Eccleſia à Sacramentis altaris viſibilibus homines excōmunicati diſciplina B Eccleſiaſtica remoueri.

De filio excommunicati quæritur , vtrum baptizari poſſit,ſi pater maneat obſtinatus,neque ſatagat & curet Eccleſiæ reconciliari.Reſp.Etſi dubia & agitata fuit hæc quæſtio , in qua in diuerſas alij ab aliis ſententias iuerunt , ex Auguſtino tamen lib.2.de Adulter.coniugiis & lib.contra Parmenia.ſatis intelligitur etiam eſſe baptizandos excommunicatorum filios,quia filius nō debet portare iniquitatem patris:& in ipſo excommunicato baptiſmi character non eſt per excommunicationem deletus,etſi vis eius nulla eſt in excommunicato,quandiu quidem in ſuo ſcelere manet obſtinatus.Vide de hac quæſt.Cal.epi.136.& Bezæ epi. 10.Sed quæſitum eſt , vtrum excommunicatio arceat excommunicatum ipſo ingreſſu & aditu Eccleſiæ , vt is ne in cœtum quidem admitti debeat, vt audiat Dei verbum. Putant Scholaſtici arcendum , adeò vt in regno interdicto iuſtè nolint ſa- C cra fieri & celebrari publicè & aſſa voce. Iren.lib. 2.cap.4.ſcribit Cerdonem hæreticum ,poſtquam excommunicatus fuit,ipſo Eccleſiæ ingreſſu prohibitum eſſe.D.Caluinus tamen lib.4.Inſtitutiō. cap.11.ſect.10.docet diuerſam fuiſſe in eo Eccleſiæ diſciplinam & cōſuetudinem,neque ſemper prohibitos excommunicatos ingredi Eccleſiā.Quando enim Chriſtianis palam conuenire non licuit per imperatorum edicta ad audiendum Dei verbum , tunc excommunicati,tanquam lupi , arcebantur ab ingreſſu Eccleſię:ne eam proderent hoſtibus,Poſtquam autem cœperunt publicè & ſine metu coadunari Chriſtiani homines. i. qui Chriſtum profitebantur,neque ſibi metuerent à Magiſtratibus,tam ſeuera diſciplina in excommunicatos non eſt vſurpata,vt arcerentur ab ingreſſu Eccleſiæ,& ab ipſa auditione verbi Dei , ne fores & ſpes omnis reſipiſcentiæ illis præcludi videretur. Vis tamen ipſa verborum & excommunicationis hoc habet & notat , vt excommunicati aditu Eccleſię arceantur,(Hoc enim ſignificāt verba Chriſti,*Sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus* , Matth. 18.v.17.)ſed pœnæ hęc pars illis ex quadam Eccleſię indulgentia remittitur.Itaque excommunicati dicebantur ἀποσυνάγωγοι,id eſt, ſegreges.Sunt enim

A propter ſcãdalum ſit excommunicatio. Quod autem eſt ignotum,offendiculum præbere cuiquam non poteſt. Ergo ignotum peccatum,vel crimen quantumuis magnum,non eſt excommunicabile. Manifeſta autem peccata non ſunt occulta correctione purganda.Palàm enim ſunt arguendi , qui palàm nocent,vt dum aperta obiurgatione ſanantur,hi, qui eos imitando deliquerant, corrigantur , ait Aquiſgranenſe Concil. ſub Lodoic.Pio cap.36.Ergo ſi nullum crimen aut peccatum ſubeſt,propter quod quis excommunicetur: aut ſi notorium non eſt , non eſt iuſta Excommunicatio. cano.Quomodo & cano.Non ſolum & qui iuſtus eſt.ij.quæſt. 3. Iniuſtæ tamen excommunicationi parendum eſt vſque ad cauſæ cognitionem,& appellationis examen.cano. Si Epiſcopus §.Nonnullis. ij.quæſt.3.

Quæritur,Quid ſi ea res,propter quam quis reprehenditur,verbo Dei non eſt expreſſè damnata & definita, Vtrum perſeuerans in ea excommunicari poſsit , velut propter veſtitum nimis ſumptuoſum,nimias menſæ lautitias.Reſpond. Cùm B rebellio ſit excommunicationis cauſa,rebellio autem eſſe non poſsit , ſi in nulla re Dei præceptum violetur,certè quãdo illud quod facimus,& quomodo facimus,lege Dei non eſt vetitum,ex eo neque offendiculum , neque iuſta reprehenſio naſcitur , neque propterea excommunicatio fieri vlla debet vel poteſt. Sed quoniam in tota vita noſtra ex Dei verbo,Dei & proximi ratio eſt habẽda, fit, vt & in re ipſa quã facimus,& in modo , quo quid gerimus,poſsit dupliciter à nobis peccari , nempe vel Dei,vel proximi ratione & reſpectu. Ergo alterutro modo peccantes , & in eo peccato noſtro obſtinatè & contumaciter perſeuerãtes poſſumus excommunicari:tamen Eccleſię iudicia non debẽt eſſe temeraria.

Quartùm autem quæritur, quomodo excommunicatio fieri debeat.Primùm vtrum Voce ipſa , an potius ex Scripto. Deinde qua verborum forma. Ac quidem videntur ex ſcripto excommunicati ij,de quibus agit in 2.Theſſ. 3. Paulus, non autem viua voce.Ait enim,*notate per epiſtolam.* Et fortaſſe C ad euitandam excommunicatorum inuidiam & odium hoc prodeſt.Sed contrà vſus Eccleſiæ obtinuit.Fieri enim viua voce ſolet:ſcripto tamen poteſt. Vtcunque ea poſtea debet aliis innoteſcere, quorum intererit ſcire.Et hoc ſibi vult in 2.Theſſ. Paulus: Sic autem,ſiue verbis ſiue ſcripto fiat, cõcipienda eſt,vt & perſona ipſa excommunicanda: & factum,propter quod eiicitur quis è Dei Eccleſia,populo per paſtorem,vel Preſbyteros ſignificetur apertè,non autem occultetur,ne ſit aliis inutilis iſta cenſura. Qua autem forma verborum debeat fieri,diſputatum eſt. Et certè varia & diuerſa verborum formula vſa eſt ſemper Eccleſia pro locorum,rerum,& factorum,de quibus agebatur,varia ratione. Eius rei exempla extant apud Syneſium Epiſcopum epiſtola 58. & 66. & apud Euagrium hiſtoricum libro 4.cap. 38. Qui enim putant his Pauli verbis vtendum præciſè, Tradimus Satanæ ad interitum carnis, vti eſt 1. Corinth.5. verſ.5. 1.Timoth.1.verſ.20. ſunt nimium in verbis religioſi. Deinde vim illorum verborum *Tradimus Satanæ ad interitum carnis*, non rectè capiunt & intelligunt.Ideo enim tradit Satanæ Paulus,vt caro,id eſt,vitioſa animi libido in iis intereat prorſus:non(vt interpretatur Auguſtinus lib.3.cap.10. A contra Parmenia. & Greg. in Leuit. Homil.15) in carnis & corporis afflictionem.Nãque hoc falſum eſſe ſæpe apparet . Neque enim omnes excommunicati in carne & corpore ſuo hîc viuentes cruciantur & vexantur à Diabolo. Vixit enim Iulianus apoſtata ſanus corpore , & validis membris etiam excommunicatus.Sed oſtendit Paulus finem excõmunicationis,Nimirũ,vt praua animi libido euellatur in iis,per quam Dei verbo ſunt immorigeri: & ſpiritus ; id eſt , vis & afflatus ſpiritus Dei ſit in illis ipſis potens,& viuus.Ergo hæc verborum forma libera eſt , modò vis excommunicationis & iſtius cenſuræ exprimatur.

Quinto loco quæritur, quando fieri debeat excommunicatio , an ſtatim atque quis publicè deliquit : an demum quando emendari iam amplius non poteſt,vel quia nõ eſt viuus , vel quia eſt obſtinatus & deſperatus. Reſpond. Quanquam huiuſmodi quædam vitia ſæpe committuntur,vt ſtatim videantur eiiciendi,qui ea perpetrauere, ſintque tanquam Eccleſię peſtes,tamen ſi qui commiſit,ex animo dolet,pœnitet,& emendatur , nõ debet excommunicari. Ergo ſtatim fieri non debet, B ſed poſtquam agnitus eſt is,qui deliquit, cõtumax & obſtinatus perditè.Iuberi quidem poteſt etiam pœnitens ſceleris , vt ſi ita ſit ex ædificatione Eccleſiæ Cœna abſtineat,ſed ad tempus tantùm,non in perpetuum. Præterea illud fit explorandæ huiuſmodi hominis pœnitentiæ cauſâ , vt quantum fieri poteſt,ſciatur,veráne ſit,an falſa reſipiſcentia eius,qui ſe pœnitere facti ſui teſtatur.Hoc ipſum docet Paulus ſępe ſuo exemplo. Nam quos excõmunicari iubet,ij ſunt qui poſt plures admonitiones vitam tamen in meliorem frugem commutare ſpreuerant.Ergo ne porcis margaritę contra Chriſti præceptum dentur,examinari & explorari eorum pœnitentia debet.

Quod autem quæritur de mortuis hominibus & iam vita functis , vtrũ excommunicari poſsint, Reſponſio eſt,eos poſſe excommunicari.Exempla ſunt non illa vulgata Stephani 6. & Formoſi primi & Sergii primi Põtificum Romanorum , qui ſuos C prædeceſſores iam mortuos excommunicarunt & perſecuti ſunt,vti L. Sylla C. Marium iam defunctum:ſed illa potius,de quibus hiſtorię extãt apud Euagrium lib.4.cap.38.item apud Socratem Scholaſticum lib.7.cap.45.Et ita etiam ſcribunt & ſentiunt Scholaſtici: atque huius omnis excommunicationis vis in mortuo ad illius nomen & doctrinam,non autem ad perſonam quæ iam nobiſcum non verſatur euitandam,pertinet.

Ter verò an quater prius debeat moneri excommunicandus,definiri certò non poteſt. Ex rerum enim,& locorum circunſtantia hoc totum diiudicandum eſt.Quanquam quidam leges Roman.imitati & ſequentes exiſtimant,vt minimùm bis monendos eſſe,qui excommunicari debebũt.Ter autem admoneri eos ſatis eſſe putant , quia trina denuntiatio facta ex iuris ciuilis regulis ſufficit , & ſatis interpellat, vt quis contumax eſſe iudicetur. Afferũt Paulũ Tit.3.v.10.& Theophylact.in Matt. 18.Sed tota hæc quæſtio eſt facti,& relinquẽda prudentiæ ſenatus Eccleſiaſtici.

Sextum quęritur,quis excommunicationis ſit finis,quem ſpectare debeamus.Ac multi quidẽ ſpectari poſſunt,imprimis autẽ tres debẽt obſeruari.

Vnus

A Vnus eſt ipſius peccatoris ſanitas,id eſt,excommunicatum, ipſiúſque ſalutem reſpicit nempe vt hac ratione pudore afficiatur,atque ab errore reuocetur.Hunc finem annotat Paulus, cùm ait, vt eum pudeat 2.Corinth.2.ver.7,7.verſu 12.Pudore enim ſolent homines ad reſipiſcentiam adduci. Hoc eſt quod aliis verbis dicit Paulus vti 1. Corinth.5.ver. 5.ad interitum carnis & vitioſæ naturæ,quæ in nobis ineſt.Neque tamen quòd homines vereri magnus ſit profectus , ſi ipſe per ſe ſpectetur : ſed ꝙ eſt optimus & maximè noſtræ naturæ conſentaneus modus peccatorum corrigendorum, pudor & verecundia peccati. Volunt enim omnes rectè de ſe & honeſtè ab aliis ſentiri & iudicari.

Secundus finis, eſt ipſius Eccleſiæ incolumitas id eſt,ſpectat ipſum Eccleſiæ cœtum, ne propter vnius priuati ſcelus malè audiat tota Eccleſia , videatúrque,ſi talem retineat, potius ſentina malorum, & porcorum eſſe hara, quàm Dei ſacratiſſima ara & templum.Sic improbos & impios è Dei Eccleſia eiici vult & præcipit Paul.Epheſ.5.verſ. B 34. Nihil enim immundum in Dei Eccleſia tolerari debet, quantum quidem percipi & deprehendi poteſt.

Tertius excommunicationis finis eſt aliorum fidelium vtilitas,vt hoc exemplo territi ab huiuſmodi peccatis & criminibus abſtineant. Corrumpunt enim facilè bonos mores colloquia & exempla aliorum praua. Ergo hac ſeueritate perſpecta etiam mali in officio continentur,& timent.

Septimo autem & vltimo loco quæritur, quæ ſit legitimæ & iuſtæ excommunicationis pœna & effectum. Et certè,vti diuini cuiuſdam & cœleſtis fulminis,magnus eſt fragor & vis magna. Duo autem effecta ſolent enumerari excommunicationis præcipua & potiſſima. Vnum, quod ratione Dei: alterum quod Hominum,ſpectari debet. Ac Dei quidem ratione excommunicatio legitimè & iuſtè facta excommunicatum ſeparat à Chriſto & vita æterna.Dicit enim Chriſtus quæcunque ligaueritis in terra Matth. 18. erunt ligata in cælis ne huius teli vis imbecilla eſſe iudicetur:aut Dei verbi authoritas vileſcat apud homines.Certè excommunicatio conſcientiam propriè ſpectat, & C animarum ſalutem,quam adimit obſtinato : non eſt autem pœna politica,vt quidam putant. Vti enim diſtincta eſt iuriſdictio ciuils , & Eccleſiaſtica: ita ſunt diuerſi vtriuſque fines , pœnæ diuerſæ, & effectus diuerſi.Ciuilis enim iuriſdictio in corpus aut bona hæc terrena exercetur : Eccleſiaſtica in animam ſiue conſcientiam,& in bona ęterna,quibus nos priuat.Itaque à paſtoribus infligitur, non à ciuili magiſtratu.

Hominum autem ratione priuat excommunicatio excommunicatum non omnium quidem hominum : ſed Fidelium tantùm & Chriſtianorum communione.In quo quæritur,quanam communione Fidelium,vtrum omni prorſus communione cum Fidelibus : an certarum tantùm rerum & bonorum cum iis participatione & vſu communi. Reſpondent Scholaſtici maiorem excommunicationem priuare excommunicatum omni licita communione cum Fidelibus, ſiue in bonis ſpiritualibus, ſiue corporalibus, terrenis, & ciuilibus. Nos in vniuerſum ſtatuimus, excommunicationem legitimam arcere per ſe excommunicatum ab omnibus ſpiritualibus & communibus bonis, A quæ Dominus ſuæ Eccleſię,id eſt,omnibus Fidelibus largitus eſt. Cùm enim excommunicati extra Dei Eccleſiam eiecti ſint , non ſunt iis magis, quàm canibus & porcis danda illa bona,quę Dominus ſuorum filiorum propria & peculiaria eſſe vult,illiſque ſolis reſeruata,iuxta dictum Chriſti, Non ſunt margaritæ obiiciendæ porcis , itémque illud , Non eſt bonum dare panem filiorum canibus Matth.15.verſ.26.7.verſ.6. Aliis autem donis, quæ non ſunt generaliter omnibus veris & piis Chriſtianis data non priuat excommunicatio excommunicatum,qualis eſt donum linguarum, ſanationum,& alia huiuſmodi. Vnde priuantur excommunicati vſu Sacramentorum,Cœnæ , & Baptiſmi,ſi non fuerint adhuc baptizati , quanquam nondum baptizatos excommunicari moris non fuit, quia nondum in Eccleſia eſſe huiuſmodi cēſentur.i.qui baptizati non ſunt,etſi iam Catechumeni fuerunt,& tempus catecheſeos impleuerũt. Auguſtinus li.11.de Geneſi ad liter.cap.40.Solēt, ait,in hoc paradiſo,id eſt , Eccleſia à Sacramentis altaris viſibilibus homines excõmunicati diſciplina Eccleſiaſtica remoueri. B

De filio excommunicati quæritur , vtrum baptizari poſſit,ſi pater maneat obſtinatus,neque ſatagat & curet Eccleſiæ reconciliari.Reſp.Etſi dubia & agitata fuit hæc quæſtio , in qua in diuerſas alij ab aliis ſententias iuerunt , ex Auguſtino tamen lib.2.de Adulter.coniugiis & lib.contra Parmenia.ſatis intelligitur etiam eſſe baptizandos excommunicatorum filios,quia filius nō debet portare iniquitatem patris:& in ipſo excommunicato baptiſmi character non eſt per excommunicationem deletus,etſi vis eius nulla eſt in excommunicato,quandiu quidem in ſuo ſcelere manet obſtinatus. Vide de hac quæſt.Cal.epi.136.& Bezæ epi. 10.Sed quæſitum eſt, vtrum excommunicatio arceat excommunicatum ipſo ingreſſu & aditu Eccleſiæ , vt is ne in cœtum quidem admitti debeat, vt audiat Dei verbum. Putant Scholaſtici arcendum , adeò vt in regno interdicto iuſtè nolint ſacra fieri & celebrari publicè & aſſa voce. C Iren.lib. 2.cap.4.ſcribit Cerdonem hæreticum ,poſtquam excommunicatus fuit,ipſo Eccleſiæ ingreſſu prohibitum eſſe.D.Caluinus tamen lib.4.Inſtitutiō. cap.11.ſect.10.docet diuerſam fuiſſe in eo Eccleſiæ diſciplinam & cōſuetudinem,neque ſemper prohibitos excommunicatos ingredi Eccleſiā.Quando enim Chriſtianis palam conuenire non licuit per imperatorum edicta ad audiendum Dei verbum , tunc excommunicati,tanquam lupi , arcebantur ab ingreſſu Eccleſię:ne eam proderent hoſtibus,Poſtquam autem cœperunt publicè & ſine metu coadunari Chriſtiani homines. i. qui Chriſtum profitebantur,neque ſibi metuerent à Magiſtratibus,tam ſeuera diſciplina in excommunicatos non eſt vſurpata,vt arcerentur ab ingreſſu Eccleſiæ,& ab ipſa auditione verbi Dei , ne fores & ſpes omnis reſipiſcentiæ illis præcludi videretur. Vis tamen ipſa verborum & excommunicationis hoc habet & notat , vt excommunicati aditu Eccleſię arceantur,(Hoc enim ſignificāt verba Chriſti,*Sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus* , Matth. 18.v.17.)ſed pœnæ hęc pars illis ex quadam Eccleſię indulgentia remittitur.Itaque excommunicati dicebantur ἀποσυνάγωγοι,id eſt, ſegreges.Sunt enim

A eorum loco,quos Iudæi pro Ethnicis habebant. Itaque quos aditu templi arcebant. Ac is etiam vetus Eccleſiæ mos fuit, Tertul.in Apolog. cap. 39. Canone Cum excommunicato 11.quæſt.3.Sic Ambroſius Theodoſium imperatorem à ſe excõmunicatum ex regulis veteris Eccleſiaſticæ diſciplinę arcuit ingreſſu templi Mediolanenſis. Aliter tamē aliquādo fuit conſtitutum,vti concil.Carthaginē. 5.& extat in cano.Epiſcopus 2. De Conſecratio Diſtinct. j.

Quod ad terrena autem hæc & temporalia, diſtinguendum eſt. Aut enim de Publica communione, aut de Priuata & familiari noſtra conuerſatione cum excommunicatis quæritur. In ijs omnibus licet nobis communicare cum excõmunicato,quæ publica pax & ciuitatis politia & ratio cum eo agere poſtulat, veluti habet ſuffragium in creando Magiſtratu vnà cum reliquis ciuibus. Itaque licet cum eo, tanquam cum ciue, agere & communicare, non autem tanquam cum fratre, vel Chriſtiano. Manet enim excommunicatus etiam ciuis,quamquam frater propriè non manet. B Nec obſtat quod ait 2. Theſſal.3.verſ.15. Paulus *monete vt fratrem*. Id enim quem ſenſum habeat, poſtea explicabitur. Vnde perperam Põtificii excommunicatis omnem ſui iuris in iudicio ciuili perſequendi poteſtatem adimunt. Etſi enim poteſt excommunicatus conueniri & appellari de debito,& ſi qua nobis in eum actio competit:ipſe tamen ex Pontificiorum iure & ſententia debitores ſuos conuenire non poteſt, neque vllum ius ſuum iudicio & in foro ciuili perſequi.

De priuata tamen noſtra, qui ſumus fideles & Chriſtiani, cum excommunicato cõmunicatione etiam quæritur,quę eſſe debeat.In quo etiam ipſo eſt diſtinguendum. Nam cum eo communicare volumus vel tanquam cum homine,vel cum amico,fratre & ſocio.Omnis quidem arctior cum eo ſocietas, familiaritas ,priuatáque amicitia noſtra diſſoluenda,atque diſſuenda eſt. Quæ ſunt autem ad vitæ huius ſocietatem tuendam neceſſaria & quæ humanitatis,cum eo fieri & haberi poſſunt. Vnde & ab eo emere poſſumus ,item cum eo cõtrahere,communem hæreditatem habere, C ex cõmuni cum eo puteo & fonte aquam haurire , illi item poſſumus noſtras merces vendere.Sed etiam ſi ſit vxor, parens, cognatus ,aut noſter filius excommunicatus , poſſumus & officia præſtare quæ illi debemus: & ab eo exigere, quæ debet ipſe.Denique quæcunque homo homini debet, ea non ſunt deneganda. Quæ autem amicus amico ἐκ προαιρέσεως pollicetur,aut offert,ea nobis non ſunt vel ab excommunicato quærenda,vel cum eo cõtrahenda & ineunda. Veteres tribus maximè Symbolis iſtam cum excommunicato familiaritatem tam arctam deſcribebant , quibus iubebant pios abſtinere, neque cum eo communia habere. Ea autem Symbola erant,lectus, menſa , domus,quę cum excommunicato communicare nos prohibent, quia ea ferè amicitiæ, & arctioris familiaritatis ſigna ſunt inter homines Syneſ.epiſtol.66. & Plutarch. Sympoſia. lib.8.quæſt.7. ea putant eſſe ſacra. Nam ea iis tantùm à nobis communicāda, & offerenda eſſe, qui communibus nobiſcum ſacris vtuntur:non autem excõmunicatis,non quòd tamen vetent iſti patres hominem excommunicatum egentem alere, errantem lecto excipere, A ægrotantem lecto accommodare : ſed ita loquebantur,ne vllam amicitiam cum iis contrahamus, non autem vt iis vel communia humanitatis vel priuata officia denegemus. Eodem ſenſu eſt accipiendum,quod eſt 2.Ioan.ver.10. Ne dicamus iis Aue , non vt nos aduerſus eos in ciuiles & inhumanos oſtendamus : ſed ne iis blandiri videamur & ita eos in errore foueamus. Ex quo apparet, quæ ſit ſignificatio vocis συναναμίγνυσθαι , qua vtitur Paulus & 1.Corinth.5.verſ. 9.& 11.Quanquam enim plus eſt non habere commercium , vel non miſceri, quàm ſe ſubducere : vtrumque tamen ita eſt explicandum , vt ad priuatæ amicitiæ fœdera, iura,& commercia tantùm pertineat. Id quod ſatis docet & interpretatur Paulus 1.Corin.5. ver.11. voce συνεσθίειν.Ratio eſt,quia hac voce & prohibitione Paulus non damnat publica commercia,quę cum iis neceſſariò fiunt.quale eſt ab iis emere, cõducere,ſtipulari,& reliqua huiuſmodi. Nec item vetat , ſi cuius mercis ſocietas antea cum iis contracta fuerit,fidem ijs datam ſeruare,& in eo contractu manere:ſed vetat familiares nos iis eſſe , ne B eos in peccatis obſtinatiores reddamus.

Vnde quæſitum eſt, vtrum quæ ex Dei præcepto priuatim quiſque alteri , pro vocationis vario genere debet, excõmunicatis præſtare teneamur, veluti vtrum ſubditi principi ſuo excommunicato parere teneantur , vxor marito , filius patri,ſeruus domino. Papiſtæ non putant eis hæc officia præſtanda eſſe,ſed bona conſcientia denegari & poſſe & debere obſequium huiuſmodi excommunicatis volunt , quaſi ſoluta ſint vincula ſubiectionis & iuriſiurandi propter contumaciam principis in ſuum ipſius principem,& eum quidem ſummum , id eſt, Deum, vt quemadmodum ille non paret Deo : ita neque ſubditi ipſi principi ſuo cõtumaci in Deum & excommunicato parere teneantur. Falſa eſt hæc ſententia,& omnino impia & blaſphema. Primum enim per excommunicationem non tolluntur iura naturæ & ſanguinis,veluti cognationum & affinitatum : ergo filius manet filius patris etiam excommunicati , vxor manet vxor:cognati manent illius cognati.

C Deinde non tolluntur iura & officia humanitatis per eandem pœnam. Itaque excommunicatis etiam omnia humanitatis officia ſunt præſtāda. Ad quod affero quod eſt Rom.12.v.20.

Tertiò non tollit excommunicatio iura politica & ciuilis ſocietatis, quemadmodum nec ipſa infidelitas vel apoſtaſia aperta à Deo tollit ea. Nā infidelis & apoſtata imperator,qualis Iulianus olim manet Imperator, & Magiſtratus , & pro tali à Chriſtianis eſt agnitus. Ergo falſa eſt Scholaſticorum ſententia,qui ſentiunt non eſſe parendū principibus excommunicatis : & contra eos ipſos ſcripſiſſe videtur Thomas Aquinas ea,quæ extant in 2.2æ quæſt.10. Sanè Sigibertus author probatus & Monachus ſcribit in Odone fol. 101. hanc doctrinam eſſe & nouam & hæreticam,quæ iubet ne hypocritis principibus , id eſt , excommunicatis pareamus , quam Hildebrandus qui & Gregor.7. Pontifex Roman. primus promulgaſſe videtur, cùm veteres Chriſtiani Iuliano apoſtatæ paruiſſent. Ambroſius Thodoſio à ſe excõmunicato:& ipſi apoſtoli etiam omnino infidelibus & perſecutoribus Eccleſiæ principibus , quales Nero & Domitianus,paruerunt.

A Denique quæſitum eſt, vtrum bonorum confiſcatio in excommunicatum ſanciri debeat & poſsit, vt etiam ea pœna multetur. Huius rei exẽplum extat Eſdræ 10. verſ. 8. Reſp. Minimé. Nam eſt excommunicatio conſcientiæ pœna: nõ autem corporis vel bonorum. Et quod illîc de Eſdra dicitur nihil mouet. Erat enim Magiſtratus Eſdras, non ſolùm Leuitarum, & cœtus Eccleſiaſtici pręſes. Ergo vtriuſque iuriſdictionis, id eſt, ciuilis & Eccleſiaſticæ authoritate illud edictum ſancitum eſt, quò celerius Iudæi diſperſi conuenirent.

Hæc autem omnia locum demum habent poſtquam publicè quis ex Eccleſia eiectus eſt: non autem prius quàm publicè ſit excommunicatus. Et quod affertur ex Auguſt. lib. de Vnitate Eccleſiæ cap. 20. etiam antequam quis viſibiliter excommunicatus ſit, præciſum eſſe ab Eccleſia, pertinet ad mentis & conſcientiæ terrorem incutiendum & piam commonefactionem hæreticorum hominũ: non autem vt eos pari loco habeamus, atque qui iam palàm & totius Eccleſiæ ſuffragio rectè ſunt excommunicati.

B Videtur tamen omnibus, quæ hactenus dicta ſunt, de effectis excommnnicationis obſtare quod ait Paulus, etiam excommunicatum, vt fratrem eſſe agnoſcendum. Cui ipſi repugnat quod ait Chriſtus Matth. 18. excommunicatum habendum eſſe pro Ethnico & infideli. Ergo non pro fratre. Hæ ſententiæ in ſpeciem pugnantes ita primùm ſunt inter ſe conciliandæ, vt quod ait Chriſtus, non interpretemur ἁπλῶς & κατὰ πάντα. Nec enim omnino par aut æqualis debet iudicari excommunicati & infidelis conditio, ſed in quibuſdam tantùm. Eſt enim diſſimilis vtriuſque ſtatus in eo quod excommunicatus Baptizatus eſt: itaque Chriſtianus & Prope eſt. At infidelis & Ethnicus Baptizatus non eſt, & Procul eſt. Sed in eo eſt ſimillima vtriuſque conditio, quòd legitimè & verè excommunicatus 1 vti & Ethnicus in Eccleſia non eſt, nec de Eccleſia. 2 Quod nulla priuata & familiaris noſtra cum vtroque conuerſatio eſſe debet. 3 Quod ſi vterque talis eſſe perſeueret, regno Dei vitáque æterna excluditur.

C Quod autem ad dictum Pauli, ſanè & ciuiliter intelligendum eſt. Ex charitate enim dictum eſt: non autem ex vera, exacta, & propria fratris, id eſt, Chriſtiani hominis definitione. Sed quando illud verũ eſt, Nemo deſperet meliora lapſis, & poteſt reſipiſcere qui hodie deſipit. Præterea quos excommunicat Eccleſia, non odio perſonarum ipſarum, ſed eorum tantùm ſceleris & contumaciæ ratione eiicit: vt qui excommunicati ſunt, quatenus & homines ſunt & aliquando nobiſcum in Dei Eccleſia verſati ſunt, eorum deſyderio, amore, zelo, affectúque ſalutis ipſorum, moueri debeamus, neque ſint prorſus à nobis abiiciendi, ſed vt fratres agnoſcendi, admonendi atque etiam, vt in viam reducantur, vti oues perditæ, ſedulò à nobis conquirendi. Ergo etiam excommunicati κατά τι fratres noſtri ſunt, non tamen omnino & abſolutè, nec pares iis habendi, qui in Dei metu perſtiterunt. Ex quibus omnibus explicatus videtur vberrimus & vtiliſſimus ille de excommunicatione locus. Sequitur,

Cap. VI.

A *QVicunque ſub iugo ſunt ſerui, ſuos dominos omni honore dignos ducunto, ne nomen Dei & doctrina blaſphemetur.*

Videri poteſt abrupta huius capitis & loci ſeries, & minimè conſentiens cum toto ſuperiori argumento proximè ſequens tractatio quæ eſt de ſeruorum officio erga dominos. Quid enim hæc commune habet cum paſtorum electione, cum cenſura Eccleſiaſtica, cum officio Presbyterorum, cum tota denique politia diſciplináque Eccleſiaſtica, quæ omnia ſuperius in tota hac Epiſtola perſecutus eſt Paulus? Præſertim verò cùm ſerui eo tempore, quo hæc ſcribebat Paulus ex iuris Romani conſtitutione pro mortuis inter homines haberentur, id eſt, perinde atque ſi omnino non eſſent homines, ſed pecudes cenſerẽtur quæ certè pecudes ad cœtum Eccleſię minimè pertinent, nullámque nobiſcum iuris communionem habent, ſiue terreni & ciuilis, ſiue cœleſtis & æterni. B Ecquæ igitur huius loci cum ſuperiore continuatio eſſe poteſt? Reſpon. Cùm propoſitum ſit Paulo in hac Epiſtola depingere atq; informare eam boni paſtoris ideam, in qua nihil abſit, nulláve pars miniſterij neceſſaria deſideretur, etiam de ſeruorum officio erga dominos fuiſſe dicendum. Cuius rei duplex eſt ratio.

1 Quod ſerui etiam ipſi pars ſunt Eccleſiaſtici cœtus. Itaque minimè à paſtoris cura & diſciplina ſemoti. Ergo his, vti & alijs, ſua præcepta danda erant, ne propter eos Dei nomen, quemadmodum docet hoc loco Paulus, blaſphemetur. Quod verò nobis ex iure ciuili Romanorum obiicitur, in politicis quidem contractibus & cõmerciis exercendis verum eſſe & locum habere concedimus, ſeruos pro mortuis haberi, nullámq; eſſe eorum voluntatem. Sed in iis, quæ ad animarum ſalutem & ad Eccleſiæ atque conſcientiæ ſtatum pertinent, omnino ſecus eſt. Sunt enim etiam ipſi pars Eccleſiæ, vti & Domini, quanquam ratione hominum, non tam honorabilis & digna ſit eorum conditio, quàm ipſorum dominorum. C Sed in Chriſto (inquit Paulus) non eſt ſeruus, neque liber Galat. 3. verſ. 28. Ergo vtrique ad paſtorum curam pertinent.

Altera ratio eſt Quòd ſi qua maximè quæſtio rixosè agitata fuit ſub origine naſcentis Eccleſiæ hæc vna fuiſſe videtur, Vtrum ſerui Chriſtiani ſuis dominis parere deberent & ſubiici, vt antea. Itaque variis in locis docet Paulus, ſed & alii quoque Apoſtoli, quod ſit ſeruorum erga dominos ſuos officium, veluti Epheſ. 6. Colo. 4. Denique in epiſtola ad Tit. 2. verſ. 9. vbi cùm ſumma tantùm Epiſcopalis muneris capita complecti vellet Paulus, de ſeruorum tamẽ officio meminit. Meminit etiam eorum Petrus luculentur 1. epiſtola cap. 2. verſ. 18. vt magni momenti fuiſſe hæc præcepta, & tunc neceſſaria appareat.

Cur autem agitaretur hæc quæſtio de ſeruorũ Chriſtianorum ſubiectione, aut potius liberatione multiplex fuiſſe ratio videtur.

Prima quòd propter ſuſceptam Chriſti fidem & vocationem ad Euangelium, dominis ſuis iam vel adæquati, vel etiam ſuperiores dignoréſve

A cenſebātur. Adæquati quidem Chriſtianis dominis, quia in Chriſto neque eſt ſeruus, neque liber quiſquam. Digniores autem dominis infidelibus, quibus eos Chriſtianos homines parêre videbatur iniquiſsimum.

Secunda ratio eſt exemplum Hebræorum, qui ſerui erant. At hi poſt ſextum annum,nempe anno ſeptimo, liberi dimittebantur,quemadmodum extat præſcriptum Exod.21.verſ.2.

Tertia ratio eſt,ipſa ſæuitia dominorum, imprimis infidelium, quæ cùm ſupra modum eſſet dura & intolerabilis, videbatur æquum eſſe, vt ſe ab eo onere, iniuſto quidem & ſæuo, liberarent ſerui Chriſtiani. Prætermitto verò rationem quæ ex vitioſa ſcripturæ interpreratione manifeſtè ducitur: nimirum quòd homines libertatis Chriſtianæ nomen facilè ad licentiam carnis trāſferunt, & cùm ſe liberatos eſſe à Chriſto audiunt, omne iugum excutere conantur, quod faciunt Anabaptiſtæ.

Denique vt hæ rationes omnes ceſſent,æquum B eſt tamen paſtores conſolari miſeras illas perſonas, & ad ſuum officium alacriter faciendum exhortari.

Quod enim ad ſuperiores illas tres rationes, planè ſunt ineptæ. Ac prima quidem, quoniam diſsimillima cōfundit,nēpe ius poli, vt loquūtur, cum iure ſoli. Nam dictum illud Pauli, quod ad noſtram ſalutis rationem prorſus referri debet, transfert ad negotia ciuilia & politias humanas, cùm tamen vtriuſque rei ſit planè diuerſa & diſsimilis ratio,etiam ex ipſo Dei verbo conſtituta.

Secunda ratio continet paralogiſmum à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Quæ enim de Hebræis ſeruis ſanxit Dominus: ea neque in perpetuum, neque apud omnes homines locum habere debent, ſed in populo Iudæorum. Fuit enim ea lex politica,non moralis. Denique tertia ratio,peccat in modo. Etſi enim remedium aduerſus inhumanam dominorum ſæuitiem quęrendum eſt, non idcirco tamen priuata autoritate ſibi ius dicere ſerui Chriſtiani conceduntur, ſéque in libertatem aſſerere,iugum dominorum excutere: ſed Magiſtratus autoritatem implorare C debēt, Deo prius inuocato. Eſt ergo, vt ad ſeriē huius loci veniamus, hic verſiculus μετάβασις, id eſt, Tranſitio. Conſtituuntur enim canones duo vtiliſsimi de ſeruis,vti ſpectari poteſt eorum conditio duplex ex perſona dominorum, quibus ſeruiunt. Nam aut Infidelibus, aut Fidelibus dominis illi ſubiiciuntur. Ac primus canon ad eos pertinet,qui dominos infideles habent.Eſt autem huiuſmodi.

Serui Chriſtiani dominos ſuos etiam infideles omni honore proſequūtor, eíſque ſubiiciūtor,ne & nomen & doctrina Dei blaſphemetur. Secundus autem canon in ſequente verſiculo cōtinetur.

Similis eſt huic locus apud Petrū 1.Pet.2.v.28.

Sed ſingula Pauli verba perpendamus. Nam & Anabaptiſtas refutant,& ἀναρχικοὺς homines,qui omne diſcrimen perſonarum ſublatum, omnéſque humanas politias abolitas vellent.

Ait Paulus οἱ ὑπὸ ζυγὸν, id eſt, *Qui ſub iugo ſunt.* Iugi voce notare voluit Paulus duram ipſam & miſeram ſeruorum conditionem, & tanquam iſtius detrectationis ſeruitutis cauſam. Itaque ſtudet ipſis ſeruorum querelis obuiam ire, quaſi diceret,De hoc maximè conquerimini quòd iugum A veſtrum durum eſt,& conditio miſera, quia ſeruilis.Hoc concedo, ait Paulus,ſed quia Dominus ipſe vos iis ſubiecit, & iugum hoc vobis impoſuit, æquo animo ferendum eſt. Nam cùm vos Dominus ipſe depreſſerit, alios autem vobis imperare voluerit, Deo paretis, cùm illis hominibus paretis,& veſtrum eſt eos à Deo eminentiori loco collocatos vobis digniores cenſere, & omni honore colendos exiſtimare. Ergo Epicurei homines ἄτακτοι,ἀναρχικοὶ, & Libertini, qui omne imperium tum priuatum, quale eſt dominorum in ſeruos,mariti in vxorem, parentum in liberos,tum etiam publicum, quale eſt Magiſtratus in ciues & ſubditos,ſublatum vellent,prorſus pugnant cum hoc Pauli dicto, & diſtinctionē perſonarum, cuius Deus ipſe autor eſt, euertunt: atque ita euadunt in Deum ipſum iniurij, non tantùm in homines.

Ait Paulus,*omni honore dignos exiſtimanto.* Duplex eſt horum verborum vtilitas. Prima ne ſerui,néve ſubditi dominos,aut eos, quos Deus illis præfecit, dedignentur, quòd ſe præſtantiores atque B longè excellentiores exiſtiment. Nec enim ex induſtriæ vel corporis,vel ingenii viribus æſtimandum eſt, vtrum nos illis præſtemus,atque vtrum eis parere ſubiicíque debeamus: ſed ex eo potius,quòd Dominus ipſe illos præfecit:nos autem ſubditos eſſe voluit. Dat enim Dominus regna aut poteſtatem cui vult,non illi ſemper, quē maioribus & excellentioribus ingenii dotibus & donis ipſe ornauit.Quod cùm facit Dominus, iuſtè tamen facit. Ergo ne ſubditi,ne ſerui ſuas & perſonas & dotes cum præfectorum vel dominorū ſuorum dotibus & perſonis comparent, vt eorum imperium detrectent: ſed agnoſcant honoréntque illam diuinæ maieſtatis ſcintillam, quæ communicata eſt à Deo ſuperioribus.

Secunda vtilitas eſt, ne perfunctoriè tantùm, & quantum ab hominibus obſeruari poſſunt, pareant,& ſibi præpoſitos honorent ſerui, & ſubditi: ſed ſyncerè,& ex animo id faciant. Nam ὀφθαλμοδουλεία à Paulo vbique damnatur.

Quod autem ait,*omni honore dignos eſſe dominos,* hanc exceptionem habet, etiam ipſo Paulo teſte C & interprete Epheſ.6.v.6.Ne vltra ea, quæ Deus tribui dominis vult,ſerui pareant. In Domino enim obſequendum eſt illis, id eſt, eatenus quatenus Deus ipſe ius ſuum tum in ſeruos,tum in ſubditos integrum. & totum retinet, & non offenditur:non autem omnino ſimpliciter & ἁπλῶς quicquid domini aut magiſtratus iuſſerint, ſtatim eſt præſtandum atque exequendum.

Addita denique ratio eſt,quòd niſi dominis ſuis ſerui paruerint etiam infidelibus,*Dei nomen & doctrina blaſpematur.* Hæc ratio ducta eſt à contrario eius finis, propter quem ſanctum Dei nomen ſuper nos inuocatur, & Chriſtianam religionem profitemur. Eſt enim,vt per nos,& propter nos Dei Nomen, & Doctrina benè audiat, propagetur,& glorificetur, ídque inter omnes homines. Nos enim in ſuum populum peculiariter adoptauit Deus propter ſuam gloriam non vt ipſe blaſphemetur ſiue à nobis, ſiue propter nos ab aliis. Quod cùm fit,grauiſsimè conqueritur Iſai.51.ver. 5.Rom.2.verſ.24.

Nomen Dei eſt ipſius gloria, maieſtas,ſapientia,&

A tia,& tanquam diuina ipſa eſſentia. Doctrina Dei eſt illa cognitio,quam de ſe patefecit per verbum ſuum, quam nos profitemur. Ergo vtrunque in calumniam rapitur ab improbis, cùm nõ facimus officium,ſed refractarij,improbi,& ἀνυπότακτοι ſumus. Idem vbique docet Petrus in 1. epiſtola cap.2.& 3.

Cur autem blaſphemetur Deus ex iſta rebellione ſeruorum & ſubditorum in dominos ſuos & præfectos,ratio eſt multiplex: ſed hæ duæ imprimis.

Prima, quòd cenſetur & Deus ipſe,& ipſius doctrina iſtius confuſionis atque ἀταξίας cauſa. Atqui Deus neque ſeditionis,neque confuſionis author eſt,vt docet Paulus 1.Corinth.14.ver.33. Imò verò nemo poteſtatem habet niſi à Deo,quemadmodum ait Dominus noſter Ieſus Chriſtus Ioan. 19.verſ.11. Ex quo fit, vt qui poteſtati ſiue domeſticæ,ſiue publicæ reſiſtit, Deo ipſi reſiſtat. Quæ verò rerum confuſio, quantáque perturbatio inducatur, ſi neque ſerui Chriſtiani ſuis dominis, neque ſubditi ſuis magiſtratibus pareant nunquã B ſatis cogitari poteſt,nedum dici.

Secunda ratio,cur Dei nomen ob iſtam rebellionem blaſphemetur, hæc eſt. Quòd Deus ipſiúſque Euangelium, humana iura tollere, & quod cuiuſque propriũ eſt, illi adimere tunc cenſetur.Itaque furta turpiſsima præcipere.Nam ſeruus cuiuſque noſtrûm tam noſter eſt,& ius nobis in eum tam competit,quàm quælibet alia res noſtra, noſtra eſt. Quod ius ſi Chriſtiani nominis profeſsio à ſeruo facta adimit,furtum rei alienæ facere præcipit Deus, & adimit domino quod eſt ſuum, ipſo etiam inuito. Neque obſtat quod de Oneſimo obiici poteſt,Paulum pro eo deprecatũ eſſe.Hoc enim verum eſt.Sed neque ſeruum iniuſto domino eripuit Paulus:neque idcirco liberum eſſe pronuntiat Oneſimum, quòd Chriſtianus eſſet factus: imò verò ad dominum ſuum remittit. Hæc autem ſecunda ratio tanti momenti etiã inter Chriſtianos viſa eſt, vt ſæpè canonibus Synodorum fuerit ſancitum, ne quis ſeruus, aut addictus alteri,veluti curialis,aut cliẽs,inuito domino, C aut patrono ad clericatũ admitteretur,ne ius cuiquam ſuum prætextu religionis & cultus Dei eriperetur.Eſt in canonibus Apoſtolorum. Eſt etiã in canone Pręſenti & ſeq.vel potius in tota diſtin. 54. Illud tantùm fuit obſeruatum, vt qui Iudæis ſeruiebant,ſi Chriſtiani fieri vellent,poſſent redimi ab inuitis dominis,quod in odium Iudæorum maximè fuit conſtitutum.

Ex hoc autem loco manifeſtiſsimè & pulcherrimè refutatur Anabaptiſtarũ & Ἀτάκτων omniũ inſania,qui Magiſtratus de Eccleſia Chriſtiana tollunt,tanquam Magiſtratuum poteſtas ſit & Euangelicę doctrinæ,& Chriſtianæ libertati nõ modò repugnans:ſed omnino contraria.Atqui aliud docet hoc loco Paulus, Doctrinam ipſam Euangelij nimirum blaſphemari,& meritò improbari,ſi per eam dicantur tolli & peruerti iura politica, confundi rerum dominia, & ius ſuum cuiquam eripi. Neque enim Euangelium tollit humanas politias, quin imò eas confirmat & ſancit. Vera tamen eſt illa Gregorij Magni ſententia, & ſæpe ab iis, qui præſunt meditanda:cuncti qui pręſunt, ait Gregorius,non in poteſtatẽ ordinis,ſed æqualitatẽ conditionis attendant. Nec præeſſe gaudeant hominibus,ſed prodeſſe. Sciant enim quòd antiqui Patres noſtri,non tam reges hominum,quàm Paſtores pecorum fuiſſe memorantur.Hæc Grego. A

Afferunt obſtinati homines duos Scripturæ locos,è quibus primus eſt is,qui 1.Corinth.7.ver. 23.Nolite fieri ſerui hominum. Secundus autem qui eſt Ioann.8.ver.32.36. Veritas vos liberauit. Ad quorum vtrunque vna hæc reſponſio ſatis eſt nimirum eos confundere diuina cum terrenis, Iura conſcientiæ & ſeruitutem peccati, à qua nos Chriſtus liberauit,cũ iure politiæ & ſeruitute hac corporis,quæ etiam in Eccleſia manet, & à Chriſto ipſo ſublata nõ eſt,quia idem iubet reddi Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, quæ diſtinguit ab iis quæ ſunt Dei.Denique Chriſtus ipſe tributum Publicanis & Cæſaris officialibus perſoluit, ne hîc latiùs hoc argumentum perſequamur.

2 *Qui verò fideles habent dominos,ne* eos *deſpiciant quòd fratres ſint:ſed potius inſeruiãt, quod infideles ſint ac dilecti, vt qui ſint beneficij* Dei *participes. Hæc doce,& exhortare.* B

Ἀνταπόδοσις vel ſubiectio. Alteram enim propoſitæ dominorum diuiſionis ſpeciem perſequitur, eorum nempe, qui ſunt fideles,Pij,& Chriſtiani domini, quibus quantùm ſerui Chriſtiani parere teneantur,docet hoc loco Paulus. Eſt igitur hic alter canon. Serui fideles dominos Chriſtianos quàm maximo honore colunto, & quàm poſſunt ſummiſſè illis obſequuntor. Vtitur autem hîc pulcherrima ἀντιθέσει, qua non modò præceptum hoc illuſtrat:ſed tacitè ſeruorum obiectionibus reſpondet,contunditque præfractorum dura ingenia breui reſponſione. Ait igitur Paulus, ſerui dominos fideles Ne ſpernant,quòd ſint fratres, ſed Potius tantóque magis eos honorent, quòd ſunt Fideles,Dilecti,Gratiæ Dei participes. Æquius eſt enim vt amicis obſequamur,quàm vel inimicis,vel hominibus non ita nos diligentibus. Æquius eſt, vt manſuetis dominis quis ſeruiat, quàm aſperis & immitibus.

Æquius eſt, vt iis, qui nobis ſunt tanquam fratres,nos ſummittamus, quàm iis, qui nobis ſunt C velut alieni.

Æquius denique eſt, vt iis ſubiiciamur, quos Dominus ipſe Deus tanto honore affecit, vt ſint fideles & Chriſtiani, quàm iis, quos tanta & pari gratia Deus ipſe non eſt dignatus.Quæ omnia argumenta breuiter continentur verbis Pauli. Horum autem argumentorum locus eſt duplex:Partim enim ducuntur à minori ad maius, partim à perſonarum ipſarum, quibus ſubiiciuntur ſerui, conditione & differentia.

Ne ſpernant igitur ſerui dominos ſuos fideles, id eſt,Chriſtianos, quòd ipſi ſint fratres in Chriſto. Fideles domini appellantur, non qui pacta ſeruis ſuis aut hominibus facta ſeruant: ſed quia fidem Euangelii profitentur.Hîc enim fideles appellantur à fide in Chriſtum: non à fidelitate & promiſsionum præſtatione.

Seruos autem fideles vocat dominorum ſuorum fidelium fratres, non tam propter eiuſdem naturæ humanæ ſimilitudinem, quæ eſt inter omnes homines ſiue ſeruos, ſiue dominos: omnes enim homines Dominus creauit ex vno ſangui-

A ne Actor.17.verſ.27.quàm propter eiuſdem adoptionis & fidei participationem. Qui enim per Chriſtum à Deo ſunt adoptati, illi ſunt inter ſe fratres,eiuſdem baptiſmatis,eiuſdem pacis,eiuſdē hæreditatis & earundem promiſsionum conſortes & κοινωνοὶ vt docet Paulus Ephe.4.ver.4.5.6.ſiue illi ſtatu ſerui ſint,ſiue liberi:ſiue Domini, ſiue non Galat.3.v.28.

Contrà verò hæc tantarum rerum communio ſeruos dominis ſuis æquare videtur , vt iam propter fraternitatis nomen differentia omnis inter ſeruos & dominos ſublata cenſeri poſsit. Reſpond.Earum quidem rerum ratione, quarum fratres & κοινωνοὶ ſunt , ſublatum eſt diſcrimen inter ſeruos & dominos : reliquarum autem rerum reſpectu , non item , quales ſunt politia humana, corporum ſexus,æquales vires,dotes ingenii , externa bona & dignitas, quæ omnia & reliqua ijs ſimilia ſalua manent, & diſtincta atque etiam inter ipſiſsimos & germanos fratres diuerſa & diſsimilia, nedum inter ſeruos & dominos. Id quod rerum experientia docet.

B Hæc autem ratio & diſtinctio latiſsimè patet. Nam ſiue regimen eccleſiaſticum, ſiue Ciuile cōſideremus , afferri & dici poterat in eccleſia Dei Chriſtianos ſubditos & Magiſtratus : Gregem & Paſtores eſſe fratres inter ſe , ergò inter eos omne perſonarum ſublatum diſcrimen videri, neque iam alterum alteri parere oportere : quod homines ἀναρχικοὶ & ἄτακτοι vociferantur. Sed reſpondet Paulus ipſe fraternitatis nomen differētias vel perſonarum vel dignitatum ſiue in politia Eccleſiaſtica: ſiue in humana & terrena minimè tollere , confundere , aut imminuere , vt iam deſinant nobis maledicere , nóſque calumniari, qui Euangelium, quod annuntiamus , quódque eſt verè Chriſti Euangelium , criminantur monarchias & regna euertere , atque propterea regum animos ab eo audiendo quantum poſſunt auertunt,& deflectunt. Imò verò nulli magis parent ſuis Magiſtratib.& regibus,quàm veri Chriſtiani:quod Remigius etiā Clodoueo primo Frācorū regi reſpōdit,cùm ille falſa iſta opinione imbutus religionē Chriſtianā profiteri formidaret.

C Cur autem lubentiùs ſeruire parereque fidelibus dominis debeant fideles ſerui , atque ſubditi , quàm prophanis & Ethnicis , triplex ratio videtur afferri , nempe quòd tales domini ſunt Fideles, Dilecti Deo , Beneficii Dei conſortes, vel participes. Itaque triplicem qualitatem deſignat Paulus , quæ nobis tales dominos commendat: neque hos tantùm, ſed etiam fideles magiſtratus. Nam quæ de dominis fidelibus ait Paulus, ad fideles magiſtratus ſunt transferenda omnia, atque accommodanda. Ergo fideles vocat, vt ex communi illo ſacro fidei vinculo intelligant & ſubditi,& ſerui ſeſe magis illis eſſe deuinctos,atque obſtrictos , quàm infidelibus , quibus tamen parendum eſſe ſuprà docuit.

Dilectos vocat, quòd tales dominos , cùm ſint fideles, ſpeciali amore & honore Deus ipſe proſequatur , nedum vt eos ſubditi vel ſerui ſpernant. Dilectionem igitur hanc ad Deum refero,& paſsiuè accipio,non autem actiuè.nec eam dilectionem eſſe puto, qua domini ſeruos ſuos cōplectuntur:ſed qua Deus ipſos dominos. Participes item vocat gratiæ Dei. Ergo quanto maiore à Deo ipſo beneficio & gratia donantur , decorātur A atque honorantur magiſtratus,& domini fideles,quàm infideles:tātò ſunt à ſubditis & ſeruis ſuis magis venerandi atq; colendi.Facit.n.hoc Dei gratia , vt longè quibuſuis infidelibus dominis prçcellant quemadmodum docet Iacob.2.v.5.

Alij vti Chryſoſt.Eraſm.& quidam , aliter hæc verba τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι accipiunt , & ad curam,quam de ſuis ſeruis habent domini, referunt , quaſi hoc argumento vtatur Paulus , eò magis dominos fideles reuerendos verè eſſe,quòd de ſuis ſeruis ſoliciti ſint , illiſque benigniores atque humaniores. Sed hæc ſententia facit ſeruorum obſequium mercenarium. Præterea nihil, quod ſit ſpeciale aut proprium fidelium dominorum continet,cùm infideles etiam domini,de ſuis ſeruis curam gerant ſintque illis ſæpè humaniſsimi & clementiſsimi. At Paulus ea notat & obſeruat hoc loco , quæ ſunt fidelium dominorum propria & peculiaria:non autem illis cum infidelibus dominis communia.Itaque vox εὐεργεσίας hoc loco paſsiuè accipitur : non autem actiuè : & ad Deum refertur:non autem ad dominorum liberalitatem B & curam de ſeruis.

Hæc doce) Αὔξησις.Commendat enim ſuperiorem doctrinam ab vtilitate, cùm eam ſæpiùs & repetendam , & inculcandam eſſe velit. Sic ſupra 4.verſu 11.

Docere,eſt non ſemel tantùm , ſed ſæpius ingerere.Exhortari eſt viuis aculeis, & ſtimulis homines ad eam doctrinam amplectendam excitare & commouere.Ex quo fit, vt non tātùm leui doctrina:ſed etiam autoritate & increpatione nos egere propter naturæ noſtræ peruicaciam intelligamus.Neque enim hæc fieri præciperet Spiritus ſanctus , niſi iis omnino haberemus opus, tanquam neceſſariis animi noſtri medicinis.

3 *Siquis diuerſam docet doctrinam, neque accedit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ,*

4 *Is turget, nihil ſciens, ſed inſaniens* C *circa quæſtiones ac verborum pugnas : ex quibus naſcitur inuidia,lis,maledicentiæ,ſuſpiciones malæ,*

5 *Peruerſæ exercitationes hominum mente corruptorum,& qui priuati ſunt veritate , & quæſtui habent pietatem, ſecede ab ijs qui eiuſmodi ſunt.*

Confirmatio eſt ſuperioris doctrinæ ex ἀντιθέσει & collatione doctrinæ illi contrariæ. Atque hac ratione non tantùm illuſtrat ſuperiora præcepta Paulus:ſed etiam commendat,& veriſsima eſſe oſtendit,cùm quæ illis aduerſantur, quæque doctrina illis contraria eſt, huiuſmodi deprehendatur, qualem hîc deſcribit Paulus , vel potius Spiritus ſanctus,nimirum ſit impia.

Primùm autem quæritur vtrum hic colophon, qui à Paulo nunc epiſtolæ imponitur, ad vniuerſam ſuperiorem doctrinam pertineat, an tantùm ad proximas præceptiones de ſeruorum officio erga dominos ſuos? quidam exiſtimant ad ſuperiores tantùm verſiculos duos, qui proximè præceſſerunt, referri, quia magni momenti ſit ſupe-

A rior præceptio de ſeruorum & ſubditorum efficio atque obſequio erga dominos & magiſtratus. Adducor tamen vt ſentiam ad vniuerſam doctrinam, quæ totis quinq; ſuperioribus capitibus tradita eſt, pertinere hanc confirmationem & ἐπεξεργασίαν, tũ quòd in calce epiſtolæ addita eſt, & poſt quam nulla amplius præcepta ſed particulares tãtùm exhortationes ſubiicit Paulus: tum etiã quòd idem ſolet in aliis epiſtolis eodem ſtylo vti, vt ſanam doctrinam ex ἀντιθέσει confirmet, ac corroboret, veluti Rom.16.verſ.17. Tit.3.verſ.9. Colo. 2.verſ.18.

Sunt autem in tota hac ἀντιθέσει & comparatione, quæ durat vſque ad verſum ſextum, obſeruanda hæc tria nempe, 1 Quid damnet Paulus. 2 Cur damnet. 3 Qua pœna damnet. Damnat autem tum Diuerſam à ſuperius tradita doctrinã, tum Eos, qui eam vel Docent, vel Sequuntur.

Ait igitur, εἴ τις ἑτεροδιδασκαλεῖ. Vox eſt compoſita ἑτεροδιδασκαλεῖν ex iis vocibus, quarum vna rem deſignat, altera docentis ſtudium. Ergo diuerſa doctrina per ſeſe damnatur. Similis locus ſup.1.v. B 3.& Rom.16.& 17. Tit.3.v.9. Eſt autem doctrina diuerſa, ſiue Subſtantia doctrinæ ipſius & præceptorum ſit diuerſa à ſuperiore: ſiue Forma & typoſis docendi, vt loquitur Paul.2. Tim.1.ver.13. ſit vel ab analogia fidei: vel à ſtylo Spiritus ſancti diſcrepans & diſſentanea. Vtrumque enim in rectè docendo debet obſeruari, medulla ipſius doctrinæ, vt ſit ſana: & ratio illius tradendæ, quæ debet eſſe ſolida, vtilis, grauis, & ad ædificationem conſcientiarum comparata. Et hæc de ipſa doctrina.

Cùm autem ait Paulus, *Docet*, imprimis doctores ipſos prauæ doctrinę complectitur & ferit: poſtea verò etiam diſcipulos. Nam & qui docent, & qui attendunt doctrinæ falſæ, damnantur ſup. 4.ver.1. quia peccat, qui illicita diſcit, vti & qui ea docet. Hoc primum eſt ἀντιθέσεως caput.

Secundum autem, rationes varias complectitur, propter quas huiuſmodi homines, & meritò quidem, damnãdi ſunt: & tam grauiter, vt quidem excommunicentur, quemadmodum poſtea apparebit. Quas autem rationes affert Paulus, videntur omnes eæ ex tribus locis ſumptæ nimirum ex

C 1 Veræ doctrinæ & falſæ epithetis & differentia.
2 Cauſarum, à quibus falſa doctrina emanat, deſcriptione, vbi ipſæ docentium perſonæ depingũtur à Paulo.
3 Effectorum falſæ ipſius doctrinæ (quæ quidem ſunt teterrima & peſſima) enumeratione.

Ergo ad primi loci argumenta pertinet, quod Paulus veram doctrinam vocat Euangelicam, ſanos ſermones, & doctrinam pietatis: falſam autem doctrinam contrà nominat inſaniam, ignorantiã, verborum pugnas, & peruerſas exercitationes ſiue peſtiferas animi attritiones.

Ad ſecundum locum referuntur hæ voces, quæ veriſſimas falſæ doctrinæ cudendæ cauſas continent, quales ſunt hæ *inflatus eſt.* Sunt homines mẽte corrupti, veritate priuati, auari & pietatem in quæſtum conuertentes.

Ad tertij loci argumenta reduco omnia effecta, quæ ex huiuſmodi praua doctrima conſequi docet Paulus, qualis eſt inuidia, maledicentia, lis, ſuſpiciones malæ, &c. quæ variis in locis enumerantur. Quæ omnia eò magis annotaſſe operępretium eſt, quòd Satan matæologiam iis nũc titulis ornauit, atque tam ſplendidis nominibus decorauit, A vt nihil ſimile iis omnibus, quæ Paulus recenſet, habere videatur: ſed ita perſtringit hominum ſimplicium oculos, vt ſola cenſeatur eſſe & vera & luculenta Theologia. Quam tamen hoc loco prorſus de gradu deiicit, & proſternit Spiritus ſanctus, vt impiã vt falſam atque omnino profanam, & eos etiã ipſos, qui illã docent, vti peſſimos atque pernicioſiſſimos Chriſti hoſtes execratur.

Sed ſingula iam videamus. Sanos ſermones vocat puram Euãgelij doctrinã, tum quòd illi in ſeſe ſunt ſani & puriſſimi, tum quòd animas noſtras ſanas & valentes efficiant, vti dicitur Pſ.19. *Præceptũ & verbum Domini lucidum, illuminans oculos.* Sanitas animæ eſt vera Dei agnitio, atque cum eo reconciliatio Pſal.41.v.4.Pſa.32. quod vtrunque beneficium affert ſyncera prædicatio Euangelij in nobis efficax. Hoc epitheton ſæpe tribuit Paulus Euangelio, vt illius vtilitatem commendet præ cæteris artibus, vt hæreſibus eam opponat. Sic 2.Timoth. 1.verſ.13.ſup.1.verſ.11. Tit.2.v.1. Huic autem laudi Euangelij & ſuæ doctrinæ opponit diuerſæ doctrinæ νόσον quam alij languorem, alij inſaniam B vertunt. Certè ad animum hæc vox pertinet, non autem ad corpus. Eſt autem non tantùm hæreſis: ſed omnis matæologia animi languor, qualis Sorbonica Theologia magna ex parte, mentis ægrotatio & morbus, peſtiſque certiſſima animorum, ne ſibi in vanis ſuis philoſophamentis placeant inſani iſti, & mente capti homines, néve aliò pertinere & ſpectare cenſeatur vera Theologia, quàm ad animorum ſalutem & conſcientiarum conſolationem. Huius verbi diuini corruptelæ nullum illuſtrius poteſt eſſe exemplum quàm Cẽtiloquium illud G. Occami Minoritæ tam celebratum, in quo etſi ſummam totius Scolaſticę Theologię ſeu potiùs Matæologiæ complexus videtur, plura tamẽ βλάσφημα, quàm vera habet, vti ex propoſitionibus 5.6.7.8.10.11.& aliis apparet cuiuis eas legenti.

Appellatur autem ſecundo loco idem Euangelium Doctrina pietatis, vti & Tit.1.verſu 1. & Co- C loſſ.1.verſu 5. Ac quidem doctrina, quòd per eam aliquid & veri & ſolidi diſcant atque percipiant homines. Cui laudi opponit hæc duo, nimirum, quod qui diuerſam doctrinam ſectatur, nihil ſciat & ſi quid didicit, tamen Nihil Veri, vel ſolidi nouit: ſed tantùm cõſectetur λογομαχίας, & verborum inutiles pugnas, quemadmodum idem ſup.1.verſ. 6.Tit.3.verſ.9. Vtitur hìc Paulus voce Ἐπιστάμενος, quaſi fidei noſtræ doctrinam vocet ἐπιστήμην, qua voce tamen raro vtitur ſcriptura, ſed tamen extat apud Iacob.3.v.13.

Λογομαχίας autem nomine non tantùm de vocabulis ipſis & vocibus diſputationes inutiles damnat Paulus, ſed etiam de rebus, quæ nullius ſunt momenti, neque ad conſcientiarum noſtrarum ſuſtẽtationem, neque ad ędificationem pertinent. Denique ex quibus nullus fit audientium profectus. in quo graphicè nobis tota Scholaſticorum & Sorboniſtarum ratio, atque Theologia deſcribitur. Imprimis autem damnamus Quodlibetarias quæſtiones, quæ appellantur, quæ Academicorum potius, quàm Chriſtianorum hominum ſunt propriæ, & mera ludibria pietatis. Præclara enim eſt hæc Chryſoſtomi ſententia in Ioannis Euãgelium Homil.6. Tale diaboli ingenium eſt, A tales inſidiæ, vt eos, qui nobis conſtituti ſunt, fines tranſire perſuadeat, acſi ad longè meliores ſimus peruenturi. Cùm autem hac nos ſpe allexerit, diuina gratia priuauerit, tunc non ſolùm nobis nihil amplius, præſtantiúſque elargitur, ſed paſsim trahit errantes, cùm non habeant vbi poſsint conſiſtere. Duo enim mala iſtos circumueniunt. Primũ quòd dum in his fruſtrà inquirendo laborant, miſeri fiunt, cùm ea inuenire nequeant. Alterum quòd Deum irritant, cùm conſtitutos ab eo fines excedere conantur.

Quæſtiones autem neque omnino, neque omnes damnat Paulus; quæ de Dei verbo fieri poſſunt: ſed eas tantùm, quæ ſunt inutiles, otioſæ, & ſine ædificatione vel fidei noſtræ, vel conſcientiæ, vel charitatis. Nam quæ dicendi ſtudio vtiliter à nobis fiunt, vti multa de rebus obſcuris, quæ in vera Theologia verſantur, quæri ſæpe neceſſe eſt, eæ minimè quidem à Paulo damnantur, quales quæſtiones multas tractauit Paulus in Epiſtolis, & Apollos apud Epheſios, vt eſt in Actis: & συζητητοῦ meminit Paulus 1. Corinth. 1. v. 20.

Pia verò eadem doctrina Euangelij ab effectu nominatur, quia pietatem nos docet. Eſt autem pietas, Verus Dei cultus, qui veram proximi B dilectionem parit ex ſeſe, tanquam primarium fructum.

Huic pietati opponit Paulus vitia contrariæ doctrinæ & Matæologiæ ſorbonicæ, hæc nimirum Mendacium, quia veritate priuantur: Auaritiam, Pietatem in quæſtum conuertũt: & Vitia peſſima quæ profert, qualis eſt Inuidia, Maledicentia, Suſpicio mala, Vaniloquentia, Contentiones, Pugnæ. Denique peruerſa exercitatio Tit. 3. verſu 9. ſup. 1. ver. 6. Cæteræ voces ſunt faciles & perſpicuæ. Vna hæc, παραδιατριβαὶ, obſcura. Attingit enim Paulus eorum ſpecioſos quidem ſed tamen falſos prætextus, cùm huiuſmodi quæſtiones inſtituunt. Hoc enim ſe & conari & velle ad Philoſophorum imitationem (qui de ſuæ ſectæ dogmate ſtudioſè inquirunt & diſputant, ſcholáſque inſtitutas habent) vt aliquæ de pulcherrima omniũ ſcientia, nempe de vera Dei Theologia, & modeſtæ diſputationes inſtituantur, & vigeant inter C Chriſtianos, quò ſint aduerſus & hæreticorum & Ethnicorum argumenta paratiores atque munitiores. Philoſophi ſuas illas Scholas & diſputationes vocabant διατριβάς. Hi quoque ſuas de rebus diuinis diſſertationes, vt ex hoc loco apparet, διατριβὰς nominabãt. Ergo Paulus alludit ad hãc ipſam vocem, quam in eos ipſos lepidè retorquet. Docet enim huiuſmodi diſputationes quæ à ſana doctrina recedunt, non eſſe διατριβὰς, id eſt, honeſtas ſcholas & diſputationes vtiliter inſtitutas, quales Philoſophorum pleræque fuere: ſed παραδιατριβὰς potius eſſe. i. peſtiferas, peruerſas, inutiles & damnabiles λογομαχίας, quia in iis verbum Dei peſsimè peruertunt. Chryſoſtom. & Theophylact. aliter interpretantur, confricationes nempe, quòd illi ſeſe, tanquam morbidæ oues, confricantes corrũpunt. Et certè quicunque antea ſani in Sorboniſtarum collegium cooptantur, tanquam in reprobum ſenſum traduntur, & peſsimi Chriſti ipſius hoſtes tandem euadunt.

Quod autem pertinet ad cauſas peruerſæ iſtius doctrinæ, illæ ex doctorum moribus turpiſſimis facilè intelliguntur, & à Paulo breuiter hîc deſcribuntur, vti & 2. Timoth. 3. & Coloſſen. 2. & Tit. 1. A Sunt enim ferè hæ, nempe, Superbia, Mentis iudiciíque corruptio, Mendacium, & ignorantia, ſiue Profana & impia auaritia. Sunt enim iſtius peſtis doctores inflati ſiue ſuperbi: mente corrupti, priuati veritate, & ignariſsimi, auariſsimi, pietatẽ in quęſtum turpiſsimũ conuertentes. Quid aptius dici potuerit, quod totam Sorbonicam Scholaſticorúmque mores referret, non video, modò nos eorum mores obſeruemus.

Secede ab ijs) Tertium eſt caput ſuperioris ἀντιθέσεως: in quo, qua pœna ſint ſuperiores & damnati illi doctores coërcendi explicat vno verbo Paulus. Etſi verò in quibuſdam codicibus Latinis vetuſtioribus hæc verba non reperiuntur: tamen in aliis extant: & apud Ambroſium leguntur: apud Chryſoſtomum & Chryſoſtomi abbreuiatorem Theophylactum, præterquàm quòd in omnibus exemplaribus Græcis magno conſenſu reperiuntur. Ac primum conuenit hic locus cum alio eiuſdem Pauli loco nimirum cum Tit. 3. verſu 10. Quod enim hîc ait, *Secede*, illîc ait, *Reijce*. Nam quemadmodum docet Auguſtinus libr. 3. de Anima cap. 2. ad paſtorem pertinet reiicere, & damnare hæreſes. Nec verò hæc tantùm in huiuſmodi B doctores & Matæologos pœna ſtatuitur à Paulo, per quam illi priuentur familiari paſtorum conſuetudine & colloquio: ſed per quam è totius Eccleſiæ cœtu pellantur & eiiciantur. Eſt enim hîc nobis perſona Timothei conſideranda, quem alloquitur Paulus non vt priuatum aliquem de populo Dei, ſed vt paſtorem gregis & publicam totius Eccleſiæ curam gerentem, adeò vt hæc ſententia, *ſecede ab ijs*, idem ſonet, atque hæc *reijce eos de cœtu Eccleſiæ*. Quem enim propter hæreſim, aut vitia non licet paſtori familiarem habere: nec aliis fidelibus licet, qui multò minus ſibi cauere poſſunt, ne ab iſtis corrumpantur. Præterea non ita iſtos euitandos paſtoribus docet Paulus, vt cæteris ſint ignoti: ſed quod à Timotheo fieri vult, idem ab omnibus ſemel fieri oportet.

Itaque vox hæc, *Abſcede*, totum Dominicum gregẽ & Eccleſiam complectitur, qui ab iſtis fugere C debebit. Fateor ego quidem primùm ab ipſis paſtoribus Eccleſiæ tales vitandos eſſe, ne ſi iis familiares appareant, reliqui libentius vel audacius cum illis congrediantur, & communicent. Sic de Ioanne Euangeliſta ſcribit Irenæ. libr. 3. ca. 3. eum etiam loco ipſo abſtinuiſſe, in quo erat Cerinthus hæreticus: ſed ſolis paſtoribus eos notos aut interdictos eſſe oportere pernego: quando quod inde malum naſci poteſt, ad omnes peruenire poteſt, & diffundi. Quare hæc pœna ſtatui videtur à Paulo in huiuſmodi doctores & matæologos, vt excommunicentur, quæ apertè Tit. 3. v. 10. quoque præſcribitur.

Neque verò hoc nouum eſt, vt qui doctrinam Chriſti ſubuertunt, aut ea abutuntur manifeſtè, quales iſti, omnino excommunicentur, atque eiiciantur de Eccleſia Dei. *Si quis venit ad vos,* inquit Ioannes, *& hanc doctrinam non affert, ne recipite eum domum, ne Aue ei dicite* 2. Ioan. verſu 10. Nam ſi qui Eccleſiæ admonitionem & vocem de reconciliatione ineunda cum fratre, ſpernit, habendus eſt, ex Chriſti præcepto, pro Ethnico

Matth.

A Matth.18.quantò magis qui ipſius Chriſti vocem & Dei veritatem penè totam non tantùm cõtemnit,ſed etiam apertè corrumpit? Tantùm abeſt,vt is pro legitimo Eccleſiæ doctore ſit agnoſcendus, quicquid Sorboniſtę(qui hîc graphicè depinguntur)contrà ſentiant atque decernant , vt ſe ſuámque Matæologiam tueantur. Sunt enim iſti non tantùm mercenarij paſtores,ſed lupi,quia animas ſubuertunt, ideóque à toto cœtu Eccleſiæ arcendi , quemadmodum præclarè etiam ſentit Bernard.epiſt.237.

Cæterum ex hoc loco duplex excommunicatio conſtitui non poteſt,quemadmodum quidam volunt.Vna nimirum Priuata,altera Publica.

Priuatam vocant,per quam quis proprio animi iudicio ſeſe ab eo ſegregat,quem impium vel improbum putat,nullo Eccleſiæ iudicio interueniẽte,aut accedente.Itaque hæc excommunicatio eſt priuatum cuiuſque de altero & fratre iudiciũ, per quod eum vti ab Eccleſia hominem alienum B cenſet.Hęc excommunicatio tum ſchiſmatum anſam præbet : tum etiam confundit ordinem Eccleſiæ. Quanquam enim ab eorum conſortio fugere debemus,quos ſcimus eſſe Dei irriſores,& homines improbos :tamen eos pro excommunicatis habere proprerea non debemus.Aliud enim eſt abſtinere familiari alicuius conſuetudine: aliud autem eſt eum pro excommunicato habere, id eſt , pro membro reciſo,& putri,& cum quo nobis in Sacramentorum adminiſtratione communicare ſalua conſcientia non liceat.Hęc enim excommunicationis vis eſt. Hæc igitur priuata excommunicatio locum in Eccleſia Dei habere non poteſt, niſi fortè quiſque ſibi priuatos cœtus colligere velit,& niſi nos Donatiſtarum hæreſim comprobemus.Etſi verò multi Deo noti ſunt ſcelerati & improbi,qui tamen nobis pulchri videntur , alia tamen eſt Dei ratio,alia hominum , qui de occultis non iudicant. Præterea etſi tibi ſoli hic ſceleratus notus eſt,propterea tamen non eſt excommunicandus.

C Publicam excommunicationem appellant eam, quæ præcedente Eccleſiaſtico iudicio,eóque legitimo facta eſt, vt quis tanquam alienus à Dei Eccleſia cenſeatur,ídque iuſta de cauſa. Hanc ſolam nos agnoſcimus,atque admittimus, de qua etiam loquitur hoc loco Paulus,non autem de illa priore & priuata.

Duo quædam autem hîc nobis obiiciuntur,Primùm,quod ait Iacob.5.verſ.19.tales potius reuocandos eſſe,quàm dimittendos , aut ita ſemel ſegreges faciendos. Cum quo conſentit quod ait Paulus Galat.6.v.1.

Deinde obiicitur nobis quod non dixit Paulus *occide illum*,trade magiſtratui puniendum:ſed tantùm *remoue eum abs te:*vel,vt maxima pœna ſtatuatur,excommunica eum.Itaque ex hoc loco negãt hæreticos à magiſtratibus puniendos eſſe.Reſpõdemus verò ad vtrunque ſuperiùs obiectum. Ac quidem ad primum,loqui Paulum de iis hominibus,pro quibus conuertendis, & ab errore reuocandis omnia ſint prius tentata & ſuſcepta:ſed qui obſtinati nihilominus manent , quòd pietatem quæſtui habeant,ſintque auariſſimi mortalium.Itaque hæc ſententia & cenſura Pauli præſupponit nos omnibus aliis , & mitioribus quidem remediis,vſos eſſe priuſquam ad hoc extremum,id eſt, ad vrendum & ſecandum accedamus. A

Quod autem ſpectat ad ſecundum obiectum, quòd Paulus iſtos ad magiſtratum non remittit coercendos,ratio eſt,quia hoc loco de officio magiſtratus non agit , neque quod ſit eorum munus præſcribit,cùm ſatis ſup.cap.2.v.2.& Rom.13. docuerit curam verè pietatis,atque ſyncerę doctrinę tuendæ ad magiſtratus quoque pertinere. Sed hîc tãtùm agit de officio Timothei,id eſt,paſtorum. Neque quòd de eo nihil addit iam Paulus,probat eos plecti à magiſtratu ciuili pœna vel non poſſe, vel non debere,non plus quàm quòd ebrios,adulteros,furaces,&c.in 1.Cor.6.ad magiſtratum non remittens Paulus non demonſtrat huiuſmodi improbos homines caſtigari à ciuili magiſtratu in Dei Eccleſia vel non poſſe, vel non debere. Sed etiam hæc altera reſponſio afferri ad ſuperiorem obiectionem poteſt, quòd tunc temporis , cùm hęc ſcribebat Paulus,nullus erat fidelis magiſtratus ,qui piæ & veræ doctrinæ euerſores & corruptores puniret. Itaque de matæologis aut hypocritis iſtis ad magiſtratum,qui tunc nullus erat,remittẽdis nihil,& meritò quidem, præſcribit Paulus. B De quo argumento prolixa eſt diſputatio Auguſt.aduerſus Donatiſtas.

6 *Eſt autem quæſtus magnus pietas cum animo ſua ſorte contento.*

Mihi videtur totus hic locus eſſe διάβασις ſiue digreſſio in auaros,& diteſcere cupientes homines, accepta occaſione ex ſuperiori argumento, nimirum,quòd qui ſanæ doctrinæ non acquieſcunt, id lucri & diteſcendi cupiditate vt plurimum faciãt. Sic Epheſ.5.verſ.24.inducta comparatione carnalis & ſpiritualis coniugij,de Chriſti erga ſuam Eccleſiam beneficiis latè diſſerit Paulus. Artificioſè autem Paulus & lepidè etiam hoc loco & verſiculo,vti & ſuperiore,vtitur ἀνακλάσει retorquens in iſtos homines auaros vocem ipſam quæſtus, quem tam ſtudioſè & auide conſectantur. Ac primum grauiter perſtringit pungítque eos qui pietatem lucrum eſſe exiſtimant. Eſt ſanè , inquit Paulus, pietas & lucrum & quæſtus , íſque magnus,qui animum ſua ſorte contentum ſemper adiunctum affert verè piis,adeò vt de maioribus opibus C comparandis minimè ſint ſolliciti & anxij. Secundo verò loco docet in quibus rebus ſitæ ſint verę,ſtabiléſque diuitiæ.Demum quid cauſæ ſit , cur angi homines de maioribus copiis parandis non debeant:ſed paruo debeant eſſe contenti. Hæc ſumma eſt totius diſputationis,quam aliquot verſiculis perſequitur Paulus.

Cæterum *Pietatem* hoc loco Paulus appellat efficacem inhærentémque cordibus noſtris Dei cognitionem,quæ ipſius & cultum & metum , tanquam fructum , parit , & profert. Denique eam doctrinam , per quam ſcimus nos in Chriſto Dei filios eſſe , eúmque tanquam & Deum & Patrem noſtrum colimus,veneramur, & certa animi fiducia agnoſcimus.

Similis locus eſt Iſa.33. verſ.6.Pietas enim , ait Propheta,ſiue metus Dei , eſt piorum theſaurus atque ſummæ diuitiæ. Ergo appellat hoc loco Paulus eam non tantùm πόροις,id eſt,reditum quẽdam & vectigal quod ſemel tantùm in anno:vel in tota vita percipiatur:ſed πορισμὸν eſſe,ait.i. fundum & perennem ſiue inexhauſtum fontem , qui ſem-

A per ſummos vberrimóſque prouẽtus fundat nobis & producat. πορισμὸς enim plus eſt, quàm πόρος & ἐπόρθι. Confirmatur hæc eadem Pauli ſententia Pſ.4.v.7.Pſ.36.ver.8.& Pſ.37.112.Denique in eandem ſententiam Auguſt lib.1.de Ciuitate Dei cap. 19.& Bernard.ſermo.5.in Pſalm. Qui habitat, copioſè diſputarunt.

Diſſimilis autem locus 2.Corinth.6.ver.10.eſſe videtur vbi Paulus ſe & pauperem eſſe, & nihil poſſidere dicit. Item diſſimilis huic locus fortaſſe cenſeatur Philip.4.ver.12. *Noui pauperiem pati*, ait, quæ omnia pugnare videri poſſunt cum ea laude ſufficientiæ & opum copiæ quam hîc tribuit & vendicat Paulus Pietati & viris piis. Reſpõ. Iſta minimè inter ſe pugnare. Neque enim abundantia bonorum terrenorum hîc promittitur nobis ea, vt nulla re egeamus, aut nunquam premamur: ſed potius copia bonorũ ſpiritualiũ hîc notatur & ſignificatur. Aliter enim pietas dicitur quæſtus & lucrũ, quã auari opinentur & alias opes affert quã terrenas, nimirum cœleſtes & ſpirituales. Pręterea B quę inopia & penuria à piis ſentitur nonnũquam, ea planè illis ipſis ſalutaris eſt. Cedit enim illis bono, nimirum ad fidei probationem, cæleſtis vitæ meditationem, ſeriam pœnitentiam, & ad mundi huius odium & abrenuntiationem meditandam. Ergo pietas alius eſt quæſtus, quàm terrenus: alia quoque eſt abundantia & αὐτάρκεια, quàm vt nihil hîc omnino, aut nunquam nobis deſit, quoad corporis huius commoditatem ac victum. Nonnunquam enim deeſt, ſed quod deeſt, tamen veras diuitias nobis non adimit, quia ſumus eo ipſo, quod adeſt, contenti, Bernard.ſermo. 4.in Pſalm. Qui habitat. *Etſi non dat ad ſatietatem Deus, dat ad ſuſtẽtationem.* Magnam ſuis dat penuriam, ne multitudine prægrauentur. Idem ſermo.5, in eundem Pſ. eodem modo ſcribit. Sic interpretor quod eſt Pſ. 37.verſ.25. *Puer fui, etiam ſenui, nec vidi iuſtum derelictum nec ſemen eius quærens panem.* Quid enim de Lazaro diceremus, de quo eſt apud Luc. 16. quem abiectiſſimum mendicum, & Iro pauperiorẽ fuiſſe ſcriptura ſacra teſtatur? Quid de Dauide ipſo fugiente & famelico 1.Samuel.21? Sentiunt igitur C etiam pij & fideles inopiam terrenorum bonorũ, ſed eam, quæ longè illis ſalutarior ſit, quàm copia vel abundantia, & quę (vti dixi) meliores verioréſque illis opes minimè adimit, quas opes ſemper habet ſecum pietas, & quibus nunquam priuantur pij. Quæ ſint autem veræ Chriſtianorum opes vide Auguſt.lib.1.de Ciuitate Dei cap.19. Quare genus ipſum diuitiarum, quas affert pietas, & de quibus intelligit hoc Paulus, totam ſuperiorem quæſtionem aliâs inexplicabilem & implacabilem ſoluit & dirimit. Eſt enim hoc genus diuerſum à terrenis corporeiſque opibus. Quamquam & eas ipſas habent pij, quantum Dominus ipſis expedire nouit. Habet enim fides promiſſiones vitę tum futuræ, tum etiam præſentis, vt ſupra dictum eſt cap.4.v.8.

Cur autem quæſtus magnúſque prouentus ſit pietas ratio eſt, quòd Dei hæredes, Chriſti autem cohæredes nos facit. Rom.8.verſ.17. Eſt enim noſtræ adoptionis in numerum filiorum Dei certiſſimus fructus & effectus. Nulli enim verè Deum timent, nulli verè colunt, niſi qui verè ipſius ſunt filij. Ij autem ſunt pij. Oſtẽdit igitur pietas nos eſſe & Chriſti ipſius & donorũ Chriſti participes. Nam in Chriſto inſunt omnes cæleſtes & ſpirituales ſalutaréſque theſauri, vt docet Paulus Coloſſ.2.verſ.3. A Quare ditiſsimos fideles efficit ac eſſe arguit pietas. Ex quo fit, vt fideles à Iacobo ca. 2.verſ.5. Πλούσιοι, id eſt, diuites appellentur. Et præclarè Ambroſius epiſtola 10. Omnes Chriſtianos aduerſus profanorum ſannas & ſapientes & diuites eſſe contendit. Id quod etiam Pſalm. 112.verſu 3.5. confirmatur, quamuis fortaſſe id ipſum multis de terrenis opibus cogitantibus videbitur παράδοξον & ἄτοπον. Sed tamen eſt veriſsimum, ſi quo ſenſu dicitur, intelligatur, id eſt, de cęleſtibus diuitiis. Adiungit autẽ huic quæſtui Paul. Αὐτάρκειαν. Quæ vox quid ſignificet quæſitum eſt. Alij enim eam ad animum noſtrum referunt: alij ad res, quibus vitæ huius corporeæ infirmitas & conditio eget. Certè non eſt hæc Pauli mens, vt dicat, ſi omnia nobis affatim primùm ſuppetant, poſteáque acceſſerit ad immenſam opum vim Dei metus, nos tunc contentos eſſe oportere, & magnum prouẽtum habere. Pietatem enim opibus terrenis, tanquam acceſsionem quandam, adderet & ſubiiceret. B Neque certè hæc eſſet vlla pietatis laus, ſi cùm omnia neceſſaria adſunt, contenta eſſe diceretur. Ex quo fit, vt αὐτάρκειαν hîc minimè accipiam, pro rebus omnibus, quæ ſunt nobis ad victũ neceſſariæ, quas cumulatas nobis eſſe oporteat, priuſquã in Chriſtianis Pietas magnus prouentus dici poſſit. Sed ſumo αὐτάρκειαν primùm pro ipſo hominis pij animo, qui ſua ſorte contentus & lætus eſt, quantumuis exiguum poſsideat, multáque illi etiã de rebus ad victum neceſſariis deeſſe videantur. Supplet enim illa omnia pietas ipſa animi tranquillitate, & ſpe in Deum, cuius voluntati acquieſcit qui verè eſt pius. Deinde ſumo αὐτάρκειαν pro ea opum menſura, quam Dominus dat cuique noſtrum, quæ ſemper ſatis nobis eſſe & debet & poteſt, quia ſi quid præter eam opus erit, Dominus ſuggeret. Nam & contenti eſſe debemus iis, quæ in diem ad victum & veſtitum ſuppeditat Dominus ipſe, non autem inſudare opibus augendis, de craſtino ſolliciti eſſe, ſtudio inexplebili acquirendi torqueri, opibúſque cumulandis inhiare, & amore, vt ait ille, habendi ſeneſcere.

Inde quæritur, vtrum liceat homini pio & C Chriſtiano opes ſuas honeſtis iuſtíſque rationibus augere, ſed iis ipſis quas habet contentus eſſe debeat, neque in id incumbere moderato quodã ſtudio, non auaro, non etiam inſatiabili habendi ardore nec ea animi attentione, per quam vitæ æternæ curam & meditationem deſerat. Reſpon. Licere, quia modò auaritiæ affectus, & animus abſit, quod honeſto labore & moderata cura comparatur acquiritúrque, Dei donum eſt, beneficiũ, atque ipſius in nos amoris & benedictionis ſignũ, vt eſt Pſal.127. Sed hanc curam ſolicitudinémque animi moderatiſſimam eſſe oportet, ne à melioribus & ſalutaribus ſtudiis auocemur & abducamur dum toti in re facienda ſumus Matth. 7. verſu 34. Ergo ſi neque Dei cultum, neque Chriſtiani hominis charitatem & officium negligimus, rei familiari augendæ rectè quidem proſpicere & licet, & honeſtum eſt, quoniam cura familiæ noſtríque ipſius eſt habenda ſupra 5.v.8.

7 *Nihil enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam poſſumus.*

A 8 *Sed habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus.*

Νουθέτησις, quæ modum præſcribit, qui nobis in terrenorum bonorum vſu & comparatione ſeruandus eſt, quem modum qui excedit, is planè & ſtultus eſt, & fruſtrà ſeſe cruciat. Fuit autem hæc præſcriptio valde neceſſaria, & cùm in hũc locum ſemel ingreſſus eſſet Paulus, adiicienda propterea quod ſi qua in re iuſtos limites prætergrediuntur homines, in vna hac cumulandarum diuitiarum cura nullam moderationem ſeruant. Hæc autem eſt admonitionis ſumma, vt quia hæc terrena & externa bona neque naſcentes inferimus: neque efferimus aſportamúſque nobiſcum morientes: ſed habemus tantùm in hoc mundo ad victus veſtitúſque ſubſidium, ipſo eorum vſu contenti ſimus, neque plus in iis quærendis fatigemur, quàm victus veſtitúſque noſtri moderata ratio poſtulat & requirit.

B Vtitur autem Paulus argumento duplici: quorum alterum ducitur ab abſurdo, alterum à Fine iſtorum bonorum. Ab abſurdo. Quòd abſurdum eſt in iis comparandis fatigari, quæ neque retenturi, neque nobiſcum exportaturi ſumus, cùm ex hoc mundo & vita decedemus.

A fine, quòd omnium bonorum, quæ terrena ſunt, largiendorum vna hæc cauſa fuit, vt victus veſtitúſque nobis ex iis ſuppeditaretur atque paratus eſſet. Itaque præter victum & veſtitum, id eſt, ipſum vſum, habere & auferre ex iis nihil poſſumus.

Primum autem ſuum argumentum confirmat Paulus à comparatis. Sic morimur, quemadmodum naſcimur. At bona terrena in hunc mundum non inferimus naſcentes: ergo nec efferimus morientes. Similis.n. eſt ratio & conditio naſcendi atque moriendi. Nudi naſcimur & ex vtero prodimus: ita nudi illíſque bonis omnibus terrenis vacui morimur, & in communis matris, id eſt, terræ aluum & gremium redimus & cõdimur. Similis locus Iob.1.v.21. Eccleſ.cap.5.v.15. vbi vis huius argumenti explicatur. *Quemadmodum egreſſus homo eſt ex vtero matris ſuæ nudus, ſic nudus reuertitur,* C *vt diſcedat, quemadmodum venit, neque quicquam reportat de labore ſuo, quod venire fecit in manum ſuam.* Illud etiam præclarè Ethnicus quidam, Infantem nudum cùm te natura crearit, Paupertatis onus patienter ferre memento.

Sed obiici poſſe videtur, ſi hæc non auferimus nobiſcum, ſint autem ad huius vitę curſum conficiendum neceſſaria, eò maiori ſtudio videri conquirenda & paranda eſſe quòd iis in hac mortali vita carere non poſſumus. Reſpond. Deum iſta nobis omnia affatim atque abundè paraſſe, & ab eo tantùm illa eſſe petenda, qui gratis & benignè omnia nobis poſtulantibus largitur & ſuppeditat adeò vt propter vexationem illam noſtram circa βιωτικὰ atque anxiam de iis curam, nihil nobis copioſius aut vberius ex illis ſit adfuturum. Matth.6. v.26. ſed à Deo datur, quicquid benignus ille pater videt eſſe nobis commodum atque neceſſarium, & quantum videt expedire.

Secundum autem argumentum eſt vberrimum, latéque patet, in quo nobis ſunt duo ſpectanda, Primum, quod ait, habentes victum & veſtitum. Secundum quod ait nos iis contentos eſſe debere. A

Neque verò dubitari poteſt hominem in hunc mundum iam conditum, tanquam in domicilium ſibi à Deo paratum, rebúſque omnibus abundantiſſimum & inſtructiſſimum inductum fuiſſe, vt apparet Gene.1. Poſt peccatum autem & pluribus & aliis rebus egere cœpit homo, quàm ante peccatum. Cùm enim primum victu tantùm & cibo egeret quia animalis, non autem ſpiritualis conditus erat, poſtea propter ſuæ nuditatis horrorem egere & veſtitu. Itaque Dominus ipſe ex iis rebus, quas in hoc mundo condiderat, aptauit confecítque veſtimentum Adamo, vt eſt Geneſ.3. Adeò vt mundi huius & rerum omnium, quæ hominis cauſa à Deo creatæ ſunt, vſus ſiue fructus omnis in his duobus ſit poſitus nimirum vt & Alamur, & Veſtiamur in hac vita vt apparet Prouerb.27.v. 26. Eccl.39.v.31.32. In futura verò vita neq; cibo, neq; potu, neque veſtimẽto opus habebimus: ſed in eo erimus ſimiles Angelis beatis. Vtroq; autẽ hîc egemus tum propter naturæ noſtræ conditionem, in qua primum à Deo facti ſumus (nam etiã ederet Adamus, etſi purus & qualis creatus erat B manſiſſet) tum etiam propter peccati labem & miſeriam, in qua iam verſamur. Inde eſt medicamentum, veſtimentum, varia propter ſtomachi infirmitatem rerum genera. Sic Geneſ. 28. verſ.20. duo tantùm hæc petit à Deo Iacobus Patriarcha.

Victus autem nomine etiam potum: Veſtitus autem etiam habitationem complectimur, quod etiam Iuriſconſulti docent, ne hîc anguſtiſſimam eſſe harum vocum ſignificationem putemus. Neque tamen ſic ſtrictè Victum atque veſtitum nobis à Deo concedi debemus interpretari, vt lautitiarum omnium vſum denegatum eſſe exiſtimemus. Nã & odoribus & vnguẽtis vſos eſſe patres apparet Pſalm. 23. & nobis quoque nonnunquam liberius epulari, ſuauioribus condimentis vti licere, modò luxus, atque abuſus omnis, ebrietáſque & crapula à noſtris conuiuiis abſit, verum eſt, ne dum auaritiam vitare ſtudemus, in miſeram ſuperſtitionem incidamus. Nam nõ admetitur parcè nobis ſua dona Dominus, etiam terrena, ſed liberaliſſimè prodigit atque profundit, quibuſcum gratiarum actione vti licet. C

Ex hoc etiam loco duo colliguntur. Primum cùm nos victu & veſtitu contentos eſſe iubeat Paulus, eóque & tenui & mediocri, non exquiſito, non diti, verum eſſe quod dicitur paucis contentam eſſe naturam. Id quod etiam Ethnici ipſi ſenſerunt, & Aulus Gellius ex Euripide docet. Præclarè quoque Horatius Flacc. lib.1. epiſt.

Pauper enim non eſt, cui rerum ſuppetit vſus:
Si ventri bene, ſi lateri eſt, pedibúſque tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Ex quo falſa apparet eiuſdem Horatij ſententia illo eodem lib.1. epiſt.

Exilis domus eſt, vbi non & multa ſuperſunt.

Euripid. in Medea,

Τὸ γὰρ εἰθίσθαι ζῆν ἐπ᾽ ἴσοισι
Κρεῖσσον ἔμοιγ᾽ οὖν, εἰ μὴ μεγάλως.

Eadem enim præſtant tenues mediocréſque opes, atque magnæ. Et quæ nos ſalubriter ſatíſque alunt atque tegunt omnino vſum eundem præſtant, quem immenſæ regum ipſorum opes,

Magna fuge, licet ſub paupere tecto

A Reges,& regum vita præcurrere amicos.

Secundum autem eſt. Non impediri tamen nos, quo minus de bonis & facultatibus noſtris teſtemur, eáſque aliis relinquamus, etſi huius mundi & earum rerum, quæ ſunt in eo, propriè domini proprietariíque non ſumus: ſed tantùm vſufructuarii. Nam etſi hæc, quæ habemus, non aſportamus nobiſcum, relinquimus tamen, quia iſta dominus nobis ea lege dedit, vt aliis ius idem vſusfructus relinquere poſsimus nõ tantùm vt iis vtamur viuẽtes. Ergo & morientes legem certam imponere teſtamento, contractu, legato, aliáque legitima ratione poſſumus hæredi noſtro.

Denique inſulſum eſt, quod Monachi hoc Pauli dictum ad ſe ſolos pertinere putant. Pertinet enim ad omnes Chriſtianos, qui procul à ſe omnem auaritiæ animum abiicere atque remouere debent. Longè verior eſt concilij Antiocheni cap. 35. ſententia, quod iubet ne de Eccleſiæ bonis Epiſcopi vel clerici plus ſibi, quàm victum & veſtitum accipiant, ſi tamen ſe ſuis ſumptibus exhibere non poſſunt. In proprios aut domeſticos vſus alios, aut in agrorum ſuorũ, vel cognatorum commoda ne ea bona cõuertant. Id quod etiã in can. Epiſcopus 12. quæſt. 1. relatum eſt. Denique B de bonis Eccleſiæ Sacerdos viuere, nõ autem luxuriari debet, vt eſt in diſt. 44. Et quod iam ad luxum conceſſæ ſunt Epiſcopis ampliſsimæ opes de bonis Eccleſiæ, id factum eſt cum pauperum magno detrimento & iniuria: atque etiam ipſius Eccleſiæ magno malo. Nam quod Canoniſtæ reſpondent in gloſſa neceſsitatem canon. 1. 21. quæſt. 1. quia hodie creuit decus Eccleſiæ, idcirco præter neceſſaria prætérque victum & veſtitum debuiſſe quoque opes maiores Epiſcopis concedi, quas in aliis rebus, vt in equis, pretioſis veſtibus, &c. inſumerent, vt ſplendorem Eccleſiæ conſeruarent, illud eſt pernicioſiſsimum & falſiſſimum, refutatúrque canon. Vaſa de conſecrat. diſtinct. 1. vbi omnem eum ſplẽdorum externum Epiſcoporum & Eccleſiaſticæ ſupellectilis, veſtitus & victus luxum eſſe & ſemper fuiſſe veriſſimam Eccleſiæ corruptelam reſpondet Bonifacius Martyr. Id quod verum eſſe rerum experientia C manifeſtiſsimè docet hodie in Papatu, quo magis ſibi ab iſta magnarum opum copia cauere debent Epiſcopi Euangelici & paſtores.

9 *Qui autem volunt diteſcere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnoſas, quæ demergunt homines in exitium & interitum.*

Ε'πεξεργασία. Perſequitur enim ſuſceptam exhortationem de fugiendo opum accumulandarum ſtudio. Deterret autem ex effectis & periculo, quod huiuſmodi ſtudium comitatur. Ita verò comparat & enumerat Paulus hæc effecta diuerſa & varia, vt alia aliorum reſpectu & ratione ſint antecedentia & priora ac velut cauſæ: alia verò poſteriora, ſequentia, & tanquam teterrimi è ſuperioribus fructus promanantes. Sunt igitur hæc effecta Cupiditates, quas, & Amentes, & Damnoſas vocat. Naufragium ſiue defectio à fide. Illud effectum prius eſt: hoc autem poſterius eſt & ſecundum.

Eſt autem totus hic locus ἠθικὸς & παραινετικὸς, id eſt, prauorum morum ſtudiíque hominum præpoſteri & inſani increpatio. A

Eſt verò eò magis neceſſaria hæc exhortatio, quòd commune, vile, & penè nullum vitium habetur inter homines auaritia: imò verò laudatur nomine diligentiæ (vt ait ille, tãquam frugi laudatur auarus) nomine induſtriæ, & prudentiæ. Vnde præclarè Iuuenalis Satyr. 14. Sponte tamen iuuenes imitantur cætera, ſolam Inuiti quoque auaritiam exercere iubentur. Præterea hominum ingeniis inhæret tum diffidentia peſſima de Dei promiſsionibus & prouidentia: tum etiam fiducia quædam in rebus ipſis: quibus cùm caremus, prorſus periiſſe nobis videmur. Atque vtrunque hoc vitium facit, vt opibus, diuitiíſque comparandis ardenter admodum incumbamus, tãquam ſolis vitæ huius tuendæ mediis cauſis, omnino & ἁπλῶς neceſſariis. Itaque euellendum eſt ex animis hominum tam tetrum malum, támque fallax opinio, quæ vt venenum ſerpit. Quod hoc loco conatur Paulus.

Quæſitum eſt autem ad quos hæc exhortatio pertineat, vtrúmne ad ſolos doctores & verbi Dei miniſtros, de quibus ſuperioribus verſiculis egerat: an in vniuerſum ad omnes Chriſtianos.

Reſpond. Ad omnes. Neque enim hîc quicquã B obſeruari poteſt, quamobrem ad ſolos, vel doctores, vel paſtores Eccleſiæ hæc doctrina ſpectet: quanquam hoc lubenter conceſſerim, ſi quos oporteat hoc tam fœdo vitio, qualis eſt auaritia, & φιλοπλουσίᾳ carere, vnos maximè doctores paſtoréſque debere, qui cæteris vitæ exemplo prælucere debent, & in quorum animos obrepens hoc venenum longè ſit futurum nocentiſsimum exemplo. Præterea quicquid affert hîc Paulus de peſſimis φιλοπλουσίας effectis, ex aliis Sacræ ſcripturæ locis ſumptum eſt, vbi vniuerſi pii ab hoc tam tetro deſiderio & vitio deterrentur.

Duo verò ſunt hoc loco notanda. Primùm quod ait Paulus, *qui volunt diteſcere*. Secundum quod ſubdit, *incidunt in cupiditates*, &c.

Similes verò huic in ſacra Scriptura loci ſunt penè infiniti, ſed hi maximè cum hoc conferendi Prouerb. 1. verſ. 17. 18. 19. Eccleſ. 5. verſ. 10. 11. 12. 13. Prouerb. 11. verſ. 4. 20. 21. Pſalm. 119, verſ. 36. Pſalm. C 49. Quod ſi hoc loco profanorum de eadem re ſententias colligere liberet, reperirẽtur innumerabiles. Imprimis autem locus eſt ille Iuuenal. Satyr. 14. quem citauimus. item Q. Flacci Horatii epiſt. 1. & ad Iccium, & Numicium lib. 1. epiſt. & Satyr. 1. lib. Satyr. quę profanorum hominum ſententiæ certè minimè ſunt nobis negligendæ.

Diſsimilis autem huic locus eſt Prouerb. 12. v. 15. *Diuitiæ diuitis ſunt vt vrbs fortitudinis*. Eccleſ. 10. v. 19. argentum ἰσοδυναμεῖ rebus omnibus. Itaque vino æquiparantur diuitiæ, quod lætificat.

Horum locorum ſolutio facilis eſt, ſi animaduertatur & rectè notetur dictum Pauli. Non enim dicit diuitias per ſe eſſe malas, vel diuites ipſos miſeros eſſe & per ſe Deo exoſos: ſed deſyderium, ardorem, & cupiditatem ipſam auri argentíque congerendi eſſe damnabilem, amentem & exitioſam. Itaque diuitiæ hac Pauli ſententia minimè damnantur, vti neque illo Chriſti dicto quod eſt Matth. 19. verſ. 24. tanquam Dei maledictio quædam in iis ineſſet. Sũt enim potius benedictionis Dei erga nos argumentum, ſi modò iis

A rectè vtamur:ſed dãnatur ſtudiũ & voluntas diteſcendi, quam φιλοπλουτίαν appellemus licet, ardens deſyderium & ſolicitudinem opum accumulandarum vel retinendarum. Fuit enim Abrahamus diues, fuerunt Iſaac, & Iacob. Fuit Dauid, fuit Salomo. Inter fideles, quorum facta eſt mentio in nouo Teſtamento, fuit diues Manahem educatus cum Herode Tetrarcha Acto.13. verſ.1. Electa ad quam ſcribit Ioan.2.epiſtolam. Diuites fuerunt Theſſalonicenſes, vt apparet ex Pauli epiſtolis ad eos. Denique Pſal.37.Pſ.62. verſ.10. Pſal. 112. Diuitiæ etiam hæ, & quidem terrenæ promittuntur piis, nedum, vt eas deteſtari, & abiicere debeamus, ſi qua legitima ratione nobis obueniant, aut ſi eas Deus dederit.

Vetat igitur Paulus ne ſtudium animúmque diteſcendi habeamus, vel opes noſtras retinendi. Vtrumque enim complectitur Paulus ſiue diteſcere velimus opes comparando quas antea non habebamus: vel noſtras conſeruando ardentiori ſolicitudine quàm oportet. Non vetat, ne familiæ curam habeamus, ne bona facultatéſque à Deo nobis conceſſas moderatè tueamur, curemus, & B iuſta ratione conſeruemus: vel etiam, ſi qua ratione legitima fieri poſsit, eas augeamus.

Hoc loco ſunt abuſi Monachi, qui miſeriam & paupertatem pro ſummo & maximè homine Chriſtiano digno bono vouerunt. Tria ſunt enim Monachicarum religionum vota Obedientia, Continentia, Paupertas. Sed etiam hoc eodem loco abuſi ſunt & abutuntur Catabaptiſtæ, atque Anabaptiſtæ, ſed & aliis ſimilibus locis ſcripturæ. Nam hos arripiunt, vt doceant homini Chriſtiano non licere quicquam ſuum aut priuatum habere & poſsidere, ne φιλοπλουτία alatur inter nos. Quòd ſi ſit communio bonorum inter nos, ceſſaturum contendunt hoc omne ſtudium & turpem cupiditatem diteſcendi, cùm tunc nihil ſit propriè noſtrum futurum. Sin autem aliquid proprium retinemus, iam hoc damnabile ſtudium in nobis accendi. Sed exemplo Monachorum, qui omnia in communi habent, docemur, ne hanc quidem communionem bonorum extinguere φιλοπλουτίαν, cùm nihil ſit Monachis auarius, & ad opes illas C communes congerendas ardentius. Nam etiam quod commune eſt, quodammodo noſtrũ eſſe arbitramur, & quãtò cõmunitas ipſa erit ditior, nos quoque ipſos opulentiores, beatiores, ditioréſque eſſe exiſtimamus. Itaque Ieſuitarum exemplum & vita ſiue regula, qui Anabaptiſticam illam bonorũ communionem admiſerunt, ſequũtúrque hodie in ſuis monaſteriis, oſtendit euidentiſsimè φιλοπλουτίαν propterea minimè extingui. Neque etiã vt nos ab iſta habendi cupiditate retrahat Dei ſpiritus hoc loco, reuocat ad κοινωνίαν bonorum, ſed proponit pericula, in quę ſeſe coniiciunt, qui opes ſic appetunt, ſiue priuatas, ſiue communes. Quæ enim mala hîc enumerat Paulus tam in communione bonorum, quàm in priuata eorum poſſeſſione emergunt, & oriuntur. De qua Anabaptiſtarum ſententia plura ſcriberemus, niſi eam opere elegantiſſimo vir piæ memoriæ D. Bullingerus abundè refutaſſet ſex libris contra Catabaptiſtas, editis, in quorũ li.2. Tra.6. hoc delirium reiicitur.

Gignit igitur & parit hoc ſtudium & affectus varia pericula.

1 Incidunt, qui tales ſunt, in laqueos & tentationem, Diaboli nimirum. A quo periculo nobis toto conatu, & velis remiſque fugiendum eſſe docemur quotidie in oratione Dominica his verbis. Ne nos inducas in tentationem, &c. Hoc autem fieri non in vno vel altero tantùm: ſed in omnibus φιλοπλουτίοις tum rerum experientia probat: tum etiam docet profanorum hominum ſententiæ ex naturę ſenſu & rerũ, quas cernebant, vſu prolatæ & expreſſæ, qualis illa, Μητρόπολις κακίας ἀπληστία, tem ſenarius iſte vulgatiſſ.

Κακὸν μέγιστον ἐν βροτοῖς ἀπληστία.

Sententia Euripidis.

Οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως, δίκαιος ὤν.

Iuuenalis Satyr.14.

Inde ferè ſcelerum cauſæ, nec plura venena
Miſcuit, aut ferro graſſatur ſæpius vllum
Humanæ mentis vitium, quàm ſæua cupido
Indomiti cenſus. Nam diues qui fieri vult,
Et citò vult fieri. Sed quæ reuerentia veri,
Quis metus, aut pudor eſt vnquam properantis auari?

Vnde ab Hebręis appellata eſt auaritia בצע *Bétſah* quòd nullum deſyderij modum habeat. Denique legatur Bernard. in ſer.3. in Pſalm. Qui habitat. & Auguſtinus lib.1. de Ciuit. Dei cap.10. epiſt. 111. ad Iulian. Comitem. Sed in Pſalm.128. verſ.36. vna auaritia omnibus Dei mandatis opponitur, quæ ex animo noſtro delet prorſus, vt Iudæ Iſcariotæ, itémque Ananiæ & Saphiræ exẽpla docent. B

Rationem verò ſubiicit Paulus, cur tentationes hæ obrepant, à quibus vincimur, nimirũ quia cupiditates multas affert hic diteſcendi animus. Nihil enim inſatiabilius iſtorum hominum animo, nihil concupiſcentius, nihil ſolicitius, nihil cura magis plenum, nihil ardentius & vigilantius nihil curioſius. Omnia circumſpectant emiſsitiis ſuis illis oculis, omnia ſpe vorant, omnibus auidè inhiant, & Monedularum more, auro & rebus ſuis perpetuò incumbunt & idem faciunt, quod qui in abyſſo fodiunt, vt nempe neque fundum reperiãt, neque vnquam ſaccum ſuum (vt loquitur Aggęus cap.1.) impleant.

Appellat autem has cupiditates, Amentes ſiue ſtultas, & Exitioſas ſiue damnoſas. Pro ἀνοήτους legit vetus interpres ἀνονήτους, id eſt, Inutiles. C

Duplex igitur vitium taxat Paulus in iſtis auarorum & diteſcere cupientium animis. 1 Quod nullum modum vnquam teneant, nullámque ſuæ perſonæ, ſtatus, dignitatis aut ſortis rationem habeant. Itaque planè ſint iſti ſtultorum & furioſorum hominum more inſani, imprudentes, amentes. Itaque furioſa appellata eſt cupido opum à Naſone.

2 Quod etiam ſibi ipſis mala & pericula non tantùm corporis, ſed etiam animi accerſunt, & creant. Vnde illis & ἀπώλεια (quam vocẽ ad corpus refero) & ὄλεθρος (quam vocem ad animum argumento 2.Theſſal.1.verſ.9. pertinere puto) tandem, & meritò quidem, euenit. In quo ipſo non tantùm ſtultitia ſumma ineſt: ſed etiam miſeria, infœlicitas, & horrenda conditio.

Hæc autem omnia effecta opponit Paulus illi laudi & plauſui, quem auaris diteſcentibus, & opes ſuas augentibus tribuere ſolet mundus clamans eos ſolos beatos, fœlices, induſtrios, & ſanos quibus nihil eſſe & miſerius, & furioſius pronuntiat hîc ſpiritus Dei.

A Præterea eo miſerabilior eſt hæc amentia, vt præclarè hoc loco annotauit Chryſoſtom. quod quæ tantopere optant iſti, & quæ tanti æſtimant, vt dies noctéſque propterea crucientur & laborent, opinione tantùm magna ſunt & pulchra, nõ natura. Sola enim opinio illis pretium facit. Nam ſi quis eos admoneat, doceátque aurum tantùm terram eſſe: argentum glebam: verum eſſe apparebit & erubeſcere cogentur. Præterea non eodem in pretio iſta ſunt apud omnes gentes. Nam aurum, vt docet Tertull. De cultu mulierũ, & gemmæ, apud Indos, & Æthiopas pro luto habentur, nec niſi in ſoccis & calceis, ídque in contemptum ab iis geſtari ſolebant. Quæ autem natura pulchra ſunt & pretioſa, ea apud omnes peræquè populos ſuum pretium ſuámque æſtimationem obtinent, vti Solis iſtius ſplendor, cœli pulchritudo, aquæ & reliquorum elementorum vtilitas.

Quod autem idem Chryſoſt. putat facillimam eſſe rationem huius flammæ & cupiditatis in nobis extinguendæ, nimirum ſi voluerimus (voluiſſe enim eam extinguere, ait, eſt eam ſuperaſſe) B Certè de his dici non poteſt, qui amant diuitias: quia neque ij volunt eam flammam extinguere: neque etiam quandiu illi indulgent, poſſunt. Præterea hæc ipſa voluntas, per quam huic vitio mederi volumus, non eſt à nobis: ſed à Deo ipſo. Sed ita loquitur Chryſoſt. vt hominibus pudorem incutiat, neque vllam tanto malo medendi deſperationem iniiciat, aut excuſationem relinquat.

10 *Siquidem radix omnium malorum eſt amor pecuniæ: quam quidam dum appetunt, aberrarunt à fide, & ſeipſos transfixerunt doloribus multis.*

Alterum argumentum eſt ſuperioris ſententiæ confirmandæ gratia, ex eodem loco ab effectis ductum. Eſt autem hoc effectum longè ſuperioribus, quamquam teterrimis, tetrius. Nam docetur φιλαργυρία & φιλοπλουσία eſſe, non vnius tãtùm vitii: ſed omnium fons & radix, imprimíſque Defectionis à fide, & Cruciatus ſummi animi. Similis locus Coloſſ. 3. v. 5. Epeſ. 5. verſ. 3. Mat. C 13. verſ. 22. vbi diuitiæ fallaces à Chriſto nominantur, quòd nos à recto tramite abducant & ſpirituale ſemen verbi Dei in nobis extinguant ac ſuffocent, vt eſt etiam Eccleſiaſtici 10. verſu 9. Diſsimilis verò huic locus Eccleſiaſtici cap. 10. verſ. 15. Initium peccati eſt ſuperbia.

Hos locos vt concilient quidam, volunt hoc dicendi genus, quo vſus eſt Paulus, eſſe ὑπερβολικὸν, quòd rem nimium augeat, neque ſit ad viuum reſecandum. Reſpondeo verò verum dixiſſe Paulum, neque plus dixiſſe, quàm res eſt, quámque ipſa experientia quotidie verum eſſe docet: ſed non eſſe hanc ſententiam in vna tantùm auaritia exploratam: verùm in multis quoque aliis vitiis, de quibus nos idem ſtatuere poſsimus, ea nimirum omne malorum genus gignere & producere. Quantò enim quodque vitium nos longius à Dei metu, & vera fide abducit, eò plura maioráque vitia in nobis parit. Cùm ſit enim fides omnium virtutum fons, quantò longius à fide recedimus, eò pluribus grauioribúſque peccatis abundamus. At auarus & φιλάργυρος animus longiſsimè abeſt à fide, ſiue fiducia in Deum collocanda, longiſsimè à Dei metu, cùm penuriam atque inopiam plus quàm Deum ipſum, & omnia A Dei iudicia timeat. Idcirco hic affectus meritò quælibet mala & animi vitia ſecum afferre dicitur. Nam eadem auaritia idololatria dicta eſt, & Dei obliuio, terrenarúmque rerum, in quibus opes ſitæ ſunt, cultus, adeò hominis ingenium auaritia peruertit. Itaque Iſai. 57. v. 17. pro ſummo & capitali delicto auaritia recenſetur. Præterea cùm inter vitia alia aliis ſint grauiora, hoc maximum eſt, quod auaritia nominatur. Itaque varia producit. Sunt denique vti virtutes inter ſe connexæ: ſic vitia quoque inter ſe vinculo quodam coniuncta, vt qui vnum habeat plura ſimul poſsideat. Ergo hęc mens eſt Pauli: Nullum eſt malorũ & vitiorum genus, quod auaritia ſecum tandem non attrahat. Quod & de ſuperbia, & de aliis quoq; vitiis dici poſſe non negat Paulus. Neque enim dixit ſolam auaritiam radicem eſſe omnium malorum, vt alia vitia excluderet: ſed eam, vt reliqua alia peccata, quæ ex eadem infidelitate & diffidentia oriuntur, omnium malorum fontem eſſe. Neque abſurdum eſt, vt plures ſint eorumdem B riuorum fontes diuerſa ratione (vti terra dici poteſt producere omnes fructus, quibus veſcimur, quos eoſdẽ quoque Sol producit) Sed ſuperbia ratione Dei, in quem ſeſe effert: auaritia hominũ reſpectu quos offendit, dicitur omniũ malorum eſſe cauſa. P. Lombardus lib. 2. diſtinct. 42. cap. Præterea ſciendum & cap. ſeq. perplexus eſt in huius loci explicatione. Durandus etiam in eũdem locum quęſt. 3. & 4. magis adhuc quęſtionem inuoluit & perturbat. Diſtinguunt enim iſti vitia, in Capitalia, & Subnaſcentia ex illis capitalibus.

Capitalia conſtituunt ex Gregorio magno lib. 31. Moralium ſeptem, nempe, Inanem gloriam, Iram, Inuidiam, Accidiam, Auaritiam, Gulam, Luxuriam. Itaque quærunt qua ratione hîc à Paulo auaritia radix omnium malorum dicatur, cùm præter eam alia quoque ſint capitalia vitia. Sed ita hoc à Paulo de auaritia dicitur, vt de aliis quoque non negetur.

Maior difficultas eſt, quòd quidam cenſent à Paulo mutatam eſſe quæſtionem. Cùm enim de φιλοπλουσίᾳ ſuprà ageret, nunc de φιλαργυρίᾳ eum diſſerere putant, & ad eam argumentum transferre, C cuius incommoda & effecta recenſet, non autem φιλοπλουσίας. Sed reſpondeo etſi diuerſo vocabulo Paulus vtitur, rem tamen eandem vtroque ſignificari. Nam & qui diteſcere volunt, ſunt φιλάργυροι: & qui ſunt φιλάργυροι, cupiunt diteſcere, ſunt φιλοπλούσιοι. Quod autem quidam quærunt quomodo Paulus dixerit ἧς τινὲς ὀρεγόμενοι referens ad auaritiã vocem ἧς, cùm nemo auaritiam appetat, ſed aurũ, habet facilem reſponſionem. Nec enim refert Paulus vocem ἧ ad totam φιλαργυρίας ſignificationem, ſed ad poſtremam tantùm compoſitionis ipſius vocabuli dictionem nempe ἀργυρίας, quæ & ἀπὸ τοῦ ἀργύρου & ἀργυρίου deducta eſt. Significat autem & argentum & nummum. Vtrunque autem auari expetunt, & ardenter ſitiunt.

Φιλαργυρίας autem voce ſtudium pecuniæ maniſeſtiſsimè deſignat Paulus: ſed & omnem quoque rei cuiuſlibet turpis & vitioſæ immoderatam appetitionem, in vniuerſum complectitur. Quanquam enim ἄργυρον vna quædam earum rerum ſpecies eſt, quas auari conſectantur maximè: tamen hîc omne opum genus complectitur. Itaque φι-

λάργυρος

A λάργυρος hîc à Paulo dicitur, qui ſiue argentum, ſiue aurum, ſiue agros, ſiue frumentum, ſiue quaſlibet alias opes ardenter expetit, & vitioſè, id eſt, & plusquàm oportet, & alio modo, atque ad aliũ finem quàm oportet. Nã & auaritia ipſa, Latinum vocabulum, quanquam nomen eſt ab auro deriuatum, immoderatam tamen quarumlibet opum appetitionem vel ſtudium generaliter complectitur, quemadmodum docet Auguſtinus. Alii auaritiam ab auiditate dictam malunt, vnde multa auara appellant, quæ auro non egent, vti dicitur mare auarum.

Duplex autem malum enumerat hoc loco Paulus, ex omnibus ijs, quæ auaritia procreat, nempe Defectionem à fide, & Animi cruciatum. Defectionem à fide ex nimio opum vel congerendarum, vel conſeruandarum ſtudio, accidere, infinita hominum exempla docent, & quotidiana experientia. Quot enim hominum millia in noſtra præſertim Gallia, propterea fidem Chriſti, quam antea profeſsi fuerant, abnegarunt? Quot adhuc hodie propterea deſciſcunt? Quot B etiam in media ipſa Eccleſiarũ pace propter opes Deum factis negant, quem ore profitentur? Hæc vna maximè cauſa Samoſatenum in maledictam illam hæreſin, quæ poſtea Arrianiſmi radix fuit, induxit vt opes à Zenobia Arabum regina haberet, neque ab ea priuaretur iis bonis, quæ vt Epiſcopus Antiochiæ poſsidebat. Et inter cauſas hæreſeωn & à Paulo, & ab omnib' auaritia recẽſetur. Satan ipſe ita tentauit Chriſtum Matth.2. Omnia regna mundi tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Animi cruciatum quantum auari ſentiant & taciti perferant docet etiam impius Lucianus in Dialogo qui Simon vel Ἀλεκτρυὼν inſcribitur: Plautus in Euclione, & pulcherrimè diſputat A. Gellius, ex verbis ex C. Criſp. Saluſtij libr.3. Noct. Attic. cap.1. Adeò vt hîc animi dolor qui ex diffidentia atque infidelitate naſcitur, ſit eius ipſius pœnæ quæ in inferno auaris iſtis, niſi reſipuerint, parata eſt, prægustamẽtum quoddã atque delibatio miſerrima & inſuauiſsima. Sed nõ tantùm animi: verum etiam corporis perpetuus eſt cruciatus & fatigatio auaritia, quemadmodum præclarè C his verſibus cecinit Q. Flaccus.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiẽs, per ſaxa, per ignes.

Reliqua vitia ad paſtorum conciones pertinent, quæ hoc loco cumulari in auaritiam poſſunt.

11 *Tu verò, homo Dei, iſta fuge, ſectare autem iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, tolerantiam, lenitatem.*

Κατάβασις eſt. A generali enim præceptione, quæ omnium Chriſtianorum, quemadmodum dictum eſt à nobis, communis erat, ad ſpecialem deſcendit vt hanc doctrinam peculiariter paſtoribus in perſona Timothei applicet. Summa huius applicationis hęc eſt. Si quibus hominib' Chriſtianis ſcelus illud & teterrimum auaritiæ vitium fugiendum & cauendum ſit, vnis maximè paſtoribus, Doctoribus, præfectis, Miniſtríſque omnibus Eccleſiæ id faciendum. Atque per ἀντίθεσιν docet quænam ſint illis ipſis paſtoribus ſectanda, vt habeant & ipſi in quibus ſe exerceant & occupẽt, longéque meliora, quàm auari meditantur.

Ratio huius pręceptionis eſt ex illo Chriſti dicto, quod eſt Matth.5.v.13.& 14. *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mũdi, ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur?* A Deinde ex eo Petri loco, qui eſt 1. Petr. cap.5. verſu 3. oportet Paſtores & Presbyteros Eccleſiæ eſſe exemplar gregis. Qua enim vel fronte vel libertate auaros reprehendent paſtores, ſi ſint ipſi auari, & eodem vitio laborent? Nam vt eſt ſatis notum,

Turpe eſt doctori, cùm culpa redarguit ipſum.

Et illud Chriſti, Medice cura teipſum. Neque verò hoc facit quò minus paſtores & quædã propria habere poſsint, ac ſtipendia ab Eccleſia accipere: & familiæ ſuæ honeſtam moderatámque curam gerere, contrà quàm tamen ſentiunt homines importuni Catabaptiſtæ, vti diximus.

Dicit autem Paulus φεῦγε, id eſt, fuge. Quod vtiliter obſeruauit Chryſoſtom. vt ex vocabulo ipſo intelligatur, quanto ſtudio, quantóque animi conatu ſit ab hoc auaritiæ vitio illis cauẽdum: fugimus enim quę periculoſiſsima & maximè exitioſa nobis eſſe arbitramur, quale certè eſt hoc ſcelus. Itaque non dixit tantum abſcede, vt prius ἀφίστασο v.5. Separa te Ἀποχώρει: ſed fuge, & quidem ſtrenuè & diligenter. B Videtur autem Paulus voluiſſe opponere hoc ſtudium noſtrum in auaritia fugienda illi diligentiæ indefeſſæ atque indefatigabili labori, quem in opibus cumulãdis ſumunt auari, qui tantus eſt, vt nullum remittant tempus neque ſe reſpiciant. Breuiter autem addit pondus huic ſuę exhortationi, cùm eos, quos in Timothei perſona alloquitur, nempe Paſtores Eccleſiæ vocat *homines Dei*. Ex hac enim ipſorum laude vult eos diligentius officii ſui commonefacere. Neque enim ſolius Timothei propria eſt & peculiaris hęc appellatio. Obiter tamẽ illud in noſtram vtilitatẽ & expergefactionẽ notandũ eſt, quòd ſummopere huiuſmodi exhortationes ſunt nobis neceſſariæ, cùm ne ipſi quidem Timotheo fuerint inutiles: ſed proh Deum immortalem, quali viro, ad quem nos collati nihil niſi maculæ & turpitudo ipſa videbimur! Nec verò lubens aut iocans Paulus ſic eum admonet, ſed quod illi ipſi, quanquam multum in Dei metu progreſſo, vtilem tamen hanc exhortationem fore viderit & ſperarit. C

Quæritur autem, cur Timotheus vocetur homo Dei, & quæ ſit huius appellationis propria ſignificatio, tum hoc loco: tum etiam aliis penè infinitis. In vniuerſum omnes homines dici poſſunt homines Dei κτιστικῶς & φυσικῶς, quia & à Deo ſunt conditi, & illius ſunt. Domini enim eſt omnis terra & plenitudo eius, & qui in ea habitant. Pſalm.24. & Pſalm.50. ver.10. Quod propter Marcionitas, Manichæos & alios hæreticos ſcitu neceſſarium eſt, quorum alij hominem totum opus alterius δημιουργοῦ, quàm veri Dei eſſe docent: alii partem quandam hominis, velut alii corpus, alij animam Diabolo adſcribebant. Secũdo loco dicũtur homines Dei εἰδικῶς & ἁγιαστικῶς ſoli Pij, Fideles, & Electi, quòd ab eo ſanctificentur, in iis habitet, & eos pro ſuo populo peculiariter elegerit Deus. Ex quo fit vt 2. Reg.4.v.9. Homo ſanctus, & homo Dei pro eodem ſumantur. Tertio denique loco & ſignificato dicuntur homines Dei ἰδίως ii tantùm, qui in Eccleſia & domo Dei munus aliquod Eccleſiaſticum legitimè habent, ſiue illud ordinariũ vt paſtores: ſiue extraordinariũ, vt Prophetæ: quòd ij plus quàm reliqui fideles ſpeciali quodam iure Dei eſſe cenſeantur, & in eius pe-

A Præterea eo miſerabilior eſt hæc amentia, vt præclarè hoc loco annotauit Chryſoſtom. quod quæ tantopere optant iſti, & quæ tanti æſtimant, vt dies noctéſque propterea crucientur & laborent, opinione tantùm magna ſunt & pulchra, nō natura. Sola enim opinio illis pretium facit. Nam ſi quis eos admoneat, doceátque aurum tantùm terram eſſe: argentum glebam: verum eſſe apparebit & erubeſcere cogentur. Præterea non eodem in pretio iſta ſunt apud omnes gentes. Nam aurum, vt docet Tertull. De cultu mulierū, & gemmæ, apud Indos, & Æthiopas pro luto habentur, nec niſi in ſoccis & calceis, ídque in contemptum ab iis geſtari ſolebant. Quæ autem natura pulchra ſunt & pretioſa, ea apud omnes peræquè populos ſuum pretium ſuámque æſtimationem obtinent, vti Solis iſtius ſplendor, cœli pulchritudo, aquæ & reliquorum elementorum vtilitas.

Quod autem idem Chryſoſt. putat facillimam eſſe rationem huius flammæ & cupiditatis in nobis extinguendæ, nimirum ſi voluerimus(voluiſſe enim eam extinguere, ait, eſt eam ſuperaſſe) B Certè de his dici non poteſt, qui amant diuitias: quia neque ij volunt eam flammam extinguere: neque etiam quandiu illi indulgent, poſſunt. Præterea hæc ipſa voluntas, per quam huic vitio mederi volumus, non eſt à nobis: ſed à Deo ipſo. Sed ita loquitur Chryſoſt. vt hominibus pudorem incutiat, neque vllam tanto malo medendi deſperationem iniiciat, aut excuſationem relinquat.

10 Siquidem radix omnium malorum eſt amor pecuniæ: quam quidam dum appetunt, aberrarunt à fide, & ſeipſos transfixerunt doloribus multis.

Alterum argumentum eſt ſuperioris ſententiæ confirmandæ gratia, ex eodem loco ab effectis ductum. Eſt autem hoc effectum longè ſuperioribus, quamquam teterrimis, tetrius. Nam docetur φιλαργυρία & φιλοπλουσία eſſe, non vnius tātùm vitii: ſed omnium fons & radix, imprimíſque Defectionis à fide, & Cruciatus ſummi animi. Similis locus Coloſſ.3.v.5. Epeſ.5.verſ.3. Mat. C 13.verſ.22. vbi diuitiæ fallaces à Chriſto nominantur, quòd nos à recto tramite abducant & ſpirituale ſemen verbi Dei in nobis extinguant ac ſuffocent, vt eſt etiam Eccleſiaſtici 10. verſu 9. Diſsimilis verò huic locus Eccleſiaſtici cap.10. verſ.15. Initium peccati eſt ſuperbia.

Hos locos vt concilient quidam, volunt hoc dicendi genus, quo vſus eſt Paulus, eſſe ὑπερβολικὸν, quòd rem nimium augeat, neque ſit ad viuum reſecandum. Reſpondeo verò verum dixiſſe Paulum, neque plus dixiſſe, quàm res eſt, quámque ipſa experientia quotidie verum eſſe docet: ſed non eſſe hanc ſententiam in vna tantùm auaritia exploratam: verùm in multis quoque aliis vitiis, de quibus nos idem ſtatuere poſsimus, ea nimirum omne malorum genus gignere & producere. Quantò enim quodque vitium nos longius à Dei metu, & vera fide abducit, eò plura maioráque vitia in nobis parit. Cùm ſit enim fides omnium virtutum fons, quantò longius à fide recedimus, eò pluribus grauioribúſque peccatis abundamus. At auarus & φιλάργυρος animus longiſsimè abeſt à fide, ſiue fiducia in Deum collocanda, longiſsimè à Dei metu, cùm penuriam atque inopiam plus quàm Deum ipſum, & omnia A Dei iudicia timeat. Idcirco hic affectus meritò quælibet mala & animi vitia ſecum afferre dicitur. Nam eadem auaritia idololatria dicta eſt, & Dei obliuio, terrenarúmque rerum, in quibus opes ſitæ ſunt, cultus, adeò hominis ingenium auaritia peruertit. Itaque Iſai.57. v.17. pro ſummo & capitali delicto auaritia recenſetur. Præterea cùm inter vitia alia aliis ſint grauiora, hoc maximum eſt, quod auaritia nominatur. Itaque varia producit. Sunt denique vti virtutes inter ſe connexæ: ſic vitia quoque inter ſe vinculo quodam coniuncta, vt qui vnum habeat plura ſimul poſsideat. Ergo hęc mens eſt Pauli: Nullum eſt malorū & vitiorum genus, quod auaritia ſecum tandem non attrahat. Quod & de ſuperbia, & de aliis quoq; vitiis dici poſſe non negat Paulus. Neque enim dixit ſolam auaritiam radicem eſſe omnium malorum, vt alia vitia excluderet: ſed eam, vt reliqua alia peccata, quæ ex eadem infidelitate & diffidentia oriuntur, omnium malorum fontem eſſe. Neque abſurdum eſt, vt plures ſint eorumdem B riuorum fontes diuerſa ratione(vti terra dici poteſt producere omnes fructus, quibus veſcimur, quos eoſdē quoque Sol producit) Sed ſuperbia ratione Dei, in quem ſeſe effert: auaritia hominū reſpectu quos offendit, dicitur omniū malorum eſſe cauſa. P. Lombardus lib.2. diſtinct.42. cap. Præterea ſciendum & cap. ſeq. perplexus eſt in huius loci explicatione. Durandus etiam in eūdem locum quęſt.3. & 4. magis adhuc quęſtionem inuoluit & perturbat. Diſtinguunt enim iſti vitia, in Capitalia, & Subnaſcentia ex illis capitalibus.

Capitalia conſtituunt ex Gregorio magno lib.31. Moralium ſeptem, nempe, Inanem gloriam, Iram, Inuidiam, Accidiam, Auaritiam, Gulam, Luxuriam. Itaque quærunt qua ratione hîc à Paulo auaritia radix omnium malorum dicatur, cùm præter eam alia quoque ſint capitalia vitia. Sed ita hoc à Paulo de auaritia dicitur, vt de aliis quoque non negetur.

Maior difficultas eſt, quòd quidam cenſent à Paulo mutatam eſſe quæſtionem. Cùm enim de φιλοπλουσίᾳ ſuprà ageret, nunc de φιλαργυρίᾳ eum diſſerere putant, & ad eam argumentum transferre, C cuius incommoda & effecta recenſet, non autem φιλοπλουσίας. Sed reſpondeo etſi diuerſo vocabulo Paulus vtitur, rem tamen eandem vtroque ſignificari. Nam & qui diteſcere volunt, ſunt φιλάργυροι: & qui ſunt φιλάργυροι, cupiunt diteſcere, ſunt φιλοπλούσιοι. Quod autem quidam quærunt quomodo Paulus dixerit ἧς τινὲς ὀρεγόμενοι referens ad auaritiā vocem ἧς, cùm nemo auaritiam appetat, ſed aurū, habet facilem reſponſionem. Nec enim refert Paulus vocem ἧ ad totam φιλαργυρίας ſignificationem, ſed ad poſtremam tantùm compoſitionis ipſius vocabuli dictionem nempe ἀργυρίας, quæ & ἀπὸ τοῦ ἀργύρου & ἀργυρίου deducta eſt. Significat autem & argentum & nummum. Vtrunque autem auari expetunt, & ardenter ſitiunt.

Φιλαργυρίας autem voce ſtudium pecuniæ maniſeſtiſsimè deſignat Paulus: ſed & omnem quoque rei cuiuſlibet turpis & vitioſæ immoderatam appetitionem, in vniuerſum complectitur. Quanquam enim ἄργυρον vna quædam earum rerum ſpecies eſt, quas auari conſectantur maximè: tamen hîc omne opum genus complectitur. Itaque φι-

λάργυρος

A λάργυρος hîc à Paulo dicitur, qui ſiue argentum, ſiue aurum, ſiue agros, ſiue frumentum, ſiue quaſlibet alias opes ardenter expetit, & vitioſè, id eſt, & plusquàm oportet, & alio modo, atque ad aliũ finem quàm oportet. Nã & auaritia ipſa, Latinum vocabulum, quanquam nomen eſt ab auro deriuatum, immoderatam tamen quarumlibet opum appetitionem vel ſtudium generaliter complectitur, quemadmodum docet Auguſtinus. Alii auaritiam ab auiditate dictam malunt, vnde multa auara appellant, quæ auro non egent, vti dicitur mare auarum.

Duplex autem malum enumerat hoc loco Paulus, ex omnibus ijs, quæ auaritia procreat, nempe Defectionem à fide, & Animi cruciatum. Defectionem à fide ex nimio opum vel congerendarum, vel conſeruandarum ſtudio, accidere, infinita hominum exempla docent, & quotidiana experientia. Quot enim hominum millia in noſtra præſertim Gallia, propterea fidem Chriſti, quam antea profeſsi fuerant, abnegarunt? Quot adhuc hodie propterea deſciſcunt? Quot B etiam in media ipſa Eccleſiarũ pace propter opes Deum factis negant, quem ore profitentur? Hæc vna maximè cauſa Samoſatenum in maledictam illam hæreſin, quæ poſtea Arrianiſmi radix fuit, induxit vt opes à Zenobia Arabum regina haberet, neque ab ea priuaretur iis bonis, quæ vt Epiſcopus Antiochiæ poſsidebat. Et inter cauſas hæreſeων & à Paulo, & ab omnib' auaritia recẽſetur. Satan ipſe ita tentauit Chriſtum Matth. 2. Omnia regna mundi tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Animi cruciatum quantum auari ſentiant & taciti perferant docet etiam impius Lucianus in Dialogo qui Simon vel Ἀλεκτρύων inſcribitur: Plautus in Euclione, & pulcherrimè diſputat A. Gellius, ex verbis ex C. Criſp. Saluſtij libr. 3. Noct. Attic. cap. 1. Adeò vt hîc animi dolor qui ex diffidentia atque infidelitate naſcitur, ſit eius ipſius pœnæ quæ in inferno auaris iſtis, niſi reſipuerint, parata eſt, prægustamẽtum quoddã atque delibatio miſerrima & inſuauiſsima. Sed nõ tantùm animi: verum etiam corporis perpetuus eſt cruciatus & fatigatio auaritia, quemadmodum præclarè C his verſibus cecinit Q. Flaccus.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiẽs, per ſaxa, per ignes.

Reliqua vitia ad paſtorum conciones pertinent, quæ hoc loco cumulari in auaritiam poſſunt.

11 *Tu verò, homo Dei, iſta fuge, ſectare autem iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, tolerantiam, lenitatem.*

Κατάβασις eſt. A generali enim præceptione, quæ omnium Chriſtianorum, quemadmodum dictum eſt à nobis, communis erat, ad ſpecialem deſcendit vt hanc doctrinam peculiariter paſtoribus in perſona Timothei applicet. Summa huius applicationis hęc eſt. Si quibus hominib' Chriſtianis ſcelus illud & teterrimum auaritiæ vitium fugiendum & cauendum ſit, vnis maximè paſtoribus, Doctoribus, præfectis, Miniſtríſque omnibus Eccleſiæ id faciendum. Atque per ἀντίθεσιν docet quænam ſint illis ipſis paſtoribus ſectanda, vt habeant & ipſi in quibus ſe exerceant & occupẽt, longéque meliora, quàm auari meditantur.

Ratio huius pręceptionis eſt ex illo Chriſti dicto, quod eſt Matth. 5. v. 13. & 14. *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mũdi, ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur?* A Deinde ex eo Petri loco, qui eſt 1. Petr. cap. 5. verſu 3. oportet Paſtores & Presbyteros Eccleſiæ eſſe exemplar gregis. Qua enim vel fronte vel libertate auaros reprehendent paſtores, ſi ſint ipſi auari, & eodem vitio laborent? Nam vt eſt ſatis notum,

Turpe eſt doctori, cùm culpa redarguit ipſum.

Et illud Chriſti, Medice cura teipſum. Neque verò hoc facit quò minus paſtores & quædã propria habere poſsint, ac ſtipendia ab Eccleſia accipere: & familiæ ſuæ honeſtam moderatámque curam gerere, contrà quàm tamen ſentiunt homines importuni Catabaptiſtæ, vti diximus.

Dicit autem Paulus φεῦγε, id eſt, fuge. Quod vtiliter obſeruauit Chryſoſtom. vt ex vocabulo ipſo intelligatur, quanto ſtudio, quantóque animi conatu ſit ab hoc auaritiæ vitio illis cauẽdum: fugimus enim quę periculoſiſsima & maximè exitioſa nobis eſſe arbitramur, quale certè eſt hoc ſcelus. Itaque non dixit tantum abſcede, vt prius ἀφίστασο v. 5. Separa te Α᾽ποχώρει: ſed fuge, & quidem ſtrenuè & diligenter. Videtur autem Paulus voluiſſe opponere hoc ſtudium noſtrum in auaritia B fugienda illi diligentiæ indefeſſæ atque indefatigabili labori, quem in opibus cumulãdis ſumunt auari, qui tantus eſt, vt nullum remittant tempus neque ſe reſpiciant. Breuiter autem addit pondus huic ſuę exhortationi, cùm eos, quos in Timothei perſona alloquitur, nempe Paſtores Eccleſiæ vocat *homines Dei*. Ex hac enim ipſorum laude vult eos diligentius officii ſui commonefacere. Neque enim ſolius Timothei propria eſt & peculiaris hęc appellatio. Obiter tamẽ illud in noſtram vtilitatẽ & expergefactionẽ notandũ eſt, quòd ſummopere huiuſmodi exhortationes ſunt nobis neceſſariæ, cùm ne ipſi quidem Timotheo fuerint inutiles: ſed proh Deum immortalem, quali viro, ad quem nos collati nihil niſi maculæ & turpitudo ipſa videbimur! Nec verò lubens aut iocans Paulus ſic eum admonet, ſed quod illi ipſi, quanquam multum in Dei metu progreſſo, vtilem tamen hanc exhortationem fore viderit & ſperarit. C

Quæritur autem, cur Timotheus vocetur homo Dei, & quæ ſit huius appellationis propria ſignificatio, tum hoc loco: tum etiam aliis penè infinitis. In vniuerſum omnes homines dici poſſunt homines Dei κτιστικῶς & φυσικῶς, quia & à Deo ſunt conditi, & illius ſunt. Domini enim eſt omnis terra & plenitudo eius, & qui in ea habitant. Pſalm. 24. & Pſalm. 50. ver. 10. Quod propter Marcionitas, Manichæos & alios hæreticos ſcitu neceſſarium eſt, quorum alij hominem totum opus alterius δημιουργοῦ, quàm veri Dei eſſe docent: alii partem quandam hominis, velut alii corpus, alij animam Diabolo adſcribebant. Secũdo loco dicũtur homines Dei ἰδικῶς & ἁγιαστικῶς ſoli Pij, Fideles, & Electi, quòd ab eo ſanctificentur, in iis habitet, & eos pro ſuo populo peculiariter elegerit Deus. Ex quo fit vt 2. Reg. 4. v. 9. Homo ſanctus, & homo Dei pro eodem ſumantur. Tertio denique loco & ſignificato dicuntur homines Dei ἰδίως ii tantùm, qui in Eccleſia & domo Dei munus aliquod Eccleſiaſticum legitimè habent, ſiue illud ordinariũ vt paſtores: ſiue extraordinariũ, vt Prophetæ: quòd ij plus quàm reliqui fideles ſpeciali quodam iure Dei eſſe cenſeantur, & in eius peculio, quemadmodum olim Leuitæ.

Denique magis ſe totos Deo addicere hi debēt. Itaque κτητικῶς & proprio quodam poſſeſſionis modo dicuntur eſſe homines Dei. Sic Prophetæ homines Dei dicebãtur 2.Reg.1.verſ.9.4. verſ.16. 5.verſ.8. Sic paſtores omnes à Paulo ratione muneris 2.Theſſ.3.ver.17.non autem ratione electionis & prædeſtinationis ſuæ. Sic δοῦλοι, id eſt, ſerui Chriſti in vniuerſum pij omnes dicuntur, imprimis autem iidem paſtores & Miniſtri, vti apparet ex epiſtola Iudæ verſ.1.

Vnũ verò hoc loco de Chriſto ſpecialiter nobis notandũ eſt, eum & hominẽ Dei & hominem Deum appellari. Hominẽ quidem Dei ratione vocationis, miniſterij, prædicationis, vti omnes Apoſtoli, & Eccleſiæ paſtores appellantur, inter quos ipſe eſt ſummus. Nec enim nobis verendum eſt, ſi Chriſtum quatenus homo eſt, & in his terris ſuo munere fungens, appellemus Dei ſeruum, quod tamẽ quidam dicere reformidant, quia ex Iſai.61. & Luc.4, verſ.18. ſatis contrà ſentientium ſententia refelli poteſt. Homo autem Deus, ſiue, vt Græci loquuntur, in dictionum compoſitione fœliciores, θεάνθρωπος eſt idem Chriſtus ratione perſonæ & naturarum, quibus conſtat. Sic enim Athanaſius in ſuo Symbolo appellat. Eſt enim verus Deus: & verus homo, atque vtrunque quidẽ vna perſona eſt. Vnde & ab Auguſtino, & à Bernardo, Homo-Deus vnica voce appellatur: & à Græcis Theologis vti diximus θεάνθρωπος. Nec enim ſic Deum ſuſcepit homo Chriſtus vt reliqui homines ſuſcipiunt. Nam alios homines Deus regit tantùm, hunc autem etiam gerit, quemadmodum loquitur Auguſtinus de Agone Chriſtiano cap.20. Et quòd Concilio. Tom.2. in confeſſione Quintiani Epiſcopi damnantur qui Chriſtum Deum Hominem potius quam Deum & Hominem appellant, non repugnat huic noſtræ ſententiæ: ſed aduerſus Eutychianos tantùm dicitur, qui diuinam Chriſti naturam in humanam & patibilem conuerſam eſſe contendebant: & vnam eſſe in Chriſto Verbi & Carnis naturam, vt ab eodem Quintiano explicatur.

Sed ſectare) Ἀντίθεσις eſt, vt & quibus potiſſimum ſtudiis incumbere: & quas maximè diuitias comparare debeant fideles omnes, imprimis autẽ Eccleſiæ paſtores, intelligamus. Ex vtrorumque autẽ ſtudij, auarorum dico & paſtorum collatione facilè iam animaduerti poteſt, quàm longè paſtorũ & ſtudia & opes, auarorum & ſtudiis & opibus præſtent, & ſint anteferendæ. Varias autem virtutes enumerat Paulus, vt videãt pij paſtores habere ſe, in quib⁹ ſe ſtrenuè exerceãt, vt & inſanas omnes occupationes fugiant, & curioſas eorum quęſtiones, quos antea damnauit verſ.4. vitent.

Dicit autem Διώκει perſequere, ſectare, id eſt, ſummo ſtudio & animi conatu incumbe, quę vox tum opponitur ſuperiori τὸ φεῦγε: tum etiam oſtẽdit non eſſe nobis fatiſcendum neque defatigandum, ſed perſeuerandum conſtanter, alacriter & acriter in harum virtutum progreſſu faciendo. Non omnes autem virtutes recenſet Paulus, quæ ſunt vel paſtori neceſſariæ: vel quæ auaritiæ & curioſitati opponuntur (eſſent enim omnes commemorandæ, cùm ſit omnium vitiorum radix auaritia) ſed ex his aliquot tantùm, veluti

1 Iuſtitia eſt totius vitæ noſtræ recta & conſentanea Dei verbo inſtitutio, cuius partes poſtea recenſentur. Ratione quidem Dei, Pietas, & Fides. Ratione autem hominum charitas, cui famulantur & ſubſeruiunt Patientia, & Manſuetudo. Alij malunt referre has virtutes ad pietatem, pro qua cùm multa ſint nobis toleranda Patientia & Lenitate eſt nobis opus. Nos noſtram potius ſententiam retinemus.

2 Pietas Dei verum cultum habet, illique exhibet, cuius fundamentum eſt fides.

3 Fides eſt Dei non quædam ſimplex & vera tamen notitia, ſed plena animi certitudo ſiue πληροφορία. i. in Deum fiducia, quæ ſibi Dei promiſſiones, Chriſtique beneficia ex certiſſimo Spiritus ſancti teſtimonio applicat.

4 Charitas ſpectat hoc loco proximos, & noſtrum erga eos affectum atque officium. Huic ſubſeruiunt,

5 Tolerantia, quæ in malis iniuriiſque leniter perferendis poſita eſt, ne propterea charitatis vinculum abrumpamus.

6 Item lenitas animi, quæ faciles nos, affabiles, &, vt ita loquar, omnibus acceſſibiles facit, itémque faciles ad condonandam acceptam iniuriam. Itaque ferè ſeſe comitantur hæ virtutes, de quibus quid quantúmque differant, libr.3. Ethices Chriſtianæ à nobis conſcriptæ diximus.

Opponit autem has omnes virtutes tum contemptui Dei, tum iniuriis, conuitiis, & bonorum rapinis, quibus pleni ſunt & auari, & matæologi doctores.

Neque verò Timotheum, aut alios paſtores ad has virtutes exhortatur, tanquam illis caruerit, aut tanquam paſtores his vacui eligi in paſtores debeant: ſed vt in iis quotidie proficiant progreſſúſque faciant maiores, quemadmodum ſuo exemplo docet faciendum Paulus Philip.3.ver.12.& 14. Nam, vt ait Chryſoſt. tum negligentiam, tum etiam arrogantiam parit perſuaſio illa noſtræ αὐταρκείας & perfectionis.

12 *Decerta præclarum certamen fidei: apprehende vitam æternam, cuius cauſa & vocatus es, & profeſſus præclaram profeſſionem coram multis teſtibus.*

Αὔξησις eſt. Docet enim non tantùm has virtutes perſequendas: ſed pro iis etiam nobis eſſe certandum & ſæpe quidem durum certamen. Et quia audita certaminis voce, & facta difficultatis mentione ſæpe homines vel tepent, vel torpent, vel iter reflectunt, & prorſus à bono ſuſcepto deſiſtũt, idcirco calcar addidit Spiritus ſanctus vt alacriores ad illud certamen accedamus, illúdque ineamus. Eſt autem triplex conſolationis hîc propoſitæ locus, nempe à fœlici ſucceſſu. Bonum ait, à fine & pręmio feliciſſimo illi propoſito, Vitam æternam: & ab Honeſto vel officio, confeſſus bonam confeſſionem. Nihil autẽ hîc aliis præſcribit Paulus, quod ipſe reipſa non præſtiterit, vt teſtatur 2.Timoth.4.ver.7. & quod reliqui fideles Dei ſerui non ſubierint, vt apparet ex eorum Martyrio. Quale illud eſt Polycarpi, qui ſe tanquam optimum Domini granum & frumentum mola contundi gaudebat, & illud de Apoſtolis, ibant gaudentes Apoſtoli Actor.5.verſu 41. Hic locus oſtendit non leui manu, vel opera miniſtris incũbendum

A bendum in ſui muneris functionem: neque ita facilē eā eſſe,vt plerique ſibi pollicētur,& ſomniāt. Cùm enim officium facere volunt,tum in docendo:tum in reprehendendo , multos experiuntur habéntque aduerſarios.Itaque ignaui paſtores,timidi , ſomniculoſi nunquam verè officio ſuo rectè fungentur.

Certamen autem hoc loco bonum appellat Paul.cuius fœlix,optandus , & proſper exitus eſt futurus.Nam Deus pollicetur ſe ſuis ſemper affuturum *Nunquam te deſeram, neque derelinquam* ait Dominus Ioſ.1.v.5.*Dominus mihi auxiliator,*ait Dauid Pſalm.118.verſ.9.Quod ad pios omnes transfert Apoſtolus ad Hebræos cap.13.verſu 6.item Iſai. 41.verſ.13. Eſt enim Dominus iis omnibus patronus, qui pro ſe ſtrenuè laborant Matt. 10. v. 19.Idem certamen præclarum,id eſt καλὸν appellat propter rei , de cuius victoria certatur , eminentiam & dignitatem.Eſt autem Dei gloria, Chriſti regnum,ſalus mundi , pro quibus nulla pericula B recuſanda ſunt , cùm iis rebus nihil ſit præſtantius.Denique hîc vtamur ea comparatione,quam affert Paulus 1.Corinth.9. verſ.25. Si qui milites pro his terrenis rebus certant , tam ſunt & conſtantes & ſtrenui : quantò magis nos pro rebus cœleſtibus certantes eſſe oportet & alacres & inuictos?

Apprehende vitam)Hæc ἀσύνδετα maiorem vim & δεινότητα orationis habent.Argumētatur autem Paulus à præmio huius certaminis. Eſt autem vita non hæc quidem terrena,ſed ſpiritualis : non caduca,ſed æterna , qua nihil eſt homini beatius, fœlicius,optabilius. Dicit autem *apprehende* , vt perſeuerandum eſſe intelligamus vſque ad finem, & non deſciſcendum in medio curſu.ij enim demum apprehendunt,qui perſeuerant. Nec tamen dicit *apprehende*,quaſi vita ęterna ſit meritum noſtrum : aut quaſi illius apprehenſio & conſecutio ſit noſtrarum virium (eſt enim Dei donum Romanor.6.verſ. 23.)ſed vt doceat non deſiſtendum à cœpto itinere & certamine , donec ad eum locū peruenerimus, ad quem à Deo vocati ſumus & ire inſtituimus.Eſt enim turpe ab itinere ſemel ſuſcepto eóque fœlici deſiſtere,& reflecti.Magnitu- C do autem iſtius præmij,& quidem gratuiti , ſatis nos excitare ad quælibet onera & pericula pro nomine Chriſti ferenda debebit.

Opponit autem iſtud præmium Paulus illi exitio & interitui , quem ſibi auari accerſunt ſuis curis & cupiditatibus,vt docuit ſuprà ver.9.vt quàm fœlicior ſit noſter , id eſt, piorum in Dei metu progredientium labor intelligatur, quàm auarorum,eóque ipſo ſimus alacriores.

Denique Paulus argumentatur ab officio , & vocatione.Nam paſtores ad huiuſmodi certamen vocati ſunt,non tantùm vt pij omnes: ſed multò maximè ipſi,quia ſunt paſtores & cæterorum duces.Similis locus Luc.9.ver.23,14.v.23.Si quis ſequitur Chriſtum tollat ſuam crucem. Amplificat autem hoc argumentum , à circunſtantia & temporis,& rei ipſius.Quod nimirum efficax fuit hęc vocatio,& ipſe Timotheus illi reſponderit , *Bonā confeſſionem iam confeſſus es coram multis* , ait , Ergo eò turpius eſt tibi referre pedem,qui iā tā ſtrenuè Chriſto militaſti.Hæc confeſſio,quæ facta dicitur à Timotheo, fuit ſuſceptum ab eo Euangelij miniſteriū quod iā egregiè adminiſtrarat. Alij tamē A ad Baptiſmum Timothei referunt. Alij quærunt, vtrùm aliquid paſſus ſit in corpore ſuo pro Chriſto Timotheus,vti Sylas & Paulus Actor.16. Sed de Timotheo nihil quicquam ſimile legimus:tātùm Hebr.cap.13.ver.23.apparet Timotheum pro nomine Chriſti vinctum fuiſſe. Denique ſumma fuit laus Timothei in Dei eccleſia, adeò vt diſputetur,vtrum ille ſit,quem Paulus in 2.Cor.8.verſ. 18.19.fratrem appellat,& cuius magnam eſſe in omnibus Eccleſiis laudem ſcribit.

13 *Denuntio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Ieſu Chriſto, qui teſtatam fecit coram Pontio Pilato bonam illam profeſſionem.*

Παράκλησις eſt cum ſuperioris doctrinæ confirmatione coniuncta,quam vtranque cum grauiſſima obteſtatione proponit hoc loco Paulus.Nam & ſuperiora præcepta hac quaſi nota fuerunt obſignanda,ne quis humana potius , quàm diuina:& Pauli , non autem Spiritus ſancti vocem eſſe exiſtimaret : & fuit in opere & miniſterio iniuncto B & demandato Timotheus propter muneris ipſius difficultatem,confirmandus. Apparet autē quàm ſit vtrunque neceſſarium. Ac primùm quidem, quòd etiamnum hodie quidam contentioſè contendunt , quæ hîc de forma electionis paſtorum Eccleſiaſticorum à Paulo tradita ſunt,temporaria tantùm præcepta eſſe:quæ nō vt perpetuò locum in Eccleſia haberēt ſint tradita.Itaque ea & omitti,& mutari poſſe. Quam ſententiam falſiſſimam eſſe docet hic locus,atque vel vna hæc tam grauis, diligens & ſollicita de his obſeruandis obteſtatio à Paulo facta,præſertim cùm ſup.cap.3. verſ.21.aliam quoque obteſtationem addiderit Paulus, non minus grauem.

Secundum autem huius verſiculi & loci præceptum non minus quàm prius neceſſarium eſt,cùm reipſa experiamur quàm pauci paſtores vel in ſuo officio perſtent : vel ſi perſtant , quàm magnis cum difficultatibus luctentur,adeò vt in hoc onere eadem alacritate animi perſtare ſit omnino arduum,ac rarum,&,niſi Dominus ipſe vires,& robur ſuppeditaret,prorſus ἀδύνατον.Exempla Ioan- C nis Marci,& Demæ, de quibus tum in Actis:tum in 2.ad Timotheum agitur, quod dicimus veriſſimum eſſe comprobarunt. Quare neque temere, neque præter rem,aut in vanum hāc tam grauem, & plenam inuocatione nominis Dei obteſtationē addidit Paulus,ne nomen Dei in vanum ſumpſiſſe,& pro re leui ,aut etiam in non neceſſario loco vel negotio interpoſuiſſe Paulus cenſeatur.

Duplex autem eſt obteſtationis huius atque denuntiationis autoritas , tum ex perſona Patris tum Filij. Vtrique autem ſuum epitheton adiunctum eſt ad maiorem ipſorum teſtium venerationem. Ait Paulus *Denuntio*. Eſt autem quiddam aliud ἀπαγγέλλειν,id eſt , denuntiare, quàm μαρτυρεῖν qua voce etiam ſup.cap.5.verſ.21. vſus eſt,etſi maieſtatem Dei vtraque phraſis declarat,& deſignat. Denuntiamus ea,in quibus omnem negligentiæ, ignorationíſve excuſationem hominibus ademptam eſſe volumus, quaſi eos commonefaciamus prius iam ſatis edoctos fuiſſe , & nunc de pœna negligentiæ ſeriò metuendum cogitandúmque illis eſſe. Obteſtamur,cùm noſtrum officium &

A operam fideliter præſtitam eſſe ſignificamus, de quo etiam Deum teſtem inuocamus. Itaque denuntiatio ad ipſos homines dirigitur, eóſque intuetur. Obteſtatio propriè Deum quem ſpectat.

Coram Deo) Dei nomine Patrem hîc intelligi, vti alibi ſæpe in ſcriptura, certiſsimum eſt, & ex his verbis apparet quæ mox ſequũtur *Ieſu Chriſto*. Sic paſsim in epiſtolis Paulus accipit, præſertim in ipſarum ἐπιγραφαῖς, vti in hac ipſa, & Tit.1. Ex quo fit, vt rectè ſit annotatum Dei vocabulum quanquam propriè ad naturam ipſam diuinam ſignificandam repertum eſt: vt vox hæc, homo ad humanam: tamen ſæpe eſſentialiter, ſæpe perſonaliter ſumi. Eſſentialiter igitur acceptum tribus perſonis ſanctæ Trinitatis æquè competit, eáſque generaliter complectitur. Perſonaliter autem poſitum eam tantùm Trinitatis perſonam propriè deſignat, quam & locus & argumentum & res, de qua agitur, oſtendit intelligendam. Sæpe igitur Patrem ſignificat, vt hîc: ſæpe filium vt cùm dicitur, Deus apparuit Abrahamo Geneſ. B 18.verſ.1. item vocatus Abraham auſcultauit Deo Hebr.11. verſ.8. Sæpe Spiritum ſanctum, vt cùm dicitur Deus loquutus per Prophetas Hebr.1.ver.1. Actor.28.verſ.25. Sic in concilio Nicæno primo dictum eſt Deus de Deo, id eſt, Filius de Patre, nõ quod diuerſa eſſentia ſit Filii à Patris eſſentia. Nã vti Pater eſt Deus, ſic & Filius: ſed à Patre Deo genitus eſt Filius Deus, idem tamen & vnus vterque Deus, etſi non vna & eadem vterque perſona. Cur autem vna tantùm ex tribus diuinis perſonis Deus poſsit appellari, id eſt, voce totam naturam & eſſentiam diuinam ſignificante & complectente denotari, ratio eſt, quòd in quaque ex illis tribus perſonis ineſt tota illa eſſentia diuina, atque ea etiam ad numerum vna & eadem, non autem pars tantùm Deitatis.

Additur autem epitheton, *Qui viuificat omnia*. Similis eſt locus Actor.17.verſ.28. Nam quod de hominibus dicitur illîc, ad omnia rerum genera pertinet in vniuerſum, vt apparet ex Pſalm.36.ver.6.9. Viuificare autem ſignificat & vitam dare: & datam conſeruare. Vtrumque enim præſtat Do-C minus omnibus rebus, quæ viuunt, non alterum tantùm. Neque enim deſerit res à ſe creatas Matt.10.verſ.37. Vnde præclarè Bernard. ſerm.4. in Cãtica. Sanè eſſe omnium dixerim Deum, non quia illa ſint, quod eſt ille: ſed quia ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, quia eſſe omnium eſt, cauſale quidem, non autem materiale, quia eorum eſt factor. Nec enim diuinæ eſſentiæ participatione res viuunt: ſed qualitatis tantum & virtutis ipſius aliqua communicatione & effectu. Vnde יה Deus appellatur, non autem Iehouah tantùm.

Sic autem magnificè, &, vt res eſt, de Dei potentia concionatur Paulus, vt in doctrinæ Chriſtianæ veritate tuenda, & muneris ſui conſcientia retinenda Paſtores opponant hanc Dei maieſtatem, robur, & potentiam omnibus hominum, etiam regum, minis, viribus, & conatibus. Nam hominum ipſorum Dei Euangelio inimicorum vires ab vnius Dei poteſtate dependent, vt eſt Pſalm.59.verſ.10. Itaque non ſunt nobis ii metuẽdi, neque propterea expaueſcendum eſt.

Duo autem quæruntur hoc loco. Primum ex eo, quod dixit Paulus, *Omnia viuificat*, Vtrum omnia rerum genera, quæ Deus creauit, viuant, id eſt, vitam habeant. Ac quidem earum rerum quas A condidit, aliæ ſunt Spirituales, vt Angeli, & Animæ humanæ: aliæ corporeæ, & eæ vel Cæleſtes, vel terrenæ. De Angelis ſiue bonis ſiue malis: itémque de hominum animabus dubitari non poteſt quin vtrunque hoc ſpiritualium creaturarum genus viuat. De rebus autẽ corporeis maior quæſtio eſt, inter quas aliæ ſunt Cæleſtes, vt cœlum ipſum: aliæ terrenæ, vti Elementa quatuor, Compoſita ex elementis corpora, quæ dicuntur, vt Mineralia, vt Plantę, vt Animalia, atque ex iis quędam perfecta, qualia quæ quinque ſenſus naturales habent ex ſuæ ſpeciei ratione & conſtitutione. Alia imperfecta animalia dicuntur, vt polypus, oſtreorum genus quoddam, & muſcarum. De Plantis & Animalibus nemo dubitat, quin hoc vtrunque genus rerum viuat. De Mineralibus, de Cœlo ipſo, de Terra elemento, de Aqua & reliquis ſimilibus, maior & magis perplexa quæſtio eſt. Nam ſi hæc viuere dixeris, & animam quoque habere concedas neceſſe eſt: & ſibi ſimile procreare poſſe. Quod rerum veritati repugnat. Neque B enim cœlum, aliud cœlum ſibi ſimile procreare aut producere poteſt, vel ex ſemine vt herba: vel ex ſuæ eſſentiæ profluxu, vt homines & bruta creant. Varro in libris de lingua Latina ſentit & ſcribit, quædam viuere, quæ tamen animam non habeant. Aliis viſum eſt & cœlum & terram, ſuo modo & genere viuere. Aliis contrà hæc rerum genera ſubſiſtere quidem, ſed ſine vita & anima, quæ in illis internè inſit. Vnde ea vitam propriè non habere ſentiunt. Reſpond. Locum hunc Pauli, in quo verſamur, eſſe ita explicandum, vt vocem *Omnia* ad ea tantùm referamus, quæ vitam habent, quia illa Dominus viuificauit. Sic dicit Paulus, vult Deus omnes homines ſaluos fieri, id eſt, (vt ait Auguſtinus) vult Deus omnes homines, qui ſalui fiunt, ſaluos fieri. Ergo nihil nobis neceſſe eſt in curioſam illam quæſtionem, Vtrum omnes creaturæ, quæ à Deo ſunt conditæ, viuant, ingredi, etſi eas omnes cuiuſcunque ſint generis viuere, & vi quidem illis à Deo internè iniecta quidam putant, cùm & ſuſtententur vi formæ C ſuæ, & motus actionéſque ſuas pulcherrimas habeant, & quemadmodum terra facit multa ex ſe pariant. Nam volunt ſpiritum Dei, qui in prima rerum creatione terram, & cœlum, & aquas fouebat, & terræ, & aquæ, & cœlo eam vim internam infudiſſe, per quam hodie ſubſiſtant & durent in ſua natura, vti herbæ vim internam habent, qua viuere dicuntur, & in genere ſuo permanent, etſi ſibi ſimile neque cœlum, neque elementa generent, vti neque homines, qui ſunt ſteriles ex ſe vllos procreant, nemo tamen eos viuere vi interna à Deo data propterea negauerit, Vti etiam totum mularum genus ſterile eſt ipſa natura: nec tamen proptera viuere quiſquam diffitebitur. Sed nec Angeli quoque ſimile ſibi quicquam procreãt, quos viuere nemo Chriſtianus negabit. Hanc autem ſuam ſententiam confirmare conantur ex Nehem.9.ver.6. vbi quiddam ſimile dici videtur. Sed hæc diſputationis tantùm gratia dicta ſunto atque accipiuntor.

Secundò verò loco quæritur. Cur hanc operationem tribuat vni tantùm Patri Paulus, cùm & Filii & Spiritus ſancti ſit communis hæc actio.

Ac de

A Ac de Filio apparet Ioan.5.verſ.21. Sicut Pater excitat mortuos & viuificat: ita & Filius, quos vult viuificat. De Spiritu ſancto verò item apparet Pſalm. 104. verſu 30. Emittis ſpiritum tuum & creantur, & 1.Samuel.2.verſ.6.generaliter de Deo dicitur, Deus eſt qui viuificat, & morti tradit. Reſpond. Non aſſignari à Paulo hîc propriam & incommunicabilem Patris operationem, niſi quatenus ille eſt reliquarum perſonarũ ratione principium, ſed communem trium actionem deſcribi: quæ tamen in Patris perſona hîc conſideratur, quatenus Pater pro tota diuina natura ſæpe proponitur, & in eo contrahitur quicquid trium perſonarum commune eſt. Quod fit, quia Chriſtum nobis hîc ſubiicit Paulus, conſiderandum vt hominem. Ergo in perſona Patris contrahit quę ſunt totius Deitatis propria, id eſt, trium perſonarum communia.

Coram Ieſu Chriſto, qui teſtatam fecit) Cùm multa ſint, quæ de Chriſto & aliis perſonis propriè & incommunicabiliter dici poſſint, veluti quod incarnatus eſt, paſſus, mortuus, reſurrexit, hoc B potiſſimum delegit Paulus, quod ad præſentis loci & argumenti circunſtantiam maximè facere videbatur, & ad ſuperiorem de teſtimonio fidei perhibendo exhortationem erat aptiſſimum. Eſt autem illa confeſſio Chriſti, de qua Ioann.18.verſu 37.mentio fit, & per quam conſtantiſſimè in ipſo mortis periculo comparens coram iudice ſuo ſupremo in his terris veritati Dei ac Euangelio apertiſſimum atque luculentiſſimum teſtimonium reddidit. Itaque ipſius etiam iudicis mentionem fecit Paulus, vt & periculi magnitudo, & mortis terror, qui ante Chriſti oculos obuerſabatur, notaretur à nobis, non tantùm autem vt hiſtoriæ veritas atque rei geſtæ tẽpus deſignaretur. Eſt autem Chriſtus nobis datus in exemplar, quod imitemur, vt ait Petrus in 1. epiſt.cap.2.verſ.21. Huius eiuſdem confeſſionis meminit quoque, quanquam obſcurius, Apoſtolus ad Hebræos, & ad illius exemplar imitandum nos accendit cap. 12. verſu 3. Multas enim contradictiones in ea veritate aſſerenda paſſus eſt Chriſtus. Hoc dictum Pauli explicatur in articulis Symboli Apoſtolici. Itaque C erimus breuiores. Vnum modò notandum eſt Ethnicos vafrè & ſubdolè tempore Imperatoris Iuliani Apoſtatæ commentaria quædam Pilati ſuppoſuiſſe, ex quibus inepta, blaſphema, & prorſus falſa Chriſto Domino noſtro affingebantur, quæ & Auguſtinus lib. 1. de Conſenſ. Euangeliſt. & Cyrillus aduerſus Iulia. prolixè refutauit. Appellat autem hanc Chriſti confeſſionem bonam, non tantùm propter rem ipſam quam faſſus eſt Chriſtus, quæ omnium rerum maxima, optima, fructuoſiſſima fuit. Dei enim voluntatem & veritatem de ſalute hominum perficienda declarauit conſtantiſſiméque aſſeruit Chriſtus. Sed etiam bonam vocat propter finem, propter quem illud teſtatus ac confeſſus eſt Chriſtus, nimirum vt Deus glorificaretur propter miſericordiam patefactam & in homines collatã. Denique propter effectum vberrimum & ampliſſimum quem hæc confeſſio protulit. Nam morte ipſa à Chriſto ſtatim obſignata eſt & confirmata. Itaque illa confeſſio fuit veriſſimum teſtimonium Chriſti de voluntate Dei in ſaluando genere humano, quæ multa, imò infinita poſtea hominum millia Deo lucrata eſt, quos in ipſa eadem doctrina confirmauit, atque etiã hodie confirmat. A Talis quoque eſt hodie mors piorum Martyrum. Mors autem Socratis, mors hęreticorum obſtinatè ſuos errores defendentium non eſt confeſſio bona, tum quòd de hæreſi ſit iſta confeſſio non de veritate Dei: tum etiam quòd nõ ſit obſignatio doctrinę, quę pios fructus proferat: Nam Socratis mors certè nõ fuit Socratis doctrinæ confirmatio, ſed potius fuit illius velut extinctio quædam & ſuffocatio. Itaque cum morte & cum confeſſione Chriſti nullo modo eſt conferenda, nedum cum ea æquanda.

14 *Vt ſerues hæc mandata, maculæ & culpæ omnis expers, vſque ad illuſtrem illum aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Ἐξήγησις eſt. Docet enim iam de qua re tam grauem obteſtationem addiderit & præmiſerit. Nimirum vt paſtores omnes, imprimíſque Timotheus ipſe ſeruet ſuperius mandatum, ídque conſtanter & purè donec Chriſtus illuſtri ſuo illo & B ſecundo aduentu appareat in ſuorum plenam conſolationem, & victoriam. Mandati nomine complectitur Paulus ſuperiora præcepta à ſe tradita: & ipſum Timothei munus, id eſt, demandatam illi prouinciam in Eccleſia Epheſina, in qua eum purum & immaculatum verſari vult, atque iubet. Quòd ſi tanto viro hac exhortatione fuit opus, quid nobis? Et certè nunquam ſatis ad officium excitari aut expergefieri poſſumus, quia etiam vigilantiſſimis & perfectiſſimis obrepunt ſæpe multæ tanquam tepiditates, vel animi & zeli remiſſiones: denique vitia & errata imprudentibus, propter quæ Dei gloria retardatur, Eccleſia offenditur, & nos ipſi coram Deo rei ſumus. Itaque attentè & diligenter omnibus in vniuerſum Chriſtianis: imprimis autem paſtoribus in ſuo munere fideliter & conſtanter peragendo vigilandum eſt, atque incumbendum.

Sed hæc eſt magna eorum conſolatio, quòd munus ipſum quod habent, mandatum Dei appellatur. Ex quo intelligunt primùm ſe Dei ipſius eſſe voce vocatos, & hanc ſibi delegatã eſſe à Deo non ab hominibus tantùm prouinciam, vt in ea intrepidè, confidẽter & alacriter verſentur. Deinde auxilium ſibi à Deo ſemper affuturum, qui eos C in ea ſtatione collocauit Actor. 13. verſu 3. Coloſſ. 4.verſu 17. Galat.1.verſu 15.ſup.1.verſ.1. & 12. denique ex eo ipſo cogitent paſtores ſibi huius muneris demandati rationem eſſe Deo reddendam, à quo illud habent.

Expers macula) Docet iam ſecundo loco non tantùm quam in rem ſit incumbendum paſtoribus Paulus: ſed etiam quomodo, nempe ea conſcientia & fidelitate, eáque diligentia & puritate, vt nulla ex parte ſibi ſuóque muneri deſint, nec quenquam vel vita vel negligentia offendant. denique viuant irreprehenſibiles, vt loquutus eſt ſup.5.verſ.22.

Ergo verba hæc ſic interpretor, vt ad ipſum Timotheum referantur: non ad mandatum, etſi tamen id patitur ratio Grammatices. Poſtea vocem ἄσπιλον refero ad leuiora delicta: vocem autem ἀνεπίληπτον ad grauiora peccata, quæ & ſcelera & crimina nominantur, vt apparet ex cap.3.huius epiſtolæ.

Vſque ad illuſtrem) Docet tertio loco, quàm

A conſtanter in tota ſuperiori doctrina ipſóque ſuo munere ſit & omnibus Chriſtianis & paſtoribus perſeuerandum.Nimirum vſque ad ſecundū Chriſti aduentum,quem *Illuſtrem* appellat. Similis locus Tit.3.v.13.1. Theſſ.2.v.19.

Eſt autem huius ſententiæ & conſolationis vſus duplex. Primus quidem aduerſus ignauiam noſtram,ne fatiſcamus,aut deficiamus longi aſsiduíque laboris pertæſi, quaſi nimium diu nos exerceat & in certamine retineat Deus. Secundus autem vſus eſt aduerſus impatientiam,ne Deum exiſtimemus vel mentitum:vel diutius,quàm par ſit, promiſſorum ſuorum implemētum differre.Nec enim prius certandi finis erit, quàm Chriſtus aduenerit iudex viuorum & mortuorum.

Appellat autem hunc Chriſti aduentum Ἐπιφάνειαν & illuſtrem duplici de cauſa. Tum vt eum miſeræ illi conditioni, qua nunc premimur Deo vero ſeruientes,opponamus : tum vt hac cogitatione omnes afflictiones quas pro Chriſti nomine pati hîc neceſſe eſt, lubenter deuoremus, in ipſius cœleſtem gloriam intentis fixíſque penitus B oculis intuentes.Atque hæc conſolatio & admonitio non tantùm illo ſæculo fuit opportuna atq; neceſſaria, quo vera Dei Eccleſia paſsim ab omni mundo ſpernebatur atque irridebatur:velut mūdi reiectamentum quoddam,vt ait Paulus 1. Cor. 4.ſed etiam hac noſtra ætate certè quidem eſt vtiliſsima,qua & ab extraneis,id eſt infidelibus,& ab intraneis.i.hypocritis non minus affligimur,ſpernimur,irridemur,quàm olim verè pij,& homines Chriſtiani. Hæc enim moleſta & dura conditio manet Eccleſiam Dei omni tempore Pſal.123.

15 *Quem temporibus ſuis oſtendet ille beatus & ſolus Princeps, Rex regum, & Dominus dominorum.*

Αὔξησις eſt. Amplificat enim ſuperiorem exhortationem tum à temporis definiti certíque circūſtantia : tum à Dei ipſius, cuius doctrina ſeruari præcipitur,& cui veri & fideles Eccleſiæ paſtores ſeruiunt, dignitate, & comparatione. Continet quoque hic locus ὑποφορὰν. Occurrit enim tacitæ obiectioni piorum, qui illuſtrem illum Chriſti C aduentum iamdudum expectantes, nondū tamen eum videbant. Ergo ne vel animis deficiant poſt longam expectationem illius aduentus:vel obrepat blaſphema iſta cogitatio , quaſi Chriſtus venturus non ſit,& ab eo Eccleſia deludatur , hoc reſponſum tanquam neceſſariū animorum fluctuātium pharmacum & remedium ſubiicit Spiritus ſanctus, Nimirum tempora iſtius aduentus eſſe certa quidem illa & definita:ſed ſoli Deo nota, & conſtituta.Cuius conſilium nemo poteſt impedire,aut retardare, quia eſt Solus potens, Beatus, Rex regum,Dominus dominantium, &c.Hæc eſt ſumma huius & ſeq.verſic. Cur autem dubitationi obuiam eundum fuerit ratio duplex eſt.

1 Noſtra impatientia,qui quàm primum Dei promiſsionibus , atque etiam ante tempus frui vellemus.

2 Noſtra infirmitas, qui variè tentamur, fluctuamus,& agitamur, vbi tot nobis obiectos aduerſarios,in tot tela nos incurrere videmus , dum in Dei metu,in officio, in munere,in profeſsione nominis Chriſti perſeueramus. Itaque ſuſtentandi, confirmandi, corroborandíque ſumus aduerſus tot hoſtes, obiecto potentiæ Maieſtatíſq; Dei A clypeo, & fœlici illo beatóque ſtatu, qui nos in aduentu Chriſti certiſsimè manet, conſtanter in fide perſtantes.

Magna igitur noſtræ temeritatis & impatientiæ repreſsio,magnum lorū eſt,quod ait Paulus, Tempora illius fœlicis & expectati à nobis aduentus eſſe quidem certa:ſed ſoli Deo cognita.neq; Deū vel momentum vllum dilaturum, cùm tempus à ſe decretum impletum fuerit, quin Chriſtum exhibeat redemptorem noſtrum,& vitę æternæ donatorem ac aſſertorem.

Eodem verò modo,quo hîc de ſecundo aduentu loquitur,de primo quoque Galat.4.v.4. Ephe. 1.v.10.ait tempora illius certa fuiſſe à Deo conſtituta,poſt quæ completa Chriſtus venit,atque homo factus eſt. Scit enim Dominus non tantùm, quæ nobis dona ſint ſalutaria:ſed eorum conferēdorum & communicandorum tempora & tanquā maturitates,quia ſolus eſt Sapiens. Et vt in rebus his terrenis & naturalibus, quibus producendis aliquod à Deo definitum eſt tempus,patientes eſſe ſolemus , veluti anni tempeſtates expectamus: B frugum maturitatem non præcipitamus, dierum incrementa non vno momento eſſe lubenter ferimus Iac.5.v.7.ſic in his quoque donis cœleſtibus & ſalutaribus accipiendis patienti nos eſſe animo oportet,& legitimum eorum reuelandorum tempus expectare.

Tribuit autem Paulus Patri eam ſecundi & glorioſi Chriſti aduentus manifeſtationem : at alibi Chriſto ipſi videtur vindicari Tit.2.v.13.1.Theſſa. 4.v.17.Reſp.Quia Chriſtus hîc nobis homo & infirmus propoſitus eſt,Patri tribuuntur, quæ ſunt propria Dei opera,atque etiam ea ipſa,quæ Chriſto conueniunt quoque, quatenus ipſe Deus eſt. Sic dicitur Pater ſuſcitaſſe Filium : dicitur etiam Filius ſeipſum ſuſcitaſſe.

Beatus,ſolus princeps,&c. Eſt diuinæ maieſtatis deſcriptio ex variis illius attributis, vt hāc omniū hominum, quantumuis potentum, viribus & dignitati opponamus, cùm ab illis propter Chriſti Euangelium, ſubſannamur vel affligimur,vel de C die aduentus Chriſti, tanquam impedito, ipſi cogitamus. Maximè verò illo ſeculo fuit neceſſarium oculos fidelium traducere ab eo ſplendore, qui in Eccleſiæ hoſtibus apparebat, ad incomparabilem illam vnius Dei maieſtatem, quam hîc nobis graphicè deſcribit Paulus , ne fatiſcerent pij, qui ſe à potentiſsimis illis rerum dominis, imperatoribus & Magiſtratibus Romanis , à faſtuoſis Iudæis, denique ab vniuerſo mundo ſperni videbant & ſe velut mundi ſordes & immunditiem abiici,vt docet Paulus 1.Corinth.4. verſu 15. qualis eſt hodie Gallicanarum Eccleſiarum ſtatus, quibus Dominus ipſe magna ſua miſericordia aliquando ſuccurret. Præclarè verò & rectè annotat Chryſoſto.hîc apparere , quantus ſit *Pauli* in Dei maieſtate celebranda zelus , vti alibi quoque ſæpe idem poteſt à nobis obſeruari.Hîc enim ſibi temperare non poteſt, ſed pulcherrima variorum epithetorum congerie admirabilem & incomprehenſibilem Dei maieſtatem eſſe docet, nóſque in eius admirationem rapit. Itaque manum,quod aiunt,non poteſt tollere de tabula.Sic autē ſunt cōmemorata hæc omnia vt quędā gradatio in iis obſeruata fuiſſe videatur. Appellat enim

A Deum primùm beatum: deinde ſolum potentem, tum poſtea *Regem regum*, & ſic deinceps creſcente vocum ſignificatione rem ipſam auget.

Sed quæritur, cur Deum beatum & potentem vocet, qui potius eſt ipſa beatitudo, & potentia dicendus, quàm beatus & potens. Sunt enim hæ voces, quibus vtitur Paulus, παρώνυμαι, vt Dialectici loquuntur, quæ alterius rei, velut qualitatis, participationem & attributionem denotant fieri in ſubiecto, de quo vſurpantur. Et tamen Deus nullius beatitudinis communicatione eſt beatus, nullius potentiæ participatione potens: ſed eſt ipſa & beatitudo & potentia, & eo ipſò beatus & potens, quia eſt ipſum illud quod eſt. Omnia enim quæ Deus habet ſunt Dei eſſentia: non qualitates: nec alio quàm ſeipſo Deus vel beatus eſt vel potens. Inde vera eſt illa Dionyſij ſententia, Pulchrum & Pulchritudo in cauſa ſuprema cũctáque in vnum colligente, diſtinguenda non ſunt. Reſpond. Nos homines cogi cùm de Deo loquimur cuius natura nobis eſt incomprehenſibilis, noſtro more, noſtríſque verbis loqui, vt aliquid B de eo pro ingenii noſtri captu dicamus & explicemus. Quod etſi non eſt æquale Dei ipſius maieſtati & eſſentiæ: ex noſtro tamen more ſentiendi & loquendi verum eſt. Itaque Deum dicimus & beatum & potentem, non quaſi compoſitam illius naturam ſtatuentes: non quòd illi qualitates & accidentia tribuere velimus, & aliud quid præter ſimpliciſsimam ipſius eſſentiam in eo fingere: ſed quòd humanus captus atque humanum eloquium aliter explicare commodè & ſatis intelligenter ſeipſum non poteſt, cùm de Deo eſt nobis agendum. Cùm igitur ſic loquatur Dei ſpiritus de Deo, neque nos ipſi de eo ſic loqui metuamus, & Deum appellare beatum, potentem, ſapientem, &c. Quod fit citra vllam Dei blaſphemiam; ſi, quemadmodum diximus, fuerit acceptum.

Beatus) Μακάριος. Eſt Deus omnis fœlicitatis fons, & ſcaturigo, quam & in ſe, & à ſe habet, non aliunde, vt Angeli beati: vel etiam vt homines. Sic etiam ab Ethnicis dij ipſorum appellantur μακάριοι, vt paſsim ab Homero, quòd ſit mentibus hominũ inſcripta à natura hæc ſentẽtia Nihil C Deum eſſe poſſe, quin illud idem ſit beatum in ſe, & corruptionis omnis expers & immune. Id quod vox Μάκαρ propriè ſignificat quaſi per epentheſin literæ μ voce deducta à vocabulo ἀκαρὴς quod inſecabile & imminutum ſignificat. Sic Eraſmus ex Grammaticis interpretatur. Secutus ſanè eſt Paulus vulgarẽ & tritam vocis huius ſignificationem, qua beatum & fœlicem aliquem eſſe denotamus.

Potens, Rex regum, Dominus dominantium) Hæc omnia viribus hominũ quantũuis magnis opponũtur, vt cõfidẽtius cõſtantiúſq; in Dei metu omnes, & quiſque in ſuo munere pergamus, coniectis in vnius Dei potentiam incomprehẽſibilem oculis, & in ea ipſa retentis. De voce Δυνάστης mouet controuerſiam Eraſ. vtrùm potentẽ ſignificet: an præfectum & præſidem, qui illius ſuæ potentiæ & authoritatis ſpecimen in aliquo populo, vel prouincia regẽda exhibeat, nimirũ, ne Dei potentiã otioſam fingere videamur. Reſpondet igitur ille non nudã & otioſam poteſtatẽ ſignificari: ſed negotioſam, vt ita loquar, & quę in alicuius rei regimine ſe proferat. Dei enim potentia in totius huius mũdi, & ſingularum eius partium regimine ſe exerit. A Quod quidem veriſsimum eſt, tamen tam ſubtiliter & acutè non videtur hoc loco philoſophari Paulus. Sed omnem ominum rerum poteſtatẽ vni Deo aſſerere voluiſſe, omnẽ item maieſtatem, dignitatem, ne potentum regum, imperatorum, aut totius mundi ſplẽdore exterreamur & dimoueamur à noſtro officio & vera ipſius doctrina. Ergo *Rex regum* hîc appellatur. Sic Apocalyp.17.verſ.14.19.ver.16.& cap.1.ver.8. Παντοκράτωρ tanquam αὐτοκράτωρ, vt quidam volunt. Videtur autem hoc ſumptum ex Pſalm.95.verſ.3.96.verſ.10. Ex hoc verò ipſo ratio intelligitur cur Dominus dicatur dare regna cui velit: & cui item velit ea adimere Daniel.5.verſ.14. item cur dicatur omnis poteſtas eſſe ſupernè, id eſt, à Deo, non ab aſtrorum quodam influxu Ioa.19.verſ.11.Rom.13.v.1. ne inſanos Aſtrologos iudiciarios probemus.

Solus) Hoc ipſum primùm non excludit, neque tollit regna politica. Sunt enim & ea ipſa à Deo. Itaque quando ſubalterna ſeſe mutuò non euertunt: rectè & Deus ſolus rex agnoſci poteſt, & reges etiam terreni pro regibus à nobis agnoſcuntur, B quia eos nobis ipſe præpoſuit, quaſi ſuos in his terris vicarios & legatos in iis quæ ad vitæ huius terrenæ rationem pertinent. Deinde, quod dicit Paulus, *Solus*, etſi ad patrẽ referri videtur, non excludit tamẽ filium, vel Spiritum ſanctum, ſed in perſona patris contrahit, & proponit, quæ generaliter in tota diuina eſſentia ſunt nobis meditanda, & conſyderanda, quia de filio mentionem fecit Paulus, tanquam de homine. Nam de Deitate Filii quid ſentiat idẽ Paulus extat luculentiſsimè ſcriptum Romanor.9.ver.5. Atque hæc ſolutio ad ſequentem verſiculum etiam eſt accommodanda.

16 *Qui ſolus habet immortalitatem, lucem habitans inacceſſam, quem vidit nemo hominum, neque videre poteſt: cui honor & robur æternum. Amen.*

Ἐπεξεργασία eſt, & valde neceſſaria commoratio in imperueſtigabili Dei maieſtate explicanda, atque ſupra omnem rerum tum viſibilium, tum etiam inuiſibilium, dignitatem & eminentiam euehenda. C Etſi verò Exod.34.verſ.6. pulchra quorundam Dei attributorum enumeratio continetur, & Pſalm.50. tamen quæ hoc loco recitantur, longè ſplendidius atque apertius, quàm vllus alius ſcripturæ locus, Dei ἐξοχὴν & præſtantiam nobis deſcribunt. Itaque eſt hic locus ſingularis & egregius, vti & ille, qui eſt ſup. ca.1.ver.17. qui huic ſimilis eſt. Quatuor autem attributa referuntur hoc verſiculo, nempe 1 Quòd ſolus habeat immortalitatem. 2 Quòd lucem inhabitet inacceſsibilem. 3 Quòd eum nemo vnquam viderit. 4 Quod illi ſoli Honos & gloria debetur.

Ac primum epitheton excutiamus. Dicitur igitur ſolus Deus habere *immortalitatem*, ἀθανασίαν dixit Paulus. Immortalitas mortem, tanquam exiſtendi finem, excludere tantùm videtur: non etiam principium exiſtendi remouere. Itaque non ſatis magnificè hoc de Deo videri poteſt Paulus dixiſſe. Neque enim ſequitur, vt quod immortale eſt, ſit æternum, cùm multa exiſtendi principiũ habeant, quæ tamen minimè ſunt habitura finem. Itaque ἀϊδιότητα potius appellant, quam ἀθανασίαν illam diuinæ naturæ ὕπαρξιν, & exiſtendi modum

A vt eſt Hebr.7.verſu 3. Vnde Paulus Romanor.16. verſu 26.Deum αἰώνιον, id eſt, æternum appellat, vt eſt Iſai.57.verſu 15.Reſpond. Immortalitatem propriè hoc loco accipi. Itaque dico eam complecti æternitatem,id eſt, & principium & finem exiſtendi planè ſecludere. Nam quæ immortalia dicuntur,neque ſunt æterna, illa impropriè talia ſunt,quia alieno tantùm beneficio,non autem ſua vi & poteſtate viuunt, ſubſiſtunt, & talia durant, quemadmodum Angeli,& humanæ animæ. Dei enim ſuſtentatione perdurant & ſubſiſtunt, non ſua ipſorum. Præclarè enim Iren. libr.4.cap.37. Vita hominis,id eſt,animæ, eſt viſio Dei. Quod ab eo ſumptum ſæpè recitat Auguſtinus. Itaque nec Angeli, nec humanæ animæ per ſe ſunt immortales, id eſt, ſua vi & poteſtate propria, ſed quatenus à Deo in ſua natura ſuſtentantur, & conſeruantur, tales permanent. Id quod etiam in Timęo Plato,quanquam Ethnicus, agnouit,& ſcripſit.Nec tamen propterea Angelos & animos humanos negamus eſſe immortales : ſed tantùm per ſe negamus tales eſſe. Auguſt. in libr.de Immortalitate animæ,& lib.12.de Ciuit. Dei.item li.1.cap.2. de Origine animæ ad Hieronym. Tract. in Ioan.Euang.19 & infinitis penè aliis locis. Vti B enim corporis vita eſt anima:ita animæ vita Deus eſt.Ergo ſolus Deus immortalis eſt verè propriáque ſubſtantia,id eſt,οὐσίᾳ, non autem κοινωνίᾳ quadam,quales Angeli,& hominum animi, quia perpetuam durationem & finis expertem tribuit Angelis & hominum animis Deus, vt ait Theodorit.Dialog.3.*impatibilis*.Ipſe autem eam à ſe habet.Bernard.quoque ſerm.31.in Cantic.Canticor. hunc locum præclarè explicat, atque idem quod Theodorit. ſentit. Dionyſius de Diuinis nominib.cap.6.de Angelis loquens.Quocirca viuentes ſemper,immortaléſque dicuntur : & rurſum non immortales,quia non ex ſe habent, vt immortales ſint,& ſempiternè viuant:ſed ex viuifica & vitam omnem efficiente atque continente cauſa.

Cur autem ſolus Deus ſit immortalis ratio duplex affertur 1 quia eſt incorporeus. Vti enim Deus ſolus immortalitatem habet,ita incorporeitatem vt ait Bernard. ſerm.5.6. & 81.in Can. C 2.ratio,Quia eſt immutabilis omninò Iac.1.verſ.17.& hæc poſtrema veriſſima ratio eſt, quam libr.1.de Trinit.& lib.6.cap.6.item lib.2.contra Maxim.atque lib.7.ca.6.de Geneſi ad liter.Auguſti. copioſè explicat. In omni enim mutabili natura mutatio eſt mors,quia facit aliquid in ea non eſſe quod erat:& aliquid abeſſe, quod prius inerat. Angelos autē eſſe mutabiles oſtēdit lapſus eorū qui ſimilis cum aliis naturæ fuerunt.Itē & humanos animos eſſe quoque mutabiles,caſus primi hominis certiſsimè docet,per quē tanta & animi & corporis in deterius immutatio in nobis facta eſt. Ergo ij quodammodo mortales,quia ſunt mutabiles.

Secundum Epithetum eſt, *Qui lucem habitat inacceſſam*.Hic locus eſt etiam vberrimus, quem tamen breuiter contrahemus in pauca. Primùm verò videndum eſt, vnde ſumptum ſit hoc Pauli dictum. Nec enim hæc fuit particulariter facta Paulo reuelatio de natura Dei. Planè verò conſentit hic locus atque hæc deſcriptio cum ea, quam de maieſtate Dei incomprehenſibili Prophetæ tradunt. Eſt igitur ſimilis huic locus Pſal. 93.verſu 1.Iſai.6.verſu 2.57.verſu.15.Ezechiel.1.& 10.Tanta enim eſt hæc lux,qua Deus vndique circumſeptus A effulget,vt Angeli ipſi beati illius fulgore perſtringantur, atque faciem ſuam propterea obtegant,& operiant.

Sed diſſimiles huic videntur alij quidam eſſe Scripturæ ſacræ loci. Imprimis ij omnes,in quibus dicitur Deus habitare in nube, vel ex turbine & caligine loquutus fuiſſe,vti Exod. 14. & 20.Leuitic.16.Iob.38. verſ.1.Item vbi dicitur Deus fuiſſe cum leui vento,non cum igne,quemadmodum cùm apparuit Eliæ 1.Regum 19. verſu 12.Reſpon. In nullo iſtiuſmodi ſcripturæ loco veram Dei ſedem deſcribi,quemadmodum hîc: ſed ea tantùm ſigna & ſymbola declarari, per quæ hominum oculis ſeſe patefecit in hoc mūdo pro rerum, temporum,perſonarum,quibuſcum illi res erat, conditione,vſu,& diuerſa ratione. Ergo illi loci cum hac Pauli ſententia non pugnant.

Præterea obſtat huic loco,quòd omnino ſequi inde neceſſe eſt, ſi vera ſit hæc ſententia,nimirum Deum,qui eſt maieſtas illa infinita, certo tamen loco contineri,& concludi,quia dicit Paulus eum οἰκεῖν, id eſt,habitare,atque lucem quidem. Quod ſentire planè eſt blaſphemum. Hoc etiam argumentum ſenſit Chryſoſt. cuius veriſſima eſt hæc reſponſio,nimirum de Deo iſta dici ex noſtræ cognitionis B imbecillitatis ſenſu, & modo per ἀνθρωποπάθειαν quandam. Neque enim,quantumuis nitatur humanum ingenium, quicquam ſatis magnificè & dignè de Dei maieſtate vel concipere vnquam vel dicere poteſt. Ergo propoſita in ſuperiori epitheto Dei maieſtate, nūc ipſius ſolium lucidiſſimum & ſplendidiſſimum deſcribit, vt vndique effulgeat nobis auguſta, ex omni parte ſacroſancta, & veneranda Dei illa gloria animis noſtris obuerſetur,& ſplendeat. Ex quo fit, vt & lucis & ſedendi voces hoc loco ſint metaphoricæ, non autem natiua & primæua ſignificatione ſumendæ. Nec enim,vt præclarè docet etiam hunc locum explicans Auguſtin. in Pſalm.33. & in epiſt. ad Italicam, Deus loco comprehendi vllo poteſt,aut eſt in loco,qui locum omnem ipſe ſuperat,capit & excedit. Ex eo autem,quod ad literam,vt aiunt,hic locus, ac quidam ſimiles alij accepti ſunt,inſulſum & planè puerile commentum C ſuum de loco,vbi Deus tanquam in receſſu & ſpecu quadam abditiſſima habitet,finxit atque excudit impius Mahumetes.

Neque etiam hîc quærēdum eſt,vtrum lux illa, inqua Deus,qui eſt æternus,habitare dicitur,fuerit,antequam lux illa de qua Geneſ.1.facta mentio eſt,crearetur & extitiſſet. Neque enim hîc lucis vocabulum natiuo ſignificato ſumendum eſt: ſed pro eo ſplendore,maieſtate, ſtatu qui omnem admirationem cogitationémque humanam longè ſuperat, habétque optabilem & lætiſſimam meditationem,qualis eſt nobis ipſe lucis aſpectus,vt ex Iſai.57.v.15.ſatis perſpici poteſt, & quidem tātam, vt ad eam humanæ etiā mentis acies caliget.

Ergo huius epitheti duplex eſt ſenſus. Primus quidem,vt omnem nobis diuinę maieſtatis curioſius perſcrutandæ pruritum (qui ex magna quadam vanitate naſci ſolet)adimat, ac tollat. Præclarè enim Bernard.ſerm. 62. in Cantic.opprimitur ſcrutator maieſtatis Dei:non tamen voluntatis.Nam vt ij flammis ſtatim correpti & conſumpti ſunt, qui tres illos adoleſcentes Abdenagum,

Mizae-

A Mizaelum,& Sidracum in fornacem coniecerunt. Daniel.3. Vti puniti ſunt Betſemitæ,quòd in arcã Domini inſpexerant 1.Samuel.6. Sic conſumuntur & obruuntur Dei maieſtate qui in eam curioſè,& aliter,quàm oportet,intueri atque inquirere volũt. Denique hoc ipſum eſt,quod ait alibi Paulus,Dei maieſtatem,atque iudicia eſſe imperueſtigabilia atque ἀνεξερεύνητα. Ergo præclarè Bernard. ſerm. 31. in Can. ad Deum accedendum eſt, ait, non irruendum,ne irreuerens ſcrutator maieſtatis opprimatur ab ipſius gloria & ſplendore. In quo tamen illud eſt diligenter obſeruãdum quod idem Bernard. dixit ſerm. 62. opprimi ſcrutatorem maieſtatis Dei:nõ item voluntatis. Nam eam voluntatem Dei, quam quidem nobis notam eſſe voluit,inquirere diligenter & licet & conceſſum eſt,vt docet exemplo Patrum Pet.1.epiſt.1.verſ.11. Dicitur hæc Dei lux *inacceſſa*, Ne proprio marte propriíſque ingenij noſtri,quãtumuis viuidi,viribus ad eam accedere tentemus. Qui enim ſic ad eam adire tentant,excæcantur illius fulgore. Sed prius à Dei ſpiritu nos illuminari petamus & pa-B tiamur. Nam illuminatis patet facilis ad illã Dei maieſtatem & lucem intuendam acceſſus:& Deus ipſe prius eos illuminat, à quibus ſe videri & ſua arcana cognoſci, atque tanquam conſpici vult. Pſalm.34.verſ.6.cùm autem ad eam venire volumus,neque locorum mutatione, neque corporis agitatione ad Deum appropinquamus : ſed claritatibus,incorporeis & ſpiritualibus, ſuíſque muneribus,qualis eſt fides,vitæ ſanctitas,zelus verus, ad eam accedere nos oportet,vt ait Bernardus, & ex Bernardo Anſelmus. Ad Deum enim motibus animi itur, non pedibus corporis. Auguſtinus hoc docuit vtrunque illum,quum ait in Ioan. Euangel.cap.10.verſ.22. Si credere eſt accedere, qui credit,accedit:qui negat, recedit : non mouetur anima pedibus ſed affectibus.

Porrò ſecundus huius epitheti vſus eſt, Quòd cùm dicitur Dei domicilium lucidum eſſe : imò eſſe lux ipſa,culpa omnis noſtræ de Deo ignorationis in nos ipſos transfertur. Nec enim Deus in tenebris habitat,vt agnoſci aut videri non poſſit:ſed in luce ſplendidiſſima. Ergo quod eum,il-C liúſque admirabilem maieſtatem cernere nõ poſſumus,id aciei noſtræ imbecillitate,& ingenij tenuitate fit,non ipſius loci,in quo Deus eſt,obſcuritati tribuendum eſt. Omnia enim quodammodo Dei ipſius maieſtatem nobis repræſentant, & illuſtrant, quocunque conuertamus oculos, vt docet Paulus Rom. 1.verſ.20. Sed imprimis verbum Euangelij, in quo ſe nobis in Chriſto perſpicuum & aſpectabilem reddit. Denique ex hoc ipſo loco intelligitur, quàm vanum & blaſphemum fuerit Manichæorum delirium, qui Deum ſuum (quem tenebrarum Deum eſſe & alterum principiũ fingebant)in tenebris ſpiſſiſſimis, non in luce habitare docuerunt.

Tertium Epithetum eſt,quod ait Paulus, *Deum nemo vnquam vidit*. Ergo vt lucidus totus eſt : ita eſt inuiſibilis, Ἀόρατος vt ait Paulus ſup.1.v.17. Hæc epitheta quia ſunt diuinæ eſſentiæ propria attributa, ſunt ſedulo & diligenter obſeruanda à piis omnibus,vt ex iis Dei maieſtas, tanquam ex aliqua delineatione & rudi pictura,in animis noſtris informari poſſit.

Similes loci huic plures in tota ſcriptura occurrunt, ſup.1.verſ.17. Ioann.1.v.18. Exod.33.v.20, 21,22. Geneſ.32.v.30. A

Diſſimiles autem alij quoque ſcripturæ loci & in ſpeciem cum hoc pugnantes. Ac primus quidem is,qui eſt apud Paulum 2.Corinth.3. verſ. 18. vbi ait nos fideles per lucem Euangelij etiam recta facie Dei gloriam intueri. Secundus autem quòd Deus ſæpe patribus viſus fuiſſe dicitur, vt Abrahamo,Iſaaco,Iacobo,Moſi, & aliis pleriſq;. Reſpondeo. Omnia illa quæ obiiciuntur, κατά τι eſſe accipienda:non eo ſignificato & modo, quo hîc loquitur Paulus. Agit enim de ipſius diuinæ eſſentiæ *intuitiua*, vt loquuntur in ſcholis, *viſione*, quo modo à nemine vnquam mortali viſus eſt, non autem Symbolica repræſentatione aut explicatione. Ac ne quidem cùm videbatur Chriſtus in his terris,qui Deus conſpicuus fuiſſe dicitur ſup. 3.ver.16. ipſius diuina eſſentia oculis humanis cernebatur : ſed illius tantùm humanitas conſpiciebatur,quę velut velum,certè auguſtiſſimum Deitatis Chriſti templum fuit, Hebr.10.verſ.20. Ergo quod Dei faciem & gloriam in Euangelij luce & prædicatione iam intueri dicimur, id dicitur comparatè ad patres,qui ſub lege, vmbris & cæremoniis vixerunt,vt ex eo Exodi loco,qui eſt ca. 33. verſu.20,& 23. apparet. Patres enim poſteriora Dei in legis vmbris viderunt:nos autem in Euangelij luce & implemento videmus faciem ipſam, & ipſam vmbrarum veritatem : non tamen ipſam Dei eſſentiam, qualis in ſeſe eſt, propterea videmus. Sed & cùm Abrahamus ſcribitur vidiſſe Deum,id certè metonymicôs intelligendum eſt, quia ſigna & Symbola oculis cernebat, per quæ Deus ſe præſentem illîc eſſe teſtabatur,ipſam autẽ Dei eſſentiam non videbat. Sic in columba viſus eſt Spiritus ſanctus à Ioanne Baptiſta Luc.3. verſ. 22. Iren.lib..4.cap.37. hoc modo explicat.

Quòd autem hęretici quidam ſenſerunt ipſam Filij Dei θεότητα fuiſſe per ſeſe ſemper viſibilem, etiam antequam incarnaretur Chriſtus,quoniam ſæpe Patribus apparuit, quando cum illis eſt collocutus. Itaque quod hoc loco dicit Paulus, *Deum videri non poſſe*, de ſola Patris perſona & Deitate accipiendum,planè(inquam)hoc falſum eſt : & G præclarè ab Auguſtino refutatum in lib.8.de Geneſi ad literam.

Quæritur autem vtrum vox hæc οὐδεὶς ἀνθρώπων ad homines tantùm ſit referenda, & eos quidem adhuc mortales & hîc degentes, an Angelos etiam, imprimis beatos,complectatur : atque pios defunctos & iam in cœlum receptos. Nam de Angelis ſcriptum eſt, Matt.17. *eos videre faciem Patris*, id eſt,Dei:& de piis beatis Matth.5. verſ.8. *Mundos corde viſuros eſſe Deum*. Hîc prætermitto vanas & curioſas Scholaſticorum quæſtiones, quæ de Dei viſione fiunt in libr.4. Sentent. Lombard. diſtinct. 49. Item non afferam ea, quæ prolixa epiſtola ad Paulinam & ad Dardanum de Videndo Deo differit Auguſtinus,itémque lib.1.de Trinitate cap.6. & libr.4.cap.3. de Symbolo ad Catechumenos. Sunt enim ex iis quædam ἄδηλα, quædam etiam curioſa, quod tanti viri pace dictum ſit. Neque item dicam quod Anſelm. Hominum nomine hîc carnales duntaxat comprehendi, non etiam pios,renatos,& in Dei obſequium iam for-

A matos homines. Hæc enim interpretatio minimè vera eſt. Reſpondeo igitur ſuperiori quæſtioni breuiſſimè ex Theodorito in Polymorpho, itémque ex Bernardo ſerm. 81. in Cant. Ne ab Angelis quidem ipſis beatis Dei eſſentiam cerni poſſe, niſi per quandam συγκατάβασιν, & quaſi ſui demiſſionem, vt loquitur Theodorit. Soli enim ſibi Deus eſt & viſibilis & comprehenſibilis. Ergo multò minus à piis in cœlum traductis ipſa Dei οὐσία, qualis quantáque eſt, & ipſa per ſe videri poteſt, ſi nequit ab Angelis. Neque certè tam de hoc nobis eſt quærendum, quàm via ipſa per quam peruenire ad eum poſſimus, & ſcrutanda & tenenda nobis. Eſt autem illa via vera in Chriſtum fides, Vitæ puritas & ſanctificatio, item pietas charitáſque ſyncera.

Addidit autem hoc epitheton Paulus tum vt eſſet ſuperioris tanquam explicatio quædam, tum etiam ne ex harum rerum, in quibus aliqua Dei præſẽtia cernitur, aſpectu, diuinæ maieſtatis eminentiam metiamur & æſtimemus. Denique vt ſit B hæc tanquam hypophora quædam, & tacita reſponſio ad eorum obiectiones & dubitationes, qui idcirco Deum eſſe vel negant prorſus, vel dubitant, quòd ab ipſis oculis illius οὐσία minimè cernitur. Itaque dixit Paulus neminem vel vidiſſe Deum antea, vel nunc, vel in poſterum etiam videre poſſe. Caro enim & ſanguis neque ſunt, vt ait Bernard. diuinæ eſſentiæ capaces, neque capabiles.

Quartum epitheton ſequitur in quo totius ſuperioris diuinæ naturę deſcriptionis fructus, ſcopus, & finis continetur nempe, vt vni Deo *laudem omnem, gloriam, & potentiam omnium rerum tribuamus*, ídque non ad tempus aliquod tantùm: ſed in æternum, & in ſecula & vltrá. Hæc particula ſup. cap. I. v. 17. ex parte explicata eſt, & ſæpe recurrit, idcirco à pleriſque expoſita eſt, & à nobis latiùs non tradetur. Vox *Amen* ipſius Pauli aſſenſum in eas omnes Dei laudes declarat, & eas quaſi ſigillo quodam ſolenni confirmat.

17 *Iis qui diuites ſunt in hoc ſeculo, denuntia ne efferantur animo, neque ſpem ponant* C *in diuitiis incertis, ſed in Deo viuo, qui præbet nobis omnia copioſè ad fruendum.*

Ε'πάνοδος eſt & regreſſio. Intermiſſam enim de diuitum, & diuitiarum cura, vſu, totóve hoc argumento exhortationem repetit. Idque duplici de cauſa. Primùm quòd, vti ex Iac. 2. apparet, facilè ſint in reliquos iniurioſi diuites, iámque in Eccleſia quidam tales exiſterent. Præſertim autem in amplis & opulentis ciuitatibus ſæpe id accidere & cerni ſolet. Hoc autem & ipſis diuitibus exitioſum eſt: & cæteris in Dei Eccleſia præbet offendiculum. Cui malo remedium afferendum fuit. Atque tale quid iam tunc in Epheſina Eccleſia contigiſſe, veriſimile mihi ex eo fit, quòd non fruſtra has præceptiones de diuitiis repetit Paulus.

Secunda verò huius regreſſionis cauſa eſt, ne, cùm ſuperioribus verſiculis tam acerbè in diuitiarum appetitum inuectus eſſet, diuites Chriſtiani omni ſpe & ſalutis, & bene vtendi ſuis diuitiis ſe deſtitutos eſſe ſtatuerent & quererentur. Itaque eas abiicerent, tanquam omnino cum Chriſtiani nominis profeſſione pugnantes & ἀσυζύγοις, Deóque exoſas. A Neque enim ſuprà diuitias per ſe dãnauit Paulus, quemadmodum rectè Auguſtinus ſcribit & ex communi totius Eccleſiæ ſententia Hieronymus in Epiſtola ad Saluinam: ſed diuitiarum morbum: neque præcipit Paulus diuitibus, vt ſuas diuitias abiiciant, quod inſanus ille Antiſthenes philoſophus & poſt eũ Ariſtippus fecit: ſed vt iis benè vtantur, tum ad Dei gloriam: tum ad ſuam ipſorum ſalutem, & proximorum commodum & ædificationem. Hęc igitur cauſa eſt repetitæ huius exhortationis, vt hoc tam neceſſario præcepto, tanquam præclaro colophone & fine, totam hanc epiſtolam tandem clauderet Paulus.

Ergo quid hæc præceptio contineat ſigillatim nobis expendendum eſt. Duo verò obſeruemus hoc loco, & Quibus pręcipiat, & Quid præcipiat. Præcipit igitur Paulus diuitibus, & iis quidem qui in hoc ſeculo diuites ſunt. Quę verba ſuo momento non carent. Primum enim oſtendunt eſſe duplex diuitũ genus. Vnum eorũ, qui in hoc ſeculo & rerum terrenarum ratione ſolum diuites & abundantes cenſeri poſſunt. Hi ſunt, quos vulgus B hominum diuites appellat, & de quibus agit hoc loco Paulus. Aliud eſt diuitum genus, eorum nẽpe, qui in futuro ſeculo vel rerũ cœleſtiũ ſpiritualiúmq; ratione & copia ſũt diuites, opulenti, abũdantes, de quibus loquitur Iac. 2. v. 5. Paul. 2. Cor. 8. verſ. 9. Apoc. 2. verſ. 9. Qui diuites fide, & bonis operibus diuites, & hæredes in regno Dei dicuntur. quales ſunt omnes verè filij Dei, vtcunque in hoc mundo ſint egentes, atque etiam Iro ipſo, vt eſt in Prouerbio, pauperiores. Qualis fuit Iobus in mediis afflictionibus: qualis item fuit ille languens Lazarus, & vlceribus plenus & fame oppreſſus, de quo Luc. 16. Præclarè enim Ambroſius epiſt. 10. omnis Chriſtianus (vt antea diximus) & ſapiens eſt, & diues. Horum autem ſpiritualium diuitum diuitiæ, vt rectè dixit Auguſt. in ſerm. de verb. Euangel. ſunt non quidẽ pecunia, ſed iuſtitia: quæ certè verè ſũt diuitiæ, neque amitti poſſunt, quẽadmodũ etiã docet D. N. Ieſus Chriſtus.

Sed addit quoque alia de cauſa hæc verba Pau. *in hoc ſeculo*, vt ipſe contemptim de his diuitiis loqueretur, quibus minimè fidendum eſſe demon- C ſtrat, quáſque res eſſe vanas, incertas, caducas pronuntiat. Itaque vt diuites ipſos melius deprimeret, diuitias eorum huius ſeculi appellat, id eſt, euanidas & fallaces, & inſtabiles. qualis eſt huius ipſius ſeculi & mundi conditio, & eorum omniũ, quæ in eo ſunt. Qua ratione etiam voce παράγγελλε vſum eſſe Paulum putant, non autem voce λέγε, vel δίδασκε, quod diuitum ingenium ſubiiciendum ſit, & contundendum, cùm nimiùm per ſe ſemper inſoleſcat. Certum autem eſt hoc vocabulo ſeriam admonitionem à Paulo ſignificari quæ diuitibus à paſtore, & crebrò quidem, ſubiici debet ac inculcari.

Iam verò quid illis præcipiat videndum eſt. In quo hæc duo ſunt nobis obſeruanda.

1 Quædam enim à diuitibus euitari præcipit, vti noxias comites, & diuitiarum infœliciſſimas appendices.

2 Quædam verò ab iiſdem diuitibus ſtudioſè præſtari & ſuſcipi vult.

Ergo duo maximè vult effugi à diuitibus, ſuperbiam

A perbiam animi nimirum, & ſpem vanam, quæ ex opum abundantia ab illis concipitur. Vtrunque ſanè vitium non modò diuitibus familiare eſt:ſed connatum & penè à diuitiis inſeparabile,cum iiſque coaleſcens & ab incunabulis creſcens, vt qui diuitias accipiat, ſimul quoque eadémque manu hæc vitia quodammodo acceptare videatur. Quorum vitiorum vana ſpes eſt animi ſuperbiæ fons & mater:Ex illa enim hæc producitur,tanquã fœtus infœliciſſimus. Id quod exemplo Ezechiæ regis,quanquam aliàs pii,cõprobatur,qui nimia ſua fœlicitate intumeſcens ſeſe nimium extulit.Iſ.39. Neque id tamẽ ipſarum opũ,aut rerum,in quibus illæ diuitiæ conſiſtunt,vitio,aut culpa accidit: ſed noſtra vitioſitate duntaxat,& humani ingenii vanitate,quę per peccatum nobis infuſa eſt nimirũ. Ne hæc vitia rebus ipſis à Deo eſſe iniecta credantur & ita Deo opum ipſarum creatori vitium impiè aſcribatur,ſed vt noſtræ corruptionis & rebellionis hæreditariæ ex Adamo vis & magnitudo intelligatur,damnetúrque.

Superbiam igitur ex animi ſuperbi cogitatione B deſcribit Paulus dum eam ὑψηλοφρονίαν eſſe declarat idem Paulus Rom. 12. verſu 16. Rectè igitur quidam dixit,Vt vter,inflati ſunt ſuperbi.Si attendis eos,falleris:ſi appendis,vanos & vacuos reperies,elatos tamen ſemper, & magnificè de ſe ſentientes comperies.

Alterum vitium eſt vana ſpes, cuius cauſa eſt, quia diuitiæ ſunt incertæ, imò fallaces, & deceptrices,vt ait Chriſtus,Matth. 13.ver.22.Mar.4.v. 19.Neque enim cùm haberi creduntur, tenentur ſed ſtatim effluunt. Neque cùm tenentur ſtabiles ſunt,vt eripi nobis ab aliis non poſſint, aut apud nos ipſæ per ſe perire, & conſumi nequeant Luc. 12.De quo argumento infiniti ſunt tum in Prouerbiorum cap.11.v.28.13.v.8.tum etiam in Eccleſiaſte loci, qui ſunt cum hoc conferendi.

Nec obſtat huic loco Prouerbiorum cap. 14.v. 24. vbi item diuitiæ dicuntur eſſe diuitum corona & Eccleſiaſtic.7.v.12.In vmbra argenti requieſcet homo.Reſpond.Additum eſt Sapientum, id eſt,horum eſſe coronam qui rectè diuitiis vtũtur. C Non ſunt autem ſtultorum diuitiæ iis ipſis corona,quia vt eſt Eccleſ.4.v.13. præſtat pauper ſapiẽs rege & diuite ſtulto. Ex hoc autem loco quidam damnarunt diuitias in homine Chriſtiano, quaſi diuites nulli fieri ſalui poſſent, quorum errorem refutat Auguſtin.Epiſtola 89.ad Hilarium.ex quo tamẽ ipſo errore nati ſunt Fratrum Mendicantiũ, & pauperiem vouentium ordines.

Cæterum his vitiis contrarias virtutes iam videamus, quas diuitibus conſectandas eſſe docet Paulus.Sunt autem hæ tres. 1 Spes ſiue fiducia in Deo viuo. 2 Benignitas. 3 Facilitas ſiue comitas morum.

Pulchra verò eſt hæc antitheſis inter Spem & fiduciam in incerto diuitiarum,& inter Spem ſiue fiduciam quę ponitur in Deo viuo,& affatim omnia nobis præbente, non tantùm ad tenuem & neceſſarium vſum, ſed etiam ad liberalem & opiparum.His autem epithetis, quæ hic Deo tribuũtur, non tantùm verus Deus ab omni humani ingenij figmento,quod pro Deo habetur, nõ etiam ſolùm ab omnibus idolis iam receptis pro diis ſecernitur: ſed etiam veriſsima noſtræ fiduciæ in eũ collocandæ ratio,cauſáque explicatur,nẽpe,quòd ſit ipſe omnis vitę fons,ſiue temporarię, ſiue etiã A æternę. Deinde, quòd quęcunque ad vitam hanc etiam tuendam ſunt neceſſaria,abundè & copioſè ille vnus omnibus nobis ſuppeditat, & ſubminiſtrat,vt ab eo ſolo pendere debeamus,quacunque ratione vel viuere,vel vitam ipſam tueri & conſeruare cupiamus. Atque hæ cauſæ ſunt, cur diuites confidant ſuis opibus & diuitiis, quòd per eas ſolas ſe vitam hanc tueri & ſuſtinere poſſe credant. Quorum ratio non tantùm ex hoc Pauli loco refutatur:ſed etiam ex ea parabola,quam affert Chriſtus Luc.12.v.16.& ſequenti.

Vnus Deus) appellatur, non tantùm quòd & in ſeſe,& per ſeſe viuat,ſed quòd omnibus quę viuũt vitam largiatur. Quæcunque enim viuunt, illius beneficio & dono viuunt,tam Angeli, quàm vermes ipſi,vt ait Auguſtinus.

Præbet idem Deus omnia, ídque πλουσίως, id eſt, affatim & copioſè:ſed(vt ait Iacobus) etiam benignè.In quo pulcherrima eſt annominatio ad vocem πλουσίων,quos exhortatur Paulus. Non ſunt enim illi diuites verè & propriè:ſed Deus eſt diues qui & omnia poſsidet,& abundè cunctis largitur & opulenter. B

Quod autem additur, *Nobis*, ad ſuſcepti argumenti rationem eſt accommodatum,quod ea vitia,quæ taxat hîc Paulus,in ſolos homines cadant: quódque noſtra cauſa tantùm inſtitutæ ſunt hæ præceptiones.Neque verò reſtringit Paulus admirabilem illam Dei benignitatem vel ad ſolos pios & fideles homines,cùm etiam impii & reprobi eã ſentiant in hac vita,vt eſt Matth.5.v. 45. vel etiam ad ſolum genus humanum, cùm etiam bruta animantia paſcat Deus, illiſque victum ſuppeditet Pſal.104.Matth.6.v.26. Pſa.36.v.5. Imò infinita Dei beneficẽtia in omnes mũdi huius & creaturas & partes diffunditur & ſe exerit.

Eἰς ἀπόλαυσιν,id eſt,*ad fruendum*. Quia diſtinguit Auguſtinus li.1.de Doctr.Chriſt.inter frui & vti: & fruitionem ad res diuinas: vſum ad terrenas & caducas refert:idcirco ſic hunc locum explicat, & poſt eum Beda,vt de vita æterna boniſque cœleſtibus tantùm accipiendum putet, quia fruendi C verbo vſus eſt Paulus. Sed primum falſa eſt iſta diſtinctio Auguſtini(pace tanti viri dictum ſit)cùm æquè & propriè,& frui,& vti dicamus rebus ſiue terrenis ſiue cæleſtibus: etſi apud Iuriſconſultos aliquod diſcrimen ſtatuitur inter vſum & fructũ: & inter ius vtendi,& ius fruendi re aliqua,quę iuriſconſultorum diſtinctio ad Theologos minimè pertinet.Deinde in verbis Grecis,id eſt,inter χρῆσθαι & ἀπολαύειν nulla huiuſmodi differentia reperietur obſeruata:vt χρῆσθαι tãtùm de bonis terrenis:ἀπολαύειν de bonis cœleſtibus tãtùm accipiatur. Deniq; hic ipſe locus oſtẽdit,de bonis terrenis præcipuè agi, in quibus diuites huius ſeculi ſpẽ ponunt, quæ tamen à ſolo Deo dari docet Paulus hoc loco.Quid igitur ſibi vult hęc dicẽdi ratio?Nimirũ,nõ ea tantùm nobis à Deo ſuppeditari quæ neceſſaria ſunt ad ſtrictè,anguſtè,duriter,& tenuiter vitam hanc tuendã & ſuſtentandã:ſed benignè,profuſè, largiter & liberaliter,multa etiã nobis à Deo pręter neceſſarium vſum tribui.Hoc dicunt ſeptuaginta interpretes in veteri teſtamẽto ’δωμεῖν:M.autẽ Tullius lib.1.de Legib. Prodigere,vt ex hac tã liberali Dei in nos benignitate intelligamus non tantùm quàm iuſtius in Deo ſperãdũ ſit, quàm in diuitiis.

A ſed quàm opulẽtius & liberalius à Deo omnia accipiamus, quàm vlli diuites à ſuis opibus habere poſsint. Denique ex hoc loco immenſæ Dei benignitatis in homines commendatio fieri debet.

18 *Vt* aliis *benefaciant, vt diuites ſint operibus bonis, faciles ad impartiẽdum, facilis conuictus.*

Sequuntur aliæ virtutes duæ, quæ ſuperioribus etiam vitiis, quæ in diuitibus notauit Paulus, opponũtur. Hæ autem ſunt, Benignitas, & Comitas. Ac benignitas quidem ſiue beneficentia eſt veriſsimus diuitiarum fructus. Comitas verò velut cõdimentum ipſius beneficentiæ, certè ſuperbiæ illi, quam reprehendit ſupra Paulus, virtus eſt planè contraria atque repugnans.

Beneficentiam autem variis verbis deſignauit tum ad illius virtutis commendationem: tum etiã ad explicationem. Nam eam commendant hæ voces Α'γαθοεργεῖν & Πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς. Explicãt iſtę ἀμεταδότους εἶναι.

Itaque hîc bona opera deſignantur, non tam quidem omnia in genere illa quæ ſcriptura Bona B opera vocat, & pręcipit (quamquam diuites Chriſtiani iis omnibus animum applicare debẽt) quàm quæ Charitatis & Eleemoſynæ opera ſunt, & huic argumento conueniunt: quòd ea ſint pręcipua, in quibus diuites ſeſe debent exercere, & quorũ præſtandorum cauſa diuitias à Domino acceperunt. Omne autem proximi ſubleuandi & beneficentiæ genus complectitur Paulus, cùm vult ita diuites ſuas opes collocare & diſpenſare vt diteſcant abũdéntque in omni genere bonorum operum, non vt vnius aut alterius tantùm beneficij in proximũ exhibitione ſibi ſatisfaciant, quaſi ſint ſatis officio functi: ſed congerere, cumulare, & addere eos oportet beneficia beneficiis minimè propterea fatiſcentes, quia pluribus ſubueniant: vel quia vni & eidẽ ſæpius iam cõtulerunt donarúntque aliquid: in quo ipſo præclara eſt annominatio, & argumentum à coniugatis à Paulo perſtrictum. Oportet enim πλουσίους πλουτεῖν, id eſt, diuites congerere: ſed in acerui genere, quem fieri iubet Paulus, differentia eſt. Illi enim vt plurimum congerunt ſcelera C ſceleribus, vt diteſcant: at Dei ſpiritus vult eos cõgerere & cumulare bona opera bonis operibus, vt illis ipſis ſuæ diuitiæ ſint ſalutares. Pro ἀγαθοεργεῖν, legit Ambroſius ἐθελοεργεῖν, quod huic loco & menti Pauli non conuenit. Bona igitur opera vocat Paulus ea, per quę in proximum beneficiũ cõfertur, & illi bene fit, quemadmodũ idẽ loquitur Galat. 6. v. 9. 10. quanquam verbi Græci ſignificatio etiam ad alia operum genera pertinet. Bona verò opera ſunt eleemoſynæ, quia à bona radice, id eſt à fide & vera Chriſtianáque charitate naſcũtur. Aliàs, ipſa pecuniæ datio quæ fit pauperi, per ſe poteſt eſſe opus indifferens, vt docet Paulus 1. Corint. 13. v. 3. vel etiam malũ, vt ſi pauperi dem, quẽ ineſcare cupio, vt hac liberalitate poſtea perſuaſus à me facilius iuguletur, vel lædatur. exemplum eſt Matt. 6. v. 1. 2. 3. eleemoſynarũ quæ dãnantur. Ergo non tam externum opus in iſtis rebus eſt opus illud quod bonũ appellatur, quàm fons, origo, finis, & ſcopus ipſe, vnde illæ eleemoſynæ proficiſcuntur: & ad quem tendunt. Quod idcirco notandum eſt, quia homines infideles & hypocritæ hæc opera externa longè potiora melioráque A putant, quàm veram in verum Deum fiduciã, carnis mortificationem, ſpiritus renouationem, quoniam ſpeciem maiorem ſanctitatis & humanitatis præ ſe ferre videantur. Bonum enim opus metiuntur ex eo quod eſt & apparens, & alteri vtile & commodum. Bona ſunt quidẽ hæc opera quatenus ex vera fide & charitate fiunt: & ad Dei gloriam & obſequium proximíque ædificationẽ penitus referuntur.

Quod addit, *faciles ad impertiendum*, oſtendit veriſsimam liberalitatis, quæ in diuitibus eſſe debet, vim & naturam, quæ in eo eſt, vt non tantùm velint benefacere: ſed reipſa benefaciant, quia dare poſſunt. Nã in iis, qui poſſunt pręſtare aliquid, vera charitas nõ eſt in lingua, neque tãtùm in affectu ipſo largiendi: ſed in ipſo opere & præſtatione, quemadmodum Ioannes & Iacobus docent 1. Ioan. 3. v. 18. Iac. 2. v. 15. 16. Qui nihil habent, quod donent, propter rerum omnium inopiã, qua premuntur, in iis ſyncerus bene faciendi & largiendi affectus & cõmiſerationis plenus, eſt ſanè laudabilis, vti in Petro & Ioanne fuit Actor. 3. v. 6. B

Denique ſequitur tertia virtus, cùm Chriſtianis omnibus, tum verò diuitibus imprimis conſectanda & digna, Nempe comitas, communicabilitáſque ſiue affabilitas. Hanc enim deſcripſit Paulus voce κοινωνικούς. Hæc benignitas noſtra eſt velut condimentum & lepos quidam: & omnis vitæ noſtræ commendatio, atque cõuerſationis iucunditas, quæ alios homines ad nos allicit, faſtúmque omnem animi & ſuperbiam deiicit, qua plurimum diuites laborant.

19 *Recondentes ſibiïpſis fundamentum bonum in poſterum, vt apprehendant æternam vitam.*

Αἰτιολογία eſt & commendatio vſus diuitiarum imprimis autem Beneficentiæ, quæ maximè, vti ſuprà docuit, diuites decet. Eſt autem ducta hæc ſiue ratio, ſiue commendatio à fructu ſiue effecto. Nimirum, quò illa ſit vitæ æternæ conſequendæ certiſsimum teſtimonium, & tanquam arrhabo, & C pignus quoddã à Dei ſpiritu immiſſum. Cur autem cùm tria quædam à diuitibus exegerit, in vna præſertim beneficentia commendanda immoretur, hæc ratio eſt, quòd cùm natura ſint homines & tenaces, & auari, difficillimè ad exercendã munificentiam erga alios adducuntur, & de ea virtute perſuadentur, adeò vt facilius diuites, & fiduciã in Deum: & erga homines comitatem quandam ſimulent, quàm beneficentiam, quoniam niſi opere ipſo & eleemoſynæ præſtatione appareat, ſolo ore, ſoláque animi compatientis & miſeratis proteſtatione non poteſt fingi, aut cuiquam à diuitibus perſuaderi. Quantò igitur maior tenacitas cũ diteſcendi, aut diuitias retinendi animo coniũcta eſt: tantò magis fuerunt ad liberalitatem & benignitatem diuites exhortandi. Itaque conſultò & de induſtria in hac virtute præcipuè commendanda & prædicanda inſiſtit Paulus.

Vtitur autem ea dicendi ratione, ex qua non tãtùm optimum & præſtantiſsimum beneficentiæ præconium auditur: ſed aculeus quidam ad eam animis iniicitur etiam auariſsimis, cùm nempe ait, eos qui benefaciũt, theſaurũ ſibi recondere, cúm-

que

A que & firmum,& bonū.Itaque accommodat Paulus ſuam orationem ad diuitum affectū, qui in eo toti ſunt,vt theſaurizent ſibi.Id quod eoſfacturos eſſe pronuntiat,& longè vberius, vtilius, certius, meliúſque opes ſuas largiendo pauperibus quàm opes congerēdo.Nam & in vita æterna theſaurizant ſtabilē aceruū. Itaque pręclara eſt hæc Auguſtini ſentētia & obſeruatio ex hoc loco in ſerm.de Ver.Euág.5. Nō enim quia dico,vt facilè tribuāt, eos ſpoliare volo, non nudare illos volo,non inanes relinquere. Doceo lucrū,cùm oſtēdo,vt theſaurizent ſibi. Nō dico,vt perdāt,ſed quò migrēt oſtendo. Hæc Auguſtinus.Ergo qui benefacit & largitur proximo, ille theſaurū cœleſtē ſibi congerit,condit, & coaceruat, omni terreno & humano theſauro longè præſtantiorem. Similis locus Luc.12.verſ.33.Nam qui dat pauperi fœneratur Deo,vt ait Solomon.

Appellat autem has ex benignitate noſtra erga alios cōparatas opes theſaurū cœleſtem, itémque Fundamentum , & Bonum quidem. Fundamenti vox opponitur tū incertitudini, tū etiā fragilitati B terrenarum opum. Sunt enim non tantùm incertæ:ſed,etiamſi teneantur caducę,quia conſumuntur, & ipſo vſu pereunt. At cœleſtes opes neque auferri poſſunt,neque conſumuntur vnquam.

Bonum autem appellat. Quæ vox opponitur & terrenarum opum fallaciæ,& miſeriis, quas eædē opes pariunt in animis diuitum , tum vt quærantur,tum vt conſeruentur.Itaque nō tam commoditas quædam , quàm incommoditas magna , niſi benè iis vtamur,in iis opibus ineſſe videtur. Vnde propriè non videntur appellandæ Bona quædam, ſed impedimenta,& laqueus.

Quod addit *ſeipſis & in poſterum*,ſua ἐμφάσει non caret. Nam ſua quærunt diuites.Sibi autem, vt ait Paulus,has cœleſtes opes congerant.Itaque eo in benefaciendo largiendóque alacriores & promptiores eſſe debent.Cùm autem ait, id *in poſterum* appariturum,omnem eorum cogitationem ab huius vitę, & ſtatus intuitu auertit,& ad cœleſtē vitā traducit.Denique tollit adimítque omnem querimoniam,ſi fortaſſe conquerantur & ægreferant ſe neque in hac vita,neque ſtatim has cœleſtes C opes & theſauros percipere. In futura enim vita promittuntur illis non in hac.

Denique ipſum pulcherrimum beneficentię noſtræ fructum exponit iam apertè,quem nempe vocat apprehenſionē vitæ æternæ.In quo duo quæruntur, Primum quomodo eleemoſyna & liberalitas dicatur eſſe modus vitæ æternæ cōſequendæ. Reſp.Quia ſunt hæ virtutes & hæc opera bona,veræ fidei,veræque charitatis in nobis inhabitantis certa teſtimonia,effecta & fructus 2. Pet.1.ver. 10. Iac.2. Electionem enim noſtram confirmant & ratam faciunt.Sunt igitur ſigna viæ & itineris illius, per quod in cœlum nos ituros eſſe Dominus pronuntiauit:nō autem ſunt hæc opera cauſa vel pretium vitæ æternæ,quoniam illa eſt gratuitum Dei donum, vt ait Paulus Rom.6.v.23.

Secundo loco quæritur.Quomodo hoc ſit conciliandum cum iis locis ſcripturæ,vbi non ex operibus,ſed ex fide nos ſaluos fieri dicimus Rom. 3. & 4. 1.Pet.1.v.9.Reſpond.Quod hæc bona opera, quæ ſunt eleemoſynæ,neque hîc conſtituātur,neque hîc commemorentur tanquam cauſa ipſa vitę æternæ vel per ſeſe,vel in nobis:ſed tantùm velut ſigna,teſtimonia,ſundamenta ex quibus intelligimus A nos ex eorum numero eſſe,quibus vita æterna à Deo gratis promiſſa eſt: quatenus nimirum cùm bona opera in vniuerſum,tum hęc imprimis ſunt adoptionis noſtræ & gratuitæ Dei de nobis electionis ſigna & conſequētia,itémque fidei noſtræ certiſsimi fructus,vt docet Iacob.2. Per ſe enim Eleemoſynæ , quantumuis magnæ non poſſunt eſſe pretium vitæ æternæ , imò nullo modo vllius coram Deo,niſi in Chriſto,ſunt pretii.Sunt enim res nimium exiguæ & nullo modo cum regno Dei comparandę,quin etiam extra Chriſtum Deo diſplicent.In nobis autem eſſe ſalutis cauſæ non poſſunt,quia nunquam eas quantum ad communis charitatis officium præſtandum tenemur, facimus:vt malè ex hoc loco Papiſtæ merita operum confirmare conentur.

20 *Timothee,depoſitum ſerua, & auerſare profanos de rebus inanibus clamores & oppoſitiones falsò nominatæ ſcientiæ.*

Concluſio totius Epiſtolę,in qua quid maximè ſit Paſtori fideli & amanti Dei gloriæ , gregíſque B ſui ædificationis fugiendum inculcat. Non fruſtra id quidem,neque temerè:ſed quòd hoc inanis matæologiæ vitium fore tanquam fontem omnis corruptelæ , quæ in vera Theologia poſtea inducta eſt,iam tunc præuideret, atque prædiceret Spiritus ſanctus. Ergo & maturè & ſeriò huic malo proſpici & caueri voluit. Atque hæc cauſa eſt, cur hanc admonitionem repetat, quæ ſup.v.5. & cap. 1.v.6.tam diligenter poſita erat.Primum autē breuiter Timotheo , id eſt cuilibet legitimo paſtori ſuum munus cōmēdat, atque ad illud ſtrenuè obeundum exhortatur , cùm ait,*ſerua depoſitum*: vti Coloſſ.4.v.17.Archippum quoque de ſuo officio breuiter admonet. Facit enim cùm noſtra ſegnities,tū ipſius muneris onus & magnitudo, vt huiuſmodi cohortationes etiam optimis quibuſque ſint neceſſarię,quādo & pro ſeipſo quoque à tota Eccleſia Deum orari voluit Paulus , vt rectè ſuo munere fungeretur Epheſ.6.ver.19.Depoſiti verò nomine quid hîc Paulus ſignificet quæſitum eſt. Alii referunt ad dona Timothei peculiaria. Alii ad doctrinā cognitionémque fidei, quæ omnium C Chriſtianorum communis eſt. Alii ad munus ipſum paſtoris , quo tunc in Eccleſia Epheſina fungebatur ad tempus Timotheus. Ego verò cùm hîc in perſona Timothei omnium fidelium Eccleſiæ paſtorum conditionem pingi & deſcribi putem , refero vocem Depoſitum ad ipſius , id eſt,paſtorum munus.Quanquam enim fuit Euangeliſta Timotheus:non autem vni alicui Eccleſiæ addictus paſtor,tamen Euangeliſtę munus tunc in Eccleſia publicum munus fuit & Eccleſiaſticum: & quo tempore hæc ſcribebat Paulus, Epheſi velut paſtoris partes ſuſceperat ad tempus Timotheus. Eſt igitur paſtoris munus *Depoſitum*,ſed Dei depoſitum, non autem hominum , cui propterea illius depoſiti ratio reddenda eſt.Quanquā autem hominum ſuffragio paſtores eligūtur , eius tamen electionis vis & authoritas à Deo ipſo authore:non ab hominum voce pendet. Itaque non tam homines,quàm Deus ipſe cuique paſtori Eccleſiam, & gregem cui præficitur commendat , & velut depoſitum, quod repetiturus eſt , tradit ſeruandum ad tempus. Vnde illa eſt eiuſdem

A Pauli ſententia Act.20.v.28. Attendite igitur vos ipſos,& totum gregē,in quo vos Spiritus ſanctus conſtituit Epiſcopos,&c. Et Apocalyp. cap.1.v.2. & Malac.2.nomine Angelorum & Nuntiorū Dei appellantur Eccleſiæ paſtores.Ergo huius depoſiti rationem reddent. Neque Domini ſunt gregis ſibi cōmiſsi,vt etiam Petrus ait 1.Petr. 5. ſed Deus ipſe illius gregis Dominus eſt. Vt depoſitarius rei apud ſe depoſitæ Dominus nō eſt : ſed tantum eſt illius cuſtos ad tempus.

Seruare autem eſt non modò gregem Domini non minuere,ſed etiam augere.Atque ita ſe gerere,vt ſe Dei donis indignos & ſpoliandos nō præbeant,qui ea habent , quíque Eccleſiæ præficiuntur.Cùm enim Dei donis abutimur,aut ea ſpernimus,neque in illius gloriam impendimus,tunc iis priuamur à Deo, ita quidem vt etiam auferantur ab eo,qui vel nihil vel pauca habet,quia quod habet talentum non conuertit in lucrum creditoris & Domini,à quo acceperat Matth.15.

Cur autem depoſitum ſibi datum non ſeruent homines, duplex cauſa eſt , vel quòd doctrinæ B fideíque puritas violatur & in hæreſin vel matæologiam conuertitur:vel quòd turpis vitæ exempla cæteris præbent , Deúmque ipſi offendunt. Quo vtroque vitio carere debent, qui depoſitum & dona ſibi à Deo collata habere , retinere & ſeruare in ſuam ſalutem cupiunt.

Atque vt depoſitum Dei à nobis ſeruandum eſt : ita illius corruptela fugienda atque auerſanda eſt.Ea autem eſt vniuerſa matæologia & quæſtionum , oppoſitionum , contentionum & inanium ſpeculationum plena diſputatio,oſtētatio, & ſciētia,quam falſam ſcientiam appellat Paulus,quę facit vt à vera fide illiúſque doctrina lōgiſsimè aberremus,& diuertamus.

Ergo non taxat Palus hoc loco apertas & manifeſtas hæreſes: ſed quid minus:nimirū,quęſtiones tantum ipſas& diſputationes,ex quibus nulla ædificatio,nulláque pietatis acceſsio nobis fit:ſed quæ totæ in curioſa & inani rerum cognitione & inueſtigatione verſantur. Quales ſunt Scholaſticorū hodie omnes ſcholæ,& qualis omnis C Theologia, quæ ab illis appellatur.Pingit igitur graphicè Paulus illud malum, quod iam regnat latiſsimè in Papatu,vtinam etiam in nullis Euangelicis Eccleſiis.Iſtorum methodum docet verſari primùm in oppoſitionibus.Certè de quolibet fidei articulo in vtranque partem diſputandum eſt in eorum ſcholis.Neque poteſt optimus & egregius doctor inter eos cenſeri, qui non ſit Quodlibetarius,& in vtranque partem, Academicorū more,de quolibet apice Theologico diſputare paratus *pro & cōtrà*,vt ipſi loquuntur,vt nihil ſit apud eos tācertū, & definitum,quod non in dubium reuocari poſſit contrariáſque rationes habeat.

Finem autē harum quæſtionum & oppoſitionū docet eſſe vanam cognitionem & prorſus inutilē, imò verò etiam profanam,& in Deum ipſum tandem blaſphemam.

Denique modū & rationē earundē quæſtionū habendarū & tractandarū explicat quā docet eſſe clamorē.Id quod ipſa experiētia docet. Inde fit vt eorū alii ſint Reales,alii Nominales, alii Scholaſtici Thomiſtæ , & ita ſe in varias ſectas & hæreſes quæ nunquā tamē inter ſe placari poterunt, diſſecent,atque ambitioſiſsimè partiantur.

Neque tamen damnat Paulus omnes omnino A συζητήσεις & quæſtiones,quæ de cauſis & modo ſalutis noſtræ , fieri & agitari poſſunt : cùm ipſe iubeat Epiſcopum eſſe ἐλεγκτικὸν, id quod ſine diſputatione fieri non poteſt:& cùm Paulus ipſe laudet Apollo,quòd fuerit in Iudæis refutandis acutus & ſolers Tit.1.v.9. Act.18.v.27.Sed eam demum tractandæ fidei rationem improbat,ex qua nihil pietatis,nihil ędificationis,nihil denique ſolidi emergit,atque colligitur,quales ſunt penè omnes Scholaſticorum cōtentioſæ,& operoſæ diſputationes, quæ in ipſorum Scholis magna Monachorum corona habentur.

Nec verò ignorauit Paulus quo potiſsimùm fuco iſti homines ſe ſuáſque illas inutiles diſceptationes tegant,ac commendent,nimirum Scientiæ, Sapientiæ,Theologiæ.Sed hunc fumum diſcutit, cùm tam præclaro nomine donari falſò hanc cognitionem & ſtudium reſpondeat.

Falſo enim nominatur γνῶσις,cùm qui ea prędití ſunt,ſemper quærant , ad ipſam autem veritatis cognitionem nunquam perueniant , vt ait idem 2.Corinth.3.v.7.Denique iſta eſt profanatio verbi B Dei,& euerſio,non autem profeſsio & intelligentia.Veteres,velut Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus , Beda , & alii pro κενοφωνίας legunt per diphthongum καινοφωνίας,id eſt, Nouitates verborum.Et certè vtrunque vitium & vanitatis & nouitatis inter ſe coniunctū eſt & affine: atque Scholaſticis vtrunque accidit , vt dum nubes & inania captant pro ſolida fidei doctrina,noua quoque & inaudita rerum vocabula,& prorſus inepta & barbara excudant,qualia apud eos ſunt penè infinita. Præclarè tamen Auguſtinus lib.15. contra Fauſtū cap.3. Non omnis nouitas eſt fugienda:nō omnis vetuſtas appetenda. Nam & Chriſtus nouum ſe præceptū dare dixit, & ὁμούσιον Patres vocem vt ait Athanaſius tūc temporis nouam aduerſus Arrianos induxerunt ad nouos nempe illorum errores iugulandos. Sed iſtorum noua vocabula res ipſas obſcurant,& planè inuoluunt.

21 *Quam nonnulli præ ſe ferentes,circa fidem aberrarunt à ſcopo. Gratia ſit tecū. Amen.* C

Αἰτιολογία.confirmat enim ſuperiorem ſententiā ab effectu , ne fruſtra aut temerè iſtam matæologiam tam ſeuerè damnare videatur.Euentus enim ipſe iam tempore Pauli docuit omnes huiuſmodi inanes quæſtiones & clamoris,& ineptæ occupationis plenas veriſsimam eſſe doctrinæ fidei peſtem,& labem. Nam ex iis qui eas ſunt conſectati, quidā à vera fide iam defecerāt.Quod ſi obiicitur. At nondū erat nata ſcholaſtica Theologia , quæ demū ſub Innocentio 3.& poſt Alberti Magni tēpora extare cœpit, Thoma Aquinate nimirū multum eam promouente & commendante. Reſpon. Aliæ quęſtiones iam tempore Pauli pro vera & ſolida fidei doctrina inuehebātur tum à Iudæis, tum ab hæreticis,de quibus cap.1.& cap.4. & hoc ipſo capite facta mentio eſt,quibus poſtea depulſis & exploſis in earum locum ſcholaſtica & inanis Theologia,quæ in Papiſtarum ſcholis viget, ſubſtituta eſt. Itaque iam tunc Scholaſticæ Theologiæ & Matæologiæ quas hîc reprehendit Paulus ſemina iaciebantur. Talis quoque eſt iuris Canonici ars & ſciētia,quæ & ipſa quoque veriſsima eſt verę ſacræque Theologię,quę ex vno Dei verbo haubo haurienda eſt,pernicies,peſtis & corruptela.

Addidit Paulus precationem, & illius cōfirmationem ac velut ſuum de ea votum & ſigillū cùm ait *Amen*.

Gratia,de qua agit,eſt Dei gratia,quæ etiam noſtræ ſalutis cauſa eſt.Eſt enim ea,per quam à Deo in ipſius filiorum numerum adoptamur,illiq; per Chriſtum placemus & reconciliamur.

Subſcriptio verò quæ huic Epiſtolæ addita eſt, tanquam hęc Epiſtola Laodiceę ſcripta eſſet(quę hîc dicitur Metropolis Phrygię Pacatianæ)eſt falſa,vt veriſsimè variis rationibus euincit D. The. Beza.Etſi enim Phrygiæ Pacatianæ facta eſt mentio in v.Synodi,quæ eſt Conſtātinopolitan. actis: tamen neque apud Plinium qui poſt obitū Pauli ſcripſit,iſtius Phrygiæ Pacatianę facta mentio eſt: neque apud vllum veterem ſcriptorem.Deinde ex Epiſtola Pauli ad Coloſſ.cap.2.v.1. quæ poſtrema ætate Pauli ab eo ſcripta eſt, & ante hanc ipſam, apparet Paulum nūquam Laodiceam adiiſſe quæ in Phrygia ſita erat, & Coloſsis atque Hierapoli vicina vt ipſe teſtatur. Laus Deo.

L. D.

ORATIONIS DOMINICAE EXPLICATIO.

AMPLISSIMIS VIRIS AC DOMINIS SVIS, DOMINIS CONSVLIBVS, ET SENATOribus Ciuitatis Gandauenſis, quæ eſt Metropolis totius Flandriæ: eiuſdémque Vrbis vigilantiſsimis Paſtoribus,fratribus ſibi plurimùm obſeruandis.

SI cui mirum videatur,Ornatiſsimi viri,vóſque fratres chariſsimi, quòd has noſtras in Orationem Dominicam commentationes vobis dedicare hoc præſertim tempore cogitauerimus,is omnino, & quid veſtræ Ciuitatis ſtatus,& meum erga vos officium poſtulet, rectè nequaquam intelligit. Quanquam enim ea iam ſperentur à pleriſque ac propè denotentur tempora illucentia Belgio, in quibus ſumma rerum omnium tranquillitas,& perpetua ab illo decumano malorum fluctu(quò penè omnes obruti fuimus) liberatio propediem affulſura ſit:tamen ecquis propterea iuſtius aut amplius aliquod argumentum, etiam hoc ipſo tempore, quàm Orationem Dominicam,quærendum ac offerendum vobis arbitretur,qua & ea quæ adhuc exſpectatis,& quæ ad plenam & veſtræ,& totius Reip.Belgicæ conſtitutionem deſunt, à Deo Opt. Max. petere: & pro iis ipſis,quæ,ſumma illius miſericordia,iam eſtis conſequuti, gratias agere poſsitis? Summam enim,imò plus quàm beluinam hominum vecordiam,ac planè mentem dementatam eſſe oportet,quum ea quibus egent,à Deo,boni cuiuſuis fonte,flagitare negligunt:vel eorum , quæ ſentiunt, commodorum fructum,ac laudem alij cuipiam,quàm vni Deo,acceptam ferunt. Quamobrem nihil cauſſæ eſt,cur hæc tam ſancta,atque cùm ſemper,tum verò his rebus veſtris tam neceſſaria de Oratione Dominica cogitatio à me intempeſtiuè,& non ſuo tempore offerri cenſeatur. Meum verò erga vos officium certè quidem nequaquam patitur,vt ſi quid eſt in me ingenij(quod ſentio quàm ſit exiguū) ſi quid induſtriæ & virium,quibus teſtimonium grati animi erga mortales vllos,ac præſertim Chriſtianos,proferre ſtatueréque debeam, vſquàm potiùs quàm inter vos, & de vobis cupiam extare.

A *Atque illud quidem meritò. Nam ecquæ maior vnquam fuit hominum in quempiam ignotum hominem humanitas ac beneuolentia, quàm fuit in me veſtra, quem (vt vobis honorem non Danæo habeam) quum iſthic eſſem, veſtræ ſcholæ* βραβευτῶν *&* ἀγωνοθετῶν *in tribuendis induſtriæ ſcholaſticæ præmiis eſſe voluiſtis, quem benigniſsimè excepiſtis, cui denique & publicè & priuatim tantùm tribuiſtis, vt nunquam pro dignitate ac merito veſtro illa ſatis agnoſcere queam? Itaque quod dicebat ille, idem mihi profectò euenturum ſentio, nimirum vt propter magnitudinem veſtrorum beneficiorum viuam, quanquam inuitus tamen, ac moriar ingratus. Verùmenimverò ne tam turpis deteſtãdique ſceleris meritò cuiquam ſuſpectus eſſem* (ἔστι γὰρ, *vt eſt in veteri prouerbio,* ἡ ἀχαριστία τῶν κακῶν μητρόπολις) *malui hac ingenua, & qualicunque potiùs, quàm nulla animi teſtificatione, quàm obſtrictus, quámque deuinctus in perpetuum vobis maneam, palàm ac publicè profiteri. Quanquam enim illud veriſsimum inter bonos maximè eſt,* χάρις καὶ ἀμεταμέλητος καὶ ἀμισθωτός ἐστι, *tamen ad cæterorum exemplum pertinere indico, atque etiam ad excitandam fouendámque publicam illam in Chriſti ſeruos Euangeliique Dei* διακόνους *omnes (hæc enim fuit veriſsima veſtræ in me beneuolentiæ cauſſa)* προθυμίαν, *vt qui perinde ſunt, atque vos in Paſtores Doctoréſque Eccleſiæ Dei animo propenſi, ac benigni, publico laudis ob tantam pietatem præconio, velut perpetuo monumento ad poſteritatem decorentur ornentúrque. Porrò quid in hoc, quanquam certè quidem eximio, tamen ex infinitis duntaxat vno veſtrarum laudum argumento tamdiu moror? Quum ſiue veſtra in Chriſtianam religionem pietas, ſiue in patriam charitas ſpectetur, vndique occurrant aliæ res à vobis geſtæ innumerabiles, in quibus elucet veſtra quidem peculiaris virtus, non autem vobis cum aliis communis. Sed illis rebus dicendis ſuus erit locus, ſuáque aliquando opportunitas.* B *Cætera igitur egregia illa quidem veſtra perſequi foret infinitum. Vnum modò hìc adijciam, quod ſine piaculo à me prætermitti non poſſe exiſtimaui, quod videlicet ad meum munus & profeſsionem ſpectat magis, & cum illo ſuam quandam affinitatem habet: nempe eum eſſe Senatus Politici & Eccleſiaſtici inter vos ad propagandam Dei gloriam, & Euangelij doctrinam, verámque adeò morum reformationem conſenſum, quo maior deſiderari non poſsit: adeo vt cæteris ciuitatibus Belgicis ſingulari & optimo ad idem ſequendum exemplo præluceatis. Maiori numero quàm vlla alia ciuitas Belgica, veros Paſtores & Dei ſeruos habetis, nempe duodecim numero, inter quos eſt ille Iohannes Bollius, qui mihi & propter ætatem, & in ea ætate pietatem ac eruditionem, illum Timotheum adumbrare quodammodo viſus eſt: itémque Kimmedontius, Magni illius Vrſini quondam collega, & vnà cum Paſtoris munere, Doctoris quoque partibus magna cum laude fungens. Veſtra vrbs tota in certas paræcias, quemadmodum olim primis Eccleſiæ temporibus, in ampliſsimis ciuitatibus fieri ſolebat, diſtributa eſt. Cuique paræcia bini paſtores ex veſtris duodecim deſignati: quibus ſuus quoque tum Presbyterorum, tum Diaconorum numerus eſt adiunctus, vt offendicula, quæ illic naſcuntur, ſtatim tolli, & pauperes in quaque regione iuuari poſsint, pro latiſsimæ illius veſtræ vrbis ratione. Denique ſtipendiati à vobis præter duodecim illos paſtores ſunt electi quoque duodecim, quos ſuſtentatis egregia ſchola priuata inſtituta, vt mihi ad plenum ſtatum rerum benè, & ad veram Eccleſiæ formam conſtituendarum pax tantùm totius Belgij publica deeſſe videatur.* C *Et hæc quidem ipſe inter vos ipſis oculis cernens, non potui non laudare, non mirari, non ad poſteritatem literis mandare & commemorare, vt quanta ſit Dei Opt. Max. in conuertendis ad ſe hominibus potentia, quanta denique in fouendis benignitas, omnes in vobis veſtráque Repub. tanquam in pulcherrimo ſpectaculo, intueantur. Valete viri Clariſs. & hoc munus meum beneuolo animo accipite. Dominus Deus vobis, veſtræque cum vrbi tum Eccleſiæ benedicat. Lugduni Batauorum. Calend. Ianuarij. Anno* CIↃ. IↃ. LXXXII.

V. D. & H. Addictiſsimus

Lambertus Danæus.

IN ORATIONIS DOMINICAE EXPLICATIONEM L. DANÆI PRÆFATIO,

ſiue προλεγόμενα.

CAPVT I.

Ratio inſtituti.

QVANQVAM in huius argumenti explicatione breuis eſſe, quantum quidem id fieri poterit, cupio: tamen quum illud ferè cõtingat, quod ille ait, *Breuis eſſe laboro, Obſcurus fio*: & tanta rei, de qua nũc agitur, maieſtas non patiatur ſeſe ἀνίπτοις χερσὶ (quemadmodũ eſt in veteri prouerbio) tractari, præfatio quædam mihi viſa eſt ad faciliorem totius futuræ diſputationis tum ingreſſum, tum etiam progreſſum neceſſaria. Et id quidẽ meritò. Quanta ſit enim Deum precandi æquitas, ac vtilitas, eſt demonſtrãdum, vt immanem illum humani ingenii in ea re torporem excitemus: vel, ſi quis in nobis precandi iam ardor ineſt, vt eundem foueamus. Eſt etiam inſanis & pernicioſis quorundam hominum erroribus occurrendum, qui, vel dum preces omnes ſpernendas contendunt, alios ad Deum precandum mirum in modum reddunt frigidos & conglaciatos: vel dum etiam plus tribuunt precibus, quàm ex Dei verbo liceat, conuertunt ſanctiſſimas preces & præclariſſimũ opus in horrendam ſuperſtitionem, atque etiam in Dei ipſius blaſphemiam: vel denique dum iis abutuntur, eas tantùm ſuæ tum auaritiæ, tum ambitionis ſpecioſum prętextum, licet tandem ſibi exitioſum, habent. Quamobrem, vt his omnibus reſpõdeatur, quædã mihi præfanda viſa ſunt: imò etiam vniuerſa ſequentis tractationis ſumma ſtatim proponenda, quò res tota commodius intelligeretur.

CAP. II.

Diuiſio futuræ tractationis.

COntinebit igitur tota hæc diſputatio futura hæc duo capita, Prolegomena videlicet, & Rei ipſius, id eſt, Orationis Dominicę interpretationem.

Prolegomena verò duabus hiſce quæſtionibus abſoluentur, vnâ, Vtrùm Deus precandus ſit: alterâ, Quæ formula nobis ſit ad Deum precandum, id eſt, ad preces legitimè cõcipiendas commodiſſima & præcipuè propoſita.

Rei verò ipſius explicatio docebit, tũ quæ ſunt οὐσιώδη verę legitimæque precationis ad Deum: tum quæ ſunt illi συμβεβηκότα, & nonnunquam in ea prętermitti, nonnunquam etiam in eadem adhiberi poſſunt. Quamobrem expoſita totius huius libelli noſtri materia, & tanquam in tabella breuiter, & σκιαγραφίᾳ quadam depicta, ad primum προλεγομένων caput, id eſt, ad primam illam quæſtionem accedamus. Huius autem eſt iſte ſtatus, Vtrum Deus ſit precandus.

CAP. III.

Vtrum Deus ſit precandus.

NOn dubito, quin piis conſcientiis vel ipſe quæſtionis ſtatus prima fronte diſpliceat, quum apud omnes homines religionis luce & gutta vel leuiſſima tinctos ea res nullam dubitationem vel diſceptationem habeat. Eſt enim veriſſima, & tam ex intimo ipſius naturæ communis omnium hominum ſenſu, quàm ex intima peculiari Theologia deprompta hęc Chryſoſtomi ſententia, *Scientiam rectè precandi Deum eſſe non modò pulcerrimam, & præſtantiſſimam, ſed etiam cuiuis homini neceſſariam.* Neque verò de hoc ipſo à nobis nunc quæritur, vt aliquem piorũ Chriſtianorúmque hominum animis ſcrupulum iniiciamus (verũ eſt enim ἐχθρὰ σοφία λοιδορῆσαι θεόν) atque etiã abſit à conſcientia & à profeſſione mea vlla huiuſmodi dubitatio: ſed partim, vt ἀθέων & Epicureorum hominum, qui Deum precandum negant, non tam errorem, quàm inſaniam: non tam inſaniam, quàm furorem: non tam furorem ſeu μανίαν, quàm horribilem impietatem cuiuis oſtendamus: partim, vt immaniſſimi & ab omni humano ſenſu alieniſſimi intelligantur ii, qui quum Deum precandum eſſe ſciant & fateantur, tamen ipſi non precantur, hoc agamus. Damnentur nempe merito ſuo, qui id facere vel recuſant: vel, dum id faciunt, frigidè tamen perfunctoriéque, velut dicis cauſâ, id præſtãt, id eſt Deum orant. Illi enim planè deprehendentur non tantùm Gigantum more θεομαχεῖν: ſed etiã, tanquam iam humanam naturam exuerint, & in pecudum ſordidiſſimas caulas tranſierint, ἀνθρωπομαχεῖν, id eſt, palàm, & cum Deo ipſo, & cum vniuerſæ naturæ humanæ ſenſu furioſiſſimè pugnare. Ergo etiam in hac quæſtione pertinet noſtra oratio ad informãdos in vero Dei cultu & pietate hominum animos, non autẽ vt vanas & inutiles quæſtiones, quæ hominum ſanam mentem euertunt (quod fieri vetat Paulus) 1. Tim. 6. inuehamus. Quũ igitur de animi mei propoſito, vel Deo ipſo teſte, conſtet, ad ſuperiorem quęſtionẽ breuiter reſpondeo: Deum eſſe precandum, nec tantùm à piis, & rectè in Dei verbo inſtitutis hominibus, ſed ab omnibus mortalibus cuiuſuis generis, ſexus, gentis, conditionis. Tam enim æquum eſt, vt qui homo eſt, Deum oret, quàm æquum eſt & δίκαιον vt, qui homo eſt, hominem ſeſe agnoſcat & fateatur. Atque vt noſtræ huius reſponſionis cauſſæ cognoſcantur, dico quatuor eſſe, eáſque grauiſſimas ac irrefragabiles rationes, propter quas Deus à nobis precandus eſt, 1. Quòd hoc ſit naturæ ipſius dictamen. 2. quòd ſit neceſſarium. 3. quòd vtile. 4. quòd à Deo ipſo ſit hominibus præceptum.

A

Cap. IIII.

A natura ipſa dictari hominibus, Deum eſſe precandum.

SEd vt hoc ipſum diſtinctè tractemus, ſingulas iſtas rationes à nobis propoſitas ordine perpendamus. Dico eſſe Naturale cuiuis homini, vt Deum precetur, id eſt, ſic ab ipſo naturalis rationis & conſcientiæ ſuæ inſtinctu ac teſtimonio doceri atque informari omnes homines, vt quem eſſe Deum fatentur, eundem precandum ac inuocandum eſſe concedant. Voco igitur naturale, quod à natura non illa quidem generali, & nobis cũ brutis communi, ſed ex ſtatus & conditionis (qua nos homines λογικὰ ζῶα ſumus) lege & inſtinctu didicimus. Ergo illud naturale nũc à nobis dicitur, quod à rationis & conſcientiæ (quæ homini ſoli, quatenus homo eſt, naturalis eſt) dictamine & voce nobis omnibus præſcribitur, nemine extrinſecus vel nos ſubmonente, vel id fieri iubente.

Huius enim rationis duæ ſunt partes. {
Iudicium, æqui & honeſti συντήρησις, &,
B Conſcientia, id eſt, teſtimonium, quod vnuſquiſque in ſeſe ſentit, de ſuo officio facto aut neglecto. vtraque pars in nobis dictat Deum eſſe inuocandum.

Quanquam verò dicũtur Animantia Bruta ſperare in Domino Pſal. 104. verſ. 27. & à Deo eſcam ſuam expectare: quanquam item Pſa. 145. ver. decimoquinto omnium oculi in Deum coniecti dicũtur, vt ab eo cibum accipiãt. Denique Rom. 8. verſ. 21. & 22. ſcribit Paulus, omnes res creatas, & idcirco etiam ἄλογα, ſuſpirare ad Deum: tamen, quæ animantia carent ratione, certè Deum precari ſeu rogare nequaquam poſſunt. Thomas in 2. 2. Quæſt. 83. eam facultatem etiam in parte noſtri appetitus ineſſe ſcribit, quę nobis eſt cum brutis communis. Sed ille in eo falſiſſimè & peſſimè ſẽtit vt in multis aliis, & in eo ipſo ſecum pugnat, ſi conferatur 2. 2. Quæſt. 83. Artic. 10. Eſt enim oratio rationis & conſcientiæ noſtræ actio, vox, ac teſtimonium, C quo Deum boni autorem, & omnipotẽtem agnoſcimus. Vtraque autem illa, videlicet ratione & conſcientia, carent ea, quæ ſunt naturâ ἄλογα. Sed hæ S. Scripturæ phraſes ſunt planè metaphoricæ, quemadmodum & cùm iubentur arbores ipſæ exclamare præ gaudio, & flumina exultare corã Deo propter propagatum ipſius regnum Pſ. 93. verſ. 11. & 12. Chryſoſt. Homil. 2. de Orand. Deo, Oratio, ait, te ſeparat à mutis animantibus. Quæ fidem non habent, neque ſpem habent. Idem Quæ credere nõ poſſunt, nec ſperare, quoniam fides eſt mater ſpei Heb. 11. verſ. 1. Ergo & ex ipſo Pauli ad Rom. loco Rom. 8. verſ. 22. vbi parturire, ſperare, expectare dicuntur plantæ ipſæ, & omnes res creatæ, ſatis intelligitur metaphoricas eſſe illas locutiones ad humani ingenii captum accommodatas.

Cur autẽ dicantur animalia, imò quicquid creatum eſt, ſperare in Domino? Ratio eſt nimirum vt intelligamus omnia & conſeruari, & dietim ali à Deo. Nam & paſſeres, vt ait Chriſtus, & lilia, quæ neque fatigantur neque nent, Mat. 6. verſ. 25. Pſal. 65. à Deo aluntur & veſtiuntur Luc. 12. verſ. 24. coruorum pulli Pſal. 147. verſ. 9. Iob. 39. & iumenta ab eodem ſuſtentantur dietim, & terra ipſa ab eodem A ſœcundatur: & pluuia mittitur, Deique ipſius prouidẽtia omnia ſurſum, deorſúmque adminiſtrat, & regit, & gerit Mat. 10. Precatione tamen nequaquã vtũtur eæ creaturæ. Neque etiam aliud colligi poteſt ex eo, quòd ad Deum laudãdum rerum omne genus inuitatur Pſal. 148. ſed id fit, ne quis præter vnicum illum verum Deum earum rerum omniũ alius autor eſſe cenſeatur.

Porrò verò naturale eſſe homini. i. à natura illud nobis etiam non renatis monſtrari, eum quem cõcedimus eſſe Deum, precãdũ eſſe, apparet 1. Quòd Pſ. 14. vtrumque coniungitur, abnegatio Dei, & nulla inuocatio: & Pſal. 139. contrà cogitatio, ſeu agnitio Dei creatoris, & inuocatio eiuſdem copulatur. Itaque qui homines Deum eſſe credunt, eundem, dictante conſcientia, agnoſcunt & fatẽtur eſſe precandum. eſt enim hoc illi conſequens. Nulla certè gens eſt, quæ quem Deum eſſe fatetur, ad eũdem non cõcipiat vota quoque & preces. Homeri teſtimonium & Heſiodi lib. 1. ἔργων ϗ ἡμέρων id probat. Platonis locus de Legibus & M. Tulli Ciceronis lib. 2. de Legibus laudari & afferri in eam rem poteſt. Sed vnus Tertullianus ſatis erit pro omnibus in Lib. de Teſtimo. Animæ. Docet enim has B phraſes fuiſſe inter Ethnicos vſurpatas, quas ſolo naturalis conſcientiæ teſtimonio didicerant, *Deus tibi benedicat, Deus tibi maledicat*. Imprecatio item diuini iudicii, quæ eſt ſpecies precationis. 2. Ratio. Nihil tam naturale eſt, &, conſcientia teſte ęquum, quàm vt eum agnoſcamus, qui noſter eſt εὐεργέτης, eúmque imploremus, qui ſuccurrere poteſt. 3. Denique Paulus in Epiſt. ad Rom. cap. 1. ſcribit gentes ipſas profanas δικαίωμα. i. ius Dei habuiſſe cognitũ & cap. 2. ver. 15. opus legis diuinæ (illa verò oſtendit Deum eſſe inuocandum) habuiſſe inſcriptum naturaliter in mẽtibus & conſcientiis ſuis. Ex quibus ſatis apparet, à natura ſic informatos eſſe homines, vt ſciant Deum eſſe precandum.

Cap. V.

Neceſſarium quoque eſt homini precari Deum.

NEceſſarium voco, non id quod coacti facimus vel inuiti, ſed illud, quo vita noſtra carere nullo modo poteſt. C Sic cibi dicuntur nobis neceſſarii: ſic ducere aërem eſt ad hanc vitam corpoream tuendam & cõſeruandam neceſſarium. Verùm id contendo, non tantùm in hac vita terrena, ſed ~~in cæleſti quoque~~ illa & beata eſſe neceſſariam orationem, ſeu precari Deum, quatenus Dei inuocatio complectitur etiam gratiarum actionẽ, & Dei tum creatoris, tum redemptoris ſui agnitionem, laudem, & confeſſionem, quæ quidem eſt tota beatorum actio, & occupatio, quemadmodum apparet ex Apoc. ca. 4. & 5. & Augu. in Enchirid. ad Laurentium.

Neceſſarium autem eſt duplex. {
Ἁπλῶς & abſolutè:
Κατά τι & ex hypotheſi.

Dico vtroque modo precationẽ eſſe nobis neceſſariam, diuerſa tamen ratione. Nihil enim idem eiuſdem rei ratione eſſe poteſt neceſſarium, ſimpliciter & ſecundum quid.

Neceſſariũ ſimpliciter voco, quod ex ipſius rei, de qua agitur natura immediatè & inſeparabiliter naſcitur & colligitur, veluti, Deus eſt bonus, iuſtus, A ſtus, miſericors, idque neceſſariò ἁπλῶς. Item, qui homo eſt, neceſſariò eſt creatura. Impius neceſſariò peribit. Pſ. 73. Neceſſarium ſecundum quid verò, quod non ex ipſius rei, de qua agitur, natura, ſed ex re aliqua ſemel poſita & conceſſa ſequitur, neque tamen vel immediatè, vel ἀδιαιρέτως ſemper. Nõ immediatè, veluti oportet in Eccleſia Dei eſſe hæreſes, vt manifeſtentur probi. 1. Corinth. 11. Phil. 2. neceſſarium iudicaui remittere ad vos Epaphroditum, vt leuaretur à morbo: Oportuiit Chriſtum pati & reſurgere, & ſic intrare in ſuam gloriã Luc. 24. quia videlicet ſic Deus decreuerat Chriſtus enim potuit ἁπλῶς aliter agnoſci glorioſus. Ἀδιαιρέτως non ſequitur, vti cibi ſunt homini ad hanc vitã neceſſarii. Atqui & Elias & Moſes, & Chriſtus ipſe homines, ſine cibis diu vixerunt & vera eſt illa ſententia, Non in ſolo pane viuit homo. Ergo κατά τι. Poſito nempe & conceſſo quòd hęc vita habeat illa odinaria inſtrumenta, illi cibi ſunt nobis ad hãc vitam conſeruandam neceſſarii.

Primum oſtendamus eſſe ἁπλῶς neceſſarium, eáque ratione etiam poſt hanc vitam vſum eſſe pre- B cationis generaliter ſumptæ, adeóque inter beatos & electos, poſtquam in cælum erunt animo & corpore recepti. Huius noſtræ ſententiæ eſt hæc ratio.

Ratio 1. Illud eſt abſolutè neceſſarium, quod ex naturæ noſtræ, etiam quando adhuc integra erat, lege & conditione indiuiſè ſequitur, & à nobis Deo debetur:

Atqui ex integræ naturæ noſtræ lege precatio ſiue confeſſio Dei à nobis debebatur Deo. Ergo abſolutè neceſſaria eſt. Ne putemus igitur tantùm propter peccatum, & huius vitæ miſerias neceſſariam nobis eſſe precationem.

Minor probatur. Nam agnitio, confeſſio, & laus Dei à nobis ipſi debetur, vt creatori noſtro, & cõſeruatori, ſiue ſuſtentatori. Nos enim omnes & ſingulos Deus condidit ad eum finem Ro. 1. Pro. 16. v. 4. Pſ. 145. v. 10. Eph. 1. nempè vt à nobis glorificaretur.

Atqui hæc confeſſio & agnitio Dei, ipſiúſque velut creatoris noſtri & conſeruatoris laus eſt, εἶδος procul dubio ſeu ſpecies precationis. Eſt enim gratiarum actio. Ergo precatio debetur Deo à C nobis, etiam manentibus in integro ſtatu naturæ noſtræ.

Ratio 2. Illud omne quoque nobis abſolutè eſt neceſſarium, quod eſt pars cultus veri Dei, noſtrum omniũ conditoris, ex Pro. 16. v. 4. Ac. 17. v. 17

Atqui precatio eſt pars cultus veri Dei, vt poſteà docebimus, Oſe. 14.

Ex hypotheſi verò neceſſariũ nobis eſſe, vt Deũ precemur, his rationibus probamus, quod

1. Quicquid à Deo nobis præcipitur, id pręſtãdum eſt à nobis neceſſariò, quia præceptum eſt.

Iubet Deus, vt ſe inuocemus, & precemur.

Ergo neceſſariò à nobis eſt inuocandus. Et ita neceſſaria precatio, quę continet inuocationem. Iſ. 45. v. 23. Zac. 8. v. 13. Pſ. 37. v. 5. Pſ. 50. ver. 15. Certè quibus in locis Deus præcipit, ſe coli à nobis, in iiſdẽ etiam ſe inuocari iubet.

2. Sed quis dubitat illud quoque iam eſſe neceſſarium nobis, ſine quo non poſſint obtineri ea, quæ ſunt vitæ noſtræ tum terrenæ, tum cæleſti neceſſaria?

At illa ſine precatione ad Deũ nõ poſſunt. Mat. 7. *petite & accipietis*. Iacob. 1. Ioan. 14.

Ergo precatio neceſſaria eſt. Neque tamen proptereà Scholaſticis, vti Durando in lib. 3. Sentent. Diſt. 17. Quæſt. 2. arti. 5. aſſentimur, qui volunt neceſſariam eſſe orationem, quia voluntas noſtra non eſt ſatis potens. A

3. Prætereà neceſſaria eſt noſtra cum Deo cõmunicatio, vt illi noſtras miſerias & calamitates exponentes, ab eo ſubleuemur. Pſ. 143. & 38. Phi. 4. v. 6.

Id fit per precationem. Eſt enim noſtri deſiderii apud Deum expoſitio & declaratio, eſt colloquutio noſtra ad Deum, & familiaris quædam tãquam amici cum amico communicatio.

Ergo neceſſaria precatio.

4. Neceſſarium denique eſt, vt pius quilibet ſuæ fidei teſtimonia monſtret tum ſui cõfirmandi gratiâ, tum alios ædificandi cauſſa.

Atqui id facit, ſi precetur Rom. 10.

Ergo precatio eſt neceſſaria.

CAP. VI.

Vtile eſſe precari Deum. B

VTile autem eſſe precari Deum, probatur his argumentis atque rationibus: imò verò tam vtile eſſe, vt hîc locum habere illud debeat.

Æquè pauperibus prodeſt, locupletibus æquè,
Æquè neglectum pueris, ſenibúſque nocebit.

1 Illud eſt vtile, quod in afflictionibus atque calamitatibus auxilium nobis impetrat à Deo.

Hoc autem efficit precatio Mat. 7. v. 5. Pſal. 86. Phil. 4. v. 6. Pſal. 109. Iacob. 5. v. 17. Luc. 22. v. 46.

Itaque precatio eſt vtilis. Et Chriſtus ipſe precatus eſt in ſuo mœrore Matth. 26.

2 Illud eſt vtile, quod in omnibus vitæ noſtrę partibus vſũ habet, & quo nulla vitæ noſtræ actio, ſtatus, & profeſſio carere poteſt.

Atqui precatio generaliter ſumpta talis eſt.

Si quid tentamus, aut incipimus, precandum eſt Iac. 4. verſ. 15.

Si lætamur, pſallendum eſt Iacob. 5. verſ. 13.

Si angimur, precandum.

Chriſtus idem docet Marc. 14. & Luc. 21. v. 36. C
Si iter ſuſcipimus Gen. 24. v. 7. & 42. & 1. Eſd. 8. 21. Chriſtus precatur, dum transfiguratur. Luc. 9. v. 29. dum ſuos Apoſtolos eligit. Luc. 6. v. 12. dum regnum Dei amplificari, & Satanæ ruere videt Luc. 10. v. 21.

Si impetrauimus, gratiæ Deo agendę Pſ. 50. v. 15.

Si conuenimus inter nos, orandum. Eph. 5. v. 19. Col. 3.

Ne intremus in tentationem, precandum Luc. 22. v. 40. Itaque in omni vitæ parte habet vſum precatio ad Deum.

Denique difficillima impetrat, vti dæmoniorũ obſtinatiſſimorum eiectionem Marc. 9. v. 29. Ac præclarè quidem Chryſoſt. Homil. 1. de Orando Deum docet his verbis, quanta ſit veræ Orationis vtilitas. *Porrò*, ait, *vitam piam, ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac ceu theſaurum recondit animis noſtris. Etenim ſiue quis virginitatis amore tenetur, ſiue quis ſtudet amplecti honorabilem coniugij caſtimoniam, ſiue quis meditatur iniicere frænum iracundiæ & cum manſuetudine familiaritatem habere, ſiue quis cupit ab inuidentiæ lue purus eſſe, denique ſi quis aliud quippiam facere ſtudet, quod ad*

A *rectè viuendum pertinet, duce precatione, ac huius vitæ viam præparante, commodum ſimul & facilem habiturus eſt pietatis curſum. Sed quis non miretur & obſtupeſcat, tantam benignitatem & beneuolentiam, quam in nos homines declarat Deus? Qui mortalibus tantum honoris largiatur, vt dignos nos habuerit quicum ipſi colloquamur, noſtráque vota apud ipſum deponamus? Nam verè profectò cum Deo confabulamur, quoties vacamus deprecationi, per quam ſimul & Angelis copulamur. Quiſquis igitur non orat Deum, nec diuino colloquio cupit aſſiduò frui, is mortuus eſt, & vita carens, expérſque ſanæ mentis. Quî fiat, vt quis virtutem exerceat, niſi cõtinenter adeat, & ſupplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem ſuppeditat, ac largitur hominibus? Deprecationem animis ægrotantibus pharmacum relictum eſſe liquet. Ingẽtia pericula depellit. Armatura eſt inexpugnabilis, etiam aduerſus Dæmones ipſos, nedum homines nobis hoſtes. Eſt deprecatio humor, quo pretioſi pietatis fructus irrigantur, Neruus ac munimentum animæ, quo defenditur.* Homil.2. *Qui precantur ſeriò, non ſuſtinẽt quicquam admittere indignum precatione, ſed reuerentes Deum quicum modò collocuti ſunt, citò repellunt omnem mali Spiritus molitionem, apud ſe reputantes, B quantum ſcelus ſit eum, qui paulò ante ſermonem cũ Deo miſcuerit, quique ab eo pudicitiam & ſãctimoniam petierit, extemplò ad Diabolum deſciſcere, fœdáſque voluptates in animum admittere, ac Dæmoniis concedere irruptionem in animam, in quam Spiritus ſancti gratia plurimam exercuit benignitatem.*

3. Illud eſt vtile nobis, quod continet legitimè ſentiendæ diuinæ opis rationem in omni re & occaſione.

Atqui talis eſt precatio. Iac.1. v. 5.1. Reg. 8. v. 3. Mat. 7. Pſal.50. Neque enim quicquam Deo vel vi poſſumus extorquere: neque ſuperioris cuiuſquam iuſſu & imperio. Ergo precibus & demiſſo animo eſt à Deo poſtulandum quod impetrare cupias: quę demiſſa & humilis petitio vocatur precatio. Hoc etiam ipſum naturę ductu ſenſerunt luce cęleſti deſtituti homines, veluti Horatius his verſibus

Poſcit opem chorus &, &c.

Ergo vtilis: imò verò vtiliſſima. Hoc ipſum teC ſtatur Dauid Pſal.109.v.4.& Bernard. Serm. 1. de Sancto Andr. Oratione euadimus ex periculis, ait.

CAP. VII.

Etiam à Deo præceptum eſſe, vt ſe precemur, ac inuocemus.

PRæceptam autem eſſe precationem, ídque à Deo ipſo, probant hæ rationes. In hoc autem vno maximè conſiſtendum nobis eſt, & hîc pes figendus. Eò enim maior eſt culpa vel non precantium, vel frigidè & perfunctoriè tantùm id facientium, quò expreſſius eſt Dei ea de re mandatum atque pręceptum. Ergo pręcipit Deus, vt ſe precemur. Ac quidem diſertè vtramque Precationis ſeu Orationis ſpeciem, nempe Inuocationem & Gratiarum actionem præcipi in veteri Teſtamento apparet Pſal. 50.v.15. *Inuoca me in die afflictionis, eruam te & honorificabis me*, In nouo verò, 1. Tim.2.v.1. *Adhortor vos ante omnia, vt fiant deprecationes, preces, poſtulationes, gratiarum actiones pro quibuſuis hominibus.*

In genere verò precari iubemur Mat. 7. verſ. 7. Luc.11.v.9. Ioan.14.v.13. Iacob.1.ver. 5. item & variis in locis S. ſcripturæ, veluti iubemur precari o- A mni tempore Epheſ.4.v.18.

Semper & indefeſſè. 1. Theſſ.5.v.17.

Sed & à Chriſto in illa mali Iudicis, ſed tandem importunitati viduæ cedentis parabola. Luc.18.

In omni loco 1. Tim.2. Ioan.4.

De quauis re, & in quolibet negotio Ph.4. v.6. Denique in precationibus eſſe perſeuerandum 1. Coloſſ.4.v.2. docemur. Quamobrem apparet verbo Dei expreſſè præceptam eſſe orationem.

Sed etiam accedit ratio. Nã de quo à nobis neglecto Deus conqueritur, hoc ipſum nobis præcipit, vt ſibi à nobis exhibeatur. Fruſtrà enim conquereretur.

Verùm de ſe non inuocato grauiter paſſim conqueritur Dominus, Iſ.42.v.22. Malac. 1. v. 11. Ergo iubet vt ſe inuocemus.

Præterea hæc quoque altera ratio eſt, quòd ea Deus à nobis exigit, quibus ſe attentum fore & reſponſurum pollicetur. Reſpondere enim non niſi rogatus ſolet, & ſunt hæc duo ἐκ τῶν πρός τι, vt vnũ ſine altero intelligi non poſsit.

At verò Deus ſpondet ſe ad preces inuocantiũ eſſe reſponſurum, eáſque exauditurum. Iſ.65.v.24. B Pſal.91.v.15.& 31.v.5.

Quamobrem præcipit, vt ſe rogemus & inuocemus.

CAP. VIII.

Exemplo & Chriſti & omnium piorum nos doceri, Deum eſſe inuocandum.

POrrò accedunt tum Chriſti tum omniũ Sanctorum Dei Prophetarum & Apoſtolorum exempla, quę ſuperius pręceptum confirmãt. Veriſsimum enim eſt, nihil Chriſtum & Sanctos illos Deo abſque ipſius mandato & fide obtuliſſe. Nam quicquid ſine fide fit, peccatum eſt, ait Paulus Rom.14. & qui aliquid à Deo impetrat, vti illi obtinuerunt, is Deum iuxta ipſius voluntatem & mandatum rogauerit neceſſe eſt. 1. Ioan.5.v.14. Ergo præceptum erat de precando, quod illi ſecuti impetrauerunt: & nobis in eo ſuo facto præluxerunt. Denique tanta vis eſt precum ad Deum, quæ ex fide fiunt, vt, quemadmodum ex Act.12.v.5. apparet, C conſilia Tyrannorum euertant, Angelos à Deo impetrent, carcerẽ perfringant, catenas diſſoluant, & Satana profligato, Eccleſiam ſeruent. Sed & Actor.4.v.31.16.v.26. apparet vt Sanctorum preces cælum ipſum & terram concutiant, & viam adeundi ad Deum certiſsimam monſtrent.

CAP. IX.

Duo circa Orationem explicantur.

IAm verò incidunt in hunc locum quæſtiones duæ ſanè non negligendæ: quarum vna hæc eſt, Quibus Deus præceperit ſe inuocari, omnibúſne, an ſolis nominatis fidelibus, atque adeò inter eos ipſos Solíſne electis, & veris ipſius per Chriſtũ filiis? Neq; enim omnes fideles, id eſt, Chriſtianã religionẽ externè profitentes, ſunt veri filii & electi Dei. Reſpondeo. Simpliciter quidem omnibus id à Deo præceptum fuiſſe: tamen efficaciter illud mandatum Dei à ſolis ipſius filiis & electis excipi, & exaudiri. Nam ij ſoli & verum Deum nouerũt, A & illius voluntati parent, & ex fide precantur:alij verò vel Deum prorſus ignorant, velut infideles: vel cognitum aſpernantur & contemnunt, velut hypocritæ & reprobi, qui tamen in media Dei Eccleſia verſantur. Verùm vt intelligamus hoc omnibus hominibus à Deo præceptum eſſe,(vti nõ vnius tantùm hominum generis, ſed omnium gentium ille Deus eſt.Rom.3.v.29.Gen.18.v.25.)etiam hypocritarum,& infidelium preces ſępe exaudiuit Deus. Ac hypocritarum ſicut Achabi regis Iſrael 2.Reg.21.verſ.27.Infidelium, vti nautarũ,qui cum Iona nauigabant Ion.2. Quamobrem quòd ſoli electi Dei iſtius præcepti de Deo inuocando fructum ſentiũt,id neque propter illius præcepti anguſtum vſum ſit,neque Dei culpâ, ſed propter malitiam ipſorum hominum infidelium, vocem Dei eos ad ſeſe inuitantis omninò non audientium.Et hęc quidem quæſtio prima eſt.

Altera quæſtio, Ad quod diuinæ legis caput & præceptum pertineat Precatio. Quum enim lex Dei imprimíſque illius prima tabula (quæ quatuor diſtinctis mandatis conſtat) complectatur quicquid ad cultum Dei ſpectat, proculdubio B ad vnum aliquod ex iſtis quatuor referenda eſt. Quæritur igitur,ad quod potiſſimum? Reſponſio facilis eſt. Nam ſi Orationem definias, mentis & deſiderij noſtri ad Deum tãquam omnis boni autorem,ſine vocali tamen ſono,explicationem,certè precatio ad primum primæ tabulæ præceptum pertinebit;quod iubet, vt & verum Deum agnoſcamus,& eum pro Deo habeamus.i.colamus. Eſt autem precatio cultus diuini pars potiſſima. Atque tunc precatio erit internus Dei cultus. Sin autem Deum voce ipſa ſonora vel in cõclaui,vel domi, vel in publico Eccleſiæ cœtu precamur, ad quartum quoque primæ tabulæ præceptum referenda eſt iſta precatio, quoniam externi Dei cultus pars quoque eſt,quum ſit vocalis & manifeſta. Totus autem externus ille cultus illo quarto Legis mandato continetur.

Ex quo fit,vt ſit Scholaſticorum Doctorũ quęſtio prorſus iam inanis & ſuperuacanea, qui inter ſe equidem acerbè digladiantur, vtrum Precatio C ſit pars omninò diuini cultus:item an ad externum vel potius internum cultum pertineat.Denique vtrum ſola ſit externus cultus diuinus. Durand. in lib.4.Sentent.Diſt.15.Quæſt.12. Ad duas enim ſuperiores quæſtiones anteà reſponſum eſt. Sed in dubio ponere,vtrum precatio ſit diuini cult' pars, eſt hominum prorſus ἀθεολόγων.Cultus enim diuini hæ ſunt quatuor partes,videlicet,Fides,Obedientia, Inuocatio, Gratiarum actio. Nam quod obiiciunt,verum cultum diuinũ ſemper eſſe Deo gratum,precationes autem quaſuis nõ eſſe Deo acceptas, imò quaſdam, vt eſt in Pſal.109. exoſas eſſe ipſi numini, ex quo colligunt, Ergo precationem non eſſe legitimi cultus Dei partem: Hoc totum, inquam,leue eſt.Neque enim dicimus quamlibet, & quocunque modo conceptam precationem eſſe veri cultus Dei partem:ſed eam tantùm,quę ex fide fit,& ex Dei voluntate,quæ ipſius verbo continetur.1.Ioan.5.verſ. 14.Quæ enim precatio fide caret,non eſt precatio,ſed potius Dei irriſio Iacob. 1. verſ.5. & blaſphemia, proptereaque grauiſſimum peccatum, qualis illa Hypocritarum ab Horatio deſcripta vox,

Iane pater clarè,clarè quum dixit Apollo,
Labra mouet metuens audiri:pulcra Lauerna, A
Da mihi fallere,da iuſtum ſanctúmque videri,
Noctem peccatis,& fraudibus obijce nubem.

Tales ſunt infidelium vel hypocritarum preces, quæ nõ niſi ex externa quadã forma, nempe genuflexione, manuum in cælum eleuatione,oculorum deiectione preces cenſeri queant. Cæterùm quod ad tertiam quęſtionem Scholaſticorum attinet,dico precationem non eſſe vnicum diuini cultus actum. Sunt enim & alii. Quum igitur docuerimus & precandum eſſe, & ad quod Legis diuinæ præceptum referri oratio debeat,iam videndũ eſt,quinam cõtrà ſenſerint,ac ſuperiorem doctrinam oppugnarint,non tamen expugnarint.

CAP. X.

Refutatio eorum,qui Deum precandum negauerunt.

IIautem omnes fuerunt homines vel prorſus ἄθεοι, & ἐμπαῖκται, vel certè hæretici. Tria verò B hominum genera præcipuè in hoc argumento peccarunt magno animi errore.Nam eorum

1 Alij negant Deum vllo modo eſſe precandũ.

2 Alii contrà, preces ipſas conſtituunt ſalutis noſtræ,id eſt, peccatorum remiſſionis, & noſtræ coram Deo iuſtificationis fundamentum.

3 Alii denique precibus, quantumuis ſanctis abutuntur ad ſuum faſtum, auaritiam, hypocriſin, & alia vitia obtegenda: quemadmodum olim Phariſæi, ſicut docet Chriſtus Mat.6.v.5.Luc.20.v.47. 2.Tim.3.verſ.6.

Et hæ ferè tres ſunt errorum inducendorum viæ,quibus Satan Chriſti doctrinam euertere ſemper cõatus eſt,vt videlicet vel ἔλλειψιν, vel ὑπερβολὴν, vel κατάχρησιν introduceret.Dum enim homines(ex eo,quod altè, & ex ingenii ſeu cerebri ſui ſenſu ſapiunt)non acquieſcunt vni Dei verbo, fit, vt vel quod Deus ipſe ſanxit, illi abrogent: vel nimiùm, & plus,quàm par ſit,extollant,(Siquidem,Dum vitant ſtulti vitia,in contraria currunt) vel denique illud ipſum in abuſum,& nugas tandem nugaciſſimas conuertant. Sic Carpocratiani prorſus damnarũt bona opera. C Contrà verò Pelagiani nimiùm commẽdarunt,& ea in ipſius Chriſti locum impiè ſubſtituerunt. Papiſtæ verò & Monachi in ſuperſtitioſas quaſdam obſeruationes conuerterunt,veluti in colorum diſtinctione, veſtium genere, calceorum forma, quemadmodum olim Phariſæi in poculorum frequenti lotione. Marc.7.verſ.4. Ita ſe ipſos,vt ait Tertul.euertunt hæretici, & ſeſe mutuis vulneribus, velut Moabitæ, & Cadmæi fratres,confodiunt. Eodem prorſus modo Valentiniani & Marcionitæ negarunt Chriſtum factum eſſe hominem,itaque veram carnem,ac humanam illi ademerunt. Contrà hæretici Samoſateniani eum tantùm ψιλῶς (vt Paulus ille Samoſatenus homo blaſphemus loquebatur) ἄνθρωπον eſſe dixerunt. Eutychiani verò Chriſto tribuunt carnem diuina potentia,maieſtate, & gloria ornatam,& Deum factam. Neſtoriani contrà prorſus. Sed ad orationem redeamus.

Qui igitur negant omnino Deum precandum eſſe, illi ſunt vel ἄθεοι, id eſt, prorſus Dei contemptores & irriſores homines, qui manifeſtè omne numen aſpernantur: vel Hæretici, qui non con-

A temptione numinis, ſed potius quadam Dei veneratione id ſentire videri volunt. Hi verò hæretici appellantur Prodiciani, de quibus Auguſt. in lib. de Hæreſib. ad Quod-vult-Deum: & Iſiodorus in Etymologic. Sed quoniam ἄθεοι & Epicurei homines nullam ſuæ ſententiæ rationẽ afferunt ex Dei verbo, ſed nec probabilem quidem, à nobis contemnantur. Imò verò ſunt ſinendi, ne os noſtrum vel ſola nominis ipſorum recitatione polluamus. Pſal. 16. Præclarè enim Hierony. quod citrà ſcripturæ fidem aſſeritur, tam facilè negatur & contemnitur, quàm affirmatur. Veniamus igitur ad Prodicianos, qui ſuum errorem confirmare ex Dei verbo videntur velle. Dicũt enim Deo fieri iniuriam, ſi eum precemur: imò verò preces eſſe rem prorſus nobis ſuperuacaneam. Multas in ſpeciem rationes afferunt illi quidem, ſed quæ in ſumma duobus hiſce ſyllogiſmis comprehenduntur.

1 *Syllog.* Fruſtrà monetur à nobis quiſpiam de eo ipſo, quod per ſe ſcit, & videt, & habet poſitum antè oculos.

Atqui Deus omnes noſtras calamitates, miſerias, ſtatum, & afflictiones per ſeipſum ſcit, videt B & nouit.

Ergo fruſtrà Deus de iis ipſis per preces à nobis admonetur. Fieri enim iniuriam Deo putant, ſi dicatur docendus de re quapiam, qui ſcit omnia: cõmonefaciendus, qui vbique præſens videt omnia, adeò vt noſtras ad Deum preces (per quas illi noſtram conditionem exponimus, & vota declaramus) putent eſſe non ſolùm otioſas, ſed etiam blaſphemas.

Deum autem cernere omnia certiſſimum eſt, & apertiſſimis Scripturæ teſtimoniis confirmatum. Heb. 4. verſ. 13. *Omnia ſunt nuda & patentia oculis ipſius.* Pſal. 121. verſ. 4. *Non dormit, neque dormitat, qui cuſtodit Iſraelem.* Matth. 6. verſ. 32. *Ne eſtote ſolliciti, quid edemus aut bibemus. Nouit enim Pater cæleſtis vos indigere his omnibus.*

Verùm reſpõdeo, totam hanc, quantumuis ſpecioſam argumentationem, eſſe παραλογισμόν. Nego enim maiorem, vt loquũtur, propoſitionem. Nam fallaciam continet tum à non conſequenti: tum à non cauſſa, quæ pro cauſſa ſtatuitur. Ac quidem à C non conſequẽti, quoniam malè & perperam fit iſta collectio, Quiſpiam hoc ſcit, ergo de eo communicare & colloqui cum eodem nõ licet. Multa ſcimus, de quibus tamen, ſi quis nobiſcum communicat prudenter agit, imò de quibus conferre ſæpè neceſſe eſt. Pater ſæpe nouit, quibus egeat filius, quàm ille frigeat & ſitiat, de eo tamen ſe à filio admoneri prudenter & vult & patitur. Elias certiſſimus erat de futura ſtatim pluuia, & à Deo immittenda. (Dixerat enim ipſe prius Achabo, *Aſcende, comede & bibe, quia ſonus eſt multitudinis pluuiæ*) & tamen pro ea obtinenda orat, atque adeò intentiſſimè, vt eſt 1. Reg. 18. verſ. 42. Non obſtat igitur illa Dei & generalis, & particularis rerum omniũ ſcientia, quò minus rectè & bona conſcientia cum eo de noſtro ſtatu agamus, & animi vota illi exponamus. Ratio eſt, quoniam ipſemet Deus id fieri pręcepit, Matth. 7. verſ. 7. *Petite, & accipietis.* Iacob. 4. v. 2. *Non obtinetis, propterea quod non petitis.* Quare quum hoc ſit iuſſum à Deo, & quidem omnia cognoſcente, non pugnat cum Dei prouidentia generali, vel cum particulari illius de ſuis electis cura & ſollicitudine, noſtra ad Deum precatio. Eſt enim A hæc regula veriſſima, & in hæreticorum (qui precationis ſunt inimici) argumentis diſſoluendis ſæpè meditanda, *ſubordinata, non pugnant inter ſe.* Et hæc quidem, quantum ad ἀπάτην illam, quæ in ſuperiori ſyllogiſmo fit à non conſequenti. Quantùm autem attinet ad eum laqueum, qui nobis per eundem ſyllogiſmum iniicitur à non cauſſa, quæ tamen hîc pro cauſſa ſtatuitur, facilis eſt huius retis explicatio. Nam qui ſic arguunt, Quoniam Deus de re nulla monendus eſt, neque etiam eſt precandus, conſtituũt commonefactionem Dei & noſtræ miſeriæ apud eum enarrationem, eſſe vel cauſſam noſtrarum precum, vel earum ſolum finem. Vtrũque autem hoc falſum eſt. Neque enim ea eſt ſola cauſſa, at ne cauſſa quidem noſtri ad Deum gemitus. Nam neque propriè, id eſt κυρίως καθ' αὑτὸ, καὶ πρώτως, rogamus Deum, vt eum de noſtra conditione, tanquam de re ipſi ignota, commonefaciamus: neque is eſt propriè precum noſtrarũ finis. Sed rogamus ſeu precamur, Deum, Primum, vt eũ ſolum omnis boni authorem & fontem eſſe fateamur & agnoſcamus. Iacob. 1. verſ. 17. Pſal. 16. Sic enim Dauid Deum precatur, tanquam optimum boni fontem: itẽ vt agnoſcamus eiuſdem in nos ſummam benignitatem, B ac beneuolẽtiam. Pſal. 21. v. 4. & 106. ver. 4. Denique ſummam illius potentiam ac maieſtatem prædicemus, vt docetur in fine orationis dominicæ, *Quia tuum eſt regnũ, potentia, & gloria, &c.* Item in Pſal. 89.

Deinde precamur Deũ, fidei noſtræ in eius promiſsiones teſtandæ, & noſtræ obedientiæ exhibendæ gratiâ. Rom. 10. verſ. 14. Pſal. 31. Iacob. 1. *In te Domine ſperaui: In te confido. Dominus rupes mea.* Pſal. 18. *Dominus clypeus.* Eſt enim precatio ſonora & manifeſta confeſsio & teſtatio, quòd Dei promiſsiones ad nos pertineant.

Prætereà precamur Deum, vt ipſius prouidentiâ omnia regi, & potentiâ fieri, ac proindè ad eius gloriam referenda eſſe teſtemur. In fine dominicæ orationis his verbis *quoniam tua eſt gloria,* &c. id monſtratur, & Pſal. 147. 148.

Precamur quoque noſtræ vtilitatis gratiâ, non autem Dei docendi cauſſa, nempè vt à Deo adiuuemur; *Eripe me Domine,* ait Dauid, *quoniam clamaui ad te,* Pſal. 143. & 25. & 28. C

Denique precamur Deum, vt illi ſuum, & legitimum, id eſt, quem à nobis exigit, cultum exhibeamus. Eſt enim oratio pulcerrimum labiorum ſacrificium, cordis fructus, & linguæ victima, quæ quum ex fide offertur, eſt Deo gratiſsima. Heb. 13. verſ. 15. Oſe. 14. v. 3.

Ergo hi ſunt noſtrarum precum varii fines & cauſſæ, non autem vt Deum de re quapiam ipſi ignota moneamus, ſicut illi hæretici cenſent. Et hic quidem vnus erat eorum ſyllogiſmus.

Alter autem eſt huiuſmodi.

2. *Sylogiſ.* Non ſunt ea à quoquam petenda, quæ ipſe vltrò ac ſpontè nobis largiturus eſt. Fatigatur enim potius, quàm honoretur hac oratione.

Atqui Deus nobis vltrò largiturus eſt omnia ea, quibus egemus. Nec enim Deo, ſicut hominibus, calcar eſt addendum.

Ergo nihil à Deo per preces noſtras petendum eſt. Itaque non eſt precandus.

Porrò autem velle Deum ſpontè, & antequam etiam à nobis inuocetur, nobis ſæpe largiri quæ ſunt neceſſaria, teſtatur ipſe Iſ. 65. ver. 24. *Erit prætereà*

A *tereà, ante quàm clament, ego exaudiam: adhuc ipſis loquentibus, ego audiam.* Pſal.21.v.4. *Quoniam præueniſti eum benedictionibus boni.* Matth.6.verſ.33. & 34. *Ne ſitis ſoliciti de craſtino: Quærite regnum Dei primò, & omnia adiicientur vobis.*

Sed ad hanc rationem reſpondeo. Nego igitur illius primam partem, quam propoſitionem vocant. Apertè enim continet paralogiſmum à Non conſequenti. Nam minimè ſequitur, vt ſi Deus vltrò, & ſpontè ea, quæ ſunt nobis opus, daturus eſt, non ſit rogandus. Illa enim promittit quidem ſe daturum Deus, ſed ſe rogantibus atque petentibus à ſe Mat.7 *Petite & accipietis*. Pſal.91.verſ.15. *Inuocabit me, & exaudiam.* Pſal. 50. *Inuoca me in die tribulationis, & eruam te.* Pſal. 145. verſ. 18. *Dominus propè eſt omnibus inuocantibus ipſum.* Ergo Deus dat quidem, ſed petenti, nō negligenti. Quare petitio noſtra, & illa benigna Dei conceſſio ſeu largitio ſunt & ἐκ τῶν πρός τι, & ſubordinata īter ſe. Ex quo fit, vt nequaquam inter ſe pugnent. Eodem modo, Dominus vult ſubleuare ægrum, ſed medicamētis adhibitis: vult alere homines, ſed pane ſumpto & comeſo. Ergo quod ad cauſſam impetrādi, illa eſt vl- B tronea ſeu ſpōtanea Dei erga nos benignitas: quod autē ad modum impetrationis, Dominus ipſe ordinauit precationem, velut legitimum impetrandi ſeu petendi modum. Cæterum excipient fortaſſe, quod ait diſertè Dominus, *Antequam clament ego exaudiam*, Ergo precibus non eſt opus.

Reſpondeo verò, his phraſibus Deum teſtari tum ſuum in nobis ſubleuandis propenſum & liberalem animum, qui laborantibus ſpontè occurrat, vti Pater ille filio prodigo occurrit. Luc.15.ver. 20: tum etiam ſuam in ipſo ſuo auxilio præbendo feſtinationem ac promptitudinem: quum non tardet, vt ferè nobis perſuadet caro, ſed ſtatim, & in ipſo temporis articulo nobis adſit, etiam antequam totas preces noſtras finierimus. Non tamen propterea preces excludit Deus, aut ſe inuocari non vult, vel vetat. Ait enim ipſe apud Ioelem. 2. verſ. 32. *Si quis inuocauerit nomen Dei, ſaluus erit. Inuoca me in die afflictionis.* Pſa.50.

Atque his hæreticis repulſis, venio ad eos, qui in alteram partem peccant, nempe qui non ἐλλειπτικῶς vt ſuperiores, ſed ὑπερβολικῶς agunt, & dum Scyllam C illam priorem vitare cupiunt, incidunt in Charybdin. Ii autem ſunt, qui plus, quàm oportet, orationibus & precibus tribuunt, dum non contenti ea dignitate, quam illis Dei verbum relinquit, maiorem affingunt. Atque hi ſunt, qui proram & puppim ſalutis noſtrę in precibus conſtituunt. Faciunt enim eas noſtræ reconciliationis cum Deo, id eſt, Peccatorum noſtrorum Remiſſionis, & noſtrę coram Deo Iuſtificationis cauſſas. Hi autem hæretici dicti ſunt Audiani, non autem Vadiani, vt ex Epiphanio correximus apud Auguſtinum in Lib. de Hæreſibus ad Quod-vult-Deum. Item Meſſaliani, ſiue Εὐχῖται, propter aſſiduum precandi laborem ac morem. Verùm iſti hominum operibus tribuunt id, quod eſt vnius Chriſti Domini noſtri proprium, nimirum eſſe noſtræ coram Deo patre Reconciliationis, Redemptionis, & Iuſtificationis pretium & cauſſam. 1.Cor.1.verſ.31.2.Cor. 5. verſ. 18. Quamobrem ſunt planè blaſphemi, quemcunque commendandæ precationis prætextum habeant. Præclarè enim Caſſiodorus monet, A Ne Chriſtum quidem ipſum alium, quàm ex Dei verbo docemur : gnoſcendum aut extollendum, ne tunc inanibus animi noſtri figmentis inſeruiamus potius, quàm Chriſto. Veruntamen præcipua erroris iſtorum hominum fundamenta breuiter quoque, vti ſuperiorum, perpendamus. Sunt autem hæc duo. Vnum, quod in variis S. Scripturæ locis egregiè commendatur oratio, vt homines nimirum ad eam incitentur ac inflammentur, veluti quum dicit Paulus, ἀδιαλείπτως *eſſe precādum* 1. Theſ. 5. verſ. 17. Dominus noſter Ieſus Chriſtus docet etiamſi Dominus tardare nobis videatur, tamen precandi ſtudium non eſſe abrumpendum. Luc. 18.verſ.1.

Item, Res difficillimæ, aiunt, quas alioqui homines efficere non poſſunt, dicuntur precibus & ieiunio impetrari & effici. Mart. 9. verſ. 29. qualis eiectio illius dæmonii, quem Apoſtoli detrudere de loco non poterant, precibus expelli poſſe dicitur. Ait Dauid, ſe manè, veſperi, & meridie, imò verò etiam de media nocte (quam noctis Meridiem vocat Varro) precatum eſſe Pſal. 55. verſ. 17.& Pſalm.119. Ergo oportet magnas eſſe precationis vires & dignitatem, cui tam intenti fuerunt viri ſancti. B Ex quibus ſic Audiani, & eos ſecuti Papiſtæ, imprimiſque Monachi ſic tandem colligunt.

1. *Syllogiſ.* Quod ſummè gratum eſt Deo, illud eſt noſtræ reconciliationis & ſalutis cauſſa; & eſt perpetuò faciundum ac meditandum.

Huiuſmodi eſt precatio.

Ergo eſt cauſſa ſalutis, & nunquam non eſt precandum.

Reſpondeo iſtos prætermittere id, quod præcipuum eſt. Erat enim quærendum, quare tam ſit Deo grata oratio noſtra. Non ſanè propter noſtram ipſorum dignitatem, non propter ipſius orationis & cogitationis, aut locutionis, qua precamur, pretium, ſed propter Chriſtum, qui fide à nobis apprehenditur, nóſque ſuo ſanguine Patri reconciliauit. Ergo paralogiſmus eſt à Non cauſſa pro cauſſa ſtatuta. Neque enim precatio noſtra ipſa per ſe Deo grata eſt, ſed propter Chriſtum qui eam Patri commendat; fide à nobis apprehenſus. C Nec eſt grata ſummè, ſed tātùm ſuo gradu, & modo. Quod enim in nobis eſt ſummè Deo gratum, eſt & fides & Chriſtus, per quæ duo oratio noſtra fit & ipſa grata Deo, vt diximus. Eſt paſſim in S. Scriptura magna bonorum & ſanctorum operum, veluti Eleemoſynæ, Modeſtiæ, Patientiæ, Charitatis commendatio. Matth.25. Ergo ex eo concludet alius, bona opera eſſe noſtræ cum Deo reconciliationis cauſſam. Quod eſt tamen falſiſſimum. Viri pii in ſcriptura commēdantur. Ergo per viros pios Deo reconciliamur, & ſalui ſimus. Eſt blaſphemum & hoc ipſum. Quare quòd aſſiduè orat Dauid, & id faciundum ait Paulus, non ex ſenſu Euchetarum id fieri præcipit, ſed vterque ille docet, quanta ſit humanæ vitæ fragilitas, quæ per ſingula momenta auxilio Dei nimirum egeat. Quod autem res arduæ & difficillimæ per ieiunium & orationem à Deo impetrantur, id fit, quoniam vehemens illa oratio, quæ ieiunium adiunctum habet, ſit magnæ in Chri-

A ſtum fidei cum ſummo ſtudio & ſeria noſtri deiectione coniunctæ (quę in orante eſt) argumentum, & teſtimonium.

2. *Syllogiſ.* Alterum eorundem hæreticorum argumentum eſt huiuſmodi.

Per quæ à Deo impetramus aliquid, per ea iuſtificamur, & cum eo reconciliamur. Rom. 5. verſ. 1. Per precationem optata impetramus à Deo. Ergo per eandem illi placemus, ac reconciliamur, ac proinde illa eſt cauſſa ſalutis æternæ. Vnde fit, vt iidem velint aſſiduè eſſe precandum poſitis in terram genibus, atque demurmuratione aliqua facta. Ex iſtis Euchetis nati ſunt quoque alii, dicti Pattalo-Rochyntæ, quòd vt ſonorè magis precarentur & tinnirent, balba de nare loquentes, vt ſui temporis Monachis exprobrat Hieronymus, digitum vel baculum aliquem in nares ſuas immittebant, fiebátque magis in ſpeciem deuota, & canora, vt putabant, vocis oratio.

Reſpondeo verò ad argumentum, cuius nego propoſitionem: eſt enim ea falſa, & paralogiſmus ab ignoratione Elenchi. Nam confundit cauſſam impetrandi cum modo. Oratio enim nequaquam B eſt cauſſa impetrandi, ſed duntaxat modus. Sic falſò colligitur, quoniam Euangelium eſt modus & inſtrumentum à Deo ſtatutum, quo ſaluamur, Ergo Euangelium eſt cauſſa noſtræ ſalutis. Nec aliò ſpectat locus Pauli Rõ. 5. *Iuſtificati coram Deo, pacē & aditũ ad eum habemus.* Nec enim ait nos per preces, aut quòd adimus ad Deum, iuſtificari, tãquam aditus ille eſſet cauſſa noſtræ reconciliationis: ſed ait, poſtquam iuſtificati ſumus, nempè per Chriſtũ (vt tota illa epiſtola docet, & cap. 4) habemus aditum ad Deum, & cum precari audemus.

Audianorum ſoboles & propago ſunt Monachi Papiſtici noſtri temporis, qui totam hominum ſalutem, & vitæ æternæ conſequendæ rationem in fundendis precibus poſitam eſſe garriunt. Quanquam etiam ſunt iidem Monachi Phariſęorũ, quos Chriſtus damnant, ſucceſſores, vtpote qui prætextu orationis & domos viduarum deuorant, & inanem hominum laudem captant. Omnia enim illorum, imò etiam epiſcoporum Papiſtarum bona huic fundamento & dignitati precum certè inni- C tuntur. Verùm quum illi hæretici fuerint à nobis refutati: eodem quoque gladio Papiſtę & Monachi iſti iugulati cenſendi ſunt.

Tertiũ porrò genus καταχρηστικῶς agētium, & infinitum penè eſt, & ex ipſa docendi ſerie facilè deprehenditur.

CAP. XI.

Quæ legitimè precandi formula ſit nobis tradita.

SEquitur alterum præfationis noſtræ caput, vbi quæritur. Quænam ſit recta legitimè precandi formula? Huic autem quæſtioni reſponderi vno verbo poteſt. Eam videlicet eſſe, quę à Domino noſtro Ieſu Chriſto præſcripta eſt, & ex eius tanquam dictantis ore excepta. Incipit autem, *Pater noſter qui es in cœlis, &c.* Quod ipſum vt melius percipiatur, iſta dico, Neminem ex ſolis lucis naturalis reliquiis ſatis inſtrui ac formari ad benè & ritè precandum Deum. Deum quidem eſſe inuocandum dictat ipſe conſcientiæ noſtræ ſenſus ac teſtimonium: ſed in eo deficit, quòd ignorat, quomodo A ſit rectè precandus. Eſt enim φρόνημα, & tota ſapientia carnis inimicitia coram Deo. Rom. 8. verſ. 7. & planè ignara earum rerum, quæ ad Deum legitimè colendum pertinēt. Quę quidem ignorãtia nullo Dei noſtrûm omnium creatoris vitio in nobis ineſt: ſed noſtrâ duntaxat culpâ, qui per & propter peccatum tum Originale, tum Noſtrum & Actuale, quod vocãt, amiſimus, & amittimus quotidiè illa immēſa dona & cognitionis & rectitudinis, quæ à Deo in primo parente acceperamus. Quamobrem huius cæcitatis noſtræ nos, nõ autem Deus, cauſſa veriſſima ſumus.

Cæterùm illud, quod hoc loco contendimus, eſſe veriſſimum, docent hæc expreſſiſſima Pauli verba Rom. 8. ver. 26. *Itidem autem & Spiritus ſubleuat infirmitates noſtras. Quid enim precemur, vt oportet, non nouimus: ſed ipſe Spiritus interpellat pro nobis ſuſpiriys inenarrabilibus.* Itaque Dauid Pſa. 51. ver. 17. poſtulat, vt ad laudem Dei canendam & annuntiandam os ſibi à Deo ipſo formetur ac aperiatur, *Domine labia mea aperi, & os meum annunciabit laudem tuam.* B & Pſal. 40. verſ. 4. idem ait, *Poſuiſti in ore meo canticum nouum, laudem Deo noſtro.* Non dixit ipſe per me hoc ſciebam, poteram, meditabar: ſed ait, *poſuiſti in ore meo.*

Idem docent ipſæ hominum luce cæleſti deſtitutorum voces & querimoniæ, qui ingenuè fatentur homines ignorare, quid à Deo ſit petendum. Nam non, quicquid in buccam aut mentem venit, eſſe poſtulandum à Deo, iidem agnoſcũt, ne Deus contemni videatur. Itaque rectè & ſalſè irridet Iuuenalis Saty. 10. inepta hominum vota.

Euertēre domos totas, optantibus ipſis
Dy faciles: nocitura toga, nocitura petuntur
Militia, & torrens dicendi copia. Legatur Senecæ locus lib. 6. de Benef. cap. 38. & 39.

Plato in Alcibiade 2. & Tyrius Maxim. λογ. 30. vbi irridet votum Midæ.

Perſius Satyr 2.

O curuæ in terras animæ, & cæleſtium inanes!
Quid iuuat in templis noſtros immittere mores?
Dicite Pontifices, in ſacris quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virginæ Puppæ.

Quamobrem ſic tandem concludit idem Iuue- C nalis eadem Satyra 2.

Nil ergo optabunt homines? ſi conſilium vis,
Permittes ipſis expendere numinibus, quid
Expediat nobis, rebúſque ſit vtile noſtris.
Nam pro iucundis, aptiſſima quæque dabunt Dy:
Carior eſt illis homo, quàm ſibi. Nos animorum
Impulſu, cæca animáque cupidine ducti
Coniugium petimus, &c.
Optandum eſt vt ſit mens ſana in corpore ſano.
Sed ſatis eſt orare Iouem, qui donat & aufert.

Vt idem Perſius.

Compoſitum ius fáſque animi, ſanctóſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto,
Hoc cedo vt admoueam templis, & farre litabo,

Lacedæmonii dixerunt καλὰ σὺν ἀγαθοῖς à Deo petenda: ſed quæ eſſent καλὰ, & quod ius mētis ignorarunt, & ignorant luce cæleſti deſtituti homines. Ex quibus omnibus apparet, ab alia luce, quàm noſtra & naturali, regi & edoceri nos oportere, vt Deum ritè precemur. Sunt enim quorundam hominum tam ineptæ, imò etiam blaſphemæ preces, vt Deum ipſum ſuorum ſcelerum vel patronum, A vel adiutorem eſſe poſtulent,& faciant.

Iane pater clarè,clarè quum dixit Apollo,
Addit hypocrita
Da mihi fallere,da iuſtum,ſanctúmque videri.& cætera,quæ eodem loco habet Horatius,& nos ſuprà citauimus.Certè non quælibet oratio à Deo auditur,ſed quæ ſecundum eius voluntatem fit.1.Ioan.5.verſ.14. Ioan.9.verſ.31.

Quamobrem ad ipſam verbi Dei lucem eſt recurrendum.Illa enim eſt vitæ dux & magiſtra, verum illud & cæleſte lumen Pſ.19. nobis à Deo benignè datum, quo rectè vbique incedere, & rectè credere,&,quod inde conſequens eſt, rectè quoque precari docemur, vnde fit vt ſint diſcenda, ac diu multúmque meditanda ea, quæ in ſacro illo Dei verbo de recta precandi ratione tradita ſunt. Quod & ex ſuperioribus conſequens eſt. Quanquam enim rite Deum precari eſt ſingulare Dei ipſius donum, ac Spiritus S. opus in nobis: tamen neque illa præcepta, neque formulæ (quæ legitimam Deum inuocandi rationem continent) fruſtrà ſunt à Deo nobis traditæ, ſed vt iis informati, B eſſemus aptiores ad illud Dei donum ſuſcipiēdum atque dociliores.Sic præcepta benè ſancteque viuendi ab eadem S.Scriptura, vt docet Paulus, Tit. 2.verſ.2.traduntur,licet ſanctitas vitæ & pietas ſint dona Dei,eáque ſingularia, & Spiritus Sancti nos regenerantis effecta,Pſa.51.verſ.10. Ergo illæ formulæ nos inſtruunt,& paratiores ad obſequēdum Deo & eum precandum reddunt.

Ex quo illud quoque iam facilè colligi poteſt, in benè conſtitutis Dei Eccleſiis ſemper obſeruatam ac vſitatam fuiſſe aliquam legitimè precandi formulam, ad quam fideles ſuas preces conformarēt,& ad quam(ne temeraria vota conciperent)diligenter tanquam ad ſcopū collimarēt.Hoc autem ipſum illuſtrādum eſt aliquot exemplis per variarum Eccleſiæ ætatum ſucceſſiones propoſitis.

Ac primum ante Diluuiū,quanquam in S. Scriptura non habemus formulam aliquam precandi expreſſam,qua tota Eccleſia illius temporis diſertè ſit vſa(niſi vero ex Iudæorum recentium teſtimonio quoſdam etiam Pſalmos ad tempus ante C diluuium referamus)tamen quum fuerint ſeparati filii Dei à filiis hominum,& ſceleratis : quum habuerit Eccleſia Dei in familiis Patriarcharum certam cultus Dei formam, certos ritus, ceremonias, & ſacrificia Gen.4.verſ.26:certè preces etiam habuerit,eaſque toti Eccleſiæ notas, & à Dei Spiritu Patriarchis dictatas,neceſſe eſt. Neque enim Deus vnquā ritè ab hominibus coli abſque precibus potuit:imò cultus nomine etiam preces continentur, & diſertè eo ipſo loco Gen.4.verſ.36.dicitur,*Deus cœpit inuocari*,id eſt,eius cultus in familia ſanctorū Patriarcharum conſtitui,qui apud Cainitas conciderat.Ergo & preces,& precandi formula erat etiā tunc temporis recepta. Præterea ex Iudæ Epiſtola verſ.14.apparet,quædam illius ætatis monumenta fuiſſe,quæ poſteà fuerint temporis iniuriâ perdita, velut liber Enochi,in quibus Patriarcharum conciones,& illæ formulæ contineri potuerunt.

Poſt diluuium autem ante legem à Deo latam extant pulcerrimæ Abrahami Gen. 18. verſ. 27. Iacobi Geneſ.32. verſ. 9. preces, & Moſis Exod. 34. ex veterum & iam notarū precum(quas ante Moſen Patriarchæ Deo concipiebant)vſu & formula, quæ propterea à Moſe recitantur, quoniam & in A familiis Patriarcharum, id eſt,in Eccleſia Dei per manus traditæ eſſent atque retentæ, & ad eas tanquam ad exēplar quoddam alii fideles ſeſe in precando conformarent.

Porrò cùm Dominus ipſe daret Legem ſuam populo per manū ac miniſteriū Moſis, & cultum ſuum inſtitueret,idem formulam quoque precandi addidit,vt apparet ex Num.6.verſ.24.& Moſes confirmat hoc ipſum ſua oratione,Exod.34.quam alij poſteà ſunt imitati. 1.Reg. 8.Eſdr.9. Hiere.32. Ergo poſt legem datæ ſunt certæ precandi formulæ:Imò verò etiam eæ pro diuerſa temporis ratione variatæ à Prophetis Spiritu Dei impulſis, quas in ſolennioribus & frequentioribus cœtibus ſequeretur Eccleſia,velut in afflictionibus,aut temporibus lætioribus. Sic extat Pſal.92. pro diebus Sabbathi.Pſal.118.quem volunt fuiſſe ſolennem in feſto tabernaculorum, certè fuiſſe in feſtis decantatum apparet ex Eſdræ cap.3.verſ. 11. Pſalm. 102. deſtinatus fuit afflictis. Item Pſalmi graduum, qui vocantur, fuerunt formulæ precandi vſitatiores.Atque adeo Liber ipſe Pſalmorum perpetuum B ferè inuocandi Dei exemplar exhibens ſingulare itidem omnium à Dauide ſeculorum Eccleſiæ Dei peculium & Theſaurus inexhauſtus, nunquam non piorum omnium ore,corde, manu tritus eſt iam olim, ac porrò, ſi eſſemus quod audimus, magis magiſque tereretur.Sed & ex Hier.32. verſ.17. Hab.3. Ioel.2.verſ.32. apparet varias precandi formulas à Dei Spiritu dictatas fuiſſe Eccleſiæ, quibus in exilio, in ieiunio, in calamitatibus peculiariter vteretur, vt tunc temporis fuiſſe in Eccleſia Dei certas Deum precandi formulas dubitari non poſsit. Sed & illa oratio, quæ Prouerb.30. verſ.7.ſic concepta eſt, *Duo poſtulaui à te, ne prohibeas à me antequam moriar. Vanitatem, & verbum mendax remoue à me: paupertatem & diuitias ne dederis mihi:ale me cibo, qui conuenit mihi*, nonne fuit veriſsima, & vulgaris benè precandi formula, vtpote quæ maximè cum Oratione Dominica conſentit? Equidem de eo nequaquam dubito.

Succeſsit illis temporibus Ioannes Baptiſta. C Fuit enim ille plus quàm Propheta. Nam ſalutis humanæ myſterium, & Chriſtum à Deo promiſſum non procul,vt alij Prophetæ,ſalutauit: ſed coràm ipſe aſpexit, & aliis digito oſtendit Matth. 11.verſ.9.Ioan.1.verſ.29. Ergo & ille pro temporis, & reuelationis ſuæ ratione ac menſura, ex variis Scripturæ locis benè meditatis formulam precandi dedit ſuis diſcipulis Luc.11. (quæ nunc quidem non extat) quam tunc illi ſequebantur. Quò enim viciniora erāt implendarum Dei promiſſionum tempora,eò maior,illuſtriórque earum reuelatio, & cognitio à Deo Eccleſiæ data eſt, adeò vt ſtatim Symeon ille,& Anna Prophetiſſa Chriſtum agnouerint Luc. 1. Sic enim Iudæorum Chriſtum aſpernantium ingratitudo minùs fuit excuſabilis. Ergo quū manifeſtiùs eſſet Ioanni reuelatus Chriſtus,quàm Prophetis: quum Dei miſericordia, & veritas clariùs illuceſceret, concepit etiā illuſtriorem Deum laudandi formam Ioannes,vt nō diceret,*Exaudi nos per Chriſtum quem miſſurus es:ſed per Chriſtum quem miſiſti,& cætera huiuſmodi.*

Ioanni demum ſucceſſit ipſe Chriſtus ſummus

A Eccleſiæ Doctor,& Propheta,vt docetur in Epiſt. ad Hebræos:quin imò mera ipſa Dei Patris Sapiẽtia,is,in quo omnes theſauri ſcientiæ ſunt reconditi Coloſſ. 2. verſ.3. is denique quem Pater miſit, vt omnem Dei voluntatem plenè perfectéque nos doceret, Hic,inquam, Chriſtus perfectiſſimam orandi rationem & formulam nobis reliquit,quam ſequeremur.i. ad quam preces noſtras conformaremus.

Quàm autem fuerit æquum, vt Chriſtus ipſe Mediator apud Deum noſter,& qui ad eum nobis dat aditum, precandi quoque & cum Deo colloquendi rationẽ nos doceret,ex his rationibus,quæ ſequuntur,intelligi poteſt.

1. *Rat.* Quòd quum ſit ſummus, vti dixi, ex 1.Pet.1.verſ.25.doctor & Propheta Eccleſię,qui omnes diuini cultus partes explicare & tradere venerat,omnémque Dei patris voluntatem hominibus annunciare Mat.23.verſ.8.Heb. 1. debuit Precandi quoque præcepta & formulam præſcribere, quoniam illa eſt cultus diuini,vti docuimus, præcipua quædam pars.

2. Nemo potuit meliùs & perfectiùs id docere,quàm Filius ipſe,qui eſt vera Sapientia Dei pa-
B tris,& ex cuius plenitudine omnes accipimus:imò cuius Spiritu ſibi pro quadam duntaxat menſura conceſſo locuti ſunt omnes Prophetæ Ioan.1.verſ. 16.1.Pet.1.verſ.11.Ioan.1.verſ.18.

3. Nulla potuit eſſe gratior, verior, & acceptior Patri vox & oratio, quàm Filii ſui vnigeniti, Patríque cariſſimi.id eſt,quam ipſe ſuis quaſi in os indidit.Eſt enim Chriſtus Filius ille Dei dilectus, in quo Pater prorſus acquieſcit.Mat.3. Inde eſt illud Cypriani, *Quæ vera magis apud Patrem precatio, quàm quæ à Filio,qui eſt veritas,de eius ore prolata? Vt aliter orare, quàm docuit non ignorantia ſola ſit, ſed & culpa.* Item, *Agnoſcit Pater Filij ſui verba,quum preces facimus.*

4. Oratio hæc Dominica dicitur à Tertulliano,& quidem rectè, *Breuiarium totius Euangelij. Nam compendio paucorum verborum complectitur edicta Prophetarum, Euangeliorum, Apoſtolorum.* Denique, ait Cyprianus, *Nihil hîc omni-
C nò prætermiſſum eſt. Comprehendit quicquid in precibus,& cæleſtis doctrinæ compendio ineſt.* Ergo nulla alia formula cum hac Chriſti conferenda eſt.

5. Denique pulcherrima eſt hæc Cypriani ſententia in Expoſit.Orat. Dominicæ. *Qui fecit viuere, docuit & orare benignitate, qua & cætera dare, & conferre dignatus eſt, vt dum prece & oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur.*

6. Tertullianus tribus rationibus hanc ceteris formulis(quæ ſunt à Prophetis dictatæ) præferendam docet,Nimirum,

1. Quòd ſit perfectiſſima, vtpote ab ipſa Dei Sapientia dictata,

2. Breuiſſima,etſi quantùm ſubſtringitur verbis,tantum diffunditur ſenſibus.

3 Cæleſtis, quæ terrenas patrũ promiſſiones in cœleſtes commutauit. Nam ait idem, Noui teſtamenti nouam orationis formulam eſſe oportuit: vt ab eodem Tertulliano in lib. de fuga in perſecutione appellatur, *Legitima oratio.*

A

CAP. XII.

Reſponſio ad duas quaſdam obiectiones.

QVæ quum ita ſint,duo tamẽ videntur obiici poſſe,Vnũ quorſum inſtituta aut quomodo vtilis nobis ſit iſta formula, quum dixerit Paulus,etiam poſtquàm ea à Chriſto tradita fuit, nos tamen adhuc, quid precemur, vt oportet, ignorare.Ro.8.26. Ergo non videtur Chriſtus nos ad precandum ſatis inſtruxiſſe. Reſpondeo ex his verbis Pauli *vt oportet,* apparere ipſum non tam agere de re, quæ petenda eſt, quæque nobis luculenter in Orationis Dominicæ verbis & formula deſcripta eſt, quàm de ipſo animi noſtri feruore, motu, vigilantia, fiducia, denique de ipſo animi precantis affectu, qui nunquam in nobis ſatis eſt benè, pro Dei maieſtate, compoſitus ad precandum,nunquàm ſatis ardens, ſatíſue in Dei promiſſiones intentus, niſi à Dei Spiritu moueatur & excitetur. *Itaque Spiritus Dei interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* quemadmodum idem Paulus eodem loco addit. Vnde fit, vt de ipſa potiùs B
precationis,quam à Chriſto didicimus, executione & πράξει,quàm de rerum à Deo poſtulandarum ſcientia (quaſi nobis non ſit ἱκανῶς in illa formula demonſtrata) intelligendus ſit locus Pauli 2. Cor. 3.6.vt & hîc verum ſit, *Litera occidit, Spiritus autem viuificat.* Ergo non eſt ſatis nos eſſe ad precandum ex hac Chriſti formula & doctrina,quantũuis perfectè ſcripta,edoctos,niſi Spiritus Dei eam in nobis efficacem reddat, & nos ad precãdum ipſe formet. Hoc igitur vnum eſt,quod obiici poſſe videbatur.Alterum autem quòd nimirum Chriſtus in hac formula videtur omninò prætermiſiſſe eas perſonarum diſtinctiones, quæ tamen in noſtris precibus concipiendis ſunt obſeruandæ, & quas Paulus 1. Tim.2. verſ.2.diſertè commemorat, veluti vt pro Regibus poſtulemus, & pro ſubditis: pro Paſtoribus Eccleſiæ,pro ipſo grege. Sic enim pro ſe,velut Apoſtolo,Paulus orari poſtulat Eph. 6.verſ.19. *Et pro me* (orate)*vt mihi detur ſermo ad apertionem oris mei cum libertate.* Nam vera eſt illa Auguſtini ſententia, *Reges non tantùm vt ceteri mortales, Deo ſeruire debent,ſed vt Reges* & pro conditio-
ne ſuę illius eximiæ vocationis.Hæc igitur eſt obie- C
ctio. Verùm illius ſolutio facilis eſt, Nempè, Chriſtum, quum docuit nos orare, *Adueniat regnum tuum,Fiat voluntas tua,ſicut in cœlo, & in terra,* breuiter complexum eſſe quoque,quid pro cuiuſque munere à Deo petere debeamus.Neque enim Regnũ Dei aduenire,vel voluntas fieri in hac terra poteſt, niſi noſtrûm vnuſquiſque pro ratione ſuæ vocationis (ad quam Dei voluntate ad ipſius regnum promouendum accerſitus eſt)ſuo munere ſtrenuè fungatur:& dona ad eam rem neceſſaria conſequatur à Deo. Itaque breuiter continentur hîc illa omnia,quæ ſunt cuiuſque vocationis propria. Quare non ſunt à Chriſto vel ſublatæ vel neglectę diuerſæ hominum conditiones quas ad hãc ciuilem ſocietatem conſeruandam, & Regnum ſuum propagandum ipſe conſtituit, ac fouet. Et προλεγόμενα quidem hactenus.

SECVNDVS TRACTATVS.

CAPVT I.

Diuiſio futuræ tractationis de Re in duo capita.

SEQVITVR igitur vt de re ipſa iam agamus. Ac primùm quidem de iis quæ ſunt in benè precando οὐσιώδη: poſtea verò de iis quæ ſunt συμβεβηκότα, quanquam ex iis ipſis quædam faciliùs prætermitti poſſunt, quædam autem diligentiùs ſunt obſeruāda. Ac primùm de voce ipſa, poſt autem de re nobis dicendum eſt. Oratio ſeu precatio, quæ hoc loco vocatur, non eſt quædam ex Rhetorum præceptis formata & inſtituta dicendi loquendíue ratio: ſed ſimplex animi votíque ſui apud Deum ſignificatio & declaratio. Adeo vt ab Auguſtino in Pſ.37. appelletur *deſyderium*. Vnde neque λόγος, neque ῥῆσις, aut alio quopiam ſimili vocabulo (quo Rhetorum orationes appellantur) in ſacra Scriptura vocetur: ſed & εὐχὴ & προσευχὴ ſolùm, quaſi voti & affectus noſtri nuda, ſed ſyncera explicatio. Rhetorum præcepta, quum ad fallendos perturbādóſque auditorum animos tota ſint comparata, nihil prorſus cum his precibus commune habent. Nec enim diuinus animus falli & perturbari poteſt. Etſi verò Chriſtus in formula orandi à ſe præſcripta & exordium quoddam (nempe *Pater noſter qui es in cælis*) habet, & rerum ipſarum, quæ poſtulandæ ſunt, explicationem, velut narrationem, (*Sanctificetur nomen tuum*) &c. denique tandem velut epilogum, (*Quia tuum eſt regnũ potentia, & gloria*) tamen nihil illa ad Rherorum præcepta pertinent: propterea quòd exordium ſeu præfatio, & epilogus Orationis Dominicæ eius ipſius, qui loquitur, afficiendi gratia, non autem vt Dei auditoris commouendi cauſſa ſunt à Chriſto adiecta, nimirum vt precaturi intelligant, quo animo, & qua fiducia ad Deum precandum accedere debeant. At Rhetorum exordia, & epilogi eripiendæ hominibus rationis & ſanæ mentis gratia inſtituta ſunt, & obſeruantur. Ergo dicitur oratio Græcè εὐχὴ, Hebraicè *Tephila* à cadendo, & ſeſe abiiciendo, quòd nemo Deum adire, niſi animo humili & deiecto ritè poſsit. Nam ad animi humilem de ſe ſenſum potiùs, quàm ad corporis geſtum Hebræi ſpectarunt: quandoquidem ipſi non niſi ſtantes orāt, quod de Publicano ſcribit Lucas. 18. verſ. 11. & ipſa experientia hodie quoque docet. Εὐχὴ igitur appellatur Oratio, ſed & προσευχὴ, quaſi ad Deũ tendens animi votum. Item δέησις & αἴτησις, appellatur & προσκύνησις, vti Phil. 4. verſ. 6. Marc. 5. ver. 10. & 17. Matth. 26. verſ. 53. Sed & πρόσκλησις & λιτὴ quoque dicitur, ſed non in S. Scriptura, Latinè *Precatio, Poſtulatio, Oratio, Adoratio, Preces.*

CAP. II.

Quid ſit oratio, & quotuplex.

EXpoſita voce de re ipſa iam agamus, & quid in genere ſit precatio ſeu oratio videamus. Tertullianus in lib. de Oratione Dominica ſcribit, Precationem ſeu Orationem eſſe Dei venerationem, & hominis petitionem. Ergo erit Oratio, hominis poſtulatio quæ fit à Do, cum eiuſdē veneratione & cultu.

Auguſtinus in Epiſt. 59. & Epiſt. 121. ad Probam, & in Sermone de verbis Domini & Ioannis multa affert, quæ naturam orationis explicant, quæ Damaſcenus lib. 3. de fide orthodoxa breuiter poſtea complexus eſt. Ait autem Damaſcenus, εὐχὴν εἶναι τὴν τῶν προσηκόντων ϗ πρεπόντων αἴτησιν, *Orationem eſſe, Petitionem earum rerum quæ ad nos pertinent, & quod decet nos petere.* Vndè vulgò à Scholaſticis ſic ſolet definiri Oratio ſeu Precatio, vt ſit decentium petitio. Verùm hæc definitio, meo quidem iudicio, tum inepta, tum manca eſt. Quum enim de Precatione religioſa agant, nihil tamen addunt vnde diſtingui poſſit ab ea precatione, quæ non eſt religioſa, ſed tantùm ciuilis, veluti quum vicinus à vicino aliquid honeſtum poſtulat, eúmque propterea rogat ac precatur. Luc. 11. verſ. 5. Saltem enim adiicerent, *quæ dirigitur ad Deum*, vt hæc eſſet plenior explicatio, *Oratio eſt decentium petitio, quæ dirigitur ad Deum.*

Bernardus in Serm. 1. de Sancto Andrea diſtinguit *Meditationem ab oratione*, vt ſit Meditatio, cogitatio de eo, quod nobis deeſt: Oratio verò petitio, quæ, ne quid deſit, nobis obtinet. Quare ſubiicit idem, *Meditatio viam oſtendit, oratio nos deducit. Meditatione agnoſcimus imminentia pericula: Oratione euadimus, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto.* Hæc Bernardus, ex quibus apparet eum Meditationem appellare, quam alii ſeriam animi noſtri Præparationem vocant.

Canoniſtæ in cano: *Quando ſtamus* Diſtinct. 1. de Conſecrat. ſic eam definiunt, vt ſit oratio pii animi affectus omnia ad Deum referens. Hæc definitio collecta eſt ex tractatu Cypriani de Orat. Dominica. Sed tamē eſt manca. Nā Oratio non ſolùm omnia refert ad Deum, ſed & ab eodē illa quoque petit, & mendicatur, agnita ſua miſeria & pauperie.

Omniũ verò ineptiſſimè (vt verum dicam) Thomas Aquinas in 2.2. Quæſt. 83. ab Etymo vocis ſic orationem explicat, vt oratio ſit oris noſtri ratio. Nec enim in ore, ſed in intellectu ſita eſt hominis ratio. Deinde non omnis precatio ratione nititur, ac defendi poteſt, ſed ea dũtaxat, quæ à Spiritu Dei dictatur, & ex vera fide fit. Præterea non omnis oratio poſtulat pronũtiationem velut neceſſariam, quũ multæ preces Deo gratæ ſint à multis & quidem tacētibus factæ, 1. Sam. cap. 1. Sed & illud quoque falſum eſt, quod idem Thomas eodem in loco addit. Affectum orandi eſſe non tantùm in ea animi parte, quæ λογικὴ eſt (id eſt, voluntatem & intellectum continet) ſed etiam in appetente. Illa enim nobis cum Brutis animātibus communis eſt: Oratio verò ſeu precatio nequaquam, vti diximus. Ergo religioſa precatio primùm diſtinguēda nobis eſt à ciuili: & Diuina ab humana, id eſt, ab ea, qua in rebus etiā ſalutaribus (veluti pro augēda fide noſtra in Chriſtũ, pro noſtra reſipiſcentia, pro ardore in Deũ maiore, &c.) Fratrũ & Chriſtianorũ preces imploram᾽. Ciuilis precatio eſt, qua alii ab aliis propter cōmunē affectũ naturæ, & vitæ huius ſocieta-

A tem auxilium petimus, vt ſi vicinus à vicino, ciuis à ciue (licet Turca à Turca) Reſpub. à Repub. quidpiam petat, quæ & humana quoque dici poteſt. A Luca verò videtur vocari αἴτημα Luc. 23. verſ. 24. Nam, vt ait Iuuenalis, Deus dedit nobis *non animas tantùm: aſt animum quoque* (id eſt, Rationem)

--mutuus vt nos
Affectus petere auxilium, & præſtare iuberet.

Ergo quanuis à propenſione eáque vel generali, (qualis inter omnia συμφυῆ, ὁμογλῶσσα, ϰ ὁμοιούσια eſſe ſolet, nam & vacca admugit vaccæ, & equus adhinnit equo) vel peculiari & Chriſtiana, quæ charitas vocatur, proficiſcatur ea fiducia, qua alii aliorum auxilium imploramus, & alii alios rogamus: tamen hæc oratio toto genere diſtat à Religioſa, ſeu diuina quę dirigitur ad ſolum Deum. Deum enim precamur, vt ipſum omnis boni fontem & auctorem. Itaque omnem animi noſtri fiduciam in ipſius poteſtate & benignitate ſeu promiſſione collocamus, *Patrem veſtrum*, ait Chriſtus, *neminem vocetis in terra. Vnus enim eſt Pater veſter, qui eſt in cælis.* Mat. 23. v. 8. Eodem pertinent hæ voces Dauidis, *Exau-* B *di me, Iehouah.* Pſ. 28. *Deus rupes mea.* Pſ. 18. & Pſal. 63. *O Iehouah, tu es Deus meus.* Homines verò quantumuis amicos aut potentes, non vt cauſſas boni, quod optamus, ſed tantum velut inſtrumenta impetrandi, vel nobis illa adminiſtrandi & conferendi, imploramus, & interpellamus, quòd Dominus Deus iis, velut mediis, ad ſua beneficia nobis largienda interpoſitis vtatur. Heb. 1. v. 14. Fons enim omnis boni eſt Deus. Pſ. 36. v. 9. Iacob. 1. v. 17. Sic adoratio & honos, qui Deo defertur, toto genere differt ab eo, qui exhibetur hominibus, etſi vtrunque coniunxit Petrus 1. Pet. 2. v. 17. quoniam illa Dei adoratio religioſa eſt: Hominum verò adoratio ſeu cultus, eſt duntaxat ciuilis, quanuis teſtimonio conſcientiæ nitatur. Sic Abrahamus Hetæos adoraſſe dicitur Geneſ. 23. v. 7.

Eſt igitur Precatio religioſa, deſyderii & affectus noſtri ſancti indicatio ſeu teſtatio, quæ ex fide fit Deo tanquam bonorum omnium fonti ac Patri nobis beneuolo, Pſ. 38. v. 10. Heb. 11. v. 6. Iacob. 1. v. 5. Quam meam definitionem ſic explico. Oratio nempe dicitur generaliter *Indicatio*, quoniam vel ſola cogitatione animi, vel voce quoque adiuncta noſtrum deſiderium Deo declarare poſſumus. Dicitur & *Teſtatio*, C quoniam accedit ad eam patefactionem & declarationem ipſum conſcientiæ noſtræ teſtimonium & vox, quæ & verum eſſe quod indicamus, & nos à Deo exaudiri velle ſeriò, non perfunctoriè teſtatur. Hinc oriuntur ſeriæ adeo illæ Dauidis proteſtationes, ſe planè perditum, niſi à Deo exaudiatur. Pſ. 28. Pſ. 143. Hinc illa eiuſdem Dauidis, Se apud Deum proponere & quod verum ſit, & quod ipſemet Deus ſic eſſe norit. Pſ. 139.

Additur *ex fide*, Quoniam huiuſmodi indicatio, & colloquium cum Deo, niſi præeunte fide, id eſt, præeunte ac prælucēte ipſius verbo, & promiſſione à nobis ſeriò & certiſſimè apprehenſa, fiat, eſt prorſus inanis iocus, imò Dei ipſius irriſio manifeſta potius, quàm veneratio Rom. 10. v. 14. Pſ. 7. v. 1. & infiniti alii Pſalmi.

Dicitur *fieri Deo, velut autori omnium bonorum, & Patri beneuolo.* Nam hac ratione differt religioſa precatio ab humana ſeu ciuili: & idcircò peccatum eſt in aliis definitionibus, quòd fidei mentio ſit in illis prætermiſſa, quum ea fere cōſtituat orationē. Iacob. 1. v. 5.

A Denique quale eſſe debeat animi noſtri deſiderium & affectus explicatur. Additur enim *Sancti.* Quum enim Deus ſit ſanctus, nihil niſi ſanctum Deo eſt offerendum.

Verum expoſita generali illa religioſæ precationis natura, nunc ad ſingulas illius ſpecies explicandas accedamus. In vniuerſum autem duplex eſt Precatio.

Nimirum vel {
Inuocatio, αἴτησις dicta Græcè,
Gratiarum actio, εὐχαριστία.

Varia enim vocabula & variæ precationis ſpecies à Paulo recitantur Eph. 6. v. 18. Phil. 4. verſ. 6. 1. Tim. 2. verſ. 1. Cæterùm vera eſt illa Caſſiani Collat. 9. cap. 8. ſententia, tot eſſe precationum genera, quot ſunt pii animorum noſtrorū motus: verùm ne ea res in infinitum diffunderetur, ad certas quaſdam ſpecies reuocata eſt.

Quum igitur Deum inuocamus, egentes ac laborantes auxilium ab eo petimus. Pſal. 50. v. 15. vel gratias illi agimus de auxilio & beneficio ab eodē accepto. Talis eſt totus Pſ. 18. vel mixtim vtrunque perſequimur, vt tamen magis in alterutrū propendeamus, vt Pſ. 89. & alibi plures. B

Cæterum quum Deum inuocamus, vel {
Pro nobis ipſis,
Pro aliis auxilium illud Dei petimus.

Si pro aliis, ἱκετεία vocatur illa precatio, *Interceſſio.* cuius exemplum eſt Ioan. 17. Pſalm. 20. Sin autem pro nobis ipſis id poſtulamus, in eo quoque ipſo duplex eſſe poteſt precatio noſtra. Nam rogamus Deum.

vel vt {
Auerruncet & depellat, & arceat mala, in quæ incidimus, aut quæ ſunt imminentia nobis, Græcè Δέησις, Latinè *preces, ſeu deprecatio* dicitur. Pſ. 142. 143. Pſ. 22. & alij.
Donet nobis & largiatur vel corporis, vel animi, vel externa bona. Hæc vocatur ἔντευξις, *Poſtulatio*, Pſalm. 21. Pſal. 121. & alij.

Scholiaſtes tamen Græcus apud Paulum, 1. Tim. 2. magis probat vt προσευχὴ ſit illud precum genus, quibus beneficiū aliquod à Deo petimus. Ἔντευξις autem preces, quibus eos, qui nos iniuriis affecerunt, apud Deum accuſamus: qualis Pſ. 35. quæ expoſtulatio dici poteſt ſeu querimonia. Verùm hęc C vocabula ſæpè confunduntur, nec ſuperſtitioſè ſunt obſeruata, vti cerni poteſt ex Iac. 1. v. 16. vbi δέησις pro ἱκετείᾳ ſumitur.

Anſelmus denique ſeparat in Epiſt. ad Epheſ. 6. verſ. 18. Orationem ab obſecratione. Nam oratio, ait, eſt ſimpliciter facta rogatio. Verùm obſecratio cum obteſtatione. Eſt enim obſecrare per ſacra adhibita rogare, etſi aliter Thomas in 2. 2. Queſt. 83. Art. 17. Et hæc quidem de voce ipſa, *Oratio ſeu Precatio*, De eius definitione, & diuerſis quoque generibus precationis.

CAP. III.

Quæ ſint in omni precatione οὐσιώδη.

NVnc ordine de Rei ipſius, quam diximus, οὐσία, & eſſentialibus illi rebus tractemus, ex hoc præcipuè loco ducentes dicendi exordium. Cùm ſit precatio ἐκ τῶν πρός τι, vt fructus, & ornatus, & veſtimentum, &c. non autem quiddam quod ſimplicem, abſolutā, & abſque habitudine ad

A alterum & relatione ſignificationem habeat, quẽadmodum Deus, homo, &c. (Nam precatio ad alterum dirigitur, & ab altero fit, neque enim quiſquam ſeipſum precatur) fit vt ex ipſius precationis propria & natiua notione, tria quædam ſint in omni precatione tanquã illius ὑπώδιν, primùm conſideranda.

1. Quis precari debeat,
2. Quis ſit precandus,
3. Quæ res petendæ.

Et quoniam Deus qui precandus eſt, non poteſt à nobis ſine Mediatore (cuius fauore commendemur) adiri, eſt tribus ſuperioribus capitibus hoc quartum quoque addendum,

4 Cuius nomine precandum ſit.

Denique & hoc ipſum eſt addendum.

5 Pro quibus precandum ſit. Vt in ſumma cõſtituamus quinque illa capita, velut partes benè formandæ orationis præcipuas ac eſſentiales. Atque hoc ipſum eſt quod variis in locis tradit Bernard. *Oranti tria eſſe cõſideranda, Quid petat. Ipſum à quo petit: & ſeipſum, qui petit. In eo quod quis petit, ſunt duo conſideranda 1. vt quod petit ſit ſecundum* B *Deum. 2. vt ſummo affectu petat. In ipſo, à quo quis petit, duo etiam ſunt conſideranda, nimirũ eius bonitas, & maieſtas. In ſeipſo qui petit duo quoque ſunt cõſideranda, 1. vt nihil pro ſuis meritis putet ſe accepturum. 2. vt ex Dei miſericordia, quicquid impetrat, obtinere ſe ſciat.* Hæc ille.

CAP. IIII.

Qui precari debeant.

PRimùm igitur videndum eſt, quinam precari debeant. Priuatim autem omnes & ſinguli fideles precari debent, cuiuſcunque ſint ſexus, ætatis, conditionis, ſtatus, fortunæ, ſi modò per vſum rationis poſſint. Vnde cuiuis hominum generi eſt accommodata hæc à Domino traditæ precationis formula. Nam quum omnes & ſinguli in Deo ſimus, viuamus, & moueamur, quum ipſe det omnibus vitam, halitum & omnia Act.17. verſ.25. & 28. quum idem cibo & lætitia impleat C corda noſtra, Act.14. verſ.17. id eſt, quum à Deo omnes ſimus, & ſuſtentemur, & ab illo omnia nobis neceſſaria ſubminiſtrentur, debemus, fideles imprimis, gratias illi agere, & ipſum, ſi qua re indigemus, inuocare. Hoc ipſum teſtatur Pſalm.117. & Pſal.105. Pſal.8. & ad laudem Deo dandam conditi ſunt præſertim homines Pſal.145. v.10. Prouerb. 16. v. 4. Qui autem aut per ætatem id nondum facere poſſunt, veluti adhuc infantes: vel per vſum rationis impeditum, velut furioſi & mente capti, ij propterea excuſantur, quòd rationis vſu deſtituantur. Quod enim dicitur Pſal.8. *Deum perfeciſſe laudem ſuam ex ore infantium, aliò pertinet.* Nimirum ex ipſa Dei de infantibus cura ſatis intelligi eius benignitatem, potentiam, & virtutem, ſi quis impius eam negare velit. Ergo νήπιοι & elingues dum per ætatem infantes laudem Dei non concinunt. Non eſt verò ferenda eorum parentum impietas, qui ſuos liberos, quã primùm fari poſſunt, non docent Deum verum precari. Reliqui autem mortales omnes, id eſt, qui per ætatẽ poſſunt, debent precari, vti in prolegomenis docuimus. Adeò vt ne Chriſtus quidem ipſe, quatenus homo, non autem quà Deus (vt falſiſsimè Menno Anabaptiſta ſenſit) ab hac lege fuerit immunis: imò Deum Patrem precatus eſt, & quidem ſæpè, vti apparet Matth.11. v.25. 14. v.19. 26. v.39. Luc.11. v.1. Ioan.17. Quanquam enim Chriſtus erat plenus Spiritu ſancto, etiam quà homo: quanquam carebat peccato: quãquam denique omnibus donis ad ſui muneris executionem neceſſariis à Patre erat affatim & vberrimè inſtructus, vt apparet ex Luc.4. v. 18. Iſa.61. v.1. Pſal.55. v.7. Colloſ.2. v.3. *Tamẽ in diebus carnis ſuæ deprecationes obtulit ei, qui ipſum ſeruare poterat à morte.* vt eſt in Epiſt. ad Hebr.5. v. 7. Nec tantùm in illo triſtiſsimo agone (in quo horrendum peccatorum noſtrorum ſtipendium & pretiũ in cruce, & ante crucẽ perſoluit) orauit Chriſtus, ſed ſæpè aliàs, idq; qua homo. (Nã qua Deus, quũ ſit Patri æqualis, nõ orauit Patrẽ: ſed qua homo, quoniã eius naturæ reſpectu Pater ipſo maior eſt Ioan.10.) & quidem triplici de cauſſa.

Primùm, vt teſtaretur ſe agnoſcere Patrẽ Deum omnis boni fontem, & autorem: à quo ea ipſa accepiſſet, quæ, quatenus homo habebat. *Data eſt,* B ait, *mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Matth.11. v. 27. Ioan.3. v.35. Itaque, vt Patri gratias ageret, precatus eſt. Sic enim orat Chriſtus. *Gratias ago tibi pater,* &c. & *Confiteor* Matth.11. v.25. Luc.10. v.21. Ioan.11. v.41.

Deinde, vt ſui miniſterii fructum & efficacitatem à Patre peteret. Vti enim à Deo Patre agnouit eſſe eas dotes & gratias quas habebat & habet quà homo etiam nunc glorificatus, Ioan.6. v. 57. ſic ab eodem earum effectum pendere confeſſus ac teſtatus eſt Ioan.17. *Pater conſerua: Pater pro illis oro qui in me credituri ſunt.*

Tertiò, vt cõfirmaretur in ſuo munere, viréſque illi à patre maiores ſemper præberentur, quò & tẽtationibus ſuis, & gloriæ Dei hoſtibus fortiter reſiſteret. Per omnia enim, excepto peccato, similiter atque nos tentatus eſt Chriſtus. Heb.4. verſ.15. *Quia ſerui formam accepit,* Phil.2. Sed & ab Angelo quoque in illo agone confortatus eſt, Luc.22. verſ. 43. Denique hoc ipſo ſuo exemplo nos Chriſtus docuit, imò nos animauit ad orãdũ. Quod ſi Chriſtum Dominum noſtrum, quà hominẽ & ſanctiſſimũ, & à peccato immunẽ, precari oportuit: quantò magis nos oportet precari, nos, inquam, peccatores miſerrimos, & rebus omnibus deſtitutos? C

Sed quæritur, Liceátne vbique locorum æquè omnibus precari? Nequaquam. Nam aut de priuata, aut de publica precatione quæritur. Priuatã dico eam quæ in quauis Chriſtiana familia, vt ordinarium pietatis exercitium, fit. Hęc certè à quouis pio fieri ac fundi poteſt, imò verò etiam debet, vti iam diximus, veluti quum quiſpiam cibũ ſumpturus eſt, poſteaquã ſumpſit, quum manè ſurgit, quum veſperi cubitum diſcedit, quum denique eſt operaturus, Pſ.125. & 127. 1. Tim.2. v.8. & Chriſtus ait generaliter, Luc.11. *Dicite, quum oratis,* in perſona diſcipulorum omnes pios alloquens. Et nota eſt illa Pauli ſententia 1. Theſ.5. Semper precandũ eſſe, & quicquid agimus, id eſſe ad Dei gloriam agendũ 1. Cor.10. v.31. 1. Tim.4. Pſ.55. Quod abſque diuino numine & auxilio fieri nequaquam poteſt. Ergo priuatas preces quilibet pius etiam priuatus fundere Deo poteſt, & debet. Sed publicas preces neque debet, neque poteſt ſana cõſciẽtia quilibet, quamuis pius concipere.

A Publicas preces voco quæ vel in toto Eccleſiæ cœtu,nomine ipſius cœtus fiunt: vel in illius cœtus parte tantùm,nomine itidem totius illius partis cœtus Eccleſiaſtici. Has preces publicas proferre ac pronuntiare iis tantùm licet, qui ad illud munus Eccleſiaſticũ ſunt publicè vocati. Id quod probari facillimè vel ex eo poteſt, quòd duodecim Apoſtoli, depoſito reliquo onere Eccleſiæ, hæc duo diſertè tanquam ſibi ſuóque muneri (cui Paſtores & Presbyteri Eccleſię ſucceſſerunt) propria reſeruant, vt videlicet *in Precibus & in Adminiſtratione Sermonis perdurent*. Act.6.verſ.4. Act. 16.verſ.13. Hoc ipſum pertinuit ad Leuitas olim. Præclarè etiam Tertullianus in libr.de Præſcript. ait eſſe hæreticorum,vt *omnes pariter orent,nulla paſtorum ratione obſeruata*. Item quod Iacobus de precibus ſuper ægrotos totius Eccleſiæ nomine fundendis loquens, vult ad eam rem accerſiri, non quoſuis, ſed diſertè, Eccleſiæ Presbyteros Iacob. 5.verſ.14.

Denique quòd Paulus in perſona Timothei Eccleſiaſtici muneris partes deſcribens, illi attribuit & demandat hanc publicè in Eccleſia precandi B prouinciam & curam,1.Tim.2.v.1.& 2. Ergo qui ſunt in Eccleſia, ratione muneris Eccleſiaſtici,priuati, id facere ſana conſcientia non poſſunt pręſertim Paſtoribus & Presbyteris non antea vocatis. Nam ſi vel nulli extent præpoſiti Eccleſiaſtici in iis locis in quibus collecta eſt Eccleſia: vel ſi illi fungi officio neglexerint,alii poſſunt,ex conſenſu tamen Eccleſiæ illorum partes in ea duntaxat muneris Eccleſiaſtici parte,id eſt,in precãdo ſuſtinere,ac ſupplere. Aliàs priuati in Eccleſia homines hoc munus in publico Eccleſiæ cœtu obire minimè poſſunt. Ac ne Magiſtratus quidem ipſi,quantumuis Chriſtiani extra has cauſſas id aggredi debent. Quanquam enim munere publico funguntur,eóque præclaro,& quidem in Eccleſia Dei,ſi modò ſunt Chriſtiani Magiſtratus: eorum tamen munus eſt Politicum,non Eccleſiaſticum quę munera duo ſunt inter ſe diſtincta,imò & fine diuerſa,& functionibus ſeparata,vt vnus in alterius fines inuadere ſana conſcientia non poſsit vel debeat. Nec enim Magiſtratus officium Paſtoris C facere: neque Paſtor Magiſtratus munia ſuſcipere debet in Eccleſia Dei. Vera eſt enim illa ad hunc locum aptiſsima Chriſti ſententia, *Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris,& quæ ſunt Dei,Deo*. Matt.22.v.21. Quamobrē ſeueriſsimè à Deo punitus eſt Ozias Rex Iudæ,quòd acerram accepiſſet,& munus ſacerdotum, nempe miniſtrandi templo Dei,vſurparet 2.Chronic.26.v.16. Verùm ne detrahere in eo quicquam Magiſtratus autoritati,aut eam minuere velle videamur(quam in omnibus rebus ſartam tectam eſſe volumus, & aduerſus Anabaptiſtas defendimus)breuiter eſt ad eorum, qui cõtrà ſentiunt,argumenta reſpondendum.

Primùm igitur afferunt illud Pauli, 1.Tim.2.v.8. *Velim igitur viros precari in quouis loco, puras manus attollentes abſque ira & diſceptatione*. Ex quo colligũt,poſſe ergo quoſuis viros in quouis loco precari: ſublata omni perſonarum ratione & diſtinctione. Reſpondeo,peruerſè ſic ab iſtis concludi. Neque enim dicit Paulus, *Volo quoſuis viros*, ſed *volo viros precari in quouis loco*. Viros enim vult precari præſertim in Eccleſiæ cœtu, non autem mulieres, *Mulieri enim non permittit Paulus docere in Eccleſia* Dei verſ.12. Et qui tãntã mulieribus autoritatem conceſſerunt, A vt eſſent & Epiſcopiſſæ & Presbyterides in Eccleſia Dei,hæreſeos grauiſsimæ iampridem damnati ſunt (vt Tertullianus & Epiphanius docent)ac Montaniſtæ nominati. Ergo Paulus viros dũtaxat opponit illic mulieribus: non vult tamen quoſuis etiam viros quouis in loco precari, ſed id à quoque fieri pro ſua vocatione & munere,id eſt,ſi hoc illi ratio muneris in eo loco & cœtu permittat. Sic enim huiuſmodi ſententias interpretandas eſſe docet Ambroſius, vt ab vnoquoque fiat,quod in commune præcipitur pro ratione nimirum muneris vnicuiuſque. Ait quidem Paulus, *in quouis loco*, vt doceat diſcrimen locorum, quod olim ſub lege Moſis obſeruabatur, eſſe per Euangelii beneficium hodiè ſublatum,quemadmodum etiam docet Chriſtus Ioan. 4.verſ.21.

Secundo loco nobis obiiciunt exempla quorundam piorum, qui ſimul & Magiſtratus & Paſtorum ſeu Sacerdotum munere functi ſunt in Eccleſia, quemadmodum Patriarchæ, Abraham, Iſaac,Iacob. Illi enim in ſuis familiis (quæ ſolæ B tunc temporis erant vera Dei Eccleſia in his terris) ſacrificarunt, quod fuit Sacerdotum munus: & munere Magiſtratus functi ſunt, damnantes & punientes maleficia perpetrata in iiſdem ſuis familiis,ſicut apparet Gen.35.verſ.1.& 2.38.verſ.24. Sed & Melchiſedech fuit & Sacerdos Dei, & rex Salem,id eſt Magiſtratus,vtrumque munus exercēs, Geneſ.14.verſ.18. Moſes quoque ipſe. Denique Rex Solomo preces in templo Hieroſolymitano publicè concepit,dedicans templum: & tamē Rex fuit in Iuda. 1.Reg.8.verſ.12. 2.Chronic.6. verſ.12. Reſpondeo, Malè colligi ex particulari generale quippiam:& ab eo quod extraordinarium fuit, ad illud quod ordinariè fieri debet perperam illos arguere. Quale eſt Elenchus à non conſequenti. Nam Solomo id fecit ſemel tantum, videlicet vt teſtaretur ſe conſecrare Deo templum quod ipſe extruxerat. Cæterùm idem non ſacrificat,ſed ſacrificant ſacerdotes eo præſente,vt ex eodē cap.8. primi Regum apparet. Quòd autē Moſes & Melchiſedech, & Patriarchæ fuerunt & Magiſtratus & Sacerdotes, id factum eſt quoniam Deus nondum C in ſua Eccleſia ea duo munia diſertè diſtinxerat,quemadmodum poſteà fecit, conſtituta nēpe & certis legibus ordinata deinceps Eccleſia. Cęterùm poſtquam Dominus inſtituit Aaronem ſacerdotem,nuſquã legitur Moſes ſacrificaſſe, ſed tantùm Magiſtratus officium in Eccleſia exercuiſſe,vt populo ius diceret, eúmque in terram promiſſam deduceret.Exod.18.v.13.

Afferunt præterea exemplum Dauidis, qui dicitur nonnunquam geſtaſſe Ephod vti 2. Sam. 6. verſu 14. Fuit autem Ephod veſtis,vt aiunt,ſacerdotalis genus. Reſpondeo, peſsimè ex eo concludi, Dauidem in munus ſacerdotum irruiſſe, quum ex 1.Sam.23. verſu 9.demonſtretur reliquiſſe ſacerdotibus ſua munia integra. Ergo falluntur iſti æquiuocatione vocis. Fuit enim Ephod duplex, Vnum ſummi Sacerdotis duntaxat proprium,ac peculiare:alterum commune, quod alii geſtabant,etiam qui altari non ſeruiebant,teſtandæ ſuæ nimirum in Deum pietatis gratia. Sic Samuel adhuc puellus induebatur Ephod.1.Samuel. 1.verſ.18.

A Quarto loco proponunt exempla Imperatorum Romanorum, idololatrarum, qui vtrumque hoc ſummi nempe Magiſtratus, & ſummi Sacerdotii munus Romæ gerebant. Erant enim Imperatores Romani ſummi Pontifices, & ſummi Dictatores ſimul, & Tribuni plebis quoque. Reſpondeo peſsimè iſta hominum profanorum exempla proponi Chriſtianis hominibus ad imitandum, quum id fecerint ambitionis & tyrannidis ſuæ retinendæ gratia, vt eſſent ἄσυλοι, & formidabiles populis.

Denique profertur exemplum Epiſcoporum Chriſtianorum, vti Moguntinenſis, Treuerenſis, Colonienſis, qui ſunt Domini (vt loquuntur) Spirituales & Temporales in ſuis territoriis, id eſt, vtrunque hoc & Imperium politicum, & Sacerdotium ſimul adminiſtrant & coniungunt. Reſpondeo, Peſsimo exemplo id fieri, & perperam vtrumque illud munus in perſona eorum coniungi, quum Dominus ipſe ea diſtinxerit; *Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris: & quæ ſunt Dei, Deo.* Mat. 22. verſu 21. Sed ſtolida hominum pietas, & zelus B Imperatorum Germanorum, ſed non ſecundum ſcientiam, illas dignitates politicas conceſsit Epiſcopis, vt eos ſibi demererentur, haberéntque ſuis conſiliis & conatibus fauorabiles: & quòd ſic quoque decus Eccleſiæ putarent auctum iri. Atqui contra euenit. Imminuta eſt enim vel maximè hac ratione vera pietas, & verum Chriſtianæ Eccleſię decus emarcuit. Cœperunt enim ex eo tempore Epiſcopi ipſi eſſe plumbei & lignei, quum mithras & vaſa habuerunt aurea: qui antea erant aurei, quum haberent vaſa tantùm lignea & vitrea, id quod eſt adeò ipſius Bonifacii primi Moguntinenſis Epiſcopi dictum, Canon. Vaſa de Conſecr. diſtinct. prima. Cæterùm quod ait Hieronymus eos qui alienis eleemoſynis viuunt, item qui affliguntur, debere ardentius precari, id ab ipſamet natura dictatur, quia maiori auxilio & præſentiori vtrique indigeant. Ad omnes ſic precaturos accommodata eſt hæc formula à Chriſto præſcripta Luc. 11. Matth. 6.

C

CAP. V.

Quis ſit precandus.

ET hæc quidem de primo capite, Quinam precari debeant. Veniamus ad ſecundum, nimirum, Quis ſit precandus. Breuis autem eſt ad hanc quæſtionem reſponſio, nempe Deum, & eum quidem duntaxat ſolum religioſa precatione eſſe inuocandum, ſeu precandum.

Huius autem reſponſi noſtri duæ ſunt partes, ſeorſim à nobis conſiderandæ. Ac vna quidem apertè docet Deum eſſe precandum. De quo anteà ſatis in Prolegomenis diximus, & nemo non dicam pius, ſed ſanæ mentis vnquam de eo dubitauit: quum profani homines etiam idipſum teſte conſcientia fateantur, vt in libro de Monarchia docet Iuſtinus, & in lib. de Animæ teſtimonio Tertullianus collectis variis profanorum ſcriptorum locis.

Huius tamen reſponſionis noſtræ ratio poteſt afferri duplex. Primum, autoritas S. Scripturæ *Dominum Deum tuum adorabis* Matth. quarto capite verſu 10. & Deut. ſexto capite, verſu 13. decimo, verſ. 20. A Adorationis autem vocabulo quanquam omnis diuinus cultus συνεκδοχικῶς continetur: imprimis tamen Precatio ſeu Inuocatio. Pſal. 138. verſ. 2.

Deinde ea ratio idem confirmat, quæ ex Paulo Gal. quarto capite verſu 8. ſumpta eſt, nimirum ſi argumentum à contrario ducatur. Nam ſi qui colunt eos, qui non ſunt naturâ Dii, idololatræ ſunt; ſi quæ preces diriguntur ad eum qui non eſt naturâ Deus, ſunt blaſphemæ, & idololatricæ: Ergo qui colunt eum, qui naturâ Deus eſt, verè pii ſunt cenſendi. Quare verus Deus (eſt enim is verus Deus, qui natura Deus eſt) colendus ac inuocandus eſt. Sed & de eo minimè quęrendum exiſtimo, ne dubitari de eo cuipiam fortaſſe videatur.

Illa verò maior ac vtilior quæſtio eſt, Vtrum quum ſic Chriſtus orare iuſſerit, *Pater noſter*, ad ſolum Deum Patrem noſtra precatio ſit dirigenda. Licet enim verus Deus eſſentiâ ſit vnus Deuteronom. ſexto capite verſ. quarto. Tamen perſonis eſt trinus, nempe Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, quemadmodum Chriſtus ipſe manifeſtè docuit, B in Patris F. & Spi. S. nomen baptizari præcipiens Mat. 28. Neque verò in cuiuſquam, quàm in Dei nomen & virtutem baptizamur, quoniam ſolus Deus nos ſaluos efficere poteſt. 1. Cor. 1. ver. 13. Reſpondeo igitur, non vnum duntaxat Deum Patrem, ſed & Filium ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quatenus Deus eſt, & Spiritum quoque Sanctum inuocari à nobis debere. Ratio eſt, quòd etſi Patris voce hìc Deus Pater propriè intelligitur, tamen quum tres illæ perſonæ ſint vnus eſſentiâ Deus, pari maieſtate, gloria, æternitate, potentia, pari quoque honore, cultu, ac veneratione ſunt à nobis adorandæ. In vita, adoptione, & ſalute noſtra perficienda ſint indiuidua S. Trinitatis, id eſt, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti opera. Ergo à nobis quoque tota Trinitas ſalutis noſtræ autor eſt & agnoſcenda, & inuocanda. Paulus 1. Timo. 1. verſu 17. affirmat, ei, qui Rex eſt æternus, immortalis, inuiſibilis, ſolus ſapiẽs Deus, honorem, gloriam & cultum tribuendum. Atqui C ſingulæ illæ perſonæ ſunt huiuſmodi: Ergo illis honor & gloria religioſa, ac proinde cultus diuinus, & inuocatio debetur ſingulis: non ſolùm Deo Patri, id eſt, vni tantùm ex illis tribus perſonis diuinis. Et quod idem illud eadem epiſtola cap. 6. verſu 16. videtur referre ad vnum Patrem, illud reſpectu Chriſti Mediatoris dictum notandum eſt: quo etiam nomine nomen Patris pro Deo exaudiendum eſſe vbi Filius Mediator exhibetur, obſeruatum eſt ab orthodoxis Patribus & in Euangelium Ioannis, & in Apoſtolum ipſum. 1. Cor. 8. 6. & 1. Tim. 2. 5.

Porrò hoc ipſum quod dicimus, etiam apertè in S. Scriptura (quæ nobis eſt optima precandi magiſtra) traditur. Extant enim in ea manifeſti loci, vbi Pater inuocatur: alii, vbi Filius, quâ Deus, ne putent habere ſe Idololatræ, quod prætexant: alii, vbi Spiritus Sanctus.

Ac quidem Pater inuocatur etiam à Chriſto ipſo, quatenus Chriſtus ipſe homo quoque fuit Mat. 11. ver. 25. Ioan. 17. à Paulo quoque. 2. Cor. 1. Eph. 1. verſ. 3. Filius inuocatur. Actor. 7. v. 59. *Domine Ieſu, ſuſcipe Spiritum meum*, ait Stephanus, quæ eadem eſt precatio, qua Chriſtus moriẽs animam

A ſuam Patri commendauit Luc.23.verſ. 46. *Pater in manus tuas depono ſpiritum meum.* Paulus Rom. 9.verſ. 5. appellat *Chriſtum Deum ſuper omnes laudandum.* ergo docet eum eſſe precandum. Nam iſta laudis cõfeſsio eſt εὐχαριστία & precationis ſpecies. Idem Paulus Romanor.10.verſ. 13. accommodat ad inuocationem Chriſti, quod dixit Eſaias 18.verſ.16. *Quiſquis inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* Denique.1.Corinth.10.9.ait Chriſtum ab Iſraelitis tentatum fuiſſe in deſerto. Atque hic idem quoque inuocatus eſt ab iiſdẽ Iſraelitis in deſerto. Quare proculdubio inuocatus eſt & in veteri & in Nouo Teſtamento Filius Dei æternus. Vnde à nobis quoque debet etiamnum hodiè inuocari.

Quanquam autem non quâ homo, ſed qua Deus, eſt Patri ὁμοούσιος Ioan.9.verſ.38. 20. verſ. 28. Chriſtus eſt inuocandus: cauendum tamen eſt, ne ex Neſtorianorum grauiſsimo errore ſeorſim Chriſti Deitatem, & ſeorſim eiuſdem Humanam naturã propterea ponamus, Chriſtum diſcerpamus: & ei duas perſonas pro duabus naturis impiè affingamus. Non dirigitur quidem in ipſam B Chriſti Humanitatem aut carnem noſtra precatio, ſed in ipſius Deitatem: idcirco tamen non eſt diuellenda, & ſeparanda à Deitate Chriſti ipſius Humanitas ſeu humana natura etiam dum adoratur, vt præclarè docet Athanaſius, ſed coniunctim conſideranda eſt, id eſt, in vna & eadem perſona ſubſiſtens, à qua ſeparari & diſtrahi non poſsit, quin prorſus ipſa caro, imò etiam perſona iam ipſa pereat (per ſe enim & in ſua Hypoſtaſi propria caro à Chriſto aſſumpta ſubſiſtere extra diuinam perſonam non poteſt) neque iam vult ſubſiſtere diuina natura abſque humana à ſe in vinculum æternum aſſumpta. quanquam tamen à natura diuina Chriſti diſtingui piè & rectè caro Chriſti, ſeu humana natura aſſumpta & debet & poteſt. Sed ſicut animo hominis in vno & eodem hyphiſtameno cum corpore ſubſiſtenti, laus induſtriæ, ſapientiæ, prudentiæ, ratiocinationis tribuitur, non corpori, licet animus à corpore non ſeparetur, & ſuam hypoſtaſin propriè abſque corpore non habeat: C Sic Deitati Chriſti propria laus omnipotentiæ & inuocationis tribuitur, non autem ipſius carni, licet Deitas non abſque carne iam à ſe aſſumpta ſubſiſtat, neque ſuam hypoſtaſin ſeorſim habeat.

Spiritus verò Sanctus etiam inuocandus eſt, fuítque hoc cultus genere à vera Dei Eccleſia, & in veteri, licet obſcuriùs: & in Nouo Teſtamento ſemper honoratus. Primum, quoniam eſt Deus Patri & Filio ὁμότιμος, ἴσος, ὁμοούσιος, & æqualis, & natura Deus. Matth. vigeſimo octauo capite. Deinde extant aperta huiuſmodi inuocationis teſtimonia, veluti Iſa. quadrageſimo octauo capite, verſ.16. *Dominus Iehoua miſit me, & Spiritus eius.* Certum eſt autem Prophetas inuocaſſe Deum, à quo mittebantur, Ergo & Spiritum Sanctum. Prætereà.2.Corinth.capite decimo tertio verſ. 13. Paulus manifeſtè inuocat Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum.1.Corinth.tertio capite, verſ.16.& ſexto, verſ. 19. docet Spiritum Sanctum eſſe verũ illum Deum, qui habitat in nobis, Ergo ille quoque eſt inuocandus.

Verùm nihilo ſecius videtur tota ſuperior doctrina oppugnari ex eo, quòd diſertè Chriſtus ſic precandum docuit *Pater.* Patris autem nomine ſolus Deus Pater continetur. *Nobis* (inquit Paulus,) *eſt vnus ille Deus Pater, à quo ſunt omnia,* 1.Corinth.8.cap.verſ.6.& Chriſtus ipſe. *Vnus eſt Pater veſter, qui eſt in cœlis,* Matth. vigeſimo tertio capite, verſ.8. Idem Ioannes octauo capite, verſ. 41. Quid igitur? Reſpondeo Chriſtum in Oratione Dominica, vti ſæpè alibi, Dei Patris nomine complecti, quicquid ad eſſentiam diuinam, quæ tribus perſonis communis eſt, generaliter pertinet, ſicut apparet ex ipſius Chriſti interpretatione Ioan.6.verſ.27. Sic idem ait Ioan.7.verſ. 16. *ſuam doctrinam non eſſe ſuam, ſed Patris.* Et 5. verſ.30. 6. verſ.38, *ſe non quærere nec facere ſuam voluntatem, ſed Patris, ſe facere opus Patris,* quod ipſe explicãs cap. 9.verſ.3. ait *eſſe opus Dei, & vt Deus glorificetur.* Ioan.13. Quatenus enim Chriſtus ſe vt hominem carne ceu corpore veſtitum, inter reliquos mortales verſantem proponit & cogitat, eatenus in perſona Patris inuiſibilis comprehẽdit quicquid ad eſſentiam diuinam, quæ inuiſibilis quoque eſt, B pertinet, ne carnea vel corporalis eſſe cenſeatur diuina Chriſti natura, & cum carne Chriſti à nobis confundatur. Diſtinguendi igitur cauſa Chriſtus ſe Filium hominis vocat, Patrem autem Deũ. Sed quum illa diuina eſſentia ſit illi cum Patre eadem & communis, certè ipſe quoque hac Oratione Dominica ſe inuocandum eſſe docet. Præclarè enim Auguſtinus, *Chriſtus eſt ſeipſo maior in Ioan.* 10.cap. Præclarè quoque Fulgentius libro ſecundo ad Monimum, ait, *dum ad ſolius Patris perſonam honoris ſermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur.* Idem Auguſtinus li.5. Trinitatis c.11. *Poteſt dici tota Trinitas Pater, tranſlatè ad creaturam.* Non tantùm propter adoptionem Filiorum Dei, ſed quia ſancta illa Trinitas alit, fouet, & conſeruat res omnes, quæ beneficia ſunt verè pluſquàm paterna, & Dei animum erga res omnes à ſe conditas verè pluſquam paternum demonſtrant. Matth.3.verſ.45. Quanquam tamen Deus eſt propriè ſuorum in Chriſto electorum Pater, vti poſteà dicetur. Quarè etſi iubet Chriſtus vt Patrem precemur, Patris nomine tamen Trinitatem C etiam ipſam intelligimus. Id quod aptiſsimè Patris potiùs, quàm Filii aut Spiritus ſancti vocabulis & appellationibus deſignatur. Itaque potiſsimum hoc nomine Deũ inuocare, & precari Chriſtus ipſe nos docuit.

Reſtat autem vt ad ſecundam noſtræ reſponſionis partem accedamus, in qua diximus *ſolum Deum eſſe inuocandum.* Atque hîc iam nobis maior oritur colluctatio tum cum merè profanis & idololatris, tum etiam cum hæreticis. Sed primùm noſtrum reſponſum confirmemus.

Primùm autem eſt aperta S. ſcripturæ auctoritas, quę id ipſum aſſerit, quod diximus, ídque adeò Chriſto ipſo interprete. Ait enim, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Matth.4.v.10. Deut. 6.v.13.10.v.20.

Deinde Dominus ipſe diſertè teſtatur *ſe gloriam ſuam daturum nemini.* Iſ.42.v.8. Atqui precatio verè diuini, id eſt, vni Deo reſeruati cultus pars eſt. Ergo nemini cum Deo communicanda eſt. Nec enim patitur Deus quenquam ſocium

ſibi

A ſibi,vel parem coniungi. Exod. 20. 2. Reg. 17. verſ.30.

Prætereà vocantur paſsim à Dei Spiritu Idololatræ & blaſphemi, qui aliud quippiam præter Deum inuocant, ſiue illud ſit cæleſte, ſiue terrenum , ſiue aqueum, ſiue aureum,ſiue argenteum. Pſal. 115. & Pſal.97.Ierem.2.28.Act.7.verſ.42.Ergo vt idololatriam fugiamus, vnus & ſolus Deus eſt inuocandus. Ille namque ſolus eſt omnis boni fons & autor.Iac.1.verſ.17.Pſal.36.verſ.9.Ab eo ſolò pendere debemus. Pſal.3.verſ.9. Pſal.121. In eum ſolum credimus & ſperamus Matth.23. In eum ſolum omnium oculi conuertuntur Pſa. 145. verſ.15.Quæ omnia requiruntur, priuſquam religioſè quempiã precari poſsimus.Ergo ſolus Deus eſt precandus.Idem docet Tertullianus in Exhortat.ad caſtitatem.

Sed & à remotione aliarum rerum omnium facilimè poteſt intelligi ſolum duntaxat Deum eſſe inuocandum.Nulla res creata poteſt vel debet inuocari,Ergo ſolus Creator.Is autem eſt Deus,Ergo ſolus Deus eſt inuocandus.Nullam verò creaturam eſſe colendam,inuocandam, vel B honorandam,docet tum ſecundum legis diuinæ pręceptũ, tum etiam textus expreſſus,Deut.4.v.19.Vetat enim Deus,ne cælum ipſum, vel quæ in cælo ſunt adoremus,velut Solem,Lunam, aut aſtra reliqua, aut aues.Manaſſes Rex Iuda ſeuerìſsimè à Deo punitus eſt,quòd coluiſſet & inuocaſſet militiã cæli. 2.Reg.ca.21.Sed & alii quoque tum Iudæ tũ Iſraelis reges.2.Reg.cap.17.

Vetat idem Deus,ne terram ipſam, aut quæ in terra ſunt, naſcuntur, aut viuunt, colamus: Sed neque ea,quæ ſunt & viuũt in aquis & mari Deut. 4. Ergo nihil rerum creatarum eſt inuocandum. Rerum enim cœleſtium,terreſtrium,& ſubterranearum, id eſt, aquearum nomine omnia rerum hîc creatarum genera comprehenduntur.Philipp. 2.verſ.10.Ratio verò noſtræ ſententiæ eſt, quòd quum inuocatio noſtra ſit illius, quem inuocamus,veluti nobis ſuperioris,veneratio & appellatio,vtpote qui ius & imperium in nos habeat: ſimus autem conſtituti à Deo domini cæli & terræ & aquę Pſalm.8.Geneſ.1.verſ.26.miſerrimam C ſeruitutem nobis indicimus, ſi ea quæ nobis ſubiiciuntur,velut ſuperiora nobis & auguſtiora veneramur,&,ſi ſeruos noſtros adoramus & colimus nos Domini & ad Dei imaginem conditi. Nam in eo quoque ipſo iniuriã Deo ipſi ad cuius imaginem conditi ſumus facimus inſignem,qui nobis in omnia huius mundi viſibilis ius dedit. Verumenimuerò etiam ex ipſomet profanorum hominum teſtimonio apparet,quàm ſit turpis iſta precatio,quæ ad res ipſas vel cæleſtes,vel terrenas dirigitur.Cælum & cæleſtia colebant Perſæ & Magi,velut Solem:

Placat equo Perſis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Terram,& terrena colebant Ægyptii, vti Crocodilon,cepe, allia.Iuuen.Sat.14.

Quis neſcit,Voluſi Bithynice,qualia demens
Ægyptus portenta colat?Crocodilon adorat
Pars hæc,illa colit ſaturam ſerpentibus Ibim.

Papiſtæ vnà cum Rocho,canem:cum Ioſepho, aſinum : cum Agnete , agnum quoque colunt. illi omnes tamen ab ipſis Ethnicis irriſi ſunt, etſi eos Tyrius Maximus portentoſæ religionis ſcriptor excuſare,ſed fruſtrà,conatus eſt. Et inde nata A eſt inanis & falſa illa Deorum diſtinctio à Philoſophis excogitata , vt docet Auguſt. ex Varrone in libr.de Ciuitate Dei,ad eluendum iſtius horrendæ idololatriæ crimen , vt dicerent , alios eſſe Deos naturales ſeu Philoſophicos:alios autem eſſe Poeticos:alios denique Politicos ſeu ciuiles,& ſic infamem illam creaturarum adorationem ſeu inuocationem obſcuro velo & figmento tegerẽt ac inuoluerent : cuius eos ipſos pudebat,vt ait Tertull.lib.1.contra Marcionem.

Sed de Angelis & hominibus videndũ eſt , Nũ inuocari debeant,propterea quòd de iis natę ſunt difficiles & contentioſæ digladiationes.

Angelorum alii ſunt boni,alii ſunt mali , quos Diabolos & Dæmonia 1. Corinth. 10. ſacra Scriptura vocat. Veteres profani homines idololatræ,quales Homerus,Heſiodus,Plato,& alii, tam malos,quam bonos Dæmones ſeu Angelos putarunt inuocandos.Malos quidem, vt mala & damna à nobis auerruncarent,id eſt,arcerent, & depellerent, vnde Auerruncatores & Ἀποτρόπαιοι dicti B ſunt:aut ne nobis ipſi malefacerent. Quare placandos furuis hoſtiis exiſtimabant. Bonos autem Angelos ſeu Dæmones , vt nobis benefacerent , nóſque conſeruarent : vnde vt illi mali κακοδαίμονες καὶ κακοποιοὶ vocabantur: ſic boni εὐδαίμονες , Ἀλεξίκακοι,σωτῆρες καὶ εὐεργέται dicti ſunt.De quo eſt præclarus locus apud Heſiodum lib.1. ἔργων καὶ ἡμερῶν. Sed fuit iſta inſania,vel potius apertus furor, diuino cultu colere diabolos, qui Deo aduerſantur , & omnis diuini cultus ſunt ipſi hoſtes. Eoſdem tamen,ſed ex immani idololatria, & cæcitate colunt etiamnum hodie Indi homines tam Orientales,quàm Occidẽtales, & imprimis, quos Margaios,& Tupinambos vocant, vt illarum regionum periti homines ſcribunt.Sed nos inſanos iſtos omittamus.

Ergo quanquam inter eos , qui ſe Chriſtianos dici voluerunt,extiterunt hæretici, tum Ophitæ, tum qui Satanici dicti ſunt, quorum illi Ophitæ ſerpentem eum,qui Euam decepit,id eſt Diabolum tanquam noſtræ ſalutis autorem colendum eſſe contendebant,vt ait Tertullianus in libro de C Præſcription. aduerſus Hæreticos. Hi verò Satanici volebant Satanam honorandum, tanquã ęternorum bonorum nobis cauſam,vti & Iudã ipſum Iſcariotam nefandum Domini noſtri Ieſu Chriſti proditorem:illi tamen neque Satanam,neque Iudam tanquam Deum:ſed tantùm velut ſalutis noſtræ μέσα & ὄργανα magni æſtimanda & veneranda docuerunt,quemadmodum hodie Papiſtæ ipſum flagellum,quo Chriſtus cæſus eſt : clauos, & crucem, cui eſt affixus : lanceam, qua perfoſſum eſt ipſius latus,non δουλείᾳ ſolùm,ſed & ὑπερδουλείᾳ honoranda eſſe volunt.Nos igitur hoc proculdubio velut axioma ſtatuimus , Neminem Chriſtianum poſſe ſic perſuaderi,aut induci , vt diabolum eſſe inuocandum, &, vt Deum, venerandum credat, qui,quemadmodum ait Paulus. 1.Corinth. 6. huiuſmodi Angelorum etiam iudices futuri ſimus, eóſque Chriſto ipſi aſsidentes damnaturi. Sunt igitur illi fugiendi,non precibus à nobis accerſendi : ſunt ſalutis noſtræ hoſtes,non fautores : ſunt Dei gloriæ aduerſarij , non autem inuocationis κοινωνοὶ faciendi.Quò deteriores eſſe,ac miſeriores intelliguntur,qui eos in ſuum auxilium inuocãt, A aut iis cultum aliquem deferunt. Pſalm. 106. verſ.37.

Verùm de bonis Angelis maior quæſtio eſt, Num ſint inuocandi non vt interceſſores tantùm apud Deum, ſed etiam vti multorum nobis bonorum autores, quemadmodum voluerunt ij hæretici, qui Angelici dicti ſunt. Simoniani ſicut in libro de Præſcript. aduerſ. Hæreticos ſcribit Tertullianus, Angelos adorarunt ante Angelicos. *Simonianæ Magiæ diſciplina Angelis ſeruiens, vtique & ipſa inter idololatrias deputatur.* Simonianos ſecuti ſunt Appellitæ. Sanè vetus fuit iſte Angelorum bonorum cultus, & ferè vnà cum Chriſtiana Eccleſia, atque cum Euangelij prædicatione cœpiſſe videtur hic error, quum de eo Paulus Apoſtolus faciat diſertè mentionem in Epiſtola ad Coloſſ. cap. 2. verſ. 18. Nam quod Anſelmus putat eos, quos damnat illic Paulus, coluiſſe malos duntaxat Angelos, non autem bonos & proinde à Paulo fuiſſe reprehenſos: fallitur ille toto cælo. Sed iam eo Papiſtico errore faſcinatus erat, vt Angelos bonos, velut noſtros apud B Deum mediatores interpellari poſſe exiſtimaret. Scholaſtici vti Thomas in 2. 2. Quæſt. 83. Art. 4. apertè negant eos, tanquam bonorum, quæ per eos adipiſcimur, autores eſſe colendos. Quod ſi fiat, eam eſſe manifeſtam idololatriam. Quare edictum eſt concilio Carthaginenſi quarto, *Ne quis directa oratione Angelos beatos aut Sanctos homines defunctos interpellaret, ſeu inuocaret, ſic, Sancte Michael Angele, vel, Sancte Petre ora pro me, vel audi me.* Sed Papiſtæ omnis diuini & humani iuris contemptores, & conciliorum antiquatores, palàm & apertè omnino contra nunc & docent, & faciunt. Directa enim oratione vtroſque precantur & Angelos & Homines Beatos, vti ex eorum blaſphemis horariis apparet. Verùm quoniam iſta diſputatio in Quęſtione quarti capitis, nimirum, cuius nomine ſeu cuius interceſsione ſit precandum, recurret, plura nunc de ea non addam. Vni modò argumento reſpondebo, quod ex Iudicum libro cap. 13. ſolet ab Angelicis Hæreticis afferri velut præcipuum ſuæ hæreſeos fundamentum, vi- C delicet Angelum fuiſſe adoratum à Manoa patre Sampſonis viro pio & fideli. Ex quo concludunt, Ergo angelos adorari poſſe. Reſpondeo verò primùm vitioſè ex vno ſingulari quippiam vniuerſale concludi: deinde contendo, Angelum illum fuiſſe ipſummet Chriſtum, non ſimplicem Angelum. Nam & Iehouah appellatur, & ſibi ſacrificari patitur, & ſuum nomen nõ indicat, vti Gen. 32. verſ. 29. Angeli verò meri, vti apparet Luc. 1. v. 19. & ſuum nomen indicant, & ſibi ſacrificari, aut Dei eſſentiale nomen ſibi tribui nunquam ferũt, imò conqueruntur, ſi id fiat, & ſe noſtros eſſe conſeruos apertè teſtantur. Sic diuinum cultum exhiberi ſibi vetat Angelus Apocalyp. 19. verſ. 10. 22. verſ. 9. Ego blaſphema eſt, & planè idololatrica Bonorum etiam Angelorum, tanquam Deorum veneratio.

Porrò de Hominibus ſiue viuis, ſiue mortuis, vt Diis, inuocandis, quod quæritur, planè impium eſt, & ea quæſtio potiùs pertinet ad caput, Cuius interceſsione & interuentu ſit precandum, ad quem locum nos quoque hanc diſputationem reiicimus.

A

Cap. VI.

Orationis Dominicæ Partitio.

ORdine ſequitur Tertium caput, videlicet, quid à Deo petendum ac precandum ſit. Illud autem hæc formula à Chriſto tradita breuiter complectitur, & quidem quouis tempore, quouis loco, & à quibuſuis hominibus Deus inuocetur. Quare iam nobis eſt in ipſam Orationis Dominicæ interpretationem ingrediendum. Hoc autem vt perſpicuè à nobis fiat, ſummam illius Orationis partitionem primùm afferamus: deinde de eo quoque agemus, Num illa Chriſti formula breuiùs tradi potuerit.

Ac quidem ſumma illius partitio hęc eſt, vt tres partes habeat præcipuas, nẽpe,

1 Præfationem.
2 Rerum precãdarũ enumerationem & doctrinã.
3 Epilogum.

Præfatio his verbis continetur. *Pater noſter qui es in cælis.*

Doctrina ſeu enumeratio incipit ab his verbis *Sanctificetur nomen tuum: &c.* Epilogus ſeu concluſio eſt in his verbis comprehenſa, *Quoniam tuum eſt regnum, potentia & gloria.* B

Cap. VII.

Vtrùm formula à Chriſto tradita ſit breuiſsima.

DE eo verò, num breuiùs tradi hæc formula potuerit, facilis eſt reſponſio, Non potuiſſe. Verumtamen, qui contrà ſentiunt, afferunt primùm Chriſtum. Matth. cap. 6. verſ. 33. hoc ipſum compendioſius his verbis docuiſſe, *Quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius.* Nam cætera vobis adiicientur, quanquam neque petantur, neque addantur. Reſpondeo. Doceri potius in eo Matthæi loco ordinem quo quidque petendum ſit à nobis, & finem quò referenda ſint, quæcunque petimus, quàm res eas, quæ ſunt poſtulandæ. Hæc verò formula docet, vt ait Auguſtinus, & *quæ* C *res ſint petendæ, & quo ordine*, qua nulla breuiùs cõplecti omnia potuit. Itaque à Tertulliano vocatur, *Breuiarium Euangelicæ & Propheticæ doctrinæ.* Verùm & illud quoque obiici ſolet, quod Prouer. 30. ver. 7. & 6. extat. Eſt enim illic formula precandi breuiſsima, *Vanitatem & mendacium remoue à me, & paupertatem & diuitias ne dederis mihi: ale me cibo qui conuenit mihi.* Omnia enim complecti videtur. Reſpondeo, Nequaquam. Neque enim aliud quicquam petimus iſtis verbis, quàm quod ad nos homines pertinet, Nimirum mentis ſinceritatem, & vitæ huius tolerabilem ſtatum. Prętermiſſa ſunt autem, quæ ad Dei regnum & gloriam immediatè pertinent, quæque ſunt nobis à Deo primo loco poſtulanda, quale eſt, Sanctificetur nomen tuum, Veniat regnum tuum &c. Illa verò omnia in Chriſti formula pulcrè continentur, vt ſtatim apparebit.

Cap. VIII.

De Præfatione Orationis Dominicæ, cuius explicatio hîc continetur.

A Porrò Præfationis, quæ huic formulæ orationis à Chriſto præfixa eſt, duplex ſcopus eſt: Vnus, vt doceamur verum Deum, eúmque ſolum eſſe inuocandum, vti ſuprà diximus, nempe, qui & Pater eſt noſter, & in cælis habitat. Sic enim Deus verus hîc deſcribitur à duplici hoc proprio attributo coniuncto. Nam etſi Angeli beati, & Animæ Sãctorum dicuntur eſſe in cælis, tamen non dicuntur Patres noſtri: neque quicũque Pater noſter dici ſolet, aut poteſt, idem etiam ſic eſſe dicitur in cælis. Quamobrem illa duo epitheta coniuncta verum Deum deſcribunt. Sed etſi ſeorſim quoque quo ſenſu & Pater noſter hîc à nobis appelletur, & idem in cælis eſſe dicatur, ſpectemus, nemo vel Angelus vel Spiritus, præter verum Deum, cenſeri poteſt vel Pater noſter eſſe, vel in cælis eſſe. Quarè etiam hęc epitheta ſeorſim conſiderata in vero ſuoque ſignificatu verum Deum, cúmque ſolum nobis demonſtrant.

Alter huius præfationis ſcopus, ac finis eſt, vt doceamur, qua animi præparatione, quaue fiducia & ſpe impetrandi ad Deum precandum accedere debeamus. Nec enim temerè, perfunctoriě, titubantes, vel incerti ad tantum Dei colloquium, & tam ſuaue veniendum eſt, vt docet Iac.1. cap. B v.5. ſed certa animi fiducia & ſpe, nos à vero Deo omnipotente quidem, ſed Patre nobis beneuolentiſsimo exauditum iri, Pſal.60. Pſal. 7. Hebr. 11.verſ. 6. Duo enim precum noſtrarum fundamẽta, & velut columnas (quibus certiſsimis precaturi innitamur) Chriſtus proponit, videlicet Dilectionem ſeu Beneuolentiam Dei erga nos tanquam Patris, & ipſius omnipotentiam, ac imperium in res omnes, vtpote qui in ſublimiſsima mundi parte ſedeat, omnia moderetur, ac ſibi ſubiecta habeat. Eſ.66.verſ.1. Velle enim & poſſe ſunt duo actionum omnium fundamenta, vt in Ethicis præclarè docetur, & ſcribit Auguſtinus quoque. Non eſt autem addita hæc Præfatio, vt beneuolentiam Dei ex ipſius laudibus captemus; quòd eſt Rhetorum præceptum. Verùm hæc omnia meliùs intelligentur, ſi verba ipſa præfationis breuiter expoſuerimus: Dicimus igitur

C *Pater.*) Patris vocabulum eſt πολύσημον. Quare videndum eſt, quo potiſsimum ſignificato Deum Patrem, vocemus Patrem noſtram. Eſt enim quadruplex huius vocis acceptio. Nam pater dicitur, qui & Naturâ Pater eſt, & Adoptione, & Affectu, & Ætate perſonam Patris ſuſtinet, ac nobis refert. Pater eſt Natura ille, qui nos ex ſuo ſemine generauit. Hic dicitur in Epiſtola ad Hebræos duodecimo cap. verſ. 9. πατὴρ σαρκὸς *Pater carnis*, vt intelligamus ipſos Spiritus ſeu animas noſtras creari à Deo, & θυραθὲν, vt loquuntur, id eſt, aliunde, quàm ex prolifico ſemine Patris carnalis nobis infundi. Sic Dauid fuit Pater Solomonis Matth.1.& Solomo Pater Roboami, & ſic deinceps. Hoc vinculum & nomen eſt à Deo. Epheſ.3 verſu decimoquinto. Pater adoptione eſt, qui nos antea alienos non modò in familiam, ſed in ordinem, prærogatiuam, & ius liberorum ſuorum adoptauit, atque aſciuit. Ergo qui ſic fiunt liberi, priùs erãt extranei ab eius, à quo ſic adoptantur, familia, & hæreditate. Hæc quidem etſi luculenter à Iuriſconſultis tradũtur, malumus tamen ex Paulo noſtro, quàm ex illis diſcere. Ille igitur vt deſcribat noſtram A adoptionẽ, quam υἱοθεσίαν vocat. Epheſ.1.v.5. ait nos ex alienis & extraneis qui priùs eramus, factos eſſe filios Dei & hæredes, id eſt, in familiam Dei ac Rempub. Iſraelis aſcitos fuiſſe. Eph. 2.v.12. & 13. Eramus enim priùs filii iræ. Eph.2.v.3.

Affectu Pater eſt, qui animum erga nos paternũ gerit, qui conſiliis regit, qui fouet, qui alit, qui docet, qui denique ea præſtat & adminiſtrat, quæ Pater liberis ex affectu paterno ſolet. Sic dicebat ille apud Terẽtiũ Mitio. *Natura tu illi pater es, cõſilijs ego*. Sic Prophetæ dicũtur patres eorũ, quos docebant. 2.Reg.2.v.12. Sic Paulus pater erat Timothei, & Timotheus filius Pauli. 1.Tim.1. Sic paſtores ſunt Patres gregis: reges boni ſũt patres populi, & proptereà olim Abimelechi dicebãtur, & benefici dicuntur Patres eorum, quos iuuant Luc.22.v.25.

Ætate pater eſt, quicunque nos annis præcedit, id eſt, nobis natu maior eſt. Hæc enim à iunioribus debetur reuerẽtia ſenioribus ac prouectioribus ætate, vt eos patrum loco habeant. Itaque ſic vulgò ſeniores à nobis appellantur, & ab Hebręis, & à Græcis ceteriſque populis patres.

Verùm, quòd ad hunc locum, Deus Pater appellatur *Pater noſter*, proptereà quòd ab eo per & propter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium B eius vnigenitum adoptati ſumus in numerũ filiorum, & ſpem æternæ hæreditatis & vitę. Nam per hanc adoptionem fimus hæredes Dei, & cohæredes Chriſti Ro.8.v.17. Rectè enim concluditur, Si Filii ſumus, Ergo & hæredes, ait Paulus 4. Gal.v.7. Ergo cogitandũ eſt, qualis ſit omniũ hominũ ante eam adoptionem ſtatus. Eſt certè quidem miſerrimus, & ſumus omnes naturâ filii iræ. Eph.2.v.3. Quarè quòd filii Dei per adoptionem fimus, id non eſt tribuendum naturæ noſtræ, quâ ſumus homines, & filij Adami: nec etiam meritis noſtris accepto ferenda eſt tanta dignitas (ſunt enim omnia bona opera noſtra velut pannus mulieris menſtrua patientis Iſ.64.verſ.6.) ſed ſoli gratuitæque per Chriſtum Dei gratiæ, & miſericordiæ, quemadmodum docet Paulus 2.Tim.1.ver.6. Tum demũ igitur potuimus & poſſumus clamare, *Abba.i. Pater*, quũ Spiritũ adoptionis accepimus. Rom.8.verſ.15. Anteà verò nequaquam, quum C eſſemus Deo inimici, filii iræ Dei, & extrà filiorũ ipſius ſortem Ro.5.v.10. Huius autem filiationis ſeu adoptionis modus non eſt vertigo, non virga prætoris, quæ vindicta dicta fuit: ſed vera fides cordis. Fimus enim tũc verè Filij Dei, quum Chriſtũ per Euangelij prędicationem oblatum fide, vt verũ Dei Filium, & noſtrum apud ipſum Mediatorem amplectimur. Dat enim Deus iis omnibus (qui fide Filium ipſius ſuſcipiunt) eam dignitatem, vt filii Dei fiant Ioan.1.v.12.10.v.27.

Ex quibus apparet, hoc nomen Deo à nobis tribui, vt certiſsima de ipſius erga nos beneuolẽtia, benignitate & dilectione fiduciâ eũ inuocemus, certóque ſperemus nos ab eo auditũ, & exauditũ iri. Quũ enim ſe Patrẽ à nobis vocari iubeat, certè huius appellationis effectum ſentiamus oportet (eſt enim Deus ἀψευδὴς Tit.1.verſ.2.) & verè paternum ergà nos animum induat, vt noſtri miſereri, & propitius nobis eſſe velit. Imò verò longè omni parentum noſtrorum charitate vehementiorem ac præſtantiorem erga nos à ſe adoptatos animum & affectum gerit, ac demonſtrat, A quem ille nunquam exuere, vel obliuiſci poteſt. Iſ.49.ver.15.Pſalm.27.ver.10. Nos geſtat in oculis, in digitis, in humeris, in corde, vbique videt. *Nunquid obliuiſcetur mulier infantis ſui, ita vt non miſereatur filij vteri ſui? Etiam iſtæ obliuiſcentur, ſed ego non obliuiſcar tui,* inquit *Dominus. Ecce in manibus deſcripſi te, & deſtruentes te, à te exibunt.* Item. *Si vos quum mali ſitis, noſtis bona dare filiis veſtris: quantò magis Pater veſter, qui eſt in cælis?* Mat.7.v.11. Quàm igitur & ſuauis eſt & dulcis, & plena conſolationis, fiduciæ, & ſpei prima hæc filiorum Dei precantium, & Deum verum in Chriſto inuocãtium vox, quum eum Patrem ſuum appellant, *Pater quid negabit filijs,* inquit Beda, *qui iam dedit, quod Pater eſt. Primus ſermo* (ait lib.5.de Sacram.cap.4. Ambroſius) *quantæ ſit gratiæ vides, & ſuauitatis, O homo! faciem tuam non audebas ad cælum attollere, oculos tuos in terram dirigebas, & ſubitò accepiſti gratiam Chriſti, ex malo ſeruo factus es bonus filius. Non ergo hìc arrogantia eſt, ſed fides. Prædicare, quòd acceperis, non eſt ſuperbia, ſed deuotio* Quod ſi prodigum Filium excepit terrenus quidam B Pater, imò etiam illi venienti occurrit vltrò Luc. 15. verſu 10. quantò benigniùs nos per Chriſtum ad ſe adeuntes excepturus eſt cæleſtis ille Pater? *Quamobrem homo nouus renatus* (ait Cyprianus) *& Deo ſuo per gratiam eius reſtitutus, Pater primo in loco dicit, quia Filius eſſe iam cœpit. Qui ergo credidit in nomine eius, & factus eſt Dei filius, hinc debet incipere, vt & gratias agat, & profiteatur ſe Dei Filium.*

Neque verò ſic certa fide Deum velut Patrem precari, & ſperare ſe ab eo exauditum iri inanis præſumptio eſt, vt Papiſtæ obganniunt & nugantur, niſi verò fidere Dei verbo & promiſsionibus, præſumptio inanis nominetur, & in vitio habeatur. Quod quidem eſt planè blaſphemum, & illi animi noſtri tum πληροφορίᾳ tum πεποιθήσει (quam vtramque parit vera in Chriſtum fides, vt docet Paulus Eph.3.verſ.12. Col.2.verſ.2.) contrarium. Nam quod Paulus Phil.2.v. 12. vult vt in timore & tremore verſemur coram Deo & ſalutem noſtram operemur, aliò pertinet, quàm vt illam animi fiduciam (quam vera fides parit) nobis adi-C mat. Docet enim potiùs, dum ita fidimus, id non nobis, ſed ſoli Dei gratiæ & promiſsionibus, & Spiritui (qui nos confirmat) tribuendum. Deinde non eam fiduciam hîc intelligimus, quæ ſolutam omni anxietudinis ſenſu mentem habeat, quę nulla tangatur cura, nullo deſiderio vratur, aut ſuę inopiæ timore æſtuet. Sed quia vera fides eſt etiã αἴσθησις, neque tantum ἐπίγνωσις, vt in eadem epiſtola ad Philip.1.ver.9.loquitur Paulus, non tantùm verè cognoſcuntur, quæ fide creduntur: ſed etiam mente ſentiuntur vberrimè in animis & conſcientiis noſtris, vt propterea non pauitent.

Quod denique quidam aiunt nos non omnia quæ à Deo petimus, impetrare, nihil officit illi fiduciæ & ſpei, quam habent pii precantes, & Deũ Patrem appellantes. Impetrant enim, & quidem ſemper, quantùm videlicet expedit, id eſt, & hoc cedit Dei gloriæ, & ipſorummet fidelium ſaluti, quanquam non ſemper ea forma, modo, ac ratione, qua ipſi poſtularunt: quoniam Deus eſt nobis ſapientior, ſumúſq; illi cariores, quàm nobis noſmetipſi. Itaque quæ nocitura erant, reprimit & auertit: ea verò cõcedit, quæ ſunt nobis profutura.

Huc autem referenda ſunt, quæ Bernardus Serm. A 4.de Quadrag. ſcribit, *Interdum grauiter impeditur oratio à puſillanimitate Spiritus, & timore immoderato. Hoc autem tunc ſolet fieri, quum ſic homo cogitat propriam indignitatem, vt non conuertat oculos ad diuinam benignitatem. Sed ſi magna eſt iniquitas mea, maior eſt, Domine, pietas tua. Ergo non ſit vel timida, vel temeraria, vel tepida noſtra Oratio ad Deum. Timida oratio cælum non penetrat, quia reſtringit animũ timor immoderatus: vt oratio, non dicam, ne aſcendere ſed ne procedere poſſit. Tepida verò in aſcenſu langueſcit, Temeraria aſcendit, ſed reſilit, reſiſtit enim ei, nec tantùm non obtinet gratiam, ſed & meretur offenſam. Sit igitur fidelis & humilis & feruens oratio.* Hactenus Bernardus.

Verùm & illud quoque obiici poſſe videtur, quòd Ethnici ipſi fidem in Chriſtum nullam habuerunt, tamen Deum nominarunt Patrem, & eodem vocabulo inuocarunt, quo hîc præcipit Chriſtus à nobis inuocari. Horatius.

Iane pater: clarè:

Quid igitur nos pii & fideles plus habemus, aut quæ maior noſtra, quàm illorum fiducia eſt, di- B cet quiſpiam, propter huius vocis à Chriſto ſuggeſtæ atque ſumminiſtratæ veram ſignificationẽ? Paulus quoque 1. Tim.4.v.10.ait Deum eſſe σωτῆρα πάντων ἀνθρώπων. Quod ſi σώτηρ, ergo & Pater. Quare non à ſolis in Chriſto electis, ſed ab omnibus quoque paſsim hominibus, etiam infidelibus, poteſt Deus velut Pater appellari, & inuocari. Reſpondeo, Profanos illos & luce cæleſti deſtitutos homines, quum quem Deum eſſe putant, eundem Patrem appellant, nomine Patris curam tantùm Dei quandã, & beneficia ſignificare, quoniam ſe ali & ſuſtineri ab eo fatentur & ſentiunt, Act.14.v.17.non autem eam adoptionem intelligunt qua homines & filii Dei, & æternæ vitæ hæredes fiunt. Eſt enim hic ſenſus omnium hominũ nõ prorſus ἀθέων, animis à natura inſitus, Deum benefacere hominibus, ergo & Patrẽ eſſe. Quare etiam profani homines Deum vt Patrem, id eſt, vt benefactorem duntaxat agnouerunt: non autem ſic Patrem, ſicut filii Dei, & in Chriſto adoptati eum Patrem ſentiunt & vocant. Vox igitur Patris C ſæpè pro benefactore generaliter ſumitur, eſtque paralogiſmus ab æquiuocatione vocabuli *Pater*, quum ita ſumitur, & ad hunc locum transfertur. Eodem pertinet, quod ait Paulus, Deum eſſe σωτῆρα omnium hominum, etiam infidelium. Nam illud veriſsimũ eſt. Nõ tamen eſt propterea Deus Pater omnium hominũ, quo ſignificato hîc accipitur. Nam σωτῆρος vocabulũ illi ſuſtentatorẽ ſolũ & cõſeruatorẽ ſignificat, vti Pſ.36.v.5.& 6.& Eph.5.v.23.nõ autem redẽptorẽ, & à morte æterna liberatorẽ, ſicut apud Matt.1.v.21. & hoc loco.

Porrò Patres etiam noſtros terrenos & carnales poſſumus hoc nomine (dum nimirum eos adimus, & auxilium ab illis imploramus) appellare, vti fecit Iacob Gen.27.v.18. ídque docet Chriſtus in illa filii lurconis & diſſoluti parabola Luc. 16. ver.21. verùm diuerſa prorſus ratione, quàm qua Deum Patrem noſtrũ in Chriſto vocamus. Homines enim Patres dicimus patres, vt inſtrumenta tantùm Dei ad nos procreandos, ac iuuandos: Deum verò nominamus noſtrum in Chriſto Patrem, velut autorem & datorem & vitæ ipſius noſtræ, & omnium bonorum: imò etiam ſalutis æternæ.

A ternæ.Matth.23.

Cæterùm ne quid à nobis prætermiſſum videri poſsit, in quo vtilis quæpiam doctrina vocis, *Pater*,argumento à veteribus Patribus ſit conſeruata & tradita, quædam hîc breuiter percurram quæ tum Tertullianus, tum etiam Cyprianus hîc annotarunt. Vnum eſt, Chriſtum ſic docuiſſe nos Chriſtianos precari, vt feriret Iudæos, & illis ſuā incredulitatem ac horrendam infidelitatem exprobraret, qui verum Deum iam vt Patrem inuocare non poſſunt, vtpote qui Dei Filium, per quem vnum habemus Deum Patrem Ioan.5.v.23. reiecerint. Hac igitur voce *Pater*, tanquam certiſsima nota putāt Tertullianus, & Cyprianus diſtingui preces Chriſtianorum à Iudęorum precatione, quòd hi Deum non appellent Patrem: illi verò nominent.

Alterum eſt, quod iidem illi Patres quærunt, Vtrùm ſub lege,id eſt,ante Chriſtum incarnatum ac prædicationem Euangelij, veteres pij velut Prophetæ Deum hoc nomine, *Pater*, inuocauerint. Nam videtur primùm ab ipſo Chriſto hoc B nomen patefactum,*Nomen tuum*, ait ,*patefeci hominibus*.Ioan.17. v.6.id eſt, vt vult Tertullianus, hoc nomen *Patris*, protuli primus,& mundo indicaui,vt eo vocaretur Deus,qui antea ſolo vocabulo Dei,vel *Dei Abrahami* notus erat. *Nomen enim Patris nemini proditum fuerat, ac ne ei quidē ipſi qui de eo interrogauerat,id eſt,Moſi.* Ita Tertullianus. Idem poſteà ſenſit Athanaſius Antiochenus libr.3.De fide Chriſtiana: cuius ſententia videtur confirmari hoc Chriſti dicto.Ioh.16.v.24. *Vſque adhuc non petiiſtis quicquam in nomine meo:petite,& accipietis,vt gaudium veſtrum ſit plenum.*

Certè Dei Patris, & Filii, & Spiritus S.diſtinctionem in Eccleſia notam fuiſſe ante Chriſtum incarnatum (quanquam obſcuriùs ea doctrina tunc intelligeretur) negari non poteſt, ſi vel primum caput Geneſeos, vel Pſalm.110. vel Prouerb.30.ver.4.diligenter perpendatur: tamen eiuſmodi ferè fuit Dei inuocatio (quæ ſub lege à piis Patribus fiebat) vt Deus Abrahami,Iſaaci,& Iacobi nominaretur verus Deus, quòd cum C iis fœdus ſuum de æterna ſalute, & populi Iſraelitici adoptione pepigiſſet. Itaque Patres ſic vt plurimum Deum inuocarunt ac precati ſunt ante Legem.Tamen nonnunquam etiam eum & Redemptorem, & Maritum, & Arcem Eccleſiæ dixerunt.Iſai.54.verſu 5. Quin etiam Patris nomine, vti apparet, appellarunt Deuter.32. verſ.6. Iſai.63.ver.16. Malach. 1. verſu 6. & 2. Samuel. 7. verſu 14. Quamobrem non fuit hoc Dei nomen prorſus ignotum piis antè Chriſti aduentum: ſed eo tamen, quo dixi nomine (vt ſe fœdere Dei niti docerēt fideles) ab iis fere inuocabatur Deus. Poſt Chriſtúm autem exhibitum, ac Euangelium publicatum, vt vetus illud Teſtamentū impletum fuiſſe,ac proinde deſiiſſe intelligeretur,& illi nouū ſucceſsiſſe perſpiceretur, inuocatus eſt Deus nomine Patris tum Chriſti ac proinde & noſtri:nuſquā autē in nouo Teſtamento hoc modo,*Deus Abrahami* &c.Sic Pau.ſemper Deum inuocat 2.Cor.1.Eph.1.v.3.3.v.14. Sic Petr. 1.Pet.1.v.3.Sic Ioannes ſecunda Epiſtola ver.3. Sic Iudas in ſua epiſtola v.1.*Deus Pater Chriſti.* Non quòd alius ſit Deus noui & veteris Teſtamenti, quemadmodum impuriſsimè Marcionitæ ſenſerunt:ſed vt patefactam & impletam in Filio exhibito A gratiam Abrahamo promiſſam oſtenderent, & vetus Teſtamentum ſic abrogatū,vt nouo locū daret. Ea eſt quoque ſententia Chriſti, quum ait Ioan.16.*Vſque adhuc non petiiſtis quicquā in nomine meo.* Neque enim Patres ipſi & ſub lege,& ante legem alio nomine aut interceſſore, quàm Filio & Meſſia venturo Deum placatum habuerunt: ſed tamen ſub lege,& poſt fœdus ictū cū Abrahamo, Deum hoc modo *Deus Abrahami*, & propter fœdus precabantur. Vult igitur Chriſtus, vt Deum nō iam Abrahami,ſed ſuo,id eſt,veri Filij ſui nomine rogent,precentur, appellent pii,vt facilimè à Deo audiantur, & vt Dei gratiam impletam in Filio ac exhibitā teſtentur,fidēq; ſuā iā in Chriſto manifeſtiorē eſſe declarent. Neque tamen blaſphemū eſt,ſi quis etiā in Oratione Deum hoc modo, *Deus Abrahami,& Iſaaci,& Iacobi* inuocet:non illud quidem vt veteris fœderis implemētū nos exſpectare demonſtremus(vt ante Chriſtū incarnatum fecerunt Patres) ſed vt oſtendamus nos eundē Deum colere,quem Abrahamus,Iſaacus & Iacobus coluerunt,nempè verum Deum, qui omni B ſeculo collegit veram Eccleſiam,& eam fouit per & propter Meſsiam Filium ſuum. Ergo nota quidē fuit *Patris* appellatio ſub Lege:ſed ſub Euāgelio lōgè notior,imò notiſsima,& proindè aſsidua & familiaris Deum precandi ratio iam eſt, vt res à Deo olim promiſſas,nunc impletas teſtemur.

Denique ex hoc ipſo Patris vocabulo ſatis intelligi poteſt,Quo interceſſore, & cuius nomine à Patre audiamur,nempè ſolius Chriſti,per quem Pater nos in filios adoptauit. Sed quoniam hæc diſputatio pertinet ad quartum caput, quod non eſt cum iſto confundendum, ipſam in eum locum reiicimus.Sequitur

Noſter)Hęc vox ad ſolos pios & fideles reſtringenda eſt. Eorum enim duntaxat Deus eſt Pater, non autem omnium hominum. Pſal.147.v.19. & 20.Mat.5.v.45.Ratio eſt,quòd eorum ſolùm Deus Pater eſt, quos in Chriſto adoptauit, id eſt, qui Chriſtum vt vnicum ſeruatorem fide ſunt amplexi, quíque eum diligunt, ac Dei voluntatem faciunt.Ioan.8.v.42.1.v.12. Qui enim Diaboli cupiditates explet,is eſt filius Diaboli,non Dei, Ioan. C 8.v.44. Cyprian. *Nec peccator populus poteſt*, ait, *eſſe filius, ſed quibus remiſſio peccatorum datur,eis filiorū nomen adſcribitur.* Ergo quamuis Deus verus ſit omnium hominum,etiam infidelium,Deus vt Dominus, Pſal.105.v.7.quamuis ſint omnes homines loco proximorum à nobis habendi Luc.10. v.30.quamuis denique ſit omnibus benefaciendū Matth.5.& Galat.6.v.10:tamen ſoli fideles, & verè pii ſunt filii Dei,ſunt fratres noſtri.Eph.4.v.4. ſunt denique ii,quos hac voce *Pater noſter* propriè complectimur.Eſt quidem orandū pro omnibus, & cura de aliorum quorumuis hominum ſalute (quatenus ipſi ſunt Dei opus,& in iis quoque regnum Dei eſſe poteſt) à nobis piis, & verè Deum timentibus habenda:tamen votum,ſolicitudo,cogitatio præcipua noſtra eſſe debet de Dei gloria, & de verorum ipſius filiorum id eſt eorum qui fide renati ſunt, qui Chriſtum ſuſceperunt, qui Deū verè & ſyncerè ex ipſius verbo colunt,ſalute, Pſ.16.v.3.Galat.6.v.10.*Simus benefici erga omnes*, ait Paulus,*maximè verò erga domeſticos fidei.*

Magna quoque noſtra eſt de paterno ,imò in-

A comprehenſibili Dei erga nos amore & affectu fiducia ex hoc vocabulo *Noſter*:vt nos ab eo exauditum iri ſperemus, quantum quidem ille nobis ipſis expedire nouit. Nam, vt eſt in Pſ.145.v.19. *Volũtatem timentium ſe facit Dominus, & clamores eorum exaudit, ac ſeruat eos. Cuſtodit Iehouah omnes diligentes ſe.* Id quod in Dauide & aliis quoque piis ipſa experiẽtia verũ eſſe ſemper docuit. In Eccleſia autem Chriſtiana multo omniũ luculẽtiſsimè.

Cæterùm, quum Deum Patrem Noſtrum appellamus, meminiſſe oportebit, ait Cyprianus, vt tanquam filij Dei agamus, id eſt, viuamus, & *quẽadmodum nobis placemus de Deo Patre, ſic ſibi placeat & ille de nobis*.1.Petri 1.17. Eſt igitur incedendum, vt dignũ eſt noſtra vocatione, ait Paul. Eph. 4.v.1.i.vt filios Dei decet, vtpote qui Chriſtum, & lucis habitum iã induimus per prædicationẽ Euãgelii Ro.13.v.13.14. Et certè vera eſt illa ſententia, *Peccatores Deus non audit, ſed ſi quis eſt cultor ipſius.* Ioã.9.v.31. Nam qui ſciens, ſceleratæq; vitæ obſtinatione prouocãs Deum eum inuocat, Deo certè quidem illudit, & ſibi exitiũ accerſit, nõ autẽ Dei fauorem conciliat. Ergo, inquit Ioannes, Ioan.3. v.22. *quicquid petierimus, accipiemus à Deo, quoniam præcepta eius cuſtodimus, & ea, quæ ipſi placent facimus.* B Non quòd tamen noſtris operibus Deũ promereamur, aut fauor Dei iis debeatur velut merces: ſed quoniam in hac obedientia noſtra fidem noſtram & adoptionem teſtamur, id eſt probamus nos non ficto, fucato, vel ementito nomine eſſe Dei filios, ſed verè ac ſynceré.

Iam verò quæritur, Cur Deũ vocare in cõmune Patrẽ noſtrũ potius, quàm peculiariter *Patrem meum*, ſinguli pii precantes à Chriſto doceamur. Præclarè enim Ambroſ.libr.5.de Sacrament. cap. 4. *Patrem* ait, *appellas, quaſi filius, ſed noli tibi ſpecialiter aliquid vindicare. Solius Chriſti ſpecialiter eſt Pater, nobis omnibus in commune, quia illum generauit, nos creauit.* Reſpondeo, Triplici potiſsimum de cauſa id à Chriſto præceptum eſſe.

NB Primùm, vt Chriſtus doceret, Quanta inter nos omnes, qui ſumus pii ac fideles, charitas, mutuáq; aliorũ de aliis, & præſertim de ipſa Dei Eccleſia ſolicitudo noſtra & cura eſſe debeat. Si enim C pro ſe tantùm quẽque precari, & neceſſaria à Deo petere nos Chriſtus docuiſſet (qui noſter eſt de nobis amor & cogitatio, tãquam nobis ſolis nati ſimus) cæterorum quantumuis fidelium & piorũ neceſsitates negligeremus, & eas velut cæci, ſurdíque præteriremus. Nihil enim inter mortales charitate rarius, & ea cura quæ de alienis rebus ſuſcipitur. Ergo Chriſtus iubet, vt nunquã de nobis ipſis cogitemus, nũquã pro nobis precemur, quin ſimul de aliis quoque, imò de tota Dei Eccleſia cogitemus, ac pro ea precemur. Eſt enim Eccleſia implementum corporis Chriſti, quæ nobis proinde cariſsima eſſe debet, ſi modò Chriſtus eſt carus, qui quidem eſſe debet cariſsimus. Epheſ. 1.ver.23. eſt eccleſia corpus illud, cuius nos ſinguli pii membra ſumus Epheſ.4.v.4. Denique eſt tam arctum inter ſe omnium fidelium in Chriſto coadunatorum vinculum, vt alij aliorum membra ſimus, alii aliorum onera portare debeamus, Galat.6.verſ.2. alii aliorum vincula, plagas, tormenta ſentire, tanquam in iis ipſi afflictionibus verſaremur, oporteat, Hebr.13.verſ.3. alios aliis omnia, quæ habemus, tum terrena, tum ſpiritualia bona communicare deceat, propter eam coniũctionẽ A tam arctam ac omni ſanguinis neceſsitudine præſtantiorem ac durabiliorem, quæ eſt inter nos omnes.1.Pet.4.verſ.10. *Vt quiſque accepit donum: ita alius in alium illud ſubminiſtrate, vt boni diſpenſatores variæ Dei gratiæ.* Ergo non idcircò tantùm pro aliis precãdum eſt, quòd bonum quantò communius eſt, tantò maius: ſed quòd & Fides, & Charitas Chriſtiana id ita fieri poſtulat. 1. Corinth. 13. Non quærit enim quæ ſua ſunt. Quamobrem iubet Iacobus, vt alii pro aliis precemur, & Deo gratam ac efficacem fore talem noſtram orationem exemplo Eliæ idem confirmat Iac.5.v.16.17.

Secũdùm, vt intelligeremus, Quantus eſſe debeat precantium cum aliis omnibus fidelibus tum in fide, tum in charitate, rebúſque omnibus conſenſus, quantáque pax & animi concordia. Nec enim Deum vt Patrem communẽ inuocare poteſt, qui vel in doctrina, vel in re quapiã ab aliis fidelibus diſsidet, aut ſe ſegregat ab Eccleſia, velut hæreticus, vel ſchiſmaticus, aut qui cum aliis pacem non colit, velut, qui inimicitias cum aliis exercet. Ergo iubet Chriſtus, vt precaturi priùs fratri, ſi qua nobis eſt cum eo contentio, reconciliemur. Alias enim contra nos ipſos teſtatur hæc precatio, & oratio *Pater noſter* Matth.5.verſ.24.& 6.verſ.15. B Neque enim Deum Patrem communem agnoſcit, qui alium fidelem pro fratre ſuo, propter ſimultatem quam cum eo habet, minimè recipit. Quare rectè Deum ex hac Chriſti formula precari non poſſunt, qui neque fratribus ignoſcere, neque eis reconciliari volunt. Vt rectè Deum oremus, ſedulò caueamus, ne Sol occidat ſuper iracundiam noſtram. Eph.4.v.26.

Tertium, ſic precari iubemur, *Pater noſter*, vt doceamur parem eſſe omnium noſtrûm qui fideles ſumus (quod ad Deum) conditionem, nempè, omnes nos ſola ipſius miſericordia (qua nos in Chriſto complectitur & adoptauit) ab eo diligi ac exaudiri, quod ipſum pulcrè Beda quoque annotauit. Nam qui meritis ſuis, aut dignitati, aut opibus, aut generi id tribuunt, quòd à Deo audiuntur, & propter hæc putant eſſe ſe pluris apud Deum, vel ab eo impetrare quæ poſtulant, turpiſſimè falluntur. Nam apud Deum, vt docet Paul. C Gal.3.v.28. non eſt acceptio perſonarum, & æqualiter rei ſumus: ſed per & propter vnum Chriſtũ à Patre amamur Ioã.16.v.27. Hæc igitur tertia quoque ratio eſſe poteſt, cur communi voce *Pater noſter*, Deus à nobis appelletur. Auguſt.Serm.135.ait. *Omnes Chriſtiani fideles diuerſos in terris habent Patres, alij nobiles, alij ignobiles, vnum verò Patrem inuocant, qui eſt in cælis. Sub iſto Patre ſunt dominus, & ſeruus, imperator & miles, diues & pauper.*

Verum obſtant ſuperiori doctrinæ duo quædã, vnum, quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſic orat, *Pater mi*, non autem *Pater noſter* Mat.26. Alterum, quòd nemo pius iam ſpecialiter vel pro ſe, vel pro aliis, velut parentibus, & cognatis precari poterit, vel bona conſcientia audebit. Quod tamen pro ſe fieri petit Paulus Rom.15.verſ.30. & pro ægrotis iubet Iacobus Iacob.5.v.14. Reſpondeo, Nequaquam propterea damnari eas preces, in quibus aliquis vel Deum vocat Patrem ſuum, vel pro ſe, aut pro aliis velut Eccleſiæ membris ſpecialiter orat, modò animus in illis precibus à communitatis intuitu non diſcedat, nec deflectat,

ſed

A ſed omnia iſtuc referat. Ergo qui pro ſe, vel pro alio aliquo certo peculiariter precatur,quod velit & ſe, & alium illum inſeruire Eccleſiæ Dei, & eam communem vtilitatem habeat ante oculos, rectè facit, nec ab hoc Chriſti præcepto diſcedit. Imò verò ſic ſæpe.i.vehementi animi fiducia pij precantur, *Pater mi, & Deus mihi*,vt ſibi ſuauiſsimum eſſe hoc ſuum cum Deo colloquium, & ſpē impetrandi teſtentur.

Denique ex hoc loco facilè iam intelligi poteſt, pro quibus ſit precandum. Sed nos latiorem eius rei diſputationem in quintum cap. cuius propria eſt,reiiciemus. Sequitur igitur in Oratione Dominica.

Qui es in cælis.) Primùm hoc Pronomen, *Qui*, vel particula referens apud Græcos ὃ docet ad eũ ipſum verba ſequentia pertinere, quem ſuprà Patrem appellauimus.Et quidem meritò. Quũ enim de eiuſdem potentia planè perſuaſi eſſe debeamus de cuius erga nos beneuolentia certi ſumus, vt ad eum tutò confugiamus:ſanè ſubiici ea quoque debuerunt quæ Dei maieſtatem, imperium,& in omnia B poteſtatem nobis probant ac oſtendunt, ne qua dubitationis,aut hæſitationis precantibus occaſio ſupereſſet , præſertim qui per nos ipſos ſimus iam plus nimium diffidentes ac increduli. Quare,vna huius ſententiæ, *Qui es in cælis*, addendæ ratio hæc fuit, vt ſummam & infinitã eſſe Dei, quem precamur,potentiam certò ſtatuamus , qui poſsit præſtare quæ petimus, & exſequi, quæ vult & pollicetur. Hæc enim ſententia perinde ſonat, atque ſi diceretur, verus Deus & Pater noſter eſſe infinitæ magnitudinis,ſublimitatis incomprehenſibilis,poteſtatis incomparabilis, & qui ſummum in omnia imperium habeat,omnia pro voluntate ſua æquiſsima,moderetur,regat,& perficiat. Denique cuius voluntati nihil omninò poſsit obſtare, aut moram vllam iniicere. Quemadmodum enim cælum terra hac,& omnibus rebus terrenis imò toto hoc elementari mundo ſublimius eſt & auguſtius:ita Deus,qui in cælo illo ſublimi thronum ſuũ habet,omnia tenet ſibi ſubiecta, & in ea ius liberrimũ poſsidet. Omne genu illi flectitur. Iſ.45.v.23.Omnia prouidentia ſua gubernat,vnde C in Pſ.115.v.3.dicitur, *Deus noſter eſt in cælo, quæcunq; voluit,fecit.*Summa igitur & liberrima rerũ omniũ poteſtas hoc epitheto tribuitur Deo Pſal.99.v.1. Pſal.2.ver.4.Quod eſt alterum fiduciæ noſtræ in Deo collocandæ fundamentum.

Altera vera ratio eiuſdem ſententiæ adiiciendę fuit,vt nihil terrenum,craſſum,humile,abiectum, *& vile* de Deo in precando cogitaremus. Imò verò ſuprà omnem animæ & corporis ſenſum attolleremur, dum ad Deum accedimus. Nihil igitur turpe à Deo petendum eſt, nihil obſcœnum, nihil vitioſum,quum eum in cælis eſſe,& extra omnem hanc terrenæ fæcis ſortem, ac humanæ corruptionis & vitioſitatis conditionem & locum verſari fateamur.Quòd enim omnis creatura propter peccatum hominis vanitati ſubiecta dicitur à Paulo Rom.8.intelligitur de viſibilium duntaxat, & in hoc mundo poſitarum rerum creatarum genere,non de Inuiſibilibus, quale eſt illud cælum, de quo hîc fit mẽtio. Nihil item infirmum de eodem ſentiamus qui in cælis eſt. Ergo ſanctè,piè, caſtè, reuerenter tantam Dei maieſtatem adoremus quæ ſuprà cælos ipſos habitat: & eam ſperemus poſſe etiã difficillima & inſperatiſsima quæque A hominibus efficere modò velit. Denique id ſtatuamus,quod Iſaias docet ca.55.v.8. *Longè diuerſas eſſe Dei cogitationes à noſtris.* Eò certè pertinuit illa veteris & primitiuæ (quam vocant) Eccleſiæ Chriſtianæ(dum publicas preces fundebat) admonitio.Inclamabat enim Paſtor precaturus, *Surſum corda*,quemadmodum docet Cyprian. Reſpondebat autem populus, *Habemus ad Dominum*, vt oſtenderent,qui orabãt,ſe nihil humile, terrenum, aut profanum cogitare.

Tertiò denique hæc ſententia fuit addita,vt declararet Chriſtus ſolum verum Deum eſſe inuocandum, non idola, non figmenta hominum : ſed eum qui in cælis eſt, à quo vno precaturi pendere, quoniam eſt omnipotens & autor omniũ bonorum,debent.Matt.23.v.9.Proinde rectè Cypr. *Qui Patrem in cœlis ſibi eſſe conteſtatur, inter prima natiuitatis ſuæ*(Baptiſmi nimirum,nam baptizandi orationem dominicam priùs publicè pronuntiabant)*verba oſtendit ſe terreno & carnali Patri renũtiare*,ſed & omnibus rebus,quibus homines fidei B expertes confidunt. Ex quibus omnibus iam perſpicuè colligi poteſt,quomodo vox cęli vel cælorum hîc ſumatur, nempè pro loco illo ſeu potius auguſtiſsimo Dei ſolio , qui eſt terra imò omnibus etiam cælis, qui nobis conſpicui ſunt, ſublimior,& ab his locis remotiſsimus,quemadmodũ tum Eſ.66.v.1.tum ex Pſal.2.v.4. Pſal.115.v.16.apparet, qui S.ſcripturæ loci proculdubio hunc explicant. Quoniam verò noſtra hac ætate propter introductam de Vbiquepræſentiæ carnis Chriſti nouam hæreſin, de vocis *cæli* ſignificatione quæri cœpit,(Nam,vt illud omnipræſentiæ carnis Chriſti delirium confirmarent Vbiquitarij, plurimos fidei Apoſtolicæ & Chriſtianæ articulos corruperunt,præſertim autẽ cũ vbi dicitur Chriſtus aſcẽdiſſe in cælum)de ea quoque breuiter agamus. Cæli igitur ferè quatuor ſignificata reperiuntur.

Primum, vt cælum ſignificet illud omne ſpatium,quod hac terra ſuperius eſt. Sic tota illa expanſio,quæ aërem, orbes cœleſtes, & quæ in illis ſunt, aſtra, itemque locum illum conſpicuis orbibus cæleſtibus celſiorem complectitur, cælum generaliter, & propriè tamen appellatur. Gen.7. C ver.7.& 8. Aërem enim hunc nobis proximum etiam cælum vocari apparet ex Pſa.8.v.9.vbi aues, quæ in eo verſantur, volucres cæli nominantur. Sic Diaboli dicuntur eſſe ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Epheſ.6.12. id eſt, vt ipſemet Paulus interpretatur in eadem epiſtola cap.2.ver.2.in aëre. Et hoc ipſum quoque diſertè in Hexahemeris ſuis annotarunt Baſilius & Ambroſius.Hoc autem ſpacium, quod eſt longiſsimum , in tres partes diuidi videtur à Paulo 2. Cor.12.ver.2.vbi tertij cæli tanquam altiſsimi,& omnium ſupremi meminit, quod idem poſtea appellat paradiſum ver. 4. Nam qui aër eſt huic terræ vicinus eſt primum cælum, nempe variis mutationibus obnoxium, vt ait Petrus 2.Pet.3.v.12. Illud autem ſpatium,quod ab aëre,ſeu elementari regione omnes orbes cæleſtes, & ſydera continet,vti Solem,Lunam &c.vulgóque à Philoſophis cæleſtis(vt ab elementari diſtinguatur) regio vocatur , eſt ſecundum cælum quod nullis pluuiarum , procellarum , tempeſtatum iniuriis ac mutationibus patet, vtpote iis omnibus ſubli-

A mius. Tertium verò cælum eſt locus & ſpatium illud nobis inconſpicuũ, quod ſupra omnes illos cœleſtes orbes extenditur, quod à Scholaſticis cęlum empyræum, tanquam igneum ſit (ſed falſò tamen, nec enim eſt cælum illud ignitum, etſi eſt lux in eo nobis incomprehenſibilis 1.Tim.6.v.16) Empyreum, inquam, appellatur. De quo videndus eſt Durandus in lib.2. Sentent. Diſtinct. 2. Quæſt.1. 2. & 3. Hic idem locus eſt beatorum ſpirituum ſedes, id eſt, tum electorum Angelorum, tum etiam animarum humanarum, quæ ſunt æternam vitam gratuita Dei miſericordia conſecutæ. Col.1.v.16. In eum locum Chriſtus poſt reſurrectionem aſcendens ſeſe in cælum recepiſſe dicitur Actor.1. Epheſ.4.verſ.10. Hebr.7.verſ.26. & 9.ver.24. Coloſ.3.verſ.1. Hic locus à terra diſtat longiſsimè, atque inferis, ſeu abyſſo (qui eſt locus miſeris, & damnatis ſpiritibus deſtinatus, Luc.8. ver.36) paſsim opponitur in S.ſcriptura Matt.25. Hic eſt locus, in quo Deus eſſe, & habitare, & Thronum habere dicitur Pſal.2. Iſa.66.2. Reg.8. Hæc igitur eſt primaria, natiua, & propria cæli B ſignificatio in S.ſcriptura.

Altera eſt, vt quæ in iſto ſummo cælo ſunt cæli nomine per Metonymiam appellentur, nimirũ continens pro contento, veluti in hac ipſa orationis formula, vbi dicitur. *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, ſic in terra.* Cæli nomine Spiritus beatos complectitur Chriſtus.

Tertia eſt, vt peculiariter per eandem Metonymiam ex vſu linguæ Sanctæ pro Deo duntaxat ſumatur cęlum iſtud, non autem pro omnibus rebus, quæ ſunt in cælo. Sic dicitur Ioann.3. verſ. 27. *Homo non poteſt recipere quicquam, niſi fuerit ei datum è cælo.* Sic Lucæ 15.ver.18. *Pater peccaui in cælum,* id eſt, in Deum, nõ in ipſum viſibilis cæli corpus, aut in locum cælis conſpicuis ſublimiorem, aut in Angelos bonos propriè: ſed in ipſum Deum, qui in illo cælo habitat & regnat. Baptiſmus Ioannis è cælo, Lucæ 20. & cælos dominari Dan.4.26.

Quarta deniq; huius cæli ſupremi acceptio eſt, vt per μετάληψιν pro quolibet fœlici & ſancto ſtatu & loco, item pro tranquillitate conſciẽtiæ, pro C ſtatu & beatitudine piorum ſumatur. Sic Ambroſius, *Cælum eſt ibi, vbi ceſſauit culpa. Cælum eſt Dei, vbi nullum eſt mortis vulnus.* Eodem modo Bernardus pro mentis quiete cælum nonnunquam accipit, quæ ſignificatio quanquam in S. ſcriptura illa quidem non ita reperitur: tamen apud Patres Eccleſiaſticos aliquando occurrit. Hanc tamen Vbiquitarii ſolam eſſe cæli ſignificationem putãt, quæ omninò & recens eſt, & nuſquam in S. ſcriptura extat, quam vnã in ſua interpretatione tuenda ſequuntur, vt cælum cum terra, imo cum ipſis inferis, quemadmodum faciunt, confundant.

Quum verè Deus dicitur eſſe in cælis, primo modo ac ſignificato proculdubio vox cælorum eſt intelligenda, non ſecundo, id eſt, pro angelis & ſpiritibus beatis. Nec enim congrueret ea ſignificatio ad mentem Chriſti, qui hoc Epitheto immenſam Dei Patris in omnia, etiam in diabolos ipſos, poteſtatem deſcribere voluit. Secunda verò ſignificatio eam poteſtatem Dei ad bonos ſpiritus reſtringit. Non item tertio ſignificato ſumitur vox cæli in hac Præfatione. Eſt enim hæc interpretatio abſurda, *Eſt Deus in cælis*.i. *eſt Deus in Deo.* Non denique quarta notione, quanquam A id putat, ſed ineptè, Lyranus, tum quia non eſt vſitata in S. ſcriptura: tum etiam, quòd Dei potentiam & efficaciam illa ſignificatio reſtringit ad ſolos beatos, & eorum ſtatum, quum tamen hîc generaliter Chriſtus de Dei omnipotentia in omnia loquatur, & nos erudiat. Quare quum dicitur Deus eſſe in cælis, id declaratur, Deum eſſe & habitare in illo loco, qui omnibus cælis conſpicuis ſuperior atque ſublimior eſt, ac beatorum ſedes, & domicilium, denique & ſummæ Maieſtatis Dei pulcerrimum palatium.

Iam verò hinc grauis obiectio & dubitatio oritur, Quomodo Deus, qui eſt vbique, & qui omnia præſentia ſua replet, dicatur eſſe in cælis, id eſt, certo quodam in loco. Num verò illic concluditur & comprehenditur, id eſt, illo loco circumſcribitur ipſe, qui eſt immenſus, & incircunſcriptus? *Cælum & terram impleo,* inquit apud Iſaiã, Dominus: & Pſal.139.v.7. *Quò fugiam à conſpectu tuo?* Cyprian. *Sciamus Deum vbique eſſe præſentem, audire nos & videre:* & vulgò dicitur Deus eſſe *vbique enter, præſenter, & potenter,* etſi vtrum enter eſſet B vbique diſputatum eſſe ſuo tempore ſcribit Athanaſ. Antiochenus lib.2. Confeſs. Fidei. Quare ne quo pacto hîc quoque hallucinemur, diligenter cauendum eſt, & id *eſſe* eſt à nobis explicandum. Verbum igitur iſtud, habet hîc ſeruilem, vt vocãt, ſignificationem, non abſolutam, quoniam eſt coniungendum cum his verbis, *in cælis*, non autem per ſe ſumendum, quaſi ſimpliciter ſcriptum aut dictum ſit, *Pater noſter, qui es*: ſed *Pater noſter, qui es in cælis.* Cæterum dicitur Deus eſſe in cælis, non vt cælis illis, quantumuis egregiis, ſplendidis, ac ſublimibus alligetur: non vt illic tanquam definito ſibi loco, circulo & carcere circumſcribatur: non denique quòd vltrà & extrà cælos illos Dei potentia ſe non exerat: imò verò vt omnipotens eſſe intelligatur, & in omnia habere imperium, dicitur eſſe in cælis. Dicunt Scholaſtici quidpiam eſſe tribus modis in loco, circumſcriptiuè, velut ſunt corpora, vbi pars extrà partem, eáque circumſcripta certis dimenſionibus: Definitiuè, velut Angeli, proprietate ſuæ ſubſtantiæ, C non circumſcriptione, quoniam corporibus carent. Et Repletiuè, velut Deus, atque adeò ſolus, quoniam eſt vbique replens omnia, neque definitiuè tamen vt Spiritus, Angeli: neque circumſcriptiuè, vt corpora. Sed & hic quoque modus eſt multiplex. Nam Deus adeſt rebus à ſe conditis

Vel vt
1 Suſtentator earum. Sic eſt in omnibus rebus, etſi in Diabolis eſſe nuſquam dicitur.
2 Gubernator, id eſt, voluntates atque intellectũ earum regens ac dirigens. Sic eſt, vel potius inhabitat in ſolis electis ſuis hîc degentibus. Ioan.14.v.17.
3 Complens & cõſummator, id eſt, Totas eas poſsidens, donis ſuis, quãtùm capax eſt earũ natura, replens & beatiſsimas efficiens. Sic nũc eſt in Angelis beatis, ſic erit in Hominibus poſt reſurrectionem, qui ſalui fient. Hi enim erunt corpore & animo in cælis. Eorum enim intellectum totum luce, voluntatem totam ſanctitate, & reliquas facultates totas plenis viribus perfectiſsimè ipſe

A ipſe per ſe implebit.

Eſt Deus in aſſumpta à λόγῳ natura ſuo ſpecialíque modo, videlicet ὑποστατικῶς, qui modus eſt vnius illius ὑφισταμένου nimirum Chriſti Mediatoris noſtri peculiaris ac proprius. Eſt igitur Deus ſeu Deitas in Chriſto σωματικῶς, vt ait Paulus: in aliis autem rebus ἐνεργητικῶς Coloſſ. 2. verſu 9. tantùm.

Eſt igitur Deus in cælis, quoniam non modo cælos illos, ſedes beatorum ſuſtentat, ſed & eos, qui illic ſunt, regit ſeu gubernat, & omninò implet ſuis donis, ac efficacitate. Non ꝙ extrà cælos tamen ipſe non ſit, vel vbique eſſe propterea deſinat: ſed quòd in eo loco pleniſſimè, ſanctiſſimè, puriſſimè, & perfectiſſimè Dei maieſtas, gloria, potentia, ſanctitas & virtus eluceat, ſi cum ea patefactione & luce (qua eædem illæ Dei virtutes hîc nobis apparent) fiat comparatio. Ergo vt in aula & prætorio ſuo ac palatio ampliſſimo ac ſplendidiſſimo, ſic in cælo dicitur eſſe Deus. Sic B enim eſt illic, vt non ſic ſit alibi: & ſic illic eſt, vt maximus eius maieſtatis ſplendor illic ſplendeat, quantum quidem rerum creatarum natura capere poteſt. Sic Deus dicitur fuiſſe in Rubo Exod.3. quum Moſen alloqueretur, ſic dicitur fuiſſe in Templo Solomonico, quum illud extaret, quia certa maieſtatis ac præſentiæ Dei teſtimonia illic erant, quæ vel alibi, vel vbique eadem non extabant. Bernard. Serm.1. in Pſal. Qui habitat. *Sic eſt Deus in cælo, vt ad eius comparationem nec eſſe videatur in terris.* Idem Serm.6. de Dedicat. Eccleſiæ. *Licet in omni loco ſit, qui nullo diuiditur loco, ſignanter tamen dicimus, Pater noſter, qui es in cælis, quòd aliter, & proprio quodam modo præſentem ſe exhibet, non quidem ipſe diuerſus, ſed diuerſa diſtinguens, eſt apud malos diſſimulans, apud bonos operans, apud ſuperos paſcens, apud inferos arguens, in omni loco omnia vniuerſaliter continens.*

Ex ſuperiori verò doctrina duo quædam πορίσματα ſeu conſectanea colliguntur.

Vnum, quum tanta ſit Dei, quem precamur, maieſtas, oportere nos compoſito & reuerenti animo ad eum accedere, cogitantes, qualis & quantus ſit is, ad cuius colloquium admittimur. Præ- C clarè enim Caſſianus Collat.9.cap.3. *quales orantes volumus inueniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus.* Itaque Paulus Epheſ.3. verſ.14. ait ſe non tantùm corporis, ſed & cordis genua flectere coram Deo, dum precatur. Ait Dauid ſe toto corde precari, & animum eleuare ad Deum. Pſalm.25. Itaque nos afficiat illa immenſa Dei maieſtas, vt nos ſupra nos ipſos eleuemus, dum precamur, in vnius Dei Opt. Max. potentiam intuentes, eámque venerantes.

Alterum eſt, vt nulla propriæ iuſtitiæ, dignitatis, aut meriti noſtri opinione nitamur, dum preces ad Deum fundimus: ſed toti in illius miſericordiam, gratiam, ac beneuolentiam (per quã nos in Chriſto adoptauit) recumbamus. Quemadmodum enim illud de componendo animo, & reuerenter Deo inuocando docent voces hæ, *Qui es in cælis*: ſic hoc de ſpe noſtra tota in ſolo gratuito Dei fauore collocanda monſtrant illæ voces, *Pater noſter.* Ergo ſic Daniel depoſita omni propriæ iuſtitiæ cogitatione precatur Daniel.9.v.18. *Non enim in iuſtitiis noſtris proſternimus noſtras deprecationes in conſpectu tuo, ſed in miſerationibus tuis multis,* Sic Dauid Pſalm.143. *Non intres in iudicium cum* A *ſeruo tuo.* Vera enim precandi præparatio eſt veniæ deprecatio cum humili & ingenua culpæ confeſſione.

Nec obſtat, quòd ſæpè pij ſuam iuſtitiam Deo commemorant: veluti Pſalm.86. *Cuſtodi animam meam, quia bonus ſum.* Iſ.38.v.3. *Recordare Domine, quòd ambulaui coram te.* Nec enim pij aliud ſibi tũ volunt, quàm teſtari ſe verè eſſe ex numero filiorum Dei & renatorum, quibus ipſe ſe propitium fore pollicetur. Quamobrem opera ſua proferunt tanquam ſuæ fidei & gratuitæ Dei adoptionis veriſſima teſtimonia. Præterea nõ Dei, ſed aduerſariorum, à quibus premebantur, ratione & comparatione ſuas iuſtitias commemorant, vt oſtendant ſe meliori, quàm illos, iure & cauſa niti. Itaque æquius eſſe, ex Dei miſerentis natura & fide data, vt ſibi Deus, qui iuſtus eſt, faueat, quàm hoſtibus ſuis.

Denique quòd Chriſtus videtur dubitanter eſſe precatus Mat.26. *Pater mi, ſi fieri poteſt, vt tranſeat calix iſte à me,* non oppugnat ſuperiorem doctrinam de certa animi noſtri in precando fiducia. B Nam non dubitantis eſt illa Chriſti oratio, ſed ſe totum Dei voluntati permittentis, reſignantis, vel ſummittentis: & tamen animi ſui mœrorem & agonem Deo indicantis, vt conſolationem ab eodem accipiat, quòd eſſet cuiuis creaturæ horrenda & intolerabilis illa (quam tunc Chriſtus patiebatur debitã omnibus peccatis noſtris) illa, in quã, animi & corporis pœna Cyril. libr.4. in Ioan. cap.1. *Caro factus Chriſtus permittit carni, vt ſua patiatur.* Durandus libr.2. Sent. Diſtinct.17. Quæſt.2. impiè tribuit hanc Chriſti orationem affectui ſenſuali.

CAP. IX.

De diuiſione Dominicæ Orationis.

QVibus expoſitis, ad ſecundum Orationis Dominicæ caput veniamus. Illud autem res ipſas complectitur & enumerat quæ ſunt à Deo noſtro poſtulandæ. Hæ verò ſex petitionibus continentur, quarum tres priores ea declarãt & comprehendunt quæ ad Dei gloriam immediatè ſpectant, eo vſque vt illæ impleantur, etiam C noſtræ ſalutis ſi ita fieri poſſet aut expediret, diſpendio. vti apparet Rom.9.ver.3. Exod.32.ver.32. Tres autem poſteriores ea complectuntur quæ quanquam ad Dei gloriam quoque pertinent, tamen non immediatè, imò verò ad nos noſtrámque vtilitatem primùm & per ſe referuntur, ſiue corpus, ſiue animos noſtros ſpectes. Tertull. *Hæc oratio,* ait, *complectitur Dei venerationem & hominis petitionem,* vti Lex Dei tradit, & quæ ad Dei cultũ, & ad hominum caritatem inter ſe pertinent: prius quidem illa, quibus Deus colitur, poſteriùs autem ea, quæ proximis debentur. Et hæc quidem recto ordine fiunt & docentur. Dei enim gloria rebus omnibus prǽferri debet. Matth.6. Itaque primùm poſtulanda eſt. Verùm quis ſit harum trium petitionum ordo, breuiter explicandum eſt, ſi priùs de numero petitionum, quæ hac precationis formula continentur conſtiterit.

Auguſtinus in Epiſt. ad Probam ſcribit, in hac formula contineri ſeptem petitiones, è quibus tres Dei gloriam propriè & immediatè: quatuor autem reliquæ nos, noſtrámque ſalutem reſpi-

A ciunt. Auguſtinus enim diuidit hæc verba. *Ne nos inducas in tentationē* à poſterioribus, *ſed libera nos à malo.* Hanc diuiſionem, & Auguſtini ſententiam poſtea ſecutus eſt Thomas in 2.2. quæſt. 83. Artic. 9. Item Lyranus, & gloſſa ordinaria in Matthæū. Mat. 6. vt alij quoque Scholaſtici. Rationem afferre conantur, quòd ſint ſeptem dona Spiritus ſancti Iſ. 11. v. 2. ad quæ conformandæ fuerint noſtræ preces. Verùm inepta prorſus eſt hæc ratio. Nec enim petitiones huius formulæ ſunt ad illa dona Spiritus ſancti accommodatæ: Nam vel prima hæc poſtulatio, *Sanctificetur nomen tuum*, omnia illa ſeptem dona complectitur. Deinde plura ſunt S. ſancti dona, quàm ſeptem. Paulus tum in 1. ad Cor. 12. tū in Epiſt. ad Epheſios 4. enumerat plus quàm nouem. Ergo nouem petitiones eſſe debebant. Quin imò ſunt infinita illa S. ſancti dona. Præterea Auguſtinus ipſe in Enchiridio cap. 16. ait verba hæc, *ſed libera nos à malo*, eſſe superiorum, *Ne nos indueas, &c.* tantùm explicationem. Sed quum res ipſa probet totam hanc ſententiam &c. eſſe vnicam ſolùm poſtulationem, quæ ἐξήγησιν B in poſteriore membro habeat, certè ſtatuendum eſt, totam hanc precationem ſex duntaxat capitibus ſeu petitionibus contineri, & ſic nos quoque ſentimus.

Cap. x.

De ordine harum petitionum.

VErum numero petitionum conſtituto ac definito, quàm rectè & ordine illæ conceptæ ſint & collocatæ videndum eſt. Lyranus ſcribit optimo ordine ſic à Chriſto conſtitutas eſſe. Sunt enim, ait, duo quædam maximè deſiderabilia. Ergo maximè à Deo petenda. Illa verò tum beatitudo ipſa, tum ea per quæ beatitudinem aſſequimur. Ac beatitudo quidē conſideratur, ait

Vel ex
- Obiecto, quod ſpectat ipſe, eſt Deus & Dei gloria. Eò pertinet prima petitio. *Sanctificetur nomen tuum.*
- Actu, quo Deo coniungimur, eſt regnū Dei, eiuſque cōſtitutio. Eò reſpicit, ait, petitio ſecunda, *Veniat regnum tuum.* C

Media verò per quæ beatitudinem cōſequimur, ſunt vel
- Directè & propriè *μέσα.*
- Indirectè & velut per accidens *μέσα.*

Vera media vel principaliter & per ſe, vel inſtrumentaliter tantùm media ſunt. Principalia media continentur tertia petitione. *Fiat voluntas tua.* Inſtrumentaliter media, ſine quibus non poteſt eſſe in nobis hîc degentibus vera Dei gloria, comprehenduntur hac petitione, *Panem noſtrum da nobis &c.* Niſi enim viuamus & ſuſtentemur, non poſſumus hîc degentes Deo ſeruire.

Indirectè media ſunt, quæ per ſe obſtant noſtræ beatitudini: ſublata igitur illa eſſe oportet. Quale eſt peccatum. Ergo illud in nobis à Deo tolli poſtulamus. Commiſſum quidem per hanc petitionem *Remitte nobis debita noſtra*: Committendum autem per illam, *Et ne nos inducas in tentationem* &c. Hæc eſt Lyrani ſententia, quæ videtur totam hanc precationem nimium ad nos noſtrámque cauſam reſtringere.

Alij autem ſentiunt, tres priores petitiones re quidem eſſe eaſdem, ſed verbis duntaxat inter ſe A differre: quoniam propter torporem noſtrum aut frigus potius in Dei gloria promouenda fuerit operæpretium, imò neceſſarium idem inculcare nobis, & quidem ſæpius. Sed hoc in Compendio euiuſmodi eſt hæc formula, fieri eſſet omninò vitioſum, & planè eſſet βαττολογία quam improbat ipſe Chriſtus Mat. 6. Ego igitur aliud iudico: nēpe ſingulas illas preces tria quædam diuerſa, non tamen pugnantia continere, vnamquamque nimirum quiddam & ſuum & proprium, & ab aliis ſeparatum. Quanquam enim in vniuerſum omnes ad ſtabiliendam Dei gloriam referuntur ac pertinent, diſtinctè tamen ſingulæ docent & monſtrāt ordine gradus diuerſos quibus gloria illa conſtituitur, id eſt, incipit, augetur, ac tandem in his terris perficitur, vt illa planè perfectéque in toto mūdo in omni rerum genere ſplendeat. Prima igitur petitio primum illius Dei gloriæ introducendæ gradum & velut initium declarat. Secunda ſecundum, id eſt, amplificandæ. Tertia tertium, id eſt, planè conſummandæ & abſoluēdæ. Hic porrò eſt B tum in his tribus prioribus petitionibus, tum in tribus poſterioribus ordo à Chriſto ſeruatus, vt à notioribus, & natura prioribus, magis teſtimonio conſcientiæ conceſsis, generalibus, ac proinde facilioribus ad minus nota conſcientiæ, magis peculiaria, ordine poſteriora atque etiam difficiliora factu & præſtatione progrederetur, vt nos paulatim tum ipſius conſcientiæ noſtræ teſtimonio, tū creſcente profectu ad perfectiorem Dei glorificandi ardorem & rationem deduceret. In quo certum eſt Chriſtum noſtrę, id eſt, piorum infirmitatis ac cognitionis (quę in diuinis rebus exigua eſt) rationem habuiſſe, & nos velut infantes manu ad maiora duxiſſe pedetentim. Ergo vt notiſsima eſt prima precatio ac generaliſsima, quæ eadem eſt primus gloriæ Dei gradus: ſic in tribus poſterioribus petitionibus notiſsima, maximéque facilis eſt prima poſtulatio, Hæc videlicet, *Panem noſtrum da nobis* &c. Quemadmodum hæc omnia ſuis locis à nobis demonſtrabuntur.

Porrò & illud quoque in vera harum omnium precationum interpretatione nobis eſt obſeruan- C dum, Chriſtum eas accommodaſſe ad hominum (quatenus hîc peccatores ſunt) & ad mundi huius (quatenus totus in malo poſitus eſt, 1. Ioh. 5. v. 19.) præſentem naturam, ſtatum, ac rationem: non autem ad incorrupti, aut planè reſtituti hominis, ſtatum. Neq; enim huiuſmodi petitionibus fuiſſet opus, ſi primus homo in originis ſuę, puritatis, & obedientiæ excellenti & incorrupto illo ſtatu permanſiſſet, aut ſi mūdus hic propter hominum peccatum vanitati obnoxius non euaſiſſet. Ro. 8. v. 21. Neque varias Dei gloriæ nebulas obduceret & obiiceret. Sed neque quum erimus in cælis planè reſtituti, veluti poſt beatam illam reſurrectionem dicemus *Sāctificetur*, id eſt, ſanctum agnoſcatur & declaretur nomen tuum: nec erit tale noſtrum votum aut oratio, Sanctificeris Domine, quaſi de re, quæ nōdum perfectè obtineat, ſed erit gratiarum actio & confeſsio, qualis declaratur in Apoc. 4. v. 8. *Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, & Deus omnipotens.* Auguſt. Sermo. 135. de Tempore. *Quum iſta vita tranſierit*, ait, *nec panem illum quærimus, quem quærit fames, nec Sacramentum altaris habemus accipere, quia ibi erimus cum Chriſto, cuius*

A *corpus accepimus, nec verba iſta nobis dici opus habent, quæ dicimus vobis, nec codex legẽdus eſt, quãdo ipſum videbimus, quod eſt verbum Dei.* Poſtquam verò per peccatum cœpit ipſa natura humana eſſe Deo refractaria, poſtquam Satan varia Dei gloriæ impedimenta obiecit, & quotidiè obiicit: poſtquam hominum cæcitas & malignitas & furioſa rabies Dei & regnum & gloriam (qualem ſe tum in doctrina, tum in operibus ſuis patefecit) vel obſcurat, vel diminuit, vel prorſus tollit, cœpit neceſſarium eſſe piis illud votum, vt & nomen Dei ſanctificetur, & regnum eius veniat, & peccata piorũ dimittantur. Quamobrem hæ petitiones omnes conuenire nobis intelliguntur quatenus ex parte tantùm reſtituti ſumus, & in hoc mũdo verſamur. Nam neque electi Angeli, neque beati hominum Spiritus in cælum recepti poſtulant *remiſſionem peccatorum, panem quotidianum, & ne nos inducas in tentationem*, ſed neque ratione quidem ipſorum, imò noſtri tantũ dicitur, *Fiat voluntas tua ſic in terra, vt in cælo.* Quamobrem omnes hæ petitiones ſunt, vti diximus ad hominis & mũdi huius B (qualis poſt Adami peccatum extitit corruptus, & Deo inimicus Rom.8.v.7.per & propter infuſam vitioſitatem, tenebras ac rebellionem) ſunt magnæ ad huius mundi iam maligni effecti rationem comparatæ, conformatæ, inſtitutæ, & piis ac fidelibus hominibus dictatæ, quas conciperent, & à Deo peterent. Itaque omnium iſtarum precationum neceſſitas ex corrupti hominis, & nondum planè reſtituti ſtatu eſt æſtimanda. Et hęc quidem in genere de ſex iſtis petitionibus dicta ſunto, vt earum tum ordo, tum etiam ſcopus in vniuerſum intelligatur.

Sequitur, vt ad particularem cuiuſque petitionis explicationem deſcendamus. Inter priores igitur, & quæ prorſus ac immediatè ad Dei gloriam ſpectant, petitiones hæc prima occurrit.

CAP. XI.

Explicatio huius petitionis,

Sanctificetur nomen tuum.

SAnctificetur nomen tuum. Ac quidem quod C ad ordinem tum apud Euangeliſtas Matthæũ videlicet & Lucam (qui ſoli hanc formulam à Chriſto traditam recitant) prima refertur: tum etiam apud Tertullianum, Cyprianum, Hieronymum li.3.ſub finem aduerſus Pelagianos, & Auguſtinum in Enchiridio & in Epiſtola ad Probã. Ambroſius vnus exiſtimauit lib.6.de Sacr.c.5.hãc precationem *Fiat voluntas tua* &c. eſſe maximam & præſtantiſſimam. Id quod non ad ordinem pertinere puto, ſed ad pręſtationis & executionis difficultatem, quod & verius eſt, & ſuo loco dicetur.

Quod etiam ad verba, vterque Euangeliſta eadem illa habet, nimirum ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου Mat.6.v.6.Luc.11.v.2. Quod conuertunt omnes *Sanctificetur nomen tuum.* Neque enim articulus τὸ hîc eſt διακριτικὸς, vt ſæpè aliàs, id eſt, non ſeparat vnam quandam nominis Dei ſpeciem & ſignificationem ab alia, ſed ex formula tantùm loquendi additur ſuo nomini, nempè vocabulo ὄνομα. Eſt igitur potius κοινῶς, quàm διακριτικῶς expreſſum. Quare nequaquam eſt ſic conuertenda, *Sanctificetur illud nomen tuum*, veluti quum dicit Petrus Matt.16. ver.16, σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, *Tu es Filius ille Dei viuentis.* A Sed ſimpliciter, Sanctificetur nomen tuum. Quoniam nomen Dei in vniuerſum, id eſt, & vbique & ſemper, & in omnibus rebus eſt ſanctificandum, non autem in vno quodam rerum genere duntaxat, aut vna illius Dei gloriæ & nominis ſpecies aut certo tantùm tempore optanda.

Quibus explicatis iam doctrinæ ipſius, quę hac precatione comprehenſa eſt, expoſitionem ingrediamur.

Primùm igitur huius petitionis ſumma eſt, vt agnoſcatur Deus ipſe, & ipſius virtus, id eſt, maieſtas, potentia, ſapiẽtia &c. & quicquid à Deo profectum eſt, plenum iuſtitia, bonitate, potentia, & ſapiẽtia, &c. ac proinde Gloria Dei, qualis eſt celebretur in his terris inter homines omnes, ac luceat: denique vt Deus reuerentiam ac venerationem (qualis illi debetur) in toto hoc mundo inter omnes obtineat. Pſal.86.v.12.

Huius voti à piis concipiendi neceſſitas & æquitas, ſeu cauſſa multiplex ex eo intelligitur, quòd multa ſunt in hoc mundo, Dei gloriæ & ſanctitati repugnantia, imò etiam contraria. Satan primùm inter nos hîc eam oppugnat, quantum B poteſt, & perpetuò, Apocal.12.verſ.9. Homines ipſi tum natiua vitioſitate & cæcitate illi reſiſtunt, ſúntque Dei inimici Rom.8.verſ.7. tum etiam deſtinata malitia ac indomita peruicacia, proteruia, ac furore. Itaque Dei gloriam niſi à Dei Spiritu emendentur, vel aſpernantur, vel obſcurant, vel minuunt, vel omnino tollunt, quemadmodum copioſè docet Paulus Rom.3.v. 10.& ſequentibus. *Non eſt qui exquirat Deum, Nõ eſt timor Dei coràm oculis eorum. Intelligentia carnis inimicitia eſt aduerſus Deum.*

Mundus denique (qui infuſa iam vitioſitate per peccatum hominis totus eſt in maligno poſitus) Dei gloriæ reluctatur.1.Io.5.v.19, *Quicquid enim eſt in mundo, eſt cupiditas carnis, libido oculorum, & faſtus vitæ* inquit Ioannes.1.Ioan.2.v.16. *Quæ non ſunt ex Patre, ſed ex mundo*, & Dei gloriæ illuſtrandæ vel ſtabiliendæ planè repugnant.

Quamobrem æquiſſimum eſt, vt quò à pluri- C bus hoſtibus impeditur Dei gloria & ſanctificatio, eò ſint ardentiora noſtra ad eam Dei gloriam fouendam, conſtituendam, & patefaciẽdam vota.

Porrò hæc prima poſtulatio tanquam finem proponit, ad quem omnes noſtræ cogitationes, operationes, & oratio collimare & ſpectare debeant, nempè ad Dei gloriam.1.Corinth.10.verſu 31. Duæ verò ſequentes modum oſtendunt, quo poſſit ille finis obtineri, nempè ſi Dei regnum veniat, & voluntas fiat.

Eſt autem huius petitionis doctrina & æquiſſima & notiſſima cuiuis pio ac fideli homini: imò etiam ab ipſis infidelibus, ex ſolius cõſcientiæ teſtimonio comprobatur, Deum, Deíque nomen eſſe & glorificandum, & ſanctificandum, & notior certè quidem eſt, ac facilius eam concedent homines, quàm vel quid ſit Regnum Dei, & Voluntas intelligant, vel vt vtrumque ſtabiliendũ eſſe fateantur. Huic enim Θεοῦ δικαιώματι, facilimè ſubſcribit, & teſtimonium reddit hominum conſcientia. Itaque notior eſt, generalior, & naturâ prior. Iam igitur ſingulorum huius petitionis verborum ſignificationem videamus.

Tertullianus ait, *Nos petere, vt Dei nomen ſanctificetur in nobis, qui in illo ſumus, & in aliis, qui adhuc*

A *ſunt increduli.* Perinde atque ſi rogaremus, vt & nos pii in fide confirmaremur, & infideles ad Dei cognitionem conuerterentur. Cyprianus ait, *Petimus, vt qui in Baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo, quod eſſe cœpimus, perſeueremus, & ab eo in nobis ſeruetur. Opus eſt enim nobis quotidiana ſanctificatione, vt qui quotidiè peccamus.* Ergo volunt illi hanc precationem de ſolis hominibus eſſe conceptam, ac intelligendam, & maximè in peccatorum remiſſione, vel carnis mortificatione eſſe poſitam, quam per Baptiſmum accepimus. In quo hanc precationem tum nimium reſtringunt, tum cum ſequenti petitione, *Dimitte nobis debita noſtra*, confundunt. Atqui latiſſima eſt huius precationis mens & ſententia, vt non modò in hominibus ſiue piis ſiue impiis locum & vſum habeat, ſed etiam in omnibus rebus. Nam in quauis re, licet minima, aliqua Dei maieſtas, potentia, æternitas, & virtus elucet. Rō. 1.v.20. quam ab hominibus agnoſci & prædicari ſeu celebrari per hanc precationem cupimus & petimus. Aliud quidem rerum creatarum genus B in his terris, quàm homines Deum ſanctificare propriè non poteſt: veruntamen non tantùm in hominibus, ſed & in omnibus omninò rebus Dei nominis ſanctificādi, & virtutis reuerēter prædicandæ argumentum & occaſio nobis proponitur, & à nobis ſpectari ſeu obſeruari quoque debet, veluti in Plantis, Arboribus, Auibus, Piſcibus, Cælis ipſis conſpicuis. Quamobrem omne rerum genus ad Deum laudandum inuitatur Pſalm. 148. quoniam eius celebrandi luculentiſſimum argumentum ſingulæ res nobis præbent, quod apertè oſtendit Pſ. 104.

Ergo quid nomen Dei ſignificet, videndum eſt. Tria verò in primis hoc loco notat vox iſta

Nomen, { Deum ipſum nempe
Opera Dei
Doctrinam Dei nobis in verbo ipſius patefactam.

Et quod ad Nomen ipſum Dei atttinet, quanuis neque in mentem venire cuiquam, neque ore exprimi ſine ſumma ipſius reuerentia ius fáſque ſit, non eſt tamen quod in literis ipſis vel ſcriptis vel prolatis quibus illud Nomen diuerſis idiomaC tis enunciatur, pedem figamus. illud enim Iudaicum ſit vt & Papiſticum alterum vbi Ieſus nomē effertur non ſine ſuperſtitioſa reuerentiæ exhibitione. Atqui hic imprimis Nomen Dei ſumitur pro ipſa Dei maieſtate, potentia, & immenſa virtute, quæ in rebus omnibus excellenter elucet & emicat, & coruſcat Pſal. 118.v.12. *In nomine Iehoua ſperabam, quòd ſucciderem eos. Nam fortitudo mea & canticum Jehouah*, Et Pſ. 148. verſ. 2. *Celebrabo nomen tuum pro (vel, ſuper) miſericordia tua, & veritate tua, quoniam magna eſt gloria Iehoua.* Malach. 1.v.11. *Certè ab ortu Solis ad occaſum magnum erit nomen meum inter Gentes, & in omni loco incenſum offertur nomini meo.* Ioan. 12.v.28. *Pater glorifica nomen tuum.* Non vocem *Jehouah*, ſed ſe ſuámque virtutem (quam in Chriſto cœperat manifeſtare) deſignat Deus. Ex quibus apparet voces, *Dei Nomen* pro Dei virtute & potentia ſumi. Sic baptizamur in nomen Patris, Filij, & Spiritus Sancti Matth. 28. Sic Apoſtoli in nomine Chriſti eiecerunt Dæmonia. Marc. 16.v. 17, id eſt δυνάμει, quemadmodum interpretatur Petrus Act. 3.v.12. Sic in nomine Chriſti omne genu flectendum Phi. 2.v.10. Id eſt, vt Dominationi & poteſtati eius ſubiacet. v.11. Ergo hac loquendi A formula docet Chriſtus, vt Maieſtatem, Sapientiam, Iuſtitiam, Miſericordiam, Bonitatem, Veritatem, Potentiam, Sanctitatem, & reliquas iſtiuſmodi virtutes ac attributa Dei in omnibus rebus agnoſcamus, prędicemus, celebremus, & cum magna animi veneratione adoremus, atque confiteamur, vbique, & ſemper, & ſyncerè, & omnes. In ſumma vt illud quod vocat Apoſtolus Rom. 1. τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ paſſim & vbique celebretur. Dicant igitur omnes homines cum Pſalm. 25. verſu 10. *Omnes viæ Domini veritas & miſericordia*: & cum Pſal. 145.v.17. *Iuſtus Iehouah in omnibus viis ſuis, & miſericors in omnibus operibus ſuis*, & v.10. *Celebrant Iehouah te omnia opera tua. Notas faciunt filiis hominum fortitudines tuas* &c. huiuſmodi infinita, quæ paſſim in Pſalmis occurrunt, & veram huius primæ precationis mentem explicāt. Quare ipſi Deo tribuenda eſt in ſeſe conſiderato Maieſtas & Sanctitas: In operibus autem ſuis, Iuſtitia, Miſericordia, & Potētia. In doctrina ſeu verbo ab ipſo prolato, Veritas, Sapientia, & Bonitas. Ex quo fit, vt qui hæc de Deo vel non prędicat omninò, vel imminuit, vel obſcurat, is non ſanctificet Dei nomē, B ſed profanet, gloriam deturpet, quod hac precatione tolli, aboleri, extingui petitur, ne ſit amplius impedimento manifeſtandæ, aut propagandę Dei opt. Max. gloriæ.

Quemadmodum enim his precationibus ſtabiliri petimus omnia quæ Dei gloriam ſpectant, cōſeruant, augent, vel perficiunt: ſic è contrario optamus ea omnia remoueri, euerti & tolli quę eādem Dei gloriam, ſiue in ipſo Deo, ſiue in eius operibus, ſiue in Verbo & Doctrina ipſius profanant, imminuunt ac obſcurant. Quales qui Deum ipſum irrident, merè athei, vel ſuis iocis, ſannis, & ſcommatis: aut eum blaſphemant ſuis ſentētiis & erroribus. Hi enim aduerſantur huic precationi, nec Dei nomen ſanctificant. Item, Qui opera Dei ſua cenſura corrigere conantur, qui illis obtrectant, qui de Dei prouidentia conqueruntur, vel eam accuſant, qui aduerſus Dei iudicia murmurant, hi omnes, ſi quidem non emendantur, vt tollantur è mundo, petitur à Deo hac precatione Pſal. 104.35. Denique qui verbum ipſius ſcriptum C vel omninò negant, vel illi non credunt, vel pro ridiculo habent, Dei nomen polluunt ac profanāt, adeò vt ſit ſimillima hęc precatio illi Dei pręcepto quod eſt, *Non accipies nomen Dei tui in vanū.* Exod. 20. & Deut. 5. Et hæc omnia voces hæ *Nomen Dei* comprehendunt. Sequitur.

Sanctificetur, Ἁγιασθήτω. Ἅγιον putant Grammatici ab à priuatiua particula, ἀ & γῆ γῆς, quæ terram ſignificat, deductum vt illud ſanctum ſit, quod cęleſte. i. omnino terra caret, & ab omni contagio remotum. Verùm quum & Dei templum quod terrenum Heb. 9.v.11. & lapideum erat, ſanctum vocetur Pſalm. 138.v.2. Matt. 21.v.13. & ceremoniæ quoque nominentur ſanctæ, quæ tamen in rebus carnalibus & terrenis poſitæ erant Heb. 9. verſ. 9. & 10. denique cibi quoque ipſi, quibus quotidie veſcimur, dicantur ſanctificari per verbum Dei 1. Tim. 4. ver. 51. certè etiam quæ terrena ſunt materiæ & ſubſtantiæ ſuæ ratione, ſancta nominari poſſunt, ſi non pollutis, ſed vel ſanctis, vel Dei verbo præſcriptis vſibus deſtinentur. Sunt autem ij vſus ſancti, qui iam Dei cultui per ſe, vel ex cōſequenti, A ſequenti,vt vaſa,ſeruiunt.Ergo ſanctum ἅγιον polluto μιαρῷ & κοινῷ opponitur hoc loco. Vnde ſanctificare eſt vel ſanctum facere quod prius erat pollutum,vti Chriſtus nos ſanctificat, quum nos ex filiis Adami facit filios Dei. Ioan.17.verſu 12.1. Theſſ.4.verſ.3.1.Cor.6.verſ.9.10. vel quod per ſe iam ſanctum eſt tale & huiuſmodi cenſere, & pro tali reuerenter agnoſcere,colere,tractare,& celebrare.1.Cor.3.v.17.vti Luc.7.v.35.dicitur Sapiētia Dei,quæ per ſe iuſta eſt,iuſtificari & Ioan.3.v.33. dicitur qui Dei teſtimonium recipit, obſignare quòd Deus ſit verax.i.facere,vt Deus verax agnoſcatur,qualis eſt in ſeſe.Quo poſtremo ſignificatu ſumitur vox Sanctificetur hoc loco. קדש vocant Hebræi ſanctum, quod ad vſum Dei ſacrum, id eſt,ſolius cultum ſecretum ac ſepoſitum eſt. Itaque in hominum commercio iam nō ſit amplius, quāquam Cherem.i.Deuotum à Quodeſch.i.ſancto iidem diſtinguunt,quod Cherem execrationis eſt ſignificatio,& triſte quiddam ſonat. Sed B Sanctum inter homines venerabile cenſetur, idcircò ſanctificari Dei Nomen dicitur, quum ſacrum, venerabile,purum, auguſtum eſſe à nobis agnoſcitur & predicatur, vt nullo modo contemptim aut irreuerenter cogitetur,aut ſumatur. Sanctum dicitur à Latinis quaſi ſancitum, i. quod lege aliqua paſſim tractari vetatur, nec eſt iam in hominum commercio vti ſanctæ ſunt portæ ciuitatis, aiunt Iuriſconſulti.Quidam autem ex Ioan.12.ver.28.*Pater glorifica nomen tuum*,putant idē eſſe Glorificare,& Sanctificare Dei nomen. Ego verò etſi ſæpè(vti illo loco)pro eodem accipi concedo: dico tamen aliquid diſcriminis inter vtrumque ſi quis diligenter perpendat,cōſtitui poſſe. Nā glorificant Deū ſæpè etiā homines infideles: ſanctificant autem ſoli pij & fideles. Eſt enim glorificatio generalior,nempe laus alicuius admirationem, tantùm in nobis pariens ob excellentem aliquam illius præ aliis virtutem,ac facultatem.Sic glorificant Deum multi.Actor.2.v.11.Marc.2.v.12. Sanctificatio eſt glorificatio ac celebratio quidē alicuius, ſed non modò propter eminentem ipſius virtutem præ cæteris, ſed etiam propter purum, iuſtum & verum illius virtutis ac facultatis ſuæ C vſum, quæ & admirationem & commendationē, & auctoritatem, & reuerentiam illi ex conſcientiæ noſtræ teſtimonio inter homines conciliat. Ergo Deus dicitur Sanctus, i. purus & ab omni labe immunis.1.Pet.1.v.16.Leuit.19.v.2.20.verſ.7. ſed & Nomen quoque ipſius Sanctum Luc.1.ver.49, quoniam omnibus illis virtutibus ac facultatibus ſuis iuſtè & purè ſemper Deus vtitur.Cicero Sanctitatem definit libr.1.de Natura Deorum, ſcientiam Dei colendi.Itaque ἁγιότητα pro εὐσέβεια, i.ſanctitatem pro religione poſuit, quæ ſignificatio poteſt aliquo pacto huic loco conuenire,i.pro cultu Dei.

Cæterùm duo quædam videntur ſuperiori doctrinæ obſtare. Vnū,quòd videtur fruſtrà peti,vt Dei nomē ſanctificetur, quod iā plenè perfectéq; in ſe ſanctū eſt.Imò verò,quomodo Deus à nobis ſāctificaretur, qui vnus potius cæteros ſanctificat? Reſp. Non ipſius Dei,ſed noſtri,id eſt,hominū ratione ac reſpectu nos id poſtulare.Neq; enim Dei gloriæ & ſanctitati quicquam addi à nobis poteſt Pſ.16.quum ea ſit in ipſo Deo intus perfectiſſima: ſed petimus eam, qualis eſt, Mundo patefieri,& A indies magis ac magis illuſtrari, ſublatis omnibus quæ illius apud homines veluti luminibus officiunt impedimentis, vt in mundo ſua, & qualis debetur Deo,gloria & laus tribuatur.

Alterum, quod obiicitur,eſt ex Apo.22.ver.11. Qui ſordet,ſordeſcat adhuc.Ergo in illis Dei nomen ſanctificari vel non poteſt,vel precandū non eſt,quū velit Deus eos magis ac magis in dies ſordeſcere. Reſpondeo. Illud nō eo ſenſu dictū,quaſi præciperetur:& tamen ea occaſione Dei nomen ſanctificari, quum in illis Deus iuſtæ ſuæ iuſtitiæ gloriam & potentiā patefaciat,vt ait Paulus Rō.9. v.22.23.Fecit enim Deus omnia ad ſuam gloriam etiam impium ad diem malum.Prouerb.16.ver.4. Quarè ne ipſæ quidem hominum reproborum & obſtinatiſſimorum ſordes Dei nominis ſanctificationē impediunt,aut efficiunt,quo minus Deus in iudiciis de iis ſumēdis glorificetur. Imò tam in operibus iuſtitiæ, quàm miſericordiæ Dei laus, potentia,gloria,& ſanctitas apparet.1.Pet.3.v.9.

Cap. XII.

Explicatio Secundæ petitionis,quæ eſt, Veniat Regnum tuum. B

SEquitur ſecunda petitio *Veniat Regnum tuum.* Quemadmodum in ſuperiori petitione, ſic in hac explicanda primùm de ordine huius precationis,deinde de verbis,tertiò de ſumma, & ſic deinceps de cæteris quæremus.

Et quidem quod ad ordinem ſpectat, conſtanter apud vtrumque Euangeliſtam Matthæum & Lucam eſt hæc petitio numero ſeu ordine ſecunda: quemadmodum etiam ferè apud omnes veteres Patres,velut Cyprianum,Ambroſium,Hieronymum.libr.3.aduerſ.Pelagian.& Auguſt. Vnus modò Tertullianus hāc ſequenti,quæ eſt,*Fiat voluntas tua* &c.poſt ponit,fortaſſè non tam ad eam, quæ fiebat etiam tunc in Eccleſia Dei,recitationē reſpiciens, quā ad expoſitionis ſuæ ſtylum ac cōnexionem,quòd illam ſequētem & tertiam commodius cum prima coniungere ſe poſſe animaduerteret,quàm iſtā ſecūdam.Quicquid ſit,ſcriptis Euangelicis potius nobis ſtandum eſt quàm Tertulliani iudicio, vel etiam illius ætatis Eccleſiæ,ſiquidem tunc alio fortaſſis ordine,quàm nūc ſunt, C illas preces recitauit.Quanquam non magnum vſquequáque momentum in ordine harū petitionū poſitum eſt.Hoc tantùm obſeruare licet.Quū prima petitio ſcopum,ſummámque omnium votorum noſtrorum oſtendat,nimirum, vt Dei nomē vbique ſanctificetur:hæ verò duæ ſequentes mōſtrent viam qua fieri iſtud poſſit, nempè ſi Deus dominetur ac imperet vbique,& ſi illius voluntas perfectè fiat etiam ab omnibus,certè vti imperare prius eſt natura,quàm obſequi ſeu exequi, ſic eſt naturâ prior hæc precatio, qua Dei Regnum ſeu imperium notum eſſe & ſtabiliri petimus, quàm illa per quam illi obſequium præſtari rogamus,& expetimus.Itaque hæc,*Veniat regnum tuum*,præcedit illi,*Fiat voluntas tua*.

Quod autem ad ipſa precationis verba,nūc quidē apud vtrūque Euangeliſtā ſunt eadē,hæc videlicet, Ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου.Matth.6.v.10.Luc.11.v.2. Apud veteres tamen quoſdam nonnihil variantia & immutata reperiuntur. Legerunt enim Ἐπελθέτω vel ἐφελθέτω ἡ βασιλεία σου. *Adueniat regnum tuū.* Nos autem dicimus,*veniat regnum tuum. Adueniat*

A retinent Cyprianus, Lyranus, & veteres quidam codices.*Veniat* habent Tertullianus, Ambroſius itémque recentes codices omnes. Sed eſt quæſtio leuis momenti,quum vtrouis modo legamus,maneat eadem ſemper ſententia. Petimus enim in dies illuſtrari, amplificari, & augeri regnum Dei tum in nobis ipſis, tum in rebus omnibus. Rectè verò conuertunt,*Veniat regnum tuum.* Nam Articuli ἡ nulla vis eſt διακριτικὴ vel ἐμφατικωτέρα hoc loco, quanquam quidam de ſolo illo regno petitionem accipiũt,quod erit demum poſt vltimam reſurrectionem:ſed generaliter precari docemur, vt & nunc, & tunc quoque, in omnibus rebus, & omni tempore regnum Dei erigatur, atque conſtituatur.

Summa huius petitionis hæc eſt, vt Deus per verbi ſui prædicationem vera luce mundum irradiet,Spiritus autem ſui virtute corda noſtra in illius cognitionem perducat,ac formet:denique ea quæ ſunt diſſipata propter hominum peccata & inordinata,ſua tum potentia,tum bonitate in ordinem colligat,ac firmet,vt docetur Pſal.97.ver. B 1.1.Corinth.14.v.33.Pſalm.93.v.1.Pſalm.75.verſ.3. Collabitur enim Mundus in dies paulatim propter natiuam malitiam & ἀταξίαν per peccatum inductam, niſi à Deo inſtauretur tandem & ipſe in eo regnet & τάξιν reponat,quæ ad piorum conſeruandam ſocietatem imprimis, tum ad ſalutem æternam eſt neceſſaria.

Huius poſtulationis neceſſitas & cauſſa ex eo apparet,quòd multa ſint,quę Dei regno inter homines erigendo aut conſeruando prorſus obſtant,ſeſéque opponunt,Nimirum,

Satan,qui & ipſe regnum ſuum in hoc mundo, & inter mortales habet, propter eorum peccata. Eſt enim Fortis ille, qui à Chriſto etiam dicitur Princeps mundi Iohan.14.verſu 30. Hoc autem Satanæ regnum tenebrarum eſt Regnum. Acto. 26.v.18.& totius confuſionis regnũ.Quod vtrumque regno Dei contrarium eſt,ac illi officit. Col. 1.v.13.Mat.12.v.3. *Qui non eſt mecum,contrà me eſt.*

Natiua hominum propter Adam peccatum vitioſitas,quæ ἀταξίαν plus ac potius amat,quàm or- C dinem ſanctum, Satanæ regnum præfert Dei regno,iniqua omnia anteponit æquis, niſi Dominus vi Spiritus ſui homines & hominum affectus renouet ac regeneret.1.Pet.4.verſ.3.Io.8.verſ.45. *Vos non creditis mihi quia veritatem dico.* Epheſ.4. v.18.& 19.

Mundi ipſius iudicium vniuerſum, qui terrena præfert ſpiritualibus,vitioſa ſanctis, & mala bonis. Itaque regnum Dei vel repudiat mundus vel odit,vel perſequitur Ioan.16.v.2.vel etiam, quantum in ſe eſt, demolitur iam ædificatum ac poſitũ à Deo Ioan.7.v.7.*Me odit mundus*, ait Chriſtus, *quoniam ego teſtor de eo,opera eius mala eſſe.* Rom.1. v.25. *Veritatem Dei mutant homines in mendacium* &c.quæ illic Paulus enumerat.

Hoc autem regnum Dei norunt bonæ quidem conſcientiæ, & iam à Spiritu.S.informatæ eſſe & neceſſarium,& vtiliſſimum. Itaque teſtimonium illi reddunt, imò etiam illud omnibus votis exoptant:infidelium autem hominum conſcientiæ illud vel prorſus ignorant,vel non facilè concedũt eſſe vtile,& neceſſarium.Pſ.97.v.1. *Iehoua regnat, exultet terra:lætentur inſulæ.* Quamobrem in politiis ſuis conſtituendis ferè contenti fuerunt homines veræ Dei cognitionis ignari iis legibus, A quibus terrenum regnum ſuum & imperium, & hominum inter ſe ſocietatem ciuilem tuerentur: de Dei regno, & imperio neque ſoliciti fuerunt ac ſæpè ne cogitarũt quidẽ.Itaque minus nota eſt hominibus in vniuerſũ huius precationis doctrina,quàm ſuperioris,quẽadmodũ antea diximus.

Quibus explicatis,ad peculiarem verborũ,quibus hæc precatio concepta eſt, ſignificationem veniamus,vt quid ſtabiliri,& quid euerti poſtulemus,intelligatur.

Tertullianus & poſt eum Cyprianus putant, Nos petere potius his verbis noſtrum regnum, quàm Dei,quum Deus ſemper regnet, nos autem nondum regnemus. Quod demum futurum eſt, cùm erimus plenè cum Chriſto coniuncti, nimirũ in cælis.Sic igitur ſtatuũt precari nos,vt Chriſtus ad extremum illud iudicium veniat,& vt cõſummatio ſeculi fiat quo Deus plenè regnet, & nos cum illo.Verùm nequaquam ad illud tantùm regni Dei tempus referri debet hæc poſtulatio, ſed ad huius etiam mundi ſtatum, in quo Dei regnum ſtabiliri,& radiare optamus, & magis magíſque in dies creſcere ſeu venire. Denique vt id B fiat,quod dicitur Pſ.97.v.10.*vt qui diligunt Iehouã, oderint malum*:& Pſ.96.v.10.*Dicite in gentibus, Iehouah regnat,etiam firmabitur orbis, iudicabit populos in rectitudine.*

Duo verò præcipuè petimus. Quorum vnum, ſtabiliri precamur:alterum autem euerti, ac funditus perire & tolli.

Stabiliri petimus Regnum ipſum Dei, Euerti verò quæcunque illud impediunt.

Regnum tuum.)Chriſtus Ioann.18.36.in vniuerſum Duplex Regnum conſtituit,vnum, quod eſt ex hoc mundo:alterum,quod eſt merè ſpirituale, & quo regnandi modo ipſe,qui tunc à Pilato cõdemnabatur,Rex erat electorum Dei. Sed ſi diligenter obſeruemus alios S.Scripturæ locos,& eos cum illo Ioannis comparemus, poſſumus ſtatuere tria Regni genera. Vnum illegitimum prorſus, quale eſt diaboli,& carnis,& peccati in nos Rom. 7.Alterum legitimum,idque duplex.

Nempe vel {
Terrenum, quale eſt Magiſtratus in humana ſocietate: C
Spirituale, quale eſt Chriſti in Eccleſia ſua & conſcientiis hominum.

Non opponit igitur apud Ioannẽ Chriſtus Regna politica ſuo & cæleſti regno, tanquam illi repugnantia:ſed tãtùm oſtendit eſſe diuerſa vtriuſque Regni,terreni nimirum, & ſpiritualis adminiſtrandi externam formam,ne putent Anabaptiſtę ſe inde habere,quod ſuis erroribus impiis prętexant. Nam quum hîc Regnum Dei venire & conſtitui,& conſeruari precamur, quoniam illud Dei regnum eſt omnis εὐταξίας & ordinis fons & origo,vt eſt in Pſalm.97.v.2.& 1.Cor.14.v.33. etiã regna politica ad ſuum tempus conſeruari,& eſſe, & à Deo regi poſtulamus,& quæcunque ad tuendam inter homines ciuilem ſocietatem ſunt neceſſaria:qualis eſt Magiſtratus imprimis, vti docet Paulus Rom.13. Niſi verò iſta magis ad illã iſtius precationis partem referri malimus quæ ſpectat ad vitæ præſentis ſtatum.

Sed regnis terrenis nunc omiſſis, quid ſit propriè Regnum Dei, quod venire optamus, eſt videndum.Regnum Dei variè definitur. Paulus ex

effe-

A effectis Rom.14.ver.17.ſic deſcribit eſſe, *Iuſtitiam, Pacem & Gaudium in Spiritu Sancto*. Quicunque enim ſinunt Deum in ſe regnare, illa tria potiſſimùm in ſuis conſcientiis ſentiunt, Iuſtitiam Dei, per quam Deo grati ſimus, item pacem, & gaudiũ Spiritus Sãcti. Rom.5.v.1. Et hoc eſt Dei regnum, de quo dicebat Chriſtus, *Regnum Dei intra vos eſt.* Luc.17.ver.21.

2 Regnum Dei definitur quoque cælum ipſum, & beatorum ſtatus in cælo. Sic dicit Chriſtus, difficile eſſe, vt qui diues eſt, id eſt, diuitiis addictus, ingrediatur in regnum Dei Matt.19.v.24. Sic Luc. 13.verſ.29.ſumitur.

Regnum Dei etiam dicitur prædicatio Euangelii, & ſalutis hominum. Mat.3.verſ.2. Marc.1.v. 15. *Impletum eſt tempus, appropinquauit Regnum Dei, credite Euangelio.* Denique Regnum Dei ipſius quidem Dei ratione, eſt liberrima, & ſumma res omnes efficiendi & adminiſtrandi poteſtas. Rerum autem ipſarum, & noſtri ratione, Regnum Dei eſt perfectiſsima, & Dei decretis, & imperio & voluntati rerum omnium ſubiectio. B Hoc poſtremo ſignificato regnum Dei venire hîc poſtulamus.

Hoc regnum duobus membris conſtat, velut fundamentis, verbi Dei prædicatione (ſic paſsim à Chriſto prędicatio Euangelij appellatur Regnũ cælorum, vel Dei Matth.13.) & Spiritus ſancti arcana vi & efficacitate. Verbum enim Dei annunciari oportet, vt ipſius voluntas & imperium ſeu iuſſus ab hominibus intelligatur. Sed niſi acceſſerit arcana Spiritus Dei efficacitas & illuminatio, fruſtra illud prædicabitur. Non enim ſine luce cæleſti poteſt à nobis intelligi, aut vllum locum in nobis habere. Eſt enim Deus, qui reddit illud verbum efficax in cordibus noſtris 1.Cor.3. & parum eſt qui foris inſonat ſermo, niſi adſit, qui nos intus moueat, Spiritus & Dei timor. Ergo vtrumque hoc à Deo petimus hac prece, vt & prędicetur eius verbum, & à nobis intelligatur. Eſt enim verbi Dei prædicatio velut virga, aut ſceptrum regni Dei in hoc mundo.

Veniat.) Primùm in verbo ipſo eſt metaphora, veluti in illo quoque Virgilij verſu.

C --redeunt Saturnia regna. Quæ enim pedes habent, eunt, & veniunt, & redeunt propriè. Quæ verò vel omninò cœleſtia ſunt, & ſpiritualia, quale eſt regnum Dei: vel, quæ pedes non habent, propriè non eunt. Sic dicitur idem Regnum videri. Ioan.3.v.3. propè eſſe Luc.2.ver.31. appropinquare Mar.1.v.15. Sic ait Bernardus, *Affectibus, non pedibus itur ad Deum.* Ergo venire hic eſt, emergere, illuſtrari, erigi, augeri, ſtabiliri, ſanciri non tantùm verbis & voce, ſed & reipſa quoque: denique repræſentari, quemadmodum loquitur Cyprianus, vt velut hominum oculis cerni poſsit. Quod fit, vbi Dei verbum auditur, & creditur, quod eſt Regni illius inſigne ac τεκμήριον.

Dicimus autem *Veniat*, vel *Adueniat*, quoniam in hoc mundo ſuos ſemper progreſſus & profectus habet, nunquam autem, quamdiu hic erit rerum & mũdi ſtatus, perfectè & plenè eſſe poteſt. Eſt enim in hoc mundo, qualis nunc eſt, Regnum peccati. Quamobrem ea voce vtimur cuius ſignificatio eſt in Fieri, vt vocant, id eſt, progreſſum rei continuum denotat, & varios gradus, variáque incrementa habet. A

I. Venit verò Dei regnum his tribus maximè modis ac gradibus. Nempe, ſi numerus electorum augeatur viſibiliter. Nam in Dei decreto & libro vitæ nec augeri nec minui poteſt: & tamen ex numero ampliori profitentium hominum, neque vera Dei Eccleſia, neque vera doctrina cenſenda vel æſtimanda eſt. Verùm cùm propagari Dei regnum indies magis ac magis oporteat, idcirco de augendo hominum veritatem Dei profitentium numero precari debemus. Sic Pſalmo 126.verſ.4. rogat Eccleſia, vt captiui redeant, & creſcat ipſum Eccleſiæ corpus. Sic Eph.6.verſ.19. poſtulat Paulus, vt Deus ipſi os aperiat ad prędicandum Euangelium, & Rom.15.verſ.19. gaudet, quòd ad Illyricum vſque ſermo Dei per ipſius miniſterium peruenerit.

II. Deinde, ſi qui iam vocati ſunt, maioribus in dies ſpiritualibus donis ornentur à Deo, ipſique proficiant in fide, charitate, ſpe, & cæteris virtutibus. Itaque Paulus Coloſſ.1.verſ.9. & Philipp. B 1.verſ.9. rogat, vt qui iam adepti erant Euangelij lucem & cognitionem, eadem implerentur & abundarent, fierentque indies confirmatiores. Idem 1.Cor.1.v.5. probatur.

III. Denique vt iidem fideles donis Dei ditati regantur à Deo, id eſt, Dei Spiritu gubernentur. Quod tunc fit, cùm caro, ſeu peccatum, ſeu vetus homo in iis mortificatur. Spiritus autẽ ipſe ſiue nouus homo viuificatur ac regnat. Gal.5.ver. 16. Colo.3. ac proinde, vt tandem aliquando opus illud Dei omnibus numeris cumulatum extet hîc docemur precari. Quod autem veteres pro Mora Finis quaſi contra hanc precandi formulam, Deum rogabant, auctore Tertull. Apolog. cap. 39. illud ad ipſorum ſimplicem quandam pietatem referri poſſit: probari verò ſimpliciter non item.

Et hæc quidẽ effici ac cõſtitui precamur. Euerti verò petimus quicquid obſtat, vel quicquid obſcurat, impedit, vel tollit Dei regnum in his terris. Ergo precamur aduerſus omnem Ἀταξίαν ſeu confuſionem. Illa enim Dei regno (quod in pulcerrimo rerum ordine ſitum eſt) contraria prorſus eſt. Eſt autem hæc ἀταξία ſeu confuſio triplex, id eſt in tribus potiſſimum rebus, nimirum vel in C ſingulis hominibus, ſeorſim & per ſe cõſideratis: vel in collectis, id eſt, quatenus vel in cœtu Eccleſiæ ſunt: vel in vniuerſum quandam inter ſe ſocietatem efficiunt, quæ humana dicitur. In ſingulis nobis eſt hæc ἀταξία Regno Dei contraria, quòd vetus homo ſeu caro in nobis ſingulis regnat: Nouus autem homo ſeu Spiritus in nobis aliquando opprimitur, ac inferior eſt carne. Carnem igitur illam noſtram carnalem ſemper & ipſius concupiſcẽtias, ac peccatum mortificari in omnibus nobis petimus: imò verò tandem prorſus tolli. Spiritum autem Dei planè regnare & dominari in nobis. Nam debitores non ſumus carni, ſed Spiritui, vt docet Paulus Rom.8.verſ.12. Induendus eſt Chriſtus ipſe, ac nouus homo, Rom.13.ver. 14. Epheſ.4.verſ.21. & ad Galatas.5. vt regnum Dei ſit in nobis.

In Eccleſiæ cœtu eſt hæc ἀταξία, ſi vel falſa doctrina pro vera, i. pro Chriſti doctrina annuncietur ac obtineat: vel non eo modo & ordine

A doceatur, quo Chriſtus præcepit, nempe ab iis qui legitimè ſunt vocati, vel denique non ſuos ſeruitutis illius ſanctiſsimæ & vitæ liberrimæ ſub Chriſto Domino fructus edat. *Quomodo prædicabunt, ſi non mittantur?* ait Paulus Rom.10.verſ.15. Coloſſ.2.verſ.19.

In ipſa ſocietate humana hæc eſt in vniuerſum ἀταξία, ſi inter mortales nulli omnino imperent, vel pareant, quæ ſumma eſt rerum omnium perturbatio: vel ſi qui imperant parentue, non ex Dei præſcripto id faciant. Rom.13. *Et non erat Rex in Iſrael,* ait ſcriptura Iud.18.verſ.1.

Ergo aduerſus peccatum, Satanam, Anabaptiſtas, & reliquos hæreticos, qui vel in Eccleſiam Dei, vel in humanam ſocietatem, vel in ſingulos homines ἀταξίαν inducũt, hac petitione Eccleſia Deum implorat.

Plena verò huius regni Dei conſtitutio erit demum poſt vltimam reſurrectionem in vita nimirum futura, vbi peccatum prorſus ſublatum fuerit, & Deus erit omnia in omnibus, 1.Corinth. B 15.verſ.28.& 55. Nam quod ait idem verſu 27. datã iam eſſe nobis Dei gratia victoriam: & quod idem ait Rom.16.ver.20. *Satanam breui conterendum eſſe ſub pedibus noſtris,* id de noſtra hîc victoria nequaquam eſt intelligendum, quum ſit nobis, qui hîc viuimus, vel eodem Paulo teſte cum carne, & poteſtatibus huius mundi quotidie adhuc luctãdum. Epheſ.6.verſ.12. Gal.5.verſ.17. Quamobrem pro illius quoque ſtatus, ac vitæ æternæ aduentu & acceleratione, ardenter hac petitione precamur: vt etiam annotarunt Patres.

Iam verò ſequuntur quædam quæſtiones quæ ex ſuperioribus oriuntur, eáque videntur oppugnare vel in dubium reuocare, quæ diximus. Ac primùm quæſitum eſt vtrum pro piis mortuis, eorumve ſtatu hac precatione quidpiam poſtulemus, veluti plenam Dei gloriam, quam adhuc expectant in iis reuelari. Ante vltimam enim illam reſurrectionem plenæ felicitatis ſuæ ſtatum non conſequentur. Papiſtæ igitur argumento iſtius precationis putãt ſuas pro mortuis preces confirmari, & nos pro mortuis precari poſſe. Reſpondeo, nequaquam nos pro mor- C tuis hic precari, quatenus quidem illi mortui ſunt, aut velut eorum cura nunc ad nos pertineat, aut in hac petitione hominum curam ac rationem per ſe habeamus (quod tamen faciunt Papiſtæ) ſed quatenus ij, qui ſunt in cælo, pars cenſentur Eccleſiæ & Regni Dei. Cùm enim Chriſtus ſanguine ſuo reconciliarit tum pios qui ſunt in cælo, tum eos qui ſunt in terris Coloſ.1.v.20. 2.Corint.5.v.19. etiã illi pars ſunt totius Eccleſiæ & regni Dei. Vnde fit, vt dum regni Dei in Chriſto aduentum exoptamus, ne illi quidem ab eo quod optamus excludãtur, ſi in genere de toto Eccleſiæ corpore cogitamus. Precamur enim generaliter pro ſtatu, i. pro regno Dei, non ſigillatim pro hoc vel illo mortuo (quod Papiſtæ faciunt) precamur, inquam, quod Dei verbũ iubet nos poſtulare. Papiſtæ verò ea pro mortuis petunt quæ non modò Dei verbo non ſunt præcepta, ſed etiam quæ ſunt ei maximè cõtraria, veluti vt ex igne Purgatorio, & eius pœnis illa eripiãtur. Quare nullo modo cõfirmari ex hoc loco poteſt illa non tantùm ſuperſtitioſa, ſed etiã blaſphema Papiſtarum pro mortuis precandi conſuetudo & doctrina, quæ ab huius loci ſcopo prorſus diſſentanea eſt. A

Deinde quæſitum eſt, Num ipſi quoque mortui pii in cælum iam recepti has eaſdem preces in cælo fundant, cùm in Apocalypſi cap.6.verſu 10. dicantur ad Deum ſic clamare, *Vſquequo Domine, qui ſanctus es & verax, non iudicas, ac vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra?* Item cap.19.verſu 1.& 2. laudant Deum ſic, *Halleluia, Salus, & honor, & gloria, & virtus Domino Deo noſtro, quia meretricem magnam, quæ corrupit terram ſcortatione ſua, damnauit.* Quæ videntur eſſe duæ huius petitionis partes.

Reſpondeo, quum Eccleſiæ Dei, quæ & in terris & in cœlis verſatur, hoc ſit commune votũ vt Dei regnum plenè perfectéque ſtabiliatur, etiã illud ipſum exoptare pios qui ſunt in cœlo, videlicet in genere vt euertantur omnes qui Dei gloriæ officiunt. Hanc tamen precationem neque concipiunt eo modo quo nos, neque ſi conciperent, facerent ea mente qua nos eam pronunciare iubemur à Chriſto, nempe quoniam adhuc inter nos & in hoc mundo (in quo verſamur) ſunt multa B aduerſus regnum Dei impedimenta, quæ nulla ſunt in cœlis. Ergo vtrorũq; ratio eſt diſsimilima: ex quo fit, vt in vtraque collectione Papiſtæ (qui mortuos pro nobis ſigillatim orare cenſent) cõmittant paralogiſmum, qui nempe dicitur à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid, ſeu à non diſtributo ad diſtributum: tum etiam eum qui dicitur ignoratio Elenchi.

Præterea quæſitum eſt, an bona conſcientia piis & Chriſtianis viris liceat etiam generaliter pro euerſione & exciſione hoſtium Dei precari, ideſt, aduerſus eos preces concipere qui Dei regnum impediunt. Nam iidem poſtea conuerti poſſunt, & hæc precatio non corpora tantùm eorum, ſed animas quoque ſpectat. Huiuſmodi igitur precatio videtur charitati Chriſtianæ prorſus contraria, quę eſt de proximorũ ſalute & conuerſione ſollicita, nullius autem æternum exitium quærit. Reſpondeo: cùm vera Chriſtianáque charitas non gaudeat iniuſtitia, quemadmodũ docet Paulus 1.Corinth.13, certè non poteſt non illa omnia odiſſe, damnare, atque ſublata velle quæ ip- C ſum Dei verbum (in quo vera iuſtitia deſcripta eſt) execratur & odit. Vult igitur ea ſublata quæ Dei verbum exterminanda docet. Præclara eſt enim & à Dei Spiritu dictata hæc Pſal.139. verſ.21. vox, *Nonne odio habentes te, Iehoua, odi: & inſurgentium in te tædet me?* Quare hoſtes & aduerſarios Dei debemus ipſi quoque odiſſe, quatenus quidem illi ſunt aduerſarii Dei, non autem quatenus ſunt homines, & naturæ quædam à Deo creatæ. Ex quo fit, vt Dauid Dei Spiritu ductus precetur aduerſus ſuos hoſtes, quatenus iidẽ etiã erant hoſtes Dei, veluti Pſalmo 69.verſ.29, *Deleantur ex libro viuentium & cum iuſtis non ſcribantur,* Pſalm. 104.ver.35, *Conſumantur peccatores è tera, & impij vltra ne ſint.* Paulus quoque Galat.5.verſ.12. *Vtinam abſcindantur,* ait, *qui vos inquietant.* Nam hoſtium Dei finis eſt etiam ex iuſto Dei decreto ipſorum exitium Phil.3.verſ.19. 2.Theſ.1.verſ.6. Quare non modò poteſt, ſed etiam debet quilibet verè pius contra eos precari qui regnum Dei vel retardant vel euertunt. Nõ tamẽ vt ſtatim omnes exitio

A æterno deuotos eſſe aut velimus, aut intelligamus, (*multæ ſunt enim ſæpe foris oues*, vt ait Auguſtinus) ſed vt hoc arcano Dei iudicio relinquentes, quinam videlicet ita ſint ipſius regni hoſtes, vt aut nunquam conuerti emendariue poſsint, vel ſecus, aliquando omnino regnum Dei abſolutè ſtabiliri optemus. Ergo poſtulamus bona conſcientia, vt qui nunquã non obſtaturi ſunt Dei regno & gloriæ, tollantur prorſus: contra verò vt illuminentur, qui non ita deplorati ſunt dum veritatem Dei perſequuntur.

Sed & illud leue eſt, quod obiicitur, cur petamus Regnum Dei venire quum Deus ſuo Regno ſpoliari à nemine poſsit, vti neque Sol ſua luce. Quemadmodum enim Sol, etſi in ſeipſo ſplendidus & totus lucens, ſæpe tamen propter obiectas nubes nobis eſt obſcurus, imò etiam nonnunquam propter interpoſitam vmbram Eclipſin patitur: Ita Deus regnat per ſe quidem ſemper, ſed illius Regnum, quod in electorum inſtauratione per Chriſtum poſitum eſt, non ſemper nobis apparet, B imò ſæpè magnas tenebras patitur, illiſque velut obruitur. Eas igitur remoueri vel aboleri poſtulamus.

Denique quod quæritur, cur petamus id fieri quod nunquam perfectè extare poteſt, quãdiu hic quidem mundi ſtatus erit: Habet hanc facilem reſponſionem. Non peti à nobis, vt id nunc fiat quod per rerum ſic ſtantium naturam, & Dei decretum fieri minimè poteſt, (quale eſt, vt hic mundi ſtatus duret, qualis nunc eſt & regnum Dei nihilominus in eo planè ſtatuatur: ſunt enim hæc prorſus ἀδύνατα) Sed poſtulamus vt quãta maxima regni Dei lux, & virtus, & amplificatio ſtabiliri in hoc mũdi ſtatu poteſt, erigatur, & à Deo conſtituatur, quouſque plenum illud tempus venerit, quò demum ipſe perfectè regnum in omnibus obtinebit, deſtructo & Satanæ imperio & peccato, & qui peccati venenum infuſum vbique habet, huius Mundi ſtatu. Quæ eſt veriſsima noſtræ petitionis mens & ſententia: ex qua eadem nobis eſt Anabaptiſtarum & Donatiſtarum error refutandus, qui hîc plenam regni Dei perfectionem C eſſe ſomniant, quæ tantùm ex parte in terris nunc eſſe poteſt. Nam qui zizania omnia euellere ſe poſſe putat ex Dei Eccleſia, ante vltimum Dei iudicium, ille & Dei voluntatem anteuertit, & ſæpè bonum ſemen vnà cum zizaniis eradicat vel ex Eccleſia euellit, quemadmodum docet Chriſtus, Matth. 13. verſ. 30.

CAP. XIII.

Explicatio tertiæ petitionis Orationis Dominicæ,

Fiat voluntas tua ſicut, &c.

SEquitur autem, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.* Hæc petitio eſt tertia ordine ac numero, & earum vltima quæ Dei gloriam immediatè ſpectant. In quo ipſo rectus eſt ordo. Quum enim proximè petierimus, vt Dei regnum ac imperium in Domino Ieſu Chriſto in omnia patefieret ac innoteſceret: hîc iam poſtulamus, vt patefacto Dei imperio pareant quoque omnia. Sic Chriſtus Matth. tertio capite, verſ. 36. iubet nos *quærere primum Regnum Dei*, quod A ſuperiore petitione comprehẽſum eſt: deinde *inſtitiam eius*, quæ in vera & ſincera voluntatis Dei obedientia, & ſubiectione noſtra poſita eſt. Id quod hæc precatio continet. Hoc autem vti poſtremum eſt, ſic præſtatione difficilimum, adeo vt ſummum glorię Dei caput & perfecta eius ſtabiliendi ratio in hoc verſetur. Eſt igitur hic tertius diuini honoris euehendi ac promouendi gradus, & quidem ſummus, à ſuperioribus & prioribus aliis duobus diſtinctus. Quamobrem hæc petitio non eſt repetitio, aut tantùm interpretatio quædam ſuperioris propter noſtram ruditatẽ (quum ſeorſim hîc à Chriſto ponatur, nec in cõpendio bis idem dici ſoleat) ſed eſt magnum ad ea additamentum, & progreſsionis maioris votum ac gradus, imò tanquam conſummatio, & colophon, qui ſuperioribus imponitur. Hæc autem tam perfecta támque docilis obedientia, quãquam eſt hominibus non renatis minùs nota, tamen & æquiſsima eſt & ipſo conſcientiarum noſtrarum teſtimonio comprobata. Quis enim B non fateatur, eius quem credit eſſe Deum, voluntati parendum? Heſiodus li. 1. ἔργων ϗ ἡμερῶν quũ quærit, cur quidam in his terris deprimantur, alii extollantur, reſpondet, Hanc eſſe Dei magni voluntatem. Piis autem, & Dei luce iam donatis hominibus eſt hoc ipſum notiſsimum & certiſſimum, Pſalm. 75. Matth. 26. verſu 42. Actor. 21. ver. 14. Rom. 12. verſ. 2. Itaque de ordine huius poſtulationis conſtat.

Verba verò illius quænam ſunt? Certè eadem apud vtrumque Euangeliſtam & quidem ſummo conſenſu, nimirum hæc, γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ ϗ ἐπὶ τῆς γῆς. Quæ ſic conuertuntur, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo ita etiam in terra.* Quare neque hîc articuli additi ad vocem θέλημα & γῆς vllum momentum, aut vim διακριτικὴν habent, cùm neque ſint duæ terræ in mundo hoc, neque hîc de alia voluntate loquamur, quàm quæ patefacta eſt. Illi enim, quæ nobis ignota eſt, obſequi non poſſumus. Sed nec Angeli ipſi non niſi reuelatæ Dei voluntati parere dici poſſunt. Fit quidem Dei voluntas ſemper, ſed ab iis tantùm propriè fieri poteſt, qui eam priùs norunt ac intellexerunt. C Id quod in verborum explicatione poſtea docebimus. Itaque qui hîc θέλημα Dei conuertunt εὐδοκίαν vel πρόθεσιν θεοῦ, id eſt, propoſitum, ſeu beneplacitum Dei, quemadmodum loquitur nonnunquam S. Scriptura, Luc. 2. verſ. 14, & Paulus Eph. 1. ver. 11. falluntur. Quo tamen modo Nicolaus de Lyra apud Matthæum interpretatur, *Inſpires*, ait, *nobis virtutem ac propoſitum implendi tuũ beneplacitũ.* Tertullianus autem, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus & omnes alii conſtantiſsimè legunt, *Fiat voluntas tua*, non autem, *Fiat beneplacitum tuum*, imò verò Cyprianus etiam *præceptum* appellat, & interpretatur voluntatem Dei. Cæterum Actorum 21. verſu 14. *Cum igitur non aſſentiretur (Paulus) acquieuimus dicentes, Fiat Domini voluntas.* Expreſſa ſunt ex recepto Chriſtianorum more loquendi hæc ipſa Chriſti verba.

Summa verò huius precationis eſt, vt non ſolum eueniat quod Dominus fieri decreuit apud ſe, ſed etiam vt domita ſubiugatáque omni contumacia, omnes omnium voluntates Deus ſubiiciat ſuæ à ſe patefactæ, & in ſui obedientiam eas

A componat ac formet, idque tandem prorſus. Ergo precamur & optamus, vt (quemadmodũ ait Cyprianus) *non tãtum faciat Deus quod vult, ſed vt nos facere poſſimus quod vult.*

Huius autem poſtulationis ſumma eſt tum æquitas, tum etiam neceſſitas. Ac ęquitas quidem, vt hoc noſtro deſiderio teſtemur, ac profiteamur eſſe nos Dei ſeruos, filios, & ipſius laudis ſtudioſiſſimos.

Deinde, quòd ſit æquiſſimum, vt ſi Deum verum Deum noſtrum & creatorem & redemptorem agnoſcamus, quæramus quoque quænam ſit ipſius voluntas, illique pareamus, Rom.12.verſ.2. Coloſſ.1.ver.10.

Neceſſitas autem, quòd ſicut noſtra caro ſeu concupiſcentia, itemque Satan & mundus, ſanctificationi diuini nominis, & regno Dei aduerſantur, ita etiam voluntati Dei repugnant. Itaque Paulus Rom.8.verſ.7. ſcribit, *carnis intelligentiam non ſubijci Legi ac voluntati Dei.* Et Chriſtus vbique apud Iohan. velut cap.6.verſ.38. & aliis opponit Dei & hominis voluntatem. Iohannes ipſe in 1. Epiſtola cap.2.verſ.17. tanquam res inter ſe prorſus contrarias committit, *voluntatem Dei & voluntatem mundi ipſiusque cupiditates.* Quare quò ſunt plures voluntatis Dei hoſtes, & quò maiora illius impedimenta, eò ardentius optare & precari ipſi debemus, vt Dei voluntas, fiat, eiúſque obſtacula omnia remoueantur. Bernard. Sermone 6. de Quadrage. *Hoc igitur oramus, vt hæc Voluntas ſicut in cœleſtibus facta eſt creaturis, fiat etiam in terrenis, vt ſicut Angelus, ſic & homo adhærens Deo, vnus cum eo Spiritus ſit. Sed, heu, quot obſtacula ſeparant, quot prohibent impedimenta? Obijcit ſeſe malicia mediam, obijcit infirmitas, obijcit concupiſcentia & ignorantia noſtra. Ineſt enim nobis à natura, magis autem ab exterminio naturæ affectio quædam peſſima.*

(B stands in the margin beside "ponit Dei & hominis voluntatem.")

Tertullianus videtur ſic interpretari hanc poſtulationem, tanquam ſolam in rebus aduerſis patientiam à Deo poſtulemus, vt Dei voluntati (quæ licet nobis ſæpe dura videatur, ſemper tamen eſt æqua & iuſta) in mediis præſertim afflictionibus acquieſcamus, verùm latior eſt iſtius C precationis vis & vſus. Quamobrẽ ad ipſam verborum explicationem accedamus. Et primum, quid ſtabiliri velit Chriſtus, deinde quid euerti, per has partes videndum eſt.

Voluntas tua. Hæc tria diſtinguuntur in ſacra Scriptura, θέλημα, εὐδοκία, ἀρέσκεια, *Voluntas, Beneplacitum, id quod probatur Deo.* Prætermitto enim quòd ὄρεξις, id eſt, appetitus in genere ἀπὸ τοῦ θελήματος, id eſt, voluntate, quæ propria eſt hominis differat, 1. Tim.3.verſ.1. item quæ inter θέλησιν, θέλημα, θελητὸν, id eſt, *facultatem volendi, ipſum actum voluntatis, & rem quam quiſpiam vult* differentia ſit. Ἀρέσκεια quam vocat Paulus, Coloſſ.1.verſ.10. eſt doctrina voluntatis Dei ad fidem vel mores noſtros formandos pertinens, qualis eſt tota Lex & totum Euangelium. Ergo hæc ἀρέσκεια eſt velut generalis definitio eius quod bonum eſt & opus Deo gratum. Hæc ἀρέσκεια eo tantùm differt ἀπὸ τοῦ θελήματος ſeu voluntate, quod θέλημα ſeu voluntas אב continet etiam præcepta Dei peculiaria patefacta hominibus quibuſdam illíſque mandaa, veluti cùm iubet Deus, vt Iſraelitæ ſpolient Ægyptios Exod.13.verſ.22. vt Saul Agagum regem Amalechitarum occidat, Samuel.15. A Act.13.ver.22. Sic dicitur, *Inueni Dauidem filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum, qui exequetur omnes voluntates meas.* Ἀρέσκεια חפץ continere videtur propriè & ex vſu S. Scripturæ generalia tantũ præcepta Dei, & ipſa quoq; patefacta. Ergo quæuis Dei volũtas, iuſſus, ac mandatum à Deo reuelatum ac patefactum, eſt θέλημα, id eſt, Voluntas. Verùm quod Deus fieri quidem decreuit apud ſe, ſed hominibus non manifeſtauit, eſt illa quidem voluntas Dei, generaliter ſumpto vocabulo: ſed quæ proprio nomine ſoleat ferè vocari, Εὐδοκία ſeu πρόθεσις Θεοῦ, *Beneplacitum ſeu propoſitum Dei* רצון, veluti Epheſ.2.verſ.11. & Luc.2.verſ.14. Scholaſtici diſtinguunt voluntatem Dei in eam quam appellant *Beneplaciti*, ſeu *Abſolutam*, & eam quam dicunt, *Signi voluntatem* vt eſt apud Lombardum lib.1. Sententiarũ diſtinct.45. Quoniam igitur ea demum eſt obedientia, quæ à ſcientibus & volentibus præſtatur, certè vox θέλημα ſeu *voluntas* (quam hic fieri per voluntarium obſequium petimus) non pro arcana illa Dei voluntate, (quæ & Angelis & hominibus ignota eſt) ſed pro ea B quæ patefacta eſt, ſeu quotidie patefit hominibus, ſumi debet. De illa enim altera Dei voluntate, quæ cum eius præſcientia ſempiterna eſt, & nobis ignota, rectè Auguſt. lib.22. de Ciuitate Dei c.2. ſcribit, *eam facere, & in cælo & in terra quæcunque voluit, non ſolùm præterita, vel præſentia, ſed etiam futura.* Fit igitur illa Dei voluntas arcana etiam nobis & ignorantibus & inuitis, vt eſt Pſalm.115. *Voluntati enim Dei quis reſiſtit*: & ſemper iuſta eſt. *Nam ipſe Deus ſibi iuſtitia eſt*, vt ait Bernardus, & eius voluntas tã æqua quàm eſt æquitas. Quamobrẽ idem Auguſt. in Epiſtola ad Probam interpretatur hanc Dei voluntatem, quam hîc fieri volumus, *obedientiam.* Cyprianus autem vt diximus *Præceptum.* Obedimus autem præcepto, quod, nobis notum eſt. Cyprianus. *voluntas autem Dei* (quam ſtabiliri & fieri precamur) *eſt quam Chriſtus fecit & docuit*, quod ipſum poſtea explicans addit, *Humilitas in conuerſatione, ſtabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iuſtitia, in operibus miſericordia, in moribus diſciplina.* Denique quemadmodum Paulus ait, *Sanctificatio noſtra*, τοῦτο γάρ ἐστι θέλημα τοῦ Θεοῦ, ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν. 1. Theſſ.c.4.verſ.3. C Hæc voluntas habet certe quidem in mundo multa quæ illi obſiſtunt, qualis eſt Diabolus, Concupiſcentia noſtra, Mundus, hoſtes Eccleſiæ. Precamur igitur, vt iis omnibus domitis, fiat tamen illa Dei voluntas ab iis qui eam intelligunt & quibus præcipitur. Vide tamen an vti obedientiam omnem voluntati Dei verbi patefactæ deferri hîc petimus, ità etiam meram acquieſcentiam ac ſubiectionem omni Dei ordinationi præteritæ, præſenti, futuræue, noſtri ſcilicet reſpectu, ſiue de nobis agatur, ſiue de aliis, complectamur: vt in ſumma tum Dei os, tum ipſius nutus nobis ſint vt regula operum ſic & ſcopus votorum.

Fiat, id eſt, impleatur, vt ait Hieronymus. Nec enim eam tantùm ex parte, ſed integram totam, ac in ſolidum fieri poſtulamus hac precatione. Nam partialis iuſtitia vel obedientia, neque iuſtitia, neque obedientia eſt, vt docet Iacob. verſu 2. cap.10. *Non ſufficit Chriſtiano*, ait Hieronymus, *ſi partem vnam iuſtitiæ impleat, cui vtrunque præcipitur*

A *cipitur*, ad Celantiam. Bernardus Ep. 77. *Vera & plena fides vniuerſa præcepta complectitur.* Porrò quemadmodum tota Dei voluntas & iuſtitia eſt implenda Matth.3.verſ.15. Sic toto animi affectu, totis viribus, tota mente & cogitatione noſtra, ne ex parte tantùm ipſi Deo ſeruiamus : ex parte verò nobis ipſis, id eſt, concupiſcentiis noſtris. vel diabolo. Id quod ſimilitudo ſequens, *Sicut in cælo & in terra*, clarè demonſtrat. Vt autem Dei voluntatem faciamus, facit hoc ipſe Deus in nobis. Nam eam mentem nobis inſpirat ipſe & donat : itémque inſpiratæ ſemel voluntatis effectionem quoque dat, ſeu executionem. *Deus enim ille eſt qui in nobis operatur & velle & perficere pro gratuita ſua beneuolentia*, Philip.2. verſ.13. deinde in Epiſtola ad Hebræos cap. 13. verſ. 21. ſcribitur, *Deum efficere in nobis quod gratum eſt in ipſius conſpectu.* Id quod ex Ezechiele 36.verſ.23. proculdubio ſumptum eſt. Quare rectè Cyprianus hoc loco, *Vt fiat à nobis Dei voluntas, opus eſt Dei voluntate, quia nemo ſuis viribus potens eſt.* Vt igitur parendi ſibi animum & voluntatem nobis infundat, B poſtulamus & vt eiuſdem voluntatis plenam præſtationem largiatur & addat, ne quis huius precationis prætextu ſuis viribus, liberóque arbitrio, quod vocant, quicquam tribuat, aut vindicet hâc ſuam obedientiã quam præſtat Deo. Tota enim eſt ex mera Dei gratia. Quanquam autem ſic cõcepta ſunt verba imperſonaliter, *Fiat voluntas tua*, non autem, Faciant homines voluntatem tuam, vt generaliter ad omne rerum creatarum genus pertinere videantur : tamen propriè à ſolis hominibus in his terris obſequium Deo præſtari poteſt : non autem à plantis, non etiam à brutis animantibus (quoniam plantæ ſenſu, animantia verò bruta ſenſu carent & voluntate) niſi quis, *obſequi*, metaphorica ſeu tropica loquendi forma ſumat, veluti cùm eadem illa dicuntur laudare Deum, Pſalm.148.

Sed neque ab omnibus hominibus fit illa patefacta Dei voluntas, ſiquidem non omnes credũt in Chriſtum. *Hæc eſt voluntas Dei, vt omnes credant in Chriſtum*, Ioann.6.ver.29. Item, non omnes ſanctè viuunt, tamen voluntas Dei ſanctifica- C tio noſtra eſt 1. Theſſal.4.verſ.3, & reliqua eiuſmodi : verùm fit Dei voluntas à ſolis filiis Dei, & electis in Chriſto. Atque adeo etiam ab iis ipſis (quandiu in hoc quidem mundo viuunt) perfectè fieri non poteſt. Quare non pertinet propriè hæc precatio ad reprobos & diabolos, quaſi precemur Deum, vt placidè & ſponte illi ſe ſubiiciant Deo, illiúſque voluntatem ex animo, fide, & vero obſequio faciant & exequantur. Nec enim id fieri poteſt, cùm vtrique illi & vera fide & vero parendi animo careant. Ergo poſtulamus quidem generaliter vt omnis celſitudo & potentia, quæ Deo reſiſtit, Deo ſubiiciatur, vt docet Paulus, eum eſſe finem quoque prædicationis Euangelij, 2.Cor.10.verſ.6. verùm hominum reproborum, & diabolorum ratione qui prorſus & manent Deo rebelles, & inobſequentes, precamur, vt illi quemadmodum æquũ eſt, euertãtur, & parata ſit in eos iuſta Dei vindicta, 2.Theſ.1. v. 16. *Fit igitur*, ait Bernardus, *Dei voluntas de omnibus, nõ ab omnibus.* Quamobrem petimus tolli & deſtrui, (quoniam eius voluntati prorſus aduerſantur, & quidem ἀδιαλλάκτως & irreconciliabiliter) nempe A Satanam, peccatum, peccatíq; effecta omnia, carnem, ſeu veterem hominem, & concupiſcentias eius, Epheſ.4.verſ.22. Rom.6.verſ.6. & mundum. Quicquid denique Dei voluntati nobis patefactæ reſiſtit, aut affert remoram, aut aliquod quantumuis leue impedimẽtum. Nec enim quiſquam poteſt duobus Dominis præſertim cõtrariis ſeruire, Mat.6.v.24, veluti Deo & diabolo : Dei Spiritui & carni ſuæ, Galat.5. Nouo & Veteri homini, Coloſſ.3.v.8, & 10. Quædam igitur ſunt quæ apertè & irreconciliabiliter cum Dei voluntate pugnant, velut peccatum, Satã, vetus homo. Quædam verò videntur tantùm eſſe quædam impedimenta, ne tam promptè eã faciamus quàm vel debemus vel vellemus. Ergo & hęc ipſa impedimenta tolli à Deo poſtulamus, vt qua decet reuerentia & prõptitudine illi omnia obſequantur.

Notanda verò eſt illa Tertulliani ſententia, qui cenſet nos hac petitione poſtulare à Deo patientiam in afflictionibus, & rebus aduerſis, quoniam potiſsimum tunc aduerſus Deum indignamur, & murmurare ſolemus, quoniam illius vo- B luntas nobis iniuſta & dura videtur. Verùm ſi vti par eſt expenderimus illud Iobi, Iob.1. *Deus dedit, Deus abſtulit*, Item Pauli illud Act.14.verſ.22. *Oportet nos per multas afflictiones ingredi in regnum cælorum*: item & illud, *Diligentibus Deum omnia conferunt ad bonum ijs*, Rom.8.v.28, facilè, Deo dãte, ipſius voluntati etiam in mediis afflictionibus acquieſcemus.

Sed videndũ eſt quid aduerſus iſta ſoleat obiici. Ac primùm quidem illud ſolet nempe etiam inuitis hominibus & diabolis ipſis fieri Dei volũtatẽ. Cur igitur eam à nobis vel ab aliis fieri poſtulamus? Reſp. Vt nos Dei glorię & regni cupidos teſtemur : vt demõſtremus nos eſſe Dei filios & ſeruos qui parere ipſi optemus. Ergo continet hæc precatio inſignẽ ac veram fidei noſtræ, & noſtri de gloria Dei promouenda ſtudij ac zeli teſtificationẽ. Porrò quod dicitur fieri ſemper Dei voluntatem etiam inuitis rebus omnibus, id de voluntate Dei (quæ Beneplaciti ſeu arcana eſt) propriè intelligitur, non de hac. Nam ea quæ hominibus C patefacta eſt, debet non tantùm fieri, ſed ab iis, & quidẽ volentibus fieri, à quibus intelligitur, quibúſque præcepta eſt : cui tamen non ſemper parent homines, quibus præcipitur.

Deinde obiicitur illud Pauli Rom.9. verſu 19, *Voluntati Dei quis reſiſtet?* Reſpon. Multa quidem voluntati Dei reſiſtunt ſi de conatu & affectu quæratur : nihil tamen tantùm poteſt, vt quod Deus effectum eſſe ſemel arcana voluntate vult, non fiat, aut non eueniat. Verùm non tantùm rei, id eſt voluntatis Dei euentum hîc poſtulamus (qui proculdubio ſemper erit) ſed etiam omnes conatus noſtros, & omnes omnium voluntates & affectus illi voluntati Dei patefactæ ſubiici & morigeros reddi volumus, & precamur.

Præterea etiam affertur illud, fruſtrà id à nobis peti, quod propter rerum ipſarum ἀδυναμίαν, & mundi huius (quandiu quidem talis erit) rebellionem fieri non poteſt. Sed idem reſpondemus quod ad poſtremam obiectionem ſuperioris petitionis iam diximus, nempe à nobis non

A poſtulari quod fieri neque per rerum ipſarum naturam, neque etiam per Dei decretum poteſt, ſed tantùm vt hîc Dei voluntas impleatur quàm illa optimè fieri & à quibus fieri debet. Neque enim dum ita precamur, *Fiat voluntas tua*, &c. ſpectandũ eſt quid poſsint ſinguli homines etiam pij: neque excutiendum quod illi præſtent, ſed eò collimandum eſt, vt & perfectiſsimè, quantum fieri poteſt, omnia Deo pareant.

Denique obiicitur, ſi ita perfectè fiat Dei volũtas, quemadmodum petimus, plenam perfectámque in hominibus piis iuſtitiã eſſe poſſe. Id quod pugnat cum ſuperioribus: Et Anabaptiſtarum ac Iuſtitiariorum Hæreticorum errorem planè cõfirmat. Reſpondeo. Siquidem id fieri poſſet hîc, id eſt, ab omnibus in hac terra & in mortali hoc corpore degentibus, quod petitur hac precatione, ſanè perfecta in hominibus iuſtitia ineſſet. Sed quia non poteſt quamdiu hic erit rerum & mundi ſtatus, non poteſt quoque hîc eſſe plena & perfecta iuſtitia in hominibus. Si quidem eò ferri nos deſiderio oportet, quò tamen reipſa tantùm adB ſpiramus, quandiu in hoc corpore mortis peregrinamur. Et hæc quidem hactenus. Sequitur altera huius petitionis pars, *Sicut in cælo & in terra*, qua ſimilitudine nimirum explicat, quàm perfectè obſequium Deo præſtari, & ab hominibus reddi poſtulemus, quantum nempe & quale ab ipſis beatis Angelis ac Spiritibus eidem Deo in cælo exhibetur. Cæterùm ſunt multæ huius loci interpretationes. Ac primùm quidem Bernardus in Sermone de Obedientia, Patientia, & Sapientia, putat hæc verba duabus quoque præcedentibus petitionibus eſſe aptanda, *vt Patrem noſtrum qui eſt in cælis oremus quatenus & nomen eius ſanctificetur, & regnum adueniat, & voluntas fiat: hæc inquam, omnia ſicut in cælo & in terra: alioquin vbi non ſanctificatur nomen eius*? Verùm Chriſtus addidit iſta diſertè huic tertiæ petitioni, quoniam illa eſt duarum ſuperiorum velut extremum, & conſummatio ac ſcopus. Tertullianus ſic alicubi has voces interpretatur, quaſi petamus, *vt fiat voluntas Dei in nobis, & quidem hîc in terris, vt poſſit ſcilicet poſtea fieri in nobis, ſed in cælis, id eſt, ſalui fiamus*. Sed ille peruerC tit rationem ſimilitudinis. Idem fecerunt Ieſuitæ quidam poſtea. Fit enim comparatio obedientiæ noſtræ cum Angelica, & terrenæ cum cæleſti, vt exemplar perfectæ obedientiæ à nobis in illa cæleſti & Angelica quæratur. Cyprianus, quod ex Tertulliano didicerat, exponit hęc verba figuratè, quaſi terra pro corpore noſtro, cælum pro anima ſumatur, oremúſque, vt Dei voluntas fiat à nobis corpore & animo, nullo prorſus hîc quidem cõmodo ſenſu. Auguſt. 136. *de Tempore* duplicem interpretationem affert his verbis,

Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra. Quid eſt hoc? Vt quomodo tibi ſeruiunt angeli in cælo & nos tibi ſeruiamus in terra. Angeli ipſius ſancti obediunt illi, non illum offendunt, faciunt iuſſa amando eum. Hæc ergo oramus, vt & nos præceptum Dei charitate faciamus. Iterum verba iſta aliter intelliguntur. Cælum in nobis anima eſt, terra in nobis corpus eſt. Optima verò & vtiliſsima eſt Hieronymi expoſitio libr. 3. contra Pelagianos. *Petimus, vti imitetur Angelos humana fragilitas, & voluntas Domini compleatur in terra.* Nam quotieſcunque de plena perfectáque noſtra iuſtitia, & noſtra erga Deum obedientia ac regeneratione, ſeu vitæ ratione agit S. Scriptura, A toties nos ad cæleſte illud πολίτευμα reuocat, vbi perfectiſsimè & fideliſsimè obeditur Deo Epheſ. 1. verſ. 3. Coloſſ. 3. verſ. 2. Philippenſ. 3. verſ. 20. Nam Beati Angeli, & ſancti dicuntur inter reliqua Dei opera eum perfectiſsimè prædicare, illíque parere Pſal. 103. v. 21. 145. Pſal. 10. Et certè iidem Angeli dicuntur electi ſancti, 1. Tim. 5. verſ. 21. & ſemper videre faciem patris. Matth. 18. ver. 10, & cæleſtes, quoniam ſemper & in omnibus ſunt Deo morigeri imò obſequentiſsimi. Quamobrem ad eos qui (ſicut & nos) ſunt Dei creaturæ, imitandos inuitamur, atque reuocamur. Eſt igitur in his verbis *Cælum & Terra*, Figura. nã ſynecdochicῶs & Metonymicῶs pro beatis illis ſpiritibus (qui ſunt in cælo) ſumitur vox cælum, & pro loco ipſo beatorum, ſicut & terra pro hominibus qui in terra ſunt, & pro ipſo loco ſeu elemento terræ, in qua homines habitant.

Cæli verò nomine hîc neque aſtra, neque planetas, neque orbes illos cæleſtes conſpicuos intelligimus, quoniam ea omnia ſenſu & ratione B carent, quicquid Priſcillianiſtæ hæretici contrà aſſeuerent. Itaque verè Deo parere dici non poſſunt, niſi tropicè, & ſuo quodam modo, quemadmodum dicitur Pſalm. 148. 149. Am. 9. Sed non magis cæleſtia iſta poſſunt nobis ad imitandum proponi, quàm terrena hæc, veluti flumina, quæ ſuos curſus ſeruant: arbores, quæ ſuos fructus tempore à Deo conſtituto ferunt: terra ipſa, quæ munus ſibi à Deo impoſitum facit: quæ tamen non afferuntur in iſta comparatione: ſed illa duntaxat, quæ voluntatem habent, (ne eſſet nimium diſsimilis comparatio) Quales Spiritus beati, qui in cælo ſunt illo omnis Dei gloriæ perfectiſsimo domicilio, quod ſuprà omnes cælos iſtos inuiſibiles conditum eſt, & ſitum.

Porrò, quid hac ſimilitudine poſtulemus, eſt nunc explicandum. In ſumma igitur petimus, vt quo ſpiritu, modo, affectu, animíque voluntate, promptitudine & alacritate Angeli beati Deo pa- C rent, nos quoque eidem Deo morem geramus, & obſequamur. Præclara enim eſt illa Sermo. 6. de Quadrageſi. Bernardi ſententia, *Nec leproſa obedientia, nec canina patientia commendatur. Nã velint, nolint, non modò homines, ſed etiam dæmones & faciunt & patiuntur, quod prouidentia ſumma*, id eſt, Dei *diſpoſuit*. Qui igitur inſcij ſeu neſcientes Dei voluntatem, eam faciunt, eorum eſt leproſa & ἀναίσθητος obedientia: Qui verò ſciẽtes quidem eam, ſed reluctantes & murmurantes parent, eorum eſt canina patientia. Neutrum igitur in nobis probatur, aut ineſſe debet. Sed vt & ſcientes, & vt volentes eam exequamur. Atque hæc tria maximè in omni noſtra erga Deum obedientia ineſſe debere docet iſta iam ſimilitudo, nimirum vt Deo pareamus, lubentiſsimè, citiſsimè, fideliſsimè. Hæc eſt enim perfecta obedientia. Atque eadem illa tria in Angelorum beatorum obſequio, quod Dei mandatis præſtant, poſſunt obſeruari. Lubentiſsimè enim Deo parent Angeli ſancti, non obmurmurantes, non tergiuerſantes, non aliquam excuſationem quærentes aut afferentes, veluti quum mittuntur miniſterij cauſa propter eos qui hæredes erunt ſalutis, non cauſantur ſe eſſe hominibus, præſertim

pecca-

A peccatoribus digniores 1.Hebræo.14.ſed lubentiſsimè munus ſibi iniunctum obeunt. Item citiſſimè ſeu celerrimé. Nam non perfunctoriè, non diſceptantes,non nectentes moras, ſed ſtatim, & quamprimùm ſeſe dant viæ, accingunt præcepto operi,& illud exequuntur,qualis ille Angelus,qui vna duntaxat nocte in gratiam Eccleſiæ 180000. hominũ in caſtris Aſſyriorum occidit 2.Reg.19. verſ.35. Itaque *valentiſſimi robore* dicuntur Pſalm. 103.ver.20. Denique & fideliſsimé. Neque enim partem tantùm mandati Dei faciunt, partem autẽ negligunt,& relinquũt incuratam, ſed totum Dei mandatum & aure exhauriunt, & opere. Itaque non, niſi reuocante Deo, ſemel ad exequendum miſsi,ceſſant, quemadmodum apparet in excidio Sodomæ & Gomorrhæ , & in peſte immiſſa in Iſraëlem tempore Dauidis Gen.19.v.22. & 2.Sam. 24.v.16. Atque hæc tria de Angelorum miniſterio facilè colligi dico ex Pſal.103.v.20.his verbis, *Benedicite Iehouæ, Angeli eius, valentiſſimi robore, efficientes verbum eius, auſcultantes voci verbi eius.* Robur enim Angelorum refertur ad exequutionis B celeritatem : quòd autem dicuntur efficere verbũ Dei,ad eorum fidelitatem : quòd denique ipſius voci auſcultare, ad eorum promptitudinem, ſeu animi alacritatem & parendi ſtudium ac deſyderium,quæ eadem tria poſtulamus in nobis , quum hîc viuimus,ineſſe,vt Deo pareamus. Atque hîc finita eſt huius tertiæ precationis explicatio. Sequitur quarta.

CAP. XIIII.

Explicatio Quartæ Petitionis,
Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

DVplex huius petitionis ordo à nobis conſiderari poteſt. Ac primus quidem is , quem generalem vocamus , nempè, qui illi cum reliquis duabus ſequentibus communis eſt , ſecũdus autem is eſt,qui huius petitionis ad ſequentes collatæ proprius eſt & peculiaris.

Ac generalis quidem hic eſt, Quòd poſtquam tradidit,docuítque Chriſtus ea quæ ad Dei gloriã inter homines erigendam , ſemélque ſtatuendam C immediatè pertinent , iam & illa ſubiicit , quæ, quanquam & ipſa quoque ad Dei gloriam ſunt referenda,1.Cor.10.ver.31. (*Quicquid enim agimus, omnia propter Dei gloriam agenda ſunt*) tamen ad nos,noſtrámque vtilitatem etiam ſpectant. *Sufficientia enim vitæ rectè appetitur non propter ſeipſam quidem , ſed vt eam habentes commodiùs Deo ſeruiamus*,vt ait Auguſt. ad Probam Epiſt.121.Poſtquã igitur quæ ad Dei laudem ſunt neceſſaria,poſtulauimus,& procurauimus,commodis noſtris etiam ex ipſius Dei conceſsione proſpicimus,ad ea quoque ſecundo loco poſtulanda deſcendimus. Et id quidem ordine recto.Primùm enim regnum Dei petendum eſt Matth.6.Sic primùm poſtulat Dauid,vt Dei facies illi illuceſcat, & omnia ſibi inde proſpera futura pollicetur,Pſalm.4.ver.7.Verùm obiici poſſe videtur,Nihil fuiſſe ſuperioribus petitionibus addendum,neque hac fuiſſe opus. Nec enim ea eſſe expreſsè roganda, quæ ad nos, vel ad hanc vitam peculiariter pertinent.Ait enim Chriſtus,*Ne eſtote ſolliciti,dicentes quid edemus,aut quid* A *bibemus,aut quo amiciemur?* Primò,id eſt , *vnicè quærite regnũ Dei,& iuſtitiam ipſius,& omnia adijcientur vobis. Nouit enim Pater veſter cæleſtis vos indigere his omnibus.* Quamobrem hæc etiam non expreſſè petita tamen adiicerentur vltrò nobis à Deo.Reſpondeo , Chriſtum iubere, vt iſta tamen à Deo poſtulemus,& quidem expreſſè & diſertè, nempe quò teſtemur nos Deum eorum quoque donorũ auctorem agnoſcere,quæ & corporis,& animi noſtri bona ſunt:vt ab eo inſolidum, & omnibus in rebus pendere diſcamus:vt demum , ſi quid nobis deeſt,ad eum vnum confugere:non in nobis ipſis, non in hominibus,non in brachio carnis confidere, aut ſpem noſtram fiduciámque collocare doceamur.Illa ergo non petuntur à Deo, quaſi alioquin ea ſui nominis & gloriæ ſtudioſis non daturo niſi peterentur , aut quaſi propter eorum ipſorum petitionem largiatur qui id ſponte facit, aut quaſi ſit de iis ipſis Deus commonefaciendus : ſed petuntur à Deo laudis ipſius agnoſcendæ ac teſtificandæ gratia,tanquam ab omnium bonorũ fonte, & vt ipſi certiores ſimus , nos ea ipſa corporea B & terrena eſſe impetraturos , quando ea petimus. Dicit enim Dominus, *Quæcunque petieritis in fide impetrabitis*,1.Ioan.5. Denique quum ait Chriſtus, *adijcientur vobis*,non negat tamen eſſe petenda. Et hæc quidem quod ad generalem trium ſequentiũ precationum ordinem & adiectionem.

Peculiaris autem huius petitionis ordo & ſitus, illiúſque cauſſa ſpectanda iam nobis eſt. Eſt autẽ hæc, quòd quum tribus ſequentibus poſtulatis ea petamus,quemadmodum loquitur Bernar. Serm. 5.de Quadrageſ.*quæ ſunt huius temporis*, id eſt, *quæ ſunt bona corporis & animæ*, priori loco conſtituta eſt à Chriſto ea precatio, quæ corporis bona, vitæque huius terrenæ ſuſtentationem flagitat.Quæ enim ad nos pertinent,ea vel ad corpus,vel ad animum noſtrum referuntur.Quæ igitur ſpectant ad corpus,ea priore loco complexus eſt Chriſtus.Ratio eſt , quòd ille tarditati noſtræ ſic conſultum eſſe voluit, & noſtri ingenij tum infirmitati , tum notitiæ,qui terrena hæc faciliùs cognoſcimus,apprehendimus,ac precamur. Itaque vt nos ad reliquas duas petitiones gradatim eueheret,quæ propriæ C ſunt cæleſtis vitæ,ab hac notiori cœpit Chriſtus , vt ab ſe eodem cæleſtia illa & longè maiora (qualis eſt peccatorum remiſsio , & animi inuicta conſtantia & ſancta fortitudo)nos accepturos eſſe ſperemus,à quo terrena & corporalia precantes accepimus.Non igitur,vt terrena cœleſtibus præferenda eſſe doceremur:non item,vt rerum terrenarum,& corporis noſtri curam(ad quam iã plus nimium attenti ſumus) augeremus,magíſque foueremus,priore loco hanc petitionem, *Panem noſtrum quotidianum da nobis*, Chriſtus collocauit:ſed vt noſtram infirmitatem ſubleuaret,& à notis,vti diximus,ad dignotiora nos perduceret,à facilioribus ad difficiliora,à terrenis ad cęleſtia.Hæc enim precatio ea poſtulat à Deo, ſine quibus nec ſubſiſtere,nec in eius ſeruitio ſuſtentari,nec ipſius gloriæ hîc inſeruire poſſumus, Nempe ſi neque viueremus, neque aleremur, ſeu ſuſtentaremur in hac vita.Ex quo etiam illud eſt,quod ait Paulus, 1.Timo. 4. ver. 8.*pietatem ac fidem habere promiſſionem non tantùm vitæ futuræ,ſed etiam præſentis*.Et infideli

A peior eſt,ait idem Paulus, qui ſe & ſuos negligit, nullámque de iis curam habet cap.5.v.8. Etſi verò Dominus plus bonorum terrenorum ſæpè tribuere ſolet infidelibus hominibus, quàm ſuis Pſ. 17.verſ.14.ſuos tamen non negligit,nec famelicos aut inanes eos dimittit,aut eſſe vult, vel deſerit egentes Pſa.37.v.25.Pſal.112.Quare hæ cauſſæ ſunt, quamobrem priori loco conſtituta ſit à Chriſto inter reliquas ſequentes prior hæc petitio:non eſt autem ea ratio,quam ſcribit Ambroſ.lib.6. de Sacrament.c.5.quòd quum hæc poſtulatio præparet nos ad corpus Domini ſumendum (qui eſt panis, vt quidem ait ille,hîc deſignatus verè ἐπιούσιος)præcipua quædam res ex illis ſit,quæ deinceps poſtulantur.Nec enim hîc de pane cæleſti, ſed de terreno propriè agitur,vt apparebit.

Non obſtat autem,quòd Prou.30.v.7.(qui locus eſt huic & ſequenti ſimillimus)priùs petũtur, quæ ad animum pertinent, *Mendacium & vanitatem*,ait Solomo,*remoue à me.* Deinde verò quæ
B ad corpus,*Panem mihi conueniẽtem tribue*.Cauſſam enim iuſtam attulimus cur hunc ordinem noſtri tantũ,non autẽ rerũ(quas hac, & ſequẽtibus precibus petimus)ratione cõſtituerit.Sequẽtes enim petitiones eſſent huic præferendæ, ſi res ipſæ ſpectarentur. Sed quoniam cura iſta carnis inter neceſſitatis perpetuæ anguſtias, & concupiſcentiæ æſtum ac voraginem conflictatur, Dominus tanquam importuno mendico ſemel hîc conſultum voluit, vt tanto expeditius quæ potiora ſunt & piorum peculiaria appeterentur.

Iam verò de verbis huius petitionis agendum eſt.In verbis autem vterque Euangeliſta penè cõſentit. Hoc tantùm diſcriminis eſt,quòd Lucas c. 11.explicat vocem σήμερον, qua vſus eſt Matthæus cap.6.nempe τὸ καθ' ἡμέραν.In cæteris planè gemelli ac conuenientes.Sic enim habet vterque.Lucas τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δίδου(Matthæus) δὸς ἡμῖν τὸ καθ' ἡμέραν.[Matthæus σήμερον] Porrò hæc verba ſic conuertunt, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, vel *in diẽ*.Nullus enim hîc eſt vſus articulorũ,quũ ex more tantùm Græcæ linguæ ſint additi, non autem vllius διακρίσεως conſtituendæ gratia.Vtrùm autem vox ἐπιούσιον ſit conuertenda, *Quotidianum*,
C an, *Superſubſtantialem*, an *ſuperuenientem*, vt alij malunt,ſuo loco à nobis poſtea dicetur.

Summa verò huius petitionis eò redit , vt precemur à Deo βιωτικά, nempè primùm victum & veſtitum,id eſt, ea quæ huic corpori noſtro alendo & veſtiendo neceſſaria ſunt,vt explicat Paulus 1.Timoth.6.verſ.8.Deinde ea quæ ſunt externarũ huius vitæ neceſſitatum adminicula,id eſt,quæ faciunt,vt tranquillè hîc viuamus,quamdiu & quãtùm Deus ipſe expedire nouit.Ergo & pacẽ quoque,& reliqua,quæ ſunt huius vitæ,& victus noſtri velut condimenta,hac prece petimus.2. Theſ. 3.v.16.Chryſoſt.Hom.42.in Ioan. *Quæ ad hoc corpus pertinent,ea petuntur hac precatione.*

Neceſſitas autem vel potius æquitas huius poſtulationis addendę eſt multiplex.Primùm,vt intelligeremus,nos totos Dei prouidẽtiæ committendos eſſe,vt nos alat,foueat, & ſeruet, *Iacta in Dominum curam tuam*,vt eſt Pſalm.37. Deinde,vt agnoſceremus Deum omnis boni, cuiuſcunque illud generis ſit,auctorem vt eſt Iacob.1. verſu 17. Nam à quo ſpiritualia,ab eo etiam corporalia habemus.Eius enim, id eſt, vnius veri Dei ſunt,& A
ſpiritualia & corporalia bona, quemadmodum interpretatur hunc locum Bernardus.Tertiò vt à Deo expectare diſceremus ea quæ nos alioqui tam anxios & ſolicitos tenent : Ea verò ſunt,quæ ad hanc vitam pertinent. Ergo ne nos ea cura & ſolicitudine,quemadmodum faciunt infideles, in poſterum fatigemus, hîc remedium eſt allatum. Magnus eſt certè pietatis profectus, ſi quis eam, quæ omnium oſſibus mordicùs inſidet, infidelitatem & anxietatem (quæ melioribus etiam cogitationibus obſtat) exuere potuerit, aut in Deum reponere. Quò maior igitur eſt in eo noſtra diffidentia,quò maius noſtrum,& vehementius rerum terrenarum deſiderium, quò maior eſt noſter ad eas res expetendas & conquirendas impetus,eò certius,promptius, & maius remedium afferri debuit, quod à Chriſto hac prece factum eſt.Denique Deus etiam noſtri huius corporis & vitæ dator,& cuſtos,& ſuſtentator eſſe hinc intelligitur. Itaque iampridem bona iſta corporis à piis petebantur,vt à Iacobo Geneſ. 28. verſu.20. à Dauide Pſal.23.à Solomone,Prouerb.30. verſ.7. B
Eſt enim hoc conſcientiæ noſtrę vulgare & commune teſtimonium etiam ipſis infidelibus hominibus notum, à Deo videlicet bona corporis eſſe petenda, & vitæ huius commoda. Inde & apud profanos Decimæ omnium bonorum vouebantur Herculi:inde tot vota à profanis concepta, ſi eorum victoriis & commodis Dij fauiſſent. Inde tot Dij ab illis conficti,& ſingulis frugibus, meſſibus, ac rebus præpoſiti, qualis Deus Geniculus, Dea Rubigo, Dea Pomona, Dea Flora, & reliqua idola ab Auguſt. ex M. Varrone commemorata in libris de Ciuitate Dei. A Deo eſt terræ benedictio & cibus noſter, Geneſ.2.verſ.8. Deut 28,& Oſee.2.21.1.Timoth.4.verſ. 4.&c. Et certè Satan vt noſtræ etiam vitæ huius terrenæ hoſtis eſt,ita & omnia ad eam tuendam neceſſaria facilè corrumperet,niſi hac prece repelleretur.ſed & ille nobis blaſphemas & ſceleratas vitæ huius tuendæ rationes nobis ſuggerit. Denique & Sortiarij ab ipſo Diabolo victum ſuum apertè & ſceleratè petunt.Improbi verò homines,vt fures & auari,à Satana quidem eundem victum quærunt : ſed occultius. C
Vt igitur omnes illegitimas & improbatas victus quærendi rationes oderimus ac fugiamus , iubemur à Deo ipſo petere victum noſtrum.

Hic verò nobis duobus quibuſdam hominum generibus eſt occurrendum,priuſquam ad ſingulorum verborum explicationem accedere commodè poſſimus.

Quidam enim negant eſſe conſentaneum , vt nos , qui ſpirituales ſumus , & in craſtinum ſoliciti eſſe vetamur, Matth.6. panem hunc terrenum , qui vt ait Hieronym. in Epiſt. Pauli ad Titum cap.2. *paululum coquendus eſt* , *& in ſeceſſum abyciendus poſteà* , *in prece Dominica rogemus aut commemoremus* , præſertim quum ſit tota cæleſtis hæc precatio. Ergo ſpiritualem tantùm hîc putant , non terrenum panem cogitandum. Verùm iſti parum & verba ipſa huius precationis conſiderant , & Dei non tantùm erga genus humanum , ſed & erga omnes res à ſe conditas infinitam benignitatem , ac ſcopum.

Ac qui-

A Ac quidem verba ipſa hoc ſatis indicāt, quòd vox *Hodie*, vel τὸ καθ' ἡμέραν, id eſt, in dies docet à Chriſto eum panem ſignificari qui terrenus & corruptibilis eſt:& qui non niſi in diem curandus eſt,& ſufficere poteſt. Cæleſtis autem panis (qualis eſt & verbum Dei,& Chriſti caro Ioann.6.v.8.& 15.) quia non corrumpitur, neque in diem tantùm durat.1.Petri.1.ver.25. idcircò non eget hac particula σήμερον, neque propriè quotidianus eſt. Nam cibus cæleſtis in perpetuum virtutem ſuam ac alimoniā extendit multò magis quam cibus ille in 40.dies, qui Eliæ in deſertū profecturo datus eſt ab Angelo.1.Reg.19.verſ.6.Scopum autem Chriſti iidem non conſiderāt, quoniam hic fuit Chriſti ſcopus, vt doceremur petere à Deo, quicquid eſt ab eo poſtulandum. Atqui non tantùm cæleſtia, ſed & terrena quoque ab eo flagitari debent, quum ſit omnis boni fons & autor Iacob.1.ver.17.Ergo eſſet manca hæc oratio ſeu formula à Chriſto tradita, niſi aliqua in ea pars ſeu petitio eſſet, qua neceſſitates huius vitæ bonáque terrena, quæ nobis ſunt neceſſaria, à Deo flagitaremus. Sic Prouer.30. B verſ.7.Sic Gen.28.verſ.20.A piis viris τὰ βιωτικὰ à Deo petuntur, benignitas denique Dei tanta eſt, vt res omnes à ſe conditas alat ipſe, & ſuſtentet, ſicut apparet, Gen.1.& 2.& Pſ.145.v.16.& 16.Mat. 6.v.25.*Intuemini in volucres cæli, quæ neque ſerunt, neq; metūt, neque cogunt in horrea, & Pater veſter cæleſtis alit eas*, ait Chriſtus, *Nonne vos multo præſtatis?* Ergo quātò magis Deus alet homines ipſos, quos ad ſui imaginem condidit & formauit? & id docet Chriſtus ipſe Matth.5.verſ.45.*propterea enim lucere facit Solem ſuum Deus ſuper bonos & malos.* Quòd ſi, vt ille ait, *Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri*: Sanè (liceat modò παρῳδίζειν) *Non minor eſt virtus quàm condere facta tueri.* Sic igitur primis, qui negant hîc panem ordinarium flagitari, reſponſum eſto.

Alij autem alio modo verum huius petitionis ſenſum & vſum corrumpunt, videlicet Marcionitæ,& Manichæi. Negant iſti vllam eſſe Deo de hiſce noſtris corporibus curam, quoniam ea cura neque ipſius maieſtati conueniat, neque congruat. C Eſſe enim carnē & corpora hæc noſtra mali principij ſeu Diaboli opus, non autem boni Dei, eſſe ſordida, aliena à vita æterna. Itaque non decere bonum Deum, vt hæc corpora noſtra curet, alat, & carnem hanc noſtram ſuſtentet, quum ſit res mala,& Dei cura prorſus indigna. adeò vt ipſi Manichæi prohibuerint, quemadmodum aduerſus Adamant.cap.17.ſcribit Auguſtinus, ne quis è ſua ſecta eleemoſynam pauperi, quamuis Chriſtiano, erogaret, quòd ſic illius carnem, ac proinde rem malam, foueret. Tam fuit impudēs nimirum iſtorum hominum furor. Reſpondeo,& carnem (quatenus quædam ſubſtantia eſt) & corpora noſtra eſſe Dei, non autem diaboli opus: itaque à Deo illis proſpici,& dari neceſſaria oportere. Nec enim indigna eſt opifice operis ſui cura. Non eſt indigna patrefamilias familiæ totius ſuæ, & infirmorum ſeruorum ac rerum cura, qualis equorum & canum,& iumentorum, Prouerb.12.verſ.10. Ergo nec Deo indigna eſt carnis noſtræ, quam condidit, cura, vt eam ſuſtentet. Tantum verò abeſt, vt corpora noſtra Deus oderit, vt illa ipſa dicantur & templa Spiritus Sancti 1. Corinth. 6.verſ.19. & membra Chriſti verſ.15.& imaginis Dei ταμεῖα, id eſt, conditoria ſeu thecæ. A Præclarè verò carnis dignitatem contra iſtos hæreticos oſtendit Tertullian.1.in libr.de Reſurrect.carnis, vbi tandem ſic, vti diximus, colligit. *Hoc quoque ad gloriam carnis exuberat, quòd proximam Deo* (id eſt, animam ad Dei imaginem factam) *continet & ipſius dominationis compotem facit.* Quamobrem non tantùm æquum fuit, ſed etiam conſentaneū & congruens Deo Opt. Max. vt carni & corporibus quoque noſtris, vti & Animabus neceſſaria ſumminiſtraret, eáque ab ipſo peteremus. Quod hac prece facere à Chriſto docemur.

Iam verò ad ipſorum verborum explicationem deſcendamus.

Primùm autem occurrit vox *Panem.* Panis ſignificatio in S.Scriptura, & apud Eccleſiaſticos ſcriptores, eſt multiplex. Alia nempe figurata eſt ſeu tropica, alia verò ſimplex. Ac figurata, vt quū caro Chriſti dicitur Panis Ioann.6. Verbum quoque Dei appellatur Panis Amos.8.verſ.11. In ſumma colligūt quidā ex Can.Paſce.Diſt.86.can.Audacter 8.Quæſt.1.& ex tota Diſt.2.de Cōſec. quatuor eſſe huius panis figurati ſignificationes, nēpè B

vt accipiatur vel pro pane {
Euchariſtiæ,
Eleemoſynæ,
Tribulationis,
Doctrinæ.

Quibus ſignificatis omnibus vtuntur nonnunquam eccleſiaſtici ſcriptores, vti Hieronymus,& Ambroſius Serm.14.in Pſal.118, *Myſticus ſermo*, ait, *ſacrarum literarum eſt panis fortior.* Sed in hac precatione Dominica nomen panis ſimplici & natiua, non autem figurata locutione ſumitur, pro vero nimirum pane, qualem edimus, quique eſt cibus corporis noſtri.

Porrò συνεκδοχικῶς accipitur hoc loco pro omni eo quod nobis ad vitæ huius ſuſtentationem neceſſarium eſt, Auguſt.Ser.135.de Tempore, *Neceſſariam corpori exhibitionem petimus, apertè in pane ſignificantes quicquid eſt nobis neceſſarium.* Sic Deut.8. v.3.vox *panis* accipitur, quum dicitur, *Non in ſolo pane viuit homo*, id eſt, non ſolo victu ordinario, pane, carne, & vino: ſic Actor.2.v.46. *Ac frangentes domi panem capiebāt cibum* vbi ἄρτος voce τροφῆς explicatur generaliter. Sic Gen.28.v.20. *Si Deus dederit mihi panem ad veſcendum.* Sic Prouerb.30.ver. C 7. Vnde & panem à Græco πᾶν quidam deduci putant.

Quarè primum continentur hac voce *Panis*, omnia quæ ad victum noſtrum pertinent, id eſt, ad alendum hoc corpus noſtrum, (quemadmodum explicat Paulus 1. Tim.6 v.8.& cap.4.v.3.) vt verbi gratia, *ignis, ſal, ſimilago tritici, Lac, mel, ſanguis vuæ, id eſt, vinum, oleum : ſed & veſtimentum & ferrum.* Omnia hæc piis ſunt bona:& dona Dei: vti & vita hæc ipſa corporea,& terrena. Hæc omnia generali nomine Paulus vocat διατροφὰς. Iul. Pollux l.6.c. 7. ἡ τροφὴ, ait, ἄρτοι, κρέα, ἄλφιτα, μάζα, ὄψα, σῖτα, σιτία, ἐδέσματα, βρώματα.

Secundo verò loco continentur nomine Panis omnia, quibus tegimur, Σκεπάσματα vocat Paulus, 1.Tim.6.v.8. Chriſtus περιβολὰς, Matth.6 ver.32. alij ἐνδύματα vel ἐσθῆτας, Latini indumenta ſeu veſtes, quanquam inter *veſtem & veſtimentum* conſtituit diſcrimē Sext.Pōpeius. Vlpianus etiā in L. verbo Victus.& de verb.ſignificat.ait, *verbo Victus continentur, quæ eſui, potuique, cultuique corporis, quæque ad viuendum homini ſunt neceſſaria : veſtem enim vi-*

A *ctus habere ſpeciem.* Et quum habitatio ſiue domus ad tegendos nos, arcendáſque aëris iniurias comparata ſit, etiam Habitatio nomine Panis meritò hoc loco comprehenditur: ſed & certa ſedes quóque, certúſque commorandi locus, quod vtrũque eſt ſummum Dei donum, vti docetur Pſ.107.v.36. & Pſal.109.v.10. *Continenter vagantes ſint filij eius*, de impio loquens. Denique miſerrimum eſt perpetuò ἀπόλιδας εἶναι καὶ ἀλωὰς, i. errones & vagos, quanquam hæc quoque crucis Chriſti pars piis vt plurimum transſcribatur. 1. Cor.4.11.

Tertio loco pax quoque ipſa & tranquillitas tũ domeſtica, & priuata, tum etiam publica nomine *Panis* continetur. Eſt enim pax condimentum vitæ huius. Ac quidem domeſtica, quoniam vt eſt Prouer.17.ver.1. *Melior eſt buccella panis ſicci, quicũ eſt tranquillitas, quàm domus plena mactatis animalibus, in qua ſit contentio.* Sed & publica quoque pax ardentiſsimis à Deo votis petenda eſt, *vt ſine metu liberati ab hoſtibus noſtris ſeruiamus Deo*, vt ait Zacharias pater Ioannis Baptiſtæ, Luc.1.ver.74. Itaque iubentur etiam captiui Iſraëlitæ orare Deum pro pace & ſua & Babyloniorum, inter quos conuerſabantur, Hierem.29.ver.7. Paulus precatur pacem fidelibus, 2.Theſ.3.v.16. Pro magno Dei beneficio memoratur, quòd Eccleſiæ Dei habebant B pacem, Act.9.v.31. Et quæ pertinent ad pacem iubemur ſectari Rom.12.ver.18. 2.Cor.12.v.11. Denique ita precantur fideles Dominum Pſal.144.v. 14. *Nulla ſit irruptio, nulla ſit eruptio, denique nulla ſit querela in plateis noſtris.* & Pſal.122.verſ.6. *Sit pax in munitione tua, tranquillitas in plateis tuis*, vt quid nobis ſit ſentiendum, & quales habendi, qui ſemper vel domi, vel foris, vel apud ſe, vel apud alios, rixas, turbas, contentiones, aut bella ſerunt, & mouent, ex hac prece perſpicuè appareat, quos Græci ἀλάστορας & ἀσάτοις vocant. Ergo Magiſtratus quoq; functio & legitima adminiſtratio quæ eadem pacis publicæ vinculum eſt, hîc quoque à Deo præcepta commendatur.

Quarto loco nomine Panis continetur, quicquid ad ſanitatem quoque corporis, & bonam valetudinem pertinet Pſal.144.

C Quinto & vltimo loco, quicquid ad huius vitæ neceſsitates commodè ſubleuandas pertinet & confert. Nec enim petimus tantùm à Deo, vt atrũ ſemper panem voremus, etſi eo veſci poſſumus: ſed vt ſit aliqua tollerabilis vitæ noſtræ, noſtrorúmque conditio, ac ſuauitas, vt viuamus, non autem, vt hîc aërem & vitam hanc corpoream trahentes miſeri langueamus. Nec enim Dominus Deus ſuis hanc benignitatem & iucunditatem vitę denegat, vel inuidet, quantùm quidem illis expedire videt. Quanquam eos nonnunquam afflictionibus erudit & caſtigat, ne illa ſuauitatis vitæ illecebra ſeducantur aut pelliciãtur. Ergo quod quidam obiiciunt, Non ſatis à nobis peti omnia voce *Panis*, ſi quæcunque ſunt neceſſaria nobis in hac vita, hac precatione flagitamus, ineptum eſt ac inſulſum, & ex eo profectum, quòd quàm lata ſit hîc ſignificatio *Panis*, nequaquam intelligunt.

Cur autem voluerit Chriſtus nos voce *Panis* potius, quàm carnis, aut cupediarum, aut alio quopiam huiuſmodi vocabulo in illis poſtulandis vti: Ratio eſt, vt nos ad frugalitatem ac ſobrietatem maturè inſtrueret, & paruo contentos eſſe doceret: Denique cum victum benignè accipere, A quantumuis tenuem, quem ille ſua illa miſericordia nobis præbuerit, non obmurmurantes, non imitantes Iſraelitas, qui cepe & alia in deſerto requirebant, & illa mannæ præferebant. Numer.11. quam ſibi à Deo pro neceſſitate præſenti datam tanti antè fecerant, Exo.16. Quanquam enim Dominus Filiis ſuis δωμεῖ, id eſt, pluſquam liberaliter omnia ſuminiſtrat & effundit, tamen eam ſuam liberalitatem pro ipſorum commodo ac ſalute tẽperat ac moderatur. Ergo Pauli exemplo diſcamus & eſurire & abundare. Philipp.4.verſ.12. Neque verò oportet nos cupedias, & ſumptuoſos illos cibos ac delicatos qui carnem potius proritãt quàm alunt, à Deo petere. Præclarè enim Bernardus. *Sit oratio, quæ pro temporalibus eſt, circa ſolas neceſſitates reſtricta.* Auguſtinus in Epiſt.121. *Qui dicit in oratione verbi gratia, Domine multiplica diuitias meas*, aut *da mihi tantas, quantas illi vel illi dediſti* (idẽ de cibis iudicãdum) *puto eũ non inuenire in Oratione Dominica, quo poſſit hæc vota coaptare*, & Apoſt. vno verbo omnium appoſitiſſimè Rom.13. Carnis curam ne habete ad concupiſcentias. Tota quidem noſtræ ſufficientia vitę hac prece petitur, ſed paruo contenta eſt natura, quemadmodum etiã profani ipſi docent. Eſt enim victus naturalis facilè parabilis, vt ait M. Tullius lib.2.de Finib. bonor.& B malor. Extant apud A. Gellium. libr.7.cap.16. hi verſus Euripidis,

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι, πλὴν δυοῖν μόνον,
Δημήτρος ἀκτῆς, πώματος ὑδροχόου.

Id quod ipſum in Aſphodelo & Malua (quibus ſolis poteſt contenta eſſe noſtra natura) docuerat anteà Heſiodus lib.1. ἔργων καὶ ἡμερῶν. Ambroſius lib. 3.cap.7.Hexam. *Simplicem victum & naturalem cibum*, ait, *Deus reliquis cibis antetulit, & prius creauit*, Gen.1. *Hic enim eſt ſobrietatis cibus: reliqui diuitiarũ atque luxuriæ: Ille ſalubris: ille vtilis cibus qui morbos depellit, qui reſecat cruditates, tam dulcis, tam gratus, vt etiam repletis voluptati & vſui ſit.* Quamobrem, vt concludam cum eodem Ambroſio, hac voce, *Panis*, Dominus & exemplum frugalitatis, & magiſterium parſimoniæ nobis dedit.

Sequitur *Noſtrum.*) Noſter Panis appellatur, qui nobis datus eſt à Deo. Ergo qui alienus eſt, C & aliis, non nobis datus Panis, eo abſtinere debemus, ne ſimus fures. Eſt autem is Panis noſter, quẽ vel ex paterna hęreditate habemus, vel iuſta ratione ipſi nobis comparauimus. Qui verò fraude, vel vi, vel malis artibus eſt à nobis quæſitus, etſi apud nos eſt, tamẽ panis noſter non eſt. Ergo furum, latronum, vel prædonũ victus eſt iniuſtus, ac proinde alienus, vndè præclarè Paulus Epheſ. 4. 28. *Qui furabatur ne furetur amplius, ſed potius labori ſe dedat.* Nec verò audienda eſt iſta vel furũ, vel otioſorum hominum aliena prædãtium vox, *Aliter viuere non poſſum.* Poſſunt enim, ſi labori ſeſe impẽderint. Sed neque iſta quoque excuſatio & ratio eſt audienda, fideles eſſe mundi hæredes, id quod de Abrahamo, Rom.4.v.13. dictum eſt. Ergo quæcunque ſunt in hoc mundo, ad ſingulos fideles pertinere, & ab iis licitè conſumi, ac pro iure ſuo ſeu Domini capi & inuadi poſſe, quia nempe omnia ſint fidelium. Nec enim ea ſententia Pauli generalis eſt, ſed dũtaxat ad Abrahamum, & promiſsionem de gentium benedictione in ipſius

ſemine

A ſemine futuram pertinet. Deinde, etiamſi de ſingulis fidelibus id dici concederetur, tamen verum eſſe eatenus intelligeretur, quatenus Dominus ipſe ſingulis piis ſua illa dona partitur & largitur. Quæ enim non largitur cuipiam Deus, illa non ſunt cenſenda eſſe illius. Veluti tota hæreditas pertinet quidem ad liberos, ſed cuique pro virili, & pro parte tantùm, neque tota à ſingulis occupari poteſt. Ergo non tollit illa ſententia Pauli præceptum Dei, *Non furaberis*, neque diſtincta rerum dominia, vel ſingulorum bona confundit, vel miſcet, ſed vindicat rectum vſum rerum iſtius vitæ, vnis omnium rerum per Chriſtum Abrahamo promiſſum legitimis poſſeſſoribus.

Cæterùm quæritur, ſi *Noſter eſt*, quamobrem dari petatur? Reſpondeo. Quoniam tum demum noſter eſſe incipit, quum datus eſt nobis à Deo. Tunc enim eo bona conſcientia vti poſſumus, & cum gratiarum actione, vti docet Paulus 1. Tim. 4. verſ. 4. poſtquam nobis à Deo panis ille datus eſt ſiue donatus. Denique & quod noſtrum eſt ex B Domini deſtinatione & collatione, noſtrum magis fieri ipſa applicatione vt verè noſtro vſui cõmodóque cedat, nunquam non petere opportunum eſt. Quàm enim vt eſt in prou. Multa cadunt inter calicem ſupremáque labra?

Noſtrum porrò quum appellamus Panem & victum, & opes nobis à Deo datas, non eo ſenſu eas noſtras eſſe intelligimus, vt ſolis nobis, noſtræque familiæ earum rerum vſus inſeruire debeat, neglecta pauperum fratrum ratione & inopia. Quaſi quæ Deus nobis dedit, ea dederit, vt nos duntaxat, non etiam egeni, & alij fratres eorũ bonorum vſum perciperent. Noſter quidem eſt panis, non tamen vt ſoli eo veſcamur, ſed vt pauperes quoque nobiſcum. Sumus enim in eo conſtituti à Deo οἰκόνομοι, i. illius panis diſpenſatores. Ali ſanè eo pane, victu & opibus & poſſumus, & debemus, quoniam nobis eſt à Deo datus: ſed eodem illo pane cibandi ſunt quoque ac paſcendi pauperes, ac imprimis domeſtici fidei Galat. 6. v. 10. *Frange eſurienti panem tuum*, ait Iſai. cap. 58. verſ. 7. nempe vt ex eo quod præ manibus eſt, C quantum noſtra ratio fert, decidamus in vſum fratrum egentium: adeoque & Iobi exemplum nobis obuerſetur ſemper Iob. 31. 17. 18. 19. 20. & viduæ illius Sareptanæ laudatiſſimæ. 1. Regum 17. 15. Veſci verò nos eo poſſe ac debere, & bona cõſcientia poſſe docet Paulus 1. Cor. 9. v. 7. *Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non edit?* Vndè miſera eſt illa auarorũ parſimonia, vel hominum ſuperſtitioſorum ſtoliditas, qui ſuis rebus (quas in parato & numerato habent) vti formidant, ne cumulus videlicet & aceruus decreſcat, vel quaſi iis vti ſobriè ſit peccatum. *Quo mihi diuitiæ*, (inquit ille) *ſi non conceditur vti? Tantalus à labris ſitiens fugientia captat Flumina.* Quod hominum genus pulchrè irridet Horatius Flaccus lib. 1. Serm. Sat. 1. & Sat. 3. lib. 2. ad eum locum, Pauper Opimius.

Noſtrum denique panem appellamus, qui non vnis nobis, ſed & toti quoq; familiæ noſtræ alẽdæ eſt neceſſarius. Tãtũ enim panis nobis à Deo dari poſtulamus. *Qui enim ſuis, & maximè domeſticis non prouidet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior*, ait Paulus, 1. Timoth. 5. verſ. 8. Itaque quum dabatur Man ſingulis Iſraelitis dietim à Deo, iubebantur A patresfamilias non ſibi ſolis, ſed etiam toti ſuæ familiæ in ſingula capita colligere menſuram Homer. Exod. 16. verſ. 17. Et Prouerb. 12. verſ. 10. *Curat iuſtus vitam etiam iumenti ſui*, nedum vxoris, liberorum ſuorum, & ſeruorum ac reliquorum domeſticorum.

Sequitur Ἐπιούσιον. Diximus ſuprà vnius iſtius vocis occaſione & argumento diuerſas huius ſententiæ interpretationes allatas fuiſſe. Plerique enim tum veterum tum etiam recentiorum vocem Ἐπιούσιον explicãt *Superſubſtantialem*, id eſt, qui cibis omnibus prȩſtat, excellítque, quem eſſe & ſpiritualem cibum, & carnem Chriſti propterea volunt. Sic Hieronymus exponit in Epiſt. Pauli ad Tit. cap. 2. & lib. 3. contra Pelagianos. Sic Ambroſius lib. 5. cap. 4. & lib. 6. cap. 5. de Sacramentis. Sic Caſſianus Collatione 9. cap. 21. Sic Lyranus. Sic Scholaſtici. At verò Tertullianus, Cyprianus, & Auguſtinus Serm. 135. varij ſunt, tantùm vnius vocis nimirum ambiguitas vel ignoratio potuit. Afferunt quod videtur indicari Luc. 14. verſ. 15. Panem comedi in regno Dei: Et ſæpè Cœnam Domini B fractione panis intelligi. Act. 4. & 20. verſ. 11. Quod poſtremum verum eſt, quoniã Caro Chriſti dicitur panis cœleſtis, & animarum noſtrarum cibus. Quòd autem ad locum Luc. 14. planè eſt metaphorica locutio. Verùm quum planè conſentiat hic locus Orationis cum eo qui eſt Prouerb. 30. verſ. 8. *Ale me cibo demenſi mei*, &, vti diximus, alioqui futura ſit manca hæc precandi formula, niſi ea contineat ac petat quoque, quæ ad corporis vitȩque huius ſuſtentationẽ pertinẽt, dubitari nõ poteſt quin hȩc vox Ἐπιούσιος accipiẽda ſit de pane terreno, qui ſic à Chriſto appellatur, quòd ſubſtantiæ & vitæ noſtræ ſit commodus, aptus, ac ſufficiens, dietim. Quidam igitur putant quemadmodum ſequens dies dicitur. Ἐπιοῦσα ἡμέρα: 1V3
ſic panem ἐπιούσιον appellari, qui toto hoc die ſatis ſit futurus vſque in craſtinum ac ſequentem diẽ. Sic Chryſoſt. Homil. 42. in Iohan. Euangel. Itaque Ἐπιούσιον explicari vult per vocabulum, σήμερον, vel τὸ καθ' ἡμέραν. Baſilius in Regul. Breuiorib. moral. quȩſti. 252. ait, appellari ἐπιούσιον, ὡς χρήσιμον τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν, id eſt, noſtræ naturæ & corporis ſubſtantiæ commodum C atque aptum. Alij Ἐπιούσιον dici volunt τῇ ἡμῶν οὐσίᾳ ἐπαρκοῦντα, id eſt, qui noſtris viribus ſuſtinẽdis ac fouendis ſit idoneus & ſufficiens. Denique alij Ἐπιούσιον interpretantur qui dietim nobis datur, & nos alit, quòd dietim particulæ quædam è nobis noſtríſque corporibum effluant, quæ ſunt reſarciendæ, quemadmodum Phyſici docent, & ex eorum præceptis Anſelmus in Matthæum: alioqui prorſus collapſuris & defecturis, niſi vel in totum vel ex parte per cibum ſumptum illæ particulæ nobis reſtituerentur. Et hæc certè omnia vera ſunt: ſed tamen potius ego Baſilij ſententiam amplector, vt hîc commodus cibus petatur. Ad frugalitatem enim petitur, non ad cupedias, luxum, & delicias, vti iam diximus, ſed qui viribus tuendis & conſeruandæ valetudini ac corpori ſit & aptus, & ſatis.

Quæritur verò, Vtrum eum quoque panẽ petamus, qui pro noſtræ conditionis ratione nos deceat, id eſt, nobis conueniat, vt aliter & ſũptuoſius viuunt reges, frugalius verò priuati, iuxta illud, A *Atticus eximiè ſi cœnat,lautus habetur:*

Si Rutilus,demens &c. Vtrum igitur ſumptuoſus ille cibus à regibus vel eiuſmodi ſplendidioribus perſonis iſta pronunciantibus petatur. Quidam hoc ipſum ex eo exiſtimant, quod dicitur לחם חקי,Prouer.30.ver.8.Reſpondeo:Etſi Dominus Deus nos vult alere & paſcere pro ratione muneris & oneris quod nobis impoſuit: propriè tamen hîc docemur, ſiue priuati,ſiue reges ſimus, petere quotidianum panem, & quantum corporis viribus tuendis, non pompæ aut lautitiis aut magnificentiæ oſtentandæ ſit ſatis. Panis autem Cukki ſiue demenſi, eſt panis qualis & quàm exiguus à Domino eſt nobis conſtitutus. Sed dat Deus immenſa ſua miſericordia etiam ſupra id quod petimus,Epheſ.13.verſ.20. qui locus ad iſta vſque non incommodè, transfertur. Ergo non poteſt Apicius,vel ganeo, vel cupe diarius,vel lautus, vel diſſolutus quiſpiam dicere Deo, Da panem meis lautitiis, meis cupediis conuenientem, aut allubeſcentem delicato ſtomacho:ſed tantùm, Da panem huic vitæ ſalubriter tuendæ neceſſarium,quantùm,tu Domine,expedire vides. B

Sequitur,*Da,ſeu Dona,*Δὸς & δίδου. Hoc Luc.illo Matthæus vſus eſt.Dantur ſeu donantur quæ gratuita benignitate nobis conferuntur. Itaque ex mera Dei gratia victum etiam terrenum nobis ab eo dari fatendum eſt. Alioqui ſi noſtris meritis vel bonis operibus cum à Deo tribui ſtatuerimus,non erit donum,ſed merces. Sic enim Paulus Rom.11.verſ.6. (quanquam in diuerſa ſpecie) *Si ex operibus,iam non eſt gratia: alioqui opus iam non eſt opus:Si per gratiam,nō iam ex operibus,alioqui gratia iam non eſt gratia.* Ex quo perſtringēda eſt falſa eorum ſententia,qui putant,nos ſpiritualia quidē & cœleſtia bona mereri non poſſe: ſed terrena & caduca poſſe, quales ſunt opes, & victus iſte quotidianus. Imò verò etiamſi totam Dei voluntatem impleuerimus:ſumus tamen quemadmodum docet Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſerui inutiles.Luc.17.ver.10.Et dicebat Iacob, Gen.32.ver.10.*Minor ſum, Domine,& indignus quolibet tuo beneficio,*de terrenis bonis agens. Hoc primum eſt, quod ex hoc verbo colligitur.

C Alterum, Deum eſſe cuiuſuis boni authorem, ſiue terrenum,ſiue ſpirituale illud ſit. Is inquam vnicus eſt eorum fons & author.

Tertium, Cibos ipſos, & ea quibus alimur, omnia eſſe tantùm vitæ huius corporalis cōſeruandæ inſtrumenta:virtutē autē ipſam alēdi,quæ in S. Scriptura *baculus panis* appellatur,eſſe à Deo, Leuit.26.verſ.26.2.Reg.8. Itaque & Dominus ipſe famem immittere dicitur, Deuteron.28.Pſal.105. verſ.16. Et vires alimentis adimere,& terram fœcundare, & ſterilem facere. Pſalmo 107. verſ. 134. Aggæ.1.verſ. 6.Mich. ſexto capite, verſ. 15. Et nos quocunque modo, & quibuſcunque rebus vult, & ordinariè & extraordinariè alere poteſt,Deuter.8.verſ.5.Matth.4.ver.4. *Non è ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo prodeunte ex ore Dei.* Ergò illi cibi & alimenta ſunt duntaxat inſtrumentales cauſſæ vitæ huius terrenæ tuendæ.Cæterùm verus iſtius vitæ noſtræ auctor, ſuſtentator & fons eſt ipſe Deus. Dominus Deus per 40.dies & noctes iterum aluit ſine cibo in mōte Moſen, Exod.34.verſ.20. In deſerto Eliam 1.Reg.19.& Chriſtum Matth.4. Populum autem ſuum per 40.annos totos Manna, Deut.8.verſ.15. A Eliam item per coruum non modico tempore, 1. Reg.17.Et cætera huiuſmodi, quæ nos, vt toti ex Dei prouidentia & benignitate pendeamus, exhortantur & monent.

Obſtare autem videtur quòd alibi ipſi & laborare iubemur, & victum nobis honeſta a iqua arte & ratione comparare. *Labores manuum tuarum manducabis*, ait Pſalm.128.verſ.2. *Qui non vult operari,*ait Paulus, *non manducet*, 2.Theſſal.3. v.10.Et certè Geneſ.3.verſ.17.Dominus ipſe pronunciat de homine poſt peccatum, *In ſudore vultus tui comedes panem.* Quomodo igitur dari nobis poſtulamus quod ipſi iubemur quærere labore? Reſpondeo, Quoniam futurus eſt totus ille noſter labor inutilis & infructuoſus, niſi à Domino benedicatur, & ſubminiſtretur nobis ex eo ipſo victus, Pſalm.127. Itaque noſter labor non pugnat cum hac precatione,vel cum Dei benignitate, imò verò eſt illi ſubſeruiens, &,vt vocant,ſubordinatus. Operantur nempe homines, & honeſtas artes vel artificia exercent, vt ſibi victum inde comparent, Eccleſ.7. verſ. 7. & vt B amolumentum aliquod capiant, Prou.14.verſ.23. tamen id nunquam eueniet, niſi Dominus Deus eorum cœptum, induſtriam, conſilium & opus fortunauerit, benedixerit,id eſt, niſi Dominus illud efficere dederit.Itaque cum precatione de dādo à Deo pane rectè conuenit Dei præceptum de laborando,vt Dei donum cum impenſa ipſius in noſtrum laborem benedictione concilietur. Act. 20.34.Sequitur

*Hodie,*ſiue *In diem.* Explicant hæ voces, quantum nos de victu hoc corporis, & rebus terrenis agere aut cogitare oporteat: Nimirum in diem duntaxat. Sufficit enim cuique diei ſua vexatio ſeu afflictio,quemadmodum conuertit Hierony. Tom.3.Epiſtol.Mat.6.v.34. Et reipſa etiam nunquam cuiquam plus vna die intueri datur: quando & præterita iam ceſsit loco, & inſtans extare non poteſt niſi cum præſentis interitu. Sollicita igitur iſta profanorum hominum περὶ τῶν βιωτικῶν C cura eſt à nobis Chriſtianis ableganda, quoniam ex Dei prouidentia prorſus dependere docemur,& noſtram in eum curam deponere,vt qui nobis ſit benigniſsimus Pater. Nec verò nos ſinet ille inopia diutius, aut plus quàm ad gloriā ipſius, & noſtram ſalutem neceſſe eſt, torqueri & premi.Scriptum enim eſt Prou.10.v.13. *Non occidet Dominus fame animam iuſtam. Tentatio vos non cepit,niſi humana. Fidelis enim eſt Dominus,qui non ſinet nos tentari ſupra id quod poſſumus & præſtabit vnà cum tentatione etiam euaſionem, vt poſſimus ſufferre.*1.Corinth.10.v.13. Denique veriſsima eſt illa Dauidis experientia, etiamnum hodie exploratiſsima,Pſalm.37.verſu 25. *Puer fui, etiam ſenui, neque vidi iuſtum ita derelictum, vt ſemen eius quæreret panem.* Cyprianus, *Quum Dei ſint omnia, habenti Deum nihil deerit, ſi Deo ipſe non deſit.* & appoſitè Hieronymus ad Heliodorum, *Fides famem non timet.* Quamobrem dietim tantùm panem & victum illum terrenum petere debemus: De craſtino autem,aut in ſequentem diem ſolicitos eſſe nos non oportet. Quid enim? Ad eum diem fortaſſe ne victuri quidem ſumus, Prouerb. 27. verſ.1. Dominus ipſe populo ſuo Man dietim diſpenſa-

A ſpenſabat,& dietim tantùm colligi à ſingulis iubebat,Exod.16.v.16.& 19.Denique parabola illa diuitis, qui multa in ſua horrea iam congeſſerat, quorum tamen nullo vſus eſt(quoniam illi ſtatim erepta fuit anima)ſatis docet,nos victu diario, id eſt, qui in ſingulos dies ſit ſatis, debere eſſe contentos,Luc.12.verſ.16. Hoc verò non obſtat, quò minus Chriſtiani patresfamilias ac viri in ſuam ſuorúmque alimoniam promi & condi eſſe poſſint,imò etiam debeant. Frugi enim nos eſſe oportet,vt neque Dei bonis per luxum abutamur quamuis terrenis:neque ea ſpernamus,profundamus,aut temerè perdamus, quum Dominus dat eorum copiam: ſed colligenda ſunt & condenda, vti promantur quum erit opus,ad vſus tum familiæ,tum etiam aliorum,& præſertim pauperum, neceſſarios. Sic laudata eſt Ioſephi in Ægypto οἰκονομία ac prudentia, qui frugum copiam in annos futuræ famis conſeruauit, Geneſ.41.Sic Apoſtoli ipſi, quum audiuiſſent inſtare famem, maturè pecunias ad Eccleſiarum alimoniam vndique colligunt,quas in ſuum tempus pii deinde B repoſitas erogarent, vti eſt Act.11.verſ.28. Et Dominus ipſe edito inſigni illo miraculo Ioan.6.v.11. addit nominatim, Colligite quę ſuperſunt fragmenta, ne quid pereat. Verùm cauendum eſt interim nobis,ne vel præparatæ annonæ atque à nobis congeſtæ confidamus: vel inde auari euadamus: vel propria ipſorum ciborum virtute nos ali exiſtimemus, quum ille baculus & robur panis quo nutrimur ac ſuſtentamur,ſit à Deo,nō ab ipſiſmet rebus & cibis. Sed neque dona , bonáque terrena contemptim à Deo ſunt accipienda , neque accepta ſunt aſpernanda,vti faciunt ij qui & vinum,& panem contemptim proiiciunt,ac eo malè abutūtur. Nam,cùm illa ſint Dei dona, ſunt reuerenter accipienda,legitiméque illis vtendum eſt. Et hæc quidem à Deo petimus nobis dari.

Arceri verò à nobis poſtulamus,tum illam egeſtatem,quæ facit vt nomen Dei in vanum accipiamus: tum etiam nimiam illam copiam ac opes, quæ nos inflant,& faciunt vt Deum deſeramus & obliuiſcamur,nobis noſtríſque facultatibus C confiſi. Hoc vtrumque malum & vitium expreſſum eſt Prouerb.30.v.8.& eo vtroque comprehenſum eſt,quicquid hac petitione damnatur.

Sed quædam obiici poſſe aduerſus ſuperiora videntur.

Primùm,non omnes id petere debere,quod hac precatione docet Chriſtus petendum eſſe. Nam diuites,qui in multos annos congeſtam,paratámque tum cibi,tum vini,tum etiam aliarum rerum annonam & aceruum ac penum habent,fruſtra & ridiculè petere videantur ſibi à Deo dietim dari victum,quem ipſi domi habent in multos nō tantùm dies,ſed, vti dixi,in annos recōditū. Ergò pauperū eſt & egenorū duntaxat propria hæc petitio: non autē diuitum ac opulentorum hominū communis. *Reſpon.* Eas ipſas opes & eam copiā, quā in parato habent diuites iſti coaceruatam , nō poſſe vel iuuare,vel alere eos ipſos, niſi illi à Deo benedicatur. Nam quemadmodū res ipſæ ſunt à Deo: ſic & quòd eas habemus , & iis vtimur, & eæ nos alunt,à Deo quoque eſt,Eccle.11.v.19.Luc.12.v.18. Ergò & hoc ipſum à Deo petere diuites debēt, vt ſuis illis opibus ac congeſtis cibis vti poſsint,& vt iis alantur. Ex quo fit,vt ipſi diuites intelligant,dū ſic precantur, 1. Omnia ſua eorúmque vſum eſſe A à Deo. 2. Quòd ea ſalua in ſuis horreis conſeruant,eſſe à Deo quoque.

Secundò obiicitur. Cur à Deo panem præciſè petere iubeamur,quū nō in ſolo pane viuat homo ſed ex omni re,quæ procedit ex ore Dei, Deut.8.v.5. Nempe Quoniam panis eſt ordinarius cibus corporū noſtrorum: Deinde quia etiam extraordinarii illi cibi,quibus nonnūquam à Deo alimur nomine Panis cōmodè hoc loco cōtinentur. Nec enim alia mens eſt noſtra , quàm optare, vt Deus nos dietim alat, quocunque cibo ipſe voluerit,ſiue ordinario,ſiue extraordinario.

Tertiò demum affertur,Quum cibi ſint tantùm inſtrumenta,non autem cauſſæ vitę huius conſeruandæ,cur petantur nomine Panis? *Reſpon.* Quoniam Deus iis mediis,& modis nos alere vult , & ſtatuit. Ergò ea petenda ſunt,vt à Deo nutriamur, quia Deus ea,id eſt,cibos eos adhibere vult ad nos in his terris paſcendos. Atque his abundè explicata eſt iſta precatio quarta:quinta ſequitur.

CAP. XV. B

Explicatio Quintæ petitionis, Et remitte nobis debita noſtra,ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.

HIc,quemadmodum in ſuperioribus, de ordine primùm huius poſtulationis dicendum eſt: deinde ad cætera diſputationis capita veniendum. Et quidem quòd ad ordinem, hæc precatio eſt quinta. Quum enim proxima ſuperiori poſtulauerimus ea, quæ ad corpus noſtrum,eiuſque alimoniam ac exhibitionem pertinent,hac & ſequenti flagitamus ea , quæ ad animorum noſtrorum felicitatem, vitámque adeò ipſam æternam ſpectant. Quare petimus, vt non modò præterita peccata nobis gratis condonet, ac remittat Deus: ſed etiam,vt quandiu hîc viuimus, à peccandi voluntate & affectu liberet ac immunes ſeruet, malúmque nobis radicitus adhuc inhærens in nobis cohibeat. Sic vera C pœnitentia primùm luget & deflet admiſſa peccata, eáque deleri poſtulat: deinde ne lugenda in futurum admittat, cauet ac ſolicita eſt. Sic Dominus Deus in fœdere , quod in ſalutem Eccleſiæ pepigit, primùm pollicetur, ſe condonaturum illi peccata: deinde noua Spiritus ſui virtute & auxilio corroboraturum eam,vt ſibi obſequatur: Hier.31.ver.33. Hoc prius,quod ad perpetrata iam peccata ſpectat,hac precatione continetur: poſterius autem,quod eſt de non committendis peccatis, ſequenti. Quare vtraque precatio ad animorum noſtrorum ſalutem refertur,& certo quidem ordine. Atque ſuperiori etiam poſtulationi vtraque hæc rectè ſubiecta eſt. Tertullianus, *Conſequens erat*,ait,*vt obſeruata Dei liberalitate, etiam clementiam eius precaremur. Quid enim alimenta proderunt ſi illis reputamur reuera quaſi taurus ad victimā? Sciebat Dominus ſe ſolum ſine delicto eſſe.* Cyprianus: *Poſt ſubſidium cibi petitur & venia delicti, vt qui à Deo paſcitur,in Deo viuat:nec tantùm præſenti & temporali vitæ,ſed & æternæ conſulatur, ad quā veniri poteſt ſi peccata donentur.*

Quòd verò quęritur, Vtrùm hic ordo ſit ſemper à nobis in noſtris precibus obſeruandus, vt prius

A corporea, quàm ſpiritualia rogemus. *Reſpõdeo.* Nos à Chriſto neque verbis ipſis, neque ordini huius precationis aſtringi: alioqui hanc formulam precãdi in ſuperſtitionẽ cõuertimus. Itaque in Prou. 30. v. 8. precatio à S. Sancto, quemadmodũ & hæc, dictata eſt, vbi tamẽ ſequẽs petitio & huic & ſuperiori præponitur, *Remoue à me vanitatem*: & ex Pſal. 6. & 143. 38. Daniel. 9. v. 4. ſatis apparet, ex iis quæ ad nos ſpectant, hanc præcipuam eſſe curam noſtram oportere, vt Remiſsionem peccatorum à Deo petamus, quoniam illa demum inter nos & Deum maceriem conſtituunt, quæ facit ne Dei beneficia ſentiamus. Iſa. 59. 44. verſ. 22. Threnor. 3. v. 44. Pſ. 5. v. 6.

Quòd autem ad verba, Euangeliſtæ inter ſe nõ ita conſentiunt, ſicut in ſuperioribus petitionibus, quanquam tamen ſententia vtriuſque eſt eadem. Sed quod figurata locutione dixit Matthæus cap. 6. hoc ſimplici & aperta ſcripſit Lucas, vt Matthæum interpretaretur. Quòd vt conditionem à Chriſto additam refert Matthæus, hoc vt B ſponſionem Deo à nobis factam recitat Lucas cap. 11. Sic igitur Matthæus, Καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν: Sic autem Lucas Καὶ ἄφες ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίεμεν παντὶ ὀφείλοντι ἡμῖν. Omnes autem Patres Mattheum paſsim ſequuntur, & eum nos quoque nunc, poſtea verò Lucam explicabimus. Cæterum nullus eſt vſus articulorum hoc loco. Vertunt autem ſic Matthæi ſententiam, *Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.* Ac primùm, & *Remittendi*, & *Dimittendi* verba paris ſunt hoc loco ſignificationis, vt ex Quinta Verrina docet Theodo. Beza. Quare peſsimè fuit olim accuſatus Deſyderius Eraſmus Batauorum lumen quaſi, quum *Remitte* pro *Dimitte* ſubſtituiſſet, huius precationis ſenſum vel mentem corrupiſſet. Et certè *Remittendi* vocabulum hîc eſt vſitatius, & commodius. Verùm de eo non agitur: ſed vtrum ſiue *Remitti*, ſiue *Dimitti* debita poſtulemus à Deo, ſatis rectè & ſignificanter mens Chriſti exprimatur conuertatúrque hæc precatio à nobis. Nam vox *Remittendi*, quum de debito, vel penſione, vel C pecunia vſurpatur, non videtur ſignificare condonationem, liberationem & abſolutionem à debito: ſed tantùm illius intermiſsionem & exactionis dilationem. Sic ſeptimo quoque anno iubetur fieri debiti remiſsio in Lege Dei: Deut. 15. verſ. 1. i. intermiſsio tantùm, nõ autem plena liberatio à debito, vel, vt vocant Iuriſconſulti, acceptatio debiti. Sic in leg. Ex conducto x v. §. Papinianus, D. Locati & Conducti dicitur, Si remiſſa fuerit penſio colono: eam tamen ſequentibus annis, ſi fuerint fertiles, repeti poſſe. Verùm hac prece non petimus tantùm peccata nobis à Deo differri: ſed ea prorſus condonari, & nos ab iis planè immunes ac liberos in æternum eſſe. Reſpondeo igitur, *Remittendi* verbum, & apud Hebręos שָׁמַט *Schamath*, interdum condonationem, & liberationem plenã ſignificare, veluti apud ipſum quoque Ciceronẽ, vox *Remittendi*, in V. Verrina. Sic Hier. 17. v. 4. nõ ſolũ intermiſsionem ſignificat. Atque hac ſignificatione, quæ eſt omnino condonare, nũc ſumitur verbum *Remittendi*. Et hæc quidem de verbis huius precationis.

Sequitur illius diuiſio: Nam duas partes cõtinet nempe docet, quemadmodum ait Auguſtinus, & quid petamus, & quid facere debeamus. Petitio A his verbis comprehenſa eſt, *Remitte nobis debita noſtra*: Quid facere debeamus, ſequentibus, videlicet, *Sicut & nos remittimus debitoribus noſtris*: Quæ duæ partes ſunt à nobis diſtinctè quoque explicandæ, ne quid confundamus.

Summa huius petitionis eſt, vt omnia peccata noſtra nobis gratuita ſua miſericordia condonare velit Deus. Nam nos quoque condonare fratribus omnes iniurias nobis ab illis factas, adeoque hoc quod in nobis eſt, impletum apud illum profitemur. Hæc eſt breuis totius huius orationis, id eſt, & petitionis & ſponſionis noſtræ complexio.

Huius verò poſtulationis ſumma eſt tùm ęquitas, tum verò neceſsitas.

I. Omnes (ſiue ex naturali conditione noſtra, qua filii Adami ſumus, ſiue ex operum noſtrorum ratione æſtimemur, ac iudicemur) ſumus coram Deo rei, Rom. 3. v. 23. *Omnes peccauerũt, & deſtituũtur Dei gloria.* Peccatores autem odit Deus, Pſal. 5. Quare Deo exoſi ſum⁹ omnes, ipſi per nos: Quòd B ſi Deo exoſi, Ergò, quãdiu tales manemus, miſerrimi. Neceſſarium igitur eſt, vt hanc à nobis miſeriam & exitium eximi, nobíſque condonari, ardentiſsimè poſtulemus: ſi ſalui eſſe cupimus, & beati. Quis non autem hoc cupit?

II. Quod eſt anima noſtro corpori, hoc eſt animæ noſtrę Deus, nempe vita: Atqui peccatum nos à Deo ſeparat, ac ſeiungit, maceriémque ponit inter nos & Deum. Iſa. 58. Ergo illud vitæ ſpiritualis noſtræ impedimentum tolli neceſſe eſt, ídque à Deo petendum eſt.

III. Vti Satan nos ad cumulanda peccatis peccata incitat: ſic Deus eſt orandus, vt admiſſa deleat. Nam in iſta peccatorum noſtrorum remiſsione poſita eſt, vti diximus, & ſalus & beatitudo noſtra: Pſal. 32. Rom. 3. Tunc enim demùm felices ſumus, tum Deo grati, quum illa peccata ipſius benignitate deleta & extincta ſunt in nobis. Imaginem enim Dei in nobis illa delent, quam inſtaurari ac refici eſt petendum, ídque neceſſariò. Sunt denique peccata ἀφόρητον animę onus, à quo eam ſubleuari precandum eſt. Præclarè verò Auguſt. Serm. 135. de Tempore, *Remitti nobis peccata in hac vita petimus, quia & hîc poſſunt dimitti,* C *vbi poſſunt haberi peccata: In illa autem vita non dimittuntur, quia non habentur.*

Verùm infinita quædam aduerſus hanc precationẽ obiici ſolent: quæ priuſquam ad ipſam verborum explicationem aggrediar, ſunt diluenda.

Obiicitur ergò, quum omnia peccata ſint nobis in Baptiſmo remiſſa, nimirum præterita, præſentia & futura, (Durat enim Effectum Baptiſmi per totam vitam) cur illa remitti iterum poſtulemus? Sic enim de Dei miſericordia diffidere videmur. Reſponderent Patres, quia nemo hîc etiam poſt Baptiſmum viuere poteſt ſine peccato, neceſſariam eſſe hanc precationem. Hoc quidem verum eſt: ſed Baptiſmus eſt obſignatio de peccatis non tantum præteritis, ſed etiam futuris condonatis. Quare verior ſolutio eſt, nos ex ſummo ſanctitatis ſtudio, & in peccatum nobis tanquam lethalis arundo inhærens, odio à Deo poſtulare, vt illam ipſam peccatorum remiſsionem obtineamus, & ſentiamus cuius Baptiſmus eſt in nobis ſigillum ac obſignatio. Nec id quidem petimus, velut de Dei veritate & promiſsis diffidentes:

A fidentes : ſed peccatorum noſtrorum pondus ſentientes,eorúmque fœtorem exhorrẽtes. Quare non pugnat hæc precatio cum Baptiſmo,cuius virtutem & effectum extare in nobis ardenter hîc petimus.

Deinde verò obiicitur, videri hanc precationem planè ſuperuacaneam,quum in poſtulatione ſuperiore, *Adueniat regnum tuum*, contineatur. Nec enim Regnum Dei vel in nobis, vel in aliis eſſe poteſt,niſi peccata quoque dimittantur. *Reſpondeo.* Diuerſum eſſe vtriuſque precationis ſcopum.Hîc enim noſtram tãtùm infirmitatem proponimus & agnoſcimus:illic autem, id eſt, in petitione,*Veniat regnum tuum*,Dei gloriam duntaxat intuemur,optamus,& cogitamus.

Præterea obiiciunt nonnulli,minus rectè conceptam videri hanc precationem,vti & ſequẽtem. Quum enim, vt apparet, hic ſit vtriuſque ſcopus, vt,quæ ad vitã æternam pertinent, rogemus, alio modo aliiſque verbis cõcipiẽdas fuiſſe has preces volunt,nẽpe breuius,& ſic,*Salutem æternam da nobis.*Reſpõ. Voluiſſe Chriſtũ hîc exprimere diſtinctè duas ſalutis noſtræ partes,vt eam totam à Deo B eſſe intelligeremus. Quum igitur ſalus noſtra peccatorum remiſsione,& regeneratione ſeu Spiritu fortitudinis (quo aduerſus vitia pugnamus) tota cõſtet,ſicut apparet Hier.32.v.33. Tit.2.v.14.Heb. 10. v.16. & 17.*Peccatorum eorum non recordabor amplius: & indam leges meas cordibus eorum*:Certè vtrũque & ſua diſtincta precatione concipiendum & poſtulandũ fuit, vt totius ſalutis noſtræ opus Deo acceptum per Chriſtum ferremus.

Denique apparet ex Auguſt.in lib.de Vera Pœnitent.cap.5.hoc quoque obiici ſolitum aduerſus hanc precationem:Eam nimirum, eſſe illicem, & feneſtram,& inuitamentum ad peccandum.Ibi enim eſt inuitatio ad peccandũ,vbi præſtò eſt gratia,& remiſsio peccati parata. Verùm reſpondeo, Hac precatione potius doceri odium Dei aduerſum peccatum quod deſtrui vult, quàm incitari nos ad peccandum.Docet nos hæc precatio quãta ſit noſtra miſeria,qui quotidie peccemus:quãta miſericordia Dei, qui quotidie ſuccurrat, vt magis ardẽtiúſque Deum amare diſcamus. Remiſsio C enim peccatorum,& dilectio Dei cohærent:Luc. 7.v.47. Vide Auguſt.lib.21. de Ciuitate Dei,cap. 27.Et hęc obiectio etiam recitatur in Can.Adhuc perfidi inſtant.De Pœnitentia diſtinct.3. Apparet igitur ex precatione toties opus miſerantis, quoties confeſsio fit pœnitentis.

Quibus expoſitis ad verborum huius precationis interpretationem veniendum eſt.

Remitte) id eſt,condona, benigna videlicet tua miſericordia, ac gratis dele.Rom. 3.verſ.24. & 25.

Quatuor verò ex hoc loco colliguntur:

Primùm, fieri hîc à nobis exomologeſin peccati noſtri,miſeræque illius cõditionis qua rei mortis ęternę propter peccata noſtra coram Deo ſumus. Et certè confeſsio peccatorum apud Deum pręcedere debet eorum remiſsionem & condonationẽ. Pſal.32.v.5.Pſ.51.Sitientes enim ad ſe,& ad gratiæ ſuæ aquas inuitat Chriſtus.Ioan.7.v. 37. Illi ſoli quærunt medicum qui ſe ægrotos ſentiunt:nõ autem ij qui ſe ſanos eſſe iudicant:Luc.5.v.31.Neque tamen hic locus propterea confirmat Auricularẽ peccatorum confeſsionem quæ à Papiſtis & defenditur,& vſurpatur,cum magna Dei ipſius blaſphemia.Illa enim fit hominibus:hęc autem,quam A fieri præcepit Chriſtus,ipſi Deo. Illa propagat & communicat offendicula Eccleſiæ:hæc tollit.Denique lib.10.cap.3.Cõfeſsion.ſcribit Auguſt.Hoc totum confeſsionum genus ab hominibus inductarum eſſe curioſum. Et certè à Nectario Conſtantinopolit. Epiſcopo poſtea fuit ſublatum & damnatum.Socrates lib.5.hiſtor.Eccleſiaſt. ca.19. & Sozomen.lib.6.cap.6.

Alterum,quod Patres ex verbo,*Remitte*, colligunt,pertinet ad Dei patientiam. Summa enim Dei benignitas, clementia & patientia erga nos hîc prædicatur,qui nos quotidie peccantes & offendentes fert tamen : imò qui quotidie infinita peccata nobis ſingulis condonat,2.Pet.3.v.9.Pſal. 51.Nec tamen ea Dei patientia eſt abutendum, vt ſecuriùs propterea peccemus,nimirum, ne theſaurizemus nobis iram Dei in die extremi iudicii. Rom.2.v.5.

Præterea docent ex hoc eodem verbo ; propriáque eius ſignificatione, eſſe merè gratuitam peccatorum noſtrorum remiſsionem, quæ ſit à Deo. Eſt enim condonatio,eſt remiſsio,eſt largitio : non ſolutio, non ſatisfactio, quæ à nobis B fiat, non denique compenſatio : ſed mera quemadmodum Iuriſconſ. loquuntur,acceptilatio: ex amore enim fluit indulgentia, & condonatio, Luc.7.verſ.47. Cæterùm inter ſolutionem & remiſsionem, hanc differentiam conſtituunt Iuriſconſulti:quòd ſolutio ſit debiti explicatio vel naturalis ſeu realis,vel per præſtationem tantidem, nempe dum alio quopiam modo debitori ſatisfacimus: At Remiſsio eſt gratuita debiti acceptilatio & donatio, L. Solutionis verbo D. De verborum ſignificat. Eſt ergo remiſsio ſatisfactioni cõtraria. Vnde Tertullian. ait, *nos hic inuocare Dei clementiam.* Cyprianus, *nos obſecrare Dei indulgentiam* Denique Paulus ait Epheſ. 1. verſ. 7. & Romanor.3.verſ.24. *Nos à Deo conſequi remiſsionem peccatorum noſtrorum ex diuite ipſius gratia.* Quid igitur dicet quiſpiam, annon Deus iuſtum peccatorum noſtrorum pretium exegit, atque adeò accepit? Certè alioqui non eſſet Deus iuſtus, niſi peccata puniret, & quidem nihil de iuſtè debita illis pœna detrahens, Pſal.5.Quomodo igitur C illa peccata noſtra & punierit, & tamen gratuitò nobis remittat Deus? Nimirum, quòd in filio ſuo Domino noſtro Ieſu Chriſto illa puniuit, totam omnium peccatorum noſtrorum pœnam ab eo exigens, nihílque illi remittens. Itaque dicitur Chriſtus ſanguine ſuo perſoluiſſe ἀπολύτρωσιν & *ἀντίλυτρον*, id eſt, iuſtum pretium peccatorum noſtrorum, 1. Corinth.1. verſ 30. 1. Timoth.2.verſ. 6. Verùm in nobis neque ea punit, neque puniuit Deus. Sed illam pœnam peccatorum noſtrorum à Chriſto vade & fideiuſſore noſtro perſolutam & toleratam nobis attribuit & gratis imputat, in nos transfert,& donat,vt cedat in ſolutionem noſtram. Ergo dicimur per Chriſtum habere remiſsionem peccatorum, Luc. 24. verſ. 27. Actor. 2. verſu 38. 26. verſ. 28. Ex quo fit, vt noſtri quidem ratione gratuitò remittantur peccata, Chriſti autem reſpectu nequaquam gratuitò, quoniam perſoluta eſt ab eo tota illorum pœna, quantam maximam Dei iuſtitia poſtulat & exigit. Ergo manifeſtè vel ex vno hoc loco damnantur Papiſtæ, qui docent nos

A Deo poſſe pro peccatis ſatisfacere, & propterea opera quædam velut iuſtas ſatisfactiones & expiationes indicunt peccatoribus. Quod quidem ex diſciplina Dei paterna propter noſtra peccata, ídque in hac vita ad diſtrictum eiuſdem iudicium aduerſus peccata poſt hanc vitam temerè tranſlatum eſt.

Quarto denique loco ex hoc vocabulo colligitur, Quid, quantumque nobis à Deo peccata condonante remittatur. Nimirum, totum debitũ, non pars illius duntaxat, contra quàm tamen Papiſtæ cum magna Dei blaſphemia cenſent. Volunt illi in quouis peccato duo quædam ineſſe,

videlicet
Culpam ſeu reatum.
Pœnam ſeu ſupplicium.

Culpa enim & reatus primùm per peccatũ contrahitur, quem meritò pœnæ conſequuntur. Aiũt igitur homines illi blaſphemi, Culpam quidem totam ſeu reatum nobis à Deo condonari, ſed non totam pœnam, quoniam illa in Purgatorio luenda reſtet, quanquam eam ex æterna, temporalem iam per Chriſtum factam eſſe liberaliter B concedunt. Verùm hæc ſententia pugnat primùm cum ipſa rerum natura. Nam ſublata cauſſa, id eſt, culpa, vt iſti fatentur, effectum quoque cohærens, id eſt, pœnam tolli iidem negant. Deinde aliud quoque abſurdiſsimum inducunt, videlicet vt culpa potius faciliuſq; tollatur, quàm pœna. Conſentiunt enim omnes in illud Ouidii veriſsimum.

Pœna poteſt demi, culpa perennis erit.

Præterea ipſi Papiſtæ ſecum manifeſtè pugnant. Habent enim in ſuis gloſsis Canonicis,

Larga Dei bonitas veniam non dimidiabit.
Aut nihil, aut totum te lachrymante dabit.

Denique pugnant cum ipſa S. Scriptura, quę docet Chriſtum non ex parte tantùm, ſed in totum ac inſolidum, vt loquuntur, eſſe Seruatorem ac Mediatorem noſtrum, ac proinde eum ab omni peccati oblatione (quæ culpam & peccatum inuehit) nos abſoluere. 1. Ioan. 2. verſ. 1. Reatum noſtrũ in ſe tranſtulit Chriſtus. Eſa. 53. Factus eſt enim pro nobis *Aſcham* id eſt reatus, Factus eſt quoC que *peccatum* pro nobis, id eſt, pœnã peccatis noſtris debitam pertulit. 2. Cor. 5. v. 21. Nam noſtrũ chirographum cruci affixit, & illud ſanguine ſuo, id eſt, iuſti pretii perſolutione deleuit, vt loquitur Paulus Coloſ. 2. verſ. 14. Quamobrem plenè iam per Chriſtum liberati ſumus & à pœna & à culpa peccatorum noſtrorum. Atque hoc ipſum complectitur hæc precatio. Sed quia P. Martyr de eo prolixè egit in fine lib. 2. Samuelis, nos lõgiùs iſta non perſequemur.

Debita noſtra.) Debiti vox hoc loco figurata eſt, nam pro peccato ſumitur, quemadmodum Lucas interpretatur cap. 11. Euangelii, & omnes huius loci interpretes ſentiunt. vna tamen eadémque voce חובא Peccatum & debitum apud Syros (quemadmodum doctiſsimus præceptor meus Theodorus Beza diligenter obſeruauit in Matth. 23. v. 16.) nominatur, qua lingua Chriſtus proculdubio eſt vſus, adeò vt Matthæus & Lucas duplicem illam vocabuli Syriaci ſignificationem in animo habuiſſe videantur. Metaphora igitur ducta eſt ab hominum contractibus & commerciis ad res diuinas explicandas, quemadmodum & Chriſtus quoque Matth. 18. verſ. 23. & Paulus Coloſ. 2. verſ. 14. A eandem ſimilitudinem ſpectant ac vſurpant, dum & debitum & chirographum vocant tum peccata noſtra, tum ritus Legales. Ambroſ. lib. 5. de Sacramentis, cap. 4. huius locutionis rationem explicat his verbis, *Debitum quid eſt niſi peccatum? Diues eras, ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus, perdidiſti quod habebas, perdidiſti pecuniam, accepiſti à Diabolo debitum, quod non erat neceſſarium. Cautionem tuam tenet inimicus, ſed eam Dominus crucifixit. Abſtulit debitum tuum ſuo errore.* Porrò cùm peccatorum omnium non ſit par & eadem ratio, ſed alia ſint aliis & leuiora & grauiora, quæſitum eſt, ecquod peccatorum genus nobis remitti hac petitione quotidiana poſtulemus? An omnia, an verò tantùm leuiora? Auguſtinus in Enchirid. ad Laurentium cap. 71. ſic ait, *De quotidianis leuibuſque peccatis, ſine quibus vita hac non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfaciet.* Et libro 1. de Symbolo ad Catechumen. cap. 6. ſcribit. *Oratione Dominica tolli leuia peccata. Pœnitentia verò, in primis autem publica, elui & tolli grauia & immania peccata.* Neque enim ſunt omnia mortalium delicta inter ſe paria, vti probatur tũ ex Ioan. 19. verſ. 11. *Maius peccarum habet,* B tum ex Luc. 12. verſ. 47. & 48. Quod etiam Ambroſius in cap. 4 ad Rom. explicat. Ergo ad leuia tantum peccata delenda pertinere hanc precationem cenſet Auguſtinus. Idem Chryſoſtomus ſenſiſſe videtur, cuius dictum relatum eſt in cano. *De quotidianis,* De pœnitent. Diſtinct. 3. Ratio huius interpretationis fuit iſta, ne diſciplinam Eccleſiæ (per quam publica peccata publicè in Eccleſia ſunt agnoſcenda) tollere viderentur: ſi & hæc ipſa publica delicta per has priuatas preces condonari dicerentur. In quo peſsimè ſunt illi decepti. Quamuis enim pœnitentia publica ad nos coram Deo humiliandos pertineat, non eſt tamen expiatio peccatorum (quum illa tota ſit in Chriſti ſanguine, Rom. 3. verſ. 25.) ſed eſt duntaxat offendiculi & vulneris, quod Eccleſiæ datum fuit, ſanatio & reparatio: quæ duo videlicet peccati expiatio & offendiculi reparatio, non ſunt inter ſe confundenda, quemadmodũ Papiſtæ faciunt. Præterea etiamſi conceſſerimus C peccatorum grauiſsimorum veniam à nobis peti & impetrari hac precatione, non ſequitur tamen pœnitentiam publicam propterea vel tollendam, vel negligendam eſſe, quum ſubordinata inter ſe minimè pugnent. ſunt autem hæc inter ſe ſubordinata, Remiſsio peccati, quæ à Deo impetratur: & ſatisfactio ſeu ædificatio Eccleſiæ, quæ per illam publicam exomologeſin fit. Quamobrem longè rectius ij de quibus Auguſt. lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 27. qui etiam grauiſsimorum, imò omnium peccatorum veniam peti putant hac petitione. Neque enim hîc diſtinguit Chriſtus, *ſed* generaliter docet Deum nobis peccata eſſe remiſſurum, & nos fratribus quoque noſtris peccata remittere debere. Et ſanè ex hac diſtinctione ac interpretatione orta eſt illa peſtifera ſentẽtia de peccatis, vt alia cenſerentur venialia, alia verò mortalia, alia quæ leui aquæ benedictæ aſperſione delerentur, alia quæ ſolo Chriſti ſanguine expiarentur. Denique hinc etiam Purgatorij ignis ſubſtructiones ædificari cœperunt. Itaque reiicienda planè eſt illa prior interpretatio: hæc autem poſterior omnino ſequenda, vt omnia peccata deleri petantur à Deo hac prece. Cæterùm cùm Patres

dicunt

A dicunt peccata etiam leuia nobis remitti per hanc precationem, eſt locutio tum figurata, tum certè periculoſa. Nec enim ipſe ſonus, vel ipſa verba huius orationis remittunt nobis peccata, vel ſunt cauſſa aut pretium illius remiſsionis, ſed eſt hæc oratio remiſsionis illius tantùm petitio ac poſtulatio. Itaque dura eſt hæc phraſis, & procul dubio ἀκυρόλογος.

Verùm quęritur, Sitne omnibus piis neceſſaria hæc precatio. Nam quum quidam Sancti & Iuſti coram Deo in S. Scriptura nominentur, cùm dicantur inceſsiſſe in omnibus mandatis Dei, veluti Elizabetha & Zacharias, Luc.1.verſ.11.non videntur habuiſſe opus vlla peccatorum à ſe perpetratorum remiſsione. Itaque eam quotidie flagitare nequaquam debent, cùm peccatis carere videantur. Reſpondeo, eam perfectionem ſeu iuſtitiam quę piis tribuitur, κατά τι, non autem ἁπλῶς, eſſe intelligendam. Si quis enim (vno modò Chriſto excepto) dicatur eſſe ſine peccato, arguitur à Scriptura falſi, quæ concluſit omnia, ac proinde omnes, ſub peccato. Rom.3.Gal.3.verſ.22. Ergo ſi quis dixerit aut exiſtimauerit ſe eſſe ſine peccato, B ſe ipſum decipit, 1.Ioan.1.verſ.10. Nec verò modeſtię tantùm cauſſa, vt volebant Pelagiani, debemus dicere, Remitte nobis debita noſtra, ſed ex vero conſcientiæ ſenſu & pauore, id eſt, vt ait Hierony. ex humanæ fragilitatis & noſtrę miſeriæ conſciẽtia. Eiuſmodi enim oratio quaſi pro modeſtia quadam concepta, mendacium eſt & ficta humilitas. Vide Auguſt. libro de Nat. & Gratia, cap.34. Præterea quoque idem Auguſtinus lib.2. de Meritis peccatorum cap.13. docet, eos qui Sancti nominantur in S. ſcriptura vocari iuſtos, hominum, non autem Dei, reſpectu & ratione, corã quo nemo iuſtus eſt, & quidẽ purus homo Pſ.143. Phili. 3.verſ.6. Affectu denique eoſdẽ potius quàm effectu iuſtos fuiſſe ſcribit, libr.1. contra Pelagium cap.48.& 49. Et quod addit Lucas, *Coram Deo* fuiſſe iuſtos, oſtendit tantùm, eos non hypocritica & ſimulata, ſed vera & ſincera mẽte pietati incubuiſſe, non vt hominum oculos perſtringerẽt, ſed, vt ipſo Deo teſte, probitatem pietatémque veram deligerent ac ſequerentur. Ex quo fit, vt C Catharorum hæreticorum (qui Cataphryges dicti ſunt) & Donatiſtarum furor, ſimiliúmque portentorum blaſphemię ſatis vel ex hoc vno loco refutentur, qui putant ſe puros putos, & ab omni peccatorum labe immunes eſſe, adeò vt nihil neceſſe habeant per ſingulos dies, ſi modò illis creditur, veniam peccatorum ſuorũ à Deo poſtulare. Quaſi vel iſti vel vlli in Eccleſia mortales alii ſint ipſis ſanctiſsimis Apoſtolis ſanctiores, quos tamen Chriſtus iubet & docet petere per ſingula horarum momenta remiſsionem ſuorum peccatorum. Quemadmodum enim noſtra veſtimenta, quantumuis ſcopis diligenter mundata, tamen quotidie nouas ſordes contrahunt, quæ purgandæ ſunt & excutiendæ: ſic nos omnes, quantumuis pii & fideles, quotidie noua ſcelera perpetramus quæ ſunt nobis à Deo condonanda, quanquam à iam commiſsis ſimus purgati: & hoc quidem vix quiſquam meliùs expreſſerit quàm Adrianus ille de Traiecto Pontifex Rom. in magiſtrum Sẽtentiarum his ipſis verbis, *Quotidie*, inquit, *ſuper pannum bonæ vitæ quem teximus operibus iuſtitiæ, ſtillamus ſaniem diuerſorum criminum.*

Quemadmodum autem Cathari hac prece cõ- A futantur, ſic etiam Nouatiani hæretici conuincuntur qui putant nullam ſupereſſe apud Deum veniæ ſpem ei, qui poſt baptiſmum ſemel ſuſceptũ in idololatriam, aut aliquod aliud publicum ſcelus & crimen lapſus fuerit. Nam Chriſtus hîc & pro publicis, & pro priuatis criminibus orare docet tam iam baptizatos, quàm nõdum baptizatos homines, & tamen credentes. Quum autem id facere iubet Chriſtus, veniam quoque id ex fide facientibus pollicetur. Ergo & baptizatis in magnũ aliquod facinus prolapſis reſtat ſpecies veniæ, & à Chriſto datum eſt hoc remedium, vt dicant, *Remitte nobis debita noſtra* &c. id eſt, vt remiſsionem ſuorum peccatorum à Deo petant.

Sicut & nos remittimus debitoribus noſtris.) Altera eſt huius petitionis pars, quæ & ipſa quoque explicari debet.

Primùm autem quæritur, quid hæc verba contineant. Eſt autem reſponſio. Nam è ſcholaſticis quidam volũt his verbis cauſſam remiſsionis peccatorum noſtrorum contineri. Quod eſt falſiſsimum, & iampridem à Philippo Melanchthone in locis communibus confutatum. Sic enim nos eſ- B ſemus cauſſa remiſsionis peccatorum noſtrorũ, non autem Deus, nõ Chriſtus, non Chriſti mors, ſed noſtra illa in fratres indulgentia. Præterea in nobis non in Deo ſitum eſſet, quando peccata noſtra remitterentur, ſi ex eo pendet illorum remiſſio, quod nos volumus fratribus offenſas ab illis illatas condonare.

Quod autẽ obiicitur Luc.11. v. 4. qui habet καὶ γὰρ αὐτοὶ &c. tanquã cauſſam ſuperioris ſententiæ exprimeret: Reſpondeo, verba illa non ſignificare *nam*, ſed *ſiquidem*, id eſt, non denotare cauſſam, ſed ſpõſionem & conditionem, quam nos offerimus. Longa verò eſt inter Conditionẽ & Cauſſam differentia, quemadmodum Iuriſconſulti docent in titulo D. de Conditionib. & Demonſtrationibus: ſed hæc imprimis, quòd Cauſſa præcedit, Cõditio verò ſequitur. Cauſſa producit effectum, Cõditio verò effecti tantùm implementum eſt. Ergo ex his ipſis Scholaſticis alii ſcribunt, vti gloſſa ordinaria, hæc verba continere nõ cauſſam, ſed cautio- C nem remiſsionis peccatorum, quam petimus. Id eſt, conditionem quam adiicimus tantum à Deo beneficium poſtulãtes, nimirum fore vt ipſi quoque erga alios miſericordia vtamur. Tertullianus & Cyprianus his verbis legem & conditionẽ comprehendi ſentiũt à Deo impoſitam, cui ſit à nobis parendum ſi poſtulata impetrare volumus. Eodẽ modo interpretatur Fulgentius ſententiarum 38. *Bene expectat promiſsionem Dei, qui mandatum eius exequitur: nec fruſtra ſperat parcendum peccatis ſuis qui ignoſcit alienis. Det peccatori veniam peccator, & æqua Conciliet Dominum conditione ſibi. Cuius iudicium noſtro ſi examine pendet, Quod ſerimus metimus: quod damus, accipimus.* Ambroſius, *Vide*, ait, *quid dicas? Quomodo dimitto, ſic & tu dimitte mihi. Si dimiſeris, bene conuenit vt dimittat tibi: ſi non dimiſeris, quomodo eum conuenis vt dimittat tibi?* Eodem ſenſu dixit Auguſtinus lib.1. ad Bonifac. cap.19. hęc verba continere, imò eſſe pactum noſtrum ſeu ſponſionem à nobis Deo factam.

Alii denique volunt hæc verba complecti & oſtendere notam ac ſignum quando remiſſa ſint nobis à Deo peccata, nimirum ſi ſentiamus, nos

A condonaſſe aliis offenſiones nobis factas.

Cæterum ego malo his verbis ſponſionem cõtineri, quàm ſignum, aut cautionem. Ergo ſic hunc locum interpretor, nempe vt hoc Deo ſpondeamus, nos fratribus peccata dimiſiſſe, quãtùm quidem in nobis eſt & licet.

Similes autem ſunt huic alii quam plurimi ſacrę Scripturę loci, veluti Matth.6.v.15.18.v.23.vbi eſt præclara illa parabola de ſeruo in conſeruum crudeli, & Coloſſ.3.v.13. *Vt Chriſtus nobis condonauit peccata, ſic etiam alij alijs condonamus.*

Et certè quidem æquiſsima eſt hæc adiectio. Primùm, quòd Deus velit nos eſſe ſuo exemplo miſericordes, & manſuetos. Hoc enim eſt vnũ quoddam ex præcipuis charitatis effectis, *Beati miſericordes*, ait Chriſtus, Matth.5.verſ.7. Deinde, quòd hæc ſit æquiſsima regula, vt qua menſura metimur aliis, eadem Deus ipſe nobis admetiatur, & quod ius ipſi in alios ſtatuimus, eodem quoque alii in nos vtantur, Iacob.2.verſ.13. *Iudicium abſque miſericordia fiet ei qui non fecerit miſericordiam.* Matth. B 12.verſ.21.7.verſ.2.Luc.ſexto cap.v.38. Ergo ſi volumus nobis à Deo cõdonari peccata, & ipſi quoque aliis condonemus: ſi volumus nobis remitti & ipſi remittamus: ſi volumus facilem nobis Deũ, & ipſi aliis faciles ſimus, ac Patrem illum noſtrũ cæleſtem imitemur.

Sed quæritur, cùm Chriſtus velit debita à nobis remitti debitoribus noſtris, idque ſit faciundum ſi modò veniam peccatorum noſtrum à Deo volumus impetrare, Num oporteat nos pecuniaria debita remittere, & cõdonare iis qui nobis ea debent? Reſp. Nequaquam. Debiti enim nomen hîc pro offenſa & iniuria, non pro pecuniario debito ſumitur. Ergo poſſunt viri Chriſtiani & pij, bona cõſcientia exigere à ſuis debitoribus eas pecuniarias ſummas, quæ ex legitimis contractibus ipſis debentur. Quanquam tamen in iis ipſis exigendis neque eos nimium acerbos eſſe oporteat, nec immiſericordes, vt debitores ſuos exhauriant, & ad paupertatem redactos miſerè vexent dum ſiquid ſupereſt immiſericorditer ſpoliant, neque addant afflictio afflictionem: ſed exemplum anni Iubilęi, C & ſeptimi anni à Deo pręcepti ſibi ad imitandum proponant.

Ergo ad offenſas, iniurias, contumelias, probra in nos contorta condonanda, & ex animo delenda (vt cum ſumma pace & charitate inter nos viuamus) pertinet hoc præceptum. Sed ex hoc ipſo nata quoque eſt hæc quæſtio, An non liceat hominibus Chriſtianis ius ſuum & iniuriam ſibi factam perſequi in iudicio apud Magiſtratum. Nam eam condonare hîc iubentur. Reſpondeo, non interdici ſimpliciter iniuriæ perſecutionem, modò abſit animus vindictæ priuatæ, & ſcandali ratio habeatur. Ergo quum iniuriam illam tibi factã perſequeris, ſi id facis potius vt ſocietas illa in qua verſaris, maneat tuta, atque proterui homines (qui ad inferendas cuique iniurias ſunt promptiſsimi) caſtigentur ac comprimantur: quàm vt tibi iniuria facta reſarciatur & vt te vlciſcaris, ex hac prece dãnari non potes. Quare perperam Iulianus ille Apoſtata & ex hoc & aliis ſimilibus locis colligebat, Chriſtianos abrogare prorſus Magiſtratum illiuſque vſum inter mortales.

Verùm ex hoc quoque quæri poteſt, Quomodo Chriſtus velit nos remittere aliis peccata, quũ peccata remittere ſit ſolius Dei, non autem homi A nis, vti & Deum potius petunt illa quàm homines. Geneſ.50. verſ.17. Iſa.43.verſ.25. Matth.9. verſ.6. Marc.2. verſ.5. Ergo blaſphemum quippiam hoc loco præcipi videtur. Reſpondeo, in peccato quo quiſpiam ſeu proximus læditur, duo quædam ſpectari, nimirum ipſam ἀνομίαν, & damnum quod ad proximum prouenit ex ea ἀνομίᾳ. Α᾽νομία eſt ipſa fœditas operis, quę nos violatæ Dei legis & voluntatis reos facit. Hoc propriè peccatum eſt, cuius remiſsio ad ſolum Deum pertinet. Damnum autem, quod ad proximum redit, eſt detrimentum quod in fama & exiſtimatione, vel in corpore, vel in bonis etiam ipſis quiſpiam accipit & ſentit, vnde ira, animique offenſio, & indignatio in eum qui ſic nos læſit, oritur. Hanc iram, offenſionem animi, tumorem & indignationem in perſonam proximi, quia nos læſit, conceptam, atque adeò omnia quæ ex illa procedunt aduerſus proximũ diſpendia, remittere ipſi poſſumus, imò debemus, idque citra vllam in Deum blaſphemiã. Nam in eodem facto & peccato aliud Deus, aliud B homo vt ſibi proprium ſpectant & intuentur quod condonent. Ergo illud ſolum, quod ad nos pertinet, remittere iubemur: nõ autem illud quod ad Deum.

Porrò quod quidam cenſent peccata nobis à Deo iam remiſſa reuocari & reponi, niſi fratribus ipſi condonemus: quod etiam de eo quidam diſputant, vtrum ſemel remiſſa à Deo peccata reuocentur, ſi nempe durius ipſi egerimus aduerſus alios, inanes ſunt quæſtiones & ab hoc loco alienæ. Nã quum Dei dona ſint ſine pœnitentia, non reuocat Deus quæ ſemel deleuit: & quum ſolis piis qui Deum non irrident, peccata remittantur à Deo, nullo modo fuerunt remiſſa iis qui ſe quoque cõdonaturos promittentes, id tamen non præſtant, ſed Deo mentiuntur. Neque enim Deus noſter qui eſt verus Deus, falli poteſt, vel animum noſtrum ignorat, aut in eo quod præſtituri poſtea ſumus, decipitur, velut Deus ille Æſopicus, qui de paſſere interrogatus, vtrùm viueret an extinctus eſſet, non habuit quod reſponderet, ignarus nimirum euentus, & hominis qui paſſerem in poteſtate habebat, voluntatis. Et hæc quidem de quinta C iſta Orationis parte hactenus. Sequitur Sexta & vltima petitio.

CAP. XVI.

Explicatio Sextæ petitionis.

Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.

QVæ duo primùm omnium in ſuperioribus petitionibus explicãdis ſunt à nobis obſeruata, eadem quoque in hac vltima precatione nunc obſeruabuntur, videlicet quis ſit ordo huius poſtulationis, & quis quantuſque in ea recitanda Euangeliſtæ vtriuſque, nimirum Matthæi & Lucæ conſenſus.

Ac primùm quidem quod ad ordinem, aptè ſuperiori iſta poſtulatio ſubiicitur. Quum enim & hîc quoque flagitemus à Deo ea quæ ad animorũ noſtrorum ſalutem pertinent, ordine fit, vt poſtquam peccatorum remiſsionem ſuperiore prece à

Deo

A Deo poſtulauimus,hac iam vitæ regenerationem, ſeu ſpiritũ fortitudinis,quo aduerſus peccata corruptionémque noſtram aſſiduè pugnemus, petamus. Qui ordo & Hierem.31.v.31.& apud Paulum Tit.2.v.19.& Luc.24.v.47.eſt obſeruatꝰ, nimirum vt pręcedat condonatio delictorum,deinde ſequatur vitæ renouatio:quod vtrunque eſt Dei beneficium,& quidem coniunctum,& in hac vita ſalutare animis noſtris, denique via ad vitam æternam. Quare qui peccata deleri nobis antea poſtulauimꝰ, nunc rogamus vt in futurum aduerſus peccati illecebras & poteſtatem muniamur Dei Spiritu & robore cœleſti, ne à peccato vllo pacto ſuperemur & vincamur, ſed vt tum robur, tum omnes ſalutis noſtræ partes conſequamur, quæ in Chriſto Domino noſtro ſunt nobis partæ & paratæ. Quare maxima vis eſt huius petitionis, latiſſiméque patet,vt ait Auguſt.ep.121.Petimus enim dona Spiritus Dei,& cœleſtem virtutem nõ tantùm dari nobis, ſed etiam per ſingula momenta augeri,vt ſpiritualibus hoſtibus noſtris reſiſtere,eóſque perpetua vita,non ſemel tantùm,ſuperare queamus.Atque hæc ordinis vtriuſque huius petitionis ratio B eſt.Qui autem putant hanc potius eſſe ordinis rationem, quòd cùm tria ſint quæ ſalutem noſtram impediant nobiſque ad eam præcludãt viam,nempe peccata præterita,pręſentia,& futura,& de pręteritis ac præſentibus actum ſit in ſuperiori petitione, nunc agi de futuris, idem dicunt quod nos, ſed aliis verbis.Quomodo enim futura peccata caueri poſſunt niſi per Spiritum regenerationis, quẽ hîc à nobis peti dicimus? Quod denique ſcribit Tertullianus hanc precationem ad plenitudinem noſtrarum precum ad Deum fuiſſe adiectam, vt non modò de remittendis,ſed etiam de auertendis in totum delictis Deo ſupplicaremus,eodem quoque recidit quò ratio illa ordinis, quæ à nobis eſt expoſita:quamobrem de ordine iam conſtat.

Veniamus ad ſecundum caput,nempe quis quãtuſque Matthęi ſit & Lucæ in hac precatione recitanda conſenſus.Eſt autem ille ſummus,adeò vt ne in vocula quidem vna illi inter ſeſe diſſideant, ſic enim habet vterq;. Καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, C ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Matth. 6. verſ. 13. Luc. 11.verſ.4.In conuerſione verò huius ſententiæ variatum eſt.Alij enim ſic conuertunt,*Et ne nos inducas in tentationem,ſed libera nos à malo.* Quæ ſanè eſt optima & veriſſima verſio.Et ſic quoque antiquiſſimus ſcriptor Tertullianus trãſtulit, præterquam quòd pro eo quod legimus, *Libera nos à malo*,ipſe alicubi ſcribit *erue*(non autem vt vulgò habetur in impreſſis *euehe*)*nos à malo.*Cyprianus tamẽ & Ambroſius tranſtulerunt, *ne patiaris , nos induci in tentationem*,nimirum vt difficillimam obiectionem ac ſcopulum à Manichæis iam propoſitum euitarẽt, Deum fieri hac ratione authorem mali, id eſt eius peccati quod nos tentationibus ſuccumbentes cõmittimus. Lyranus & ſcholaſtici legunt quemadmodum nos, & verba ipſa, *ne nos inducas*, continent: ſenſu tamen & interpretatione à Cypriano & Ambroſio non recedunt.Sed ex ſequenti diſputatione apparebit,ſic omnino legendum eſſe & loquendum,*Ne nos inducas in tentationem* &c.quoniã non hîc tantùm,ſed ſępè aliâs ſic loquitur Dei Spiritus,& S.ſcriptura. Sed & illud quoque quæſitum eſt,vtrùm hæc tota ſententia , *ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo*, ſit vnica tantùm precatio,an verò duæ. A Thomas in 2.quæſtio.83. putat eſſe duas precationes. Thomæ ſententiam ſecutus eſt Lyranus.Cyprianus cenſet hæc verba,*Sed libera* &c.eſſe ἀνακεφαλαίωσιν omnium ſuperiorum petitionum.Sed verius & Tertullianus & Auguſtinus qui ſentiunt hoc poſterius membrum eſſe tantùm interpretamentum prioris.Quod etiam vox ἀλλὰ aduerſatiua ſatis oſtendit,adeò vt vnica duntaxat petitio ſit ſtatuenda hæc oratio,quæ ſui ipſius ſit interpres,quoniam poſterior pars, nempe, *libera nos à malo*, exponit quid ſit, *Ne nos inducas in tentationem.* Cæterùm quòd articulus additur voci πονηροῦ, quaſi κατ' ἐξοχὴν malus quiſpiam , id eſt diabolꝰ aut ſatan ſignificetur, dicendúmque ſit *Libera nos ab illo malo*, id quam vim habeat, poſtea ſuo loco docebimus.Interim interpretationem primam, quæ eadem vulgaris quoque eſt, amplectimur & ſequimur.

Habet igitur hæc precatio duas partes , petitionem & petitionis interpretationem.

Summa verò huius precationis eſt,Ne deſtituti B à Dei adiutorio alicui tentationi vel cõſentiamus decepti , vel cedamus afflicti , quò Deus iuſto ſuo iudicio nos etiam propellere ac immittere poteſt: ſed vt ſua manu aduerſus Mundum,carnem,& diabolum nos ſuſtineat,& virtute ſua ad reſiſtendum corroboret ac inſtruat.

Huius autem petitionis ſumma eſt manifeſtiſsimáque tum æquitas,tum etiam neceſsitas.

Primùm quòd ſint magnæ peccati in nobis ad ſe pelliciẽdis illecebræ, imò deliciæ, quas & vltrò ac ſponte expetimus & ſequimur,nedum vt eas ſeſe offerentes repudiemus,niſi Dei virtute regenerati & corroborati illis reſiſtere , eáſque aſpernari didicerimus. Atque illæ illecebræ ſunt veriſsima animarum noſtrarum peſtis ac mors. Qui in deliciis peccati hîc viuit,ille apud Deum mortuus eſt, inquit Paulus 1.Tim.5.verſ.6. Ergo hoc malum fugiendum eſt: & vt à nobis arceatur, néve in illud incidamus, (quod omnino facilimè fit) eſt à Deo petendum. *Nam ſi ſecundum carnem viuimus, moriemur*, Rom. 8.13.& tamen ne illud nobis (qui toti ſordibus & peccatis , vti piſcis aqua , delectamur. Iob.15.verſ.16.) contingat , Dei Spiritu nos C regenerante eſt opus,Rom.6.& 8.v.13.Eò verò facilior & pronior & perículoſior eſt hic lapſus, quòd eò ſponte naturaque noſtrâ (quæ tota vitioſa eſt) ferimur, & quòd quum etiam diu peccatis fœdiſſimis ſuccumbimus , tunc quoque nobis quaſi de re bene geſta blandimur ac gratulamur. Dicitur peccatum habere fallacias Hebr. 3. v.13, & Matth.13.v. 22.& commoda Heb.11.v.25.Ἀπόλαυσιν καὶ ἡδονὴν, id eſt , iucundum ac ſuauem ſenſum ſeu delectationem , Iac.4.1. adeo vt illius inuitatio ſit nobis valde metuenda, nec eam ſuperemus , niſi à Dei ſpiritu aduerſus Syrenes iſtas tam ſuaue canẽtes aures & corda noſtra obturentur, quod poſtulare à Deo docet hæc precatio.

Deinde non eſt nobis hîc lucta aduerſus carnem & ſanguinem, & eos hoſtes quibus ipſi noſtris viribus naturalibus pares ſumus, ſed aduerſus poteſtates aeris quæ nos viribus ſuperant. Quare vt iis reſiſtamus , petendum eſt Dei adiutorium , id eſt, maiores noſtris vires , vti docet Paulus , Epheſ. 2. verſ.2, 6. verſ. 12, quod facere docet hæc precatio.

A *Quicquid enim humana fragilitas cauere, aut vitare non præualet, hic à nobis ab illo propitio conferri petimus*, ait Auguſt. Sermone 135.

Denique veriſſima eſt illa Petri ſententia.1.Pe. 5. ver. 8. aduerſarium noſtrum, nempe Diabolum nobis perpetuò inſidiari, & eſſe velut Leonem rugientem, qui nos velut oues circumeat, & quærat vt deuoret: Aduerſus quem niſi Dei auxilio & ſpiritu tuti eſſe nõ poſſimus, neque eius fraudes, vim, conatus ac laqueos euitare. Vt igitur aduerſus tantum, tam formidoloſum, tánque irrequietum hoſtem muniamur, hac prece à Deo petimus. Chriſt' ipſe qui ter cum Diabolo luctatus fuerat in Deſerto, nouerat quàm eſſet ille grauis & durus hoſtis, & penè inuictus. Et quòd obiici poſſe videtur, Satanam iam ſub pedibus noſtris eſſe conculcatum, Rom.16.ver.20.item Iacob.4.verſ.47. *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis*, quaſi facillima, imò iam parta ſit aduerſus Satanam nobis victoria, Reſpondeo, Id quidem eſſe veriſſimum & ſuo quodam ſenſu, adeóque iis tãtùm qui ea Dei virtute & ſpiritu prędіti ſunt, quem nos hîc petimus nobis dari. Qui enim ea virtute Chriſti quæ diuina eſt, deſtituũtur, B næ illi neque Satanam habent ſub pedibus deiectum, neque de eo victoriam reportare poſſunt. Poſtquam verò à Deo hanc virtutem impetrauerimus quam hîc poſtulamus, tum omnia erunt nobis aduerſus Satanam facillima: nempe eo ſenſu, vt & nullas ab eo certas inducias habituri ſimus in hac vita, & tamen conſtanti tenore in Dei inuocatione tanquam inexpugnabili noſtro propugnaculo aduerſus illũ ſtemus. Pſ.91. Quare omnino nobis neceſſaria eſt hæc precatio, vt arma Spiritualia à Deo nobis impetremus, Epheſiorum capite ſexto. Sed & illud obſeruandum, variis in locis S.Scripturæ iuberi nos hoc à Deo flagitare, ne tentemur, veluti Marc. 14. verſ. 38. *Orate ne intretis in tentationem*. 1. Theſſal.3.verſ.5. *Ne quo modo tentaſſet vos tentator*. Eſt enim tẽtatio laqueus Diaboli quo nos venatur, capit, ac tandem captos detinet, niſi vires Deus ipſe nobis ſuppeditet ad reſiſtendum, 1. Timot. 6. verſ. 9. 1. Corinth.10.verſ.13. Vnde multi, ſicut docet Chriſtus, tempore tentationis à fide deſciſcunt & deficiunt, Luc. 8. verſ. 13. *Ne loti quidem*, C id eſt, baptizati, ait Hieronym. *cuſtodire poſſumus puritatem, niſi à Domino Deo ſuſtentemur. Denique non eſt noſtrarum virium cum hoſtibus noſtris ſpiritualibus congredi, & eos vincere: ſed Dei.*

Verùm, obiiciunt Pelagiani, Homines pios poſt Baptiſmum vltrà tentari non poſſe, quia nec peccare poſſunt: Nec petendum iiſdem eſſe vt à malo liberentur per Deum, quum id habeant omnes ex liberi & ſui arbitrii poteſtate. *Reſpondeo*, vtrumque eſſe falſiſſimum. Nam & poſt Baptiſmum exclamat Paulus, *Miſerum me, quis me liberabit à corpore hoc mortis?* Rom.7. & quòd tẽtationi reſiſtimus, id Dei donum eſſe, docet idem Paulus.1.Corinth.10.verſ. 13. *non noſtrarum virium opus*. Denique iſta Pelagianorum hæreticorum refutatio eſt alterius & loci & argumenti.

Sed obiicitur illud quoque quòd Dauid poſtulat ſe à Deo tentari, Pſalm.26.verſ.2. *Proba me, Domine, & tenta me*. Iac. 1. *Gaudete*, ait, *quum in tentationes inciditis. Beati qui à Domino caſtigantur*. Iob.5. verſ.17. Atqui ſine tẽtatione id fieri nõ poteſt. Bernard.Sermon.42.Cantic.Canticor. *Vides*, ait, *quia* A *tunc magis iraſcitur* (Deus) *quum non iraſcitur. Miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam: Miſericordiam hanc ego nolo: volo iraſcaris mihi, Pater miſericordiarum, ſed illa, qua corrigis deuium, non qua extrudis in deuia. Illud tua nobis benigna animaduerſio parit: hoc formidoloſa nutrit diſſimulatio.*

Verùm reſpondeo, Nos hîc quamuis tentationis ſpeciem non deprecari vel auerſari, ſed eam duntaxat cui cedentes Deum offendimus. Ergo nõ petimus, ne omnino nos tẽtet, aut exploret Deus, neque vt reſides torpeamus, & vt nulla fidei noſtrę argumenta vel experimenta præbeamus (*caret enim corona qui non luctatur*, Lactant. lib.6. Inſtitut. Chriſtian. cap.15.) ſed precamur, ne vincamur à tentatione, ſiue ea ex rebus aduerſis, ſiue proſperis naſcatur, ita, vt Deum offendamus. Atque nobiſcum ſic illum Pſalmum 26. & hunc quoque locum interpretatur Ambroſius, ſcribens, *Non dicit, non inducas omnino in tentationem, ſed quaſi athleta talem vult tentationem, quam ferre poſſit humana cõditio, vt vnuſquiſque à malo, id eſt, inimico & peccato liberetur.*

Quibus expoſitis, ad verborum explicationem veniamus. B

Ne nos inducas. Hîc nobis primùm obſeruanda eſt illa P. Martyris in 2.Samuel.24. regula, vt has locutiones neque plus leniamus, neque aliter explicemus, quàm quo modo ipſa Scriptura loquitur, ne, dum phraſes Spiritus Sancti noſtro ſenſui ſubiicimus, veram illarum mẽtem corrumpamus. Quare perpendẽdum eſt, quo ſenſu & modo Sacra ipſa Scriptura loquatur. Dicit autẽ μὴ εἰσενέγκῃς, Vbi non eſt otioſa præpoſitio ſeu particula εἰς quemadmodum diligenter annotauit Theod. Beza. Et omnes vertunt hanc vocem *Inducas* vel *Inferas*. Alibi ſic loquitur Scriptura. *Et Deus indurauit cor Pharaonis*, Exod. 4.v. 21. *Tradidit impios Deus in reprobum ſenſum*. Roman.6.v.28. *Tradidit eos fœdis affectibus, & cupiditatibus cordium ipſorum*.v.24.& 26. *Feciſti nos aberrare*, Eſa. 63. v. 17. Et infinitis aliis locis inſignibus, ea eſt verborum ſignificatio, vt ἐνέργεια Deo manifeſtè tribuatur: non autem Permiſſio tãtùm quædam, & ſola Patientia veluti flectentis & nihil decernentis aut efficientis Dei. Quanquam enim verbo *Sinendi* & *permittendi* vtitur S. Scriptura, veluti C Actor.14.v. 16. *Sinit Deus gentes ambulare in viis ſuis*: tamen illa permiſsio etiam decretum, & efficientiam ſimul complectitur, vti ex capit. Act. 16.v.7. Et ex Epiſtolæ Pauli ad Rom. capite 1. v.22. manifeſtè apparet. Sed & illa quoque Chriſti ſententia docet, Mat.10.v.27. *Non cadit paſſerculus humi ſine Patre veſtro*. i. abſque Dei Patris veſtri decreto. Quare non nudam tantùm Dei permiſſionem, quemadmodum Scholaſtici lib. 1. Sentent. Diſt.25. ſentiunt: ſed & decretum, & ἐνέργειαν, ſeu efficientiam Dei iuſtè impellentis, inducentis, operantis, hæc verba notant, vel ipſo Paulo interprete, 2. Theſſalo. 2. ver. 11. Πέμψει ὁ Θεὸς ἐνέργειαν πλάνης, *Mittet Deus efficaciam erroris*, ait, *vt credant mendacio*. Qui verò *Inducas* interpretantur, vt ſignificet duntaxat *Ne ſinas*, aut, *Ne permittas nos induci, labi, impelli*, etſi illi ſunt Patres, vti Cyprianus & Ambroſius: vel Scholaſtici & veteres, vti Anſelmus, tamen non ſatis vim horum verborum capiunt, vel explicant. Dicitur enim Deus concitaſſe Dauidem, & impuliſſe, vt populum numeraret, 2.Samuel.24. Nõ ſimpliciter enim ſiuit & permiſit Deus id fieri: ſed

A ri:ſed ipſe etiam voluit & quidem iuſtè ac ſapienter, vt illa fierent. Quod ſi *Permittendi* & *Sinendi* verbo vtãtur, vt impiorum hominum facta & peccata à Deo nequaquam proficiſci vel probari doceant, hoc nos illis facilè & prolixè concedimus, & eo ſenſu ac ſignificato vocem Sinendi, admittimus. Verùm, indurat, inducit, excæcat, tradit Deus Satanæ, & concupiſcentiis, & in reprobum ſenſum, idque iuſto ſuo iudicio, vt mali in eas tentationes incidant; nec ſimpliciter eos labi ſinẽs, imò in iis peccata peccatis puniens, idque iuſtè, vti aduerſus Pelagianos docet Auguſt. Tũc verò peccata ſunt opus Dei iuſtitiæ, & pœna peccati.

Sed iam multa huic ſententiæ videntur obſtare, quæ ſunt diluenda.

Primùm obiiciunt Manichæi, ſi Deus ſic nos tentat, id eſt, inducit in eam tentationem, cui cedentes ipſum offendimus, Deum eſſe peccati noſtri autorem & cauſam, vtpotè qui nõ tantùm permiſſionem, ſed etiam efficientiam operis iſtius habeat & afferat. Hoc argumentum ſic Patres olim conturbauit, vt propterea interpretationes iſtas B de nuda permiſſione excogitarẽt. Verùm hæc collectio eſt manifeſtus paralogiſmus tum à non cõſequente: tum à Non cauſſa quæ pro cauſſa ſumitur. Alia enim eſt Dei in ea tẽtatione (cui ſuccumbimus peccando) actio, & mens, & finis: alia verò noſtra, id eſt, hominis actio, mens & ſcopus. Nam quà tentatio hæc cui ſuccumbitur, eſt à Deo, iuſta eſt & ſancta, & extra rationem peccati: ſed quà eadem tentatio & aſſenſus eſt voluntaria hominis actio, iniuſta eſt, ac peccati rationem habet. Et rectè quidem præcipiunt ii qui iubent, vt in ea actione quæ peccatum dicitur, diſtinguamus illius materiã à forma. Materia eſt ipſe actus, vti loquuntur, ſeu actio, qualis membrorum vis, & motus, & robur. Hæc vis eſt à Deo. Neque enim vitam, vel ſenſum, vel motum in vlla actione à nobis habemus, ſed à Deo. Act. 17. verſ. 28. Forma verò peccati, eſt deformitas potiùs quàm forma vlla. Eſt enim actio quępiam eatenus peccatum, quatenus à Lege & præſcripto Dei recedit, & eſt ἀνομία, 1. Iohan. 3. verſ. 4. Huius formæ ſeu prauitatis (ex qua ſola cenſetur a- C ctio quæpiam eſſe peccatum) cauſſa eſt homo ipſe, id eſt, vitioſus hominis affectus ac voluntas, quæ Deo rebellans, ſe ſuumque ingenium ſequitur. Ergo qui à peccati materia ad formam decurrunt. committunt paralogiſmum à Non conſequenti, Sic Anſelmus explicat in lib. De lapſu Diaboli. Sic P. Martyr in 2. Samuel. 24. Quamobrem etſi Deus eſt iſtius actionis autor quatenus eſt actio, non eſt tamen peccati autor, id eſt, illius deformitatis, rebellionis, & ἀνομίας quæ in eadem illa actione ineſt & quidem vt cauſſa efficiens peccati: vti præclarè docet Auguſti. lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 7. & in lib. 83. Quæſtionum, *Deus non eſt autor eius*, ait, *rei qua homo fit deterior, & cuius eſt iuſtiſſimus vltor.* Neque verò peccatum eſt quędam οὐσία, ſed eſt tantùm qualitas & declinatio à legitimo agendi fine, ſeu, quemadmodũ loquitur Baſilius Homil. 2. in hexahem. Διάθεσις ἐν ψυχῇ ἐναντίως ἔχουσα πρὸς ἀρετήν. Quod ipſum quoque fatetur Ambroſius lib. 1. in Hexamer. cap. 8. Hoc illuſtremus exemplo: Qui hominem claudum impellit, cauſſa eſt itionis ſeu progreſſionis claudi iſtius, non autem claudicationis. Quòd enim it, habet ab iſta propulſione: ſed quòd claudicat, hoc à ſeipſo. Sic quum Deus ſit cauſſa dans motum & vires omnes ſingulis rebus, & in ſingulis ipſarum actionibus, hæc actio hominis eſt à Deo, quatenus actio eſt, non autem quatenus deformis actio. A Verùmenimverò, etiamſi quatenus homo declinat, Deus vult ipſum declinare: propterea tamen non eſt Deus autor iſtius declinationis & tẽtationis, quatenus illa peccatum eſt. Ratio, quoniam finis & ſcopus, propter quem id fieri vult Deus, eſt iuſtus, ſanctus, & quidem ſemper, Nimirum, vt Hypocriſis iſtius, qui in tentatione deſciſcit à Dei præcepto, cognoſcatur: vel, vt hac ratione iſtius peccata puniantur, aut ſi electus eſt ad ſalutem, quantumuis grauiſſima illa correptione humilietur. At finis & ſcopus, propter quem cedunt tentationi homines, eſt iniuſtus, inhoneſtus & turpis, & quidem id ſcientibus & probantibus, imò etiam id præ ſe ferentibus iis ipſis qui tentationi obſequuntur. Idem enim diuerſa, contrariáque ratione à diuerſis fieri & optari poteſt, vti docet Auguſt. in Enchirid. 101. Quod ab vno rectè, ab altero peſſimè tamẽ expetetur. Quamobrem vera eſt illa Scholaſticorum ſententia, in iis rebus, quas Deus & homines praui volunt, differre Dei voluntatem à voluntate hominis, In volito, id eſt, fine, & modo volendi, i. rationibus ac B mediis eius ſuæ voluntatis exequendæ parandis. Denique etiam cuius Dei voluntatis ignota nobis cauſſa eſt, iniuſta tamen non eſt. *Miro enim modo & ineffabili fit*, ait Auguſt. in Enchirid. cap. 100. *vt non fiat præter Dei voluntatem, quod fit tamen contra eius voluntatem.* Ex quibus intelligitur, quemadmodum non ſit Deus autor peccati etiam dum impellit homines in eas tentationes, quibus ſuccumbẽtes ipſi peccant. Et hoc quidem Manichæis reſponſum eſto.

Secundò obiicitur, quod eſt Pſal. 95. verſ. 5. Pſal. 78. Numer. 10. Deum ab hominibus tentari. Tentant enim homines Deum. Ergò non tentat Deus homines. *Reſpon.* Vtrumque docet Scriptura Sacra, & homines à Deo, & Deum ab hominibus tentari: ſed diuerſa ratione. Ergo vnum non tollit alterum. Homines tentant Deum, quum ipſius verbo diffiſi, volunt experiri, Vtrùm ſit Deus verax, id eſt, vel potens vel miſericors, quatenus ſe talem eſſe pronunciat. Deus tentat homines, quum eorum fidem & vires explorat, quales ſint reipſa, & C cordis eorum arcana detegit.

Tertiò affertur, Deo nihil eſſe abſconditum & arcanum, vt videlicet noſtri exploratione habeat opus. Pſalm. 33. verſ. 15. Hebr. 4. verſ. 13. Tentare verò eſt experiri, & periculum facere de re ignota: Ergo non eſt neceſſe, vt nos tentet Deus. *Reſpond.* Non ſua, ſed noſtra cauſſa tentat nos Deus, vt quales ſimus, vel ipſi intelligamus, qui ſæpè magnificè de nobis pręter veritatem ſentimus, vel alii norint. Ergo vt ſua infirmitas, vel fides hominibus patefiat: tentat Deus homines, & latẽtia in illis vitia detegit, quæ magna hypocriſi celabant.

Denique ſolet obiici illud Iacob. 1. verſ. 13. *Ne quis dum tentatur, dicat ſe à Deo tentari: Quiſque enim à ſua Concupiſcentia tentatur.* *Reſpon.* Vtrumque rectè dici, & nos à nobis, id eſt, quemque à ſua concupiſcentia tentari: & à Deo quoque ipſo. Duplex enim eſt tentatio, alia nimirum externa, alia interna. Externa eſt obiectum, quod nobis offertur. Interna tentatio eſt ipſe motus vitioſus, quo ad peccandum, & aliquid malè expetendum pelli-

A cimur & ferimur. Externè tentat nos Deus, & obiecta proponit: Internè tentat nos concupiſcentia, & mouet illam vitioſitatem, quam à nobis, non à Deo, habemus, & in ſinu fouemus. Denique duobus modis tentari poſſumus, vel vt probemur, vel vt peccemus. Non tentat nos Deus propriè & per ſe vt peccemus, ſed vt probemur: tentat verò nos propriè noſtra Concupiſcentia, non vt probemur, ſed vt peccemus. De hac tentatione agit Iacobus: iſta verò precatio de externa. Vel etiam ita expediri hoc poſſit, ſi dicamus, Tentari nos aliquando ex parte in nobis regenerata, quando vult Deus probare noſtram fidem, & nos ad maiorem conſolationem prouehere, vt tanto magis glorioſa ipſius bonitas & virtus agnoſcatur: aliquando autem tentari nos à parte non regenerata quum ab illa illecti in peccatum labimur: quando ita videtur Domino nos ſeriò humiliare, vt ſi in carcerem & tortorem noſtra culpa incideremus: quanuis tum etiã Dominus nos reſpiciat: ſed ita tamen vt & cõſternatos reddat mirum in modum, & in nobis exemplum aliis ſtatuat ſeueritatis paternæ in ſuos vel ſuperbientes, vel indormiẽtes affectibus ſuis. Sic Dauid tentatus eſt iterum. B Sic titillatus ambitione Ezechias. Sic Petrus quaſi deiectus. Sic Paulus ſibi attendebat, ne qua ex parte vacillaret. ſic in ſumma electi Dei nonnunquam caſtigantur in carne, vt illa perdomita & veluti in triumphum traducta, Spiritu viuant.

Differentia. Deus nos tentat vt probemur, concupiſcentia verò vt peccemus.

Tentationem.) Tentare Græci dicunt *πειράζειν καὶ πειρᾶν*: Hebræi verò נסא & מסא *Naſſa* & *Maſſa*. Vndè locus in deſerto Arabico Maſſa dictus, Exod. 17. verſ. 7. Pſalm. 95. verſu 8. Tentare autem eſt probare, ſeu periculum facere. Quod, vt annotat Beza in Matthæ. 4. eſt mediæ ſignificationis: & apparet ex 2. Corinth. 13. ver. 5. Ergò & tentatio quoque eſt mediæ ſignificationis. Alia enim eſt probationis, alia perditionis. Tentat nos Deus vt probet, confirmet, erigat: Tentat nos Satan, vt perdat, confundat, prorſus deiiciat de ſpe ſalutis. Deuteron. 8. ver. 2. & Iob. 1. cap. per totum. Cypria. *Poteſtas*, ait, *dupliciter Satanæ aduerſus nos datur, vel ad pœnam, cùm delinquimus: vel ad gloriam, quum probamur.* Sic Ambroſ. in 2. Corinth. decimotertio. Ex quo fit, vt tentare C nonnunquam accipiatur pro *ad malum ſollicitare*, & tentatio pro *ad malum ſollicitatio*. Nonnunquam etiam pro probare. Hîc autem tentatio pro ea probatione ſumitur, qua noſtro ipſorum vitio in peccatum incidimus & prolabimur, vti docuimus. Quum ſit enim tota noſtra natura vitioſa & ſponte ad peccandum procliuis. Geneſ. 8. vbi Deo iuſtè nos ita deſerente nobis obiecta quædam velut illecebræ proponuntur, tũ proprio animi motu ad ea ferimur, ac ea, quæ Deus noſtri probandi, noſtræque hypocriſeos detegendæ gratia obiectat, in occaſionem peccati arripimus, & arripientes peccamus. Petimus hîc igitur nos ab hac procliuitate & appetitu peccandi liberari, ídque Dei gratia. Ea verò per quæ tentamur, ſunt infinita. Sũt enim vel à Dextris. 2. Corinth. 6. verſ. 7. vel à Siniſtris. A dextris ſunt ea, qua proſpera nobis ex animi ſententia fluunt, quibus (quæ eſt naturæ noſtræ vitioſitas) ad peccatum ſolicitamur, velut in ocio fit adulter Dauid. A ſiniſtris ſunt ea quæ vocantur afflictiones & aduerſa, veluti vis, rapina bonorum, infamia, paupertas, & de quibus etiam ipſis ad malum ſollicitamur, ita (niſi à Deo regamur, & ſuſtentemur) omnibus modis ſumus ad peccandum procliues ac propenſi. A Sequitur,

Sed libera nos) Liberandi vox duo quædam oſtendit. Primum, nos natura ipſa eſſe ſeruos peccati, & mancipia Satanæ, quemadmodũ Paulus docet, quum ait, Rom. 7. verſ. 14. *nos eſſe venditos, vt ſeruiremus.* & cap. 8. verſ. 20. *nos ſeruos fuiſſe peccati, antequam à Deo liberati eſſemus & mancipati iuſtitiæ.* Id autẽ accidit nobis primùm propter Adami peccatum ſeu originale: præterea propter noſtra ipſorum peccata, quæ ſunt Actualia peccata.

Deinde verò & illud colligitur, quum à Deo nos liberari precemur, noſtram liberationẽ à peccato, non in nobis ipſis ſitam eſſe, neque à nobis pendere aut, viribus arbitrii noſtri (quod totum eſt ſeruum peccati, quemadmodum vbique docet & appellat Auguſtinus) effici: ſed à ſolius Dei potẽtia, virtute, gratia & benignitate. Non enim magis poſſumus nos, qui in peccatis mortui ſumus, (vt ait Paulus Epheſ. 2. ver. 1.) à peccatis noſipſos erigere, ac liberare, quàm qui mortuus eſt, poteſt ſeipſum è ſepulchro excitare: Quod eſt mortuo *ἀδύνατον*. Ergo Deus eſt autor iſtius liberationis. B *Verè demum & liberi, & liberati ſumus, poſtquam nos Filius. s. Chriſtus liberauit*, Ioã. 8. v. 36. Ex quibus illa conſequũtur, quæ hîc annotauit Cyprianus. Primùm ex his verbis intelligi, Quanta ſit noſtræ naturæ infirmitas, ne quis arroganter de ſe ſentiat, aut paſſionis, confeſſionis, aut cuiuſpiam boni operis laudem ſibi tribuat. Nam hoc totum eſt in nobis Dei opus, vt docet Scriptura Philipp. 1. verſ. 29. Prætereà, vt ex hac ſententia omninò ad Deum confugere iubemur, ſic ex ſuperiori, *Ne nos inducas*, intelligi, Nihil vel Diabolum, vel alios vllos aduerſarios contra nos poſſe, niſi & Deus illis permiſerit, & quantum permiſerit: vt omnis noſter timor ac trepidatio ceſſet, ex vnius Dei prouidentia pendeamus, denique ſerio mentis affectu toti ad vnum Deum inuocandum conuertamur. Idem ex 2. Reg. 24. & Iſa. 42. ver. 24. colligi poteſt. *Quis exponit proculcationi Iacobum, & Iſraelem diripientibus? Nonne Iehoua? Hic eſt cui peccauimus. Non enim acquieuerunt vt in viis eius ambularent, neque auſcultauerunt legi eius.* Ergò *liberandi* verbo primùm nos Dei Spiritu indies regenerari petimus: id eſt, iuſti- C tiæ amorem ac deſyderium, quo ſancta quædam amplectamur, infundi nobis: item odium mali tãtum creari, vt toto corde carnales concupiſcentias, Satanam & mundum oderimus, auerſemur ac deteſtemur. Deinde, poſtulamus, nos in eo ſtatu creſcere & corroborari. Denique vt in ea, quæ aſſiduè nobis aduerſus peccatum ſuſcipienda eſt, lucta victores ſemper euadamus, Gal. 5. ac viuat in nobis Chriſtus, Gal. 2. verſ. 20. Quod vt fiat, hæc tria Spiritus Dei dona ſunt nobis neceſſaria. *Vnum*, vt ſpiritualibus armis inſtruamur à Deo, quæ ad huiuſmodi ſpirituale certamen ſint idonea, Epheſ. 6. ver. 14. 1. Theſſ. 5. Carnalia enim arma hîc nullum vſum habent, 2. Corinth. 20. verſ. 4.

Alterum, vt ſic armati ſuſtineamur idque perpetuò, Dei manu, ne labamur, aut cedamus. Facilè enim nos etiam armatos vinceret Satan, ſi Dominus manum ſuam vel ſemel ſubduceret, vt apparet ex Pſalm. 30. verſ. 8. *Iehoua beneuolentia tua conſtitueras in monte meo robur: ſed te abſcondente faciem tuam, fui conturbatus.*

Tertium,

A *Tertium*, vt præſidio Dei vndiq; & vbique muniamur, ne nobis aut incogitantibus, aut minus attentis irrumpat Satan irrequietus hoſtis: vel Concupiſcentia comes nobis eadémque perpetua inſidiatrix. Hanc vocem liberandi ſic explicat doctiſſimus ille S. Scripturæ interpres D. Caluinus, præceptor olim meus, in Catechiſmo. Additur,

A malo, Α'πὸ τ̃ πονηρῦ.) Propter additum articulum voci πονηρῷ quidam reſtrinxerunt illius vocabuli ſignificationem ad Diabolum, ac ſi poſtularemus, nos à Diaboli tantùm inſidiis & conatibus liberari, defendi ac protegi. Sic Chryſo. Sic Tertul. in lib. de fuga in Perſec. Vt enim initio huius orationis Deum Patrem inuocauimus: ſic in fine nos à Diabolo liberari flagitam'. Sed quemadmodum præclarè tradit Baſilius in Regulis Breuioribus Quæſt. 75. non omnium peccatorum cauſſa nobis eſt Satan (abſolutè nempe & per ſe) imò noſipſi ſępè ſumus nobis eorum cauſſa, ſępè etiam Mundus. Quarè non tantùm à Satanæ ſeu Diaboli viribus, inſidiis, & conatu nos eripi ac liberari poſtulamus: ſed etiam à Carnis ſeu concupiſcentiæ carnalis illecebris ac dominio, itémque à Mundi huius fallaciis, & errore, quo ad peccandum pellicimur. B Hæc enim tria, Caro noſtra, Satan, & mundus nos ad ſe abducunt, & ad peccandum inducunt, 1. Ioh. 2. verſ. 16. & 5. verſ. 4. Gal. 6. verſ. 14. Rom. 7. verſ. 5. Sic Tertullianus ipſe hîc interpretatur. Sic vox Πονηρὸν neutro genere pro omni malo ac malitia ſumitur. Sic. 1. Ioh. 5. ver. 19. *Totus mundus dicitur poſitus* ἐν τῷ πονηρῷ, id eſt, *in malo*.

Cæterùm, quæ differentia inter κακὸν & πονηρὸν ſtatuitur à quibuſdam, parum ad huius loci explicationem confert. Illud potius intelligẽdũ eſt, etſi omnia, quæ nos ad peccandum ſollicitant, *mali* nomine hîc comprehendãtur, κατ' ἐξοχὴν tamẽ, Diabolum præcipuè ſignificari: qui eſt maximum, atque adeo perpetuum nobis ad peccata incẽtiuum & flabellum, dum noſtris ipſorũ concupiſcentiis ad nos perdendos paſſim abutitur.

CAP. XVII.

C

Explicatio Epilogi ſeu Coronidis Orationis Dominicæ,

Quia tuum eſt regnum.

ATque his expoſitis, tota Dominicæ Orationis formula eſt explicata. Reſtat, vt Ἐπίλογον, quem ad finem addidit Chriſtus, quíque apud Matthæum extat, & nos quoque huic noſtræ tractationi addamus. Eſt autem his verbis comprehenſus Ὅτι σοῦ ἐστὶν ἡ βασιλεία, ϗ ἡ δύναμις, ϗ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. *Quia tuum eſt regnum, & potentia & gloria in ſecula, Amen.*

Primùm quidem obſeruandum eſt, hunc Epilogũ ferè ab omnibus interpretibus Latinis, quãtumuis vetuſtis, fuiſſe prætermiſſum. A Græcis autem omnibus non item. Nam eum retinent, atque etiam explicant Chryſoſtomus & Theophylactus. Certè apud Lucam non extat: apud Matthæum tamen conſtantiſſimè legitur, nec illi fuit additus, quicquid Eraſmus ſentiat, qui etiam totam hãc diuinam & Cœleſtem coronidem blaſphemè nugas appellat. Cur à Patribus prætermiſſa fuerit, duplex ratio mihi videri ſolet: Vna quòd apud Lucam nõ extaret: altera, quòd Patres, propter Arianorum A recentem hæreſin, alia coronide Orationem ſeu preces ſuas finirent, quæ Arianorum erroribus cõfutandis magis eſſet idonea, nempè hac, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui cum Patre & Spiritu Sancto ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum.* Sed & ipſi quoque Apoſtoli, quũ alia coronide ſuas Epiſtolas & preces claudant, vt & quiſque pro Spiritus ſibi dati menſura, non eſt viſa vſquequaque neceſſaria hæc additio ſeu coronis. Ex quo factum eſt, vt in orationibus omitteretur, nec ab interpretibus Dominicæ Orationis exponeretur, quum tamen vberrima ſit ac vtiliſſima, latiſſiméque pateat. Non tantùm enim breuiter complectitur totius huius Orationis ſcopum: ſed etiam breuiſſimam Εὐχαριστίας *Gratiarum actionis* concipiẽdæ formulam nobis monſtrat, vti mox apparebit.

Ordinis verò rationem hãc eſſe in hoc Epilogo quidam exiſtimãt quòd quum ſuprà precati ſimus, vt Deus nos liberet à Malo, iam huius noſtrę fiduciæ ac liberationis fundamentum, ecquod ſit oſtẽdamus, nempè Dei potentiam, quam his verbis B confitemur, Quia tuum eſt regnũ, potentia & gloria. Alij cenſent Epilogum hunc additum, qui totius huius Orationis Dominicæ ſcopũ nobis mõſtraret, hunc nimirum, vt ad vnius Dei gloriam ac laudem referamus quicquid & agimus, & à Deo hac formula poſtulamus. Certè, hoc eſſe magnum noſtrarum precum fulcimentum, negari non poteſt, quum intelligimus, eas ad Deum dirigi, ad quem omnis potentia, gloria & regnum pertinet. Denique pulcherrimo fine & Colophone totam hanc orationem claudere voluit Chriſtus. Id quod nobis quoque faciundum eſſe Paulus Coloſſ. 3. verſ. 17. docet.

Verba autem huius Epilogi prius exponenda ſunt: Deinde eſt demonſtrandum quæ colligi inde vtiliter poſsint.

Regni vocabulo ius ac authoritatem imperandi ſignificari certiſsimum eſt. Itaque ſummum ac liberrimum in res omnes imperium tribuit Deo iſta confeſsio, & oratio, quòd regnet vbique & ſuper omnia.

Potentia verò denotat vim ac poteſtatem exequendi, eámque ſummam, & potentiſsimam, cui C nihil obſtare poſsit. Itaque non ius tantùm omnibus imperandi habet Deus: ſed etiam poteſtatem ac facultatem omnia exequẽdi eámque ἀνεμπόδιστον, & irrefragabilem.

Gloriæ nomine laudem & honorem Dei declarari certiſsimum eſt: ad quem, velut vltimum ſcopum omnia, quæ meditamur, agimus, & precamur, ſunt referenda. In omnibus enim rebus vnius Dei gloria, non autem aliorum, aut noſtra, quærenda eſt. Pſal. 145. v. 10. & 13.

Ex quibus intelligitur, hoc totum tribui Deo, quòd res mouentur, & aliquid efficiunt: item omnis operis laudem ad eundem pertinere. Petrus 1. Epiſt. cap. 5. verſ. 11. præter hæc tria tribuit etiam Deo κράτος, quod imperii Dei ius ſummum, & nulli alii ſubditum eſſe demonſtrat. Iudas in Epiſtola verſ. 25. addit ἐξουσίαν ϗ μεγαλωσύνην, id eſt, *Poteſtatem & Maieſtatem*: quibus vocibus ſplendorem regni Dei deſcribit rebus omnibus, quantumuis ſplendidis, eminentiorem. Sed nullis verbis humanis illa Regni Dei maieſtas, amplitudo & poten-

A tia ſatis deſcribi poteſt, vti apparet ex Pſal.104. & ex auguſtiſsimis illis laudibus quæ Deo à piis in cœlo decantãtur in Apocal. variis paſsim in locis. Itaque modò his modò illis adumbratur ſolùm ac veluti pingitur.

Ex his verò iam apparet quorſum addita fuerit iſta coronis: & quidem tribus maximè de cauſsis, quæ, quanta vtilitas ex ea colligi poſsit, oſtendunt, res omni dignatione ſuperior.

Vna, vt intellîgereremus noſtrarum precum omnium effectum à Deo pendere, idque ex mera ipſius gratia, ne videlicet, ea quæ precando conſequimur, nobis, noſtræue dignitati tribuamus: ſed eorum laudem in ſolidum vni Deo per Chriſtum aſſeramus. Auguſt. in Epiſt. ad Sixtum Presbyter. *Oratio, quidquid impetrat, euidenter oſtendit donum eſſe Dei, ne homo exiſtimetur à ſeipſo eſſe, quòd ſi in poteſtate haberetur, non vtique peteretur. Veruntamen ne ſaltem orationes viderentur præcedere merita, etiam oratio inter gratiæ munera reperitur.*

Altera, vt, qua ratione noſtræ preces effectum ſuum habeant agnoſcamus, nimirum, quòd Deus, cui eas obtulimus, eſt Rex in omnia, liberrimus in B imperando, potentiſſimus in exequendo, qui gloriam ſuam patefieri velit, ac ſe laudari ab omnibus & de omnibus rebus.

Denique hæc Coronis eſt addita, vt Dei laus finiret noſtras preces, itemque gratiarum actio. Nã qua ratione gratiæ de acceptis à Deo beneficiis agendę ſint, pulchrè hîc monſtratur. Hęc enim Dominicæ Orationis clauſula breuiter ſummam ac typum continet omnis εὐχαριστίας. Quid enim maius Deo tribuere poſſumus, aut quibus verbis amplioribus gratias ei agere, quàm & de ſingulis bonis quæ ab eo accipimus: veréque & ex animo fateamur, cuiuſcunque boni & rei quam ſimus conſecuti, iubendæ, exequendæ & nobis præſtandæ poteſtatem, ius & gloriam ad eũ totam pertinere? Ergo hæc eſt breuiſſima, ſed iuſtiſſima gratiarum actionis formula, & valdè neceſſaria.

Gratias enim acturi, hæc tria imprimis conſiderare debemus, quæ cõtinet breuis hæc Chriſti ſententia. *Nimirum vt commemoremus* diſertè beneficiũ illud peculiare, quod à Deo accepimus, velut Dauid è belli periculis ereptus, ait, *Eripuiſti me Domi-* C *ne à morte & hoſte*, Pſal.38. & 18. & 144. & 116. In quo ipſo beneficio reputando varię illius circunſtantię ſunt quoque à nobis perpendendæ, veluti magnitudo periculi noſtri, opportunitas auxilij diuini, &c. huiuſmodi, quemadmodum docet Baſilius in moralibus, ne ſit tepida noſtra gratiarum actio. Bernar. Ser.51. in Cant. Canticorum. *Nulla Dei dona*, ait, *debita gratiarum actione fruſtrentur: non grãdia, non mediocria, non puſilla. Denique iubemur colligere fragmenta, ne pereant, id eſt, nec minima beneficia obliuiſci. Nunquid non perit, quod donatur ingrato?*

Alterum, vt quicquid impetrauimus, hoc totũ meræ Dei gratiæ, non autem vlli dignitati noſtræ, vel meritis vindicemus & acceptum feramus. Sic Chriſtus Mat.11. v.25. & 26.

Tertium, vt inde in fide magis magiſque confirmemur, & in ſpem aliorum quoque beneficiorum, & maiorum, & minorum ab eodem Deo accipiẽdorum, erigamur. Neque enim defatigatur Deus benefaciendo, Iac. 1. v. 5. Et ſanè ſtoliditas ac infidelitas illa eſt, vnà cum ſumma ingratitudine coniũcta, ſi quis ad Deum in periculis non redeat, A cuius iam potentiam & in ſe beneuolentiam ſenſit, Auguſt. lib.1. Doctrin. Chriſtian. cap. 1. Denique pulcherrima eſt hæc Bernardi ſentẽtia Serm.13. in Cantica Cantic. *Gratiarũ actio reddi Deo debet ex pudica, & mera cordis ſimplicitate: Pudica, ne propter peccata à nobis cõmiſſa Deo gratias agamus: Mera, ne verbis tenus, nõ autẽ corde ipſo gratiæ agantur.* Quòd autem diſputat Baſilius in moral. ex Matth. cap. 14. Vtrùm Deo gratiæ ſint agendæ priuſquam impetrauerimus: Reſponderi, ſoluíque faciiè ex hac diſtinctione poteſt. Quòd, quatenus Dei promiſſionibus fide innitimur, gratiæ poſſunt agi Deo, etiam antequam rem promiſſam habeamus: Quatenus vero gratiarum actio eſt accepti iam beneficij teſtificatio, ſolet ſequi beneficij acceptionem. 1. Tim. 4. verſ.4. Coll.13. verſ. 17. Philip. 4. 6. Et hæc quidem tum de Precatione, tum de Gratiarum actione.

Vox enim *Amen*, quæ ſequitur eſt Orationis ſignaculũ, & velut ratificatio, qua teſtamur, nos non perfunctoriè ea quæ explicata ſunt, flagitare.

B

CAP. XVIII.

Vtrùm alio modo precari liceat, quàm qui eſt in hac formula à Chriſto præſcriptus.

TRibus ſuperioribus capitibus, quæ eſſentialia in doctrina inuocationis eſſe notauimus, expoſitis: Reliquũ eſt, vt, quæ duo ex illis quinque à nobis propoſitis, ſuperſunt, explicemus, è quibus hoc prius eſt.

Cuius nomine ac interceſſione ſit à nobis Deus ille Pater rogandus ac inuocãdus. Id quod ſtatim aggrediemur, ſi priùs ad vexatã illam quæſtionẽ reſpõderimus, nimirum vtrùm aliter precari Deum ſit nefas quàm quo modo in hac formula docemur. Hæc autem quæſtio eſt duplex. aut enim de verbis quæritur, aut de rebus. Si de verbis quæſtio eſt, Reſpõdeo, Nos, & quidem bona conſcientia, precari aliis verbis poſſe, quàm quibus hæc formula concepta eſt, modò tamen ab illius mente & ſenſu minimè C diſcedamus. Auguſtinus in ep.121. *Liberum eſt*, ait, *aliis atque aliis verbis eadem tamen in orãdo dicere, ſed non debet eſſe liberum alia dicere.* Huius autem reſpõſionis veriſſimę multiplex eſt ratio, veluti quod ne ipſi quidem Euangeliſtæ in hac oratione recitanda iiſdem ſigillatim verbis fuerint vſi: velut pro eo quod habet Matthæus σήμερον, Lucas ſcripſit τὸ καθ' ἡμέραν, pro eo quod habet Matthæus ὀφειλήματα, Lucas reponit ἁμαρτίας. Ergo non verbis & ſyllabis huius formulę, ſed menti tantum addicti atque adſtricti ſumus. Accedit, quòd Chriſtus qui hanc orationem dictauit, & Apoſtoli ipſi qui eam à Magiſtro ſuo didicerunt, dum tamen precantur ipſi ab huius formulæ vocibus recedunt, & alia verba vſurpant. Mat.11. v.25. Act.4. v. 24. Sed & Prophetarum preces à Deo exauditæ, & tot Pſalmi aliis omnino verbis concepti Deo tamen grati fuerunt. Denique εὐσέβεια & pietas Chriſtiana non eſt Magia certo verborum & characterum ſono vel numero adſtricta, vel λογοδαιδαλία ac λογομαχία quædã quæ vim ſuam ex ipſis ſyllabis mutuetur. Sed ipſa mens Chriſti, & doctrina rerum petendarum hîc compre-

A comprehenſa, ſequẽda eſt, & ad eam ſemper à nobis in omnibus noſtris precibus, vtcũque aliis verbis fiant, collimandum & ſpectandum, tanquam ad Cynoſuram noſtram, ne aberremus. Illud modò meminiſſe nos oportet, dum aliis verbis oramus, quemadmodum iubet Paulus 2.Tim.1.v. 13. ὑποτύπωσιν, id eſt, formam ſanorum verborum ſeruem', id eſt, iis verbis vtamur, quæ grauitatem homine Chriſtiano dignam, itémque reuerentiam numinis redoleãt: nihil autem ineptum, aut ſcurrilitatis, aut puerilis & vagantis animi præ ſe ferant. Ex quo fit vt merè ſuperſtitioſæ ſint Monachorum, Confeſſionariorum, & reliquorum Papiſtarum preces, qui eas certo numero, & his ipſis Orationis Dominicę verbis alligant præciſè, quaſi vis quædam magica illis ſonis & ſyllabis ad delẽda peccata inſit. Et hæc quidem de verbis. De re autem quæ petenda eſt, certo certius eſt, nos aliud quàm quod hic docemur poſtulare neque poſſe, neque debere. Quamobrem omnia vota noſtra ſunt ad huius formulæ petitiones, tanquam ad vnicam ritè Deum precãdi regulam expungenda & reuocanda, *ne*, quemadmodum rectè Tertullianus monet, *quantùm à præceptis, tantùm ab auribus Dei longè ſimus.* B Quod autem ait idem nos poſſe quidpiã ſuperadiicere pro circumſtãtia cuiuſque temporis & loci & perſonæ cum memoria tamen præceptorum, hoc ſibi vult Tertullianus, nos poſſe peculiariter explicare & petere quę vel ad Dei gloriam, vel ad nos pertinẽt, pro ratione ærumnarum in quibus verſamur, & cũ quibus conflictanur. Atque hoc ſanè verum eſt. Sic nempe qui in mari periclitatur, poteſt nominatim petere à Deo ne naufragium faciat. Qui pugnat cõtra hæreſin, petere vt talis hæreſis cõcidat. Sed hæc omnia iis ipſis petitionibus continentur quas ſupra expoſuimus: adeò vt non tam ſuperaddamus quicquam huic orationi ſic precantes, quàm quod eſt innodatum & inuolutum explicemus, & ad varias circunſtantias applicemus.

CAP. XIX.

Cuius nomine ſeu interceſsione, ſit precandum, vt exaudiamur.

C Ergo hac quæſtione expoſita veniamus ad quartum eſſẽtiale huius diſputationis caput, Cuius nimirum interceſſione Deum precari debeamus. Nam omnino interceſſore nobis apud Deum opus eſſe ipſum Dei verbum oſtendit Ioan.14.verſ.6. Item ſummus ille ſacerdos, qui ſub veteri lege & teſtamento erat Domini noſtri Ieſu Chriſti typus, Heb. 9. verſ. 14. 9. verſ.6.9. & noſtra ipſorum vitioſitas ac indignitas nos à Dei conſpectu arcet. Pſ.5.ver.5. Quamobrem omnino Mediatore egemus apud Deum, vt & ad eum adire, & ab eo exaudiri poſſimus, Rom.5.verſ.1. Sed ecquis ille ſit, varia vexatáque quæſtio eſt propter Papiſtas. Illi enim penè infinitos apud Deum interceſſores nobis fingunt ac ſomniãt. Nos autem ex ipſo Dei verbo vnicum duntaxat eſſe, nimirum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, reſpondemus atque cõtẽdimus. Quod vt rectè & commodè percipiatur, primùm noſtra hæc ſententia probanda eſt: Deinde contraria.i. Papiſtarum confutanda.

I. Ergo Chriſtum, eúmque vnicum eſſe noſtrum apud Deum Mediatorem & Aduocatum, A probant hi Sacræ ſcripturæ loci, 1. Timoth. 2. v. 5. *Vnus Deus, vnus etiam Mediator Dei & hominum Ieſu Chriſtus.* Quare & definit numerum Paulus, *vnus* ait, & ex vnitate Dei vnum Mediatorem eſſe arguit. Adeò vt ſit iis neceſſe plures Deos conſtituere, qui plures Mediatores eſſe volunt. Nã quod quidam accipiunt, *Vnus* pro præcipuo, eſt præter mentem Pauli & vim argumenti. Alioquin vnus etiam Deus eodem ipſo loco quomodo dictum acciperetur?

II. Is ſolus eſt noſter apud Deum Mediator in cuius nomine precari & petere iubemur. Atqui in ſolius Chriſti nomine poſtulare iubemur, Ioan.19. v.13.14.15, verſ.16.16. verſ. 24. Quibus omnibus locis præcipitur nobis, vt quod à Deo impetratum eſſe volumus in nomine Chriſti (nullius autem alterius fit mentio) rogemus ac flagitemus. Ergo ille ſolus eſt Mediator.

III. Accedit ad idem confirmandũ ratio, eáque multiplex. Vna: Nemo poteſt eſſe noſter apud Deum aduocatus, niſi fuerit ipſe plenè, perfectéque coram Deo iuſtus, 1. Ioan.2. verſ.1. Atqui ſolus Chriſtus eſt eiuſmodi Rom.8. verſ.38. B Ergo ſolus Chriſtus poteſt eſſe noſter apud Deum aduocatus, interceſſor ſeu patronus, quod idem eſt. Altera ratio eſt: Non poteſt abſque manifeſta blaſphemia Chriſto, vel in totũ, vel ex parte adimi, quod illi S.Scriptura in ſolidum tribuit. Verùm S.Scriptura inſolidum tribuit Chriſto vt pro nobis intercedat apud Deum ac interpellet, Heb.7.v. 25.4. v.15. Ergo ſi hoc Chriſti munus quiſpiam partiatur & alii communicet, ille certè blaſphemus eſt. Sed eſt & hęc quoque ratio. Quòd quicquid abſque fide fit, peccatum eſt. Rom.15. Atqui omne illud fit abſque fide, quod citra Dei verbum ad placandum Deum ab hominibus introducitur. Ergo aut probent Papiſtæ ex verbo Dei alios eſſe interceſſores præter Chriſtum, aut ſe abſque fide iis apud Deũ aduocatis vti fateantur neceſſe eſt. Vnus eſt Chriſtus, in quo omnes Dei promiſsiones ſunt *Etiam & Amen.* 2.Cor.1.v.20. Heb.5.v.10. *Non eſt aliud nomen datum, in quo nos oporteat ſaluos fieri,* Act.4.v.12. Ergo vnus eſt Chriſtus, per quem nos, noſtráſque preces Deo Patri commendari oporteat: non ergo per Angelos: non etiam per homines mortuos quos vulgo Sanctos peculiariter vocant. C

Tertiò Patrum orthodoxorum teſtimonia id quoque docent. Tertullianus in libro de Trinitate demonſtrat, interceſſionẽ meri hominis ad pręſtandam ſalutem eſſe inefficacem, Ergo & ad commendandas Deo preces noſtras, quia nos prius Deo reconciliatos eſſe oportet, quàm preces noſtræ illi placeant.

Auguſtin.lib.2. contra Parmenian. cap.8. ait, *non multi ſunt mediatores. Pro quo enim nullus intercedit, ſed ipſe pro omnibus, ipſe vnus verúſque Mediator eſt.* Is autem eſt Chriſtus, & quidem ſolus. Ergo ſolus ille eſt verus mediator ac interceſſor apud Deum noſter.

Ambroſius in epiſtolam Paul. ad Rom.cap. 1. v. 22. negat Deum per hominũ ſuffragia poſſe vel debere adiri, quanquã tamen Reges à nobis per ſuorum aulicorũ & purpuratorum interuentum adeũtur. Sed & Tertull.lib.1. cõtra Marciõ. negat reges cum Deo, & Deum cum regibus conferri poſſe.

Anſelmus quoque in epiſt. ad Hebr.cap.5. verſ. 1. nobiſcum facit. Cyprianus. *Non eſt contentus*

A *Chriſtus quòd nos ſuo ſanguine redemit, amplius pro nobis rogat.*

Ex quibus omnibus apparet veriſſimã eſſe noſtram ſententiam. Quid ſit autem Chriſtum pro nobis apud Deum patrẽ intercedere, pulchrè explicat Anſelmus in epiſt. Pauli ad Rom.cap.8.verſ. 3.eſt autem vt ait ille, Patri ſe hominem & quidem pro nobis paſſum demonſtrare. Nec enim Pater à Filio monendus eſt, vtpote qui ſcit videtq; omnia, ſed miſeratione, non voce: ſancto illo & ſuaui plenæ ſuæ obedientiæ odore, non genibus coram Patre flexis interpellat pro nobis Chriſtus, qui quâ Deus, audit omnes preces noſtras: & (quâ homo & frater noſter) pro nobis paſſus illas eaſdem, vti & nos ipſos ſanguine ſuo Deo Patri commendat.

Cæterùm Papiſtæ hæc euertere conantur, & qui eorum diſputationibus faſcinati ſunt, veluti Bucerus ipſe aliâs vir doctus, lib.2.Comment. in epiſt. Pauli ad Rom.cap.8.verſ.26. Aiunt igitur Papiſtæ, vnum quidem eſſe redemptionis noſtræ mediatorem: ſed plures eſſe mediatores interceſſionis, nẽpe omnes bonos Angelos, & Sanctos in cœlum iam receptos. Id quod ex eo maximè ſe probaturos B eſſe ſperant, quòd Moſes dicitur fuiſſe mediator, id eſt, internuntius inter Deum & populum Iſraeliticum Exod. 32. Deutero. 9. & 5. & 13. v. 5. Galat. 3. verſ. 19. Ergo præter Chriſtum alios eſſe noſtros apud Deum interceſſores ac mediatores. Verùm reſpondeo. Primùm quod de Moſe viuo dicitur, transferri ab iſtis peſſimè ad Moſen mortuũ: quales ſuos interceſſores Papiſtę habẽt. Poſſunt enim, concedo, Petrus, Paulus, Moſes & alij dum viuunt, pro nobis apud Deum precari, ac intercedere, qui tamẽ mortui idem præſtare non poſſunt, quoniam diuerſa eſt mortuorum ſanctorum & viuorũ cõditio, ſi nobiſcum comparentur. Nam mortui neque iam audiunt nos, neque noſtris calamitatibus mouentur quas ignorant, neque etiam præceptum pro nobis rogandi habent, quod extet in Dei verbo: Atqui iidem viui nos audire poterant, & nobis compati, & præceptum de orando pro aliis habebant. Iacob.5.verſ.16. Itaque eſt ἰπεσγνὲς quod Papiſtæ concludunt. Præterea ludunt vocis μεσίτου æquiuocatione. Nam μεσίτης & pro internuntio placatore ac conciliatore ſumitur. Pro internuntio C mero.i. eo qui noſtra verba & vota Deo vel cuipiã alij refert, & Dei verba ad nos defert & recitat: ſic olim Prophetæ omnes fuerũt μεσίται θεοῦ, id eſt, internuntij Dei. Sic omnes ſummi ſacerdotes: ſic hodie omnes Paſtores, quia volũtatem Dei nobis exponunt, ac preces noſtras ac vota Deo proferunt, quandiu quidem eo miniſterio funguntur. Iidem tamen propriè neque Deum nobis placant, neque ſunt noſtri apud Deum mediatores. Vnus enim Chriſtus eſt placamentum in ſanguine ſuo apud Deum. Romano. 3. verſ. 25. Vnus propitiat nobis Deum. 1. Ioan. 2. verſ. 2. Vnus ille nos Patri reconciliat. Rom. 5. verſ. 10. Ergo vnus ille quoque pro nobis intercedit apud Deum, vt noſtræ preces audiantur, ſintque illi gratæ. Nam Deus monitore nõ eget, qui ei noſtras preces indicet: ſed placatore, qui ſe inter nos & iram Dei interponat. Quod ſolus Chriſtus facere poteſt. Quare ſolus quoque ille eſt noſter apud Deum Mediator.

Porrò quod aiunt, alium interceſſionis, alium verò redemptionis ſeu expiationis peccatorũ noſtrorum Mediatorem eſſe, planè falſum eſt. Quemadmodum enim idem ſummus Sacerdos ſub lege A erat, & ſacrificiorum, id eſt, expiationis, & precũ, id eſt interceſſionis in typo mediator: ſic in nouo Teſtamento idem Chriſtus eſt & redemptionis & interceſſionis Mediator. Ac quidem eundem in lege ſummum ſacerdotem & ſacrificaſſe & interceſſiſſe pro populo Dei probant hi S. ſcripturæ loci, Heb.5.v.1. *Põtifex ex hominibus aſſumitur, & pro hominibus conſtituitur in iis, quæ apud Deum agenda ſunt, vt offerat donaria & victimas pro peccatis.* & 8.v.3. Intercedit quoque Pontifex idem pro populo, ſed & cùm ingreditur in ſancta ſanctorum, idem ſacrificat & orat pro populo Leuit.16.& 17. Quamobrem & Chriſtus quoque idem præſtat, & præſtitiſſe docetur, vt qui ſe ſemel obtulerit in ſacrificium pro nobis Heb.9.& nunc in cælum aſcendit, vt perpetuò pro nobis interpellet. Heb. 7.v.25.9.v.24. Ex quo fit, vt idẽ expiationis & interceſsionis ſit mediator, imò nullus ſit interceſsionis, qui idẽ quoque non ſit expiationis.

Obiiciunt quoque Papiſtę Spiritũ S. interpellare pro nobis, Rom.8.verſ.26. Reſpondeo illud *interpellare* eſſe creare eos motus & afflatus animi B quibus rectè precemur.

Proferunt & illud Iob.5.v.1. *Ad quem è ſanctis te conuertes?* Reſpondeo eſſe prorſus ἰπεσγνές argumentũ, neque de interceſsione illic agi, ſed de contentione cum Deo, vel de exemplo & comparatione ſtatus Iobi cum quouis alio ex ſeruis Dei.

Præterea ex Apoc.8.ver.3. affert Thomas in 2.2. quæſt.38. argumentum ſpecioſum. Reſpondeo illum Angelum, qui offert ſuffitus & preces omniũ ſanctorum, eſſe ipſummet Chriſtum.

Proferunt & exempla Patrum qui ſuas preces ad ſanctos ſeu pios iam defunctos, item ad Angelos direxerunt, veluti ad Michaelem, ad Petrũ, ad Mariam virginem matrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quod apparet ex veteribus Liturgiis, vt Baſilii & Chryſoſtomi. Reſp. Nõ quid illi Patres fecerũt ſed quid facere debuerunt, eſſe ſpectandum ac imitandum. Nam quum ſana fidei doctrina in Eccleſia Dei retineretur, non inuocabantur ſancti defuncti vel Angeli vt interceſſores: ſed vnus modò Chriſtus. Ergo quo modo hic error in Eccleſiam C paulatim irrepſerit, breuiter explicandum eſt.

A Chriſto nato ad 200. annum ignota fuit ſanctorum, ſiue hominum ſiue Angelorum interceſſio, ac proinde inuocatio, vt ex Iuſtini Apol. 2. & Ter. Apo. cap. 30. Clemente ſtrommat. lib. 7. colligi poteſt, vbi omnis ritus, omniſque ratio Eccleſiaſticæ tum doctrinæ, tum diſciplinę recenſentur, nec tamen innocationis ſanctorum vlla fit mẽtio. Irenæus etiã lib.1.c.23.& 25.lib.2.c.58. damnat velut Hæreticos eos qui inuocant Angelos. Cœperunt quidem primùm Martyres Dei in pretio haberi, ſed vt Chriſti imitatores, non autem vt noſtri apud Deum interceſſores, Euſeb.lib.4. Hiſt.ca.15. Dionyſ.c.3.Hierarch.Eccleſiaſt.

Circa annum Domini 240. cœpit Origenes primus huius erroris ſemina ſpargere, quòd diceret ſanctos defunctos charitatem & curam cogitationémque noſtri non abieciſſe Homil.3.in Cant.& in Ioſ. cap. 13. ſed erat hæc priuata tantum opinio Origenis, non autem publicum Eccleſiæ dogma. Poſtea propter Spectra Potamiænæ virginis Martyris, vt docet Euſeb.lib.6. Hiſtoriarum cap.5. confirmata eſt opinio de cura mortuorum pro no-

bis

A bis & pro ſalute noſtra Cyprian. libr. 2. epiſtol. 6. & Auguſt. eam ſententiam confirmarunt, cui epiſcopi tum temporis non contradicebant propter vulgi perſuaſionem, vt teſtatur Auguſt. epiſt. 118. Ergo propter iſtam opinionem de illorum cura de nobis, cœperunt inuocari ſancti mortui. Repreſſa tamē eſt hæc opinio circa annum 350. quòd Arrianis obiiciebatur Chriſtum ideo verum Deū eſſe, quonam inuocabatur.

Circa annum Domini 400. per Baſilium, Nyſſenum, Nazianzenum hæc inuocatio ſanctorum poſtea renouata eſt, & in Eccleſiaſticos conuentus reuocata prætextu Panegyricarū Orationū, quas de defunctorum laudibus habebant, & in quibus per huiuſmodi proſopopœias, *Tu nos ab alto propitius reſpice* rhetoricabantur. Epiphanius tamen illis coætaneus contra Collyridianos ſcribens, ſanctorum inuocationem damnat. In ea verò definiēda varius fuit Chryſoſtomus, vti & Theodoretus. Cyrillus Chryſoſtomo poſterior contra Iulianum li. 6. eam improbat manifeſtè, poſt annum Chriſti 450.

B Petrus Gnapheus planè hæreticus homo circa annum 500. primus videtur miſcuiſſe inuocationes ſanctorum inter publicas Eccleſiæ preces, quæ antea iis carebant. Nicephor. lib. 15. c. 28. Gregorius magnus poſt annum Domini 600. in publicas Occidētalis Eccleſiæ Letanias intruſit ſanctorum inuocationem. Denique anno Domini 781, Synodus ſeptima, quæ dicitur ſecunda Synodus Nicena, imaginum cultum, & ſanctorum defunctorum inuocationem conſtituit, quam Euagrius & Damaſcenus ſuperſtitioſi homines defenderunt: quam eandem tamen Caroli Magni tempore. i. circa annum Domini 800, Claudius Hiſpanus, & Hildebernes Turonenſis oppugnarunt. Bernardi verò ſeculo fuit irriſa ſanctorum inuocatio. Omnino enim nullo loco concionum Bernardi in Cantica fit inuocationis Virginis mentio. Et hæc quidem de iſtius erroris origine, progreſſione & conſtitutione dicta ſint: cuius etiam cauſſa illa repeti poteſt ex vſu commemorationum ſanctorum ad ſacram Synaxin antiquiſſimo: qui quidem vſus facilè ſenſim C feneſtram inuocationi patefecit apud homines neque ſatis attentos quid agerent, neque certā verbi Dei lucem vti oportuit pernicioſis exemplis ſubinde opponentes.

CAP. XX.

Pro quibus ſit precandum.

RESTAT igitur vt ad quintum & vltimum eſſētiale huius diſputationis caput accedamus. Nempe, Pro quibus ſit precandum.

Reſpondeo eſſe precādum, & inuocandū Deum, & illi gratias agendas pro

quouis { Rerum

Perſonarum ſeu hominum }

genere. Quum enim ille & quidē ſolus ſit author omnis boni, illud quoque eſt ab eo petēdum, quod etiam poſtquam largitus eſt, gratiæ ſunt ei agendę illo nomine. Ac quidem pro quovis ſalutarium vel neceſſariarum vel commodarum rerum quas vel habere volumus, vel habemus, genere Deum eſſe precandum & agnoſcendum docet Paulus his verbis. Col. 3. ver. 17. *Quicquid egeritis ſermone, aut facto, in nomine Domini Ieſu facite, gratias agentes Deo & Patri*, & 1. Cor. 10. v. 31. *Siue igitur editis, ſiue bibitis, ſiue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* A Iacobus quoque in epiſtola c. 1. v. 17. *Omne munus bonum, & omne donum perfectum eſt ſupernè deſcendens à Patre luminum.* Idem docet Dauid Pſal. 127. & Pſ. 144. & in veteribus, quæ extant, Liturgiis apparet, vt Eccleſia pro quouis rerum tum animo tum corpori & huic vitæ neceſſariarū, tum etiam commodarū genere fuerit precata, velut in Liturgia Chryſoſtomi leguntur preces, quæ publicè fiebant *pro temperie aeris, fertilitate, temporibus pacificis, pro ciuitate, regione & incolis, pro pace.* Et nos ſupra in Prolegomenis oſtendimus, vt vſum vbique habeat oratio.

Pro rebus turpibus, ſcurrilibus, fatuis, & impiis non eſt rogandus Deus, ne illum authorem mali aut ſcelerum facere videamur ſociū, quod ii faciūt, qui furantes, adulterātes, alea ludentes, &c. Deum inuocant, vt ipſis hæc agentibus faueat.

Pro quouis autem hominum ſeu perſonarum genere Deum precādum eſſe, illíque gratias agendas docet Paulus 1. Tim. 2. v. 1. Docent idem veteres Liturgiæ, veluti Chryſoſtomi & quæ ante paſcha B in Eccleſia Latina recitabantur vbi precatur Eccleſia pro *nauigantibus, viatoribus, ægrotantibus, laborantibus, captiuis, pro epiſcopis, presbyteris, Diaconis, clero & populo: pro auguſtiſſimis regibus, toto palatio & exercitibus eorum, pro infidelibus, hæreticis, catechumenis*, &c. Eodem modo Iuſtinus, Tertullianus, Arnobius, Clemēs & Auguſtinus narrant ſuo tempore pro quouis hominum genere preces fuiſſe in Eccleſia Dei conceptas. Pro ægrotis precari iubet Iacob. cap. 5. verſ. 15. Denique vt alii pro aliis Deum rogemus idem præcipit v. 16.

Ac quidem pro hoſtibus & inimicis eſſe nobis precandum docet Chriſtus Matt. 5. verſ. 44. & Paulus Rom. 12. v. 14. *Benedicite iis, qui vos inſectantur: precamini pro iis qui vos infeſtant & perſequuntur.*

Sed hoſtium duplex eſt genus. Alii enim ſunt hoſtes { Religionis, ſeu fidei veræ, quam profitemur.

Regionis ſeu patriæ, quam incolimus. } C

Hi perduelliones, illi hæretici vocantur.

Pro hæreticis precandum eſſe, vt ad veram mentem & fidē redeant & conuertātur, oſtendit Iacob. c. 5. v. 19. Sunt reducēdi in viam, qui aberrāt à fide, & vt id fiat Deus precandus. Eodem modo pro Papiſtis orandum eſt, quanquā canon, ſi quis epiſcopus 11. quæſtione 3. negat pro hæreticis precādum. Sed crudelis & impia eſt iſtius canonis ſententia.

Sed etiam pro Iudæis & Turcis, Mahometanis, Sarracenis, & omnibus infidelibus, vt Dei luce illuminentur, & ſanam doctrinam amplectantur, ac fiant veri fideles & Chriſtiani, precandum nobis eſt. Nam qui id fieri debere negant Pelagiani, in eo certè ſe crudeles & impios demonſtrant, qui & Dei gloriæ (quæ hac conuerſione infidelium amplificatùr) & tantorum populorum ſaluti ac fœlicitati inuideant. Quod enim excipiunt Chriſtū pręcipere, vt pro ſolis fidelibus (quorum Deus pater eſt) oremus, (quum iubeat nos patrem Deum precari) falluntur. Etſi enim Deus pater tantū fideliū & credētiū propriè in Chriſto pater eſt: tamē, quū vti docuimus, etiā, infidelibꝰ benefaciat, quū infideles ratione naturæ ſint etiā fratres & proximi (quà ſunt homines) certè pro iis quoq; tāquā pro fratri-

A bus & proximis Deus nobis rogandus eſt,maximè quum de plærorúnque ſalute & conuerſione bene ſperare Chriſtianæ charitatis ſit.

Et hæc quidem de hoſtibus religionis.Pro hoſtibus autem regionis & perduellionis communibus,& pro priuatis noſtris hoſtibus precandũ eſſe iam oſtendimus ex Matthęo cap.5.verſ.44.& probat Dauid ſuo exemplo Pſal.35.verſ.22. *Rependunt mihi malum pro bono. Quanuis ego agrotantibus illis vtens pro veſte mea cilicio affligerem ieiunio animam meam: & oratio mea in ſinum meum rediret.*

Idem olim factitatum quoque in Eccleſia fuiſſe ſcribit Tertullia.in Apolog.cap.30.Auguſtinus in epiſtola ad Probam 121. Porrò pro quibuſdam nequaquam precandum eſſe docet S.Scriptura,veluti pro iis qui peccant in Spiritum S. quoniam peccatum illud ſit ad mortem, pro quo non vult Deus vt precemur.Ioannis epi.1.cap.5.verſ.16.*Si quis viderit fratrem ſuum peccare peccato quod non eſt ad mortem,petet & dabit ei vitã,peccantibus,dico, non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem,non pro illo dico vt roget.* Samuel vetitus eſt à Deo orare pro Saule hoc B peccati genere & modo delinquente.1.Samuel. 16. Et vetus Eccleſia pro Iuliano illo imperatore Apoſtata non eſt precata,quia ſic peccabat:imo cõtra eum orauit,In Bracarenſi ſynodo(eſt autem Bracara ciuitas Luſitaniæ,& hodie Ducatus)fuit cõſtitutum, ne quis pius oraret Deum pro iis qui ſibi manus violentas inferunt, vel qui ſcientes & prudentes ſe trucidant vno ictu,vel longa mora necant. Eſt in cano. Placuit. 23. quæſt. 5. quod fortaſſe ad preces pro mortuis ſpectat.

Auguſtinus, quemadmodum in eius vita Poſidonius ſcribit vel Poſſidius, nunquam orabat pro iis qui mercenariam & quæſtuariam militiam extra patriam alienis nimirum ſtipendiis exercebant ac factitabant,non autem pro patria,quòd eos Auguſtinus appellaret homicidas ſui ipſius, & quòd haberent vitam & animum venalem. Sed tamen pro iis omnibus precandum eſt, ſi modo adhuc viuunt,ſuntue ſuperſtites.

Quæſitum eſt de mortuis ſeu defunctis, Num pro iis ſit orandum. Papiſtæ in cano. *Non æſtimemus* C quæſt.2.volunt pro iis quoque eſſe precãdum, quoniam vt eſt 2.Machabæorum 12.v.43,*bonum eſt orare pro mortuis.* Sed quum quicquid ſine fide fit, ſit peccatum Ro.15,nuſquam autem doceat S.Scriptura precandum eſſe pro mortuis(quæ tamen eadem ait orandum eſſe pro viuis Iacob.5.)certè quę fit pro mortuis precatio, ea peccatum eſt. Nam quod ad illum Machabæorum locum, prorſus eſt gloſſema ad librum Apocryphum adiectum, quẽadmodum omnes docti vident. Et quod ex Gregorio Magno in Cano. Animæ defunctorum 15. quæſt. 2. affertur, animas defunctorum quatuor modis ſolui, aut oblationibus ſacerdotũ, aut precibus ſanctorum, aut charorum eleemoſynis, aut ieiunio cognatorum,prorſus nugatorium & commentitium eſt, vt extra præſcriptum verbi Dei canonem introductum. Quamobrem neque liber Apocryphus,neque locus ille interpolatus & corruptus fidem facere poteſt.Quod ad canonem,*Nõ æſtimemus*,quem ex Auguſtini ſcriptis deſcriptum volunt, reſpondeo, Auguſtinum ſui ſeculi errore in eam ſententiam, quemadmodum in alias quaſdam abreptũ,cui tamen Hieronymus & Ambroſius σύγχρονοι Auguſtini contradixerunt.Nam Hieronymus docet,nobis nihil commune eſſe cũ mortuis A, ſed quicquid beneficii à nobis in homines proficiſci poteſt,id totum in præſenti ſeculo conferri.Dictum Hieronymi ipſimet Papiſtæ retulerunt in Cano.In præſenti ſeculo 13.quæſt.2. Quod cum Iobo cõſentit.c.14.v.22.& 21.v.21.Ambroſius autem in libro qui inſcribitur Abraham,cap.9. ſic ait.*Docemur,non vt inhæreamus mortuis, ſed quantum ſatis eſt officij,deferamus.*Illud autem poſtea declarãs Ambroſiꝰ ſcribit,nos ſatisfacere noſtro erga mortuos officio,ſi eorum corpora ſepeliamus,Matt. 5. v.12.Damaſcenus ſuperſtitioſiſsimus in contraria ſententia fuit, & ineptiſsimis rationibus conatur euincere preces noſtras eſſe vtiles defunctis, imò etiam trentenarii, quadragenarii, & Anniuerſarii pro defunctis diei & officii meminit,vti liba,oleũ & cera pro defunctis offerebantur, ex veteri profanorum paganorum conſuetudine. Tertullianus in libro de Corona Militis hunc morem offerendi pro mortuis non de S. Scriptura,ſed de conſuetudine profluxiſſe docet.Sed vetus cõſuetudo mala non conualeſcit tractu temporis:& erant illa tũ magis gratiarum actiones pro felici piorum exitu, B quàm precationes pro illorum ſalute. Ergo pro viuis tantùm,Deum precemur.Imo Petrus & Paulus quum de ſuo erga Eccleſiam ſtudio teſtarentur, totum illud in præſentis vitæ vſu poſitum,oſtenderunt,Phi.1.29.2. Pet.1.13.14.vt & antè magnus ille Helias.2.Regum.9.

TERTIA PARS HVIVS TRACTATVS DE IIS QVAE SVNT IN ORANDO συμβεβηκότα ſeu accidentia.

CAPVT I.

Quæ ſunt in precatione accidentaria.

QVONIAM autem ea quę ſunt precationis,& huius argumenti eſſentialia,iam expoſuimus, ordine progrediamur C ad ea quæ ſunt in precando συμβεβηκότα ſeu accidẽtaria. Cæterùm illa multa ſunt, quæ tamen breuiter ad hæc quinque capita vidẽtur referri poſſe. Nimirum de

1 Voce precantium,
2 Geſtu,
3 Cultu,
4 Loco,vbi precandum eſt.
5 Tempore,quo precandum.

Quibus explicatis, quicquid ad hanc de precando diſputationem pertinet, erit abundè traditum & ad finem perductum.

CAP. II.

De voce precantium.

AC quidem de voce quæſitum eſt, vtrum ſolus animi affectus ad bene precandum ſufficiat,an etiam adiungenda ſit ipſa vox noſtra ſeu ſonus & pronuntiatio oris. Nam quemadmodum ait Paulus,*corde creditur ad iuſtitiam, fit autem ore confeſſio ad ſalutem.*Rom.10. verſ.10. ſic non

videtur

A videtur omnibus ſuis numeris abſoluta precatio, quæ tantùm ſit corde, id eſt, niſi cordis affectui accedat quoque oris pronuntiatio & vox quę intelligi poſſit. Certè quidem cor ſeu affectum mentis, cúmque verum ac ſyncerum in omnibus noſtris ad Deum precibus requiri tam certũ eſt, vt de eo nemo pius dubitare poſſit, cùm gentiles & profani homines ita quoque ſenſerunt & cecinerunt protrito illo diſtycho,

Si Deus eſt animus, &c. (quod tamẽ, vt & reliqua illa, Auſonio cuidam tribuuntur.)

Deus ſpiritus cùm ſit, quis dubitauerit quin Spiritu quoque potiſſimum ille ſit colendus, ac inuocandus? Ioan.4.verſ.24. eáque ſit λατρεία Deo congruens, qualem illi iubemur exhibere Rom.12.ver.1.2.Cor.13. verſ. 17. nimirum quæ ſpiritualis eſt, & corde vero fit, quemadmodum Dauid Pſal.9.verſ.1. teſtatur ſe Deum inuocaſſe. Omnis enim ad Deũ precatio, à quo cordis affectus abeſt, proculdubio eſt mera hypocriſis, quam Deus odit & execratur, nempe quoniam ipſum tantùm ore & labiis appellamus: cor autem noſtrum procul eſt ab ipſo, Iſ.29.v.19. Mat.15.v.8. *Populus iſte*, ait Dominus, *labiis me* B *honorat, cor autem eorum eſt longè à me.* Quũ enim dicitur prope eſſe Dominus omnibus inuocantibus ipſum additur, *inuocantibus ipſum in veritate* Pſal.145 v.18. Et laudatur Annæ oratio quæ nihil ore pronuntians, corde orabat 1. Samuel. 1. v.13. Eſt enim Deus καρδιογνώστης. Vnde pręclarè Patres, veluti Tertullianus in lib. exhortat. ad Caſtitat. *Spiritus ducit orationem ad Deum.* Auguſt. in lib. de Catechum. Rudib. *Nouerunt*, ait, *non eſſe voces ad aures Dei niſi animi affectum.* Idem in lib. de Magiſtro. *Quare non opus eſt locutione, id eſt ſonantibus verbis, quum oramus. Niſi fortè, ſicut ſacerdotes faciunt ſignificandæ mentis ſuæ cauſſa, non vt Deus, ſed vt homines audiant, & conſenſione quadam per commemorationem ſuſpendantur ad Deum. Deus autem ipſe commoneri aut doceri noſtra locutione non poteſt.* Denique ne ipſa quidem vocalis oratio noſtra Deo grata eſt, niſi ea vero cordis affectu à nobis fundatur aut proficiſcatur. Hierony. *Non eſt verbis tantum, ſed & corde orandus Deus.* Itẽ Ambr. in ſerm. 19. in Pſ.119. Augu. in Pſ. 108. ſermo.29. *Clamor ad Deum, qui fit ab orantibus,* C *ſi ſonitu corporalis vocis fiat, non intento in Dominum animo, quis dubitet Non inaniter fieri?* Eodem pertinet non ineptus verſiculus ille *Non clamans ſed amãs cantat in aure Dei.* Quamobrẽ negari nõ poteſt, quin ſingulæ noſtrę preces cor & affectũ neceſſariò & omninò requirãt. Sed vtrũ etiam vocem ipſam & pronuntiationem oris noſtri, idque præciſè & neceſſariò deſiderant, vt ſint legitimæ? Reſpondeo, Nequaquam. Quanquam enim in precibus non damnatur linguæ vſus, tamen ille non ſemper eſt neceſſarius *Fletus citius Deus audit, quàm voces*, ait Auguſt. ſermo.236. de tempore. Chryſoſtomus Homil.79. ad populum Antioch. laudat orationem Annæ, quæ tacita miniméque vocalis erat, 1. Samuel.1. *Neque enim*, ait, *vt rectè oremus, tam voce opus eſt, quàm cogitatione: manuum extenſione, quàm animi intentione: figura, quàm intellectu.* Et in Ioan. Euangel. Tractatu 10. idem Auguſti. *Ibi Deus exaudit, vbi habitat: habitat autem intus & in animo.* Tertullianus. *Dæmonium oraculi Pythij & mutum*, inquit, *intelligit, Dei aures ſonum expectent?* Verùm diſtinguendũ eſt. Nam eſt duplex genus precationis, nẽpe publicæ quæ fit non tantùm in cœtu aliquo Eccleſiæ, ſed etiam pro eo cœtu: vel priuata, quam quiſque apud ſe, & ſolus ſua ſingularíque ac priuata animi deuotione facit ad Deum ſiue in publico, ſiue in priuato loco. A

Publica precatio ſemper vocalis eſſe debet, vt populus, & auditores quorum nomine concipitur, reſpondeant Amen. 1. Cor.14. Pſal.116.v.48.

Priuata verò nõ ſemper vocalis eſſe debet, quoniam poteſt eſſe tacita. Nec obſtat quòd ſit oris confeſſio ad ſalutem. Nec enim ea ſententia imponit neceſſitatem vbique confitendi publicè & ſonorè quid de Deo ſentias, ſed tantùm quum eſt opus. Sic neque palàm enuntiandi quod animo ad Deum precandum conceperis, neceſſitatem affert, ſed ſi opus eſt. Quare ſi opus non eſt, nihil eſt neceſſe nos exprimere verbis quod corde petimus & precamur, exemplo Annæ 1. Samuel.1. Linguam quidem in precibus noſtris non eſſe ocioſam agnoſcimus. ſcimus enim eam, ſicut ait Iacobus cap. 3. verſ.9. à Deo conditam, vt eo membro benedicamus Deo: ſcimus etiam pios ſæpè priuatim precantes locutos eſſe, Pſal.142. tamen propterea ſemper linguæ vſum in precibus noſtris priuatis eſſe B neceſſarium perperam affirmatur.

Et tamen ſæpe vtiliter linguæ vocíſque ſonũ ac vſum adhiberi dicimus etiam in priuatis illis precibus noſtris: Primùm, vt deuotio noſtra ſignis & voce excitetur, vt ait Auguſt. Secundùm, vt lingua etiam ipſa noſtra Deo conſecretur. Tertiùm, vt vagi ſæpè animi noſtri motus cohibeantur ipſo linguæ ſono, ex quo illam vagationem percipimus. Quartùm, quòd nonnunquam is vehemẽs precandi affectus noſter exprimit & afficit, & linguã noſtram, tanquam plectrum & lyram ſuauiſſimam ad laudes Deo canẽdas ſecum impellit, vti & digitos ſuos inde ad Lyram pulſãdam inductos ait Dauid Pſal.57. Sic Caluinus ſect.35. Catechiſmi. Sic Thomas in 2.2. Quæſt.83. Art.12.

Verùm, quũ vox & ſermo requiritur in noſtris ad Deum precibus, is notus eſſe debet, non autem ignotus. Ergo publicę preces Vernaculo ſermone concipiendæ ſunt, qui à toto cœtu percipiatur, & C ab idiotis ipſis intelligatur, vt poſſint illi quoque reſpondere Amen, quemadmodum docet & præcipit Paulus 1. Corinth.14. Priuatæ verò preces piorum de ſermone, qui ſit ipſi loquenti notus & familiaris, fieri poſſunt, etſi non vernaculo. Ignoto verò ſermone nunquam eſt Deus à quoquam precandus. Nam *ignoti nulla cupido eſt.* Ex quo cernitur, quàm ſint ineptæ & ridiculæ Papiſtarum preculæ, quę ignoto ſermone & idiomate concipiuntur, quanquam & nonnihil iſtiuſmodi in Eccleſia iam olim neſcio quàm commodè toleratum fuiſſe, aliqua ex parte notari poſſit. Latinum ſermonem vbique in cultu Dei, & in templis Chriſtianis vſurpari voluit primus Vitalianus Romanus Pontifex circà annum Domini 671. Idem decretum Nicolaus primus & renouauit, & vehemẽter vrſit anno Domini 860. Sub Ludouico Pio Imperatore Franco Romanis Pontificibus ex nimia ſuperſtitioſaque ſimplicitate addictiſſimo facilè hoc in Occidentalibus Eccleſiis, veluti Gallicis, Germanicis & Italicis obtinuerunt Romani Pontifices, quum tamen adhuc tempore Caroli Magni, qui fuit parens Ludouici, vbique in Eccleſiis ſermone vernaculo cultus Dei haberetur & celebraretur. Tandem tamen in Lateranenſi concil. ſub

A Innocentio 3.circa annum Domini 1200.conſtitutum eſt,vt quibus in vrbibus cœtus diuerſarũ gẽtiũ eſſent,epiſcopus daret operam,vt quæque gens paſtorem & miniſtrum ſuæ linguæ peritũ haberet, qui patrio & illi noto,ac vernaculo ſermone cultũ diuinum celebraret.Ergo peregrina lingua in cultu Dei damnata eſt.

Sed obiiciunt Papiſtæ,Deũ ſcire quid velimus, licet peregrino & exotico nobis ſermone loquamur. Reſpondeo, Non Dei, ſed noſtri ratione requiri,vt nota nobis lingua precemur, ne ignorantes precemur. Aliàs, vt inquit Paulus, diſplicemus Deo,& ſumus vt cymbalum ſonãs 1.Cor.14.Et, ne quidem ſi tacemus,Deus minus exploratum haberet quid in animo haberemus.

Excipiũt,dici apud Iſa.19.verſ.18.fore,vt Ægyptii ad verum Deũ conuerſi loquãtur lingua Chananæa.Ergo ſibi peregrina & ignota. Reſpondeo, Non ſequi fore Ægyptiis ignotam linguam Chananæam:imò nota erit,quoniam doctrinam lingua Chananæa comprehenſam,veram & propheticam priùs didicerint Ægyptii. Præterea hoc potius oſtendit fore cõſenſum doctrinæ veræ inter omnes B pios,cuiuſcunque ſint gentis,quàm vnum & idem idioma. Denique afferunt eſſe in ipſa S. Scriptura multas peregrinas voces.Reſpõdeo ſed earum interpretationem ſubiici ibidem, ne quid ignotum ab Eccleſia Dei dicatur aut vſurpetur.Et hæc quidem de noto ignotóque ſermone.

CAP. III.

De cantu Eccleſiaſtico.

PRæterea quæſitum eſt,Debeatne vox qua precamur,eſſe ſimplex & naturalis, an Muſica, i. Artificialis, i. vtrum cantus vocalis, in precibus noſtris,aut priuatis aut publicis adhiberi poſſit.Reſpondeo, Poſſe in vtriſque vocalem cantum adhiberi.Nam ex Eph.5.ve .19.Col.3.v.16.apparet eccleſiam etiam Chriſtianã ſub Euangelio habuiſſe & hymnos & cantiones ſpirituales,quas caneret. Iudaicam quoque quaſdam habuiſſe, & Pſalmos, velut Dauidicos, olim ceciniſſe certo certius eſt. C Ex Epiſt.97.li.10.Epiſtola Plinii ad Traianum, ex Tertull. Apologetico Iuſtini Apolog. 2. apparet Pſalmos in Eccleſia Dei cantari ore ſolitos à fidelibus,vt qui hunc morem hodie in Eccleſiis reformatis vel omninò improbant,vel planè Iudaicum eſſe cẽſent,ac proindè prorſus tollendum & damnandum, non ſatis cum Apoſtolica Eccleſia in eo conſentiant.Nam Chriſtus ipſe poſt cœnam cecinit Pſalmum Mat. 26. verſ. 30. Vide Auguſt. Epiſtol.119.cap.18. Scio tamen Bracar. Synodo prima cap.30.vetitum fuiſſe,ne quid poëticè è veteri Teſtamento ſcriptum in Eccleſia Chriſtiana cantaretur.Sed illa fuit nimia ſuperſtitio. Ergo cantus in Eccleſia Dei etiam ad preces publicas admitti poteſt,modò grauis & ſobrius:nedum in priuatis,vti docet Auguſt. lib. 2. Quæſt.ad Ianuar.cap.18.& in lib.Confeſſion.9.cap.7. Nam quod quærit & ambigit Hieronym. in Habacuc cap.3. vtrum liceat orare cum cantico,leue & curioſum eſt. Certè docet Dionyſius lib.de Eccleſia Hierarch.cap.3.vſitatum fuiſſe,præſertim in Eccleſiis Orientalibus, vt in omnium ſacramentorum adminiſtratione Pſalmodia adhiberetur.Atque adeò Baſilius in Homi. de Gordio docet, Martyres ſolitos canere aliquid de Pſalmis Dauidicis,dum ad ſupplicium deducerẽtur. A Tertul.ait Chriſtianos in Eccleſia modulari ſolitos,qui mos primùm ab Orientalibus Eccleſiis receptus eſt: poſteà verò circa annũ Domini 400. ab illis ad Occidentales Eccleſias traductus,maximè ab Ambroſio Mediolanenſi epiſcopo.

Cæterùm ex Euſeb.lib.7. Hiſt.cap.26.apparet, non tantùm Pſalmos Dauidicos,ſed etiã alios,qui eſſent tamẽ pii, cantari in Eccleſiaſtico cœtu ſolitos fuiſſe, qualis Triſagius ille Hymnus, qui dicitur.Laſciuas autem & amatorias cantiones canere vetiti ſunt omnes Chriſtiani,& extat in Can.Cantantes.Diſtinc.92.& Cã.Clericũ 22.Quæſt.1.Quòd autẽ non probat Hierony. Dialogo 1.cõtra Pelag. vt fœminæ quoque cantẽt in cœtu publico Eccleſiæ,eſt omninò ſuperſtitioſum. Tandem verò & poſterioribus temporibus, nempe ſeculo Gregorii magni,600.ab Apoſtolis circiter annis, placuit iſte cantus tantoperè in Eccleſia, vt eo abuterentur homines,& potiſsimam veri cultus diuini partem in eo conſtituerent.Inde & collegia & Scholæ cantorum in Eccleſia ſunt conſtitutæ à Gregorio Magno,ſicut ſcribit Balleus. Inde triplex dignitas,& gradus,& ordo Cantorum in Eccleſia B ſtabilitus, Nimirum vt in magnis Eccleſiis, id eſt,in canonicatis & præbendatis eſſet Præcentor, Succentor & Concentor, quemadmodum apparet ex Can.cleros.§.Cantor.Diſtin.21.Inde Antiphoniæ, Reſpõſoria, Gradualia,& cætera huiuſmodi ſomnia introducta.Inde Gregorianus cantus,& cantus Ambroſianus:hic vulgarior & ſimplicior,ille operoſior difficilior & modulatior, qui tonis conſtat quatuor,& vocibus.Et hic tamen totus cantus ore ipſo hominum edebatur. Primus Vitalianus Pontifex Roma.circa annum 671. & Miſſas priuatas in Eccleſiam induxit & Organa,quæ vocant,Muſica, ſummus ipſe Muſicus & Organorum quæ vocant, pulſator,quum tamen Iuſtinus Martyr in Reſponſio. doceat fuiſſe communi piorum conſenſu ſublatum hunc morem, quo per inſtrumenta inanima(qualia ſunt organa)in cœtu Eccleſiæ cantaretur,quod & confirmatur à Clemente in Pædagogo.Imò etiam Pattalorochyntæ hæretici baculum in nares immittebant, vt ſonoriùs Pſalmos in Eccleſia C canerent, quòd tũc temporis Eccleſia & organis & inanimis inſtrumentis careret ad cantandum.Papatus vero totus organis & muſicis cantibus perſtrepens dat ſine mente ſonum.

Quòd verò diſputant quidam, Vtrum longæ debeant eſſe noſtræ preces,facilem habet reſponſionem,Nimirum, Priuatas quidem preces pro ipſius orantis affectu corripi produciue poſſe, publicas autem quòd ex formula recitari ſoleant & ab ipſo Paſtore cõcipiantur,moderatas eſſe oportere.Citò enim frigeſcit iſte precandi Zelus.Et laudat Auguſt. Ægyptiorum Monachorum preces, quæ fuerunt velut animi quædam eiaculationes ac breues.Quod etiam Caſsianus lib.2.c.11.tradit.Verùm multus ſermo eſſe poteſt,vbi diuturnus ac vehemẽs eſt affectus. Neque hîc adeo præciſè quidpiam ſtatui poteſt. Et hæc quidem de voce.

CAP. IIII.

De Geſtu orantium.

A SEquitur,vt & de geſtu orantium aliquid dicamus. Ac quidem in hoc toto rerum genere, quia liberas habet obſeruationes,illã Auguſt. in Epiſt.ad Ianuar.119.cap.18. regulam ſequamur & retineamus,*vt quæ non ſunt contra fidem,neque contra bonos mores,& habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris:vbicunque inſtitui videmus,vel inſtituta cognoſcimus,non ſolùm non improbemus,ſed etiam laudãdo & imitando ſectemur.* In hoc igitur genere quæſtionum vſurpãdum eſt illud Ambroſij apud Auguſtinum, *Quum Romam venio,ſabbatum ieiuno*, inquit,*cùm Mediolani ſum,non ieiuno.* Verùm tamen illud eſt diligenter cauendum, quod monet Tertullianus in cap.de Lauatione Manuũ,*ne in ijs,quæ ſine vllius,aut Dominici, aut Apoſtolici præcepti authoritate fiunt,coacta,& affectata,& curioſa potius,quã rationalis officij obſeruatio inducatur vel retineatur.* Quamobrem in iis omnibus,quæ ſequuntur, hæc duplex regula ſtatuenda eſt : Vna,ne immẽſa iſtarum obſeruationum mole oneretur Eccleſia, vel ſinguli fideles: Altera,vt ad eius regionis, in qua B verſamur, morem & conſuetudinem nos in iſtis accommodemus, quoniam pro diuerſa perſonarum,locorum,rerum &c.circunſtantia variari iſta poſſunt.

Cæterùm quòd ad geſtum orantium attinet, rectè reſpondet Auguſt.lib.2.Varia.Quæſt.ad Simplician.quæſt. 4. *Non eſſe præſcriptum Dei verbo, quomodo corpus conſtituatur ad orandum, dummodo animus Deo præſens peragat ſuam intentionem.* Ergo gignit in nobis mentis intentio eam ſolicitudinem. Et quiſque pro animi ſui ardore & zelo abſque ſuperſtitione tamen, conſtituere corpus ſuum poteſt,modò,quemadmodum Cyprianus admonet, quietem & pudorem verecundiæ memor ſeruet. Debet enim ſemper ſeruari à nobis decorum perſonæ noſtræ,& diſciplina eius Eccleſiæ in qua degimus. Verùm vt iſta melius intelligantur, paulò fuſius à nobis tractanda ſunt.Quum igitur quæritur de Geſtu orantium,aut de totius corporis eorum geſtu & ſtatu diſputatur,aut de vnius tantùm partis corporis conſtitutione. Si de toto corpore diſceptatur, quæritur, Vtrùm penulati ſeu togati, C an potius poſitis penulis ac togis ſeu palliis velut nudi orare in Eccleſia Chriſtiani debeant.Nam & gentes Deum ardenter precaturæ penulas deponebant,vt velut nudi in conſpectu Dei apparerẽt: Reſpondeo,Neque hoc vſque in verbo Dei præceptum,vt precaturi pallia deponãt, neque etiam decorum eſſe,ſi fiat. Et quoniam id fieret, ſi fiat, ad imitationem gentium idololatrarum, omninò cauendum & fugiendum eſt,atque omittendum. Iam verò etiam diſputatum eſt, vtrùm Chriſtiani rectè precaturi debeant ſtare,aut ſedere,aut in genua accidere,aut humi procumbere.Nam & Chriſtus diuerſo ſitu orat. Proſternit ſe in faciem & cadit precans in horto Matt.26.v.39.& genua flectit Luc.22.v.41.Idem tamen alibi ſtans orat Ioan. 11. v.41.Publicanus etiam ſtans orat Luc.18.v.11. Petrus & Paulus genibus flexis precãtur, Actor.9.v.4.20.v.36.Accidit ad genua Chriſti leproſus, eum orans Marc.1.v.40.Elias autem vehementer precans,demittit caput in genua.1. Reg.18.v.42. Denique multi iacentes orãt,vt ait Auguſt. Quare nec hoc ipſum eſt diſertè in Verbo Dei definitũ,quo corporis ſitu nos precari oporteat. Hic tamen ferè mos in Eccleſia Chriſtiana primitiua obtinuit, A vt in publico cœtu precantes & paſtores & populus ſtarent,nõ autẽ flexis genibus eſſent, & erecto corpore,non procumbentes(niſi dum Cœna Domini celebraretur)orarent, Tertul.in Apolog.ca.30.& Chryſoſtomus,*Stemus honeſtè,ſtemus in timore Dei.* Quod in Tigurina Eccleſia vidi quoque hoc tempore obſeruari.

Cæterùm quod ait Tertullianus, *Contra ſcripturam fecerit,ſi quis in cathedra, aut ſubſellio ſedens orauerit*:item,*Irreuerens eſt aſsidere ſub conſpectu contraque conſpectum eius,quẽ quis maximè reueretur, quantò magis ſub conſpectu Dei*?planè ſuperſtitioſum eſt, & ab Auguſtino refutatum lib.2. Quæſt. Variar ad Simpl.Quæſt.4.& exẽplo Dauidis,vt ipſe Auguſt. putat,& Eliæ.Nõ enim magis placemus Deo precantes ſi ſtemus, quàm ſi ambulemus, aut ſedeamus,aut in genua procumbamus,modò decorum ſeruetur & in publico Eccleſiæ cœtu mos diſciplináque totius Eccleſiæ precantis, ne ſchiſmatici eſſe videamur. Quod verò conſtitutum fuit olim & extat in Canon.Si quis presbyter.Diſt.30.neminem debere dum orat,ſe proſternere à die Paſchæ B ad diem Pentecoſtes,eſt itidem ſuperſtitioſum,licet fieret ad teſtificandum gaudium ſuæ per Chriſti reſurrectionem innouationis Can. vlt.Nicenę Synodi.Sed quotidiè nobis reſurgit, & per illum renouamur, & ſi illud ſuum quendam habere viſum eſt locum & vſum olim,non eſt tamen abſolutè ad perpetuum exemplum referendum.

Porrò,quod ad geſtum certorum corporis noſtri mẽbrorum,qui magis in noſtris precibus obſeruari poſſunt,velut indices animi noſtri & reuerentiæ quam Deo exhibemus,veluti oculorũ,manuum,capitis ipſius,ita ſtatuendum eſt, In publicis quidem conuentibus nobis morem totius Eccleſiæ,in qua degimus, ſine ſuperſtitione tamen, ſequendum eſſe. Quum verò ſoli precamur domi, poſſe nos,prout animi ardor impellit, diuerſo modo illa mẽbra noſtra conſtituere. Tertull.in Apol. cap.30.de publicis precibus Eccleſiæ agẽs ſic ſcribit,*Oramus manibus expanſis,quia innocui: capite nudo,quia non erubeſcimus:ſine monitore, quia de pectore oramus.* Vultus igitur orantium diuerſus eſſe poteſt,non ſemper idem,modò ne ſit in audaciã erectus.Oculos in cælum eleuat Chriſtus precaturus C Ioan.11.Math. 14. At publicanus deiicit Luc.18. Vterque rectè,Chriſtus ex certa animi fiducia:Publicanus ex ſerio ſuorum peccatorum ſenſu. Manibus temperatè elatis in cælum precabantur veteres quidam Pſal.28.v.2.Vt ait Tertull.alij expanſis & diductis:alii iunctis manibꝰ,vt ferè facimus. Ethnici ſupinis.i.inuerſis.Verg.lib.4.Æneid.

Et manibus ſupplex oraſſe ſupinis. Item,
Et duplices tendens ad ſidera palmas.

Capite tecto precati ſunt ſemper Iudæi, quòd id ſignum eſſe putarent honoris,quem Deo exhiberent.Nã operto ſeu velato capite orare fuit olim, & nũc quoq; eſt ſignũ ſubiectionis inter Iudæos, vti docet Paulus 1.Cor.11.v.4.Inter nos autẽ contrà eſt ſignum imperij & ſuperioris poteſtatis.Ergo nos precamur capite aperto,non operto,& nominatim quidem vt diſcrimen certum inter virilem & muliebrem ſexum in oratione ex Apoſtoli præſcripto retineamus.

De oſculo cum oratione coniuncto, ac nonnullis aliis iam olim in publica oratione receptis.

ADdit Tertullianus de Oſculo, quòd nimirum precaturi in publicis cœtibus prius in ſignum pacis mutuò ſeſe oſcularentur ex 1.The.5.v.26. *Salutate fratres omnes cum oſculo pacis,* in mutuæ charitatis, & mutui affectus & concordiæ ſignum, quoniam nemo iratus proximo Deū rectè precari poteſt Matth. 6. In Papiſmo eius rei veſtigia cernuntur. Quum enim excreſcente Dei Eccleſia,ſinguli qui conueniebant,ſingulos oſculari non poſſent,reperta tamen eſt quædam teſtificandæ mutuæ inter eos pacis ratio,ſed ea ſtolidiſſima.Efformatum enim eſt à Fabris Ferrariis,pòſt autem ab argentariis inſtrumētum quoddā, quod alij *Pacem* (quoniam eius deoſculatio pacis ſignū erat)alij *Patenam*, Durand. autem in Rationali diuinor.officior.Rubr.de Oſculo pacis *Planetā* vocat,quod porrigeretur oſculādum omnibus poſt conſecrata myſteria miſſæ,in ſymbolum videlicet illius mutui conſenſus populi & inter ſe, & cum Paſtoribus,vti eſt in Canon.*Pacem igitur*.De Conſecrat.Diſt.2. Primùm autem Innocētius Primus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus poſt annum Domini 406.ſtatuit,vt in Miſſæ ſolennibus, Pax iſta populo daretur , & ſeſe ſacerdotes mutuò deoſcularentur.Ex hac prima inſtitutione & orbiculus ille ferreus,ſtanneus, vel argenteus , qui Pax in Miſſa dicitur vel natus eſt,vel porrectus populo ad oſculandum. Hoc Innocentij inuentum mirificè poſteà probauit Leo ſecundus, qui vixit poſt annum Domini 680.& illum orbiculum in Eccleſia circumferri iuſsit,in quo habuerunt ſimiles labra lactucas.Tandem mos vbique iſtius pacis deoſculandæ ſuperſtitioſè inualuit. Quiddam tamen,illudque veriſsimum ſtatuerunt poſteri Pontifices Romani, vt & gloſſa in dicto can. *Pacem*, & Durandus annotarunt , nimirum , ne in Monachorum miſſa pax detur, nempe quod inter bonos illos fraterculos vt plurimum perpetuum murmur, & rixæ,& contentiones vigent.Et hæc quidem de geſtu orantium:ſequenti loco de cultu eorundem dicendum eſt.

C

CAP. VI.

De cultu Orantium.

BReuis eſt quæſtio de cultu corporis eorum qui precaturi ſunt. Iam enim diximus, quod quæri ſolet de palliis & penulis , vt ſit explicandum : Nimirum præſtare,vt in publicis cœtibus(quorum gratia maximè hæc à nobis diſputantur)togati & tecti potius,quàm nudis corporibus & depoſitis penulis Deum precemur. Domi autē ſuę,& quum ſeorſim precamur,quiſque poteſt eo eſſe cultu corporis,quem probat, vult & commodè habere poteſt.

Tantùm quæritur de Manibus , Vtrū antè ſint lauandæ,quàm ad publicè ſiue priuatim precandū accedere debeamus.Id voluerunt quidam, & tam ſeuerè exegerunt,quàm ſi eſſet ad noſtras preces Deo commendandas neceſſarium, quemadmodū perſtringitur à Tertul.in lib.de Orat. Dominica, cap. de lauatione manuum. Id vehementer vrget Chryſoſtom.'tū in 1.Pauli ad Tim.tū in Hom.79. ad Popul.Antiochen.Sed fruſtra.Lotis enim, aut ſordidis manibus precari nihil iuuat,aut lædit preces noſtras,niſi per numinis contemptionem fieret.Sed & iſta potius eſt Phariſaica ſuperſtitio in manuū lotione aliquod diuini cultus momētum conſtituere,vt eſt Marc.7.Et quod obiiciunt, monere Paulum,vt attollamus ad Deum *manus puras* 1.Tim.2.v.8.reſpondet Tertull.eam puritatē non in ſordiū externarū abſterſione,ſed in rapinis,cędibus, pugnis , & ſanguinis effuſione non perpetrandis poſitā eſſe.Denique cordis & conſcientiæ purum affectum hoc loquendi genere requirit & deſignat Paulus potius , quàm corporaliū ſordiū emundationē. Id quod etiam Baptiſmus declarat 1.Petr.3.v.21.Mundos quidem & decenter ornatos eſſe oportet Chriſtianos homines quantum fieri poteſt,non autem ſordidos,& agreſtes,& diſſolutos:ſed tamen hęc externa manuū vel reliqui corporis cultura nihil apud Deum prodeſt , aut nocet:vt pote quæ ciuilis huius ſocietatis & munditici ratione tantum requiratur. A

CAP. VII.

De loco,vbi precandum eſt. B

DE loco verò vbi precandum eſt, eſt quoque aliquid dicēdum,ſed eò nunc breuius,quòd in noſtris in primā Pauli ad Tim.epiſtolam commentariis multa de eo iam diximus ad cap. 2. v.8.Dominus noſter Ieſus Chriſtus Ioan. 4. v. 23. ſic ait,*Venit hora,& nunc eſt,quum veri adoratores adorabunt Patrē Spiritu ac veritate & venit hora,quādo neque in monte hoc , neque Hieroſolymis adorabitis Patrem*.Et Paulus. *Volo viros precari quovis in loco.* Apoſtoli precabantur in domibus priuatis Act. 4. Paulus in littore maris,in ripa fluminis Act. 20.v. 36.16.v.31. Chriſtus in mōte Matt.14.v.23.Marc.6. v.46.In deſerto Marc.1.v.35.Denique Domini eſt terra & plenitudo eius, ac proinde vbique coli ac inuocari poteſt Deus. Pſa.24.Mal.1. Sublatū enim eſt à Chriſto illud locorū diſcrimē,propter quod templum Solomonicum videbatur aliis locis gratius Deo.1.Reg.8. Fuit enim templum illud veterum legis cęremoniarum pars quædā.Heb.9.quæ omnes à Chriſto ſublatæ fuerunt. Ergo & illa diſtinctio templi illius à reliquis locis orbis terrarum.Nam quæ laudes extant iſtius templi Pſ. 84. v.79.v.64.89. eæ ſunt ad illud tempus referendæ, quò ceremonię Legis in Dei populo locū habuerunt.id quod maximè poſt euerſum tēplum ceſſauit , & nunc omninò ceſſat. Porrò quum de loco orationis quæritur, duo ſolent quæri. 1. Vbi orandum ſit.2. Verſus quem locum ſeu mundi partem ſit orandum. Ad primum,vbi orandum ſit,Reſpō. vbique locorum & gentium Deum inuocari poſſe & debere:verùm tamen commodiùs ſic fieri,vt ad publicas quidē preces certus locus publicè ſit deſignatus,in quo illæ habeantur,& in quem conueniat populus:priuatæ verò preces domi cum familia,vel in conclaui ſeorſim fiant.Matth.6.& 14.v. 23.Quod quum dico, nequaquam ſuperſtitionem illam Papiſtarum foueo,qui templa ſua vel ipſa loca ad publicas preces deſtinata putant eſſe aliis locis ſanctiora,& Deo acceptiora: ſed hoc tātùm volo,politiæ Eccleſiaſticæ , & ordinis gratia id fieri debere , & vt omnis confuſio nimirum euitetur. Eſſe enim honeſtius, vt omnes in certū quēpiam locum conueniant, eúmque publicè conſtitutum C

A ſi fieri poteſt,vbi & cõcio habeatur,& preces Deo fiant.Nec obſtat , quod Paulus dicitur Troade in priuato cœnaculo Eccleſiam collegiſſe, nõ autem in publico loco habuiſſe cõcionem,tum & publicas preces cõcepiſſe,& cœnã Domini adminiſtraſſe.Act.20.v.8.eodẽque modo Eccleſia Hieroſolymitana domi Mariæ collecta fuit Act.12.v.12. Nã tunc non licebat Eccleſiæ publico in loco & palàm conuenire,quum illi aduerſaretur, aut ſaltem non faueret Magiſtratus eò vſque, vt templa piis publica aperiret. At Epheſi diſputat , & docet idẽ Paulus in publica Schola.Act.19.v.8.

Sed quęſitum eſt,vtrum Eccleſia tota,vel quiſpiam fidelis precari bona conſcientia poſsit in tẽplis Idololatrarũ, qualia ſunt profana & Papiſtica templa,vel infideliũ,qualia ſunt Turcarũ,Iudæorum & Ethnicorũ.Reſpondeo,vel in illis templis adhuc manere idola, & teſtimonia ſuperſtitionis damnatæ:aut non manere,imò ſublata eſſe.Si ſublata fuerunt , dubitari non poteſt,quin ibi Eccleſia precari tota poſsit,atque etiãquilibet etiã pius B ac fidelis.Sic templis Paganorũ ab idololatria repurgatis vſa eſt vetus Eccleſia ſub Conſtãtino magno ad ſuos publicos ſeu Eccleſiaſticos conuẽtus habẽdos.Socr.lib.3. Hiſt.ca.2. Sin adhuc ſint illic .i.in illis tẽplisidola:Reſpõdeo,tutiùs Chriſtianos iis locis abſtinere, ne fauere iſtis ſuperſtitionibus videantur quæ adhuc illic extant.Quod ſi tamẽ in illis tunc conueniunt ad precandum , quum nulla exercitia idololatriæ aut blaſphemi cultus fiunt, dici poſſe non vetari totam Eccleſiam,& ſingulos pios illic & conuenire & precari, vt omnia mũdis munda cenſeantur.

Cæterum,quod obiicitur, laudari Iehuũ quòd ædem Baalis demolitus ſit, & in latrinarum vſum cõuerterit.2.Reg.10.v.27.itẽ laudari Chriſtianos à Sozomeno lib.2.cap.6.Hiſt.Eccleſiaſt. quòd paganorum templa euertiſſent,ergo nullo modo iis tẽplis eſſe vtendum piis hominibus, facilem reſponſionem habet. Nam quod ad Iehuum,præceptum habuit à Deo,vt id faceret.Nam Deus in tota terra promiſſa ſemini Abrahami voluit extare vnicũ templũ idque in Sione mõte,vbi coleretur. Quod C autem ad Sozomenum,habuit fortaſſe aliquas circumſtantias,cur probaret euerſionem templorũ, quas nos non habemus. Quamquam ea laus videri poteſt eſſe priuatum Sozomeni iudicium,non autem publica Eccleſiæ vox & ſentẽtia. Et hæc quidem de loco vbi precãdum eſt.De loco verò,verſus quem eſt precandum, facilis quoque reſpõſio, niſi nobis mos quidam veterum obiiceretur.Certum enim eſt non magis gratas eſſe Deo preces, quæ poſt Euangelii prædicationem fiunt verſus Orientẽ,quàm quæ verſus Occidentem , vel Meridiem, vel Septentrionem. Non enim regio,vel locus quem ſpectamus,commẽdat noſtras preces Deo Patri,ſed ſolus Chriſtus , qui quo cæli loco ſit,vtrùm in Oriente,an in Occidente,à nobis definiri non poteſt. Colligunt verò Patres potius eſſe in Meridie ex loco Canticorum, *Vbi iaces? vbi cubas? In Meridie*.Sed fruſtrà. Verùm obiicitur Danielem Prophetam precatũ fuiſſe verſus Hieroſolymam,& templum Solomonicum,quũ eſſet tamen ipſe Babylone.Daniel.6.v.10. Reſpondeo, ita præceptum fuiſſe à Deo,vt orarent captiui Iudæi & extorres,nimirum ſpectantes verſus viã & locum terræ promiſſæ 1.Reg.8.v.48. vt ſe memores Dei eſſe fœderis teſtarentur. Sed inſtant etiam A patres orthodoxos ſic fuiſſe precatos , vt verſus Orientem ſeſe præciſè conuerterent. Baſil.lib.2. de S. ſancto.cap.25.Caſsianus,Damaſcenus, & infiniti alii. Deniq; can. Eccleſiaſt.Diſt.11.vetus ille mos Eccleſiæ verſus eam partem orandi refertur. Ratio hæc afferebatur , quòd Chriſtus in Oriente & natus & paſſus ſit. Reſpondeo,Hoc fuiſſe ſuperſtitioſum, quum nihil in Dei verbo iam nobis ſit de eo præceptum.Certè Dei gratiã vel vlli plagæ mundi, vel terræ olim promiſſæ alligare, eſt merè idololatricum,præſertim quum nihil ſit hodie illa terra magis à Deo maledictum, vt ex ipſis effectis apparet. Denique ſcribit Auguſt.in Ioan. Euang.tract.10. quoſdam ſuo ſeculo verſus mare ſuperſtitioſè oraſſe.Et hæc quidem de loco. Nam quòd quidã etiã Euãgelici hodie in cœtu Eccleſię ex ore Paſtorum precantes ſe conuertunt vel verſus altare,vel alium quempiam locum verſus ſi id ſine ſuperſtitione faciunt rectè fit.Omnino enim verſus aliquem locum nos conuerti oportet , aut B prorſus terram ipſam intueri:quod nec ſemper iuuat.Et Oratio quidem verſus Orientẽ apud Chriſtianos eo nomine vindicatur , quòd oppoſita ſit ratio illa vſui Iudæorum quorum templum verſus Occidentem ſpectabat.Sed iſta quoque nihilũ moranda cenſemus.

CAP. VIII.

De tempore, quo precandum eſt.

DE tempore, quo precandum eſt , vltima reſtat quæſtio,& totius huius diſputationis colophon ſeu concluſio. Et quidem Paulus 1.Theſ.5.v.7.ait.*Indeſinẽter eſſe precandũ*.Chriſtus quoque ipſe Luc.18.ex parabola Iudicis & viduæ docet aſſiduas preces eſſe magnæ efficacitatis, vtpote quæ ſint conſtantiſsimæ fidei noſtræ & inuictæ teſtimonia. Id quod confirmatur ab eodem Chriſto.Luc.11.v.8.Col.4.v.2.monemur in *precibus eſſe perdurandum*.1.Epheſ.6.v.18.*in iis inuigilandum,& quidem omni tempore*.Id quod ſpiritu potiùs quàm ore faciendum eſſe docet Paulus. Et certè quidem ſic explicanda ſunt illa Spiritus S. præcecepta de continua oratione, vt ea ad mentem C nonoſtram potius referantur , quæ perpetuò Deum apud ſe inuocare,& ad eum erigi debet , quàm vt de voce, & geſtu corporis intelligantur,quaſi velit Deus nos continuè genibus flexis ſe precari, quo tamen ſenſu Monachi ſuperſtitioſiſsimè ac impiiſsimè ſunt interpretati.Quare,quum de tempore quæritur,quo nobis orandus eſt Deus,rectè concluditur ex Chriſto & Paulo, ſemper ſeu aſsiduè Deum nobis eſſe precãdum.Siue enim quidpiam aggrediamur,ſiue continuemus, ſiue abſoluerimus,eſt Deus inuocandus,& illi gratię ſunt agẽdæ Col.3.v.17.Iacob.5.1.Cor.10.v.31.Eccleſ.39.v.6.7.Siue edimus,ſiue itẽ bibimus,ſiue mane ſurgimus,ſiue veſperi cubitum diſcedimus,orandum eſt,1.Tim.4.Pſal.55.v.13. Idẽ docet & ſentit Chryſoſtomus Hom.1.de orando Deo.Denique teſtatur Dauid ſe nunquam non,adeóque ſepties in die Deum inuocaſſe Pſal.119.v.164.Daniel verò teſtatur ſe in die ter precatum eſſe,& quidem genibus in terram poſitis Dan.cap.6.v.11. id eſt, tempore matutino,meridiano,& veſpertino, vt explicatur Pſal. 55.v.18.Hoc idem ſequitur Chryſoſtomus, A Verùm quæſitum eſt, vtrum etiam noctu Deus ſit vel publicè, vel priuatim precandus. Reſp. Priuatim quidem & debet & poteſt exemplo Chriſti, qui etiã ſæpè per noctes orationes ad Patrẽ fundebat. Marc. 6. v. 48. & Lucæ. 6. v. 12. Vti enim Dominus & diem & noctem condidit, ſic & interdiu & noctu poteſt inuocari, imò etiam debet pręſertim priuatim à nobis, ſicuti Paulus & Sylas fecerunt. Act. 16. ver. 25. Publicæ verò preces, niſi magna ex cauſſa, aut propter perſecutiones Eccleſiæ, non videntur commodè noctu fieri, quum & difficiliùs cõueniat populus illo tempore, & periculoſiùs & minus ſint tunc attẽtĩ ad preces hominum animi, quum ſomno tunc opprimantur, & noctis humiditas reddat eos grauiores. Vndè illæ vigiliæ Martyrum quæ fiebant ad eorum ſepulchra tota nocte inanes, imò etiam ſuperſtitioſæ. Si verò iuſta aliqua neceſſaria ratio fuerit, vel ſi perſecutores Eccleſiæ non patiantur eam de die conuenire, noctu & cõuenire, & precari rectè poteſt, vti apparet ex Act. 12. v. 6. & 12. 20. v. 7. Et eo ferè tempore vetus Eccleſia ſub perſecutoribus Imperatoribus cõueniebat. Quęlibet enim temporis pars eſt Domini, B ſiue dies, ſiue nox. Porrò ex hac veteris Eccleſiæ conſuetudine inepta quædam νυχοζηλία nata eſt, & Nocturnæ. i. media nocte, quarũ meminit Hierõ. preces ſunt à Monachis inſtitutę, & quidẽ eo tempore, quo maximè publica erat Eccleſia, & ab Imperatoribus perſecutoribus, ſummo Dei beneficio, liberata. Sed fuit iſta hominum inſania tempora pacis à temporibus belli non diſtinguere, contrà quàm iubemur Eccleſ. 3. Vbi igitur pace recreatur Eccleſia, nocturnas illas preces ordinarias & publicas condicere, quum vel manè, vel interdiu idem agere liceat, eſt ineptum, ac intempeſtiuum.

Sed quæritur, Annon expediat tamen interdiu habere certas quaſdam horas, eaſque publicè conſtitutas, & notas ad precandum? Reſp. ſiue de publicis ſiue de priuatis precibus agatur, id expedire ac commodius eſſe, quanquam ſingulis horis precari tamen licet, neque damnandum eſt.

Ergo quæſitum eſt, Ecquas horas diuinas ad preces, præſertim publicas, conſtitui oporteat? Reſpõdeo, Siquidem vetus mos, conſuetudóque Eccle- C ſię poſt Apoſtolos ſpectetur, Tres maximè horas in die ad preces publicas priuataſque fuiſſe ordinatas, liberè tamen & tum à ſingulis & fidelibus tum ab eccleſiis obſeruatas. Tertiam videlicet, quę reſpondet noſtri diei horæ nonę matutinæ. Sextã, quæ reſpondet noſtro Meridiei: & Nonam, quæ reſpondet noſtri diei horæ tertiæ pomeridianæ. Id verum eſſe apparet primum ex Hieron. aliquot epiſtolis veluti ad Lætam, item de Virginit. ſeruãda. & de Cuſtod. virginitatis, qui vixit circa annũ Domini 360. Caſsiani lib. 3. c. 3. qui vixit circa annum Domini 450. & Conciliis aliquot. Cuius inſtituti rationem conatur reddere Caſſ. lib. 3. c. 3. De inſtitutis Cœnobiorum. Verùm circa annum Domini 500. in Cõcil. Tarracon. c. 7. ſancitum eſt, vt preces matutinæ & veſpertinæ haberentur publicè, idq; quotidie, & ſemper à Presbyteris, & Diaconis in Eccleſia. Poſtea verò, tertia quoque, ſexta, & nona hora diei adiectæ ſunt, & vt iis A cantarentur aliquot pſalmi, nimirum tres pſalmi ſingulis illis horis pro lege conſtitutum fuit. Ex quo factũ eſt, creſcente ſuperſtitione, vt his quinque horis publicæ preces & cantus in Eccleſia, idque quotidie (quod antea non ita rigidè obſeruabatur, ſed pro animi ardore liberũ ſingulis Eccleſiis & ſingulis fidelibus relinquebatur) & præſertim in Monachorum cœnobiis (qui horas iſtas ſuperſtitioſius obſeruarunt) fieri inciperent, nempe hora matutina ſeu prima Dei hora, tertia, ſexta, nona, & veſpertina. Deinde additum Completorium poſt veſpertinas preces ab iis, qui cæteris religioſiores videri volebant, ita malum nimirum creuit. Verùm tota iſta rigida diſciplina & inſtitutio ſuperſtitioſa eſt. Neque iiſdem horis, aut tot horis obſtringi debent omnes Eccleſię. Sed ex cuiuſque Eccleſiæ prudenti iudicio & matura deliberatione, (quæ tum à Senatu Eccleſiaſtico, tum à Politico, ſi magiſtratus erit fidelis & profiteatur veram religionem, fieri debet) conſtituẽdum eſt, & quot horis & quibus preces publicæ fieri debeant tum ſingulis diebus, tũ etiam diebus Dominicis (quoniam his diebus frequentius & ſæpius conuenire debet populus Chriſtianus & ad conciones, & ad B preces publicas) obſtringere autem omnes Eccleſias iiſdem, & totidem & horis & merè & tyrannicum eſt, & ſuperſtitioſum Matt. 15. v. 2. 9. v. 14. pręterquam quòd eſt etiam incommodum. Ergo liberum ſit cuique Eccleſiæ ſibi conſtituere, quot & quas horas ſibi commodas eſſe cenſet ad publicas & preces & conciones. Priuatæ verò preces poſſunt fieri à ſingulis fidelibus, quotieſcunque voluerint, neque de iis vlla regula ſtatui poteſt.

Denique quot Pſalmi ſint cantandi, quàm longæ preces concipiendæ, vtrum breuiores nos eſſe in publicis precibus ordinariis magis oporteat quàm longiores: (Nam diebus dominicis, & diebus publici ieiunii, & aliis extraordinariis diebus longiores eſſe publicas preces oportere facilè conceſſerim) hoc totum in cuiuſque Eccleſię arbitratu & iudicio poſitum eſt. Statuet enim quælibet Eccleſia, quid ſibi facto ſit & commodius & melius. An verò publicæ preces perpetuò cum verbi tractatione & expoſitione ad populum coniũctæ C eſſe debeant, de eo non aliter reſpondetur, quàm videndum eſſe imprimis vt verbum Dei quod prędicatur, tanquam auriga omnes noſtras actiones ac publicas imprimis quantum fieri poteſt regat atque moderetur. Illud modò obſeruemus, vt & magno populi ſilentio ac reuerentia fiant preces publicę à Paſtore, & ne propter longiores preces fatiſcant aut elangueſcant animi auditorum. Hæc autem fuit olim reuerentia in precibus publicis, quemadmodum tradit Caſsianus, *vt neque ſputum emitteretur, neque excreatio obſtreperet, non tuſsis interſonaret, non oſcitatio ſomnolenta hiantibus malis traheretur, non gemitus, non ſuſpiria aſtantes impeditura, non denique vlla, niſi precantis ipſius vox audiretur.* Et hæc quidem hactenus, quæ in Dominicam Orationem cõmentabamur Lugduni Batauorũ, Menſis Iulij die XI. anno M. D. LXXXI. Domini incarnati cui cum Patre, & Spiritu Sancto laus & gloria, & potentia in ſecula ſeculorum, Amen.

PARA-

L. D.

PARATITLA IN D. AVRELII AVGVSTINI TOMOS DVOS PRÆCIPVOS, NIMIRVM SEXTVM, ET SEPTIMVM, IN QVIBVS ILLIVS CONTRA MANICHÆOS, PRISCILLIANISTAS, ARRIANOS, IOuinianiſtas, Donatiſtas, & Pelagianos πολεμικὰ ſiue certamina continentur. Hîc verò non tantùm quid in ſingulis libris, ſed quid in ſingulis librorum capitibus agatur, breuiter & methodicè comprehenſum eſt.

B

LIBER VTILISSIMVS IIS, QVI CVM ALIQVO fructu in Auguſtini lectione verſari cupiunt.

Præfatio cuique præcipuę hæreſi præfixa eſt, vbi illius ortus, progreſſus, & hypotheſes ex ipſo Auguſtino traduntur.

GENEROSO AC NOBILI EDOVARDO BACONIO, AMPLISSIMI ET ILLVSTRISSIMI VIRI Nicolai Baconij Sereniſsimæ Anglorum Reginæ ELIZABETHÆ Cancellarij Filio, plurimùm ſibi obſeruando.

C

NON vereor, Generoſe EDOVARDE, *ne, ſi de meo in te amore aliquid dixero, id tibi abſenti duntaxat, nõ etiam præſenti ſignificaſſe videar. Neque enim alterius cuiuſquam potiùs, quàm tuam vnius vocem in ea re teſtem appellem, qui quanti te, cùm hîc nobiſcum eſſes, fecerim, quámque luculentum huius mei in te animi teſtimonium extare voluerim, memineris probé. Nam cùm reliquarum virtutum, quæ in te elucent, tum verò pietatis, quæ ſingularis cernitur, ſplendor omnium bonorum oculos facilè in te conuertit, & animos conciliat, vt te ſummoperè diligant. Accedit autem præclaris virtutibus tuis Modeſtia incredibilis, quæ cùm eam ætatem, quam agis, plurimùm ſolet commendare: tum eos præſertim, qui, quemadmodum ipſe es, ex antiqua & nobili familia orti, nihilominus eam animi manſuetudinem, tanquam efferentis & iactantis ſeſe animi frænum quoddam, retinent. Sed vt ea Maiorum vetuſtas deeſſet, quæ laus tamẽ cumulatiſſimè iuſtiſſiméque, etiã ex Francorũ noſtrorũ Annalibus, veſtræ Familiæ debetur, habes eam paternæ gloriæ hæreditatem, quæ apud pios omnes longè omni familiæ antiquitate cenſetur præſtantior. Multi enim* εὐγενεῖς: *pauci verò* γενναῖοι, *vt inquit Ariſtoteles, id eſt, qui ſuis maioribus virtute ſua prælucerent, ſunt reperti. Quàm verò ſanctiſſimus ille parens tuus Nicolaus Baconius in omne æuum celebrandus ſit atque prædicandus, nemo mortalium ignorat. Nam is ampliſſimorum vniuerſæ Angliæ ordinum ſuffragijs concordiſſimis in ſummum illum Cancellarij gradum electus: & propter ſingularem tum pietatem, tum vitæ probitatẽ (tanquam alter quidam Porcius Cato) Cenſor, moderatórque & morum, & rerum omnium in veſtro illo floren-*

A *tiſsimo Regno delectus, cum ſumma omnium admiratione ad Reipubl. clauum ſedet, vbi ita omnia prudenter moderatur, vt cùm hodie omnia orbis Chriſtiani regna funeſtiſsimis bellis quatiantur, illud tamen veſtrum pace feliciſsima per plures annos ſummo Dei Opt. Max. beneficio, & S. Reginæ* ELIZABETHÆ *auſpiciis, patriſque tui virtute iam fruatur. Itaque patria de patre tuo Viro optimo & benè de ſe merito, benè & ipſa quoque mereri voluit, illúdque euenit, quod præclarè Theognis:* A

Τῷ δὲ καλῶς ποιοῦντι θεὸς περὶ πάντα τίθησι
Συντυχίην ἀγαθήν.

De cuius laudibus, quia ad te ſcribo, parciùs nunc agam, ne aliquid aſſentationis hæc mea videatur habere oratio. Hoc vnum igitur addam, præter ſuperiores cauſas, propter quas hoc, quicquid eſt operæ meæ, tibi nuncupare volui, hanc quoque fuiſſe, & quidem non poſtremam, quòd cùm tanta ſint veſtra, id eſt, Anglicæ gentis in noſtram, id eſt, Francicam (quæ tandiu, támque miſerè ob Chriſtianum nomen vexatur) beneficia, quanta nunquam ſinguli, ſed ne vniuerſi quidem Franci ſatis agnoſcere poſſunt, mei quoque officij eſſe exiſtimaui, aliquod grati mei in vos omnes animi monumentum erigere. In eo vero, quia neque Sereniſs. illam & noſtri aui tanquàm Phœnicem Reginam ELIZABETHAM *veſtram: neque grauiſsimum illum virum Patrem tuum: neque cæteros illos veſtros Proceres Illuſtriſs. (à quibus ingentia illa beneficia accepimus) affari propter ingenij mei tenuitatem audeo: neque oculis ad tantam eorum lucem caligantibus tantos viros intueri poſſum, tu ſaltem hoc meæ erga eos omnes obſeruantiæ animíque gratitudinis locupletiſsimum teſtimonium haberes. Hæc autem, quæ nunc ſub tuo nomine in lucem emittuntur, continent* παράτιτλα, B *quemadmodum Iuriſconſulti vocant, in omnia Auguſtini opera, quæ vulgò* πολεμικὰ *nominantur, atque complectuntur duos quoſdam præcipuos omnium D. Auguſtini operum Tomos integros, in quibus mira ingenij Auguſtini pietas, & vbertas apparet: addo etiam, ex quibus maxima ad eccleſiam Dei vtilitas accedit. Neque enim his Auguſtini diſputationibus aduerſus tot, támque varia hæreſeon monſtra, quicquam (hoc præſertim tempore) vtilius, aut accommodatius, vel etiam magis neceſſarium offerri Chriſti eccleſiæ poteſt, cùm eædem illæ peſtes, ijdémque hoſtes Chriſti, qui feliciſſimè antea ab Auguſtino debellati fuerant, etiā non hodie, magno Satanæ aſtu, repullulent, atque reuiuiſcant. Hoc igitur tantùm profitebor, me adoleſcentum S. Theologiæ candidatorum ſtudia, & eorum omnium, qui Auguſtini (ſcriptoris omnium ſuperiorum Theologorum tum Græcorum, tum Latinorum puriſsimi) lectione delectantur, conatus ſub tuo nomine iuuare voluiſſe, vt tibi ex eo benè & velint & precentur. Ad hæc autem ſtudia Theologica te hominem Chriſtianum cohortari non vereor, cùm hæ ſint artes, & ſtudia, de quibus illa poſſumus affirmare, quæ ſcribit M. Tullius, nimirum quæ adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium atque ſolatiū præbent. Denique hoc genus eſt rerū & literarū, de quo hæc ſententia optimè vſurpari poteſt:*

Æquè pauperibus prodeſt, locupletibus æquè:
Æquè neglectum pueris, ſenibúſque nocebit.

Et vtique, quemadmodum hic ipſe Auguſtinus ait, impium eſt, vt non legamus nos, quod ſcriptum eſt propter nos. Vale. Idib. Februar. Anno temporis vltimi CIↃ. IↃ. LXXVIII.

C

T. C. deditiſs.
Lambertus Danæus. C

INDEX LIBRORVM

IN QVOS PARATITLA *ſcripſimus.*

Ex tomo VI.

Aduerſus Manichæos.

De Vtilitate Credendi ad Honoratum.
Contra epiſtolam Fundamentalem Manichæi.
De duabus Animabus.
Contra Fortunatum Manichæum.
Contra Adimantum.
Contra Fauſtum.
De Actis cum Felice Manichæo.
Ad epiſtolam Secundini Manichæi.
De Natura Boni.
De Fide ſiue Vnitate Trinitatis.
Contra Aduerſarium Legis & Prophetarum.

Contra Priſcillianiſtas.

Contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas.

Aduerſus Arrianos.

Ad Sermouem Arianorum.
Contra Maximum Arianorum epiſcopum.
Contra Felicianum Arianum.

Aduerſus Iouinianiſtas.

De Bono Coniugali.
De Sancta Virginitate.
De Adulterinis Coniugiis.

Ex Tomo VII.

Aduerſus Donatiſtas.

Contra epiſtolam Parmeniani.
Contra literas Petiliani.
Contra Creſconium Grammaticum.
Contra Gaudentium.
De Baptiſmo contra Donatiſtas.
De vnico Baptiſmate.
De Vnitate Eccleſiæ.

Aduerſus Pelagianos.

De Peccator. Meritis & Remiſsione, ad Marcellinum.
De Natura & Gratia.
Contra Pelagium & Celeſtium de Gratia.
De Nuptiis & Concupiſcentia ad Valerium Comitem.
Contra duas epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium.
Contra Iulianum Pelagianum.
De Anima & eius origine, liber primus ad Renatum.
Liber ſecundus ad Petrum.
Liber tertius ad Vincentium Victorem.
Liber quartus ad eundem.
De Prædeſtinatione & Gratia.
Epiſtola Proſperi epiſcopi.
De Prædeſtinationæ Sanctorum.
De Bono Perſeuerantiæ.
De Prædeſtinatione Dei.
De Gratia & libero arbitrio.
De Correptione & Gratia ad Valentinum.
Ad Articulos falſò Auguſtino impoſitos.
Hypognoſticon libri ſex.
Perfectione Iuſtitiæ hominis.

A

EX AVGVSTINI LIBRO DE HÆRESIBVS.

CAP. XLVI.

Manichæi cur ſic dicti. Erroris autem eorum quãuis infinita penè ſint capita, tamen octo tantùm velut præcipua recenſentur hoc loco.

Manichæi[1] *à quodam Perſa extiterunt, qui vocabatur Manes: quanuis & ipſum (cum eius inſana doctrina cœpiſſet nomen prædicari. Nam antehac Vrbicus vocabatur. Sed in Græcia diſcipuli eius vitantes nomen inſaniæ, quaſi doctiores, & eo ipſo mendaciores) geminata n, litera Mannichæum quaſi manna fundentem pro Manichæo, id eſt inſano, appellauerunt. Iſte*[2] *duo principia inter ſe diuerſa, atque aduerſa, eadémque æterna &* B *coæterna, hoc eſt, ſemper fuiſſe poſuit, duáſque naturas atque ſubſtantias, boni ſcilicet & mali, ſequens alios antiquos hæretiquos opinatus eſt: quarum inter ſe pugnã & commixtionem, & boni à malo purgationem: & boni, quod purgari nõ poterat, cum malo in æternum damnationem ſecundùm ſua dogmata aſſeuerans multa fabulatur, quæ cuncta intexere huic operi nimis longum eſt. Ex his autem ſuis fabulis vanis & impijs coguntur dicere, animas bonas (quas cenſent ab animarum malarum naturæ ſcilicet contrariæ commixtione liberandas) eius, cuius eſt Deus, eſſe naturæ. Proinde mundum à natura boni, hoc eſt, à natura Dei factum confitentur quidem, ſed de commixtione boni & mali, quæ facta eſt, quando inter ſe vtraque natura pugnauit. Ipſam verò boni à malo purgationem ac liberationem non ſolùm per totum mundum, & de omnibus eius elementis virtutem Dei facere dicunt: verùm etiam Electos ſuos per alimẽta quæ ſumunt, & eis quippe alimentis, ſicuti vniuerſo mundo Dei ſubſtantiam perhibent eſſe commixtam, quã purgari putant in Electis ſuis eo genere vitæ, quo viuunt electi Manichæorum, velut ſanctiùs & excellentiùs auditoribus ſuis.* C *Nam his duabus profeſſionibus Electorum & auditorum eccleſiam ſuam conſtare voluerunt. In cæteris autem hominibus, etiam in ipſis auditoribus ſuis hanc partem bonæ diuinæq; ſubſtantiæ, quæ mixta & colligata in eſcis & potibus detinetur, maximéque in eis, qui generant filios, arctiùs & inquinatiùs colligari putant. Quicquid verò vndique purgatur luminis per quaſdam naues (quas eſſe lunam & ſolem volunt) regno Dei tanquam propriis ſedibus reddi. Quas itidem naues de ſubſtantia Dei pura perhibent fabricatas, lucémque iſtam corpoream animantium mortalium oculis adiacentem, non ſolùm in his nauibus (vbi eam puriſſimam credunt) verumetiam in aliis quibuſque lucidis rebus (vbi ſecundum iſtos tenetur admixta) Dei dicunt eſſe naturam. Quinque enim elementa, quæ genuerunt principes proprios, genti tribuunt tenebrarum, eáque elementa his nominibus nuncupant, Fumum, Tenebras, Ignem, Aquam, Ventum. In fumo nata animalia bipedia, vnde homines ducere originem cenſent. In tenebris ſerpentia: in igne quadrupedia: in aquis natatilia: in vento volatilia. His quinque elemẽtis malis debellandis alia quinque elementa, de regno & ſubſtantia Dei miſſa eſſe, & in illa pugna fuiſſe permixta fumo aera, tenebris lucem: igni malo, ignem bonũ:* A *aquæ malæ, aquam bonam: vento malo, ventum bonum. Naues autem illas, id eſt duo cœli luminaria, ita diſtinguunt, vt lunam dicant factam ex bona aqua: ſolem verò ex igne bono. Eſſe autem in eis nauibus ſanctas virtutes, quæ ſe in maſculos transfigurant, vt illiciant fœminas gentis aduerſæ, & per hanc illecebrem commota eorum concupiſcentia fugiat de illis lumen, quod membris ſuis permixtum tenebant, & purgandum ſuſceperant ab Angelis lucis, purgatúmque illis nauibus imponatur ad regna propria reportandum. Qua occaſione vel potius execrabilis ſuperſtitionis quadam neceſſitate coguntur Electi eorum velut Euchariſtiam conſperſam cum ſemine humano ſumere, vt etiam inde, ſicut de aliis cibis quos accipiunt, ſubſtantia illa diuina purgetur, ſed hoc ſe facere negant, & alios neſcio quos ſuo nomine Manichæorum facere affirmant. Detecti ſunt tamen in Eccleſia, ſicuti ſcis, apud Carthaginem iam te ibi Diacono conſtituto, quando inſtante Vrſo tribuno, qui tunc domui regiæ præfuit, aliqui adducti ſunt, vbi puella illa nomine Margarita iſtam nefariam turpitudinem prodidit, quæ cùm eſſet annorum nondum duodecim, propter hoc ſceleſtum myſterium ſe dicebat eſſe violatam.* B *Tunc Euſebiam quãdam Manichæam quaſi ſanctimonialem idipſum propter hoc ipſum paſſam vix compulit confiteri, cùm primùm illa ſe aſſeruiſſet integram, atque ab obſtetrice inſpici poſtulaſſet: quæ inſpecta, & quid eſſet inuenta, totum illud turpiſſimum (ſcelus, vbi ad excipiendum & commiſcendum concumbentium ſemen farina ſubſternitur, quod Margarita indicante abſens non audierat) ſimiliter indicauit: & recenti tempore nonnulli eorum reperti & ad Eccleſiam ducti, ſicut geſta epiſcopalia quæ nobis miſiſti, oſtendunt: hoc non ſacramentum, ſed execramentum ſub diligenti interrogatione confeſſi ſunt, quorum vnus nomine Viatòr eos qui iſta faciunt propriè Cathariſtas, id eſt, mundatores vel purgatores vocari dicens, cum alias eiuſdem Manichææ ſectæ partes in Macharios, & ſpecialiter Manichæos diſtribui perhiberet, omnes tamen has tres formas ab vno authore propagatas, & omnes generaliter Manichæos eſſe negare non potuit.* C *Certè illi libri Manichæi ſunt omnibus ſine dubitatione communes, in quibus libris illa portenta ad illiciendos & per concupiſcentiam diſſoluendos vtriuſque ſexus principes tenebrarum, vt liberata fugiat ab eis, quæ captiuata tenebatur in eis diuina ſubſtantia de maſculorum in fœminas, & fœminarum in maſculos transfiguratione conſcripta ſunt. Vnde iſta eorum, quãlibet negent ad ſe pertinere, turpitudo, defluxit. Diuinas enim virtutes quantum poſſunt imitari ſe putant, vt purgent Dei ſui partem: quam profectò ſicut in omnibus corporibus cœleſtibus & terreſtribus, atque in omnium rerum ſeminibus, ita & in hominis ſemine teneri exiſtimant inquinatam. Ac per hoc ſequitur eos, vt ſic eam & de ſemine humano, quemadmodum de alijs ſeminibus, quæ in alimentis ſumunt, debeant manducando purgare. Vnde etiam Cathariſtæ appellantur, quaſi purgatores, tanta eam purgantes diligentiâ, vt ſe nec ab hac tam horrenda ſibi turpitudine abſtineant, nec veſcuntur tamen carnibus tanquam de mortuis vel occiſis fugerit diuina ſubſtantia, tantúmque ac tale inde remanſerit, quod iam dignum non ſit in electorum ventre purgari. Nec oua ſaltem ſumunt, quaſi & ipſa cùm franguntur, expirent, nec oporteat vllis mortuis corporibus veſci, & hoc ſolum viuat ex carne, quod in farina, ne moriatur, excipitur. Sed nec alimonia lactis*

A *vtuntur, quamuis de corpore animantis viuentis mulgeatur ſiue ſugatur: non quia putant diuinæ ſubſtantiæ nihil ibi eſſe permixtum, ſed quia ipſe ſibi error non conſtat. Nam & vinum non bibunt, dicentes fel eſſe principum tenebrarum, cùm veſcantur vuis. Nec muſti aliquid vel recentiſſimi ſorbent. Animas Auditorum ſuorum in Electos reuolui arbitrantur, aut fœliciore compendio in eſcas electorum ſuorum, vt iam inde purgatæ in nulla corpora reuertantur. Cæteras autem animas & in pecora redire putant, & in omnia quæ radicibus fixa ſunt, atque aluntur in terra. Herbas enim atque arbores ſic putant viuere, vt vitam, quæ illis ineſt, & ſentire credant, & dolere, cùm lædũtur, nec aliquid inde ſine cruciatu eorum quemquam poſſe vellere, aut carpere. Propter quod agrum ſpinis purgare nefas habent. Vnde agriculturam, quæ omnium artium eſt innocentiſſima, tanquam plurium homicidiorum ream dementes accuſant: ſuiſque auditoribus ideo hæc arbitrantur ignoſci, quia præbent inde alimenta Electis ſuis, vt diuina illa ſubſtantia in eorum ventre purgata impetret eis veniam, quorum traditur oblatione purganda. Itaque ipſi Electi nec in agris operantes, nec poma carpentes, nec ſaltem folia vlla vellentes, expectant hæc afferri vſibus ſuis ab auditoribus ſuis, viuentes de tot ac tantis ſecundum ſuam* B *vanitatem homicidijs alienis: monent etiam eoſdem Auditores ſuos, vt ſi veſcuntur carnibus, animalia non occidant, ne offendant principes tenebrarum in cœleſtibus colligatos, à quibus omnem carnem dicunt originem ducere. Et ſi vtuntur coniugibus, conceptum tamen generationémque deuitant, ne diuina ſubſtantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole. Sic quippe in omnem carnem, id eſt, per eſcas & potus venire animas credunt. Vnde nuptias ſine dubitatione condemnant, &, quantum in ipſis eſt, prohibent: quando generare prohibent, propter quod coniugia copulanda ſunt. Adam & Euam ex parentibus principibus fumi aſſerunt natos, cùm pater eorum nomine Saclas ſociorum ſuorum fœtus omnium deuoraſſet, & quicquid inde commixtum diuinæ ſubſtantiæ cœperat, cum vxore concumbens in carne prolis, tanquam tenaciſſimo vinculo, colligaſſet. Chriſtum autem fuiſſe affirmant (quem dicit noſtra Scriptura) Serpentem, à quo illuminatos eos aſſerunt, vt cognitio-* C *nis oculos aperirent, & bonum malúmque dignoſcerent, eúmque Chriſtum nouiſſimis temporibus veniſſe ad animas, non ad corpora, liberandas: nec fuiſſe in carne vera, ſed ſimulatam ſpeciem carnis ludificandis humanis ſenſibus præbuiſſe, vbi non ſolùm mortẽ, verumetiam reſurrectionem ſimiliter mentiretur. Deum qui Legem per Moſen dedit, & in Hebræis Prophetis loquutus eſt, non eſſe verum Deum: ſed vnum ex principibus tenebrarum: Ipſiúſque noui Teſtamenti ſcripturas, tanquam infalſatas, ita legunt, vt quod voluerint inde accipiant: quod nolent, reijciant, eiſque tanquam non totum verum habentibus, nonnullas apocryphas anteponant. Promiſſionem Domini Ieſu Chriſti, de paracleto Spiritu ſancto in ſuo hæreſiarcha Manichæo dicunt eſſe completam: vnde ſe in ſuis literis Ieſu Chriſti Apoſtolum dicit, eò quòd Ieſus Chriſtus ſe miſſurum eſſe promiſerit, atque in illo miſerit Spiritum ſanctum. Propter quod etiam ipſe Manichæus duodecim diſcipulos habuit ad inſtar Apoſtolici numeri, quem numerum Manichæi hodiéque cuſtodiunt. Nam ex electis ſuis homines duodecim, quos appellant Magiſtros, & tertiumdecimum Principem ipſorum. Epiſcopos autem ſeptuaginta duos, qui ordinantur à magiſtris: & presbyteros, qui ordinantur ab Epiſcopis* A *habent etiam epiſcopi diaconos. Iam cæteri tantummodo Electi vocantur: ſed mittuntur etiam ipſi qui videntur idonei ad hunc errorem, vel vbi eſt, ſuſtentandum & augendum, vel, vbi non eſt, etiam ſeminandum. Baptiſmum in aqua nihil cuiquam perhibent ſalutis afferre, nec quenquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant. Orationes faciunt ad Solem per diem, quaquauerſum circumuit: ad Lunam per noctem, ſi apparet: ſi autem non apparet, ad Aquilonarem partem, qua Sol, cùm occiderit, ad Orientem reuertitur: ſtant orantes. Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, ſed ſubſtantiæ tribuunt gentis aduerſæ, quam dogmatizantes eſſe hominibus mixtam, omnem carnem non Dei, ſed malæ mentis perhibent eſſe opificium, quam à contrario principio Deo coæternam eſſe aiunt. Carnalem concupiſcentiam, qua caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, non ex vitiata in primo homine natura nobis ineſſe infirmitatem, ſed ſubſtantiam volunt eſſe contrariam, ſic nobis adhærentem, vt, quando liberamur atque purgamur, ſeparetur à nobis, & in ſua natura* B *etiam ipſa immortaliter viuat, eáſque duas animas vel duas mentes, vnam bonam, alteram malam in vno homine inter ſe habere conflictum, quando caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Nec in nobis ſanatum hoc vitium, ſicut nos dicimus, vnquam futurum: ſed à nobis ſeiunctam atque ſecluſam ſubſtantiam iſtam mali, & finito iſto ſeculo, poſt conflagrationem mundi, in globo quodam, tanquam in carcere ſempiterno eſſe victurum, cui globo affirmant acceſſurum ſemper, & adhæſurum, quaſi coopertorium atque tectorium ex animabus, naturâ quidem bonis, ſed tamen quæ non potuerunt à natura malæ contagione purgari.*

1 *Manichæi à quodam.*) Si quę fex, ſi quæ farrago, ſi quis teter vnquam errorum odor exhalauit, is eſt, qui ab impuriſsimo Manetis ore efflatus Manichæorum blaſphemias euomit & continet. Qui quanquam error eſt ipſe per ſe peſsimus & obſcuriſsimus, peior tamen & difficilior alterius erroris accumulatione factus eſt, dum ſcriptores inter ſe de eo diſſentiunt, vel poſteriores non ſatis attentè attendunt ad ea quæ fuerant à prioribus & C minùs ab ætate Manetis remotis authoribus tradita. Nos igitur rẽ totam quàm poſſumus & breuiſsimè & veriſsimè perſcribemus. Quod eò diligentiùs & accuratiùs mihi faciundũ videtur, quòd hæc Manichæorũ hæreſis maximus & præcipuus Mahumetiſmi, qui poſtea ſecutus eſt, & fons & origo meritò cenſeri debet, ſiue dogmatum veſaniam, ſiue modum naſcendi & rationem ſpectes. Ac quidem quod ad dogmata ſpectat, poſtea docebuntur. Quod autem ad naſcendi modum, in eo Mahumetiſmus & Manichæiſmus cõueniũt quòd vterque primùm abs Saracenis & Arabibus profectus eſt. Nã de Mahumete dubitari nõ poteſt, quẽ Arabem & Saracenũ fuiſſe fatentur omnes. Manichæiſmum autem.i.eum errorem, quem Manes Perſa poſtea fortiſsimè defendit, primus inuexit Scythianus quidam nomine, mercator Saracenus, quẽadmodũ Epiphanius & Socrat.lib.1.ca.22.ſcribunt, qui vt ſuam blaſphemiam aliqua ratione cõmẽdaret, Hieroſolymã venit, tãquã ibi ex Dei ipſiꝰ ore eã accepiſſet. Quod ipſũ poſtea, vt ſuũ Alcoranũ meliùs hominibus propinaret, fecit Mahumetus. Scythianus autem domus ſuæ ruina oppreſſus miſerè periit. Diſcipulum autem & ſucceſſorẽ do-

ctrinæ

A ctrinæ ſuæ habuit quendam nomine Buddam, cognomine Terebinthum, qui & ipſe à Satana in ſolitudinem abreptus ſtrãgulatus eſt. Buddæ ſucceſsit Manes, qui, quòd hunc occultum adhuc errorem in lucẽ produxit, & libros quatuor à Scythiano ſcriptos, ſed à Budda clàm habitos & cuſtoditos tãquam ſuos euulgauit, primus huius hæreſeos parens & author creditus eſt, quam tamen tanquam per manus ab homine Saraceno Manes iſte maſtigia inſanus & præſtigiator acceperat. A quo qui ſecuti ſunt hæretici, Manichæi dicti ſunt. Hi autem ipſi etiam Acouanitæ ſunt appellati, & Agoniſtę. Acouanitę, vt Epiphanius ſcribit, à quodã Acouana Manetis diſcipulo, qui in Meſopotamia hũc errorẽ latiſsimè diffudit, & acerrimè propugnauit. Agoniſtæ autem, quòd ſe contra gentẽ tenebrarum, & illius principem Diabolum perpetuò pugnare ſua vita, ſuíſque pręceptis & doctrina dicerent. Cœpit autem hęc hęreſis Manichęorum nomine innoteſcere ſub Aureliano Imperatore, & Felice Rom. Epiſcopo, vt Euſ. tradit, circa annũ à Chriſto paſſo 247. Id quod etiã docẽt Pla-B tina, & Epiph. quanquã ſub Probo vixiſſe Manetẽ idẽ ſcribit Aug. li. 13. cõtra Fauſt. c. 4. Latiſsimè verò citiſsiméque propagata eſt. Nã ex Arabia ſtatim in Meſopotamiã & Perſidẽ delata eſt. Ex Perſide in Syriã rediit, & in Aegyptũ, Africã, & poſtea in Hiſpaniam, Galliam, mari traiecto, penetrauit. In Aſia etiã, Paphlagonia & reliquis orbis partibus multos infecit. Habuit enim Manes tres præcipuos diſcipulos, Aldã, quẽ ad hoc venenũ ſpargẽdum in Syriam dimiſit, vt ait Theodor. lib. 1. Hæretic. fabu. Thomam, quem ad Indos tanquã apoſtolum ſuum ire præcepit: & Herman, quem ad Aegyptios: quanquam præter hos alios duodecim præcipuos, ſibíque perpetuò comites ad imitationem D.N. Ieſu Chriſti, habuit tanquam Apoſtolos, quem numerum in Electis ſuis eligendis etiãnum poſtea Manichæi retinuerũt, qui eſſent duodecim ſummi doctrinæ ſuæ antiſtites, & ad quos LXXII. Epiſcopi, quos per totũ orbẽ diſperſos habebant, ſe ſuáque dubia referebant. Itaquę Romã C ipſam occupauit hæc hæreſis, vnde tamen expulſa eſt à Leone Pontifice Romano circa annũ à Chriſto paſſo 414. In Arabia tamen, Perſide, & Aegypto maximè viguit, potuítq;, vnde poſtea Mahumetiſmus tanquã ex ſerpẽtis viperæq; ouo enatus & excluſus. Diutiſſimè etiam ſubſtitit. Nã & Anaſtaſij Imperatoris tẽporibus adhuc in Perſide, Meſopotamia, & Syria graſſabatur apertè: & Gregorij Magni põtificatu in Sicilia. i. annos poſt Manetem mortuũ plus quàm 340. vt apparet ex Gregorij epiſt. 6. li. 4. & P. Diaconi li. 15. Hiſt. vbi Indaganam eorũ epiſcopũ commemorat. Fuit autẽ Docetarũ hæreticorum poſtremus Manes, quemadmodum eorũ primus author & princeps Simon Magus, vt ait Theodo. Dialog. 1. Polymorphos. In varias etiã ſectas diuiſam fuiſſe hãc infœlicẽ familiam docet hoc loco Auguſtinus, cùm inter eos alii ſe tantùm & ſimpliciter Manichæos appellarent: alii autem Cathariſtas: tertij denique Macarij à ſortis fœlicitate dicerentur. Cæterùm Manes (quẽ ferè Manichæũ alibi vocat Auguſtinus, vt Suidas etiã) de quo nunc agimus, fuit natione Perſa, conditione primùm ſeruus, qui manumiſſus dominã cui priùs ſeruiebat in cõiugem accepit, à qua ditatus in hãc phreneſin magna ambitione excęcatꝰ extumuit. Id quod idẽ Mahumeto accidit. Manes autẽ Perſica A vox eſt, nõ autẽ Græca vel Latina, vt falſò argutãtur qui à Gręca & Hebręa voce deducũt Μαννιχαῖον vel Μανιχαῖον, quaſi qui Mãna vel inſaniã fundat, vt hîc tradit Aug. & lib. 19. cõtra Fauſt. c. 22. Epiphanius tamẽ à Chaldaica deriuatã putat, quæ ſignificat vas. Chaldæi enim ſiue Babylonij מאנה Manah vocãt σκεῦος. Dictus autẽ eſt hic idẽ Cubricus, vt Socrates & Epiphanius teſtantur, & eſt barbara vox, nõ autẽ Vrbicus, vt hîc Auguſtinus ſcribit, & poſt eum pari errore alii, quę eſt Latina nomenclatura: non etiã Scythianus, vt Theodo. falſò voluit. Hic verò poſtquam multos in fide labefactaſſet (quanquam eũ vnquã Chriſtianam religionem didiciſſe negat Aug. in li. de Actis cõtra Feliciã. c. 8.) adeóque ſuis incantationibus regis Perſarum filiũ necaſſet, viuus ab eo excoriatus eſt, ſícq; inſignis illa humani generis peſtis tandẽ periit. De Manichęorũ autẽ moribus ſiquis plura didiciſſe volet, legat Auguſtinum, qui & ipſe aliquãdo Manichęus fuit, ſed poſtea ab eo errore magno Dei beneficio liberatus eſt, lib. 2. de Manichæi moribus, cap. 16. & li. De fide contra Manich. c. 40. & 41. Scripſit etiã quædam Manes ipſe, quando lib. 2. Theſauri citat B Aug. in lib. De fide Trini. cap. 5. nec is vnus fuit ex illis quatuor Scythiani libris. Nam ſeptimum eiuſdem operis notat Aug. cap. 14.

2 *Iſte duo principia.*) Nulla fuit vnquam Acherõtis cauerna, vnde tot repẽtè peſtes prodierint, quàm ex infernalibus vnius Manetis faucibus. Vna enim hæc hæreſis omnium penè ſuperiorũ ſordes collegit. Vnde factum eſt vt ab aliis attribuatur Montaniſtis, vt à Socrat. lib. 7. ca. 32. ab aliis autem Sabellianis: ab aliis denique Marcionitis & Valẽtinianis, à quibus proculdubio profecti ſunt. Theodor. Dial. 3. Inconfuſus & Index hæreſ. Infinitæ verò ſunt erroris eorum hypotheſes, quando vniuerſam religionem ſuſtulerunt, corruperunt, ſúſque déque habuerunt. Ergo capita iſtius hæreſeos ſic breuiter colligo ex omnibus.

Cap. 1. Duo eſſe diuerſa rerum principia ęterna, ſibi mutuò contraria, quorum vnum bonũ ſit. C & autor boni: alterum malum, qui eſt mali & gẽtis tenebrarum princeps: illum Deum vocant, hũc autem Diabolum, & Hylen. Hoc caput eſt 1. Vetus verò fuit & perantiqua huius erroris origo, quia vetus eſt quæſtio, vt docet Euſeb. lib. 5. cap. 27. Vnde ſit malum: & ex Pythagoreorum συστοιχιώσει & Marcionitarum lacunis hauſtus eſt, qui Marcionitæ ex lib. 1. Platonis de legib. hunc errorem didicerunt. Animã, ait Plato, quæ hæc omnia adminiſtrat, vtrum vnam, an plures cõſtituemus? Plures ego pro vobis reſpõdebo: non minus vtique quàm duas eſſe eas poſuerimus, nempe eam quæ eſt benefica: & eam quæ poteſt efficere contraria. Clemens Stromat. li. 5.

2 Dei boni ſubſtantiam fruſtratim in omnes creaturas fuſam eſſe, & inhęrere. Vnde Dei mẽbra in lapidibus, fructibus, & aliis creaturis, etiã ſtercoribꝰ & virili ſemine vincta & ligata detineri docent, quæ ſint ab iis vinculis ſoluenda, & liberãda, primùm per Chriſti aduentum, deinde per eſum qui fit à Manichęorum Electis, per quorũ ventres tanquam per igneos canales illæ Dei particulæ ſecernantur & ſeparentur à reliqua creaturæ, cui inſũt, fece. Quod quo modo fiat, hîc copioſè explicat Aug. & li. 2. Cõtra Fauſt. c. 5. Vnde fit, vt carnibus,

A ouis,& lacte etiam abſtineant. id quod ex Pythagoreorum nugis & Encratiſtarum furore & hæreſi ſumptum eſt. Atqui Papiſtæ dum in ſuis ieiuniis ex Gregorij decreto quod eſt in cano. Denique. Diſtinct. 4. refugiunt damnántque eſum eorum omnium, quę ſementinam, vt ipſi loquuntur, trahunt originem carnis, manifeſtè in Manichæorum errorem incidunt. Iubent enim carne, lacte, caſeo & ouis abſtinere. Hoc ipſum damnat Paulus 1. Corinth. 9. verſ. 7. 1. Timoth. 4. verſ. 3. & Dominus ipſe Geneſ. 9. verſ. 45. Actor. 10. verſ. 13. Sed etiã vini vſum execrantur, quaſi ſit illud fel & ſordes principum tenebrarum. Auguſt. lib. 16. contra Fauſt. cap. 31. Hoc Mahumetani de Manete ſumpſerant.

3 Gentem tenebrarum cũ gente lucis pugnaſſe & aliquando conflixiſſe volunt, Deo ipſo bono aggrediente tenebras. In qua colluctatione ipſius Dei partes captiuæ effectæ ſint, pro quarum redemptione & liberatione Deus ipſe iam laboret. Hanc autem pugnam à quodam primo homine B initam fuiſſe, ex quo ſit Chriſtus natus. Auguſt. li. 2. contra Fauſt. cap. 3. & Theodoret.

4 Deum Legis non eſſe verum Deum. itaque vetus Teſtamentum repudiant, & nouum partim mutilant & truncant: partim verò reiiciunt, qualia illa ſunt quæ de genealogia Chriſti loquuntur. Idem antea Marcion. Idem poſtea Mahumetus.

5 Chriſtum Deum eſſe negant, ſed etiam negant verè hominẽ fuiſſe: itaque fictè & imaginariè tantùm paſſum, crucifixum, mortuum, ſed eſſe Patrem ipſum gentis tenebrarum, id eſt, Diabolum, qui tũc paſſus ſit & crucifixus. Vide quãta ſit iſtius furoris inſania apud Auguſt. lib. De fide Trinit. ca. 28. & 32. Denique illuſione quadam oculorum videri Chriſtum reſurrexiſſe. Auguſt. idem in libr. contra epiſt. fundam. ca. 7. 8. & lib. 5. contra Fauſt.

6 Chriſtum fuiſſe illum ſerpẽtem, qui Euam & Adamum deceperit. Ophitarum error eſt.

7 Chriſti corpus in ſtellis ligatum & affixum eſſe, vti poeticus Prometheus Caucaſo, imprimis autem lucido illi globo Solis infuſum: Et hæc dicitur eſſe illius aſcenſio in cœlum.

8 Chriſtum animas tantùm ſua morte redemiſſe, non autem corpora noſtra. itaque non per-C fectè σωτὴρ eſt.

9 Reſurrectionem carnis fore negant, pro qua corporum μετεμψύχωσιν, & animarum ἀνασωμάτωσιν ſubſtituunt, per quam humanę animæ in alia corpora migrabunt, eorum nempe, quos quiſque in hac vita amauit, vel etiam occidit, vti qui muſcam vel murem occiderit, in muſcam vel murem mutabitur. Atque, vt iidem aiunt, contrariam ſortem ſortietur illi, quam hîc quiſque noſtrûm habuit. Diues enim in pauperem, pauper in diuitem renaſcetur. Epiphanius.

10 Se eſſe Paracletum illum à Chriſto promiſſum dixit Manes. Montaniſticum eſt.

11 De mundi creatione ineptiſsima quædam nugatur, nempe Adamum & Euam à quodam cõditos, qui Sacla vocetur, id eſt, opifex. שכלה Schacla enim Chaldęi & Perſæ vocãt opificem & ſtructorem. Solem & Lunam eſſe naues inuerſas: fuit hoc Anaxagoricũ delirium. Lapides eſſe oſſa principum lucis. Poeticum hoc quoque figmẽtum eſt. A De Lunæ quoque defectibus & incrementis, inſulſa prorſus fabulantur.

12 Solem & Lunam adorant tanquam deos: itémque alia idola, vt ſe ethnicis commendent & inſinuent, non reſpuunt. Auguſtinus contra Adimant. cap. 13. Hinc etiam nati alij hæretici, quos Heliotropitas vocat Damaſcenus, quòd heliotropium, & alias herbas, quæ ad Solem folia conuertunt, cernui adorarent.

13 Atlantem fingunt qui humeris cœlum ſuſtineat, quem & Laturarium vocant, & Splendipotentẽ, qui per ſingulos 30. annos latus defeſſum in aliud mutet, vt ille poetarũ Enceladus, qui Aetnam montem geſtat. Auguſtinus lib. 15. cõtra Fauſtum, cap. 5. Epiphan. Hoc planè fabuloſum eſt.

14 Iurant ſæpiſsimè, nullóque mentis ſcrupulo per creaturas Manichæi, vti etiam Mahumetani, Auguſt. lib. 19. contra Fauſt. cap. 22.

15. Cuique noſtrûm duas animas, duáſque mẽtes ſeparatas tribuunt, & ineſſe reipſa putãt, quarũ vna cũ altera pugnet, & aſsiduè cõfligat. Auguſtinus libro ſexto contra Fauſt. cap. 8. Theodoret. B

16 Animam arboris & hominis eſſe eiuſdem eſſentiæ, quia vtraque Dei pars ſit & ſubſtantia. Auguſt. contra Adimant. cap. 22. contra Fauſtum, lib. 3. cap. 6.

17 Coniugia & fœtus damnant, tanquam miſeros & horribiles ſubſtantiæ Dei carceres, & vincula. Itaque nec coeundum, nec vxores ducendas eſſe, vt proles ſuſcipiatur, ſed voluptatis & libidinis tantùm explendæ gratia: quam vt proritaret Deus mutaſſe quaſdã ſui partes in fœminas, quas maſculis obiecit: & alias in maſculos, vt fœminas prouocaret, vnde naſcitur coeũdi appetitus. Aug. cõtra Fauſt. li. 19. c. 26. 15. c. 7. Ad Secund. c. 21. Hoc etiam dogma poſtea Mahumetanum factum eſt.

18 Peccatum eſſe ſubſtantiam, & οὐσίαν per ſe viuentem & ſubſiſtentem, quia à parentibus, in filios transfunditur, & quia mali principij eſt opus, non autem tantùm qualitatem quandam affectionémque, vel πάθος mentis à ratione auerſæ, quæ ſubſtantiæ ſuperuenerit. C

19 Volũtatem malè agendi, quod vocant Liberum arbitrium, nobis à natura ipſa inſitam, nõ ex rebellione noſtra accerſitam vel ex inobedientia natam: quanquam homines propria voluntate peccant.

20. Eleemoſynam pauperi dãdã negant, ac ne Chriſtiano quidẽ, & fratri ſupplici, quia ſit ſuſtẽtatio materiæ, & mali dei patrocinium, & fauor. Auguſt. contra Adimant. cap. 17. & Theodoretus.

21 Baptiſmum nobis prodeſſe conferendúmque cuiquam negant. Itaque illius contemptum induxerunt. Denique infinita ſunt, quæ miſera illa hominum colluuies in Deum debacchatur, & euomit, quæ ſingula colligere non poſſumus, neque etiam operępretium duximus, quia hęc etiam ipſa nauſeam piiſſimis hominibus mouebunt. Sed tot tantáſque blaſphemias tum ambitio, tum ignorãtia veritatis produxit.

A

EX LIB. DE VTILITATE CREDENDI,

AD HONORAT.

¶Scripſit hunc librum Auguſt. cùm recèns ex Manichaorum ſchola exiiſſet, & ſe ad orthodoxos contuliſſet.

Cap.1.

1 Differunt hæreticum eſſe, & credere hæreticis.

Eſt igitur

2 Inſtitutum huius operis eſt, refutare Manichæorum errores.

Noſti enim.

3 Item Chriſtiani à Manichæis, quòd prius credere iuberentur, quàm rationem fidei ſuæ perciperent.

Cap.2.

1 Manichæi vetus teſtamentum propter obſcuritatem damnant.

B

Cap.3.

1 Quatuor eſſe ſacræ ſcripturæ explicandæ modos, Hiſtoricum, Ætiologicnm, Anagogicum, Allegoricum, & quid ſit quiſque modus.

Quæ vox.

2 Manichæi dicunt corruptas fuiſſe ſacras ſcripturas à quibuſdam.

Hoc enim

3 Manichæi librum Actorũ repudiant, & cur.

Nam & ipſe.

4 Allegoria ſæpe vtitur ſacra ſcriptura, & eius aliquot exempla propoſita.

In quibus

5 Legis ceremonialis ſenſus & ſubſtantia ad nos pertinet, quia ad literam non eſt nobis nunc accipienda.

Cap.4.

1 Tria erroris genera, quorum cuiuſque exempla profert.

Cap.5.

1 Etiam in ſcripturis ſacris duo prima erroris genera eſſe periculoſa, nempe cùm verum putatur, quod falſum eſt : tertium autem genus non item.

C

Age ac deinceps.

2 Libros ſacræ ſcripturæ, & bonos eſſe ſiue veros: & rectè à Catholica eccleſia intelligi.

Cap.6.

1 Diuinarum literarum ab ipſarum & veritate, & ſanctitate commendatio.

Quis enim.

2 Diuinarum literarum interpretatio non eſt petenda ab earum hoſtibus hæreticis,

Cap.7.

1 Religionem, ſi qua eſt, animæ, non corporis gratia conſtitutam, vt illa ſit beata.

Hæc autẽ

2 Religio vera nihil eſt aliud, quàm vera ſapientia, quæ quærenda eſt, quia naturâ noſtrâ cæci & ignorantes ſumus.

Sed nunc prius.

3 In dubiis rebus primùm potius eſſe aſſentiendum iis, quæ omnium conſenſu ſunt receptæ, vt humano modo homines erremus, quæ tamen ipſæ ſunt explorandæ, vtrùm veræ ſint.

Quum legerem.

4 Neminem per ſe, niſi rariſſimũ, ſine interprete poſſe aliena ſcripta intelligere, nedum ſacram ſcripturam.

Quæreres

5 Quæ non intelligimus in ſcripturis, eorum quærendi interpretes pij & docti, non ipſarum ſcripturarum hoſtes.

Proculdubio à Catholica.

6 Catholicos ſcriptores & interpretes primùm in fidei quæſtionibus conſulendos, non autem hæreticos.

A

Cap.8.

1 In tanta opinionum de Veritate varietate nihil tutius, quàm primùm precibus à Deo petere, vt opem ferat, & ipſe nos doceat. Deinde ad Catholicos doctores, qualis erat Ambroſius epiſcopus Mediolan. accedere: & eos audire attentè, & docilem ſe iis præbere.

Cap.9.

1 Etſi Catholici & hæretici profitentur apud ſe eſſe veritatem, longum tamen diſcrimen ſtatim inter vtroſque apparere.

Nam vera religio.

2 Fidem requiri in eo, qui rectè in religione inſtitui velit. Fides autem hæc eſt docilitas animi, & attentio. Contrà autem ſentientibus reſpõdet.

Quod ipſe inquis.

3 Suſpitioſus, Credulus, Curioſus, & Studioſus quid ſint & differant inter ſe.

Cap.10.

1 Quædam in religione credenda, antequàm eorum ratio habeatur, aut etiam comprehendatur, quia pedetentim ad Dei cognitionem deducendi ſumus: nec omnes ſtatim eam rationem capere poſſunt ſereno animo. Denique ſi qui ſunt capaces, præſtare iis, & tutiùs eſſe ingredi & incedere per momenta, quàm ſtatim ad ſumma volare.

B

Cap.11.

1 Duo hominum genera in religione laudantur, quærentium, & iam intelligentium. Tria vituperantur, opinantium, & tamen errantium : ignorantium, & non quærentium diligenter: ignorantium, & ſpernentium omnino.

Tria ſunt item.

2 Tria in omni hominum vita ſpectari, Intelligere, Credere, Opinari: quæ quando laudari, quando vituperari debeant explicat.

Hęc dicta ſint.

3 Credi quædam ſine temeritate poſſe, quæ nondum tamen intelliguntur.

Cap.12.

1 Confirmat ſuperiorem ſententiam pluribus argumentis. Primùm à Simili de parentibus, qui etſi non certò ſciuntur, creduntur.

C

Nam nemini.

2 Ab enumeratione hominum : qui ſunt aut ſapientes, aut non. Hi non poſſunt niſi ſapientum conſilio regi, ergo eos credere oportet, etſi non intelligunt.

Cap.13.

1 Nemo poteſt ſtultitiam à vera ſapientia in tanta opinionum varietate tutò diſtinguere, niſi Deum eſſe credat, & eius verbum primum amplectatur fide. Itaque ad religionem accedentibus eſt à fide incipiendum.

Atqui ſapientiam.

2 Ii ſoli poſſunt veritatem agnoſcere, quibus ipſa ineſt, & à Deo velut mentis oculus data eſt.

Cap.14.

1 Credere oportere eos qui ad Chriſtum accedunt, etiam ipſis hæreticis hortantibus. Ergo Religio à fide, non à ſcientia inchoatur. Nec temeritas eſt ei credere, quod nondum intellexeris.

Cur non igitur.

2 Tutius credi Apoſtolis qui viderunt Chriſtum, & quorum teſtimonio Chriſtum fuiſſe credimus, quàm vllis aliis.

Si autem Chriſto.

3 Inter Chriſtianos & Paganos, hanc eſſe differentiam, quòd illi Chriſto credere præcipiunt etiam ſine ratione: hi tum demum ſi ratio indubitata afferatur.

At ipſum videmus.

4 Chriſtum ipſum fidem à ſuis maximè requirere, & miracula ab eo facta id demonſtrare.

A

Cap.15.

1 Præceptis & doctrinæ Eccleſiæ potiùs quã hæreticis credendum, quia illa ſit magis fundata.

Quẽ quoniam.

2 Miracula propter eos qui rationem nõdum capiebant facta fuiſſe.

Cap.16.

1 Turpius eſſe non commoueri autoritate recepta, vt ſapientiam quæramus, quàm commoueri, & eam quærere.

Hæc autẽ repoſita.

2 Etiam ſapientes qui fieri volunt, partim miraculis, partim ſectatorum & profitentium multitudine moueri poſſe.

Miraculũ voco.

3 Miraculum quid: & quotuplex.

Cur, inquis, iſta non.

4 Miracula non fiunt nunc, quia ſi eſſent ordinaria, deſinerent mouere nos & eſſe miracula.

Cap.17.

1 Catholicæ eccleſiæ doctrinam vbique terrarum probari: itémque illius mores: hæreticorũ non item. Ergo illi potius, quàm huic aſſentiendum eſſe.

B

Nam ſi nulla.

2 Quæque diſciplina credit ſuo autori. Ergo & Chriſtiani diuinis ſcriptis credere debent, & Chriſto autori ſuo.

Cap.18.

Exhortatio ad Catholicos autores audiendos, eccleſiæque doctrinam amplectendã, ſpretis Manichæorum in eam calumniis.

IN LIB. AVGVST. CONTRA EPISTOLAM MANIchæi, quam Fundamentalem vocant.

¶*Hic liber complectitur præcipua Manichæorum dogmata, eorúmque fundamenta, quæ Auguſtinus eruditiſſimè euertit.*

Cap.1.

1 ETſi diuerſæ ſunt tum corporis noſtri, tum animi (quæ à Deo per varios inferuntur) caſtigationes: illæ tamen omnes in hac vita medicinæ potius ſunt ad reſipiſcentiam, quàm damnationes ad exitium.

C

Cap.2.

1 Propter 4. cauſſas nolle ſe durius in Manichæos agere: nec in eos ſæuiendum cenſere, ait Auguſtinus.

Cap.3.

1 Mitius agit cum Manichæis Auguſt. quia & ipſe inter eos aliquando fuit, ſcilicet per nouem annos: inf. cap.10.

Vt autẽ facilius.

2 Hanc demum eſſe optimam diſputationis futuræ regulam, ſi neuter alterum animi, & præoccupatæ opinionis præiudicio grauet.

Cap.4.

1 Etſi vna veritas omnibus rebus eſt præponenda, verúmque eccleſiæ eſt fundamentũ, tamen multis & iuſtis de cauſis Catholicam eccleſiã, quæ vocatur, particulari præferri.

Cap.5.

1 Manes cur Apoſtolus Ieſu Chriſti credi non poſſit iuſta cauſa eſt, niſi quis temerè cuilibet rei aſſentiri ſine ratione velit.

Ego verò Euangelio.

2 Euangelium neganti vel diuidenti nihil aliud obiici poteſt, quàm vniuerſus eccleſiæ conſenſus.

In Apoſtolorum actis.

3 Apoſtolorum Acta liber, pars eſt Euangelij, & illi credendum eſt.

A

Cap.6.

1 Titulus Epiſtolæ Manichæi vbi ſe Ieſu Chriſti Apoſtolum vocat, falſus demonſtratur.

2 Manichæi impudentia, qua ſe ipſum Paracletum à Chriſto promiſſum eſſe dixit.

Quid hoc eſſe cauſæ.

Cap.7.

1 Manichæum nec Spiritum eſſe ſanctum, nec hominem à Spiritu ſancto aſſumptum, ex eorum ſententia credi poſſe.

Cap.8.

1 Manichæus ſe pro Chriſto ſubſtituit. Chriſtum enim verum hominem fuiſſe negauit, & verè paſſum.

2 Natalis Manichæi dies ſanctiùs celebrata, quàm Chriſti Paſcha.

Cùm veſtrum bema.

Cap.9.

1 Chriſti promiſſionẽ de Spiritu ſancto mittendo impletam in Apoſtolis, idipſum teſtante ſacra Scriptura: non in Manichæo.

B

Cap.10.

1 A teſtimonio ſcripturæ probat non differẽdam fuiſſe Spiritus ſancti promiſſionem, donec Manichæus naſceretur.

Cap.11.

1 Præfationem Manichæi in dogmate ſuo cõmendando communem eſſe omnibus hæreticis.

2 Item & eiuſdem epiſtolæ ſalutationem eſſe communem.

Quid igitur.

Cap.12.

1 Contradicere ſibi Manichæum, qui ſibi ſine ratione credi poſtulet in iis, quæ ratione probaturum ſe pollicebatur.

Cap.13.

1 Erroris Manichæorum ſumma hæc eſt: I. Duo principia eſſe, Vnũ Bonum, qui Pater dicitur, qui luminis, qui vitę, qui ſenſus princeps dicitur, omniſque felicitatis, & apud ſe habet Æonas & ſecula, in terra luminis fundata & felicia. Alterum autem deum eſſe Malum.

2 Refutatio. Hanc ſententiam nulla ratione confirmari. Itaque ex dogmate Manichæorum non credendam eſſe nobis piis.

Hæc mihi vnde.

C

Cap.14.

1 Si quid ſine ratione manifeſta eſt credendũ, potius eccleſiæ Catholicæ, quàm Manichæis aſſentiendum, quæ ſua verbo Dei confirmata habet & docet.

2 Hoc vnum curant Manichæi, vt ſua probent, aliena irrideant, non refutent.

Nihil aliud.

3 Manichæos velint nolint credulitatem tantum à ſuis diſcipulis poſtulare. Eos enim non docent, neque perſuadent ratione.

Et quoniã quæſiui.

Cap.15.

1 II. Error Manichæorum, Terram eſſe *duplicem*, vnam luminoſam: alteram verò tenebroſam, ſitam ad latus alterius in qua omnia peſtifera quæ ſunt ignea, & aquæ cœnoſæ, fumi, caligo, & princeps tenebrarum inſunt. In qua ſunt quinque antra & ſine habitatoribus.

2 Refutatio. Primùm, abſurda eſt hæc ſententia, quæ Deum corporeum, & loco diſtentum eſſe fingat.

Si aereũ.

Cap.16.

1 Deum conſtituit in loco, quod etiam naturæ animæ, quæ tamen à Deo longè diſtat, non conuenit.

A Quidquid enim. 2 Animæ & corporis differentia, quòd hoc ſectili mole diſtenditur, aliud atque aliud habens per diuerſa locorum ſpatia: illa verò nullis locorũ ſpatiis aliqua mole diſtenditur: ſed tota ſit in toto corpore, & in ſingulis eius membris.

Cap.17.

1 Beſtiæ imaginationem ſiue phantaſiam, & memoriam habent.

Nunc verò. 2 Animam hominis non poſſe in loco ineſſe per molis extenſionem, cùm ipſa rerum infinitarum, & latiſſimarum imagines capiat.

Cap.18.

1 Animus hominis intelligens, nulla mole diffundi aut diſtendi in corpore poteſt, nedũ Deus.

Cap.19.

1 Confirmat ab abſurdo, Deum locorum ſpatiis aut mole non diſtendi.

Cap.20.

1 A ſeipſis refutantur Manichæi, qui cùm terram luminoſam vnum latus habere dicant: alterũ latus non definiunt, ſed dicunt eſſe infinitum.

Cap.21.

1 Error Manichæi, Terram lucis eſſe incorpoream, & terra tenebrarum maiorem.

Cap.22.

B 1 Refutatio Ab abſurdo & conſequenti, quòd contra rerum naturam plus tribuit partibus diuiſis, quàm vnitis.

Cap.23.

1 Amplificatio erroris. Manichæos & turpius & deſperatius errare, quàm Anthropomorphitas, quos carnales & paruulos appellat.

Cap.24.

1 Inſtat. Et docet abſurdiſſimum ſequi hoc, vt ex Manichæorum ſententia non duo tantùm, ſed tria vel quatuor principia conſtituantur, vel nullum in Terram luminis bonus ille Deus habeat imperium.

Cap.25.

1 Cauſa fingendi Manichæis tot deliria, hæc eſt, quòd non crederent Deum ex nihilo bona facere poſſe, ad quod tamen ex ſuo ipſorum dogmate reuocantur.

Cap.26.

C 1 Abſurda quæ ſequuntur ex iſto Terrarum inter ſe contactu: nempe Inanitas, Pugna & Deformitas.

Cap.27.

1 Malum non eſſe ſubſtantiam, ſed qualitatis tantùm rectè immutationem: vti in corpore deformitas eſt formæ, non ſubſtantiæ ademptio & deprauatio.

Deinde etiam. 2 Terram tenebricoſam cùm certa latera habeat, non niſi à bono Deo conditam eſſe. Rectum enim, diſtortitatione, in ſitu membrorum bonum eſt.

Cap.28.

1 III. Error Manichæorum, Terram tenebricoſam fuiſſe habitatam à quinque naturis diuerſis: tenebras, à ſerpentibus: aquas, à piſcibus: ventos, ab auibus: ignem, à quadrupedibus: fumum, à bipedibus. Intra ſe autem hæc eſſe inuoluta, (vt quinque illa Mathematica Platonis corpora in Timæo) Tenebræ inuoluunt aquas: aquæ ventos, &c.

Cap.29.

1 Refutatio. Terram illam & naturas illas quinque à bono Deo eſſe creatas, cùm multa bona habeant. A

Cap.30.

1 In illis quinque naturis, quas Manichæi ſummum malum conſtituunt, plus ineſſe boni, quàm mali.

Cap.31.

1 Etiam principem ipſum fumi, quem ſummum malum eſſe dicit Manichæus, bonum quid eſſe, qualem conſtituit quidem ipſe: & cõparatione tantùm perfectioris boni malum dici debere.

Cap.32.

1 IIII. Error, Tenebras genuiſſe. Primo.

2 Refutatio. Non poteſt id defendi, quia non ſunt corpus, vel res aliqua, ſed mera priuatio lucis.

3 Perperã quinque illa genera in iis locis collocari, maximè quadrupedes in igne: homines in fumo. Quanquã id quod eum.

4 Quæ mala conſtituunt Manichæi, ex eorum ſententia ſunt bona & valde clementia. Vel hinc certè.

Cap.33.

1 Mala etiam non fore ea quæ ſtatuunt tamen Manichæi eſſe ſumma, quibuſdam detractis rebus.

Cap.34.

1 Etſi reipſa mala ab iis naturis quinque ſeparari non poſſunt, quatenus tamen ſunt quædam naturæ, eſſe bonas & à bono Deo probat Auguſt. B

2 Peſsimè facere Manichæos, qui ex malis aliquot & næuis totam naturam in vniuerſum damnent.

Cap.35.

1 Vt doceatur vnde ſit malum, Primùm, definiendum quid ſit Malum in genere. Eſt autem corruptio naturalis rerum ſtatus non ipſius ſubſtantiæ rei. Vndè Malum non eſt ſubſtantia, vel naturalis quædam res aut natura: ſed contra naturam.

2 In Manichæos, Si naturæ ab iis ſtatutæ corrumpebantur: ergo bonum aliquod, quod in iis minuebatur, habebant, & ita bonæ erant & à bono Deo. Quapropter naturæ.

Cap.36.

1 Origo Mali prima eſt ex eo, quòd res creatæ ſunt non ex ipſa Dei ſubſtantia, & ita non immutabiles: ſed ex nihilo à Deo factæ, & à Dei natura diuerſæ. C

Cap.37.

1 Res ceteras præter Deum, etſi bonas, mutabiles tamen eſſe, quia nec ſummè bonæ ſunt: nec immutabiles bonæ.

2 Non obganniendum Deo, ſi creaturas ſibi pares non fecit, cùm bonas fecerit. Quod ſi dixerimus.

3 Origo Mali ſecunda eſt ex peccato Adami, vt intelligat anima ſe ſubiici Deo, & illi parendum eſſe.

Cap.38.

1 Malum & corruptio non à Deo: ſed & ex nihilo: & ex hominis peccantis voluntate eſt.

Cap.39.

1 Si mali Deus eſſet autor, non puniret mala.

Cap.40.

1 Species & Corruptio ſunt contraria, vti eſſe & non eſſe: ergo vti ſpecies & rerum natura Deo tribuitur: ita rerum corruptio Nihilo, quod non eſt. Et ita quod contrarium Deo eſt, non eſt.

Cap.41.

1 Corruptio ipſa rerum Dei iuſta voluntate

A ſit, & ita à Deo eſt: & ad totius huius Mundi pulchritudinis conſeruationem eſt neceſſaria, ne exiſtimetur mala.

Cap.42.

1 Rebus his inferioribus non inhærendum: ſed Deo, qui eſt ſummum bonum, qui ſolis animi oculis poteſt videri.

Cap. 43.

1 Dei bonitatem etiã in iis rebus, quæ à Manichæis malæ dicuntur, conſpici, & huius erroris fontem eſſe carnales de Deo cogitationes.

EX LIB. DE DVABVS ANIMABVS: CONTRA MANICHAEOS.

Cap.1.

1 VEl ex vno hoc de Duabus animabus (quarum vna ſit à Deo: altera non) Manichæorum errore, quàm ſit abſurda tota

B ſecta percipi poſſe.

Cap.2.

1 Abſurdam eſſe ſententiam Manichæorum, qui quæ ſenſibus percipiuntur, ad Deum referũt: animam autem illam vnam, quã nobis de duabus tribuũt, non item referunt, tanquam ad autorem.

Cap.3.

1 Animam omnem, quia viuit, eſſe à Deo, vel ex eo probari poſſe. Nã & ipſi Manichæi lucem à Deo eſſe concedunt, quę longè gradu & dignitate naturæ minor eſt animâ hominis.

Cap.4.

1 Muſca quatenus animal melior luce omni, quia non ſentit lux, Muſca ſentit.

Cap.5.

1 Etſi quodque creaturarum Dei genus laudandum eſt, inter ipſa tamen earum genera alia aliis ſunt præſtantiora, vti intelligibilia ſenſibilibus.

Cap.6.

1 Vitia animi intelligibilia non eſſe tamen rebus ſenſibilibus meliora: quia propriè non ſunt

C intelligibilia: ſed tantùm vt Priuatio & tenebræ, id eſt, κατὰ συμβεβηκός.

Quod ſi iam. 2 Vitia etſi intelligibilia eſſe concedantur, tamen ſenſibilibus non præponenda ſunt: quia de ſubſtantiis ipſis intelligitur hoc dictum, Senſibilia intelligibilibus eſſe potiora.

Non vſque adeò. 3 Quicquid eſt, quoniam eſt, & in quantũ eſt, & à Deo eſt, & bonum eſt.

Cap.7.

1 Peccatores rectè dicuntur eſſe, & non eſſe à Deo. Sunt enim per Dei omnipotentiam, quia ſunt ſubſtantia. Non ſunt à Deo propterea quòd à Deo non regantur Ergo horum alterum naturam ſpectat: alterum autem vitæ & morum rationem.

Cap.8.

1 Malum vnde ſit, prius intelligi non poſſe: quàm quid ſit Bonum, & ſummum etiam bonũ, qui eſt Deus, cognouerimus.

Cap.9.

1 Duæ quædam cauſæ Auguſt. retinuerunt inter Manichæos, Opinio ſanctæ eorum vitæ: & quorundam Chriſtianorum ignorantia, qui veram fidem tueri non poterant.

Cap.10. A

1 Malum & peccatum ex ſola hominis voluntate eſſe diſsimilium inductione probat.

2 Academicorum ſectæ ſententiam de ignota ſemper veritate repudiandam, quia communes hominum notitias tollit. Nulla mihi fiat.

3 Voluntas quid ſit. Definitur itaque.

Cap.11.

1 A definitione peccati probat illud eſſe à noſtra voluntate.

2 Peccatum quid ſit. Ergo peccatum.

Cap.12.

1 Error, Duo eſſe Animarum genera, vnã ſummè bonam ex diuina eſſentia: alteram ſummè malam, quæ ad Deum non pertinet. Vtramque iam in homine eſſe commiſtam. Quod nugamentum Manichæorum refutat Auguſt. ex varus abſurdis quæ conſequuntur. Imprimis quòd has animas ſummè malas, ſummè bonas prius fuiſſe oportet ex eorum ipſorum ſententia.

2 Secundum abſurdum. ſi quædam animæ ſunt ab ipſa ſua origine ſummè malæ, Deus iniuſtè eas damnat. Poſtremò vt nihil. B

3 De bonis animabus, eas non eſſe de Dei ſubſtantia. item falſum eſſe eas non peccare. Nunc bonũ illud.

Cap.13.

1 Colligi non poſſe duas in nobis eſſe animas. quia in deliberando ſumus ancipites, & ſæpe repugnat cupiditas rationi.

2 Anima, naturâ corporis officiis aſtricta eſt. Ex quibus illud.

Cap.14.

5 Si homo pœnitere peccati poteſt, falſa eſt Manichæorum de duabus animabus ſententia, quia nec bona Anima, nec mala poteſt pœnitere: Bona, quia non poteſt peccare: Mala, quia nec poteſt bene agere nec pœnitere.

Cap.15.

1 Orat pro ſociis, qui adhuc in eodem errore detinentur.

AD LIB. CONTRA FORTVNATVM MANICHÆORVM PRESBYTERVM. C

¶ *Dialogus eſt hic liber.*

Cap.1.

1 DE moribus Manichæorum, & primùm quid in publicis eorum cœtibus fiat. Cõtra ſolem faciunt orationem.

Cap.2.

1 Quicquid de Deo videantur confiteri Manichæi, Deum tamen faciũt & mutabilem & corruptibilem, & neceſsitati cuidam aſtrictum, quia violari & labefactari eum potuiſſe à gente tenebrarum docent. Fortuna. Et noſtra profeſsio. Fortuna. Animo

2 Anima hominis, etſi eſt à Deo, non eſt tamen Deus. Vnde perperam concludũt Manichæi. Deus nõ. Animam dico eſſe, Auguſt.

3 Anima hominis ex nihilo eſt facta à Deo, quia Deus eſt omnipotens. Cõtraria iſta.

4 Animę hominis primum liberũ arbitriũ datũ, per quod ipſa peccauit, & ſibi mala accerſiuit. Cum ergo dico.

5 Malorum duplex genus, Peccatum & Pœna peccati.

Cap.3. Fortuna. Hoc meũ eſt.

1 Manichæorum dictum de origine mali, Malum,

A lum præter Deum eſt, ergo non à Deo. Oportet enim Malum præceſsiſſe Dei gratiam.

Auguſt. Iſta apoſtoli.

2 Auguſt.reſponſio, Malum ex libero hominis arbitrio eſſe, quia nihil mali fecit, qui nihill ſua voluntate fecit.

Quare in nobis.

3 Secunda reſponſio, Nec Pœnitentia, nec remiſſio non peccanti neceſſaria eſt. At ſi à natura & gente tenebrarum eſt peccatum in nobis, non peccamus. Itaque fruſtra illa duo promittunt nobis.

Ad hoc reſponde.

4 Tertia ratio, Si natura filij iræ ſumus, ergo anima noſtra non eſt Dei filia, vel portio, quia ſecundum animam filij iræ ſumus non Dei.

Rationibus vt diſcuteremus.

5 Manichæi negant Chriſtum hominem factum, etſi concedunt veniſſe ad nos redimendos, quod contradictionem implicat.

Cap.4.

1 Manichæi dictum, Mala à Deo non ſunt.

Poſtera die adhibito. Auguſt. Et noſtra fides.

2 Auguſt.reſponſio, Verũ eſt, quatenus mala, id eſt, peccata, peccata ſunt, ſunt enim ex libero hominis arbitrio.

Cap.5.

Fortuna. De ſubſtãtiis propoſui.

1 Manich. Deus iuſtè mala vlciſcitur, quia eorum non eſt autor. Nec liberum arbitrium habuit homo, ſed à gente tenebrarum impulſus pecca-
B uit. Nunquam enim peccaſſet, niſi aliunde impelleretur, & eſſet Dei pars.

Auguſt. Ego dico peccatum

2 Auguſt.reſponſio, Deus omnia fecit bona, ſed non immutabilia. Vnde defecerunt à ſua natura, libero voluntatis arbitrio homines.

Tria vero naturá.

3 Secunda reſponſio, Si gens iſta tenebrarum peccat, fruſtra & iniuſtè homo punitur, vel pœnitet, vel peccata illi remittuntur. Genti enim tenebrarum illæ gratiæ dentur potius, non autem homini.

Cap.6.

Fortuna. Hoc nos dicimus.

1 Manichæi negant Cupiditatem eſſe radicẽ malorum, ſed tantùm eſſe volunt portiunculam mali per totum mundum à gente tenebrarum ſparſi. Sed idcircò anima hominis peccare dici-
C tur, quia poſtquam didicit Dei voluntatem, ab ea recedit.

Auguſt. Ignoſco &

2 Auguſt.reſponſ. Primus homo libero arbitrio peccauit: ſed peccator effectus iam neceſſitate peccat, & nos peccatum vti conſuetudo quædam mala nos trahit ad illud aſſuetum malum, niſi Dei Spiritu & gratia regenerati ſimus.

Fortuna. Hoc genere.

3 Manichæi, Pugnamus contra poteſtates nequitiæ, ergo contra gentem tenebrarum. Dicit Chriſtus, Mitto vos in medium luporum: ergo contra gentem tenebrarum.

Auguſt. Agnoſcit ſuos Dominus.

4 Auguſt.reſponſio: Lupi ſunt homines peccatores. Poteſtates tenebrarum ſunt diaboli & angeli apoſtatæ, boni creati: ergo non ſunt gens illa æterna tenebrarum.

Cap.7.

Auguſt. Quare huc miſit

1 Manich. Deus miſit animas in hunc mundũ, quòd ipſi Deo gens tenebrarum nocere non poſſet: ſed tantum animabus hominum: quas tamen per Filium redemit poſtea.

Auguſt. Quoniã video.

2 Auguſt. reſponſ. Anima miſſa in mundum primum erat ſancta, ſed per peccatum ſuum, quod libero arbitrio perpetrauit, miſera eſt effecta: ſed poſtea à Chriſto rèdempti ſumus.

Auguſt. Audiuimus.

3 Secunda reſponſio. Si vera eſt cauſſa animæ mittendæ, quam Manichæi afferunt, eſt Deus crudelis, qui ad miſerias tolerandas mittat animas ho- A
minum ex nulla cauſa. Nec enim ei ab iſta gente tenebrarum noceri poteſt.

EX LIB. CONTRA ADIMANTVM MANICHÆI DISCIPVLVM.

¶Hic Adimantus proprio nomine Addas dictus eſt lib. 2. contra aduerſa legis, cap. 12. qui magnus huius ſectæ patronus habitus eſt inter ſuos. Opponebat autem Vetus teſtamentum Nouo, vt contrarias omnino ſcripturas.

Cap.1.

1 PEr Filium vti per Patrem mundum conditum eſſe: Verbi enim voce in Geneſi Filium ſignificari docet Auguſtinus.

Cap.2.

1 Sabbathum & quies Dei, qualis in Geneſi intelligatur: & nobis potius impletum quàm adẽptum, quod Iudæis olim Sabbathum ſignificabat.

Cap.3.

1 Locorum Gen.1.& Mat.19.cõciliatio, in qua docetur Quatenus vxor diligenda & relinquenda ſit. Id quod confirmat ſimilitudine vitæ noſtræ, quæ & amanda & relinquenda eſt. B

Cap.4.

1 Matth.6.& Gen.4. conciliatio, ex qua docetur, Vti iuſtè improbis terræ ſterilitas denuntiatur: ita piis rerum copiam promitti.

Cap.5.

1 Gen.1.v.26.& Ioan.8.v.44.conciliatio, vbi docetur. Imaginem Dei in homine poſt peccatum deletam eſſe magna ex parte, quæ in eodem ante peccatum perfecta & integra fuit.

2 Filiorum nomen & ſignificatio triplex. Itaque hominum alij ſunt, & dicuntur filij diaboli: alij filij Dei: & cur.

Tribus enim modis.

Cap.6.

1 Exod.20.v.12.& Luc.9.v.59. conciliatio, vbi docetur. Quatenus parentes honorandi ſint, & Deus illis præferendus.

Cap.7. C

1 Exod.20.v.5.& Matth.5.ver.44.conciliatio, vbi docetur, Eos tantùm filios propter parentum peccata puniri, qui in iiſdem, aut aliis peccatis perſeuerant.

2 Tertia & quarta generatio quid ſignificet in minis Legis diuinæ.

Quod ante in tertiam.

Cap.8.

1 Exod.21.v.24.& Mat.5.v.35. conciliatio, vbi docetur Quibus & qua ratione olim vindicta fuerit conceſſa: nunc autem ſit vetita. Verior ſolutio tamen hæc eſt, Illa lex in Veteri teſtamento fuit iudiciaria: in Nouo, Chriſtus informat conſcientiam, non dat politicas leges.

Cap.9.

1 Geneſ.4.v.9.& Ioan.1.v.18.conciliatio, vbi docetur Deum videri poſſe, & non videri. Videri per viſiones quas ipſe per ſe, vel per angelos offert vel dum angelos mittit. Non videri in ſeſe, ſuáque eſſentia.

Cap.10.

1 Exod.30.v.16.& Matth.5.v.34. conciliatio, vbi docetur qua ratione Deus in templo ſuo habitauit, vel non.

Cap.11.

1 Cur Deus Zelotes dicatur, & iuſtus, & vtrũque rectè Deo competere. Zelotes autem & Mi-

A ſericors Deus dicitur, vocibus ab humanis affectibus tranſlatis.

Cap.12.

1 Deut.12.verſ.23.& Mat.10.verſ.28.conciliatio, vbi docetur pecorum, non hominum animas conſtitui in ſanguine.

Quid autem ipſe.

2 Manichæorum error, qui animas hominum in corpora pecudum reuolui ſentiunt.

Quod autem ait Apoſtolus.

3 Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, quid ſignificet.

Quod autem ſpiritale.

4 Corpus ſpiritale eſt quod omni modo ſpiritui ſubiectum eſt ſine aliqua corruptione, morte, & repugnantia.

Cap.13.

1 Deus dicitur Ignis conſumens: ſumpta eſt metaphora à rebus & verbis humanis, quia ad captum etiam humanum deſcendit diuina ſapientia.

Cap.14.

1 De eſu carnium, itémque quorundam ciborum prohibitione, quomodo Vetus & Nouum teſtamentum inter ſe conueniant.

Cap.15.

1 Quòd quoſdam cibos Dominus Iudæis olim interdixit, B factum eſt, vt & ſanctitas vitæ illis ſub figuris iſtis proponeretur: & qualis futura erat noſtra, id eſt, ſpiritalis populi conditio. Denique ſeruitutis ſpeciem ea res Iudæis præbebant, quæ nobis per Chriſtum adempta eſt.

Ne quis enim eũ.

2 Cùm Chriſtus ſeorſum etiam ſuos diſcipulos & ipſas eccleſiæ columnas docuerit carnes nõ polluere nos, ſententiam Manichæorum damnari qui ſuis Electis carnibus veſci non concedunt, tanquam rebus immundis.

Cap.16.

1 Sabbathum & ceremonias in Nouo teſtamento non damnari tanquam res noxias, ſed quæ ſuam veritatem & implementum in Chriſto habuerint.

Cap.17.

1 Vindicta charitatis etiam Chriſtianis hominibus permiſſa eſt. Putat tamen Auguſt. plus in eo Iudæis quàm nobis ſpiritualibus olim conceſſum fuiſſe.

Cap.18.

C 1 Poſſeſsio rerum temporalium, & nobis, & olim Iudæis promiſſa: ſed Iudæis magis, quia adhuc carnales erant, & ſub figuris regebãtur à Deo.

Cap.19.

1 Diuitiæ & nobis & Iudæis à Deo ſunt promiſſæ, magis tamen illis, quia carnalis tunc & terrena magis fuit diſpenſatio doctrinæ cœleſtis à Deo facta.

Cap.20.

1 Quod vetiti ſunt Apoſtoli æs ferre in zonis, ſpeciale præceptum fuiſſe & ad tempus: ex eo tamen intelligi omnia Deo, eiúſque cultui & muneris noſtri executioni eſſe poſtponenda.

Cap.21.

1 Chriſtus in cruce mortem paſſus, nos à crucis maledictione redemit.

Cap.22.

1 Inter hominem colligentem ligna die Sabbathi, & Chriſtum ſanantem eodem die infirmos magnum eſſe diſcrimen.

Cap.23.

1 Eccleſia non dicitur fore infecunda, etſi quidam in ea ſe caſtrent propter regnum Dei. A

Cap.24.

1 Non pugnat cum noſtra in Dei Prouidentiam fiducia, cura diligẽs vitæ huius, & noſtræ vocationis exercitium.

Cap.25.

1 Vẽtris nomine & Vberum intelligi Res ſpiritales non eſt abſurdum, cùm hic ſit frequens ſcripturæ ſtylus.

Cap.26.

1 Deus facit mala pœnæ: non autem mala culpæ: quia illa ſunt iuſta & vindicta peccati: hæc autem ſunt iniuſta.

Cap.27.

1 Eodem ſenſu dicitur Deus facere pacem & mala, id eſt, quietem, punitiones & bella impiis immittere.

Cap.28.

1 Deus eſt viſibilis propter opera & ſuæ maieſtatis ſigna: & inuiſibilis tamẽ per ſe. Item, Tria eſſe viſionum genera, nempe corporale, phantaſticum, & ſpirituale.

B

CONTRA FAVSTVM.

¶*Non puto hos libros in capita fuiſſe ab Auguſtino diſtinctos, cùm ſint ſæpe breuiſſimi. Fuit etiam & hic acerrimus Manichæorum erroris propugnator, quorum præcipuè capita hic refutantur.*

Ad lib. 1.

CVr ſcripſerit Auguſt. aduerſus Fauſtum Manichæum, & quàm fuerit ſtatim ab ipſo libri ipſius exordio ille ſæuus. Orthodoxos enim Semichriſtianos & Patris Serpentis filios appellat.

Ad lib.2.

Eam narrationem, quæ genealogiam Chriſti continet, eſſe partem ſacroſancti Domini noſtri Ieſu Chriſti Euangelij. Impudentes autem eſſe Manichæos, qui Chriſtum negent eſſe hominem, & ex homine natum, cùm ſe paſſim Filium hominis vocet ipſe: & ipſi illi quanquam ineptiſſimè, Chriſtum filium eſſe dicant primi illius hominis, qui è gente lucis deſcendit ad debellandam luce, C fumo, aqua, vento, gentem tenebrarum. Stellam autem quæ Chriſto nato apparuit, & nouam fuiſſe, quæ vt teſtis tantùm, non vt domina natiuitatis Chriſti apparuit.

Ad lib.3.

Chriſti genealogiæ etſi ſunt diuerſa ratione à Mathæo, & Luca explicatæ, non ſunt tamen contrariæ, quia alter naturales patres: alter autem adoptiuos, ſcilicet Lucas, recenſet. Chriſtus autem non quatenus Deus, ſed quatenus homo de Maria virgine natus eſt.

Lib.4.

Ceremoniæ Veteris teſtamenti, etſi à nobis iá non vſurpantur, veritas tamen earum ad nos pertinet, ad quam etiam patres ipſi ſub Lege aſpexerunt, & fide votóque aſpirarunt.

Lib.5.

Manichæi ſe veros eſſe Chriſtianos iactant, etſi Chriſtum negant factum eſſe hominem, quia non hoc, aiunt, præcepit Chriſtus, vt eum hominem, ſed vt filium Dei credamus. Item ſe præcepta Dei in Euangelio comprehenſa obſeruare falsò prædicant. Quod ad eorum vitam & præceptorum

A rum Dei obſeruationem, hanc ſine vera fide inutilem eſſe docet Auguſt.itémque negat eos illa facere quæ Deus præcipit,& totam hanc eorum iactantiam vanam eſſe gloriationē oſtendit. Quod ad Chriſtum hominem, docet Auguſt.in eo ipſo poſitam eſſe vitam æternam, ſi Chriſtum hominē factum eſſe pro nobis credamus.

Lib.6.

Manichæi ex eo arguunt Vetus teſtamentum etiam ab Orthodoxis ſperni & repudiari,quia ceremonias in eo præſcriptas iam non obſeruant. Auguſtinus reſpondet,Alia eſſe præcepta vitæ vel Agendæ,vel Figurandæ. Ceremonias autem non fuiſſe præcepta vitæ agendæ , ſed figurandæ ex Paulo 1. Corinth. 10.docet, quæ vt obſeruatione fuerunt patribus neceſſariæ : ita nobis cognitu. Summa autem ratione in iis rebus inſtitutas eſſe à Deo, in quibus ſunt ordinatæ , quas ſatius eſſet obſeruare , quàm Manichæorum impietates & errores ſequi.

Ad lib. 7.

B Genealogiam Chriſti impugnat Fauſtus, quæ ab Euangeliſtis deſcripta eſt, quòd nuſquam ſe in terra patrem habere dicit Chriſtus,nec refertur eā genealogiam Chriſtum vnquam ſuis recitaſſe.Reſpondet Auguſt.Chriſtum ſe appellare filium hominis, & dici natum ex ſemine Dauid ſecundum carnem Denique non minus in eo Euangeliſtis fidem habendam,quàm in aliis rebus & narrationibus,quas ex recenti & præſenti memoria, & Spiritus Sancti reuelatione habuerunt.

Ad lib.8.

Vtilem eſſe Veteris teſtamenti & ſcripturæ lectionem ad confirmationem fidei noſtræ : non autem ad Iudaicæ ſeruitutis imitationem,quia dictum eſt , Non eſſe aſſuendum veterem pannum nouo.

Ad lib.9.

Non eſſe repudiandum Vetus teſtamentum, quia arbori amaræ & reiectæ Iudæi comparantur: nam tales ſunt , quatenus non ſunt inſiti fide in Chriſto.non autem quatenus Iudæi ſunt,qui ſi in incredulitate non permanſerint, fient & ipſi dulcis & electa iterum arbor.

Ad lib.10.

C Ex Veteri teſtamento nos Chriſtianos retinere,& obſeruare tantùm præcepta vitæ agendę:nō autem præcepta vitæ ſignificandæ. Sed nec cùm Vetus teſtamentum tractamus , alienum appetimus ,quia propter nos ſcriptum eſt. Quanquam hoc præceptum , Ne aliena appetamus , ne Deus quidem Manichæorum ſeruauit.

Ad lib.11.

Manichæos impudenter negare quicquid in Nouo teſtamento eorum errori contrarium reperitur.Imprimis autem locum epiſtolæ Pauli ad Rom.negant,vbi dicitur , Chriſtus eſſe ex ſemine Dauidis ſecundum carnem , quia idem Paulus 2. Corinth.5.dixit ne Chriſtum quidem ipſum à nobis ſecundum carnem iam eſſe cognoſcendum. Reſpondet autem Auguſt.Fauſtum primùm non aſſentiri Paulo,qui plurima eius dicta neget:deinde ſibi non contradicere Paulum , quia nullus eſt in Libris canonicis locus , qui ab alio diſſentiat, aut à nobis negari debeat : ſed ita eſt vterque explicandus,vt in Epiſt.ad Rom.1. Paulus oſtendat, vera Chriſti caro qualis & vnde fuerit , nempe è ſemine Dauidis : in 2.ad Corinth.5. docet qualis A ſit futura vita noſtra in cœlo,nempe neque caduca,neque qualis nunc eſt , quod ad carnis tantùm qualitatem pertinet , non ad illius ſubſtantiam. (Verius eſt Carnis vocem in 2.ad Corinth. ſignificare tantùm externas qualitates,quæ non pertinent ad ſalutis noſtræ rationem & cauſam.)

Ad lib.12.

Prophetas reiiciunt Manichæi , tum quòd eos negant quicquam de Chriſto prædixiſſe, quæ vna cauſa affertur à Chriſtianis, aiunt , cur recipi debeant:& vt prædixiſſent aliquid , fides Chriſto ſine alio teſte adhibenda eſt.Tum quòd eos fœdiſſimè vixiſſe Manichæi mentiuntur & blaſphemant.Auguſt. reſpondet,Primùm , Apoſtolos & imprimis Paulum vti autoritate Prophetarum, veluti Rom.1.3:9.3:1.Corint.15. item & Chriſtum ipſum , Luc.24.16.Deinde Prophetas Hebræos prædixiſſe ea quæ euentura erant Chriſto : ídque partim apertè:partim figuris quibuſdam , adeò vt quod de Cain & Abel dicitur , referat Auguſt.ad Vetus & Nouum teſtamentum,& alia multa(non ſatis ſolidè tamen , vt Philonem Iudæum potius imitatus fuiſſe videatur,in illis exponendis,quàm B alium quempiam doctum Chriſtianum.) Quod verò ſine teſte Chriſto ipſi credendum ait , eatenus verum eſt,quatenus diuerſa ab iis ,quæ Chriſtus ipſe profert , teſtimonia quærimus. Mentitur autem Fauſtus , dum ait Prophetas fœdè & ſceleratè,id eſt , indignè ſua de Chriſto cognitione vixiſſe.

Ad lib.13.

Ait Fauſtus teſtimonia Prophetarum Hebręorum iis , qui ex Gentiliſmo ad Chriſtianiſmum conuertuntur,eſſe inutilia, quia iis nunquam crediderunt.Sed nec Chriſto Gentiles credent,ſi per Prophetas Chriſtus eſſe Chriſtus probetur.Ignotum enim per æquè ignotum iis demonſtraretur. Auguſt. reſpondet , Primùm , hoc ineptè dici à Fauſto , qui ipſe credat Manichæo homini peregrino & Perſæ:deinde docet gentes ipſas ex Prophetarum teſtimoniis ad fidem Chriſti inductas fuiſſe:Chriſtum Prophetarum Hebræorum teſtimoniis vſum : & ipſum Manichæum velle ſe exi- C ſtimari Chriſti prophetam.Quod ſi famę credendum putat Fauſtus potiùs , quàm Prophetis Hebraicis,Manichæorum ſecta turpiſſima, famâ publicâ teſte , damnabitur. Prophetas autem Hebræos docet prædixiſſe & afflictiones futuras , & glorias quoque Chriſtianorum : denique id totum quod Euangelium impletum poſtea fuiſſe tradit.Quod ad ethnicos ſcriptores,qualis Sybilla vel Hermes Trimegiſtus, etſi apud ethnicos fortaſſe fidem habent,apud Iudæos , aut Chriſtianos non item.

Ad lib.14.

Moſen non admittit Manichæus,quia pronuntiat etiam coram Deo eum eſſe maledictum, qui pendet in ligno. Quod Chriſtus perpeſſus eſt. Nec enim differentia vlla eſt , Vtrum quis in ligno pendeat, an crucifigatur. Auguſt.reſpondet, Maledictum propriè coram Deo eſſe peccatum,cuius pœna grauiſsima eſt eorum qui in cruce pendent,quæ eadem corā Deo maledicta eſt & exoſa. Ergo maledictus eſt Chriſtus non in ſe, ſed in nobis & propter nos. Noſtram enim maledictionem , mortem & ſupplicium ſine reatu accepit. Nec verò aliud eſt affigi cruci, quàm pendere in ligno: ne illud Moſis dictum ad Iudam potius, quàm ad Chriſtum pertinere cenſeatur, quorum ille in ligno ſuſpendit ſe: Chriſtus verò ligno affixus eſt. Reliquæ autem calumniæ in Moſen à Fauſto dictæ, tot ſunt in Deum ipſum blaſphemię & mendacia fœdiſsima.

Ad lib. 15.

Tria Fauſti argumenta commemorat cur Vetus teſtamentum repudiet. 1. Quòd Nouo nondum ſit ſatur, vt vetus admittat. 2. Quòd Noui & Veteris commixtio ſit velut aquæ & vini cōfuſio & adulterium. 3. Quòd cùm Chriſtiani ſe Chriſto deſponderint, tanquam vxorem viro, non poſſunt alienis, id eſt, veteris Teſtamenti pactis inhærere ſine grauiſsima adulterii & violatæ fidei culpa. Auguſt. reſpondet ad 1. & 2. & argumētum: Vetus teſtamentum optimè cum nouo coniungi, quia Vetus eſt prophetia Noui: Nouum autē explicatio & implementum Veteris, adeò vt ne patres quidem ipſi ſub Veteri Nouo teſtamento caruerint, quia intelligebant per illa ſua ſignificari quæ nunc habemus. Negat verò Manichæorum coitionem eſſe eccleſiam & ſpōſam Chriſti, quod erat tertium Fauſti argumentum: ſed orthodoxos eſſe veram Chriſti ſponſam, qui poſſunt Legē habere, non vt ſub Lege viuant, ſed vt Legem Dei, cuius perfectio eſt charitas, impleant. Vtitur autem Auguſt. pulcherrima proſopopœia. Irridet etiam Fauſtum, qui nomen Adonai, quo Deus appellatur, obiecerit Chriſtianis, tāquam abſurdum & peregrinum, cùm ſignificet Dominum, & ex Hebræis ſit.

Ad lib. 16.

Moſen non probat Manichæus, imò reiicit. Nā etſi dictum eſt Ioan. 5. Moſen ſcripſiſſe de Chriſto, tamen propterea nulla autoritas Moſi tribuitur. Primùm, ait Manichæus, vt illud ex eo accipiatur quod nobis prodeſt, reliquas partes illius veteris ſcripturæ eſſe inutiles, neque ad nos pertinere. Sed negat quicquam ſcripſiſſe Moſen de Chriſto, quanquam diligenter eius libros ſcrutatus eſt, & falſam eſſe atque adiectitiam illam Euangelii Ioannis partem, quia in multis partibus, ait, Euangelium à falſatoribus corruptum ſit. Aliquot etiam locos ſcripturæ Veteris examinat Fauſtus, qui ſolent ab orthodoxis afferri, quos negat de Chriſto poſſe ſumi & intelligi. Denique idcircò Iudæos non crediſſe Chriſto, quia Moſi credebant. Ergo Moſen nihil de Chriſto ſcripſiſſe concludit. Auguſtin. reſpondet, Ac primùm, Falſiſsimè Legem Dei cum paganiſmo conferri. Deinde non poſſe dici illam ſententiam Chriſti eſſe additam, quin toti Euangelio fides detrahatur, & nutet ipſe Fauſtus in fide, quando ex eodem Euangelio teſtimonium affert ipſe. Reſpondet etiam ad obiectiones Fauſti, hos imprimis fures fuiſſe qui venerant ante Chriſtum. In lege veſtra ſcriptum eſt, In ore duorum &c. Retorquet autem in Fauſtum omnes locos Veteris ſcripturæ in quibus negauerat ille de Chriſto agi. Quæ de Sabbatho Fauſtus affert, & ceremoniis, illæ fuerunt rerum futurarum vmbræ, quæ iam ſuum implementum habent, quemadmodum illa quæ de circunſione & cibis prohibitis in Lege Dei ſcripta ſunt.

Ad lib. 17.

Manichæi negant Legem & Prophetas recipiēdos, quāquam legitur Chriſtum dixiſſe, Non veni Legē diſſoluere, ſed implere, Mat. 5. Nā hoc negāt vnquam à Chriſto dictum: vel Euangelium quod dicitur Matthæi, eſſe illius, ſed ſuppoſitū eſſe. Auguſt. reſpondet ita vt rationes Fauſti apertiſsimè refutet, & doceat, quanquam dictū Chriſti à Matthæo commemoratum, ſit à Ioāne prætermiſſum apud Matthæū tamē non eſſe falſum & adiectitiū: nec ſi in tertia perſona de ſe loquitur Matthæus, idcircò eſſe ipſius Euangelium repudiandum. Et quod ſe nō ſoluere Legē monuit Chriſtus, fuit omnino neceſſe vt diceretur. Deniq; implere Legē, eſt eius præcepta facere, & vaticinia repræſentare.

Ad lib. 18.

Iterum illud Chriſti dictum examinant Manichęi, quo ſentiunt ſe iugulari, Non veni ſolere Legem, ſed implere. Hoc enim ipſi noſtrę confeſsioni contrarium dicunt, quando nec ceremonias Legis iam in vſu habemus, nec Vetus teſtamentū. Sed nec Chriſtus ipſe ſeruauit, qui Sabbathum, qui cibos, qui ſacrificia neque commendauit nobis, neque præcepit. Denique diſtinguendum eſſe quid Chriſti verè ſit, quid non ſit. Auguſt. reſpondet, Eatenus Legem obſeruari à nobis, quatenus vitæ degendæ deſcriptio eſt. Nam prædictum eſt ab ipſis Prophetis fore vt aboleretur. Et quod ſabbathum dies Saturni vocatur, id fit ex more loquendi iam recepto, non ex vlla Gentili ſuperſtitione à Chriſtianis. Denique ſi quid præter doctrinam ab Apoſtolis traditam annuntietur, illud debet eſſe anathema nobis.

Ad lib. 19.

Manichæi ſic interpretantur Chriſti dictum, Non veni ſoluere Legem, ſed implere: vt primùm de Lege ſimpliciter dictum ſit, non autem de lege Iudæorum: deinde illudendi Iudæis gratiâ qui apertè cernerent Ieſum eorum ceremonias ſpernentem: non autem vt nos illis ceremoniis obligaret. Hoc enim ſentire eſt Nazareorum hæreſin ſequi. Denique qui ſe dicunt Chriſtianos, eas non ſequuntur. Auguſt. reſpondet, Imò dictū Chriſti intelligendum eſſe de Lege Moſis, quam ipſe impleuit, & cuius illa figura fuit. Quia verò ille Legem impleuit, eius obſeruatio non eſt à nobis retinenda, fuit enim prenuntiatio futuri Chriſti, nondum autem patefacti, in quem etiam patres iuſti crediderant, tantúmque illis profuit fides in Chriſtum venturum, quantùm nobis prodeſt in eundem iam exhibitum. Etſi enim diuerſa ſacramenta fuerunt illis & nobis, res tamen eadē vtriſque propoſita eſt. Eorum tamen obſeruationem ad tempus permiſerūt Iudæis Apoſtoli, quia quanquam amplius non erant Iudæis illa neceſſaria, propter longam tamen conſuetudinem id fieri paſsi ſunt, donec intelligere poſſent quod eſſet beneficium & vis mortis Chriſti. Reſpondet etiam ſigillatim ad ſingula Auguſt. quæ Fauſtus ex cap. 5. Matthæi attulerat.

Ad lib. 20.

Manichæi Solem colunt, quòd in luce habitet virtus Dei Filij: in Luna verò ſapientia eiuſdem. In quo tamen ſe neque cum Paganis, neque cum Iudæis errare contendunt. Contrà Chriſtianos potius eſſe ſchiſma Paganorum volunt propter aliquas ceremonias, quas tunc obſeruabant. Auguſt.

A guſt.reſpondet,Neque Solem, neque aliud quicquam colendum,quod Deus non ſit. Eſſe autem ſtultum imprimis colere ea, quæ animo tuo eſſe finxeris,& non ſunt omnino, qualia Manichæi adorant.Quàm inepta & falſa de Sole narrent, exponit ipſe,& vt iſta ſit diſcerptio Chriſti, cùm illius virtus collocatur in Sole, ſapientia verò in Luna. Manichæos autem Paganis ſimillimos eſſe docet,quòd & plures deos colant, & eorum cuique fabuloſè officium ſuum tribuant. Chriſtum ex virgine natum negent,Spiritum ſanctum ſeparent re à natura patris & filij. Denique reſpondet ad ea,quæ Manichæi de cultu Martyrum obiecerant. Purgat enim Chriſtianos ab omni idololatriæ ſuſpicione.

Ad lib.21.

Manichæi negant ſe conſtituere duos deos,ſed tantùm duo principia,vnum,quem Deum vocāt: alterum, quod Hylen ſiue dæmonem, ſed non Deum. Eſt autem hæc omnis viæ maleficæ fons. Auguſt. reſpondet,Primùm,ex eorum confeſſione Hylen Deum vocari.Deinde vt negetur verbo eſſe Deus:re ipſa tamen dici Deum,cùm quædam creare dicatur Hyle, & ea ipſa, quæ bonus Deus B creare ſe confirmat & ait.Nam & ſimilitudinibus à carne ſumptis vtitur ſæpe Scriptura,& membra noſtra nobis commēdat,quorum Deum autorem eſſe docet. Nam Manichæi docent omnia genera volatilium ab Hyle creata eſſe, vti & carnes quoque. In quo Deo vero magnam operum ſuorum partem detrahunt. Salſè verò ineptiam & deliria Manichæorum irridet Auguſtinus,dum de eorum concionatore apud pecudes agit, & de Dei boni membris hodie in carne vinctis à poteſtate tenebrarum,quæ Deum bonum vicit,& eius membra ſparſa rebus omnibus alligauit.

Ad lib.22.

Manichæi Legem Ceremonialem tanquam à Iudæis inſertam Morali,damnant: Moralem autē probant.Itaque ſe non Legis, ſed Iudaiſmi inimicos C profitebantur.Prophetas autem Iudæorum ſe deteſtari dicunt propter morum turpitudinem, qua fuerunt infames,& quam patriarchis, vti Abrahamo, Iſaaco, Iacobo,& aliis affingunt prophetæ,ſi eorum ſcriptis creditur:& propter mendacia quæ de Deo finxiſſe eos Manichæi impij aiunt.Auguſt.reſpondet, Vtramque legem & Ceremonialem & Moralem Dei eſſe, & diuerſorum finium gratiâ datam. Ac Moralem quidem,quæ & reos nos eſſe doceret,& ſalutem alibi quęrere demonſtraret.Ceremonialem autem,quæ exſpectādi Saluatoris & promiſſi figuras interim oſtenderet. Itaque hanc exhibito Saluatore tolli neceſſe eſt:illam, quæ in charitate eſt, perpetuo manere oportet. Deinde refutat quæ afferunt ex ſcriptis Prophetarum, quale illud eſt, quod de luce hac conſpicua dicebant Manichæi, quæ differt ab ea luce,in qua Deus inhabitat. Quod de crudelitate autem Dei Veteris teſtamenti conqueruntur Manichæi, etiam refutat, cùm eædem minæ ſint in Nouo teſtamento comprehenſæ: item cùm ſimilia dicta in vtroque teſtamento extent: & quod Deus Zelotes dicitur, eſt à nobis ſumpta metaphora,non quòd vitium huiuſmodi inſit in Deo. Quòd verò Dei iudicia pij & impij ſentiunt, diuerſa ratione fit.Pij enim ad purgationem ſui: at impij ad combuſtionem ſentiunt illa. Comparat A etiam deum Manichæorū iis,quæ illi in vero Deo criminabantur, ex quo deum iſtum Manichęorum prorſus ineptum eſſe probat ex ipſorum Manichæorum ſententia. Abſtergit autem illas calūnias, quibus Manichæi Patriarchas aſpergebant, qualia eorum coniugia,quæ figura quadam negat caruiſſe,& à peccati definitione probat non fuiſſe peccata: quāquam nihil mirum eſt de quibuſdam viris ſanctis quædam turpia narrari,& ab illis eſſe quædam peccata commiſſa: ſed propterea rectè facta eorum non ſunt vituperanda.Quod poſtremum multis exemplis confirmat. Bella verò quæ geſta ſunt à Moſe,Dei præcepto geſta ſunt:itaque ſancta & diuina ſunt cenſenda. Nec rerum futurarum, & in veterum patrum factis præfiguratarū dignitas imminuitur, quòd rerum turpium ſimilitudine & figuris nonnunquam ſignificatæ ſunt. Denique docet Auguſt.longè turpiorem eſſe deū Manichæorum iis omnibus viris, quos ipſi tam grauiter & impiè damnant.

Ad lib.23.

Filium Dei in filium Mariæ deſcēdiſſe in Chriſti baptiſmo Manichæi dicunt, quia filius Mariæ B nuſquam dicitur eſſe filius Dei. Præterea negant filium Mariæ eſſe ex Dauide, quia non eſt ex ſemine Ioſeph, qui fuit ex Dauide, ſed ex Maria. Maria verò fuit ex tribu Leuitica,cuius pater fuit Ioachin ſacerdos. Auguſt.reſpondet, Satis & in Matthæo & vbique in ſcripturis doceri vnum & eundem Chriſtum ſecundum diuinitatem filium eſſe Dei:ſecundum humanitatem filium eſſe Mariæ,& per eam Dauidis. Negat autem Auguſtinus Ioachinum fuiſſe & patrem Mariæ, & Leuiticæ tribus:hanc enim eſſe fabulam.

Ad lib.24.

Manichæi dicunt in nobis duos eſſe homines, velut ſubſtantias quaſdam ſeparatas, quorum vnus eſt homo exterior:alter interior. Exteriorem eſſe turpiter natum,nō à Deo factum:ſed interiorem eſſe ſanctè natum,& à Deo conditum, in nobis.Auguſt.reſpondet, Vnuſquiſque noſtrum tātùm C vnus eſt homo à Deo conditus, qui diuerſa ratione dicitur homo externus & internus:externus propter corpus quo conſtamus:internus propter ſpiritum qui interius,id eſt,intra nos eſt. Vtrunque autem condidit Deus in nobis. Vetus etiam & nouus homo idem nominatur:vetus,quatenus vitam,quæ eſt in peccato,ſequitur: nouus, quatenus vitam, quæ eſt ex Dei ſpiritu & iuſtitia, amplectitur.

Ad lib.25.

Manichæi negant Deum verum rectè Deum Abrahami, Iſaaci & Iacobi dici,quia nullum huius Dei ſignū geſtemus.fuit enim illud circūciſio. Præterea,hac ratione fit Deus vna tantū perſonā & Deus finitus. At per orthodoxos eſt infinitus: nam ipſi Manichæi Deum finitum eſſe volunt, quia eſt Malum aliquid præter Deum.Malum autem eſſe incipit,vbi bonum & Deus deſinit: ergo finem habet. Auguſt. reſpondet ſatisfactum iam huic quęſtioni eſſe, cur ſe Deus Legis Deum Abrahæ vocet:cur Circumciſionem item olim dederit. Quòd autem Deum finitum eſſe volunt Manichæi, ne capaces quidem eos eſſe reſpondet huius quæſtionis capiendæ.

Ad lib.26.

A accepit. Nec verò aliud eſtaffigi cruci, quàm pendere in ligno: ne illud Moſis dictum ad Iudam potius, quàm ad Chriſtum pertinere cenſeatur, quorum ille in ligno ſuſpendit ſe: Chriſtus verò ligno affixus eſt. Reliquæ autem calumniæ in Moſen à Fauſto dictæ, tot ſunt in Deum ipſum blaſphemię & mendacia fœdiſsima.

Ad lib. 15.

Tria Fauſti argumenta commemorat cur Vetus teſtamentum repudiet. 1. Quòd Nouo nondum ſit ſatur, vt vetus admittat. 2. Quòd Noui & Veteris commixtio ſit velut aquæ & vini cõfuſio & adulterium. 3. Quòd cùm Chriſtiani ſe Chriſto deſponderint, tanquam vxorem viro, non poſſunt alienis, id eſt, veteris Teſtamenti pactis inhærere ſine grauiſsima adulterii & violatæ fidei culpa. Auguſt. reſpondet ad 1. & 2. & argumẽtum: Vetus teſtamentum optimè cum nouo coniungi, quia Vetus eſt prophetia Noui: Nouum autẽ explicatio & implementum Veteris, adeò vt ne patres B quidem ipſi ſub Veteri Nouo teſtamento caruerint, quia intelligebant per illa ſua ſignificari quæ nunc habemus. Negat verò Manichæorum coitionem eſſe eccleſiam & ſpõſam Chriſti, quod erat tertium Fauſti argumentum: ſed orthodoxos eſſe veram Chriſti ſponſam, qui poſſunt Legẽ habere, non vt ſub Lege viuant, ſed vt Legem Dei, cuius perfectio eſt charitas, impleant. Vtitur autem Auguſt. pulcherrima proſopopœia. Irridet etiam Fauſtum, qui nomen Adonai, quo Deus appellatur, obiecerit Chriſtianis, tãquam abſurdum & peregrinum, cùm ſignificet Dominum, & ex Hebræis ſit.

Ad lib. 16.

Moſen non probat Manichæus, imò reiicit. Nã etſi dictum eſt Ioan. 5. Moſen ſcripſiſſe de Chriſto, tamen propterea nulla autoritas Moſi tribuitur. C Primùm, ait Manichæus, vt illud ex eo accipiatur quod nobis prodeſt, reliqnas partes illius veteris ſcripturæ eſſe inutiles, neque ad nos pertinere. Sed negat quicquam ſcripſiſſe Moſen de Chriſto, quanquam diligenter eius libros ſcrutatus eſt, & falſam eſſe atque adiectitiam illam Euangelii Ioannis partem, quia in multis partibus, ait, Euangelium à falſatoribus corruptum ſit. Aliquot etiam locos ſcripturæ Veteris examinat Fauſtus, qui ſolent ab orthodoxis afferri, quos negat de Chriſto poſſe ſumi & intelligi. Denique idcircò Iudæos non credidiſſe Chriſto, quia Moſi credebant. Ergo Moſen nihil de Chriſto ſcripſiſſe concludit. Auguſtin. reſpondet, Ac primùm, Falſiſsimè Legem Dei cum paganiſmo conferri. Deinde non poſſe dici illam ſententiam Chriſti eſſe additam, quin toti Euangelio fides detrahatur, & nutet ipſe Fauſtus in fide, quando ex eodem Euangelio teſtimonium affert ipſe. Reſpondet etiam ad obiectiones Fauſti, hos imprimis fures fuiſſe qui venerant ante Chriſtum. In lege veſtra ſcriptum eſt, In ore duorum &c. Retorquet autem in Fauſtum omnes locos Veteris ſcripturæ in quibus negauerat ille de Chriſto agi. Quæ de Sabbatho Fauſtus affert, & ceremoniis, illæ fuerunt rerum futurarum vmbræ, quæ iam ſuum implementum habent, quemadmodum illa quæ de circunſione & cibis prohibitis in Lege Dei ſcripta ſunt.

Ad lib. 17. A

Manichæi negant Legem & Prophetas recipiẽdos, quãquam legitur Chriſtum dixiſſe, Non veni Legẽ diſſoluere, ſed implere, Mat. 5. Nã hoc negãt vnquam à Chriſto dictum: vel Euangelium quod dicitur Matthæi, eſſe illius, ſed ſuppoſitũ eſſe. Auguſt. reſpondet ita vt rationes Fauſti apertiſsimè refutet, & doceat, quanquam dictũ Chriſti à Matthæo commemoratum, ſit à Ioãne prætermiſſum apud Matthæũ tamẽ non eſſe falſum & adiectitiũ: nec ſi in tertia perſona de ſe loquitur Matthæus, idcircò eſſe ipſius Euangelium repudiandum. Et quod ſe nõ ſoluere Legẽ monuit Chriſtus, fuit omnino neceſſe vt diceretur. Deniq; implere Legẽ, eſt eius præcepta facere, & vaticinia repræſentare.

Ad lib. 18.

Iterum illud Chriſti dictum examinant Manichęi, quo ſentiunt ſe iugulari, Non veni ſolere Legem, ſed implere. Hoc enim ipſi noſtrę confeſsioni contrarium dicunt, quando nec ceremonias B Legis iam in vſu habemus, nec Vetus teſtamentũ. Sed nec Chriſtus ipſe ſeruauit, qui Sabbathum, qui cibos, qui ſacrificia neque commendauit nobis, neque præcepit. Denique diſtinguendum eſſe quid Chriſti verè ſit, quid non ſit. Auguſt. reſpondet, Eatenus Legem obſeruari à nobis, quatenus vitæ degendæ deſcriptio eſt. Nam prædictum eſt ab ipſis Prophetis fore vt aboleretur. Et quod ſabbathum dies Saturni vocatur, id fit ex more loquendi iam recepto, non ex vlla Gentili ſuperſtitione à Chriſtianis. Denique ſi quid præter doctrinam ab Apoſtolis traditam annuntietur, illud debet eſſe anathema nobis.

Ad lib. 19.

Manichæi ſic interpretantur Chriſti dictum, Non veni ſoluere Legem, ſed implere: vt primùm de Lege ſimpliciter dictum ſit, non autem C de lege Iudæorum: deinde illudendi Iudæis gratiâ qui apertè cernerent Ieſum eorum ceremonias ſpernentem: non autem vt nos illis ceremoniis obligaret. Hoc enim ſentire eſt Nazareorum hæreſin ſequi. Denique qui ſe dicunt Chriſtianos, eas non ſequuntur. Auguſt. reſpondet, Imò dictũ Chriſti intelligendum eſſe de Lege Moſis, quam ipſe impleuit, & cuius illa figura fuit. Quia verò ille Legem impleuit, eius obſeruatio non eſt à nobis retinenda, fuit enim prenuntiatio futuri Chriſti, nondum autem patefacti, in quem etiam patres iuſti crediderant, tantúmque illis profuit fides in Chriſtum venturum, quantùm nobis prodeſt in eundem iam exhibitum. Etſi enim diuerſa ſacramenta fuerunt illis & nobis, res tamen eadẽ vtriſque propoſita eſt. Eorum tamen obſeruationem ad tempus permiſerũt Iudæis Apoſtoli, quia quanquam amplius non erant Iudæis illa neceſſaria, propter longam tamen conſuetudinem id fieri paſsi ſunt, donec intelligere poſſent quod eſſet beneficium & vis mortis Chriſti. Reſpondet etiam ſigillatim ad ſingula Auguſt. quæ Fauſtus ex cap. 5. Matthæi attulerat.

Ad lib. 20.

Manichæi Solem colunt, quòd in luce habitet virtus Dei Filij: in Luna verò ſapientia eiuſdem. In quo tamen ſe neque cum Paganis, neque cum Iudæis errare contendunt. Contrà Chriſtianos potius eſſe ſchiſma Paganorum volunt propter aliquas ceremonias, quas tunc obſeruabant. Auguſt.

A guſt.reſpondet,Neque Solem, neque aliud quicquam colendum,quod Deus non ſit. Eſſe autem ſtultum imprimis colere ea, quæ animo tuo eſſe finxeris,& non ſunt omnino, qualia Manichæi adorant.Quàm inepta & falſa de Sole narrent, exponit ipſe,& vt iſta ſit diſcerptio Chriſti, cùm illius virtus collocatur in Sole, ſapientia verò in Luna. Manichæos autem Paganis ſimillimos eſſe docet,quòd & plures deos colant, & eorum cuique fabuloſè officium ſuum tribuant. Chriſtum ex virgine natum negent,Spiritum ſanctum ſeparent re à natura patris & filij. Denique reſpondet ad ea,quæ Manichæi de cultu Martyrum obiecerant. Purgat enim Chriſtianos ab omni idololatriæ ſuſpicione.

Ad lib.21.

Manichæi negant ſe conſtituere duos deos,ſed tantùm duo principia,vnum,quem Deum vocāt: alterum, quod Hylen ſiue dæmonem, ſed non Deum. Eſt autem hæc omnis viæ maleficæ fons. Auguſt. reſpondet,Primùm,ex eorum confeſſione Hylen Deum vocari.Deinde vt negetur verbo eſſe Deus:re ipſa tamen dici Deum,cùm quædam creare dicatur Hyle, & ea ipſa, quæ bonus Deus B creare ſe confirmat & ait.Nam & ſimilitudinibus à carne ſumptis vtitur ſæpe Scriptura,& membra noſtra nobis commēdat,quorum Deum autorem eſſe docet. Nam Manichæi docent omnia genera volatilium ab Hyle creata eſſe, vti & carnes quoque. In quo Deo vero magnam operum ſuorum partem detrahunt. Salſè verò ineptiam & deliria Manichæorum irridet Auguſtinus,dum de eorum concionatore apud pecudes agit, & de Dei boni membris hodie in carne vinctis à poteſtate tenebrarum,quæ Deum bonum vicit,& eius membra ſparſa rebus omnibus alligauit.

Ad lib.22.

Manichæi Legem Ceremonialem tanquam à Iudæis inſertam Morali,damnant: Moralem autē probant.Itaque ſe non Legis, ſed Iudaiſmi inimicos C profitebantur.Prophetas autem Iudæorum ſe deteſtari dicunt propter morum turpitudinem, qua fuerunt infames,& quam patriarchis, vti Abrahamo, Iſaaco, Iacobo,& aliis affingunt prophetæ,ſi eorum ſcriptis creditur:& propter mendacia quæ de Deo finxiſſe eos Manichæi impij aiunt.Auguſt.reſpondet,Vtramque legem & Ceremonialem & Moralem Dei eſſe, & diuerſorum finium gratiâ datam.Ac Moralem quidem,quæ & reos nos eſſe doceret,& ſalutem alibi quęrere demonſtraret.Ceremonialem autem,quæ exſpectādi Saluatoris & promiſſi figuras interim oſtenderet. Itaque hanc exhibito Saluatore tolli neceſſe eſt:illam, quæ in charitate eſt, perpetuo manere oportet. Deinde refutat quæ afferunt ex ſcriptis Prophetarum, quale illud eſt, quod de luce hac conſpicua dicebant Manichæi, quæ differt ab ea luce,in qua Deus inhabitat. Quod de crudelitate autem Dei Veteris teſtamenti conqueruntur Manichæi, etiam refutat, cùm eædem minæ ſint in Nouo teſtamento comprehenſæ: item cùm ſimilia dicta in vtroque teſtamento extent: & quod Deus Zelotes dicitur, eſt à nobis ſumpta metaphora,non quòd vitium huiuſmodi inſit in Deo. Quòd verò Dei iudicia pij & impij ſentiunt, diuerſa ratione fit.Pij enim ad purgationem ſui: at impij ad combuſtionem ſentiunt illa. Comparat A etiam deum Manichæorū iis,quæ illi in vero Deo criminabantur, ex quo deum iſtum Manichęorum prorſus ineptum eſſe probat ex ipſorum Manichæorum ſententia. Abſtergit autem illas calūnias, quibus Manichæi Patriarchas aſpergebant, qualia eorum coniugia,quæ figura quadam negat caruiſſe,& à peccati definitione probat non fuiſſe peccata:quāquam nihil mirum eſt de quibuſdam viris ſanctis quædam turpia narrari,& ab illis eſſe quædam peccata commiſſa: ſed propterea rectè facta eorum non ſunt vituperanda. Quod poſtremum multis exemplis confirmat. Bella verò quæ geſta ſunt à Moſe,Dei præcepto geſta ſunt:itaque ſancta & diuina ſunt cenſenda. Nec rerum futurarum, & in veterum patrum factis præfiguratarū dignitas imminuitur, quòd rerum turpium ſimilitudine & figuris nonnunquam ſignificatæ ſunt. Denique docet Auguſt.longè turpiorem eſſe deū Manichæorum iis omnibus viris, quos ipſi tam grauiter & impiè damnant.

Ad lib.23.

Filium Dei in filium Mariæ deſcēdiſſe in Chriſti baptiſmo Manichæi dicunt, quia filius Mariæ B nuſquam dicitur eſſe filius Dei. Præterea negant filium Mariæ eſſe ex Dauide, quia non eſt ex ſemine Ioſeph, qui fuit ex Dauide, ſed ex Maria. Maria verò fuit ex tribu Leuitica,cuius pater fuit Ioachin ſacerdos. Auguſt.reſpondet, Satis & in Matthæo & vbique in ſcripturis doceri vnum & eundem Chriſtum ſecundum diuinitatem filium eſſe Dei:ſecundum humanitatem filium eſſe Mariæ,& per eam Dauidis. Negat autem Auguſtinus Ioachinum fuiſſe & patrem Mariæ, & Leuiticæ tribus:hanc enim eſſe fabulam.

Ad lib.24.

Manichæi dicunt in nobis duos eſſe homines, velut ſubſtantias quaſdam ſeparatas, quorum vnus eſt homo exterior:alter interior. Exteriorem eſſe turpiter natum,nō à Deo factum:ſed interiorem eſſe ſanctè natum,& à Deo conditum, in nobis.Auguſt.reſpondet, Vnuſquiſque noſtrum tātùm C vnus eſt homo à Deo conditus, qui diuerſa ratione dicitur homo externus & internus:externus propter corpus quo conſtamus:internus propter ſpiritum qui interius,id eſt,intra nos eſt. Vtrunque autem condidit Deus in nobis. Vetus etiam & nouus homo idem nominatur:vetus,quatenus vitam,quæ eſt in peccato,ſequitur : nouus, quatenus vitam, quæ eſt ex Dei ſpiritu & iuſtitia, amplectitur.

Ad lib.25.

Manichæi negant Deum verum rectè Deum Abrahami, Iſaaci & Iacobi dici,quia nullum huius Dei ſignū geſtemus.fuit enim illud circūciſio. Præterea,hac ratione fit Deus vna tantū perſona & Deus finitus. At per orthodoxos eſt infinitus: nam ipſi Manichæi Deum finitum eſſe volunt, quia eſt Malum aliquid præter Deum.Malum autem eſſe incipit,vbi bonum & Deus deſinit: ergo finem habet. Auguſt. reſpondet ſatisfactum iam huic quęſtioni eſſe, cur ſe Deus,Legis Deum Abrahæ vocet:cur Circumciſionem item olim dederit. Quòd autem Deum finitum eſſe volunt Manichæi, ne capaces quidem eos eſſe reſpondet huius quæſtionis capiendæ.

Ad lib.26.

A Manichæi negant Chriſtum natum: mortuum tamen eſſe volunt. Conſecutionem irrident Orthodoxi, & naturæ contrariam eſſe excipiunt. Manichæi Poſſe nempe hominem nõ mori: poſſe qui non eſt homo, mori: id quod exemplo Eliæ & Enoch confirmant. Auguſt. reſpondet, Dei omnipotentiam quidem poſſe omnia facere ſupra captum noſtrum: nolle tamen ea, quæ ipſius veritati contraria ſunt, ne ſe ipſum euertat. Et huiuſmodi quædam Deum non poſſe, non eſt in Deo impotentia, ſed conſtantia. Itaque argumentandum nõ eſſe ex Dei omnipotentia, quid in Chriſto fieri potuerit, ſed ex Dei ipſius veritate & voluntate. Deinde non eſt par ratio, cùm dicitur Elias mutatus, & Filius Dei quâ non eſt homo mortuus. Elias enim mutari potuit, quia homo: Deus autẽ non poteſt mori aut mutari, quia Deus eſt. Quanquam etiam Manichæi Chriſti mortem negant, quia eum tantùm illam ſimulaſſe docent & contendunt, non verè paſſum.

Ad lib. 27.

B Perſequitur Fauſtus idem argumentum. Auguſtinus reſpondet, Non quid Deus potuerit quærendum, ſed quid voluerit.

Ad lib. 28.

Idem contendunt Manichæi, Chriſtum non potuiſſe mori niſi ad modum cæterorum hominum natus eſſet: at non eſt. Auguſt. reſpondet, Etiam non natos, vti Adamum, poſſe mori: & quia ipſi Manichæi Apoſtolis credendum dicebant, ex illis probat Chriſtum mortuum, & ſine ſemine viri natum eſſe.

Ad lib. 29.

Manichæi Chriſtum imaginariè paſſum eſſe dicunt, nec tamen Chriſti paſsionem fabulam aut magiam tam videri ex ipſorum ſententia, quàm ex orthodoxorum, qui reuera Chriſtum natum & paſſum fuiſſe docent. Nec verò neceſſe fuiſſe, vt Chriſtus homo fieret, ſi cum hominibus loqui vellet: nam Deus ſæpe cum iis loquutus eſt. Auguſt. reſpondet, Non poſſe euitari à Manichæis, C quin Chriſti paſsionem & reſurrectionem vmbratilem fallacémque conſtituant, quam dicũt tantum fuiſſe imaginariam. In natiuitate Chriſti aliud eſt, quia etſi illa fuit ſingularis, non tamen imaginaria, ſed miraculoſa, qualia multa alia fecit Chriſtus. Nec verò quicquam turpitudinis habet Chriſti natiuitas.

Ad lib. 30.

Manichæi negant ſe notatos fuiſſe à Paulo, & prænuntiatos 1. Timoth. 4. verſ. 1. 2. 3. quia cibos & nuptias prohibent: nam & Moſes prohibuit quoſdam cibos: & ſancti qui habentur, abſtinuerunt etiam cibis quibuſdam: & orthodoxi quidam nuptiis & cibis, qui tamen non damnãtur, ne ab orthodoxis quidem, ſed valde probantur. Imò, aiunt Manichæi, Paulus Teclæ perſuaſit, vt virgo maneret, & innupta. Auguſt. reſpondet, Chriſtianos abſtinere cibis & carnibus nonnunquam, & certis diebus tantùm, non ſemper: non quia eos damnent, quod faciunt Manichæi: ſed quòd ſic corpus domare ſtudeant, ne caro inſoleſcat & laſciuiat. Item eos exhortari ad virginitatẽ quaſi ad maius bonum. At Manichæi execrantur nuptias & procreationem liberorum, quaſi alligationem Dei. Quare ille Pauli locus ad Manichæos pertinet: ad orthodoxos autẽ transferri nõ poteſt.

Ad lib. 31.

Manichæi dictum Pauli, Tit. 2. verſ. 14, Omnia munda mundis, ita explicant, vt damnent propterea Moſen, quia quoſdam cibos dixit eſſe immundos. A Denique eo ipſo premi Chriſtianos, qui cibis quibuſdam abſtinent. Auguſt. reſpondet, Paulum docere res ipſas per ſe, naturáque ſuâ, quam à Deo acceperint, eſſe mundas, non autem reſpuendas, vt Iudaiſmum tolleret inter Chriſtianos, modò vel ſanitas corporis, vel conſuetudo humanæ ſocietatis eos cibos non abhorreat. At Manichæi ipſas creaturas damnant: ergo illo Pauli dicto notantur, non autem orthodoxi.

Ad lib. 32.

Manichæi contẽdunt ſe rectè quædam de Nouo teſtamento tollere: primùm, quia & ipſi orthodoxi quædam de Veteri tollunt: ſecundùm, quia Nouum teſtamẽtum longè poſt Apoſtolos mortuos ſcriptum eſt: tertiùm, quia ipſi orthodoxi tantùm partem Veteris teſtamenti ſeruat, vt Pacha: quartò, quòd Chriſtus promiſerit Spiritum ſanctum, qui nos duceret in omnem veritatem. B Ergo putant Manichæi ſe poſſe quædam de Nouo teſtamento detruncare, quædam verò probare. Quænam autem reiiciant Manichæi, cap. 7. continentur. Auguſtinus reſpondet: Primùm ab orthodoxis non contemni Vetus teſtamẽtum, etſi quædã de eo nunc nõ obſeruantur: vti Nouum à Manichæis ſpernitur, & falſi damnatur. Deinde idcircò non obſeruantur quædam à Chriſtianis, quia illa vetera figuræ tantum fuerunt, quæ ſuum implementum habent & iubentur nunc omitti. Pręterea, reſpondet ad illud, quod Paſcha, Pentecoſtẽ, & alia quędã obſeruant Chriſtiani, diuerſo tamen ritu quàm Iudæi. Diuerſis enim illis ſacramentis & noſtris Deum vti, quemadmodum medicus diuerſis ſolet medicamentis pro diuerſa ratione ægrotorum & ipſius morbi. Paracletum autẽ Manichæi nõ poſſunt ſibi ex iis libris promiſſum docere, quos ipſi falſatos eſſe dicunt, id eſt, ex libris Noui teſtamenti. Et qui Paracletus promiſſus eſt, non fuit Manichæus, nec Manichæo datus. Nam C hoc idem alii hæretici de ſe dicunt. Denique ſi vera eſt Manichæorũ ſententia, ſibi quiſque ſcripturam ſubiiciet, non autem ſe ſummittet autoritati ſcripturæ.

Ad lib. 33.

Quod eſt Matt. 8. ſeſſurum Abrahamum in regno cœlorum, Manichæi primùm additum eſſe dicunt. Deinde vt concedatur à Chriſto dictum, negant tamen propterea Abrahamum eſſe ſanctũ, vti nec latro cui Chriſtus paradiſum promiſit, fuit ſanctus, aut imitandus. Præterea, cur non idem de patribus ethnicorum diceretur cùm ethnicis cõſtet maximè eccleſia. Auguſtinus reſpondet, Primùm, malè damnari à Manichæis Patriarchas licet eſſent iniuſti, qui Deum ipſi colant, cuius mẽbra nondum purgari potuerunt. Deinde non promitti Abrahamo ſalutem, quam tunc non haberet: ſed excitari alios ad ipſius imitationem. Poſtea cùm fidem derogant iis quæ ſcripta ſunt in Euangelio, tanquam eſſent addita, faciunt ineptiſsimè, cùm ſic omnium ſcriptorũ fides & certitudo poſſit in dubium reuocari: quanquam continuam tẽpore ſibi ſuccedentium conteſtationem & approbationem habeant.

A

AD LIB. DE ACTIS CVM FELICE MANICHÆO.

Ad lib.1.

Cap.1. COnſentiunt Auguſt.& Felix in futuræ diſputationis materiam, quæ eſt epiſtola Manichæi fundamentalis.

2 Manichæum non eſſe Chriſti Apoſtolum.

3 Promiſſio Spiritus ſancti Apoſtolis facta.

4 Præſtatio & implementum promiſſionis de ſpiritu ſancto.

5 Die Pentecoſtes accidit Apoſtolis.

6 Apoſtolos accepiſſe Spiritum ſanctum ea menſura qua Manichæum, negant Manichæi.

7 Quanquam Apoſtoli ante natum Manichæum omnes deceſſerant, eorum tamen ſcripta aduerſus Manichæos valent, imprimis autem locus Pauli, 1. Timoth.4.

8 Manichæi multos ſeducunt ſua doctrina à fide,& ea ratione pertinent ad dictum Pauli, 1. Timoth.4.

B 9 Cùm dicat Paulus ſe ex parte Prophetare, negant Manichæi eum & reliquos Apoſtolos accepiſſe Spiritum ſanctum, quem Chriſtus promiſerat.

10 Reſpondet Auguſt. ſuperiori obiectioni: ac primùm, negat Manichæum habuiſſe & cognoſſe omnem veritatem, quãdo de ſtellis & curſu Solis & Lunæ, quæ pollicetur, non docet.

11 Reſpondet ad dictum Pauli, Ex parte Prophetamus.

12 Anacephalæoſis ſuperiorum omnium.

13 Timere Manichæos,& timuiſſe Apoſtolos diuerſo modo. Denique tergiuerſatio Felicis.

14 Eadem quoque tergiuerſatio.

15 Idem.

16 Salutatio epiſtolæ Manichæi.

17 Primum caput epiſtolæ Manichææ, quod eſt de terra lucida,& falſum eſſe & commentitiũ.

18 Terram illam lucidam à Manichæis conſtitui ingenitam,& Deo coæternam, cùm tamen velint aliam eſſe terram genitam, quæ etiam huic ingenitæ ſit coæterna. C

19 Ineptos eſſe Manichæos, qui cùm omnia Deo coæterna dicant,& eſſe de Dei ſubſtantia, iis tamen noceri poſſe putent: Deo enim noceri non poteſt.

20 Dilatio tridui petitur.

Ad lib.2.

Cap. 1. Tergiuerſatio Felicis Manichæi.

2 Confirmare conatur Felix commentum Manichęi de duabus contrariis naturis, vna bona, altera mala.

3 Reſpondet Auguſt. & primùm non poſſe conſtitui duas naturas quæ ſint diuerſa rerum principia.

4 Malos homines fieri non à natura & principio Deo coæterno, ſed à propria voluntate & arbitrio.

5 Hoc ipſum confirmat etiam verbis ipſius (Manichæi.

6 Idem alterius Manichæi ſcriptis probat.

7 Ineptias Manichæis ſuas obiicit Auguſt.

8 Chriſtum nõ docere paria Manichæo, cùm denuntiat ignem æternum impiis. Nam Manichæus impios eſſe dicit Dei membra, & vt tales damnari. Chriſtus impios propria voluntate fuiſſe inſanabiles oſtendit. A

9 Chriſtus non ideo paſſus eſt, quòd ſint diuerſa duo rerum principia, ſed vt hominem qui ſe perdidit redimeret.

10 Hoc idem vrget Felix, Chriſtum ideo paſſum, quia contrarium principium illi reſiſtebat,& ita duo ſunt principia.

11 Negat Auguſt. ſed docet Chriſtum ideo paſſum, quòd homo volens liberóque arbitrio ſe ſubieciſſet diabolo, à cuius poteſtate nos redemit, & à mortis maledictione, dum in ligno pependit.

12 Petit Felix ne inuitus cogatur fieri Chriſtianus. Concedit Auguſtinus.

13 Falſa eſſe quæ docet Manichęus de Dei ſubſtantia alligata creaturis & polluta, quæ quotidie purgetur.

14 Tergiuerſatio Felicis in anathematizando dogmate, quo vult Deum eſſe corruptibilem.

15 Manichæus docet Dei ſubſtantiam etiam alligatam creaturis & dæmonibus, & pollutam quoque eſſe, quod eſt omnino ſacrilegum.

16 Cùm Chriſtus nos liberat, non Dei ſubſtantiam, quæ ſit polluta, purgat: ſed naturam creatam, quæ pollui potuit. B

17 Si anima eſt ex Deo, ergo de Dei ſubſtantia: quæ cùm polluatur, ergo Dei ſubſtantia polluitur. Reſpondet Auguſt. Animam eſſe ex Deo, quia ab eo ſit creata, non de eo nata. itaque non eſt ipſius ſubſtantiæ pars.

18 Anima hominis à Deo creatur ex nihilo, non autem de Deo naſcitur, vt filius.

19 Differunt quid à Deo factũ eſſe, vt omnia creata: & genitum ex eo eſſe. Factum à Deo, non eſt illi æquale: genitum ex Deo, eſt illi æquale.

20 Felix reuoluitur eòdem, quo ſuprà cap.17. itaque eadem ſolutio affertur.

21 Aliud eſſe Aliquid eſſe ex Deo, & de Deo.

22 Felicis conuerſio ad Chriſtianam fidem,& vtriuſq; ſubſcriptio & ſubſignatio propria manu.

AD EPISTOLAM SECVNDINI MANICHAEI. C

POſt prooemium, in quo gratulatur Secundinus iſte eruditionis nomine Auguſtino, accepta ex Epiſtola Pauli, quæ eſt ad Epheſios, occaſione, docet primò, Certamen & pugnam quandam perpetuam eſſe inter nos ſiue animas noſtras & diabolum: ſecundò, Victoriam nullam futuram Martyrum, ſi nihil eſſet illud cõtra quod illi pugnarent: tertiò, Inepta eſſe quæ tradit Vetus teſtamentum de ſanctis: quartò, Chriſtum ſaluatorẽ non veniſſe in carne: quintò, Fœminas Chriſtianas obliquè taxat: ſextò, Denique duo eſſe diuerſa rerum principia ſibi contraria, quanquam quæ de iis dicuntur ſunt humanis ſenſibus obſcura. Ex quo fit, vt Auguſtinum hortetur ad eam ſectam, quam ſemel amplexus fuerat, repetendam. Quod variis blanditiis tota epiſtola facit.

Ad cap.1.libri.

Purgat ſe primum ea ſuſpitione, quam ſparſit de Auguſtino Secundinus, vt fides futuræ diſputationi habeatur.

Cap. 2. Cur Auguſtinus à Manichæorum er-

A rore diſceſſerit, qui quantus ſit, facilè quiuis cernere poſsit.

3 In ipſo limine epiſtolæ, falſas Manichæorū de luminibus,& eorum regno ſententias cerni.

4 Dilemmate conſtringit aduerſarium, vt fateatur lumen aut de Dei ſubſtantia genitum, aut aliunde factū,& ita vel æquale Deo, vel ex nihilo.

5 Chriſtus cur & Vnigenitus, & Primogenitus dicatur.

6 Chriſtum non fore luminum regem,vt à Manichæis appellatur, ſi lumina ſint ex Dei ſubſtantia,quia Chriſto eſſent æqualia.

7 Omnem creaturam eſſe ab vno Deo creatore,nec tamen eiuſdem cum eo eſſe eſſentiæ.

8 Creaturam ideò eſſe mutabilem,quia ex nihilo à Deo ſit facta,non autem ex ipſius ſubſtantia:nam ſic eſſet mutabilis Deus, vel immutabilis creatura.

9 Animam,ſi ipſa per ſe eſſet immutabilis,nō poſſe etiam in carne fieri mutabilem.

10 Quanquam nobis lucta eſt cum poteſtatibus malis,illæ tamen à ſeſe non ſunt : ſed à Deo, quatenus ſunt. Nihil enim poteſt eſſe,niſi ab eo, qui ſummè eſt,id eſt,Deo. Eſſe autem dat Deus magis,minúſue,quemadmodum & robur.

B 11 Deficiunt quæ ad nihilum tendunt, non autem quæ iam ad illud peruenerunt. Deficere enim eſt à priore, propriáque naturæ ſuæ integritate declinare.

12 Secundinum ſibi ipſi contrarium eſſe.

13 Malum & peccatum non eſſe ſubſtantiam, ſed declinationem à bono.

14 Si malum & peccatum ſit ſubſtantia,oportere conſenſionem, ex qua malum oritur, eſſe quoque ſubſtantiam.

15 Ex ſuperiori diſputatione colligit Malum, cùm non ſit ſubſtantia,in anima quæ eſt ſubſtantia,eſſe poſſe : atque ita non rectè dici & concludi Malum eſſe ſubſtantiam.

16 Non rectè colligi illud eſſe malum,in quod anima malè conſentit.

17 Neque etiam illud ſemper eſſe malū,quod malè tamen diligitur:ſed illud eſt malum aut peccatū, plus vel minus aliquid etiam bonū diligere.

C 18 Nec ſuaſionem, nec conſenſionem, per quam peccamus,eſſe ſubſtantias, ſiue bonæ, ſiue malæ dicantur.

19 Malum non poſſe eſſe in Dei ſubſtantia. Itaque nec ab eo procedere: ſed eſſe in ea flexibilitate, quæ fit in natura creata à Deo, quæ per ſe quidem bona eſt:voluntate autem ea,per quam à Deo recedit,mala.Sic igitur ex voluntate creaturæ Malum eſt.

20 Stultum omnino fuiſſe bono Deo cōgredi cum gente tenebrarum, à qua Dei partes iam tenentur captiuæ,cùm id ſciret futurum, nec haberet neceſſe cum ea pugnare, ſi nollet.

21 Manichæi appellant coniugium contumelioſè Carcerem & vincula Dei.Itaque fornicationem præferunt legitimo coniugio.

22 Etſi coniugium laudatur à Chriſtianis, Virginitas tamen non ſpernitur, quæ ea de cauſa ſuſcipitur,vt Deo liberius ſeruiamus.

23 Reſpondet criminationi,quam fecit Secundinus de arca Noe, lucta Iacob, & reſponſione Abrahami,qui vxorem ſororem appellauit.

24 Cur Auguſtinus Manichæos reliquerit.

25 Manichæum à Manichæis loco Chriſti aduocatum apud Deum cōſtitui:& Chriſtum ipſum ab iiſdem mendacem blaſphemè dici. A

26 Manichæos non idcircò pios eſſe, quia numero pauci ſunt:imò idcircò damnandos, quia à Paulo in I. Timoth. 4. deſcripti ſunt & deſignati.

AD LIBRVM DE NATVRA BONI.

Cap.I. DEum eſſe ſummum & incōmutabile bonum,à quo ſunt omnes creaturæ: nullæ autem de eo,nec illi æquales.

2 Cur Manichæi faciant principium vnum mali à principio boni diuerſum, & vt ſibi in eo repugnant.

3 Non tantùm ſubſtantias rerum à Deo eſſe, ſed etiam hæc tria.Modum,Speciem, Ordinem, quæ & ipſa bona ſunt, & quorum participatione maiora bona in creaturis definiuntur.

4 Malum quid ſit,generaliſſimè definitur.

5 Malum & Bonum habere quaſdam differentias & gradus. B

6 Corruptio rei ſumma quæ ſit:item quæ res corrumpi poſſunt.

7 Spiritus à Deo creati vt peccarint,& in malum lapſi ſint,& quid ſecutum ſit.

8 Reliquæ creaturæ quæ anima carent,vt bonæ & malę dicantur ratione ordinis ſui & naturæ labefactatæ & retentæ.

9 Gradus etiam pœnarum eſſe,idque iuſtè.

10 Deum & creaturam latiſſimum inter ſe diſcrimen habere.

11 Idem perſequitur & explicat : vti & capite ſequenti

13 Bona tum magna, tum etiam parua à Deo eſſe,quorum varia exempla afferuntur.

14 Parua bona eſſe non quæ mala ſunt, ſed quę aliorum bonorum comparatione minus ſunt bona.

15 Exemplo rem illuſtrat & docet.

16 Minora hæc bona vſum ſuum habere in rerum vniuerſitate. C

17 Concluſio ſuperioris diſputationis.

18 Etiam Materiem primam,quæ dicitur Hyle,eſſe à Deo,quia formæ capax eſt.

19 Solus Deus verè eſt.

20 Ne corruptionem quidem eſſe poſſe niſi in natura quadam,id eſt,in bono.

22 In cæteris rebus bonum ineſt certo quodam modo,certáque menſura : in Deo verò ſine modo.

23 Etiam quæ inordinata videntur,habere tamen quendam ordinis,quiupereſt, modum,atque propterea quandam boni partem.

24 Deum eſſe incommutabilem.

25 Explicatio ſententiæ Ioann.I.Sine ipſo factum eſt nihil eorum,quæ facta ſunt.

26 Deum verbo & imperio ſuo omnia creaſſe,non de ſeſe,id eſt,de ſua ſubſtantia.

27 Verba hæc Pauli, Ex ipſo omnia, quid ſignificent.

28 Deum contaminari conſortio creaturarum non poſſe.

30 Deum omnia rectè creaſſe, etiam ea quæ

A minus honeſta videntur.

31 Sed etiam ipſa peccata cedere in Dei gloriam.

32 Præterea quæ impij malè per potentiam illis à Deo datam agunt, ea ipſa eſſe argumenta gloriæ Dei.

33 Etiam pœnæ ipſæ diabolorum eòdem pertinent.

34 Sed & arborem ipſam, in qua peccauit Adam, bonam fuiſſe.

35 Arbor in paradiſo cur edi prohibita fuerit.

36 Idem confirmat.

37 Peccatum oriri ex eo quod creaturæ ſuæ creationis bonum deſerunt, & violant.

38 Infernus ipſe cedit in Dei gloriam, & bonum quiddam eſt.

39 Ignis æternus quomodo dicatur.

40 Concluſio, Deum nihil malum creaſſe, nulli item rei nocere poſſe.

¶ *Altera pars huius libri, in qua eſt* Αντίθεσις *Manichæorum enim ſententiam confert cum ſuperiore doctrina orthodoxa & ſana.*

41 Manichæos non tantùm ſuperiori doctrinæ aduerſari, ſed etiam ſibi ipſis & Dei naturæ planè contraria ſentire.

B 42 Manichæos abſurdiora & peiora tribuere ei Deo quem bonum principiũ eſſe dicunt: quàm genti tenebrarum, & principio, quod appellant malum.

43 Manichæorum deum, vel perpetuò ignorantem, vel perpetuò miſerum fuiſſe, qui ſuæ naturæ particulas perpetuò affligendas & conſigendas globo cuidam tradiderit.

44 Dogmata quædam Manichæana ſumpta ex ipſo Manete. 1 Dei partes eſſe in rebus omnibus ligatas. 2 Has partes purgandas & liberandas eſſe per eſum rerum ipſarum, quando à Manichæorum Electis conſumuntur. 3 In coniugio & ſobole vinciri & pollui eas Dei partes, quæ creatis & natis liberis alligantur. C

45 Turpem eſſe etiam liberationem ipſam partium Dei, qualem imaginantur Manichæi.

46 Delirium Manichæi de creatione Adami, rerum omnium productione, & mali origine, quod ex ipſius epiſtola tranſcriptum eſt.

47 Inuehitur in ſuperius delirium Auguſt. & Manichæorum turpitudinem quanta ſit, docet.

48 Oratio ad Deum pro Manichæorum conuerſione.

EX LIB. DE FIDE, SIVE VNITATE TRINI*tatis contra Manichæos.*

Cap. I. Qualis Deus ſit in ſeſe.

2 Qualem & quàm falſum Deum fingant Manichæi.

3 Deum non eſſe alij Deo contrarium, etiam qualem inducunt Manichæi, quamuis vnus altero minor ab aliis ſtatuatur.

4 Malum & mali origo quæ, & vnde.

5 Malum in nobis ex libera animi electione & propria voluntate natum eſſe.

6 Idem confirmat autoritate ipſius Manichæi.

7 Idem quoque.

8 Idem probat à definitione peccati.

9 Concluſio, Malum in nobis eſſe à propria voluntate, neque ipſum ſubſtantiam vllam vnquam fuiſſe. A

10 Malum eſt auerſio à Deo.

11 Deum concuti non poſſe, nec eius regnum imminui, contra Manichæos: ideóque illi à gente tenebrarum metuendum non fuiſſe.

12 Manichæum ſibi ipſi aduerſari in iis, quæ de Deo ſcribit.

13 Quanta ſit infirmitas Manicheani dei.

14 Quàm obſcœna de Deo narret Manichæus.

15 Cur homines ad coitum proritentur ex ſententia Manetis.

16 Cur poteſtates cœleſtes diſſoluantur ex eiuſdem ſententia.

17 Planè turpem & blaſphemam eſſe ſuperiorem ſententiam.

18 Fruſtrà deum Manichæi partes ſuæ ſubſtãtiæ creaturis alligaſſe, & decertaſſe cum gente tenebrarum.

19 Non pugnaſſe Deum, vt ſe præſcium oſtenderet.

20 Non item, vt imperium ſuum propagaret.

21 Non etiam, quia Chriſtus paſſus eſt. B

22 Chriſtum mera miſericordia erga nos homines ex Virgine factum eſſe.

23 Et Mariam Virginem fuiſſe, & ſcripturas eſſe integrè accipiendas.

24 & 25 Chriſtum, quia ex fœmina natus ſit, nõ tamen eſſe inquinatum, quando nec Manetis anima in eius corpore, etſi ipſe ex fœmina ſit natus, ſit corrupta.

26 Chriſtus cur dixerit, Quæ eſt mater mea: item verè homo fuit.

27 Chriſtum non diuinæ, ſed humanæ tantùm naturæ ratione paſſum, quod tamen voluntariè, non autem coactè fecit.

27 Quæ differentia ſit cauſæ, propter quam nos, & Chriſtus homines ſimus & patimur. C

28 Blaſphemia Manetis, Diabolum, non autem Chriſtum paſſum eſſe, & crucifixum.

29 Increpatio.

30 Chriſtus paſſus eſt cùm voluit, non prius.

31 Chriſti nullas partes hodie detineri alligatas, vti dei Manichæani partes retinentur.

32 Chriſti mortem fuiſſe veram, omnes & angeli & homines contra Manichæos teſtantur.

33 Quantis ſe labyrinthis inuoluat Manichęi.

34 Chriſti partes in ſingulis creaturis eſſe Manichæi blaſphemè contendunt.

35 Dei partes in plantis intelligentiores eſſe, quàm in carne & carneis creaturis, falſum.

36 Homines potius læſas Dei partes habere quàm Plantas: minoriſque in hominibus eſſe eas dignitatis quàm in plantis, Manichęorum deliriũ.

37 Quos locos ſcripturæ citent Manichæi, vt Vetus teſtamentum damnent: & in Nouo paria poſſe inueniri, quæ homines ignari corrumpunt.

38 Manichæos in libris ſuis fingere Deum mẽdacem. Sed etiam docet nihil in Nouo teſtamento præcipi, quod idem non ſit in Veteri.

39 Quæ Manichæi aduerſus Vetus teſtamentũ obiiciunt, eadem aduerſus Nouum quoque dici poſſe, vt omni ſcripturæ fides ſic tandem per eos abrogetur.

40 Pari impudentia Manichæos negare reſurrectionem carnis, qua Vetus teſtamentum repu-

A diant,quæ tamen certiſsima de ſcriptura teſtimonia habet.

41 Dilemmate eos conſtringit, vt vel Deum negent omnipotentem:vel errorem eiurent.

42 Exhortatio.

43 Dilemmate premit eos,vt concedant aut Deum peccare, cuius ſubſtantiæ pars ſumus:aut falſam eſſe eorum ſententiam de ſeipſis non peccantibus.

44 Ex Manichæorum ſententia ſequitur Diabolum non peccare,quia inuitus & vi ſuæ naturæ, non voluntatis id facit quod facit.

45 Exhortatio.

46 Dei Veri & Manichæani comparatio.

48 Nos non eſſe ſubſtantiæ Dei partes.

49 Nos eſſe Dei opera,ſed quos Deus Manichæorum à miſeria liberare non poſsit, qui nec ſeipſum potuit,ex delirio Manichęanorum.

B

EX LIB. CONTRA ADVERSARIVM LEGIS ET PROPHETARVM.

¶Scriptus eſt poſt libros de Ciuitate Dei, cap. 14. Hunc autem autorem appellat Auguſtinus Canem rabidum,& aſinum ſtultum,cap.21.

Cap.1. INcerti autoris librum confutandum ſuſcipit.

2 Verba hęc, In principio fecit Deus cœlum & terram, explicantur. Falſum autem eſt, Quicquid habet principium, habere finem, vt in numero apparet.

3 Impiè quæri cur non antè factus ſit Mundus, cùm factus ſit in initio, quo Deus facere omnia voluit.

4 Mundum non deſinere eſſe bonum, etſi Deo æqualis non eſt. Bona enim omnia inter ſe non eſſe æqualia.

5 Malum eſſe vel vitium,vel pœnam. Malum autem non niſi in bono, id eſt, natura, quæ bona eſt,eſſe poſſe.

6 Et lucem, & reliqua Dei opera rectè bona dici, etſi ſunt mutabilia & pereunt.

C 7 Deum non fuiſſe lucis ignarum, etſi eam poſtquam creauit, bonam eſſe pronuntiat, quod non ſui ratione,ſed noſtri fecit Deus.

8 Tenebras non fuiſſe ſempiternas, ſed tantũ priores luce creata.Materiam enim primùm creatam,ſed informem.

9 Auguſtinus putat omnia ſimul facta,etſi ordine,diſtinctionis cauſa,narrantur,& ſeorſim.

10 Materiam dici variis nominibus in Scriptura.

11 Deum & lucem,& lucis ſplendorem metaphoricè nominari:ſed diuerſi generis à luce creata. Eſt enim Deus lux creans & illuminans, quod variis ſcripturæ teſtimoniis probat.

12 Lucem eſſe bonam : & quod Sol poſt lucẽ conditus narratur à Moſe,id non fieri ignorantia, ſed ex veritate rei geſtę & creationis mundi.

13 Verè Aquam,quæ prius vniuerſam terram tegebat , congregatam dici : nam in ſinu terræ ſubſedit , & in partes illius concauas, Dei iuſſu, confluxit.

14 Hominem qui vetitus eſt edere de arbore dignoſcentiæ boni & mali,non fuiſſe primùm ſimilem pecori : ſed prohibitum eſſe attingere quæ A nocebant , quia ea ratione expertus eſt quid inobedientia noceret. Fuit autem operæpretium talem hominem creari, non autem talem , qui non poſſet peccare, quia liberè peccauit non coactus. Hominis autem anima,etſi à Deo creata eſt , non tamen de Deo ipſo,id eſt,eius ſubſtantia eſt.

15 Serpentis quàm hominis non fuiſſe meliorem conditionem, quia ille decepit, hic deceptus eſt.Nam victo homine in æternum victus eſt ſerpens:& quod Deus illudit Adamo, eum punit, & quod abigit è Paradiſo , rectè iuſtéque facit. Eſt enim ironia quod ait Dominus , Factus eſt Adamus ſimilis nobis.

16 Deum & præſciuiſſe quid Adamo euenturum eſſet : & facere potuiſſe quod voluit : & iuſtè puniſſe quod aduerſus ſe perpetratum fuit. Id quod pari exemplo ex Euangeliis ſumpto probat. Nec tamen propter pœnas,quas infligit Dominus in Veteri teſtamento,crudelem eſſe.

17 Poſſe ex quibuſdam Noui teſtamenti locis colligi, Deum eius autorem eſſe ſeueriorem autore B Veteris teſtamenti. Et quæ bonitatem Dei declarant, prius in Veteri, quàm in Nouo teſtamento extare.

18 Sacrificium Chriſti vnum , variis & multis ſacrificiis Veteris teſtamenti tamen eſſe ſignificatum , quæ nunc in eccleſia locum non habeant, quia Chriſtus obtulit ſe ipſum.

19 Sacrificia Veteris Legis Deo , non autem dæmoniis oblata fuiſſe.Itaque fuiſſe ſancta.

20 Chriſti ſacrificium eſſe veritatem, & corpus ſacrificiorum Legis,quicquid ex Apocryphis Ioannis & Andreæ libris afferatur. Deo autẽ multa ab hominum moribus ſumpta tribuit ſcriptura,vt Miſereri,Pœnitere,Zelari.

21 Non temerè Deum immiſiſſe priori mundo diluuium, & Noam ſeruaſſe, quanquam etiam hodie mali homines naſcuntur.

22 Deum non eſſe malorũ autorem, etſi peſſimum ſemen appellat eos,quos genuit.Homines enim ſua voluntate mali ſunt,& mutabiles.

23 Deum qui dicitur creare mala & facere C bona , non conſtitui proptereà autorem mali, quando non ea , quatenus mala ſunt condit : & quæ inter Creare & Facere diſtinctio affertur ab iſto,falſiſsimam deprehendi atque eſſe,docet Auguſtinus.

24 Quòd ſæpe Deus turpia quædam dicere videtur,id facit,vt magis terreat homines.

Ad lib.2.

Cap.1. Aniles fabulæ à Paulo non dicitur Vetus teſtamentum,ſed traditiones non ſcriptæ per Moſen, quas religioſè Iudæi ſeruabant, & ſeruant adhuc.

2 Etiam ipſius aduerſarij teſtimonio Chriſtum & Apoſtolos vſos eſſe Veteri teſtamento: Falſam autem eſſe oſtendit quintuplicem illã perſonam,quam iſte Paulo affinxit, vt illius teſtimonia eluderet. Etſi enim lac dedit infirmis Paulus: tamen verum dedit.

3 Prophetas Dei , qui ante Chriſti aduentum vixerunt , eum tamen prędixiſſe à Spiritu ſancto admonitos. Et quòd non fuiſſe prędicatus Chriſtus dicitur, ad gentes pertinet, quibus nuntiatus nondum fuerat , non autem ad Iudęos quibus

fuerat

A fuerat. Prophetas etiam & ante & poſt Chriſti aduentum fuiſſe docet.

4 Cretenſium prophetam fuiſſe Epimenidem poetam, non aliquem ex Hebræis Prophetis, qui à Domino non damnantur, cùm ipſe ſe vocat oſtium, & fures appellantur, qui ipſi venerunt: miſſi autem à Deo non fuerunt.

5 Quos ex Iudæis reprehendit Dominus, illi non erant verè fideles, & de vero & ſpirituali ſemine Abrahæ, etſi erant de carnali: itaque erant hypocritæ. Et quod exprobrat Iudæis Chriſtus ſe ab iis agnitum non fuiſſe, ignorãtiam eorum perſtringit: non autem eorum prophetas, quos cùm legerent, ipſi non intelligebant.

6 Animam à Moſe ſanguinem appellari ſignificationis & ſymboli modo: non autem propriæ ipſius ſubſtantiæ ratione, quaſi ſit ſanguis. Explicat etiam dictum Pauli, 1. Corint. 15. Sanguis & caro regnum Dei non poſſidebunt.

7 Quanquam Lex à Paulo dicitur adminiſtratio mortuis & damnationis, tamen propterea non vt res quædam mala reiicitur, cùm eam alibi Bonum præceptum appellet. Sed quid inter Legis iuſſum: & Spiritus ſancti iuuamen interſit, oſtendit. B Quod enim Lex mortem operatur in nobis, id non Legis, quę honeſta præcipit: ſed noſtri, qui inobſequentes ſumus, ratione accidit & dicitur.

8 Duo afferunt aduerſarij, cur Legem Moſis reiiciant: primum, quòd dicitur ab ea quoſdam excæcari: alterum, quòd Paulus ipſe Galat. 3. Leg promiſsiones velut contrarias opponit: primum argumentum hîc ſoluit: ſecundum ſequenti capite.

9 Cùm Lex promiſsionibus Dei opponitur: tunc duo Teſtamenta per ſeſe, non ex fine, per quem ad Chriſtum tendunt, conſiderantur. Nam per ſe teſtamentum Vetus vmbras, Nouum verò rei veritatem habet. Nec verò mirum videri de- C bet, ſi duobus filiis duo teſtamenta comparantur: aut aliis rebus terrenis res ſacrę conferantur, quod iſti tamen reprehendunt.

10 Repetitio breuis capitum, & omnium argumentorum, quæ Legis aduerſarij afferunt.

11 Exhortatio ad verum Chriſtum amplectendum, quem ex antitheſi probat eum ipſum eſſe, qui & in Prophetis locutus eſt, & ea præcepit, quæ Dei Lege continentur.

12 Eundem Chriſtum eadem in ipſo Euangelio præcepiſſe, quæ Veteri contraria videntur eſſe. item de origine Manichæorum hæreſeos.

AD LIB. CONTRA PRISCILLIANISTAS ET ORIGENISTAS.

¶In hoc libro proculdubio eſt Lacuna, cap. 8. inter verba hæc, Non video, & Melius. ex abrupto enim de Mundi creatione agit contra Priſcill. Auguſt. quod non ſolet.

Ad epiſtolam Oroſij.

INuitat Auguſtinum multis argumẽtis Oroſius Hiſpanus, vt ſcribat aduerſus Priſcillianiſtarum & Origeniſtarum errorem, quem qualis fuerit, explicat: & quàm grauiter in Hiſpania graſſetur.

Ad lib. cap. 1.

Nihil eſſe neceſſe ad omnia ſuperioris diſputationis & libri capita reſponderi.

Cap. 2. Ineptam eſſe rationem, non eſſe de nihilo creatam animam, quia Dei ipſius voluntate facta ſit, ne Dei ipſius voluntas ſit nihilum: eodẽ enim modo & ratione eſſet negandum Mundum à Deo conditum ex nihilo, quia eius voluntate creatus eſt. A

3 Ex nihilo creari aliquid dicitur, non tanquã ex materia, ſed quod aliquid prius non erat, vnde iſtud fieret. Dei voluntate creari dicitur aliquid, non tanquam ipſa voluntas Dei ſit materia, aut materiæ vnde res creantur, ſimilis: ſed cauſa illius productionis efficiens.

4 In doctrina de Trinitate eſſe ſanam Origenis ſententiam: Priſcillianiſtarum autem falſam & Sabellianicam.

5 Angelos malos, id eſt, diabolos in priſtinum ſtatum non eſſe reparãdos, quia ignis æternus ipſis & eorum ſimilibus paratus dicitur. Vbi vox *Æternus*, non diuturnum tantùm ſignificat, ſed quod fine careat.

6 *Αιώνιον* vocẽ eſſe duplicis quidem in ſcriptura ſignificationis, vt & id notet quod ſine fine eſt, & quod finem habet: in pœnis tamen damnatorum infinitum quid deſignare. B

7 Sic Chriſti regnum eſt æternum, id eſt, ſine fine: & præmia beatorum æterna, id eſt, ſine fine.

8 Angelos & homines eſſe non pro dignitate & merito ipſorum factos. Mundum etiam hunc, non vt animarum, quæ in cœlis erant, carcerem & purgationem: ſed vt Dei bonitatis potentiæ & ſapientiæ ſpeculum eſſet, conditum à Deo. Sed nec quæ facta ſunt antea fuiſſe, etſi in Dei ſapientia ſic cognita ab æterno erant, vt poſtea extiterunt. Solem & aſtra denique non congemiſcere nobiſcum, quia ſunt inanima.

9 Reſpondet argumẽtis eorum, qui aſtra putant animantia, & ea pro varia ipſorum culpa eſſe magis minúſue lucida.

10 Explicatio loci, qui eſt apud Iob. cap. 15. C Angelos ne iuſtos quidem eſſe cõparatione Dei.

11 Quęſtiones de ſyderibus curioſas intermittendas eſſe, & eas omnes quæ ſine pietatis damno & periculo ignorantur. Item falſum eſſe omnes animas ex vna eſſe propagatas.

12 Multa tutò ignorari, multa quoque poſſe diſputari. Videndum tamen, ne quid præter fidei analogiam ſentiatur aut dicatur.

EX AVGVSTINI LIBRO DE HÆRESIBVS.

CAPVT XLIX.

Ariani cur dicti. Erroris autem eorum capita quatuor enumerantur.

ARiani, ab Ario [1], in eo ſunt notiſſimi errore, quo [2] Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum nolunt eſſe vnius & eiuſdem naturæ atque ſubſtantiæ: aut, vt expreſſius dicatur, eſſentiæ, quæ οὐσία Græcè appellatur: ſed eſſe Filium creaturam: Spiritum verò ſanctum creaturam creaturæ, hoc eſt, ab ipſo Filio creatum volunt. In eo autem, quòd Chriſtum ſine anima ſolam carnem ſuſcepiſſe arbitrantur, minus noti ſunt. Nec aduerſus eos ab aliquo inueni de hac re *aliquando fuiſſe certatum. Sed hoc verum eſſe & Epiphanius non tacuit, & ego ex eorum quibuſdam ſcriptis & colloquutionibus certiſſimè comperi. Rebaptizari quoque ab his catholicos nouimus, vtrum & non catholicos, neſcio.*

1 *Ab Ario.*) Hæreticorum vti philoſophorum, alii minuti dici videntur poſſe: alij verò maiores & inſani horrendarum blaſphemiarum autores. Inter quos Arius certè quidem eſt habendus. Etſi enim Paulo Samoſateno, & Manete Perſa fuit ætate poſterior: dogmate tamen & erroris veneno fuit vtroque longè peſtilentior, periculoſiórque. Itaque magnum vniuerſalis illius apoſtaſiæ, quæ poſtea ſequuta eſt, & non tantùm Antichriſtiani, ſed etiã Mahumetanici regni, quod nũc exædificatum eſt, fundamentum videtur eſſe Arianiſmus, quo nec tetrior hæreſis, nec diuturnior, nec etiã plauſibilior reperta vnquam à quoquam fuit. Vnde Antichriſti principium ab Hilario Arius nominatur. Acceſsit autem ad hoc malũ aliud, nempe Græcorum hominũ vanitas, & Chriſtianorum in curioſis diſputationibus tuendis nugacitas potius quàm in vera pietate, aut morum emendatione diligentia, ſeriúmque ſtudium. Quæ duæ res Arij furorem non ſolùm gratanter exceperunt, ſed etiam in Eccleſia commendarunt, & mirabiliter auxerunt, adeò vt nulla ſit hæreſis, de qua ſæpius in hiſtoria Eccleſiaſtica mentio facta ſit, quæque plus aut diutius Eccleſiam Dei turbauerit. Fluxit autem tanquam fœtidiſsimus & turbidiſsimus quidam riuus, ex tetra Samoſateniorum ſchola & fonte. Cœpit enim ſub Conſtantino Magno imperatore, & Sylueſtro Romano epiſcopo, anno à Chriſto paſſo 290. recreata iam publica pace Eccleſia, & Satana tantã populo Chriſtiano quietem inuidente. Nam quos armis & igni amplius oppugnare non poterat, ſectis, hæreſibus & corruptelis aggredi, atque adeò infensè vexare niſus eſt, quod effecit. Dicti ſunt hi vniuerſi quidem Ariani, & Exoucōtij, quod Chriſtum ἐξ οὐκ ὄντων extitiſſe, conditúmque fuiſſe contenderent: etſi poſtea qui hanc hæreſin profeſsi ſunt, Chriſtum non ex nihilo creatum docuerũt, vt ſcribit Auguſt. lib. 3. contra Maximin. cap. 14. ſinguli verò ab eius authoris nomine, qui in ea ſecta aliquid innouauit, velut Eunomiani, Eudoxiani, Ætiani, Euſebiani, & Pytheciani. Plures autẽ feruntur eſſe primi huius tam lethalis erroris authores & progenitores. Alij enim quemadmodum Nicephorus lib. 8. cap. 4. Alexandrum Beucalem Alexãdrinum, huius veneni primum ſeminatorem: alij, vt Zonoras, Origenem potiùs, qui Filium Dei vnigenitum conditum fuiſſe ſcribit, conſtituunt. Certior tamen eſt de Ario fides & hiſtoria, quem primùm in Dei Filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum hoc virus & blaſphemiam euomuiſſe omnes fatentur, & imprimis Ruffinus contendit lib. 1. Hiſtor. cap. 1. Vnde Χριςόμαχος, in Sardicenſi Synodo contumelioſè vocatus eſt. Ortæ autem huius hæreſeos plura ſtatim fuerunt diuortia. In ipſis enim penè incunabulis tres ſectas hominum inter ſe diuerſè de Chriſti deitate ſentientium peperit, Arianorum ipſorum, Aetianorum, ſiue Eunomianorum (qui fuerunt iidem) & Macedonianorum, quemadmodum tradit Ruffin. lib. 1. hiſtor. cap. 25. & Socrat. lib. 5. cap. 10. Sub Theodoſio verò Maiore duæ quoque aliæ illis tribus etiam acceſſerunt, Dorotheanorum, & Marianorum, vt iam hæc hydra quinque peſtifera capita geſtaret. Marianos defendit & amplexus eſt Theoctiſtus quidã Antiochenus, ψαθυροπώλης. Eſt autem ψάθυρον cruſtuli friabilis genus, quod ille publicè populo diuendebat. Vnde iidem Mariani poſtea Pſathyriani quoque ſunt ignominioſè nominati, vt ait Socrates lib. 5. ca. 23. quanquam apud Theodoretum li. 4. hære. fabul. Tapſyrianos pro Pſathyrianos corruptè legitur & apud Epiphaniũ perperam Pſathyropolitanus, tanquam à loco deducta voce, quæ mercaturę & artificij genus ſignificat. Adiunxerunt ſe quoque iis duæ adhuc ſectæ Pythecianorum, & Dulianorum, de quibus in Eunomianis agemus, vt iam deformia ſeptem eiuſdẽ beluę capita fuiſſe appareat. Tempore verò ipſius Arii tres quoque conſtituunt huius erroris præcipuos propugnatores, & propagatores, Arium ipſum presbyterũ: Euzoium diaconum: & Achillam lectorem, omnes Alexandrinæ Eccleſiæ inſeruientes: ita Hieronymus aduerſus Luciferian. Alios autem adiungunt Arij & fautores & ſocios, qui ab illius dogmate ne latum quidem vnguem diſceſſerunt, Vrſatium Singidonenſem ſuperioris Myſiæ epiſcopum: Valentem Murſarum ſuperioris Pannoniæ epiſcopum, Acacium à Cæſarea, Aſterium, Euſebium Nicomedenſem epiſcopum, Theogonium Nicenum epiſcopum, & alios penè infinitos, inter quos etiam omnium hiſtoricorum conſenſu, Liberius Romanus epiſcopopus recenſetur, ne quis Romanam Eccleſiam errare poſſe neget: è quibus tamen ipſis quidam occultè, quidã autem apertè Arium defenderunt, vt mirũ appareat in ea re Satanæ opus. Perſequuti ſunt autem Ariani orthodoxos longè tetrius & duriùs quàm vlli vnquam Pagani fecerant, vt ſcribit Socrates lib. 5. cap. 13. & Sozomen. lib. 6. ca. 37. Theodoret. lib. 2. hiſt. cap. 8. Latiſsimè verò propagata hæc hæreſis, etiam perſtitit diutiſsimè, vt ſcribit Socrates lib. 6. cap. 8. quando ne nunc quidem tetræ & amaræ ipſius radices exſcindi extirparíque è mundo potuerunt. Mahumetani enim ſunt huius infelicis ſtirpis ſtolones, & nunc quoque plus quàm 1500. poſt primum ipſius ortum annos, inter Chriſtianos (proh blaſphemia) nomine Seruetanorum, Dauidicorum, Syluaniſtarum, Blandratarum, Nearianorum repullulat. Floruit autem plus quàm 80. annos publicè in Eccleſia recepta, & niſi Deus per paucos quoſdam orthodoxos epiſcopos, veluti per Athanaſium, magna ſua miſericordia hoc venenum repreſsiſſet, fidem Chriſtianam, & veram de Chriſti deitate doctrinam prorſus ſublaturum & aboliturum erat. Ergo inter Græcos durauit etiam ſub Zenone imperatore Conſtantinopolitano, vt ſcribit Proſper (nam ſub Conſtantio, Valente, Theodoſio, Valentiniano, & proximis aliis regibus etiam floruit, ſuáque templa publicè conceſſa habuit) & poſtea ſub Anaſtaſio. Inter Latinos autem etiam fuit. Nam & Liberius epiſcopus Romanus illi errori fauit, & Auxentius, & alij penè innumerabiles, etiam Valẽtiniani mater. Lõgobardi anno Domino 700. hoc veneno infecti fuerunt. Oſtgothi & Vveſtgothi etiam hanc hæreſin ſequuti ſunt: ſed & Vandali quoque, quam in Africa ſtudioſè propagarunt. Honoricus enim eorum rex orthodoxos qui Carthagine erant, damnauit, collecta ex ſuis Synodo,

A nodo, cui Cyritta Arianus præfuit. In Gallia denique & Hiſpania ,ne quid intactum relinqueret,viguit. Scribit enim Gregorius Turonenſis Chilpericum Francorum regem edictis ſuis Arianis apertè fauiſſe,lib.5.c.44.& lib.9.ca.15.& idē de Hiſpanis tradit Paulus Diaconus. Fuit autē Arius natione Lybs,presbyter in Beucale eccleſia ſiue diœceſi,quæ intra Alexandrinę ciuitatis mœnia cōprehendebatur, qui ſiue ſubtili Alexandri epiſcopi argutiola commotus,vt Euſebius libr.2.de vita Conſtantini tradit , ſiue animi ſui vanitate &ambitione impulſus , hunc certè peſsimum errorem excudit,quò notior eſſet.Et quum primùm clàm cum Arius inſuſurraret, induſtria Meletii epiſcopi,de quo iā diximus,detectus eſt , & in lucē productus.Demum ad concilium Nicenum vocatus, ibique damnatus , aliquandiu iuſſu Conſtantini imperatoris exulauit.Sed pœnitētiæ ſimulatione, & technis Euſebii Nicomedenſis aulici epiſcopi perditiſsimi , ab eodem reſtitutus & reuocatus, quum in Conſtantinopolitanam Eccleſiam inui- B to & renitente Alexādro illius ſedis epiſcopo,admittendus eſſet ex iuſſu Imperatoris,pœna illi grauiſsima diuinitus inflicta eſt. Aluum enim exoneraturus,in publicas latrinas ſeceſsit,in quas viſcera miſerè fœdéque ipſe ſua , tanquam alter Iudas, in torminibus deiecit.Sozomen.lib.2.cap.30. Ex quo locus ille inauſpicatus habitus eſt, præterquā ab Arianis : & Diuini numinis ira & plaga in tam horrendæ blaſphemiæ autorem manifeſtiſsima apparuit.Propter quam tamen minimè reſipuerūt homines,& ab illo errore nefario deſtiterunt.Nā etiam tempore Caroli Magni extiterunt , ſed ab authore Felicio Feliciani dicti, idem cum Arianis ſentientes.

2 *Quo Patrem.*) Quæ fuerint Arianorum hypotheſes, videtur hoc loco cōplexus Auguſtinus. 1 Chriſtum neque eſſe Deum,neque æternū , ſed creaturam,excellentem quidem,& cæteris dignitate præſtantiorem. Itaque eum γνήσιον ὑιὸν Θεοῦ appellari, non autem adoptiuum tantùm, quemadmodum nos dici ſolemus, vt tradit Theodoretus Dialogo 2.Inconfuſ.Chriſtū dici Deum nō origi- C ne quidem , & naturâ, ſed operatione tantùm & gratiâ. Patrem autem Filio tanquam inſtrumento vſum eſſe ad cæteras res creandas.Vnde Duliani hæretici nati,qui Filium Paris ſeruum eſſe dixerunt, quemadmodum ex eo quòd Ariani negant Chriſtū natura Deum ,orti ſunt Bonoſiani hæretici, de quibus (poſt Gregorium in epiſtola ad Quirinum & can. Hi qui. De conſecrat. Diſt.4.) Iſidorus:qui Chriſtum eſſe quidem Filiū Dei, ſed adoptiuum tantùm contendunt,ex iſta enim luce innumerabiles hæreſes extiterunt. Ergo Ariani volunt Chriſtum eſſe ἐκ τῶν οὐκ ὄντων , ante omnes quidem creaturas , ſed tamen creatum & conditū fuiſſe.Vnde aiūt fuiſſe tempus quum nondum ille eſſet,& exiſteret. Inde eſt vexata illa Arij ſententia,Ἦν ὅταν οὐκ ἦν,id eſt,erat quando non erat,& toties Synodis exploſa,toties tamē ab Arianis repoſita. Adduxerunt autem ad ſui erroris confirmationem locum Prouerbiorum ca.8.ver.22. & Coloſ.1.verſ.15. quos Athanaſius eruditè explicat , & diſſoluit. Perperam enim ille Prouer. locus ex Hebræo traductus eſt , Creauit , pro *Poſſedit,habuit.*Atque ſic Chriſtus ipſe Ioan. 17. verſ.5. interpretatur. quanquam in huius gryphi & nodi ſolutione laboret & ſeſe fatiget Epiphanius. A Multis conciliis damnatus eſt hic error, ſed multis etiam defenſus. Nam & Ariminenſi,quam hæreticam appellat Auguſt.lib.3.contra Max.cap.14.& Hieroſolymitana ſynodo,& aliis aliquot particularibus confirmatus eſt. Tandem iugulatus conquieuerat , donec à Mahumeto interpolatus,& reuocatus poſtea ſub Carolo Magno à Felice , nunc etiam ab impiis & profanis Nearianis in Tranſyluania perfidiſsimè mundo propinatur.Quia verò in Euſebij,Ruffini,Socratis,& Theodoreti Eccleſiaſtica hiſtoria perſcribuntur omnia copioſè,quę ad huius hæreſeos ſucceſsionem,incrementa , damnationem & propagationem geſta ſunt, iis receſendis ſuperſedeo.

2 Error.Chriſtum corpus tantùm aſſumpſiſſe,non etiam animam humanā.Diuinitatem enim in eo illas quæ ſunt animæ propriæ actiones & partes peregiſſe.Theodor.Diag.2.& lib.4.Hæretic.fabul. Epiphanius quoque. Quod Arianiſmi caput alios quoque nempe Apollinariſtas hæreticos poſtea peperit. B 3 Spiritū ſanctum eſſe creaturam creaturæ , id eſt , Filii , quem creaturam appellant.

4 Rebaptizant ſæpius etiam orthodoxos & ab orthodoxis baptizatos, quòd vim ſalutis operi operato alligent. Formam quidem baptiſmatis à Chriſto conſtitutam non mutauit Arius : ſed δοξολογίαν peruertit. Nec enim ita Deo laudes cecinit , quemadmodum in orthodoxorum Eccleſiis fiebat,quia Hymnos ſuos ſic concludebant Ariani , *Gloria Patri per Filium in Spiritu ſancto* , pro eo quod in quolibet piorū cœtu ex vera Triadis fide & confeſsione dicebatur , *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto*.Inde inſtitutus eſt triſagius ille , qui canebatur in Eccleſia, hymnus,pro quot tot poſtea cōtentiones ſunt ortæ,ſed tamen orthodoxus & vtilis Eccleſiæ. Baptiſmum autem adminiſtrātes , non totum hominem immergunt vel intingunt , ſed tantùm ſuperiores eius partes vſque ad vmbilicū,inferiores enim hominis partes baptiſmo iudicant indignas. Itaque vt ne aqua in caput C effuſa in eas defflueret, faſciis paruulos vel homines baptizādos ab vmbilico ad imos vſque pedes inuoluebāt.Quem baptizandi ritum retinuerūt imprimis Eunomiani,poſt Eunomii in Pamphilia exilium , quo ab Imperatore Conſtantino multatus eſt. Nam hos etiam formam Baptiſmi poſtea mutaſſe,ſcribit Socrat.lib.5.cap.24.de quibus conqueritur Chryſoſt.Homil.1.in epiſt.Pauli ad Galat.Atque hæc ſunt pauca quidem numero, ſed veneno & fœtore maxima erroris Arianorum capita,quæ Satan in magnam ipſius Chriſti contumeliam,& fidei Chriſtianæ ſubuerſionē & perniciosiſsima toti humano generi profudit. Siquis alias Arianorum hypotheſes requirat,legat eorum ſermonem qui extat apud hunc ipſum Auguſtin. Tom.6.

AD SERMONEM ARIANORVM AVGVSTINI RESPONSIO.

Cap.1. ETſi Chriſtus ab Arianus Deus appellatur, duo tamen diuerſæ diſpariſque naturæ dij ab illis inducuntur.

A Etſi à volente Patre genitus eſt Filius, tamen non voluntate Patris ſuperueniente, ſed naturâ Deus eſt Filius, illi coæternus, non autem poſterior.

2 Filium eiuſdem eſſe cum Patre naturæ & eſſentiæ: quia neque ex nihilo factus eſſe dici poteſt: neque per alium, vel ex alio, quàm ex ipſo Patre, quia per Filium omnia facta ſunt.

3 Nec duos eſſe deos creatores: nec Filium à Patre diuerſæ eſſe naturæ, quia ſit ab eo miſſus.

4 Miſſus eſt Chriſtus vel Filius, quia in carne apparuit. Mittitur etiam Spiritus ſanctus, cùm dona eius à nobis ſentiuntur.

5 De Chriſto homine facto dictum eſſe, *Minor angelis factus eſt*, non autem de eo Deo. Hominem autem totum Chriſtus aſſumpſit, id eſt, corpus & animam.

6 Non eſſe diuerſam duorum naturam, quorum vnus imperat, alter paret.

7 Chriſtus dicitur feciſſe *Voluntatem Patris, non ſuam*, quatenus homo: non quatenus hominis B voluntas aduerſatur Dei voluntati. Itaque in eo Adamo Chriſtus opponitur. Quatenus autem Deus eſt Chriſtus, vna eſt trium voluntas, vti eſſentia eorum eſt vna.

8 Etſi Chriſtus homo dicitur, nō tamen propterea diuinitas eius excluditur, ſed vtraque natura in eadem perſona vnita eſt, & humana caro tūc eſt creata, cùm eſt ab eo aſſumpta ex Maria. Cuius vnionis ratione, & Deus homo: & homo Deus etiam in Scriptura dicitur Chriſtus.

9 Ariani Chriſtum volunt corpore & Deitate conſtitiſſe, tanquam duabus totius Perſonæ partibus. Animam enim humanam eum habuiſſe negant, quorum ſententiam refutat Auguſt. variis argumentis.

10 Idem.

11 Quod iudicium à Patre Filio datum legimus, de eo dicitur tanquam homine, in qua forma iudex appariturus eſt: non de eo, tāquam Deo, in qua forma neque appariturus eſt, neque inæqualis eſt patri: & à ſeipſo eam poteſtatem habet, quanquam eam Patri tribuit à quo eſt Filius.

C 12 Aſcenſio Chriſti ſecundum humanitatem eſt intelligenda: Seſſio eiuſdem ad Patris dexterā eodem modo, non quòd Deo brachia tribuenda ſint.

13 Non idcircò colligi minorem eſſe Filium Patre, quia dicitur iuſſu Patris de cœlo ad iudicium deſcenſurus. Nam hoc ipſum Verbum, quo iubet Pater, eſt Filius: nec præter Filium eſt aliud Patris Verbum. Id enim vel ſentire blaſphemū eſt.

14 Quod dicitur Filium non poſſe facere à ſe quicquam, Ioann. 5. oſtendit Filium ex Patre eſſe: quod dicitur *non poſſe*, non denotat in eo defectū, ſed conſtantiam naturæ, quòd ſibi contrarius eſſe non poteſt Deus.

15 Eſſe indiuiſa & inſeparabilia Trinitatis ad extra opera, vt vbi Pater agit, & Filius & Spiritus ſanctus, non quòd ſinguli ſint imperfecti: ſed quòd vna ſit trium eſſentia & indiuiſa natura. Propria ſunt tamen quædam Perſonæ cuiuſque opera, vt Filij incarnatio: Patris locutio in Baptiſmo Filij: Spiritus ſancti apparitio in columbæ forma.

16 Similitudinem quandam huius vnius & cōmunis diuinarum trium Perſonarum operationis eſſe in hominis intelligentia, memoria, & voluntate, quæ in quocūque hominis opere concurrūt. A

17 Dictum Chriſti explicat, *Sicut audiuit Filius iudicat*, vt & de Chriſto homine accipi poſſit: & de eodem Deo, quatenus habet à Patre vitam, veritatem, & etiam quia Filius eſt.

18 Confirmat ſuperius dictum de Chriſto potius homine, quàm Deo eſſe intelligendum. Perperam etiam colligi docet ab Arianis diuerſas eſſe trium illarum Perſonarum eſſentias, quia diuerſa illis tribuuntur officia, cùm diſpar dignitas diſparem naturam non concludat aut arguat.

19 Quæ munera tam ſcrupuloſè Ariani Filio & Spiritui ſancto tribuunt, vt diuerſas eorum eſſentias oſtendant, ſæpe cōfundi in Scriptura, adeò vt Filius & aduocatus & conſolator dicatur.

20 Inſignem ab Arianis fieri iniuriam Spiritui ſancto, quem minorem ſanctis hominibus faciunt.

21 Spiritum ſanctum non factum à Patre vel Filio: ſed dicitur in Scriptura ab iis proceſſiſſe.

22 Spiritum ſanctum in Scriptura nec Miniſtrum Filij, nec illi ſubditum, nec ab eo iuberi dici: B & quod Filius iubetur à Patre, id non ratione diuinæ naturæ, in qua Patri par eſt: ſed humanæ tantùm intelligi.

23 Spiritum ſanctum non adorare Filium, etſi eum glorificet, quatenus eum eſſe Seruatorem patefacit. Spiritus ſanctus accipit de Filio, quatenus & de Patre accipit, quia vna eſt vtriuſque poteſtas & natura, & ea ratione dictum eſt Spiritum ſanctum non loqui à ſeipſo quicquam, non quòd exſpectet iuſſum Patris, vt Miniſter.

24 In æternis, temporum diuerſa ſignificatio non eſt ſpectanda, cùm idem ſit fuiſſe, eſſe, & fore in illis.

25 Spiritus ſanctus non interpellat pro nobis apud Filium, ſed tantùm docet nos orare, & nos afficit ſenſu noſtræ miſeriæ quomodo oportet.

26 Filium non eo modo dici imaginem Patris, quo nos homines: ſed eſſe plenam, & eiuſdem prorſus naturæ.

27 Filium & Spiritum ſanctum non eſſe partem Dei: ſed vtrunque eſſe Deum verum & perfectum. C Filius naturâ filius eſt: non, vt nos, adoptione: Patri ſubditus eſt, & eo minor, quatenus eſt homo: non quatenus Deus. Spiritus ſanctus nec genitus eſt à Filio, nec factus. Minor enim eſſet nobis hominibus, qui ſumus opus Patris.

28 Inepta comparatio Patris ſine labore generātis: & falſa eſt doctrina, ſi Pater Dominus Filij dicitur, niſi quā homo eſt Filius, id dici intelligatur.

29 Spiritum ſanctum rectè coli, vti & Patrem ipſum, idcircòque Deum eſſe. Tota enim Trinitas vnus eſt Deus.

30 Filium adorari abs Spiritu ſancto falſum eſt. Verum autem eſt Deum adorari in ſpiritu, id eſt, in veritate, quod ad tres perſonas pertinet.

31 Filius Patrem: & Pater Filium glorificat patefaciens eum.

32 Quæ opera erga pios ſoli Spiritui ſancto tribuūt Ariani, illa ſunt Filio & Patri communia.

33 Primùm, falſum eſt propter diuerſa artificum opera diuerſam eſſe eorum naturam & eſſentiam. Deinde etiam falſum, Diuerſum eſſe in tribus Perſonis, ordinem, gradum, ſtatum, potentiam,

A rentiam,&c.

34 Quod multa colligunt Ariani repugnantia, quæ vni & eidem conuenire non poſſunt, in eo verè dicunt, quatenus diſtinguendas eſſe perſonas in Trinitate iſta docent,& valent contra Sabellianos. Sed quod de Chriſti humanitate dicitur,perperam ad illius deitatem iſti transferunt.

35 Nunquam Deus Pater fuit Deus, quin eſſet Pater:& ita quin Filium haberet. vnde eſt Patri coæternus Filius.

36 Amolitur crimen & inuidiam noui nominis Homouſianorum, quod ab Arianis impingebatur Chriſtianis. Docet etiam vnde deductum ſit.

37 Arianos ipſos ſecum pugnare. Chriſtus etiam dicitur Patri ſubiiciendus,quia forma & natura humana in eo manebit, & Deus ipſe erit omnia in omnibus.

38 Filius ante incarnationem dici non poteſt habuiſſe mandatum à Patre. Nam & ſeipſum volens dicitur exinaniiſſe.

B 39 Operis concluſio.

AD LIB. I. CONTRA MAXIMINVM ARIANORVM EPISCOPVM.

¶A principio vſque ad verba Auguſt.dixit, Monet me.

ARianorum fides quæ fuerit de Deo Patre, Filio,& Spiritu ſancto,& vt eam Ariminēſis ſynodi autoritate & prætextu oſtentare ſoliti ſint Ariani.

Vſque ad verb.Aug.dixit, Dixiſti Spiritum ſanctum per Chriſtum.

Ariani Spiritum ſanctum ita illuminatorem appellant, vt negent Chriſtum, tanquam infirmum & impotentem quendam Deum poſſe nos illuminare, niſi per ipſum Spiritum,& quòd ipſe Spiritus ſanctus nos illuminat, illud habere à Patre, tanquàm à cauſa & à fonte,non per ſe ſuáque vi id facere.

Vſque ad verba Auguſt.dixit, Si & Chriſtus illuminat.

Varii ſunt Ariani in fide ſua de Spiritu ſancto C declaranda,cùm & eum per Chriſtum illuminare docent, & Chriſtum per eum: & quæcunque habet Spiritus,eum velint habere à Patre, ſed & habere à Filio quoque,& illi eſſe ſubiectum.

Vſque ad verba Maxim.reſpondit, Religionis autores.

Spiritum ſanctum nō eſſe ſubiectum Filio:nec *Filium* Spiritui ſancto:ſed tres Perſonas eſſe inter ſe pares, eiuſdémque poteſtatis. Arianos autem facere,dum ita loquuntur,tres deos, quemadmodum faciunt idololatræ.

Vſque ad verba Maxim.reſpondit, Ac per hoc pares.

Quæcunque propria ſunt eſſentiæ diuinæ attributa,illa ſingulari numero tribuuntur tribus perſonis, vti ipſa eſſentia earum vna eſt.Sic igitur dicitur vnus omnipotens,inuiſibilis, &c. vti vnus Deus dicitur.

Vſque ad verb.Dicendo autem vnum Deum, bene quidem.

Ariani dicunt Patrem & Filium & Spiritum ſanctum eſſe vnum propter conſenſum inter ſe: A non quòd vna ſit trium eſſentia.Hoc refutat Auguſtinus.

Vſque ad verb.Auguſt.dixit,A vobis vnū Deū.

Viginti capita erroris Arianorum plena blaſphemiæ.

Vſque ad verb. Maxim. dixit, Loqueris quaſi auxilio.

Superiorum viginti capitum & blaſphemiarum luculenta,& breuis refutatio.

Vſque ad finem libri, viginti ſex capita Arianorum, quibus partim ſuam ſententiam confirmant:partim abſurdam eſſe orthodoxorum fidem docent.Maximè verò vrgent,quòd cùm Spiritum ſanctum ex eodem Patre eſſe dicamus atque Filium:cur etiam non vocamus eum Filium.Item referunt ad ipſam Chriſti diuinitatē illa dicta:quæ orthodoxi de eius humana natura accipiunt.Denique quæ Filio tribuuntur eximia, volunt illa ratione & comparatione ad creaturas,non autem ad Deum Patrem intelligi,veluti quòd Sapiens,Potens, Miſericors dicitur Filius.

Subſcriptio. B

Excuſatio Auguſtini cur hoc ipſo die reſpondere ſuperiori diſputationi non poſſit.

Ad lib.2.

Procemium. Arianum non potuiſſe refellere argumenta Auguſtini.

Cap.1. Non tolli ab Arianis illud abſurdum, vt duos deos colant, ſi Chriſtum colant, & ſit Chriſtus aliud à Patre.

2 Chriſtum contagione maculatum non fuiſſe,quia carnem humanam aſſumpſit. Itaque in eo loqui imperitè Arianos.

3 Deum inuiſibilem dici,tam Filium, quàm Patrem,in quo ipſo ſibi Ariani contradicunt.

4 Filium immortalitatem etiam habere, vti & Patrem.

5 Chriſtum minorem eſſe Patre quatenus eſt homo:nam quâ Deus eſt Filius ,eum eſſe Patri æqualem,nec id ab Arianis refutatum eſſe.

6 Comparationes à rebus terrenis ductæ ad C res diuinas explicandas non ſunt reprehendendæ: Filio Dei & Deo Patri fieri inſignem iniuriam, quòd non ſibi ſimilem, ſed alium, & degenerem Pater genuiſſe dicatur.

7 Filius agnoſcit Patrem ſuum Deum, quâ homo fuit,non quâ Deus.

8 Eâdem ratione dicitur Chriſtus ſubditus Patri.

9 Spiritus ſanctus propter gemitus, quos in nobis format,Patrem non adorat. Format autem in nobis eos Spiritus,non autem ipſe gemit.Item, Adorare & Rogare aliud ſunt.

10 Pater & Filius & Spiritus ſanctus non tantùm ſunt vnum tanquam conſentientes inter ſe voluntate:ſed ſunt vnus Deus,non diuerſi dij.

11 Spiritum ſanctum Deum eſſe,& nos eſſe illius ipſius tanquam habitatoris, non autem tanquàm tantùm præparatoris templa.

12 Sanctos & pios vnum eſſe inter ſe non autem vnum cum Deo. Nulla verò dici vnum eſſe, quæ diuerſæ ſint inter ſe ſubſtantiæ.

13 Patrem non eſſe Filio maiorem, vel ab eo aliud,quia teſtimonium illi perhibuit.

A 14 Filius diligit Patrem, nõ tanquam creatura creatorem, ſed tanquam vnigenitus genitorem.

15 Filius etiam eſt inuiſibilis, vt Pater, quâ Deus eſt.

16 Quod dicitur Deus Sapiens, immortalis &c. de tota Trinitate dici, non tantùm de Patre ſolo.

17 Filius etſi non eſt ingenitus, eſt tamen infectus, vt Pater.

18 Filius genitus eſt à Patre, in eum totam ſuam ſubſtantiam effundente, neque aliud, quàm quod ipſe eſt, gignente.

19 Spiritum ſanctum nõ eſſe Patre minorem. Nec eum cum columba vel igne, in quo apparuit, factum eſſe vnam perſonam, vt Chriſtus homine aſſumpto vna fuit perſona Deus & Homo. Denique nec eum eſſe mutabilem, vel conuertibilem, vt Ariani blaſphemant.

20 Genitus & Ingenitus non conſtituunt diſcrimen ſubſtantiæ, ſed modum tantùm diuerſum eam habendi.

B

Ad lib.3.

Proœmium. Superior liber continebat examen reſponſionis Maximini. Hic iam habet eiuſdem reſponſionis refutationem. Caput autem diſputationis eſt, Vtrum tres illæ perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſint vnius an diuerſæ eſſentiæ. Diſtinctas enim eſſe perſonas & Ariani & orthodoxi conſentiunt.

Cap. 1. Non accuſandos qui Principis autoritatem in fide implorant & adhibent.

2 Pater dedit nomen Filio, quatenus Filius factus eſt homo, non quâ Deus eſt.

3 Spiritus ſanctus ſatis iubetur ex eo adorari, quòd nos templa ipſius dicimur.

4 Seſsio Chriſti ad dexteram Patris non arguit eum eſſe Patri inæqualem.

5 Quæ donantur epitheta Spiritui ſancto ab Arianis, oſtendunt eum eſſe verum Deum.

6 Comparationes à ſe allatas defendit Auguſtinus.

C 7 Ambiguam Arianorum orationem eſſe oſtendit, cùm aiunt Deus Deum, Dominus Dominum, ſapiens ſapientem genuit: cùm velint maiorem Deum genuiſſe minorem, & ita ſemper Patrem & Filium eſſe diſſimilis naturæ & eſſentiæ inter ſe.

8 Tempus in ſuperuacuis cõſumere Arianos.

9 Deum eſſe inuiſibilem hominibus qui nunc viuunt, non angelis: non item hominibus in cœlũ iam receptis. Id quod & de Patre & Filio & Spiritu ſancto verum eſt. Falſum autem eſt, Maiora à minoribus videri non poſſe.

10 Ariani duos deos colunt cùm Chriſtum ſiue Filium Deum appellant, faciúntque à Patre eſſentiâ diuerſum. Nec tamen, cùm Trinitas Perſonarum ſtatuitur, deitas partibilis, aut quid compoſitum eſſe fingitur ab orthodoxis. Denique Filius iã erat perſona, antequam hominem aſſumeret.

11 Iterũ de Inuiſibili Filio quatenus Deus eſt, non quidem inuiſibili tantùm eo modo quo angeli ſunt inconſpicui: ſed inuiſibili, quo modo Pater ipſe eſt inconſpicuus.

12 Filius eſt non tantùm potens, ſed per ſe, vt Pater, omnipotens, quanquam quia à Patre genitus eſt, dici poteſt à Patre potentiam habere, quam gignendo dedit ei Pater: ſed ſuæ æqualem prorſus. Quòd autem Filium Filius non genuit, A non eſt impotentiæ. Potuit enim gignere Filius: ſed non oportuit eum gignere.

13 Filius item per ſe eſt ſapiens vt Pater: nec quod Rom.16. dicitur, *ſoli ſapienti Deo per Chriſtum gloria*, ad vocem Sapienti, ſed ad vocem Gloria, verba hæc per Chriſtum ſunt referenda.

14 Etſi à Patre etiã eſt Spiritus Sanctus, non ſunt tamen duo Filij, ſed vnus: quia nõ à ſolo Patre, ſed etiam à Filio eſt: nec eodẽ modo de vtroque procedit, quo Filius ex Patre, etſi differentia illa inter Procedere & Naſci explicari non poteſt. Vnus tamen eſt Spiritus qui & à Patre & à Filio procedit. Eſt autem Filius de ipſa Patris ſubſtantia, non de nihilo, non de aliqua creatura ſumptus: & ita Patri omnino æqualis, ídque naturâ, non gratiâ, & ita illi coeſſentialis & ὁμούσιος, vt patres ſunt locuti. Omnis autem doloris, cruciatus & paſsionum, quæ puerperis accidunt, cogitatio faceſſat ab hac Filij de Patre natiuitate. Ab æterno verò natus eſt Filius non à tempore. Nec transfundendo Pater amiſit, quæ habebat: B ſed ſibi æqualem genuit, quem poſtea miſit, quia ordo naturæ poſtulabat genitum à genitore mitti, non propter inæqualitatem eſſentiæ, vel vt loquitur Auguſt. ſubſtantiæ: ſed quia genitus eſt à genitore.

15 Ariani, Filium & Deum, & regem, & ſapientem concedunt eſſe, ſed poteſtate à Patre mutuata, & dignitate, vt minor à maiore accipit, non autem vt Filius ſit æqualis, eiuſdémque cum Patre ſubſtantiæ, id eſt, eſſentiæ. Hoc refutat Auguſt. ne minus Deo concedatur, quàm homini, qui Filium ſimilis ſibi ſubſtantiæ gignit, non diuerſæ. Item explicatio dicti, Ioan.17.verſ.3. *Hæc eſt vita æterna, vt te cognoſcant.*

16 Chriſtus non humiliter tantùm: ſed verè agnoſcit Patrem ſuum eſſe Deum. Et quod eundem Deum ſuum appellat in prophetiis, id ratione humanæ naturæ dixit, etiam antequam naſceretur Chriſtus, quia futurum tanquam iam factum Prophetæ ſignificant: & poſtquam reſurrexit C, idem dixit Chriſtus, quia verus homo etiam tunc manſit.

17 Spiritum ſanctum vti Patrem & Filium eſſe Mundi huius creatorem, vt & Filius ipſe eſt principium ſicut & Pater.

18 Ex Pſalm.110. probat eandem eſſe Patris & Filij eſſentiam: & ex obſequio Filij, negat diſſimilem eorum naturam rectè colligi concludíque poſſe. Nam quod Chriſtus dicitur fuiſſe ſubiectus parentibus, Luc.2. de eo eſt intelligendum, vt homine: non vt Deo: quemadmodum in eadem formâ humanâ & Patri ſubiiciendus eſt, & ipſe Mundum iudicaturus.

19 Spiritus ſãctus gemit, quia gemere nos facit.

20 Vnus & Vnum ita differunt, vt Vnus de perſona dicatur: Vnum de eſſentia. Sunt autem Pater & Filius vnum, non tantùm ratione voluntatis eiuſdem, ſed ſubſtantiæ, id eſt, eſſentiæ. Propter duarum autem naturarũ in Chriſto vnionem hypoſtaticam, quæ ſunt vnius naturæ propria, tribuuntur alij. Denique inſeparabilia ſunt Trinitatis opera.

21 Probat Spiritum ſanctum eſſe Deum, tum quia eius templum ſumus: tum quia nos ſanctificat, non tantùm præparat vt ſanctificemur, &

A Dei templum ſimus.

22 Vnum de ſubſtantia dicitur: Vnus de perſona. Itaque Deus & homo eſſe vnum dici non poſſunt: quia ſunt diuerſę eſſentiæ. Filius tamen & Pater Deus, vnum ſunt, quia ſunt eiuſdem eſſentiæ, imo eadem ad numerum eſſentia: Spiritus autem aqua & ſanguis 1. Ioan. 5. dicuntur Vnum non ratione eſſentię, ſed ſignificationis, finis & ſacramenti ratione & modo.

23 Infinita ſunt teſtimonia, ex quibus apparet tres perſonas diuinas eſſe vnum Deum, non duos aut diuerſos. Explicatio horum verborum, *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt.* Item, *Ego ſum Dominus, & non eſt Deus præter me.*
Chriſtus autem non eſt bonus bonitate ſibi à Patre communicata, quatenus Deus eſt, vel menſurata quadam bonitate: ſed infinita, quia Deus eſt & verus & natura.

24 Chriſtus obſequitur Deo, quatenus homo eſt.

B 25 Chriſtus minor Patre in forma ſerui. Hominis autem naturam, qualem quidem nobis Deus in cœlo reſtituet, quadam ratione angelica maiorem eſſe aſſerit hoc loco Auguſt. Quod in Chriſto quidem verum eſt: in nobis falſum.

26 Errare Arrianos, qui ſemper viſum eſſe Chriſtum ante incarnationem ſuam à Patribus volunt: & eum ſolum contendunt feciſſe hominē, cùm ſit homo opus totius Trinitatis, non ſolius Filij. Viſio trium angelorum qui Abrahamo ad quercetum Mambræ apparuerunt, explicatur. Denique Deum in ſua ſubſtantia eſſe inuiſibilem: & quòd videtur, per ſubiectam creaturam id fieri. Poſtrema tandem eſt concluſio totius huius diſputationis.

EX LIB. CONTRA FELICIANVM ARIANVM.

Cap. 1. RAtio ſcribendi & cur per dialogiſmum de hoc argumento ſcripſerit Auguſtinus.

C 2 In tradenda fidei doctrina, vtrum à ſacris teſtimoniis potius, quàm à ratione ſit apud rudes inchoandum.

3 Pater & Filius idem ſunt identitate & vnitate eſſentiæ: diuerſi autē proprietate perſonæ. Itaque vna & eadem perſona non dicitur genitus & ingenitus ab orthodoxis.

4 Cùm Pater dicitur ingenitus, principium temporis non tribuitur illi, quo ante filium, qui ex eo genitus eſt, extiterit: ſed excluditur tantùm originis principium, quod Filio datur. Pater tamē & Filius ſunt coæterni: nec prius Pater Deus fuit, quàm Pater: nec prius Pater, quàm Filium genuerit.

5 Refutat vulgata illa Arianorum verba, *Erat, quando non erat:* quòd & ambigua ſint, & abſurdam falſámque ſententiam contineant, & minus Dei Filio, quàm loco & tempori tribuant. Denique coęternum Patri Filium eſſe docet, id quod exemplo ignis illuſtrat.

6 Adhibita quadripartita diuiſione Filium ex Patris ſubſtantia eſſe docet, neque enim adoptiuū eſſe: ex eo tamen non diuidi Patrem in duos, quod Ariani criminantur.

7 A definitione creaturæ Filium nō eſſe creaturam probat, vtcunque excellentem, quam tamē eſſe Filium Ariani contendunt. A

8 Etſi Filius ex Patre eſſe dicitur, non idcirco tamen prior eſt tempore Pater, quàm Filius, quia quamuis in rebus naturalibus hoc verum ſit: in æternitate tamen ceſſat, & in diuinis perſonis.

9 Etſi eſt eiuſdem cum Patre eſſentiæ Filius, propter diſtinctionem vtriuſque perſonæ nō poteſt Pater dici homo factus, vt Filius, quia hoc fuit tanquam accidētarium quiddam eſſentię diuinæ: non autem illi naturale.

10 Chriſtus carne, non diuinitate paſſus eſt, & idcircò Pater, qui noſtram carnem nō aſſumpſit, paſſus dici non poteſt. Nec tamen duo Chriſti à nobis conſtituuntur, vel vnus in duas perſonas diſcerpitur: ſed in vnitate perſonæ duæ naturę diſtinctę (quarum quæque ſuas proprietates inconfuſas ſeruauit) proponuntur.

11 Vti in vna & eadem Chriſti perſona duæ ſunt diſtinctæ naturæ: ita natiuitas duplex in eo conſideranda eſt, vna quidem æterna per quā Dei Filius eſt: altera verò humana & temporalis, per quam eſt Mariæ Filius & homo. Nec tamen propterea in eodem Chriſto vel naturę confundūtur: vel perſona geminatur. B

12 Dei Filium de Maria natum eſſe, eſt eum humanam carnem de Maria aſſumpſiſſe, non autem eſt eum, quà Deus eſt, ab ea productum, & editum fuiſſe: ſed tantùm eſt carnem, quam Filius Dei aſſumpſit, dediſſe & eum concepiſſe, vt ex ea naſceretur. Itaque Maria genuit Dei filium, & non genuit. Genuit quâ humanam carnem ille induit. Non genuit, quâ æternum eſt Verbum Patris etiam ante Mariam, & ab æterno ex Patre natum.

13 Chriſtus non tantùm carnem, ſed etiam animam humanam aſſumpſit. Alioquin Mediator noſter dici non poteſt, quia & meliorem noſtri partem contempſerit, & vulneratam non curauit.

14 Chriſtus in triduo illo, quo in ſepulcro corpus ipſius iacuit, nec carnem ſuam deſeruit, nec vitam, qua Deus eſt, amiſit: nec etiam anima eius vita priuata fuit. C Manſit itaque ſemper vita quâ Deus eſt, omnia implens, vbique totus, tota vita, vti anima hominis diſcedens à corpore, ipſa tamen in ſeſe ſemper vita manet: Caput aureum pro vnione naturarū, & earum tamen diſtinctione probanda.

Caput aureum.

15 Probat animam Chriſti non fuiſſe mortuā, etiam illo triduo quo in ſepulcro iacuit Chriſtus, nedum ipſius diuinitatem.

16 Chriſtum tamen & Filium Dei dici mortuum, nimirum per communicationem idiomatū & propter carnem aſſumptam, quæ mortua eſt, quemadmodum & homo totus mori dicitur, cuius tamen anima non moritur.

17 Quo tempore corpus Chriſti erat in ſepulcro, eius diuinitas vbique tota erat, licet ſeſe aliquo præſentiæ ſuæ ſigno ſpecialiter tunc in inferno, vt putat Auguſt. demonſtraret.

18 Chriſto mors accidit non propter ipſius peccata, ſed propter noſtra, nec ea mors tamē, qua iniuſti Deum non vident: ſed qua iuſti ad Deum migrant.

DE BONO CONIVGALI CONTRA IOVINIANVM.

¶In hoc libro multæ ſunt Auguſtini ἀκυρολογίαι: ſed iam opinionibus ſui ſeculi in laudes nimias Virginitatis vergentis abreptus Auguſtinus ita ſcripſit, Longè tamen in hoc argumento ab erroribus Hieronym. contemporanei ſui differt atque diſcrepat Auguſtinus.

Cap.I. CVm Deus hominem animal gregabile condiderit, primam ſocietatem in coniugio ſanxit: ſecundam in liberis, qui ſunt coniugij fructus.

2 Dubiè & variè diſputatum quid illa verba ſignificent, *Creſcite & multiplicamini*: & qua ratione ſobolem Adam ante peccatum ſuſcepturus erat.

3 Coniugii à Deo inſtituti, & quod etiam non hodie inter homines durat, varia bona enumerata. Cuius ſanctitas apparet tum in vinculo ſtrictiſſimo: tum quòd nuptias ſua præſentia honorauit Chriſtus. Commoditas autem eſt in liberorũ procreatione, mutuo affectu & charitate, libidinis remedio, & quadam morum grauitate, propter nomina Patris & Matris.

4 Fides quoque data à coniugibus, coniugij bonum eſt, quam qui violat, adulter eſt: fidei autem in vniuerſum vim eſſe maximam docet Auguſtinus.

5 Concubina quæ ſola & vnica citra vxorem habetur, quæque fidem vni ſeruat, vtrum vxor ſit dicenda & cenſenda. Item, Vtrum ea coniunctio, in qua alter coeuntium non habet animum coniugij, ſit coniugium, an ſcortatio potius dicenda.

6 De vſu coniugij, qui laudandus eſt, & de eo, qui ignoſcendus eſt, qui tamen nec ipſe culpa eſt matrimonij. Caſtè etiam vtendum coniugio, non autem meretricia quadam libidine docet Auguſtinus.

7 Vtrum diuortio propter adulterium (quod eſt ab altero coniugũ admiſſum) facto, illi, qui innocens eſt, liceat alias nuptias quærere viuẽte adhuc eo, vel ea, cum qua diuortiũ fecit. Hîc næuus Auguſtini apparet.

8 Virginitas & Continentia non dicuntur ἁπλῶς Bonum quiddam, tanquam malum ſit coniugium: ſed quòd comparatione cõiugij ſint quiddam melius, vt immortalitas ſanitate melior. Coniugium enim eſt ipſum per ſe & bonum & honeſtum. Sæpe verò Virginitas & Continentia ex fine malum ſunt.

9 Coniugium eſt propter aliud bonum quiddam quia malo medetur. Ergo qui eo non egent, videntur meliori conditione frui, quàm qui egẽt: etſi eo vti tamen honeſtum eſt. Hîc etiam ſunt quædam Auguſtini ἀκυρολογίαι, veluti quòd ſine cõiugio ex illicitis coitibus multos mortales naſci probat.

10 Nuptias eſſe & licitas & honeſtas, in quibus non ſit nimius cõiugij & coitus vſus, qui impediat orationes: neque etiam cõtra naturã. Quid etiam ſignificet apud Paulum, 1. Corinth. 7. verſ. 6. *Venia*, explicat.

11 Vſus vxoris contra naturam quàm ſit damnabilis. Explicat etiã quæ de Virginitatis laudibus paſsim extant, 1. Cor. 7. quæ docet non accipienda abſolutè, vt propterea coniugium damnetur: aut tanquam non ſit caſtum: aut ſeruire Deo non poſsint coniuges, ſed tantùm ex comparatione commoditatis cuiuſdam maioris, quæ eſt in non coniugatis.

12 Non omnes coniuges à Deo abduci, & de Mundo cogitare: vti neque omnes continentes Deo ſeruire docet. Itaque non omnes coniuges damnari, aut in metum adduci oportere ex Pauli dicto.

13 Longè veteribus Prophetis, quàm nobis Chriſtianis facilius indulgendum fuiſſe, vt matrimonia contraherent, quòd illi Chriſtum ex ſe naſciturum exſpectarent. Vtriſque tamen honeſtum tantùm & moderatum coniugis vſum eſſe conceſſum.

14 Nec concubinatum quidem temperatum intemperati coniugii vſui comparandum, aut præferendum, quia ille cõiugii violatio eſt: iſte næuus tantùm rei licitæ aſperſus, qui nuptiali ordini crimen non imponit.

15 Propter non ſuſceptos liberos diſſolui coniugium non poteſt. Nam etiam coniuges manent, qui ſteriles ſunt. Plures autem vxores Patres habuerunt, quod nobis hodie non licet. Fuit enim iſtud in illis non libidinoſum, ſed myſteriale quiddam.

16 Comparatione coniugij cum cibo docet, quàm ſit neceſſarium ad humani generis conſeruationem: & quomodo eo vtendum. Denique vt damnandi qui eo vel abutuntur prorſus: vel non legitimè vtuntur. Liberos tamen ex adulterio ſuſceptos conſolatur, quos negat ipſos, vt malum quid, deteſtandos.

17 Maiorem coniugij concedendi laudandique in Patribus, quàm in nobis fuiſſe rationem. Itaque eorum nuptias fuiſſe noſtris ſanctiores. Hæc quoque eſt ἀκυρολογία Auguſt. Quanquam tamen plures maritos vna mulier habere nunquam etiam inter illos potuit: fœmina enim pluſquàm ab vno viro infœtari & ingrauidari non poteſt.

18 Quòd vnius tantùm vxoris & viri eſt coniugium, quodammodo vnitatem futuræ eccleſiæ repræſentat. Itaque hac ratione coniugium eſt ſacramentum: vti in Patribus pluralitas vxorum fuit futuræ Iudæorum & Gentium in vna & eadem eccleſia vnionis ſacramentum. Ἀκυρολογία Auguſtini. Atque noſtri coniugati Patribus coniugatis non ſunt, ait, comparandi.

19 Sed nec cœlibes noſtri Patribus coniugatis ſunt meliores. Omnino verò nuptiæ Patrum fuerunt ſanctiſsimæ, quia propter Chriſtum futurum filios quærebant, vt ex iis naſceretur: non tantùm propter ſucceſsionem generis humani reſarciendam.

20 Purgationes poſt coitum, poſt mortui contactum, poſt menſtrua, præceptæ in lege Dei fuerunt vmbræ rerum futurarum, & informationes futuræ melioris purgationis: peccatum tame eſſe nuptias non probant vel ipſum coitum.

21 Patres, qui ſub Lege vixerunt, etiam fuiſſe continentes, vt ij ipſi qui ſub Euangelio Continentes & Virgines dicuntur: ſed hi ſunt tales etiam opere: illi verò tãtùm habitu & animo & affectu, quia virtus non ſemper operatur, ſed cùm eſt opus.

22 Cælibes qui ſunt ſub Euangelio non debent vel dicere vel ſentire ſe meliores Patribus coniuga-

coniugatis, qui fuerunt ſub lege. Nam illi habitu habebant, quod iſti opere demonſtrant, idem demonſtraturi, ſi & tempus & opus fuiſſet.

23 Caſtitas Virginalis per ſe maior eſt caſtitate Nuptiali. Abraham tamen & Sara coniuges fuerunt meliores Virginibus noſtri tẽporis, quia fuerunt Deo obedientiores. Nec Virginitas cum inobedientia virtus eſt.

24 Tria Nuptiarum bona, Fides, Proles, Sacramentum, quorum duo priora ſunt omnium gentium etiam infidelium communia. Tertium ſolùm fidelium, ne inter Chriſtianos damnẽtur nuptiæ.

25 Patres, qui plures vxores ſimul habebant, excuſat Auguſt. & coniuges adhortatur, vt ſanctè ſuo coniugio vtantur. Continentes item admonet, ne ſe veteribus illis Patribus & Prophetis cõiugatis præferant. Denique iam vota de Virginitate facta fuiſſe ex hoc capite apparet.

AD LIB. DE SANCTA VIRGINITATE.

Cap. I. SVperioris capitis & libri anacephalæoſis, & huius tractatus cum illo ſuperiore connexio. Denique huius libri finis duplex oſtenditur, tum exhortatio ad Virginitatem: tum deiectio Virginum, ne inflentur.

2 Eccleſiam Dei Virginem & Matrem dici, vt nec fœcunditas ſanctitatem, nec ſanctitas fœcunditatem impediat.

3. Cognatio non iuuat, nec fecunditas, nec aliud quicquam, ſed fides ex qua fratres Chriſti dicimur.

4 Mariam iam animum & votum apud ſe habuiſſe ſeruandæ Virginitatis, cùm angelus ei conceptionem Chriſti denuntiauit.

5 Vera mater & ſoror & frater Chriſti etiam nunc eſt, quicunque facit voluntatem Dei Patris vt ipſe profitetur.

6 Eccleſia Dei qualis eſſe debeat, in Maria quodammodo demõſtratur, nempe Virgo & Mater: ſed mater ſpiritualis, non autem corporalis, vt Maria fuit Chriſti mater.

7 Coniugatas mulieres non debere ſe præferre virginibus, quia membra Eccleſiæ pariunt. Nõ pariunt enim quatenus ſunt Eccleſiæ membra, ſed quatenus filiæ Adami. Facit enim fides & charitas eas membra Eccleſiæ, non autem humanitas vel ſexus.

8 Virginitas nõ per ſe, ſed quatenus Deo ſeruit laudanda eſt, quæ magis ex animi, quàm corporis integritate æſtimanda eſt.

9 Fecunditas nuptiarum non præferenda eſt Virginitati, quia alio modo, quàm nuptiis membra eccleſiæ acquiri poſſunt, vti emptione ſeruorum, qui fiant Chriſtiani. Ακυρολογία Auguſtini.

10 Fœcunditas potius naturæ, quàm coniugii effectum eſt, cùm etiam ex inhoneſto coitu naſcantur liberi, inf. cap. 12.

11 Virginitas laudanda quatenus Deo conſecrata eſt.

12 Nuptiæ quanquam bonum ſuum habent, tamẽ Virginitati Deo ſacratæ nõ ſunt præferẽdæ.

13 Virginitatis bonum non in præſenti tantùm eſſe ſeculo, quòd multis moleſtiis carent: ſed in futuro, quod maius præmium conſequentur, eóque pertinere Pauli verba.

14 Virginitas, non præcipitur à Paulo: ſed duntaxat conſilium de ea datur ex qua maior gloria in futura vita erit, quia facilius virgines, quæ ſunt Dei cogitant, & procurant.

15 Alia eſſe in negotio coniugii præcepta Pauli, alia verò conſilia.

16. Coniugium à Paulo, non vt quid illicitum damnatũ eſt: ſed vt quiddam Virginitate oneroſius & moleſtius. Illas autem moleſtias explicat Auguſtinus.

17 Quod ait Paulus, *Parco vobis*, 1. Cor. 7. non dicitur à Paulo tanquam ſit cõiugium peccatum: ſed duntaxat vt conſilium, quo moleſtiæ euitentur. Denique quid iam laudes Virginitatis inuexerint mali, docet Auguſtinus vt iam Scripturæ loci corrumperentur à quibuſdam μισογυνεῖοι.

18 Idem perſequitur, atque oſtendit eorum errorem, qui in contumeliam nuptiarum Virginitatem laudant.

19 Concluſio, non æquandas Virginitati nuptias: eas tamen non eſſe peccata.

20 Inuehitur in nuptiarum accuſatores.

21 Maiorem Virginitatis commendationem eſſe, cùm Nuptiæ bonum dicuntur, quod tamen tranſcendit Virginitas: non autem cùm pronuntiantur eſſe malum, cuius deuitatio tantùm eſſet Virginitas.

22 Virginitatis bonum non in hac tantùm vita eſt ſed in futura, cùm Virgines liberius & melius de Deo cogitent, cuius rei fructus maximus eſt in vita æterna.

23 Idem confirmat dicto Chriſti. Nam futuram vitam reſpicit qui ſe caſtrat propter regnum cœlorum, Mat. 19.

24 Idem vult probari teſtimonio Iſaiæ 56. quod variè interpretatur.

25 Idem agit, & ſuam de Iſaiæ loco allato interpretationem confirmat.

26 In beata vita non futura omnium beatorum præmia æqualia.

27 Virginum gaudia fore maiora in cælo, quàm coniugatorũ: atque ad virgines exhortatio.

28 Enumeratione probat etiam coniugatos poſſe & beatos eſſe, & ſequi agnum, id eſt, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

29 Virgines & perpetuò continentes fore feliciores coniugatis.

30 Coniuges tamen animum deſpõdere non debent.

31 De Humilitate, quæ Virginitatis dux potiùs quàm comes eſſe debet, quæ eò magis nobis eſt neceſſaria, quò maioribus donis excellimus. Superbia autem contraria eſt humilitati: Superbiæ comes eſt Inuidentia.

32 Variis ſcripturæ teſtimoniis & exemplis commendat Humilitatem vt præſtantiſſimam virtutem.

33 Superbia Virginitatis bonum corrumpit.

34 Non diſſolutæ & aliâs culpabilis vitæ Virgines tantùm humiles eſſe debent, ſed etiam ſanctiſſimæ, ne ſuperbiant. Enumerat etiam Auguſt. vitia iſtarum Virginum, quæ in capillis & veſtitu ſe nimium ornabant.

A 35 Humilitatis exẽplum & pręceptum à Chriſto ipſo Dei Filio nobis datum eſſe, in quo ſunt omnes ſapientiæ theſauri.

36 Superius præceptum Chriſti iis maximè neceſſarium, qui priùs ſceleratam vitam duxerunt.

37 Sed etiã iis, qui ſanctè vixiſſe in media ipſa Dei eccleſia videntur, quãdo Chriſtus ſanctus ſanctorum & humilis fuit, & nos ſuo exemplo humiles eſſe iubet.

38 Virgines ſi verè Deum diligant in timore futuras, non eo quidem qui ſeruilis eſt & à charitate repellitur: ſed eo, qui filialis eſt, & à charitate proficiſcitur. Eſt enim timor duplex.

39 Eò magis Virginibus vt humiles ſint cõtẽdendum, quòd ſpiritus ſanctus in ſolo corde humili habitat, quem illæ habere deſiderant.

40 Tum exemplo Virginum, quæ poſtea cadunt: tum ex eo quòd quę ſanctæ vixerunt, nõ ſua, ſed Dei gratia id habuerunt, Virgines humiles eſſe debent.

B 41 Dei donum eſt, quòd homines quidam à pueritia ſanctè vixerunt, ne ſuperbiant. Hoc verũ eſſe probant & ſanctorum orationes, & præceptũ de pœnitendo poſt peccatum.

42 Omnis pudicitia, caſtitas, ſapientia, aliáque virtus merum Dei donum eſt, & plus humiliari debent qui à principio ea habuerunt, quia plus à Deo acceperunt.

43 Ne de ipſa quidẽ Dei gratia nobis data eſſe gloriandum in nobis ipſis.

44 Virgo ſe nuptæ non præferat, quia neque ſcit ipſa quàm ſit infirma. Ergo etſi Virginitas cõiugio præfertur: nulla tamẽ virgo ſe præferre cuiquam debet.

45 Quid cẽteni, ſexageni, & triceni fructus ſignificent, in parabola ſeminis eſſe incertum.

46 Varia eſſe Dei dona in homines, nullũ tamen maius Martyrio mortis pro nomine Chriſti, cui ſe Virginitas præferre non debet.

47 Virgo ſæpe non poteſt Martyrium perferre. Ergo ſe præferre nuptæ non debet, quæ ſæpe Martyrium pro fide ſuſtinuit.

48 Cùm doceamur omnes quotidie remiſsionem peccatorum à Deo petere, debemus deiici: & Virgines ipſę ſeſe damnari hoc eodem reatu agnoſcant. C

49 Non vna tantùm impudicitia à Deo damnata eſt: ſed & alia vitia, quibus ſunt Virgines obnoxiæ. Ergo ne propter continentiam ſuperbiant.

50 Etiam leuia quæ videntur peccata, ſunt tamen peccata. Ergo propter ea deiici debemus. Sed & qui minimè peccant, ſunt tamen humillimi, vt tantò magis, qui peccant humilientur.

51 Humilitas cuſtos eſt & Virginitatis, & cæterarum omnium virtutum.

52 Exhortatio ad humilitatem & continentię perſeuerantiam.

53 Non tantùm à grauiſsimis peccatis, ſed iis quæ leuia ſunt, ſibi cauere Virgines debent.

54 Virgines, quia & Chriſti ſolius ſe eſſe ſponſas profitentur, in eum & paſſum & reſurgentem perpetuò intueantur.

55 Totæ ſe Chriſto addicant, propter quem profitentur ſe rebus omnibus renuntiaſſe.

56 Deum denique perpetuò laudent.

A

AD LIB. I. DE ADVLTER. CONIVGIIS, AD POLLENTIVM.

¶In his etiam libris multi ſunt Auguſtini naui, ex quadam iam recepta opinione, diſſolui nullo modo & ratione poſſe contracta ſemel coniugia, falſáque interpretatione loci Matth. 19. verſ. 10.

Cap. I. POllentii ſententia quę fuerit. Hanc autem explicat in fine huius capitis Auguſt. Nimirum vt cuilibet coniugi liceret extra cauſam fornicationis à coniugio diſcedere cùm vellet, etiam non conſentiente altero coniuge, modò qui diſceſſerat, innuptus maneret. Prima theſis Pollentii.

2 Non licere alteri coniugi alterum dimittere inuitum & non conſentientem. Quod rationibus quatuor probat, quarum tres à Pauli dicto & autoritate ducuntur: quarta verò à Chriſti ipſius autoritate. Error.

3 Ne continentiæ quidem cauſa licet alteri cõiugi alterum inuitum & non conſentientem dimittere. Explicat dictum Pauli, 1. Corinth. 7. 11. ſed ἀκυρολογία in illa interpretatione ineſt, dum putat eam Pauli ſententiam ad eos pertinere, qui ex cauſa fornicationis diuortium faciunt. B

4 Hypotypoſi quadam ſententiam Pollentii proponit, vt quàm ſit abſurda intelligatur.

5 Idem Pauli dictum, 1. Corint. 7. explicat, ſed Auguſt. non animaduertit Paulum velle coercere licentiam illam diuortiorum, quæ tunc fiebant etiam extra cauſam adulterii.

6 Pollentius dixit licere mulieri, virũ propter fornicationem relinquenti nubere alii: ſed nõ expedire, ne videatur intemperans. Hanc ſentẽtiam reprehendit Auguſt. Nec enim licere putat nubere, in quo ipſe Auguſt. errat. Secunda theſis Pollentii.

7 Docet idem quod ſuperiùs, non licere coniugi à coniuge inuito diſcedere, quãquam ad eam rem Pauli locum malè applicat.

8 Neutri coniugi alterum propter fornicationem dimittenti licere nubere. Ἀκυρολογία Auguſtini. C

9 Reſpondet obiectioni, quæ ex Matt. 19. fieri potuit. Contendit autem Auguſt. minus quidem mœchari & peccare, qui vxore propter fornicationem dimiſſa aliam ducit: ſed tamẽ peccare. Hoc etiam falſum eſt, & ἁμάρτημα Auguſt.

10 Matth. cap. 19. verſ. 9. variè legi.

11 Matth. ex parte totũ & intellexiſſe & propoſuiſſe. Alios autem euangeliſtas vniuerſalius hanc Chriſti ſententiam expreſſiſſe.

12 Lucæ locum 16. verſ. 18. explicat, ſed *perperam*. Nam dimiſſa propter fornicationem non eſt amplius vxor, ſed tamen propter culpam nubere non debet.

13 Pollentius dixit, Non licere fidelibus coniugibus dimittere coniuges infideles, quia in iis vinculum manet. Hanc ſententiam reprehendit Auguſt. & malè: quanquam ipſe non putat expedire, vt fideles à fidelibus coniugibus diſcedant, etſi tamen poſſe putat. Tertia theſis Pollentii.

14 Multis propter aliorum ædificationem eſſe abſtinendum, quæ nobis tamen licent. Vera Auguſtini ſententia, ſed extra rem.

15 Nul-

A 15 Nulla illicita expediunt, etſi multa licita non expediunt.

16 Difficilis eſt definitio eorum, quæ non expediunt etſi licita ſunt. Pendet enim ex variis circumſtantiis.

17 Quæcunque iniuſta ſunt non expediunt, quia ſunt peccata. quæcunque iuſta ſunt, ſępè non expediunt propter fornicationem.

18 Infidelem coniugem à fideli dimitti poſſe, quia infidelitas eſt animi fornicatio, & longè maior, quàm fornicatio corporis, propter quam tamē licet vxorem dimittere: coniuges fideles Dominus ipſe aliquando iuſsit dimittere vxores ſuas infideles. Næuus Auguſtini.

19 Ita quidem expedit infidelem coniugē retinere, etſi licet dimittere, vt qui facit aliter, peccet quidē propter charitatis pręceptū, non autem peccet contra iuſtitiæ diuinæ vetitum. *Ακυρολογία* Auguſtini.

20 Confirmare nititur licere coniugi fideli infidelem dimittere.

B 21 Pollentii rationem refutare conatur Auguſtinus ex his Pauli verbis, *Ego dico, non Dominus*, quaſi Dominus ſoluat coniugia fidelis cum infideli iam contracta. Falſum hoc. Non attendit enim Auguſt. Paulum ſic loqui non ipſius coniugij, quod inter diuerſæ religionis homines iam contractum eſt, retinendi gratia: ſed totiùs futuræ & dandæ à ſe præceptionis ratione, in qua eſt pars quædam, quæ expreſſo Dei verbo non continetur, qualis illa eſt quæ eſt eiuſdem, 1. Corinth. 7. ver. 15. pars autem, quæ expreſsè continetur.

22 Impingit ſemper in eundem ſcopulum Auguſt. vt neget licerę ei, qui propter fornicationem coniugem dimiſerit, aliam ducere.

23 Ac ne quidem vt fiat Chriſtiana, quæ ducenda eſt priore vxore propter fornicationem dimiſſa.

24 Nec votum continentiæ rumpere licet, vt ea ducatur, quę Chriſtiana futura eſt.

25 Non eſt in nouo teſtamento expreſſè vetitum, ne fidelis infidelem ducat, etſi Cyprianus id factum inter peccata recenſet.

C 26 Catechumenus, qui baptiſmum moriens petit, etſi nondum ad interrogata poteſt reſpōdere, eſt tamen baptizandus.

27 Neque cùm hoc fit, ſanctum datur canibus.

28 Catechumeni etiam in adulterinis coniugiis baptizandi ſunt, ſi baptiſmum petant moriētes. Quod ſi ſuperuixerint, cogendi ſunt vt illas coniuges dimittant: aut ſi nolint, ſunt excommunicandi.

Ad lib. 2.

Cap. 1. Cur ſuperiori liber hic fuerit addendus.

2 Sententia Pollentii quæ fuerit, docet. Vera certè illa fuit, etſi eam damnat Auguſt. ſed *ἀκυρολογίας* multas ipſe habet.

3 Negat Auguſt. adulterio ſolui vnquam poſſe coniugij vinculum. Fallitur, etſi adulteræ tamen non erat concedendum vt nuberet, ne ex ſuo dolo atque maleficio lucrum auxiliúmque ſentiat.

4 Mulierem etiam poſt fornicationem repudiatam manere coniugem prioris mariti, adeò vt ille alteram, ſi velit, ducere non poſsit. Falſum Pauli verò dictum prolatum pertinet ad ea coniugia tantùm, in quibus neutrius coniugis culpa aut adulterium interuenit, & quæ verè manent coniugia: non ad ea vbi alter coniugum mœchatur. A

5 Simili ducto ab excommunicatione confirmare ſuam ſententiam nititur Auguſt. & eodem ſemper impingit.

6 Poſtquam coniux adulter pœnituit, nō iam pro adultero ab altero coniuge habendus eſt: ſed illi reconciliari debet. *Ακυρολογία*.

7 Quidam ex cap. 8. Ioan delent hiſtoriam totam de fœmina adultera ad Chriſtum adducta, & non damnata.

8 Pari pœna & ratione viros adulteros eſſe puniendos, atque vxores puniuntur. Id quod tum ratione: tum autotitate legum Romanarum probat Auguſt.

9 Si vxori adulterę & pœnitenti vir reconciliari nolit, ne tamen alteram ducat, ait Auguſt.

10 Propter incontinentium querelas diſſolui coniugia non poſſe, nec etiam debere: ſed Legem Dei eſſe omnino ſequendam. B

11. Ne procreandorum quidem liberorū gratia ſterilis vxor dimittenda eſt.

12 Sed nec eorundem liberorum ſuſcipiendorum gratia mœchandum eſt: Itaque qui extra legitimum coniugium liberos quærunt, non excuſantur.

13 Non eſt liberorum procreandorum prætextu, aut incontinentiæ excuſatione altera cōiux ducenda, etſi prior, quæ viuit adhuc, vel diuturno & inſanabili morbo laborat: vel abſens eſt diutiſſimè. Ergo contineat vir, & Deum oret.

14 Vir coniugi adulteræ peccatum condonet, aut eam puniri curet potius, quàm ipſe mœchetur.

15 Chriſtiano enim homini adulteram coniugem occidere non licet.

16 Propter varia incommoda, quę incōtinentes afferre ſolent, non debet quicquam Legi Dei contrarium concedi.

17 Maritos non tolerandos, ſi aſtu quodam vt vxores dimittere poſsint, eas mœchari faciant. C

18 Difficilem eſſe doctrinam de continendo ab vxoribus adulteris, ſi non liceat alias ducere.

19 Suadet Auguſt. vt qui vxores adulteras dimiſerunt, perpetuam continentiam voueant.

20 Parem legem caſtitatis à viris atque ab vxoribus exigi. Syrarum mulierum quanta fuerit caſtitas.

¶ Qui ſequuntur Tractatus, veluti de Epicureis & Stoicis, item de eo quod dictum eſt, Ego ſum qui ſum: etſi ſunt Auguſtini, tamen non iudicaui intellectu difficiles. Itaque nihil quicquam ſimile in iis, quod in ſuperioribus, obſeruaui vel annotaui.

DE DONATISTIS, ET EORVM ORIGINE, PROGRESSV, ET doctrina.

MAximianus, qui cum Diocletiano Romæ imperauit, Eccleſiam Dei in Occidēte & Africa maximè afflixit ac ferè per decennium: quo tempore

A eandem Diocletianus in Oriente per ſe, & per ſuos legatos perſequebatur acerrimè, nempe circa annum à Chriſto nato 310. In hac tanta perſecutione Marcellinus Roman. epiſcopus, Menſurius Carthaginenſis epiſcopus, & Cæcilianus, qui Menſurio mortuo ſuffectus eſt, & ſacrificaſſe idolis, & ſacros Scripturæ Codices tradidiſſe hoſtibus Chriſtiani nominis, qui eos cremarunt, accuſabantur: imprimis autem Cæcilianus. Ex quo factum eſt, vt poſtquam Cæcilianus in epiſcopum Chartaginenſem electus eſt (quia iſta accuſatio eſſe vera vulgò credebatur) Secundus quidam nomine, Tiſigitanus epiſcopus ad abrogandam & damnandam Cæciliani electionem Africanum concilium colligeret, quod Conſtantino Magno iam imperium adepto, & demum mortuo Diocletiano, conuenit. Donatus quidam cognomine à Caſis Nigris, Numida, Charthaginenſem thronum & ſedem epiſcopalem ardenter eodem tempore ambiebat, quam ſe, depoſito Cæciliano, B facilè per ſuffragia ſuorum conſecuturum eſſe ſperabat. Acceſſerat enim ei ſuffragator Maiorinus quidam, & alius nomine Donatus Carthaginenſis, qui Maiorinus, quoniam Cæciliani electionem vehementiſsimè oppugnabat, primus Donatiſtarum ſectæ & erroris autor eſt habitus, adeò quidem, vt Carthagine (vbi tota hæc controuerſia imprimis agebatur) qui Donato ei, qui à Caſis Nigris dicebatur, fauerent, primùm pars Maiorini dicerentur, non autem Donatiſtæ. Cùm tamen non deponeretur Cæcilianus, nec accuſatio criménque ab aduerſariis obiectum probaretur, nihilominus à ſuæ ſectæ & factionis hominibus electus Donatus iſte à Caſis Nigris in epiſcopum Chartaginenſem, altare ſuum contra altare Cæciliani & orthodoxorum erexit, & ſchiſma in eccleſia Dei manifeſtè fecit, cœtúſque alios & alibi, quàm cum orthodoxis, qui Cæcilianum ſequebantur, Chartagine habere cœpit. Ne id autem incoloratè facere videretur, vtque plures ſibi fauentes haberet, non modò debacchatus eſt Donatus in perſonam Cæciliani, tanquam Biblicorum & C ſacrorum Codicum traditoris: (Hac enim potiſsimùm voce ad prægrauandam Cæciliani cauſam, ille cum ſuis ſectariis & ſchiſmaticis vtebatur, vt Cæcilianus tanquam alter Iudas Iſcariotes Domini ipſius proditor, & indignus illo epiſcopatus honore cenſeretur) ſed etiam in vniuerſum ipſum eccleſię Cæciliani partes ſequẽtis cœtũ iniurioſè & calumnioſè multa dixit. Negauit enim eum cœtum eccleſiam Dei eſſe. Negauit eos, qui Cæciliano aſſentirentur, eſſe veros epiſcopos & in vera Dei eccleſia conſiſtere, quòd ea omnino ſine ruga & macula eſſe debeat. Negauit denique eos epiſcopos, ius baptiſmi conferendi retinuiſſe, aut habere, cùm vel traditores ipſi eſſent, vel Cæciliani, & traditorum patronos, & ſocios impiorum ſe præſtarent, atque idcircò negauit eos Spiritum ſanctum per baptiſmum ſuum poſſe conferre baptizandis quem ipſi non haberent. Se autem, ſuúmque cœtum, & qui ſibi conſentirent ſolos eſſe veros epiſcopos, veram Dei Eccleſiam, baptiſmum denique conferre ſe ſolos poſſe. A De reliquo terrarum orbe, Dei eccleſiam periiſſe: in ſola verò Africa, & Numidia (vbi traditoribus homines & epiſcopi alij non ſuffragarentur) remanſiſſe, id eſt, inter ſolos Donatiſtas eam eſſe, Donatus iſte cauſabatur. Denique in Numidia & Mauritania hæc hominum nouum iſtum Donatiſtarum errorem probantium factio plurimùm ſtatim creuit & potuit. Nam Synodum ſeptuaginta epiſcoporum ſuæ ſectæ fauentium Carthagine ex illis regionibus collegit, qui congregati Cæcilianum abſenſentem damnarunt & depoſuerunt. Quæ rerum perturbatio cum viris cordatis, epiſcopiſque pacis eccleſiaſticæ amantibus diſplicere cœpiſſet, cauſa accuſatióque Cæciliani primùm Chartagine coram Macario Comite Africæ diſceptata eſt. Sed cum Macarius Cæcilianum in ſede confirmaſſet, accuſatus eſt & ipſe à Donatiſtis, quaſi non iure, ſed gratiâ iudicaſſet. Atque inde orthodoxi, & Catholici, qui Cæcilianum ſequebantur, inuidioſè à Donatiſtis, pars Macarij ſunt nominati. B Itaque cum hoc incendium non extingueretur, ſed maiores vires in dies ſumeret, res tota ad iudicium Imperatoris ipſius, id eſt, Conſtantini Magni iam religionem Chriſtanam profitentis tandem delata eſt. Nam per Amillinum tunc Proconſulem Africæ (qui Macario ſucceſſerat) tota ea controuerſia & lis repullulans, ad Auguſtum remiſſa eſt. Primùm autem noluit Imperator de hoc negotio, quod & merè eccleſiaſticum iudicabat, & in quo de legitima epiſcopi electione ageretur, & inter ſolos epiſcopos controuertebatur, ipſe per ſe cognoſcere: ſed totam huius rei diſceptationem ex reſcripto commodioris cognitionis gratia in epiſcopos ipſos reiecit, & denos ex vtraque parte eligi, atque ad Milciadem epiſcopum Romanum mitti iuſsit, coram quo aſcitis etiam aliis aliquot Gallorum, Italorum & Hiſpanorum epiſcopis tota hæc lis & accuſatio ventilaretur, ac tractaretur, & de qua illi iudicarent, atque pronuntiarent. Res acta eſt, & à Milciade atque iis epiſcopis, qui ex Imperatoris edicto conuenerant, diligenter cognita: ſed tamen in eo etiam iudicio abſolutus eſt Cæcilianus: Donatus autem à Caſis Nigris damnatus, C atque etiam conuictus Chartagine, Diacono adhuc Cęciliano, ſchiſma in eccleſia feciſſe. Ab hac autem Milciadis Rom. epiſcopi ſententia, implacabiles Donatiſtæ ad ipſum Imp. Conſtantinum Magnum prouocarunt, & Cæcilianum nebulonem antiſtitem etiam reſcripto ad Imperatorem miſſo appellarunt. Denique alios ſibi iudices dari poſtularunt, quod ipſum etiam Milciadem traditorem fuiſſe criminabantur, qui propterea Cæciliano fauiſſet, próque eo pronuntiaſſet. Huic *ob*ſtinatæ Donatiſtarum, & inuerecundæ poſtulationi adhuc morem geſsit bonus imperator Conſtantinus. Datus eſt enim ab eo Arelatẽſis epiſcopus, tum propter locorum vicinitatem commodus: tum etiam propter vrbis magnitudinem, celebris, qui de Donatiſtarum prouocatione & Cæciliani cauſa tertiò cognoſceret. Ibi quoque abſolutus eſt Cæciliauus iudicio epiſcopi Arelatenſis, & aſſeſſorum aliorum epiſcoporum, qui conuocati ab eo fuerant. At nec huic tertiæ ſentẽtiæ peruicaces

A caces iſti Donatiſtæ acquieuerũt: ſed vt omnis fauor,quem interueniſſe conquerebãtur, in hoc iudicio,abeſſet,ipſum Imperatorem de toto hoc negotio iudicem poſtularunt.Conceſſit & hoc quoque Imperator clementiſſimus,ac eccleſiaſticę pacis amantiſſimus, vt omnem illis ſchiſmatis occaſionem præcideret. Itaque miſſis Conſtantinopolin vſque vtrinque,id eſt, à parte Donati,& à parte Cæciliani legatis,de tota hac lite cognoſcit Cõſtantinus ipſe. Abſoluit autem Cæcilianum, & innocentem pronuntiat. Donatiſtas apertæ calumniæ damnat,déque ea ſententia literas ad Eumeliũ vicarium Africę publicas dat,ne locus aut dignitas Cæciliano adimatur, aut in ſui Miniſterij exercitio interturbetur.Cùm autem Cęcilianus ipſe pręſens in eo iudicio affuiſſet, & quædam mora interceſſiſſet, dum ab Africa Conſtantinopolin proficiſcitur, Brixia(quod eſt Italiæ oppidum)iter faciens, eum à Conſtantino Brixiam in exiliũ pulſum fuiſſe calumniati ſunt Donatiſtę.Sed victor etiam imperiali iudicio Cæcilianus in gradu & epiſcopatu permanſit,ereptæque, iuſſu Imperatoris, Donatiſtis eccleſiæ,& baſilicæ. Vnde illi iam grauiùs cõ- B moti.Qua re irritatiores facti ex ſciſmate hæreſin fecerunt, & iam in vniuerſam eccleſiam Dei, quæ eorum obſtinationem damnabat, apertè inuecti, quatuor crimina orthodoxis obiecerũt, ex quibus eos eccleſiam Dei eſſe non poſſe contenderẽt.Primum igitur illius epiſcopis, falſò tamen, obiecerunt Traditionis crimen. Secundum,Perſecutionis in ſe acerbitatem, quæ omnia ſolidè refutat ſequentibus libris Auguſtinus.Tertium,Falſi baptiſmi collationem. Quartum, Idolorum cultum in tempore perſecutionis. Compreſſi ſunt igitur ad tempus Donatiſtæ,ſed non ſublati. Nam mortuo Conſtantino,& poſtea Conſtantio Impp. à Iuliano Apoſtata,qui poſt Conſtantium ſucceſſerat in imperium Conſtantinopolitanum, Baſilicas ſibi reddi poſtularunt. Quod facilè illi ab Apoſtata in odium Chriſtiani nominis impetrarunt: idcircóque immẽſis laudibus Iulianũ Apoſtatam in cœlũ extulerunt. Id quod illis poſtea eſt ab omnibus orthodoxis Catholicis(& meritò quidem)probro C datum. Atque hæc eſt Donatiſtarum origo.Ex hac ipſa hominum factione orti ſunt poſtea Circũcelliones,velut Donatiſtarũ Monachi,qui zeli & doctrinæ ſuæ prætextu defendendę,ex agris & cellis, in quibus ſolitarij viuebant,orthodoxos tranſeuntes aggrediebantur: imò verò in obuios quoſque, more immaniſſimorum latronum irruentes graſſabantur.Primùm quidem illi ſolùm fuſtibus, deinde verò ferro ſæuierunt in orthodoxos, quos nullo ſexus, & ætatis, & dignitatis diſcrimine habito, crudeliſſimè trucidabant, & necabant:adeò vt tãdem & temporibus demum Auguſtini de horum ſæuitia apud Impp. Arcadium & Honorium conqueri orthodoxi epiſcopi cogerentur. Itaque impetratum eſt,vt imperio Magiſtratuum Africæ,atque manu etiam militari Circũcelliones iſti coërcerẽtur. Et quia ex Donatiſtarum cœtu,qui adhuc nulla lege damnatus videbatur,iſti homines ſuccreſcebant,& quia multas in eccleſiã Dei turbas,præſertim verò in vniuerſa Africa, Donatiſtæ, inducebant, eadem lege eſt ſancitum, vt Baſilicæ Donatiſtis in omnibus vrbibus eriperentur: multa 10. pondo auri ſinguli eorum cœtus, ſi qui reperirentur,damnarentur,quę applicaretur fiſco. Qua lege A ſunt vſque adeò offenſi epiſcopi Donatiſtarum,vt ſibi manus violentas afferre non reformidarent,ne ex ſuis eccleſiis & Baſilicis pellerentur, & vt inuidiam orthodoxis epiſcopis, quaſi ſæuis hominibus,& Chriſtianos more paganorum perſequentibus conflarẽt apud omnes.Itaque & Marculus ſeipſum occidit,& Gaudentius Thamugadenſis epiſcopus id facere decreuerat,niſi à Tribuno Militũ Dulcitio reuocatus ad vitam fuiſſet. Hanc legem Arcadij & Honorij Impp.ſępiſſimè orthodoxis,vt impiã obiecerũt.Acceſſerat autẽ ad ſuperius Circumcellionũ malum,quòd Gildo Vãdolorum Comes,& Prĩceps quidã eiuſdẽ factionis,nomine Firm⁹,de quo Claudian⁹ poëta in tertio Cõſulatu Honorii,in Africa aduerſus Honorium rebellarant; ſibíque imperium Africæ vſurpabant, quibus Optatus quidam Donatiſta Thamugadenſis epiſcopus adhęrebat,atque operam omnẽ ſuam nauabat: Et quia Gildonis Comitis coniuratio ad tempus in Africa confirmata fuerat, Optatus iſte ferocior & inſolentior factus mirum in modum orthodo- B xos vexare,impunè iugulare,ex eccleſiis expellere cœperat,& omnia non tantùm in eos:ſed etiam in ſuæ ſectæ homines, atque in vniuerſos Afros tyrannicè adminiſtrare & pro arbitratu gerere; conniuente ad omnia iſta ſcelera Gildone, quòd eccleſiæ fauorẽ ſibi cõciliari poſſe ab Optato ea ratione ſperaret.Deniq; hic Optatus Gildonis Satelles vulgò dictus eſt,& is,cui Comes Gildo deus,nõ Deus ipſe Deus eſſet. Denique Optatus iſte etiam ſuis intollerabilis viſus eſt, cuius inſolẽtia per decem annos continuos in Africa,gementibus cunctis,graſſata eſt.Huius igitur Optati ſceleribus & facinore tandem offenſi Donatiſtæ quidam, cùm tanto malo abs præcipuis Donatiſtarum epiſcopis non iri obuiam animaduerterent, ab iis ſecedendi conſilium inierunt.Ergo extra communem Donatiſtarum ſocietatem ſibi priuatim epiſcopũ nomine Maximianum deligunt Carthagine, Primiano Chartaginenſi epiſcopo, qui ex aliorũ Donatiſtarum parte erat, depoſito, propterea quòd tantis offendiculis ipſe non mederetur. Per 40. e- C piſcopos Donatiſtas conuocatos Primianus iſte damnatus eſt, & depoſitus,vt epiſcopus ſocors, & fautor ſcelerum Optati.Ipſius autem Maximiani electio à duodecim Donatiſtis epiſcopis illîc quoque,id eſt, Chartagine celebrata eſt; inter quos erant hi præcipui, & velut iſtius electionis, & ſciſmatis inter Donatiſtas autores, nempe Felicianus Muſticanus epiſcopus, Prætextatus Aſſuritanus epiſcopus,Victor & alii aliquot,qui vt iuſtiùs Primianum Carthaginẽſem epiſcopum de gradu epiſcopali deieciſſe, & in eius locum Maximianum ſubſtituiſſe ac ſuffeciſſe viderentur, conuocata adhuc alia nimirum centum epiſcoporum Donatiſtarum ſynodo, iterum Primianum damnant, & deponunt.Atque hi qui Maximianum probarunt, eiuſque cauſam ac electionem ſecuti ſunt, Maximianiſtæ & Maximiani tanquam ſciſmatici Donatiſtarum appellati ſunt ab aliis Donatiſtis. Regnauit tamen aliquandiu iſta Maximianiſtarum factio,& numero,& autoritate inter Donatiſtas potens,& robuſta. Cùm tamen iſtud ſciſma aliis Donatiſtis diſpliceret, qui ſe hac ratione orthodoxis deridendos proponi cernerẽt,& cùm præterea in

A Rogatenſes, & Vrbanenſes nomine & cœtu diuerſo Donatiſtæ iam diuiderentur, variæque inter eos ſectæ naſcerentur, vrgerétque Primianus, vt in priorem gradum reſtitueretur, Bagaiam conuenerunt 310. Donatiſtæ epiſcopi, qui multa in Maximianiſtas, (iam autem Maximianus ipſe deceſſerat) eorúmque mores & ſciſma debaccathi, tãdem duodecim illos Maximiani ordinatores deponunt, & damnant. Reliquis autem, qui Maximiani partes ſecuti erant, ad reſipiſcendum totum nouem menſium tempus concedunt, hoc tamen ex iſtius generalis Donatiſtarũ concilij decreto conſtituentes, Ne baptiſmus Chriſti ab iſtis quanquam ſciſmaticis, & ſceleratis epiſcopis iam collatus, tamen repeteretur, ſed vt valeret. Quo decreto, tanquam ſuo ſe gladio illi iugularũt, docuerúntque & à ſciſmaticis, & à manifeſtè malis & ſceleratis epiſcopis datum Chriſti baptiſmum valere, atque retinendum eſſe. Quod tamen ab orthodoxis epiſcopis & dici & fieri conquerebantur, ſéque propterea ab iis primùm ſeparaſſe cauſabãtur: quòd ab orthodoxis epiſcopis tãquam malis dari baptiſmum poſſe negarent: & datum non putarent retinendum, ſed repetendum. Itaque ab orthodoxis baptizatos ipſi B rebaptizabãt. Sed & iidẽ Donatiſtæ ſciſmaticis ſuis Maximianiſtis à ſe concilio Bagaieſi damnatis Baſilicas implorato Magiſtratus auxilio & imperio primi eripuerunt, antequam orthodoxi Catholici vllam ab imperatoribus legem contra Donatiſtas impetraſſent, aut poſtulaſſent. Hæc igitur duo diligẽter perpendit in tota iſtorum refutatione Auguſtinus, vt ſententiam orthodoxorum veram eſſe ex ipſorum Donatiſtarum concilio doceat: & factum etiam, legémque ab iis impetratam æquam eſſe demonſtret, etiam ipſorum Donatiſtarum exemplo in ſuos ſchiſmaticos, nempe Maximianiſtas edito. Hæc ſunt quæ breuiter ex ipſo Auguſtino colligi poſſunt, pertinéntque ad ſequentes libros commodè explicandos. Reliqua ex iſtis Auguſtini libris facilè diſcentur.

EX LIB I. AVGVSTINI CONTRA EPISTOLAM PARMENIANI.

C

¶Parmenianus iſte fuit Donatiſtarum epiſcopus, Ticonio multa in ſua Donatiſtarum ſecta vitia declamanti non aſſentiens. Reſpondit autem Auguſtinus Parmeniano *iam defuncto, quòd plerique iſtius ſcriptis velut eruditis permouerentur. Hanc epiſtolam integram primùm non habuit Auguſtinus: itaque hic vni tantùm illius parti reſpondet.*

Cap.I. DOnatiſtas inter ſe non conſentire, & Parmenianum diſſentire à Ticonio.

2 Ticonij, quàm Parmeniani veriorẽ eſſe ſententiã, cùm ille apertiſſimis Scripturæ verbis nitatur: iſte humanis & ſuorum tantùm epiſcoporum ſententiis.

3 Parmenianus conqueritur omnes eccleſias, quæ per terrarum orbem ſparſæ erant, fuiſſe, excepta Donatiſtarum parte, crimine traditionis & aliorum ſacrilegiorũ fœdatas & conſceleratas, quòd vel ipſæ in perſecutione ſacra volumina hoſtibus fidei tradiderint, Chriſtum abnegarint, aliáque à fidei Chriſtianæ profeſſione aliena fecerint: vel iſta facientibus conſenſerint, dum eos extra ſe non expellunt.

4 R. Non omnes, qui improbum hominem ſuſcipiunt, improbo fauent: ſed ij ſolùm, qui ſciẽtes improbum eſſe, & talem manere velle excipiũt. A Denique multa concordiæ cauſa etiam in eccleſia ad tempus toleranda eſſe ipſorum Donatiſtarum, qui Maximianiſtas ſuſceperunt, exemplo.

5 Falſum omne id eſſe, quod de Oſio Hiſpano epiſcopo dicitur à Donatiſtis, item quod ab iiſdem de Hiſpanorum, Gallorum, & Italorum fauore in Cæcilianum reum fingitur. Neque etiam iſtas prouincias eſſe vniuerſam eccleſiam Catholicam, & orthodoxam.

6 Potius credẽdum iudicibus, qui de tota hac cauſſa inter Cæcilianum & Donatiſtas cognouerunt & pronuntiarunt, eorúmque ſententiæ potius ſtandum, quàm victorum litigatorum querimoniæ. Id quod proſopopœia eccleſiæ Philadelphicæ Donatiſtas alloquentis, tãquam totius Catholicæ eccleſiæ voce, confirmat.

7 Parmenianum & Donatiſtas immeritò cẽſere ſe Dei Martyres eſſe, quòd Cõſtantini Magni & aliorum principum Chriſtianorum edictis propter ſciſma puniri iubeantur.

Principes Chriſtianos de relligione cognoſcere, & pœnam in paganos, hæreticos, & ſchiſmaticos conſtituere debere. An forte. B

Id eóque Dominus Qua in

Pœna non facit Martyres, ſed cauſa.

Hæreticorum & ſchiſmaticorum coercitionem pertinere ad magiſtratum, etiam ipſorum Donatiſtarum exemplo.

Ex lib. 2.

Cap. I. Teſtimona, quæ Donatiſtę pro ſe ex ſacris Scripturis afferunt, eos ipſos damnare tum erroris, tum ſciſmatis. Primum autem teſtimonium eorum eſt ex Iſa. 5. *Væ ijs qui dicunt bonum malum*, &c.

2 Secundum teſtimonium ex Prouerb. 17. *Qui iudicat iuſtum iniuſtum*, ex quo efficit Auguſt. tolerandos eſſe in eccleſia, quos nondum Dominus ipſe patefecit, etiam exemplo ipſorum Donatiſtarum, qui Optatum ſceleratum inter ſe per decem annos tolerarunt.

3 Teſtimonium tertium ex Iſaia 59. Quod in eos ipſos retorquet Auguſt. cùm doceat, Donatiſtarum, quàm Catholicorũ mores eſſe corruptiores, idque exemplo Feliciani & Prætextati probat. C

4 Quartum teſtimonium ex eccleſ. 10. Docet autem Auguſt. etiam ſub malis Paſtoribus rectè viui poſſe, ſi modò illi recta doceant & moneant, quamuis ipſi malè viuant.

5 Quintum teſtimonium ex Iſa. 66. Probat autem propter malorum admixtionem nõ eſſe ſeparationem ab eccleſiæ cœtu faciendam: ſed tantùm conſenſum illis non præbendum.

6 Pro pace eccleſiæ malos etiam ad tempus in eccleſia tolerari poſſe, nec eos bonis propterea obeſſe.

7 Sextum teſtimonium ex Exo. 19. 20. *& Leuit.* 21. Cui eodem, quo ſuperioribus, modo reſpondet Auguſt. bonos non aſſentientes malis, ab iis non lædi, etſi in eodem eccleſiæ cœtu improbi aliqui reperiuntur. Id quod Moſis, & Zachariæ exemplo docet. Quanquam nec ipſos Donatiſtas ſanctos eſſe & puros, quales orthodoxos requirunt, probat variis epiſcoporum Donatiſtarum exemplis.

Nati ex Deo dicuntur non peccare, non quidem ἁπλῶς & omnino, ſed pro captu & ratione humanæ

Qui autẽ rectiſsima.

A manæ infirmitatis.

8 Septimum teſtimonium ex Ioan.9. quod in eos ipſos retorquet Auguſt.cùm dicatur exaudiri à Deo,qui in quolibet cœtu,Dei voluntatem facit. Scit enim Dominus in eodem cõſortio diſtinguere bonos à malis:& hœdos ab agnis.

An propterea di sunt.

Ne ſi quidem epiſcopus ipſe fuerit moribus vitioſis,hoc obeſſe precibus ipſius pro populo: quia non ipſius,ſed Chriſti interceſſione Deo commẽdantur & gratæ ſunt iſtiuſmodi preces.

Nec mediatorem ſe facit. Nec propter malos.

Vnum eſſe noſtrum interceſſionis mediatorem apud Deum,nimirum Ieſum Chriſtum.

Concluſio,in eccleſia Dei etiam malos ad tempus propter bonos tolerandos & ſufferendos eſſe.

9 VIII. Teſtimonium ex Pſalm.50.quod explicat Auguſtinus, docétque,qui verba Dei ſceleratè ipſe viuens docet,& vſurpat,ſibi tantùm obeſſe:non autem aliis,qui iſtius ſanam doctrinam ſequuntur,improbam autem Doctoris vitam non imitantur.Item de variis ſceleribus Donatiſtarum.

10 IX. Teſtimonium ex variis ſcripturæ locis,quorum ſumma eò tandem redit,Eos qui Deũ deſerunt,& in eum peccant,penes ſeſe verum B baptiſma non habere: itaque nec illud conferre aliis poſſe.Reſpondet autem Auguſtinus,Primò, Malè iſtos locos ab iis intelligi. Secundò,A Donatiſtis, non ab orthodoxis Deum deſeri. Tertiò, Apud Donatiſtas igitur verum baptiſma non eſſe.Quartò, Negat in collatione baptiſmi Miniſtri baptizantis & conferentis meritum attẽdi, vt ſit efficax baptizato baptiſmus,cùm ex Chriſti promiſſione, non ex Miniſtro eius efficacia pendeat. Quintò, Alio modo,quàm Donatiſtæ,hos omnes locos explicat Auguſt.

11 X. Teſtimonium ex Ioan.3. quod refellẽs Auguſtinus,docet propriè ſpirituales filios non ab ipſis Miniſtris,ſed à Spiritu ſancto gigni Deo:Miniſtros autem tantùm eſſe illius Dei operis organa quædam propter euangelium,quod prædicant.Illud autem etiam à malis prędicari poſſe docet exẽplo Iudæ furis,& proditoris.

Nam vbi non Chriſtus.

Miniſtrorum vitá non impedire effecta ſacramentorum,ſi ipſi verbum Dei purè prędicent:non autem aliud euangelium,quia ſacramẽtorum C efficacitas eſt à ſpiritu ſancto,non à Miniſtris.

11 XI. Teſtimonium ex Eccleſ.15.quod interpretatione vocis huius *Peccatoris*, diſſoluit, quæ profanum omnino hominem ſignificat.

12 XII. Teſtimonium ex I. Corinth.4.Baptiſmum non habere, qui illum à Deo non acceperint. Eum autem orthodoxos vitioſos, vel epiſcopos ipſorum à Deo minimè accepiſſe.Reſpondet Auguſt. Sacramẽta quidem data eſſe à Deo eccleſiæ, & ius eſſe conferendi ea legitimis eccleſiæ Paſtoribus: quod ius propter vitia ſua illi non amittunt quandiu Paſtores manent, quòd tale ius ordinationis ſuæ ratione habent Paſtores, id quod ipſorum Donatiſtarum exemplo docet.Item conqueritur orthodoxos epiſcopos vt ſceleratos à Donatiſtis dãnari,de quorum innocentia palàm pronuntiatum eſt.

Sed tamẽ aliud eſt. Quanquã etiã laicus.

Quædam illicitè dari, quæ non ſunt tamen repetenda.

Et hæc quidem alia.

De baptiſmo ab eo,qui priuatus eſt in eccleſia & laicus,collato quid ſentiat Auguſt.

De iis vero qui ab.

De baptiſmo ab eo, qui nunquam baptizatus eſt,collato.

De baptiſmo ab epiſcopis ſciſmaticis & hæreticis dato. A

14 XIII. Argumentum,Qui mortuus eſt,viuificare alium nõ poteſt:Orthodoxi traditores ſunt mortui,ergo alios viuificare non poſſunt.Reſpondet Auguſt. Primò, Eos perperam ſentire nos ab hominibus Miniſtris viuificari.Hoc enim propriũ eſt Dei ipſius opus,non hominum.Secũdò, Etiam per mortuos & malè ſanos Miniſtros à Deo dona ſua conferri poſſe. Tertiò, Non orthodoxos epiſcopos, ſed Donatiſtas eſſe mortuos illos epiſcopos.

15 Retorquet in Donatiſtas argumentum eorum 12.quos non à Deo,(quod pręcipit Scriptura) ſed à ſolo Donato ſuum baptiſmum habere docet.Denique homines Dei tantùm Miniſtros eſſe, non autem ipſorum donorum autores, cùm ſine eorum opera Dominus dona ſua ſæpe conferat.

16 Perpendit & repetit argumentum XIII. Donatiſtarum. Docet autem etiam, qui in hæreſi ſunt baptizati, retinere tamen baptiſmum Chriſti ſemel acceptum: errorem autem ſuum tantum abiurare debere. B

17 XIIII. Argumentum Parmeniani ab exemplo Chriſti, qui à Ioanne viro ſancto, non à Phariſæis baptizari voluit. Reſpond. Auguſtin. & retorquet hoc exemplum in ipſum Parmenianum.

1 Ergo oporteret nos ab inferioribus, quàm nos ſumus baptizari. 2 In circumciſione,& ſacrificiis quę poterant facere Phariſæi,eorum conſortium non euitauit. 3. Cum Iuda ipſo proditore ad vitæ vſque finem vixit.

18 XV. Argumentum ab exemplo Ioſaphat ductum Hoc retorquet Auguſt. 1. Quod non propterea perierit Ioſaphat, quia in conſortio impii Achab fuit. 2 Quod ſuo peccato periiſſet, ſi aſſenſiſſet Achabo Micheam reiicienti. 3. Quod peccatores fatetur non iuuandos in eo, in quo peccant.

19 Donatiſtas eos eſſe,qui non glorificant Deũ. Vnde nec à Deo glorificabuntur.

C 20 XVI. Argumentum Donatiſtarum, non communicandum eſſe infructuoſis operibus. Cõcedit Auguſt.ſed cõmunicare ait eſſe aſſentiri illis. Propter illa tamen opera infructuoſa negat vnitatem & cœtum eccleſiæ eſſe abrumpendum.

21 Superius argumentum repetit, docétque ita in eccleſia cum improbis verſandum: vt primùm non aſſentiaris eorum nequitiæ: ſecundum, vt illa tibi diſpliceat:tertiùm, vt abs te etiam cum manſuetudine arguatur:ſciſma verò in eccleſia minimè faciendum eſſe.

22 Multum fermenti in ſecta & cœtu Donatiſtarum eſſe: ergo ex eorum dogmate totã maſſam, & eorum eccleſiam eſſe prauam & corruptam.

23 Etſi ſeparare ſanctum ab impuro iubemur, id tamen neque ſtatim eſſe faciendum,ſed cùm zizania colligentur: neque ſeparatione corporali à cœtu eccleſiæ ſemper id tentandum.

Ex lib.3.

Cap.1. XVII. Argumentum,Malum à nobis ſeparandum,1.Cor.5. Reſp. Auguſt.Primò,Donatiſtas ad ſeparationem & ſciſma ſuum tuendũ afferre,quæ de correptione vitiorũ dicit Scriptura. Secundò,Non intelligendum locum Pauli ſtatim de ſeparatione corporis à cœtu eccleſię,ſed à conſen-

A ſu & communicatione vitij. Itaque totum illũ locum fuſè pertractat & explicat.

2 Eundem locum Pauli examinat diligenter Auguſt.oſtendítque ex 2.Cor.2.comparatione, nõ modò ad tempus eſſe tolerandos pro pace eccleſiæ,exemplo Cypriani, malos: ſed etiam cùm mali eiiciuntur de eccleſia, id autoritate iudicióque eccleſiæ fieri debere: & poſtquam mali eſſe atque inemẽdabiles apparuerint.Denique hoc ipſo Pauli dicto Donatiſtarum cœtum damnari, in quo plures ſunt ſcelerati.

Quicquid enim ſceleris.

Crimina & vitia non idcircò parua cenſenda, quòd vulgaria ſint,& iam conſueta:id quod exemplo auaritiæ docet.

Nam propterea ſpiritus.

Teſtimonio Ezechielis docet etiam Dei eccleſiam eſſe,in qua mali bonis ſunt,viuúntque permiſti.Bonis tamen cauẽdum docet ne malis & eorum malitiæ aſſentiantur.

Sed dicet quis.

Explicatio dicti Pauli cum fratribus improbis non eſſe communicandum, neque cibum ſumendum,1.Corin.5.2.Theſſ.3.Docet enim Auguſt.excommunicari quidẽ debere improbos:ſed & poſtquàm famoſè publicè improbi deploratíque apparuerint:& nullum ſciſmatis periculum inde oritur, aut motus reliquæ eccleſiæ.

B

Et reuera ſi contagio.

Cõſilia ſeceſſionis à cœtu eccleſię propter paucorum vitia eſſe & periculoſa,& damnanda.

Miſericorditer igitur.

Quid agendum vbi maior eccleſiæ pars populariter peccat,& vitiis indulget.

3 XVIII. Argumentum Donatiſtarum ex Hierem.23.cui ſic reſpõdet Auguſt.vt primùm eorum impudentiam damnet, qui ſe purgatam omni labe eccleſiam eſſe cenſeant,tales nimirum, quales pios poſt reſurrectionem futuros deſcribit ſcriptura.Deinde hanc ſeparationem,de qua agit Hieremias,docet non nunc,ſed tempore nouiſſimæ reſurrectionis in vniuerſa eccleſia faciendam.

4 XIX. Argumentum Donatiſtarum ex Iſ.52. Recedendum eſſe & exeundum ẽ media Babylone.Oſtendit autem Auguſt.dupliciter à malo exiri,vel nõ aſſentiendo:vel,ſi ea poteſtas ad nos pertinet,excommunicando malum. Quanquam Donatiſtas non fugiſſe à malis:ſed ipſos malos potius eſſe,à quibus ſit nobis fugiendum.Denique quęrit Auguſt.cur cùm Maximianiſtarum,quos antea dãnauerant, baptiſmum non reiterent, orthodoxorum tamen repetant.

C

5 XX. Argumentum Parmeniani ex Pſal. 26. Speciem domus Dei diligendam.Reſpondet Auguſt.Etiam ſpeciem domus Dei manere, etſi in ea ſunt vaſa contumeliæ,quæ ſunt ad tempus tolerãda.Deinde perfectum decorem domus Dei & eccleſiæ in hoc Mundi ſtatu eſſe nõ poſſe. Poſtremò, propter quoſdam malos ſeſe à corpore ipſo eccleſiæ neminem bonum ſeparare debere.

6 Miram eſſe Donatiſtarum impudẽtiam,qui iuſtam ſuorum ſcelerum pœnam à Magiſtratu irrogatam appellãt Martyrium. Præterea eos ipſos, etiam nemine perſequente, ſe per præcipitia abiicere,& occidere,quod Martyrium eſſe non poteſt. Denique quòd orthodoxi ab Imperatore impetrarunt,vt de Baſilicis Donatiſtę eiicerentur, ipſos Donatiſtas primos in ſuos idem vſurpaſſe, ac poſtulaſſe docet exemplo Saluij.

A

EX LIB I. CONTRA LITERAS PETILIANI.

¶Hic Auguſtini ſtylus eſt preſſus, & vt infinita argumentorum abundant, & creber. Scripſit autem hos libros Anaſtaſio Romanam ſedem tenente, vt ipſe lib. 2. cap. 51. teſtatur. Fuit autem Petilianus Conſtantienſis (ciuitas autem eſt Numidiæ Conſtantia) epiſcopus verò Cirtenſis. Fuit autem in eadem vrbe tunc temporis orthodoxorum & Catholicorum epiſcopus Fortunatus.

Cap.1. COgi ſe dicit Auguſt.poſt tẽtatã ſępius pacis cum Donatiſtis incundæ, & eorum cum eccleſia reconciliationis rationem,aduerſus eos ſcribere, imprimis autẽ aduerſus Petiliani eorum epiſcopi literas,cuius tamẽ conuitiis non ſit reſponſurus.

Ait enim

2 Præcipuum Petiliani argumentum, Conſcientiam & fidem baptizantis reddere efficacem baptiſmum in accipiente, id eſt, pendere vim baptiſmi ex perſona Miniſtri illud dantis. Hoc negat Auguſtinus.

I. Ratio Auguſt. à pari, Fidẽ à perfido quis accipere poteſt,ergo & baptiſmum.

Non enim ait.

B

II. Ratio per dilemma, Aut hic perfidus notus eſt & manifeſtus, à quo fides & baptiſma accipitur: aut latet. Si latet, non nocet: ſi manifeſtus eſt, illi ipſi baptiſmum per talem datum non repetiuerunt.

3 III. Ratio à conſequenti,Ergo ſalutis & baptiſmi noſtri certitudo incerta ſemper erit, quia alienæ conſcientiæ fides & ſtatus nos latet.

Bonũ eſt.

IIII. Ratio item à conſequẽti,Ergo non in Deo baptiſmi autore, ſed in homine baptiſmi adminiſtratore confidere docemur.

4 Vrget hoc quartum argumentum.

I. Ratio Petiliani, Omnis res à ſua origine & radice pendet, quam ſapit. Ergo à perfido baptizatus, eſt perfidus. Negat Auguſt. hominem & Miniſtrum baptizantem eſſe originem baptiſmi, aut ab eo pendendum eſſe.

Quippe cum.

5 Docet, Alienam perfidiam & malitiam nobis eam ignorantibus obeſſe non poſſe. Chriſtum eſſe baptiſmi autorem,Chriſtianorum caput & radicem,teſte ipſo Paulo Apoſtolo.

C

6 Concluſio refutationis primæ rationis à Petiliano allatæ.

7 Abſurda,quæ ex præcipuo illo Petiliani fũdamento (conſcientia dantis ſpectatur,vt abluatur conſcientia accipientis) conſequuntur, enumerat: nempe nõ ex Chriſto,ſed ex homine ſalutem noſtram,& efficacitatẽ Baptiſmi eſſe.Nos alienis criminibus etiam ignorantes reos fieri.

II. Ratio Petiliani, Bonum tantùm ſemen poſſe nos regenerare. Reſpond. Auguſt. Semen quo regeneramur, eſſe Dei verbum: non hominis baptizantis manum: Dei autem verbum ſemper bonum eſt.

Nec quicquam bene regenerat.

8 III. Ratio Petilian,Nemo colligit ex ſpinis vuas:nec ex perfido baptizante, fidem baptizati. Reſp.Auguſt.Non homo baptizans, ſed Chriſtus intus in nobis agens facit nos bonã arborem. Nec enim homo,qui rigat, ſed qui dat incrementum, Deus,facit efficacem baptiſmum.

9 IIII. Ratio Petiliani, Qui à mortuo baptizatur,& à perfido,non lauatur, Eccleſ.34. Reſpondet

A ſpondet Auguſt. A Chriſto propriè baptizamur, vt lauemur, qui & verax eſt, & ſemper viuit: non ab homine baptizatore, qui tantùm Miniſter eſt. Præterea quid ei fiet, qui à latente perfido erit baptizatus? Quid iis, qui ab Optato Donatiſta manifeſtè ſcelerato fuerunt tincti?

10 In eodem argumēto perſtat, docétque Donatiſtas non poſſe effugere, quin (quocunque modo *Mortuum* interpretentur) à mortuus ſint baptizati, ſibíque repugnent.

11 Idem agit, & Baptiſmi à Maximianiſtis collati exemplo falſum eſſe Petiliani argumentum probat.

12 Amplificat ſuperius exemplum, docétque totum orbem terrarum iuſtiùs abſolui à quorundā Aphrorum ſibi ignotorū crimine, quàm ipſi Donatiſtæ à ſuorum noto ſcelere, quos tamen inter ſuos receperunt, abſoluantur.

13 A minori ad maius argumentatur, Pro totius Catholicæ eccleſiæ pace tuenda malos potiùs eſſe tolerandos, quàm pro Donatiſtarum cœtus vnione ſeruanda, quod tamen iſti fecerunt.

14 Exemplum Maximianiſtarum ad Donatiſtas refutandos aptiſſimum eſſe docet. B

15 Huius exempli teſtes citat Muſticanam & Aſſuritanam ciuitatem, ne negari poſſit.

16 Ex voce *Mortuus* colligit dilemmate Donatiſtas aut ſibi contrarios, aut falſò argumentari.

17 Orthodoxos & Catholicos falſò Traditionis ſacrorum Bibliorum accuſari: quòd ſi verè illi accuſarentur, iſtius tamen criminis non fieri reos, eos, qui illud minimè probant.

18 Retorquet in Donatiſtas eorum accuſationem de Catholicis, quibus Mali epiſcopi fuerunt ignoti: ipſi autem ſceleratos notiſſimos tolerāt. Ergo eccleſia Dei non ſunt.

19 Timidiatem Donatiſtarum arguit, qui neque ſcripta ſua agnoſcere, neque de ſua doctrina cum orthodoxis conferre velint.

20 Si ſemen aſpidum & viperarum nō eſt eccleſia, Donatiſtas multò minùs eſſe eccleſiā, quàm Catholicos orthodoxos docet.

21 Si traditores, ſi infructuoſa opera agentes C non ſunt eccleſia: Donatiſtas nō eſſe eccleſiā, imò ex eo conuinci iſtos feciſſe ſciſma in eccleſia, quia ipſi tales cùm eſſent, ab eccleſia receſſerunt.

22 Idcircò peiori ſcelere & ſciſmate deſciuiſſe Donatiſtas ab eccleſia, quòd crimina orthodoxis obiecta non probarunt.

23 Summa accuſationis Donatiſtarum in orthodoxos, quod perſecutionis tempore Codices ſacros tradiderint hoſtibus cremādos. Summa reſpōſionis etiam in eccleſia Dei vſque ad vltimum iudiciū multos malos eſſe tolerādos, quibus baptiſmus ſuus non proſit, repeti tamen non poſſit.

24 Cùm mali inter Donatiſtas ſint, quemadmodum inter orthodoxos Catholicos, quos illi propter pacem tolerent, multo æquius idem pro pace Catholicæ eccleſiæ fieri debuiſſe.

25 Donatiſtas ſciſmatis, & multorum criminum reos eſſe, quam eandem accuſationem in orthodoxos illi retorquere verè non poſſunt.

26 Manichæorum error obiectus falſò orthodoxis à Donatiſtis.

27 Tria falſò obiici à Donatiſtis orthodoxis, Traditionem, Perſecutionē, & Falſum baptiſma ad quæ refutanda ſolum Donatiſtarum Maximianiſtarum exemplum ſufficit. A

28 Idem quod ſuperiùs confirmat.

29 Concluſio cum exhortatione, vt pro Donatiſtis pii & orthodoxi Deum precentur.

EX LIB. II. CONTRA EPISTOLAM PETILIANI.

¶*Hæc epiſtola tria capita habuiſſe videtur. Primùm, in quo ſua ſecta & ſeparationis à Catholicis orthodoxis rationes confirmabat. Secundùm, in quo in orthodoxorum eccleſiarum vitia grauiter inuehebatur. Incipit à c. 48. Tertium, in quo orthodoxorum Catholicorum baptiſma pollutum, ac inutile eſſe docebat. Incipit hæc accuſatio à cap. 101. Hæc omnia ab Auguſtino refutantur.*

Cap. I. SE iam ad totam epiſtolam Petiliani reſpondere docet Auguſt. ídque per dialogiſmū, quò facilior ſit, & Donatiſtarum argumentationis, & reſponſionis Catholicorum & orthodoxorum diſtinctio.

Perperam & ſibi diſſentienter Petilian. vti ſalutatione ad eccleſias, à quibus ſe ſeparat.

2 Baptiſmum, quo & orthodoxi & Donatiſtę baptizant, neutrorum eſſe, ſed Chriſti. B

3 Ergo à Chriſto, non à Miniſtro vim baptiſmi pendere.

4 Nec qui à malo miniſtro baptizatur, reatum accipere, cùm Chriſti baptiſma ſuſcipiat.

5 Origo & caput Baptiſmi eſt Chriſtus, non homo Miniſter: ſemen, quo regeneramur, eſt Dei verbum, non ipſa baptizātis manus. Ergo ex ea efficacitatem Baptiſmi non eſſe.

6 Alieno peccato nemo nō aſſentiens inquinatur: nec aliena iuſtitia iuſtificatur: ſed cuique ſuū peccatum, & ſua fides nocet, vel prodeſt.

7 Qui à legitimo eccleſiæ Miniſtro, etſi mortuo, id eſt, ſcelerato baptizatur, baptizatus eſt, quia ex Chriſto: non ex Miniſtro ipſo, vis dignitáſque baptiſmi æſtimanda eſt.

Baptiſmus ſemel ſuſceptus, per vitam ſceleratam irritus, quoad actum ipſum & ſuſceptionem fieri non poteſt, ne probemus aut introducamus frequentem iterationem Baptiſmi.

Quàm ſit autem falſum.

8 Catholicos nec traditores eſſe: nec extra eccleſiā à Prophetis prædictam cœtum habere: nec teſtamentum incendiſſe, ex cuius vi & authoritate hæreditatem poſſident. Quod idem de Donatiſtis dici non poteſt. C

9 Crimina & non probata, & aliena orthodoxis à Donatiſtis obiici.

10 Perſecutionem aduerſus Donatiſtas factā, etſi ſeuerior crederetur, tamen nō obeſſe eccleſię, cùm iſtam in eos ſeueritatem minimè probet.

11 Nec Patrum vitia filiis & orthodoxis poſteris nocere: nec etſi nos ipſi vitioſi eſſemus, alios factis noſtris non aſſentientes, impediri quo minùs rectè nobiſcum ſacramenta Domini ſumant.

12 Ex factis poſſunt oſtēdi Donatiſtæ filij Iudæ & diaboli.

13 Conſilium ſeparationis ab eccleſia eſt diabolicum, quia eſt ſuaſio peccati grauiſſimi.

14 Si vita factáque inſpiciantur, non orthodoxos, ſed Donatiſtas, ſerpentes eſſ, viperas, & perſecutores, exemplo Circumcellionum: item, eoſdem Prophetarum ipſorum euerſores eſſe docet.

15 Ipſorum Donatiſtarū apertiſsimo teſtimonio, & totius eorum Synodi aſſenſu, improbiſſi-

A mos & ſceleratiſſimos eſſe eorum mores confirmat Auguſtinus.

16 Retorquet crimina obiecta in ipſos Donatiſtas,quos negat eſſe eccleſiam Dei,etſi Chriſtum apud ſe eſſe iactent verbis.

17 Idem agit.

18 Crimina paucorum in eccleſia,etiam Paſtorum , non officere reliquis piis rectè & ſanctè viuentibus.

19 Præcipit Chriſtus nõ hæreticis,ſed præconibus verbi ſui vt fugiant,dum perſecutionem patiuntur.Perſecutio autem non eſt ex mente Chriſti quælibet vis illata:ſed quæ iniuſtè infertur.

20 Licere vti Magiſtratus autoritate aduerſus hæreticorum & ſciſmaticorũ obſtinationẽ ,etiam ipſorum Donatiſtarum exemplo.

21 Obiici orthodoxis Catholicis Proditionis & Perſecutionis crimen,ſed non probari.

22 Exemplo Iudæ, Cœnæ Domini communicantis, & inter reliquos Apoſtolos verſantis oſtendi improbos non polluere pios: ſed vtroſque in eodem cœtu & eccleſia tum verſari, tum ſacramenta ſumere poſſe.

B 23 Falſa eſſe quæ obiiciuntur à Donatiſtis: & vt vera eſſent, tamen iſta non facere reos , qui iſta crimina vel in illis ignorarunt: vel non probarunt. Quiſque enim ſuum onus portabit,nec nocet palea bono tritico.

24 Baptiſmus Chriſti ſemel acceptus nõ perditur,vt iterum repeti debeat.

25 Idem.

26 Etiam à fallaciſſimo & ſceleratiſſimo Paſtore datus Chriſti baptiſmus,tamen verus eſt Baptiſmus,quia non hominis dantis, ſed Chriſti inſtituentis eſt baptiſmus.

27 Vnum eſt baptiſma Chriſti,vbicunque ſit & vſurpetur , ſiue apud hæreticos , ſiue apud orthodoxos.

28 Etiam apud iniuſtos Paſtores eſſe verum & iuſtum Chriſti baptiſmum. Itaque non iterandum.

29 Quemadmodum à fure poteſt dari moneta vera:ita à ſcelarato Paſtore verum baptiſma.

C 30 Verum Chriſti baptiſma & ſacramentum à non ſancto ſacerdote(vti Caiapha)datum, valet, & verum eſt ſacramentum,quia ex Dei inſtitutione,non ex ſacerdotis ſanctitate,iſta æſtimãda ſunt, habẽtque ſuam efficacitatem.Vera enim apud alienos,& fures eſſe poſſunt.

31 Non Donatiſtarum, ſed orthodoxorum & Catholicorum eccleſia baptizandi poteſtatem accepit.

32 Cùm quæritur quæ ſit vera eccleſia:nõ ſunt perſonarum vitia ſpectãda, ſed Chriſti promiſſiones,& fundamentum illius , in Dei verbo poſitum attendendum,ex quo quis cœtus ſit eccleſia, iudicandum eſt.

Iam verò quod vnũ.

Non eſſe tres gradus ſiue diuerſas baptiſmi differentias:ſed tantùm duas conſtituendas , quarum vna ſit Miniſterium ipſum , quod ad Ioannem & hominem pertinet : altera ipſius baptiſmi res, ſiue effectum,quod Chriſtus donat.

Si ergo aqua.

Ioannis baptiſma non putat Auguſtinus idem fuiſſe re & effecto cum Chriſti baptſmate.

33 Baptiſmum & eum quidem ſanctum in homine iniuſto eſſe , quoad ſacramentum etiam Optati Donatiſtę exemplo:Baptiſmi autẽ rem & effectum non ineſſe. Nam ſacramenta ex hominibus, quibus inſunt,contagionem aut maculam nõ contrahunt. A

34 Petilianum ſibi in explicando Ioannis baptiſmate non conſtare.

35 Baptiſmi puritas , ſanctitáſque à puritate conſcientiæ hominis eum vel dantis vel ſumentis non pendet:ſed ex ipſa Dei ordinatione,adeò quidem,vt ſuos ab impuris baptizatos,ne ipſi quidem Donatiſtæ rebaptizarint.

36 Licet ab impuro & ſcelerato Miniſtro & Paſtore aqua baptiſmi conferatur , tamẽ pura eſt, quia nõ iſtiꝰ impuri Miniſtri aqua eſt ,ſed Chriſti.

37 Quos Actor. 19. baptizat Paulus, non erant ij Chriſti baptiſmo, ſed tantùm Ioannis , qui Chriſti baptiſmatis pars non fuit baptizati. Itaque à Paulo non rebaptizati , ſed primùm baptizati ſunt.

Cur autẽ illo tempore.

Cur baptiſmus Ioannis illo tempore fuerit neceſſarius,etſi erat àChriſti baptiſmate,ex Auguſtini ſententia, diuerſus: nunc autem nõ ſit idem nobis,qui Chriſtum ipſum habemus,petendus.

B

Et quemadmodũ.

Chriſtus Ioannis baptiſmate tinctus eſt,vti circumciſus eſt , quia fuit & baptiſma & circuncifio maiorum bonorum per Chriſtum futurorum pręnuntiatio.

Ridiculũ ergo.

Dilemmate concludit aut neminem Chriſti baptiſmo tinctum rebaptizandum : aut ab ipſis Donatiſtis rebaptizandos,qui ab Optato ſcelerato epiſcopo fuerant baptizati.

Redite ergo præuaricatores.

Sacramenta Chriſti à quocunque , id eſt , ſiue probo,ſiue improbo Paſtore dentur , ſunt eadem, non autem diuerſa.

Iam verò quod.

Ægreferunt Donatiſtæ ſe quæri ab orthodoxis, & in rectam viam reuocari.

38 Falſò obiici orthodoxis , eos non eſſe Catholicam eccleſiam. Item Catholica eccleſia vnde dicta.

39 Fruſtra obiici orthodoxis crimina quæ nõ probantur : quòd ſi conſortium malorum maculat eccleſiã, Donatiſtas potiùs , quàm orthodoxos à ſuis eſſe maculatos,cùm manifeſtè ſceleratos habeant. Denique fruſtrà orthodoxorum cœtum ab vno quodã viro & epiſcopo denominari , qui per vniuerſum orbẽ ſit ex Dei promiſſionibꝰ diffuſus. C

40 Communicatio ſacramentorũ cum malis bonos non coinquinat,exemplo Iudæ & Petri.

41 Quod quidã ſe ex certis autoribus inter Corinthios appellabant, hoc procul dubio ad Donatiſtas pertinet.

42 Idem probat & vrget.

43 Non in Iudæ proditoris,ſed Chriſti ſeruatoris nomen orthodoxos eſſe baptizatos. Nec debere Donatiſtas conqueri, quòd iuſſu Magiſtratus de baſilicis expellantur, id eſt,ſi legem, quam aliis tulerunt,ipſi patiantur.

44 Sacramẽta Chriſti à ſcelerato collata, Miniſtri illa dantis nequitiâ non conſpurcatur.

45 Etſi boni ratione malorum ſunt pauci,non tamen ſemper ibi eſt iuſtitia,vbi paucitas.

46 Etſi boni à malis ſunt diſtinguendi ac diſcernendi , nec par vtrorumque ratio eſt:in hoc tamen mundi & eccleſiæ ſtatu ſunt mali cum bonis commiſti,& tolerandi.

47 Laudes & effecta baptiſmi non pertinent ad

A ad omnes, qui ſignum externum accipiunt: ſed ad eos tantùm, qui rem & Chriſtum induunt, & ſuo baptiſmo rectè vtuntur. Nec propterea tamē ſunt illi ab iſtis diuerſo cœtu ſeparandi, ſed ſimul & ſub vno Paſtore tolerandi. Par denique ſacramentum eſſe poteſt, vbi tamen eſt impar ipſius effectum.

Quia & apoſtatę. Apoſtatæ ſi ad eccleſiā redeāt, non rebaptizādi.

48 Temeritas impudēs Donatiſtarum, qui omnes orthodoxas eccleſias, vti ſceleratas damnabant. Deinde ſacramēti ſanctitas etiam in improbo eſſe poteſt, exemplo Saulis, Reg. 18.

49 Fruſtrà obiici orthodoxis Catholicis eos in ſuam pernitiem Legem Domini noſſe, cùm hoc ipſum æquiùs in Donatiſtas, qui ſeipſos occidunt, retorqueatur: atque ita ſe Iudæ proditoris, nō autem Chriſti legiſlatoris, id facere prohibentis imitatores profitentur.

50 Epiſcopos orthodoxorum eſſe veros epiſcopos & ſacerdotes.

51 Etſi epiſcopi orthodoxi ſunt mali, eorum tamen cathedra, dignitas, & epiſcopatus nō eſt ſedes peſtilentiæ, neque damnandus, ſed potius honorandus ipſo Chriſto teſte, Matth. 23. B

52 Sacrificia & ſacramenta à malis ſacerdotibus adminiſtrata iis tātùm nocēt, qui & ipſi mali ſunt: bonis autē ea ſumentibus eadē ſunt ſalutaria.

53 Quæ vitia obiiciunt Donatiſtæ, in orthodoxos, illa æquius poſſunt in ipſos Donatiſtas retorqueri. Peccatores verò ſacerdotes à Deo exaudiūtur, cùm munere ſuo fūgētes pro populo orāt.

34 Idem cōfirmat ipſius Petiliani teſtimonio.

55 Eccleſiam Dei non ex miraculis, quæ fiunt ab iis, qui in hoc vel illo cœtu ſunt, definiendam: ſed ex iis notis, quæ Dei verbo continentur, inter quas hæc eſt, quòd per vniuerſum orbem erat per Euangelij prædicationem ſpargenda.

36 Conuitiis, non rationibus pugnant Donatiſtæ.

57 Paucorum crimina ad omnes orthodoxos non pertinere.

58 Auxilium imperatorum aduerſus hæreticos & ſciſmaticos, quales Donatiſtę, ab orthodoxis rectè implorari: & eis baſilicas eripi.

59 Orthodoxos, cùm baſilicas eripiunt Donatiſtis, non aliena appetere: ſed ſua repetere, quæ à ſciſmaticis fuerunt ſibi ablata. C

60 & 61 Etſi Petilianus corrumpit ſæpius verba ſacræ ſcripturæ, tamen non efficit, vt etiam malorum & Phariſæis ſimilium Paſtorum cathedra non ſit honoranda.

62 Imperitè diuerſos locos tanquam eôdem pertinentes confundi à Petiliano: tamen eum ipſi ſibi contrarium eſſe, qui cùm contendat orthodoxos peccare in Spiritum ſanctum, eos tamē per ſuum baptiſmum promittat abſoluendos.

63 Retorquet Petiliani conuitiū in eū ipſum.

64 Feritas & crudelitas Donatiſtis potius obiicienda, quàm orthodoxis. Præterea in eo crimen alienum obiici.

65 Crimine alieno nemo polluitur non aſſentiens.

66 Idem.

67 Miſericordes eſſe orthodoxos, etiam dum Donatiſtas corrigendos curant.

68 Nec immundas corde eſſe orthodoxorum eccleſias, cùm quæ illis obiiciātur, ſint incerta: quæ autem Donatiſtis, ſint notiſſima. Nec aliam pacem eccleſiis à Deo commendari: quàm quę cum verbi ipſius veritate conſentiat. Itaque ſæpe piis aduerſus impios eſſe contendendum, & belligerandum propter Dei gloriam. A

69 Et Pauli & Donatiſtarum ipſorum teſtimonio pacis eccleſiæ conſeruādæ gratiâ malos eſſe tolerandos probat.

70 Pacem veram ſolùm in vera Dei eccleſia, non in ſciſmate eſſe poſſe.

71 Non pœnam & perſecutionem, ſed cauſam facere Martyres.

72 Nec propter Paſtorum ſpurcos mores baptiſmum ſemel per eos datum iterandum, etiam in eo, qui Paſtores illos imitari velit: nec dignitatē ipſam Paſtorum orthodoxorum, propter turpem eorum vitam eſſe blaſphemandum.

73 Non temerè locos Scripturæ obiiciendos, ſed videndum cui conueniant. Itaque ex operibus & effectis ſatis intelligi poſſe Donatiſtas eſſe lupos illos, quos Chriſtus damnat: & orthodoxos oues, quas Chriſtus commendat.

74 Quæ Donatiſtæ obiiciunt orthodoxis Catholicis, in eos ipſos æquius haberi in promptu & retorqueri poſſe. B

75 Donatiſtas ſpecie patientiæ eſſe lupos.

76 Patientia extra Dei eccleſiam nulla eſt nobis à Scriptura commendata.

77 Charitatem Chriſtianam, extra vnitatem eccleſiæ non eſſe. Eam autem vnitatem in ſciſmate nō eſſe: ex quo fit, vt inter orthodoxos Catholicos, non autem inter Donatiſtas ſciſmaticos illa ſit.

78 Ex pręceptis charitatis à Paulo traditis intelligi tolerandos eſſe malos & ferendos: & veritati verbi Dei acquieſcendum: de aliorum nequitia non gaudendum. Quæ omnia planè Donatiſtas condemnant.

79 Malorum perſecutio & caſtigatio laudanda eſt. Interim imperitiam Petiliani in peccati definitione arguit.

80 Primum accuſat Petilianum falſi in citanda ſcriptura. Deinde ex teſtimonio allato docet etiam extra eccleſiæ communionem, & in ſciſmate eſſe ſancta, & non iteranda Dei ſacramenta, quia Dei ſunt ſacramenta, non hominum: etſi is qui extra eccleſiam illa accipit, ſibi inutiliter habet, quādiu extra eccleſiam manet. Denique probat Chriſtum ipſum quoſdam eſſe perſecutum. C

81 Etiam Pauli exēplo apud malos ſunt agnoſcenda, quæ illi ſancta habent, etſi hæc iis ipſis malis ſunt inutilia & noxia.

82 Hæreticos & ſciſmaticos perſequi licet.

83 Leges aduerſus hæreticos à Chriſtianis Magiſtratibus ferri, non vt inuiti illi bene agant: ſed ne malè agant cæteriſque noceant. Amouet autem odium crudelitatis à Donatiſtis orthodoxis propterea obiectum. Primò, quod ipſi Donatiſtæ hac imperatorum etiam Chriſto inimicorum autoritate vſi ſunt. Secundò, quod ob intolerabilem Donatiſtarum ſæuitiam, hoc remedium legum orthodoxi quęrere coacti ſunt. Tertiò, quòd pœnam legibus in Donatiſtas latam ſeuerè non exigant: ſed tātùm eos cohiberi poſtulēt ne eorum virus & inſolentia latiùs ſerpat, quam aliquot exemplis immanem eſſe docet.

84 Pœna legibus politicis conſtituta non facit, ne volentes & ſponte benè agamus: ſed admonet cur patiamur, vt, ſi iniuſtè patimur, læte-

mur:ſin iuſtè,emendemur.Obiter quædam de Donatiſtarum crudelitate & errore in ſeipſis præcipitandis & necandis commemorat.

85 Etiam à Chriſtianis Principibus: non tantùm ab infidelibus ſciſmaticos plecti poſſe.

86 Miſericordiæ & iuſtitiæ,non crudelitati & ſæuitiæ tribuendum,quòd Magiſtratus ſceleratos & hæreticos punit.

87 Non recedere orthodoxos à Chriſti præcepto, dum ſciſmaticos puniunt:ſed Donatiſtas ab eo prorſus alienos eſſe,dū ſeipſos occidunt. Quin ipſos Donatiſtas Chriſtianorum perſecutores eſſe docet longè tetriores , quàm olim fuerint ethnici & infideles , ídque breui comparatione vtrorumque inter ſe facta.

88 Præceptum Chriſti de recondendo gladio,temerarium vſum gladij in priuatis zelo ſine ſcientia commotis damnare: vſum autem eius magiſtratibus non adimere. Obiter multa de Circumcellionum furore in omnes , ac ipſorum Donatiſtarum turpitudine ac ebrietate.

89 Mori quidem & affligi propoſitum eſſe debet Chriſtiano : ſed pro Chriſti nomine , non ſeſe præcipitando.

90 Orthodoxos non eſſe zizania,ſed triticum in quo ad tempus ſunt paleæ & zizania toleranda ex Chriſti præcepto.

91 Locum à Petiliano de manſuetudine Chriſtiana allatum,Donatiſtarum ſæuitiam damnare.

92 Docet Auguſt.Magiſtratuum auxilium rectè aduerſus hęreticos & ſceleratos ab eccleſia implorari poſſe,imprimis verò Chriſtianorum, cùm Donatiſtæ ipſi ad illud confugerint, & quidem Apoſtatarum,veluti Iuliani.Pręterea falſiſſimè ab iiſdem Donatiſtis aſſeri, atque in magnam magiſtratuum dignitatis cōtumeliam, Nullos vnquam magiſtratus fuiſſe eccleſiæ Dei & Chriſtianæ æquos & ſalutares:ſed omnes illius hoſtes & ſemper fuiſſe.Quod variis omnium ętatū exemplis refutat Auguſtinus,probátque etiā infideles magiſtratus à Dei ſeruis propter autoritatem illis à Deo datam honoratos fuiſſe. Denique ad ſingula obiecta reſpondet.Inſignis locus & caput aureum.

93 Caſtigatio ſceleratorum,quæ fit à magiſtratu,non eſt cædes à à Deo prohibita.

94 Etiam inuitos ſceleratos caſtigari oportere,idque ex charitate fieri.Fruſtrà autem de ſęuitia magiſtratuum Donatiſtas conqueri,qui ab iis non caſtigentur.

95 Dum orthodoxi reuocant hæreticos : non hæreſim , ſed fidem veram diligunt , ad quam reducunt errantes.

96 Donatiſtæ rectè ab orthodoxis quærūtur, vt ad fidem Chriſti reducantur :rectè iidem à magiſtratibus puniuntur,vt corrigātur & coerceātur.

97 Orthodoxi, in magiſtratu & homine non ſperant,dum ab eo auxilium aduerſus ſceleratos & hęreticos petunt. Obiter quātoperè laudatus fuerit à Donatiſtis Iulianus Apoſtata commemorat.

98 Nec amiſſio bonorum , nec pœna mortis nos Deo commendat,ſed cauſa.

99. Nō quiſquis perdit vitam ſuam beatus eſt: ſed qui pro Chriſto eam perdit.Obiter docet Donatiſtas epiſcopos fuiſſe φιλαργύρους.

100 Perſecutio in pios fit non tātùm ferro:ſed etiam linguâ.

101 Baptiſmum ab orthodoxis datum pollutum non eſſe,ſed ſanctum:nec pollui ad eum accedētes,ſed propter Chriſti promiſſionem ablui,etſi ab impuro Paſtore detur.Nec enim Miniſtrorum & ſacerdotum vitia in ſuſcipientes transfundi.

102 Chriſti baptiſma non eſſe mēdax,etſi qui illud confert,mentitur,fingítque ſe bonum virum eſſe,cùm ſit improbus.Exemplo quoque Hieremię docet,Bonos cum malis in eodem cœtu eſſe poſſe: vitiis tamen eorum conſentire non debere.

103 Malè explicari à Donatiſtis quod eſt in Pſal.140.*Oleum peccatoris non vnget,&c.*atque ex eo ipſo loco illorum baptiſma damnari, cùm ſint ipſi peccatores.Itaque baptizare non debeant.

104 Explicatio Pſal.132.ex qua docet,in orthodoxorum eccleſia eſſe , & caput vnde vnguentum illud ſuaue profluit:& ſacramentū ſanctum,quanquam bonis malíſue commune illud eſt ſigno quidem tenus,non autem effecto.

105 Eum ſacerdotem,qui non peccat,eſſe dūtaxat Chriſtum : cæteros autem ſacerdotes peccare,& pro iis orari debere : nec ideo tamen minus eſſe Chriſti ſacerdotes.

106 Quod alienis peccatis communicare vetamur de conſenſu animi & applauſu intelligitur:nō autem de ſeparatione corporis à cœtu eccleſiæ facienda.Atque hoc ipſum præceptum generale eſt, id eſt,laicis & ſacerdotibus commune.

107 Qui peccatoribus non conſentiūt in malo,in eodem cū peccatoribus cœtu viuere poſſunt, ſed diſſimili effectu.

108 Chriſti baptiſma per malos & hæreticos Miniſtros dari poteſt : neque ab iis datum eſt ab orthodoxis repetēdum,quia Chriſti,non iſtorum Miniſtrorum baptiſma eſt.

Hæreticos etiam dum Chriſti baptiſma conferunt,non eſſe tamen illam Dei eccleſiam , cui nos adiungere debeamus , & quæ Chriſti corpus eſt, ac implementum.

Ipſi autē non ſunt.

Eccleſiam Chriſti in vniuerſum terrarum orbem eſſe diffuſam:non autem in vna tantùm Africa coarctari.

Sed ne pa-
tes.

EX LIB. III. CONTRA PETILIANVM.

¶Reſpondit ſuperiori Auguſtini ſcripto Petilianus , ſed eo modo, vt conuitiaretur tantùm Auguſtino : illius autem rationibus non reſponderet. Itaque de conuitiis Petiliani in ſe conqueritur Auguſtinus primùm, quibus credi oportere , tanquam aduerſarii iniquo teſtimonio negat: & hoc vſque ad cap.15.Deinde ipſam Petiliani reſponſionem diligenter & ſigillatim examinat.Hoc autem toto libro perpetuo quodam proſphonemate ipſos Donatiſtas alloquitur,& ad eos ſuam orationem conuertit.

Cap.1. NOn cōuitiis,ſed rationibus inter eos, qui de re aliqua diſceptant, agēdum: nec de perſona aduerſarii:ſed de re& quæſtione propoſita dicendum eſſe.

2 Amolitur crimina ſibi à Petiliano falſò obiecta Auguſtinus: docétque etſi ipſe ſceleratus foret,cauſam tamen, quam tuetur,eſſe optimā , cùm hoc ſit aduerſæ cauſæ fundamentum , confidendū eſſe in hominibus,quod ex ſcriptura negat Auguſtinus eſſe verum.

3 Neque Eccleſiam propter viros egregios ſequendam : neque propter ſceleratos deſerendā eſſe , etſi ſceleratorum moribus non eſt conſentiendum

A dum. Donatiſtas autem falſò illa crimina obiicere orthodoxis, propter quæ ſeſe ab illis ſepararunt.

4 Improbi quidem per cenſuram eccleſiaſticā ſunt ab eccleſia conuicti, caſtigandi, & obſtinati remouendi. Ipſa tamen eccleſia Dei non eſt propter improbos deſerenda: ſed vnitas & pax eſt cum ea, & in ea conſeruanda.

5 Neminem Chriſtianū in Miniſtro & homine gloriari: ſed omnes ab vno Deo pēdere debere.

6 Ex vnius Dei veritate ſtatuendum eſſe quid in fide ſequamur. Minus autem moleſta nobis eſſe debere hæreticorum conuitia, cùm Chriſto ipſi, & Dei verbo iniuriam faciant.

7 Beatos eſſe, qui conuitia & cōtumelias propter Chriſti veritatem patiuntur, neque nobis ex hominum iudicio, ſed bonæ conſciētiæ noſtræ teſtimonio coram Deo pendendum eſſe.

8 Non metuendum gregi quaſi non rectè, ſed inutiliter ſacramenta Chriſti à ſceleratis Miniſtris accipiat, cū illa & ſancta ſint, quatenus ſunt Chriſti: & à mala conſcientia dari poſſint. Quod exemplo Phariſæorum, & ſimilitudine vitis implicatæ
B ſpinis, confirmat.

9 Concluſio totius ſuperioris loci, etiā à malo Miniſtro Dei ſacramenta vtiliter dari accipientibus ex fide. Nec in vniuerſum in eccleſia Dei miſtos malos obſtare Bonis ad ſalutem.

10 Auguſtinus per apoſtrophen ad orthodoxos breuiter vitæ ſuæ rationem reddit, quam à tēpore ſui baptiſmi inter homines honeſtā fuiſſe ex totius gregis ſui teſtimonio docet.

11 Apoſtrophe ad Donatiſtas, vt de hac cauſa ex Scripturis ſacris, & veritate: non ex vllo perſonarum præiudicio iudicent. Facilè enim ſibi inter eos & plauſibiliter maledici.

12 Cum piis maledicitur, eos exerceri eorúmque præmia augeri: cauſam autem ipſam & veritatem, quam tuentur, non oppugnari. Piis autem per gloriam & ignominiam incedendum eſſe prædixit Dei ſpiritus.

13 Aduerſariis conuitiantibus & hæreticis petulantibus condonandum exemplo Chriſti: nec propterea remiſſiores pios eſſe oportere in tuen-
C da veritate.

14 Rogat Donatiſtas Auguſtinus, vt ipſius ſcripta cum Petiliani ſcriptis conferant, quò meliùs iudicent.

15 Iam reſponſionem Petiliani examinat Auguſt. Ac primùm negat eum vel primæ ſuæ interrogationi reſpondiſſe, ex qua totius cauſæ deciſio pendebat: ſed conuitia tantum & ſubterfugia quæſiuiſſe.

16 Crimina à Petiliano Auguſtino falſò obiecta, quòd van' rhetor eſſet, quòd Manichęus, quòd ſceleratorum patronus, quòd irriſor ſacramēti Euchariſtiæ, quòd incantator.

17 Petilianū fruſtra obiicere Auguſtino Manichęiſmum, quem ipſemet, dum eorum baptiſmū & Catechumenos approbat, laudat. Falſò verò ſcribi eum fuiſſe Presbyterum Manichæorum: Falſò item plagiarium quoque à Petiliano appellari.

18 Vrget Petilianum, vt ſaltem primæ ſuæ interrogationi nunc reſpondeat, in qua totius huius cauſæ κρινόμενον poſitum eſt.

19 Interrogatio Auguſtini ex verbis ipſius Petiliani nata hæc fuit, Cùm ignoratur Miniſtri baptizantis mala, & maculoſa conſcientia, à quo & vnde accipiētis conſcientiā abluatur: Vtrùm etiam A qui neſciens fidem à perfido diſcit, fidem nō percipiat, ſed reatum.

20 Dilemma Auguſt. Cum ignoratur baptizantis Miniſtri maculoſa conſcientia, vel abluitur baptizatus, vel non: ſi non abluitur, ergo eſt iterum ille iam baptizatus baptizandus: ſin abluitur, ergo non maculat aut inficit alium mala alterius conſcientia & fides.

21 Fruſtra Academicam hæſitationem Phili, & Diagoræ ingenium à Petiliano obiici Auguſtino, cùm ad quæſtionem propoſitam fuerit reſpondēdum, non ita declamandum & conuitiandum.

22 Σαρκασμὸς Auguſtini in Petilianum. Tollit enim iam illa verba, in quibus tam pueriliter ille exultauerat.

23 Additam à Petiliano in ſecundo ſuo ſcripto particulam, *Sanctè*, vel *Sciens*, non afferre ſolutionem, aut reſponſionem huic quæſtioni, Quid enim fiet, ſi dantis & baptizantis mala conſcientia à baptizato ignoretur?

24 Idem agit.

25 Auguſtinum falſò accuſari damnationis, B quæ in Manichæos lata eſt, cùm ab ea ſecta, priuſquàm condemnatio illa fieret, diſceſſerit.

26 Nugari Petilianum, & nihil ad rem reſpondere. Imò ex ipſius reſponſione colligi, qui ignorantes malam baptizatoris conſcientiam baptizātur, rectè baptizari & ablui.

27 Tandem hæc reſpōſio fuit Petiliani ad interrogationem Auguſtini, etſi ignoretur conſcientia mala baptizatoris, baptizatū tamen pollui, quia de ea diligenter inquirere debuit.

28 Refellit ſuperiorem reſpōſionem Auguſt.
I. Quòd hac ratione ab hominibus Miniſtris pendeamus: non autem ab ipſo Deo autore, à quò baptiſmum vim ſuam habere negant Donatiſtæ.

29 II. Exemplo Ioannis baptizantis ab ipſo Petiliano allato probat non diligēter de Miniſtris baptizantibus inquirendum: ſed illis ipſis de ſe affirmantibus eſſe nudè credendum.

30 III. Dictum Pauli obiicit exemplo à Petiliano prolato. IIII. Docet, ne ſic quidem Petilianum elabi, cùm poſt diligentem de baptizantibus inquiſitionem, eorúmue approbationem, mul- C tæ tamen maculoſę conſcientiæ ſæpe poſtea appareant. Ergo quærit Auguſt. Vtrum ſint rebaptizādi ab huiuſmodi Miniſtris baptizati.

31 V. Vrget dilemmate poſtremam quæſtionem ſuam Auguſt. Aut enim iſti rectè baptizati ſunt, aut non. Si non ſunt rectè baptizati: ergo rebaptizandi, quod tamen negant Donatiſtæ.

32 Retorquet in Petilianum & exemplum, & reſponſionem ſuam.

33 Neque Philippi exemplum, neque teſtimonia citata à Petiliano probare baptizatorem à baptizando examinandum eſſe, & de illius vita interrogandum, vel inquirendum.

34 Ioan.I.epiſt.cap.4.verſ.I. Locum non ſatisfacere quæſtioni ab Auguſtino propoſitæ. Docet autem exemplo Donatiſtarum epiſcoporum, poſſe multos Paſtores ſceleratos diu latere, etiam de quibus diligenter eſt quæſitum.

35 Non eſſe baptiſmum peccatoris aut traditoris, qui à Peccatore ſacerdote datur: ſed eſſe ſacramentum Dei, à quo inſtitutum eſt. Vnde vtiliter accipitur.

A 36 Idem confirmat.

37 Malum ſacramenti Miniſtrum nō polluere Dei ſacramētum. Neque ſceleratos in eccleſia Dei tolerandos,vbi manifeſtè deprehenduntur:ſed diſciplina eccleſiaſtica coercendos, quod adhuc ſuo tempore factum oſtendit Auguſt.

38 Hoc poſtremum confirmat aliquot exemplis ipſi Petiliano notis.

39 Subterfugiū Petiliani,cùm illi Maximianiſtarum inter eos ſciſmaticorum baptiſmus ab ipſo nō repetitus obiiceretur.

40 Ab hæreticis baptizatus Chriſti baptiſmate,non eſt ad eccleſiam orthodoxam veniens, aut rediens rebaptizandus:ſed tantùm eccleſiæ conciliandus. Denique variis Petiliani criminationibus reſpondet.

41 Non à conſciētia ſacerdotis & hominis baptizātis abluitur is,qui baptizatur,ſed ab ipſo Deo. Et hoc debuit reſpondere Petilian.

42 Solus Chriſtus eſt caput, autor baptiſmi Chriſtiani, & origo & radix,non homines, ac ne Apoſtoli quidem ipſi. B

43 Ergo ſiue à ſancto,ſiue impio & ficto Miniſtro ſuſcipiatur baptiſma Chriſti,rectè accipitur, & Chriſti baptiſma eſt,& baptizati ſpes nō in hominem baptizantem,ſed in Chriſtum autorem reſpicit. Alioqui abſurdiſſimum quiddā ſequeretur, quod explicat Auguſt.

44 & 45 Peſſimè & falſiſſimè à Donatiſtis dici baptizatum eſſe fructum & opus baptizatoris, tanquam arboris. Itaque pro conſcientia huius,illum quoque bonum vel malum fore:cum cuiuſque opus & fructus ſit vita ipſa & mors ſui: & baptizatus non Miniſtri, ſed Chriſti ſit opus. Reſpondet etiam variis cauillationibus Petiliani in ipſius verbis recitandis.

46 Reſpondet eidem cauillationi Petiliani: quòd aliud ſit aliquid tanquam à ſeipſo affirmare: aliud autem ex alterius ſententia tanquam abſurdū colligere. Quæ duo orationis genera cōfundit Petilianus malitioſè.

47 Similitudine ex Pauli ſcriptis ducta, & hîc & ſuperiori capite docet Auguſt. duo illa orationis genera eſſe diſtinguenda. C

48 Si vera ſit Donatiſtarum ſententia, ſequi, vt melius & ſanctius abluatur,qui ab occulto impio Paſtore baptizatur,quàm qui à Manifeſtè ſancto abluitur.

49 Chriſtus eſt,qui ſiue à ſancto, ſiue à ficto & impio Paſtore baptizemur,nos intus abluit, nō viſibili Miniſterio, ſed oculta & interna gratia & potentia. Qui aliud ſentit, homini arrogat, quod eſt Dei.

50 Petilianum ad reliquas epiſtolæ Auguſtini partes & teſtimonia, (à quibus tamen non minus premitur error Donatiſtarum,quàm à primis,) nō reſpondiſſe. Breuiter autē colligit locos,quos Donatiſtæ pro ſuæ ſententiæ confirmatione afferrent, quos item Catholici orthodoxi.

51 Donatiſtas premi maximè Pauli loco, I. Corinth.I.cùm eos damnat, qui in hominibus vllis, quantumuis egregiis gloriātur, & ſciſma in eccleſia faciunt.

53 Ex ipſa Petiliani reſponſione & conceſſione refelli Donatiſtarum errorem,qui ex Paſtorum conſcientia efficacitatem baptiſmi metiuntur.

53 Petilianum vi veritatis coactum tādem fateri,neque qui Catechumenum facit,neque qui baptizat eſſe aliquid,aut eſſe ſpectandum. A

54 Quanquam in ſacramenti adminiſtratione Miniſterium Paſtoris omnino neceſſarium eſt: vis tamen & efficacia ſacramenti non ab eo, ſed à ſolo Chriſto eſt.

55 Exemplo Iudæ proditoris probat & impiū Miniſtrum rectè baptizare poſſe: & baptiſmi vim eſſe à Deo ſolo. Denique ſacramentorum adminiſtrationem acceſſionem eſſe prædicationis.

56 Doctrina potior eſt ſacramento, eſt enim fundamentum ſacramentorum. Baptiſmus tamen Apoſtolorum nunquam eſt dictus fuiſſe alicuius Apoſtolorum,etſi doctrinam vocat ſuum Euāgelium Paulus,vt vim baptiſmi nullo modo à Miniſtris ipſis pēdere intelligerem',ſed à ſolo Chriſto.

57 Si traditores epiſcopos fugiunt,& oderunt Donatiſtę,ſuos fugiant,nō orthodoxos,cùm illi ex Actis publicis tales probentur,hi verò minimè.

58 Dilemmate probat Donatiſtas potiùs traditores cenſendos,quàm orthodoxos.

59 Apoſtrophe ad Donatiſtas,in qua ſuperius dilemma vrget, rogátque,vt ſepoſito Perſonarum præiudicio,de ipſa cauſa verè iudicēt. Falſa autem eſſe quæ Petilianus de Auguſtino ſcripſit. B

EX LIB. I. CONTRA CRESCONIVM GARMMATICVM.

¶Totius hic liber in eo poſitus eſt, vt doceat Auguſt. inani prætextu vti Donatiſtas,dum de ſuæ ſectæ dogmate cum orthodoxis conferre & diſputare recuſant, quod orthodoxos Dialecticos & Oratores appellent contumelioſè. Quæ res illis potius laudi verti debet.

Cap.I. QVàm iuſta de cauſa Creſconio reſpōdeat Auguſtinus, cuius criminationem aduerſus eloquentiam inſtitutam refutat,explicato loco,in quo non eloquentia,ſed multiloquium damnatur.

2 Creſconium laudare in Donatiſtis eloquentiam, quam tamen idem in Auguſtino reprehendat & damnet.

3 Friuolam eſſe ſuſceptę à Creſconio aduerſus orthodoxos ſcriptionis occaſionem, cùm ſe dicat minimè in ſcripturis inſtructum, & ſuorum ſilentium laudet. Damnat denique Creſconius ſtudiū Auguſtini in tollenda hac tam diuturna eccleſiæ controuerſia. C

4 Finitam publica diſputatione fuiſſe hanc Donatiſtarum quæſtionem,in qua ipſi ab Orthodoxis victi ſunt. Itaque hoc publicandum fuiſſe ignaris.

5 Vtiliter exitum diſputationis cum Donatiſtis habitæ diuulgari, vt qui poſſunt, redeant ad Chriſti fidem & eccleſiam. Id quod iam quidam fecerant.

6 Propter hæreticorum obſtinatam peruicaciam à defendenda veritate non eſſe abſtinendū, ſed ex præcepto Pauli, eam eſſe ſemper prædicandam & tuendam.

7 Rectè & pro ratione muneris ſui facere Auguſt. dum pro Chriſti fide & veritate ſcriptis pugnat. Itaque immeritò propterea à Creſconio, tanquam contentioſum accuſari.

8 Etiam aduerſus non credituros, ſed veritatem pertinaciter repulſuros hæreticos, de veritate

A ritate diſceptandum eſſe, exemplo Chriſti, & Apoſtolorum.

9 Maximè epiſcopi munus eſt ſcriptis editis refellere hæreticos & contradicentes.

10 Non apud dociles ſolùm de veritate dicendum.

11 Idem probat exemplo Chriſti & Apollos.

12 Alienis,& iis etiam hæręticis, quibus nunquam aſſenſimus, docendam eſſe, tradendámque veritatem, exemplo Pauli.

13 Dialecticam à ſcholis & diſputationibus Chriſtianis non remouendam: nec accuſandos Paſtores, qui ea in ſcribendo vtuntur, exemplo etiam ipſius Creſconij.

14 Paulum ipſum Apoſtolum, vt ex eius ſcriptis apparet, ſummum Dialecticum, & Oratorem fuiſſe. Itémque alios & Apoſtolos & Prophetas, Quod ne ipſe quidem Creſconius negare audeat.

15 Quid ſit diſputare ſine Dialectica. Quis verus Dialecticus. Quis autem Sophiſta.

16 Dialecticum preſſius: Rhetorem ſiue Oratorem copioſiùs dicere. Cuius vtriuſque facultatis exempla apparere in ſcriptis Pauli, prolatis exem-
B plis, docet.

17 Chriſtum ipſum Dialecticum fuiſſe.

18 Etiam Sophiſtas & Dialectica abutẽtes homines exemplo Chriſti eſſe diſputando conuincendos.

19 Diſputandum eſſe propter veritatis defenſionem homini Chriſtiano & aduerſus Sophiſtas, & aduerſus Dialecticos, exemplo Chriſti & Pauli: neutros autem eſſe, vt Donatiſtę faciunt, fugiẽdos.

20 Dialecticam eſſe Chriſtanis vtiliſſimam, quæ falſum à vero docet diſcernere.

21 Creſconium ipſum vti Dialectica, quã tamen in Auguſtino condemnat.

22 Etiamſi apud Donatiſtas eſt baptiſmus, nemo tamẽ ad eos, vt baptizetur, accedere debet, quia hoc ipſum eſſet ſciſmaticis ſeſe coniungere, qui omnino ſunt fugiendi.

23 Variis ſimilitudinibus docet idem à diuerſis diuerſo euentu haberi poſſe.

24 Etiam quę per ſe ſancta ſunt, diuerſo euentu haberi poſſe à diuerſis, & à quibuſdam etiam ad
C ſuum exitium, exemplo legis diuinæ.

25 Exemplo eorum, qui legem ſciunt, Idololatriã damnant, Euchariſtiæ communicant, docet Auguſt. multos rebus ſacris abuti, eáſque ipſas illis in exitium cedere.

26 Ergo ſimili ratione Baptiſmum Chriſti, qui per ſe ſanctus eſt, multis exitio eſſe. Itaque nõ vbicunque ſit, vtiliter accipi poſſe.

27 Etſi apud ſciſmaticos & hæreticos baptiſm⁹ Chriſti remanſit, apud eos tamen vtiliter & rectè non accipitur. Neque enim quicunque bonum baptiſmum habent, boni ſunt, & cum iis vtiliter verſamur, aut ad eorum gregem accedere debemus.

28 Vnum baptiſma eſſe poteſt, apud quos tamen non eſt vna eccleſia. Quod Dei & Chriſti cõfeſſionis exemplo probat.

29 In ſola Orthodoxa & Catholica eccleſia Chriſti, baptiſmum & piè & ſalutariter accipi, etſi tamen apud alios, velut ſciſmaticos, idem haberi & conferri poteſt.

30 Charactere & ſigno publico, tanquam baptiſmo, & deſertores militiæ, & fures fugitiuóſque abuti poſſe: non tamen propterea characterem ipſum publicum reiiciendum eſſe: ergo nec baptiſmum. A

31 Vti circunciſio ſemel accepta, repeti non debuit, ſic nec Chriſti baptiſmus ſemel acceptus. Aliò enim pertinere quod dicitur de iis qui Ioannis baptiſmo tincti, poſtea à Paulo baptizati ſunt.

32 Cyprianum non ſperni, etſi illius ſententia nõ probetur de iis, qui ab hæreticis baptizati ſunt, rebaptizandis.

33 Totius eccleſiæ autoritate ex Dei verbo deciſum eſſe ab hæreticis iam baptizatos non eſſe iterum baptizandos.

34 Anacephalæoſis quatuor argumentorum in toto hoc libro primo explicatorũ. I. De Rhetorica. II. De Dialectica hominum veritati aduerſantium non formidanda. III. De Baptiſmo Chriſti manente apud hæreticos. IIII. De eo tamen apud eoſdem non accipiendo.

EX LIB. II. CONTRA CRESCONIVM GRAMMATICUM. B

¶Videntur huius Creſconii libri fuiſſe partes precipuæ tres. Prima, in qua orthodoxos premebat Creſconius, tanquam Donatiſtarum cœtum pro vera eccleſia approbantes, quòd & à Donatiſtis baptizatos in ſuum cœtum orthodoxi admitterent nec rebaptizarent, & quoſdam epiſcopos à Donatiſtis deficientes in gradu ſuo retinuerant. Hanc partem refutat Auguſt. vſque ad cap. 17. Altera pars huius libri in eo erat, vt Petiliani ſententiam ab Auguſtino iam refutatam Creſconius ſuſtentaret, cuius nouas rationes etiam refutat Auguſt. Durat vſque ad cap. 31. Tertia Cypriani autoritatem continebat.

Cap. I. PAſtoris euangelici munus eſſe veritatem & diſputando & ſcribendo contra quantumuis egregios Dialecticos illius hoſtes tueri. Irridet autem iſtum Grammaticum, qui Donatiſtæ vocabulum à Donato ex Latinæ etymologiæ analogia deriuari non poſſe contenderet, cùm iam id ſermone tritum inter omnes factum eſſet.

2 Idem repetit.

3 Quid ſit ſciſma, & quid hæreſis. Sciſma eſt vbi tota veræ doctrinæ ſubſtantia inter diuerſos cœtus & inter ſe non coeuntes retinetur. Hæreſis eſt, vbi ab vno vel pluribus veræ fidei articulis di- C
ſceditur.

4 Ex ipſius Creſconii conceſſione idem eſſe Orthodoxorum & Donatiſtarum baptiſmi ſacramentum. Vnde colligit Auguſtinus ergo non eſſe repetendum.

5 Donatiſtas non tantùm ſciſmaticos: ſed quum in baptiſmi doctrina errent grauiſsimè, hęreticos eſſe demonſtrat ex ipſius Creſconii definitione.

6 Donatiſtas ſeipſos oppugnare, dum iterant baptiſmum orthodoxorum, quem à ſuo non eſſe diuerſum fatentur.

7 Quid ſchiſma, quid hæreſis. Ex Creſconio autem probari & hæreticos & ſciſmaticos eſſe Donatiſtas.

8 Quum Donatiſtæ redeuntes ſuſcipiuntur ab orthodoxis, errorem ſuum abiurant: ſacramentum tamen baptiſmi retinent. Vnde Donatiſtæ eſſe deſinunt: baptizati autem eſſe non deſinunt.

9 Mutãtur hęretici, cùm hæretici eſſe deſinũt,

A quia veritatem, quam antea blaſphemabant, amplectuntur. Itaque iam tales non ſunt, quales antea erant.

10 Cùm reſipiſcunt hæretici,& ad orthodoxos redeunt, omnia ſunt in iis ſeruanda & probanda, quæ ſunt Dei,& eccleſiaſtica. Eccleſiaſticum enim etiam extra eccleſiam haberi poteſt.

11 Epiſcopus aut clericus Donatiſta ad eccleſiam rediens non ſemper gradum retinet,etſi ſemper baptiſmum retinet,quia alia eſt iſtarum dignitatum,alia Baptiſmi ratio. Illæ enim populi ratione conſtitutæ ſunt: vnde adimi poſſunt. Baptiſmus noſtræ adoptionis eſt ſigillũ,quod tolli nõ poteſt.

12 Etſi plerique epiſcopi hæretici ad orthodoxos redeũtes etiam in epiſcopali dignitate manent,non tamen in errore. Nam priore errore(qui erat ſacrilegus) damnato & correcto, dignitatem tantùm retinent.

Sed ideò vobis nõ.

Non ſolo baptiſmo homines mundantur,ſed & fide & Pœnitentia. Vnde reſipiſcentibus,baptiſmi iteratione & repetitione non eſt opus.

13 Exemplo fluuiorum è paradiſo exeũtium, qui tamen ſunt paradiſi fluuij, docet aquam & ſa- B cramentum Baptiſmi extra eccleſiam eſſe, quoad ſigni adminiſtrationem poſſe: illius autem effecta & virtutem, extra eccleſiæ fidem & vnionem eſſe non poſſe.

14 Cauendum diligẽter,ne quæ de ipſius Baptiſmi veritate & effectis dicuntur in verbo Dei, cùm ſigni viſibilis adminiſtratione confundamus. Eſt enim aliud veritas & res Baptiſmi: aliud ſignũ ipſum viſibile & illius collatio.

15 Signum viſibile Baptiſmi Boni & Mali,etiã inter hęreticos accipere poſſunt:rem autem baptiſmi, id eſt,Spiritum ſanctum ſoli Boni,ídq; in eccleſiæ tantùm vnitate participant & ſuſcipiunt.

16 Aliter hæretici iã baptizati in eccleſia Dei recipiuntur:aliter lapſi:aliter Pagani nondum baptizati. Hi baptizantur & facilè ſuſcipiuntur. Hæretici non quidem rebaptizãtur,ſed errorem abiurare publicè coguntur. Lapſi duriori & ſeueriori pœnitentia,eáque publica caſtigantur.

17 Donatiſtæ ſentiunt Miniſtrum baptizantem,etiam ſceleratum abluere baptizatum, modò C illius improbitas & malitia vel ignoretur,vel nondum publico eccleſiæ iudicio damnata ſit.

18 Refutatio ſuperioris ſententiæ. 1. Quòd tunc non conſcientia dantis ſpectaretur, ſed fama potiùs. 2. Quòd falſa fama plus poſſet ad abluẽdum, quàm vera improbitas ad maculandum accipientem,& falſitas præpolleret veritati. 3. Ipſa hæc interpretatio eorum dogmati prorſus repugnat, qui ex Miniſtri dignitate, non ipſius populi fama baptiſmi energiam metiuntur. Denique hac ratione & reſponſione ſemper hominibus tribui, quod Dei eſt.

19 Refutari ſententiam Donatiſtarum exemplo Iudæ proditoris,qui verè baptizauit: quod tamen exemplum ipſi afferunt.

20 Chriſtus ipſe, non autem homo Miniſter abluit conſcientiam baptizati,Epheſ.5.

21 Eodem modo damnati hæretici extra eccleſiam tingunt,& baptizant,quo hypocritę in eccleſia nondum damnati,nimirum, vt viſibile tantùm ſignum præbeãt,ac miniſteriũ baptiſmi exerceant: Dei enim ſolius eſt conſcientiam hominis abluere & ſanctificare. A

22 Eccleſiam Dei & bonos & malos comprehendere,donec Dominus ipſe eos diſcernat & ſeparet. Falſò quoque omnino doceri,nullam vnquã perſecutionem & afflictionem iuſtam eſſe.

23 Non intelligi à Creſconio,quid *oleum peccatoris*,& *aquam mendacem* ſcriptura dicat.

24 Si oleum peccatoris baptiſmum ſignificat, etiã eos, qui ab occultis malis & peccatoribus baptizantur, non ablui, contra Donatiſtarum ſententiam.

25 A mortuis baptizari eſt in idolorum nomen ablui, non à peccatore Miniſtro, Chriſti baptiſmate baptizari.

26 Superiorem ſuam interpretationem confirmat Auguſt. & ex ipſo Creſconio docet ſceleratum Miniſtrum etiam occultum non rectè baptizare. Id quod diſtinctionem Donatiſtarum refutat.

27 Creſconiũ tergiuerſari docet Auguſt. perperámque interpretari dictum illud Eccleſ. *Oleum peccatoris*. item & illud. *Qui baptizatur à mortuo*.

28 Si ex interpretatione Creſconij nulli peccatores baptizare poſſũt,Ergo nulli homines poſ B ſunt, quia nemo homo eſt non peccator. Contrà verò docet Auguſt. ſanctum à peccatore datũ ſanctificare accipientem,ſi bonus ipſe ſit.

29 Peccator Miniſter,qui à ſacramentis dãdis arcetur,eſt is demum intelligendus, qui ſcãdalum dat vitæ ſuæ turpitudine: quamquam ab eo etiam ipſo nondum de gradu deiecto ſacramenta piis & credentibus data illis ipſis proſunt.

30 Non cuilibet licet ſacramenta Dei adminiſtrare. Illegitimè tamen adminiſtrata ratione dãtis,nõ ſunt repetenda:ſed quod illegitimè vſurpatum eſt,corrigendum eſt.

31 Cypriani ſcripta verbo Dei ſubiicienda,ſed & cuiuſcunque alterius ſcriptoris eccleſiaſtici. Itaque nõ quid Cyprianus ſenſerit, ſed quid verbum Dei docuerit,eſſe nobis ſpectandum.

32 Nullam Cypriano fieri injuriam,ſi ab illius autoritate, & ſententia, quæ verbo Dei repugnat, diſceditur. Cypriani enim charitas,non error imitandus eſt.

33 Ante Cyprianum communi eccleſiæ conſẽſu ab hæreticis Chriſti baptiſmo Chriſtiani tin- C cti,non rebaptizabantur:à quo more diſceſſit Cyprianus,quod facere non debuit.

34 Cypriani teſtimonio damnari Donatiſtas, qui propter paleas in eccleſia inuentas, ab ea recedunt.

35 Cyprianus conſentit eos admitti & tolerari à Deo propter rationem vnitatis eccleſiæ, & per indulgentiam,qui ab hæreticis baptizati in eccleſiæ ſinu moriuntur,nec rebaptizantur.

36 In eccleſia Dei frumenta Dei Paleis nec ſimilia nec aſſentientia non polluuntur.

37 Longa recitatione docet Auguſt. quot eccleſias Dei innocentes & ab Apoſtolis ipſis fundatas damnent,& temerè quidem atque falſò, Donatiſtæ.

38 Boni à Malis in eccleſia Dei ſe ſeparent nõ corpore,& cœtu,ſed animo & diſſenſu. Antè enim quàm Deus ipſe malos ſeparet,ſuperbum planè eſſe,teſte Cypriano,eos eiicere & iudicare velle.

A

EX LIB. III. CONTRA CRESCONIVM GRAMMAticum.

Maximè in crudelitate Donatiſtarum, & Maximianiſtarum hiſtoria explicanda verſatur: & Cæciliani à Donatiſtis accuſati purgatione.

Cap.1. AD reliqua Creſconij argumenta reſpondet,ac primùm ad Cypriani autoritatem,quem ex ipſius ſcriptis docet, nulli aliter ſentienti præiudicium facere voluiſſe.

2 Cyprianus communionem & vnitatem eccleſię ſeruauit etiam cum iis,qui ab eo in quæſtione de rebaptizandis ab hæretico epiſcopo ſemel baptizatis diſſentiebant, cuius exemplum nõ ſunt ſecuti Donatiſtæ.

3 Orientales epiſcopos nonnullos Cypriano quidem primùm aſſenſiſſe: poſtea verò errorem ſuum correxiſſe. Denique dilemmate probat Auguſtinus Donatiſtas omnino, aut in fide errare: aut in charitate.

B 4 Amouet calumniam ſibi àCreſconio factam Auguſt. quaſi pares omnino, extra ſigni & ſacramenti præbitionem faceret pios & impios: bonos & malos Miniſtros eccleſiæ.

5 Cum maculoſus & ſordidus Miniſter ſacramentum dat,non ipſe, qui eſt immundus,accipiẽtem mundat: ſed Chriſtus, à quo ſacramenti efficacitas pendet:non autem à Miniſtro, cuiuſcũque vitæ ſit, id eſt,ſiue bonæ,ſiue malæ.

6 Per Miniſtros diſpares,munus & baptiſma Dei adminiſtratum par eſt,quia nõ horum, ſed illius eſt. Prodeſt tamen à bono Miniſtro accepiſſe propter vitæ imitationem.

7 Creſconium concedere Chriſtum ſanctificationis hominis Chriſtiani,& purificationis fontem & radicem eſſe, in quo Petiliani fundamentum prorſus euertit.

8 Vti per perfidos colonos poſſunt bonæ arbores plãtari:ita per infidos Paſtores boni & fideles baptizari,quia nõ operantis mens & mores at-
C tẽdũtur:ſed res ipſa,quæ ſeritur, & adminiſtratur.

9 Creſconium errare, qui cùm dicat fidem & iuſtitiam eſſe à Deo, nolit tamen eam in nobis eſſe poſſe,niſi baptizator noſter prius eadẽ habeat.

10 Nec Ioannis baptiſmo baptizatos poſtea tinctos fuiſſe, vt baptiſmus Chriſti repeti poſſe doceretur: nec à Moſe iampridem baptizatos poſtea rebaptizatos ab Apoſtolis fuiſſe, ſed eorum tantùm liberos.

11 Baptiſma Chriſti, etſi ab Apoſtolo detur, non eſt tamẽ Apoſtoli,ſed Chriſti.Chriſtus autem fide ex ſeſe & per ſeſe, non manu ipſius Miniſtri mũdat corda noſtra. Denique à Creſconio omnia capita & fundamenta Petiliani,(quem ipſe defendẽdum ſuſceperat)prodi,dum falſam de ſanctitate baptizantis famam ſatis eſſe contendit ad mundãdum baptizatum.

12 Exemplo Optati Donatiſtæ, & ſententiam Creſconij,& crimen orthodoxis obiectum refutat.

13 Quod pro Optato Donatiſta reſpondit Creſcon.idem pro Cæciliano, & æquius etiam reſpõderi poſſe docet Auguſtinus.

14 Feliciani & Prætextati Donatiſtarum exẽplo probat falſa crimina obiici poſſe orthodoxis: & tamen malos baptizare poſſe.

15 Hiſtoria Maximianiſtarũ ex ipſo Creſconio A

16 Creſconium fateri Maximianiſtas,quorum tamen baptiſma ab ipſis Donatiſtis non repetitur, fuiſſe extra eccleſiam,& ſciſmaticos.

17 Id quod ipſius etiã concilij Bagaienſis verbis confirmat Auguſtinus.

18 A ſciſmaticis Donatiſtis datum Chriſti baptiſmum ab iiſdem approbatum fuiſſe,nec repetitum à Donatiſtis. Imò receptos eſſe hæreticos, ſine abiuratione erroris,veluti Maximianiſtas.

19 Verba conſilii Bagaienſis recitat, vt appareat Maximianiſtas verè ab aliis donatiſtis ſciſmaticos & malos iudicatos,& tamen baptizaſſe & receptos eſſe.

20 Mira impudentia & audacia Donatiſtarum qui ex ſuo arbitratu probant vel improbant ſacramenta Chriſti.

21 Maximianum ipſum à Donatiſtis aliis fuiſſe erroris damnatum.

22 Ordinatores Maximiani Donatiſtas fuiſſe ab aliis Donatiſtis dãnatos,& tamen rectè ex Donatiſtarum ſententia fuiſſe receptos, & baptizaſſe. B

23 Creſconium iugulat Auguſtinꝰ ipſius Donatiſtarum concilij verbis & gladio.

24 Et malos miniſtros rectè baptizare: & in eccleſia ſuſcipi, tamen abiurato, dum recipiuntur, errore.Qui autem mali ſunt,baptiſmum habent:illis tamen nõ prodeſt,niſi à ſua malitia cõuertãtur.

25 Multa pro pace eccleſiæ eſſe toleranda, præſertim quæ dubia ſunt, & nondum planè nota crimina.

26 Non quomodo, ſed quid dicatur in eccleſia & inter Chriſtianos eſſe maximè attendendum.

27 Donatiſtarum pleroſque fuiſſe Codicum ſacrorũ proditores docet teſtimonio concilij Cirtenſis,cuius verba recitat.

28 Cæciliani accuſatio à Donatiſtis facta inuidia & incitatione Lucillæ potentis mulieris facta fuit,teſte Donatiſtarum Diacono.

29 Hoc probat ipſorum Actorum iudicialium teſtimonio,quæ profert.

30 Siluani Donatiſtæ exemplo probat Donatiſtas recepiſſe & habuiſſe epiſcopos traditores. C

31 Propter malos non deſerendam Dei Eccleſiam,etiam teſte ipſo Cypriano.

32 Ignotum aliorum crimen aliis non obeſſe.

33 Si actis publicis credendum ſit, falſam eſſe accuſationem Donatiſtarum de orthodoxis.

34 Quod ex Sardicenſi concilio in laudẽ Donati affertur probare eum cum Arrianis hæreticis manifeſtè conſenſiſſe.

35 Fugiẽda ſunt hominum,qui ſunt, fuerúntue in Dei eccleſia, vitia: eccleſia autem ipſa & cœtus non eſt propterea deſerendus.

36 Cypriani exemplo docet Auguſtinus,Paſtores Bonos & malos habere ſacramenta Dei communia, etſi non pari fructu.

37 Creſconium in Petiliani errorem iam refutatum impingere, qui homines noſtræ iuſtitiæ & ſanctificationis in baptiſmo autores facit.

38 Exemplo Prophetarum docet etiam inter Malos rectè viui poſſe, nec propter vitia hominum alium ſibi populum aut cœtum ſeparatione corporali eſſe colligendũ.Denique baptiſmũ à traditoribus datum, eorum tamẽ baptiſmum nõ eſſe.

39 Fruſtra de cauſa Cęciliani agi,qui mortuus ſit iampridem, præſertim quum ipſis Donatiſtis

A autoribus non ſint rebaptizandi, qui neſcientes, ab adulteris & malis ſunt baptizati.

40 Exēplo Primiani Donatiſtę docet, æquius tolerari baptizatos ab orthodoxis, quàm tolerentur & probentur ab ipſis Donatiſtis baptizati per Maximianiſtas.

41 Diluit crimen crudelitatis orthodoxis obiectū à Creſconio, quòd orthodoxi tolerarint eos, qui Donatiſtas vel publica autoritate magiſtratus, vel priuata perſequebantur.

42 Circumcellionū, qui erant Donatiſtæ, ſcelera & crudelitatem obiicit Creſconio Auguſtin'.

43 Immanitatem epiſcoporum etiam Donatiſtarum in orthodoxos oſtēdit, præſertim in Maximianum epiſcopum Bagaienſem orthodoxum & Catholicum.

44 Crudelitas Donatiſtarum cauſa fuit, cur Imperatores in eos, leges & pœnas ſanxiuerint.

45,46,47,48 Hiſtoriam hoc & tribus ſeq. capitib. perſequitur, ex qua quanta ſit Donatiſtarum in orthodoxos crudelitas & perſecutio, eáque ab ipſis Donatiſtis ſciētib' impunita relicta, oſtēditur.

B 49 Mortem ſibi Donatiſtæ impiè conſciſcūt, ídque ſibi licere putant. Quod reprehendit Auguſtinus.

50 Vult Auguſt. vt Donatiſtæ leniter ad reſipiſcentiam reuocentur: à magiſtratu tamen eos coerceri non improbat.

51 Reges pios debere ſuis edictis & legibus veram religionem ſancire: & impios, hæreticóſque punire.

52 Narrat hiſtoriam Maximianiſtarum, vt geſta erat, & actis publicis continebatur, vt appareat baptiſmum etiam à malis Miniſtris datum, tamen non repetendum: atque Donatiſtas ipſos primùm vſos eſſe autoritate Magiſtratus aduerſus ſuos ſciſmaticos. Perſequitur hanc hiſtoriam cap. 53. 54. 55. 56. 57.

58 Superiorem hiſtoriam ad ſuam & orthodoxorum defenſionem accommodat Auguſt. ne iteretur ſemel acceptus Chriſti baptiſmus.

59 Eandem ad ſuam defenſionem applicat Au-
C guſt. vt doceat licere vti autoritate magiſtratus aduerſus hæreticos & ſciſmaticos, Donatiſtarum exemplo.

60 Idem agit.

61 Cæcilianum à Donatiſtis ſæpius accuſatū, ſemper à iudicibus abſolutum, atque etiā ab ipſo Conſtantino Magno Imperatore.

62 Impudentiam & obſtinationem Donatiſtarum demonſtrat.

63 Idem. Præterea docet eccleſiam eſſe non in vna Africa: ſed in toto orbe ſparſam ex implemento veterum vaticiniorum.

64 Eccleſiam Dei vbique gentium diffuſam eſſe, non in vna Donatiſtarum cōgregatione quærendam.

65 Perperam igitur Donatiſtas, ad vnam gentem, eiúſque minimum cœtum eccleſiam Dei reſtringere.

66 Aliquot Creſconij rationes in ſuæ ſectæ laudē allatas refutat Auguſt. I. Sparſa eſt per varias regiones iā Donatiſtarū ſententia. Reſpon. Et hæreſes quoque multæ ſparſæ. II. In paucitate eſt veritas, error in multitudine, R. populoſam fore veram ſuam eccleſiam Dominus ipſe promiſit.

In paucis inquis.

67 Poſteriorem obiectionem Creſconij refutat argumēto Maximianiſtarum, qui & reliquis

A pauciores erant: & ab iis tamen, vt hæretici, dānati ſunt. III. Ratio Creſconii, Non communicat Oriens Africæ. Reſp. Inter hæreticos quidem nō communicat: inter orthodoxos autem communicat Oriens cum Africa.

68 Communicare Donatiſtas debuiſſe cum iis ſaltem eccleſiis, quarum iudicio ſe in cauſa Cæciliani viciſſe dicunt.

Non inquis communicat.

69 Falli Creſconium, qui Cæcilianum ſcripſerit à Conſtantino miſſum in exilium: & Felicē traditionis conuictum.

70 Vtranque Creſconij calumniam ſuperiorem ex ipſis actis publicis refutat.

71 Conſtantini Magni ſententia abſoluit Cæcilianum, poſt cauſæ cognitionem.

72 Vrget, oſtendítque non lædi reliquas eccleſias impietate Cæciliani, ſi qua probata fuiſſet.

73 Inepta collectio Creſconij ex vocabulo *Probabilius* facta.

74 Comparationis gradum non ſemper σχετικῶς ſumi aut vſurpari: ſed ſæpe ϑετικῶς tantùm, & B
pro primo, id eſt, poſitiuo, quod autoritate ſcripturæ probat.

75 Idem autoritate profanorū, ſed tamen Latinorum autorum docet.

76 Non ex captatione inepta vocum, ſed ex actis publicis, legitimáque accuſatione ſunt orthodoxi probandi & conuincendi eſſe traditores, & impii.

77 Retorquet in Creſconium ſuam regulam Grammaticam de gradu comparationis.

78 Irridet ineptas calumnias Creſconii, qui metaphoras & ſchemata verborum Auguſtini nō perceperit: item quædam illius verba à vero ſenſu detorſerit.

79 Amouet calumniam ſibi factam, quòd aliquando Manichæus fuerit, cùm poſtea tamen eos oppugnarit.

80 Refutat crimina ſibi obiecta Auguſt. propter quæ tamen cauſam, pacémque eccleſiæ lædi minimè poſſe docet, cùm ab eo non pendeat eccleſia, & vnus homo tantùm verſetur in huiuſmodi C
quæſtione.

81 Orthodoxæ eccleſiæ frumenta à paleis cōmixtis non læduntur. Donatiſtæ tamen ſuis paleis læduntur, cùm ſepararint ſe ab eccleſia propter vitia.

82 Retorquet in Creſconium quod de magiſtratu implorato obiecit: & quod in Maximianiſtarum cauſa ipſi Donatiſtæ de non rebaptizando decreuerunt.

EX LIB. IIII. CONTRA CRESCONIVM GRAMmaticum.

¶*Hic liber eſt repetitio eorum quæ tribus ſuperioribus refutata ſunt: ſed hic ipſos Donatiſtas ſuo gladio iugulat id eſt, ex Bagaienſi concilio (quod valde probabant) refutat.*

Cap. I. INſtitutum huius libri eſt ipſos Donatiſtas refutare ex proprio ipſorum teſtimonio in cauſa Maximianiſtarū prolato, ſiue de baptiſmo non iterando, ſiue de imploranda magiſtratus autoritate aduerſus ſciſmaticos agatur.

2 Eloquentiam in Auguſtino tāquam artem dece-

A deceptricem vituperat Creſconius: quam tamen in ſcriptis Donatiſtarum, & maximè in concilio Bagienſi exundantiorem eſſe docet Auguſtinus.

3 Collationem, quam ſecum fieri orthodoxi requirebant, improbat Creſconius. Donatiſtas turpiùs in iudicio de ſuæ ſectæ dogmatibus litigare docet Auguſt. quàm ſi placidè cum orthodoxis epiſcopis conferrent.

4 Concilij Bagaienſis acta recitat, tum ex ipſis concilij verbis, tum ex actis iudicialibus & publicis, ſiue Procõſularibus: ex quibus Maximianum & illius ordinatores epiſcopos damnatos fuiſſe ab aliis Donatiſtis apparet manifeſtiſsimè.

5 Baptiſmum verum alibi quàm in vera eccleſia dari poſſe negarat Creſcon. itaque repetẽdum eſſe, ſi alibi datus eſſet. Docet Auguſt. ipſorũ Donatiſtarum teſtimonio inter Maximianiſtas fuiſſe baptiſmum, qui tamen eorum ſententia, vera Dei eccleſia non erant.

6 Conquerebatur Creſconius, quòd Donatiſtæ ſectariorum nomine appellarentur ab ortho-
B doxis. Reſp. Auguſt. ipſos Donatiſtas vocare ſciſmaticos ſuos ſectarios, & Maximianiſtarum nomine.

7 Obiiciebat Creſconius Cæcilianũ damnatũ à ſeptuaginta epiſcopis: Reſpond. Auguſt. & Primianũ Donatiſtam à 100. epiſcopis dãnatum eſſe, quẽ tamen ipſi abſoluiſſent. Sed Cæcilianũ & abſentem ab illis 70. damnatũ: & à Cõſtantino Magno, à quo auditus eſt coram, abſolutum fuiſſe.

8 Peccatum in ſpiritum ſanctum falſò & Cæciliano orthodoxo, & Feliciano ſuo Donatiſtæ obiicerunt.

9 Donatiſtas & Maximianiſtas dici & appellari ſolere iſtos hæreticos. Itaque nouum illis nomen ab Auguſt. non imponi.

10 Errorem & ſciſma ſacrilegum dici poſſe, ipſorum Donatiſtarum teſtimonio, eorũ crimen.

11 A Donatiſtis ſciſmaticos & hæreticos ſine reconciliatione cum eccleſia & erroris abiuratione recipi ab orthodoxis non recipi.

12 Non famã, ſed vitã ipſam Paſtorum facere eos ſanctos & bonos contra reſpõſum Creſconij.

13 Paſtores malos conuictos & notos, nondũ
C tamen depoſitos, baptizare adhuc poſſe ex Bagaienſi Donatiſtarum concilio.

14 Idem vrget, ex Petiliani & Creſconij reſponſione.

15 Quos duos locos Scripturæ citat Creſconius, ab eo deprauari & detorqueri in alienũ ſenſum docet.

16 Ipſius Bagaienſis Concilij teſtimonio interpretationẽ Creſconij de loco, *Oleum peccatoris*, &c. refutari. Baptiſma enim Chriſti nec à dantis, nec ab accipientis meritis: ſed à Chriſti autoris potentia pendere.

17 Oriẽtales, qui Cypriano aſſenſerãt, & Cyprianum ipſum Bagaienſi Donatiſtarum Synodo refutari, quia ab hæreticis baptizatos cenſuit non rebaptizandos.

18 Inter pium & impium Miniſtrum nihil intereſt, quoad efficacitatem & adminiſtrationem baptiſmi: quoad ipſos autem Miniſtros, & vſum baptiſmi multum intereſt.

19 Petilianum & Donatiſtas nõ tribuere efficacitatẽ baptiſmatis Chriſto, ſed Miniſtris illud conferentibus.

20 Miniſter melior ſibi, non alii vtilius facit ſacramentum. Itaque meliora ſacramenta nõ confert, cùm ſint Dei ſacramenta. A

21 Sciſmaticus Paſtor & hæreticus etſi fidem non habet, nondum tamen depoſitus ius ſacramẽti dandi habet.

22 Bagaienſi concilio refutari Creſconiũ qui à meliori Paſtore melius ſacramentũ & baptiſma dari ſentit, cùm ab hæreticis improbiſsimis homines baptizatos concilium approbet.

23 Creſconium decipi in explicando Ioannis & Moſis baptiſmo.

24 Creſconium pueriliter captare verba Auguſt. cum de Optato loqueretur, & eum fluuium rapidum eſſe diceret.

25 Optati Donatiſtæ ſceleratiſsimi exemplũ (cuius tamẽ baptiſma à Donatiſtis probatur) oſtẽdere, non attendi ſanctam dantis conſcientiam, quæ abluat accipientes contra Petilianum.

26 Et Iudæ Iſcariotæ exemplo, & variis locis, &Cypriani teſtimonio doceri bonos communione in ſacramentis cum malis non contaminari, niſi eorum improbitati conſentiant, eámque approbent. B

27 Idem vrget, & exemplo ipſius Creſconii docet, Bonos cõmunione malorum non aſſentientes non contaminari.

28 In Maximianiſtarum hiſtoria errare Creſconium, & ſecum pugnare.

29 Idem vrget, docétque eos, qui expectantur, vt redeant ad eccleſiam, ab eccleſia diſceſsiſſe.

30 Idem agit.

31 Hæretici & ſciſmatici, qui nondum redierunt ad eccleſiam, ſunt extra eccleſiã contra quàm tamen ſentit ineptè Creſconius.

32 Bagaienſi cõcilio quoſdam à Donatiſtis omnino & planè fuiſſe damnatos, quales ordinatores Maximiani: alios autem exſpectatos ad reſipiſcentiam. Quod non animaduertit patronus iſtius concilii Creſconius.

33 Qui ita planè damnati fuerunt à Donatiſtis, eos ex ipſa Donatiſtarum ſententia extra eccleſiam baptizaſſe: quorum tamen baptiſmum ipſi approbarint.

34 Munit Creſconium aduerſus ſuæ ſectæ ca- C
lumnias.

35 Totum concilium Bagaienſe apertè ſenſiſſe extra eccleſiam datum à Maximianiſtis baptiſmũ valere.

36 Donatiſtas ſibi ipſis aduerſari, nec velle eãdem legem in aliis pati, quam ipſi de ſe tulerint, vt reſipiſcere liceat: & reſipiſcentium baptiſmus valeat.

37 Dilemmate colligit, Alios aliorum peccatis non pollui, ſi iiſdem ſacramentis communicẽt.

38 Qui redit ad eccleſiã, extra eccleſiam fuit.

39 Idem probat verbis concilij Bagaienſis, id eſt, Donatiſtarum.

40 Hoc idem confirmat verbis aduocati ipſorum Donatiſtarum.

41 Feliciani & Prætextati ſciſmaticorũ proculdubio Donatiſtarum cauſa ipſos iugulat, & non rebaptizandum eſſe, ex ipſorúmnet ſententia, euincit.

42 Purgat ſe à calumnia, & falſa recitatione Auguſtinus.

43 Bonos ignaros malorum ſocietate non pollui.

A 44 Orientalibus eccleſiis crimina Afrorū, veluti Cæciliani, non fuiſſe nota.

45 Non homo Miniſter: ſed Dei ſpiritus nos in baptiſmate regenerat. Reſpōdet etiam ad duas ſimilitudines Creſconij, & in eum retorquet argumentum de Patrum ſcelere.

46 In perſecutionibus non pœnam, ſed cauſam ſpectandam, propter quam ij, quos perſequuntur, vel laudantur, vel damnantur.

47 Donatiſtas ipſos eſſe perſecutos ſuos ſciſmaticos docet exemplo Optati, Primiani, & aliorum.

48 Hoc probat actis etiam ipſis Proconſularibus prolatis.

49 Crudelitas Donatiſtarum in Saluiū ipſorum ſciſmaticum pluſquàm barbara & immanis.

50 Vrget ſuperiora argumēta, & ad defenſionem orthodoxorum transfert Auguſt.

51 Cauſa cur aduerſus Donatiſtas implorata ſit ab orthodoxis magiſtratus autoritas.

52 Reuocat ad eccleſiam Dei.

53 Refutat argumentum Creſconij de veritate ex pauciori numero definienda.

B 54 Eccleſiam Dei & veritatem Euangelii per vniuerſum orbem fuiſſe ex Dei promiſſionibus ſpargendam.

55 De natura comparatiui gradus.

56 Ex ipſorū Donatiſtarum verbis refutati.

57 Donatiſtas quoſdam fuiſſe traditores probat ex actis publicis: Propterea tamen negat ab eccleſia fuiſſe diſcedendum.

58 Orthodoxa eccleſia vera eſt, & ſi numerus ſpectetur, potiùs illius iudicium, quàm paucorum Donatiſtarum ſequendum. Id quod ipſorum exēplo confirmat.

59 Palea vnà cum frumento in area dominica, id eſt, eccleſia eſt toleranda.

60 Etiamſi orthodoxi teſtamentum vtrūque habent, tamen prolatis à Donatiſtis codicibus credunt, vt definiatur vbi ſit vera eccleſia.

61 Ex ipſius Creſconij confeſſione eccleſiam Dei vbique eſſe ſparſam, nec tamen eam cum hæreticis vllis conſentire.

62 Baptiſmus extra veram Dei eccleſiam eſſe C poteſt, prodeſſe autem non poteſt.

63. Idem.

64 Auguſtinum non inuehi in ipſas perſonas hæreticorum, ſed in eorum errorem. Manichæanum etiam fuiſſe cùm adhuc eſſet & laicus & adoleſcens.

65 Creſconium non reſpondiſſe ad epiſtolam & ſcripta Auguſtini, ſed tergiuerſatū tantùm fuiſſe.

EX LIB. I. AVGVSTINI, CONTRA PRIMAM EPISTOLAM GAVdentij.

Cap. I. Ratio ſuſcepti argumenti & occaſio, furor Gaudentij Donatiſtæ.

2 Hypocriticè Gaudentiū affari Dulcitium, quem laudat.

3 Dulcitium laicum & militem orthodoxum rectiùs & ſentire & ſcribere, quàm Gaudentium epiſcopum inter Donatiſtas magni nominis.

4 Etſi non eſt communicandum errori, eſt tamen errans monendus.

5 Vox *Prudens*, etiam malis tribuitur. Vitiorū correctio non eſt iniuſta perſecutio. Innocens nō eſt, qui ſe, quanquam innocentem, occidit. A

6 Etſi veritatem aliqua in re detinet hæreticus, non ipſi tamen in ſalutem cedit. Gaudentij inſania ex ipſius verbis demonſtrata.

7 Quod alios faciendum eſſe docemus, primi ipſi faciamus.

8 Retorquet preces Gaudentij.

EX LIB. II. CONTRA SECVNDAM EPISTOLAM Gaudentij.

Cap. I. Simulatione vti Gaudentium in ſuę epiſtolæ præfatione.

2 Dulcitium ex ipſius ſuæ epiſtolæ verbis damnare Gaudentium, vti noxium hominem Chriſtianis.

3 & 4 Correctionē, non mortem Donatiſtarū quęri ab orthodoxis. Receptos autē Donatiſtas in eccleſiam Dei non accipere quod iam habebant: ſed vtiliter per abiurationē erroris ſentire, quod prius ad ſuum exitium obtinebant. B

5 Retorquet in Gaudentium quod dixerat innocentem & iuſtum non occidendum. Nemo ſeipſum occidens, innocens eſt.

6 Emeriti exemplo docet quanta ſit orthodoxorum lenitas: & Donatiſtarum cauſæ infirmitas.

7 Donatiſtarum errorem non eſſe fidem, imò hæreſin, à qua ſit diſcedendum.

8 Paſtori bono fugere nonnunquam licere exemplo Pauli.

9 Etiam improbi bene docentes ſunt audiendi ex præcepto Chriſti.

10 Dominus auxilium & præſidium ſuis in perſecutione fugientibus promiſit.

11 Libertas homini data non concedit impunitatē ſcelerum, ſcelus perpetrare volēti: neque eſt æquum, vt ſi cætera delicta puniantur, ſolum hæreſeos ſacrilegium impunitum magiſtratuum legibus maneat. Deniq; nō ſit Deo iniuria, ſi ipſius honos à magiſtratibus defenditur. Id quod ipſorum Donatiſtarum teſtimonio & facto probat.

12 Non quælibet afflictionis perpeſsio martyrium eſt, ſed quæ pro nomine & fide Chriſti fit & toleratur. Cui fidei cùm Donatiſtæ repugnent, non poſſunt, etiam grauiſsima quæque patientes, martyres cenſeri. C

13 Non rectè à Gaudentio ſcripturam citari. Præterea non quicunque aliquid durum patiūtur, eos perſecutionem tolerare, quę laudetur, aut quę viris piis obtingit.

14 Orthodoxos à Donatiſtis in eo perſecutionem pati, quòd eorum exitium grauiſsimè orthodoxi patiantur. Eſt autem hic animi dolor etiam inter perſecutiones enumeratus.

15 Citat malè ſcripturam Gaudentius. Chriſti tamen dictū orthodoxos Catholicos non perſtringit, cùm neque Donatiſtas occidere quærāt: Neque cùm eos correctos aliqua pœna volunt, Chriſti ſententia ad eos pertineat.

16 Et dicto Chriſti, & parabola Matth. 22. docet etiā homines malos congregandos eſſe in Dei eccleſia.

17 Etiam inuiti homines ad veritatem cogi poſſunt, & ſæpe debent.

18 Falſò applicari Donatiſtis illud Scripturæ,

Mundus

A *Mundus hic non poteſt vos diligere*, Ioan. 15.

19 Fruſtra gloriari Donatiſtas de Martyrio Chriſti, qui ad ſeipſos occidendos impellãtur ſpiritu diaboli.

20 Ipſius Gaudentii teſtimonio probat Donatiſtas ſibi ipſis manus afferre: ſed & Circumcellionum facto & exemplo confirmat etiam aliis manus violentas ab iiſdem inferri ad Paganorum in Chriſtianos quondam ſæuientium morem & imitationem.

21 Potius gratulandum orthodoxis, quòd eorum opera, implorato magiſtratu, plures Donatiſtæ iam ab errore doctrinæ, & à furore ſeipſos vel alios occidendi liberentur, quàm metu pœnæ ſeſe interimant.

22 Verba Chriſti, *Spiritus promptus, caro autem infirma* non excuſare eos, qui ſe impatiẽtia aut metu occidũt, quia afflictis pollicetur Deus auxiliũ: nec patitur iuſtitia, vt quis ſeipſum interimat.

B

23 Factum Raziæ quàm diſtet à conſilio Donatiſtarum, quem negat ideo laudatum, quòd ſeipſum occiderit in perſecutione. Itẽ libri Machabæorum à Iudæis apocryphi dicti, & à Chriſtianis ſobriè legendi. Denique nõ quælibet veterum facta imitanda.

24 Falſò accuſari Catholicos orthodoxos ſeuitiæ, cùm eorum lenitas in tolerandis Donatiſtis ſit nota variis exemplis, & imprimis Emeriti eorum epiſcopi.

25 Blaſphemia Gaudentij, qui eccleſiam verbo Dei fundatam appellet humanum figmentum & idololatricum. Denique Gabinum laudat, qui reſipiſcens à Donatiſtis ad eccleſiam redierit, Deo & Imperatori obſequens.

26 Ad reges cura religionis & eccleſiæ vnitatis pertinet. Id quod non modò fidelium, ſed etiã infidelium regum exemplo probat, itémque ex Pſalmo ſecũdo. Ad quam rem militibus reges vti poſſunt.

27 Non quicunque aliquid patiũtur ſunt martyres: ſed ij ſolùm qui ſunt iuſti, & propter iuſtitiã patiuntur. Quales minimè ſunt Donatiſtæ.

C

28 In omnibus penè ſibi repugnare Donatiſtas. Primò, in eo quòd illam perſecutionẽ, in qua orthodoxos traditores fuiſſe dicunt, aſſerant fuiſſe ſæuiſsimam, cùm ipſi Donatiſtæ facilè tamẽ tunc inter ſe conuenirent. Secundò, quòd ſuos traditores fuiſſe negant. Tertiò, quòd eadem lege nolint orthodoxos vti, quam ipſi de ſuis ſtatuerũt. Denique eos & vita & exitu ſimiles Iudæ traditoris eſſe docet Auguſt.

29 Non quicquid alij aufertur, reddẽdum eſt: ſed quicquid iniuſtè aufertur & eripitur, vti quod Achab abſtulit Nabotho. Perperam etiam Donatiſtas ad ſe transferre, quod de futuro iuſtorum ſtatu extat, Sap. 5.

30 Neminem in Donatiſtas ſæuiorem eſſe quàm eos ipſos, qui ſeſe occidant. Orthodoxi autem epiſcopi, & magiſtratus Chriſtiani, iis tãtùm exilium & exitum imperẽt. Denique ipſorum Donatiſtarum teſtimonio doceri cauſam religionis ad fidelem magiſtratum pertinere, apud quẽ ipſi Cæcilianum accuſarint.

EX LIB. III. CONTRA GAVDENTIVM.

¶In hoc libro vulgarem & iam receptam numerorum diſtinctionem ſecuti ſumus, etſi nobis variis in locis diſplicet. A

Cap. I. RESpondet hoc toto libro ad teſtimonium Cypriani à Gaudentio prolatũ, ex quo iſte concludebat Donatiſtas eſſe eccleſiam Catholicam. Quod refutat Auguſtinus variis argumentis.

Primum ipſius Cypriani verbis, qui Catholicam eccleſiam per orbem vniuerſum ſparſam eſſe docet.

2 Ab etymo vocis ipſius καθολικὴ.

Hinc enim.

3 Ab ipſa Donatiſtarum conſcientia, quę eos ſilere cogit, cùm interrogantur, cur à Catholica & orthodoxa eccleſia diſceſſerint.

Reſpõdet vobis.

4 Alio itidem Cypriani teſtimonio, per quod docet in Catholica ęccleſia ſemper fore zizania, ab ea tamen non eſſe propterea recedendum.

Et ſi videntur.

5 Vrget ſuperius Cypriani teſtimonium aduerſus Donatiſtas.

Nempe nunc ſaltẽ vides.

6 Refutat argumentum Gaudentii de Achatio, quod longè ab hac cauſa diſsimillimum eſſe docet.

Quia ſcilicet.

B

7 Refutat ab aliorũ Donatiſtarũ teſtimonio: item à Scripturæ ipſius ſacræ oraculo, quæ malos & bonos in eccleſia Dei eſſe poſſe affirmat.

Piſces malos.

8 Donatiſtas à ſeipſis iugulari, & contrariis ſuis ſententiis refutari, verámque eſſe eam ſententiam Bonos à Malis, quos tales eſſe ignorãt, in eodem cœtu non maculari, quam etiam Cypriani & Emeriti Donatiſtæ teſtimonio confirmat.

Malos à bonis debere.

9 Authoritate Cypriani docet ne propter manifeſtos quidem ſceleratos eſſe à Dei eccleſia recedendum bonis & piis viris.

Vidẽtur, inquit.

10 Idem confirmat ipſius Chriſti teſtimonio, Baptiſmum etiam ab hæreticis & Malis collatum probari ab ipſis Donatiſtis, exemplo Feliciani, cõtra Cypriani, quem pro ſe illi afferebãt, ſentẽtiam. Denique propter diſſidentes in ea re ſententias, non eſſe abrumpendam eccleſiæ vnitatem exemplo Cypriani.

Nõ enim præter.

11 & 12. Malos non conuictos in eccleſia eſſe tolerandos.

Si enim mali.

C

13 Cyprianum hoc ipſum ſuo exemplo faciendum docuiſſe.

Talis nec eorum.

14 Malè quoſdam locos Scripturæ interpretari à Donatiſtis. Itaq; eos eſſe & diſceſſiõe ſua ab eccleſia ſciſmaticos, & dogmate hęreticos. Nec tamen propterea datum ab iis baptiſmum nullum eſſe, cùm res ſacra apud profanum eſſe poſſit, & ſæpe veritas ab iniquis, ſed ad ſuum exitium, detineri, teſte Scriptura, ſoleat.

Denique quando.

15 Religio & ſuperſtitio quid differant. Retorquet etiam interpretationem ſuam in Gaudentium, in voce *Relligio*.

Veſtrum verò ſacrilegium.

16, 17 Idem vrget.

18 Chriſtianum imperatorem poſſe & debere de Dei cultu ſollicitum eſſe, exemplo etiã infidelis Niniuitarũ regis, in quo peſſimè memoria lapſus ſit Gaudentius.

Sequere igitur. Vnde & regem.

19 Reſpondet Gaudentio obiicienti (Non coactus fuit à rege populus) quia nec fuit rebellis populus.

Certè vt impenſè.

20 Exhortatur Gaudentiũ, vt ad eccleſiam redeat & reſipiſcat.

Ergo quia iſta relgio.

21 Cæciliani, ſed nec aliorum quorumlibet vitia tollere eccleſiæ Dei firmitatem & iura, quæ ex Dei verbo, non ex hominibus pendent.

Imò per ipſum.

EX LIB. I. DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS.

¶In eo maximè totus eſt hic liber, vt doceat etiam inter hæreticos eſſe poſſe baptiſmum Chriſti: ab illis tamen eum non accipiendum: ſed ſi acceptus ſit, tamen non repetendum.

Cap.I. RAtio ſuſcepti operis, cuius hic præcipuus ſcopus eſt, vt reſpondeatur autoritati Cypriani, qui rebaptizandos ab hęreticis iã Chriſti baptiſmo baptizatos ſcripſit, qua Donatiſtarum error maximè cõfirmari videbatur. Vtitur autem hîc pluribus αἰτήμασι veris illis quidem Auguſtinus, vt ad iuſtam reſponſionẽ iter paret, è quibus eſt hoc præcipuum.

Nullus autem eſt illorum. Quod ſi haberi. Si dicis nõ rectè.

I. Donatiſtas ipſos agnoſcere Apoſtatas iam baptizatos non rebaptizandos.

II. Quod foris & extra eccleſiam haberi poteſt, foris & extra eccleſiam quoque dari poſſe.

III. Aliud eſſe aliquid non habere, aut non dare: & illud non rectè habere, vel non rectè dare.

Non tamen.

IIII. Quod datum eſt aut acceptum, nõ poſſe non datum aut acceptum eſſe.

Sacramentum.

V. Sacramentum, & ius dandi ſacramenti iiſdem rationibus vel amitti vel retineri in quouis cœtu.

In quo enim.

VI. In hęreticis illud probandum eſſe, quod ex Chriſti præcepto faciunt: illud improbandum, in quo à Chriſto recedunt.

Cap.2. Non damnari baptiſmum Chriſti ab hæreticis Paſtoribus, in hæreticorum cœtu datũ, vt nullus cenſeatur: ſed damnari eos, qui ſciẽtes & prudentes illic accipiunt. Aliam autem eſſe rationem eorum, qui neceſsitate cogente id faciunt, quòd nullæ ſint orthodoxæ eccleſiæ. (Hoc poſtremum periculoſum eſt: nam inducit præciſam & abſolutam neceſsitatem baptiſmi.)

Nota.

3 Confutat eos, qui cùm orthodoxi videri velint, in cœtu hæreticorum tamen baptizari volũt, ducto ex ipſorũ teſtimonio etiam argumẽto. Denique nihil titubante conſcientia agendũ eſſe docet Auguſtinus.

4 Similitudine notæ militaris docet aliquid haberi quidem poſſe, etſi non rectè. Deinde peccare eum, qui ſciens cœtum in quo baptizatur eſſe hæreticum, in eo tamen baptizari, vel vno etiam die in eo manere vult: quia ne momento quidem horæ in malo manere ſcientes debemus.

5 Qui ſcit hæreticos eſſe, apud quos baptizatur ſuo ipſius teſtimonio redargui, & damnari docet. Sed & Donatiſtarum Maximianiſtas recipiẽtium concilio apertè doceri, etiam apud orthodoxos datum baptiſmum non eſſe repetendum.

6 Hoc ipſum etiam Chartaginenſium Donatiſtarum, id eſt, maioris eorum partis teſtimonio confirmat. Donatiſtas autem in varias hæreſes & ſciſmata ſciſſos eſſe oſtendit.

7 Quæſtionem hanc, *Vtrum baptiſmus ab hæreticis datus ſit repetendus*, variè agitatam fuiſſe, quæ plenario tandem cõcilio Charthagine habito, definita ſit ex Dei verbo: nempe, *non eſſe repetendum*. Cuius ſententiæ rationes aliquot ex ſcriptura ſacra deſumptas affert Auguſti.

Et quomodo.

Conciliat duas diuerſas, & in ſpeciem contrarias ſcripturæ ſententias, quarũ vna ſancitur quicquid eccleſiæ orthodoxæ conſentiens retinet ſciſmaticus: altera damnatur ipſum ſciſma & diſceſſio ab eccleſia facta.

8 Non eſt ſanandum, quod ſanum eſt: ſed quod vulneratum. Quod enim eſt ſanum, eſt agnoſcendum. Vt autem quod eſt ſanum propter adhęrentem morbum etiam ſæpe moritur, & illa ſanitas fruſtra habetur: ſic ſacramenta Chriſti ſana fruſtrà in ſciſmate vel hæreſi habentur.

9 Caiaphæ, Saulis, Simonis Magi exemplis: itémque ex dicto Pauli probat & à malis fruſtra haberi Dei ſacramenta: ac extra vnitatem eccleſiæ & charitatis.

10 Eccleſia orthodoxa ſuũ eſſe agnoſcit quicquid in quouis hæreticorum cœtu ex Dei verbo fit. Itaque ipſa, non hæreſis per Chriſti Baptiſmũ generat qui generantur filij Dei etiam inter hęreticos. Nec tamen omnes, quos generat, habet, vel etiã retinet. Multi enim vt Iſmael eiiciuntur, quales hæretici: multi, vt Eſau hæreditate priuantur, quales ſcelerati.

11 Argumentum fortiſsimum Donatiſtarum in eos ipſos retorquet, vt probet ſignum baptiſmi ſine peccatorum remiſsione dari poſſe: & eius rei culpam non ipſi ſacramẽto Dei inhærere, ſed perſonæ accipienti tribuendam eſſe.

12 Dilemmate idem confirmat, vt doceat Baptiſmum tantùm in eo, qui inutiliter ſui vitij ratione accepit, non eſſe repetendum.

Si autem dixerunt.

Peccata ſemel à Deo condonata vtrũ redeant: ſed etſi redire concedantur, propterea tamen non iuuari Donatiſtarum errorem de Baptiſmo iterãdo, quia propterea Baptiſmus in eccleſia orthodoxa datus non aboletur.

13 Et in hypocritis & malis & hæreticis Baptiſmus Chriſti agnoſcendus eſt: vitia tamen, quæ perſonis inſunt, ſunt purganda, vt vtilis ipſis eſſe poſsit ille Baptiſmus.

14 Baptiſmus Chriſti ab hæreticis, vel ſciſmaticis datus, non eſt tamen eorum baptiſmus: ſed Chriſti & eccleſiæ. Itaque cùm approbatur & retinetur, nihil, quod hereticorum ſit, acceptatur.

15 Exemplo Iſmaelis & Aſer, docet multos extra eccleſiam naſci, tanquam ex illegitimo coniugio, qui vel propter vnitatem & conſenſum charitatis hæreditatis partem habẽt: vel propter diſcordiam eiiciuntur. Exemplo verò Eſau docet etiam multos in eccleſia, tanquam in coniugio legitimo, naſci, qui tamen propter improbitatem ſuam ius hæreditatis amittant.

Non quia prior. Eccleſia verò quod eſt populus.

Occupatio ne hæreſes putentur priùs fuiſſe, quàm eccleſia Dei.

Eccleſiam Dei omni ſeculo & ætate, & carnales habuiſſe & ſpirituales: hos quidem, in quibus efficacia erant Dei ſacramenta: illos autem carnales, in quibus erant inefficacia & inutilia.

16 Eccleſiæ Dei filii ſunt, quicunque vnquam verè pii & fideles fuerunt. Ab ea fuerunt alieni quicunque vnquam fuerunt & vixerunt hypocritæ & ſcelerati. Vna verò & eadẽ eccleſia & nos & Patres, qui ante Chriſtum vixerũt, complectitur.

Itemque.

Quatuor hominum genera repreſentari per Cainũ, Iſmaelẽ, Eſau, & Iſaacum. Per Iſaacũ apertè & verè pios. Per Cainũ, impios. Per Iſmaelem ex Agar natum, eos qui ab hęreticis baptizãtur, & hæretici nihilominus manent. Per Eſau eos, qui ab orthodoxis baptizati, impii fiunt. Quintum

A genus addit eorum, qui ab hæreticis baptizati ad eccleſiam redeunt, qui per Aſerem ex ancilla natum, & in filiorum numerum adoptatum ſignificantur.

17 Malos vbicunque ſint, ſiue in eccleſia, ſiue extra, ſemper paleas eſſe: Bonos autem vbicunque etiam ſint, ſemper eſſe grana, & vtiliter habere ſacramenta.

18 Cyprianum erraſſe quidem in eo, quòd ab hæreticis Chriſti Baptiſmo baptizatos putat rebaptizandos: excuſandum tamen eſſe, quòd charitatis vnionem etiam cum aliter ſentientibus ſeruauerit, cùm ea quæſtio nondum plenarij concilij ſententia definita fuerit. Denique quòd errare ſit humanum, ac etiam in perfectiſsimis quædam repurganda maneant & appareant.

19 Næuum & errorem Cypriani charitas delet & tegit: eundem autem in Donatiſtis ſciſma ab iis factum auget. Denique vitia Cypriani imitantur, non virtutes.

B AD LIB. II. DE BAPTISMO *contra Donatiſtas.*

Admonitio ad Lectorem.

¶ Non eſt viſum in ſequentibus libris huius operis ſingulorum capitum argumenta perſequi: ſed ſingulorum librorum ſcopum & hypotheſin tantum proponere, quòd multa ſint ex ſuperioribus opuſculis repetita in his libris, multa ex Cypriano tranſcripta, & poſſit quilibet nullo negotio quæ in quoque capite agantur animaduertere. Itaque breuitati, Lector optime, ſtuduimus.

Totus hic liber poſitus eſt in ſoluendo vno illo Donatiſtarum argumento, quod ab autoritate & Cypriani, & collegarum eius, id eſt aliquot epiſcoporum, ſumebant Donatiſtæ, vt confirmarent ſuam ſententiam de rebaptizandis iis, qui in eccleſia Catholica (quam tunc pro hæretica habebant) fuerant priùs Baptizati. Igitur de ſcriptorum eccleſiaſticorum autoritate agit, quãtum ſit iis tribuendum, De conciliorum iure, denique de ipſius Cypriani ſententia, cui negat plus tribuendum, quàm ſcripturæ canonicæ, & concilio plenario, per quod de hac quæſtione aliter iam conſtitutum eſt. Itaque ait cap. 7. Nolite nobis autoritatem obiicere Cypriani ad Baptiſmi repetitionem, ſed tenete nobiſcum exemplũ Cypriani ad vnitatis conſeruationem. Vetus autem eccleſia ante Agrippinum Cypriani anteceſſorem, per manuum impoſitionem ab hæreſi recedentes & ad ſe redeuntes admittebat, nulla tunc Baptiſmi repetitione vtens, à qua conſuetudine primus ſine ratione diſceſſit Cyprianus.

Lib. III.

Superiori libro quid ad dictum Cypriani reſpondendum eſſet, explicauit Auguſtinus. Hoc tum ex variis epiſcoporum & collegarum Cypriani, qui concilio à Cypriano collecto interfuerant, dictis, tum etiam ex ipſis Cypriani verbis probat ante Agrippinum, & ipſum adeo Cyprianum, aliam fuiſſe eccleſiæ conſuetudinem, quàm vt ab hæreticis baptizati (ſi ad eccleſiam veram errore abiurato accederent,) rebaptizarentur: vt inde efficiat nouam omnino illam fuiſſe baptiſmi iterationem. Deinde Donatiſtarum quæſtionibus reſpondet Auguſtinus, negátque ab iis, & peccatorum remiſsionem & Spiritum ſanctum dari iis, quos ipſi baptizant, quandiu baptizati manent in illorum hæreſi. Denique variis argumentis probat Baptiſmum eſſe Chriſti ſacramentum, ſiue à fideli, ſiue ab infideli miniſtro detur, vti aurum & argentum, quod ab idololatris habetur, eſt tamen Dei. Itaque Baptiſmum ex perſonarum & miniſtrorum dignitate non pendere: ſed ex verbis euangelicis, ab iis datum qui in eccleſia præpoſiti ſunt: eúmque legitimum eſſe & haberi, neque iterandum aut repetendum eſſe.

Lib. IIII.

Reſpondet rationibus Cypriani, quæ extant in illius epiſtola ad Iubaianum. Omnis autem argumentorum ſolutio poſita eſt in ea diſtinctione, quæ facienda eſt inter errorem perſonę, & ſanctitatem ſacramenti. Neque enim dantis aut accipientis Baptiſmum error delet & mutat id, quod à Domino conſtitutum eſt, etiamſi ad pernitiem non ad ſalutem detur accipiatúrue ab hæretico: nam eadem eſt ratio Baptiſmi in hęretico, quæ in catholico male viuente. Multa autem de comparatione hæretici & catholici malè viuentis agit, vt aduerſariorum obiectionibus reſpondeat.

Lib. V. B

Reliquas Cypriani rationes refutat ex epiſtola ad Iubaianum, inter quas illa vehemens obiectio eſſe videbatur, quòd etiam à Ioanne baptizati fuerant, poſtea à Paulo baptizati, quanquam amicus ſponſi, non autem hæretici erat Ioannes: ergo in ea conuellenda diutiùs immoratur, & cur id factum ſit docet ex ea differentia & diſtinctione, quæ inter Ioannis & Chriſti Baptiſmum fiebat à veteribus: in quo docet ne ipſum quidem Ioannis Baptiſmum repetitum fuiſſe. Deinde ad alia Cypriani ſcripta ſe conuertit. Quales erant illius epiſtolæ ad Pompeium, ad Quintum, ad Magnum, ad Stephanum, quibus Donatiſtæ niti poſſe videbãtur, & eorum argumentis reſpondet, vt abunde autoritati Cypriani ſatisfactum videri iam & poſſit & debeat.

Lib. VI.

Poſtquam ipſius Cypriani rationes ex illius epiſtolis deſumptas refutauit, iam etiam eorum C epiſcoporum, qui cum Cypriano concilio interfuerant, argumenta excutit, quæ hoc libro ex parte ſoluit ex ea diſtinctione, quæ facienda & ſtatuenda eſt inter ſignum ſacramẽti, quod ſemel legitimè & ex forma à Chriſto præſcripta datum repeti non poteſt: & inter effectum vſúmque ſacramenti, quem ii ſoli ſentiunt, qui rectè & piè viuunt. Nam malè viuentes etſi in eccleſia fuerunt baptizati, etiam à Præpoſitis, vim baptiſmi non ſentiunt, neque in eo hęreticis ſunt meliores. Itaque vti catholici perperam viuentes ſemel legitimè verbíſque euangelicis baptizati non rebaptizantur: ſic neque hæretici ſemel Chriſti baptiſmate tincti, ſunt retingendi.

Lib. VII.

Reliquas epiſcoporum ſiue concilij Cypriani rationes perſequitur Auguſtinus, quas & ingenioſè & accuratè refellit, vt doceat iuſta nulla cauſa inductos eſſe, qui contra veterem eccleſiæ conſuetudinem cenſuerunt ab hæreticis baptizatos iterum baptizari oportere, ſi ad eccleſiam accederent. Capite autem penultimo & vltimo, hãc quæſtionem dubiam relinquit, Vtrum à non baptizato datus in eccleſia baptiſmus ſit admittendus: itémque, Vtrũ qui per ludicrũ & mimicè extra eccleſiam eſt tinctus, ſit iterum baptizandus.

A

DE VNICO BAPTISMO CONTRA PETILIANVM.

Cap.I. REtorquet in Donatiſtas inuidiã Auguſt. quam Catholicis conflabant ex eo ,quòd publica de iis controuerſiis ſcripta ederent, propter quæ prophani offendebantur. Taceant igitur ipſi, ait Auguſt. ſi ſcribi de iis rebus oportere non putant. Debet enim palàm redargui quod in occulto nocet, & ſciunt ethnici Chriſtianos baptizari. Itaque propterea ſilendum non eſt.

2 Primum Donatiſtarum argumentum, probari à Catholicis etiam Donatiſtarum Baptiſmum, quando non iteratur. Ergo vnicum & verum eum eſſe. Reſpondet Auguſt. non probari Donatiſtas, ſed Chriſti tantùm Baptiſmum, corrigi tamen & reprehendi errorem Donatiſtarum, qui eum repetunt.

3 Confirmatio ſuperioris ſolutionis à ſimili. B Dum Iudæi conuertuntur ad Chriſtianam fidem, quod ſane rectéque crediderunt, retinetur. Quod falsò & perperam crediderunt, emendatur. Itaque quod eſt vulneratum ſanandum eſt : quod eſt ſanum in quopiam , non eſt reiiciendum aut tollendum.

4 Ab autoritate & exemplo Pauli idem confirmat, qui quod idololatriæ verum ſenſerunt & habuerunt, quia eſt à Deo omnis veritas, approbat:& quod iidem illi perperam ſentiunt, improbat, corrigit & deteſtatur. Locus, Ro.1. & Act.17.

5 Iam ad ſuæ quæſtionis ſtatum ſuperiora exempla applicat, docétque à Catholicis vera ſacramenta non deſtruenda improbandáque eſſe ,quia ab hæreticis retinentur, quanquam hæreticorum vitia deſtruunt orthodoxi & corrigunt. Nam & Deus verus cognoſci , & ſacramenta Dei haberi extra eccleſiam Dei poſſunt.

6 Ne tamen propterea ſibi hæretici delitias faciant, temperamentum addit Auguſt. nempe hoc, ſic ab iis verum Chriſti Baptiſmum & dari C & haberi, vt tamen ad ſalutem illis non proſit, ſicut neque Dei cognitio iis, qui veritatem in iniuſtitia detinent.

7 Secundum Donatiſtarum argumentũ, Poſt Ioannem ſponſi amicum Apoſtoli baptizarunt, ergo poſt hæreticum baptizare licet. Reſp. Auguſt. Nihil ſimile eſſe:nam cenſendus eſſet inter hæreticos Ioannes Baptiſta , vt à ſimili duceretur argumentum. Præterea ex diſtinctione veterum inter baptiſmum Ioannis & Chriſti ſoluit, non improbatum ab Apoſtolo Ioannis baptiſmũ, ſed Chriſti qui deerat, & ad quem ille Ioannes tantùm præparatorius erat , baptiſmo additum fuiſſe. Quam ipſam obiectionem Petilianum vidiſſe, ſed non ſoluiſſe tamen ait.

Ait enim.

Solutionem ad illam catholicorum reſponſionem afferebat Petilianus, quã examinat Auguſtinus:ex qua aliud euincit, omninóque contrarium. Nam cùm Chriſtus ipſe doceat etiam veritatem ab iniquitatis operatoribus haberi, etiam ea in hę reticis agnoſcenda eſt. Neque enim ſi verum dicit impius, aut ſequitur , falſum illud fit aut blaſphemum, quia ille impius eſt.

8 Pergit in examinanda ſuperiori ſolutione, quam Petilianus attulit:imprimíſque eam dicendi rationẽ deteſtatur Aug. per quã ille Chriſti ſacramẽta à ſacrilegis tractata Sacrilega appellauit. A Manent enim vera & Chriſti ſacramenta & ſancta, vti & nomẽ ipſum Chriſti à ſacrilego vſurpatum:eſt tamen Chriſti nomen, & ſanctum ,& eo maiorem ſibi pœnam conciliat ſacrilegus dum vſurpat. Et hoc ipſum in ſuis vitioſis Prępoſitis agnoſcũt Donatiſtæ, quos inter ſuos baptizare ſciunt & ſinunt.

9 Ex ipſius Petiliani verbis idem confirmat, qui cõfert hæc inter ſe, dęmonia in nomine Chriſti eiicere, & traditorem baptizare. Vti enim dæmonia eiiciens habet illam à Deo virtutem, neque illi deneganda eſt : ita neque traditori Baptiſmus. Neuter tamen ad ſalutem. Vitioſum ergo quod eſt, emendandum eſt. Quod autem verum vbique eſt, agnoſcendum eſt.

10 A pari, quod ex rerum ſimiliũ à Petiliano inductarum comparatione ducitur, efficit Auguſtinus etiam Baptiſmum verum & in catholicis, & in hæreticis eſſe poſſe:ſed his ad perniciem , illis ad ſalutem. Eſt autem illud. Par eſt verbis euangelicis Baptizare, & fidem vel Chriſti confeſsionem veram habere : at & dæmones habent fidem B & eam illis relinquunt Apoſtoli : ſed non ad ſalutem, ſicut habuit Petrus :ita & hæretici baptizant, ſicut Catholici : ſed ad ſuam pernitiem.

Quamobrem.

Aliud argumentum à Paribus quæ agnoſcit Petilianus : è quibus cùm alia ſint etiam extra eccleſiam & agnoſcantur ergo & Baptiſmus. Locus eſt Epheſ.4.

11 Tertium Donatiſtarum argumentum ,Ibi eſt verus Baptiſmus, vbi vera fides : non alibi. Reſpondet Auguſt. negátque hæc duo ſemper inter ſe connexa eſſe. Quod exemplo Corinthiorum probat, qui legitimum quidem baptiſmum habebant, veram tamen fidem non habebant. Ergo ſeparari hæc poſſunt , & Baptiſmus hæreticis relinqui, quorum tamen error, vitium, animus ſciſmaticus nullo modo probatur.

12 Negat Auguſtinus quod in odium catholicorum dixerat Petilianus ab hæreticis venientes temerè recipi à catholicis ſine pœnitentia & admitti verum eſſe. C

13 Quartum Donatiſtarum argumentum, Ab autoritate Cypriani, & concilij ductum. Auguſtinus negat hoc in Cypriano eſſe imitandum , vti neque in Petro , quod gentes Iudaizare docuit, ſed charitas & affectus erga vnitatem eccleſiæ, qui fuit in Cypriano eſt imitandus. Denique docet non eſſe ſimilem Donatiſt. & Cyprian. errorẽ. Velle enim hæreticos rebaptizare , fuit humani erroris:velle catholicos rebaptizare, eſt diabolicæ præſumptionis.

14 Quintum argumentum Donatiſtarum, Laudabant Rom. eccleſiæ epiſcopos Donatiſtæ, tanquam ſuarum partium. Hoc refutat Auguſt. ex iis quæ à Stephano (qui Cypriani contemporaneus vixit) ſcripta ſunt & ſancita de eadẽ re prorſus Cypr. contraria. Ex eo autem ipſo in Petiliano retorquet crimen diſceſsionis ab eccleſia, quando Stephanus & Cyprianus diuerſa ſentientes, manſerunt tamen in vnitate eccleſiæ.

Niſi fortè.

Vrget Petilianum hoc exẽplo Stephani & Cypriani, quo magis doceat Donatiſtas furiosè ſe contra eorum, quos probabant, exemplum ab eccleſiæ corpore & cœtu ſeparaſſe.

15 Am-

A 15 Amplificat hoc ipſum ex Cypr. & Steph. apertè quidem inter ſe diſſentientium : ſed tamen in vnitate eccleſiæ permanentium exemplo vt doceat temerè , & pernitioſè ſe Donatiſtas ab eccleſia ſeparaſſe:& illorum exemplo vti. Quin etiam exemplo Iudæ Iſcariotæ ſatis doceri eorundem ſacramentorum participatione bonos à malis non maculari : ſed tantùm peccandi conſenſione & communione , vti Adam fecit aſſentiens Euæ vxori.

16 Quoniam abſolutio Cæciliani à Milciade Romano epiſcopo facta fuerat, hoc ſe præiudicio Donatiſtæ cum ſentirent prægrauari , Miltiadem & cæteros epiſcopos traditores fuiſſe calumniabantur.Hoc verum eſſe negat Auguſt. quod nec illi probarunt : eſt enim charitatis temerè de nemine malè ſuſpicari, contráque glorioſum vnà cū eccleſia ab illius inimicis calumniā pati.Denique qualeſcunque illi fuerint nihil præiudicare eccleſiæ , quæ vt area adhuc paleas cum grano habet coniunctas.

17 Docet eos fuiſſe traditores qui Cæcilianū damnauerunt, ſi ex perſonarum comparatione cauſa hæc ſtaret.

B 18 Concluſio totius huius operis.

EX AVGVSTINI LIB. DE VNITATE ECCLESIÆ.

¶Liber vtiliſſimus , & qui ſummam omnium ſuperiorum diſputationum aduerſus Donatiſtas continet.Videtur autem ſcriptus ad imitationem Cypriani,qui librum paris argumenti & tituli aduerſus Nouatianos ſcripſit.

Cap.2.

1 VBi ſit eccleſia catholica, Vtrum inter orthodoxos,an inter Donatiſtas.

Hoc autē. 2 Eccleſia Chriſti eſt corpus Chriſti: & Chriſtus eius caput.

Quid ergo. 3 In verbis & ex verbis ſolius Chriſti quærendam eſſe eccleſiam.

Et in talibus. 4 Partitio per quam quicquid excipiant Donatiſtæ,ſciſmatici tamen oſtendentur.

Cap.3.

C 1 Ex ſacris libris & notis diiudicandam eſſe eccleſiam.

Quod ſi. 2 Separanda eſſe à deffinitione eccleſiæ , quæ de criminibus epiſcoporum & Paſtorum dicūtur.

Si in paucis. 3 Neque ex hominum multitudine,neque ex paucitate definiendam eſſe eccleſiam.

Cap.4.

1 De eccleſia non eſſe eum,qui conſentienter ſanctis ſcripturis non ſentit de Chriſto.

Item quicunque. 2 Eum de eccleſia non eſſe,qui cum ſcripturis quidem conſentit de Chriſto: à cœtu tamen & corpore fidelium ſe ſeparat.

Cap.5.

1 Non debemus temerè alij in alios obiicere quæ de Phariſæis & corruptis paſtoribus extant in ſcriptura , ſed demum poſtquam probatū erit eorum quos accuſamus,mores eſſe Phariſæorum ſimiles.

Nulli. 2 Arca Noe eſt figura eccleſiæ.

Nempe. Gedeoni ſignum datum in veilere quid ſignificet.

Cap.6.

1 Per ſemen , in quo benedicendæ erant omnes gentes , eſſe promiſſum Chriſtum & eccleſiam , quæ per vniuerſum orbem diffunderetur. A

Ecce cui. 2 Qui Dei eccleſiam in vna quadam gente. aut ſecta limitat,Dei promiſſiones de illo ſemine, & eccleſia vniuerſali negat.

Non deſunt. 3 Scala,quam vidit Iacob , ſignificat Chriſtū.

Cap.7.

1 Eccleſia per orbem vniuerſum ſpargenda etiam à Prophetis prædicta eſt.

Cap. 8.

1 Eccleſia in Pſalmis prædicta eſt , non in vna tantùm gente , aut hominum genere futura , ſed per vniuerſum orbem diffundenda.

Cap.9.

1 Donatiſtæ negant eccleſiam per vniuerſum orbem eſſe ſparſam , ſed inter paucos ſuos contineri.

Reſpondeat. 2 Non ſequi eccleſiam per vniuerſum orbem non diffundi, quia conuertuntur tantùm qui volunt.

Veruntamen. 3 Eccleſia vera etiam à Chriſto ipſo non obſcurè prædicta eſt futura per omnes gentes.

Cap.10.

1 Eccleſia ex vrbe Hieruſalem in omnes gentes propaganda erat ex Dei verbo.

Hic iam. 2 Verba hæc,*Incipientes à Hieruſalem*,Luc.24. verſ. 47. vtrùm figuratè, an propriè ſint accipienda. B

Si autem, 3 Hieruſalem , vnde ceptura erat eccleſia & prædicatio euangelii,quid ſignificet.

His enim dictis. 4 Non vbicunque Chriſtus oſtentatur, eundum & quærendum illic eſſe.

Quid hoc eſt. 5 Verba Chriſti nouiſsima maximè notanda, per quæ eccleſia vera deſignata eſt.

Habeo. 6 Eccleſia vera eſt illa, quæ vnius Chriſti vocem audit.

Iam per alios. 7 Eccleſia Dei & prædicatio euangelij ex vrbe Hieruſalem incipiens,vt ad alias gentes perueneri t, nimirum , primùm in vicinas Hieroſolymis regiones : deinde ad remotiores diffuſa & propagata.

Iam cui. Has enim. 8 Vas , quod Petro in linteo oſtenſum eſt, quid ſignificarit.

C 9 Eccleſiæ , quarum facta eſt in ſcriptura ipſa mentio,potius ſunt eccleſiæ habendæ,quàm conuenticula Donatiſtarum.

Cap.11.

1 Ex paucorum Africanorum epiſcoporum criminibus aliarum gentium eccleſias ſublatas aut corruptas videri non poſſe.

Fideliſſimus. 2 Qui aliam doctrinam ſequitur quàm Chriſti eſt anathema,non eccleſia.

Cap.12.

1 Quibus argumentis Donatiſtæ deffenderent ſe paucos eſſe veram Dei eccleſiam.

Nam Enoch. 2 Primum argumentum ab exemplo Enoch & Noe,in quibus paucis fuit Dei eccleſia.

Adiungunt. 3 Secundum argumentum ab exemplo Loth, Abrahami & patriarcharum.

Poſtremò. 4 Tertium argumentum ab exemplo duarum tribuum,in quibus ſolis, decem aliis reiectis, fuit Dei vera eccleſia.

Dominū. 5 Quartum argumentum à duodecim Apoſtolis.

Sed quæro. 6 Retorquet teſtimonium ſcripturarum,quibus vtebantur Donatiſtæ,in eos ipſos.

Et iſta. 7 Exceptio & reſponſio Donatiſtarum ad ar-

A gumenta Auguſtini eccleſiam per vniuerſum orbem diffuſam eſſe contendentis.

Hoc nobis. 8 Reſponſio Auguſtini, Per ſcripturas iſtam, apoſtaſiam, quam Donatiſtæ orthodoxis obiiciebant in eccleſiis iam tunc fuiſſe, demonſtrari non poſſe.

Nam & in. 9 In media apoſtaſia etiam fuiſſe Dei eccleſiã.

Deum enim. 10 Regnorum ſeparatio aut conſtitutio non inducit religionis Chriſtianæ diuiſionem.

Hoc ideò. 11 Quædam dici generaliter de aliquo cœtu, quæ tamen ad ſingulos non pertineant.

Cap.13.

1 In hoc mundo bonos cum malis in Dei eccleſia iiſdem communicare ſacramentis, quod variis teſtimoniis ſcripturæ probat.

Veruntamen. 2 Paucitatem non eſſe veram eccleſiæ notam, quando electi per ſe conſiderati dicuntur eſſe innumerabiles & multi.

De nobis. 3 Verba hæc Chriſti, *Et erunt nouiſſimi primi*, Matth.20. de Iudæis ſint intelligenda.

Itẽ ſunt. 4 Verba hæc Chriſti, *Filius hominis quando veniet, putas inueniet fidem?* Luc.18. quomodo intelligenda, & quomodo dicta.

Sed vtrũque. 5 Boni & mali mixtim in Dei eccleſia futuri vſque ad finem mundi.

Verumtamẽ iſtos. 6 Retorquet in Donatiſtas eorum interpretationem de loco, Luc.18.

B

Cap.14.

1 Quintum argumentum Donatiſtarum eccleſiam Dei fore in Meridie & in Africa, Cãtic.1.

Vnde primum. 2 Refutat Auguſt. Donatiſtarum interpretationem ab impoſſibili.

Veniunt enim. 3 Retorquet in Donatiſtas eorum explicationem de loco Cantic.cap.1.

Poteſt & alio. 4 Explicatio verborum Cantici, *Vbi cubas in Meridie.*

Si ergo. 5 Ægyptus potius Meridies quàm Africa.

Nam de AEgypto. 6 Prophetia de futuro Dei vero cultu in Ægypto.

Iſti enim. 7 Donatiſtæ ſe ſolos iuſtos, & ſua ſola ſacramenta ſanctificare contendunt.

Sũt enim 8 Euangelium Chriſti tẽpore Auguſtini nondum per vniuerſum orbem prædicatum erat.

Cap.15.

1 Euangelium Chriſti ante finem mundi prædicandum omnibus gentibus ab illis eccleſiis, quę per Apoſtolos ſunt fundatæ.

Cap.16.

* C 1 Exhortatur Donatiſtas, vt abiurato errore & ſciſmate redeant in ſinum eccleſiæ.

Nẽpe in. 2 Donatiſtarum ſectæ autores iiſdem criminibus eſſe reos de quibus orthodoxos accuſant, nimirum cremationis ſacrorum Bibliorum.

Quia neque. 3 In eadem eccleſia malorum crimina non præiudicare neque nocere bonis.

Remotis ergo. 4 Eccleſiam Dei veram probandam, ex ſolo Dei verbo & ex illius ſcripturis, non ex hominum ſcriptis.

Aut ideò verum. 5 Eccleſiã Dei ne ex miraculis quidem, quæ faciunt homines extra doctrinam veritatis, eſſe æſtimandam.

De viſis. 6 Viſa fallacia ſæpe videri eſſe miracula.

Circumcelliones. 7 Circumcellionum, qui Donatiſtarum diſcipuli erant, vita & audacia perdita deſcribitur.

quàm Numidia. 8 Donatiſtarum maior numerus in vna Numidia regione Africæ, quàm vſquam alibi terrarum.

A An adhuc dicitis. 9 Argumentum Donatiſtarum, Dei eccleſiam neque perſequi neque cogere ad credendum quenquam.

Cap.17.

1. Reſp. Non omnem perſecutionem, quæ fit, eſſe damnandam.

Sed cũ à. 2 Correctio à Perſecutione differt.

Culpãtur. 3 Tria in correctione vitia fugienda. I. Ne modum in coercendo excedamus. II. Ne animo cõmoto ac minimè tranquillo errantes coerceamus. III. Ne eos corrigamus qui nobis non ſunt ſubditi.

Proinde. 4 Circumcellionum Donatiſtarum audacia.

At verò. 5 Donatiſtæ ipſi Donatiſtas autoritate iudicum implorata perſequuntur.

Illi enim. 6 Retorquet in Donatiſtas ſextum eorum argumentum de perſecutione.

Cũ ergo. 7 Qui meritus malum perſecutionémve patitur, de ſeipſo non de aliis conqueri debet.

Etſi vos. 8 Cauſſa, propter quam quis patitur perſecutionem, conſideranda eſt.

Hanc vobis. 9 Magiſtratuum Chriſtianorum officium eſt coercere hæreticos.

Nos autẽ. 10 Eatènus contra hæreticos eſt imploranda magiſtratus autoritas, quatenus in Dei eccleſia tutò, & quietè viuere & eſſe liceat piis & fidelib.

B

Cap.18.

1 Querimonia Donatiſtarum aduerſus orthodoxos, quòd quos ex Donatiſtis reciperent, non rebaptizarent.

Facilè poteſtis. 2 Reſponſio Auguſtini non eſſe rebaptizandos, qui vero Chriſti baptiſmo ſemel tincti fuerunt etiam ab hæreticis.

Nihil tamen. 3 Eundem baptiſmum Chriſti, & idem ſacramentum dari poſſe à bono & à malo miniſtro.

Cũ vero. 4 Cur Paulus rebaptizauerit iam à Ioanne Baptiſta baptizatos.

Abraham & 5 Idem ſacramentum boni & mali accipere poſſunt, hi ad condemnationem, illi ad ſalutem.

Iſti autẽ. 6 Ratio Donatiſtarum ex moribus Miniſtri conferentis æſtimandum eſſe ſacramentum.

Quid enſo. 7 Cur Chriſtus non baptizauit ipſe.

Cum igitur. 8 Soli boni ſunt Dei eccleſia, & vtiliter ſacramenta Chriſti accipiunt: mali inutiliter ſibi.

Cap.19.

1 Retorquet argumentum Donatiſtarum in eos ipſos, de rebaptizandis iam baptizatis, & poſtea lapſis in hæreſin. C

Veniens ergo. 2 Hæreticus qui ante fuit baptizatus, recipi poteſt in eccleſiam, ſi ſuum errorem corrigat & abiuret: neque eſt rebaptizandus.

Dicat mihi. 3 Eccleſiam orthodoxam nunquam rebaptizaſſe iam baptizatos Chriſti baptiſmo, cum eos ex hæreſi ſuſcepit.

At enim. 4 Primum Donatiſtarum argumentum pro rebaptizandis iam baptizatis, ſed poſtea factis hæreticis, ſi ad eccleſiam redire velint, Hierẽ.15.v.18.

Sic & illis. 5 Secundum Donatiſtarum argumentum ad eundem ſcopum collimans, Prou.5.v.15.

Nõ enim. 6 Aquæ nomine in ſcriptura non ſemper intelligi ſacramentum baptiſmi.

Hoc eſt ergo. 7 Sacramenta etſi bonis & malis in Dei eccleſia ſunt communia: donum tamen ſpiritus Dei ſolis bonis datur.

Ecce inquiunt. 8 Tertium Donatiſtarum argumentum pro rebaptizandis iam baptizatis.

Sed libẽter. 9 Hæretici cur obſcuras ſcripturæ ſententias

pro ſe

A pro ſe citent.

Ego itaque. 10 Morem generalis & orthodoxæ eccleſiæ argumentum eſſe firmiſſimum aduerſus noua hęreticorum inſtituta.

Poſſem. 11 Retorquet exempla & decreta Donatiſtarum in eos ipſos, quia non rebaptizarunt ipſi extra ſuam communionem iam baptizatos, & à ſe poſtea ſuſceptos.

Cap. 20.

1 Exhortatio ad fideles, vt in vera eccleſia permaneant.

Hæc temporales. 2 Eccleſiam Dei ſæpe non videri.

Et in ipſa. 3 Donatiſtæ prætextu ſynodalium epiſtolarum primùm recepti.

Nonnulli. 4 Boni etiam ſæpe & diu in errore manent, poſtea tamen, Dei beneficio, ex eo emergunt.

¶ Quæ ſequuntur Auguſtini collationes & diſputationes cum Donatiſtis, multa repetita habent, & pleraque non perinde vtilia, vti & liber eiuſdem contra Fulgentium. Itaque prætermiſimus.

B

EX LIB. AVGVSTINI, DE HÆRESIBVS, AD QVODVVLTDEVM.

CAP. LXXXVIII.

Pelagiani cur ſic dicti. Erroris autem eorum capita quinque recenſentur.

Pelagianorum eſt hæreſis hoc tempore omnium recentiſſima, à Pelagio[1] *Monacho exorta, quem magiſtrum Cæleſtius ſic ſequutus eſt, vt ſectatores eorum Cæleſtiani etiam nuncupentur. Hi Dei*[2] *gratiæ (qua prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, & qua eruimur de poteſtate tenebrarum, vt in eũ credamus, atque in regnum ipſius transferamur, propter quod ait, Nemo venit ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo: & qua diffunditur charitas in cordibus* C *noſtris, vt fides per dilectionem operetur) in tantum inimici ſunt, vt ſine hac poſſe hominem credant facere omnia diuina mandata: quum, ſi hoc verum eſſet, fruſtra Dominus dixiſſe videretur, Sine me nihil poteſtis facere. Denique Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei ad eius mandata facienda, correctioni eorum hactenus ceſſit, vt non eam libero arbitrio præponeret, ſed infideli calliditate ſupponeret, dicens ad hoc eam dari hominibus, vt quæ facere per liberum iubentur arbitrium, facilius poſſint impleri per gratiam. Dicendo vtique* vt facilius poſſint, *voluit credi, etiam ſi difficilius, tamen poſſe homines ſine gratia diuina facere iuſſa. Illam verò gratiam Dei, ſine qua nihil poſſumus facere, non eſſe dicunt niſi in libero arbitrio, quòd nullis ſuis præcedentibus meritis ab illo accepit noſtra natura, ad hoc tantùm ipſo adiuuante per ſuam Legem & doctrinam, vt diſcamus quæ facere, & quæ ſperare debeamus: nos autem, ad hoc per donum Spiritus ſancti, vt quæ didicerimus eſſe facienda, faciamus. Ac per hoc diuinitus nobis dari ſcientiam confitentur, qua ignorantia pellitur: charitatem autem dari negant, quia piè viuitur: vt ſcilicet, quum ſit Dei donũ ſcientia, quæ ſine charitate inflat, non ſit Dei donum ipſa charitas, quæ vt ſcientia non inflet, ædificat. Deſtruunt etiam orationes, quas facit Eccleſia, ſiue pro infidelibus, & doctrinæ Dei reſiſtentibus vt conuertantur ad Deum: ſiue pro fidelibus, vt augeatur eis fides, & perſeuerent in ea. Hæc quippe non ab ipſo accipere, ſed à ſeipſis homines habere contendunt, gratiam Dei, qua liberamur, dicentes ſecundum merita noſtra dari. Quod quidem Pelagius in epiſcopali iudicio Palæſtino damnari metuens, damnare compulſus eſt: ſed in poſterioribus ſuis ſcriptis hoc inuenitur docere. In id etiam progrediuntur, vt dicant vitam iuſtorum in hoc ſeculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici, vt ſit omnino ſine macula & ruga, quaſi non ſit Chriſti Eccleſia, quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum,* Dimitte nobis debita noſtra. *Paruulos etiam negant ſecundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contrahere. Sic enim eos ſine vllo peccati originalis vinculo aſſerunt naſci, vt prorſus non ſit quod eis oporteat ſecunda natiuitate dimitti: ſed eos propterea baptizari, vt regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius tranſlati, non iſta renouatione ab aliquo malo obligationis veteris* B *abſoluti. Nam etiamſi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, ſed tamen æternam & beatam quandam vitam ſuam. Ipſum quoque Adam dicunt, ſi non peccaſſet, fuiſſe corpore moriturum, neque mortuum merito culpæ, ſed conditione naturæ. Obijciuntur illis & alia nonnulla, ſed iſta ſunt maxima, ex quibus intelliguntur etiam illa vel cuncta, vel penè cuncta pendere.*

1 *A Pelagio Monacho.* Recens omnino hæreſis, Auguſtino iam ſene. Pelagiani autem & Cæleſtiani communi nomine vulgò ſunt appellati iſti hæretici, non etiam Iulianiſtæ: quanquam iiſdem quoque temporibus Iulianum patronum haberent, hominem notum, aduerſus quem ſcripſit iam grandæuus Auguſtinus, quemadmodum aduerſus duos illos ſuperiores. Sed hi parentes & primi autores huius ſectæ fuiſſe videntur: Iulianus autem horum tantùm diſcipulus & cliens, quanquam Cæleſtium Pelagij ipſius diſcipulum & μαθητὴν appellat Auguſtinus lib. 2. cap. 7. & 41. De nupt. & concupiſc. Pelagiani verò, vel Pelagianiſtæ (vtraque enim terminatione vocatos inuenio) à Pelagio dicti ſunt, qui hoc nomine & ſpeciali hæreſeos diſtinctione primùm innotuerunt ſub Theodoſio iuniore imperatore, & Innocentio primo epiſcopo Romano, circa annum à Chriſto paſſo 382. quanquam tamen qui hæc tempora ſequuti ſunt autores Græci, nec hominis nec nominis erroriſue huius meminerunt, ſiue quòd illis ignota fuerit hæc hæreſis, ſiue quòd ſtatim propter Synodum Palæſtinam, in qua damnata fuerat, extincta inter eos perierit: ſiue denique, quòd Græci ſcriptores liberi arbitrij vim ex philoſophorum prophanorum doctrina nimiùm iam extollentes, & prædicantes hunc Pelagianorum errorem, vel leuem vel nullum exiſtimauerunt, qui tamen eſt teterrimus, & omniũ Iuſtitiariorum, ſiue Operiſtarum hæreticorũ, qui ſequuti ſunt, fons & ſcaturigo verè dici poteſt. Itaque neque Theodoretus in libro De fabul. hęretic. neque Ioãnes Damaſcenus, neq; cuiuſlibet rei cõpilator & rhapſodus Nicephorus Calliſtus hos

A hæreticos commemorat: Latinis verò epiſcopis fuerunt notiſsimi, quos variè multúmque vexarunt, vt ex ſcriptis Ambroſij De vocatione Gentium, Hieronymi aduerſus Pelagianos, Auguſtini ipſiꝰ toto 7. Tomo, facilè apparebit. Iſidorus verò etiam huius meminit. Fuit autem Pelagius huius tam impię blaſphemię autor, Monachus primùm Romæ, poſtea verò ad presbyterij dignitatem euectus, vt Auguſtinus in epiſtolis ſcribit, alij etiam ad epiſcopale culmen putant perueniſſe. A patria verò Britannia, quæ maritima Galliæ regio eſt (vbi olim Armoricæ ciuitates vocabantur) Brito cognominatus, vt à Pelagio Samoſatenſi epiſcopo, qui pius & orthodoxus fuit, & ante hunc ſub Valente vixit, diſtingueretur. de quo meminit Theodoretus lib.4.hiſt.cap.13. itémque ab alio Pelagio, qui Tarẽtus dictus eſt, noſtro huic æqualis, ſed orthodoxus. Illo verò ſeculo cœperat iam Britannia in Gallia vocari ea Gallię poſtrema plaga, in quam Britanni (qui nunc Angli dicuntur) ex Albione inſula, & è patriis ſedibus partim B à Maximo tyranno traducti fuerant, vt Martinus Polonus in ſuo Chronico tradit, vt eorum imperiũ propagaretur: partim à Scotis populis, & Anglis (qui ſunt Saxonici populi) rege Vertunegaro duce, vt ait Pomponius Lætus, pulſi fuerant, quod ſub Valentiniano ſecundo accidit, ante hanc hæreſin enatam. Nec mirum eſt tam peſtilentem errorem ab homine Britone excogitari ſpargíque potuiſſe. Illo enim ſeculo, vt docet Auſonius lepidiſsimo epigrammate, mixti Gallis profugi Britones iſti non niſi mali habebantur. Auſonij verò epigramma ſic habet.

Siluius hic bonus eſt: Quis Siluius? iſte Britannus.
Aut Brito hic non eſt Siluius, aut malus eſt.

Quum autem egreſſus Roma, peregrè ageret in Syria, Nouatianorum & Meletianorum, id eſt, Operiſtarum, qui plurimi in illis regionibus erant, veneno ſemel hauſto, longiùs progreſſus eſt Pelagius, & operum merita, liberúmque hominis arbitrium Dei gratiæ repugnans, apertè induxit. Ex Nouatianorum enim fontibus ortum eſſe hunc errorem non dubito, potius, quàm ex C Manichæorum deliriis, quanquam Auguſt. lib.4. ad Bonifac. magnam eſſe Manichæorum & Pelagianorum in dogmatibus pleriſque conſenſionem docet. Habitus autem Pelagius pro ſui ſeculi ratione non indoctus, & libros complures ſcripſit, quorum ſparſim meminit Auguſt. Tom.7. velut libr.4. de libero arbitrio: De fide ſua, libr. vnum: Ad virginem ſacram: Ad virginem Demetriadem: item epiſtolas ad Innocentium, ad Paulinum epiſcopum: ad Conſtantinum epiſcopum. Pelagio paraſpiſtes fuit Celeſtius, qui ita cum Pelagio terrarum orbem videtur partitus, vt Pelagius in Oriente, Italia, Gallia, & Anglia hoc virus ſpargeret, quod fecit: Celeſtius autem in Africa, vbi degebat. Succeſsit verò Celeſtio Ammianus quidam, diaconus Celedenſis, & alibi Iulianus, is de quo diximus, qui tempore Proſperi pœnitentiam ſimulauit, vt in Eccleſiam admiſſus plures corrumperet: ſed à Sixto Romano epiſcopo recipi prohibitus eſt. Cœpit autem primùm in Palæſtina regione Syriæ hęc hæreſis ipſo Pelagio ſpargente & tutante, ſed ibi concilio propterea congregato damnatus, & quædam reuocare ſe ſimulans, vt infra dicetur, Romam venit, vbi epiſtola apud Innocentium ſe ſuámque doctrinam A purgare conatus eſt. Inde in Angliam profectus, vbique veneni ſui afflatum & ſemina maxima & nocentiſsima reliquit, quæ breui tempore ita pullularunt, vt totum Chriſtianum orbem occuparent, & inficerent miſeré. Denique tam altè huius erroris radices hæſerunt, vt ne nunc quidem extirpari poſsint. Manent enim in Papatu, vbi Semipelagianiſmus apertiſsimè docetur. Durauit verò etiam ſub ipſo Pelagianorum nomine liberè ſub Iuſtino imperatore, qui etiam illis fauit, ſub Gregorio Magno, vt apparet ex epiſt.14.libr.5. Atque etiam ſub Heraclio imperatore, maximè in Anglia. Poſtremò, Bernardi ætate recruduit, vt apparet ex ipſius epiſtola 240. etſi quatuor Synodis, Palæſtina Carthaginenſi ſecunda, Mileuitana, & Arauſiaca iam erat damnatus hic error. Denique à Bernardo ipſo epi. 190. cùm ab Abelardo quodam fuiſſet renouatus.

2 *Hi Dei gratiæ.*) Quàm ſæuũ & immane fuerit pus & venenum, quod poſtremis temporibus B Satan per os impurum Pelagij euomuit, dici non poteſt. Inde enim totius Chriſtianæ fidei peſtis enata eſt: inde gratuita illa Dei gratia, per quam ſalui ſimus, abolita: inde Chriſti Domini noſtri mors euacuata: inde promiſsiones Dei gratuitæ eſſe deſierunt: inde merita operum noſtrorum inducta: inde denique homines ſeſe ſuáſque vires colere & mirari cœperunt, Dei autem Spiritũ contemnere, & ipſius in illis opus & efficaciã non tantùm obliuiſci, ſed etiam negare & prorſus extinguere. Cur autem tam tetri errores naſcerentur, támque facilè admitterentur, non hæc tantùm ratio eſt, quòd generalem illam à fide Euangelij (per quam ad Dei gratiam, tanquam ad ſolũ & vnicum ſalutis noſtræ fundamentum reuocamur) apoſtaſiam, de qua Paulus 2. Theſſal.2. euenire oportuit, vt mũdus iuſtas laceratæ & deprauatæ Dei veritatis pœnas lueret, ſuæque tandẽ audaciæ miſerrimum fructum ſentiret: ſed præterea duplex occaſio videtur fuiſſe. Ac prima quidem, recepta iam inter Græcos epiſcopos, ſed ex profanorum tamen philoſophorum ſcriptis hauſta C hæc ſententia, nos *αὐτεξουσίῳ* (quod liberum arbitrium & æquè ad bonum & malum per ſe propenſam voluntatẽ interpretantur) bonos vel malos eſſe. Itaque quæ benè ageremus, non tantùm ſponte & volentes nos, ſed ea ipſa eligentes, & proprio motu impulſos facere. Altera, quòd Prædeſtinatorum exhorta iam hæreſis, mirum in modum abſurda videretur, quam tamen refelli poſſe non cenſebant, niſi homini liberum arbitriũ, per quod ſua ipſius ſponte & impulſu æquè ad bona atque mala eligenda, perpetrandáque ferretur, tribuerẽt. Fuit enim hoc Prædeſtinatorum, qui dicti ſũt, hæreticorum dogma, neque mala opera hominibus à Deo electis, & prædeſtinatis fugienda, vel obeſſe: neque reprobis eſſe bonis operibus ſtudendum: quia nullo modo iis confirmari iuuaríque poſſent. Dum enim doctrinam de prædeſtinatione Dei peſsimè intelligunt, & explicant, hominum ad bona opera ſtudia extinxerunt: malorum autem, ad quælibet ſcelera committenda, audaciam non tantùm irritarunt ſed etiam inflammarunt. Ortus verò erat hic error pauco ante Pelagium tempore, nimirum ſub Honorio imperatore, quemadmodum Sigebertus

A tus ait. Ex quo factum eſt, vt pulcherrimum De prædeſtinatione Sanctorum tractatum ederet Auguſtinus, docerétque quomodo ea doctrina quæ ſaluberrima eſt, omninóque Eccleſiæ ſcitu neceſſaria, prædicari & populo explicari poſſet. Huic Prædeſtinatorum ſectæ ſucceſſerunt noſtro hoc ſeculo Libertini homines ſpurci & fœdi, digni qui canes potius & porci quàm homines appellentur. His igitur tot erroribus impulſi & fatigati iam hominum animi, facilè lubentérque Pelagianorum errorem tãquam ſalutare quoddam pharmacum amplexi ſunt. Sed dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt, quia ad verbum Dei in controuerſiis & negotio de fide non recurrunt, malúntque ſuis definitionibus, quàm diuina veritate niti. Pelagianorum autem hypotheſes fuerunt multæ, vt tradit variis in locis Auguſtinus: quarum tamen omnium fundamenta hæc fuerunt, vt idem ſcribit lib. 4. ad Bonifac. cap. 2. Quòd hominem imprimis laudare conarentur, Quòd nuptias commendare vellent, Quòd Legem diuinam extollere ſe hoc modo pulcherrimè iudicarẽt, Quòd B liberum arbitrium iam ab aliis inductũ, pulchrè ſic explicari dicerent, Quòd ſanctos homines dignis laudibus ſe proſequi hac ratione putarent. Prima verò hypotheſis hæc fuit, vt in libro Hypognoſticῶν copioſè traditur. Adam moriturum fuiſſe, etſi non peccaſſet, lege & conditione naturæ. Hac præmunitione ſubdolè ſuam ſententiam confirmare conabantur, ne mors pœna peccati diceretur cenſeretúrque, quæ ſic in omnes homines tranſit, quemadmodũ & peccatum ipſum. ſic Paulus Rom. 5. v. 12. 2 Peccatum Adami ipſi ſoli nocuiſſe, non etiam aliis hominibus ipſius poſteris, niſi ſolo peccãdi exẽplo. Ergo & hoc erit duntaxat Chriſti beneficium, ait Bernardus, vt ſuo exemplo nobis profuerit, benéque viuere tantùm docuerit. Si quidẽ pro qualitate vulneris allata eſt medicina, & remedium doloris. Perſpicuè contrà Paulus Rom. 5. 12. Hoc inducunt vt peccatum originale eſſe negent, & à parentibus in liberos generatione traduci. 3 Libido concupiſcentiáque quæ nobis naturâ ineſt, bonum eſt, nec in ea eſt C quicquam, cuius nos pudere debeat. Hoc aiunt, vt originale peccatum nullum oſtendant in liberos tranſire, qui ex ea libidine naſcuntur, ſúntque fructus coniugii, id eſt, honeſtæ Dei inſtitutionis & ſanctiſſimi vinculi. Coniugium quidem per ſe ſancta quædam res eſt & à Deo inſtituta: propter peccatum tamen hominis quædam ſunt in coniugii vſu pudenda. Nam nec ipſa coniugum libido *in ipſo* etiam coniugii vſu hodie propter idem peccatum pura puta eſt coram Deo, vt docetur Pſalm. 51. v. 7.

4 Paruulos non trahere neque habere à Parentibus peccatum originale. Contrà Paulus Ro. 5. ver. 12. & Eph. 2. v. 2. natura filii iræ omnes naſcimur. 5 Paruulos fidelium, etſi non baptizentur, ſaluos tamen fore, vitáque æterna fruituros, ſed extra regnum Dei tamen futuros. Duo ineptiſſima. Primùm quòd omnes paruulos etiã fidelium ſaluos eſſe definiunt. Secundum, quòd vitam ęternam extra Dei regnum impiiſſimè conſtituunt. Huic autem dogmati (per quod dignitas Baptiſmi contemptúſque omnino inducebatur) Patres orthodoxi vt occurrerent, primùm quidem Baptiſmum commendarunt, ſed dum nimio vindicandi à contemptu Baptiſmum ſtudio præcipites feruntur, A & ipſi in alium errorem incurrerunt, incidérúntque in Scyllam dum cupiunt vitare Charybdin. Affirmarunt enim omnes paruulos qui ſine baptiſmo moriuntur, omnino damnatos eſſe & infelices. Vnde natus eſt error de præciſa neceſſitate baptiſmatis, & de vi operis operati, per quod in Baptiſmo ſalutem conferri Scholaſtici etiam nunc docent blaſphemè, ad terrenum aquæ elementum transferentes, quod eſt ſoli Dei gratiæ inſolidum accepto ferendum & vindicandum, nimirum ſalus hominum, remiſſióque peccatorum. 6 Homines habere etiam nunc poſt peccatum liberũ arbitrium, quod ſit ſibi ipſi ad bene agẽdũ ſufficiens, & ſine Dei gratia αὐταρκὴς. Contrà verò Paulus nos in peccatis mortuos eſſe docet, niſi Dei ſpiritu viuificemur, Eph. 2. v. 1. Hîc autẽ cùm premeretur in ſynodo Palæſtina Pelagius, quid igitur Dei gratiæ in nobis noſtríſque operibus bonis relinqueret, reſpondit hoc nimirum, Quòd Dei gratia naturam ipſam nobis dediſſet, per quam homines ſumus. Iam verò homines facti ipſi per nos nullo accedente diuinæ gratiæ adiutorio bene agimus & viuimus. Hoc dogma Scho- B laſtici interpolarunt, & adhuc ex parte retinent, quæ eſt ſumma Chriſtianæ doctrinæ inter eos labes, & vera gratiæ Dei Chriſtíque beneficii abolitio. 7 Meritis operum noſtrorum dari gratiam Dei. Hinc monſtroſa illa vocabula nata, gratia de Congruo, & de condigno quæ apud Papiſtas cenſentur aurea. 8 Doctrinam de Prædeſtinatione ſanctorum non modò irrident & ſubſannant, ſed prorſus ex Dei Eccleſia explodunt, contra D. Pauli ſententiam Ro. 9. 10. & Eph. 1. Atque hæc fuerunt Pelagianæ hæreſeos venena nocentiſſima nótiſſimáque, de quibus vide Auguſt. ep. 89. 90. 92. 94.

¶ *Vſum eſt iſtis ſuperioribus hac quoque addere, quæ peculiariter ex variis Auguſtini in Pelagianos opuſculis collegimus.*

Pelagii errores qui fuerint, in epiſtola ad Innocentium Rom. epiſcopum annotauit. Fuerunt au- C tem duo præcipui de Infantiũ Baptiſmo, & Gratiæ Dei adiutorio, Vide hunc lib. lib. 1. cap. 30. 31. Pelagii autem (quem non inconditum fuiſſe aliquot ex illius ſcriptis loci ab Auguſtino laudati demonſtrant) libri variis in locis varii commemorantur ab Auguſtino, ac ferè hi in his libris, quos aduerſus eum ſcripſit, Pro libero Arbitrio libri quattuor: lib. 1. cap. 28. & 39. 41. lib. 2. cap. 14. De fide ſua, lib. 1. cap. 31. 33. Ad virginem Demetriadem in Oriente, lib. 1. cap. 37. Epiſtola ad Innocentium Roman. epiſcopum, lib. 1. cap. 31. Epiſtola ad Conſtantium epiſcopum, lib. 1. cap. 34. Epiſtola ad Paulinum epiſcopum, lib. 1. cap. 34. Liber ad Virginem ſacram, vel ad Virginem Chriſti, lib. 1. cap. 28. 40. 41. Tres autem fuiſſe Pelagianorum errores præcipuos docet ipſe, lib. 2. De prædeſtinat. ſanctor. cap. 2. his verbis, Nam tria ſunt, vt ſcis, quæ maximè aduerſus eos catholica deffendit eccleſia. Quorum eſt vnum, gratiam Dei, non ſecundùm merita noſtra dari, quoniam Dei dona ſunt, & Dei gratia etiam conferuntur merita vniuerſa iuſtorum. Alterum eſt, in quantacunque iuſtitia, ſiue qualibuſcunque peccatis, in hoc corruptibili corpore neminẽ viuere. Tertiũ eſt obno-

A xium naſci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obſtrictum, niſi reatus qui generatione contrahitur, regeneratione ſoluatur. Ergo Merita operum, Perfectionem iuſtitiæ, & natiuitatem hominum à peccato originali puram inducebant Pelagiani. At in li.1.Hypognoſtic. ſex capita erroris Pelagianici enumerantur. Sæpe autem, qua ſunt hæretici inconſtantia, mutauit argumentum, & errorem ſuum diſsimulauit Pelagius. Primum enim apertè, Hominem propriis liberi arbitrij, quod habere nos affirmabat, viribus, ſine Dei gratia iuſtum & ſanctum eſſe poſſe, ſi vellet, docuit. Item, Infantes fidelium ſine peccato originali naſci, neque baptiſmo Chriſti egere. Denique cuiuſlibet noſtrum voluntatem & naturam eſſe nunc quoque ſaniorem, quàm in primo & integro Adamo fuiſſet. Sed cùm manifeſtiſsimè blaſphema appareret hæc ſententia, eam mitigauit. Dei enim gratiam libero arbitrio hominis adiunxit, per quam iuſti eſſemus: non eam tamẽ gratiam, per quam charitas Dei diffunderetur B in corda noſtra, & præueniretur noſtra volũtas, vt bene agere vellemus: ſed eam tantùm gratiam intelligebat Pelagius, per quam naturam humanam à Deo haberemus, vt homines potius quàm pecudes naſceremur. Hæc enim natura, aiebat, humana per ſe iam habet omnia à ſe ipſa ſine vlla alia Dei gratia accedente, abundè, quæ ſunt ad benè, iuſtéque viuendum & agendum neceſſaria. De infantibus etiam priorem ſuam ſententiam leniit, addita hac ſubdola interpretatione, Eſſe nimirùm vtilem infantibus, atque etiam neceſſarium Chriſti baptiſmum, non quidem vt illi beati: ſed vt beatiores fierent. Eſſe enim eos ſine baptiſmo beatos, ac etiam ſi ſine eo moriantur, futuros in vita æterna: ſed non in Paradiſo, & regno Dei. Denique cùm nec ſic quidem piis ſatisfaceret Pelagius, & animaduerteretur iſtius mitigationis vafrities, vrgeretúrque Auguſtini & Romanorum pontificum ſcriptis, & aliorũ doctorum epiſcoporum ſententia, atque ipſe in Palæſtina ſynodo à Græcis & Syris epiſcopis fuiſſet iam dãnatus, ita ſcripſit, vt apertè cum orthodoxa C eccleſia verbis quidem conſentire videretur, non re tamen. Damnauit enim poſtremo loco, vt ſcribit Auguſti.lib.1.contra Iulianum, cap.22. Pelagius eos qui negarent peccatum Adami læſiſſe genus humanum: atque eos, qui vellent atque aſſererent infantes ſine baptiſmo Chriſti habere poſſe vitam æternã. Sed in hac etiã ipſa, quæ videbatur, retractatione magnæ inſidię inerant, & priſtinus error ab eodẽ Pelagio ſemper retinebatur. Cùm enim diceret genus humanum læſum eſſe peccato Adami, hactenus vulneratum eſſe intellexit, vt etſi liberum illud arbitrium, quod homini tribuebat, poteſt propriis viribus plenam iuſtitiam conſequi: non tam facilè tamen iam in nobis id poſſet, quàm facilè in primo & integro adhuc Adamo potuit. Ergo requiri Dei gratiam fatebatur poſtrema ſua ſententia Pelagius, non vt benè ageremus, ſed vt faciliùs tantùm benè ageremus. Atque ita ſemper virus ſuum texit & fouit. Quod ad infantes, eodem modo ludebat. Cùm enim eos ſine Baptiſmo Chriſti vitam æternam habere non poſſe concedebat, Vitam æternam pro regno Dei & Paradiſo ſtrictè interpretabatur: non pro eo defunctorum ſtatu, qui eſt damnatorum miſeriæ contrarius. Nam infantes A etiam ſine Baptiſmo Chriſti mortuos, felices & beatos eſſe apertè ſentiebat, ſed extra Paradiſum, & cœlum beatorum, & regnum Dei, quod orthodoxorum diſputationibus fatigatus vitam æternã appellauit. Itaque vocabulum tantùm mutauit quo in priſtino errore tuendo vtebatur, nõ ipſum autem errorem ſuum.

DE PECCATORVM MERITIS ET REMISSIONE,

AD MARCELLINVM.

Lib. I.

¶Hi libri ſunt velut fundamentum totius reliquæ diſputationis aduerſus Pelagianos, quæ ſequitur, ſuntque vberes & locupletes, ſcripti ad Marcellinum, ad quem libros de ciuitate Dei inſcripſit.

Cap.1.

1 IVuanda eſſe amicorum ſtudia, & eorum qui in vera pietate proficere deſiderant.

Cap. 2.

1 Occaſio & hypotheſis totius diſputationis ex Pelagianorum primo hoc errore ſumpta eſt, qui Adamum, etſi non peccaſſet, aiunt, fuiſſe tamen neceſsitate naturæ moriturum. Primus error Pelagianorũ.

2 Adamum non fuiſſe moriturum omnino ſi non peccaſſet, ſed corpus eius animale transformandum erat in ſpiritale. B Quãuis.

Cap.3.

1 Corpus Adami, etſi diutiſsimè vixiſſet, non fuiſſe ſenectute conficiendum, ſed à Deo ſuſtentandum, ſi Adam non peccaſſet, quanquam tamen per ſe mortale corpus eius eſſet.

2 Enoch & Elias qualia nunc corpora poſt ſuam tranſlationem habeant. Talem puto.

Cap.4.

1 Mortem corporis accidiſſe Adamo propter peccatum.

Cap.5.

Corpus Adami ante peccatum fuiſſe quidem per ſe mortale, non fuiſſe tamen moriturum.

2 Corpus Adami, ſi non peccaſſet: pulcherrima mutatione, ſine morte tamen, in æternam incorruptibilitatem fuiſſe transformandum à Deo. Sic illud. C

3 Corpora piorum poſt reſurrectionem fore feliciora Adami corpore ante peccatum: quod hoc mortale erat, etſi non moriturum tamen illa iam neque mortalia, neque moritura erunt. Quia verè.

Cap.6.

1 Corpus propter peccatum à Deo morti addictum fuiſſe.

2 Explicatio loci Pauli ad Rom.8.verſ.10. Aut ſi putant.

Cap.7.

1 Eundem locum examinat.

Cap.8.

1 Quando Chriſti gratia corpora reſurgunt: ergo peccati merito eadem morti addicta eſſe fatendum eſt.

Cap.9.

1 Secundus Pelagianorum error, Adami peccatum non propagatione naturæ: ſed imitatione tantùm facti ad nos peruenire, & pertinere. Ergo paruulos non eſſe peccatores. Secundus error Pelagianorum.

2 Diabolus primus peccat, & qui peccant non tam Adamum quàm diabolum primum imitantur. Sed ſi Apoſtolus.

3 Pec-

A
Proinde
3 Peccatum Adami propagatione, & occulta tabe, non ſola voluntatis & facti imitatione trāſire ad omnes homines etiam paruulos.

Sicut.
4 Comparatio pulcherrima Chriſti & Adami in diſsimillimis effectis.

Per vnū.
5 Locus Pauli Rom.5.v.12.explicatus.

Cap.10.

1 Eundem locum excutit.

In quo omnes.
2 Omnes homines peccaſſe in Adamo dicūtur, non in Diabolo, vt naturæ propagine intelligatur peccatum Adami peruenire ad omnes homines.

Siue naturalis.
3 Lex duplex, Naturalis vna, & Moſis altera.

Cap.11.

1 Quemadmodum ante Chriſtum natum ex Adamo in omnes etiam paruulos peccatū trāſiit: ita & poſt Chriſtum natum.

Regnum enim.
Scio.
2 Regnum mortis quid.

3 Latinorum Codicum à Græcis varietas. Rom.5.v.14.

Cap.12.

1 Dictum Pauli, Rom.5.v.16. *Iudicium ex vno*, referendum eſſe ad peccatum originis, non autem imitationis.

B

Cap.13.

1 Comparatio Adami & Chriſti, quòd ab Adamo originale tantùm peccatum habeamus: à Chriſto omnium etiam additorum à nobis peccatorum remiſsionem obtineamus. Item quòd ab Adamo mors temporaliter regnat: at à Chriſto datur vita æterna.

Cur ob vnius.
Quanto ergo.
2 Ob vnius Adami delictum, omnes homines etiam paruulos teneri reos.

3 Non Adamus, ſed diabolus primus autor peccati hominum erat conſtituendus, ſi per imitationem, & non per naturæ propaginem tranſit peccatum ad poſteros.

Cap.14.

1 Iuſtificat ſolus Chriſtus reos & impios.

Cap.15.

1 Argumentum Auguſtini aduerſus ſecundum errorem Pelagij à ſimili. Si per ſolam imitationem Adami peccamus, ergo per ſolam Chriſti imitationem iuſtificamur: quod poſtremum falſum eſt.

C

Proinde.
2 Secundum argumentum, Si per imitationē primi hominis peccamus: ergo per imitationem primi iuſti iuſtificamur. Eſt autem is Abel, non Chriſtus. Ergo malè Paulus conſtituit Chriſtum non Abelem, fontem noſtræ iuſtificationis. Eſt argumentum ductum à comparatis.

Porrò ſi.
3 Non ſola Chriſti imitatio nos iuſtificat, ſed gratia, per Spiritum ſanctum agens & regenerans nos.

Ob hoc enim.
4 Omnes in Chriſto iuſtificari eſt non ſingulos, quotquot ſunt homines, ſed omnes tantùm renatos iuſtificari. Et dictum hoc κατά τι eſt accipiendum: & inf.cap.28.n.2.

Cap.16.

1 Paruulos peccati Adami reos eſſe, & morti æternæ obnoxios.

Quando.
2 Adamus per peccatum amiſit in corpore ſubiectionem membrorum & obedientiam rationi, ætatis ſtabilitatem, membrorum firmitudinem & honeſtatem.

Ex hac.
3 Omnes homines ex carnis inobediētia per legem naſcendi, & pœnam peccato impoſitam carnaliter gignuntur, & ita rei fiunt.

A
Sic & in.
4 Vtrùm primi hominis peccatum, de Adami, an de Euæ peccato ſit accipiendū, an de vtriuſque peccato.

Cap.17.

1 Paruulos nihil ipſos commiſiſſe propter ꝙ damnentur, ſed ſolius originalis peccati ratione reos eſſe.

Cap.18.

Tertius error Pelagianorum.
1 Tertius error Pelagianorum, Paruulis non eſſe neceſſarium baptiſmum ad vitam æternā, & ſalutem conſequendam, ſed ad regenerationem & beatiorem tantùm ſtatum aſſequēdum, qui erit in cœlis.

Etenim.
2 Si originali peccato non ſunt infecti paruuli, neque Chriſto egent medico.

Cap.19.

1 Paruulos non iuſtos eſſe, ſed peccatores.

Si enim.
2 Dictum Chriſti, *Talium eſt regnum cœlorum*, de humilitate, non de natura paruulorum accipiendum eſſe.

Dicet aliquis.
3 Paruuli ſuo modo & pœnitent & credunt, etſi effecta & opera eorum nos latent.

Cap.20.

B
1 Paruulis, ſi ad maiorem ætatem peruenerint, neque ſuæ fidei fructum ferant, nihil baptiſmum prodeſſe.

Verumtamen.
2 Paruulus baptizatus moriens perficietur in vita æterna.

Terrentur.
Noua quadam.
3 Explicatio loci, Ioan.3.verſ.15.

4 Regnum cœlorum & vitam æternam res ſynonymas eſſe, contra Pelagianos iſta diſtinguentes.

Auferatur.
An verò.
5 Hoc poſtremum probat autoritate Chriſti.

6 Cœnam Domini etiam paruulis baptizatis dandam eſſe cenſet Auguſtinus.

In quo.
7 Paruuli fidelium numero credentium continentur & cenſentur.

Profectò
8 Argumentum à cauſa, ſi paruuli ſine ſacramentis vitam æternam non habent, qui tamē nulla propria peccata commiſerunt: ergo peccati originis ſunt rei.

Cap.21.

C
Hæc gratia.
1 Omnes naturâ filios iræ eſſe.

2 Inſcrutabile quidem eſſe, ſed tamen ſemper iuſtè fieri, vt ex duobus paruulis alius ſine baptiſmo pereat, alius baptizetur, etſi æquè vtrique ſunt originaliter peccatores.

Ex ipſis.
3 Dona vel afflictiones non æquè à Deo paruulis, æquè tamen peccatoribus infligi, idque iuſtè fieri.

Cap.22.

1 Abſurdam eſſe ſententiam eorum, qui animas antequā in corpora immitterentur, in cœlo vitam egiſſe credunt, & ibi diuerſa fuiſſe earū merita, quæ poſtea in hac vita luant.

Nondum.
2 I. Superioris ſententiæ refutatio ab autoritate ſcripturæ.

3 II. Eiuſdem refutatio ab abſurdo.

Vbi inquam.
Hodie.
4 III. Argumentum quo idem refutat exemplo latronis antea nequiſsimi, & tamen ſeruati.

Multa.
5 IIII. Argumentum refutationis ab exemplis extraordinariarum vocationū, vbi nulla præcedentia merita cogitari poſſunt.

Vnum.
Cedamus.
6 V. Refutatio Ab exemplo notiſsimo.

7 Ex ſola Dei volūtate & gratia pendet præſentis vitæ inter homines differentia, non ex vllis

A præcedentibus animæ actionibus.

Cap.23.

1 Dilemma, aut Chriſtus non eſt paruulorum ſaluator, (quod eſt blaſphemum vel ſentire) aut paruuli ſunt etiam ante propria peccata peccatores. Saluator enim non eſt Chriſtus, niſi peccatorum & ægrorum.

Cap.24.

1 A publico Africanarum eccleſiarum teſtimonio (quæ metonymicè, & tamen ex mente ſcripturæ, vocant baptiſmum ſalutem) probat ſine eo neminem vitam æternam adipiſci.

Porrò ſi.

2 Paruulos eſſe peccatores, & in peccatis cõceptos.

Non itaque.

3 Chriſti ſanguinem etiam pro infantibus fuſum eſſe.

Et vtique.

4 Tenebrarum vox in ſcriptura quid ſignificet.

B

Cap.25.

1 Paruuli ante baptiſmum ſunt in tenebris.

Quamuis eos.

2 Dictum Chriſti, *Quæ illuminat*, Ioan.1. verſ. 9. variè explicatur.

Itaque illud.

3 Chriſtus illuminat omnem hominem, etiã paruulos, quatenus vires animæ à ſe creatæ infundit vt ſit illa doctrinæ & rationis capax, neque illud lumen eſt pro lumine regenerante accipiendum.

Cap.26.

1 Argumentũ ab antecedenti, Si egent paruuli Chriſto, ergo peccatores ſunt. Qui enim ſunt liberandi, damnatos prius fuiſſe oportet.

Cap.27.

1 Ex multis ſcripturæ locis colligit, vel Chriſtũ non prodeſſe paruulis: vel eos eſſe peccatores.

Cap.28.

1 Paruulos non baptizatos in medio quodam ſtatu eſſe non poſſe, vt neque egeant Chriſto, neque ſint cum diabolo.

Nec ita.

2 Vox *Omnes*, quomodo accipiatur, cùm dicuntur omnes fieri ſalui per Chriſtum.

C

Cap.29.

Quartus error Pelagianorum.

1 Quartus error Pelagianorum, qui propterea coniugium damnabant, quòd ex patribus peccatores filij & originali peccato rei naſcantur.

Quod igitur.

2 Coniugium & eius vſus licitus eſt & honeſtus Chriſtiano: concupiſcentiæ tamen feruor eſt compeſcendus.

Cap.30.

Quintus error Pelagianorum.

1 Quintus error Pelagianorum, qui vitam æternam à regno Dei ſeparant in futura vita.

Non niſi.

2 Idem ſunt vita æterna & regnum Dei, ad quæ eâdem via, nempe remiſsione peccatorum peruenitur.

Veruntamen.

3 Explicatio loci, Ioan.3. ver.1.

Cap.31.

1 Eundem locum perſequitur.

Quamuis enim.

2 Vnus & idem Chriſtus Deus & homo eſt, in vna perſona & propter naturarum diſtinctionẽ egiſſe & non egiſſe aliquid dici poteſt.

Si enim.

3 Vnus & idem Chriſtus Deus & homo propter hypoſtaticam perſonarum vnionem vna eſt duntaxat perſona, & de toto dicitur quod vnius tantùm Chriſti naturæ proprium eſt.

Sic &.

4 Chriſtus & fideles vnum ſunt.

Cap.32.

1 Chriſti & ſerpentis ænei comparatio.

Cap.33.

A

1 Regnum Dei & vita æterna idem.

Vbi ergo.

2 Paruuli fidelium numero cenſentur propter baptiſmum & offerentium reſponſionem.

Cap.34.

1 Argumentatur Auguſt. à ceremoniis iam tũc in baptiſmo conferendo vſitatis, quæ aut inanes ſunt & illuſoriæ in paruulis baptizandis: aut paruulos peccatores eſſe docent.

Proinde.

2 Pelagianorum in ſuis dogmatis varietas & inconſtantia.

Nec mirum.

3 Paruulis remiſsionem peccatorum fieri etiã quidam Pelagiani concedunt.

Cap.35.

1 Paruulos nullum peccatum propria voluntate admiſſum habere.

Innocentes.

2 I. Ratio à publica voce, qua appellantur innocentes.

Nonne facta.

3 II. Ratio ab ipſa rerum euidentia, quæ hoc teſtatur de paruulis.

B

Vellem.

4 III. Ratio ab inſtantia, Proferant Pelagiani iſtud genus peccati.

Si fortè.

5 Occupatio, Fletum paruulorum nõ eſſe peccatum, ſed incommoditatis ſenſum, quòd externo hoc aëre, cùm ſint tenelli, lædantur.

Hæc non.

6 Ineptias paruulorum delectare & ferri iucundiſsimè à prudentiſsimis & pientiſsimis viris: ergo peccata non eſſe.

Nã cum.

7 Fatuitas quæ repudiatur in ſeipſo, in alio tamen iucunda eſt.

Cap.36.

1 Ignorantia & indocilitas paruulorũ arguit vitioſam eſſe ab ipſa origine eorum naturam.

Cur ille.

2 Adamus ſtatim natus & creatus animam capacem præcepti habuit, & corpus valens & robuſtum.

Cap.37.

1 Chriſtus natus eſt infans & infirmus, quia omnino ſimilis nobis factus eſt.

Poteſt enim.

2 Paruulum & imperfectum naſci ex perfecto non eſt pœna, ſed ordo naturæ.

Monet enim.

3 Vtrum filij Adami ſtatim grandes & corpore valentes naſcituri fuiſſent, ſi ille non peccaſſet.

C

Cap.38.

1 Infirmitas, qualis quidem hodie in infantiũ corpore apparet, eſt pœna peccati.

Cap.39.

1 Per baptiſmum nec in paruulis, nec in adultis ipſa concupiſcentia & lex peccati omnino tollitur ne inſit: ſed tantùm illius reatus aboletur, ne obſit.

LIBER II.

Cap.1.

1 Anacephalæoſis ſuperioris libri, Baptiſmũ paruulis dari ad regnum Dei adipiſcendum.

In hoc.

2 Summa futuræ quæſtionis, vtrum aliquis merus homo poſsit ſine vllo peccato viuere in his terris.

Cap.2.

1 Liberum arbitrium noſtrum minimè excludit Dei gratiam, & hanc precationem, *Ne nos inducas in tentationem.*

Cap.3.

Sextus error Pelagianorũ. De libero arbitrio.

1 Duæ Pelagianorum obiectiones. Prima, Nemo peccat niſi volens. Secunda, Non præcipit Deus impoſsibilia. Hoc afferunt, vt probent aliquem

A aliquem merum hominem eſſe hîc poſſe ſine peccato:& hoc quidem poſſe viribus liberi arbitrij.

Sed hoc. 2 Reſpondet primùm ſecūdæ obiectioni Auguſt. In iis quæ præcepit Dominus, videt & ſcit eſſe neceſſarium vt ab eo adiuuemur.

Quis enim. 3 Vſurus eſt & Iudicaturus nos ex ſua miſericordia Dominus in iis ipſis, quæ præcepit.

Cap.4.

1 Concupiſcentia carnis, & cum nobis naſcitur, & in baptizatis non moritur in hac vita.

Si ergo. 2 Sanandam etiam in baptizatis hominibus eſſe concupiſcētiam, pœnitentia & bonis operibus, quoniam in illis etiam poſt baptiſmum manet.

Nō quod. 3 Expoſitio precationis, *Et ne nos inducas in tentationem.*

Cap.5.

1 Quemadmodum lux oculum adiuuat, vt videat:ita Deus voluntatem noſtram, vt iuſtitiam B velit.

Sed & iā. 2 Non tantùm vt velimus iuſtitiam, Deus nos adiuuat, ſed conuertit voluntatem noſtram, per ſe quidem malam, vt ad iuſtitiam vel reſpicere velit.

Quid aliud. 3 Non tantùm conuertit eam Deus, ſed dat ipſe quod iubet, & ea ſola ratione non iubet impoſſibilia.

Talibus enim. 4 Quàm execranda ſit Pelagianorum ſententia, qui nos libero arbitrio, & per nos ipſos rectè agerę poſſe contendunt, docet exemplo ſuperbi Phariſæi.

Nec ideò. 5 Voluntas quidem noſtra in bene agendo concurrit, quia non ſumus bruta & inſenſata, & merè παθητικὰ inſtrumenta:ſed voluntate & ratione præditi ſumus.

Cur autē. 6 In iſto hominum diſcrimine, vt alij à Deo adiuuentur, alij non: item vt hoc vel illo modo conuertantur, mirandam quidem & occultam eſſe, ſed tamen iuſtam Dei ſapientiam & potētiam.

Cap.6.

1 Poteſt aliquis in hac vita eſſe ſine peccato gratia diuina id in eo efficiente, non autem liberi arbitrij viribus:etſi tamē nemo, vno modo Chri-C ſto excepto, huiuſmodi antea fuerit.

Atque ita. 2 Gratia Dei eſt duplex in eo qui rectè agit. Prima ea, qua Deus oſtendit quid ſit faciendum. Secunda ea, & multo maior, qua Deus ipſe adiuuat, & facit vt poſſit quis illa efficere, quæ ipſe oſtendit & præcipit.

Cap.7.

1 Nemo purus homo ſine peccato vel eſt, vel fuit, vel futurus eſt, excepto vno Chriſto.

Et propterea. 2 Variæ ſcripturæ autoritates, quæ id confirmant.

Ac per hoc. 3 Obiectio Pelagianorum vt probent hominem eſſe poſſe ſine peccato eſt hæc, quòd dicant filios Dei non peccare, ex Ioan.3.verſ.9.

Nō enim. 4 Reſponſio hoc verum eſſe de iam verè perfectéque filiis Dei & renouatis. Nos autem hîc tātùm ex parte, & inchoatione quadam & renouatos & filios eſſe Dei.

Nam &. 5 In baptiſmo inchoatio, non autem perfectio renouationis & adoptionis nobis datur, quia nos baptizati, adoptionem noſtram plenam & perfectam adhuc exſpectantes ingemimus, Roman.8.

Cap.8.

1 Superiorem ſolutionem confirmat.

2 Altera eiuſdem obiectionis ſolutio, nempe nos ne hîc quidem peccare ex ea parte qua renati & filij Dei ſumus:ſed quâ filij ſeculi, & adhuc carnales ſimus. A Proficimus.

3 Concluſio, Nemo non hîc viuens peccator eſt. Proinde.

Cap.9.

1 Secunda obiectio Pelagianorum, Cur non ex renatis patribus renati filij naſcuntur, quemadmodum ex carnalibus carnales & ex peccatoribus peccatores?

2 Reſp. quia ex ea parte gignit pater renatus filium, quę nondum renata eſt:ſed qua & peccator adhuc eſt, & carnalis: & ideo filius ipſe regeneratione & baptiſmo eget, & carnalis gignitur. Ex hoc.

Cap.10.

1 Nemo hîc merus homo ſine peccato eſt, ac ne ſanctiſſimi quidem, quales Noe, Daniel, Iob, Ezech.14. B

2 Cùm iſti orant pro ſuis peccatis, non catenus orant, quatenus ſunt in eccleſiæ corpore, quæ peccatores habet:ſed quòd ipſi ſe reuera agnoſcūt eſſe peccatores. Neque hic.

Cap.11.

1 Ne Iob quidem corā Deo iuſtū ſe agnoſcit.

Cap.12.

1 Quæ laus iuſtitiæ datur à Deo Iobo, nō Dei, ſed aliorum hominum tantùm ratione & comparatione tribuitur.

2 Quod de Iobo dictum eſt, ad alios fideles quoquepertinere. Veruntamen.

Cap.13.

1 Tertia obiectio, Zacharias & Elizabeth dicuntur fuiſſe iuſti, ergo ſine peccato vixerunt.

2 Reſponſio, fuerunt quidem inter cæteros eminenti iuſtitia, non tamen ſine peccato. Eminenti.

3 Solus Chriſtus homo ſine peccato fuit. Solum Chriſtū.

4 Verba hęc *Ante Deum* quid ſignificent, id eſt, non fictè aut ſimulatè. Quia ergo.

5 Ambulare in via Domini eſt, non pedibus, ſed moribus & affectibus mentis agere aliquid. Ambulatio.

Cap.14.

1 Qua ratione & ſenſu de aliis ſit accipiendum, quòd ſancti appellantur. C

2 Quarta obiectio Pelagianorum, Iubemur eſſe perfecti, ergo tales poſſumus eſſe. At enim.

3 Reſpon. Poſſumus quidem, ſed non ſumus, propter legem peccati, quæ in nobis habitat. Non nūc.

Cap.15.

1 Perfecti vox dupliciter accipitur, & pro eo qui abſolutè huiuſmodi eſt, cuique nihil deeſt. Nemo autem eſt talis: & pro eo, qui κατά τι eſt perfectus, non omnino, vel qui plurimum iam profecit. Hoc ſenſu plures inter fideles ſunt perfecti.

Cap.16.

1 Quinta obiectio Pelag. Cur præcepit Deus quæ ſcit nos non poſſe præſtare.

2 Reſp. vt & qui tranſgrediuntur, iuſtè puniātur, & qui conantur, miſericordiam cōſequantur. Eo modo.

3 Sexta obiectio: Dixit Paulus ſe certaſſe bonum certamen, ergo erat ſine peccato. Sed ecce.

4 Reſp. Idem ait ſibi deeſſe multa. Imò verò.

5 Item ſpe, non autem re adhuc conſecutus id dicebat. Non re.

6 Stimulum carnis (qui erat peccatum) habebat idem Paulus cùm illa ſcribebat. Nam vt.

A

Cap.17.

1 Cur non poſsint homines iuſti eſſe, ratio eſt, quia nolunt.

Veruntamen. 2 Nolunt autem, quia & neſciunt quæ iuſta ſunt, & iis non delectantur.

Tanto. 3 Duos eſſe humanarum actionum fontes, nolle & velle.

Vt autẽ. 4 Vtrumque in nobis in rebus & actionibus iuſtis eſt à Dei gratia, non à nobis ipſis.

Nullus. 5 Peccati tamen cauſa in Deum referri non poteſt, ſed ad eos ipſos pertinet, qui per ſuperbiã Deum deſerunt.

Vitiorũ. 6 Superbia omnium vitiorum fons.

Neque enim. 7 Humanitas Chriſti antequam ſuſciperetur à Diuinitate nec fuit humanitas, neque quicquam merita eſt.

Hoc ergo. 8 Vnam humilitatẽ maximè nos homo Chriſtus docuit.

Dominus. 9 Amor & delectatio iuſtitiæ à Dei amore, nobis per ſpiritum infuſo promanat.

Cap.18.

1 Fines hi in tota hac quæſtione pangendi ſunt, vt nec gratia Dei euacuetur: nec humana voluntas tollatur: bona tamen voluntas à Deo eſſe concludatur.

B

Nanque illud. 2 Dictum Pauli, 1.Cor.4.v.7. explicatum.

Ideò. 3 Expoſitio Pelagianor. Nihil quidem boni nobis ineſſe niſi à Deo, quia quòd ſumus homines, à Deo habemus & ſumus.

Ita & eius. 4 Prima refutatio à Conſequenti. Ergo eadẽ ratione & mala voluntas à Deo eſſet.

Quod huc. 5 Liberum arbitrium eſt voluntas, quæ huc & illuc liberè flectitur.

Nam ſi. 6 Secũda refutatio ab abſurdo, Maius bonum à nobis, quàm à Deo haberemus, nempe à Deo ſolùm voluntatem: à nobis bonam voluntatem.

Aut enim. 7 Hominis voluntas non poteſt ita media conſtitui, vt nec bona ſit, nec mala.

8 Voluntas bona à Deo eſt.

Reſtat vt. Iuſta. 9 Cur his bonam det voluntatem Deus, illis autem non, etſi occultum eſt nobis, iuſtè tamen ſit à Deo.

Cap.19.

1 Cur Deus ne quidẽ omnibus ſuis vel ſcientiam vel voluntatem ſtatim tribuit? ratio eſt, vt & à ſe ipſo petere, dona diſcant, & humiles permanere.

C

Præcedit. 2 Corruptio hominum, & voluntatis ſeruitus noſtra ex peccato Adami nata eſt.

Quod vitium. 3 Vitioſitas voluntatis noſtræ non niſi à Deo ſanatur & tollitur.

Idcircò. 4 Suos ſæpè tardius ſanat Deus, vt intelligatur neminem ad exactam & integram illam iuſtitiæ Dei regulam iuſtum eſſe.

Nec ideò. 5 Cuique tamẽ ſancto cũ vitiis pugnandũ eſſe.

Cap.20.

1 Neminem, vno Chriſto excepto, ſine peccato fuiſſe.

Poſteaquam. 2 Ratio huius arceſsita altiſsimè ab ipſo Mundi exordio, primáque primorũ parentũ creatione.

Cap.21.

1 Primi homines Adam & Eua, ante Sathanæ ſuaſionem Deo obſequebantur.

Quo nomine. 2 Lignum boni & mali, fuit ſymbolum experientiæ & cognitionis rerum.

Quid enim. 3 Vtrum ligno vitæ primi homines ante peccatum vſi ſint.

4 Prohibitio ligni & illius eſus facta eſt Adamo à Deo, non quod arbor ipſa per ſe mala eſſet, aut eius fructus: ſed quòd Deus eorum obedientiam experiri vellet. A

Cap.22.

1 Ante peccatum primos parentes omnia & in corpore & in animo bene ordinata & honeſta habuiſſe.

2 Pudor & verecundia nata poſt peccatum, Anima & ratio ἀταξίαν nunc agnoſcit in membris corporis, qui motus ipſa ratione inuita nunc fit: tunc autem non erat. Anima.

3 Poſt peccatum Adami nata eſt carnis inobedientia, & peccatum inhabitans. Nondum.

4 Peccatum hoc inhabitans, eſt peccati ab Adamo perpetrati pœna. Sic eſt autem.

5 Apertio oculorum in primis parentibus, eſt agnitio animaduerſióque inobedientiæ noſtræ, & ſenſus vitii. Quæ animaduerſio.

Cap.23.

1 Sic carnis concupiſcentia & lex peccati in omnes poſteros Adami ab eo tranſiit, vti labor: vti ab Eua dolor partus in reliquas fœminas. B

2 Ab hac lege peccati ſola Dei gratia liberat eos, qui Chriſtum ſuſcipiunt renaſcendo per ſpiritum. Nunc.

Cap.24.

1 Ex Adamo naſcuntur carne huic ſeculo: ex Chriſto autem ſpiritu renaſcuntur Deo & cœlo.

2 Vt ſpiritu renaſceremur Deo, oportuit ipſum Dei Filiũ de carne naſci, i. hominem fieri. Propter hoc.

3 Differt tamen natiuitas Chriſti de carne, à noſtra, quòd nos & de carne naſcimur, & ex voluntate viri, id eſt, ex concupiſcentia carnis, & in cõmuni lege peccati: itaque peccatores. At Chriſtus de carne tantùm natus eſt, non ex voluntate viri, non in lege peccati, & ideò ſine peccato eſt. Veruntamen.

4 Ergo nec æquales Chriſto erimus in gloria. Sic & ſuperiora.

Cap.25.

1 Chriſtus mundauit carnem noſtram, quam de Virgine aſſumpſit, cùm eam aſſumeret.

2 Chriſtus baptizatus non propter peccatum, ſed propter imitationis, quæ à nobis fieri debet, exemplum. Quanto.

3 Sextus error Pelagianor. De baptizato naſcitur baptizatus. Negat Auguſt. vti nec de circunciſo olim circunciſus, ſed circumcidendus naſcebatur. C Quod autem.

4 Prima ratio Pelagianorum ex Heb. 7.v.9. Sextus error Pelagianor.

5 Secunda ratio Pelagianor. 1.Corinth. 7.verſ. 14. In lũbis.

6 Retorquet in Pelagian. Auguſt. eorum ſententias, quia ſic ipſi paruulos fatentur eſſe peccatores: ergo eos oportet traxiſſe ex patre peccatore peccatum, vti ex ſancto ſanctitatem fundi putant. Denique cùm ſanctos eſſe paruulos fateantur, perperam illis etiam non baptizatis denegant regnum Dei. At enim. Miror hoc.

Cap.26.

1 Explicatio dicti Pauli, 1.Corinth. 7.verſ.14. Vide lib.3.cap.12.

2 Sanctificatio hominum multiplex eſt, neque omnis eſt eiuſdem effectus: alia enim generalis, alia ſpecialis eſt. Nam &.

Cap.27.

1 De Baptizatis nati, ſunt baptizandi, quia de ba-

A de baptizatis prima eſt natiuitas : de Deo & eius ſpiritu ſecunda natiuitas ſiue renaſcentia , quæ ſit per baptiſmum. Nam non ex primitiis nouitatis , ſed ex reliquiis vetuſtatis baptizati filios gignunt.

Neque illud.
2 Obiect.Pelagianor. At peccata antecedentia baptiſmum non obſunt patribus.

Reſp.Nec filiis oberunt poſt baptiſmum.

Hominis vero.
3 In baptiſmo non extinguitur prorſus vis concupiſcentiæ,ſed mortificatur.

Cap.28.

1 Concupiſcentia carnis manet in baptizatis patribus filios gignentibus. Vnde eos peccatores procreant & carnales , non ſanctos , ſed ſanctificandos.

Nec miretis.
2 Reatus poteſt tolli , manente tamen concupiſcentia vitioſa in nobis.

Cap.29.

1 Chriſti beneficium,per quod filij carnis regenerantur , ad omnes ætates Mundi pertinuit vi fidei.

Namque ante.
2 Nempe & ad Patres , qui ante illius aduentum fuerunt : & ad eos , qui eum viuentem viB derunt : & ad nos, qui poſt Chriſtum ſumus , & viuimus.

Vna ergo.
3 Vnde vna omnium piorum, quotquot vnquam fuerunt , fides fuit : variè tamen diſpenſata eſt , quia per eandem ante Chriſtum , futura: Chriſto viuo, præſentia: poſt Chriſtum , præterita creduntur.

Idem ipſe.
4 Chriſtus ergo vnus & idem patrum & noſter ſaluator eſt,item paruulorum & adultorum.

Quam planè.
5 Chriſtus vtrum ætatis mutationes tantùm ſuſceperit, an etiam ætatum infirmitates , qualis eſt ignorantia illa infantilis , & irrationalis perturbatio & commotio , qualis in pueris apparere ſolet.

Cap.30.

1 Cur qui per Chriſtum regenerantur hîc etiam hîc moriuntur.

Reſp. Quia per Chriſtum mors corporis non tollitur,ſed reſurrectio corporis datur,quæ viuifiC catio etiam appellatur.

Quomodo.
2 Hanc corporum reſurrectionem , quæ datur per Chriſtum , longè magis prodeſſe , quàm mors corporis noceat : & hæc ad tempus occidat: illa in perpetuum viuificet.

Cap.31.

Septimus error Pelagianorum.
1 Septimus error Pelagianorum : Iuſtos mori non eſt æquum , cùm Chriſtus eos à morte hac liberare poſsit,& peccata ſint illis remiſſa.

1 Reſponſ.Vt vita æterna potius ſpectetur , & cauſa ſit ſequendi Chriſtum , quàm hæc terrena vita:eos mori voluit Deus.

Denique
2 In fine mundi quidam mortem non videbunt.

Hæc laus.
3 I I.Reſponſ.Ne fides pereat (quæ periret,ſi in hac vita præmia iuſtorum eſſent , & vita hæc immortalis) iuſtos mori vult Deus.

Hinc & ipſe.
4 I I I. Reſponſ. Ne ſint diſsimiles iuſti à Chriſto , qui ipſe mortuus eſt, mori eos Deus vult.

Sed vt ſciant.
5 Chriſtus mortuus eſt non vi & lege peccati,ſed voluntate obediendi Deo Patri.

Cap.32.

1 In tantùm vult Chriſtus pios vitam illam ęternam quærere , vt ipſe excitatus hîc verſari & videri iam nolit,ſed in cœlum aſcenderit, & ſe ab A oculis hominum ſubtraxerit.

Cap.33.

1 Eiuſdem erroris altera confirmatio à Pelagianis allata,Si mors peccato debetur,ergo remiſſo peccato iſto,& mors remittitur ſiue tollitur ab eodem.

1.Reſp. Non plus iuſto mors adimitur in hac vita poſt peccatorum remiſsionem, quàm & labor viris:& fœminis dolor partus,quę ſunt omnia ex eodem fonte,ex peccato nimirum.

Cap.34.

1 2.Reſp. Vti iuſtorũ labores & ſupplicia ſunt certamina & exercitationes eorum fidei,non pœnæ peccatorum : ita iiſdem mors hæc non eſt pœna peccati ſed exercitatio fidei.

Si enim.
2 Id probat ab exemplo & laude martyrum Chriſti.

Caro enim.
3 A conſentaneis. Æquum fuit,vt quæ caro in delitiis,& vita eſſe noluit, nunc labori & morti obnoxia viuat.

Sicut ergo.
4 Primi homines ſalui per Chriſti ſanguinem facti ſunt.

Tale aliquid; B
5 Ab exemplo Dauidis,qui veniã peccati cõſequutus,tamẽ afflictus eſt ad explorationẽ fidei.

Cap.36.

1 Paruulos naſci lege naturæ ex carne peccati, & ideò peccatores , Vnde eiiſdem neceſſariam eſſe peccatorum remiſſionem.

De Anima.
2 Anima paruuli vtrum de reatu vel cum reatu ſit propagata : an potius rea ſit ipſa contagione & commixtione cum carne : vel denique ex traduce animæ patris oriatur,quæſtio difficilis.

Lib. I I I.

Cap.1.

1 Anacephalæoſis ſuperiorum librorum.

Verum poſt.
2 Cur tertium hunc librum adiecerit ſuperioribus Auguſtinus.

Quam fateor.
3 Noua Pelagij & inaudita Auguſtino ratio nouo egebat reſponſo.

Cap.2.

Nouum argumentum Pelagij ductum à conſequenti,quod cùm falſum eſſe doceat,ergo & anteC cedens, id eſt,peccatum Adami paruulis non obeſſe,falsò doceri colligit Auguſt.

Nunc ergo.
2 Reſponſio Auguſtini , & iam paruulos eſſe fideles,& credentes per reſponſionem eccleſię:vti ſunt peccatores per traiectionem peccati è perſona peccatorum parentum factam.

Et ſicuti.
3 Comparatio vtriuſque generationis,carnalis & ſpiritualis , quæ ex alio in aliud aliquid transfundit.

Benè quod.
4 Retorquet in Pelagianos hoc,quòd paruulos baptizatos in numero fidelium habent : ergo non baptizati non ſaluantur.

Cap.3.

1 Tria Pelagianorum argumenta aceruatim collecta.

Deinde aiunt.
2 I. De baptizatis duobus & mundis natus non eſt immundus.

Illud quoque.
3 I I. Anima non eſt de traduce,ergo tam vetus Adæ peccatum nata hodie anima non habet.

Dicunt etiam.
4 I I I.Si Deus remittit propria peccata,multò minus imputat aliena.

Videſne.
5 Reſponſio Auguſtini, ac primum quidem Pelagius ipſe tacitè conſcientiæ teſtimonio fatetur ſuum errorem eſſe , nouum , & contra ec-

A clesiæ veteris opinionem.

Vel quod eſt.
6 Pugnantia dicit Pelagius.

Cap.4.

1 Reſponſio ſecunda quæ fit per dilemma, vel præter Chriſti ſocietatem quis ſaluatur, ſi non baptizati paruuli vitam æternam habēt: vel homines iniuſtè damnantur, ſi paruuli pereant, cùm nō ſint ipſi peccatores.

Niſi vt.
2 Baptiſmus eſt incorporatio noſtra in eccleſia & cum Chriſto.

Non autē.
3 Baptiſmus in paruulis arguit eos eſſe peccatores.

Hoc quia.
4 Paruuli proprio peccato non ſunt peccatores, & ſunt peccatores tamen: ergo Adæ peccato & originali.

Cap.5.

1 Paruulos baptizandos eſſe.

Cætera verò.
2 Ratio ducta primùm ab autoritate Pauli, quia ſunt peccatores.

Vnde nō.
3 Ratio 2. Ab autoritate Cypriani & totius
B vetuſtatis.

Cap.6.

1 Ratio 3. Ab autoritate Hieronymi.

Ego quidem.
2 Ratio 4. A teſtimonio totius piæ & eruditæ vetuſtatis, quæ ita ſenſit.

Vnde nobis.
3 Pelagiana hæreſis enata temporibus Auguſtini, & omnino noua & inaudita antea.

Cap.7.

1 Comparatio Pelagianæ hæreſeos cum aliis, imprimis cum Iouiniana.

Hæc non ideò.
2 Cur patrum dicta citet Auguſt.

Vnde nec.
3 Paruuli peccauerunt in Adamo, quia vnus ille erat omnes, & propago ſiue radix totius generis humani.

Sed dicuntur.
4 Peccatum originale cur alienum dicatur.

Cap.8.

1 Reſp. ad 3. argumentum Pelagij, quod ſuprà cap.3. continetur.

Sed ſi.
2 Reſponſio ad primum Pelagij argumentum, quod eſt cap.3.

Quomodo populi.
3 Similitudine præputij & paleæ Auguſt. docet vitioſa ex purgatis naſci.
C

Cap.9.

1 Retorquet in Pelagium, Cur de Chriſtianis non Chriſtiani naſcantur, ſiue corpus, ſiue anima ſpectetur, id eſt, de ſanctificato non ſanctificatus.

Quid reſpondebitis.
2 Explicat hoc ipſum, nempe quòd patres noſtri tantùm dant generationem carnalem, de qua non fit Chriſtianus: non regenerationem ſpiritualem, quam ſolus dat Chriſtus.

Cap.10.

1 Reſponſio ad 2. argumentum Pelagij quod eſt ſuprà cap.3.

Quapropter.
2 A ſimili docet ignorari quidem qua ratione malum & peccatum in paruulos tranſierit & ſit, in illis tamen ineſſe.

Cap.11.

1 Vt in Chriſto reſurrectionem: ſic in Adamo mortem nanciſcimur, etſi ratio transfuſionis ignoratur.

Quanquā.
2 Mors corporis accidit nobis merito peccati

Sic itaque.
3 Voces hæ, *Aculeus peccati* actiuè accipiūtur,

Peccauimus.
4 Si qui moriuntur ſunt iidem peccatores.

Cap.12.

1 A quo mors ad paruulos tranſiit, ab eodem & peccatum.

A
2 Aliud Pelagianorum argumentum, Paruulos fidelium eſſe ſanctificatos, 1. Corinth. 7. verſ. 14. Vide ſup. lib.2. cap.25.

Proinde quod.
3 Explicatio illius loci Pauli.

Cap.13.

Quod exempla.
1 Ex iſto Pelag. errore incommodum hoc ſequitur, ſuperfluò paruulos baptizari.

Sed ſi.
2 Pro paruulis & eorum ſalute pugnandum.

Illud enim.
3 Nemo hîc ſine peccato vixit, excepto Chriſto.

IN LIB. DE NATVRA ET GRATIA.

Cap.1.

1 CVr ſcriptus hic liber.

Humanā voluntatem.
2 Pelagiani, naturam non voluntatem hominum accuſant, vt homines excuſent.

Hanc itaque.
3 Iuſtitia Chriſtianorum non in legis operibus, ſed in obedientia Chriſti & peccatorum remiſſione conſtituta eſt.
B

Cap.2.

1 Si homines propriæ naturæ viribus legem implere poſſunt, à ſeſe, & iam ſine Euangelio, ſalui fiunt.

Sed dico.
2 1. Pelag. argū. At ſunt inexcuſabiles homines, qui non crediderunt, quia vox Apoſtolorum vbique inſonuit.

Sed antequam.
3 Reſp. 1. Negat Auguſt. vbique terrarum annuntiatum fuiſſe euangelium.

4 Reſp. 2. Nec ſequitur non errare Pelagium. Nam ſi per legem iuſtificamur, ergo Chriſtus fruſtra eſt mortuus.

Cap.3.

1 Duplex natura in homine ſpectanda eſt. Vna prima, quæ fuit integra, quæ eſt à Deo: altera vitioſa, & nunc pœnalis, quę eſt à peccato originali.

Si enim.
2 Natura pœnalis Chriſti gratiâ, vti medicina, eget.

Cap.4.

1 Medicinalis illa Chriſti gratia gratis datur nobis, non ex meritis noſtris.
C

Quia ſine.
2 Omnes homines naturæ illius pœnalis vitio ſunt damnationi & iræ Dei obnoxij.

Cap.5.

1 Qui liberantur ab illa Dei ira, quam omnes homines merentur, non dicuntur vaſa meritorum, ſed miſericordiæ Dei vaſa.

Cap.6.

1 Pelagius duo hæc malè ſenſit. 1. in paruulis ſanam eſſe naturam. 2. in Adultis voluntatem ſibi ipſi ſufficientem eſſe ad acquirendam illam iuſtitiam, qua coram Deo iuſti ſumus.

Cap.7.

1 Pelagiani ἀνονύμȣ temeritas in aſſerendis humanæ naturæ viribus.

Nā prius.
2 Eius diſputationis fundamentum ex diſtinctione ſumptum, inter illud quod eſt, & *illud* quod eſſe poteſt.

Neque ego.
3 Poſſe & eſſe differunt.

Nam ſi.
4 Concluſio iſtius Pelagiani, Ideo homines nunc & poſt peccatum eſſe culpabiles, quia naturâ ſuâ aliud, quàm mali & iræ filij eſſe potuerunt.

Cap.8.

1 Negat Auguſt. ſuperiorem concluſionem ob abſurdum

A abſurdum conſequens.

Sed non.

2 Exceptio Pelagiani.

3 Reſponſio Auguſt. non igitur Chriſtum, ſed Abelem eſſe caput iuſtorum, ſi imitationis tantum primum exemplum quęritur in ſcriptura.

Si potuiſſe.

4 Dilemma robuſtiſſimum.

Cap.10.

1 Pelagiani ἀνωνύμου ſcriptum perturbatum, in quo tamen exultat iuueniliter.

Cap.11.

1 Quibus exemplis ſuæ ſententiæ ſenſum inuehat Pelagianus iſte anonymus.

Cap.12.

1 Lex data eſt, vt per eam nos agnoſcamus nos eſſe peccatores, & ad gratiam Chriſti confugiamus: non vt intelligamus quid facere poſſimus viribus naturæ noſtræ.

Concludentur in.

2 In lege & fides concluſa ineſt.

Cap.13.

1 Ἀπροσδιόνυσα habet multa ſcriptum Pelagiani iſtius anonymi.

Cap.14.

B 1 Mens, non verba ſcripturæ vrgenda.

Non tamen.

2 Scriptura neminem dicit eſſe ſine peccato, etſi quoſdam ſine crimine concedit fuiſſe.

Iam illud.

3 Ioannis dictum, 1. Ioann. 3. verſu 9. explicatur.

Cap.15.

1 Locus Iacobi, cap. 3. v. 8. explicatus.

Neque hoc.

2 Ad bonum agendum, eſt poſcendum Dei adiutorium & auxilium.

Cap.16.

1 Confirmatio ſuperioris explicationis.

An & iſtam.

2 Sapientia, quæ eſt cœleſtis & ſuperna, eſt donum Dei, non liberi arbitrij fructus.

Cap.17.

1 Spiritu Dei qui viuunt, vtrum propriis viribus, an Dei gratiâ ita viuant.

Dum tamen.

2 Pelagianus iſte non reuocat homines ad orationes & Deum.

Cap.18.

1 Cur orandum Deum doceat iſte Pelagianus, nimirum, vt ſi quod factum eſt peccatum, C ignoſcatur.

Cum oratio.

2 Reſponſio Auguſt. non tantùm pro peccatis præteritis, ſed & pro futuris orandum eſſe docet Dominus, ne committantur.

Cap.19.

1 Pelagianus iſte dixit, Naturam noſtram eſſe ſine vitio.

Primo.

2 Ratio Pelagiani ab enumeratione.

Deinde.

3 Peccatum cùm non ſit ſubſtantia, quomodo ſubſtantiam & naturam corruperit.

Videte quæſo.

4 Refutatio rationis ſuperioris à verbo Dei, quod docet eſſe peccato corruptos homines.

Sed tantùm.

5 Peccatum eſt actus perperam, & peruerſè ab aliquo adminiſtratus.

Cap.20.

1 Alia refutatio à ſignificatione nominis IESVS.

Nónne attenditur.

2 A ſimili docet etiam illud, quod non eſt ſubſtantia, lædere poſſe ſubſtantiam & naturam rerum.

Cap.21.

1 Tertia refutatio à dicto Chriſti & Pauli, docentium homines per ſeſe eſſe peccatores & ægrotos.

A

Et iſte dicit.

2 Pelagianus hic dixit, Nos eſſe Adamo integro & primo meliores & ſanctiores contra apertiſsimum Dei ipſius verbum.

Cap.22.

1 Pelagianus dixit, Abſurdũ eſſe ſi pœna peccati dicatur eſſe materia, corruptio, & acceſsio per quam peccatur.

Nec cogitat.

2 Reſponſio Auguſtini iuſtè à Deo fieri, vt peccatum ſit peccati pœna.

Dicit Apoſtolus.

3 Confirmatio à dicto Paul & exemplo.

Cap.23.

1 Pelag. excipit, Neque facit peccatores Deus, neque cogit: ſed deſerit tantùm, & ideò plus peccant homines.

2 Reſponſio Auguſtini, hoc verum eſſe, ſed tamen peccant, vt ipſe fatetur.

Si hoc dicit.

Mortuos ergo.

3 A dicto Pauli, & voce *Mortuorum* arguit Auguſt. homines ſine viuificãte Chriſti gratia benè agere non poſſe.

Nemo eſ

4 Homo propria voluntate peccare quidem potuit, poſtquam autẽ peccauit & periit, propriis viribus ſurgere & reuiuere iam non poteſt.

B

De qua.

5 Pelagianus dixit, Si ſola hominis voluntas potuit ſe vitiare: ergo & ſola ſanare ſe poteſt.

Nõ enim.

Videntur eſſe verba tranſpoſita, & hęc pertinere ad caput ſequens.

6 Reſponſ. Vita animæ & ſanitas Deus eſt, vnde non ob corporeos morbos, ſed Deo deſerto peccamus, & eo nos aſſumente & medente ſanamur.

7 Mors piis reſtat ad exercitationem fidei.

Cap.24.

Cur autẽ.

1 Mors etiam non peccantibus accidere poteſt, vti Chriſto.

Et hoc.

2 Reſp. Sed ex ipſa morte Chriſti intelligimus nos non libero arbitrio noſtro, ſed illius pretio eſſe & fieri ſaluos.

Dicit.

3 Pelagianus irriſit orthodoxos, quòd peccatum hominis dicerent eſſe cauſam agnoſcendæ maioris in ſe gratiæ, & miſericordiæ.

Quaſi.

4 Reſpondet Auguſt. ipſam peccati pœnam per ſe non eſſe bonam, ſed Dei miſericordia fieri bonam.

Cap.25.

1 Superbi Pelagiani non capiunt quomodo rectè vtatur Deus hominis peccato ad ſuam gloriam.

C

Non enim.

2 Orthodoxi non dicunt peccatum hominis fuiſſe ad Dei gloriam neceſſarium neceſſitate abſoluta: ſed poſtquam peccatum eſt, à Deo ad ſuam gloriam conuerſum eſſe mirabili ipſius ſapientia.

Et quod nunc.

3 Non murmurandum contra Deum pro iuſta pœna primi peccati: ſed illius potius miſericordiam eſſe implorandam, vt ſanetur.

Cap.26.

1 Pelagianus dixit neceſſariam eſſe Dei gratiam & miſericordiam, vbi peccatum erit.

Videtiſne.

2 Auguſt. reſpondet, etiam vt non peccemus in futurum eam neceſſariam eſſe.

Sicut ergo.

3 Confirmat eam ſententiam exemplo ægroti & claudicantis, qui ſanatus eſt.

Cap.27.

1 Pelagianus irriſit orthodoxorum dictum, vt homo deiiceretur fuiſſe peccatum neceſſarium: ergo vt non eſſet peccatum, oportuit eſſe peccatum.

Quaſi nõ.

2 Reſp. Auguſt. dolor dolore, & ſæpè vulnus vulnere ſanatur.

Sed Deu

3 Pelag. excipit, At ſine peccato potuit Deus

A

hominem deiicere, & ſanare.

Hoc vtique.

4 Reſp. Auguſt. Fecit ſuo iudicio, non ex Pelagianorum ſententia, Deus quod voluit.

Virtus in.

5 In infirmitate Deus virtutem ſuam perficit.

Cætera.

6 Superbia maximè omnium vitiorum difficilè ſanatur. Itaque maximè hominem deiici oportuit, vt eam exueret.

Cap.28.

Dele hic verba Vnde ſuperbis.

1 Orthodoxorum ſententiã detorqueri à Pelagiano, quaſi incitent ad peccandum.

Nam & iam.

2 Confirmatio, Malum malo ſæpe ſanari, à dicto Pauli.

Quid quod.

3 Retorquet in Pelagianum illius ſimilitudines.

Cap.29.

1 Pelagianus irriſit hoc dictum, Superbiam hominis per peccatum ablatam, quia peccando ſuberbia, ait, aucta eſt, cùm omne peccatum ſit ſuperbia.

Tam peccare.

2 Ratio Pelagiani à genere, & ab autoritate ſcripturæ.

B

Quærat.

3 Reſp. Auguſt. Superbiam eſſe certum quoddam peccati genus; nec eſſe in omni peccati ſpecie, ergo eſſe falſum aſſumptum Pelagiani.

Sed ideò.

4 Cur dictum ſit, *Initium peccati ſuperbia.*

Cap.30.

1 Pelagiani alia ratio, Non deiicietur ex peccato Adami paruulus, quòd ſuum eſſe non agnoſcit.

Nos reſpondem.

2 Reſponſio Auguſt. Imo ipſius paruuli peccatum eſt, & illud ex ſanitate, qua homo malè vſus eſt profluxit.

Ex quo.

C

3 Quòd vitioſum contractum eſt propria voluntate, à nobis ſanari non poteſt: ſed Dei gratia ſanatur. Itaque orandus Deus eſt.

Cap.31.

1 Superbia omnium poſtrema in nobis vincitur, & ſanatur, & cur id fiat occultum eſt.

Cap.32.

1 Duplici loco è Pſalmis ſumpto, probat nos Deo agente, bonum agere, non ex nobis ipſis.

Cap.33.

1 Quinque ſcripturæ locis idem confirmat, Deum & in rectam viam nos deducere: & deductos perducere, ne nos auertamus.

Finis legis.

2 Primus locus.

Ego ſum via.

3 Secundus locus.

Cum timore.

4 Tertius locus.

Deus eſt enim.

5 Quartus locus.

Seruite.

6 Quintus locus.

Cap.34.

1 Homo etſi iuſtus omnino eſſet, non foret tamen Deo par & æqualis.

Iam ſanè.

2 Pelagianus dixit, Non verendum eſſe profiteri nos iuſtos, quia verum eſt, etſi id quibuſdam ſuperbum videatur.

Ac per hoc.

3 Reſponſio Auguſtini, Si verum eſſet non eſſe metuendum id profiteri.

Ex quo:

4 Docet ſcriptura nos eſſe peccatores, non vt nos tales eſſe modeſtia tantùm quadam fateamur, ſed quia verum eſt.

Propterea.

5 Explicatio loci Ioannis, 1. epiſt. cap. 1. ver. 9.

Non ergo.

6 Non eſt ſic Naturæ noſtræ creator laudandus, vt eiuſdem ſaluator ſpernatur.

Cap.35.

1 Pelagianus afferebat exempla Patrum, qui peccauerant, vt ex iis vrgeret Orthodoxos dilemmate.

A

Sed vt.

2 Peccatum Patrum commemoratur in ſcriptura, non vt peccemus: ſed ne deſperemus.

Sed acutè.

3 Dilemma Pelagiani,

Vbi parũ.

4 Reſponſio Auguſtini, etiam eos, qui viuentes peccarunt, tamen mori ſine peccato, quia peccata illis remittuntur, & pro iis quotidie orant. non quòd ſint ſine peccato.

Per hoc enim.

5 Oratio Dominica eſt quotidianum incenſum Domino.

Cap.36.

1 Pelagianus attulit exempla piorum qui iuſtè vixerunt, vt hominem ſine peccato eſſe poſſe demonſtraret.

Excepta.

2 Maria virgo ſancta egregiè fuit.

Hac ergo.

3 Reſpondet Auguſt. omnes eos, ne ex ipſorum quidẽ cõfeſſione, eſſe ſine peccato potuiſſe.

Cap.37.

1 Pelagianus vrgebat, Eos ſanctos fuiſſe omnino iuſtos, quia nulla eorum peccata commemorat ſcriptura, quæ potuit id facere, cum de aliis fecerit, quin eorundem virtutes & iuſtitiam tradit & commendat.

B

Dicat ergo.

2 Reſpondet Auguſt. exemplo Apoſtolorum & aliorum, maximè in ſcriptura laudatorum, non ſequi nulla eſſe eorum peccata, quorum laudes commemorat ſcriptura, & nulla eorum peccata.

3 Pelagiani exceptio & inſtantia.

Cap.38.

1 Reſponſio Auguſt. retorquentis in ipſum Pelagianum ſuam diſtinctionem: ergo ait Auguſtin. ob numerum maximum omnia peccata à ſcriptura non eſſe recenſita.

C

Ea quippe.

2 Mos ſcripturæ familiaris pauca commemorare, quæ de reliquis nos inſtruant.

Nã cum.

3 Confirmatio ab exemplo genealogiarum breuiter explicatarum, in quibus multæ perſonæ ſunt prætermiſſæ.

An fortè.

4 Etiam leuia, quæ æſtimantur, eſſe tamen peccata. Itaque infinita eſſe in ſanctis peccata.

Hoc peccatum.

5 Peccatum eſt omnis vitioſæ affectionis appetitus.

Poſtremò.

6 Peccatum eſt non diligere Deum ea charitate quæ augeri non poſſit.

Cap.39.

1 Concluſio Pelagiani examinata, eſſe credenda tantùm & dicenda quæ legimus.

Contra ergo.

2 1. Reſp. Auguſt. Hoc dictum eſſe generalius, quàm oporteat.

Hic fortaſſe.

3 2. Reſponſ. ipſum Pelagian. præter & contra ſuam concluſionem aliud affirmare, quàm quod ſcriptura diſertis verbis doceat.

Cap. 40.

1 Chriſtus neceſſarius nobis eſt, non tantùm vt ſuo euangelio nos doceat quæ agenda ſunt: ſed vt facere det ſuo ſpiritu.

Vel hinc.

2 Si docendi ſumus, ergo natura cæci ſumus.

Cap. 41.

1 Vox *Omnes*, quomodo accipiatur apud Paulum, Rom.5. verſ.12.

Cap.42.

1 Si quis fuit iuſtus, ea voluntate fuit, quæ non propriis viribus ageret, ſed Dei gratia adiuta & confirmata reuiueret. Quod Pelagianus negat.

Cap.43.

1 Pelagianus dixit, Primus homo ſine peccato fa-

A to factus eſt.

Sed nunc. 2 Reſpondet Auguſt. Non quærimus de eo, ſed de hoc qui nunc eſt ſaucius. Pelagius dixit: ergo impoſſibilia Deus præcepit.

Non igitur. 3 Reſp. Præcepit quædam Deus, etiam iis, qui ea per ſe iam præſtare non poſſunt, vt admoneat petere, quæ non poſſumus præſtare.

Iſte dicit. 4 Pelag. dixit, Natura poteſt, ergo voluntas etiam non adiuta gratiâ poteſt.

Ego dico. 5 Reſpondet Auguſt. Medicina poteſt, quod natura ipſa non poteſt in homine.

Cap. 44.

1 Status præcipuus quæſtionis cum Pelagiano iſto hic eſt, Non vtrum fuerint quidam ſine peccato: ſed vtrum qui tales fuerunt, ſine Chriſti gratia & iuſtificante, & eos ſanante fuerunt tales. Pelag. ſine ea fuiſſe: Orthodoxi contrà ſentiunt.

Cap. 45.

1 Pelag. dixit eatenus liberi arbitrij noſtri iuſtitiam ad Deum referri, quatenus ab eo habemus naturam, id eſt arbitrium, & poſſe velle: Velle autem hoc aut illud eſſe noſtrum affirmat iſte Pelagianus.

B

Multa. 2 Reſponſio Auguſt. Primùm à Pelag. non ſatis ſuas ſimilitudines explicari.

Cap. 46.

1 Pelag. dixit, ſi neceſſitate peccamus, aut quid agimus: ergo nulla voluntate.

Et hic. 2 Reſpondet Auguſt. Multa voluntariè fieri, quæ neceſſariò ſunt & fiunt.

Cap. 47.

1 Confuſam & perplexam eſſe Pelagiani ſententiam qui accipit Poſſe, pro actu & effectu.

Cap. 48.

1 Negat Auguſt. & antecedens & conſequens Pelagianorum.

Si de. 2 Non poſſe peccare, ne in humanæ quidem naturæ integræ poteſtate fuit ſine Dei adiutorio.

Cap. 49.

1 Negat conſecutionem argumenti Pelagiani duplici exemplo.

C

Nō enim. 2 Deus peccare non poteſt, non ex vlla ἀδυναμίᾳ: ſed ex conſtantia & veritate naturæ ſuæ.

Quia vero. 3 Pelag. dixit, Naturæ noſtræ inſitam eſſe poſſibilitatem non peccandi.

Sed de. 4 Auguſt. Reſpō. De ſana quidem natura humana hic affirmari poſſe: de vitioſa tamen, qualis iam noſtra eſt, non poſſe.

Cap. 50.

1 Negat aſſumptum argumenti Pelag. Poſſibilitatem peccandi nobis naturæque noſtræ inſitam eſſe hodie.

Cap. 51.

1 Pelag. dixit, Eatenus poſſibilitatem illam peccandi à Deo in nobis eſſe, quatenus Deus naturæ noſtræ autor eſt, non autem quòd in nobis ſua quadam ſpeciali gratia & adiutorio Deus agat.

Cùm vult. 2 Negat Auguſt. Primum à conſequenti.

Si ergo. 3 Ab autoritate Pauli negantis ſibi adiacere poſſe, id eſt, poſſibilitatem ſibi ineſſe.

Si enim. 4 A maiori ad minus. Si in natura perfecta & ſana illa poſſibilitas non peccandi, nec fuit inſita naturę, nec fuit inamiſſibilis: nullo minus in natura hac noſtra vitioſa ineſt.

Cap. 52.

1 Examinat ſolutionem Pelagiani, ad illud quod obiicitur, *Caro contraria* eſt voluntati non peccandi.

A

Benè quod. 2 In ea ſolutione docet Auguſt. Pelag. recedere à ſua poſſibilitate.

Ergo. 3 Item Negare eum illam poſſibilitatem inſitam eſſe naturæ, cùm non baptizati eam non habeant, & ſint tamen homines.

Eo ipſo. 4 Tertiò negare eum Ieſum eſſe omnium ſaluatorem.

Cap. 53.

1 Negabat Pelagianus iſte, Carnem ineſſe adhuc in baptizatis contrariam ſpiritui Dei.

Ad Galatas. 2 Contra Auguſt. Caro contraria voluntati non peccandi adhuc ineſt in baptizatis, adeò vt non faciant quod volunt. Prima huius ſententiæ ratio.

3 Altera ratio ex alio eiuſdem Pauli loco.

Fateamur. 4 Gratia in homine duplex eſt, nempe creationis, & electionis ſiue ſalutis.

Non tūc. 5 Tertia ratio ab abſurdo conſequenti.

Si adeſt. 6 Voluntas hominis per peccatum qualis facta iam ſit. Quid tandem.

Qui ſi omnino. 7 Pelagianum apertè exponere quid ſentiat.

Cap. 54.

B

1 Falſam eſſe Pelagiani conſecutionem, Spiritum & carnem in homine non eſſe contraria, quia ab eodem autore conditum eſt vtrumque exemplo docet.

Subſtantia. 2 Subſtantiæ per qualitates ſibi ſunt contrariæ, non per ſeipſas.

Duo quippe. 3 Retorquet in eundem Pelagianum ipſius verba, vt Spiritum & carnem doceat eſſe contraria.

Sed cur. 4 Pelagianus dictum Pauli Rom. 7. v. 24. de homine nondum baptizato interpretatur.

Neque enim. 5 Negat Auguſt. ab abſurdo: nam in baptizatis natura manet eadem, quæ in non baptizatis: vt eodem modo exclamare vtrique debeant.

Cap. 55.

C

1 Probat à dicto Pauli libertatem perditam eſſe in homine, & fruſtrà iā à Pelagianis defendi. Non enim & ille.

2 Corpus peccati vitia & peccata ſignificat.

Vbicunque enim. 3 Si poſſibilitas ineſt naturæ, & libertas arbitrio hominis, fruſtrà baptiſmum quæri à Chriſtianis, vt regenerentur.

An propter. 4 Occupatio, Ne baptizari dicamur tantùm propter præterita peccata.

Quid contradicitur. 5 Crudelitatem Pelagianorum accuſat, qui prohibent ęgros Chriſtianos ad Dei gratiam medicinalem clamare.

Porrò ſi. 6 Si non baptizati clamant qui habent naturam & libertatem arbitrij, ergo non eſt ſibi ſufficiens vtraque, etiam ex ipſa Pelagiani ſententia.

Cap. 56.

1 In baptizatis carnem eſſe contrariam ſpiritui ratione operum, etiam ipſo Pelagiano interprete.

Cap. 57.

1 Autoritate Pauli baptizatos alloquentis oſtendit in iis carnem eſſe contrariam ſpiritui.

Cap. 58.

Facilè itaque. 1 A ſolo Deo nos iuſtos & beatos fieri, à quo creati ſumus.

2 Quod Diabolo reſiſtimus, non fit poteſtate voluntatis noſtræ, ſed Dei adiutorio, quod nobis datur.

Cap. 59.

A 1 Quoſdam ſine peccato eſſe poſſe conuenit inter Orthodox.& Pelag.ſed in eo vtrique diſcrepant,quòd hoc ſi fiat, Orthodoxi affirmant, ſola Dei gratia, eáque naturam noſtram vulneratam ſanante & non ſufficientem adiuuante fieri. Pelagiani autem volunt id fieri ſola poſſibilitate, poteſtate & viribus naturæ noſtræ.

Cap.60.

1 Si quis in hac vita oſtendatur eſſe ſine peccato,id Dei gratia per Chriſtum fieri: non per liberum arbitrium docet Auguſt.

2 Non tantùm pleniſſima iuſtitiæ perfectio Dei donum eſt:ſed & iam profectus noſter in ea, & progreſſus quilibet.

Pleniſſimam.

Cap.61.

1 Reſpondet ad ea teſtimonia,quæ Pelag.pro ſuæ ſententiæ confirmatione ex ſcriptoribus eccleſiaſticis adduxerat,& primùm ad ſcripta cuiuſdam anonymi.

2 Solis canonicis ſcripturis citra controuerſiam credendum eſſe.

Maximè.

B

Cap.62.

1 Reſpondet ad teſtimonium quod ex Hieronymo attulerat Pelagianus.

Cap.63.

1 Reſpondet ad teſtimonium, quod ex Ambroſio adduxit Pelagianus iſte.

2 Alia eiuſdem Ambroſij teſtimonia,ex quibus quid ſenſerit,apparet.

Commemorabo.

Cap.64.

1 Reſpondet ad teſtimonia, quæ ex Ioann. Chryſoſtomo, & Sixto Rom. epiſc. Pelag.attulerat.

Cap.65.

1 Confirmat Auguſtinus ſuam ſententiam teſtimonio Hieronymi.

Cap.66.

C 1 Autoritate ſcripturæ idem probat.

2 Neceſſitas peccandi in nobis non eſt ex prima conditione:ſed ex vitio naturæ.

Quod autem.

Cap.67.

1 Reſpondet ad teſtimonium, quod ex ipſius libris iſte Pelagianus adduxerat.

2 Duplex hominis natura conſideranda eſt: Vna prima & inculpabilis:altera ſecunda,quę habet pœnam.In illa primus homo natus eſt: in hac autem nos hodie naſcimur.

De qua natura.

Cap.68.

1 Prius exhortandi homines,vt ſint Chriſtiani:poſtea vt rectè viuant.

Cap.69.

1 Omnia Dei præcepta charitati, id eſt Deum diligenti eſſe facilia.

Cap.70.

1 Tantum quemque proficere in Dei obſequio & vera iuſtitia,quantum Deum diligit.

2 Ipſam dilectionem & charitatem Dei, eſſe donum Dei,non autem naturæ vel voluntatis noſtræ opus.

Vbicũque aut.

A

AD LIB. I. AVGVST. ADVERS. PELAG. ET CELESTIVM, DE GRATIA DEI.

Cap.1.

1 Orditur à ſuo erga eos amore.

Cap.2.

1 Cauſa ſuſcepti huius operis.

2 Profeſſio cõfeſſióque Pelagij de gratia Chriſti neceſſaria ad ſingulos actus noſtros, & ad ſingulas horas.

3 Hæc confeſſio, etſi in ſpeciem laudabilis videtur, ex aliis tamen eiuſdem Pelagij ſcriptis & ſuſpecta & periculoſa apparet.

Quiſquis.

4 Gratia Chriſti,quæ eſt remiſſio peccatorũ, vel vt cauſa remota,vel vt exemplum tantùm imitationis à Pelagio ſtatuitur neceſſaria.

Quia & ſi.

Cap.3.

1 Tergiuerſari fuit familiare Pelagio,exemplo prioris anathematizationis ab eo factæ in ſynodo Cæſarienſi Palæſtina.

2 E tribus his, Poſſibilitate, Voluntate, Actione, quid Deo relinquat, quid nobis tribuat Pelagius.

Nam cum tria.

B

Cap.4.

1 Verba Pelagij,vbi apertè ſolam poſſibilitatem naturæ tribuit Deo: voluntatem autem & actionem nobis ipſis,id eſt,plus nobis quàm Deo.

Cap.5.

1 Quæ ex ſuperiori Pelagij ſententia abſurda ſequantur.

2 Primùm hoc abſurdum, Nec voluntatem, nec actionem noſtram diuino adiuuari auxilio.

Scire quippe.

3 Hoc eſſe falſiſſimum docet diſertis verbis Pauli Philipp.2.v.13.Auguſt.

Contrà autem.

Cap.6.

1 Non poſſe excuſari Pelagium, quòd dixerit laudem eſſe & Deo & homini communem in voluntate & opere bono.

2 Poſſibilitatem,id eſt,poſſe;vel velle, vel operari à Deo eſſe ſentit Pelagius,quatenus ille naturam dedit nobis non autem ipſum velle & operari.

Qui ipſius.

C

3 Aperta explicatio mentis & ſenſus Pelagij.

Sed ideò ad.

Cap.7.

1 Gratia, cuius aliquando meminit Pelagius, nihil aliud eſt (quacunque verborum amplificatione deſcribatur)niſi doctrina & lex, per quam à Deo inſtruimur: non autem ipſa boni affectus in nos inſpiratio, & adiutorium Dei ad operandum.

Cap.8.

1 Aliam Dei gratiam, quàm reuelationis & doctrinæ nobis neceſſariam non eſſe ex Pelagij ſententia.hoc eſſe falſum docet Auguſt.

Secũdum abſurdũ.

2 Probat autoritate Pauli idem.

Cùm ad hoc.

3 A fine legis & gratiæ,earúmque diuerſo effectu in nobis,idem confirmat.

Ac per hoc.

4 Ab abſurdo conſequenti,lex iuſtificaret,nõ gratia,ſi verum ſentiret Pelagius.

Si enim.

5 Legis vtilitas hæc eſt,vt nos deiectos reuocet ad Chriſtum iuſtificantem.

In quantum.

6 Non per legem eſt iuſtitia,ſed tantùm cognitio peccati.

Quomodo.

Cap.9.

1 Lex gratiam requirit, & Dei adiutorium,

quia

A quia impleri aliter non poteſt.

Quid enim. 2 Veteratoriè agit Pelagius, dum verborum fuco ſuam ſententiam tegit.

Cap.10.

1 Quicquid de Gratia Dei dicat Pelagius, eòdem ſemper relabitur, vt eam pro reuelatione & doctrina tantum declarante voluntatem Dei accipiat.

Sed nos eam. 2 Gratiam Dei intelligit ſcriptura, per quam non ſolùm docemur, ſed mouemur: non ſolùm ſuademur, ſed perſuademur: per quam non ſolùm aliquid promittitur nobis, ſed id ipſum creditur & ſperatur à nobis.

Cap.11.

1 Dat inſtantiam Auguſt. ex Pauli perſona, qui magnam reuelationem ſapientiæ habuit, nec propterea tamen iuſtus fuit.

Hæc itaque. 2 Ergo lex, reuelatio vel doctrina non ſufficit: ſed adhuc alia Dei gratia neceſſaria eſt, vt Dei voluntatem cognoſcentes benè operemur.

Cap.12.

1 Ab exemplo Pauli generaliter colligit eos B tantùm perfectos fieri, qui ſe infirmos ſentiunt, non autem qui propriis voluntatis aut naturæ viribus confidunt.

Qua gratia. 2 Gratia neceſſaria eſt non tantùm qua cognoſcamus bona: ſed cognita faciamus.

Cap.13.

1 Deus non tantùm docet ſuos: ſed etiam mouet, ſuo ſpiritu, vt & ſuauiter & lubēter faciant ipſius præcepta.

Vnde ad. 2 Id exemplo Theſſalonicenſiũ, & dicto Pauli, & Prophetarum confirmat.

Qui autē. 3 A contrario idem probat ab iis nimirum qui ſciunt, & non faciunt.

Quamuis multi. 4 Qui coacti & metu pœnæ Dei voluntati obediunt, eos non rectè operari, & vt intelligit iubétque ſcriptura.

Tantùm igitur. 5 Eadem iuſtitia cur dicatur eſſe & Dei & Legis iuſtitia.

Præceptũ. 6 Liberè agere præcepta Dei, eſt lubenter agere.

Cap.14.

1 Tertium abſurdum ex Pelagii ſententia: cōſequens ergo, Non aliam doctrinam à Deo dari & infundi, quàm quæ ſit inefficax, & intra meros C poſſibilitatis terminos conſiſtat.

Prorſus. 2 Hoc falſum eſſe docet autoritate Chriſti, qui doctrinam ſuam ait & voluntatis affectum, & actionis effectum ſimul complecti.

Et iſto. 3 Chriſtus vt docet nos.

Cap.15.

1 Examinat exempla à Pelagio allata, Ac primùm de videndi facultate & poteſtate.

Reſpondeat. 2 Quod benè videmus & ad bonum agendum oculos conuertimus, Dei eſſe donum, non voluntatis noſtræ arbitrium, probat Pſalm.119.

Quamuis enim. 3 Mens & animus eſt actionis ſenſuum exteriorum fons.

Cap.16.

1 Alterum exemplum de loquendi poteſtate, vbi idem concludit Auguſt.

Et vt generaliter. 2 Reliqua exempla Pelagij, in quibus & ſibi ipſi repugnat, & apertè nobis tribuit laudem voluntatis & operationis, recenſentur.

Cap.17.

1 Pelagius non dixit Dei eſſe quòd benè cogitamus & facimus, & cur.

A Poſſibilitas. 2 Poſſibilitas in vtramque partem eſſe poteſt, id eſt, vt benè & malè agamus.

Cap.18.

1 Hoc ipſum docuit & ſenſit in ſuis ſcriptis Pelagius.

Vbi non. 2 Falſam tamen eſſe eius ſententiam, quia boni & mali eandem cauſam in nobis ſtatuit cōtra Dei verbum.

Cap.19.

1 Homo ex ſe neque bona arbor eſſe poteſt, neque, cùm bona arbor Dei gratia effectus eſt, ſine ea ipſa bonos fructus facere & proferre poteſt.

Malam verò. 2 Homo deflectendo à Deo malam arborem ſe effecit.

Sanato. 3 Vitium non eſt natura, ſed naturæ vulnus.

Cap.20.

1 Quæ ſit vera virtutum & vitiorum radix & vt ſeparata, docet ipſe contra Pelagium.

Aliud enim. 2 Charitas omnium virtutum radix eſt: cupiditas autem radix malorum.

Sed cupiditas. 3 Cupiditas mala non eſt à Deo creatore, ſed ab homine, vel eius deceptore diabolo.

Cap.21. B

1 Charitas eſt à Deo, non à nobis, quod apertè docet ſcriptura.

Cũ ergo. 2 Concluſio aduerſus Pelagium, & voluntatem bonam, & operationem bonam eſſe à Deo.

Cap.22.

1 Non dari nobis gratiam Dei ob præcedentia merita noſtra: etiam ipſo Pelagio teſte, & id affirmante in ſynodo Palæſtina.

Ecce quā. 2 Totam Pelagij retractationem meram verſutiam fuiſſe, & veteratoriè animóque præuaricandi factam, In quo Pelagij conſcientiam pungit Auguſtinus.

Hæc vtrũ. 3 Celeſtius Pelagio contemporaneus.

Sed ne forte. 4 Quicquid tergiuerſetur Pelagius, non poſſe elabi, quin præuaricator appareat.

Cap.23.

1 Confirmat præuaricatorem eſſe Pelag. ex ipſius ſcriptis.

Quomodo. 2 Gratiam, quæ ob præcedentia merita nobis datur, non eſſe gratiam.

Ergo ne vt. 3 Abſurda loqui Pelagium & λήρους.

Cap.24.

1 Exemplo Aſſueri regis mitigati à Deo, non à ſeipſo, neque libertate arbitrij vrget Pelagium Auguſtinus.

C Legant ergo. 2 Deus ſpiritu ſuo intus agit, non tantùm forinſecus per doctrinam inſonat.

Cap.25.

1 Concluſio ſuperioris diſputationis cum exhortatione ad reſipiſcentiam.

Quomodo enim. Confirmat ſuam ſententiam & concluſionem Auguſtinus.

Cap.26.

1 Eandem ad Pelagium exhortationem continuat, & ſuæ concluſionis confirmationem perſequitur.

Non quomodo. 2 Denique non ita ſentiendum eſſe, eſſe ea tantùm ratione nobis neceſſariam Dei gratiam, vt faciliùs agamus quæ ipſe præcipit, quaſi etſi minus facilè, tamen ſine ea gratia ageremus.

Cap.27.

1 Ex variis Pelagij ſcriptis probat eum Dei adiutorium & gratiam inducere, non vt Dei præcepta faciamus, ſed tantùm vt faciliùs faciamus.

A Ac primùm ex Pelagij libro ad virginem.

Cap.28.

1 Item ex libro eiuſdem Pelagij, Pro libero arbitrio.

Cap.29.

1 Item ex eodem libro, Pro libero arbitrio.

Cap.30.

1 Celeſtium & Pelagium non agnoſcere gratiam Dei iuſtificãtem nos & in nobis operãtem: ſed tantùm creantem, & poſsibilitatem naturæ conferentem.

Nam & de. Celeſtij. Vt ergo.

2 Celeſtius commilito Pelagij & contemporaneus.

3 Epiſtola Pelagij ad Innocentium Romanum epiſcopum.

Vnum, quod.

4 Errores Pelagij præcipui duo.

Cap.31.

1 Omnia Pelagij dicta de Gratia Dei eſſe ambigua,& obſcura.

Si enim gratia.

2 Gratiam Dei Chriſtianis dixit Pelagius adeſſe, eatenus, quatenus doctrinam legis ſuæ dedit illis Deus: vel ipſi eam meriti ſunt prioribus operibus: quod vtrumque improbat Auguſtinus.

B

Vbi eſt ergo.

3 Refutatio Pelagij ab autoritate & dicto Pauli.

Ac per hoc.

4 A contrariis, & vocis, *Gratia* propria ſignificatione.

Cap.32.

1 Pelagium velle tegere & commendare ſuum errorem propter conſenſum, quem in multis cum Orthodoxa eccleſia habet.

Et baptiſma.

2 Pelagius etſi baptiſma infantium verbis concedit:re tamen ipſa tollit & negat.

Cap.33.

1 Id intelligi ex libro Celeſtij paraſpiſtæ, qui dictum Pelagij explicauit.

Liberum.

2 Etſi Pelagius fatetur liberum arbitrium egere Dei auxilio, tamen non intelligit de auxilio in nobis affectus mouente, excitante, operante,& inſpirante.

Cap. 34.

C

1 Pelagium vbique in ſcriptis ſuis non aliam agnoſcere Dei gratiam, quàm poſsibilitatis naturæ, vel doctrinæ, vel inſtaurationis naturæ per Chriſtum.

Cap.35.

1 Idem confirmat ex aliis eiuſdem Pelagij ſcriptis, ad quæ ille ipſe nos remittit.

Cap.36.

1 Idem probat.

Cap.37.

1 Idem agit. Cap.38.

Quia exemplum.

1 Eòdem pertinet & hoc caput.

2 Quatenus nos Chriſtianos meliores putet Auguſt. quàm qui fuerunt ſub lege.

Cap.39

Hâc iſte.

1 Idem quod ſuprà docet Auguſtinus aduerſus Pelagium, & quo ſenſu accipiat nomen *Gratiæ Dei*.

2 Chriſtum nobis neceſſarium ad bene agendum, non virtutis auxilio, ſed imitationis exemplo. Error Pelagij.

Cap.40.

1 Idem agit.

Cap.41.

1 Eodem modo & argumento vtitur Auguſt. aduerſus Pelagium.

A

Sed in hoc.

2 Quid differant Chriſtiani in gratiæ adiutorio ab iis, qui ſub lege vixerunt.

Cap.42.

1 Concluſio ſuperioris diſputationis de intellectu vocis, *Gratia Dei* apud Pelagium, per quam eum & ſacræ ſcripturæ, & patribus aduerſari docet.

Cap.43.

1 Ambroſij laus ex Pelagio deſcripta quo teſte vti vult ipſe.

Cap.44.

1 Ambroſio eodem vtitur teſte aduerſus Pelagium contra liberum arbitrium pro Dei gratia.

Cap.45.

1 Duobus locis eiuſdem Ambroſij idem quod ſuperius confirmat, Dei gratia noſtras voluntates ad bene agendum inflecti, moueri,& intus agi.

Cap.46.

1 Idem agit eodem Ambroſio teſte, cuius apertiſsimum teſtimonium profert.

At hoc.

2 Ambroſij & Pelagij ſententiæ comparatio.

Cap.47.

B

1 Pelagium conſentire cum Ambroſio non poſſe, niſi & velle & operari noſtrum ex Dei gratia fateatur eſſe: non tantùm poſſe velle & operari, vt ſemper loquitur.

Cap.48.

1 Reſpondet Auguſt. ad dictum Ambroſij à Pelagio laudatum.

Dictum eſt.

2 Iuſti dicuntur in ſcriptura non qui ſunt omnino ſine peccato coram Deo (nemo eſt enim talis) ſed qui ſunt ratione hominum ſine crimine & querela accuſationis.

Cap.49.

1 Confirmat ſuam de dicto Ambroſij interpretationem, ipſo Ambroſij teſtimonio.

Cap.50.

1 Denique eodem in loco Ambroſium negare nos poſsibilitate Naturæ eſſe poſſe ſine peccato.

AD LIB. II. QVI INSCRIBITVR *De peccato originali.*

C

Cap. I.

1 CAuſa ſuſcepti laboris, nempe verſuta & veteratoria Pelagianorum, cùm de baptiſmo paruulorum interrogantur, reſponſio.

Cap.2.

1 Celeſtium de baptiſmo Paruulorum tollendo, vel non neceſſario liberiùs & impudentiùs, quàm Pelagium ſcripſiſſe.

Cap.3.

1 Cõfirmat ex actis ex ipſo ſynodo deſcriptis.

Cap.4.

1 Eadem Acta, vbi Celeſtij ſententia verè expoſita eſt, recitat. Cap.5.

1 Idem Celeſtius ſcriptis à ſe Romam miſſis confirmauit.

Cap.6.

1 Pelagianos ſuam hæreſin verborum quidem inuolucris, & conſenſu nobiſcum tegere: à nobis tamen ſententia diſſentire.

Vt peccatum.

2 Peccatum non ex traduce naturæ tanquam parte quadam ſubſtantiæ tranſit à patre ad liberos.

3 Celeſtius cur ab Aurelio epiſcopo Chartaginenſi

A

ginenſi leniter primùm tractatus fuerit.

Cap.7.

1 Celeſtius ab epiſcopo Rom. Zoſimo benignè quidem auditus, non tamen excommunicationis vinculo ſolutus eſt.

Cap.8.

1 Pelagius ſe à Palæſtina ſynodo abſolutum fuiſſe iactabat, in qua ſubdolè locutus videbatur errores ſuos retractaſſe & abiuraſſe.

Recoluit enim.

2 Pelagius Rom. eccleſiam non potuit fallere inuolucris verborum.

Cap.9.

1 Innocentius Rom. epiſcopus Pelagij etiam de facie ignoti retractationem propter verba ambigua habuit ſuſpectam.

Cap.10.

1 Pelagius in ſynodo peccatum originale à parentibus in liberos tranſire agnouit, ſed imitatione tantùm, vt ipſe poſtea expoſuit. & eſt cap. 15.

B

Cap.11.

Quæ fuerint obiecta Pelagio in ſynodo Palæſtina colligit Auguſtinus ex Celeſtij diſcipuli ſcriptis. Sunt autem errores quinque.

Pelagius.

2 Pelagius damnat eos qui peccatum ex Adamo ad poſteros fluxiſſe negant: qui fuit ſecundus error Celeſtij.

Cap.12.

1 Eam retractationem Pelagij fuiſſe veteratoriè factam, cùm nõ ſentiret idem in eo, quod Orthodoxi.

Cap.13.

1 Pelagium cum Celeſtio omnino eadem ſenſiſſe, ſed doloſè texiſſe probat ex eius ſcriptis, vbi quid de peccato originali ſentiat ipſe Pelagius apertè explicauit.

Cap.14.

1 Pelagij impudens mendacium dum ſe retractat, & tergiuerſatio.

Cap.15.

C

1 Quomodo Pelagius ſeipſum explicarit & ſit tergiuerſatus.

Non propagine.

2 Peccatum Adami ex ſententia Pelagij non nocet propagine, ſed exemplo tantùm.

Aut quia.

3 Infantes in eo differunt à primo Adæ ſtatu, quòd ille præcepti capax fuit, hi non ſunt ex Pelagij ſententia.

Cap.16.

1 Totam Pelagij retractationem fuiſſe meras nugas & tenebras, quas ſynodo ille offudit.

Cap.17.

1 Conatum eſſe Pelagium iiſdem artibus obrepere Rom. epiſcopo, quibus ſynodũ fefelliſſet, ſed non potuiſſe.

Cap.18.

1 Baptizari paruulos, vt in regnum Dei ingrediantur, etſi ſine baptiſmo vitam æternam eſſent illi habituri, ex Pelagij ſententia.

Cap.19.

1 Non diſputari aduerſus Pelagium, vtrum paruuli ſint baptizandi, vt intrent in regnum Dei: ſed vt à peccato originali purgentur, quod in illis negat ineſſe Pelagius.

Et hoc.

2 Redemptionis vox ambigua in ſcriptis Pelagij.

Cap.20.

1 Incerta vita paruulorum non baptizatorum, & ſic morientium ex ſententia Pelagij.

A

Cap.21.

1 Idem confirmat quod ſuperiori capite alio ſcripto Pelagij.

Non ſaltem.

2 Remiſſio peccatorum verbis, non effectu datur paruulis ex Pelagij ſententia.

Cui arrogando.

3 Inuidet paruulis ſaluatorem Chriſtum, qui eis arrogat ſalutem naturæ viribus.

Cap.22.

1 Omnes Orthodoxos pro viribus debere pugnare contra Pelagianos.

Quòd volentes.

2 Pelagiani errorem ſuum ἀδιάφορον, & præter fidei periculum eſſe ad pœnam fugiendam excipiebant.

Cap.23.

1 Excuſari voluit Pelagius.

Sed multum.

2 Pelagij error eſt de fidei articulis, & hæreſis periculoſa.

Veluti cum.

3 Exemplum earum quæſtionum, quæ ſunt mediæ, & citra fidei periculum.

Cap.24.

1 Scire, per quem ſalui ſimus, eſt vna quædam de præcipuis fidei articulis quæſtio, non quæſtio indifferens.

B

Sine fide ergo.

2 Omnes qui ſalui facti ſunt, per vnum Chriſtum ſalui facti ſunt.

3 Gratiâ Dei, non ex meritis.

Non enim Dei. Quia non eam.

4 Lex per Moſen data conuicit & arguit nos peccati: non ſaluos fecit.

Cap.25.

1 Ante Chriſti incarnationem fuiſſe pios, qui Dei ſpiritu agebantur, & lege Dei delectabantur, non terrebantur.

Sit ergo.

2 Gratiam Dei per Chriſtum fuiſſe in veteri populo, ſed occultiorem.

3 Velum templi quid ſignificauerit.

Cuius. Sed tanquam.

4 Pluuia in vellus cadens quid fuerit.

Cap.26.

1 Tria tempora, tréſque Mundi ætates diſtinxit Pelagius, in quibus omnibus docuit ſola naturæ vi rectè vixiſſe homines.

C

2 Primum tempus. Natura ab eo dicitur.

Ex natura. Verum venalis.

3 Secundum tempus & ætas Mundi, Lex, quæ naturam collabentem reſtituit.

Sed poſtea.

4 Tertia Mundi ætas, Gratia, quæ per Chriſtum data eſt, qui deſperatiſſimos hominum mores emendauit.

Hæc diſputant.

5 Refutatio ſuperioris ſententiæ à falſo conſequenti.

Quòd ſi ita.

6 Confirmatio Auguſtini ſententiæ & conſecutionis ab autoritate Pauli, & ex Adami & Chriſti comparatione inter ſe.

Quis audeat.

7 Omnes iuſtos & iã antiquos, qui ante Chriſtum & legem vixerunt, per Chriſti gratiam fuiſſe iuſtificatos: & illius ſpiritu, non proprij arbitrij viribus impulſos rectè egiſſe & vixiſſe.

Nam ſi.

8 Occupatio: Non propterea Chriſti incarnationem antiquis non profuiſſe, quia ante eam vixerant.

9 A Pari argumentatur.

Nec nobis.

10 Patres qui ante legem vixerunt, & ſalui facti ſunt, Chriſtum cognouiſſe, non tantùm tanquam Deum: ſed & iam vt hominem futurum.

Cap.27.

1 Confirmat poſtremum dictum ſuum Auguſt. ab autoritate Chriſti ipſius.

Si diem.

2 Explicatio loci Ioan. 8. v. 56.

A

Sicut enim.

3 Philoſophos quæſiuiſſe & intellexiſſe Filiũ, quatenus Deus fuit, putat Auguſt.

Nunquid.

4 Confirmat idem à facto ipſius Abrahami, quod interpretatur.

Cap.28.

1 Confirmat tertiò Patres pios Chriſtum cognouiſſe futurum hominem ab exemplo Melchiſedechis benedicentis Abrahamum.

Non autem.

2 Chriſtus mediator non quâ Deus: ſed quâ homo factus eſt.

Quod apertius.

3 Chriſtus vt patre inferior, vt illi eidem æqualis.

Cap.29.

1 Concluſio ſuperioris loci.

Quale eſt.

2 Inſtat, vt doceat ne prima quidem Mundi ætate fuiſſe ſanam hominis naturam, & homines viribus ſui arbitrij rectè vixiſſe.

Nemo igitur.

3 Concluſio generaliſſima & veriſſima, neminem niſi ſola Dei gratia redimi, quolibet tempore & ætate Mundi.

B

Cap.30.

1 Confirmat ante legem non fuiſſe naturam humanam ſanam, ab autoritate Dei, qui circumciſionem, vti noſtræ naturæ corruptæ teſtimonium inſtituit.

Neque enim.

2 Verba *Pereat de populo ſuo*, quid ſignificent Gen.7.verſ.14.

Cap.31.

1 Platonici animas hominum, antequam in hæc corpora venirent, volunt & benè & malè egiſſe.

Cùm Paulus.

2 Hos refutat autoritate Pauli.

Dies enim.

3 Circumciſio, fuit ſignum Chriſti, quæ & octauo die fiebat, & petrino cultello, & in carne præputij.

Cap.32.

C

1 A comparatione noſtræ circunciſionis cum veteri docet eorum naturam, vti noſtram, eadem peccati Adami contagione corruptam fuiſſe & inquinatam.

Deus ergo.

2 Chriſtus peccatum factus dicitur, id eſt, ſacrificium pro peccato.

Quocunque.

3 Baptiſma circumciſionis loco eſt, ac veritas nobis.

Circumciditur.

4 Baptiſma datur vt peccati corpus exuatur, & noua regenerationis gratia induatur.

Cap.33.

1 Vltimum & magnum Pelagij paruulos à peccato originali liberantis argumentum: ergo Nuptias, quæ ſunt à Deo inſtitutæ, malas eſſe & damnandas, ſi peccatores faciunt & gignunt.

Quaſi.

2 Primò, negat conſecutionem Auguſtinus, quia morbus rei & vitium à reipſa diſtingui ſemper debet.

Ac non potius.

3 Secundò, à fine docet honeſtas eſſe nuptias, cùm per eas etiam libido carnalis honeſtè ordinetur.

Aut verò.

4 Homo, quatenus ſubſtantia, eſt à Deo.

Sed in hac.

5 Tertiò, refutat à diſtinctione naturæ & vitij illi ſuperuenientis, quod vtrumque Pelagius confundit.

Simul autem.

6 Comparatio naturæ & vitii illi accidentis, tum originis, tum etiam effectus ratione.

Cap.34.

1 Quartò, ab effectu docet & honeſtas & honorabiles eſſe nuptias contra Pelagium.

Hæc autẽ.

2 Tria nuptiarum bona propria & effecta vtiliſſima eſſe.

A

Itaquicquid.

3 Malum & pudendum quod eſt in coitu, nõ imputatur nuptiis, ſed peccato inobedientiæ & libidinis, quæ in homine ineſt.

Propter quas.

4 Inter coniuges coniugalis concubitus & licitus & honeſtus eſt.

Nõ enim.

5 Cur puduit Adamum ſuæ nuditatis, & quando.

Cap.35.

1 Futuras fuiſſe nuptias in paradiſo, etſi Adam non peccaſſet.

Quia non

2 Hoc probat, primùm à natura coniugii, quæ eſt maris & fœminæ ſocietas & coniunctio.

Et illa Dei.

3 A conſequente neceſſario: multiplicandum erat hoc mòdo genus humanum,

Si autem.

4 Diſtinguit vitium ſuperueniens à naturali & primo rerum vſu: docétque quis & qualis futurus fuerat coniugum coitus, ſi ſine peccato manſiſſent.

Cap.36.

1 Confirmat à pari, quod dixit de motu mẽbrorum genitalium, ſine vitioſa libidine, ſi peccatum non interueniſſet.

B

Cap.37.

1 Concludit ex ea diſtinctione quæ debet fieri inter rei naturam, & rei vitium illi ſuperueniens.

Verum quia.

2 Malè transferri ad nuptias, quod eſt concupiſcentiæ vitioſæ proprium effectum.

Hinc eſt.

3 Concluſio ex diſtinctione, infantes non naſci peccatores ex eo, quod licet & à Deo conſtitutum eſt: ſed ex libidine quæ dedecet, & hominis voluntate committitur.

Cap.38.

1 In nuptiis & coitu nihil Deus facit hodie iniuſtè, cùm damnat quod in ſua iam radice damnatum eſt.

Verum etiam.

2 Coniugij abuſus eſt ſi ex ſaturandæ tantùm libidinis cauſa creatur.

C

3 Coitus honeſtus fit p̃creãdæ ſobolis gratia.

Nuptialis.

4 Item ratione præeunte, non autem libidine regente.

Tamen ipſe.

Cap.39.

1 Peccatorum remiſsionem tollere concupiſcentiæ vitium & reatum, ne obſit.

In tantũ.

2 Non niſi renatis dari peccatorum remiſſionem, ergo nec infantibus, niſi prius fuerint renati, prodeſt.

Donec omne.

3 Omninò vitium demum poſt carnis vltimam reſurrectionem tollitur in nobis.

Sed ea.

4 Integra humanæ naturæ ſanitas exſpectatur, nondum poſsidetur.

Cap.40.

1 Baptiſmi vis eſt omnia peccata delere quoad reatum.

Regeneratur.

2 Renati ex renatis non naſcuntur, quia generatione carnali, non ſpirituali regeneratione ex parte filij à parentibus procreantur.

Quomodo.

3 Exemplo pulcherrimo ſuam ſententiam illuſtrat Auguſt. à ſeminibus ducto.

Tenet ergo.

4 Chriſti nos liberantis, & Diaboli nos perdentis comparatio, & diſſimilis quo vterque vtitur, modi explicatio.

Et iam prius.

5 In Baptiſmo olim exorciſmi & exufflationes fiebant, & cur.

Cur hoc creat.

6 Obiectio Pelagij, Cur igitur creat Deus quod diabolus poſsidere poteſt.

Hac quippe.

7 Reſp. Auguſtin. vt Dei & bonitas & iuſtitia appareat

A appareat. Bonitas, quòd homines naſcuntur vi benedictionis primæ, *Creſcite, & multiplicamini*: iuſtitia, quòd cum peccato originali naſcuntur, & diabolo ſubiicitur, cui propria voluntate parere voluit primus parens.

Ac per hoc. 8 Natura vitio & peccato hominis non eſt deſtructa, ſed infecta.

Beſtias. 9 Bruta animantia nec felicitatem, nec damnationem æternam participant.

Sed ex huius. 10 Subiicitur homo diabolo, quia homo ipſe voluit.

Ambroſiũ 11 Ambroſium non fauere Pelagianis in peccato originali, vt apparet ex ipſius ſcriptis.

Cap. 41.

1 Concluſio operis.

AD LIB. I. DE NVPTIIS ET CONCVPISCENTIA,

AD VALERIVM COMITEM.

¶*In præfationem.*

B 1 Honorifica appellatio Valerij Comitis ab Auguſtino facta.

Porrò autem. 2 Cur ſcriptus ſit hic liber, nimirum vt ſit μνημόσυνον & teſtificatio reuerentiæ & obſeruantiæ Auguſtini erga Valerium tam pium virũ.

Cap. 1.

1 Pelagiani accuſabant Orthodoxos quaſi & nuptias damnarent, & hominem ſiue partum ex iis natum dicerent eſſe diaboli opus. Hæc fuit calumnia duplex & falſa.

Nec aduertunt. 2 Hanc accuſationem merè eſſe calumniam docet Auguſt.

Intentio igitur. 3 Scopus horum librorum eſt, Concupiſcentiam malam à bono Nuptiarum diſtinguere.

Cap. 2.

1 Cur hoc opus dicet Valerio Comiti Auguſt. triplex ratio.

Nam mihi. 2 Magnatum fauorem importunè non captauit & quæſiuit Auguſt.

C

Cap. 3.

1 Pudicitia coniugalis donum Dei eſt, etſi ad eam requiritur voluntas noſtra.

Quid ergo. 2 Infideles qui coniugia ſeruant, vtrum pudici ſint appellandi.

Abſit ergo. 3 Pudicus is ſolus eſt, qui propter Deum fidẽ coniugij ſeruat.

Cap. 4.

1 Naturale & primum coniugij bonum eſt, procreatio liberorum, & coitus generis humani ſubſtituendi cauſa, non autem explendæ libidinis affectus.

Quanquã. 2 Commendatio coniugij ab exemplo etiam brutorum animalium.

Quapropter. 3 Alius coniugij finis non laudandus.

Cum enim. 4 Pudicitia vera ea demum eſt, quæ Deum, vt finem reſpicit.

Vera igitur. 5 Pudicitia triplex Coniugalis, Vidualis, Virginalis.

Cum enim: rectè. 6 Virginitas ſine fide non comparanda nuptiis Chriſtianorum.

Cap. 5.

1 Libido carnalis & vitioſa ſuperuenit nuptiis: non eſt autem de natura coniugij.

2 Nuptiæ ipſæ per ſe, & primæ à Deo benedictæ. A Nonne illi.

3 Pudor de membris corporis demum poſt peccatum ortus fuit. Cur ergo.

4 Primos homines non fuiſſe creatos cæcos, ſed antequam peccaſſent, motúmque in ſuis mẽbris irrationalem ſenſiſſent, non erubuiſſe de illis. An fortè.

5 *Aperire oculos* dicitur in ſcriptura & propriè & metaphoricè. Sed nunquid.

Cap. 6.

1 Poſt peccatum ſuum ſenſerunt primi homines inobedientiam irrationalem & erubeſcendam in ſuis membris.

2 In membris genitalibus maximè vitioſa & carnalis libido dominatur, quia per ea propagatur natura humana. Nam quid eſt.

3 Genitalia membra *Natura* dicuntur. Nã ideò.

4 Cur occultauerunt præcipuè membra genitalia primi parentes. Foliis ficulneis.

Cap. 7.

1 In nuptiis bonum earum à vitio & concupiſcentia ſuperueniente diſtinguendum eſſe.

Cap. 8.

1 Fornicatio & abuſus coniugij prohibetur, honeſtus autem concubitus coniugum conceditur. B

2 Fideles coniuges non ſolùm filios in ſeculo habere volunt, ſed in Chriſto quoque. In connubiis.

3 Malo libidinis etiam pius coniux benè vtitur. Illo quippe.

4 Patres plures vxores habuiſſe multiplicandæ prolis, non autem variandæ libidinis gratiâ. Quando quidam.

Cap. 9.

1 Confirmat ſuperius dictum à pari & conſequenti.

2 Nuptiarum & coniugij vera natura in eo eſt, vt vnus vni tantùm copuletur. Veruntamen.

3 Naturâ viri fœminis imperant, non contra. Nec dubitari.

4 Meretrix eſt, quę cum pluribus concumbit non prolis, ſed libidinis cauſa.

C

Cap. 10.

1 Nuptiarum tam magnum eſt vinculum, vt propter ſterilitatem non liceat illud diſſoluere.

2 Non poteſt ea in vxorem duci, cũ qua priore viro viuente adulterium commiſſum eſt. Denique.

3 Sacramentum etiam in apoſtatis manet. Sicut apoſtata.

Cap. 11.

1 Coniugium manet etiam inter eos, qui copulati vouerunt continentiam perpetuam.

2 Confirmat ſuam ſententiam ab exemplo Virginis Mariæ & Ioſephi eius viri. Neque enim.

3 Ab autoritate ſcripturæ. Vocari ambo.

4 A Chriſti ipſius autoritate & facto. Quibus ſubditus.

5 Ab autoritate Euangeliſtarum & ſerie genealogiæ Chriſti. Vnde & ſeries.

Cap. 12.

1 Ex concubitu viri naſci noluit Chriſtus, ne eſſet peccator vt cæteri.

2 Pruritus libidinis in fornicationibus regnat & damnatur: in coniugiis ſeruit & tegitur velo coniugij. Huius plagæ.

3 Concluſio. Cur ergo.

Cap. 13.

1 Patribus ſub lege ſpecialiter eſſe conceſſum, vt plures haberent vxores: nobis non idem licere, & cur.

A Hæc omnia. 2 Expoſitio loci, 1. Corinth. 19. v. 29.

Cap. 14.

1 Etiam coniugibus condonari, ſi non procreandorum liberorũ cauſa coeant, propter velum & honeſtum nomen coniugij.

Cap. 15.

1 In concumbendo cum vxore ſentire voluptatem non eſt damnabile.

Produntur. 2 Abortus procurare aut fœtus exponere, eſt omnino damnatum & horrendum.

Cap. 16.

1 Concluſio, etſi Nuptiæ puræ putę non poſſunt hodie eſſe, tamen eæ contrahuntur rectè, & iis ad procreandam ſobolem vti licet honeſtè.

Cap. 17.

1 In nuptiis tria hęc laudanda & conſectanda, Proles, Fides, Sacramentum.

Quis enim vir. 2 Nemo vult adulteram eſſe ſuam coniugẽ.

Cap. 18.

1 Propter libidinem carnis ex iuſtis coniugiis filij peccatores naſcuntur, quia non ex eo quod renatum eſt: ſed ex eo quod carnale eſt, & de hoc ſeculo, filij generantur. B

Ex quo. 2 Ex legitimis nuptiis nati filij regeneratione opus habent.

Abſit ergo. 3 In coniugio non concupiſcentia & libido vitioſa coniugum diligitur, ſed coniux ipſe.

Cap. 19.

1 Exemplis rerum naturalium docet cur & quomodo ex parentibus renatis & purgatis filij tamen non purgati & renati naſcantur, veluti ex oliua oleaſter, ex grano purgato frumentum cum palea.

Cap. 20.

1 Paruuli non baptizati, ſunt in poteſtate diaboli & tenebrarum.

In veritate. 2 Pueri dum baptizantur cur fiat exorciſmus.

Nullum autem. 3 Paruulorum peccatum eſſe tantùm poteſt originale.

Cap. 21.

C 1 Peccatum originale non oritur ex bono nuptiarum.

Cap. 22.

1 Peccatum originale eſt coniunctum cum carnis libidine & concupiſcentia.

2 Cynici vnde dicti, & eorum error impudentiaque damnata.

Cap. 23.

1 Concupiſcentia eſt peccatum inhabitans.

Nam ipſa. 2 Concupiſcentia in regeneratis propriè non eſt peccatum, ſi illi non conſentiant.

Sed quia. 3 Concupiſcentia in regeneratis appellatur peccatum, quia ex peccato naſcitur.

Hoc generi. 4 Concupiſcentia, quæ eſt ex malo & diabolo, facit nos diabolo ſubditos.

Nõ enim. 5 Homo qui eſt Dei creatura, diabolo ſubiicitur, non quatenus creatura, ſed quatenus immundus eſt.

Cap. 24.

1 Paruuli fidelium ſunt peccatores, quia per concupiſcentiam (quæ & peccatum eſt, & peccati filia) naſcuntur.

Niſi in illo. 2 Solus Chriſtus ſine peccato fuit, quia ſine concupiſcentia ex virgine natus eſt.

Cap. 25.

1 Concupiſcentia per baptiſmum tollitur, ne imputetur & noceat: non autem ne inſit omnino.

2 Concupiſcentia & peccatum non eſt ſubſtantia: ſed languor & mala affectio voluntatis noſtræ. A Nõ enim.

3 Concupiſcentia libidinis quotidie in proficientibus minuitur. Quæ tamen.

Cap. 26.

1 Reatus concupiſcentiæ & libidinis, vt etiã cæterorum peccatorum, renatis & baptizatis remittitur.

2 Peccatum quidem ipſo actu conſummato præterit, ſed ipſius reatus manet. Nam ſicut.

Cap. 27.

1 Etſi libidinis concupiſcentia manet in renatis & baptizatis, eius tamen reatus euanuit, & ſublatus eſt.

2 Concupiſcentia mala peccatum eſt, licet nec opere impleatur, nec aſſenſus illi tribuatur. Agit enim.

3 Confirmat ſuperius dictum autoritate Pauli, eáque duplici. Nõ enim.

Cap. 28.

1 Qui concupiſcentiæ ſuæ aſſentitur, vel eam implet, ipſe peccat: non autem peccat tunc peccatum quod in eo inhabitat. B

Cap. 29.

1 Peccatum in nobis habitans peccat, nõ nos, ſi malæ concupiſcentiæ, neque voluntate aſſentimur, neque eam opere implemus.

2 Concupiſcentia mala peccatum & malum eſt ipſa per ſe. Et ex aliqua.

3 Aliud eſt non concupiſcere omnino, aliud non ire poſt concupiſcentias. Multum enim.

4 Quod iuſſum eſt fieri, aliquando eſt perficiendum. Niſi enim.

Cap. 30.

1 Explicatio loci apud Paulum, Roman. 7. ver. 23.

2 Verba hæc, *Captiuantem me*, quid ſignificent apud Paulum. Quod autem.

Cap. 31.

1 Caro pro nobis, & nos pro carne noſtra poſſumus accipi. C

2 Caro dupliciter accipitur vel pro vitioſo affectu, vel pro ipſa carnis noſtræ ſubſtantia. Carnem autem.

3 Etiam in renatis & baptizatis aliquid eſſe & corruptum & captiuum ſub diabolo, quoniam in iis inſunt adhuc vitioſi affectus. Attamen ſi.

4 Vltima demum reſurrectione nos ſine cõcupiſcentia, & ea parte, per quam diabolo captiui ſumus, futuros. Cum ergo.

5 Loci apud Paul. Rom. 7. v. 35. explicatio. Subiungit.

Cap. 32.

1 Loci apud Paulum Rom. 8. v. 1. explicatio.

2 Sine remiſſione peccati paruulus eſt reus peccati per originem ſuam. Hæc itaque.

3 Exemplo rerum naturalium id docet & confirmat Auguſt. Hoc autem.

Cap. 33.

1 Remiſſione peccatorum, non natiuitate ex parentibus nos beatos fieri.

2 Remiſſionis peccatorum teſtimonium eſt baptiſmus. Sic inquam.

3 Baptiſmus omnia peccata delet, etiam futura. Sed etiã.

4 Omnes Dei promiſſiones non niſi baptizatis prodeſſe.

Cap. 34.

1 Baptiſmus Chriſti omnia mala tollit.

A Nam qui. 2 Eccleſia hic non eſt ſine peccato & ruga.

Cap.35.

1 Autoritate Ambroſij confirmat omnia ſuperiora.

Cuius ſacerdotali. 2 Auguſtinus ab Ambroſio baptizatus.

Quod ideo. 3 Ambroſij laus etiam ex ore hæreticorum & aduerſariorum.

Ex libro I I.

Cap.1.

1 Valerij Comitis laus à pietate & animi gratitudine.

Cap.2.

1 Pelagiani artificioſa calliditas Auguſt. Iuliano opponentis.

In his verbis. 2 Detecta Pelagiani fraus, cùm præcipuum Auguſtini fundamentum prætermittit.

Deinde. 3 Alia Pelagiani fraus, dum Auguſt. diſtinctionem omittit, ex qua totius quæſtionis ſolutio pendet.

Deinde ad noſtra. 4 Pelagiani cuiuſdam artificioſa repetitio de dicto Auguſtini, quo nuptiæ propter peccatum originale damnari videbantur, vt illi inuidiam B conflaret.

Sed etiā. 5 Pelagianus iſte detraxit malitioſè quæ Auguſt.de Dei gratia dixerat.

Et hic vt. 6 Detraxit item quæ diſtinctionis cauſa addiderat Auguſt.

Vt ipſe. 7 Conflictus cum vitiis in renatis etiam miſerabilis manet.

Satis igitur. 8 Quàm mala fide verſatus ſit iſte Pelagianus in Auguſt.ſcriptis & legendis,& proponendis.

Non eſt. 9 Querimonia Pelagiani de ſæuitia & hæreſi Orthodoxorum,vt appellabat.

Cap.3.

1 Prima accuſatio Orthodoxorum,eos negare liberum arbitrium.

Sed,ſi vos. 2 Orthodoxi liberum arbitrium concedunt, quatenus à Chriſto eſt liberatum.

Si eſt ergo. 3 Secunda accuſatio,Orthodoxos nolle Deū eſſe naſcentium conditorem & creatorem.

Quorum. 4 Orthodoxi naſcentium omniū Deum creatorem & conditorem agnoſcunt, qui tamen ſua C culpa ex vno damnantur,niſi ab ipſo liberentur.

Liberum itaque. 5 Pelagiani ab Orthodoxis quatenus diſſentiant & differant.

Audi ergo. 6 Manichæi ab Orthodoxis in rerum creatione quid & quantum diſſentiant.

Manichæus. 7 Manichæorum & Pelagianorum comparatio inter ſe.

Tam ſcelerata. 8 Tertia accuſatio,Orthodoxos eſſe ſæuos.

Quin tibi. 9 Orthodoxi non ſunt ſæui,cùm cogunt Pelagianos tam praua ſentientes metuere pœnas magiſtratus, vt reſipiſcant, & ne ſua dogmata diſſeminent.

Cap.4.

1 Et Pelagiani dicta, & reſponſiones ad ea legendas & coniungendas eſſe.

Contra eos. 2 Titulus chartæ & ſcripti Pelagiani quis fuerit.

Nō igitur. 3 Auguſtinus non damnat nuptias.

Nuptiarū. 4 Nuptiarum fructus homo, non peccatum.

Non quidem. 5 Aug.modeſtia in errore Pelag. excuſando.

Primo. 6 Prima ratio Pelagiani pro nuptiis, Deus inſtituit nuptias vt homines naſcerentur,ergo ſine peccato naſcuntur.

Quis enim. 7 Non negat Auguſt. ad prolem ſuſcipiendam eſſe inſtitutum à Deo coniugium, negat tamē propterea ſine peccato hodie homines naſci. A

Cap.5.

1 Neque ſexus,neque commixtio, neque fœcunditas nuptiarum eſt à diabolo,ſed à Deo :ipſa verò concupiſcentia eſt à diabolo,non à Deo.

2 Concupiſcentiam, quæ eſt inobedientia in mēbris genitalibus, peccatum,& erubeſcēdā eſſe, Nam quare.

3 Propter iſtam vitioſam libidinem & concupiſcentiam hominum, prolem non eſſe ſine peccato. Dico planè.

4 Confirmat autoritate Ambroſij. Dixit hoc.

5 Ab abſurdo,in quod incident Pelag. idem probat. Nunquid.

Cap.6.

1 Si Deus eſt autor & creator paruulorum, ergo corpora, per quæ generantur; ſunt Deo tribuenda.Pelag.argumentum.

2 Reſponſio Auguſt.etſi corpora ipſa parentum & natorum ſunt Dei opus:eorum tamen peccata ſunt opus diaboli. Rurſúſque.

3 Si commixtio eſt à Deo, ergo peccato originali carent paruuli.Pelag.argumentum. Deus verò.

4 Reſponſio Auguſt.Peccatum,quod in ea interuenit,non eſt à Deo. Iam ſupra.

B

5 Naturæ ratione non ſunt homines in poteſtate diaboli,ſed culpæ. Tot ergo.

Cap.7.

1 Pelagianus iſte agnoſcebat turpitudinem, quæ eſt in carnis concupiſcentia, etiam ineſſe in commixtione,quando eam apertè nominare non audet : ſed honeſto naturalis appetitus nomine tegit,& circumloquitur.

2 Cain Dei opus eſſe dicitur, & tamen per commixtionem natus fuerat : ergo in ea eſt nihil mali.Pelag.argumentum. Vnde conſtat.

3 Reſponſ.Auguſt.Quâ homo eſt, Cain Dei opus eſt: quâ concupiſcentia carnis in eo gignendo interuenit, eáque inobediens,eſt peccati particeps. Sed carnis.

4 Membrorum genitalium potentia quanta, & motus quàm turbulentus. Quid enim.

Cap.8.

1 Dicitur Deus excitaſſe ſemen & libidinem, ergo praua non eſt iſta libido interueniens in coitu.Pelagiani argumentum. C

2 Reſponſio Auguſt. Non libidinem excitauit Deus:ſed ſemini vim prolificam dedit,vt ex eo filij naſcerentur. Non intellexit.

3 Seminis ſolùm humani creator Deus eſt, non autem vitij illius,quod in ſemine poſt peccatum inhæſit. Neque hoc.

4 Peccatum originale trahitur ex vitio ſeminis,quod propter carnis libidinem & inobedientiam illi acceſsit. Illa quippe.

5 Malitia eſt iam naturalis in nobis poſt peccatum. Quomodo ergo.

Cap.9.

1 Natura hominis non eſt primùm condita vitioſa,ſed cùm ſe vitioſam effeciſſet, illud vitium per omnes cucurrit & currit adhuc hodie.

2 In Noe,vti & in Adamo,eſt à Deo benedicta commixtio ad generationem : erga nulla in ea inobedientia ineſt.Pelag.argumentum. Quid eſt ergo.

3 Reſponſio Auguſtini : Nec ab ipſa vitioſa natura Deus ſuam bonitatem omnino abſtulit. De vitio hic.

4 Pelagianus iſte etiam in commixtione pudorem & verecundiam agnoſcit, & ab ipſo Moſe Et poſt hæc.

A cælatam eſſe fatetur.

Cap.10.

1 Concupiſcentiæ vocem eſſe ambiguam, Pelagiani argumentum.

Certè. 2 Deus in Abrahamo hanc generandi concupiſcentiam docuit non eſſe malum, Pelagiani argumentum.

Ita hoc. 3 Reſponſio Auguſt. Concupiſcentia carnis à Deo data non eſt Abrahamo, ſed tantùm fœcunditas.

Cap.11.

1 Etiam qui extraordinariè & ſingulari Dei dono è patribus nati ſunt, fuiſſe tamen eos ipſos peccatores & cum carnis concupiſcentia genitos. Id quod argumento circunciſionis probat, quæ fuit & iam illis neceſſaria.

Quia per. 2 Veteres & nos eâdem in Chriſtum fide ſalui ſimus.

Ex quo. 3 Circunciſio fuit ſignaculum fidei Patribus.

Cap.12.

1 Occupatio vtiliſsima. Veteres etiam qui ante circumciſionem vixerũt fide eadem in Chriſtum ſaluos factos eſſe, qua & nos hodie ſeruamur: eius tamen iuſtitiæ nullum viſibile ſignaculum habuiſſe.

B

Iſta, inquit. 2 Si calor & voluptas generandi Dei munus eſt, ergo non eſt peccatum, Pelagiani argumentũ.

Dixit cũ. 3 Reſponſio Auguſt. Propagatio fœcunda filiorum, non autem commotio pudenda membrorum, Dei munus eſt.

Confitearis. 4 Concluſio Pelagiani nullum eſſe peccatum originale.

Cap.13.

1 Pelagianus inſtat, Iſaac eſſe Dei donum, non voluptatis Abrahami effectum.

Quia vero. 2 Reſpondet Auguſt. etſi ſemen Abrahami, vnde Iſaac natus eſt, Dei donum eſt: carnis tamẽ concupiſcentia & libido vitioſa, quæ fuit in Abrahamo, vitioſum partum effecit.

Vtrum autem. 3 Vtrum vtriuſque parentis & viri & feminæ ſemen ad prolis generationem miſceatur & concurrat.

Hoc etiã. C 4 Pelagiani verba, per quæ variis rationibus peccatum originale nullum eſſe nititur confirmare.

His omnibus. 5 Reſponſio Auguſt. generalis. His omnibus locis agi non de libidine, quæ vitioſa eſt: ſed de fœcunditate, quæ Dei donum eſt.

Cap.14.

1 Specialiter reſpondet ad locos, quos Pelagianus adduxerat.

Quam ſententiam. 2 Paulus de ſemine humano non loquitur, 1. Corinth.15.

Sic enim. 3 Pelagianum diuerſa confundere.

Et cum ei. 4 Item veteratoriè in illo Pauli loco agere.

Cur enim. 5 Retorquet Pauli dictum in ipſum Pelagianum: nam hoc exemplo oſtendit potuiſſe Deum beatis hominibus concedere, vt ſine vitioſa inobedientia ex ſuo ſemine generarent, vti frumenta ſine libidine ex ſemine è terra naſcuntur: conceſſiſſe tamen negat.

Non eſſet. 6 Ante peccatum, & ſine peccato nec pudendum coitum futurum fuiſſe, nec doloroſum partũ.

Cap.15.

1 Locum de Abimelech à Pelagiano citatum ad quæſtionem de vitioſa libidine non pertinere: ſed tantùm ad fœcunditatem, quæ vnde ſit docet iſte locus.

A

Cap.16.

1 Reſpondet ad alia Pelagiani argumenta & obiectiones, quas partim negat veras: partim admittit.

2 Deus non facit homines, vt ſint ſerui diaboli: ſed iis, qui peccatores ſunt, ipſe rectè vtitur, & ad iuſtitiam & ad miſericordiam ſuam. Abſit.

Cap.17.

1 Deus neque creat, neque nutrit malos: ſed quatenus ſunt homines, eos nutrit: quatenus mali ſunt, ſunt ſub diabolo, quibus tamen Deus rectè vtitur.

Cap.18.

1 Pelagianus iſte cùm vnum Auguſt. alloquitur, vniuerſam eccleſiam condemnat vel accuſat.

2 Præclara annominatio. Non inferat, ſed.

Cap.19.

1 Pelagiani verba, per quæ ſic concludit, Boni ſunt liberi: ergo & coniugium bonum, & coitus bonus, maximè viri & vxoris, cùm à contrario coitus, qui non eſt vel legitimus, vel naturalis, ſit à Deo damnatus.

Cap.20.

1 Reſp. Aug. filios & ſobolem bonum quiddã eſſe, quatenus Dei opus ſunt, quocunque coitu procreati ſunt. B Malum etiam eſſe eoſdem, quatenus cum peccato originali ex Adamo contracto, naſcuntur, niſi in Chriſto regenerentur.

2 Locus Pauli explicatus, Rom.1.ver.26.27. Quod autem.

Cap.21.

1 In coniugiis, nuptiis & coitu eſſe libidinem à fructu coniugij diſtinguendam. Fœtum eſſe Dei opus & bonum. Libidinẽ eſſe vitioſam & malum.

Cap.22.

1 Nuptias eſſe corporales, & corporum commixtione fieri, ſed non ſine confuſione quadam: ergo bonas eſſe ratione fructus, malas autem ratione confuſionis iſtius, quæ in mixtione propter membrorum inobedientiam apparet.

Cap. 23.

1 Pelagiani in Orthodoxos calumnia, nempe Orthodoxos, cùm turpitudinis aliquid in nuptiis ineſſe dicerent, eſſe Manichæos. C

2 Iouiniani error de Nuptiis. Et Iouinianus.

3 Pelagianorum, quàm Manichæorum error de nuptiis grauior fuit. Sed ſicut.

Cap.24.

1 Quod de peccato originali dictum eſt, ſiue ex legitimo coniugio quis naſcatur, ſiue ex illegitimo, non facere tamen adulteria legitimis coniugiis paria & æqualia.

Cap.25.

1 Inſtat Pelagianus.

Cap. 26.

1 Concluſio Pelagiani, ſi ex coniugio legitimo mali & damnati filij naſcuntur: ergo inſtitutio & actio nuptiarum mala eſt, & coniugia mala. At bona pronuntiantur: ergo fructus eorum bonus eſt.

1 Reſp. Auguſt. 1. Docet quis error tandem ex hac fucata laude coniugij naſcatur.

2 Reſp. 2. Diſtinguendam eſſe naturam à ſuperueniente illi vitio. Ac per hoc.

3 Reſp. 3. Bonum poteſt dici cauſa mali, etſi quatenus illud eſt cauſa mali, bonum non eſt. Et ad hoc.

4 Peccatum, quod in paruulis ineſt, non ad nuptias Peccatũ.

A nuptias pertinet, ſed ad malum, quod accidit hominibus qui nuptias contrahunt.

Non igitur. 5 Malum quod ineſt in nuptiis hodie, non eſt ab earum inſtitutione prima, quia ſunt etiã à Deo benedictæ.

Quid eſt ergo. 6 Dictum *Ex bona arbore bonus fructus*, vtrum ad coniugia pertineat.

Cap.27.

1 Peccatũ quod eſt in paruulis, vtrum per { Voluntatem eorum. Nuptias. Parentes inſit & tranſdetur.

Ad omnia. 2 Reſponſ. Neque ex voluntate eorum, neque ex parentibus ipſis, quatenus parentes ſunt legitimè copulati: neque ex nuptiis, quatenus à Deo ſunt & inſtitutæ & benedictę: ſed ex peccato Adami, quod in omnes homines tranſiit, peccatum ineſt in paruulis, id eſt, lege naſcendi.

Quod iſti. 3 Peccamus per Adamum, & in Adamo, non imitatione tantùm, ſed generatione.

Sicut diximus. 4 Per Chriſtum omnes ſaluos fieri quid ſignificet.

B

Cap.28.

1 Cùm nec peccet qui naſcitur, nec qui generat, nec qui condidit, quærunt Pelagiani per quas igitur rimas peccatum in paruulos ingrediatur & ſubeat.

Quidquærit. 2 Reſp. Per ianuam apertiſsimam, nempe per & propter primi hominis peccatum.

Quærit. 3 Peccatum originale per voluntatem primi hominis ſeminatum eſt.

Ecce ergo. 4 Ex bono Dei opere malum ortum eſt, & oritur, nempe voluntas mala, non ex ipſo Dei opere per ſe: ſed ex hominis diſceſſione à Deo & rebellione interueniente.

Cap.29.

1 Pelag. dixit Manichæus eſt, qui peccatum originale in paruulis deffendit, quia cum careant volũtate paruuli, natura eorum mala eſſe fingitur.

Ambiat. 2 Reſponſ. In paruulis non eſt tantùm natura: ſed & vitium & voluntas praua ex Adamo quidem deprauata.

C

Quod autem. 3 Malum & peccatum non niſi in bono, id eſt natura bona à Deo facta ortum eſt, & eſſe poteſt.

Aut quando. 5 Orthodoxi qui originale peccatum defendunt, non ſunt Manichæi.

Nunquid &. 6 Cyprianus ante Manichęorum errorem paſſus pro Chriſto, non Manichæus, & tamen peccatum originale eſſe docet.

Qua exorcizantis. 7 Exorciſmi & exufflationes in baptiſmo olim vſurpatæ, & cur.

Cap.30.

1 Concupiſcẽtiæ ſignificatio duplex eſt. Nam in bonam, & malam partem ſumitur.

Qui autẽ. 2 Libidinem & concupiſcentiam turpem, in pudendis fuiſſe ab ipſo etiam Adamo poſt peccatum agnitam.

Cap.31.

1 Carpit verba Auguſtini Pelagianus iſte, quæ Auguſtinus ipſe explicat, ſe nimirum non de quolibet motu, ſed de pudendo membrorum genitalium motu, qui libidini ſeruit, non voluntati & rationi, locutum eſſe.

Annon. 2 Aliorum membrorum motus ipſos per ſe non eſſe pudendos.

Cap.32.

1 Nuptiæ, quæ nunc ſunt, ſunt eiuſdem generis, cum iis quæ primùm à Deo leguntur inſtitutæ: quarum vſus & ſanitas propter hominis peccatum eſt corrupta. Itaque qualitate, non natura mutatæ ſunt. A

Cap.33.

1 Homines opus eſſe Dei quatenus ſunt homines: quatenus autem peccatores, opus diaboli.

Cap.34.

1 Mala tantùm, non ſubſtantiæ ipſæ factæ dicuntur à diabolo.

Vnde illo. 2 Primum hominis peccatum magnum fuit.

Et tamen 3 Languor naturæ eſt vitium naturæ.

Cap.35.

1 Concupiſcentiam membrorum genitalium honeſtis & ſplendidis nominibus tegunt Pelagiani: ne peccatum originale eſſe fateantur.

CONTRA DVAS EPISTOLAS PELAGIANORVM, AD BONIFACIVM.

AD LIB. I.

Cap. 1.

B

1 CVr ad Bonifacium potiſsimùm ſcribat Auguſt.

Hæc autẽ. 2 Quæ nam ſint duæ illę epiſtolę contra quas iam ſcribat.

Quod eas. 3 Laus Bonifacij Romani epiſcopi.

In quibus. 4 Auguſt. vnus ex omnibus epiſcopis, maximè à Pelagianis impetitus.

Cap.2.

1 Verba Iuliani Pelagiani.

Manichæos. 2 Orthodoxi vulgò Manichæi inuidioſè appellati ab hæreticis & Pelagianis.

Qui ante. 3 Iouiniani error quis fuerit.

Quis autem. 4 Liberum arbitrium in homine manſit, per quod voluntariè peccat, non per quod ſuis viribus iuſtitiam faciat.

Propter quod. 5 Liberi ſumus iuſtitiæ: ſed liberati Dei gratia à peccato.

Cap.3.

C

1 Explicatio dicti Ioan. in Euang. cap. 1. verſ. 12 per quam docet non rectè ſentire Pelagianos, qui putãt nos primùm libero arbitrio ſuſcepiſſe Chriſtum: poſtea autem gratiam nobis pro illius operis & fidei noſtræ merito datam.

Non itaque. 2 Non peccant hodie homines coacti, & inuiti: ſed ſpontè & voluntariè, & eatenus liberum arbitrium habent.

Sed hæc voluntas. 3 Quæ hominis libertas eſt ad malè agẽdum, non eſt eadem ad benè agẽdum, niſi fuerit à Chriſto liberata & quidem gratiâ.

Cap.4.

1 Pelagius ipſe in Paleſtino concilio damnauit eos, qui dicerent gratiam ſecundũ merita noſtra dari, etſi poſtea tamen idẽ defendit ſuis libris.

Cap.5.

1 Verba Iuliani calumniantis Auguſtinum, quaſi Nuptias damnaret.

His eius. 2 Reſp. Auguſt. ſe agnoſcere nuptias à Deo eſſe inſtitutas, & per ſe quidem eſſe bonas.

Librum autem. 3 Liber Auguſtini de Nuptiis & concupiſcẽtia à Pelagianis traductus.

Dicant etiam. 4 Verba Iuliani Orthodoxos calumniantis, tanquam vſum coniugij & fructum, id eſt, liberos ex eo natos damnent.

Imò ſicut. 5 Reſponſio Auguſt. Libidinem tantùm illam inordinatam, quæ eſt in motu genitalium &

A vſu coniugij, damnari, non ipſum vſum: item peccatum quod eſt in liberis originale à diabolo eſſe dici: non autem filios ipſos, qui naſcuntur.

Cap.6.

1 Scopus ſuperioris Orthodoxorum accuſationis & laudis iſtius coniugij eſt, vt paruuli ſine peccato originali naſci doceantur, & ita in iis Dei gratia per Chriſtum euacuetur.

Cap.7.

1 Etiam in veteri teſtimonio paruulos in peccatis natos fuiſſe, & ſaluatoris gratiâ ab eo redemptos docet.

Cap.8.

1 Explicatio dicti Pauli Rom.7.verſ.18. quod ad alium quendam & nondum renatum Pelagiani detorquent. Auguſtinus docet à Paulo de ſe ipſo ſcriptum.

Cap.9.

1 Explicatio dicti Pauli Phili.3.verſ.6. *Se fuiſſe irreprehenſibilem*, quoad iuſtitiam, quæ ex lege eſt, quod ait Auguſt. pertinere ad ſynceram Pauli voluntatem, non ad implementum legis & illius iuſtitiæ.

B

Cap.10.

1 Explicatio dicti Pauli Roman. 7. verſ.14. *At ego carnalis ſum*, quod putat ideò dictum Auguſt. quia nondum corpus ſpiritale habebat Paulus (quod demum per Reſurrectionem pij aſſequuntur) non quòd non eſſet iam renatus.

Cap.11.

1 Liberari à corpore peccati, eſt ſanari ab omni malo & languore carnalis concupiſcentiæ.

Cap.12.

1 Chriſtum ab omni peccato immunē fuiſſe.

Cap.13.

1 Baptiſmus aufert peccata, non tantùm ea radit, tanquam radices non dimiſſæ maneant.

C

Sed de iſta.

2 Concupiſcentia tamen manet in baptizato, quæ nihil nocet renatis, quanquam eſt infirmitas, ſed deletur illius reatus.

Et ideò iã non ſit.

3 Concupiſcentia cur dicitur in renatis peccatum.

Cap.14.

1 Etſi omnis peccati reatus in Baptiſmo dimittitur, tamen concupiſcentia manet, quæ operatur ea, quæ quotidie dimitti à Deo petuntur.

Cap.15.

1 Pelagiani ſentiunt motum genitalium, & commixtionem, quæ fit in coniugio, omnino eſſe & fieri ſine peccato. Itaque nec ex ea naſci homines peccatores.

Cap.16.

1 Reſpondet Auguſt. ex eo quod maximè pudenda texerunt Adam & Eua poſt peccatum, non autem reliqua membra, intelligi ſatis in illis partibus turpitudinem & inordinatum motum ineſſe & inhærere.

Hoc pudoris.

2 Etiam in legitimis coniugiis mixtionem & coitum habere, propter motum illū inordinatum aliquid pudendum.

Cap.17.

1 Ab enumeratione & remotione eius ſtatus, qui in primis hominibus cogitari poteſt, ſuam ſententiam confirmat.

Ad hoc enim.

2 Hodie talis genitalium motus non eſt in nobis, id eſt, moderatus aut ſine vitio, qualis in primo Adamo ante peccatum erat.

Cap.18.

A

1 Homo, quatenus ſubſtantia, eſt Dei opus: quatenus peccator, eſt ſub poteſtate diaboli: tamen nec bonus nec malus eſt coactò & inuitus.

Cap.19.

1 Hominem non tantùm adiuuari à Deo, vt credat: ſed excitari vt velit credere, nec nos præuenire Dei gratiam: ſed eam præuenire noſtram voluntatem, vt credamus.

Dic mihi.

2 Exemplo Pauli confirmat ſuam ſententiam Auguſtinus.

Vt quid enim.

3 Alio exemplo idem probat.

Nō enim ait.

4 Deus non dicitur tantùm ducere, ſed etiam nos trahere, vt credamus.

Cap.20.

1 Confirmat ſuperius dictum autoritate ſcripturæ, eáque duplici.

Quid eſt autem.

2 Idem agit & confirmat exemplo Aſſueri regis.

B

Nunquid homines.

3 Interrogatio vehemens, per quam Pelagianos committit cum Apoſtolis.

Cap.21.

1 Etiam veteres patres, qui ante legem, & ſub lege vixerunt, fide in Mediatorem Chriſtum ſaluos eſſe factos.

Ipſorum enim.

2 Confirmatio ab autoritate ſcripturæ, & ea duplici.

Secundū. Pelagiū.

3 Pelagius triplicem ſalutis cauſam conſtituit, Naturam, Legem, Chriſtum, ſiue gratiam.

Quaſi hominibus.

4 Refutatio. Ergo euacuatur Chriſti ſanguis in iis, qui per Naturam, & legem ſunt facti ſalui.

Cap.22.

1 Pelagiani aiunt baptizandos paruulos, non vt peccata eis remittantur, quę nulla habent: ſed vt feliciùs regno cœlorum fruantur.

Cap.23.

C

1 Pelagianos, qui gratiam dari aiunt ſecundum merita noſtra, eſſe anathematizandos.

AD LIB. II.

Cap.1.

1 Hoc libro reſpōdet ad 2. epiſtolam Pelagianorum Auguſtinus.

Lateant inimici.

2 Aſtus Pelagianorum, dum ſub laude naturæ latere conantur.

Neque enim.

3 Non idcircò Pelagianos non eſſe hæreticos, quia & ipſi Manichæos damnant.

Cap.2.

1 Comparatio Manichæorum & Pelagianorum in ſex erroribus & capitibus.

Catholica.

2 Primùm in creatione & redemptione.

Manichęi carnis.

3 Secundùm in concupiſcentia carnis.

Manichęi negant.

4 Tertium in libero arbitrio.

Manichæi dicunt.

5 Quartum in anima hominis, vnde ſit mala & bona.

Manichæi lauacrum.

6 Quintum in baptiſmo.

Manichæi carnem.

7 Sextum in carne & noſtra, & Chriſti.

Poſſunt enim.

8 Non eſt vna hæreſis alterius odio diligenda.

Cap.3.

1 Pelagius & Celeſtius lenius à Rom. pontifice tractati quàm oportuerit, quòd ſpes aliqua emendationis oſtenderetur.

2 Zoſimus Rom. epiſcopus iuſsit, vt Pelagiani ſuum errorem abiurarent, & libellos ſuos retractarent.

Cap.4.

1 Da-

A 1 Damnatus eſt Celeſtius, & à Romana ſede, & ab epiſcopis Afris.

Malam quippe. 2 Neque quod olim, neque quod nunc Deus in homine creat, malum eſt.

Cap.5.

1 Summa Orthodoxæ doctrinæ, Hominem ſponte peccare nunc: Dei ſolius gratiâ benè agere, à quo voluntas noſtra flectitur ad bonum. Dei non diaboli opus eſſe hominem: naſci tamen ſub pecato, à quo ſola Chriſti gratia liberat, quæ fati nomine ineptè appellatur.

Vnde autem. 2 Obiectum Orthodoxis quaſi homines fato ſaluari docerent.

Cap.6.

1 Nimium inſulse à Pelagianis obiici Orthodoxis, quòd fato nos ſaluos fieri doceant: quia gratiâ gratis datur non pro meritis.

In his omnibus. 2 Retorquet in Pelagianos eorum ſententiã, ex qua docet eos potius fatum inducere.

Fatum quippe. 3 Fatum eſt euentus rerum & noſtræ voluntatis impulſio & ſyderum motu pendens.

Cap.7.

B 1 Gratia Dei fatum dici non debet.

Itẽ quia. 2 Acceptio Perſonarum non eſt omnis delectus inter duas perſonas, ſed is in quo iniquitas ineſt, & qui præter meritum cauſæ aliquid conſiderat & ſequitur.

Si autem. 3 Confirmat ſuperiorem definitionem duobus exemplis.

Vbi autẽ. 4 Electio quæ fit à Deo non eſt perſonarum acceptio, quia nemini quicquam debet Deus: etſi quòd punit, iuſtè punit.

Sed & id. 5 Exemplo appoſitiſſimo vrget Pelagianos, docétque ex mera Dei gratia eſſe ſalutem noſtram.

Nobis in duobus. 6 Cur Deus hunc potius eligat, eſſe nobis inſcrutabile.

Sed vt vobis. 7 Premuntur Pelagiani valde exemplo de geminis illis fratribus, quod Paulus affert Rom.9.

C Quomodo enim. 8 Nec facta nec cogitata peccata paruulorum Deuspunit, ſed originale.

Cap.8.

1 Deus non ſaluat inuitum, ſed quem vult ſaluum facere, in eo boni cupiditatem & ſtudium priùs gignit & creat.

Iſti enim. 2 Pelagiani ſentiunt homines ex ſeipſis benè velle: à Deo tantùm habere gratiam, vt facilius impleant quod volunt.

Si enim ſine. 3 Gratia nulla eſt ex debito & condigno contra Pelagianos.

Dominus autem. 4 Confirmatio huius refutationis ex verbis Domini & Pauli.

Loquimur enim. 5 Cupere aut velle bonum, ne hoc quidem ipſum poſſumus ex nobis ipſis.

Cum igitur. 6 Cogitare minùs eſt quam cupere.

Ita etiam dictum eſt. 7 Ac ne aperire quidem os poſſumus ad Deum laudandum ex nobis ipſis.

Quapropter. 8 Multa ſine homine, multa cum homine in homine ipſo bona facit Deus.

Cap.9.

1 Velle & cupere bonum, bonum eſt, & idcircò à Deo eſt.

Nec initium. 2 Bonæ voluntatis initium nõ eſt à nobis, perfectio autem à Deo, ſed tota huiuſmodi voluntas eſt à Deo.

Tunc enim. 3 Bonum facere, eſt non tantùm opere ipſo, ſed & corde velle facere.

4 Gratia Dei & præuenit & ſubſequitur nos, vt benè velimus. A Miſericordia.

5 Explicatio loci Rom.8.verſ.28. Scimus quia.

6 Quæ bona voluntas in nobis ſubſequente Dei gratia adiuuatur, eadem præcedente & pręueniente Dei gratia in nobis fit & excitatur. Hominis autem.

Cap.10.

1 Bonum nec inchoare quiſquam poteſt ſine Domino, nec ſine eodem illud perficere.

AD LIB. III.

Cap.1.

1 Quid hic liber contineat.

Cap.2.

1 Calumnia in Orthodoxos quaſi legem Dei accuſent, vt peccati cauſam.

2 Reſponſ. Auguſt. Orthodoxos de Dei legẽ ſentire idem quòd Paulus. Prorſus non.

3 Legis ſumma laus & vtilitas hæc eſt, quòd per eam intelligimus voluntatem Dei. Sed dicimus legẽ.

4 Gratia Dei à lege differt, quòd per hanc auditores iuſtitiæ ſimus: per illam factores. Carnalis enim natura legem Dei non implet, ſed ſolus Dei ſpiritus & gratia. Lex ergo.

5 Lex non eſt mala, etſi litera eſt occidens: nã peccatum occîdit, non ipſa, ſed peccati homines arguit & conuincit Lex. B Nec litera malum.

6 Per legem fit grauior cauſa & condemnatio peccati, quia excuſatio omnis ignorãtiæ iam ſublata eſt hominibus. Itaque non tantùm nos peccatores, ſed etiam præuaricatores eſſe arguit & docet. Ecce quod dicis.

Cap.3.

1 Calumnia in Orthodoxos, quaſi faciant baptiſma inutile, quòd eos, qui baptizati ſunt, dicant manere ſeculi & diaboli filios.

2 Reſp. Auguſt. Non omnes filios ſeculi eſſe & dici filios diaboli. Mentiuntur.

3 Filij diaboli ſunt, qui infideles ſunt, vel ad illud vitium relabuntur. Filij autem ſeculi etiam fideles ſunt, quia ſunt peccatores, etſi non ſunt filij diaboli. Quamuis enim.

4 Confirmat ſuperius dictum autoritate ſcripturæ. C Vt autẽ.

5 Baptiſmus peccata omnia tollit, ſed non infirmitatem. Baptiſmus igitur.

6 Pij hîc ſentiunt & luctam contra ſuam carnem: & vim ſpiritus contra peccatum: vnde & gemunt & lætantur. Et innumerabilia.

7 Baptiſmus eſt teſtimonium noſtræ redemptionis, quæ plena adhuc exſpectatur ſpe, re autem non poſſidetur. Nunquid non.

Cap.4.

1 Calumnia in Orthodoxos, quaſi negent patres ſub lege ſpiritum ſanctum habuiſſe.

2 Reſponſio Auguſt. falſum eſſe: neque enim id ſentiunt Orthodoxi, niſi vetus teſtamentum pro lege mortua, & carnali ſemine, ex quo omnes Iudæi nati ſunt, quis accipiat. Niſi cùm vetus.

3 Patres & ante legem, & ſub lege Nouum teſtamentum habuerunt: ſed occultatum figuris & quibuſdam latebris: eſt enim Nouum teſtamentum, promiſsio ſalutis in Chriſto quocunque tempore facta illa fuerit, & quomodocunque reuelata. Hîc certè ſi.

4 Concluſio quæ ſuperius dictum explicat. Siue igitur.

5 Qui Noui teſtamenti ſub vetere participes non fuerunt, nec ſaluos fuiſſe factos, nec verè Deo ſeruiuiſſe. Sed hæc quoque.

A

Et vetus igitur. Si enim Chriſtus.

6 Promiſſa terrena Iudæis fuerunt promiſſionum cœleſtium velamenta & ſymbola.

7 Lex, exceptis ceremoniis, ad nos Chriſtianos etiam pertinet, maximè decalogus.

Hi pertinent.

8 Patres ſub lege, qui Chriſtum cognouerunt, pertinuiſſe ad Nouum teſtamentum.

Eadem igitur.

9 Patrum & noſtra eadem fides, eadémque gratia fuit.

Aliter itaque.

10 Vetus teſtamentum duobus modis dicitur. Primùm quatenus Apoſtolicæ prædicationi & ſcriptis contradiuiditur, & ita omnes prophetas & legem Moſis continet. Secundùm, quatenus gratiæ Dei opponitur, & ita etiam in Prophetis non tantùm Vetus, ſed etiam Nouum teſtamentum comprehenditur.

Sed dicit.

11 Vetus teſtamentum dici ratione temporis: Nouum etiam: quod illud prius, hoc poſterius plenè patefactum ſit. Res tamen eaſdem in vtroque contineri.

Deinde quia.

12 Vetus teſtamentum dicitur, quia ad veterē hominem pertinet: Nouum verò, quia ad hominē nouum, qui ſeruit Deo nō ſpe mercedis, ſed propter ipſum Deum.

B

Tempore.

13 Concluſio pulcherrima longiſsimæ diſputationis.

Cap.5.

1 Calumniam in Orthodoxos, quaſi Prophetas afficiant iniuria, & cōparatione tantùm peiorum hominum eſſe deffiniant ſanctos.

Abſit vt iſta.

2 Reſp. Auguſt. Falſum. Iuſtos enim & ſanctos Prophetas & Apoſtolos confitemur, ex regula virtutis, non tantùm comparatè, quia fidem habuerunt: nec tamen dici iuſtos, quia ſuis operibus fuerint iuſtificati.

Per quā.

3 Hypotypoſis, per quam docet homines fide, non operibus iuſtificari.

Sine ipſa verò.

4 Opera bona ſine fide ſunt peccata.

Sed videlicet.

5 Irridet Pelagianos, qui ſanctis viris iniuriam faciunt, dum eos honorare videri volunt.

Cap.6.

1 Chriſtus ſine peccato fuit, tamen in ſimilitudine carnis peccatricis fuit, vt peccatum in ea damnaret.

C

Quod eſt verum.

2 Sacrificium Chriſti vnicum ſufficit pro omnibus peccatis.

Cap.7.

1 Calumnia in Orthodoxos, quaſi in vita illa beata, non perfectionem ſtatuant, ſed tantùm inchoationem iuſtitiæ noſtræ.

Quoniam dicimus.

2 Reſp. Auguſt. hanc meram eſſe calumniam, cùm in futura vita perfectam iuſtitiam & præmiū Orthodoxi conſtituant: hîc autem tātùm inchoationem: eámque ex Dei gratia.

Hic ergo.

3 Vitæ futuræ & præſentis in piis & fidelibus comparatio & diuerſus ſtatus.

Quàm vero.

4 Confirmatio ſuperioris comparationis à connexis.

Nec intueri tā.

5 Altera confirmatio ab exemplo Pauli, & viri Apoſtoli, Dei donis ornatiſsimi.

Ex quo factum.

6 Perfectio iuſtitiæ, eſt in eo, ſi imperfectos nos eſſe ſeriò agnoſcamus.

Tunc enim.

7 In hac vita nondum apparet quales erimus, & quanta ſit noſtra tum iuſtitia, tum beatitudo & perfectio futura.

Neque enim Lex. Intelligēdum.

8 Etſi iuſtitia non eſt ex lege, lex tamen proptereà non damnatur.

9 Legis iuſtitia per legem non poteſt impleri: ſed per ſpiritum Dei viuificantem.

A

Legis itaque.

10 Legis iuſtitia & munus eſt iubere & vetare.

Nō enim.

11 Iuſtitia Dei dicitur, quia homini ex Deo eſt ille ſtatus & illud donum.

Porrò ſi in hac.

12 Hic ex parte tantùm & diligimus & cognoſcimus: ergo ex parte perfecti ſumus. Perfectio enim noſtra, eſt cognitio & dilectio perfecta.

Ex quorū.

13 Pelagiani ſimiles Iudæis, quos Paulus damnat Philip.3. quòd ſuam iuſtitiam, non autem illam, quæ Dei eſt, quærerent.

14 Concluſio non ex viribus liberi noſtri arbitrij eſſe in nobis iuſtitiam, ſed ex ſpiritu gratiæ: & quæ in nobis eſt hodie, eſſe paruam & imperfectam.

Cap.8.

1 Tergiuerſatio Pelagianorum, qui dum vrgentur, latebras quærūt, & diuerticula laudis Dei, & creaturarum & nuptiarum vt elabantur.

Cap.9.

1 Pelagianos cum Manichæis comparat in harum trium rerum argumento, & diſputatione, de natura humana, de Nuptiis, de Lege diuina.

B

Cap.10.

1 Noua quæſtio de origine animæ artificioſè à Pelagianis inducta, ad obſcurandam de Peccato originali diſputationem.

AD LIB. IIII.

Cap.1.

1 Quinque ſunt fontes omnis Pelagianorum erroris.

Cap.2.

1 Primus fons & caput fluit à laudibus quæ tribuunt creaturis, imprimis autem homini, & ab iis argumentis, quæ pro ea laude tuenda afferunt.

Nuptias vero.

2 Secundum caput erroris, laus Nuptiarum quæ & ipſæ factę ſunt & inſtitutæ etiam à Deo.

In laude legis.

3 Tertium caput, à laude legis diuinæ, quæ per Moſen data eſt populo.

C

In laude liberi.

4 Quartum caput, à laude liberi arbitrij humani etiam poſt lapſum.

Laude ſanctorū.

5 Quintum caput, à laude ſanctorum, qui laudantur in ſcriptura.

In his omnibus.

6 Tres errores ex iis quinque fontibus nati. Primus, Nullum eſſe originale peccatum. Secundus, Gratiam nobis ex meritis dari. Tertius, Hîc perfectam omnino iuſtitiam eſſe, in piis & ſanctis viris.

Cap.3.

1 Eoſdem fontes à Manichæis conſtitui errorum ſuorum, ſed diuerſa ratione: nam eadem vituperando Manichæi errant, quæ Pelagiani laudando.

Cap.4.

1 Ἐπεξεργασία. Idem enim quod ſuperiori capite agit, illuſtrátque exemplo, nimirum vtroſque in iiſdem rebus, tamen diuerſa via, errare Manichæos ſcilicet & Pelagianos.

Manichæus dicit nihil.

2 Manichæi ſolam hominis animam à Deo creatam eſſe dicunt: corpus autem à principe tenebrarum.

Quid eis prodeſt.

3 Pelagiani aiunt omnium infantium animas æquales animæ Chriſti fuiſſe, & quemadmodum huius, ſic illorum ſine peccato eſſe.

Quia nec ipſi.

4 Manichæorum deliria de cauſa corruptionis carnis noſtræ & animæ.

Sed Pelagiani.

5 Pelagiani ſolam mortem ex Adamo in nos

transiiſſe

A tranſiiſſe volunt:non autem culpam & reatum.

Sed hoc ideo. 6 Refutatio Pelagianorum ex dicto Pauli Rom.5.verſ.12.

Nam peccato. 7 Peccatum præcedit mortem, non mors peccatum.

Nam & ſic ſtatus. 8 Refutatio eorundem ab autoritate Hilarij patris.

Si omnib. 9 Refutatio à conſequenti, quia omnibus neceſſaria eſt reconciliatio cum Deo.

Cap.5.

1 In nuptiis diuerſa via peccant Pelagiani à Manichæis.

Rurſus in laude. 2 In lege peccant etiam iidem diuerſa à Manichæis ratione.

Quia autem. 3 Lex bona eſt & ſancta in ſeſe:non quòd nos iuſtificet:fides enim nos iuſtificat.

Quò ea quæ. 4 Lex dat cognitionem voluntatis Dei, non autem inſpirationem dilectionis, per quam tamē ſolam poteſt impleri : ea enim inſpiratio à ſola Dei gratia per Chriſtum datur,& promanat.

Cap.6.

1 In libero arbitrio etiam errant Pelagiani di-
B uerſa via à Manichæis.

Quomodo enim. 2 Voluntas bona nobis à Deo datur, & à Deo præparatur,non præuenit Deum.

Ita nanq. 3 Confirmatio ſuperioris ſententiæ ex varijs ſcripturæ locis.

Deus ſubſequēter. 4 Deus non ſubſequens nos operatur, ſed præueniens.

Et quomodò iſta. 5 Bona facere non poſſunt homines,niſi prius ſint boni. Boni autem fiunt à Dei gratia : ergo Deum non præueniunt.

Nónne te iſta. 6 Arrogantia & ſuperbia & intolerabilis, ſi quis ſentiat ſe mereri poſſe aliquid de Deo, aut coram Deo.

Sed quare iſtos. 7 Cur Deus huic det vt bona agat,illi autem non det vt agat,eſt Dei iudicium inſcrutabile, & tamen iuſtum.

Cap.7.

1 In laude ſanctorum errant Pelagiani diuer-
C ſa via à Manichæis.

Hoc enim propterea. 2 Sancti orant vt ſibi dimittantur peccata.

Et ſpiritū ſanctum. 3 Spiritus ſanctus etiam in patribus bonas voluntates & fecit vti eaſdem in nobis facit.

In futuro autem. 4 In vita æterna erit præmium, non perfectus in obſequio Dei.

Quæ cum ita. 5 Concluſio totius ſuperioris diſputationis.

Cap.8.

1 Etiam veteres patres, qui ante Pelagium mortui ſunt,Auguſtini ſententiam confirmaſſe.

Beatiſſimum. 2 Teſtimonium Cypriani Martyris Chriſti, & epiſcopi Carthaginenſis, de Peccato originali & de piorum in hac vita infirmitate.

Nunquid quia. 3 Explicatio ſuperioris teſtimonij, & ad totam cauſam anteactam adaptatio.

Cap.9.

1 Cypriani aliud teſtimonium de Dei gratia omnino omnibus piis neceſſaria ad bene incipiendum,volendum,& operandum.

Nunquid ille. 2 Explicatio ſuperioris teſtimonij, & ad cauſam controuerſiámque adaptatio.

Cap.10.

1 Cypriani tertium teſtimonium de remiſſione peccatorum omnibus piis neceſſaria in hac vita.

Dicant ſi audent. 2 Explicatio ſuperioris teſtimonij & ad præſentem diſceptationem accommodatio.

Cap.11.

A

1 Ambroſij varia teſtimonia de peccato originali.

2 Applicat ad diſceptationem præſentem Ambroſij teſtimonium. Ecce vir.

3 Ambroſius docet Dei gratiā nos præuenire. Quid apertius.

4 Ambroſius docet neminem hîc eſſe perfectum & ſine peccato. Si igitur.

Cap.12.

1 Doctrinam ſuam probat Auguſtinus & antiquiſsimam & Catholicam eſſe, nec odio Pelagianorum ſuſceptam ab Orthodoxis.

2 Non expectanda Synodi congregatio, vt hęreſis damnetur:ſed poteſt & debet ſtatim & vbi orta eſt,explodi. Aut verò.

CONTRA IVLLIANVM PELAGIANVM.

AD LIB. I.

Cap. I.

¶ Sunt hi ſex libri Cygnea vox Auguſtini & poſtremum ipſius opus, certè eſt vberrimum & vtiliſſimum accuratéque legendum. Liber autem Auguſt. aduerſus quem ſcripſerat Iullia. iſte Pelagianus, eſt is, qui inſcribitur de Nuptiis & concupiſcentia ad Valerium comitem, & extat, eſtque ordine prior his & aliquot ſuperioribus libellis, vt apparet ca. 2. & infra. B

1 HÆreticorum contumeliæ ſunt ſeges & materia gloriæ Orthodoxorum.

2 Craſſo 4. librorum volumine ne ad quartam quidem vnius libri Auguſtini partem Iulianum reſpondiſſe. Primum abs te.

3 Futuræ diſputationis diſtributio in quattuor capita præcipua. Ita diſtribuam.

Cap.2.

1 Liber Auguſt. contra quem ſcripſit Iullian. Pelag. eſt is, qui ad Valerium Comitem ſcriptus eſt hoc titulo de Nuptiis & Concupiſcentia.

2 Aſtus Pelagianorum impingētium Orthodoxis crimen hæreſis Manichæanæ. In quibus.

3 Maria fuit in pariendo Chriſto incorrupta, nec tamen corpus Chriſti phantaſma fuit: deinde patrum teſtimonia de peccato originali. Negans Mariæ. C

4 Irenæi teſtimonium de peccato originali contra Manichæos. Irenæus.

5 Cypriani teſtimonium de re eadem. Multi autem.

6 Reticij epiſcopi Galli,item teſtimonium. Reticiū.

7 Olympij etiam epiſcopi teſtimonium. Olympius.

8 Hilarij epiſcopi Galli item teſtimonium. Quis ignorat Hilarium.

9 Ambroſij Mediolanēſis laus inſignis & de peccato originali in infantibus teſtimonium. Sed adhuc.

10 Impudentia Iuliani, qui carpens Auguſtini eccleſiæ maledicit & proceribus. Cernis nempe.

11 Auguſtini in Iulian. ſtudium & ἐπιείκεια. Ego certè.

12 Vrget ſummo artificio orationis aduerſarium Auguſtinus. Iterum te admoneo.

13 Græci ſcriptores eccleſiaſtici parum adhuc triti ab occidentalibus & Latinis eccleſiis. An ideò.

14 Innocentij Romani epiſcopi teſtimonium de re eadem. Sancti Innocentij.

15 Orientalis & occidentalis eccleſia eſt vna, eandémque fidem habet. Non eſt ergo.

16 Gregorij Nazianzeni de peccato originali ſententia & teſtimonium. Sed non tibi.

17 Baſilij epiſcopi de eadem re teſtimonium. Sed ſi vis.

18 Malum non eſt ſubſtantia contra Manichæos:ſed qualitas naturæ,eáque accidentaria: ex- Dicit ergo.

A plicatus Baſilij locus.

Sed quod ait.

19 Malum à voluntate hominis, ipſiúſque ſubſtantia ſeparari poteſt Dei gratiâ, non noſtri arbitrij viribus.

20 Baſilij verba de peccato originali.

In ſermone de. Habemus alios.

21 Quatuordecim Græci epiſcopi, qui Pelagium damnarunt, de peccato originali conſentiens teſtimonium.

Legere ob tectum.

22 Pelagius damnauit eos, qui negant peccatum Adami lęſiſſe genus humanum,& qui volunt infantes ipſius baptiſmo poſſe habere vitam ęternam.

Sanctus Ioannes.

23 Ioannis Chryſoſtomi locus de Baptiſmo explicatus.

Hoc autẽ vnde.

24 Quæſtio de peccato originali ad ipſa fidei fundamenta pertinet.

Peccata dixit.

25 Infantes baptizati comparatè ad maiores natu dicuntur non habere peccata,id eſt, propria.

Audi iã.

26 Ioannis Chryſoſtomi teſtimonium de peccato originali.

Nunquid contẽtus.

27 Chirographum ab Adamo contractum, dicitur noſtrum à Chryſoſtomo.

B

Cum igitur.

28 Verba Iuliani in Orthodoxorum doctrinã tanquam à patribus diſſentientem inuehentis.

Hæc verba tua.

29 Reſp.Auguſt.eam doctrinam, quam Orthodoxi tradunt,eſſe cum veteribus omnibus cõſentientem.

Non tibi ſicut.

30 Pelagiani ab omni genere & ordine hominum damnati.

Si autem.

31 Anacephalæoſis doctorum, quos laudauit Auguſtinus pro ſuæ ſententiæ confirmatione.

Nec ſanctum.

32 Hieronymi laus,& eius de peccato originali ſententia.

Ego quidem.

33 Pia & Chriſtiana Auguſtini admonitio ad Iullianum.

Cap.3.

1 Pelagiani quantum Manichæos adiuuent.

Manichæi.

2 Manichæorum ſententia de duobus æternis principiis,quorum vnum eſt boni : alterum autem mali cauſa & autor.

C

Contra quos.

3 Orthodoxorum ſententia de re eadem.

Quærunt itaque.

4 Malum eſt ex bono,id eſt re bona, non autem à ſummo,id eſt,à Deo eſt.

Quoniam natura.

5 Natura creata fuit & boni & mali capax.

Malitiam verò.

6 Malum non eſt aliqua natura, ſed qualitas vitioſa & defectus à bono.

Eámque appellar.

7 Manichæi dicunt,Malum eſſe corpus & ſpiritum.

Ita hunc aduerſarium.

8 Item dicunt,ex bonis mala eſſe non poſſe: itaque ex alio quodam æterno principio eſſe.

Neceſſe eſt.

9 Dilemma Manichæorum.

Tu itaq.

10 Explicatio dicti Chriſti de bona & mala arbore,Matth.7.

Ac ſi aduerſus.

11 Hac ratione Pelagiani Manichæos iuuant, quòd ex bonis mala eſſe non poſſe cum illis contendunt aduerſus Orthodoxos.

Sed aliis etiam.

12 Alia Manichæorum erroris per Pelagianos confirmatio,quòd peccatum per naturam, id eſt, malum per bonum tranſire non poſſe dicant.

Quod ego vide.

13 Malum in re bona, id eſt in anima hominis eſſe poteſt,contra Manichæos, & Pelagianos.

Iam porrò vbi.

14 Apertum ſuffragium pro Manichęis,quod Pelagiani afferunt,cùm docent ex iuſto iniquum, ex bono malum proficiſci & naſci non poſſe.

Quid ergo eſt.

15 Malitia in bono orta eſt,eſtque boni indigentia.

AD LIB. II.

A

Cap.1.

1 Huius libri ſcopus eſt ex ſcriptis veterum etiam argumenta Pelagianorum refutare.

Cap.2.

Dicitis enim.

1 Pelagianorum in Orthodoxos calumnia, Quinque abſurda ſequi ex doctrina eorum de originali peccato ad infantes propagato.

Diabolus enim.

2 Illa abſurda ſunt.Primò, Conſtitui diabolum creatorem naſcentium:ſecundò,Nuptias dãmnari:tertiò,In baptiſmo omnia peccata non dimitti:quartò,Deum iniquitatis argui, qui immerentes paruulos puniat : quintò,Perfectionis deſperationem hominibus ingeri.

Cap.3.

Nos ergo

1 Reſponſio Auguſtini ad illa quinque obiecta à Pelagianis,& explicata de iis quinque ſigillatim Orthodoxorum ſententia.

Cap.4.

Aggrediar igitur.

1 Refutatio eorundem obiectorum ex Patrũ ſcriptis,prout illi aduerſus hoc vel illud, non de induſtria,ſed ex occaſione aliquid ſcripſerunt.

Velut eſt.

B

2 Ambroſij teſtimonium,ex quo apparet etſi peccatum originis tranſit in paruulos, tria hæc obiecta refutari tamen, Diabolum eſſe naſcẽtium creatorem. Nuptias damnari:virtutis incapacem naturam humanam effici.

Huic dicti.

3 Applicatio & conſecutio ex dicto Ambroſij.

De duobus.

4 Aliud teſtimonium Ambroſij, ex quo apparet, quanquam peccatum originale in liberos tranſeat, non tamen negari in baptiſmo omnia peccata dimitti : aut effici Deum eſſe iniuſtum, quaſi immeritò puniat eos: quæ ſunt duo reliqua ex quinque illis obiectis Pelagianorum.

5 Applicatio dicti Ambroſiani.

Hic ſanè. Aut aliquid ei.

6 Peccatorum quatuor genera, Originale, Proprium,Ignorantiæ,& Scientiæ.

Lex quippe iſta.

7 In baptiſmo & remittitur peccatum,& remanet. Remittitur culpa & reatus,remanet autem infirmitas & actus ad peccandum.

Cap.5.

C

Denique dicit.

1 Cypriani teſtimonium, per quod obiectis Pelagianorum reſpondet Auguſtinus.

Vide quẽadmodũ.

2 Applicatio dicti Cypriani ad præſentem controuerſiam.

Cap.6.

His & ſãctus.

1 Gregorij Nazianzeni teſtimonium,per quod eadem obiecta Pelagianorum refutat.

Ac ne quiſquã.

2 Interpretatio & applicatio dicti Gregorij Nazianzeni.

In libro quippe.

3 Aliud teſtimonium eiuſdem Nazianzeni.

Agnoſce fili.

4 Poſterioris etiam dicti Nazianzeni applicatio.

Cap.7.

Ergo ad.

1 Aliud Ambroſij teſtimonium de re eadem.

Beatum. Et ideo.

2 Hilarij teſtimonium cum Ambroſiano conſentiens.

Ergo & ex Deo.

3 Eadem caro noſtra & ex Deo,& ex homine, & ex peccato eſſe dici poteſt diuerſa ratione.

Sanátque vitiatum,

4 Infirmitas paulatim in nobis ſanatur, Dei ſpiritu.

Non tamen.

5 Paruuli malum generatione contractum non niſi regeneratione amittunt.

Niſi contra malũ.

6 Malum non eſt ſubſtantia, ſed ſubſtantiæ vitium.

Sed ne fortè,

7 Cùm luctantur Chriſtiani contra vitia, dicunt

A

cunt Pelag. eos non contra naturale & originale malum luctari, ſed contra illud tantùm quod conſuetudine contraxerunt.

Dicat S. Ambroſ. Hic certè.

8 Reſp. ex Ambroſ. Imo contra ipſum malū, quod natura ineſt, eos luctari.

9 Applicatio dicti Ambroſij.

Me nempe.

10 Obiectum Auguſtino quod eſſet in ſcribendo obſcurus.

Ecce fundit.

11 Ambroſius eloquentiæ flumen dictus.

Quæ ſi ſatis.

12 Aliud Ambroſij teſtimonium de lucta Chriſtianorum.

Nunquid ait.

13 Interpretatio dicti Ambroſij.

Audi adhuc.

14 Ambroſij tertium teſtimoniū de re eadē.

Rurſus in eodem.

15 Ambroſij quartum & quintū teſtimoniū.

16 Quartū teſtimoniū Ambroſij repetitum.

Sed attende.

17 Applicatio eiuſdem teſtimonij.

Cap. 8.

Quantalibet.

1 Ambroſij teſtimonium de concupiſcentia, in qua naſcimur, etſi honeſtæ ſunt nuptiæ, & laudabiles.

Attende ergo.

2 Applicatio ſuperioris teſtimonij.

Si te non.

3 Aliud Ambroſij teſtimonium de eadem concupiſcentia.

Quid autem.

4 Pelagiani reſponſio, non pudenda, ſed tantùm lumbos ab Adamo præcinctos fuiſſe.

Hiccertè. Quid enim.

5 Refutatio ſuperioris interpretationis à propria ſignificatione huius vocis *Succinctoria*.

Sanctus vero.

6 Chryſoſtomi teſtimonio confirmat Ambroſij ſententiam.

B

Cap. 9.

Meritò idem.

1 Ioannis Chryſoſtomi & Cypriani Martyris teſtimonium de Baptiſmo paruulis neceſſario propter peccatum originale.

Cernis.

2 Applicatio vtriuſque teſtimonij.

Cap. 10.

Sed nunc ſentētiis.

1 Ambroſium multis locis quinque Pelagianorum obiecta diluere & confutare.

Audi ergo.

2 Primum teſtimonium Ambroſii.

Ecce non.

3 Applicatio & interpretatio eius.

Audi ergo.

4 Secundum eiuſdem teſtimonium.

Audi &.

5 Tertium teſtimonium.

Cernis.

6 Applicatio vtriuſque teſtimonii.

Quid ergo.

7 Intemperans in coniugio adulter eſt.

Hęc enim ſunt.

8 Quartum Ambroſii teſtimonium de fine coniugii, qui eſt procreatio liberorum.

Habes ecce.

9 Interpretatio & applicatio ſuperioris teſtimonii.

C

Cap. 11.

Quintum illud.

1 Ambroſij teſtimonium de eo, Capacem eſſe naturam humanam per Dei gratiam perfectionis.

Nempe.

2 Ambroſij teſtimonij explicatio.

Iuſtificatio porrò.

3 Iuſtificatio in hac vita tribus modis nobis confertur, per baptiſmum, per luctam, per orationem.

Sed quanto.

4 Nos non eſſe hîc perfectos, etiam ex Ambroſij ſententia.

Quinto ergo.

5 Ambroſij teſtimonium docet nos ſola Dei gratia rectè agere.

Nunquid ſanctus.

6 Applicatio teſtimonij.

Cap. 12.

Sed audiamus.

1 Cypriani teſtimonium de eo ipſo, nempe Naturam humanam Dei gratia eſſe capacem perfectionis, non à ſe ipſa.

Abſit autem.

2 Applicatio interpretatióque ſuperioris teſtimonij.

Nec ideò.

3 Aliud eiuſdem Cypriani teſtimonium de re eadem.

A

O doctor.

4 Applicatio teſtimonij.

Audi &.

5 Hilarij teſtimonium de re eadem, nempe Dei gratia nobis iuſtificationem contingere, non à nobis.

Video.

6 Applicatio teſtimonij Hilarij.

In quadā. Nunquid nam.

7 Alia teſtimonia eiuſdem Hilarij.

8 Applicatio ſuperiorum teſtimoniorum.

Sed audi quid.

9 Aliud teſtimonium eiuſdem Hilarij de noſtra iuſtificatione ex Dei gratia.

Videſne.

10 Applicatio eiuſdem teſtimonij.

Itáne in corde.

11 Comparatio Orthodoxorum doctorum cum Pelagianis, ex qua inuidia Pelagianis conflatur, & eorum arrogantia damnatur.

Cap. 13.

Sed iam quid.

1 Concluſio totius libri, & ſuperioris diſputationis.

Dicit beatus.

2 Anacephalæoſis dictorum Ambroſij.

Quamuis iam.

3 Peccatum poſt baptiſmum appellatur peccatum, non quia facit nos reos, propter conceſſam in baptiſmo remiſſionem, ſed quia ex reatu primi hominis venit.

Sed quibus ille.

4 Venialiter à peccato lædimur poſt baptiſmum.

Non eſt hoc malum.

5 Malum non eſt à Deo factum, ſed ab homine ſuggeſtu diaboli.

Cap. 14.

B

1 Reſpondet Iuliani inſultationibus.

Dicis me.

2 Obiecta arrogantia Auguſt. à Pelagianis.

Vnde abſit.

3 Innocentij & Hieronymi teſtimonia eleuabat Iulianus iſte.

Ex quibus.

4 Pelagianorum in veteres patres conuitia.

De reliquis. Quaſi tu.

5 Auguſtini pro veteribus patribus certamen & prædicatio eorundem.

LIBER III.

Cap. 1.

1 Pia admonitio & Chriſtiana Auguſtini ad Iulianum, per quam eum emendare conatur.

Ac ne longum.

2 Propoſitum eſt Auguſtino, argumenta Iuliani, non verba perſequi.

De iudicibus.

3 Prima Iuliani querimonia, de iudicibus Pelagij, quos non verè, ſed ex pręiudiciis quibuſdam iudicaſſe contendebat.

Quia ſi tales.

4 Reſponſio Auguſtini duplex, Prima, Veteres qui ante Pelagium vixerunt, hac inuidia grauari non poſſe, qualis Ambroſius, Baſilius, qui tamen errorem Pelagij damnarunt.

C

Sed obſecro.

5 Secunda reſponſio, Etiam eos, qui in eo iudicio, in quo damnatus eſt Pelagius, interfuerunt, non prius eum damnaſſe, quàm eius ſententiam apprimè noſſent, eúmque ipſum audiuiſſent.

Sanè vt dicis.

6 Secunda Iuliani ratio, Imperatores ipſos Pelagianorum fidem & ſententiam approbaſſe.

Cur non in.

7 Reſponſio Auguſt. Reſponſa Imperatorum eſſe proferenda: & hoc fingere Pelagianos.

Quā verò.

8 Iuliani arrogantia de ſe, quaſi ſit ſuæ ſectæ Achilles.

Nā quod tu.

9 Pelagiani fuerunt recentes, & noui hæretici tempore Auguſtini, qui aſtutè peccatum originale negabant eſſe in paruulis.

Quo vniuerſū.

10 Tertia Iuliani ratio, Orthodoxos, quia ratione deſtituantur, cogere meticuloſos homines per Imperatorum edicta ſibi aſſentiri, & ſuam doctrinam probare.

Nec vos &.

11 Reſponſio Auguſt. Hoc factum in Donatiſtas optima ratione.

Sed ne ſuperfluis.

12 Conuitiorum pleni libri Iuliani iſtius.

A

Cap.2.

1 Iulianus damnat Auguſtinum quòd dixerit hominem naſci in poteſtate Diaboli.

Vbi eſt acumen.

2 Reſpon.Auguſt. Hoc verum eſſe, & probat exemplo non renatorum.

Cap.3.

1 Baptizandi cur ſint paruuli ex ſententia Pelagianorum.

Sic eſſe homines.

2 Homines naſcentes,etſi ſunt in peccato,nō tamen propterea Deus ſuum in eos imperium amiſit.

Hoccine eſt.

3 Pelagianorum dogmata ſibi ipſis eſſe contraria & planè paradoxa.

Verum vos.

4 Pelagiani nullam eſſe pœnam exiſtimant,ſi paruuli à regno cœlorum excludantur non baptizati.Nam extra regnum cœlorum iſti vitam æternam aliquam eſſe conſtituunt.

Natura iſta.

5 Pelagianici erroris fundamentum eſt laus naturæ,quam non putant egere redemptore.

Et quod eſt hoc.

6 Sāguis Chriſti pretium redēptionis noſtrę.

Cap.4.

B

1 Si infantes non eſſent peccati originalis labe infecti,non cruciarentur hîc variis morbis.

Iam verò quis.

2 Sed nec moriones quidam naſcerentur, quod eſt animi vitium & labes.

Cap.5.

1 Quarta Iuliani ratio, Infantes nullum peccatum habent,quia peccatum eſt volūtatis, quam nullam habent infantes.

Hoc enim rectè.

2 Reſp.Auguſt. Etſi proprium non habent (ad quod voluntas requiritur)habent tamen originale,quod ex parentibus trahunt.

Quod tamen & ipſum.

Hoc totū.

3 Peccatum originis per voluntatem primi hominis commiſſum eſt & perpetratum.

4 Error Pelagianorum etiam mulieribus diſplicuit,qua parte paruulorum baptiſmum eludebant.

Cap.6.

1 Quintum Iuliani argumentum,Paruuli nec actione,nec natura ſunt rei,ergo non ſunt rei.

Quaſi & actio paruuli.

C

2 Reſponſio Auguſtini , Natura ſunt rei non primæua: ſed qualis poſt peccatum in nobis eſt.

Malum verò.

3 Confirmat ſuam ſententiam Auguſt. exemplis afflictionum,quas tum in animo, tum in corpore paruuli patiuntur,iuſto Dei iudicio.

Neque enim.

4 Occupatio ne dictum Chriſti obſtare videatur : non eſt enim generaliter illud accipiendum.

Cap. 7.

1 Puerilia eſſe argumenta Iuliani, qui cum vmbra ſua,non cum Auguſtino pugnet, quando nec refutat negata:nec aſſumit conceſſa.

Deinde contexis.

2 Sextum κυφὸν,& iners Iuliani argumentum, quod ſecum pugnat.

Quòd ſi dixeris.

3 Mala libidine in coniugio bene vtuntur coniugati.

Cap.8.

1 Septimum argumentum Iuliani etiam ineptum.

Cap.9.

1 Commixtio ipſa corporū bona eſt ſi legitima:& fructus eius,bonus nempe homo, quatenus homo eſt & natura quædam: malus, quatenus vitio veteris peccati inquinatus eſt.

Sicut enim.

2 Exemplo fœtus per adulterium ſuſcepti, ſuam ſententiam confirmat Auguſtinus.

Cap.10.

1 Quod malum eſt in commixtione corporū, accidit non ex Dei opere, ſed ex peccati hominis deformitate. A

Cap.11.

1 Octauum Iuliani argumentum, libidinem & vim generandi ſępè donat Deus,vti Abrahamo emortuo:ergo non eſt mala.

2 Reſponſio Auguſt.à ſimili non ſequi : quæ enim reſtituit Deus, reddit pro conditione corporis mortis huius,& qualia nunc ſunt.

Quaſi verò.

3 Sara cur parere non potuerit.

Duę quippe.

4 Abrahę corpus cur emortuum fuiſſe dicatur: qui tamen ex Cethura poſt Saram defunctam liberos ſuſcepit.

Ad hoc ergo.

5 Ius liberorum illis tantùm dari ex lege Romanà poteſt , quorum amborum anni centum annos non excedunt.

Vt Iure fuerit.

Cap.12.

1 Etſi hominis natura à Deo bona eſt condita , nunc tamen eſt mala & vitiata peccato primi hominis. Vnde & meritò ipſa damnata eſt, & qui ex ea radice gignuntur,ſunt vitioſi.

Cap.13.

1 Feſtiua Auguſtini oratio , in qua ineptum Iuliani ſtudium in concupiſcentia definienda irridet & traducit. B

2 Ex ſententia Iuliani ſequi concupiſcentiam carnis fuiſſe in homine , etiam ante peccatum , ſi illa ſit in vitali igne & calore hominis.

An verò.

3 Motum libidinis noſtræ non parere arbitrio honeſtatis,cùm etiam ſæpè nobis repugnantibus illa commoueatur.

Si modus.

Cap.14.

1 Quam intemperanter libido illa concubitus moueatur , etiam in coniugibus piis ſatis notum, & exploratum eſſe.

2 Laſciuia ex concupiſcentia naſcitur, & propterea mala eſt.

Quartum inquis.

Cap.15.

1 Ex ipſius Iuliani oratione docet concupiſcentiam eſſe malum & morbum cui remedium quæritur,nempe coniugium. C

Cap.16.

1 Nuptiæ per ſe bonæ ſunt : quæ enim mala ei adiuncta ſunt,ex peccato acciderunt.

Cap.17.

1 Conuitia Iuliani in Aphricanam eccleſiam orthodoxam , quam & latrocinari & conſtuprare ſanam fidem dicebat os illud impudens.

2 Reſponſio Auguſtini.

Hac noſtra.

3 Auguſtini aduerſus Iulianum dilemma,in quo ſumma Auguſtinianæ orationis δεινότης apparet.

Vtrum te.

Cap.18.

1 Non homines:ſed Deus per homines creat homines.

2 Etiam Iſaac in concupiſcentia natus eſt & peccator,& ideò circumcidendus erat.

Ego autē.

Cap.19.

1 IX.Paruulos iuſtos eſſe,quia ſunt ignorantes.Iuliani argumentum.

2 Reſponſio Auguſtini , Iuſtitiam non eſſe ignorantiam:nec contrà.

Cur ergo.

Cap.20.

1 Inepta Iuliani diſputatio de exceſſu cōcupiſcentiæ , cùm vniuerſa iſta concupiſcentia ſit mala.

Si autem putas.
Dicis enim.

A 2 Concupiſcentiam carnis eſſe malum, etſi mulierum vſus eſt naturalis, docet Auguſt.

3 Non res ipſæ, quibus homo vtitur ſunt malæ: ſed ipſe potius hominis appetitus, qui eſt effrenis & immodeſtus, malus eſt.

Cap.21.

1 Diſcrimẽ inter Pelagianos & Orthodoxos in diſputatione de concupiſcentia carnis hoc eſt, quòd Pelagiani dicant eam eſſe bonum quiddam: Orthodoxi autem eam eſſe malum.

Te potius vtar.

2 Concupiſcentiam eſſe malum & morbum naturæ probat, ipſo Iuliano teſte, qui illi remediũ quęrendum eſſe dicit, & in ea modum tenendum.

Remediũ quippe.
Habet enim.
Talis pudicitia.

3 Remedium à medendo dicitur.

4 Coniugalis caſtitas laudanda eſt ipſa per ſe.

5 Coniugalis caſtitas eſt ea, quæ coit liberorum procreandorum cauſa tantùm: quæ fœminis neque menſtruatis, nec grauidis vtitur, nec eius ætatis, qua amplius concipere non poſſunt.

Et quia te.

6 Dilemma Auguſt. quo premit Iulianum vt concupiſcentiam malam eſſe agnoſcat: nam aduerſus eam pugnandum docet.

Dixerit Apoſtolus.

7 Autoritate ſcripturæ probat eam eſſe malam, 1. Ioan. 2. verſ. 16.

Ac per hoc.

8 Propter concupiſcentiam malam Nuptiæ non ſunt damnandæ: vti nec adulteria laudanda B propter fœtus, id eſt, hominis inde naſcentis bonum.

Non ſum igitur.
Ridiculũ eſt.

9 Locus Iuliani in Auguſtinum refutatus.

10 Retorquet in Iulianum quòd eum Epicureum appellarat.

11 Vita Auguſtini integra.

Quod autem.
Sed abs te.

12 Retorquet Auguſtinus in Iulianum accuſationem, & ex ea ſuæ ſententiæ confirmationem ducit.

Nam quomodo.

13 Dilemma Auguſtini ſumptum ex Iuliani verbis.

Cap.22.

1 Diſtinguendum eſſe bonum Naturæ à malo ſuperueniente, Boni enim ratione, Dei opus ſumus: mali autem reſpectu, Diaboli opus.

Vide ſanè.

2 Iuliani malignitas in libro & dictis Auguſtini refutandis.

Cap.23.

C 1 Hominem quatenus ſubſtantia eſt, eſſe bonum: quatenus vitio originis & peccati primi hominis infectus eſt, eſſe malum.

Illud mirabile.

2 Idem bonum & malum dici poſſe, diuerſa ratione docet Auguſtinus.

Nunc ergo.

3 Malum ſuperueniens non facit quò minus natura rerum ipſa per ſe bona dici non debeat: nec natura bona facit, quò minus illud malum, ſit etiam malum.

Cap.24.

1 Etſi originale peccatum ex ipſa hominis natiuitate ineſt nobis, non propterea tamen nuptias, per quas generamur, eſſe malas.

Quid ſi alius.

2 Argumentum à pari, quo ſententiam ſuam confirmat Auguſt.

Quæris per.

3 Tergiuerſatio Iuliani.

Sic ergo &.

4 Parentes cùm procreant liberos, non ſpectant peccatum & malum quod in illis inerit: ſed naturam, qua illi conſtabunt, & homines erunt.

Ruinam quæritis.

5 Pelagiani quàm inepti in quærenda peccati cauſa, cùm eam apertè ſcriptura tradat.

Clamas.

6 Iuliani argumentum à pari refutatum.

Cap.25.

A 1 Nuptias in paradiſo & ante peccatum, non ſine motu corporum, aut copula ſexuum futuras fuiſſe, ſed ſine turbidæ libidinis motu.

Arguis me.

2 Paruuli, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, peccatores per originale peccatum fuerunt.

Cap.26.

1 Culpa originalis peccati & in filiis & in parentibus adhæret, quia per Adamum tota natura humana læſa eſt, & in deterius mutata, non ipſe tantùm Adam.

Sic enim poſſes.

2 Confirmatio ab effectu & doloribus qui ab omnibus fœminis parientibus ſentiuntur.

Non enim ſicut.

3 Confirmat à dicto Pauli Rom. 7. quod explicat.

Sed deſcribebat.

4 Natura humana vitioſa dicitur non quatenus primùm à Deo inſtituta eſt, ſed arbitrio voluntatis & peccato Adami poſtea ſauciata.

Sed ne fortè.

5 Alio Pauli dicto ſuam ſententiam & interpretationem confirmat Auguſt.

6 Concluſio ſuperioris loci.

Non enim hanc.
Et tamen.

7 Obiectum Auguſtino à Pelagianis, quaſi ad nequitiam patefaceret feneſtram hominibus, cùm humanam naturam deprauatã eſſe doceret.

B
Hæc de me prorſus.

8 Reſp. Auguſtini ad ſuperiorem calumniam.

Mentiri me.
Reos ergo.

9 Flumen aureum & acumen Auguſtinianæ orationis.

10 Concluſio generalis totius diſputationis huius libri.

LIBER IIII.

Cap.1.

1 Anacephalæoſis ſuperioris libri.

Propoſitis meis.

2 Qui confitetur pudicitiam coniugalem bonum eſſe, non negat motum libidinis in hac carne malum eſſe: imò verò potius talem eſſe agnoſcit.

Quis autẽ noſtrum.

3 Vſus nuptiarum & commixtio corporum nõ eſt à diabolo.

Cõſequẽs putas.

4 Malum in homine eſſe poteſt: & ita malum in munere Dei, ſed non à Deo malum ipſum & vulnus eſt.

Cap.2.

1 Captatio verborum Auguſtini facta à Iuliano malitioſè.

C
Pertinet enim.

2 Pudicitia coniugalis à Deo petenda.

Hęc dicẽs.

3 Ex ipſis Iuliani verbis euincit carnis concupiſcentiam & libidinem etiam in coniugio eſſe malum, quia eſt immoderata, & ad illicita fertur.

Si poſſet, inquis.

4 Hoc ipſum vrget ex aliis Iuliani verbis Auguſtinus.

Neque enim.

5 Si concupiſcentia in virginibus mala eſt, & in coniugatis etiam.

Mirabiliter tamẽ.

6 Apertè in Pelagianis pugnat cum oratione & verbis eorum vita & profeſſio.

Quid ergo.

7 Concupiſcentia carnis mala eſt: nam quicquid illa agit, malum eſt.

Hoc inquam.

8 Cur concupiſcentia & libido, etſi mala eſt, tamen prorſus non exſtinguatur nunc in nobis.

Et quia non.

9 Ratio prima, quia ſi modus in ea teneatur, in coniugatis ad hominum generationem eſt vtilis.

Sed quia.

10 Ratio ſecunda, Vt homo deiiciatur, cùm per eam miſeriam ſuam agnoſcit.

Sic virtus.

11 Ratio tertia, Vt virtus in infirmitate perficiatur.

Nec confectricem.

12 Libido carnis non idcircò laudanda eſt, quòd per eam ſemen emittitur, quia non ipſa, ſed

A

Cap.2.

1 Iulianus damnat Auguſtinum quòd dixerit hominem naſci in poteſtate Diaboli.

Vbi eſt acumen.

2 Reſpon. Auguſt. Hoc verum eſſe, & probat exemplo non renatorum.

Cap.3.

1 Baptizandi cur ſint paruuli ex ſententia Pelagianorum.

Sic eſſe homines.

2 Homines naſcentes, etſi ſunt in peccato, nō tamen propterea Deus ſuum in eos imperium amiſit.

Hoccine eſt.

3 Pelagianorum dogmata ſibi ipſis eſſe contraria & planè paradoxa.

Verum vos.

4 Pelagiani nullam eſſe pœnam exiſtimant, ſi paruuli à regno cœlorum excludantur non baptizati. Nam extra regnum cœlorum iſti vitam æternam aliquam eſſe conſtituunt.

Natura iſta.

5 Pelagianici erroris fundamentum eſt laus naturæ, quam non putant egere redemptore.

Et quod eſt hoc.

6 Sãguis Chriſti pretium redẽptionis noſtrę.

Cap.4.

B

1 Si infantes non eſſent peccati originalis labe infecti, non cruciarentur hìc variis morbis.

Iam verò quis.

2 Sed nec moriones quidam naſcerentur, quod eſt animi vitium & labes.

Cap.5.

1 Quarta Iuliani ratio, Infantes nullum peccatum habent, quia peccatum eſt volũtatis, quam nullam habent infantes.

Hoc enim rectè.

2 Reſp. Auguſt. Etſi proprium non habent (ad quod voluntas requiritur) habent tamen originale, quod ex parentibus trahunt.

Quod tamen & ipſum.

Hoc totũ.

3 Peccatum originis per voluntatem primi hominis commiſſum eſt & perpetratum.

4 Error Pelagianorum etiam mulieribus diſplicuit, qua parte paruulorum baptiſmum eludebant.

Cap.6.

1 Quintum Iuliani argumentum, Paruuli nec actione, nec natura ſunt rei, ergo non ſunt rei.

Quaſi & actio paruuli.

2 Reſponſio Auguſtini, Natura ſunt rei non primæua: ſed qualis poſt peccatum in nobis eſt.

C

Malum verò.

3 Confirmat ſuam ſententiam Auguſt. exemplis afflictionum, quas tum in animo, tum in corpore paruuli patiuntur, iuſto Dei iudicio.

Neque enim.

4 Occupatio ne dictum Chriſti obſtare videatur: non eſt enim generaliter illud accipiendum.

Cap. 7.

1 Puerilia eſſe argumenta Iuliani, qui cum vmbra ſua, non cum Auguſtino pugnet, quando nec refutat negata: nec aſſumit conceſſa.

Deinde contexis.

2 Sextum κωφὸν, & iners Iuliani argumentum, quod ſecum pugnat.

Quòd ſi dixeris.

3 Mala libidine in coniugio bene vtuntur coniugati.

Cap.8.

1 Septimum argumentum Iuliani etiam ineptum.

Cap.9.

1 Commixtio ipſa corporũ bona eſt ſi legitima: & fructus eius, bonus nempe homo, quatenus homo eſt & natura quædam: malus, quatenus vitio veteris peccati inquinatus eſt.

Sicut enim.

2 Exemplo fœtus per adulterium ſuſcepti, ſuam ſententiam confirmat Auguſtinus.

Cap.10.

A

1 Quod malum eſt in commixtione corporũ, accidit non ex Dei opere, ſed ex peccati hominis deformitate.

Cap.11.

1 Octauum Iuliani argumentum, libidinem & vim generandi ſępè donat Deus, vti Abrahamo emortuo: ergo non eſt mala.

Quaſi verò.

2 Reſponſio Auguſt. à ſimili non ſequi: quæ enim reſtituit Deus, reddit pro conditione corporis mortis huius, & qualia nunc ſunt.

Duę quippe.

3 Sara cur parere non potuerit.

Ad hoc ergo.

4 Abrahę corpus cur emortuum fuiſſe dicatur: qui tamen ex Cethura poſt Saram defunctam liberos ſuſcepit.

Vt Iure fuerit.

5 Ius liberorum illis tantùm dari ex lege Romana poteſt, quorum amborum anni centum annos non excedunt.

Cap.12.

1 Etſi hominis natura à Deo bona eſt condita, nunc tamen eſt mala & vitiata peccato primi hominis. Vnde & meritò ipſa damnata eſt, & qui ex ea radice gignuntur, ſunt vitioſi.

Cap.13.

B

1 Feſtiua Auguſtini oratio, in qua ineptum Iuliani ſtudium in concupiſcentia definienda irridet & traducit.

An verò.

2 Ex ſententia Iuliani ſequi concupiſcentiam carnis fuiſſe in homine, etiam ante peccatum, ſi illa ſit in vitali igne & calore hominis.

Si modus.

3 Motum libidinis noſtræ non parere arbitrio honeſtatis, cùm etiam ſæpè nobis repugnantibus illa commoueatur.

Cap.14.

1 Quam intemperanter libido illa concubitus moueatur, etiam in coniugibus piis ſatis notum, & exploratum eſſe.

Quartum inquis.

2 Laſciuia ex concupiſcentia naſcitur, & propterea mala eſt.

Cap.15.

1 Ex ipſius Iuliani oratione docet concupiſcentiam eſſe malum & morbum cui remedium quæritur, nempe coniugium.

C

Cap.16.

1 Nuptiæ per ſe bonæ ſunt: quæ enim mala ei adiuncta ſunt, ex peccato acciderunt.

Cap.17.

1 Conuitia Iuliani in Aphricanam eccleſiam orthodoxam, quam & latrocinari & conſtuprare ſanam fidem dicebat os illud impudens.

2 Reſponſio Auguſtini.

Hac noſtra.

Vtrum te.

3 Auguſtini aduerſus Iulianum dilemma, in quo ſumma Auguſtinianæ orationis δεινότης apparet.

Cap.18.

1 Non homines: ſed Deus per homines creat homines.

Ego autẽ.

2 Etiam Iſaac in concupiſcentia natus eſt & peccator, & ideò circumcidendus erat.

Cap.19.

1 IX. Paruulos iuſtos eſſe, quia ſunt ignorantes. Iuliani argumentum.

Cur ergo.

2 Reſponſio Auguſtini, Iuſtitiam non eſſe ignorantiam: nec contrà.

Cap.20.

1 Inepta Iuliani diſputatio de exceſſu cõcupiſcentiæ, cùm vniuerſa iſta concupiſcentia ſit mala.

2 Con-

A

Si autem putas. Dicis enim.

2 Concupiſcentiam carnis eſſe malum, etſi mulierum vſus eſt naturalis, docet Auguſt.

3 Non res ipſæ, quibus homo vtitur ſunt malæ: ſed ipſe potius hominis appetitus, qui eſt effrenis & immodeſtus, malus eſt.

Cap.21.

1 Diſcrimẽ inter Pelagianos & Orthodoxos in diſputatione de concupiſcentia carnis hoc eſt, quòd Pelagiani dicant eam eſſe bonum quiddam: Orthodoxi autem eam eſſe malum.

Te potius vtar.

2 Concupiſcentiam eſſe malum & morbum naturæ probat, ipſo Iuliano teſte, qui illi remediũ quęrendum eſſe dicit, & in ea modum tenendum.

Remediũ quippe. Habet enim. Talis pudicitia.

3 Remedium à medendo dicitur.

4 Coniugalis caſtitas laudanda eſt ipſa per ſe.

5 Coniugalis caſtitas eſt ea, quæ coit liberorum procreandorum cauſa tantùm: quæ fœminis neque menſtruatis, nec grauidis vtitur, nec eius ætatis, qua amplius concipere non poſſunt.

Et quia te.

6 Dilemma Auguſt. quo premit Iulianum vt concupiſcentiam malam eſſe agnoſcat: nam aduerſus eam pugnandum docet.

Dixerit Apoſtolus.

7 Autoritate ſcripturæ probat eam eſſe malam, 1. Ioan. 2. verſ. 16.

Ac per hoc.

8 Propter concupiſcentiam malam Nuptiæ non ſunt damnandæ: vti nec adulteria laudanda

B

propter fœtus, id eſt, hominis inde naſcentis bonum.

Non ſum igitur. Ridiculũ eſt.

9 Locus Iuliani in Auguſtinum refutatus.

10 Retorquet in Iulianum quòd eum Epicureum appellarat.

Quod autem. Sed abs te.

11 Vita Auguſtini integra.

12 Retorquet Auguſtinus in Iulianum accuſationem, & ex ea ſuæ ſententiæ confirmationem ducit.

Nam quomodo.

13 Dilemma Auguſtini ſumptum ex Iuliani verbis.

Cap.22.

1 Diſtinguendum eſſe bonum Naturæ à malo ſuperueniente, Boni enim ratione, Dei opus ſumus: mali autem reſpectu, Diaboli opus.

Vide ſanè.

2 Iuliani malignitas in libro & dictis Auguſtini refutandis.

Cap.23.

C

1 Hominem quatenus ſubſtantia eſt, eſſe bonum: quatenus vitio originis & peccati primi hominis infectus eſt, eſſe malum.

Illud mirabilè.

2 Idem bonum & malum dici poſſe, diuerſa ratione docet Auguſtinus.

Nunc ergo.

3 Malum ſuperueniens non facit quò minus natura rerum ipſa per ſe bona dici non debeat: nec natura bona facit, quò minus illud malum, ſit etiam malum.

Cap.24.

1 Etſi originale peccatum ex ipſa hominis natiuitate ineſt nobis, non propterea tamen nuptias, per quas generamur, eſſe malas.

Quid ſi alius.

2 Argumentum à pari, quo ſententiam ſuam confirmat Auguſt.

Quæris per.

3 Tergiuerſatio Iuliani.

Sic ergo &.

4 Parentes cùm procreant liberos, non ſpectant peccatum & malum quod in illis inerit: ſed naturam, qua illi conſtabunt, & homines erunt.

Ruinam quæritis.

5 Pelagiani quàm inepti in quærenda peccati cauſa, cùm eam apertè ſcriptura tradat.

Clamas.

6 Iuliani argumentum à pari refutatum.

Cap.25.

A

1 Nuptias in paradiſo & ante peccatum, non ſine motu corporum, aut copula ſexuum futuras fuiſſe, ſed ſine turbidæ libidinis motu.

Arguis me.

2 Paruuli, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, peccatores per originale peccatum fuerunt.

Cap.26.

1 Culpa originalis peccati & in filiis & in parentibus adhæret, quia per Adamum tota natura humana læſa eſt, & in deterius mutata, non ipſe tantùm Adam.

Sic enim poſſes.

2 Confirmatio ab effectu & doloribus qui ab omnibus fœminis parientibus ſentiuntur.

Non enim ſicut.

3 Confirmat à dicto Pauli Rom. 7. quod explicat.

Sed deſcribebat.

4 Natura humana vitioſa dicitur non quatenus primùm à Deo inſtituta eſt, ſed arbitrio voluntatis & peccato Adami poſtea ſauciata.

Sed ne fortè.

5 Alio Pauli dicto ſuam ſententiam & interpretationem confirmat Auguſt.

Non enim hanc. Et tamen.

6 Concluſio ſuperioris loci.

7 Obiectum Auguſtino à Pelagianis, quaſi ad nequitiam pateſaceret feneſtram hominibus, cùm humanam naturam deprauatã eſſe doceret.

B

Hæc de me prorſus. Mentiri me. Reos ergo.

8 Reſp. Auguſtini ad ſuperiorem calumniam.

9 Flumen aureum & acumen Auguſtinianæ orationis.

10 Concluſio generalis totius diſputationis huius libri.

LIBER IIII.

Cap.1.

1 Anacephalæoſis ſuperioris libri.

Propoſitis meis.

2 Qui confitetur pudicitiam coniugalem bonum eſſe, non negat motum libidinis in hac carne malum eſſe: imò verò potius talem eſſe agnoſcit.

Quis autẽ noſtrum.

3 Vſus nuptiarum & commixtio corporum nõ eſt à diabolo.

Cõſequẽs putas.

4 Malum in homine eſſe poteſt: & ita malum in munere Dei, ſed non à Deo malum ipſum & vulnus eſt.

Cap.2.

1 Captatio verborum Auguſtini facta à Iuliano malitioſè.

C

Pertinet enim. Hęc dicẽs.

2 Pudicitia coniugalis à Deo petenda.

3 Ex ipſis Iuliani verbis euincit carnis concupiſcentiam & libidinem etiam in coniugio eſſe malum, quia eſt immoderata, & ad illicita fertur.

Si poſſet, inquis.

4 Hoc ipſum vrget ex aliis Iuliani verbis Auguſtinus.

Neque enim.

5 Si concupiſcentia in virginibus mala eſt, & in coniugatis etiam.

Mirabiliter tamẽ. Quid ergo.

6 Apertè in Pelagianis pugnat cum oratione & verbis eorum vita & profeſſio.

7 Concupiſcentia carnis mala eſt: nam quicquid illa agit, malum eſt.

Hoc inquam.

8 Cur concupiſcentia & libido, etſi mala eſt, tamen prorſus non exſtinguatur nunc in nobis.

Et quia non.

9 Ratio prima, quia ſi modus in ea teneatur, in coniugatis ad hominum generationem eſt vtilis.

Sed quia.

10 Ratio ſecunda, Vt homo deiiciatur, cùm per eam miſeriam ſuam agnoſcit.

Sic virtus.

11 Ratio tertia, Vt virtus in infirmitate perficiatur.

Nec confeſtricem.

12 Libido carnis non idcircò laudanda eſt, quòd per eam ſemen emittitur, quia non ipſa, ſed

A Deus ſeminis conditor eſt.

Dixi ſanè.
13 Libidinis origo non laudatur, ſed moderatio illius & regimen quod à Deo petendum eſt.

Cap.3.

1 x. argum. Pelagianorum, Virtutes negant eſſe Dei dona, ſed naturæ voluntatiſque humanæ effecta & motus.

Ego dixi.
2 Infideles coniuges cùm ſunt pudici, eorum pudicitiam non eſſe verã virtutem docet Auguſt. quia non propter Deum fidem coniugij ſeruant.

Quid enim.
3 Vitium detrahit vel minuit illud, quod in natura noſtra placet.

Bonum dicis.
4 Pelagiani dona Dei laudant & naturam humanam prædicant, vt Deo poſtea detrahant, & in eum blaſphement.

Quid eſt ergo.
5 Cùm Orthodoxi laudant virtutes, non negant proptereà eſſe Dei dona, quoniam voluntas ipſa humana ne mouetur quidem ad bonum, niſi Dei gratia præueniente.

Nónne pro.
6 Confirmat à conſequenti & præcepto Chriſti.

Sed acerbiſſimi.
7 Obiectio Pelagianor. At impij multi habent præclariſsimas virtutes: ergo non ſunt Dei dona, ſed voluntatis humanæ proprij motus. B

Quantò inquam.
8 Reſponſio Auguſt. Imo hæ ipſæ etiam in impiis ſunt Dei dona, vti valetudo corporis, ingenij acumen, & infinitæ aliæ dotes.

Sed abſit vt.
9 Nulla tamen vera virtus ſine fide eſt, ergo impij non habent veras virtutes.

Verum tu in hac.
10 Veræ virtutes Platoni ſunt ideæ earum, quæ ſunt in mente Dei inſculptæ, & impreſſæ in hominis animo.

Prorſus ſunt.
11 Si per doctrinam, ſi per naturam, ſi per legem hominum iuſtitia eſt, gratis & fruſtrà Chriſtus mortuus eſt.

Tu verò tam.
12 Continentia, quæ à Paulo laudatur, eſt ab omni vitio abſtinere, non ab vno tantùm.

Ignorans Apoſtolum.
13 Explicatio loci Pauli, 1. Corin. 9. v. 25.

14 Virtus quid ſit.

Virtus eſt animi.
15 Virtus non ex actione, ſed ex fine propter quem agit, eſt æſtimanda & definienda.

An placet. Vt ait Horatius.
16 Confirmatio tum à dicto Horatij, tum ab exemplo Catilinæ.

C
17 Vitia quædam ſunt virtutibus affinia, quæ ab iis fine, non actione ipſa diſtinguuntur.

Sed videlicet. Proinde virtutes.
18 Veræ virtutes non ſunt, quæ alij quàm deo ſeruiunt. Itaque ſi voluptatibus aut auaritiæ ſeruiunt, virtutes non ſunt.

Vnde & illi.
19 Explicatio dicti Pauli, Rom. 2. Quoſdam naturaliter facere quæ ſunt legis.

Nam teſtimonium.
20 Explicatio dicti Pauli, Roman. 14. Quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

Sed ad hoc eos.
21 Infideles qui virtuti ſtuduerunt, tolerabilius in die iudicij punientur, non tamen iuſti aut boni dicendi coram Deo.

An fortè & iſtis.
22 Pueris non baptizatis morientibus, locus nullus medius inter cœlum & infernum aſsignari poteſt, aut relictus eſt.

Sed facetè.
23 Pagani habent corpus, & omnia quæ ſunt naturalia, cum fidelibus communia: virtutem autẽ non habent, nec alia Dei ſupernaturalia dona cum eiſdem communia, quia fide carent, ex qua illa dona pendent & oriuntur.

Mirati te dicis.
24 Hominem poſſe, ſi Deus donet, eſſe etiam hîc ſine peccato.

Cur autẽ.
25 Cur Deus nolit, cùm poſsit efficere, vt homo ſit hîc ſine peccato, iuſta cauſa eſt, nobis tamen ignota, niſi fortè, nimium ſuperbiat homo. A

Si Gentilis.
26 Infidelium bona opera quæ dicuntur, eſſe mala, quia à ſuo & legitimo fine aberrant.

Sed fortè.
27 Miſericordia non omnis bona, quædam enim mala eſt, vti Sauli regis.

Voluntas quippe.
28 Nulla infidelis hominis volũtas eſt bona.

Amor autem.
29 Nihil bonum & beatificum, niſi quod per Dei amorem, qui per ſolum Chriſtum datur, fit.

Cap.4.

1 Filij ideo ex parentibus naſcuntur peccatores, quòd per carnis concupiſcentiam naſcuntur, non quia de corporum mixtione fiunt.

Cap.5.

1 Etſi ratio corpore præſtantior eſt, tamẽ experientia docet eam non dominari corporis cupiditatibus, ſed ſæpè ab iis trahi & vinci.

Hæc autẽ.
2 Libido in beluis non eſt malum, quia ratione carent.

Cap.6.

1 Auguſtinus non eſt ſibi ipſe contrarius, nec in ſuis ſcriptis ineptus.

Cap.7. B

1 x 1. argum. Hoc Iuliani argumentum eſſe ineptum, ſi homo conditus eſt malus, ergo ablutione bonus fieri non poteſt, quia non poteſt naturam mutare.

Eo modo.
2 Reſp. Auguſt. à pari, deinde negat hominem à Deo conditum eſſe malum.

Nónne te.
3 Commentum Iuliani de diabolo Chriſtianos coniuges impediente ne filios generent.

Sed in illis.
4 Etiam in nuptiis infidelium ſuſceptio liberorum eſt bonum & Dei opus.

Sed nullo.
5 Adulteria tamen non probanda.

Et quemadmodũ.
6 Pecunia aliena furto non ſubripienda, quam egentibus erogemus.

Cap.8.

x 11. argum. Auguſtino obiectum eſt, quaſi homines diceret fato fieri bonos.

Calumniaris.
2 Pelagiani ſtatuunt merita noſtra quæ gratiam Dei præcedunt, ea verò eſſe negat Auguſt.

Cùr ergo
3 Explicatio dicti Pauli, *Vult Deus omnes homines ſaluos fieri*, id eſt, vult Deus eos omnes qui ſalui fiunt, fieri ſaluos. Aliâs abſurdum eſſe, quòd tam multi paruuli non fiant ſalui, ſi Deus vellet omnes & ſingulos homines ſaluari, cùm ipſi paruuli non repugnent. C

Vbi ſi dixeris.
4 Cur non omnes & ſingulos homines vocet Deus ignota cauſa nobis eſt, ſed tamen iuſta eſt.

Hæc vt Chriſtianis.
5 Pelagiani vt vnum abſurdum euitarent in aliud inciderunt, dum vitant ſtulti vitia in contraria currunt: ergo vt fatum vitarent, merita induxerunt.

Aſſeris me.
6 Iulianus veterator in Auguſtini ſcriptis recitandis.

Vt quid autem.
7 Pudicitia & Virginitas differunt, quòd hæc ſit corporis, illa animi.

Quis autem.
8 Quanquam libido & concupiſcentia carnis, quæ ex peccato fluxit, in coniugibus damnatur, non tamen coitus ipſe per ſe, & prolis ſuſceptio damnatur.

Ecce reſpondeo.
9 Pudicitia & Impudicitia etiam in coniugibus eſſe poteſt. Pudicitia eſt coitus coniugalis ac etiam ipſius libidinis bonus vſus. Impudicitia eiuſdem malus vſus.

Nos enim.
10 Opus bonum eſt quod non modò fit conſcientia non hærente, ſed ex Dei præcepto, &

cùm

A cùm eorum rerum actus non ſunt à Deo damnati.

Cap.9.

1 Homines primi qui pudenda texerunt poſt peccatum ſuum, indicant libidinem & motum genitalium eſſe turpem.

Ego autē. 2 Naturale dicitur malum, quod etſi nobis à prima inſtitutione non eſt, ita tamen nunc inhæret, vt ſine eo non ſit natura humana.

Cap.10.

Si non ſunt. XIII. Iuliani argumentum, libidinem non eſſe malum, quia coniugium ſine ea eſſe non poteſt.

Sed reſpondetur. 2 Reſp. Auguſt. Negat ſequi.

Cap.11.

1 Etſi Adam non peccaſſet, fuiſſet tamen cōiugium, & in eo voluptas: ſed benè ordinata, non vt nunc, vitioſa.

Cap.12.

1 XIIII. argum. Pelagiani argumentātur ab autoritate ethnicorū & contra originale peccatum: illi enim laudant maris & fœminæ coitum.

Quid eſt propter. 2 Retorquet in Iulianum ipſam eius orationem, & ethnicorum teſtimonium, qui de hominis B coitu loqui, vti de re, cui turpitudo ineſt, erubuerunt, ipſo Iuliano teſte.

Quid igitur te. 3 Hominis pudenda non teguntur tanquam ſit in iis crimen aliquod artificis Dei, ſed hominis ipſius.

Sed ſi talibus. 4 Ethnicorum teſtimonium de miſera hominum conditione: quæ illis ineſt à natura, contra Iulianum.

In libro tertio. 5 M.T.Ciceronis liber tertius de Repub.

An non. 6 Libido à Cicerone inter vitia enumerata.

Cap.13.

1 Eua texit pudenda propter vitium libidinis, quod tunc in iis agnouit.

Nūquam ego. 2 Genitalium motus per ſe non damnandus, ſed is tantùm quem facit concupiſcentia poſt peccatum.

Si in fructu. 3 Vitium libidinis non ex ligno, ſed ex Adami inobedientia profluxit.

Nouimus autem. 4 Explicatio dicti Ioannis, 1. Ioan. 2. *Omnia quæ in mundo ſunt concupiſcentia carnis.*

Cap.14.

C 1 XV. argum. Iuliani ineptum, ſi genitalium voluptas mala eſt: ergo & omnium ſenſuum.

Sic ignoras. 2 Reſp. Auguſt. Primùm aliud eſſe in ſenſibus vires integras: aliud eorum libidines vitioſas.

Cæteri tres. 3 Differentia ſenſuum, & qui ex iis nobiliores cenſendi.

In his omnibus. 4 Senſuum delectatio quæ naturæ conſeruādæ opitulatur, non eſt vitium.

Cùm vero. 5 Superflua ſenſuum delectatio, quæ non naturæ ſeruit, ſed libidinis tantùm noſtræ miniſtra eſt, eſt vitioſa.

Quis autē mente. 6 Auguſtini ſententia, Præſtare ſine vlla carnis voluptate cibos ſumere, quàm cum voluptate.

Quamuis nonnulli. 7 Adam in Paradiſo vtrum ediſſet & bibiſſet.

Non enim quia. 8 Generationem ſine turpi libidine eſſe poſſe docet, exemplo terræ, ſine ea turpitudine ſuos fructus edentis, & ſemina recipientis,

Ideò autem. 9 Quàm deterior ſit & potentior venerea libido, libidine & voluptate quæ è cibis & aliis rebus percipitur.

Obſecro te. 10 Chriſtiana Theologia eſt vera ſapientia, & ea maximè voluptates corporeas & carnis damnat, quod profana philoſophia facit,

11 M.T.Ciceronis Hortenſius. A

12 Voluptas naturalis & libido carnis differunt, neque ſunt eadem. Quid in Hortenſio.

13 Concupiſcentia carnis non tantùm propter exceſſum mala eſt: ſed ipſa ſui natura & appetitu inordinata eſt. Aliud eſt. Exceſſus inquis.

14 Concupiſcentia carnis non eſt in pecoribus, quia ſpiritum & rationalem animam non habent. Ideò in pecoribus.

Cap.15.

1 Irridet Iuliani in ſuperuacaneis, & minimè ad hanc diſputationem pertinētibus philoſophorum Phyſicorum dictis recitandis iactantiam & & inanem laudem.

2 Philoſophos ethnicos melius de honeſtate ſenſiſſe quàm Pelagianos. Verū obſecro te.

3 Philoſophi naturales nihil de Primi hominis creatione, conditione, & lapſu audierunt, aut ſcripſerunt. Nunquid autem.

4 Iidem tamen ipſa euidentia teſte & docente, viderunt quantis in malis humana natura verſatur. Quanto ergo.

Cap.16.

1 Genitalia membra à Deo condita eſſe honeſta & decora, ſed per hominis peccatum facta eſſe inhoneſta, adeò vt iam tegantur. B

2 Explicatio dicti Pauli, 1. Corinth. 12. *Indecora noſtri corporis membra,* &c. Ad hoc certe.

3 Genitalia membra ante peccatum non fuiſſe inhoneſta & indecora, contra Pelagianos. Vide igitur.

4 Genitalia membra prominere Pelagiani dicunt, ne eſſent ſciſſuræ in corpore humano. Et tamen.

5 Genitalia membra texit poſt peccatum Adam propter turpitudinem, quam in eorum motu ſenſit. Sed dictis.

6 Animæ non pro meritis anteactæ vitæ in diuerſa corpora immittuntur. Apoſtolus autē.

AD LIB. V.

Cap.1.

1 De paucitate ſua fruſtra gloriari omnes hereticos.

2 Cùm doctrina Auguſt. impetitur, per ſuum latus veteres omnes Orthodoxos patres confodi docet. Tuas etiam.

3 Summa accuſationis orthodoxæ doctrinæ à Pelagianis obiectæ. C Sentētia.

4 Reſponſio Auguſtini ad eam accuſationem. Breuiter.

5 Hypotypoſi pudorem incutit Iuliano. Quorum ſi quiſque.

Cap.2.

1 Primos homines poſt peccatum non ſtatim integra veſtimenta, ſed tantùm perizomata quibus pudenda tegerent, ex foliis ficulneis feciſſe.

2 Iulianum ſibi ipſi contrarium eſſe, qui in primis hominibus ante peccatum ponat Innocentiam & Impudentiam. Hanc planè.

3 Perizoma vox quid ſignificet.

4 Fœminæ perizomata habuerunt, quò honeſtius velarentur, & in dotis parte erat hoc tegmen muliebre. In eo verò. Quod nomen.

Cap.3.

1 Nec ideò concupiſcentia carnis laudanda, nec etiam diaboli, quòd ſit illa peccati pœna: hi verò iuſtæ Dei iræ miniſtri.

2 Idem poteſt eſſe diuerſa ratione & peccatum, & pœna peccati. Si autem.

3 Non ideò non comprimendam eſſe concupiſcentiam carnis, quia eſt iuſta peccati pœna. Nā quod iſti.

A Quod ergo. 4 Peccatum vnum alterius peccati pœnam eſſe poſſe negauit Iulianus Pelagianus.

Tradidit illos. 5 Explicatio illius Apoſtoli dicti, Roman.1. *Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum.*

Ac per hoc. 6 Aliud eſt, Habere concupiſcentias, aliud illis tradi, vt ab iis poſsideamur.

Et ſit ei. 7 Confirmat variis rationibus peccatum vnum & ſequens poſſe eſſe pœnam alterius peccati præcedentis.

Quid eſt autem. 8 Tradit Dominus homines peccatis, non tantùm ſinendo & patiendo, vt ab illis vincantur: ſed agendo & impellendo: nec tamen facit Deus voluntates hominum malas.

Ait, inquis. 9 Quòd Dominus dicitur dare locum pœnitentiæ peccantibus, de electis tantùm debet intelligi, non de quibuſuis hominibus.

Quid fugis. 10 Tergiuerſatio Iuliani confugientis ad diſputationem de origine animæ, & cur illa inficiatur peccato originali, eiuſdem ſententia.

Aut alterum in altero. 11 Reſp. Auguſt. Anima in corpore tanquam in vitiato vaſe corrumpitur.

Addidiſti enim. 12 Si inſipientia cauſa eſt peccati, vt volunt Pelagiani: ergo & infantes ſunt peccatores, quia ſunt inſipientes.

Cap.4.

B 1 Purgat & explicat ſe Auguſtinus ab ea abſurditate, quam ex ipſius verbis colligebat Iulianus.

Hoc ergo dixi. 2 Corporis nomine genitalia poſſe ſignificari.

Verum tu qui. 3 Notatur contrarietas in dictis Iuliani, eáque implacabilis.

Nec tamē ideò. 4 Neque genitalium libidinem, neque carnis concupiſcentiam in nobis ſimilem eſſe fami, ſiti, & aliis huiuſmodi, quibus ſine culpa obtemperatur.

Quid quod. 5 Cōcupiſcentiæ ſeruire omnes ſenſus, ideóque etiam laudabilem eſſe cenſent Pelagiani.

Vos eſtis. 6 Pelagianos impudentiſſimos omnium hæreticorum eſſe, vtpote qui libidinem laudauerint.

Cap.5.

1 Concupiſcentia carnis non eſt virtus, ſed vitium. C

Sed Paterniani. 2 Venuſtiani & Paterniani hæretici, reliqua hominis membra ab vmbilico tribuunt Diabolo.

Ego enim. 3 Totus homo, & corpore & animo Dei opus eſt, quâ ſubſtantia: quòd verò in eo peccatum eſt, Diaboli opus eſt.

Si autem dixero. 4 Concupiſcentia carnis in hac vita prorſus tolli non poteſt, etſi Dei ſpiritu agente, poteſt debellari & reprimi.

Sed vide. 5 Cum concupiſcentia ſit oppugnanda, illíq; ſit reſiſtendum, ergo illa eſt malum quoddam.

Et hoc totum. 6 Aduerſa valetudo ex peccato eſt, vti & mors.

Sed vir fortiſs. 7 In Paradiſo, & ſine peccato nullam in homine futuram fuiſſe carnis & ſpiritus repugnantiam, & in genitalibus ἀταξίαν.

Ecce quod. 8 Ipſe concupiſcentiæ carnalis motus, non tantùm illius exceſſus malum eſt.

Cap.6.

1 Diſtinguendum eſſe vitium à Dei operibus, etſi hodie illis adhæret & annexum eſt.

Nā quod. 2 Membra quibus egerimus excrementa à natura poſita eſſe in occulto primum: genitalia verò in aperto.

3 Partus & fructus nuptiarum eſt à Deo: peccatum autem, quo reus eſt fœtus, non item. A Vt autē.

Cap.7.

1 Ex verbis Auguſtini colligi non poſſe, hominem ſibi relinqui, ſuóque libero arbitrio bene agere.

2 Ex Iuliani verbis intelligi & probari quod ipſe negat, Idem nimirum eſſe poſſe & peccatum, & pœnam peccati. Veruntamen.

3 Voluptas & libido inordinata in coitu cōiugum eſt diſtinguenda ab ipſa commiſtione corporum, & voluntate liberorum procreandorum. Cōfundas voluptatem.

4 Explicatio loci Pauli, 1. Theſſal.4. *Vt ſciat vnuſquiſque veſtrum poſſidere ſuum vas*, &c. Et nō vis.

Cap.8.

1 Ex verbis Auguſtini non incitari homines ad adulteria, vt per ea filios generent poſtea in Chriſto regenerandos.

2 Libidinis venereæ tantus eſt impetus, vt in ea exercenda nihil cogitetur ſancti, teſte etiam Iuliano & Cicerone. Verum eleganter.

3 Iuliani argumentum, ſi per parentes peccatum originale tranſit ad liberos, dum eos generant: ergo parentes noſtri ſunt ſimiles parricidis. Quod autem te.

4 Auguſtini reſponſio. Eadem calumnia in Deum ipſum competit & torqueri poteſt, ac etiam æquius, qui quos ſcit eſſe damnandos, creat tamen & facit. Cur enim non. B

5 Reſponſ. 2. Non vt peccatores ſint liberi, generant eos parentes: ſed vt liberos habeant, qui Deo ſeruiant. Quanto facilius.

6 Iuliani argumentum, Ergo melius erat liberos nunquam naſci. Quod autem.

7 Auguſt. prima reſp. Accuſetur Deus potius quàm eorum parentes, qui plus ad liberos producendos operatur, quàm parentes ipſi. Nónne vt.

8 2. Reſponſ. Dictum Chriſti, *Melius eſſet illi homini ſi non natus eſſet*, Matt.26. non ad omnes damnatos pertinere, ex Auguſtini ſententia. Ego autē.

9 Inæquales fore damnatorum pœnas probat dictum Chriſti de Sodoma, Mat.11. verſ.24. Si enim quod.

10 Pœna infantium ſine baptiſmo morientium, omnium mitiſsima & leuiſsima futura eſt, autore Auguſtino. Quis dubitauerit. C

Cap.9.

1 Patres ante baptiſmum, atque etiam ante circumciſionem cum filios generarent, hoc ſpectaſſe, vt in Chriſto illi regenerarentur: cuius venturi fidem habebant, & eius rei aliquod ſacramentum acceperant.

2 Patres ante legem ſacrificarunt. Sacrificia.

3 Sacrificia ſub lege quæ à puerperis fiebant, oſtēdunt fuiſſe homines etiam recèns natos reos. Apertius etiam.

4 Coniugium fuit etiam inter Mariam virginem & Ioſeph, quia etiam ſine coitu manere poteſt mutuæ fidei vinculum inter coniuges. Iam verò de.

5 Hoc ipſum probat autoritate Angeli. Nunquid & angelus.

6 Etſi ante peccatum in Paradiſo corporum commixtione liberi naſcerentur, non tamen illa fuiſſet inordinata carnis concupiſcentia, quę nunc eſt in nobis. Verum de illo.

7 Iulianus ampullis verborum, & digreſsionibus alienis delectatur. Quod autem.

8 Iuliani argumentum: Quæ ſunt in ſubiecto, ſine eo non tranſeunt: peccatum parentum eſt in iis & in eorum ſubſtantia tanquam in ſubiecto, ergo ad liberos non tranſit, niſi ipſa parentum Sed magnum.

A tum ſubſtantia in filios tranſeat.

Non enim Ariſtoteles. Verum enim eſt.

9 Auguſt.reſponſ. 1. ex dialecticorum regula iſtam diſputationem non eſſe deffiniendam.

10 2.Reſponſ. Dictum illud, Quæ ſunt in ſubiecto, ſine eo eſſe non poſſunt, nõ obſtare quò minus qualitates & accidentia agant in alia non emigrando è ſubiectis, ſed afficiendo obiecta in quæ feruntur.

Mirabilius eſt.

11 3.Reſp. Formas & qualitates rerum corporalium non tantùm in corpora agere: ſed & in ipſas animas, tum pecorum, tum hominum. Id quod duplici ratione probat exemplo ſcripturæ, & dicto Sorani medici.

Soranus. Quid eſt quod.

12 Soranus medicus.

13 Iuliani argumentum à genere, Caro Chriſti erit peccatrix, ſi humana caro eſt peccatrix, quia carnem noſtram aſſumpſit Chriſtus.

Quid eſt ergo.

14 Auguſtini reſponſ. Carnem Chriſti verè quidem fuiſſe carnem noſtræ ſimilem, quoad ſubſtantiam: non tamen quoad peccatum, & idcircò dici ab Apoſtolo ſimilitudinem carnis peccati & peccatricis.

B

Et hinc apparet.

14 Concupiſcentia in generando facit illam propaginem peccati quæ eſt in humano genere.

Magnum aliquid.

15 Etſi Deus format in vtero matrum fœtus, illi tamen non deſinunt propter peccatum originale eſſe rei, ſicuti nec vitioſa membra, deprauata & intorta eſſe deſinunt, etſi corpora à Deo fiunt.

Quod enim.

16 Iuliani argum vt ſuprà, Aut Chriſtus habet peccatum, ſi caro humana illud habet, quoniam Chriſtus eam ſumpſit: aut Apollinaris errorem ſequuntur Orthodoxi, qui negauit Chriſtum eſſe verum hominem, & veram carnis naturam habere.

Caro itaque.

17 Auguſt.reſp. Carnis ſubſtantiam & mortalitatem, & ſenſum habuit Chriſtus verum & integrum. Peccatum autem & concupiſcentiam C non habuit, quia ſine ea eſſe poteſt vera caro, & primum fuit.

Non potuit.

18 Iuliani argum. Si Chriſti caro fuit à noſtra diſsimilis non potuit nobis præbere imitationis exemplum.

19 Auguſtini reſponſ. Potuit & dedit: nam & Deus ipſe nos ad ſe imitandos exhortatur. Deinde ſimilis fuit nobis Chriſtus in ipſa carnis ſubſtantia, quanquam longum eſt diſcrimen inter noſtras & Chriſti virtutes, quia ille etiam Deus fuit.

Non eſt mirum.

20 Chriſtus non ſolùm exemplum noſtræ vitæ eſt, ſed & mediator, & regenerator & autor gratiæ, contra Pelagianos.

Cap.10.

1 Iuliani argumentum, De non peccato peccatum naſci non poteſt. At coniugum coitus generandi cauſa non eſt peccatum: ergo de eo peccatum, id eſt, filij peccatores non gignuntur.

Hæc verò ſentẽtia.

2 Auguſtini reſponſ. Negat propoſitionem, quam Manichæanam eſſe ait.

Sed veritas.

3 2.Reſponſ. Dat inſtantiam & contrarium exemplum Auguſtinus, de malis angelis qui ab initio fuerunt liberi à peccato, & tamen peccatum ex iis natum eſt.

Deinde ponens.

4 Etſi libidine carnis coniuges benè poſſe vti concedimus, non tamen libidinem carnis honoramus, vt Pelagian. iſte exiſtimat.

Nec quæcunque. Nihil aliud.

5 Non eſt illud omne bonum, quo benè boni vtuntur.

6 Nuptiæ non ſunt commixtio corporum, contra Iulianum.

A

Sed iterũ me.

7 Abſtergit à ſe Aug. calumniã Iuliani, quaſi & ſibi ſit contrarius & occultè libidinem laudet.

Voluptatis.

8 Concubitus inter coniuges voluptatis cauſa venialis culpa eſt.

Tu ſanè inter.

9 Reſutat iterum rationem Iuliani ex nõ peccato peccatum naſci & oriri non poſſe.

Dicis ob hoc.

10 Diluit inuidiam Auguſtinus, quam Iulianus illi conflabat.

Audi ergo.

11 Non damnat nuptias Auguſtinus, quanquàm continentiam virginitatémque laudat.

IN LIB. VI.

Cap.1.

1 Propoſitio libri.

In hac autem.

2 Ex ipſa Iuliani ſententia rectè colligi etiam paruulos ſine Dei gratia, quæ eſt per Chriſtum, non futuros in regno Dei, cùm non ſint ſapientes.

Sed vnde.

3 Cur ſint natura fatui quidam, cauſa eſt peccatum originale.

Finito procemio.

4 *Mundi* vox, & res ipſas creatas ſignificat, & earum miſeriam, quæ nunc ineſt: illa ſignificatione Mũdus eſt Dei opus, Hac Diaboli, ad quem Mundum nondum baptizati pertinent.

B

Deinde propoſitis.

5 Paruulos fidelium regenerandos eſſe baptiſmo, quia ex parte non renata nati ſunt.

Non hoc oſtendit.

6 Verba Pauli Rom. 6. *Quicunque in Chriſto baptizati*, &c. paruulos etiam comprehendunt, non excludunt.

Totus itaque.

7 Chriſtum etiam pro paruulis eſſe mortuum: ergo & illos peccatores eſſe, etiam teſte ipſo Iuliano lib.1.

Tu dicis.

8 Iulianus ſcripſit Chriſtũ etiam pro iis mortuum eſſe, qui non ſunt peccatores.

Ego dico.

9 Auguſt. contrà, non niſi pro peccatoribus Chriſtum mortuum eſſe docet.

Redi ergo.

10 Explicatio cap.5. Pauli epiſtolæ ad Rom. ab eo loco, *Comendat autem Deus ſuã charitatẽ*, &c.

Quid ergo.

11 Explicatio cap.6. eiuſdem epiſtolæ.

C

Cap.2.

1 Iulianus falſi accuſatur in citandis Auguſtini verbis.

Sed etſi nulla.

2 Peccatum originale dimiſſum in parentibus quoad reatum, tranſit tamen in liberos mira ratione & difficili explicatu, quia ex corrupto ſemine gignunt parentes, ex ſententia Auguſtini.

Quomodo autẽ.

3 Id probat ab autoritate eccleſiæ & ritibus baptiſmi.

Sed verte omnes.

4 Ab autoritate etiam Pauli, quam ſuperiùs adduxit & explicauit.

Quo corde.

5 Pelagiani pugnantia dicũt, qui ſentiunt pro paruulis Chriſtum eſſe mortuum, nec tamen eos vel peccatores vel mortuos eſſe concedunt.

Cap.3.

1 Exemplum de miti olea, ex qua tamen oleaſter & ſylueſtris arbor naſcitur examinatum, quod non probabat Iulianus.

Cur ergo.

2 Exempla vtilia eſſe ad docendum, Ex particulari contraria vniuerſalẽ propoſitionẽ deſtrui.

Et cur hoc.

3 Tradere poſſunt parentes liberis etiã quod ipſi non habuerunt, vt Iudæi præputium.

Quod ſacramentum.

4 Circumciſio figura baptiſmi.

5 Flumen & lepos orationis Auguſtinianæ.

Relinquamus.

Cap.4.

1 Calumnia Iuliani in Orthodoxos, quaſi plebem Chriſtianam in Pelagianos excitarent, nec epiſcoporum aduerſus ſe diſputationibus eſſent

contenti.

2 Omnia conquiſiuit Iulianus, vt apud pios in inuidiam adduceret Auguſtinum, ſed fruſtrà.

3 Iuliani argumen. Paruuli peccatum habere non poſſunt, quod non perpetrarunt.

4 Auguſt. reſpon. Duplex eſt peccatum, aliud originale & contagione propagatum: aliud proprium. Illud Paruuli habent, hoc nondum. Id quod autoritate Pauli confirmat.

5 Iuliani argum. Res nulla quæ habet arbitrium conditione ſeminum miſceri & transfundi poteſt.

6 Auguſtini reſponſ. Non quærendum quomodo id fieri poſſit, vt peccatum transferatur quoniam fieri videmus.

7 Iuliani & Manichæorum reſponſum refutat, qui Deum & Diabolum inter ſe ita conueniſſe reſpondent: Deum quidem, vt fœcundaret quod Diabolus creauit: Diabolum autem vt corrumperet. Item vt Deus haberet id quod à ſe eſſet perfuſum, Diabolus quod creatum à ſe eſſet.

8 Renaſcentiam noſtram potiorem eſſe prima natiuitate.

9 Baptiſmi nomen ſordet Iuliano Pelagiano: Perfuſionis nomen melius arridet.

10 Paruulos ſine Chriſto vitæ autore (qui in baptiſmo ſuſcipitur & induitur) eſſe ſub morte, & ita ſub Diabolo, qui poteſtatem habet mortis.

11 Peccatum originale per liberum arbitrium perpetratum fuiſſe fatentur Orthodoxi omnes.

12 Peccata aliena in nos tranſire poſſe, vti aliena fides baptizato prodeſt.

13 Pauli dictum, *Vt quiſque reportet quod geſſit*, 2. Corinth. 5. quomodo explicandum.

14 Non eſt blaſphemus in Deum, qui docet, Paruulos naſci nocentes, & filios iræ.

15 Iuliani interrogationem in ipſum retorquet, Cur Diaboli paruulos vexent.

16 Iulianus vult ideò Paruulos coram Deo ſiſti in baptiſmo, vt doceatur eos ad Dei curam pertinere, & eos beneficij Dei largitate præueniri.

17 Reſp. Auguſt. & interrogat, cur Deus non omnes præuenit, vt baptizentur, priuſquam moriantur, aut cur quos non preuenit, damnat, ſi ſunt paruuli ſine peccato.

18 Pauli locus Epheſ. 2. verſ. 3. *Filij iræ natura ſumus*, explicatus.

19 Eccleſiam Chriſtianam, & eos quibus illa conſtat, irriſit impudentiſsimè Iulian. ſellularios & auditoriales ſcholaſticos eos appellans.

20 Iuliani argum. Si peccatum tranſit, oportet eſſe ſubſtantiam.

21 Auguſt. reſponſ. Qualitatem eſſe peccatum, non ſubſtantiam, & tranſire non migrando, ſed afficiendo.

22 Inconſtantia dictorum obiecta eſt à Iuliano Orthodoxis, quam refutat Auguſt.

23 De epiſcopatu Romano, ortæ iampridem contentiones, inter eos qui eum ambiebant.

Cap. 5.

1 Etſi per baptiſmum omnis peccati reatus tollitur: fomes tamen ipſe, materia & concupiſcentia in baptizatis adhuc manet.

2 *Anima concupiſcit*, ſignificat ex ſenſu Iuliani, Caro ſine anima aut niſi ex animæ affectu non cōcupiſcit. Quod etſi verum eſſe concedit Auguſt. non tamen eſſe eam vim huius ſententiæ docet.

A
Quid eſt autem.
Explica inquis.
Aliud eſt.
Qui fieri poteſt.
Si fieri non.
Poteſt autem dici.
Vtrum melius.
Potuiſti dicere.
Et qui non.
B
Enumeras quæ.
Quod autem.
Quod autem apoſtolum.
Dicatur inquis.
Iubes vt aſſeram.
Iterum dicis.
Quid igitur eum.
C
Quod autem dicis.
Sed nimirum.
Quis autem.
Quomodo de.
Quale eſt autem.
Memento ſanè.
Ideò dicis.

3 Eunuchi etſi coire non poſſunt, tamē carnis libidine & pruritu concumbendi titillantur.

4 Iuliani argumentum, Non format Deus in vtero matris baptizatæ, qui eſt tēplum ipſius, fœtum futurum in Diaboli poteſtate.

5 Auguſtini reſponſio, Non magis hoc in Deo abſurdum, quàm quod in vtero meretricis, idem Deus format fœtum in eccleſia ſua futurum. Atque horum omnium Dei operum ratio eſt ipſius iuſta & profunda voluntas.

6 Baptizatæ matris fœtus eſt baptizandus, quia fœtus non ineſt vt ſubſtantialis ipſius pars, ſed vt à matre ſeparatum quiddam: ergo cum ea baptizatus eſſe non cenſetur.

7 Dictum Pauli *Spe ſalui facti ſumus*, Rom. 8. explicat aliter, quàm Iulianus, qui illud accipit tantùm de noſtris cum carne certaminibus tollendis in futura vita.

8 Cùm etiam teſte Iuliano contundant carnē baptizati, quā non habent odio, ergo manſit & manet in iis aliquid vitioſum, quod eſt domandum. Hoc autem eſt concupiſcentia carnis, vt docet Iacobus, & illa parit peccatum.

9 Concupiſcentiam ipſam per ſe eſſe malam, quamuis non perpetret peccatum.

10 Baptizatos non carere mala illa concupiſcentia contra Iulianum. Id quod varia inductione probat Auguſt. & tandem autoritate Pauli.

11 Concupiſcentia hic minui poteſt, tolli autem prorſus & conſumi non poteſt.

12 Concupiſcentia in homine, malum grauius eſt, quàm ignorantia, & cur.

13 Voluptas cum honeſtate cōiuncta, eſt Scyllæum monſtrum & bonum ex humana beluináque natura commixtum.

Cap. 6.

1 Dictum Auguſtini explicatum per Baptiſmum eum concupiſcētiæ reatum ſolui, quem parit in nobis concupiſcentia, non quidem vt ipſa ſit ſanctificata.

2 In homine baptizato non ſingula quæ habet, eſſe baptizata.

3 Concupiſcentia, etſi non imputatur, tamen poſt peccatum manet in baptizatis.

Cap. 7.

1 Libido non eſt ſubſtantia, vti nec vitium aliud vllum, ſed eſt qualitas tantùm.

2 Subſtantia animi non eſt vitiata.

3 Qualitas quæ dicitur Affectio & affectionalis qualitas, Paſſio & paſsibilis qualitas, vt differāt apud dialecticos.

4 Quantò malum, quod vincitur, diuturnius, tantò laus victoriæ maior eſt.

5 Qualitas tranſit de parente in liberos, non emigrando, vel diſcedendo à re cui prius inerat: ſed vires ſuas alij rei communicando.

6 Baptizatus etiam habet concupiſcentiam contra quam pugnet.

Cap. 8.

1 Res incorporeas poſſe rerum corporearum ſimilitudine explicari, ex omnium artiū pręceptis.

2 Concupiſcentiam manere actu in nobis, etſi reatus eius condonatur, probat Auguſtinus contra Iulianum.

3 Reatus peccati naſcitur ex prohibitione legis

A
Eſt tamē.
Sic autem incredibile.
Quaſi nō maioris.
Nam ſi ad matris.
Quàm porro.
Iterum dicis qu.d.
Quis autē ita ſit.
B
Ingeris Apoſtoli.
Concupiſcentiam verò.
Ex his autem.
Si autem vt.
Nam ſi propterea.
Cogita quantum.
C
Vt omni vitio.
Diuidens quippe.
Percipitur autē.
Qualitas autem.
Vellem itaque.
Dixi ſanè.
Vbi ergo manet.

A legis, quæ violatur peccando.

Cuius ſigno. 4 Baptiſmatis vnda ſigno crucis conſecrata, vt reatus peccati per ſanguinem Chriſti dimiſſus intelligatur.

Cap.9.

1 Homo qua ſubſtantia eſt, Dei opus eſt, qua peccator, diabolo ſubiicitur.

His verbis meis. 2 Ex homine ad hominem peccatum tranſit, etſi à diabolo in diabolum non tranſit, quia homo ex homine naſcitur: diabolus autem ex diabolo non item.

Quod autem dixi. 3 Iulianus in citandis & peruertendis Auguſtini dictis, veterator & præuaricator.

Hanc verò. 4 Vt aliquid alicui ſubiiciatur, & ſubſeruiat, contrarium illi eſſe non oportet.

Iam porro illa. 5 Iuliani argumentum, Si Dei ordinatione propter peccatum homo Diabolo ſubiicitur, ergo Diabolo ſubiici bonum eſt, nec debet quiſquam ſe ab ea ſubiectione eximere.

Poſſes dicere. 6 Auguſt. reſponſ. Non ideò hæc ſubiectio retinenda, quia non vt retineatur à Deo impoſita eſt, ſed vt excutiatur. Quod probat ſimilitudine B aliarum rerum.

Quibus omnibus. 7 Pelagianos ipſos, qui negant ex bonis eſſe mala orta, potius eſſe Manichæos, quàm Orthodoxos.

Cap.10.

1 Serpentem mentem Euæ corrupiſſe, non autem eius corpori commixtum fuiſſe.

Cap.11.

1 Docet Auguſtinus Patres Orthodoxos oppugnare ſuis ſcriptis Pelagianos, & eorum errorem.

Quòd aute verba. 2 Verba hæc, *Scio quòd in me non habitat*, dicta eſſe à Paulo de ſeipſo, etiam iam renato. Rom.7.

His omnibus tempus. 3 Cur dicat Paulus, *Carnalis ſum*, Rom.7.

Peccati autem. 4 Peccati etiam nomine concupiſcentiam carnis intelligi.

Cap.12.

1 Peccatum Adami non tantùm propter imitationem nobis nocere: ſed multò magis propter propagationem, quia in omnes propaga-C tum eſt: pauci autem peccant exemplo, id eſt, quòd hoc ſibi Adami exemplum proponant imitandum.

Denique nec ipſa. 2 Voces hæ, *In quo*, vt explicandæ in ſcriptura.

Remoue iſta. 3 Explicatio verborum Pauli, Rom.5. *Per vnum hominem peccatum tranſiit*, ex quibus docetur peccatum originale naturâ in nobis eſſe, & à parentibus propagari in liberos.

Nam iudicium quidem. 4 Suam explicationem confirmat ab abſurdo, & dicto Pauli Auguſtinus.

Nam ſicut non. 5 Item à ſimili ſiue pari.

Cum verò multos. 6 Refutat rationem & exceptionem Iuliani, qui *Omnes*, Multos tantùm interpretabatur.

Si enim ſalui. 7 Nemo ſaluus ſine Chriſto, non quia per eum faciliùs tantùm ſalui fiant homines: ſed quia nec lege, nec natura, nec libero arbitrio fiunt ſalui: ergo per ſolum Chriſtum.

Quid verò cauſæ. 8 Interpretatio dicti Ezechielis 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.*

Cæterùm quàm. 9 Paſtores ſæpe pro peccatis parentum à Deo iuſtè eſſe punitos, vt dictum eſt, *Viſitans iniquitatem patrum in tertiam & quartam generationem.*

Cap.13.

1 Epilogus ſuperiorum ſex librorum, & concluſio totius operis, per quam etiam ſententiam Iuliani ab omni choro piorum damnari Auguſtinus breuiter docet: & eum ad reſipiſcentiam inuitat. A

Poſtea reſpódit Iulianus his ſex libris Auguſtini, quorum quatuor reſpondiſſe ſe Auguſtinus ipſe teſtatur, epiſtola ſecunda ad Quotuultdeum, de Hæreſibus.

EX LIB. I. DE ANIMA ET EIVS ORIGINE,

AD RENATVM.

Vincentium Victorem durius & acerbius tractat Auguſtinus, quòd iuuenis iſte inſultaret ſenibus laicus presbyteris, quos de re, quam ipſe ignorabat docere ſe profiteretur velle, & temere de incertis tanquam ex tripode pronuntiaret, nempe de Anima humana origine: nam Pelagianis anſam prabebat ſui erroris confirmandi, vt ex his quatuor libris facilè colligi poteſt: è libro 2. capite 5, imprimis, & libro 4. capite 1.

Cap.1.

1 GRatiarum actio pro libris duobus V. Victoris ad ſe à Renato miſsis. B

Cap.2.

1 Auguſtinus ſe leni animo & beneuolo legere teſtatur eorum ſcripta, qui ſuæ ſententiæ contradicunt, velléque, ſi qua in re errauerit, reprehendi.

Cap.3.

1 Eloquentiam eſſe in homine & ſcriptore Chriſtiano laudandam, ſi cum vera fide & cognitione coniuncta ſit, & ſi veritatem defendat: non autem oppugnet.

Cap.4.

1 Vincentij ſententia de origine animæ, quam docuit à Deo quidem factam eſſe, non de præexiſtenti aliquo, non de re alia, ſed de ſeipſo & de ſua eſſentia, nec tamen eſſe Dei partem.

2 Reſp. Auguſt. Animã à Deo ex nihilo fieri, non ita tamen vt vult Vincentius iſte: nam anima eſſet pars diuinæ naturæ, ſi ex ipſa fieret. Neſcit eò ſe.

3 Anima pars Dei non eſt, quia eſt ipſa mutabilis: Deus autem immutabilis. Quod enim.

Cap.5.

1 Homo duabus tantùm partibus conſtat, Corpore & Anima: non autem tribus Corpore, C Anima, & Spiritu.

Cap.6.

1 Anima non inficitur à carne, vt propterea, inquinari peccato originali dicatur, quia carni infunditur.

Cap.7.

1 Prima ratio, quia Deus fieret autor peccati, qui animam infundit in corpus & carnem: non autem ſanator eius vulneris, quod homo à ſeipſo habet.

Cap.8.

1 Altera ratio, quia ea etiam ratione anima hominis & paruuli creata à Deo non conſeretur ipſa per ſe peccatrix: niſi infunderetur & coniungeretur carni.

2 Item quæritur, quo ſuo peccato anima meruit fieri peccatrix, id eſt, miſceri carni, ſi antea anima non erat peccatrix. Quis tam immane.

3 Vincentij obſcuritas & implicatio, dum nõ philoſophatur ſobriè de peccati originalis tranſeuntis cauſa. Proinde iſte.

Cap.9.

A 1 Sine Christi gratia nemo in regnum cœlorum admittitur.

Vnde & latro.
2 Latro qui in cruce pendens Dominum confeſſus eſt,& martyr Christi, & ſuo ſanguine quodammodo baptizatus eſt, præferendúſque tunc fugientibus Apoſtolis.

Huc accedit.
3 Latro ille, vtrùm baptizatus aqua, quæ effluxit è latere Chriſti.

Cap.10.

1 Exempla & ſcripta, non canonica poſſunt repudiari.

Pro quo illa.
2 Purgatorii & redemptionis defunctorum error iam ceperat.

Cap.11.

1 Sacrificia corporis & ſanguinis Chriſti pro defunctis iam offerebantur.

Nulla ratione.
2 Sacrificia pro iis offerri non poſſunt qui non ſunt membra Chriſti.

Sicut nec illæ.
3 Machabæorum liber ſecundus fundamentum ſacrificij quod factum eſt pro defunctis.

Cap.12.

1 Tres hi errores damnati. Primus, Deum damnare innocentes. Secundus, Animas non B peccatrices labe carnis,cui infunduntur, peccatrices effici. Tertius, Animas antequam in carnem venirent,aliquo ſuo facto peccaſſe. Vide j.cap.19.

Nec illud quartum.
2 Quartus etiam error, Deum damnare paruulos, quia ſi vixiſſent, præſciuit eos malos futuros.

Et de nullo.
3 Duplex quarti erroris damnandi ratio, Prima, Quòd de omnibus eſſet deſperandum, etiam baptizatis. Nemo enim eſt qui mutari non potuerit,ſi erat diutius victurus. Secunda, Quòd punirentur peccata non facta, & nunquam commiſſa.

Cap.13.

1 Peccatum originale trahitur ab anima paruuli,non ex carne,cui infunditur: ſed ex anima & peccato parentis primi,id eſt, Adami lege naſcendi:qua quælibet ſpecies ſimile ſibi gignit.

Cap.14.

C 1 Animæ vtrum nouæ à Deo in ſingulos inſufflentur, an ex propagine creentur quæri poſſe & dubitari affirmat Auguſt.

Hoc teſtimonium.
2 Explicatio loci Iſaiæ 42,ver.5. *Flatum dat populo ſuper eam.*

Quod autem.
3 Vox πνεῦμα & πνοὴ differunt.

Eadem ratione.
4 Secundus locus pro iis qui putant animam hominis nouam à Deo creari refutatus Iſaiæ 57. verſ.16.

Adiecit etiam.
5 Tertius locus pro iiſdem refutatur, Zach.12. verſ.1.

Cap.15.

1 Temerè non eſſe affirmandum, quomodo anima in homine creetur & generetur.

Cap.16.

1 Quartus locus pro eiſdem, ex Act.17. *Cùm det ipſe omnibus ſpiritum.* Hunc etiam refellit & explicat Auguſtinus.

Cap.17.

1 Explicatus Pauli locus, 1.Cor.11. *Sicut enim mulier de viro:ita vir per mulierem.*

Sed dicendo.
2 Verba hæc Act.17. *Ex vno ſanguine*, poſſe referri & ad animam,& ad corpus hominis.

Cap.18.

1 Quintus locus pro eiiſdem, Gen.2. *Hoc nunc os ex oſſibus meis.* Non dixit. Anima de anima mea: A quem & examinat & refellit Auguſtinus.

Nam etſi anima.
2 Anima ſexu caret.

Quemadmodum argumentatur.
3 Carnis nomen etiam animam ſæpe ſignificare, vt cùm dicitur, *Verbum caro factum eſt.*

Cap.19.

1 Quid cauendum maximè in diſputatione de Origine animæ:quid item ſequendum.

AD LIB. II. AD PETRVM
Presbyterum.

Cap.1.

1 Prooemium per quod Vincentij libros de Anima non tanti eſſe docet, quanti faciebat Petrus Presbyter.

Cap.2.

1 Animam & ſpiritum ſæpe in homine confundi, aliquando autem diſtingui, ita tamen, vt animæ ſit pars ſpiritus,non autem in homine animæ duæ inſint.

Itémque alios eſſe.
2 Alij ſunt ſenſus corporei in homine, per quos terrena videt, alij autem ſenſus animi per quos verum & falſum iudicat.

Cap.3.

1 Anima hominis non eſt Dei portio vel particula,ſed neque diuinæ naturæ eſt,vti Filius:nam B Filius & eſt, & dicitur Deus, quemadmodum & Pater,quia diuinam naturam quam Filius.

Cùm enim animam.
2 Animam hominis non ex ſua eſſentia creauit Deus.

Omnis quippe.
3 Omnium naturarum ſumma diuiſio.

Creatura ergo.
4 Creatura non eſt ex Deo & Dei ſubſtantia, etſi eſt à Deo.

Si autem ex.
5 Anima hominis non eſt ſumpta vti corpus, ex aliqua materia.

Ille ouili.
6 Presbyter de paſtorum numero eſt.

Cap.4.

1 Difficilis quæſtio, vtrum anima ſit corpus an ſpiritus.

Nam illud quod.
2 Animæ humanæ iudicantur ſtatim,atque ex corpore ſuo exierunt & migrarunt.

Sed nunquid.
3 Cibi non animæ,ſed corpori ſunt neceſſarij.

Cap.5.

C 1 Vincentij arrogantiam & ἀσύστατον rationem irridet,qui cùm Deum velit eſſe incorporeum,vti eſt:dicat tamen Deum ex ſeſe flatum corporeum in hominem pro anima immiſiſſe.

Excepto namque.
2 Alius & aliud differunt. Alius de perſona dicitur. Aliud de natura.

Vt vnde hoc.
3 Quicquid creat Deus de ſe, ſibi ſimile creat, & eiuſdem ſecum naturæ facit.

Cap.6.

1 Anima cur corporis paſsionibus & ſectionibus nec patiatur nec ſecetur.

Quod autem.
2 Anima humana non retinet parentum mores,vti nec quilibet ſemper ſibi ipſi ſimilis eſt.

Cap.7.

1 Animas antequam in carnem venerint nihil boni egiſſe,ſed nec mali.

Cap.8.

1 Inconſtans & ἀσύστατος Vincentij oratio de Anima,quam dicit non potuiſſe eſſe peccatricem, & meruiſſe tamen vt eſſet peccatrix.

Cap.9.

1 Infantes non baptizatos non ideò mori quòd Deus eos plus dilexerit.

Quale eſt autem.
2 Prædeſtinationem Dei impediri aut præueniri non poſſe.

Cap.10.

A

Cap.10.

1 Paradiſus non eſt aliud à regno cœlorum.

Præcipuè quia.

2 Locus Ioan.14. *Multæ manſiones in domo patris mei ſunt.*

De quibus.

3 Latro crucifixus cum Chriſto vtrum baptizatus fuerit.

Cap.11.

1 Non incorporatis in Chriſto nihil eorum, quæ in eccleſia fiunt, prodeſt.

Ita iſtud dicit.

2 Machabæi pro non circumciſis non obtulerunt.

Cap.12.

1 Non baptizatis Paruulis non dari nunc Paradiſum, vt poſt reſurrectionem iis detur regnum cœlorum, etſi miſericors eſt Deus.

Talis ſibi Saul.

2 Miſericordia quædam noſtra eſt inepta.

Cap.13.

1 Ex vna Adami anima omnes aliæ originem peccati trahunt & originale peccatum eſſe ex lege à Deo impoſita.

Et præuidit.

2 Anceps quæſtio & difficilis de Animæ origine, quam non definit Auguſtinus.

Cap.14.

B

1 Scripturæ teſtimonia non docent vtrùm anima humana ex propagine ſit, an vt prima Adami, cuique noſtrum noua à Deo inſuffletur.

Cap.15.

1 Vincentius non potuit ſoluere obiectionē de Paruulis non baptizatis, qui moriuntur.

Cap.16.

1 Vincentius ipſe agnouit ſe non niti ſatis ſolidis & firmis rationibus, itaque cenſorem exigit.

Cap.17.

1 Cur ad Petrum ſcripſerit Auguſtinus, quia Petri munus ſit Vincentium iſtum emendare, quod ab eo fieri poſtulabat ipſe Vincentius.

AD LIB. III. DE ANIMA, AD *Vincentium Victorem*.

Cap.1.

1 Excuſatio & ratio cur ad Vincentium ſcribat Auguſt. nempe quòd eum & diligat, & non C contemnat, imò ſanatum velit.

Cap.2.

1 Ex cuiuſdam Donatiſtæ, id eſt, Satanæ reuelatione ſcripſerat libros de Anima Vincentius.

Ideò te.

2 Qui ex hæreſi ad Orthodoxos tranſibant, potuerunt, & ſoliti ſunt nomina mutare.

Vt autem.

3 Hæreticorum nec nomen diligendum, nec memoria colenda, quia ſunt hæreſeon monumenta.

Iam tanquam.

4 Hereticorum dogmata damnanda eſſe à paſtoribus cenſura eccleſiaſtica.

Cap.3.

1 Primus error Vincentij, Animam à Deo factam non ex nihilo quidem, ſed ex ſeipſo, cùm ſit dicendum animam potius à Deo factam ex nihilo. Aliâs diuinæ naturæ erit anima, id eſt, erit Deus, quod eſt falſum.

Cap.4.

1 Secundus error, Animam humanam eſſe halitum dei, qui non ſit naturæ diuinæ, vti flatus ex ore hominis in vtrem non eſt humanæ naturę, etſi eſt ab homina efflatus.

Iſta ſimilitudine.

2 Reſponſio Auguſt. Non tolli hoc modo ἀσύστατον Vincentij, quia cùm Deum velit eſſe incorporeum, flatum tamen eius facit corporeum. Deinde non conuenit ſimilitudo, quia cùm in vtrem inſufflamus, alium ſtatim aerem recipimus quo inſtauramur pro eo quem emiſimus. Quod ſi quis in Deo fieri ſentiat, abſurdus erit.

A

Pulmones.

3 Pulmonum & reſpirationis vſus in homine.

Preter enim.

4 Aura hæc, quam ducimus, eſt genus cibi.

Vt ergo.

5 Deus de nihilo, non de ſua ſubſtantia facit animam, vti flatum quendam & viuentem & mutabilem.

Cap.5.

1 Exemplum Elizæi, 2.Reg.4. puerum mortuum excitantis, non docet animam eſſe ex Dei ſubſtantia, ab ipſo efflata.

Sed aliquid.

2 Flatus Elizæi in puerum ſuſcitandum, fuit ſignum amoris eius in puerum, & ſymbolum tantùm quoddam rei ſecretioris.

Quòd autem.

3 Elizæus non dicitur ter inſufflaſſe in puerum mortuum.

Cap.6.

1 Tertius error Vincentij, Deum nunquam ceſſaturum dare & creare animas, cùm poſt reſurrectionem nulla natiuitas hominum ſit futura, neque vlla humanarum animarum creatio.

Cap.7.

B

1 Quartus error, Animam hominis antequam in carnem mitteretur, habuiſſe aliquid boni vel mali meriti. Quod eſt Priſcillianiſtarum hæreticorum dogma.

Cap.8.

1 Quintus error, vbi etiam ipſius Vincentij oratio ſibi contraria eſt, Animam hominis meruiſſe antequam in carnem veniret, vt eſſet peccatrix, etſi peccatrix eſſe non potuit. Eſt enim peccatricem animam conſtituere ante vllum peccatum ab ipſa commiſſum.

Cap.9.

1 Sextus error, Paruulos non baptizatos conſequutos eſſe originalis peccati remiſſionem.

Nam vt.

2 Latro vtrum fuerit baptizatus necne dubitari poteſt, nec de eo affirmari debet.

Neque enim.

3 Remiſſio peccatorum à Deo facta non tollit publicarum legum pœnam.

Dinocrates.

4 Pueri ſeptennes iam in eccleſia de fide reſpondebant, ſi baptizarentur.

C

Cap.10.

1 Septimus error, Paruulos à Deo baptiſmo prædeſtinatos eripi illi poſſe.

Cap.11.

1 Octauus error, Extra regnum Dei eſſe aliquas felices manſiones, in quibus pueri non baptizati defuncti conſtituantur.

Aliud autem.

2 Manſio nulla eſt felix in vlla terræ parte, in qua animæ defunctorum eſſe poſſint.

Nam ſecundis.

3 Deus vbique eſt ſua poteſtate etiam in inferis.

Vt autem ibi.

4 Regnum Dei, & Regnum cœlorum videntur aliquid diuerſum ſignificare, quaſi illud ſit latius.

Cap.12.

1 Nonus error, Sacrificia eccleſiæ non baptizatis prodeſſe.

Cap.13.

1 Decimus error, Paruulis non baptizatis nūc dari paradiſum, vt poſt reſurrectionem iiſdem detur regnum cœlorum.

Cap.14.

1 Exhortatio Auguſt. ad Vincentium, vt ma-

A turè reſipiſcat, quando ſe corrigi velle profitetur.

Cap.15.

1 Anacephalæoſis omnium Vincentij errorum ſuperius refutatorum.

Iſte quippe.

2 Etiam ſi per ignorantiam ſit erratum, corrigendum tamen eſſe errorem.

Ad Lib. IIII.

Cap.1.

1 Etſi ſe errare poſſe, & fortaſſe erraſſe in aliis concedit Auguſtin. in eo tamen, in quo eſt à Vincentio reprehenſus, erraſſe ſe negat.

Cap.2.

1 Etſi quiſpiam animæ ſuæ originem ignorat, aut de ea temerè non affirmat, non eſſe tamen ſimilem pecori, vt voluit Vincentius.

Medici tamen.

2 Anatomia à Medicis facta vt corporis membra cognoſcerentur.

Cap.3.

1 Neſciiſſe Vincentium quid eſſet flatus hominis, & vnde fieret.

Cap.4.

4 Non eſſe ſcire neceſſe in hac quæſtione, Vnde anima originem habeat.

B

Cap.5.

1 Etſi anima noſtra opus eſt Dei, poſſe tamen ignorari quid ſit, vti & multa alia Dei opera à nobis ignorantur.

Quaſi vero.

2 Faciliùs corpus quàm animam à nobis cognoſci poſſe, quod tamen ignorari multis interrogationibus & exemplis docet Auguſtinus.

Cap.6.

1 Quia dixerat Victorius ſimiles eſſe pecoribus, qui animæ ſuæ naturã ignorant, cõtrà oſtendit Auguſtinus non tantùm eam, ſed longè faciliora multa poſſe à nobis ignorari. Quæ ignorantia tamen non eſt in nobis damnanda, tanquam ſimus propterea hæretici aut infideles.

Cap.7.

1 Multa quæ à nobis fuerunt percepta ignorari poſtea: & quæ ſcimus ſæpè ea ipſa pauca eſſe: quæ etiam, vtrùm ſolidè ſciamus nos nec idem ſcire.

C

Amicus quidam.

2 Simplicij quanta memoria fuerit.

Cap.8.

1 Etiam à Paulo & Dauide quædam ignorata fuiſſe.

Cap.9.

1 Nos neſcire quomodo & quid petere à Deo debeamus, nec tamen ſimiles propterea eſſe pecoribus.

Primum ſi ita.

2 Falſum eſſe, Cognoſci à nobis quæ & qualis ſit anima noſtra, & vnde oriatur, quia à pecore diſtamus: cùm multi à pecoribus diſtent, qui tamen iſta neſciant.

Cap.10.

1 Diuina teſtimonia tantùm docere Deum eſſe animorum datorem & formatorem, non autẽ quo modo eas in nos Deus immittat.

Vnde autem.

2 Explicatio ex Pſalm.49. *Homo cùm in honore eſſet*, factus eſt ſimilis pecoribus.

Abſit enim.

3 Præſtat ignorantiam ſuam profiteri, quàm in abſurda quædam incidere.

Cap.12.

1 Anima humana vtrum incorporea.

Si autem.

2 Corpus eſt quod maioribus & minoribus ſuis partibus, maiora & minora locorum ſpatia obtinet & replet. Item cap.21.

A

3 Lux viſibilis eſt corpus Auguſtino.

Corpus eſt aer. Non ergo inanis.

4 Non quicquid corpore caret inanis ſubſtãtia eſt, cùm Deus ſit incorporeus, nec tamen inanis ſubſtantia.

Quid enim.

5 Aere pleni vtres inuerſi non implentur.

Cap. 13.

1 Animam eſſe ſpiritum potius quàm corpus ex ipſius Victorij conceſſione probat Auguſt.

Cap.14.

1 Abſurda ſententia Vincentij, qui hominis animum putat eſſe interiorem hominem: ſpiritũ autem, intimum, qui anima ſuſcipiatur, vt homo ſentiat, quia ipſam animam corporalem eſſe cenſet Vincentius.

Sed elige.

2 Regeneratio interioris hominis ad Dei imaginem eſſe non poteſt, ex Victorij ſententia: nam facit & animam & ſpiritum corporeum, qui ad Dei imaginem effingi & inſtaurari non poterit, quia Deus eſt ſpiritus.

Cap.15.

1 Vincentii argum. Anima hominis eſt corporea, quia poſt mortem agnoſcitur à Lazaro epulonis diuitis anima: item, formam habet anima.

B

Rogo te.

2 Reſpon. Auguſt. Non quicquid agnoſcitur corporeum eſt: nec etiam quicquid formã habet.

Cap.16.

1 Ex parabola Diuitis epulonis nihil eſſe corporeum tribuendum animæ humanæ.

Quod vero.

2 Sinus Abrahæ non eſt locus corporeus.

Cap.17.

1 Anima hominis mortui, velut anima ſomniantis in ſimilitudine ſui corporis bona & mala, dura & læta ſentire poteſt, ex ſententia Auguſtini: nec tamen eſt propterea cenſenda anima corporea.

Niſi velis.

2 Viſa quæ nobis in ſomnis etiam à Deo obiiciuntur, non ſunt corporea.

Secũdum tuam.

3 Animam non eſſe ſua ſubſtantia corpore maiorem, ex ſententia Vincentij: ſed in corpore ad eius imaginem formari, velut in vagina, vbi gelando formetur: & vt liquor riget gelãdo: ſic anima in corpore diffuſa per cuncta membra gelando riget & condẽſatur: itaque totius corporis formam accipit, inf. cap. 20. Eſſe autem ex Dei flatu cõgelato in nobis, neque tamẽ præcidi partem animæ cum parte corporis præciſa, inf. cap.18. ſed eam denſando in alias corporis partes ſubtrahi cenſet iſte Vincentius.

C

Cap.18.

1 Nec etiam viſiones, quæ ſanctis obiiciuntur, eſſe corporeas, etſi de ſe aliquid ſancti tunc cogitent.

Vt ſit in anima.

2 Etſi anima non eſt corpus: tamen in ea ſimilitudo quædam corporis ineſſe poteſt, ex qua ſe mutuò animæ cognoſcant, ex Auguſt. ſentẽtia.

Veruntamen.

3 Animam, cùm corpus vulneratur, velociter ſe ex eo loco ſubtrahere dixit Vincentius: refutat Auguſt. quia nullus dolor tunc ſentiretur, cùm vulneraremur.

Cap.19.

1 Anima ſimilitudinem quidem corporis habet, & ſentit veros dolores & gaudia vera: ipſa tamen non eſt corporea.

Samuel ſpiritus.

2 Samuel apparens, fuit ſimilitudo corporis, non corpus.

Quis autem.

3 Homo ſe nouit, & anima ſe non corpoream corporalíque modo nouit.

A

Cap.20.

1 Eſt quidem triplex facultas & pars animæ, Senſus, Phantaſia, Ratio, nulla tamen eſt corpus: non diſcernitur etiam ſexu maſculino, vel fœminino Anima.

Quod enim.

2 Phœnix qui de ſua morte renaſcitur, eſt imago reſurrectionis : non autem confuſi in reſurrectione ſexus.

Animam dicis.

3 Animam hominis gelando riguiſſe ſtatim atque per cũcta membra corporis diffuſa eſt : ita totius corporisformam habere ſenſit Vincentius: nec tamen marem, vel fœminam eſſe.

Cur obſecro te.

4 Hoc conſequens negat Auguſtinus, quia ſi totius corporis formam retinet anima, ergo & genitalium membrorum: itaque ſexum habebit anima.

Cap.21.

1 Non quicquid animis noſtris corporis ſpecie occurrit, corpus eſt. Quod in nocturnis viſionibus & prophetiis verum eſſe docet Auguſt.

Cap.22

1 Etſi tota anima eſt ſpiritualis, tamen quædã eius pars eſt, appellatúrque diſtinctè ſpiritus.

Cum enim conſtet.

2 Spiritus in anima eſt ea pars, per quam ratiocinamur & intelligimus.

Hunc autem.

3 Mens & ſpiritus apud Paulũ ſunt ſæpè idẽ, vti in hoc dicto Epheſ.4.v.23. *Renouari ſpiritu mẽtis*, id eſt, mente ſæpe aliud vti, 1.Corint.14. *Orabo ſpiritu*, &c. Spiritum autem eſſe proprium & intimum ſenſum animæ dixit, inſ.cap.23.

B

Tamen.

4 Sæpe idem & toti & parti tribuitur.

Cap.23.

1 Animam humanam eſſe ſpiritualem, etiam ipſius Vincentij teſtimonio.

Vt ego.

2 Etiam animam brutorum animalium poſſe appellari in ſcriptura ſpiritum, non tamen eiuſdem eſſe generis, cuius eſt humanus animus & ſpiritus.

Cuius quidem.

3 Spiritus nomen eſſe generale quando & Deus, & ventus, ſpiritus dicuntur.

Cap.24.

1 Enumerat iterum vndecim errores Vincẽtij, quibus ſuam ignorantiam opponit, eámque vtiliorem eſſe docet Auguſt.

C

Cap.25.

1 Quòd à quibuſdam laudatus ſit Vincentius id factum, non quòd veritatem, ſed quòd eloquẽtiam ſcriptorum eius probarent.

EX LIB. AVGVST. DE PRÆDESTINATIONE ET GRATIA.

¶ Duplex eſt huius libelli vtiliſſimi ſcopus. Prior, vt cauſas electionis & reprobationis hominum ex mera Dei voluntate & propoſito eſſe doceat. Alter, vt Deum vel propterea accuſari poſſe neget: vel electos ad bona opera ſegnes reddi, liber de Correptione & Gratia ſecutus eſt hunc, vti apparet ex epiſtola Proſperi quæ ſequitur.

Cap. I.

SI quando ſcripturæ inter ſe pugnare videntur, non vnam per alteram euerti ſtatuendum eſt, ſed ſuam vtrique veritatem conſtare cenſendum.

Quod ſi.

2 In contrariis, qui videntur, ſcripturæ locis de Dei voluntate, hæc tria ſunt pro regula tenenda: primò, Deum neque iniuſtum eſſe: ſecũdò, Neque perſonarum acceptorem: tertiò, Neque infirmum.

A

Cap.2.

1 Contrariæ in ſpeciẽ ſunt hæ ſententiæ, Deus cuius vult miſeretur, & quem vult indurat: item, Deus vult omnes homines ſaluos fieri.

Sed quis.

2 De iuſtitia Dei ex legibus humanæ iuſtitiæ non eſt diſputandum.

Ab illo.

3 Deus eſt ſummè iuſtus, neque eſt aliud iuſtum, quàm quod illi placet.

Cap.3.

1 Hæc diſputatio non facit homines ad bona opera ſocordes, ſed eos potius ad ea excitat.

Quem ergo.

2 Dei omnes viæ miſericordia & iuſtitia, Pſalm.25.

Atque agnoſcit.

3 Deus cùm eligit & reprobat homines nihil niſi aut pœnas condonat, aut iuſtè punit quòd homines deliquerunt.

Vitiatæ.

4 Peccatum originale quod eſt diffuſum in omnes, obſtat quo minus Deus iniuſtus eſſe dici poſsit.

Facilius.

5 Nullus punitur & ſentit pœnam à Deo, qui idem culpæ reus non ſit in ſeſe.

Quod vero.

6 Qui eliguntur conqueri nõ poſſunt de Dei iniuſtitia erga ſe.

Cap.4.

1 In quæſtione de Reprobatione hominum, potius querelæ hominum aduerſus Deum oriuntur.

B

Quod vero.

2 Vox, *Indurat Deus*, non ſignificat aliquam malitiam, quæ non inerat, immitti & infundi in hominem à Deo.

3 Malitia & rebellio eſt ab hominis voluntate, qui à diabolo cogi non potuit, ſi noluiſſet aſſentiri.

Indurare.

4 Indurare eſt non emollire.

Cap.5.

1 Varia eſſe præſcientiæ, gratiæ, & iuſtitiæ Dei effecta, & ea diſtinguenda.

Mundus enim.

2 In Dei pręſcientia omnia ſunt ab æterno.

Ab illo ergo.

3 Dei electio & propoſitum, alios in honorẽ, alios in contumeliam fecit.

Et in ipſa.

4 Eligit Deus in ſua præſcientia & eodẽ momento quo præſciuit.

Atque ita vno.

5 Præſcientia, electio, creatio in Deo æterna ſunt, etſi ſuo tẽpore poſtea patefacta ſunt, & executioni ſuo tempore mandata.

C

Cap.6.

1 Si iuſtificatio noſtra eſt ex Dei electione, ergo non electi culpa carent quando ſunt praui: argumentum aduerſariorum.

Dicat.

2 Reſponſ. Deus cui vult condonat, à quo vult debitum poſcit: & ita nulla eſt apud eum iniquitas.

Quod qui

3 At hoc iniuſtum eſt, argumentum aduerſariorum.

O homo.

4 Reſp. Tu homo qui es, qui Deo reſponſas?

Non ad operatio.

5 Induratio non ad operationem Dei, ſed ad præſcientiam pertinet.

Vtente enim.

6 Reprobis bene vtitur Deus, & per eos ſuã gloriam in ſeſe quidem plenam nobis patefacit.

Cap.7.

1 Deum habere eligendi homines & reprobandi poteſtatem docet ſcriptura.

Nulla eſſe.

2 In Eſau & Iacob nec momenta meritorum, nec merita parentum conſiderari poſſe.

Non ex operibus

3 Verba hæc, *Non ex operibus*, & præterita & futura opera excludunt.

A

Cap.8.

1 Electionem eſſe ex mera Dei gratia probat ex eo, quòd electi, vaſa miſericordiæ vocantur.

Ecce quàm.

2 Doctrina de Electione & reprobatione eſt antiquiſſima in eccleſia Dei, Deuter.8.

Cap.9.

1 Propter electionem non debemus eſſe incertes aut ſegnes ad benè agendum, nam vocat nos Deus vt ſequamur.

Liberum.

2 Liberum arbitrium noſtrum per ſeſe prono lapſu ad nequitiam fluit.

Cap.10.

1 Electos debere operari, & Deum ſequi vocantem exemplo Pauli.

Ideóque additum.

2 Miſericordiam conſequimur, vt opera miſericordiæ faciamus.

Cap.11.

1 Quod multi vocati dicuntur, qui tamen nūquam vel ſanctè viuunt, vel benè agunt, oſtendit à Deo ipſo eſſe donum bonorum operum, non à libero arbitrio noſtro.

Hæc eſt prima.

2 Opera bonæ voluntatis ſequuntur gratiam iam à Deo nobis factam.

Cap.12.

B

1 Dauidis & Pauli, quorum ille propheta, hic Apoſtolus fuit teſtimonio probat, rectè velle & agere non ex libero arbitrio noſtro eſſe, ſed ex Dei gratia pendere, qui in nobis agit pro bona voluntate ſua.

Cap.13.

1 Vitioſitas rebellióque voluntatis eſt, non tantùm in hominibus natis ex Adamo: ſed etiam in renatis in Chriſto.

Per id regenerat.

2 Regeneratio non excludit gratiam Dei, quin ea nobis ſit neceſſaria.

Et quoniam.

3 Chriſtus venit vt peccata renatorum deleret, quæ lex non potuit tollere.

Nulli tamen.

4 Reprobati non ſunt à Deo priuati poteſtate agnoſcendæ veritatis, & ideò ſunt inexcuſabiles: facultatem enim ipſam habent, voluntatem non habent.

Toto orbe.

5 Electi ſunt à Deo quidam, vt multiplicaretur eccleſia.

Cap.14.

C

1 Et electi Dei miſericordiam laudare, & reprobati ſiue damnati Dei iuſtitiam agnoſcere debēt, ſuǽque damnationis & indurationis culpam ſuis peccatis tribuere, non autem eam Deo adicribere.

Cap.15.

1 Obiect. At reprobati mutari non poſſunt, quia eos tales præſciuit Deus.

Reſpondetur.

2 Reſp. Pręſcientia Dei neminē cogit, & ſi illa falli nō poteſt: aliter enim vera & certa non eſſet.

Vnde Nabugo.

3 Quòd ſæpè eadem Dei flagella in duobus diuerſè operantur, vni ad ſalutem, alteri verò ſunt inutilia, etſi Dei quidem iuſto iudicio fit, tamen culpa & voluntate iſtorum id accidit, & ideò qui non proficit, eſt planè inexcuſabilis.

Vt nouerit.

4 Nihil fit nolente Deo.

Cap.16.

1 Cur è duobus etiam nondum natis alius eligatur, alius non, ſed reprobetur fit volūtate Dei, eáque iuſta: nam cui vult, debitum ſuum donat & remittit Deus: à quo vult exigit.

Si humanum.

2 Etſi homines non peccaſſent, potuit tamen Deus ex eis vnum eligere, alium reprobare, quia qui eſſe donauit, potuit deffinere & ſtatuere propter quem finem, illi eſſent à ſe creati & facti.

A

Hancitaque.

3 Electio noſtra ex mera Dei gratia pendet.

4 Ita de Electione & Reprobatione eſt diſputandum, vt Dei iuſtitiā, non noſtram ſtabiliamus.

EX EPISTOLA PROSPERI MASSILIENSIS

EPISCOPI.

Multi.

1 STatus cauſæ eſt, Vtrùm rectè dixerit Auguſt. ſuperiore libro, cap.8. N.1. Electionem noſtram pendere ex ſolo Dei propoſito & gratia.

Hæc enim.

2 Prima ratio aduerſariorum, Etſi omnes in Adam peccauerunt, tamen Deus omnibus æqualiter proponit ſalutis ſacramenta: ergo non eſt ex mero propoſito Dei electio noſtra: ſed ex præſcientia futurorum operum noſtrorum, quę Deus ab æterno præſciuit.

Et ad operandum.

3 Secunda ratio, Omnibus exhortationes diuinæ proponuntur: ergo omnes poſſunt ad ſalutē peruenire, niſi ſi qui ipſi noluerint. Quorſum enim exhortationes hæ fierent.

B

Remouent.

4 Tertia, Omnis ad benè agendum conatus & induſtria exſtinguitur, ſi aliud habeat prædeſtinantis electio, aliud annitentis intentio, & ſi Dei conſtitutio humanas præuenit voluntates.

Fatalem.

5 Quarta ratio, Hoc modo Fatalis inducitur neceſſitas.

Quæ de epiſtola.

6 Quinta, Nemo vnquam ita epiſtolam ad Romanos explicauit.

Eò poſtremò.

7 Sexta, Præſtare huiuſmodi doctrinam taceri, quàm promi & doceri in eccleſia.

Quidam verò.

8 Quid & quomodo quidam ſentiant de Dei gratia, nempe Deum dare homini immerenti facultatem petendi, pulſandi, & operandi, qua bene homo ipſe ex ſeſe poſtea vtatur. Itaque dat Deus gratiam initialem, quia naturalem facultatem inſtaurat, ipſe homo rectè ex ſeſe ea gratiâ vtitur: ergo bonitatem appellant Dei, ſi neminem repellat à vita & via ſalutis.

Paríque momēto.

9 Prima ratio, Pari vi naturæ & arbitrij animus hominis ſe ad vitia & virtutes mouet & excitat.

C

Tales aiunt.

10 Secunda, Qui pereunt paruuli, Deus eos improbos futuros fore nouerat.

Hāc ſanè.

11 Tertia, Quòd quædam nationes non vocentur ad Euangelium, id fieri à Deo, quia eas non crederituras eſſe præſciuit.

Pro vniuerſo.

12 Quarta, Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ergo nemo à ſalute æterna niſi propria culpa excluditur.

In iſtam.

13 Quinta, Deus neceſſitate ageret, ſaluaret enim neceſſariò quos elegit.

Nec acquieſcūt.

14 Sexta, Saluandorum & damnandorum numerus poteſt augeri vel minui.

Ac ſuperflua.

15 Septima, Fruſtrà ad benè viuendum homines incitarentur.

Et voluntas.

16 Octaua, Denique gratiâ Dei non præuenit, aut ſubiicit ſibi humanam voluntatem, ſed humana voluntas inchoans obedientiam parat ſibi diuinæ gratiæ opem.

Deinde.

17 Primò, gratia præoperans & cooperans. Secundò, propoſitum & præſcientia quomodo ſe habeant, & vtrùm quæ præſcit Deus, idcircò

præſciat,

A præſciat, quia apud ſe ea propoſuerit. Tertiò, vtrùm electi & reprobi ſint cohortandi ad benè viuendū. Quartò, vtrùm propoſitum Dei, ex præſcientia futurorum operum ſit, vt veteres quidam cenſuerunt.

EX LIB. DE PRÆDESTINATIONE SANCTORVM I.

¶ *Cùm prior libellus non planè ſatisfeciſſet quibuſdam, imò potius curioſos acuiſſet, Proſperi & Hilarii epiſcoporum Gallorum precibus adductus Auguſt. hos duos libellos addidit, vt aduerſariorum argumentis reſponderet. Sunt autem ſcripti poſt librum de Corrept. & Gra.*

Cap. 1.

1 DVo concedūt aduerſarij. Primò, Omnes homines in Adamo peccaſſe. Secundò, Neminem ſibi ſine Dei gratia præueniēte ſufficere ad bene agendum.

Cap. 2.

B 1 Fides primùm datur nobis à Deo, non tantùm ipſius incrementum, contrà quàm tamen ſcripſit Pelagius.

Videte. 2 Si credenti fides augetur, quia credit, meritis noſtris fides datur, nec gratia amplius eſt gratia.

Cur autē. 3 Qui incipere & inchoare poteſt, idem poteſt perficere: ex quo fit, vt Deo vel homini incipienti totum ſit tribuendum.

Cap. 3.

1 Autoritate Cypriani ſuperiorem ſententiā confirmat.

Quò præcipue. 2 Auguſtinus ipſe aliquando in hoc argumēto errauit, adeò vt fidem à nobis eſſe crederet.

Cap. 4.

1 Auguſtinus errorem ſuum primum in libris ad Simplicianum correxerat.

Sed ne hoc. 2 Vti tota fides à nobis non eſt, ſic nec eius initium.

Cap. 5.

1 Paulus his verbis, *Quid habes quod non accepiſti*, & dona Dei, quæ in natura hominis adhuc integra fuerint: & illas reliquias, quæ in ea vitiata manſerunt, non eſſe à nobis demonſtrat.

Nūquid. 2 Illam Pauli ſententiā maximè ad bona ſpiritalia, quibus boni à malis diſcernuntur, qualiſq; eſt fides, charitas, &c. pertinere.

C Sit ergo. 3 Sed neque ſpectabat tunc Paulus ſolùm naturalia Dei dona in homines, per quæ illi vel ſunt, vel aptiores ſunt ad aliquid efficiendum, vti ad currendum.

Proinde poſſe. 4 Poſſibilitas credendi eſt relicta in natura: fides autem ipſa aut credere eſt Dei donum & gratiæ, non naturæ effectum in nobis.

Cap. 6.

1 Etſi non niſi volentes credunt, tamen fides eſt donum Dei gratuitum, quia in electis præparatur à Deo etiam ipſa eorum voluntas, vt credāt.

Quidquærebat. 2 Qui non credunt, etſi nolunt credere, tamē iuſto Dei iudicio eorum voluntas excæcatur.

Electio. 3 Electio eſt gratiæ & non retributionis: ergo non ex meritis.

Cæteris autem. 4 Excæcatio tamen eſt iuſta retributio & merces.

Cap. 7.

1 Fidem non eſſe ex operibus: ſed ex Dei dono probat autoritate Chriſti.

2 Fides inter opera non numeratur, quia eſt ipſa omnium bonorum operum fons. A Ex fide.

3 Fides à nobis eſt, reliqua à Deo: obiectio aduerſariorum. Et dicitur.

4 Reſp. Cùm fides ſit fundamentum noſtræ ſalutis, eſt ab eodem, à quo totum ædificium & opus ipſum ſalutis noſtræ. Quaſi ad.

5 Omnia opera bona quolibet tempore, facta, ſunt Dei dona. Quicquid.

Cap. 8.

1 Hoc idem confirmat variis ſcripturæ locis, nempe fidem eſſe à Deo, non à nobis. Quando.

2 Deus aufert cor lapideum, & dat carneum, vt credamus. Sicut ergo.

3 Omnes docet Deus, non quia doceat ſingulos, ſed quòd omnes qui docētur, eos Deus docet. Neque enim.

4 Audire Dei verbum, eſt quiddam cōmune omnibus hominibus: credere autem non item.

Cap. 9.

1 Cur non det Deus omnibus vt credant, etſi explicari non poteſt, iuſtè tamen ab eo fit, quia omnes ſumus natura rei. B Proinde.

2 Cur Chriſtus demum poſt tantùm temporis apparuit & homo factus eſt. Vtrum.

3 Præſcientia & Prædeſtinatio Dei differunt.

Cap. 10.

1 Explicat ſuam ſententiam Auguſtinus. Inter gratiam.

2 Prædeſtinatio quid ſit: quid item Gratia. Prædeſtinatio.

3 Prædeſtinatio & Præſcientia quid differāt. Præſcire.

4 Non quæcunque præſcit Deus, ea prædeſtinat.

Cap. 11.

1 In præceptis Dei non vnū à nobis ipſis exigi: alterū à Deo offerri: ſed vtrunque eſſe Dei donum, & quod iubetur, & quod offertur. Ideò enim.

2 Exiguntur à nobis quæ Deus tamen facit in nobis, vt intelligamus nos debere illa Deo, & Deum tamen efficere & præſtare nobis vt iſta faciamus.

Cap. 12.

1 Argumento & exēplo paruulorum qui ſalui fiunt, manifeſtiſsimè doceri, electionē nō ex operibus futuris fieri, ſed ex mera Dei gratia.

Cap. 13.

1 In paruulis ante annos diſcretionis morientibus futura peccata, aut bona opera præuideri non potuiſſe, quia nulla futura fuerunt.

Cap. 14.

1 Autoritate Cypriani idem confirmat. C Quod à me.

2 Liber Sapientiæ repudiatur. Quid igitur.

3 Veteres patres ante Auguſtinū de Electione non diſputarunt, quia nondum ea quæſtio vexabatur in eccleſia Dei. Vt huic veritati.

4 Illa ſententia vera eſt, cuius contrarium eſt abſurdum.

Cap. 15.

1 Humana natura ne in Chriſto quidem ipſo gratiam Dei accepit ex meritis operum, nedum vt eam in nobis accipiat ex meritis. Nam & ipſum.

2 Chriſtus etſi gloriæ dominus eſt, tamen in quantum homo, prædeſtinatus eſt. Ipſa eſt illa.

3 Eſt vna perſona Chriſtus, qui & Deus verus eſt, & homo verus. Sicut ergo.

4 Chriſtus vt caput eccleſiæ eſt prædeſtinatus. Ille facit.

5 Principium & perfectio fidei eſt à Deo.

Cap. 16.

A 1 Cùm prædeſtinati vocentur à Deo efficaciter, non autem communi tantùm & generali modo, colligunt Dei gratiæ, non eorum voluntati cauſam eius rei eſſe tribuendam.

Eſt ergo. 2 In nobis eſt malè agere, benè autem agere, non eſt.

Cap.17.

1 Electi non ſunt homines, quia crediderunt: ſed credunt, quia & poſteaquàm ſunt electi.

Quos enim. 2 Non alios vocat efficaciter Deus, quàm quos prædeſtinauit.

Cap.18.

1 Autoritate Pauli probat electos non propter opera ſua à Deo eligi: ſed demum poſtquàm ſunt electi, benè operari.

Cap.19.

1 Excipi iſtud non poſſe, Nos ſolam fidem habere, propter quam eligamur, nondum autem bona opera, quia ad ea ſumus prædeſtinati.

Ipſe ergo. 2 Reſp. Deus qui omnia operatur in nobis, fidem quoque in nobis operatur.

Cap. 20.

B 1 Initium fidei etiam eſſe à Deo, non tantùm eius perfectionem variis ſcripturæ locis probat Auguſtinus.

Cap.21.

1 Peroratio operis, in qua veniam Auguſtinus petit, quòd tanquam cum aduerſariis diutius hoc argumentum tractarit.

EX LIB. II. QVI DICITVR DE BONO PERSEVERANTIAE.

Cap.1.

C 1 Perſeuerantiam ad finem vſque vitæ, & primam ipſam fidei ſuſceptionem eſſe donum Dei.

Vſque in finem. 2 Perſeuerantia ea demum eſt quæ vſque ad extremum huius vitæ tempus perſtat & manet.

Nam ſi habeat. 3 Perſeuerantiæ ab aliis virtutibus diſcrimen, quòd aliæ eſſe poſſunt virtutes, & tamen amitti: iſta ſi amittatur, perſeuerantia non eſt.

Cap.2.

1 Perſeuerantiam eſſe donum Dei.

Vobis donatum. 2 A coniunctis probat, ſi pati pro nomine Chriſti eſt donum: ergo & perſeuerare.

Sed quis. 3 A minori ad maius: ſi leuior perſeuerantia eſt Dei donum, vt in morbo: ergo & maior.

Hanc enim. 4 Ab autoritate ſcripturæ, Hier.32.

Cur autem. 5 A conſequenti: ſi Perſeuerantia petitur à Deo precibus, ergo datur à Deo.

Nam tria ſunt. 6 Tres præcipui Pelagianorum errores.

Dicimus inquam. 7 Ab autoritate Cypriani Orthodoxi & Martyris.

Cap.3.

1 Explicatur ex Cypriano illa precatio, *Fiat voluntas tua.*

Cap.4.

1 Ex eodem Cypriano exponitur *Panem noſtrum quotidianum da nobis.*

Cap.5.

1 Explicatur precatio ex eodem Cypriano, *Dimitte nobis debita noſtra.*

Cap.6.

1 Explicatur ex eodem, *Ne nos inferas in tentationem.*

A

At enim. 2 Etſi voluntate quiſque ſua Deum deſerit, tamen Perſeuerantia noſtra eſt à Deo.

Non autem. 4 Perſeuerantia non ex parte à nobis eſt, ex parte autem à Deo: ſed tota à Deo.

Cap.7.

1 Non eſt in nobis liberóque arbitrio noſtro ſitum, vt perſeueremus, quia voluntas noſtra ſerua eſt peccati.

Manus igitur. 2 Vt non diſcedamus à Deo, eſt opus Dei, non noſtrum.

Cap.8.

1 Perſeuerantiæ donum non datur à Deo omnibus, quia iuſtus eſt: datur quibuſdam, quia eſt miſericors.

Si in remittẽdo. 2 Propterea tamen nullam apud Deum eſſe iniquitatem docet Auguſtinus.

Sed cur inquit. 3 Reſpondet ad varias obiectiones, è quibus hæc prima eſt, Cur è geminis vnum eligit Dominus. Reſp. quia vult.

Sed ſi iã. 3 Secunda, Cur alium potius, quam me eligit. Reſp. Quia ſunt eius iudicia inſcrutabilia.

B

Adhuc pergat. 4 Tertia, Cur qui voluit perſeuerare, à Deo hoc donum perſeuerantiæ non habuit? Reſp. quia multi videntur velle, qui tamen reuera nolunt. quia ſunt hypocritæ.

Deus autem. 5 Deus miſcet malos bonis, vt hi & humilientur & caueant ſibi.

Quem ſecutus. 6 Ambroſij dictum ad totius ſuperioris diſputationis confirmationem allatum.

Illud tamen. 7 Is, cui non datur Perſeuerantia, non eſt ex prædeſtinatorum numero.

Cap.9.

1 Deus non iudicat homines ex operibus, quę præſciuit eos facturos ſi viuerent, & quæ illi non effecerunt quia mortui ſunt, immatura morte prærepti.

Cap.10.

C 1 Infantes non eliguntur à Deo, reprobãtúrue ex operibus, quæ præſciuit Deus eos facturos ſi diutiùs vixiſſent.

Quidam. 2 Doctoris cuiuſdam ſententia exploſa.

Cap.11.

1 Noſtra electio prædeſtinatióque omnino ex Dei voluntate & miſericordia pendet, non ex vllo noſtro merito, vlláue dignitate noſtra.

Cur autẽ. 2 Non aliud de paruulis, quàm de maioribus natu in electionis negotio deffinienda ſtatuendum eſſe.

Contra quos. 3 Libri de libero arbitrio contra ſolos Manichæos ſcripti ſunt olim ab Auguſtino.

Denique in primo. 4 Libri Retractationum cur ſcripti, & quando.

Vt etiãſi. 5 Ignorantia & imbecillitas vtrum ſint primordia, an ſupplicia naturæ humanæ.

Cap.12.

1 Concluſio ſuperioris diſputationis.

Defenditur. 2 Pelagianorum ſententia de hac quæſtione, quomodo paruulus morientibus gratia ſine vllis meritis detur.

Quod auerſus. 3 Ex fato Dei gratiam pendere non cenſent Chriſtiani Orthodoxi: neque eam fato tribuunt.

Si enim. 4 Libri de libero arbitrio ſcripti Romæ.

Neque enim fato. 5 Fato non tribuitur Dei gratia ab Orthodoxis.

Cap.13.

1 Alio abſurdo docet falſam eſſe eorum ſen-

ten-

A tentiam,qui volūt nos eligi aut reprobari à Deo, prout præuidit opera noſtra futura, ſi diutiùs vixiſſemus.

Ideò quippe.

2 Boni cum malis cur miſcentur,ſuprà cap.8. verſ.5.

Deus eſt enim.

3 Deus facit vt & benè velimus,& operemur, & perſeueremus.

Quod ergo.

4 *Surſum corda*,in ſacramenti Cœnæ adminiſtratione pronuntiari ſolitum.

Cap.14.

1 Aduerſus eos qui contendunt explicationē de Prædeſtinatione in eccleſia eſſe & inutilem, & noxiam.

Nónne illa.

2 Refutatio eorum exemplo Pauli,qui eam doctrinam ſæpè commendat & tradit.

Nunquid.

3 Non fieri propterea homines ad benè agendum ſegnes,quòd in bonis operibus Deus dicatur dare & velle & perficere.

Nempe.

4 Rectè & conuenienter Dominus pręcipit, vt credamus & bona agamus,qui tamen à ſe docet eſſe hoc donum. Itaque autoritate ſcripturæ hanc doctrinam vtilem eſſe demonſtrat.

B

Ex quo apparet.

5 Etiam qui videntur quodam zelo pietatis à Deo donati, & munere intelligentiæ,tamen non credunt,niſi ſint à Deo prædeſtinati.

Cuius inſcrutabilia.

6 Cur autem ſint, aut non ſint prædeſtinati homines, iuſto & inſcrutabili Dei conſilio & iudicio fieri.

Nec prædeſtinationis

7 Concluſio,neque prædicatio prædeſtinationis impedit exhortationes ad benè viuendum: neque hæ etiam illius explicationem.

Quod vidit.

8 Id teſtimonio Cypriani confirmat.

Quanuis ergo.

9 Etſi homines ad bona opera hortari debemus,tamen,vt ea faciant,eſt Dei donum.

Vnde Apoſtolus.

10 Confirmat autoritate Pauli.

Hinc eſt.

11 Confirmat autoritate Chriſti.

Aures ergo.

12 Aures audiendi ſunt Dei donum.

Nunquid ideo.

13 Quanquam cur quid fiat non intelligimus, non eſt negandum tamen id fieri.

Cap.15.

1 Altera obiectio contra hanc doctrinā, Neminem corripi debere & excitari poſſe, ſi doceamur ex Dei prædeſtinatione dependendum eſſe.

Iſta cum dicunt.

2 Reſponſ.Nō propterea non excitandos eſſe C homines,quia Dei prædeſtinatione nos bonos fieri ſcriptura docet.

Sicut non.

3 Exemplo prædicationis de præſcientia Dei id confirmat.

In Monaſterio.

4 Monaſterium Auguſtini.

Qui profectò.

5 Fruſtrà ab hominibus in Dei prædeſtinationem & conſilium ſua peccata, ſuámque ſegnitiem reiici.

Cap.16.

1 A ſimili confirmat ſuam reſpōſionem, quod eſt ſumptum à precandi præcepto.

Dicatur.

2 Doctrina de Prędeſtinatione verè & liberè cùm locus poſtulat prædicanda.

Facile eſt.

3 Verum taceri tum demum poteſt, cùm ſine periculo cuiuſquam tacetur.

Autenim

4 Aut prædeſtinatio prædicanda eſt, aut hominum merita confitenda.

A Pelagianorum.

5 Neceſſe eſt ei, qui confitetur Dei gratiam præuenire noſtram fidem & voluntatem,confiteri etiam Prædeſtinationem Dei.

Cap.17.

1 Perſeuerantiam in bono vſque ad finem vitæ nobis à Deo mera ipſius gratia dari.

A

Videte quam.

2 Prima ratio,A conſequenti: nam & ipſum vitæ finem dat cùm vult.

Sed mirabilior.

3 Secunda,A maiori ad minus: paruulis ipſis ſuam gratiam dat Deus,qui nunquam ſibi obedierunt,ergo & aliis qui ſunt obſequuti.

Nam in ſua.

4 Prædeſtinare,In Deo eſt futura ſua opera diſponere.

Sed ii,qui.

5 Aduerſus eos,qui volunt fidei noſtræ initiū & perſeuerantiam in nobis eſſe: cætera à Deo. Quanta ex ea ſententia abſurda ſequantur, explicat Auguſtinus.

Quod vt apertius.

6 Exemplo ſapientiæ & continentiæ docet & reliqua dona eſſe à Deo, & tamen ad ea homines exhortandos eſſe.

Neque iſti.

7 Retorquet in eos,quod aiunt prę dicatione Prædeſtinationis exhortationes impediri,& langueſcere.

At enim quod.

8 Etſi defectio à fide fit voluntate deficiētis, nō idcirco tamē Perſeuerantia Dei donū non eſt.

Ego autē.

9 Plus ſpei hominibus afferri per prędicationem prędeſtinationis,quàm ſi ea omittatur, quia B docentur homines non in ſeſe,ſed in Deo ſperare.

Cap.18.

1 Præſcientiam pro Prædeſtinatione accipi nonnunquam.

Cap.19.

1 Patrum autoritate ſuperiorem doctrinam de gratuita noſtri electione confirmari, & vtilem probari,neque ſanctis exhortationibus contrariā eſſe docet Auguſtinus.

2 Cypriani ſententia.

Quid autem.

3 Ambroſij dictum & ſententia.

Beatus quoque.

4 Gregorii Nazianzeni ſententia.

Cap. 20.

Sed his duobus.

1 Concluſio,prædicationem prædeſtinationis non eſſe contrariam exhortationibus, quæ fiunt ad bona opera, neque admonitioni, correptioni, & ſtudio pietatis noſtro.

Quod autem.

2 Etiam ante Pelagianam hæreſin, hanc doctrinam de prædeſtinatione notam fuiſſe & certam,non incertam.

Quod plenius.

3 Libri ad Simplicianum epiſcopum ab Auguſtino ſcripti.

Quæ poſtea.

4 Hæreſes ſcripturæ diligentius explicandæ occaſionem afferunt.

C

Cap.21.

1 Si vel initium fidei, vel alia opera ſunt à nobis,gratia nobis datur ſecundùm merita noſtra.

Itémque ſi.

2 Qui perſeuerantiam Dei donū eſſe negant, fauent Pelagianis.

Et ego quidem.

3 Liber de Correptione & Gratia.

Beatus quoque.

4 Cyprianus ſententiam Auguſtini de Perſeuerantia confirmat, & ipſe eam antea aliis libris explicarat.

Nam propterea.

5 Retractationum libros cur ſcripſerit Auguſtinus.

Inter initium.

6 Virtutes ſunt medium iter,inter fidei initiū & perſeuerantiam vſque ad finem.

Quæ tamen.

7 Prædeſtinatio ſic prædicanda,vt plebs ædificetur,non vt fiat ſegnis ad bona opera.

Cap.22.

1 Prædeſtinatio vt prædicanda, ne quidam in deſperationem Dei adduci à ſalute videantur.

Cap. 23.

1 Perſeuerantiam eſſe dei donum ſemper Dei eccleſia credidit, & publicis priuatíſque orationibus demonſtrauit: de eo tamen non fuiſſe an-

tea diſputatum, nullo vrgente aduerſario.

Quis enim. Quod vidit. Ille itaque.

2 Animus orandi in nobis Dei donum eſt.

3 Ambroſij ſententia id confirmat.

4 Eccleſia ſemper habuit doctrinam de Prędeſtinatione notam & certam.

Cap. 24.

1 In hac quęſtione non tã diſputationes quærendæ, quàm orationes ad Deum adhibendæ.

Nullum autem.

2 Chriſtus ipſe eſt pulcherrimum prędeſtinationis exemplum.

Neque enim.

3 Chriſtus homine aſſumpto non quaternitatem perſonarum in diuinis induxit.

Aſſumptione.

4 Chriſtus etſi homo eſt & Deus, vna tamen eſt perſona, natura quaque manente quidem, ſed diſtincta ſuis proprietatibus ab alia.

DE PRÆDESTINATIONE DEI.

VEl vnus hic libellus oſtẽdit, quàm multa notha ſint inſerta Auguſt. operibus, quando omnino ſuperiori ſentẽtię repugnat hic autor, cuius tamẽ liber tanquam Auguſtini eſſet, hic eſt additus: itaque à nobis eſt prætermiſſus.

DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO AD VALENTINVM.

¶Eſt hic liber longè vtiliſſimus, & tanquam in tota hac quæſtione fundamentalis. Quid enim in hoc toto argumento ſit ſequendum, commodè explicat, & breuiter, quem etiam ipſe Auguſt. in fine libri commendat, & cap. 1. ſeq. libri de Correptione & Gratia.

Cap. 1.

1 CVr ſcribat de iiſdem rebus Auguſt. de quibus antea idem multa compoſuit.

Itaque.

2 In omni obſcura quæſtione hic modus eſt ſeruandus, vt quæ ſcimus, iam Deo accepta feramus: quæ nondum ſcimus, ad ea intellectum ab eodem petamus.

Cap. 2.

1 Liberum arbitrium tribui homini in ſcripturis, & præcipi illi recta, vt quiſque noſtrum intelligat ſe eſſe inexcuſabilem.

Sed ſunt homines.

2 Liberum arbitriũ tribui homini, ne in Deũ noſtri peccati culpam transferamus.

Quid illud.

3 Multis ſcripturæ vtriuſque teſtamenti locis probat voluntatis arbitrium in nobis eſſe.

Cap. 3.

1 Etiam qui ſine lege & Dei cognitione vixerunt, punientur, quia Deum cognoſcere potuerũt & ſponte officium ſuum in Deo quærendo prætermiſerunt.

2 Idem eſt iudicari ex lege Dei & perire.

Quod mihi. Ecce vbi.

3 Grauius peccat ſciens legem Dei, quàm neſciens.

Nec tamen.

4 Etſi neſciẽs leuiùs punitur, non eſt tamen confugiendũ ad voluntariæ ignorantiæ tenebras.

Veruntamen

5 Scientia & cognitio Dei eſt ab ipſo Deo.

Et vtique.

6 Velle & nolle eſt proprium noſtræ voluntatis: ergo arbitrium, id eſt poteſtatem, in nobis eſſe arguit.

Cap. 4.

2 Sic omnes ſuperiores loci de bene viuendo & libero arbitrio ſcripti intelligendi ſunt, ne tamen benè agere à nobis ipſis eſſe exiſtimemus.

Intelligite. In homine.

2 Hieremiæ dictum, *Maledictus homo qui ſpem habet in homine*, quàm latè pateat.

3 *Carnis* vox deiicit omnem faſtum hominũ.

Talis eſt.

4 Pelagiana hæreſis recens erat tempore Auguſtini iam ſenis.

Proinde.

5 Voluntatem benè agendi eſſe Dei donum & gratiam, id quod probat.

Ac primum.

6 Exemplo continentiæ.

Neque enim.

7 Quæ præcipiuntur, etſi oſtendunt eſſe voluntatem obediendi in homine, non tamen docent eam voluntatem eſſe ab ipſo homine, ſed à Deo potiùs.

Ergo & victoria.

8 Victoria aduerſus peccatum & legem Dei, eſt Dei donum.

Nec tamẽ ſufficit.

9 Quod oramus & petimus à Deo ne vincamur, oſtendit hoc Dei donum eſſe.

Cap. 5.

1 Pelagiani aiunt gratiam Dei nobis dari ſecũdùm merita noſtra.

Nã inter.

2 Hoc tam tetrum etiam ipſi Pelagio viſum eſt, vt ſtatim anathematizarit.

Sed illi qui.

3 Duplex meriti ratio à Pelagianis conſtituta eſt: prima, Quòd agimus cum Deo: ſecũda, Quòd primi quærimus eum.

Hoc eſt gratiam.

4 Reſp. Ergo gratia non eſt gratia, ſi meritis datur.

Id eſt, non ſolum.

5 Sic gratia Dei agit in nobis, vt etiam det nobis voluntatẽ bonam Deus, qua volentes agimus.

Vt autem

6 Pauli exẽplo tum teſtimonio probat nobis gratis dari Dei gratiam, non ex meritis noſtris.

Cap. 6.

1 Merita noſtra eſſe incipiunt poſt Dei gratiam in nobis, & per eam.

Ideò neceſſarium

2 Gratia Dei non tantùm nos primùm cõuertit ad Deum, vt ex impiis fiamus pii: ſed etiã perpetuò comitatur, & nobiſcum permanere debet vt firmi maneamus.

Ergo.

3 Exemplo Pauli confirmat ſuam ſententiam Auguſtinus.

Sed cùm dicunt.

4 Pelagiani ſic diſtinguunt, vt gratiam remiſſionis peccatorum, quam vocant primam, gratis nobis dari velint: poſteriorem autem gratiam, per quam ad vitam æternã peruenitur, ex meritis noſtris dari affirment.

Reſpondendum.

5 Reſp. Augnſt. Nihil nos habere boni, niſi à Deo, & ex mera ipſius gratia.

Cap. 7.

1 Deus cùm merita noſtra coronat, non noſtra, ſed ſua dona coronat.

Proinde.

2 Exemplo Pauli id confirmat.

Quod apertiſſimè

3 Explicatio dicti Pauli, *Fides eſt donum Dei*, Epheſ. 2. verſ. 8.

Homines autem. Sed quia.

4 Dictum Pauli hominem ſine operibus iuſtificari per fidem quid ſonet, aut valeat.

5 Et fides, & opera bona, & vita æterna Dei gratîa appellantur à Paulo, & cur.

Cap. 8.

1 Quæſtio nobilis, Quomodo vita æterna dicatur, reddi operibus noſtris bonis, & tamen eſſe gratia.

Iſta ergo.

2 Reſp. Quia bona etiam opera noſtra ſunt Dei dona & gratuita.

Sed illa.

3 Vita æterna eſt merces iuſtitiæ, & gratia pro gratia.

Cap. 9.

1 Rectè ex mente ſcripturæ, atque etiam ex phraſi dici gratiam pro gratia nobis dari.

Vt hinc.

2 Deus nos ad vitam æternam deducit non

A ex meritis noſtris, ſed ex ſola ſua miſeratione & gratia.

De quo in Pſal. 3 Confirmat id dicto Dauidis.

Itaque fratres. 4 Cur liberum arbitrium in nobis agnoſcere debeamus.

Cap.10.

1 Dicto Pauli, quod explicat, probat nos non ſaluos fieri operibus noſtris nec meritis, nec per legem.

Cap.11.

1 Pelagiani aiunt, etiamſi per legem iuſtificemur, tamen gratiam Dei ſic à ſe ſtabiliri, quia lex data eſt nobis gratia Dei, vt nos erudiret de Dei voluntate.

Quid eſt miſeri. 2 Reſp. 1. Hanc ſententiam planè eſſe cõtrariam dicto Pauli.

Vt enim non ſe. 3 Qui benè agunt, ſpiritu Dei aguntur, non ſuo, vt rectè agant.

Cap.12.

1 Errare omnes qui ſuam iuſtitiam quærunt, aut ſtabilire contendunt.

Et vt ſciatis. 2 Verba hæc, *Iuſtitia Dei, & Iuſtitiam ſuam,* quid denotent apud Paulum.

B

Cap. 13.

1 Lex Dei non eſt gratia, neque ipſa facit, vt ſe impleamus.

Nam & hoc. 2 Natura noſtra non eſt gratia illa, per quam benè operamur, contra Pelagianum.

Hanc enim. 3 Natura nobis cum omnibus infidelibus cõmunis eſt: gratia verò cum ſolis fidelibus.

Iam hic. 4 Præterea dixit Paulus & legem & gratiam iam habentibus opus fuiſſe Chriſto.

Dicunt etiam. 5 Pelagiani aiunt Dei gratiã tollere quidem peccata præterita: futura verò non impedire.

Sed ſi hoc. 6 Reſp. Huic ſententię repugnat quod à Deo vtrumque dari docet oratio Dominica.

Commoueo autẽ. 7 Deinde refutatur autoritate patris Cypriani.

Cap.14.

1 Concluſio, Nec naturam, nec ſolam peccatorum remiſsionem eſſe eam gratiam, per quam

C benè agimus.

Dicunt enim. 2 Exceptio Pelagianorum, Gratiam dari non ſecundum merita bonorum operum, ſed ſecundũ bonam voluntatem quæ præcedit.

Iam quidem. 3 Reſp. Voluntas ipſa bona eſt à Deo, vt teſtatur ſcriptura.

Ideò ipſe. 4 Ideò fides legi præponitur à Paulo, quia fides impetrat quod lex imperat.

Nam ſi fides. 5 Ideò petitur fides à Deo, vt intelligamus fidem eſſe Dei donum.

Sed niſi poſſet. 6 Cor lapideum nobis auferri à Deo antequã quid honeſti velle poſsimus. Ergo bona voluntas eſt à Deo.

Cap. 15.

1 Voluntatem hominis non tolli, cùm dicitur Deus ſua gratia efficere vt benè agamus.

Quomodo ergo. 2 Facimus quod Deus facit, quia ſua gratia dat vt faciamus.

Sẽper eſt autem. 3 Voluntas in nobis ſemper eſt libera & ſpontanea, etſi non ſemper bona.

Gratia verò. 4 Gratia Dei fit, vt ſit voluntas noſtra bona.

Ad hoc enim. 5 Etſi vellemus, tamen non poſſemus benè agere. Vnde eſt voluntas noſtra imperfecta.

Cap. 16.

1 Pelagiani aiunt, Deus nihil iubet, quod ſcit nos non poſſe præſtare.

2 Reſp. Verũ: ſed dat ipſe poſſe facere & præſtare. A Quis hoc.

3 Probat hoc autoritate eccleſiaſtici. Denique ipſe.

4 Voluntas non poteſt non eſſe voluntas. Gertũ eſt.

Cap.17.

1 Hoc ipſum velle benè facere, etſi non poſſis, iam eſt à Deo.

2 Voluntatis bonæ varios eſſe gradus, omnes tamen eſſe à Deo. Quando enim.

4 Deus & operatur, & cooperatur vt velimus. Tamen ſine illo

5 Omnis boni operis efficiendi quoddã medium eſſe charitatem, qua & Deum & proximum amplectimur, quæ tota & in ſuis ſingulis gradibus eſt à Deo. Et quis iſtam.

Cap.18.

1 Concluſio: Ergo cùm benè agimus, volumus: charitas enim & dilectio ſine voluntate eſſe non poteſt. Nihil autem benè fit ſine charitate.

2 Autoritate ſcripturæ probat charitatem eſſe à Deo. Sed eat.

3 Gratia & præuentio Dei facit vt Deum diligamus. Gratia nos.

B

4 Concluſio: Omnia bona noſtra eſſe Dei dona. Ergo hæc

Cap.19.

1 Pelagiani aiunt ſcientiam legis eſſe à Deo, charitatem legis à nobis.

2 Reſp. Imo charitatem legis eſſe à Deo docet vbique ſpiritus ſanctus. Quam ſi veram

3 Scientia ſine charitate inflat.

4 Charitas ſupereminet ſcientiæ: ergo maius bonum à nobis haberemus, quod eſt abſurdum. Nec audiunt. Item cùm dicit.

Cap.20.

1 Concluſio totius ſuperioris diſputationis, eſſe à Deo bonas voluntates, vt fiant bonę, vt operentur, vt augeantur.

2 Axioma, omnes voluntates eſſe in Dei poteſtate, & eas inclinari à Deo quò ipſe vult. Verum etiam.

3 Inclinat Deus malas volũtates, vt eorũ facta ſint pœnæ peccatorum, idque iuſto ſuo iudicio. Nam inuenimus. Sicut eſt.

4 Exemplis hoc confirmat Pharaonis, Haitarum, & Semei.

5 Autoritate Dauidis idem confirmat, agnoſcentis Deum facere vt Semei ſibi malediceret. Quomodo

6 Impii tamen non ſunt excuſandi, quia cùm agunt, non vt obſequantur Deo, ſed vt ſeruiãt ſuis cupiditatibus, agunt. Nam ſi.

C

7 Idem confirmat exemplo Iudæ proditoris, Iudæorum & Abſalonis. Ecce quomodo.

Cap.21.

1 Deum iuſtè inclinare malorum voluntates, vt hoc vel illud faciant, probat exemplis Roboami, Arabum, Amaſiæ, Ioæ & aliorum.

2 In eadem re agit & Dei ſpiritus & hominis voluntas diuerſè, id eſt, ad diuerſos fines. Imo vtrũque.

3 Agit in cordibus malorum Deus etiam motum volũtatis eorum, vt illa ſit pœna alterius peccati. Itaque ſic eas iuſtè mouet Deus. Agit enim.

4 Idem probat autoritate ſcripturæ. Per Ezechielem.

5 Non tamen propterea vlla iniquitas eſt apud Deum. Fixum enim.

Cap. 22.

1 Merita nullo prorſus modo in paruulis baptizatis, qui ſalui fiunt, cogitari poſſe.

Cap.23.

1 Quòd è paruulis vnus baptizetur: alter non, morte præuentus, fit occulto quidem Dei

A iudicio, ſed tamen iuſto.

Sed ſicut. 2 Propter prædicationem gratiæ non eſſe ſegneſcendum ad benè agendum.

Quando ergo. 3 Nec item impios excuſandos eſſe propter electionis aut reprobationis doctrinam.

Nec ideo. 4 Nec etiam ſpontaneum arbitrium & voluntatem impiis adimi propterea.

Nō enim. 5 Indurauit Pharao ſeipſum.

Certi ergo. 6 Vſus huius doctrinæ de electione Dei & gratia eſt hic, vt rectè agamus.

Cap.24.

1 Si quid in tam ardua quæſtione de Gratia & libero arbitrio non intelligitur, à Deo petendum eſſe tanti arcani intelligentiam.

DE CORREPTIONE ET GRATIA AD VALENTINVM.

Cap. 1.

1 Occaſio ſuſcepti operis huius, ortæ nimirum quæſtiones propter ſuperiorem libellum.

B

Dominus. 2 Lex docet & damnat, ſed ſpiritus dat vt faciamus quod lex præcipit & iubet.

Quis autem. 3 Deſiderare auxilium gratiæ iam eſt gratia.

Liberum itaque. 4 Liberum arbitrium in nobis eatenus eſt, quatenus & à ſeſe, & ſponte malè agimus: rectè autem agere non poteſt liberum arbitrium, niſi liberatum fuerit à Deo, & perpetuò ab eodem ſuſtentatum.

Cap.2.

1 Sola Dei gratia per Chriſtum facit, vt & velimus & poſsimus benè agere ac cum delectatione.

Hæc quippe. 2 Confirmat verbis Pauli ſuam ſententiā Auguſtinus.

Et tamen. 3 Argumēto ducto à remotione reliquarum rerum, quæ videri poſſunt efficere, vt benè agamus.

Aguntur enim. 4 Dei gratia non reddit nos ſegnes: agimur enim à Dei ſpiritu, vt agamus.

C

Cap.3.

1 Aduerſariorum ſententia, Præcipiendū tantùm & orandū eſſe pro hominibus qui delinquūt: eos autem non eſſe corripiendos.

Imò omnia. 2 Reſp. Imo exemplo Apoſtolorum corripi ſegnes & inobſequentes debent.

O homo. 3 Præceptio, Correptio, & Oratio cur adhibeantur in eadem re & homine.

Quomodo. 4 Prima aduerſariorum ratio, non rectè corripiuntur, qui à ſe ipſis habere non poſſunt, vt benè agant.

Cap.4.

1 Excuſatio Auguſtini, quòd grauiùs increpet iſtos aduerſarios.

Hoc enim 2 Quo animo aduerſarii correctionū iſta diſputent, vt ſegnes nempe permaneant.

Cap.5.

1 Secunda aduerſariorum ratio, ſi à Domino etiam præparatur ipſa voluntas hominum, ergo fruſtrà ſegnes corripiuntur.

Ad hæc. 2 Reſp. Correptionem valde vtilem eſſe, quoniam timorem, pudorem, vel dolorem delinquentibus incutit, vt ipſi pro ſe orent.

Hæc eſt correptionis. 3 Correptio tunc verè ſalubris eſt, cùm Dei ſpiritus, qui eſt ſupernus medicus, accedit & agit quoque in cordibus correptorum. A

Cur autē iſti. 4 Secunda reſponſ. Conſequens eſſe aduerſariorum ſententiæ, & exemplis quibus nituntur, vt neque doceantur qui delinquunt, neque oretur pro illis. Quod tamen fieri illi ipſi volunt.

Sed quare. 5 Non eſt noſtrum deffinire, cur alii ſine correptione proficiant, alii non.

Hanc inquiunt. 6 Tertia aduerſariorum ratio, Obedientia eſt Dei donum, non eſt à nobis: ergo non reprehendendi qui non obſequuntur Deo.

Cap.6.

1 Reſp. etiam non renati ſunt corripiēdi, quia prauitas, propter quam non obediunt Deo, eſt ex eorum vitio & culpa, etſi non eorum tantùm propria, illis tamen communis cum omnibus hominibus.

Peccata quidem. 2 Peccatū originale eſt & noſtrū & alienum.

Si autem 3 Renati corripiendi, quia iam acceptam Dei gratiam ſua culpa amittunt.

Sed per hominem 4 Correptio ea demū vtilis eſt, quam Deus ipſe vtilem facit.

Ad hæc nos. 5 Etſi perſeuerantia eſt Dei donum, tamen corripiendi ſunt qui non perſeuerant.

B

Cap.7.

1 Perſeuerantiam eſſe Dei donum.

Quæ cum ita. 2 Vtiliter tamen corripi qui non perſeuerant.

Nec ſe excuſabunt. 3 Inexcuſabiles eſſe qui non perſeuerant in bono, quod ſemel didicerunt.

Diſcernuntur autem. 4 Electos Dei proficere in correptione, idque mera Dei gratia, & Spiritus ſancti dono.

Horum ſi quiſquam 5 Nullus electorum perit.

Ab illo quippe. 6 Per Iudæ proditoris opus damnabile, Deus fecit opus ſuum venerabile.

Horam ſides. 7 Electi etſi aliquando deficiunt à Deo, ante mortem tamen ab eo reuocantur.

Et tamen. 8 Hypocritæ qui ad tempus inter electos cenſentur, ab hominibus, non à Deo in electorum numero cenſentur.

Cap.8.

1 Cur huic credenti perſeuerantia ſit data: illi non item, inſcrutabile omnino non eſſe.

Aut ſi ad. 2 Non propter merita tamen liberi arbitrii, nec ex humanæ voluntatis ratione dari cuiquam perſeuerantiam. C

Voluntas 3 Libertas non parit gratiam in nobis: ſed gratia libertatem.

Mirādum eſt. 4 Non tantùm hoc tam egregium donū perſeuerantiæ: ſed & alia minora dona nobis à Deo dari, miro & inſcrutabili ipſius iudicio.

Apud quē 5 Neque tamen iniquitas eſt apud eum, neque perſonarum acceptio.

Cap.9.

1 Qui non perſeuerant in bono, ſed à fide ſemel ſuſcepta deflectunt, & in ea defectione perſtant, eos non eſſe ex prædeſtinatorum numero.

Sunt enim. 2 Alios Deo, alios nobis ſæpe notos & videri Dei filios.

Et ſunt rurſus. 3 Quidam habent fidem temporalem, & propterea filii Dei videntur: non ſunt tamen.

Nō enim perit. 4 Filii promiſsionū & electionis non pereūt.

Talibus Deus. 5 Etiam filii Dei cùm lapſi ſunt, hoc illis in bonum cedit Dei gratia.

Cap.10.

1 Pii & filii Dei corripiēdi ſi peccauerint, nō tantùm pro iis orandum eſſe: ſolus autē Deus facit vt vtiles illis ſint admonitiones huiuſmodi.

A Hinc exoritur. 2 Quæſtio nobilis de primo homine qui nõ perſeuerauit in eo ſtatu ſuo integro, vtrùm culpãdus propterea ſit.

Sed illud. 3 Ratio aduerſariorum, non eſt culpandus, quia donum perſeuerantiæ à Deo non habuit Adam.

Quapropter. 4 Reſp. Adam creatus eſt, qui poſſet peccare, quoniam Deus ad ſuæ omnipotentiæ gloriam magis pertinere vidit, vt ex malis bona faceret, quàm vt nulla eſſent mala.

Denique Angeli. 5 Angeli libero arbitrio ceciderunt.

Cæteri. 6 Boni angeli iam certi ſunt de ſuo ſtatu.

Ex qua. Diabolus vero. 7 Beati homines certi etiam erunt poſt iudicium de ſuo ſtatu.

In quo ſtatu. 8 Angelorum felicitas augeri poteſt.

9 Primi hominis beatitudo augeri potuit & certitudine ſui ſtatus, & maiori cumulo felicioris maioríſque boni.

Cap. 11.

1 Etſi Adami felicitas potuit augeri, fuit tamẽ eius ratione, quam nunc in his terris ſentimus, immenſa.

B Proinde etſi. 2 Potentior eſt Dei gratia qua nunc à peccato liberamur, quàm ea per quam ſine peccato conditi ſumus. Illa autem eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Deus ergo. 3 Humanitas Chriſti ex ſola gratia Dei cum λόγῳ vnionem habet, quoniam Chriſti humanitas ante vnionem non ſubſiſtebat. Itaque tunc quicquam merita eſſe dici non poteſt.

Iſtam gratiam. 4 Primus homo etſi liberi arbitrii creatus eſt, tamen ſine Dei adiutorio non potuit permanere & perſeuerare in bono in quo creatus erat.

Hæc eſt prima. 5 Gratiæ potiores iam nobis per Chriſtũ datæ, quàm primo Adamo. Item & gratiæ Adamo primùm collatæ, & noſtræ comparatio in re ipſa, effectu, & duratione.

Quapropter. 6 Differunt, Non poſſe peccare, & Poſſe non peccare: quia illud omnem ad peccandum naturę poſsibilitatem tollit: hoc effectus & agendi tãtùm neceſsitatem negat.

Cap. 12.

1 Magna fuiſſe dona Dei in Adamũ primùm collata.

C Itémque ipſa. 2 Adiutorium Dei duplex, vnum ſine quo interueniente aliquid non fit: alterũ per quod cùm adeſt, fit aliquid neceſſariò.

Primò itaque. 3 Illud donum perſeuerantiæ datum eſt Adamo, ſine quo non poſſet perſeuerare: beatis autem nobis dabitur illud, per quod non niſi perſeuerare poterimus.

Quibus verbis. 4 Perſeuerantia, quę nunc datur filiis Dei, maior eſt quàm quæ Adamo primùm data fuit.

De quo peccato. 5 Peccatum ad mortem, eſt fidem deſerere vſque ad mortem.

Neque enim. 6 Perſeuerantiam bonis dat qui facit bonos ſua gratia, non ex ipſorum meritis.

Quæ quidem. 7 Primus homo potuit habere merita ſi non peccaſſet.

Nõ enim. 8 Nemo corã Deo gloriari poteſt, neque iuſtus neque iniuſtus.

Ac per hoc. 9 Sed nec de ipſa perſeuerantia: eſt enim Dei donum.

Tantum quippe. 10 Gratia Dei voluntatem noſtram ad benè operandum accendit: accenſam indeclinabiliter & inſeparabiliter agit, ſuſtentat & regit.

Cap. 13.

1 Electorum numerum neque augeri, neque minui poſſe. A

2 Quòd quidam dicuntur coronam ſuam amittere, aut excitari vt ſint ſemen Abrahæ, comminatio eſt, non quòd electi Dei poſsint perire, ſi modò verè electi erant: ſed ſic deiici oportet humanum faſtum. Quanuis &.

3 Nemo præſumere debet ſe eſſe à Deo electum, vt ſegnior ſit ad benè viuendum. Quis enim.

4 Etiam coronatio noſtra fit ex Dei miſericordia, non tantùm vel conuerſio noſtra, vel perſeuerantia, vel etiam pugna aduerſus tentationem noſtra. Nam & tunc.

5 Reprobi iuſtè à Deo damnantur vel ob peccatum originale & hæreditarium, vel ob ſua ipſorum delicta. Hi ergo qui.

Cap. 14.

1 Cùm correptio prodeſt, id Deo tribuendũ eſt, non hominibus.

2 *Omnes homines vult Deus ſaluos fieri*, eſt ita accipiendum, vt ad omnes ſaluos tantùm referamus: nam hi ideò ſalui fiunt, quia Deus vult eos ſaluos fieri. Ita dictũ eſt. B

3 Voluntas Dei impediri non poteſt ab hominibus. Non eſt itaque.

4 Deus omnipotentiſsima vi ſua inclinat corda hominum quò vult. Qui tamẽ.

5 Deus inclinat nos intus agendo & mouendo corda noſtra. Nunquid.

Cap. 15.

1 Cenſuram eccleſiaſticam etiam eam, quę maxima eſt, ſæpe vtilem facit Dominus.

2 Damnatio ab epiſcopo pronuntiata in aliquem, eſt pœna eccleſiaſtica maxima. Epiſcopale.

3 Cenſura eccleſiaſtica cur fiat. Paſtoralis tamen.

4 Charitas noſtra benè de omnibus ſperat. Neſciẽtes.

5 Qui ſalui futuri ſint neſcimus. Quia ergo.

6 Etſi certa eſt ſalus electorum, certa damnatio reproborum, tamen correptiones propterea non ſunt aduerſus vtroſque negligendæ.

Cap. 16.

1 Proximè ſuperiorem ſententiam confirmat autoritate Pauli, 1. Theſſ. 5.

2 Corripiendi à præfectis ij, quorum peccata non latent. C Quòd de his.

3 Autoritate Chriſti id confirmat. Veruntamen.

4 Concluſio nec gratia correptionem ſiue reprehẽſionem, nec correptio gratiã impedit: correptio autem cum charitate fiat. Quæ cùm ita.

AD ARTICVLOS ALIQVOT FALSO AVGVSTINO IMPOSITOS.

Ad procem.

QVerimonia & ſtomachatio Auguſtini aduerſus Pelagianos calumniatores ſuorũ ſcriptorum, ex quibus tamen contrarias ſibi ipſis ſententias compilare falſò videbantur; tum etiam ipſi verbo Dei repugnantes.

Ad artic. 1.

Etſi Chriſti ſanguis totius humani generis pretium eſt ipſum per ſe ſufficiens & potens, eius tamen effectus ſolis renatis applicatur & prodeſt: non renatis autem non prodeſt.

Ad 2.

Etſi omnes homines ſalui non fiunt, tamen ne-

A mo eorum qui ſeriò vult fieri ſaluus non ſaluatur: & qui non ſaluantur, culpa ſua, non autem Dei, pereunt. Qui ſaluantur, ſolius Dei gratia id conſequuntur.

Ad 3.

Etſi multi, qui ſunt à Deo creati pereunt, non idcircò tamen ſunt creati vt pereant, quia alia eſt naſcendi, alia pereundi cauſa. Pereundi enim cauſa eſt præuaricatio & peccatum noſtrum. Naſcendi, gloria Dei.

Ad 4.

Etſi omnes homines peccato originali & hęreditario obnoxii naſcuntur, atque ita filii diaboli, tamen nō idcircò creantur, vt ſint filii diaboli, ſed creationis eorum cauſa eſt bonitas Dei. Seruitutis autem eorum cauſa eſt præuaricatio, quæ cùm non ſit à Deo, homines dici non poſſunt fieri voluntate Dei filii Diaboli vel facere voluntatem Diaboli.

Ad 5.

Etſi hodie natura humana, qualis naſcitur, non
B niſi peccare poteſt: Deus tamen in ea tantùm autor eſt eorum quæ pertinent ad naturam: non autem eorum quæ ſunt contra naturam, aut quę ſunt ipſa deprauatio naturæ. Illa enim ipſe homo ſibi ſpontè accerſiuit.

Ad 6.

Etſi hodie totus mundus in maligno poſitus eſt, & ſunt inter malos quidā peſſimi & penè diaboli, tamen inter hominum & diabolorum voluntatem & conditionem hoc maximè intereſt, quòd homines Deo reconciliari poſſunt, diaboli non poſſunt.

Ad 7.

Etſi multi non fiunt ſalui, ſed neque volūt, neque etiā poſſunt, tamen Dei voluntati non eſt exitium eorum tribuendum, ſed propriæ ipſorum pe rientium culpæ. Deus enim corruentes erigit.

Ad 8.

Etſi multi in eccleſia catholica non perſeuerāt, non tamen Dei voluntate, ſed eorum culpa turpis iſtius defectionis cauſa eſt.

Ad 9.

C Idem reſpondendum, quòd quidam qui videbantur ſancti, à propoſito ſanctitatis deficiunt.

Ad 10.

Quòd adulteria & ſcortationes committantur, non Dei prædeſtinatione accidere: nam ea punit Deus, non ordinat: ſed mala hominum ipſorum concupiſcentia & malitia id perpetrat & cogitat.

Ad 11.

Qui ſcelera committunt improbi, etſi à Deo præſciti ſunt & præuiſi: ſua tamen voluntate, non Deo autore peccant. Quando nec diabolus ipſe in reprobis malas voluntates inſerit & generat, ſed iis tantùm delectetur.

Ad 12.

Etſi multi deficiunt à fide, & ex templo Chriſti fiunt templū diaboli, tamen certa eſt apud Deum prædeſtinatio, quæ non poteſt mutari: facítque potius prædeſtinatio Dei, vt ex malis boni: quàm vt ex bonis mali homines euadant.

Ad 13.

Etſi Deus, qui falli non poteſt ſcit quid cuique ſit retributurus, tamen peccandi voluntatem non infert cuiquam: & qui labuntur, ſua voluntate, nō autem Deo impulſore peccant, & deflectunt à via, & præuaricantur. A

Ad 14.

Etſi Dei iudicia ſunt inueſtigabilia, & cur hîc ſtet, ille cadat: tamen per eum non fit vt cadamus, per quem fit vt à caſu ſurgamus: & qui facit vt in fide perſtemus, is nihil quicquam prauæ voluntatis nobis infundit, vt peccemus.

Ad 15.

Etſi nemo reſipiſcit, niſi cui Deus dederit, tamen qui non reſipiſcit propria voluntate manet obſtinatus, & iugum ſuæ concupiſcentiæ lubens patitur. Aliud item eſt veniam non dare peccatori: aliud in crimen adigere peccare nolentem & inſontem.

Ad 16.

Impii qui non fecerunt voluntatem Dei rectè iudicabuntur, & cum orant, *Fiat voluntas tua*, non precātur à Deo vt ruant, quia ruinæ eorū non eſt Deus cauſa: ſed ſolum ipſorum vitiū & nequitia.

HYPOGNOSTICΩ̃N, LIB. I. B

Prologus.

¶Non videntur iſti ſex libri eſſe Auguſtini. Quod ſtylus, & methodus planè arguunt, quanquam ſunt viri docti, & Auguſtini ſeculo contemporanei, & ex doctrina Auguſtiniana proculdubio collecti, vtiliſſimi quoque.

1 AB hæreticis excitantur Orthodoxi, vt euigilent.

2 Aduerſus quos hoc opus ſit inſtitutum, nempe aduerſus Pelagianos & Celeſtianos. Sediam.

Lib. 1.

Primum Pelagianorum dogma: Adam moriturus erat, ſiue peccaſſet, ſiue non peccaſſet.

Reſponſ.

1 Deus mortem non fecit: ſed peccatum eam attulit, Sap. 1. quia diuino operi mors non erat neceſſaria. Ambroſ. de fide Reſurrect.

2 Deus hominem inexterminabilem condiderat. Sap. 2. id eſt, ita vitalem vt non moreretur, etſi ad æternam vitam poſtea tranſiret: ſic enim cenſet Auguſtinus.

3 Dominus ipſe eius cauſam tribuit inobedientiæ, Geneſ. 2. C

4 Deus per Filium proprium mortē deſtruxit, ergo eam non fecit, Rom. 8.

5 Mortem per peccatum intraſſe in Mundum ſcribit Paulus: ergo minimè per Deum, Roman. 5.

6 Deus autor mortis dici nō poteſt, quia mors eſſentiam nullam habet, ſed tantùm nomen: eſt enim ſola priuatio, vt fames.

7 Mors ex ipſo etymo probatur eſſe à diabolo & peccato: nam à morſu Mors dicitur. Is autem morſus fuit pomi.

8 Mors tamen eſſe aliquid dicitur, etſi priuatio eſt, quia etſi non eſt ſubſtantiale quiddam, tamen effecta eius ſentiuntur. Ait autem iſte, quæ de morte dicuntur, ad illius autorem *Diabolum* referuntur, quod effatum non eſt omnino verum.

Lib. 2.

Secundum Pelagianorum dogma, Adami peccatum ſoli ipſi nocuit, non etiam aliis.

Reſponſio.

1 Ergo Deus eſt iniuſtus, quoniā pœna peccat

A cati in nos etiam tranſiit.

2 In Adamo ſtirps & radix ipſius humanę naturæ vitiata eſt:ergo qui ex ea naſcuntur, vitioſi & peccatores naſcuntur: nam & ſemen vitiatum eſt, etſi non eſt peccatum, & vitium, ipſum humanæ naturæ ſemen.

3 Dicit Paulus Rom. cap. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in Mundum, & ita in omnes homines pertranſiuit mors: ergo & peccatum in omnes.

4 Non ſolùm imitatione,ſed etiam propagatione in homines tranſiit peccatum,quando Cain ſine exemplo homicidium commiſit:neque ex homine,ſed ex diabolo potius peccatum tranſiiſſe diceretur,quem eſt Adã in peccando imitatus,ſi imitationis tamen ratione peccatores diceremur.

Lib.3.

Tertium Pelagianorũ dogma:Poteſt homo per liberum arbitrium, tanquam per ſe ſibi ſufficiens implere quicquid voluerit,adeò vt meritis operum gratia Dei vnicuique noſtrûm detur.

Reſponſio.

1 Primùm diſtinguendum eſſe, inter Primum B hominem & Nos,qui ex eo iam peccatore nati ſumus.Primus homo ante lapſum habuit liberum illud arbitrium per quod poterat Dei præceptum implere.Nos per ipſius peccatum amiſimus libertatem illam ad bonum: & ſolum in nobis manſit liberum arbitrium vulneratum, Eccl. 15. Liberum arbitrium, quod eſt iudicium rationis,in nobis manet:perdidit tamen poſſibilitatem boni,quam ſine præueniente Dei gratiâ,non recuperat.

2 Paulus teſtatur, 1. Timoth. 1. Chriſtum veniſſe vt peccatores ſaluos faceret: ergo non venit vt rectè agentes ſanaret.

3 Nihil erat neceſſe Chriſtum mori, ſi integer naturæ noſtræ ſtatus manſiſſet poſt peccatum Adami.

4 Deus facit in nobis & velle & facere,Philip. 2.ergo non liberum arbitrium noſtrum id facit.

5 Chriſtus ſanguine ſuo purgauit noſtras cõſcientias ab operibus mortuis, vt ſeruiamus Deo viuẽti,Hebr.9.ergo naturâ ſunt addictæ malo noſtræ conſcientiæ.

C 6 Totus homo vitiatus eſt,totáque ipſius natura corrupta,non pars tantùm eius. Vnde ſine adiutorio Dei gratiæ nec poteſt incipere,nec ſufficit perficere boni quicquam.

7 Præuenitur & pręparatur hominis voluntas à Deo,vt benè velit & agat, idq; merâ Dei gratiâ: ergo non ex meritis.

8 Etſi omnes æqualiter non vocantur, tamen propterea nõ ſequitur nobis dari gratiam Dei pro meritis operum,vel iniuſtum eſſe Deum,vel acceptatorem perſonarum: ſed vocantur quos Dominus merâ ſua gratiâ voluit. Nec noſtrum eſt ſcrutari Dei iudicia,quæ omnia ſunt veritas & iuſtitia.

9 Scriptura ait quòd ſalui ſimus,neque eſſe currentis,neque volentis,ſed miſerantis Dei:ergo nõ liberi arbitri noſtri,Rom.9.

10 Ait Paulus, qui gloriatur in Domino glorietur, & gratia Dei mecum, non ego operatus, 1. Corinth.1.& 15. ergo non liberum arbitrium noſtrum.

11 Etſi Dominus dicit ſe cuique eſſe redditurum ſecundum opera ſua, tamen meritis operum nullus eſt locus:ſed Deus dat illa bona opera, quæ poſtea coronat in nobis. Præterea ea ratione nos excitat ad petenda, quæ non habemus, & iubet vt conemur & operemur. A

Lib.4.

Quartum Pelagianorum dogma,libido naturalis in homine eſt bonum, nec eſt in ea quicquam cuius nos pudere debeat..

Reſponſio.

1 Imò libido illa quæ per peccatũ & poſt peccatum in nobis ineſt,malum eſt & pudendum, cuius tamen Deus non eſt autor.

2 Hodie naturale eſt malum illa libido, non naturæ tamen primæ congenitum: ſed naturæ iam creatæ accerſitum. Poſt peccatum tamen Adami ſingulis nobis inhæret inſeparabiliter & indiuulſe.

3 Vt flatu ſerpentis lædimur, ita perſuaſione mala diaboli infecti ſumus in Adamo,& inde libido à diabolo nata eſt.

4 Libido non eſt omne quod libet, & arridet,ſed omne quod malè libet: & ita hoc loco accipitur,ſed de bono libitu, & rei honeſtæ appetitione libido non dicitur,imò voluntas potiùs. B

5 Ex peccato eſſe libidinem,quæ eſt in membris genitalibus,apparet,quòd poſt admiſſum peccatum Adami & Euæ oculi aperti fuiſſe dicuntur, quanquam neuter cæcus creatus erat.

6 Si nihil in libidine illa ineſſet pudendum, nõ texiſſent ſua genitalia primi homines poſt peccatum:nam genitalia potius,quàm ora, per quæ tamen comederant, texerunt & occultarunt. Atque ea ipſa non manu,ſed ficu,ne ea vel ipſi attingerent,tanta nimirùm turpitudo in iis poſt peccatum inhæſit.

7 Illa libido concupiſcentiæ noſtræ vitioſę, per quam bono reſiſtimus,vel pars vel effectus eſt, ergo vitioſa eſt.

8 Nuptiæ autem propterea non damnantur, quia res ipſa à malo illi ſuperueniente & accerſito diſtingui debet. Libido autem nuptiis propter peccatum accidit,naturâ verò ipſâ non ineſt.

9 Bonum fœcunditatis,gratiáque Dei,quæ in hominum propagatione eſt, à libidinis noſtræ vitio diſtingui debet. Nam de naturæ bono & fœcunditate eſt,quòd homo ex homine naſcitur: de vitio libidinis eſt quòd ex vitioſo vitioſus fit & oritur. C

Lib. 5.

Quintum dogma Pelagianorum: Paruuli non trahunt à parentibus peccatum originale. Vnde etſi ſine baptiſmatis ſacramento ex hac vita migrauerint,vita æterna non priuantur.

Reſponſio.

1 Dicit Dauid, *In iniquitatibus conceptus ſum,* Pſalm. 51. ergo peccati ſemen ſumunt paruuli de parentibus.

2 Dicit Paulus, Vnum Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, 2.Corin.5.ergo & pro paruulis. Quod fruſtrà diceretur, niſi peccato originali (proprio enim peccato & ſuo nondum poſſunt) obnoxii tenerentur,

3 Paruuli moriuntur. Mors autem eſt ſtipendium peccati, ergo ſunt peccatores paruuli:aut Deus iniuſtus ſi eos immerentes eam pœnam pati vult: nec enim morerentur, niſi cœno peccati necarentur.

4 Paruuli vexantur & cruciantur à Satana: Er-

A go peccatores ſunt. Aliter enim poteſtatem in eos non haberet Satan, aut eſſet crudelis Deus.

5 Ne ſi vnius quidem diei vita hominis fuerit, eſt ille immundus à peccato, Iob.14. ergo peccato originali eſt infectus quilibet noſtrûm.

6 Natura ſumus omnes filii iræ, Epheſ.2. ergo peccatores ab ipſa origine noſtra.

7 Cur infans circũcidi iubetur, Geneſ.17. Cur ſi non fuerit circumciſus, eius anima iubetur exterminari, ſi non ſit peccato originali pollutus & ſordidus? Nam qui ſani ſunt, non habent opus medico, & curatione.

Paruuli olim non ſolûm baptizati, ſed etiam ad Euchariſtiam admiſſi atque etiam oblati ſunt,

Duo tantùm ſunt animarum receptacula & loca, Paradiſus & Gehenna. Nullus medius & tertius reſtat.

8 Etſi in cœlo dicuntur eſſe multæ mãſiones, in nullam tamen earum intrat, niſi qui renatus eſt aqua & ſpiritu ſancto.

B 9 Dixit Chriſtus, *Sinite paruulos venire ad me*, Matth. 18. ergo eorum eſt ſaluator, & per eum regnum Dei poſſident etiam paruuli, nõ ex ſe ipſis.

10 Etſi baptizant paruulos Pelagiani, tamen fruſtrà faciunt: aiũt enim, Habet in eis gratia quod adoptet: non habet vnda quod abluat.

11 Baptiſmus datur in remiſſionem peccatorum. Baptizantur autem paruuli, etiam concedentibus Pelagianis: ergo & in remiſſionem peccatorum: ex quo efficitur paruulos etiam ipſos eſſe peccatores.

12 Ieſus eſt ſaluator omnium: ergo & paruulorum. Vnde & baptizari debent, & illis peccata condonari ac remitti.

Lib.6.

Doctrinam de Prædeſtinatione ſanctorum, Pelagiani etiam calumniabantur, tanquam inutilem, imò verò noxiam eccleſiæ.

Reſponſio.

1 Imò hęc doctrina conſentit cũ ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis.

2 Ex rei ipſius explicatione falſa calumnia deprehendetur.

C Prædeſtinare, eſt rem priuſquam ſit, præordinare.

Prædeſtinat Deus & præſcit. Sed non quæcunque ſcit, ea prædeſtinat. Peccata enim præſcit, non prædeſtinat tamen.

Ex eadem maſſa Deus magna miſericordiâ ſuâ quoſdam ad ſalutem prædeſtinauit: alios in ſua illa corruptione reliquit.

Cur id fecerit, ratio reddi non poteſt: ſed habet figulus poteſtatem ex eadem maſſa faciendi, &c.

Nec facit Deus eos, vt dãnet, ſed ſinit eos in ſuo vitio, & ex illo ſuo vitio reprobi damnentur.

Pœna tamen perituris eſt prædeſtinata, etſi ſua culpa pereunt, non Dei culpa, qui nullam iis malitiam iniicit.

Prædeſtinantur autem ſancti ex mera Dei gratiâ, non ex vllis ipſorum operibus.

Prædeſtinati autem & bonis operibus, & orationibus imprimis incumbere debent, quia ad ea ſunt præparati à Deo: & hi ſunt fructus prædeſtinationis noſtræ ad ſalutem.

Nec Deus perſonarum acceptor eſt, ſed ſuo iuſto, etſi inſcrutabili, iudicio, alios eligit, alios non.

Et quod dicitur, *Vult Deus omnes ſaluos fieri*, pertinet ad eos, qui ſalui fiũt, quibus ſalus euenit, quòd eos Deus ſaluos fieri voluit. A

Hinc nemo glorietur: nemo deſperet. Exhortemur autem omnes ad benè agendum & ſanctè viuendum.

EX LIB. DE PERFECTIONE IVSTITIAE hominis.

RAtio inſtituti operis, Error Celeſtii, qui hominem per ſe ſine peccato eſſe poſſe ſenſit.

Poſſunt autem reuocari ad certa capita omnes illæ Celeſtii breues interrogationes & dilemmata, nempe ad ea, quæ videntur eſſe præcipua eius argumenta, quibus confirmabat hanc ſuã ſententiam, nempe, Hominem per ſe ſine Dei gratia eſſe omnino poſſe abſque peccato.

1. Argum. Celeſtij.

Cap. 1. Poteſt eſſe homo per ſe ſine peccato: quia eſt accidẽs naturæ hominis creatæ peccatum. Ratio, quia vitari poteſt: neque peccamus neceſſitate, neque eſt naturale: ergo non eſt res, ſed actus, qui abeſſe poteſt. Reſpond. Auguſt. Peccatũ non fuit quidem primæ hominis naturæ naturale: ſed huic noſtræ vitiatæ iam naturale eſt. Vnde ab eo ſanari homo non poteſt, niſi Dei gratia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum ſanetur. B

Ante omnia.

2. Argum. Celeſtij.

Cap. 2. Poteſt homo eſſe ſine peccato, idque per ſeſe, quia talis debet eſſe. Ratio à contrario: quia cùm ſit homo cum peccato, pręceptum eſt ei, vt ſit ſine peccato: ergo Deus vult vt ſit homo ſine peccato. Nõ vult autem Deus vt in peccatis viuat homo. Reſp. Auguſt. Debet quidem homo eſſe ſine peccato, & rectè illi præcipitur, vt à peccando abſtineat: niſi tamen ſanata fuerit à Deo natura noſtra, talis eſſe nemo poteſt. Nec enim claudus cui præcipitur vt rectè ambulet, niſi ſanatus, id poteſt.

Iterũ ait, quærendũ eſt vtrũne debeat homo.

3. Argum. Celeſtij.

C Cap. 3. Poteſt homo per ſe eſſe ſine peccato: quia nec peccatum fecit Deus, nec ea, per quę peccamus, id eſt, liberum arbitriũ non fecit Deus malum in homine: eſt autẽ illud per quod peccamus: alioquin eſſet Deus autor peccati: & hominẽ creaſſet malum. Præterea ea vetaret Deus vel iuberet, quæ vel facere vel euitare minimè poſſemus. Reſp. Auguſt. Fecit Deus hominem bonum & liberi arbitrij primùm: ſed poſt hominis peccatum ſecuta eſt pœnalis vitioſitas in libero arbitrio: quæ ex libertate fecit neceſſitatem. Vnde caret hodie libertate natura, quæ manet victa, niſi à libertate liberetur. Vt enim homo ſeipſum bonum non fecit: ita nec ex peccatore bonum efficere ac reddere poteſt.

Item quęrendũ eſt, inquit, per quid efficitur.

4. Argum. Celeſtij.

Cap. 4. Poteſt homo eſſe per ſe ſine peccato, quia voluntas qua peccat, ab alia eiuſdem voluntate facilè mutari poteſt, aut Deus malam volũtatem noſtram fecerit, aut neceſſitate peccabimus, aut Deus erit iniuſtus. Reſp. Auguſt. Voluntatem noſtram, quæ vitio ſeruit, ſine Dei gratiâ non poſſe mutare ſuam ſeruitutem, & ita voluntas voluntate à nobis ipſis mutari non poteſt.

Iterũ quęrendũ eſt, quomodo nõ poteſt:

Cap. 5. Non quæri vtrùm homo poſſit eſſe ſine

ne

A ne peccato, ſed vtrùm per ſeipſum poſſit: eſſe enim poſſe Dei gratia hoc donante non negat Auguſtinus.

Poſt hoc il e qui.

Deinde inſtituit.

Cap.6. Nõ verſatur in quęſtione, Vtrùm Deus præcipiat homini, vt ſit ſine peccato, quod eſt verum: ſed vtrùm in hac vita huiuſmodi iuſtitia in homine reperiri, & eſſe, (vno Chriſto excepto) poſſit. Quod negat Auguſtinus, atque ſuam ſententiam cõfirmat: ſed in illa demũ vita, vbi nulla erit praua concupiſcentia, erit plena illa perfectáque iuſtitia, quam à nobis Dominus requirit.

His præmiſsis ea teſtimonia. Horum teſtimoniorum.

Cap.7. Varii loci ſcripturæ, quos pro ſe Celeſtius adducebat.

Cap.8. Reſpondet Auguſt. Illos locos partim nos exhortari: partim finem ipſum, quo ſit currendum, demonſtrare. Ex iis tamen omnibus, cùm nõ grauia eſſe oſtendantur Dei præcepta, doceri quoque quid charitas Dei, non autem quid vires noſtræ in nobis poſſint & efficiant: neque Celeſtii ſententiam confirmari iſtis locis. Iuſtos denique ſcriptura vocat, qui ſyncero animo contendunt ad iuſtitiam.

Poſt hæc propoſuit

Cap.9. Non ſoluit Celeſtius argumenta contraria, ſed tantùm locum Iobi cap.30. produxit, cui reſpondet Auguſt. Aliud eſſe ſine peccato viuere, quod poſſunt nulli: aliud ſine querela & crimine viuere, quod habent multi.

Iterum proponere ſolent.

Cap.10. Duo contraria argumenta indiſcuſſa prætermiſit Celeſtius: primum, Omnis homo mẽdax: ſecundum, Non eſt qui faciat bonum.

Item dicunt.

Cap.11. Hominem per ſe bonum dici poſſe, ſed Dei comparatione non item, Celeſtius dixit. Primum membrum propoſitionis falſum eſſe docet Auguſt.

Tamẽ illa vera.

Cap.12. In hoc Celeſtius & Auguſt. conſentiũt quod non niſi mundos in regno Dei fore fatentur: in hoc diſſentiunt quod Celeſt. nos eſſe à nobis ipſis ſanctos: Auguſt. per ſolam Dei gratiam nos tales eſſe contendit.

Item ſibi oppoſuit.

Cap.13. Varia argumenta ſibi ſuæque ſententiæ repugnantia, Celeſtius non ſoluit, quæ vrget tamen Auguſtinus.

B

L. D.

D. AVRELII AVGVSTINI ENCHIRIDION AD LAVRENTIVM, SIVE SVMMA ET PRÆCIPVA TOTIVS CHRISTIANÆ RELIGIONIS capita.

LIBER VTILISSIMVS IIS OMNIBVS, QVI BREVISSIMAM Auguſtinianæ doctrinæ epitomen ex ipſo Auguſtino, & quidem iam ſene, habere deſiderant, multis mendis & gloſſematis, quibus antea ſcatebat, ex veteri manuſcripto repurgatus, & commentariis illuſtratus.

C

NOBILISSIMO ATQVE GENEROSISSIMO DOMINO D. EDZARDO TOTIVS FRISIÆ ORIENTALIS COMITI AC PRINCIPI POTENTISſimo, domino Emdæ, &c. Domino ſuo benigniſſimo Lambert. Danæus in Chriſto

S. P. D.

COGITANTI mihi, Comes illuſtriſsime, cui potiſsimùm hoc, quicquid eſt laboris noſtri, dedicarem, vnus occurriſti, cui maximè deberetur. Quanquam enim homo præſtantiſsimæ tuæ dominationi ignotus audenter fortaſſe facere videor, qui tam familiariter ad te adeam, graues tamen cauſſæ me impulerunt, cur vellem extare hoc meæ erga te obſeruantiæ teſtimonium. Primùm quidem ſic mihi, & meritò perſuadeo, D. T. quæ, præter multorũ principũ inſtitutum, ab ipſa prima infantia omni optimarum artiũ genere eſſet exculta, nihil habere in moribus σκυθρωπὸν ϗ ἀπρόσιτον, *quãdo videmus in ſummis illis veſtris ingeniis inhærere inſitã à natura ipſa affabilitatem, adeò vt mihi extraneo hoc tuum alloquium metuendum non exiſtimarem. Sed celebris illa tua & ſingularis erga omnes veræ religionis cultores humanitas me confirmauit, planéque*

A *effecit, vt non modò metum omnem, quemadmodum ait ille, expectorarem: ſed etiam hoc meū gratiarum actionis pro tot piis munus, tanquam meritiſſimum virtutum tuarum præmium D.T. gratum fore ſperarem. Quid enim & quantum pii Chriſtianique omnes, cuiuſcunque ſint gentis, tibi debeant, res ipſa teſtatur, neque verbis vnquam ſatis ab vllo poterit prædicari. Tu enim vel ſolus, vel è pauciſſimis vnus benigniſſimus tot Francorum, tot Flandrorum familijs propter nomen Chriſti è patria eiectis, miſerè iactatis, & per vniuerſum terrarum orbem errantibus ſedes, tutúmque hoſpitium clementiſſimè præbuiſti. Tu contra ſæuos & immanes illorum hoſtes refugium fuiſti. Tu imperterritus aduerſus potentiſſimi illius & vicini regis minas, cùm alij multi ob eiuſdem terrorem afflictos Chriſtianos, tanquam Iſraelitas, terram promiſſam quærentes ipſo pedum trāſitu & itinere prohiberent, tua inquam, illuſtris D. incredibili humanitate eos, vt veriſſima ipſius Chriſti mēbra, & tecto excepit, & rebus omnibus egentes fouit, adeò vt in medijs illis Albani ducis victorijs, quid Chriſtiana pietas, quid fortitudo animi, quid charitas poſſet, oſtenderit. Et certè propterea ampliſſima illa veſtra ditio vobis in tenera adhuc ætate degentibus diuinitus, atque etiam miraculoſe videtur fuiſſe conſeruata cùm generoſiſſimæ pientiſſimæque matris veſtræ Annæ tunc viduæ aſſiduis ad Deum precib. magnam illam Caroli 5. Imperatoris vobis extrema quæque minātis claſſem iam ipſi vrbi imminentem Deus Optimus Maximus pelago ſummerſit. Tunc enim exceperat pia ciuitas Emda exules & eiectos ex Anglia pios, inter quos inſignem etiam illum Ioannem à Laſco hoſpitem habuit. His igitur diuini fauoris teſtimonijs V.D. ſuffulta, & à primis ſtatim annis cōfirmata veram pietatem profeſſa eſt, & conſeruauit, atque etiam hodie ſic exercet, vt in ea tu fraterque tuus generoſiſſimus Ioannes, ſitis non tātùm* ἀκροαταὶ λόγου, *vt ait Iacobus, ſed etiā* πρήκτορες ἔργων. *Ergo fit, vt pro tanta D.V. erga pios omnes humanitate, me quoque putem & cēſeam illi eſſe obſtrictiſſimum. Vti enim fratrum meorum & afflictio & vincula certè quidem ſunt mea: ſic & conſolatio & ſubſidium, ſi quod illis à quoquam præbetur, mihi quoque dari exiſtimem. Acceſſit præterea & alia cauſſa huius operæ meæ D.V. dedicandæ, quòd fuit ſemper ſummus veſtrarum Eccleſiarum cum hac noſtra tum in doctrina, tum etiam in diſciplina Eccleſiaſtica conſenſus, adeò quidem vt huius catecheſis veſtris fuerit iampridem à piæ memoriæ viro D. Caluino nuncupata. Adderem & generis veſtri nobilitatem, & antiquiſſimas familiæ veſtræ laudes, fortiſſimorum virorum maiorum veſtrorum ſeſe aduerſus minaces Alberti Saxonis conatus tutantium inſignes victorias, & ab hiſtoricis commemoratas, propter quas certè V.D. meretur ab omnib. bonis coli: ſed malui paucas è plurimis propriiſque tibi virtutibus attingere. Nam, vt ait ille,*

Et genus, & proauos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.

Cùm autem mihi, hoc præſertim tempore, quo tam variè vexatur Eccleſia Dei, doctrina Chriſtiana confirmanda videretur, non putaui quicquam ad id præſtandum, magis idoneum fore, quàm ſi non è noſtris & recentioribus Theologis, qui ab aduerſariis ferè contemnuntur: ſed è vetuſtiſſimis illis & orthodoxis venerandiſque patribus aliquem producerem, qui ſuo teſtimonio fidem cauſſamque noſtram confirmaret. Ad eam autem rem vnum potiſſimùm delegi D. Aurelium Auguſtinum, atque è varijs tanti ſcriptoris operibus illud, quod aptiſſimum eſſe & conuenientiſſimum docti omnes piique homines mecum iudicabunt. Eſt autem Enchiridion ad Laurētium, in quo breuiter & commodè præcipua totius Chriſtianæ religionis capita extrema ſenecta, & poſtquam variis hæreticorum diſputationibus exercitatus fuerat, complexus eſt vir ille inter pios pientiſſimus, & inter ſcriptores Eccleſiaſticos, ſi qui vnquam docti fuerunt, doctiſſimus Auguſtinus, adeò vt hanc non modò Auguſtinianæ, ſed totius orthodoxæ doctrinæ Epitomen quis verè poſſit appellare. Quod genus ſcripti alia quidem apud bonos omnes commendatione non eget, quàm ipſius parentis nomine. Eſt enim is Auguſtinus, qui propter infinitā omnis humanioris literaturæ cognitionē, ſed imprimis propter Chriſtianæ fidei veram ſyncerámque (ſi quis alius è veteribus) doctrinam fuit ſemper inter Chriſtianos homines celeberrimus & notiſſimus. Quem certè Deus ſuæ Eccleſiæ maximè neceſſario tempore tāquam Chriſtianum quendam Hectorem excitauit, qui non tantùm inclinatam, ſed iam penè obrutam, profligatam, cedentémque varijs hæreticorum aciebus Eccleſiam, puriorémque eius doctrinam reſtitueret atque ſuſtentaret. Vixerat quidem in Occidentali Eccleſia eiuſdem Auguſtini emergentis ſeculo, Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, vixerat illuſtris inter Latinos Hieronymus: in Oriētali autem Eccleſia, & inter Græcos magni nominis viri floruerant pauco ante Auguſtinum tempore Ioānes Chryſoſtomus, Gregorius Nazianzenus, Baſilius, vt ipſe ait, Cappadox, qui ſeſe aliquot ſuæ ætatis erroribus oppoſuerant. Sed quid illi ad Auguſtinum, aut quæ illorum cum hoc (abſit verbo inuidia) comparatio? incidit igitur in ea tempora Auguſtinus, quæ Eccleſiæ Chriſtianæ miſerrima & calamitoſiſſima certè cenſeri debent, non tantùm propter ſæuiſſimam Romani imperii per Gothos & Vandalos lacerationem, ſed multo magis propter orthodoxæ fidei maximam labefactationem, Sathanæ

A thana nimirum hanc occaſionem captante,& tunc diuina omnia humanáque,iuſto quidem Dei iudicio,miſcente & perturbante. Eſt enim iſte poetarum Bellona,qui ſumma rerum humanarum euerſione & confuſione gaudet,& habet hoc ſibi idoneum tempus veræ fidei ſubuertendæ. Ergo tunc à Manichæis,qui Platonicorum dogmata retinebant,miſerè vexabatur in Africa,& Carthagine præſertim Dei Eccleſia. Deinde verò ab Arianis illis quidem veteribus,& iam ſæpe depulſis fuſiſq́ hoſtibus,ſed tamèn nouas ſemper vires colligentibus oppugnabatur acerrimè Eccleſia. Eodē autem tempore in Africa, vbi erat ipſe,amabilem illam Eccleſiæ vnitatem crudeliſſimè abrumpebant Donatiſtæ, qui non verbis tantùm & diſputationibus per ſuos epiſcopos errorem ſuum obſtinatè tuebantur: ſed pugnis etiā verberibus & cædibus in orthodoxos ſæuiſſimè per ſuos Circuncelliones graſſabātur. Aduerſus hos igitur omnes dimicauit Auguſtinus,ſed ſæpè etiā cū ſummo vitæ ſuæ diſcrimine aduerſus Donatiſtas,quorum partē ita afflixit,vt planè proſtrarit,eorumq́ cœtus eſſe deſierint, & tota illa nocentiſſima ſecta non in Africa modò(vbi plurimùm vigebat)ſed in toto terrarū orbe doctiſſimis vnius Auguſtini diſputationibus & ſcriptionibus iugulata cōciderit, quam antea alij quotquot erāt Africani epiſcopi ne comprimere quidem potuerunt. Iiſdem temporibus quum propter captam & direptam à Gothis Romam,lernámque malorum illo ſeculo vndique mundo incumbentem, Pagani fidem Chriſtianam accuſarent,tanquam omnium earum calamitatum cauſam, aduerſus hos quoque ipſos,præclaro opere pro Ciuitate Dei conflixit Auguſtinus. Exorti ſunt in Palæſtina Auguſtino iam ſene noui hæretici,& antea inauditi,Pelagiani(fuit enim Pelagius cognomine Brito,illius ſectæ B author,monachus Palæſtinæ,circa annum Domini 410.) Hic error dici non poteſt quàm citò obrepſerit & ſparſus ſit,quámq́ obuiis vlnis ab vniuerſis penè orbis partibus in quibus erāt Eccleſiæ,exceptus, qui licet ſit teterrimus,Chriſtique beneficium & Dei gratiam prorſus & apertiſſimè tollat, & merita hominum inducat,tamen omnes mundi regiones celerrimè peruaſit. Nam eodem penè temporis momento Italiam & Romam ipſam, Africam,Galliam & Angliam infecit è Syria primùm egreſſus. Aduerſus hoc quoque monſtrum iam veteranus Auguſtinus pugnauit,eo quidem acriùs & robuſtiùs,quòd rē magni momēti eſſe perſpiceret,& eſſet in Scripturis maximè verſatus. Quid.n.in fide ſaluum manere poteſt,ſi Dei gratuita gratia euertitur? Quorſum Chriſtus & eiùs mors,ſi iuſtitia noſtra in noſtris operibus quæritur? Et ecquod maius vnquam iniquitatis myſterium & tamen plauſibilius inuexit Satan? In quo errore confutando & refellendo ſe plurimū profeciſſe teſtatur ipſe, fuitque hoc poſtremum ex varijs & pulcherrimis Auguſtini certaminibus in quo(nec enim vllius Pelagiani librum,qui modò in ipſius manus incidiſſet,ſine reſponſo dimiſit) fortiſſimè pugnans & tādem pro Chriſti gloria,victor & olympionices animum in ipſa victoria emiſit,mortuúſque eſt currus ille Eccleſiæ, & verè ſui ſeculi lumen Auguſtinùs. Exceſſit autem anno quo Theodoſius iunior imperare cœperat ſeptimo, obſeſſo iam à Genſerico Vandalorum rege per tres menſes Hippone Regio,V.Calend. Septembris, anno Domini 415. illo ipſo die quo primùm Geneuæ 1120. poſtea anno, nimirum Domini 1535. vera Chriſti doctrina ſummo Dei beneficio recepta eſt. Atque ſex illos libros quos aduerſus Iulianum doctiſſimos edidit,quemadmodum Hiſtorici tradunt, imprimíſque Marianus Scotus,in media Hipponis vrbis,in qua erat ipſe,obſidione ſcripſit. Paulò autem ante mortem C abſoluit,vt ea tanquam cygnea tanti viri vox fuiſſe videatur. Quare ex quo die Dominus illū ad ſua & Chriſtianæ Eccleſiæ caſtra ex Manichæis traduxit,& eiùs gubernaculis admouit,indefeſſus,inuictúſque nominis ipſius propugnator & orthodoxæ doctrinæ defenſor perſtitit Auguſtinus. Sed ſpreta poſtea vera fidei doctrina,& iam paſſim in Eccleſia conualeſcentibus erroribus, Auguſtini quoque ſcripta obſoleuerunt, & in manibus hominum deſierunt verſari. In quorundam autem monachorum cellis,tanquam carceribus,ſquallida iacebant, vel tanquam ignotus theſaurus in medijs eorum ſordibus deliteſcebant. Adiuuabat eam hominum vecordiam ipſa temporum barbaries & calamitas. Nouarum enim & ferarum gentium irruptionibus & bellis vniuerſus orbis vndique quatiebatur, Domino Deo iuſto ſuo iudicio hominum ſcelera, & doctrinæ ſuæ contemptum vlciſcente. Primùm autem ex longo ſitu tam pretioſas opes eruit & effodit in Anglia Beda ille, qui ob ſingularem eruditionis famam Venerabilis eſt appellatus, illáque ſcripta penè primus tractare cœpit, & in lucem atque in Eccleſiæ vſum ante Caroli magni imperium reuocare. Præceptorem Bedam ſequuti ſunt poſtea diſcipuli,veluti Alcuinus,& alij aliquot viri docti, qui Auguſtini opera diligenter explicarunt, & populis ipſis commendarunt,quando Alcuini commentarios in Categorias Auguſtini ad Carolum magnum legimus. Denique etiam ex libris Auguſtini σύνταγμα & corpus doctrinæ Chriſtianæ compoſitum eſt. Sed accidit iacenti & tunc & poſtea quoque in iſto cellarum pedore Auguſtino, & inter Monachos hoſpites perfidos verſanti,vt ab iis infinitis penè theſauris ſuis ſpoliaretur. Denique quod rei apud malæ fidei hominem depoſita euenire ſolet,vt non integra & ſana,qualis primùm depoſita eſt,ſed interpolata,detrita & immutata propter furtiuū rei vſum à depoſitario reddatur. Voluerunt *enim inſulſi homines craſſos ſuos errores authoritate tanti doctoris hominibus imperitis venditare,quem cùm apud ſe captiuum detinerent,facile & impunè eius ſcripta peruerterunt,multa immutarunt,quadam detraxerunt,quædam addiderunt,quæ nunc nobis nomine Auguſtini falſiſſimè propinantur.Sed quid à parricidis iſtis tã perfidè ſauciatus ageret Auguſtinus? Captiuus erat,vinctus erat,mutus erat,nec habebat in tantis tenebris qui auxilium implorãti afferret Nos quidem pro virili conati ſumus eius vulneribus opem & medicas manus adhibere,maximè in hoc libello,vt aſcititia,& ab eius phraſi prorſus aliena verba detraheremus. Nec modo verborum vulnera ſanauimus:ſed Auguſtinum ipſum ſui teſtem & interpretem produximus.Itaque habebunt Auguſtini ſtudioſi germanam mentis ipſius explicationem ex parium locorum collatione. Neceſſariam enim iudicauimus,ne in eo videamur longiores,aut ne cuiquam faſtidium pariat locorum ſimiliũ comparatio à nobis facta.Verùm quia homo fuit Auguſtinus,&,vt ipſe ait,errare humanum eſt,ſi quo in loco vel à ſeipſo,vel à ſacra ſcriptura diſceſſit,vel conciliauimus,vel adhibito Dei verbo correximus.Sæpe etiam adhibuimus Auguſtinum ſui ipſius caſtigatorem,quia ferè ſunt ſapientiores poſteriores hominum cogitationes,& abreptum ſe fuiſſe aliquando etiã agnoſcit ipſe. Denique quãtum noua ſcholaſticorum Doctorum ſententia ab eius doctrina & inſtitutis receſſerit,in his noſtris commẽtarijs oſtendimus.Atque hunc noſtrum laborem in tuum nomen apparere,Comes generoſiſſime,maximè voluimus. Quanquam verò non dubito ab integerrimo doctiſſimóque D. Alberto verbi Dei præcone,& Embdanæ Eccleſiæ paſtore:itémque à viro pientiſſimo Polyandro Gallicanæ Eccleſiæ miniſtro fideliſſimo aſſiduè omnia ſuggeſta fuiſſe D.V. tamen hoc qualicunque munere meo tuum illum humaniſſimum & propenſiſſimum in Francos ciues vel populares meos,in Flãdros & cæteros peregrinos Dei ſeruos animum demereri iampridem apud me conſtitui. Puſillum igitur illum Domini Dei gregem,membra Chriſti,opes mũdi,gemmas totius orbis maximas apud te à Deo ipſo depoſitas,viles quidem profanorum hominum iudicio,Deo autem cæli & terræ Domino pretioſiſſimas,quanto maximo poſſum animi affectu & ſtudio D.T.commendo. Quos viros dũ & quãdiu illa fouebit & tuebitur,Dominus te nobiliſſimámque illã tuam familiã & ditionem totam potẽtia ſua proteget,& benignitate augebit atque locupletabit.Vale.* *Datum Geneuæ. Cal. Febr. Anno Domini* CIↃ. IↃ. LXXIII.

P. D. T. addictiſſimus
Lambertus Danæus.

DE METHODO LIBRORVM AVGVSTINI, ET
DE EORVM EVOLVENDORUM RATIONE.

VETVS eſt illud & à Poſſidonio quoque commemoratum,tanta Auguſtinum ſcripſiſſe quãta nemo vnquam legit,tanta legiſſe,quãta nemo vnquam ſcripſit. Itaque cùm ſint tot támque varia tanti ſcriptoris opuſcula,& vtilia quidem,quæſitum eſt anxiè à multis,quo ordine & methodo in iis commodè vtilitérque legendis aliquis verſari poſſit. Etſi autem in eo vna quædam & perpetua regula tradi non videtur poſſe,ſed ſit cuique vtiliſſima methodus cenſenda ea,per quam ſe plurimum videt proficere:tamen hoc cõſilium fortaſſè non inutile,aut infructuoſum ſibi iuuenes Auguſtini ſtudioſi experiẽtur,atque comperiẽt.Cùm ſint enim ab Auguſtino varij generis opera elaborata,illa nõ ſunt pari diligentia & animi contentione omnia tractanda. Poſſunt enim illa ad duo ſumma genera potiſſimum reuocari:vt vel THEOLOGICA *appellentur,vel nõ.Non ſunt Theologici libri Auguſtini De grammatica,Rhetorica,Dialectica,De ordine,De quantitate animæ,& qualia multa Tomus operum primus habet. Hæc ſunt igitur omnino leuiter percurrenda,aut,ſi non vacat,ne attingenda quidem. Libri confeſſionum potiùs vitam,pietatémque Auguſtini continent,quàm Theologicam diſputationẽ,niſi in poſtremis libris.Itaque ſtrictim legantur,id eſt,percurrantur.* THEOLOGICA *verò Auguſtini opuſcula ſunt*

vel { διδακτικὰ,
ἐλεγκτικὰ, *vel miſcellanea.*
ἐξηγητικὰ, }

A Didacticis ordiendum eſſe in Auguſtini lectione cenſemus:in quibus ipſis quatuor libris de doctrina Chriſtiana primum locum tribuimus,à quibus vt incipiant monemus iuniores Theologos. Notent autem in iis imprimis methodum partitionémque Theologiæ ab Auguſtino traditam,ordinem etiam & regulas à Ticonio datas ad facilem Scripturæ explicationem,nõ omnes,ſed quæ ſunt ab Auguſtino comprobatæ,ad quas addent quaſcunque alibi apud eundem Auguſtinum,vel alios auctores commodas & vtiles obſeruarint.Hic liber accuratè & diligenter videtur legendus. Poſt libros de doctrina Chriſtiana accedãt ad hoc Enchiridion,quod ſummam totius Auguſtini doctrinæ continet,illúdque nec perfunctoriè,nec per trãſennam,ſed aſſiduè & ſtudioſe legãt,cum quo coniungant omnes eiuſdem argumenti tractatus,quales qui Symbola fidei appellantur,vel ad Catechumenos,itémque librum De agone Chriſtiano,De fide ad Petrũ,De eccleſiaſticis dogmatib. Liber autem qui inſcribitur SENTENTIÆ AVGVSTINI,nullo iudicio ſcriptus eſt,nec cenſendus eſt Auguſtini.His autem perceptis diligentem epiſtolarum Auguſtini lectionẽ iam ſubiungant. Quanquam enim non dubito quoſdam malle,vt inter miſcellanea Auguſtini epiſtolæ cenſeantur:ego tamen propter rerum in iis tractatarum vtilitatem ad didactica refero,in eóque ſemper numero habui.

Nam

A *Nã ex Theologicas diſputationes varias & vtiliſſimas complectuntur, opus certè doctum, & verè Theologium. Libros De ciuitate Dei, epiſtolis ſubnecto, quanquam illi hiſtorica potiùs quàm Theologica magna ex parte continẽt atque etiam polemica quædam, ſed ſunt vberes & copioſi, varium & eruditum opus, dignúmque omnium ſui ſeculi hominũ doctiſſimo Auguſt. Iam verò his iactis doctrinæ fundamentis Elenchica Auguſtini aggredietur Theologiæ candidatus, atque illa non tantùm omnia, ſed ſingula diligenter & attentè meditetur & legat, imprimis quæ aduerſus hæreticos iſtos, nempe Manichæos, Arrianos, Donatiſtas, Pelagianos edidit, in quibus ipſis ab iis diſputationibus ordiendum cenſeo quæ ſunt contra Donatiſtas, deinde veniendum ad eas quæ ſunt aduerſus Pelagianos ſuſceptæ, tertio loco pernoſcendæ eæ quæ contra Arrianos & Manichæos ſunt ab eodem Auguſtino ſcripta, quanquam in Tomorum ordine has illis præponi non ignoro. Libri XV. De Trinitate, non prætermittantur, ſed cũ diſputationibus quæ ſunt aduerſus Arrianos, coniungantur, ex quibus tamen libri 7.8.9.10.11.12. difficiles & argutas potiùs quàm ſolidas rationes tradunt.*

B *Quod ad Exegetica Auguſtini pertinet, tractatus in Ioannem ſunt ſcitu digniſſimi, item libri de conſenſu Euangeliſtarum: poſtea libri 12. De geneſi ad literam. Commentarij verò in Pſalmos, pietatem Auguſtini & candorem potiùs habent, quàm ipſam Pſalmorum expoſitionẽ, ſed ex ſui ſeculi more & zelo videri poteſt meditatus eſſe hoc opus Auguſtinus. Nullus enim erat tum temporis, ſed nec antea quiſquam fuit piẽtiorum & doctiorum Epiſcoporum qui non aliquid vel in vniuerſos Pſalmos, vel ſaltem in aliquot commentaretur, vt pios animi affectus illic proponeret, & in iis tanquam in tabula ſua vota, & ſuſpiria, alieno tamen. i. Dauidis penicillo depingeret. Tum etiã quòd hæc præcipua ſacræ ſcripturæ pars, & doctrinæ vtilis Eccleſiæ & neceſſaria ſemper eſt exiſtimata, præterquam à Manichæis à quibus ſolis ſpernebatur. Auguſt. contra Fauſt. li. 21. c. 3. Quod ad libr. quæſt. Vet. & N. Teſt. ab Aug. conſcriptos, qui verba & locutiones explicant, omnino prætermitti à feſtinante poſſunt: qui autem rem ipſam, legi debebũt. Miſcellanea ſunt reliqua ipſius opera, qualia reſponſa ad varios,* C *veluti ad Dulicium, Ianuarium, Simplicianum, Oroſium: itẽ Quæſt. 83. & ſimiles alij tractatus. Hi ſæpe vtiles habent & Theologicas diſputationes. Cõciones autem eius, & ſermones De tempore, vti variè collecti ſunt, ita variè per otium legentur. Omnia verò Auguſtini & ſcripta, & dicta, quemadmodum & aliorum Eccleſiaſticorũ ſcriptorum, ſunt ad Verbi Dei normam reuocanda & examinanda, id quod vt faciamus ſæpiſſimè monet & præcipit Auguſt. ipſe. Ex duobus autem Retractat. libris illud caput cuique alius operis capiti eſt præfigendum, prout quodque emẽdat, retractátque Augu. Quæ ſunt notha, & tam probato auctori ſuppoſita, additáque, multa ſæpe inepta continẽt, vt liber De mirabilibus Scripturæ, multa ſubtilia potiùs quàm vtilia. Ergo ex indicibus ſi quis eo ſcriptionum genere delectetur, & ex argumẽtis agnoſcet quiſque, quæ ſibi putet ex iis ſeligenda, atque attingenda. Hoc eſt noſtrum de legendo Auguſtino cõſilium, quod, ſi cui fortaſſe non probabitur, huic citra omnem animi certè quidem & pugnam & contentionem illud Horatij reſponſum eſſe volumus,*

Viue, vale, ſi quid nouiſti rectius iſtis,
Candidus imperti: ſi non, his vtere mecum.

A ¶ Quantum Auguſtino tribuendum ipſiúſque ſcriptis, ex ipſo Auguſtino.

Auguſt. lib. 4. De anima, ad Vincent. cap. 1.

Neque enim negare debeo, ſicut in ipſis moribus, ita multa eſſe in tam multis opuſculis meis, quæ poſſint iuſto iudicio, & nulla temeritate culpari.

Et lib. 2. contra Creſco. cap. 31.

Nos enim nullã Cypriano facimus iniuriam, quum eius quaſlibet literas à canonica diuinarum ſcripturarum authoritate diſtinguimus. Neque enim ſine cauſſa tam ſalubri vigilantia canon Eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certi Prophetarum & Apoſtolorum libri pertinent, quos omnino iudicare non audeamus, & ſecundum quos de cæteris literis vel fidelium vel infidelium liberè iudicemus.

Item ad Hierony. epiſt. 19.

Alios autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate, doctrináque præpolleant, nõ ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos authores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, B *perſuadere potuerunt.*

Item ad Vincentium Donatiſtam epiſt. 48.

In eo quippe numero ſumus, vt nõ dedignemur etiam nobis dictum ab Apoſtolo accipere, & ſi quid aliter ſapitis, id quoque Deus vobis reuelauit.

Item lib. 2. De bono perſeuerantiæ, cap. 21.

Quanuis neminem velim ſic amplecti omnia mea, vt me ſequatur, niſi in iis in quibus me non errare perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, vt nec meipſum in omnibus me ſecutum fuiſſe demonſtrem.

Denique epiſtol. 111.

Neque quorumlibet diſputationes, quanuis Catholicorũ & laudatorũ hominũ, velut ſcripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat (ſalua honorificentia, quæ illis debetur hominibus) aliquid in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere, ſi fortè inuenerimus quòd aliter ſenſerint, quàm veritas habet, diuino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego ſum ſcriptis aliorum, quales alios ego volo eſſe intellectores meorum. C

PROLEGOMENA AD AVGVSTINI LIBRVM QVI *ENCHIRIDION* INSCRIBItur, Per Lambertum Danæum.

QVæ tria ſolent in optimi cuiuſque libri explicatione quæri, vnus Auguſtini locus facillimè & breuiſſimè demonſtrabit: Nimirum, quis ſit huius libri autor, cur operis titulus ſit Enchiridiõ, denique quo tempore ſit liber hic ſcriptus. Eſt autẽ ille Auguſtini locus lib. Retractationum ſecundo his verbis: SCRIPSI etiam librum, ait, de fide, ſpe, charitate, cùm à me, ad quem ſcriptus eſt, poſtulaſſet, vt aliquod opuſculum haberet meum, de ſuis manibus non receſſurum. Quod genus Græci Enchiridion vocant. Vbi ſatis diligenter mihi videor eſſe complexus, quomodo ſit colendus Deus, quam ſapientiam eſſe hominis vtique veram diuina Scriptura definit. Hic liber ſic incipit, Dici non poteſt. Hactenus Auguſtinus. Ex iis autem perſpicuè apparet, quis ſit huius libri author.

A

De Titulo operis.

Operis titulus, inquit Plinius lib.2.Natural.Hiſtor. ſæpe legendus eſt, & ſedulò annotãdus, quòd & authorem & lectorem argumenti ſuſcepti admonet. Duplicem autem eſſe poſſe huius libelli ἐπιγραφὴν docet ille iam à nobis laudatus Auguſtini locus ex lib.2. Retractatio. vbi ſe librum de fide, ſpe, & charitate, ſcripſiſſe ait, adeò vt hæc poſsit eſſe inſcriptio, De fide, ſpe, & charitate libellus ab Auguſtino conſcriptus, quatenus ὑπόθεσις & materia circa quam illius tota diſputatio verſatur, ſpectatur à nobis. Vel vt Enchiridion, Græcè Ἐγχειρίδιον appellatur, quo nomine ab ipſo parente ſuo etiam donatus eſt, & illo ſuperiore loco & c.46.& vltimo huius operis, quo ſolo nomine ab authoribus citatur. Eo autem ſcripti genere veteres Chriſtianos homines eſſe delectatos apparet & ex Græcis & ex Latinis ſcriptoribus Eccleſiaſticis, quorum alij libros De fide orthodoxa, vt Damaſcenus, alij Expoſitio fidei, vt Iuſtinus Martyr: alii, De fide ad Reginas, vt Cyrillus, inſcripſerunt: itémque ex libellis iis de Eccleſiaſticis B Dogmatibus, & fide ad Petrum. Qui libri Catechiſmorum vicẽ & vſum præſtabant. quòd nullus tũc communi cõſenſu Eccleſiæ ſcriptus Catechiſmus extaret, qui abundè præcipua doctrinæ Chriſtianę capita complexus videretur. Quanquã enim quæque Eccleſia ſuam κατήχησιν adhuc habebat & retinebat, tamen illo doctrinæ breuiario quidam vel rudiores, vel ab hæreticis magis vexati, non putabant ſe ſatis aduerſus inualeſcẽtes iam hæreſes munitos eſſe & inſtructos. Vnde vberiora quædam ab iis efflagitabant, quos exiſtimabant in Scripturis eſſe exercitatiores. Qualis ſuo ſeculo habitus eſt, & meritò quidem, Auguſtinus. Antequàm publico edicto Roma. Imperatorum religio Chriſtiana admitteretur, Dei ſingulari prouidentia, magis in fidei ſubſtantia concors Eccleſia fuit, quanquam tamen nullo ſeculo ſuis næuis & hæreſibus Eccleſia caruit. quæ etiam ipſa Apoſtolorum ætate iã ſuccreſcebant, ſed illæ leui ictu deiectæ propter perſecutiones ſtatim cõcidebant. Poſtquã autẽ pa- C ce recreata eſt Eccleſia, & cœpit ab extraneis perſecutoribus tuta eſſe, Satan per domeſticos graſſatus eſt, & varii errores nati. quo factum eſt vt ſcripta illa quæ veram fidei Chriſtianæ ſummam, breuiter & dilucidè complecterentur, fuerint magis neceſſaria, & certatim edi, poſtularíque à bonis viris cœperint, vt quid maximè inter tot doctrinæ fluctus ſequendũ eſſet pii fideléſque viri intelligerent. Prima igitur Eccleſiæ ætas (qualis fuit illa Apoſtolorũ ſeculo proxima) particulares aduerſus has vel illas hæreſes tractatus requirebat, vel graues ad Chriſtianos in fide conſtanter retinenda & profitenda παραινέσεις & exhortationes edebat. Poſterior autem & ſequens ætas (qualis ſub Auguſtino fuit, qui vixit poſt Chriſtum annis ferè 400, vt ſcribit Tritemius Spanhamienſis Abbas) poſterior, inquam, cœpit maximè hos breuiſsimos de fidei veritate libros neceſſarios iudicare.

De vtilitate operis.

Huius tractatus vtilitas, etſi meliùs ex ipſius explicatione cognoſci poterit, tamen ex duobus Auguſtini locis facillimè percipietur à quouis. Ac primus eſt, quem iam citauimus, cùm ait de hoc libello ſuo, his verbis: Vbi ſatis diligenter mihi videor eſſe complexus, quomodo ſit colẽdus Deus. A Ex quo intelligitur etiã ex ipſius autoris viri quidem grauiſſimi & ſciẽtiſſimi iudicio, quàm ſit nobis ad præcipuum & vniuerſum vitæ noſtræ ſcopũ neceſſarius hic liber, qui in eo totus eſt, vt colamus Deum. Alter locus eſt ipſius Auguſtini verbis cap.122.& vltimo huius operis, cùm ait, Sed ſit aliquando huius voluminis finis, quod ipſe videris vtrùm Enchiridiõ vel appellare debeas vel habere. Ego tamen cùm ſpernẽda tua in Chriſto Ieſu ſtudia non putarem, &c. librum ad te conſcripſi. Ea igitur mente ſcriptus eſt, vt de manibus noſtris nõ recederet. Quòd cum effectum vellet Auguſtinus, quę vtiliſſima & tãquã ſolidiſſima haberet, in hũc libellum tanquam theſaurum congeſſiſſe veriſſimile eſt. Et certè continet, & breuiter quidem, vtiliſſimas diſputationes, & illo tẽpore vexatiſſimas, ex quibus etiam hodie intelligitur quid de præcipuis Chriſtianæ Theologiæ apicibus nobis ſentiẽdum ſit. In ſũma, duplex eſt huius voluminis (quãdo ſic appellat Auguſtinus ipſe) vtilitas.

1 Quòd ex hoc ſcripto perſpicuè animaduertimus B quæ fuerit illo ſeculo ſumma totius Chriſtianæ Theologiæ & doctrinæ quæ in Dei Eccleſia annuntiabatur. Hanc enim complexus eſt hoc libello Auguſtinus, cùm optimè à ſe Laurentium (ſiue quẽ alium ea ſua opera dignum iudicauit) inſtructum eſſe vellet. Itaque hîc tanquã corpus doctrinæ Chriſtianæ & Auguſtinianæ continetur. In quo colligendo & antea veteres, qualis Beda Anglus, poſtea Bonifacius quidam Epiſcopus Germanus, & Ioan. Piſcatorius ſtudioſè laborarunt, & nunc multi. Nulli autem meliùs quàm Auguſtinus ipſe id effecit: vt qui compilatam totam doctrinæ Auguſtini & tanti doctoris epitomen habere voluerit, hoc Enchiridiõ legat & obſeruet neceſſe eſt.

2 Ex hoc eodem ſcripto difficillimarũ & maximarum controuerſiarum, quæ etiamnum hodie in Eccleſia proponuntur, iudicium & deciſio ſtabit, præſertim apud pios & moderatos viros, qui Auguſtinum iudicem ſedere in noſtris controuerſiis non recuſabunt. Nam plurimas hoc opere explicauit. Vnde etiam à Scholaſticis, imprimis autẽ P. Lombardo ſæpiſſimè laudatur, & ex nullo ferè C alio Auguſtini libro plures, quàm ex hoc vno, ſẽtentiæ deſcriptæ ſunt ab eo in quatuor libris Sententiarum. Sed etiam ex eo ipſo apparebit quãtum poſterior Theologorum ætas à doctrina Auguſtini receſſerit, & vt paulatim eius ſententia, quæ plana, & vera in plurimis erat, vel non intellecta vel labefactata fuerit, & philoſophicis quibuſdam explicationibus, diſtinctionibus & commentationibus omnino poſtea deprauata. Nam poſtquã contra præcepta Pauli Coloſſ. 2. ver.8. cœpere ab Anſelmo Anglo primùm, pòſt autem Alberto Magno Germano, deinde eius diſcipulo Thoma Aquinate Italo, Ariſtotelis placita & dogmata in Chriſtianã Theologiam acerrimè inuehi, & pro ratis ſententiis haberi, omnia ſúſque déque ferri, neque modũ iã neque rationẽ eſſe vllã, neque denique firmã & illibatã Chriſtianæ doctrinæ veritatẽ manere. Etſi autẽ inſunt in Auguſtino, vti in eo, qui homo eſt, ſui nęui & lapſus. (errare.n. inquit ipſe humanũ eſt ſed perſeuerare Satanicum) & in hoc ipſo libello quædã dicta nõ ſatis firma, neque ἄσπιλα, ſed ἀκυρολογίαι quædam: tamen illi errores, in quos vi conſuetudinis, tanquã tyrãni cuiuſdã imperio (vt ipſe ait) abductus eſt, & leues ſunt præ aliis quos Scho-

laſtica

A laſtica & noua iſta Papiſtica Theologia induxit, & in ipſo etiam Auguſtino ſanabiles, quia dubitanter tantùm aut ex coniectura dixit Auguſtinus, quæ illi aſſeueranter & pro certiſsimo fidei articulo & dogmate poſtea tradiderunt. Denique, vt de hoc ſuo ſcripto teſtatur Auguſtinus ipſe infrà cap.4.continet certum propriúmque fidei catholicæ fundamentum, id eſt, quid ſequendum maximè, quid propter diuerſas principaliter hæreſes ſit fugiendum. Quo quid vtilius & ſalutarius eſſe poteſt? Prætermiſſa autem eſt in hoc Catechiſmo & Enchiridio tum legis diuinæ, tum etiam Sacramentorum explicatio, præterquam Baptiſmi, de quo ſub finem huius operis cap.119.& 120. & alibi ex occaſione diſputat, quia inſtitutum Auguſtino fuit de fide tantùm hoc loco, aduerſus hæreſes varias (quemadmodum rogabatur) ſcribere: nõ autem de vitæ & morum norma, etſi de eleemoſynis & bonis operibus quædam, ſed κατὰ πρόφασιν tantùm, & quatenus ad diſputationem de fide ea res pertinebat, breuiter agit. Quod autem ad omiſſam B de Sacramentis explicationem, imprimis autem de Cœna Domini attinet, ratio videri poteſt, quòd tunc nullæ huiuſmodi hęreſes & contentiones de ea natę erant, quemadmodum nunc & quales videmus, ſed in eius Sacramenti natura & vi omnes conſentiebant. Hanc enim tanquam poſtremam doctrinæ Chriſtianæ partem poſtrema huius mundi ſenecta arripuit Sathan, ad turbandas Dei Eccleſias. De Baptiſmo diſputatio prætermiſſa non eſt, quòd iam tunc exorti erant Pelagiani & Catabaptiſtæ, quorum erroribus occurrendũ fuit. Denique vnus locus ab Auguſtino hîc omninò relictus eſt, de rebus quę ἀδιάφορα dicuntur, & earum vſu, vel quòd quid de iis ſentiendum eſſet rectè didiciſſet hic Laurentius ad quem Auguſtinus ſcribebat, quanquã in ea re errarunt poſtea valde multi: vel quòd in aliis ſuis opuſculis id à ſe copioſè & fuſè traditum eſſe exiſtimaret, nempe duob⁹ libris ad Ianuarium epiſcopum. Ergo hîc continentur Symboli expoſitio, Orationis Dominicæ explicatio, C Baptiſmi vis & ſignificatio. Prętermiſſa autem ſunt hæc itẽ tria, Legis Diuinæ explicatio, De Cœna Domini diſputatio, rerum indifferentium vſus. De diſciplina autem Eccleſiaſtica nihil tum diſputabatur inter Epiſcopos, quòd ea & nota eſſet & vſitata adhuc, & communi conſenſu atque pluribus conciliis conſtituta, de qua tamen hodie quidam negotium faceſſunt nobis, quòd cùm in Papatu omnino intermortua fuerit & obſoleta, quãdo à nobis reuocatur, quæ longis ſeculis ſepulta manſit, homines tanquam de re ſibi noua & inaudita controuerſiam mouent: vel tanquam de re ignota diſputant, & diſſentiunt. Vulgarem autem capitum diſtinctionem retinuimus, etſi in veteri manuſcripto B.V. alia atque adeò aptior erat, ne quem perturbaremus.

Quando ſcriptus hic liber.

Poſtremis ferè temporibus ſcriptum eſſe hoc opus apparet ex ea recognitione quam facit Auguſtinus li.2.Retract. ſuorum librorum: in qua ponitur & recenſetur inter poſtremos Auguſtini labores, A & ſcripſit iam Epiſcopus, iam etiam ſenex. Præterea ex c.17. huius ipſius apparet eſſe ſcriptũ poſtquam iam varias cum Donatiſtis diſputationes in Africa habuiſſet. Meminit enim cædis ſibi & inſidiarum ab illis & eorum circuncellionibus paratarum, cuius etiam in epiſtolis meminit, & in libris aduerſus Petilia. Item meminit in hoc opere cap. 34. epiſtolæ ſuæ ad Voluſia. quæ eſt numero tertia, ca.67. libri de fide & operibus à ſe ſcripti, cap. 83. ſermonis ſui vndecimi de verbis Domini. ex quo apparet ád quam operum Auguſtini claſſem referri debeat, quod eſt perpetuò in huius authoris ſcriptis diligenter obſeruandũ. Scripſit enim quædã Auguſtinus adhuc in fide νεόφυτος, & iunior, cùm adhuc leuiter ſacrarum literarum cognitione tinctus eſſet, quales libri De beata vita, De ordine, Animæ quantitate, De libero arbitrio, Contra Academicos, vt ipſe ait li.15. De trinitate, cap.12. Quædam autem iam ætate maturior, cùm eſſet iudicii doctrinæque ſolidioris, B quales libri hi, Aduerſus Donatiſtas, Pelagianos, & qui ſunt De gratia & libero arbitrio ad Valentinum, & ea denique quæ iã factus ſacerdos vel Epiſcopus edidit. Quæ in libr. Retractationum diſtinguuntur. Diuidunt autem alii aliter Auguſtini opera in διδακτικά, πολεμικά, & varios tractatus, quod fecit Eraſmus, pro diuerſa materia quæ in quoque opere tractatur. Alii ex ætate Auguſtini, in ea quę iam baptizatus, vel Sacerdos, vel Epiſcopus ſcripſit. Id quod ex ipſius Auguſtini diſtinctione ſumptum videri poteſt in lib. Retracta. Alii potiùs obſeruandum in Auguſtini ſcriptis putant, illáne in ipſo diſputationis cũ hæreticis æſtu dixerit, an poſt remiſſum, & ſedatum diſputationis calorem & animũ, quòd tutiora eſſe ea dicta volunt, quæ iam remiſſo contentionis feruore & animo quietiore ſenſit ſcripſitque Auguſtinus. vtcunque hoc opus planè ſedata mente compoſitum apparet, & eſſe prorſus διδακτικόν.

Quis Laurentius hic fuerit.

C Quis fuerit hic Laurentius, nullo ipſius Auguſtini loco ſcriptũ memini, nec nominat ipſe in lib. retractatio. Alipii, Nebridii, & aliorum quorũdam ſibi familiarum ſæpe meminit: huius non item. Quando autem filium appellat, laicum, quemadmodum vocant, non autem de numero clericorum & eorum qui aliquam in regenda Eccleſia dignitatem habebant, fuiſſe veriſimile eſt. Huiuſmodi enim vel compreſbyteros, vel cõſacerdotes, vel Epiſcopos, vel fratres arctiori honoratiorique vocabulo vt plurimùm nuncupabant: reliquos autem cuiuſcunque eſſent dignitatis, tãtùm filios, vti Auguſtinus ſæpe Bonifacium pręſidem Africę, & comitem item Valerium, Marcellinum, Voluſianum & alios, quemadmodum apparet ex eius epiſtolis, libris de Ciuitate Dei, de litera & ſpiritu, & aliis huiuſmodi. Quicũque autem fuerit, ab Auguſtino pietatis & eruditionis nomine laudatur, vti ex cap. 1. & poſtremo huius operis intelligi facilè poteſt.

A

DE THEOLOGIA CHRISTIANA, AD QVOD ſapientiæ genus referatur.

CAPVT. I.

Procœmium, in quo & commendatio operis continetur, & docetur, Non omnem ſapientiam veram eſſe, ſed eam ſolam quæ à Deo illuminante datur, & ex illius verbo hauritur.

DICI non poteſt[1]*, dilectiſſime fili Laurenti, quantum tua eruditione delecter, quantúmque te cupiam eſſe ſapiẽtem, non ex eorum numero, de quibus dicitur*[2]*, Vbi ſapiẽs, vbi ſcriba, vbi conquiſitor huius ſeculi? Nónne ſtultam fecit Deus ſapientiã huius mundi? Sed ex eorum numero* B *de quibus dictum eſt*[3]*, Multitudo ſapientium, ſanitas eſt orbis terrarum: Et quales vult Apoſtolus fieri, quibus dicit*[4]*, Volo autem vos ſapientes quidem eſſe in bono ſimplices autem in malo. Sicut autem à ſeipſo nemo eſſe poteſt, ita etiam nemo à ſeipſo ſapiens eſſe poteſt, ſed ab illo illuſtrãte*[5] *de quo ſcriptũ eſt, Omnis ſapiẽtia*[6] *à Deo eſt.*

1 *Dici non poteſt.* Commendatio eſt operis à ſuo in Laurẽtium ſtudio, cui præclariſſimum illud veræ & cæleſtis ſapientiæ donum exoptat. In quo ipſo ipſius ſcriptionis laus & commendatio quoque continetur à genere illius, quod appellat Sapientiam. Quem enim in vero Dei metu & cultu inſtructum vult, eum ſapientem fieri & ſapientiæ cognitione abundare cupit. Hoc autem ipſum eſt de quo tam anxiè digladiantur inter ſe Scholaſtici, Ad quod artium genus Theologia reuocari debeat. Plato, Plotinus, Iãblichus, Marſilius Ficinus, & Peripatetici quoque omnes ad illam Philoſophiæ partem quæ τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ explicat, reducunt, vt nihil cõmune cum reliquis artibus & ſciẽtiis (quæ Humanæ vel Phyſicæ dicuntur) habeat C (Ariſtot. lib. 1. de Anima.) neque ad earum leges exigatur, vulgò tamen in ſcholis ex Thomę Aquinatis ſententia definitur ad Scientiã reductiuè pertinere, adeò vt demonſtrationum Ariſtotelicarum legibus & præceptis ſubiicienda ſit. Alij ex iiſdem aliud ſentiunt, quòd cùm Theologia definitione vel nihil vel parum differat à fide Chriſtiana, fides autem ſit donum Dei ſupranaturale (quam virtutem Theologicam nominant) ad nullũ artium philoſophicarum genus, pręcepta & normas reuocari poſſit. Quorum vera eſt ſententia. Neque enim vti reliquarum rerum & artium cognitio & explicatio certis principiis humano ingenio aptis & conſentiẽtibus innititur: ſic etiam Theologia, quæ verè Chriſtiana eſt. Illa enim in vno Dei verbo fundatur, quod pro omni ſuorum præceptorũ & dogmatum fundamine, vt loquitur Arnobius lib. 3. cõtra Gent. ponit, Deut. 12. verſ. 8. Iſa. 8. verſ. 20. Ioan. 5. verſ. 39. Et cùm Theologiam Auguſtinus Sapiẽtiæ nomine donat, primùm cum Paulo loquitur, qui paſſim patefactam Dei veritatem per verbum illius nominat σοφίαν. 1. Corint. toto cap. 1. & 2. Coloſ. 1. verſu 9. 2. verſu 3. Deinde auguſtius quiddam & maius de ea cogitat, quàm qui ad artium naturam & leges (quæ humani iudicii & ingenii ſolertia repertæ ſunt) referũt. A Denique eo nomine planè diuina quædam & cæleſtis res & cognitio eſſe demonſtratur, quemadmodum docet hic Pauli locus 1. Cor. 2. ver. 6 σοφίαν δὲ λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις. Et paulò pòſt, ἀλλὰ λαλοῦμεν σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην. Extra omnes igitur humana induſtria artes vel repertas vel auctas vna Theologia Chriſtiana collocanda eſt, quo ſenſu hîc ab Auguſtino Sapientia nominatur. Tullius. li. 1. de Officiis cap. 62. in meo exemplari, Sapientia, quam principem dixi, rerum eſt diuinarum atque humanarum ſcientia, in qua continetur deorum & hominum communitas & ſocietas inter ipſos.

2 *Vbi ſapiens.* Locus eſt Iſa. 33. verſ. 18. 1. Cor. 1. v. 20. Vbi videtur Paulus tantùm ad locum Iſaiæ alluſiſſe, nõ conuertiſſe. Apud Iſaiam enim ſic eſt, Vbi ſcriba, vbi ponderans, vbi numerans turres? Id quod Iſaias ad populi Iudaici ſtatum refert, & miſeram quæ ſub Sennacherib erat perpeſſus tyrannidem: Paulus ad ſuum propoſitum, & ad res cæleſtes accommodat. Hoc annotarunt etiam docti interpretes. B Sed ex hoc loco conſtituenda eſt nobis Sapientia duplex, vna vera & diuina, altera falſa & terrena: vt Theologia cognitióque metus & cultus Dei ad veram Sapientiam pertinere intelligatur. Et quoniam hîc Theologum non philoſophum agit Auguſtinus, ex ipſius Theologiæ limpidiſsimis fontibus, id eſt, ex verbo Dei eius ſententia eſt exponenda. Ergo in ſacra Scriptura σοφίας nomen generaliſſimum eſt, adeò vt etiam ad mechanicas artes pertineat. Quod enim σοφίαν dixit Paulus, Hebræi חכמה Prou. 1. verſ. 6. vnde Beſeleel dicitur fuiſſe à Deo omni textilis artificii ſapientia donatus, Exod. 31. verſ. 2, & 36. verſ. 2. Sed aliter Philoſophi. Plutarchus lib. 1. περὶ ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφ. ex Stoicorum ſententia ſtrictiſſimè definit ſapientiam eſſe rerum diuinarum & humanarũ cognitionem. Ariſtoteles li. 6. ἠθικῶν Νικομαχ. in earum ſolùm rerum cognitione conſtituit, quæ diuinæ ſunt. Bernard. Serm. 85. in Cantica à virtute Sapientiam diſtinguit his verbis, Quicquid virtus elaborat, ſapientia fruitur, & quod ſapientia ordinat, deliberat, moderatur, virtus exequitur. C Ergo ſapientiæ otium negotia ſunt: è regione virtus exercitata clarior fit, & ſiquis ſapientiam virtutis amorem definierit, non à vero aberrabit. Vbi autem amor eſt, labor non eſt, ſed ſapor. & fortaſſe Sapientia à Sapore denominatur, quia virtuti velut condimentũ quoddam accedẽs ſapidam reddit, quæ per ſe inſulſa quodãmodo & aſpera ſentiebatur. Nec duxerim reprehẽdendum ſiquis ſapientiã ſaporem boni dixerit. Hęc Bernar. Scriptura ſacra igitur popularior, & omnem in requacunque etiam mala abundantem & eximiã cognitionem Sapientiam nominat. Hãc autem Iacobus iam duplicem facit. Iacob. 3. v. 15. vnam diuinã, quã ille τὴν ἄνωθεν σοφίαν appellat, quæ de rebus Dei pręcepto cõprehenſis agit, pertinétque ad vitę ſanctitatem: alterã autẽ terrenã & animalẽ, quam etiã δαιμονιώδη vocat. Ex quo loco ſatis apparet Chriſtianos non ſuperſtitioſè, vt Philoſophos, Sapiẽtiæ voce vſos, ſed ſecutos popularem & notam loquendi rationem. Paulus 1. Corint. 1. dicit ſapientiæ duo eſſe genera, vnum cæleſtis & diuinæ: alterum autẽ mundanæ. Sed & huius diuinæ ſapientiæ (quam etiam ab authore qui eam confert, & fine quẽ ſpe-

A ctat πνευματικὴν σύνεσιν idẽ Paulus appellat Col.1.v.9. duas ſpecies conſtituit Paulus 1.Corint.12.v.8. pro gradu & menſura diuerſa qua nobis ſuę voluntatis cognitionem dimenſus eſt Dominus, γνῶσιν nimirum & σοφίαν, id eſt, Cognitionem & Sapiẽtiam. In cuius loci explicatione multùm ſe torquet Auguſtinus li.12. de Trini.c.14.& li.14.c.1. Cognitio ſiue γνῶσις eſt quædam omnium Chriſtianorum & verè de Chriſto ex illius verbo ſentientium communis intelligentia de cauſſis ſalutis humanę. σοφία autem eſt excellens, egregia & rara illa cognitio Dei voluntatis, & arcanorum illius verbo comprehenſorum, quæ paucis admodum conceſſa eſt, qualis fuit in Paulo, 2. Cor. 12. v.2. & 1. Cor.15.ver. 51. Id quod in eo etiam agnouit Petrus ipſe, 2.Pet.3.verſ. 15. Qualis etiam in aliis Apoſtolis. Quod donum hodie omnino rariſſimum eſt. Nec me fugit Scholaſticos argumẽto vocis λόγος aliter illum Pauli locum qui eſt 1.Cor.12.verſ.8. explicare quorum ſententiam conferat cum hac qui volet. Ergo Augu- B ſtinus Theologiæ ſtudium ad veram & cæleſtem Sapientiam pertinere ait. Eſt autem ea, quæ rectè de Deo ſentire docet, & ſanctè ex illius præcepto viuere.

3 *Multitudo.* Locus eſt Sap.6.ver.26. & huic ſimilis Prouer.11.ver.14.& 15.verſ.22. Non eſt autẽ in lib. Sap. ὑγίεια, i. ſanitas, ſed φυλακὴ, i. cuſtodia, id eſt σωτηρία ſiue ſalus.

4 *Et quales vult Apoſtolus.* Rom.16.verſ.19. cui ſimilis Mat. 10. v. 16. vbi duobus locis Scriptura Græcè dicit ἀκέραιον, quod Hebræis תם. Eſt enim ſimilis locus Iob. 9. v. 20. vide OEcolampad. in Iob.1.v.1

5 *Illuſtrante.* Gręci ſcriptores & iidem Eccleſiaſtici, vti Cyrillus, dicunt φωτίζοντος. Eſt enim Dei donum & ſingulare quidem cognitio illius ſapiẽtiæ & veritatis, quam nobis Deus verbo ſuo patefacit, & Spiritu ſuo reuelat, facítque percipere & intelligere. Loci Scripturæ in eam rem atque dicti C Auguſtini confirmationẽ ſunt hi notiſſimi, Epheſ. 1.v.18. & Heb. 6.v.4. vnde Chriſtianos quantumuis alterius literaturæ rudes & ignaros, tamen πεφωτισμένους illi⁹ lucis & cognitionis ſummæ ratione veteres appellarunt, ex epiſtola ad Hebræos cap. 10.v.32. Iuſtinus in diſputationib. contra Tryphõ. & Paul. Eph.5.v.8. τέκνα φωτὸς: & ἐφώτιζε pro baptizauit dixit Euſe. Hiſt. Eccl. li.3.c.22. quemadm. Dionyſ. De Eccleſiaſt. Hierarch. cap.3.p.1. Baptiſmum (quia illius noſtræ illuminationis ſacramẽtum eſt) vocat μυστήριον φωτισμοῦ. contra verò Ethnicos homines, quantumuis altè in naturæ & artiũ arcana penetraſſent, vocarunt τυφλοὺς & τετυφλωμένους, vt fidelium ab infidelibus conditio & dignitas diſtingueretur. Mat.15.v.14. Rom.1.v.22.2.v. 19. Erit autem alia fidelium illuminatio longè vberior & clarior quæ fiet à Deo in futura vita, de qua in Apocali.21. verſu 23.22. verſu 5. cùm Deum ipſum per ſe, nõ autem vti nunc miniſtrorum aut librorum opera & vſu cognoſcent, ſuo modo, & pro naturæ humanæ quàm optima & beatiſſima capacitate.

Eſt & aliud quoddam φωτισμοῦ (vt φωτισμοὺς Platonicorũ omittamus) ſiue illuminationis genus quæ fit à Deo, & de qua Ioan. in Euangelio cap.1.v.9. cùm ait de Chriſto, Hic erat illa vera lux quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. Quæ generalior eſt quàm ea de qua hîc loquitur Auguſtinus. Nam hæc ad ſolos fideles pertinet, de qua quid differat ab illa generaliori quæſitum eſt. A Auguſtinus verba Ioan. ſic explicat, vt non putet latiùs vel ad alios pertinere, quàm ad homines Chriſtianos. Ergo, ait, illuminat Chriſtus hominẽ venientem in hunc mundum, qui ſcilicet illuminatur. Itaque lib.4.cap.2. de Trinitate, ait illam illuminationem eſſe participationẽ illius vitæ, quæ eſt lux hominum, id eſt, Chriſti. Id quod propriè eſt tantùm fidelium. Alij contrà generaliſsimè ad omnes homines extendi putant Chriſti beneficiũ & illuminationem quæ fit per Euangelium à Dei Spiritu, & propterea omnibus proponi & patefieri Dei veritatem volunt, & omnes ad ſalutem vocari, ex quo illud eſt Hieronymi in Galat. Natura omnibus in eſſe Dei notitiam, nec quenquam ſine Chriſto naſci: vnde multi abſque fide & euangelio Chriſti, vel ſapienter faciunt aliqua, vel ſanctè &c. Falſiſſima eſt hęc ſententia. Quid igitur? Eſt omnino diſtinguendum. Nã λόγος Dei ſiue Chriſtus quãquam eſt vnus, varios tamen effectus & illuminationes profert. Vnam & eam quidem omnium ho B minum (quatenus homines ſunt & Dei imago) cõmunem, quæ poſita eſt in illa rationis luce quæ reliqua eſt omnibus hominibus, etiam infantibus, quanquam ea nondum propter inſtrumẽtorum & corporis ἀνικανότητα & imbecillitatem vtantur. Hęc etiam illius æternæ lucis (qui eſt Chriſtus) eſt participatio quædam & communicatio: non autẽ pars & defluxus eſſẽtiæ Chriſti in nos, vt falſò ſenſit Oſiander. Hęc item cum gratia & dono regenerationis non eſt per ſe coniuncta. Itaque qui hãc habet, regenerationem tamen non habet. Et tamen qui hanc rationis & intelligentiæ lucem habet, neque morio eſt, à Deo habet, quia omne donum bonum ἄνωθέν ἐστι & à Deo, vt ait Iacob.1. verſu 17.& eſt irradiatio illuſtratióque facta in nobis ab illa ęterna Dei luce, id eſt Chriſto, qui, quemadmodũ ait Auguſtinus lib.7.cap.3. de Trinit. eſt lumen non corporale, ſed ſpiritale, non illuminatione factum, ſed natura tale exiſtens. Hæc eſt igitur illuminatio de C qua loquitur Ioannes. Quemadmodum enim per Chriſtum & verbum omnia creauit Pater: ita per eũdem in hominibus eas imaginis ipſius reliquias quę reſtãt, illuminat & fouet, generali illa luce qua à beluis differimus. Altera eſt illuminatio ab eodẽ Dei λόγῳ per Spiritum facta & collata, non omnib. quidem, ſed ſolis fidelib. & piis, quæ eſt cognitio veritatis Dei efficax & vera, nõ hypocritica, quę & ſpecialior eſt & maxima illius æternæ lucis & Chriſti communicatio, & cum gratia & dono regenerationis ſemper coniuncta, de qua hoc loco Auguſtinus. Cùm autem à Deo illuſtrante eam ſapiẽtiam eſſe docet, quam Theologiam vocant, & quã fidem appellabit Auguſtinus, apertè aliud ſenſit quàm Scholaſtici qui poſteriore ætate ſecuti ſunt. Volũt enim etiam fidem & ea quæ Theologia docet, à quibuſdam per modum ſcientiæ & humanæ cognitionis haberi poſſe, quemadm. ab hominibus doctis. Imò habẽt omnes à Dei Spiritu. Vt autem hoc loco ait Auguſt. A ſeipſo nemo ſapiens eſt: ita alibi ait, A ſeipſo nemo beatus eſt, ſed ab eodem eſt beatitudo, à quo & vita. Ab eodem eſt bonum eſſe, à quo eſſe: & ſic de ceteris animi dotibus & virtutibus eſt ſentiendum.

6 *Omnis ſapientia.* Locus eſt Eccleſ.1. verſ.1. Prouerb.2.verſ.6.

A

CAP. II.

Veram ſapientiam eſſe pietatem, quæ Græcè melius θεοσέβεια quàm εὐσέβεια appellatur.

HOminis autem ſapientia pietas eſt[1]*. Habes hoc in libro ſancti Iob*[2]*. Nam ibi legitur, quòd ipſa ſapientia dixerit homini, Ecce pietas eſt ſapientia. Si autem quæras, quam dixerit eo loco pietatem, diſtinctiùs in Græco reperies* [3]θεοσέβειαν*, qui eſt Dei cultus. Dicitur enim Græcè pietas, & aliter* εὐσέβεια*, quo nomine ſignificatur bonus cultus quanuis & hoc præcipuè referatur ad colendum Deum. Sed nihil eſt commodius illo nomine, quo euidēter Dei*[4] *cultus expreſſus eſt, cùm quid eſſet hominis ſapientia, diceretur. Quæriſne aliquid dici breuius, qui petis à me vt breuiter magna dicantur? An hoc ipſum tibi fortaſſe deſyderas breuiter aperiri, atque in ſermonem colligi breuem, quónam* [5] *modo ſit colendus Deus?*

1 *Hominis ſapientia.* Eſt propoſitio operis. De pietate enim dicturum ſe, quia vera ſapientia eſt, B hîc profitetur, per quam docemur, Quo modo ſit colendus Deus. Diſtinguit igitur ſapientiam in eam quæ pietas eſt vel pietatem docet & eam quæ pietatem non docet. Alibi idem Auguſtinus, nempe ad Dioſcorum epiſt. 56. ait ſapientiam aut de moribus, aut de natura, aut de ratione agere, & quæſtionem habere, & ita triplicem facit, quemadmodum vulgò Philoſophiam diuidunt in ἠθικὴν, φυσικὴν & λογικήν. Quod ipſum in libris de Ciuitate Dei idem lib. 8. Auguſtinus explicauit. Hîc autem aliter in duo tantùm genera. Videtur autem in eo ſecutus Pauli Apoſtoli ſententiam, qui in epiſtola ad Tit. cap. 1. verſu 1. facit duplicem cognitionem veritatis. Hæc autem de qua agit, ſapiētia propriè eſt. Neque enim falſa & mendax cognitio Sapientiæ nomine donāda eſt, ſi propriè loqui volumus, quanquam, vti diximus, Iacobus δαιμονιώδη ſapientiam quandam appellauit. Ergo Paulus generaliter Sapientiam quæ eſt ἐπίγνωσις ἀληθείας, diuidit in eā quæ eſt ſecundū pietatem, & in eam quę non docet pietatē: & illā huic pręfert, verámq; eſſe electorum & fidelium hominum fidem & ſapientiam C ſcribit. Dixit Hieronymꝰ in Pauli epiſto. ad Epheſios capite 3. multiplicem eſſe in Eccleſia ſapientiā, ſed alio ſenſu: non enim vt eam in ſua genera diuideret, id ait, ſed vt infinitam eſſe operum Dei varietatem oſtenderet. Hîc itaque vera & Chriſtiana Sapientia dicitur eſſe Pietas ſiue cognitio colendi Dei. Alibi idem Auguſtinus, Non aliam putes eſſe ſapientiam, quàm veritatem in qua tenetur & cernitur ſummum bonum. Hieronymus, qui fuit cōtēporaneus Aug. Dialog. 1. aduerſ. Pelagia. Hęc eſt hominis, ait, perfecta ſapiētia, imperfectum eſſe ſe noſſe. Lactant. libro 6. Inſtitutio. Chriſtian. cap. 5. Itaque, vt breuiùs & ſignificantius vtriuſque rei ſumma officia determinemus, Scientia eſt, Deum noſſe: Virtus, colere. In illo Sapientia, in hoc Iuſtitia continetur. Conqueritur lib. 12. de Trinitate cap. 5. Auguſt. quòd quidam ſuæ vxori Sapientiæ nomē impoſuiſſet, quod fecit Iuſtinianus imperator, quaſi illud ſit auguſtius nomen quàm quod mortali homini conueniat, quanquam tamen vocamus homines ſapientes. Lactant. lib. 4. cap. 3. Vbi autem, ait, ſapientia cū religione inſeparabili nexu cohæret, vtrunque verum eſſe neceſſe eſt, quia & A in colendo ſapere debemus, id eſt, ſcire quid nobis & quomodo ſit colendum: & in ſapiendo colere, id eſt, re & actu quod ſcierimus implere. Vbi igitur ſapientia cum religione coniungitur? Ibi ſcilicet, vbi Deus colitur vnus, vbi vita & actus omnis ad vnum caput & ad vnam ſummam refertur. Denique iidem ſunt doctores ſapientiæ, qui & Dei ſacerdotes, id eſt, Theologia eſt vera ſapientia Lactantio.

2 *Sancti Iob.* Locus eſt Iob. 28. verſu 28. cuius ſæpe meminit Auguſtinus in libris de Trinitate, imprimis libro 12. cap. 14. & libro 14. cap. 1. Ibi dicitur, Timor Domini eſt ſapientia: & recedere à malo, eſt intelligentia, vel ſcientia, vt in veteri verſione. Græcæ lectioni & verſioni quam (vt apparet ex libris de Ciuitate Dei) putauit eſſe LXX. interpretum, inſiſtit Auguſtinus: cùm Hebraica veritas ſit potiùs ſpectanda. Sapientia חכמה, intelligentia verò vel ſcientia illic appellatur בינה. Quæ cùm ex ſatis vſitato more Scripturæ dicta ſint, vti apparet B ex Pſalmo 19. verſu 8. Prouerbior. 1. verſu 17. Eccleſia. 1. verſu 13. Deuter. 4. verſu 6. & vnum ſit alterius explicatio, & ſcientia ad ſapiētiam gradus quidam: ita tamē verba hęc diſtinguit, & anxiè explicat Auguſtinus, vt Sapiētiam velit eſſe cultum Dei & rerum æternarum: De Trinitate cap. 1. lib. 14. Scientiam autem ſiue intelligentiā rerum temporalium. In Scriptura autem & nouo teſtamento, etſi pietas colendíque Dei ratio, ſapientia dicatur ſępe, 1. Corinth. 1. & 2. ſæpe tamen etiam alio nomine ſignificatur. Nam & πίστις, & vulgari popularíque nomine γνῶσις, ἐπίγνωσις, vt σύνεσις quoque pietas appellatur. Nullibi tamē ἐπιστήμη, niſi fortaſſe vno Iacobi loco, Iac. 3. ver. 13. quòd vel Philoſophicas illas verborum ſuperſtitiones de induſtria euitarit Spiritus ſāctus: vel quòd cùm Scientia quæ eſt ἐπιστήμη, ſit rerum quæ ſenſu percipiūtur, vera Theologia ita nō poſſit appellari, quia eſt rerum cæleſtium, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, vt ait Paulus 1. Corin. 2. verſu 9. ita Auguſtinus lib. 14. de Trinitate, quāquam Ariſtotelici repugnabunt. Sed ſapientiam ipſam à ſapore deductā eſſe innuere videtur Arnobius libro 3. aduerſ. Gentes. Metaphora tamē à guſtu linguæ ad mentis animíque ſenſum ſumpta. C

3 θεοσέβειαν. Argutatur hoc loco Auguſtinus, potuítque omnis hæc ambiguitas tolli, ſi Hebraica verba retinerentur. Neque tantùm hoc loco ambigit Auguſtinus, quo nomine propriè cultus Dei illiúſque cognitio ſit nuncupanda, ſed etiam libro 10. de Ciuitate Dei cap. 1. vbi ſignificationem Pietatis Latinè, Græcè autem εὐσεβείας latiùs patere ſcribit. Pietas quoque, ait, propriè Dei cultus intelligi ſolet, quam Græci εὐσέβειαν vocant. Hæc tamen & erga parentes officioſè haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomē etiam in operibus miſericordiæ frequentatur. Hæc ille. vbi error eſt in vulgaribus codicibus, & pro εὐσεβεῖν, εὐσεβῆ eſt reſtituendum. in quo ipſo errat Auguſtinus ipſe. Nam & Deum Gręci εὐσεβῆ vocant. Nec eſt reprehēſus Eudoxius quòd Patrem Deum εὐσεβῆ, ſed quòd λόγον Filium ἀσεβῆ dixiſſet, vt eſt apud Socratem Hiſtor. Eccleſ. lib. 2. cap. 43. Ergo Pietatem veram θρησκείαν & λατρείαν & θεοσέβειαν vocari potiùs quàm εὐσέβειαν debere addidit Auguſtinus. Hæc omnia nimis, meo quidē iudicio, ſcrupuloſè, quanquā eo animo fecit, vt perſpicuè & dilucidiſſimè loqueretur, néue Ethnicorū ſuperſtitiones (quas εὐσεβείας nōine ipſi honeſtabant)

A neſtabāt)intelligere aut approbare videretur. Res ipſa ita habet, vt ſcriptura ſacra ſimpliciùs & omnino popularius loquitur cùm de vera pietate agit, quia non ex verbis, ſed ex ipſa doctrina diſcrimen, quod inter veram & falſam religionem ſtatuendum eſt, intelligi debet. Non eſt vera Theologia λογοδαιδαλία quędam, vt tamen vulgò in ſcholis creditum eſt hactenus. Ac quidem ſi Theologo Chriſtiano Scripturæ Sacræ verba ſequenda ſunt & vſurpanda, nuſquam vocem hanc θεοσέβειαν inueniemus. Nam de veteri Teſtamento quod eſt Hebraicè ſcriptum, fruſtrà laboratur, ſed in nouo omnis illa inueſtigatio fieri debet. Εὐσέβειαν autem ſæpe verum Dei cultū appellat Scriptura, 1. Tim. 4. verſu 8. 2. verſu 2. 3. verſu 16. Tit. 1. verſu 1. 2. Petr. 1. Aliquando etiam θρησκείαν, Coloſſ. 2. verſu. 23. Iac. 1. verſu 27. ſæpe πίστιν, ſæpe σοφίαν. Quin etiam ex vſitato & perpetuo vſu hominū εὐσέβεια eſt definita ἐπιστήμη θεοῦ θεραπείας, id eſt explicatio ſciētiáque colendi Dei, quemadmodum definit Suidas. Quod ad vocem θρησκεία attinet, θρησκεία videtur nō generaliter primùm pro omni religione accepta. B A Thracibus enim θρησκεία videtur dicta, apud quos Orpheus poeta primus ἐτεχνολόγησε τὰ ἑλλήνων μυστήρια, id eſt, inuenit excogitauítque Græcorum ſacra, vt inquit idem Suidas, quæ cùm ad alias gentes perlata eſſent, à natione Thracum, vnde didicerant, eum cultum θρησκείαν appellarunt. Poſtea pro religione ſumi generaliter cœpit. Vnde dij Thraces, dij Samothracum, qui, vt eſt apud Varronem lib. 4. De lingua Latina habiti ſunt ſanctiſſimi. Εὐσέβεια à voce σέβας deducitur, quæ θαῦμα & ſtupendum quid ſignificat, quod in Dei cultu omnia eſſent θαυμαστὰ, & σεβάζω pro ἀλογέω poni teſtis eſt idem Suidas, & σεβαστὸς, id eſt, Auguſtus & ſacerrimus Imperator Romanus dictus. Hunc locum citat Lombardus libro 3. ſentent. diſtinct. 35. cap. 1. Et Triſmegiſtus, quem plurimùm & Lactantius & alicubi Auguſtinus ipſe ſequitur, ſic ait, Εὐσέβεια eſt θεοῦ γνῶσις. Stoici ſic autore Laertio libro 7. definiunt, Εὐσέβεια ἐστὶν ἐπιστήμη θεοῦ θεραπείας. Nos rem explicemus, & vnde vox θεολογίας primùm ſit profecta. Vetuſtiſsimi Græciæ ſcriptores, vt ait C Lactant. libro de Ira Dei cap. 11. quia de diis & deorum cultu agerent, appellati primùm ſunt θεολόγοι, & eorum ſcientia Theologia, non autem Εὐσέβεια. Sed cùm deorum alij dij, alij dæmones tantùm cenſerentur, iam bipartita cœpit eſſe Theologia Ethnicorum. Alia enim de veris diis, in quibus Thologiæ nomen manſit, alia de dæmonibus tractauit. Quæ de diis egit, fuit conſtituta triplex, vt docet Auguſtinus ex Varrone libro 5. de Ciuitate Dei cap. 6. Μυθική, φυσική, πολιτική, id eſt, Fabuloſa, Phyſica, Ciuilis, ſiue Poetica, Philoſophica, Politica, pro diuerſo fine propter quem deos & eorum geſta commemorabant. Quæ dæmonum vim explicabat, illa tantùm fuit bipartita, quia cùm dæmonum alii ſint boni & vtiles, alii autem mali, noxii & timendi: quæ de dæmonibus malis placandis & auerruncandis agebat, Μαγία & γοητεία eſt dicta. Quæ autem bonos alliciebat & inuitabat ſacrificiis, θεουργία & τελετή. Auguſtinus lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 9.

4 *Dei cultus.* Præclarè Theologiam definit Auguſtinus, Dei cultum, vel Dei colendi cognitionem. Etſi autem inter ſcientiam colendi Dei & cultum ipſum intereſt, quoad cogitationem: quoad rem tamen ipſam nihil. Et ſic veteres piique A Patres loquebantur, vt oſtenderent hoc genus cognitionis non ad θεωρητικὰς & ſpeculatiuas dotes, ſed ad πρακτικὰς pertinere, quemadmodum docet Chriſtus, Bonus eſt ſeruus qui facit, non tantùm qui intelligit, Matth. 7. v. 26. Luc. 11. v. 28. Deut. 6. v. 2. Qui dicit, Noui eum, & mandata eius non ſeruat, mendax eſt, 1. Ioan. 2. v. 4. Ratione igitur & modo docendi differunt θεολογία & εὐσέβεια, id eſt, Theologia & Religio, quòd Theologia in ipſa cognitione, Religio & Pietas in ipſa præſtatione & opere ſpectetur, quæ & τιμὴ & λατρεία & δουλεία etiā appellari ſolet. Reipſa tamen nihil eſt aliud Theologia Chriſtiana, quàm Pietas ipſa & religio. Ita pia & erudita vetuſtas locuta eſt. Lactantius libro 4. cap. 4. Non poteſt igitur nec religio à ſapientia ſeparari, nec ſapientia à religione ſecerni: quia idē Deus eſt qui & intelligi debet, quod eſt ſapientiæ: & honorari, quod eſt religionis. Sed ſapientia pręcedit, religio ſequitur: quia prius eſt, Deum noſſe: conſequens, colere. Hæc ille. Alii ſic veram Theologiam definiunt, Eſt vera de vero Deo cognitio, B qualis & quatenus illius verbo patefacta eſt. Scholaſtici definiunt eſſe ſcientiam de Deo circa reuelata quæ ſunt euidentia beatis per lumen gloriæ. Quæ definitio quàm longè à mente Auguſtini recedat, transformétque veram Theologiam quę in actione verſatur, in meram & inanem ſpeculationem, ſatis apparet.

5 *Quonam modo.* Non omnis Dei cultus eſt Pietas, ſed is demum qui legitimus & Deo gratus eſt. Eſt autem is ſolus quem verbo ſuo præſcripſit, & à nobis exigit, Deut. 12. 8. Matth. 15. v. 9. Iſa. 29. Et Paul Rom. 12. ver. 1. diſtinguere videtur ea quæ Deo offerunt homines in cultum quem vocat ille λογικὸν & εὐάρεστον, id eſt, rationalem & Deo acceptū: & eum qui non eſt, qualis eſt omnis ἐθελοθρησκεία, Coloſſ. 2. v. 22. quem homines ſui ingenii fiducia excogitant, & Deo propinant. Nec aliter intelligit Auguſtinus, cùm ait ſe tradere quo modo ſit colendus Deus, nimirum debito cultu & legitimo illíque grato & accepto. Hoc enim inter religionē & ſuperſtitionem intereſt, ait Lactant. lib. 4. cap. 28. quòd religio eſt veri cultus, ſuperſtitio falſi. C Auguſtinus ipſe in Ionnis Euangel. tractat. 23. Hęc eſt, ait, religio Chriſtiana, vt colatur vnus Deus, non multi dij. Cùm autem eam venerationē quæ Deo debetur (nam εὐσέβειαν venerationem vertit Lactantius) Cultum appellat, nō eſt ſcrupuloſè in ea differētia, quā ſtatuunt quidā, inhærendū inter cultū & honorē, quaſi cultus ſit ſolius Dei, honor autē hominū. Nam & honorandū Deū ſæpe docet Scriptura. Multo etiā minus illa Scholaſticorū differentia admittēda inter δουλεύειν & λατρεύειν, quā & Scriptura antiquat & tollit, Philip. 3. v. 3. 1. Theſ. 1. v. 9. & Auguſtinus ipſe iuxta regulas Scholaſticorū non definiuit lib. 1. de Trinita. cap. 6. & libr. de vera religione cap. 55. Honorandi ergo ſunt (de ſanctis loquens) propter imitationem, non adorādi propter religionē. Quemadmodū autem hîc Dei cultū omni alij ſapientię præfert, ita in procœmio lib. 4. de Trinit. cognitionē ſui omni alij ſciētiæ anteferendā eſſe docet, quæ ad Dei cultum fores aperit. Ergo vnum eſt homini neceſſariū, nempe Deum colere, id eſt noſſe, vt colat. Lucæ 10. v. 42. Propter quod hominem natum eſſe ſcripſit Lactant. lib. 6. Inſtit. cap. 1.

A

DE CVLTV DEI ET EIVS partibus, quæ ſunt veræ pietatis materia & obiectum.

Cap. III.

Dei cultum in his tribus, fide nimirum, ſpe & charitate poſitum eſſe.

HIc ſi reſpõdero, fide,[1] ſpe, charitate colẽdũ Deum, profectò dicturus es, breuiùs hoc dictũ eſſe, quàm velis: ac deinde petiturus ea tibi breuiter explicari quæ ad ſingula tria iſta pertineãt, quid credendum ſcilicet, quid ſperandum, quid amandum ſit. Quod cum fecero, ibi erunt omnia illa, quæ in epiſtola tua quærenda poſuiſti. Cuius exemplum ſi eſt penes te, facile eſt vt eam reuoluas & relegas. Si autem non eſt, commemorante me recolas.

1 *Fide, ſpe, charitate.* Explicauit quod ſit obiectum veræ pietatis, dixítque eſſe Dei cultũ. Nunc quot ſint illius cultus partes, rimatur. Itaque hîc partitio eſt totius futuræ diſputationis, & argumẽti de quo dicturus eſt, & per quod Deum rectè colere docemur. Ad tria autẽ hæc capita vniuerſum B Dei cultum reuocat Auguſtinus: nempe, fidẽ, ſpẽ, & charitatem, ídque ordine aptiſsimo ſiue definitorio. Deorum autem religio, ſiue potiùs ſuperſtitio, ad certa capita reuocari non poteſt: quia, vt ait Lactãtius li. 2. cap. 7. nihil aliud eſt, quàm quod cupiditas humana miratur. Sumptus autem videri poteſt hic locus ex Paulo, 1. Cor. 13. v. 13. vbi breuiter enumerat Paulus ad quæ ſumma capita totum verbi Dei miniſterium pertineat & ſpectet, nempe vt in his tribus virtutibus inſtruamur, quæ reliquas omnes continent, & Virtutes Theologicæ à Scholaſticis appellantur. idem Auguſt. libr. 8. de Trin. cap. 4. ait, Ad tria hæc, inquit, in animo ædificanda omnium diuinorum librorum machinamenta conſurgunt. Et lib. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 37. Per fidẽ enim ambulamus, non per ſpeciem. Titubabit autem fides, ſi diuinarum Scripturarum vacillat authoritas. Porrò fide titubãte charitas etiam ipſa langueſcit. C Nam ſi à fide quiſque ceciderit, à charitate etiam neceſſe eſt cadat. Non enim poteſt diligere, quod non credit. Porrò ſi & credit & diligit, bene agendo & præceptis bonorum morum obtemperando efficit, vt etiam ſperet ſe ad id quod diligit, eſſe venturum. Itaque tria hæc ſunt quibus & ſciẽtia omnis & prophetia militat, fides, ſpes, charitas. Ex quibus eadẽ ex ipſo Auguſtino intelliguntur, quæ hîc: & quo nexu, ordine & vinculo ſint inter ſe connexæ hæ tres virtutes. Irenæus quoque lib. 2. aduerſ. Valentin. cap. 47. doctrinæ Chriſtianæ ſummam exponens, triũ harum diſertè meminit. Alii tamen aliter Theologiæ Chriſtianæ capita & ſummam diſtinguũt, vti Auguſtinus ipſe li. 1. de Doctrina Chriſtiana, Omnis doctrina, ait, eſt aut rerum, aut ſignorum. Rerum autem triplex genus eſt. Nam aut iis fruimur aut vtimur tantùm, aut etiam fruimur & vtimur. ad quæ tria omnes Theologicas diſputationes retulit Auguſtinus ipſe, & poſt eum P. Lombardus in libro Sententiarum. Alii in duo tantùm capita, nimirum in eam doctrinam, quæ de fide agit, & eã quæ de operibus. Alij faciunt quadripartitã. Nam in Theologia aiunt explicari quæ vel pertinẽt ad Deum ipſum, vel ad Angelos, vel ad homines, vel A ad Eccleſiã & ſalutares Dei erga eam gratias. Chriſtus ſummam totius Chriſtianæ pietatis reuocaſſe videtur breuiſsimè ad Fidem, & pœnitentiam, Luc. 24. v. 47. Paulus idem quod hoc loco Augu. Tit. 2. v. 1. dũ ait nos ſanos eſſe oportere πίστει, ἀγάπῃ ϗ ὑπομονῇ, quam ſpei effectum eſſe certum eſt. Et eodem loco, idem Paulus Tit. 2. v. 12. docet ad tres has virtutes reuocari officiũ Chriſtiani hominis vt iuſtè, piè & temperanter viuamus. Pietas ad noſtrum erga Deum officium: Iuſtitia ad homines: Temperantia ad ea moderanda, quę vtrique ſuperiori virtuti obſtant, pertinet. Nam quemadmodũ ait Lactantius in Epito. Inſti. cap. 7. vt omnia, quę Deo placent, facere poſsimus, contemnenda eſt pecunia, voluptas, honor, vita, &c. In quibus rebus cohibendis, Temperantia verſatur. Quæ nos tam in ſpeciem diuerſa retulimus, non vt ἀντινομίαν vel ἐναντιοφανὲς vllum in ſacra Scriptura eſſe velimus (nam iſta omnia re inter ſe conueniunt, & eadem dicit Paulus cum Chriſto) ſed vt oſtendamus pro varia ratione variis modis quæ tradit Scriptura B nos explicare poſſe. Facillima autem & ad docendum maximè idonea videtur eſſe ea partitio totius doctrinæ de cultu veri Dei, quam Chriſtianæ Eccleſiæ ex Caluini Catechiſmo ſequuntur, vt dicatur eſſe quadruplex ex materia, quam explicat. Continet enim & docet vniuerſa cultus Dei ratio hæc quatuor, 1. Fidem, 2. Obedientiam, 3. Inuocationem, 4. Gratiarum actionem. Nec obſtat his omnibus quòd finis Legis & doctrinæ ſiue pręcepti dicitur à Paulo eſſe vna charitas, 1. Tim. 1. v. 5. Rom. 13. v. 8. Nam & Paulus ipſe fidei meminit eo loco, & cùm duplex ſit charitas, vna qua Deũ, altera qua homines diligere iubemur: illa fidei, hæc charitatis nomine & ab Auguſtino & à Paulo ſępe cõprehẽditur. Quibus duabus adiungẽda eſt ſpes, quæ vtrâque confirmat, & velut ὑπερασπιστὴς & propugnator quidam eſt vtriuſque in omni tẽtatione, atque in mediis malis patientes & fortes facit. Nam, vt ait Prudentius poeta Chriſtianus,

Nam virtus vidua eſt quam non patientia firmet. Eſt autem Patientia ſpei effectus. C

Cap. IIII.

Ex fidei, ſpei, & charitatis explicatione intelligi quid in religione Chriſtiana ſequendum, quid fugiendum ſit. Id quod partim humana etiam ratione nititur, partim ſola fide.

VIs enim [1] tibi, vt ſcribis, librum à me fieri, quem
[2] enchiridion, vt dicunt, habeas, & de tuis mani-
bus non recedat, cõtinens poſtulata, id eſt, [3] Quid "
ſequendum maximè, quid propter diuerſas principali- "
liter hæreſes ſit fugiendum: in quantum ratio pro religio- "
ne contendat, vel quid in [4] ratione cum fide non conue- "
niat: [5] Quid primum, quid vltimum teneatur: Quæ to- "
tius definitionis ſumma ſit. Quod certum propriúmque "
fidei catholicæ fundamentum. Hæc autem omnia quæ requiris, proculdubio ſcies, diligenter ſciendo[6] quid credi, quid ſperari debeat, quid amari. Hæc enim maximè, imò verò ſola [7] religione ſequenda ſunt. His qui contradicit, aut omnino à Chriſti nomine alienus eſt,[8] aut hæreticus. Hæc autẽ[9] ſunt defendẽda ratiõe, quæ vel à ſenſibus corporis inchoata, vel ab intelligẽtia mẽtis inuẽta. Quæ autem nec corporeo ſenſu experti ſumus, nec mente aſſequi valuimus, aut valemus, eis ſine vlla dubitatione

A *ti one* [10] *credenda ſunt teſtibus, à quibus ea, quæ diuina vocari meruit Scriptura, confecta eſt: qui ea ſiue* [13] *per corpus, ſiue per animum diuinitus adiuti vel videre, vel etiam præuidere potuerunt.*

1 *Vis enim.* Quàm lacerum & nõ intellectum fuerit hoc caput, ex ſequentibus annotationibus apparebit. Vno verbo aſcripſit Eraſmus: Ratio & fides. Sed quorſum? Ergo confirmat Auguſtinus ſuã diſtributionẽ de cultu Dei in tres illas partes & virtutes, de quibus ſuprà meminit. Cõfirmat autem ab enumeratione eorũ quæ hominem Chriſtianũ ſcire oportet ad Deũ ritè colendũ. Sũt autẽ ſi intellexerit quid ſequendũ, quid fugiendum in religione ſit. Quod vtrũque tres illæ virtutes abũdè cõplectuntur. Hanc autẽ ipſam cultus Dei partitionẽ à ſe factã docet eſſe aptiſsimã & cõuenientiſsimã etiam Laurentii poſtulationi & epiſtolæ, cuius verba aliquot huc trãſcripſit. Sunt autem ea quæ nos notulis in margine poſitis diſtinximus. Quòd à nemine antea perceptũ erat, & in eo tamẽ huius & ſequentis capitis facillima explicatio, vel turpiſsima ignoratio poſita eſt.

2 *Enchiridion.* Ἐγχειρίδιον Græci dicunt, quod B in manibus haberi commodiſsimè propter molis exiguitatẽ poteſt. Titulũ quidẽ libri, quem ſcribi poſtulabat, nõ addiderat Laurentius, ſed tantùm dixerat, eum, vbi miſſus ab Auguſtino eſſet, de ſuis manibus nõ receſſurũ. Quod lib. 2. Retractat. oſtẽdit ipſe Auguſtinus. Hinc occaſione accepta libro huic titulum fecit ἐγχειρίδιον. Quòd ita appellentur ij libro vulgò, qui manibus aſsiduè teruntur, vide A. Gellium libro vltimo Noct. Atticar. Scripſit πρόχειρον Harmenopulus & ἐγχειρίδιον Iuris Ciuilis Eguina. Baro noſtra ætate, & Imbertus, & de aliis rebus multi. Epitomæ dici etiam poſſunt, ſi ſtyli rationem ſpectes, & quòd breuiſsimè præcipua rerum, de quibus agitur, capita contineant, vt Epiphanius fecit in Ἀνακεφαλαιώσει.

3 *Quid ſequendum.* Hæc ſunt Laurentii poſtulata, & ipſius epiſtolæ verba, quæ ſuperiori capite ſe commemoraturum dixerat Auguſtinus. Apparet autẽ ex iis verbis fuiſſe quatuor præcipua Laurẽtij deſyderia. Quæſiit enim ab Auguſtino, Quid in Chriſtiana religione ſequẽdum, Quid itẽ pro- C pter hæreſes fugiendum eſſet. Hæc ſunt duo. Poſtea, Quid & quantum dogmata Chriſtiana humana ratione niterentur: Quantum non, ſed ſola fide tenerentur. Hæc ſunt alia duo. Quibus quatuor & primis & præcipuis poſtulatis hoc vno capite reſpondet apertiſsimè & breuiſsimè Auguſtinus, adhibita ſuperiore cultus Dei partitione, quam omnibus his explicandis appoſitiſsimam eſſe demonſtrat: ex quo apparet & ab hæreticis & à philoſophis vexatum Laurentium, cùm quid vtriſq; eſſet reſpondendum, peteret edoceri. Atque illius ferè ſeculi & ſuperioris homines ita agitabãtur in Eccleſia, vt à dextris & à ſiniſtris eſſet illis pugnãdum, quemadmodum loquitur Paulus 2. Corint. ἔξωθεν μάχαι, ἔσωθεν φόβοι, cap. 7. Id quod veterum orthodoxorum Patrũ diſputationes & libri docent. Iuſtini varia ſcripta aduerſus Philoſophos, & Arnobii contra Gentes, Irenæi contra Valentin. Tertulliani aduerſus vtroſque, & ipſius Auguſtini libri aduerſus Iudæos, Gentes & hæreticos. Hodie ceſſat aduerſus philoſophos, ſed longè acerrima eſt nobis orthodoxis pugna aduerſus hæreticos. Ex Laurẽtii epiſtola, cuius aliquot verba recitantur, apparet cuius ille literaturæ fuerit, & erudi- A tionis, & certè non ineptæ, pro illius ſeculi ætate & ratione.

4 *In ratione.* Vulgares codices, *Quid in ratione cùm fides ſit ſola, nõ cõueniat.* omnino ſic reſtituẽdũ, vt fecimus, cùm verba hęc *fides ſit ſola,* ex his *cũ fide,* & gloſſemate alicuius docti irrepſerint. Annotauerat enim doctus aliquis ad verbũ fide (ſed in ſola fide) ex quo fecit librarius, Cùm fides ſit ſola. quæ verba ſenſu carẽt, & deprauata ſunt. Rationis autẽ vocẽ hìc pro humana accipiẽdã eſſe ſatis intelligi poteſt, quòd fidei eam opponit. Aliàs enim quæ fide & authoritate verbi Dei nitũtur, ratiõe, eáque ſua optima & lõgè tutiſsima nitũtur, ſed ea non humana quidẽ, imò diuina. Neque diffitetur Paulus ſe quod annũtiat, & eſt hominibus ψυχικοῖς ignotũ, eſſe tamẽ ſapientiã (Sapientia autẽ omnis ratione agit) ſed Dei Sapiẽtiã, nõ hominũ, 1. Cor. 2. v. 7. Neq; cùm dicũt Prophetę, Sic dicit Dominus: aut ſic, Quia Dominus exercituũ locutus eſt: & Euãgeliſtæ & Apoſtoli, Quemadmodũ ſcriptũ: &, Vt impleretur quod dictũ eſt: cẽſendi ſunt carere ratione, imò lõgè veriſsimã & propriiſsimã pro re de qua agunt, afferunt, & eam quidẽ omni hu- B mana potiorem, nempe diuinam, vt Actor. 18. v. 28. dicitur Apollos ea ratione vtẽs demonſtraſſe. Ergo ratio humana quã philoſophi in dogmatũ Chriſtianorum confirmatione requirunt, eſt iudicium & aſſenſus humanæ mentis, qualis in homine nondũ renato, ſed adhuc, vt Paulus 1. Cor. 3. v. 14. loquitur, ψυχικῷ & errante manſit. Hæc ſæpe fidei non aſſentitur neque ſuffragatur, quia eſt cęca, & exiguè cernens, vt ait Petrus, 2. Petr. 1. verſ. 9. vel, vt vult Iacobus, terrena & dæmoniaca, Iac. 3. verſ. 15. Fides autẽ cæleſtis eſt & diuina ſapientia, quæ carnali repugnat. Bernard. epiſt. 190. Quid magis, ait, contra rationem, quàm ratione rationem conari tranſcendere? Et quid magis contra fidem, quàm credere nolle quicquid non poſſit ratione attingere? Grego. Magn. fides in Deum, ait, nullum habet meritum, ſi ei ratio humana præbet experimentum.

5 *Quid primum.* Altera pars poſtulatorũ Lau- C rẽtij: quę & ipſa ſunt quatuor, Nẽpe in iis ipſis quę ſequenda ſunt in Chriſtiana religione quærebat, Quid primum, Quid vltimum ſit. Hæc ſunt duo: Itémque alia hæc duo, Quæ ſumma totius definitionis, Quod proprium fidei catholicæ fundamentum. His quatuor ſequenti capite reſpondet Auguſtinus. Itaque & hæc ipſa fuerunt epiſtolæ Laurentij verba, ex quibus apparet quàm breuiter & cõpendioſè iſta ab Auguſtino tractari & explicari vellet, queadmodũ homines aliis in rebus & negotiis occupati, & tamen pij & religioſi fieri poſtulãt. omnino enim philoſophari & diſcere quid ſequendum ſit propter pietatem volunt: propter occupationes tamen ſuas breuiter id fieri petunt.

6 *Diligenter ſciendo.* Reſponſio Auguſtini ad priora duo Laurentij poſtulata, Quid ſequendum, & quid fugiendum in religione. Sequẽdum docet, quod fides, ſpes & charitas præſcribunt, ſiue quod credendum, ſperandum & amandum eſt, quia illa tria maximè religio perſequitur, imò verò tota in illis tribus & ſolis explicandis poſita eſt. Fugiendum autem monet quicquid ab iis diſſentit, quia vel paganicum ſiue ethnicum eſt, ſiue hæreticum. Hæc reſponſionis ſumma manifeſtiſſimè ex his

A verbis colligi poteſt. In qua ordine & Laurentius & Auguſtinus collocant & quærunt, Primo loco quid ſit ſequendum. Secundo loco quid fugiendũ. Nã vt docet Paulus Tit.1.v.9. ſana doctrina prius tradenda eſt, poſtea contradicentes redarguendi. Quanquam Origenes Homil.1. in Hier. Hier.1.v. 10. aliud ſentit. Dei verba, inquit, primùm faciunt quod neceſſe eſt, eradicant, deſtruunt, perdunt: & poſt hæc ædificant & plantant. vnde factum eſt vt Philoſophus Chriſtianus Athenagoras in libello De reſurrectione ambigeret, Quæ cui ratio & diſputatio præire debeat, vel ea quæ docet, vel ea quæ refutat. Naturæ tamen magis conſentaneum eſt, priùs id docere & tradere in quo cõſiſtas, tum contraria euertere, ne ſemper vacillet auditor, etſi Ariſtoteles alium ordinem videtur in libris ſuis ſecutus.

7 *Sola religione.* Sola hæc tria capita religione cõprehendi dicit Auguſtinus, quia omniũ quę Theologia Chriſtiana docet, hęc tria ſunt pręcipua. Ideo Scholaſtici quanquã varias virtutum & dotiũ animi ſpecies agnoſcunt, tres tamẽ has virtutes B propriè Theologicas eſſe ſcribunt & ſtatuunt, fidem, ſpem & charitatẽ. Iuſtitiã, Prudentiã, Temperantiam, & Fortitudinẽ fatentur illi quidẽ eſſe virtutes Cardinales & præcipuas, alias autem ſecundarias & illis ſubiectas, vt Thomas Aquinas loquitur in 2.2ᵉ. ſed tamen eas ipſas Cardinales appellãt Humanas & Morales virtutes, non propriè Theologicas. Præter Theologicam tamen fidem, ſpem, & charitatem volunt eſſe & aliam fidem, ſpẽ, & charitatem, quas in ἀλόγῳ etiam parte animi (qualis eſt iraſcibilis & appetitus) collocatas eſſe dicunt, & nõ eſſe dona Dei infuſa. Hîc autem Auguſtinus quatenus eæ ad Theologum pertinent, eas præcipuum Theologicarum diſputationum obiectum & materiam eſſe ſcribit. Præterea tamen eſſe & alias virtutes quas religio Chriſtiana conſectetur & tradat apertè docet Petrus iis verbis, 2. Petr.1.v.5. Adiicite fidei veſtræ virtutem, virtuti verò ſcientiam, ſcientiæ verò temperantiam, temperantiæ verò tolerantiam, tolerantiæ verò pietatem, pietati verò animum in fratres propenſum, animo verò in fra- C tres propenſo charitatem.

8 *Alienus eſt.* Duo hominum religioni Chriſtianæ ἀντιλεγόντων genera hoc loco conſtituit Auguſtinus. Eorum nempe alij ſunt Pagani, alii Hęretici: ſiue, vt ipſe idem Auguſtinus lib.1.cap.10.& 11. cõtra Creſconium loquitur, alii ſunt extranei & foris à nobis, alii non. Paganum hîc definit, qui à nomine Chriſti eſt omnino alienus, & conſentiẽter quidem Scripturæ. Nam eos eſſe dicit Paulus τοὺς ἔξω, 1.Cor.5.v.12. quos nihil ad Eccleſiam pertinere ait. Itaque ne nomine quidem ſe Chriſtianos appellari volunt, & nomen ipſum Chriſti oderũt, & Chriſtianorum, quos propter ſolum nomen perſequuntur, vt docet Tertullianus in Apologetico. Alibi definit Auguſtinus Paganos, eos, qui nullum nobiſcum commune diſputandi de fide principium habent & ſumunt. Hæreticum autem eum, qui cõmune quidem nobiſcum fundamentum habet, ſed interpretatione à ſe corruptũ. Videtur autem hoc loco in vniuerſum & breuiter ad tria hæc capita omnes hæreſeon fontes reuocare Paulus in epiſtola ad Coloſſen. quas tamen tẽpore Epiphanii numero 80. fuiſſe certũ eſt, & tẽpore Auguſtini additæ duæ ad ſuperiorẽ numerũ fuerunt, Donatiſtarũ & Pelagianorũ. Epiphanius ipſe quatuor earũ genera facit, Barbariſmũ, Scythiſmũ, Iudaiſmũ, Helleniſmũ. A Paulus ergo Coloſſ.2.v.8. tres tãtùm ſpecies, nẽpe eorũ qui per Philoſophiã, qui per hominum traditiones, & per mundi elementa, id eſt, ritus legales nos decipiunt, & à vera fide abducunt. Certè Epicureiſmus, Arianiſmus, Pelagianiſmus & Monachiſmus videntur eſſe quatuor præcipua Hydræ hæreticę capita. Legantur quæ ſcripſit Hieronymus de Remoboth Monachorum genere in epiſt. ad Euſtochium. de cuſtod. virginita.

9 *Hæc autem.* Altera Auguſtini reſponſio ad duo poſteriora ex illis primis quatuor Laurentii poſtulatis. Itaque addenda eſt particula, Autem. fuerunt autem illa, Quid & quantum ratio humana pro religione contendat, & quantum non conſentiat. Reſpondet Auguſtinus breui definitione ſic, Quæ diſputantur & ſunt in controuerſia, aut ab homine per naturalia κριτήρια. Id eſt, humanis & corporeis ſenſibus percipi poſſunt, & mentis humanæ acumine: aut non. Quæ vel ſenſu vel mente humana intelligi poſſunt, etſi à Theolo- B gia traduntur, ratione humana confirmari poſſunt. Quæ verò neutro modo percipi queunt, & inter Chriſtianos docentur, ſola ſacræ Scripturæ fide nituntur, cui ſine vlla dubitatione credendum eſt. Ac primùm omnino neceſſe eſt homines de eo admoneri, vt intelligant, quid & quantũ in diſputatione de Deo vero & eius operibus, ſit à rationis humanæ iudicio pendẽdum. Veteres quidem Ethnici ſuarũ religionum cauſas à ſuis philoſophis petebant, nos autem noſtrę non debemus neque poſſumus. Superat enim omnem captum humanũ arcanũ dilectióque Dei erga nos per Chriſtum, Epheſ.3.v.19. Sed quia à Cicerone iampridẽ dictum erat, A te enim philoſopho rationem religionis accipere debeo, & extabat illo tẽpore Porphyrij ad Anebonem ſacerdotem Ægyptium, περὶ τελετῶν & ſacrificiis deorum longa epiſtola, & Iamblichi ad eam reſponſio, de qua Auguſtinus in libro de ciuitate Dei, humana ratione ſua ſacra tuẽtes, idem à Chriſtianis fieri debere Ethnici credebãt. Vtitur quidem ſæpe Scriptura & Paulus ſimilitudinibus à rebus naturalibus ſumptis: tamen in C iis ratio religionis Chriſtianæ non eſt poſita, ſed in ſolo Dei verbo. Nam velle Deum ſubiicere nobis impium eſt. Dixit quidem Cyprianus in ſermone de Baptiſ. Hoc natura, hoc ratio, hoc, Domine, verbi tui clamat authoritas. Idem tamen lib.1. epiſt. 81. Adulterum eſt, inquit, impium eſt, ſacrilegum eſt, quodcunque humano furore inſtituitur, vt diuina diſpoſitio violetur. Et Tertullianus libro de reſurrectione carnis, Eſt quidem & communibus ſenſibus ſapere in rebus Dei, ſed in teſtimonium veri, non in adiutorium falſi, quod ſit ſecũdum diuinam, non contra diuinam diſpoſitionem. Hilarius libro 4. de Trinitate, Neque enim ſcientiam cæleſtiũ per ſemet humana imbecillitas conſequetur. Et lib.1. Cùm de rebus Dei eſt ſermo, cõcedamus cognitionem ſui Deo. Idoneus enim ſibi teſtis eſt, qui niſi per ſe, cognitus non eſt. Sunt quidem homini conceſſa à Deo duo rerum cognoſcẽdarũ inſtrumẽta & κριτήρια, vt & Philoſophi & Galenus vocant, Senſus & Mens. Senſus qui res corporeas & viſibiles: Mens autem, quæ incorporeas & inuiſibiles diſcernit: ſed vtrunque eſt mancum, fallax, cæcum & humile, adeò vt ſe ad diuina attollere

A lere non poſsit,quia huiuſmodi ſunt, vt eò neque ſenſus corporis,neque cogitatio mentis per ſe pertingere poſsit,niſi Dei Spiritu illuſtrata. Solus enim πνευματικὸς,& qui à Dei Spiritu docetur, capit mentē Dei. Illa autem res diuinas & arcanū fidei complectitur,1.Cor.2.v.15. Ne fruſtrà cum Euſebio in libris de Præparatione Euangelic. laboremus in dictis & ſententiis Platonis aut Plutarchi, aut Numenij,aut aliorum cum dogmate Chriſtiano coniungendis & conciliandis, vel ratione eorum,quæ homini non renato probentur, inueſtiganda.Et Auguſtinus ipſe, Erubeſcat ergo ſuperbus peccator & cui plus placet Ariſtotelis, quàm ſcientia de Apoſtolis:plus Platonis,quàm liber diuinus.In libro de Specul.pecca.cap.6. Nam quod attinet ad ſenſus corporis,illi non vidēt quæ Chriſtiana ſapientia docet.Paulus 1.Cor.2.v.9. Prædicamus quæ oculus non vidit, nec auris audiuit. Quod ad mentem & rationem non renatam, dicit idem,Sapientiam loquimur inter perfectos, non ſapientiam huius ſeculi.Vnde Ambroſ.lib 5.epiſt. 31. Cui magis de Deo,quàm Deo credam.Nec obiici debet quod ſcribit Chryſoſtom.Homel.16. in B Ioann. Turpe eſſe,ſi quilibet artifex artis ſuæ rationem reddere poſsit: Chriſtianus autē ſuę profeſsionis non poſsit.Non vult enim diuinā Theologiam parem illis artibus facere,ſed hominum in legendo Dei verbo negligentiam duntaxat arguit. In ſumma, Quod ſacra Theologia tradit, id aut pertinet ad mundi creationem, aut ad ipſam doctrinam fidei & ſalutis humanæ. Quæ de creatione mundi ſcripta ſunt, prorſus & ſenſibus & iudicio humano repugnant.Quæ autem doctrina ſalutis continetur in ſacris literis,illa vel

Legem Dei,
docet
Euangelium.

Legis diuinæ ſemina manent reliqua in conſcientiis hominum, quatenus reddantur inexcuſabiles: Euangelii non item,cuius nulla principia à natura reliqua habemus,ideóque dicitur à Paulo Dei arcanum,& Epheſ.3.prioribus ætatibus ignotum:quāquam tamen eos qui Moſen non audiuerant, Legem ſciiſſe pronuntiat,Rom.2.Itaque in Legis C pręceptis explicandis humana ratione vti poſſumus. in fidei autem aut ſalutis noſtræ modo probando & confirmando, humanis rationibus non poſſumus,quicquid Scholaſtici ſentiant, & de incarnatione Chriſti loquentes, itémque Perſonarum in Trinitate diſtinctione multùm in tantorum ſecretorum ſimilitudine in rebus naturæ quærenda ſe fatigent.

10 *Sine vlla dubitatione credenda.* Hoc verum eſſe,nempe diuinis ſcripturis ſine vlla hæſitatione animi acquieſcendum (quicquid aliter ſancitum, cōſtitutum aut receptum viderimus)docet omnis piæ & eruditæ vetuſtatis conſenſus,& vox cōmunis Eccleſiæ. Origenes ad Galat.cap.1.Paulus,ait, etiam Angelis è cœlo deſcendentibus præponit Scripturas,ídque meritò. Siquidem Angeli quālibet magni,tamen ſerui ſunt & miniſtri. Cæterùm Scripturæ non à ſeruis,ſed ab vniuerſorum Domino Deo venerūt ad nos.Irenæus lib.2.cap.59. Scripturis diuinis, quæ certa & indubitata veritas eſt inhærere,in firma & valida petra eſt domum ſuam ædificare.Tertullianus in libro de Pręſcriptio.Itaque etiamſi angelus è cælo aliter euangelizaret,anathema diceretur à nobis. Sed & ipſa appellatio A Scripturæ ſacræ id oſtendit. Dicitur enim ab illis ἁγιόγραφος ἐνδιαθήκη, κανονική. A Paulo verò, qui vel vnus ſatis eſſe debet, θεόπνευστος,2.Timoth.3. verſ. 16. 2.Pet.1.v.19.Quid Chriſtus?Scrutamini ſcripturas. Ioan.5. Reliquis autem ſcriptoribus non item indubitata fides debetur Eccleſiaſticis & ſanctis. Auguſtinus ipſe in epiſto.ad Hieronymū quæ eſt 19. ad Vincent.epiſtola 48.& libro 2.De Baptiſ. cōtra Donatiſt.Non enim illa ſic leguntur, ait, vt cōtra ſentire non liceat.libro de Natu. & grat. cap. 60. Solis,ait, canonicis Scripturis debeo ſine vlla recuſatione conſenſum.

11 *Sine per corpus.* Alludit Auguſtinus ad dictum Pauli 2.Corinth.12.verſu 3. Siue in corpore, ſiue extra corpus,neſcio. Sed cùm de vniuerſa ſacra Scriptura loquatur Auguſtin. hoc loco, quæ partim ab Apoſtolis, partim à Prophetis tradita eſt, certo certius eſt Apoſtolos ipſis auribus & oculis vidiſſe & audiiſſe de Chriſto ipſo quæ ſcripſerunt, eo modo, quo homines omnes quæ ab aliis dicuntur.Quod audiuimus,inquit Ioannes, 1. Ioan.1.v.1.quod vidimus oculis noſtris,quod ſpectauimus,quod manus noſtræ palpauerunt. Idem B & Petrus Actor.10. verſu 41. & 42. Itaque quæſtio hæc de illis fieri neque poteſt neque debet, Vtrùm in corpore an in animo conſtituti ea viderint quæ ſcripſerūt.Niſi fortè de vno Paulo,qui certè à Deo ipſo immediatè edoctus eſt per Spiritum ſanctum, etiam poſt reſurrectionem Chriſti, vt ipſe ſcribit 1. Corinth. 15. & Galat.1.verſu 1. De Prophetis maior quęſtio eſt,& de eo variè inter ſe Scholaſtici digladiantur,quomodo Prophetæ Dei volūtatem,& ſpecies à Deo obiectas perceperint, vtrùm ipſæ ſpecies, vt putat Athanaſius, veræ & præſentes fuerint: vel potiùs ipſe Prophetarum animus & intellect⁹ fuerit velut ex quadam diſpoſitione immutatus:vel lumine aliquo ſupranaturali à Deo infuſo illas ſupernaturaliter viderit. Certè Petrus prætermiſſis illis omnibus curioſis quęſtionibus(quis enim diuinorum operum, & extra ordinariorum,quales fuerunt illæ viſiones & collocutiones cum Deo, rationem explicare poſſit?) C hoc tantùm ad eorum ſermonem & confirmandū, & commendandum affert,quòd acti fuerint à Spiritu ſancto, neque eorum ſcriptura ſit propriæ explicationis & libidinis. Auguſtinus lib 12. de Geneſ.ad literam cap.9,putat Prophetarum viſiones ad viſiones mentales & ſupranaturales pertinere, non ad eas per quas ſenſus cōmunis obiecta à ſenſibus exterioribus percipit.Dominus ipſe Numer. 12. verſu 6. duos modos diſtinguit,per quos Prophetæ vaticinabātur.aut enim viſione vera rerum præſentiam, aut per ſomnium & repræſentatione rei futurę & abſentis,Dei voluntatem & res futuras cernebant.Iob.32,tres modi enumerantur.

DE FIDE ET SPE, QVID ſint,& quid inter ſe differant & conueniant.

CAPVT. V.

Primum in religione Chriſtiana eſt fides:Plena autem Dei viſio,vltimum: Ipſius autē fidei ſumma eſt Ieſus Chriſtus.

A *QVum[1] autem initio[2] fidei, quæ[3] per dilectionem operatur, mens imbuta fuerit, tendit bene viuendo etiam ad ſpeciem[4] peruenire, vbi eſt ſanctis & perfectis cordibus nota, & ineffabilis pulchritudo, cuius plena viſio eſt ſumma felicitas. Hoc eſt nimirū quod requiris, Quid primum, quid vltimum teneatur: Inchoari fide, perfici ſpecie. Hæc etiam totius definitionis eſt ſumma. Certum verò propriúmque fidei catholicæ fundamentum, Chriſtus eſt.[6] Fundamentū enim aliud, ait Apoſtolus, nemo poteſt ponere, præter id quod poſitū eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.[7] Neque hoc ideo negandū eſt propriū fundamentum eſſe fidei catholicæ, quia putari poteſt aliquibus hæreticis hoc nobiſcum eſſe commune. Si enim diligenter quæ ad Chriſtum pertinent cogitentur, nomine tenus[8] inuenitur Chriſtus apud quoſlibet hæreticos, qui ſe Chriſtianos vocari volunt, re verò ipſa non eſt apud eos. Quod oſtendere nimis longum eſt, quoniam cōmemorādæ ſunt omnes hæreſes, ſiue quæ fuerunt, ſiue quæ ſunt, ſiue quæ potuerunt eſſe ſub vocabulo Chriſtiano: & etiā quàm ſit hoc verum per ſingulas quaſque demonſtrandum: Quæ diſputatio tam multorum eſt voluminum, vt etiam infinita videatur.*

B 1 *Cùm autem.* Reſponſio eſt ad ſecundam partem poſtulatorum Laurentij, qui non modò ab Auguſtino quæſiuit, Quid in religione Chriſtiana ſequēdum & quid fugiendū eſſet: ſed in eo ipſo quod ſequendum docebat, quid eſſet primum, quid vltimum. Denique quæ totius Chriſtianæ doctrinæ ſumma, & quod certum fidei catholicæ fundamentum. Quibus omnibus (ſunt enim quatuor) breuiſſimè hoc vno capite ſatisfacit & reſpondet Auguſtinus. Atque hinc iam argumentum huius operis ingreditur. Superiora enim omnia tanquā προλεγόμενα quædam videri poſſunt. Hìc autem eſt ipſius hypotheſis inchoatio & tractatio. Agit enim de fide quæ è tribus pietatis fontibus & partibus ſuperius enumeratis prima eſt. Hîc autem fidei fundamentum breuiter proponit, Ieſum Chriſtum nimirum.

2 *Initio fidei.* Fides primas in colendo Deo partes tribuit Auguſtinus, & ſibi conſtanter & conſentiēter Scripturæ. Ac quidem Scriptura docet eum qui ad Deum etiam accedere vult fide præditū eſſe prius debere, Hebr. 11. v. 6. quia neque orari neque C agi quicquam poteſt quod ſit ſine fide Deo gratū. Nam quicquid ſine fide fit peccatum eſt, ait Paulus Rom. 14. v. 23. & 10. v. 14. Illa enim & lux eſt mētis, & quæ nos noſtráque Deo gratos & acceptos facit, non quidem ſua vi & dignitate, ſed per Chriſtum, cui nos coniungit. Ergo nos ea primùm imbutos eſſe oportere affirmat, ſibi etiā conſtanter. Nam lib. de Agone Chriſtiano ca. 13. fides eſt prima, quæ ſubiugat animā Deo: deinde præcepta viuendi. Vnde ait idem li. 1. De doctrina Chriſtiana. cap. 37. Titubante fide ruit charitas. Nā & ipſa bona opera hominum quæ videntur laudabilia, ante fidem ſunt inania. Ita mihi vidētur eſſe, inquit Auguſtinus, vt magnæ vires & curſus celerrimus præter viam. in præfat. Pſal. 31. Hierony. in epiſtolam ad Epheſ. cap. 3. Non tantùm habere acceſſum, ſed vt firmior ſit acceſſus, principium & origo, fides in Chriſto facit. Eſt omniū virtutū radix, ait Ambroſ. in lib. de Cain & Abel. Denique pœnitentiæ & veræ vitæ atque nouæ fundamentum, cap. 2. de vera & falſ. pœnit. Nec obſtat quòd Baptiſmus ingreſſus & primus aditus in Eccleſiam & Dei familiā cenſetur. eſt enim externarum rerum & actionum ratione Baptiſmus ingreſſus: At internarum rerū & A actionum reſpectu fides omnes alias & ſpē, & charitatem in mentibus noſtris præcedat neceſſe eſt. Ex hoc ipſo loco apparet nō conuenire Scholaſticis cum Auguſtino, qui charitatē fidei præferunt, eámque volūt omnis noſtri apud Deum meriti (ſi tamen aliquod eſt) fundamentum agnoſci. Quod autem mentem fidei ſubiectum & locum in animo conſtituit, rectè iudicat. Sed hîc Mentis nomine totam illam animi facultatem cōplectitur, qua à brutis animantibus differimus, quam Paulus νοῦν appellauit, & cuius etiam ſupremam & præſtantiſſimam partem πνεῦμα nominauit, Epheſ. 4. verſ. 23. Non autem illam ſolam ἡγεμονικοῦ partē, quæ à Philoſophis intellectus dicitur, ſeparatúrque & λόγῳ & re, & agendi tempore à volūtate. Sic enim fide nos affici in mente docet idem Auguſtinus, vt nō tantùm illius mentis intellectus, ſed & voluntas ſemper & ſimul moueatur. Eſt enim fides, vt in lib. de Trinitate ait, cognitio per quam non quærēdo volitamus, ſed inhærendo Deum diligimus. Vnde voluntatem etiam ipſam mentis vocabulo hîc complectitur. Nec in ſolo intellectu tanquam vero loco & ſubiecto fides collocanda eſt, etſi aliter ſcholaſtici ſentiunt. B

2 *Quæ per charitatem.* Locus eſt ex Pauli epiſtola ad Gal. 5. v. 6. πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη. Quod eo ſenſu dictum eſt, non quaſi vim & motum agendi fides à charitate accipiat, & ipſa iners per ſe & otioſa ſit (quod perperam tamen ij volunt, qui plus charitati, quàm fidei tribuunt) non quaſi item fidem informet charitas, cuius opera perturbata ἀτελῆ, & vaga ſine charitate eſſēt (fides enim ex Spiritu Chriſti cor noſtrū viuificantis agit, qui perturbatè nihil & ἀτάκτως operatur) ſed quòd fides charitatē gignit & excitat in nobis: cuius charitatis velut medii & inſtrumenti interueniētis impulſu & motu voluntas, denique membra ipſa corporis lubenter agunt & operantur. Sic homo per voluntatem, & voluntas per manum fabricatur. Ergo inter fidem & actionem noſtram intercedit media cauſſa & ſubordinata ſiue propinquior charitas. Hoc addidit Auguſtinus, quòd, vt ipſe docet, fides eſſe quidem C poteſt ſine charitate, ſed prodeſſe non poteſt, libr. 15. de Trinitate cap. 18. Erit autem veluti ſi diceres, Credo vera eſſe ad quæ me vocas, ſed ego ea capere nolo. huiuſmodi autem fides ὁμωνύμως tantùm fides dicitur, vt homo pictus, homo, quemadmodū docet Iacobus, Iacob. 2. quam fidem etiam dæmones habent. At verò vera fides, & qua mens noſtra imbui debet, eſt illa, cuius fructus dicuntur eſſe bona opera. Tit. 3. v. 14.

4 *Ad ſpeciem.* Id eſt ad aſpectum. Locus eſt ſumptus ex 2. Cor. 5. 6. 7. vbi ita Paulus, διὰ πίστεως γὰρ περιπατοῦμεν, οὐ δι' εἴδους. Vetus Interpres, Per fidem enim ambulamus, non per ſpeciem. obſcurè quidē. ſed tamen eam lectionē retinuit Auguſtinus. Perſpicuè Theodorus Beza, Per aſpectum. opponuntur enim apud Paulum hæc duo, Videre Dei promiſſiones, & id quod fides pollicetur ἐν αἰνίγματι, in ænigmate ſiue obſcurè, & ἐν εἴδει, per aſpectum & clarè plenáque viſione & fruitione, vt ipſe Auguſtinus & hîc & alibi loquitur. Hic videmus tantùm per ſpeculum, & vitrum torpidum, non autē lucidum, quia hæc corporis moles humanos hebetat

A betat ſenſus,& nõ poteſt poſsidere hæc caro,qualis eſt,neque videre regnum Dei, vt ait Paulus, & hîc agentes à Deo peregrinamur. 1. Cor.15. Ergo inchoat,2.Cor.fides, nos perficit ipſe beatus Dei aſpectus,& ita transformamur de gloria in gloriã, de gloria fidei in gloriam contemplationis æternæ,ait idem,ad Paul.De videndo Deo cap 21.Ergo etiam vera eſt altera eiuſdem Auguſtini ſententia, libr. De vita beata: Hæc eſt, ait, nullo ambigente vita beata,quæ vita perfecta eſt, ad quam nos feſtinanter poſſe perduci ſola fide, alacri ſpe,flagranti charitate præſumendum eſt.

5 *Vbi eſt.* Hîc explicat Auguſtinus, quid ſit vltimum in pietate Chriſtiana. Eſt autem vita æterna ſiue ſalus animarum,vt ait Petrus 1. cap. 1. verſ. 9.Quam definit eſſe plenam viſionem illius ineffabilis pulchritudinis, quæ ſanctis & Deum timentibus repoſita eſt.Paulus 2.Timot.4.verſ. 8. coronam gloriæ μεταφορικῶς appellat:Iacobus coronam vitæ,Iac.1. verſ.12. Petrus κοινωνίαν τῆς θείας φύσεως,2. B Pet.1.verſ.4: Ioannes denique ſimilitudinem noſtri cum Deo,1.Ioan.3.verſ.2.Auguſt. ſummũ bonum & ſummam felicitatẽ,vti hîc & lib.22. de Ciuitate Dei,morem philoſophicum loquẽdi ſecutus.Quòd autem plenam eam Dei viſionem fore dicit, videtur eſſe ambiguum. Nam,vt ipſe idem docet de inquiſit.Trinit.plenam diuinitatis naturã nec Angelus quilibet, nec ſanctorũ aliquis perfectè intelligere poterit, nedum videre. Nam,vt ait Ioannes.Ioa.1.Deum nemo vidit vnquam: qui habitat lucem inacceſsibilem, vt ſcribit Paulus, 1. Timoth.6.16.Et tamen conſtanter Auguſt.Dei viſionem plenam,perfectam, & æternam eſſe vitam beatam illúmque aſpectum ad quẽ tendimus docet.denique ſatietas animarũ ab eo dicitur,in lib. De vita beata.Sed quòd plena viſio dicitur,non ratione ipſius obiecti Dei dicitur plena, ſed ratione tantùm noſtri:etſi enim illic Deum videbimus,ſicuti eſt,vt etiam docet Ioannes,1.Ioan.3.v.2. tamẽ C non videbimus quãtus eſt.Sibi enim ſoli & comprehenſibilis & viſibilis eſt Deus quantus eſt,non vlli creaturæ. Sed plenè tamen videbimus pro optima & perfectiſsima noſtræ naturæ,doníque nobis à Deo dati ratione & capacitate, vt magis non poſsimus,neque magis poſſe velimus. Dicitur etiam plena,quia tum nullis interpoſitis mediis,vti nunc,ſed ipſum per ſe Deũ videbimus.Deus enim erit omnia in omnibus, & ipſe erit nobis tunc lucerna,& videbimus tunc,vt ait Paulus, facie ad faciem,1.Corinth.13.verſ.12.& 15.verſ.28. Apocal.21. verſ.23.Quòd autem plena viſio dicitur, non efficitur inde æqualem fore omnium ſanctorum viſionem & fruitionẽ Dei.Nam in domo Dei multæ ſunt manſiones, & vti inter ſtellas alia alij præfulget,ita inter ſanctos diuerſa erit gloria, Daniel. 21,quiſque tamen quantum maximè pro doni ſui capacitate poterit, Deum videbit. Ergo,ait Auguſtinus,De inquiſitione Trinit. nullatenus æqualiter omnes vel Angeli, vel animæ ſanctorum Deũ vel nunc vident,vel poſt reſurrectionem videbũt. Ad Petr.cap.28. Vna beatorum vita æterna eſt,diuerſa gloria. Sed & ex hoc ipſo loco quòd viſio Dei dicitur beata vita ſiue felicitas ſumma, ſatis intelligi poteſt,vnius tantùm eſſe ſpeciei beatam vitam,neque aliam eſſe poſſe in Angelis vel hominibus beatam vitam,quàm ſupranaturalem. Eam enim diuinitus acceperunt,vt eſt in lib. De fide ad Petr.cap.3.non autem naturaliter. Ergo non eſt A vera hęc beatitatis diſtinctio in naturalẽ & ſupranaturalem.felicitas enim eſt totius cõplexi,& ſuppoſiti. quod ſi in homine duplex felicitas cõſtitui poteſt,ergo in vno & eodem homine duplex perſona & ſuppoſitũ erit.quod eſt falſiſsimum. Quid ſit autem felicitas, ſi quis aliis verbis explicari velit,videat lib.13.de Trinit.c.4.5.6.lib.22.cap.29.& 30.de Ciuit.Dei. Ex Cicerone in Hortenſio definit ſic Auguſtinus,Ille beatus eſt qui omnia, quæ vult,habet: nec aliquid vult, quod non decet. Vnum modò obſcurè dictum videri poteſt hoc loco,quòd viſionem appellet,& tamen eam pulchritudinem non oculis, ſed cordibus notam eſſe dicit,Videmúſne Deum in vita æterna corde, & nõ oculis corporeis?De quo longa eſt Auguſtini diſputatio in epiſtol. ad Paulinam, quia dictum eſt, Beati mundo corde, quia ipſi Deum videbunt, quaſi non oculis, ſed corde tantùm Deus videatur.Et tamen 1.Cor.13.apertè dicit Paulus, Videbimus.item & Ioannes,1.Ioan. 3. & Auguſtinus ipſe lib.22.de Trinita. Dei, cap.29. Dico itaque, B ait, quòd ſancti viſuri ſunt Deum in ipſo corpore.Habebunt enim etiam oculi illi corporei ſuum officium, & in loco ſuo erunt, vtetúrque illis ſpiritus per corpus ſpiritale. Non tantùm enim anima, ſed & corpus vitæ beatæ particeps erit. Sed vtrum ſicut per corpus nunc videmus ſolem & ſtellas, magna quæſtio eſt. Nimirum vt tam perſpicaces ſint oculi, vt ad tam alta ſe attollere poſſint, & acie ſua ad diuinitatem cernendam penetrare?Non putant Scholaſtici,& verum eſt. An potiùs ſe Deus noſtræ naturæ attemperabit, vt animæ, ſpirituali modo: corporeis autem oculis, ſe pro illorum natura repræſentet? An verò oculus ſuo modo,anima autem ſuo Deum & diuinam illam maieſtatem videbit? Quod poſtremum veriſſimum eſt. Dei enim gloria vti alio modo Angelis, alio modo hominibus refulget,ita alio modo à corpore ſentietur, alio ab anima, cuius viſio erit fruitio Dei, non aſpectus intentióque aciei, quæ tamen res,eſt viſio in oculis.

6 *Chriſtus eſt.*Locus eſt ſumptus ex 1.Corinth. C 3.verſu 11.cui ſimilis eſt Epheſ. 2. verſu 20. Denique idem Paulus 1.Corin. 2.verſu 2.Nihil iudicaui me ſcire niſi Ieſum Chriſtum,& eum crucifixum. Ergo ſumma fidei eſt Ieſus Chriſtus pro nobis crucifixus.Et Actorum 26. verſu 18. dicit Chriſtus ipſe fidem eſſe in ſe. Ratio eſt,quia etſi eadem fide, quemadmodum in Epheſ. 4. ait Hieronym. in Patrem,Filium & Spiritum ſanctum credimus, tamen is, per quem & Patrem & Spiritum ſanctum cognoſcimus, & dona eorum accipimus, eſt Chriſtus, per quem omnes Dei promiſſiones ſunt Etiam & Amen, 2. Cor. 3.Vnde fides Chriſti ſæpe à Paulo appellatur. Nec verò eam diſtinctionem vſquequaque ſequimur, quam Irenæus lib.4.cap.14.facit,vt noſtra fides ad Filium dirigatur:dilectio ad Patrem, quando etiam Filium diligere debemus. Ex hoc loco intelligitur verum, quod ait alibi Auguſt. in lib.de Ago. Chriſt. cap. 13.fidem in Eccleſia breuiſſimè explicari, nempe vno Chriſti nomine, per quem arcana docemur. Paulus 1.Tim.3.verſ.16.hanc ipſam fidei ſummam explicat & tradit aliis verbis. Auguſtinus in Pſal. 71.ad Chriſtum omnia quæ diuinitus ſcripta ſunt referri ait:& Lex & Prophetę & Pſalmi eò tẽdunt Luc.24.Hilarius lib.11.de Trini.ait his verbis Petri de Chriſto, Tu es Filius Dei viui, ſummam

A fidei eſſe comprehenſam. Quanquam autem Scholaſtici fidem volunt accipi & pro formali qua creditur, & pro materiali, id eſt, pro iis rebus quæ creduntur, Auguſtinus tamen lib. 13. de Trinit. c. 2. id negat, & ſolā fidē eſſe vult qua creditur, cuius fundamentum eſt Ieſus Chriſtus. Ergo non homo, nō ſancti, non Angeli fidei obiectū ſunt, quia ille eſt ſolum ſalutis noſtræ fundamentum & materia.

7 *Nomine tenus.* Locus eſt ex Paulo. Col. 2. v. 19. Chriſtum vt caput nō tenent. Ergo ex ſola Chriſti nominis profeſsione neque Chriſtiani, neque Chriſtiana doctrina & Catholica eſt æſtimanda, ſed ex eo quòd Chriſtum vti caput ſequimur, id eſt credimus & amplectimur ſolum ſalutis noſtræ fundamentum, mediatorem, caput Eccleſiæ, & eū in quo completi ſumus. Ex hoc autem loco apparet non omnes hæreticos in Chriſtianorum nomine & appellatione maniſiſſe, ſed tātùm ex iis quoſdam. Nam Ætiani, Manichæi, Valētiniani, & quicunque Baptiſma Chriſti non retinebant, in Chriſtianorum albo omnino non cenſebantur.

B

CAP. VI.

Faciliùs & breuiùs ſanam doctrinam tradi poſſe, quàm hæreſes confutari.

TV autem enchiridion à nobis poſtulas, id eſt, quod manibus poſſit aſtringi, non quod armaria poſſit onerare. Vt igitur ad illa tria redeamus, per quæ diximus colendum Deum, fidem, ſpem, charitatem, facile eſt, vt dicatur, quid credendum, quid ſperandum, quid amandum ſit. Sed quemadmodum aduerſus eorum, qui diuerſa ſentiunt calumnias defendatur, operoſioris[1] vberioriſque doctrinæ eſt. Quæ vt habeatur, non breui enchiridio manus debet impleri, ſed grandi ſtudio pectus accendi.

1 *Operoſioris.* Scripſit idem Auguſtinus in fine lib. de Hæreſ. ad Quodvultdeum, Quomodo autem, ait, quæ cōtra hæc veritas habet, aſſerenda vel defendenda ſint, modulum huius operis excedit. Et ante Auguſtinum contra hæreſes ſcripſit magno opere Epiphanius, quod Panariū appellauit. C Tertullianus tamen librum aduerſus omnes ſui tēporis hæreſes edidit luculentum illum quidem & doctiſsimum, qui tamen breuis eſt, & ab eo inſcriptus, De præſcriptionibus aduerſus Hæreſes. Paulus in epiſtola ad Col. cap. 2. breuiſsimè ea complexus eſt, quæ ferè aduerſus omnes hæreſes dici debent & poſſunt. Ante Epiphanium autem Bardeſanes Syrius, vir, vt ait Euſebius, eloquētiſsimus, aduerſus natas ſuo ſeculo & ætate hæreſes copioſè & diſertè ſcripſerat, lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 29. Nos autem etiam ad eundem finem elenchos Hæreticorum conſcripſimus.

CAP. VII.

Symbolo Apoſtolorū & Oratione dominica, tria illa ſumma cultus Dei capita, nempe fidē, ſpem & charitatem contineri, & tradi breuiſsimè.

NAM [1] ecce tibi Symbolum & Dominica oratio. Quid breuius auditur & legitur, aut quid facilius memoriæ commendatur? Quia enim de peccato graui [2] miſeria premebatur genus humanum, & diuina indigebat miſericordia, gratiæ Dei tempus Propheta præuidens, ait, Et [3] omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit, Propter [4] hoc Dominica oratio. Sed Apoſtolus cùm ad ipſam gratiam commendandam A *hoc propheticum commemoraſſet teſtimonium, continuò ſubiecit, [5] Quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt? Propter hoc Symbolum. In his duobus tria illa intuere, fides credit: ſpes & charitas [6] orant. Sed ſine fide eſſe non poſſunt, ac per hoc & fides orat. Propterea quippe dictum eſt, Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?*

1 *Nunc ecce tibi.* Cùm tribus è fontibus omnem Dei cultum & pietatem oriri docuerit ſuprà Auguſtinus, nunc vbi illi tres fontes breuiſſimè explicentur & contineantur, explicat, id eſt, in qua parte ſacræ Scripturæ tradantur & doceantur. Duo autem tantùm commemorat, Symbolum Apoſtolorum & Dominicam orationem, quæ totius pietatis regulam & doctrinam complecti videntur. Denique hanc ſuam ſententiam duplici authoritate, Ioelis nimirum Prophetæ, & Apoſtoli Pauli, confirmat, præterquàm quòd res ipſa per ſe apud Laurentium & alios quoſuis vel leuiſſimè Euangelii cognitione tinctos ſatis fidei meretur, & ſit nota, ſi modò quid & Symbolum B & oratio Dominica contineant, quis vel ſemel audiuerit. Ac quòd Auguſtinus, cùm vniuerſam fidei, ſpei & charitatis ſummam & doctrinam vbi compendioſè comprehenſa ſit, demonſtrare vellet, ſolius Symboli & orationis Dominicæ meminit, id facit ex ſui ſeculi more, quando tunc temporis his duobus vniuerſa Chriſtianæ doctrinæ & ſcitu neceſſariæ ſumma comprehendi cenſebatur. Itaque in Eccleſiis & in Catechiſmis illa duo tantùm recitabantur & exponebantur hominibus ad Chriſtianiſmum accedentibus & baptizandis. Lex autem ſiue Decalogus, non item. Cuius rei fidem facit primùm locus epiſt. ad Hebr. 6. verſu 2. vbi doctrina baptizandorum explicatur, dicitúrque fuiſſe, de Fide, de Reſurrectione mortuorum, de Futuro iudicio. Deinde vetus forma Catechiſmi quæ in Patrum ſcriptis exſtat, imprimis autem Cyrilli Hieroſolymitani: præterea formula Baptiſmi adminiſtrandi vetus, cuius veſtigia quædam in eccleſia Romana retenta docent, de fidei tantùm articulis, & Oratione dominica fuiſſe commonefactos & interrogatos C qui erant baptizandi, quòd Patres exiſtimarent his duobus compendiis ſatis totam Chriſtianorum doctrinam comprehenſam eſſe. Ambroſius in libro de Cain & Abel, cap. 8. Caue ne incautè Symboli vel Orationis dominicæ diuulges myſteria. Obſtat tamen, quòd cùm charitas vnum è ſummis præcipuíſque Chriſtianæ doctrinæ capitibus & ab Auguſtino, & ab aliis conſtituatur, Lex Moralis ſiue Decalogus Moſis adiicienda fuit, quòd ea veriſſimos charitatis fontes & doctrinam complectatur. Legis enim finis eſt charitas, 1. Timoth. 1. verſu 5. & Roman. 13. verſu 8. Reſpondeo, Ea tantùm capita & eam partem doctrinæ proponi baptizandis ſolitam, quæ maximè cauſas & modum ſalutis noſtræ complectebatur, & quam antea ignotam homines habuiſſent. Legis autem præcepta, quia in conſcientia manent inſculpta, notiora & magis confeſſa erant. Itaque non recitabantur. Symbolum autem & orationem Dominicam rectè dixit Auguſtinus eſſe breuiſſimos de Fide, Spe & Charitate libellos, quia ſumma rerum credendarum, ſperandarum & diligendarum capita, denique totius &

Pro-

A Propheticæ & Apoſtolicæ doctrinę cōtinent.Symbolū,inquit Auguſtinus,breue eſt verbis, ſed magnum eſt ſacramentis.Quicquid enim præſiguratum eſt in Patriarchis, quicquid denuntiatum in Scripturis,quicquid prædictū in Prophetis vel de Deo ingenito,vel ex Deo in Deū nato, vel de Spiritu ſancto,vel de ſuſcipiendo omni Sacramento, vel de morte Domini,reſurrectioniſque eius myſterio,totum breuiter hoc Symbolū cōtinet. Hæc in ſermo.181.De tempore.Scholaſtici tamen volūt Fidei præcepta per modum denuntiationis eſſe in Dei Lege: ſpei autem præcepta per modū promiſſionis. Præcepta autem charitatis propriè in eadē Dei Lege ſiue Decalogo tradi & poni.

2 *Graui miſeria.* Vulg.Cod.Graui à miſeria,nullo ſenſu. Multa enim eſſe in Auguſtini libris vel corruptiſſima & ab inſciis librariis peſſimè tranſcripta ſciunt omnes qui vel leuiter tanti doctoris ſcripta attigerūt. Eſt autem miſeria illa triplex,vt ait Bernardus in ſermo.7.De Triplic. vtilita. Aduent.nempe facilitas noſtra qua ſeducimur,fragilitas ad reſiſtendum,debilitas ad operandum.Sumus B enim hîc propter peccatū in regione vmbræ mortis,in infirmitate corporis,& in loco tētationis,ait idem.Scriptura autem ait eam miſeriā eſſe mortem æternam,Roma.6.verſu 23.Anſelmus in lib.De Miſeria hominis,ergo ô peccator,ait , vita tua iam ferè tota aut eſt in peccato & damnabilis: aut infructuoſa,& cōtemptibilis.Quid ergo reſtat tibi,niſi vt in tua tota vita plores totam vitam tuā, vt ipſa tota ſe ploret totam?

3 *Et omnis.* Locus eſt ſūptus ex libro prophetiarum Ioel.cap.2.verſ.fina. Verba Prophetæ hæc ſunt,Et erit,omnis qui inuocauerit in nomen Iehouæ,eripietur. Quod Prophetæ dictum Paulus adducit ad gentium vocationem , tollendúmque diſcrimen præputij & circuncisionis apud Deum. Auguſtinus ad orationis & precationis vim & dignitatem probandam.ita variè vnus & idem locus applicari poteſt.Et certè vnum quoddā hominis Chriſtiani exercitium ſiue ſacrificium Deo acceptiſsimū , eſt ſancta oratio & legitima,quæ ad C Dominicæ orationis regulam conformatur , Hebr.13. verſ.15.Oſe.14.verſ.3.

4 *Propter hoc.* Puto fuiſſe gloſſema quod ex margine in contextum poſtea irrepſerit,vti quod poſtea ſequitur.Propter hoc Symbolum. Huiuſmodi infinita quædam apud ſanctos Patres reperiri nemo eſt qui neſciat,quæ indocti monachi vel ſcribæ in ipſos textus probatorum authorum induxerunt,& pro genuinis obtruſerunt. Vnde Ilias errorum nata eſt,& ſub Patrum autoritate & nomine profuſa.Docet Auguſtinus & orationem,& fidem ad ſalutis & Euangelicæ doctrinæ ſummam requiri.quorum illud ex dicto Ioelis , hoc autē ex Pauli Apoſtoli ſententia euincit.Iam quis ignorat inter Chriſtianos orandi veriſsimam formulam in Oratione Dominica traditam eſſe,credendi autem in Symbolo Apoſtolico? Id quod etiam ex principio huius capitis ſatis intelligi poterat. Tamē explicandi cauſſa addiderat ad ſingula teſtimonia aliquis,Propter hoc Oratio dominica,Propter hoc Symbolū. Vtrūq; aſſutū ornatiſsimā & fluidiſſimā Auguſtini orationē interrūpit & interpellat.

5 *Subiecit.*Locus eſt ſumptus ex Pauli epiſt. ad Roman.10.verſ.14.Quem locum etiam idem Auguſtinus explicat lib.de Trinit.8.ca.5.& 6. vbi demonſtrat cognitionem omnino dilectionem & A inuocationem anteire debere.Hîc autem obſeruādus eſt mutuus & arctiſſimus ille nexus, qui ſtatuitur inter orationem & fidē:ſeparari enim non poſſunt.Itaque à Iacobo dicitur Fidei oratio. Iac. 5.v.15 & à Chriſto iubemur orare cum fide , vti ab ipſo Iacobo,Matth.21.v.22.Iac.1.verſu 5.Et Theophylact.in Lucam,Meritò ſermoni, ait,de oratione ſermonem de fide connexuit, quia omnis orationis fundamentum & baſis eſt fides. Idem Aug. in Serm.36. De verbis Domini ſecundum Lucam, Si fides deficit,oratio perit. Quis enim orat, qui non credit? Nec aliud ſibi vult Iob.9.verſu 16. ſed ex ſenſu ſuarum afflictionum loquitur.Ex quo ipſo ſatis intelligitur,Cur primùm orationem,poſtea fidem recenſet & commemorat Auguſtinus. Non quòd cauſarum & naturæ ordine oratio ſit prior fide,(eſt enim,vt ait idē Auguſtinus Sermo. 36.De ver.Domini ſecund.Luc.fides fons, eius autem fontis riuus oratio:)ſed quòd teſtimoniorum B laudatorum ratio & ordo ita poſtularet. Denique quòd tantopere orationem commendat Auguſtinus,id non facit ex Euchitatum ſiue Meſſalianorū hæreticorum ſenſu , (de quibus ipſe in libro ad Quodvultdeū ſcripſit,& Epiphanius & Theodoretus in hiſtoria Eccleſiaſtica lib.4.cap.11)qui ſalutis noſtræ ſummam in certarum precum demurmuratione conſtituebant. Id quod monachi hodie faciunt.

6 *Spes & charitas erant.* Ita diſtinguit Auguſtinus,non quòd fides quoque non oret,eodem ſenſu quo & ſpes & charitas,ſed quia aptandæ & accommodandæ duobus illis teſtimoniis erant tres hę virtutes:Fidei credere tribuit,id quod illiꝰ proprium:Spei & charitati,orare.Eſt autem ſpei proprium ſperare: Charitatis autē diligere. Sed quia quæ ſperamus,expetimus, & quæ diligimus; iis frui & potiri auemus,dicimur maximè ex ſpei & charitatis motu,impulſu & ſenſu orare.

CAP. VIII.

C

Spes & fides quid inter ſe differant. Quarum rerū ſit fides,quarum etiam ſpes.Fides autem Chriſtiana quid propriè apprehendat. Denique triū harum virtutum,fidei,ſpei,charitatis,indiuiduū eſſe inter ſe nexum & vinculum.

QVid autem [1] ſperari poteſt, quod non creditur? Porrò autem aliquid quod non ſperatur, credi poteſt. Quis nanque fidelium pœnas non credit impiorum?nec ſperat tamen. Et quiſquis eas imminere ſibi credit,ac fugaci animi ſibi motu exhorret,rectius timere dicitur, quàm ſperare. Quæ duo Lucanus [2] diſtinguens ita complexus eſt,

--Liceat ſperare timenti.

Non autem ab alio Poeta [3], quamuis meliore , propriè dictum eſt,

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.

Denique nonnulli in arte Grammatica verbi huius vtuntur exemplo , ad oſtendendam impropriam dictionem, & aiunt [4], Sperare dixit,pro Timere. Eſt itaque fides & malarum rerum & bonarum[5],quia & bona creduntur & mala.& hoc fide bona,non mala. Eſt etiam fides præteritarum rerum , præſentium , & futurarum.,,
Credimus enim mortuum Chriſtum,quod iam præteriit.,,
Credimus ſedere ad dexteram Patris , quod nunc eſt.,,

A *Credimus venturum ad iudicandum, quod futurum eſt. Item fides & ſuarum rerum eſt, & alienarum. Nam & ſe quiſque credit aliquando eſſe cœpiſſe, nec fuiſſe vtique ſempiternum, & alia atque alia. Nec ſolùm de aliis hominibus multa (quæ[6] ad religionem pertinent) verum & etiam de angelis credimus. Spes autem[7] non niſi bonarum rerum eſt, nec niſi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum ſpem gerere perhibetur. Quæ cum ita ſint,[8] diſtinguenda erit fides à ſpe, vti vocabulo, ita & rationabili differentia. Nam quod attinet ad non videre[9], fidei ſpeique commune eſt. In epiſtola quippe ad Hebræos, qua[10] teſte vſi ſunt illuſtres Catholicæ regulæ defenſores, fides dicta[11] eſt eſſe cognitio rerum quæ non videntur. Quanuis[12] quando ſe quiſque non verbis, non teſtibus, non denique vllis argumentis, ſed præſentium rerum euidentiæ dicit credidiſſe, id eſt fidem accommodaſſe, non ita videtur abſurdum, vt rectè reprehendatur in verbo, eique dicatur, Vidiſti, ergo non credidiſti. Vnde putari poteſt, non eſſe conſequens, vt non videatur res, quæcunque creditur. Sed meliùs hanc appellamus fidem[13], quam diuina eloquia docuerunt, earum ſcilicet rerum quæ non videntur. De ſpe quoque ait Apoſtolus* B *[14], Spes quæ videtur, nō eſt ſpes. Quod enim videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus. Cùm ergo bona bonis futura eſſe creduntur, nihil aliud quàm ſperantur. Iam de[15] amore quid dicam, ſine quo fides nihil prodeſt? Spes verò ſine amore eſſe non poteſt. Denique, vt ait Apoſtolus[16] Iacobus, Et dæmones credunt, & contremiſcunt: nec tamen ſperant, vel amant, ſed potius quod ſperamus, & amamus, credendo venturum eſſe, formidant[17]. Propter quod Apoſtolus Paulus[18] fidem quæ per dilectionem operatur, approbat, atque commendat, quæ vtique ſine ſpe eſſe non poteſt. Proinde nec amor ſine ſpe eſt, nec ſine amore ſpes, neque vtrunque ſine fide.*

1 *Quid autem ſperari.* Quatuor eſſe motus animi genera tradunt Stoici, quæ vno hoc verſiculo complexus eſt Horatius in epiſtola ad Numicium, & ex Horatio Vergil. lib.6. AEneid. Horat. Gaudeat, an doleat, cupiat, metuátve, quid ad rem? Mouemur enim vel boni vel mali alicuius ratione, Et quia vtrunque eſt vel iam pręſens, vel adhuc futurum, qui in animis motus propter præſens bonū C ſentitur, à Cicerone libro 4. Tuſcul. Lętitia appellatur, à quibuſdam Delectatio, ab Horatio Gaudium, ab ipſo Zenone ἡδονὴ, ſi Laertio credimus libro.7. At qui è malo præſēte motus in animis noſtris efficitur, à Cicerone AEgritudo, à Zenone λύπη, ab Horatio Dolor, ab aliis autem Triſtitia ſolet nominari. Qui autem in bono futuro & expectando animi motus verſatur, à Cicerone libro 4. Tuſcul. Libido dicitur: ſed ab eodem in Partitionib. Cupiditas, vti & ab Horatio ſuperiore verſiculo: à Zenone, teſte eodē Laertio ἐπιθυμία: ab aliis autem Spes, ídque notiori nomine. Qui denique motus animi eſt in malo futuro auerſando, Metus à Cicerone & ab Horatio: à Zenone φόβος: à quibuſdam Timor & Abominatio. Auguſt. lib.14. de Ciuitate Dei capite 3. 8, & 9. Paulus 2. Theſſ.2. verſu 16. bonā ſpem & malā ſpē diſtinguit. Quos omnes motus etiā in brutis animalibus ineſſe Scholaſtici tradūt: nos autē non credimus, quia ſpes proculdubiò ratiocinātis animi effectus eſt, quicquid illi de cane leporē perſequēte nō propter ſpem quidem, ſed vi ſenſus & obiecti oblati dicāt. Varro. lib.5. de lingua Latina, Spem à ſponte, & voluntate dictam putat, quòd tum ſperat, cùm quod quiſque vult, ſic fieri putat. A Vocem Spei à communi illo vſu ſumptam Theologi ſuam effecerunt. Quum enim ἐλπὶς ſiue ſpes ſit expectatio boni futuri, ex omniū qui Græcè aut Latinè loquuntur, conſenſu, & ita Cicero 4. Tuſcula. Plato in Clitophonte, ſi modò eius eſt, ἐλπὶς ἐστὶ προσδοκία ἀγαθοῦ, latiſsimam illā boni appellationem Chriſtiani Theologi ad bona æterna reſtrinxerunt, vt iam ſpes ex eorum præceptis & quæ Theologica & Chriſtiana dici debet, ſit boni non cuiuſlibet, ſed æterni & cæleſtis tantùm (eſt autem illud vita æterna & ſalus animarum noſtrarum) firma & patiens expectatio. Auguſtinus in Pſal.62, Non ad hoc ſumus Chriſtiani, ait, vt terrenam nobis felicitatem petamus, quam plerunque habent & latrones & ſcelerati. Ad aliam felicitatem nos ſumus Chriſtiani. Vnde Paulus ſpem Euangelij appellauit, Coloſſ. 1. verſ.23. quia illa ſperamus, quæ Euangelium promittit, Tit.2. verſ.13. 1. Theſſ.4. verſ.13. Hæc autem ſpes fidei & gratuitæ Dei promiſsioni, vti ſuo proprióque firmamēto & fundamento innititur, quia ideo bona æterna à nobis ſperantur, quòd gratuitò illa ſint nobis B propter & per Chriſtum promiſſa à Deo, 2. Theſ. 2. v.16. Id quod credere & cognoſcere fidei ſolius eſt. Ex eóque nexu tam arcto harum duarum virtutum inter ſe, aut potiùs ſpei quæ filia eſt, cum fide, quæ illius mater & fons eſt, fit, vt ſæpe ſpes pro fide in Scriptura ponatur, ſæpe fides pro ſpe, 1. Petr. cap.3. v.15. Hebr.10. v.23. Hîc autem Auguſt. eam tantùm inter vtramque virtutem differētiam notat, quòd latior ſit fidei, quàm ſpei ſignificatio. Nam fides etiam ad mala, & aliena, & præſentia, & præterita pertinet. Spes autem tātùm ad bona ſua, & futura. In quo apparet Auguſtinum fidem non propriè, neque pro euangelica accipere, ſed pro ſcholaſtica & lato ſignificato. Hæc autē ſunt fidei & ſpei Theologicæ & veræ inter ſe communia, quòd vtraque verſatur in rebus æternis, promiſsis à Deo, & ſalutaribus. Differunt autem, quòd fides eas apprehendit ſub ratione promiſsi, ſpes autem ſub ratione boni: id eſt, eas res ſpectat fides quatenus promiſſæ ſunt à Deo, & gratuitæ in Chriſto, & abſentes à nobis: at ſpes, quatenus eædem ſunt bonæ ſiue ſalutares, futuræ & fruendæ. Hæc breuis C eſt vtriuſque explicatio, quicquid variis & longis diſputationibus alij ſentiāt, & ſcribant. Et ita ſpes, vt à Martino Luthero rectiſsimè dictum eſt, velut miles eſt & ἀσπιστὴς fidei, pro qua dimicat & fortiter perſtat. Chryſoſt. Tom. 4. Homil. De Fide, Spe, Charita. fides gloriam inchoat, ſpes ſuſtinendo cōſummat. Illa fundamentum ponit, hæc ipſum hominem conſtruit. Illa dat principium, hæc Chriſtian. perducit ad ſummū &c. Denique Heb.6. ver. 19. ſpes anchoræ, quæ non permittit nos iactari, comparatur. Bernar. Sermo. 10. in Pſal. Qui habitat: Nempe germana fidei ſpeíque cognatio eſt, vt quod illa futurum credit, illa ſibi incipiat ſperare. Dicit ergo fides, parata ſunt magna & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus ſuis: dicit Spes, illa mihi ſeruantur: & tertia Charitas, curro mihi, ait, ad illa.

2 *Lucanus.* Locus eſt ex libro 2. Pharſalidos Lucani:

Sit ſubitum quodcunque paras: ſit cæca futuri
Mens hominum fati: liceat ſperare timenti.

Horatius tamen ſpem tam pro boni expectatione, quàm mali metu accepiſſe videtur, & dici ſolitam

A litam indicat hoc verſu,

Si quicquid vidit melius peiúſve ſua ſpe.

Ex hoc autem loco & aliis, & imprimis libro de Grammatica in verbo ſiligo, ab eodem ſcripto apparet Auguſtinum diligenter in bonis autoribus verſatum virúmque eruditiſsimum fuiſſe. Id quod libri de Ciuitate multo maximè docent & de eo teſtantur.

3 *Poeta.* Virgilium intelligit, qui ἀντονομαστικῶς ita appellatur apud Latinos, Poeta. Locus eſt ſumptus ex lib. 4. Æneid. Sunt verba Didonis ad Annā ſororem,

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem,
Et perferre, ſoror, potero.

Eadem autem ſignificatione apud eundem Virgilium verbum & Sperare pro Timere accipitur, lib. 1. Æneid.

At ſperate deos memores fandi atque nefandi.

4 *Et aiunt.* Verba Seruij Honorati in eum locum Virgilij hæc ſunt, Sperare pro Timere, eſt ἀκυρολογία. Nā ſperamus bona, timemus mala. Quæ B Seruius ex aliis Grāmaticis & cōmentariis in Virgil. annotauit, quia Auguſtino fuit poſterior, cuius tamen ætate illa iam obſeruata apud Virgilium erant, in quem iam Probus & Sabinus, & Verrius, & alij Grammatici docti ſcholia quædam ſcripſerāt. Eodem ſenſu dixit Terentius in Andria, Nam quę ſperas, propulſabo facilè.

5 *Eſt itaque fides.* Fidem hîc latiſsimè accipit Auguſt. non autem propriè vti poſtea. Fides, ait Tull. lib. 1. De officiis, Latinè dicta eſt, quaſi fiat quod dictum eſt, ergo in promiſsis & pactis primùm & propriè verſatur. Eſt enim illa animi confidentia quā quis de alterius promiſſo habet, quòd verum & fidelem eſſe putet eum, qui promiſit. Dicitur enim à Cicerone eſſe firma opinio, in partio. Sed quia quæ promittuntur, abſunt, factum eſt vſu & conſuetudine loquendi, & ex ratione quæ apud Hebræos vſitatiſsima eſt, cæteríque populi natura duce imitantur, per quam ex conſequenti antecedens, & contrà, intelligitur, vt generaliter dicerentur res omnes abſentes credi. Ergo latiſsimè poſtea verbum Fidei, & quod huic ἀντιστρέφεται & correlatiuum eſt. Credendi, de eo omni dici cœpit, C quod non cernitur oculis. Vnde quæ iam omnino pręteriere, vel quæ etiā nunc ſunt, ſi nō poſſunt videri oculis, abſentiū rerū loco ſunt & dicūtur credi. Sic creditur Chriſtus ad dexteram Dei ſedere, quia oculis non poteſt ſpectari. Creditur Rex Lutetiæ eſſe ab iis qui ſunt Aureliæ, quia non vident, & id de quo animo agitāt, abeſt ab eorum intuitu, Sic creduntur vera, falſa, bona, mala, propria item & aliena. i. quæ ad alios pertinēt, latiſsimo illo credendi ſiue fidei ſignificato, non autem proprio & ſpeciali, quo Theologi vtuntur. Sic πίστις apud Græcos latiſsimè patet. Apud Hebræos אמונה & fides anguſtiorem ſignificationem ſemper habuit, quia de iis tantùm quæ vera ſunt, dicitur: apud Latinos autē & Græcos & de veris & de falſis. Falſa. n. ſæpe creduntur. id quod tamen non addidit Auguſt.

6 *Quæ ad religionem.* Gloſſema eſt, atque etiā illud falſum. Nam de hominibus & Angelis nihil tunc credebatur, quod pertineret ad religionem, quia nondū & de Sanctorum mortuorum adoratione, & de Angelorum cultu errores in Eccleſia inualuerāt, vel teſte ipſo Auguſtino lib. de vera religione. cap. 55. & lib. 22. Contra Fauſt c. 21. libr. 10. de Ciuitat. Dei, cap. 1. Et hîc agit Auguſt. de fide A qua non ſolùm ea quæ ad religionem pertinent, credimus, ſed alia quælibet. Addidit igitur Monachus quidam iam è ſuperſtitioſorum genere, hæc verba, Quædam de Angelis & hominibus credi, quæ pietatis Chriſtianæ ſint partes: de quo Auguſtino nil quicquam ne in mentem quidem venerat. Sed illæ harpiæ Monachi quemcunque de bonis authoribus contrectarunt, aut ſolùm attigerunt, fœdiſſimis ſuis vnguibus & additamentis conſpurcarunt & miſerè deturparunt, falſáque piis viris attribuerunt, quæ hodie nobis Patrum, quos certè quidem veneramur, nomine venditāt, & propinant, cùm ſint eorum falſiſſima commenta & gloſſemata. Id quod tamen dolendum eſt.

7 *Spes autem.* Spes quid ſit, ſuprà explicatum eſt. Addunt Scholaſtici eſſe rerum quas meruimus. de quo hîc nullum verbum Auguſtinus.

8 *Quæ cùm ita ſint.* Vulgar. codices, Quæ cùm ita ſint, propter iſtas cauſſas diſtinguenda erit, &c. Quis vel luce clariùs non videat Monachi gloſſema & puerile etiam eſſe hæc verba, Propter iſtas cauſſas. Itaque intrepidè deleuimus, & nobiſcum facient omnes docti. B

9 *Ad non videre.* Additum & hîc quoque gloſſema fuit, ſed nullo prorſus ſenſu. Imò verò quod aliâs planam & perſpicuam Auguſtini ſententiam perturbaret. Sic igitur vulgò legitur, Nam quod attinet ad non videre ſiue quæ creduntur, ſiuè quę ſperantur, fidei & ſpei commune eſt. Genus igitur earum in vniuerſum rerum quæ fidei & ſpei ſubiectæ ſunt, eſt, vt non videantur. Id quod partim authoritate epiſtolæ ad Hebræos, partim Pauli poſtea confirmabit. Differentiam autem proprii obiecti & materiæ vtriuſque virtutis non addidit. Eſt autem hæc, Quòd ſperantur inuiſibilia & quæ abſunt, quatenus bona & ſalutaria nobis cogitantur. Creduntur autem inuiſibilia, quatenus promiſſa ſunt, ſiue præſentia, ſiue præterita, ſiue futura. Scholaſtici duplex obiectum ſpei eſſe dicunt, quatenus Theologa eſt: vnum materiale, nēpe beatitudinem ipſam: alterum formale, ſcilicet auxilium gratiæ Dei. Quod quid habeat cum doctrina Auguſtini conſentiens, omnes vident. C Hîc autem Spem in vniuerſum explicat Auguſtinus. Nam etſi ea, ex quibus aliquid ſperamus, ſæpe videri oculis poſſunt, quia tamen ex iis nōdum eam vtilitatem, quam expectamus, percipimus (quæ vtilitas propriè ſpei obiectum eſt) idcirco rectè dicitur, Non videre, eſſe ſpei & fidei commune. Quam ob rem rectè definiuit metaphoricῶs ſpem Ariſtoteles, vt tradit Laertius lib. 5, Vigilantis inſomnium. Dilata enim torquet & angit nos, vt eſt Prouerb. 13. v. 12.

10 *Qua teſte.* Ex hoc loco apparet non vſquequaque indubitata fide pro Apoſtolica receptam eſſe apud antiquos eam epiſtolā quæ ad Hebræos ſcripta eſt, quam alii Lucæ, alii Barnabæ, vt Euſeb. lib. Hiſtor. Eccleſ. 3. ca. 25. alii Paulo tribuunt, quia quædam continere videretur quæ Melitianis ſiue Nouatianis fauere exiſtimarentur. Quod eſt falſum. Hieronymus in Matthæum cap. 26. ait, Nam & Paulus in epiſtola ſua quę ſcribitur ad Hebræos, licet de ea multi Latinorum dubitent, Euſeb. idem lib. Hiſt. Eccleſ. 6. ca. 25. varias de ea ſententias veterum affert. Auguſtinus tamen ipſe lib. 2. De doctr. Chriſt. c. 8. inter illas 14. Pauli epiſtolas

A recenſet, & phraſis & diſputatio eius verè Apoſtolicum ſpiritũ ſpirat, & inter canonica & ἁγιόγραφα recipienda eſt. Ambroſius eam pro γνησία & Apoſtolica agnoſcit, & in eam ſcholia ſcripſit. Tertullianus tamen & Iuſtinus Martyr non ſæpe eius authoritate vſi ſunt.

11 *Fides dicta eſt.* Locus eſt ex cap. 11. v. 1. eius epiſtolæ quæ eſt ad Hebræos. vbi non ſolùm fides definitur cognitio, γνῶσις: ſed ἔλεγχος & ὑπόστασις, id eſt argumentum & demonſtratio: quia quæ non videntur, tam certò perſuadet fides, quàm ſi oculis cernerentur & manu tenerentur,

12 *Quamuis.* Communem loquendi vſum fidei definitioni obiicit Auguſtinus, per quem etiam ea quæ videntur, dicuntur credi. i. certiſsima haberi. Reſpondet autẽ explicatione hac Auguſt. tũc credere, eſſe fidẽ accõmodare. Obſcura & fortaſſe vitioſa reſponſio. Nã ſi in iis fidẽ vſurpare etiã tunc debemus, vera eſt obiectio, Credi etiã quæ videntur. Ergo falſa videbitur Apoſtoli ſentẽtia. Verior ſolutio eſt, πολύσημον & varium eſſe Fidei & Credẽdi verbum, & ex conſequenti antecedens latè accipi. Quia enim quæ propriè creduntur, firmiſsima B & rectiſsima habentur: multa quę etiam videntur, dicuntur credi, quia apud nos ſunt omnino indubitata. Sic dixit Chriſtus, Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti. Beati qui non viderunt, & crediderunt, Ioan. 20. v. 29. vbi Credendi verbum & latè & ſtrictè eadem in ſententia exaudiendum eſt.

13 *Quã diuina.* Duplicem hîc fidem diſtinguit & facit Auguſt. vnam latiſsima ſignificatione: alteram propria, quam Euãgelium ſiue verbũ Dei de Chriſto promiſſo explicat, & epiſtola ad Hebr. definit. Hîc autem non perſequitur totã Chriſtianæ fidei naturã, quæ in eo potiſsimũ eſt, vt πληροφορίαν de Dei gratia erga nos in cordibus noſtris gignat, eámque animi certitudinem, quam nulla vis, nullæ tentationes, nulla machinamenta euertant, Coloſſ. 2. v. 2. Rom. 8. in fine: non tantùm in hoc, vt res inuiſibiles agnoſcamus, vel vt toti Dei verbo credamus & aſſentiamur.

14 *Apoſtolus.* Locus eſt Rom. 8. v. 24. ex quo C intelligitur etiam ſpem circa ἀβλεπτώμενα verſari, & ea quæ non cernuntur.

15 *De amore,* & charitate. Eſſe quidem, ait, poteſt ſine charitate fides, ſed prodeſſe non poteſt, De Trinitate lib. 15. cap. 18. Docet autem quanta ſit Charitatis cũ duabus ſuperioribus virtutibus ſocietas & indiſſolubilis nexus, ex 1. Cor. 13. in fine, vt tres ſimul coniungendas eſſe omnes intelligant, ídque ita à ſe rectè antea factũ. De virtutũ omniũ inter ſe nexu, in epiſtola quadam ſua diſputauit Auguſtinus ex Stoicorum ſentẽtia: & quia dictum eſt Iac. 2. v. 10, Qui peccat in vno, factus eſt omnium reus: & dicunt Scholaſtici virtutes in eſſe perfecto, eſſe connexas & inſeparabiles inter ſe, ita vt qui vnam perfectè habeat, omnes habeat: at in eſſe imperfecto poſſe vnam ſine alia eſſe. Sed tamen arctiorem quendam nexum inter has tres, fidem nimirum, ſpem & charitatem eſſe, nemini dubiũ eſt, & hîc oſtendit Auguſtinus.

16 *Iacobus.* Locus eſt Iac. 2. verſ. 19. ergo καταχρηστικῶς, vel potiu ὁμωνύμως. i. æquiuocè huiuſmodi diabolorũ fides ita appellatur. Rationem explicat Auguſt. quòd non amant quod credunt. Noſtri dicunt, quòd Dei promiſsiones nullas habent diaboli, de Dei gratia & miſericordia erga ſe. Ergo ſibi non poſſunt explicare quod ſciunt Chriſtum A eſſe mundi Redemptorem & reconciliatorem.

17 *Formidant.* Exemplum eſt illud quod ipſi diaboli profitentur, Mar. 1. v. 24. Noui te, quòd ſis Sanctus ille Dei. item Matth. 8. v. 29. Quid nobis tecũ Ieſu Fili Dei? Luc. 4. v. 34. Ah, quid nobis tecum Ieſu Nazarene? veniſti vt perderes nos?

18 *Paulus.* Locus eſt ex epiſtola ad Galat. 5. v. 6. de quo ſuprà.

CAP. IX.

Ad fidei Chriſtianæ intelligentiam non longa aut obſcura rerum naturaliũ cognitione eſſe opus: ſed ipſius tantùm cauſſæ rerum omnium creatricis agnitione, qui eſt Deus ille Trinitas, id eſt, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.

CVm ergo[1] *quæritur, quid credendum ſit (quod ad religionem pertineat) non rerum natura ita rimanda eſt, quemadmodum ab eis quos*[2] *Phyſicos Græci dicunt: nec metuendum eſt,*[3] *ne aliquid de vi & numero elementorum, de motu atque ordine, & de effectibus ſyderum, de figura cœli, de generibus & naturis* B *animalium, fruticum, lapidum, fontium, fluminum, montium, de ſpatiis locorum & temporum, de ſignis imminentium tempeſtatum, & alia ſexcenta de his rebus, quas illi vel inuenerunt, vel inueniſſe ſe exiſtimant, Chriſtianus ignoret: quia nec ipſi omnia repererunt tanto excellentes ingenio, flagrantes ſtudio, abundantes otio, & quædam humana*[4] *coniectura inueſtigantes, quædam verò hiſtorica experientia perſcrutantes, & in eis quæ ſe inueniſſe gloriantur, plura opinãtes potius, quàm ſcientes. Satis eſt Chriſtiano rerum creatarum cauſſam ſiue celeſtium, ſiue terreſtrium, ſiue viſibilium, ſiue inuiſibilium, non*[5] *niſi bonitatem credere creatoris, qui vnus & verus eſt Deus, nullámque eſſe naturam, quæ non aut ipſe ſit, aut ab ipſo: eúmque eſſe Trinitatem*[6]*, Patrem ſcilicet, & Filium à Patre genitum, & Spiritum ſanctum ab eodem Patre procedentem,*[7] *ſed vnũ, eundémque Spiritum & Patris & Filij.*

1 *Cum ergo.* Breui & ſimplici fidei cognitione religionis Chriſtianæ ſummã conſtare certo certius eſt. Itaq; neque ſenſa, neque ſermonẽ philoſophię C humanę Chriſtiana pietas affectat. Hilar. lib. 10. de Trinitate, Nõ per difficiles, ait, nos Deus quęſtiones ad beatã vitam vocat, nec multiplici eloquẽtis facundiæ genere ſolicitat. In abſoluto nobis & facili eſt æternitas, Ieſum ſuſcitatum à mortuis per Deum credere. Denique ab ipſa philoſophia nobis cauendũ eſſe docet Paulus Coloſ. 2. v. 8. Ex quo facilè intelligitur quàm longè à mente & ſentẽtia Auguſtini Scholaſtici in tractanda Theologia diſceſſerint, qui eam in meram philoſophiã eámque Ariſtotelicã planè transformarint. Neque obſtat huic Auguſtini dicto id quod ipſe ad Voluſia. ſcripſit. epiſtola 3. Phyſicam, Ethicam & Logicam in vno hoc præcepto & Scripturæ ſentẽtia contineri, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Et proximum tuum tanquam teipſum. Nõ enim vult artium ipſarum præcepta illo Dei mandato tradi, ſed eſſe vtile & ad rerũ naturã & ad mores informandos, & ad linguæ facundiam, Deũ & proximum diligere. Et quod Ruffin. libro 1. cap. 3. Hiſtor. eccleſiaſt. ſcribit de quodam eruditiſsimo Philoſopho ethnico in Nicæna ſynodo ab illiterato & tamen pientiſsimo ſene Chriſtiano ad fidem conuerſo, ſatis oſtẽdit quàm parum ſit rerũ iſtarũ,

A quas Phyſica tradit,cognitio nobis neceſſaria.Auguſtin.lib.2.De doctri.Chriſti. cap.39,Quamobrē
„ videtur mihi,ait,ſtudioſis & ingenioſis adoleſcentibus & timentibus Deum,beatámque vitam quę
rētibus ſalubriter præcipi,vt nullas doctrinas,quę
præter Eccleſiam Chriſti exercentur, tanquam ad
beatam vitam capeſſendam ſecurè ſequi audeát:ſed
eas ſobriè diligentérque diiudicent.& li.8.de Ciui.
Dei,c.10. id quod ab eo dictum eſt, non quaſi bonas artes ſpernat,& iis bellum indicat, ſed ne ſine
iis Chriſtianū ſe eſſe poſſe quiſquā diffidat, modò
verbo Dei attendat.Scribit enim idem ipſe eodem
li.2.De doctri.Chriſtia.c.16.Rerum autē ignorantia facit obſcuras figuratas locutiones, cùm ignora
mus vel animalium,vel lapidum,vel herbarum naturas,aliarúmve rerum, quæ plerumque in ſcriptu
ris ſimilitudinis alicuius gratia ponuntur. Et hæc
omnia Phyſica ſcientia explicat. Denique notum
eſt illud de Moſe elogium,Actor.7.verſ.22. Et eru
ditus eſt Moſes in omni ſapientia Ægyptiorū.Eos
B autem Phyſicæ & Naturalis philoſophię & Medicinæ cognitione inſignes fuiſſe teſtatur.Homerus
libr.4.Odyſſeæ de Ægyptiis loquens,

Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων
Ἀνθρώπων. ἦ γὰρ Παιήονος εἰσι γενέθλης.

Quemadmodum Perſæ & Orientales populi aſtrorum imprimis ſcientia præſtare cæteris exiſtimabantur,Iſa.2.ver.6. Verba autem quæ parētheſi
ſunt concluſi,puto ex gloſſemate in contextum irrepſiſſe, delere tamen non ſum auſus.

2 *Phyſicos.* φυσικοὺς ἀπὸ τῆς φύσεως dictos eſſe ipſa
etymologiæ ratio euincit,& Plutarch.lib. 1. cap.2.
De placit. Philoſopho. & Tullius, & Seneca li. 1.
Natur. Quæſtio. & Auguſt. ipſe lib.8. de Ciuitate
Dei.Qui enim in rerum Natura explicanda verſabantur & laborabant,hoc nomine dicebātur,quos
eoſdem tamen à Græcis θεολόγους appellatos eſſe,&
phyſicam θεολογίαν, teſtis eſt idem Auguſtinus lib.
8.de Ciuit.Dei ca.1.Ratio eſt, quòd qui primi de
C mundi fabrica,ortu & cauſſis diſputabant,de Deo
primùm agebāt:vti facilè etiam ex libro illo aureo
περὶ κόσμου, qui Ariſtoteli tribuitur,quum ſit tamen
alterius,colligi poteſt. Hoc modo Pythagorici &
Italici Philoſophi res naturales explicabant, & ab
ea primùm cauſſa ordiebantur. Qui poſteriùs ſunt
ſecuti, hac veriſſima rerum cauſa prætermiſſa, in
ſola rerum harum aſpectabilium diſputatione toti
inhæſerunt. itaque ſolùm φυσικοὶ,non etiam θεολόγοι
ſunt nominati, ſed recentiore vocabulo, & poſtquam de Deo loqui deſierunt in explicatione rerū
naturalium. Hi fuerunt Ionici Philoſophi, qui à
Thalete Mileſio, vt vult Auguſt.lib.8. de Ciuitate
Dei cap.2.originem ſumpſerunt:vt vult autē Laertius lib.1.ab Anaximandro. Lactantius libro 3.Inſtitution. Chriſtian. cap. 6. Phyſicos Academicis
opponit,& dicit Phyſicos eos eſſe, qui ex iis quæ
aperta ſunt,argumentum trahunt,omnia ſciri poſſe:id quod Dialecticorum vel Logicorum eſſe res
ipſa probat,neque triplicem illā Philoſophiæ partitionem obſeruauit illic Lactantius religioſé.

3 *Metuendum eſt.* Vulga.cod.habent,*quemad
modum ab eiſdem.* id quod gloſſema tantùm fuiſſe
vident omnes. Quam autem hîc Phyſicæ ſcientiæ
materiam ſubiicit, latiùs explicat id quod lib. 1.
φυσικ. ἀκροάσεως ca.1.docet Ariſtoteles, & lib.1.Μετεωρολογικῶν, Phyſicam eſſe cognitionē de cauſſis, motu,& effectu rerum naturalium.Laertius Phyſicam
eſſe definit,quæ agit περὶ κόσμου καὶ τῶν ἐν αὐτῷ.Sumptus A
autē hic locus videri poteſt ex Sap.7.verſ.17.18.19. „

4 *Humana coniectura.* Cùm triplex ſit omnis
cognitionis noſtræ fundamētum,Experientia,Ratio,& Authoritas,hîc duo tantùm enumerat, Rationem nimirum,quā in Phyſica ſcientia ſola cōiectura humana niti affirmat Auguſtinus,& Experientiam. Ex quo intelligitur quàm leuis ſit ea ars
& ſcientia,& quàm meritò præ verbo Dei contēpta ſit, & exagitata à veteribus Chriſtianis, cùm
ex iſtius præceptis & dogmatis fidem verā Ethnici euertere conarentur. Id quod ex Iuſtini diſputationibus apparet.

5 *Non niſi bonitatem.* Prima & ſumma rerum
omnium creatarum efficiens cauſſa eſt Dei bonitas. Auguſtinus libr.1.de Gen.ad lit.cap.8, Vidit
Deus quia bonum eſt. Placuit enim quod factum
eſt ea benignitate,qua placuit, vt fieret,Pſalm.36.
verſ.8.Tit.3.verſ.4.Ad Petrum cap.3. Altera enim
etiam ſtatuitur ab eodem Auguſt. libr.3. de Trini.
cap. 4. cauſſa omnium motionum & ſpecierum, B
Dei voluntas: ſed cur ipſa etiam eas creare voluerit, eſt ipſius bonitas. Hoc quanquam ex intimis
veræ Theologiæ adytis excerptum dixit Auguſt.
tamen ante eum ethnicus homo Plato ſcripſit in
Timęo his verbis,quem locum citat idem Auguſtin.lib.11.De Ciui.Dei,cap.21.& Irenæ.libr.3.cap.
45 & 46. λέγωμεν δὴ, δι' ἣν αἰτίαν γένεσιν καὶ τὸ πᾶν τόδε ὁ
ξυνιστὰς ξυνέστησε. Ἀγαθὸς ἦν. Ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς
οὐδέποτε ἐγγίνετο φθόνος. τούτου δὲ ἐκτὸς ὤν, πάντα ὅτι μάλι
στα ἐβουλήθη γενέσθαι παραπλήσια αὐτῷ. Quæ ſic M. Tull.
vertit,Quęramus igitur cauſſam quę impulerit eū,
qui hæc machinatus eſt,vt originem rerum & mo
litionem nouā quæreret.Probitate videlicet præſtabat. Probus autē inuidet nemini. itaque omnia
ſui ſimilia generauit.Item Plutarchus in lib.de fato,ſi modò eius eſt.Et hæc quidem mundi efficiēs
eſt cauſſa.Finis verò,non vt vnam Dei bonitatem,
ſed & potentiam, & æternitatem & ſapientiam in
Mundo tāquam in ſpeculo perſpicuè agnoſcamus. C
Paul.Rom.1.ver.20.Sap.13.ver.1.Exod.14. verſ. 13.
Idem in lib.De mirabilib.Scriptur.c.1.Materia autem aut nulla omnino fuit,aut ſi qua fuit à Deo ipſo etiam creata eſt,Sap.8.ver.18. Denique forma
eſſentialis quæ ſit, ex ſingularum mundi partium
explicatione intelligi debet. Vna etiam non eſt totius mundi forma vel anima,vt cenſet Ariſtoteles,
niſi fortè rotunda,ea eſt accidentalis.

6 *Patrem ſcilicet.* Indiuidua ſunt & inſeparabilia Trinitatis opera quæ ad extra dicuntur. „
Ergo Filius & Spiritus ſanctus crearunt mundum,vti
& Pater. Et Gene. 1.tres Perſonæ diſtinctæ obſeruari poſſunt,fuerúntque enumeratæ diſertè,Ioan.
1.Prou.8.Trinitatem autem appellat Patrem, Filium & Spiritum ſanctum,quòd tres illæ Perſonę,
etſi reipſa inter ſe diſtinctæ ſūt, atque ſuis incom- „
municabilibus proprietatibus, ſunt tamen vna &
eadem numero eſſentia,non autem eadem tātùm
ſpecie natura in tribus ineſt. Neque enim ſic deitas de Patre & Filio & Spiritu ſancto prædicatur,
vt humanitas de Petro, Paulo & Ioanne, quia in „
illis tribus humanitas ineſt nō eadē numero, ſed tā
tùm ſpecie.Sunt enim indiuidua eiuſdē ſpeciei, veluti humanitatis,huiuſmodi,vt diuerſas humanita
tes numeri ratione cōtineant,quia quodque indiuiduum habet ſuam humanitatem ſeparatā ab alia
nō modò loco,tempore,& diſiunctione,ſed etiam

A ſubiecto,& ipſa proprietatum illi indiuiduo inſeparabilium ratione & circumſcriptione. Eſt enim indiuiduum,vt rectè definit Plutarchus in lib. περὶ τοῦ εἶ, ἄθροισμα παντοδαπὸν ἐκ μυρίων διαφορῶν γινόμενον. Et ex eo poſteà Baſilius in epiſtolis. At perſpicuè Damaſcen.lib.3.de Fide Orthodoxa ca.6. Οὐ διαφέρουσιν ἀλλήλων αἱ ὑποστάσεις οὐ κατ' οὐσίαν ἀλλὰ κατὰ τὰ συμβεβηκότα. ἅπερ ἐστὶν τὰ χαρακτηριστικὰ ἰδιώματα, χαρακτηριστικὰ δὲ ὑποστάσεως, καὶ γὰρ ὑπόστασιν ἤτοι ἄτομον ὁρίζονται οὐσίαν μετὰ συμβεβηκότος. Idem Anſelmus in lib. de Incarnatione verbi cap.5. Plures enim hominum perſonæ,ſunt plures homines & quodammodo plures quãtitatiuæ humanitates.i.ratione quantitatis & circunſcriptionis diuerſæ & plures. Quod in Deitatem nõ cadit,quæ nec loco,nec tempore, nec proprietate naturæ in Patre ſeparatur ab ea,quæ eſt in Filio & Spiritu ſancto. Sed nec præter tres Perſonas Trinitatem velut quartam quandam Deitatẽ conſtituit Auguſtin⁹,cùm nec Deitas Trinitáſve aliud ſit quàm tres illæ Perſonæ: & tres illæ ſint tota & Trinitas & Deitas. Non etiam quòd Trinitas ſit Deus cõpoſitus vel aggregatiuus, vel triceps.Lib. De fide ad Petr.c.8.Firmiſſimè tene & nullatenus B dubites ſanctã Trinitatẽ ſolũ eſſe verũ Deũ, & rerum omniũ viſibiliũ & inuiſibiliũ creatorẽ.Bern. lib.5. De conſiderat.ad Eugen. Et Serm. in Cantic.Canticor. Nunc verò cùm tres illæ perſonæ,illa ſubſtantia ſint: & vna illa ſubſtantia, tres illæ perſonæ, quis numerum neget? Nam verè tres ſunt. Quis numeret tamen? Nam verè vnum ſunt. Idem epiſtol.190. Nec enim verum ſummúmque bonum,quod ſunt,inter ſe particulariter diuidũt, quoniam nec participaliter id poſſident,ſed hoc ipſum eſſentialiter ſunt.Nam quod alter ex altero, vel alter ad alterum veraciſſimè dicitur,perſonarũ ſanè deſignatio eſt,non vnitatis diuiſio. Ergo tres illæ perſonæ eſſentia inter ſe ſunt vna: modo tamẽ ὑπάρξεως,& ſubſiſtendi in illa diuina eſſentia differunt,in quo Perſonæ ratio poſita eſt. Vide eũdem Bernard. pulcherrimè hoc explicantem Sermo 71. in Cant.Eſt enim velut ſcaturigo immenſa ex qua ingens fons ſiue flumen effluit,& ex vtroque ſubſilit aqua:Scaturigo Patri,flumẽ Filio , Aqua ſub- C ſiliẽs ex vtroque Spiritui ſancto verbi gratia comparetur. Hunc locum citat P. Lombardus lib.1. Diſtinct.4.cap. Quidã tamen verba hæc *Quæ verba*,&c.omnino non habent.

7 *Sed vnum eundémque.* Puto gloſſema ſtudioſi viri fuiſſe,qui cùm vellet dubitationi occurrere eorum , qui audientes Spiritum à Patre procedere,ſtatim colligerent,Ergo non à Filio,vel diuerſum & alium eſſe Spiritum,qui à Patre & qui à Filio emanaret:addidit ille,eundem eſſe Spiritum Patris & Filij. Tempore enim Auguſtini nondum illæ diſputationes natæ erant, vtrùm Spiritus ſanctus à Patre per Filium procederet : vel ex Patre, cum Filio,vel ex Patre tantùm:& cętera huiuſmodi, in quibus Græca & Orientalis Eccleſia diutiſſimè ab Occidentali diſſenſit,& duo Spiritus conſtitui videbantur,vel non æquè dici à Filio atque à Patre Spiritus ſanctus emanare. Sed Macedonij tantùm error pullularat,qui Spiritum ſanctum eſſe Deum negabat aperté. Itaque Lombardus hæc verba prætermittit. li.1.Diſt.4.vbi hunc locũ trãſcripſit. Poſtea cùm illæ hæreſes de S. ſancto ortæ eſſent propter Græcos,maximè poſt Ferrariẽſe & Florentinum concilium habitum ſub Euge.4. pontif.Roma. anno Domini 1439. annotatum eſt A hìc à pio quodam,eundem eſſe Spiritum qui à Patre & Filio emanat. Quod verum eſt.De quo poſtea in tractatu de Spiritu ſancto.

DE CREATIONE MVNDI.

CAP. X.

Omnia à Deo creata eſſe bona,non tamen incommutabiliter,neque ſummè , neque inter ſe æqualiter.

AB hac ſummè [1] & æqualiter, & incommutabiliter bona Trinitate creata [2] ſunt omnia, & nec [3] ſummè, nec æqualiter , neque incommutabiliter bona, ſed tamen bona etiam ſingula: Simul verò vniuerſa [4] valde bona,quia ex omnibus cõſiſtit vniuerſitatis, [5] admirabilis pulchritudo.

1 *Ab hac.* Quanquam dixit Marcion , referente Tertullia.hunc mundum indignũ Dei opus B eſſe,propter crebras rerum perturbationes,quæ apparent in eo : item quanquam Platonici ſenſerunt ſolius ſpiritualis naturæ Deum eſſe opificem & creatorem:corporalis autem, dæmonas & deos minores,ſiue,vt alij aiunt, Angelos eſſe opifices , vt eſt in Timæo:veriſſima tamẽ & certiſſima eſt hæc doctrina Auguſtini , totique Scripturæ conſentiẽs,quæ ſolum Deum,non homines, non Angelos agnoſcit omnium rerum & viſibilium & inuiſibilium creatorem.Eſt itaque inter propria & ſingularia Dei epitheta etiam hoc , quòd ſit Creator. Gloriam autem ſuam nemini dat Deus, Iſa.40.v. 28.48.verſ.13. Inde nata eſt illa diſputatio & controuerſia,vtrùm dæmones cùm apparent , ipſa illa quibus vtuntur,corpora ipſi creent noua: an aliũde aſſumant : de quo anxiè Thomas Aquinas, & Augu.lib.3.de Trinit.cap.8.lib.12. de Ciuitate Dei cap.14.15. Notandum autem eſt diſcrimen triplex inter Deum creatorem,& res creatas, quòd ille æqualiter,incommutabiliter,ſummè bonus ſit: illæ contrà inæqualiter , mutabiliter , & ex parte tantùm ſint bonæ Denique quartum hoc addi poteſt, quòd ille Deus hæc omnia à ſeſe habeat , at res C creatæ ab alio,nempe Deo.Bonitas autem, ſapientia,iuſtitia,non eſt in Deo qualitas, quemadmodũ in homine, ſed eſt ipſa eius eſſentia , quæ cùm ſit ſimpliciſſima,nihil habet accidentarium,aut quod compoſitionis modum referat.

2 *Creata.* Sap.8.verſ.18.Materiam quandam indigeſtam & cõfuſam fuiſſe videtur ſignificari,quæ tamen à Deo & ipſa fuerit creata,vt explicatur lib. 1.de Gene.ad liter.cap.14.& lib. De Eccleſi. Dogmat.cap.10. Hoc enim propriè eſt creare , ex nihilo aliquid producere & facere. Vnde Creare & Facere cõiunxit Moſes Gen.2.v.4. Eſt ergo Deus ποιητὴς & factor:non tantùm δημιουργὸς & materiæ præexiſtentis & ſibi coæternæ ordinator,& ornator,vt Hermogeniani ſentiunt,quos refutat Tert. & rectè diſtinxit Iuſtinus Martyr contra Tryphõ. Creauit autẽ omnia Deus , & ſine labore,Iſa.40. verſ.28. Et in principio temporis , non tantùm in principio cauſſæ,ordinis, vel in Sapientia ſua.i.per Verbum & vnigenitũ Filium ſuum, Ioan.1.Gen.1. Auguſtinus libr. de Geneſ. ad liter. cap.3. & libr. 1.cap.1.

3 *Nec*

A 3 *Nec ſumme.* Summè bonæ eſſe creaturæ nō potuerunt,neque incommutabiliter,ne Deo creatori ſuo pares eſſēt.Solus enim ille eſt qui nullam παραλλαγὴν.i.mutationem habet,vt ait Iacob.1.ver. 17.nec in æternitate,nec in veritate,nec in voluntate, vt ait Auguſt. in Prœmi. lib. 4.de Trinita. Cur autem æqualiter inter ſe bonæ non ſint factæ res omnes, ratio eſt, vt ex eo multiformis Dei Sapientia appareret,itémque poteſtas,Eph.3.ver.10. Nam,vt ait Hierony.in epitaph.Nepotia.etiam in minimis quibuſue animalibus, vti formica,culice, muſcis,creatorē mirari debemus. Deinde hæc inæqualitas fuit neceſſaria,ſicuti ait author libri περὶ κόσμου,vt hæc mundi compago faciliùs propter hāc inæqualitatem , & diſcordem concordiam conſiſteret & permaneret.

4 *Vniuerſa.* De ſingulis tantùm & ſeparatis rebus verba Moſis accipienda videbantur,non autem de vniuerſis & collectis.Et viditDeus quæ fecerat,& erant valde bona, Gene.1. Item quod ait B Ioannes,totum hunc mundum in maligno eſſe, 1. Ioan. 5. verſ. 19. Sed tamen veriſſima eſt Auguſt. interpretatio.Quę enim ſingula per ſe conſiderata bona eſſe pronuntiantur , eadem collecta & inter ſe compacta,bona manſerunt.Et quod mūdus hic Deo diſplicet,non ſit propter rerum ipſarum naturam & ſubſtantiam,cuius ipſe autor eſt: ſed peccati,quod Adamus induxit, deformitatem & turpitudinem,quæ per vniuerſum mūdū ſeſe diffudit.

5 *Vniuerſitatis.* Vniuerſitas eſt à Cicerone appellata,quod Plato in Timęo dixit, τὸ πᾶν.Id quod ad materiam & res ipſas quibus conſtat mundus, refertur, quia in eo ſunt res omnes comprehenſæ: κόσμος mundus ab ornatu & forma dictus eſt , vt ait Plinius , cuius admirabilem pulchritudinem eſſe, contra Marcionitas & Manichæos teſtatur apertè hoc loco Auguſtinus.Vniuerſitatis nomine in mūdo ſignificando vſus eſt etiam Tertullianus. Qua tamen voce Chriſtiani quidam offenduntur , tan- C quàm arrogantiore & ſuperbiore.Etſi enim mundus eſt compago cœli & terræ , & earum naturarū quæ his comprehenſæ ſunt,vt ait,autor libelli De mundo,tamen ne ſic quidem,aiunt, mundus vniuerſitas rerum dici debet, cùm animæ hominum immortales poſt hanc vitam , & Angeli beati hac definitione nō contineantur,quę tamē rerum vniuerſitatis ſunt partes pręſtantiſſimę.Qui homines fortaſſe delicatiores quàm par ſit,cenſebuntur.

Cap. XI.

Mala cur eſſe ſinat Deus. Malum autem nihil aliud eſſe, quàm naturalis boni priuationem, quæ per ſe non ſubſiſtit.

IN qua[1] *etiam illud quod malum dicitur , bene ordinatum & loco ſuo poſitum eminentiùs commēdat bona,vt magis placeant, & laudabiliora ſint,dum comparantur malis. Neque enim Deus omnipotens (quod etiam infideles fatentur)*[2] *cùm ſummè bonus ſit, vllo modo ſineret mali aliquid eſſe in operibus ſuis,niſi vſque adeò eſſet omnipotens & bonus,vt bene faceret etiam de malo. De bono naturæ vitiato ipſe Deus bene facit reformando , aut puniendo vitiatum:ac per hoc ergo malum, nec vitium*[3] *erit,quia nihil eſt,cùm euacuatur. Quid eſt autem aliud,quod Malum dicitur, quàm priuatio boni? Nam ſicut corporibus animalium,nihil eſt aliud morbis & vulneribus affici,quàm ſanitate priuari:* A *(Neque enim id agitur,cùm adhibetur curatio , vt mala illa quæ inerant,id eſt morbi & vulnera,recedant hinc , & alibi ſint,ſed vtique vt non ſint.Non enim vlla ſubſtantia,ſed carnalis ſubſtantiæ vitium eſt vulnus aut morbus:*[5] *cùm caro ſit ipſa ſubſtantia , profectò aliquod bonum eſt , cui accidunt iſta mala,id eſt priuationes eius boni, quod dicitur ſanitas.) Ita etiam & animorum quæcunque ſunt vitia , naturalium ſunt priuationes bonorum. Quæ cùm ſanantur,non aliquò transferuntur,ſed ea,quæ ibi erant, nuſquam erunt,quando in illa ſanitate non erunt.*

1 *In qua.* Vexata & difficilis quæſtio eſt, quæ in tractatu de Creatione rerum agitari ſolet, Vnde ſint enata ea quæ mala dicūtur. Hoc enim propter Manichæos imprimis & Marcionitas diſputabatur,qui principia duo rerum, eáque contraria inducebant:quorum vnum Deum,qui bona creaſſet:alterum autem diabolum vel dæmonem appellabant,qui mala:id quod à Philoſophis,qui ſemper B hæreticorum patriarchæ fuerunt,quemadmodum poſt Tertullia.ſentit quoque Hierony.profectum eſſe , ſatis ex Plutarcho intelligi poteſt, ex lib. qui de Iſide ab eo inſcribitur. Hîc autem agit Auguſtinus nō tantùm de malo culpæ, ſed etiam de malo pœnæ,vt poſt Tertullian.lib.1.aduerſ. Marcionem , Auguſtinus ipſe & Scholaſtici loquuntur. Mali autem non tam cauſſa efficiens , quàm deficiens quæri debet,ait Auguſt.lib.12.de Ciuit. Dei, cap.7. quam inuenire velle & conari , eſt tenebras videre velle & conari.lib. tamē de Eccleſiaſt. dogmatib.cap.57.diabolus ſtatuitur cauſſa mali:ſed ille liber non eſt Auguſtini , & eget hoc dictum interpretatione. De cauſſa autem boni & mali, alius erit poſtea dicendi locus. Docet autem hoc loco Auguſtinus,non vnde, ſed quorſum mala ſint aliqua in hac rerum vniuerſitate,qualia ſunt non ſolùm peccata , improbi homines,diaboli,ſed etiam quædam venena & noxiæ res. Duplicem autē cauſam affert:primùm quidem,vt bona eo ſint laudabiliora atque etiam gratiora nobis. Cōtraria enim C iuxta ſe poſita magis illuceſcunt,Lactant.lib.2.Inſtitution.Chriſtian.cap.9. Nam vt opulentia bonum videatur,acerbitas egeſtatis facit,& gratiam lucis commēdat obſcuritas tenebrarum: valetudinis & ſanitatis voluptas ex morbo ac dolore cognoſcitur:Secundùm autem,quòd Deus ſapientiſſimus & potētiſſimus etiam malis bene vti poteſt, vel ea reformando,vel puniendo. Auguſt. ipſe lib. 11.de Ciuitat.Dei,cap.17. Deus bene vtitur naturis malis,quamuis homines ipſi mali iis malè vtantur: vti Deus è tenebris eduxit lucē,ait Paulus 2. Cor. 4. verſu 6. Ergo malis , reformando ea, Dominus bene vtitur,quando etiam peccatis piorum ad eos poſtea firmiùs ſtabiliendos vtitur, facítque vt illa etiam in bonum eis cedāt,Rom.8.verſ. 28. síntque ſuæ ingentis miſericordiæ , ſapientiæ & bonitatis illuſtriſſima exempla.Puniendo etiam mala , Dominus facit, vt in eo ſua potentia,maieſtas & ſanctitas eluceat. & ita iis bene vtitur, id eſt,ad ſuam gloriam & ſuorum electorum ſalutem. Non minùs enim iuſtitiam Dei patefieri bonum eſt,quàm illius miſericordiam , 1. Timoth. 1. verſ. 20. Roma.6.verſ.21.22.23.

2 *Infideles fatentur.* Vulgar.Codic.habent addita hæc verba,Rerum cui ſumma poteſtas. Quod eſſe gloſſema hominis ſcioli, facilè omnes vident,

A & ipſum etiam mãcum.Nam finis eſt ſiue hemiſtichiũ verſus Virgiliani,qui extat libr.10.AEneid.

Tum pater omnipotens,rerum cui ſumma poteſtas,
Infit:eo dicente deûm domus alta ſileſcit.

Sed Auguſtinum non ad vnum tantùm vnius poetę verſiculum ſpectaſſe certo certius eſt,& ex aliorum Latinorum & Græcorum ſcriptorum monumẽtis apparet,qui idem affirmarunt.Infinitę enim penè ſunt infidelium hominum in eam rem ſententiæ, quas in libro De monarchia Dei, collegit Iuſtinus Martyr, & apud Latinos Tertullia. in libello De teſtimonio conſcientiæ.Lactantius libr. 1.Inſtitut. cap.5.& 6. Arnob.autem libr. 8. contra Gentes,ex iis potiùs Virgilij verſiculis Deũ omnipotentem ab eo dici putat,qui ſunt lib.6. AEneid.

--Deum nanque ire per omnes
Terráſque tractúſque maris, cælúmque profundum.

Itaque corruptum hunc locum reſtituimus, vt cohæreat ſententia ſequens cum ſuperiore. Lombardus Lib.1.Sent. Diſt. 46. cap.Quod verò, citat hũc locum,ſed immutatũ,& prætermiſſa hac ſententia*(quod etiam infideles fatentur)*. B

3 *Nec vitium erit.* Erit, id eſt,ſubſiſtet.Neque enim hîc verbum, eſt, ſeruilem ſignificationẽ habet,vt Grammatici loquũtur, veluti cùm dicimus Petrus eſt Apoſtolus,ſed abſolutam quæ ὕπαρξιν & rei exiſtentiam denotat,vti cùm dicitur, Chriſtus eſt.Quòd autem vitium & malum nihil eſſe putat Auguſtinus,non eſt accipiendum negatiuè:ſed tãtùm priuatiuè, quemadmodum cùm dicitur idolum nihil eſſe,à Paulo,1.Corinth.8.verſu 4. Item quod dicitur,Vitium non ſubſiſtere, eodem ſenſu eſt intelligendum. Quòd ſi ſtatuatur peccatum & vitium non ens abſolutè, fruſtrà & iniquè propter peccata puniremur à Deo. ſed eſt peccatum qualitas animi vitioſa,&, vt loquuntur, à Deo defectuoſa,id eſt eius voluntati aliena & repugnans. Non eſt tamen peccatum ſubſtantia, ſed eſt in ſubſtantia.

4 *Quid eſt autem.* Malum in vniuerſum intelligit Auguſtinus. C Nam malum diſtinguit ipſe lib. 1. De libero arbitr. cap. 1.(quia vox eſt ambigua:) Quod hîc definit,& ait eſſe priuationem eius boni quod naturaliter inerat vel ineſſe rei debet. Omnia enim bona primùm creauit Deus : à qua bonitate quando propter peccatum Adami hæc inferiora defecerunt (eſt enim omnis creatura vanitati ſubiecta,vt inquit Paul.Roman.8.verſ.20.) mala eſſe dicuntur ex mente Auguſtini.Hęc Auguſtini definitio latiùs patet, quàm eorum Theologorum diſputationes,qui de Malo culpæ ſolùm quęrunt. Nam malum culpæ ad ſolas eas creaturas quæ ratione vtuntur, pertinet. quando impropriè beluæ & inanimes creaturæ malum culpæ admittere dicuntur: ſed ſoli homines vel diaboli eo genere mali delinquunt. Quod etiam propriè à Latinis Peccatum nominatur. Malum quidem pœnę in omnibus creaturis eſſe poteſt, quatenus per eas poſſumus ipſi affligi,vel etiam ipſæ à Deo iuſto iudicio puniuntur.Sed malum culpę nõ poteſt in omnibus creaturis ſpectari & ineſſe. Ergo hoc culpæ malum quam ἁμαρτίαν & κακίαν Græci vocãt,aliter & meliùs Baſil.quàm Auguſtinus explicauit Homi.2.Hexameri ſui,cùm ait eſſe διάθεσιν ἐν ψυχῇ ἐναντίως ἔχουσαν πρὸς ἀρετήν.Bonum autem,à quo declinare dicitur eſſe in vniuerſum malũ, intelligi A hoc loco debet vniuerſaliter, & de bono naturæ ſiue conditionis, & de bono electionis & iuſtitiæ quod Lege Dei pręſcriptum eſt,à quo qui recedit, malum & peccatum facit.Vnde propriæ formæ,& differentiæ ſpecificæ ratione peccatum & malum culpæ rectiſſimè ex Ioanne definitur eſſe ἀνομία, id eſt trangreſſio legis diuinæ,1.Ioan.3.verſu 4. Nam quam hîc mali definitionem cudit Auguſtinus, nõ propriè explicat malum culpæ,ſed in genere quid poſſit malum dici,id eſt omne quod non ſua natiua bonitate præditum eſt.

5 *Aut morbus.* Morbos eſſe tantùm priuationes non concedent forſaſſe medici, niſi quatenus ſanitas dicitùr eſſe temperamentum iuſtum & aptum quatuor humorũ inter ſeſe. Febris enim nõ modò priuatio eſt illius concordiæ & ſyncraſeos, ſed etiam inhærentia vitioſæ qualitatis, quia ebullitio ſanguinis,& nimia choleræ copia, ſi proxima eius cauſa ſpectatur,eſt cauſa morbi. Neque enim repletio euacuatióque fieret in morbis aut vulneribus,niſi quædã ὑπόστασις in iis ineſſet: veluti nimia B pituita morbũ gignit,non tantùm priuatione quadam,ſed accumulatione nimiáque abundantia inhærentis in corpore & ſubſiſtentis materię.Itaque hoc Auguſtini exemplũ & dictum nõ eſt ad viuum reſecandum,ſed quemadmodũ docendi cauſa poſitum eſt,ita κατὰ πλάτος accipiendum.

CAP. XII.

Quanquam creaturæ omnes quatenus naturæ ſunt à Deo factæ bonæ ſunt,quia tamen nõ ſunt incommutabiliter bonæ,ex iis quædam corrumpi poſſunt. Corruptio autem ſiue vitium earum nihil aliud eſt,quàm inſiti à Deo boni priuatio,adeò quidem vt vbicunque nullũ eſt amplius naturæ bonũ,illic neque vlla corruptio, neque vitium quoque locum habeat & ſubſiſtat.

Naturæ igitur[1] igitur omnes,quoniam naturarum prorſus omnium conditor ſummè bonus eſt, bona ſunt. C *Sed quia non, ſicut earum conditor,ſummè atque incommutabiliter bonæ ſunt, ideo in eis & minui bonũ,& augeri poteſt.Sed bonũ minui malũ eſt,quãuis quantũcunque minuatur, remaneat aliquid neceſſe eſt, ſi adhuc natura eſt,vnde natura ſit.Neque enim ſi qualiſcunque aut quantulacunque natura eſt,conſumi bonũ, quod natura eſt, niſi & ipſa conſumatur,poteſt:[[3] Meritò quippe natura laudatur.]Porrò ſi & incorruptibilis ſit,[4] multò eſt proculdubiò laudabilior. Cum verò corrumpitur,ideo malum eſt eius corruptio[5],quia eam qualicunque priuat bono. Nam ſi nullo bono priuat, nec nocet:nocet autem adimendo bonum.Quandiu itaque natura corrumpitur, ineſt ei bonum quo priuetur: At[6] per hoc ſi boni aliquid remanebit quod iam corrũpi nequeat, profectò natura incorruptibilis erit. At ſi corrumpi non deſinet,nec bonum vtique habere deſinet, quo eam poſſit priuare corruptio. Quam ſi penitus totámque conſumpſerit,ideo nullum bonum inerit,quia natura nulla erit. Quocirca bonum conſumere[7] non poteſt corruptio, niſi conſumẽdo naturam. Omnis ergo natura bonum eſt:magnum,ſi corrumpi nõ poteſt:paruum,ſi poteſt:(negari tamen bonũ eſſe,niſi ſtultè atque imperitè,prorſus non poteſt.(Quæ ſi corruptione cõſumitur[8],nec ipſa corruptio remanebit,vbi nulla eſſe poſſit non[9] ſubſiſtente natura.*

A 1 *Naturæ igitur.* Confirmatio eſt ſuperioris definitionis à conſequenti. Tam enim verum eſt malum eſſe boni priuationem, vt vbi nullum ampliùs bonum in re eſt aliqua, veluti ſi prorſus perierit, neque in ea ipſa malum, neque corruptio id eſt, priuatio eſſe & locum habere poſſit. Eſt autem hic locus ad verbum penè à Fulgentio Auguſtini diſcipulo deſcriptus in libro De fide ad Petrū cap. 21. quem locum videat qui volet, quia eſt pulcherrimus. Sed etiam à Petro Lombardo libr. 2. Sentētiar. diſtinct. 34. cap. Oſtenſa. Huic tamen Auguſtini ſententiæ videtur obſtare Auguſtinus libr. 3. de Geneſ. cap. 15. vbi docet venenoſa & pernicioſa animalia, quales ſerpentes, natrices, viperæ, &c. quæ certè mala ſunt, non priuatione vllius boni noxia & mala homini facta eſſe, ſed cùm innoxia primùm creata à Deo eſſent, poſt peccatum Adami hominibus cœpiſſe (manente tamen in eis eadem omnino natura) eſſe damnoſa & venenoſa. Reſpōſio facilis, Ipſa animalia per ſe non eſſe mala quędam, ſed homini tantùm eſſe noxia propter pec- B catum. i. boni priuationem, quæ in homine contigit. Vnde illi puniendorum peccatorum cauſa huiuſmodi animalia à Deo obiecta ſunt, non ipſa mutata.

2 *Quanuis quantumcunque.* Videtur eſſe παράδοξον quod addit hoc loco Auguſtinus, Malum in ea re eſſe non poſſe, in qua nihil boni remaneat, id eſt, in qua ne ipſa quidem natura, per quam res eſt, & ſubſiſtit, remanſerit. Sed huius dicti firmiſſima hæc ratio & veriſſima eſt, quòd nō entis nullæ ſunt qualitates, neque de eo quod ἁπλῶς & abſolutè non eſt, quicquam prędicari propriè poteſt. Vndè non ſubſiſtente natura, vt poſtea loquetur Auguſtinus, nec ipſum malum, & boni ademptio, priuatio vel alteratio vlla in ea remanebit & locū habebit. Dionyſ. de Diuinis Nominib. cap. 4. part. 1. Pulchrum & Bonum cuncta deſiderant, neque eſt aliquid in ſubſtantiis rerum, quòd Pulchri & Boni non ſit aliquatenus particeps.

3 *Meritò quippe.* Locus fœdiſſimè corruptus, vbi vulgò in codicibus impreſſis & in lectione recepta error errori cumulatus eſt. Ac primùm totum hoc gloſſema fuit ad verba illa ſuperioris ſen- C tentiæ (Conſumi bonum, quod naturæ eſt.) Cùm enim ſciolus aliquis vellet rationem reddere, cur natura bonum appelletur, hanc à connexis ſubiunxit, quia natura laudatur. Sunt enim ea quæ laudātur, bona: vel eo potiſsimùm argumento ductus, quòd Auguſtinus poſtea ſic loquitur, Si eſt natura incorruptibilis, multò eſt proculdubiò laudabilior Ergo naturam per ſe rem eſſe laudabilē ex eo Auguſtini dicto collegerat, & in margine addiderat. Librarius poſtea in ipſum orationis Auguſtinianę contextum inſeruit. Auguſtinus autem hoc velut αἴτημα Theologicum ponit, vel potius vt ἀξίωμα, Naturam in re quacūque bonum eſſe: nullam autem eius dicti rationem nec hîc nec alibi attulit, quando id negari, niſi prorſus ſtultè & imperitè (vt ipſe hoc eodem capite loquitur) non poteſt. Et interiecta hæc ſententia prorſus hiulcam facit orationem, & interrumpit aliâs facillimum & fluidiſſimū huius orationis & contextus filum. Omnino tamē delere non ſum auſus. Hic primus error eſt: alter longè pericloſior eſt, quòd in vulgaribus codicibus additum eſt, Incorrupta, & ſic legitur, *Meritò quippe natura incorrupta laudatur*: planè cō- A trario ſenſu & repugnante menti Auguſtini. Potiùs enim erat ſcribendum, ſi quis gloſſare vellet, *Meritò quippe natura etiam corruptibilis laudatur*: vt poſtea rectè ſequatur illa comparatio, Sed incorruptibilis multò eſt laudabilior. Duo enim tātùm genera naturarum creatarū cōſtituit hoc loco Auguſtinus, vnum corruptibilium: alterū incorruptibilium: in quibus vtriſque malū nō agnoſcit, niſi & quatenus bonum in iis reſtet, quo priuari poſſint.

4 *Incorruptibilis ſit.* In vulgaribus codicibus ſic legitur, Porrò ſi & incorruptibilis ſit, quæ omnino corrumpi non poſſit. quæ verba poſtrema quis non videt puerile eſſe gloſſema ad vocabulū Incorruptibilis? Sic ſupr. cap. 8. in verbis, Quæ cùm ita ſint: additum erat gloſſema, Propter iſtas cauſſas. Quid autem mirum iſta in hominum ſcriptis reperiri, quando & in diuinis ipſis imperitia ſcribarum huiuſmodi gloſſationes in textum irrepſerint ineptiſſimę? veluti apud Paulum in epiſtola ad Coloſſ. cap. 2. verſu 15. in vulgari lectione, Palam, confidenter: pro eo quod eſt in textu Græco ἐν παῤῥησίᾳ id eſt Palam, cuius gloſſema fuit Confidenter: vtrunque poſtea in textum aſcitum fuit.

5 *Eius corruptio.* Corruptionis ſignificato ali- B ter hoc loco Auguſtinus vtitur, quàm Ariſtotelicorum vulgus. Illi enim ſolùm pro interitu accipiunt, qui genus eſt Motus, & Generationi ſiue ortui rerum contrarius, quam Græci φθορὰν dicunt. Auguſtinus autem pro qualibet rei deprauatione, mala immutatione, &, vt ita dicam, vitiatione ſumit. Et tam generaliter etiam ſignificationem vocis huius φθορὰν accipi ſolere apud Gręcos, teſtis eſt vſus. Ergo ex mente Auguſtini corrumpitur res, non tantùm cùm interit, ſed etiam cùm alteratur & in peiorem ſtatum & qualitatem aliquam quacunque ratione mutatur, ne quis fortè propter vſū ſcholarum in hac voce hallucinetur & erret.

6 *Ac per hoc.* Miſerrimè laceratus & deprauatus locus. ac primùm in vulgar. codic. ſic legebatur dicendi genere prorſus inepto, Ac per hoc, ſi naturæ aliquid remanebit &c. profectò natura incorruptibilis erit, cùm ex proximè ſuperiori ſententia aliter Auguſtinus ſcribat & loquatur. Ergo C pro voce hac Naturæ, Boni vocabulum ſubſtituimus. Sed quid tam anxij ſumus in hoc loco reponendo, quum totum putemus eſſe gloſſema & omnino tollendum? Fluit enim ſic rectè tota ſentētia, *Quandiu itaque natura corrumpitur, ineſt ei bonum quo priuetur. At ſi corrumpi non deſinet, nec bonū vtique habere deſinet* & huiuſmodi phraſes. Ac per hoc profectò ſtylum Auguſtini hîc non redolent. Apparet autem ex libr. 2. Sentent. diſt. 34. ca. Oſtenſa, quàm emendatiore Auguſtino vterētur Lombardi ſecula, quàm noſtra. Deniq; poſt hęc verba, Incorruptibilis erit: additum eſt in vulgar. codic. Et ad hoc tam magnum bonum corruptio non perueniat: cui ſententię neque pes neque manus conſtat, & eſt omnino gloſſema puerile ad verba hæc, Quod iam corrūpi nequeat: gloſſauit monachus, Id eſt, ad quod tam magnum bonū corruptio nō perueniat. Hoc poſtea in textum inſulſiſſimè receptum eſt ſcribarum imperitia.

7 *Bonum conſumere.* Intellige, Prorſus & omnino. Nam omne bonum conſumere non poteſt corruptio, niſi naturā ipſam rei, qua res eſt & ſubſiſtit, priùs conſumat & abſorbeat. Ergo bonum omne non tollit de re corruptio, niſi & naturam

A ipſius perimat.

8 *Conſumitur.* Eodem modo & ſenſu intellige quo ſuprà, Omnino & Prorſus. Nam poteſt quidem aliquod bonum tollere corruptio, etſi rei naturam ipſam non conſumat: ſed in vniuerſum bonum omne tollere de re nō poteſt, niſi ipſam illius ſubſiſtentiam, φύσιν & naturā deleat prorſus & perdat corruptio. Hoc ita perpetuò ſēſit Auguſtinus. Et rectè obſeruatum fecit vt mendum in ſequentibus verbis eſſe perſpicuè animaduerteremus.

9 *Non ſubſiſtente natura.* Ita indubitatò legēdum eſt addita negatione, Non, quāquam conſtāter in omnibus vulgar. legitur affirmatiuè, Subſiſtente natura. Eſt etenim hęc mēs Auguſtini, Poſtquam ampliùs ipſa rei natura non ſubſiſtit, neque in ea malum, quæ eſt boni priuatio, ineſſe poſſe. Nam quum illa priuatio ſiue alteratio ſit qualitas, qualitates autem nullæ ſint non entis ſimpliciter: (nam vt eſt lib. De natur. & gratia cap. 10. abſque re eſſe qualitas non poteſt) abſorpta natura, abſorbetur quoque omnis qualitas & corruptio in ea.

B

Cap. XIII.

Duo paradoxa, 1. Nihil malū dici poſſe ibi, vbi nullum eſt bonum. 2. Bonum malum affirmari, id eſt, idem bonum eſſe & malum. Duplex autem eſſe bonum, integrum & vitiatum.

AC [1] per hoc nullum eſt quod dicitur malum, ſi nullum ſit bonum. Sed bonum [2] omni malo carēs integrum bonum eſt. Cui verò ineſt malum, vitiatum vel vitioſum bonum eſt: Nec malum vnquam poteſt eſſe vllum, vbi bonum eſt nullum. Vnde res mira conficitur, vt quia omnis natura, inquantum natura eſt, bonum eſt, nihil aliud dici videatur, cùm vitioſa natura, mala eſſe natura dicitur, niſi malum eſſe, quod bonum eſt: nec malum eſſe, niſi quod bonum eſt, quia omnis natura bonum eſt, nec res aliqua mala eſſet ſi res ipſa, quæ mala eſt, natura non eſſet. Non igitur poteſt eſſe malum, niſi aliquod bonum. C *Quod cùm dici videatur [3] abſurdè, connexio tamē ratiocinationis huius velut ineuitabiliter nos compellit hoc dicere. Et cauendum eſt, ne incidamus in illam ſententiam propheticam, vbi legitur, [4] Væ his, qui dicunt quod bonum eſt, malum: & quod malum eſt, bonum: qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce: qui dicunt tenebras lucem, & lucem tenebas. Et tamen Dominus ait [5], Malus homo de malo theſauro cordis ſui profert mala. Quid eſt autē, Malus homo, niſi mala natura, quia homo natura eſt? Porrò ſi homo aliquod bonum eſt, quia natura eſt, quid eſt Malus homo, niſi malum bonum? Tamen cùm iſta duo diſcernimus, inuenimus nec ideo malum, quia homo eſt: nec ideo bonum, quia iniquus eſt: ſed bonum, quia homo: malum quia iniquus. [6] Quiſquis igitur dicit malum hominem eſſe, aut quod bonum eſt, iniquum eſſe, ipſe incidit in propheticam illam ſententiam, Væ his qui dicunt quod bonum eſt, malum. Opus enim Dei culpat, quod eſt homo: & vitium [7] hominis laudat, quod eſt iniquitas. Omnis nanque natura, etſi vitioſa eſt, in quantum natura eſt, bona eſt: in quantum vitioſa eſt, mala eſt.*

1 *Ac per hoc.* Duo πείσματα conſectanea ex ſuperiori diſputatione colligit Auguſtinus, ex quibus quanquam Chriſtianorum dogma de Malo agitatum à Philoſophis fuiſſe ex Iuſtini Martyris reſponſionibus ad interrogationes Græcorum conſtar, eſt tamen veriſſimum, vt hoc loco demōſtrat Auguſtinus. A Sed & ex his ipſis confirmatio ſuperioris definitionis de Malo ab Auguſtino affertur. Cùm enim omnia quæ ex ea ſententia conſequuntur, vera eſſe doceat, antecedens quoque ipſum verum eſſe fatendum nobis eſt. E duobus autem illis cōſectaneis hoc primum eſt, Nuſquam malum eſſe, niſi vbi bonum ſit. Secundum autem, Malum eſſe, quod bonum eſt. Quod vtrunque & mirum & paradoxon eſſe agnoſcit ipſe, & habere varia, quæ contrà obijci poſſunt, quibus reſpondet. Et certè videretur tota hæc Auguſtini collectio, argutiola tātùm quædam eſſe & λεπτολογία, id eſt puerilis diſputatio, niſi Manichæorum & Philoſophorū importunitas & ineptiæ collectiones & ſentētias huiuſmodi diſcutere coegiſſent, quando illi propter tales quaſdam illationes & gryphos, Chriſtianos de Dei natura & mali ratione rectè ſentientes cōturbabant, vt docet Auguſt. De agone Chriſtian. cap. 4. Quod autem ait, Non eſſe ibi malū, vbi nullum bonum eſt: ex eo eſt intelligitúrque verum, B quòd, cùm hæc ſit lex & natura priuationis, vt pręſupponat habitum, (quemadmodum loquuntur in ſcholis) ſit autem malum priuatio boni, certè bonum priùs eſſe neceſſe eſt, quàm malum, id eſt habitum quàm priuationem. Sic, vt docet Tertullianus, priùs fuit vera religio, quàm idololatria, quæ eſt illi[*] corruptio. Et certè res quoque ipſa & veritas ita eſſe oſtendit. Dionyſius de Diuinis Nominib. cap. 4. part. 4. totam hanc quæſtionem & verè & dilucidè explicat. Sed quod ad malum, aliquādo dicitur, non tantùm propter carentiam boni: ſed etiam propter præſentiam & inhæſionem turpitudinis, vti membra hominis diſtorta mala dicuntur: voluntas autem hominis mala, in qua rebellio cogitatióque turpis ineſt. Sed iſtæ tamen turpitudines ſubſtantiæ non ſunt (in quo hîc totus eſt Auguſtinus, vt Deum mali autorē dici non poſſe probet) ſed ſunt tantùm qualitates, & rei ſubſtātiæque bonæ ſuperuenientia accidentia. Ergo malum dupliciter definiri poteſt, vel à contrario, vti Horatius libr. 1. epiſt. Sapientia eſt ſtultitia caruiſſe: ſic, C Malum eſt priuatio boni: vel à ſua propriáque forma: Sapientia, ait Tullius libr. 1. de Officiis, eſt rerum diuinarum & humanarum cognitio, ſic, Malum eſt vitioſa & præter primum ordinem naturæ, facta rei diſpoſitio, & diſtorſio.

2 *Sed bonum.* Duplex boni genus, vnum quod integrum vocat, alterum quod vitiatū. Integrum eſt, in quo nulla mali labes & particula admixta eſt, ſiue quod primam & natiuam eſſētiæ vel creationis ſuæ conditionem illibatā retinet: Cuiuſmodi primùm eſt Deus ipſe, qui eſt bonum, & per ſe, & abſolutè, & integrum, & omnis boni bonum, vt loquitur Auguſt. lib. 8. de Trinit. cap. 3. & is quidē ſolus. nam is ſolus omni malo caret, & omnis corruptionis & mutationis eſt expers, Iac. 1. verſ. 17. Pſal. 102. verſ. 28. Secundo loco, Angeli beati integrum bonum dici poſſunt, quia primam creationis & naturæ ſuæ conditionem ſartam tectam habent & incorruptam: ſed non, vt Deus, ſua vi, quin potiùs Dei benignitate retinēt eā, à quo acceperūt vt & eſſent, & in ſuo ſtatu permanerēt. Ipſi enim natura mutabiles & corruptibiles erant. Nam, vt ait idem Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 6. ſola Dei natura eſt ſimpli-

A ſimpliciſſima,& non mutabilis,& ſolus habet ἀθανασίαν,vt inquit Paulus 1.Timoth.6.verſ. 16. Vnde eſt nata illa aſſertio Theologorum, Deum non potuiſſe non facere mutabiles creaturas. Suæ enim & diuinæ naturæ æquales creaſſet, ſi eas immutabiles feciſſet. Iam verò vitiatum bonum, eſt natura, quæ iam primæuam creationis ſuæ originem non ſeruat, aut habet, vt definit Iudas, Iu.verſ.6. Cuius boni tria ſunt genera, nēpe diaboli. Hi enim ſunt naturæ vitiatiſſimæ. Homines deinde, qui poſt diabolos bona vitioſa dici poſſunt. Tertium denique genus, reliquæ creaturæ. Propter peccatum enim hominis creatura omnis terrena eſt ſubiecta vanitati, & in ea aliquid priſtinæ & natiuæ bonitatis deperiit, Roma.8. verſ.20. Quod ipſum etiā docet Auguſt.lib.18.de Ciuit.Dei, cap.15. Geneſ.2.verſ.18. Denique vnus Deus eſt & bonum integrum,& bonus, Matth. 19. verſ. 17. Et infrà cap. 15. dicit non niſi ex Angelo & homine peccatum & malum eſſe ortum.

B 3 *Videatur abſurdè.* Abſurda in ſpeciem videtur hæc oratio, Non poteſt eſſe malum, niſi aliquod bonum: quòd contraria ſibique pugnantia contineat, & ſeipſam euertat. Omnis enim oratio, in qua contradictio aliqua ineſt, ἄτοπος, inepta & ἀσύστατος eſt, vt in Elenchis Ariſtoteles definit. Atq; hoc eſt ſecundum paradoxum, quod ex ſuperiori diſputatione colligebant Manichæi, vt ex Auguſt. libro de Agone Chriſti cap.4. facilè intelligi poteſt, per quod animos ſimplices Chriſtianorum irretiebant. Huius autem gryphi & tricæ ſolutio facilis eſt & dialectica. Continet enim paralogiſmū, quem vocat idem Ariſtot.in Elench. Ignorationē Elenchi. quia quæ diuerſa ratione de eadem re dicuntur, tanquam vna & eadem ratione enuntiarētur, & intelligerentur, ponuntur in concluſione. Diuerſo itaque reſpectu illud quod malum eſt, dicitur bonum,& malum. Bonum enim dicitur aliquid ratione naturæ quam habet à Deo, & per quā ſubſiſtit: idem tamen dicitur eſſe malum reſpectu vitij ſuperuenientis. Vti homo idem dicitur bonus vel bonum reſpectu naturæ: malus autem ratione C voluntatis & animi rebellis præceptis Dei. Ita diſtinguit poſtea Auguſtinus,& diſertiſſimè. Scholaſtici barbarè & ſuis verbis dicunt & ſoluunt ſic, Aliquid ſecundum materiale poſſe eſſe & bonum & malum: Secundum formale autem non poſſe: id eſt, qua ratione propria definitio, vis & natura boni & mali ſpectatur, non poſſe idem dici bonum & malum. Multa huiuſmodi in omnium authorum ſcriptis,& in omni diſciplinæ genere reperiri, quæ abſurda videntur, niſi diſtinguantur, vel mediocriter docti ſciunt.

4 *Væ his.* Superiori paradoxo duo obiici poſſunt, vnum quod ex Iſaia ſumptum eſt, cui hoc loco reſpondet: alterum quod ex Dialecticorum ſumitur regulis, de quo ſequenti capite aget. Locus autem ſumptus eſt ex Iſa.cap.5.verſ.20. vbi de malo culpæ propriè loquitur Iſaias, nō autem de malo pœnæ. Nam pœna etſi carni malum eſt, bonum tamen à nobis dici & poteſt & debet, quia ſapientiores nos facit. Pſal.119.ver.67.& 71. Heb.12. verſ. 11. Iob.6.verſ.7.12. Non aduerſatur autem Prophetæ, qui id ſentit quod hîc ait Auguſtinus: quia etſi de eodem complexè affirmet & enuntiet bonum & malū, non eadem tamen ratione, nec in ea ipſa re illud quod bonum eſt (qualis natura ipſius rei) malum & vitium eſſe contendit, ſed diſtinguit vtrunque. A Infrà cap. 19. Auguſtin. dictum Iſaiæ de doctrina rerum per quas boni aut mali homines dicuntur, vult eſſe accipiendum, vt ſi quis in ea erret, damnetur à Propheta.

5 *Dominus ait.* Locus eſt apud Mat.12.v.35. Infinita ſunt huiuſmodi exempla, vti ſi dicatur, Mala arbor, malus ſeruus, malus coruus,&c. Obiicit igitur dictum Chriſti ſuperiori ſententiæ Iſaię, quod contrarium videbatur, quia res bona, nempe homo, malus dicitur. Sed reſpōſio eſt, Homo bonus, aut potiùs bonum eſt ratione naturę: malus autem ratione prauæ & iniuſtæ & non obſequentis Deo voluntatis. Hæc planè puerilis argutiola eſſe videretur. ſed cogitur Auguſt. vt aduerſus Manichæorū cauillationes, qui huiuſmodi nugas conſectabātur, Laurentium ſuum inſtruat, hęc παιδαριώδη perſequi.

6 *Quiſquis igitur.* Solutio Auguſtini, Non cōfundendam ipſam rerum naturam cum ſuperueniente illi vitio. Illius enim naturæ ratione, bonæ ſunt: huius autem vitii reſpectu, malæ. Quod qui faciunt, in Prophetæ maledictionem incidūt. Hunc B locum Petr.Lombard.lib.2. ſententiarum diſt.34. ca. Ad hoc, deſcribens, quàm malè intellexerit, videre licet apud eundem.

7 *Vitium hominis laudat.* Et hîc & infrà,& vbique tum Auguſtinus, tum alii Eccleſiaſtici ſcriptores docent, Malum ſiue vitium eſſe tantùm accidens, quod rei & naturæ perfectæ ſuperuenit. Hoc autē poſtquā ineſſe cœpit, ita in quibuſdā inhæſit, vt auelli non poſsit, vti in homine originale peccatum. Accidens enim eſt duplex, vnum ſeparabile, alterum verò inſeparabile,& quod cum re ſemper eſt, quandiu illa ſuperſtes eſt, Auguſt.lib.5.de Trinit.c.4. Vnde vitium & peccatū naturā ipſam vel hominis vel diaboli non extinxit, vel deſtruxit (nā neque homines neque diaboli vlli iam eſſent) ſed tantùm corrupit,& quæ in ea bonæ qualitates inerant, aboleuit; Auguſt.lib.14.de Ciuita.Dei cap.13. Nec ſic defecit homo, vt omnino nihil eſſet, ſed vt inclinatus ad ſeipſum minus eſſet, quàm erat, cùm ei qui ſummè eſt, adhærebat. Et quòd quædam nō more, non conſuetudine, non opinione deprauata eſſe dicuntur, ſed ipſa natura praua, vt ait Tull. lib. C 2. De finib.bonor. veluti bacillum dicitur diſtortū natura, item homo ipſe, Pſal.51. Epheſ.2. verſ. 3. ita explicādum eſt, non quaſi natura ipſa, id eſt, Deus aut vis à Deo data eas res corruperit: non etiam quòd initio ſuæ creationis ſint à Deo huiuſmodi conditæ, ſed quòd poſtquam ſeipſas corruperunt illæ, iam corruptio tam altè inhęſit,& ita propagata in eis eſt, vt corruptæ & deprauatæ naſcantur, non purę. Itaque quo momento exiſtunt, id eſt eſſe incipiunt, naſcūtur cum ea vitioſitate. Eſt enim illud accidens ab earum natura ἀχώριστον & indelebile. Sed quæſitum eſt de angelis malis & hominū animabus, quæ cùm ſint ſimplices naturæ, quomodo in eis vllæ qualitates conſtituātur, quæ per peccatū corruptæ ſint,& vtrùm eæ qualitates aliud ſint, quàm ipſa diabolorū & animarum natura & eſſentia, cùm illa ſit ſimplex. Simplex autem compoſitione caret. Reſpondemus id quod verum eſt, Solius Dei naturam eſſe ſimpliciſſimam vel verè ſimplicem. Angeli autem & humani animi eſſentiam ſui quidem ratione multiplicem eſſe: corporis autem comparatione ſimplicem. Auguſtinus lib.6. de Trinitate cap.6.& libro De agone Chriſt. cap. 10.

A Non eſt credendum,ait, animam noſtram hoc eſſe, quod Deus eſt: eſſet autem, ſi omnino ſimplex eſſet,& ſi quicquid in ea eſt,illius eſſētia eſſet. Et lib.1.de Geneſ.cap. 5, Non ſicut Deo id eſt eſſe quod viuere:ita & creaturæ etiam intellectuali & rationali.Idem Tract.19.in Ioan. Euangel. Aliud eſt animæ eſſe animam : aliud verò eſſe ſapientem, eſſe iuſtam,eſſe piam.Eſt ergo aliquid quod nondum eſt ſapiens,nondum iuſta , nondum pia, non tamen nihil eſt,non tamen nulla vita eſt. Bernardus Serm.80.in cātica.Sola ſumma & increata natura quæ eſt Trinitas Deus,hæc ſibi vendicat meram,ſingularémque ſuæ eſſentiæ ſimplicitatem, vt non aliud & aliud:non alibi quoque & alibi : ſed ne modò quidem,& modò inueniatur in ea.Nempe in ſemet manens, quod habet, eſt: & quod eſt, ſemper & vno modo eſt. In ea & multa in vnum: & diuerſa in idem rediguntur,vt nec numeroſitate rerum ſumat pluralitatem : nec alterationē de varietate ſentiat. Recedant à nobis nouelli non dialectici,ſed hæretici,qui magnitudinē, qua magnus eſt Deus:item bonitatem , qua bonus eſt : ſapientiam, qua ſapiens:iuſtitiam, qua iuſtus eſt: poſtremò B diuinitatem, qua Deus eſt,Deum non eſſe impiiſſimè diſputant. Ergo & in anima hominis , & in Angelo qualitas ab illius eſſentia diſtingui poteſt & debet, quæ manente hominis & angeli eſſentia,ipſa corrupta ſit per peccatum. Doctiſſimè & diſertiſſimè Th.Beza præceptor meus,in libello illo aureo qui inſcriptus eſt,Theologicæ quæſtiones,hanc quæſtionem aliâs obſcuram explicat.

Cap. XIIII.

Præter Dialecticorum regulas Bonū & Malū, quæ ſunt inter ſe contraria,ſimul in eadē re eſſe poſſe:imò verò ex bo no malum oriri.

QVapropter in his contrarijs [1]*,quæ Bona & Mala vocantur, illa Dialecticorum regula deficit , qua dicunt , Nulli rei duo ſimul ineſſe contraria.* C *Nullus enim aer ſimul eſt & tenebroſus, & lucidus:nullus cibus,aut potus ſimul dulcis eſt,& amarus:nullius corpus ſimul,vbi album,ibi & nigrum:nullum ſimul vbi deforme,ibi & formoſum.Et hoc in multis,ac penè in omnibus contrarijs reperitur,vt in vna re ſimul eſſe nō poſſint. Cùm autem bona & mala nullus ambigat eſſe contraria, non ſolùm ſimul*[2] *eſſe poſſunt:ſed etiam mala omnino ſine bonis,& niſi in bonis eſſe nō poſſunt(*[3]*quamuis bona ſine malis eſſe poſſint.Poteſt enim homo vel angelus non eſſe iniuſtus:iniuſtus autem non poteſt eſſe,niſi homo vel angelus. Et hæc duo contraria ita ſimul ſunt, vt ſi bonum non eſſet,in quo malum eſſet,prorſus nec malum eſſe potuiſſet.quia non modò vbi conſiſteret, ſed vnde oriretur, corruptio nō haberet,niſi eſſet,quod corrūperetur. Quòd niſi bonum eſſet,nec corrumperetur , quoniam nihil eſt aliud corruptio,quàm boni exterminatio. Ex bonis*[4]*igitur mala orta ſunt,& niſi in aliquibus bonis nō ſunt,nec erat aliàs vnde oriretur vlla mali natura.Nam*[5]*ſi eſſet, inquātum natura eſſet,profectò bona eſſet,& aut incorruptibilis natura magnum eſſet bonum:aut etiam natura corruptibilis nullo modo eſſet, niſi aliquod bonum , quod bonum corrumpendo poſſet ei nocere corruptio.*

1 *Quapropter in his.* Altera obiectio , quæ ex philoſophorum diſputationibus(aduerſus quas ſe quoque munitum eſſe voluit Laurentius)fieri potuit,Quomodo in vno & eodem ſubiecto duo illa contraria Bonum & Malum eſſe poſſint:cùm id & Dialecticorum dogmatis,& ipſi rerum naturæ repugnare videatur.Reſpōdet autem Auguſt. in hoc contrariorum genere ceſſare decantatam illā Dialecticorum regulam,Contraria ſimul in eodē ſubiecto eſſe non poſſunt.Ceſſat autem, quia ita boni & mali natura fert,vt vnum non niſi ex altero intelligi & oriri poſſit.Ergo ſimul ſunt.Quę ſolutio Auguſtini ſi vera & plena eſt, alterutrum ſequi neceſſe eſt,nempe aut Bonum & Malum eſſe ex eorum ἀντικειμένων,vt vocat Ariſtote.in lib.De categoriis,& oppoſitorum genere,quæ propriè relata dicuntur,vel eorum quæ Priuatio & habitus: nō autem eſſe propriè ἐναντία,id eſt ex eo rerum inter ſe pugnantium genere,quæ propriè Contraria Dialectici nominant , & imprimis Ariſtoteles, & M. Tullius in Topicis.Illa enim quæ ſe mutuò ponūt & tollunt ſunt propriè relata, non contraria. Hoc docet Auguſt. in lib. De categoriis. item lib.5. de Trinit.cap.12.libr.7.cap.1.Illa autem in quibus ortus & interpretatio vnius ex altero proficiſcitur, B ſunt Priuatio & Habitus. Ex quo apparet Auguſtinum,cùm bonum & malum definit cōtraria eſſe,quia vnum eſt alterius priuatio,& exterminatio, Contrariorum vocabulo vti non ita valde religioſè,quemadmodum Dialectici faciunt , ſed lata ſignificatione,vt ad omne genus rerum inter ſe pugnantium & oppoſitarum referri poſſit,quod ἀντικείμενον Græci appellant.Hæc tamen regula Dialecticorum,de qua meminit hîc Auguſtinus , de iis tantùm quæ in genere oppoſitorum propriè contraria dicūtur,intelligi debet,non de omni oppoſitorum genere. Sed tamen cùm ſcrupuloſiùs iſta & diſputantur & diſtinguūtur à Philoſophis , Bonum & Malum(ἀγαθὸν & κακὸν Græci dicunt)in eorum oppoſitorum ſpecie ponuntur quæ propriè ἐναντία & contraria ſunt:non autem inter relata, vel inter Priuationes & Habitus:& ſunt reuera Bonū & Malum inter ſe contraria,non autem propriè vnum alterius tantùm priuatio.Quid igitur ad hanc Dialecticorum regulam reſpondebimus? Hoc nimirum,non ſatis ſic dici, Cōtraria ſimul in eodem C ſubiecto eſſe non poſſunt:ſed eſſe quoque adiiciēdum.Eodem tempore,& eadem ratione. Ita Ariſtoteles ipſe in Topicis , & vulgus Dialecticorum docent.Ergo cùm Bonum & Malum dicuntur eſſe in eodem ſubiecto:verbi gratia in homine,dicitur ineſſe bonum,quatenus homo natura quędam eſt: malum autem,quaten' Deo rebellis eſt. Ergo duo illa contraria,quanquam de eodem dicuntur, non tamen eadem ratione,eodémve reſpectu enūtiantur.Bonum enim ad hominis naturam:Malum autem,ad eius voluntatem & affectus refertur. Et ita nihil Chriſtianorum ſententiæ obſtat Dialecticorum regula de contrariis.

2 *Simul eſſe poſſunt.* Diuerſa diſtinctáque ratione.Sic vnus & idē Socrates eſt ſutoriæ artis ignarus,Philoſophiæ tamen ethicę ſcientiſſimus.Ergo ignarus & ignarus erit vnus & idem,& ita duo cōtraria in eodem ſubiecto diſtincta diuerſáque ratione inerunt. Quæ ſeparata ratio cùm confunditur in concluſione, fit ſophiſticus paralogiſmus, qui dicitur Ignoratio Elenchi.Id quod etiam hoc loco verum eſt.

3 *Quamuis bona.* P.Lombardus lib.2. Sententiar.

A tiar.diſt.34. cap. Ideóque in his. hunc locum deſcripſit,& verba hæc parentheſi hîc cõcluſa omnino non legit. Et certè fluidiſsimum & facillimum aliâs orationis ſtylum & ſenſum interturbant & obſcurant. Itaque puto gloſſema eſſe additum ex ſequ.capite & lib.14.de Ciuitate Dei cap.11.quanquam non ignoro in ſcriptis Auguſtinianis ſæpe hiulcas orationes inueniri,& hyperbata,& anãtapodota. Quòd autem poſt hæc verba (niſi homo, vel angelus) aſcriptum erat,(Et bonum,quod homo:bonum,quòd angelus: malum, quòd iniuſtus) planè gloſſema fuit & alienum & puerile, denique ἄμουσον & ἀπροσδιόνυσον, vt loquitur Plutarchus. Itaque induxi, quanquam videri poteſt ſumptum ex lib.1.De nuptiis.cap.23.vbi ait, Et vtique bonũ quòd ſpiritus: malum,quòd immundus:niſi & ille ipſe locus gloſſema eſt. Ex hoc autem loco apparet Malum & Bonum inter ſe vt Priuationem & Habitum propriè non opponi,quia bonum eſſe poteſt, vbi malum eſſe & ſuſcipi non poteſt, veluti in Deo & Angelo: At in Priuatione & Habitu, quæ vnius ſunt capacia, ſunt & alterius. Neque enim Priuatio dici poteſt in eo ineſſe qui B Habitus non eſt capax,& contrá. Ariſtoteles in Categoriis,& Metaphyſicis. Et ita explicatio ſolutióque noſtra ſuprà numero.1.confirmatur.

4 *Ex bonis igitur.* Ex bono malum oriri verum eſt,ſed non per ſe,imò per accidens, vti Ariſtoteles priuationem rerum principium conſtituit, ex quo per accidens omnia fiunt,quæ fiunt. Auguſt. lib.14. De Ciuit. Dei cap.13, Vt autem eſſet arbor mala,contra naturam factum eſt,ait,quia niſi vitio voluntatis quod contra naturam eſt,non fieret. Sic Lactant.lib.7.ca.5,Ex malo bonum oriri dixit per accidens nimirum,non per ſe. Nulla enim virtus, ait,eſſe poterat,niſi diuerſa feciſſet:nec omnino apparere vis boni poteſt,niſi ex mali comparatione. Adeò malum nihil eſt, quàm boni interpretatio. Sublato igitur malo, etiam bonũ tolli neceſſe eſt. Hactenus Lactantius. Vide Auguſt.lib.11.de Ciuita.Dei,cap.18.& Eccle.33.verſ.15.42. verſ.25. Hi autem modi,Per ſe,Per accidẽs,hoc loco ſunt valC de notandi,quia cõtradictionem excuſant, & prohibent, ne inepta & falſa videatur hæc Auguſtini oratio. Malum enim per ſe ex bono nõ oritur,ſed ex alio,quodam medio ſcilicet interueniente. Eſt autem illud medium defectio à bono. Sic vinum inebriat,ſed propter hominis intemperantiam accedentem.

5 *Nam ſi eſſet.* Neque hæc ipſa verba habet Lõbardus,cuius ętas habuit emendatiorem Auguſtinum, quàm noſtra: & certè penitiùs locum hunc inſpicienti videbuntur tranſlatitia. Quorſum enim hîc de incorruptibili & corruptibili natura? Quorſum item illa,Magnum bonum dicitur:niſi ex capite 12.repetitum ſit? Itaque puto eſſe gloſſema & intempeſtiuum quidem.

CAP. XV.

Occurrit duplici obiectioni, quarum vna ex verbis Chriſti,altera ex ipſius naturæ obſeruatione ducta eſt.

SEd cùm mala ex bonis orta eſſe dicimus, non putetur hoc Dominicæ ſententiæ refragari, [1] *qua dicit,*[2] *Non poteſt arbor bona fructus malos facere. Nõ poteſt enim, ſicut veritas dicit, colligi vua de ſpinis, quia* A *non poteſt vua naſci de ſpinis. Et* [3] *eodem modo tanquam arbor mala fructus bonos,id eſt,opera bona non poteſt facere volũtas mala. Sed*[4] *ex bona terra & vites naſci poſſe videmus, & ſpinas. Sic*[5] *ex bona hominis natura oriri voluntas & bona poteſt,& mala. Nec*[6] *fuit prorſus vnde primitus oriretur voluntas mala,niſi ex angeli & hominis natura bona. Quod & ipſe Dominus eodem loco, vbi de arbore & fructibus loquebatur,apertiſſimè oſtendit. Ait enim,*[7] *Aut facite arborem bonã & fructum eius bonum:aut facite arborem malam, & fructum eius malum:ſatis admonens ex arbore quidem bona, malos: aut ex mala,bonos naſci fructus non poſſe:ex ipſa tamẽ terra, cui loquebatur,vtramque arborem oriri poſſe.*

1 *Refragari.* Occupatio eſt totum hoc caput, per quã duplici obiectioni occurrit. Primùm huic, quæ ex Chriſti verbis ducta eſt, Malè affirmari ex bono malum oriri,cùm dicat Chriſtus ex mala arbore malos fructus oriri:ex bona verò,bonos. Hãc quæſtionem ἀδιάλυτον & indiſſolutam relinquit Auguſtinus, ſiue quòd fortaſſe facilem intellectu iudicarit,(quæ tamen eſt difficilis)ſiue quòd hoc loco aliquid exciderit ex ipſo Auguſtini cõtextu incuria & negligentia ſcribarum. Ergo ſolutio eſt ex ea diſtinctione ſumenda,quàm ſuprà adhibuimus, B nimirũ,Quædam ex aliis fieri καθ᾽ αὑτὸ per ſe:Quędam verò κατὰ συμβεβηκὸς,id eſt,per accidens. Quare per ſe & propriè tanquam ex vera cauſa fieri accipiẽdum eſt,quod ait Chriſtus,ex bona arbore fructus bonos, ex mala autem malos gigni: At quod ſcripſit Auguſtinus ex bono malum oriri, fit per accidens, & ex cauſa, quæ cauſa ſine qua non, ſiue impropria appellatur. Auguſtinus ipſe ita explicat libr.1.contra Pelagium cap.18. Obſtare tamen videtur locus Iſa.5.v.2.vbi ex vite bene culta & bona labruſcæ tamen & mali fructus enati dicuntur. Sed reſponſio facilis eſt,Nempe id fieri extraordinariè & præter naturæ rationem. Chriſtus autem loquitur de iis quæ ſecũdum ordinariam naturæ rerum vim & legem fiunt. Eſt enim vitis exculta & infructuoſa tamen, degener, maledicta & extirpanda,Heb.6.verſ.7.8.

2 *Dicit,non poteſt.* Locus eſt ſumptus ex Matt. 7. verſ.16.17.Luc. 6. verſ. 43. cui ſimilis locus eſt C Iac.3.verſ.12.

3 *Et eodem modo.* In vulgar.codic.perturbatus eſt locus,& tranſpoſitus,Hæc enim ſententia præcedere debet verſiculũ,Sed ex bona terra: vti præpoſuimus,non autem ſequi,quod tamẽ eſt in vulgaribus,planè inepto & confuſo ſenſu.itaque reſtituimus.Huiuſmodi μεταθέσεις plurimas in probatorum authorum ſcriptis deprehendimus, imprimis autem Ciceronis libris de Officiis.

4 *Sed ex bona.* Altera obiectio,quæ ex ipſius naturę rerum obſeruatione fit,Nimirum etiã pręter & contra ipſius Chriſti dictũ,ſæpe fieri & cerni,ex bona terra & vites naſci,& ſpinas,id eſt,& bonum & malum fructum. Quid igitur? Reſpondet Auguſtin⁹ ipſe,neque enim inexplicatam reliquit.

5 *Sic ex bona.* Solutio Auguſtini ad ſuperiorẽ quæſtionem,nempe rectè dixiſſe Chriſtum,etſi ex eadem terra tamen & boni & mali fructus naſcuntur. Nam fructus naſcuntur ex arbore, bona quidem, boni: mala autem mali. At ex ipſa terra arbor & bona & mala naſcitur. Sic, ait, ex ipſa hominis natura,quę bonũ quiddã eſt,& bona & mala voluntas oritur.ex voluntate autẽ hominis bona

A quidē,bona:mala verò,mala opera proficiſcuntur. Hæc fortaſſe obſcurior ſententia eſt,quę vno verbo ſic poteſt illuſtrari & explicari, nempe diſtinguendum eſſe inter proximā & remotam cauſſam. Nam remotæ cauſſæ ratione, ex eodem bonum & malum naſci poteſt. Ab eodem ſole & lutum induratur & cera liqueſit. Proximæ autem cauſſæ intuitu,ex bono bonum tantùm gignitur: ex malo, malum. Et quia ſemper ex quadam natura malum iſtud oritur,quæ natura bonum quiddam eſt, manet idcirco ſemper vera illa Auguſtini theſis & ſententia,Ex bono malum oritur. Hæc Theologicè Auguſtinus,& ad ſuſcepti argumenti rationem accommodatè.Sed cùm quæritur,Cur terra ſpinas & tribulos producat, quemadmodum & frumenta, reſponſio eſt quòd eatenus fit vtrumque,quatenus in ea Deus ſuæ tum iræ,tum benignitatis teſtimonia extare vult,Heb.6.verſ. 7. 9. Geneſ. 3. verſ.18. Neque enim vis illa genitabilis quæ eſt in terra, in ipſa eius mole concluſa eſt, aut illi à Deo reſignata,ſed à Dei virtute operante pendet,Iſa. 40. verſ. 7.quæ ſicut vult,ſpinas vel frumēta producit è B terra.Planè verò tribuli,ſpinæ,herbæ venenoſæ ſunt peccati Adami veſtigia & pœna in terra, Auguſt. lib.3.de Geneſ.ad liter.cap.18.Philoſophi,quemadmodum etiam alicubi ſcripſit & ſenſit Tertullianus,ſenſit etiam in Hexamero Baſilius,cùm de earum noxiarum aut inutilium herbarum generandarum cauſſa diſputant,dicunt eas eſſe terræ ſuperflua excrementa,quæ de ipſius mole & corpore,vti de humano corpore,egeri & ſecerni neceſſe eſt,ne vtiles & bonæ herbæ inficiantur,& illo ſucco ſiue humore noxio tabeſcāt,atque ita tota prorſus terra corrumpatur.

6 *Nec fuit prorſus.* Hunc locum Lombardus habet in 2.Sentent.diſtin. 34.cap.Ideóque. Eſtque velut αἴτημα Theologicum,Solos homines & angelos peccati authores eſſe & perpetratores. Cuius duplex ratio eſt, prima ducta à natura peccati,ꝙ, vt ait Auguſt.in lib. De ver. religio. omnino peccatum non eſſet,niſi voluntarium eſſet.Soli autem homines & angeli ex creaturis volūtatem electionis & deliberationis capacem habent. Altera ratio C ſumpta eſt ex ipſa harum creaturarum ad alias differentia.Soli enim inter omnes creaturas homines & angeli rationales & intelligentes Dei voluntatis facti ſunt,De fide ad Petrum cap.24.Peccatum autem eſſe non poteſt,vbi & inter quæ Dei voluntatis nulla agnitio per rerum ipſarum naturam eſſe poteſt,qualia ſunt bruta animantia,vnde ἄλογα animalia propriè dicta ſunt,neque dubitandum quin ratione careant, etſi Galenus & Plutarchus variè & problematicè de eo argumento diſputarūt.Caro autem ipſa neque peccat neque concupiſcit etiā in homine ſine anima,vt rectè dixit Cyprian. in prolog.De natiuitate Domini,Hoc ipſum,quod dico carnis affectus, ait, impropriè dico, quia hæc vitia propria animæ ſunt,quæ ſentit,& mouet,& viuit. Et paulò pòſt,Non eſt caro dictatrix peccati, nec inuētrix malitiæ, nec cogitatus format, nec diſponit agenda: ſed eſt officina ſpiritus,qui in ea,& per eam,quæcunque affectauerit,peragit. Auguſtinus ipſe libr.10.de Geneſ.cap.13.Nec obſtat quod dixit Paul.Roma.7.verſ.18.Coloſſ.2.verſ. 11. peccata habitare in carne,quia Carnis vox illic pro corrupta totius hominis,imprimis autem animæ natura accipitur.Nec obſtat quòd Exo.21.verſ. 28. de boue A cornupeta(qui hominem occiderit) lapidādo ſcriptum eſt,fit enim illud tantùm in exemplum,quò homicidia hominibus fœdiora ſint, nō quòd propriè in beluam cadat peccatum. Denique etſi Platonici tria animalium rationalium genera faciunt, Dei,Dæmonum,& Hominum,Auguſt. libr. 8. de Ciuita.Dei,cap.14.tamen Deus peccare nō poteſt, ſed ſoli dæmones & homines. Lactantiuss tamen lib.7.cap.10.ſolum animum humanum virtutis & vitij capacem eſſe vult.Id quod fortaſſe cęterorum animalium terreſtrium ratione dictum eſt.

7 *At enim.* Matth.12.verſ.33.

CAP. XVI.

Quatenus rerum naturalium cognitio ad verā felicitatem ſit nobis neceſſaria.

QVæ[1] cùm ita ſint, quando[2] nobis Maronis ille verſus placet,[3]

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſſas: *nō B nobis videatur ad felicitatem conſequendum pertinere, ſi ſciamus cauſſas magnarum in mundo corporaliū motionum,quæ abditiſſimis naturæ finibus occultantur,[4]*

Vnde tremor terris,qua vi maria alta tumeſcunt,
Obicibus ruptis,rurſúſque in ſe ipſa reſidunt:

& cætera huiuſmodi, ſed bonarum & malarum rerum cauſſas noſſe debemus. Et[5] id hactenus,quatenus eas homini in hac vita erroribus, ærumniſque pleniſſima, ad eoſdem errores & ærumnas euadendas noſſe conceditur. Ad illam quippe felicitatem tendendum eſt, vbi nulla [6] quatiamur ærumna,nullo errore fallamur.Nā ſi cauſſæ corporalium motionum noſcendæ nobis eſſent, nullas magis noſſe,quàm noſtræ valetudinis deberemus. Cum verò eis ignoratis medicos quærimus, quis non videat, quod de ſecretis cœli & terræ nos latet, quanta ſit patientia neſciendum?

1 *Quæ cùm ita.* Concluſio totius ſuperioris diſputationis de rerum creatione, Nimirum hanc cognitionem eatenus homini Chriſtiano neceſſariam eſſe,quatenus non motus aſtrorum, non cæleſtium orbium & ſphęrarū reuolutiones(quas hîc magnas motiones corporales appellat)non deniq; C occultas rerū naturaliū & variarium effectionum cauſſas per eam ſcrutamur & inquirimus: ſed quatenus boni & mali cauſſas ex ea ſcientia cognoſcimus,vt bona perſequamur, mala fugiamus. Auguſt. lib.1.de Geneſ.ad liter.cap.20.Periculoſiùs autem errant quidam infirmi fratres, ait, qui cùm iſtos impios de cœleſtium corporū numeris,vel de quibuſlibet elementorum mundi huius quæſtionibus ſubtiliter & copioſè diſſerere audiunt, euaneſcūt, & eos ſibi cum ſuſpirio præponentes, & magnos putantes,ſaluberrimæ pietatis libros cum faſtidio repetunt,& quos dulciter haurire deberēt, vix patienter attingunt,à ſegetis aſperitate abhorrentes, & ſpinarum floribus inhiantes,Hæc ille. Et phyſicos philoſophos,qui ſeipſos & ſuos mores negligentes in abditiſſimis naturę cauſſis inueſtigandis occupantur, Socrates irriſit,addiditque, Quæ ſupra nos,nihil ad nos. Vide ſuprà cap.9. Chriſtus ipſe Ioan.17. verſ.3, vitam æternam non in naturalium effectionū magna perſpicientia poſitā docet: ſed in eo,vt te cognoſcant verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Horat. li. 1. epiſt. 1,illud quod ad mores pertinet,eſſe ait vnum,quod

AEquè pauperibus prodeſt,locupletibus ęquè,

AEquè

A Æquè neglectum pueris, ſenibúſque nocebit.

Et ſic in AEtna Virgilij,

Nam quæ mortali ſpes eſt? quæ amentia maior?
In Iouis errantem regno perquirere velle,
Tātū opus ante pedes trāſire & perdere ſegnes?

Hæc aduerſus ethnicos Philoſophos dicta videntur, qui Chriſtianos rerum iſtarum ignaros irridebant, aduerſus quos munit ſuum Laurentium Auguſtinus. Eodē modo nos omnes Irenæus aduerſus curioſos iſtos & tumidos Phyſicæ ſcientiæ oſtentatores armat lib.2.ca.45.numero 2.&c. Addit autē Auguſtinus, Quorſum boni & mali cauſſæ ſint cognoſcendæ & tractandæ, non curioſitatis animi ſatiandæ cauſſa, non oſtentationis, non denique ſolius cōtemplationis & delectationis animi, ſed actionis, vt pientiores & meliores fiamus: nimirum dum quæ bona ſunt & honeſta conſectamur: fugimus autem contraria, quando, vt docet Iacobus cap.2, ne fides quidem ipſa ſolius contemplationis & cognitionis, ſed actionis potiùs gratia ſectanda eſt. Idem Chryſoſto. Homil.14.in 1.Timot.

5. Cognitionem autem rectè ait Auguſt. hoc loco eſſe non ipſam felicitatem, ſed tātùm viam ad eam B adipiſcendum. Præclarè etiam idem in tract.23. in Ioan. Participatione Dei fit beata, non participatione ſāctæ animę fit beata infirma anima, nec participatione Angeli. Vti enim corpus non vegetatur niſi anima, ita anima ipſa non beatificatur niſi à Deo. Ergo nullo minùs rerum harum terrenarum contemplatione beati ſimus. Quanquam Ariſtoteles li.10. ἠθικῶν Νικομαχ. aliud putat, libera ſcilicet contemplatione rerum & orbium cæleſtium, qua fruemur poſt vitā hāc, fieri animas beatas. Id quod etiam Cicero in lib. De ſomnio Scipionis affirmat. Sed hæ ſunt nugæ.

2 *Quando.* Legerem lubentiùs, Quanquam, ſed illius ſeculi Latinitas etiam patitur & ſuadet vt retineatur, Quando.

3 *Felix.* Locus hic eſt apud Virgil. lib.2. Georgic. cui ſimilis apud eundem in AEtna:

Noſſe fidem rebus, dubiáſque exquirere cauſſas
Sacra perurgentem, capitíque attollere cœlum,
C Scire quot, & quæ ſint: cur magno talia mundo
Principia, occaſus metuunt, ad ſecula pergunt.
Axem ſcire Helices, & triſtem noſſe cometem,
Lucifer vnde micet, quáve Heſperꝰ, vnde Bootes,
Scire vias maris, & cœli prædicere curſus,
Quò volet Orion, quò Sirius incubet index,
Et quæcunque iacent tanto miracula mundo
Singula, diuini eſt animi, & iucunda voluptas.

Claudianus etiam poeta in Manlij conſulatu idem.

4 *Vnde tremor terris.* Locus ex eodem Virgilij libro 2. Georgic. Terræ motus autem cauſſas nō modò ipſe in AEtna deſcribit, ſed etiam in Meteorolog. Ariſtotel. & autor libelli De mundo. Seneca etiam in quæſtionib. Naturalibus. Item cauſſas fluxus & refluxus maris, de quibus intelligendus eſt ille Virgilij locus:

-- Qua vi maria alta tumeſcant, &c.

5 *Et id hactenus.* Fortaſſe, Eatenus, legendum. Omnis autem cognitio noſtra ad Dei gloriam, vitęque reformationem & ſanctitatem dirigi debet, vti & omnis actio noſtra, 1.Cor.10. v. 31. Quorſum enim cauſſæ boni & mali ſciūtur, niſi vt inde nobis ipſi proſimus? Vulgatum enim eſt illud Euripid.

Odi ſapientem qui ſibi ipſe non ſapit.

Denique quæ cognitio hos fines non ſpectat, curioſitas aut oſtentatio mera dicenda eſt. Nam, vt inquit Auguſtinus lib.16.de Trinit.cap.1, Curioſus eſt, qui ſolo amore rapitur incognita ſciēdi. Quod malū quàm ſit magnum & dānabile, docetur Prouerb.25.verſ.28:27.verſ.20. A

6 *Vbi nulla quatiamur.* Locus eſt ſumptus ex Apocalypſ.7.verſ.17.& 21.verſ. 4, Et abſterſurꝰ eſt Dominus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ampliùs nō extabit, neque luctus, neque clamor, neque dolor extabit ampliùs. Idem Auguſtinꝰ ſermo.37. de Sāctis, Dicitur de ea, quòd in quodam loco ſit, quòd aufugiet ibi dolor, triſtitia & gemitus. Quid hac vita beatius, vbi nō eſt paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas? Nemo læditur, nemo iraſcitur, nemo concupiſcit. Et paulò pòſt, Nec frigoris ardoríſque aſperitas vlla erit, ſed talis quædam rerum temperies, quam nec oculus vidit, &c. In quo quęſitum eſt, Num pręteritorum malorum beati reminiſcentur? Nam ſi meminerint, dolore carere etiam in beata vita non vidētur. Præterea vtrùm damnatorum pœnas cognoſcent? nam ſi cognoſcēt ex humanitatis affectu videntur dolere, & commiſeratione propterea tangi. B Auguſtinus ad vtrunque reſpondet lib. 22. de Ciuit. Dei. cap. 30. Aliter, ait, obliuiſcitur eruditus & doctus: aliter expertus & paſſus. Hoc poſteriori modo non erunt memores ſancti præteritorum malorum. Carebunt enim omnibus malis, ita vt penitus deleantur de ſenſibus eorum. Ea tamen potentia ſcientiæ quę magna in eis erit, non ſolùm ſua præterita, ſed etiam damnatorū eos ſempiterna miſeria non latebit. hæc ille. Propterea tamen non dolebunt Sancti, quia voluntati Dei penitus acquieſcent & conformes erunt. Bernard. Sermo. 8. in Pſal. Qui habitat. Erit tunc non miſericordiæ, ſed iudicij tempus, nec vlla omnino credenda eſt erga impios futura illîc miſeratio, vbi nec vlla ſperanda eſt correctio. Procul erit humanæ infirmitatis iſta mollities, qua tamen interim pro tempore hîc charitas vtitur ad ſalutem. Itaque ridebūt pij in interitu impiorum ait Pſal.112. non quòd ipſa C immanitate crudelitatis in ipſa tibi vltione complaceat, ſed quòd modus ipſe pulcherrimæ diuinæ ordinationis vltra quàm credi poſſit, iuſtitiæ zelatorem & amatorem æquitatis tūc oblectabit. Hæc Bernard. Quænam igitur erit beatorum actio? Erit quies, reſpōdet etiam Auguſtinus in Pſal.85. amor quietus in vultu Dei. Hæc denique erit tunc actio noſtra, perpetua nempe Laus Dei.

7 *Cum ergo eis.* Argumentum eſt à maiori ad minus. Si enim quæ magis ſunt ſcitu neceſſaria patienter ignoramus, quantò magis illa neſciemus patienter quæ de motu cælorum, & cauſis rerum naturalium diſputātur curioſè à Philoſophis? modò tamen ea quæ ſunt nobis ad ſalutem neceſſaria, non ignoremus.

DE ERRORE ET MENDACIO.

CAP. XVII.

Occurrit obiectioni, docétque neque omnem qui aliquid neſciat, errare: neque omnem etiam errorem eſſe noxium.

QVanuis [1] enim error, quanta poſſumus cura, cauendus ſit, non ſolùm in maioribus, verùm etiam in minoribus rebus, nec niſi rerum ignorantia

A *poſſit errari:non eſt tamen[2] conſequens,vt continuò erret quiſquis aliquid neſcit, ſed quiſquis ſe exiſtimat ſcire quod neſcit. Pro vero quippe approbat falſum, quod eſt erroris proprium. Veruntamen[3] in qua re quiſque erret,intereſt plurimùm. Nam in vna eadémque re & neſcienti ſciens,& erranti non errans recta ratione præponitur. In diuerſis autem rebus,id eſt, cùm iſte ſciat alia, ille alia:& iſte vtiliora,iſte minùs vtilia,vel etiã noxia, quis non his,quæ ille ſcit ei præferat neſcientem? Sunt enim quædam,quæ neſcire quàm ſcire ſit melius. Itemque nonnullis errare profuit aliquando,ſed in via pedum, nõ in via morum. Nam nobis ipſis[4] accidit, vt in quodam biuio falleremur, & non iremus per eum locum vbi opperiens tranſitum noſtrum Donatiſtarum manus armata ſubſederat,atque ita factum eſt,vt eò, quò tendebamus, per deuium circuitum veniremus,cognitiſque inſidijs eorum,nos gratularemur erraſſe,atque inde gratias ageremus Deo. Quis ergo viatorem ſic errantem ſic non errãti latroni præponere dubitauerit? Et fortaſſe ideo apud illum ſummũ Poetam[5] loquens quidam miſer amator,*

Vt vidi,vt perij,vt me malus abſtulit error?

quoniam eſt & error bonus,qui non ſolùm nihil obſit,verumetiam proſit aliquid.Sed diligentiùs conſiderata
B *veritate,cùm nihil ſit aliud errare[6], quàm verum putare quod falſum eſt,falſúmque quod verum eſt: vel certum habere pro incerto,incertúmve pro certo,ſiue falſum,ſiue ſit verum:idque ſit tam in animo deforme atque indecẽs, quàm pulchrum ac decorum eſſe ſentimus in loquendo, vel in aſſentiendo Eſt,[7] Eſt, Non, Non. Profectò & ob hoc ipſum eſt vita iſta miſera,qua viuimus,quòd ei nonnunquam,vt non amittatur,error eſt neceſſarius. Abſit [8] vt talis ſit illa vita, vbi eſt animæ noſtræ ipſa veritas vita,vbi nemo fallit, fallitur nemo. Hìc autem homines fallunt atque falluntur,miſerioréſque ſunt,cùm mentiendo fallunt, quàm cùm mentientibus credendo falluntur. Vſque adeò tamen rationalis natura refugit falſitatẽ,& quantum poteſt,deuitat errorem, vt falli nolint, etiam quicunque amant fallere. Non enim ſibi, qui mentitur, videtur errare,ſed alium in errorem immittere credẽtem ſibi. Et in ea quidem re non errat,quam mendacio contegit,ſi nouit ipſe,quid verũ ſit: ſed in hoc fallitur, quòd putat ſibi ſuum non obeſſe mendacium,cùm magis*
C *facienti,quàm patienti obſit omne peccatum.*

1 *Quanuis enim.* Occupatio eſt propter Philoſophorum de Chriſtianis apertiſſimas ſubſannationes,quaſi turpis rerum ignorantiæ patronos & defenſores nos exhiberemus,& hominum inertiam foueremus,cùm veram Dei cognitionem curioſis de natura rerum diſputationibꝰ præferimus. Notum enim eſt illud Ciceronis libro de Officiis primo. Omnes,ait,trahimur & ducimur ad cognitionis & ſciẽtiæ cupiditatem,in quà excellere pulchrum putamus.labi autem,errare,neſcire,decipi, & malum & turpe ducimus.Idem in prœmi. lib. 1.Metaphyſ. Ariſtoteles. Sed & nos quoque Chriſtiani ἐλλογίμους & literatos homines indoctis & illiteratis anteponimus.Quod exemplo Moſis, de cuius ſcientia extat Scripturæ honeſtiſſimum teſtimonium,liquidò confirmari poteſt. Nec fuerunt veteres Chriſtiani ἀπαίδευτοι, quemadmodum eorũ ſcripta oſtendunt, imprimis Iuſtini Martyris, Baſilij,Cyrilli,Athanaſij inter Græcos,inter Latinos ipſius Auguſtini, Tertulliani, Hieronymi, Arnobij, quorum ætate nulli ne inter ethnicos quidem ipſos fuerunt etiam ſecularis,vt vocant,literaturæ peritiores,& eruditiores.Apollos etiam commendatur,quòd eſſet λόγιος, Actor.18.verſ.24.quod non ſolùm ad vim orationis,quæ in eo fuit, puto referendum, A
ſed etiam ad magnam literaturam & eruditionem. Denique legantur quæ Euſeb. ſcripſit de doctrina & eruditione Origenis,lib. 6. Hiſtor. cap.18.& 19.

2 *Non eſt tamen.* Solutio Auguſtini,Non errare omnes,qui aliquid neſciunt,ſi agnoſcant ſe id neſcire.Id quod à defiuitione erroris probat.Ergo poſſunt dici Chriſtiani in multis neſcij, non tamẽ errantes. Ignorant autem ea,quia ad ſalutem animarum ſuarum minimè neceſſaria eſſe vident.

3 *Verumtamen.* Altera ſolutio, Non omnem errorẽ malũ eſſe.Præſtat enim neſcire mala quàm ſcire. Ergo vti dolus,ita error duplex eſt,bonus ſcilicet & malus.Docta eſt in multis ignorantia,qualis eſt earum rerum,quas nos latere Deus voluit:& earum quas cùm ſcimus, deteriores ſimus. Sic etiã Iuſtinus Martyr in diſputatione contra Tryphonem.Et idcirco Plato poetas è ſua Republica expulit, quòd ea docerent de diis, quæ neſciiſſe præſtaret.Hunc locum tranſcripſit P.Lombarbus lib. 3.diſtinct.38.cap.Illud etiam.

4 *Nam nobis ipſis.*Puto Auguſtinum hîc meminiſſe B
eius periculi vitæ, quod adiit, cùm à Circumcellionibus Donatiſtarum propter frequentes & doctas aduerſus eos diſputationes,inſidiis peteretur,de quo periculo ſcribit Poſſidonius in ipſius vita, cap. 12. & ipſe Auguſt.de eorum improbitate in libr.aduerſ. Creſco. 3. cap. 45. & 46.item epiſt. 68.conqueritur.Ex quo apparet hunc libellum vnum quoddam de poſterioribus Auguſtini operibus eſſe,itáque & eruditius & elimatius.

5 *Poetam* Virgil.Eclog.8.

6 *Errare quam.* Quò melius de hoc toto rerum genere quid ſentiendum ſit, ſemel ſtatuatur, ſic in vniuerſum dicimus,Hallucinationẽ ſiue deceptionem eſſe vel in mediis,vel in cõcluſione rerum.Si in mediis eſt,dicitur Ignorantia.Sin autem in concluſione,eſt error. Falluntur enim Scholaſtici,qui putant errorem eſſe deceptionem in mediis,dum illa vel non cognoſcũtur,vel neſciuntur: Ignorantiam autem eſſe concluſionis.Cõtrà ignorantia eſt mediorum, error autem in ipſa ſumma C
vel concluſione collecta. Sic dicitur error calculi, dum in collectione ſummę, tãquam ratiocinationis cõcluſione peccatum eſt. Dicitur autem ignorãtia iuris, vel facti, vel calculi,cùm quis neſcit qua ratione quóue medio ſummam illam poſſit colligere,vel factum vel ius elicere & percipere.Ita Iuriſconſulti homines proprietatis verborum obſeruantiſſimi diſtinguunt.ita perpetuus linguæ Latinæ vſus docet,& in eo ſe imperitos Scholaſtici oſtendunt. Error autem & ignorantia vel in nobis ipſis fit,vel à nobis in aliis.Si fit à nobis in aliis,vel errore animi nulláque induſtria noſtra id accidit, ſed quòd ipſi decepti ita credimus ſe rem habere, quemadmodum diximus:vel fit propoſito animóque fallendi & alterius à veritate abducendi. Primus modus dicitur Error vel Temeritas Auguſt. infrà cap.ſeq.Secundus autem Mendacium.Quod mendacium etiam fit à nobis vel apertè,vel aliqua diſſimulatione,ſimulationéve.Si fit apertè,eſt impudẽtia animi:Sin autem fit aliqua diſſimulatione & fictione animi noſtri, dicitur Dolus malus. Et tot quidem ſũt harum rerum genera. Errorem autem definit hoc loco Auguſtinus, Putare verum, quod falſum eſt,& contrà.Ipſe idem lib.9.de Trinit.

A nit.cap.11.breuiùs, Error eſt, ait, alterius pro altero approbatio. Et quod in epiſto. ad Honoratum De vtilitate credēdi, cap.4. dicit eſſe tria errorum genera, aliò planè ſpectat.

7 *Eſt, eſt, non, non.* Id eſt, veritas & ſimplicitas tam decet viros Chriſtianos, quàm mendacium & deceptio eoſdem dedecet. Verba autem hæc ſumpta ſunt ex Euangelio ſecundum Matthæum cap.5. verſu 37.

8 *Abſit vt talis.* Comparatio vtriuſque vitæ, nimirùm cęleſtis & terrenæ. In hac fallimus & fallimur: in illa nō item. Apocalypſ.21. verſ.27. Quod de beatis accipiēdum eſſe docet mens Auguſtini. Quando enim omnis infirmitas, quæ ex peccato naſcitur, ab iis aberit, ſiue illa in corpore, ſiue in animo nunc inſit, idcirco vti dolor à corpore, ſic error ab animis beatorum aberit. Quod autem quidam propterea quærunt, vtrùm ea quæ Aſtrologia, Phyſica, Muſica, cæteræque artes docent, tunc beati ſcituri ſunt, quia nuſquam errabunt, & quia plenè Chriſto fruentur, in quo ſunt omnes theſauri omnis ſapientiæ & cognitionis, Coloſſ. B 2. verſu.3. Reſponſio eſt, Cùm nunc illæ res ſciantur & cognoſcantur, quatenus ad vitæ huius vſum pertinent, alia autem ſit futura vita æterna quàm hæc eſt, huiuſmodi rerum cognitionem ad beatā vitam nihil conferre. Neque enim in ſyderum, angelorum, elementorúmve contemplatione ſitam eſſe hominis Chriſtiani beatitudinem docuimus. Ergo neque ea ſcientur, ſed etiam quædam à beatis, vti ab angelis ipſis, neſciri teſtis eſt Chriſtus ipſe, qui etiam poſt reſurrectionem diem vltimi iudicij neſciuit, Actor.1. verſ.7. Teſtis etiam illę beatorum vita iam æterna fruentium voces, Domine, vſquequo non vindicas ſanguinem noſtrum? Apocalypſ.6. verſ.10. Sed & illa ſententia Auguſtini libr.15. de Trinita. cap.16. mihi placet, Non erūt volubiles tunc, ait, noſtræ cogitationes ab aliis in alias euntes, ſed omnem ſcientiam noſtram vno conſpectu videbimus. At quę Aſtrologia, Phyſica, & reliquæ artes docent, diſcuntur mente ratiocinãte & diſcurrente. Ergo nec illa ex Auguſtini ſen- C tentia tunc ſcientur. Solius enim Dei intuitu & cognitione contenti erimus. Nam qui addit ſcientiã, addit dolorem, Eccleſiaſtic.1. ver.18.

Cap. XVIII.

Et ſi ad officium boni viri non pertinet mentiri, ex mendaciis tamen aliud eſt alio, ratione animi quo mentimur, grauius: & ipſarum rerum, de quibus mentimur, ratione, aliud alio periculoſius & pernicioſius.

VErùm [1]difficillima & latebroſiſſima hìc gignitur quæſtio, de qua iam grandem librum, cum reſpondēdi neceſſitas [2] nos vrgeret, abſoluimus, Vtrùm ad officium hominis iuſti pertineat aliquando mentiri. Mihi autem videtur peccatum eſſe quidem omne [3] mendacium, ſed multū intereſſe quo animo, & quibus de reb⁹ quiſq; mentiatur. Non enim ſic peccat ille, qui conſulēdi, quomodo ille qui nocendi voluntate mētitur. Haud verò tantùm nocet, qui viatorem mentiendo in diuerſum iter mittit, quantum is qui viam vitæ mendacio fallente deprauat. Nemo ſanè mentiens [4] iudicandus eſt, qui dicit falſum, quod putat eſſe verum, quoniam quantum in ipſo eſt, non fallit ipſe, ſed fallitur. non itaque mendacij, ſed aliquando temeritatis arguendus eſt, qui falſa incautiùs A *credita pro veris habet: potiúſque econtrariò, quantum in ipſo eſt, mentitur ille, qui dicit verum, quod putat falſum. Quantum enim ad animum eius attinet, quia non quod ſentit hoc dicit, non verum dicit, quamuis verum eſſe inueniatur, quod dicit. Nec vllo modo liber eſt à mendacio, qui ore, neſciens verū loquitur, ſciens autem volūtate mentitur. non conſyderatis itaque rebus ipſis, de quibus aliquid dicitur, ſed ſola intentione dicentis, melior eſt qui neſciens falſum dicit, quoniam id verum putat: quàm qui mentiendi animum ſciens gerit, neſciens verū eſſe, quod dicit. Ille nanque aliud non habet in animo, aliud in verbo: huic verò qualecūq; per ipſum ſit quod ab eo dicitur,[6] aliud tamen clauſum in pectore, aliud in lingua promptum eſt, quod malū eſt propriū mentientis. In ipſarum autem [7], quæ dicuntur, conſideratione rerū, tantum intereſt, qua in re quiſque fallatur ſiue mētiatur, vt cùm falli, quàm mētiri minus ſit malum, quantum pertinet ad hominum voluntatem, tamen longè tolerabilius ſit in his, quæ à religione ſunt ſeiuncta, mentiri, quàm in iis* B *ſine quorum fide vel notitia Deus coli non poteſt, falli, vt in pluribus à perquirente lucidius inueſtigabitur. Quod vt illuſtretur exēplis, intueamur quale ſit: ſi quiſpiam dum mentitur, viuere nunciat aliquē mortuū, & alius, dum fallitur, credat iterum Chriſtum poſt quælibet longa tempora moriturum: nōne illo modo mentiri, quàm iſto modo falli incomparabiliter præſtat? multóque minoris mali eſt, in illum errorem aliquem inducere, quàm in iſtum ab aliquo induci?*

1 *Verum difficillima.* Digreſsio eſt vſque ad ca 23. in qua de errore & mendacio, eiúſque malo, & culpa agitur, quòd hanc quoque diſputationem tractatu neceſſariam Auguſtinus exiſtimauerit ad muniendum Laurentium aduerſus illius temporis hæreſes, & vexatas quæſtiones, præſertim de mendacio. Propter diuerſas enim hominum de ea re diuerſa ſentiētium rationes inuoluta & ardua quęſtio fuit, Quid de mendacio inter Chriſtianos ſtatuendum eſſet, & vtrùm vir Chriſtianus nonnunquam mentiri ſaltem iocoſo vel officioſò mendacio poſſet. Qui id licere cenſebant, præter eas ra- C tiones & exempla, quæ in Decretis 22. quæſt. per totum commemorantur, veluti de Rahab, de obſtetricibus Ægyptiis, de Iehu, habebant etiam pro ſe ex Ethnicis grauiſſimos autores, Platonem, qui Reipubl. cauſſa licere viro bono putat aliquando mentiri: & M. Tullium, qui in libris de Officiis, id tantum mendacij genus damnare videtur, quando quis emolumenti ſui cauſſa id facit. Cadit ergo, ait in virū bonum mentiri emolumenti ſui cauſſa, criminari, præripere, fallere? nihil profectò minùs. Ex Eccleſiaſticis autē Lactantium lib.1. cap.4. & in epitome cap.6. Eiuſdem legis eſt, ait, de Lege Dei loquens, falſum teſtimonium non dicere, quod & ipſum latiùs patet, ſi mendacium nocet ei, contra quem dicitur, & fallit eum apud quem dicitur. Qui verò contrà putant non licere nimirum viro Chriſtiano & iuſto vnquam mentiri, præter dictū Pſalmi quinti, Perdes omnes qui loquuntur mendacium: & Chriſti ipſius Ioan.8. ver.44. Diabolus eſt autor mendacij: & Iob.35. ver.13. habēt etiam & ex Ethnicis & ex Eccleſiaſticis autorib. & ipſi grauiſſimos, Ariſtotelem l.4. ἠθικ. Νικομαχ. Plutarchum in li. De ira coercēda: ipſum etiã Lactant. præter alios qui li.6. ca.18. ait, Eſt enim nefas, eum, qui veritati ſtudeat, in aliqua re eſſe fallacem: atque ab ipſa,

A quã ſequitur, veritate diſcedere. In hac iuſtitię virtutúmq; omniũ via nullus mẽdacio locus eſt. Itaq; viator ille verus ac iuſtus nõ dicet illud Lucilianũ,

Homini amico, & familiari nõ eſt mentiri meũ:

Sed etiam inimico & ignoto exiſtimabit non eſſe mentiri ſuum. vnde fit vt rectè difficillimam & latebroſiſsimam hanc eſſe quęſtionem dixerit Auguſtinus, quam ipſe variè & copioſè diſputauit in lib. Contra mendacium ad Conſentium, tom. 4. cuius ſententiam omnes amplectuntur.

2 *Neceſsitas nos vrgeret.* Quę fuerit neceſsitas, ipſe docet tum in eo libro Cõtra mendaciũ ad Cõſentium, tum lib. 2. Retract. cap. 60. quòd homines Chriſtiani ad deprehendendos Priſcillianiſtas hęreticos, ſe Priſcillianiſtas ſimulare poſſe crederent, vt ipſi Priſcillianiſtæ ſe Catholicos etiam peierando mẽtiebãtur. Id quod egit Flauianus Antiochenus epiſcopus, vt Euchitas hæreticos detegeret. Vide Theodor. lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 11. lib. 7. Tripart. cap. 11. Nicephor. lib. 11. cap. 14.

B 3 *Omne mendacium.* Mendacium cur ſit peccatũ, infrà cap. 22. explicabit Auguſt. & illic nos quoque. Cur autẽ omne dixerit eſſe peccatũ, ratio eſt, quòd varia illius genera etiam Auguſt. ipſe in lib. Contra mendaciũ conſtituerit, quæ poſtea diſtinguẽtes Scholaſtici, imprimis autẽ Thomas in 2_{a} $2^{æ}$ quæſt. 110. triplicẽ mendacij rationẽ facit. Ac primùm ratione ordinis octo eius genera ex Auguſt. enumerat. Ratione autem formæ, duo tantùm eius genera à ſuperioribus octo diuerſa: nimirum Arrogantiam, quæ ſe ſupra veritatem extollit: & Ironiã, quæ virtutes ſuas celat & diminuit mẽtiendo. Denique ratione culpæ, triplex mendacij genus facit: Aliud enim appellat officioſum, aliud iocoſum, aliud pernicioſum. De officioſo autẽ maximè quæſtio eſt, Vtrùm homini Chriſtiano conceſſum ſit. Negat planè & apertè hoc loco Auguſt. vt etiã in libro ad Conſentium, cuius eſt ſentẽtia certè quidẽ veriſsima & piẽtiſsima. In cano. Mihi 22. quæſt. 2. deſcripta eſt hæc ſententia Auguſt.

4 *Mentiens iudicandus.* Mendacium, vt ca. 12. C lib. ad Conſent. definit Auguſtinus, eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi. Ergo inter mendacium, ſiue falſum dicere, & mentiri, plurimum intereſt: cùm falſum dicere ſæpe ex ignorãtia bono viro contingat: mentiri autem nũquam. quia in mentiendo mala conſcientia & animi intentio ineſt apertè, cùm non ignoret qui mentitur, ſe mentiri, id eſt, aliud ſe dicere & enuntiare, quàm quod credit & putat eſſe verum. Hoc ipſum ita ante Auguſt. diſtinxit Chryſippus Stoicus, vt eſt apud A. Gell. li. 11. c. 15. Noctium Attic. Nonius Marcellus in verbo Mentiri, & Anſelmus ſecutus eſt in 2. Cor. ca. 1. Hunc locum citat P. Lombardus li. 3. diſt. 38. ca. Mentiri. & eſt in can. Is 22. quæſt. 2.

5 *Non verum.* Contrà Auguſt. lib. 15. de Trinitate, cap. 15. vbi verum non ex verbo vel animo noſtro metiendum eſſe docet, ſed ex rebus ipſis, de quibus loquimur. Vnde cõcludit, Falſum ergo eſt, iſto modo verbũ noſtrum, non cùm mẽtimur, ſed cùm fallimur. Et definiunt Dialectici verã orationem noſtram, cùm ſic, & id de re aliqua pronũtiamus, quod eſt: falſam autem, cùm aliud de re enuntiamus, quàm habet, vt ſi Petro currente, dicam Petrus ſtat: falſa oratio eſt, ſiue id mentiẽs dicã, id eſt, aliud eſſe ſciens: ſiue ignorans & id verè putãs: & Auguſt. ipſe in Categoriis, cap. de Subſtãtia, idẽ ſentit. Quomodo igitur cum hoc Auguſtini dicto A iſta conueniunt? Reſpon. Orationis veritatẽ duobus modis nos metiri poſſe, vel abſolutè & ex re ipſa quatenus veritas eſt: vel κατά τι, quatenus ad dicentis animũ refertur. Illo modo priori verã orationem definiunt Dialectici & Auguſtinus alibi: hoc poſteriori modo nunc deſcribit, quia cùm veritas orationis ſit aliquid relatum & πρός τι, & ad rẽ ipſam, & ad animum dicentis (eſt enim mentis interpres oratio) certè vtroque modo falſa dici poteſt oratio, vel quia rem, prout eſt, nõ explicat: vel quia loquentis mentem non demonſtrat, quo ſenſu hoc loco verum, & falſum accipit Auguſtinus.

6 *Aliud tamen.* Sumptum eſt ex Salluſt. vbi in Catilinario de Catilina agit. Hoc poſtea in prouerbium abiit: Vide Eraſm. in Chiliad. Homer. item lib. 9. Iliad. dictum quod Latinè fecit Borbonius:

Non minùs eſt odio dignus, quàm ianua Ditis,
Qui loquitur, ſed non pectore ſentit idem.

Quem locum Irenæus citat lib. 4. cap. 58. aduerſ. Valentin.

7 *In ipſarum autem.* Deſcriptus quoque eſt hic B locus in can. In ipſarum. 22. quæſt. 2. Dupliciter autem mendacium hoc capite diſtinguit Auguſtinus, nempe

vel ex { animo eius qui mentitur.
rebus ipſis, de quibus quis mentitur.

Ratione animi aliud alio grauius eſt, flagitioſius & ſceleratius, vt qui fallẽdi & nocẽdi animo, quàm qui vitæ noſtræ vel alienæ conſulendi gratia mentitur, id eſt, ſciens falſum dicit improbior eſt. Ratione autem rerum ipſarum eſt mendacium aliud alio damnoſius, pernicioſius, & magis noxium. Vt quod de rebus diuinis, & ad ſalutem noſtrã pertinentibus mendacium dicitur, nobis nocentius eſt & periculoſius eo, quod de rebus ad iocum pertinentibus effutitur. Denique error ipſe in diuinis, rei ratione periculoſior eſt & nocentior mẽdacio in humanis: etſi ſceleratius eſt mendacium errore ratione animi & intentionis eius, qui mentitur, vel errat. ita hoc loco Auguſtinus, cuius facilis eſt ſenſus, modò diſtinguatur, vt fecimus.

--- C

CAP. XIX.

Quanquam diuerſo euentu fallimur, & erramus: falli tamen & errare ipſum per ſe ſemper eſſe malum.

IN quibuſdam ergo rebus [1] *magno, in quibuſdam paruo, in quibuſdam nullo malo, in quibuſdam etiam nonnullo bono fallimur. Nam magno malo fallitur homo, cùm hoc non credit quod ad vitam ducit æternam. Paruo autem malo fallitur, qui falſum pro vero approbando, incidit in aliquas moleſtias temporales, quibus tamen adhibita fideli patientia, conuertit eas in vſum bonum, veluti ſi quiſquam bonum hominem putando, qui malus eſt, aliquid ab eo patiatur mali. Qui verò malum hominem ita bonum credit, vt nihil ab eo patiatur mali, nullo malo* [2] *fallitur, nec in eum cadit illa prophetica deteſtatio,* [3] *Væ his, qui dicunt, quod malum eſt, bonum. De ipſis enim rebus quibus homines mali ſunt, non de hominibus dictũ intelligendum eſt. Vnde qui adulterium dicit bonum, rectè arguitur illa voce prophetica. Qui vero ipſum hominem dicit bonum, quem putat caſtum, & neſcit adulterum, non in doctrina rerum bonarum & malarum, ſed in occultis humanorum fallitur*

A *litur morum: vocans hominem bonum, in quo putat eſſe, quod eſſe nouit bonum, & dicens malum adulterum, & bonum caſtum: ſed hunc bonum dicens, neſciendo adulterum eſſe: illum malum, neſciendo caſtum. Porrò ſi per errorem euadit quiſque perniciem, ſicut ſuperiùs dixi nobis in itinere contigiſſe, etiam aliquid boni homini errore confertur. Sed cùm dico* 4 *in quibuſdam rebus nullo malo aliquem, vel nonnullo etiam bono falli, non ipſum errorem dico nullum malum, vel nonnullum bonum: ſed* 5 *malum quò nõ venitur, vel bonum quò venitur, errando, id eſt, ex ipſo errore quid non eueniat, vel quid proueniat. Nam ipſe per ſeipſum error, aut magnum in re magna, aut paruum in re parua, tamen ſemper eſt malum. Quis enim niſi errans malũ neget approbare falſa pro veris, aut improbare vera pro falſis, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis? Sed aliud eſt bonum hominem putare, qui malus eſt, quod eſt erroris: & aliud eſt ex hoc malo, aliud malum non pati, ſi nihil noceat homo malus, qui eſt putatus bonus. Itemque aliud eſt ipſam vitam putare, quæ non eſt ipſa, & aliud* B *eſt ex hoc erroris malo aliquid boni conſequi, velut eſt ab inſidiis malorum hominum liberari.*

1 *In quibuſdam ergo rebus.* Cùm ſuprà errorem à mendacio diſtinxerit Auguſtinus, hîc erroris ipſius naturã explicat, docétque quatenꝰ per ſe vel ex ſuo effectu, ſit malum error. Poſtea ca.22. de mẽdacio aget. Ac quidẽ per ſe ſi ſpectetur error, ſemper malum quoddam eſt, vt in fine huius capitis exponit ipſe. Ex effectu autẽ ſuo nõ ſemper malũ eſt error, quia ſæpe nullo malo noſtro erramus: imò etiam, vt à ſua perſona docet, ſæpe magno noſtro bono & commodo, vt qui errore vię nõ incidit in manus ſibi inſidiantium. Philoſophi actus noſtros quatuor modis bonos vel malos ęſtimari ſcribunt, nẽpe ex obiecto, ex fine, ex circunſtãtiis, ex ſpecie, quos Scholaſtici ſecuti ſunt. Sed prætermiſſus eſt hic modus, qui ab Auguſtino traditur hoc loco, nimirũ ex effectu qui & frequẽtiſſimꝰ eſt in rerum vſu, & hîc ab Auguſtino maximè ſpectatur. C Huius capitis initium trãſcripſit P. Lombar. lib.3. Sentent. diſtinct.38. cap. Illud etiam.

2 *Nullo malo.* In vulgar. codic. ſcriptũ eſt, Nullo modo, corruptè & nullo ſenſu. Hæc eſt autem tertia erroris ſpecies, quam initio capitis propoſuit Auguſtinus, vbi nullo malo noſtro erramus, quam exemplo explicat & eo ordine quo ſuprà enumerauit, & ita legendum eſſe apparet ex ſequẽti paulò pòſt ſententia, *In quibuſdam rebus nullo malo aliquem, &c.*

3 *Væ his.* De hoc Iſaiæ dicto vide ſup. eundem Auguſtinum cap.15. Hoc itaque putat accipiendũ de ipſa earũ rerum doctrina per quas homines boni vel mali fiunt: in qua ſi quis erret incidit in maledictionem Prophetæ. Quod etiam verum eſt. Quum autem quis eum credit bonũ qui malꝰ eſt, charitatis potiùs zelo & abundantia peccat, quàm animi malitia. Vnde excuſandus potiùs eſt, quàm accuſandus, quia, vt ait Paulus 1. Corinth.13. Charitas non eſt in malũ ſuſpicioſa. & de hoc ipſo cap. ſequent. diſputat Auguſtinus. Lombardus habet hunc quoque locum 2. Sentent. diſtinct.38. ca. Ex quo colligitur.

4 *Sed cùm dico.* Errorem per ſe quidem malum eſſe apertè pronũtiat Auguſtinus, & poſtea à publica omnium ſanorum hominum voce confirmat. Quid Cicero dixerit, ſuprà recitauimus. Nos tamen, quò verior appareat Auguſtini ſententia, aliquot rationes afferemus. Ac prima quidem erit à cauſſa erroris proxima. Eſt autẽ temeritas, vel A nimia credulitas noſtra propter quam in errorem inducimur. Qui enim omnia circunſpectè ponderant & iudicant priuſquam in animum aliquid inducant, ij non falluntur, neque errant. Vt autem fons ipſe & cauſſa mala eſt & vitioſa, temeritas inquam, ita & fructus ſiue effectus eius malus eſt, nempe error. Malum igitur error. Altera ratio eſt à forma. Eſt enim error, animi deformitas, & diſſimilitudo iudicij noſtri à rei ipſius veritate & natura. Vt igitur quæ imagines rem ipſam, qualis eſt pingunt & referunt, ſynceræ ſunt & bonę: ita quæ aliam repreſentant nobis, falſæ ſunt. Eſt autem error falſa rei impreſſa animis noſtris pictura. Ergo malum. Omne enim falſum malum eſt. Tertia, Error rerum naturam peruertit in animo errantis. Ergo malũ propter huiuſmodi effectum, quod omni errori & propriũ & comes perpetuò eſt. Quarta, Incerta ꝓ certis, & vera pro falſis habet, qui errat. Quinta à contrario, Si veritas bonum eſt, malum ſit error neceſſe eſt. Deni- B que peccati primi hominis effectum eſt error, Infrà Auguſtinus. capit.21. Si enim Adam non peccaſſet, errore nunquam falleremur. Eſt igitur eius infirmitatis & labis, quam in nos peccatum effudit, nota. Ergo malũ error. Omnes enim peccati fructus & effectus ſunt mali. Augu. li. De natur. & grat. c. 67. Nã ſũt reuera omni peccãti animæ iſta duo pœnalia, ignorãtia & difficultas. Ex ignorãtia dehoneſtat error. Ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falſa pro veris, vt erret inuitus, &c. nõ eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna dãnati. Hæc ille. Idem Aug. in li. De vtilita. cred. capit. 11. Neque quiſquam error turpitudine caret, ait. Ignorare quidem Adam etiamſi in originali iuſtitia manſiſſet multa potuit, vti & Angeli beati multa ignorant, & Chriſtus ipſe ignorauit, propter naturę & angelicæ & humanæ differentiam à diuina. Atque etiam huiuſmodi ignorantia neque in Adamo turpis, neque malum fuiſſet, vti neque quòd agile & aptum corpus ad volandum, quemadmodum aues, non habuiſſet: ſed ea fuiſſet tan- C tùm ſuæ ſpeciei & humanæ naturæ circumſcriptio, limes, proprietas & diſtinctio à diuina: Lactantius li.3. cap.6. Vbi ergo ſapientia eſt? Vt neque te omnia ſcire putes, quod Dei eſt: neque omnia neſcire, quod pecudis. eſt enim aliquid medium quod ſit hominis, id eſt, ſcientia cum ignoratione coniũcta & temperata. Nam ea demum ignorantia in nobis turpis & malum eſt, quæ eſt neſcientia earum rerum, quas ſcire propter muneris noſtri & finis, propter quem creati ſumus, rationem debemus, Quæ enim ad nos noſtrúmque officium non pertinent, ea ignorare nullo animi vitio poſſumus, quando in huiuſmodi inquirere velle ſæpe curioſitas eáque damnabilis appellatur. Quòd autem errorem omnem per ſe malum pronuntiat Auguſtinus, hîc Malum non pro peccato & malo culpæ accipitur, ſed generaliter pro defectu eius naturæ bonitatis & perfectionis quæ debet ineſſe, quemadmodum ſuprà definiuit. Nam & ipſe Auguſtin. infrà. cap.21. ait, errare in iis quæ non pertinent ad ſalutem, non eſſe peccatum. Et cùm qui erret, animi malignitate careat, eo ipſo quòd erret: neque huic ſuo malo propriè conſentiat (neque enim qui errat, conſentit, ait Iuriſconſultus) certè errare peccatũ non eſt, etſi eſt malum, quia peccatũ animi volũtatiſq; aſſenſum requirit.

A quã ſequitur,veritate diſcedere.In hac iuſtitię virtutúmq; omniũ via nullus mẽdacio locus eſt.Itaq; viator ille verus ac iuſtus nõ dicet illud Lucilianũ,

Homini amico,& familiari nõ eſt mentiri meũ:

Sed etiam inimico & ignoto exiſtimabit non eſſe mentiri ſuum.vnde fit vt rectè difficillimam & latebroſiſsimam hanc eſſe quęſtionem dixerit Auguſtinus,quam ipſe variè & copioſè diſputauit in lib. Contra mendacium ad Conſentium,tom.4. cuius ſententiam omnes amplectuntur.

2 *Neceſsitas nos vrgeret.* Quę fuerit neceſsitas, ipſe docet tum in eo libro Cõtra mendaciũ ad Cõſentium,tum lib.2.Retract.cap.60. quòd homines Chriſtiani ad deprehendendos Priſcillianiſtas hęreticos,ſe Priſcillianiſtas ſimulare poſſe crederent, vt ipſi Priſcillianiſtæ ſe Catholicos etiam peierando mẽtiebãtur.Id quod egit Flauianus Antiochenus epiſcopus, vt Euchitas hæreticos detegeret. Vide Theodor.lib.4.Hiſtor. Eccleſ. cap.11. lib.7. Tripart.cap.11.Nicephor.lib.11.cap.14.

B 3 *Omne mendacium.* Mendacium cur ſit peccatũ,infrà cap.22.explicabit Auguſt.& illic nos quoque.Cur autẽ omne dixerit eſſe peccatũ, ratio eſt, quòd varia illius genera etiam Auguſt. ipſe in lib. Contra mendaciũ conſtituerit, quæ poſtea diſtinguẽtes Scholaſtici,imprimis autẽ Thomas in 2_{a} $2^{æ}$ quæſt. 110. triplicẽ mendacij rationẽ facit.Ac primùm ratione ordinis octo eius genera ex Auguſt. enumerat.Ratione autem formæ,duo tantùm eius genera à ſuperioribus octo diuerſa:nimirum Arrogantiam,quæ ſe ſupra veritatem extollit:& Ironiã, quæ virtutes ſuas celat & diminuit mẽtiendo.Denique ratione culpæ,triplex mendacij genus facit: Aliud enim appellat officioſum,aliud iocoſum, aliud pernicioſum.De officioſo autẽ maximè quæſtio eſt, Vtrùm homini Chriſtiano conceſſum ſit. Negat planè & apertè hoc loco Auguſt. vt etiã in libro ad Conſentium, cuius eſt ſentẽtia certè quidẽ veriſsima & piẽtiſsima.In cano.Mihi 22.quæſt. 2.deſcripta eſt hæc ſententia Auguſt.

4 *Mentiens iudicandus.* Mendacium,vt ca.12. C lib.ad Conſent.definit Auguſtinus, eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi. Ergo inter mendacium, ſiue falſum dicere, & mentiri, plurimum intereſt: cùm falſum dicere ſæpe ex ignorãtia bono viro contingat: mentiri autem nũquam. quia in mentiendo mala conſcientia & animi intentio ineſt apertè, cùm non ignoret qui mentitur,ſe mentiri,id eſt,aliud ſe dicere & enuntiare, quàm quod credit & putat eſſe verum.Hoc ipſum ita ante Auguſt. diſtinxit Chryſippus Stoicus, vt eſt apud A.Gell.li.11.c.15.Noctium Attic.Nonius Marcellus in verbo Mentiri, & Anſelmus ſecutus eſt in 2.Cor.ca.1.Hunc locum citat P. Lombardus li.3.diſt.38.ca.Mentiri.& eſt in can.Is 22. quæſt.2.

5 *Non verum.* Contrà Auguſt.lib.15.de Trinitate,cap.15.vbi verum non ex verbo vel animo noſtro metiendum eſſe docet, ſed ex rebus ipſis, de quibus loquimur.Vnde cõcludit, Falſum ergo eſt, iſto modo verbũ noſtrum,non cùm mẽtimur, ſed cùm fallimur.Et definiunt Dialectici verã orationem noſtram, cùm ſic,& id de re aliqua pronũtiamus,quod eſt:falſam autem,cùm aliud de re enuntiamus, quàm habet, vt ſi Petro currente, dicam Petrus ſtat:falſa oratio eſt, ſiue id mentiẽs dicã,id eſt,aliud eſſe ſciens:ſiue ignorans & id verè putãs: & Auguſt.ipſe in Categoriis,cap.de Subſtãtia, idẽ ſentit.Quomodo igitur cum hoc Auguſtini dicto A iſta conueniunt? Reſpon. Orationis veritatẽ duobus modis nos metiri poſſe, vel abſolutè & ex re ipſa quatenus veritas eſt:vel κατάτι,quatenus ad dicentis animũ refertur. Illo modo priori verã orationem definiunt Dialectici & Auguſtinus alibi: hoc poſteriori modo nunc deſcribit,quia cùm veritas orationis ſit aliquid relatum & πρόςτι,& ad rẽ ipſam,& ad animum dicentis (eſt enim mentis interpres oratio) certè vtroque modo falſa dici poteſt oratio,vel quia rem,prout eſt,nõ explicat: vel quia loquentis mentem non demonſtrat,quo ſenſu hoc loco verum,& falſum accipit Auguſtinus.

6 *Aliud tamen.* Sumptum eſt ex Salluſt. vbi in Catilinario de Catilina agit.Hoc poſtea in prouerbium abiit: Vide Eraſm.in Chiliad.Homer.item lib.9.Iliad.dictum quod Latinè fecit Borbonius:

Non minùs eſt odio dignus,quàm ianua Ditis,
Qui loquitur,ſed non pectore ſentit idem.

Quem locum Irenæus citat lib. 4. cap. 58. aduerſ. Valentin.

7 *In ipſarum autem.* Deſcriptus quoque eſt hic B locus in can.In ipſarum.22.quæſt.2.Dupliciter autem mendacium hoc capite diſtinguit Auguſtinus, nempe

vel ex { animo eius qui mentitur.
rebus ipſis, de quibus quis mentitur.

Ratione animi aliud alio grauius eſt, flagitioſius & ſceleratius,vt qui fallẽdi & nocẽdi animo,quàm qui vitæ noſtræ vel alienæ conſulendi gratia mentitur,id eſt,ſciens falſum dicit improbior eſt. Ratione autem rerum ipſarum eſt mendacium aliud alio damnoſius,pernicioſius,& magis noxium.Vt quod de rebus diuinis, & ad ſalutem noſtrã pertinentibus mendacium dicitur, nobis nocentius eſt & periculoſius eo, quod de rebus ad iocum pertinentibus effutitur. Denique error ipſe in diuinis, rei ratione periculoſior eſt & nocentior mẽdacio in humanis: etſi ſceleratius eſt mendacium errore ratione animi & intentionis eius,qui mentitur,vel errat.ita hoc loco Auguſtinus,cuius facilis eſt ſenſus,modò diſtinguatur,vt fecimus.

C

CAP. XIX.

Quanquam diuerſo euentu fallimur, & erramus: falli tamen & errare ipſum per ſe ſemper eſſe malum.

IN quibuſdam ergo rebus [1] magno, in quibuſdam paruo,in quibuſdam nullo malo, in quibuſdam etiam nonnullo bono fallimur. Nam magno malo fallitur homo,cùm hoc non credit quod ad vitam ducit æternam. Paruo autem malo fallitur,qui falſum pro vero approbando, incidit in aliquas moleſtias temporales, quibus tamen adhibita fideli patientia, conuertit eas in vſum bonum, veluti ſi quiſquam bonum hominem putando,qui malus eſt, aliquid ab eo patiatur mali. Qui verò malum hominem ita bonum credit, vt nihil ab eo patiatur mali,nullo malo [2] fallitur,nec in eum cadit illa prophetica deteſtatio,[3] Væ his,qui dicunt, quod malum eſt, bonum. De ipſis enim rebus quibus homines mali ſunt,non de hominibus dictũ intelligendum eſt.Vnde qui adulterium dicit bonum, rectè arguitur illa voce prophetica. Qui vero ipſum hominem dicit bonum, quem putat caſtum, & neſcit adulterum, non in doctrina rerum bonarum & malarum, ſed in occultis humanorum fal-

A *litur morum: vocans hominem bonum, in quo putat eſſe, quod eſſe nouit bonum, & dicens malum adulterum, & bonum caſtum: ſed hunc bonum dicens, neſciendo adulterum eſſe: illum malum, neſciendo caſtum. Porrò ſi per errorem euadit quiſque perniciem, ſicut ſuperiùs dixi nobis in itinere contigiſſe, etiam aliquid boni homini errore confertur. Sed cùm dico* 4 *in quibuſdam rebus nullo malo aliquem, vel nonnullo etiam bono falli, non ipſum errorem dico nullum malum, vel nonnullum bonum: ſed* 5 *malum quò nõ venitur, vel bonum quò venitur, errando, id eſt, ex ipſo errore quid non eueniat, vel quid proueniat. Nam ipſe per ſeipſum error, aut magnum in re magna, aut paruum in re parua, tamen ſemper eſt malum. Quis enim niſi errans malũ neget approbare falſa pro veris, aut improbare vera pro falſis, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis? Sed aliud eſt bonum hominem putare, qui malus eſt, quod eſt erroris: & aliud eſt ex hoc malo, aliud malum non pati, ſi nihil noceat homo malus, qui eſt putatus bonus. Itemque aliud eſt ipſam vitam putare, quæ non eſt ipſa, &* B *aliud eſt ex hoc erroris malo aliquid boni conſequi, velut eſt ab inſidiis malorum hominum liberari.*

1 *In quibuſdam ergo rebus.* Cùm ſuprà errorem à mendacio diſtinxerit Auguſtinus, hîc erroris ipſius naturã explicat, docétque quatenꝰ per ſe vel ex ſuo effectu, ſit malum error. Poſtea ca. 22. de mẽdacio aget. Ac quidẽ per ſe ſi ſpectetur error, ſemper malum quoddam eſt, vt in fine huius capitis exponit ipſe. Ex effectu autẽ ſuo nõ ſemper malũ eſt error, quia ſæpe nullo malo noſtro erramus: imò etiam, vt à ſua perſona docet, ſæpe magno noſtro bono & commodo, vt qui errore viæ nõ incidit in manus ſibi inſidiantium. Philoſophi actus noſtros quatuor modis bonos vel malos æſtimari ſcribunt, nẽpe ex obiecto, ex fine, ex circunſtãtiis, ex ſpecie, quos Scholaſtici ſecuti ſunt. Sed prætermiſsus eſt hic modus, qui ab Auguſtino traditur hoc loco, nimirũ ex effectu qui & frequẽtiſsimꝰ eſt in rerum vſu, & hîc ab Auguſtino maximè ſpecta- C tur. Huius capitis initium trãſcripſit P. Lombar. lib. 3. Sentent. diſtinct. 38. cap. Illud etiam.

2 *Nullo malo.* In vulgat. codic. ſcriptũ eſt, Nullo modo, corruptè & nullo ſenſu. Hæc eſt autem tertia erroris ſpecies, quam initio capitis propoſuit Auguſtinus, vbi nullo malo noſtro erramus, quam exemplo explicat & eo ordine quo ſuprà enumerauit, & ita legendum eſſe apparet ex ſequẽti paulò pòſt ſententia, *In quibuſdam rebus nullo malo aliquem, &c.*

3 *Væ his.* De hoc Iſaiæ dicto vide ſup. eundem Auguſtinum cap. 15. Hoc itaque putat accipiendũ de ipſa earũ rerum doctrina per quas homines boni vel mali fiunt: in qua ſi quis erret incidit in maledictionem Prophetæ. Quod etiam verum eſt. Quum autem quis eum credit bonũ qui malꝰ eſt, charitatis potiùs zelo & abundantia peccat, quàm animi malitia. Vnde excuſandus potiùs eſt, quàm accuſandus, quia, vt ait Paulus 1. Corinth. 13. Charitas non eſt in malũ ſuſpicioſa. & de hoc ipſo cap. ſequent. diſputat Auguſtinus. Lombardus habet hunc quoque locum 2. Sentent. diſtinct. 38. ca. Ex quo colligitur.

4 *Sed cùm dico.* Errorem per ſe quidem malum eſſe apertè pronũtiat Auguſtinus, & poſtea à publica omnium ſanorum hominum voce confirmat. Quid Cicero dixerit, ſuprà recitauimus. Nos tamen, quò verior appareat Auguſtini ſententia, aliquot rationes afferemus. Ac prima quidem erit à cauſſa erroris proxima. Eſt autẽ temeritas, vel A nimia credulitas noſtra propter quam in errorem inducimur. Qui enim omnia circunſpectè ponderant & iudicant priuſquam in animum aliquid inducant, ij non falluntur, neque errant. Vt autem fons ipſe & cauſſa mala eſt & vitioſa, temeritas inquam, ita & fructus ſiue effectus eius malus eſt, nempe error. Malum igitur error. Altera ratio eſt à forma. Eſt enim error, animi deformitas, & diſsimilitudo iudicij noſtri à rei ipſius veritate & natura. Vt igitur quæ imagines rem ipſam, qualis eſt pingunt & referunt, ſynceræ ſunt & bonæ: ita quæ aliam repreſentant nobis, falſæ ſunt. Eſt autem error falſa rei impreſſa animis noſtris pictura. Ergo malum. Omne enim falſum malum eſt. Tertia, Error rerum naturam peruertit in animo errantis. Ergo malũ propter huiuſmodi effectum, quod omni errori & propriũ & comes perpetuò eſt. Quarta, Incerta ꝓ certis, & vera pro falſis habet, qui errat. Quinta à contrario, Si veritas bonum eſt, malum ſit error neceſſe eſt. Deni- B que peccati primi hominis effectum eſt error, Infrà Auguſtinus. capit. 21. Si enim Adam non peccaſſet, errore nunquam falleremur. Eſt igitur eius infirmitatis & labis, quam in nos peccatum effudit, nota. Ergo malũ error. Omnes enim peccati fructus & effectus ſunt mali. Augu. li. De natur. & grat. c. 67. Nã ſũt reuera omni peccãti animæ iſta duo pœnalia, ignorãtia & difficultas. Ex ignorãtia dehoneſtat error. Ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falſa pro veris, vt erret inuitus, &c. nõ eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna dãnati. Hæc ille. Idem Aug. in li. De vtilita. cred. capit. 11. Neque quiſquam error turpitudine caret, ait. Ignorare quidem Adam etiamſi in originali iuſtitia manſiſſet multa potuit, vti & Angeli beati multa ignorant, & Chriſtus ipſe ignorauit, propter naturæ & angelicæ & humanæ differentiam à diuina. Atque etiam huiuſmodi ignorantia neque in Adamo turpis, neque malum fuiſſet, vti neque quòd agile & aptum corpus ad volandum, quemadmodum aues, non habuiſſet: ſed ea fuiſſet tan- C tùm ſuæ ſpeciei & humanæ naturæ circumſcriptio, limes, proprietas & diſtinctio à diuina: Lactantius li. 3. cap. 6. Vbi ergo ſapientia eſt? Vt neque te omnia ſcire putes, quod Dei eſt: neque omnia neſcire, quod pecudis. eſt enim aliquid medium quod ſit hominis, id eſt, ſcientia cum ignoratione coniũcta & temperata. Nam ea demum ignorantia in nobis turpis & malum eſt, quæ eſt neſcientia earum rerum, quas ſcire propter muneris noſtri & finis, propter quem creati ſumus, rationem debemus, Quæ enim ad nos noſtrúmque officium non pertinent, ea ignorare nullo animi vitio poſſumus, quando in huiuſmodi inquirere velle ſæpe curioſitas eáque damnabilis appellatur. Quòd autem errorem omnem per ſe malum pronuntiat Auguſtinus, hîc Malum non pro peccato & malo culpæ accipitur, ſed generaliter pro defectu eius naturæ bonitatis & perfectionis quæ debet ineſſe, quemadmodum ſuprà definiuit. Nam & ipſe Auguſtin. infrà. cap. 21. ait, errare in iis quæ non pertinent ad ſalutem, non eſſe peccatum. Et cùm qui erret, animi malignitate careat, eo ipſo quòd erret: neque huic ſuo malo propriè conſentiat (neque enim qui errat, conſentit, ait Iuriſconſultus) certè errare peccatũ non eſt, etſi eſt malum, quia peccatũ animi volũtatíſq; aſſenſum requirit.

Et ita eſt hic locus intelligendus.

5 *Sed malum.* Effectum ipſum quod errorẽ noſtrum conſequitur, ſpectat hoc loco Auguſtinus, cuius ratione dicit errari à nobis vel aliquo vel nullo malo, vel etiam aliquo bono.

CAP. XX.

Non omne genus erroris eſſe peccatũ: neque, quia in quibuſdam ſæpe erramus, omnem de rebus aſſenſionem eſſe tollendam, quemadmodũ Academici philoſophi volunt.

Neſcio tamen vtrùm etiam huiuſmodi error ſit, 1 *cùm homo de malo homine bene ſentit, qualis ſit neſciens: aut pro eis, quæ per ſenſus corporis capimus, occurrunt ſimilia, quæ ſpiritu tanquam corpore,* 2 *aut corpore tanquam ſpiritu ſentiuntur. Quale putabat eſſe Apoſtolus Petrus,* 3 *quando exiſtimabat ſe viſum videre, repentè de clauſtris & vinculis per angelũ liberatus. Aut in ipſis rebus corporeis leue putatur eſſe, quod aſperum eſt: aut dulce, quod amarum eſt: aut bene olere, quod putridum eſt: aut tonare*4*, cùm rheda tranſit: aut illum eſſe hominem, cùm alius ſit, quando duo ſibi ſimillimi ſunt, quod in geminis ſæpe contingit. Vnde ait ille,*

--Gratúſque parentibus error:

& cætera talia etiam peccata dicenda ſint. Hæc quæſtio nodoſiſſima, quæ homines acutiſſimos Academicos torſit, 6 *mihi enodanda ſuſcepta eſt, Vtrùm aliquid debeat ſapiens approbare, ne incidat in errorem, ſi pro veris approbauerit falſa, cùm omnia, ſicut affirmant, vel occulta ſint, vel incerta. Vnde tria confeci volumina in initio conuerſionis meæ, ne impedimento nobis eſſent,* 7 *qui tanquam in oſtio contradicebant. Et vtique fuerat remouenda inuenienda deſperatio veritatis, quæ illorum videtur argumentationibus roborari. Apud illos ergo error omnis putatur eſſe peccatum, quod vitari non poſſe contendunt, niſi omnis ſuſpendatur aſſenſio.* 8 *Errare quippe dicũt eũ quiſquis aſſentit incertis, nihilque certũ eſſe in hominum viſu propter indiſcretam ſimilitudinem falſi, etiamſi quod videtur, fortè ſit verum, acutiſſimis quidem, ſed, impudentiſſimis conflictationibus diſputãt. Apud nos* 10 *autem iuſtus ex fide viuit. At ſi tollatur aſſenſio, & fides tollitur, quia ſine aſſentione nihil creditur. Et ſunt vera, quamuis non videantur, quia niſi* 11 *credantur, ad vitam beatam, quæ non niſi æterna eſt, nõ poteſt perueniri. Cum iſtis verò vtrùm loqui debeamus, ignoro, qui non victuros in æternum, ſed in præſentia,* 12 *ſe viuere neſciunt: imò neſcire ſe dicunt, quod neſcire non poſſunt. Neque enim quiſquam ſinitur neſcire ſe viuere, quandoquidem ſi non viuit, non poteſt aliquid vel neſcire, quia non ſolùm ſcire, verùm etiam neſcire* 13 *nõniſi viuentis eſt. Sed videlicet non aſſentiendo quòd viuant, cauere ſibi videntur errorem, cùm etiam errando conuincantur viuere, quoniam non poteſt, qui non viuit, errare. Sicut ergo nos viuere non ſolùm verum, ſed etiam certum eſt, ita vera & certa ſunt multa, quibus nos aſſentiri, abſit vt ſapientia potiùs, quàm dementia nominanda ſit.*

1 *Error ſit.* Occupatio eſt, per quam docetur quo ſignificato error malum eſſe ſuprà dictus ſit, ne ſcrupuloſior, quàm par ſit, videatur Auguſtinus cùm errorem in vniuerſum malum eſſe ſcripſit. Ergo quærit, vtrùm exiſtimare eum, quem malum virum eſſe neſcias, virum bonum eſſe, error dici debeat. Et certè dubitari non poteſt quin ita ſentire, ſit errare. Et non modò huiuſmodi opinio error eſt, ſed etiam malum eſt & deformitas, atque defectus à rei veritate: peccatum tamen non eſt. Et illud eſt quod dicere atque quærere vult Auguſtinus. Ex quo apparet, quod ſuprà diximus, mali quàm peccati nomen latius patere. Eſſe autem etiã hunc errorem malum apertè reſpondet infrà cap. ſequenti, & ait in malis huius vitæ & infirmitatibus eſſe deputandum. Cur autem non videretur, ratio eſt, quòd Chriſtianæ charitatis eſt de nemine malè ſuſpicari, 1. Corinth. 13. verſu 5. quam qui ſequitur, malè agere non cenſetur. ſed, vt ſuprà dixit Augu. planè eſt temeritatis, incerta pro certis habere & affirmare. Quod is facit, qui malum hominem bonum virum affirmat, quia illius mores ignorat. Idẽ tamen Augu. lib. De vtilit. Credend. cap. 4. ait, in hoc genere erroris ſæpe non parum eſſe vtilitatis, vnde illud non dãnat vſquequaque.

2 *Aut pro eis.* Duo erroris (qui peccatum non eſt, etſi tamen eſt malum) genera facit hoc loco Auguſt. Vnum, cùm in rebus ipſis fallimur, id eſt, vel in earum ſubſtantia & natura, vt ſi pro Petro, quem vides, Paulũ eſſe exiſtimas: vel in earũ qualitatibus, vt ſi quod album eſt & dulce, nigrum eſſe & amarum putes. Alterum genus eſt, cùm in modo, per quem res ipſas percipimus, agnoſcendo fallimur, vt cùm Petrus è carcere per angelum eductus putabat ſe non videre ipſis oculis corporis angelum, ſed animo tantùm in ſomnis & per phantaſma quoddam. Sic enim appellantur illæ hallucinationes noſtræ phantaſmata, cùm quę oculis cernimus, animo putantur à nobis cerni: & cõtrà, quæ animo & ſpiritu videntur, putantur aſpici corporeis oculis. φάντασμα autem Scriptura nominat, & ὅραμα, Actor. 12. ver. 9. 10. v. 17. Heb. 21. verſ. 21. etiam ita appellatur illud viſum quod eſt verum & non fictitium. At Stoici tãtùm viſum imaginarium vocant φάντασμα. Laertius in Zenone lib. 7. φάντασμα δὲ δόκησις διανοίας. οἷα γίνεται κατὰ τοὺς ὕπνους. Auguſtinus li. 16. de Muſic. c. 11. ait phantaſma eſſe formam & imaginationem animo conceptam earũ rerũ quas nunquam vidimus: aut phantaſiam earum rerum quas vidimus. Quomodo etiã Stoici definiũt. Viſionũ autẽ harum, in quibus phantaſma aliquod imaginarium verſatur, triplex genus ſtatuit Auguſtinus tũ in li. contra Adimantũ. c. 28. tum ad Oroſium quęſt. 63. tũ variis epiſtolis. Eſt enim, ait, corporalis viſio, cùm oculis phanaſma cernimus: ſpiritualis, cùm animo: intellectualis, cũ diſcernimus ecquod ſit viſum: qualia fuerunt viſa Prophetarũ & Phantaſmata. In quo poſtremo phãtaſmatis gegenere, ait, error eſſe non poteſt, in duobus autem aliis error verſari poteſt. Hæ tamen diſtinctiones ab aliis repudiantur, & certè confunduntur ſæpe.

3 *Apoſtolus Petrus.* Locus eſt ex Actor. 12. verſ. 9 Habuit etiam aliud ὅραμα Petrus, de quo Actor. 10. verſ. 17. item aliud in transfiguratione Chriſti, vbi veræ ſpecies illi obiectæ ſunt: ſed vtrùm corpore, an animo. i. extra corpus ea viderit, quæſtio eſſe eadem poteſt, de qua apud Paulum diſputatur 2. Cor. 12. v. 2.

4 *Tonare, cùm rheda.* Vergilij locus lib. 6. AEneid. ex hoc explicandus eſt

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flãmas Iouis, & ſonitus imitatur Olympi,
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
AEre & cornipedum curſu ſimularat equorum.

Salmoneus irridens Dei fulmina, curſu rhedæ & quadrigę illorum imitabatur ſonitum,non ignem tamen & fulgetrum.

5 *Gratúſque parentibus.* Eſt hemiſtichium ex Vergilii lib.10.Æneid. Verſus integri ſunt hi,

Vos etiam gemini Rutulis cecidiſtis in aruis,
Daucia,Laride,Tymbérque,ſimillima proles,
Indiſcreta ſuis,gratúſque parentibus error.

Cui ſimile eſt illud Plauti in Menechmis in Prologo,

Mercator quidam fuit Syracuſis ſenex,
Ei ſunt nati filii duo gemini,
Ita ſimili forma pueri,vt mater ſua
Non internoſſe poſſet,quæ mammam dabat,
Neque adeò mater ipſa,quæ illos pepererat.

Vide Plinium Natural.Hiſtor. lib. 7. de ſimilitudine formæ.

6 *Mihi enodanda.* In vulgaribus codicibus impreſſis addita erat particula, Nunc, non modò nullo,ſed falſo ſenſu.itaque deleuimus. Nec enim hîc & nunc eam quæſtionem enodat Auguſtinus, quam Academici inducunt, ſed in iis libris explicauit,quos aduerſus Academicos,vt ipſe ait, neophytus & nondum baptizatus ſcripſit, libr. 1.Retractatio.c.1. Nā veritatē & certā religionē profiteri volēti obſtaret illa iā recepta & anticipata Academicorū opinio & ſententia, Nihil certò ſciri poſſe. ἀκαταληψίαν ipſi vocāt. qua ſe adhuc neophytū valde cōmotū fuiſſe ſcribit idē. Quā philoſophādi rationem Socrates, Plato, Carneades, Arceſilas, M.Cicero & M.Cotta profeſsi ſunt, qui ſunt habiti inter ethnicos doctiſsimi. De Socrate tamen & Platone negat Plutarchus in lib.2. cōtra Coloten.

7 *Qui.* In vulgar. Quæ,ſed meliùs,Qui.

8 *Aſſentio.* Ἐποχὴν,i.retentionē appellabāt ipſi Academici,vt 4.Academico.ſcribit Cicero,eā ſententiæ dubitationē & hęſitationē, per quā neutri parti homines aſſentiuntur,ſed ſuſpendunt animi & iudicij ſui conſenſum. Afferunt argumēta ad eā rem de collo colūbæ, quod cùm ſit cādidū,ſi ad ſolem aſpiciatur,cernitur eſſe varii coloris:itē de remo,qui in aquis infractus videtur, neque eſt: &c. huiuſmodi theoremata,quę in Pyrrhonicis ſuis copioſè perſecutus eſt Sextus philoſophus. Ad quæ Phyſici facillimè reſpondent. Itaque Academici, vt ait Lactant.lib.3.cap. 6. exemplis paucarum rerum incomprehenſibilium contenti,amplexi ſunt ignorantiam, tanquam ſcientiam totam ſuſtuliſſent:quia in parte ſuſtulerant.

9 *Impudentiſſimis.* Meritò hoc philoſophorum genꝰ deteſtatur & hîc & vbique Auguſtinus,quos libr. 15. de Trinitat. cap. 12. dicit miſerè inſanire: & in libr.Retractat. impios homines vocat. Eſt enim hæc ſententia Academicorum & ἀκαταληψία ſpecies eius Dei iudicii, per quod ethnici homines & idololatræ in ſenſum reprobum traditi ſunt,de quo Paulus Rom.1.v.28. quando cōtra apertiſsimā rei veritatē, ipſámque adeò experientiā,ſenſum,& conſcientiā propriam negabant, ea quæ videbant & tāgebant. Quæ philoſophia etiam ineptiſsima ipſa per ſe apparet. Quis enim vult laborare,vt nihil ſciat? quēadmodū ait Lactant. lib. 3. Itaque Plutarchus lib.2.contra Coloten, Aſſertionis in omni re retētionē ne illi quidem ipſi,ait, qui in eo plurimum deſudarunt, tueri potuerunt. Hos autem Academicos cùm lib.3. Contra Academic.ca.17.magna laude ornaſſet Auguſtinus,illam ſuam de illis laudationem in libris & cogitationibus poſterioribus & ſapientioribus retractauit, & ſibi eam diſplicere teſtatus eſt,li.1 Retractatio. Inducūt enim religionis incertitudinem turpiſsimā, vt apparet ex illa diſputatione Cottæ libr.1.& 3.de Natura deorum apud Ciceronem , vt nemo certè Chriſtianus hoc genus Philoſophiæ ſequi vel in vſum reuocare debeat.

10 *Apud nos.* Obiter & digreſsione quadam quatuor rationibus Academicorum dogma, Nihil poſſe certò percipi,ergo nulli ſententiæ aſſentiendum eſſe:refutat hoc loco Auguſtinus. Prima hæc ducta eſt à ſpecie ad genus affirmatiuè ſic,Si ſubſiſtit homo,ergo & animal. Si fides eſſe aliqua & debet & poteſt,ergo & aſſenſio. Eſt enim fides aſſenſionis ſpecies. Bernar.Epiſt.190. Non eſt enim fides æſtimatio , ſed certitudo. ſubſtantiæ nomine cùm ab Apoſtolo appellatur , aliquid tibi certum, fixúmque præfigitur. Fidem autem eſſe debere & poſſe probat Auguſtinus authoritate Scripturæ. Hoc enim, Iuſtus fide viuit: eſt dictum prophetæ Habacuc.2.v.4.Rom.1.v.17. Cùm autem fides ab Auguſtino dicitur eſſe aſſenſio,non leuis, non hiſtorica illa quidem eſſe intelligenda eſt, quemadmodum Scholaſtici putant, ſed πληροφορικὴ, quemadmodū Paulus loquitur, & nos ſuprà docuimus, & huiuſmodi quæ explicatur lib.8.de Trinita.cap. 3.id eſt,quæ non ſuperuolitet iudicando, ſed Deo inhæreat, diligendo, quod nō niſi Chriſto mediatore noſtro à nobis certiſsimè apprehenſo fieri poteſt.Bernard.epiſt. 18. Adhærendo ei,qui ſemper & beatè eſt , ſemper & nos eſſe,& beatè eſſe poteramus. Adhærendo autem dixerim non ſolum per cognitionem,ſed per amorem. His duobus animæ brachiis intellectu & amore.i.cognitione,& dilectione veritatis amplectitur, &c. & eſt hęc omnia Chriſtus. Idem Bernard.ex Augu.epiſt.190. Fides non coniectando,non opinando habetur in corde in quo eſt,ab eo, cuius eſt , ſed certa ſcientia acclamante conſcientia.

11 *Niſi credantur.* Altera & ſecunda Auguſtini ratio contra Academicos. Docet igitur Aliquid percipi certò & verè poſſe. Ducta eſt autem ab abſurdo conſequenti. Oporteret enim vitæ æternæ promiſsionem à Deo factam eſſe vanam , inanem & falſam. At Deus mentiri non poteſt, Tit.1. verſ. 2. Nam vita æterna obtineri non poteſt,niſi per ea quæ creduntur,id eſt,niſi aliquibus rebus certiſsimè aſſentiamur. Ergo ſi nulli rei eſt aſſentiendum, neque vita æterna quærenda eſt , neque eius promiſsio efficax & vera. Quod eſt in Deū merè blaſphemum.

12 *Se viuere.* Tertia Auguſtini ratio ſumpta à certiſsimo omnium ſenſuum noſtrorum corporalium teſtimonio. Certò ſcimus & ſentimus nos viuere.ergo aliquid certò ſciri poteſt. Hoc argumentum robuſtiſsimum eſſe in Academicos telum cenſet Auguſtinus,& rectè quidem. Itaque & in libro contra Academicos illud vrget,& cap.12.libr.15.de Trinitate. Qui autem omnium ſimul ſenſuum iudicium negat & explodit,eget is pœna aut igne,vt ait Ariſtoteles lib.1.Topic.

13 *Neſcire.* Quarta & vltima ratio ducta ab antecedenti,& eo quidem neceſſario. Vt aliquid de re aliqua verè affirmetur,rem ipſam prius eſſe neceſſe eſt. Non entis enim nullæ ſunt qualitates : &, vt ait lib.2.Sympoſ.problem.2.Plutarch. οὐδεὶς οὐδὲν

A ὅτι τοῦ μὴ γινωσκομένου καὶ μὴ ὄντος. Ergo ſi Academici aliquid neſciunt, idque ſciunt, ſe nihil ſcire, prius ſint oportet, & fateantur ſe ſcire, quòd ſint & viuãt. Atque hoc argumentum omnino in eos neceſſarium eſt, præter quàm quòd ipſi in eo complexo orationis ſuæ ἀσύστατα dicunt, vt in vulgaribus Dialecticorum ſcholis etiam docetur.

CAP. XXI.

Etſi errare non eſt ſemper peccatum, ſemper tamen eſſe infirmitatis & miſeriæ humanæ fructũ & notam.

IN [1] *quibuſdam autem rebus nihil intereſt ad capeſſendum Dei regnum, vtrùm credantur, an non: vtrum vera ſiue ſint, ſiue putentur, an falſa. In iis errare, id eſt, aliud pro alio putare, nõ arbitrandum eſt, eſſe peccatum: aut ſi eſt minimũ eſſe atque leuiſſimum. Poſtremò qualecunque illud & quantumcumque ſit, ad illam viam nõ pertinet qua imus ad Deum. Quæ via fides eſt* [2] *Chriſti, quæ per dilectionẽ operatur. Neque enim ab hac via deuiabat in geminis filijs gratus*

B *—ille parentibus error:*

aut ab hac via deuiabat Apoſtolus Petrus, quãdo ſe exiſtimãs viſum videre, aliud pro alio ſic putabat, vt à corporum imaginibus, in quibus ſe eſſe arbitrabatur, vera, in quibus erat, corpora non dignoſceret, niſi cùm ab illo angelus, per quem fuerat liberatus, abſceſſit: aut ab hac via deuiabat Iacob [3] *patriarcha, quando viuentem filium à beſtia credebat occiſum. In his atque huiuſmodi falſitatibus, ſalua fide, quæ in Deo nobis eſt, fallimur, & via non relicta, quæ ad illum nos ducit, erramus. Qui errores* [4] *etiamſi peccata non ſunt, tamen in malis huius vitæ deputandi ſunt, quæ ita ſubiecta eſt vanitati,*[5] *vt approbentur hîc falſa pro veris, reſpuantur vera pro falſis, teneantur incerta pro certis. Quamuis enim hæc ab ea fide abſint, per quam ad veram certámque, atque æternam beatitudinem tendimus: ab ea tamen miſeria nõ abſunt, in qua adhuc ſumus. Nullo modo quippe falleremur* [6] *in aliquo vel animi vel corporis ſenſu ſi iam vera illa atque perfecta felicitate frueremur.*

1 *In quibuſdam.* Reſpõdet quæſtionibus ſuperiori capite propoſitis Auguſtinus breui hac diſtinctione, C Nempe errorẽ, qui extra res ad fidem & viam vitæ æternæ pertinentes in nobis eſt, peccatũ quidem non eſſe, eſſe tamen miſeriæ & infirmitatis humanæ notã, & eam quidem grauem & deformem: at qui error in rebus ad ſalutem animi, cultum Dei & vitam æternã ſpectantibus verſatur, eum eſſe & peccatum graue, & illius miſeriæ noſtræ turpiſsimum fructũ. Cur autẽ in his poſtremis errare peccatum ſit, ratio eſt, quòd hæc ſcire omnes tenemur & ſi ignoramus vel in iis erramus, ſumus ἀναπολόγητοι, id eſt, inexcuſabiles, vt ait Paulus. Tantum enim lucis ex priſtina illa Adamo data reliquum fecit Dominus in animis & cõſciẽtiis noſtris, vt ipſi per nos intelligamus, illa noſſe eſſe muneris noſtri, quia ad Deum colendum natos nos, teſte cõſcientia, ſcimus, Rom.1.v.20. Itaque cæcus & ignorans ſua cæcitate & ignorantia punietur, & cum ea & propter eam peribit, Rom. 2.v.12. Matth.15.v.14. Atque hoc genus peccati eſt ex eorũ numero quæ omittendo non autem committendo aliquid fiũt, quemadmodum duo illa genera diſtinxit Auguſtinus. Initium huius capitis eſt in cano. In quibuſdã. 22. quæſtio.2.

2 *Fides eſt Chriſti.* Fides Chriſti paſsiuè dicitur per quam in Chriſtum credimus, nõ autem actiuè A per quam credit ipſe Chriſtus. Sic apud Paulum ſæpe πίστις χριστοῦ eodem ſenſu, Galat.3.v.2. Philipp.3.v.9. Quod dictum ſuum alibi explicans ipſe Paulus appellat Fidem in Chriſtum & in Chriſto, Coloſſ.1.verſ.4. & 2.verſ.5. Qua ratione dicitur fides Dei, fides Euangelii, Philipp.1.verſ.27. Fidem autem appellat Auguſtinus viam ad vitam æternam, doctrinæ ipſius ratione, quam fides tradit. Eſt enim via ad cœlum, credere te verũ Deum, & quẽ, miſiſti Ieſum Chriſtum, Ioan.17.v.3. Et, vt ait Ambroſ. in lib. De bono mortis cap. 12. fide intrepidè pergimus ad illum ſanctorum cœtum, iuſtorúmque conuentum. Videtur etiam ad illud Pauli alludere Auguſtinus, quod eſt 2.Corinth.5.v.7. Per fidem ambulamus. Dicitur eadem fides à variis ſuis effectis quæ propter Chriſtum apprehenſum producit in nobis. Iuſtificatio noſtra, Philip.3.verſ.9. Glorificatio noſtra à Baſilio: ab Ambroſio autem in lib. De Ioſeph cap.8. Pretium noſtrũ, quo emuntur diuina myſteria: etiam à Ioanne, Victoria noſtra, 1.Ioan.5.v.4. B Denique Apoſtolus ad Hebræ. cap.15. oſtendit ſanctos omnes per fidem tanquam viam, tandem perueniſſe in cœlum & exoptatam illam Hieruſalem quam ſperabant.

3 *Iacob patriarcha.* Locus eſt in Geneſ. cap.37. verſ.33.

4 *Qui errores.* Error eſt miſeriæ & infirmitatis humanæ per Adami peccatum cõtractę fructus amarus, & turpis nota. Duplex autem in nobis infirmitas cõſideranda eſt, vna abſoluta & turpis: altera κατά τι & non vitioſa. Quæ non eſt vitioſa, eſt humanæ naturæ proprietas, per quam homo diſtinguitur à reliquis tum cœleſtium tum terrenarum rerum & naturarum generibus, veluti quòd aere hoc eget ad vitã corporis, quòd ſole, quòd luna, quòd cibis, à diuina & angelica natura homo diſcernitur. Quòd ad progrediendũ tardus, ad certamen imbecillis corpore eſt, à leonũ & ceruorum natura, humana ſeparatur. Et huiuſmodi infirmitates non ſunt per ſe languores aut vitia, ſed humanę C naturæ ſpeciales limites tãtùm & proprietates naturales à Deo datæ & conſtitutæ. Anſelmus in lib. De Concord. Gratiæ cum Lib. Arbit. ſic ait. Aliquid minus alio habere non eſt ſemper indigere: ſed aliqua re, cùm eã habere oporteat carere. Quod non erat in Adam. Vbi enim eſt indigentia, ibi eſt miſeria. Non ferè autem Deus ſine præcedẽte culpa rationalem creaturam miſeram, quam ad intelligendum & amandum ſe creauit. Quæ autem infirmitates ſunt vitioſæ & verè infirmitates, ſunt eæ quæ per peccatum Adami præter primos naturę fines nobis à Deo cõſtitutos ſuperuenerũt, ex quibus vel in corpore vel in animo ſumus iam facti deteriores, quàm prima noſtra conditio ferebat. Itaque illæ ſunt natiuæ bonitatis vel omnino corruptiones & deprauationes, vel diminutiões quædam, denique ἀλλοιώσεις à primo Adami ſtatu. Hę etiã ſunt duplicis generis. Ex iis enim aliæ ſunt peccata per quæ Deum offendimus, aliæ infirmitates tantùm. Ac quæ ſunt infirmitates tantùm Languores & Miſeriæ ab Auguſtino appellantur in Pſal. 118. ſuntque omnes peccati originalis in nobis fructus & effectus quidam, non tamen turpiſsimi. Sũt enim peccata fructus illi turpiſsimi. Cum his autem ſaluari nos ait impoſsibile eſſe Bernard. Serm. de Baptiſm. & Sacramen. altar. quas etiam niſi per

Chriſtum

A Chriſtū & à Chriſto dilui negat poſſe. Sed tamen ſunt lugendæ noſtræ rebellionis notæ: propter quas Deus à nobis accuſari tamen nō poteſt, cùm eas ſponte nobis per peccatum arceſſerimus. Ex hoc infirmitatū genere eſt in animo error, de quo hoc loco loquitur Auguſtinus: in corpore morbus & mala valetudo. Philoſophi cùm de eiuſmodi infirmitatum (quarum ſunt multa genera) & de huius erroris, in quem ſæpe incidimus, cauſſis agunt, volunt corporis noſtri molem & craſſitiē eſſe huius mali & erroris cauſſam & ſolam & primam. Itaque animum in corpore velut in carcere detineri, quo hebetantur illius ſenſus & cogitationes. Vergilius libro ſexto Æneid.

Igneus eſt ollis vigor & cæleſtis origo
Seminibus, quantum nō noxia corpora tardāt,
Terreníque hebetant artus, moribundáque membra.

Sed illi veriſsimam cauſſam ignorant iſtarum rerum. Eſt enim, vti diximus, peccatum.

5 *Vanitati.* Propter peccatum Adami omnia vanitati ſubiecta eſſe docet Paulus. Rom. 8. ver. 20. B Sed imprimis homines ipſos Eccleſ. 1. v. 2. & 2. ver. 26. & Pſal. 62. ver. 10. Eſt autem vanitas, quam ματαιότητα Græci dicunt, non tantùm inanitas & vacuitas carentiáque boni, vel ſolidi fundamenti in ſeſe ipſo: ſed mali & afflictionis inhærentia & acceſsio inſeparabilis. Quæ vanitas quanta ſit in vno homine præ cæteris animantibus, non potuit meliùs explicari, quàm vno verbo à Bernardo in lib. Meditatio. Homo, ait, nihil aliud eſt, quàm ſperma fœtidum, ſaccus ſtercorum, cibus vermium, poſt hominem vermis, poſt vermem fœtor & horror. Et alibi idem de homine ait, Cuius eſt materia vilis, operatio turpis, exitus flebilis, ſtatus inſtabilis, mors triſtabilis, diſſolutio miſerabilis, Hæc ſeriò meditemur.

6 *Falleremur.* In vita æterna nō fallemur, quia, vt ipſe ſup. cap. 17. dixit Auguſtinus, noſtræ animæ vita erit ipſa veritas, & tunc omni peccati fructu pij & filij Dei carebunt, Apocalypſ. 21. verſu 23. & 27. Agnus erit tūc lucerna, & in eum locum ψεῦδος nullum intrabit. At error & fallacia eſt ψεύδους ſpecies: ergo in ea vita non erit.

C

CAP. XXII.

Omne mendacium eſſe peccatum, etiā illud quod officioſum dicitur, id eſt, fit pro ſalute alterius, quāquam non eſt tam graue, quàm illud quod nocendi animo dicitur.

Porrò autem omne mendacium ideo dicendum eſt eſſe peccatum[1], quia homo non ſolùm quando ſcit ipſe quid verum ſit, ſed etiam ſi quando errat & fallitur ſicut homo, hoc debet[2] loqui, quod animo gerit, ſiue illud verum ſit ſiue putetur & non ſit. Omnis[3] autem qui mentitur contra id quod animo ſentit, loquitur voluntate fallendi. Et vtique[4] verba propterea ſunt inuenta non per quæ ſe inuicem homines fallant, ſed per quæ in alterius quiſque notitiam cogitationes ſuas perferat. Verbis igitur vti ad fallaciam, non ad quod inſtituta ſunt, peccatum eſt. Nec ideo vllum[5] mendacium putandum eſt non eſſe peccatum, quia poſſumus aliquādo alicui prodeſſe mentiendo. Poſſumus enim & furando aliquādo alicui prodeſſe, ſi pauper cui palàm datur ſentit commodum, & diues cui clàm tollitur, non ſentit incōmodū. Nec[6] ideo tale furtum quiſquam dixerit, non eſſe peccatū. Poſſumus & adulterando prodeſſe, ſi aliqua[7], niſi ad hoc ei conſentiatur, appareat amando moritura, & ſi vixerit pœnitendo purganda. Nec ideo peccatum tale negabitur adulterium. Si autem meritò nobis placet caſtitas[8], quid quæſo oſtendit veritas vt propter alienam vtilitatem illa nō violetur adulterando, & violetur iſta mentiendo? Non ideo mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnunquam pro ſalute quorundam. Peccatum ergo eſt, ſed veniale[9], quod beneuolentia excuſat, & ideo fallacia damnat. Plurimum quippe ad bonum profeciſſe homines, qui nonniſi pro ſalute hominis mentiuntur, non eſt negandum: ſed in eorum tali profectu meritò laudatur, vel etiam temporaliter remuneratur beneuolentia, non fallacia: quæ vt ignoſcatur, ſatis eſt, non etiam vt prædicetur, maximè in hæredibus Teſtamenti noui[10], quibus dicitur, Sit in[11] ore veſtro Eſt, Eſt: Non, Non: Quod enim amplius eſt, à malo eſt. Propter quod malum, quia ſubrepere in hac mortalitate non deſinit, etiam ipſi cohæredes Chriſti dicunt, Dimitte nobis debita noſtra. A

1 *Eſſe peccatum.* Hactenus de errore, nunc de B mendacio agit Auguſtinus, de quo illud in vniuerſum ſtatuit, Omne mendacij genus eſſe peccatum, etſi tamen aliud alio leuius eſt. Ergo mendacium non tantùm malum in genere eſſe definit, ſed propriè & ſpecialiter peccatum appellat, id eſt, malum culpæ: Error autem qui extra Dei gloriam verſatur, non item, ſed tantùm eſt malum pœnæ. Cur tam variè? Quia cùm id quod peccatum nominatur, animi noſtri conſenſum requirat, & voluntate fiat, non ignorantia, certè eiuſmodi error peccatum dici non poteſt: at mēdacium cùm animi voluntate & animo fallendi fiat, vt hìc etiam apertè ſcribit Auguſtinus, nimirum ſi peccatum eſſe definiatur. Eſt enim illius ſpecies turpiſſima, quæ nouo Legis diuinæ præcepto, Non falſum Teſtimonium dices, damnatur. Huic Auguſtini ſententiæ, quam idē in toto cōtra mendacium ad Conſentiū edito libro tuetur, cōſentit illa Lactantij in epito. cap. 6, Nunquam igitur, ait, mentiendum eſt, quia mendacium ſemper aut fallit, aut nocet. Hinc verò nec adulari licet. Pernicioſa eſt enim & deceptrix adulatio, ſed vbique cuſtodiat veritatem. C Auguſtinus ad Conſent. ca. 3, Mendaciorum genera multa ſunt, quæ quidē omnia vniuerſaliter odiſſe debemus. Nullum eſt enim mendaciū quod non ſit veritati contrarium.

2 *Debet.* Affert hoc loco aliquot ſui dicti rationes Auguſtinus, è quibus hæc prima ducta eſt ab officio hominis Chriſtiani, qui ex animo loqui debet, quæ ſentit: non autem fictè & ſimulatè. Repugnat enim ea res illi veritati & ſynceritati, quā à nobis vbique requirit Deus, Iacob. 3. verſ. 14. Ioann. 8. verſ. 44: & ipſi orationis naturæ & fini. Eſt enim inſtituta oratio, vt eſſet mentis noſtræ interpres, non autem occultatio, ſimulatio, diſsimulatióve. Nec huic, quòd errorem extra diuina peccatum eſſe negamus, obſtat. Leuit. 4. ver. 2. Geneſ. 12. verſ. 17, vbi per ignorantiam admiſſum à Deo punitur, éſtque pro eo ſacrificandum. Nam cùm omnis peccati fructus Deo iuſtiſsimè diſpliceat, ſit autem error & ignorantia peccati & defectionis à Deo noſtræ cōſecutio turpis, à Deo iuſtè plectitur, maximè ſi aliqua libido noſtra illius erroris cauſſa eſt: aut ſi ignorauimus quæ ſciiſſe vel cogitaſſe debuimus: tamen non eſt propriè pecca-

A tum,etiam Domino ~~ipſo teſte,quia~~ in ſimplicitate cordis fit,quod per errorem fit ,Geneſ.20.v. 4. & 6.Iaco.4.verſu 17.

3 *Omnis autem.* Altera ratio à definitione mēdacij ſumpta. Cùm autem qui mentitur , ſe à veritate, quam Deus in ore & ſermone noſtro eſſe iubet,voluntariè auertat,certè peccat , Auguſtinus ad Conſent.cap.4. Eſt enim peccatum voluntaria à præcepto iuſſóque Dei animi auerſio,vt ait Auguſtinus ipſe. De veritatis autem præcepto nobis textus apertiſsimus eſt , Epheſ.4. verſu 25.2.Corinth.1.verſu 18.19.Matth.5.verſu 37. 1. Ioann. 2. verſu 21.

4 *Et vtique verba.* Tertia ratio à fine , propter quem verba ſunt ab hominibus reperta. Eſt autem vt ſit mentis noſtræ interpres oratio vt ait Tullius. Itaque Ariſtoteles libro περὶ ἑρμηνείας cap.1 , dixit vocabula eſſe eorum , quæ habemus in animo concepta , σύμβολα & notas. Qui finis eludetur & peruertetur , ſi fallendi animíque noſtri celandi gratia verba adhibemus & vſurpamus. Quod autem de vſu verborum ſcribit Au-B guſtinus , idem ipſe confirmat in libro de fide & Symbolo cap. 3 , his verbis. Hoc enim & nos conamur , cùm loquimur , ſi diligenter conſyderemus noſtræ voluntatis appetitum. Quid enim aliud molimur,niſi animū ipſum noſtrum , ſi fieri poteſt , cognoſcendum & perſpiciendum animo auditoris inferre? Vnde Diogenes Stoicus,vt eſt apud Laertium libr.7 , ſic orationem definiuit. λόγος ἐστὶ φωνὴ σημαντικὴ ἀπὸ διανοίας ἐκπεμπομένη. Quæ itaque à mente loquentis diſſentit oratio , propriè oratio non eſt , ſed mendacium putidum : & habet is cor duplex , vnum in lingua , alterum in viſceribus tectum , inquit Auguſtinus ad Conſent.cap.3. Iacob.4.verſu 8.

5 *Nec ideo vllum.* Vllum dixit Auguſtinus pro Aliquod. Ingreditur autem diſputationem de officioſo mendacio , de quo magna quæſtio eſt , an ſit damnandum. Et certè ſi ex ipſius Auguſtini ſententia mendacium omne peccatum eſt , & hoc quoque mendacium peccatum cenſendum eſt. Primùm quia ab omni ſpecie mali C abſtinendum eſt , ait Paulus 1. Theſſal.5.verſu 22. qua non caret officioſum mendacium. Deinde cùm ne in Dei quidem gloriam & fauorem ſit mentiendum , Iob.13.verſu 7.10. Prouer.13. verſu 17. multò minùs in hominis cuiuſquam gratiam & ſalutem. Nam quod huius generis mendacij patroni excipiunt , Homines ſæpe ea ratione iuuari , ídque vt faciamus charitatis rationem ſæpe poſtulare,falſum eſt. Charitas enim non gaudet iniuſtitia , 1 Corinth.13. verſu 6. à veritate autem diſcedere,iniuſtitiæ pars eſt. Deinde qui ita putant homines iuuari,falluntur,& non cauſſam pro cauſſa conſtituunt. Non enim ipſo mendacio vlli iuuantur , imò potiùs læduntur,quia ira Dei prouocatur : ſed quòd ea res & negotium bene aliquando cedit , in quo mendacium interuenit tamen,fit ſumma Dei miſericordia,qui malum hominis factum ipſe mira ſua ſapientia in bonum conuertit, vti è tenebris eruit lucem, ait Paulus. Hunc locum Lombard.tranſcripſit libr.3.diſt.38. cap.Mentiri.

6 *Nec ideo.* Vexata quæſtio eſt inter Auguſtinum & Scholaſticos , Vtrùm diuiti erepta pecunia ea animo, vt pauperi eam largiamur, furtū ſit. Hìc apertè furti nomine & crimine damnat A Auguſtinus,quemadmodum & lib.5. aduerſ. Iulian. & epiſt.ad Iulianum , Eleemoſyna cum iniquitate acquiſita abominabilis eſt coram Deo, ait,&c. Hanc tamen veram eſſe Thomas Aquinas in 2^a $2^æ$ quæſt.66.artic.7.negat , quia inquit Chriſtus , Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,Luc.16.verſu 9. Sed perperàm locus ille laudatur , cùm mammona iniquitatis nō ſit ea pecunia quæ furto ſurrepta eſt. Vnde hæc Thomæ ſententia exploſa eſt cano. Non eſt 1.quæſt.1. vbi recitatur ſententia Gregorij. Caius Iuriſconſultus in l.Si pignore. D.de furt.Species furti eſt, ait, ex alieno largiri. M.Tullius libr.2.De officiis, vetat cùm alios adiuuamus,alios lædere,& omnino vera eſt Auguſtini ſententia. Prouerb.15.verſu 8. Eccleſ.34. verſ.23. quicquid Scholaſtici Thomam tuentes afferant.

7 *Si aliqua.* Exempla ſunt de vxore Putipharis,Gen.39.de Ammone filio Dauidis , 2.Samuel. 13.de Seleuci filio qui nouercam ſuam perditè amauit,vt eſt apud Valerium Max.cap. De indulgentia parent.erga liberos. Etſi autem priuignam B filio conceſsit Seleucus,ex eo tamen rectè factum dici non poteſt. fuit enim inceſtus , quod exemplo Rubeni filij Iacob ſatis oſtenditur, Geneſ.49. verſu 4.

8 *Caſtitas.* Argumentum eſt à comparatis: Chriſtiani enim non minùs in verbis & ſermone veritatem, quàm in coitu caſtitatē colere debent.

9 *Sed veniale.* Quæ ſint & quot peccatorum genera infr.explicabitur cap.78. Sed officioſum mendacium Veniale peccatum dici ratione tantùm hominum, non autem Dei,ſatis ex ipſis Auguſtini verbis apparet. Ait enim beneuolentia excuſari. Sed cuius? Non equidem Dei. Omnia enim peccata Dei beneuolentia & miſericordia excuſantur,non tantùm hæc leuiora,1.Ioann.2. verſu 1. Deinde de temporali tantùm pœna & remuneratione loquitur , qua dignum eſt hoc genus peccati : at ea pœna & remuneratio propriè hominum legibus conſtituta eſt. Pœna verò æterna & ſpiritalis ad Deum pertinet. Denique prædicandum negat peccatum veniale,ſed ignoſcendū (ſic enim legendum eſt hîc. Quæ vt ignoſcatur,non C autem , vt in vulgaribus, Quæ vt agnoſcatur) nimirum ne eo exemplo fiant homines deteriores. Ergo hæc diſtinctio & appellatio peccati venialis hominū & eccleſiaſticæ diſciplinæ ſiue cenſuræ gratia tantùm conſtituitur,vt intelligant quid ſeuerè punire debeant,quid venia dignum cenſere. Atque vt hæc noſtra ſententia meliùs cōfirmetur, & totum hoc ratione tantùm humanorum , non autem diuinorum iudiciorum & ſuppliciorum dici omnes intelligant , audiatur Auguſtinus ipſe in Pſalm.5. Duo ſunt,ait , mendaciorum genera , in quibus non magna culpa eſt , ſed tamen non ſunt ſine culpa,cùm aut iocamur,aut,vt proximis proſimus,mentimur. Illud primum in iocando ideo non eſt pernicioſiſſimum , quia non fallit. Nouit enim ille,cui dicitur,ioci cauſſa eſſe dictum. Secūdum autem ideo mitius eſt , quia retinet nonnullam beneuolentiam. Idem ad Conſent. cap.2.ne huius voculæ prætextu Scholaſtici monſtrum illud ſuum peccati Venialis & Mortalis alant & nobis obtrudaut. Vocem hanc Veniale,ſæpe apud Patres legi,ſed eo ſenſu,fatemur.

10 *Noui Teſtamenti.* Nec ſub Lege viuentibus Patribus licuit vllo modo mentiri. Itaque grauiſsimè in mendaces inuehuntur Prophetæ,& mendacia inter ſcelera maxima ſunt ab iis enumerata,non adhibita Pernicioſi aut Officioſi diſtinctione. Pſalm.5.verſu 7.Oſe.4.verſu 2.Zach. 8.verſu 16. Quanquam autem è Patribus mentiti quidam eſſe dicuntur, tamen , vt reſpondet Auguſt.ad Conſent.cap.15, aut illorum dicta mendacia non ſunt,ſed putantur eſſe, dum non intelliguntur:aut ſi mendacia ſunt,imitanda non ſunt, quia iuſta eſſe non poſſunt. Sed vulgò creditum eſt Chriſtianos & noui Teſtamenti hæredes ſanctiores eſſe debere Patribus,qui tam apertam veritatis Dei lucem nondum erant aſſecuti ſub Lege , cùm tamen vtriſque eadem ſanctitas fuerit propoſita,& Lex Dei eadem. Vnde à Chriſtianis omne mendacij genus magis abeſſe debere, Auguſtinus & hîc & in Pſal.5.ſcripſit & Priſcillianiſtarum hæreticorum eſt , credere licitum eſſe aliquod mendacium.

11 *In ore veſtro, Eſt, Eſt.* Locus ſumptus ex Matth.5.verſ.37.quem & in Pſalm.5.explicat idem Auguſtinus.

DE CAVSSIS BONI & Mali.

CAP. XXIII.

Primam & ſolam Boni cauſſam eſſe bonitatē Dei. Mali autem cauſſam primam eſſe defectionem à Deo.

HIs itaque pro huius breuitatis [1] *neceſſitate tractatis , quoniam cauſſæ cognoſcendæ ſunt rerum bonarum & malarum,quantum viæ ſatis eſt, quæ nos perducat ad regnum(vbi* [2] *erit vita ſine morte,ſine errore veritas,ſine perturbatione felicitas) nequaquam dubitare debemus rerum quæ* [3] *ad nos pertinent, bonarum cauſſam* [4] *non eſſe,niſi bonitatem Dei:malarum verò ab immutabili bono deficientem boni mutabilis* [5] *voluntatem prius angeli,* [6] *hominis poſtea.*

1 *Breuitatis neceſſitate.* Regreſsio eſt ad inſtitutam ſup. cap.15. diſputationem, quam hoc & ſequenti capite concludit.Interrupit autem illam per digreſsionem de errore & mendacio, quam hîc apertè teſtatur fuiſſe neceſſariam propter agitatas illo tēpore,vti diximus, quæſtiones. Hoc caput tranſcripſit Lombardus lib.2.diſtinct.34.ca. Mala autem.

2 *Vbi erit.* Non poteſt ſibi temperare Auguſtinus , quoties locus de vita æterna incidit, quin eam nobis magnopere commender,quod iam ſæpe ſæpius in hoc opere fecit : quia illa ſit vitæ noſtræ finis & ſumma felicitas,ad quā omnes actiones noſtrę ſunt à nobis referendæ.Itaque vt huius nobis guſtum ſuauiſſimum faciat,ita prædicat , & tam ſæpe.

3 *Quæ ad nos pertinent.* Non eorum ſolùm bonorum quæ ad nos homines pertinent,Dei bonitas author eſt & cauſſa : ſed omnium & ad quoſcunque pertineant creaturas,id eſt, ſiue ad Angelos ipſos beatos & cæleſtes,ſiue ad bruta animantia, ſiue etiam ad plantas & arbores. Multa enim ſunt bonorum genera , vt ex Platone Laer.libr.3. ſcribit.Plutarch.in lib.De ſyllaba Et,quinque eorum genera enumerat. Eſt enim Dei bonitas in omnia diffuſa,Pſal.14. Sed hîc Auguſt. ſolùm de animi ſiue voluntatis bono agit, quod in ſolis beatis Angelis & hominibus eſſe poteſt.

4 *Cauſſam.* Vexatiſſima hæc quæſtio fuit,Quę bonorum,quæ malorum vera cauſſa eſſet.Ac quidem in bonorum cauſſa definienda magis omnes conſenſerūt,Nimirum eorum cauſſam eſſe Deū, id eſt,qui omnia quæ creauit,bona fecit, Geneſ.1. & ſuprà dictum eſt. Vtrùm autem bonitatis ipſius diuinæ commixtione cum rebus bonæ ſint:an tātùm qualitatis illius participatione quadam,quæſitum eſt.Manichæi,vt ſcribit Auguſtinus in libr. De hæreſibus,Macedoniani, Seruetiſtæ & Oſiandriani noſtro hoc ſeculo,ipſius ſubſtantiæ Dei cū rebus ipſis commixtione creaturas bonas effici crediderunt. Sed perperàm. Neque enim diuina ipſa eſſentia cuiquam creaturæ per ſe eſt communicabilis,& ſi iſta permixtio fieret,eſſent res bonę etiam Deus. Nam quicquid ipſam Dei eſſentiam habet, Deus eſt. Præterea eſſet diuina eſſentia partibilis, quod fieri non poteſt, cùm ſit ſimpliciſſima.Itaque qualitatis tantùm & effectus communicatione,non ipſius diuinæ eſſentiæ ,aut partis eius transfuſione & traiectione aliquæ res bonæ ſunt.Irenæus lib.3.cap.75.Secundum benignitatem,ait,ſuam Deus bene dedit bonum,& ſimiles ſibi ſuæ poteſtatis homines fecit.Ergo qualitatis participatio tantùm eſt, non ipſius eſſentiæ pars.Ex Platonis etiam ſententia & quidem verè ſcribit Laert.libr.3 αὐτὸ τὸ ἀγαθὸν ἔχειν μὲν οὐκ ἐνδέχεται, μεταχεῖν δὲ αὐτοῦ ἐνδέχεται.

5 *Voluntatem.* Difficilior longè quæſtio eſt, Ecquę ſit malarum rerum ſiue mali cauſſa.Malum autem hîc non tantùm afflictionem ſignificat,ſed peccatum,& peruerſum animi,ſiue voluntatis affectum. Ac quidem quoad Ethnicos homines diuerſè inter ſe de mali cauſſa illi & ſenſerunt & ſcripſerunt.Primus ex iis Homerus li.24.Iliad.ita canit.

Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει
Δώρων, οἷα δίδωσι, κακῶν, ἕτερος δὲ ἑάων.

vt ab eodē autore Deo bona & mala manare putet Homerus. Poſt hunc Pythagoras duas συστοιχιώσεις diuerſas rerum,vt ait Plutarch.li.1.De placit.Philoſo.conſtituit,in quarū dextera bona collocabat,in ſiniſtra ea,quæ mala ſunt, quòd rerum naturæ repugnans exiſtimaret ex eodem fonte bonum & malum fluere & ſcaturire. Plato Pythagoræ ſententiam amplexus eſt : Stoici autem Homeri iudicium,adeò vt etiam mala fato & ineuitabili rerum neceſſitate à Deo cōnexa oriri defenderent,vt ſcribit Plutarch.in lib.De contradictionibus Stoicor.quorum ſentētiam refutat Euſebius libro 5,De vita Conſtantini Magni.inde etiam illud Euripid.natum eſt,

Facillimum eſt culpam diis adſcribere.

Phyſici putant mala , rerúmque mutationes ex materia,qua res hæ naturales conſtant, proficiſci: quæ cùm ſit appetens nouæ ſemper formæ (eſt enim forma materiæ perfectio) ruit cæco impetu indeſinēter ad nouarum formarum ſuſceptionem. vnde mala naſcuntur.Manichæi , Marcionitæ & Valentiniani qui Chriſtiani dici voluerūt, duo rerum principia faciunt, vnum bonarum alterum malarum.Illud Deum vocant,hoc Diabolum.Hic error à Platonicis & Pythagoricis (quorum ſententias recitauimus)profectus eſt , quem

A tamen Lactantius etſi obſcurius ſecutus eſſe videtur lib.2.cap.9.& lib.De ira Dei cap.3.Afferunt illud Iacob.3.verſu 12. Ex eodem fonte aqua dulcis & amara non fluit.Hîc autem apertè, vti & in lib. 2.De peccator.merit.cap.3.ait Auguſtinus mali & peccati cauſam non à natura quidem ipſa eſſe,quę bona à Deo condita eſt , ſed à vitio & voluntate hominis.Et Fulgent.lib.1. ad Monimum , Peccati initium puto,ait,quod nihil aliud eſt quàm inordinatarum rerum inordinata rationalis creaturæ dilectio.Deus enim author mali.i.peccati,& cauſſa eſſe non poteſt,cùm eius voluntati malum repugnet.Et peccatum nihil aliud eſt , quàm relatio & reſpectus ipſius agentis ad finem non ſuum,ſed inordinatum,vti virtus nihil aliud eſt,quàm actio quę ſuum finem habet & ſpectat illò quò oportet, Lactant. libro 6.cap.14. Aberrare autem à vero fine, in Deum cadere non poteſt, cuius voluntas eſt ipſa regula iuſtitiæ , & finis rerum ordinatiſsimus.Ergo malum,vt ait Ambroſius libr.1.de Vocat.gent.cap.3 , eſt qualitas tantùm,quæ in intentione agentis auertentíſque ſe à vero fine cõſide- B ratur. Vnde proxima & propria peccati cauſſa eſt hominis vel angeli agentis voluntas. Et quod dicitur Dominus creare mala,Iſai.45, illud de malo pœnæ eſt intelligendum. Tropicè enim dicitur Deus facere mala, ait Hieronymus in Lamentat. Hieremiæ capit.3, id eſt , aduerſa merentibus infligere.Et quod in libr.de Eccleſiaſt.Dogma. cap. 57.ſcriptum extat malitiam vel malum in homine eſſe à diabolo, intelligi debet tanquam ab incentiuo , non tanquam à proxima illius cauſſa. Eſt enim hominis voluntas cauſſa peccati,quod eſt in homine proxima. Item etiam quod dicitur peccatum eſſe ab Adamo, lib. De gratia & libero arbitr.cap. 21. verum eſt tanquam ab origine prima & fonte , è quo tamen riuos ſponte ipſi haurimus & voluntariè bibimus,& habemus in nobis. Denique quòd decretum reprobationis à Deo factæ quidam huic lòco obiiciunt tãquam peccati cauſſam , nihil efficit. Nam inter decretum Dei & hominis peccatum intercedit media hominis agentis voluntas , quæ propria & ipſiſſima eſt peccati & mali cauſſa. Nec enim homo eſt agens C brutum , & quod ratione animíque voluntate careat, vt machæra & enſis , vel vt equus :ſed ipſe ſuo proprióque motu agitur.

5 *Prius angeli.* Vide ſuprà cap.15. Prius enim peccarunt angeli,quàm homines , cùm etiam homo ad peccandum ſit à Satana, id eſt , angelo malo prouocatus & illectus,vt eſt Geneſ.ca.3.Quantum autem temporis inter angelorum & hominis peccatum interceſſerit,incertum eſt.

CAP. XXIIII.

Secundas mali cauſſas eſſe quatuor, ignorantiam, concupiſcentiam,dolorem & voluptatem.

HOc primum eſt creaturæ rationalis malum,id eſt, prima priuatio boni:deinde[1] *etiam iam nolentibus*[2] *ſubintrauit ignorantia rerum agendarum, & concupiſcentia noxiarum , quibus comites ſubinferuntur error*[3] *& dolor , quæ duo mala quando imminentia ſentiuntur, ea fugitantis animi motus vocatur metus*[4]*. Porrò animus cùm adipiſcitur concupita quamuis pernicioſa & inania , quoniam id errore non ſentit,vel delectatione morbida vincitur , vana etiam lætitia ventilatur. Ex his morborũ nõ vbertatis, ſed indigentiæ tanquam fontibus,omnis miſeria naturæ rationalis emanat.* A

1 *Deinde etiam.* De prima mali cauſſa , quæ eſt defectio à Deo ſummo bono ſuprà egit. Nunc de reliquis , quæ ſunt ſubſecutæ & ſecundæ:ſed tamen in nobis viciniores mali cauſſæ , & magis propinquæ. Peccatum enim Adami varia pœna ſecuta eſt tum in animum , tum in corpus noſtrũ, qualis mors,morbi,vitium,imbecillitas , & amiſſio primi conceſsíque antea in omnia animalia terrena principatus.Hi iam ſunt grauiſsimi & teterrimi in vnoquoque noſtrûm peccati fructus, quos hîc Auguſtinus enumerat, & in li.14. de Ciuitate Dei,cap.13.& 15.& lib.22.cap.22. item Ambroſius libro 1. de Vocatio. Gent.cap.3, his verbis , Inde tracta mortalitas , ait , inde multiplex corporis animíque corruptio , inde ignorantia & difficultas,curæ inutiles,illicitæ cupiditates,ſacri- B legi errores,timor vanus,amor noxius,& non minor miſeriarum numerus,quàm criminum.Ergo effecta & fructus primæ illius defectionis à Deo noſtræ quæ per Adamum contigit (quoad animũ noſtrum & cauſſas malorum & peccatorum quæ iam committimus) ſunt duo,in intelligentia quidem noſtra cæcitas, quam hîc ignorantiam vocat Auguſtinus : in voluntate autem ἀταξία & inordinatus animi appetitus , quam noxiam Concupiſcentiam nominat. Motus quidem & affectus naturales etiam in primo homine erant & à Deo inſiti , ſed ij erant ordinati & recti, neque illi erant animi perturbationes , Auguſtinus libro 14.de Ciuita. Dei. cap.10 , ſed στοργαὶ φυσικαὶ,quas peccatum non ſuſtulit quidem , ſed corrupit , & prorſus vitioſas effecit , niſi Dei Spiritu in nobis regenerentur,atque etiam regantur. Itaque cum Auguſtino eodem lib. cap.9 , Stoicorum ἀπάθειαν improbamus, vti & Lactantius quoque fecit libr. 6.cap.14.& 15, ſed vſum modúmque earum à Deo petere debemus. Hos tamen affectus ſiue affectiones etiam rectas eſſe tantùm præſentis huius vitæ , non autem illius futuræ dixit putátque Auguſtinus eodem libro cap.9. Cæcam autem iam C eſſe propter peccatum intelligentiam noſtram & perturbatam voluntatem omninóque mali appetentem æquum eſt,quia cùm à Deo , qui & lux eſt, & iuſtitia,defecerimus , meritò in tenebras & ἀταξίαν omnem iam præcipites ruimus. Cæca verò eſt ratio noſtra non prorſus , ſed tantùm quoad animi ſalutem. Quoad terrena autem, videt ex reliquo lumine à Deo conceſſo quædam, ſed tamẽ ea ipſa obſcurè:neque etiam ea ipſa, quæ videt,ſunt verè & ex perfecta definitione & bona, & ſancta:ſed obſcuram tantùm illius vmbram retinent quæ videntur tamen nobis optima & ſanctiſsima ante renaſcentiam , & Verbi diuini notitiam. Addidit autem inter cauſſas peccati , Dolorem & Lætitiam Auguſtinus , quam alij Voluptatem appellare malunt : quia & hæ duæ ſunt aliæ actionum noſtrarum cauſſæ , cùm turpibus delectamur , aut cùm metu afflictionis officium deſerimus. Qui dolor quæque voluptas omnium actionum noſtrarum comites potiùs eſſe dicuntur ab Ariſtotele in primo libro Ethicor. ad Ni-

A ad Nicomachum,quàm peccati cauſſæ. Sed cùm, tranſuerſos nos rapiant & gignant turbulentos animorum motus,qui non parent rationi : itẽ quia perturbationes dicuntur , propter quas agimus multa ἀτάκτως , meritò recenſentur inter cauſſas peccatorum. De quibus vide eundem Auguſt.libro 14. de Ciuit.Dei , cap.8.& 9.de Geneſ.ad lit. lib.3.cap.16:Lactantium lib.6.ca.15.16.Philoſophi autem & cum iis Scholaſtici alio modo duas peccatorum & malorum, quæ perpetramus , cauſſas conſtituunt,intellectum noſtrum nimirum & appetitum , ſed non verè. Neque enim intellectus noſter aut appetitus ipſe per ſe propria peccati cauſſa eſt , cùm ſit vterque à Deo , atque etiam quatenus res & natura quædam eſt bona : ſed cæcitas , ſeruitus, captiuitas, vitium & deordinatio ipſa earum animi partium eſt ipſiſſima peccati cauſſa. In ſumma , quatuor ſecundæ mali cauſſæ enumerantur & breuiter & diſtinctè hîc ab Auguſtino , Error & Concupiſcentia , quæ proxime ex defectione à Deo ortæ ſunt:deinde Dolor & Voluptas,quæ ſequuntur comitantúrque duas prio- B res,ſúntque poſteriùs ex eadem defectione & prima mali cauſſa & fonte natæ.

2 *Nolentibus.* Videtur Auguſtinus ad illud Pauli alludere in Epiſt.ad Rom.cap.5.v.12,Per hominem vnum intrauit in mundum peccatũ,& per peccatum mors: ita hîc ait, Per defectionẽ à Deo malum intrauit ad homines , & per malum ignorantia & cupiditas.Idem lib.22.de Ciuit. Dei cap. 22, Nam quis ignorat , ait , cum quanta ignorantia veritatis , quæ iam in infantibus manifeſta eſt, & cum quanta abundantia vanæ cupiditatis , quæ in pueris incipit apparere , homo veniat in hanc vitam , vt ſi dimittatur viuere vt velit , & facere quæ velit,in hæc flagitia & facinora,quę commemoraui,perueniat? Ergo hi duo ſunt primi peccati in nobis fructus perniciosiſſimi. Sed quæſitũ eſt,Cur addiderit Auguſt.id nobis nolentibus accidere , vt & vera ignoremus,& noxia cupiamus. Vtrùm quòd ex ſententia Platonis in Dialogo De iuſto, velit nos inuitos & nolentes fieri malos & iniuſtos?Quæ eadem etiam fuit Stoicorum C ſententia,vt ait Lactant.lib.6.cap.14. Itaque dicunt eos , ait, qui mali videantur ,non ſua ſponte peccare,nec mala potiùs eligere : ſed bonorũ ſpecie lapſos incidere in mala,dum bonorum & malorum diſcrimen ignorant. Nam etiam poſtea idem Auguſt.ait nos vinci delectatione, vt in ea ſententia fuiſſe videatur hoc loco , Nos nec ſpõte errare,neque mala & noxia velle. At tamen quomodo inuiti & nolentes cupere poſſumus, & quæ poteſt in nolente dici concupiſcentia, quæ ipſo etiam vocis etymo animi deſyderium & appetitum eſſe in concupiſcente declarat ? Deinde quomodo conſentiet ſibi Auguſtinus , aut toti Scripturæ , quæ docet peccatum eſſe non poſſe niſi voluntarium ? Denique ſcribunt Scholaſtici voluntatem quoad ipſam vim pati non poſſe, Ergo nemo inuitus aut nolens concupiſcit etiam ea quæ ſunt noxia & vana. Difficilis ſanè quæſtio & perplexa, quæ tamen enodari debet hac breui diſtinctione. Nolumus aliquid dupliciter , vel abſolutè,vel κατά τι. Abſolutè,cum omnino illud quod reſpuimus , intelligimus quid & quale ſit: veluti pius non vult colere hoc εἴδωλον quod ſcit eſſe Martis vel Veneris , vel Genoueſæ vel Marcelli. Sed κατά τι nolumus ea, quæ ignoramus qualia ſint, putamus tamen bona. A Expetimus enim ea,quatenus bona iudicamus,quæ tamẽ reſpueremus , ſi ſciremus eſſe noxia vel nobis pernicioſa. Hac ratione nos homines poſt peccatum & in peccato nati ignoramus , & tamen cupimus quædam mala,quia quæ ignoramus non credimus cognoſcenda : vel quæ expetimus , neſcimus eſſe reſpuenda propter mentis cæcitatem , & voluntatis noſtræ ἀταξίαν. Vnde κατά τι nolentes ea mala facimus , non abſolutè , nec cupimus ea,quatenus ſunt mala.Hac eadem ratione dixit Iacob.1. verſ. 14,nos à noſtra cupiditate rapi,& ineſcari,cùm tamen eam cupiditatem dicat & concipere,i.aſſentiri,& párere,i.exequi peccatum. Certè non voluntarium ἀθέλητον & ἀκούσιον ex Ariſtotele duplex Scholaſtici conſtituunt. Vnum coactum : alterum cui tamen ex parte & quodam reſpectu aſſentitur voluntas noſtra,& rectè.Sic qui reuerentia & metu patris conſentit coniugio, non contrahit illud nolens,vt aiunt Iuriſconſul.in tit.De ritu nuptiar. D. Nemo autem eſt malus ,neque facit mala ab- B ſolutè nolens & inuitus.

3 *Error & dolor.* Ex ignorantia error conſequitur.Itaque errorem cum dolore hîc tertio ordine & loco enumerat inter mali cauſſas. Meliùs tamen & diſtinctiùs ſi & errorem hunc ad ſecundum cauſſarum ordinem referamus, & ignorantiæ nomine complectamur. Dolorem autem & voluptatem poſteriori loco,nempe tertio conſtituamus pro cauſsis & incentiuis peccati.Sed & omnibus his cauſsis ſemper voluntas addenda eſt, quæ ipſa præcipuus peccati fons eſt,quod hoc loco docet Auguſt.conſentienter toti Scripturæ ſacræ. hoc ipſum etiam ethnici homines dixerunt, Nos errore agi, & inſcitia veri inuolutos teneri. Iuuenalis ſaty.10,

Omnibus in terris quæ ſunt à Gadibus vſque
Auroram & Gãgem , pauci dignoſcere poſſunt
Vera bona,atque illis multum diuerſa, remota
Erroris nebula.Quid enim ratione timemus,
Aut cupimus?

& illud Valerij Flacci lib. Argonaut.1. C

Eripe me populis & habenti nubila terræ.

Cùm autem de cauſsis mali & peccati in vniuerſum agat Auguſtinus , tam illius quod in angelos malos quàm quod in homines cadit, mirum videri poteſt cur dolorem & voluptatem inter eas cauſſas recenſeat,quorum neutrum in angelos malos cadere videtur poſſe.ſed reſpondemus,vti animas hominum, ita & angelos ipſos malos, id eſt, diabolos ſuo modo & cõuenienti ſpirituali creaturæ, & dolere & gaudere,& torqueri, vti cũ Scriptura docet Auguſt.ſequenti capite, & lib.21. de Ciuit.Dei,cap.10.Ad Honor.epiſt.120.& Matth. 25. Quanquam hæ duæ poſteriores peccati cauſſæ,dolor & voluptas, ad homines propriè pertinere videntur. Vnde ſcribit Auguſtinus lib.2.de Symbol.ad Catechum.cap.1.Duo ſunt genera armorum diaboli contra quæ vigilanter ſtare debet omnis miles Chriſti. Quæ ſunt iſta duo genera armorum ? Voluptas & Timor.Alios enim voluptate capit, alios timore frangit. Cypria.idem in lib.De liuore & inuidia.

4 *Metus.* Metus quid ſit , ſuprà explicatum eſt cap.8. Hîc definitur eſſe fuga doloris vel erroris.Stoici,Tullius & vſitata ratio Latinè loquẽ-

A tium Metum ad corporis mala, & dolores quos carne patimur reſtringunt:ad animi autem errorē & illius fugam non niſi tropicè transferri poteſt, quatenus error malum eſt.

5 *Morborum non vbertatis.* Ita in omnibus impreſsis atque etiam in manuſcripto: malim tamen legere deletis his vocibus(non vbertatis,ſed indigentiæ) quæ planè ſenſum huius loci obſcurant, ita perſpicuè & meliùs fluente ſententia, Ex his morborum tanquam fontibus. Nam quòd hic hos affectus qualis dolor & lætitia, nō vbertatis morbos appellat, repugnat Lactantij dicto lib.6.cap.15.qui ſic ſcribit, Affectus igitur quaſi vbertas eſt naturalis animorum. Error quidem & ignorantia ſunt morbi indigentiæ & κενώσεως: at dolor & voluptas abundantiæ & πληρώσεως. Ita enim qui hoc gloſſema addidit, alluſit ad ſumma illa duo morborum genera, quæ medici tradunt, quorum vnū repletio nimia:alterum nimia euacuatio ab iis appellatur. Sed cùm hoc totum ex Stoicorum diſputationibus & more loquendi ab Auguſtino ſumptum ſit(quòd errorem,quòd dolorem,quòd vo- B luptatem animi morbos appellet) veriſimile eſt eum hîc quemadmodum & lib.14.de Ciuit. Dei, eorum verbis, non aliis vſum eſſe,contentúmque ea metaphora per quam à Stoicis hæ vitiorū cauſſæ Animi morbi ſimpliciter appellantur, non autem morbi abundantiæ aut egeſtatis. Sed & πάθη quoque Stoici vocabant hos affectus quibus ſuū ſapientem omnino carere cenſebant, & pro iis ἀπάθειαν quam Cicero vertit Conſtantiam,illi largiebantur. Nam pro cupiditate voluntatem in ſapiente eſſe dicebant,pro lætitia gaudium:pro metu cautionem. Pro dolore, nihil in ſuo ſapiente ſubſtituebant,quia nunquam pœniturum eſſe cēſebant,& nihil mali illi accidere poſſe. Hæc Auguſtinus lib.14.de Ciuit.Dei,cap.8.quæ mihi videtur ex Lactant.lib.6.ca.15.ſumpſiſſe. Conferantur itaque illi loci inter ſe.

DE PECCATO ADAMI.

CAP. XXV.

C Angelorum & hominum,quia peccarunt, iuſtam eſſe damnationem, non tamen æqualem aut eandem pœnam. Item quæ hominis conditio ante peccatum fuerit.

QVæ tamen[1] *natura in malis* [2] *ſuis non potuit amittere beatitudinis appetitum. Verùm hæc cōmunia mala ſunt & hominum & angelorum pro ſua malitia Dei iuſtitia damnatorum. Sed homo habet & pœnam*[3] *propriam, qua etiam morte corporis punitus eſt. Mortis quippe ſupplicium Dominus ei comminatus fuerat,ſi peccaret. Sic enim munerans libero arbitrio,vt tamen regeret imperio,terreret exitio,atque in paradiſi felicitate* [4] *tanquam in vmbra vitæ,vnde iuſtitia cuſtodita in meliora conſcenderet,collocauit.*

1 *Quæ tamen.* Ordinis ratio atque inferiorum cum ſuperioribus connexio hæc eſt. Poſtquam de rerum creatione egit, de earum redemptione inſtituendus erat tractatus,in quo ſymboli explicatio tota poſita eſt,ad quam pergit Auguſtinus. Id autem fit rectè & conſequenter. Nam docuit è rebus creatis à Deo deſciuiſſe ſponte & defeciſſe homines & angelos malos : è quibus ecqui ſpem redemptionis & reſtitutionis habeant, nunc explicat. Vnde qualis vtrorumque conditio per peccatum effecta ſit,fuit oſtendendum,& vt diuerſa angelorum,& hominum peccantium pœna ſit, item & ſpes,vt quæ ex creaturis peccantibus ſaluæ fieri poſsint,quæ non, intelligamus. A Fruſtrà enim de redemptione & Chriſto redemptore ſermo inſtitueretur,ſi nulli ſunt redimendi. Sunt autem ſoli homines,non etiam angeli peccatores. Vnde hic locus eſt lenis tranſitio & παρασκευὴν ad diſputationem de fide,de Chriſto,de ſalute hominum. Hanc autem ita perſequitur Auguſtinus, vt à nobis capita proponuntur,vt primùm doceat, Qui ſaluandi ſint,cap.27:Deinde, cur ſaluandi,c.29: Tertio loco, Quomodo quáue ratione, vbi explicationem Symboli latè ingreditur,cap.34. Orditur autem ab hac communi ſententia, Etiam in mala & peccatrice natura appetitum boni & beatitudinis manſiſſe. Hoc autem αἴτημα retinent philoſophi etiam ethnici. Omnibus nimirum innatum eſſe felicitatis aſſequendæ deſyderium,id eſt,ſummi ſui boni, vt loquuntur, adipiſcendi. Πάντα ἀγαθοῦ ἐφίεται, inquit Ariſtot.in Ethic.ad Nicomach.& Tull.lib.1. B De finib.bonor.& malor. Sed & Auguſt.ipſe lib.13.de Trinita.cap.4,Mirum eſt,ait,cùm capeſſendæ atque retinendæ beatitudinis voluntas vna ſit omnium, vnde tanta exiſtat de ipſa beatitudine rurſus varietas atque diuerſitas opinionū. Ac primùm hoc Auguſtini axioma videtur de vniuerſa natura peccatrice pronuntiatum eſſe, non autem ad ſolos homines reſtringi debere. Nam in diabolis reſtare beatitudinis appetitum,ex eóque maximè torqueri eos,quòd ea priuentur, certiſſimum nobis eſſe debet. Sed quòd Homines omnes etiā dum in peccatrice & non renata natura manent, deſiderare tamèn bonum & felicitatem ſuam ſcribit Auguſtin. eſt cum diſtinctione accipiendum. Neque enim bonum iuſtitiæ aut electionis tunc appetunt homines,quæ eſt vita æterna, cùm de ea quidam nunquam cogitarint toto vitæ ſuæ tempore,ac ne per ſomnium quidem, quales Epicurei. Sed bonum tantùm naturæ & conditionis ſuæ appetunt nō renati homines,per quod voluptuoſè & facilè hanc vitam corporis viuant & traducāt. Itaque præclarè Tullius lib.1.de Officis,Principio, ait, generi animantium omni eſt à natura tributum,vt ſe,vitam,corpúſque tueatur. Ergo vti quæque res maximè nos delectat, ita in iis C beatam vitam conſtituimus,vt cum Ariſtotele libr.1. ἠθικ. ait alicubi Auguſt. Vulgus hominum in voluptate,χαρίεντες in honore,Philoſophi in rerum cognitione ponunt. Nam huius tantùm vitæ & carnis bonum, ſi nondum Spiritu Dei renati ſumus, appetimus. Cæleſtis autem vitæ cogitatio quædā tenuis hominibus etiam non renatis à Deo relicta eſt,& memoria quædam vti immortalitatis animi noſtri:tamen appetitio eius propterea quòd caro ſimus magna nobis non ineſt, niſi quatenus noſtrum eſſe & viuere in ea ſperamus: non autem ipſam per ſe & propter ſe expetimus. Ignoti enim nulla eſt cupido & dilectio,Rom.10.verſ.14. Hinc orta eſt illa prolixa,& penè cōfuſa Auguſtini diſputatio lib.13.de Trinitate cap.4. & 5. quomodo vita beata,cùm ſit nobis ignota,& diligi & appeti poſsit. Expetitur igitur à nobis, non quatenus eſt bonum iuſtitiæ, ſed quatenus cogitatur à nobis eſſe quædam perpetua noſtri duratio. itaque eſt tantùm exiſtentiæ deſyderium in nobis. At verè beata vita & immortalitas non expetenda eſt, vti ſequela naturæ,ſed vti gloria Dei præmiúmq; virtutis,

virtutis,

tutis,ait Lactant.lib.7,cap.5.

2 *In malis.* Id eſt,in mediis miſeriis ſuis. Malum enim pro miſeria & cruciatu corporis vel animi accipit hoc loco Auguſtinus.

3 *Et pœnam propriam.* Diſtinguit Auguſtinus pœnam peccatorum angelorũ & hominum. Primùm quidem quandam vtrorumque communem facit,nimirum, quòd vtrique illa mala perpetiantur, de quibus ſuperiore capite dixit , Ignorantiam, Cupiditatem malam, Errorem , & Dolorem. Denique vitæ æternæ priuationem , in qua veriſsima peccati pœna conſtituta eſt , & quam hoc capite damnationem appellat. Hæc mala, ait , ſunt & angelis & hominibus peccatoribus communia. Illa verò pœna hominum propria eſt propter peccatum , Mors corporis ſcilicet. Itaque in lib.De Eccleſiaſt.Dogmat. cap.33. pronuntiatur anathema , qui dicit Adamum fuiſſe moriturum ſiue peccaſſet , ſiue non peccaſſet, quod Pelagiani quidam ſenſerunt. Dictum eſt enim homini propter peccatum, morte morieris,Geneſ.2.ver.17.3.ver.19. Sed videtur hoc loco Auguſtinus illud dictum & minas Dei ad mortem corporis tantùm referre,cùm tamen infr.cap. 93.& lib.4.de Trinit.cap.3. ad vtramque mortem & corporis & animi extendat, quemadmodum etiam Paul. Rom.6.verſ.23. Sed hîc conſyderat quid ſui argumenti ſit proprium. Deinde videtur hac diſtinctione Auguſt. conſtituere & definire fuiſſe maiorem hominum pœnam,quàm peccatorum angelorum,cùm angeli tantùm ſpiritualiter, homines autem & ſpiritualiter & corporaliter propter peccatum ſint puniti. Itaque hominibus ſpes ſalutis & redemptionis à Deo reliqua facta eſt ,quæ nulla eſt diabolis. Eſt enim illud ex iure ciuili vulgare,Qui in vno grauatur , in alio eſt releuandus. Mortem autem corporis angeli ſubire non poſſunt , quia corpora non habent : homines autem poſſunt , quia corpora habent,ad quæ non mors tantùm , ſed & mortis apparitores , morbi, labores,& mala ſeculi propter peccatum peruenerunt,ait Auguſt.lib.13.de Trinit.cap.16. Corpore autem & animo punitus eſt homo,& meritò,quia peccatum totius ſuppoſiti,id eſt,hominis & perſonæ fuit actio,non vnius tantùm eius partis, ſcilicet corporis,vel animi. Cur autem tam grauis pœna fuerit inflicta,dicetur infrà cap.93.

4 *Paradiſi felicitate.* Vt meliùs oſtendat à contrario Auguſt. quàm fuerit graue primum primi hominis peccatum,docet quæ & quanta fuerit illius prima ante peccatum felicitas, quam à Deo acceperat,& qua maiorem etiam ſperabat,ſed quã per peccatum ſciens prudénſque homo amiſit. Erat factus homo primus inexterminabilis , vt ipſe Auguſt.loquitur lib.2.Contra Pelag.ca.4.& concilium Carthag. item De agone Chriſtia. cap.12. quia à Deo perpetuò eius corpus ſuſtẽtatum fuiſſet , & ita moriturus non erat , ſi præceptum Dei ſeruare voluiſſet : & ad meliorem tamen ſtatum poſtea traducendus erat, & ad clariorem Dei tum viſionem tum fruitionem. In ipſo autem huius temporalis vitæ,qualem à Deo habebat ante peccatum,ſtatu feliciſsimus erat , & quoad animum, & quoad corpus , & quoad dignitatem. Ac quidem quoad animum , lux erat in mente , integritas & rectitudo in conſcientia, liberum arbitrium in voluntate. Cognitio rerum ad illam vitam neceſſariarum,& nulla animi perturbatio , adeò vt ante ſuum peccatum omnino de malo non cogitarit Adam. Quod ab Auguſtino lib.14.de Ciuita. Dei,cap.10.dictum,& à Caſſiano li.1.contra Neſtorium repetitum in ſuas Quæſtiones Chriſtia. tranſtulit diſertiſſimè Th. Beza. Quoad corpus nulla erat in membris infirmitas virium,nulla deformitas corporis, nulla denique in cõformatione ipſa turpitudo. Quoad dignitatem autem , rerum omnium,quæ ſub cœlo ſunt, dominus à Deo conſtitutus erat. Hæc fuit prima primi hominis felix conditio,de qua agit idem Auguſt.lib.14. de Ciuitate Dei,cap.26.quæ tamen hîc ab eo dicitur fuiſſe tantùm vmbra vitæ ex comparatione illius ſtatus,ad quem traducendus poſtea erat.Sed idem Auguſt.ſentit & loquitur lib.4.de Geneſ.ad liter. cap.23. Quanquam autem peccatum hominis non deſtruxit vel eius ipſius vel aliarum rerum naturam:tamen illi vitia inſeuit,vt ait idem lib.2.Contra Pelag. cap.40. Neque verò , vt ſcripſit ſenſitque Anaxagoras,cœli & ſyderum contemplandorum gratia primus homo factus erat,aut in hoc mundo conſtitutus,etſi in cœlum erectos à natura oculos habuit,ſed Dei ipſius cœli opificis, & Domini ſui videndi gratia,vt Lactan.lib.6.cap.1.pulchriùs reſpondit.

Cap. XXVI.

Peccatum primi hominis & illius pœnam non in vno Adamo ſubſtitiſſe , ſed ad omnem eius prolem manaſſe.Et ita per vnum hominem peccatum intrauit in mundum.

Hinc[1] *poſt peccatum exul effectus, ſtirpem quoque ſuam, quam peccando in ſe tanquam*[2] *in radice vitiauerat, pœna*[3] *mortis & damnationis obſtrinxit:vt quicquid prolis ex illo , & ſimul damnata, per quam peccauerat,coniuge,per carnalem concupiſcẽtiam*[4]*,(in qua inobedientiæ pœna ſimilis retributa eſt) naſceretur,traheret originale peccatum, quo traheretur per errores,doloréſque diuerſos ad illud extremum cum deſertoribus angulis,vitiatoribus , & poſſeſſoribus , & conſortibus ſuis ſine fine ſupplicium. Sic per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertranſiit,in quo omnes peccauerunt. Mundùm quippe appellauit eò loco Apoſtolus*[6] *vniuerſum genus humanum.*

1 *Hinc poſt peccatum.* Eſt ἀκολούθησις. Paulatim enim progreditur Auguſt. ad inſtitutum , vt doceat quàm fuerit neceſſarius Chriſtus redẽptor, quando non vnus modò Adam , ſed vniuerſum ipſum genus humanum peccato perierat.Hoc autem caput,vti & ſuperius,vice προλεγομένων fungitur ad totam futuram diſputationem , vt faciliùs primum illud ſuum αἴτημα doceat , nimirum vtri ex peccatoribus, angeline an homines ſaluandi ſint.Quod autem ait,hinc Adamum expulſum, nõ tantùm de loco paradiſi intelligendum eſt , vnde exul factus eſt Adam & eiectus à Deo,Gen.3. ver. 23.ſed etiam de ſtatu illo felici , à quo per peccatũ excidit,verſ.17.Non quòd loco & terræ ipſi felicitas hominis concluſa & alligata eſſet, & ex ea pẽderet (pendebat enim ex Dei promiſſione & verbo) ſed quòd illi loco mirum in modum Deus benedixerat , qua terræ felicitate priuandus iam erat Adam poſt peccatum , & ad eam terram co-

A lendam extrudendus quæ ſpinas & tribulos illi páreret,illóque Dei fauore careret. Hodie tamen etſi illa regio caret priſtina illa ſua benedictione, eius tamen veſtigia quædam retinet adhuc. Dicitur enim illiꝰ terreſtris paradiſi regio & pars quędam eſſe Arabia,quæ nunc appellatur felix,quę & optimum aurum & odores ſuauiſſimos etiam hodie profert.Sed quanto tempore in eo primo ſuo ſtatu vixerit Adam, & quàm longo poſt ſuam creationem tempore peccarit,planè incertum eſt, quicquid curioſi homines dicant & contendant. Nullam certè ante peccatum prolem ab Adamo ſuſceptam fuiſſe Scriptura demonſtrat, Geneſ.4. verſ.1.Sed Euam vxorem non negat ab eo cognitam. etſi eſt illud Hieronym. In paradiſo coniugium,extra paradiſum nuptiæ & coitus. Nanque Auguſtinus affirmat in libris de Ciuita.Dei & li. 13.de Trinit.ca.18. fuiſſe iam in paradiſo ipſo ante peccatum,coitum. Quod ipſum confirmat & lib.9.de Geneſ.ad lit.cap.4.& 5.manifeſtéque B cōtra Hierony.ſentit,quia,vt ait lib.2.Contra Pelag. cap.25.etiam non præcedente peccato & nuptiæ & coitus fuiſſent,ſed non vitioſa libido.

2 *Radice.* Quomodo & cur peccatum originale ex Adamo in ipſius ſtirpem & poſteros trāſierit,longa & difficilis quæſtio ſemper fuit,variéque in Eccleſia vexata propter Manichæorum & Pelagianorum argumentationes.Nam,vt ait Auguſt.libro 1. Denuptiis cap.19.vt quod dimiſſum eſt in parente trahatur in prolem , miris quidem modis fit,ſed tamen fit.Ac primùm cùm quęritur Cur ex Adamo in ſobolem manarit peccatum,videtur reſponſio facilis,quòd ordine nnturæ fit,vt è ſemine & radice vitioſa fructus & ſtirps vitioſa quoque naſcatur:ſic è ſulphureo fonte , riuus ſulphureus , è maſſa acida , panes acidi pinſuntur & fiunt. Vnde in hoc argumento & quęſtione illuſtranda alij maſſæ corruptæ & fermentatæ ſimilitudine vtuntur, cui corruptionem eā,quæ ex peccato Adami in natura humana contracta eſt,comparant exemplo Pauli Rom.9.verſ.21.vel nomine fermenti ipſius. Alij radicis & originis comparatione vti malūt,vt hîc,& ferè alibi ſemper C Auguſtinus, maximéque oleaſtri,li.1.De nup,c.19.& 32. Alij priuilegij & repræſentationis exemplo rem illuſtrant.Vt enim nobilitatus aliquis, ſi propter crimen læſæ maieſtatis cingulum militiæ & nobilitatē ſuam amittit,nō ipſe modò ,ſed & eius poſteri quoque paternæ nobilitatis ius amittūt, quia per patrem ad eos ius illud peruenit, & ratione ſanguinis,quem vniuerſum pater vtroque caſu in ſeſe repræſentat. Sic cùm vniuerſi humani generis tanquam perſonam & originem ſuſtineret vnus Adam,omnibus nobis vel ſtabat vel cadebat. Quæ exempla illuſtrant quidem ſolutionem , & iuſtam etiam eſſe probant illam Dei ſententiam, per quam propter primi parentis peccatum filij peccatores & naſcuntur & fiunt.Nā parentum æs alienū filij hęredes diſſoluere tenētur,fiúntque ex patris facto obęrati,etſi ipſi fortaſſe nondū nati erant,ac ne concepti quidem,dum eſt contractum. Certè Plutarchus philoſophus eruditiſſimus in lib.De ſera numinis vindicta , hanc ipſam ſimilitudinem & quidem aptiſſimam in alia quæſtione affert,quæ ad hoc argumentum transferri poteſt. Nam eam & rationi,& bonis moribus & legibus conſentaneam eſſe ratio ipſa docet. Ergo vt facta Adamo à Deo conceſsio,datáque conditio & felicitas A nō ipſi ſolùm ſed toti ſemini & ſoboli erat illius profutura,tanquā data ipſi radici totius humanæ naturæ poſtea creandæ & naſcendæ: ita lapſus illius toti ſemini nociturus & obfuturus erat vt apparet.Sed quæritur ſecundo loco,Quomodo peccatū Adami in poſteros tranſeat.Pelagiani reſpondent ſola imitatione trāſire & nocere.Negat Paulus & Spiritus ſanctus Rom.5.v.14.Auguſt.dixit,Facit reatum in prole vitiū originis,li.2. Contra Pelag.c.39.Ergo nō ſola imitatio,ſed ipſa origo vitiata eſt,& cauſſa peccati originalis.Alij dicūt propter libidinem & carnalem concupiſcentiam, quæ interuenit in coitu,quæque vitioſa eſt, id fieri,vt tranſeat peccatū.Alij cùm rem meliùs ſe explicaturos crederēt,ex anima parentis animam filij quaſi traducem & propaginem naſci reſpōdebant,vti ex vite ſarmētum naſcitur.Vnde nata eſt illa difficilis quæſtio De origine animæ,quam toties Auguſt.tractat,neque tamen planè definit.Et quāquam vera eſt illa Auguſtini ſententia, & certè quidem pia;li.2.de Sentent.beati Iacob.ad Hieronym.c.1,potius nobis eſſe cogitādum de remedio B peccati originalis,quod eſt in Chriſto : quàm quęrendum quomodo ad illud malū peruenimus, & in eum puteum cecidimus:tamen ſatisfaciendū eſſe puto piis quibuſdam illud quærentibus.Ergo ſic dicimus,& animam quidem ex anima tāquam ex traduce propaginem naſci conſtanter cū omni antiquitate negamus.Quomodo igitur peccatum originale quod eſt in anima,ex parente in liberos tranſit? Difficile eſt explicatu.Ac primùm quid Scholaſtici dicant in ea re,& ſentiāt,nihil moror. Fulgentius autem in li.De fide ad Pet.c.2.ait,Nō propago,ſed vitioſa libido parentum interueniēs in coitu peccatū trāſmittit in paruulos:id quod putant confirmari Pſ.51.v.7.Li.2.Cōtra Pelag.c. 40. docet fuiſſe eandem Ambroſij ſententiam Auguſtinus.Idem Auguſt.tamen ait, Originaliter peccatum tranſit,id eſt,eo modo,quo quæ naſcuntur ſuæ originis & ſeminis vitia naturaliter trahunt & retinent.Infundunt enim ſemina ſua,vitia & qualitates in ſuas ſtirpes quas procreant.Quod explicans tamen alibi ipſe,velut lib.2. Contra Pelag.c. C 6.ait peccatum non eſſe ex traduce quadam naturæ,quaſi in nos vti pars ſubſtātiæ à Deo infundatur ne credamus aut ſentiamus peccatū originale eſſe ſubſtantiæ humanæ ,aut ſeminis , ex quo filij procreantur,partem aliquam.Alij ex contagione corporis & carnis putāt animam haurire illud vitium,cùm in corpus immittitur à Deo,à quo ipſo proculdubio pura primùm & ſana creatur. Hanc ſententiam non probat Auguſt.li.2.& 3.De anima & eius origine,cui conſentit Bern.Serm.6.de Aduentu Domini.Anima ſiquidem corrupta, ait,in culpam,fecit vt corpus quoque corrumperetur in pœnam.Nos autem hoc totum ita fieri putamus, NB nimirum quia in Adamo omnes repræſentabamur,vti corpus ex corpore per ſeminis fluxum,id eſt, per modum corporibus conſentaneum vitia trahit & haurit : ita anima pura infantis etiam de nouo à Trinitate in infante & embryone creata per & propter legem parenti primo nimirum Adamo datam inficitur , modo quidem ipſi naturæ ſpirituali, apto & conueniente, ſed tamen nobis ignoto, tanquam traiiceret anima in animam , vt loquitur Auguſt. &

vitioſam illam qualitatem,ſi quidem aliqua ſimilitudine in hac re vti licet, & ita halitu animæ anima tabefieret. Non quòd tamen peccatum originale ſit ſubſtantia quædam aut halitus, vt noſtro ſeculo poſt Manichæos ſentit Illyricus, negat autem Auguſt.lib.de Natur.& Grat.ca.19. Denique huius transfuſionis vera cauſa eſt, primũ lex Adamo tanquam humani generis radici data: Deinde altera lex,per quam quod ex alio naſcitur lege naſcendi & naturæ ſimile illi naſcitur & procreatur, à quo procreatur. Ergo homo corruptus ex homine corrupto neceſſariò naſcitur.

3 *Pœna.* Non tantùm pœna,vt Scholaſtici tamen volunt,ſed & peccatum ipſum & reatus in liberos ab Adamo tranſiit. Quomodo enim punirentur iuſtè infantes, niſi & ipſi peccatum intus atque in mediis ipſis viſceribus & medullis inhærens haberent,id eſt,ipſam aduerſus Deum animi rebellionem & contumaciam geſtarent?quod aduerſus Pelagianos tam ſæpe diſputat Auguſt. Vnde dicitur cor hominis ab ipſa natiuitate eſſe prauum, Geneſ.8.v.21.Iob.14.v.4.Pſal.58.ver.4. Præterea dicimur eſſe ipſa natura filij iræ,Epheſ.2.v.2. Vt igitur aſpidis & viperæ ouum ſemen veneni in ſe habet incluſum, ita peccatum in ipſo etiam embryone & infante in vtero matris adhuc concluſo inhæret & ineſt. Quod primùm eſt tenue, vt aiunt, velut ſericum & minutiſsimum filum : pòſt autem excreſcit,vt rudens nauticus fiat, i.fortiſsimus funis, quo trahimur. Ita OEcolãpad.in Iob. 14.v.4. Ergo peccatum quoque ipſum eſſe in ipſis infantibus ſentit Auguſt.in diſputationibus contra Pelagia.vti dixi.

4 *Concupiſcentiam.* Generatio hominis carnalis eſt,& fit ex eà parte qua non eſt homo renatus, etiamſi fiat ab homine renato. Nec enim gignimus qua parte renati ſumus,ſed qua ſumus carnales,& homines.renaſcẽtia enim eſt in nobis quiddam aduentitium,quod non communicamus liberis noſtris, vti neque ſcientiam,& probitatem morum: At ipſa humana natura& caro eſt illud ipſum quod ſumus,& in nobis eſt naturale. Itaque ex ea parte gignimus , & hoc ipſum in liberos noſtros quos gignimus,transfundimus. Sic ex circunciſo patre naſcitur filius incircunciſus, ex tritico purgato naſcitur triticum impurum & cũ palea. Vnde ex renato natus regeneratione opus habet, & vitioſus eſt,lib.1.de peccat.meritis cap.16. Ergo cur Adami poſteritas peccatrix fuerit, magna & aperta ratio eſt, quæ non tantùm ex vtriuſque parẽtis, id eſt, Adami & Euæ ſemine vitioſo ducitur, ſed etiam ex modo, quo naſcitur. Nata enim eſt per concupiſcentiam carnalem,quæ etiam ipſa planè vitioſa eſt.Nam in hominis concupiſcentia incœpit poſt peccatum ἀταξία fœdiſſima habitare,quæ tranſit & communicatur generato à gignente patre. Hinc ille fomes mali & peccati , quemadmodum appellat Cyprian. in Sermo. de Circunciſione.

5 *Sine fine ſupplicium.* Illud ſupplicium eſt damnatio æterna animæ , non tantùm mors corporis, vti ſuperiori capite diximus,& libr.De anima,ca. 13.docet Auguſt.ita Chriſtus ipſe Matt.25.ver.41. Æquum enim fuit vt homo cum iis eſſet ,quibus, contempto Dei pręcepto,credidiſſet,nempe cum diabolis.

6 *Apoſtolus.* Locus eſt ſumptus ex epiſtol.ad Rom.5.verſ.12. Sic etiam dicitur De fide Ad Petr. cap.26.& in Eccleſiaſt.Dogmatib.cap.34. Mundi autem vox modò contagionem ipſam ſignificat, qua mundus pollutus eſt,1.Ioann.2.verſ.15. modò ipſas res omnes quibus mundus conſtat,modò,vt hîc,vnam tantùm mundi partem id eſt,homines. Neque omnes etiam homines intelligendos eſſe contendebant Pelagiani,ſed ſolos Iudæos , quos refutat Auguſtinus lib.De nat.& grat.ca.41.

CAP. XXVII.

Sola & magna Dei miſericordia factum,vt ſoli homines ex peccatrice natura ſpem reformationis, id eſt, redemptionis habeant,quam peccatores angeli,ſiue diaboli non habent.

Ita ergo ſe res habebant,iacebat[1] *in malis,vel etiam voluebatur , & de malis in mala præcipitabatur totius generis humani maſſa damnata: & adiũcta parti eorum, qui peccauerant angelorum,luebat impiæ deſertionis digniſſimas pœnas. Ad iram*[2] *quippe Dei pertinet iuſtam,quicquid cæca & indomita concupiſcentia faciunt libenter mali , & quicquid manifeſtis apertiſque pœnis patiuntur inuiti. Non ſanè creatoris deſiſtẽte*[3] *bonitate, & malis angelis ſubminiſtrare vitam , viuacémque potentiam, quæ ſubminiſtratio ſi auferatur, interibunt : & hominum quantumuis de propagine vitiata damnatáque naſcentium formare ſemina & animare , & ordinare membra per temporum*[4] *ætates, per locorum*[5] *ſpatia vegetare ſenſus , alimenta donare. Melius enim iudicauit de malis benefacere*[6]*, quàm mala nulla eſſe permittere. Et ſi quidem in melius hominum reformationem nullam prorſus eſſe voluiſſet , ſicut impiorum nulla eſt*[7] *angelorum,nonne meritò fieret, vt*[8] *natura , quæ Deum deſeruit , quæ præceptum ſui creatoris(quod cuſtodire facillimè poſſet)ſua male vtẽs poteſtate calcauit , atque tranſgreſſa eſt , quæ ſui in ſe creatoris imaginem ab eius lumine contumaciter auerſa violauit,quæ ſalubrem ſeruitutem ab eius legibus malè libero abrupit arbitrio,vniuerſa in æternum deſereretur ab eo,& pro ſuo merito pœnam penderet ſempiternam? Planè ita faceret,ſi tãtùm iuſtus:non etiam*[9] *miſericors eſſet,ſuámque indebitam miſericordiam multò euidentius in indignorum potiùs liberatione non*[10] *monſtraret.*

1 *Iacebat.* Hypotypoſis eſt , per quam naturæ humanæ conditio poſt peccatum graphicè deſcripta,& depicta nobis eſt. Hîc autem caput inſtituti Auguſtini verſatur , nempe vt doceat ex peccatricibus creaturis ecquæ ſpem redemptionis habeant,ecquę non. Docet autem eam in ſolis hominibus reſtare, non etiam in diabolis. Ergo homini poſt peccatum , illud Poetæ accidit, Omnia in peius ruere & retrò ſublapſa referri. Denique mundo illa omnia mala incubuerunt, quæ Ethnici de ferrea ætate mundi referunt ex veteri & per manus tradita harum rerum hiſtoria. Tum enim Deus

Ille malum virus ſerpentibus addidit atris,
Prædaríque lupos iuſſit,pontúmque moueri,
Melláque decuſſit foliis-

Quoad animum,illa euenerunt etiam quæ & Heſiodus lib.1.ἐργ. ϗ ἡμέρ. ſcribit,& Ouid.libr.1.Metamorphoſ. Fugit omnis iuſtitia , pudor,pietas,& moderatio ex hominum conſcientia. Vnde rectè Auguſtinus dixit, Homo poſt defectionẽ à Deo de malo in malum ruebat & præcipitabatur. Sed quæſitum eſt, quandiu fuerit in his malis & ruina Adam, antequam à Deo ſubleuaretur. Aliquandiu enim iacuiſſe ſignificare videtur Auguſtinus hoc loco, Iacebat, inquit, & voluebatur. Reſponſio eſt ex ſacra hiſtoria (quæ tẽpora notat & creationis, & lapſus, & vitæ Adami) intelligi poſſe, ſtatim & eo ipſo die, quo Adam cecidit, à Deo magna miſericordia ſubleuatum, & illa pulcherrima de Redemptore futuro promiſsione recreatum. Nec alia mens eſt Auguſtini. Verba enim hæc, Iacebat & voluebatur, ſic explicanda ſunt, vt ordinem, & quid poſtea factum ſit explicent, moram autem temporis longam non includant, neque deſignent.

2 *Iram Dei.* Ad iuſtam Dei animaduerſionem pertinet, quòd mali delinquũt: & ex ea proficiſcitur quòd mali puniuntur. Ergo ira hîc metonymicῶs pro punitione (quæ à iuſtè irato Deo venit) accipitur, vti apud Paulum Epheſ.5. verſu 6. Coloſſ.3. verſ.6.

3 *Non deſiſtente bonitate.* Dei Bonitas cùm ſit immenſa, non deſeruit malas etiam creaturas, quæ ſe ab eo auerterant: ſed eas fouit, & ſuſtentauit vi Spiritus ſui. Nam quatenus illæ manſerunt naturæ etiam poſt peccatum (neque enim per peccatum deſtructa eſt natura) à Deo ipſo agnoſcuntur, vti opus ſuum & proprium. Ergo etiam ab eo ſuſtinentur, vt in ſuo eſſe durent: & ita ſuſtentando, benè facit Deus etiam malis creaturis, Auguſt. lib.13. de Trinit. cap.13. qui ſi manum ſuam ſubduxerit, ſtatim deficiunt & collabuntur, Pſalm. 104. ver.29. 145. ver.15.

4 *Temporum ætates.* Mira Dei & bonitas & ſapientia & potentia in formando fœtu humano apparet. Nam per temporis interualla creſcit, & efformatur: ad quod alluſit hoc loco Auguſtin. & Pſal.139. verſ.16, commendatur tantum Dei opus. Primùm enim ſemine virili in matricem recepto, fit coagulum quoddam & maſſa, quæ dicitur γονή. Hæc die ſeptimo fit maior, & appellatur κύημα. Deinde die vigeſimo ſeptimo fit ἔμβρυον, & iam ſentit, quia in eo trium præcipuorum viſcerum deſignatio apparet, nimirum cerebri, cordis, & hepatis: niſi fortaſſe abortus fiat, aut γονῆς ἔκρυσις, id eſt, ſeminis effluxio, vt ait Ariſtot. lib.2. De generatione animalium: vel niſi etiam mola, quam Medici appellant, formetur pro fœtu. Demum quadrageſimo quinto à conceptione die dicitur fœtus humanus παιδίον, quo tempore animam illi rationalem infundi diuinitus Medici dicunt, & iam perfectus eſt omnibus ſuis membris & partibus fœtus. & ita per temporum interualla ſiue ætates & ſenſus & membra in homine ordinantur. Tamen Theologi ſentiunt animam infundi ab ipſo conceptionis momento. Tertullian. in lib. De anima.

5 *Locorum ſpatia.* Intelligit diuerſa in humano corpore loca, domicilia & membra, in quibus ſeorſim & propriè animæ facultates ſunt collocatæ, veluti vegetatiua animæ facultas in hepate, venis, & ventriculo. Senſitiua ſeu animalis in cerebro & neruis. Vitalis in corde, & arteriis. Atque ita per varia ſpatia & loca ſeparata corporis humani ſparſit ſenſus hominis & facultates animæ ſola Dei bonitas.

6 *De malis benefacere.* Locus hic tranſcriptus eſt à Lombardo lib.1. Sentent. diſt.46. cap. Quod veró. Sed & ab ipſo Auguſt. eſt tranſcriptus ex alio eius opere in hunc locum, nempe ex libr. 22. de Ciuit. Dei, cap. 1. Conſentit cum dicto Auguſtini illa Iacobi ſententia cap.2. ver.13, Triumphat Dei miſericordia ſupra iudicium eius. Quanquam enim in Deo virtutes omnes ſunt æquales, & æqualiter, rerum tamen creatarũ ratione magis Dei miſericordia ſentitur, quàm iuſtitia. Eſt igitur meſsis bonitatis Dei & illius illuſtratio, creaturarum improbitas. Nec propterea tamen malæ creaturæ ſunt laudandæ aut probandæ. Roman.3. verſ.8. nec ſit ideo peccatum neceſſarium & excuſabile, vt Pelagiani volunt, libr. de Natur. & Grat. cap.26. & 27.

7 *Nulla eſt angelorum.* Solis hominibus peccatoribus ſpes redemptionis reſtat, nulla autem diabolis. Rationem huius rei eſſe putat Damaſcenus contra Manich. quòd Diaboli proprio inſtinctu non alia ſuggeſtione peccarint. Homo verò non proprio motu: ſed alieno, id eſt, diaboli inſtinctu. Athanaſius, quòd humana natura vniuerſa in lapſu Adami perdita eſt. Vniuerſa autem natura angelica per lapſum angelorum malorum non fuit perdita, ſed pars eius. Ergo illa reſtituenda fuit, hæc non item. Quanquam Origines & qui eum ſunt ſecuti Origeniſtæ, aliud velint, præter Dei verbum tamen, poſt aliquot nẽpe annorum millia diabolos eſſe ſoluendos & beandos: quia dictum eſt Apocalypſ. 20. verſu 3. ſoluendum eſſe Sathanam. Scriptura contrà ſolis hominibus ſanguinem Chriſti ad ſalutem profuturum docet, non etiam angelis peccatoribus. Per ſolum autem Chriſti ſanguinem Deus ſuis creaturis placatur. Nec aliud vult locus Ioannis, 1. Ioan.2. ver.2. Ergo rectè idem Auguſt. ad Oroſ. contra Priſcillianiſt. & Origeniſt. ca.5. ſic ſcribit, Quantum poſſum etiam ego commoneo, vt de diaboli angelorúmque eius correctione, & in priſtinum ſtatum reparatione ſapere nihil audeas. Non quia diabolo & dæmonibus inuidemus, &c. ſed quia vltimæ ſententiæ ſummi & veraciſsimi iudicis ex noſtra præſumptione addere nihil debemus, Matth. 25. Idem De fide ad Petrum cap.3. libro 21. de Ciuitate Dei, cap. 23. Nec moueat nos quòd diabolus à Deo aliquando exauditur, veluti Iob. 1. & Matth. 8, quia non ad ſuam ſalutem exaudiuntur diaboli, ſed ad maiorem pœnam, vt reſpondet Auguſt. in 1. epiſt. Ioann. tractat.6.

8 *Vt natura.* Amplificatio eſt culpæ & peccati hominum ex variis circunſtantiis, vt oſtendatur quàm graue fuerit, & quàm iuſtè potuit homo deſeri à Deo, & nullam ſalutis & redemptionis ſpem habere. Ergo non ita leuiter de peccato Adami iudicat Auguſt. quemadmodum quidam, qui hoc peccatum appellant tantùm Gulæ: alij Superbiæ peccatum. Tertullian. ait in hoc peccato alia omnia fuiſſe & contineri, & contra omnia Legis poſtea datæ præcepta ab Adamo peccatum eſſe. Idem Auguſt. poſtea c.45. ſẽtit. Certè Infidelitatis, Apoſtaſiæ & Ingratitudinis peccatum fuit, nec mirum, ſi tam grauiter caſtigatum eſt.

9 *Miſericors.* Ergo ſola Dei bonitas & miſericordia hoc tribuit hominibus peccatoribus, vt ſpem redemptionis habeant, qui, vti diaboli, perpetuo exitio damnari poterant, & iuſtè. Potuit igitur Deus, ſi voluiſſet, & diabolos ſaluos facere, & medium eorum redemptioni aptum habere, vti ad ſaluandos homines habuit, Hebræ.2. verſu.14.

10 *Non*

A 10 *Non monſtraret.* In vulgaribus impreſsis deeſt negatio, quam addẽdam eſſe & ratio, & ſenſus docet: & eſt in manuſcripto. Prætermiſſa fortaſſe eſt, quòd in ſuperiori proximè ſentẽtia legeretur: eſt tamen & hîc manifeſtiſsimè repetenda.

DE LAPSV ET PECCATO angelorum.

CAP. XXVIII.

Angeli deſertores & mali omnes ſimul peccarũt, & manent perpetuò damnati. At boni & qui Deo adhæſerunt, æterna felicitate fruuntur.

ANgelis igitur aliquibus impia ſuperbia deſerentibus Deum, & in huius aëris imam caliginem [1] *de ſuperna cæleſti habitatione deiectis, reſiduus numerus angelorum in æterna cum Deo beatitudine & ſanctitate permanſit. Neque enim ex vno* [2] *angelo lapſo atque damnato cæteri propagati ſunt, vt eos, ſicut homines, originale malum obnoxiæ ſucceſſionis vinculis obligaret, atque vniuerſos traheret ad debitas pœnas: ſed eo, qui diabolus* [3] *factus eſt, cum ſocijs impietatis elato* [4], *& ipſa cum eis elatione proſtrato, cæteri pia obedientia Domino*[5] *cohæſerunt, accipientes etiam, quod illi non habuerunt, certam ſcientiam, qua eſſent de ſua ſempiterna, & nunquam caſura ſtabilitate ſecuri.* B

1 *Caliginem.* Μεριςμὸς eſt & partitio, per quam non modò diuerſam angelorum inter ipſos conditionem eſſe docet: ſed angelorum peccatorum & deſertorum ab hominibus peccatoribus diſsimillimam ſortem effectam demonſtrat. Quod fuit ad ſuperiorem diſputationem conſequens, vti è peccatrice natura, ecquæ ſpem redemptionis habeat, meliùs adhuc explicaretur. Poſtea de bonis Angelis, nunc de malis agit, & eorum peccato, ſiue lapſu, vt Scholaſtici loquuntur. Loci autem meminit in quem deſertores angeli deiecti ſunt, quem eſſe vult imam huius aëris noſtri, quem haurimus, caliginem. In qua tanquam carcere concluſi, & damnati, irregreſsibilis transſgreſsionis merito detinentur, vt loquitur idem lib. 8. de Ciuitate Dei. cap. 22. Idem quoque Hieronymus C in epiſt. ad Epheſ. 2. ſentit. Nam etſi per mundum vagantur diaboli, in aëre tamen iſto verſari & eos eſſe vult. Ambroſius quoque idem in ſuis in eandem epiſt. Commentariis, quòd hanc mundi partèm ad ſuam damnationem exercendam diaboli ipſi occupauerint. Alij autem putant hunc locum eſſe iis attributum, quòd ſit eorum naturæ conuenientior, quàm vel aqua, vel terra. atque ita Platonici. Auguſtinus verò libro 3. de Geneſ. ad liter. cap. 10. ait angelos ante peccatum fuiſſe in aëre puriore, poſt peccatum autem, & nunc eſſe in caliginoſo. Scholaſtici denique diſtinguunt, & eorũ, qui peccarunt, angelorum, alios in inferno eſſe, alios in aëre verſari volunt. Quorũ omniũ ſentẽtiis loci Scripturæ apertè obſtare, & refragari videtur. Quod enim Paulus appellat Sathanam aeris principem, Epheſ. 2. verſu. 2. comparatè tantùm ad hominum naturam & vires dicitur, non vt hunc locum pro domicilio illi aſſignet. Idem enim eadẽ epiſtola cap. 6. verſ. 12, dicit eum eſſe rectorem tenebrarum, non aeris. Ergo Paulus illius tantùm potentiam eámque nobis formidoloſam deſcripſit, non locum. Apertiſſimè verò Petrus, 2. Petr. 2. verſ. 4. diabolum in tartarum deiectum eſſe ſcribit. A Eſt autem tartarus infimus terræ, non autem aeris locus, vbi ſunt tenebræ illæ exteriores, quas vel Satan ipſe exhorret, etſi vbique tamen Deum ſibi infeſtum & præſentem videt. Quem eundem locum Lucas Abyſſum vocat, & ᾅδην, id eſt, infernum, 8. verſ. 44. 16. verſ. 31. Plato quoque de Tartaro aliquid ex veterũ traditione acceperat. Quare ſic eſt concludendum, Locum diabolis deſtinatum eſſe infernum. Nec verò infernum geſtabilem conſtituimus, vt quidam: neque facimus pœnas tantùm conſcientiæ: ſed etiam locum certum omnimo paradiſo contrarium eſſe cum verbo Dei affirmamus. Et quod hoc loco ait Auguſt. de aere, ex recepta ſui ſeculi ſententia dixit, non quod infernum in aere eſſe putaret, vt apparet ex li. 12. de Geneſ. cap. 33. & ad Honor. epiſt. 120. Malis autem angelis vti Deum & in aere, & vbicunque vult, certo certius eſt.

2 *Ex vno.* Notat hoc loco tres differentias Auguſtin. inter homines & angelos peccatores: quarum prima eſt ex vtrorumque creatione ducta. Nam homines ex vno omnes ſati ſunt, nempe ex Adamo: at angeli omnes ſimul & ſtatim creati ſunt, nec vnus in alio eſt, vti in Trinitate Pater in Filio. Quare ὁμοούσιοι non ſunt, ſed tantùm ὁμοιούσιοι, vt B ſcribit Fulgent. in libr. de Fide ad Petr. cap. 3. Præterea naturæ & ſubſtantiæ proprietate finiti ſunt. Denique in perfectiſſimo ſubſtantiæ ſtatu creati ſunt, ſed tamẽ creati. Vnde ait Baſil. in Pſ. 44. Homil. 11. Nullus eorum puer eſt, nullus adoleſcens, nullus ſenex, nec paulatim perfecti & exercitio creuerunt: ſed retinent eundem ſubſiſtentiæ ſuæ ſtatum, quem ab initio creationis ſuæ habuerunt. Hæc prima differentia. Secunda differẽtia ex modo peccati ſumitur. Non enim vt ad homines, ſic ad angelos malos ex vno peccatum originale propagatum eſt: ſed omnes ſimul apoſtatæ facti ſunt, ij nimirum qui à Deo defecerunt. Natura enim mutabiles facti ſunt angeli, vt ſi vellent in beatitudinis luce perſiſterent. Sin autem vellent, etiam labi poſſent. De Eccleſiaſt. dogmat. cap. 62. Vnus quidem inter deſertores fuit incentor & autor primus peccati, cæteri autem peccatores angeli communicatione & conſenſione peccarunt. Ter- C tia denique differentia eſt in pœna vtrorumque. Nam angelorum nulla ſalutis ſpes eſt: hominum autem peccatorum redemptionis ſpes eſt, nempe eorum, qui à Deo ſunt adoptati.

3 *Diabolus factus.* Vnum ex peccatoribus angelis principem & deteriorem eſſe conſtare poteſt ex Matth. 25. verſu 41. Apocalyp. 12. verſ. 9. 20. verſ. 2. vbi vnus inter alios αὐτονομαστικῶς Diabolus appellatur. Vti enim boni & fideles omnes ſub vno capite Chriſto colliguntur: ita improbi & infideles ſub vno capite Satana & Diabolo. Hunc Luciferum Scholaſtici appellant, nullo tamen authore. Nam abutuntur in eo Iſaiæ loco qui eſt ca. 14. verſu 12. vide Auguſt. libro 11. de Ciuitate Dei, cap. 14. 15.

4 *Elato.* Angelos quoſdam peccaſſe certiſſimè Scriptura docet & veteris & noui Teſtamenti. Ac veteris quidem, Iob. 4. verſ. 18. & 15. verſu 15. Noui autem, Ioan. 8. verſ. 44. 2. Petr. 2. ver. 4. Iudæ verſu 6. Sed difficilior quæſtio eſt, Quando peccauerunt & quo genere peccati, quia nec conſtat quidem quando fuerint creati, vtrùm ante cælum

A & terram, an poſtea. Certè quidam ante mundum hunc & illius exordia creatos fuiſſe volunt argumento Iob.38.verſ.7. Alij, vt Auguſtinus libro 11. de Ciuitate Dei, cap.32. & aliis etiam locis, antea tantùm creatos quàm terra, nimirum cùm dicitur Deus creaſſe cælum, & lucem à tenebris diſtinxiſſe, id eſt prima die. Quando autem peccarint, magis anceps & dubia quæſtio eſt inter Patres. Ac quidem ante hominis lapſum iam eos apoſtatas factos fuiſſe apertè Scriptura tradit, Geneſ.3. etſi quidam contrà ſenſerunt, vt docet Auguſtinus lib.11. de Geneſ.cap.14. Sed vtrùm in inſtanti ſuæ creationis, an poſt aliquod temporis interuallum peccarint, Scolaſtici digladiantur inter ſe, & ſe in duas familias ſecuerunt. Omnes angelos natura bonos fuiſſe certum eſt, & ita Auguſtinus ipſe lib.12. de Ciuitate Dei, & Baſil. in Pſal.32. Homil.8. In prima compage, inquit, ac velut maſſa ſubſtantiæ ipſorum ſanctificationis primordia ſimul iacta habuerunt. Vnde aliquanto poſt ſuam creationem tempore eos à Deo defeciſſe tradiderunt cum Auguſtino Patres. Quāquam ipſe idem B Auguſtinus libro 11. de Geneſ. cap.16. & 23. dicit diabolum nunquam in veritate ſtetiſſe, ſed ſtatim cecidiſſe. Ita in hac quæſtione varius eſt, & à ſeipſo diſſentiens Auguſtinus. Denique quo peccati genere Deum offenderint, etiam inter eos vexata quæſtio fuit. Hîc ſuperbiam & elationem animi fuiſſe, ait Auguſtinus, vti libro 11. de Geneſ. ca. 14, & 15. quia, vt aiunt Scholaſtici, diabolus ille ſe caput angelorum eſſe voluit, non ſecundum ordinē naturæ ſed gratiæ. Alij inuidētia in Chriſtum potiùs peccaſſe volunt, quòd Dei Filio ſuam conditionem inuiderit, & naturam. Bernard. Sermo.17, Cantic. Cantico. Inuidia in homines ipſos quos ſimiles angelis futuros præſcierat, & dedignatus eos ſibi fore pares, quos ſciebat eſſe inferiores. Ergo Satan in cœlo concepit dolorem: in paradiſo peperit iniquitatem, prolem malitiæ, matrē mortis & ærumnarum. Denique quàm varia & penè futilia de iis rebus ſcribantur, vide commentarios in 2. libr. Sententiar. diſtin.2. Quid nos igitur ſtatuimus? In metis iis maneamus, quæ ſunt nobis verbo Dei pręſcriptę. Nempe angelos omnes bonos à Deo fuiſſe creatos: ex iis tamen quoſdam C apoſtatas à Deo factos fuiſſe, neq; ſuam originem ſeruaſſe. Sic ſcribit Iudas in ſua epiſtola ver. 6, neque quicquam amplius. Summum autem fuiſſe illam apoſtaſiam verum eſt, & in Deum authorem ſuum incomprehenſibilem ingratitudinem. Cætera ſobriè & quantum modò Scriptura docet nobis inueſtiganda & quærenda ſunt.

5 *Domino cohæſerunt.* Duplex beatorum angelorum felicitas. Prima, ipſa Dei fruitio: Secunda, certa de illo beato ſuo ſtatu perpetuo futuro ſciētia & reuelatio ſibi à Deo facta poſt lapſum deſertorum angelorum. Sic definitur De Eccleſiaſt. Dogmat. cap.60. & 62. quanquam de eo anxia eſt Auguſtini diſputatio libro 11. De ciuitat. Dei cap. 13. Quod vtrumque mera & eadem Dei miſericordia iis contigit, qua primùm creati ſunt, non vllis eorum meritis. Itaque à Paulo boni Angeli ἐκλεκτοὶ id eſt, electi appellantur, 1. Timot.5. verſu 21. vt mera Dei gratia eos ſtare & illam felicitatem aſſecutos eſſe intelligamus, & falſa eſt de meritis Angelorum Scholaſticorum ſententia, quam ex ſubtili & arguta Anſelmi diſputatione in Dialog. De Caſu Diabo. hauſerunt. A Quidam tamen ſentiunt, quòd etiam hoc propter & per Chriſtum iis datum eſſe teſtetur Paulus in epiſtol. ad Colo. 1. verſ.21. & 2. verſu 10. Quanquam enim eodem modo bonos angelos atque homines Patri non conciliauit Chriſtus, vtrorumque tamen & caput & conciliatorem eſſe, 2. Corinth.5. verſu.18, atque commendatorem, cùm ſolo illius fauore & Angeli & homines Deo grati ſint, & vtrique vno cœtu & Eccleſiæ nomine comprehendātur. Bernard. Sermo 22. in Cant. Quo pacto tu dices, ait, Dominum Ieſum Chriſtum bonis angelis fuiſſe redemptionem? Audi breuiter, Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti angelo ne laberetur ſic illum de captiuitate eruens. Alij verò aliam illius loci Pauli Col.1. explicationem, & meo quidem iudicio, meliorem afferunt, quem Beza in ſuis commentariis primus demonſtrauit.

CAP. XXIX. B

In locum angelorum, qui ceciderunt, ex hominibus peccatoribus quoſdam eſſe à Deo ad ſalutem & ad cælum poſſidendum electos.

Placuit igitur[1] *vniuerſitatis creatori atque moderatori Deo, vt quoniam non tota multitudo angelorum Deum deſerendo perierat, ea quæ perierat, in perpetua perditione remaneret: quæ autem cum Deo*[2] *perſtiterat, de ſua certiſſimè cognita ſemper futura felicitate ſecura gauderet. Alia verò rationalis creatura quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque ſuppliciys & originalibus & propriys tota perierat, ex eius parte reparata, quod angelicæ*[3] *ſocietati ruina diabolica minuerat, suppleretur. Hoc*[4] *enim promiſſum eſt reſurgentibus ſanctis, quòd erunt æquales angelis Dei. Itaque ſuperna illa Hieruſalem, mater noſtra ciuitas Dei nulla ciuium ſuorum numeroſitate*[5] *fraudabitur, aut vberiore etiam copia regnabit. Neque enim numerum aut ſanctorum hominum, aut immundorum dæmonum nouimus*[6]*, in quorum locum ſuccedentes filiy ſanctæ matris Eccleſiæ, quæ ſterilis apparebat in terris, in ea pace, de qua illi ceciderunt, ſine vllo temporis termino permanebunt. Sed illorum ciuium numerus, ſiue qui eſt,* C *ſiue qui futurus eſt, in contemplatione eſt eius artificis*[7] *qui vocat ea quæ nō*[8] *ſunt, tanquā ea, quæ ſunt: atque*[9] *in menſura & numero, & pondere cuncta diſponit.*

1 *Placuit.* Alterum παρασκευαστικῆς diſputationis caput, Cur ex hominibus quidam à Deo ſalui fiant? Reſponſio Auguſtini, Vt damnum cæleſtiū ciuium, quod per malorum angelorum ruinam acceptum erat, ſarciretur, atque reſtitueretur. Ergo paulatim ex tot axiomatis & effatis concludit & demonſtrat Auguſtinus, cur Chriſtus homo factus ſit, eóque redemptore egeamus. Hoc eodē argumento vſus eſt, ſed ex Auguſtino, Anſelmus li.1. Cur Deus homo ca. 16. & 17.

2 *Deo perſtiterat.* Ita ſuprà cap.28. Domino cohęſerat perſpicuè & nullo addito. In impreſſis adiuncta ſunt hæc verba, Cum Deo illa deſerēte: quę ſanè verba (illa deſerente) ſunt gloſſema & barbarum & obſcurum. Ac barbarum, quòd dicendum fuerat, illam, accuſatiuo caſu, vt ad angelorum multitudinem referretur, de qua ſuprà meminit Auguſtinus, non autem fuit ſcribedū illa neutro gene-

A genere, quia nullus eſt ſenſus: nec, illa, fœminino genere, quia apertus ſolœciſmus eſt. Obſcurũ etiã eſt hoc gloſſema, etſi ex cap.27. ſumptum videtur, vbi qui in Deum peccarunt, digni dicuntur, qui deſerantur à Deo, ſed nuſquam Deus angelorum deſertor etiam malorum dicitur. Vnde hæc verba addita dubitationem inducunt, Vtrùm angeli Deũ primi deſeruerint: vel Deus angelos qui peccauerunt. Itaque cùm locum planum vel inuolueret, vel corrũperet, ſuſtulimus & deleuimus monachicum illud gloſſema.

3 *Angelicæ ſocietati.* Hæc ratio eſt propter quã putat Auguſtinus quoſdam ex peccatoribus hominibus à Deo ſaluos fieri, & in cælum euehi, vt cæleſtium ciuium numerus qui malorum angelorum lapſu & ruina imminutus fuerat, reſtitueretur, & reponeretur. In quo etiam argumentum videtur ineſſe à cauſſa ductum, eáque neceſſaria, quę eſt Dei voluntas. Cùm enim tot ciues cæleſtes eſſe Dominus in cælo & in cæleſti illa Hieruſalem voluerit, eos eſſe & tot etiam numero omnino neceſſe eſt. Neque enim, vt ipſe docet lib.14. De B ciuitate Dei ca.27, peccatorum hominum vel angelorum peruerſitas Dei decretum & prouidentiam perturbat vel impedit. Locus hic trãſcriptus videtur ex lib.22. De ciuita. Dei, cap.1. vbi ita ſcribit idem Auguſtinus. Quem (de primo homine loquens) ſimiliter cùm præuaricatione legis Dei per Dei deſertionem peccaturum eſſe præſciret, nec illi ademit liberi arbitrij poteſtatem, ſimul præuidens, quid boni de malo eius eſſet ipſe facturus, qui de mortali propagine meritò iuſtéque damnata tantum populum propter gratiam (fortaſſe gloriam) ſuam collegit, vt inde ſuppleat, & inſtauret partem, quæ lapſa eſt angelorum, ac ſic illa dilecta & ſuperna ciuitas non fraudetur ſuorũ numero ciuium, quin etiam fortaſsis & vberiore lætetur. Hactenus Auguſtinus. Hæc eadem ratio *viſa* eſt valde plauſibilis & pulchra. Itaque eam *ipſe* Auguſtinus poſtea pluribus rationibus confirmat, quam probauit etiam Gregor. Maximus homil.34. in Lucam 15. & ad illius firmamentum affert ex Deuter.32. verſu 8, locum tunc ignorantia Hebraicæ linguæ corruptiſsimum, Statuit termi- C nos populorum iuxta numerum angelorum. Eam Bernard. Sermo.1. de Aduentu Dom. laudat: & vt ſuprà diximus, Anſelmus lib.1. Cur Deus homo: & ferè omnes qui Auguſt. ætatem ſecuti ſunt, in hãc ſententiam pedibus ierunt. Petrus quoque Lombard. & Scholaſtici hoc Auguſtini dictum lubentiſsimè amplectuntur, & tranſcriptum eſt libro 2. Sent. diſt.1. cap. De homine. & diſt.9. cap. à quibuſdam. ne ſemel tantùm ab iis diceretur. Nobis ſanè non probatur hæc ratio. Ac primùm nulla authoritate Scripturæ nititur, & fundatur. Cauſſa enim ſalutis & electionis noſtræ finalis dicitur eſſe à Paulo gloria Dei, Epheſ.4. verſ.6. cum qua coniuncta eſt æterna felicitas animarum noſtrarũ. 1. Petr.1. verſu 9. Deinde Paulus in epiſt. ad Rom. cap.9. v.22.23, prorſus rationem aliam ab hac affert, cur quoſdam ex hominibus Deus ſaluos facit alios non: nimirum vt in illis oſtendat diuitias ſuæ miſericordiæ, in his autem ſuæ iræ & potentiæ. Idem 2. Tim.2. verſu 20. Hanc Pauli ſententiã ad angelos transferre fortaſſe commodiſsimè licet. Nam & illi, vti homines, ad Dei gloriam conditi ſunt, quæ gloria partim illius miſericordiæ, A partim iræ & iuſtitiæ teſtimoniis & effectis in angelos ipſos illuceſcit & ſplendet. Denique noſtræ ſalutis cauſſa dicitur eſſe Dei εὐδοκία & propoſitum: non autem angelorum lapſus & ruina. Epheſ.1. & 2. Tim.1. verſu 9. Neque dicitur Chriſtus voluiſſe reparare angelos, cùm venit in mundũ: ſed homines, qui participes ſunt carnis & ſanguinis, Hebr. 2. v.14. Melius Bernard. Sermo 54. in Cant. docet quis ſit à nobis colligendus fructus iſtius ruinæ angelorum. Repudiatio angelorum fiat emendatio hominum. Cooperetur mihi in bonum etiam diaboli malum. Si ſic actum eſt de angelo, quid de me fiet terra & cinere? Ille in cœlo intumuit, ego in ſterquilinio. Quod ſi vera eſſet Auguſtini ſententia & admitteretur, illud etiam abſurdum ſequeretur, non fuiſſe venturum Chriſtum, niſi angeli cecidiſſent, quãquam tamen homines peccaſſent, quod abſurdum etiam Scholaſtici viderunt & damnarunt. Ergo probabili potùs argutiola conſtat hæc Auguſtini ratio, quàm veritate & ſolido fundamento. Mihi certè videri ſolet hæc ſententia eſſe ex earũ rerum numero, quæ vt fœnum B & palea ſtruũtur à Patribus ſuper bono fidei fundamento, vt ait Paulus. 1. Corinth.3. verſ.12. Hac enim Auguſtini ſententia recepta, curioſa deinde illa inter ματαιολόγους quæſtio inuenta eſt, Cuius ordinis angeli per hominum electionem & ſalutem reſtitui dicantur, vtrùm primi ordinis, an medij, an tantùm poſtremi. De qua Lombardus li.2. diſt. 9. cap. Notandum. Quid ſi dixero ex Origenis erroribus eſſe profectam hãc opinionem. Ille enim ſenſit, Homines aliquando eſſe mutandos in Angelos, vt vbique docet Hieronymus. Ex quo apparet cum iudicio ſcripta Patrum eſſe legenda & probanda.

4 *Hoc enim.* Prima ratio ſuperioris ſententiæ ducta ab autoritate Scripturæ: locus eſt ſumptus ex Matth.22. v.30. fallitur autem Auguſtinus. Dicuntur enim beati ſimiles futuri angelis, ſtatu & κατά τι tantũ, non in angelos immutandi, & in eorũ locũ ſubſtituendi. Plus addidit Gregorius & ex hoc loco & eo qui eſt Eph.1. v.10. & errori errorẽ accumulans ait homines pro meriti ratione in ſuperioris vel inferioris ordinis angelos eſſe aſſumendos, Homil.24. in cap.15. Lucæ, tanquam ἀποθεώσει quadam. Quæ meræ ſunt nugæ hominum C otioſorum.

5 *Numeroſitate.* Altera ratio ab antecedenti ſic, Hic tantus ciuium numerus cœlo deſtinatus eſt ergo ſupplendus fuit, poſtquam defeciſſet & imminutus eſſet propter caſum angelorũ. Ethnici aſtra & intelligentias, quæ cœlos mouent, dicunt eſſe cœlorum incolas & ciues, non autem nos homines. Ouid. li.1. Metamorphoſ.

Néue foret pars vlla ſuis animalibus orba,
Aſtra tenet cœleſte ſolum, formæque deorum.

Ergo ſi illa caderent, ex iſta ratione oporteret homines in eorum ciuium locum ſubſtitui.

9 *Nouimus.* Verè illud hîc experimur, Abyſſus abyſſum, vt eſt in Pſ,42. Ex abſurda enim illa Auguſtini ſententia de ſupplendo angelorum deſertorum numero ex hominibus peccatoribus, qui ſalui fiunt aliud abſurdum & curioſum ſequitur, Vtrùm totidem & æquali numero homines ſaluandi ſint, quot angeli ceciderunt. Et id putãt quidã, ne vel vno ſuo ciue fraudetur cæleſtis Hieru-

A ſalem. At contrà homo audax & cæli diſpenſator, quia papa Rom. Gregorius Homil. 34. ſcribit cōfidenter tantos, & totidem ſolùm ex hominibus in cælum aſcenſuros, quot illic contigit angelos remanſiſſe. Epicurei parem numerum viuorum & mortuorum ſemper eſſe ſentiūt, quemadmodum ſcribit Tull. lib. 1. De Natura deorum. Quid iſtis facias? Pauciores electos eſſe homines, quàm reiectos Scriptura teſtatur, Matt. 7. v. 13. Denique infinitos penè angelos cecidiſſe quis non credet, quando in vno homine dæmoniaco legionem immundorum ſpirituum habitaſſe legimus? Luc. 8. verſ. 30. Ergo meliùs Auguſtinus, qui neque hîc, neque lib. 22. de Ciuita. Dei, c. 1. quæſtionem hanc definit, tam verecundo eſt ingenio, & in iis rebus præ iſtis ſobrio. Et ſanè tota hæc controuerſia ματαιολογία eſt, & malo fundamento, vti diximus, ſubnixa. quanquam eam latè perſecutus eſt Anſel. lib. 1. Cur Deus homo. cap. 18. Locus hic eſt apud Lombard. lib. 2. diſt. 9. cap. A quibuſdam. quia iſtiuſmodi homines tales nugas prætermittere non ſolent, ſed auidè arripere.

B 7 *Eius artificis.* Summā creaturæ rationalis felicitatē in Dei, id eſt, ſummi boni viſione & fruitione poſitam eſſe ſuprà demonſtratum eſt. Sed duplicem Dei viſionem etiam in defūctis Scholaſtici faciunt, duplicémque propterea beatitudinem eorum: vnam naturalem, per quam illi Deū cognoſcunt vt authorem tantùm & artificem naturæ: alteram verò ſupranaturalem, per quam ſentiunt & cognoſcunt Deum vt authorem gratiæ. Illa priori felicitate etiam philoſophi ethnici & infantes non baptizati fruuntur, aiunt: hac autem poſteriori ſoli fideles & pij. Hæc verò falſa eſt ſententia. Nemo enim hac ratione eſſet infelix, & infideles quemadmodum & fideles, felices eſſent poſt hanc vitam, & Deo fruerentur, etſi non æquè tamen. Præterea hîc Auguſtinus ipſe videtur definire felicitatem piorum & ſaluandorum eam eſſe, per quam illi Deum cognoſcent, vt artificem & authorem naturæ, & cūcta rectè diſponentem, in quo repugnat ſententiæ Scholaſticorum. Sed nec hæc ipſa Auguſtini ſententia videtur C ſatis vim & naturam veræ felicitatis explicare, quæ vnius tantùm generis eſt, & omnino ſupranaturalis, nulla autem naturalis, ſed potiùs ex ethnicis ſcriptoribus ſumpta eſſe, veluti ex M. Tullio in Hortenſio. Nam ille Auguſtino teſte lib. 14. de Trinit. c. 9, ſic ſcripſit, Vna erimus beati cognitione naturæ, & ſcientia. Auguſtinus meliùs alibi, veluti lib. 22. de Ciuita. Dei, cap. 30, Præmium virtutis, ait, erit ipſe Deus, qui virtutem dedit, eíque ſeipſum (quo melius & maius nihil poſsit eſſe) promiſit. Et deinde, Ipſe finis erit deſyderiorum noſtrorū, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic effectus, hic actus profectò erit omnibus beatis. Ergo iſta diſtinctio, Vtrùm Deū naturæ, vel potiùs gratiæ authorē videbimus cùm erimus beati, eſt planè curioſa, cùm tota illius vitę felicitas in eo poſita ſit, quòd Deo fruemur propter Chriſtum ipſo per ſe, cognoſcemúſque qualē & quātum ad ſummam noſtri beatitudinem ſatis erit & oportebit, & quatenus ille author naturæ eſt, & quatenus author gratiæ in Chriſto. Cypria. in ſermo. 2. De zelo & liuore, Beatus, ait, videndo Deū, ſimul & ſemel vnica viſione videt ſeipſum, & omnia ad beatitudinis integritatē ſibi neceſſaria. A Denique illa eſt incomprehenſibilis nobis vita & cognitio, 1. Corinth. 2. verſ. 9. & Auguſt. quoque libro 22. de Ciuitat. Dei, ca. 29. Ergo inanis eſt illa diſputatio, vtrùm rerum & artium cognitio, quam hîc ſumus aſſecuti, illic ſit manſura in nobis, poſtquam beati effecti erimus. Et quia fide ſalui ſimus & beati, quæ nobis Deum in Chriſto offert, quid de naturalium rerum & naturali Dei cognitione tunc quæremus?

8 *Vocat ea.* Locus ſumptus ex Paulo Rom. 4. verſ. 17.

9 *In menſura.* Locus eſt in libro Sapientiæ ca. 11. verſ. 21. qui ſæpè ab Auguſtino & aliis ſcriptoribus Eccleſiaſticis laudatur, de quo vide eundem Auguſt. lib. 4. de Geneſ. ad literam, cap. 3. 4. 5. 6.

DE LIBERO HOMINIS Arbitrio.

CAP. XXX.

Homines perditos neque meritis operum ſuorum, neque libero voluntatis arbitrio reparari & ſaluos fieri poſſe. B

VErùm [1] hæc pars generis humani, cui liberationem Deus regnúmque promiſit æternum, nunquid meritis operum ſuorum [2] reparari poteſt? Abſit. Quid enim boni operari poteſt perditus, niſi quantum fuerit à perditione liberatus? Nunquid libero voluntatis arbitrio? [3] Et hoc abſit. Nam [4] libero arbitrio malè vtēs homo & ſe perdidit, & ipſum. Sicut enim qui ſe occidit, vtique viuendo ſe occidit, ſed ſe occidendo non viuit, nec [5] ſeipſum reſuſcitare poteſt cùm occiderit: ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amiſſum eſt liberum arbitrium. A quo enim quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. Petri [6] certè Apoſtoli eſt iſta ſententia. Quæ cùm vera ſit, qualis, quæſo, poteſt ſerui addicti eſſe libertas, niſi [7] quando peccare eum delectat? Liberaliter enim ſeruit, qui ſui domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber eſt, qui peccati ſeruus eſt. Vnde ad iuſtè faciendum liber non erit, niſi à peccato liberatus, eſſe iuſtitiæ cœperit ſeruus. C Ipſa eſt vera libertas propter recti facti lætitiam, ſimul & pia ſeruitus propter præcepti obedientiam. Sed iſta libertas ad bene faciendum vnde erit homini addicto, [8] & vendito, niſi redimat ille, cuius illa vox eſt, [9] Si vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis? Quod antequam fieri in homine incipiat quomodo quiſquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui [10] nondum liber eſt ad operandum bene? niſi ſe vana [11] ſuperbia inflatus extollat, quam prohibet Apoſtolus dicens, Gratia ſalui facti eſtis per fidem.

1 *Verùm hæc pars.* Tertium caput huius diſputationis, quæ vicē προλεγομένων obtinet, vt de Chriſto mediatore poſtea agatur. Eſt autem de modo, per quem homines qui ſalui fiunt, redimi poſſunt. Ex iis enim, quanquā peccatoribus, quoſdā ſaluos fieri ſuprà docuit, itémq; Cur: nunc autē docet, Quomodo. In quo more Ariſtotelico progreditur, vt primùm falſas de modo ſalutis noſtræ ſententias & opiniones refutet, & tollat: ex quo quis ſit verus illius modus atque ratio conueniētiſsima meliùs poſtea definit & cōcludit. Ergo ab enumeratione & remotione falſorum ſalutis noſtræ modorum, verum & legitimum ſtatuit & con-

A conſirmat.Modus autèm ſalutis noſtræ.

quæritur vel { In nobis,
Extra nos.

Ac quidem in nobis tripliciter,

nimirum vel in { Naturæ noſtræ dignitate:
Voluntatis arbitrio:
Meritis operum noſtrorum, ſiue illa ſint à { Nobis, vt eleemoſyna:
Deo, vt fides.

Extra nos autem tribus item modis,

nempe vel in { Rebus creatis nobis ſubiectis:
Angelis beatis:
Chriſto, qui fuit Deus verus, & homo verus.

De his autem ſingulis non diſputat Auguſtinus, ſed tantùm de iis, quæ magis tunc temporis in controuerſiam vocabantur, qualia merita operum, liberum voluntatis arbitrium, & fides. De reliquis modis nihil agit. Ethnici propter noſtræ naturæ vim & dignitatem, quam maximè amplificabant, nos à Deo redimi non putabant neceſſe. Sic M. Tullius.lib.1.De B legib.eam in immenſum extollit, ſed ea per peccatum iampridem amiſſa eſt. Liberi arbitrij viribus nos ſaluos fieri Pelagiani hæretici defendebant, & meritis operum, quod erat conſequens. Id quod etiam Papiſtæ hodie contendunt: etiam olim Ethnici homines idem ſenſerunt. Sed & angelos ſiue dęmonas eos affirmabant, per quos nobis Deus omnia ſua beneficia cõferret. Itaque pro ſoſpitatoribus, vt Arnobius loquitur, & mediatoribus noſtris apud Deum eos agnoſcebant. Aduerſus hos poſtremos agit Auguſt.lib.9. de Ciuita. Dei, ca.15.& 17. Aduerſus priores duos in hoc libro. Sed à rebus nobis ſubiectis noſtra ſalus pẽdere non poteſt. Ergo ab vno Chriſto illa proficiſcitur, & ille eſt verus eius obtinendæ & vnicus modus. Cuius rei diuerſi diuerſam etiam rationẽ afferũt. Quidam, quòd cùm mediator inter Deum & homines eſſet quęrendus, eum omnino eſſe neceſſe erat, qui & Deus eſſet, & homo, vt vtroſque ſimul conciliaret & coniungeret. Talis autem fuit Chriſtus, quod neque in angelos neque in homines cadit. Alij quòd hominem & omnia hæc C reparari per eundem oportebat, per quem primùm condita erant. fuit autem is Chriſtus, qui eſt Dei verbum, & Filius ille æternus, & Sapientia, per quẽ omnia creata ſunt. Deniq; alij volũt cùm infinitæ Dei iuſtitiæ eſſet ſatisfaciendũ propter peccatũ hominis, cuius pœnã nec homo ipſe nec angelus infinitã perferre poterat, Chriſtũ ſolũ idoneũ vadem & fideiuſſorẽ eſſe potuiſſe, qui, quia Deus etiã erat, infinitæ illi Dei iuſtitiæ infinita obediẽtia & pœna planè ſatisfecit. Et hęc vera ſũt omnia.

2 *Meritis operum.* Primùm merita refutat & expungit de numero cauſſarum ſalutis noſtræ. Idẽ Auguſt. alibi, nempe in Pſal.43, De ipſa reparatione quid dicturi ſumus? ait. Merita noſtra feciſſe, vt nobis illa ſalus perpetua mitteretur à Domino? Abſit. Si merita noſtra aliquid facerent, ad damnationem noſtram venirent. Ergo quia bonus eſt Deus, non quia meruimus, gratis ſalui facti ſumus. Paulus 2.Timoth.1.verſu 9.de Deo agens, τοῦ σώσαντος ἡμᾶς, ait, καὶ καλέσαντος κλήσει ἁγίᾳ, οὐ κατὰ τὰ ἔργα ἡμῶν. & Tit.1.verſ.3, Iaco.1.verſ.18, ſola Dei voluntate id factum docetur, non vllo noſtro merito. Et 1. Pet.1. verſ.3, κατὰ πολὺ θεοῦ ἔλεος, ex multa Dei miſericordia id beneficij nobis contigiſſe apertè A pronunciatur. Luc.1.verſ.17, dicitur Deus Filium ſuum miſiſſe propter viſcera miſericordiæ. Ergo non ex noſtris meritis. Item Ioann.3. verſu 16. Auguſt. idẽ in Pſal.49, Si ergo dicis præceſſiſſe merita tua, te vis laudari, non Deum. Ideo non agnoſcis Chriſtum, qui venit cum gratia Dei. Conuerte te ad merita tua: vide illa mala fuiſſe, vt non tibi deberetur niſi ſupplicium, non pręmium. Denique, vt ait Bernard. in lib. De liber. arbitr. id totum gratiæ Dei eſt, quod creamur, ſanamur, & ſaluamur. Quæ ſunt expreſſiſſima & ſacræ Scripturæ & Patrum teſtimonia. Sed hîc quoque argumentatur Auguſtinus à repugnantibus. Non poteſt enim homo perditus & nequã mereri quid apud Deum. Nam de meriti ratione hæc tria ſunt:

1. Vt opus noſtrum ſit, non alterius opus:
2 Vt bonum ſit omnino & integrè: 3. Vt tanti valoris ſit tantique pretij, quanti res ipſa, quam eo opere & facto mereri dicimur.

Et quod Meriti voce nõnunquã vtũtur Patres, vti Cypria. & Hierony. & Auguſt. ipſe, ſententiam huius loci non euertit, ſed, quemadmodum eodem loco B Bernard. explicat, quia per conſenſum voluntarium Dei voluntati coniũgimur & conſentimus eo ipſo nos flectente & inclinãte, mereri dicimur, & vt homines etiam ad bene agendum magis incitarentur. Hoc ergo totum, ait, liberi opus eſt, hoc ſolum eius meritum, quòd conſentit. Non quidem quòd vel ipſe conſenſus, in quo omne meritum conſiſtit, ab ipſo Deo nõn ſit, cùm nec cogitare aliquid à nobis tanquam à nobis, ſufficientes ſimus. Hæc Bernardus. Idem ſer.67. in cantica. Non eſt quò gratia intret, vbi iam meritum occupauit. Nam ſi quid de meo ineſt, in quantum meum eſt, gratiam cedere illi neceſſe eſt. Deeſt gratiæ quicquid merito deputas. Nolo meritum, quod gratiam excludat. Horreo quicquid de meo eſt. Gratia reddit me mihi iuſtificatum gratis. Nec tu me elegiſti, ait ſponſus, ſed ego elegi te. Nec vt te eligerem: tua inueni merita, ſed præueni. Item Serm.68. Sufficit ad meritum ſcire quòd non ſufficiant merita. Nam & de meritis quid ſollicita ſit anima, cui de propoſito Dei firmior ſuppetit, ſecuriórque gloriandi ratio? C

3 *Voluntatis arbitrio.* Secundo loco liberum voluntatis noſtræ arbitrium refutat & tollit, quod tamen à Pelagianis ſtatuebatur eſſe & modus & cauſſa noſtræ ſalutis. Contra quos & in epiſtolis variis & in diſputationibus ſuis egit Aug. tomo ſeptimo. Hic error quanquam eſt à Papiſtis renouatus, ne in Manichæorum & Iouiniani deliria inciderent, è quibus illi volũt hominem peccatum vitare omnino non poſſe; hic autem hominem nũquam peccare poſſe, vt ait Auguſt. ſermo. 192. tamen quia doctiſſ. I. Caluinus aduerſus Albertum Pighium Campenſem ex omnibus Auguſtini, itẽ veterum Patrum & Conciliorum ſcriptis, ſententiis & monumentis hunc locum luculentiſsimè explicauit, in eo nos erimus breuiores. Nam & ipſe Auguſtinus hoc loco ſui dicti magnas fortiſſimáſque rationes affert. Liberum arbitrium quid ſit tantùm explicabimus. Liberum arbitrium à Scholaſticis dicitur non quælibet voluntas, ſed neque ea tantùm, quæ ſponte, nulláque vi & coactione aliquid appetit, ſed ea demum, quæ ad bonum & malum quid expetendum & agendum æ-

A qualiter vi ſua & propria electione animi ſe habet,fertur,& inclinatur.Sic Magiſter Sentent.lib. 2.diſtin.25.& Vignierius in Inſtitutio. Hoc Græci Theologi non ita abſolutè liberum agnouerũt. Dicunt illi quidem αὐτεξούσιον & αὐτοθελούσιον eſſe in nobis, propterea quòd quæ facimus bona , etſi Deo nos ad ea flectente volumus,voluntas tamen & aſſenſus ipſe in nobis eſt, & ille animæ rationalis motus, per quem aliquid velle dicimur. Neque enim per peccatum voluntas in nobis periit, ſed bona tantùm voluntas.Libertas igitur electionis & voluntatis in protoplaſto homine fuit, quæ poſtea per peccatum amiſſa eſt:non autem voluntas in homine amiſſa eſt,vt ait Auguſt.lib.3. Hypognoſti.quaſi ſit ſtipes, aut truncus homo. Omni enim humanæ naturæ ineſt illa voluntas, qua appetitur quod placet, declinatur quod diſplicet. Ambroſ.lib.1.de vocatio.Gentium.cap.2.& cap.3, Homo à diabolo non voluntate priuatus eſt, ſed voluntatis ſanitate. Quæ ergo natura erat bona, qualitate facta eſt mala. Et certè ea ratione qua liberum arbitrium illi definiunt,neque in Deum, B neque in Angelos beatos verè cadit, quia neutri ad vtrumque,id eſt,bonum & malum æquè ſponte feruntur. Ex Bernard.li. De grat & liber.arbit. triplicem libertatem iidem perturbatè conſtituunt,à peccato nimirum, à miſeria,& à neceſſitate. Nos igitur libero arbitrio propter peccatum carere ſatis Paulus docet, cùm ait nos in peccatis mortuos eſſe, filios iræ eſſe, & velle & perficere eſſe in nobis à Deo ipſo non à nobis,Coloſ.2.ver. 13.Epheſ.2.ver.1.3.Philip.2.verſ.13. Huic autem conſentit quod eſt Eccleſiaſt.dogmat. cap. 21. 22. 23.24.25. & apud Ambroſij libros duos De vocatio.Gentium.Denique apud Bernard.lib.De gratia & libero arbit. Itaque natura & neceſſariò iam peccamus,etſi non coacti tamen. Sed Deo voluntatis noſtræ motum & primum & ſecundum flectente ad bonum,bona agimus,non perfectè quidem, ſed tamen velle ipſum & aſſentiri non erat nobis ereptum : Bene autem velle prorſus amiſimus. Vnde poſsibilitas credendi in nobis manet, fides autem ipſa Dei gratiæ donum eſt.Quare ſemper retinenda nobis eſt illa Auguſt. ſententia in C Epiſto.46.ad Valent.Liberum eſt hominis arbitrium ex gratia Dei ,ſine cuius adiutorio liberum arbitrium nec conuerti poteſt ad Deum,nec proficere in Deo. Quanquam autem omnino meliùs Liberj arbitrij appellatio inter nos ceſſaret, cùm propter Adamum iam ſit omnino ſerua peccati voluntas noſtra : illam tamen appellationem Patres retinuerunt, ne philoſophorum argutiis & cauillis premerentur, quaſi coacti & inuiti peccaremus, & bonæ leges (quæ pœnam malis hominibus ſtatuunt,bonis autem præmia) ex Chriſtianorum doctrina tollendæ eſſent & damnandæ.

4 *Nam libero.* Prima Auguſtini ratio à conſequenti neceſſario ſic,Homo libero voluntatis ſuæ arbitrio ſaluus iam fieri poſt peccatum non poteſt,quia nullum ampliùs habet.Idem habetur.De eccleſiaſt. Dogmatib. cap.22. Tranſcriptus eſt quoque hic locus à Lombardo libr.2. diſt.25. cap. Eſt namque libertas.

5 *Nec ſeipſum.* Secunda ratio à ſimili ducta. Vti enim corporaliter mortuus ſeipſum excitare non poteſt:ita neque qui ſpiritaliter periit, quod nobis omnibus per Adami peccatum contigit.li. 3.De lib.arbit.cap.20. Vitæ autem illius ſpiritualis & primæ pars erat liberum illud arbitrium, vti ſuprà dictum eſt.Aug.li.14.de Trinit. c.4. Homo Dei imaginem in ſe reformare nõ potuit, etſi potuit diſſormare.Ergo à Paulo dicimur ſerui peccati,& in peccatis mortui.Rom.6.v.6.& 20. Quòd nullas niſi ad peccandum vires iam habeamus. Ex quo etiã apparet falſa ex Auguſtini mente Scholaſticorum ſententia, qui liberum arbitrium & vires ad bene agendum in nobis nõ omnino extinctas putant,ſed tãtùm vulneratas & ſemimortuas. Imbecilles igitur eſſe,reſtare tamen ſemiuiuas cõtendunt.Quod eſt cum Pelagianis proximè conſentire.Et quod ex libr.De natur. & grat. cap. 43. ex Auguſtino afferunt,nihil eos iuuat.

6 *Petri.* Tertia Auguſtini ratio à definitione ſeruitutis, quæ apud Apoſtolum Petrũ & paſſim in verbo Dei extat.2.Pet.2.verſ.19.Ioann.8.v. 34.Rom.6.verſ.20. Eſt autem hæc , Seruitus eſt ſubiectio,per quam quis iam non ſuam,ſed victoris aut alterius dominantis ſibi voluntatem facit. B Sumus autem ſerui peccati:ergo peccati voluntatem facimus. Iuriſconſulti ad ſuum inſtitutum accommodatè aliter ſeruitutem definiunt, nimirum eam ſubiectionem,per quam quis in nos vitę neciſque poteſtatem habet. Item per quam iam non ſumus noſtri iuris,ſed alieni. quæ definitio cum hoc dicto rectè quadrat.

7 *Niſi quando.* Quæ ſit & reſtet in nobis voluntatis libertas docet , nempe hæc, quòd cùm malè agimus, hoc ipſum volentes agimus, & nos ſummoperè delectet. Natura enim malum & vitium appetimus,vti piſcis aquam. Nam prauum eſt cor noſtrum à natura,Geneſ.8.verſ.21.Iob. 15. verſ.16. Ergo hæc ſola eſt libertas noſtra , quòd neque coacti neque inuiti peccamus,ſed volentes & lubentes.Quę vtrùm libertas potiùs,quàm grauiſſima & teterrima ſeruitus dici debeat ,videant docti,vt qua ſignificatione arbitrium noſtrum liberum ſit dicendum intelligatur , & quomodo omnino impropriè ita appellatur. Et certè Lombard. qui aliquot ſententias ex hoc capite tranſcripſit , hanc non veram libertatem eſſe ingenuè agnoſcit & fatetur,imprimíſque li.2. diſt.25. cap. Iſtam libertatem.

8 *Addicto.* Quarta ratio à contrario ſumpta, C Qui peccato addictus eſt & vẽditus, niſi priùs redemptus liber eſſe non poteſt. Hoc autem verum eſſe cõmunis ſeruorum,& eorum qui ab hoſtibus capiuntur, aut ſerui væneunt conditio oſtendit. Sumus autem venditi & addicti omnes per Adamum parentem noſtrum peccato, Rom.7.v.14. Ergo ab eo liberi nõ ſumus,niſi priùs à Deo redimamur & liberemur. Robuſtiſſimum & firmiſſimũ argumentum cõtra liberi arbitrij defenſores.

9 *Illa vox.* Quinta ratio ab authoritate Chriſti , qui docet nos tum demum eſſe liberos & à peccati ſeruitute exemptos , cùm nos ipſe liberauit.Locus eſt apud Ioan.8.v.36.& ad hanc quæſtionem accommodatiſſimus.

10 *Qui nondum.* Sexta ab abſurdo & ἀδυνάτῳ. Qui liber non eſt ad bene operandum,nulla opera bona præſtare libero arbitrio poteſt. Effectus enim cauſſam arguit & requirit naturæ ordine præeuntem. Quæ cauſſa ſi abeſt,nec erit effectus. Item & à coniugatis argumentum ductum videri poteſt.

A 11 *Niſi ſe vana.* Stomachatio & iuſta indignatio Auguſtini aduerſus eos qui liberum hominis arbitrium inducebant. Hæc autem erat tunc recens Pelagianorum ſententia nondum confirmata. Quid Auguſtinus faceret, ſi hoc noſtro ſeculo Scholaſticorum diſputationes audiret, non modò aduerſus ſua tanta támque diſertè & verè ſcripta, ſed etiam contra Dei verbum, contra concilij Mileuitani, Vercellenſis, Africani decreta, liberum arbitrium decernentes & reuocantes? Duplex tamen error & præcipitium hîc nobis eſt fugiendũ. Quoſdam, ait Auguſtinus in Euãgel. Ioan. tractat. 53, nimia ſuæ voluntatis fiducia extulit in ſuperbiam: & quoſdam nimia ſuæ voluntatis diffidentia deiecit in negligentiam. Vtrumque igitur hoc vitium in hac diſputatione cauendum eſt, ne quia caremus libero arbitrio ſtudium pietatis abiiciamus: aut illud nobis falſò vindicantes, quæ Dei gratia in nobis efficit, nobis tribuamus. Locus autem quem Auguſtinus citat, ex Paulo ſumptus eſt in epiſt. ad Epheſ. 2. v. 8. Ad huius autem quæſtionis tractationem videndus tractat. Auguſt. 53. B in Ioannis Euangelium.

Cap. XXXI.

Non fidei ipſius noſtrę dignitate nos ſaluos fieri.

ET ne ipſam ſibi ſaltem fidem ſic[1] arrogarent, vt nõ intelligerent diuinitus eſſe donatam, ſicut idem Apoſtolus alio loco ſe dicit, vt[2] fidelis eſſet, miſericordiam conſecutum, hîc quoque adiunxit, atque ait, Et hoc[3] non ex vobis, ſed Dei donum eſt, non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Et ne putarentur[4] fidelibus bona opera defutura, rurſus adiecit, Ipſi[5] enim ſumus figmentum creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Tunc ergo efficimur[6] verè liberi, cùm Deus fingit, id eſt, format & creat, non vt homines,[7] quod iam fecit, ſed vt boni homines ſimus, quod nunc gratia ſua facit: vt ſimus in Chriſto Ieſu noua creatura, ſecundum quod dictum eſt,[8] Cor mundum crea in me Deus. Neque enim cor eius, quantum pertinet ad naturam cordis humani, non iam C *creauerat Deus.*

1 *Arrogarent.* Nec meritis, nec libero arbitrio nos ſaluos fieri ſuprà demonſtratum eſt. Tertio iam loco docet nec ipſa fidei noſtræ dignitate. Eſt enim fides eximium quoddam opus, quod vnum Scriptura maximè commendat, & de quo probabiliùs, quàm de vllo opere noſtro quæri potuit, Num noſtræ ſalutis cauſſa eſſet. Eſt autem hîc hypophora duplex. Vna, quę ex Pauli dicto fieri potuit, Salui eſtis fide. Ergo illa, non autem Dei gratia, ſaluos nos facit. Eſt autem fides opus noſtrũ. Ergo operibus iuſtificamur, & ſalui ſimus. Hæc etiam Scholaſticorum argumentatio eſt, cui reſpondet Auguſt. ne noſtrum eſſe reſponſum homines putent, ſed antiquiſſimi ſapientiſſimíque Patris & doctoris eſſe intelligant. Ait enim, ne fidei quidem noſtræ dignitate & merito nos fieri ſaluos. Eſt quidẽ fides ſumma & præcipua Chriſtianorum virtus, quæ maximum inter omnes iuſtitiæ partes locum obtinet, vt ait Auguſt. idem libr. 4. de Ciuita. Dei, cap. 20. & Ambroſius libr. 3. De virgin. & libr. 1. De offic. cap. 29. Vnde etiam dicitur omnis iuſtitia ſumere initium, in epiſt. 105. ad Sixtũ. Denique per quam iuſtus viuit Habac. 2. & per quam maximè Deo ſumus accepti, A quanquã Thomas Aquinas charitati potiùs quàm fidei vim merendi tribuit. Sed in his tantis fidei laudibus primùm diſtinguendũ eſt quid ipſa noſtra fides per ſe valeat: quid propter ipſius obiectum, i. Chriſtum, & alieno beneficio poſſit. Per ſe quidem & qualis eſt in nobis fides ſi ſpectemus, eſt imperfecta, manca, polluta, & infidelitate conſpurcata & commixta, vt ne virtutis quidem nomine verè digna ſit, nedum vt mereri quid apud Deum poſſit. Ex parte enim tantùm credimus. Sin ſpectetur fides ex vi & merito Chriſti, id eſt, ſui obiecti ratione, illas laudes omnes habet, vt nos iuſtificet, ſaluos faciat, viuificet, Deo gratos reddat. Atque ita ſunt non Scripturæ modò, ſed & Patrum de laudibus fidei dicta accipienda, ne peſſimo errore quod Chriſti proprium eſt, ad inſtrumentum per quod ipſe à nobis apprehenditur, id eſt ad fidẽ turpiſſimè & magna cum blaſphemia trãsferamus. Chryſoſtomus idem in epiſt. ad Galat. ca. 3, quod nos hoc loco ſentit. Ergo fidei ἀξίωμα non eſt ex ipſius vi, ſed ex Chriſto. Deinde fides etiam hæc, per quam Chriſtum μεσίτην & σωτῆρα apprehendimus, eſt Dei opus in nobis, non B noſtrum. Textus Pauli apertiſſimus, quem Aug. hîc etiam laudat. Vnde idem Auguſtinus ad Sixt. epiſt. 105. Non humano arbitrio, non vllis meritis præcedentibus fides tribuenda eſt, Ait Ambroſ. li. 1. c. 9. De vocat. Gent. nõ niſi ex Dei munere fides habetur. Et quanquam poſt Irenæum li. 4. cap. 72. Auguſt. in libr. De ſpirit. & litera, cap. 31. diſputat, Vtrùm fides ſit in noſtra poteſtate an non, rectiùs tamen quàm Irenæus cõcludit, Eatenus fidẽ eſſe in noſtra poteſtate, quatenꝰ fides eſt cõſenſio, ſed vt cõſentiamus, Deus dat. Eadẽ etiã ratione fides, quæ merè eſt Dei opus in nobis, noſtra dicitur, quia etſi Deus in nobis eã format & ſerit, ipſe aſſenſus tamen, qui in ea requiritur, in nobis eſt & noſter, etſi à Deo eò inflectitur, vt credat. Quæ ſunt autem in nobis, ea quoque à nobis eſſe videntur, & noſtra appellantur. Atque hac ratione fides dicitur noſtra vel noſtrum opus.

2 *Vt fidelis eſſet.* Sumptus eſt locus ex 1. ad Cor. 7. v. 25, vbi hallucinatur Auguſtinus. Vox enim πίσις, qua Paulus vtitur, non fidelem, ſed fidum C propriè ſignificat, vt rectè vidit, obſeruauítque Theologus diſertiſſimus Theodorus Beza. Muneris enim ſui ratione ſe fidum vocat Paulus, non autem fidei in Chriſtum ſuæ.

3 *Et hoc.* Locus eſt apud Paulum Eph. 2. v. 8. 9. Idem 2. Theſſ. 2. v. 2. Vide Eccleſ. dogmat. cap. 42. Eſt autem confirmatio ſuperioris ſententiæ ab authoritate Scripturæ.

4 *Et ne putarentur.* Altera Hypophora quę ex proxima ſententia Pauli oritur. Cùm enim dicat Paulus, nos non ex operibus ſaluos fieri, quæritur vtrùm bona opera damnemus. Hoc idem nobis obiicitur hodie, cùm docemus ſola fide homines coram Deo iuſtificari, nos inquam, bona opera in hominum contemptum adducere, vt poſtea negligantur. Hoc autem Scripturę dicto iampridem homines Epicureos, & ἐμπαίκτας abuſos eſſe teſtis eſt Iacob. in epiſtola ſua cap. 2. Reſpondet igitur ex Paulo Auguſt. non propterea bona opera reiici, aut ſperni, cùm ideo nos elegerit Dominus, & ea præparauerit, vt in iis viuamus & ambule-

A mus.Et certè fides,vt ait Ambroſius lib.1.ca.8.De vocat. Gent.omnis bonæ voluntatis & iuſtæ actionis eſt genitrix.Et paulò pòſt idem,Proprium ergo hoc habet noua creatura per gratiã, qui figmentum Dei ſunt,qui natiuitate cæleſti conduntur in Chriſto, non vt otio torpeant, nec deſidia reſoluantur,ſed de virtute proficiant,per viam bonorum operum ambulando.Hæc Ambroſius.Sed eo magis fides nos ad bona opera prouocare debet,quòd per eam incipiunt fieri vtilia, quæ ante fidem à quocunque fierent, & quãtumuis pulchra & ſpecioſa viderentur,erant inania & inutilia. Auguſt.in præfatio.Pſal 31.lib.12.De trinitate cap.7. Sed cùm ea opera in nobis coronat Deus,non noſtra merita,ſed ſua in nobis dona coronat, lib.50. Homil.14.

5 *Ipſi enim.* Locus eſt apud Paulum Epheſ.2. v.10.vbi *ποίημα* Figmentum veteres omnes vertũt: meliùs Opus.

6 *Tunc ergo.* Concluſio ſuperioris diſputationis de libero arbitrio, quæ breui digreſsione B interrupta fuerat,vt Pauli locus explicaretur. Concludit igitur tunc eſſe liberum, poſtquam à Deo de peccati ſeruitute, cui ſe addixit,fuerit liberatũ. In libro De vera innocent.cap.152,Arbitrium, ait, voluntatis tunc eſt verè liberum, cùm vitiis peccatiſque non ſeruit:quod amiſſum, niſi à quo potuit dari,non poteſt reddi. Hæc quæſtio vexata fuit,& Irenæus dubius in ea fuiſſe videtur,ſi lib.4. cap.9.cum cap.71.& 72.conferatur. Sed quia doctiſſ.Nicolaus Galaſius in ſuis in Irenæum commentariis explicat Irenæi mentem , non attingemus.Chryſoſtom.in liberi arbitrij laudes nimius omnino eſt.Obiicitur.Quid igitur? Præcepit Deꝰ impoſſibilia homini, ſi nihil niſi peccare poſſumus. Primùm reſpondeo hoc fuiſſe Pelagianorũ argumentum. Deinde dico & concedo quod etiã fatetur Hierony.lib.3.Aduerſ. Pelagia. Deus poſſibilia nobis mandauit. Quod ipſum Auguſtinus explicans libro De natura & gratia cap.43.ait.Primo quidem homini poſsibilia illa erant,qui ſanus & inculpabilis factus eſt,& libero arbitrio atque ad iuſtè viuendum poteſtate libera conſtitutus. C Nobis autem impoſsibilia, quos ſemiuiuos in via latrones reliquerunt. Ergo leuis eſt illa obiectio. Non enim Dei culpa ſed noſtra,non ſoluendo facti ſumus per peccatum Adami. Vnde verè Hieronym.ad Dardan.epiſtolar.Tom.3. Si non fecero quæ præcepta ſunt, nequaquam erit culpa in promittente, ſed in me qui promiſſum accipere non merui. Nec ſanè iſta Scholaſticorum ſententia eſt admittenda, Nos tunc perfectè legem Dei impleuiſſe,cùm quantum in nobis fuit,accedente Dei gratia,præſtitimus. Ad alia enim nos nõ obligari.Contrà Paulus,Galat.3.v.10.docet omnia lege Dei præſcripta eſſe implenda à nobis. Nec etiã illa Bernardi ſententia Sermo. De triplici genere Bonorum eſt vera(*Aut vix, aut nunquam inuenitur aliquod præceptum datum hominibus , quod tranſeat terminos poſſibilitatémque naturæ:*) niſi ex Auguſtini ſuperiori ſentẽtia explicetur.Melius idem Sermo. 50.Cantic.*Nec latuit*,ait,*præceptorem præcepti pondus hominum excedere vires: ſed iudicauit vtile ex hoc ipſo ſuæ illos inſufficientiæ admoneri , vt ſcirent ſanè ad quem iuſtitiæ finem pro viribus niti oporteret. Ergo mandando impoſſibilia non præuaricatores homines fecit,ſed humiles,Vt omne os obſtruatur. Accipiẽtes enim mandatum & ſentientes defectum,clamabimus ad cœlũ.* A At aiunt, ~~Ergo ſimus ſtipites~~. Reſponſio, Ne hoc quidem. Voluntas enim in nobis reſtat, ſed mala tantùm. At excipiunt, Inuiti igitur peccamus nõ volentes.Reſp.Neque hoc rectè concluditur.Peccamus quidem neceſſariò, ſed volentes tamen & ſponte,& lubenter,non inuiti,non coacti:quia vt ſæpe docet Auguſtinus, ~~differt neceſſitas à vi &~~ coactione.

7 *Non vt homines.* Nouam creaturã fieri quid ſit, rectè explicat Auguſtinus hoc loco , Eſſe non ſubſtantia,ſed qualitate tantùm fieri nouam. Nec enim natura in nobis per peccatum deſtructa eſt, ſed vitiata tantùm & corrupta , vt ex bona, mala prorſus redderetur.Idem dicit Ambroſius. & lib. 1.De vocat.Gent.ca.8.nouam creaturam fieri,eſſe de imagine hominis terreni in imaginem hominis cæleſtis,id eſt,Chriſti reformari. Dicit Paulus nouum hominem,Coloſſ.3.ver.10. Appellat alibi Nouam creaturam,2. Corinth.5.v.17.quia non in vna tantùm noſtri parte, ſed in omnibus & mentis & voluntatis partibus immutari nos oportet, vt tales fiamus,quemadmodum totus homo, non B tantùm pars eius aliqua corrupta eſt. Hæc noua creatio dicitur etiam regeneratio,quæ à quibuſdã carnaliter fieri debere olim inter Iudæos intelligebatur, quemadmodum ex Nicodemi ad Chriſtum reſponſo apparet,Ioan.3.Inde etiam quidam voluerunt iam reſurrectionem mortuorum factã eſſe, vti docet Paulus 2.Timoth.quòd craſſum & carnalem huius reuocationis efficiendæ modum conciperent,& renouationem cum reſurrectione carnis confunderent. Verbo creandi vtitur Pſal. 51.v. 12.& renouandi.Creandi etiam verbo τοῦ κτίζειν vtitur Paulus. Quæ phraſes ex 1.Samuel.10.v.6.& 10.poſſunt explicari.

8 *Cor mundum.* Locus eſt Pſal.51.verſu 12. qui eſt inſignis.

Cap. XXXII.

Nos ne ex parte quidem ſalutis & bonæ voluntatis noſtræ cauſſam eſſe , ſed eam ex vna & ſola Dei miſericordia pendere.

C *IAm ne quiſquam [1] etſi non de operibus,de ipſo glorietur libero arbitrio voluntatis,tanquam ab ipſo incipiat [2] meritum, cui tanquam debitum reddatur præmium,bene operandi ipſa libertas , audiat [3] eundem gratiæ præconem dicentem. Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle,& operari pro bona voluntate. Et alio loco [4],Igitur non volentis , neque currentis , ſed miſerentis eſt Dei. Cum [5] proculdubio ſi homo eius ætatis eſt, vt ratione iam vtatur, non poſſit credere, ſperare, diligere niſi velit,nec peruenire ad palmam ſupernæ vocationis Dei , niſi voluntate cucurrerit. Quomodo ergo non volentis , neque currentis , ſed miſerentis Dei , niſi quia & ipſa voluntas ſicut ſcriptum eſt,à Deo præparatur? [6] Alioquin ſi propterea dictum eſt,non volentis neque currentis , ſed miſerentis eſt Dei, quia ex vtroque fit,id eſt,ex voluntate hominis,& miſericordia Dei: vt ſic dictum accipiamus , non volentis , neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei tanquam diceretur [7] , non ſufficit ſola voluntas hominis ſi non ſit etiam miſericordia Dei, non ergo ſufficit ſola miſericordia Dei , ſi non ſit etiam voluntas hominis. Ac [8] per hoc ſi rectè dictum eſt,nõ volentis hominis, ſed miſerentis eſt Dei , quia id voluntas homi-*

A *nis ſola non implet, cur non & è contrario rectè dicitur, non miſerentis eſt Dei ſed volentis eſt hominis, quia id miſericordia Dei ſola non implet? Porrò ſi nullus Chriſtianus dicere audebit, non miſerentis eſt Dei, ſed volẽtis eſt hominis, ne Apoſtolo apertiſſimè contradicat, reſtat, vt propterea rectè dictum intelligatur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, vt totum*[9] *Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandum, & adiuuat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, ſed non omnia: quæ autem non præcedit ipſa*[10]*, in eis eſt & ipſa. Nam vtrunque legitur in ſanctis eloquiis,*[11] *Et miſericordia eius præueniet me, & miſericordia eius ſubſequetur me. Nolentem præuenit, vt velit: volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit. Cur enim admonemur orare*
[12] *pro inimicis noſtris vtique nolentibus piè viuere, niſi vt Deus in illis operetur & velle? Item cur admonemur petere, vt accipiamus, niſi vt ab illo fiat quod volumus, à quo factum eſt, vt velimus? Oramus ergo pro inimicis noſtris vt miſericordia Dei præueniat eos, ſicut præuenit & nos: Oramus autem pro nobis vt miſericordia eius ſubſequatur nos.*

B 1 *Ne quiſquam.* Hypophora etiam eſt, per quam, quod poſtremum reſtabat, & nobis à Scholaſticis obiicitur, excutit examinátque Aug. Num ex parte liberum ſit arbitrium noſtrum ad bene operandum, vt bonę actionis noſtrę pars vna nobis, altera Dei gratiæ ſit tribuenda. Quod planè negat Auguſtinus. Vnde fit, vt ne ex parte quidem ſalutis noſtræ cauſſa ſimus, neque mereamur. Ex toto enim, & in ſolidum nos non poſſe, ſuprà demonſtratum eſt.

2 *Ab ipſo incipiat.* Poſt Pelagianos Scholaſtici omnino id ſentiunt & tuentur quod hoc loco damnat Auguſtinus, in quo tamen emollita & mitigata videbatur Pelagianorum gratiam Dei ſpernentium nimis dura ſententia. Nimirum ita nobis noſtróque libero arbitrio cum Dei gratia conuenire, vt nos quidem primi incipiamus, conemur, optemus bene operari: id tamen ſine Dei gratia inefficaciter fiat. Vide epiſtol. Hilarij Arelatenſ. epiſcopi ad Auguſtinum. Itaque Dei gratia accedit, qui conatum illum voluntatis noſtræ infirmũ C & ipſum per ſe iam bonum, ſed non ſatis ad agendum potentem, ſed tamen attollentem ſe erigit, corroborat & auget, vt iam operari poſsit, & exequi quod conabatur. Gratiæ Dei operãtis & præuenientis voluntatem noſtram mentionem facit Petr. Lombard. lib.2. diſt.26. item & cooperantis quæ voluntatem hominis iam bonam effectam ſequitur in adiuuando. Poſterior tamẽ ætas & noua Scholaſtica impurior fuit quã Lõbardus, quæ negauit etiam in corruptæ huius noſtræ naturę ſtatu hominem ſpeciali Dei auxilio egere, niſi in iis quę ſunt ardua & factu difficilia. ita Viguier. in Inſtitutio. Quidam autem hîc diſtinguũt, vt in iis quidem rebus quę ad vitam hanc mortalem pertinẽt, putent nobis ſupereſſe liberum arbitrium, nõ autem in iis quæ ad vitam æternam nos deducunt. Alij tertiam opinionem ſequuntur, nimirum vt velint in mediis bonis, qualés ſunt animæ potentiæ, veluti motiua, appetitiua, ſenſitiua, liberũ nobis arbitrium conceſſum eſſe & reſtare. In ſummis autem bonis, qualis eſt ratio & virtus, non eſſe. Afferunt dictum Auguſtini lib.1. Retractat. ca. 9, In mediis, inquit, bonis inuenitur liberum voluntatis arbitrium: ſed Auguſtini mentem non percipiũt, qui ideo tantùm liberũ appellauit, quòd A & bene & malè iis animi facultatibus vti poſſumꝰ. Nihil autem certius afferri poteſt ex Auguſtini ſententia, quàm quod hoc loco ab eo & quidem iam ſene & variis Pelagianorũ diſputationibus exercitato ſcriptum legimus, neque initium, neque augmentum, neque præparationem, neque progreſsionem bonæ voluntatis noſtræ à nobis eſſe, ſed prorſus & planè à Deo miſerante. Quod idem in libr. De gratia & libero arbitrio, & variis epiſtolis ſuis confirmat & repetit, veluti ad Bonifac. epiſtol 106. Sed qui ſecutus eſt proximè Auguſtini & ætatem & doctrinam Fulgentius, idẽ quoque ſcribit in lib. De fide ad Petr. ca.32. Diuinis mandatis obedire nemo poteſt, ait, niſi quem Dei gratia præuenerit. Compilator etiam dictorũ Auguſtini in libr. De Eccleſiaſt. Dogmat. cùm tunc paſſim & vno conſenſu illa in Eccleſia nota eſſent & probarentur, à cap. 40. vſque ad cap.57. facit cum hoc loco apertiſſimé. Itaque cap.51, In omni opere bono, ait, non nos incipimus, & poſtea per Dei gratiã adiuuamur: ſed ipſe nullis pręB cedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſui ipſius inſpirat. Loci Scripturæ ſunt ij, quos laudat hîc Auguſtinus, & Ioan.15.verſ.5. 2. Corinth.3.ver.5. Philip.1.verſ.29. 2. verſu 13. Heb.13.verſu 21. facit enim vt faciamus, & vt velimus. Confirmat verò Auguſtinus hanc ſuam ſententiam aduerſus iam ortas & inualeſcentes illo ſeculo Pelagianorum hæreſes. Et certè videtur hic locus Hieronymum perſtringere, qui lib.3. contra Pelagia. ſcripſerat, Noſtrum eſt incipere, Dei autem perficere: etſi alibi idem Auguſtinus citat Hieronymum tanquam liberi arbitrij oppugnatorem, libro De natura & grat. cap.45.

3 *Audiat.* Prima ratio ab authoritate Scripturæ ducta. Locus eſt Philipp.2.v.13. vbi vox *Εὐδοκία*, quam Paulus vſurpat, omnem noſtri rationem excludit. Pelagiani à Deo eatenus meritũ, & opus bonum, & bonam voluntatem eſſe fatebãtur, quatenus ipſe naturam largitus nobis eſt: cætera autẽ noſtra eſſe, & quemlibet ex ſe eſſe virtutis ſuæ authorem & artificem. Quicquid pro hominis con C ſyderatione & laude afferri poteſt, prorſus expũgit vox *εὐδοκία*.

4 *Et alio loco.* Aliud Scripturæ teſtimonium ſumptum ex epiſtol. ad Roman. cap.9. verſu 16: Exod.9. ver.16. Idem Auguſtinus lib.1. Ad ſimplicia. Quæſt. 2. de hoc loco agens, vbi ſatis oſtendit, ait, etiam ipſam bonam voluntatem in nobis Deo operante fieri. Nam ſi quæramus, vtrùm Dei donum ſit voluntas bona, mirum ſi negare quiſquam audeat.

5 *Cùm proculdubio.* Ratiocinatio eſt, quàm ex dicti huius interpretatione efficit & colligit Auguſtinus. De iis agit Paulus non qui inuiti currũt, non qui per ætatem nondum habent velle: ſed de iis qui volentes currunt, de quibus affirmat, Neq; volentis, neque currentis &c. Ergo hoc vult, ipſam illam bonam voluntatem, per quam currunt, Dei opus in illis eſſe. Certum enim eſt neminem niſi volentem, & credere, & bene oporari poſſe, teſte ipſo Auguſtino Hom.26. Tomo 9. Ergo à remotione falſæ interpretationis veram colligit.

6 *A Deo præparatur.* Tertium Scripturæ teſtimonium quod etiam lib. De eccleſiaſt. Dogmat. ca.41. citatur, dicitúrque eſſe Salomonis per Spi-

A ritum ſanctum loquentis. Videtur locus eſſe ſumptus è Prouerb.20.verſ.24.quanquam verba Hebræa nihil ſimile ſonē ,ſed hoc modo , A Domino ſunt greſſus viri fortis, & mortalis quomodo intelliget viam ſuam? Id quod accidiſſe probabile eſt propter Hebræi ſermonis imperitiam. Sed ſui temporis lectione contentus fuit Auguſtinus, quemadmodum & in lib. De ciuit. Dei, illi religio eſt à veteri interpretatione, quam LXX. fuiſſe putat, diſcedere, ne quid in Eccleſia innouaret. Malo igitur ex eo ca.20. locum hunc tranſcriptum eſſe, quàm ex cap.21.verſ.2. vel 16. cap.2. vel Sapient. cap.6.verſ.4. Huic etiam ſimiles ſunt alij in Scriptura loci, qui Auguſtini ſententiam planè confirmant, veluti Hier.10.verſ.23 31.verſu 33. Ezech.36. verſ.27. Heb.13.21. 2. Corinth.3. verſ.5. vbi ne idonei quidem ad boni quicquam ex nobis ipſis cogitandum dicimur. quem locum explicans Auguſtinus, Attendant, inquit, hîc & verba iſta perpendant, qui putant ex nobis eſſe fidei initium, & ex Deo eſſe fidei ſupplemētum. Quod idem de omni bona voluntate ſentiendum eſt. Ergo bona voluntas non eſt, quemadmodum Pelagius ſcripſit, naturalis: non item præmium meriti noſtri: non item facultas liberi arbitrij: ſed Dei donum, ídque B omnino. Nec obſtat quod idem Auguſtinus Liberi arbitrij vocē & appellationem retinet. Explicat enim quid ipſe ea voce intelligat. Apertè enim alibi illud ſeruum nòminat lib.1. Contra Iulia. & captiuatum eſſe in nobis affirmat, lib.3. ad Boniſac.ca.8. Denique ea tantùm de cauſſa à ſe liberum vocari docet, ne quis excuſet ſuum peccatum, & videatur vi & coactus peccare, non ſponte volens. Ad Anaſtaſ. epiſtol.44. Sic & Meriti nomen etiam aliquando retinet Auguſtinus, ſed nihil aliud apud eum Meritum ſignificat quàm Dei donum & opus in nobis. Ad Valentin. epiſt. 46, Non quia nullum eſt meritum, ait, vel bonum piorum, vel malum impiorum. alioqui quomodo iudicabit Deus mundum? Sed gratia & miſericordia Dei conuertit hominem &c. Bernard. Sermo. 61. in Cantic. Cantic. Meritum proinde miſeratio Domini. Nec planè ſum meriti inops: quan-C diu ille miſerationum non fuerit. Non etiam obſtat quod eſt Ezech.18.verſu 31. & Prouerb.16.v.1, vbi preparatio cordis dicitur eſſe ab homine. Hoc enim irridet Salomon, cùm rerū ipſarū euentum & conſilij executionem doceat ab vno Deo pendere. Quòd autem eſt Ezech.18.ver.31. oſtendit quale eſſe debeat noſtrum ſtudium ad Dei dona, & Spiritus ſancti opus amplectendum & conſectandum, non autem docet quid ipſi poſſimus.

7 *Tanquam diceretur.* P. Lombardus lib.2. diſt. 26. cap. Voluntatem. hunc locum tranſcripſit.

8 *Ac per hoc.* Tertia Auguſtini ratio à conſequenti. Nam euincit fore, vt contra apertiſsimam Pauli ſententiam rectè dicatur & concludatur nō miſerentis Dei eſſe, ſi ex parte fidei & bonę voluntatis noſtræ nos etiam authores ſumus, & non in ſolidum Deus.

9 *Totum Deo.* Γνώμη & ſententia inſignis literis aureis ſcribenda & notanda, Idem in Io. Hom. 49. Nemo ſe palpet, de ſuo Satanas eſt: id vnde beatus eſt, à Deo habet. & li. De natura & grat. c. 52. Quid enim de tuo habes, niſi peccatum? Tolle tibi peccatū quod tuū eſt. Nā tua iuſtitia Dei eſt.

10 *Non præcedit ipſa.* Bona hominis voluntas omnes honeſtas actiones noſtras præcedit. Nec A enim facere quicquam honeſti niſi volentes poſſumus. Ambroſ. lib.1. De vocat. Gent. cap.2. Bona voluntas omnium virtutum germen eſt primum, quæ & ipſa, vt ait idem, ſuperni agricolæ prima plantatio eſt in nobis. Eadem autem bona hominis voluntas non præcedit naturam in nobis, vitam, & ſenſum quo mouemur, quæ & ipſa ſunt Dei dona. Priùs enim eſſe nos & viuere, moueri & ſentire oportet, quàm vel voluntatem omnino, vel etiam bonam voluntatem habeamus: quia etſi in homine vna tantùm numero anima eſt, diuerſis tamen temporum momentis eius facultates naſcuntur & ſuccreſcunt in nobis, inter quas primùm vis vegetandi exoritur: poſtea ſentiendi, demum & poſtrema ratiocinandi facultas elucet, cuius pars eſt ipſa hominis volūtas, & huius ipſius ſpecies eſt Bona voluntas. Ex hoc loco Scholaſtici duplicem Dei gratiam diſtinguunt & conſtituunt, vnā quam Præuenientem vocant: alterā: quam Subſequentem: & vtranque ſeparant ab ea, quam Operantem appellant. Petrus tamen Lōbardus eandem & operantem & cooperantē gratiam: facit atque ipſam illam operātem nihil aliud eſſe definit, quàm Dei gratiā, quæ hominis voluntatem præuenit, li.2. diſt.26. c.1. & ca. Hîc cōſyde- B randum. Alij aliter. Præuenientem enim gratiam dicunt eſſe, quæ nos aliò diſtractos admonet cogitare de ſalute noſtra, vti Vignie. ita peſſimè cū ſuo magiſtro boni diſcipuli conſentiūt. Plana eſt Auguſtini ſententia, totum Deo eſſe adſcribendum & tribuendum, ſiue initia, ſiue progreſſus, ſiue cōplementa & fines fidei & bonæ voluntatis noſtræ ſpectemus. P. Lombardus manifeſtiſsimè totum locum hunc corrupit addita voce hac, Iuuat. Sic enim legit libro 2. diſt.26. cap. Ipſa tamen. Vnde Auguſtinus in Enchirid. ait, Præcedit bona volūtas hominis multa Dei dona, ſed non omnia: quæ autem non præcedit, ipſa in eis eſt, & ipſa iuuat. Qua voce, Iuuat, addita, quis non videt mentem Auguſtini planè euerſam, & cùm hanc addit, falſi Lombardum teneri? Sic enim ipſe poſtea ſuum illud, Iuuat, explicat cap. Non eſt tamen. Et ipſa iuuat, ait, quia ea iuuat, quibus præuenitur, dum eis conſentit ad effectum boni. Vnde poſtea inualuit C in ſcholis diſputatio de adiutorio Dei, gratia de Congruo & de Condigno, & tandem hęc ſententia, Nos eſſe Dei cooperarios, & partē boni operis nobis vindicandam eſſe. quod huic Auguſtini loco prorſus & apertè repugnat.

11 *Et miſericordia.* Quarta ratio duplici authoritate Scripturæ ſubnixa. loci ſunt apud Dauidem. prior quidem Pſal.59.v.11. poſterior autē Pſ.23. v. 6. vbi non Subſequetur, ex verbi Hebręi ſignificato interpretandum eſt, ſed Proſequetur me.

12 *Iubemur orare.* Quinta ratio à conſequenti: Si iubemur orare Deum, vt immutet malam infidelium voluntatem, Ergo ille eſt author bonæ voluntatis. Neque enim fruſtrà Deum orare iubemur, aut ab eo illa petere docemur, quæ dare non poteſt. Inimicos autem noſtros hîc videtur Auguſtinus infideles accipere, quanquam dictum Chriſti generaliter intelligendum eſt. Locus eſt Matth.5. ver.44. Et quod ait, Monemur petere, ſumptum eſt ex Matth.7. ver.7. De huius ſententiæ, quam hîc citat Auguſtinus, explicatione, vide lib. eiuſdem De natur. & grat. cap.32.33.

DE CHRISTO MEDIATORE.

CAP. XXXIII.

Chriſtum noſtrum mediatorem eſſe, & apud Deum reconciliatorem, quia ſingularis ſacrificij, id eſt, ſui oblatione nobis Deum placauit.

Tenebatur[1] *itaque iuſta damnatione genus humanum, & omnes erant iræ filij, de qua ira*[2] *ſcriptum eſt, Quoniam omnes dies noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus. Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur. De qua ira dicit etiam Iob, Homo enim natus ex muliere breuis vitæ, & plenus iræ. De qua ira dicit etiam Dominus Ieſus*[4], *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem non credit in Filium, non habet vitam æternã, ſed ira Dei manet ſuper eum. Non ait, Veniet, ſed Manet ſuper eum. Cum hac quippe omnis homo naſcitur. Propter quod dicit Apoſtolus* [5] *Fuimus enim & nos natura filij iræ ſicut & cæteri. In hac ira cùm eſſent homines per originale peccatum, & tanto grauius, & pernicioſius, quanto maiora vel plura inſuper addiderunt, neceſſarius erat mediator, hoc eſt reconciliator, qui hanc iram ſacrificij ſingularis*[6] *(cuius erãt vmbra omnia ſacrificia Legis &*[7] *Prophetarũ) oblatione placauit. Vnde ait Apoſtolus,* [8] *Si enim cùm inimici eſſemus, recõciliati ſumus Deo per mortẽ Filij eius, multò magis reconciliati nunc in ſanguine eius ſalui erimus ab ira per ipſum. Cum autem Deus iraſcitur, non enim ſignificatur perturbatio qualis eſt in animo iraſcẽtis hominis, ſed ex humanis moribus tranſlato vocabulo vindicta eius, quæ nonniſi iuſta eſt, iræ nomen accepit. Quod ergo per mediatorem reconciliamur Deo, & accipimus Spiritum ſanctum, vt ex inimicis efficiamur filij (quotquot enim Spiritu Dei aguntur*[9]*, hi filij ſunt Dei) hæc eſt gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

1 *Tenebatur itaque.* Concluſio eſt totius ſuperioris diſputationis. Poſtquam enim docuit genus humanum, quod vniuerſum per peccatum periit, neque meritis, neque libero arbitrio redimi potuiſſe, concludit mediatore Chriſto omnino & neceſſariò habuiſſe opus. quem locum ordine iam ingreditur Auguſtinus. Eſt enim explodenda Valentinian. ſententia, qui animas propter ſuam naturam ſaluari aiunt, vt eſt apud Irenæum lib. 2. ca. 50. Ac primùm quanta & quàm formidabilis ſit illa ira Dei, quam per peccatum in nos attraximus, explicat, vt eo beneficium Chriſti & maius & ſuauius, & magis etiam neceſſarium eſſe percipiamus. Idem Auguſt. li. 4. cap. 1. De trinita. Perſuadendum nobis eſt, ait, quantum nos dilexerit Deus, & quales dilexerit. Ac quãtũ quidẽ, ne deſperemus. Quales autem, ne ſuperbiamus. Meliùs autem vtrunque oſtendi non poteſt, quàm cùm tanta fuiſſe illa noſtra per peccatum miſeria docetur, quod hoc loco facit. Quanquam etiam, quemadmodum ſcribit Bernardus ſermone 3. De nata. Domini, ex conſyderatione remedij, ipſius periculi noſtri quantitas & grauitas æſtimari debet & facilè poteſt.

2 *De qua Ira.* Ira Dei quam peccato meruimus, qualis ſit & quàm horrenda, tribus Scripturę teſtimoniis exponit Auguſtinus. E quibus primum eſt, quod hoc loco laudat, & eſt ſumptũ ex Pſ. 90. v. 9. quæ verba malè ex Hebræis verſa ſunt, ſed ab vſitata & iam recepta lectione non receſſit Auguſtinus: idque non faciundũ in epiſtola quadam ad Hieronymum ſua, contẽdit. Ergo pro iis verbis, Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur: ita eſt, Cõſumpti ſunt anni noſtri ſicut cogitatio euanida. Peccatũ itaque hoc attulit nobis, quòd breuiſſima, laborioſiſſima, & mortalis iã facta eſt vita hominis. Chryſoſt. Homil. 35. in Ioã. Euãgel. Bern. in Sẽtent. Triplici morbo laborat genus humanũ, principio, medio, & fine, id eſt, natiuitate, vita & morte. Natiuitas immunda, vita peruerſa, mors periculoſa. Certè non potuit meliùs explicari quanta ſit illa pœna, quàm cùm Mors appellatur, eáque duplex, animi nimirum & corporis, Geneſ. 3. ver. 19. Roma. 6. ver. 23. Mortem enim Deus non fecit, ſed eam in nos peccatum inuexit, vt eſt Sapient. 1. ver. 13 Auguſtinus ipſe in lib. De Geneſ. ad literam imperfecto, cap. 1. ait, Pœna peccati eſt cũ ipſis creaturis non ſibi ſeruientibus cruciatur anima, quia Deo ipſa non ſeruit: quæ creatura illi obtemperabat, cùm ipſa obtemperabat Deo. Ex quo apparet Auguſtinum pœnã peccati, non ſolo corporis cruciatu aut vitæ huius mortalitate metiri & definire, ſed animæ etiam pœna grauiſsima. Nec obſtat quod idem lib. 21. De ciuitat. Dei, cap. 11. ait quoſdam putare iniuſtum, vt pro peccatis quamlibet magnis paruo ſcilicet tempore perpetratis, pœna quiſquam damnetur æterna. Nam in qua menſura menſi fuerimus, remetietur nobis, ait Chriſtus Mat. 7. Sed reſpondet Auguſtinus, non propter æquale temporis ſpatium, ſed propter viciſsitudinem mali (id eſt, vt qui mala fecerit, mala patiatur) illa menſura dicta eſt. Quæ Auguſtini ſolutio fortaſſe omnibus non ſatisfaciet. Alia eſt ratio Bernardi epiſt. 253. his verbis. Ob hoc enim inflexibilis & obſtinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum: quia quod breue fuit tempore vel opera, longum eſſe conſtat in pertinaci voluntate, & ita vt ſi nunquã moreretur, nunquam velle peccare deſineret. Sed nec iſta Bernardi ſententia ſatisfacit. Alger. lib. 2. de ſacra Euchar. cap. 7. ſic ſoluit ex Gregorio lib. 4. Dialog. cap. 44. Deus non temporalem actionem, ſed perpetuam boni vel mali remunerat vel damnat voluntatem. Sed neque hæc ſolutio ſatis placet, quanquam ex Chryſoſtomo Homil. 37. in Ioan. Euangel. cap. 5. ſumpta eſt Breui tempore peccatũ patratur, morbi tormenta diuturna ſunt. Non enim tempore peccata, ſed peccantium animus indicatur. Melior hæc Anſelmi. Cum conſidero actionem meam, ait, leuiſsimum quiddã video eſſe: ſed cùm intueor quòd ſit contra Dei voluntatem, grauiſsimum quiddam & nulli damno comparabile intelligo. libro 1. Cur homo deus, capite 21. Addenda eſt illa recentiorum Theologorum ratio & ea quidem optima hęc nempe, Quòd cùm Deus, qui per peccatum offenditur, ſit & eſſentia, & dignitate infinitus, infinitam pœnã meretur qui peccat. Quaquâ verſus enim patet, & quolibet etiam infinito tempore manet offenſa illa Dei maieſtas, vt de ſuæ pœnæ grauitate peccator conqueri meritò iam non poſsit.

NB

3 *Etiam Iob.* Alterum & ſecundum Scripturæ teſtimonium, ex quo intelligitur quàm miſera vita hæc mortalium per peccatum effecta ſit. Id quod etiam ethnici homines ſcripſerunt. Vnde

A illæ apud eos vulgares ſententiæ,

Οὐκ ἔςι βίον εὑρεῖν ἄλυπον ἐν οὐδενί:
Τυφλὸν δὲ ϗ δύςηνον ἀνθρώποις βίος.

Heſiodus libr.1.ἔργ.ϗ ἡμέρ. idem. Locus autem hic ſumptus eſt ex Iob.14.v.1. qui etiam malè redditus eſt, & pro eo quod ſcribit Auguſtinus; Plenus iræ: eſt legẽdum, Plenus trepidationis vel tremoris: quanquam אף pro ira accipi nonnunquam, cùm ita ſenſus loci poſtulat, conceſſerim.

4 *Dominus Ieſus.* Tertium teſtimonium ex Ioan.3.v.36.

5 *Apoſtolus.* Omnes nos naſci filios iræ propter Adami peccatum ſcribit Paulus Epheſ.2.v.3 Filij iræ dicuntur homines morti deſtinati, tanquam quos ipſa ira pepererit. Sic filij contumacię dicuntur alibi à Paulo Coloſſ.3.verſu.6. tanquam quos contumacia ipſa genuerit. Dicit autem Paulus φύσει nos tales eſſe, nimirum vt deprauata eſt peccato iam noſtra natura, non vt ab initio recta facta eſt à Deo, Auguſt.li.13.de Trinita. Ergo φύσει in nobis dicitur illa corruptio, etſi eſt noſtræ primæuæ naturæ accidentaria, quia tã altè & profundè in nobis omnibus inhæret & radices egit, B vt ſeparari non poſſit, neque omnino deponi, niſi morte. Itaque eſt illa naturæ noſtræ vitioſitas hodie prorſus ἀχώριςος. Ex quo factum eſt, vt eadem Hæreditaria corruptio à Theologis appelletur, quia ex parentibus tranſiit in liberos omnes.

6 *Singularis.* Quæ ſalutis noſtræ partes ſint, & vt ſingulæ in vno Chriſto quęrendę, poſtea ſuo loco explicabitur. Eſt enim factus nobis iuſtitia, ſanctificatio, redemptio, 1.Corinth.1.verſ.30. Hoc autem loco illud tantùm annotandum eſt quod ait Auguſtinus hoc ſacrificium mortis Chriſti eſſe ſingulare, id eſt, non tantùm eximium, ſed vnicum, &, vt ipſe poſtea eodem lib. cap.62, loquitur, vnum. Idem lib.4.de Trinit.cap.13, morte ſua, ait, vno quippe veriſſimo ſacrificio quicquid culparũ eſt, purgauit, de Chriſto loquens. Idem libr.3.ad Bonifac.ca.6. Quæ omnia, ait, fuerunt figuræ carnis Chriſti, quod eſt verum & vnicum ſacrificium C pro peccatis, non ſolùm his quæ vniuerſa in baptiſmate diluuntur, verùm etiam his quæ poſt ex huius vitæ infirmitate ſubrepunt. Conſentit cũ epiſto.ad Heb.9.v.26.& 28.& 10.verſ.12. Bernard. etiam ſermo.22. ſuper Cantic. eodem modo & ſignificato Singulare vocat. Paſſio tua, inquit, vltimum refugium, ſingulare remedium. etſi vixit Bernardus iam corrupto ſeculo, & poſtrema verorum Theologorum ætate. Cyprian. in Sermo. De Baptiſmo. Oblatio Chriſti in carne facta non minus hodie in conſpectu Dei efficax eſt quàm eo die, quo de ſaucio latere ſanguis & aqua exiuit. Ex hoc loco intelligitur, quàm longè ab Auguſtini mente recedãt Scholaſtici, & ij qui Miſſam iteratum eſſe mortis Chriſti ſacrificiũ volunt. Quanquam autem ętas quę Auguſtinum ſecuta eſt Euchariſtiam ſacrificium aliquando nominauit, quo tamen ſenſu acciperet, apertè explicat, nimirum pro gratiarum actione & commeratione tantùm carnis Chriſti, quæ pro nobis oblata eſt (in libr. De fid. ad Petr.cap.19.) non pro oblatione: quanquam meliùs & ſapientiùs omnino Sacrificij nomine & appellatione veteres abſtinuiſſent.

7 *Prophetarum.* Non diſtinguit hîc Auguſtinus ſacrificia Prophetarum à legalibus, tanquam alia eſſent & diuerſi generis. Nam iis ipſis Prophetæ vtebantur quæ Lex præſcribebat, nec ſibi A ſeorſim & ſeparatim externum, & alium Dei cultum inſtituerant. Pſal.43.74.84.& Pſalm.26.v.6. Ne vel Papiſtæ vel Donatiſtæ hinc ſibi patrocinium ſumãt. Sed ita loquitur Auguſtinus, vt ætatem tantum Legis datæ & Prophetarum diuerſam notet, quorum ſeculo eadem illa ſacrificia vigebant. Sic dicit Chriſtus, Habent Moſen & Prophetas. & Luc.24, Lex, Prophetæ & Pſalmi diſtinguuntur inter ſe.

8 *Si inimici.* Locus eſt Rom.5.v.10. Argumentum eſt ab anthoritate Scripturæ.

9 *Quotquot.* Locus inſignis, vbi vni gratiæ Dei vindicat & aſſerit Auguſtinus totam ſalutem noſtram. Locus autem hic ſumptus eſt ex Paulo Rom.8.v.14.

CAP. XXXIIII.

Chriſtum (qui λόγος, ſiue ſermo Dei eſt) vt eſſet noſter apud Deum mediator, & reconciliator, carnem aſſumpſiſſe, idque ex virgine Maria. B

De quo mediatore[1] *longum eſt, vt quanta dignum eſt, tanta dicantur, quamuis ab homine dignè dici non poſſint. Quis enim hoc ſolum congruentibus explicet verbis, quòd Verbum*[2] *caro factum eſt, & habitauit in nobis, vt crederemus in Dei Patris omnipotentis vnicum Filium, natum de Spiritu ſancto, & Maria virgine? Ita quippe Verbum caro factum eſt, à diuinitate*[3] *carne ſuſcepta, non in carnem diuinitate mutata. Carnem*[4] *porrò hîc Hominem debemus accipere, à parte totũ ſignificante locutione, ſicut dictum eſt, Quoniã*[5] *ex operibus legis nõ iuſtificabitur omnis caro, i. omnis homo. Nã nihil naturæ*[6] *humanæ in illa ſuſceptione fas eſt dicere defuiſſe: ſed naturæ ab omni peccati nexu omnimodo*[7] *liberatæ, non qualis de vtroq; ſexu naſcitur per concupiſcentiã carnis cũ obligatione delicti, cuius reatus per regenerationem diluitur: ſed qualem de virgine naſci oportebat, quem fides matris, non libido*[8] *cõceperat. Quòd ſi vel per naſcẽtẽ corrumperetur eius integritas,*[9] *non iam ille de virgine naſceretur: cúmque falſò, quod abſit, de virgine natum tota confiteretur Eccleſia, quæ imitans eius matrem quotidie parit membra,* C [10] *& virgo eſt. Lege, ſi placet, de virginitate ſanctæ Mariæ meas literas ad illuſtrem virum, quem cum honore & dilectione nomino,*[11] *Voluſianum.*

1 *De quo mediatore.* Commendatio eſt huius argumenti à rei ipſius dignitate, ſimilis ei quæ eſt in epiſt.ad Hebr.5.ver.11. Vocat enim Paulus hoc non modò Myſterium, ſed etiam μέγα, 1,Tim.3.v.16.& ipſe Auguſtinus de Agone Chriſtia.c.20. Sacramentũ vocat, quo nomine præclariſſima quæque fidei dogmata & arcana veteres commendare ſolent, imprimis autem Cyprianus. Et ait Bernar. ſermo.10, Tria fecit omnipotens illa Dei maieſtas mirabiliter ſingularia. coniuncta enim tunc ſunt ad inuicem Deus & homo: mater & virgo: fides & cor humanum. Quibus etiam hoc quartum addi poteſt, iudex & aduocatus. Ac quidem Chriſtum eſſe noſtrum apud Deum mediatorẽ, id eſt, reconciliatorem, quemadmodum ſuprà expoſuit Auguſt.cap.proximo, teſtis eſt locupletiſſimus Paulus 1.Timoth.2.v.5, Vnus Deus, vnus mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus. Idem autem

A tem Auguſt.libr.2.Contra Parmenia.c.8.non eſſe plures mediatores docet. Mediatorem autem Paulus μεσίτην appellat, non autem tantùm μέσον. Eſt quidem Chriſtus humanæ naturæ, quam aſſumpſit, ratione inter Deum & homines quoſlibet μέσος, id eſt medius, quia vtriuſque naturę diuinę inquam & humanę particeps eſt, ſed idem Chriſtus fidelium tantùm & piorum, nõ etiam infidelium, aut quorumuis hominum, μεσίτης eſt, & reconciliator. In hoc autem argumento explicando ordine progreditur Auguſtinus, & pulcherrima methodo. Cùm enim in hunc locum de Chriſto mediatore duæ quædam præcipuæ queſtiones incidant,

nimirum
1 Qualem oportuerit eſſe mediatorem noſtrum.
2 Quid eum pro nobis redimendis præſtare, id eſt, agere & pati neceſſe erat:

Prior quæſtio ad naturas quæ in vna & eadem Chriſti perſona inſunt, explicandas pertinet: poſterior ad eius officium & opera, id eſt, mortem, reſurrectionem, & aſcenſionem deſcribendam. Et quia quæ de Perſona quæſtio fieri poteſt, ordine cauſ- B ſarum & naturæ prior eſt, ab ea primùm in hoc argumento Auguſtinus orditur. Difficilis ſanè quæſtio & immenſum mare in quo enauigando multi ſcopuli ſunt nobis vitandi, quos author lib. De Eccleſiaſt. dogmatib. c.2.& 3, breuiter enumerat. In quo fuerũt Patribus leues velitationes præ iis pugnis & certaminibus, quæ habemus atrociſſima aduerſus Nearianos noſtri temporis & Syluanitas peſſimos. Ac primùm etſi redemptio noſtra totius Trinitatis opus eſt, vt ſcribit Auguſt. lib.13.c.11.de Trinit. tamen Filio ſiue Verbo Dei tribuitur, quatenus materia ſalutis noſtræ ſpectatur & conſyderatur à nobis, quæ tota eſt in vno Chriſto. Sed & quidam, vt ait Auguſt.li. Quæſtio. Veter.& Noui teſtamenti quæſtio.113.& de Agone Chriſtia.cap.11. incongruum eſſe id putant Filij Dei perſonæ, vt hominis filius naſceretur, decẽ menſium faſtidia ſuſtineret, partus expectaret aduentum, & reliqua quæ iis ſimilia collegit Hierony. in epiſt. ad Damaſ. De filio prodigo: tamẽ cùm cauſſa facti intelligetur, & infinita illa Dei erga nos clementia cogitabitur, non fuiſſe Filio Dei C indignum hoc opus, facilè omnes concedent. Nã quæri poteſt, Cur Deus & Dominus noſter de ſacris & cæleſtibus ſedib. ipſe venit, & num alius ex his, quos ipſe Dominus ſanctos Angelos vocat? Num potuit alio modo Deus nos ſaluos facere? Reſpondet Auguſtinus libr. 13. de Trinit. cap.10. 11.& 17, Deo, cuius poteſtati omnia æqualiter ſubiacent, alius modus, ſi voluiſſet, poſſibilis non defuit. Sed noluit ille, cuius voluntas non niſi iuſtiſſima & ſapientiſſima ſemper eſſe poteſt. Deinde Athei quærunt magna cum ſubſannatione, Num potuit Deus per aliam perſonam quàm per Filiũ hoc negotium gerere? Sed reſpondet Auguſt. libr. De agone Chriſtia. c.11, Etſi diſplicet auaris quòd Chriſtus aureum corpus non habuit: impudicis, quòd ex fœmina natus ſit: ſuperbis, quòd contumelias paſſus ſit, vt ſua vitia defendant: tamen nõ fuit conuenientior neque congruentior modus per quem ſalui fieremus, & ad immortalitatem adduceremur, quàm vt Chriſtus moreretur, & quod erat manens in ſe, à nobis & pro nobis aſſumeret, quod non erat. Cauſſa etiam poſcebat, vt Filius veniret non Pater, ait Auguſtinus queſt.113. Veter.& Noui teſtamenti, quia ipſum ad diabolũ A comprimendum venire oportuit, cuius dignitatem & meritum diabolus vſurpaſſet. Poſt Patrem enim Deum, dici diabolus deus voluit, quod ad Filium pertinet. Hæc Auguſtinus. Sed hæc poſterior ratio leuior eſt, quam tamen velut grauiſſimã Scholaſtici & Lombard. imprimis amplectitur. Illa verò longè ſolidior, quæ lib.13.de Trinit. ca.18. apud eundem extat, Pertinebat, ait, ad diuinam iuſtitiam, vt per eandem creaturam rationalem ſuperaretur diabolus, quam ſe ſuperaſſe gloriabatur. Itaque genus humanum Chriſtus aſſumpſit, non autem crimen humanum. Et li. De natur.& grat. cap.52, Eo ipſo, ait, opus erat ſaluatore, quo inſtituta eſt natura creatore. Denique vt idem Chriſtus ſanator eſſet hominis, qui fuerat creator, libr. 2. Contra Pelag. ca.33. Quod videtur Paulus confirmare Epheſ.3.v.9. nimirum vt per eundem nos ſaluos faceret Pater, per quem condiderat. Sed & hoc conſyderandum eſt, quòd non neceſſitate Pater vel Filius hoc fecit, ſed mera ſua miſericordia, & benigna in nos voluntate & ineffabili poteſtate. Sic Auguſtinus li. De fide contra Manich. c.26. B & 28. Neque etiam vi & potentia quadam tyrannica victus eſt in redẽptione generis humani Sathan, ſed iure & iuſtitia, lib.13. de Trinit. c.13.& 14 .i. vt ipſe idem Auguſt. lib.15. ca.25. interpretatur, potentia ſanguinis Chriſti immaculati & pretioſi. Hæc igitur omnia ſcribit diuerſis locis. Sed lõgè facilior eſt illa recentium Theologorum ratio de tota hac quæſtione, Nempe hæc, quòd cùm per Adami peccatum offenſa eſſet infiniti Dei infinita NB iuſtitia, quęrendus is & huiuſmodi mediator fuit, qui infinita ſatisfactione & obedientia ſua illi Dei iuſtitiæ ſatisfaceret, & Deum nobis placaret. Præter Chriſtum autem id nemo potuit, neque homo, neque Angelus quiſquam, cùm eorum, quia ſunt creaturæ, neque vis, neque obedientia, neque virtus poſſit eſſe infinita. Chriſti autem caro & humanitas etſi eſt creata & creatura, contrà quàm putat hereticus Schuěcfeldius: quia tamen deitate σωματικῶς & hypoſtaticè in ea inhabitante ſuſten- C tatur, ea pati, præſtare, & perſoluere ſola potuit, quæ ad plenam peccati noſtri redemptionẽ pertinebant. Curioſiùs iſta perſcrutari velle, eſt extra oleas vagari. Bernard. epiſt.190. Iuſtè igitur homo diabolo addictus, ſed miſericorditer liberatus. Sic tamen miſericorditer, vt nõ defuerit iuſtitia quædam & in ipſa liberatione, quoniam hoc quoque fuit de miſericordia liberãtis, vt, quod cõgruebat remediis liberandi, iuſtitia magis contra inuaſorẽ quàm potentia vteretur. Satisfecit ergo caput pro membris, Chriſtus pro viſceribus ſuis &c. Cur non aliunde iuſtitia, cùm aliunde reatus? Nam ſi dixerit Satan, Pater tuus addixit te reſpõdeo, Frater meus redemit me: & neceſſe eſt ſit eius efficacior cauſa, cuius eſt potentior natura. Nam non patitur ratio æquitatis, vt ex æquo Chriſtus & Satan contendant.

2 *Verbum caro.* Locus eſt apud Ioan. in Euangelio cap.1. verſu 14. καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, ait Ioan. λόγος autem ſiue Sermo, ſiue Verbum, vt veteres loquebantur, explicetur, perinde eſt. Metaphoram enim in eo loquendi genere ineſſe nemo prudens & Chriſtianus dubitat. Sed quæſitum eſt à Sabellianis, An non Pater & Spiritus ſanctus incarnati quoque ſunt, ſi Filius eſt incarnatus,

A quia vtrique dicitur eſſe ὁμούσιος & eiuſdem numero eſſentiæ & deitatis, non tantùm ſimilis. Reſpõſio. Quia in Trinitate Perſona & hypoſtaſis à natura & eſſẽtia diſtinguitur, & alia eſt numero Perſona Pater à Filio: item Filius alia Perſona numero à Spiritu ſancto, cùm Filius, id eſt, illa Perſona, quæ & à Patre & à Spiritu ſancto alia eſt, incarnatus eſt, neque Pater neque Spiritus ſanctus carnem ſumpſiſſe dici poteſt, neque idcirco paſſus eſt, neque crucifixus, ſed Filius tantùm. Et ita explicari debet, quòd dicitur deitas incarnata, vt ad eam ſolam referatur quæ eſt in hypoſtaſi Filij. Nam, quemadmodum Proclus epiſcopus Conſtantinopolitanus ait, in hac eſſentia qua vnitus eſt Filius Patri & Spiritui ſancto, non eſt paſſus, ſed carne, qua ex nobis factus eſt. Hoc enim crucifixum eſt, & paſſum eſt, quod eſt incarnatum, Pater autem non eſt incarnatus. Vnus quidem de Trinitate incarnatus eſt, & crucifixus: ſed non diuinitas crucifixa, quam impaſſibilem B habuit, ſed carnem ſumpſit ille vnus, in qua paſſus eſt & crucifixus, 1.Pet.3.v.18.2.Cor.13.ver.4.& lib.De fide ad Pet.cap.15, Ipſe Deus Verbum, ait, ſolus factus eſt ſub Lege, quam dedit: factus ex muliere, quam fecit. Item de Eccleſiaſt. dogmat. cap 2, Non Pater, ait, carnem aſſumpſit, neque Spiritus ſanctus, ſed Filius tantùm, vt qui erat in diuinitate Dei Patris Filius, ipſe fieret in homine hominis matris filius, ne Filij nomen ad alterũ tranſiret, qui non eſſet æterna natiuitate Filius. In quo etiam illud eſt obſeruandum, non tunc primùm incepiſſe Dei Verbum Perſonã, eſſe cùm carnem aſſumpſit, ſed cùm Perſona iam eſſet & ab æterno eáque diuina, naturam tantùm humanam ad eam aſſumpſit. Vnde De fide ad Pet.cap. 17, Deus enim Verbum, ait, nõ accepit perſonam hominis, ſed naturam: & in æternam perſonam diuinitatis accepit temporalem ſubſtantiam carnis. Idem ſentit & ſcribit vbique Cyrillus. Denique ex hoc ipſo Auguſtini loco & Ioannis teſtimonio apertè colligimus, quod idem alibi quoque ſentit, nempe Chriſtum fuiſſe verum Deum, non autem hominem tantùm deificatum, vt puC tant Aetiani, Neſtoriani & Ariani. Cùm enim diſertè dicitur in ſacra ſcriptura, Verbum caro factum eſt, hoc ipſum ſignificatur quod ait Paulus Coloſ.2.ver.9, Omnis plenitudo deitatis in eo inhabitat corporaliter, id eſt οὐσιώδως & hypoſtaticè (nam illic σῶμα ſignificat ὑπόστασιν) non certè quemadmodum Deus in Petro & in Ioanne, vel in Prophetis vel in aliis ſanctis vel creaturis habitat, quibus adeſt tum vi potentiæ & ſuſtentationis, quo modo ineſt in omnibus creaturis: tum etiam vi & virtute Spiritus ſui eos agentis & gubernantis, vt in ſanctis: ſed non hypoſtatica vnione, quando vnam cum iis creaturis perſonam deitas non conſtituit. Ergo dicitur ſeparata & non tantùm diſtincta eſſe diuinitas à Petro & Ioanne, & non tantùm aliud eſt Deus & aliud Ioannes, ſed etiã alius. At in Chriſto deitas eſſentialiter ineſt, & Deus inhabitat, non vt hoſpes, non vt ſuſtẽtator, non vt ſanctificator tantùm, ſed eam vniens ſibi & efficiens ſuam, ſibíque propriam, vt quemadmodum corpus Petri eſt corpus animæ Petri, vt fiat vnus Petrus: ſic corpus & anima Chriſti, ſunt corpus & anima Verbi & vnigeniti, vt fiat, vnus Chriſtus eſſẽtialiter Deus & homo. Hoc docet Irenæus li.3.cap.21.numero 3.docet etiam Auguſt.lib.de Trinit.13.ca.19. A Hic vicit natus de virgine, ait, quia Deus humiliter, nõ quomodo alios ſanctos, regebat illum hominem, ſed gerebat. Et de Agone Chriſt. cap. 20. Nec eos audiamus, qui ſic dicunt ab illa æterna ſapientia ſuſceptum eſſe hominem, quomodo & alij homines ab ea ſapientes fiunt, qui perfectè ſapientes ſunt. Et paulò pòſt. Quapropter aliter ſunt ſapientes cæteri homines, quicunque ſunt, vel eſſe potuerunt vel poterunt: & aliter ille vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui ſapientię ipſius, per quam ſapientes fiunt quicunque homines, nõ ſolùm beneficium habet, ſed etiam perſonam gerit. Hæc ille. Neque tamen propterea diuinitatem corporis humani finibus & ergaſtulo cõcludimus, vt quidam putant. Ergo Chriſtum eſſe Deum, nõ eſt effuſas eſſe in eius humanitatem omnes diuinitatis proprietates (eſſet enim ſic nouitius & factitius Deus, & potiùs deificatus, quàm Deus) ſed eſt deitatem Patri & ſpiritui ſancto parẽ & ęqualẽ hypoſtaticè, id eſt, reuera & corporaliter ad vnius ὑφισταμένου conſtitutionem carni integræ humanæ naturæ vnitam eſſe. B Nec obſtat quod affertur ex Act.10.v.38. Hoc enim ad ſolam Chriſti humanitatem pertinet, quæ illic proponitur, & in qua Iudæis apparuit. Cuius humanitatis ratione dicitur Deus fuiſſe cum Chriſto. Cyprianus in ſermo. de Baptiſ. Chriſti, Conueniunt ſimul ſempiterna diuinitas & tẽporalis humanitas, & eo tenore vtriuſque naturæ facta eſt vnitas, vt impoſsibile ſit, quod iunctum eſt, ab inuicem ſeparari.

3 *A diuinitate.* Deum oportuiſſe eſſe mediatorem noſtrum ſatis ex eo apparet, quòd Ieſus, id eſt, ſalutis author aliter eſſe non potuit, quàm ſi Deus eſſet, & Emanuel, Iſa.7.v.14. Matt.1.v.23. id eſt nobiſcũ Deus. Hominem autẽ eundẽ quoque eſſe debuiſſe probat locus epiſtolæ ad Heb.2. v.14. Quę vt veriſſima ſunt, certóq; verbi Dei fundamento nituntur, ita quoque ſenſit & docuit pia omnis & erudita antiquitas. Irenæus lib.5.cap.1.& 23, Item lib.3.cap.21, Non enim aliter poteramus, ait, immortalitatem accipere. Lactan.li.4.c.13. Auguſtinus ipſe lib.10.Cõfeſsion.c.42. Mediator inter Deũ & homines oportebat vt haberet aliquid C ſimile Deo, aliquid ſimile hominibus &c. lib. De ouib.c.12, Diuinitas ſine humanitate non eſt mediatrix. Humanitas ſine diuinitate non eſt mediatrix, ſed inter diuinitatem ſolam, & humanitatem ſolã, mediatrix eſt humana diuinitas, & diuina humanitas Chriſti. Idem Auguſtinus tract.36.in Ioã. Euangelium. Si Deum tantùm dixeris Chriſtum, medicinam negas qua ſanatus es: ſi hominem tantùm dixeris Chriſtum, potentiam negas qua creatus es. Vtrumque igitur tene anima fidelis. Nec obſtat quod idem Auguſt.li.10.Confeſſ.ca.43.ait, In quantum enim Chriſtus homo eſt, in tantum mediator: in quantum Verbum, non medius, ſed æqualis Deo. Pertinet enim illud dictum ad eos qui Chriſtum mediatorem conſtituunt, quatenus ſolùm Deus eſt: quemadmodum noſtro hoc ſeculo quidam omnino contrà contendunt Chriſtum mediatorem eſſe quatenus homo tantùm, non etiam quatenus Deus homo factus & incarnatus. Eodem modo eſt exaudiendum quod idem Auguſt.libro 2. Contra Pelag.c.28.ait, Per hoc ergo mediator, per quod homo: non autem per hoc mediator quod æqualis

eſt Pa-

A eſt Patri,nimirum vt aduerſus eos dictum intelligatur qui ſolam Chriſti diuinitatem à piis Patriarchis cognitam fuiſſe aſſerebant. Vide eum ipſum libro 2.contra Pelag.cap.26.ſe explicantem.Hilarius in Matth.16.Itaque Filium Dei, & filium hominis meminerimus, ait, quia alterum ſine altero nihil ſpei tribuit ad ſalutem. Hæc autem vtriuſque naturæ in vna Chriſti Perſona conſociatio indiſcriminatim vnio naturarum & commixtio olim ab antiquis appellabatur.Irenę.libro 3.cap.21. Filius hominis factus eſt commixtus Verbo Dei. Auguſt.lib.4. de Trinit.cap. 13. Dei Verbo homo commixtus eſt ad vnitatem. Et Bernard.Sermo. 10. Mixturam quoque appellauit. Sed cùm Eutychetis error naturas in vno & eodem illo ὑφιϛαμένῳ apertè confudiſſet, & humanitatem à diuinitate abſorptam eſſe ille contēderet,Mixtionis & Mixturæ voces fuerunt ſuſpectę,Vnionis autē Vnitionis & Vnitatis commodiores ſunt viſæ.Id quod etiam B annotauit Damaſcen.in Dialect.cap.64. Sed quia Neſtorius,ne cogeretur fateri diuinitatem in Chriſto paſſam eſſe,in vno & eodem Chriſto duas perſonas ſeparauit,non tantùm naturas diſtinxit. Deum enim Chriſtum Chriſto homini velut aſſidentem & cohabitatorem in eodem corporis velo tanquam in eodem domicilio & tecto finxit:ab vtroque errore nobis eſt in hac diſputatione diligenter cauendum.In vna igitur Filii Dei perſona natura duplex vnita eſt, & vtraque vera, diuina nempe & humana,& manet vtraque in eodem ill ὑφιϛαμένῳ non ſeparata,non confuſa, non abſorpta,ſed diſtincta tamen,& ſuas quęque proprietates illibatas retinens,De fide ad Petr.cap.16.& 17. Firmiſsimè tene Deum Verbum carnem factum vnam habere diuinitatis ſuæ carníſque perſonam. Et in duas naturas inconfuſibiliter permanet. Ergo nec Deus mutatus in humanam ſubſtantiā aſſumendo hominem, nec homo in diuinam glorificatus in Deum.De eccleſiaſt.dogmat.cap.2. Fulgent.lib.3.Ad Traſimund.regem. Quomodo autem Verbum caro factum ſit,& quæ de tanto myſterio quęri poſſunt,vnà cum Chryſoſtomo ingenuè profiteamur,Neſcio.in Rom.1.Homi.5.vti generatio C eiuſdem æterna ex Patre eſt nobis prorſus inexplicabilis.Iren.lib.2.cap.48.

4 *Carnem vocat.* Carnis vox & ſignificatio ambigua eſt. Modò enim ſumitur pro corpore & vna tantùm hominis parte,quæ animæ & ſpiritui opponitur.Palpate,ait Chriſtus,ſpiritus oſſa& carnem non habent,Luc.24.verſ. 39. Sic carnem accipimus, cùm credimus carnis reſurrectionem. Caro etiam accipitur pro vitioſitate illa quæ in nobis propter peccatum habitat, Coloſſ. 2. verſ. 12. Vitia carnalia Carnis nomine appellantur, Augu. libro De natur.& grat.cap.53. Caro denique accipitur pro integra natura humana, quo modo & hîc & Rom.1.v.4.& Pſal.78. v. 39. Hebr. 2.ver.14.

5 *Quoniam ex operibus.*Locus eſt apud Paulum Rom.3.v.20. argumento autem Pſa. 143. confirmatur explicatio Auguſtini.

6 *Nihil naturæ.*Chriſtum verè naturam humanam habuiſſe.i.integram, quæ conſtat anima & corpore.Scriptura docet contra Apolinariſtas Eutychianorum patriarchas & magiſtros. At corpus A quidem probat locus epiſtol. ad Hebr. 10. verſu 20.Animam autem quod dicit ipſe, Habeo poteſtatem ponendi animam:&,Triſtis eſt anima mea: & quod de morte ipſius dicitur, Tradidit ſpiritum,Ioan.19.verſ.30.13.verſ.21.12.verſ.27.10. v. 18. Et in eo conſtans eſt Patrum omnium orthodoxorum conſenſus. Irenæus libro 5. cap. 8. adeò vt ne noſter quidem ſaluator eſſet Chriſtus,id eſt, animi & corporis noſtri,niſi vtranque noſtri partem aſſumpſiſſet,cap.13. Quicunque enim negat in Chriſto vtramque carnis.i.humanæ naturæ partem ineſſe,negat eum in carne veniſſe,& eſt Antichriſtus,1.Ioan.4.verſ.3.De fide ad Petr. cap.13.dicitur fuiſſe plenus homo.De Agone Chriſtia.cap. 21.& 22. & idem Auguſt. in Sermo. de Tempore qui eſt numero 125. Verbum ait carnem factum, non demutatum,ſed Deum permanentem hominem natum non putatiuè,ſed verè:nō aereum,ſed corporeum,non phantaſticum,ſed carneum, oſſa, ſanguinem ſenſum & animum habentem,hoc eſt, perfectum hominem, verum hominem & verum B Deum intelligimus. Non enim amiſit quod erat: ſed cœpit eſſe quod nō erat:vt perfectus ſit in ſuis, & verus ſit in noſtris.Idem in Pſal. 85. Neque enim,vt nonnulli putant,ait, caro ſola erat, & Verbum:ſed & caro,anima & Verbum & totum hoc vnus Filius Dei, vnus Chriſtus, vnus ſaluator in forma Dei æqualis Patri:in forma ſerui caput eccleſiæ. Alipius ipſe vir inſignis, aliquando, vt ſcribit Auguſtinus, ita ſenſit in Chriſto diuinitatem pro anima fuiſſe: quem tamen ſuum errorem poſtea correxit.Monothelitæ autem & Apollinariſtę hęretici,vt dixi,pertinaciter retinuerunt, vt eſt apud Ruffinum lib.2.Hiſtor.cap.20. & Theodoritum cap. 4.lib.5.Hic error caput & fundamentum noſtræ ſalutis euertit, & nos in Poſtelli & Poſtellianorum hæreſin reuoluit,omnium quæ vnquam fuerunt abſurdiſsimam,exiſtimantium nos vmbilico tenus à Chriſto ſaluos eſſe factos. In reliquis autem membris à quadam Ioanna fœmina eſſe ſaluandos.Quod hominis mōſtrum alit adhuc in magnam Chriſti blaſphemiam & Chriſtiani nominis dedecus Lutetia,illíque applaudit vecors.

7 *Omnimodo liberata.* C Chriſtus etſi verè fuit homo, peccato tamen caruit, quia qui cæteros ſaluos faceret, debuit ipſe peccato & vitio carere, ne pro ſe pati, non autem pro nobis cenſeretur. De fide ad Petrum cap. 14. Obſtat tamen quod dicitur pro nobis factus eſſe peccatum, 2. Corinth.5.verſu 21. Sed quemadmodum idem ipſe Auguſtinus infrà capite 41. explicat, & in libro De fide ad Petrum.capite 29, dicitur, peccati vox apud Paulum, & eo loco non vitium,aut malum ſignificat, ſed ſacrificium pro peccato oblatum.Sic accipitur Deut.9.verſ.3.& 21.Id quod docet Iſa. 53. Sic emenda peccati ſæpe dicitur peccatum. Obſtat etiam locus Roman. 8.verſ.3.vbi dicitur Chriſtus miſſus in ſimilitudine carnis peccato obnoxiæ, quod argumentum pro ſe Marcionitæ arripuerunt. Sed non dixit Paulus Chriſtum fuiſſe in ſimilitudine carnis, ſed in ſimilitudine carnis peccatricis.Excepto enim peccato cætera nobis ſimillimus fuit.Hilar. lib.10. de Trinit. Homo ille, ait, non fuit caro peccati, ſed ſimili-

A tudo carnis peccati. Hoc pręcipuum etiam fidei & ſalutis noſtræ caput confirmat Petrus, 1. Petr. 2. v. 22. Hebr. 4. v. 15. 1. Ioan. 3. v. 5. Cur autem & quomodo homo eſſe potuerit ſine peccato Chriſtus, ratio eſt, quòd peccatum humanæ naturæ, quemadmodum ſuperius diximus, eſt accidentarium, cùm plena & integra natura humana conſtaret Adam ante peccatum.

8 *Libido conciperet.* Ita veteres loquebantur, & vbique Auguſtinus ipſe & libro 13. De Trinitate cap. 18. imprimis vt conſtaret Chriſtum ex virgine natum, prorſúſque alieno à communi hominum natiuitate modo. Vnde eſt illud Iſa. 7. impletum, Ecce virgo concipiet. Nam & Iudæi id negabant, & poſt eos Antidicomarianitæ & Heluidiani, vt ait Auguſtinus ipſe in libr. De hæreſib. qui perpetuam Mariæ virginitatem inficiabantur, ſed poſt Chriſtum natum eam ex viro ſuo Ioſepho liberos alios ſuſcepiſſe cõtendunt, quòd in Scriptura quidam Chriſti fratres dicuntur. Sed fratres illic conſanguinei appellantur, vti diſputat & rectè explicat B Hieronym. aduerſ. Heluid. Ergo fide non libidine conceptum à virgine Maria Chriſtum dicebant patres. Quorum pietatem quidam ſtultè poſtea imitati, voluerunt Mariam vi horum verborum, Ecce ancilla Domini, concepiſſe. Ergo & ante partum, & in partu & poſt partum virgo manſit Maria, Luc. 1. verſ. 34. Vide Epiphanium in Panario.

9 *Eius integritas.* Id eſt corporis illæſa virginitas. Hæc enim integritas de qua hìc Auguſtinus, ad corpus refertur. Idem in epiſtola ad Voluſia. Putat igitur etiam in corpore Mariæ naſcente & nato Chriſto, illæſa tamen manſiſſe ſigna virginitatis, quia quæ propriè virgo eſt, animo & corpore talis eſt ait Paulus 1. Corinth. 7. verſ. 34. Idem tamen Auguſtinus libro 1. De Ciuitate Dei cap. 16. 17. 18. ſanctitatem & caſtitatem ex animo potius quàm corpore metiendam eſſe docet, ſed hìc de virginitate loquitur. Idem libro De Trinitate cap. 5. ait, Ex Maria etiam in ipſo partu incor- C rupta mirabiliter natus eſt Chriſtus. Idem Auguſtinus libro 3. de Symbolo ad Catechumen. cap. 4. ait, Chriſtus attulit matri fœcunditatem, non abſtulit Virginitatem. Hieronym. contra cruentatum Chriſtum exiiſſe ex vtero Mariæ ſcribit. De qua quæſtione vide P. Martyr. in doctiſsimo illo libro De vtraque in Chriſto natura. In eo enim fuerunt diuerſæ Patrum ſententiæ. Nec ſatis probatam ab omnibus fuiſſe hanc Auguſtini ſententiam propter nouas & plauſibiles Heluidii rationes apparet ex epiſt. eiuſdem. 7. ad Marcellinum & 101. ad Euodium.

10 *Membra.* Vet. cod. legunt, Membra eius: quæ vox, Eius, ſi ad Mariam referatur, prorſus falſam ſententiam habet: itaque cùm hìc obſcurum ſenſum inducat, deleui.

11 *Voluſianum.* Eſt epiſto. numero tertia. Cuius idem meminit epiſt. 7. & 101. ex quo apparet hunc libellum eſſe fide indubitata Auguſtini, nõ autem nothum, vt alii multi.

A

CAP. XXXV.

Chriſtum qui natura vtraque vera, diuina nempe & humana conſtat, vnum tantum eſſe ὑφιστάμενον.

PRoinde [1] Chriſtus Ieſus Dei filius, [2] Deus, & homo eſt. Deus [3] ante omnia ſecula: Homo in noſtro ſeculo. Deus, quia Dei Verbum: (Deus [4] enim erat Verbum) Homo autem, quia in vnitatem Perſonæ acceſſit Verbo anima rationalis, & caro. Quocirca in quantum Deus eſt, ipſe & Pater vnum ſunt: in quantum autem homo, Pater maior eſt illo. Cum enim eſſet vnicus Dei Filius non [5] gratia, ſed natura, vt eſſet etiam plenus gratia, factus eſt & hominis filius: Idémque ipſe vtrunque [6] ex vtroque vnus Chriſtus, quia cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, quod natura erat, id eſt, eſſe æqualis Deo. Exinaniuit autem ſe, formam ſerui accipiens, non amittens, vel minuens formam Dei. Ac per hoc & minor eſt factus, & manſit æqualis, vtrunque vnus, ſicut dictum eſt: ſed aliud B [7] propter Verbum, aliud propter hominem. Propter enim Verbum, æqualis Patri: propter hominem, minor. Vnus Dei Filius, idémque hominis filius: vnus hominis filius, idémque Dei Filius: non duo Filij Dei, Deus & homo: ſed vnus Dei Filius, Deus ſine initio, homo à certo initio, Dominus noſter [8] Ieſus Chriſtus.

1 *Proinde.* Concluſio eſt, cum ἐξηγήσει. Suprà enim docuit Chriſtum mediatorem noſtrum veram naturam diuinam habuiſſe, item veram humanitatem, eámque integram: nunc igitur hunc verè Deum & hominem concludit eſſe vnum, non plures Chriſtos. Explicat igitur quomodo tã diuerſæ naturæ coaleſcant ſic, nimirum vt vnum tantùm indiuiduum, ὑφιστάμενον, vel ſuppoſitum efficiant, non duo. In hoc autem ὑφισταμένου potiùs quàm ἀτόμου voce veteres Theologi Græci vſi ſunt, quòd ἄτομον magis quantitatis quàm ſubſtantiæ ſignificationem habeat. Ergo in vna & eadem C Chriſti perſona duæ illæ naturæ, & quidem veræ, & ſuis proprietatibus (quas inconfuſas & integras quæque ſeruat) diſtinctæ, tamẽ vnitæ & ſunt, & in perpetuum manent. Hoc corollarium & conſectarium propter diuerſas hæreſes iam tunc notas & refutatas addidiſſe videtur Auguſtinus. De quibus agitur libro De eccleſiaſt. dogmat. cap. 2. & 3. libro 1. & 5. de Trinita. & de Hæreſibus ad Quoduult deum. Inter quas recentiores iſtæ Neſtorianorum & Eutychianorum nondum erant natæ. Vixit enim Neſtorius ſub Theodoſio ſecundo, & floruit factúſque eſt Conſtantinopoli epiſcopus poſt Auguſtini mortem. Atque paulo poſt etiam blaſphemias ſuas cœpit euomere Eutyches, maximè ſub Martiano imperatore, qui Theodoſio ſecundo ſucceſit in imperium. Euag. libr. 2. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 2. & Socrates Schola. lib. 7. cap. 37. In vniuerſum autem omnes antiquæ blaſphemiæ & hæreſes quæ aduerſus Filium Dei extiterunt ad duo genera videntur poſſe reuocari. Nam erratum eſt,

aut

A

- aut circa
  - 1 Naturas Christi: nempe vel
    - Diuinam, quam alii Christo
      - adimunt prorſus: vt Samoſatenus, Marcianus.
      - relinquũt quidẽ, ſed
        - diſſimilẽ à Patris deitate: vt Photinus Aetius.
        - ſimilẽ, quã volũt
          - Ex patris volũtate & eſſẽtiatiõe creatã & factã: vt Ari⁹.
          - Dignatione talẽ eſſe & gratia, non natura: vt Eunomius.
    - Humanã, quã alii Christo
      - adimũt omnino: vt Valentiniani.
      - relinquũt: & cã alii
        - Non verã, ſed aereã & phãtaſticã: vt Marcion.
        - Non ſanctificatã: vt Ebion.
        - Nõ plenã & integrã: vt Apollinaris.

B

  - 2 Earũ naturarũ vnionẽ ſiue coniunctionẽ. Nã veterũ hæreticorum alii naturas illas
    - Miſcent ita inter ſe, quaſi ſimul illæ colliqueſcant, vt duæ ceræ & liquores mixti: vt Timothiani.
    - Confundunt omnino & transformant: vt Eutychiani.
    - Separant, & duos filios faciunt in vno & eodem Christo: vt Neſtoriani.
    - Extendunt æquè latè vtramque naturam: vt Vbiquitarii.

Extrema autem mũdi ſenecta (quæ eſt hæc ætas & corruptiſsima) ex tot hæreſibus breuius Satan myſterium iniquitatis peregit, & duo peſsima mõſtra conſtituit, Papiſmum & Turciſmum: è quibus Papiſmus Chriſti officia ſuſtulit, Turciſmus autẽ naturas omnino oppugnat.

2 *Dei filius.* In vet.cod.legitur, Filius eſt: quæ C vox, Eſt, addita videtur, & perturbat ſenſum. Hoc enim ſibi vult Auguſtinus, Ieſum Dei Filium vnũ & eundem Deum eſſe & hominem, in quo præcipua & tota huius capitis diſputatio verſatur. Idcirco verbũ, Eſt, induximus magna cum piorum, quemadmodum arbitramur, venia, vt vnum prædicatum fiat Deus & homo de Ieſu Filio Dei.

3 *Deus ante omnia.* Diſtinctas manſiſſe in Chriſto naturas docet vel vnus hic Auguſtini locus, quanquam apud Auguſtinum alii ſunt penè infiniti, lib.1.De Trinit.cap.7. Neque enim, ait, illa ſuſceptione alterum eorum in alterum conuerſum atque mutatum eſt. Neque diuinitas quippe in creaturam mutata eſt, vt deſineret eſſe diuinitas: nec creatura, id eſt, caro in diuinitatẽ, vt deſiſteret eſſe creatura. Et ad Dardan. epiſto. 57. Cauendum eſt enim, ait, ne ita diuinitatem aſtruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Hilarius idem libr. 10. De Trinitate. Idem docet quoque Lactant. lib. 4.cap.13. Magentius in lib. De fide, hanc ſanctorũ Patrum eſſe fidem teſtatur, duas in Chriſto naturas inconfuſè, incommutabiliter, indiuiſè, & inſeparabiliter cognoſcendas. Quod cùm dicimus, Neariani noſtræ ætatis impudentes nos Auguſtinianum Deũ recoquere cauillantur & ſubſannãt. Hinc tamen infiniti penè in Scriptura loci explicantur, vt docet idem Auguſtinus lib.1. de Trinit. ca.11. & 12. Dicit Chriſtus Ioan.14.v.28, Pater maior me eſt, quatenus ipſe carnem aſſumpſit & homo eſt. Dicit idem Ioann. 10. verſ.30. Ego & Pater vnum ſumus, quatenus Deus eſt, & Dei verbũ. A Hæc diſtinctio naturarum etiam poſt Chriſti glorificationem, aſcenſionem in cœlum, & ſeſſionem ad dexteram Patris manet, nec poſt reſurrectionem Chriſti confuſæ ſunt naturæ in eo, vel diuina in humanam conuerſa: vel humana in diuinam euecta, effuſione omnium Dei proprietatũ in eam facta, quemadmodum quidam cenſent: ſed humana manet humana, & diuina, diuina, aut Chriſtus iam homo non eſt. Ergo fit vt Chriſtus per eam naturam qua Deus eſt, vbique ſit: per eam autem qua homo, in cœlo. Auguſt. in Ioan. Euangelium tracta.1, luculentiſſimè id explicat. Neque quod diuinæ naturæ competit & eſt illi proprium, humanæ poteſt reuera competere, veluti vt vbique ſit humanitas Chriſti. Idem Auguſt. ad Dardan. De quo ipſo ſunt luculentæ Doctorum noſtri tẽporis Theologorum diſputationes. Hîc autẽ tres B inter vtranque naturam differentias apertè notat Auguſtinus, ex quibus diſtinctas eſſe in Chriſto etiam glorificato (de eo enim loquitur Auguſt.) naturas quilibet pius & moderatus lector intelliget, ne putent Tranſſubſtantiatores Papiſtæ ſe in partibus ſuis Auguſtinum habere poſſe. Prima differentia eſt ſumpta ex tempore ὑπάρξεως, & exiſtentiæ. Nam quà Deus, æternus eſt Chriſtus ante omnia ſecula, coæuus & coæternus Patri, Prouerb. 8.verſ.21. Ioan. 1. Nec obſtat quod ſcribit Hilarius in Matth.cap.16. θειότητα quam Deitatem Latinè nuncupant, à Patre accepit. Reſpondet enim idem ibidem, ſemper fuit in Patre, nec aliud in eo natum eſt, quàm quod æternum eſt. Et in Filio eſſentia à Perſona diſtinguenda eſt. Filius enim & Verbum Patri ſubordinatur ratione Perſonæ, ordinis, & modi habendi eſſentiam: nõ autem ratione ipſius eſſentię, quaſi alia vel numero ſit in Filio, quàm Patre, vel poſterior tempore, vel inferior poteſtate. Quâ autem homo Chriſtus, eſt in tempore. Humanitas enim in Chriſto non eſt ab ęterno ſubſiſtens, vti eſt diuinitas. Gal.4.verſ.4. Nam vt ſcribit Auguſt. Aduerſus Felicia. Arria. cap.11. C non tunc tantùm cœpit diuinitas eſſe, cùm virgo concepit: ſed cœpit diuinitas tunc carnem aſſumere. Altera & ſecunda diifferentia & diſtinctio inter vtranque naturam ſumpta eſt ex origine vtriuſque naturæ. Chriſtus enim eſt Deus, quia Dei Verbum eſt, id eſt, ſecunda illa in Trinitate perſona, Patri ęqualis, ab eo genita non naturali modo, ſed planè incomprehenſibili. Habet enim λόγος à Patre vt ſit Filius, non autem vt ſit Deus. Vnde Lactant. lib.4.cap.8. dicit illam generationem eſſe ex ſpiritu, & ea ratione dici Chriſtum ἀμήτορα. Idem autem Chriſtus eſt etiam homo, quia animam rationalem & corpus humanum aſſumpſit, id eſt, quia ex carne natus eſt, non tamen carnali modo, vt ait idem Lactant. ſed planè nouo, & extraordinario. Itaque, ait idem, quâ homo natus eſt Chriſtus, dicitur ἀπάτωρ. Tertium denique vtriuſque naturæ in Chriſto diſcrimen eſt, ex ipſius vtriuſque naturæ vi, ratione, & definitione. Nam quâ Chriſtus Deus eſt, Patri æqualis eſt, omnipotens, æternus, immenſus, infinitus, vbique, incircumſcriptus: Quâ vero Homo eſt, Pater eſt eo maior, imò, vt ait ipſe Auguſtinus libro De trinit.

A cap.7.idē Filius ſeipſo minor eſt. Atque adeò quatenus homo eſt,Chriſtusetiam ſeruus Dei dicitur, Iſa.42.ver.1.Matth.12.v.18.Philip.2. Ita autem diſtinctæ proprietates confundi non debent, neque quæ vnius ſunt naturæ,alteri tribui poteſt, niſi impropriè,id eſt,verbali tantùm communicatione & per accidens,vt vocāt.Similitudines autem ad eam rem afferuntur de vnoquoque noſtrū, in quo animæ & corporis ſunt reipſa diſtinctæ proprietates: neque poteſt,niſi valde impropriè, noſtrū corpus dici ſapiens,intelligens,vel prudens,quia ſapientē & prudentem eſſe ſunt animi in homine proprietates,non corporis.

4 *Deus enim.*Locus eſt apud Ioan.in Euangel. cap.1.v.1.

5 *Non gratia.*Quàm variè erratum ſit hîc quoque ex veterum hæreſeon hiſtoria apparet.Quem locum ſuo ſeculo fuiſſe lubricum ſcribit etiā Lact. lib.4.cap.8.Dicebant quidem Patres,vti Baſil. aduerſ.Eunomi.Filium ſecundum poſt Patrem locū B habere ordine & dignatione,quia principium eius eſſet Pater.Sed huiuſmodi dicta non ſunt ad eſſentiam diuinam quæ eſt in Chriſto,referenda: ſed tātùm ad perſonam,& modum ipſum per quē Chriſtus habet eam,& genitus eſt à Patre, non tamen tanquam ab eſſentiatore creante vel propagante ſuam diuerſámque numero deitatem (fieret enim multiplicatio eſſentiarum in diuinis)Ergo natura, non gratia, per ſe, non precariò, originaliter, non mutuatò habet Filius quod eſt Deus. Sed aliquid etiam aliud & amplius hoc loco dicit Auguſtinus,nempe Chriſtum eſſe Dei Filiū natura,non gratia. Quod ipſum manifeſtam inter eum & nos (quantumuis Dei donis ornatos & quanuis vocemur Dei filij)differentiam atque eam quidem latiſſimam cōſtituit.Nos enim per & propter eum filij Dei ſumus,gratia & adoptione tantùm. Ille autem Chriſtus natura ipſa,& per ſeſe. Quod ipſum aduerſus Praxeam ſcripſit Tertull. Chriſtum non prędeſtinatione & dignatione quadam,vt nos,ſed natura Filium eſſe Dei.Vnde dicit Chriſtus ipſe ſe C gloriam apud Deum habuiſſe ab æterno,Ioan. 17. v.5.Sed nos à Paulo dicimur prædeſtinati in adoptionem,quia natura ſumus filii iræ, Epheſ.1.v.5. Eadem ratione libro De Trinita.15.cap.20.Auguſtinus improbat eos qui Chriſtum dicebant eſſe Filium non natura,ſed voluntatis tantùm de nouo Patri ſuperuenientis fœtum & fluxum. Ergo vt eſſet Filius,non eſt quædam dignatio, & acceſsio Verbo iam exiſtenti facta.Neque enim priùs Verbū & λόγος cœpit eſſe,vel Deus eſſe,quàm Dei Filius eſſe.Vnde fit vt ſit Chriſtus natura Dei Filius. Denique hoc ipſum Auguſtini dictum ex illo Hilarii lib.3.de Trinit.ſumptum videtur,Nos,ait,filii Dei ſumus,ſed non talis hic Filius.Hic enim verus & proprius eſt Filius origine, non adoptione: veritate, non nuncupatione: natiuitate,non creatione.Idem Auguſtinus lib.de fid.& Symbo.ca.4.

6 *Idémque ipſe vtrunque.*Vnum ὑφιστάμενον ex vtraque illa natura, diuina nempe & humana effici (qui Chriſtus ſit) non autem duo,aut duos filios, apertè hîc teſtatur & affirmat Auguſtinus. Neque alia eſt apud veteres pios & orthodoxos patres frequentior & conſtantior ſententia. Hilarius lib. 10. De Trinita.Vnus quoque nobis Ieſus Chriſtus ſit & Dei Filius,& hominis filius, & Verbum Deus, & homo caro.Sic Cyprianus in Serm. De Baptiſmo Chriſti,Sic Verbum & caro ſunt vna eſſentia, A vt perfectam & integram ſyncera cōiunctio faciat vnitatem.Vnam eſſentiā dixit Cypria.quod Scholaſtici vnum ſuppoſitū,Græci ὑφιστάμενον. Chryſoſt. Homil.7.in 1. Timoth.De eccleſ.dogmatibus,Eſt verus Deus & verus homo vnus filius. non ergo duos Chriſtos neque duos filios fatemur,ſed Deū & hominem vnum filium.De fid.ad Petr. cap. 17. Firmiſsimè tene Deum Verbum carnem factum vnam habere diuinitatis carníſque ſuæ perſonam. Cuius rei ſimilitudinem ipſe Auguſtinus affert in epiſt.ad Voluſia.3.his verbis,Poſtquam dixit in vnitate perſonæ copulari vtramque naturam,addit, ſicut in vnitate perſonæ anima vtitur corpore(fortaſſe vnitur corpore,ſic enim veteres loquebantur ablatiuo vtentes pro datiuo) vt homo ſit: ita in vnitate perſonæ Deus vtitur (fortaſſe vnitur) homine,vt Chriſtus ſit. Denique hoc ipſum millies inculcat & confirmat Auguſtinus. Nec obſtat quod Lactantius libro 4.capite 8.& 13.Chriſtum bis natū eſſe dicit,primùm ex Patre Deo,deinde ex Maria homine & virgine. Hoc enim non demonſtrat duas ὑποστάσεις Chriſti, & duo ſeparata ſuppoſita, B ſed tantùm duas diſtinctas in eo naturas,quæ à diuerſis proceſſerunt,diuinam quæ à Deo Patre:Humanam quæ à Maria homine. Nam etiam cùm natum & conceptum dicitur Dei Verbum ex Maria,non intelligimus id de Verbo propriè & per ſe dici,ſed impropriè ratione nimirum carnis,quam tunc aſſumpſit Verbum.De fide ad Petr.cap.18.ſic dixit Auguſt.contra Fœlicia.Arria.cap.11. Ad inferos deitas deſcendit proprietate carnis.Verbum quidem erat perſona antequam carnem aſſumeret, ſed ad perſonam Verbi adiunxit ipſe naturā humanam,quam ſibi,eandem & vnicam perſonam retinens,vniuit.Et quamquam dicit Lactant.lib.4.ca. 13.Deum fuiſſe & hominē ex vtroque genere permiſtum:& Auguſtinus ad Voluſia.epiſt. 3. In hac Perſona mixtura eſt Dei & hominis: non cenſent tamen Patres Chriſtum eſſe quiddam tertium ex vtraque natura cōflatum,& ab vtraque diuerſum, quod neque verè ſit Deus, neque homo remanſerit,quale eſt oxymel, quod eſt quiddam tertium ab aqua, aceto, & melle, quæ ſimul in idem oxymel C & corpus mixta ſunt, diuerſum tamen à ſingulis mixtis,Chryſoſtom.Homil.7. in 1. Timoth. cap.2.Sed,vti diximus,veteres ante Eutychetis errorem paſsim Mixtionis voce pro vnionis, conſociationis,& coniunctionis vocabulo ſine periculo vſi ſunt,poſtea autem parcius.Quāquam autem putat Auerrois & poſt eum Genebrardus hominem eſſe quiddam tertium & aliud ab anima & corpore,tamen ratio ipſa id refutat. Ergo Chriſtus aliud non eſt quàm vtraque illa natura,humana,inquam & diuina in vnam perſonam coniuncta & coaleſcens,inconfuſè tamen.Id autem quo nexu, compage ſiue vinculo fiat quærunt Scholaſtici. Et Lombard.lib.3.diſt.2.cap.Aſſumpſit.intrepidè reſpōdet mediante anima, vtriuſque illius naturæ vnionem factam eſſe.Quod ex Origene ſumptum videtur. Sed illud dicitur omnino periculoſè & fortaſſe illi errori anſam dedit,per quem affirmatur diuinitatem in Chriſto non aliter ineſſe, quàm in piis omnibus,Paulo & Petro, ratione ſanctificationis nimirum. Nam Deus in piis omnibus eſt, & eos ſanctificat, & iſtius ſanctificationis & præſentiæ ſubiectum propriè eſt anima eorum, in quam

Spiritu

A Spiritu ſuo agit Deus. Ergo verius eſt illius vnionis modum eſſe myſterium, vt reſpondet Paulus 1.Timoth.3.v.16. & nobis inexplicabilem, vti ſuprà ex Chryſoſtomo reſpondimus. Alij ex Scholaſticis volunt propter illud dictũ Auguſt. in epiſt. ad Voluſia. 3. ſuperiùs commemoratum, carnem in Chriſto eſſe inſtrumẽtum ipſum,per quod deitas operatur. Quæ ſententia ſi generaliter accipiatur, falſiſsima eſt. Neque enim per carnem miracula facit, mundum adminiſtrat, animas creat, regna euertit Chriſtus: ſed ea tantùm diſpenſauit & diſpenſat, in qua nobis cum eo carnis interuentus neceſſarius eſt, vti nec anima noſtra, omnia per corpus facit, quale eſt ratiocinari. Hæc omnia tam inſignia notanda ſunt propter Neſtorianos, qui primùm à quodam Anaſtaſio presbytero exorti ſunt, vt ſcribit Socrates lib.7.cap.32. Item propter Eutychianos, qui primùm à Timotheo quodam videntur profecti. Neſtorius, vt Cyrillus ſcribit in lib. De incarnat. vnigeni. & in Synodo Epheſina expli-
B catum eſt, duos filios in Chriſto duáſque perſonas conſtituebat, vnum Filium Dei, alterum filiũ Mariæ. Dei enim Filium præſentem eſſe tãquam perpetuum aſſeſſorem filio Mariæ, ne Deus paſſus diceretur: & nolebat Chriſtum Deum & hominem vnum eſſe, quia appellationẽ Dei in homine Chriſto reſtringebat ad dignitatis exæquationẽ, vt docet idem Cyrill. eodem lib. cap. 27. Omnia tamen homini Chriſto à Diuinitate tributa dicebat Neſtorius, quæ ſunt diuinitatis propria. Hæc eadem hodie quorundam noſtri temporis ſententia eſt. Itaque Mariam θεοτόκον appellandam negabat, & conſtituebat alium & alium Chriſtum. Sed quia dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt, Eutyches dum Neſtorianos ſcopulos effugere cupit, incidit in Scyllã cupiens vitare Charybdin. Cùm enim non caperet huius dicti Pauli ſenſum, Nequaquam Dominum gloriæ crucifixiſſent, 1. Corinth. 2. verſu 8. neque huius, Deus pro nobis paſſus eſt, Deus ſanguine ſuo Eccleſiam acquiſiuit, Actor. 20. verſ. 28. & naturas in Chriſto con-
C fudit, & earum eſſentiales proprietates, adeò vt ex iis permixtis vnum quiddam conſtitueret, in quo aſſumens natura, id eſt, diuinitas præualeret, quæ humanitatem abſorpſerat. Vnde Deũ apertè παθητὸν id eſt, paſsibilem & natum ex Maria dicebat, & in Chriſto aliud & aliud tollẽdum eſſe docebat. Hæc omnia ſunt falſiſsima. Quid igitur? Propter illarum duarum naturarum in vno & eodem ſubiecto Chriſto hypoſtaticam vnionem, fit vt quod vnius naturæ proprium eſt, de toto ſubiecto enuntietur, & alteri naturæ tribuatur, quę communicatio dicitur à veteribus quidem Theologis κοινωνία ἰδιωμάτων: à recentioribus autem quibuſdã συνεκδοχή. Nam vnio, vt inquit Theodoretus, facit nomina communia. Exempli gratia, cùm dicitur Chriſtus è cœlo deſcendiſſe, Ioan.3. verſ. 13. pertinet ad diuinam tantùm naturam propriè: cùm paſſus dicitur Chriſtus vel Deus, proprietate carnis fit, & humanæ naturæ ratione, vt etiam explicat Petrus, 1.Petr.4.verſ.18. quam λόγος aſſumpſit in perſonæ vnitatem. Veriſsimum enim illud ſcholaſticorum: Idiomatum communicatio non denominat naturam, ſed ſuppoſitum & perſonam. Sic homo dicitur prudẽs, quod ſolius animæ proprium eſt: item rufus, quod tamen ſolius corporis ratione ei conuenit. Ergo illæ proprietates manent naturarum proprietates, neque alteri naturæ tribuũtur in ab- A
ſtracto, ſed tantũm in concreto. Neque enim dicitur deitas paſſa, ſed Deus paſſus qui & homo fuit. Eſt igitur hæc communicatio Idiomatum verbalis, non realis. Nec tamen falſa & inanis, quia firma duarum naturarum in vnam perſonam vnione & communicatione fulcitur & verificatur. Cur autem Chriſtus dicitur eſſe Deus & homo, cùm tamen homo quilibet non dicatur eſſe ſeorſim corpus vel anima, ratio eſt, quòd hæc nomina Dei & hominis ſunt integrarum naturarum nomina, quæ in vnum coierunt, neque tertium quiddam efficiũt, quod ſit ab vtraque diuerſum. Corpus autem & anima in homine non ſunt completarum & integrarum naturarum nomina, ſed partium tãtùm humanæ naturæ vocabula. Vnde eodem modo de toto homine non ſolent, neque poſſunt niſi valde impropriè enuntiari. Denique vt tandem vtiliſsimus hic locus concludatur, cùm dicuntur à patribus hę duę naturę in vno Chriſto vnitę ὑποστατικῶς, vti anima cum corpore, ad vnam & eandem perſonam inſeparabiliter componendam & conſtituen- B
dam, non eſt vrgenda hæc ſimilitudo præter mentem Patrum, vt rectè reſpondet D. Ioſias Simlerus quia anima & corpus ſunt naturę finitæ: in Chriſto autem Deitas eſt infinita. Vnde fit vt neque concludi debeat neque poſsit vtranque in Chriſto naturam æquè latè patere, & vbicunque vna ſit præſens, alteram quoque eſſe præſentem oportere. Non enim vbicunque diuinitas Chriſti præſens eſt, ibi quoque eſt præſens illius humanitas, quia non quicquid eſt in Chriſto Deus eſt, etſi Chriſtus Deus eſt, Auguſt. in epiſt. ad Darda. Neque enim ὑποστατικὴ vnio eſt duarum naturarum diuerſarum talis conſociatio, vt vbicunque vna eſt, altera quoque illic ſit. Hoc exemplo apto docet Nyſſe. in Catech. Maio. cap. 11. Vti materia ellychnii, quã circunfundit ignis, eſt coniuncta cum flamma, ita, vt in ellychnio tamen flamma nõ includatur, ſed latius ſe fundat: ſic diuinitas carni adunatur, vt tamen carnem non porrigat in immẽſum neque ponat extra quantitatis terminatę fines. Damaſ. item li. 3. de Orthod. fide c. 7. Manus dextra quæ in vno & eodem homine vnita eſt ſiniſtræ hypoſtaticè, C
non eſt vbi eſt ſiniſtra, neque vbi eſt caput eiuſdem hominis. Item dæmonium homini à natiuitate dæmoniaco inhærens ὑποστατικῶς illi vnitum eſſe diceretur, quia vbicunque eſt talis dæmoniacus, illic eſt & dęmoniũ ipſum, quod miſer ille & à natiuitate & perpetuò geſtat. Quod ſentire eſt nõ modò abſurdiſſimum, ſed etiam impiiſſimum, & ipſi D. Luthero planè diſplicuit: & Auguſt. ipſi li. De ſpirit. & anima, cap. 27. Iſta autem eſt dicenda concomitantia potiùs quàm dæmonii & perpetui dæmoniaci hypoſtatica vnio. Non eſt item hypoſtatica vnio duarum naturarum inter ſe iunctarũ æqualis extẽſio, diffuſio, vel proprietatũ vtriuſque confuſio inter ſe: ſed eſt illa vnio hypoſtatica nominanda, cùm natura aſſumens aſſumptam ſic acceperit, vt ſibi propriam effecerit, eámque ſemper vi iſtius vnionis impleat, adeò vt extra naturam aſſumentem aſſumpta natura eſſe & ſubſiſtere per ſe & ſeparatum non habeat. Hæc diſertiſſimè & doctiſſimè Theo. Beza & Ioſias Simlerus docẽt. Ioa. Dama. li. 3. de fide Orth. c. 27. οὐδέποτε γὰρ οὔτε ἡ ψυχὴ οὔτε σῶμα ἰδίαν ἔσχον ὑπόστασιν παρὰ τὴν τοῦ λόγου ὑπόστασιν. Ergo humana Chriſti natura nõ tãtũ à Deo Chriſto

A ſuſtentari: ſed in diuinitate Chriſti, vel in Deo Chriſto ſuſtentari dicitur, quod plus eſt, quàm à Deo ſuſtentari: quia ne eſſe quidem humanum extra illam vnionem habet Chriſti humanitas, nec ſuum eſſe abſque vnione: ſed vtrūque in illa vnione. Ergò ἰδίᾳ ϗ ἀνὰ μέρος, vt loquitur Damaſc. libr. 3. De Ortho. fide cap. 3. 1. ſeorſim & ſeparatim conſtitui nō poſſunt: ϗ ἰδιαιρέτως, καὶ ἀποτετμημένως, vt idem alibi loquitur. Quod verum eſt ſiue illa Chriſti humanitas cogitetur viua: ſiue in ſepulchro iacens. Nam cùm iacuit in ſepulchro Chriſtus, partes humanitatis nimirum corpus ab anima in Chriſto ſeparata fuerunt. Vtraque tamen non niſi in diuina ipſa natura Chriſti & in illa vnione hypoſtatica ſuum eſſe habuit. Id eſt, non modò ſubſiſtere, ſed illud ipſum, quod erat corpus & anima humana, extra eam vnionem nullam vnquam habuit eſſentiam & naturam, vel ſubſiſtentiā. Denique quia res hæc eſt magni prorſus momēti audiamus quid Sophronius patriarcha Hieroſolymita. contra Sergii Conſtantinop. patriarchę errores ſcribēs affirmet. & qua ratione hoc totum explicet, cuius ſententia B & epiſtola approbata eſt concil. Conſtātinopolit. OEcumeni. VI. Actio. XI. Incarnatur, ait, ergo Verbum Deus, quod noſtrum eſt, non præfactæ carni copulatus præformatóve atque in ſeſe præſubſiſtenti aliquādo corpori conlinitus, vel animæ pręexiſtenti coniunctus, ſed tunc his ad ſubſiſtendum venientibus, quando eis ipſum verbū & Deus, naturaliter copulatus eſt, cōtemporalē habēs vnitionem atque ſubſiſtentiā: & nō ante veriſsimū ipſius verbi conuentum in ſeipſis vnquam extiterūt, vel cuiuſpiam ſecundum nos alterius hominis penitus extiterunt, ſed cum verbi ipſius naturali conuentu ſubſiſtentiam habitura (corpus ſcilicet & anima Chriſti) concurrerunt, & nec quantum in ictu oculi hanc quàm illum priorem habentia: ſicut Paulus Samoſatenus perſtrepit atq; Neſtorius. Simul quippe caro, ſimul Dei verbi caro: ſimul caro animata rationalis, ſimul Dei verbi caro animata rationalis. In illo itaque & non in ſemetipſa habuit C exiſtentiam vnam. Quæ fortaſſe quibuſdam lōgiùs petita ad huius loci explicationem videbuntur: ſed cùm aſtutia Satanæ ſepultæ & iam exploſę hęreſes teterrimæ, ab inferis reuocentur, & eadem illa nobiſcum ſenſiſſe ex hoc & ſimilibus locis Auguſtinum facilè appareat, prætermittenda non putaui. Sunt enim ſcitu vtiliſsima, & variis erroribus aditum præcludunt.

7 *Sed aliud.* Omnino rectè & ſapienter, vt ferè omnia, hoc loco Auguſtinus ſentit & ſcribit in Chriſto aliud & aliud eſſe: non tamen eum propterea alium & alium eſſe. Ergo propriè loquitur. vox enim hæc, Aliud, naturarum diſtinctionē denotat: vox autem, Alius, ad ipſius perſonę totalitatem, & vt ita loquar, complexionem refertur, & diuerſam perſonam ſignificat. Quod non eſt in Chriſto, qui eſt vna tantùm non duæ perſonæ. Ergo in multis eſt aliud, vbi non eſt alius: & in quibuſdam eſt alius, vbi non eſt tamen aliud. In quibuſdam autem eſt & alius & aliud. Et iſta inter ſe diſtingui debent, vt rectè etiam admonuit Ioachimus Vadianus contra Suencfeld. hæreticum. Nam in rebus eſſentiæ ratio à Perſonæ definitione diſtinguenda eſt. In rebus diuinis, nempe in ipſa Trinitate, eſt alius, non aliud. Eſt enim alius Filius à Patre ratione Perſonæ nimirum: non eſt tamen aliud ratione eſſentiæ. Dicit enim Chriſtus Ioan. A 10. Ego & Pater vnum ſumus. In Chriſto eſt aliud, non alius. Nam in eo quāquam vnico ὑφιϛαμένῳ natura diuina eſt aliud quàm humana. Ipſe tamen Chriſtus non eſt alius Dei Filius & λόγος, & alius Mariæ filius & homo. Auguſt. Sermo. 58. De verb. Domini, non alium atque alium, ſed vnum eundémque Deum & hominem Dei Filium confiteor. Denique Petrus & Ioannes Apoſtoli ſunt & aliud & alius, qualia ſunt omnia etiā eiuſdem ſpeciei indiuidua. Sūt enim eorum humanitates propriè & rectè conſyderatæ in vnoquoque eorum diuerſæ, non eædem numero, non definitione, niſi generali quadā & abſtracta cogitatione. Arnob. lib. 3. Contra Gent. Homines non poſſunt multitudinis iunctionis differentia conſeruata, in vnius ſenſus ſimplicitatem conflari.

8 *Dominus noſter Ieſus.* Chriſtum propriè Dominum & caput Eccleſię eſſe & dici docet Paulus, 1. Cor. 8. v. 6. Coloſſ. 1. v. 16. Hîc autem explicat Auguſt. qua ratione id fiat, nempe quia Deus ille humanam naturam & ſerui formam accepit. Nā quâ B Deus eſt, & Patri æqualis, non alia ratione Dominus noſter eſt, & caput Eccleſiæ, quàm vel Pater, vel Spiritus ſanctus. Eſt enim Dominus, quia creator, quod & Patri & Spiritui ſancto commune eſt: ſuſtentator, quod idem eſt commune aliis Perſonis. Sed quatenus hic idem noſtram naturam aſſumpſit & reſurrexit, poteſtatem habet in cœlum & in terram, eadémque ratione caput Eccleſię eſt, & ſupra Angelos ipſos (qui huius Eccleſiæ pars ſunt) & accepit nomen ſupra omne nomen: quod non eſt commune Patri & Spiritui ſancto, Heb. 2. v. 7. 1. Corinth. 15. v. 25. Philip. 2. v. 9. & Coloſſ. 1. v. 18. Idem Auguſt. in Pſalm. 85. Caro anima & Verbum, ait, totum hoc vnus Filius Dei, vnus Chriſtus, vnus ſaluator, in forma Dei, æqualis Patri: in forma ſerui, caput Eccleſiæ. In quo tamen humanitatem Chriſti, quæ creatura eſt, ſeorſim aut ſolam non conſideramus, ſed ſimul cum diuinitate, C quemadmodum & dominicam carnem adoramus non per ſe (quod falſò putat Suēcfeldius) ſed quòd à diuinitate ſuſcepta eſt, & quatenus illi vnita, ait alibi Auguſtin. Sic diadema aut purpuram regiam vnà cum rege, qui ea indutus eſt, veneramur: iacentem autem & per ſe vel ſeorſim, non item. Sermo. 58. De verb. Domini ſecundum Ioan. Damaſcenus lib. 3. cap. 8. De fide orthodoxa, & lib. de Duabus Chriſti voluntatibus. Atque hoc eſt vtiliſsimum ferè & pulcherrimum totius huius libri caput.

CAP. XXXVI.

Vt Chriſtus homo fieret, nullis humanitatis, ne illius quidem quæ in ipſo Chriſto fuit, meritis factum eſſe.

Hic omnino granditer [1] *& euidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Chriſto meruit, vt in vnitatem perſonæ vnici Filii Dei ſingulariter eſſet aſſumpta? Quæ bona voluntas, cuius boni propoſiti ſtudium, quæ bona opera præceſſere, quibus mereretur iſte homo, vt vna fieret perſona cum Deo? Nunquid antea fuit homo* [2], *& hoc ei ſingulare* [3] *beneficium præſtitum eſt, vt ſingulariter promereretur Deū. Nēpe ex quo homo eſſe cœpit, nō aliud eſſe cœpit quàm Dei Filius, & hoc vnicus, & propter Deum*

Verbum

A *Verbum, quod illo ſuſcepto caro factũ eſt, vtique Deus. vt quemadmodum eſt vna perſona quilibet homo, anima ſcilicet rationalis, & caro: ita ſit Chriſtus vna perſona, Verbum & homo. Vnde naturæ humanæ tanta gloria nullis* [4] *præcedentibus meritis ſine dubitatione gratuita, niſi quia magna hîc & ſola Dei gratia fideliter & ſobriè conſyderantibus euidenter oſtenditur, vt intelligãt homines per eandem gratiam ſe iuſtificari à peccatis, per quam factum eſt, vt homo Chriſtus nullum habere poſſet* [5] *peccatum? Sic* [6] *& eius matrem angelus ſalutauit, quando ei futurum annuntiauit hunc partum, Aue, inquit, gratia plena. Et paulò pòſt, inueniſti, ait, gratiam apud Deum. Et hæc quidem gratia plena, & inueniſſe gratiam apud Deum dicitur, vt Domini ſui, imò Domini omnium mater eſſet. De ipſo autẽ Chriſto Ioan. Euangeliſta cùm dixiſſet,* [7] *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: & vidimus, inquit, gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Quod ait, Verbum caro factum eſt, hoc eſt plenum gratiæ. Quod ait, gloriã vnigeniti à Patre, hoc eſt plenũ veritatis. Veritas quippe ipſa vnigenitus Dei Filius nõ gratia, ſed natura. Gratia ſuſcepit hominem tanta vnitate perſonæ, vt idem ipſe etiam eſſet hominis filius.*

B 1 *Hic omnino granditer.* πόρισμα eſt & corollariũ, per quod ad Pauli imitationem Roma. 5. ver. 8. cõmendat Auguſt. immenſam Dei erga nos miſericordiam, quia merâ ſuâ gratiâ, nullis autem noſtris aut ipſius in quoquam homine humanitatis meritis Filium ſuum hominem pro nobis fieri voluit. Suprà quidem cap. 30. docuit nullis cuiuſquam noſtrûm operibꝰ & meritis inuitatum & demeritum Deũ fuiſſe, vt Chriſtus pro ſalute noſtra fieret homo: nũc amplificat & docet, ne ipſius quidem humanitatis, quæ in Chriſto fuit, meritis eundem inductum, vt omnes quę in hoc argumento incidere poſſunt, quæſtiones & dubitationes enodatas & explicatas habeamus. Alludit etiam Auguſt. ad dictum Pſal. 8. v. 5, Quid eſt homo, quòd memor es eius? nedum vt in vnius cum diuina eſſentia perſonæ vnitatem aſſumatur. Proponitur hoc argumẽtum etiam Heb. 2. v. 6. Confirmatur autem ſententia Auguſt. dicto Pauli Tit. 2. verſu 14. ὃς ἔδωκεν ἑαυτὸν C ὑπὲρ ἡμῶν, qui donauit ſeipſum pro nobis. Donat autem ille, qui nullo iure & nullo merito noſtro eſt nobis obligatus. Quod autem hîc diſputat Aug. & concludit Chriſtum, quatenus homo eſt, ne meritum quidem eſſe vt illius humanitas diuinitati vniretur in vno ὑφισταμένῳ, verum eſt, & illius dicti ratio mox afferetur, ſed non tollit tamen illam & veram & veterem ſententiam qua dicitur Chriſtum pro nobis, quatenus homo fuit, meritum fuiſſe. Negat enim tantùm Auguſt. humanitatem Chriſti antequam eſſet aſſumpta, meritam eſſe vt diuinitati cõiungeretur: non negat tamen, poſtquam Chriſtus homo factus eſt, eum pro nobis meritum. Vide eũdem Auguſtin. in Ioan. Euangel. tract. 82. Ad perſonam Vnigeniti Filij Dei pertinet per gratiã humana natura, & tantam gratiam, vt nulla ſit maior, nulla prorſus æqualis. Hæc gratia Vnionis à Scholaſticis dicitur. Hoc caput legitur apud Lombard. corruptiſſimè lib. 3. diſtinct. 6. c. Et ne. Ex hoc autem loco ſumpſit Leo 1. epiſt. 11. illud ſuum, Natura quippe noſtra nõ ſic aſſumpta eſt, vt priùs creata, poſt aſſumeretur: ſed vt ipſa aſſumptione crearetur. Auguſtinnus in Ioan. Euangel. tractat. 74. Quod in vnitatem perſonę vnigeniti aſſumptus eſt homo, gratiæ eſt, non naturæ.

2 *Nunquid antea.* Ratio eſt ſuperioris ſententiæ A ab antecedenti, Si caro & humanitas Chriſti nõ fuit, antequam eam λόγος aſſumeret ex Maria, ergo nihil illa merita antea erat. Non entis enim ex vulgari Philoſophorum regula, nullæ ſunt qualitates. Chriſti autem caro & humanitas nõ priùs ex Virgine in vtero concepta eſt, quàm à λόγῳ aſſumpta fuit, nec alibi vſquam eadem exiſtentiam habuit, ergo antequam à Chriſto aſſumeretur, non fuit. Neque obſtat quòd ſæpe antea Chriſtus etiam aſſumpto corpore humano Patribus locutus eſt, vt docet Auguſt. ipſe in lib. De Trinita. 2. Ergo antè quàm è Maria naſceretur, videtur λόγος homo factus eſſe. Reſpondeo per corpus quidem & illud verum, ſæpe antea Deum λόγον apparuiſſe patribus, & iiſdem etiam locutum eſſe, ſed hoc corpus ad tẽpus tantùm & tranſitoriè ſumpſit, & poſtea depoſuit, vt Angeli faciũt: non autem tũc in diuinæ ſuæ perſonæ vnionem aſſumpſit, quemadmodum corpus quod ex Maria virgine habet, aſſumpſit, quod poſtea nũquam depoſitura & relictura eſt diuinitas Chriſti, ac ne tunc quidem reliquit cùm mortuus B eſt Chriſtus, & ſepultus, & per triduum iacuit in monumento. Ergo longa eſt differentia inter temporalem illam corporis aſſumptionẽ à Chriſto factam, & hanc hypoſtaticam & perpetuam diuinę naturæ & humanæ vnionem, quæ in vtero Mariæ facta eſt. Nam corpus illud Chriſti humanitas nõ magis fuit aut dicẽdum eſt, quàm Angelorum corpora ab iis ad tempus ſumpta, humanitas Angelorum. Hic autẽ locus Auguſt. pręclarè explicat quid ſit carnem Chriſti eſſe deitati hypoſtaticè vnitam: nempe ſic, vt illa extra deitatem Chriſti nõ habeat eſſe, neque poſſit ſubſiſtere, quòd ante vnionem & aſſumptionem non fuit, ſed tunc primùm, cùm aſſumpta eſt. Ergo illa Chriſti humanitas non ſeparatim ſua ipſius eſt, ſed ſolius Verbi Dei humanitas. Voluit autẽ apparere eaſpecie etiam ante ſuam incarnationem Chriſtus patribus, vt illius deguſtationem quandam & præludiũ futuræ ipſis præberet ad eorum fidem magis confirmandam. Etſi autem à tempore & momento conceptionis caro à λόγῳ eſt aſſumpta, non eſt tamen eodem illo momento C glorificata, ſed per momenta vis diuinitatis in illa ſe exeruit, donec plenum ſalutis noſtræ myſterium perficeret, moriens & patiens.

3 *Singulare.* Singulare interpretor hoc loco, vt antea nõ eximium tantùm & egregiũ, ſed quod eſt in eodem genere ſolitarium, & vnum. Ergo neque ſpeciali priuilegio Chriſti humanitati conceſſum docet Auguſt. vt mereretur à diuina aſſumi. Quod autem de ſimilitudine vnionis animæ & corporis in homine cum Diuina & humana natura in Chriſto affert Auguſt. ex Athanaſij ſymbolo ſumptum eſt, quod poſtea Cyrillus optimè explicauit.

4 *Nullis præcedentibus.* Putaſſem gloſſema, maximè cùm ſequatur, gratuita, quod idem eſt: niſi in illius ſeculi, quo vixit Auguſt. Latinis authoribus animaduerterẽ infinitos πλεονασμοὺς, & in Afris ſcriptoribus multa παρέλκειν & ſuperfluè dicta. Denique niſi mallem hæc ad Pauli imitationem exiſtimare ſcripta, qui in epiſt. ad Rom. 3. v. 24. Iuſtificamur, ait Paulus, gratis, eius gratia, per redemptionem eius: quæ tamen verba apud Paulum magni ſunt momenti, non ſuperuacanea.

5 *Habere poſſet.* Gratiâ Dei factũ eſt in Chri-

A ſto, vt cùm homo eſſet, peccatum non haberet quemadmodum quâ homo eſt, dicitur idem prædeſtinatus à Patre, Auguſt. li. 1. De prædeſt. Sanctor. ca.15. Actor. 17. v. 31. Item eſſe vnctus, Act. 10. v. 38. eſſe quoque ſanctificatus. Rom. 1. v. 4. Ita autem ſine peccato fuit, vt omnino peccare non poſſet, vti neque nos poterimus peccare, cùm erimus illi ſimiles poſt reſurrectionem. Quatenus autem ipſe Chriſtus eſt Deus, vel deitas quæ in illa carne velut templo ſuo habitauit, ipſe ſe ſãctificat, non ſanctificatur ab alio, Ioan. 17. v. 19. Quod enim de Patris gratia dicitur hoc loco, in lib. de fide ad Pet. c. 2. tribuitur ipſi Filio, his verbis, Solus igitur abſtulit peccatum conceptionis atque natiuitatis humanæ Deus vnigenitus, quia & filius in ſe facit, quâ Deus, quod & Pater facit. Sed quæſitum eſt, Vtrùm etiam alij homines prȩter vnum Chriſtum peccare non poſſint hîc viuentes. Reſpon. ex 1. Ioã. 1. eos non poſſe quin peccent, cùm in peccato omnes ſint concepti. Sic Auguſt. de natur. & grat. cap. 36. Ergo ex neceſſitate conſequentiæ omnes hîc peccant, quia ſi vellet Deus, faceret aliquẽ ἀναμάρτητον, B vt diſputat Auguſt. in lib. De litera & ſpiritu ad Marcell. ſed non facit, quia ex Adamo naſci nos omnes vult, & ordinario, non autem extraordinario, naſcendi & cõceptionis modo. Denique ſolus Chriſtus iuſtus dicitur, 1. Ioan. 2. v. 2.

6 *Sic & eius matrem.* Probatio eſt & ἀπολογία ſuperioris dicti, nempe Chriſtum, quâ homo factus eſt, gratiâ Dei factum eſſe ἀναμάρτητον, & ſine peccato. Ducta eſt autem ab autoritate Scripturæ, qui locus eſt apud Ioannem in Euangel. cap. 1. verſ. 14, Verbum caro factum eſt, ait, & vidimus eum tanquam vnigenitum Dei plenum gratiæ & veritatis. Eſt autem hîc arguta Auguſtini diſputatio, mea quidem ſententia (quanquam tamen in lib. de fide ad Petr. Fulgentius hanc Auguſtini interpretationem ſequitur) cùm ait, quòd quemadmodum apud Ioannem Chriſtus & vt homo & vt Deus proponitur, ita duo illi tribuuntur, nẽpe quòd ſit plenus gratia, & veritate: è quibus primum ad hominem Chriſtum pertinet, nimirum quòd ſit plenus C gratia: alterum & poſterius ad Chriſtum Deum, id eſt quòd ſit plenus veritate. Naturâ enim, non gratiâ eſt Dei Filius & Deus, vti ſuprà diximus. Hæc Auguſtini mens eſt arguta, vt colligat in Chriſto homine Dei gratiam operatam eſſe, & cogitãdam. Senſus autem huius loci verior, ſimplicior & ſyncerior hic eſt, Chriſtum ex eo agnitum eſſe verum Dei Filium, quòd ſit ipſe plenitudo omnis gratiæ & veritatis. In quo Chriſtus cæteris hominibus omnib. opponitur, qui pleni ſunt odio: & legi ipſi Moſis, quæ plena fuit vmbris, nõ veritate. Sic Ioã. ipſe interpretatur cap. 1. v. 16. & 17. Confirmatur Coloſſ. 1. v. 19. 2. v. 17. Alii autem Scripturȩ loci magis perſpicui extant, ex quibus intelligitur & colligitur in Chriſto, quatenus homo eſt, Patris gratiam operari, adeóque hoc ipſum quòd ſine peccato natus & conceptus eſt, ex Patre eſſe. Cur enim ex Spiritu ſancto conceptus dicitur, niſi vt oſtendatur Dei gratiâ & opere factum eſſe, vt Chriſti caro quæ eſt creatura, eſſet ſine peccato, atque hoc ſpeciale priuilegium prȩ cæteris haberet, nimirum vt ipſe per ſe iam mundus nos à peccatis mundaret? confirmat autem hîc ſuam ſententiam Auguſt. à comparatis. Confert enim Mariam virginẽ matrem illius, quæ etiam plena gratiæ appellatur, cum Chriſto, quos vtroſque longè diuerſa ſignificatione A tamen & ratione plenos gratiæ nominari oſtẽdit. Maria enim, ait, dicitur gratiæ plena, quòd Dominum ſuum, & omnium creatorem in vtero geſtauit, & illius mater eſt, non quòd ſine peccato eſſet. Itaque non vult Auguſtinus Mariam ἁπλῶς & abſolutè dici gratiæ plenam, quaſi peccare nõ potuerit, ſed κατά τι tantùm, quia eſt mater λόγου & ex ea carnem ille ſumpſit. Chriſtus autem dicitur plenus gratiæ, quia peccare omnino nõ poteſt, neque potuit, & ſine peccato etiam conceptus eſt. ergo ἁπλῶς & abſolutè. Ex quo apparet quàm longè ſequens ætas ab Auguſtini mente receſſerit, dũ vult Mariam virginem ex tunc, id eſt ex eo tẽpore quo Chriſtum cõcepit, à peccato immunẽ fuiſſe. Quod prorſus cum hoc Auguſtini loco pugnat. Tempore Lombardi hæc tamen erat ſcholæ ſententia, vt eſt lib. 3. Lombard. diſt. 3. cap. Quod autem. Nam quod ex eodem Aug. lib. de natur. & gratia, afferũt cap. 36. docet Chriſtum, non autem Mariam ipſam peccare non potuiſſe & cum hoc loco planè conſentit. Idem lib. 10. de Geneſi ad literam, c. 18. apertiſſimè dicit Mariam ex peccati propagatione eſſe. Nam quã Bernard. in Sermo. 2. de Aſſumptio Beatæ B Marię rationem affert, cur careat Originali peccato, prorſus inepta eſt, vt illud falſum eſt quod affertur ex Proteuãgelio Iacobi. Scholaſtica poſterior fuit longè impudentior, cùm etiam ſine peccato originali Mariam fuiſſe contendat, id eſt, non tantùm à tempore quo Chriſtum cõcepit, ſed à die ſuæ ipſius cõceptionis fuiſſe à peccato immunem contra dictum Ioannis, 1. Ioan. 1. v. 8. Idẽ quod Auguſti. ſcripſerat, poſtea Anſelm. lib. 2. Cur deus Homo. cap. 16. apertiſſimè ſcripſit. Scotus tamen huius poſtremi erroris patronus extitit acerimus. Quæ priuilegia Claromont. concilio 1. inſulſo ſunt poſtea Mariæ confirmata. Sed ex Bernardi ſcriptis in Cantic. Canticor. hæc fortaſſe orta & confirmata opinio fuit. At qui ita ſentiũt, peſſimè de pulcherrimo authore, & patre ſanctiſſimo iudicant. Nam idem ille epiſt. 174, Non eſt hoc, ait, virginem honorare, ſed virgini detrahere. Vbi enim erit prȩrogatiua matris Domini, qua ſingulariter creditur C exultare, & munere prolis, & integritate carnis, ſi tantundem dederis & matri ipſius? Item Homil. 3. Miſſus eſt, Non quia tu benedicta, ait, benedictus fructus ventris tui: ſed quia ille te præuenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta &c. Hæc Bernardus. Cùm inter Iacobitas & Franciſcanos monachos quondam hæc quæſtio rixoſè & dubiè agitaretur, interpoſuit ſe ſynodus Baſilienſis, quæ vtroſque ſilere iuſſit. Quòd ſi ex huiuſmodi phraſi, Plenus gratia, plenus fide, quẽ peccare non poſſe colligendum eſt, de Stephano idem erit dicendum, qui dicitur plenus fide, plenus potẽtia, plenus Spiritu ſancto, Actor 6. & 7. v. 55. Sed non dicitur Maria plena gratiæ. Locus enim hic ſumptus eſt ex Lucæ Euangelio, 1. v. 28. ſed tantùm gratis accepta, & gratiam conſecuta, ídque per Chriſtum ipſum, quia in eum credidit, vt explicat veriſſimè Elizabeth ibidem Luc. 1. v. 45. Auguſt. De Sanct. Virginita. cap. 3. Beatior ergo Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti, ſi ex ipſis fontibus, vel Auguſt. ipſe hauſiſſet, vel qui ita de Maria ſentiunt, non ſic loquerentur. Dicitur enim κεχαριτωμένη, non autem πλήρης χάριτος. Eſt autem χαριτοῦν gratiam gratis conferre,

non

A non ex merito vllo: & χαριτῶσθαι eſt gratis ea gratia affici & donari. vnde Maria virgo dicitur κεχαριτωμένη. Quę vox de aliis etiam fidelibus & piis a Paulo vſurpatur Epheſ. 1. verſ. 6, vt nos omnes ſine peccato originali conceptos eſſe affirmare oporteat. ſi verum eſt quod de Maria ſentiunt & colligunt. Sed vti illa, ſic & nos in dilecto illo, nēpe Chriſto gratis accepti Deo ſumus, quanquam tamen diuerſa menſura Deus ipſe dona ſua, id eſt, ipſius acceptationis gratuitæ effecta nobis confert. Plurima autem Mariæ dediſſe non negauerim, non ea tamen, per quæ filio ſuo & Chriſto redemptori noſtro æqualis ſit, ſed ne quidem vllo modo cum eo comparanda. Fuit ergo Maria virgo & ipſa in originali peccato concepta. quod ipſum nec Durādus inter Papiſtas ſummus negauit in 4. Sentent. diſtin. 43. quęſt. 4. articulo 2. & ante eum Bernard. epiſtol. 174. ad Canonic. Lugdū. inuehitur in eos qui ſanctitatem conceptionis Marię celebrarent, quod ex conſtitutione Anſelmi Archiepiſ. Cātuariēſis poB ſtea tamen factum eſt in Anglia. Ergo fuit Maria vt cæteræ mulieres, etiam natura peccatrix, ſed inſignibus tamen Dei donis, & ſupra omnes quotquot vnquam fuerunt, & erunt, mulieres, à Deo gratis ornata, quia Chriſti mater fuit, & organon Dei ſelectiſſimum. Denique non quid ipſa ſit in ſe & ex ſua perſona ſpectandum eſt, vt illa laudetur, ſed quid Deus in ea effecerit & contulerit, ídque etiam gratis. Non obſtat autem dictum Irenæi lib. 3. c. 33. vbi Maria cauſſa ſalutis appellatur, vti Eua cauſſa mortis. Hæ enim comparationes à patribus fiunt κατὰ πλάτος & pinguiori quadam ratione loquēdi, quò faciliùs intelligatur ſalutis noſtræ remediū eſſe aptum & conueniēs rationi, & ipſi peccati primi per Adamum commiſſi nodo diſſoluendo cōgruum. Auguſt. li. De Agone Chriſtia. cap. 22. lib. 2. contra Pelag. ca. 40. Et ſunt huiuſmodi hyperbolæ veterum moderata interpretatione quæ fidei ἀναλογίᾳ reſpondeat, mitigandæ & explicandæ. Nam fuiſſe rhetoricationes apparet ex lib. 3. de Symbolo ad catechum. cap. 4. vbi Auguſtinus ſic ait, Iiſdem gradibus, quibus perierat humana natura, à Ieſu Chriſto Domino noſtro reparata eſt. Adam ſuperC bus, humilis Chriſtus: per fœminam mors, per fœminam vita: per Euam interitus, per Mariam ſalus. Illa corrupta ſecuta eſt ſeductorē, hæc integra peperit ſaluatorem, &c. Præterea quod ex eodem Irenæo lib. 5. cap. 16. dicunt Mariam eſſe aduocatam, additum eſſe apparet. Nam Auguſtinus. lib. 1. Cōtra Iulia. cap. 2. qui hunc Irenæi locum citat, nihil tale habet.

DE INCARNATIONE Chriſti.

CAP. XXXVII.

Etiam ex ipſo conceptionis modo ſatis intelligi λόγον ſola gratia, non vllo ipſius humanitatis merito hominem aſſumpſiſſe & ſibi vniuiſſe.

IDem[1] namque Ieſus Chriſtus Filius Dei vnigenitus, id eſt, vnicus Dominus noſter, natus[2] eſt de Spiritu ſancto & Maria virgine. Et vtique Spiritus ſanctus Dei donum[3] eſt, quod quidem & ipſum eſt æquale donanti. Et ideo Deus eſt etiam Spiritus ſanctus Patre A *Filióque non minor. Ex hoc ergo, quod de Spiritu ſancto eſt ſecundum hominem natiuitas Chriſti, quid aliud quàm ipſa gratia[4] demonſtratur? Cùm[5] enim virgo quæſiuiſſet ab angelo, quomodo fieret quod ei nūtiabat, quādoquidem illa virum non cognoſceret, reſpondit angelus[6], S. ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi: ideóque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Ioſeph cùm vellet eam dimittere: ſuſpicatus adulteram, quam ſciebat non de ſe grauidam, tale reſponſum ab angelo accepit[7], Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in eo natum eſt id eſt, quod tu eſſe de alio ſuſpicaris, de Spiritu ſancto eſt.*

1 *Idem natura.* Αἰτιολογία eſt ſuperioris ſententiæ & interpretationis tum ab annexis, id eſt, conceptiōis Chriſti modo, qui planè Dei gratiā interueniſſe oſtendit, vt Chriſtus fieret homo: tū etiā à duplici authoritate Scripturæ ducta, Lucæ nimirū & Matthæi. Ingreditur autem ex hoc loco Auguſt. maximè Symboli Apoſtolici explicationē, in quo de modo & ratione ſalutis noſtræ per Chriſtum B perficiendæ hiſtoria contexitur. Inchoat autem conceptione Chriſti Auguſtinus, per quam homo factus eſt. Duæ enim fuerunt, vt ait Damaſcē. Chriſti natiuitates, vna ex Patre ante ſecula, quæ eſt ſupra rationem humanam, & tempus, & naturam, de qua Ioan. 1. verſ. 1. Altera ex Virgine, quæ in vltimis temporibus propter nos quidem & ſecundum nos eſt, ait, (ex ſemine enim Mariæ natus eſt Chriſtus) ſed tamen ſupra nos eſt, quia incomprehenſibili nobis modo ex Spiritu ſancto conceptus eſt. Hunc articulum habuerunt veteres Eccleſiæ in fidei ſuæ confeſſione disertè deſcriptū vti apparet ex Iuſtino Marty. in Ἐκθέσει πίστεως, & diſputation. cōtra Tripho Irenæ. lib. 1. cap. 2. Auguſt. lib. De Symbolo, cap. 4. & idem. libr. De Agone Chriſtia. cap. 22. Euſeb. lib. 6. cap. 2. Hiſtor. Et quāquam Heb. 6. v. 3. huius articuli nō fit mentio particularis, de quo baptizandi interrogarentur, ſed de reſurrectione mortuorum & extremo iudicio tantùm, certum tamen eſt hūc commemoratū fuiſſe in Eccleſia & retentum, ſed illic Apoſtolus συνεκδοχικῶς quoſdam præcipuos confeſſionis, quæ C tunc fiebat, articulos recenſet, non omnes. Ex virgine, id eſt homine natum Chriſtum apertè docet Scriptura Luc. 1. Mat. 1. Iſa 7. quod factum eſt, vt verè homo fieret Chriſtus, non tantùm vt vtrumque ſexum, mares nimirum, qualis ipſe erat, & fœminas, ex quibus naſci voluit, honoraret, vt vult Auguſt. commemoratis locis. Non etiam, vt vult Bernard. Sermo. 20. Cantic. vt cum hominibus homo cōuerſans, Carnalium (id eſt, eorum, qui nihil niſi carnale amare poſſunt) affectiones ad ſe primò & ad ſuæ carnis ſalutarem amorem retraheret, deinde gradatim ad amorem perduceret ſpiritualem. Nec obſtat, quòd non ſatis digna hęc naſcendi ratio Dei Filio videatur, quam multa obſcœna ſimul admixta habere quidam volunt, qualis eſt muliebrium viſcerum cogitatio, ὑστερόφυσις & cætera huiuſmodi, propter quæ Valentiniani hæretici inextricabilem Filij Dei natiuitatem ex ſuis æonibus commenti ſunt: & Marcion dixit corpus fuiſſe aereum & è cœlo miſſum, non ex carnis Mariæ ſubſtātia ſumptum. Denique propter hæc eadem impuriſſimus Seruetus ait ex tribus elemētis creatum fuiſſe Chriſtum in virgine, quia Pater Deus ab æterno geniturien, in Maria quā demum

A ſibi aptam mulierem inuenit, genuit Filium Chriſtum. Turpibus autem iis & Satanicis cogitationibus, per quas Dei ſapientiæ obgannimus, reſpondet Aug. De Agon. Chriſtia. c. 11. & in lib. De Symbol. c. 4. idem Ruffi. in expoſit. Symboli quæ extat inter opera Hierony. Nempe non magis eam ex fœmina natiuitatem Filio Dei indignã eſſe, quàm mortem, crucifixionem, & condemnationem eius, & inter facinoroſos homines ſceleratos reputationem. Quæ omnia illius formę ſerui, quam accepit, pars ſunt, Philip. 2. v. 7, Patres in Epheſina ſynodo dixerunt Chriſtum dum in vtero Mariæ concipitur, geſtatur, naſcitur eadem eſſe perpeſſum excepto peccato, quæ in aliorum hominum natiuitate naturaliter fieri poſſunt, vt ſciamus Chriſti beneficiũ pertinere ad ipſos fœtus quoque. Dixit Hierony. Chriſtum cruẽtatum ex Maria Virgine natum eſſe vide ſup. 34. N. 9.

2 *Natus eſt de Spiritu ſancto.* Ita videbitur ſonare phraſis & oratio Auguſtini, tanquam ex Spiritu ſancto & Maria coeũtibus natus ſit Chriſtus, niſi dextrè explicetur, Sed ita diſtinguenda mens B eſt Auguſt. (id quod ex aliis eius dictis facilè poteſt) vt voce hac, Natus, duplex tempus & duplex etiam actio ſignificetur, nempe conceptionis, & natiuitatis. Conceptus igitur eſt Chriſtus ex Spiritu ſancto, Natus ex Maria virgine, non quidem tanquam patre & matre ſimul coeuntibus, ſed illo in virgine & ex illius carne & ſubſtantia corpus Chriſti efformante, creante, & purificante. Sed veteres συγχυστείᾳ quadam ita loquebantur, Natus ex Spiritu ſancto & Maria: & vna illa voce breuiter complectebantur, quod in Symbolo diſtinctum eſt. Sic idem Auguſt. in Sermo. de Tempore, 125. diſtinguit, quæ tamen hîc & ſup. ca. 34. confudit. Damaſcenus ait, Poſt conſenſum ſanctæ virginis Spiritus ſanctus ſuperuenit in eam purgans ipſam, id eſt, ſemen eius, ex quo corpus & carnem Chriſti condidit, & vim deitatis Verbi Dei receptricẽ, & generatiuam præparans, & donans. Quæ Scholaſtici de incarnatione Chriſti agentes ſub figura coniugii diuinæ & humanæ naturæ in eo conue-C nientis feſtiuè diſputant, legat qui volet apud eoſdem. Conceptus autem eſt inquit Auguſti. 8. Calend. Aprilis, natus autem 8. calend. Ianuarii, lib. 4. c. 5. & lib. 13. cap. 17. de Trinita. Quam falſam eſſe ſententiam alii contendunt, tum ex voce & feſto Επιφανείας, quæ Chriſti ipſius natiuitatis diem oſtẽdit: tum etiam quòd ex temporis & vitæ Chriſti ratione colligunt potiùs menſe Septembri natum Chriſtum. Nam illum eundem Fortium menſem Scriptura appellat, & eodem menſe Mundũ fuiſſe conditum à Deo Rabbini Hebræorum ſentiunt.

3 *Dei donum.* De Spiritu ſancto Deo poſtea & ſuo loco. Nunc operæpretium eſt annotare vocem hãc Spiritus ſanctus, duplicem notionem habere, quam videtur confundere Auguſt. Ergo & pro ipſo donorum ſpiritualiũ authore & effectore in nobis Deo accipitur Spiritus ſanctus, id eſt, pro eo, qui ordine à nobis in Trinitate tertia perſona nominatur, quo ſenſu non eſt Dei donũ, ſed Deus ipſe, æqualis Patri & Filio, etſi ex vtroque manãs. Itẽ accipitur Spiritus ſanctus pro ipſis illius donis, quo ſignificato dicũtur Apoſtoli Spiritũ ſanctum accepiſſe in die Pentecoſtes, & fideles omnes habẽt Spiritũ ſanctum. quod ad perſonam ipſius Spiritus ſancti Dei, vel ad eſſentiam non eſt referẽdũ, A ſed tãtùm ad illius dona ſpiritualia. Epheſ. 4. Et ea acceptatione donum Dei eſt Spiritus ſanctus, non æquale quidẽ Patri, neque etiam ipſi Spiritui ſancto. Cauſſa enim ſuo effectu præſtantior eſt, & ea ratione ſoluitur difficilis illa quęſtio, quam mouet Auguſt. de miſsione Spiritus ſancti, in libris de Trinitate. Nam & mittens & miſſus idem dici poteſt.

4 *Gratia.* Infr. cap. 40. hoc ſuum argumẽtum explicat Auguſtinus, qui locus planè eſt cum hoc conferendus.

5 *Quum enim.* Exponit Auguſtinus extraordinarium illum natiuitatis, id eſt, conceptionis Chriſti modum, per quem docet planè Dei gratiæ opus fuiſſe, quòd homo Deo etiã in Chriſto vnitus eſt. Fuit quidem conceptionis Chriſti modus extraordinarius. Sed natiuitas eius vtrùm à cæterorum hominum ratione diuerſa fuerit, non explicat Scriptura. Putat clauſa porta exiiſſe Chriſtum Athanaſius in diſputation. contra Arium. Idem quoque ſuprà ſcripſit Auguſtinus. Alij addunt etiã ſine doloribus partus. i. ὠδίνας Chriſtũ à matre in lucem editum. Sed nihil ex Scriptura affirmare & definire in ea re poſſumus. B

6 *Spiritus ſanctus.* Locus eſt ſumptus, & deſcriptus ex Euangelio ſecundum Lucam cap. 1. ver. 35. Ex his autem verbis apparet veterem Eccleſiam ſic legiſſe hunc locum Lucæ, quemadmodum retinuit Athanaſius, & ſic aduerſus Valẽtinian. & Marcionitas plurimum valet. Sic itaque habebant Patres, πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. Διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον κληθήσεται υἱὸς θεοῦ. Quod ideo admonui, ne quis temere diſertiſſimum & doctiſſimum Theologum Theodorũ Bezam putet veterem lectionem prætuliſſe illi quæ poſtea magna librariorũ culpa inuecta eſt. Ergo legebat in ſuo codice Auguſtinus. Naſcetur ex te, id autem eſt, quod ipſa verba Græca ſonant, γεννώμενον ἐκ σοῦ, Ne putetur vterus Mariæ fuiſſe tantùm velut canalis quidam per quem percolaretur Chriſti corpus è cælo delapſum. Ex eius enim ſemine, ſed ſanctificato illo quidem & purificato à Spiritu ſancto, creatum eſt Chriſti corpus, & illud diuinitatis templum. C

7 *Noli timere.* Locus eſt apud Matth. cap. 1. v. 20. vbi Natum in ea retinet ex lectione recepta ſuo ſeculo Auguſtinus, quod Matthæus dixit γεννηθὲν ἐν αὐτῇ, id eſt, genitum in, ea. Græca autem ἔμφασιν maiorem & ſententiã dilucidiorẽ habent, atque etiã aduerſus Marcionitas firmius argumẽtũ.

CAP. XXXVIII.

Chriſtum neque Spiritus ſancti filium eſſe, neque ex illo tanquam ex patre conceptum eſſe.

Nunquid tamen ideo dicturi ſumus patrẽ hominis Chriſti eſſe Spiritũ ſanctũ, vt Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus S. hominem, ex qua vtraque ſubſtãtia Chriſtus vnus eſſet, & Dei Patris Filius ſecundum Verbũ, & Spiritus S. filius ſecundũ hominem quod quaſi eum Spiritus ſanctus tanquam pater eius de matre virgine genuiſſet? Quis hoc dicere audebit? Nec opus eſt oſtendere diſputando, quanta alia ſequantur 1 *abſurda, cùm hoc ipſum iam ita ſit abſurdum, vt nulla fideles aures id valeant ſuſtinere. Proinde, ſicut*

A *confitemur, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui de Deo Deus, homo autem natus eſt de Spiritu ſancto & Maria virgine, vtraque ſubſtantia, diuina ſcilicet atque humana, Filius eſt vnicus Dei Patris omnipotentis, de quo procedit Spiritus ſanctus. Quomodo ergo dicimus Chriſtum natum de Spiritu ſancto, ſi non eum genuit Spiritus ſanctus? An quia facit [3] eum? Quoniam Dominus noſter Ieſus Chriſtus in quantum Deus eſt, omnia per ipſum facta ſunt: in quantum autem homo eſt, & ipſe factus eſt, ſicut Apoſtolus dicit, [4] factus eſt enim ex ſemine Dauidis ſecundum carnem. Sed [5] cùm illam creaturam, quam virgo concepit & peperit, quamuis ad ſolam perſonam Filij pertinentem tota Trinitas fecerit (neque enim ſeparabilia ſunt opera Trinitatis) cur in ea facienda ſolus Spiritus ſanctus nominatus eſt? An & quando[6] vnus trium in aliquo opere nominatur, vniuerſa operari Trinitas intelligitur? Ita verò eſt, & exemplis doceri poteſt. Sed non eſt in hoc diutius immorandum. Illud enim monet, quo modo dictũ ſit, Natus de Spiritu ſancto [7] cùm filius nullo modo ſit Spiritus ſancti. Neque enim quia mundum iſtum fecit Deus, dici eum fas eſt Dei filium, aut eum natum de Deo, ſed factum, vel creatum, vel conditum, vel inſtitutum ab illo, vel ſi quid huiuſmodi rectè* B *poſſumus dicere. Hunc ergo cùm confiteamur natum de Spiritu ſancto & Maria virgine, quomodo non ſit filius Spiritus ſancti, & ſit filius virginis Mariæ, cùm & de illo, & de illa ſit natus, explicare difficile eſt [8]. Proculdubio quippe non ſic de illo, vt de patre, ſic autem illa, vt de matre natus eſt.*

1 *Nunquid tamen.* Duplex hypophora, per quam duplici obiectioni occurrit Auguſtinus, è quibus prima eſt, Cur ſi è Spiritu ſancto cõceptus eſt homo Chriſtus, non dicitur filius Spiritus ſancti, vti filius Mariæ appellatur. Altera, cur cùm totius Trinitatis opus ſit hæc conceptio, vni tamen Spiritui ſãcto tribui videatur. Hoc addidit Auguſtinus propter Valentinianorum hæreſes, & vt etiã Arianorum, Marcionitarum & ſimilium ora occluderet. Ac de prima quidem quæſtione & Athanaſius in diſputatio. contra Arium, & Baſilius contra Eunomi. & Iuſtinus Martyr, & Ruffinus in expoſitione Symboli egerunt. Lombardus ètiam libr. tertio Sentent. diſtinction. 6. C totum hoc caput cum aliquot ſequentibus tranſcripſit. Ex natiuitate Chriſti multos à nobis fructus percipi quidem docet Auguſtinus lib. 13. De Trinitate cap. 1. imprimis autem hos tres. 1, Quòd naturæ noſtræ dignitas etiam ſupra dæmonas, etſi illi carne carent, eſt euecta. 2, Quòd ſummum in eo humilitatis & obedientiæ exemplum habemus.

3. Quòd infinitam Dei miſericordiã erga nos agnoſcim', quia nullis meritis noſtris id fit. Inuoluit tamen Sathan has vtilitates maximas & cogitationes ſanctiſſimas futilibus & curioſis quæſtionibus, quales hîc tractat Auguſtinus: quemadmodum & iis, quas poſtea Oſiander adiunxit. Vtrùm Chriſtus homo futurus fuerit, etſi Adam non peccaſſet: Vtrùm aſini formam (prò blaſphemia) ſumere potuerit.

2 *Abſurda, cum hoc.* Si dicatur homo Chriſtus filius Spiritus ſancti, varia abſurda conſequuntur, è quibus multis vnum tantùm enumerat hoc loco Auguſt. quòd nimirum contra totius eccleſiæ, quæ eſt columna veritatis, fidem & vocem ita ſentitur. Sæpe autem conſenſum eccleſiæ hæreſibus opponit Auguſtinus, vti & Tertullianus in libro De præſcriptionibus. Quod rectè fit & meritò in iis in A quibus à Dei verbo. i. ſuo fundamento nõ diſceſſit Eccleſia. Aliàs enim hominum conſenſus & ſententia iampridem recepta infirmũ eſt noſtræ fidei firmamentum, vti ipſe ſuprà docuit, & in epiſt. ad Hierony. 19. & libro 3. de Trinita. item ad Fortunatia. epiſt. 198. Alia autem abſurda, quæ ex eadem ſententia ſequuntur, ſunt hęc, & his ſimilia. 1, Quòd oportuerit Spiritum ſanctum virgine Maria, tanquam cõiuge vti, id quod eſt à Dei natura alieniſſimum, quæ non eſt corporea. 2, Quòd oportuerit Spiritum ſanctum cùm hominem genuerit, ſemen humanum emittere, & ita hominem eſſe. Simile enim ſibi vnumquodque gignit. 3, Quòd non fuerit Maria virgo, cùm ſemen ex homine ſuſceperit: & ita nõ erit impletum Iſaiæ vaticinium, Iſa. 7. Ecce virgo concipiet. 4, Deinde falſum erit, quòd reſpectu humanitatis Chriſt' dicitur ἀπάτωρ, Heb. 7. verſ. 3. 5. Denique falſum erit, quod ait Angelus Luc. 1. verſu 35, Spiritus ſanctus obumbrabit. Nam iniuerit & coiuerit cum virgine, ſi vera eſt illa ſententia, nõ autem μυστηριωδῶς & incomprehẽſibiliter tãtùm obumbrauerit eam Spiritus ſanctus. B

3 *An quia fecit.* Hæc eſt prima huius quęſtionis ſolutio: altera cap. 40. afferetur, nẽpe hæc, quòd è Spiritu ſancto natum eſſe, ſit Dei gratia & dono hominem pro nobis factum eſſe. Soluit itaque hoc loco, quòd Naſcendi vox latiſſimè accipitur, pro faciendi vocabulo & notione. Naſci enim ea propriè dici, quæ ex alterius tanquam patris ſemine & ſubſtantia emanant & producuntur, putat Auguſtinus: fieri autem quæ quocunque modo ab alio producuntur. Ita à Deo factus eſt mundus, non ex Deo natus eſt. Ita à Deo fit anima, non ex Deo naſcitur. Cõfundi igitur ſignificationem & diſtinctionem horum verborum cenſet, cùm Chriſtus dicitur Natus ex Spiritu ſancto. Inter filios natos & fictos, id eſt adoptiuos aut addictos intereſſe ſcribit Irenæ. lib. 4. cap. 79. ſed in alio diſſimili argumento. Res autem ipſa ſic ſe habet: Spiritus ſanctus corporis Chriſti formator & ſãctificator fuit, non quòd è ſe. i. ſua ſubſtantia vel ſemine ſuo illud procrearit, ſed ſumpum ex ipſa Mariæ carne ſemẽ ita ipſe adaptauit: vt corpus Chriſti fingeret & faceret. C Hebr. 10. ver. 5. Vnde pater Chriſti dici non poteſt Spiritus ſanctus, etſi Maria mater Chriſti rectè appellatur, quia Patris & Matris nomen iis rebus propriè conuenit, quæ ex ſe vel ſua ſubſtantia vel ſemine aliquid producunt & gignunt. Adeò vt Pater ipſe in diuinis ideo dicatur Pater, quòd Filium ex ſua ſubſtantia parem & per omnia ſibi æqualem & ὁμούσιον genuerit incomprehenſibili & ineffabili quidem modo, ſed tamen ex ſe effuſa in eum tota ſua eſſentia non tantùm eius parte. Quòd autem Patris nomen etiam ad ea ſæpe transfertur, quę non ita aliquid producunt: vti quum vſus ſciẽtiarum pater dicitur: ſol pater nubium, & cætera huiuſmodi: fit metaphora quadam & abuſu verbi, Pater. Quòd etiam inter factum & natum hîc diſtinguit Auguſtinus, à veteribus ſemper diligenter obſeruatum eſt, & verba ipſa Gręcorum in eo ſunt notanda. Nam illi habent hęc, φῦναι, φύεσθαι, γεννᾶν, τίκτειν, diuerſæ inter ſe ſignificationis. Φῦναι & φύεσθαι de iis dicuntur quæ ex aliis pullulant, & iis inhærent. vt rami, plantæ. γεννᾶν de vtroque parente communiter dicitur, qui generant liberos ex ſeſe, id eſt, ex ſemine à ſe profluente & ſeparato: τίκτειν

A propriè de matribus, & eſt parere. At γίνεσθαι latioris eſt ſignificati, velut Fieri apud Latinos, & ad ea quæ ex aliis procreantur vel quæ alio modo producuntur generaliter pertinet. Ποιεῖσθαι autem & κτίζεσθαι prorſus à ſuperioribus diuerſum emanationis ex alio modum deſignant. Significant enim fieri, vt opus artificis, vel vt creatura à creatore, cui eſt diſsimillima, fit. Vnde fit, vt rectè Chriſti corpus dicatur ποιητὸν, κτιζόμενον atque etiam γινόμενον à Spiritu ſancto, non autem φυόμενον, γεννώμενον, & τικτόμενον. Idem autem corpus rectè ex Maria & in Maria γεννώμενον, τικτόμενον, atque etiã γινόμενον lata ſignificatione nominatur.

4 *Apoſtolus.* Rõ. 1. v. 3. Gala. 4. v. 4. γενόμενος ἐκ σπέρματος, γενόμενος ἐκ γυναικὸς. i. factus, vbi vox γενόμενος, id eſt, factus, ſcribitur, ſed particula ἐκ denotat quo ſignificato γενόμενος ſit accipiendum, docétque pertinere ad ipſam ſeminis ſubſtãtiam & emiſsionem. γενόμενος autem ἐκ ἁγίου πνεύματος non rectè diceretur Chriſtus, ſed potius ἀπὸ ἁγίου πνεύματος, quia non eſt Pater, ſed conditor corporis Chriſti Spiritus B ſanctus. Et ita vna vocula diuerſam eiuſdem verbi γινόμενος ſignificationem facit, vt natum modò, modò factum deſignet.

5 *Sed quum illam.* Altera obiectio eſt, cur cùm totius Trinitatis opus indiuiſum ſit Chriſti conceptio, vni tamen Spiritui ſancto tribuatur. Soluit Auguſtinus, quòd cùm vnum vel vna perſona nominatur, tota Trinitas ex conſecutione quadam intelligitur. Aliter quoque inf. cap. 40. quòd Spiritus ſancti vocabulo Dei gratia maximè notari ſolet. At Dei dono, munere & gratia incarnatus eſt Chriſtus. Ratio autem & verior illa quidẽ huiuſmodi locutionis hæc eſt, quòd, etſi inſeparabilia ſunt Trinitatis opera, eſt tamen cuiuſque perſonæ propria operatio ab alia diuerſa & diſtincta. Pater igitur dicitur in quolibet opere totius Trinitatis communi cauſa efficiens, author illius & principium: Filius autem ſapientia, cauſſa regens, appendens & operãs: Spiritus autem ſanctus cauſſa potenter producens, vim inſerens, res fouens, C ſuſtinens & ſanctificans. Quoniam igitur corpus Chriſti ab ipſa vi diuina mirabiliter ἐνεργητικῇ, producente & ſanctificante formatum eſt, quæ propriè ſunt Spiritus ſancti operationes, 1. Petr. 1. ver. 2. idcirco Spiritui ſãcto tribuitur hoc opus, in quo tamen & Pater, & Filius ipſe operatus eſt, & eſt totius Trinitatis commune opus, & planè miraculoſum, & incomprehenſibile.

6 *An & quando.* Fit ex neceſſaria cõſecutione, vt vbi vna è tribus diuinis Perſona agit, aliæ quoque intelligantur, & agant. Nam ſunt & ęqualis poteſtatis, & indiuiduæ ſiue inſeparabilis exiſtentiæ, & vna & eadem numero diuinitas. Perſonæ quidem diſtinctæ ſunt, & diuerſas ὑποστάσεις habent reipſa, non animi cogitatione tantùm ſubſiſtentes, ſed tamen non loco, non tempore ſeparatas, & diductas. Vnde inſeparabilia ſunt earũ Perſonarum opera quæ ad extra dicuntur, non impotentia quadam & ἀδυναμίᾳ agẽdi, ſed propter eiuſdẽ omnino naturæ in tribus Perſonis vnitatem, &, vt Cyrillus loquitur, identitatem, non vnionem tantùm. Sic dixit Gregorius Nazianzenus in Sermo. De ſacro Baptiſ. Non poſſum vnum cogitare, quin trium fulgore mox circunfundar: nec tria poſſum diſcernere, quin ſubitò ad vnum referar. Sic cùm in Actis fideles dicuntur in nomine Ieſu Chriſti baptizati, tota tamen Trinitas intelligitur, Act. A 2. v. 38. 8. & 10. Ita Ambroſius explicat & conſentit cum interpretatione Auguſtini lib. 1. De Spiritu ſancto cap. 3.

7 *Natus.* Locus eſt apud Matt. 1. v. 20.

8 *Difficile eſt.* Difficile quidem propter eos qui verbis inhærent, ea captant, & ex iis nodos nectunt: ſed perfacile tamẽ intellectu, ſi hoc Ambroſij dictum audiamus lib. 2. de Spiritu ſancto, cap. 5. Quod ex aliquo eſt, aut ex ſubſtãtia eſt: aut ex poteſtate eius eſt. Ex ſubſtantia, ſicut filius qui à patre. Ex poteſtate autem, ſicut ex Deo omnia. Quomodo ergo in vtero habuit Maria ex Spiritu ſancto? Si quaſi ex ſubſtãtia eius, ergo Spiritus in carnem & oſſa conuerſus eſt. Nõ vtique. Si verò quaſi ex operatione & poteſtate eius virgo cõcepit, quis neget Spiritum ſanctum dominicæ incarnationis authorem? Ergo ex Mariæ ſubſtantia factus homo Chriſtus, matrem eam habet, quam etiam appellat matrem. Ex Spiritus ſancti ſubſtantia carnem non habet, quare nec eum patrem habet. Vnde fit, vt verum ſit quod dixit ſuprà idem Auguſtinus, quódque ſcribit lib. 13. De trinitat. cap. 18. Spiritus, B non caro: fides, non libido præuenit: credendo, nõ concumbendo facta eſt virginitas fœcunda. Vnde crimen hominis non aſſumpſit Chriſtus, ſed naturam. Poſſe enim Deum etiam ſine contagione & peccato humanam & noſtram naturam ſubire & aſſumere docet idem Auguſtinus lib. de Agon. Chriſtia. cap. 18. quando & hic viſibilis ſol radios ſuos, ait, per omnes fæces & ſordes corporũ ſpargit, & eos immundos & ſynceros vbique ſeruat. Quòd autem vocem hanc, Virgo, pro Iuuencula Theodotio & Aquila accipiunt, refutat Irenæus lib. 3. cap. 24. 25.

CAP. XXXIX.

Non quicquid ex aliqua re natum dicitur, eius filius appellari poteſt.

NOn igitur [1] concedendum eſt, quicquid de aliqua re naſcitur, continuò eiuſdem rei filium nuncupãdum. Vt enim omittam alia, aliter de homine naſci Filium, aliter capillum [2], pediculum, lumbricum, quorum nihil eſt filius. C *Vt ergo hæc omittam (quoniam tantæ rei deformiter comparantur) certè qui naſcuntur [3] ex aqua & Spiritu ſancto, nõ aquæ filios eos ritè dixerit quiſpiam, ſed planè dicuntur filij Dei, & matris Eccleſiæ. Sic ergo de Spiritu ſancto natus eſt Filius Dei Patris, nõ Spiritus ſancti. Nam & illud quod de capillo, & de cæteris diximus, ad hoc tantùm valet, vt admoneamur, non omne quod de aliquo naſcitur, etiam filium eius, de quo naſcitur, poſſe dici. Sicut non omnes, qui dicuntur alicuius filij [4], conſequens eſt, vt de illo etiam nati eſſe dicantur, ſicut ſunt qui adoptantur. Dicuntur etiam [5] filij gehennæ, non ex illa nati, ſed in illam præparati: ſicut filij regni, qui præparantur in regnum.*

1 *Non igitur.* Secũda ſolutio ſuperioris quæſtionis, Quomodo Chriſtus è Spiritu ſancto natus dicatur, quæ ex ambigua & varia huius vocis Nat' & naſci, ſignificatiõe ducta eſt ab Auguſtino. Ergo ſępe propriè & ſtrictè, ſępe latè & impropriè naſci quædã dicuntur. Cùm propriè, tunc ex eorum ſemine & ſubſtantia ſecreta generãtur, ex quibus dicũtur naſci, vti ex Adamo natus eſt Seth, Geneſ. 4. & tunc appellantur eorum filij. Sic enim voces hæ con-

A conuertuntur & ęquè patent, ex aliquo natum eſſe, & eius filium eſſe, cùm Naſci vox propriè ſumitur. Cùm autem impropriè & lato ſignificato vocem hanc vſurpamus, Natus vel naſci, non conuertuntur hæc, Natum eſſe ex áliquo, & eius filium eſſe: ſed ſæpe quædam nata dicũtur ex iis, quorum filij nũcupari non poſſunt: ſæpe etiam filij appellamur eorum, ex quibus tamen nati non ſumus: vt ſi ab aliquo adoptemur, item cùm filij gehennæ nominamur. Quam duplicem ſignificationem verbi Natus, probat & illuſtrat exemplis aliquot hoc toto capite Auguſtinus. In quibus illud eſt obſeruandum. Quæ exempla, & quas res vult Auguſtinus dici à Latinis naſci lata ſignificatione, non ſolere à Græcis vocabulo vel τοῦ τίκτεσθαι, vel τοῦ γεννᾶσθαι. i. naſci, efferri, ſed τοῦ γίνεσθαι. i. fieri, tantùm. Plutarch. lib. 8. Sympoſia. quæſtion. 1. generationem definit ἔκστασιν οἰκείου πρὸς εἰς ἕτερον κατὰ φθορὰν οὖσαν. Itaque dicitur lumbricus aut peduncułus ex homine γίνεσθαι, fieri, non autem γεννᾶσθαι. i. naſci vel generari. Quę etiam B Ioan. in Euangelio diſtinxit cap. 1. ve. 12. 16. ver. 21. τέκνα θεοῦ γίνεσθαι dixit: at τέκνα ἀνθρώπων γεννᾶσθαι. Quã quam ſępe etiam in Scriptura harum vocum diſcrimen tollitur & confunditur, veluti Ioan. 3. verſ. 4. 1. Ioan. 3. verſ. 9. vbi pij & verè fideles dicuntur ἐκ θεοῦ γεγεννημένοι. Quid verò? etiam longè apertiore & pulchriore metaphora dixit Iacobus cap. 1. ver. 18. nos eſſe ἀποκεκυημένους à Deo, quaſi nos in vtero Deus geſtarit, vt noſtræ regenerationis opus & vis ex terrenæ natiuitatis modo & ſimilitudine facilius intelligatur. Et Petrus apertè noſtram regenerationem, quæ fit à Deo, ἀναγέννησιν appellauit, 1. Petr. 1. ve. 3. & 23. vt ſciamus rem ipſam, non verba in Dei Scriptura maximè perpendenda. A verbo Græco γίγνεσθαι, gignere Latinum deductum eſſe ſcribit Varro lib. 5. de lingua Latina, vt magis appareat γίγνεσθαι & γεννᾶσθαι poſſe cõfundi, cùm propriè gignere dicantur, quæ ex ſeſe aliquid producunt, id eſt, è ſuo ſemine. Hæc autem tam laborioſa Auguſtini diſputatio & tam multiplex ſolutio oſtendit, quanti momenti ſit hæc rectè diſtinguere, Cõceptus de Spiritu ſancto, Natus ex Maria virgine, vel per Spiritum ſanctum de Maria virgine; vt ipſe C loquitur, De Fid. & Symbolo cap. 4.

2 *Cappillum.* Deeſt verbum, Dicimus, aut aliud ſimile, quod omnino ſupplendũ eſſe ratio ipſa euincit. Vetus exemplar & manuſcriptum ſic legit, Vt enim omittam aliter, deleta voce, Alia, omnino rectiùs. Iiſdem autem exemplis vtitur idem Auguſtinus in epiſto. ad Voluſia. & ad Marcellinum, & ad Euodiũ, quibus hoc loco, & Bernard. ex Auguſtino epiſt. 190. quanquam ea deformia, id eſt, humiliora tantæ rei dignitate putat & apertè fatetur: ſed eò nos adigunt furioſorum hominum & hæreticorum diſputationes & proteruiæ, vt in tanti myſterij explicatione rerum tam vtilium ſimilitudines vſurpemus. Ipſe Auguſt. lib. 12. De trinitat. cap. 5, Euæ exẽplo idem quod hoc loco docet honeſtiùs. Eua enim ex Adamo homine facta eſt, non eſt tamen eius filia.

3 *Naſcuntur ex aqua.* Locus eſt apud Ioan. 3. v. 5. qui diſertè pro Auguſtino facit & manifeſté. Voce enim γεννηθῇ vtitur Ioan. quæ lata ſignificatione corporalem & ſeminalem procreationẽ ad ſpiritualem animorum regenerationem transfert & accommodat μεταφορικῶς

4 *Filij, conſequens.* Quemadmodum nõ quęcunque ex alio naſci dicuntur, ſunt eorum filij: ita non quicunque aliquorum filij appellantur, ex iis ſunt nati. Itaque πολυώνυμος eſt filij appellatio. Quinque enim modis aliqui filij noſtri dicuntur, A

nimirum vel { Naturæ, Adoptionis,
Dignitatis, Ætatis,
Beneficij noſtri ratione.

Naturæ, vt quos genuimus ſunt filij noſtri. Adoptionis, vt quos adoptauimus, filij etiã noſtri ſunt, etſi à nobis non prognati & procreati. Id docent Iuriſconſulti & Romanæ leges. Dignitatis, vt Magiſtratus eſt pater ſubiectorum ſuorum. vnde reges olim Abimelech dicebantur. Subiecti ipſi appellantur filij. AEtatis, vt qui nobis ſunt natu minores, filij noſtri à nobis ſolent appellari. Denique in quos beneficia contulimus, & ii quoque poſſunt à nobis filij dici. Sic Ioſeph, pater Pharaonis dictus eſt. Eodem modo Parentis vel Patris nomen πολυώνυμον eſt, vt docet Philo Iudæus in expoſitione generali Decalogi in quinto præcepto, Honora patrem & matrem. Quanquam Baſil. lib. 2. cõtra Eunomium ſcribit patris vocabulum primùm & propriè ipſi Deo conuenire ex Matth. 23. verſ. 9. poſtea verò & per κοινωνίαν & χάριν hominibus, & cæteris creaturis aliquid ex ſe generãtibus κατὰ φύσιν, ait Baſilius, ſoli Deo. B

5 *Filij gehennæ.* Filij gehennę nominantur Mat. 23. verſu 15. filij autem regni, 8. verſ. 12. Sic & filij reſurrectionis, Luc. 20. verſu 36. filius perditionis, Ioan 17. verſu 12. filij Belial, 1. Samuel 10. v. 27. quæ phraſes & rationes dicẽdi Latinis hominibus notæ fuerunt tunc demum, poſtquam Apoſtoli & ſacri ſcriptores ἰδιωτισμοὺς Hebræorum in linguam tũ Græcã tum Latinam induxerunt, & tranſtulerunt. Hæc autem dicendi genera Auguſtinus idem ſonare vult, atque homines ad gehẽnam præparatos, & deſtinatos vel ad perditionem, vel ad regnum Dei &c. Hieronym. in Matth. cap. 23, ex eo homines ita dici putat, quòd huiuſmodi rerum, quarum filij nominantur, opera agant. Vnuſquiſque enim cuius opera agit, eius filius appellatur, ait. In quo deceptus videtur Hier. & filij nomen pro ſeruo accepiſſe. Eius enim ſerui, non filij propriè dicimur, C cuius voluntatem facimus, 2. Petr. 2. v. 19. Hebræi à quibus hoc genus dicendi ſumptum eſt, בן à verbo & radice בנה deducunt, quod ædificare ſignificat. Vnde qui ad gehennam ſibi ædificat, gehennæ: qui ad Dei regnum, regni filius ab illis appellatur. Et ita ex animi fine & propoſito, quod ſpectat ille qui agit, & ex mercede, quam reportat, filius definitur.

Cap. XL.

Chriſtum è Spiritu ſancto natum eſſe, eſt hominẽ ſola Dei gratia (quę Spiritus ſanctus appellatur) τῷ λόγῳ & diuinæ naturæ in vnam perſonam Chriſti vnitum eſſe.

CVm itaque [1] de aliquo naſcatur aliquid etiam nõ eo modo, vt ſit filius: nec rurſus omnis qui dicitur filius, de illo ſit natus, cuius dicitur filius, profectò modus iſte, quo natus eſt Chriſtus de Spiritu ſancto, non ſicut filius, & de Maria virgine ſicut filius, inſinuat nobis gratiam [2] Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis in ipſo exordio naturæ ſuæ quo eſſe

A *cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam perſonæ vnitatem, vt idem ipſe eſſet Filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis, qui filius Dei, ac ſic in humanæ naturæ aſſumptione fieret quodammodo ipſa gratia illi homini [3] naturalis, quæ nullum peccatum poſſet admittere. Quæ gratia propterea per Spiritum ſanctum fuerat ſignificanda, quia ipſe propriè ſic eſt Deus, vt etiam dicatur Dei [4] donum. Vnde ſufficienter loqui, perlongum [5] eſſet.*

1 *Cùm itaque.* Concluſio eſt totius ſuperioris diſputationis de Natiuitate Chriſti è Spiritu ſancto, cui ἐξήγησιν illius loquendi formulæ addit.

2 *Gratiam Dei.* Solutio tertia Auguſtini, nimirum Spiritum ſãctum pro Dei gratia accipi, per quam factum eſt, vt homo diuinæ naturæ vniretur. In quo ipſo veram explicationem horum verborum, Natus è Spiritu ſancto, poſitam exiſtimat Auguſtinus, & quam poſtea ab vſu loquendi & epitheto Spiritus ſancti nititur confirmare, quia donum Dei appellatur, & eãdem ipſe ſequitur in lib. De fide & Symbolo cap. 4. ſi verum fatendum eſt, B neque hæc vera eſt huius orationis, Natus è Spiritu ſancto, explicatio: neque propoſitę dubitationis ſolutio, ſed infirma potiùs & exilis ratio, quales multæ in veteribus, quorum tamen pace dictum ſit, inueniuntur, & argutiolæ potiùs, quàm ſolida doctrina.

3 *Naturalis.* Φύσει ineſſe dicerent potiùs Gręci, quàm φυσικὸν eſſe. Differentia enim quædam ſtatui poteſt inter ea quæ φύσει in nobis fiũt, & ea quæ ſunt φυσικά. Nã φύσει fiunt & inſunt cuique noſtrûm etiam ea, quæ ab ipſo ortu, & naſcendi ſiue conceptionis noſtræ exordio indita ſunt vel inhęrẽt ſingulis nobis, etſi neque ſunt ordinaria in ſimili genere & ſpecie rerum, neque ex ipſius ſeminis, vnde nati ſumus, vi orta & profecta, quaſi ἅμα τῷ φύεσθαι inſeparabiliter nobis adhærentia. φυσικὰ autem naturalia ſunt propriè quę ex ſeminis vi, vnde ſati ſumus, oriuntur, vt in eodem rerum genere paſſim & ferè cernuntur ineſſe, vt homini bipedem eſſe. Sic diſtinguit Ariſtoteles lib. 2. φυσικῆς ἀκροάσεως, ea quæ κατὰ φύσιν nobis accidunt, ab iis quæ φυσικὰ appellat. Et quia ſanctitas, gratia, vnio cum diuinitate, C etſi in Chriſto homine ab ipſo ὑπάρξεως & conceptionis exordio inſeparabiliter fuerũt, ex vi tamen ſeminis, vnde ſumptus eſt homo Chriſtus, non fluxerunt, neque oriuntur, neque in aliis eiuſdem generis rebus ſunt, propriè in eo naturalia hæc eſſe non vult Auguſtinus, ſed tanquam naturalia. Ergo limitationem addidit, ne videretur velle & innuere hæc in Chriſto facta eſſe ordinaria, generali & naturali quadam via, ratione, & coniũctione, ſi diceret ἁπλῶς & nulla excuſatione addita, Naturalis. Prorſus enim myſterium eſſe totam hanc conceptionis, & naturarum vnionis fabricam docet Paulus, qui etiam μέγα μυστήριον appellat 1. Timoth. 3. ver. 16. Ergo hæc inſunt Chriſto inſeparabiliter & ab ipſo initio & momento humanitatis aſſumptę, denique φύσει, non tamen ſunt propriè Chriſto homini φυσικὰ, ſed quodam modo φυσικὰ, id eſt, naturalia, vt hîc putat Auguſtinus. Quanquam hæc differentia non obſeruatur, & apertè à Paulo confunditur Epheſ. 2. ver. 3. vbi nos ait φύσει eſſe filios iræ, quod ipſum etiam nobis eſt naturale & φυσικόν. Nam ab Auguſtino peccatum Adami originale appellatur naturale in nobis, De Geneſ. ad liter. opere imperfecto cap. 1. & dicitur vulgò Naturalis, vitioſitas illa quæ nos facit filios iræ Dei, & peccatores.

4 *Dei donum.* Sup. c. 37, diximus quo ſenſu A Spiritus ſancti vox accipiatur, cùm pro dono Dei ponitur. Quod ab Auguſtino non animaduerſum difficiles illi ſcrupulos iniecit & hîc & li. 5. de Trinit. c. 11. & 15. & niſi ita explicetur, errorem Macedonianorum confirmare videbitur, quaſi non ſit Spiritus ſanctus Deus & Patri & Filio æqualis. Ergo Spiritus ſanctus dicitur ὁμωνύμως etiam τὸ χάρισμα & ἐνέργημα ſiue δῶρον ipſum Spiritus ſancti, qualia ſunt dona ſanationum, dona linguarum, 1. Cor. 12. v. 9. quæ modò χαρίσματα vocantur, Epheſ. 4. v. 7. & 8. modò δωρεαὶ, modo δόματα. Dona autem ab ipſo ſuo authore, id eſt à Spiritu ſancto, ſunt planè diſtinguenda. Id quod docet locus Actor. c. 2. v. 38. & 1. v. 8. Vbi virtus & donum Spiritus ſancti ab ipſo Spiritu ſancto ſeparatur. Spiritum ſanctum etiam Dei donum dici apparet ex Act. ca. 8. v. 15. & 20. vti & Promiſſum Patris appellatur, Actor. 1. v. 4. quia à Patre mittendum eum prędixerat Chriſtus Ioan. 14. verſ. 26. 15. v. 26. Qui Spiritus ſanctus, quâ Deus eſt, à ſeipſo quoque mittitur & donatur, quicquid Aug. lib. 4. de Trinita. cap. 20. diſputet. Nam idem ipſe lib. 15. de Trinita. cap. 19, ait, Spiritus ſanctus B tantum donum Dei eſt, in quantum datur eis, quibus datur: apud ſe enim Deus eſt, etſi nemini datur. Atque hæc ipſa cùm non obſeruaſſet diligenter Lombardus, ſeipſum cum Auguſtino inuoluit libr. 1. diſt. 18. c. Donum verò. &c. Ex prædictis. vbi Spiritum ſanctum ſempiternè donum eſſe cõcludit falſò. Donum enim eſſe priùs non potuit, quàm aliquibus daretur, quia nõ habet vocabulum, Donum, abſolutã per ſe ſignificationem, ſed ad aliud, vti vox Miſſum, vox Promiſſum. Sunt enim ex genere τῶν πρός τι, vt loquuntur.

5 *Perlongum eſſet.* In impreſſis eſt additum, Si tamen fieri poteſt, valde prolixæ diſputationis eſt: quod prorſus παρέλκει. Sũt enim hæc ex gloſſemate quodam puerili in ipſum textum tranſlata. Nam ad hæc Auguſtini verba, Sufficienter loqui, gloſſauerat monachus aliquis, Si tamen fieri poteſt: & ad illa, Perlongum eſſet, addiderat pro gloſſemate, Valde prolixæ diſputationis eſſet. Quæ cùm ornatiſſimam Auguſtini orationem conſpurcent, induximus. C Vetus codex manuſcriptus tollit verba hęc, Perlongum eſſet: quorum loco reponit, Valde prolixæ diſputationis eſt. ex quo ſatis intelligitur vnum alterius eſſe gloſſema.

DE REGENERATIONE, ET eius partibus.

Cap. XLI.

Chriſtum ſine peccato originali fuiſſe, & eſſe illud ipſum pro peccatis noſtris ſacrificiũ, per quod Deo ſumus reconciliati.

NVlla [1] igitur voluptate carnalis concupiſcentia ſeminatus ſiue conceptus (& ideo [2] nullum peccatum originale trahens) Dei quoque gratia verbo Patris vnigenito non gratia filio, ſed natura, in vnitate perſonæ modo mirabili & ineffabili adiunctus atque concretus (& ideo nullum peccatum ipſe committens) tamen propter ſimilitudinem carnis peccati, in qua venerat, dictus eſt & ipſe peccatum, ſacrificandus ad diluenda peccata. In veteri quippe lege [3] peccata vocantur ſacrificia

pro

A *pro peccatis. Quod verè iſte factus eſt, cuius erant vmbræ illæ*[4]. *Hinc Apoſtolus cùm dixiſſet, Obſecramus pro Chriſto reconciliari Deo, continuò ſubiunxit, atque ait*[5], *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos ſimus iuſtitia Dei in ipſo. Non ait, vt in quibuſdam mendoſis codicibus legitur, Is qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, tanquam pro nobis Chriſtus ipſe peccauerit, ſed ait, Eum qui nō nouerat peccatum, id eſt, Chriſtum, pro nobis peccatum fecit Deus, cui reconciliandi ſumus, hoc eſt, ſacrificium pro peccatis, per quod recōciliari valeremus. Ipſe ergo*[6] *peccatum, vt nos iuſtitia: nec noſtra, ſed Dei, nec in nobis, ſed in ipſo: ſicut ipſe peccatum non ſuum, ſed noſtrum: nec in ſe, ſed in nobis conſtitutum ſimilitudine carnis peccati, in qua crucifixus eſt, demōſtrauit: vt quoniam peccatum ei nō erat, ita quodammodo peccato*[7] *moreretur, dum moritur carni, in qua erat ſimilitudo peccati. Et cùm ſecundum vetuſtatem*[8] *peccati nunquā ipſe vixiſſet, noſtram ex morte veteri, qua in peccato mortui fueramus, reuiuiſcentem vitam noua ſua reſurrectione ſignaret.*

1 *Nulla igitur voluptate.* Occupatio eſt aduerſus dubitationem quæ ex ſuperiori capite fieri B potuit, vbi dictum eſt ideo neceſſarium fuiſſe Spiritus ſancti interuentum in Chriſti incarnatione, vt eſſet ſine vllo prorſus peccato, imò etiam vt illi, quatenus homo ineſſet ea & tanta gratia & ſanctitas, quæ nullum peccatum poſſet admittere. Suprà c.40.numer.3. At obiicitur dictū Pauli, 2.Cor. 5.v.21, vbi dicitur Chriſtꝰ factus eſſe peccatū quam quæſtionem ſoluit doctiſſimè hoc loco Auguſtinus, & vocis huius, Peccatum, ſignificationē apud Paulum explicat. Denique ex hoc ipſo loco ſenſim ad fructus (quos ex incarnato Chriſto, paſſo & crucifixo percipimus) delabitur & tranſit: caput longè pulcherrimum, vti tota ſequens diſputatio. Dicit autem Chriſtum ideo peccato originali caruiſſe, quia non ex libidine carnalis concupiſcentiæ natus ſit, ſed, vt ſuprà loquebatur, ex fide Mariæ, Deo. id eſt, Spiritu ſancto in ea corpus ex ipſius ſemine purificante, & formante. Ex quo ipſo apparet vnde peccati originalis cauſſam & traiectionem in poſteros deducat & ſumat Auguſtinus. Opponit C Ioannes hæc inter ſe, ex libidine carnis & viri natum eſſe, vel ex Deo genitum eſſe, Ioan.1.v.13, ſed alio ſenſu. Ergo ſic ſentiebant veteres, propter libidinem, quæ in concubitu & coitu viri & mulieris ineſt, vitium parentum.i.vitioſitatem illam naturæ in liberos propagari, & inde atque ea ratione fieri, vt peccatum originale à parentibus trāſeat in poſteros & filios procreatos. De fid. ad Petr. cap. 26, Firmiſſimè tene, omnem hominem, qui per cōcubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali naſci, impietati ſubditum, mortique ſubiectum, & ob hoc naturâ iræ filium naſci. Conuenit cum ſententia quæ eſt apud Iobum 15.v. 14. 25. v.4. quia ne prima quidem ipſa ad coeundum calefactio & motus in nobis vitio caret, vt eſt Pſalm. 51.verſ.7. Et quāquam ſcribit Auguſtinus ipſe lib. 13.de Trinita.cap.18. caſtitatem cōiugalem propter velum coniugii bene vti carnali concupiſcentia, quæ eſt in genitalibus membris, tamen ſi ipſa per ſe coniugum libido ſpectetur, corā Deo pura puta non eſt, vt carere peccato dici poſſit. Neque propterea tamen damnanda ſunt coniugia, vt impius Siricius putauit. Nam vt eſt Heb.13. ver. 4. & 1. Tim.4. hæc hæreſis à Dei Spiritu iampridem notata eſt: quia, vt idem ipſe Auguſtinus li.3. de Geneſi.ad liter.cap.13. reſpondet, in ipſo officio gignēdi filios nullū ineſt peccatum, &, vt apertè loquitur ad Petr. Fulgentius ca. 2, peccatum in liberos tranſmittit non propagatio, ſed libido. A Hoc diſputat Auguſt. duobus libris integris, De Nuptiis ad Valerium, vbi diſertè & vbique ſeparat concupiſcentiam ab ipſo coniugij bono, id eſt, à coitu, & illius fructu qui eſt proles. Concupiſcentia autem non interuenit propter coniugium ſed quum inſit naturâ in nobis propter peccatum, nunc propter honeſtum ipſum coniugij velum inſtitutum à Deo, turpitudo & vitium illius libidinis coram Deo obtegitur & euaneſcit. Ex eo autem quòd hoc ineffabili modo natus eſt Chriſtus, rectè dicit Auguſtinus eodem cap. 18. libr. 13. de Trinita. Crimen noſtrum nō aſſumpſit Chriſtus, ſed naturam. Difficile autem non fuit Deo, cuius imperio omnis creatura ſeruit, verum corpus in vtero Mariæ ſine virili ſemine fabricare, ait Auguſt. De Agone Chriſtia.cap. 22, etſi ſemē mulierum naturaliter *ἄσπορον* eſſe, ſi ſolum ſit, Samoſateniani contendunt. Vide quæ Plutarch.li.8.Sympoſia.quæſtio.1.ſcripſit de ea re. Et ita negandum nō eſt Mariam fuiſſe Chriſti matrem, etſi viri coitus non interuenit, eámque veram, quod idē Auguſt. docet & agit in lib. De fide & Symbol.c.4.ſub fi. B Ita autem fieri fuit omnino neceſſe, vt qui alios ſaluos facere vellet, ipſe nec peccator eſſet, nec alio ſaluatore & redemptore haberet opus, Heb. 7. v. 26. Iſa.53.v.6. Aug.lib.10. De Gen.ad lit.c.18.& 19.

2 *Et ideo nullum.* Hoc eſſe & retinendum & inculcandum tanquam præcipuum quoddam fidei Chriſtianæ fundamentum docent hi loci Scripturæ, Heb.4.verſ.15.7.verſ.26.1.Petr.2.verſ.22.1.Ioa. 3.verſ.5. Nam vt noſtras, non ſuas iniquitates penderet & perſolueret, Chriſtus mortuus eſt, Iſa. 53. v.6.50.v.7. Deinde hoc ipſum hæreſes Cerinthi & Samoſateni euertit, qui Chriſtum nihil à reliquis hominibus diuerſum & diſſimilem, præter quàm quòd maiorem gratiæ menſuram à Deo acceperat, conſtituebant, vt docet Irenæus lib.1.cap.25. adeò vt profectu eum diuinitatem conſecutum eſſe dicerent, non naturâ habere, vt eſt etiam apud Socrat. Scholaſt.lib.2.ca.19. Aduerſus quas & nos & ſuum Laurentium hoc ſcripto munire vult Auguſtinus. Sed obſtat, quòd Maria virgo poſt editum in lucem Chriſtum ex præcepto legis *καθαρίζεται*, C id eſt, purgatur, & ſacrificium pro ſe, vti reliquæ mulieres puerperæ offert Deo, Luc. 2. v.22. quod ideo fiebat ab illis, quia immundæ erant, & ea res originalis peccati etiam in infantibus indicium certiſſimum fuit, Leuit.12. Cur igitur id fieri in Maria oportuit, cùm ſine ea immunditie & ſine originali peccato eſſet Chriſtus? Reſpondeo Chriſtum ſub Lege naſci voluiſſe, illíque obnoxiū eſſe, non tantùm vt veteres illas cæremonias legales vſurpans ſanctas eſſe doceret: ſed vt eas impleret, & conſummaret, & eos qui ſub Lege erant, redimeret ab illis cæremoniis, Galat.4.v.4.5. Obſtat item, quòd peccatum factus dicitur Chriſtus, 2. Cor. 5. v.21. ſed ſoluit Auguſtinus, Peccati vocem non pro ipſo ſcelere, & à Lege Dei deficiente facto accipi, ſed pro ipſius peccati pœna, & ſacrificio. Id quod verum eſſe confirmat & exemplis, & ex ipſius Pauli (vnde illud ſumptum eſt) verbis, Auguſtinꝰ. Hoc ſæpe repetit Auguſtinus ipſe

3 *In veteri lege.* Hoc verū eſſe docet vſus linguæ Hebraicæ, & hi loci, Leuit.7.v.2. Oſeæ.4.v.8. Iſa. 53. ad Hebræorum autem imitationem dixit

A Paulus Chriſtum factum eſſe peccatum. Sic & pœna furti ſæpe furtum appellatur:& pœna mali, malum nominatur. Hanc autem doctiſsimam Auguſtini & ſententiam & interpretationem ſecutus eſt Fulgent.in lib.De fid.ad Petr.c.26. & ipſe Auguſt. eam ſæpe alibi cõfirmat, vti lib.2.contra Pel.c.32.

4 *Vmbra.* Varia & diuerſa ex ritibus ipſis, ex hoſtiis, ex cauſsis propter quas fiebant, fuerunt Legis antiquæ ſacrificia, quæ omnia vnicum & ſingulare illud Chriſti ſacrificium ſignificabãt, Heb. 8. & 9. Auguſt. ipſe lib.20.contra Fauſt.cap.18.De fide ad Pet.c.18. Et quanquam Paulus Coloſ.2.verſ. 17, cibi, potus, nouilunij, diei feſti, & Sabbathorũ tantùm meminit, quorum corpus & veritatem eſſe dicit Chriſtum, certum eſt tamen illis paucis generibus reliquas omnes legis Moſaicæ ceremonias Paulum complexum eſſe ſynecdochico genere dicendi, quia generaliter ait Ioãnes quę per Legem inſtituta erant, ea omnia in Chriſto fuiſſe, & habuiſſe veritatẽ, Ioan.1.ver.17. Ergo hodie legalia B ſacrificia reuocãda non ſunt, nec alia vlla pro peccatis, niſi vmbras malimus quàm veritatem ipſam, & eas extinctas cum magna Chriſti iniuria excitemus, & reuocemus. Quid futurum eſt igitur Miſſæ Papiſticæ, id eſt, Satanicæ?

5 *Eum qui non.* Locus eſt apud Paulum 2.Cor. 5. v.21. qui ſumptus eſt ex Iſa.53. vbi אשם dicitur Chriſtus, non tantùm חטא quia peccatum omnino grauius eſt אשם, quàm חטא, etſi de eo dubitãt quidam. Ex hoc loco apparet non valde in Græcis eruditum fuiſſe Auguſtinum, cui facile erat ex ipſorum Græcorum verborum prolatione ſuam verſionem confirmare: alienam autem, quam reiicit, euertere. Verba igitur Græca ſic habent, δεόμεθα ὑπὲρ Χριστοῦ, καταλλάγητε τῷ θεῷ. Τὸν γὰρ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν, ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δικαιοσύνη θεοῦ ἐν αὐτῷ, id eſt, oramus Chriſti nomine, vt Deo reconciliemini. Nam fecit (Deus) eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum, vt ſimus iuſtitia Dei in eo. De mendoſa enim tranſlatione Noui teſtamenti ſæpe conqueritur Auguſt. vt in C epiſt.ad Selucia.108.

6 *Ipſe ergo peccatum.* Confirmat Auguſtinus ſuam interpretationem à ſimili ratione dicendi, qua vſus eſt ibidem Paulus, dum nos appellat Dei iuſtitiam. Vti enim nos ſumus

iuſtitia, { **Dei non noſtra:**
{ **in ipſo Chriſto, non in nobis:**

ita Chriſtus eſt peccatum { **noſtrum, non ſuum:**
{ **in nobis, non in ſe.**

Vnde factus eſt Chriſtus noſtra ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio, 1. Cor.1. v. 30. Sapientia in prædicatione, iuſtitia in peccatorum abſolutione, ſanctificatio vitę exemplo & conuerſatione, inquit Bernardus ſermo.22. ſuper Canticum Cantico. ſed & Spiritus ſui in nobis agẽtis efficacia. Denique factus eſt redemptio in paſſione, quam ſuſtinuit pro nobis peccatoribus. Vnde idẽ ille Bernard⁹ in ſermo.ad milit.templi.11, Tu dolores, ait, meos portas, & pro me doles. &, Mortem quam ipſe non meruit, pertulit. Qua igitur ratione iterum exigeretur à nobis, quod pro nobis ille iam perſoluit? Hæc Bernard. Hæc autem Auguſtini & Bernardi ſententia, vt patrum alias penè infinitas prætermittam, docet quantum à veteri & ſaniori A Theologia, Scholaſtica receſſerit, quę Chriſtum etiam pro ſeipſo meritum eſſe docet. Ita Lombard. lib.3.diſtinct.18. Sed poſtea tamen in eo ipſi variãt inter ſeſe, tãta eſt diſcordia fratrum. Alij enim per mortem & paſſionem demum meritum eſſe Chriſtum volunt. Alij ab ipſo conceptionis momento & actu. Alij meritum Chriſti dicũt in eo eſſe, quòd corporis ſui glorificationem meritus ſit. Alij addunt etiam in eo eſſe, quòd & animæ impaſſibilitatem ſit propterea conſecutus. Denique alij affirmant, in Chriſto animæ meritum non profeciſſe per totam Chriſti vitam quoad virtutẽ ipſam meriti: ſed tantùm quoad numerum meritorum. Quæ omnia ſunt non modò ægrorum hominum ſomnia, aut potiùs otioſorũ ματαιολογίαν, ſed etiam falſa & præter mentem Scripturæ recepta axiomata. Illa enim docet & tradit Chriſtum non pro ſe, ſed pro nobis ſe ſanctificaſſe, tradidiſſe, excitaſſe mortuum eſſe, paſſum eſſe. Vnde concludendum etiam eſt, eum non pro ſe, ſed pro nobis meritum eſſe. Id quod omnino & neceſſariò conſequitur. Matth. 26.verſ.27. Luc.22.verſ.20. Ioan. 17. v.19. Rom. 4. verſ.25. Heb.2. Quod ipſum confirmat Auguſt. B tractat.25.in Ioan, Euange. Non eſt Chriſtus filius hominis propter ſe, ait Auguſt. ſed propter nos. Quid enim neceſſe fuit eum, qui ante omnia ſecula apud Patrem omnem gloriam habebat, pro ſe aliquid mereri? Cùm etiam ipſa hæc humanæ carnis aſſumptio à Chriſto facta, ſit συγκατάβασις, non ἀνάβασις, vt à veteribus Græcis appellatur, per quam nimirum diuinitas quodam modo pro nobis imminuta videatur, nedum vt ſibi mereri acceſſionẽ gloriæ per id, quòd homo factus eſt, Chriſtus cenſeatur, vel potuerit. Quo modo? Vti enim non pro ſe factus eſt homo Chriſtus, ſed pro nobis: ita pro nobis meritus eſt. Denique de cauſſa incarnationis Chriſti extra peccati noſtri & ruinæ damnationíſque noſtræ fines & conſyderationem philoſophari, eſt planè decipi, & errare. Quod ſi excipitur, Atqui paſſio, mors reliquáque Chriſti bona opera ſunt in ipſo, & ex ipſo emanant, vti à propria & vera cauſſa agente, cur non illi igitur primùm proderunt, vt dici poſſit meruiſſe ſibi, quatenus homo? Reſpondebo, vti non ſibi, neque maioris C alicuius glorię aſſequendæ cauſſa Chriſtus homo factus eſt, vel etiam paſſus, vel reſurrexit: ſed humanæ naturæ in nobis glorificandæ tantùm gratia, ita quæ vtilitas & quod meritum in eo fuit, nõ ipſius cauſſa, ſed noſtra fuit, & ita recogitandum hoc totum myſterium & à nobis æſtimandum eſt. Nam quod alii etiam obiiciunt, ſi Chriſtus pro nobis meritus eſt vitam æternam, gratia Dei nos ſaluos non fieri, facilem reſponſionem habet. Subordinatur enim Chriſti meritum illi Dei gratiæ, per quam nos ſaluos facit Deus. Qui enim voluit nos ſaluare, dedit gratis Chriſtum Filium ſuum, qui pateretur & mereretur pro nobis. Itaque gratiâ Dei, id eſt merito Chriſti, quem Deus ipſe nobis gratuitò donauit, & cuius meritũ nobis gratuitò applicat, ſalui ſimus. Ergo ſalus noſtra, ratiõe quidem noſtri, gratia Dei eſt: ratione autem Chriſti, meritum & ſatisfactio. Ex quibus apparet quemadmodũ ſeſe curioſis ſui diſputationibus inuoluãt & ſpinoſis cippis induant Scholaſtici, dum extra Chriſtianæ fidei ſepta & caſtra vagantur, id eſt, extra Dei verbum philoſophantur.

7 *Peccato moreretur.* Locus eſt ex epiſt.ad Rom. 6.v.

6.v.10. Peccato autem mortuus dicitur Chriſtus, etſi in eo peccatum nunquam vixit (quod tamen videbatur conſequens. nam priuatio præſupponit habitum,& mors vitam ſequitur) ſed ita dicitur, quia vt inquit hîc Auguſtinus, in carne ſimili noſtræ quę peccatrix eſt,mortuus eſt.Sed etiã peccato mortuus diciturChriſtus,vt hac ſua morte oſtẽderet ſe vim peccati non in ſeſe tantùm,ſed in nobis ipſis,qui eius carnis & naturæ humanæ participes ſumus,extinxiſſe,quatenus illi per fidem coniuncti ſumus,Heb.2.v.10.11.& ſequentibus.

8 *Vetuſtatem peccati.* Vti Adam dicitur vetus homo,ita peccatum dicitur vetuſtum & vita vetus, nõ quidem habita ratione temporis, quo primùm iuſtitia in nobis vel peccatũ fuit(fuit enim priùs in nobis iuſtitia,quàm peccatum,cùm Adamus iuſtus creatus à Deo fuerit:) ſed potiùs appellatur vetuſtas peccati,vti Rom.7.v.6. habita ratione beneficii Chriſti poſt peccatum noſtrum incarnati & ſuperuenientis.vnde & Chriſtus nouus homo dicitur:& vita quam dat,noua vita,1.Cor.15.verſ.45.2. Cor.5.ver.17.Epheſ.4.v.24.Rom.6.ver.4.Hîc au-
B tem Auguſt. enumerat & annotat fructum vnum mortis & reſurrectionis Chriſti vberrimum illum quidem,nempe regenerationem ſiue ſãctificationem noſtram,etſi Paulus alios quoque effectus recẽſet æquè præcipuos,nempe iuſtificationem noſtrã,Rom.4.v.25. de quibus ſingulis poſtea,& ſuo loco,nempe cap.51.

Cap. XLII.

Baptiſmi ſacramento noſtram in Chriſto & mortem & reſurrectionem obſignari.

IPſum eſt[1] *quod in nobis celebratur magnum Baptiſmatis ſacramentum,vt quicunque ad iſtam pertinent gratiam,moriantur peccato,ſicut*[2] *ipſe peccato mortuus dicitur,quia mortuus eſt carni,hoc eſt,peccati ſimilitudini:& viuant*[3] *de lauacro renaſcẽdo, ſicut ipſe de ſepulcro reſurgendo,quamlibet corporis ætatem gerant.*[4]

C 1 *Ipſum eſt.* Confirmatio eſt ſuperioris ſentẽtiæ, nimirum nos per Chriſtum regeneratos eſſe. Ducitur autem à Baptiſmi ſacramento,id eſt,ſigno teſtimonióque diuino, quia ſolus Deus eſt ſacramentorum author. Morti autem & reſurrectioni Chriſti nos communicare Baptiſmus docet,Rom. 6. verſ. 34. & ſunt hæ duæ noſtræ regenerationis partes,ſcilicet carnis ſiue peccati mortificatio, & noua vita ſiue ſpiritus noſtri renouatio.Per mortis Chriſti beneficium peccatum in nobis mortificatur:per eiuſdem autem reſurrectionem, noua nobis vita donatur, ſiue ſpiritus à Deo renouatur in nobis.Vti enim cùm lepra corporis in homine ex lege vetere purgabatur,veteres humores, quia omnes erant corrupti,euaneſcebant & nouus membris vigor,nouus vitalis animaliſque ſpiritus immittitur & ſuperuenit corpori, qui nouos appetitus cient & nouas vires membris afferunt, nouam carnem gignunt:ſic in anima fit à Dei Spiritu dum renouamur.Idem docet Paulus Col.2.v.12,in Baptiſmo nos vtriuſque Chriſti beneficii fieri participes.Vnde Baptiſmum appellat λουτρὸν παλιγγενεσίας, id eſt lauacrum regenerationis,Tit.3.ver.5.Auguſt. eadẽ de cauſſa lib.2.cõtra Creſco.cap.13,ſic ſcribit Baptiſmus igitur eſt ſacramentum nouæ vitæ & A
ſalutis æternæ.Petrus etiam per eum ſordes animi elui ita, vt bona conſcientia & nouo vitæ genere iam coram Deo verſemur,1.Petr.3.v.21. Inde factũ eſt,vt qui baptizabantur profiterentur ſe renũtiare diabolo & operibus eius,mũdo & luxuriæ eius, ac carnis concupiſcentiis. Atque ita etiam ex formula pronuntiabant, qui olim baptizabãtur præeunte & verba concipiente miniſtro qui baptizabat,vt ex Tertull.Ambroſio, Auguſt.facilè colligi poteſt.Bernard.Epiſtol.340.putat,ſi quis hac forma baptizetur,Baptizo te in nomine Dei & ſanctę & veræ crucis,rectè baptizari , ego verò cõtrà puto,quia nihil ad inſtitutionem Chriſti addendum eſt.Quod etiam putat à laico rectè quem baptizari poſſe,fallitur idem Bernardus.Sed prior illa ſentẽtia,ſcilicet,In nomine crucis quis baptizatur, non modò qualitatem pro perſona Filij ſubſtituit, ſed etiam apertam idololatriam continet. Coniungit enim creaturam ſcilicet crucem cum Deo creatore.ergo prorſus eſt impia.Quòd autem ad horum tam piorum ſcriptorum imitationem balbutiat P. Lombardus, cùm ſcribit per Baptiſmum fieri decorem & ornatum in nobis appoſitione quadã virtutum,vident omnes qui eum legerunt lib. 4. di- B
ſtinct.3.c.Cauſſa verò.Hoc ſacramentũ vocat magnum Auguſt.& meritò quidem. Vnum etiã hoc obſeruãdum & notãdum eſt, quod dixit Auguſtinus,Celebratur.Obſignari enim baptiſmo horum Dei donorum fructum in nobis fidelibus certum eſt, non autem conferri ea per Baptiſmum. Spiritus enim ſanctus ea dona confert, non aqua, non miniſter, non ipſa actio. Chriſtus ipſe peccatum lauat & delet,non autem ipſa aqua nos ſanat,ſed ſi credimus, illorum beneficiorum ſignum & teſtimonium nobis certiſſimum eſt Baptiſm'.Cypria. in Sermo. de Baptiſm. Chriſt.Verborum ſolennitas,& ſacri inuocatio nominis, & ſigna inſtitutionibus Apoſtolicis ſacerdotum miniſteriis attributa viſibile celebrant ſacramẽtum. Rem verò ipſam Spiritus ſanctus format & efficit. Auguſt. contra Creſco.li.2.cap.13. Non ſanctificat, ait, niſi Deus: & Tractat.80.in Ioan. Euangel. idem. Itaque C
vt rectè docet Cyrillus in Ioan. Euangel. cap. 14. lib.6.non omnino aqua nec ſemper ſanctificat baptizatos, ſed cùm Spiritus ſancti acceſſerit gratia & efficacia.Ex quo apparet quantum ab Auguſtini & veterum recta & docta & orthodoxa Theologia,noua Scholaſtica recedat,quę docet noſtra Sacramenta cõferre & cauſare gratiam ex ipſo opere operato,& eò à veterib' Sacramẽtis differre, quòd vetera non donarẽt eam,noſtra donant,& ſecũ habent incluſam,At alibi apertiſſimè Auguſtinus aliam,& veriſſimam quidem vtrorunque differentiam affert,nempe libr.19.Contra Fauſtum,cap.14. vbi ait quòd vetera fuerint promiſſiones rerũ implendarum in Chriſto : noſtra verò indicia rerum iam in eodem Chriſto impletarum.Nobiſcum ſẽtit & facit contra Scholaſticos Bernardus epiſt.77. Sed quid illis hominibus facias?

2 *Sicut ipſe peccato.* Prima pars noſtræ regenerationis hîc explicatur,quę in nobis vi & beneficio mortis Chriſti fit. Eſt autem carnis & peccati depoſitio, ἔκδυσις σαρκὸς inquit Paul. ἀπόδυσις atque etiam νέκρωσις, Coloſſ. 3. Eò enim vſque progrediendum nobis eſt , vt quemadmodum Chri-

A ſtus non tantùm mortuus, ſed etiam ſepultus eſt, ita non ſolùm mortificetur in nobis peccatum, ſed etiam omnino & prorſus ſepeliatur, Coloſſ.2.v.12. quanquam hoc in nobis fieri, quãdiu hîc viuimus, non poteſt. Sed ſemper in meliùs nitendum eſt & proficiendum, Philip.3.ver.12. & 14. Aug. ipſe lib. 7. Contra Iulia. cap.5. de iis verbis Pauli agens, Sed abluti eſtis: mutatos eos dixit in melius, non vt ea carnis concupiſcentia carerent, (quod in hac vita fieri non poteſt) ſed vt ei non obedirent, quod in bona vita fieri poteſt, atque vt ab eo vinculo quo erant obnoxii, liberatos ſe eſſe cognoſcerẽt. Quod nõ niſi regeneratione fieri poteſt. Altera verò eiuſdem regenerationis pars eſt vitæ innouatio ſiue ſpiritus nouitas, vt ſuprà diximus. Hoc ipſũ ſignificabat immerſionis in aquam cæremonia, qua vetus Eccleſia vſa eſt. Immergebantur enim baptizandi toti in aquam, vt ſe mortuos veteri vitæ eſſe intelligerent: & ſtatim emergebant ex aqua, vt ſe iã nouos homines eſſe, nouámque in Chriſto vitam conſecutos ſcirent. Inde in Eccleſiis ædificatę magnæ illę κολυμβῆθραι vt apparet ex Socrate Scholaſt. lib.7. Hiſtor. ca.17. id eſt, magna baptiſteria. De iis B autem qui non merguntur, ſed aqua tantùm perfunduntur, vide Cyprian. Epiſt. li.4. epiſt.7. Deſiit enim hoc fieri poſtquam Conſtantinus, qui poſtea & imperator Conſtantinopolitanus fuit, & Copronymus appellatus, aquã baptiſmatis excremẽto alimoniæ conſpurcauit, dum infans baptizaretur, vt hiſtorię tradunt. Videri etiam poteſt hoc deſiiſſe fieri, propter teneritudinem infantium, qui terna illa immerſione in aqua lædebantur adhuc recentes & imbecilli corpore. Ergo deſiit vſurpari: cùm non præſcribat Chriſtus Mat. 28. ter potiùs, quàm ſemel tingere aqua.

3 *Viuant de lauacro.* Id eſt de Baptiſmo. Metonymia eſt, vbi aquæ & ſigno tribuitur, quod eſt Dei & Spiritus ſancti, vti diximus, proprium. Sic Paulus quoque locutus eſt Epheſ. 5. v. 26. Tit. 2. verſ.5. Ezech.36. v.26. Hæc autem eſt altera noſtræ regenerationis pars, nempe noua vita, quæ etiam Baptiſmo obſignatur.

C 4 *Ætatem gerant.* Cuiuſlibet ſint ætatis, qui baptizantur, fiunt noui homines & renaſcũtur ſpiritu quidem & mente, non autem ętate & corporis viribus, quaſi in iis anteacta vita reuocetur, & corporis vires redintegrentur, viuántque adhuc tantum temporis, quantum iam egerunt. quod tamen Nicodemus ille apud Ioan. cap.3. fieri exiſtimabat, & neſcio quid poetæ de ſua Medea Æſonem ſenẽ magicis medicamentis in adoleſcentiæ annos renouante fabuloſè fingunt. Sed huiuſmodi nugæ procul à tantis myſteriis faceſſant. Quod etiam monere viſum eſt neceſſe, ne quis Iobi loco abutatur qui eſt cap. 33. verſ. 25. Senes igitur baptizati, vti & paruuli, renaſcuntur animo, non corpore: voluntate, non ætate: Dei Spiritu, non ex matris vtero. Gerere ætatem dixit Auguſti. pro degere, ea fortaſſe loquẽdi ratione qua de generoſo vino dicitur, ętatem fert. Sic maneſeſtiſſimè in veteri codice & manuſcripto.

CAP. XLIII.

In Baptiſmo omnia peccata & paruulorum & ſenũ baptizatorum deleri.

A Paruulo enim recens nato [1] *vſque ad decrepitum ſenem, ſicut nullus prohibendus* [2] *eſt à baptiſmo, ita nullus eſt qui nõ peccato moriatur in baptiſmo. Sed paruuli tantum originali: maiores autem etiã his omnibus moriuntur peccatis, quæcunque malè viuendo addiderunt* [3] *ad illud, quod naſcendo traxerunt.* A

1 *Recens nato.* Επεξεργασία eſt, per quam docet Auguſtinus quàm latè pateat Baptiſmi effectus, cùm non tantùm paruulis ad peccata delenda proſit, ſed etiam ſenibus. Nec originale tantùm peccatum, ſed omnia etiam actualia, quæ vocant, peccata, quæ originali addita ſunt ab hominibus animi iudicio & ratione iam vtentibus, expurgat & tollit. Cyrillus in Ioan.14. tit.6, Catechumenus baptizatur, vt verum lumen agnoſcat, & remiſsionẽ omnium peccatorum accipiat. Hîc tamen duplex error vitãdus eſt. Primus quidem ne ideo putetur Baptiſmus reiterandus, ſi poſt primum acceptum peccauerimus, vt eluantur peccata noſtra, quod Anabaptiſtæ dicunt. Contra quos illud eſt Auguſtini fortiſſimum telum & dictum, De vnico Baptiſmate contra Donatiſt. lib. 6. cap. 14, Tanta vis eſt in ſacramento ſimplicis baptiſmatis, vt cùm fateamur aliquem baptizatum & adhuc malè viuentem debere mundari, vetemus tamen vlteriùs baptizari. Neque enim peccatorum remiſſio aquæ elemento, vel actui infuſionis aquæ alligatur, ſed ex mera Dei miſericordia pendet. Alter error eſt ille, ne cùm audimus ita loquentem Auguſtinum de vi baptiſmi in præcedentia omnia peccata, perperàm colligamus, ergo vim baptiſmi illiúſq; fructũ ſolùm ad anteacta peccata pertinere, ad ſequẽtia verò non item. De quo inf. cap.120. poſtea. B

2 *Probibendus eſt.* Olim duplex de tempore Baptiſmi conferendi quæſtio fuit. Ac quidem de Catechumenis prima, Vtrùm omni tempore baptizari deberent. Et cùm primùm omni die poſſent & ſolerent baptizari, Gerundenſi concilio eſt conſtitutum, vt ſolùm Paſchatis & Pentecoſtes diebus eos tingere liceret, nimirum propter frequentiorem populi conuentum, qui illis diebus fiebat, & quòd illi dies & reſurrectionis Chriſti & Spiritus ſancti doni & miſsionis eſſent ευνμώσυνοι. Extat in cano. De Catechumenis, De Conſecratio. diſt.4. C Et primùm hanc conſuetudinem fuiſſe particularem Theſſalicarum eccleſiarum ſcribit Socrates Scholaſtic. qui illo concilio fuit antiquior, vt die tantùm Paſchæ homines baptizarentur, lib. 5. cap. 22. Altera quæſtio fuit de paruulis fidelium, quos nonniſi octauo poſt natiuitatem die baptizandos eſſe ætate Cypriani diſputatum eſt epiſt. ad Fidum fratrem. & Auguſtinus lib.4. De peccator. merit. cap.5. Vtranque hoc loco decidit Auguſtinus, cùm omni die & omnem hominem baptizari poſſe ſcribit: quod idem ſuperiùs citato loco ſcribit Tertullianus in libr. De baptiſ. Omne tempus, ait, eſt habile baptiſmo, etſi idem poſtea in Montaniſtarum hęreſim lapſus putat differri eum etiã in paruulis & poſſe & debere. Ex hoc autem loco, vt & infinitis aliis, apparet Auguſtinum eos damnare, qui infantes fidelium baptizandos negant, quod faciunt hodie Anabaptiſtæ. vide lib. 10. De geneſ. ad liter, cap.23. & lib. contra Pelagium & Cæleſtinum, De verb. Apoſt. ſermone. De baptiſmo paruulorum, contra Pelagian.

3 *Addiderunt ad illud.* Infr. cap.120. hæc omnia latiú.

DE

A

DE PECCATO ORIGINALI & Actuali.

CAP. XLIIII.

Peccati nomine ſępe plura peccata. Peccatorum etiam appellatione ſæpe vnum tantùm ſignificari.

SEd ideo[1] *etiam ipſi peccato mori plerunque dicuntur, cum proculdubio non vni, ſed multis peccatis omnibúſque moriantur, quacunque iam propria commiſerunt vel*[2] *cogitatione, vel locutione, vel opere, quia etiam per ſingularem*[3] *numerus pluralis ſignificari ſolet, ſicut ait ille*[4] *vterúmque armato milite complent, quamuis hoc multis militibus fecerunt. Et in noſtris literis legitur*[5]*, Ora ergo ad Dominum, vt auferat à nobis ſerpentem. non ait, ſerpentes, quos patiebatur populus, vt hoc diceret, & innumerabilia talia. Cum verò*[6] *& illud originale vnum plurali numero ſignificatur (quando dicimus in peccatorum remiſſionem baptizari paruulos, nec dicimus in remiſsionem peccati) illa eſt contraria lo-* B *cutio, qua per pluralem*[7] *ſignificatur numerus ſingularis, ſicut de Herode mortuo in Euangelio dictum eſt,*[8] *Mortui ſunt enim qui quærebant animam pueri. non dictum eſt, Mortuus eſt. Et in Exodo*[9] *Fecerunt inquit, ſibi deos aureos, cùm vnum vitulum fecerit tantùm, de quo dixerunt, Hi ſunt dij tui, Iſrael, qui eduxerunt te de terra Ægypti. Et hîc ponentes pluralē pro ſingulari.*

1 *Sed ideo.* Occupatio eſt, ne Chriſtiani doctores impropriè & perperam loqui videantur, cùm de natu maioribus hominibus baptizatis agentes & dicunt & ſcribunt eos peccato mori numero ſingulari, cùm peccatis tamen pluribus moriantur. Item cùm infantibus baptizatis, aiunt eos mori peccatis numero plurali. Quam poſtremam obiectionis partem latiùs perſequitur, & tribus modis poſtea ſoluit Auguſtinus. Hæc ſanè diſputatio & cura leuior videretur, & ſcrupuloſior, niſi duplici hominum generi ſatisfaciendum exiſtimaſ- C ſet. Primùm Ethnicis qui calumniandæ Chriſtianæ doctrinæ & eccleſiæ nullam non anſam arripiebant, cui in hac parte, ſicut & in aliis multis, imperitiam ſummam, & ignorantiam obiiciebant, vt apparet ex variis epiſtolis Auguſtini, quanquā ipſi imperitè & falſò tamen. His reſpondendum fuit. Sed & Pelagianis, quorum hæreſis & noua & plauſibilis tunc temporis erat, qui in paruulis negabāt vllum eſſe peccatum, ac ne originale quidem: ſed in ſolis grandioribus hominibus illud eſſe, quod ipſi perpetrarant. Ad quem ſuum errorem confirmandum & hoc eccleſiæ dictum afferebant, quòd baptizati natu maiores non peccato, ſed peccatis mori dicendi erant, ſi & peccatum originale habuiſſent, & alia quæ ipſi poſtea addidiſſent. Vtriſque vno & eodem reſpōſo ſatisfacit Auguſtinus, & vna fidelia duos parietes dealbat, nimirū quòd tunc numerus ſingularis pro plurali ſumitur: vti contrà numerus pluralis pro ſingulari ponitur per ἑτέρωσιν. Id quod & vſu perpetuo omnium authorum probari docet, & imprimis ſacræ Scripturæ. Paulus Roman.6.ver.6.dicit nos peccato ſeruire, eodem ſenſu. Et Petrus docet in baptiſmo non vnum duntaxat peccatum, ſed plura, id eſt, omnia elui. Ipſe enim dixit plurali numero peccatis nos mori, 1.Petr.2.verſ.24.3.verſ.21. Quod A autem tam anxiè numerum perpendit Auguſtinus, & ſoluit dubitationem, quæ ex eo fieri potuit, non fruſtrà fieri meliùs intelliget, qui animaduerterit Paulum ipſum, qui non eſt λογοδαίδαλος, & verborum auceps, argumentum duxiſſe fortiſſimum à numero, quo vſa eſt Scriptura Galat.3.verſu.16. Abrahæ dictæ ſunt promiſsiones, & ſemini eius. Non dixit, Et ſeminib. vt de multis: ſed vt de vno, Et ſemini tuo. Hæc diuus Paulus.

2 *Vel cogitatione:* Variè peccata diſtinguuntur. Ex cauſis, duo ſunt Auguſtino alibi peccatorum genera. ex timore enim vel cupiditate omnia oriri ſcribit in Pſal.79. Lactant.libr.6.capit.19. tertiam cauſſam addidit, iram nimirū. Ex obiecto, itē duo ſunt eorum genera. Nam fiūt & committuntur vel in Deum, vel in homines. Ex gradu & modo tria ſunt peccatorum genera. Fit enim peccatum vel cogitando, vel loquendo, vel operando. Ita Chriſtus apud Matt.5.ver.22.& 28. Ita Iacobus cogitationem & concupiſcentiam ipſam inter peccata enumerat. Iac.1.ver.14.& Paulus Roma.7. Ita Auguſtinus ipſe in Pſal.118.& Hierony. in Ezechiel. B His omnibus antiquior Arnobius lib. 8. contra Gentes, Vos ſcelera admiſſa punitis, apud nos & cogitare peccare eſt. Hunc ſecutus diſcipulus Lactant.libro 6.cap.13.ait, Cuius carnis infirmitas triplici modo ſubiacet dominio peccati, factis, dictis, cogitationibus. Vnde illud Hierony.in Hier. 4.verſ.18. Vbi ſunt, ait, qui in cogitationibus dicunt, non eſſe peccatū? Paulus in epiſtol.ad Coloſ. 3.verſ.17.in duo tantùm genera videtur diſtinxiſſe λόγον ϗ ἔργον, ſed ſynecdochicos & cogitationem complexus quoque eſt. Maior quęſtio eſt, quid Cogitationis nomine ſignificet Auguſtinus & veteres cum eo. Scholaſtici putant tantùm eam animi voluntatem intelligi, quæ aſſenſum habeat, & quæ per eum quaſi formata eſt, & quæ in meris cogitationis finibus non conſiſtat, quam cogitationem etiam diuturnam & moroſam paſſionem vocant. ita N. De lyra in Mat.5.verſu 22. etſi Lom- C bar.quid affirmet, non habeat. Nam quæ mali cogitatio, aiunt, aſſenſum coniunctum & accedentē non habet, non eſt peccatum, quia illa non eſt in noſtra poteſtate, ſed eſt motus naturæ & ſenſualitatis. Reſpondeo verò quòd etſi, vt ait Lactant. li. 6.cap.13 eſt ſupra humanum modū ne in cogitatiō nē quidē admittere quod eſt turpe, eſſe tamē peccatum, & eos refelli voce ipſa Cogitationis & cogitandi, qua ſemper vſi ſunt veteres. Non dixerunt enim tantùm illi velle malū, eſſe peccatum, ſed cogitare. Cogitatio autem eſt primus actus mentis, ait Varro li.5. De lingua Latina, quòd primùm ea quæ acturi ſumus cogitare debemus, tum deinde dicere, ac poſtremò facere. Et certum eſt eos ex ſenſu Scripturæ locutos eſſe quæ damnat ἐπιθυμίαν, i.concupiſcentiam, quæ eſt ſola de malo cogitatio & momentanea illa quidem, modò titillet nos. Vnde cogitatio mali malum eſt, etſi illi non aſſentiaris: quia toto corde ſe à nobis coli vult Dominus. Ita Auguſtinus libro De ſpiritu & litera c.4. conſentienter Paulo Rom.7.v.7.

3 *Per ſingularem.* Figura eſt quę ἑτέρωσις à Grammaticis dicitur, cùm numeri cōfunduntur, & pro ſingulari pluralis, & contrà ponitur. Varro lib.5. de lingua Latina ſcribit veteres etiā Latinos vnum dixiſſe multa. Itaq; cùm in doliū aut culeum vnū addunt ruſtici, prima vr na addita, dicūt etiā nunc,

A Multa.Hæc Varro.Sed ea ratio Ioſepho Scaligero homini doctiſsimo non placet,vt ipſe in ſuis coniectaneis ſcribit.Multa enim illic eſt,Numera. ſic vocem hanc interpretatur. Inſignis autem huius numeri commutationis locus eſt Geneſ.2.cap.10. vbi ita ſcribitur,Et fons exibat è Paradiſo,vt irrigaret hortũ.quod non intellectum magnum errorem in illius loci explicatione inuexit,& quem viri docti non animaduerterunt. Nam quatuor flumina diſtincta & locis & ſitu & regionibus & fontibus illic enumerantur,non autem vnus tantùm Tigris aut Euphrates,quib. latiſſima illa Paradiſi & horti regio circumſcribitur. Illa autem regio Meſopotamiã,fœlicem Arabiam,& Syriæ partem orientalẽ ad Damaſcum complectitur, vt etiam nos docuit Beroaldus vir in Hebręis doctiſsimus. Et ita flumẽ ſingulari numero pro flumina in plurali poſitum eſt,quod iam pridem etiam annotauerat hic ipſe Aurelius Auguſtinus li.5.de Geneſ. B ad liter.c.10.in fine.

4 *Vterúmque armato.* Suam ſententiam confirmat authoritate Latinorũ ſcriptorum etiã Ethnicorum,vt Ethnicorũ ſubſannationibus & cauillis de ἀπαιδευσίᾳ Chriſtianorum meliùs ſatisfaciat. Locus eſt apud Vergilium libro 2.Æneid.

Huc delecta virûm ſortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri,penitúſque cauernas
Ingentes,vterúmque armato milite complent.

5 *Legitur.*Locus eſt Nume.21.v.7.Serpentem autẽ videtur dixiſſe populus, quòd genus ipſum nomine collectiuo à ſe depelli poſtularet , non hunctantùm, aut illum ſerpentem. Sic hominem pro vniuerſo & toto hominũ genere dicimus.Hic locus eſt apud Lombardũ li.2. diſt.33. cap. Alioquin Auguſtinus li.4.Locutio.Veter.Teſt.ita explicat vt hîc.

6 *Cùm verò.*A contrario ſuam ſententiã probat Auguſtinus.Nã & ſępe pluralis numerus pro ſingulari eſt accipiendus. Hæ autẽ obſeruationes ſæpe difficiles locutiones facillimas nobis reddũt, etſi inter regulas ſuas hanc ἑτέρωσιν Ticonius non numerauit.Vnde fit,vt troporũ & figurarum co- C gnitionem Theologo valde neceſſariam eſſe ſcribat Aug.lib.3.de Doctrina Chriſtiana cap.29.

7 *Pluralem.* In impreſsis codicibus eſt, Per pluralem locutionẽ:omnino malè. Locutionem, additum eſt & ab inepto monacho, cùm potiùs Numerum,fuerit addendum,mentem Auguſtini intuenti. Loquitur enim de numero plurali vel ſingulari. Nam etiam in numero ſingulari ineſt ſæpe locutio pluralis,vt in nominibus omnibus collectiuis, qualis grex,cœtus, turba , populus.Sed omnino melius eſt vt prætermiſſa etiam voce (Numerũ) ita legatur,vti reſtituimus, quando etiam in fine huius capitis loquitur ſic ipſe Auguſtinus,Ponentes pluralem pro ſingulari, & ſuprà,Per ſingularem numerus pluralis ſignificari ſolet.Hoc cùm prius ex coniectura annotaſſem, reperi ita eſſe in codice manuſcripto.

8 *Mortui ſunt.*Locus eſt apud Matthæum in Euangelio caput 2. verſu 20. ita etiam Græcè legitur , τεθνήκασι γὰρ οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου. Et Vergilius,Vos,ô Calliope.De hoc dicẽdi genere ſunt conſulendi Hebræi interpretes,Iob.18. ver.2.

9 *In Exodo.*Locus eſt.Exod.32.ver.4.At ex idiotiſmo & more Hebræorũ Deus plurali numero אלהים appellatur. Quod alii fieri ab Hebræis putãt honoris tãtùm gratia:alij quòd tres perſonę A vno illo nomine cõprehendãtur. De quo vide D. Zanchum in lib.De tribus Elohim.Ioannes Mercerus Hebrææ linguæ peritiſſ.in Iob. 35.verſ.10. plus aunotauit etiam plurale epitheton ſingulari אלה adiici.Fortaſſe autẽ id factum videri in hoc Exodi loco poteſt (neque enim de vero Deo agitur)quòd cùm Aaron populo idolum proponeret,idololatrarũ quoq; more locutus eſt, qui quia plures deos colunt & habẽt, Deos appellãt.Auguſtinus ipſe lib.2.locutionum Veter.Teſtam.ſic ait Fecerunt ſibi deos aureos,de vno vitulo.Pluralem ergo numerum pro ſingulari poſuit.Indè eſt illud, Hi dij tui Iſrael,qui eduxerunt &c.Non ſanè locutiones iſtæ reperiuntur,niſi in eo rerum genere in quo etiam de pluribus fieri,vel intelligi poteſt. Non enim quia vnus ille vitulus erat,ideo non & plures fieri poterant,aut ideo non multis idolis ſimilis fuerat.Hæc Auguſtinus,vt facile cognitu ſit hoc totum ex Hebræi ſermonis idiotiſmo & ratione interpretandum eſſe. B

CAP. XLV.

In primo hominis peccato,quod Originale appellatur,varias peccati ſpecies ineſſe, non vnum tantùm.

QVanuis & in illo peccato vno [1] *, quod per vnum hominem intrauit in mundum,& in omnes homines* [2] *pertranſiit,& propter quod etiam paruuli baptizantur,poſſint intelligi plura* [3] *peccata , ſi ipſum in ſua quaſi membra diuidatur* [4]*. Nam & ſuperbia eſt illic , quia homo in ſua potiùs eſſe , quàm in Dei poteſtate dilexit. Et ſacrilegium,quia Deo non credidit. Et homicidium , quia ſemetipſum præcipitauit in mortem. Et fornicatio ſpiritualis, quia integritas mentis humana ſerpentina ſuaſione corrupta eſt. Et furtum , quia cibus prohibitus vſurpatus eſt. Et auaritia , quia plus quàm illi ſufficere debuit, appetiuit , & ſiquid aliud in hoc vno admiſſo diligenti conſyderatione inueniri poteſt.*

1 *Peccato vno.* Altera ſolutio ſuperioris dubitationis,quæ ducta eſt ex ipſius originalis peccati C natura & conſyderatione,quod etſi vnicum videtur ratione actus & ſecũdum materiale,vt loquuntur in ſcholis,plura tamen delicta continet ſecundum formale,& pro ratione deformitatis & receſſionis à Dei volũtate,quæ variis modis conſyderari poteſt,& variè conſyderata varias peccatorũ ſpecies habet.Nec id quidem mirũ,quia, vt Iuriſconſulti homines maleficiorum diſtinguendorũ ſcientiſsimi,docent,ſæpe etiam inter homines & hominum ipſorum reſpectu fit vt ex vno & eodẽ facto plura delicta oriantur,l.Plura.D.De actionibus & obligationibus.Sæpe quidem peccatum tanquam genus & totum quoddam nomine collectiuo pro multis peccatis accipitur,vti homo,caro,populus, pro multis indiuiduis per ſyntheſin,Iob.34. v. 20. & 21.Et ſic peccatum à Paulo proponitur tãquam corpus immenſum, quod varia & deformia membra habeat, Roma.6.verſ.6.Coloſſ.3.verſ.5. Hîc autem peccatum primum & originale ſumitur ab Auguſtino pro certa quadam ſpecie peccati, cuius tanta eſt deformitas , & tam latè patens, vt vario reſpectu varia offenſionis in Deum genera complectatur. Vnde mirum non eſt, ſi infan-

A tes cùm per Baptiſmum illud originale amittunt dicantur non peccato tantùm tanquam vni, ſed peccatis tanquam pluribus mori. Bernard. Sermo. de feria 4. Hebdomad. Pœnoſ. A primo homine ad nouiſsimnm protenditur: & in ſingulis quoq; à planta pedis vſque ad verticem diffunditur hoc venenum. Sed & nihilominus in vniuerſam dilatatur ætatem, ab ea ſcilicet die qua ſua quemque concipit vſque ad eam qua communis eum recipit mater. Et quidem graue omnino delictum illud originale, quod non ſolùm perſonam infecit, ſed & naturam. Id quod etiam Anſel. li. De conceptu virginali c.22. tradit.

2 *Pertranſiit.* Factúmne ipſum Adami, an reatus tantùm: item Pœnáne ſola, an etiam culpa ad poſteros tranſierit, vide inf. ſequenti capite.

3 *Plura peccata.* Hæc Auguſtini ſententia proculdubio ex ſcriptis Tertulliani ab Auguſtino ſumpta eſt, & tranſcripta. Etſi enim Tertullian. li. B 2. aduerſus Marcion. ſcribit ipſum illud Adæ delictum eſſe hæreſin, quod per electionẽ ſuæ potiùs quàm diuinæ ſententiæ admiſit: idem tamen in li. Aduerſ. Iudæos ſentit hoc ipſum, quod hîc Auguſtinus. Itaque illius verba addere non pigebit: Primordialis enim, ait, lex eſt data Adæ & Euæ in paradiſo, quaſi matrix omnium præceptorum. Denique ſi Dominum Deum ſuum dilexiſſent, contra præceptum eius non feciſſent. Si proximum diligerent, i. ſeipſos, perſuaſioni ſerpentis non credidiſſent, atque ita in ſeipſos homicidium non commiſiſſent excidendo de immortalitate, faciẽdo cõtra preceptum Dei. A furto quoque abſtinuiſſent, & de fructu arboris clam non guſtaſſent. Nec falſum aſſeueranti diabolo participes efficerẽtur credendo ei, quòd ſimiles Deo eſſent futuri. Si alienum non concupiſcerent, de fructu illicito non guſtaſſent. Igitur hac generali & primordiali lege Dei, quam in arboris fructu obſeruari Deus ſanxerat, omnia pręcepta legis poſterioris ſpecialiter condita fuiſſe cognoſcimus. Vbi duo ſunt obſeruanda: Primùm à Tertullia. rationem afferri, cur in illo vno peccato plura, & omnia delictorum genera obſeruari poſsint, nimirum quòd illa prima lex C & prohibitio totius legis diuinę per Moſen poſtea datæ ſumma quædam comprehenſio fuit. Hæc autem ratio ab Auguſtino prętermiſſa eſt. Secundum notabile eſt, ordinem præceptorum quæ in ſecunda legis tabula continentur, ex his duobus locis animaduerti poſſe, & eſſe hunc, Homicidium, adulterium, furtum, falſum teſtimonium, concupiſcentia, quia in iis recenſendis non conſtat ſibi ſemper antiquitas, neque Philo ipſe homo Iudæus. Fulgẽtius libro 1. ad Monimum, modò ſuperbiam, modò concupiſcentiam in peccato primo Adami agnoſcit. Sed de idololatria idem quoque affirmat Tertullian. in lib. De idololat. quòd hîc Auguſtinus de peccato originali, etſi ſuam ſpeciem tenet vnumquodque delictum, etſi ſuo quoque nomine iudicio deſtinatur, in idololatriæ tamen crimine omnia vitia expungi & comprehendi. Ex hoc item Auguſtini & Tertulliani dicto apparet quantum noua ſcholaſtica à veteri patrum Theologia recedat, quia illa leue omnino facit peccatum primum Adami, cùm illud alii gulæ, alii ſuperbiæ tantùm nomine damnent. Hi autem patres omnium peccatorum genus in ſe complecti doceant, & eſſe teterrimum & grauiſsimum. A

4 *Membra diuidatur.* In cod. impreſsis additum eſt, In ſua quaſi mẽbra diuidatur ſingula, quæ vox, Singula, omnino gloſſema fuit ad vocem, Sua, quam explicans aliquis, addiderat, In ſingula, id quod poſtea in ipſum contextum irrepſit, & eſt in manuſcripto. In hac autem peccatorum enumeratione obſeruãdum eſt, hîc Sacrilegium dici ab Auguſtino ipſam ἀπιστίαν vel ἀπειθίαν, id eſt, infidelitatem, & rebellionem, per quam Deo non credimus. Et rectè. Deo enim ſuus honos, quæ res eſt ſacratiſsima, per eam adimitur. Scholaſtici faciunt duo ſacrilegij genera, ſed nõ ex mente Auguſtini. Primum genus apud eos eſt, cùm virgo veſtalis & monacha violatur. Alterum quum vaſa ſacra ſurripiuntur. Hîc pulcherrimè Sacrilegium definit Auguſtinus infidelitatem. Sed nõ rectè tamen idẽ Auguſtinus poſtea, qui præceptũ de Concupiſcentia quod eſt generale, vt docet Paulus Rom. 7. & exempla in ipſa Dei lege allata ad vnius auaritiæ ſpeciem reſtringit. Concupiſcentia enim in omni peccati genere & verſatur & damnatur. Sed cur fal B leretur Auguſtinus, ratio eſt, quòd Græca vox ἐπιθυμία, quæ Concupiſcentiam ſignificat, ſæpe pro φιλαργυρία & auaritia accipi ſolet, veluti 1. Timoth. 6. v. 10. quãquam præceptum decimum legis diuinæ generaliſsimum eſſe alibi docet ipſemet Auguſtinus in Exod. quæſtio. 71.

Cap. XLVI.

Paruulos non tantùm primorum parentum, id eſt, Adami & Euæ peccato, ſed & ſuorum propriorúmque genitorum additis peccatis reos eſſe. Itaque regenerationem iis eſſe neceſſariã, quia generatio vitioſa eſt.

Parentum quoque [1] *peccatis paruulos obligari, non ſolùm primorum* [2] *hominum, ſed etiam ſuorum, de quibus ipſi nati ſunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe diuina ſententia* [3], *Reddam peccata patrum in filios, tenet eos, vtique antequam per regenerationem ad teſtamentum nouum incipiant pertinere. Quod teſtamentum prophetabatur, cùm diceretur per* C *Ezechielem*[4], *non accepturos filios peccata patrum ſuorum, nec vlterius futuram in Iſrael parabolam illam, Patres manducauerunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt. Ideo enim quiſque renaſcitur, vt ſoluatur in eo quicquid peccati eſt, cum* [5] *quo naſcitur. Nam peccata quæ male agendo poſtea committuntur, poſſunt & pœnitendo ſanari, ſicut etiam poſt Baptiſmum fieri videmus.*[6] *Ac per hoc non eſt ob aliud inſtituta regeneratio, niſi quia vitioſa eſt generatio, vſque adeo vt etiam de legitimo* [7] *matrimonio procreatus, dicat,* [8] *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis mater mea me in vtero aluit. Neque hîc dixit, In iniquitate vel peccato, cùm & hoc rectè dici poſsit, ſed iniquitates & peccata dicere maluit, quia & in illo vno, quod in omnes homines pertranſiit, atque tam magnum eſt, vt in eo mutaretur & conuerteretur in neceſsitatem mortis humana natura, ſicut ſuprà diſſerui, reperiuntur plura peccata, & alia parentum* [9], *quæ etſi non ita poſſunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, niſi gratuita gratia & miſericordia diuina ſubueniat.*

1 *Peccatum quoque* Tertia ſuperioris quæſtionis ſolutio, idcirco dici infantes mori peccatis, nõ peccato in baptiſmo, quia non tantùm ob vnum

A primorum parentum,id eſt,Adami & Euæ peccatum rei ſunt:ſed etiam propter aliorum parentum ſuorum peccata, & ita per Baptiſmum à pluribus peccatis mundantur , & iis moriuntur.Hæc tanta Auguſtini & tã ſolicita diſputatio docet vexatam fuiſſe hanc de peccato & Baptiſmo paruulorum quæſtionem,& inuolutam tunc temporis propter Pelagianorum recentem hæreſim & tamen pullulantem.Quod verum eſſe docet, quod idem Auguſtinus in ſermo.De verbis Apoſtol. De Baptiſmo Paruulor.contra Pelagian.cap.14.ſic ſcribit, Solicitos nos facit non ipſa ſententia iam olim in eccleſia Catholica ſumma authoritate fundata,ſed diſputationes quorundam,quę modò crebreſcere, & multorum animos euertere moliuntur. Præterea Baptiſmo & peccatis paruulorum obſtat quod paruuli vulgò vocabantur innocentes, etiam ab ipſo Auguſtino Sermone 7. De verbis Apoſtol. Hæc autem poſtrema ſolutio non tam firma eſt, quàm prima.Itaque dubitanter affirmat B Auguſtinus ipſe,cùm ait,Non improbabiliter dicitur.Nã alia aliorum, præterquam Adami , parentum peccata tranſire ad liberos quis certò affirmarit, cùm de hoc ſuo dicto dubitet ſequenti capite Auguſtinus ipſe , & nulla Scripturæ authoritate apertè confirmetur? Ac primùm Paulus per vnum hominem peccatum in mundum tranſiiſſe ait,id eſt per Adamum,non per plures,Roma.5.ver.12. Itaque opponit vnum Chriſtum vni Adamo,vt quẽadmodum vnus homo eſt ad vitam , ita vnus homo ſit ad mortem,1.Corinth.15.& ita Auguſtinus ipſe interpretatur & ſentit cap.49.& in Pſal.50.& lib.2.De peccator.meritis cap. 27. Sicut generatio carnis peccati,ait , per vnum Adamum in condemnationem trahit omnes qui eo modo generantur.Vbi diſertè addit Vnus , non plures parentes, i.ſequentes nos trahere in condemnationem.Li. Solutio.ad Hilarium quæſt.2.ita quoque explicat, vt ex vno Adami peccato & delicto infantes reos eſſe ſentiat.Quid eſt,ait, ex vno delicto in condemnationem,niſi illo delicto, quo deliquit Adam? Quid eſt,ex multis delictis in iuſtificationem,niſi quia Chriſti gratia non ſolùm illud delictum C ſoluit, quo obſtringuntur infantes: ſed etiam multa delicta quæ cùm creuerint homines,addunt malis moribus ſuis?Tamen & illud vnum, quo eſt obligata propago carnalis quæ ab illo primo homine originem ducit &c.& alibi diſertè ait,nihil ſecum, niſi quod de primo parente traxerunt,habere paruulos.Ergo hæc Auguſtini vera & conſtans ſententia fuit, etſi hîc propter quæſtionem propoſitam aliter ſentire videri poteſt,ſed non ſentit. Lombardus lib.2.diſt.33. variè ſe & alios torquet , vt quid de ea ex Auguſtini mente ſentiendum ſit , doceat. Apud veteres autem Theologos diſtinguẽda ſunt quæ feruore diſputationis,quæque dubitanter dixerunt, ab iis quæ aſſeueranter & quietè. Hoc autem caput tranſcripſit vniuerſum Leo 1. Epiſcopus Romanus epiſt.84.ad Aquileiẽſem Epiſcopũ, vt valde laudatum eſſe vel ex eo vno intelligamus. Cùm autem quæritur, Quomodo ex vno peccato Adami nos rei ſumus,quidam petunt , vtrùm factum ipſum Adami in nos tranſiit, vtrùm pœna tantùm,vtrùm etiam culpa.Et quia cùm ex ſcholaſticorum,tum ex aliorum reſponſionibus ambiguis non ſatiſfit quærentibus iſta, quarta quædam ſententia exorta eſt ex ipſo Manichæorum impuriſſimo cœno hauſta, eorum nempe , qui volunt peccatum originale eſſe ſubſtantiam A quandam. Quæ poſtrema ſententia vel vna hac Ambroſii authoritate iugulata conticeſcat. Ambroſius in Romanorum cap. 7. Quomodo, ait, inhabitat in carne peccatum , cùm non ſit ſubſtantia,ſed præuaricatio boni?Auguſt. Peccatum eſt auerſio ab incommutabili bono. Baſil.in Homil.in Hexamer.ἁμαρτίαν planè negat eſſe οὐσίαν, ſed tantùm ἀποστέρησιν & pręuaricationem contra legem Dei.Ergo neque peccatum originale ſubſtãtia eſt. Auguſt.apertiſsimè lib.1.de Nuptiis cap.25. Non ſubſtantialiter manet ſicut aliquod corpus aut ſpiritus,ait:ſed affectio eſt quædam malæ qualitatis, ſicut languor,peccatum originale. factum autem ipſum Adami non trãſiit in nos. Multi enim ad ſimilitudinem Adami & eodem peccati genere non peccarunt,qui tamen per eum rei ſunt, Rom.5. v. 14.Præterea cùm actiones ſint ſuppoſitorũ, & ſuppoſita ſint indiuidua quædam inter ſe numero differentia, actiones quoque eorum quamuis ſimillimæ,ſunt etiam indiuiduæ & numero inter ſe differentes.Scholaſtici ergo putant pœnam tantùm ex B Adamo in nos tranſiiſſe,non autem culpam. Ergo ex eorum ſententia mors ex Adamo in nos peruenit,non etiam peccatum,quę planè Pelagianorum eſt ſententia,& quam refutat Auguſt.lib.4. ad Boniſac.ca.4. Deinde cùm pœna ſine culpa eſſe non poſsit ex diuinæ iuſtitiæ regula , priùs in nobis & in paruulis culpa ex Adami ſcelere ſit contracta oportet,deinde pœna eius culpę merces accedit.Auguſt.li.22.de Ciuita.Dei cap.24. In originali malo duo ſunt,ait,peccatum atque ſuppliciũ.& li.2. De Nuptiis c.5.De Adamo ſinguli peccatum originale trahunt,quia omnes vnus fuerunt.& ca.34.Non modò natura facta eſt peccatrix, ſed etiam genuit peccatores. Ergo vti è vitioſa radice rami putres naſcuntur, è fermentata maſſa fermentati panes fiunt:ſic ex Adamo peccatore peccatores naſcuntur,ex ouo ſerpentis , quod in ſe venenum habet, venenati ſerpentes gignuntur, & ex aſpidibus aſpides,ex viperis viperæ,vt ait Iſaias.Vnde paruuli & ſinguli quidem in ſeſe rebellionem,ἀπιστίαν,& propaginem atque ſementem omnis vitii portant in ſinu,& ita peccatum ipſum,atque,vt loquitur C Bernardus ſermo.72.in Cantica , impreſſum ſtigma & cauterium ipſius conſpirationis in Deum geſtamus omnes.Et ita meritò pœnam patimur. Idem Bernard.in Sermo.de Baptiſ.& ſacra.altaris, Neque enim dubium,quin à primis parentibus in eos traducta ſit Lex iſta peccati.Idem Serm.66.in Cãtica,Flagitat infans auxilium gratiæ, quia vim patitur ab origine. Clamat innocentia miſeri, clamat ignorantia paruuli , clamat infirmitas addicti. Ita ergo clamãt hęc omnia,Sanguis fratris Chriſti: fides matris,miſeria deſtituti.Nemo mihi dicat,quia non habet fidẽ,cui mater impartit ſuam. Adamus enim radix futuræ humanitatis à Deo conſtitutus erat,& truncus totius propaginis. Aliàs paterẽtur infantes idem quod Chriſtus, ait Auguſt. ſcilicet innoxii peccati pœnâ ſuſtinerent.Id quod eſt euacuare Chriſti prærogatinam.lib.4.ad Boniſa. c. 4.

2 *Primorum.* Additur in impreſsis & manuſcripto,Hominum: quæ vox videtur fuiſſe gloſſema.Parentum enim vox præcedit.Sic poſtea idem Auguſt. Alia parentum. Fuerunt illi quidem primi parentes Adam & Eua , homines : ſed hæc additio nõ ſit fruſtrà.Et Lombard.li.2. diſtinct. 33.c.

A Quod verò. Hominum, legit. Itaque retinuimus.

3 *Reddam*. Locus eſt tum Exod.20.ver.7. tum Deuter.5.ver. 9.vbi eſt פקד,i. Viſitans. Apud Hier. autem 32.verſ.18.eſt reddere. Huius autē dicti authoritate ſuam ſententiam confirmare nō poteſt. Auguſt. quia propriè ad idololatras pertinet, non ad cuiuſuis generis peccata. Præterea nō eadem ratione peccatũ Adami tranſit in poſteros, qua peccata aliorum parentum vindicat Deus in liberis. Peccatum Adami fecit nos reos & nocentes etiam antequam eſſemus, iuſto quidem Dei iudicio: At aliorum parentum peccata nouam in nos maculā non infundunt, vti illud Adami, ſed cùm rei iam ſimus ipſi per nos ex illo primo, intercludunt nobis aditum ad Dei gratiam & miſericordiā. Proſper tamen Aquitanicus ſentent.306.ſcribit quoſdam parentes aggrauare peccatum originale in nobis: quoſdam releuare & minuere. Vide cap.ſeq.N. 3.infra.

4 *Ezechielem*. Locus eſt ſumptus ex Ezech.ca. B 18.v.2.& ſequent. Item apud Hieremiam ſimilis 31. v.29. Putat Auguſt. hoc dictum prophetæ ad filios pertinere priuſquam baptizentur, & incipiant pertinere ad Dei gratiam & regenerationis donum, quod appellat hìc Nouum teſtamentum. Sed ſubtilior eſt hæc interpretatio. Fuit enim hæc oratio impudens Iudæorum in Deum ipſum querimonia, quaſi iniuſtè & non propter propria & ſua peccata affligerentur, ſed propter paterna & aliena. Quod falſò dici probat Dominus, & à ſe vnũquēque pro ſuo, non alieno ſcelere puniri: id quod tam palàm facturum eſſe affirmat Dominus, vt etiam ethnici ipſi id videant & cognoſcant, Ezech.34. v. 24. Ergo neque hic locus pro Auguſtino facit, neque probat parentum delicta in paruulos trāſfundi, vti peccatum Adami. Hìc autem obſeruandum eſt vocari Nouum teſtamentũ ab Auguſtino Dei promiſsiones, & regenerationem & gratiā de peccatorum remiſsione, quæ fiebat antiquis patribus ſub Veteri teſtamento. Quicquid enim propter Chriſtum illis datum eſt, hoc pertinuit ad Noui teC ſtamenti appellationem, ne putemus eos eius gratiæ, quæ nobis per Chriſtum facta eſt, expertes fuiſſe. Hiere.31.verſ.31. Hebr.8.v.10. Iſa.42. Et ita alibi quoque ſcripſit & ſenſit Auguſt. in lib. De Spiritu & litera. item lib.3. Contra duas epiſtolas Pelagia. cap.4. Hi pertinent, ait, ad Nouum teſtamentũ filii promiſsionis, & regenerati à Deo Patre, & libera matre. Huius generis fuerunt antiquiores iuſti, & ipſe Moſes Teſtamenti miniſter veteris, hæres Noui: quia ex fide, qua nos viuimus, vna eadémque vixerunt, incarnationem, paſsionem, reſurrectionémque Chriſti credentes futuram. & Tracta. 25. in Ioan. Attēdebant ergo promiſſa per Moſen: attendebant promiſſa per Chriſtum. Et per Moſen temporalia acceperunt tanquam ſpiritualium figuram, non autem temporalia ipſa duntaxat propter ſe. Idem lib.19. contra Fauſtum. Idem lib.4. ad Bonifac.cap.7. Eodem modo Ambroſius lib.1. De vocatio. Gentium cap.3. vt intelligamus omnem ſalutaris Dei gratiæ promiſsionem pertinere ad Nouum teſtamentum, eóque nomine appellari poſſe, 2.Corinth.3. Non eſt igitur Nouum teſtamentum duntaxat illa hiſtoria & ſcripto de Chriſto exhibito, vt quidam cenſent. Vide inf.cap.118.N.7.

5 *Cum quo naſcitur*. Legerem lubentius ſine relatiuo ſic, Cùm naſcitur, id eſt, quando naſcitur, & A ita puto ſcripſiſſe primùm Auguſtinum, quāquam in manuſcripto eſt, Cum quo. Sed in eodem Cod. poſtea animaduerti multa perperam in hoc capite deſcripta.

6 *Fieri videmus*. Sic veteres loquebantur, Priora peccata delet baptiſmus, poſteriora pœnitētia. Sic Hieron. Sic Baſil. quæſt.13. Non oportet eum, ait, qui poſt baptiſmum peccauit, de ſalute deſperare. Hoc propter Nouatianos & Melitum Ægyptium hæreticum, vt etiam atque adeò amplius infrà cap.78.& ſeq. explicabitur.

7 *De legitimo*. Etſi matrimonium eſt Dei inſtitutio ſancta, & honorabilis, vt eſt Heb.13.v.4. adeò vt nothi & ſpurii Deo diſpliceant, Deut.23. tamen in eos etiam, qui ex legitimo coniugio naſcuntur, tranſit peccatum originale propter maſſæ ipſi humanæinhærentem corruptionem, Iob. v.14. & 15. & cap.25. id quod variis locis diſputat Auguſt. aduerſus Pelagianos, veluti lib.2. Ad Bonifac. & in libris aduerſus Iulia. Quòd ſi excipitur, At fideles paruuli de patre fideli & renato naſcuntur, ergo & B renati, id eſt, ſine peccato originali naſcũtur, quod fuit etiam vnum de argumētis Pelagianorum. Reſpondet centies Auguſt. Nō de ea parte filii naſcũtur quæ in nobis renata eſt ex Spiritu Dei: ſed de ea, quæ ex Adamo & carnalis eſt, Epiſt.105. ad Sixtum Roma. pontific. item libr. De natur.& gratia. vnde & ipſi filii renaſcentia & baptiſmo opus habent, adeò vt ne baptizetur quidem cum matre ſua ille, qui in vtero eſt dum mater baptizatur. Augu. ad Dardanum epiſt.57.

8 *In iniquitatibus*. Locus eſt ex Pſal.51.v.7. Vbi ſic ex Hebræis legendum, Ecce in iniquitate peperit me, & in peccato concepit (vel calefecit) me mater mea. Verbum enim יחם quo vtitur Scriptura, ipſum primum conceptionis momentum ſignificat, quo in vtero ſemen mulier concipit & fouet. Pro quo legit hìc Aug. ex veteri & recepta verſione, aluit. Item legit In iniquitatibus, & in peccatis C numero plurali, cùm ſit numero ſingulari apud Hebræos. ex quo apparet quanti ſit ex ipſis fontibus hauſiſſe. Quæ enim hìc philoſophatur de voce Iniquitatibus, quia pluraliter ſcribitur, omnino eſt ἀπροσδιόνυσον & ineptum. Et quomodo hìc legit & laudat hunc locum Auguſt. ita in ſuis commentariis in Pſal.50. Ita quoque Ambroſ. legit in Apologia Dauid. Antequam naſcimur, ait, maculamur, contagio, antequam vſuram lucis, originis ipſius excipimus iniuriam. Neque hìc declarauit vtrùm in delictis ſuis mater pariat, an iam ſint aliqua delicta naſcentis. Sed vide, ne vtrumque intelligendum ſit, nec conceptus iniquitatis exors eſt.

9 *Parentum, quæ*) Omnino ita legendum eſt, non vt in impreſſis, Alia parētum, qui. loquitur enim hìc Auguſt. de peccatis, & relatiuum ad ea referendum eſt: ita quoque legit Lombard. li. 2. diſtinct. 33. manuſcriptus addit, Parentum noſtrorum, & noſtram correctionem confirmat. Sed inſulſi monachi temere omnia conſpurcant.

CAP. XLVII.

Vtrùm omnia progenitorũ peccata tam actualia, quàm originalia in poſteros propagentur, & in quot vſque gradus, incertum eſſe.

A *SEd de peccatis[1] aliorum parentum, quibus (ab[2] ipſo Adam vſque ad patrem ſuum progeneratoribus ſuis) quiſque ſuccedit, non immeritò diſceptari poteſt, vtrùm omnium malis actibus, & multiplicatis delictis originalibus, qui naſcitur, implicetur, vt tanto peius, quanto poſterius quiſque naſcatur? An propterea[3] Deus in tertiam & quartam generationem de peccatis parentum eorum poſteris comminetur, quia iram ſuam, quantum ad progeneratorum ſuorum culpas, non extendit vlteriùs, moderatione[4] miſerationis ſuæ? Ne[5] illi, quibus gratia regenerationis non confertur, nimia ſarcina in ipſa ſua æterna damnatione premerentur, ſi cogerentur ab initio generis humani omnium præcedentium parentum ſuorum originaliter peccata contrahere, & pœnas pro iis debitas pendere: An aliud aliquid in re tanta dè Scripturis ſanctis diligentius perſcrutatis atque tractatis valeat vel non valeat reperiri: temerè non audeo affirmare.*

1 *Sed de peccatis.* Hypophora eſt per quā occurrit B dubitationi, quæ fieri potuit ex iis verbis ſuperioris capitis, per quæ voluit Aug. non Adami tātùm & Euæ, ſed omnium progenitorū peccata in liberos tranſire, ídque putauit non improbabiliter dici. Quærit igitur vtrùm & actualia illorum parentum peccata omnia, & originalia quæ multiplicata iam ſunt, & tot ſunt numero, quot capita & perſonæ, ex quibus aliis aliis ſuccedentibus quiſque noſtrum naſcitur, vtrùm, inquam, omnia illa delicta in nos tranſierint, & ad quem vſque gradum pertinere & pertranſire tandem ceſſabunt. Hoc addidit Auguſti. ne improbis anſam dediſſe videatur ex ſuperiore ſententia de Dei ſeueritate & iniuſtitia conquerēdi, quaſi filii parentum omnium ſuorum peccata iniuſtè ferant, vt tantis pœnis tot peccatorum ſuſtinendis quilibet infidelium iam non ſit par. Hinc oſtenditur quāti ſit extra ſepta Scripturæ non vagari: intra quæ ſi ſe continuiſſet ſuperiore capite Auguſtinus, in hanc abyſſum non incideret, nec ſe nec alios incertos dimitteret, quod facit. Et certè hîc ξύλα, χόρτον & καλάμην, vt loquitur Paulus 1. Cor. 3. verſ. 12. 1. ligna, fœnum & ſtipulam ædificat, non aurum vel argentum. Paruus error in principio, inquit in libro de Cœlo Ariſtoteles, C tandem & in fine fit magnus. Has tamen & huiuſmodi curioſas quæſtiones auidè Scholaſtici arripuerunt, vt ſunt homines matæologi, & in ſuæ Theologiæ apices ſtudioſè retulerunt, quod de hac quæſtione apparet, quæ non eſt in κοιναῖς illis δόξαις à Lombardo prætermiſſa, lib. 2. diſtinct. 33. & antea ab Anſelmo Anglo, li. de Cōceptu virginali cap. 23. copioſè diſputata & deciſa: Nempe parentū aliorum peccata non addi ad peccatum originale liberorum. Hîc igitur Auguſt. prætergreditur lineas, quia quæ Scriptura tradit de peccato parentū in filios tranſeunte, hoc ad ſolum peccatum Adami & illius reatum pertinet, non ad alios parētes, vti ſuprà docuimus. Abſit quidem vt de ipſo Auguſtino ſentiamus quod ipſe li. De agone Chriſtia. c. 4. ſcripſit. Omnis indocta anima eſt curioſa. Laudanda potiùs eſt Auguſtini pietas & modeſtia, qui nihil de hac quęſtione definit, cùm nullum è Scriptura locum pro ſe haberet. Fecit igitur quod ipſe iubet lib. 6. de Geneſ. ad lite. c. 9. nimirū, vt in profundo Scripturæ ſenſu magis præſtaret diligentiā inquirendi, quàm temeritatem affirmandi.

2 *Ab ipſo Adam.* Puto gloſſema additū eſſe ex verbis Auguſtini quæ ſequuntur. Si cogerentur ab initio generis humani &c. Cùm perſpicuus ſit A Auguſtini ſenſus ſine illo, & potiùs ſenſum huius loci hæc verba obſcurent. Apud Lombardum, c. Quod verò. legitur non Progeneratoribus ſuis, ſe Progenerationibus ſuis, quod totū tralatitium eſt. Non ſum tamē auſus inducere, quia in manuſcripto inueni.

3 *An propterea Deus.* Locus eſt Exod. 20. ver. 7. in cuius explicatione variè fallitur Auguſt. Putat enim ex eo probari maiorū peccata omnia in poſteros transfundi, vt eorum pœnas liberi pendant & luant, ſi non baptizentur. Primùm enim ex loci & præcepti, cui ſubiicitur illa pœna, circunſtantia debet explicari ſic, vt propriè pertineat ad idololatriam, id eſt, certum genus peccati. Etſi enim verba generaliter ſonant & comminantur eadem in omnes, qui Deum oderunt: propriè tamen & ſpecialiter illi, qui idola colunt, odiſſe Deum dicuntur. Ita Auguſt. ipſe interpretatur in libr. Quæſtio. Veter. & Noui teſtamenti, quæſt. 14. Hac legis manifeſtatione, ait, deterreri Deus voluit impios patres vt agnoſcentes quantum mali pareret ſectatio idololatriæ, & affectus filiorum, reuocarentur B ad reuerentiam Creatoris. Item paulo pòſt, Oſtendit Deus quid mali pariat idololatria, Ergo ad idololatras propriè illa pertinet, etſi ad alia quoque peccatorum genera extēdi poterit. Deinde, vti diximus, hęc pœna non facit reos, qui non erāt, quod tamen facit peccatum Adami: ſed idololatrarum filiis, qui iam per peccatum Adami rei ſunt & nocentes, Deus fauorem ſubtrahit, ne eorum miſereatur. Denique perperam putat Auguſtin. filiorum animas grauius æterna pœna & morte damnari propter parentum peccata. Neque enim propriè hæc pœna, quam in filios Dei lex comminatur, ſpiritualis eſt & æterna, ſed temporalis & terrena. Pœnæ enim ſpirituales non ſunt medicinæ, vt rectè ſentit Thomas in 2ª. 2ª. quæſt. 108. Et ita Auguſt. ipſe in lib. Quæſtio. Veter. & Noui teſtamenti, quæſtio. 13. de filiis & infantibus Sodomitarum qui cum patribus perierunt. Non ergo, ait, in futurum, ſed ad pręſens tempus mala parentum filios inuenerunt.

4 *Moderatione miſerationis.* Potiùs dicendum C videbatur moderatione iuſtitiæ ſuæ. Cùm enim parcit Deus, non miſerationem ſuam, ſed iuſtitiā moderatur. Sed miſeratio hîc actiuè ſumitur pro cauſſa ipſa, quę iſtam moderationem gignit & efficit in Deo. Sic apud Iacob. 1. v. 2. probatio fidei parit patientiam, id eſt, ea mens & animus qui credit, habet & gignit patientiam in nobis. Hoc annotaui ne quis ἄτοπον exiſtimaret.

5 *Ne illi.* Etſi προβληματικῶς hanc quæſtionem tractat Auguſt. hîc tamen ſuam ſententiam affert, ideo pœnas in liberos peccatorum reſtringi ad tertiam & quartam generationem, ne præter modum filii infidelium in æterna damnatione premantur. Quæ ſi vera eſt ſententia, filii luerent & immeritì quidem, peccata parentum, nempe ſi propter parentes grauiùs damnarentur, vel vno quidem digitulo profundius in infernum demergerētur, & obſtat Ezech. 18. Cur igitur ad tertiam & quartam tantùm vſque generationem ſua iudicia extendat, ſuam autem miſericordiam vſque ad mille generationes, alia eſt ratio, nimirū hæc, Quòd etſi in Deo virtutes omnes, iuſtitia itē & miſericordia ſunt æquales, & illi inſunt ęqualiter, noſtri tamē ratione

non

A non æqualiter ſe exerunt, & manifeſtãt, quia propter miſeriam noſtram & infirmitatem, quæ maxima eſt, ſtatim toti conficeremur, & euaneſceremus. Itaque inſignior eſt Dei miſericordia erga nos, quàm iuſtitia, ſæpiúſque illam quàm hanc experimur. Vnde à Iacobo dictum eſt, Triumphat miſericordia Dei ſuper illius iuſtitiam & iudiciũ, Iac.2.v.13. Item Pſal.30.v.5. Ira eius ad momentũ, miſericordia autem ad vitam. Denique Pſal.103.v.10. idem demonſtratur. Neque confirmat ſententiam Auguſtin. nimirum nos ex proximis parentibus animæ labem & vitia omnia illorum cõtrahere, quia ab illis corporis morbos, qualis eſt elephantiaſis & vitiligo, contrahimus & haurimus. Corpora enim noſtra ex corporali eorum ſemine fiunt, animæ autem extrinſecus in homines aduenĩũt, vt etiam ſcripſit Ariſtoteles, & à Deo in ſingulis nobis creantur, Auguſt. De orig. animæ ad Hierony. c.7. etſi non eſt de Dei ſubſtantia anima, vt idem li.7. de Geneſ. ad liter. ca.2. ait. Vnde diſſimilis eſt vtriuſque ratio, id eſt, animę & corporis.

B

CAP. XLVIII.

Peccatum originale per ſolum Chriſtũ aboletur.

ILlud tamen[1] *vnum peccatum, quod tam magnum in loco & habitu*[2] *tantæ felicitatis admiſſum eſt, vt in vno homine originaliter, atque, vt ita dixerim, radicaliter totum genus humanum damnaretur, non ſoluitur*[3] *ac diluitur, niſi per vnum mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum Ieſum, qui ſolus potuit ita naſci vt ei opus non eſſet*[4] *renaſci.*

1 *Illud tamen.* Concluſio eſt totius ſuperioris diſputationis de peccato originali, quod tolli docet per vnum Chriſtum. Quod enim ipſe lib.1. De Symbol. ad Catechum. ca.6. ait tribus modis peccata dimitti in Eccleſia, baptiſmate, oratione, & humilitate, non cauſſam ipſam remiſsionis peccatorum noſtrorum oſtendit, ſed modum tantùm per quem eam petimus & quærimus à Deo. Hîc autem veriſsimam cauſſam oſtendit, nempe C Chriſtum. Idem docet Auguſt. in 1. Ioan. Tract.2. Hoc nominatim addidit Auguſti. primùm vt Pelagianos refutaret, qui paruulos baptizari non putabant, quaſi vllum eis peccatum dimitteretur, (nam in illis nullum eſſe contendebant) ſed tantùm vt feliciori ſorte in cœlo poſtea fruerentur. Quod eſt falſiſſimum. Nam pro remiſsione peccati originalis, cuius ſunt rei infantes baptizantur. Deinde vt omnes tum maiores, tum etiam paruulos doceat ab vno Chriſto pendere, & ſalutẽ expectare. Sic li.1. De peccator. meri. c.29. Quis eſt igitur, ait, qui audeat dicere Dominum Chriſtum tantùm maioribus, non etiam paruulis eſſe Ieſum? Eodem modo li.1. De peccator. merit, c.23. Idem etiam negat eos in Chriſto ſaluos fieri poſſe, qui cuiquam ſalutem ſine Chriſto promittunt. Per vnum enim hominem Chriſtum omnes reconciliamur Deo, & peccatum, quod per Adamũ accepimus, deletur, Rom.6. Non quòd vnum dũtaxat peccatum originale per baptiſmum abluatur, ſed omnia factorum, dictorum, cogitatorum noſtrorum vitia, quemadmodũ ait ipſe li.3. c.3. cõtra duas epiſtol. Pelagi. Vt autem in eo Pelagiani grauiſsimè errarũt, quòd infãtibus fideliũ baptiſmum neceſſariũ vel dandũ eſſe negarũt, ita Auguſtinus ipſe, & veteres non audiendi, qui Baptiſmũ A infantibus etiam fidelium, tam neceſſarium ſcribunt, vt ſi ij non baptizati moriantur, eos proculdubiò damnatos æterno exitio autument, quanquam eorum pœnam mitiſsimam omnium futuram ſentiunt. Sic Auguſt. in 2. epiſto. ad Valentinum. Item lib. De gratia & lib. arbit. Quinetiam lib.1. De peccato. merit. cap.16. Poteſt proinde rectè dici, ait, paruulos ſine baptiſmo de corpore exeuntes in damnationem omnium mitiſsimam ituros. Hoc ex Ambroſio, lib.2. De vocatio. gent. ca.8. ſumpſerat Auguſtinus. Importunæ Pelagianorum diſputationes eò tandem adegerunt ſanctos & pios illos patres, vt ita loquerentur, dum homines à contemptu baptiſmi retrahere conantur ad illius vſum. Quod ex his Ambroſij verbis apparet. Non latet, ait, quantum cordibus fideliũ deſidiæ gigneretur, & in baptizandis paruulis nihil de cuiuſquam negligentia, nihil de ipſorum mortalitate eſſet metuendum. & Auguſt. li.10. De Geneſ. ad liter. ca.15. Extra contentionem verò & B feruorem diſputationis aliter ſcribebant, vti Ambroſius ipſe in lib. De obitu Valentinia. Qui ſacramentum amittunt, ait, gratiam tamen non amittunt. Item Cypria. qui ante Pelagian. hæreſin fuit, epiſt.36. docet non magis in infantibus quàm in maioribus natu ad ſalutẽ neceſſariò requiri baptiſmum. Auguſt. etiam ipſe lib.4. de Baptiſ. Contra Donatiſt. cap.22. & 23. Et quod afferebatur ex Ioan.3. ver.5. Niſi quis renatus fuerit aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum, illa ſententia explicat quidem totum Baptiſmi Sacramentũ, quod cõſtat aquæ elemento, & vi Spiritus Dei: nõ efficit tamen, neque demonſtrat vtranque partẽ æquè neceſſariò requiri, neque Dei miſericordiã aut hominum ipſorum ſalutem terreno aquæ elemento aſtringit atque alligat. Deniq; vox ϗ apud Ioan. pro ἢ disiunctiua accipi poteſt, vti Mat.12.v.37. accipitur. Chryſoſt. autem primus videtur illius ſententiæ Chriſti interpretationem eam feciſſe qua hodie Scholaſtici nituntur. Tanti eſt diſtinguere quid à veteribus, quo tempore & qua mente dictum ſit.

2 *Habitu tantæ felicitatis.* Sic ex manuſcripto reſtituendum. Nam alij cod. habent, Habitu tantę C infelicitatis: & perperam. Oppugnat enim mentẽ Auguſtini, qui vult Adamum in loco & ſtatu omniũ feliciſsimo, vbi & qualis à Deo conditus eſt, hoc peccatum tam magnum admiſiſſe, in quo omnes radicaliter, &, vt alibi loquitur, cauſaliter ſiue primordialiter cecidimus. Itaque legendũ eſt, Felicitatis, vti apud eundem Auguſt. li.9. De Geneſ. ad liter. ca.4. lib.11. cap.37. & 40. & ita quoque Lombard. legit, qui totum hoc caput tranſcripſit lib.2. diſtinct.33. cap. Hîc quæri ſolet. Habitum autem dicit Auguſt. non eam animi affectionẽ quæ à Peripateticis ἕξις appellatur, & eſt difficilis ab eo, quod iam facere aſſueueris, declinatio. (Facillimè enim & vno verbo victus Adam cecidit & abductus eſt.) ſed habitum vocat ſtatum ipſum, in quo creatus eſt à Deo, κατάστασιν Græci dicunt, quæ facillimè ſæpe amitti poteſt.

3 *Soluitur ac diluitur.* Deletur igitur per Chriſtum & ſoluitur reatus peccati originalis in infantibus. Ipſa autem concupiſcentia, & peccati fomes, fons & materia adhuc incubat, & inhæret nobis, quandiu hîc viuimus. Neque enim per ba-

A ptiſmum ita in nobis hîc tollitur peccatum, ne omnino amplius inſit & inhabitet: ſed ne obſit, vt ipſe Auguſt. loquitur libr.1. De Nupt.& Concupiſ.cap.25. Mutamur igitur per ablutionem in melius, non vt cōcupiſcentia careamus (quod in hac vita fieri non poteſt) ſed vt ei non obediamus, quod in bona vita fieri poteſt, ſi verè effectus baptiſmi participes facti ſumus. Idem in Pſ.118. Sed, ait, adhuc quærendum eſt, quæ petamus dimitti nobis, quando dicimus Deo, Dimitte nobis debita noſtra. & paulò pòſt, Quantum quidem ego ſapere poſſum, languoris illius & infirmitatis, vnde illicita deſyderia commouentur (quod peccatum appellat Apoſtolus) vniuerſus reatus Sacramento baptiſmatis eſt ſolutus, nec deinceps nobis languor iſte obeſſet, quamuis ineſſet, ſi deſyderiis eius illicitis nullis vnquam obedientiam præberemus. Hæc ille. Poſt hanc autem vitam & reatus & languor ipſe prorſ⁹ Chriſti beneficio tolletur in piis, quia cùm videbimus facie ad faciem (quod erit in illa vita) præceptum Dei complebimus. Sic idem lib.1. ad Bonifac.tom.7, cap.14. & de liter.& ſpiritu c.36. Cur igitur paruuli baptizati & moriūtur, cùm mors ſit pœna peccati, & à dæmonibus ſæpe vexantur, quemadmodum ſcribit ipſe Auguſt. B lib.22, de Ciuit. Dei cap.22. itémque variis morbis conflictantur, ſi reatus peccati in illis per baptiſmum non tantùm dilutus eſt, ſed deletus omnino? Reſponſio, Baptiſmi vim & efficaciam non in omnibus quidem, quibus elementum ipſum aquę applicatur, ineſſe, ſed iis tantùm, qui ſunt à Deo ipſo ad ſalutem electi. Deinde etiam in iis ipſis electis & filiis Dei adhuc paruulis & tamen iam baptizatis cùm ipſum peccati originalis venenum adhuc inſit & reſtet, dico eos iuſto Dei iudicio & vexari, & morbis affligi, denique & mori, quia hęc omnia ſunt pœnæ iuſtæ illius corruptionis, & flammæ adhuc viuentis & ſuperſtitis, ſuóſque ſemper effectus etiam in paruulis pro rationt ætatis producentis. Sed & hæc eadem illa, quæ paruuli filij Dei patiuntur in hac vita, illis in bonum & ſalutem cedunt Dei gratia, vt ſentit Auguſt. libr.13 de Trinit. cap. 16. Ipſa autem peccati C materia & ſcaturigo, quam Bernardus in Sermo de Baptiſ.& Sacrament. altaris fomitem & incentiuum peccati vocat, illa, inquam, etiam in baptizatis idcirco manet, quia ita, & tam altè vitioſitas corruptióque illa humanæ naturæ per Adamum contracta penetrauit, & inhæſit, vt ipſi animæ, oſſibus, & medullis noſtris inſit, & coniuncta conglutinetur. Vnde etiam carnis nomine appellatur. Coloſſ.2. v.11. Et quod lib.1. de Nuptiis c.23. ait Aug. concupiſcentiam quæ in renatis manet, non eſſe peccatum, ipſe idem eodem lib. cap. 24. explicat Non eſt peccatum, id eſt, non imputatur illis in peccatum. Alibi ab eodem Auguſt. ſimpliciter infirmitas appellatur, vti libr.1. ad Bonifacium. cap.13.

4 *Non opus eſſet renaſci.* Ita vbique Auguſt. & Pſal.50. vbi omnino inuerſa eſt oratio Auguſtini, & ſic eſt legendum. Sed non de peccato ſuſcepit culpam noſtram, & ideo ſoluit pœnam noſtram. Eadē quoque tranſpoſitio eſt lib.1. De peccator. merit. cap.29. Quotquot igitur ſancti vocantur in Scriptura, κατά τι ita appellantur, quòd illis peccata non imputet Dominus. Pſal.32. & nitantur ad ſanctitatem vitæ, & quòd ad alios comparati, latū ſit inter eos & profanos omnia improbè agentes, A diſcrimē. Vnde li. De natur.& grat. contra. Pelag. c.36. ait Auguſtinus, Si ſancti omnes, dum hîc viuunt, interrogentur ſi ſint ſine peccato, reſponſuros eſſe quod Ioannes 1. Ioā.1. ſe non eſſe ſine peccato. & ca.14. Etſi verò quidā dicuntur fuiſſe ſine crimine in hac vita, nemo tamē, ait dictus eſt fuiſſe ſine peccato, ac ne Dauid quidem ipſe 1. Reg.14. v.8. 15. v.5. vnus tantùm Chriſtus eſt excipiendus, 2. Cor.5. Neque obſtat quòd filij fidelium à Paulo appellantur ἅγιοι & ſancti, etiam ex vtero matris, 1. Cor.7. v.14. Sunt enim ſancti, non quia ſine peccato ſint, vt ex Papiſtarū ſententia ſcripſit Belcarius Metenſis epiſcopus: ſed quòd ex fœderis diuini verbis: Ego ſum Deus tuus, & ſeminis tui poſte, ad Dei populum pertineant, illíque accenſeantur. Atque hæc ſignificatio eſt vocis Sanctus, quæ confirmatur ex Iſ.45. v.25. Leu.12. v.4. Hæc itaque Auguſtini ſententia veriſſima eſt. Illa autem eiuſdem lib.1. De peccator. merit. ca.24. per quam putat, neque ignorantiam illam miſerabilem quæ in nobis pueris eſſe ſolet, neque infirmitatem fuiſſe in anima infantis eius, in quo Verbum caro factū eſt, id eſt, Chriſti, dextrè accipienda eſt. Nam Lucas apertiſſimè ſcribit cap.2. v.52. Ieſus autem proficiebat & ſapientia & ſtatura & gratia, & ea ipſa infantilis infirmitas & ignoratio fuit eius ſerui for- B mæ pars, quam induit pro nobis Chriſtus, Philip. 2. ita Auguſt. ipſe lib.10. De geneſ. ad literam, cap. 18. Quanquam enim humanitas fuit vnita diuinitati in Chriſto ab ipſo conceptionis momento, tamen quæ ſunt humanitatis propria retinuit, & quæ in carne Chriſti poſtea facta ſūt, id eſt, in corpore eius & anima per gradus, tempora, & momenta patefacta & diſpenſata ſunt pro menſura vaſis, non ſimul & ſemel. Hoc non animaduerſum Scholaſticos & alios homines in varios errores induxit, dum Scholaſtici quidem de anima Chriſti, illi autem alteri de carne Chriſti glorificata ματαίως philoſophantur.

DE BAPTISMO IOANNIS BAPTISTÆ.

CAP. XLIX.

C

Baptiſmum Ioannis non abluiſſe peccata, ſed tantùm fuiſſe præparationem ad Baptiſmum Chriſti. Et cur à Ioanne Chriſtus baptizari voluit.

NOn enim [1] renaſcebantur, qui baptiſmate Ioannis baptizabantur, à quo & ipſe baptizatus eſt: ſed quodam præcurſorio illius miniſterio, qui dicebat, Parate viam Domino, huic vni, in quo ſolo renaſci poterant, parabantur. Huius enim Baptiſmus eſt non in aqua tantùm, ſicut fuit Ioannis, verùm etiam in Spiritu ſancto, vt de illo ſpiritu regeneretur quiſquis in Chriſtum credit, de quo Chriſtus generatus regeneratione non eguit. Vnde vox [2] illa Patris, quæ ſuper baptizatum facta eſt, Tu es filius meus, ego hodie genui te, non vnum [3] illum temporis diem, qua baptizatus eſt, ſed immutabilis æternitatis oſtendit, vt illum hominē ad vnigeniti perſonam pertinere monſtraret. Vbi enim dies nec heſterni fine inchoatur, nec initio craſtini terminatur, ſemper hodiernus eſt. In aqua ergo voluit baptizari à Ioanne, non vt eius iniquitas vlla dilueretur, ſed vt [4] magna commendaretur humilitas. Ita quippe nihil in eo Baptiſmus quod ablueret,

ſicut

ſicut mors nihil quod puniret, inuenit, vt diabolus [5] veritate iuſtitiæ, non violentia poteſtatis oppreſſus & victus (quoniam ipſum ſine vllo peccati merito iniquiſſimè occiderat) per ipſum iuſtiſſimè amitteret quos peccati merito detinebat. Vtrumque igitur ab illo (id [6] eſt, & baptiſmus & mors) certè diſpenſationis [7] cauſſa, non miſeranda neceſſitate, ſed miſerante potius volũtate ſuſceptũ eſt, vt vnus peccatũ tolleret mundi, ſicut vnus peccatũ miſit in mundũ, hoc eſt, in vniuerſum [8] genus humanũ.

1 *Non enim.* Ἀπολογία eſt, cur per ſolum Baptiſmum Chriſti dixerit peccatũ originale ablui. Ducta autem eſt per hypophoram à remotione præcipuæ cauſſæ, quæ potuit afferri. Eſt autem Ioannis, qui Baptiſta dictus eſt, baptiſmus, quem negat Auguſtinus abluiſſe peccata, & regenerationem animorum attuliſſe: ſed vult fuiſſe tantùm præparatorium, & præminiſtratorium Baptiſmo Chriſti. Ita igitur Auguſtinus imprimis aduerſus Donatiſtas, Contra Petilia. epiſtol. cap. 18. & lib. 5. De vnico Baptiſm. aduerſus Donatiſt. cap. 9. 10. 15. Fuit autem hæc vetus & patrum ſententia, Ioannis baptiſmum non habuiſſe peccatorum remiſſionẽ: ſed datum tantùm fuiſſe in pœnitentiam, quæ, vt aiunt, eſt præparatio ad illam remiſsionem. Tertullia. in lib. De baptſmo ait, Ioannis baptiſmus fuit tantùm præparationis. Chriſti autem & Apoſtolorum baptiſmus, perfectionis. Ambro. in Pſal. 37. Baptiſmus Ioannis fuit oculus ſuppliciorum: Chriſti Baptiſmus oculus gratiarum. Scholaſtici hanc eandem ſententiam etiam nunc ſequuntur & retinent, veluti Lombardus libro 4. diſtinct. 2. cap. Ad quid. & poſt eum alij omnes Scholaſtici. Itaque eum aqua tantùm, non etiam Spiritu fieri dicebant. & propterea appellari baptiſmum Ioannis, cùm Pauli tamen & Petri baptiſmus non dicatur, qui ab illis eſt adminiſtratus. Denique cùm ſolus Chriſtus regeneret nos ſuo Spiritu, nulla ſacramenta, niſi ab eo inſtituta & præcepta poſſe nobis vitam nouam afferre. Vnde factum eſt, aiũt iidem, vt à Ioanne baptizati iterum ſint rebaptizandi, Actor. 19. cùm verus & Chriſti Baptiſmus reiterari in nullo poſsit & debeat. His autem omnibus obſtat, quòd Ioannis baptiſmus dicitur datus etiam in remiſsionem peccatorum, Luc. 3. verſ. 3. Mar. 1. ver. 4. vti & Pauli baptiſmus: Itẽ obſtat quòd cùm ex eorum conceſsione afferret pœnitentiam, ſit autem pœnitentia veræ animi regenerationis effectus, quemadmodum docet Ioannes ipſe, Matth. 3. ergo & idem ille baptiſmus Ioãnis regenerabat baptizatos qui modò verè illius participes fiebant: (Nam quemadmodum Auguſtinus ipſe docet, etiam ſacramẽta pietatis in impiis eſſe poſſunt. Contra Fauſt. lib. 19. cap. 14. nec omnes qui habent ſignum, idem illi habent etiam effectum.) Et quod rebaptizatos putant qui Ioannis baptiſmo fuerant iam baptizati ex Actor. 19. verſu 4. falluntur, ſi Baptiſmi vocem referunt ad ipſius aquæ ſigni repetitionem, quæ non eſt facta à Paulo: ſed tantùm manus illis impoſuit, & Spiritum ſanctum, quem nondum acceperant, contulit, quæ res & actio Baptiſmi nomine appellata eſt, vti latiſſimè patet ea vox, Matt. 20. ver. 23. Denique ipſi illi veteres videntur ſubolfeciſſe errorem ſuum, & agnouiſſe baptiſmum Ioãnis in peccatorum remiſsionem & regenerationem eſſe factũ. Cur enim ſibi ipſis obiicerent, Chriſtum non eguiſſe regeneratione, à Ioanne tamen fuiſſe baptizatum, niſi quòd vident colligi poſſe, cùm fuerit à Ioanne baptizatus Chriſtus, Ergo peccatorũ remiſſione habuiſſe opus, quia ſcilicet in peccatorum remiſsionem fiebat & dabatur baptiſmus Ioannis præcurſoris Chriſti? Denique ſi, vt ait Auguſtinus libro 2. contra Creſco. cap. 13. Baptiſmus eſt ſacramentum nouæ vitæ, & ſalutis æternę, certè Chriſti & Ioannis baptiſmus idem fuit, & vnus, quoad ſignũ, nempe aquam, & quoad rem ſignatam, id eſt, peccatorũ remiſſionem, & vitæ nouitatem, Matt. 3. Differebant autem hoc modo quòd à Ioanne dabatur in paſſurum Chriſtum: ab Apoſtolis autem in iam paſſum. Præter Chriſti autem & Ioannis baptiſmum, annotant quidam fuiſſe quoque Patrum baptiſmum, qui ſub lege vixerũt, de quo Paulus 1. Corinth. 11. & Petrus 1. Pet. 3.

2 *Vnde vox illa.* In impreſsis tantùm legebatur, Ego hodie genui te. addidi autem id quod omnino neceſſe erat, Tu es Filius meus. Sunt enim verè illa verba & vox Patris, Tu es Filius meus, in Chriſti baptiſmo expreſſa, Luc. 3. v. 22. non autẽ hæc, Ego hodie genui te, quæ Aug. ex Pſ. 2. v. 7. cõiunxit, vnde ſumpta putat, idq; videtur dici & cõiungi ex mente Apoſtoli ad Hebræos c. 1. v. 5, 5. v. 5. Aliâs eſſet ἁμάρτημα μνημονικὸν Auguſtini, ſed facile fuit ex ſcriptoribus truncare ſententiam integrã, cùm eius tantùm poſtremam partem hîc explicet Auguſtinus, nẽpe hæc verba, Ego hodie genui te. Et hîc quoque in cod. manuſcripto deerant verba, Tu es Filius meus, quæ tamen ſunt addenda.

3 *Non vnum.* Hunc locum Pſal. 2. veteres de Chriſto & illius æterna generatione interpretati ſunt, magis ex ipſius deitatis natura, quàm ex ipſorum verborum propria ſignificatione. Sed quia Deus non tantùm eſt æternus, ſed etiam immutabilis, & huiuſmodi, vt ſit hodie, quod fuit ab æterno: neque in eo heri vel craſtinum, id eſt, pręteritum vel futurum tempus propriè accipi poteſt, idcirco quod de Deo, Hodie, dicitur, id ab æterno fuiſſe ex ipſa ſubiecti, hoc eſt, Dei natura intelligendum eſt. Aliâs enim non eſt ſolidum argumentum, ſi ex voce, Hodie, æterni temporis notationem & ſignificationem quis perpetuò colligat. Id quòd facilè poteſt demõſtrari ex loco epiſtol. ad Heb. cap. 4. verſ. 7. Sed Chriſtus χθὲς ϗ σήμερον ὁ αὐτὸς, ϗ εἰς τοὺς αἰῶνας, vt eſt Heb. 13. 8. At Paulus Actor. 13. verſ. 33. vti & Apoſtolus ad Hebræos 1. verſ. 5. 5. verſ. 5. hoc idem Patris & Scripturæ dictum interpretantur, quando ad Chriſtum applicant, de illius manifeſtatione, quæ facta eſt tum per incarnationem, tum per miracula, tum etiam per reſurrectionem illius: ad æternã autem ipſius generationem non referunt. Patres autem ita vndequaque argumenta conquirebant aduerſus Arrianos, vt Chriſtum eſſe æternum Dei Filium demonſtrarent, non adoptatum, nõ in tẽpore natum, vt calũniabatur Arrius. Rectè autem Auguſtinus hoc loco docet hominem in Chriſto ad vnigeniti perſonam pertinere quia à Verbo iam exiſtente perſona homo in coalitionem aſſumptus eſt, vt doctè vbique Cyrillus. Non ſunt enim propterea in Chriſto duæ perſonæ factæ, quia ad perſonã Chriſti acceſsit humana natura. Quanuis enim humana natura etiam in Chriſto proprium eſſe habeat & diſtinctum à diuina, tamen non habet ſuum exiſtere vel ſubſiſtere extra diuinam in Chriſto, vt etiam loquũtur

A in ſcholis.ſuprà etiam docuimus , & quia vtiliſſimum eſt,repetendum duximus.

4 *Sed vt magna.*Ex variis Auguſtini locis colligimus duplici de cauſſa voluiſſe Chriſtũ baptizari à Ioanne. Primùm propter ſuperbiam futurorum,id eſt,ne qui poſtea Chriſtiani futuri erant quamlibet magnis Dei donis ornati , baptiſmum ſpernerent.Sic Auguſtinus in Pſalm.90,vbi etiam ita Chriſtum loquentem ad ſuperbos Catechumenos & baptiſmi contemptores inducit , Noli extolli,vt non quæras baptiſmum. Baptiſma quære Domini , ego quæſiui ſerui.Item ſuper Ioann. tract.5.Quo modo creauit Mariam , & creatus eſt à Maria:ſic dedit Baptiſmum Ioanni , & baptizatus eſt à Ioanne , vt viam humilitatis Chriſtus demonſtraret , & accipiendo ab inferiore inferiores hortaretur.Deinde à Ioanne baptizari voluit Chriſtus , vt oſtenderet non intereſſe quis à quo baptizetur, dum eo baptiſmo,quo baptizandns eſt,baptizetur libr.2.Contra epiſtol. Parmenia.cap.17.Illa autem ratio tertia quam Scholaſtici fingunt , nempe vt corporis ſui tactu Chriſtus B eam vim aquis infunderet , vt mundarent poſtea animas (id quod ſcripſit Viguierius in ſua inſtitutione) inepta & falſa prorſus eſt,ac ne in mentem quidem Auguſtino vnquam venit, cùm dicat ipſe & ſcribat apertè in Euangelio Ioann.tracta.80 , Detrahe verbum , & quid eſt aqua , niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum ,quia & in aqua verbum mundat. Denique baptizari voluit à Ioanne Chriſtus , vt in ſe non modò baptiſmum Ioannis ſanctum eſſe doceret, ſed etiam conſecraret baptiſmũ quo vtitur eccleſia , oſtenderétque ſe Baptiſmum nobiſcum communem ſuſcepiſſe,& illum efficacem eſſe. Voluit enim Chriſtus vſurpare in ſeſe eadem illa ſacramenta quæ ſuæ eccleſiæ reliquit: qualis eſt Baptiſmus & Cœna,vt authentica redderet.

5 *Vt diabolus.* Ita ſolet Dei voluntas afferri pro cauſſa noſtræ à Satana liberationis cæterarúmque rerum ,vt non tyrannica tamen quædam potentia eſſe intelligatur , qua ſit vſus Deus aduerſus diabolum:ſed potiùs ſumma iuſtitia , propter quam ita fieri æquiſſimum fuit. Ergo victus C eſt Sathan non vi iniuſtæ cuiuſdam & ſuperantis potentiæ, quæ ſit in Deo : ſed æquitatis & iuſtitiæ iure id poſtulante. Chriſtus enim morte ſua ſatisfecit pro nobis Dei iuſtitiæ : & pœnam nobis debitam luit.Itaque quis nos condemnabit , cùm Chriſtus mortũus ſit pro nobis , Roma.8.verſ.34. & dicatur ſoluendo deleuiſſe chirographum noſtrum?Coloſſ.2.verſu 14. Hanc autem rationem ſæpius idem Auguſtinus commemorat in libro De Trinitate , veluti lib.13. cap.14.& 16,lib.15.ca. 25.quia , vt veriſimile eſt , Dei voluntas ab Ethnicis exagitabatur , cùm afferretur inter cauſſas ſuperati diaboli,& noſtræ ſalutis.

6 *Ideſt.* Poteſt videri gloſſema,vtile tamen, neque delendum, quod etiam retinet vetus codex manuſcriptus.

7 *Diſpenſationis.* Hypophora eſt,cur Chriſtus & baptizari & mori voluit,cùm vtrunque illi non eſſet neceſſarium.Reſpondet Auguſtinus, Diſpẽſationis diuinæ gratia & ratione id factum eſſe, quia ſumma ſua benignitate & miſericordi voluntate voluit Deus eo modo in Chriſto ſalutis noſtræ opus & myſteriũ implere , exequi,& perficere. Ergo illa quæ in Chriſto homine facta ſunt A propter nos, Diſpenſationem appellat Auguſtinus : Græci Theologi & Iuſtinus Martyr primus οἰκονομίαν : Tertul.autem hoc ipſum & ſignificãtiùs & meliùs vocat & vertit Diſpoſitionem. Eſt enim hæc οἰκονομία extraordinaria diſpoſitio à particulari voluntate & virtute omnipotentis Dei effecta. Et in Chriſto extraordinariè hæc quæ commemorat Auguſtinus facta ſunt, Mors & Baptiſmus, Matth.3.verſ.15.id eſt,ex Dei decreto particulariter ſalutem noſtram ordinante & ita diſponente. Diſpenſatio autem hæc eadem tam propriè dici non poteſt quàm diſpoſitio,quia Diſpenſatio vulgò eſt pœnæ indulgentia, vt diſertiſsimè annotauit Th.Beza in ſua reſponſione ad Brentium. Mẽs tamen Auguſtini aperta eſt , Chriſtum non propter ſe hæc ſuſcepiſſe,ſed propter nos.

8 *In vniuerſum.* Et hoc ipſum videri poteſt eſſe gloſſema ex cap.26. Sed retinet vet.cod.meus.

DE MORTE, CRVCIFIXIONE, reſurrectione & aſcenſione Chriſti: itémque earum omnium fructu. B

CAP. I.

Per Chriſtum non tantùm tolli peccatum originale,ſed omnia peccata.

Niſi quod[1] *ille vnus vnum*[2] *peccatum miſit in mundum , iſte verò vnus non ſolùm vnum illud, ſed cuncta*[3] *ſimul abſtulit , quæ addita inuenit. Vnde dicit Apoſtolus. Non ſicut per vnum peccãtem, ita eſt & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem,gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem:quia vtique illud vnum,quod originaliter trahitur,etiam ſi ſolum ſit,obnoxios damnationi facit:gratia verò ex multis delictis iuſtificat hominem, qui præter illud vnum quod communiter cum omnibus originaliter traxit,ſua quoque propria multa commiſit.*

1 *Niſi quod.* Eſt epexegeſis ſuperioris ſententiæ,per quam à comparatis Adami & Chriſti docet quantum ſit huius erga nos beneficium, & lõgè vberius & vtilius quàm Adami peccatũ noxiũ C nobis fuit. Etſi autẽ nondum hîc Chriſti mortis & reſurrectionis meminit,eſſe tamen hæc beneficia vtriuſque fructus, ſatis ex cap. 53. quæ totius huius diſputationis concluſio eſt, intelligitur. Sũt autem Chriſtus & Adam in re diſsimili inter ſe perſimiles,& ſæpè à Paulo comparati , vti 1. Corinth.15.& Rom.5.vnde ſumptus eſt ab Auguſtino hic locus. In hac autem comparatione ea tantùm perſequitur Auguſtinus,quæ ſolidam doctrinam habent:non autem leuia quædam,quæ in eodem argumento conſectatur Irenæus li.3.c.31.veluti quòd vt Chriſtus ex homine virgine natus eſt, ita Adã è terra virgine factus.& cætera huiuſmodi,quæ οὐδὲν πρὸς ἔπος. Ergo hæc ſit ſumma huius comparationis,quòd per Adamum peccatores facti ſumus : per Chriſtum abſoluimur & iuſtificamur:per Adamum periimus,& mors obuenit:per Chriſtum viuificamur , & vita æterna nobis reſtituta eſt. In quibus omnibus eò eſt Adamo excellẽtior Chriſtus,quòd ille per vnum peccatum nos damnat:Chriſtus non ex vno tantùm illo peccato

A Adami nos redimit,ſed ex omnibus etiam iis,quæ addidimus ipſi.Cur autẽ ita Adamus & Chriſtus conferãtur,& ex vtroque ad nos varij illi effectus perueniant,ratio eſt, quòd vtrumque Deus cõſtituit,tanquam generis humani duas ſtirpes & radices , Adamum quidem, ex quo perditio ad nos: Chriſtum autem ex quo ſalus & redemptio fluit.

2 *Vnum peccatum.* Appellat Auguſtinus peccatum originale,quod in omnes homines tranſiit, éſtque in ſingulis nobis vnum. Quod tamen videtur eſſe multiplex,& tot numero peccata, quot ſunt capita & perſonæ,quæ eo maculantur & habent illud. Virtutes enim & vitia cæteráq; accidẽtia pro numero ſubiectorum , in quibus inſunt multiplicantur.Tot enim ſunt morbi , quot perſonæ ægrotantes in quaque vrbe,vico, aut domo. Dixit tamen Paulus hoc ipſum quod Auguſtin.& δι' ἑνὸς ἀνθρώπου,& ἓν παράπτωμα ſiue peccatum vnum eſſe quod ex Adamo nos perdidit,Roma.5.ver.16. & 17. & vera eſt ſententia vtriuſque ; & ratio loquendi plana & facilis , ſi obſeruetur qua ratione peccata omnia originalia dicuntur vnum peccatum. B ταυτὸ,& ἓν,id eſt,idem & vnum tribus modis dicitur,vt ait Ariſtoteles lib.1.τοπικῶν , ſcilicet, genere, ſpecie,numero.Homo & equus ſunt vnũ genere,quia vtrũq; animal eſt. Paulus & Petrus ſunt vnum ſpecie,vterque enim eſt homo.Chriſtus,& ipſe ille homo qui ex virgine Maria natus eſt , in templo concionatus, mortuus, eſt vnum numero. Peccatum igitur primũ in ipſo Adamo ratione actus fuit vnum numero.Hoc ipſum peccatum in nobis nõ eſt iam idẽ & vnũ numero. Quomodo igitur vnum eſt in nobis omnibus?Specie. Eãdẽ enim ſpecies vitioſitatis & corruptionis in ſingulis & omnibus hominibus ineſt ex Adami peccato.Etſi enim ex hoc ipſo fonte infinita naſcuntur alia peccata,ſit denique illa matrix & ſcaturigo, vnde ἀνομία & ἀταξία omnis profluit, denique ſit ἁμαρτία ἁμαρτωλὸς,i.peccatum nos faciens petcare,tamen illud peccatum ſpecie in omnibus hominibus vnum eſt non numero. Præterea comparatè dicitur vnum, id eſt, vnius & diuerſi generis ab aliis peccatis,quæ adduntur.

Originalia,
C Peccata enim ſunt aut
Propriæ actionis,

vt loquuntur Patres & Fulgent,in lib.De fid. ad Petr.cap.27.quod poſtremum genus etiam actualia peccata vocant. Ex Adamo illud tantùm genus peccati in nos deriuatur ,quod eſt originale , non etiam illud,quod eſt actuale. Ergo vnum peccatum,id eſt,vnius generis peccatum transfundit in nos Adam.Sic qui caligas,ocreas & paludamẽtum ſimul geſtat & habet , dicitur habere vnum veſtimẽtum,id eſt,vnius generis. Vtrunque enim eſt militare. At qui ocreas & togam habet, duo veſtimenta habet,id eſt,diuerſi generis. Eſt enim toga vrbanum & paganicum veſtimentum, ocreę militare. Neque obſtat quod obiici poſſe videtur, etiam Adamum actualium peccatorum authorem & cauſſam in nobis eſſe. Cùm enim illa ex ipſo peccati originalis fonte & vitio procreẽtur,ſit autem peccati originalis cauſſa Adam,ergo & peccati Actualis eſt cauſſa. Eſt enim hæc notiſſima regula, Quod cauſſa cauſſæ & cauſſa cauſſati,quam illi ex Ariſtotele ſumunt,ego verò malo ex ipſo Aug.li.7.De geneſ.ad liter.c.9, his verbis: Proinde , ait,quælibet adhibeatur interpoſitio , ſi A corpus eſt materies animæ irrationalis , & anima irrationalis eſt materies animæ rationalis,proculdubiò corpus eſt materies animæ rationalis. Reſpondeo igitur, Cùm peccatorum omnium proxima cauſſa ſi ſpectetur , non ſit vna , ſed actualium veriſſima ſit voluntas cuiuſque : Originalis autem peccati cauſſa ſit ipſius humanæ maſſæ corruptio , (ex Adamo autem ſola corruptio maſſæ trahatur,voluntas autem ſit propria cuiuſque)ſolum Originale peccatum propriè dici eſſe ex Adamo , Actualia autem omnia propriè proficiſci à nobis, noſtrâq; voluntate illa cogitante , cupiente & exequente. Vnde paruuli dicti ſunt ab ipſo Auguſtino originis , non autem voluntatis rei , quia ſolum peccatum originale habent. In argumento libri De duabus animabus contra Manichæos.

3 *Cuncta ſimul.* Ergo & peccatum originale,& ſi qua etiam ante Baptiſmum perpetrata ſint peccata , Chriſtus delet , neque ea tantùm , ſed & ſi qua etiam alia poſt Baptiſmum à nobis committuntur,1.Ioan.2.verſu 2. Quicquid eſt culparum in nobis , Chriſtus morte ſua purgat , ait idem B Auguſt.& lib.4.De trinitate cap.13.& libr.13.cap. 17. Chriſtus & à paternis & à propriis peccatis nos liberat.Chryſoſt.in Roma.cap.5, Multo , ait, plura quàm debebamus , Chriſtus pro nobis ſoluit,tantóque plura, quanto guttulã exiguam pelagus immenſum excellit.Irenæ.lib.3.cap.5, Chriſtum noſtrum medicum appellat. Quòd ſi quoſdam ſpirituales morbos in nobis curare non poteſt,qualis tandem medicus cenſendus erit?Denique vnus ille eſt agnus qui tollit peccata mundi, Ioann.1. Actor.4.ver.12.Ne exiſtimemus quædam tantùm aut partem eorum duntaxat tolli à Chriſto;partem autem noſtris apud Deum meritis expiari,quod ſophiſtæ magna in Chriſtum blaſphemia ſentiunt & docent.Fit autem hîc comparatio illa & eadem inter Chriſtum & Adamũ quę à Paulo Rom.5. & quæ explicatur etiam ex hoc loco in lib.De eccleſiaſt.dogmatib.cap.34,& 39. Maximè autem in tribus iis videtur hæc petſonarum diſſimilium comparatio poſita eſſe & verſari, C

Re,
nempe in Modo,
Subiecto.

Ac in re quidem,quòd res diſſimilima ab vtroque in nos prouenit.Nam ab

Peccatum ſiue culpa fluxit,
Adamo &
Pœna peruenit in nos.

Peccatum quidem , quia peccatores ſumus ipſi & malè olẽtes Deo,& venenum ex ipſa noſtra maſſa quiſque noſtrûm eſt. Denique culpa in nobis inhæret ſingulis,Roma.5.verſ.12.& 19.Pœna verò mors,quia omnes propterea morimur, Roma.17. Hebr.9.verſu 27. Neque enim morerentur homines niſi eſſent peccatores , quoniam mors eſt ſtipendium peccati.At verò à Chriſto in nos

Gratia Dei,
procedit &
Donum gratiæ,Rom.5.v.15.

Gratia quidem , quæ eſt gratuita noſtri acceptio à Deo facta ex mera ſua bonitate. Qui ſunt enim in Chriſto , gratiam Dei conſequuntur , ſunt illi accepti,Epheſ.1. Donum verò gratiæ eſt immenſum.Nam & ſatisfactionem Chriſti & illius quo-

A que plenam obedientiam nobis donat Deus. Vnde hoc donum noſtram reconciliationem cum Deo & iuſtificationem non modò à peccato illo Adami, ſed ab omnibus delictis, continet, quod anxiè perſequitur Paulus,& hîc Auguſtinus,ad fidelium conſolationem:denique vitæ quoque nouitatem,& ſalutem animarum continet hoc idem donum gratiæ Dei.Itaque ex eo apparet quantum Chriſtus ſuperet Adamum, cùm ab illo mortem & maledictionem & reatum ortum abſorbeat, tollat & extinguat Chriſti beneficium & virtus. In eo tamen inter vtrumque differentia eſt, quòd Adamus culpam ipſam in nos transfundit. Nam illa intra nos eſt,Chriſti autem iuſtitia hîc non eſt intra nos, nec qualitas inhærens in nobis, vti culpa,ſed tantùm à Deo imputata nobis quandiu hîc viuimus,vt apertè teſtatur Paulus Roma.5.ver.16. & Auguſtinus lib.8.De geneſ.ad liter.cap.12.Non ita operatur Deus hominem iuſtum, ait, vt ſi abſceſſerit Deus,maneat quod fecit : ſed potiùs ſicut aër præſente lumine non factus eſt lucidus, ſed fit &c.ſic homo Deo ſibi præſente illuminatur, abſente autem continuò tenebratur, à quo non locorum interuallis, ſed voluntatis auerſione diſceditur. B Modi autem ratione per quem vterque illa quæ habet propria, nobis applicat, diſcrimen eſt inſigne notatum à Paulo inter Chriſtum & Adamum. Nam Adamus per naturam ſua transfundit,Chriſtus autem per gratiam ſua confert.Vnde Chriſti iuſtitia non inhæret in nobis, vti culpa & reatus ex Adamo in nobis inſitus eſt, Roma.5.ver. 16.& 17.Nam quod ex Adamo parente noſtro accepimus , eſt illud ipſum quod eſt natura noſtra. Quod confert Chriſtus, eſt naturæ noſtræ , id eſt humanæ , ornamentum & ſuperueniens gratia. Ergo illud naturâ nobis ineſt: Hoc autem ſola gratia.Illud in omnibus, qui naturam humanam habent ineſt.Hoc in ſolis iis qui participant illam Dei gratiam per Chriſtum reperitur.Auguſt.tracta.3.in Ioan.ait. Vt omnes naſcerentur ex Adam corrupti,neceſsitatis fuit ex damnatione:naſci per Chriſtum voluntatis eſt & gratiæ.

Denique in ſubiecto comparatio vtriuſque diſſimilis eſt. C Nam Adami peccatum in omnes & ſingulos homines transfuſum eſt, Chriſti autem beneficium tantùm ad quoſdam pertinet,id eſt, Dei filios & fideles.Ratio differentiæ eſt ex modo , per quem Adami peccatum , & Chriſti beneficium tranſit in nos. Adami peccatum natura tranſit. Itaque in omnes,qui,vt Adam,homines ſunt peruenit. Chriſti beneficium Dei dono tranſit. Itaque ad eos ſolos, quibus id Deus ſua miſericordia largitur pertinet, id quod ſequenti capite perſequitur Auguſtinus : ſed nos totum hoc argumentum certè quidem pulcherrimum & vtiliſsimum ſemel proponere voluimus piis.

CAP. LI.

Omnes in Adamo dãnatos eſſe:at omnes in Chriſto renatos,liberatos eſſe ab ea damnatione.

VEruntamen [1] *quod paulo poſt dicit.Sicut* [2] *per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem,ita & per vnius iuſtitiam in omnes homines ad iuſtificationem vitæ:ſatis indicat ex Adam neminem natum niſi damnatione detineri : & neminem, niſi in Chriſto renatum,à damnatione liberari.*

[1] *Verum tamen quod.* Poſtrema pars cõparationis inter Adamum & Chriſtũ , quæ ratione ſubiecti, A cui vterque communicat quæ ſua ſunt , accipitur. Hoc autem ſubiectum ſunt homines. Rectè autem hoc loco vidit Auguſt. non agi à Paulo de numero perſonarum in ea comparatione, quaſi pluribus aut totidem numero hominibus Chriſtus ſuam iuſtitiam communicet,quot Adam peccatum à ſe profectum , quod eſt originale. Quod tamen quidam exiſtimarunt.Quorum ſententiæ obſtat dictum ipſius Chriſti , viam ſalutis viam arctam appellantis:& damnationis viam ſpatioſam.Matth.7.verſ.14.Item Luc.12.verſ.32. Ne time puſille grex : & Matth.22.verſ.14, Pauci ſunt electi. Denique obſtat , quòd Paulus ipſe illud ſuum,Omnes,Rom.5.v.18.explicat poſtea , & dicit eſſe multos,ver.19,quos ipſe ibidem definiens dicit eſſe eos duntaxat , qui donum iuſtitiæ à Deo accipiunt ver.17.& ita habemus Paulum ſui ipſius interpretem aduerſus eos qui negant quoſdam à Deo reprobari , quòd velint vti ad omnes peccatum ex Adamo peruenit : ita ad omnes Chriſti beneficium & ſalutem peruenire. Ratio autem huius diſſimilitudinis ſuperiori proximo capite expoſita eſt. Verum quidem eſt omnibus propoſitam eſſe Chriſti gratiam,eámque ſatis ipſam per ſeſe eſſe efficacem ad omnes liberandos , ſi omnes B fierent eius participes , eámque apprehenderẽt.Sed Adami peccatum & reatum omnes ſentiunt,qui homines ſunt,quia naturâ ipſa diffunditur in nos : Chriſti autem beneficium,gratiâ, non naturâ. Quod ſi quæritur,quomodo igitur Chriſti gratia & Dei donum abundauit ſupra delictũ Adami.non enim vt peccatum,ita gratia , ſed hæc multo magis abundauit,inquit Paulus Rom.5. v. 15. Reſpond. Non ratione numeri perſonarum abundat, quaſi in plures pertranſeat Chriſti gratia , quàm in quot peccatum originale , ſed ratione rei ipſius , quia plura delicta delet Chriſti gratia in electis quàm Adami peccatum in eos contulerit. Quòd ſi etiam in hac re philoſophari libeat , dico præterea longè maius eſſe Chriſti beneficium & gratiam in nos,quàm quod Adam habuit,& collaturus eſſet , etiamſi in primo illo ſuo ſtatu manſiſſet. Per Chriſtum enim natura noſtra diuinæ eſt vnita , & ſupra Angelos ipſos in Chriſto C euecta,quod longè glorioſiſſimum eſt , neque id per Adamum accepturi eramus. Deinde conditio animæ noſtræ longè per Chriſtum in reſurrectione felicior futura eſt,quàm in nobis vel in Adamo ipſo hîc viuẽte erat. Poſt reſurrectionem enim ipſam peccandi poſsibilitatem , nedum voluntatem amittent pij. At tam beata conditio in nos ex Adamo non erat futura , quando nec in ipſo Adamo fuit , quandiu in paradiſo hoc terreno vixit. Denique quoad corpus longè beatior eſt futurus piorum ſtatus per Chriſti gratiam, quàm hîc viuens Adam etiam in integro ſtatu habuit. Corpora enim noſtra futura ſunt conformia glorioſo corpori Chriſti,inquit Paul. Philip. 3.verſ.21.quia & moriendi & deficiendi , & corruptibilitatis poſsibilitatem amittent, 1.Corin.15. nec edendi nec bibendi neceſsitatem habebunt. Quæ diximus, vt omnes pij Chriſti beneficium admirari diſcamus : & Deo gratias agere aſſueſcamus.

[2] *Sicut per.* Verba ſũt ipſius Pauli Rom.5.v.18. quæ ſunt obſcura,ex veteri & nota Auguſtino lectione.

A ctione. Græcè ſic, Ἄρα οὖν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους, εἰς κατάκριμα· οὕτω καὶ δι' ἑνὸς δικαιώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους, εἰς δικαίωσιν ζωῆς. Beza diſertiſſimè & dilucidiſſimè ſic, Nempe igitur ſicut per vnam offenſam reatus venit in omnes homines ad condemnationem : ita per vnam iuſtificationem beneficium redundauit in omnes homines ad iuſtificationem vitæ. Et hæc verſio mentem ipſam Auguſtini explicat.

Cap. LII.

Baptiſmũ, qui eſt mortis & reſurrectionis Chriſti ſimilitudo in nobis, demonſtrare, omnes qui baptizantur, & paruulos, & maiores in Chriſto mori peccato, & reſurgere nouæ ſanctæq; vitę.

De qua [1] per vnum hominem pœna, & per vnum hominem gratia cùm locutus fuiſſet quantum illi epiſtolæ ſuæ loco ſufficere iudicauit, deinde ſacri baptiſmatis [2] grande myſterium commendauit, eo modo, vt intelligamus nihil aliud eſſe in Chriſto baptiſmum, B *niſi mortis Chriſti ſimilitudinem : [3] nihil autem aliud mortem Chriſti, niſi remiſſionis peccati ſimilitudinem, vt quemadmodum in illo vera mors facta eſt, ſic in nobis vera remiſſio peccatorum : & quemadmodum in illo vera reſurrectio, ita in nobis vera iuſtificatio. Ait enim, [4] Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, vt gratia abundet? Dixerat enim ſuperius [5], Vbi enim abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia. Et ideo quæſtionem ſibi ipſi propoſuit, Vtrùm propter abundantiam gratiæ conſequendam, in peccato ſit permanẽdum. Sed reſpondit, Abſit. Atque ſubiecit, [6] Si mortui ſumus peccato, quomodo viuemus in illo? Deinde vt oſtenderet nos mortuos eſſe peccato [7], An ignoratis, inquit, quoniã quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Si ergo hinc oſtendimur mortui eſſe peccato, quia in morte Chriſti baptizati ſumus, profectò & paruuli qui & baptizantur in Chriſto, peccato moriuntur, quia in morte ipſius baptizantur. Nullo enim excepto [8] dictum eſt, Quicunque enim baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. [9] Cui autem peccato paruuli renaſcendo moriuntur,* C *niſi quod naſcendo traxerunt? [10] Ac per hoc etiam ad ipſos [11] pertinet, quod ſequitur, dicens, Conſepulti [12] enim illi ſumus per baptiſmum in mortem, vt quemadmodum ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim cõplantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus, hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt euacuetur corpus peccati, vt vltra nõ ſeruiamus peccato. Qui enim mortuus eſt, iuſtificatꝰ eſt à peccato. Si autẽ mortui ſumus cũ Chriſto, credimus, quia ſimul etiam viuemus cum eo, ſcientes quia Chriſtus reſurgens à mortuis iã nõ moritur, & mors illi vltrà non dominabitur. Quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quòd autem viuit, viuit Deo. Ita & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viuere autem Deo in Chriſto Ieſu. Hinc enim probare cœperat nõ eſſe nobis permanendum in peccato, vt gratia abũdaret, & dixerat, Si mortui ſumus peccato, quomodo viuemus in eo? Atque vt oſtenderet mortuos nos eſſe peccato, ſubiecit, An ignoratis quoniã quicũq; baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte illius baptizati ſumus? Sic itaque totũ illũ locũ concluſit, vt cœpit. Mortem quippe Chriſti ſic inſinuauit, vt etiam ipſum mortuum eſſe diceret peccato. Cui peccato niſi carnis, [13] in qua erat non peccatum, ſed ſimilitudo peccati, & ideo* A *nomine appellat peccati? Baptizatis itaque in morte Chriſti (in [14] qua non ſolum maiores, verumetiam paruuli baptizantur) ait, Sic & vos, id eſt, quemadmodum Chriſtus, ſic & vos exiſtimate vos mortuos eſſe peccato viuere autem Deo in Chriſto Ieſu.*

1 *De qua per vnum.* Commoratio eſt, per quã quantum à Chriſto beneficium accepimus, docet Auguſt. quia in hunc locum ex comparatione Adami & Chriſti inciderat. Eſſe autem demonſtrat maximum & multiplex, imprimis autem duplex.

Nam per Chriſtum &
- Peccato omni morimur.
- Nouæ ſanctæque vitæ reſurgimus.

Cuius vtriuſque beneficij Chriſti in nos teſtimonium affert, Baptiſmum, per quem ſimus & mortis & reſurrectionis Chriſti participes, ſi non ſigno tenus, ſed etiam re ipſa illius vis ad nos perueniat. Ac videtur hæc eſſe concluſio diſputationis ſuprà inſtitutæ c. 42. & 43. à quo loco vſque ad hunc videtur eſſe digreſſio, longa illa quidem, ſed Auguſtino tamen familiaris, vti ſuprà vidimus in tractatu de mendacio, & huiuſmodi B aliæ ſæpe in libr. de Trinitate & Ciuitate Dei occurrunt apud hunc ipſum Auguſtinum.

2 *Deinde ſacri baptiſmatis.* In impreſſis additũ erat poſt hæc verba, In cruce Chriſti : quod eſſe gloſſema (vti & quod paulo pòſt ſequitur, Mortẽ Chriſti crucifixi, vox Crucifixi) facilè apparebit, ſi quis & ſenſum Auguſtini & verba attendat : ſed hoc gloſſema ſumptum eſt ex capite ſequenti ex his verbis, Quod igitur geſtum eſt in cruce Chriſti. Conferatur cum hoc ca. 42. vbi ait, Magno baptiſmatis ſacramento: hìc autem, Grande baptiſmatis myſterium: nulla Chriſti crucis mentione facta. Et cùm totum hunc locum ex Paulo Rom. 6. ſumpſerit Augu. vbi crucis ne γρὺ quidem, planè aduentitia & peregrina eſſe in hoc loco apparent, & deturbanda. Quanquam non negauerim Paulum alibi ſic loqui, nobis pacem à Chriſto partam per ſanguinem crucis ipſius, Coloſſ. 1. ver. 20, & quæ pro nobis geſta ſunt, maximè in cruce Chriſti, id eſt, morte eius extare, tamen notha & adulterina à genuinis diſtinguenda ſunt, & gloſſemata ab ipſa pura Auguſtini oratione, niſi quis C monachorum more omnia pro Auguſtinianis obtrudere velit. Hìc etiam manuſcripti fidem deſydero.

3 *Similitudinem.* Cùm Auguſtinus appellat Baptiſmum ſimilitudinem mortis Chriſti : & ipſam mortem ſimilitudinem peccatorum noſtrorum remiſſionis, videtur obſcurè loqui, niſi ſeipſum explicaret poſtea, eatenus nimirum dici hæc à ſe ſimilitudines, quòd vt in vno vnum eſt : ita in altero alterum, id eſt, vt Chriſtus verè mortuus eſt, ita verè per eum nobis peccata remittuntur. Ergo vt verè & reipſa in Chriſto fuit mors: ita verè & reipſa in nobis ἐνεργῶς baptizatis eſt & fit peccatorum remiſſio. Et hìc ſimilitudinem vocat, quod Paulus ὁμοίωμα Rom. 6. verſu 4. quod quis meliùs conformitatem vel conformationem verteret. Fimus enim in Baptiſmo morti & reſurrectioni Chriſti conformes: diceret Auguſtinus, Similes, ex ſui ſeculi vſitata ratione loquendi, quod eſt genus dicendi obſcurius. Ergo hoc loco ſimilitudinis vox & ſignificatio quę ad baptiſmum & eius vim ſignificandam vſurpatur, non εἰκὼν aut σκιογρα-

A φια. quędam eſt, id eſt, euanida, & figuralis tantùm quędam pictura & repræſentatio, vel ſpectaculum rei geſtę in Chriſto: ſed σφραγὶς, vt Paulus loquitur Rom. 4. ver. 11. & veriſſimum teſtimonium, arrhabo, & teſſera certiſſima noſtræ in Chriſto mortificationis & nouæ vitæ atque reſurrectionis, ſi modò efficaciter Baptiſmum ſuſcepimus. Neque enim ea mens eſt Auguſtini, vt ſacramenta, qualis eſt Baptiſmus, vocet aut exiſtimet nudas paſſionis Chriſti figuras, & frigida ſpectacula eſſe, vt in Poſſiacenis diſputationibus affirmabat monachus quidam ingens columen Scholaſticorum: ſed ſunt veriſſima promiſſionum Dei & beneficiorũ Chriſti erga nos ſignacula, vnde ipſe li. 1. De peccator. merit. cap. 24. Pœnos Chriſtianos laudat, qui Baptiſmum vocarent ſalutem: & ſacramentum corporis Chriſti, vitam, ne ſacramenta putentur nudę rerum imagines: ſed potiùs vera & efficacia gratiarum Dei in nos effuſarum teſtimonia. Vnde idem contra Adimantum cap. 12. de hoc Pauli ſacramẽtali dicto (Petra erat Chriſtus) agẽs, ait, Nec dixit, Petra ſignificabat Chriſtum, ſed Petra erat Chriſtus: quæ rurſus ne carnaliter acciperetur, ſpiritualem illam vocat. Bernard. in Cantic. Canticor. ſermo. 33. Habeo, ait, & ego verbum, ſed in carne: & mihi apponitur veritas, ſed in ſacramento. Et eo ſenſu ſunt accipiendæ contra Anabaptiſtas & Catabaptiſtas patrum orthodoxorum ſententiæ de ſacramentis, quando ea vocant imagines, & ſimilitudines, vti Chryſoſto. aliquando & Gelaſius etiam contra Eutycheten, ne inanes ſignificationes, & ἀπομιμήματα eſſe intelligantur ex illorum mente. B

4 *Ait enim.* Locus eſt apud Paulum Rom. 6. verſ. 1.

5 *Dixerat enim.* Roman. capit. 5. verſu 20. Hoc enim doctrinæ Pauli & Euangelicæ obiici ſolitum docet ipſe Paulus Roma. 3. verſu 8. quaſi homines ad mala perpetranda hortaretur, vt Dei gratia abundaret. Et huiuſmodi ſunt, quæ Petrus in Pauli epiſtolis impiiſſimè detorta conqueritur, 2. Petr. 3. v. 16, quibus tamen Paulus ipſe cauit diligenter.

C 6 *Subiecit.* Locus eſt Roma. 6. v. 2. Argumentum autem ductum eſt illic à Paulo à repugnantibus. Non poteſt enim peccato viuere, qui illi mortuus eſt.

7 *An ignoratis.* Locus Rom. 6. v. 3. Argumentum eſt à diuino teſtimonio ductum, nempe à ſacramento Baptiſmi diuinitus inſtituto, à cuius ſignificatione arguit Paulus. Totum autem illius epiſt. ad Roma. cap. 6. initium explicat hoc loco Auguſtinus.

8 *Excepto.* Vulgatæ ſunt hæ Iuriſconſultorũ regulæ, Vbi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. Item, Qui omne dicit, nihil excipit. Etſi autem πάντες non dixit Paulus nomine collectiuo, pari tamen ſignificato dixit nomine diſtributiuo, ὅσοι ἐβαπτίσθημεν, id eſt quicunque baptizamur &c. Ergo à verborum Pauli propria ſignificatione arguit Auguſtinus.

9 *Simus.* In impreſſ. addita ſunt poſtea hæc verba, Et ideo dictũ eſt: vt probaretur nos mortuos eſſe peccato. Quod eſt gloſſema nihili, & omnino ſuperuacaneũ, quod huius loci ſenſum obſcurat. Sũptum autem eſt ex ſuperioribus iis Auguſtini verbis hoc ipſo capite, Si oſtendimur, &c.

10 *Traxerunt.* Alibi idem quoque Auguſt. li. 5. contra Pelagia. Hypognoſtic. Sinite igitur paruulos venire ad Chriſtũ, vitã vt eis perditam per Adam medicina ſua redonet vitam. & paulo poſt, Quinimò, ait, in remiſſionem baptizantur & paruuli: alioqui non haberent in regno cœlorum vitam. Dimittitur eis regeneratione ſpiritali, quod traxerunt, vt ſæpe dixi, ex Adam generatione carnali. Non quòd tamen animæ aliquid egerint antequam in ſua corpora venirent, vt alij etiam ſentiebant, vt eſt lib. 10. de Geneſ. ad lit. cap. 15. & lib. 6. cap. 9. ſed per Adamum illa labes in paruulos tranſit. Hoc autem idcirco ſæpius eſt ab Auguſtino repetitum, quòd aliud Pelagiani ſentirent, vt ipſe idem ſcribit lib. De Hæreſib. ad Quodvultdeum. Hinc apparet quemadmodum Anabaptiſtas oppugnet Auguſtin. qui de Baptiſmo Paruulorum librum etiam ſcripſit. & li. 11, de Geneſ. ad literam cap. 13. 14. 15. hoc ipſum diſputat. Sed poſtquam Sathan per Pelagianos veritatem non potuit expugnare, alia techna per Anabaptiſtas hoc ipſum aggreſſus eſt, ita indefeſſus eſt veritatis Dei hoſtis. B

11 *Ac per hoc.* Eò magis baptizandos eſſe paruulos docet Auguſt. quòd vtriuſque baptiſmi effectus fiunt participes, & peccatorum remiſſionis & vitæ regenerationis. Si excipitur, At in iis nulla dum opera illius vitæ nouæ videmus: Reſpondemus quod Auguſt. ipſe alibi, Nec eorum animæ rationalis opera vlla adhuc cernimus: neque tamẽ propterea poteſt negari eos anima rationali eſſe præditos. Ergo & fidem & regenerationem habent paruuli electi Dei, etſi nondum illius opera nobis apparent, & ea dona habent pro ratione ætatis, id eſt pro capacitate vaſis.

12 *Conſepulti.* Locus eſt Roma. 6. à verſu 4. ad verſ. 12, quem iuuat cum Græcis, & noua, qua vtimur, verſione conferre. Differt enim illa vetus à noſtra, & à Græcis ipſis tum in verbis, tum etiam in diſpũctione, vt qui alios huiuſmodi locos apud patres legent, idem obſeruare & poſſint & velint. In verſu 4. διὰ δόξης, illi veteres legebant. Per gloriam, nos autem, In gloriam, vt finis noſtræ vitæ nouæ oſtendatur. In verſu 5 ὁμοίωμα, illi, Similitudinem: nos longè meliùs ex doctiſſimi Bezæ trãſlatione, Conformitatem. Ibidem, ἀλλὰ ϗ, illi veteres, Simul &: nos autem, Nempe &. In verſ. 6. συνεσταυρώθη, illi vertunt, Simul cũ eo: vox Simul abundat etiam præter verba Græca: nos autem, Cum eo crucifixus, & meliùs. Ibidem Euacuetur, καταργηθῇ: nos, Eneruetur, id eſt, ceſſet, non quidem vt omnino amplius non inſit (quod fieri non poteſt) ſed ne ſit efficax. ita meliùs ex mente Pauli. In v. 7. Iuſtificatus à peccato, δεδικαίωται: nos, Liber eſt à peccato. illi magis ad verbum, nos ad ſenſum. In v. 8. veteres, Simul cum eo: abundat & hîc etiam vox, Simul: nos, Cum eo viuere. In v. 9. Vltra, vertunt veteres ἔτι, quod loci ſignificationem habet ſimpliciter poſitum: nos Amplius, quæ vox eſt tẽporis ſignificatiua, aptiùs certè. In v. 10. diſpunctio diuerſa eſt illis, & nobis, Illi Peccato referunt ad vocem Mortuus: nos ad vocem Semel, vt meliùs intelligatur vno illo mortis Chriſti ſacrificio id factum: & noſtra diſpũctio eſt in veteribus libris. In v. 11. λογίζεσθε, veteres Exiſtimate: nos autem, Colligite. Eſt enim totius Pauli diſputationis concluſio. ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ, illi In Ieſu Chriſto: nos Per Ieſũ Chriſtum.

A Chriſtum. Denique ibidem non legebatur à veteribus κυρίῳ ἡμῶν. Neque enim in his recenſendis & tranſcribendis omiſiſſet Auguſtinus.

13 *Niſi carnis.* Ita toto hoc libro, hoc Pauli dictum explicat Auguſtinus. Nos autem ideo peccato mortuum Chriſtum etiam dicimus, quia vim peccati in nobis aboleuit, & huic vitæ mortuus eſt, in qua viuimus in mundo, & in qua peccare ſolemus. Nam in alia vita fideles non peccabimus.

14 *In qua.* Etſi videri poteſt eſſe gloſſema, vtile tamen eſt propter Pelagianos, vt ſup. numero 10. oſtendimus.

CAP. LIII.

Crucifixionem Chriſti, ſepulturam, reſurrectionem, aſcenſionem in cœlum, & ſeſsionem ad dextram Patris oſtendere qualis hîc eſſe debeat Chriſtiana vita.

QVicquid igitur[1] *geſtum eſt in cruce Chriſti, in ſepultura, in reſurrectione tertio die, in aſcenſione* B *in cœlum, & in ſede ad dexteram Patris, ita geſtum eſt, vt his rebus non myſticè*[2] *tantùm dictis, ſed etiam geſtis configuraretur vita Chriſtiana, quæ hîc geritur. Nam propter eius crucem dictum eſt, Qui*[3] *autẽ Ieſu Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis. Propter ſepulturam*[4], *Conſepulti ſumus cum Chriſto per baptiſmum in mortem. Propter reſurrectionem*[5], *Vt quemadmodum Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. propter aſcenſionem in cœlum*[6], *ſedémque ad dexteram Patris, Si*[7] *autem reſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens. Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.*

1 *Quicquid igitur.* Confirmatio ſuperioris diſputationis de vtroque Chriſti in nos beneficio, nimirum peccati morte, & nouitate vitæ data no-
C bis. Ducta autem eſt à modo, per quem vtrumque illud beneficium in nos à Chriſto collatum eſt. Modus autem hic eſt multiplex, nempe Chriſti crucifixio, mors, ſepultura, reſurrectio, aſcenſio in cœlum & ſeſsio ad dexteram Patris: quarum rerũ omnium fructum, qui ad nos peruenit, explicat copioſiſsimè ex ipſius ſacræ Scripturæ teſtimonio. Ex hoc autem loco apparet quo ordine Auguſtini ætate Symboli Apoſtolici articuli legerẽtur, quia vt ex Irenæo lib. 1. ca. 2. apparet, & ex aliis etiam patribus, itémque Iuſtino Martyre, alio atque alio ordine extabant: & quidam etiam articuli vidẽtur ab iis fuiſſe prætermiſsi, quos tamen habemus.

2 *Non myſticè.* Duplex error, & tamen alter alteri affinis cauendus eſt. Primus Marcionitarũ, qui cùm Chriſto imaginarium tantùm corpus tribuerent, non autem verum, docebant eum putatiuè tantùm eſſe paſſum, non autem veré. Itaque paſsionem & mortem Chriſti ludicrum ſpectaculum faciebant, contra quos iampridem Irenæ. lib. 3. cap. 18. & Tertullia. quinque libris. Tota enim ſalutis noſtræ ratio & hiſtoria eſſet mera fabula, & theatrica actio, qualis illa, de qua Martialis, Et falſa pendens in cruce Laureolus. & Medeæ tragœdia, & Prometheus vinctus, Æſchyli. Alter error eſt Originiſtarum, qui omnia ad allegorias reuocant, quæ in Scriptura geſta narrantur. Itaque quæ A
lib. Geneſ. cap. 1. ſcripſit Moſes, allegoricè interpretantur: vti Gregorius magnus perpetuò ἀλληγορίζει in explicandis quatuor libris Regum: & Auguſt. ipſe propterea ſcripſit aduerſus huiuſmodi Allegoriſtas libros duodecim de Geneſi ad literã. Monet itaque cauendũ, ne credamus quæ de Chriſto, eius morte, cruce, ſepultura, & reſurrectione ab Euãgeliſtis narrantur & ſcribuntur myſticè & allegoricè dicta, non autem reipſa facta & vt verba ipſa ſonant, neque impleta in ipſa Chriſti perſona. Ratio autem cur huiuſmodi allegoriæ à quibuſdam in hac re fingerentur, eſt hæc, quam affert Auguſt. lib. De Ago. Chriſtia. cap. 23. nempe ne ſi hæc in Chriſto reuera euenerint, putetur Chriſtus non eſſe Deus, quia fuerit paſſus, & immutatus, quod Deo accidere non poteſt. Reſponſio verò eſt facilis, Chriſtum paſſum eſſe, nõ quâ Deus eſt, ſed quâ homo fuit, vt docent Petrus & Paulus, 1. Petr. 3. verſ. 18. 2. Corinth. 13. verſ. 14. Theodoret. epiſcopus Cyri tribus eruditiſsimis dialogis ad- B
uerſus Eutychẽ. Duplici enim natura conſtat perſona Chriſti mediatoris, Dei nimirum, & hominis: ſed in hac tantùm paſſus eſt quæ eſt humana: non autem in illa quæ eſt Diuina. Niſi fortè propter idiomatum κοινωνίαν cum ipſo Auguſtino De Inquiſit. Trinitat. litera D. dicamus propter hypoſtaticam earum naturarum inter ſe vnionem, diuinitatem quodámodo conceptione Chriſti conceptam, natiuitate natam, & paſsione paſſam: quia qui paſſus eſt, erat verus Deus, & non tantùm homo. ſed hæc communicatio eſt tantùm verbalis & dialectica, non autem realis, phyſica, & transferens in diuinitatẽ humanà, vt habeat Staphylus, quod à nobis ſcire cupit.

3 *Qui autem.* Locus eſt ex epiſto. ad Galat. 5. v. 24. Crucis autem nomine mortem ipſam intelligit Auguſtinus, in qua Dei maledictio pro nobis apparuit, & quæ à Chriſto perlata eſt, & ad cuius mortis (Fuit enim crux genus ſupplicij omniũ acerbiſsimum, inhoneſtiſsimum & infame, vt loquitur Lactantius lib. 4. cap. 26. Philipp. 2. verſ. 8. Gala. 3. verſ. 13) ſimilitudinem dixit Paulus carnem noſtram eſſe crucifigẽdam. Sic ſanguis crucis metonymicω̃s dicitur à Paulo Coloſſ. 1. v. 20. ſanguis C
ipſius Chriſti. Sic dixit Paul. Abſit mihi gloriari niſi in cruce Chriſti, &c. Galat. 6. ver. 14. quod de ipſo ſanguine Chriſti eſſe accipiendum interpretatur Hieronymus, nõ autem de ipſo crucis ligno, nec etiam de eius forma, quemadmodum tamen noua Scholaſtica docuit, quę lignum ipſum crucis & eius figuram falſiſsimè vult ὑπερδουλείᾳ & cultu quodam etiam ſupra omnes ſanctos eſſe venerandam, vti omnia alia paſsionis Chriſti inſtrumenta. Hæc Theologia patribus, imprimis autem Auguſtini ſeculo fuit ignota. Arnob. li. 8. contra Gẽt. Cruces etiam, ait, nec colimus, nec optamus. Ambroſius de obitu Theodoſ. Inuenit ergo, ait, Helena titulum, regem adorauit, nõ lignum, quia hic gentilis eſt error, & vanitas impiorum. Etſi ſuo ſeculo (quando idololatria adhuc latè regnabat) ad Euangelicam doctrinam confirmandam fuiſſe terrori illius ſignum ſcribit Lactant. lib. 4. cap. 27. Sed hæc iam ſuperſtitio fuit, vti illud ipſum quod de eiuſdem crucis figura philoſophatur Ruffi. in expoſitione Symboli. Quod autem attinet ad fructum, quem ex Chriſti morte percipimus, vnus

A tantùm eſt hîc enumeratus, cùm tamen ſint varij. Eſt autem imprimis triplex ille fructus. Nam

mors Chriſti eſt
- Expiatio peccatorũ noſtrorũ.
- Mortificatio carnis noſtræ.
- Terroris qui in morte obuerſari ſolet placatio, & leuatio.

Abailardus mortem Chriſti tantùm nobis eſſe patientiæ & charitatis exemplum voluit, quod refutat Bernard. epiſt. 190. Omne, aiebat ille, quod profuit Chriſtus, fuit in ſola oſtenſione virtutum. Reſpon. Bernardus: Ergo Adam quoque ex ſola nocuit oſtenſione peccati. quod eſt falſum.

Ac eſſe peccatorum noſtrorum & omnium expiatonem probant hi Scripturæ loci Rom, 4. verſ. 35. Heb. 9. v. 26. Matth. 26. verſ. 28. Auguſt. ipſe De trinitate libr. 4. cap. 13. Morte, ait, ſua quippe vno veriſſimo ſacrificio quicquid culparum erat, vnde nos poteſtates ad luenda ſupplicia iure detinebãt, Chriſtus purgauit, aboleuit, extinxit. Tract. 36. in Ioannis Euãgel. Parum fuit ei hominem fieri, ſed B voluit etiam ab hominibus reprobari: parum fuit reprobari & exhonorari: parum erat & exhonorari & occidi: ſed & hoc parum eſt morte crucis. Nam & cùm obedientiam eius vſque ad mortem commendaret Apoſtolus, parum illi fuit dicere factus eſt obediens vſque ad mortem (non enim qualemcunque) ſed addidit, *mortem autem crucis*. Illa morte peius nihil fuit inter omnia genera mortium. Item ad Articulos ſibi falſò impoſ. Artic. 1. ait, Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet cauſſam generis humani, ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi. li. 13. de Trinitate cap. 15. Item & quod ait Bernard. epiſt. 190. Nõ mors, ſed voluntas placuit ſponte morientis & illa morte expungentis mortẽ: eatenus verũ eſt, quatenus ipſo ſolo Chriſti filij ſui ſupplicio patrẽ deũ eſſe delectatũ quis cõtẽderet. Mors tamen ipſa Chriſti placuit Deo, quatenus erat opus ipſius iuſtitiæ & pœna peccati. Mortificationem autem carnis noſtræ eſſe ex eadem morte docet hic locus & Rom. 6. & ſup. ca. 32. Terroris formidoloſiſſimi, & maximi qui eſt in morte noſtra, in piis placationem eſſe mortem C Chriſti docet Auguſtinus libr. De conſolatione mortuo. cap. 5. ex quo ait, caro Verbum factum, ex quo primi Adæ Adam nouiſſimus ſententiam ſoluit, ex quo noſtram mortem ſua morte deſtruxit, iam non eſt terribilis mors fidelibus. Idem Athanaſius li. 2. De carne Chriſti. Baſil. epiſtola vlt. Non enim iam diabolum velut leonem timemus, ait, ſed vt pellem conculcamus. Sed & Paulus Philip. 1. verſ. 23. idem docet. Bernardus in citata iam epiſtola 190. hæc tria mortis & incarnationis Chriſti effecta breuiter ſtatuit, formam & exemplum humilitatis: Menſuram & regulam perfectæ charitatis: denique Sacramentum noſtræ redemptionis.

4 *Propter ſepulturam.* Rom. 6. v. 4. Non enim tantùm oportet peccata & carnem noſtram mortificari quodamtenus, ſed omnino ſepeliri, & extingui in nobis. Quanquam in hac vita in nobis contingere perfectè non poteſt, quicquid homines de ſua perfectione & Adamica & Angelica garriant. Connitendum tamẽ eſt quotidie in melius, exemplo Pauli Philip. 3. verſu. 14. Itaque non tantùm oportet ἀποθέσθαι, ſed etiam ἀπεκδύεσθαι & νεκρῶσθαι, id eſt, omnino exui & necari peccatum in nobis, vt Paul. loquitur Col. 3. Videtur autem hoc A loco prætermiſſus articulus, Deſcendit ad inferos cuius tamen Auguſtinus meminit lib. 1. De geneſ. ad liter. c. 30. & lib. 12. c. 33. Irenæ. lib. 4. c. 45.

5 *Propter reſurrectionem.* Locus Rom. 6. ver. 4. libro autem de Agone Chriſtian. cap. 24. contra eos diſputat qui negant Chriſtum idem corpus in reſurrectione aſſumpſiſſe quod & quale in ſepulchro poſitum fuit. Et quod obiicitur, At intrauit clauſis oſtiis, Ioan. 20. verſu. 26. Reſpondet Auguſtinus, Diuina potentia id factum eſt. Nam vt ait etiam Bernardus Homil. 3. Miſſus eſt. Etiam angelicis ſpiritibus penetrabilia ſunt corpora ſolida, nedum Deo. Hic autem ſynecdochicῶs fructus reſurrectionis Chriſti ad nos pertinentes recenſet. Sunt enim triplices. Nam illius reſurrectio,

eſt noſtra
- Iuſtificatio.
- Regeneratio.
- Reſurrectionis futuræ in noſtris corporibus ſpes & arrhabo.

Ac quidem iuſtificatio Roma. 4. verſu 25. Per eam enim ſcimus iam planè Deo nos eſſe reconciliatos, & Dei filios. Rom. 8. Regeneratio autem B & vitæ nouitas nobis inde eſt, vti & locus hic probat, & Paulus Coloſſ. 3. verſ. 5. & 10. Denique ſpes reſurrectionis noſtræ, 1. Cor. 15. Philip. 3. ver. 21, inde confirmatur.

6 *Aſcenſionem in cælum.* Quanquam videtur Auguſtinus hîc duos articulos, qui in Symbolo apertè diſtincti ſunt, coniunxiſſe, tamen ex aliis eius locis & ſcriptis apparet, eum cum veteri Eccleſia conſentire, qui eos ſeparauit, vti, li. De agone Chriſt. cap. 25. & 26. & De fide & ſymbolo cap. 6. Nam & vtriuſque diuerſa mens eſt, & ſignificatio. Prior enim, qui eſt De aſcenſione Chriſti in cælum, locum ipſum & vbi apertiſſimè deſignat, in quo eſt homo Chriſtus, nempe cælum, non fictitium illud quidem, ſed verum, quod à Deo ſupra hæc omnia viſibilia in prima mundi creatione collocatum eſt, & patres Empyræum dixerunt Actor. 3. ver. 21. Neque enim, cùm Lucas deſcribit aſcenſionem Chriſti, ſic eſt locutus ἄφαντος ἐγένετο, vti de eodem diſparente dixit alibi Luc. 24. ver. 31, ſed dixit πορευόμενος. Diſertè enim commemorat & C locum à quo, nempe hanc terram & circumiacentem aerem: & locum ad quem, nempe cælum, in quod ſe recepit Chriſtus: & motum ſiue ipſum modum per quem iit, nempe paulatim ſe eleuando, vt verum fuiſſe motum cùmque viſibilem appareat, Heb. 7. verſ. 26. Epheſ. 4. verſ. 10. Vt quid igitur Selneccerus tam multa aduerſus Bezam blaterat? Denique Auguſtinus ipſe in Ioan. Tractat. 50, Secundum maieſtatem ſuam, ait, ſecũdum prouidentiam, ſecundum ineffabilem gratiam Chriſtus eſt adhuc nobiſcum: ſecundum verò carnem, quam Verbum aſſumpſit, ſecũdum id quod de Virgine natus eſt, &c. ſecundũ præſentiã carnis, non eſt hîc, aſcẽdit in cælum. Nec verò timeamus, ne nõ Chriſtus potuerit ſuum corpus in cælum attollere, quia terrenum quiddã eſſe, id quod eſt corpus, gentiles philoſophi diſputant. Huic enim diſputationi reſpondet Auguſtinus libro De fide & Symbolo cap. 6. Quomodo autem Chriſti corpus ſit in cælo, eſt, ait idem, curioſiſſimum quærere, tantummodò in cælo eſſe credendum eſt. Fructus autem huius aſcenſionis eſt etiam triplex,

Nempe

A Nempe { Euectio noſtra in cælum, Epheſ.1.v.3.
Interceſsio pro nobis, Heb.7.v.25.
Conſummatæ planè ſalutis noſtræ certitudo. Neque enim diſceſsit Chriſtus ad Patrem, niſi priùs conſummatis iis omnibus quæ ad ſalutem noſtram pertinent, Ioan.14. Euectionis autē noſtræ in cælum pars, eſt hæc animorum noſtrorum de rebus cæleſtibus cogitatio, & in illis ipſis meditatio, & occupatio, ad quā nos hortatur Paulus, Coloſſ.3.verſ.1, & quam hoc loco commemorat Auguſtinus.

7 *Si autem.* Locus eſt ex Paulo ad Coloſſ.3.v.1.2.& 3. Seſsio autem hæc Chriſti, eius ſtatum & dignitatem ſignificat. quæ nobis eſt incomprehenſibilis & ſupra ipſos etiam angelos excellens, quia caput eſt eccleſiæ, cuius membra tantùm ſunt angeli. Itaque non eſt hæc dextera tantùm beatitudo illa perpetua quæ omnibus ſanctis datur. Auguſtinus De agone Chriſtia.ca.26. ſed etiam dextera Patris ad quam ſedet Chriſtus, eſt illa dignitas per quam Chriſtus eſt ἐν πᾶσι πρωτεύων .i. in omnibus primas tenens & caput, vt loquitur Paulus Colo. B 1.ver.18. Denique regnat ſupra omnia, vt ipſe ait, 1. Corinth.15.v.24. Epheſ.2.verſu 20, Non eſt tamen naturæ humanæ quæ eſt in Chriſto, cum diuina adæquatio, vel confuſio. Illud enim prius ſentire eſt Neſtorianum, vt hoc Eutychianū, quòd Chriſti caro ſit omnipotens, omnipræſens, omniſciens. Nam id veritati carnis Chriſti planè repugnat. Dextera denique Dei Patris non eſt craſſè imaginanda, quando, vt ait idem Auguſtinus cap.6. De fid.& ſymbo. tale ſimulachrum quod manus habeat, Deo nefas eſt Chriſtiano in templo collocare, nedum in cælo. Huius autem ſeſsionis fructus eſt duplex:

Noſtra { Euectio in res cæleſtes.
Sub manu Chriſti tutela, & ſub capite noſtro tutiſsima cuſtodia. Atque hæc verè ſunt veterum patrum φιλοσοφήματα pulcherrima & verè Chriſtiana de morte, aſcenſione & ſeſſione Chriſti, vti etiam apparet apud Lactant.lib.4. cap.19. non autem inutiles nugæ quales Lom- C bardus perſecutus poſtea eſt lib.3. Sentent.diſt.18.19.20. & quales quidam hodie inuehunt, dū de carne Chriſti nimiū ὑπερφυσικῶς ſapiunt, & altercātur.

DE EXTREMO IVDICIO.

CAP. LIIII.

Articulus de ſecundo Chriſti aduentu & extremo Iudicio, pertinet ad vitam æternam.

IAm verò [1] quod de Chriſto confitemur [2], quoniam de cælo venturus eſt viuos iudicaturus & mortuos, non pertinet ad vitam noſtram, quæ hîc geritur, quia [3] nec in rebus geſtis eius eſt, ſed in fine ſeculi gerendis. Ad hoc enim pertinet, quod Apoſtolus [4] adiunxit, Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria.

1 *Iam verò.* Τάξις eſt. Sequitur enim in Symbolo, Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos, quem etiam ordinem vetus Eccleſia in catecheſi retinuit, & ſequitur Auguſtinus libro De fid.& Symbo.cap.8.& de Agone Chriſtia.cap.27. Hunc autem articulum diſertè pronuntiatū fuiſſe à cathechumenis in primitiua eccleſia teſtis eſt epiſt.ad Hebræ.cap.6.verſ.2, quia tunc ab ethnicis maximè vexabatur, vti & poſtea, quemadmodum docet Lactant.li.7.cap.2.& 3. & Auguſtinus lib.20. De Ciuitate Dei. Nam hunc articulū præcipuè Stoici & Epicurei homines irriſerunt, vt eſt Actor.17.verſ.31. Atque etiam exagitarunt tēpore Auguſtini hæretici quidam, quorum rationibus reſpondet ipſe. De agone Chriſtian.cap.27. Extat autem diſertè in Scriptura Actor.1.verſu 11. Matth.26.verſ.64. Ex quo apparet non agnouiſſe Auguſtinum alterum deſcenſum Chriſti è cælo, quàm hunc. Eum autem quem Scholaſtici & alij poſtea induxerunt, quémque fieri aiunt quotidie propter tranſſubſtantiationem panis, planè Auguſtinus ignorauit. Aduentum enim Chriſti dicit futurum Auguſt. cùm vita æterna nobis dabitur. Cur autem futurum ſit hoc iudicium, cùm omnes ſtatim poſt mortem iudicemur, ratio eſt, quòd illa ſententia, quam ſtatim poſt mortem audimus, eſt tantùm velut interlocutoria, hæc autem futura eſt definitiua totius noſtri ſtatus, & in perpetuum duratura. Itaque per illam pij mittuntur in illud B tantùm poſſeſſionis cæli genus, quæ à pragmaticis hominibus Recredentia appellatur: per hanc autem mittentur in plenam eiuſdem cæli & vitæ æternæ poſſeſſionem, & perfectam fruitionem, vt plenum dominium conſequantur. Qualis autē Chriſtus apparebit, Auguſtinus ipſe explicat Tracta.19.in Euangel.Ioan. Talis, ait, apparebit iudex qualis videri poſſit & ab eis quos coronaturus eſt, & ab eis quos damnaturus eſt. Forma ergo ſerui videbitur, occulta erit forma Dei, etſi in claritate & ſummo ſplendore venturum Chriſtum alibi dicit, De fid.& Symbolo cap.7. Idem li.3.de Symbolo ad Catechumen. cap.8. non ſicut prius homo humilis, ſed ſicut deus homo maieſtate ſublimis veniet & iudicabit.

2 *Confitemur.* In impreſſis eſt, Confitemur futurum, quoniam: planè indigna oratio tanto & tā venuſto ſcriptore, qualis Auguſtinus. Itaque vox illa, Futurum, gloſſema fuit. Sic enim dixit Auguſtinus, Confitemur quoniam de cælo venturus: more Græcorum ὁμολογοῦμεν ὅτι. Satis autem verba hæc, Iudicaturus & Venturus, indicant futurum tempus, ſed monachus non intelligeret, niſi adderetur. C

3 *Quia nec in rebus.* Articulus de ſecundo aduentu Chriſti eſt concio vtiliſſima, promiſſióque futuræ & æternæ vitæ, ait Auguſtinus. Illius enim aduentus fructum nondum percipimus in hac vita. Ratio duplex eſt hîc allata. Prima quidē à cauſſa antecedenti, quia nondum Chriſtus ipſe hoc ſecundo modo aduenit, à quo ille fructus pendet & eſt expectandus. Ergo cùm res ipſa nondum ab ipſo Chriſto geſta ſit, neque eius effectus eſſe in nobis poteſt, niſi ſpe. Altera ratio ab authoritate Pauli, quem laudat. In quo videmus quàm ſanctè, ſobriè, Chriſtianè & verè de hoc fidei articulo certè quidem obſcuro, ſed pulcherrimo tamen philoſophetur Auguſtinus: noua verò Scholaſtica audacior, quæ definit magiſtraliter & de modo, & de tempore eius, & ſignis, & eorum numero, quæ præcedēt hoc iudiciū extremum: cōtra Pauli ſententiā tamen, quæ eſt 1.Theſſa.5.v.1. Denique ſententiam ipſam dicendam refert, & dictat Viguierius. Et quod adhuc omnium maximè eſt impudens, locum ipſum præſcribunt Deo, quem eſſe

A volunt neſcio quam vallem Ioſaphat. Hęc deliramenta inſulſus iſte Viguierius in ſua inſtitutione percenſet, & tanquam ex tripode pronuntiat.

4 *Apoſtolus.* In impreſſis, Apoſtolus ſecutus adiunxit: omnino barbarè, ſed nō ita ſcripſit Auguſtinus, etſi codex manuſcriptus vocem hanc ſubobſcure aſcriptam habet. Sed meo quidem iudicio, gloſſema eſt monachale, id eſt, barbarum. Vera igitur lectio, Apoſtolus adiunxit. Locus autem eſt Coloſſ.3.verſ.4. vbi nos legimus, vita noſtra, ἡ ζωὴ ἡμῶν: Auguſtinus autem, niſi hîc erratum ſit, ἡ ζωὴ ὑμῶν, vita veſtra. Id quod ſæpe in veterum libris cernere licet, ita mutatas eſſe hac phraſes & voces. Et ita in manuſcripto quoque.

Cap. LV.

Voces hæ Viuos & Mortuos quid ſignificent.

DVobus autem modis[1] accipi poteſt, quòd viuos & mortuos iudicabit, ſiue vt viuos intelligamus, quos hic nondum mortuos, ſed adhuc in iſta carne viuentes inuenturus eſt eius aduentus: Mortuos B *autem, qui de corpore, priuſquam veniat, exiere, vel exituri ſunt. Siue viuos iuſtos: mortuos autem iniuſtos: quoniam iniuſti[2] quoque iudicabuntur. Aliquando enim iudicium Dei ponitur in malo, Vnde illud eſt, Qui[3] autem malè egerunt, in reſurrectionem iudicij. Aliquando & in bono, ſecundum quod dictum eſt,[4] Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua iudica me. Per iudicium quippe Dei fit ipſa bonorum malorúmque diſcretio, vt liberandi à malis, non perdendi cum malis boni ad dexteram ſegregentur. Propter quod ille clamabat, Iudica me Deus, & quod dixerat velut exponens, Et diſcerne[5] cauſſam meam de gente non ſancta.*

1 *Duobus autem modis.* Eſt ἐξήγησις horum verborum, Viuos & mortuos, quæ ad explicationem etiam loci qui eſt apud Paulum 2.Timoth.4.ver.1. pertinet. Hanc autem eandem interpretationem idē Auguſtinus ſequitur in libro De fide & Symbolo cap.8. & De agone Chriſtia. cap.27. Prior interpretatio vera eſt & retinenda, confirmatúrque Pauli authoritate, 1.Corinth.15.verſ.51. Poſterior autem fuit Diodori cuiuſdam, & minùs etiam in C eccleſia recepta, vt eſt De eccleſiaſt. Dogmatib. c.7. Sed & præter has duas eſt tertia Ruffini in explicat. Symboli, qui Mortuorum nomine corpora, Viuorum autem animas ſignificari putat. Verùm hæc poſtrema eſt lōgè alieniſſima explicatio, quam tamen Methodius autor Græcus ſequitur.

2 *Quoniam iniuſti.* In impreſſis omnib. *Iuſti*, contrà quàm & mēs Auguſtini, & ſubſequens ſententia poſtulat. Cōfirmat enim iniuſtos eſſe iudicandos, quia iudicium etiam in malam partem accipitur in Scriptura pro damnatione, vt hîc probat aliquot authoritatibus Scripturæ, & libr. De agone Chriſt. cap.27. & lib. de fide & operibus c.23. aduerſus eos qui diſtinguebant inter perire, & à Deo iudicari. quod certè ad iuſtos pertinere non poteſt, qui tunc non damnabuntur, Roma.8. verſ.34. Ac quidem maior erat dubitatio de iniuſtis quàm de iuſtis, vtrùm ad iudicium venturi eſſent. Primùm quia dicitur. Qui non credit, iam iudicatus eſt, Ioan.3.verſu 36. Deinde quia articulū de futuro Chriſti iudicio ita explicabat Auguſtinus, vt diceret pertinere ad vitam æternam in qua impij non ſunt futuri. Præterea quòd vt ait Auguſti. lib.3. de Symbolo ad Catechumen. c.10. dictum eſt Pſal.1. Impij in Iudicio nōn reſurgent. Denique quòd Iudicij vox in Scriptura vt plurimum in bonam tantùm partem ſonat & accipi videtur. Cui poſtremæ obiectioni reſpondet hic Auguſtinus, eam eſſe dubiæ ſiue mediæ ſignificationis. Primæ autem obiectioni ita ſatisfacit c.27. De agone Chriſtia. vt vocem, Iudicatus, dicat accipi pro Iudicandus. Sed meliùs dici poteſt ex eodem Auguſtino in Pſalm.9. duplex eſſe Dei iudicium.

nempe alterum { Occultum,
Manifeſtum.

Occulto Dei iudicio iniuſti iam ſunt dānati, manifeſto autem nondum. Ergo ad tollendum animi ſcrupulum, qui ex huiuſmodi obiectionibus tùm temporis notis potuit Laurētio inhęrere, addidit diſertè Auguſtinus non ſolùm pios, ſed & impios eſſe in extremo illo iudicio reſurrecturos. Hæc qui ignorabant, Iuſti pro Iniuſti ſubſtituerunt hoc loco. Inducere tamen nolui, quia etiam ex manuſcripto confirmatur iam recepta lectio. B De fid. ad Petr. cap.29. Firmiſſimè tene, ait, omnibus hominibus & bonis & malis reſurrectionem carnis in aduentu Domini futuram eſſe communem, retributionem verò iuſtitiæ Dei eſſe bonis maliſque diſſimilem. Id quod eodem lib. ca. 3. explicat ſic, Erit enim iniquorum reſurrectio, ſed ſine immutatione, quoniam à corporibus impiorū non auferetur corruptio, ignobilitas, & infirmitas, in quibus ſeminantur. Hoc verò poſtremum falſum eſt. Generaliter enim loquitur Paulus 1.Corinth.15.ver.53. & 54. omnes mutabimur. In eo enim tantùm erunt pij ab impiis diſſimiles, quòd pij in illa æterna duratione & corporum immortalitate in cælo Dei gloria fruentur: Impij verò in illa æterna duratione & corporum incorruptibilitate in inferno iuſtiſſimè grauiſſiméque cruciabuntur. Id quod ſignificare voluiſſe videtur hic ipſe Auguſt. tracta.21. in Ioan. Euangel. his verbis, Forma ſerui, In Chriſto, ſeruis demonſtrahitur: Forma Dei, filiis ſeruabitur. Vtoſque autem eſſe reſurrecturos probat locus apud Ioā.5.v.28. & 29. Act.24.v.15. Iſ.26.v.19. Denique ex hoc ipſo colligit Irenæus vnum eſſe omnium Deum, non plures, vt Marcionitæ volunt, lib.4.cap.76. C

3 *Qui autem.* Locus eſt Ioan.5.v.29. Sed & li. De fid. ad Petr. cap.3. dicitur futurum hoc extremum iudicium ad diabolos, & malos puniendos, iudicij autem vocem eſſe mediæ ſignificationis, quia & boni ad ſuam conſolationem, & iuſtificationē: & mali ad ſuam condemnationem iudicantur, certo certius eſt, ſiue Græca, ſiue Hebræa, ſiue Latina, ſiue etiam Gallica lingua ſpectetur.

4 *Deus in nomine.* Locus eſt in Pſalm.54.ver.1. aliâs.3. qui non perperam inducitur ex linguæ Hebraicę proprietate. Eſt enim, Saluum me fac. הושיעני in Pſalmo, atque etiam דין quod eſt Iudicare. vide Pſalm.7.

5 *Et diſcerne.* Locus eſt Pſa.43.v.1. Iudicium, vox eſt à foro ſumpta, quæ nihil eſt aliud quàm litis & controuerſiæ ex cauſſæ cognitione diſceptatio & definitio, per quam qui reus viſus eſt, dāmnatur: qui innocens abſoluitur. Ergo & in bonam & in malam partem accipitur, & eſt diſtinctio æqui ab iniquo, & iuris ab iniuſtitia.

A

DE SPIRITV SANCTO, & Eccleſia.

CAP. LVI.

Vt Trinitas compleretur additum eſſe in Symbolo articulum de Spiritu ſancto: poſt quem ordine conuenientiſſimo commemoratur Eccleſia, quia illa eſt templum & domus Trinitatis, id eſt, Patris, Filij, & Spiritus ſancti.

CVm [1] autem de Ieſu Chriſto Filio Dei vnico Domino noſtro, quod ad breuitatem confeſſionis pertinet, dixerimus, adiungemus ſic credere nos & in Spiritum ſanctum, vt illa Trinitas [2] compleatur, quæ Deus eſt. Deinde ſancta commemoratur Eccleſia[3]. Vnde datur intelligi rationalem creaturam ad Hieruſalem liberam [4] pertinentem poſt commemorationem creatoris, id eſt ſummæ illius Trinitatis fuiſſe ſubdendam. ([5] Quoniam quicquid de homine Chriſto dictum eſt, ad vnitatem perſonæ vnigeniti pertinet.) B *Rectus itaque confeſſionis ordo poſcebat, vt Trinitati ſubiungeretur Eccleſia, tãquam habitatori domus [6] ſua, & Deo templum ſuum, & conditori ciuitas ſua. Quæ tota hîc accipienda eſt, non ſolum ex parte, quæ peregrinatur in terris à ſolis ortu vſque ad occaſum laudans nomen Domini, & poſt vetuſtatem [7] captiuitatis cantãs canticũ nouũ: Verum etiam & illa[8], quæ in cælis ſemper ex quo condita eſt cohæſit Deo, nec vllum ſui caſus malũ experta eſt. Hæc in ſanctis Angelis beata perſiſtit, & ſuæ parti peregrinanti, ſicut [9] oportet, opitulatur, quia vtraque vna erit conſortio æternitatis, & nunc vna eſt vinculo charitatis, quæ tota inſtituta eſt ad colendum vnum Deum. Vnde nec tota nec vlla pars [10] eius vult ſe coli pro Deo, nec cuiquam eſſe Deus pertinenti ad templum Dei, quod ædificatur ex diis [11], quos facit non factus Deus. Ac per hoc Spiritus ſanctus ſi creatura, non creator eſſet [12], profectò creatura rationalis eſſet, Ipſe enim eſſet ſumma creatura, & ideo in regula fidei non poneretur ante Eccleſiam, quia & ipſe ad Eccleſiã pertineret in illa eius parte, quæ in cælis eſt. Nec haberet templum, ſed etiam ipſe templum eſſet. Templum* C *autem habet, de quo dixit Apoſtolus, Neſcitis [13] quia corpora veſtra templũ ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo? De quibus alio loco dicit[14], Neſcitis quia corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Quomodo ergo Deus non eſt, qui templum habet? aut minor Chriſto eſt, cuius membra templum habet? Neque enim aliud templum eius, & aliud templum Dei eſt, cùm idem dicat Apoſtolus [15], Neſcitis quia templum Dei eſtis? Quod vt probaret, adiecit, Et Spiritus Dei habitat in nobis. Deus ergo habitat in tẽplo ſuo, non ſolùm Spiritus ſanctus, ſed etiam Pater, & Filius, qui etiam de corpore ſuo (per quod factus eſt caput eccleſiæ, quæ [16] in hominibus eſt, vt ſit ipſe in omnibus primatum tenens) ait [17], Soluite templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud. Templum ergo Dei, hoc eſt, totius ſummæ illius Trinitatis ſancta eſt Eccleſia, ſcilicet vniuerſa in cælo & in terra.*

1 *Cùm autem.* Tranſitio eſt ad ſequentes Symboli Apoſtolici articulos, & hunc eundem ordinem ſequitur idẽ Auguſtinus lib. De agone Chriſtian. ca. 28. & De fide & Symbolo cap. 9. Etſi autem variè in hoc articulo erratum fuiſſe idem docet: à Montaniſtis primùm: deinde ab Arrianis, A Manichæis, Macedonianis, denique ab ipſo Euſebio Pamphili, tamen, vt tradit idem Auguſtinus, ſuo ſeculo de Spiritu ſancto nondum tam copioſè & diligenter diſputatum erat à doctis, vt intelligi poſſet eius proprium, vt eum neque Patrẽ neque Filium diceremus, ſed Spiritum ſanctum. In Alexandrina tamen Synodo, quæ Athanaſij tẽpore fuit, Socrates Scholaſt. lib. 3. Hiſtor. cap. 7. ſcribit plenam iam & luculentiſſimam diſputationem de Deitate Spiritus ſancti habitam fuiſſe. Ruffinus etiam lib. 1. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 29. & ipſe Auguſtinus præclarè de toto hoc argumento libro 15. de Trinitate cap. 26. & 27. agunt.

2 *Trinitas compleretur.* Idem Auguſtinus. Iungitur confeſſioni noſtræ ad perficiendam fidem quæ nobis de Deo eſt, Spiritus ſanctus, nõ de minore natura, quàm Pater & Filius: ſed vt ita dicã, conſubſtantialis & coæternus, quia iſta Trinitas vnus Deus: non vt idem ſit Pater, qui & Filius, & Spiritus ſanctus: ſed vt Pater ſit Pater, & Filius ſit Filius, & Spiritus ſanctus ſit Spiritus ſanctus, ſed B hæc Trinitas vnus Deus eſt. De fid. & Symbolo c. 9. De Patre enim & Filio procedit ſiue emanat, non vt ibi tempora vlla cogitentur, & prius de Patre Filius, & poſtea Spiritus ſanctus, ſed coæternus vtrique eſt. lib. 15. De trinit. cap. 26. Neque tamen Spiritum ſanctum genitum vel filium appellamus, ne cum Filio confundatur; neque ingenitum, ne cum Patre eſſe idem ſentiatur. Genitus non eſt, quia alio modo de Patre procedit, quàm Filius: Ingenitus dici nõ poteſt, quia ab alio emanat, nempe à Patre & Filio, contra quàm tamen Græci homines diutiſſimè contenderunt. Huius autem diuerſæ Spiritus ſancti emanationis à Patre & Filio, & planè alius & diſsimilis quàm Filij ab eodem Patre, explicatio eſt nobis incomprehenſibilis. Etſi Auguſtinus in li. De trinitat. varias ad eam rem ſimilitudines afferre conatur: & poſt eum Scholaſtici, in quo ſe fruſtrà torquẽt. Alium autem eſſe à Filio Spiritum ſanctum planè demõſtrat, quòd non eſt incarnatus Spiritus. & ideo dixit Euſebius li. 5. de vita Conſtantini, Spiritũ ſanctum thalami expertem, quia non eſt conceptus, vt Filius, qui homo factus eſt.

4 *Vnde ſancta commemoratur.* Quarta pars præcipua Symboli eſt de Eccleſia. C Nam prima eſt de Patre: 2, de Filio: 3, de Spiritu ſancto. Eundem ordinem alibi quoque habet Auguſtinus & vetus eccleſia omnis, vt etiam in Symbolo & Nicæno & Athanaſij apparet. Hîc autem apertè tria explicat Auguſtinus cùm de Eccleſia agit:

Nimirum tradit {
Ordinis rationem,
Rei, i. eccleſiæ definitionem,
Conditionem ſiue qualitates illius. quas hîc præcipuè tres

perſequitur {
Quo honore habenda,
Quàm latè diffuſa,
Quod caput habeat.

Non appellatur autem nunc cœtus fidelium & Chriſtianorum ſynagoga, ſed nouo nomine Eccleſia, etſi vtrumque Græcum eſt, quia Synagogæ vox, vt ait Beda, cùm collectionẽ ſignificet, etiam ad brutorum animalium greges & cœtum pertinere poteſt. Eccleſia verò non poteſt. Hæc prima ratio. Altera, quòd vtriuſq; Teſtamẽti diſtinguẽdi cauſſa id factum eſt. Nam qui vetus adhuc ſequũtur nouo patefacto, quales Iudæi iudaizantes, A Synagogæ nomine appellantur.Qui autem Chriſtum amplexi ſunt, Eccleſia nominantur. & ſcripſit Auguſt.tractatum de Eccleſiæ & Synagogæ differentia.

4 *Ad Hieruſalem liberam.* Locus eſt ſumptus ex Paulo.Galat.4.v.26.cui ſimilis Apocal.21. ver. 2.Duas enim eſſe ciuitates , & cœtus ſiue ſocietates hominum idem docet lib.14.De Ciuita. Dei cap.28.& lib.15.cap.1.lib.11. de Geneſ.ad lite.ca.15. quarum vna prædeſtinata eſt regnare in æternum cum Deo : altera æternum ſupplicium ſubire cum diabolo, quas amores duo fecerunt: Terrenam quidem amor ſui vſque ad contemptum Dei: Cœleſtem verò,amor Dei vſque ad contemptum ſui. Cœleſtis ciuitas eſt Dei Eccleſia & Hieruſalem,libera mater omnium fidelium (vt ipſe ſcribit lib. De Baptiſ.contra Donat.c.16) quæ peperit Abel, Enoch,Noe,Abraham,Prophetas, Apoſtolos , & Martyres. Terrena autem eſt infidelium hominũ ſocietas,quæ Cain habuit,itẽ Cham,Iſmael, Eſau. Ergo vox,Hieruſalem, non pro vna Iudæorum ciuitate accipitur,ſed figuratè pro fidelium B congregatione vniuerſa quæ in Chriſto à Deo eſt,vt ipſe etiam explicat contra Petilia.epiſto.cap.10.& lib. 19.cap.11.de Ciuitat.Dei, vocat Hieruſalem myſticum nomen. Hæc eadem habet varia epitheta, dicitur Lilium, Sponſa Dei, Regnum cœlorum, Domus Dei, colũna veritatis,Arca Noe,de Quæſtio.ad Oroſi.quæſt.52, Mater noſtra , Virgo caſta, prole fœcunda , corpore pura,quam qui non habet matrem , nec ille habiturus eſt Deum patrem, Auguſt.libr.3. de Symbol. ad Catechum.ca. 13.& libr.4.cap.10.Sic Irenæ.lib.4.ca.18. dixit Eccleſiam eſſe ſemen Abrahæ.

5 *Quoniam.* Non eſt gloſſema,ſed aptiſſima occupatio , ne videatur in Symbolo apoſtolico ordo perturbatus,in quo quæ ad hominem Chriſtum pertinent , antecedunt articulum & confeſſionem de Eccleſia , cùm tamen nihil , niſi quod Deus eſt ,Eccleſiæ præponi debeat. Reſpondet igitur Auguſt. nihil in eo temere factum , quando quæ de homine Chriſto dicta ſunt , ea pertinent ad perſonam vnigeniti & λόγȣ, qui eſt Deus Patri C coæternus.

6 *Habitatori domus.* Explicat rationem ordinis,& cur poſtquam de Deo,id eſt Trinitate actũ eſt,de Eccleſia mentio ſtatim fiat in Symbolis. Ratio eſt à relatis ſumpta,& ea triplex.Nam cùm hęc ſint inter ſeſe

{ Habitator & Domus,
relata { Deus & Templum,
{ Conditor & Ciuitas,

neceſſe eſt iſta coniungi.At Trinitas eſt Deus,habitator, & conditor: Eccleſia autem Chriſtiana templum,domus & ciuitas, 1. Timoth.3. verſu 15. Pſalm.87.verſ.1.Ephe.2.ver.21.1.Pet.2.ver.5. Multò etiam arctius vinculum inter Chriſtum & Eccleſiam demonſtrat Paulus, cùm eam vocat complementum corporis Chriſti, Epheſ.1.v.23.Denique cùm quæcunque de Deo traduntur, fidelium gratia ſcripta ſint, illorum autem vniuerſa ſocietas ſit Eccleſia Dei, idcirco confeſſio de ea ſubiicienda fuit, vt quorum cauſſa illa commemorata eſſent,intelligeretur. Quo autem modo Eccleſia ſit Dei domus, vide eundem Auguſtinus lib.7. de Baptiſmo contra Donatiſt. cap. 51. Denique etſi plures eccleſiæ & particulares eſſe dicuntur, vt quæ Corinthi fuit,quæ Theſſalonicæ, vna tamen A eſt Dei domus,ait ipſe in Apo.Homil. 1. Sed & qui ſunt,& fuerunt,& futuri ſunt , fideles & pij omnes ad vnam hanc Eccleſiam Chriſtianam & Dei domum pertinent, Aug.in Pſal. 62. vna enim eſt Dei Eccleſia.

7 *Vetuſtatem captiuitatis.* Id eſt,poſt hanc peregrinationem,in qua captiui viuimus,& in vetuſtate carnis & peccati, cantabimꝰ canticum illud nouum,de quo eſt in Apocaly.14.ve.3.quod tamẽ dicitur eſſe canticum Moſis,Apocalyp.15.ver.3.

8 *Sed & illa.* In impreſſis eſt,Sed ex illa , propter præcedentia illa verba,Ex parte: ſed melius & ad ſenſum & ad ſtylum Auguſtini,vti reſtituimus.& ita in manuſcripto codice.Hîc autem continetur veræ Eccleſiæ definitio à materia.Eſt enim Eccleſia illa ſocietas,quæ non tantùm omnes fideles & pios homines viuos vel mortuos complectitur, ſed & angelos ipſos cæleſtes & beatos.Eodem ſenſu Ambroſ.in Luc.2.li.3.ait,Eccleſia eſt mater viuentium (id eſt eorum, qui vitam æternam habẽt)quam ędificauit Deus in ipſo ſummo angulari B lapide Chriſto.Ex quo apparet Auguſt.hîc definire & reſtringere Eccleſiæ veram appellationẽ ad eos ſolos,qui ſunt prędeſtinati ad vitam æternam,& eam propriè dici duntaxat illum cœtum, qui etiam ſæpe eſt inuiſibilis nobis. Etſi enim,vt idem ait in Epiſt.Io.1.Eccleſia ſæpe eſt conſpicua & manifeſtata Eccleſia: tamen ſępe etiã abſcõditur & eſt inuiſibilis.li.De vnitate eccle. cap. 20. Nam qui ad vitam æternam ſint prædeſtinati,ſæpe nulli nobis apparent,ſępe ab hypocritis non poſſunt à nobis diſtingui. Duas etiam illas vitas Eccleſiæ, &duos ſtatus Auguſtinus hîc complexus eſſe videtur,quos in Ioan.Euang. tract.124.notat ipſe,quorum vnus eſt in fide, alter in ſpecie : vnus in tempore peregrinationis huius,alter in æternitate mãſionis illius.Vnde Scholaſtici poſtea Eccleſiam diſtinxerunt in Militantem,quæ hîc agit:& Triumphantem,quæ in cœlis eſt:è quibus illa cum ruga adhuc eſt.Hæc quæ eſt in patria , rugam ampliùs non habet,nec peccatorum maculã. Sic Auguſt. ipſe Contra Donatiſt.poſt collat.cap.9. & lib. 22. de Ciuit.Dei cap.1.lib. 19.cap.20. C Denique hæc Eccleſia quæ definitur hoc loco,eſt illa, extra quã non eſt ſalus,vt ſæpe docet Auguſt.& De fide ad Pet.37.38.39.40.43.non quòd ipſa Eccleſia ſalutẽ conferat:ſed quòd omnes,qui ſalutem à Deo conſequuntur,ſunt eius membra. Quare hic non eſt definita Eccleſia,quæ hypocritas vnà cum piis cõplectitur.

9 *Sicut oportet.* Summam eſſe bonorum Angelorum erga pios homines charitatem dicit ipſe Auguſt.lib.19.de Ciuita. Dei cap. 9. Eos etiã eſſe ſpiritus in ſalutem piorum à Deo deſtinatos docet Scriptura,Heb.1.v.24.Sed notandũ quod addit Auguſt.Sicut oportet.Sic enim agunt , vt à Deo præcipiuntur agere,li.3.de Trinit.ca.8.& eo modo,& ea tantùm adminiſtrant, quæ iubentur, ne vllum propterea illis angelis beatis cultum deberi exiſtimemus.Sic Bernard.Sermo.12.in Pſal. Qui habitat.Quid enim,ait,extra ipſum reliquit cæteris,qui totum cor, totam animam, totam virtutemDomino Deo ſuo in dilectione donat.In ipſo igitur affectuoſè diligamus angelos eius , tanquam futuros cohæredes noſtros:interim verò rectores , & tutores à Patre poſitos & præpoſitos

no-

A nobis. Hæc Bern.& Ser.15.In eundem Pſ.Verumtamen,ait,non Michaeli,ſed Domino clamẽt deſideria tua, Libera me, & pone me iuxta te (quæ verba Papiſtæ pro deſunctis pronunciant) &c. Item idem,Non in vigilibus,non in homine, non in Angelis: ſed in me, ait Dominus ſperauit : nihil boni niſi ex me, nec per ipſos expectans. Aliter Scholaſtici ſentiunt,& eos colendos eſſe cenſent contra apertiſsimam Auguſtini mentem.Sed etiam eam hæreſin iam pridem damnauit Paul. Coloſ.2. Sunt enim illi tantùm conſerui noſtri, vt Apocalyp.19. & 22. & diligunt nos vt conciues ſuos,Soliloq.c.27.li.10.de Ciuita.Dei cap.7.8.ca. 26.non vt cultores ſuos.

10 *Vnde nec tota.* Prima conditio Eccleſiæ eſt hæc, vt Deo ſubiiciatur, neque ſe vel totam vel partem ſui pro Deo coli haberíve velit. Vnde Paulus Antichriſtum ex eo definit quòd in Dei eccleſia ſedens velit haberi pro Deo & numine, 2. Theſſalo.2.verſ.4. Conuenit Auguſtino cum dicto Iacobi patriarchæ, Geneſ.30.verſ.2. cum reſponſo Angeli,Apocal.19.verſ.10.& 22.ver.8. Ergo neque angeli cœleſtes, neque pij homines B ſiue viui,ſiue iam vita functi,(quos ſanctos canonizatos Scholaſtici appellant) in Dei Eccleſia coli debent. Vnde Auguſtin.libr. 1. de morib. Eccleſ. ca.30.ait, Eccleſiam veram nullam nobis creaturam inducere & offerre, quam adoremus, aut cui ſeruiamus, in quo illud inter λατρέυειν & δουλέυειν diſcrimen ſuſtulit & damnauit. Idem ſermo.131.de Tempore. Sciendum eſt, ait, quod Eccleſiam credere, non in Eccleſiam credere debemus : quia Eccleſia non eſt Deus,ſed domus Dei. Arnobius contra Gent,lib.3.de Angelis ipſis beatis loquens idem ſentit. Bernardus item ſermo.11.& 12. in Pſal. Qui habitat. Hoc autem videtur additum ab Auguſtino, quòd ethnici homines ſibi perſuaderent Chriſtianos colere deos plures, quia martyres & eorum memoriam piè honorarent, & conſeruarent. Sed hoc,ait Auguſt.lib.22.de ciuitat.Dei.cap. 10, ideo fiebat à Chriſtianis,vt Deus ipſe,non pii C illi mortui,honoraretur. Et tamen quid tunc ad eam idololatriam,quæ hodie in Papatu viget? quã ſi Ethnici viderent, iam non dubitarent affirmare plures deos manifeſtè ab iis coli, qui ſe Chriſtianos dici volunt. Etſi autem præclariſsima eſt Eccleſiæ dignitas, & portæ inferi aduerſus eam nihil poſſunt,Matt.16.tamen eſt Dei famula. Nec eam vim & poteſtatem ipſa à ſe habet, ſed à Deo, cui ſeruit, & à quo cuſtoditur, nimirum ne ſibi ipſi confidat. & hæc prima Eccleſiæ conditio eſt. Altera conditio eſt ſuperiùs explicata, nempe quòd per vniuerſum orbem latè diffuſa eſt. Id quod Auguſtinus contra ſchiſmaticos Donatiſtas vbique vrget. Eſt quidẽ in ea propagatione ſummum Dei beneficium, & implementum veterum vaticiniorum de regno Chriſti. Denique ex eo ſublata apparet differentia inter Eccleſiam Veteris & Noui Teſtamẽti,quod in Lege dicebatur,in ſola Iudæa notus Deus,Pſalm.76. At nunc,vt ait Malach.v.11, vbique Deo ſacrificatur: vera tamen Eccleſiæ nota in maiori hominum numero poſita non eſt. Ita explicandus locus Pauli Coloſſ.1. v. 6. Per ſex autem ætates creuit Eccleſia Dei, inquit idem Auguſt.lib.7.Quæſtio.in lib. Iudic.cap.49. Prima ætas eſt ab Adam ad diluuium.2, à diluuio ad Abraham:3, ab Abraham ad Dauid.4, ab hoc ad tranſmigrationem Babylonicam.5, ab illa trãſmigratione ad Virginis partũ:6, ętas inde ad finem A ſeculi, in qua latiſsimè diffuſa eſt ſumma Dei in Gẽtes beneficio. Sed præter ſuperiora omnia idẽ Auguſtinus lib.Contra Manichæorum epiſtol.c. 7.varias Eccleſiæ laudes enumerat, inter quas illa etiam eſt, quòd ab ipſa ſede Petri Apoſtoli vſque ad ſuum ſeculum ſucceſsio ſacerdotum perpetua fuerat in Eccleſia. Sed hoc Dei beneficium potius eſt, quàm nota vera Eccleſiæ. Neque enim,vt ipſe alibi docet ex perſonarũ ſucceſſione,ſed ex puritate doctrinę & ſacris Scripturis Eccleſia vera dignoſcenda eſt, In dialogo Eccleſiæ & Synagogæ cap.3.Contra Petilia.epiſtola.cap.2. Vti enim, ex ipſius Auguſtini mente,non eſt certo loco & vno circunſcribẽda Eccleſia,ita nec perſonis, vel earũ ſucceſſioni alligãda,quia innititur vni Chriſto ,in quo fundata eſt. Imprimis autem ipſe in ſermo. 13.de verb. Domini ſecundum Matthæum tollit Papiſtarum fundamentum, cùm docet non ſuper Petrum,ſed ſuper Chriſtum fundatam eſſe Eccle- B ſiam,Super me, ait apud eum Chriſtus,ædificabo te,non me ſuper te. Item lib.de Vnit. Eccleſ.cap. 2.& 16. Non in noſtris, ſed in Chriſti ſponſi eius verbis, ait, quæramus Eccleſiam. Idem Chryſoſtomus Homil.49.in Matth.cap.24. Quod eſt notandum aduerſus decantatam illam à Papiſtis perſonarum ſuceeſsionem. Quæ res non eſt vera Eccleſiæ nota. Nam & Turcæ & Arriani eſſent vera Dei Eccleſia,qui perſonarum ſucceſsionem habent & habuerunt diuturnam.

11 *Ex diis.* Locus eſt in Pſal.82.verſu 6.Ioan. 10.verſ.34.Cui ſimilis eſt 1.Pet.2.verſu 5. Ex hoc autem loco oſtenditur quãta ſit eccleſiæ dignitas ſupra omnem ethnicorum hominum conditionem. Itaque & Abraham pater fidelium dicitur amicus Dei: & nos non dicimur tantùm ſerui Dei,ſed etiam amici, qui verè in Eccleſia ſumus. 2.Chron.20.verſ.7.Iac.2.ver.23.

12 *Si creatura.* Spiritus vocem eſſe πολύσημον docet Auguſt.ipſe lib.12.de Geneſ.ad liter.cap. 7. quemadmodum apud Hebræos vox רוח Iob. 33. verſ.4.anceps eſt. Hîc autem eam perſonam, quæ in Trinitate tertia recenſetur, eſſe Deum, non autem creaturam, & eam quidem verum Deum C probat Auguſtinus ab ordine Symboli. Nam ponitur ante Eccleſiam. Item ab illius proprio. Habet enim Eccleſiam & ipſe pro templo, quemadmodum teſtatur Paulus. Denique arguebant etiã patres à ratione loquendi. Dicimus enim Credo in Spiritum ſanctum,vti Credo in Deum patrem. Alias rationes & Baſilius eſt perſecutus & ipſe in lib.de fide & Symb.cap.9.

13 *Neſcitis.* 1.Corint.6.v.19.

14 *Dicit Neſcitis.* Locus eſt.2. Corinth. 6. verſu 16. Et ita ſemper patres, & rectè argumentantur.

15 *Dicit Apoſtolus.* Idem locus eſt apud Paulum 1.Corint.3.v.16.

16 *Quæ in hominibus.* Puto eſſe gloſſema & hîc fidem manuſcripti deſydero. Nam hæc ſententia & manca eſt & ſequenti ratione ſeipſam euertit. Si enim Chriſtus in omnibus primas tenet,vti verè dicitur, eſtque dictum Pauli Coloſſ. ca.1.v.decimo octauo, certè non tantùm eius Eccleſię & & ſocietatis quæ inter homines eſt, caput eſt,ſed vniuerſæ,id eſt,eius etiã quæ inter angelos

A eſt,&,vt ipſe poſtea Auguſtinus explicat, quæ in cœlo & in terra eſt. Dicit enim Chriſtus ipſe, Omnis poteſtas mihi data eſt in cœlum, & in terram,Matth.28.ver.18.Paulus ipſe docet datum eſſe nomen Chriſto,etiam quâ homo factus eſt, ſupra omne nomen, Philip.2.verſ.9. & poteſtatem ſupra id omne quod nominatur & in hoc & in futuro ſeculo, Epheſ.1.v.21.Etſi verò quà homo factus eſt, & paſſus, & mortuus Chriſtus,fuit inferior angelis: tamen id pauliſper factum eſt & momento temporis, vt interpretatur Apoſtolus ad Hebræos cap.2.verſ.9. Adeò vt hoc gloſſema ſit omnino falſum.Nam cùm ſit vnus & idem Chriſtus qui & Deus & homo, & quòd de homine Chriſto dictum eſt,pertineat ad perſonam vnigeniti,vt ſuprà dixit Auguſtinus, peſsimè diſcerpitur, vt dicatur caput Eccleſiæ quæ in terris, quâ homo: & caput vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in cœlo & in terra,quâ Deus. hoc eſt fermè Neſtorianum eſſe.Ergo caput eſt totius ſiue vniuerſæ Eccleſiæ, B vt poſtea ſeipſum interpretatur Auguſtinus, non tantùm quâ Deus,ſed etiam quâ homo,id eſt,quâ corpus habuit, quâ mortuus eſt, & ſalutem generis humani perfecit,& ita perſona tota Chriſti hîc accipienda eſt, etſi in ea eſt alia humana natura, alia diuina.Caro autem Chriſti ſupra angelos glorificata eſt, quia hypoſtaticè vnita eſt Deitati, & eximiis ſupra angelos donis exornata. etſi tamen ſemper caro eſt, & manet caro circunſcripta & definita loco, & ſuis. i. eſſentialibus carnis proprietatibus.Non autem vbique eſt,& infinita. Hîc autem addita eſt ab Auguſtino tertia conditio Eccleſiæ veræ & Chriſtianæ:nimirū quòd Chriſtum habeat caput,non homines,non Petrum,nō Paulum, vt eſt 1.Corinth.1. Epheſ.4.verſ.15. Coloſſ.1. verſ.18.nedum alium aliquem inferiorem hominem.Cypria.in Tit. de Vnitate Eccleſiæ. Auguſtinus ipſe penè millies. Denique nec Imperator quidem ipſe eſt caput Eccleſiæ.Ambroſ.li.5. Oratio.Imperator bonus,ait,intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt,& extat Valentiniani primi Imperatoris dictum in hiſtoria Tripartita.

17 *Ait Soluite.* Locus eſt Ioan.2. verſ.19. Alibi C dicitur corpus Chriſti,Velum,Heb.10.v.20.

DE BONIS ANGELIS.

CAP. LVII.

Cæleſtis Eccleſiæ ſtatum eſſe ſtabilem & certum.

SEd de illa[1] *quæ in cælis eſt affirmare quid poſſumus? niſi quòd nullus in ea malus eſt*[2]*, nec quiſquam deinceps de illa cecidit*[3]*, aut caſurus eſt, ex quo Deus angelis peccantibus non pepercit, ſicut ſcribit*[4] *Apoſtolus Petrus, ſed carceribus caliginis inferni retrudens tradidit in iudicio puniendos reſeruari.*

1 *Sed de illa.* μερισμός. Cùm enim ſuprà duas Eccleſiæ partes conſtituerit, nunc de Cæleſti, id eſt,nobiliori agit:de Humana autem eccleſia inf. cap.61.dicet: Cæleſtis autem nomine hîc videtur tantùm complecti Angelos beatos,quemadmodū ex ſequenti diſputatione apparet,quanquam pios defunctos felices eſſe conſtanter affirmat Auguſt. ſed vtrùm illi ex Auguſt.mente ante reſurrectionem ſint in cęlis,poſtea cap.109.explicabitur. Eſſe autem angelos, contra quàm tamen Sadducæi A exiſtimarint,docet apertè Scriptura Act.23.ver.8. Hebr.1.ver.24.Pſal.103.verſ.24.Auguſtinus etiam ipſe in Pſal.103.quanquam Angeli corporeis oculis non cernantur,quia ſunt ſpiritus,non corpora. Nec enim in noſtra poteſtate eſt eos videre,ſed in illorum poteſtate cùm Deus iubet nobis apparere.De videndo Deo ad Pauli.cap.6. Eſſe item eos ſubſtantias reipſa ſubſiſtentes,non autem vanas animi noſtri cogitationes & phātaſias,vt Epicurei putant,docet idem Auguſt.li. De Cognitio. veræ vitæ ca.6. Sed vtrùm corpora propria habeant Angeli,an tātùm aſſumpta pro actionis ratione,quam iubentur exequi,lōgè difficilior quæſtio eſt. Etſi autem multa de iis Scholaſtici diſputant apud Lombard.lib.2.diſt.2.3.4.& 5. tamen ait Auguſt.lib.de incarnat.Verbi cap.6. quando Angeli Dei creati ſint, & quales & quomodo, nō ſatis intelligi poteſt,etſi ſpirituales.i.corpore & oſſibus carētes eos eſſe docet omnium orthodoxorū apertiſſima fides ex Heb.1.v.14.& Luc.24.v.39.

2 *Malus eſt.* Apocalypſ.22.v.15. Omnes enim Angeli qui Deo ſubditi manſerunt,bonum cōditionis B ſuæ ſeruarunt, & idcirco & boni, & ſancti angeli appellantur, quia retinuerunt ſanctitatem & bonitatem in qua primùm ſunt à Deo conditi, De Eccleſiaſt.dogmat.cap.59. Quod enim tam anxiè & variè diſputat Lombard.li.2. diſtinct.4. vtrùm ex Auguſtini mente dici poſsit Deū creaſſe angelos omnes primùm beatos & bonos vel non,quia ipſe lib.11.de Gene. cap.17.& 10. ait non fuiſſe malos angelos præſcios ſui ſtatus & ideo non beatos creatos,vno verbo explicari poteſt ex ipſo Auguſt.ad Oroſium quæſt.17, Omnes angeli, ait, æquales creati ſunt, ſed cadentibus malis per ſuperbiam,cęteri Domino pia obedientia adhæſerunt,accipientes certam ſcientiam ſuæ ſtabilitatis quam illi nunquam habuerunt,de quo ipſo & de bonitate eorum:in qua primùm cōditi ſunt, diſputat idem Auguſtinus lib.13.de Ciuitat. Dei cap.11.lib.11.c.9.& 11.Item de fide ad Pet.c.3.Ergo boni conditi ſunt, non perfecti tamen, ſed mutabiles, vt ſcribit ipſe lib.de vera religio. cap.13, & longè alterius naturæ,quàm ſit Deus. Sunt enim ipſi creaturæ,non creatores, nec eiuſdē cum Deo C ſubſtantiæ vel conditionis , De fide ad Paulum cap.22.& 23 Sed & in loco ſunt angeli, & eo circūſcribuntur,vt loquitur Greg.Magnus libr.2. Moral. non tamen dimenſiuè & habentes partium ſitū in eo loco vel vbi, cū ſint incorporei : ſed definitiuè,vt in ſcholis loquuntur,& proprietate ſubſtantiæ,quæ cùm ſit hîc,alibi non eſt. De ſpiritu & anima cap.18. Ergo boni Angeli in eo ſtatu permanſerunt,in quo creati ſunt : qui cùm ſit beatus,& felix,beati & felices ſunt illi. Nunc autem incommutabiliter in eo ſtatu beato ſunt. Id quod nō eorum naturæ,ſed diuinæ gratiæ eſt tribuendū.

3 *De illa cecidit.* Idem Auguſt.lib.11. de Ciuit. Dei c.13.Quis enim catholicus,ait, ignorat, nouū diabolum ex bonis Angelis vlteriùs nullum futurum, ſicut nec iſtum in ſocietatem bonorum Angelorum vlteriùs rediturum? Nam, vt eſt ſcriptum alibi , ne cadere boni poſsint omnino , incommutabilitatis virtutem acceperunt , De Eccleſiaſt. Dogmat.cap.62. vtrùm autem ſtatim an poſt aliquod ſuæ creationis tempus ceciderint,

quàm

A quàm ſit varia hominum ſententia ſuprà dictum eſt. In hoc tantùm vno immorabor, quod Scholaſtici quærunt, vtrùm boni Angeli poſt lapſum malorũ aliquid egerint, propter quod meriti ſint ipſi vt in ea gratia confirmarentur, quam à Deo acceperant. Et rectè reſponderat Lombard.lib.2. Sentent.diſtinct.5.cap. Hîc quæri ſolet: præmium in illis præceſsiſſe merita, & quòd gratiam confirmationis acceperint, non eorum merito, ſed Dei ſola benignitate factum eſſe. Sed noua Scholaſtica tam bonam ſententiam authoris ſui & magiſtri non amplectitur. Vult enim ipſa aliquod breue tẽpus bonis Angelis datum poſt lapſum diaboli, intra quod illam beatitudinis ſuæ certitudinem & confirmationem illi mererentur. Quod apertiſsimè refutatur in lib. De fide, ad Pet.cap.3. & lib.12. de Ciuitate Dei cap.9. Ideo autem ſic noua Scholaſtica ſtatuit, quòd meritorum hæreſin ex animo iam delere non poteſt quam ſemel imbibit.

4 *Scribit Apoſtolus*. Locus eſt in 2.Pet.2. verſ. 4. vbi quod ait Petrus παρέδωκεν εἰς κρίσιν τετηρημένους, hoc loco redditur, Tradidit in iudicio puniendos reſeruari, quod tamen ad verbum ſonat Tradidit iudicio reſeruandos. Ergo vocem, Puniendos, puto addititiam & tralatitiam, quæ ad verba hæc In iudicio, vti gloſſema appoſita eſt. Religioſè enim veteres obſeruabant in ſacræ Scripturæ verſione, qua vtebantur, vt verbum verbo redderent, neque quicquam adderent, quemadmodũ vox Puniẽdos adiecta eſt, vt etiã barbarè omnino loqui mallent. Eſt tamen in codice manuſcripto. Itaque retinui.

CAP. LVIII.

Incertum eſſe quæ ſint inter Angelos ipſos beatos differentiæ. Item de aſtris & ſyderibus quędam quæri poſſe.

QVomodo[1] autem ſe habeat beatiſſima illa & ſuperna ſocietas: quæ ibi ſint differentiæ[2] perſonarum, vt cùm omnes tanquam generali nomine Angeli[3] nuncupẽtur, ſicut in epiſtola ad Hebræos legimus,[4] Cui enim angelorum Deus dixit aliquando, Sede à dextris meis? Hoc quippe modo ſignificauit omnes C *vniuerſaliter Angelos dici: ſint tamen illic Archangeli:[5] Et vtrum ijdem Archangeli nominentur Virtutes, atque ita dictum ſit, Laudate[6] eum omnes Angeli eius, laudate omnes virtutes eius, ac ſi diceretur, Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes Archangeli: Et quid inter ſe diſtent quatuor illa vocabula, quibus vniuerſam ipſam cœleſtem ſocietatem videtur Apoſtolus eſſe complexus dicendo, Siue ſedes,[7] ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, dicant qui poſſunt, ſi tamen poſſunt probare quod dicũt: ego me iſta ignorare[8] confiteor. Sed nec illud quidem certum habeo, vtrùm ad eandem ſocietatem pertineant[9] ſol, & luna, & cuncta ſydera, quamuis nonnullis lucida corpora eſſe, non cum ſenſu & intelligentia videantur.*

1 *Quomodo*. Digreſſio in latiorem de beatis Angelis diſputationem, in qua tamen modeſtiam ſummam & ſobrietatem requiri docet ſuo exemplo Auguſtinus, cùm temerè non affirmet quæ ignorat. In libris tamẽ de Ciuitate Dei.11. & 12. & de Geneſi ad liter.lib.11. multa de iis copioſéque tradidit, quæ Scholaſtici poſtea latiùs propagarunt. Sed cùm illi Auguſtinum imitantes, ingenuè ſuam ignorantiam profiteri debuiſſent, veriti ne non omniſcij & μεγαλοφρονοῦντες viderentur, magiſtraliter etiam ignotiſſima quæque definierunt A ex Dionyſio quidem ſuo homine planè Platonico, & qui Chriſtiana fide leuiter tantùm tinctus fuit, ſi modò tinctus, nedum vt ſit ille Areopagita Dionyſius, qui à Paulo præceptore didicerat in ea quæ non viderat, ſeſe nunquam ingerere, Coloſſ. 2.verſ. Creaturarum autem inter ſeſe differentiam duplici ratione ſtatuit Auguſt.libr.11. De Ciuitat. Dei cap.16.

ſcilicet vel ex { Ordine naturæ.
Vſu noſtro.

Ordinis ratione, qui in natura ſpectatur, præſtant homines brutis animantibus: & Angeli hominibus, id eſt, Angelica natura humanæ. Nec obſtat quod ipſe idem lib.2. de viſitatio. infirmor. cap.6. ait, Nollem habere locum angeli, ſi poſſem habere locum debitum homini. & in Chriſto exaltata eſt natura humana ſupra angelos, Hebr.2. Illud enim pertinet non ad naturam, ſed ad gratiam, quæ præter naturam ipſam à Deo conceſſa eſt nobis hominibus per Chriſtum. Hæc autem de B Angelis beatis nunc diſputat, quòd ex Platonicorum diſputationibus multa iam à Græcis hominibus in doctrinam Chriſtianam inducta eſſent quando etiam tempore Pauli curioſa hominum ingenia iis quæſtionibus non abſtinuerunt. Acceſſerant etiam Manichæorum diſputationes, Porphyrij, Iamblichi & aliorum Chriſtiano nomini infeſtorum philoſophorum plauſibiles ſententię de Angelis. Denique Angelici hęretici exorti iam erant, de quibus ipſis agit Auguſt.libr. Ad Quodvultdeum, De Hæreſib. quò magis neceſſaria hæc digreſſio videatur, vt Laurentium nóſque ipſos armet Auguſtinus.

2 *Differentiæ perſonarum*. Id eſt, ſingulorum Angelorum. Singuli enim Angeli ſunt totidem perſonę & loco, & eſſentia ſiue ſubſtantia propria ſeparatæ: non ſolùm diſtinctæ, vt in Trinitate Pater, Filius & Spiritus ſanctus, qui ſunt diſtinctæ quidem perſonæ, non tamen eſſentia vllo modo diuerſæ & loco ſeparatæ. Perſona igitur hîc ex Boetio eſt definienda rationalis creatura, etſi ſpiritalis tantùm. Angeli enim omnino ſunt ſpiritus, & duntaxat ſpiritus. C Neque enim præter ſpiritus naturam animas habẽt Angeli, vt docet Auguſt. in argumento libror. Muſices. Itaque Scholaſtici negant eos inter ſe numero differre, quod eſt falſiſſimum: quia propter eſſeitatem nulla eſt in iis materialis quantitas, aiunt. Sed eſt diuerſum munus & qualitas, ex qua differentia inter eos numeralis accipitur, itémque ex diuerſis ipſis ſuppoſitis angelorum, eos numero inter ſe differre facillimè colligi poteſt. Vt autem perſonas Angelorum dixit Auguſtinus: ita Damaſcenus libr. de Duabus Chriſti Voluntatibus dixit eos ὑπόστασιν ſeparatam habere. οἱ δ' Ἄγγελοι, ait, καὶ ὁ Ἄνθρωπος ἕκαστος ἀποτετμημένην ἔχει ἑαυτοῦ ὑπόστασιν. Has autem differentias Angelorum quas ignorabat tantus doctor Auguſtinus, tamẽ Scholaſtica, quę ſecuta eſt, enodauit & audenter confinxit, Dionyſij, Gregorij, & Bernardi, Sermon.19. Cant. Cant. imaginationibus ſiue commentis freta. De quibus vide Lombardum libro 2. diſtinct. 9. & Viguier. in Inſtitutio. Nec tamen in iis inter ſe conſentiunt.

A Nam poſteriores à prioribus diſcedūt, imprimíſque à Dionyſio illo Gregorius & Bernardus & ab vtriſque Baſilius Magnus li.3. Contra Eunomium, qui cenſet Angelos omnes eſſe vnius inter ſe naturæ: differre autem inter ſe, quatenus maioribus muneribus à Deo ad tempus præficiuntur: veluti, Dignior eſt angelus ait , qui Nationi quàm qui vni tantùm alicui priuato homini præfectus eſt à Deo pro eo tempore, quo illud munus gerūt iſti duo Angeli. Tandem ſic rem totam tanquam honorarij arbitrij quidam componunt. Statuunt igitur tres bonorum Angelorum Hierarchias, ex modo cognitionis Angelicæ diuerſo, nempe Primam, Secundam, & Tertiam Hierarchiam. Prima immediatè cognoſcit ex Deo ipſo quæ ſcit, & Secundæ Dei voluntatem patefacit: Secunda verò Tertiæ Hierarchiæ explicat Dei voluntatem. At Tertia homines docet tantùm, non autem vllos angelos inferiores, quia vt aiunt illi, nulli ſunt infra Tertiam Hierarchiam Angeli. Contrà verò Auguſt. lib. 11. de Ciuitat. Dei cap. 29. lib. 15. de Trinitat. cap. 13. qui ſcribit omnes bonos Ange- B los non aliunde quàm ab ipſo Deo ſcire ipſius voluntatē, non autē de ea alios ab aliis edoceri. Hieronym. in epiſtol. ad Epheſ. capit. 5. ait ſtultiloquium eſſe in Dei Eccleſia , ſiquis de Angelis imaginetur huiuſmodi quædam, qualia Scholaſtici tradunt. Sed non contenti tamen illi dicunt in quaque Herarchia tres eſſe ordines. In prima ſunt Seraphim, Cherubim, Throni. In ſecunda Dominationes, Poteſtates, Principatus. In tertia Hierarchia ſunt Virtutes, Archangeli, Angeli infimi. Et hæc quanquam præter ſanctiſsimorum patrum ſententiam, atque etiam ex magna Sacræ Scripturæ ignorantia docentur, tamen magiſtraliter pronuntiantur atque affirmantur.

3 *Angeli.* Angelus Latina vox non eſt, ſed Græca, vt ipſe Auguſt. alibi agnoſcit. Et eſt nomē officij, non naturę. Αγγελος enim eſt nūtius. vnde & ſacrificatores & miniſtri Dei dicūtur Angeli Dei, Malach. verſu 7. & Chriſtus Angelus magni conſilij, Iſa. 9. Gregor. in Homil. Erāt appropinq. Sancti illi ſpiritus, ait, ſemper ſunt ſpiritus. Tunc C autem ſolùm ſunt Angeli, cùm per eos aliqua nūtiantur, qui idcirco priuatis nominibus cenſentur, vt Michael, Gabriel, Raphael, vt ſignetur per ea vocabula, quid in in ea operatione valeant.

4 *Loquitur.* Heb. 1. verſu 13 Pſalmo 110. verſu 1.

5 *Archangeli.* Hîc Scholaſtici planè ab Auguſtino diſſentiunt, qui Virtutes apertè diſtinguunt ab Archangelis , quos tamen eoſdem eſſe putat Auguſtin. Αρχαγγέλου voce vtitur Paulus 1. Theſſaloniſ. 4. ver. 16. qui locus ſi conferatur cum Matth. 24. verſu 31. facilè apparebit eſſe Archangelum eum qui vel pro muneris iniuncti ratione, vel dignitate & gratia accepta à Deo excellentior eſt inter cæleſtes ſpiritus qui mittuntur. Sic Michael Archangelus dicitur à Iuda in epiſtola verſu. 9. qui alios Angelos adiunctos, & tanquam adminiſtros habet, Apocalypſ. 12. verſ. 6. Denique qui idem dicitur non tantum eſſe in exercitu Dei, ſed princeps quidam in illo exercitu, Daniel 10. verſ. 13. 12. v. 1. Hoc tamen totum aliis diiudicandum relinquo.

6 *Laudate.* Locus eſt apud Dauidem Pſ. 148. verſ. 2. vbi eſt, כל-צבאו id eſt, omnis exercitus, non autem virtus כח. A

7 *Siue ſedes, ſiue.* Locus eſt in epiſtola Pauli ad Coloſſ. cap. 1. verſu 16. Inuiſibilia partitur Paulus bifariam,

in { Locos ipſos cæleſtes, quos θρόνους appellat,
Res, quæ ſunt in illis ſedibus & palatio illo cæleſti. Ij autem ſunt beati angeli, quos & κυριότητας & ἀρχὰς & ἐξουσίας appellat Paulus, non hîc tantùm, ſed & Eph. 6. v. 12. Rom. 8. v. 38. Vocat Petrus quoque 1 Petr. 3. ver. 22. quia Dei potentia & maieſtas maximè in iis elucet, & in eorum operibus, vti ex Iſa. 37. v. 36. apparet.

8 *Ignorare confiteor.* Hæc ſumma Auguſtini modeſtia & imitanda. Magna enim Chriſtianę ſapientiæ pars eſt multa ignorare & velle & poſſe. Nam quod iubet Paulus ſapere ad ſobrietatē, Roma. 12. v. 3. in his maximè rebus locum habet. Idem Auguſtinus ad Oroſium contra Priſcillianiſtas c. 11. ait, Et eſſe itaque ſedes, ſiue dominationes, ſiue principatus & poteſtates in cæleſtibus apparatibus firmiſsimè credo , & differre inter ſe aliquid B indubitata fide teneo. Sed quô me contemnas, quē magnum putas eſſe doctorem, quænam iſta ſint, & quid inter ſe differāt, neſcio. Nec ſanè ea ignorantia periclitari me puto, ſicuti non obedientia, ſi Domini præcepta neglexero. Tentat tamē ipſe hæc vocabula aliquatenus explicare, quæſt. 1. Veteris & Noui teſtamenti.

9 *Pertineant.* Quantum Platonicæ philoſophiæ tribuat Auguſtinus apparet ex libris De ciuitate Dei: ſed & ex libris De Trinitate, & De geneſi ad literam. Denique ex hoc loco, vbi nimiùm πλατωνίζει. quanquam idem lib. contra Priſcillian. cap. 8. negat aſtra eſſe animata. Quærere autem, Vtrùm ad Angelorum ſocietatem aſtra, ſol, & luna pertineant, eorum eſt, qui aſtra nō tantùm animata putant, ſed etiam ratione prædita. Id quod Plato in Timæo ſcribit, & animam ipſam cæli affirmat præſtantiſſimam eſſe, quod ab eo poſtea Stoici acceperunt retinuerúntque, quemadmodum libro 2. De natura deorum tradit M. Tullius. item Plutarch. in libr. De quæſt. Platoni. quæſt. 7. C Quem errorem & antea Lactantius refutauit lib. 2. Inſtitutio. Chriſtia. cap. 5. & ratio ipſa reuincit, nempe hæc, quòd cùm omnis Eccleſiæ particula vera Deum cognoſcat, ratione autem careāt aſtra & intelligentia , ad Eccleſiam Dei pertinere tanquam illius partes non poſſint. De fid. ad Petr. ca. 3. Natura intellectualis, ait, in animabus eſt hominum & ſpiritibus Angelorum. Deus quippe diligendi ac cognoſcendi ſe non niſi Angelis & hominibus indidit facultatem. Ergo non aſtris, non ſyderibus. Fortaſſe mouetur Auguſtinus, quòd exercitus cæleſtis pars ſunt aſtra, & quòd Pſa. 148. v. 3. iubentur Deum laudare. Sed & grando & nix, & glacies ibi quoque iubentur laudare Deum , & Dei arma ſunt ad malos & impios vlciſcēdos. Ergo & nix & grando, & glacies eſſent pars ſocietatis & Eccleſiæ cæleſtis. Quod quàm ſit abſurdum nemo non videt. Quid verò? Deut. 4. v. 19. dicuntur illa, etſi nobis ſuperiora, tamen nobis ſeruire. Sunt enim res prorſus & corporeæ & inanimatæ ſydera. Itaque hic næuus eſt ἀκυρολογία Auguſtini, vti etiam alia quæ ſequitur cap. 62. Tanti eſt prophanorum hominum ſcriptis abſtinere, vel ea cū iudicio tractare, ne vana illorum philoſophia

tandem

A tandem decipiamur & abripiamur, quod cauendū eſſe ſedulò monet Paulus.

CAP. LIX.

Sine periculo ignorari quomodo Angeli beati colloquantur nobiſcum, aut appareant nobis, ſiue in ſomnis, ſiue interdiu.

Itémque[1] *Angeli quis explicet cum qualibus corporibus apparuerint hominibus, vt non ſolum cernerentur, ſed etiam tangerentur. Et rurſus non ſolida corpulentia, ſed ſpiritali potentia quaſdam viſiones non oculis corporeis, ſed ſpiritibus*[2] *vel mentibus ingerant: vel dicant aliquid non ad aurem forinſecus, ſed intus in animo hominis etiam ibidem*[3] *ipſi conſtituti, ſicut ſcriptū eſt in prophetarum libro: Et*[4] *dixit mihi angelus, qui loquebatur in me. non enim ait, qui loquebatur ad me, ſed in me. Vel appareant*[5] *in ſomnis, & colloquantur. (Habemus quippe in Euangelio*[6]*, Ecce angelus Domini apparuit illi in ſomnis dicens.) His enim modis velut indicant*[7] *ſe angeli contrectabilia corpora non habere, faciúntque difficilimā quæſtionem, quomodo patres eis pe-* B *des*[8] *lauerint, quomodo Iacob cum angelo tam ſolida cōtrectatione luctatus*[9] *ſit. cum iſta quæruntur, & ea, ſicut poteſt, quiſque coniectat, non inutiliter exercentur ingenia, ſi adhibeatur diſceptatio moderata*[10]*, & abſit error opinantium ſe ſcire, quod neſciunt. Quid enim opus eſt vt hæc atque huiuſmodi affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum diſcrimine, quando ſine diſcrimine neſciuntur.*

1 *Itémque angeli.* Alia quæſtio de bonis angelis, & ea duplex. Prima, vtrùm angeli boni corpora naturalia habeant, vel aſſumpta tantùm & ad tempus: item cùm ea habent, vtrùm ſolida, an tenuia tantùm & non contrectabilia, vt ipſe loquitur, induant. Hæc prima quæſtio eſt. Secunda, Quomodo illi colloquantur nobiſcum, vtrùm ſeſe ſpiritibus noſtris immiſceant, vel non. In quibꝰ omnibus & temeritatem affirmandi & curioſitatem inquirendi vitandam eſſe docet Auguſtinus. Addunt Scholaſtici tres alias de iiſdem rebus quæſtiones. De voluntate angelorum beatorum, De ſcientia eorundem, Denique de colloquio & ſermone eorum inter ſeſe. Redeo ad quæſtiones propoſitas ab Auguſtino. Vtrùm igitur corpora ha- C beant angeli boni, varia inter veteres diſceptatio fuit, adeò vt alij aliis non aſſentirentur, ac ne quidem Auguſtinus in eo ſibi ſemper, ſed varius ſit. Ac eos habere corpora putant quidam, & ea etiā naturalia, vti Hilarius in Matth. cap. 5. Ait enim, Nihil eſt quod in ſua ſubſtantia & creatione non ſit corporeum. Tertullianus etiam animam hominis corpoream eſſe ſentit: itaque & angelos ipſos. In lib. De anima. & refert Aug. li. 10. De geneſ. ad literam ca. 25. Aug. ipſe in lib. 8. De ciuitate Dei c. 16. dæmonas, qui natura ſunt angeli, putat ex Platonicorum ſententia eſſe corpore aereos. Idem quoque eadem corpora, nempe aerea, bonis angelis tribuit, & ea etiam naturalia, quibus ipſi non ſubdantur, ſed quæ regant, & in ſpecies quas vident ſuis actionibus aptas & conſentaneas, mutēt, & transforment. Sic lib. 2. De Trinitate cap. 7. lib. 3. ca. 1. & li. 11. De Geneſ. cap. 13. Hoc ipſum tamen quomodo cum aliis eiuſdem Auguſtini dictis cōueniat, viderint docti. Scribit enim idem res incorporeas à corporeis differre, & negat ōne quod creatum eſt corpus eſſe, & Tertullianum reprehē- A dit & irridet, qui animam hominis corpoream ſenſerit. Denique abſurdum putat, ſi anima rationalis in aliquo genere corporis ponatur, quia omnino res eſt incorporea anima hominis. Ita ille libro 7. de geneſ. ad lit. cap. 9. & 21. 12. & lib. 10. cap. 24. & 25. Quòd ſi anima rationalis non eſt corpus cuiuſcunque generis ſtatuatur, nec ſolidum & contrectabile, qualia ſunt terrena & noſtra corpora: nec tenue & aereum, certè nec angeli quoq; boni erūt corporei, quia ſunt ſpiritus. Spiritus autem & corporis natura & definitiones omnino & toto genere differunt inter ſe, Luc. 24. verſ. 39. Vnde Bernar. Homilia 3. in capit. Miſſus eſt. ait, Angelicis ſpiritibus parietes non obſiſtunt, ſed corpora quantūlibet ſolida & ſpiſſa ſunt iis penetrabilia. Quare vera quoq; eſt eorum ſentētia, qui volunt, ſi quando angeli viſibiles & in corpore apparent, vti ſæpe patribus, ea corpora fuiſſe tantùm ab iis aſſumpta ad tempus, quantum eorum congruebat actioni & mandato illis à Deo imperato exequendo. Quod ipſum etiam idem Auguſtinus ſenſiſſe videtur li. 8. De geneſ. c. 24. & 25. lib. 3. De trinitate cap, 3. De eo tamen ambigere ſe dicit Bernar. Sermo 5. Cāt. B Canticor. Ergo in Ser. 5. in Cantica Canticor. ait: Ita inferior ſuperiórque ſpiritus propriis corporibus egent, ſed tantùm quibus iuuent, non etiam iuuentur. Quo nam enim modo implere ſuum miniſterium abſque corpore poſſent prȩſertim apud viuētes in corpore? Hinc eſt, quod & viſi ſunt patribus & ad eos intrauerūt, &c. ſed verior eſt eorū ſententia qui Angelicos ſpiritus omneis incorporeos omnino eſſe ſentiunt, & hoc nobis eſt amplectendum.

2 *Spiritibus.* In impreſsis Spiritualibus perperam. Legendum eſt Spiritibus. Nam Auguſtinus viſionum tria genera conſtituit ex triplici earum organo. Aliæ enim oculis corporis obuerſantur: aliȩ ſpiritui noſtro, quæ fiunt per corporalium rerum imagines abſtractas à nobis: aliæ menti & intellectui noſtro rationali, quales propheticæ. Mētem enim à ſpiritu in modo viſionum percipiendarum, tanquam diuerſa inter ſe organa diſtinguit C Auguſtinus libro 12. De geneſ. ad lit. cap. 7. 8. 14. Et hîc quoque ex eius mente ſic diſtinguenda hæc ſunt. Quȩ qui non intellexit, pro Spiritus legit Spiritualibus, & quidem perperam.

3 *Ibidem ipſi conſtituti.* Altera & ſecunda quȩſtio, Quomodo nobiſcum colloquantur Angeli boni: Vtrùm ſe noſtris animis commiſcentes, quia non ſunt corpora, an adſiſtentes tantùm nobis, dubia & anceps quæſtio eſt apud veteres. Ac primùm Angelos bonos adiuuare nos docet Scriptura, Heb. 1. ver. 14. & eo quidem modo, vt ſæpe nobis cuſtodes dati ſint, non modò ſingulis hominibus, ſed etiam prouinciis, & nationibus, Pſal. 90 Pſal. 34. verſu 8. Dan. 12. ver. 1. adeò vt, quemadmodum Origenes, Hilarius, Cyprianus, & Chryſoſt. ſentiunt, nos aduerſus diabolicos impetus ſæpe tueantur. Sæpe iiſdem ad nos internuntiis & vſus eſt antea Dominus, & vtitur, quando vult. Et hoc ipſum extra controuerſiam, maximè cùm pios conſolatur. Nec enim vtitur tunc Deus dæmonib. vt ſtultiſsimè philoſophi Ethnici, Porphyriúſque imprimis ſcripſit, contra quē Auguſtinus libro 8. De Ciuitat. Dei cap. 21. ex Iob. 33. verſ. 23. Sed quomodo in eo nos adiuuent illi, quæſtio eſt, quā hîc proponit & diſputat problematicè in vtramque

A partem Auguſtinus,non definit tamen.Quod certè ad ipſum Deum,intrinſecus agit in nobis & in Angelis.Quod autem ad angelos,ſic ſtatuit Auguſtinus , eos à ſeſe mutuò non iuuari intrinſecus, nec alium in alio agere:ſed Deus in iis agit,& quidem intrinſecus ea charitate qua eorum creator eſt.Quòd ſi à ſeipſis adiuuari dicendi ſunt,eo fortaſſe ſolo adiuuantur,quòd ſe inuicem vident, & de ſua ſocietate gaudent inter ſeſe in Deo.Sic lib. 8.De geneſ.ad liter.ca. 25. Quod ad nos homines, exiſtimauit aliquando Auguſtinus Angelos vt nos iuuarent & conſolarentur , ſeſe commiſcere noſtris animis, quia dictum eſt, Angelus qui loquebatur in me,Zach.1.verſ.19.2.ver.3.& 2. Corinth. 13.v.3.Aliquando autem aliud ſenſit, nimirum eos extrinſecus & forinſecus nos adiuuare per quædã viſa quæ nobis obiiciunt,& quæ ſimilia ſunt corporibus,quæquē angelicę ſubiacent poteſtati. Sic & eodē libro 8.De geneſ.cap.25.& de anima & ſpiritu cap.23.& 25.tam eſt in hoc ipſe varius. Veriſſimum autem eſt non commiſceri angelos , ac ne quidem beatos,cum animis noſtris,ſed,vt ait Cyprianus in Prologo ſup. Sermon.in legationibus ſuis ad nos ſe nobis viſu& auditu manifeſtãt,aliáque ratione nos iuuant,non commixtione ſubſtã- B tiarum ſuarum cum noſtra.Quod autem ait idem Auguſtinus ſermonem angelorum eſſe ſine ſono, libro 15.De trinitat.cap.13.illud debet accipi quoad eos ipſos , (ſi tamen inter eos eſt vllus ſermo) non tamen quoad nos.Nam quando aliquid nobiſcum colloquuntur & agunt,non ſemper carent ſermone & ſono , quanquam quòd ait Paulus de lingua Angelorum 1.Corinth.13.verſu 1.aliò planè ſpectat quàm ad hanc diſputationem.

2 *Et dixit.*Locus eſt Zacha.1.ver.19.2. ver.3.vbi nimirùm argutè explicat Auguſtinus perſpicuã inter Hebræos dicendi rationem ב׳ In me,id eſt, ad me.Sed Hebraici ſermonis imperitia ſæpe à veterib.erratũ eſt,& à ſenſu Scripturæ diſceſſum.

5 *Vel appareant.*In Impreſsis hæc perturbatè admodum leguntur ſic,Vel appareant & in ſomnis,& colloquantur more ſomniorum. Primùm verba hæc,More ſomniorum,pro Inſomniorum, C ſunt gloſſema ad ſuperiorem vocem Colloquantur,quæ aliquis addidit,vt clariùs ſequens Auguſtini concluſio innoteſceret,ex eo apparere nimirum angelorum corpora non eſſe ſolida,quia etſi colloquantur nobiſcum,non more verorum hominum,ſed inſomniorum tantùm (quæ tenuia & aerea corpora habēt) id faciunt.Itaque hoc gloſſema deleo.Deinde cùm ad caput Matthæi reſpexerit Auguſtinus,quid attinet addere More inſomniorũ?Deinde vox, &,perturbat omnino ſenſum qui nunc pulcherrimè fluit. Nec hic cum manuſcripto conſentio.

6 *Ecce Angelus,*Locus eſt Mat.1.ver.20.

7 *Indicant.*In impreſſis & manuſcripto, Velut iudicãt.Illud,Velut,quorſum obſecro? & hæc μείωσις planè Auguſtini & huius loci facilem mentem minuit,ſed retineat qui volet.

8 *Pedes lauerint.*Hoc extat ſcriptum Gene. 8. verſ.4.

9 *Luctatus ſit.*Locus eſt Geneſ.32.ver.24. Auguſt.ipſe lib.61.De Ciuitate Dei,ca.29.& 39.vtrãque hiſtoriam narrat. Vide eundem in quæſtio.in Geneſ.ca.34.

10 *Moderata.*Hanc animi modeſtiam vbique præ ſe fert,& retinet Aug.vti li.3.& 9.de Trinita. A Dei,& ſæpiſſimè in libris de Geneſi ad literam, quam ſi ſequens ætas & Scholaſtica imprimis eſſet imitata,tot quæſtionum & abſurdiſsimarum & vaniſſimarum labyrinthis neque ſe inuoluiſſet, neque alios in eos induxiſſet.

CAP. LX.

Potiſſimùm ſtudendum eſſe,ne à Sathanã qui angelum lucis imitatur,decipiamur.

MAgis opus[1] eſt diiudicare,atque dignoſcere,cùm ſe Sathanas[2] trãsfigurat velut angelum lucis,ne fallẽdo ad aliqua pernicioſa ſeducat.Nã quãdo ſenſus corporis fallit[3],mentē verò non mouet à vera rectáque ſentẽtia[4],nullum eſt in religione periculum.Vel cùm ſe bonũ fingens ea facit ſiue dicit,quæ bonis angelis cõgruunt,etiãſi credatur bonus,nõ eſt error Chriſtianæ fidei periculoſus[5].Cùm verò per hæc aliena ad ſua incipit ducere,tunc eũ dignoſcere,nec ire poſt eum magna & neceſſaria vigilantia eſt.Sed quomodo vnuſquiſque hominum idoneus eſt,omnes mortiferos eius dolos euadere,niſi regat[6] atque tueatur Deus? Et ipſa huius rei difficultas ad hoc eſt vtilis[7],ne ſit ſpes ſibi quiſque,aut homo alter alteri, B *ſed Deus ſit[8] omnibus.Id enim nobis potiùs expedire prorſus piorum ambigit nemo.*

*Magis opus eſt.*Admonitio vtiliſſima,per quã docet Auguſtin.quid maximè in tota hac diſputatione de Angelis cõducat nobis.Hoc autē eſt,ſi artes Sathanæ deprehendamus,& nobis ab iis caueam**ꝰ** Dei beneficio.Ac quidem, vt ex hoc toto capite poteſt colligi,variis modis apparet Sathan,

Nimirũ vel vt
- Sathan,& verè ſe repræſentans diabolum & tetrum
- Angelus lucis,& ſe diſſimulãs. Et tunc fallit vel
  - Corporis ſenſus duntaxat.
  - Animum etiam hominis,quē vel
    - abducit à recta via.
    - non.

De dæmonibus autem quàm multa idem Au- C guſti.lib.8.De ciuita.Dei diſputarit,& Lactã. Libro.2.Inſtitutio.apud eos quilibet poteſt videre. Ac primùm quòd quidam duo dæmonum genera faciunt,vnum bonum,alterum malum, illud planè repugnat ſacræ ſcripturæ.Semper enim in malam partē ſonat vox Dæmonis,etſi à ſciētia, δαίμων quaſi δαήμων ex eorum ſentētia eſt appellatus,1.Corint.10.ver.21.Auguſt.li.9.De ciuitate Dei cap.19. Quòd etiam alij volũt Angelorum fuiſſe duo primùm genera,vnũ ſupercæleſte , alterum mundanum , qui in hoc inferiori mundo facti ſunt , ex quibus mundanis facti ſint poſtea ij qui Dæmones nominantur:eſt etiam explodendum,etſi eam ſententiam probat & ſequitur Lactan.li.2.cap. 15. eámque refert Auguſtin.lib. 11 . De Geneſ.ad lit. cap.17.& 19.Dæmonas denique (inter quos eſt Sathan,aut potiùs quorum eſt princeps,qui & Diabolus dicitur)habere corpora aerea,falſum etiam eſt. Sunt enim ſpiritus & Angeli natura, nec habent corpora. Sunt etiam immortales diaboli & dæmones , non quia aerei ſunt corpore & in iis præualet elementum quod ad faciendum

A quàm ad patiendum eſt aptius, quam tamen rationem affert Auguſtinus libro 2. de Geneſ. ad lit. cap. 17. & libro 3. cap. 10, ſed quia ea conditione à Deo primùm ſunt creati, vt eſſent ſpiritus & ſubſtantię immortales. Fallitur etiam Auguſt. qui putat eos propter pœnam peccati habere ex cæleſtibus corporibus nunc aërea tantùm corpora. Et omnino in diſputatione de Dæmonibus errat ille in multis, qui ſobriè & cum iudicio propterea nobis legendus eſt. Quemadmodum & illud ſobriè eſt accipiendum, quod ait idem libro 11. De Geneſ. c. 22. Angelos malos bonis eſſe ſubditos, ne tantum poſſint, quantum nituntur. Nam Deo potiùs ſunt diaboli ſubditi quàm Angelis bonis.

2 *Sathanas.* Locus 2. ad Corinth. 11. ver. 14. Ait autem Paulus μεταχηματίζεται. Naturam enim ſuā non mutant diaboli, dum tales apparent, ſed bonorum Angelorum tanquam zelum & vultum inducunt, & verba & affectus ſimulant. niſi enim lateat ma'ignitas dæmonis, nō implet negotiū deceptionis, ait Auguſtinus li. 2. de Ciuit. Dei ca. 26.

3 *Senſus corporis fallit.* Certo certius eſt B Sathanam illudere nobis poſſe, & ita ſenſuum vim perſtringere, vt eos decipiat, & cùm aliud videant, putent tamen homines ſe id videre & cernere, quod non ſentiunt. Vti enim medicamentis poteſt à medicis vis ſenſuum & actio impediri: ita & à Sathana. Quando & ſenſus ipſos noſtri corporis corrumpere, vires labefactare, valetudinem bonam immutare poſſunt, & morbos in nobis creare, cuius rei exempla in dæmoniacis, qui etiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto ſanati ſunt, paſſim extant in Scriptura Matth. 12. verſ. 22. 43, 44. Luc. 11. v. 14. Inde etiam eſt, vt nos faſcinare poſſit Sathan: & eiuſdem Sathanæ opera etiam magi & incantatores homines nos faſcinant. Vnde faſcinus res nota etiam Paulo, Gala. 2. verſ. 1. Pſal. 58. v. 6. & Plutarcho libro 5. Sympoſia. quæſt. 7. Quanquam Auguſtinus libro 11. cap. 28. de Geneſ. putat id eſſe ſpecialius in ſerpentibus. Nam ſerpentes Marſorum & incantatorum carminibus ſępe eliciuntur. Sed Virgilius id communiter in omnibus rebus & animalibus fieri docet, vt & cantu, & alio etiam modo incantentur:

C Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Denique vim ipſam & facultatem procreatricem & genitalem in nobis occupare & retundere poſſunt. quemadmodū etiam ſcribit Tho. Aquinas. de quibus omnibus diximus in libro De veneficis & ſortiariis.

4 *Sententia.* In impreſſis poſtea addita ſunt hęc verba, Qua quiſque vitam fidelem gerit: quod eſſe gloſſema & barbarū & ineptum facilè percipiunt docti. Nam nec Auguſtinus ipſe ita loquitur, Vitam gerere: quanquam ſuprà ca. 42. Ætatem gerere dixit: ſed nec infimæ & marceſcentis Latinitatis author quiſquam. Soli monachi ſic dicunt. Deinde non agit hîc Auguſtin. magis de eo errore, per quem ab honeſta vita abducimur per diabolum, quàm à recta fide & cognitione Dei. Itaque vt ἀπροσδιόνυσα induximus, etſi retinent quidam manuſcripti.

5 *Periculoſus.* In impreſſis & hic additum eſt, Aut morbidus: mira gloſſatorum audacia, & poſtea librariorum negligētia. Quid enim, obſecro, hîc prodeſt & ſignificat, aut potiùs quid non obſcurat & deturpat hæc vox tam inſolens, & non familiaris Auguſtino? A Admonet etiam me hic locus, vt alium ſup. 24. à me prætermiſſum corrigā, vbi eadem vox incubat, Delectatione morbida vincitur. dele, Morbida, & ſic lege, Quoniam id errore non ſentit, vel delectatione vincitur. Vox enim Morbida, morbidi monachi & pecuini inſulſa annotatio fuit. Quod verò ad ſententiam & rem ipſam iam attinet, non eſt vſquequaque vera Auguſtini ſententia, nec admittēda. Ipſe quidem ſup. cap. 19. fatetur errorem eſſe, cùm quis eum hominem putat bonum, qui malus eſt: tamen quia tunc in hominis perſona tantùm error eſt, non eſt huiuſmodi error periculoſus fidei Chriſtianæ, quia in doctrina rerum bonarum & malarum nō erratur: ita ſuprà Auguſtinus. Hoc autem ſuum dictum accommodat & tranfert iam ad eum errorem, per quem Sathan creditur eſſe bonus angelus, quia eadem dicit, quæ & boni Angeli enūtiarent: quem errorem ipſe hoc loco pronuntiat non eſſe fidei Chriſtianæ periculoſum. Aliud tamen B ſequendum & ſentiendum eſt, Chriſto & Paulo autoribus, & ipſo etiam Auguſtino teſte. At Chriſtus Sathanæ ſe angelum lucis fingentis teſtimonium accipere recuſauit, tanquam omnino fidei periculoſum. Marc. 1. verſ. 25. Matth. 8. v. 29. Paulus etiam Pythoniſſæ egregium in ſpeciem tęſtimonium reiicit, Actor. 16. v. 17. Ratio autem redditur ab Auguſtino de Trinitat. libr. 4. cap. 17. quia cùm Sathan quædam de ciuitate ſanctorū, & Chriſto mediatore audita à ſanctis Prophetis vel angelis dicit, id agit, vt per hæc aliena vera fideles Dei ſi poſſit, ad ſua traducat. Vnde ſermo, 241, Ne credenda quidem ſunt, ait, quæ vera dicit Sathan. Ergo periculoſus omnino error eſt fidei Chriſtianæ is, per quem Sathan putatur eſſe angelus lucis, etſi vera ad tempus dicit. Quomodo autem ea, quæ ad Chriſtum pertinent dæmonibus innotuerint, explicat idem Auguſtinus libro 9. de Ciuit. Dei ca. 21. nimirum quia Deus voluit tātùm illis patefieri, quantum ad eos terrendos & prædeſtinatos ex eorum poteſtate eripiendos oportebat. Sed & ex Chriſti quoque miraculis, poteſtate, doctrina, & veritate Chriſtum eſſe illum Dei Filium & Meſſiam patribus promiſſum intellexerunt. C Cæterùm ea, quæ ad huius mūdi ſtatū pertinent, intelligunt longè faciliùs dæmones, propter tres maximè cauſas, quæ in libr. De diuinatio. Dęmonum afferuntur. Propter longam experientiam: Sunt enim à condito mundo. Propter faciliorem cognitionis eorum modum: Sūt enim perſpicaciſſimi, nec iis mediis egent, quibus nos terreni homines ad rerū naturas, effectus & cauſſas intelligendas. Quanquam tamen dæmonum cognitio etiam in his temporalibus rebus bonorum angelorum cognitione longè inferior & minor eſt, vt ait Auguſtinus libro 9. de Ciuitat. Dei cap. 22. Denique propter naturæ eorum præſtantiam. Mouentur enim de loco in locum celerrimè: ſunt virium quoad nos penè infinitarum, ſunt denique naturâ angeli dæmones. Hæc etiam ratio eſt, cur diuinare, vel cogitationes hominum enuntiare ſępe creduntur, cùm ea pręnunciāt, quę poſteà futura ſunt, quia priùs & citiùs quàm homines ex cauſis vel ſignis illa futura eſſe cognoſcunt. Quāquam & quæ ipſi facturi ſunt, ſæpe prædicunt, & futura quædam præſcire & dicere ſæpe

A cōcedātur à Deo, ad impios efficacius deludendos vt docet Auguſt.li.11.de Geneſ.ad liter.ca.17.

6 *Regat.* Spiritus diſcretionis eſt à Deo, 1. Io. 4.ver.1.itaque tantæ artes quantæ ſunt diaboli & vires, ſolius Dei auxilio cognoſcuntur & ſuperantur,, Epheſ.6.ver.12. Quomodo diſtinguantur docet idem Auguſtin.li.12.de Geneſ.ad lit.ca.14.

7 *Eſt vtilis.* Præter harum quæſtionum vſum quem hic notat Auguſtinus, vt vni Deo fidere diſcamus, poſtquam tantas Sathanæ vires eſſe cognouerimus, tres alios fructus refert ipſe libro 3.de Trinita.cap.7. Hæc enim tanta potentia diabolo à Deo data eſt, vt fallaces, id eſt, infideles fallantur, & fideles probentur, & ne homines iſta poſſe curioſè vel expetant, vel quærant. Sed & quarta hęc vtilitas addi poteſt, vt Deum ardentiùs atque impenſius inuocare, atque in noſtrum contra dæmonas auxilium appellare diſcamus, cùm ſit nobis tāto cum hoſte certamen.

8 *Sit omnibus.* In impreſsis legitur Suis omnibus. Certò promiſerim ſic ſcripſiſſe Auguſtinum quemadmodum reſtituimus, etſi noſter manuſcri-B ptus refragatur, & factā eſſe vocis Sit, in Suis mutationem, quod facile fuit. Nā & in libris de Trinitate ſic loquitur Auguſt. & hîc agit non de ſolis piis & fidelibus, ſed de omnibus in vniuerſum hominibus, qui omnes in vnum Deum ſperare debent, non autē vel ſibi vel alteri homini confidere Sæpe id repetit Aug. ex Hier.17.v.5. Pſal.118. v.8.

Cap. LXI.

Eccleſiam hîc peregrinantem hominib. fidelibus conſtare, qui hîc viuunt: quę etiā ſanguine Chriſti redēpta eſt, & ab eo protegitur.

Hæc ergo[1] quæ in ſanctis angelis & virtutib. Dei eſt Eccleſia, tunc nobis, ſicuti eſt, innoteſcet, cùm ei coniuncti fuerimus, in fine[2] ad ſimul habendam beatitudinem ſempiternam. Iſta verò, quæ ab illa peregrinatur in terris, eo nobis notior eſt, quòd[3] in illa ſumus, & quia hominum eſt, quod & nos ſumus. Hæc ſanguine C *mediatoris nullū habentis peccatum ab[4] omni redempta eſt peccato, eiúſque vox eſt[5], Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio ſuo proprio[6] non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Non enim pro[7] angelis mortuus eſt Chriſtus. Sed ideo etiam pro angelis fit, quicquid hominum per eius mortem redimitur, et liberatur à malo, quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam poſt inimicitias, quas inter homines & ſanctos angelos peccata fecerunt, & ex ipſa hominum redemptione ruinæ illius angelicæ detrimenta reparantur.*

1 *Hæc ergo.* Concluſio eſt ſuperioris diſputationis cum tranſitione ad alterā Eccleſiæ partem. Eſt autem illa pars, quæ nūc agit & verſatur in terris, quæqúe in hoc mundo peregrinatur adhuc, & Terrena Eccleſia à loco appellatur. De qua tria hæc docet breuiſſimè & commodiſsimè Auguſtinus,

ſcilicet	1 Quibus conſtet,	Hominibus.
	2 Quæ ſit ei' cōditio, hîc	Redempta.
	3 A quo defendatur,	A Deo.

2 *In fine ad ſimul.* Subolet mihi neſcio quid gloſſematis hic locus, cùm ſatis ſit alterutrum dixiſſe, & phraſis ipſa nō ſit ſatis Auguſtiniana, Ad ſimul habendam &c. Ergo videtur eſſe gloſſema, A ad illa genuina Auguſtini verba, Cùm ei coniuncti fuerimus in fine, quod ſequitur, Ad ſimul habendam beatitudinem ſempiternam: inducere tamen non ſum auſus, quia ita eſt in manuſcripto codice.

3 *Quod in illa ſumus.* Hoc verum eſt, & ſumptum ex 1.Ioan.2.verſ.19.1.Petr.2.ver.4. Hoc autē eſt primum caput, quod de Terrena Eccleſia explicat Auguſt. Eam nimirum hominibus conſtare, iiſque mortalibus, & in hoc mundo verſantibus & adhuc peregrinantibus. Primùm ne hîc in terris perfectam, & abſque omni ruga iuſtam Eccleſiam quæramus, quod Donatiſtæ faciunt. Conſtat enim hîc Eccleſia hominibus etiam peccatoribus & infirmis, & nondum plenam iuſtitiā conſecutis, 1.Ioan.1.1.Corinth.6.verſ.10.11. Et ſancti appellantur pij & fideles, qui illius partes ſunt. Hæc autem primùm viſibiliter ſigno Circuncifionis in Abrahamo eſt ſancita & deſignata, & à cæteris hominum ſocietatibus diſtincta, Geneſ.12. verſ.1.17.verſ.10. Deinde hoc ipſo docetur in terris eſſe aliquā Dei Eccleſiā, vt quādo talis hominū B cœtus Dei gratia viſibilis eſt (etſi vilis & contēptus mūdo erit) nos tamen illi adiungamus, iuxta illud Chriſti, Vbi cadauer, illic aquilæ, Mat.24.v.28. & Iſa.2. v.2.3, Venite, aſcendam' in montē Domini Neq; .n. Eccleſiæ ἀτιμία inter homines, à nobis ſpectari debet, quia humilia elegit Domin', 1.Cor.1.v.26.28. Hîc autē dixit Auguſtin' nos peregrinari ab Angelis, id eſt, abſētes eſſe, nec eodē adhuc in loco quo illi ſūt, vti dixit Paulus, nos peregrinari à Deo, 2.Corint.5.ver.6. etſi tamen ſæpe angeli Dei iuſſu nos circundant, & circunſtant vti cuſtodes, ſúntq; nobiſcum præſentes. ſed hic locus & aer non eſt proprium eorum domicilium.

4 *Ab omni redempta.* Secundum caput de Eccleſia terrena. Eam hîc etiam ab omni peccato redemptam eſſe, ídque vnius Chriſti ſanguine, ne illi imputetur. Hoc notandum, quia Chriſti ſanguine tolli omne peccatum vbique docet Auguſt. & hoc obſeruent ſcholæ, nec alia peccatorum ſiue venialium, quę vocant, ſiue mortalium piacula quærant. Ergo hic vnus in mundo cœtus eſt Deo C pretioſiſſimus, eſt genus electum, regnum ſacerdotale &c. 1.Pet. 2.ver. 9. Etſi tamen ſæpe in hoc mundo variè, vti nauicula quædam in vaſtiſſimo pelago tempeſtatibus agitatur, Iſa.54.v.11.

5 *Eiúſque vox eſt.* Tertiū caput huius diſputationis, A quo Eccleſia terrena protegitur, nempe à Deo. Locus hic ſumptus eſt ex Pauli epiſt. ad Rom.8.ver.21. Pſal.118.ver.7. Quamuis ergo innumeros hoſtes habeat hîc in terris, portæ tamē inferi aduerſus eā non pręualebunt, vt promittit Chriſtus, Mat.16.ver.18. Dominus enim pro ea magno zelo commouetur. Zach.8.ver.1. Cum ea affligitur & cum ea deſcendit in Ægyptum, Geneſ.46. ver. 4. Ergo hæc ſumma eſt omnium noſtrûm conſolatio.

6 *Proprio.* In impreſſis & manu ſcripto additum eſt, Suo, quod eſt gloſſema ad voces, Filio proprio: tamen non deturbauimus. Paulus ſic habet, vnde hæc ſumpta ſunt, ὅς γε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο.

6 *Non pro Angelis.* Nec pro bonis, nec pro malis angelis mortuus eſt Chriſtus, Heb.2. Quidam tamen cenſent Chriſtum etiam bonorum Ange-

A lorum dici mediatorem,non quidem eodem modo,quo hominum. Cùm enim illi nunquam peccarint , peccatorum expiatione non habuerunt opus,quæ tamen nobis hominibus omnino neceſſaria eſt. Sed cùm Angeli ſancti ne coram Deo quidem puri ſint, Iob. 4. aliena commendatione egent , nempe Chriſti.Cùm item boni angeli ſint creaturæ,ea electione Deo placent,& prælati ſunt malis, quòd propter Chriſtum Filium ſpecialiter ſunt electi , & reſeruati. Vnde Chriſtus eorum etiam conciliator quodammodo appellatu.

DE RECONCILIATIONE & pace noſtra cum ſanctis Angelis.

CAP. LXII.

Per Chriſti ſanguinem & mortem omnia reſtaurari , & inter ſe Angelos beatos & fideles homines reconciliatos eſſe.

ET vtique[1] *nouerunt ſancti Angeli docti de Deo, B cuius veritatis æterna contemplatione beati ſunt, quanti numeri ſupplementum de genere humano integritas illius ciuitatis expectet. Propter quod ait Apoſtolus*[2]*, inſtaurari omnia in Chriſto quæ in cœlis ſunt,& quæ in terris. In ipſo quippe inſtanrantur quæ in*[3] *cœlis ſunt,cùm id quod inde ex Angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur. Inſtaurantur autem quæ in terris ſunt,cùm ipſi homines,qui prædeſtinati ſunt ad æternam vitam à corruptionis vetuſtate renouantur. Ac ſic per illud ſingulare*[4] *ſacrificium , in quo mediator eſt immolatus (quod vnum multæ in lege victimæ figurabant) pacificabãtur cæleſtia cum terreſtribus,et terreſtria cũ cæleſtibus , quoniam ſicut idem*[5] *Apoſtolus dicit, In ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum , pacificans per ſanguinem crucis eius; ſiue quæ in cœlis ſunt, ſiue quæ in terris.*

1 *Et vtique.* Eſt πόρισμα ex ſuperiore diſputatione, & conſectarium de noſtra cum beatis Angelis reconciliatione per Chriſti mortem , vt intelligatur quantus ſit mortis illius fructus , & quanta iam per Chriſtum totius Eccleſiæ inter ſe cõcordia ſit & charitas. Falſum autem eſt quod C hoc loco ait Auguſt. bonis Angelis cognitum eſſe eligendorum hominum & ſaluandorum numerum. Nam id ſoli Deo notum eſt , quemadmodũ ait Paulus 2.Timo.2.verſu 19.& ſolus Agnus dicitur eſſe dignus aperire libros , in quibus Dei electi ſunt ſcripti,Apocal.5.ver.3. Diſertè enim pronũtiatur neque in cœlo,neque in terra alium eſſe, qui illos libros inſpicere poſsit præter Agnum. Denique ſi ne ea quidem arcana cognoſcebant primi Angeli, quæ pro ſalute hominũ poſtea impleuit Chriſtus , ſed in illa introſpicere deſyderarunt,vt Petrus ait, tanto minùs numerum electorum cognoſcunt , quem Deus in ſua vnius poteſtate poſuit,1.Pet.1.verſ.12. Auguſt.ipſe idem ſentit lib.De Prædeſtina.& Grat. cap.3. Quanquam idem Auguſt.lib.5.de Geneſ.cap.19.ſcribit Angelis notum fuiſſe à ſeculo & tempore, quo conditi ſunt, ſalutis noſtræ myſterium , quod ipſum non puto verum. Ergo in vtroque hoc Auguſtini dicto eſt ἀκυρολογία & præferenda eſt ſacræ Scripturæ authoritas. Quod autem ait Auguſt. eos à Deo edoceri,quia veritatis illius æterna contemplatione beati ſunt,atque etiam fruuntur ſemper (Neque enim deſinunt ea frui cùm ad nos mittuntur, A & cuſtodiunt nos , vti præclarè annotat Gregor. Mag. in Moralib.) non eſt ita accipiendum , quaſi beati Angeli in Deo omnia videant , quæ Deus fieri apud ſe decreuit,ſíntque rerum omnium futurarum præſcii. Eſſet enim eorum cognitio par & æqualis diuinæ,quod fieri non poteſt. Vnde diligenter perpendenda eſt illa eiuſdem Gregorij libr.2.Moral. ſententia : Quid de iis quæ ſcienda ſunt, neſciunt, qui ſcientem omnia ſciunt? Rectè addidit, Quæ ſcienda ſunt. Eſt quidem Angelica ſcientia omni noſtra cognitione longè excellentior ,ſiue de rebus diuinis,ſiue de humanis loquimur. Ipſi enim cauſſas rerum terrenarum, antequam eueniant,præſciunt. Nos autem vix ac ne vix quidem & cum magno labore inueſtigamus eas,poſtquam etiam res ipſæ ſunt in actu. Angeli beati Dei fruitionem & charitatem omni alij cognitioni præferunt, quemadmodum ſcribit idem Auguſt.libr. De Cognitio. veræ vitæ,cap.6.& De Ciuita.Dei li.9. cap.22.propterea tamen non ſunt exiſtimandi omnia ſcire , etiam ea quæ apud Deũ arcana ſunt , vti diem extremi iudicij & ſimilia, B cùm eorum cognitionem creſcere poſſe doceat Paulus Epheſ.3.verſ.10. Sciunt igitur de iis rebus quæ ad electos & eorum ſalutem pertinent, itémque ad Eccleſiæ ſtatum , quantum Dominus illis reuelat ad mandatorum ſuorum executionem. Alia verò neſciunt. Denique perperàm ſentiunt & ſcribunt quidam,eos in facie Dei tanquam ex ſpeculi reflexione omnia cernere etiam quæ hîc aguntur.Hoc planè diuinare eſt. Quid enim hoc pertinet ad Angelos , cùm eorum felicitas ſit Dei charitate frui,non autem terrena hæc noſſe? Scholaſtici homines in iis meteoriis diligentiſsimè perquirendis , & in definiendis vaniſſimi , dicunt Angelos bonos tribus modis cognoſcere : 1 Per ſpecies rerum ſibi congenitas: 2 Per cognitionem rerum in Verbo: 3 Per ſpecialem reuelationem à Deo factam.

2 *Ait Apoſtolus.* Locus eſt Epheſ.1.verſ.10. cui ſimilis 2.Corinth.1.ver.20.5.verſ.19.Coloſſ.1. ver. C 20. Exiſtimarunt igitur veteres propter peccata noſtra Angelos nobis inimicos factos , qui iam per Chriſti mortem ſint nobis reconciliati. Nam vt ait Baſil.Homil.9.in Pſal.34. Quemadmodum fumus fugat apes , ita peccata noſtra Angelos fugant à nobis. Itaque quod Paulus ſcripſit de noſtris inimicitiis cum Deo ſiue Chriſto , Epheſ.2. verſ.16.Coloſſ.1.ver.21, ad Angelos tranſtulerunt illi.Perperàm tamen.Idem enim Paulus 2. Cor.5. verſ.18.docet noſtram recõciliationem per Chriſtum factam eſſe cum Deo, & ad Deum eam reſtringit, de Angelis nuſquam agit. Et iſta philoſophia de huiuſmodi fructu mortis Chriſti eſt deerratio extra oleas.Neque enim,vt docet Auguſt. ipſe libr.De vera religio. cap.55.videndo Angelos beati ſumus,ſed videndo veritatem & Deum , per quem etiam ipſi Angeli beati ſunt , & Angelos ipſos diligimus. Ergo quid ad ſalutem noſtram ſpectat iſta reconciliatio noſtra cum Angelis? Res quidem iſta ſic habet. Deo nobis infeſto , omnia ſunt quoque nobis iure & meritò infeſta & inimica , quia omnia Dei gloriam pro virili conantur vindicare,Pſal.139.ver.7.Deo autẽ placato omnia ſunt nobis amica, & fauent,etiam arbores ipſæ & bruta animantia,nedum beati Angeli.Nec

A tamen propterea nos cum iis per Chriſtum reconciliatos eſſe dicendum eſt. Omnes enim abſurdum eſſe vident.

3 *Quæ in cælis.* Quæ ſit horum verborum ſententia & vera mens explicauit primus, & quidem doctiſſimè Th. Beza. Nam ex hypotheſi & locorũ circunſtantia generalis illa ſententia & loquendi ratio reſtringenda eſt ad ſolos homines pios, quorum cùm ſit ſtatus duplex,

vnus eorum, qui { In cœlos iam recepti ſunt:
In terris adhuc viunt:

Vtroſque voluit complecti Paulus, quos ſolius Chriſti beneficio Deo reconciliatos docet, vt patrum etiam & patriarcharum ſalutem ab eo eſſe & ſolo intelligeremus, Apocal. 13. v. 8.

4 *Singulare.* Hoc obſeruandum. Ergo ſi iteratur hoc ſacrificium, Chriſtus mactatur & trucidatur. Quò pertinet igitur Miſſa Papiſtica? Eſt, aiũt, applicatio huius Chriſti ſacrificij, Imò verò eſt B Cœna Domini vera applicatio hui' ſacrificij. Neque enim illud applicari nobis poteſt qua ratione imaginamur, ſed qua ratione Dominus ipſe iuſſit. De tota hac & certè vtiliſſima quæſtione legenda eſt doctiſſimi verbi Dei miniſtri, & conſtantiſſimi Chriſti martyris Guidonis Breſæi (qui captis Valẽtianis, quod eſt Belgarum oppidũ, pro nomine Dei paſſus eſt anno 1567. Calend. Iuniis.) diſputatio & commentatio pulcherrima.

3 *Idem Apoſtolus.* Duo loci ex epiſtola Pauli ad Col. Prior ex ca. 2. v. 9. Poſterior ex c. 1. verſ. 20.

CAP. LXIII.

Huius reconciliationis fructum eſſe pacẽ, quę cũ Deo ſemper ſuperat noſtrum intellectum: cum bonis autem Angelis, in hac quidem vita captũ noſtrum excedit, in futura verò non excedet.

Pax iſta[1] præcellit, ſicut[2] ſcriptum eſt, omnem intellectum, neque ſciri à nobis, niſi cùm ad eam peruenerimus, poteſt[3]. Nam ibi ſemper eſt pax, & inter ſe vniuerſis intellectualibus creaturis, & cum ſuo creatore. C *Quæ pax præcellit, vt dictum eſt, omnem intellectum, ſed vtique noſtrum non eorum qui ſemper vident[4] faciem Patris. Nos autem, quantuſcunque ſit in nobis intellectus humanus, ex parte[5] ſcimus, & videmus nunc per ſpeculũ in ænigmate. Cũ verò æquales Angelis Dei fuerimus, tunc, quemadmodum & ipſi, videbimus facie ad faciem, tantúmque pacem habebimus[6] erga eos, quãtum & ipſi erga nos; quia tantum eos dilecturi ſumus, quantum ab eis diligimur. Itaque pax eorum nota nobis erit, quia & noſtra talis ac tanta erit: nec præcellet tunc intellectum noſtrum. Dei verò pax, quæ illic eſt erga eos, & noſtrum & illorum intellectum ſine dubitatione præcellet[7]. De ipſo quippe beata eſt rationalis creatura quæcunque beata eſt, non ipſe de illa. Vnde ſecundum hoc melius accipitur quòd ſcriptum eſt, Pax Dei quæ præcellit omnem intellectum, vt in eo quod dicit, Omnem, nec ipſe intellectus ſanctorum Angelorum eſſe poſſit exemptus, ſed Dei ſolius. Neque enim & ipſius intellectum pax eius excellit.*

1 *Pax iſta*). Αὔξησις huius noſtræ cum Angelis reconciliationis à rei ipſius dignitate, quæ tanta eſt, vt hìc à nobis comprehendi non poſsit. Sed & eius quoque fructum hunc eſſe oſtendit Auguſtinus, nempe quòd cum iiſdem habemus pacem. A Duplicem autem ex morte Chriſti pacem nobis dari idem hoc loco explicat,

nimirum cum { Deo.
Angelis bonis.

Quæ cum Deo eſt, illa neque hìc, neque in futuro ſeculo comprehendi poteſt ſiue à nobis, ſiue ab Angelis ipſis. Quę pax nobis intercedit cum bonis

Angelis, illa { Hìc quidem à nobis comprehendi non poteſt, quia ex parte tantùm videmus.
In futuro autẽ ſeculo poteſt, quia par erit noſtra charitas angelicæ, & nos & illi æqualiter diligemus.

Hæc ſumma eſt huius loci. Hìc autem Auguſtinus ſummum & feliciſsimum beatitudinis noſtræ ſtatum cogitans & deſcribens, Pacem appellauit, quam eàdem eſſe finem bonorum noſtrorum dixit, maximè ſi illam pacẽ æternam intelligamus. Hæc enim pax, quam in terris habent fideles, eſt potiùs miſeriæ ſolatium & relaxatio quędam ſiue refrigeratio, quàm beatitudinis præmium, lib. 19. de Ciuita. Dei cap. 11. & 27. B Sed in hoc quoque nimis argutè philoſophatur, quòd beatitudinis noſtræ eſſentiam & Chriſti mortis fructum ipſiſsimum putat eſſe neſcio quã particularem noſtram cum bonis Angelis pacem & concordiam, cùm paſſim & diſertè Paulus illam pacem, quæ nobis per Chriſti ſanguinem parta eſt, dicat eſſe cum Deo, Rom. 5. verſu 1, Iuſtificati igitur ex fide, ait, pacem habemus erga Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Idem Eph. 3. verſ. 19. Philip. 4. verſ. 7. quæ eadem pax dicitur eſſe pars regni Dei in nobis, vti & iuſtitia & gaudium, Rom. 14. verſ. 17. Denique Angeli ipſi Luc. 2. verſ. 14. de iſta pace ſecum facta non meminerunt, cùm tamen pacem per Chriſtum hominibus annuntiant. Et hæc Auguſtini ſententia inducit quædam fundamenta venerationis & cultus Angelorum. Ergo huiuſmodi patrum dicta, niſi ſanè intelligantur, ἀγγελολατρείαν inuehunt, quam tamen damnat & Paulus Coloſſ. 2, & Auguſtinus ipſe. Nam negat templa eis à Chriſtianis hominibus eſſe conſtruenda, De Vera religio. cap. 55. lib. C 20. Contra Fauſt. c. 21. Angelos quidem diligere nos tanquam conciues ſuos, & magna cura & vigilanti ſtudio propter Deum id præcipientem adeſſe nobis ſcribit idem, Soliloquior. cap. 27. ſed de particulari quadam noſtra cum illis reconciliatione hìc agit, quæ per Chriſti mortem facta ſit, de qua nuſquam Scriptura. Eſt enim pax noſtra Chriſtus, Epheſ. 2. ver. 14. ſed cum Deo & propter Deum, non propter Angelos.

2 *Sicut ſcriptum.* Locus eſt Philip. 4. verſ. 7. quem vult explicare Auguſt. Illic tamen præſcriptis verbis de pace Dei, non de pace Angelorum agit Paulus: & eodẽ illo loco εἰρήνη θεοῦ paſsiuè accipitur, per quam à Deo diligimur.

3 *Poteſt.* In impreſsis poſt hæc verba incubat ineptum & alienum prorſus gloſſema, ne dicam etiam falſum, his verbis. Quomodo enim pacificantur cæleſtia, niſi in nobis, id eſt, concordãdo nobiſcum? in manuſcripto etiã peius, ſic, Quomodo enim pacificãtur cæleſtia, niſi nobis, id eſt, concordando nobiſcum? Sed deturbandum eſt. Quid enim ad mentem Auguſtini, qui hìc agit de ea pa-

ea pace quæ nobis cum Angelis eſt, non autem de ea quæ intra nos ipſos eſt? Deinde ex eodem Auguſtino, illa pax animæ rationalis per quam moderamur affectus noſtros, & eos ſubiicimus legi Dei & rationi, non dicitur pacificatio, vel pax cæleſtiũ: ſed pax animæ rationalis, vti loquitur Auguſt. ipſe lib. 19. de Ciuita. Dei c. 13. Ergo perperã & ἀπροσδιονύσως omnino hæc ſententia de hominum pace in ſeipſis, vel de concordia mutua inter ſeſe addita eſt à monacho qui hîc acutiſsimè philoſophari ſtudebat. Id quod paſsim in veterum libris eſt obſeruãdum. Cuius exemplum & illud quidem inſigne. vnum tamen pro omnibus afferam ex commentariis D. Ambroſij in epiſtolam Pauli ad Coloſſ. cap. 4. v. 15. ait Paulus, Salutate Nymphan, & Eccleſiam quæ in domo illius eſt. Rationem addidit monachus, Quia titulo & ſigno crucis vndique domus parietes erant ornati. Sed verba ipſa gloſſematis audiamus: Nympham, ait, chariorem exiſtimans, cuius domum ſalutat. Tam enim deuota videtur fuiſſe vt omnis domus eius ſigno titulata eſſet crucis. Hactenus gloſſema. Sed quis non totus cohorreat cùm tantam & tam effrenem hominum iſtorũ in interpolandis bonis & ſacris authoribus audaciam videt? Itaque diſtinguenda ſunt aliena à germanis & veris.

4 *Faciem Patris.* Locus Matth. 18. v. 10. Hac autem circumlocutione ferè Angeli deſcribũtur, vti Auguſt. ipſe explicat in epiſt. ad Paulinam de vidẽdo Deo, cap. 5. Hoc autem etiam de beatis hominibus in cœlum receptis videtur hoc loco accipi debere ex ſententia Auguſt. quibus comprehenſibilem eſſe docet Angelicam pacem.

5 *Ex parte.* Locus item 1. Corinth. 13. v. 12.

6 *Habebimus erga eos.* Putat hîc Auguſt. noſtram erga Angelos, contráque eorum erga nos charitatem fore parem & æqualem. Sed quo argumento hoc probat Auguſtinus. Quanto enim eorum natura perfectior, & melior quàm noſtra, quãto Dei fruitio quæ in illis eſt maior, quanto cognitio Dei ipſius in illis vberior, tanto & charitas eorum maior, quàm noſtra. Neque mirum videri debet inter veros amicos non eſſe tamen parem ſemper amicitiæ gradum: ſed ſæpe in vno maiorem, in altero minorem affectum eſſe, veluti in Dauide videtur fuiſſe feruentior amicitia, quàm in Ionatha filio Saulis, 1. Samuel. 20. Item in eadem etiam familia ſæpe ita ſe domeſtici mutuò diligunt, vt alius alio maiorem erga conſeruum beneuolẽtiam habeat. Facit pro nobis Auguſt. ipſe lib. 12. de Geneſ. cap. 31. At erit tunc perfecta charitas in nobis, dicet quis, ergo tanta, quanta in Angelis. Neganda eſt conſecutio. Erit quidem ſumma & perfecta tunc in nobis charitas noſtri ratione, nõ ipſius charitatis & rei, quia maiorem capere non poterimus: non erit autem perfecta, quoad ipſius charitatis eſſentiam, quaſi nuſquam maior eſſe poſsit, quàm erit in nobis. Erit enim maior & in Deo ipſo, & in Angelis beatis. Sed & inter ipſos homines pios & beatos erit vt gratia & cognitio Dei maior: ita charitas maior. Nec enim erit par & æqualis omnium beatorum ſtatus inter ſe, Dan. 12. Cur tamen falleretur Auguſtinus, ratio hæc videri poteſt fuiſſe, quòd ex dicto Chriſti Matth. 22. v. 30. veteres putarunt beatos homines fore bonis Angelis omnino pares & æquales. Non dixit tamẽ Chriſtus nos fore ἁπλῶς ἴσους & æquales Angelis, ſed tantùm quoad non nubendum. Ergo quoad hoc erimus vt Angeli, non quoad omnia. Quid igitur? illis conciues erimus, Epheſ. 3. v. 19.

7 *Præcellet.* Hoc veriſsimum eſt. Qua enim mẽſura Deus verè cognoſcitur, & diligitur quoq;. Ergo cùm ne tunc quidem cùm in cœlis erimus, perfectè Deum in ſe cognituri ſimus: ſed cùm nec Angeli ipſi beati eum perfectè cognoſcant, neutri quoque Dei pacem & charitatem erga nos cõprehendere poterimus quanta eſt, Auguſt. Quæſt. 1. Veteris & Noui teſtamenti. item in Commonitor. ad Fortunaria. Neque obſtat dictum Ioannis, 1. Ioan. 3. v. 2. Videbimus eum ſicuti eſt: & quòd erimus tũc naturæ diuinæ participes, vt ait Petrus, 2. Pet. 1. v. 4. Comparatè enim ad eam cognitionẽ, quã nunc habemus, illa dicuntur, non autẽ ἁπλῶς. Denique non obſtat Paul. Epheſ. 3 v. 18. vbi ſic loquitur, vt valeatis aſſequi. Hoc enim ita intelligitur, quòd hîc neque plenè aſſequamur (neque enim poſſumus) neque etiam tantum, quãtum cùm eum facie ad faciem videbimus.

DE PECCATORVM REMISſione, & Iuſtificatione.

CAP. LXIIII.

Peccatorum remiſsionem piis omnibus, qui hîc viuunt, eſſe neceſſariam, quia etſi ex iis multi ſine crimine viuunt, nulli tamen ſine peccato.

Concordant autem[1] Angeli nobiſcum etiam tunc, cùm remittũtur noſtra peccata. Ideo poſt cõmemorationẽ ſanctæ Eccleſiæ in ordine cõfeſſionis ponitur remiſſio peccatorum. Per hanc enim ſtat Eccleſia, quæ in terris eſt: per hanc non perit,[2] quod perierat & inuentum eſt. Excepto quippe baptiſmatis munere, quod contra originale peccatum donatum eſt (vt quod generatione attractum eſt, regeneratione detrahatur, &[3] tamen actiua quoque peccata, quæcunque corde, ore, opere commiſſa inuenerit, tollit. Hac ergo excepta magna indulgentia (vnde[4] incipit hominis renouatio) in qua ſoluitur omnis reatus & ingeneratus & additus, ipſa etiam vita cætera[5] iam ratione vtentis ætatis, quantalibet præpolleat fœcunditate iuſtitiæ, ſine remiſſione peccatorum non agitur, quoniam filij Dei quandiu mortaliter viuũt, cum morte confligunt. Et[6] quanuis de illis ſit veraciter dictum,[7] Quotquot Spiritu Dei agũtur, hi filij ſunt Dei, ſic tamen Spiritu Dei excitantur, & tanquam filii Dei proficiunt ad Deum, vt etiam ſpiritu ſuo, (maximè aggrauante corruptibili corpore) tanquam filii hominum quibuſdam motibus humanis deficiant ad ſeipſos, & peccent. Intereſt quidem,[8] quantum ſatis dicitur. Neque enim quia peccatum eſt omne crimen, ideo crimen eſt etiam omne peccatum. Itaque ſanctorum hominũ vitam, quandiu in hac morte viuitur, inueniri poſſe dicimus ſine crimine: peccatum autem ſi dixerimus, quia non habemus, vt ait[9] ſanctus Apoſtolus, noſmetipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.

1 *Concordant autem.* Ἀκολούθησις. pergit enim ad reliquos ſymboli Apoſtolici articulos. Nam li. De fide & Sybol. cap. 30. & libr. De Agone Chriſtia. cap. 10. eodem loco & ordine confeſsionem peccatorum poni docet, nimirum poſt tractatum de Eccleſia. Cuius ordinis ratio eſt, quia in ſola Eccleſia peccata remittuntur, & iis ſolùm, qui in ea ſunt

A & perſtant, quemadmodum ipſe contra Donatiſtas fuſè diſputat & tract.in Ioan. epiſt. 10. Denique Iſa.27.verſ.9.docetur. Ergo explicat hoc loco

Auguſt.huius articuli & { Ordinem eiuſque rationem:
Vim ſiue vſum,

quē docet eſſe omnibus piis valde neceſſariū quòd eorum nemo hîc viuat ſine peccato, nedum, vt impii & hypocritæ ſint ſine eo. Nec obſtat quòd peccatum ipſo actu conſummato perit. peccata enim cùm fiunt, prætereunt. Cur igitur rei, quæ amplius non eſt, remiſsio neceſſaria eſt? Reſpondet Augu. libro 1. De nuptiis cap. 26. Reatus peccati manet, etſi factum ipſum præteriit. Peccata enim prætereunt actu, manent reatu, quem reatum nobis dimitti poſtulamus à Deo. In æternum enim manet, niſi indulgentia Dei remittatur. Nec item obſtat quòd Eccleſia ipſa appellatur ſancta, & fideles ſancti à Paulo, 1.Cor.1.& 2.Philip.1.verſ.1. & 2. Nam B quilibet piorum & perfectus eſt & imperfectus, vt Fulgent.ad Monim.explicat. Perfectus ſpe glorificationis futuræ: imperfectus onere corruptionis præſentis & mortalitatis. Perfectus, quòd mente ſeruit legi Dei : imperfectus, quòd carne ſeruit legi peccati. Ergo ſancti hîc appellamur, quòd affectu teneamus & optemus ſanctitatem, De Eccleſiaſt.dogmat.cap.86. Vnde Hierony.lib.1.aduerſ. Pelag a. Tunc ergo, ait, iuſti ſumus cùm nos peccatores fatemur, & iuſtitia noſtra non ex proprio merito, ſed ex Dei conſiſtit miſericordia, Auguſt. in Pſal.38.idem.& idem lib.De Natur.& grat.cap. 36. Ex hoc igitur patrum omnium orthodoxorum conſenſu, Anabaptiſtæ, Donatiſtæ, Cathari, Operiſtæ, Monachi denique refutantur, qui ſe hîc verè ſine peccato viuere, & perfectos eſſe putant: Gregor.libro 12.Moral.cap.6.idem ſentit. Hinc autem eſt iuſtificatio noſtra coram Deo, nimirum peccatorum noſtrorū remiſsio, vti diſputat Paul.Rom. 4.& Pſal.32. quanquam integra & tota noſtra iuſtificatio hîc duabus partibus conſtat, peccatorum gratuita remiſsione, & gratuita iuſtitiæ imputatione: C quæ vtraque nobis eſt in Chriſto, 1.Cor.1. v.30. Prætermiſſus autem hîc videtur locus, Per quem remittuntur nobis peccata. Sed facilis eſt reſponſio, Per ſolum Deum nobis condonari & remitti, Geneſ.50.v.19. Marc. 2. v.7. idque gratis per Chriſtum. Nobis quidem gratis: In Chriſto autem fideiuſſore noſtro non gratis, quia eorum ipſe pœnam pro nobis luit. Vnde à Hieronymo in epiſt. ad Darda. ſanguis Chriſti dicitur eſſe clauis paradiſi. Sic Aug.in epiſt.Ioan.tracta.1. & 2. & vbique. Duo quærit Bernard.in ſermo.ad Milit. Templi de ſepulchro. 1. Quomodo mori potuit qui Deus erat. Reſp. Quia nimirum & homo erat. 2. Quomodo mors hominis illius pro altero valuit. Reſp. quia & iuſtus erat. Profectò namque cùm homo eſſet mori potuit: cū iuſtus eſſet, debuit non gratis. Non quidem peccator mortis ſufficit ſoluere debitum pro altero peccatore, cùm quiſque moriatur pro ſe. Qui autem pro ſe mori non habet, nunquid pro alio fruſtra debet? Sed quæ iuſtitia eſt, vt innocens moriatur pro impio? Reſpon. Non eſt iuſtitia, ſed miſericordia. Si iuſtitia eſſet, iam non gratis, ſed ex debito moreretur. Etſi verò iuſtitia non eſt, nō eſt tamen contra iuſtitiam. Alioqui & iuſtus & miſericors Deus ſimul eſſe non poſſet: ſed etſi iuſtus non iniuſtè pro peccatore ſatisfacere valeat, quo tamen pacto vnus pro pluribus? A Reſp. Sicut vnius delictum in plurium condemnationem fuit: ſic vnius obedientia & iuſtitia in plurium iuſtificationem valet. Hæc optimè Bern.

2 *Quod perierat.* Locus eſt ſumptus ex Luc. Euangelio c.15.v.24. Pſal.119.v.176.

3 *Et tamen.* Gloſſema videri potuit, non eſt tamen, quod indicant verba ſequentia. Omnis reatus & ingeneratus, & additus. Notandum tantùm hîc eſt vocari Actiuum peccatum, quod vulgò Actuale nominatur.

4 *Vnde incipit.* Hoc iam videbitur potiùs eſſe gloſſema, & induci potuit. eſt tamen in manu ſcripto.

5 *Cætera.* id eſt reliqua vita. Cæter in ſingulari numero, quod paſsim tantùm in plurali, & eſt ex heteroclitis. Fuiſſe autem irriſum hunc de peccatorum remiſsione articulum ab Ethnicis docet Arnob.libr. 7. quòd dicerent augeri peccantium multitudinem, cùm condonatur & ignoſcitur culpa tam facilè. Sed reſpondet ille, Non emitur iſta venia à nobis, vt à vobis ſolet de veſtris diis, ſed magno B conſtitit, nempe ſanguine Chriſti, & propriū eſt numinis non emptitias, ſed gratuitas & liberales habere peccatorum venias. Qui eſt locus veteris ſcriptoris pulcherrimus contra ſatisfactiones Papiſticas.

6 *Et quamuis.* Occupatio eſt, Etiam qui Spiritu Dei hîc aguntur, non ſunt tamen ſine peccato, quia omnino & ſine multa rebellione Deum vocantem, & ducentem non ſequuntur. Exui enim vis peccati à nobis non poteſt, quandiu hîc viuimus, Roma. 7.verſ.24. Miſer ego &c. quæ vox eſt hominis regenerati. Et non peccare eſt pluſquàm humanum, ait Ambroſ.in Apolog. Dauid. Et docet paſſim Scriptura 1.Reg.8.v.46. Hiſt. Tripart. lib.11.cap.35. De Eccleſiaſt.dogmat.ca.36.& 37. De fide ad Petr.capit.41. Etiam iuſti & ſancti hîc, ait, ſine peccato non viuunt, & hoc firmiſſimè tenendum eſt. Nec obſtat quod eſt 1.Ioan.3.verſu 9, Qui C ex Deo natus eſt, non peccat. Nam comparatè & *κατάπ* dicitur fidelis non peccare, quia peccato ſuo non delectatur, nec in eo perſeuerare capit, ſed illud odit: non autem quòd nihil vnquam à Dei voluntate alienum committat. exempla extant in Dauide & in Petro.

7 *Quotquot.* Locus eſt Roma.8.v.14. Et quod hîc de corpore aggrauante animum dicitur, veriſſimum eſt. Humanos enim hebetat ſenſus tāta moles, & Fulgentius in lib.ad Monimum ex Auguſtino ſumpſit. Non eſt tamen ita accipiendum, quaſi tota corruptio & rebellio noſtra inde.i.à corporis mole & impedimento ſit, cùm animi etiam ipſi noſtri per ſe corrupti ſint, & originali peccato infecti. Itaque rebelles Deo ſunt.

8 *Int eſt quidem.* Idem Auguſtin. De fide & Symbolo cap. 30. eodem modo diſtinguendum docet. etſi enim omnia peccata odio proſequitur Deus, ex iis tamen ſunt alia aliis grauiora. Vitium igitur nomen eſt commune & generis, quod ſignificat deflexionem à recta via & diſtortionem quandam è recto ſitu. Hoc autem vitium noſtrum

vel { Accuſatione publica dignum eſt.
Non.

Quod vitium & delictum accuſatione & damnatione

A tione publica eſt dignum, crimen ab Auguſtino eſſe definitur in Ioan.8.tracta.41. Quod eſt leuius, & tamen à Dei voluntate recedit, peccatũ eſt. Vnde vult Paulus miniſtros Eccleſię eſſe ſine crimine non autẽ ſine peccato, quia fieri nõ poteſt, 1.Tim. 3.v.2. Dicit ἀνεπίληπτον, non autem ἀναμάρτητον Hoc ipſum Auguſt. diſputat & diſtinguit lib. 1. contra epiſt. Pelagianor. ad Bonifac. cap.14. Et quod vulgò dicitur, Nemo ſine crimine viuit, vox criminis latiùs pro peccato accipitur. Idem ſenſerũt etiam Ethnici homines, Neminem ſine vitio eſſe in hac vita, Horat. lib.1. Saty.3.

Nam vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille,
Qui minimè indulget.

Vnde facilè apparet inter Chriſtianos omnia peccata non conſtitui æqualia contra Stoicos & delirium eorum hominum, qui vt hoc verum eſſe probent, pulchrè ſibi videntur niti illo Iacobi dicto, quod eſt Iacob.2.v.10.

9 *Vt ait ſanctus.* Locus eſt 1.Ioan. 1.v.9. quod B explicatur in lib. De eccleſiaſt. dogmat. cap. 31. ſic, Quod ait ſanctus Ioãnes, Si dixerimus quia peccatum &c. quiſquis ſic accipiendũ putauerit, vt dicat propter humilitatẽ nõ oportere dici nos nõ habere peccatum, non quia veritas eſt, anathema ſit.

Cap. lxv.

De nullo peccatore in Eccleſia propter ſubſidium pœnitentiæ relictum, deſperandum eſſe: certa tamen tempora publica in iis qui publicam pœnitentiam in Eccleſia agunt, vtiliter conſtitui.

Sed neque [1] *de ipſis criminibus quamlibet magnis remittendis in ſancta Eccleſia, Dei deſperanda eſt miſericordia agentibus pœnitentiam ſecundum* [2]*modum ſui cuiuſque peccati. In actione autem pœnitentiæ, vbi tale crimen commiſſum eſt, vt is qui commiſit, à Chriſti etiam corpore* [3] *ſeparetur, non tam conſyderanda eſt menſura temporis, quàm doloris. Cor* [4] *enim contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Verum quia plerunque* C *dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcunque alia ſigna procedit, cùm ſit coram illo, cui dicitur, Gemitus* [5] *meus à te non eſt abſconditus, rectè conſtituuntur ab his qui Eccleſiæ præſunt*[6]*, tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam ſatis*[7] *Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata. Extra*[8]*eam quippe non remittuntur. Ipſa nanque propriè Spiritum ſanctum pignus accepit*[9]*, ſine quo non remittuntur vlla peccata, ita vt quibus dimittũtur, conſequãtur vitã æternã.*

1 *Sed neque.* Occupatio eſt, ne propter ſuperiorem peccatorum diſtinctionem quædam irremiſſibilia eſſe credantur, ſi poſt baptiſmum à nobis ſunt perpetrata: qualia ſunt crimina. Nulla enim eſſe irremiſſibilia hominibus in Dei Eccleſia viuentibus & pœnitentibus docet. Hoc propter Melitianos & Nouatianos hæreticos addere fuit neceſſe, qui hominibus ſi poſt baptiſmum laberentur, nullam ſupereſſe peccatorum veniam contendebant. Aduerſus quos & Cyprianus ſcripſit, qui eorum ætate vixit, & Auguſt. ipſe Quæſt. Veter. & Noui Teſtamenti 102. & De vera & falſ. pœnitent. cap.5. Pœnitentia igitur peccata etiam grauiſſima poſt baptiſmm elui docet hoc loco Auguſtinus. Sed de pœnitentia publica loquitur. Eſt enim pœnitentia duplex,

vna { Publica & ſolennis. A
Priuata & quotidiana, vt etiam diſtinguit

Ambroſ. lib.1. De pœnit. cap.9. Publica, quæ fit in Eccleſia publicè de notoriis & grauioribus peccatis, quæ crimina appellãtur, qualia ſunt ea quę decalogus Legis cõtinet, vt dicitur in lib. De pœnitent. medicina, cap.2. Priuata autem pœnitentia eſt ea quæ fit per totã vitã. Auguſtinus ipſe epiſt. 108. ad Senlutia. Agunt etiã homines, ait, pœnitẽtiam, ſi poſt baptiſmum ita peccarint, vt excommunicari, & poſtea reconciliari mereantur. Vnde pœnitẽtia ab Hieronym. in Ezechiel. cap.16. appellatur ſecũda naufragij tabula, ab aliis ſalutis portus ab Auguſtino indulgentiæ portus, ád quẽ prora eſt conuertenda, vt ad iuſtitiam velificemus. In Pſal.110. Sed quod de publica pœnitentia ſcribit Auguſtinus, etiam in priuata locum habet, nimirũ per eam peccata remitti. Vnde Augu. ipſe ſermo.58. de Tẽpore, Nemo ergo, ait, nec poſt cẽtum peccata, nec poſt mille crimina de miſericordia diuina deſperet. Et De eccleſiaſt. dogmat. cap. 80. Pœnitentia B aboleri peccata indubitanter credimus, etiam ſi in vltimo vitæ ſpiritu admiſſorum pœniteat. De fide ad Petr. cap.3. Omni homini poteſt eſſe vtilis pœnitentia quocũque tempore eam egerit, & quamlibet iniquus, quamlibet annoſus. Cyprianus in ſermo. de Cœna Domini, etiam cùm iam anima feſtinat ad exitum, ait, hominis pœnitentiam non aſpernatur benignitas clementiſſimi Patris. Ergo nunquam ſera eſt pœnitentia, vt ait Hieronymus ad Fabia. Etſi enim grauia ſunt vulnera noſtra, nõ ſunt tamen incurabilia, modò de iis pœniteamus. Qui autem eam differunt, veteris Eccleſiæ iudicio iampridem damnantur, vti & libro De fide ad Petrum 41. & ab Ambroſ. in exhortatione ad pœnitentiam. Quod autem dicitur hoc loco per pœnitentiam remitti peccata, eo ſenſu exaudiendũ eſt, non tanquam pœnitentis dolor aut actio ipſa veniam à Deo mereatur, aut quaſi aliud ſit peccatorũ noſtrorum pretiũ, quàm ſanguis Chriſti: ſed quòd pœnitentia eſt ſignum fidei fructus ſuos in nobis producentis. Teſtatur enim in nobis Chriſti Spiritum viuere, & ita nobis peccata per illius ſanguinem remiſſa eſſe. C Non eſt autem pœnitentia cauſſa illius remiſſionis, ſed ſignum tantùm. Et Lombardus hoc totum caput tranſcripſit lib.4. diſtinct.20. cap. Si verò.2.

2 *Secundum modum.* Veterũ conciliorũ canonibus pœnæ cenſuræque Eccleſiaſticæ pro vario peccantium & peccatorum genere deſcriptæ & diſertè definitæ etiam hodie extant & leguntur, à quibus recedere paſſim nõ licuit. Et ſi de ea pœna indicta erat quicquã ab Epiſcopo remiſſum, appellabatur ea lenitas & mitigatio indulgẽtia. Quanquã autem, ait Auguſtinus, De natura boni aduerſ. Manich. cap. 9. qualis & quanta pœna cuique culpæ debeatur, diuini iudicii eſt non humani æſtimare: tamen ne licentia & impunitate ſcelerum fierent homines deteriores, ad exemplum legum ciuiliũ (quæ certas cuique publico delicto pœnas conſtituunt, eas autem arbitrarias & in poteſtate iudicis eſſe nolunt, vt eſt in l.1.D. Ad S C. Turpilia.) certas pœnas publicè peccantibus eccleſiaſtici Patres definierant, non vt eſſent meritoriæ illæ quidẽ coram Deo, ſed tantùm peccantiũ medicinæ & ædificatio Eccleſiæ, pro ſceleris tamẽ grauitate diſtin-

A ctæ. Hæ duriores cùm eſſent, pleroſque ab Eccleſia ſepararunt, & ſeceſsionem facere coegerunt, vti Marcionem, Nouatum, Tertullianum ipſum. Ergo longè & tutius & melius eſt, vt quæ pœna cuique ſit imponenda, ſit in ſenatus eccleſiaſtici poteſtate poſitum, & illius prudenti iudicio cōceſſum, non autem lege conſtitutum & ſancitum propter varias circunſtantias, vti etiam hodie ſunt arbitrariæ pœnæ delictorum. Denique lenitas potiùs quàm aſperitas in pœnis ſtatuendis eſt nobis conſectanda. Rigidiorem igitur fuiſſe Eccleſiæ diſciplinam ſua ætate, quàm ſub Apoſtolis eſſet, apertè & ingenuè agnoſcit Auguſtinus. De corrept. Donatiſta. ad Bonifac. cap. 26. Sed id exigebat, ait, multitudo morborum.

3 *Separetur.* Varios fuiſſe pœnæ & cenſuræ Eccleſiaſticæ gradus notiſsimum eſt. Sæpe enim priuata, ſæpe publica fuit: & hæc quidem publica vel interdictio tantùm ſacramētorum ad tempus, B quæ etiam ſuſpenſio dicta eſt: vel à toto Eccleſiæ cœtu abactio & eiectio, donec peccator ſeriò pœniteret, quæ Excommunicatio appellatur. Sed quę in eos, qui Eccleſiæ præſunt, pœna conſtituta eſt, ea vel ſuſpenſio ad tempus vel in perpetuum depoſitio à gradu & dignitate appellatur, quæ degradatio etiam nominatur. Denique inter cenſuras Eccleſiæ etiam fuit anathema, & illud quidem vel ſimplex, de quo Paulus Galat. 1. vel etiam Maranatha, de quo idem Paulus 1. Corinth. 16. v. 22. & Socrates Scholaſt. lib. 7. Hiſtor. eccleſ. cap. 34. Hic autem locus intelligitur de Excommunicatione quę fit non tantùm à Cœna, & vero corpore Domini. ſed à tota Eccleſia. Qui enim excommunicantur, à corpore Chriſti ſeparantur, & ſi in Eccleſia pœniteant, Pœnitentes appellantur, Auguſt. in li. De fide & operibus cap. 26. 1. Corinth. 5. & 2. Corin. 7. Huius enim pœnæ & cenſuræ effectus illo tempore fuit tantus, vt etiam ab ingreſſu Eccleſiæ excommunicatio prohiberet excommunicatum, niſi ſe pœnitere velle profiteretur, cano. Sicut. & canon. Nemo. 11. quæſt. 3. & Tertullia. in Apolog. cap. 39. quanquam tamen nec in excommunicato, nec in apoſtata ſacramentum fidei, qui eſt baptiſmus pe- C rit, vt ait Auguſt. li. 1. De nuptiis cap. 10. Diuerſam autem fuiſſe in excommunicatis ab ingreſſu arcendis Eccleſiæ conſuetudinem, docet D. Caluinus Theologorum: Chriſtianorum verè lumen, lib. 4. Inſtitut. Chriſt. cap. 11. ſect. 10.

4 *Cor contritum.* Locus eſt Pſal. 51. verſ. 19.

5 *Gemitus meus* Locus eſt Pſal. 38. verſ. 10. Deus, non homines, nouit quantus ſit noſtri cordis dolor. Ergo quid tanta de Contritione & Attritione prædicāt vani homines Scholaſtici? in qua appendenda ſolicitè immorentur, cùm hoc ſoli Deo notum ſit, & tempora ideò ſint ab Eccleſia conſtituta pœnitentibus, quia ſecreta doloris & cordis alterius nemo nouit, 1. Cor. 2. v. 11. non quia dolor ſit pretium peccatorum noſtrorum.

6 *Qui Eccleſiæ præſunt.* Oſtendit hic locus, ad quos cenſuræ Eccleſiaſticæ ius & cognitio pertineat, id eſt authoritas excommunicandi vel abſoluendi in Dei Eccleſia, nēpe ad eos omnes qui præſunt Eccleſiæ, non ad vnum tantùm ex illis. Nam ex more & vſu ſui temporis hæc ſcripſiſſe Auguſtinum nemo ſanus dubitat. Ij autē qui præſunt ſunt Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi qui in quaque Eccleſia legitimè vocati ſunt, ad quos propterea, nō autem ad plebem & ad populum ipſum A ius clauium reuocat Auguſtinus, quemadmodum & Hieronymus in Matth. 16. & in Hiere. 22. Nam illi dicūtur præfecti Eccleſiæ & rectores, Heb. 13. v. 7. & 17. ἡγούμενοι, & ad eos ſcribit Paulus Philip. 1. verſ. 1. & per eos res & negotia Eccleſiæ geruntur & procurantur, Actor. 21. Tertullianus etiam in Apolog. cap. 39. & Cyprian. 39. & 40. ad eos cauſſarum Eccleſiaſticarum diiudicationem pertinuiſſe docent, non autem ad populi cœtum. Quanquam quod ab iſto ordine factum eſt, toti poſtea Eccleſiæ innoteſcere debet, & ad eā referri, vti vel probet, vel reiiciat ex iuſta cauſſa. Ita autem approbāte populo præfectorum Eccleſiæ decreta, non ſit extra λαοῦ συνείδησιν, vt veteres loquuntur, id eſt, populi cōſcientiā, quicquam in Eccleſię cœtu. Atque hanc fuiſſe veterem Eccleſiæ adminiſtrandę rationem ſcribunt omnes Græci authores qui hiſtoriā Eccleſiaſticam nobis reliquerūt. Ambroſius quoque libro De dignitate Sacerd. cap. 3. idem teſtatur, vt mirum videatur, cur quidam hoc noſtro tempore hanc formam & adminiſtrationem Eccleſiæ B tantopere damnent & improbent.

7 *Satis Eccleſiæ.* Ergo in publica pœnitentia agnoſcit Auguſtinus ſatiſfactionem eſſe oportere, & Paulus ἐκδίκησιν, 2. Corint. 7. v. 11. Agnoſcit etiam Tertullian. lib. De habitu mulierum & Cyprianus de ea multa in lib. De hæretic. Sed quæſitum eſt, qua ratione ſatisfactio appellatur pœna illa à pœnitente tolerata ex præſcripto presbyterii. Reſponſio: Non Dei quidem ratione, ſed tantùm Eccleſiæ, cuius gratia hæc pœnitentia & pœna indicitur, vt ſint alii nimirum ad peccādum tardiores. Nam Dei ratione eſt ſolus Chriſti ſanguis peccati expiatio & ſatisfactio pro nobis, 1. Corinth. 1. ver. 30. Epheſ. 1. verſ. 7. Coloſſ. 1. verſ. 14. Eccleſiæ autem reſpectu & diſciplinæ humanæ cauſſa cenſura eſt ſatisfactio, vt alij nimirum in nobis ædificentur, appareátque nos verè pœnitentes eſſe. Eſt enim ſatisfactio noſtra pœnæ indictæ implementum. Ex quo iam apparet quàm longè ab Auguſtini & veterum omnium mente recedat noua Scholaſtica, quæ ſatisfactiones in publicis pœnitentiis putat & docet eſſe peccatorum expiationes coram C Deo. Quod quid aliud eſt, quàm ad huius mundi elementa transferre vim & effectum pretioſiſsimi ſanguinis Chriſti.

8 *Extra eam.* Videtur eſſe gloſſema, etſi Lombardus legit, quia verba ſequentia idē demōſtrant, quod huius ſententiæ annotamentum habet etiam manuſcriptus codex.

9 *Pignus accepit.* Locus eſt Epheſ. 1. ver. 13. Apparet qualis fuerit veterū ſorites. Spiritus ſanctus eſt ſolùm in Eccleſia, & in ea accipitur & habetur. At ſine Spiritu ſancto peccatorum remiſsio haberi non poteſt. Ergo extra Eccleſiam peccatorum remiſsio eſſe non poteſt. Propoſitionem quidem veram eſſe vbique docet & confirmat Auguſtinus, De correctio. Donatiſtar. ad Bonifac. c. 30. Minorem autem vel aſſumptionem probat ipſe, quia qui peccatorum remiſsionem habent, Spiritu Dei agūtur, & ab eo illam accipiunt. Ergo qui hoc caret, & illa quoque. Vnde alibi idem Auguſtinus neque peccatorum remiſsionem neque veram pœnitentiam extra Eccleſiā eſſe concludit, De vera & falſ. pœnit. ca. 12. Ratio tamen huius veriſsimæ quidē ſentētię & melior eſt à cōſequēti ſic, Cùm Dei Ec

cleſia

A cleſia omnes Dei filios vbicunque ſint complectatur vniuerſim:Illi autem ſoli per Chriſtum peccatorum remiſsionem habeant,& Spiritum Dei: qui extra Eccleſiam eſt,illa Dei dona nō habet. Atque inde fit vt extra Eccleſiam neque ſit Spiritus ſanctus,neque peccatorum remiſsio. Iſta autem non dicuntur,quaſi ipſe cœtus donet Spiritum ſanctū, quod ſolius Dei eſt:aut quaſi in ipſo cœtu Eccleſiæ ille ſit concluſus,quod eſt Dei virtutem certis locorum cancellis circūſcribere:aut denique quaſi extra ipſum locum,in quem conuenit Eccleſia,accipi non poſsint illa Dei dona.

CAP. LXVI.

Vim & effectum remiſsionis peccatorum , itémq; pœnam peccatorum noſtrorum magis in futuro,quàm præſenti ſeculo percipi & eſſe.

B *Magis enim*[1] *propter futurum iudicium ſit remiſſio peccatorum. In hac autem vita vſque adeò valet quod ſcriptum*[2] *eſt,Graue iugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium , vt etiam paruulos*[3] *videamus poſt lauacrum regenerationis diuerſorum malorum afflictione cruciari:vt intelligamus totum,quod ſalutaribus agitur ſacramentis magis ad ſpem futurorum bonorum quàm ad retentionem vel adoptionem præſentium pertinere. Multa*[4] *etiam mala hîc videntur ignoſci & nullis ſuppliciis vindicari,ſed eorum pœnæ reſeruãtur in poſterum.(Neque*[5] *enim fruſtrà ille propriè dicitur dies iudicij , quando venturus eſt iudex viuentium atque mortuorum.)Sicut è contrario vindicantur*[6] *hîc aliqua,& tamen ſi remittantur , profectò in futuro ſeculo non nocebunt. Propterea de quibuſdam temporalibus pœnis,quæ in hac vita peccantibus irrogantur,*[7] *eis quorum peccata delentur,ait Apoſtolus*[8]*, Si enim noſmetipſos iudicaremus,à Domino non iudicaremur. Cùm autem iudicamur à Domino , corripimur , ne cum hoc mundo damnemur.*

1 *Magis enim.* Occupatio eſt , ne peccatorum remiſsio,quæ piis promittitur & datur,res quædã luſoria videatur & leuis,cùm in hoc mundo ſuum C effectum plenè & planè non producat. Eſt enim ille in futura vita& iudicio illo extremo potiùs expectandus, quod confirmat Auguſtinus tribus rationibus. Ac primùm quidem ab ipſa rerum experientia. Videmus enim paruulos baptizatos variè torqueri. A contrario, Multa enim peccata hîc nō puniuntur. Denique ab authoritate Scripturæ,quę non fruſtrà nos diem illum Chriſti & diem iudicii expectare iubet. Huius autem dilationis vera ratio eſt,quòd caro & ſanguis,qualis hîc eſt,regnum Dei poſsidere non poteſt:neque ea quæ ſunt illius regni propria, qualis eſt incorruptibilitas, gloria, & puritas ab omni peccato,1.Corinth.15.v.50.Itaque remiſsionis peccatorum pleniſsimus effectus in diem iudicij,& ſtatum illum , qui poſt reſurrectionem futurus eſt,differtur. Ergo in eum vſque diem expectanda nobis eſt corona gloriæ & iuſtitiæ, 2.Timoth. 4. verſu 8. 1. Theſſal.1. verſu 10.2. verſ.19.

2 *Sicut ſcriptum.* Locus eſt in libro qui dicitur Eccleſiaſticus 40.v.1.quo veteres vtebantur æquè atque ἁγιογράφοις,etſi eſt apocryphus. Quoſdam tamen ſine vel leuiſsima febricula ad decrepitam vſque ſenectam vixiſſe ſcribit idem Auguſtinus lib. 21.De ciuitate Dei cap.14. A

3 *Paruulos videamus.* De hac quæſtione , nimirum cur infantes baptizati variis modis crucientur, ſæpe diſputauit Auguſtinus,vt ex illius ſcriptis apparet,fuitque hoc argumentum à Pelagianis contra Orthodoxos Pædobaptiſmū tuẽtes ſæpe propoſitum,ſæpe diſploſum,vti ex lib.6.contra Iulia. cap. 4. colligi poteſt, vbi idem cōcludit Auguſtinus,quod hoc locó,nempe quod homines ex filiis iræ fiunt filii miſericordiæ in futurum ſeculū pręparari,non autem in hoc ſeculo plenè ſentiri. Itaque infantes ſæpe dæmonum etiã incurſus patiuntur:ſæpe corporis cruciatibus vexantur maximis, vt docet idem lib.21.De Ciuitate Dei cap.14. Cuius rei rationem triplicem variis locis affert. Hîc quòd ea ſit totius humanæ naturæ conditio , vt à die ortus ad diem vſque exitus quiſque graue iugum perferat. Quiſque enim ſuos patimur manes, ait poeta,nimirum propter Adami peccatum. Libro autem 3.de libero Arbitr.ca.23. aliam cauſſam affert,hanc nempe , vt parentes paruulorum mortibus & doloribus flagellentur & emẽdentur,quia B eos charos habent. Tertia denique ratio & longè veriſsima eſt illa quam idem Auguſt.lib.22.De ciuitate Dei cap. 22, commemorat , nempe quòd in ipſis infantibus baptizatis manet etiam fomes & materia ipſa peccati pro eorum modulo ſuos fructus proferens,etſi tàm facilè à nobis non cernuntur,quàm in adultis & natu iam grandioribus hominibus. Nam,ait ipſe,quis ignorat, cum quanta ignorantia veritatis , quæ iam in infantibus manifeſta eſt,& cum quanta abundantia vanæ cupiditatis,quæ in pueris incipit apparere , homo veniat in hanc vitam?Per baptiſmum enim in nobis non materia,ſed reatus tãtùm peccati tollitur, vt ſuprà dictum eſt.

4 *Multa enim.* Futuro iudicio quædam reſeruauit Dominus, quæ hîc ignoſcere videtur. Quædam etiam hîc punit , ne prophani homines illius prouidentiam negent. Idem Auguſtinus.

5 *Neque enim.* Videtur eſſe gloſſema & annotamentū interiectum ab aliquo ſtudioſo,cùm præter hæc verba rectè fluat ſententia , & Auguſtinus ipſe aliam ſui dicti rationem afferat. Habet tamen C hæc verba codex manuſcriptus.

6 *Vindicantur.* Etiam fideles qui peccatorum remiſsionẽ obtinuerũt,pro illis tamen ſępe à Deo puniuntur,vti Dauid,2.Sam.12.& Ezechias,Iſa.39. ſed pœna non æterna illa,quidem, imò temporali tantùm. Nam huiuſmodi pœna quam ferunt, non pertinet ad peccatorum expiationem, quæ iam in iis delata ſunt:ſed ad aliorum ædificationẽ,& ipſorum qui peccarunt,medicinam maiorémque cautionem in poſterum, vt ſapientiores fiant : Chryſoſtom.in Homil.De pœnitent. Quod eſt idcirco notandum,ne ex Scholaſticorũ falſiſsimo dogmate exiſtimemus peccati culpã remitti,eiuſdẽ tamẽ pœnam remanere,& ita Purgatorium ſtabiliamus, vt illi.

7 *Ne eis.* In impreſsis hic locus eſt obſcurꝰ:quòd habeant additum gloſſema. Sic itaque legitur, In hac vita peccantibus irrogantur,iis quorũ peccata delentur,ne reſeruẽtur in finẽ. Ergo gloſſema eſt ad vocẽ,Quorum peccata delentur, hoc nẽpe, Ne reſeruentur in finem:quæ verba ſi inducãtur, planus eſt ſenſus. Manuſcriptus tamen illa tãquam ex Margine annotata & tranſcripta habet.

A 8 *Ait Apoſtolus.* Locus 1.Corinth.11.verſu 31. & 32.

DE PVRGATORIO IGNE

CAP. LXVII.

Iis qui hîc ſceleratè viuunt neque fidem prodeſſe, neque ignem purgatorium poſt hanc vitam ad peccata expianda ſupereſſe.

CReduntur [1] autem à quibuſdam etiam hi qui nomen Chriſti non relinquunt, & eius lauacro in Eccleſia baptizantur, nec ab ea vllo ſciſinate vel hæreſi præciduntur, in quantiſlibet ſceleribus viuant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemoſynis redimant, ſed in eis vſque ad huius vitæ vltimum diẽ pertinaciſſimè perſeuerent, ſalui futuri per ignem: licet pro magnitudine facinorum, flagitiorúmque diuturno, non tamen æterno igne puniri. Sed qui hoc credunt, & tamen catholici ſunt, humana quadam beneuolentia mihi [2] falli videntur. B *Nam ſcriptura diuina aliud conſulta reſpondet. Librum autem de hac quæſtione ſcripſi, cuius titulus eſt De fide & operibus, vbi ſecundum ſcripturas ſanctas, quantum Deo adiuuante potui, demonſtraui [3] eam fidem ſaluos facere, quam ſatis euidenter expreſſit Paulus Apoſtolus dicens [4], In Chriſto enim Ieſu neque circunciſio quicquam valet, neque præputium, ſed fides quæ per dilectionem operatur. Si autem malè & non bene operatur, proculdubio ſecundum Apoſtolum Iacobum, mortua eſt in ſemetipſa [5] qui rurſus ait, Si fidem dicat ſe quiſquam habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides ſaluare eum? Porrò autem ſi homo ſceleratus propter fidem ſolam per ignem ſaluabitur, & ſic eſt accipiendum quod ait beatus Paulus Apoſtolus [6] Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem: Poterit ergo ſaluare ſine operibus fides, & falſum erit quod dixit eius coapoſtolus Iacobus. Falſum erit & illud, quod idem ipſe Paulus dixit, Nolite [7] inquit errare, neque fornicatores, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque maledici, neque ebrioſi, neque rapa-* C *ces regnum Dei poſſidebunt. Si enim etiam in iſtis perſeuerantes criminibus, tamen propter fidem Chriſti ſalui erunt, quomodo in regno Dei non erunt?*

1 *Creduntur autem.* E᾿ξήγησις eſt, vt doceat quibus & fides & peccatorũ remiſsio verè proſit & offeratur: non iis nimirum, qui in ſuis ſceleribus pertinaciter perſeuerant, ne quis vtiliſsimam hanc de peccatorum remiſsione (quæ fidei fructus eſt) doctrinam in occaſionẽ peccandi arripiat. Id quod Chriſtianis vitio vertebant homines ethnici, vt ex Arnobio docuimus, & notat Paulus Rom.3.ver.8. Ergo ſpe veniæ, aut propter iam factam peccatorum remiſsionem neque liberiùs, neque lubentiùs peccandum eſt. Quod autem dixit Auguſt. lib. 16. de Ciuita. Dei ca.19. nihil referre quo habitu vel more viuendi quiſque fidem ſectetur, de ceremoniis mediis dictum eſt, non autem de vitiis quibus frena non vult laxare vir pius. Cõgruit enim illud Auguſt. cũ hoc Pauli quod eſt 1.Cor.7.v.20. Fuiſſe verò hunc errorẽ & veterẽ, & ſubinde repullulantem, quem etiã Libertini homines fanatici hodie renouant, Scilicet modò ſanam fidei doctrinam retineamus, nihil intereſſe, piè an ſceleratè viuamus: docet & Iacobi locus ca.2.ver.17. & Tertull. in diſputatio. pro pœnitent. & hic ipſe locus: quemadmodum alibi idem Auguſt. in li. nimirum De fide & operib. cap.13.14.15. Quod autem ait idẽ A lib.3. contra duas epiſtol. Pelag. cap. 5. iuſti ab iniuſtis, & ſaluandi à damnandis fide non operibus diſcernuntur, eatenus verum eſt, quatenus quis bona opera cauſſam ſalutis ſtatueret, vel illa ſine fide eſſe poſſe crederet: nõ verò quaſi nihil omnino interſit quomodo fidelis viuat, piè an impiè, nec ex eo ſit ab infideli dignoſcendus. Nam Deum noſſe, eſt eius mandata facere, vt ait Ioannes, 1. Ioan.2.v.4. Bernard. lib. de Grat. & lib. Arbit. Bona opera, ait, ſunt viæ regni. i. ad regnũ: non cauſſa regnandi.

2 *Mihi falli.* Hic apparet qualis ſit de igne purgatorio Auguſtini ſententia, quem certè negat eſſe. Atque hunc ipſum ſceleratæ hominum vitę anſam dediſſe hîc apertè docet, quoniam poſt mortem ſe poſſe adhuc expiari & pœnitere in illo igne crederent homines hîc ſceleratè viuentes. Hoc tamen Auguſtini dictum quanquam & pium & verum non eſt ſecuta recens Scholaſtica, cùm Lombard. li.4. diſtinct.21. ineptiſsima quædam de igne purgatorio garriat, eúmque tanquam rem certã & ita à veteribus confeſſam ſtatuat. B Nullus certè melioris notę ſcriptor Eccleſiaſticus hunc ignem vnquam probauit, nullus orthodoxorum veterum, ac ne Gregorius quidem ipſe magnus, vt ex eius dialogis facilè colligi poteſt, imprimis autem li.4. cap.1. & 39. cùm & dubitanter de eo ſcribat, nõ autem, vt iſti ἀποφαντικῶς & aſſeueranter. Auguſt. ipſe in lib.1. De Peccatorum Meritis, & Remiſsio. ſic ait cap.28. Nec eſt vllus vlli medius locus, vt poſſit eſſe, niſi cum diabolo, qui non eſt cum Chriſto. In libr. De Eccleſiaſt. dogmat. cap.77. & 78. de hoc igne ne verbum quidem. At in lib. De fid. ad Petr. cap.2. negatur conſtantiſsimè vllus reſtare locus pœnitentiæ poſt hanc vitam. Sed apertiſsimè lib.5. hypognoſt. his verbis, Primum enim locum fides catholicorum diuina authoritate regnum credidit eſſe cœlorum. Secundum, gehennam. Tertium penitus ignoramus. imò nec eſſe in ſcripturis ſanctis inuenimus. Et tamen hi ſcriptores o- C mnes Auguſtino poſteriores ſunt, & ex eius ſententia ſcripſerunt. Bernardus etiam recentior his omnibus ſermo. ad Clericos cap.5. ſic ait, Sed quiſquis ante obitum carnis non redierit ad ipſum (Deum) in ſe ipſo maneat neceſſe eſt in æternũ. Sed in quali ſeipſo? Qualem ſeſe fecerit in hac vita qualem inuenerit exiens ex hac vita. Ex quo loco Purgatorium apertiſsimè tollitur: veluti etiam ex hoc eiuſdem authoris qui eſt in libro Sentent. Tres ſunt, ait, ſtatus animæ: In corpore, poſito corpore, recepto corpore. Primus datus eſt ei ad agendam pœnitentiam: reliqui duo ad habendam requiem, vel pœnam, prout geſsit in corpore ſiue bonum, ſiue malum. Hæc ex Bernardo colliguntur, qui idem ſermo. 66. in Cantic. frigidiſsimè Purgatorium tuetur: aut potius non tuetur. Nam ſermo.75. eiuſdem operis, ait: Quam tibi ſomnias prouenturam inter ardores ſempiternos facultatem veniam promerendi, cùm iam tranſiit tempus miſerendi? Non relinquitur tibi hoſtia pro peccatis, mortuo in peccatis. Ex Origenis quidem μεπωεγλογίαις in epiſt. ad Rom. quædam ab iſtis poſſunt obſeruari pro ſuo purgatorio, ſed quæ ſunt huiuſmodi vt ſenſum Scripturæ prorſus euertant. Auguſt. ipſe libro 1. De peccator. merit. capit. 28. negat vllum medium eſſe locum relictũ inter infernum & paradiſum. Nam quod ex li.21. de Ciuita. Dei

A ta. Dei Scholaſtici afferunt,oſtendunt eũ animi dubiũ in eo fuiſſe,potiúſque ab igne hoc ab horuiſſe, quàm eum admiſiſſe. Vbique enim fatetur atque agnoſcit morum corrigendorum aut pœnitentiæ agendæ nullum præterquàm in hac vita ſupereſſe locum, vti etiam in epiſtol.ad Macedo.54. Denique purgationem noſtrorum peccatorum nõ igne hoc,aut alia ratione fieri,quàm ſolius Dei miſericordia per Chriſtum , veriſſimè ſcribit lib. 10. de Ciuit.ca.22.Cypria.tracta.1. ad Demetria. Quando iſthinc exceſſum fuerit, ait, nullus iã locus pœnitentiæ eſt,nullus ſatisfactionis effectus: hîc vita aut amittitur,aut tenetur. Pugnat denique cũ hoc igne purgatorio & locus Ioannis in epiſtola prima cap.1.verſ.9. 2.ver. 2.4. verſ. 10. & Apocalypſ. 14.v.13. Et officiũ Chriſti, qui ſolus ſanguine ſuo peccata noſtra purgauit.Quin & peccata noſtra nõ poſt mortẽ,ſed in vita hac atque etiã ante mundi ipſiusfundamẽta deleta ſunt in Chriſto.Et planè ridicula eſt quædã commentitia de Odillone Siculo epiſcopo fabula, qui primus dicitur Purgatorij B iſtius pœnas & locum à Dagoberto Francorum rege defuncto didiciſſe,cùm hic ad eum locum inuitus traheretur.Nam & Scholaſtici ipſi fatentur locum hunc, vbi animæ poſt mortem purgentur, omnino eſſe incertum: & alium faciunt communẽ, alium ſecundum diſpenſationem Dei cuique ſpecialiter deſtinatum,adeò vt etiam in curia Papę,& in eius cubiculo poſſit eſſe purgatorium alicuius animæ. Hoc totum mercaturæ animarum genus certè quidem lucroſiſſimum culinæ cauſſa repertũ eſt,& ad Vergilianę AEneidos imitationem excogitatum. Nam libro 6. ille canit quod iſti docent.

Quin & ſupremo cùm limine vita reliquit,
Non tamen omne malum miſeris,nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes,penitúſque neceſſe eſt
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis,veterúmque malorum
Supplicia expendunt:aliæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos:aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus,aut exuritur igni:
Saxum ingens voluunt alij,radiiſque rotarum
C *Diſtricti pendent,*&c.

Item illud Homeri in Necromãtia Odyſſ.li.11. ſimile planè Papiſtarum commento de purgatorio igne:

Αἱ δ' ἄλλαι ψυχαὶ νεκύων κατατεθνειώτων
Ἕστασαν ἀχνύμεναι, εἴροντο δὲ κήδε ἑκάστη.

Denique Ioan. Damaſceni libellus de Defunctis poſtea hanc ipſam ſententiam tamen defendit , in quo dici non poteſt,quàm multa ſint ſuperſtitioſa & abſurda. Videat illius librum qui volet.

3 *Demonſtraui.* Cap.13.14.15.16. Hic locus eſt difficilis qui ex epiſtola Iacobi cap.2. ſumitur, & committitur cum dicto Pauli Galat.5.v.6.& Rom. 3.verſ.28. Colligimus,ait Paulus,hominem iuſtificari abſque operibus legis.Contrà Iacobus,Videtis igitur ex operibus iuſtificari hominem, & non ex fide tantùm. Ergo hic locus variè multúmque torſit Augu.adeò vt in hoc explicando laborauerit , vti hîc & toto opere de fide & operib. imprimíſque cap.16. Item lib. De gratia & lib.arbitr. ad Valenti.cap.7. & lib. 83.quæſt. 76.Torquet etiam hodie multos,ita,vt epiſtolam Iacobi quidam expũxerint,alii Stramineam appellauerint, & de hoc ſcrupulo impius Stancarus gloriatur.Solutio facilis eſt, & ex iis quæ ad illum locum ab interpretibus ſcribuntur,& ex illo etiam Auguſtini loco qui A eſt in lib.de grat.& lib.arbit.cap.7.Putauerunt,ait, homines,quod ait Apoſtolus, Arbitramur iuſtificari hominem ſine operibus &c. eum dicere, Sufficere homini fidem,etiamſi malè viuat,& bona opera non habeat. Ergo dicto Pauli abuſi ſunt iam quidam & doctrina illa tunc in Eccleſia Dei celebri de iuſtificatione fidei,quando & Petrus 2. epiſtola & Iudas grauiter conqueruntur de moribus Chriſtianorum quorundam (qui ita appellari volebant)diſſolutis. Aduerſus hos igitur agebat Iacobus. Vnde fit vt ipſius dictum ex ὑποθέσει ſit accipiendum,de ea nimirum fide, quæ ὁμωνύμως fides appellatur ſiue καταχρηστικῶς & titulo atque nomine tenus fides eſt,non reapſe.

4 *Dicens.* Locus eſt Galat.5.v.6.

5 *Mortua eſt.* Sumptus eſt locus ex epiſtola Iacobi catholica(quam & Auguſtinus & vetus Eccleſia probauit & retinuit)cap.2.v.17.& v.14.quãquam Euſeb. lib.2. Hiſtor. Eccleſ. ca. 23. ſcribit à quibuſdam inter γνησίας & Apoſtolicas epiſtolas agnitam non eſſe. B

6 *Apoſtolus.* Eſt 1.Corinth.3.verſ.15. de quo loco ſequenti capite.

7 *Nolite.* Locus eſt 1.Corinth.6.v.9,10. Duo autem abſurda colligit Auguſtinus, Si fides ſine honeſta vita vera fides eſſe dicatur , quòd ſic Paulus & ſibiipſi non conſtaret,Galat.5.verſ. 6. & Iacobo coapoſtolo apertè contradiceret & repugnaret, Iac. 2.verſ. 24. Quorum neutrum ſine inſigni blaſphemia in Spiritum ſanctum dici ac ne cogitari quidem poteſt.

CAP. LXVIII.

Quid apud Paulum Apoſtolum ſignificent hæc verba,vnuſcuiuſque opus quale ſit ignis probabit.

SEd quia [1] hæc Apoſtolica manifeſtiſſima & aperτiſſima teſtimonia falſa eſſe non poſſunt , illud quod obſcurè dictum eſt de iis,qui ſuperædificant ſupra fundamentum,(quod eſt Chriſtus)non aurum,non argentũ, C *non lapides pretioſos,ſed ligna,fœnum,ſtipulam (de his enim dictum eſt , quòd per ignẽ ſalui erunt, quoniã fundamenti merito non peribunt)ſic eſt intelligẽdum, vt his manifeſtis non inueniatur contrarium. Ligna quippe & fœnum & ſtipula non abſurdè accipi poſſunt rerum [2] ſecularium,quamuis licitè conceſſarum, tales cupiditates, vt amitti ſine dolore non poſſint. Quum autem dolor vrit,ſi Chriſtus in corde fundamenti locum habet,id eſt, vt ei nihil anteponatur,& malit homo qui tali dolore vritur, rebus quas ita diligit magis carere quàm Chriſto, per ignem fit ſaluus. Si autem res huiuſmodi temporales ac ſeculares tempore tentationis maluerit tenere , quàm Chriſtum,eum in fundamento non habuit,quia hæc priore loco habuit,cùm in ædificio prius [3] non ſit aliquid fundamento. Ignis enim,de quo locutus eſt eo loco Apoſtolus Paulus,talis debet intelligi,vt ambo per eum tranſeant,id eſt,& qui ædificat ſupra hoc fundamentum aurum,argentum, lapides pretioſos , & qui ædificat ligna, fœnum,ſtipulam. Quum enim hoc dixiſſet [4], adiunxit, Vniuſcuiuſque opus quale ſit,ignis probabit. Si cuius opus permanſerit,quod ſuperædificauit,mercedem accipiet. Si*

A *cuius opus autem exuſtum fuerit, damnum patietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Non ergo vnius eorum, ſed vtriuſque opus ignis probabit. Eſt quidem [5] ignis tentatio tribulationis, de quo apertè alio loco ſcriptum[6] eſt, Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. Iſte ignis in hac interim vita facit quod Apoſtolus dixit, ſi accidat duobus fidelibus, vni ſcilicet cogitanti [7] quæ Dei ſunt, quomodo placeat Deo, hoc eſt, ædificanti ſuper Chriſtum fundamētum, aurum, argentum, lapides pretioſos: alteri autem cogitanti ea, quæ mundi ſunt, quomodo placeat vxori, id eſt, ædificanti ſuper idem fundamentum, ligna, fœnum, ſtipulam. Illius enim opus non exuritur, quia non ea dilexit, quorum amiſſione crucietur. Exuritur autem opus huius, quoniam ſine dolore non pereunt, quæ cum amore poſſeſſa ſunt. Sed quoniam alterutra conditione propoſita, eis potiùs carere malit, quàm Chriſto: nec timore amittendi talia deſerit Chriſtum, quamuis doleat, dum amittit, ſaluus eſt quidem, ſic tamen quaſi per ignem. Quia vrit eū rerum dolor, quas dilexerat, amiſſarum. ſed non ſubuertit neque conſumit, fundamenti ſtabilitate atque incorruptione munitum.*

B 1 *Sed quia.* Ἐμμονὴ & immoratio in duorum ſcripturæ locorum ſpecie tenus pugnantium conciliatione, in qua Auguſt. fortiſſimum Scholaſticorum argumentum pro purgatorio tuendo conuellit, & ſubruit. Fuiſſe autem rem & quæſtionem hāc de fide ſine operib⁹, propter inuectam iſtius ignis purgatorii mentionem, agitatam iam & vexatam ex hoc tanto Auguſtini ſtudio & labore in diſſoluendo hoc nexu apparet. Ergo hoc Pauli dictum quod eſt 1. Corint. 3. pro iſto igne purgatorio confirmando, afferebatur, de afflictionibus & tētationibus iis intelligit Augu. quas in hoc ſeculo & in hac vita patimur: non autem poſt hanc vitam. Et purgari vel ſaluari per ignem eſt ex Auguſtini mēte per tentationes huius ſeculi probari, quàm conſtanter, vel leuiter Chriſtum pro fundamento teneamus, eum complectamur, reliquíſque rebus omnibus præferamus, eiúſque doctrinam in media tentatione tueamur. In qua explicatione ſemper ſibi conſtat & conſentit Auguſt. Nam eandem C ſequitur in nodi eiuſdem diſſolutione lib. 21. de Ciuita. Dei, cap. 26. li. De fid. & operib. cap. 16. In Pſal. 80. enarratione, ex quo Lombardus magis intelligitur vnà cum tota ſchola ſua toto cœlo ab Auguſtini mente aberrare, dum contendit hanc Pauli ſentētiam ad purgatorium ignem pertinere, lib. 4. ſent. diſti. 21. ca. Hîc obiici poteſt. Quod ab Auguſtino hîc apertè refutatur. Atque etiā à Bernardo. in Sermo. de fœno, ſtipulo, ligno, vbi de Purgatorio ne γρῦ quidē Bernardus, etſi poſt Gregor. Magnum vixit, & tempore Hugonis de S. Victore.

Videtur autem hæc veteris Eccleſiæ interpretatio quodamtenus ducta ex Chriſti ſententia quæ extat Matth. 13. verſu. 21. 22. Siquis tamen propiùs locum aſpiciat, & mentem Pauli perpendat, ſanè animaduertet illum locum ſpectare ad vim doctrinæ veræ & bene in Chriſto fundatæ, explicandam. Nam illa eſt velut ignis quæ omnes alias doctrinas examinat, & veras & bonas à curioſis, vanis, inutilibus atque etiam falſis diſtinguit: & illas veras probat & retinet, velut ſibi conſentaneas, & tanquam lapides pretioſos, id eſt aurum, bono ſuo fundamento ſuperexſtructas: has autem inutiles & vanas exurit & conſumit velut A ſtipulam, & fœnum, & non ſibi bonóque fundamento congruentes. Sumptum enim eſt hoc Pauli dictum ex illo Hier. loco 23. verſ. 29. vbi Dominus falſos prophetas damnās ait, Verbum meum nonne velut ignis eſt?

2 *Rerum ſecularium.* Vide Matth. 13. verſ. 21. Nam hæc ſecularia ſunt fœnum, ſtipula, & momētaneæ res, 1. Petr. 1. verſu 24. Iſa. 40. verſu 6. 2. Cor. 4. verſ. 18. Auguſt. ipſe in Pſal. 80. quod ex his rebus terrenis diutius amatur, vocat lignū: quod minus, fœnum: quod minimum, ſtipulam. Itaque iſta diſtinguit ſecundum varios amandi modos.

3 *Prius non ſit.* Argumentatur à propria fundamenti conditione, quæ eſt hæc, vt primum omnium ponatur: ſic Chriſtus eiúſque doctrina, & amor, præcipuum in noſtris cordibus locum habere debet, & omnibus rebus præponi, vt ſit nobis fundamentum. Hæc Auguſtini mens eſt.

4 *Adiungi.* Locus eſt 1. Cor. 3. v. 13.

Ignis tentatio. Varia eſſe ignis ſignificata metaphorica certo certius eſt, non modò in Scriptura, ſed paſſim apud omnes authores. In Scriptura tamen ignis ex præcipuis ipſius effectis pro his tribus B accipi maximè ſolet: Pro afflictione, quæ vt ignis corpus, ſic animos vrit, & corpus ſæpe conſumit, non tantùm attenuat. vnde cura dicta, quaſi cor vrat, vt Grammatici docent. Sic 1. Pet. 1. verſ. 7. Iſa. 48. verſ. 10. Item ignis accipitur pro ſpiritu ſancto. Vti enim ignis purgat & penetrat res corporeas, ſic vis illa Spiritus diuini animos noſtros. Sic Matth. 3. verſ. 11. Actor. 2. verſ. 3. Denique ſumitur in Scriptura ignis, pro ſplendore lucentíque ſtatu & felici ſiue optando. Ignis enim & lucet & illuſtrat. Sic Iſa. 10. ver. 17.

6 *Scriptum eſt.* Locus eſt in Eccleſiaſtico ca. 27. ver. 6.

7 *Cogitanti.* Exemplis illuſtrat & confirmat ſuam ſententiam Auguſtinus. Sumptus eſt locus ex epiſtola Pauli ad Corinthios priore cap. 7. v. 32. 33. quo eodem & loco & argumento vtitur idem Auguſt. lib. 21. de Ciuita. Dei cap. 26.

CAP. LXIX. C

Totam hanc de Purgatorio igne quæſtionem dubiam eſſe. Ignem autem ipſum paucis omnino eſſe profuturum.

TAle [1] aliquid etiam poſt hanc vitam fieri incredibile [2] non eſt, & vtrùm ita ſit quæri poteſt. Et [3] vt inueniri aut latere poſſit nonnullos fideles per ignē quendam [4] purgatorium (quando magis minúſve bona pereuntia dilexerunt) tanto tardiùs citiúſque ſaluari: nō tamen tales, de quibus dictum eſt, quòd regnum Dei non poſſidebunt, niſi conuenienter pœnitentibus peccata remittantur. Conuenienter autem dixi, vt ſteriles[5] in eleemoſynis non ſint, quibus tantum tribuit ſcriptura diuina, vt earum tantummodo fructum ſe imputaturum prænuntiet Dominus dextris: & earum tantummodo [6] ſterilitatem ſiniſtris, quando his dicturus eſt, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum Dei: Illis autem, Ite in ignem æternum.

1 *Tale aliquid.* Γνώμη. explicat enim ſuam ſententiam de igne purgatorio, & totam hanc definitionem

A tionem eſſe incertam, dubiam, & temerariam planè pronuntiat. Quod cùm iam ſenex Auguſt. ſcripſerit, certè dubitari nõ poteſt, quin Purgatorium ignem prorſus reiecerit. Sed & hunc ipſum ignem inutilem fore docet. Nam negat grauia peccata per eum ignem expiari poſſe. Id quod etiam Gregor. Magnus lib. 4. Dialog. cap. 39. admittit. leuia autem per orationem dominicam eluuntur, ait ipſe Auguſt. inf. ca. 71. Ecquod igitur peccati vel peccantium genus per hunc ignem purgabitur? Certè nullum ex mente Auguſtini, ne tanti támque pij, & tàm rectè de Chriſti ſanguine (qui eſt peccatorum omnium purgatio) ſentiẽtis doctoris authoritas poſtea in purgatorio defẽdẽdo nobis à Scholaſticis obtruditur.

2 *Incredibile.* At ſtatim ſubiicit idem ipſe Auguſt. de eo ipſo quæri poſſe, vtrùm ſit credibile, eſſe poſt hanc vitam ignem purgatorium: & paulò poſt, & vt inueniri vel latere poſſit. quæ verba ſatis oſtẽdunt planè Auguſt. ab ea ſententia alienum eſſe. Quid vltra quærimus, cùm ipſe lib. 5. Hypo- B gnoſtic. tandem ſic concludat & apertè, Vbi ergo purgatorium? Idem in epiſt. 80. ad Heſych. tollit purgatorium. & Lib. 3. cap. 8. De Symbolo ad Catechumen. Tollit etiam Epipha. li. 2. hæreſ. 59. Ambroſ. lib. 2. De bono mortis. Tollit Ioannes Damaſcenus contra Manichæos diſputans. Denique nihil inter veteres fuit vulgarius & receptius, quàm nullum eſſe poſt hanc vitam pœnitentiæ pro peccatis agendæ locum. Videtur tamen Auguſt. quadam ſua in infirmitates humanas beneuolẽtia hoc verbulum emiſiſſe, Non eſt incredibile: & certè in quibuſdam à conſuetudine & recepta iam ſententia vinci ſe facilè patitur, cùm receptam ſentẽtiam & conſuetudinem tyrannum ipſe aliquãdo appellet. Scholaſtici præter locum illum ex 1. Cor. 3. ad ſuæ ſententiæ confirmationem hos etiam afferunt, Matth. 18. ver. 25. 12. verſ. 31. 1. Samuel. 2. verſ. 6. Apocaly. 5. verſ. 13. 2. Machab. 12, Malac. 3. In quibus omnib’ paralogiſmos pueriles & ſophiſticos committunt.

3 *Et vt aut.* Locus in impreſſis ineptus: propter vnius voculæ, Vt, deprauationem in Aut. Sic C enim legitur in illis, Et aut inueniri, aut latere. Ergo ex Aut fiat, Vt: addatur ἀπὸ τοῦ κοινοῦ vox Poſſit, quæ prætermiſſa eſt, facilis & planus iam erit locus, ſic, Et vt inueniri aut latere poſſit, nonnullos &c.

4 *Per ignem.* Ex ethnicorum hominum moribus profectam & ſumptam eſſe hanc de igne purgatorio ſentẽtiam intelliget quicunque eorũ ſcripta vel deguſtarit vel ſolùm à limine ſalutarit. Homerus Odyſſ. 22. inducit Vlyſſem igne purgantem domum, & ædes ſuas.

Οἶσε θέειον γρηῦ κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ,
Ὄφρα θειώσω μέγαρον.

Plato putat animas iaci in flumina torrentia poſt ſeceſſum à corporibus, vbi purgentur. Id quod etiam refert Arnobius lib. 2. Contra Gentil. Vnde illud Iuuenal. ſaty. 2.

Quoties hinc talis ad illos
Vmbra venit, cuperent luſtrari, ſi qua darentur
Sulfura cum tædis.

Inde etiam eſt illa purgatio ædium & fugatio dæmonum per ignem, de qua in libro Thob. cap. 8. Denique purgatio etiam vulgaris inde cœpta fieri: & tranſire per ignem, habitum eſt pro vero teſtimonio innocentiæ, ſiquis de perpetrato, ſed occulto crimine accuſaretur: & adhiberi ignis in diſputationibus poſtea etiam cœpit A ad fidei confirmationem, vt apparet ex lib. 2. Collectanear. Theodori lector. Sed & adhibita quoque eſt ab ethnicis aqua ad ſcelerum purgationem, quemadmodum docet Ouid. lib. 2. Faſt.

Actoriden Peleus, ipſum quoque Pelea Phorci
Cæde per Æmonias ſoluit Acaſtus aquas.

Et his etiam duobus elementis, igni nimirum & aqua, Scholaſtici in ſuo purgatorio peccata hominum ablui maximè putant.

5 *In eleemoſynis.* De vi eleemoſynarum, inf. c. ſeq. Indici tamen eſſe ſolitas eleemoſynas publicè pœnitentibus apparet ex hoc loco, pro eo quod Scholaſtici hodie ſuis pœnitentibus & confeſſis certum precum numerum indicunt. Sed nullo exemplo Scholaſtici. Patres autem illo dicto videbantur niti, qui eſt apud Daniel. 4. v. 24.

6 *Et earum tantummodo.* Locus eſt Matth. 25. verſ. 33. 34. & ſeq. Quod ait tamen Auguſtinus ſolas eleemoſynas nobis à Deo imputari, primùm oſtendit, quòd gratæ illæ ſint Deo, non fieri ipſius operis noſtri merito & dignitate, ſed ſolius Dei B dignatiõe & gratuita acceptatione. Et ideo dicit, eas imputari. Imputantur enim nobis, quæ non ſunt ſua natura vllius æſtimationis digna. Deinde quòd vult tantummodò opera eleemoſynæ accepta eſſe Deo & approbari, comparatè aut καθ᾽ ὑπερβολὴν dictum eſt. Omnia enim pietatis, & charitatis opera, qualis eſt oratio pia, patientia pro nomine Chriſti in afflictionibus, Deo grata ſunt eadem ratione & gratuita acceptatiõe, qua & eleemoſynæ, quia fidei vera ſunt effecta, & idcirco per Chriſtum Deo commendantur.

DE ELEEMOSYNIS.

CAP. LXX.

Propter eleemoſynas peccandi licentian non ſumendam eſſe.

SAnè[1] cauendum eſt, ne quiſquam exiſtimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non C *poſſidebunt, quotidie perpetranda, & eleemoſynis quotidie redimenda. In melius quippe eſt vita mutanda, & per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, vt ea ſemper liceat impunè committere. Nemini enim dedit laxamentũ peccandi (quanuis miſerando deleat iam facta peccata) ſi ſatisfactio[2] congrua negligatur.*

1 *Sanè cauendum.* Vtilis admonitio, quę vicem hypophoræ habet, ne quis putet eleemoſynarum prætextu ſibi licere peccare. Fuiſſe apud veteres Chriſtianos & primos fideles inflammatiſſimam charitatem apparet ex Act. 4. & 5. quanquam eam paulatim refrixiſſe ſcribit Clemens Alexandrinus. Hinc natæ eleemoſynarum laudes, vt ad eas magis homines excitarentur, adeò vt Homiliæ veterum epiſcoporum & Græcorum & Latinorum de ea vna re ſcriptæ multæ hodie extent, imprimis Baſilij, & Chryſoſtomi, qui etiam in Ioan. 20. Homil. 84. eleemoſynas vocat ornamenta mortuorum, & eam veſtem quę nobiſcum ſit in nouiſſimo die reſurrectura. Ambroſius item in lib. Thobiæ, & Iacobus ca. 1. ver. 27. ex eo effectu vti præcipuo pietatem deſcripſit. Ex tantis támque immenſis laudibus, quę eleemoſynis tribuebantur, poſtea natus

A hic error, quaſi per eas omnia peccata noſtra apud Deum deleantur.Inde ſumpta peccandi licentia ab hominibus quibuſdam Chriſtianis, ſpe erogandæ poſtea eleemoſynæ.Cõtra quem grauiſſimum hominum errorem non vno hoc loco agit luculenter Auguſt.ſed variis aliis,imprimis autem libro 21.de Ciuit.Dei cap.20.21.22.epiſtola ad Hilarium 89.& inf.c.75.Eſt autẽ imprimis duplex Charitatis Chriſtianæ effectus

{ Benignitas.
{ Concordia vt ex 1.Corint.13.

colligi poteſt.Benignitas eſt omnis miſericordiæ & eleemoſynæ mater.Eſt enim is affectus, per quẽ afflictis ſubuenimus, non ſpe quidem mercedis, neque propter populi gloriam captandam, ſed vt Deo iſta fieri iubenti pareamus, ídque ex animo. Nam hilarem datorem diligit Deus,2.Cor.9. Auguſt.in Pſal.42,Ex animo fac, inquit. Ergo qui, vt videatur,eleemoſynam facit,iam ſuam mercedem recepit,ait Chriſtus: item qui ſpe mercedis,id eſt, alterius eleemoſynæ accipiendæ gratia & ſpe,Mat. 6.ver.1.Ergo veræ eleemoſynæ vera cauſſa eſt cha- B ritas, quæ non verbis & lingua, ſed reipſa & præſtatione auxilij ſe profert & demonſtrat,1. Ioan. 3. v.18.Iac.2.v.15.16. Quæ virtus etiã dicitur pulcherrimo nomine Miſericordia,quando quod eſt Gręcis ἐλεημοσύνη,hoc eſt Miſericordia Latinis, quæ etſi eſt pulcherrima virtus, ad eam tamen nulla ſunt philoſophorum præcepta,vt ait Lactant.li.6.c.10. Imò etiam Stoici eam, vt homine ſapienti indignam,damnarunt.Scholaſtici ex Lombardo lib.4. diſt.15.c.His reſponderi.aliquid de ea ſcribunt,ſed nihil ad Auguſt.Quæſitum eſt igitur,Cuius ſint apud Deum dignitatis eleemoſynæ veræ & Chriſtianæ. Irenæus lib. 4.capit.26,primus ſcripſit eas delere præterita peccata & præteritas cupiditates, nõ autem futuras, ne quis ex iis occaſionem peccandi arriperet. Hoc idem ſcripſit poſtea Auguſt. lib.21.de Ciuita.Dei,cap.27.Scholaſtici lib.4. Sẽt. diſt.45.cap. Neque,aiunt,mortuis etiam prodeſſe, vt eorum peccata expientur. Vnde oblationes inſtitutæ pro defunctis. Ex Daniel. 4. ver. 24.vulgò C cẽſentur ſatisfacere pro peccatis.Quid igitur? Reſponſio eſt facilis.Cùm ſint eleemoſynæ verę charitatis fructus,vt ait idem Irenæ.li.4.c.34. charitas autẽ ſit fidei & fructus & effectus,propter cauſſam ipſam primordialem,vnde naſcuntur eleemoſynę, id eſt propter fidem,Deo commendantur:non autem ipſæ per ſe, cùm nulla opera noſtra ſint vllius coram Deo dignitatis, nedum ſatisfactio aut pretium pro peccatis noſtris. Et quod eſt apud Danielem,Redime peccata, ô Rex,eleemoſynis, non Dei ratione,ſed hominum quos variis rapinis vexauerat Nabugadnezer,dictum eſt accipiẽdum.Ergo eleemoſynæ Deo placent,quia à charitate proficiſcũtur,& ſunt opera ab eo præcepta.Et ita fieri inter homines neceſſe eſt,quando & hoc fieri debere ratio ipſa dictat,& nihil humani alienũ à nobis exiſtimare debemus,quemadmodũ ait Terentianus Chremes.Vnde pulcherrima illa Iuuenalis ſententia,Saty.15.

Senſum à cæleſti demiſſum traximus arce,
Cuius egent prona, & terram ſpectantia. Mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantùm animas, nobis animum quoque, mutuus vt nos
Affectus petere auxilium, & præſtare iuberet.

Et rectè in lib. περὶ κοινῶν ἐννοιῶν πρὸς τοὺς στωϊκούς, ait Plutarch.hic mundus à Deo conditus eſt, vt communis quædam ciuitas,cuius quiſque alterum conciuem agnoſcere debet. Denique vt arctius hoc vinculum eſſe inter Chriſtianos intelligatur,dicamus cum Auguſtino in lib. De opere Monachor.cap. 25.Omnium Chriſtianorum vna reſpub.eſt. Itaque alter alterius inopiã ſubleuare debemus & eleemoſynas dare. A

2 *Si ſatisfactio.* In impreſsis & manuſcripto perperam ſic,Si non ſatisfactio.Delenda eſt particula negans quæ contrariam menti Auguſtini ſententiam efficit.Eſt autem ſatisfactio hæc quam nõ negligendam docet,vitæ emendatio, quam Deus requirit ab iis quibus condonat peccata. Auguſtinus ipſe ita in li.De pœnitent.explicat,Eſt ſatisfactio,ait,peccatorũ cauſas excidere,nec ſuggeſtionibus eorum aditum indulgere. Quod eſt obſeruandum,ne quis putet ſatisfactionem vocari eleemoſynam, quaſi ſit pretium peccatorum noſtrorum coram Deo.

CAP. LXXI.

Leuia peccata veniam per orationem dominicam obtinere à Deo:ſed & eleemoſynam eſſe, ſiquis fratri offenſam remittat. B

DE quotidianis autem [1] leuibúſque peccatis ſine quibus vita hæc non ducitur [2] quotidiana oratio fidelium ſatisfacit [2]. Eorum [3] eſt enim dicere Pater noſter qui es in cælis, qui iam Patri tali regenerati ſunt ex aqua & Spiritu ſancto. Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata: Delet & illa, à quibus vita fidelium ſceleratè etiam geſta,ſed pœnitendo in melius mutata diſcedit,ſi quemadmodum veraciter dicitur, Demitte nobis debita noſtra (quoniam non deſunt, quæ dimittantur) ita veraciter dicatur, Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, id eſt, fiat quod dicitur: quia & ipſa eleemoſyna eſt veniam petenti homini ignoſcere.

1 *Leuibuſque.* In impreſſis ſic,De quotidianis autem breuibus leuibúſque peccatis: vocem Breuibus,ſuſtulimus,quæ eſt gloſſema ad illam,Quotidianis.Nam breuium peccatorum,nuſquam meminit Auguſtinus,ſed leuium,minimorum,quotidianorum peccatorum,denique infirmitatum humanarum ſæpe. C Ergo vt grauia peccata pœnitentia tolli ſuprà docuit: ita hîc leuia dominica oratione condonari,vt prorſus ferè inutilẽ ignis purgatorij inductionem & vſum appareat.

2 *Satisfacit.* Auguſtinus lib.1.De Symbol. ad Catechum.cap.6.ſcribit tribus omnino modis tolli peccata in Eccleſia, Baptiſmate,Oratione, Humilitate. Pœnitentiæ Baptiſmate, omnia peccata tolluntur,ait.Oratione dominica,leuia. At grauia & immania publica pœnitentia.Cano. De quotidianis.De conſecrat. diſt. 3. dictum Chryſoſtomi commemoratur, quod cum hoc Auguſtini loco planè conſentit.Ipſe tamen Auguſtinus lib.21. De ciuitate Dei,cap.27. etiam ad grauium delictorum veniam impetrandam prodeſſe hanc orationem dominicam teſtatur. Nam, vt ait idem ſermo. 226. De tempore, Oratio iuſti, eſt clauis cæli. Aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio.Eſt autem notanda hæc patrum ſententia & locutio, Per orationem dominicam leuia peccata tolli. Eſt enim genus loquendi metonymicum,

per

per quod viæ & inſtrumento tribuitur quadam communicatione, quod eſt alterius rei proprium. Solus enim Chriſti ſanguis & leuium & grauium peccatorum expiatio eſt,atque cauſſa remittendorum. Itaque per ſolum Chriſtum tolluntur. Neque putādum eſt certorum verborum vi & numero vel certæ pronuntiationis dignitate peccata vlla noſtra tolli, & condonari à Deo, quod Euchitæ & Audiætij hæretici peſſimè ſenſerũt,ſed ſolius ſanguinis Chriſti merito id fit. Sed quia oratio eſt illius Chriſti beneficij, poſtulandi & à Deo impetrandi via & ratio à Deo ipſo præſcripta (dixit enim,Petite,& dabitur vobis,Matth.7.verſ.7.) orationi tribuitur quod eſt ipſius fidei vel Chriſti potiùs proprium. Sic, ſi quis itinere aliquo feliciter confecto dum aliquod commercij genus exercet, ditatus eſt,dicere ſolet,hoc iter me ditauit & beauit. Denique comparatè ita loquebantur veteres, grauia peccata pœnitentia eluenda,leuia oratione dominica & quotidiana, ne quis nimirum anſam peccandi arriperet,ſi audiret enormia peccata tam facilè deleri poſſe,vel etiam ne quis deſperaret, & nimiùm terreretur, ſi pro qualibet infirmitate iuberetur publicam pœnitentiam agere. Ergo ad vtraque delicta expianda per ſolius Chriſti ſanguinem aditum præbet oratio: diſciplinæ tamen publicæ & eccleſiaſticæ gratia differentia hæc ſtatuēda fuit, vt alio modo grauia,alio leuia peccata tolli intelligantur.

3 *Eorum.* Solos fideles docuit orare Chriſtus, quia ij ſoli Deum Patrem appellare poſſunt per Chriſtum:infideles autem non poſſunt.Sed ex ipſa precum ſubſtantia facilè intelligi poteſt quàm differenter fideles & infideles orent. Fuit enim hæc optima paganorum & laudatiſſima oratio, quæ ex Lacedæmoniorum more recepta erat,& quam Saty.10.refert Iuuenalis.

-Sit mens ſana in corpore ſano. quæ tota comparata fuit ad expetendum huius tantùm vitæ caducæ felicem ſtatum, quæque ſunt nobis commoda. At illa Chriſti oratio primùm docet petere regnum Dei, & iuſtitiam eius: tum deinde quæ ad nos pertinent.

CAP. LXXII.

Multa eſſe eleemoſynarum genera,illud tamen eſſe optimum,per quod fratri in nos peccanti peccatum condonamus.

AC per hoc [1]ad omnia, quæ vtili miſericordia fiunt, valet quod Dominus ait, Date[2] eleemoſynam,& ecce omnia munda ſunt vobis. Non ſolùm autem qui dat [3]eſurienti cibum,ſitienti potum, nudo veſtimentum,peregrinanti hoſpitium,fugienti latibulum,ægro vel incluſo viſitationem, captiuo redemptionem, debili ſubuectionem, cæco deductionem, triſti conſolationem, non ſano medicinam,erranti viam,deliberanti conſilium, & quod cuique neceſſarium eſt indigenti, verum etiam & qui dat veniam peccanti,eleemoſynam dat: & qui emendat verbere [4],in quem poteſtas datur, vel coercet aliqua diſciplina, & tamen peccatum eius,quo ab illo læſus eſt, aut offenſus,dimittit ex corde, vel orat vt ei dimittatur, non ſolùm in eo quod dimittit atque orat, verumetiam in eo quod corripit & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemoſynam dat, quia miſericordiam præſtat. Multa [5] enim bona præſtantur inuitis, quando eorum conſulitur vtilitati,non voluntati,quia ipſi ſibi inueniũtur eſſe inimici. Amici verò eorum potiùs illi, quos inimicos putant. Et reddunt errando mala pro bonis, cùm reddere mala Chriſtianus non debeat pro malis [6]. Multa itaque ſunt genera eleemoſynarum, quæ cùm facimus, adiuuamur vt dimittantur nobis noſtra peccata.

1 *Ac per hoc.* In latiorem diſputationem de eleemoſyna digreditur Auguſtinus. In quo argumento hæc poſſunt quæri, Quid ſit eleemoſyna, Quotuplex, Quibus danda, E quibus rebus erogāda, Quantum danda,& Quo animo. Hoc poſtremum ſup.cap.70.explicauimus. Quid ſit autē eleemoſyna,breuiter definit Auguſtinus in Pſal.49.eſt opus iuſtitiæ & miſericordiæ,per quod egēti ſubuenimus. Idem Lactant.lib.6.

2 *Date eleemoſynam.* Locus eſt Luc.11.ver.42.

3 *Eſurienti cibum.* Secũdum caput, Quotuplex ſit eleemoſyna. Enumerat autem hoc loco quindecim genera eleemoſynarum, è quibus eſt maximum illud, per quod offenſionem condonamus iis, qui nos offenderunt. Scholaſtici tātùm ſeptem ſpecies agnoſcunt, quas hoc carmine complectuntur,

Conſule,caſtiga,ſolare,remitte,fer,ora.

Terentius in Heautontimor. omnia noſtra auxilia ad tria tantùm genera reuocat. Ego,inquit, re, vel ope,vel conſilio iuuero. Præclarè tamē hîc Auguſtinus plures ſpecies eleemoſynæ,quāquam nec omnes,recenſet, conſentienter Scripuræ & aliis eccleſiaſticis ſcriptoribus. Ac Scripturæ quidē, quòd apud Iobum cap.29.verſ.12.13.15.16.17 hæc genera continentur. item Matth. 25. verſ.34.35. & ſeq. Aliis autem ſcriptoribus eccleſiaſticis, veluti Tertulliano & Lactantio,qui in epito. ca.7.ita ſcribit, Si quis victu indiget,impertiamur. Siquis à potente iniuriam ſuſtinet, eruamus. Pateat domiciliũ noſtrum vel peregrinis, vel tecto indigentibus. Pupillis defenſio,viduis tutela noſtra non deſit. Redimere ab hoſte captiuos,magnanimi opus eſt: itē ægros pauperes viſitare atque fouere. Inopes aut pauperes, ſi obierint, non patiamur inſepultos iacere. Hæc ſunt opera,hæc officia miſericordiæ. Sed & eadem hæc enumerat inter officia beneficentiæ Tullius lib.1.& De officiis. Hæc autem partim ad corpus partim ad animum ſubleuandum pertinēt. Contra verò opera miſericordiæ varia ſunt & iis contraria quæ ſunt apud Iob. 22.v.6.7.& ſeq.24.v. 2.3.4.& ſeq. Quæſitum eſt autem tertio loco, Quibus dandum eſt. Reſp. Auguſtinus, Omni petenti abs te,lib.1.De ſermo.Domini in monte,3.Luc.6. verſ.30.Galat.6.verſ.10. Quid enim, ait alibi,tam opus habet miſericordia,quàm miſer, & qui eget? Sed quid tam indignum miſericordia quàm ſuperbus miſer? lib.3.cap.10.de libero arbitrio.Prouer. 12.verſu 9. Et quod ex M.Cicerone obiicitur ſumptum ex lib.2.De officiis,malè meretur,qui mendico dat quod edat:refutatur à Lactātio lib.6. cap. 11.vbi ita cōcludit, Quid perſonas eligis? Quid mēbra inſpicis? Pro homine tibi habēdus eſt,quiſquis ideo precatur,quia te hominē putet. Denique aiũt philoſophi eſſe duplicem eleemoſynam,

Alteram
- Humanitatis, quæ omnibus hominibus ſuccurrit. Hierony. ad Hedib. quæſt.1.Lactant.etiam lib. 6.cap.12. & 17,videtur ita diſtinguere.
- Liberalitatis,quæ habet hominum rationem & delectum merentium iuuari, aut non.

A quæ diſtinctio mihi non probatur. Quantum autem dandum ſit explicat Auguſtinus ad Iulia. Comitem, epiſt. 111. Tantùm expetitur ab vnoquoque, quantum ei dedit Dominus, Matth. 19. v. 21. Sed tamen tantum cuique petenti eſt ſolùm dandum, quantum dare honeſtè & iuſtè poſſumus. Quid enim ſi pro ſtupro quis petat? Certè non eſt dandũ. Sed de quibus rebus eſt eleemoſyna facienda? Reſpond. Auguſtinus De verb. Domini ſecund. Luc. Sermo, 35. Ex eo quod iuſtè, & noſtris laboribus partum habemus, non ex eo quod iniuſtè poſſidemus, quales rapinæ, vſuræ, alienum. Hierony. in Ezechiel. cap. 18. Malach. 1. verſu 14. Leuit. 22. v. 22. Ergo illud Irenæi cum temperamento eſt accipiendum: Quæcunque cùm eſſemus ethnici de iniuſtitia acquiſiuimus, hæc cùm crediderimus in dominicas vtilitates iuſtificamur, lib. 4. cap. 49.

4 *Emendat verbere.* Correctio eſt duplex. fit
B enim alterius correctio vel iure { Fraternitatis,
{ Poteſtatis.

Quæ iure fraternitatis fit, in omnes licet, & à quocunque fieri poteſt. fit autem ſolùm verbis & honeſta admonitione, Iac. 5. verſ. 20. Quæ autẽ fit iure poteſtatis, nec in omnes, nec omnibus licet, nec fit tantùm verbis, ſed etiam ſæpe verberibus, qualis illa quæ domino in ſeruum, patri in filium, marito in vxorem (vt quidam volunt. nam de hoc poſtremo ampliùs quæſierim) item magiſtratui in ſubditum ſuum, conceditur iure, & legibus. In vtroque autem genere correptionis ſiue correctionis animum ſeſe vlciſcendi abeſſe oportet, vt hîc docet Auguſtinus, Paul. Rom. 12. v. 16. Plutarch. in lib. De coercenda ira.

5 *Multa.* Hoc argumento ſæpe vſus eſt Auguſtinus aduerſus Donatiſtas, qui conquerebãtur, quòd propter hæreſim multarentur à iudicibus Chriſtianis, & inuiti ad fidem & Eccleſiam adducerẽtur. Puniri enim eos debere, & ſuppliciis coerceri cẽſuit Auguſtinus poſterioribus ſuis cogitationibus quæ etiam fuerunt ſapientiores. Ita ipſe ſcripſit in epiſtola ad Rogatia. Donatiſt. libr. 2. Contra liter. Petil. cap. 92. libr. 1. contra Parmenia. C cap. 7. morte tamen eos damnari aut affici non vult, vt pœnitere poſt ſupplicium poſſint, in epiſto. 127. ad Donat. Etſi autem vulgò dicitur, Inuitum qui ſeruat, idem facit occidẽti, & Beneficium in inuitum collatum cenſetur beneficium illi non eſſe, quia & recuſat accipere, & nemo ſeipſum lædere velle iudicandus eſt, vt lib. 5. ἠθικῶν Νικομαχ. ca. 6. ait Ariſtotel. tamen prodigorum, furioſorum, & lethargicorum exempla docent veram eſſe hanc Auguſtini ſententiam, nempe inuitum ſeruari poſſe, & ſæpe debere, cùm ii etiam inuiti ſeruentur, & ſeruati poſtea gaudeant, gratiáſque maximas agãt.

6 *Pro malis.* Locus eſt Matth. 5. v. 44.

CAP. LXXIII.

Quemque Chriſtianum tantum proficere debere, vt etiam inimicos ſuos diligere poſſit.

Sed ea nihil[1] eſt maius, quæ ex corde dimittimus, quod in nos quiſque peccauit. Minus enim magnum eſt, erga eum eſſe beneuolum, ſiue etiam beneficum, qui tibi mali nihil fecit. Illud multo grandius, & magnificentiſſimæ bonitatis eſt, vt tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & ſi poteſt, facit, tu bonum A *ſemper velis, faciáſque cùm poſſis, audiens dicentem Ieſum[2], Diligite inimicos veſtros, benefacite eis qui oderunt vos, & orate pro eis qui vos perſequũtur. Sed quoniam perfectorum[3] ſunt iſta filiorum Dei (quò quidem ſe debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hunc affectum orando Deum, ſecúmque agendo, ductandóque perducere) tamen quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non eſt, quantam credimus exaudiri cùm in oratione dicitur[4], Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: proculdubio verba ſponſionis huius implentur ſi homo qui nondum ita profecit, vt iam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine qui peccauit in eum, vt ei dimittat dimittit ex corde, quia etiam ſibi roganti vult vtique dimitti, cùm orat & dicit, Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, id eſt, ſic dimitte nobis debita noſtra rogãtibus nobis, ſicut & nos dimittimus rogantibus debitoribus noſtris.*

1 *Sed ea nihil.* Confirmatio ſuperioris ſententiæ tum à cõparatis, tum etiam ab ipſius humani ſenſus iudicio qui difficillimum putat inimicos diligere, & nos lædentibus veniam dare. B Difficilia autem ſunt & pulchra & magna. Ex hoc tamen vno loco apparet quantum humanitas & charitas verbo Dei præſcripta differat ab ea quæ libris Ethnicorum philoſophorum docetur, cùm hi velint licere nobis odiſſe noſtros inimicos, & nos vlciſci. Contrà verò Chriſtus doceat Matth. 5. & Paulus Roma. 12. ver. 20. Ariſtoteles alicubi ſcribit eſſe εὐήθους .i. ſtolidi hominis non vindicare illatam iniuriam. Heſiod. lib. 1. ἔργων καὶ ἡμέρ. idem: M. Tullius Cicero in libris officialibus (Nam eos ita appellat Lactantius) ſcribit poſſe bonum virum, ſi laceſſitus ſit iniuria, laceſſẽti nocere, ſéque vlciſci. Quam eius ſententiam verè reprehendit Firmianus Lactant. lib. 6. cap. 18. Nõ minùs enim eſt mali, ait, referre iniuriam, quàm inferre. Phariſæi etiam cùm legem Dei merè politicam eſſe iudicarent, licere etiã populo Dei dixerũt ſeſe vlciſci. Sed eos Chriſtus, qui eſt Dei veritas, decipi & toto cælo errare docet Matth. 5. verſ. 43.

2 *Dicentem Ieſum* Locus eſt Matth. 5. ver. 44.

3 *Perfectorum eſt.* Perfecti pij & Chriſtiani C quomodo hîc dicantur explicat Auguſtin. libr. 3. ad Bonif. ca. 7. Perfecti enim dicuntur quòd ſuam imperfectionem hîc confiteri non erubeſcunt. Ergo perfectos vocat Auguſtinus, non monachos, ſed qui maiores in pietate & vero Dei metu progreſſus fecerunt, ſiue laici ſint, vt loquuntur, ſiue clerici: ne hoc de ſe dictum putent monachi. Bernard. Sermo. 38. Cantic. Spiritualis autem anima etſi inde iam pulchra, quod non ſecundum carnem ambulat, ſed ſecundum ſpiritum, ex eo tamẽ quod adhuc & in corpore viuit, circa perfectum adhuc pulchritudinis proficit: ac proinde non pulchra omnino: ſed pulchra inter mulieres, id eſt, animas terrenas, & quæ non ſunt, ſicut ipſe, ſpirituales: non autem inter angelicas beatitudines, ſicut Patrum aliquis olim inuentus & dictus eſt iuſtus in generatione ſua, id eſt, præ omnibus ſui temporis, ſuæque generationis. Ita Bernard. Hoc autem caput tranſcripſit Lombardus libr. 4. diſtinct. 30. Sed hoc Auguſtini dicto turpiſsimè ſunt abuſi Scholaſtici. Primùm putant hoc præceptum de inimicis diligendis eſſe ex iis quæ Euangelium ſupra legem Moſis addidit tanquam perfectior doctrina,

A ctrina,vt ipſi loquuntur.Falſum hoc. Nam & lex per Moſen data hoc idem fieri iuſſit quod Euangelium præcepit,vt ex his locis apparet: Exod. 23. verſ.5.Numer.25.verſ.17.Pſal.7.verſ. 14. Prouerb. 25.verſ.21.2.Chronic. 28.verſ. 15.Et nihil ad legem Moſis addidit Chriſtus,ſed veram tātùm illius mētem expoſuit & reſtituit.Hic primus error. Deinde quæritur ab iiſdem, Quomodo ſit diligendus inimicus.Reſpondent autem,Non eo modo, quo amicus diligitur,ſiue affectum charitatis,ſiue effectum ſpectes.ſic Thomas in 2ª 2ª quæſt. 24. Ergo inimico communia tantùm ſigna beneuolētiæ exhibenda eſſe volunt, orationem tamē apud Deum ſpecialiter pro eo non eſſe faciendam.Itaque ſalutari inimicus debebit,ad euitandum hominū ſcandalum, non autem prompto animo iuuari, quod ſolis amicis debetur.Sic Viguier.in Inſtitutio. ità quoque Lombard.libr.3.diſt.29.cap. Solet etiam quæri.Eſt quidem Hierony. dictum lib. 1. Contra B Pelagia. quod huic errori anſam dediſſe videtur. Eſt etiam Bernardi ſententia Sermo. 50. in Cant. qua affirmat ille inimicum non,vt nos ipſos, à nobis diligēdum eſſe.Sed nos omiſſis iſtis qui ne refutatione quidem digni ſunt,ex Dei præcepto reſpondemus etiam inimicos eſſe diligendos ſicut nos ipſos,quia & illi etiam ſunt proximi noſtri, vt eſt Romanor.12. verſ.20.2. Chronic.28. quanquam cum veteribus patribus Ambroſio, Chryſoſtomo & aliis fatemur in vera & Chriſtiana charitate diuerſos & diſpares charitatis gradus eſſe, & alios magis, alios minùs diligi à nobis, & rectè bonáque conſcientia poſſe. Quando Chriſtus ipſe Ioannem plus dilexit quàm cæteros Apoſtolos, & iubemur magis vxorem quàm ipſos parentes noſtros diligere.

4 *Dicitur.* Locus eſt Matth.6.verſ.12.

Cap. LXXIIII.

Peccata aliis non dimittentes ipſi veniam à Deo non conſequuntur.

Iam verò qui eum,in quem peccauit, hominem rogat [1],ſi pro peccato ſuo mouetur,vt roget,nō eſt adhuc C *putandus inimicus, vt eum diligere ſit difficile, ſicut difficile erat quādo inimicitias exercebat. Quiſquis autem roganti & peccati ſui pœnitenti nō ex corde dimittit,nullo modo [2] exiſtimet à Domino ſua peccata dimitti, quoniā mētiri veritas nō poteſt. Quem verò lateat Euāgelij auditorem,ſiue lectorem,quis dixerit [3],Ego ſum veritas? Qui cùm docuiſſet orationem hanc in ea poſitam ſententia vehementer commendauit,dicēs [4],Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum,dimittet vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra. Ad tam magnum tonitruū qui non expergiſcitur,non dormit,ſed mortuus eſt,& tamen potens eſt ille etiam mortuos ſuſcitare.*

1 *Hominem rogat.* Pulchra eſt hæc Auguſtini admonitio,ad offenſas & iniurias nobis factas cōdonandas. Ad quod nos & Chriſtus Matth. 9. & Paulus ſæpiſſimè cohortantur.Coloſ.3.ver.13.Philip.2.Et quod ait hîc Auguſtinus, Rogat,nō habet eā notionē,quaſi iis tantùm cōdonandā offenſam velit & exiſtimet qui ipſi primi nos adeūt & rogāt poſtquam læſerūt:ſed & ſiqui non adeūt,imò obſtinati manēt,iis tamē pax eſt offerenda, quantum in nobis eſt.Pſal.34.ve.4.Rō.12.ver.18.quia à Chriſto didiciſſe debemus mites animo eſſe, & faciles ad condonandam iniuriam, vt etiam accurramus A ad eos qui nos indignè tractarunt, Matth. 11.v.29. quemadmodum & quales nos ſibi Chriſtus reconciliat.

2 *Nullo modo.* Non eſt tamen cauſſa remiſſionis peccatorum noſtrorum hæc iniuriæ condonatio quæ à nobis fratri fit,vt quidam perperam exiſtimant,ſed eſt lex & conditio tantùm ſub qua nobis à Deo veniam dari petimus.Ita Cyprianus explicat hæc verba, Sicut & nos dimittimus &c. ita Ambroſius. Alii notam vel ſignū remiſſionis nobis factæ à Deo appellare malunt. Conditionem tamen petitioni noſtræ additam nominare & interpretari malo. Scholaſtici peſſimè omnium faciunt hanc cauſſam remiſſionis.

3 *Ego ſum veritas.* Locus eſt in Euangelio Ioā. 14.verſ.6.

4 *Dicens.* Matth.6.verſ.14.Cui loco alij ſunt in Nouo teſtamento penè infiniti ſimiles & conſentientes.

--- B

Cap. LXXV.

Eleemoſynas neque infidelibus prodeſſe,neq; ſceleratam vitam obſtinatè degentibus.

Sanè [1] qui ſceleratiſſimè viuunt, nec curant talem vitam,moréſque corrigere, & inter ipſa facinora & flagitia ſua eleemoſynas frequentare non ceſſant, fruſtrà ſibi in eo blandiuntur, quoniam Dominus ait, Date eleemoſynas, & ecce omnia ſunt munda vobis. Hoc enim quàm latè pateat,non intelligunt. Sed vt intelligant, attendant quibus [2] dixerit. Nempe in Euangelio ſcriptū eſt, Cùm loqueretur, rogauit eum quidem Phariſæus,vt pranderet apud ſe, & ingreſſus recubuit. Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere, quare non baptizatus eſſet ante prandium. Et ait Dominus ad illum, Nunc vos Phariſæi quod de foris eſt calicis & catini mundatis: quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina & iniquitate. Stulti,nonne qui fecit id quod foris eſt, etiam id quod intus eſt fecit? Veruntamen quod ſupereſt date eleemoſynam, & ecce omnia mūda ſunt vobis. Itane hoc intellecturi ſumus, vt Phariſæis non habentibus fidem C *Chriſti,etiamſi [3] non in eum crediderint,nec renati fuerint ex aqua & Spiritu ſancto, munda ſint omnia, tantùm ſi eleemoſynas dederint,ſicut iſti eas dandas putāt? Cùm ſint immundi omnes,quos non mundat fides Chriſti, de qua ſcriptum eſt [4], Mundans fide corda eorum. Et dicit Apoſtolus [5] Immundis autem & infidelibus nihil eſt mundum.ſed polluta ſunt eorum & mens & conſcientia. Quomodo ergo Phariſæis omnia munda eſſent,ſi eleemoſynas darent, & fideles non eſſent? Aut quomodo fideles eſſent,ſi in Chriſtum credere, atque in eius renaſci gratia noluiſſent? Et tamen verum eſt,quod audierunt, Date eleemoſynam,& ecce omnia munda vobis.*

1 *Sanè qui.* Quàm fuerit olim obſtinatus error corū,qui fidem ab operibus bonis ſepararent, docuimus ſuprà ex Iacob.2.v.18.Ita quàm & recepta & plauſibilis fuerit iſta opinio eorum qui eleemoſynas & bona opera à vera vitæ ſanctitate tāquam ramū à ſua ſtirpe diuellerēt,probat hic Auguſtini locus,vt & lib.21.De ciuit. Dei c.27.Hic fuit aſtus Satanæ vt magnam eleemoſynis & certis quibuſdā rebus dignitatem tribueret,quò homines ſecuriùs poſtea ſuis vitiis indulgerent freti facili peccatorū ſuorū venia &expiatione.Sic monachi hodie dum

A victui,veſtitui,certíſque regulæ ſuę ceremoniis fidunt, & in iis peccatorum ſuorum pretium collocant,etſi ſceleratiſſimè viuunt,cenſent tamen ſe ſolos ſanctos,beatos, & angelis pares futuros eſſe. Hoc caput vti & ſequentia decerpſit Lombardus lib.4.diſt.15.cap.His reſponderi.ex quibus nihil ſani colligit,cùm tamen,ſi quo alio huius operis loco,hoc vno maximè animi ſui pietatem teſtetur & demonſtret Auguſtinus.Itaque illi contrà accidit, quàm apibus & Vergilio.Hę enim ex thymo amaro mel ſuauiſſimum colligũt. Vergilius ex ſtercoribus Ennij aurum, vt ipſe loquebatur,racemabat. At Lombardus ex iſtis aureis Auguſtini dictis nihil libat vel decerpit quod Chriſtiano homini ſuaue ſit, mel ſit, vel aurum : ſed potiùs quod ſcoria & ſterquilinium.

2 *Quibus dixerit.* Locus hic ſũptus eſt ex Luc. Euangelio 11. verſ. 37. & ſequent. quem ſequenti capite explicat Auguſtinus. Hîc autẽ docet quod ἁπλῶς & generaliter dictum à Chriſto videtur,eſſe B κατά τι interpretandum ex rei & perſonarum, quas Chriſtus alloquebatur,circũſtãtia. Sic multi Scripturę loci ſunt accipiendi,niſi grauiſſimè errare & labi velimus,quale eſt illud Chriſti Matth.19,Vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus. Præterea hîc vetus interpretatio, quam ſequitur Auguſt.eſt cum Græcis conferenda. Nam verſ. 42, ita habet Lucas,πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην,quæ verba ſic Auguſt. Veruntamen quod ſupereſt date eleemoſynam:quaſi τὰ ἐνόντα ſit τὸ λοιπὸν, vt loqui ſolet Paul. Philip. 3. verſu 1.cùm potiùs res ipſas ſignificet & denotet, è quibus danda eſt à nobis eleemoſyna, nempe ex iis quæ nobis adſunt. Sic apud Diogen. Laertium in Pittaco,interrogatus quid eſſet optimum,τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν reſpondit. Alienum enim rapere quod egentibus largiamur,non licet,vti ſuprà docuimus.

3 *Etiamſi.* Arguit Augu.tum ab abſurdo, tũ ab cõtrario loco,vt doceat hoc Chriſti dictum ad infideles primùm non debere extendi. Cùm enim C ſint ipſi immundi,quia fide carent,& eorum eleemoſynæ & opera omnia,quæ vocantur bona,ſunt etiam corã Deo immunda,ſordida,& ingrata. Ratio eſt, quia quicquid ſine fide fit, peccatum eſt, Rom.14. ver.23.Cùm enim opera ex fine & intentione agentis æſtimentur,certè ſine fide nulla eſſe poſſunt opera noſtra bona.Eſt enim illa,quæ animi noſtri intentionem dirigit, & rectam facit, vt docet Auguſt.lib.9.de Trinit. c.1.Ergo cùm fides abeſt, dubitatio ſuccedit,quæ cogitationem habet iniuriæ, & actus noſtri incertos nos facit, qualis ſit,bonúſne,an malus.At obiicitur nobis,infideles & ethnicos multos bonos viros appellatos eſſe,qui etiam laudabiliter vixerũt,vti Socrates, Ariſtides, qui etiã Iuſtus cognominatus eſt,item Cato,Traianus & ſimiles. Reſpondeo, Hoc quidem verum eſſe,eóſque laudabiliter vixiſſe ratione hominum, non autem Dei. Nam apud Deum nulla vera virtus eſt ſine fide, vt etiam docet Auguſt. lib. 19. de Ciuita.Dei,c.25.Neque opera etiam miſericordiæ ſi quæ ſunt ab iis facta, quia in Chriſtum non credunt,ipſis proſunt,li.12.de Trinita. cap.7. Vnde idẽ Auguſtinus in pręfatione Pſal.31,Ipſa opera,ait, quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia,inania ſunt. Ita mihi videntur eſſe, vt magnæ vires, & curſus celerrimus præter viam.Vbi fides non erat,bonũ opus non erat. Bonum enim opus intentio facit,intentionẽ fides dirigit. A Sunt igitur tantùm veræ virtutis ſimulacra, non veræ virtutes. Itaque hominum ratione iſta ſunt εὔφημα.Dei autẽ ratione non poſſunt talia cenſeri.Et quod obiicitur ex lib.De fid.ad Pet. cap. 3. etiam ſine fide opera miſericordiæ facta prodeſſe infidelibus, vt mitiùs torqueantur, primùm non nititur authoritate Scripturæ, deinde non probat eos à pœna mortis æternæ propterea liberari : ſed ea pœna tantùm mitiùs plecti.

4 *Scriptum eſt.* Locus eſt in Actis cap.15.ver.9. Ergo iuſtificandi & mũdãdi laudẽ nõ tribuit Auguſtinus operibus,ſed fidei.Actor.26.ver.18.

5 *Immundis.* Locus eſt Tit.1. v. 15. cui ſimilis eſt Leuit.11.verſ.2.

CAP. LXXVI.

Optimam omnium eleemoſynam eſſe hanc,ſiquis miſeræ ſuę vitæ miſereatur,vt eã in melius commutet,Deóque placeat.

QVi autem [1] vult eleemoſynam ordinatè dare,à [2] ſeipſo debet incipere,& eam ſibi primum dare. B *Eſt enim eleemoſyna opus miſericordiæ,veriſſimèque dictum eſt,[3] Miſerere animæ tuæ placens Deo. Propter hoc renaſcimur,vt Deo placeamus, cui meritò diſplicet, quod naſcendo contraximus. Hæc eſt prima eleemoſyna,quam nobis dedimus[4],quoniam nos ipſos miſeros per miſerantis Dei miſericordiam requiſiuimus, iuſtum iudicium eius confitentes, quo miſeri effecti ſumus, de quo dicit Apoſtolus[5], Iudicium quidem ex vno in condemnationem:Et magnæ charitati eius gratiam agentes, de qua idem ipſe dicit[6] gratiæ prædicator[7], Commendat autem ſuam dilectionem Deus in nobis,quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, vt & nos veraciter de noſtra miſeria iudicantes, & Dei charitatem[8] diligentes,piè rectéque viuamus. Quod iudicium & charitatem Dei cùm Phariſæi præterirent(decimabant tamen[9] propter eleemoſynas, quas faciebant,etiam quæque minutiſſima fructuum) ideo non dabant eleemoſynam à ſeipſis incipientes,ſecúmque priùs miſericordiam facientes (propter quem [10] dilectionis ordinem dictum eſt, Diliges proximum tuum ſicut teipſum.)Cùm* C *ergo increpaſſet eos, quòd forinſecus ſe lauabant, intus autem rapina & iniquitate pleni eſſent,admonens quãdam eſſe eleemoſynam quam homo ſibi primitus dare debet,& interiora mundare, Veruntamen,inquit, quod ſupereſt, date eleemoſynam,& ecce omnia munda ſunt vobis. Deinde vt oſtenderet, quid admonuiſſet, & quid ipſi facere non curarent,ne illum putarent eleemoſynas eorum ignorare,Væ vobis,inquit, Phariſæis: tanquam diceret,Ego quidem commonui vos ad eleemoſynam dandam, per quam vobis omnia munda ſint, ſed væ vobis, qui decimatis mẽtham,& rutam,& omne olus, has enim noui eleemoſynas veſtras (ne de illis me nunc vos admonuiſſe arbitremini)ſed præteritis iudicium & charitatem [11] Dei,qua eleemoſyna poſſetis ab omni inquinamento interiori mundari,& vobis munda eſſent & corpora quæ lauatis. Hoc enim eſt,omnia interiora ſcilicet & exteriora,ſicut alibi legitur,[12] Mundate quæ intus ſunt, & quæ foris ſunt munda erũt.Sed ne iſtas eleemoſynas,quæ fiunt de fructibus terræ,reſpuiſſe videretur, Hæc,inquit, oportuit facere, & illa non omittere, id eſt, eleemoſynas fructuum terrenorum.*

1 *Qui autem vult.* Confirmatio ſuperioris ſententiæ, optimam nimirum eleemoſynam eſſe vitæ

A noſtræ emendationem; & ad Deum conuerſionem. Ducta autẽ eſt ab authoritate Chriſti, cuius dictum explicat ex Luc.11.verſ.37.& ſeq.

2 *A ſeipſo.*Longa & perplexa quæſtio,ſi hominum ſententiæ ſpectentur,quid primo, quid ſecundo loco ſit à nobis diligendum.Eſt hoc quidẽ veri & iuſti rerum æſtimatoris, ordinatam dilectionem habere,ne vel diligat quod non eſt diligendum:aut ne ampliùs vel æquè diligat quod eſt minus diligendum,vt ſcribit ipſe Auguſt.lib.1.De doctrina Chriſtia.cap.27. ſed de eo quæſtio eſt , quid magis,vel quid minùs ſit diligendum. Et vt rem totam altiùs arceſſamus,hæc ferè omnium hominum ſententia fuit,quoties de rebus his inferioribus agitur,ordinatam charitatem incipere à ſeipſo quòd hic dilectionis ordo videatur maximè naturę & ſenſui noſtro cõſentaneus,vt nos primũ & potiſsimùm diligamus : tum cæteros. Vnde illud eſt natum quod eſt apud Comicum diſertiſsimum:

Verum illud verbum eſt,vulgò quod dici ſolet,
Omnes ſibi meliùs malle eſſe,quàm alteri.

Ariſtotel.lib.9.ἠθικ.Νικομαχ.idem ſcribit. Iuriſconſulti B etiã in Tit.Cod.De Seruitutibus &aqua.Scholaſtici apertè & palàm hoc axioma defendunt , vti Lõbardus lib.3.diſt.29.Itaque cùm de totius charitatis ordine diſputãt, hos ſex gradus diſtinguũt, quos ſequi debeamus,nempe vt diligamus 1.Deũ, 2.Nos ipſos,3.parentes,4.Filios & Fratres , 5. Domeſticos,6.Inimicos noſtros.Quę ſententia planè cum M.Tullij dicto cõuenit lib.1.De officiis,cap. Gradus autẽ plures.Parum nos iſta mouerent,niſi patres ipſi Eccleſiaſtici idẽ ſentirẽt aliquando , vti Auguſt. qui huius ſuæ ſententiæ rationem ex his verbis afferre nititur, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. & libr.1. De doctr. Chriſt. cap. 23.ait quatuor hęc eſſe diligenda & hoc ordine,Primùm quod ſupra nos.2. quod nos ſumus. 3, quod iuxta nos eſt vt proximus. 4, quòd infra nos eſt, vt corpus noſtrum. Sed cùm amor ſui turpi nomine φιλαυτία etiam ab ethnicis hominibus appelletur , & ſit damnatus & cæcus, vt docet Augu. ipſe li.1. De doctr.Chriſtia.cap. 25,& cùm Chriſtus ipſe aliam C proximi diligendi regulam quàm noſtri ipſorum dilectionem tradat his verbis,Hoc eſt præceptum meum,vt diligatis alij alios prout dilexi vos,Ioan. 15.v.12. 13. v. 34,ipſe autem animam pro nobis poſuerit , & nos plus quàm ſeipſum dilexerit, certè apparet perperam hoc dici à veteribus,Nempe rectè ordinatam charitatem incipere à ſeipſo. Quod ipſum etiam inf. num.10. docebitur. Ergo non à ſeipſo debet incipere rectè conſtituta & ordinata charitas inter homines,ſed à Dei gloria, cuius ratione qui plus minúſve ſint diligendi , à nobis æſtimentur.

3 *Miſerere animæ tuæ.* Locus eſt ex libro qui Eccleſiaſticus dicitur cap.30.verſ.24.perperam cõuerſus è Græco.

4 *Nobis dedimus.* Prima ergo & potiſſima eleemoſyna eſt ea agnitio noſtri,per quam nos miſeros peccatores coram Deo ſentimus , & illius in nos charitatem per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum guſtamus. Facit enim hic ſenſus & hoc Dei donum vt nos ipſos Deo donemus:neque quicquã per inanem gloriam faciamus. Quod autem dicit Auguſtinus nos ipſos dare nobis hanc eleemoſynam,eo ſenſu eſt accipiendum,quo poſtea idem ipſe explicat, nimirum quatenus miſerantis Dei miſericordia id in nobis effecit, vt agnoſcamꝰ nos A ipſos. Neque enim aliter ſentit, quando nuſquam Auguſtinus vult nos eſſe primos ſalutis noſtrę authores, aut nos præuenire Dei miſericordiam,aut à nobis habere ſi quid boni habemus:ſed ita ſemper nos à Deo pręueniri,illuminari,excitari etiam vt nos ipſos cognoſcamus. Id quod probat locus ille Pauli Rom.5.v.8. quẽ laudat Auguſtinus,Cùm adhuc eſſemus peccatores,dilexit nos Deus. Item illud Ioannis , 1. Ioan. 4. verſ. 10. Non nos primi Deum, ſed ille prior nos dilexit.Pſal.119.verſ.176. Auguſtinus De gratia & libero arbitrio ad Valentin. capite, ait, Quapropter , quando cœperit homo habere merita bona,non debet ſibi tribuere illa,ſed Deo,cui dicitur in Pſalmo,Adiutor meus eſto,ne derelinquas me.Dicẽdo,ne derelinquas me oſtendit , quia ſi derelictus fuerit, nihil boni valet ipſe per ſe.Bernard.Serm.61. Cant. Meritum proinde in eum miſeratio Domini.&c.Ergo dare nobis hanc cognitionis eleemoſynam,eſt , acceptam à Dei Spiritu & ab eo ipſo collatam in nos gratia ipſius diſponente corda noſtra eam acceptare, & retinere:non autem quòd primi & per nos ad eam cognitionẽ iudicij & charitatis Dei peruenire B poſſimus,Epheſ.1.v.8.9.

5 *Iudicium.* Locus eſt Rom.5.v. 18. Iudicium autem vocat illam Dei ſententiam nobis infligẽtis, ídque iuſtè, mortem æternam propter peccatum originale. Quòd agnoſcere, ſumma eſt miſericordia & eleemoſyna, vt euitemus.

6 *Ipſe dicit.* Locus Rõ.5.v.8,Charitatẽ vocat gratuitã noſtri acceptationẽ per Chriſtũ,& à morte æterna liberationẽ.vtrũque enim eſt agnoſcendum,& iudiciũ,& charitas Dei,vt nos verè ad Deũ conuertamus , & eleemoſynam illam optimam & primùm præceptam in nos ipſos conferamus.

7 *Gratia prædicatur.* Puto eſſe gloſſema ad verba ſuperiora,Idem ipſe.Scatet enim hic locus variis gloſſematis & monachicis.

8 *Charitatem.*In impreſſis additum eſt hoc loco gloſſema hoc, Quam donauit ipſe. Importunè quidem.Nam hìc librariorum diligentiam & manuſcripti fidem requiro.Hoc enim dici ſolet de ea charitate quæ actiua in nobis eſt,per quam Deum diligimus:non autem de ea qua diligimur à Deo, quæ eſt paſſiua charitas,vt loquuntur. Sed iſtã C diſtinctionem nõ intellexit,qui gloſſema addidit ad vocẽ Domini.Itaque induximus ineptã ſentẽtiam.

9 *Propter Eleemoſynas.* Locus penè deploratus in impreſſis,ita & gloſſematis inquinatus eſt, & perturbatus diſpunctionibus nõ rectè collocatis,& verbis mutatis & ſuppoſitis contaminatus. Nos autem in facilem ſenſum & ſuos articulos reſtituimus. Ac primùm ſic in impreſſis legitur; Decimabant tamen præter eleemoſynas , quas faciebant,etiam minutiſſima quæque fructuum ſuorũ: & ideo non dabant eleemoſynas à ſeipſis incipientes,ſecúmque priùs miſericordiam facientes, ſicut iſti eas dandas putãt.Ac primùm vox hæc, Præter, corrupta eſt,& notha.Itaque hoc loco perperã incubat,& deturbanda eſt, pro qua eſſe reſtituẽdam hanc,Propter,quis non videt ? Hoc cùm primùm ita reſtituiſſem ex coniectura , reperi in manuſcripto codice & veteri. itaque eo magis in mea ſentẽtia ſum iã cõfirmatus.Hoc intelligitur ex ſequẽtibus verbis Aug.Qui decimatis mẽthã,rutã, & olus,hás.n.noui eleemoſynas veſtras.Et paulò pòſt,

A Sed ne iſtas eleemoſynas quę fiũt de fructibus terræ. Ergo putat Auguſt. Phariſęos de decimis (quas tam auarè exigebant, vt etiam de ruta, mentha & omni olere acciperent) eleemoſynas dediſſe, & propterea tam acerbè exegiſſe, id eſt, hoc ſpecioſo prætextu, quòd ex illis eleemoſynas darent pauperibus. Et ſanè etiam Leuitæ (è quibus erant Phariſæi) iubebantur Lege Dei, ex decimis quas à populo accipiebant, decimas ipſi decerpere, & eas pauperibus & viduis dare, quadam ex illis parte priùs per ſummum ſacrificatorem Deo oblata, Numer. 18. verſ. 27. Deut. 14. verſ. 27. 26. v. 23. Deinde vox, Suorum, planè inepta eſt. Non enim de ſuis, ſed de alienis rebus tam acerbè decimas exigebãt, & propterea reprehenduntur. Quod poſtremo loco ſequitur, Sicut iſti eas dandas putant: omnino deeſt in manuſcripto. Et certè gloſſema eſt & annotamentũ explicationis ergô adiectum ad verba, Non dabant eleemoſynas à ſeipſis incipientes. Hîc enim addit gloſſator aliquis, Sicut iſti (contra quos diſ- B putat Auguſt.) eas dandas putant. Et ita Phariſęorum exemplo damnantur, quos ſequuntur in eleemoſynis dandis. Hæc tot & tanta huius vnius loci vulnera poſt diligentem ſubductionem & meditationem ſanauimus, quæ quibus meritò imputentur, niſi imperitiſſimis monachis, qui primi libros Auguſtini incurioſè deſcripſerunt, & poſtea ſuis ſcoriis potiùs, quàm ſcholiis fœdarunt & cõſpurcarũt? Certè ab iſtis harpyiis fœdiſſimis innumeri bonorum authorum loci & libri corrupti, & mutilati ſunt. De quo eorum ſcelere viri boni & docti mecum hodie conqueruntur.

10 *Propter quem.* Nõ ſatis animaduertiſſe videtur Auguſt. quæ ſit illius ſententiæ notio & vis: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Id quod iam annotauimus, ſed nunc explicamus. Vult enim noſtri amorẽ eſſe legitimã & pręſcriptã à Deo proximi diligendi regulam & normam. Atqui animaduertimus ſæpe bonos & pios viros dilexiſſe proximum, plus quàm ſeipſos, & de eo laudari. Sic Ionathan amauit Dauidem, 1. Samu. 20. Sic Chriſtus nos. Præterea quid & quãtum eſt, quod in nobis ipſis vt plurimum amamus? certè ferè ſordes potiùs noſtras, quàm veras virtutes. Sic alius ſuas C diuitias, alius voluptates ſuas amat, alius ambitioſos ſuos titulos & fumos. Quid igitur? Eóne modo proximos diligemꝰ? Et ſi dilexerimus, erítne Chriſtiana charitas, & qualem Dominus præſcribit? Minimè gentiũ. Ergo alia ratione loquitur Scriptura, quàm vt ex noſtro amore fines charitatis noſtræ erga proximum cõſtituat. In charitate autem noſtra duo ſpectari oportet, vt ſit vera,

nempe & { Finem modúmque amoris noſtri,
Promptitudinem exerendi patefaciendíque illius.

Quia autem in iis perſequendis ſumus diligentiſſimi, quæ ad nos pertinent, vt tam prompti ſimus in proximorum commodis procurandis, additũ eſt, Sicut teipſum. Debet enim quiſque tam prompto & diligenti animo, tam ſerio & vero res commodáque proximi curare, quàm ſua ipſius curat, & ea ratione proximum diligere, ſicut ſeipſum. Finis autem & natura, & regula noſtri erga proximum amoris ex eo definiẽda eſt, quod ait Chriſtus, Diligite alij alios, ſicut vos dilexi, Ioan. 13. ver. 34. Et ita hic locus eſt explicandus, ne putemus nos primùm, poſtea proximos diligẽdos eſſe: A ſed quiſque eò plus diligendus eſt, quò eſt melius & ſelectius gloriæ Dei organon.

11 *Charitatem Dei.* Locum Lucæ 11. verſ. 37. ſic interpretatur hîc Auguſt. quaſi à Chriſto Phariſæi reprehendantur, quòd etſi in alios ex decimis mẽthæ, rutæ & oleris eleemoſynam dabant, in ſeipſos tamen eam non conferrent, quæ eſt præcipua, & quæ nos coram Deo mundat, nimirum vt ſe extra Chriſtum damnatos agnoſcerent. Itaque vocẽ iudicii refert ad mortem ęternam: Charitatis autem, ad peccatorum remiſſionem, quã Deus gratis dat in Chriſto. quod vtrumque Phariſæi prætermittebant, & negligebant meditari, ait Auguſt. Verior illius loci ſenſus eſt, vt iudicii & charitatis nomina eodem hîc ſignificato accipiantur, quo apud Oſeã 6. verſ. 6. & Mat. 9. verſ. 13. item 23. ver. 23, 24. pro ſerio nimirum pietatis fructu, qui opera charitatis edit, & demonſtrat tum in reddendo ſuo cuique, tum etiam in eo ſubleuãdo. Itaque ad proximum, non ad Deum referuntur. Nam ex iis duobus veriſsimis ſignis verus Dei metus arguitur, non au- B tem ex rigida quarundam ceremoniarum obſeruatione. At contrà Phariſæi ex acerba, & exacta decimarum exactione pietatem ſuam commendari volebant & intelligi: vera autem opera charitatis & vero animi zelo facta prætermittebant. Id quod familiare eſt omnibus hypocritis. Itaque reprehenduntur in eo à Chriſto, & meritò quidem, ꝙ ceremonias veræ charitati proximi præferrent.

12 *Mundate quæ.* Locus eſt Mat. 23. v. 26.

CAP. LXXVII.

Hanc veram eleemoſynam, quam facimus nobis ipſi ſceleratæ vitę commutatione, non à nobis ſed à Deo accipi: ſed etiam cęteras, quas aliis facimus.

NOn[1] ergo ſe fallant qui per eleemoſynas quaſlibet largiſſimas fructuum ſuorum, vel cuiuſque pecuniæ, impunitatem ſe emere exiſtimant, in facinorum immanitate ac flagitiorum nequitia permanen- C do. Nõ ſolum enim hæc faciunt, ſed ita diligunt, vt in eis ſemper optant[2], ſi poſſint, impunè verſari. Qui autem diligit iniquitatem[3] odit animã ſuam: & qui odit animam ſuã, non eſt miſericors, ſed crudelis. Diligẽdo eam quippe ſecundum ſeculum, odit eam ſecundum Deum: Si ergo vellet ei dare eleemoſynam, per quam munda illi eſſent omnia, odiſſet eam ſecundum ſeculum, & diligeret eam ſecundum Deum. Nemo[4] autem dat eleemoſynam quãlibet, niſi, vnde det, ab eo accipiat qui non eget, & ideo dictum eſt, Miſericordia eius præueniet me.

1 *Non ergo.* Concluſio totius loci de eleemoſynis, quę pulchrum colophonem habet, per quem intelligimus quæ vel nobis ipſis, vel aliis damus, ea nõ à nobis, ſed à Deo habere & accipere, vt etiam de omni alia re noſtra affirmat Paulus, Quid habes, quod non accepiſti? ſi accepiſti, cur gloriaris? 1. Corint. 4. verſ. 7. vt præueniente Dei miſericordia & eleemoſynam & quodlibet aliud bonum opus à nobis fieri agnoſcamus, non autem à nobis noſtra voluntate vel præeunte vel inchoãte, contra Pelagianos vel Semipelagianos.

2 *Optent.* In impreſsis addita eſt vox, Tãtùm, ſed nihili. fortaſſe ſcriptum fuerat ſic, Tamen ſi

poſsint

A poſſint. Vetus & manuſcriptus legit, Qui non ſolùm. Perperam etiam habet vocem, Tantùm, additam.

3 *Odit animam.* Quia peccatum & iniquitas eſt mors animæ, 1. Timoth.5.verſu.6. Alludit Auguſt. ad locum Matth.16.verſ.25, vbi dicit Chriſtus, qui ſe ſeruare volunt, eos perdere animam ſuam, & cōtrà. Nemo enim poteſt ſeruire duobus dominis, Matth.6. ſeculo & Deo.

4 *Nemo autem.* Locus hic quem citat Auguſt. ad ſuæ ſententiæ confirmationem, ſumptus eſt ex Pſal.59. ver. 10. quem ita vbique interpretatur, vt ex eo probet noſtram voluntatem in omni bono opere à Deo præueniri, & præparari. Sic ſup. cap. 32. Conuenit quod idem inducit ex Ezech.36.verſ. 27.& eſt in epiſtola ad Heb.13.v. 21. faciat vt faciatis. Aptiſſimè tamen afferri potuit quod eſt apud Paul.1.Corinth.4.verſ.7.& quæ ſunt ſimilia.

DE VARIO PECCATORVM genere.

B

CAP. LXXVIII.

Quædam videri leuia in ſpeciem, quæ ſunt tamen peccata, quanquam minora peccata cenſentur.

QVæ ſint [1] autem leuia, & quæ grauia peccata, non [2] humano, ſed diuino ſunt penſanda iudicio. Videmus enim quædam ab ipſis quoque Apoſtolis ignoſcendo fuiſſe conceſſa, quale illud eſt, quod venerabilis [3] Paulus coniugibus ait, Nolite [4] fraudare inuicem, niſi ex conſenſu, ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum ad idipſum reuertimini, ne vos tentet Satanas propter incontinentiam veſtram. Quod putari [5] poſſet non eſſe peccatum, miſceri ſcilicet coniugi non filiorum procreandorum cauſſa, (quod bonum eſt [6] nuptiale) ſed carnalis etiam voluptatis, vt fornicationis, ſiue adulterij ſiue cuiuſquam alterius immunditiæ mortiferum malum (quod turpe eſt dicere, & quò poteſt, tentante Sathana, libido pertrahere) incontinentium deuitet infirmitas. Poſſet, ergo, vt dixi, hoc putari non eſſe peccatum, niſi addidiſſet, C Hoc autem dico ſecundum veniam, non ſecundum imperium. Quis autem iam eſſe peccatum neget, cum dari veniam facientibus authoritas Apoſtolica fateatur? Tale quippiam eſt, vbi dicit [7], Audet quiſpiam veſtrûm aduerſus alterum negotium habens iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos? Et paulò pòſt, Secularia igitur iudicia ſi habueritis, inquit, eos, qui contemptibiles ſunt in Eccleſia, hos collocate ad iudicandum. Ad reuerentiam vobis dico. Non eſt inter vos quiſpiam ſapiens qui poſſit inter fratrem ſuum iudicare? Sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles. Nam & hîc poſſet putari iudicium habere aduerſus alterum, nō eſſe peccatum ſed tantummodo id, extra Eccleſiam velle iudicari niſi ſecutus adiungeret [8], Iam quidem omnino delictum eſt inter vos, quia iudicia habetis vobiſcum. Et ne quiſpiam hoc ita excuſaret, vt diceret, iuſtum ſe habere negotium, ſed iniquitatem ſe pati, quam vellet à ſe iudicum ſententia remoueri, continuò talibus cogitationibus vel excuſationibus occurrit, atque ait, Quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potius fraudamini? vt ad illud redeatur, quod Dominus ait, Siquis voluerit tunicam tuam tollere, & iudicio tecum contendere, dimitte illi & pallium. Et alio loco, Qui [10] abſtulerit, inquit, tua, noli repetere. Prohibuit itaque ſuos de ſecularibus rebus cum alijs hominibus habere iudicium. A Ex qua doctrina dicit Apoſtolus eſſe delictum. Tamen cùm ſinit in Eccleſia talia iudicia finiri inter fratres, fratribus iudicantibus: extra Eccleſiam verò terribiliter vetat: manifeſtum eſt etiam hîc quid ſecundum veniam concedatur infirmis. Propter hæc atque huiuſmodi peccata, & alia, licet his minora, quæ fiunt verborum & cogitationum offenſionibus (Apoſtolo [11] Iacobo confitente ac dicente In multis enim offendimus omnes) oportet, vt quotidie, crebróque oremus Dominum atque dicamus, dimitte nobis debita noſtra: nec in eo, quod ſequitur, mentiamur, Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

1 *Quæ ſint.* Trāſitio ad pulcherrimam & vtiliſſimam diſputationem de vario genere peccatorum, quæ neceſſaria eſt, non tantùm propter iudicia hominum & cenſuram Eccleſiæ, vt grauiora peccata grauioribus pœnis: leuiora autem leuioribus purgētur, quemadmodum ſcribit Hieronym. in Hier.2. ſed multo magis propter conſcientiam. Neque enim etiam coram Deo ęqualia ſunt omnia hominum peccata, Ioſ.7. verſu 11. Luc.12. Bernard. in lib. De Præcepto vt Diſpenſat. cap. Porrò maiora. Varia autem eſſe peccatorum genera ex Auguſtino paſſim obſeruari poteſt, atque adeò ex ipſa B ſacra Scriptura. Ac quidem, vt ſuprà demonſtratū eſt, Aliud eſt peccatum, aliud crimē. Sed & ex ipſis iis factis, quę peccata nominantur, aliud eſt leuius, aliud grauius, quanquam grauiora peccata appellat Auguſt. crimina. Ergo in vniuerſum Peccatorum hæc genera apud Auguſtin. reperiuntur, Peccatum graue & leue. Peccatum inhabitans, vel non inhabitans. Inhabitans eſt ipſa vitioſa concupiſcentia, Auguſtinus libr. primo de Nuptiis cap.23. Peccatum temporarium ſiue breue, & peccatum longum ſiue diuturnum, libr.21. de Ciuita Dei c. 11. Peccatum naturale, & adiectum, De Geneſ. ad lite. imperf. c. 1. Peccatum originale, & Actiuū, quod alii Actuale vocant, Suprà capit. 64. Peccatum, & Infirmitas. in Pſalm. 118. Peccatum veniale, cui opponunt mortale, Suprà capit.22. & libr.9. de Geneſ. cap. 7. Veniale autem vocat Auguſt. leuius peccatum, & ſceleri publicóque crimini opponit, propter quod nimirum pœnitētia publica in Eccleſia agi non debet, libro 1. De Symbol. ad Catechum. capite 6, nō quòd coram Deo mortem æternam non mereatur. C Omnis enim peccati ſtipendium mors, ait Paulus Roma.6. verſ.23. Ergo veniale peccatum eſt Auguſtino & patribus illud, cuius à Deo per Chriſtum venia poteſt impetrari. Vnde peccatum Adami dicitur Veniale peccatum libr. primo de Mirabilibus Scripturæ, capite 2, Mortale autem illud pro quo non eſt orandum, & quod non remittitur, neque cadit in filios Dei Auguſt. in Ioanis epiſt. tractat.5. eſt hoc genus peccati quod dicitur peccatū in Spiritum ſanctum. Denique eſt Peccatum operis, oris, & cogitationis, vt hîc Scriptura diuerſa etiam peccatorum genera agnoſcit. Aliud enim dicit per ignorantiam & animi ſimplicitatem fieri: aliud deſtinata animi malitia. Leuitici 4. Geneſ.20. verſu 5. Ex Iob 13. verſu 23. Hebræi tria peccatorum genera diſtinguunt, חטאת Peccatum ἁμαρτία, hoc generale eſt: עון κακία peruerſitas, eſt ſpecies peccati, cùm à ſciente admiſſum eſt aliquid mali: פשע πονηρία Scelus grauiſſimum. Denique à Paulo Roma. 7. verſu 13. ἁμαρτωλὸς ἁμαρτία appellatur peccatum, quod poſt prohibitionem ſcienter & cōtumaciter

A perpetratur,& ideo grauius eſt,& min⁹ excuſabile.

2 *Non humano.* Cùm cæca ſit mens nō renati hominis, & voluntas eius planè vitiis dedita,nō eſt hominis ratio & æſtimatio iuſta iuſti & iniuſti definiendi, vel vitii & virtutis appendendæ lanx & ſtatera. Nā ſæpe inter homines grauiſſima peccata pro nullis vel leuibus cenſeri videmus, vti idololatriam pro nullo: adulterium inter quoſdā, vti Perſas,pro leui:latrocinium inter Lacedæmonios etiam laudi duci. Vnde eſt ab ipſis philoſophis,vti Ariſtotele libr.5.ἠθικῶν Νικομαχ. diſputatū, Vtrùm iuſtitia & iniuſtitia opinione tantùm hominum vel naturâ ſtent: quanquam Iuriſconſulti prudentiùs,qui quędam naturâ eſſe bona definiūt, quædam autem mala. Ergo peſſima boni & mali, æqui & iniqui trutina eſt humanum iudicium, vt hîc rectè ſentit Auguſtinus.Sed norma illius optima eſt Dei verbum & lex,vt eſt Mich.6.verſ.8.Itaque Auguſtinus ipſe De ciuitate Dei,libr.1.cap.21. ait, legem Dei eſſe iuſtiſſimæ rationis imperium. Et peccatum cùm eſt definitum ἀνομία, 1. Ioan. 3. B verſ.4.& παράβασις,non de cuiuſlibet legis trāſgreſſione intelligi debet, ſed de diuinæ tantùm legis, aut humanæ,quæ cum diuina conſentit, contemptu, vt rectè docet pater Ambroſius,cùm ait,Peccatum eſt præuaricatio legis diuinæ. Vide etiam Marc. Tullium libro 1. De legibus, vbi de bonis legibus diſputat.

3 *Venerabilis.* Puto vocem hanc, Venerabilis,eſſe gloſſema. Et enim poſterioris ætatis, non ſeculi Auguſtini. Ipſe beatum potiùs appellaret, Beatus Paulus,beatus Petrus.Sed Venerabilis Beda dictus eſt,quanquam tamen eam vocem retinet codex meus.

4 *Nolite.* Locus eſt 1. Corinth.7.ver.5.Eſt autem primum hoc exemplum eorum peccatorum, quæ leuia cenſet Auguſtinus, ſiquis cum propria vxore coeat non liberorum procreandorum gratia,ſed voluptatis,& libidinoſæ animæ cogitationis,quæ obrepſit,ſatiandæ.

5 *Quod putari poſſet.* Non dicit Auguſtinus hoc loco, ſed neque vſquam alibi,idē quod HieC rony.in lib.Contra Iouinia.Neque enim à ſententia Manichæorum parum abeſt Hieronymus,dum ita extollit virginitatem, vt nuptias damnet. Dictum quidem eſt à Paulo 1.Corinth.7.verſ.8,bonū eſſe viduis ſi ita manſerint.item melius eſt nubere quàm vri. Sed vox illa ἀγαθὸν & κρεῖσσον .i.bonum, pro commodo tunc accipitur, quod leuiores curas habet,non autem pro eo quod peccato opponitur, & Dei voluntati repugnat. Eſt igitur illud ἀγαθὸν, vt Paulus ipſe explicat, συμφέρον, verſ. 35. & 36. At Auguſtinus diſſentit apertè in eo ab Hieronymo,& coniugium bonum appellat, quemadmodum eſt lib.9.De geneſ.ad lit.cap.7.Nō enim quia incontinentia malum eſt,ait,ideo connubium in quo incontinentes copulantur,non eſt bonum. Idem lib.De ſancta virginit.cap.12.in Ioan.Euang. Tract. 9. & libro 15. De trinitate ca. 18. In officio gignendi filios, ait, nullum eſt peccatum. At dixit Paulus κατὰ συγγνώμην τοῦτο λέγω,1.Corinth. 7. verſu 6, id eſt verum:ſed vox συγγνώμη, non veniam peccati & remiſſionem culpæ ſignificat,quam Paulus dare non poteſt: (neque enim à peccato potuit diſpenſare) ſed denotat cōceſſionem & commodam dicti ſui explicationem,vt D. Theod. Beza annotauit in lib.De diuortiis & repudiis.Hoc tātùm putat Auguſtinus eſſe in coniugio peccatum, ſi quis A vxore ad libidinem, non ad procreandos liberos vtatur:cùm pręcipuus coniugij finis ſit liberos gignere. Ita ipſe idem libro De bono coniugij cap. 10,locum Pauli interpretatur.itē in lib.De nuptiis ad Valerium.Item li.1.De peccator.merit.cap. 29. Bonum coniugij non eſt feruor concupiſcentiæ, ait,ſed quidam licitus & honeſtus illo feruore vtendi modus propagandę ſoboli,non explendę libidini accommodatus. Neque enim quiſquam etiam prætextu coniugij vxore ſua tanquam meretrice vti debet. Quanquam tamen idem Auguſtinus lib.De bono coniugij,cap.3.ait, Habent etiam id bonū coniugia,quòd carnalis vel iuuenalis concupiſcentia,etiā ſi vitioſa eſt,ad propagandę prolis redigitur honeſtatem.Et cap.4,Etiā velo honeſto nuptiarum intēperantiorem vſum coitus tegi ſcribit idē libr.1.De nuptiis,cap.14.Bonæ ergo & honorabiles ſunt omnibus modis nuptiæ,vt eſt Heb. 13.v.4.1.Timoth.4.

6 *Bonum nuptiale.* Præcipuum quidem coniugij bonum hoc eſt.Sed ſunt alij quoque coniugij fines ſubalterni, etiam laudabiles, vti ſocietas ipſa B duorū,educatio prolis, affinitatū inter duas familias conciliatio,& alij quos ipſe prolixè lib.De bono cōiugij enumerat cap.3.4.& 7.& vbique in lib. De nuptiis ad Valeriū ait Auguſtinus tria hæc eſſe bona coniugij,prolem,fidem,ſacramentum.

7 *Vbi dicit.* Locus eſt 1.Corinth. 6. verſ.1. & ſeq. Alterum exemplorum eorum peccatorū quæ leuia cenſentur,nempe ſi quis fidelis cum fideli litem coram fratre & fideli iudice habeat, vt ſentit hîc Auguſtinus.Sed hoc per ſe peccatum non eſt, niſi in litigādo animoſitas,vindicta, aut ira in fratrem acceſſerit, & coniuncta ſit. Itaque hoc loco abuſus eſt Iulianus apoſtata aduerſus Chriſtianos, quemadmodum & illo Matth.5.verſu 38.vt ex Cyrilli ſcriptis Contra Iulia.apparet,quaſi forenſia & politica iudicia doctrina Chriſtiana damnaret, itémque iudices:cùm tamen vtrumque ordinationis Dei op⁹ eſſe doceat Paulus Roma.13. & omnes Chriſtiani ita ſentiant & doceant. Mens autem illius loci apud Paulum 1. Corint. 6.eſt hæc, ſi verè C animo inter nos affecti eſſemus, quemadmodum oportet,tantam & eam inter nos æquitatē regnaturam,vt nullæ prorſus lites, nullæ aliorum in alios iniuriæ extarent. Itaque nullo inter nos iudicio propterea contenderemus. Ergo dictum eſt κατά τι non autem ſimpliciter, quaſi damnet ille locus politica iudicia,quod non facit.

8 *Adiungeret.*1.Cor.6.verſ.7.Eſt apud Paulum ἥττημα, quod Delictū conuerterunt veteres.Ex qua voce iam arguit Auguſt.ergo eſſe peccatum. Sed ἥττημα eſt à noſtro perfectóq; officio viri Chriſtiani quidam defectus & minor præſtatio quàm nos deceat.

9 *Si quis.* Matth.5.verſ.38.

10 *Quis abſtulerit.* Locus eſt in Euāgelio Lucæ 6.verſu 3.

11 *Iacobo.* Locus eſt apud Iacobum cap.3.v.2.

CAP. LXXIX.

Scripturam ſacram damnare quædam, quæ homines ne pro peccatis quidem ducerent, niſi ab ea eſſent admoniti.

Sunt

A *SVnt autem[1] quædam quæ leuiſsima putarentur, niſi in ſcripturis demonſtrarentur opinione grauiora. Quis enim dicentem fratri ſuo, fatue, reum gehēnæ putaret, niſi[2] veritas diceret? Cui tamen vulneri ſubiecit continuò medicinam, præceptum fraternæ reconciliationis adiungens. Mox quippe ait[3], Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, &c. Aut quis exiſtimaret, quàm magnum peccatum ſit dies obſeruare[4], & menſes, & annos, & tempora ſicut obſeruant qui certis diebus, ſiue menſibus, ſiue annis volunt, vel nolunt aliquid inchoare, eo quòd ſecundum vanas doctrinas hominum fauſta vel infauſta exiſtiment tempora, niſi huius mali magnitudinem ex timore Apoſtoli penſaremus, qui talibus ait[5]; Timeo, ne fortè ſine cauſſa laborarim in vobis.*

1 *Sunt autem.* Alia exempla eorum peccatorum, quæ cùm grauia ſint, leuia tamen, vel nulla exiſtimantur ab hominibus, vt intelligamus quàm verū ſit quod ſupra dixit Auguſtinus, humano iudicio B non æſtimanda aut definienda eſſe peccata, ſolius Dei verbo & lege metienda. Vnde ait Paulus, Cupiditatem non noſſem eſſe peccatum, niſi lex Dei dixiſſet, Non concupiſces, Roman. 7. v. 7. In ſumma, hominum leges & præcepta, quæ vitia vel virtutes definiunt, maximè in duobus differunt à lege Dei, nimirum in fine. Theologi enim veri quæ ſint honeſta aut inhoneſta ex lege & verbo Dei definiunt. Philoſophi autem vel legiſlatores homines ex humanæ tantùm rationis iudicio & ſenſu perexiguo. Vnde Auguſtinus lib. 19. De ciuitate Dei, cap. 21. Vbi non eſt vera religio, ait, nec vera virtus. Deinde differunt in materia. Plura enim peccatorum genera ſunt apud veros Chriſtianóſque Theologos, quàm apud Philoſophos Ethices pręcepta etiam diligentiſsimè perſequētes, & perſcrutantes.

2 *Niſi veritas dixiſſet.* Locus eſt Matth. 5. v. 22. Enumerat enim illic Chriſtus diſtinctè quatuor homicidij genera, quæ ſunt.

C hæc
Ira in fratrem temeraria.
Odium fratris.
Conuitium oris in eum.
Violatio ſeu læſio corporis.

Ergo apud Chriſtianos hoc genus conuitij, per quod apertè contemnitur frater, non debet cenſeri leue peccatum, ſed graue & homicidium, maximè diuini iudicii ratione, quando ex odio & ira in fratrem oritur. Nam qui odit fratrem, eſt homicida, 1. Ioan. 3. verſ. 15. Ciuilium tamen iudiciorum ratione omnis iniquitas non eſt digna publico exemplo & ſupplicio, vt docetur Iob. 31. verſ. 11. Itaque illa non puniunt quæcunque lex Dei damnat.

3 *Si ergo offers.* Apud eundem Matthæum eodem cap. 5. v. 23.

4 *Dies obſeruare.* Quartum exemplum eorum quę leuia ſine Dei verbo cenſerentur. Eſt autē ſuperſtitioſa dierum obſeruatio ad aliquid inchoandum vel non. Hoc quomodo dixerit leue vndecunque doctiſsimus Auguſtinus & in orbe Romano natus, legibus Romanis ſubditus, mirum videri poteſt. Nam Romanorum Imperatorū legibus huiuſmodi obſeruationes maximè ætate Auguſtini damnatæ erant, vti apparet ex lib. 1. Cod. Iuſtinianei, & ſcribit ipſe Auguſtinus, repetítque ex antiquiſsima memoria legis 12. tabularū li. 8. De ciuita Dei c. 19. lib. 7. cap. 35. A Nec Romanorū ſolùm legibus iſtę artes damnatę ſunt, ſed omnium penè populorum iudicio eædem ſuperſtitiones irriſæ & exploſæ. Sed fortaſſe inſanum hominum omnis generis furorē ſpectauit, quia & Ethnici & Chriſtiani illis obſeruationibus ſuperſtitioſis mirum in modum addicti tunc erant, & hoc pro nullo peccato ducebant. Itaque vbique in huiuſmodi furores, qui tunc impunè vagabantur, inuehitur grauiſſimè Auguſtinus, & ab iis Chriſtianos homines reuocare nititur, veluti libro 2. De doctrina Chriſti. cap. 19. & 20. lib. 2. de geneſ. ad lit. cap. 17. Imprimis autem in ſuis ad populum concionibus & ſermonibus. Vnde ſermo. 241. De tempore. Similiter, ait, auguria obſeruare nolite, nec in itinere poſiti aliquas auiculas cantantes attendite, nec ex illarum cantu diabolicas diuinationes annuntiare præſumite. Nullus ex vobis obſeruet qua die de domo exeat, qua die iterum reuertatur. Illas verò nō ſolùm ſacrilegas, ſed etiam ridiculoſas ſternutationes conſyderare, & obſeruare nolite &c. Itē ſerm. 215. B Et quia audiuimus quòd aliquos viros aut mulieres ita diabolus circumueniat, vt quinta feria, id eſt, die Veneris, nec viri opera faciant, nec mulieres lanificium, coram Deo & ſanctis angelis eius conteſtamur, niſi tale ſacrilegium emendauerint, vbi arſurus eſt diabolus, ibi & ipſi damnādi ſunt. Infinita ſunt alia de iiſdē rebus Auguſtini ſcripta, ad quæ Papiſtæ non attendunt.

5 *Timeo ne fortè.* Locus eſt in epiſt. Pauli ad Galat. cap. 4. v. 9. & 10. quem Auguſtinus refert ad ſuperſtitioſam & auguralem dierum obſeruationē, quam Magi & Mathematici faciunt, quíque iis crédunt. Eſt hæc interpretatio, pace Auguſtini doctoris mei dixerim, à ſenſu & mente Pauli remotiſsima. Agit quidē illic Paulus de ſuperſtitioſa dierū obſeruatione, non per quam diuinarentur fauſta vel infauſta: ſed per quam veteres legis Moſaicæ ceremoniæ in vſum reuocarentur tanquam ad ſalutem neceſſariæ, & cum Chriſto coniungendæ. C Hoc argumentum multis locis perſequitur Paulus, vti Rom. 14. Coloſſ. 2. verſ. 8. & 16. Sed videtur Auguſtinus ad ſui temporis ſuperſtitiones magicas meliùs tollendas verum huius loci ſenſum deflexiſſe. Eſt autem hic error peſſimus, & qui aſtra & elementa mundi in locum Dei ſubſtituit.

CAP. LXXX.

Quędam grauia atque etiam horrenda peccata vſu & conſuetudine tandem leuia cenſeri.

HVc[1] accedit, quòd peccata, quamuis magna & horrenda cùm in conſuetudinem venerint, aut parua aut nulla eſſe creduntur: vſque adeo, vt non ſolùm non occultanda, verum etiam iam prædicanda, ac diffamanda videantur, quando ſicut ſcriptum[2] eſt, laudatur peccator in deſyderiis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicitur. Talis in diuinis libris iniquitas & clamor[3] vocatur, ſicut habes apud Iſaiam prophetam de vinea mala, Expectaui, inquit, vt faceret iudicium, fecit autem iniquitatem: & non iuſtitiam, ſed clamorem. Vnde illud eſt in Geneſi, Clamor Sodomorum & Gomorreorum multiplicatus eſt, quia non ſolùm iam apud eos non puniebantur illa flagitia, verumetiam publicè velut lege frequentabantur. Sic noſtris temporibus ita multa mala, etſi non talia, in apertam conſuetudinem iam venerunt, vt pro his non ſolùm excommunicare aliquem lai-

A *çum [4] non audeamus, ſed nec clericum degradare. Vnde çùm exponerem ante aliquot annos epiſtolam ad Galatas in eo ipſo loco vbi ait Apoſtolus, Timeo ne fortè ſine cauſſa laborauerim in vobis, exclamare compulſus ſum, Væ peccatis hominum, quæ ſola inuſitata exhorreſcimus: vſitata verò (pro quibus abluendis Filij Dei ſanguis effuſus eſt) quamuis tam magna ſint, vt omnino claudi contra ſeſe faciant regnum Dei, ſæpe videndo omnia tolerare, ſæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Atque vtinam ô Domine, non omnia, quæ non poterimus prohibere, faciamus. Sed videro [5] vtrùm me immoderatus dolor incautè aliquid compulerit dicere.*

1 *Huc accedit.* Conſuetudinis in vtranque partem magna vis eſt, atque adeò tanta, vt etiam bonos mores corrumpat. Eò enim pertinet quod ait ex Euripide Paulus, corrumpunt bonos mores colloquia praua, 1. Corinth. 15. v. 33. & alibi Auguſtinus ipſe vocat conſuetudinem tyrannum, quæ B nos etiam inuitos in ſuam ſententiam pertrahit. Vnde de ea illud Vergilij vſurpari veriſsimè poteſt lib. 1. Georg.

Non aliter quàm qui aduerſo vix flumine lembum
Remigiis ſubigit, ſi brachia fortè remiſit,
Atq; illum in præceps prono rapit alueus amni.

Denique vt infinita alia omittantur, etiam Ethnici homines idem ſcripſerũt. Euripid. in Iphigenia, *τὸ πολὺ γὰρ δεινὸν κακόν.* & Plutarch. libr. 7. Sympoſi. quæſt. 6. *ἰσχυρὰ γὰρ*, ait, *ἡ τῆς πόλεως συνήθεια, καὶ δυσαποτρίπτος.* Cicero 1. Tuſcul. Magnam habet vim Reipu. diſciplina. Hinc autem apparet quanta fuerit Auguſtini pietas, & quàm corruptis ſui ſeculi moribus fuerit iniquus, id eſt, quàm fuerit verus Eccleſiæ paſtor. In epiſtolis ſuis conqueritur de ſui temporis bibacitate, & impunita ebrietate: alibi, vt in Pſalmorum commentariis, de laſciua Africanorũ ſaltatione, & ſuperſtitioſa magorum & dæmoniacæ diuinationis auiditate. Quid igitur ſi hoc noſtro ſeculo viueret Auguſtinus? Tamen quid in tã vitioſa conſuetudine faciundum ſit docet ipſe lib. 3. contra epiſtol. Parmeni. cap. 2. nimirũ ſeuerã di- C uinæ diſciplinæ miſericordiam adhibendam: ſeparationis autẽ conſilia non ſequenda, Matt. 13. v. 36.

2 *Sicut ſcriptum eſt.* Locus eſt Pſal. 10. v. 13. ſed ſecutus eſt Auguſtinus receptam ex Græco 70. interpretum verſionem, non autem Hebraicam veritatem, in qua non eſt, Laudatur, ſed, Seipſum extollit, & magni facit.

3 *Clamor appellatur.* Locus eſt Iſa. 5. v. 7. Geneſ. 18. v. 20. cui potuit coniungi quod ſcripſit Iacob. 5. v. 4. alibi זעקה alibi צעקה: apud Iacobum eſt *κραυγὴ*. Eſt autem illic clamor publicæ & impunitæ iniuriæ & nequitiæ effectus, non autem genus aut ſpecies vlla peccati. Itaque nimis hîc argutè philoſophatur Auguſtinus, dum clamorẽ putat in Scriptura appellari effrænis ad omne malum licentiæ genus, qualis eſt ille ſtatus quem deſcribit Iſaias cap. 59. v. 15. dum nihil ſani eſſe in Dei populo clamat, dum à minimo ad maximũ, à ſacrificatore ad prophetam omnia corrupta ait. denique iuſtitiã ipſam in mediis plateis iacere conqueritur, nec à quoquã ſuſtolli & erigi. Clamor eſt afflictorum ad Deum eiulatio de ſe ſibique facta iniuria (quę manet inulta) conquerentium. Talis igitur & tam corruptus Eccleſiæ ſtatus potiùs effrænis licentia appellari debet, quàm clamor.

4 *Laicum.* Laicos à Clericis diſtinctos fuiſſe in A Dei populo iampridẽ apparet, cùm ex ſcriptis veterum, tum etiam ex antiquorum ſynodorum decretis: idque duplici nomine: Primùm, vt qui in Dei Eccleſia munus aliquod gererent, diſtinguerentur ab illis quibus non erat commiſſa Eccleſiæ cura. Deinde, vt in pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis imponendis, qui plus, qui minùs puniendi eſſent, intelligeretur. Laici enim ſemper minùs, Clerici autem grauiùs coercebantur. Et meritò, quòd ab iis ortum offendiculum eſt maius, vt docet vbique Eccleſiaſticę diſciplinæ ſcientiſsimus Cyprianus. Hæc tamen diſtinctio gregis Dominici nõ eo valebat, vt nunc inter Papiſtas, nempe vt ſoli clerici de numero fidelium & electorum Dei cenſerentur. Nam Petrus vniuerſos fideles vocat clerũ Domini, 1. Petr. 5. v. 3. Pſal. 16. v. 6. & Tertull. apertè hanc perſonarum diſtinctionem non eò referri docet, quaſi ſoli clerici ad Deum aditum habeãt. Ait enim, Nónne & nos Laici ſacerdotes Dei ſumus? Neque etiam eò valebat, quemadmodum nunc, vt Clerici à Iuriſdictione ciuiliũ & ordinariorũ ma- B giſtratuum eximerentur, ſuóſque haberẽt ipſi ſpeciales iudices ex ſui ordinis hominib' delectos. Apparet ex Nouellis Iuſtiniani Imperatoris cõſtitutionibus, vti nõ tãtùm clerici, ſed & monachi ipſi ab ordinariis imperatorũ magiſtratibus tũ in ciuili, tum etiam in criminali cauſſa, iudicarentur. Primus Martianus Conſtantinopolitanus Imperator hoc illis priuilegium magno tamen Reipubl. damno, & poſtea eccleſiæ offendiculo conceſſit, vt Clerici à Clericis iudicarentur. Id quod etiam Alexander tertius Papa liberè & ingenuè agnoſcit cap. 1. Ext. De maior. & obedient. Etſi illic perperam & corruptè Marcus pro Marciano legitur, quod ideo accidit, quia vox hæc Marcianus cõtractis literis ſcripta, erat Martius.

5 *Sed videro.* Ex hoc loco apparet illam Auguſtini cõcionem viſam eſſe quibuſdam aſperiorem & duriorem, qui ſua vitia tam manifeſtè damnari nollent. Probis & fidelibus epiſcopis idem ſæpe accidit, vt Chyſoſtomo, qui cùm aulæ Conſtantinopolitanæ laſciuiam liberiùs damnaret, & Eudo- C xiæ imperatricis vitam obſcœnam reprehenderet, ab ea ter epiſcopatu pulſus eſt, & tandem vi necatus, dum in exilium proficiſceretur. Hodie idem pii paſtores multi experiuntur.

CAP. LXXXI.

Duas eſſe peccati cauſſas, nempe ignorantiam, & infirmitatem, vt ipſe vocat, vel potius malitiã. Ex illa nos peccatores appellari, ex hac autem Præuaricatores.

HOc [1] nunc dicam, quod quidem & in aliis opuſculorum meorum locis ſæpe iam [2] dixi. Duabus de cauſſis peccamus. Aut nondum videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum eſt, hoc [3] infirmitatis. Contra quæ quidem pugnare nos conuenit, ſed profectò vincimur, niſi diuinitus adiuuemur [4], vt non ſolùm videamus quid faciendum ſit, ſed etiam accedente ſanitate delectatio iuſtitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo ſcientes videntéſque peccamus, idem

non

A *non ſolùm peccatores, (quod eramus etiam cùm per ignorantiam*[5] *peccabamus) verumetiam legis præuaricatores,*[6] *cùm id non facimus quod faciendum iam eſſe nouimus vel facimus quod non faciendum eſſe iam ſcimus. Quapropter non ſolùm ſi peccauimus, vt ignoſcat, propter quod dicimus, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: verumetiam ne peccemus, vt*[7] *regat, propter quod dicimus, Ne nos inferas in tentationem: ille rogandus eſt, cui dicitur in Pſalmo*[8]*, Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, vt illuminatio detrahat ignorantiam, ſalus infirmitatem.*

1 *Hoc nunc dicam.* De cauſsis peccatorum. Ac primùm neque Deo, neque fato vel aſtris tribuenda eſſe peccata noſtra vbique docet Auguſtinus, in Articul. falſ. impoſit. ad quintum & ſextum, in Pſa. 31. & 91. & li. 5. De ciuitate Dei cap. 1. & diſputatio. Contra Iulia. Pelag. Ac certè peccatorum cauſſæ ex tribus maximè fontibus ducuntur,

Materia,
Nempe Forma.
B Agentis animo.

Ac quidem materiæ ratione tripliciter peccatur,

Aliud fit, quàm præſcriptum eſt:
ſi vel
Alio modo, nimirum vel Omittendo aliquid,
Addendo.

Cùm aliquid omittitur, eſt defectus, ἔλλειψις. Cùm additur, eſt ὑπερβολή, exceſſus. Formæ autem ſeu potiùs deformitatis ratione (eſt enim deformitas, forma peccati) dicitur peccatum

Maius, ſi magis à præſcripto Dei actio noſtra recedit.
vel
Minus, ſi minùs longè abeſt à recta ratione verbo Dei demonſtrata. Denique agẽtis hominis ratione peccatur dupliciter,

Ignorante.
vel ab
Sciente.

Et à ſciente quidem committitur peccatum

Infirmitate quadam tantùm.
vel
Malitia & peruicacia animi. Hæc C breuiſsima diſtinctio meliùs docet peccatorũ genera, quàm longæ quorundam diſputationes.

2 *Dixi.* In libr. De gratia & libero arbitrio ad Valent. lib. De ciuitate Dei. Huic autem Auguſtini loco ſimile quiddam habet Plutarchus libro 7. Sympoſia. quæſt. 5. cùm ait nos peccare vel ἀγνοίᾳ, vel ἀκολασίᾳ ſiue ἀκρατείᾳ.

3 *Hoc infirmitatis.* Duplex tantùm peccati genus hîc agnoſcit Auguſtinus, ignorantiam & infirmitatem. Atqui meritò tertium genus adiicitur, nempe malitia. Sic autem malitiam ab infirmitate diſtinguunt, vt infirmitate peccare dicamur, cùm appetitus ſenſitiuus rationi imperat & eam vincit. Malitia autem, quando voluntas deliberatióque animi Dei pręcepto obnititur, & apertè repugnat. Piorum peccata multa infirmitates dicuntur. Infidelium autem peccata ſunt malitiæ: Sed infirmitatis nomen latiſsimè accepit hoc loco Auguſt. alibi ſtrictius. Eſt igitur hîc infirmitas omnis languor & imbecillitas rationis quæ ab animi affectu vitioſo vincitur.

4 *Adiuuamur.* quanquam de diuino adiutorio multa Scholaſtici agunt & tractant, eò tamen ſpectant omnia, vt nos in bonis operibus Deo cooperarii ſimus, partémque eorum libero, quod aiunt, arbitrio noſtro vindicent & tribuant. Aliter Auguſtinus. A Hoc enim adiutorium diuinum de quo loquitur hîc eſt huiuſmodi, vt Deus ipſe prior inuitet, intus admoneat, non tantùm per doctrinę miniſterium, ſed etiam Spiritu ſuo nos inſpiret, flectat & impellat ad bonum opus. Ergo vt cognoſcamus quæ bona ſunt, & vt cognita eligamus, electa perſequamur, & agamus, hoc totum Dei eſt, non noſtrum. Ipſa quidem voluntas in nobis manſit: bona autem voluntas prorſus eſt à Deo. De eccleſ. dogmat. cap. 21. Auguſtinus Soliloqu. cap. 25. Non enim eſt hominis, ait, velle quod poſsit, aut poſſe quod velit, vel ſcire quod velit & poſsit: ſed à te, Domine, greſſus noſtri diriguntur. Idem de Prædeſtina. & grat. cap. 11. Confirmatur hoc dictum Pauli Epheſ. 4. v. 23. Philip. 2. Ergo hîc adiutorium Dei eſt totum illud quod opus bonum operatur in nobis, vti De Eccleſ. dogmat. cap. 23. De natur. & grat. cap. 42. De continent. cap. 13. Hieronymus lib. 3. aduerſ. Pelagianos. Denique præcipitur, vt oſtendamus ei vias noſtras, & notas eſſe faciamus, quæ non labore proprio, ſed illius adiutorio atque B clementia rectæ ſunt. Vbi hic liberi arbitrii poteſtas?

5 *Per ignorantiam.* Sed quęritur, quomodo qui ignorãs aliquid deliquit, peccaſſe dici poteſt, cùm ignorantia potiùs à peccato excuſare videatur: & tamen qui ignorans Dei voluntatem non fecit, punietur plagis, vt ait Chriſt⁹ Luc. 12. v. 48. & Paulus, Qui ſine lege pecant, ſine lege peribunt, Roma. 2. ver. 12. Vnde & illud vulgare, Ignorans ignorabitur. Hæc quæſtio ſeculo Bernard. difficilis viſa eſt, vt apparet ex ipſius epiſt. 77. quæſt. 3. Reſpondet quidem aliquid Lombardus ad hanc quæſtionem lib. 2. diſt. 22. c. Eſt enim ignorantia: ſed verior ſolutio eſt, Quod idcirco ignorantia dicitur peccatum, quòd illa quæ neſcimus, didiciſſe debebamus: veluti quis ſit verus Deus, quomodo colendus &c. Ergo ignorantia illa ex contemptu & noſtri officii prætermiſsione eſt, & idcirco peccatum appellatur. Et ſi in ignorante minor quàm in ſciente rebellio elucet. Auguſt. De grat. & lib. arbitr. ad Valenti. cap. 5. Rom. 5. v. 20. C

6 *Præuaricatores.* Præuaricatorem appellat Auguſtinus, qui ſciens prudénſque aliquid aduerſus Dei mandatum committit. Nam lex tranſgreſsionum cauſſa poſita eſt. Ex ea enim ſemel rogata & ſancita faciliùs poſtea intelligitur qui tranſgreſſores ſint, qui non, Rom. 4. v. 15. Galat. 3. v. 19. Hunc Paul. παραβάτην vocat, quanquam latiùs etiam patet huius vocis ſignificatum apud eundem Paulum, & ad omnem eum pertinet, qui contra fines à ſe conſtitutos aliquid agit. Paulus ipſe alibi, Si quæ deſtruxi, ea rurſus ędifico παραβάτην ἐμαυτὸν παρίστημι, ait, id eſt, meipſum præuaricatorẽ, vt verteret Auguſtinus, conſtituo. item Rom. 2. v. 25. Alio autem prorſus ſenſu hanc vocem Iuriſconſulti accipiunt l. 1. D. De præuaricatoribus, pro eo nempe qui litis alienæ patrociniũ à ſe ſuſceptum deſerit, & aduerſariæ cauſſæ adhæret. Itaque non omnis tranſgreſſionis, ſed certæ tantùm cuiuſdam ſpeciei nomen eſt apud eos præuaricatio. Sed theologico more locutus eſt Auguſtinus, & receptis ſuo ſeculo vocibus vſus eſt, ne tam diuerſa eiuſdem vocis acceptio nos conturbet.

7 *Vt regat.* Breuis explicatio huius petitionis, Et ne nos inducas in tentationem: quæ apud eun-

A dem Auguſt.videnda eſt in epiſtol.ad Probam, apud Cypria.item & Tertullia. Locus eſt ſumptus ex Matth.6.cap.13.

8 *Dominus.* Locus eſt Pſalm.27.v.1.

Cap. LXXXII.

Etiam pœnitentiam à deo dari, ſiue quoad affectum ipſum, ſiue quoad effectum & publicã culpæ noſtræ agnitionem.

NAm & ipſa[1] pœnitentia, quando digna cauſſa eſt ſecundũ morem[2] Eccleſia vt agatur, plerũque infirmitate non agitur: quia & pudor[3] timor eſt diſplicendi, dum plus delectat hominum æſtimatio, quàm iuſtitia, qua ſe quiſque humiliat pœnitendo. Vnde non ſolùm cùm agitur pœnitentia, verumetiam vt agatur, Dei miſericordia neceſſaria eſt. Alioquin non diceret Apoſtolus de quibuſdam, [4] Ne fortè det illis Deus pœnitentiam. B *Et vt Petrus amare fleret, præmiſit Euangeliſta & ait[5], Reſpexit eum Dominus.*

1 *Nam & ipſa.* Confirmatio ſuperioris ſententiæ, Nempe à Deo dari nobis affectum bene agendi: quæ ducta eſt à ſpecie vel ſigno, id eſt, ab exemplo pœnitentiæ. In qua ſiue affectus ipſe, ſiue actio pœnitentię ſpectetur, id omne eſt & emanat à Dei gratia nos pręueniente, non à nobis ipſis: quia multi ab ea agenda pudore terrentur & ceſſant. Hîc autem agit Auguſt. de publica pœnitentia, de qua etiam ſup.cap. 65. Illa autem eſt publica culpæ & criminis à nobis cõmiſſi agnitio, qua in nos ipſos ad Eccleſię ædificationem & cæterorum terrorem certis pœnis à presbyterio & paſtore indictis ſcelus noſtrum vindicamus. Ergo Dei gratia præuenit pœnitentes, vt & velint, & agant pœnitentiam, & hoc verum, de quacunque vera pœnitentia loquamur, ſiue priuata, ſiue publica. Vnde Auguſt. in expoſit. epiſt. ad Roman. inchoata ait, Iuſta eſt ergo gratia Dei, & grata iuſtitia, cùm in eo quoque etiam, pœnitentiæ meritum gratia præcedat, quòd neminem peccati ſui pœniteret, niſi admonitione aliqua vocationis Dei. Fulgent. in lib. C De fide ad Petr.cap.31. Firmiſſimè tene, ait, neminem hîc poſſe hominum agere pœnitentiam, niſi quem Deus illuminauerit, & gratuita ſua miſericordia conuerterit. Item cap.32. Hoc ipſum apertiſſimè confirmat. Hier.31.v.18.32.v.39. Conuerte me, Domine, & ego conuertar. Ezech.11.verſ.19. Dabo illis cor carneum. Et cùm ſit vera pœnitentia veræ fidei fructus & effectus, vt ipſe Auguſt. ſcribit lib. De vera & falſa pœnitent.c.2. rectè ſic colligitur, Quemadmodum fides donum Dei eſt, ita & pœnitentia. Nec obſtat quod dicit Ambroſius li. 9. epiſt. 76. Præcedit pœnitentia, ſequitur gratia. Debet enim pœnitẽtia priùs damnare peccatum, vt gratia poſſit abolere. Nam Gratia eo in loco ſignificat teſtimonium remiſſionis, & abolitionis peccati in nobis, non autem Spiritus ſancti inſtinctum & motum illum, qui in nobis debet anteire, & nos præuenire, vt verè pœniteamus. Quod perperam intellectum à Scholaſticis eos in varios errores coniecit, qui ab iis cumulantur apud Lombarb.lib.4.diſt.15.& 16.

2 *Secundum morem.* Non explicat Auguſt. quæ delicta pœnitentiam publicam mereantur, quæ non: quia ſynodorum canonibus id ſatis conſtitutum & definitum erat. Hoc tantùm docet, ſecũdũ A morem Eccleſiæ agendam eſſe eam, quæ indicta eſt à paſtore Eccleſiæ. Agit quidem alibi aduerſus eos qui peccatoribus veniam denegant, vti De Agone Chriſtia.c.30.& lib. De vera pœnit.cap.5. Debet enim Eccleſia, ait correctis, & pietate firmatis filiis ignoſcere, nec vſquam viſcera miſericordiæ tam patere debent, quàm in Eccleſia catholica. Ab eodem etiam arguuntur ij, qui differunt agere pœnitentiam in extremum vſque vitæ tempus. Et de fide ad Petr.42. De Eccleſ.dogmat.cap.80. Hîc autem ad pœnitentiam nos exhortatur. Ex veteri autem diſciplina ſynodorum & Eccleſiæ illud receptum erat, vt publica illa pœnitentia nũquam niſi ſemel in vita ageretur. Bis enim fidei naufragium facere nolebant cuiquam licere ſancti & venerandi illi patres. De quo more authores collegit Lõbard.lib.4.diſtinct.14.cap. Illud autem. Praui verò hominum mores, & ratio ipſa aliud tamen poſtea ſuaſit. Nam ſæpius publica pœnitentia in Eccleſia agi poteſt. Præclara itaque eſt hæc Lactantii ſententia in epitome cap.9. Magnum eſt pęnitentiæ B auxilium, magnum ſolatium, illa eſt vulnerum peccatorúmque ſanatio: illa ſpes, illa portus ſalutis quam qui tollit, viam vitæ ſibi amputat. Idem lib. 6.cap.24. confirmat. Priuata etiam pœnitentia, quæ eſt ſui correctio, vt ait idem Lactantius, quotidie neceſſaria eſt, & agenda à nobis. Eſt enim reuocatio vera ab errore, vt defecti reuocemur ad perfectum, ait Auguſt. & non modò oderimus noſtra peccata, ſed meliorem vitę viam ingrediamur & diligamus.

3 *Et pudor.* Ait Ambroſ.lib.1.epiſtol.3. Pœnitentiam agere peccati ſui eſt difficile in hac vita hominum. Quid enim tam rarum, quàm vt inuenias virum, qui ſeipſum coarguat, & factum condemnet ſuum? Hoc de publica pœnitentia. Ambroſ. de qua & Auguſt. agit hoc loco. Pudore enim quidam terrentur, ne eam agant. Pudorem autem definit Auguſt. eſſe timorem hominum, quibus diſplicere aut mali odoris eſſe magis metuimus, quàm diuinæ iuſtitiæ parere. Pudorem autem, quẽ αἰδῶ Græci vocant, alio modo definit Ariſtotel, & generaliùs lib.4. ἠθικ. Νικομαχ. cap.9. ὁρίζεται γὰρ αἰδὼς, C ait, φόβος τῆς ἀδοξίας. Hinc pudorem quidam ab erubeſcentia, quæ ἐρυθρία appellatur, diſtinguũt, vt Viguierius. Cõfundit tamẽ Ariſtoteles, & qui Gręcè & Latinè meliùs ſciunt, niſi quòd pudoris effectus eſt erubeſcentia.

4 *Ne fortè.* Locus eſt 2.Timoth.2.verſ.25. & notandus.

5 *Et ait.* In Euangel.Lucæ cap.22.v.61.& 62.

DE PECCATO IN SPIRItum ſanctum.

Cap. LXXXIII.

Peccatum in Spiritum ſanctum eſſe, cùm pertinaciter ab aliquo negatur peccata remitti poſſe in Eccleſia.

QVi verò in Eccleſia remitti peccata non credens cõtemnit tantã diuini muneris largitatẽ, & in hac obſtinatione mẽtis diẽ claudit extremum, reus eſt illo irremiſſibili peccato in Spiritum ſanctum[2].

De

A *De qua quæſtione difficili in quodam propter hoc cōſcripto libello,*[3] *enucleatiſſimè, quantum potui, diſputaui.*

1 *Qui verò.* Quàm variè fuerunt de hoc peccati genere ſententiæ patrum, ex eorum ſcriptis apparet, & quaſdam collegit Lombard. libro 2. diſt. 43. Alii enim illud eſſe putant & definiunt obſtinationem, quæ peccatum ſuum non agnoſcit. Sic Fulgentius lib. De fide ad Petr. cap. 3. Alii deſperationem de Dei miſericordia. Quidam etiam obtrectationem in miracula, quæ & Dei virtute fiunt & in confirmationē Euangelii. Ita Hierony. in epiſt. ad Marcellum. Ambroſius lib. 1. De Spiritu ſancto cap. 3. vult eſſe, ſi quis Spiritus ſancti diuinitatem, id eſt, dignitatem, maieſtatem, & potentiam neget eſſe ſempiternam. Id quod Macedoniani hæretici fecerunt. Sed nos aliorum ſententiis omiſsis, videamus quàm varius fuerit in hoc ipſo definiendo Auguſt. In Pſal. 70. putat blaſphemiam hanc in Spiritum ſanctū eſſe, cùm donis Spiritus ſancti, quale B fuit donum linguarum, malitioſè obtrectamus. Hîc ait eſſe, Si quis veniam peccatorum in Dei Eccleſia dari neget pertinaciter, & ad extremum vſque vitæ diem in ea ſentētia ſua perduret. In epiſt. ad Bonifac. vult eſſe duritiem cordis vſque ad finem vitæ, quam alibi appellat impœnitētiam animi. In expoſitio. ad Rom. ait eſſe, Si quis per inuidiam opera Dei blaſphemat. Optimè verò in lib. De verb. Domini in mōte, ſic, Eſt peccatum in Spiritum ſanctum, ait, cùm poſt agnitionem Dei per gratiam Chriſti quis oppugnat fraternitatem, & aduerſus ipſam gratiam, qua recōciliatus eſt Deo, inuidiæ facibus agitatur. Eſt igitur hoc peccatum non in vnum aliquod Spiritus ſancti donum blaſphemia, non etiam in ipſam perſonam Spiritus ſancti, ſed in vniuerſam agnitæ veritatis doctrinam malitioſa & crudelis blaſphemia, obtrectatio, repudiatio, & denique perſecutio. Fit autem, vt docet Auguſtinus non tantùm verbis, ſed etiam factis & re. Locus autem & dictum Chriſti eſt apud Matt. 12. verſ. 31.

2 *In Spiritum ſanctum.* Additum eſt in impreſ- C ſis, In quo Chriſtus peccata dimittit: quod fortaſſe ex commentariis Auguſtini in Pſal. 70. ad literam Q. ſumptum videri poterat. Sed eſt gloſſema & ineptum & falſum, etſi illud retinet codex manuſcriptus. Neque enim Chriſtus in Spiritu ſancto dimittit peccata, vel in vim & poteſtatem alterius, quemadmodum fecerunt Apoſtoli: ſed ipſe ſua poteſtate & propria vi, Matth. 9. Luc. 7. Et nouum dicendi genus eſt, Remitti peccata in Spiritum ſanctum, cùm dicantur remitti per Chriſtum, Actor. 13. Itaque hoc gloſſema induxi.

3 *Conſcripto libello.* Libellus ille eſt vel Sermo. 11. Auguſt. de verb. Dom. in monte, vbi hoc argumentum explicat: vel fortaſſe alius eius tractatus qui temporis iniuria nobis periit, vti eiuſdem authoris multi alii labores eruditi illi quidē & varii ſunt amiſsi, quemadmodum ex Poſsidonio, qui Auguſt. vitam ſcripſit, facilè colligi poteſt. Cōtrà autem inſulſi & inepti quidam libelli nobis Augu. nomine venditantur, cùm fuerint cuiuſdam Auguſtini Anglorum epiſcopi, qui Gregorii magni ſeculo vixit & floruit, quales libri De ſpiritu & anima, & tres De mirabilib. ſacræ ſcripturæ: quos ego poſtremos iudico Chriſtia. fidei pernicioſos & noxios, vt qui Dei maxima miracula eludant, & ad A Phyſicorum leges reuocent, non ſine magna potentiæ Dei iniuria & blaſphemia. Itaque vellem demptos de tomis operum Auguſtini.

DE RESVRRECTIONE mortuorum.

CAP. LXXXIIII.

Omnes homines qui vel nati ſunt, vel naſcentur reſurrecturos eſſe.

Iam verò de Reſurrectione[1] *carnis, (non ſicut quidam reuixere, iterùmque ſunt mortui) ſed in æternam vitam, ſicut Chriſti ipſius caro reſurrexit, quemadmodum poſsim breuiter diſputare, &*[2] *omnibus quæſtionibus, quæ de hac re moueri aſſolent, ſatisfacere, non inuenio. Reſurrecturam tamen*[3] *carnem omnium, quicunque nati ſunt, hominum, atque naſcentur, & mortui ſunt, atque morientur, nullo modo dubitare debet Chriſtianus.*

1 *Iam verò.* Sequitur in Symbolo articulus de reſurrectione carnis, quem hîc fuſè explicat Au- B guſt. Præcedit autem hic articulus eum, qui eſt de vita æterna, quia vt ait Auguſt. lib. 13. cap. 8. de Trinita. beata vita ſine immortalitate eſſe non poteſt, ad quam nos reſurrectio perducit. Hic articulus in antiquiſsima catecheſi fuit expreſſus, vt apparet Heb. 6. & de hoc eodem agit Auguſt. cap. 30. De fide & Symbol. cap. 10. De ciuita. Dei lib. 13. & li. 22. Eccleſiaſt. dogmat. c. 5. & 77. Fuit autem triplex error in hoc argumento. Quidam enim carnis reſurrectionem fore omninò negarunt, vt Ethnici, qui dicebant indiuiduum non poſſe idem numero excitari, ſi ceciderit. Sic Ariſtot. lib. 2. de genera. & corrupt. Idem Sadducæi ſentiebant, vt traditur Actor. 23. v. 8. Denique idem Cerdoniani, Caiani, Archontici, & Manichæi docuerunt, vt eſt in libro De Hæreſib. ad Quodvultd. Quidam, etſi retinuerunt & conceſſerunt fore reſurrectionem, perperā tamen eam intellexerunt, vti Hymenæus, qui dixit C iam eſſe factam, 2. Timoth. 2. v. 17. Augu. ad Ianuar. epiſt. 119. Quidam fabulis eam obſcurarunt, vt Pythagorici, & qui animorum in pecora vel alia humana corpora reuolutionem, & παλιγγενεσίαν induxerunt, contra quos Auguſt. lib. 22. De Ciuit. Dei cap. 28. lib. 7. de Geneſ. cap. 9. 10. 11. Tertullia. item in li. De anima. Irenæus lib. 2. ca. 58. 59. Eſt autem, vt ait Auguſt. lib. 20. De ciuit. Dei, cap. 6. Reſurrectio duplex, quæ commemoratur in Scriptura,

vna { Animi, quæ regeneratio dicitur, & fide fit.
Corporis nempe, & ea duplex { Perfecta,
Imperfecta.

Perfecta verò, qualis in nobis aliquando futura eſt, & iam eſt in Chriſto. Imperfecta autem qualis in Lazaro, & aliis, qui ſunt excitati. Agit autem Auguſtinus hîc tantùm de perfecta.

2 *Et omnibus.* Infinitæ fuerunt in hoc argumento quæſtiones, quemadmodum ex Iuſtini reſponſionibus apparet, Athenagoræ etiam ſcripto de reſurrectione, & Irenæi lib. 5. diſputationibus: Denique ex ipſo Auguſtino lib. 22. de Ciuit. Dei, & ex hoc ipſo loco. Cùm enim hoc argumentum ſit obſcurum, facilè ſibi permiſerunt homines vagari & μετεωρίζειν. Itaq; multas paleas ſuper bono fundamento ſæpe boni patres exædificarūt & ſu-

perſtruxerunt, à quibus tamen nobis eſt diligēter abſtinendum. Et in hac diſputatione apparēt multæ Auguſtini ἀκυρολογίαι, quas tamen Lombardus lib.4.diſt. 43. auidè amplexus eſt, & vt monedula ſordes, ſic iſte has ſententias arripuit.

3 *Carnem.* Præclarè Auguſt. & verè duo hæc tradit: Primùm carnem ipſam, & eandem corporis ſubſtantiam eſſe in nobis excitandam & reponendam, quæ priùs inerat. Carnis igitur vox ad corpus pertinet, non ad animum, qui cùm non moriatur, reſuſcitari non poteſt, lib. De fide & Symbol.c.10. Et ideo, ait, credimus carnis reſurrectionem, non tantùm quia reparatur anima, quæ nunc propter carnales affectiones Caro nominatur: ſed hæc etiā viſibilis caro, quæ naturaliter eſt caro. Hæc ergo viſibilis, quæ Caro propriè dicitur, ſine dubitatione credenda eſt reſurgere. Videtur enim eam Paulus Apoſtolus tanquam digito ſuo oſtēdere, cùm ait, Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, Cùm enim dicit, Hoc, in eam quaſi digitum intendit. Hactenus Auguſt. Sed ſecundo loco rectè quoque docet idem omnium hominum fore reſurrectionem, ſiue bonorum, ſiue malorum. Ioan.5.verſ.28. Actor.24.verſ.15. Auguſt. ad Conſentium epiſt.146. De Doctr. Chriſtia.lib.1.cap.21. Quanquam quærit alibi vtrùm animæ propriis & ſuis characteribus erūt dignoſcibiles, ne Iudæ proditoris anima à Petri Apoſtoli anima diſcerni cenſeatur non poſſe. Et Irenæ.lib. 2.capit.33. & 63. ita quidem ſentit. vide eundem Auguſt.lib.4. De anima cap.18. Denique & ſimul & ſemel omnes reſurgent. Non erunt enim duæ reſurrectiones, nec priùs boni reſurgent, pòſt mali. Neque qui priùs mortui ſunt longo tempore, priùs reſurgent, poſteriùs autem, qui poſtea defuncti ſunt: ſed ſimul & eodem momento omnes ad vocem Archangeli Domino noſtro Ieſu Chriſto occurremus in aere, 1.Theſſal 4.v.15. De Eccleſ. dogmat. 6. & 7. Bernard. in li. De Dilig. deo, in fi. ait etiam animas noſtras poſtquam ſuis corporibus ſunt exutæ, naturali quodam affectu ſuis corporibus ligari, expectantes & deſiderantes eorum reſurrectionem: quia ea lege ſunt à Deo conditę, vt hîc corporibus iungerentur, atque iis vnitæ maneant. Quod vinculum reſtituet reſurrectio. Denique idem Augu. tractat.23. in Ioan Euangel. ait, per id quod Chriſtus homo factus eſt corpora noſtra reſurrectura. Reſurrectio corporum, ait, fit per diſpenſationem humanitatis Filij temporalem, Patri non coæternam. Cyrillus item in Ioan.lib. 4. cap.12. Ad omnem humanā carnem Reſurrectonis Chriſti myſterium peruenire credimus & in ipſo primo totum genus humanum ab interitu liberatum dicimus. Animæ verò noſtræ renouantur per id quod Chriſtus & Deus homo eſt.

Cap. LXXXV.

De abortiuis fœtibus, vtrùm reſurgent.

Vnde' primò occurrit de abortiuis fœtibus quæſtio, qui iam quidem nati ſunt in vteris matrum, ſed nondum ita, vt iam poſſint renaſci. Si enim reſurrecturos eos dixerimus, de his, qui iam formati ſunt tolerari poteſt vtcunque quod dicitur. Informes autem abortus, quis non procliuius perire arbitretur, ſicut ſemina, quæ concepta non fuerunt? Sed quis negare audeat (etſi affirmare non audeat) id acturam reſurrectionem, vt, quicquid forma defuit, impleatur? Atque ita non deſit perfectio, quæ acceſſura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia, quæ acceſſerunt tempore: vt neque in eo, quod aptum & congruum dies allaturi fuerant, natura fraudetur: neque in eo, quod aduerſum atque contrarium dies attulerant, natura turpetur: ſed integretur quod nondum erat integrum, ſicut inſtaurabitur, quod fuerat vitiatum.

CAP. LXXVI.

Fœtus in vtero quando incipiat viuere.

AC per hoc ſcrupuloſiſſimè quidem inter doctiſſimos quæri ac diſputari poteſt (quod vtrùm ab homine inueniri poſſit, ignoro) Quando incipiat homo in vtero viuere, Vtrùm ſit quædam vita occulta, quæ nondum motibus viuentis appareat. Nam negare vixiſſe puerperia, quæ propterea membratim exſecantur & eiiciuntur ex vteris prægnantium, ne matres quoque (ſi mortua ibi relinquantur) occidant, impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo viuere, ex illo vtique iam mori poteſt. Mortuus verò vbicunque illi mors potuit euenire, quomodo ad reſurrectionem non pertineat mortuorum, reperire non poſſum.

1 *Vnde primò.* Prima quæſtio, vtrùm fœtus abortiui reſurgent. Diſtinguit autem Auguſtinus

inter iam { Formatos,
&
Informes adhuc.

Formati reſurgent, ait: at informes, non item: quia ſimiles ſunt ſeminibus rerum non conceptis: ſed corruptis. Idem Auguſt.lib.22.de Ciuit.Dei, ca.13. hoc ipſum argumentum tractat, vbi hanc diſtinctionem non habet: tamen Lombard. tranſcripſit hoc cap.lib.4.diſt.44.cap. Illud etiam. Formatos autem fœtus appellat, in quibus non tantùm principalium viſcerum delineatio quędā apparet (qualia ſunt hæc tria, iecur, cor, cerebrum, quæ ſexto à conceptionis die in ſemine diſtinguuntur) ſed in quibus reliquorum etiam membrorum formatio cernitur, etſi viuere tamen nondum fœtus nobis appareat: ſed, vt ait Auguſt. latet adhuc in iis illa vita. Et acceſſurum eſt illis fœtibus in reſurrectione, ait, quod temporis & ætatis ſpatio affuturum erat, quia hoc materiæ iam inerat δυνάμει & potētia quidem, vt loquuntur in ſcholis. Nam dicitur Capillus capitis veſtri non peribit, Luc.21. Hæc ita Auguſtinus, & hîc & lib.22.de Ciuit.Dei, cap.14. At verò Paulus diſertè 1.Cor..5. ſcribit, Hoc corruptibile: vt doceat id ipſum reſurrecturum eſſe quod ceciderat, non aliud.

Ad caput 86. *Ac per hoc.* Ariſtoteles libr.2.de Hiſtor.animal.& medici putant fœtum 45. demū die à conceptione viuere incipere. Et in can. Quod verò 32.quæſt.2.de eo diſputatum eſt. Tertull. lib. De anima ab ipſo momento conceptionis animā à Deo infundi putat. Vnde & fœtum viuere. Quæ ſententia & verior eſt, & melior, meo quidem iudicio. Ergo qui abortionis poculum etiam ante 45. diē dederit, punitur lege ciuili. l. Si quis §. qui abortionis, & l. Cicero. D. De pœn. Quod ſapientiſsimè ab ethnicis conſtitutum eſt, idcirco quia iam fœtum viuere credebant.

A

CAPVT LXXXVII.

De monſtris humanis,quomodo reſurgent.

NEque enim[1] *& monſtra quæ naſcuntur & viuunt (quamlibet citò moriantur) aut reſurrectura negabuntur, aut ita vitiata reſurrectura credenda ſunt,ac non potiùs correcta,emendatáque natura. Abſit enim,vt illum bimembrem, qui nuper natus eſt in Oriente (de quo & fratres fideliſſimi, qui eum viderunt, retulerunt,& ſanctæ memoriæ Hieronymus*[2] *presbyter ſcriptum reliquit.) Abſit,inquam, vt vnum hominem duplicem, ac non potiùs duos (quod futurum fuerat, ſi gemini naſcerentur) reſurrecturos exiſtimemus. Ita cætera (quæ ſinguli quique partus vel amplius vel minus*[3] *habendo, vel quadam nimia deformitate, monſtra*[4] *dicuntur) ad humanæ naturæ figuram reſurrectione reuocabuntur: ita, vt ſingulæ animæ ſingula corpora ſua obtineant, nullis cohærentibus, etiam quæcunque cohærentia nata fuerant: ſed ſeorſim ſibi ſingulis ſua membra geſtantibus, quibus humani corporis completur integritas.*

B 1 *Neque enim.* Secunda quæſtio de monſtroſis hominibus,qui vixerunt,quomodo reſurgent. Putat Auguſtinus correcta deformitate, & ſublatis iis quæ ſuperſunt, vel additis quæ iis deſunt, eos eſſe reſurrecturos pulchros,formoſos & integros homines. Nec enim cùm iſta excrementa in nobis nunc demuntur,& tolluntur, vlla fit corporalis ſubſtantiæ diminutio,ait idem lib.22.de Ciuitate Dei cap. 19. Vbi etiam de monſtris idem ſentit quod hoc loco. Auidè has ſentẽtias arripuit & hauſit P.Lombard.li.4.diſt.44. Vtrùm autem vera ſit hæc Auguſtini ſententia,nec ne, alii viderint.Certè quod putat lib.22.cap.15. idem Auguſtin. ad virilis ætatis menſuram perfectam (quæ eſt circa annum trigeſimum) omnes reſurrecturos eſſe,falſo fundamento,falſáque interpretatione nititur illius dicti Pauli,quod eſt Epheſ.4.verſ. 13. Nam Paulus diſertè ait, Hoc corruptibile. Quod ipſum libr. De fid. & Symbol. cap.10.vrget Augu. vt hoc ipſum omnino quod digito demonſtratur, dicat reſurrecturum eſſe non aliud. Hoc etiam ipſum vrget Tertullia. lib.5. aduerſ. C Marcionem. Sed & hæc quoque Auguſtini ſententia poſteriori ſeculo ita incerta fuit & dubiè agitata, vt Anſelmus in elucidario ſibi non conſtaret:ſed cap.93.& 96.contrarias prorſus ſententias in eo ſequeretur: tanti eſt ſacræ ſcripturæ limites non eſſe tranſgreſſum. Denique quæ infirmitas tolletur è corporibus per reſurrectionem, explicata eſt à Paulo 1.Corinth.15.verſ.53.54.nẽpe corruptibilitas & mortalitas: de deformitate autem membrorum, quæ appellatur, nihil quicquã docet Paulus,quando illã futuram gloriam piorum non eſt vel immutatura, vel imminutura iſta formæ corporis conſtitutio,quanuis in membris remanſerit aliqua deformitas.

2 *Hieronymus.* Extat hoc Hierony. teſtimonium in epiſtola ad Vitalem his verbis,Num quia noſtra ætate duplex Lyddæ natus eſt homo duorum capitum, quatuor manuum, vno ventre, & duobus pedibus,omnes homines ita naſci neceſſe eſt? Ergo bimembrem vocat Auguſt. non quidem Hermaphroditum,qui vtráque naturam habet:ſed qui duplicia membra habuit,quæ nos ſinguli ſingula habere ſolemus. Ætate Mauricij imperatoris,alia mõſtra in Aſia & Oriente nata ſcribit Nicephorus Hiſtoriæ Eccleſiaſt.libr.12. cap. 37. & 18.cap.35. Eſt autem Lydda vrbs Iudææ de qua in Act.9.verſ.35. A

3 *Vel minus.* Additum eſt in impreſsis,Vel minus aliquid habendo.ſed illud, Aliquid,flocci eſt, & perturbat ſenſum,& eſt gloſſema.Itaque delendum eſt,etſi habetur in manuſcripto. relatiuum enim quod deſyderat verbũ,Habendo, eſt Quæ.

4 *Monſtra dicuntur.* Rectè Auguſtin.& ex Phyſicorum regulis, Mõſtrum humanum definiuit.Eſt autem quod ex ſemine humano præter naturæ ordinem gignitur.Id quod (vt apud Ariſtotel.lib.2.Phyſic.Audit.diſputant Peripatetici) duplici de cauſſa accidit,vel

$$\text{plici de cauſſa accidit, vel}\left\{\begin{array}{l}\text{Materiæ,}\\ \text{Formæ ratione.}\end{array}\right.$$

Ac materiæ ratione, ſi quid plus minúſve ſit in membris, quàm in reliquis eiuſdem generis indiuiduis eſſe ſoleat. Formæ verò ratione dicitur aliquid monſtrum, ſi aliam in membris formam, B ſitum,ordinem, locum & figuram habeat, quàm oporteat,Sic Plutarch.lib.5.ca.8.de Placit. Philoſophor. Aliter autem Monſtra ex augurum ſententia definit idem Auguſtinus libr.21. de Ciuita. Dei cap.8,Monſtra dicta à monſtrando,quòd aliquid ſignificando demonſtrent. Monſtroſos autem partus occidi debere lege ſua ſanxit Romulus,vt ſcribit Dionyſ.Halicar. vt autem vult Plutarchus,potiùs Numa Pompilius.

CAP. LXXXVIII.

Facile eſſe Deo carnem noſtram quocunque modo conſumptam reſtaurare & priori animæ reddere.

NOn autem perit Deo[1] *terrena materia,de qua mortalium creatur caro: ſed in quemlibet puluerem cinerémve ſoluatur, in quoſlibet halitus auráſve diffugiat,in quancunque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur,in quorumcunque animalium etiam hominum cedat carnemq́; mutetur,illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitus,vt homo fieret,creſceret,viueret,animauit.*

C 1 *Perit Deo.* Duo maximè argumenta contra reſurrectionẽ attulerunt ethnici.Vnũ ab impoſſibili ductum,quòd fieri poſſe non crederent,vt humani corporis ſubſtantia in prima ſua elementa reſoluta,imò ſæpe etiã cõſumpta,&, vt illi loquũtur,perdita reſtauretur. Quid enim iis fiet, quorũ cineres ſparſi ſũt? vel qui à feris animalibus, vel piſcibus deuorati ſunt? Huic argumento reſpõdet Auguſtin. eodem modo quo & Iuſtinus Martyr in Reſponſio. ad Gregor. interrogatio. & Tertullianus, & Athenagoras pulcherrimo tractatu, περὶ ἀναςάσεως, Non eſſe Deo difficile diſſolutam diſſipatámque tantùm ſubſtantiam colligere & ſecernere, qui eam primùm, imò omnia hæc viſibilia,ex nihilo creauit. Itaque qui propterea reſurrectionem fore negant, Dei omnipotentiam planè euertunt & tollunt. Alterum eorum argumentum ductum eſt à differentia corporũ & propria cuiuſque generis rationis.Hęc enim corpora, quæ reſurgẽt,ſpiritalia fore affirmãtur, & in cœlo mãſura:repugnat autẽ corporeę,&,vt illi aiunt,terrenæ naturæ in cælo eſſe: ergo nõ erit reſurrectio.

A Hoc argumentum à Platonicis obiectum fuiſſe Chriſtianis docet idem Auguſtinus, cui reſpondet ipſe lib.22.De ciuitate Dei,cap.11. Non erit enim in corporibus ait, hæc moles & infirmitas, quæ nunc cernitur. Et vt per ordinem naturę qui nunc eſt, terrena hæc corpora noſtra in aere pendere hodie nō poſſint,tunc tamen aliud erit,quia Deus qui naturæ & conditor eſt & Dominus,aliud fieri volet. Nunc enim terram dedit hominibus, corúmque ſedem eſſe voluit,Pſal.115.tunc autem eorundem ſedem & domicilium eſſe cælum ſtatuet. Itaque huic domicilio apta tunc corpora dabit, & nos induet. Quid autem ſignificet tunc fore corpora noſtra ſpiritualia,vide apud eundem Auguſtinum libro 9.De geneſ.ad lit.cap.3.

CAP. LXXXIX.

In reſurrectione mortuorum quęſitum,vtrum tota tantum carnis ſubſtantia reſtituetur:an quæque pars vnde & vbi primùm fuit, reditura ſit: Num quoque ſuperflua reddentur.

B *IPſa itaque terrena mareries, quæ diſcedente anima fit[1] cadauer,non ita reſurrectione reparabitur, vt ea quæ dilabuntur, & in alias atque alias aliarum rerum ſpecies formáſque vertuntur (quanuis ad corpus redeant, vnde lapſa ſunt) ad eaſdem quoque corporis partes,vbi fuerunt,redire neceſſe[2] ſit. Alioquin ſi capillis capitis redit,quod tā crebra tonſura detraxit, ſi vnguibus quod toties dempſit exectio,immoderata & indecēs, cogitantibus,& ideo reſurrectionem carnis non credentibus occurrit infirmitas. Sed[3] quemadmodum ſi ſtatua cuiuſlibet ſolubilis metalli aut igne liqueſceret, aut contereretur in puluerum,aut confunderetur in maſſam, & eam vellet artifex ex illius materiæ quantitate reparare, nihil intereſſet ad eius integritatem quæ particula materiæ cui membro ſtatuæ redderetur, dum tamen totum,ex quo conſtituta fuerat, reſtituta reſumeret. Ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex de toto,quo caro noſtra conſtiterat, eam mirabili & ineffabili celeritate reſtituet. Nec aliquid attinebit ad eius reintegrationē, C vtrùm capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues:an quicquid eorum perierat mutetur in carnem & in partes alias corporis reuocetur, curante artificis prouidentia,ne quid indecens fiat.*

1 *Fit cadauer.* Cadauer definit Auguſtinus, eſſe terrenam molem & materiam anima humana priuatam. Cicero Tuſcul. 1. à cadendo dictum & appellatum putat cadauer,& eſſe corpus, quod in terram cecidit morte exanimatum. Vnde apud Varronem Proiecta cadauera. Homerus vbique vocat νέκυν & νέκρον.Græcè autem ſeruata eiuſdem verbi cadendi etymologia dicitur cadauer πτῶμα, Mar.6.v.29.

2 *Neceſſe eſt.* Duæ quæſtiones illuſtres, è quibus prima eſt, Vtrùm excrementa in reſurrectione acceſſura ſint, vti quod ex vnguibus, capillis, barba eſt reſectum.Et non putat Auguſt. ne quid ſit in piis reſurgentibus indecorum. Non peribunt tamen nobis reſurgētibus,vt alibi dicit Aug. ſed in eandem carnem, ſeruata partium congruentia,materiæ mutabilitate conuertentur,libr. 22. De ciuitate Dei,ca.19.Has certè quidem futiles,& tamē plauſibiles quaſdam huiuſmodi obiectiones perſecutus eſt Auguſt. quòd ab ethnicis reſurrectionem negantibus afferri aduerſus Chriſtianos A ſolitæ eſſent, quemadmodum apparet ex hoc eodem Auguſt.lib.22.De ciuitate Dei,cap.12. Verior ratio eſt, non eſſe reſtituenda hæc excrementa & purgamenta,quia corruptionis,quæ hodie in nobis eſt,ſunt fructus & effectus.Illa autem è corporibus noſtris prorſus peribit. Atqui ſi illa purgamenta redderentur, non abeſſet corruptio à nobis. Auguſt.lib.2.de Symbol.ad Catechum en.cap. 10.Quemadmodum non reſurgit nobiſcum noſtra corruptio , neque infirmitas : ita nec ea quæ ſunt neceſſaria nūc noſtræ infirmitati. Altera quęſtio, Vtrùm in reſurrectione ſubſtantia carnis ita reſtituetur & reſtaurabitur, vt quæque ſubſtantiæ pars redeat ad eam,in qua primùm erat, vti capillus ad capillum:pedis ſubſtantia quæ priùs fuerat, fiat in reſurrectione iterum pes: digiti ſubſtantia iterum digitus: an tota maſſa ſubſtantiæ & carnis noſtræ mixtim excitabitur,ex qua corpus integrū nobis celerrimè reponetur & reddetur. Quod poſtremum verius cenſet Auguſtinus, exemplo ſtatuæ æneæ, quæ vbi fuſa eſt,ex eadē materia reſtituitur,tota ex tota maſſa,non quælibet illius pars ex parte prioris ſtatuæ. Videtur tamen aliud reſponderi poſſe ex Ezec.37.ver.6.Sed hæ quæſtiones curioſis hominibus ſunt relinquēdæ, & Scholaſticis, B quas per otium excutiant & examinent.

3 *Sed quemadmodum.* Eadem ſimilitudine vtitur idem Auguſt.in eodem argumento explicando lib.22.De ciuita.Dei cap.19. qui liber videtur ante hunc ſcriptus eſſe, nimirum poſt Romæ conflagrationem & euerſionem à Gothis factam,non tam ſene iam Auguſtino.

CAP. XC.

De ſtatura,& formæ ſimilitudine vel diſſimilitudine,quæ erit in corporibus piorum reſurgētiū.

NEc illud eſt conſequens vt ideo diuerſa ſit ſtatura[1] reuiuiſcentium ſingulorum, quia fuerat diuerſa viuentium:aut macri cum eadem macie, aut pingues cum eadem pinguedine reuiuiſcant. Sed ſi hoc eſt in conſilio creatoris,vt in effigie ſua cuiuſque proprietas & C diſcernibilis[2] ſimilitudo ſeruetur,in cæteris autem corporis bonis æqualia cuncta reddantur, ita modificabitur illa in vnoquoque materies,vt nec aliquid ex ea pereat, & quod alicui defuerit,ille ſuppleat,qui etiam de nihilo potuit quod voluit,operari. Si autem in corporibus reſurgentium rationabilis inæqualitas erit, (ſicut eſt vocum quibus cantus impletur) hoc fiet cuique de materia corporis ſui, quod & hominem reddat æqualem angelicis cœtibus,& nihil inconueniens eorum ingerat ſenſibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit, ſed quicquid futurum eſt hoc decebit, quia nec futurum eſt,ſi non decebit.

1 *Sit ſtatura.* Duplex quæſtio,& vtraque iiſdē fundamentis perperā ſumptis fulta:Prima,Vtrùm piorum omnium inter ſeſe ſtatura & corporis magnitudo futura ſit æqualis. Altera, Vtrùm in corporibus piorum aliqua formæ & figuræ diſſimilitudo erit. Hîc enim de piorum reſurgentium corporibus agit tantùm Auguſtin. non etiam de impiis. Vtraque hæc diſputatio planè curioſa eſt. Cur tamen in has animi vexationes ſancti illi patres inciderent, ratio erat, quòd locum Pauli,

qui

A qui eſt Epheſ.4.verſu.13.malè ad reſurrectionem carnis referrent. Ait Paulus, Donec occuramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.Ita vertit Auguſt.ipſe lib.22. De ciuita.Dei cap.17.Sic Hieronymus quoque in epitaphio Paulæ.Item alio ſcripturæ loco abutebantur,qui eſt Rom.8.ver.29,Vt fiant conformes imagini Filij Dei. Ex vtroque loco colligebant nos & ea ſtatura corporis reſurrecturos,& ea forma,& denique ea ætate,qua fuit Chriſtus vir perfectus,nempe anno ætatis XXX. Ita ſcribit idem Auguſtinus libro 22.De ciuitate Dei cap.15. Tamen idem eiuſdem operis cap.16.ait,Vnde ſi quis in eo corporis modo,in quo defunctus eſt,reſurrecturum vnumquemque contendit,non eſt cum illo laborioſa contradictione pugnandum.Denique in has anguſtias animi ſe coniecerunt ſancti patres,dum irriſiones ethnicorum reformidarent & ratiocinationes eorum plauſibiles viderent, qui vt reſurrectionem oppugnarent, hæc omnia plenis buccis crepabant & obiiciebant Chriſtianis,quemadmodū nobis hodie obiiciunt homines B Athei,Vtrùm macri,vtrùm pingues ſint pij reſurrecturi.vtrū iuuenili,vtrū ſenili ætate:Vtrū recti, vtrùm gibboſi.Patres autem nihil niſi tum in piorum corporibus decorum fore reſpondebant,magno commendandæ reſurrectionis zelo & ſtudio.Via ad piorum reſurrectionem quærenda eſt diſputationes autem & definitiones iſtę omittendæ. Quale enim futurum ſit vniuſcuiuſque corpus,tunc intelligemus, cùm reſurrexerimus cum illis.Denique quid iſtæ deformitates,vt vocabant vel ademptæ,vel manentes in piorum corporibus iis ad felicitatem nocent?

2 *Similitudo.* Altera quæſtio de corporum forma,& vultus ipſius figura, Vtrùm omnium piorū erit vna & ſibi ſimilis an diſſimilis.Poteſt enim in facierū diſſimilitudine,vt in vocibus & cantu,eſſe quædam tamen grata & iucunda ſpecies, & Dei ipſius potentia maior ex eo elucere,ſi conformabuntur pij omnes ad imaginem Filij Dei. Ergo videntur omnes futuri eiuſdem & ſimilis formæ. itaque nulla erit faciei inter eos diſſimilitudo. C Hæc eſt Auguſtini & illius ſeculi hominum ab ethnicis vexatorum fluctuatio,propter quam ſe in hos laqueos iniiciunt.Denique ſi nulla erit in piis reſurgentibus diſſimilitudo formę & inęqualitas, quomodo verum erit quod hic ipſe Auguſt. ſermo.552.De tempore,ait,fore tunc vt inuicem, & alter alterum agnoſcamus ? Sapientior igitur factus tandem Auguſtinus in libro De fide & Symbolo cap.10.prudenter perpendit hæc verba Pauli.Hoc corruptibile.Denique Chriſtus eodem illo corpore quod habuit cicatrices vulnerum,eadē forma,eadem etiam ſtatura,qua mortuus eſt, reſurrexit, vt à quoque piorum idem corpus reſumendum eſſe intelligamus, quod depoſuerunt ipſi in terra,id eſt idem corpus,& eadem forma & ſtatura excitandum eſſe,quam viuētes illi habuerunt:non autem alia,aut diſſimili forma vel ſtatura.Damaſc.li.4.de Orthod.fid.ipſos etiam Characteres per quos cuiuſque noſtrùm forma nunc dignoſcitur, tunc manſuros in rebus eſſe putat. Sed ſi ſexus diſtinctio manebit,cur non & reliqua corporis forma? Nec enim vti Chriſtus fuit mas, ita omnes reſurgent mares,nullę autem erunt fœminæ:quia etiam fœminæ reſurgent.

A

CAP. XCI.

Corpora beatorum & ſanctorum quoad ſubſtantiam carnis reſurrectura eſſe:non autem vitia & deformitates quæ prius in iis fuerunt.

R*Eſurgent igitur ſanctorum corpora ſine vllo [1] vitio,ſine vlla deformitate [2], ſicut ſine vlla corruptione,onere,difficultate.In quibus tanta facilitas reſurgendi,quanta felicitas erit.Propter quod & ſpiritualia [3] dicta ſunt,cùm proculdubio corpora ſint futura, non ſpiritus.Sed ſicut nunc corpus animale dicitur,quod tamen corpus, non anima eſt:ita tunc ſpirituale corpus erit,corpus tamen,non ſpiritus. Proinde quantum attinet ad corruptionem quæ nunc aggrauat animam,& ad vitia quibus caro aduerſus ſpiritum concupiſcit,tunc nō erit caro,ſed corpus,quia & cæleſtia corpora [4] perhibētur.Propter quod dictum [5] eſt,Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Et tanquam exponens quid dixerit,Neque corruptio,inquit,incorruptionem poſſidebit.* B *Quod prius dixit,Caro & ſanguis,hoc poſtea dixit Corruptio. Et quod prius Regnum Dei, hoc poſtea Incorruptionem. Quantum autem attinet ad ſubſtantiam [6],etiam tunc caro erit.Propter quod & poſt reſurrectionem corpus Chriſti caro appellatum [7] eſt. Sed ideo ait Apoſtolus,Seminatur corpus animale, reſurget corpus ſpiritale,quoniam tanta erit tunc concordia [8] carnis & ſpiritus, viuificante ſpiritu ſine ſuſtentaculi indigentia ſubditam carnem,vt nihil nobis repugnet ex nobis, ſed ſicut foris neminem,ita nec intus noſipſos patiamur inimicos.*

1 *Sine vllo vitio.* Duplex item quæſtio propoſita eſt hoc capite: Prima,vtrùm pij ſine vllo vitio animi reſurgent: Altera vtrùm ſine vlla corporis deformitate erunt poſt reſurrectionem. Ac quidē ſine vitio animi fore ſanctos certum eſt,quia in iis peccatum omne prorſus deſtruetur,1.Corinth.15. verſu 26.& 56. Et tunc verè omnes fideles & electi Dei erunt ſine ruga & macula, Epheſ. 1. verſu 4. Denique tunc ceſſabit in iis omnis conflictus carnis & ſpiritus, qui hîc ab iis ſentitur : quod etiam apertè hoc loco tradit Auguſtinus. Ergo vitij nomen ad animi labem, non autem ad corporis vel membrorum λωβὰς & defectus ſiue mutilationes aut deformationes hîc refero ex mente Auguſtini. C

2 *Deformitate.* Altera quæſtio,vtrùm corporū deformitates,quę priùs in viuis fidelibus erant, in iiſdem reſurgentibus manebunt. Nō putat Auguſtinus, ſed ſeruata ſubſtantiæ integritate ſola deformitas peribit. Idem Auguſtinus libro 22.de Ciuitate Dei cap.19.ſic ſcribit. Proinde nulla erit deformitas quam faciat incongruentia partium, vbi & quæ praua ſunt corrigentur,& quod minus eſt,quàm decet,vnde creator nouit, inde ſupplebitur:& quod plus eſt,quàm decet, ſeruata materiæ ſiue maſſæ integritate detrahetur. Quidam ſimilitudinem aptiſſimam ad huius ſententiæ confirmationem addunt,hanc nempe, vti à grano ſeminato palea & gluma perit, ſubſtantia ipſa non perit, (nam in eo quod inde naſcitur, remanet & excitatur :) ita futurum eſt in humanis corporibus,vt quod in iis paleæ vice eſt,depereat. Vnde ait Auguſtinus, Non eſt metuendum macris pinguibúſue, ne ibi tales ſint, quales ſi poſſent, nec hîc eſſe voluiſſēt.Sed nec lippi,lippi erūt,addit

A Viguierius. Ita abyſſus abyſſum impellit, & eò tādem deuentum eſt, vt in tam ſeria re de his nugis ageretur. Sed hæc ſententia nullis firmis rationibus eſt nixa. obiicitur enim primùm Chriſtum ipſum (ad cuius corporis decorem omnia reuocant) habuiſſe etiam poſt reſurrectionem vulnerū ſuorum cicatrices & notas, quas ipſas ſuis diſcipulis manifeſtè oſtendit, & per eas agnitum eſſe Ioānes ſcribit. Id quod verum eſſe fatetur & Ambroſius & Augu. li. 22. De ciuitate Dei, cap. 19. Idē Ioachimus Vadianus vir doctiſſimus in diſputat. contra Suenckfel. hæreticum. Et Cyprian. Sermo. de Baptiſmo rationem reddit. Semper enim reſeruatæ in Chriſti corpore plagæ, ait, ſalutis humanæ exigunt pretium, & obedientiæ donatiuum requirunt.

Quod ſi quis neget verum eſſe, apertiſſimè refutabitur Ioan. 20. v. 27. Luc. 24 verſ. 40. Vnde li. 4. De Trinit. c. 3. ait Auguſtinus, tota carnis Chriſti integritas apparuit. At citatrices ſunt deformitates in corpore. membrorum enim ſeriem continuam diuellunt. Quæ ſi è quo alio corpore tollendæ erant, B maximè è Chriſti corpore, è quo tamen non ſunt ſublatę. Vnde nec è reliquis corporibus tollētur. Deinde, ſi vera ſunt ea quæ à Scholaſticis dicuntur, quemque Martyrem habiturum laureolam & pœnæ notam & inſigne, qua Dominum in hac vita glorificauit, quomodo deformitates è piorum corporibus tollentur? Denique quorſum tandem euadet illud Pauli, Hoc corruptibile &c. Nam non eſt vera reſurrectio, niſi id reſurgat quod cecidit, De eccleſ. dogmat. cap. 77. Tertul. lib. 5. aduerſus Marcio. vbi de 1. epiſt. Pauli ad Cor. agit, annotat quoque hanc vocem, Hoc corruptibile.

3 *Et ſpiritualia.* Non erunt ſpiritalia corpora ſpiritus, ſed materiæ & ſubſtantiæ ratione, erunt corpora: conditionis autem ratione, & huius ſtatus in quo à nobis habentur comparatione, erunt ſpiritalia. Vide De fide ad Petr. capit. 29. eundem Auguſt. lib. De geneſ. ad liter. cap. 3. lib. 13. De ciui. Dei c. 23. Locus eſt apud Paulum 1. Cor. 15. ver. 44. Materia quidem prior corporum non redigetur in nihilum, ſed poſt reſurectionem nō viuet amC plius vita phyſica, ſed ſpirituali: non nutrietur, nō generabit ſicut nec ſpiritus: accendetur ſpiritu viuificante, ita vt functiones omnium animæ potentiarum ardeant Spiritu ſancto.

4 *Cæleſtia corpora.* Locus eſt apud Paulum 1. Cor. 15. v. 40. & ipſe Auguſtinus ſuprà c. 58. vocauit aſtra, corpora. Cælum & ſydera corpora ſunt, quanquam ab his terrenis differentia, & idcirco cæleſtia dicuntur: Auguſtinus lib. De geneſ. ad liter. opere imperfecto, c. 8. in fine.

5 *Dictum eſt.* Locus eſt 1. Corinth. 15. verſu 50. Hanc eandem obiectionem, quæ fuit hæreticis validiſſimum telum ad reſurrectionem oppugnādam, diſſoluit eodem modo Tertullian. in lib. De reſurrectione, Hoc non dici à Paulo de ſubſtantia carnis, ſed de vitio & qualitate, quam in hoc ſeculo habet caro noſtra.

6 *Ad ſubſtantiam.* Duo quæruntur, quia carnis ſubſtantia manet: quorum alterum eſt de colore, alterum de ſexu reſurgentium, vtrùm manebit in reſurgentibus. De colore dicit Auguſtinus lib. 22. De ciuitate Dei, cap. 19. ſic, Coloris porrò ſuauitas quāta erit, vbi iuſti fulgebunt ſicut ſol? De ſexu omnium patrum ſumma conſenſio eſt, manſurum eum eſſe. A Negauit tamen Origenes, vt docet vbique Hieronymus. Auguſtinus libr. 22. De ciuitate Dei c. 17, Qui ergo, ait, vtrunque ſexum inſtituit, vtrunque reſtituet. Nuptias Dominus negauit futuras in reſurrectione, non fœminas. De Eccleſ. Dogmat. cap. 77, idem traditur. Hieronym. in epitaph. Paulæ. Si autem ſexus & membra non fuerunt, vbi erit reſurrectio corporum, quæ ſine ſexu non conſtant, & membris? & poſtea, Quum igitur omnia membra habuiſſe dicatur (Chriſtus) neceſſe eſt, vt totum corpus habuerit, quod conficitur ex membris: non vtique femineum, ſed virile, id eſt, eiuſdem ſexus, in quo mortuus eſt.

7 *Caro appellatum.* Locus eſt Luc. 24. v. 39. Auguſtinus in epiſtol. 146. ad Conſentium, vbi ad omnia obiecta reſpondet.

8 *Concordia carnis.* Scholaſtici conſtituunt has quatuor conditiones & dotes corporum beatorū nempe, 1 impaſſibilitatem, 2 agilitatē, 3 claritatem, 4 ſubtilitatem: vbiquitatem tamen & inuiſibilitatem ſiue ἀορασίαν illis non tribuunt. Ex quo apparet fore vera corpora, non tamen incircumſcripta, non immenſa: ſed certis dimenſionibus ſuis definita, & certo loco comprehēſa. B Quod autem ait hîc Auguſtinus fore ſummam carnis cum ſpiritu in piis concordiam, verum eſt, quia omnis ἀταξία tolletur ex iis, &, vt ait alibi ipſe, ſpiritus hominis Deo piè ſubditus habebit feliciter ſibi ſubditum corpus, lib. 15. De trinitate. cap. 25. lib. 22. De ciuitate Dei, cap. 30. Idem ſpiritus ſine cibis, ſed vi ſibi à Deo data corpus vegetabit & in perpetuum conſeruabit, quia nō vita phyſica homo viuet, qualis nunc eſt, ſed vita ſpirituali, vt angeli. Et quod edit poſt reſurrectionē Chriſtus, nō ex vlla cibi & corporis indigentia id fecit, ſed vt probaret ſe verum habere corpus, non autem eſſe ſpectrum, & vt diſcipulis ſe ſuis accommodaret, Ioan. 21. v. 5.

CAP. XCII.

Damnatorum corpora qualia in reſurrectione futura ſint.

QVicunque verò ab illa perditionis maſſa quæ facta eſt per hominem primum, non liberantur per vnum mediatorem Dei & hominum, reſurgent C *quidem etiam ipſi vnuſquiſque cum ſua carne, ſed vt cum diabolo & angelis eius puniantur. Vtrùm ſanè ipſi cum vitiis & deformitatibus ſuorum corporum reſurgant*[1]*, quicunque in eis vitioſa & deformia membra geſtarunt, inquirendo laborare quid opus eſt? Neque enim* [2]*fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & ſempiterna damnatio. Nec moueat*[3] *quomodo in eis corpus erit incorruptibile ſi dolere poterit: aut quomodo corruptibile, ſi mori non poterit. Non eſt enim vera vita, niſi vbi feliciter viuitur nec vera incorruptio, niſi vbi ſalus nullo dolore corrumpitur. Vbi autem infelix mori non ſinitur, vt ita dicam mors ipſa non moritur: & vbi dolor perpetuus non interimit, ſed affligit, ipſa corruptio non finitur. Hæc in ſanctos ſcripturis ſecunda*[4] *mors dicitur.*

1 *Reſurgant.* In libro De fid. ad Petr. ita ſcribitur cap. 3. Habebunt ergo iniqui cum iuſtis reſurrectionem carnis communem, immutationis tamen gratiam non habebunt, quæ dabitur iuſtis, quoniam à corporibus impiorum non auferetur corruptio, & ignobilitas, & infirmitas, in quibus ſemi-

A ſeminatur, quæ ob hoc non morte extinguentur, vt illud iuge tormentum corpori atque animæ ſit mortis æternæ ſupplicium. Hactenus ille. Certè fore diſsimilem piorum ab impiis conditionem & vitæ ſtatum, veriſſimum eſt. Piorum enim vita beata erit: impiorum autem infelix. Vtrorumque tamen erit duratio & ὕπαρξις ſiue exiſtentia perpetua & ſempiterna. Vnde impiorum corpora incorruptibilia erunt & immortalia. Et quod ait Paulus 1. Co, 15. Corruptibile hoc induet incorruptionē, generaliter de omni humano corpore dictum eſt, non autem duntaxat de ſolis beatorum hominum corporibus, quę reſurgent. Quemadmodum enim Chriſtus dum viueret, humanam carnem habuit omnibus hominibus & piis & impiis communem & ſimilem, excepto peccato: ita poſt reſurrectionem in ſuo corpore oſtendit qualis futura ſit omnium humanorum corporum cōditio. Ita quoque ſentit Irenæus lib, 2. cap. 62. Sed hanc ſempiternam corporum durationem beati in reſurrectionem vitæ: impij in reſurrectionem iudicij habebunt. Daniel. 12. Sed tamen immutationem cor- B porum in melius putabant Patres in ſolis piis fore, quia dixit Iſaias 66. v. 24, Erunt impij dedecori omni carni. Et Paulus 1. Corin. 15. v. 52. Nos immutabimur: id quod ad ſolos fideles & pios referebant. Itaque & v. 51. ita legebant, Ecce myſterium vobis dico, omnes quidē reſurgemus: vel (vt quidam Græci codices habent) omnes quidem dormiemus, non tamen omnes immutabimur. Ita Auguſt. in epiſt. 146. ad Conſenti. Hierony. tom. 3. epiſto. ad Minetium & Alexandrum admonet de illa varia lectione, & hunc locum explicat latiſsimè. In quo apparet quàm vitioſos olim codices habuerint patres, vel vt ſint memoria lapſi. Omnino enim & aliud & aliter legitur in Gręcis codicibus, & legendū quoque eſſe docet mēs Pauli, ſic nēpe, ἰδοὺ, μυστήριον ὑμῖν λέγω, πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δ' ἀλλαγησόμεθα, id eſt, Ecce myſterium vobis dico, non omnes quidem obdormiemus, omnes tamen mutabimur. Quæ verba contrariam planè ſententiam continent quàm habeat Auguſtinus, & docent aliud omnino ſtatuēdum, quàm quod patres voluerunt, nimirum omnes & pios & impios eſſe C mutandos quoad corporum conditionem. Quin imò mutationis illic vox aliò pertinet, quàm vt doceat Paulus, qualis futura ſit corporum conditio. Diſtinguit enim Paulus eorum qui reſurgent mutationem in duo genera. Alij enim morte ipſa & reali animæ à corpore ſeparatione priùs interitum patientur: alij autem repentina tantùm & ſubita quadam mutatione, quæ ſtatim & in oculi nictu fiet. Itaque hic codicū error alterum illum peperit quem ſecuta eſt tota illa ætas, vti diximus.

2 *Nec enim fatigare.* Vti in Symbolo Apoſtolico de pœnis damnatorum nihil commemoratū eſt, ita nihil nos tenere debet anxios: quid impij ſint futuri, & quales. Erunt miſerrimi. Magis quęſitum eſt de brutis animantibus, quid iis ſit euenturum: & in lib. De fide ad Petr. cap. 3. ita reſpondetur, Illa præſentis ſeculi curſum & ornatum ſecundum creatoris incomprehenſibilem peragunt voluntatem, quæ de ſuis factis nullam ſunt rationem reddituræ, quia irrationabilia ſunt, & in iis vnà cum corpore anima interit, Pſa. 49. Itaque nō reſurgēt, neque reditura ſunt. Auguſt. li. 2. de Symbol. ad Catechumen. cap. 11. Reſurrecturam eſſe omnem carnem, rationalem ſcilicet creaturam, fideliter teneamus. A Neque enim de pecudibus, vel cæteris animantibus, quibus nō eſt attributa imago creatoris, fas eſt nobis diſputare. Iſta enim omnia ad vſus noſtros creata eſſe cognoſcimus. Ac ne illa quidem, quibus Dominus vſus eſt ad ſuorū ſubleuationem & ſalutem reſurgent. Bernard. lib. de Gra. & lib. Arbit. Vtitur ergo Deus in ſalutem ſuorum irrationabili & item inſenſibili creatura tanquam iumento, vel inſtrumento, quæ iam expleto opere, nuſquam erunt. ſed nec homini ſocia erunt bruta ad perferenda gehennæ tormenta. Sermo. 35. Cantic. Canti. Sic eſt accipiendum dictum Pauli Rom. 8. ver. 22. & lib. De eccleſiaſt. dogmat. cap. 17. lib. 2. Contra Pelag. cap. 40. hæc ſententia confirmatur.

3 *Nec moueat.* De hoc ipſo agit Auguſtinus lib. 21. De ciuitate Dei cap. 2. & 3. & nos infrà in loco De pœnis damnatorum agemus. Hinc mouentur qui putant impiorum corpora in reſurrectione non eſſe mutanda, quòd illa patiētur quoſdam cruciatus. Sed facilis reſponſio eſt. Nam genus illud pœnæ & cruciatus, qui tunc futurus eſt B in damnatis, aliud erit ab eo dolore quem hîc agētes ſuſtinemus, & per quem corpora noſtra ſenſim tabeſcunt, & demum conficiuntur. Erit igitur ille dolor quidem, ſed alterius generis, & imprimis ex flagello & dolore conſcientiæ orietur.

4 *Secunda mors.* Locus eſt in Apocaly. cap. 20. ver. 14. Mors prima, mors corporis dicitur. Mors ſecūda, mors animæ, quæ eſt priuatio amoris Dei. Eſt enim ſenſus iræ eius in nos acerbiſsimæ. Bernard. in ſermo. 10. in Pſalm. Qui habitat. Vera animæ vita Deus eſt: & inter hæc quoque ſeparat malum, ſed malum animæ, quod non eſt aliud quàm peccatum.

CAP. XCIII.

Quorum damnatorum pœna futura ſit mitiſsima poſt reſurrectionem.

C *Nec prima [1] tamen mors, qua ſuum corpus anima relinquere cogitur: nec ſecunda, qua pœnale corpus anima relinquere non permittitur: homini accidiſſet, ſi nemo peccaſſet. Mitiſſima ſanè omnium pœna erit eorum [2], qui præter peccatum quod originale traxerunt, nullum inſuper addiderunt & in cæteris quæ addiderunt tanto quiſque tolerabiliorem ibi habebit damnationem, quanto hîc minorem habuit iniquitatem.*

1 *Nec prima.* Anima & corpus mori dicitur, diuerſo tamen ſenſu & ſignificato. Mors animæ, nō eſt ipſius exterminatio, ſed eſt animæ impietas. Mors corporis, eſt illius diſſolutio & corruptibilitas. Auguſt. libr. 4. de Trinit. cap. 3. lib. 12. de Geneſ. cap. 2. 6. 35. 36. De Eccleſ. dogmat. capite 16. 18.

2 *Eorum.* Velut infantium. Lombard. tranſcripſit hoc caput, lib. 2. diſt. 33.

CAP. XCIIII.

DE VITA ÆTERNA.

Sanctos in vita æterna, quæ illis Dei miſericordia continget, pleniſſimè Dei gratiam eſſe percepturos.

A *Remanentibus itaque Angelis & hominibus reprobis in æterna pœna, tunc[1] ſancti ſcient plenius quid boni illis contulerit gratia. Tunc rebus ipſis euidentibus apparebit quod in Pſalmo ſcriptum eſt[2], Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine: quia niſi per indebitam miſericordiam[3] nemo liberatur, & niſi per debitum iudicium nemo damnatur.*

1 *Tunc ſcient.* Hic eſt vltimus Symboli Apoſtolici articulus, Vita æterna, qui à ſuperiore diſtinctus eſt, etſi in libr. De fid. & Symbol. & in Agone Chriſtia. cum ſuperiore confunditur. Nam vita æterna eſt vltima meta nobis propoſita: Reſurrectio autem carnis, via ad eam aſſequendam neceſſaria. De vita autem æterna ſuprà diſputatū eſt. Hîc qualis ſit, obiter explicabitur & breuiſſimè: pleniùs autem Apocalypſ. 21. & 22. Huius Dei promiſſionis ſenſus aliquis & obſcura quædam memoria etiam inter ethnicos manſit, quādo illi campos Elyſios probis viris ex hac vita decedentibus aſſignarunt, veluti Homerus libro 4. Odyſſ.

> Αλλὰ σ' ἐς ἠλύσιον πεδίον ϗ πείρατα γαίης
> Αθάνατοι πέμψουσιν.

Quem locum etiam poſtea commemorauit Vergil. libro. 6. Æneid. & M. Tul. Cicero. Tuſcul. primo B & ante hos Plato in Phædone. Quod putat Tertullian. fuiſſe antiquiſſimum beatæ vitæ veſtigium in eorum animis inhęrens, li. 4. aduerſ. Marcio. Certè huius vitæ æternæ pulcherrimè etiam Plutarchus meminit in libro De facie quæ in orbe lunæ apparet. vbi duo illius genera ex Platonicorum ſententia diſtinguit. Vnum vitę plenè perfectéque beatæ, quam βίον θεῖον & μακάριον appellat: alterum vitæ quidem beatæ, ſed nondum perfectę quam nominat tantùm χάραν, id eſt, gaudium. Solis autem beatis Angelis & fidelibus hominibus cōtingit vita beata. Brutis autem non poteſt. quia intelligentia carent, vt eſt in libr. de fid. ad Pet. ca. 24. Neque etiam eadem vita continget impiis hominibus, vel diabolis, quia ſunt in æternum damnati. Hæc vita qualis & quanta ſit, declarat Berna. Sermo. 31. Cantic. Quod tunc apparet vt inuariabile in ſe eſt: ita inuariabiliter intuentibus præſto C eſt: & quibus apparet, nihil videre deſiderabilius volunt: nihil poſſunt delectabilius. Quomodo ergo illa vel faſtidiet auiditas, vel ſe ſubtrahet ſuauitas, vel fraudabit veritas, vel deſinet æternitas? Quod ſi in æternum extenditur videndi copia pariter & voluntas, quomodo non plena felicitas? Nihil quippe aut deeſt ſemper videntibus: aut ſupereſt, ſemper volentibus. Declarat Auguſt. libro De ſpirit. & lite. cap. 22. his verbis. Quid hoc bono melius, quid hac felicitate felicius, viuere Deo, apud quem eſt fons vitæ, & in cuius lumine videbimus lumen? Quod autem ait Auguſt. pleniſſimè tunc nos eſſe fruituros Dei gratia, & ſenſuros quanta ſit, veriſſimum eſt. Declarat Lyranus in Ioan. Euangel. ca. 6. Is ſtatus eſt vita æterna, vt faciat tunc Deus vt videamus quod credidimus: manducemus quod eſuriuimus: habeamus quod amauimus & & deſiderauimus. Conſentit enim cum dicto Pauli 1. Corinth. 13. Videbimus facie ad faciem. Nec tamen æqualiter omnes, vt vult idem De inquiſition. Trinitat. videbimus. Cognitio autem hæc noſtra ad Deum refertur quem cognoſcemus, non autem ad hæc terrena, quę nec cognoſcere appetemus. Nam quod ait Auguſtin. fore vt inuicem nos agnoſcamus, Sermon. 152. de A Temp. planè incertum eſt. Quod item libr. 22. de Ciuita. Dei capit. 29, putat nos in ipſis rebus viſibilibus, cœlo & terra, viſuros eſſe Deum ipſum præſentem quaquauerſum oculos circunducemus atque adeò per ipſa corpora noſtra clariſſima perſpicuitate, planè eſt audax definitio & non ſatis firma.

2 *In Pſalmo.* Locus eſt Pſ. 101. v. 1. cui conſentit Pſ. 89. v. 1.

3 *Miſericordiam.* Vita beata non eſt merces operum noſtrorum, ſed gratuitum Dei donum, vt ait Paul. Roma. 6. v. 23. Eodem ſenſu Præmium appellatur, libr. 1. De Eccleſ. morib. capit. 25. quia promiſſum eſt, non quia debitum eſt. Mera enim Dei gratia datur, lib. De fide ad Petr. cap. 3. in fi. & qui aliter ſentiunt philoſophi, nimirū virtute propriæ voluntatis eam haberi, damnantur ab Auguſtin. epiſt. 106. ad Pauli. Atque hinc ſcholaſtici qui eam meritis tribuunt intelliguntur planè non tantùm Scripturæ ſacræ repugnare, ſed etiam huic Auguſtini loco, & illi qui eſt libr. 22. de Ciuita. Dei, cap. 3. & ad Artic. falſò impoſi. reſponſ. 2. Quod multi pereunt, pereuntium eſt meritum: quòd multi ſaluantur, ſaluantis eſt donum. Etſi totum ambitum beatæ vitæ non cadere ſub merito, B veritate ipſa tandem victi & compulſi Scholaſtici dixerunt.

CAP. XCV.

In vita æterna nos eſſe intellecturos, cur hi potius quàm illi à Deo fuerint electi.

Tunc[1] non latebit ([2]quod nunc latet) cùm de duobus paruulis vnus eſſet aſſumendus per Dei miſericordiam, alius per iudicium relinquendus (in [3] quo is, qui aſſumetur, agnoſcet quid ſibi per iudicium deberetur, niſi miſericordia ſubueniret) cur ille potius, quàm iſte fuerit aſſumptus, cùm cauſſa vna eſſet ambobus. Cur apud quoſdam non factæ ſint virtutes, quæ ſi factæ fuiſſent, egiſſent illi homines pœnitentiam: & factæ ſint apud eos, qui non fuerant credituri. Apertiſſimè nāque Dominus ait[4], Væ tibi Corazim, Væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, C quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitētiam egiſſent. Nec vtique Deus iniuſtè noluit ſaluos fieri, cùm poſſent ſalui eſſe, ſi vellent. Tunc in clariſſima luce ſapientiæ videbitur, quod nunc piorum fides habet, [5] quàm certa, & immutabilis, & efficaciſſima ſit voluntas Dei: quàm multa poſſit, & non[6] velit, nihil autem velit, quod non poſſit: quàmque ſit verum quod in Pſalmo canitur[7], Deus autem noſter in cœlo ſurſum, in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit. Quod vtique non eſt verum, ſi aliqua voluit, & non fecit, & (quod eſt indignius) ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impediuit. Non ergo fit aliquid, niſi Omnipotens fieri velit, vel[8] ſinendo vt fiat, vel ipſe faciendo.

1 *Tunc non latebit.* Vlterius progreditur Auguſt. vt etiam cenſeat pios cognituros eſſe, cur hi ſalui fiant, illi non item. Reſpexit & in animo habuit Auguſtinus locum Danielis & Apocaly. 20. ver. 12. vbi dicitur, Et libri aperti ſunt: ſed illi libri opera hominum, non rationem electionis Dei & conſilij continebunt, vt ibidem dicitur. Certè rectè Scholaſtici dicunt beatitudinis piorum eſſentiam

A tiam eſſe actum intellectus cognoſcentis Deum. Ergo propriè & immediatè, mens, voluntas & cognitio piorum in Deum ipſum feretur, non in aliud quicquam. Ipſe enim Deus erit omnia in piis omnibus, 1.Cor.15.v.28. Apocalyp.21.v.23. Neque in arcana illa Dei conſilia & ſecreta pij penetrare volent, quicquid dicat Auguſt. hoc loco, & longè ſatius eſt ab hoc toto quæſtionum genere abſtinere, quàm de iis quicquam temerè velle definire. Nam quod alij volunt, nos in Dei vultu tanquã ex reflexione ſpeculi eſſe intuituros omnia, planè inſulſum eſt, & Deo nimis blaſphemè vultũ & corpus tribuit.

4 *Quod nunc latet.* Puto eſſe gloſſema, vti totus hic locus & diſpunctionum perturbatione & temporum mutatione variè in impreſsis corruptus eſt. Inducere tamen non ſum auſus. Hoc autem nunc latere nos, cur hic potiùs quàm ille è paruulis fiat ſaluus, docet ipſe epiſt. ad Sixt. Roma. pontif. 105. Quid, ait, dicam de inopinatis & repentinis mortibus, quibus ſępe etiam Chriſtianorum infantes præueniuntur, & baptiſmo priuantur? B Item Ambroſius li.1. De vocatione gentium, cap.5.

3 *In quo.* Sic in impreſsis, In quo is qui aſſumeretur, agnoſceret: planè obſcurè, propter præteriti pluſquam perfecti ſignificationem, quæ ab aliquo ſcriba ex futuro inducta eſt, propterea quòd ſequitur eodem modo & tempore, Deberetur & ſubueniret. Sed reformandum eſt in verba futuri temporis totum hoc genus dicendi, vt fecimus. Sic enim plana erit mens Auguſt. Hìc autem vult non tantùm nos ipſos eſſe cognituros, cur è duobus paruulis hic potiùs, quàm ille à Deo eligatur: ſed & cum ipſum paruulum electum à Deo eſſe quoque intellecturũ, quàm iuſtè Dei iudicio damnaretur, niſi miſericordia ſubueniret & condonaret delicta. Ratio eſt quòd ex Auguſtini mente infantis anima in cœlo non erit, vt hìc eſt ipſius corpus infirmum, ſic ipſa imbecilla & infirma, ſed capax cognitionis & iudicij Dei, & miſericordiæ in ſeſe. Sed etiam lib.22. de Ciuita. Dei, cap.14. ſcribit infantes eſſe reſurrecturos ea corporis forma & ſta- C tura quæ temporis & ætatis acceſſu erat aduentura. Illud præclarè ſentit Auguſt. in lib. De Præſcien. Dei ad Dar. ca.12. etiam in paruulis electis habitare Spiritum Dei, quanuis ipſi neſciant, vti neque tunc ſciunt ſe mentem habere. Paruuli autem gratia ſaluantur, vt adulti: ibid. ca. 11. li. De peccator. merit. 1. c.29. Vide epiſto. ad Bonifac. 25. Tamen vtrum fidem habeãt cùm baptizantur infantes diſputat Bernard. epiſto. 77. Non quod, ait, vel ipſi, quando baptizantur, fide omnino careant, ſine qua impoſsibile eſt vel ipſos placere Deo: ſed ſeruantur & ipſi per fidem, nõ ſuam, ſed alienam. Nec enim omnipotentis iuſtitia propriam putat ab his exigẽdam fidem: quos nouit propriam nullam habere culpam. Nec dubium eſt quin macula contracta ab aliis, aliorum quoque fide valeat vel debeat emundari. Hæc ſunt quippe iudicia diuinæ iuſtitiæ. Hæc Bernard. Idem ſerm.5. Cantic. Miraculo eos ſeruari ait. Verior tamen eſt illa Auguſtini ſententia, Electos Dei etiam infantes nec fide propria carere, quæ nondum operibus externis ſe patefacere poteſt in omnibus, vt in Ioanne Baptiſta.

4 *Væ tibi.* Locus eſt apud Matth.11. ver.21. & ſeq. A Quem locum ipſe Auguſt. lib.2. De bono perſeuerant. cap.9. & 10. explicat, & cuiuſdam non ignobilis diſputatoris catholici ſentẽtiam, qui rationem afferre conatus erat, irridet. libr.1. de Prædeſtinat. Sanctor. cap.9. idemait. vnde conſtat magnam eſſe gratiam, quòd plurimi liberantur. Cur autem iſtum potiùs, quàm illum liberet, inſcrutabilia ſunt iudicia eius. Item ſerm.233. In hunc autem locum digreditur Aug. vt muniat ſuum Laurẽtium, quia vexata tunc temporis fuit quæſtio de electione, prædeſtinatione, & omnipotentia Dei.

5 *Fides habet.* In impreſsis addita ſũt hæc verba, Antequam mauifeſta cognitione videatur: quę planè ſunt gloſſema. itaque vt aliena verba ſuſtuli. Retineat tamen qui volet.

6 *Et non velit.* Dicitur Deus multis de cauſsis Omnipotens, quia cogi non poteſt, Iob.9. ver.12. Dicitur omnipotens, quia quæ vult facit omnia, neque quiſquam poteſt impedire, Iob.42. verſu 2. Vnde rectè Tertullia. aduerſ. Praxeam voluntatẽ à potentia diſtinxit, quia non quicquid poteſt Deus, id vult fieri. Aug. tamen rectè lib.9. de Gen. ad liter. cap.17. Non eſt temeraria, ait, Dei potentia, B ſed ſapientiæ virtute omnipotens eſt. Ergo ex patrum ſententia, non alia Dei omnipotentia nobis cogitanda eſt, quàm quę cum illius & volũtate & ſapientia congruit, quoties aliquid ab eo factum eſſe dicimus: & de Actuali Dei potentia, non autem de Abſoluta agimus, vt alicubi etiam ſcripſit Thomas Aquinas. Neque enim idcirco Deus dicitur omnipotens, quòd facturus ſit quæcunque temeraria hominum & vana cogitatio cõceperit, & fieri voluerit, qualis eſt Tranſſubſtãtiatio. Hoc ex Auguſtino. De lit. & ſpiritu, capite 11 colligi facilè poteſt. Nec obſtat noſtræ ſententiæ dictum Pauli Epheſ.3. verſ.20, Deus facit ſupra ea, quę mente concipimus. Verum eſt enim illud, quoties noſtra cogitatio illius voluntati & ſapientiæ conſentanea eſt, & conſentiens. Vide Lombard. lib.1. diſt.42. c. Sed ad hoc.

7 *In pſalmo canitur.* Locus eſt Pſal.115. v.3. vbi vetus lectio recedit ab Hebræis.

8 *Vel ſinendo.* Hunc locum tranſcripſit bis Lombard. libr.1. diſt.45. cap. Permiſſio. & diſt. 46. cap. Nunc videre. Nam ex hac Auguſtini ſententia putant diſtingui poſſe. C

inter Dei
Voluntatem efficientem aliquid.
Permiſſionem nudè ſinẽtem aliquid fieri.

Ergo vocant voluntatem Dei, eam quæ efficit aliquid. Permiſsionem autem eam quæ tantùm ſinit aliquid fieri, ipſa autem non facit, veluti peccata hominum. Certè dubitari non poteſt, quin vbique Auguſtinus execretur Manichæorum & eorum errorẽ, qui Deum mali & peccati autorem faciũt. Nam, vt ipſe ait libr.3. de liber. arbit. cap.4, Quorũ Deus non eſt autor, eorum eſt iuſtus vltor. Vnde idem lib. de gratia Noui teſtamenti, cap.19, Non omnia quæ Deus prædicit, permittit, nec omnia quæ præuidet, facit. Eſt quidem vitiorum noſtrorum ordinator, cùm illis bene vtitur, non autem autor aut mandator. Idem de Geneſ. ad liter. imperfect. cap.5. Et cùm patres has dicendi formas explicarent, Indurauit Deus cor Pharaonis: ita interpretabantur, non quòd caſus ruentium, & malignitatem iniquorum, & cupiditates peccantium prædeſtinatio Dei excitaſſet, ſuaſiſſet aut impuliſ-

A ſet.10.artic.falſò Auguſt.impoſit.ſed in Deo nolle miſerari, eſt obdurare,aiunt,non quidem impertiēdo aliquid mali,quo ſit homo deterior:ſed tantùm non erogando,quo ſit melior. Ita quoque idem ad Simplicia.lib.1.Quæſt.2. Alibi idem interpretatur, Indurat Deus,quia mala merita eorũ præceſſerunt,veluti lib.De grat. & libe. arbitrio. cap.21. Ergo apparet cur ita patres loquebantur, Permittit vel ſinit Deus peccata fieri: nimirum vt omnem Dei accuſandi anſam impiis & peccatoribus præciderent. Aliam etiam rationem afferebant, quòd peccati & priuationum defectúſque naturarum nulla cauſſa efficiens quærenda eſt: ſed potiùs deficiens. Permittendi verò aut ſinendi verbo non vtebantur, vt aliquid omnipotentiæ Dei ſubtraherent: & quòd ſine vel præter eam aliquid omnino vel tãtillum fieri poſſe vellent. Nam ait apertè Auguſtinus ipſe De gratia & libero arbitr.ca.21.Deum operari in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit,ſiue ad bona pro ſua miſericordia,ſiue ad mala pro meritis eorum. Et alibi B ipſe, Non fit præter Dei voluntatem, ait, quod fit contra Dei voluntatem. At qui Permiſsionem nudam Dei inducunt & retinent hodie in ſcholis, eo ſenſu accipiunt, vt in iis rebus nulla ſit voluntatis Dei efficientia, vt ipſi loquuntur,ſed nuda tãtùm & ſola,tanquam obdormientis & non curantis Dei permiſſio. Quæ ſententia maximæ huius mundi partis adminiſtrationem Dei prouidentiæ & omnipotentiæ detrahit.Itaque veram manifeſtámque blaſphemiam continet, cõtráque Auguſtini mentem illi ſentiunt, vt apparet ex ſequenti capite & infrà 101. quanquam non diffiteor vocabulis εἴασεν ϗ ἀφῆκεν vſum eſſe ipſum adeo Sp.Sanctum.Actor.14.v.16.& 17.

DE OMNIPOTENTIA DEI.

CAP. XCVI.

Deum omnipotentem dici,quòd omnia quæ ſunt, eius voluntate ſunt, neque ipſe ab vlla creatura impediri poſsit.

NEc dubitandum eſt[1] *Deum facere bene, etiam ſinendo fieri quæcunque malè. Non enim hoc* C *niſi iuſto iudicio ſinit. Et profectò bonum eſt omne quod iuſtum eſt. Quamuis ergo ea quæ mala ſunt, inquantùm mala ſunt, non ſint bona: tamen vt non ſolùm bona, ſed etiam ſint & mala, bonum eſt. Nam niſi eſſet hoc bonum, vt eſſent & mala, nullo modo eſſe ſinerentur ab omnipotente bono. Cui procul dubio quàm facile eſt quod vult facere, tam facile eſt quod non vult eſſe, non ſinere. Hoc niſi credamus, periclitatur ipſum noſtræ fidei confeſſionis initium, qua nos in Deum Patrē omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens,*[2] *niſi quia quicquid vult poteſt, nec voluntate cuiuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

1 *Nec dubitandum eſt.* Occupatio eſt, ne propter ſuperius dictum(,nempe Deum ſinere quædam fieri,qualia ſunt peccata) videatur Auguſt.iis aſſentiri,qui Deum mali & peccati authorem cõſtituunt,quales Manichæi.Reſpõdet enim,Et hæc ipſa eſſe bonum eſt, quãquam mala quatenus mala,non ſunt bona.Ex quo apparet Auguſt.de malis culpę agere. Sed de hac tota quæſtione ſuperiùs actum eſt ſatis.

2 *Vocatur omnipotens.* A Græcis Deus dicitur αὐτοκράτωρ à ſũmo iure in omnia: Ab Hebræis שדי ab effectu,quod validè omnia vaſtare & euertere A poteſt.Eſt autē ſic à Ruffino definita Dei omnipotētia in expoſit.Symboli, Omnipotētia Dei eſt in omnia tã terrena quàm cæleſtia imperiũ ſũmũ,liberrimũ,& ęternũ. Summũ dicitur,à quo prouocare ad maius tribunal non licet. Liberrimũ, quod nullis,præter ipſius volũtatē,legibus coercetur.& quod operatur ſicut vult, & quando vult,& quomodo vult. Æternum quod illi adimi non poteſt. Quòd tamen appellatur omnipotētia Dei, Imperium,non eò pertinet tanquã iuſſus tantùm penes Deũ ſit, non autē vis ipſa & agendi & exequendi, quã appellat Paulus ἐνέργειαν vel δύναμιν ἐνεργουμένην ἐν ὑμῖν, Eph.3.v.20. Vtrunque enim penes Deum eſt, imò eatenus cætera agũt,quatenus à Deo per ſingula momēta impellũtur. Neque enim Dei omnipotentia eſt tantùm authoritas quædã imperandi: ſed vis ipſa operans & efficiens ſingula in ſingulis. De hac autem omnipotentia quæritur qualis ſit. Cui quæſtioni breuiſſimè & facillimè reſponderi poteſt hac diſtinctione, omiſsis lõgiſſimis & intricatiſſimis aliorũ diſputationibus. Si per ſe quidē B ſpectetur, eſſe infinitũ & ἁπλῶς omnia poſſe: ſi quatenus illa nobis credēda eſt, cogitandã à nobis eſſe κατά τι, & finiendã ipſius voluntatis terminis. i. eatenus quatenus eius voluntati & ſapientiæ cõſentit. Nec propterea facimus Deũ tantùm multipotētem,& non omnipotentē,vt quidã criminãtur, quia quòd quædam non poſſe dicitur Deus,veluti factum infectũ reddere,id non ex impotentia vlla,quæ ſit in Deo, euenit:ſed ex ſũmo ſapiētiæ illius decreto,quæ ita eas res fixit & ſtatuit vt aliter eſſe nolit.Sic Aug.li.9.de Gen.ad liter,cap.9.Quæ enim apertam contradictionē in ſeſe continēt,fieri non poſſunt,ne ſit ſibi Deus contrarius, i.incõſtãs,mēdax,& euertat ipſe,quæ eſſe & manere voluit.Aug.li.26.cõtra Fauſt.c.5.Qui dicit,Si omnipotens eſt Deus, faciat,vt quæ facta ſunt,facta nõ fuerint,non videt hoc ſe dicere,ſi omnipotens eſt Deus,faciat vt ea quę vera ſunt,eo ipſo,quod vera ſunt,falſa ſint.Itē contra Sermon.Aria.c.14. Hoc autem quia non poteſt,non deficienter nõ poteſt: ſed potenter: támque laudabile eſt omnipotentē non poſſe mutari:quàm laudabile ꝙ omnipotens C non poteſt mori.Anſel.li.2.Cur Deus homo.c.17. Quoties dicitur Deus non poſſe,nulla negatur in eo poteſtas, ſed inſuperabilis ſignatur potentia & fortitudo:ſola igitur Dei voluntas hoc facit, quæ veritatem ſemper (quia ipſa veritas eſt) immutabilem,ſicut eſt,eſſe vult. Deniq; ipſi Scholaſtici aiunt Potentiã Dei abſolutam nihil facere quod Entis rationi aduerſatur.Hæc infinitos nodos,qui ab imperitis nectuntur,diſſoluũt & incidũt. Vide Lombar.li.1.diſt.46.ca.Qui enim.& diſtin.42.43.

DE GRATIA ET PRAEdeſtinatione Sanctorum.

CAP. XCVII.

Quæſtio, vtrum quædam Deus velit, quæ facere & exequi impediatur ab hominibus.

QVamobrem videndum[1] *eſt quemadmodum ſit de Deo dictum quia & hoc Apoſtolus veriſſimè dixit*[2]*, quia omnes homines vult ſaluos fieri, Cùm enim non omnes, ſed multò plures non fiunt ſalui, videtur vtique non fieri quod Deus vult fieri, humana ſcilicet voluntate impediente voluntatem Dei. Quando enim quæritur cauſſa, cur nõ omnes ſalui fiãt, reſponderi ſolet, quia hoc ipſi nolunt. Quod quidē de paruulis dici*

non

A *non poteſt,quorum nullum eſt velle ſeu nolle.Nam quod infantili motu faciunt.ſi eorum volũtati iudicaretur eſſe tribuendum,quando baptizantur , cùm reſiſtunt quantum poſſunt etiam nolentes ſaluos eos fieri diceremus. Sed apertiùs Dominus in Euangelio compellans impiam ciuitatem , Quoties , [3] inquit,volui colligere filios tuos, ſicut gallina pullos ſuos, & noluiſti? tanquam Dei voluntas ſuperata ſit hominum voluntate, & infirmiſſimis nolendo impedientibus , non potuerit facere potentiſſimus,quod volebat. Et vbi eſt illa omnipotentia, qua in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit , fecit,ſi colligere filios Hieruſalem voluit, & non fecit? An potius & illa filios ſuos ab ipſo colligi noluit,ſed ea quoque nolente filios eius collegit ipſe , quos voluit , quia in cœlo & in terra non quædam voluit,& fecit : quædam verò voluit, & non fecit,ſed omnia quæcunque voluit fecit?*

1 *Quamobrem videndum.* Duobus locis reſpondet Augu. qui aduerſus Dei omnipotentiam obiici poſſunt,& certè ſolebãt,quia illa ab ethnicis variè agitata eſt & irriſa, qualis quámque abſoluta à Chriſtianis hominibus prædicatur. Et quòd etiam quæ de Sanctorum electione in B eccleſia docerentur,parum cum Dei omnipotentia viderentur conuenire. Itaque ex profeſſo hunc locum ingreſſus eſt Augu. vt in eo argumento quid eſſet ſequendum apertè definiret in hoc maximè libello,quem fidei & totius doctrinæ Chriſtianæ Enchiridion & compendium eſſe voluit. Imò verò etiam poſtea vexata verſatáque quæſtio fuit de Dei omnipotentia inter Scholaſticos,cùm alii dicerent Deum nihil poſſe , niſi quod faceret vel iã feciſſet. Alij nihil Deum poſſe , niſi quod vellet,neque latiùs aut ad plura patere Dei omnipotentiam per ſeſe, quàm voluntatem ipſius patefactam. Alij denique nihil Deum poſſe,niſi quod diceret. Certè Deum plura poſſe,quàm velit, id eſt nobis patefecit & quotidie facit , apertè docet Scriptura Matth.26.verſ.53. Addunt denique etiã poſſe Deum aliud velle , quàm vult , ita curioſè & minutatim iſta conquirunt,veluti Lombard.lib.1. diſt.43.ca.His autẽ. Veriſſima autẽ huius loci ſolutio eſt , quòd vox, *volui*, non deſignat arcanam illam Dei voluntatem,quæ beneplaciti dicitur, vt tamen Scholaſtici cenſent. Illa enim ſemper C impletur.Sed ſignificat voluntatem illã Dei quæ per externum Prophetarũ miniſterium declarata eſt, per quam Deus homines ad ſe inuitat.Hæc autem ſæpe contemnitur ab hominibus,& ideo non ſemper fit.Hæc vocatur voluntas Signi. Obiici etiam alij loci Scripturæ poſſunt , qualis ille Geneſ.19, Non poſſum quicquam facere,donec exeas: & alij ſimiles loci plures : ſed reſpondet Auguſt. contra 2.Gaudent.epiſto.cap.22,Non poſſe ſe dixit,quod ſine dubio poterat per potentiam , ſed non poterat per iuſtitiam , quia poterat quidem , ſed non volebat,& illa voluntas iuſta erat. Quod ad alia paria argumenta reſpondendum eſt.

2 *Veriſſimè dixit.*Locus eſt 1.Timot.2.verſu 4. quem ſe variis ſuis opuſculis explicaſſe teſtatur Auguſt.lib.De correptio.& grat.ca.14.ſed in alio argumento,in eo nempe vbi non de omnipotentia,ſed electione Dei agit.Obiici enim ſolebat ab iis,qui vt electionem ſanctorum euerterent,dicebant,Deum eſſe acceptorem perſonarum. Itaque li.6.Hypognoſt.& ad Vitalem epiſt.107.& ad Sixtum epiſt. 105.& in libris vbi de prædeſtinatione & gratia Dei agit , ſæpiſſimè tractat hunc locum. A Ambroſius,ſiue quis alius eſt author libelli de vocatione gentium,libr.1.cap.5.& libro 2.hunc eundem quoque locum exponit.& affert.

3 *Quoties inquit.* Locus eſt apud Matth.23. verſ.37.

CAP. XCVIII.

Etſi Deus malas hominum voluntates poteſt ad ſe , quando vult,conuertere,tamen cùm eas nõ conuertit , iuſtè facit : & cùm eas conuertit ad ſe,mera ſua gratia & miſericordia id facit.

QVis [1] porrò tam impiè deſipiat , vt dicat Deum malas hominum voluntates,quas voluerit,quando voluerit , vbi voluerit , in bonum non poſſe conuertere? Sed cùm facit , per miſericordiam facit: cum autem non facit,per iudicium non facit [2],quoniam cuius vult miſeretur,& quem vult,indurat. Quod cùm diceret Apoſtolus,gratiam commendabat , ad cuius commendationem de illis in Rebeccæ vtero geminis fuerat iam locutus : quibus [3] nondum natis , nec aliquid B agentibus boni ſeu mali , vt ſecundum electionis propoſitum Dei maneret , non ex operibus , ſed ex vocante , dictum eſt ei , Quia maior ſeruiet minori. Propter quod adhibuit alterum Propheticum teſtimonium , vbi ſcriptum eſt , [4] Iacob dilexi , Eſau autem odio habui. Sentiens autem quemadmodum poſſet hoc, quod dictum eſt, permouere eos,qui penetrare intelligendo non poſſunt hanc altitudinem gratiæ,Quid ergo dicemus?ait. Nunquid iniquitas [5] eſt apud Deum? Abſit.Iniquum enim videtur,vt ſine vllis bonorum malorúmve operum meritis [6],vnum Deus eligat,odiátque alterum. Qua in re ſi futura opera vel bona huius, vel mala illius , quæ Deus vtique præſciebat,vellet intelligi,nequaquam diceret, non ex operibus , ſed diceret , ex futuris operibus, eóque modo iſtam ſolueret quæſtionem , imò nullam , quam ſolui opus eſſet, faceret quæſtionem. Nunc verò cùm reſpondiſſet , Abſit, id eſt, Abſit vt ſit iniquitas apud Deum , mox vt probaret nulla hoc iniquitate Dei fieri, inquit , Moſi enim dicit , Miſerebor [7] , cui miſertus ero , & miſericordiam præſtabo , cui miſericors fuero. Quis enim , niſi inſipiens , Deum iniquum putet , ſiue iudicium pœnale ingerat digno , ſiue miſericordiam præſtet indigno? Denique infert & dicit , Igitur non volentis,neque currentis,ſed miſerentis eſt Dei. Ambo itaque gemini naturæ filij iræ naſcebantur , nullis C quidem operibus propriis , ſed originaliter ex Adam vinculo damnationis obſtricti. Sed qui dixit, Miſerebor cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo , cui miſericors fuero , Iacob dilexit per miſericordiam gratuitam, Eſau odio habuit per iudicium debitum. Quod cùm deberetur ambobus , in altero alter agnouit non de ſuis diſtantibus meritis ſibi eſſe gloriandum [8] , quòd in eadem cauſſa idem ſupplicium non incurrat, ſed de diuinæ gratiæ largitate,quia non volentis , neque currentis , ſed miſerentis eſt Dei. Altiſſimo quippe ac ſaluberrimo ſacramento , vniuerſa facies, ac,vt ita dixerim, vultus ſanctarum ſcripturarum bene intuentes id admonere inuenitur , vt qui gloriatur , in Domino [9] glorietur.

1 *Quis porrò.* Quoniam hinc iam ingreditur Auguſt. locum de Electione & Prædeſtinatione ſanctorum , qui eſt & vtiliſſimus , & totius ſtudij Theologici velut apex , maximè quoque hoc loco eum decreui explicare ex ipſius Auguſtini mente, quantum tamen ad huius & aliorum capitum intelligentiam erit ſatis. Ac primùm ἀνάλυσις huius

A loci eſt hæc: Vt doceat Auguſt. Deum non impotentia quadam, ſed ſumma iuſtitia quoſdam non ſaluare,reuocat nos ad ipſam ſalutis & damnationis hominum veriſsimam cauſſam. Eſt autem illa Dei gratia & miſericordia:vti dãnationis impiorũ cauſſa,eſt Dei iuſtitia. Quare ex eo quòd nõ ſaluat quoſdam Deus,non eſt impotens, ſed iuſtus potiùs appellandus. Hæc autem ita eſſe probat. Ac primùm quidem noſtræ ſalutis fontem & ipſiſsimam cauſſam eſſe miſericordiam Dei hoc capite docet. Idque tribus maximè argumẽtis à ſacra ſcriptura petitis.Sunt enim loci Scripturæ,quos obiter explicat.Primum argumentum ductum eſt ab exemplo Iacob & Eſau.Secundum, ab authoritate Malachiæ Prophetæ,qui de re eadem loquens,vni Dei miſericordiæ tribuit ſalutem noſtram. Tertium,ex ipſius Dei aperta ſententia & pronuntiato, quod eſt Exod.33. Quos omnes locos vno capite habet Paulus, nempe in epiſtol.ad Roma. capite.9. De damnatione reproborum capite ſe- B quenti aget Auguſt.

2 *Non facit.* Fuit certè illo ſeculo propter Pelagianorum & Cæleſtianorum,qui Pelagianos ſecuti ſunt,diſputationes omnino neceſſaria hæc de prima electionis & ſalutis noſtræ cauſſa diſputatio : quòd Pelagiani viribus liberi noſtri arbitrij, Cæleſtiani meritis operum noſtrorum ſalutis noſtræ cauſſam tribuerent. Et primùm quidem ait Auguſtinus, Prædeſtinationem negare eámque particularem,immanis eſt blaſphemia, quam non tantùm,ſicut ſoletis dicere vos Pelagiani,in Apoſtolis accipere debemus, ſed in Patriarchis, Prophetis & Martyribus,& Confeſſoribus,lib.9,Hypognoſt.in fine.Maximè verò hæc quæſtio explicanda eſt,quia in hac ſe quoque aliquando erraſſe & operum meritis aſſenſiſſe ſcribit Auguſtinus, priuſquam diligentiùs in ea re Scripturam perpẽdiſſet,& hæreticorum diſputationibus vexaretur, lib.1.De prædeſtinatio.ſanctor.cap.3. Eſſe autem hoc altiſsimum myſterium Dei, fatetur idem lib. 2.De bono perſeuer.cap.9. quod quanquam multis eſt obſcurum,non eſt tamen prætermittẽdum, & in Eccleſia tacendum:ſed populis prædicandũ: C quia certiſsimum fidei noſtræ fundamentum explicat, & magnam animorum conſolationem cõtinet.Ita tamen prædicanda eſt hæc doctrina (etſi nonnulli eius explicatione offenduntur) vt ex ea non ſit anſa peccandi, nec vitiis feneſtra patefiat, nec detur excuſatio impiis : ſed vt pij intelligant certiſsimo & tutiſsimo loco ſalutem ſuam conſiſtere & depoſitam eſſe:lib.2.De bono perſeuer.ca. 20.21. Et ante Auguſtinum ſcriptus eſt liber De vocatione Gent.eadem de cauſa, vt Pelagianis reſponderetur. Videtur autem hîc Auguſt.aliam electionis,aliam reprobationis hominum cauſam ſtatuere.Ac electionis quidem,miſericordiã Dei: reprobationis autem,eiuſdem iuſtitiam. Hoc autem verum eſt,ſi propiores cauſæ electionis & reprobationis,& eæ etiam finales ſpectentur.Sin autem quis primam & ſummam vtriuſque rei cauſſam requirat,nimirum eſt vna & eadẽ ſcilicet Dei propoſitum ſiue decretum, quam πρόθεσιν appellat Paulus Roma.9.v.11.At ſi huius ipſius propoſiti, vti dixi,finis ſpectatur, partim vt ſuam miſericordiam,partim verò vt iuſtitiam in hominibus oſtẽderet,fieri hæc decreuit Deus. Quòd ſi obiicitur, Paulum Epheſ.1.v.5. ſtatuere εὐδοκίαν, id eſt, beneplacitum Dei eſſe cauſſam noſtræ electionis, ſiue A prædeſtinationis : Reſpondeo hoc beneplacitum nihil aliud eſſe,quàm Dei ipſius voluntatem & cõſilium,vt ipſe idem Paul.definit Epheſ.1.v.11.Sed ita hoc loco diuerſas electionis & reprobationis cauſſas diſtinxit Auguſt.ne Deum damnationis & peccatorum impiorum authorẽ facere videretur, aut Dei gratiã fato tribuere,quod Pelagiani obiiciebant,Lib.2.De bono perſeuer.cap.12. quanquã idem lib.15.de Ciuita.Dei,ca.1,Prędeſtinationem Dei & in præſcitis damnandis & in filiis prædeſtinatis ad ſalutem, cauſſam eſſe conſtituit & agnoſcit.Sed quando Deo inuito nemo damnatur, ac ne quidem non volente,certè decretum Dei communis eſt & reprobationis & electionis cauſſa:vti Dei gloria communis vtriuſque rei finis eſt. Neque ſit propterea Deus cauſſa damnationis improborum,cùm ipſa damnatio,quæ eſt executio decreti, ab ipſo decreto ſit diſtinguenda , inter quam & ipſum decretum , intercedit media & ſuperuenies incredulitas & rebellio reproborum , quæ ex hominis voluntate,tanquam ex ſua & propria cauſſa, fluit & oritur,propter quam damnantur impij.Et B hæc ſeq.cap.fuſius.

3 *Quibus nondum natis.*Confirmat Auguſtinus ſuam ſententiam ab exemplo Iacobi & Eſau & eſt locus ſumptus ex epiſt.Pauli ad Rom.9.v.11. Vbi non colligit abſurdè Paulus , quod tamen videri poterat, ex vno quodam particulari aliquid vniuerſale, quia vt ipſe alibi de Abrahamo ait, Rom. 4.verſ.22.iſta paradeigmata etiam particularia vniuerſalem rationem & vim haben in cæteris hominibus,& ad nos pertinent. Solet autem Auguſtinus in hoc argumento vti Pauli exemplo, qui cædem ſpirans à Deo vocatus eſt, vt oſtendat nullis nos meritis noſtris à Deo eligi & prædeſtinari ad ſalutem Contra 2.epiſt.Pelag.cap.19.Hunc autem locum multis in opuſculis ſuis explicat Auguſtinus,vti in lib.De bono perſeuerant. De prædeſtinat.ſanctor.De libero arbitrio & gratia lib.16.De ciuita.Dei.cap.35.Eſt enim vtiliſsimus. Hîc autem omniũ optimé.Duo enim hîc obſeruat : Primùm, Cur dixerit Paulus,Nondum natis pueris. Secundum cur addiderit,Ex eadem maſſa eſſe. Ac quidẽ C cùm dixerit, Nondum natis pueris,excludit Paulus omnem operum rationem.Neque enim præcedentia bona opera eſſe potuerunt nondum natorum, niſi Origeni aſſentiamur affirmãti noſtras animas, antequam conciperemur, fuiſſe in cælo. Non etiam ſunt vlla præſentia bona opera nondũ natorum.Fortaſſe,dicet quis(quod etiam aliquando ſenſit Auguſtinus) præuidit Deus futura bona opera eius, quem elegit. Sed & hoc ipſum negat Auguſtinus hoc loco, & quam priùs in eo habuerat ſententiã retractauit li.1. Retractat.cap.23. Atque huius retractationis, & ſui dicti rationem affert hîc duplicem.Primam,reſponſum Pauli, Secundum propoſitum Dei ſtat electio : quod non fieret,ſi ratione & reſpectu futurorum operũ electus eſſet Iacob. Secunda autem ratio retractationis eſt apertiſsimum Malachiæ dictum, Iacob dilexi,id eſt,quia ita mihi viſum eſt, ſoláque & gratuita mea miſericordia commotus, ait Dominus. Idem Auguſtinus lib. 1. De prædeſtinatione ſanctorum,cap.18.De fide ad Petr. ca.34.35. Quod ad maſſam attinet, idem probat quod ſuprà docuimus,è mera Dei voluntate nimirum eſſe piorum electio-

A electionem & prædeſtinationem ad ſalutem. Nã, vt ipſe ait lib. De natura & grat. contra Pelag. cap. 5, Vniuerſa maſſa pœnas debet. Quis igitur vſque adeò dementiſſimè inſaniat, vt non agat ineffabiles gratias miſericordiæ, quos voluit, liberantis, qui rectè nullo modo poſſent culpare iuſtitiam vniuerſos omnino damnantis? Sed & maſſæ nomine Rom. 9. v. 21, materia adhuc rudis deſignatur & ad futurum opus dũtaxat præparata, vt ad ſummum illud decretum (cui ipſa quoque creatio generis humani in cauſarum ordine ſubordinatur) aſſurgamus, & ita omnis & futurorum & præteritorum & præſentium operum cogitatio ſummoueatur à cauſſis noſtrę vel electionis, vel reprobationis. Quod diſertiſſimè Chriſtiani theologi docent. Bernard. Sermo. 78. in Cantica, In hoc tam magnifico opere ſalutis noſtræ tria quædam ſunt, quæ ſibi vendicat autor Deus, præuenítque in illis omnes auxiliatores, & cooperatores ſuos, Prædeſtinatio, Creatio, Inſpiratio. Quorum prædeſtinatio non dico ab exortu Eccleſiæ: ſed ne à mundi principio quidem principium habet: non de- B nique à tempore hoc vel illo: ſed ante tempora fuit. Creatio cum tempore: Inſpiratio in tempore. Item, Non eſt inuenire Domino, ſed præuenire, & inuentionem præuẽtio excludit. Iam ex hoc intelligi poteſt quid ſit Prædeſtinatio. Etſi autem aliquando cum præſcientia Dei confunditur, hîc tamen diſtinguenda eſt ab ea. Prædeſtinationem dici maximè in generis humani gubernatione, & prouidentiæ Dei ſpeciem eſſe receptum eſt. Sed alij eam tam ad electos, quàm ad reprobos pertinere putant, & pro genere conſtituunt, cuius ſint

hæ duæ ſpecies, {
Electio,
Reprobatio hominum.

Itaque eam ſic definiunt, vt velint eſſe æternum & immutabile Dei decretum ordine antegrediẽs omnes ſalutis & damnationis cauſas, quo Deus conſtituit ſe glorificandum in aliis ex mera ſua gratia in Chriſto ſeruandis: in aliis etiam in Adamo & ſemetipſis iuſto ſuo iudicio damnandis. Hæc vera ſunt. Sed aliter tamẽ nonnunquã loqui- C tur Augu. etſi ab hac mente & ſententia nõ diſcedit. Origenes autem ait, Deſtinatur qui iam eſt: Prædeſtinatur qui nondum eſt. Fulgẽtius ad Monim. ait, Prædeſtinationis nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia neceſſitas exprimitur, ſed miſericors & iuſta futuri operis diuini ſempiterna diſpoſitio. Sed vt ad Auguſtinum redeam, ita & ſentit & loquitur. Primùm prædeſtinationem tantùm ad ſanctos & electos pertinere, & ita generalem eius vim ad vnam tantùm ſpeciem reſtringit. Nefas eſt dicere, ait, Deum aliquid, niſi bonum prædeſtinare: libro De prædeſtinatione Dei, cap. 2. Itaque libr. 1. De prædeſtinat. Sanctor. cap. 10. ait, Inter prædeſtinationem & gratiam hoc intereſt, quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio: gratia verò iam ipſa donatio. Et libr. 6. Hypognoſt. ait, Prædeſtinatio à præuidendo & præordinando futurum aliquid dicitur, eſtque pręſcientia Dei, quæ bonum aliquod in re, priuſquam ſit, præordinat. Mala quidem præſcit Deus, ſed non prædeſtinat, vt ait idem: at bona & præſcit & prędeſtinat. Ergo prædeſtinatio noſtra ad ſalutem nõ eſt in poteſtate noſtra, libr. 2. De bono perſeuer. cap. 8. Non item à fato vel aſtris, c. 12. Non etiam ab operibus noſtris, aut eorum meritis: ſed à mera A Dei, gratuitáque gratia. Et idcirco, ait idem, prædeſtinati, vaſa miſericordiæ appellantur, De prædeſtinat. & grat. ca. 8. Eſt ergo prædeſtinatio primus actus executionis decreti & propoſiti Dei de eligendis hominibus ad vitam æternam. Hæc autem prædeſtinatio eſt certa & immutabilis, quia Dei dona ſunt ſine pœnitentia. Vbique ita Auguſtinus, & lib. De fide, ad Petrum, capite 34. Chriſtum denique ipſum quatenus homo fuit, prædeſtinatum eſſe ſcribit idem, De Prædeſtinat. Sanctor. cap. 15. Idem tamen Auguſtinus alibi Prędeſtinationem latiſſimè ſumpſit,

& duplicem facit, aliam {
Potentiæ ſiue alligationis.
Conditionis ſiue iuſtitiæ.

veluti libro De prædeſtinatione Dei, ca. 2. ne nos nimiũ in verbis iſtis vſurpandis ſimus ſuperſtitioſi.

4 *Scriptum eſt.* Locus eſt Malachiæ c. 1.

5 *Iniquitas.* Hæ ferè tres obiectiones fieri aduerſus doctrinam de prædeſtinatione ſolent. Prima hæc, Si Deus quoſdam eligit & prædeſtinat, ergo perſonarum acceptor eſt. Nec enim electio B dici poteſt, ac ne intelligi quidem, niſi ſit particularis, & perſonarum quarumdam delectũ habeat, vt has illis præferat. Nam qui omnia accipit, nihil eligit. Huic argumento reſpondet Auguſtinus, De prædeſt. & grat. cap. 1. & ad Sixtum epiſt. 105. Nihil debet cuiquam Deus. Ergo debita pœna redditur damnato: Indebita gratia liberato. Secunda calumnia, Apud Deum eſt iniquitas, ſi dãnat & punit quem ipſe reprobauit. Huic reſpondet epiſt. 59, ad Paulinam, Iuſti Dei iudicij occulta nobis cauſſa eſſe poteſt: iniuſta non poteſt. Et lib. 1. ad Simplicia. quæſtio. 2. ait, Reddit quod debetur damnato. Nec de iuſtitia Dei lege humanæ iuſtitiæ eſt diſputandum, ait idem De Prædeſt. & grat. cap. 2. & 5. in quo exemplum figuli afferre ſolet. Tertia obiectio, Eo modo ad bona opera homines redduntur ſegnes. Huic etiam reſpondet Auguſt. libr. 6. Hypognoſt. Imò bona opera ſunt teſtimonia noſtræ prædeſtinationis, & iis incumbere debent maximè electi Dei. Quicũque enim ſunt electi Dei, ea faciunt.

6 *Meritis.* Noſtræ electionis ſiue prædeſtinationis cauſſæ quatuor afferuntur, quæ omnes C merita operum noſtrorum excludunt. Eſt quidẽ noſtra adoptio & electio totius Trinitatis opus, vt etiam Scholaſtici fatentur: ſed tamen, vti diſtinctæ ſunt perſonæ, ita diſtincta ſingularũ opera in ea. In ſumma, noſtræ electionis cauſſa efficiens eſt ipſius Dei voluntas ſiue decretum, quod mundi creationem præceſſit. Cauſſa materialis, eſt Chriſtus, non quaſi tamen ſecundaria, inſtrumentalis & ſubſeruiẽs cauſſa, ſed ipſa etiam præcipua: quanquam in cauſſarum & executionis ordine texẽdo ſubordinatur Chriſti mors & paſſio Dei decreto. Cauſſa finalis, Dei gloria, & infrà numero 9. explicabitur. Formalis autem cauſſa quæ ſit, facilè dici non poteſt, à quibuſdam tamen definitur eſſe gratia habitualis quæ ineſt in anima hominis adoptati. Quod autem Scholaſtici ſcribunt, adoptionem noſtram eſſe à Filio, velut ab exemplari, vel omnino ieiunum eſt, neque ſatis tribuit Chriſto: vel ipſi quid ſibi velint, edoceant. Quod autẽ ait hoc loco Aug. nõ pro meritis nec ex meritis operũ noſtrorũ nos eſſe à Deo electos:

A centies, imò verò millies ab eodem diuerſis in locis eſt repetitum. In Pſal.41, Mera, ait, gratia Dei eſt quæ me elegit, non quia dignus ſum, ſed quia dignata eſt me facere. Alibi, Ante omnia merita Deus ſuos elegit. Idem alibi, Nullum eſt hominis meritum in accipienda gratia ad ſalutem. Conſentit hæc ſententia Auguſtini cum verbo Dei, 2. Timoth. ver.1.9. Ioannis 15. verſu 16. Epheſ.2. ver. 8. Ergo Dei vnius miſericordia ſiue bonitas eſt cauſſa noſtræ electionis, vt ipſe Paulus loquitur. 2. Theſſ.1.v.11.

7 *Miſerebor.* Confirmatio ſuperioris dicti ab autoritate Scripturæ, quæ extat Exod.33. verſ.19. & citat eam Paul. Roma.9. verſ.15. Gradus autem executionis & electionis noſtrę ſunt plures, quos Paulus enumerat Roma.8. verſ.29. qui omnes ex vna Dei miſericordia pendent. Sunt igitur hi, ſi à ſupremo inchoemus: Electio, quæ ſequitur proximè decretum: deinde prædeſtinatio: tum iuſtificatio, fides, vocatio denique externa & efficax, vt ait Auguſt. epiſt.59.

8 *Sibi eſſe gloriandum.* Sed ne Abraham quidẽ B ipſe qui pater fidelium dicitur, & amicus Dei, habet vnde de ſuis meritis glorietur, vt docet Paulus Roma.4: vt mirum ſit qua fronte Auguſtini nomen & authoritatẽ profiteri audeant, qui aliud docent, nos nimirum meritorum futurorum ratione à Deo eſſe electos. Non quòd tamen in Dei illa gratia non ſit omnino gloriandum, (nam eſt:) ſed non eſt in nobis, & de meritis noſtris gloriandum. Galat.6. verſ.14. Philipp.3. verſ.3. 2. Corinth.10. verſ.17. Non negat item gloriãdum Auguſtinus, quaſi pio homini ſit incerta & dubia ſua electio. Eſt enim certa. Roma.8. in fine, & 2. Petr. 1.v.10. & teſtimonium de ea reddit cuique electo Spiritus ſanctus. Nec obſtat quod ait Auguſtinus ipſe art.12. falſ. impoſ. Auguſt. Prædeſtinatio Dei etſi apud nos, dum in pręſentis vitę periculis verſamur, incerta eſt: apud illum tamen qui fecit, quæ futura ſunt, incommutabilis permanet, nec quæ illuminauit, obcæcat: nec quæ ædificauit, deſtruit. ſunt enim ſine pœnitentia dona Dei. Ita enim ſentiendum docet Auguſtinus, ne quis ſe in prædeſtinatorum numero eſſe præſumens efferatur C animo, & ſecurè vitiis indulgeat, aut ſibi à vitiis non caueat: vt itaque videat qui ſtat, ne cadat, & vt ſalutem ſuam cum timore quiſque fidelis operetur, ait alibi, Nullus certa aſſeueratione dicendus eſt ad vocationem & prædeſtinationem Dei pertinere. Sic ſe interpretatur Auguſtinus ipſe libr.2. De bono perſeuer. cap.13. De corrept. & grat. cap. 13. idem ipſum ſenſiſſe videntur qui primi dixerunt, numerum prædeſtinatorum & reproborum ſecundum præſentem iuſtitiam non eſſe certum, etſi quoad Dei cognitionem certiſſimus eſt. Sed Scholaſtici poſtea mentem illius dicti turpiſſimè corruperunt, & à ſuo veróque ſenſu poſtea abduxerunt. Etſi autem multi ſunt intus lupi, multæ autem foris oues, vt ait Auguſtinus in Ioan. tract.45. tamẽ prædeſtinatorum ad regnum Dei ita certus eſt numerus, ſcribit idem, vt nec addatur eis quiſquam, nec minuatur ex eis, quia nouit Deus, qui ſui ſunt. De corrept. & gratia. ca. 13. Temerè tamen in his omnibus nõ eſt quicquã definiendum, vel etiam quærendum, lib.3. Contra Pelagia. & in Ioan. tracta.53. De qua quæſtione vide Lombard. lib.1. Diſt.40. cap.2. & ſeq.

9 *In Domino glorietur.* Locus eſt Pauli 2. Cor. A 10.v.17. qui ex Hieremia ſumptus eſt, Hier.9. ver. 23. & repetitur 1. Corinth. 1. verſ.24.31. Hic autem finis noſtrę electionis exponitur, nempe Dei gloria, illiúſque laus & prædicatio, vt ait Paulus Epheſ.1.v.6.

Cap. xcix.

Etſi ſunt quidam à Deo reiecti, qui tamen damnantur, neque de Dei iniuſtitia queri poſſunt, neque ſunt propterea à ſuis vitiis excuſandi. Conſilij enim diuini inſcrutabilis nobis ratio eſt.

CVm autem Apoſtolus miſericordiam Dei commendaſſet in eo quod ait, Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: deinde vt etiam iudicium commendaret (quoniam in quo non fit miſericordia, non iniquitas ſed iudicium[1], non eſt quippe iniquitas apud Deum) continuò ſubiecit atque ait, Dicit enim ſcriptura Pharaoni, Quia[2] ad hoc te excitaui, vt oſtendam in te potentiam meã, & vt annuntie- B *tur nomen meum in vniuerſa terra. Quibus dictis ad vtrunque concludens, id eſt, ad miſericordiam & ad iudicium, inquit, Ergo cuius vult, miſeretur Dominus: & quem vult, indurat. Miſeretur ſcilicet magna bonitate: & obdurat nulla iniquitate, vt nec liberatus de ſuis meritis glorietur: nec damnatus, niſi de ſuis meritis conqueratur. Sola enim gratia redẽptos diſcernit à perditis, quos in vna perditionis maſſam cõcreuerat ab origine ducta cauſſa communis. Hoc autem qui eo modo audit, vt dicat[3], quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis reſiſtit? tanquam propterea malus non videatur eſſe[4] culpandus, quia Deus, cuius vult miſeretur & quem vult, obdurat: abſit, vt pudeat nos hoc reſpondere, quod reſpondiſſe videmus Apoſtolum, O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Hoc enim loco quidam ſtulti putant Apoſtolum in reſponſione defeciſſe, & inopia reddendæ rationis repreſſiſſe contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus, quod dictum eſt, O homo, tu quis es? Et in tali-* C *bus quæſtionibus ad ſuæ capacitatis conſiderationem reuocat hominem verbo quidem breui, ſed reipſa magna eſt redditio rationis. Si enim non capit hæc, quis eſt, qui reſpondeat Deo? Si autem capit, magis non inuenit quid reſpondeat. Videt enim, ſi capit, vniuerſum genus humanum iam iuſto iudicio diuino in apoſtatica radice damnatum, vt etiam ſi nullus inde liberetur, nemo rectè poſſet Dei vituperare iuſtitiam, & qui liberantur, ſic oportuiſſe liberari: vt ex pluribus non liberatis, atque in damnatione iuſtiſſima derelictis, oſtenderetur, quid meruiſſet vniuerſa conſperſio, & quò etiam iſtos debitum iudicium Dei duceret, niſi eius indebita miſericordia ſubueniret, vt volentium de ſuis meritis gloriari omne os obſtruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur.*

1 *Sed iudicium.* Auguſtinus ad Paul. 59. Cur hunc potiùs, quàm illum Deus eligat, occulta cauſſa eſſe poteſt, iniuſta eſſe non poteſt. Eſſe itaque reprobatos à Deo quoſdam docet hic locus & ipſa etiam electionis ſignificatio. Nec enim eligi quidam dicendi ſunt, niſi quidã reprobentur, quia inter ſe oppoſitas ſignificationes habent electio & reprobatio. Quod probat etiã locus Iud.

verſ.4.

A verſ.4.Roma.9.verſ.13.In quo ſunt duo obſeruãda.Primum,Auguſtinum,Fulgentium & cæteros qui calumnias Manichæorum illius ſeculi veriti ſunt,ita loqui timidè & ſcrupuloſè ſolitos, vt reprobos & malos non fere dicant à Deo prædeſtinatos fuiſſe, ſed tantùm præſcitos. Ratio duplex fuit, Prima ne Deum exitij impiorum authorem facere viderentur,nõ autem eos ipſos Improbos. Fulgent.ad Monim.Sicut, ait,in Deo peccatũ nõ eſt: ita peccatũ ex eo non eſt: quod autem ex eo non eſt,opus itaque eius non eſt:quod autem nũquam eſt in opere eius,nunquam fuit in prædeſtinatione eius. Altera ratio,ne peccati authorem Deum facere crederentur, & ita impios excuſare à malitia. Auguſtinus lib.6.Hypognoſti. Vbi ergo,ait, commemoratio operum Iudæ malorum fit à ſancto Spiritu in Pſalmis, priuſquam eſſet, præſcitus eſt,non factus.Si enim factus eſſet, inculpabilis eſſet,& Dei opificio reputaretur,nõ Iudæ. Inde nata eſt quoque illa Auguſtini ſententia & vera quidem, Nemo à Deo creatus eſt vt pereat,quia alia eſt cauſſa naſcendi, alia pereundi. In articul.falſ.Auguſt.impoſit.art.3. Alterum etiam B quod eſt in hac diſputatione de reprobatione hominum,obſeruãdum apud veteres,hoc eſt,Quàm fuerit varia eorum ſententia in cauſſis illius aſſignandis.Eorũ enim alij dixerunt præcedere quiddam in peccatoribus, quo digni ſint reprobatione. Ad quod affertur Auguſtini dictum libro 83. quæſtio.68.lib.De grat.& liber.arbit.cap.23. Alij negant quicquam in peccatoribus præcedere, cur ſint à Deo reprobati. Alij volunt ex præuiſis à Deo, & futuris eorum peccatis id fieri,libr.1.Retractat.c.23.& in epiſtola Hilarij Arelatenſis epiſco.ad Auguſtinum. Quæ omnia tam variè ab iis dicuntur, quòd quemadmodum de ſe ingenuè agnoſcit Auguſtinus, nondum diligentiùs quæſierant, necadhuc inuenerant qualis eſſet electio gratiæ.Itaque Lombard.libr.1.diſtin.41.dum hæc non perpendit, ſe in magnas coniecit difficultates.Extitere noſtro hoc æuo qui cõcederẽt quoſdam à Deo eligi ad ſalutem, neminem autem ab eodem reprobari contenderent.Quæ ſententia & conceſſio ſeipſam planè euertit, & iugulat. Ergo C hoc totum explicetur.Certè etiam reprobati Prædeſtinati dici poſſunt,non tantùm Præſciti. Nam & Auguſtinus ipſe libr.15.De ciuitat. Dei capit.1. & libro de Prædeſtin.Dei,cap.2.generale eſſe prædeſtinationis nomen docet, & hic inf. capit.100. vnde etiam προγεγραμμένοι dicuntur à Iuda verſu 4, reprobati, & à Paulo dicuntur σκεύη ὀργῆς, vti electi vaſa miſericordiæ,Rom.9.verſ.22.23.& τιθέντες εἰς ὀργήν.

Et dicit Scriptura de reprobis, Excitauit eos Deus,Exod.9. Denique prædeſtinatio eſt decreti Dei primus in exequendo actus, qui & electis & reprobis communiter cõuenit.electis ad ſalutem, reprobatis ad pœnam.Deinde reprobationis ſunt cauſſæ hæ quatuor,

Efficiens,Dei decretum & voluntas.

Materia,Adami pecatum: & quod quiſque reproborum ex eo in ſeſe habet & traxit.

Forma,exScholaſticis,auerſio quędã animi à Deo.

Finis,Dei ipſius gloria,Exod.9.v.16.Rom.6.v.17.& Prou.16.v.4.

Ac Dei quidem decretum eſſe primam, veriſſimam,& ipſiſſimam reprobationis cauſſam docet Paul.Rom.9.v.11.Malach.1. Ante mundum enim cõditum reprobati ſunt. A Nec futurorum operum malorum ratione à Deo reprobati ſunt, vt etiam ipſe Auguſt.ſcripſit libr.1.ad Simplicia.libr.1.Retract.cap.23. Reprobauit Deus, ait Auguſtinus, quos voluit,non propter futura merita, quæ præuideret.Quid igitur,dicet quis, éſtne Deus exitij reproborum author,aut æternæ pœnę quam ſubeunt cauſſa? Reſp.Minimè, ſed ipſi. Neque enim quiſquam pœna æterna à Deo afficitur, quod ab ipſo Deo fuerit Reprobatus, ſed quòd in Deum peccarit,illique rebellis fuerit.Pœna enim æterna peccati pœna eſt,non reprobationis.Auguſtin.ad Simplicia.lib.1.Non odit reprobatos Deus,nec inquantum homines ſunt,nec inquantum vaſa ſunt, id eſt,nec quod in eis fecit creando, nec quod in eis fecit ordinando. Nihil enim odit eorum quæ fecit. Sed tamen quòd Vaſa eos fecit perditionis ad vſum correctionis aliorum fecit. Nec eſt Deus priùs vltor, quàm aliquis ſit peccator.Auguſt.lib.2.de Geneſ.ad Literam.Infidelitas enim & nequitia B ſunt cauſſæ,propter quas damnantur quæ mala ſunt in ipſis reprobis,& ab eorum voluntate tanquam à ſua & propria cauſſa oriuntur, non autem à Deo.Inter decretum Dei igitur de eis reprobãdis & executionem, id eſt, ipſum eorum exitium, & pœnam intercedit improborum propriũ opus, propter quod tanquam ob proprium meritũ ipſis æterna illa pœna meritò contingit & infligitur. Ergo Dei decretum cauſſa quidem illius pœnæ dici aliquo modo poterit, ſed neque propria neque etiã propinqua. Neq; enim hic proprius finis fuit reprobationis in Deo,vt eos puniret,ſed vt in iis glorificaretur.Præclarè igitur Damaſcenus cõtra Manichæ.etſi Deus eos punit vt iudex,non eſt tamẽ,ait,eorũ ſupplicij vel exitij cauſa: ſed ipſi potius dũ peccant.Iudex autẽ ipſe,ſiue Deus,eſt tantum author & cauſſa illius iuſtitiæ, quæ in eorum punitione & ſceleris vindicta apparet. & hæc veriſſima ſunt.Nec eos etiam reprobos Deus odit & punit,quia reprobauit, ſed quia peccatores ſunt, etſi iidem ſunt peccatores,qui & reprobati.Si obiicitur, Ergo à contrario fides cauſſa erit ſalutis piorum,& ita ſibi ipſis illi ſalutis cauſſa erunt, vt impij ſunt ſua cauſſa exitij. Reſp. Fides non eſt à C nobis ipſis:vti infidelitas eſt ab impiis,& propriũ improborum voluntatis opus:ſed fides eſt à Deo, & Dei donum.Ergo nos eligit Deus,vt bonos faciat & fideles:quos autem reprobat Deus,non facit malos & peccatores,ſed inuenit.

2 *Quia ad hoc.* Locus eſt Exod.9.verſ.16.Roma,9.verſu 17. Sunt verò hæc dicendi genera obſeruanda,Excitaui te,Indurauı,Errare feciſti, Ne nos inducas in tentationem,& ſimilia, quia docẽt voluntate Dei fieri,Deóque ipſo nõ tantùm præſciente,ſed etiam ordinante,quod improbi agunt non quidem quatenus peccatum eſt & appellatur (ea enim ratione ab improbis ipſis proficiſcitur) ſed quatenus hoc eorum factum Dei decreto de is reprobandis ſubſternitur & ſubordinatur. Et quanquam alibi Auguſt.hoc interpretamento adhibito molliter & timidè explicat has Scripturæ. phraſes,Deus indurauit cor Pharaonis, Exod.9, verſu.12,Indurauit,id eſt,mollire noluit:Excæcat id eſt,illuminare non vult, libro De prædeſt. & grat.ca.4,Item,Obdurat,quia non miſeretur,non quia impellit vt peccent,libr.ad Simplic. quæſt.2.

A Item, Neminem, ait, ad peccandum impellit vel cogit Deus, præuidet tamen eos qui propria voluntate peccant: De vera innocent. cap. 379. quia Manichæorum vexationem reformidabat: tamen idem alibi & verè & apertè ait, Deus indurauit per iuſtum iudicium Pharaonem, & Pharao ſeipſum indurauit per liberum arbitriū, li. De grat. & liber. arbitr. ad Valenti. ca. 23. Exo. 9. v. 34. vt idē factum & Dei & hominis eſſe verè opus, diuerſa tamen ratione intelligatur & ſtatuatur.

3 *Vt dicat.* Huic obiectioni Paulus ipſe occurrit Rom. 9. & certè cùm reprobi peccant, non id faciunt, vt Deo obſequantur: ſed vt ſuis ipſorū cupiditatib' ſeruiant & pareant. Itaque de ſe non de Deo debent conqueri, & præclaræ ſunt in eo Auguſtini hæ ſententiæ, Nemo, ait, ſe palpet, de ſuo Satanas eſt, de Deo beatus. in Ioan. Euang. tract. 49, Quòd nos à Deo auertimus, noſtrum eſt & hęc eſt voluntas mala: quòd verò nos ad Deum conuertimus, niſi ipſo excitante & adiuuante non poſſumus, & hæc eſt voluntas bona: lib. 2. De peccat. merit. cap. 18. Item lib. Soliloquio. ca. 15. Quod B cecidi, fuit ex me: & quod ſurrexi, fuit ex te. Conſentit cū dicto Prophetæ, Perditio tua à te Iſrael, ſalus autem tua à me, Oſeæ 13. v. 9.

4 *Culpandus.* Hinc illa ſunt nata Auguſtini art. 15. impoſ. falſ. Auguſtin. Nemini Deus ademit correctionis viam. Item, Aliud eſt inſontem crimen feciſſe, quod alienum eſt à Deo. Ex quo fit vt idem lib. 3. contra Creſco. cap. 51, Vitia legibus cōprimenda & puniendа doceat, & dicat malam hominis voluntatem nō debere manere impunitam. Ergo rectè monachum quendam reprehendit idē lib. 2. De Bon. perſeuer. cap. 15. Fuit quidam, ait, in noſtro monaſterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret, reſpondebat, Qualiſcunque nunc ſum, talis ero, qualem me Deus futurum eſſe præſciuit. Qui profectò & verum dicebat, & hoc vero non proficiebat. Etſi autem reprobi neceſſariò peccāt, coacti tamen non peccant, ſed volentes, quemadmodum alibi diſertè Auguſt. neceſſitatem à coactione diſtinguit, & infr. cap. 105.

C

DE VOLVNTATE DEI.

CAP. C.

Nihil fieri contra Dei volūtatem. Nam cùm peccant homines, in eo ipſo Dei voluntatem fieri.

HAEc ſunt magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius: & tam ſapienter exquiſita, vt cùm angelica & humana natura peccaſſet, id eſt, non quod ille, ſed quod voluit ipſa feciſſet: etiā per eandē creaturæ volūtatē (quā factū eſt, quod creator noluit) impleret ipſe, quod[1] voluit, bene vtens & malis,[2] tanquā ſummè bonus, ad eorū damnationem, quos iuſtè prædeſtinauit ad pœnam, & ad eorum ſalutem, quos benignè prædeſtinauit ad gratiam. Quātum enim ad ipſos attinet, quod Deus noluit, fecerunt: quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere voluerunt. Hoc quippe ipſo, quod contra Dei voluntatem fecerunt de ipſis facta eſt voluntas eius. Propterea namque magna opera Domini exquiſita[3] in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat[4] præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem: quia non fieret, niſi ſineret: nec vtique nolens ſinit, ſed volens. Nec ſineret bonus fieri malè, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet bene. A

1 *Quod voluit.* Locus notandus, ex quo facilè intelligitur ita ſenſiſſe Auguſtinum, reprobatos facere ex Dei voluntate, quæ faciunt. Itaque quæ cędes, quod malum à malis fit, non modò ſinente, ſed & volente Deo fit. Quicquid enim fit,

Ignorante,
aut
Sciente Deo fieri fatendū eſt. Deo ignorante quicquam fieri non poteſt, & qui ita loquuntur & ſentiunt, planè blaſphemant. Ergo Deo ſciente

Nolente,
fit, quicquid fit, ſed & eodem vel
Volente.

Nolente Deo quicquam fieri non poteſt. Reſtat ergo vt quæcunque aguntur & fiunt, Deo volente fiant. Arnob. lib. 7. contra Gent. Auguſtinus ipſe libr. 5. de Ciuita. Dei cap. 9. docet Deum ordinare omnes creatorum ſpirituum voluntates. Et De grat. & lib. Arbit. ca. 21, Deus operatur, ait, in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque vult, ſiue ad bona pro ſua miſericordia: ſiue ad mala pro eorum meritis. Aliquando tamen timidiùs loquitur Auguſt. Ergo ordinat Deus & vult id fieri quod reprobi faciunt, non tamen quatenus peccatum eſt, & ſuis præceptis contrarium: ſed quatenus iuſti ſui in eos iudicij eſt præparatio, executio, & pœna. Neque illa quæ reprobi & impij agunt, Deus fieri vult voluntate permiſſiua tantùm, ſed & effectiua: nec tantùm, vt alij volunt, voluntate conſequente, ſed & antecedente & ipſorum reproborum ortum & mundi ipſius creationem. Neque tamen, propterea eſt iniuſtus Deus, neque mali propterea ſunt excuſabiles. Alij dicunt, Quæ mali faciunt, ea Deus fieri vult, quia poſtea ordinat in bonum & ſalutē ſuorum etiam malas voluntates hominum. ſed huiuſmodi explicatio abſurda eſt. B

2 *Et malis.* Similis locus libr. De Ciuitat. Dei 11. cap. 17. Malarum voluntatum iuſtiſſimus ordinator eſt, vt cùm malè illæ vtantur naturis bonis, ipſe bene vtatur etiam voluntatibus malis. C

3 *Exquiſita.* Locus eſt in Pſalmo 111. verſu 2. Quod autem ait Auguſtinus non eſſe interturbatam propter peccata reproborum Dei voluntatem, aut impeditam, conſentit cum eo quod idem ſcribit lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 11. Non enim homo peccato ſuo potuit, ait, diuinum perturbare conſilium, &c.

4 *Non fiat.* Inſignis locus quî eſt deſcriptus à Lombardo lib. 1. diſt. 47. c. Verum vt ſuperior. Videtur quoddam παράδοξον continere & ἀσύστατον, Nimirum fieri aliquid ſecundum Dei voluntatem, quod tamen fit contra eius voluntatem. quod etiam libr. 1. de Prædeſtin. ſancto. cap. 16. repetit. Sed breui hac diſtinctione explicatur. Duplex eſt, docendi gratia, nobis cogitanda Dei voluntas,

Abſoluta,
vna
Patefacta. Abſoluta voluntas nobis eſt ignota, præter quam nihil fit, imò verò qua decernente omnia fiunt. Ioan. Damaſcen libr. 1. De Orthodo. Fide capit. 19. Πάντα μὲν ὅσα θέλει θεὸς δύναται· οὐχ ὅσα δὲ δύναται, θέλει. Δύναται γὰρ ἀπολέσαι τὸν κόσμον, οὐ θέλει δέ.

A *N.*Sic Anſel.li.2.cur Deus Homo c.17. intelligendus,Omnia,quæ vult,& non niſi, quæ vult, Deus facit. Voluntas Dei quæ nobis in verbo eius patefit, dicitur à Scholaſticis Signi voluntas,contra quam ſæpe multa fiunt ab hominibus animi contumacia & voluntate. Ex hoc loco explicāda quæſtio quam vexat Auguſt.libr.11. de Geneſ. ad lit.cap.4.& 9.

CAP. CI.

Sæpe diſſentire hominis voluntatem etiam bonā à Dei voluntate. Sæpe conſentire hominis voluntatem etiam malam,cum Dei voluntate.

ALiquando autem bona voluntate [1] *homo vult aliquid, quod Deus non vult, etiam ipſe bona multo amplius, multóque certius voluntate: (Nam illius mala voluntas eſſe non poteſt) Tanquam ſi bonus filius patrem velit viuere,quem Deus bona voluntate vult mori. Et rurſus fieri poteſt, vt hoc velit, homo voluntate* [2] *mala,quod Deus vult bona: velut ſi malus filius velit mori patrem,velit hoc etiam Deus:* B *nēpe ille vult,quod non vult Deus:iſte verò id vult,quod vult & Deus:& tamen bonæ voluntati Dei pietas illius potius conſentit, quamuis aliud volentis, quàm huius idem volentis impietas. Tantum intereſt quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quam finem* [3] *ſuam quiſque referat voluntatem,vt aut approbetur,aut improbetur. Nam Deus quaſdam voluntates ſuas vtique bonas implet per malorum hominum volūtates malas: ſicut per Iudæos maleuolos bona voluntate Patris Chriſtus pro nobis occiſus eſt. Quod tantum bonum factum eſt,vt Apoſtolus Petrus,quando fieri id nolebat,* [4] *Satanas ab eo,qui occidi venerat,diceretur. Quàm bonæ apparebant voluntates piorum fidelium, qui nolebant Apoſtolum Paulum Hieruſalem pergere, vt ibi pateretur mala, quæ Propheta* [5] *Agabus prædixerat, & tamen Deus hæc illum pati volebat pro annuntianda fide Chriſti, exercens martyrem Chriſti. Neque ille bonam voluntatem ſuam impleuit per Chriſtianorum voluntates bonas:ſed per Iudæorum malas: & ad eum potius pertinebant, qui nolebant,quòd volebat, quàm illi, per quos volentes factum eſt quod volebat, quia idipſum quidem, ſed ipſe per eos bona, illi autem* C *mala voluntate fecerunt.*

2 *Bona voluntate.* Duo quædam paradoxa videtur affirmare Auguſt. primum, Sæpe bonam hominis voluntatem à Dei voluntate, quæ etiam bona eſt,diſſentire. Atqui hoc abſurdum iudicabitur,quando vti veritatis, ita iuſtitiæ & bonitatis vna ſit & ſimplex natura:& quæcunque bona ſunt & iuſta,inter ſe conſentire videntur. Quomodo igitur hæc,quæ ſunt in ſpeciem quidem repugnātia,in concordiam adducuntur? hac diſtinctione nimirum,Quòd alia eſt volūtas Dei abſoluta, ſeu beneplaciti,vt vocat Lombar.Lib.1.Senten. Diſt.45.alia ſigni, vtraque tamen & iuſta & bona eſt. Sępe igitur vult aliquid homo & rectè & conſentienter cùm Dei voluntate, quæ eſt ſigni voluntas: quod tamen repugnat Dei voluntati, quæ eſt occulta & abſoluta voluntas,& eadem iuſta & bona tamen, ſed propter ignotam nobis cauſſam.

1 *Voluntate mala.* Alterum paradoxum, Sæpe hominis voluntatem malam conſentire cum bona Dei voluntate. Atqui iuſtitiæ cum iniuſtitia nullum eſt commercium & pax.Solutio ex eadem A diſtinctione.Voluntas hominis mala dicitur,quia repugnat verbo ſcripto & volūtati Dei ,quæ dicitur voluntas ſigni,& patefacta, quæ tamen hominis voluntas vult idem euenire quod volūtas Dei abſoluta,quę & ipſa iuſta eſt.Hanc diſtinctionem probat P.Martyr,& retinet. Lombardus totum hunc locū tranſcripſit lib.1.Sentent.diſtinctio.48.

3 *Et ad quem finem.* Suprà dictum eſt differre hominis malam voluntatem à iuſta Dei voluntate, quanquam vterque, & Deus & homo idem fieri velit. Differt autem tunc non tam in Volito, quàm in Modo vel fine volendi,vt ſcholaſtici loquuntur, & in fine huius capitis explicat Auguſt. locus hic inſignis & notandus.

4 *Sathanas ab eo.* Locus eſt Matth.16. verſu 23.

5 *Propheta Agabus.* Locus eſt Actor. cap.21. verſ.10.& ſeq. Ex his autem omnibus colligi non poteſt Neceſſitatem cadere in Deum. Eſt enim hîc omnis neceſſitas vel coactio vel prohibitio violenta,quorum neutrum in Deum cadit. Sed & duplex Neceſſitas ſtatuitur:Præcedens,quæ facit, B vt res ſit:Sequēs,quam facit res ipſa,quæ iam euenit. Neutra in Deum cadit, cuius ſola voluntas eſt cauſa omnium euentorum,quæ fiunt. Vide Anſel. lib.2. cur Deus homo, cap. 18. Voluntatem enim Dei nulla præceſſit neceſſitas.

CAP. CII.

Nihil quicquam niſi Dei voluntate eáque iuſta fieri.

SEd [1] *quantælibet ſint voluntates vel Angelorum vel hominum,vel bonorum,vel malorum* [2] *vel illud quod Deus, vel aliud volentes quàm Deus, omnipotentis voluntas Dei ſemper inuicta eſt:quæ mala eſſe nunquam poteſt, quia etiam cum mala irrogat,iuſta eſt, & profectò quæ iuſta eſt,mala non eſt. Deus igitur omnipotens ſiue per miſericordiam cuius vult, miſereatur, ſiue per iudicium,quem vult,obduret:nec iniquè aliquid facit,nec niſi volens quicquam facit, & omnia, quæcunque vult,facit.*

1 *Sed quantælibet.* Concluſio eſt totius ſuperioris diſputationis de Dei & omnipotentia & voluntate,quam eandem latiùs explicat libr.9. de Geneſ.ca.17.18.lib.11.cap.6.7.8.9. C

CAP. CIII.

Quæ ſit ſententia huius dicti Pauli, Vult Deus omnes homines ſaluos fieri.

AC per hoc cùm audimus, & in ſacris literis legimus,quòd velit omnes homines ſaluos fieri,quamuis certum ſit nobis non omnes homines ſaluos fieri, non tamen ideo debemus omnipotentiſſimæ Dei voluntati aliquid derogare, ſed ita intelligere quod ſcriptum eſt, Qui vult omnes homines ſaluos fieri,tanquam diceretur, Nullum hominem fieri ſaluum, niſi [1] *quem ſaluum fieri ipſe voluerit: non quòd nullus ſit hominum, niſi quem ſaluum fieri velit, ſed quòd nullus fiat, niſi quem velit, & ideo ſit rogandus vt velit, quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit. De orando quippe Deo agebat Apoſtolus,vt hoc diceret. Sic enim intelligimus id quod in Euangelio ſcriptum eſt, Qui illuminat omnem hominem, non quia nullus eſt hominum,* A *qui nõ illuminetur, ſed quia niſi ab ipſo nullus illuminatur. Aut certè ſic dictũ eſt, Qui omnes homines vult ſaluos fieri, nõ quòd nullus hominũ eſſet, quẽ ſaluũ fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos quos dicit acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi feciſſet: ſed vt omnes homines omne genus* [2] *hominum intelligamus per quaſcunque differentias diſtributum, Reges, priuatos: nobiles, ignobiles: ſublimes, humiles: doctos, indoctos: integri corporis, debiles: ingenioſos, tardicordes, fatuos: diuites, pauperes, mediocres: mares, fœminas: infantes, pueros, adoleſcentes, iuuenes, ſeniores, ſenes: in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in profeſſionibus omnibus, in voluntatum & conſcientiarum varietate innumerabili conſtitutos, & ſi quid aliud eſt differentiarum in hominibus. Quid eſt enim eorum, vnde non Deus per vnigenitum ſuum Dominum noſtrum per omnes gentes ſaluos fieri homines velit, & ideo faciat, quia omnipotens velle inaniter non poteſt, quodcunque voluerit? Præceperat enim Apoſtolus, vt oraretur pro ſingulis hominibus & ſpecialiter addiderat pro regibus,* B *& his, qui in ſublimitate ſunt, qui putari poterant faſtu & ſuperbia ſeculari à fidei Chriſtianæ humilitate abhorrere. Proinde dicens, Hoc enim bonum eſt coram ſaluatore noſtro Deo, id eſt, vt etiam pro talibus oretur, ſtatim vt deſperationem tolleret, addit, Qui omnes homines vult ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Hoc quippe Deus bonum iudicauit vt orationibus humilium dignaretur ſalutem præſtare ſublimium. Quod vtique iam videmus impletum. Iſto locutionis modo & dominus eſt vſus in Euangelio, vbi ait Phariſæis, Decimatis mentam, & rutam & omne olus. Neque enim Phariſæi quæcunque aliena, & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hîc omne olus, omne olerum genus: ita & illic, omnes homines, omne hominum genus intelligere poſſumus. Et quocunque alio modo intelligi poteſt, dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fieri, factúmque non eſſe: qui ſine vllis ambagibus, ſi in cœlo & in terra (ſicut & veritas cantat) omnia quæcunque voluit, fecit: profectò facere noluit quodcunque non fecit.*

1 *Niſi quem.* Idem argumentum tractat Auguſt. epiſt. 107. ad Vitalem. Duplici autem modo C nunc ſoluit hunc nodum. Ac primùm quidem vult vocem hanc, Omnes, κατά τι accipi, nõ in vniuerſum de hominibus omnibus, ſed de omnibus ſaluandis tantùm. Nemo enim ſaluatur, niſi Dei voluntate. Alibi ſic Auguſt. Quia omnes, ait, qui ſalui fiunt, niſi ipſo volente, non fiunt. Nam quomodo in hac re merita penſantur humanæ voluntatis? Cõfirmat hanc Auguſtini interpretationem quod ibidem addit Paul. Et ad agnitionem veritatis venire, quaſi hæc poſtrema ſententia ſuperiorem & explicet & reſtringat ad eos tantùm omnes, qui agnitionẽ veritatis fide & verè amplectuntur. Itaque non omnes ἁπλῶς vult Deus ſaluos fieri: ſed omnes credentes. Nec propterea tamen pendet Dei decretum de iis ſaluandis ab hominum fide, quæ decreti Dei effectus eſt, neque cauſſa ab effectu ſuo producitur, & qui ita ſentiũt, faciunt incertum & dubium Dei decretum, & pendens. Denique volunt iudicium & ſtatuendi authoritatem non eſſe penes figulum, ſed penes lutum, quod alibi irridet Auguſt.

2 *Omne genus hominum.* Secunda propoſitæ quæſtionis ſolutio à vocis huius πάντες, dubia & ambigua ſignificatione. Nam τὸ πάντες vel ſingulos homines complectitur, vel genera ipſa hominum. A Hoc verum eſſe, & eſſe duplicem vocis huius notionem docet Ariſtotel. libr. 2. πολιτικ. & in Elenchis demonſtrauimus. Hîc non ſignificat ſingulos generum, ſed genera ſingulorum, vt vulgo loquuntur in ſcholis. Confirmat hanc Auguſtini ſententiam quod ipſe lib. 6. Hypognoſt. ſcribit, In quantum poſſumus, ait, omnes homines ad bonum opus exhortemur, nulli deſperationem demus. Quo ſignificato & ſenſu hoc pronuntiatum, Vult Deus omnes homines ſaluos fieri, potiùs indefinitum, quàm vniuerſale dicẽdum eſt. Hoc eodem modo vox πάντες pro quouis accipitur. Matt. 8. verſ. 16. verſ. 35. Thomas tamen Aquin. aliter explicat, vt hęc propoſitio, Vult Deus omnes homines &c. pertineat ad vniuerſalem Dei voluntatem. Illa autem, Quoſdam reprobat Deus, referẽda ſit ad particularem Dei voluntatem, qui nec ipſe intelligit, quomodo illa vniuerſalis vocatio & electio ad ſalutẽ, ſit accipienda. Indefinita enim potiùs, quàm vniuerſalis electio hæc & appellanda & cenſenda eſt, ſiue de naturali & communi, ſiue de Euãgelica & ſpeciali vocatione agas. Quod B etiam eſt in libello Quęſtionum Theologicarum.

DE PRAESCIENTIA DEI.

CAP. CIIII.

Primum hominem non fuiſſe peccaturum, ſi ita Deus hominem præſciuiſſet. Nam præſcientia Dei falli non poteſt.

QVapropter etiam primum hominem Deus in ea ſalute (in qua conditus erat) cuſtodire [1] *voluiſſet, eúmque opportuno tempore poſt genitos filios ſine interpoſitione mortis ad meliora perducere (vbi iam non ſolùm peccatum non committere, ſed nec voluntatem poſſet habere peccandi) ſi ad permanendum ſine peccato, ſicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum eſſe præſciuiſſet. Quia verò eum malè vſurum libero arbitrio, hoc eſt, peccaturum eſſe præſciebat* [2]*, ad hoc potiùs præparauit voluntatem ſuam, vt bene ipſe faceret etiam de malè faciente, & ſic hominis voluntate mala non euacuaretur, ſed nihilominus impleretur omnipotentis bona.* C

1 *Cuſtodire voluiſſet.* Cùm Deus primum hominem ex nihilo condiderit, cùm rectum & bonum creauerit, cùm liberi arbitrij primùm fecerit, vt ait ipſe Auguſt. contra Fortuna. diſp. 2. & ad Petr. cap. 25. multò magis talem creatum cuſtodire potuit Deus. Sed nõ cuſtodiuit. In quo ſi quæritur ratio, duplex afferetur, vel illa quam ipſe Auguſt. alibi ſubiicit, Quia noluit Deus. Cur autem noluerit, penes ipſum eſt. Debemus enim non plus ſapere quàm oportet: libr. 11. Geneſ. cap. 9. Vel hęc, quã hoc capite affert, quia talem præſciuerat fore, vt peccaret. Præſcientia autem Dei falli nõ potuit, quemadmodum & hîc & vbique docet idem Auguſt. libr. 5. de Ciuitat. Dei ca. 9, Quapropter, ait, & voluntates noſtræ tantùm valent, quantum Deus eas valere voluit & præſciuit. Et ideo quicquid valent, certiſſimè valent, & quod facturæ ſunt, ipſæ omnino facturæ ſunt, quia facturas & valituras eſſe præſciuit, cuius præſcientia falli non poteſt. Et lib. 6. de Trinitat. cap. 10, Hæc quæ creata ſunt à Deo non ideo ſciuntur à Deo, quia creata ſunt: ſed ideo potiùs facta ſunt, quia immu-

A immutabiliter ab eo ſciuntur. Quòd ſi obiicitur, At Dei præſcientiá neque cogit quenquam peccare,neque propriè cauſſa eſt rerum & euentus.libr. 5.de Ciuita.Dei,cap.10,& li.De prædeſt. & grat.c. 15.item De vera innocen.cap.379 , Neminem,ait, Deus ad peccandum cogit,ſed præuidet eos , qui propria voluntate peccabunt. Reſpondeo quod ipſe libr.5.de Ciuitat.Dei,cap.10.ait , Cùm peccat homo,ſponte,non coacta voluntate peccat , & tamen quem præſciuit Deus peccaturum,non poteſt non peccare , quia Dei præſcientia falli non poteſt. Pręſciētia quidem Dei non eſt ipſa cauſſa rerũ,ſed prouidentia potiùs eſt cauſſa rerũ, tamen præſcientia cum prouidentia ſemper coniuncta eſt. Nec aliud præſciuit Deus, quàm quod vult & ordinat fieri : etſi patres , vti docuimus , verentur tam liberè & verè loqui propter Manichæos. Vnde fit vt ſæpe Præſcientia & Prouidentia Dei cõfundantur.Cur autem Deus non creauit Adamũ, qui omnino neque tentari neque peccare poſſet, ratio affertur ab eodem Auguſt. lib. 11. de Geneſ. c.4.6.7.8.quia talem fieri melius erat qui liberi eſ- B ſet arbitrij, & peccare poſſet,ſi vellet,vt Dei & miſericordia & iuſtitia pateſieret illuſtriùs.Hierony. Dialog.3.aduerſ.Pelag.Non ideo peccauit Adam, quia Deus hoc futurũ nouerat:ſed pręſciuit Deus, quod ille erat propria voluntate facturus.

2 *Præſciebat*. Præſcientia ſæpe cum Prædeſtinatione confunditur,ſæpe cum Prouidentia. Eſt tamen ab vtraque diſtinguenda.Præſcientia dicitur πρόγνωσις. Prouidentia ὁρισμὸς & πρόνοια. Ioannes tamen Damaſcenus in diſputatione contra Manich. has voces quinque diſtinguit inter ſe & definit γνῶσιν , πρόγνωσιν , ἐπίγνωσιν , ὁρισμὸν, & προορισμόν. Nos tamen præſcientiæ & prouidētiæ explicatione contenti erimus , Aug.lib. De prædeſt.& grat. c.5.Antequam,ait,faceret nos Deus,pręſciuit nos, & in ipſa nos præſcientia , cùm nondum feciſſet, elegit.Quęrunt Scholaſtici,& Aug.alicubi,Vtrùm apud Deum ſint diſtincta iſta,præſcire aliquid,facere, & eligere , cùm omnia ſimul videat & faciat Deus in nunc æternitatis , & nihil ſit apud eum prius vel poſterius.Reſpõſio eſt,Ratione noſtri & C docendi gratia in Deo diſtingui iſta , non ratione Dei ipſius. Ergo aliud eſt Præſcientia,aliud Prouidentia,ſi per ſe res hæ ſpectentur.Pręſcientia eſt clariſsima & certiſsima cognitio, quæ eſt in Deo tum ſui ipſius,tũ omniũ eorum,quæ ſunt,fuerunt, vel futura ſunt. Illa autem cognoſcit Deus nõ per viſa & ſpecies obiectas quemadmodum nos facimus:ſed per ipſam rerum ſubſtantiam : non item diſcurſiuè,vti loquuntur,ſed vno momento. Denique eſt infallibilis illius vnius præſcientia. At prouidentia Dei , eſt ipſius decretum iuſtum, per quod ſingula ordinat in ſuum finem,& media ipſa per quæ ad eum eſt perueniendum. Hæc propriè eſt cauſſa rerum. itaque dicitur Mundus ab æterno fuiſſe in Deo : De prædeſtinatione & grat.capite 5.Itaque nihil Deo eſt fortuitum , neque caſu factum. Nobis quidem videntur quædam contingentia,quaſi per ſe in vtramque partem euentura,vti rota figuli quæ in dexteram vel ſiniſtram æquè verti poteſt : ſed reuera & ratione Dei iſta decernentis nihil eſt contingens. Denique hæc eadem Prouidentia Dei ſæpe mediis vtitur aliquibus ad exequendum decretum ſuum,& iis A etiam vel

{ Ordinariis & naturalibus.
{ Extraordinariis & ſupranaturalibus:

ſæpe autem nullis.Auguſt.lib.9.de Geneſ. ad lit. ca.17.Et hoc ipſum eſt quod ait Auguſt.li.8. eiuſdem operis capite 12.& 21.Dei prouidentia vel

{ facit res,vt ſint:
{ Regit,vt efficiant,quod ipſe vult.

Denique lib.9.cap.14.& 15.& lib.8.cap,9.ait Auguſt.Prouidentiæ actio eſt duplex, vel

{ Naturalis per vires naturalibus rebus conceſſas,& inditas agens:
{ Voluntaria,per homines & Angelos.

Vbi tamen hæc Bernard. ſententia Serm.5. Cant. eſt veriſsima : Operatur Deus immenſa & innumera per ſubiectam creaturã corporalem vel ſpiritualẽ,ſed quaſi imperans,non quaſi mendicans.Solus nullius indiget , ſolus & ſibi omnibus de ſola omnipotenti voluntate ſufficiens. Inſtrumentum non quærit ſibi noſtræ corporeę auris,nec oris.Et quod reb. à ſe creatis vtitur vti inſtrumentis , eſt indulgentia,non indigentia. Hæc Bernard. Ergo B ita hæc ſpectantur & diſtinguuntur,prout diuerſis mediis,id eſt,inſtrumentis animatis ,vel inanimis vtitur Deus ad decreti ſui executionem. Ockan in lib.1.Sent.Diſt.42.ſic ſcribit , Nunquam negauerunt Philoſophi Deum eſſe cauſſam immediatam omnium effectuum , quanuis non totalem : quod vtrum verum ſit,viderit ipſe. Facilè enim aliud ex eorum ſcriptis doceri poteſt,vti ex lib.de Mundo Ariſtotelis.

CAP. CV.

Vtranque hominis conditionem rectè à Deo inſtitutam,primam quidem,in qua potuit homo peccare: poſtremam , in qua amplius peccare non poterit.

SIc enim [1]*oportebat prius hominem fieri, vt & bene velle poſſet & male,poſtea verò ſic erit,vt malè velle non poſſit,nec ideo libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit ſeruire peccato. Neque enim culpanda eſt voluntas, aut voluntas non eſt , aut libera dicenda non eſt , qua beati* C *eſſe ſic volumus,vt eſſe miſeri non ſolùm nolimus,ſed nequaquam prorſus velle poſſimus. Sicut ergo nunc etiam anima noſtra nolle infelicitatem,ita tunc nolle iniquitatem ſemper habitura eſt. Sed ordo prætermittendus non fuit,in quo Deus voluit oſtendere,quàm bonum ſit animal rationale,quod etiam peccare poſſit,quanuis ſit melius quod peccare non poſſit:ſicut minor fuit immortalitas,ſed tamen fuit,in qua poſſet etiam mori,quanuis maior futura ſit,in qua non poſſit mori.*

1 *Sic enim.* Ex ſuperioribus diſputationibus ſatis intelligi & transferri poteſt quod pertinet ad huius loci explicationem.

DE VOLVNTATE humana.

CAP. CVI.

Hominis voluntas hodie peccati ſerua eſt,nec niſi diuina gratia liberatur.prima hominis voluntas ante peccatum libera quidem fuit, tamen ſine diuino adiutorio originalem iuſtitiam retinere non poterat.

ILlam[1] natura humana perdidit per liberum arbitrium: & hanc eſt acceptura per gratiam, quam fuerat (ſi non peccaſſet) acceptura per[2] meritum, quanuis ſine gratia nec tunc vllum meritũ eſſe potuiſſet: quia etſi peccatum in ſolo libero arbitrio erat conſtitutum, non tamen iuſtitiæ retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni diuinum[3] adiutorium præberetur. Sicut enim mori eſt in hominis[4] poteſtate, cùm velit, (nemo eſt enim, qui non ſeipſum vt nihil aliud dicam, vel non veſcendo poſſit occidere:) Ad vitam verò tenendam voluntas non ſatis eſt, ſi adiutoria ſiue alimentorum, ſiue tutaminum deſint. Sic homo in paradiſo ad ſeſe occidendum, relinquendo iuſtitiam, idoneus erat per voluntatem: vt autem ab eo teneretur vita iuſtitiæ, parum erat velle, niſi ille, qui eum fecerat, adiuuaret. Sed poſt[5] illam ruinam maior eſt miſericordia Dei, quando & ipſum liberum arbitrium liberandũ eſt à ſeruitute, cui dominatur cum morte peccatum. Nec omnino per ſeipſam, ſed per ſolam Dei gratiam (quæ[6] in fide Chriſti poſita eſt) liberatur, vt voluntas ipſa ſicut ſcriptum eſt, à Domino præparetur, qua cætera Dei munera capiantur, per quæ venitur ad munus æternum.

1 *Illam.* Apparet ex ſequenti tractatu vocem hanc, Illam, referendam eſſe ad voluntatem hominis, de qua proximo capite ſuperiori facta mentio eſt, non autem ad vitam æternam. Explicat enim Auguſt. voluntatis humanæ duplicem ſtatum. Primum, nempe & qualis ante peccatum in primo homine erat: & ſecundum, id eſt, qualis nunc eſt in ſingulis hominibus. Cur autem hanc diſputationẽ repetat, quam ſuprà cap.30. abſoluiſſe videbatur, ratio eſt, non tantùm, quòd hæc cognitio ſit vtiliſſima: ſed etiam quòd maximè tunc neceſſaria fuit propter recentem Pelagianorum inſaniam, vt ipſe Auguſt. loquitur: nunc etiam propter Scholaſticorum & operiſtarum furores, qui eôdem iterum impingunt & nos reuocant. Itaque fideliter & diligenter hanc doctrinam meditandam eſſe ſcribit idem Homil. li.50. Homil.14. quia docet de nobis humiliter ſentire. Non enim qui in ſe, ſed qui in Domino gloriatur, ſaluus erit.

2 *Per meritum.* Exponit poſtea ſeipſum, ne aliquam meriti operum extra Dei gratiam ſtatuendi anſam dediſſe videatur. Ergo hoc vult, ne primum quidem hominem purum, & integrum ſine Dei gratia mereri potuiſſe, nedum vt nunc nos ſerui peccati mereri queamus. Omnium enim bonorum effectuum & operum authorem Deum profitemur: De Eccleſ. dogmat. cap.32. Videant ergo Scholaſtici quomodo ex mente Auguſt. ſe operũ meritũ ſtatuere dicant, niſi ea ratione, quòd Deus tãtæ eſt erga homines benignitatis, vt noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. Nã & in primo atque integro homine vera eſt illa Auguſtini ſententia, li.50. Homil.14. Cùm coronat Deus merita tua, nihil coronat niſi dona ſua, ergo multo magis in nobis nunc merces noſtra, eſt Dei gratia.

3 *Diuinum adiutorium.* Quàm perplexa ſit, obſcura & inanis tota Scholaſticorum diſputatio de diuino adiutorio, quod primi & integri adhuc hominis voluntati neceſſarium erat, apparet ex Vignierij inſtitutione. Hæc Lombardi ſententia fuit lib.2. diſt.24. potuiſſe quidem Adamum per gratiam creationis, reſiſtere malo: per eandem tamẽ, niſi alio adiutorio diuino adiuuaretur homo, non potuiſſe perficere bonum. Cur ita? quia aliquid homini tribuẽdum putauit. Sed ipſe ſe ſatis iugulat, cùm ita loquitur, Per gratiã creationis. Nec enim gratia poteſt dici niſi quæ ex mero Dei dono, non ex vllis hominis operibus pendet. Aliter planè Auguſt. & hîc & alibi. Omnia enim puri hominis & adhuc ſani opera bona, vires etiam ipſas naturales vni Deo vindicat. Quod & verum eſt. Itaque idẽ Augu. Dederat, ait, Deus homini bonam voluntatem, in illa quippe cum fecerat rectum: dederat adiutoriũ, ſine quo nõ poſſet in ea manere, ſi vellet, & per quod poſſet. Acceperat poſſe, ſi vellet: ſed non habuit velle, quo poſſet. Nam ſi habuiſſet, perſeueraſſet. Sed ne iſtius primæ naturæ viribus putetur homo ſalutem ſuam fuiſſe operaturus & executurus ſine Dei gratia, diſertè addit Auguſtinus, etiam primam illam naturam eguiſſe Dei auxilio, non quòd & primas ipſas vires hominis non agnoſcat Auguſt. in nobis Dei dona, atque etiam gratuita eſſe.

4 *Poteſtate.* Videtur quod hoc loco ſcribit Auguſt. pugnare cum eo quod eſt Iob.14. ver.5. numerum dierum noſtrorum eſſe à Deo definitum, qui neque minui, neque augeri poteſt. Et Pſal.68. ver.21. dicitur Deus habere exitus mortis in poteſtate. Sed loquitur hîc Auguſt. κατ' ἄνθρωπον, & ea ratione qua vulgò ſolemus, quia ſeſe perdere, quàm ſeruare longè facilius eſt, & ita experimur. Tamen citra Dei voluntatem hinc nõ egredimur, nec niſi poſt tempus ab eo ipſo conſtitutum.

5 *Sed poſt illam.* Hic ſtatus eſt cauſſæ, qualis ſit iam poſt peccatum noſtra voluntas. Dicam breuiter quid docuerit Auguſt. variis ſuis opuſculis. Arbitrium ab arbitrando rationali conſideratione dictum eſt, lib.3. Hypognoſt. vel à diſcernendo quid eligat, quídve recuſet. Liberum dicitur quod habet in ſua poteſtate poſſibilitatem eligendi quod velit. Itaque eſt animæ rationalis motus. Huiuſmodi fuit in homine protoplaſto, quum ante peccatum maneret illæſus. Bernard. in Sermo. De duplici Baptiſmo, Serpens ô Eua decepit te, decepit profectò, non impulit, non coegit. Neque enim poteſtate illius, ſed tua factum eſt volũtate, vt eius voci plus obedieris, quàm diuinæ. Sed poſt peccatum facta eſt hominis voluntas ſerua peccati, non quòd voluntatem & conſenſum homo amiſerit: ſed ad bonum poſſibilitatem. Nam prorſus inepta eſt & per ſe impotens hominis voluntas ad bonũ expetendum, quando ne ad illud quidem cogitãdum per ſe idonea eſt. De Eccle. Dogma. cap.32. & 56. & lib. De natur. & grat. cap.53. Quid tantum de naturæ, ait, poſſibilitate quæritur? vulnerata, ſauciata, vexata, perdita eſt, vera confeſſione non falſa defenſione opus habet. Ergo hominis voluntas captiuo motu non tamẽ coacto, verſatur in vitio, neque inde emergere poteſt, ac ne vult quidem. Bernard. Sermo.81. in Cantica, Neſcio quo prauo & miro modo ipſa ſibi voluntas peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit: Vt nec neceſſitas, cùm voluntaria ſit, excuſare valeat volũtatem: nec voluntas, cùm ſit illecta, excludere neceſſitatem. Eſt enim neceſſitas hæc quodammodo voluntaria. eſt fauorabilis vis quædam premendo blandiens & blandiendo premẽs. Ita anima miro quodam & malo modo ſub hac voluntaria quadam ac malè libera neceſſitate & ancilla tenetur & libera. Ancilla, propter neceſſitatem, libera propter voluntatem. Hæc Bernard. Non equidem quòd inuitus & coactus quiſquam peccet, (nam

A cet,(nam volens & lubenter peccat) boni tamen aliquid velle homo non poteſt,niſi à Deo nõ modò adiuuetur,ſed & præueniatur,li.1.contra duas epiſto.Pelagiano.cap.2.& 3.Attamẽ,ait idem Auguſt.liberum arbitrium in peccatore non periit. Reſ. Ita loquitur,quia ſciens, voléſque peccat, quicunque peccat.Nec liber eſt quiſquam à iuſtitia,niſi arbitrio,id eſt,conſenſu volũtatis. Defendit enim eo tantùm ſenſu liberum arbitrium Auguſt.In Euangel.Ioan.Tract.53,ne excuſetur peccatum, quia cum delectatione peccant, qui peccant: non quòd hominis voluntas ſine Dei gratia & præueniente & adiuuante,& flectente ſe erigere poſſit vel velit.Nam metuẽdum eſt,ait De grat. & liber.arbit.ad Valent.cap.4, ne ſic liberum arbitrium ſtatuatur & inducatur, vt ad vitam piam & bonam conuerſationem locus gratiæ Dei & adiutorio nõ relinquatur.Valet igitur liberumarbitrium ad bona opera,ſi diuinitus adiuuetur. In ſolutio. quæſtio. Hilar.quæſt.1. Deſertum verò à diuino adiutorio habet tantùm exitioſum timorem.Neque tantùm vt ſit homo bona arbor, ſed B etiam vt bonos fructus operetur eget Dei auxilio lib.1.contra Pelag.cap.19. Tantillum eſt nimirum quod appellat Auguſt. liberum arbitrium in bonis operibus,nempe ipſius voluntatis noſtræ cõſenſum, qui datur & flectitur à Deo, mera gratia & nos præueniente & in nobis operante,id quod adiuuare dixit Auguſtin. Vide quæ D.Caluinus de eodem argumẽto vtiliſſimè collegit ex hoc eodẽ Auguſt. contra Pighium hæreticum Pelagianis ſimillimum. Cur igitur,dicet quis,quædam opera bona fieri præcepit Dominus in lege ſua? Reſpon. Primùm, vt homo excuſationem de ignorantia non habeat.De Grat.& libero arbit.cap.2. Deinde iubendo admonet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.De natu.& grat.ca.43. Homo enim gratia Dei iuuatur,ne ſine cauſſa voluntati eius iubeatur.Denique, ait idem, De grat.& liber.arbit.cap.4.quod Lex imperat, fides impetrat:Iubet Deus continentiam,& dat continentiã. In ſolutio,quæſt.Hilar. quæſt.1. Huiuſmodi tantùm arbitrium in hominibus agnouit orthodoxa eccleſia,non quale hodie Scholaſtici prædicant.

C 6 *Quæ in fide.* Puto eſſe gloſſema, etſi habet codex manuſcriptus.Nec enim gratia propriè eſt fides,ſed fidei cauſſa.Nec liberatio volũtatis noſtrę à ſeruitute peccati eſt fides,ſed fidei in Chriſto effectus. Ait quidem Auguſtinus contra duas epiſtolas Pelagia.lib.1.ca.3. Nemo poteſt habere voluntatem iuſtam,niſi nullis præcedẽtibus meritis acceperit veram, id eſt, gratuitam gratiam. Ergo hęc interiecta expoſitio videtur effecta cum cauſſis confundere.

CAP. CVII.

Peccauit homo libero arbitrio, & idcirco mors illi debita fuit,& meritò inflicta: vita autem æterna fuit ſemper, id eſt & primo homini & nobis gratia Dei gratuita.

VNde & ipſam[1] vitam æternam quæ [2] certa merces eſt operum bonorum, gratiam Dei appellat Apoſtolus. Stipẽdium enim,inquit,peccati,mors: gratia autem Dei, vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro.Stipendium [4] pro opere militiæ debitum redditur non donatur.ideo dixit, Stipendium peccati, mors, vt mortem peccato non immeritò illatam, ſed debitam demonſtraret. Gratia verò niſi gratis ſit, gratia non eſt. Intelligendũ eſt igitur etiã ipſa hominis bona merita [5] eſſe Dei munera, quibus cũ vita æterna redditur, quid niſi gratia pro gratia redditur? Sic ergo factꝰ eſt homo rectus, vt & manere in ea rectitudine poſſet non ſine adiutorio diuino, & ſuo fieri peruerſus arbitrio. Vtrumlibet horũ eligeret, Dei voluntas [6] fieret, aut etiam ab illo, aut certè de illo. Proinde quia ſuam maluit facere quàm Dei, de illo facta eſt voluntas Dei, qui ex eadem maſſa perditionis, quæ de illius ſtirpe profluxit, facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: In honorem, per miſericordiam: In contumeliam, per iudicium: vt nemo glorietur in homine, ac per hoc, nec in ſe.

1 *Vnde & ipſam.* Confirmat ſuam ſententiam authoritate Pauli, qui in vniuerſum & in omnibus ſiue primo homine, ſiue hodie in nobis, appellat vitam æternam,gratiam. Hoc quemadmodum generaliter à Paulo ſcriptum eſt, ita & generaliter interpretatur Auguſtinus, vt appareat etiã in Adamo,etſi purus manſiſſet,vitam æternã non illius meritis fuiſſe tribuendam. B Itaque nec illum, niſi Dei adiutorio,iuſtitiam fuiſſe retenturum.

2 *Certa merces.* Etſi verum eſt appellari vitam ęternam mercedem(Qui fecerit iſta,viuet in iſtis, Leuit.18.verſ.5.Galat.3.verſ.12.) tamen non propriè merces eſt,quia eatenus bonis operibus promiſſa à Deo eſt,quatenus illa Deus ſua gratia tanti dignatur,non quòd per ſe tanti ſint. Deinde videtur hæc parentheſis interpretationi Auguſtini malè quadrare,qui gratiam & mercedẽ vti ἀντίθετα implacabilia hîc opponit.Itaque videtur eſſe gloſſema idcirco à quodam adiectum,quòd ea ratione mentem Auguſtini illuſtrari poſſe exiſtimaret. Sed parum vidit & obſeruauit quid ſibi vellet hic locus,quicunque hoc addidit.

3 *Apoſtolus.* Locus eſt Roma.5.v.23.

4 *Stipendium.* Ait Paulus τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας, θάνατος. Vox ὀψώνιον eſt publicus commeatus, qui iis ex legis conſtituto debetur qui munus aliquod publicum gerunt. Nazianzenus. C Ergo rectè argumẽtatur Auguſtinus nõ à vocis quidem etymo,ſed à mente & ratione ſententiæ,propter quã Paulus appellauit mortem ὀψώνιον & ſtipendium peccati.

5 *Hominis merita.* In lib.50.Homil. homil.14, Noſtra bona opera ſunt Dei dona, In Pſa.49, Qui meritis ſuis fidit,non vult Deum laudari, lib.De grat.& liber.arbitrio.cap.7, Bona merita tua ſunt Dei dona.

6 *Voluntas fieret.* Hic fuit ſcopus huius diſputationis,quæ longa digreſſione interrupta fuit, vt doceret nihil fieri contra Dei voluntatem,quia ille eſt omnipotens.

CAP. CVIII.

Tam verè ſalus noſtra eſt à Deo, vt ne quidem per Chriſtum ſalui fieri potuiſſemus, niſi fuiſſet ille vt homo, ſic & Deus.

NAm neque per ipſum liberaremur vnum mediatorem Dei & hominum hominem Ieſum Chriſtũ, niſi eſſet & Deus. Sed cùm factus eſt Adam homo ſcilicet rectus, mediatore non [1] opus erat. Cùm vero genus

A *humanum peccata ſeparauerunt longè à Deo, per mediatorem (qui ſolus ſine peccato natus eſt, vixit & occiſus eſt) reconciliari nos oportebat Deo vſque*[2] *ad carnis reſurrectionem in vitam æternam, vt*[3] *& humana ſuperbia per humilitatem Dei argueretur, ac ſanaretur, & demonſtraretur homini quàm longè à Deo receſſerat, cùm per incarnatum Deum reuocaretur: & per hominē Deum exemplum obedientiæ contumaci homini præberetur, & vnigenito ſuſcipiente formam ſerui, quæ nihil ante meruerat, fons gratiæ panderetur, & carnis etiam reſurrectio redemptis promiſſa in ipſo redemptore præmonſtraretur, & per eandem naturam, quam ſe decepiſſe lætabatur diabolus, vinceretur: Nec tamen homo gloriaretur, ne iterum ſuperbia naſceretur: & ſi quid aliud de tanto mediatoris ſacramento à proficientibus videri & dici poteſt: aut tantùm videri, etiam ſi non dici poteſt.*

1 *Mediatore.* Ex hoc loco apparet Oſiandri ſententiam de incarnatione Verbi & Filij Dei, etſi homo primus non peccaſſet, non modò falſam eſſe, cùm nullam eius aliam rationem Scriptura afferat, quàm Adami peccatum: ſed etiam piæ, eruditæ, & orthodoxæ vetuſtati contrariam, cùm patres nunquam de incarnatione Chriſti cogitarint, B niſi quatenus illa eſt læſæ & penè internecione deletæ humanæ naturæ medicina atque remediū. Remedia autem ſanis non ſunt neceſſaria, ſed malè habentibus, ait Chriſtus, & ſunt ordinis ratione morbis ipſis poſteriora. Sed in eum errorem inductus eſt Oſiander, quòd Dei imaginē nō poſſet cogitare in homine aliam, quàm corporis quādam delineationem. Id quod proximè ad Anthropomorphitarū hæreſin accedit. Aug. autem eā in rectitudine mentis ſiue conſcientiæ, & lumine cognitionis ſiue rationis collocat & quærit, ídque & pientiſſimè & rectiſſimè, lib. 12. De geneſ. ad liter. Nec obſtat quod Irenæ. ſcribit lib. 5. ca. 14. numero 4. Qui autem in corpore humano viuo, non autem mortuo Dei imaginem collocant, proximum eſt vt ad Anthropomorphitarum hæreſin accedant. Quorum ſententia defendi non poteſt. Oſiandri vero delirium iampridem Petrus Abailardus tempore Bernard. ſparſerat, vt ipſe ſcribit C epiſt. 190. qui Chriſtum propter ſalutem noſtram hominem factum eſſe negabat. Huius autē Abailardi hæc verba fuerūt, Quę itaque neceſſitas fuit, quę ratio, aut quod opus, cùm ſola iuſſione ſua diuina miſeratio liberare hominem à peccato poſſet, propter redemptionem noſtram filium Dei, carne ſuſcepta, tot & tantas inedias, opprobria, flagella, ſputa, denique ipſam crucis ignominiam ſuſtinere? Quam tamen ſententiam refutat ibi Bernard.

2 *Vſque ad carnis.* Non quòd tamen poſt carnis reſurrectionem Deo reconciliati non maneamus. Nam eſt æternus mortis & reſurrectionis Chriſti erga fideles & pios fructus, & ſedet ille in perpetuum pro iis intercedens, Heb. 10. verſ. 12: ſed ita loquitur Aug. vti Paul. 1. Cor. 15. v. 28. nimirum quòd vſque ad carnis reſurrectionem dilatum eſt plenum vitæ æternæ & reconciliationis noſtræ per Chriſtum factæ beneficium. Vide etiam infrà cap. 109. & lib. 12. de geneſ. cap. 31.

3 *Vt & humana.* Quot & quàm penè innumerabiles ex morte Chriſti fructus ad nos perueniant, ſuprà explicatum eſt: & hîc Auguſtin. enumerat octo maximos. 1, Exemplum humilitatis. 2, Exemplum obediētiæ. 3, Peccati hominis A grauitas inde intelligitur & enormitas. 4, Fōs gratiæ apertus eſt & effuſus in homine. 5, Humana natura nobilitata. 6, Diabolus victus. 7, Deiecta hominis ſuperbia. 8, Dei gratia merè in ſaluandis hominibus gratuita patefacta. Vide. lib. 13. de Trinita. cap. 13. 14. 15. 17. vbi copioſè idem Auguſtinus. Vide triplicem fructum apud Petrum. 1. Pet. 2. v. 21. & 24. Patientiæ exēplum, redemptionem, Iuſtificationem noſtram.

DE ANIMARVM NOſtrarum poſt hanc vitam loco & ſtatu.

CAP. CIX.

Animas hominum ſtatim poſt mortem certis receptaculis contineri ad diem vſque extremum.

TEmpus autem quod inter hominis mortem & vltimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis[1] *receptaculis continet, ſicut vnaquæque digna eſt vel requie, vel ærumna, pro eo quod ſortita eſt in carne cùm viueret.*

1 *Abditis receptaculis.* Anceps & perplexa quæ- B ſtio, de qua non eſt eadem omnium ſententia, ſed nec ipſius quidem Auguſtini ſemper ſibi conſtās. Primùm explicabo ea quæ ad hunc locum pertinent, poſtea quid de hoc argumento veteres ſenſerint & alij, colligam. Nam D. Caluinus hāc problematicam eſſe & mediam dixit libro 4. Inſtit. c. 1. ſect. 12. Ac primùm videtur hic locus ſumptus eſſe ex Irenæo antiquiſſimo ſcriptore libr. 5. capit. vlt. vbi his verbis extat, Manifeſtum eſt, ait, quia & diſcipulorum eius (propter quos & hæc operatus eſt Dominus) animæ abibūt in inuiſibilem locum definitum eis à Deo, & ibi vſque ad reſurrectionem commorabuntur, ſuſtinentes reſurrectionem, pòſt recipientes corpora, & perfectè reſurgentes. Idem lib. 2. cap. 62. ait, Quæque gens, id eſt, quiſque noſtrûm dignam habitationem ante iudicium accipit poſt mortem. Sed quod hîc tam certò affirmat Auguſt. alibi tanquam dubium & incertum quærit, & putat liquidò affirmari poſſe C piorum animas in eum locum poſt mortem ſtatim ferri, qui eſt omnibus & corporibus & corporum ſimilitudinibus excellentior. Eſt autem is locus ſupra omnes cœlos, & cœlum Chriſti. Itaque ſic ſcribit ipſe lib. 12. de geneſ. ad lit. cap. 32, Si autem quæritur, ait, cùm anima de corpore exierit, vtrùm ad aliqua loca corporalia feratur, an ad incorporalia corporalibus ſimilia: an verò nec ad ipſa, ſed ad illud, quod & corporibus & corporū ſimilitudinibus eſt excellētius. Citò reſponderim ad corporalia loca eam vel non ferri, niſi cum aliquo corpore: vel non localiter ferri. Iam vtrùm anima habeat aliquod corpus, cùm de hoc corpore exierit, oſtendat qui poteſt: ego autem non puto: ſpiritalem enim arbitror eſſe, non corporalem, &c. Conuenit cum eo quod idem ſcribit in Ioann. tractat. 49. vbi diſertè vult animas piorum, poſtquàm ex his corporibus exceſſerint, quoad locum, eſſe cum Chriſto, iuxta illud Ioan. 17. verſu 24, Pater, volo vt vbi ego ſum, &c. & Luc. 23. verſ. 43, Hodie mecum eris in paradiſo. Et apertius idem Sermo. 15. de ſanctis, Animæ

A ſanctorum credendæ ſunt eſſe cum Chriſto,ait. At tamen ipſe idem alibi putat Paradiſum non loci, ſed felicitatis tantùm nomen eſſe, quæ etiam extra cœlum poſſit piis contingere. Quę eadem ſors bonorum,dicitur Sinus Abrahæ. Sic libr.12. De geneſ.cap.34. Vnde etiam illic erunt piorum animæ ex ſententia Auguſtini,id eſt,extra cœlũ. Alibi dubitat,vtrùm Paradiſus ſit corporalis locus,an ſpiritalis,lib.8.de gen.cap.1.& 5. Denique ibidem planè ambigit vtrùm animarum receptacula ſint corporea,vt illic animæ corporibus exutæ,corporalibus tamen locis contineantur. Quid vlterius? lib.15.De Trinitate cap.26. De animabus piorum & earum ſtatu agens ante reſurrectionem, Suſcipiuntur,ait,à bonis angelis,malis omnib.liberatæ per mediatorem Dei & hominum hominem Ieſum Chriſtum. Conſtituuntur autem purgatæ ab omni cogitatione corruptionis in placidis ſedibus,donec recipiant corpora ſua,ſed iam incorruptibilia,quæ ornent,non onerent. Idem libr.13. De ciuitate Dei,ca.8.Et cùm in hac quæſtione ita vexaretur Auguſtinus,ſéque tam varium videret, non dubitauit tandem profiteri,Melius eſt dubitare B de occultis,quàm litigare de incertis, li.8.De gen.cap.5. Scholaſtici hanc animi modeſtiam non retinuerunt,ſed ita ſentiunt & magiſtraliter definiũt, animas hominum eſſe in certis receptaculis. Illa autem eſſe loca corporalia à Deo determinata pro gradu & dignitate meriti earum vel demeriti, in quibus ſint animæ ſecundùm congruentiã quãdam, prout à ſubſtantia,quam in corporibus ſuis habuerunt,magis minúſque elongantur. Certè viri docti variè hîc ſenſerunt. Iã ad veterum ſententias de ea re veniamus. Ac primùm ſcribit Chryſoſtomus in Homil.De Laza.& in Matth.8. Homil. 29. quoſdam ſuo ſeculo exiſtimaſſe animas eorum, qui violenta morte interiiſſent, verti in cacodæmonas & illis obſequi qui eorum hominũ cædis authores fuiſſent,vel circa ſepulchra vagari. Hoc inuenit Sathan,ait Chryſoſtomus, vt martyrum gloriam obſcuraret. Itaque cùm hoc tam manifeſtum delirium obtinere non poſſet, aliud finxit cuius fuit propugnator Gregor.Magnus,& ex Rabbinorum Hebræorum commentis ſumptum C videtur,nimirum defunctorũ ſpiritus quoſdam poſt mortem deſtinari à Deo vt balneis inſeruiant: alios ad alia duriora exercitia per orbem terrarum exequenda. Hinc firmamentum magnum purgatorio igni repertum eſt. Sed cùm hic ignis verbo Dei extinctus eſſet, alium errorem ſparſit,& Anabaptiſtas excitauit Sathan, qui dicerent animas hominum defunctorum in ſuis ſepulchris iacere & dormire vſque ad diem reſurrectionis. de quo errore iampridem actum eſt, vt docet Euſeb.lib.6.Hiſtor.eccleſiaſt.cap.6. & noſtro ſeculo fortiſsimè eum repreſsit D. Caluinus præclaro opere qui inſcribitur Aduerſ. Pſychopannychiam. Denique poſtremi extiterunt ij qui cælum & paradiſum eſſe locum vllum certum negarunt, neque etiam infernum: ſed vtrunque ab animabus piorum vel impiorum vbicunque illæ eſſent geſtari dicerent, ne Chriſti corpus certo in loco conſtituere cogantur. Ergo triplex error ex hoc loco natus eſt, Purgatorij,Pſychopannychiſtarum,& eorum qui geſtatorios cęlos faciunt. Ad quos omnes iugulandos ex verbo Dei demonſtrauit Th. Beza in Theolog. epiſt.82. ad fratres Ruthenos,animas piorũ ſtatim poſt hanc vitã recipi A in cælum: impiorum detrudi in infernum: vbi tamen vtrique reſurrectionem expectent corporũ, & nondum plenè aſſecuti ſint quod in iis futurum eſt.Greg.Mag.lib.4.ca.28.apertè animas ſanctorũ in cęlo fatetur eſſe,& Olympiodor.in Eccleſiaſtẽ. c.3.& eam nos ipſi ſententiã amplectimur,vti maioris conſolationis etiam plenam. Vide P.Martyr. in 1.Reg.22.v.23.Auguſtinum lib.2.retractat.c.24.

CAP. CX.

Viuorum hominum opera pia quatenus & quibus defunctis proſint.

Neque negandum eſt defunctorum animas pietate ſuorum viuentium releuari[1]*,cùm pro illis ſacrificium mediatoris*[2] *offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt. Sed eis hæc proſunt, qui cùm viuerent,vt hæc ſibi poſtea prodeſſe poſſent,meruerunt.Eſt enim quidam viuendi modus, nec tam bonus vt non requirat iſta poſt* B *mortem, nec tam malus, vt ei non proſint iſta poſt mortem. Eſt verò talis in bono, vt iſta non requirat: & eſt rurſus talis in malo,vt nec his valeat, cùm hæc vita tranſierit,adiuuari. Quocirca hîc omne meritum comparatur, quo poſſit poſt hanc vitam releuari quiſpiam vel grauari.Nemo autem ſe ſperet quod hîc neglexerit, cùm obierit,apud Deum promereri.Non igitur iſta quæ pro defunctis commendandis frequentat*[3] *Eccleſia, illi Apoſtolicæ ſunt aduerſa ſententiæ qua dictum eſt,Omnes*[4] *enim aſtabimus ante tribunal Chriſti,vt referat vnuſquiſque ſecundum ea, quæ per corpus geſſit,ſiue bonum ſiue malum: quia etiam hoc meritum ſibi quiſque cùm in corpore viueret, comparauit, vt ei poſſent iſta prodeſſe.Non enim omnibus proſunt. Et quare non omnibus proſunt, niſi propter differentiam vitæ quam quiſque geſſit in corpore? Cùm ergo ſacrificia ſiue altaris ſiue quarumcunque eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis, gratiarum actiones ſunt: pro non valde malis, propitiationes ſunt: Pro valde malis, etſi nulla ſunt adiumenta mortuorum, qualeſcunque viuorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt,aut ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſſio: aut certè vt tolerabilior fiat ipſa damnatio.*

C 1 *Releuari.* Hoc totum caput continet næuum & ἀκυρολογίαν Auguſtini. Ortus autem eſt hic error ex alio errore, nempe ex igne purgatorio, qui iam incenſus fuerat, vt animæ hominum non omnino rebellium humana quadam commiſeratione etiam poſt mortem ſubleuarentur & purgarentur à peccatis. Quod nullo quidem verbi Dei fundamento factum eſt, imò verò potiùs magna ipſius ruina.Sed vt abyſſus abyſſum vocat,ait Pſal. 42,& paruus error in principio poſtea fit magnus, ait Ariſtot.lib.1.De cælo, ita tenues illæ & leues primùm de igne purgatorio ſcintillæ & opiniones magnas poſtea flammas, calamitates & hæreſes pepererunt & excitarunt. Ergo ſic illo ſeculo iã apud quoſdã obtinebat, vt putarent quaſdam defunctorum piorum animas bonis & pijs ſuorũ adhuc viuentium operibus poſſe iuuari. Hinc deinde natæ ſunt magnæ Chriſtianiſmi labes, quæ regnant in Papatu, nimirum ſatisfieri pro peccatis defunctorum poſſe à viuentibus. Indulgentiarum doctrina ex eodem fonte nata. Denique anniuerſariæ miſſæ, fundationes omnium

A eccleſiæ Romanæ redituum, qui ſunt nunc opulentiſsimi. Auxit hunc errorem etiam liber eiuſdem Auguſt. De cura pro mortuis habenda, quẽ cùm ille primùm & ſolùm ad eos ſcripſiſſet, qui quærebant vtrùm proſit Chriſtiano poſt mortem quòd corpus eius apud Sancti alicuius memoriam ſepeliatur,longiùs interpretatione quadã ab iſtius erroris fautoribus hominibus tractus & productus eſt,lib.2.Retract.cap.64. De quo opere præclarè D.Caluinus libro 3.Inſtitut. Chriſtia.cap.5. ſect.10,Liber, ait, de cura pro mortuis agenda ab eo compoſitus, tot hæſitationes continet, vt ſuo frigore meritò debeat ſtulti zeli calorẽ extinguere,ſi quis mortuorum patronus eſſe appetat.Præterea eundem librũ multis additamentis à ſuperſtitioſis monachis inſertũ fuiſſe dubitari non debet.Sed nec ſemper in vna & eadem ſententia manet Auguſt. quando alibi apertè docet & ſcribit, nullum auxilium miſericordiæ poſſe præberi à iuſtis defunctorum animabus, etiãſi maximè velint iuſti præbere,quia eſt immutabilis diuina ſententia de illis iam prolata.Ita ſentit libro 2. Quæſtio. B Euangelicar.cap.38. Nec enim pendet iudicium Dei de mortuorum animabus,ſed ſtatim fit & certum eſt, quia, vt ipſe idem ait,qualis quiſque moritur,talis à Deo iudicatur,nec poteſt mutari, corrigi vel minui diuina ſententia. Ad Heſych.epiſt. 80.Ergo cùm ſibi non conſtet Auguſtinus,nõ debemus moueri hoc ipſius dicto,quia & verbo Dei .i.iuſto firmamento caret,& fidei certitudine.Denique petit hîc apertè principium Auguſt.cùm affirmat animas defunctorum per bona viuentium opera releuari.Sequeretur enim neceſſariò eas ſcire & ſentire quæ hîc agũtur. Quod verum eſſe negat ſæpe quidem Auguſt.libr. De ſpir.& anim.ca. 29. De cura pro mortuis,cap.13.Nunquam autem & nullibi liquidò affirmat, ac ne quidem in Pſal. 108.vbi potiſsimùm hanc quæſtionem tractat,nec in libro De cura pro mortuis, cap.15. Itaque hîc fœnum & ſtipulam ædificat vir pius & magnus. Hoc caput tamen tranſcriptum eſt in Cano. Tempus 13. quæſt.2.& à P. Lombardo lib. 4. Sentent. Diſt.45.cap.2.

2 *Sacrificium Mediatoris.* In Cœna Domini C fieri cœpta eſt primùm memoria Martyrum Dei defunctorum, qui glorioſè pro nomine Chriſti occubuerant,vt fierent alij ad Euangelij doctrinã profitendam animoſiores & conſtantiores. Poſtea verò paulatim cœpit eorum memoria in eadẽ Cœnæ actione celebrari,qui martyres quidem nõ fuerant, ſed qui morientes in ea ſui memoriam fieri poſtulauerunt, demum omnium baptizatorum facta eſt, vt ſcribit hîc Auguſt. Appellat autem hîc Auguſti. Cœnam Domini noſtri Ieſu Chriſti,Sacrificium, quia vt ipſe ait lib.10. de Ciuita. Dei cap.20,eſt ſacramentum ſacrificij Chriſti. Eſt enim commemoratio mortis Chriſti, & noſtra pro tanto Dei beneficio gratiarum actio. Anſelmus in epiſtol.ad Hebr.cap.13 ver.16: Quod ab hominibus appellatur ſacrificium, ſignum eſt veri ſacrificij.Sic veteres & eo ſenſu Cœnam Domini vocabant Sacrificium,vti ſuprà docuimus c. 33.N.6.non quòd Chriſtus ipſe pro peccatis noſtris iterum offeratur à quoquam. Itaque iſta appellatio nihil iuuat Papiſtas, nec Papiſticam miſſam.De fide ad Petr.cap.19.lib.3.De trinitate cap. 4.& 10.Aliâs enim ſatis notum eſt,quid vocet Sacrificium Auguſtinus, nempe opera miſericordiæ A ſiue in nos ipſos,ſiue in proximos, quæ referũtur ad Deum, item laudes & celebrationem nominis Dei,ex Heb.c.13.v.11.& 15.Vide lib.10. De ciuitate Dei,ca.6.qua ratione quilibet Chriſtianorum eſt ſacerdos,ait idem lib.20.ca.10.& in Pſal.50. Tertullianus quoque idem ſentit.

3 *Frequentat Eccleſia.* Hæc vna eſt & præcipua ratio,cur putet Auguſtinus piorum defunctorum animas iuuari eleemoſynis & orationibus viuentium,quia iſta fieri vulgò in Eccleſia cœperãt pro defunctis : ſed rectè quærit D.Caluinus quo Dei verbo,quo exemplo id facere auſi ſint homines.Si excipiatur ſcriptum eſſe,Pium eſt orare pro mortuis,2.Machab.12.v.44.Reſpondeo legendam eſſe excuſationem ipſius authoris, quæ eſt cap.15. Deinde non dicitur Iudã ſacrificaſſe pro mortuis: & verba hæc, Pium eſt ergo, ſunt verè gloſſema, non pars textus.Vtebantur veteres maximè quatuor argumentis, vt iſta rectè pro defunctis fieri crederent.Primum ex eo ductum erat,quod de Lazaro & diuite epulone ſcribit Lucas 16. Reſp.Parabolam eſſe totam illam narrationem. & ſi quid B huiuſmodi, nimirum iuuari à viuentibus defunctorum animas ex ea colligitur, ego quoque & dentes,& linguam & digitum habere animas colligam.& Auguſtinus ipſe lib. De cura pro mort. cap.14.docet hoc argumentum nutare.Secundum argumentum eſt hoc,Cur morientes igitur teſtamenta faciunt,ſi non poſſunt à viuis iuuari? Auguſtinus in Pſal.108.Reſp.Quia cura poſteritatis piis omnibus ineſt dum hîc viuunt,neque illud ſæuum dicunt & prophanum, quod Nero, Me mortuo miſceatur cælum cum terra. Tertium argumentũ eſt huiuſmodi, Cur apparerẽt animæ piorum defunctorum viuis,ſi nihil ex operibus viuorum ſentirent,nec viui ad eas pertinerent?Reſp.Non animas ipſas mitti,ſed iſtas viſiones,ſi quando eas eſſe Dominus vult,per diſpenſationem prouidentiæ ſuæ ad pios conſolandos,& impios terrẽdos, iſtas inquam viſiones fieri per angelicas operationes,& ſæpe per Sathanicas,lib.De ſpirit.& anima,ca.29. Nam quod ſcribit Auguſtinus lib.De cura pro mortuis,ca.15.quoſdam è mortuis mitti aliquando ad viuos,vti Samuel,ſicut è contrariò è viuis Paulus in paradiſum raptus eſt, dico hoc planè nutare. C Quartum denique & vltimum argumentũ hoc erat, Eripiuntur pij antequam mala, quæ Dominus immiſſurus eſt,eueniant, quemadmodum rex Ezechias. Reſp.Hoc ipſum docet ea quæ hîc fiũt, nihil ad mortuos omnino pertinere, nec ab iis ſentiri. Quomodo enim illis morte conſultum eſſet, ſi poſt mortem etiam illa ſentirent ? & quomodo quieti & beati eſſent, quos inquieta viuorum vita ſolicitaret?ait Auguſt.At beati ſunt, & quieti pij, Apocaly.14.v.13.Denique ſiquis pro mortuis pœnitere non poteſt,quod fatentur etiam ipſi Scholaſtici,quomodo poteſt eorum pœnam mitigare?

4 *Omnes enim.* Locus eſt 2. Corinth.cap.5. verſu 10.

CAP. CXI.

Duo cœtus in vniuerſum poſt iudicium erunt: Vnus bonorum tum Angelorum, tum hominum:alter malorum vtrorumque.

Poſt

A *Poſt reſurrectionem verò facto vniuerſo impletóque iudicio, ſuos fines* [1] *habebunt ciuitates duæ, vna Chriſti, altera diaboli: vna bonorum, altera malorum: vtraque tamen Angelorum & hominum. Iſtis* [2] *voluntas, illis facultas non poterit vlla eſſe peccandi, vel vlla conditio moriendi: iſtis in æterna vita verè felicitérque viuentibus, illis infeliciter in æterna morte ſine moriendi poteſtate durantibus, quoniam vtrique ſine fine. Sed in beatitudine iſti alius alio* [3] *præſtabilius: in miſeria verò illi alius alio tolerabilius permanebunt.*

1 *Suos fines*. Non intelligit Auguſt. fines temporis, tanquam vnquam eſſe deſinant hi cœtus duo, cùm maximè ſint futuri perpetui ſtatus illi bonorum & malorum. Sed vocat fines, quos Gręci τέλη, nempe ſummum illum cõditionis ſuæ ſtatum & extremum, ad quem & bonos & malos peruenturos eſſe ſacra ſcriptura teſtatur. Erit igitur tunc ſummum felicitatis in bonis: ſummum infelicitatis in malis. Ergo quemadmodum docuit ſuprà, quis ſit futurus animarum ſtatus ante reſurrectionem: ita hîc explicat, quæ ſit futura earundem conditio poſt reſurrectionem, vt planè B totum hoc argumentum enodatum, atque tractatum habeamus. Matth. 25. Habebunt boni & mali hoc commune inter ſe, quòd ſemper in ſuo ſtatu manebunt. Habebunt hoc vtrique diuerſum,

quòd
- Boni tum Angeli tum homines erunt felices.
- Mali tum angeli tum etiam homines erũt miſeri & infelices.

2 *Iſtis voluntas*. Auguſt. lib. 13. de Trinita. c. 7. Non enim quis volet malè viuere in illa felicitate &c. Hæc ſuprà ſunt explicata.

3 *Alius alio præſtabilius*. Non fore parem piorum vel impiorum conditionem in cœlo, vel in inferno ex Auguſtini ſententia oſtẽdit hic locus, & lib. de Sancta Virg. cap. 26. Mat. 20. v. 1. 1. Corin. 15. ver. 41. Daniel. 12. De fide ad Pet. cap. 28. De qua re vide P. Martyrem in 1. Cor. 15.

DE POENIS DAMNATORUM.

CAP. CXII.

C Pœnas damnatorum eſſe æternas, & minimas ex illis eſſe tamen noſtri ratione maximas & plurimùm formidabiles.

FRuſtrà itaque nonnulli, imò quamplurimi æternã damnatorum pœnam, & cruciatus ſine intermiſſione perpetuos humano miſerantur [1] *affectu: atque ita futurum eſſe non credunt, non quidem ſcripturis aduerſando diuinis, ſed pro ſuo motu dura quæque molliendo, & in leniorem flectendo ſententiam, quæ putant in eis terribilius eſſe dicta, quàm verius. Non enim obliuiſcetur, inquiunt* [2]*, miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſerationes ſuas. Hoc quidem in Pſalmo dicitur* [3] *ſancto, ſed de his ſine vllo ſcrupulo intelligitur, qui vaſa miſericordiæ nuncupantur, quia & ipſi non pro meritis ſuis, ſed Deo miſerante, de miſeria liberantur. Aut ſi hoc ad omnes exiſtimant pertinere, non ideo neceſſe eſt, vt damnationem opinentur poſſe finiri eorum, de quibus dictum eſt,* [4] *Et ibunt hi in ſupplicium æternum: ne iſto modo putetur habitura finem quandoque felicitas etiam illorum, de quibus è contrario dictum eſt, Iuſti autem in vitam æternam. Sed pœnas damnatorum certis temporum interuallis exiſtiment, ſi hoc eis placet, aliquatenus mitigari:* A *etiam ſic quippe intelligi poteſt manere in illis ira Dei, hoc eſt, ipſa damnatio. Hæc* [5] *enim vocatur ira Dei, non diuini animi perturbatio, vt in ira ſua, hoc eſt, manente ira ſua, non tamen contineat miſerationes ſuas, non æterno ſupplicio finem dando, ſed leuamen adhibendo vel interponendo cruciatibus, quia nec Pſalmus ait, Ad finiendam iram ſuam, vel Poſt iram ſuam, ſed in ira ſua. Quæ ſi ſola eſſet, quanta ibi minima cogitari poteſt, perire à regno Dei, exulare à ciuitate Dei, alienari à vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei, quam abſcondit* [6] *temnentibus ſe, perficit autem ſperantibus in ſe, tam grandis eſt pœna, vt ei nulla poſſint tormenta, quæ nouimus, comparari, ſit illa ſit æterna, iſta autem ſint quamlibet multis ſeculis longa.*

1 *Miſerantur*. Poriſma & conſectaneum ex capite ſuperiori. Intelligit autem Origenem & Chiliaſtas qui poſt mille annos à die iudicii extremi putant pœnam improborum & dæmonum etiam eſſe finiendam, quos hîc damnat Auguſt. vt & alibi: hîc tamen verecundiùs eorum errorem B excuſat, quòd fortaſſe minùs videret obſtinatos, &, vt hîc ait, miſericordiæ affectu peccare viderẽtur. Sed fruſtrà excuſantur. Nam Saul, in quem tã grauiter iraſcitur Dominus 1. Samuel. 15, prætextu miſericordiæ peccauerat. Ergo inanis eſt excuſatio iſta, quia neque iuſtiores, neque miſericordiores Deo eſſe debemus, qui eſt eorum, quos ita iuſtè punit, creator. De his vide lib. 21. de Ciuit. Dei, cap. 23. De Eccleſ. dogma. c. 8. de fide ad Petr. c. 43. Epiphanium & alios qui de hæreſibus ſcripſerũt. Tempore Ioannis Chryſoſtomi maximè defenſa eſt propter authoritatem Origenis hæc hæreſis cui acerrimè Chryſoſtomus reſtitit, etſi aliâs ipſe Origenis ſtudioſus & amans propter ἀλληγορίας. Iudæorum Rabbini non putant Deum fore tam ſeuerum, vt omnes ſceleratos ęternis pœnis puniat: ſed vt eos tantùm, qui fuerũt inſigniores & variis criminibus nobilitati, quales Nero, & Caligula. A quibus initium ſumpſit Origenis delirium. C

2 *Inquiunt*. Multæ fuerunt rationes per quas ſuam ſententiam Chiliaſtæ tutabantur, inter quas hæc nimirum, & illa altera fuit quam commemorat Auguſtin. libr. 21. de Ciuita. Dei cap. 11, videri iniquum vt pro temporali & breuiſsimo peccato, pœna tamen nobis imponatur æterna. Reſpondet autem Auguſt. non temporis longitudine, ſed impietatis & iniquitatis magnitudine ſcelera eſſe metienda. Cùm autem per peccatum offendatur Deus, qui maieſtate eſt infinitus, nihil mirum ſi pœna peccati eſt æterna & infinita. Hac ipſa etiam ratione oportet Chriſti obedientiam pro nobis eſſe infinitam, etſi verò in humanitatem infinitum non cadit per ſe: quatenus tamen illa humanitas in Chriſto à diuinitate, cui erat hypoſtaticôs vnita, ſuſtentata fuit, infinitam obedientiam Patri exhibuit, vt nos faceret ſaluos.

3 *In Pſalmo*. Locus eſt Pſalm. 77. verſ. 10. Quãtum autem diſtet vetus lectio ab Hebraica veritate, facilè ex collatione intelligi poteſt. Legit hîc affirmatiuè Auguſt. illic legitur interrogatiuè: & hîc duo membra confunduntur, illîc ſeparantur. Soluit autem duobus modis hoc obiectum Auguſt. Primùm quod ad ſolos Dei electos iſta promiſſio pertineat. Quod verum eſt & ſequendum,

A & confirmatur Pſalm.106.ver.4. Secundùm, quòd mitigetur per temporum interualla pœna damnatorum. Hoc verò prorſus ἄδηλον & non firmum. Quis enim hoc reuelauit?

4 *Et ibunt hi.* Locus eſt Matt.25.ver.46. cui ſimilis, & apertiſsimus Marc.9.ver.44. Iſa.66.ver.24. Ergo triplici hoc argumento vtitur Augu. aduerſus Chiliaſtas. Primum ab abſurdo. ſequeretur enim diuinam ſententiam falſam eſſe, quæ damnatorum ſupplicium apertè pronuntiat fore æternum. Secundum à conſequenti. Sequeretur & piorum felicitatem eſſe ad tempus tantùm, non æternam. Contrariorum enim eſt eadem ratio. Tertium, denique promiſsio Chriſti non impleretur. promiſit enim immarceſcibilem coronam gloriæ ſuis, 1.Pet.1.

5 *Hæc enim.* Ira Dei quæ vocetur, variè explicari poteſt, ſed cùm à Deo omnis motus abſit, nedum turbulentus, certum eſt iram Deo tribui ἀνθρωποπαθῶς tantùm, vti dicitur meminiſſe, obli- B uiſci, pœnitere. Quæ ſunt annotanda contra Anthropomorphitas, & eos qui iſtas ſcripturæ phraſes ineptè explicant.

6 *Temnentibus ſe.* In impreſsis & manuſcripto legitur, Timentibus ſe, quod videri poteſt ſumptũ ex Pſal.31. verſ.19. vbi dicitur Deus abſcondiſſe timentibus ſe bona illa æterna, & ita vetus lectio Pſalmorũ habet. Sed Paulus vertit ἡτοίμασε. i. præparauit, 1.Corin.2.ver.9. quod vertebant veteres, Abſcondit, & ratio ἀντιθέσεως quam facit hîc Auguſt. poſtulat, vt legamus Temnentibus, vt opponatur ſequenti membro, Sperantibus in ſe: & verbum Abſcondit, verbo Perfecit. Quæ mea coniectura cùm eſſet quibuſdam viris doctis à me communicata, illis placuit.

CAP. CXIII.

In futuro ſeculo neque piorum inter ſe æqualem felicitatem fore: neque æqualem etiam damnatorum pœnam.

Manebit ergo ſine fine mors illa perpetua damnatorum, id eſt, alienatio à vita Dei,[1] & omnibus erit C *ipſa communis, quamlibet homines de varietate pœnarum, de dolorum releuatione vel intermiſſione pro ſuis humanis motibus ſuſpicentur: ſicut manebit communiter omnium vita æterna ſanctorum, quamlibet bonorum diſtantia [2] concorditer fulgeant.*

1 *Alienatio à vita Dei.* Eſt hæc definitio mortis æternæ, quam ſuperiori capite etiam luculenter explicauit, dum dixit eſſe, perire à regno Dei, & exulare à ciuitate Dei. Videtur eſſe alluſio ex antitheſi ad piorum conditionem, qui à Paulo Epheſ.2.v.19. appellantur Cõciues ſanctorum, domeſtici Dei, & participes reip. Iſraëlis, ſanctæque ciuitatis & melioris Ieruſalem. Vitam autem Dei appellat Auguſt. hîc, non quam Deus in ſe habet & viuit (nec enim ab eo ſeparari illa poteſt) non item communem illam ὕπαρξιν quã rebus omnibus dat (nam & boni & mali ab eo ſumus & viuimus, & mouemur, Actor.17.v.25.& 28:) non denique illam durationem, qua durabunt etiam impij in illa æterna pœna: Sed vitam Dei vocat, ſpecialem illam & felicem, qua ij fruentur, qui Deo fruentur: in qua quia Dei vultum intuebimur, plenaque illa eſt beneficiis Dei, peculiariter dicitur illa vita Dei, quanquam omnis vita eſt Dei vita, quia à Deo datur: denique bonum quid, quatenus A à Deo datur. Bernard. Serm.81. Niſi à Deo creata eſſet anima, non eſſet: ſic neque viueret, niſi ab eo viuificata. Non viueret dico, ſed ſpirituali vita, non naturali. Nam naturali quidem etiam quæ non ſpiritualiter viuit, immortaliter viuat neceſſe eſt. At qualis vita, in qua ſatius foret non naſci? Mors potius eſt, & ideo grauior, quia peccati, non naturæ eſt. Quàm ſit autem horribilis damnatorum conditio, vt ſuprà dixit Auguſt. etiam in lib. De triplici habitaculo ca.1. ita expreſſum eſt, Locus inferni plenus eſt tenebrarũ, diſcordiæ, odij, ſtultitiæ, turpitudinis, amaritudinis, doloris, aduſtionis, ſitis, famis, ignis inexſtinguibilis, triſtitię, vindictæ perennis, & omnis ineffabilis mali, quod nec dici, nec cogitari poteſt. Ciues cœli ſũt iuſti homines, & Angeli, quorum rex eſt Deus omnipotens. Ciues inferni ſunt impij homines & dæmones, quorum princeps eſt diabolus. Cruciat impios viſio hominum damnatorum & dæmonum, & ſuper omnia ipſius diaboli. Nihil in regno Dei deſyderatur, quod non inueniatur: at in inferno nihil inuenitur, quod deſyderetur. Hæc B ille, qui idẽ in lib. De cognitio. veræ vitæ, c.40. negat apertè infernum eſſe locum corporeum, & habere ignem corporeum, ſed ſpiritalem. & li.2. Retracta. cap.24. diligenter meditatus definit hunc damnatorum infernum non eſſe vbique, ſed eſſe ſub terra, quod etiam Hierony. ſentit Epheſ.4. v.9. etſi generaliter inferorum nomen ex etymo dici terræ omnes partes inferiores fatetur, probátq; ipſe libro Quæſtio. ſupr. Numer. quæſt.29. quæ ex comparatione ſuperficiei terræ, quæ à nobis incolitur, ita appellantur. Vnde duo inferna conſtituit in Pſalm.85. Pœnam gehennæ videtur facere quoque duplicem idem Auguſt. in Pſalm.57. nimiùm argutè tamen. Pœna igitur inferni & damnatorum, etſi non erit omnium inter ſe æqualis (vti nec peccata à Chriſtianis ſtatuuntur omnia æqualia, quemadmodum Stoici faciunt) tamen erit omnibus perpetua qui damnabuntur. Hæc breuis definitio Auguſt. longè diuerſa eſt à ſcrupuloſa inquiſitione Scholaſticorum de ea re, qui ignem inferni corporalem eſſe dicunt ſiue realem, & qui C vrat & inferat ab extrinſeco qualitatẽ afflictiuã. Atqui hunc ipſum locum dicunt tamẽ iidem plenum eſſe frigoris intolerabilis. Denique in eo inferno non futuram pœnam diabolorum maiorem quoad eſſentiam, quàm nunc eſt. Auguſt. in Pſal. 85. verecundè ſe excuſat, quòd multa de inferis exponere certò non poſsit, quia infernum nunquam ipſe adierit, vel ſit expertus. Contrà illi de omnibus volunt definire minutim, qui antabatarũ more cæcis tamen in ea re oculis pugnant. Quanquam fatemur in inferno non tantùm damnatorum animas, ſed etiam corpora crucianda, ſed quo igne Dominus ipſe nouit: nos autem definire non poſſumus. Quod eſt enim apud Iſa.30.v.33. de ſulphure, ligno & igne qui eſt in gehenna, metaphoricôs dictum & accipiẽdum eſt ex harum rerũ terrenarum comparatione & ſenſu. Damaſce. contra Manich. aliquid de ea pœna explicare conatus eſt, Legat qui volet. Baſil.1. Homil. in Pſalm. 28. cùm ignis vim duplicem conſtituat nimirum καυστικὴν καὶ φωτιστικὴν, Vrendi & Illuſtrãdi, vult Diabolis & Impiis paratũ eſſe ignẽ quem vocat & ἀλαμπὲς & κολάσεως πῦρ. Pijs autem alium ignẽ eſſe repoſitum

A tum quem vocat idẽ Α῎χυσον φῶς & Α᾽ναπάυσεως. Ita quod ignem Scriptura metaphoricè nominat, iſti reipſa ignem eſſe interpretantur nimium craſſè & pueriliter.

2 *Concorditer.* Quia nulla eſt inter ſanctos inuidia, nullus zelus & æmulatio in cœlo; propter diuerſum & diſparẽ inter eos felicitatis gradũ. Imò ex ea ipſa donorum diuerſitate ſancti & beati magis agnoſcunt πολυποίκιλον illam Dei ſapientiã & bonitatem, quam laudant. Nec illud idem inter hos accidit, quod inter eos, qui denarium ex pacto & promiſſo acceperant, de quibus eſt apud Matt. 20.

DE ORATIONE DOMINICA

CAP. CXIIII.

Oratio Dominica continet illa quæ ſperãda ſunt, & petenda à Deo.

EX illa fidei confeſſione, quæ breuiter ſymbolo continetur, & carnaliter[1] cogitata lac eſt paruulorum, B *ſpiritualiter autem cõſyderata atque tractata cib. eſt fortium, naſcitur ſpes bona fidelium, cui[2] charitas ſancta comitatur. Sed de his omnibus, quæ fideliter ſunt credenda, ea tantùm ad ſpem pertinent, quæ in oratione dominica[3] continentur. Maledictus eſt enim omnis, ſicut diuina teſtantur eloquia,[4] qui ſpem ponit in homine, ac per hoc in ſemetipſo qui ſpem ponit, huius maledicti vinculo innectitur. Ideo non niſi à Domino[5] Deo petere debemus, quicquid ſperamus nos vel bene operaturos, vel pro bonis operibus adepturos.*

1 *Carnaliter.* Alludit hoc loco Auguſtinus ad locum epiſtolæ ad Hebr. cap. 5. verſ. 13. 14. vbi eadem doctrina fidei dicitur eſſe & lac infantium, & cibus ſolidus perfectorum, prout altiùs in ſecretorum Dei cognitionem penetrauimus. Itaque quod ait hoc loco carnaliter cogitari fidei confeſſionem, non detrahit fidei dignitati quicquam, nec facit vt fides quid à cæleſti doctrina alienum continere videatur, nec hîc caro accipitur quatenus ſpiritui opponitur, & vitioſitatis cuiuſdam ſignificatio eſt, ſed pro infirma tenui & adhuc parum promota in Dei arcanis cognitione. Sic Paulus σαρκικὸν accipit 1. Cor. 3. v. 1. Non potui, ait, loqui vobis vt ſpiritualibus, ſed vt carnalibus. Vide C de fide ad Petr. cap. 44.

2 *Cui charitas comitatur.* Ε᾽λληνισμὸς eſt, Cui charitas comitatur, pro Quam charitas comitatur. Græci homines ſic, ἡ ἀγάπη ἀκολȣ́θει quanquam rarò à regulis Grammaticorum diſcedit in ſcribendo Auguſt. qui ipſe grammaticam ſcripſit, & eam ſicut & Rhetoricam Mediolani & Romę profeſſus aliquando eſt. Sic in manuſcripto manifeſtè ſcriptum reperi.

3 *Continentur.* Ea tantùm ſunt à Deo petenda, quæ ipſe iubet. Nam quæ ſine fide fit oratio, eſt peccatum, & blaſphemia, Rom. 14. verſ. 23. Itaque dicitur quorundam precatio cedere iis in exitium, Pſal. 109. v. 7. Vnde & præclarè in libro De Eccleſ. dogmatib. 30. cap. dictum eſt, Lex credendi legem ſtatuit ſupplicandi. Quatuor autem in oratione quæri poſſunt, vt prætermittamus ſcrupuloſam illam diſtinctionem inter orationem & deprecationem, quam perſequitur Auguſt. in epiſt. 59. ad Paulin. Continet igitur caput 1 Quæ petenda ſint: 2 A quo petenda: 3 Per quem petenda: 4 Quo animo petenda: quæ omnia ex Dei verbo ſunt definienda: quia ipſi per nos neſcimus quid petere debeamus. Rom. 8. & eſt oratio, vt dixit Damaſcenus, πρεπόντων αἴτησις, id eſt, decentium petitio. Ex his quatuor duo tantùm hoc loco docet Auguſt. reliqua prætermittit, alibi tamen ea perſequitur & exponit, vti in epiſtola ad Probam. 121. Ergo quoad primum, petenda ſunt à Deo, quæ ipſe ſe daturum eſſe promittit, non autem alia. Si quid petimus, ait Ioannes, ſecundum Dei voluntatem, ille nos exaudiet, 1. Ioan. 5. verſ. 14. Sunt autem illa quæ Deus à ſe peti iubet, omnia ea per quæ boni ſimus & beati, ait Auguſt. in libr. 2. de Ordi. cap. 20, quæque oratione Dominica continentur. Diuitiæ & terrena peti etiã poſſunt à Deo, in quibus exaudimur à Deo non ad voluntatem, ſed ad vtilitatem noſtram, & quatenus ipſe Deus conducere nobis perſpicit. Itaque differenter exaudimur à Deo, ait idem in epiſt. Ioan. tract. 6. De verbis Dom. ſecundum Ioan. ſermo. 3. Si quæritur, Quis orandus ſit: Reſponſio, Deus. Nam à Deo, & eo quidem ſolo petenda ſunt quibus egemus, quia ab eo vno non ab hominibus vlliſve creaturis pendere debemus, Iacob. 1. verſu 5. Vnde fit vt neque ſancti B mortui, neque Angeli etiam beati in noſtris afflictionibus ſint à nobis inuocandi, quanquam aliter Papiſtæ ſentiunt ab Auguſtino diſcedentes. Docet enim Auguſt. apud Deum ipſum eſſe agendum oratione, non apud homines vel Angelos. Idem & apertiſsimè Paulus in omnibus epiſtolis. Tertiò quæritur per quem ſit orandum. Reſp. per vnum Chriſtum petenda ſunt quæ oramus & petimus, quia vnus ille eſt mediator noſter apud Deum, Ioan. 15. & ibi Auguſt. 1. Timoth. 2. 5. Augu. lib. 2. contra epiſto. Parmeni. cap. 8. Ergo non in nomine ſanctorũ aut Angelorũ. Nec obſtat quod in libro De grat. Noui & Veter. teſtamen. cap. 29. ait idem, Angeli non ſolùm beneficia Dei nobis annuntiant, verùm etiam illi preces noſtras offerunt. Reſpondemus enim Deum miniſtris ad eam rem non egere, cui per ſe innoteſcunt orationes noſtræ, vt ipſe idem fatetur Augu. Et vt Auguſtinus agnouerit Angelos precum noſtrarum miniſtros eſſe, non tamen propterea docet eſſe inuocãdos, aut eos vocat noſtros apud Deũ mediatores. C Sed illa prior ſententia Auguſtini nititur loco Tobiæ cap. 12. id eſt, infirmo & nullo fundamento. Itẽ quod ex Apocalypſi affertur, éſtque cap. 5. verſ. 8. nihil efficit. eſt enim illa ænigmatica deſcriptio rerum nobis ignotarum, quæ ſunt in cœlo, & ad ſimilitudinem veterum & legalium rituum nobis proponuntur. Nam ex eodem loco colligeretur Angelos in cœlo habere thuribula & phialas. Denique & vltimo loco quæritur, Quo animo petenda ſunt ea, quæ rogamus. Reſpondet autem Iacob. 4. v. 3. Nõ vt iis poſtea malè vtamur, ſed ad Dei gloriam. Auguſt. etiam addit in præfatio. Pſal. 130. petẽda omnia eſſe in ſpiritu & veritate, nõ labiis doloſis, nõ multũ loquẽdo. Etſi autẽ ſermo mult' in noſtris orationibus eſſe non debet, affectus tamen multus eſſe & debet & poteſt, Epiſt. ad Prob. 121.

4 *Eloquia.* Locus eſt Hiere. 17. ver. 5. & 48. v. 6.

5 *A Domino Deo.* Notanda eſt tam aperta Auguſtini ſententia. Et certè quando vnus Deus eſt Dominus rerum omnium, ab eo ſolo eaſdem petere debemus. Quod autem ſimile afferunt Scholaſtici de eo qui ad regem aditum quærens, priùs interpellat purpuratos, negat eſſe admittendum & Chriſtianum Ambroſ. in epiſt. ad Roman.

A cap.1.Et Deus ipſe alio ſe nomine interpellari vetat, quàm vnius Chriſti fauore & merito.

Cap. cxv.

Dominicam orationem conſtare ſeptem petitionibus,& quò illæ ſpectent.

PRoinde apud Euangeliſtam Matthæum ſeptem[1] *petitiones continere dominica videtur oratio: quarum in tribus æterna poſcuntur: in reliquis quatuor temporalia, quæ tamen propter æterna conſequenda ſunt neceſſaria. Nam quod dicimus, Sanctificetur nomen tuũ, Adueniat regnum tuum, Fiat voluntas tua ſicut in cœlo,& in terra(quod*[2] *non abſurdè quidam intellexerunt in ſpiritu & corpore) omnino retinenda ſunt ſine fine,& hîc inchoata, quantũcunque proficimus, augentur in nobis: perfecta verò,(quod in alia vita ſperandum eſt) ſemper poſſidebuntur. Quod verò dicimus, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie,& Dimitte nobis debita no*B*ſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo: quis non videat ad præſentis vitæ indigentiam pertinere? In illa itaque vita æterna, vbi nos ſemper ſperamus futuros,& nominis Dei ſanctificatio,& regnum eius,& voluntas eius in noſtro ſpiritu & corpore perfectè atque immortaliter permanebunt. Panis*[3] *verò quotidianus ideo dictus eſt, quia hîc eſt neceſſarius, quatenus animæ carníque tribuendus eſt, ſiue ſpiritaliter, ſiue carnaliter, ſiue vtroque intelligatur modo. Hîc eſt, quam poſcimus, remiſſio, vbi eſt omnis commiſſio peccatorum. Hîc tentationes, quæ nos ad peccandum vel alliciunt, vel impellunt. Hîc denique malum, vnde cupimus liberari: illic autem nihil eſt iſtorum.*

1 *Septem.* Etſi Deus nouit quæ ſunt nobis neceſſaria, vt ait Chriſtus, neque de iis ſit commonefaciendus. Quãquam etiam vltra ea quæ petimus, implet & largitur nobis, vt Paulus docet Epheſ.3. v.20. Denique quanquam priuſquam votum noſtrum animo conceperimus, ipſe tribuit quæ ſunt C vtilia, vt eſt in Pſal.21.ver.4. Vult tamen à nobis ſe inuocari, ídque à nobis vt fiat præcipit Pſal.50. vt agnoſcatur eſſe author omnium bonorum noſtrorum,& vt hac oratione tanquam quotidiano, vt ait ipſe Auguſt.lib.De natur.& grat.ca.35. incenſo adoretur & colatur à nobis. Itaque propoſuit Chriſtus ipſe formam orãdi, quæ appellatur oratio Dominica,& quæ traditur à Matth.cap.6.ver.9.Hanc diuidi docet Auguſtin.in ſeptem petitiones, & in epiſt.121. ad Probã,& hoc loco. quãquam hîc vltimas petitiones duas in vnam vult coaleſcere, inf. cap.116.quia altera alterius explicatio tantùm eſt. Hanc diuiſionem ſecutus eſt Thomas Aquinas in 2ª.2ᵉ.quęſt.83.art.9.Ex his autem petitionibus tres primæ Dei gloriam ſpectant, & poſtulant æterna, vt hîc loquitur Auguſt.quatuor autem reliquę, illa quæ ad nos pertinent, ſúntque temporalia. Aliorũ tamen alia eſt ſententia, qui eam in ſex tantùm petitiones diſtribuunt. Ambroſius autem eam nuſquam diuidit.

2 *Quod non abſurdè.* Eſt hoc loco obſeruãdum ab Auguſt. eodem ordine has petitiones enumerari, quo hodie recitantur & leguntur à nobis, quãquam alii, vt Tertullia.in lib.De Oratione Dominica tranſmutant ordinem earum. Obiter autem explicat quid verba hæc ſignificent, In cælo, & in terra: A vt Cœli nomine ſpiritus noſter, Terræ autem, corpus noſtrum & illius membra deſignentur. Nam & animo & corpore eſt à nobis colendus Deus. Hæc fuit quorundam patrum ſententia. Syncerior tamen interpretatio eſt hæc, vt Cœli nomine creaturæ cæleſtes, Terræ autem terreſtres ſignificentur, quòd quemadmodum Angeli beati perfectiſsimè Deo obediunt, ita nos homines ad eorum imitationem oporteat Deo obſequi. Ieſuitæ in ſuis Catechiſmis perperam legunt ſic, In cœlo, vt in terra.

3 *Panis vero.* Panis quotidianus quid ſit, facilè poteſt intelligi ex Prouerb.30.v.8. Duplici tamen modo veteres explicarunt, primùm pro pane aduenienté & quotidiano, qui & cibarius dici poteſt:& Panis indigentiæ noſtræ appellabatur ab Orientali & Syriaca Eccleſia, vti apparet ex Seueri epiſcopi Synaxi Syriaca nuper in Germania edita. Poſtea pro ſpirituali pane, qui datur in cœna Domini. Hæc autem expoſitio poſterior alienior eſt & remotior. B

Cap. cxvi.

Quid in recẽſenda oratione Dominica Matthæus Euangeliſta à Luca diſſentiat.

EVangeliſta verò Lucas in oratione Dominica petitiones non ſeptem, ſed quinque cõplexus eſt. Nec ab iſto vtique diſcrepauit,[1] *ſed quomodo iſta ſeptẽ ſint intelligenda, ipſa ſua breuitate commonuit. Nomen quippe Dei ſanctificatur in ſpiritu, Dei autem regnum in carnis reſurrectione venturum eſt. Oſtendens ergo Lucas tertiam petitionem duarum ſuperiorum eſſe quodammodo repetitionem magis eam prætermittendo fecit intelligi. Deinde tres alias adiungit, De pane quotidiano, De remiſſione peccatorum, De tentatione vitanda. At verò quod ille in vltimo poſuit, Sed libera nos à malo: iſte non poſuit, vt intelligeremus ad illud ſuperius, quod de tentatione dictum eſt, pertinere. Ideo quip*C*pe ait, Sed libera, non ait, Et libera, tanquam vnam petitionem eſſe demonſtrans. Non hoc, ſed, vt ſciat vnuſquiſque in eo ſe liberari à malo, quòd non infertur in tentationem.*

1 *Diſcrepauit.* Locus eſt apud Lucam caput 11. verſ.2.& ſeq. Apparet autem veteres apud Lucam legiſſe aliter quàm nos orationem Dominicam, quòd tertia petitio, quæ eſt, Fiat voluntas tua &c. omnino apud eos omitteretur. Deinde hæc verba, Sed libera nos à malo: olim non extabant apud Lucam, quæ nunc tamen in noſtris codicibus leguntur, quemadmodum in omnibus exemplaribus extant. Eſt quidem aliquid in aliis vocibus diuerſum inter Matthæum & Lucam. Nam quod ait Lucas, Da nobis panem noſtrum quotidianum in diem: Matthæus ait, Quotidie. Deinde ait Lucas, Dimitte nobis peccata noſtra: Matthæus autem, Dimitte nobis debita noſtra. Quod conſultò factum eſt, primùm vt vnum verbum alterius eſſet explicatio: deinde vt oſtenderetur nos non verbis aut ſyllabis à Chriſto vſurpatis in orando expreſſè alligari, ſed ſententiæ tãtùm ipſius orationis inhærere debere contra homines ſuperſtitioſos.

DE CHARITATE.

CAP. CXVII.

Veram charitatem veræ fidei & ſpei effectum eſſe. Nec aliam eſſe veram fidem, quàm quæ per dilectionem operatur.

IAm porrò charitas[1]*, quam duabus iſtis, id eſt, fide ac ſpe*[2] *maiorē dixit Apoſtolus, quāto in quocũq; maior eſt, tāto*[3] *melior eſt in quo eſt. cùm enim quæritur, vtrùm quiſque ſit homo bonus, nõ quæritur quid credat, aut ſperet, ſed quid amet. Nam qui rectè amat, procul dubio rectè credit & ſperat: qui verò non amat, inaniter*[4] *credit, etiamſi ſunt vera quæ credit, inaniter ſperat, etiamſi ad veram felicitatem doceantur pertinere, quæ ſperet, niſi & hoc credat & ſperet, quod ſibi petenti donari poſſit, vt amet. Quamuis enim ſperare ſine amore non poſſit, fieri tamen poteſt, vt id non amet, ſine quo, ad id quod ſperat, non poteſt peruenire, tanquam ſi ſperet vitam æternam, quamuis non habeat, & non amet iuſtitiam ſine qua nemo ad illam peruenit. Ipſa eſt autem fides*[5] *Chriſti, quam commendat Apoſtolus, quæ per dilectionem operatur, & quod in dilectione nondum habet, petit vt accipiat, quærit vt inueniat, pulſat vt aperiatur ei: fides namque impetrat, quod lex imperat. Nam ſine Dei dono, id eſt, ſine Spiritu ſancto (per quem diffunditur charitas in cordibus noſtris) iubere lex poterit, non iuuare, & præuaricatorem inſuper facere, qui de ignorantia ſe excuſare non poſſit. Regnat enim carnalis*[6] *cupiditas, vbi non eſt Dei charitas.*

1 *Iam verò charitas.* Hæc iam eſt tertia pars cultus Dei ſuprà propoſita, nempe charitas. Nã vt lib. De ſentent. Iacobi ad Hieronymum ait idē, Quid eſt pietas niſi Dei cultus? Et vnde ille colitur, niſi charitate? & Paulus 1. Timoth. 1. v. 5. vocat charitatem finem præcepti. Denique idem Auguſtinus ex charitate veram iuſtitiam æſtimat. Charitas inchoata, ait, inchoata iuſtitia eſt: charitas prouecta, prouecta iuſtitia eſt: charitas magna, magna iuſtitia eſt: charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt, lib. De nat. & grat. 70. Itaque prætermitti non debet in diſputatione de veræ pietatis capitibus, quæ hoc opere perſequitur Auguſtinus.

2 *Maiorem dixit.* Locus eſt 1. Cor. 13. v. 13. vbi fidei vox non pro ea accipitur, quæ ſimpliciter fides eſt: ſed pro fide particulari, qua credimus aliquid eximium de Deo & eius verbo. Hoc notandum, quia Scholaſtici abutuntur iſto Pauli loco, vt conciliationis noſtræ cum Deo vim fidei detrahant, & charitati ſiue operibus tribuant. Itaque charitatē fidei præferunt, nimirum argentum auro, & effectũ ſuæ cauſſæ. Etſi enim paſſim in Scriptura multæ ſunt laudes charitatis, vt cùm appellatur Vinculum perfectionis, Coloſſ. 3. v. 14. cùm item dicitur, Si omnia mea in pauperes erogem, charitatem autem non habeam, id infructuoſum eſt, 1. Corinth. 13. tamen illa encomia non eo pertinent, vt ſummam & cardinem, id eſt proram & puppim ſalutis noſtræ in charitatis operibus collocemus, cùm in fide poſitam eſſe Paulus ipſe & tota Scriptura doceãt. Rom. 1. Habac. 2. Iuſtus ex fide viuit. Cur igitur iſta de charitate tam magnificè prædicantur, qualia hęc etiã ab Auguſtino, Pleniſſima, veriſſima perfectiſſimáque iuſtitia eſt charitas, li. De natur. & grat. cap. 42. item, Summa totius boni eſt charitas. itē, Radix omnium bonorũ eſt charitas, in lib. De laudib. charita. & lib. 1. De viſitat. ægror. cap. 3. item, Sine charitate nemo fit ſaluus. Nimirum, vt iis præconiis & tam egregiis laudibus, homines ad charitatē ardenter & ſeriò excitentur: nõ vt Chriſto laus ſalutis noſtræ auferatur, charitati tribuatur. Id quod ſine magna blaſphemia neque dici, neque ſentiri poteſt. Præterea charitatem non eam accipiebant tantùm qua homines, ſed qua Deum ipſum diligimus, quæ eadem eſt fides.

3 *Tanto melior eſt.* A charitate viros bonos appellari putat Auguſtinus: contrà verò M. Tullius à iuſtitia, lib. 1. De officiis, his verbis: De tribus autem reliquis latiſſimè patet ea ratio, qua ſocietas hominum inter ipſos, & vitæ quaſi communitas continetur. Cuius partes duæ ſunt, Iuſtitia, in qua virtutis ſplendor eſt maximus, & ex qua boni viri nominantur: & huic coniuncta Beneficentia. Verior ſanè videtur eſſe Auguſtini ſententia. Nam charitas totius humanæ ſocietatis iura ſalua & ſarta tecta continet. quod qui ſeruat, vir bonus ſolet nominari, at iuſtitia, humanæ ſocietatis vnam tantùm partem & genus tuetur. Quod autem quoſdam bonos dici ſcribit Auguſtinus, ex populari loquendi ratione explicandum eſt, non ad Theologicam & exactam huius vocis, Bonus, rationem reuocandum, quam ſi ſpectemus, nemo, vt Chriſtus ipſe docet, bonus dici poteſt præter vnum Deum, Matth. 19. verſu 17. Vel potiùs cùm miſericordes homines vocamus bonos, intelligimus eſſe benignos & χρηστοὺς quos appellant Græci, id eſt beneficos intelligimus: non autem inculpatos coram Deo, & omnino ſempérque irreprehenſibiles in moribus & vita.

4 *Inaniter credit.* Quod ait Auguſtinus quoſdã dici credere & ſperare, qui tamen non habeant charitatem, eatenus verum eſt, quatenus neque fides neque ſpes tunc pro Chriſtiana, & ea quæ Dei promiſſiones & verba ſpectat, accipitur. Nam vera & Chriſtiana fides ſine ea charitate quæ eſt in Deum & proximum eſſe non poteſt: vti neque ſpes. Ergo cùm credimus & ſperamus res has, quæ verſantur in hac communi vita, poteſt huiuſmodi fides & ſpes eſſe ſine charitate, ſed eæ tunc ad ſalutem animarum non pertinent, 1. Ioan. 4. v. 11. 12.

5 *Fides Chriſti.* Confirmat noſtram interpretationem Auguſt. cùm docet fidem Chriſti, id eſt, eam de qua propriè Chriſtiani loquimur, nũquam ſine charitate eſſe. Vtitur authoritate Pauli quæ extat Galat. 5. v. 6. Eſt autem hoc inſigne Auguſtini dictum, Fides impetrat, quod lex imperat. per quod docet ipſe quæcunque opera bona facit charitas, facere illa non ex humanæ naturæ & voluntatis viribus, ſed ex Dei dono, quod per fidem, id eſt, Chriſti beneficio nobis datur. Spiritus enim ſanctus nobis datur à Deo, Chriſto pro nobis impetrante, & quatenus per fidem Chriſto coniuncti ſumus. Vnde bonorum operum fons eſt fides ipſa. Inde & illud eſt eiuſdem Auguſtini, Domine, da facere quod iubes, & iube quod volueris. Habent quidem Scholaſtici hoc dictum in ore, vt Lõbardus lib. diſt. 26. cap. Etſi diligenter. cuius vim tamē non percipiunt, imò prorſus euertunt, dum & mereri nos aiunt, & illud ipſum etiam meritum charitati tribuunt, non fidei. Auguſt. idem ad Bonifa. epiſt. 106. Cùm fides, ait, impetrat iuſtificationem, ſicut vnicuique Deus partitus eſt menſuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti pręcedit huma-

A ni, ſed ipſa meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici voluntate comitante,non ducente, pediſequa non præuia.Bernard. in li. de Gratia & libero Arbit. Dei ſunt proculdubio munera tam noſtra opera,quàm eius præmia, & qui fecit ſe debitorē in illis,fecit & nos promeritores ex illis.Ergo cùm charitas operatur opera Legis ſiue in Deum ſiue in proximum,vt hoc operetur, fides impetrat ,& ita fidem apertè charitatis cauſſam eſſe docet Auguſt. vti & Iacobus ca. 2.Impetrat autem fides nō vi quidem & dignitate ſua,ſed merito ſui obiecti, id eſt Chriſti.

6 *Carnalis cupiditas*. Vbique Auguſt. charitatem & cupiditatem carnalem inter ſe opponit. Aliud enim eſt charitas radix bonorum,aliud cupiditas radix malorum.tantúmque inter ſe differūt, quantum virtus & vitium,lib.1.contra Pelag. cap. 20.Et certè cùm mundum hunc & vitia noſtra & nos ipſos amamus & quærimus, charitas vera in nobis eſſe non poteſt.Nam illa procurat Dei B gloriam & in nobis & in aliis.Vnde Auguſt. libro 83. quæſtio.ait, Augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis.& infrà.cap.121.Quod dictum pulcherrimū Vignierius corrupit, vt ſuæ Scholæ dogmatis inſeruiret.Quid eſt ergo cupiditas,quid charitas Auguſtino?Cupiditas eſt, cùm amatur creatura propter ſe,vt definit ipſe lib.9.cap.8.De trinita. & noſtra quærimus,non autem Dei gloriam.Charitas eſt amor boni propter ipſum bonum , id eſt, Deum lib.8.cap.8.& 10. De trinitate. Ergo dilectio proximi eſt,per quam eum amamus quia iuſtus eſt,vt ſit iuſtus.Dei autem dilectio eſt, inhærere veritati,vt ipſi iuſtè viuamus,lib.8.cap.6.& 7. De trinitate. Aliæ etiam definitiones ex eodē authore afferri poſſunt.

CAP. CXVIII.

Vti totius Eccleſiæ,ita ſingulorum fidelium quatuor eſſe & ætates & proficiendi gradus.

SEd cum in altiſſimis ignorantiæ tenebris nulla reſiſtente ratione viuitur ſecundum carnem, hæc ſunt C [1]*prima hominis. Deinde cùm per legem cognitio fuerit facta peccati , ſi nondum diuinus adiuuat Spiritus, ſecundum legem volens viuere vincitur , & ſciens peccat, peccatóque ſubditus ſeruit(à* [2] *quo enim quis deuictus eſt , huic & ſeruus addictus eſt) id agente ſcientia mandati , vt peccatum operetur in homine omnem concupiſcentiam,cumulo præuaricationis adiecto,(atque ita quod ſcriptum eſt impleatur, Lex*[3] *ſubintrauit,vt abundaret delictum)hæc ſunt ſecunda hominis. Si autem reſpexerit Deus,vt ad implenda , quæ mandat,ipſe adiuuare credatur,& agi cœperit homo Dei Spiritu,concupiſcitur aduerſus carnem fortiore robore charitatis : vt quāuis ſit adhuc quod homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate ſanata,ex fide tamen iuſtus viuat, iuſtéque viuat in quantum non cedit malæ concupiſcentiæ,vincente delectatione iuſtitiæ:hæc ſunt tertia* [4] *hominis.In quibus ſi pia perſeuerantia quiſque proficiat, poſtrema pars reſtat,quæ poſt hanc vitam in requie ſpiritus,deinde in reſurrectione etiam carnis implebitur. Harum quatuor differentiarum prima eſt ante legem: ſecunda ſub lege:tertia ſub gratia:quarta in pace plena atque perfecta. Sic eſt* [5] *& Dei populus ordinatus per temporum interualla,ſicut Deo placuit, qui in* [6] *menſura , & numero,& pondere cuncta diſponit.Nam fuit primitus ante legem: ſecundò ſub lege,quæ per Moſen data eſt:* A *deinde ſub gratia,quæ reuelata eſt per primum mediatoris aduentum . Quæ quidem gratia nec antea defuit, quibus impartiri eam oportuit,quamuis pro temporis diſpenſatione velata & occulta. Neque enim*[7] *antiquorum quicūque iuſtorum,præter Chriſti fidem, ſalutem potuit inuenire. At verò niſi & illis cognitus fuiſſet , non potuiſſet nobis per eorum miniſterium aliàs apertiùs*[8]*,aliàs occultiùs prophetari.*

1 *Hæc ſunt prima.* Eſt ἐξήγησις ſuperioris capitis, vt intelligatur quibus gradibus nos deducamur ad Dei obſequium,& quales primùm ſumus naturâ, quales fiamus poſtea accepta Dei lege , ſine ipſius tamen Spiritu:quales item etiam agente Dei Spiritu & gratia: denique quales futuri tandem poſt mortem & reſurrectionem ſimus. Quæ omnia in piis fieri intelligit Auguſtinus. Nam in hominibus impiis neque tertia neque quarta conditio habet locum,ſed tantùm prima & ſecunda. Ergo ita totus hic locus eſt illuſtrandus breui diuiſione & diſtinctione.

Nam aut Deo B
- Rebelles ſumus, ídque
  - Ex parte tantùm:
  - Omnino.
  - ídque vel
    - Scientes eius legem & mandatum:
    - Ignorantes.
- Obſequentes,aut
  - Ex parte tantùm.
  - Omnino.

Ergo cùm omnino Deo ſumus rebelles ſimúlque mandatorum eius ignari,hæc eſt prima & naturalis omnium hominum ætas,cōditio & primus ſtatus qui eſt ante cognitionem Dei. Cùm autē Dei legem ſcimus,& tamen illi ſumus rebelles , ſiquidem omnino & nulla repugnantia aduerſus vitiū id in nobis fiat,ſed planè illi volūtas noſtra cōſentiat,eſt ſecūdus ſtatus hominis,qui eſt poſt cognitionē Dei,ſed ante fidē.Sin verò legē Dei ſcientes,illi aduerſamur,ita tamen vt vincat vi Spiritus Dei in nobis agentis volūtas noſtra concupiſcentiam malā,eſt tertius ſtatus,qui eſt poſt fidē in hac vita.Sin denique legem Dei & voluntatē ſcientes, C omnino,& nulla manente in nobis repugnātia carnis Deo obſequimur, eſt quartus & vltimus piorū ſtatus,qui in æterna tantùm vita futurus eſt. Etſi autem hi gradus omnes in ſingulis fidelibus non poſſunt diſtinctè ſemper obſeruari,poſſunt tamen docendi gratia vtiliter diſtingui. Philoſophi quatuor virtutum & vitiorum gradus conſtituunt. Id quod ad hunc locum aptè transferri atque accommodari poteſt.Nam ſumus quoad vitia,

aut
- Incontinentes,ἀκρατεῖς.
- Vitioſi,κακοί.

Incontinentia eſt animi affectus,qui etſi vitiis aliquandiu reſiſtit,tamen illi ſuccumbit tandem.Talis fuit Medeæ ſenſus cùm ita loquitur apud Ouidium, —Video meliora probóque,
Deteriora ſequor.

Κακία eſt Philoſophis animi habitus qui ad peccandum callum iam obduxit,nec vllo ampliùs animo reſiſtendi,vel virtutis appetitu & ſtudio tangitur. Qui ſunt tales,ſunt omnino deplorati.Hęc quoad vitia.Quoad virtutes autem duo item ſunt ab iiſdē conſtituti gradus.Nam ſumus

Continentes, ἐγκρατεῖς.
vel
Virtute præditi, σπουδαῖοι.

Continentia eſt animi affectus,qui etſi pugnā ſentit aduerſus rationem,reſiſtit tamen & vincit prauas concupiſcentias,& dat locum rationi.Hæc animi diſpoſitio eſt agente Dei Spiritu in omnibus piis hîc viuentibus.Ἀρετὴ eſt animi habitus, qui nihil niſi rectè agere ſua ſponte poteſt,nec vllo vitij appetitu ampliùs tangitur. Hic ſtatus eſt in ſolis iam beatis.Vide Auguſtinum ſimile quid ſentientem lib.De natur.& grat.cap.61.

2 *Aquo.*Locus eſt 2.Petr.2.v.19.

3 *Lex ſubintrauit.*Locus eſt Rom.5.verſ.20.

4 *Hæc ſunt tertia.*In impreſsis ita ex gloſſemate legitur.Hæc ſunt tertia bona ſpei hominis.Verba autem hæc,Bona ſpei,ſunt gloſſema monachicum.Et quidem falſum.Nam hic ſtatus tertius eſt prima ſpes hominis , non ſpes tertia , quia neque prima , neque ſecunda conditio deſcripta ab Auguſtino continet bona ſpei hominis,cùm manifeſtam in Deum rebellionem habeant. Itaque ex ſimili ratione loquendi qua in hoc toto capite conſtanter vtitur Auguſtinus, locus eſt reſtituendus. Hæc ſunt tertia hominis. Alludit enim ad dictum Chriſti,vbi prima & poſtrema hominis diſtinguit Matth.12.verſ.45.

5 *Sic eſt.*Quod de ſingulis fidelibus dixit,applicat ad totius Eccleſię ſtatum & regimen,quod apparuit in terris.Non fuit quidem vnquam eccleſia ſine voluntatis & promiſsionum Dei notitia & reuelatione (quomodo enim Deum coluiſſet,quem ignoraſſet?quomodo in eum credidiſſet, cuius verbum patefactum non habuiſſet ?) ſed fuit Eccleſia ante legem per Moſen datam, quemadmodum ante diluuium ſub Noa: & poſt diluuium Abrahami tempore vſque ad tempus legis in monte Sinai *datæ* & promulgatæ.Itaque non dicit Auguſtinus fuiſſe Eccleſiam ſine Dei lege,id eſt,ſine vllo verbo reuelato.

6 *Qui in pondere.* Vulgare dictum quod ſumptum eſt ex Sapientiæ libro cap.11. verſ.21. & explicat Auguſtinus libro 4.De geneſ.ad liter.capite 3.4 5.*6*.

7 *Neque enim.* Hoc ſuprà ex ipſo Auguſtino expoſuimus.ſup.cap.46.4.Nos qui ſub Euangelio viuimus , & Patres qui ſub lege fuerunt, eundem quidem Chriſtum & eandem fidem habuiſſe: modo tamen diſpenſationis & reuelationis diuerſam. Illi enim obſcuriùs,nos planius eadem videmus & habemus,1.Petr.1.ver.12. 1.Cor.10.Galat.3.verſ.8. προευηγγελίσατο τῷ Ἀβραάμ,id eſt,prius euangelizauit Abrahamo, inquit Paulus. Et ideo Chriſtus dicitur ab initio mundi crucifixus,Apocalyp.13.ver.8. quia vi illius mortis etiam futuræ ſalui facti ſunt Patres.Hæc contra Seruetanos valent, qui Patres ſub lege putant caruiſſe & fide & vita ſpirituali cōtra Auguſtini ſententiam conſtantiſsimam. Nam Tract.45.in Ioan.Euangel.cap.10.ſic ait,Ante aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, quo humilis venit in carne,præceſſerunt iuſti : ſic in eum credentes venturum,quomodo nos credimus in eum qui venit.Tempora variata ſunt,non fides: quia & ipſa verba pro tempore variantur, cùm variè declinantur. Alium ſonum habet, Venturus eſt : alium ſonum,Venit:mutatus eſt ſonus vēturus eſt,& venit:eadem tamen fides vtroſque coniungit, & eos qui vēturū eſſe, & eos qui eum veniſſe crediderūt. Diuerſis quidē tēporibus , ſed vtroſque per vnum fidei oſtium,hoc eſt,per Chriſtum videmus ingreſſos.Qui locus totus eſt perlegendus.

8 *Aliàs apertius.* Quanto tempora aduentus Chriſti fuerunt propinquiora,tāto apertiùs de eo Prophetæ Dei locuti ſunt.Per gradus enim cognitionem myſterij ſalutis hominū,& ſacrificij & incarnationis Chriſti patefecit Dominus. Itaque in ceremoniis legis obſcuriùs quàm in Iſa.cap. 53. at in iiſdem tamen apertiùs,quàm ſub Noa, ſignificabatur.Itaque apud Danielem,& Zachariam & Malachiam qui fuerunt poſtremi Prophetæ,apertiſsima de Chriſto vaticinia extant.

DE BAPTISMO.

CAP. CXIX.

Baptiſmum nobis prodeſſe , in quacunque ex illis quatuor ætatibus,& gradu ſimus.

IN quacunque [1] *autem quatuor iſtarum velut ætatum ſingulum quemque hominem gratia regenerationis inuenerit , ibi ei remittuntur præterita* [2] *vniuerſa peccata: & reatus ille naſcendo contractus renaſcendo diſſoluitur* [3]. *Tàmque multum valet,quod Spiritus, vbi vult, ſpirat,vt quidam ſecundum illam ſeruitutem ſub lege eſſe non nouerint,ſed cum mandato incipiant* [4], *adiutorium habere diuinum.*

1 *In quacunque.* Eſt hypophora,ne quis exiſtimet differri baptiſmum oportere, donec apparuerit & primam & ſecundam ætatem & conditionē (in qua quis Deo non ſeruit)exceſsiſſe. Reſpōdet igitur Auguſtinus neque hos gradus proficiēdi in ſingulis fidelibus ſemper diſtingui poſſe vel debere,neque etiā ſi diſtingui & obſeruari poſsint,obſtare,quò minus in quacunque conditione & ætate ex illis quatuor quis baptizari poſsit.Quod cùm dicit,hoc vult tantùm Auguſtinus , baptiſmū dari poſſe etiam ei , qui & peccator adhuc eſt,& nondum magnā veritatis cognitionem aſſecutus:Non autem præcipit,vel docet eſſe baptizandos,qui vel vitam emendare omnino recuſant,vel in rebellione aduerſus Deum perſtare volunt, vel qui omnino fidei ignari ſunt,cùm per ætatem Dei promiſſiones intelligere potuerint.Ac quidem malè viuere inſtituentibus nihil prodeſſe baptiſmum docet ipſe in diſputatione contra Donatiſtas, & in libro De fide ad Petrum cap. 30. vbi Pœnitentia & Baptiſmus coniunguntur,36.37. Præterea Euangelii cognitionē ſpernētibus nō eſſe conferendū baptiſmū,ratio manifeſtè docet,quia baptiſmus eſt fidei & adoptionis Dei teſſera.Hoc autē de natu maioribus hominibus accipiendū eſſe apparet, quia infantes fidelium,etſi fidei ſuæ ſigna nulla adhuc per ætatē proferre poſsint,ſunt tamē in Eccleſia baptizandi,non equidē tantùm propter conſuetudinem & morē Eccleſiæ,vt quidā putāt, ſed multò magis propter adoptionis Dei,(quæ etiā ad eos pertinet) teſtimoniū.Ego ſum Deus tuus & ſeminis tui poſt te.Geneſ.17. 1.Cor.7.Tantùm autē abeſt vt pia & erudita vetuſtas Pædobaptiſmum dānauerit(quod hodie Anabaptiſtæ & Seruetani faciunt) vt contrà in eo commendando fuerint nimii Patres propter errorem Pelagianorum,& dum vitarunt eorum vitium,inciderunt ipſi in contrariū,impudenti quodam æſtu diſputationis abrepti , adeò vt dicerent ne paruulos quidem & infantes ſaluos fieri poſſe

niſi baptizarentur. Ergo paruulos fidelium baptizandos eſſe concorditer & vnanimiter omnes tradiderunt,Cyprianus ad Fidum,Ambroſius in lib. De vocatio.Gentium.Auguſt.cùm lib.9.de geneſ. ad lit.cap.15.tum etiam edito ſpecialiter de ea re libello,De fid.ad Petr.cap. 30. Prior autem & quæ fuit ante Auguſtinum ætas differre baptiſmum etiam in adultis ſolita eſt, vt penè vltimo tantùm mortis die homines baptizarentur, vt ſic morituri mundiores eſſent.Exemplum eſt in Conſtantino magno imperatore Chriſtiano, qui Nicomediæ demum moriens baptizatus eſt, vt ſcribit Euſeb. libro 3.de eius vita,& Theodorit.lib.1.Hiſto. cap. 31.Exemplum in Valentiniano qui etiã non baptizatus mortuus eſt, non tamen per contemptum. Id quod ex eo errore natum eſt, quòd crederent vim baptiſmi ad præcedentia peccata reſtringi,futurorum autem remiſſionis teſtimonium nõ eſſe. At cõtrà Baptiſmus eſt Chriſti mortis applicatio, qui & præterita & futura delet, & illa omnia abluit,modò ne ex eo anſam peccandi arripiamus.

2 *Vniuerſa.* Quis ſit effectus Baptiſmi, ſup. cap.52.explicatum eſt.Omnia enim peccata noſtra deleri docet baptiſmus.Et quod addit hîc Auguſtinus,Præterita,nihil mouet.Cùm enim vbique neget Auguſt.Chriſti baptiſmum iterandum eſſe,ſatis intelligit eius vim ad totum vitæ tempus extẽdi & pertinere. Denique fuit hæc Meſſalianorum hæreſis,vt ſcribit Theodorit.in lib. Decretor. diuinor.tit. De baptiſmate,baptiſmum eſſe velut nouaculam,quæ præterita tantùm peccata auferat, & reſecet,non etiam futura. Quis autem tale quicquam & tam erroneum ſenſiſſe credat Auguſtinũ, cùm aliud ipſe apertè doceat lib. De natura & grat.cap.55.& lib.2. Contra Pelag.cap.40. eodem lauacro baptizatis vniuerſa vitioſa deſideria purgantur,ait.Sed quid amplius? Auguſtinus ipſe lib. 1.De nupt.& concupiſc.ad Valer.cap.33. Omnia, ait,prorſus mala hominum regeneratorum mundantur, non ſolùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptiſmo, ſed etiam quæ poſteriùs humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur, &c.Cur igitur addit,Præterita?ne homines baptizatos redderet ſegnes ad bene viuendum, vel malè ſecuros,vt ipſe ait,De fid.& operib.cap.26.Hæc autem omnia de Chriſti Baptiſmo qui fit in Eccleſia,intelliguntur:non autem de eo,qui formam à Chriſto prȩſcriptã nõ retinet,De eccleſ.dógmat. cap.52.& 74.De fid.ad Petr.cap.36.37.

3 *Diſſoluitur.* Reatus peccati per Baptiſmum tollitur, non ipſa peccati materia, fons, ſcaturigo, & infirmitas.Ergo tollitur peccatum in baptiſmo, non vt ne inſit,ſed ne obſit.Item in Pſal.118. Mutantur igitur in melius qui efficaciter baptizantur, non vt infirmitate & naturali vitioſitate careant, libro 7.contra Iulianum.cap. 5. Denique,ait idem lib.3.contra duas epiſt.Pelag.cap.3. Baptiſmus peccati reatum & pœnam aufert, non aufert autem infirmitatem. Ex quo apparet quàm ſit inſanum Schuenckfeldianorum deliriũ, qui in nobis eſſentialẽ iuſtitiam fingunt: quaſi non imputatione gratuita,ſed inhȩrente qualitate,atque etiã,quod plus eſt,inſidente in nobis quadam eſſentia iuſti ſimus. Ergo & peccatũ ex eorum ſententia,eſſentia eſt,& in nobis ſingulis duo homines eſſentialiter iã inhabitãt,vnus externus & corruptus,alter internus & reformatus:& ita iam non vna anima ſinguli cõſtabimus,ſed pluribus,quæ fuit Apolliniſtarũ ſententia,vt ait Theodoretus in Dialogo Inconfuſus, & contra quã ſcribitur lib. De ſpiritu & anima.Id autẽ eſt omnino abſurdũ.Quòd verò dicitur reat⁹ diſſolui in baptiſmo,ſic intelligendũ eſt,vt hic effectus neque aquȩ elemẽto,neq; manui miniſtri tribuatur,ſed energiȩ Spiritus S. vim ſãguinis Chriſti nobis applicãtis,Epheſ.5.1.Pet. 1. Et idcirco dixit Cyprian.in ſermo. De baptiſ. Chriſti, Spiritus baptizat,& rẽ efficit,& manũ inuiſibiliter apponit.

4 *Adiutorium.* Quoſdam citiùs,quoſdã tardiùs etiam in adultis vim ſui baptiſmi perſentiſcere verum eſt.Sed tamen in vniuerſum de Baptiſmo illud credi oportet,quod etiã Theodoretus tradit, in eo futuræ gratiæ & reſurrectionis ad nouam vitam pignus nobis dari.Ergo quod Scholaſtici diſputant,& tandem quidam eorum negant infantes baptizatos in baptiſmo accipere gratiã,qua proficiant poſtea, planè erroneum eſt. Vide P.Lombardum lib.4.diſtinct.4.cap.Solet autem.

CAP. CXX.

Poſt baptiſmum ſtatim morientes felices eſſe.

ANtequam autem poſſit homo capax eſſe mandati, ſecundum carnem viuat neceſſe eſt: ſed ſi iam ſacramento regenerationis imbutus eſt, nihil ei mors oberit,ſi tunc ex iſta vita migrauerit[1]*,quia ideo Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit,vt & viuorum & mortuorum*[2] *dominetur, nec tenebit regnum mortis eum pro quo mortuus eſt ille liber in mortuis.*

1 *Migrauerit.* Hoc Auguſtini dictũ, Qui ſtatim poſt baptiſmum moriuntur,ſaluos eſſe, ἀκυρολογίαν continet,niſi dextrè & ſanè intelligatur. Primùm enim non eſt de omnibus externo ſigno baptizatis accipiendum: ſed de iis tãtùm, qui efficaciter vim baptiſmi ſentiũt,quales ſunt veri filij & electi Dei. Nam ſiquis remiſſionem peccatorum operi operato baptiſmi,aut aquæ elemento alligatam inſertámque putet,aut in eodem incluſam, planè blaſphemus eſt, & transfert ad creaturas, quod vnius Dei proprium eſt. Id quod nunquam ſenſit Auguſtinus. Nam libro Quæſtio. Veter. & Nou. teſta. quæſt.59. Aqua,ait,cernitur, ſed qui non videtur Spiritus, operatur. & alibi lib. 3. Contra Creſco. Non ſanctificat niſi Dominus. Deinde hoc ipſum dictum non ita exaudiendum eſt, quaſi vi ipſius externæ locionis id fiat.fit enim ſola Dei miſericordia,ſolo Chriſti beneficio,vt fiant ſalui,qui ſtatim poſt baptiſmum morientes ſaluantur, ſed hi promiſſæ ſibi ſalutis ſignum & teſtimonium habent baptiſmum. Denique non eſt ex hoc intelligẽdum,eos qui longo, poſtquam baptizati ſunt, tempore moriuntur, eandem ſui baptiſmi vim nõ percipere.Nam,vti diximus, vis baptiſmi etiam in futurum extenditur. Ita tamen & loquebantur & ſcribebant veteres,vt dignitatem baptiſmi hominibus commendarent, magnámque eius vim eſſe docerent. Huic Auguſtini dicto conſentit planè quod ſcribit Hermius Sozome. libro 7. Hiſtor. cap.10.

2 *Mortuorum dominetur.* Videtur locus ſumptus ex epiſtola Pauli ad Coloſſ. caput 1. verſu 18. & manifeſtiùs ex epiſtola ad Roman. caput 14. verſu 9. Leuis autem eſt iſta Auguſtini ratio ad illud efficiendum, & concludendum, quod propoſuit.

A

CAP. CXXI.

Charitatem finem eſſe Legis & Euangelij, quæ nunc creſcit,in futuro autem ſeculo erit maxima.

OMnia igitur præcepta diuina referuntur ad charitatem[1]*,de qua dicit Apoſtolus, Finis*[2]*præcepti eſt charitas de corde puro,& conſcientia bona,& fide non ficta.Omnis itaque præcepti finis eſt charitas, id eſt,ad charitatem refertur omne præceptum. Quod verò ita ſit vel timore pœnæ,vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad illam charitatem,quam diffundit*[3] *Spiritus ſanctus in cordibus noſtris,nondum ſit, quemadmodum fieri oportet,quamuis fieri videatur. Charitas quippe iſta*[4]*eſt Dei & proximi: Et vtique in his duobus præceptis tota*[5] *Lex pendet,& Propheta: Adde Euangelium,adde & Apoſtolos. Non enim aliunde vox iſta,finis præcepti eſt charitas,& Deus*[6]*charitas eſt. Quæcunque ergo mandat Deus,ex quibus vnum eſt*[7]*,Non mœchaberis:& quæcunque non iubentur, ſed ſpeciali conſi-* B *lio monentur,ex quibus vnũ eſt*[8]*,Bonum eſt homini mulierem non tangere: tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum, & in hoc ſeculo, & in futuro: Nunc Deum per fidem*[9]*, tunc per ſpeciem: & ipſum proximum nunc*[10]*per fidem. Non enim ſcimus mortales corda mortalium: tunc autem illuminabit Deus abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit cogitationes cordis. Et tũc laus erit vnicuique à Deo, quia id laudabitur & diligetur à proximo in proximo, quod ne lateat ab ipſo illuminabitur Deo. Minuitur autem cupiditas charitate creſcente, donec veniat hîc ad tantam magnitudinem, qua maior eſſe non poſſit*[11]*. Maiorem autem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat pro amicis ſuis. Ibi autẽ quis explicet quãta charitas erit, vbi cupiditas, quam vel coercendo ſuperet, nulla erit: quàm ſumma ſanitas erit, quando contentio mortis nulla erit.*

1 *Ad charitatem.* Pulchro fine pulchrum hũc librum concludit Auguſt. nempe diſputatione de C charitate,quam duobus ſuperioribus capitibus interruptam repetit,quia eſt moderatrix omnium actionum noſtrarum.Certè quidem Dei gloria potiùs finis eſt omnium & præceptorũ Dei & actionum noſtrarum quàm charitas, vt docet Paul. 1. Co.10.verſ.31.Iſa.43.verſ.7. charitas autem eſt regula & via per quam ad Dei gloriam deducimur. Rectè enim hoc à philoſophis acceptum Scholaſtici docent,Pręcepta tradi non de fine ipſo,ſed de mediis ad finem nos deducentibus: quicquid Lõbardus hunc locum tranſcribens lib.2.diſt.38.cap. 1.& 2,ſentiat.

2 *Finis præcepti.* Locus eſt 1.Timot. cap. 1. v. 5.& Roma. 13. v.8. Galat. 5. verſ. 14. Finem autem appellat charitatem, ne quid agamus aliud expectantes, aut alio humano præmio ducti & allecti, quàm vt diligamus Deum & proximũ.Itaque affectus noſtros regere debet charitas,nõ autẽ eſt ipſa extremus finis actionum noſtrarum.

3 *Quam diffundit.* Charitas illa quam diffundit Spiritus ſanctus in cordibus noſtris & de qua loquitur Paulus Roma.5.verſ.5.eſt illa per quam nos Deus ipſe diligit.Ergo malè accõmodatur illi loco dictum Pauli quod eſt 1.Timoth. 1.v.5.quòd de ea charitate hoc accipiendum eſt, per quam Deũ diligimus ipſi,non autem de ea,qua ille nos.

4 *Iſta eſt.* Verbum,Eſt,deeſt in impreſſis,ſine A quo tamen non fluit oratio.In manuſcripto eſt,Et charitas quippe iſta &c.Ergo nõ aliud ſpectare debet homo Chriſtianus,quàm vt Deo pareat in ſuis actionibus,non voluptatem,non mercedem terrenam,non honores,Matt.6.Ergo rectè Auguſt. hîc docet eam charitatem qua Deũ primùm, pòſt autẽ proximum diligimus, eſſe finem & verum quidem noſtrarum actionum.Nam quòd ſe torquet Lombardus lib.2.diſt.38.in hac quęſtione, Vtrùm Deus ſit potiùs finis,quàm charitas,ſuam in re facili hęſitationem prodit. ex leui enim diſtinctione tolli omnis iſta dubitatio debet.

Nam finis alius eſt
- Summus.is autem eſt Dei gloria.
- Subalternus eſt charitas,

quæ tamen, vti dixi, potiùs medium quoddam eſt ad Dei gloriam,& diſpoſitio teſtificatióque cordis & affectus noſtri ad ſummum illum finem & verum,quàm finis. B

5 *Tota lex.* Locus eſt Matth.22.v. 40. Sed vt charitas eſt finis legis,ita & Euãgelij. Itaque apud Paulũ 1.Timoth.1.v.5. vox ἐντολῆς.i.præcepti, totã ſcripturam diuinam ſignificat & complectitur,nõ vnam tantùm illius partem, quæ contra Euangelium diuidatur,vt loquuntur in ſcholis,& in mõte Sinai data eſt.

6 *Deus charitas.* Locus eſt in epiſtola Ioannis 1.cap.4.verſ.8. quem locũ variè interpretatur Auguſt. lib. 15. de Trinita. ca. 17. & 18.Dicitur autem Deus charitas ab effectu,quia maximè ex ſuæ erga nos bonitatis & charitatis operibus agnoſcitur, Iac.2.verſ. 13. non autem quòd ſit πάθος vel ἕξις,vel qualitas quædã Deus.Nam,vt ait Auguſt. ipſe,ſub nullum prædicamentum propriè cadit Deus.

7 *Non mœchaberis.* Exod.20.v.14.

8 *Bonum eſt.* 1.Corint.7. ver.1.Hîc autem etſi videtur conſilia à præceptis diſtinguere Augu.(vti illud dictum Pauli,Propter inſtantem neceſſitatẽ, indulgentia fuit) tamen hæc ſententia nihil iuuat monachos vitæ ſanctitatem & iuſtitiæ perfectionem conſtituentes in obſeruatione conſiliorũ po- C tiùs quàm præceptorum, cùm vbique doceat Auguſt.nullos hîc perfectos eſſe.& in Pſal.38,Nemo, ait,ſe dicat perfectũ hîc.decipit ſe,fallit ſe, ſeducit ſe,non poteſt hîc habere perfectionem.

9 *Per fidem.* Locus eſt 1.Cor.13.verſu 12. & 2. Cor.5.v.7.

10 *Proximum nunc.* Putat Auguſtinus, vt ex ipſius verbis apparet, proximum nunc diligi per fidem: poſtea autem & in futuro ſeculo per ſpeciem,quia tunc cordis noſtri cogitationes patebũt, & alterius alteri innoteſcent,quia dictum eſt Luc. 8.v.17,Occulta tunc manifeſtabuntur. Errat certè Auguſt. Erit enim ſemper,vti nunc eſt, hæc vnius Dei propria conditio vt ſit καρδιογνώστης, id eſt, cordium ſcrutator, quemadmodum & hæc conditio ſemper erit, vti nunc eſt, ſolius Dei propria, vt ſit omnipotens,omniſcius,&c. Deinde qualia oporteret eſſe noſtra corpora poſt reſurrectionem, ſi per medium eorum cordis noſtri cogitationes agnoſci poſſent?Quid igitur?Ita corrigẽdus eſt Auguſtinus, nunc proximum diligimus per ſpeciem & tunc etiã diligemus per ſpeciem, ſed perfectiùs, excellentiùs,& ad pulchriores charitatis effectus. Probatur hæc noſtra ſententia authoritate Ioan.1.

A epiſtola cap.4.ve.20, Qui fratrem non diligit, ait, quem videt: Deum, quem nõ videt, quomodo diliget? Ergo videmus fratres & proximos hîc: Et idcirco per fidem non diligimus. Fides enim eſt rerum abſentium, Heb.11.v.1. Probatur etiam illo dicto Pauli, 1.Corinth.13.verſ. 13, Charitas erga proximum manebit eadem genere, quæ nunc eſt inter nos, ſed gradu & opere ardẽtior & perfectior, vnde perperam Bernar.Ser.60.Cant. hanc Pauli ſententiam de charitate manſura, ſumit de ea charitate, qua Deum diligimus: non autem de ea qua proximum. Nam ad dilectionem & charitatem, qua proximos etiam amplectemur, pertinet, quæ in cœlis manſura eſt, Ergo ſi nunc diligimus per fidem, & tunc quoque eodem genere diligemus, per fidem nimirum, non per ſpeciem. Denique aduerſatur Auguſtino Lactantius lib. 6.c.10. Inſtitutio. Chriſtia. vbi proximos à nobis diligi docet, qui inter nos ſunt, & vidẽtur ipſis corporis oculis. Ergo non per fidem, ſed per ſpeciem. Hîc autem nõ moror diſtinctionem Ariſtotelis, qui diſcrimen ponit inter φιλίαν, id eſt, amicitiam ſiue dilectionem, & B εὔνοιαν, id eſt, beneuolentiam: & dilectionem cõſtituit inter pręſentes: beneuolentiã inter abſẽtes. Nã ſiue præſentes, ſiue abſentes proximos diligamus hîc, per ſpeciem diligimus, non per fidem, quia per fidem ſpiritualia tantùm, quæ abſunt à nobis & ab hoc mundo (viſibilis quidem intuitus ratione) diligimus, qualis eſt Deus, & vita æterna. Illa autem M. T. Ciceronis vox in quadam epiſtola ad Pætũ mihi ſummopere placet, nempe Diligere plus eſſe quàm amare. Denique placet quoque quod Ariſtoteles lib.8. ἠθικῶν Νικομαχ. ca. 5. ſcribit, φίλησιν ἀπὸ τῆς φιλίας, id eſt, amorem à dilectione differe, quòd φίλησις, id eſt, amor, eſt etiam erga animantia bruta: (Nam & brutas pecudes ſępe, & ἄψυχα etiam amamus:) Sed φιλία, id eſt dilectio, erga ſolos homines. Eos enim alio quodam genere amoris perſequi debemus quàm pecudes. Hoc, inquam, etiam mihi placet.

II *Maior eſſe non poſſit.* Eſt & hîc quoque ἀκυρολογία Auguſtini, cùm ſcribit hîc, id eſt, in hoc C ſeculo tantam eſſe poſſe charitatem, vt maior eſſe non poſſit. Contrà idem ipſe & veriùs in epiſto. ad Hieron. 29, Virtus eſt, ait, charitas, qua id quod diligendum eſt, diligitur, Hæc in aliis maior, in aliis minor, in aliis nulla eſt. Pleniſſima verò, quæ iam non poſſit augeri, quandiu hîc homo viuit, eſt A in nemine. Quòd ſi excipitur, Quid ſi in aliquo tãta eſt charitas vt animam pro eo quem diligit, ponere paratus ſit, quam eſſe ſummam charitatem dicit Chriſtus, Ioan. 15.verſ. 13. an & hæc augeri poteſt? Quamuis quoad demõſtrationem & ſigna externa hæc ſit maxima charitas, poteſt tamẽ & ardore zeli, & ſynceritate affectus ſemper augeri, quanto magis ab omni cœno carnis eadem purgatur. Damon quidem & Pythias ita ſe dilexerãt, ſed tamen propterea in iis vel ſummam fuiſſe charitatẽ, vel perfectam, vel etiam veram nemo Chriſtianus dixerit, cùm ſuo & legitimo fine caruerit, qui eſt Dei gloria. Hîc locus & ſimiles alii Scholaſticos in errorem induxerunt. Putant enim charitatem in hac vita etſi augeri poſſit, minui tamen non poſſe, nec quantum ad obiectum, nec quãtum ad ſubiectum, vt ipſi loquuntur. At cõtrà Chriſtus docet Apocal.2.verſ.4.

PERORATIO OPERIS.

Cap. CXXII. B

Hoc opus quo ſit nomine appellandum.

SEd[1] *ſit aliquando huius voluminis finis, quod ipſe videris vtrùm Enchiridion vel appellare debeas, vel habere. Ego tamen cùm ſpernẽda tua in Chriſto Ieſu ſtudia non putarem, bona de te credens, in adiutorio noſtri redemptoris confidens, ac ſperans, téque in eius membris plurimùm diligens, librum ad te ſicut valui, vtinam tam commodũ, quàm prolixum, de fide, ſpe, charitate, conſcripſi.*

I *Sed ſit,* Ergo

Et iam tempus equûm ſpumantia ſoluere colla;

Et nos quoque cum Auguſtino hîc ſcribẽdi finem facimus, veniam orantes, quòd non omnibus ſatisfaciamus. Mœrẽtes enim ſcribebamus, & exilium noſtrum à chariſſima Dei Eccleſia Gallica, à patria, laribus ipſis pulſi propter nomen Chriſti, his meditationibus in Deo nóſque ipſos in hac pagi Vãdoperiani ſolitudine ſolabamur. Det mihi Dominus in dies magis magíſque ſub ferula ſua, & in metu ſuo iuxtà etiã vera doctrina Chriſtiana C proficere per Chriſtum Dominum.

L. D.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI LIBER DE HÆRESIBVS, AD Quodvultdeum.

LAMBERTI DANAEI OPERA EMENDATVS, ET COMmentarijs illuſtratus, à quo eodem additæ ſunt hæreſes ab orbe condito ad conſtitutum Papiſmum & Mahumetiſmum,etiam eæ quæ hîc erant ab Auguſtino prætermiſſæ.

Acceſsit operi triplex index, vt non modò Chronologiæ hæreſeon ratio, ſed etiam quæ ex illis vtilitas percipi poſsit,intelligeretur,& à quibus in vnoquoque Decalogi præcepto, Symboli Apoſtolici articulo,item diſputatione de Sacramentis,ſit erratum.

In calce operis addita eſt arbor hæreſeôn,ex qua quomodo aliæ ex alijs natæ ſint & propagatæ, & vt ſæpe vna quædam hydra plura capita produxerit,perſpicuè docetur.

Additus eſt præterea tractatus de Eccleſia, vbi quibus ſenſim gradibus illa tandem in Papiſticam tyrannidem inciderit,oſtenditur.

I. COR. XI. v. XIX,

Oportet hæreſes inter vos eſſe, vt qui probati ſunt,manifeſti fiant inter vos.

CLARISSIMIS ET AMPLISSIMIS VIRIS, ET MAGNIFICIS DOMINIS, DOMINIS ſuis Syndicis, Senatuíque inclytæ vrbis Geneuæ,

LAMB. DANÆVS.

DVAE ſunt potiſsimùm cauſæ, Magnifici Domini, quæ me cur has meas in Auguſtinum commentationes vobis dedicarem,impulerunt:veſtrorum erga me beneficiorum recordatio, atque vtiliſsimum ipſius libri argumentum. Nam quum anteactæ vitæ meæ rationem ineo, & mecum; ſicuti par eſt, expendo, qua via Domino Patri miſericordiarum placuerit me primùm ex illis horrendis idololatriæ tenebris ad ſalutarem Euangelij ſui lucem traducere,plurimum me vobis, ac quãtum ne parentibus quidem ipſis debere ingenuè profiteor. Quanquam enim parentum in liberos beneficium eſt omnino ingens, & quantum à liberis nunquam ſatis pro dignitate vel agnoſci, vel rependi poſſe fatendum eſt: longè tamen nos plura ijs debere,per quos veram pietatem didicimus,nemo ſanæ mentis,opinor,negabit : per hos enim Chriſtiani,per illos nihil amplius quàm homines ſumus.Maximè verò,ſi quanta ſit in Papiſmo(cui tanquam pecudes mancipati ſeruiuimus)errorum lerna, cogitabimus, tanto nos beatiores; qui ſemel è tanto naufragio emerſimus,felicioréſque iudicemus neceſſe eſt,eóque pluris eos faciamus, per quos à Domino ſumus tantum beneficium conſequuti. Itaque quum anno temporis vltimi M. D. LIX. Iuriſconſul. ille doctiſsimus, & ſenator planè ſanctiſsimus Anna Burgius,cui per quadriennium operam in Iure ciuili Aureliæ dederam, eſſet propter puram Euangelij doctrinam Lutetiæ crematus,eo ipſo igne ad huius, quam tantùm leuiter deguſtaram, doctrinæ cognitionem aſſequendam

A acrius ſum inflammatus, adeò vt me totum in eorum, qui & verè & ſincerè illam profitebantur, A ſcholam & diſciplinam tradere poſtea cogitarim. Nec enim temerè vel leuibus argumentis eam à tanto viro, quem toties vniuerſa Gallia docentem eſſet admirata, defendi poſſe ſtatuebam. Sic factum eſt, vt anno ſequenti, qui fuit M.D.LX. in hanc veſtram Academiam, non tanquam noſtræ Galliæ vicinam (erant enim & aliæ) ſed tanquam ad limpidiſſimum cæleſtis illius doctrinæ fontem, ſumma animi alacritate meipſum conferrem. Eò verò quum veniſſem, quales, quantóſque viros, præceptores habuerim, non dico. Satis enim in omnium hominum ore verſantur eorum partim iam defunctorum, partim adhuc viuentium laudes. Hoc tamen liberè, & citra piorum omnium inuidiã dixero, mihi tot mundi lumina, & præſtantiſſimos, celeberrimóſque in omni artium genere viros tunc illuxiſſe, vt vna hæc ciuitas totius humanæ literaturæ ditiſſimum quoddam emporium videretur. Imprimis autem in ea, quam maximè tunc quærebam, Euangelicæ doctrinæ ſcientia, inſignẽ illum Dei ſeruum & paſtorem veſtrum Ioannem Caluinum ita ſum admiratus, & ita me tunc Dominus per illius tum conciones tum etiam prælectiones ſuauitate quadam ipſius doctrinæ pellexit, vt abdicato prorſus Iuris ciuilis ſtudio, quod ad eum diem ſequutus eram, totum me ſacræ Theologiæ deuouerem. Me verò, quemadmodum & pleroſque alios, tũc quoque plurimùm rapiebat, & afficiebat ipſa vita morúmque ciuitatis huius publica ſanctitas, quæ tanquam ſplendor quidam in omni hominum ordine effulgebat, adeò vt in ea ciuitate, in qua tam iuſta rerum omnium adminiſtratio regnaret, eſſe & degere nunquam non poſtea deſiderarim. Sed id neque valetudo mea tunc fieri paſſa eſt: neque importunæ eorum preces, qui verbi Dei miniſtros efflagitabant, quietem mi-

B hi conceſſerunt. Itaque ex Paſtorum huius vrbis conſilio, ad ſuſcipiendum diuinum miniſterium in patriã ſum remiſſus, vbi quum tuta quietáque ſperaremus omnia, ecce ſumma rerum perturbatio, B atque inexpectata Eccleſiarum ruina accidit, & recentes iſti furores Gallici, qui hodie nemini non auditi ſunt, pios pleroſque quibus pepercit gladius, in exilium expulerunt. Sed in hac ipſa communi patriæ calamitate & fuga mea, nouum quoque à vobis in me beneficium acceſſit. Præterquam enim quòd hîc, quæ veſtra eſt in Chriſtianos omnes humanitas, benignè ſum exceptus: ſum etiam Eccleſiæ ſuffragÿs in Paſtorum collegium cooptatus, ciuitatem hanc patria ipſa longè humaniorem expertus. Et certè hæc mea conditio eo mihi iucundior eſt, addo etiam magis ſalutaris, quòd eos doctores & collegas habeam, quorum domeſticis exemplis, & excellẽti eruditione, magna tũ pietatis, tum doctrinæ fidei incremẽta in me fieri quotidie poſſunt. Atque vtinam tantum mihi roboris & animi largiatur Dominus, vt eorum exemplum imitatus, in hoc ſacroſancto munere ad ipſius gloriam, atque huius ædificationem Eccleſiæ verſer, eam diligentiam afferam, vt neque Eccleſiam ipſam mihi tantum onus (cui me ſanè prorſus imparem ſentio) demandaſſe: neque meipſum illud in me recepiſſe pœniteat. Quum igitur tot & tãta veſtra in me beneficia extent, quis memorem & gratum eſſe me debere non fatebitur? Sed altera quoque huius libri vobis nuncupandi ratio, & priore quidem non minus iuſta accedit, quòd ex huius libri argumẽto, quãta Deus in vos ipſos beneficia contulerit, & quot quantiſque malis vos eripuerit, dum & Papiſmo, & varÿs erroribus liberat, animaduertetis.

C Quanquam enim ea eſt diuinæ & Euangelicæ veritatis vis, vt hominibus ad eam attendentibus, omnes errorum nebulas, & turpiſſima hæreſeôn mendacia luce ſua diſcutiat, ſingulare tamen, & quodammodo peculiare videri poteſt hoc Dei erga vos munus, quòd mira felicitate & celeritate illud infelix lolium, quod bono verbi Dei ſemini Satan admiſcere ſolet, penitus ex veſtra ciuitate ex- C tirpaſtis. Magna quidem Paſtorum veſtrorum, in primis autem magni illius Caluini vigilãtia id factum eſſe, nemo quantumuis inuidus diffiteri poteſt: ſed tamen in eo non parua certè laus veſtra eſt, quòd ſanis Paſtorũ veſtrorum conſilÿs paruiſtis, neque aduerſariorum iudicia veriti, neque potentiſſimorum regũ inuidiã & minas pertimeſcẽtes. Itaque in ea, quã nobis Dominus verbo ſuo patefecit, veritate puriſſima cõſtanter & intrepidè permanſiſtis. Neque nõ tamẽ in veſtra hac ciuitate Satan ſua flabella, & peßimorum errorũ diſſeminatores habuit, ſed ſummo Dei beneficio nunquam iſti quicquam inter vos obtinere & efficere potuerũt. Vicit enim veritas, & ſtatim extincta ſunt ea veneni ſemina, quæ pater ille mẽdacÿ ſerere inter vos conabatur. Quod ſigillatim etiã cõmemorare me nõ pigebit. Nã cùm anno Domini M.D.XXXV. ſalutare illud Euãgelÿ lumẽ tota ciuitas veſtra diuino potius miraculo, quàm humana vlla induſtria lubenter amplexa eſſet, quàm variè vos teterrimus ille humani generis hoſtis per ſuos emiſſarios ſit aggreſſus, ſatis conſtat. Neque verò de iis tãtùm loquor, qui vos à iam recepta cæleſti doctrina, callido quodã artificio & blãdis verborũ lenociniis abducere tentarũt, quales aſtuti & ab ipſo Rom. AntiChriſto redẽpti homines P. Caroli & Iacob. Sadoletus extiterunt. Non eos etiam ſolùm intelligo, qui aperta vi & nefaria ſeditione Euangelium ipſum, cui introducendo gnauiter operam nauaſſe prius videbantur, procul abigere atq; adeò prorſus profligare poſtea voluerũt. Eos potiùs hîc cõmemoro, qui ipſius Chriſtianæ religionis retinẽdæ, fouẽdæ, illuſtrandæq; falſo quidẽ, ſed tamẽ plauſibili prætextu fœdiſſimarũ hæreſeôn ſordes in eã, quam iam purißimam ſuſceperatis, fidei doctrinam inuehere moliebantur, à quibus omnibus vos

mira

A *mira felicitate, incredibilique bonitate ſua Dominus liberauit. Nec enim poteſtis non meminiſſe, aut vnquam vos poſterique veſtri obliuiſci poſſunt, quemadmodum poſt receptum purum illud Dei verbum (quo certè tempore deſiſtis Poſt tenebras ſperare lucem, ſed lucem illam cæleſtem & optatiſſimam vidiſtis) anno Domini. M. D. XXXVI. per Anabaptiſtas genus hominum obſtinatiſſimum, & primum ferè in omnibus reformatis Eccleſiis bono ſemini adnaſcens lolium, Satan vos oppugnarit. Verùm hi poſt diſputationem de eorum doctrina publicè habitam erroris damnati, pulſique vrbe nunquam poſtea in hac ciuitate nidulari, aut veſtram Eccleſiam tentare ſunt auſi. Succeſſit deinde annus Domini M. D. XLI. quo demum iuſtam aliquam Eccleſiaſticæ diſciplinæ formam delineaſtis, quæ aliquot poſt annis perfectior atque auctior facta, magno tandem omnium huius ciuitatis ordinum conſenſu comprobata eſt. Hoc eodem anno per Sebaſtianum illum Caſtellionem fictæ pietatis hominem Satan vos fidémque veſtram impellere, & leui primùm, vt videbatur, ictu, ſed periculoſiſſimo quatere voluit: quo tamen malo & occulto veneno ciuitas veſtra anno XLV. homine ipſo tanquam ſpuma expulſo purgata eſt. Secutus eſt annus M. D. L. (nec enim diutius Satan quieſcere potuit) quo è mediis ciuibus ipſis extitit Gruetus quidam portentoſæ impietatis monſtrum, vtpote qui Samoſateniſmum cum Manicheiſmo in eandem erroris farraginem conflauerat, qui, niſi maturè Dominus occurriſſet, eo fauore, quo apud ſuos populares commendabatur, plurimos labefactare potuit. Sed ipſo authore à vobis iuſta eáque capitali pœna ſublato, illa quoque* B *periit impietas. Quid igitur? Sua ſpe toties depulſus Satan tamen alia vos eſt aggreſſus via. Anno ſiquidem M. D. LI. Hieronymum Bolſecum è cellis & pædore Monachorum excitauit, qui veriſſimam de Sanctorum Prædeſtinatione doctrinam, id eſt, certiſſimum ſalutis noſtræ fundamentum euertere, & aperto Pelagianiſmo commutare conaretur. Sed erroris conuictus vrbe primùm à vobis, deinde tota etiam vicina ditione extruſus eſt. Atque hic vti reliquo vitæ tempore incertis ſedibus vagatur, ita certam animo religionem nullam tenet. Iam verò toties deiectus veritatis hoſtis præcipuum è ſuis ducibus & anteſignanis tandem produxit. Anno enim M. D. LIII. ad vos horrendum illud & ex omni errorum colluuie conflatum mõſtrum Seruetus venit: vel, vt ego potius ſentio, Dominus ad iuſtam nominis ſui (quod impurus ille toties & ore & ſcriptis blaſphemauerat) vltionem Seruetum ad vos dignum de ipſo ſupplicium ſumpturos adduxit, cuius vel ſolo halitu Satã nocentiſſimum erroris venenum (per quod Domino noſtro Ieſu Chriſto ſua veráque Deitas adimitur, id eſt fidei noſtræ baſis conuellitur) ita quibuſdam afflauit, vt ne graui quidem iſtius ſupplicio illi territi poſtea ſilerent, aut ſaniores eſſent. Nam anno M. D. LVIII. extiterunt Serueti diſcipuli impudẽtiſſimi, totius generis humani peſtes, qui Tritheitarum errorem cum Samoſateniſmo & Arianiſmo. i. monſtra monſtris cumularunt. Hi autem fuerunt Valentinus Gentilis, Georgius Blãdrata & Paulus Alciatus nebulones & impoſtores maximi. Inter quos Valentinus deprehenſus & blaſphemiæ ſuæ conuictus hîc palinodiam cecinit, errorémque eiurauit, ſed tandem cum inſaniæ ſuæ ſociis non magis vrbis huius aërem, quàm noxij ſerpentes ſuauem balſami odorem ferre potuit. Itaque* C *hi omnes ſe veſtra vrbe clàm proripuerunt, atque etiam Valentinus ipſe contra iuſiurandum à ſe publicè datum, quò venena ſua liberè exſpuerent, quæ hîc inter vos omnino & ſupprimi & perire oportere cernebant. Ergo cùm vos tot tantiſque hæreſeôn malis magna ſua miſericordia tam facilè Dominus liberarit, vt ne exigua quidem earum ſemina nunc extent, quantas vos Deo Optimo Maximo pro tanto ipſius beneficio gratias agere: quanta diligentia in poſterum cauere oportet, ne qua Chriſtianæ doctrinæ labes inter vos oriatur & ſoboleſcat? Quanquam verò hæc cura ad nos Paſtores veſtros maximè pertinere videtur, veſtrum tamen eſt eadem animi conſtantia, qua prius, pergere: & veſtram illam authoritatem artibus Satanæ hæreticorúmque conatibus fortiter opponere: hominum aduerſariorum iudicia non reformidare, imò ne totius quidem mundi vim aut minas timere. In Deum ipſum potiùs, Viri fortiſſimi, intuemini, & ipſum ſperate, quem iam toties protectorem veſtrum experti eſtis, contra omnium hoſtium veſtrorum furores & conſpirationes defenſorem futurum. Quin potius illam ipſam ſanctam morum regulam & diſciplinam, ne quadam, vt fit, humanæ naturæ ad peius ruentis conditione & animorum remiſſione labaſcat, illam ipſam, inquam, Viri Chriſtiani, perficite & in quàm optimo ſtatu collocate, ne tacita fortè conſuetudine mali paulatim mores obrepant, & ad publicam nequitiam audacia non tantùm inter vos inuehatur, ſed etiam creſcat. Verum enim illud eſt, Procliue hominis ingenium ad libidinem, & qui primis tantæ ruinæ initiis maturè non occurrunt, quodammodo ad maiores lapſus & errores viam ſternere & concedere videntur. Hoc ne fiat, veſtrum eſt nobiſcum proſpicere: nec hominum ſanctã illam vitæ inſtitutionem graue & durum iugum appellantium querimonias audire: Hoc veſtra atque etiam æterna virtute dignum eſt. Hoc Deo gratum. Hoc animis veſtris ſalutare. Hoc veſtræ ciuitatis incolumitati (quam totam ex vno Deo pendere agnoſcitis) omnino & vtile & neceſſarium eſt. Ad quod ego quanto maximo poſſum animi affectu vos adhortor, Deúmque ipſum per vnige-*

A *nitum Filium ſuum vt vobis eam mentem ſemper tribuat, ardentiſſimis precibus obſecro. Cæterùm hic Auguſtini libellus, quæq́; ſunt à nobis addita, à quot quantiſque erroribus ſit vobis cauendũ demonſtrant. Continent enim omnes penè hæreſes, quæ à condito mundo, certè à paſſo pro ſalute generis humani Domino noſtro Ieſu Chriſto vſque ad conſtitutum tum Papiſmum, tum etiam Mahumetiſmum (quæ vtraque eſt Apoſtaſia à fide Chriſti vniuerſalis) in Eccleſia Dei natæ ſunt & graſſatæ. Alias enim, quæ hæreſes vocantur, quæq́; poſt illa tempora dicũtur extitiſſe, tum quòd partim hæreſes non fuerunt: tum etiam quòd ſi quæ fuerint, earum tantùm, quas hîc commemorauimus, interpolationes & renouationes quædam eſſe apparent, omiſimus, quia crambe præſertim tam virulenta, vel ſemel appoſita nedum repetita, mors eſt. Ac certè qui poſt ſtabilitum Papiſmum pro hæreticis magna veritatis Euangelicæ ignoratione traducti ſunt, quales qui VVicleuenſes, Huſſitæ, Picardi, Begardi, Lollardi, VValdenſes, Albicenſes, Pauperes de Lugduno dicũtur, hi, imprimis autem VValdenſes, quorum celebres & religioſæ vigent Eccleſiæ, rectè de Chriſtianæ fidei articulis ſenſerunt: & pro veris Chriſtianis ſunt habẽdi. Sed quia à Papiſmi, id eſt, vniuerſalis & fœdæ illius Apoſtaſiæ doctrina diſceſſerant, ab Apoſtatis ipſis, id eſt, Papiſtis, vt hæretici damnabantur: à nobis autem & Chriſtiani & Dei Martyres ſunt nominandi: nedum vt eos inter hæreticos recenſeamus. Quæ verò dogmata ab Anabaptiſtis, Syluaniſtis, Seruetanis, Neareanis & aliis fœdè regeruntur, illa ſunt rancida tantùm veterum hæreſeôn repotia, quæ iam millies refutata legimus.* B *Quamobrem in conſtituto iam Antichriſti regno ſubſtitimus à mundo condito ad annum, qui à Chriſto non nato, ſed paſſo numerandus erit, 675, progreſſi, quo iam tempore apertè in Dei Eccleſia, vt numen, ſedebat Filius ille perditionis, quem appellat Paulus: Ioannis autem Funccij chronologiã maximè in hoc opere ſecuti ſumus. Hæc autẽ anno à nato Chriſto & temporis vltimi M. D. LXXVI. ſcribebamus cùm Geneuæ Cal. Ianuariis, Syndici ſiue Cõſules creati eſſent M. Roſetus, Iac. Blondetus, Cl. Domonouanus, & Steph. Mailletus: Vrbi autem eſſet Præfectus Amadeus Caſtelnouanus: Profeſſores autem publici, & magna quidem mundi lumina, hi eſſent: Theologiæ, Theod. Beza, parens in Domino & præceptor meus: Iuris ciuilis, Franciſcus Hotomanus: Linguæ Hebraicæ, Cornelius Bertramus: Linguæ Græcæ, Franciſcus Portus: Philoſophiæ, Matthæus Beroaldus. Atque hic tunc erat veſtræ tum ciuitatis, tum ſcholæ ſtatus, quem vobis ſaluum & incolumem Dominus Deus perpetuò conſeruet, & veritatis ſuæ pura luce ſemper foueat, & locupletet.*

ΚΑΙ' σὺ Δαναΐε λέοντας, ὕδρας δ' ἑκατοντακαρήνους
Δαμνᾷς νῦν, στυγίους Κερβερείους τε κύνας
C Οὐ ῥοπάλοις, τόξοις, ἐχεπευκέσιν οὐ βελέεσσιν,
Γράμμασι δ', οὐρανίῳ καὶ πινυτῇ σοφίῃ.
Ἡρακλέης ὤνησεν ἅπαξ, σὺ δὲ πάντοτε, δέλτοις
Ταῖς δὲ βροτοῖς φέγγεις ἠελίοιο φάος.
Φραγκίσκος ὁ Πόρτος.

D. LAMB. DANÆO
THEOLOGO.

IMpia facta colit cupido mens impia voto:
Dicta viris veluti ſunt pia grata pijs. C
Ergo Danæe audes impuras tangere ſectas,
Cùm doctor puri ſis pius eloquij?
Scilicet, vt medici miſcent medicamina viru,
φάρμακον *& faciunt, quod ſit* ἀλεξίκακον.
Impia diuini condis ſic nectare verbi,
Impius vt doleat, gaudeat hiſque pius.
Hoc opus eſt artis ſacræ: quod temperat acta
Impia, iam proſint vt pia ſcripta pijs.

Franc. Meiſſonnierius
Matiſcon. L.L.D.

CAPVT. I.
In omni doctrinæ & artium genere fuiſſe hæreſes.

ANTEQVAM ad ipſius argumenti longè quidem vberrimi & vtiliſsimi explicationem aggredior, quædam mihi videntur præfanda, ex quibus tum vtilitas huius operis intelligetur: tum variis quæſtionibus, quæ in harum rerum tractatione fieri ſolent, reſpondebitur, ne quid ſit, in quo tanquam in aqua, huius operis ſtudioſus lector hæreat. Ac primùm quidem illud certo certius eſt, nullum vnquam artium doctrinæque genus fuiſſe, in quo hæreſes aliquæ tandem non extiterint, ſiue Philoſophiam ſiue Chriſtianam religionem ſpectemus. Quot enim inter ipſos Philoſophos ſectæ fuerunt, & in eadem ſecta quot diuortia & familiæ exortæ, tot proculdubio hæreſes diuerſæque ſententię, aliæ ab aliis etiam de eadem re diſſentientes, ſunt dicendæ. Hoc autem Clemẽs Alexandr. Stromat. li. I. veriſsimè docet his verbis: Cùm vna ſit veritas, ait, falſum innumerabilia habet diuerticula, quemadmodum Bacchæ, quæ Penthei membra diuellebant, ſic Philoſophiæ tam barbaræ quàm Græcæ, hæreſes. Vnaquæque enim id quod ſortita eſt tanquam totam iactat veritatem, & certè nulla tam abſurda fuit vnquam ſententia, quæ non, vt ait Quintilianus, ſuum authorem defenſoſenſoremque habuerit. Ac de Philoſophia quidem fidem nobis faciunt & Epiphanius & Celſus is, de quo in proœmio huius libri poſtea meminit Auguſt. & Diogenes Laertius: & Plutarc. in lib. quinque, de placitis Philoſophorum, qui omnes diuerſas Philoſophorum ſectas & ſententias nobis deſcripſerunt. In doctrina verò fidei idem eueniſſe teſtatur & verbum ipſum diuinum, & Epiphanius grauis ſcriptor, qui hæreſeôn, tum earum quæ ab initio mundi & ante Chriſtum incarnatum extiterunt: tum earum, quæ poſtea natæ ſunt, luculenter meminit. Hoc autem malum tum ex natiua & propria hominis ipſiꝰ malitia & cæcitate, quæ vtraque nobis iam propter peccatum ineſt, accidit, tum Satanæ aſtu & ſuggeſtione, qui veritatem odit, factum eſt.

CAP. II.

Vtrum vtile ſit hæreſes noſſe, eáſque commemorare, & de vtilitate ex hæreticis capienda.

SEquens quæſtio eſt, Vtrum operæpretium ſit hæreſes, & eas imprimis, quæ in recta fide ſanaque doctrina, quæ Chriſtiana eſt, euenerunt, noſſe & legere, & tractare. Primùm ne quid labis & contagionis inde trahamus. Sæpe enim neſcio quomodo ſenſim influit, & incautis obrepit quidam guſtus earum opinionum, quas tractamus, vt arrideant & à nobis poſtea defendãtur. Deinde vt Clemens Strom. lib. 5. ex AEſchylo docet,

Ne in iis labores temerè, quæ nihil iuuant.

Quid autem prodeſt hæreſes noſſe, quæ ſunt religionis Chriſtianæ carcinomata & peſtes? Poſtremò, ex huiuſmodi recitatione magnum infirmis, ne dicã, Paganis hominibus & Euãgelium iã odio proſequentibus offendiculum præbetur, quaſi in fide Chriſtiana nihil ſit certi & conſtituti, quod ſequi poſſimus. Quod rectè præuidit Nicephorus Calliſtus, cùm varias Eutychianorum hęreſes enumeraret libro 14. cap. 48. Reſpondeo verò tribus maximè de cauſſis vtiliſſimum eſſe, hæreſes, quæ in doctrina fidei emerſerunt, & cognoſci & explicari. Primùm, vt refutentur, atque vt tãquam ſcopuli quidam à nobis & ab aliis euitentur. Cùm enim hæreſis ſit velut ſaxum periculoſum, ad quod alij naufragium fecerunt, de eo admoniti alii ſibi melius prudentiúſque cauebunt. Nec enim, vt ait Theodoretus lib. 1. Hæreticar. fabul. eo animo audire vanos iſtos errores, qui teterrimum odorem emittunt, debemus, vt eos libenter audiamus, aut vt amplectamur: ſed vt reliquos doceamus, quæ ſit recta & publica via, quam Prophetæ & Apoſtoli triuerũt: nobíſque tutiſſimam aduerſus omnes Satanæ inſidias reliquerunt. Itaque vt medici, quemadmodum tradit Epiphanius, De venenis & deleteriis libros ſcribunt, non vt iis vti doceant homines, ſed vt potius ab iis nobis caueamus: ſic hæreſes deſcribuntur, vt euitentur: non autem vt ſuſcipiantur. Nam etſi eſt neceſſe vt ſint hæreſes, non eſt tamẽ ſuaue, vt ait Bernard. epiſt. 189. itaque ſunt cauendæ. Secunda ratio & vtilitas eſt, quòd ex iis ipſis recitatis ſana doctrina melius diligentiúſque examinatur, & magis penſiculatè: adeò vt quæ feſtinanter antea percurrebamus, incipiamus attentè iam legere & ſingula ponderare. Nam, vt verè ait Euagr. lib. 1. cap. 9. per eos, qui Eccleſiam diſcerpſerunt, recta fidei dogmata emerſerunt: quod ipſum etiam in Arianis oſtendit Nicephorus lib. 13. cap. 1. Itaque Paulus 1. Corinth. 11. v. 19, Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſtẽtur. Tertia denique huius lectionis & cognitionis vtilitas in eo eſt, quòd ea ratione & cùm ſceleratiſſimorum iſtorum dogmatũ abominatio retegitur, tantò magis inuiſi redduntur, tum ij, qui genuerunt: tum etiam ij, qui ſtolidè illis crediderũt. Sic enim hæc tractatio legenda eſt, vt vera doctrina erroribus iſtis ineptiſsimis ſemper opponatur. Itaque apud Euſebium libro 7. hiſtor. ca. 7. Dionyſ. Corinthiorum Epiſcopus rectiſſimè, Ego, ait, tractatus hęreticorũ lego, & traditiones eorum perſcrutor etiamſi videor ad horam illorum verbis pollui. Sed multum mihi confert hoc ipſum, quòd ex ipſorum verbis arguere eos poſſum. Et concilio Carthaginenſi 4. cap. 16. decretum eſt, vt Epiſcopi hæreticorum libros legerent, quanquam iidem à Paganorum poetarum ſcriptis iubentur abſtinere. Idem Viennenſi concilio conſtitutum anno ſalutis 1311. Vera eſt enim illa Plutarchi, quãquam ſcriptoris profani, ſententia, Nos ex ipſis inimicis noſtris etiam maximam vtilitatem capere poſſe. Rationes autem illæ, quæ contra afferuntur, ex eo facilè omnes diſſoluuntur, quòd à Deo ſpiritus fidei & diſcretionis petendus nobis eſt, vt & ipſius ſoli verbo inhæreamus, & quæ illi repugnant, ſententiæ à nobis nulla hominum authoritate victis repudientur.

CAP. III.

Quid ſit hæreſis, & hæreticus, & de quorundam aliorum vocabulorum definitione.

HAEreſis vox Græca eſt (Αἵρεσιν enim illi appellant) qua tamen vſus eſt M. Tullius in proœmio Paradoxorum. Hæreſis autẽ quid ſit, eſt omnino, vt ait Auguſtinus, difficilè definire. Nos tamen tentabimus, Chriſto duce. Ac primùm in vniuerſum hæreſis eſt, quæ à quoque electa eſt animi ſententia, & opinio, ſiue à nobis ipſis illa ſit inuenta, ſiue ab alio accepta. Quæ ſignificatio primùm & in bonam & in malam partem ſumebatur, Act, 24. verſ. 14. & Clemens Strom. lib. 8. Vnde apud Philoſophos προαίρεσις animi, eſt electio animi de re aliqua perſequenda vel fugienda, quam prægreſſa eſt deliberatio. Vſus tamen poſtea, maximè apud Chriſtianos, effecit, vt in malã tantùm partem acciperetur, nimirum pro animi peruerſa ſententia, quam obſtinatè & pertinaciter tuetur aliquis, ex qua diſsidia, contentiones & rixę oriuntur. Paulus enim ſic hac voce vtitur, Galat. 5. verſu 20. Tandem ad ſolas quæſtiones, quæ de fide Chriſtiana fiunt, & in quibus erratur, referri & reſtringi cœpit propter locum Pauli, qui eſt 1. Cor. 11. verſu 19. Oportet inter vos hæreſes eſſe. & Tit. 3. verſu 10. Hæreticum hominem poſt vnam & alteram admonitionem deuita. Quo iam ſignificato toto hoc opere ſumitur à nobis, & hîc definitur.

Hæreſis igitur eſt electio peruerſæ fálſæque de eo, quod ad animarum ſalutem credi ex Dei verbo debet, ſententię, quam pertinaciter defendimus, ſiue illa à nobis noua reperta: ſiue iam

A ab alio inuenta ſit,& vetus, vti ex Tertulliano, libro De præſcript. aduerſus hæretic. facilè colligi poteſt. Eſt igitur error genus hæreſeos. Neque enim hæreſis eſt ea ſententia, in qua minimè reipſa erratur, etſi errari à nobis homines dicunt: ſed eſt ea tantùm, in qua reuera erratur, & à veritate diſceditur. Erroris autem tria ſunt genera, vt docet Auguſtin' in libris De doctrina Chriſtiana: & lib. De vtilitate cred. c. 4. Primum genus, in quo id quod eſt falſum putatur verum, præter mentem eius à quo tamen nos illud ſumere dicimus, vt ſi quis putet idola eſſe ex mente Scripturæ veros deos, quia dij ſæpe appellantur. Secundum genus, quum id quod falſum eſt, putatur verum, & id creditur quod reipſa ſenſit is, à quo ſumimus: veluti ſi putes, legens & euoluens libros Lucretij, De natura rerum, animam conſtare ex atomis, quod & ſcripſit & ſenſit Lucretius, error eſt. Tertium genus eſt, quum ex alieno ſcripto aliquid veri creditur, quod tamen ille, cuius ſcriptum profers, non ſenſit, aut putauit: veluti ſi quis exiſtimet Epicurum, B quia continentiam laudat, poſuiſſe ſummum bonum in virtute. Hæreſis autem hîc definita eſt error, ex primo erroris genere, quum nimirũ quis verum putat, quod falſum eſt, & præter eius mentem, à quo ſuæ ſentẽtiæ confirmationem petit. Eſt igitur hæreſis adulterina ſacræ Scripturæ interpretatio. Itaque rectè Hieronymus in epiſtolam Pauli ad Galat. cap. 5. Quicunque, ait, aliter Scripturam ſacram intelligit, quàm ſenſus Spiritus ſancti flagitat, à quo conſcripta eſt, licet de Eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt, maximè ſi eam falſam ſententiam defendit. Quare hæreſis eſt omnis conſtituta defenſáque contra veritatem verbi Dei ſcripto comprehenſi ſententia. Sed à verbo Dei dupliciter receditur, nimirum vel materiæ, vel formæ ratione. Ac ratione materiæ variis modis. Quum enim verbum Dei & cæleſte ſacra Scriptura comprehenſum, quędam tradat tanquam generales & communes Chriſtianæ doctrinæ ἐννοίας & ἀφορισμοὺς, qui fidei articuli dicuntur: C quædam autem, tanquam particulares rerum geſtarum narrationes & hiſtorias, certè quicũque vel in illis generalibus ſententiis errat: vel in his particularibus, ídque obſtinatè, poteſt hæreticus dici, quanquam hîc quàm illic minus periculoſè erratur. Nullus enim eſt leuis in iis, qui Chriſtianæ fidei articuli vocantur error. In particulari autem rerum geſtarum narratione, quæ à Scriptura traditur, ſi fallimur, poteſt ſæpe leuis eſſe error, quem tamen ſi pertinaciter & obſtinatè poſtea defendimus, grauis & periculoſus tãdem euadit. Denique hoc ſit concluſum, neque vllum extra doctrinam, & res à Scriptura ſacra traditas, errorem ſolere à Chriſtianis hominib' hæreſin appellari: neque etiam in ſacra Scriptura tractanda omnem errorem hæreſin debere dici. Nam circa particularem aliquam Scripturę hiſtoriam, leuis noſtra hallucinatio, quales circa chronologiæ, vel topographię rationem, vel in nominum & perſonarũ diſtinctione, multi errores etiam peritiſſimis ſæpe obrepũt, & accidunt, qui neque ſolent, neque debent odioſo illo & infami hæreſeos nomine notari, & appellari: ſed tantùm voce erroris mitiore. Diuerſæ autem diuerſorum interpretationes & ſententiæ, de eodem loco ſacræ Scripturæ, quæ ab analogia fidei non recedunt, non ſunt hæreſes: ſed ſunt explicationes tantùm tolerandæ, & ſæpe etiam, quia lumen obſcuris Scripturæ locis afferunt, laudandæ. A Ex quo fit vt iam etiam propriam & vſitatam hæreſeos ſignificationem reſtringamus, dicamúſque quum tam odioſè hæreſis nomen à nobis damnatur, vt hîc & vulgò ſolet, quum hæretici malè olent, & audiunt, hęreſin pro ea ſolùm peruerſa falſáque animi ſententia ſumi, per quam aliquid contra ipſam fidei Chriſtianæ doctrinam, & contra vniuerſales illos articulos & creditur & defenditur. In his autem articulis tripliciter peccari poteſt. Nam

vel in { Omnibus fidei noſtræ articulis erratur,
Aliquibus, & quidem pluribus,
Vno tantùm.

Nuſquam verò, quemadmodum diximus, leuiter in fidei articulis hallucinamur.

Ratione verò formę duobus etiam modis à nobis errari poteſt. Quum enim aliquid in ſacra Scriptura contineri dupliciter dicatur, vel expreſſè & iis ipſis verbis, quibus à nobis pronuntiatur: B vel ex mẽte Scripturæ, & ex analogia fidei, vt vox hæc Trinitas: ſi ab eo, quod Scriptura ſacra tradit vel ipſiſsimis verbis, vel ex analogia fidei, in doctrina, & ſubſtantia fidei recedatur, hæreſis eſt huiuſmodi ſenſus & error, maximè ſi defendatur obſtinatè. Inde eſt illud Hilarij libro 8. De Trinitate, De intelligentia enim hæreſis, non de ſcriptura, & ſenſus, non ſermo, fit crimen. Hieronym. in Galat. 1. Non putemus in verbis Scripturarum eſſe euangelium, ſed in ſenſu: Non in ſuperficie, ſed in medulla: Non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis. Tunc Scriptura vtilis eſt audientibus, cùm abſque Chriſto non dicitur, cùm abſque Patre nõ profertur, cùm ſine Spiritu non eam inſinuat qui eam prædicat. Vtrùm autem ex verbis inordinatè pronuntiatis incurratur hæreſis, diſputant operoſè ex Hieronymo Scholaſt. in libro 4. Sentent. P. Lombardi, diſtinct. 13. cap. Ne autem. quod omnino futile eſt, ſi modò ipſe ſenſus verus conſeruetur. Pertinaciam autem requirit hæreſis, nõ leuem tantùm & momentaneam opinionem, quæ ſtatim C in nobis labaſcat, pereat, & mutetur, quia propoſitum animi requirit hæreſis. Vnde ſit autem analogia fidei (ſic enim Paulus loquitur, Rom. 12. verſ. 6.) ſumenda, in ijs quæ præſcriptis verbis à Scriptura ſacra non traduntur, videndus & legẽdus eſt ſedulo Pater Irenęus libro 2. cap. 46, & 47. lib. 4. cap. 63. Erit autem', vt breuiter dicam, ſi ex iis quæ analoga fidei Chriſtianę dicimus nihil cõcludi poſſit & effici, quod verbo ſcripto aduerſetur, & repugnet. Anſel. itaque rectè in lib. De Concord. Grat. & Lib. arbitrij. Sic itaque, ait, ſacra Scriptura omnis veritatis, quam ratio colligit, autoritatem continet, cùm illam aut apertè affirmat, aut nullatenus negat. Quod enim aperta ratione colligitur, & illi ex nulla Scripturæ parte contradicitur, quoniam ipſa, ſicut nulli aduerſatur veritati: ita nulli fauet falſitati, hoc ipſo quia non negat, quod ratione dicitur, eius autoritate ſuſcipitur.

Ab hæreſi dictus eſt hæreticus. Eſt autem hæreticus, qualem hîc quidem cogitamus & appellamus, non omnis qui deſerto, quod prius fuerat, id poſtea ſibi eligit, quod antea non erat, vt tamen definire videtur Tertullianus, libro 1. aduerſus Marcionem (qui enim abiecta idololatria, quam

A ſcilicet,
Ambitio.
Auaritia,
Contētionis ſtudium,
Mala conſcientia.

Eſt enim Superbia mater hæreſeôn, Auguſtinus contra epiſtolam Manichæorum fundam.cap.6.Bernar. Sermo.65. in Cant.Omnibus vna intentio hæreticis ſemper fuit, captare gloriam de ſingularitate ſcientiæ.

Quum igitur hæc vitia vel omnia, vel ſingula, rebellionem & cæcitatem noſtram accenderint,& impulerint, tūc varios errores, variáſque in Deum blaſphemias humana inſolentia non tantùm parturit, ſed etiam excludit. Aliæ quoque ſunt eiuſdem mali cauſæ, velut ſecundariæ & iſtis ſubſeruientes,& ſuccenturiātes, quæ enumerātur à Paulo, Epheſ.4.verſu 14. veluti Deſultoria quædam animi leuitas, quā Κυβείαν vocat: πανουργία. id eſt, malitia, qualis eſt in iis qui lucrum ex iis rebus captant, quas debebant venerari. Denique & hoc ipſum, quod idem Paulus 1.Theſſal.2.v.3.4.5 ait, huc quoque referri poteſt. Sunt autem tria,

B ſcilicet
Impoſtura, vel
Tecta, Dolus dicitur.
Manifeſta, Malignitas.
Aſſentandi ſtudium,
Auaritia & quæſtus, quæ proculdubio magnas ſemper hæreſes in Dei Eccleſia pepererunt.

Nam propter perſonas, quas magni faciūt, quidam in hæreſes incidunt, vt ait Tetullianus. Cōtra quos rectè excipit idem ipſe, Traditor Chriſti de diſcipulis fuit, nec etiamſi martyr aut Epiſcopus lapſus ſit à regula fidei, ideo hęreſes veritatem obtinebunt. Denique aliæ & primæ hæreſes aliarum & ſequētium proſeminatrices, & matres ſæpe eſſe deprehenduntur, adeò vt quædam fundamentales hæreſes, ex quibus aliæ ſunt propagatæ, dici poſſint, quas ſeptem ex Egeſippo enumerat Nicephorus lib.3.cap.7.4.cap.2. Auguſtinus autē eas quinque tantùm eſſe vult, in lib. De quinque hæreſibus. Philippus verò Melanchthon lib. 3. Chronic. quatuor, nempe Cerinthianam, quæ Filium Dei negat Deum. Ebionianam, quæ ceremonias legales C ſtatuit neceſſarias ad ſalutem. Marcioniticam, quę Deum facit cauſam mali. Et Carpocratianam, quę communionem vxorum,& bonorum inducit. Quibus omnibus hoc fuit dogma commune, vt dicerent homines per propria opera iuſtos eſſe. Nos autem in noſtra hæreticorum arbore, alias omniū hæreſeôn fundamentales hæreſes conſtituimus,& iuſtius, vt nobis quidem videtur: de quo tamen ſit aliorum iudicium. Et hæc quidem de cauſa efficiente hæreſeôn. Finis verò hæreſeos eſt, qui & ſophiſticę, inquit Clemens libro 1.Stromat. Nam vti ſophiſticæ officium eſt, contentio: finis verò victoria: ita etiam hæreſeos. Duplex tamen à nobis conſtitui poteſt, 1. Piorum probatio, 1.Cor.11. v. 19. 2. Impiorum iuſta punitio, qui veritati Dei placidè obedire & acquieſcere noluerunt, 2.Theſſa.2. verſu 11. De quo vide Auguſtinum libro De quinquę hæreſibus, cap.final. Lactant.lib,4.cap.30. Hilàr.lib.1.De Trinitat. Facilè autē hęreſes recipiuntur, quia mellis ſpecie & pietatis veritatíſque prætextu nobis obtruduntur, id eſt, os poculi, in quo eſt hæreſis eámque propinat, oblinit Satan, vt ait Lucretius fieri, cùm abſynthia tetra medentes dāt ægrotis. Atque de cauſis hæreſeôn hactenus.

CAP. VII.

Hæreticorum quę pręcipua eſſe ſoleāt fundamēta: eorúmque breuis refutatio & euerſio.

FVndamenta verò hęreſeôn, quibus eorum rationes vel omnes vel præcipuæ innituntur, tria enumerat & recenſet Paulus Coloſſ. 2. verſu 8. A

Nimirum
Philoſophiam vanam,
Humanas traditiones & ἐνθουσιασμοὺς,
Ceremonias legales ſiue Iudaica elementa.

Quibus quarta addi poteſt, falſa nimirum Scripturæ Sacræ interpretatio. Ac quod ad Philoſophiam attinet, longè veriſſima eſt illa Tertulliani ſententia, Patriarchæ hæreticorum, Philoſophi: & in lib. De Præſcription. ſic ait, Inde Æones (.i. ex Philoſophis) & formæ neſcio quæ & Trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. Inde Marcionitis Deus melior de tranquillitate, à Stoicis venerat. Et vti anima interire dicatur, ab Epicureis obſeruatur. B Et vt carnis reſtitutio negetur, de vna omnium Philoſophorum ſchola ſumitur. Et vbi materia cum Deo æquatur, Zenonis diſciplina eſt. Et vbi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus interuenit. Eędem materiæ apud hæreticos & Philoſophos voluntantur: iidem tractatus implicantur. Quid verò Athenis cum Hieroſolymis? Quid Academię & Eccleſię? Viderint, qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Chriſtianis præferunt. Hactenus Tertullianus. Quod autem ad humanas traditiones, negant hæretici Apoſtolos omnia ſciſſe: vel etiam omnia, quæ ſciuerint, omnibus tradidiſſe. Reſpondet verò eodem libro Tertullian. In vtroque, ait, Chriſtum ipſum reprehendunt, qui aut minus inſtructos, aut parum ſimplices & ſynceros Apoſtolos miſerit. Enthouſiaſmos etiam ſuos, & ſuorum authorum miracula prædicant hæretici, itémque de ſuorum doctorum authoritate multa adiiciunt in erroris commendationem. Quaſi & hoc fore prædictum non ſit, reſpondet Tertullianus: venturóſque eſſe falſos doctores, qui magnas virtutes C ederent ad fallaciam muniendam, Matt. 24. Quod etiam ad Legis Cæremonias ſpectat, eas reuocant in vſum hæretici, quaſi plenum earum corpus & veritas non fuerit in Chriſto, contra Paulum Coloſſen.2.verſ.17. Denique quod ad Scripturas, eas quoque corrumpunt. Nam, vt ait Tertullianus, & poſt Tertullian. Auguſtin. contra Adimāt.cap.14. neque eas integras admittunt: neque quas admittunt, illæ ſunt ab iis incorruptæ relictæ. Nam illis addunt, vel detrahunt. Neque mirum videri debet, quòd Scripturis vtuntur, quia & diabolus ipſe Scripturarum teſtimonio detorto vſus eſt aduerſus Chriſtum, Matt. 4. Cæterùm ad illud quod habent ſemper in ore, Quærite & inuenietis, Reſpondet Tertullian. Vnum & certum quiddam cōſtitutum eſſe à Chriſto, quod credendum eſt. Habemus enim Moſen & Prophetas, ad quos remittimur, & Scripturas, Ioann. 5. Vnius porrò & certi inſtituti, infinita inquiſitio non eſt. Itaque in hæreticos competit

A potius illud Pauli, Semper diſcentes,& nunquam ad cognitionem veritatis peruenientes. id quod eſt omnino miſerrimum. Semper enim fatigantur, nec habent, vbi tandem conquieſcant. Vnde nec illud à ſe poſtulari iſti volunt, Quomodo. Quod & Tertullian. & Chryſoſtom. annotarunt. Ex ſuperioribus igitur intelligi poteſt, quæ ſint hæreticorum fundamenta & quomodo aduerſus eos præſcribi poſſit. Quę autem ad diligentiorem eorum refutationem pertinēt, diximus copioſè in libello noſtro, qui eſt, De Elenchis hæreticor. qui iam editus eſt.

CAP. VIII.

De hæreticis puniendis.

VEtus & vtilis quæſtio eſt, Vtrum à magiſtratu puniendi ſint hæretici, qui in errore perſtant. Negarũt enim omnino eos eſſe à B magiſtratu ciuili puniẽdos Donatiſtæ. Auguſtin. ipſe aliquãdo in libro contra Epiſtol. Manich. fundam. cap. 1. & 2. ſic ſcripſit, Homines hæreticos potiùs emendandos eſſe, quàm puniendos. Illi, ait, in eos ſæuiant, qui neſciunt quanto labore verum inueniatur, & quàm difficilè caueantur errores. Itaque idem contra Adimant. cap. 13. Fraus & malitia, inquit, hæreticorum vel dolenda eſt, tãquam hominum: vel cauenda, tanquam hæreticorum: vel irridenda, tanquam imperitorum & ſuperborum. Et certè in ea ſentẽtia primùm fuiſſe Aug. vt caſtigandos à Magiſtratu hæreticos negaret, non diffitetur ipſe. Sed hanc ſententiam poſtea ſapientior factus idem retractauit. Apertè enim poſtea cenſuit, ſcripſítque eſſe eos puniendos, vti apparet ex ipſius epiſt. 48. 50. 158. 159. 160. 204. Tract. 11. in Ioan. cap. 3. Tertullianus autem contra Gnoſticos, iampridẽ id ſenſerat. Ad officium hæreticos, ait, compelli, non inlici dignum eſt. Duritia vincenda eſt, non ſuadenda. Idem defenditur, ſtatuitúrque 23. quæſt. 4. C cap. Nimium, & ſeq. Idem cẽſet Bernard. epiſt. 195, non tam fugandum nimirum quàm ligandum hęreticum obſtinatum, qui iã conuictus, neque quieſcit, neque reſipiſcit. & epiſt. 240. Idem Serm. 66. in Canticum Cantic. Fides ſuadenda eſt, non imponenda. Quanquam melius proculdubio coercerẽtur gladio, illius videlicet qui non ſine cauſa gladium portat, quàm in ſuum errorem multos traiicere permittantur. Vt Mahumetani cenſendi aut appellandi non ſint, qui hæreticos coercẽdos, puniendóſque à ciuili Magiſtratu eſſe ſentiunt, modò quínam ſint verè hæretici, prius intelligatur & definitum ſit. Nam & in vita Conſtant. Magni lib. 3. Euſeb. edictum tam pij Imperatoris De hæreticis puniendis commemorat, & Nazianze. Olympium ſuum interpellat, vt Apollinariſtas caſtiget in epiſt. Baſil. epiſt. 137. ne noua quædam ſententia & tantùm noſtra eſſe videatur. Vetus Chriſtianáque Eccleſia contra Samoſatenum hæreticum opem & auxilium Adriani Imperatoris, quanuis ethnici, implorauit. Denique placuit etiã addere ipſa Melanchthonis Theologi inter Germanos ſummi & facilè principis de ea re verba, quæ extant in ipſius ad Bullingerum epiſtola inſerta Caluini epiſtol. his verbis, *Legi etiam*, ait, *qua de Serueti blaſphemijs* A *reſpondiſtis, & pietatem & iudicia veſtra probo. Iudico etiam Senatum Geneuenſem rectè feciſſe, quod hominem pertinacem, & non omiſſurum blaſphemias ſuſtulit. Ac miratus ſum eſſe, qui ſeueritatem illam improbent.* Hæc doctor ille eximius Philippus, de quo argumento extat præter D. Caluini reſponſum, liber eruditiſsimus D. Bezæ, ad quem lectores remitto. Neque nos inſulſæ quæſtiones Iacobi Simnacæ Pacenſis Epiſcopi in Enchirid. inſcripto, *Iudicium violata religionis*, mouere debent. Sunt enim rationes quæſtionéſque ineptiſſimæ. Interea tamen diſtinguendum eſt. Neque enim omnes hæreſes pari pœna ſunt dignæ: neque etiã ſemper hęretici omnes capitali ſupplicio ſunt afficiendi, etiam qui dogmatizarunt, vt vocant. Præterea, vt ait Auguſtinus, intereſt, quàm facilè quis corrigatur: vel quanta pertinacia ſuum errorem defendat. Theodoſius Maior in conuictos 10. librarum auri pœnam tantùm conſtituit Auguſt. epiſt. 68. cap. 47. lib. 3. Contra Creſco. B Poſtea Theodoſii nepotes Theodoſius Iunior & Valentinianus 3. ſeueriores fuerunt in Hæreticos. Eos enim omni ſolo Romano expulerunt & exegerunt, eorum bona publicarunt, & inteſtabiles reddiderunt, L. 5. & 6. Cod. De Hæreticis: quam conſtitutionem Trabalem eſſe, id eſt, trabibus & publicè affigendam dicunt. Martianus Imperator poſtea ſanxit, vt ſupplicio capitis etiam afficerentur L. 8. Cod. De Hæretic. Itaque hoc totum, quia facti eſt, relinquendum eſt cognitioni & iudicio prudentis Magiſtratus, vt qua pœna dignus ſit deprehenſus, damnatúſque erroris quilibet hæreticus, capitíſne ſupplicio, an exilio, an ictu fuſtium, an tantùm multa, definiat. Quod idem Auguſtin. libr. 3. contra Creſconium cap. 50. ait, Nullis bonis in Catholica hoc placet, ſi vſque ad mortem in quenquam, licet hæreticum, ſæuiatur: lenius dictum eſt, quàm oporteat. Poſſunt enim quidam hæretici pro erroris grauitate etiam morte, non autem tantùm multa, puniri. Quod ante Auguſtinum factum fuerat in Priſcilliano hæretico temporibus Theodoſii Maioris à C Maximo. Qui autem veteres patrum errores amplectuntur, vti Papiſtæ, & iam Mahumetani, eorum honeſtus error, ait Quintilianus, videtur eſſe, vt puniendi nõ cenſeantur. Contrà tamen, & melius quidem, meo iudicio, Auguſtinus qui inſulſam eſſe huiuſmodi excuſationem & ineptam ſcribit. Perinde enim faciunt, atque ſi auitum homicidium imitari vellẽt, & Petri abnegationem, quia vetus eſt. Quanquam humana quadam commiſeratione, & quòd ipſa vetuſtas erroris malitiam, errantis conſcientiã, apud homines excuſare quodammodo videtur, non puniuntur tam grauiter, quàm puniuntur hæretici, qui de nouo Eccleſiam turbant & emergunt. Atque factum olim eſſe, vt vetus idololatria non eſſet impunita, docemur exemplo matris Aſæ regis Iudæ, quæ propterea depoſita eſt de gradu, quamquam pœna capitali non eſt punita, 1. Regum 15. verſu 13. Et hæc quidem nos breuius attingimus, quia extant erudita aliorum, & doctiſsimorũ quidem virorum, de hac quæſtione ſcripta, ad quæ lectores remittimus. Vnum tantùm annotare viſum eſt, quod extat apud Hieronym. epiſt. Tom. 2. in ipſius epiſtola ad Theophilum. his verbis. *Super nepharia hæreſi, quam*

A *quam in multa patientia geris, & putas Eccleſiæ viſceribus incubantes tua poſſe corrigi lenitate, multis ſanctis diſplicet: ne dum paucorum pœnitentiam præſtolaris, nutrias audaciam perditorum, & factio robuſtior fiat?* Quare non ſunt tolerandæ hæreſes ſemel deprehenſæ.

CAP. IX.

De varia diuiſione hæreſeôn.

IAm verò propius ad inſtitutum & opus ſuſceptum accedamus. Quod vt fiat, varia hæreſeôn, quæ fieri poteſt, diuiſio à nobis proponẽda eſt. Diuiduntur igitur hæreſes.

vel ab {
Authore, vt Simoniani, Baſilidiani, Manichæi, &c.
Tempore.
Materia.

Ab authore diuerſis nominibus hæreſes appellantur: vt in primo Indice noſtro demonſtratur. A B tempore autem ſic diſtinguuntur hæreſes, vt dicantur.

aliæ fuiſſe {
Ante Chriſtum.
Sub Chriſto, vt Capernaitarum hæreſis.
Poſt Chriſtum paſſum. In quibus ipſis aliæ ſunt aliis priores.

Ac quidem vera eſt hæc Tertulliani ſententia, Vera doctrina, ait, hæreſes præceſsit. In omnibus enim veritas imaginem & corruptionem antecedit. Itaque id eſt dominicum & verum, quod prius traditum eſt. Hactenus ille. Ex media enim Eccleſia extiterunt hæreſes velut illius morbi quidam. Nam vti è nucleo mitis oliuæ oleaſter aſper & ſylueſtris oritur: ita ex ſana & ſuaui Chriſti doctrina naſcitur acerba hæreſis, quæ vti fungus è terra ſtatim exiſtit, quemadmodum ait Irenæus libro 1. cap. 33. Quo autem primùm tempore poſt Chriſtum paſſum extiterint hæreſes, quærit Clemens libro 7. Stromat. cuius tamen ſententiæ non aſſentior. Omnino enim tardius, quàm oportet, hæ C reſeôn exortum ille conſtituit, nempe demum ſub Adriano imperatore, niſi fortaſſe de iis hæreſibus, quæ cœtus & ſcholam & ſucceſsionem habuerunt, quis dictum Clementis accipiat. Sunt autem hæc ipſius Clementis verba: Nam Domini, quæ fuit, ait, in aduentu doctrina cùm cœpiſſet ſub Auguſto, medio tempore Tiberii conſummatur. Apoſtolorum autem eius doctrina vſque ad Pauli miniſterium Neronis tempore conſummatur. Inferius autem circa tempora Adriani imperatoris fuerunt, qui hæreſes excogitarunt, & peruenerũt vſque ad ætatem Antonini natu maioris, vt Baſilides, etiamſi Glauciam ſibi aſcribit magiſtrum, qui fuit Petri familiaris, &c. At rectè Theodor. libro 1. Hæret. fabul. cap. 1. ait, Non expectauit Satan, vt Apoſtolorum prædicatio confirmaretur, quod & parabola zizaniorum, & hiſtoria illius temporis verbo diuino comprehenſa apertè verum eſſe docet. Hoc autem ipſum in 2. Indice noſtro oſtendimus.

Ex materia denique ſic diſtinguuntur hæreſes, vt in tertio indice noſtro explicuimus, quanquam A non ignoro in epiſtola Quodvultdei, & in ipſa Auguſt. præfatione, ad hæc octo capita hæreſes omnes reuocari, vt ad Fidem, Trinitatem, Baptiſmum, Pœnitentiam, Hominem Chriſtum, Deum Chriſtum, Reſurrectionem, Nouum & Vetus teſtamentum referantur: ſed noſtra ratio fortaſſe commodior, aptiórque cenſebitur. Vera autem mihi videtur hæc ſententia, Primos extitiſſe eos hæreticos, qui ſe Chriſtos eſſe dicerent, id quod fore Domin⁹ ipſe noſter Ieſus Chriſtus præmonuerat, Matth. 24. qualis ille Simon Magus. Nam qui Deum Creatorem negarunt, poſtea extiterunt. Itaque Tertullianus ſic ſcribit: Nullam inuenimus inſtitutionem inter tot diuerſitates peruerſitatum, quę de Deo creatore vniuerſorum controuerſiam mouerit. Nemo alterum Deum auſus eſt ſuſpicari: facilius de Filio, quàm de Patre hæſitabatur, donec Marcion, &c. Plauſibilior enim & minus odioſa erat in obtrudendo nouo hominum mediatore ſententia, quàm in Deo creatore de gradu deiiciendo. B Itaque priores de Filio, quàm de Patre fuerunt hæreſes, quanquam qui Filium negarunt, illi certè neque verum Patrem agnouerunt, quemadmodum Simon ille Magus. Sed vt hunc locum atque hæc noſtra Prolegomena tandem concludamus, libuit illud Auguſtini pro coronide adiicere, quod eſt lib. 2. Contra aduerſar. Legis & Prophetar. cap. 12. Poſt hunc, (ait, de Simone Mago agens) fuerunt nonnulli diſcipuli eius in eadem impietate, poſteriores prioribus ſuccedẽtes. Quorũ in ſucceſsione quartus extitit Baſidiles, qui primus apertius auſus eſt dicere, Deũ, quem gens Iudæa coluit, non fuiſſe verum Deum. Poſt illos fuit quidam etiam Carpocrates, qui negauit iſtum viſibilem mundum à ſummo Deo creatum, ſed à quibuſdam virtutibus dæmoniorum: negans etiam Legem, quæ per Moſen data eſt, Deum dediſſe. Cerdon poſtea ſurrexit, qui primus inueniſſe dicitur duos deos, vnum bonum, alterum malum, longè antequam hæreſis Manichæorum emerſiſſet, C quorum in hoc furioſo deliramento error eſt notior. Huius Cerdonis diſcipulus Marcion fuit. Hæc Auguſtinus, quæ cum ſuperiori Tertullian. ſententia planè conſentiunt. Creſcente enim Eccleſia creuerunt, annitente Satana, hæreſes, & tetriores obſtinatioréſque ortæ ſunt, etiam poſt Synodos, & fidem Chriſtianam publicè receptam: plures autem maioríque numero ſuccreuerunt, & bono diuini verbi ſemini adnatæ ſunt, vt ait Iſidorus libro 6. Etymolog. cap. 16. cùm feruore perſecutionum durante, in vnum colligi Epiſcopi, ſynodíque conuenire non potuerunt. Eſt enim frequens legitimarum ſynodorum conuentus agri dominici paſtinatio. Sed iam Auguſtinum ipſum præfari aliquid in futuris ſui operis commendationem geſtientem audiamus. Hoc tantùm addam, pleroſque eorum hæreticorum (quos hîc enumerat Auguſti.) recenſet in Actio. x1. Conſtantinopolit. Concilij vI. Oecumen. in epiſtola Sophronij patriarchę Hieroſoly. ad Sergium patriarch. Conſtantinopolita.

A

DIVI AVRELII AVGVſtini in librum De hæreſibus ad Quoduultdeum,

PRÆFATIO.

QVOD petis ſæpiſſimè atque inſtantiſſimè, ſancte fili Quoduultdeus[1], vt de hæreſibus aliquid ſcribam dignum lectione cupientium dogmata deuitare contraria fidei Chriſtianæ, & Chriſtiani nominis obumbratione fallentia: ſcias me olim longè antequam peteres, facere cogitaſſe atque fuiſſe facturum, niſi diligenter B conſiderans quale quantúmque id eſſet, vltra meas vires eſſe ſentirem. Sed quoniam fateor nullum mihi vt te inſtitiſſe poſcendo, in ipſa tamen moleſta inſtantia tua etiam tuum nomen attendi, & dixi, Aggrediar & faciam quod vult Deus. Hoc enim Deum velle confido, ſi me ad huius operis terminum miſericordi fauore perduxerit, vt per miniſterium linguæ meæ tanta huius rei difficultas aut oſtendatur tãtummodo, aut ipſo etiam plenius adiuuante tollatur: quorum duorum quod priore loco poſui, iamdiu eſt quod animo voluo ac reuoluo, & quadam meditatione contueor. Quod autem poſtea dixi, non me accepiſſe confiteor: & vtrum dum hoc ago, vt efficiam, dum peto, dum quæro, dum pulſo, ſim fortaſſe accepturus, ignoro: ſcio me tamẽ nec petiturum, nec quæſiturum, nec pulſaturum quantũ ſat eſt, niſi & hũc affectum munere diuinæ inſpirationis accepero. In hoc igitur opere, quod te vehementer vrgente, in Dei voluntate ſuſcepi, cernis me vt id peragam, non tam crebreſcentibus ad me tuis petitionibus eſſe cogendum, quàm piis ad Deum non ſolùm tuis, verùm & aliorum fratrum, quos tibi in hanc rem fideles ſocios potueris inuenire, orationibus adiuuandum. quod vt fiat, has ipſas primas huius laboris mei parteis, vbi eſt & iſta præloquutio, curaui tuæ charitati, in auxilio Domini, accelerare mittẽdas, vt C propter illa quæ reſtant, noueritis quantum pro me orare debeatis, quicunque noſſe potueritis, à me iam fuiſſe ſuſceptum hoc tam grande negotium, quod à me deſideratis impleri. Petis ergo, quod tuæ indicant literæ, quas ad me dediſti, cùm primum à me petere iſta cœpiſti, vt exponam breuiter, perſtrictè, atque ſummatim, ex quo Chriſtiana religio promiſſæ hæreditatis nomen accepit: quæ hæreſes fuerint[2], ſint: quos errores intulerint, inferant, quid aduerſus catholicam Eccleſiam ſenſerint, ſentiant: de fide, de Trinitare, de Baptiſmo, de Pœnitentia, de homine Chriſto, de deo Chriſto, de reſurrectione, de Nouo & Veteri teſtamento. Iſtas autem inquiſitiones tuas in immenſum procedere cùm videres, putaſti cuiuſdam generalitatis adhibendum eſſe compendium, atque dixiſti, Et omnia omnino, quibus à veritate diſſentiunt. Deinde addidiſti, quæ etiã Baptiſmum habeant, quæve non habeant: & poſt quas baptizet, nec tamen rebaptizet, Eccleſia: qualiter ſuſcipiat venientes & quid ſingulis, lege, authoritate atque ratione reſpondeat. Hæc omnia cùm quæris vt exponantur à me, miror luculentum ingenium tuum, tot, tantarúmque rerum & ſitire veritatem, & faſtidium iam timendo poſcere breuitatem. Sed vidiſti etiam ipſe, quod poſſem hoc loco tuæ huius epiſtolæ cogitare: quaſi vigilanter A occurriſti cogitationi meæ, dicens, Nec me tanta beatitudo tua credat ineptiæ, vt non inſpiciam quantis & quàm ingentibus voluminibus opus ſit, vt poſſint iſta diſſolui. verùm hoc ego fieri non expeto: id enim multipliciter factum eſſe non dubito, & tanquam conſilium ſubijciens, quomodo poſſit & ſeruari breuitas & veritas pandi, adiungis ea verba, quæ paulò antè iam poſui, & dicis, Sed breuiter, perſtrictè, atque ſummatim, & opiniones rogo cuiuſlibet hæreſis poni: & quid contrà teneat Eccleſia Catholica, quantum inſtructioni ſatis eſt, ſubdi. Ecce iterum mittis in longum, non quia dici iſta breuiter ſiue non valeant, ſiue non debeant: ſed quia tam multa ſunt, vt quamlibet breuiter dicenda, multas literas flagitent: tu autem vt, velut quodam, inquis, ex omnibus concepto commonitorio ſi quis aliquam obiectionem aut conuictionem vberius, plenius, ac planius noſſe voluerit, ad opulenta & magnifica volumina tranſmittatur, quibus à diuerſis, & præcipuis, inquis, à veneratione tua in hoc ipſo conſtat eſſe elaboratum. Quæ cùm dicis, vnum quaſi commonitorium de his omnibus te deſiderare ſignificas. B Audi ergo vnde commonearis, quid petas. Opiniones omnium philoſophorum, qui ſectas varias condiderunt, vſque ad tempora ſua (neque enim plus poterat) ſex non paruis voluminibus quidam Celſus abſoluit. Nec redarguit aliquem, ſed tantùm quid ſentirent aperuit, ea breuitate ſermonis, vt tantùm adhiberet eloquij, quantum rei nec laudandæ nec vituperandæ, nec affirmandæ, aut defendendæ, ſed aperiendæ, indicandæque ſufficeret, cùm ferme centum Philoſophos nominaſſet: quorum non omnes inſtituerunt hæreſes proprias: quoniam nec illos tacendos putauit, qui ſuos magiſtros ſine vlla diſſenſione ſequuti ſunt. Noſter verò Epiphanius Cyprius Epiſcop. abhinc non longè humanis rebus exemptus, de octoginta hæreſibus loquens ſex libros etiam conſcripſit, hiſtorica narratione commemorans omnia, nulla diſputatione aduerſus falſitatem pro veritate decertans. Breues ſanè ſunt[3] libelli, & ſi in vnum libellum redigantur, nec ipſe erit noſtris vel aliorum quibuſdam libris longitudine comparandus. Huius breuitatem ſi fuero in commemorandis hæreſibus imitatus, quid à me breuius poſtulare vel expectare debeas, non habebis. Sed non ibi huius mei laboris ſumma conſiſtit, quod & tibi, vel me demonſtrante vel etiam te præcurrente poterit apparere, cùm hoc fecero. C videbis enim in eo quod ſupradictus Epiſcopus fecit, quantum deſit operi quod ipſe vis fieri, quanto magis quod ego? Tu nanque quamuis breuiter, perſtrictè atque ſummatim, tamen vis etiam reſponderi commemoratis hæreſibus, quod ille non fecit. Ego verò hoc magis volo facere, ſi & Deus velit, vnde poſſit omnis hæreſis & quæ nota eſt, & quæ ignota, vitari, & vnde rectè poſſit quæcũque innotuerit, iudicari. Nõ enim omnis error hæreſis eſt, quãuis omnis hæreſis, quæ in vitio ponitur, niſi errore aliquo, hæreſis eſſe nõ poſſit. Quid ergo faciat hæreticũ, regulari quadã definitione cõprehẽdi, ſicut ego exiſtimo, aut omnino nõ poteſt, aut difficillimè poteſt: quod in proceſſu huius operis declarabitur, ſi Deus rexerit, atque, id quod intendo, perduxerit diſputationẽ meã. Quid autẽ proſit ipſa inquiſitio, etiamſi non potuerimus comprehendere quomodo ſit definiendus hæreticus, ſuo loco videndum atque dicendum eſt: nam ſi hoc comprehendi potuerit, quis non videat vtilitas quanta ſit? Erunt ergo primæ partes operis huius de hæreſibus, quæ poſt Chriſti aduentum atque aſcenſum aduerſus doctrinam ipſius extiterunt, & vtcunque nobis innoteſcere potuerunt: in poſterioribus autem partibus, quid faciat hæreticum, diſputabitur.

A nomii 12.verſ.12. Sed inſtitutum perſequamur. Scribæ igitur, qui & Legis doctores dicti ſunt, æmulatores traditionum, quas à ſenioribus acceperant, fuiſſe videntur. Mores etiam & ceremonias obſeruant, quas non ex Lege habent, ſed ipſi ſibi impoſuerunt tanquam iuſtitiæ adipiſcendę nouam melioremque rationem, & Dei cultum ſanctiorem, Matth.15.v.1.

Phariſæi tanquam ſeparati dicuntur. Alii vertunt, Interpretes. Hi exactiſsimè viuunt, & cæteris meliores pientioreſque habentur. Denique exquiſitam Iudaicæ legis formam profiteri cenſebãtur, Actorum 22.verſu 3. Fatentur autem, quemadmodum & Scribæ, reſurrectionem mortuorum, & eſſe Angelos, & Spiritum ſanctum. Obſeruant autem in vitæ ratione etiam plura, quàm ipſi Scribæ. Abſtinent enim cibis quibuſdam: virginitatem colunt: bis ieiunant in hebdomada. Sextarios, pocula & menſas ſuas purgant, & lauant. Et quemadmodum etiam Scribæ, decimas & primitias ſoluũt de ſuo. Aſsiduè precantur. Geſtant in habitu ſigna quædam ſuperſtitioſa, veluti in veſtis B dalmaticæ, vel tunicæ limbo, fimbrias, quæ Phylacteria vocantur. Sunt autem phylacteria vittę & fila purpurea, quæ in ora & laciniis veſtis pendent, vt ſint ſigna ſusceptæ ad tempus continentiæ. Hi horoſcoporum, id eſt, natiuitatum inſpectionem induxerunt, & fatum. Horum authoritas maxima eſſe cœpit ſub Alexandra, regina Iudęorum, vt ſcribit Sabellicus.

Sadducæi tãquam Iuſtitiarij vel iuſti dicti ſunt, vel à Sadoc ſummo ſacerdote. Sunt tamen ex Samaritanorum genere. Mortuorũ reſurrectionem negant, neque Angelos, neque Spiritum admittunt. In cæteris autem cum Iudæorum doctrina conſentiunt, Act.23.v.8. Matth.16.v.1.22.v.23.

Hemerobaptiſtæ. Hi per omnia ſunt Iudæi. hoc vnum tamen dogma ratum & ſeorſim habent, neminem conſequi poſſe vitam æternam, niſi quotidie lauetur.

Eſſæi (quos Oſſenos vocat Epiphanius, tãquam fortes, vel conſtantes) ex veriſsima C interpretatione dicti ſunt, quaſi ſectatores, vel operarij, ab Aſſa quòd ſalutem bonis hominum operibus acceptã ferant, non autem Dei gratię vel promiſsionibus. Quanquam alii ab Aza deducunt, quod eſt contemplari. Hi aliis etiam ſcripturis vtuntur quàm Dei Lege: nullos autem ex Prophetis reiiciunt & repudiant. Longè Phariſæis excellentiores habẽtur, vt Euſebius ſcribit, & contemplatiui dicti, & θεωρηκοί. Diſtribuerunt enim diem in tempora precum, laborum, cibi & potus, quos putant quidam non tãtùm Theologię, ſed etiam Medicinę ſcholas in ſua ſolitudine & hortis habuiſſe. Certè rerum contẽplationi vacabant. Itaque raró prodibãt in publicum, omnino noſtris eremitis ſimillimi. De quibus Ioſephus libro 18. Antiquitatum cap.2. & libro 2. De bello Iudaico, cap. 7. multa ſcribit. Plinius libro 5. capite 17. eorum meminit. Apparet eos in extremam Iudęæ oram, ad lacum Aſphaltitem, haud procul ab Hiericonte (vbi erant fragrãtes balſami horti) ſe contuliſſe, & habitaſſe, vt remoti à conſpectu hominum liberius philoſopharentur. Hi denique cum Chriſto congreſsi non dicuntur.

Naſachæi, qui & deſtructores vel mortificatores nominantur, omnem carnis eſum damnant, vt Carthuſiani monachi, & ſuis etiam prohibẽt. A Animata verò ne attingũt quidem, Vſque ad Moſem, & Ioſue filium Naue ſanctis Patribus qui in Pentateucho commemorantur, vtuntur & iis credunt, velut Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, atque etiam ſuperioribus: denique ipſi Moſi, & Aaroni, & Ioſue. Pẽtateuchon autem ipſum Moſis eſſe ſcriptum negant. Denique præter illas Scripturas etiam alias ſe habere affirmant. Quòd ſi quis potius Natſaræos vocandos putet, Cuſtodes appellabuntur, à verbo Natſar, quod Græci dicunt Nazar.

Herodiani, Iudæi erant per omnia. Herodẽ autem regem Antipatri Idumæi filium aiunt fuiſſe Chriſtum illum Patribus antiquitus promiſſum. Nam eum Chriſti nomine & honore inſigniunt. Hi ſunt ſæpe cum Chriſto congreſsi, vti Phariſæi Matth.22.v.16. Mar.3.v.6.12.v.13. Quorum authorẽ & principem fuiſſe Iudam quendam Gaulonitem volunt, Ioſeph. lib.18. Antiquit. cap.2.

Non piguit etiam attexere illa quæ de hæreſibus Iudæorum Iſidorus libro 8. Etymologiarum cap.4. ſcribit. B

IVdæi confeſſores interpretantur. Multos enim ex iis ſequitur confeſſio, quos antea perfidia poſsidebat. Hebręi tranſitores dicũtur, quo nomine admonentur, vt de peioribus ad meliora tranſeant, & priſtinos errores relinquant. Phariſæi & Sadducæi inter ſe contrarii ſunt. Nam Phariſæi ex Hebræo in Latinum interpretantur diuiſi, eò quòd traditionum & obſeruationum ſuarum quas illi δευτερώσεις vocant, iuſtitiam proferunt. Vnde & diuiſi vocantur à populo, quaſi per iuſtitiam. Sadducæi interpretantur iuſti. Vendicant enim ſibi quod non ſunt. Corporis reſurrectionem negant, & animam interire cum corpore prędicant. Hi quinque tantùm libros Legis recipiunt. Prophetarum vaticinia reſpuunt. Eſſæi (*non autem, vt vulgò legitur, Eſnæi*) vel Eſſeni dicunt ipſum eſſe Chriſtum, qui docuit illos omnem abſtinentiam. Morbonei (*fortaſſe Masbothei*) dicunt ipſum eſſe Chriſtum C, qui docuit illos in omni re ſabbatizare. Geniſtei dicti eò quòd de genere Abrahę eſſe ſe gloriẽtur. Nam cùm in Babyloniam veniſſet populus Dei plerique relinquentes vxores ſuas Babylonicis mulieribus adhæſerunt: quidam autem Iſraeliticis tantùm cõiugiis cõtenti, vel ex iis geniti, dum reuerſi eſſent de Babylonia, diuiſerunt ſe ab omni populo, & aſſumpſerunt ſibi hoc nomẽ iactantię. Meriſtei appellati, eò quòd ſeparant ſcripturas, nõ credentes omnibus Prophetis, dicentes aliis & aliis ſpiritibus illos prophetaſſe. Μέρος enim Gręcè, Latinè pars dicitur. Samaritę dicti quòd Legem ſolùm cuſtodiunt. Nam Prophetas non recipiunt. Hemerobaptiſtę, eo quòd quotidie veſtimenta ſua & corpora lauent. Hactenus Iſidorus.

Auguſtinus, ſiue quis alius author eſt eius libelli, qui aduerſus quinque hęreſes ſcriptus eſt, cap.1. enumerat has quinque tanquam omnium pręcipuas & potiſsimas: nempe 1. Paganorum. Hi autẽ ſunt, qui plures deos colunt, ait ille, & ita vnum Deum admittunt, vt filium illi ſine coniugio fuiſſe negent. 2 Iudęorum, qui Ieſum negant eſſe Chriſtum, & ita vnum Deum colunt, vt Chriſtum Filium Dei negent hominem fieri oportuiſſe ad

A hominez ſaluandos.

3 Sabellianorum, qui tres perſonas negant eſſe in Trinitate. 4 Arianorum, qui Chriſtum Deum eſſe negant. 5 Manichæorum, qui Chriſtum negant eſſe hominem, & duo rerum principia conſtituunt.

Tertullianus autem in libro De præſcriptionibus aduerſus hæreticos, vult quatuor tantùm fuiſſe Iudæorum ante Chriſtum natum hæreſes & ſectas, Doſitheos, Sadduceos, Phariſęos & Herodianos, de quibus etiam Euſeb. lib. 4. ca. 22. Ergo Scribas, Eſſæos, Hemerobaptiſtas, & Naſachæos prætermittit. Alii etiam poſt Chriſtum paſſum præter omnes ſuperiores iam dictas, addunt has tres, quas à ſuis authoribus diſtinguunt. Theudæ Iudæi. Actor. 5. Hic Prophetam ſe dixit, qui verbo Iordanem ſcinderet & ſiſteret, vt olim. Vixit ſub Cyrenio Proconſule & Præfecto Syriæ, Ioſeph. lib. 20. Antiqu. cap. 1. Iudæ Galilæi, Actor. 5. Hic Gaulonites fuit & adiuncto ſibi Sadduco Phariſęo dixit omnes alios magiſtratus Iudęorum tol-B lendos, vnum autem Deum pro Domino & Rege habendum. Fuit ex oppido Gamala, Ioſeph. 18. Antiqu. cap. 1. Denique addunt Simonis Galilæi, qui ſub Coponio Syriæ Præſide vixit. Docuit hîc nulla eſſe tributa Romanis pendenda, Ioſeph. lib. 2. Belli Iudaic. cap. 7. Sed hi tres videntur potius politici homines vel ſeditioſi fuiſſe, quàm in religione hæretici. Et de Iudæorũ quidem hæreſibus hactenus.

Hæreſeôn diuiſio ab authore & nomine.

HAnc partem perſequitur hoc opere Auguſtinus. Diuerſam enim diuerſarum hęreſeôn appellationem explicat. Nam quæ varietas atque etiam ſæpe contrarietas ex materia inter hęreſes reperiatur, cùm antea dictum eſt, tum etiam poſtea in tertio indice noſtro apparebit. Ergo hæreſes variè denominantur. Id quod vel hic vnus A Clementis Stromatei locus, qui eſt lib. 7. Stromat. oſtendet. Ait enim, Ex hæreſibus aliæ quidem appellantur ex nomine, vt Valentini, Marcionis, Baſilidis. Aliæ à loco, vt Peratici. Aliæ ex gente, vt Phrygum hæreſis. Aliæ ex operatione, vt Encratitarum. Aliæ ex propriis dogmatibus, vt Docitarum, & Hæmatitarum. Aliæ ex iis quę honorarũt, vt Caianiſtæ, & Ophiani. Aliæ ex iis quæ nefariè auſæ ſunt, vt inter Simonianos, Eutychitæ. Quanquam verò variis nominibus hæretici ſeſe tum alii ab aliis, tũ à vera Eccleſia diſtinguunt, & ipſam orthodoxam & Catholicam Eccleſiam contumelioſis cognominibus appellant, tamen illi nomen cœtus orthodoxorum ipſum Eccleſiæ adimere non ſunt auſi. Itaque ſola Eccleſia vocatur. vnde Auguſtinus libro de vtilitate credend. cap. 7. Vna eſt Catholica Eccleſia, ait, cui hæreſes alia diuerſa nomina imponunt, cùm ipſæ ſingulę propriis vocabulis, quę negare non audent, appellentur, & lib. Contra fundamental. epiſtol. Manichęor. cap. 4. Tenet, ait, me poſtremò ipſum Catholicę no- B men, quod non ſine cauſa inter tam multas hęreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, vt cùm omnes hęretici ſe Catholicos dici velint, quęrenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicã conueniatur, nullus hęreticorum vel baſilicam ſuam, vel domũ audeat oſtendere. Eſt autem Catholica Eccleſia, quę Apoſtolorum doctrinę innititur, non hominum commentis, extra quam ſunt omnes hęretici. Lactantius quoque his aſtipulatur libr. 4. Inſtit. Chriſtian. cap. vlt. vbi etiam quę ſit vera Eccleſia oſtendit. Cùm enim, ait, Phryges aut Nouatiani, aut Valẽtiniani, aut Marciõitę, aut Anthropiani, ſeu quilibet alii nomiuantur, Chriſtiani eſſe deſierũt, qui Chriſti nomine amiſſo, humana & externa vocabula induerũt. Sola igitur Catholica Eccleſia eſt, quę verum cultum retinet, &c. Sed ad Auguſtinum accedamus.

C

INDEX PRIMVS VBI ORDINE ALPHABETICO hæreſes ab Auguſtino commemoratæ proponuntur.

C

A

ABelonitę. cap.lxxxvij
Acatiani. cap.lj
Adamitę. cap.xxxj
Aeriani. cap.liij
Æternales. cap.lxvij
Aetiani. cap.liiij
Alogii. cap.xxx.
Angelici. cap.xxxix
Antidicomaritę. cap.lvj
Anthropomorphitę. cap.l
Apellitę. cap.xxiij
Apollinariſtę. cap.lv
Apoſtolici. cap.xl
Aquarii. cap.lxiiij
Aquei. cap.lxxv
Arabici. cap.lxxxiij
Archontici. cap.xx
Arriani. cap.xlix
Artotyritę. cap.xxviij
Aſcitę. cap.lxij
Audiani. cap.l

B.

Bardeſaniſtę. cap.xxxv
Baſilidiani. cap.iiij

C.

Caiani. cap.xviij
Cainitę. cap.xviij
Carpocratiani. cap.vij.
Cataphryges. cap.xxvj
Cathari. cap.xxxviij
Cerdoniani. cap.xx
Cerinthiani. cap.xviij
Chriſti diuinitatem patibilem dicentes. cap.lxxiij
Colarbaſij. cap.xxv
Coluthiani. cap.lxv

D.

Donatiſtæ. cap.lxix

E.

Elceſaitę. cap.xxxij
Encratitę. cap.xxv
Euchitæ. cap.lvij
Eunomiani. cap.liiij
Eutychiani. cap.xcj
Eutychianæ hęreſeos ſectæ. cap.xcij

F.

F.
A Feri. cap.lxxi
Floriniani. cap.lxvi
G.
Gnoſtici. cap.vi
H.
Hæreſes quæ extant hodie in Oriente. cap.xcii
Hebionitæ. cap.x
Heluidiani. cap.lxxxiiii
Heracleonitæ. cap.xvi
Heraclitæ. cap.xlvii
Hermiani. cap.lix
Hierachitæ. cap.xlvii
I.
Iouinianiſtæ. cap.lxxxii
L.
Liberatores. cap.lxxix
Luciferiani. cap.lxxxi
M.
Macedoniani. cap.lii
Mahumetiſmus. cap.xcv
Manichæi. cap.xlvi
Marcionitæ. cap.xxii
Marcitæ. cap.xiiii
B Melchiſedechiani. cap.xxxiiii
Melitiani. cap.xlviii
Melitonij. cap.lxxvi
Menandriani. cap.ii
Merinthiani. cap.viii
Meſſaliani. cap.lvii
Metangiſmonitæ. cap.lviii
N.
Natiuitarij. cap.lxxx
Nazarei. cap.ix
Neſtoriani. cap.xci
Nicolaitæ. cap.v
Noetiani. cap.xxxvi
Nouatiani. cap.xxxviii
Nudipedales. cap.lxviii
O.
Ophei. cap.lxxvii
Ophitæ. cap.xvii
Origeniani. cap.xlii
Origeniſtæ. cap.xliii A
P.
Papiſmus. cap.xciiii
Paterniani. cap.lxxxv
Patriciani. cap.lxi
Pattalorinchitæ. cap.lxiii
Pauliani. cap.xliiii
Pelagiani. cap.lxxxviii
Pepuſiani. cap.xxvii
Photiniani. cap.xlv
Priſcillianiſtæ. cap.lxx
Proclianitæ. cap.lx
Pſalliani. cap.lvii
Ptolemæi. cap.xiii
Q.
Quartidecimani. cap.xxix
Quintiliani. cap.xxvii
R.
Rhetoriani. cap.lxxii
S.
Sabelliani. cap.xli B
Samoſateniani. cap.xliiii
Samſeitæ. cap.xxxli
Saturniniani. cap.iii
Secundiani. cap.xii
Seleuciani. cap.lix
Semiarriani. cap.li
Sethiani. cap.xix
Seueriani. cap.xxiiii
Simoniani. cap.i
T.
Tatiani. cap.xxv
Tertullianiſtæ. cap.lxxxvi
Tertullij. cap.lxxviii
Theodotiani. cap.xxxiii
Theopaſchitæ. cap.lxxiii
Timotheani. cap.lxxxix
Triformiani. cap. lxxiiii
V.
Valentiniani. cap.xi
Valeſij. cap.xxxvii
Venuſtiani. cap.lxxvv

C

CATALOGVS HÆRESEΩN,

AC PRIMVM

Hæreſes ex commentariis Euſebij & Epiphanii collectæ, per D. Aurelium Auguſtinum Hipponenſem Epiſcopum.

CAPVT I.

Simoniani vnde dicti. Erroris autem capita ſex præcipua hîc enumerantur.

Simoniani à Simone Mago,[1] *qui baptizatus à Philippo Diacono (ſicut in Actibus*[2] *Apoſtolorum legitur) pecunia voluit emere à ſanctis Apoſtolis, vt etiam per impoſitionem manus eius daretur Spiritus ſanctus. Hic magicis fallaciis deceperat multos. Docebat*[3] *autem deteſtamdam turpitudinem indifferenter vtendi fœminis. Nec Deum feciſſe mundum. Negabat etiam carnis reſurrectionem. Et aſſerebat ſe eſſe Chriſtum, Itémque Iouem ſe credi volebat. Mineruam verò meretricem quandam*[4] *Selenen, quam ſibi ſociam ſcelerum fecerat: imaginéſque & ſuam & eiuſdem meretricis diſcipulis ſuis præbebat adorandas, quas & Romæ tanquam deorum ſimulacra autoritate publica conſtituerat. In qua vrbe beatus Apoſtolus Petrus eum vera omnipotentis Dei virtute extinxit. Dixerat enim ſe in monte Sina Legem Moſi in Patris perſona dediſſe Iudæis. Tempore Tiberij in Filij perſona putatiuè appáruiſſe. poſtea ſe in linguis igneis Spiritum ſanctum ſuper Apoſtolos veniſſe: Chriſtum autem nec veniſſe nec à Iudæis quicquam pertuliſſe.*

[1] *Simone Mago.*) Hic Simon omnium quæ ſub Euangelio poſtea ſecutæ ſunt hæreſeôn fons & parens fuit, quemadmodum Irenæ. libro 1. cap. 30. & Auguſt. libro 2. contra aduerſar. Leg. & Pro-

A phetar.cap.12.tradunt, non tantùm primus inter Chriſtianos hæreticus. Vnde illius hæreſis, matrix & radix omnium appellatur, à qua omnis ψευδώνυμος Dei cognitio & adulterina initium ſumit, quemadmodum idem ſcribit Irenæus libr.1.capit. 20,& 30,& ex eo refert Euſeb.libr.1.Hiſtor.capit. 13.tam fuit nimirum magus iſte idoneum Satanæ inſtrumentum ad perdendum & faſcinandum genus humanum. Auguſtinus tamen in Pſalmo 54. Capernaitarum errorem, qui corpus Chriſti fruſtulatim & corporaliter in ſacra Cœna edi, verbáque Chriſti de corpore ſuo manducando carnaliter, non ſpiritualiter accipi oportere cenſebant, primam hęreſin facit, quam tamen nullius alterius erroris fontem conſtituit, vtpote qui nondum eas controuerſias vidiſſet, quas hæc ætas noſtra ſuper ſacra Domini Cœna mouet. Quod Auguſtin.dictum eſt in Canon.Prima quidem.Diſtinct.2. De Conſecrat. Itaque eam hæreſin prætermittit hîc Auguſti.tanquam ſuo ſeculo infœcundam & B ſterilem. Simonianorum autem caput & ſtirpem omnium ex totius Eccleſiæ recepta ſententia facit. Ac primum ab eo fonte amariſſimo deducti & orti ſunt ſeptem alij riuuli, qui primùm in ſolam Iudæam irruperunt, magnúmque illi ad ſuſcipiendam Chriſti fidem impedimentum attulerunt. Hi autem à ſuis autoribus ita nominantur, Cleobiani, Doſitheani, Gortheani, Masbothei, Adrianiſtæ, Eutychitæ, Caniſtæ vt refert Theodoret.libr.1.Hæretic.fabular.& Euſeb.ex Hegeſippo libro 4.Hiſtor. Eccle.c.22.qui etſi ſtatim exaruerunt, ex iis alij ſurculi ſunt enati, & ex illis ſeptem Caniſtæ(qui à moribus turpiſſimis ita ſunt appellati) fuerunt tetriores, quanquam Clemens Alexandr.lib.7.Stromat.putat fuiſſe Eutychitas, ſed errorem ſubeſſe in codicibus impreſſis nemo qui aliorum de iiſdem rebus ſcripta legerit, dubitabit. Fuit autem hic Simō Samaritanus, ex oppido Gython vel Gyttis, qui tempore Epiphanij erat adhuc vicus in Samaria, vt ipſe ſcribit li. 1.Tom. 2.& cum eo conſentit Iuſtinus Martyr in priore Apologia : primùm homo obſcurus, ſed qui propter magicas artes claruit, vt ſunt homines vanarum & C ſtupēdarum rerum cupidi, adeò vt antequam Euangelium illis in regionibus prædicaretur, plurimum etiam in media ipſa vrbe Samaria celebraretur: ſed miraculis quæ à Philippo, poſtea verò à Petro fiebant, obſtupefactus, maiora, quàm quæ ipſe arte illa ſatanica præſtare poſſet, effecta ab iis edi contemplatus & admiratus, acceſſit ad religionem & Baptiſma Chriſtianum, quod, quemadmodum ait Epiphan. nomine & titulo tenus amplexus eſt: ceterùm ſūmus ſemper fuit hypocrita. Eò tamen nocentior Chriſtianæ religioni fuit quòd & quædam de ea didiciſſet, & nomen Chriſtianum profitebatur. Cœpit autem hæc hæreſis non quidem ſub ipſo Chriſto, quod tamen ſenſiſſe videtur Epiphanius cùm ait, Σίμωνος γίνεται τοῦ Μάγου ἡ πρώτη αἵρεσις ἀπὸ Χριστοῦ καὶ δεῦρο ἀρξαμένη : ſed poſt Chriſtum & mortuum & in cœlum receptum: ſed nec proximo poſt mortem Chriſti anno, quanquam tamen omnium, vt ſcribit Tertullianus, qui ex Euangelio hæretici eſſe voluerunt, primus fuit Simon Magus. Nec enim aſſentior Ioanni Funccio, qui omnia quæ à primo capite Actorum Apoſtolicorum ad nonum vſque continentur, anno à morte Chriſti primo contigiſſe ſcribit. Sic A igitur ſupputo. Anno poſt mortem Chriſti primo Stephanus protomartyr pro Chriſti nomine paſſus eſt : quo tempore propter perſecutionem Hieroſolymis excitatam diſperſi ſunt per Iudęam & Samariam plures fratres & fideles, Actor.8.inter quos & Philippus vnus è ſeptem diaconis, qui cùm aliquandiu Samarię prędicaſſet Euangelium, miſſus eſt Petrus tandem cum Ioanne Samariam. Quod non niſi ſecundo poſt Chriſtum mortuum anno accidere potuit. Adhuc erat à partibus Eccleſiæ Simon Magus, qui ne ipſe ſtatim hæreſim illam ſuam vel fingere vel propagare potuit. Sed cùm poſtea ſe propter manifeſtam hypocriſin, ſuámque artem, quòd eſſet magica, contemni à piis & Chriſtianis perſpiceret, nec inter eos recipi poſſe videret, vt aliquo tamen honeſto prætextu pro Chriſtiano & τερατοποιῷ homine inter ignaros ſe venditaret, impia illa deliria commentus eſt. Nam nec eum niſi poſtquam Samaria exceſſiſſet, illa diſſeminare auſum fuiſſe ſcribunt hiſtorici Eccleſiaſtici: ſed tunc maximè poſtquam Romam venit, vbi omnia illo ſeculo, vti etiam hoc noſtro, B licebant. Adeò vt non niſi ſub initium imperij C. Caligulæ hanc hæreſin cœpiſſe exiſtimem, nec illis aſſentior qui Simonem Magum ſub Tiberio Romam veniſſe ſentiunt : totúmque illud quinquennium quod fuit à morte Chriſti ad finem imperij Tiberiani ab ea hæreſi liberum conſtitit. Ergo ſub Caligula cœpit hæc hæreſis, circa annum à Chriſto paſſo ſextū, cùm etiam iam Euangelium propagaretur, quia inimicus ille diabolus zizania ſeminare vnà cum bono ſemine in agro Domini ſtatim ſtuduit, Matth.13.verſu 24. Simonem autem iſtum quædam ſcripſiſſe præſertim contra articulum de Reſurrectione Carnis oſtendit Dionyſius libr. de Diuin. Nominib.capite 6. Diffuſa autem eſt latiſſimè non quidem ipſo Simonianorum nomine, ſed interpellato Menandrianorum, Saturnianorum & aliorum. Quotquot enim fuerunt poſtea hæretici, ſuas feces ex hoc cœno hauſerunt. Scribit tamen Gregorius Turonenſis lib.10.cap.24.etiam ſuo ſeculo & antea ſub Martiano Imperatore Conſtantinopolitano in Gallia repullulaſſe, adeò nihil tam fœdum C eſt, quod Satan regerere curioſis & veritati Dei non acquieſcentibus hominibus non audeat. Perpetuam tamen vt aliæ multę, ſucceſſionem & continuam non habuit, tum quod autoritate Apoſtolorum repreſſa ſit, tum etiam quòd propter abſurdiſſima quæ habebat dogmata, contempta ſit & à Chriſtiana fide vel leuiter linitis hominibus irriſa. Quare vana eſt eorum narratio qui affirmāt Petrum, cùm hūc videret venena ſua vbique ſpargentem, ſecutum eſſe in quaſcunque ille profectus eſſet terras, & tandem Romæ publicè cum eo pro religione Chriſtiana miraculis certaſſe. Id quod in annum ſecundum imperij Claudij collocant, quemadmodum Platina. Hoc autem accidiſſe non potuit. Fuit enim vſque ad concilium Hieroſolymitanum in Syria Petrus, id eſt, vſque ad annum Claudij nonum : poſtea Babylone vixit, (ſiue illa Chaldæorum, ſiue Ægyptiorum accipiatur) vnde primam ſuam Epiſtolam ſcripſit. Denique ne in poſteriore quidem ſua Epiſtola quam morti iam proximus ſcripſit, 2.Petr.1.verſ.14.Ro-

A mæ meminit. Romæ tamen aliquandiu Simonem Magum vixiſſe,cum Iuſtino Tertullianus teſtatur in Apologet. cap.13. cui ſtatuam cum inſcriptione hac, SIMONI SANCTO DEO, in campo Martio pop.R.dedicauit,ab iſto impoſtore magicis portentis deluſus & faſcinatus. Nam eæ artes ſub Tiberio iam ſene & Caligula Impp. Romæ plurimum inualuerant. Tandem verò cùm effecta vaniſsimę artis vellet oſtentare, & per aerem volaret,decidit , & fracto crure ſtatim miſerrimè periit vulgi fabula factus,& ἀγύρτης ſiue præſtigiator deprehenſus.Deeſt autem vox aliqua , qualis, nominati ſunt,quæ infrà c.5. addita eſt,ſed incuria ſcribarum videtur prætermiſſa.

2 *Actibus.*) Locus eſt Actor.cap.8. verſ.13. & 18.Ex eo autem quòd ſacra emere primus iſte ſub Euangelio tentauit,appellatum eſt crimen Simoniæ illud,in quo ſpiritualis res,qualis ſacramenta, oratio , dignitas & munus aliquod eccleſiaſticum pro pretio terreno & temporali venditur vel emitur.Can.Qui pro pecunia.1.quæſt.j.can. Altare.1. quæſt. iij. Quanquam Canoniſtæ ex Scholaſticorum B ſententia diſtinguunt, vt emptores quidem rerum ſpiritualium dicantur Simoniaci: venditores autem Giezitæ à Giezi ſeruo Eliſæi Prophetæ, 2.Reg.5.vt eſt apud P.Lombardum libr.4. diſtin. 25.& ibi Durandus quæſtio.3.vide Thomam 2.2^{æ} quæſt.100.

3 *Docebat autem.*) Recenſet Auguſtinus huius ſectæ & hæreſeos primæ capita quædam præcipua , non omnia tamen , ſed quæ ex Epiphanio in argumento lib.1.tom 2.& Anacephalæoſi collegit.Sunt autem hîc ſex capita imprimis enumerata:nos alias ex aliis authoribus hypotheſes addemus , vt verè appareat eam omnium aliarum fontem fœdiſſimum fuiſſe. Omnes autem religionis Chriſtianæ partes attigit Magus iſte & ſubuertere connixus eſt iam in ipſo exordio ſiue exoriente Euangelij luce.Nam.

C Chriſtiana pietas tradit aut
- Doctrinam de fide,quę eſt de
  - Deo, id eſt,
    - Ipſa eſſentia Dei.
    - Perſonis.
  - Dono illo Dei incomprehenſibili,quæ eſt ſalus hominum.
- Morum reformationem & ſanctitatem.

Has omnes partes labefactare ſtatim per os impuri iſtius canis conatus eſt Satan , adeò vt in hac prima hęreſi omnium ſemina pręſeminata & præparata fuerint,vt hinc apparebit. Iſta enim ſunt quæ refert de Simonis dogmatis hoc loco Auguſtinus: 1 Se verum Deum eſſe dixit. 2 Perſonas nullas reipſa ſubſiſtentes in diuina natura eſſe docuit. 3 Mundum ab Angelis , non à Deo creatum. 4 Chriſtum non veniſſe,ſed ſe imaginariè paſſum eſſe. 5 Carnis reſurrectionem vllam fore negauit. 6 Morũ turpitudinem omnẽ, & promiſcuum mulierum cõcubitũ induxit.Quæ quot & quantarum poſtea hæreſeôn fundamenta & delineamenta fuerint,iam examinemus.Poſtea ad alias eius hypotheſes accedemus.Quod ad primum caput, de eo Auguſtino cum Tertulliano, Irenæo,Theodoreto conuenit. Hoc autem diuinam naturam & eſſentiam euertit , quæ nihil humanæ & creatæ naturæ ſimile habere docetur paſsim in Scriptura. A Itaque verum Deum Patribus & Patriarchis ignotum fuiſſe docuit. Hæc vna ſtirps poſtea multas & infelicisſimas propagines habuit.Produxit enim Menandrianos, Cerinthianos , Nicolaitas,Saturnianos,Baſilidianos, qui omnes verum Deum Patribus & Prophetis ignotum fuiſſe impudentiſsimè affirmarunt. Produxit poſtea Tertullianiſtas & Anthropomorphitas , qui diuinam eſſentiam humanis membris efformarunt. Dedit denique Turciſmi ſiue Mahumetiſmi primordialia principia. Secundus error eſt , qui Patrem , & Filium , & Spiritum ſanctum diuerſa tantùm eſſe eiuſdem perſonæ nomina pro diuerſa eius operatione docet. Ergo ſe vnum & eundem eſſe inter Samaritanos Patrem : inter Iudæos Filium:inter gentes Spiritum ſanctum.Hoc dogma poſtea Sabellianos genuit & propagauit, itémque infauſtos iſtos ſurculos, nimirum Samoſatenianos,Montaniſtas,Praxeanos, Photinianos, Priſcillianiſtas ,præterquam quòd Iudæorum etiã errorem qui Trinitatem negant, confirmauit tãquam B à Chriſtianis ipſis defenſum & comprobatum. Tertius error eſt,Mundum ab Angelis conditum eſſe,non à Deo.Hic articulum fidei noſtræ fundamentum, de Patre creatore euertit , ſeminauítque præter ſuperiores hęreſes etiam Marcionitas & Manichæos , & quia tantum honoris Angelis defert , Angelicos hæreticos peperit , & Α'γγελολατρείαν induxit , quam damnauit iam ſoboleſcentem ſuo ſeculo Paulus Coloſ. 2. Quartus error , Chriſtum non veniſſe in carnem ,ſed ipſum Simonem fuiſſe Chriſtum , qui non verè, ſed imaginariè paſſus ſit.Hoc dogma infinitas hydras poſtea peperit & hæreſes teterrimas , quod iam ſuo ſeculo natum vidit , & aduerſus illud decertauit Ioannes,1.Ioann.4. verſ.3. Proſeminauit igitur Valentinianos, Cerdonianos , Marcionitas , Aphthardocitas , Docitas ipſos & Samoſatenianos, Turciſmi denique magna fundamenta iecit. Hoc enim ipſum de Chriſto Turcæ ſentiunt. Quintus error,negat carnis reſurrectionem, quẽadmodum etiam ſcribit Epiphanius. Hoc ſcholæ Simonianæ dogma præter iam enumeratas hæreſes Baſilidianorum,Valentinianorum, Carpocratianorum,etiam Apellitas,& Hierarchitas inſtruxit & informauit. Quanquam iam contrà diſputaſſet C copioſiſſimè Paulus 1.Cor.15. Denique negandæ vitæ æternæ & futuræ occaſionem dedit. Vnde Epicureiſmum,Atheiſmum , & Libertiniſmum procreauit. Sextus error,qui quia gratia & fide iuſtificamur,omnem ad vitia feneſtram patefacit,vt docet ex Simonianorum ſententia Theodoretus,,Baſilidianos,Gnoſticos,Manichęos,Aetianos,Eunomianos,& homines ἐμπαῖκτας turpiſſimos , quos Petrus vocat, induxit in Eccleſiam Dei,aduerſus quos & Petrus ipſe 2.Petri 2. & Iudas in ſua epiſtola. de qua ipſa peruerſa gratiæ Dei interpretatione conqueritur Paulus Rom.3. verſu 8. & à ſcortatione abſtinendum eſſe contra Simonis decreta iam ſoboleſcentia monet concilium Apoſtolorum Actorum 15. verſu 29. Hanc turpitudinem Mahumetani ſunt amplexi. Ad has autem Simonianorum hypotheſes addunt alij alias. Irenæus hanc 7, Magiæ & incantationum , & exorciſmorum diabolicorum vſum, libr.1.cap.30.Theodoretus hanc 8, A Idololatriam apud eos fuiſſe rem ἀδιάφορον, & quã cum Euangelij profeſsione ſequi ſe poſſe & miſcere contenderent contra præceptum Pauli 1.Corinth.8.& 10.verſu 21. Epiphanius has etiam adiicit, 9 Menſtrua fœminarum ad ſua ſacra fœdiſſimè adhibuiſſe:quod & Gnoſtici & Manichæi ſequuti ſunt. 10 Nomina barbara Angelis indiderunt,quos à ſe per pleromata in Helena ſua procreatos dixit Simon. Vnde Æones & pleromata Valentinianorum nata ſunt. 11 Legem Moſis non eſſe Dei,ſed infauſtæ & ſiniſtræ cuiuſdam virtutis inuentum. 12 Spiritum ſanctum eſſe Helenam Simonis. Hoc Priſcillianiſtæ & Montanus ſunt imitati. 13 Spiritum ſanctum non eſſe nomen rei & eſſentiæ, ſed energiæ & operationis. Itaque à ſe vno eſſe mentem , vocem , & rationem. Hoc Seruetani, & ex Platonicorum lacunis hauſtum eſt.Plato Epiſt.3.ad Dionem. 14 Animam non pollui vitiis,ſed tantùm carnem, vnde ſceleratam diſcipulorum ſuorum vitam non damnarunt Simoniani,vti nec Gnoſtici hæretici.Ex quo iam apparet quot fæces ex hoc vno turpiſſimo cœno profluxerint & emanarint. Magna horum errorum pars iàm temporibus Apoſtolorum innotuerat. B Itaque aduerſus hæreſes quas appellant ἀπωλείας,& mores diſſolutos acerrimè inuehuntur 2.Petr.2.Iud. epiſtola,Galat.5.

4 *Selenen.*) Alij Helenam vocant,vt Epiphanius & Irenæus & Theodoretus, quæ ſit ea ipſa propter quam Troianum bellum ſuſceptum eſt:& ouis illa perdita propter quam quærendam è cælo deſcendiſſet immutata Dei forma, ne ab Angelis qui cuique cælo præſunt,agnoſceretur. Ita os impudens ſacro Chriſti dicto abutebatur, quod eſt Matth.15.& 18.verſu 12.Conſentit cum Auguſtino Euſebius lib.2.cap.12.Hiſtor. & quum locum ex Irenæo tranſcripſerit , apparet apud Euſebium mendum eſſe, & pro Selenam , Helenam reponendum. Sed facile fuit ex Ἑλένη imperito ſcribæ facere σελένη, & poſtea σελήνη. Fuit autem iſta Tyrium ſcortum quod è telonio abs ſe abductum habuit in deliciis Simon Magus, quam vt omnibus commendaret, vti ſuam Ægeriam Numa C Põpilius, deam & Spiritum ſanctum , & ἔννοιαν diuinã appellabat,& eſſe affirmabat:ex qua Angelos procrearit,adeò nihil eſt frontis in tam miſeris hominibus, quos ſemel Satan inani gloriæ & lucri cupiditate etiam in media Eccleſia faſcinauit.

Cap. II.

Menandriani cur ſic dicti. Erroris autem caput vnum recitatum.

Menandriani à Menandro[1] *etiam ipſo mago, diſcipulo eius qui mundum aſſerebat*[2] *non à Deo, ſed ab Angelis factum.*

1 *Menandro.*) Controuerſa quæſtio eſt inter Chronologos , vtri priores vixerint & innotuerint Menandriani iſti an Nicolaitæ ij de quibus poſtea idem Auguſtinus. Multis enim videtur Nicolaitas præceſsiſſe,qui proculdubio ſub Ioanne Euangeliſta & ante illius exilium virus & venenum ſuum ſparſerint,Apocalypſ.2.verſu 6.circa annum imperij Domitiani, vt illi volunt, duodecimum. Sic Ioann.Funccius. Platina etiam antea fuiſſe ſcribit, nimirum ſub Veſpaſiano imperatore A ſeptimo eius conſulatu , qui incidit in annum à Chriſto paſſo 45, & ſub Clemente primo, Roman.Epiſcopo,quem volunt ſucceſsiſſe Lino. At iidem collocant & reiiciunt Menandrianos in annum imperij Domitiani 13.qui eſt annus à Chriſto paſſo ſexageſimus ſecundus , vt Menandriani ſint poſteriores Nicolaitis ſeptemdecim annis ex Platinæ ſententia & ſupputatione. Sed hæc falſa eſt. Primùm enim doceri poteſt expungendum eſſe ex albo Pontificum Clementem,nec eum vnquam fuiſſe Epiſcopum Romanum. Deinde meliorum authorum , à quibus nec Platina, nec alij diſcedere debuerunt, càlculo, hic Auguſtini ordo comprobatur,nempe Tertulliani in libro de pręſcriptio.Irenæi libro 1.cap.21.Euſebij lib.3.cap.26. Epiphan. libro 1.Tom.2. Theodoreti , qui præ Platina ſunt claſſici authores, & minus ab illis tẽporibus remoti.Sunt ergo Menandriani Nicolaitis hæreticis tempore priores:itaque hîc ſuo loco ab Auguſtino collocati. Dicti autem ſunt à Menandro Menandriani vulgò : ab Egeſippo autem Menandrianiſtæ, vt ſcribit Euſebius libro 4.cap.22. Sunt enim vtrique iidem , primarij illi quidem è Simoniana ſtirpe ſurculi, & ex primo & impuriſsimo Simonianorum fonte riui fœtidiſsimi, B nec minus quàm priores horrendi & deteſtabiles. Fuit autem Menander Simonis Magi & cõterraneus & contemporaneus, etſi ætate iunior. Nam,vt ait Epiphanius, aliquanto tempore cum eo vixit , tamen fuit primarius eius diſcipulus & ipſe apertè magus,artéſque magicas exercens, baptizatus tamen & baptizans , homo ſpurciſsimus & impiiſſimus, cuius vitæ exitus quis fuerit non eſt annotatum à ſcriptoribus : & hunc tamen ſuæ in Chriſtum blaſphemiæ pœnas ſenſiſſe credibile eſt. Fuit etiam primus Gnoſticorum hæreticorum, qui poſtea innotuerunt, fons & author, vt ſcribit Iren.lib.3.c.4. Romæ vixit ſub Tito imperatore,quo maximè tempore poſt mortem Simonis magiſtri ſui cœpit inclareſcere. Eò enim ſe receperat propter varias afflictæ gentis ſuæ & Iudaicæ in ipſo Iudææ ſolo calamitates. Fuit Samaritanus ex vico Chabrai , vt ait Theodoret. quem tamen Euſeb.appellat Capparetæam. C Cœpit igitur hæc hæreſis circa annum à Chriſto paſſo 40.quo regnauit Titus. Hæc Simonianorum hæreſin , vti ſerpens ſerpentem & nati viperæ matrem ipſam, abſumpſit, vt ſuo nomine innoteſceret,quæ tamen ipſa,vt ait Epiphanius , ſtatim eſſe deſiit. Nam à Saturniana & Baſilidiana hæreſi deleta eſt.

2 *Aſſerebat.*) Partim cum Simonianis Menandrianos conſenſiſſe , partim etiam diſſenſiſſe teſtantur vnà cum Auguſtino Tertullianus & Epiphanius. Eadem enim Menander dixit , ait Tertullian.quæ Simon ipſe:quicquid ſe Simon eſſe dixerat, hæc ſe Menander eſſe dicebat , negans habere poſſe quenquam ſalutem, niſi in nomine ſuo baptizatus fuiſſet. Sed etiam in eo conſentiebat cum Simone, Quòd mundum non à Deo ſed ab Angelis creatum dixerit : Quòd Angelos ipſos ex illa ἐννοίᾳ Simoniana à ſumma virtute procreatos affirmauit: Quòd Magiam,concubitum mulierum promiſcuum , omnémque meram turpitudinem lubenter amplexus eſt,tanquam gratiæ Dei & miſericordiæ erga homines fructum: Quòd denique

bonos

A bonos & ſanctos mores, qui Lege Dei docentur & præſcribuntur, per gratiæ Dei prædicationẽ, vt iam inutiles & vanum ſtudium, tolli & antiquari ſenſit. Sed vnum caput erroris ipſius tantùm perſecutus eſt Auguſtinus, quòd in ſuperiori hæreſi ſint alij enumerati. Theodoretus tamẽ, Irenæus & Euſeb. lib. 3. ca. 26. alias eius hypotheſes in quibus diſſenſit à peſtilenti magiſtro, recenſent, in quibus non fuit tamen impius diſcipulus præceptore ſuo ſanior aut melior. 1 Negauit ſummam virtutẽ, quæ hæc omnia feciſſet & contineret & quam ſe eſſe Simon dicebat, cognoſci poſſe. Id quod tamen contendebat Simon. 2 Dixit ſe, non autem Simonem ipſum, eſſe totius mundi ſeruatorem, non vnius tantùm Helenæ. Atque hinc intelligitur quàm maturè & neceſſariò Dominus ſuos admonuiſſet, ne iis crederent qui ſe Chriſtos eſſe dicturi erant, Matth. 24. v. 4. 23. Hæc enim fuit prima hæreticorum hominum poſt Euangelium prædicari cœptum, vox & coaxatio, vt ſe in vulgus commendarent, & opes ſibi honoréſque cumularent. 3 Homines in ipſius nomine eſſe B baptizandos. 4 Baptizatorum in ſuo nomine, non autem in Chriſti aut Simonis ipſius nomine, eſſe tantam dignitatem, vt ipſis Angelis potentiores eſſent, & immortales hîc manerent. Itaque carnis reſurrectionem negabat. Id quod ex malè intellecto Pauli loco, qui eſt Epheſ. 6. verſu 12. & Ro. 8. verſu 38. & deprauata iam Baptiſmi & regenerationis natura ortum eſt. Ex eodem fonte orta hæreſis Hymenæi, de qua Paulus 2. Timoth. 2. verſu 18. & fuit ſub Nerone circa annum à paſſo Chriſto 34. Ita bonus diſcipulus magna ambitione inſatiabiliq; auaritia ad ſe honores eos rapuit, quos magiſtro viderat attributos, illiúſque nomen prorſus obſcurare conatus eſt.

CAP. III.

Saturniniani cur dicti. Erroris autem capita duo præcipua.

C *SAturniniani à quodam*[1] *Saturnino, qui turpitudinem Simonianam in Syria confirmaſſe*[2] *perhibetur: qui etiam mundum ſolos Angelos ſeptem præter conſcientiam Dei Patris feciſſe dicebat.*

1 *Saturnino.)* Dubitari non poteſt Saturninum & Baſilidem eius ſocium tempore fuiſſe Nicolaitis hæreticis, Cerinthianis & Ebionitis, poſteriores, quanquam tamen hîc priore loco recenſentur. Sed nõ vnus modò Auguſt. imò omnes tum veteres Eccleſiaſtici patres, tum hiſtorici Eccleſiaſticarum rerum, hoc loco conſtituunt, vt ſeriem Simonianæ hæreſeos proſequantur & facilius oſtendant, quòd à Simone primùm orta, per hos continuata eſt & propagata. A Menandro enim, vt inquit Euſebius libr. 4. cap. 7. iam cœpit fieri biceps Simoniana hydra & hæreſis à ſe ipſa diuelli, quum ex eadem ſchola profecti Saturninus & Baſilides, in diuerſas tamen ſententias de iiſdem rebus iuerint, & ſe ex eodem fonte in duo fœdiſſima diuortia diduxerint. Quod monere fuit neceſſe, nequis hîc ab Auguſtino ſeriem temporum temerè immutatam, aut ignoranter perturbatam exiſtimet. Saturninus autem ab Epiphanio & Theodoreto Saturnilus ſemper appellatur: à Tertulliano tamen, Euſebio, & Irenæo Saturninus A vnde Saturniani, vel Saturniniani, non Saturniniliani dicti. Cœpit innoteſcere temporibus Adriani imperatoris, cum eiuſdem blaſphemiæ ſocio Baſilide, circa annum imperij Adriani x v. à Chriſto autem paſſo centeſimum, cùm Barcochaba quidam Iudæus, homo ſeditioſus, in Syria grauiſsimè Chriſtianos iam afflixiſſet, & dux ſuæ genti fuiſſet, atque incentiuum ad corripienda contra Romanos arma. Vnde totius Iudaicæ gentis penè internecio accidit, certè inde contigit ea diſsipatio & diſpalatio per vniuerſas orbis regiones, in qua nunc miſerrima verſatur. Fuit autem Antiochenus Saturninus, qui ita cum Baſilide officia partitus eſt, vt ipſe in Syria venenum ſuum efflaret, & eo Syros, homines leues, imbueret, Baſilides autem illud in Ægypto ſpargeret, & vicinis regionibus, vbi iam ſuperſtitionum quædam fundamenta iaciebantur, quæ poſtea confirmata ſunt. Durauit autem hæreſis Saturninianorum & Baſilidianorum aliquo tempore, & viguit donec nouis Valentinianorum qui ſubtiliores habiti ſunt, deliriis & commentis exploderetur B, ita nimirum ſeſe mutuò confodientibus hæreticis iuſto Dei iudicio, & extinguentibus. Quare Simonianorum peſtis & hæreſis prope ſola ſiue ſuo ipſa nomine ſiue alieno & interpolato Menãdrianorum & Saturninianorũ prope per centum annos in orbe grauiſsimè graſſata eſt: poſtea verò aliis exorientibus ſepulta.

2 *Confirmaſſe.)* Quæ fuerint Saturniniani erroris capita, docent imprimis Epiphanius & Theodoretus, quæ partim cum ſuperioribus hæreſibus conſenſerunt, partim diſſenſerunt. Ac quidem cum Simone Mago illa duo communia habuit, quæ hîc recenſet Auguſtinus: 1 Vt ſuis diſcipulis turpiter viuere concederet, quia ſola fide & cognitione, quæ de ipſo eſſet, ſalui fierent. 2 Mundum ab Angelis creatum, non à Deo: ſed in eo à præceptoribus diſſenſit, quòd non ab omnibus Angelis, ſed à ſeptem tantùm conditum affirmabat, idque præter Dei Patris & ſummæ illius Virtutis conſcientiam & iuſſum, quaſi præter omnipotentis Dei voluntatem quicquam fieri poſſet. Itaque totum caput Geneſeos primum euertebat. 3 Reſurrectionem carnis nullam fieri C, quòd non fieret corpus ſaluum, ſed ſcintilla tantùm cuiuſdam ſplendoris, qui in hominẽ deorſum lapſus eſſet, quum formaretur ab Angelis. Erat tamen hic articulus in primitiuæ Eccleſię catecheſi, Hebr. 6. & ab Apoſtolis, ſiquis alius, confirmatus. 4 Chriſtum phantaſmate non reipſa & apparuiſſe, & paſſum eſſe in cruce. Id quod Marcionitæ potiſsimùm retinuerunt. 5 Hominem non à Deo, ſed ab Angelis creatum, qui dixerint inter ſe, Faciamus hominem ad imaginem noſtram, Quum ij autem ſolum corpus formare potuiſſent, quod more vermis ſerpere tãtũ per terram poſſet, & propter virium imbecillitatem palpitare (id enim ſignificat Scarizare, σκαρίζειν quod apud Irenæum libr. 1. cap. 22. retinuit interpres) miſerans ſumma Virtus in hoc opus tam infirmum immiſit ſcintillam vitæ. Illa autem fuit ſplendor quidam luminis, quod de cœlo in rebus inferioribus reſplenduit, & hominem in pedes erexit, valentémque effecit. Atque hoc figmentum ex Platonis in Timæo ſcriptis hauſtum

A eſt,& veriſsimã Moſis hiſtoriam euertit. 6 Aliũ Iudæorum Deum,alium Chriſti Patrem Chriſtianorúmque Deum eſſe. In quo Valentinianis & Marcionitis ſuppeditatum eſt delirij argumẽtum. 7 Natura homines eſſe malos. Duos.n.factos eſſe,vnum natura bonum : alterum natura & creatione malum.ex bono,bonos:ex malo , malos ortos. Vt autem malis diabolus fauet : ita Chriſtus bonis auxiliatum venit. Hoc ex commẽtitiis poëtarum de Pandora & Epimetheo fabulis & narrationib.ſumptum fuit. 8 Matrimonium eiúſque vinculum dixit eſſe doctrinam diaboli cõtra Pauli ſententiam,1.Timoth.4. verſu 3.Hebr. 13.verſu 4.Hinc Encratitæ & Tatiani poſtea. 9 Ab animatis abſtinendum.Hinc Manichęi. 10 Quoſdam è veteribus Prophetis,quorum ſcripta veteris Teſtamenti pars ſunt,eſſe à Satana.Hinc Marcionitæ , Manichæi,& Legis atque Prophetarum aduerſarij.Ex iis autẽ intelligitur,quomodo paulatim & pedetentim creuit error , & vt Satan ſibi gradus ad alias blaſphemias fecerit. Occaſio autẽ erroris fuit tum ambitio , tum etiam craſſiſſima B rerum & articulorum in orthodoxa Eccleſia notiſſimorum & receptiſſimorum ignorantia. Tanti eſt nimirum veritatem à veris interpretibus,& ex ipſa Scriptura didiciſſe, non ab impoſtoribus accepiſſe.Qualis verò huius Satanæ miniſtri & blaſphemi hominis exitus fuerit , legiſſe me non memini:ſua tamen pœna caruiſſe veriſimile non eſt.

CAP. IIII.

Baſilidiani vnde dicti.Quid à Simonianis differant.Erroris autem capita recenſentur.

BAſilidiani à Baſilide [1], *qui hoc diſtabat à Simonianis* [2], *quòd trecentos ſexaginta quinque cælos eſſe dicebat , quo numero dierum annus includitur. Vnde etiam quaſi ſanctum nomen commendabat* Ἀϐράξας: *cuius nominis literæ ſecundum Græcam ſupputationem eundem numerum complent. Sunt enim ſeptem* α *&* ϐ, ρ *&* α, ξ *&* α, *&* ς, *id eſt, vnum & duo & centum & vnum, & ſexaginta & vnum, & ducenta: quæ fiunt in ſumma trecenta ſexaginta quinque.* C *Mundum* [3] *iſtum vel hominem non credunt à Deo factum, ſed à trecenteſimo ſexageſimo quinto cælo. Amatoria carmina ſtudioſè diſcunt. A Iudæis non credunt Chriſtum crucifixum, ſed Simonem Cyrenenſem , qui angariatus ſuſtulit crucem eius.*

1 *Baſilide.*)Suprà demonſtratum eſt contemporaneas fuiſſe has hæreſes.Ex vna enim & eadẽ Menandri ſchola tanquã riuo profecti Saturninus & Baſilides in duo ſe diuortia cœnoſa diduxerunt. Quanquam autem incompertum ſibi eſſe dicit Epiphanius vter virus ſuum alium docuerit, vel Saturninus Baſilidem , vel Baſilides Saturninum : tamen cæteri ſcriptores Saturninum prius docere cœpiſſe narrant,& ab eo iam ſua dogmata ſpargente , Baſilidem ex profeſſo diſſenſiſſe, quò ingenioſior videretur. Denique Auguſtinus libr. 2.contra aduerſ.Leg.cap.12. ſcribit Baſilidem ordine quartum fuiſſe à Simone Mago , vt Saturnino poſteriorem fuiſſe oporteat. Fuit igitur praua quadã Saturnini æmulatione commotus Baſilides ad venenum euomendum. Vixit ſub Adriano imperatore,circa annum imperij eius x v , anno à A Chriſto paſſo ferè centeſimo,ſub Alexandro primo,pontifice Romano,vt ſcribit Platina.Fuit autem Ægyptius & Alexandrinus,in qua vrbe etiam docuit,& in tota Saitide νόμῳ, id eſt , Præfectura, vt interpretatur C.Plinius , νόμον δὲ Αἰγύπτιοι φασιν, inquit Epiphanius , τὴν ἑκάστης πόλεως περιοικίδα ἢ περίχωρον.Eſt autem Saitidis præfecturæ,de qua etiam Plato in Timæo meminit , Alexandria metropolis.Scripſit autem in Euangelia.& quædam ex lib. ipſius 23.Exegeticῶν citat Clemens Alexandrinus libro 4.Hic ferè primus poſt Nicolaitas nouis & peregrinis , ſiue inauditis vocibus ſua illa putida deliria hominibus commendauit. In quo facem prætulit Valetinianis , qui poſtea eum in huiuſmodi portentis imitati ſunt. Itaque prophetas ſuos his nominibus appellabat , vt Theodoretus & Euſeb.libro 4.cap.7.ſcribunt , nimirum quòd eos nominabat Barcoph.i.filium pręcepti:& Barcabad vel Barcabod,(ſic enim apud vtrunque hiſtoricum legẽdum eſt.) Primum autem Syriacam terminationem habet,ſecundum Hebræam. Barcabod autem , eſt filius gloriæ. B Fortaſſe etiam ex Epiphanio in Nazarenis legi poteſt Barcaba, id eſt,vt ipſe interpretatur,filius proſtitutæ. De quo infrà in hæreſi Nazarenorum. Durauit aliquandiu hæc hæreſis Baſilidianorum,maximè in Ægypto, vti ea gens & natio fuit ab initio Euangelij Monachiſmis & ſuperſtitionibus addicta, atque etiam ad errores imbibendos facilis. Continuata enim eſt & ſuſtentata ab Iſidoro Baſilidis filio poſt patris mortem,de quo Iſidoro fecit mentionem Theodoretus,& illius ipſius libros de Moribus,legit & commemorat Clemens Strom. lib.3. item libro 6. cuius prophetam appellat Barchar, non autem Parchar,vt eſt in impreſſis. Propagata autem eſt poſtea,etſi aucta & interpolata,à Valẽtinianis.Scribit Hieronym.ad Theodoram ad ſua vſque tempora in Hiſpania & Pyreneo retentam fuiſſe, Annis plus quàm 200. poſt ipſius originem.Sic autem habet Hieronym.Lucinius noſter dignæ eloquẽtiæ tuba prędicari poteſt,qui (ſpurciſſima per Hiſpanias Baſilidis hæreſi ſæuiente,& inſtar peſtis & morbi totas intra Pyreneum & Oceanum vaſtante pronincias) fidei eccleſiaſticæ C tenuit puritatẽ , nequaquam ſuſcipiens Armagit, Barbelen, Abraxas, Balſamon,& ridiculum Leuſiboram,cæteráque magis portenta, quàm nomina, quæ ad imperitorum & mulierculärum animos concitandos quaſi de Hebraicis fontibus hauriũt, barbaro ſimplices quoſque terrẽtes ſono, vt quod non intelligunt,plus mirentur.Quis Baſilidis vitę exitus fuerit , non eſt annotatum à ſcriptoribus. Fuit tamen ipſe nocentiſſimum & peſtilentiſſimum Satanæ inſtrumentum.

2 *A Simonianis.*) Geſtit animus pro Simonianis reponere Saturninianis. Primùm quòd Simonianorum nomen ſtatim extinctum eſt pro quo Menandrianorum & Saturninianorum appellationes inualuerant. Deinde quòd Baſilidiani ipſi inter Simonianos proculdubio recenſentur , ſed non inter Saturninianos. Præterea quòd cæteri ſcriptores eccleſiaſtici ita vtraſque hæreſes iſtas referunt , vt primum Saturninum docuiſſe demonſtrent : pòſt autem Baſilidem, qui ſtudio à collega & condiſcipulo diſſentiendi nouam propriámque hæreſin condidit , vt

ſcribit

A ſcribit Euſeb.lib.4. cap. 6.& 22. Itaque Iræneus libro 1.cap.23.ſic narrationis ſeriem connectit, vt poſt Saturninum ſtatim ſubiiciat hæc verba, Baſilides autem, vt altius aliquid & veriſimilius inueniſſe videretur, in immenſum extendit ſententiā doctrinæ ſuæ. Theodoretus enim ſcribit Baſilidem contempſiſſe dogmata Saturnini commilitonis, vt viles & pueriles fabulas: ipſum autē alia commentum, vt quemadmodum ait Epiphanius, τὰ ὑπὲρ ἐκεῖνον διηγούμενος δόξῃ ἂν φαντασιάζειν πλέον. Itaque cùm Baſilidis ſtudium fuerit, non à Simone, ſed à Saturnino diſcedēdi, lego A Saturninianis: quia tamen veteris codicis fide & auxilio deſtituor, immutare quicquam non ſum auſus.

3 *Mundum iſtum.*) Variæ fuerunt Baſilidianorum hypotheſes, è quibus quatuor tantùm collegit Auguſtinus, quas primo loco recenſebo, & quarum hæc Baſilidis propria maximè fuit, quòd auſus eſt apertiſsimè negare eum Deum quem gens Iudæorum coleret, fuiſſe verum Deum. Auguſt.lib.2.Contra aduerſa. Legis, cap.12. 2 Virtutem quandam eſſe ſummam & ſummum Deum B ingenitum, & notum tamen, quem etſi, vt ait Irenæus, in ſua eſſentia innominabilem eſſe docent, tamen Abraxas, Græcè autem Ἄβραξας vocant ſacro, vt ipſi aiunt, nomine. Hunc ſolum volunt increatum: reliqua autem eſſe creata, at mētem quidem illam primogeniam, quā νοῦν nominant. Vnde apud Theodoretum malè Abraxax legitur: peius etiam apud Epiphanium alicubi Ἄβρασαξ. Ratio nominis huius Ἄβραξας fuit, quòd numerū 365, quot diebus conſtat annus ſolaris, per literarum ſignificationem colligere ex certo quodam vocabulo vellet, vt docet hoc loco Auguſtinus. Vnde vti Abram non temerè Abraham dictus eſt: ſic iſte ſuum Deum magico quodam matæologias myſterio contendit vocari Abraxas voce Græca: non Hebraica, nec Syriaca, contrà quàm tamen quidam exiſtimant. Ex hoc iam procreatam eſſe illam primogenitam mentem quam verbo ab Anaxagora ſumpto νοῦν appelabat. Vnde mentem creatam νοῦν eſſe dicebat. Ex quo fit vt locus apud Tertullian.in lib.De Præſcrip.ſit planè corrigendus. ſic enim legitur, *Hic eſſe dicit* (de Baſilide C loquens) *ſummum Deum nomine Abraxan, quo mentem creatam, quam Græcè νοῦν, appellat.* Falſa enim eſt hæc ſententia, quia vt mentem hanc creatam ab increata illa & ſumma Virtute, reipſa diſtinguebat & eſſentia ſiue ὑποστάσει: ita etiam nomine, id quod docet Epiphā.his verbis ἓν ἐν τὸ ἀγέννητον, ὁ μόνος ἐστὶ πάντων πατήρ. ἐκ τούτου προβέβληται νοῦς. Itaque ſic apud Tertullianum reſtituendum locum puto, quanquam nihil annotat B.Rhenanus. *Hic eſſe dicit ſummum Deum nomine Abraxas* (ſic enim lego, non Abraxan) *ex quo mentem creatam, quam Græcè νοῦν appellat.* Admonuit tamen me Hieremias Baſtingius Friſius adoleſcens honeſtiſsimus, videri poſſe eum qui ex Abraxas progenitus eſſet non vocatum eſſe νοῦν à Baſilide Græca voce, ſed potius Hebræa נין Nin, quę filium ſignificat. Id quod diiudicandum aliis relinquo. facilè enim fuit ex Nin Hebræo facere νοῦν Græcum ab hominibus Hebraicæ linguæ ignaris. Cæterùm ex hac mente procreatum λόγον, id eſt, Verbum: ex Verbo, Prouidentiam: ex hac, Sapientiam: ex qua Angeli nati ſint, quorum vltimus fuit Iudæorum Deus, quem & turbulentum & ambitioſum fuiſſe fingit, quique ſuæ genti reliquas omnes ſubiicere tentaſſet. A Ex hoc delirio planè Valentinianorum & Marcionitarum fæces hauſtæ ſunt. Itaque Clemens cū Baſilidianis iſtos ferè vbique coniūgit. Hæc de Abraxas. 2. Error: Eſſe trecentos ſexaginta quinque cœlos diſtinctos, & alios ex aliis defluentes, quia totidem diebus conſtet ſolaris annus, & tot membra habeant ſingulorum hominum corpora. Cuique cœlo ſuum Angelum præfici, ex Angelis autem ipſis alios aliis eſſe puriores. Irenæus libr.2. cap.66. à trecenteſimo verò & 65 cœlo hominem formatum fuiſſe. Id quod quadantenus ex Peripateticorum doctrina ſumptum eſt libr.8.de Phyſicor.audit.& Ἀγγελολατρείαν planè cōfirmat. 3. Morum turpitudinem, φίλτρα & amatoria pocula, magiam & incantationes probauit. Clemens Strom. libro 3. 4 Chriſtum fictè, non verè paſſum, ſed pro eo Simonem Cyrenenſem, de quo Matth.27. verſu 32. Hoc etiam ex Magicis phantaſmatis & illuſionibus, quibus impius Baſilides addictus fuit, in religionem Chriſtianam tranſlatum eſt, quaſi B fuerit Chriſtus Dei filius quidam magus. Id quod ethnici obiecerunt, vt ſcribit Auguſt. libr.1. de Conſenſ.Euangel. Chriſtum autem non à Deo qui mundum creauit, miſſum, ſed ab Abraxas, vt Iudæorum Deo omnia turbanti & ad ſe rapienti reſiſteret. Chriſtum autem nouo & inuſitato antea nomine Goala & Goalna (à themate Hebraico גואל vel גאל quod redimere ſignificat) appellauit.i.Redemptor, vel Redemptor noſter: nō autem Ieſum, quomodo ab Angelo vocatus eſt, Matth.1.verſu 21. Sic Irenæus libro 1. cap.3. Saluatorem eſſe Caula, & poſtea Caulana. Qui certè locus apud eum eſt deprauatiſsimus: ſed tamen facilè ſanari poſſe videtur. Repoſuit quidem N. Galaſius vir doctiſsimus ex Epiphanio de Nicolaitis Caulaucau, Græcè καυλαυκαύξ. Putat autem Epiphan. vocem eſſe ſumptam ex Iſa.28. verſu 10. ſed fruſtrá. In veteri Irenæi exemplari veteris & veræ lectionis veſtigia apparent quæ retenta eſſe oportuit, non immutata. Nō.n. Caulaucauch vel C[illegible]laucau illic: ſed Caula pro Goala, & Caulana p[illegible] Goalana Syriaca terminatione legitur. Quod autem pro ו & א Hebræis literis pronuntiarint & Gręci & Latini au, & pro g, dixerint c, in diphthōgo, C mirum illi non videbitur, qui quàm idiomata diuerſa diuerſè pronuntient, obſeruarit. Eſt autem Goala Redemptio vel Redemptor Syris hominibus. Vtitur hac voce Iob 19. verſu 25. Iſai. 63. verſ.16. 1. Reg.16. verſ.13. Hac autem voce videntur vſi quòd nomen Ieſus, tanquam non ſatis auguſtum, faſtuoſi homines Baſilidiani faſtidirēt. Atq; hæc eſt mea de reponendo Irenæi loco coniectura. 5 Error, Carnis reſurrectionem negant.

6 Martyria pro nomine Chriſti non eſſe toleranda, quia pius cùm patitur & affligitur, non Dei voluntate affligitur. Hinc fidei abnegationes introductæ, & turpiſſimæ à Deo defectiones.

7 Prophetias non à Deo eſſe, ſed tantùm ab Angelis. 8. Imagines habere Chriſtianis licere, & idolothytis veſci, tanquam rebus merè ἀδιαφόροις, etiam non ſpectata alterius infirmi conſcientia.

9. Non omnia peccata dimitti à Deo, ſed tantùm inuoluntariè commiſſa. 10 Fidem eſſe naturalem, quemmadmodum & electionē noſtram, pro cuiuſque opere, & merito: non autem eſſe Dei donum. 11 Secreta hæc, & fidei myſteria celanda

eſſe,vel paucis omnino reuelanda. Irenæus lib.1. ca.23.Ita paulatim creuit error,& abyſſus abyſſum inuexit , vt iam ab iſtis nullum dogma fidei intactum ſit relictum,tam nimirum profundè in barathrum delabimur & mergimur , vbi ſemel nos in illud volentes demiſimus.

Cap. v.

Nicolaitæ vnde dicti.Erroris autem capita quatuor explicantur.

Nicolaitæ à Nicolao[1] nominati ſunt , vno,vt perhibetur,ex illis ſeptem , quos Apoſtoli diaconos ordinauerant. Iſte cùm de zelo pulcherrimæ coniugis culparetur , velut purgandi ſui cauſa permiſiſſe fertur, vt ea,qui vellet,vteretur. Quod eius factum in ſectam [2] turpiſſimam verſum eſt,in qua placet vſus indifferens fœminarum. Hi nec ab iis quæ idolis immolantur,cibos ſuos ſeparant:& alios ritus gentilium ſuperſtitionum nõ auerſantur. Narrant etiam quædam fabuloſa de mundo,neſcio quæ barbara principum nomina miſcentes B *diſputationibus ſuis,quibus terreant auditores ,quæ prudentibus riſum potius faciunt,quàm timorem. Intelligũtur autem etiam iſti non Deo tribuere[3] creaturam , ſed quibuſdam poteſtatibus, quas mirabili vel fingunt vanitate,vel credunt.*

1 *Nicolao.*)Theodoretus libr.3. hanc hæreſin commemorat poſt alias multas. Quidam tamen prætermittunt ,ſiue quòd tam fœda & turpia huius dogmata eſſent , vt quemadmodum loquitur Tertullianus, pudor ſit dicere : ſiue ꝙ magna ex parte in Gnoſticis & Valentinianis(vtrique enim à Nicolaitis profecti ſunt,ſed imprimis Gnoſtici, vt ait Epiphanius)explicetur.Irenęus tamen,Tertullianus,Euſebius & Epiphanius retinent.Et dubitari non poteſt hanc aliquando fuiſſe , cùm illius apertè meminerit ſacra Scriptura Apocalypſ. 2.verſu 6.& 15.Collocat tamen eam poſt Cerinthũ & Ebionitas Irenæus.Euſebius autem libr.4. cap. 29.eodem tempore quo Cerinthianam,docet exortam eſſe.Tertullianus , Auguſtinus & Epiphanius ante Cerinthianos conſtituunt. Quæ poſtrema ratio temporis & ſeries mihi videtur eſſe C verior,etſi non longo interuallo inter ſe hæ diſcrepant.Platina ſub Cleto Roman.Epiſcopo qui ante Clementem vixit, reponit. Nicolaus autem quem huius ſectæ principem faciunt,fuit , quemadmodum Epiphan.ſcribit, Antiochenus . virus autem ſuum maximè ſparſiſſe traditur circa initiũ imperij Domitiani,annum autem à Chriſto paſſo 52.ante D.Ioãnis Apoſtoli & Euangeliſtæ in Patmo inſula exilium.Volunt autẽ hunc ipſum fuiſſe vnum ex ſeptem illis Diaconis qui ab Apoſtolis conſenſu Eccleſiæ primi electi fuerant , Actor.6. Quæ fuerit autem huius tam horrendæ ſectæ occaſio,attingit breuiter hîc Auguſtinus , latiùs autem perſequitur Clemens Alexandrinus, qui etiã Stromateus dicitur,lib.3.Stromat.quòd ſuſpicione zelotypiæ, qua apud Eccleſiam propter egregiam vxoris ſuæ formam laborabat , purgatum ſe vellet.Itaque eã omnibus proſtituit.Quod in conſuetudinem ſiue imitationem à quibuſdam poſtea in Eccleſia vſurpatum eſt. Dicit Auguſtinus, Quòd in ſectam verſum eſt. Quæ Auguſtini verba admonent me vt locum apud Iſidorum libr.8. cap.5.meo quidem iudicio,deprauatum emẽdem. Nam qui error eſt in Iſidoro,poſtea irrepſit atque A retentus eſt in Cano.Quidam autem.24. quæſt.3. Sic igitur apud Iſidorum legitur , propter pulchritudinem relinquens vxorem dixit, vt qui vellet,ea vteretur , & verſa eſt in ſtuprum talis conſuetudo.Reponendum eſt ex hoc Auguſtini loco ex quo hauddubiè tranſcriptus eſt,Et verſa eſt in ſectam hæc conſuetudo.Nec enim eſt ſtuprũ turpis cum coniuge aliena coitus , ſed adulterium. Stuprum enim vel in viduam,vel in virginem tãtùm committitur,vt omnes loquuntur & ſentiũt qui Latinè ſciunt. Aliam verò huius tam furioſæ impietatis & turpitudinis cauſam affert Epiphanius lib.1.tom.2.quæ mihi longè videtur probabilior,Nimirum quòd cùm Nicolaus iſte ad quorundam continentium & virginum imitationem ἐγκρατεύεσθαι & perpetuò à coniuge ſua abſtinere contra Pauli pręceptum 1.Corinth.7.verſu 1.promiſiſſet , impatiens coitus iterum ad vxorem rediit,& propter intermiſſam conſuetudinem intẽperantius ea,quæ formoſiſſima cenſebatur, vſus eſt.Cùm ſe inconſtantiæ & intemperantiſſ.libidinis vitio apud Eccleſiam prægrauari ſentiret , B αἰσχυνόμενος τὴν ἑαυτοῦ ἧτταν,vt ait Epiphanius, Hoc primum dixit,omnino neceſſarum eſſe vxores habere & cum iis cohabitare,adeo vt , quemadmodum ſcribit Epiphanius,dixerit,εἰ μή τις καθ' ἡμέραν λαγνεύει ζωῆς οὐ δύναται μετέχειν αἰωνίου.Deinde lõgius progreſſus(nam abyſſus abyſſum trahit) in abſurdiſſima & obſcœniſſima quæque lapſus eſt , tanti eſt Dei præceptum,& Apoſtoli admonitionem ſemel cõtempſiſſe.Durauit pauco tẽpore hæc hæreſis ipſo Nicolaitarum nomine , ſtatim enim extincta eſt, vt ait Euſebius lib. 4.cap.29. poſtea tamen interpolata à Gnoſticis & Valentinianis reuixit.In Aſia minore maximè graſſatum eſſe hoc tam peſtilens venenum apparet ex Apocalypſi. Retulit tamen Bohemus quidam quum hæc chartis illinerem, etiam aliquas tam miſeræ ſectæ reliquias in Bohemia ſupereſſe,quæ etiamnum hodie ieiunij Iudaici formam certa anni tempeſtate obſeruãt.Poſtea verò turpiſſimè & promiſcuè miſcentur.

2 *In ſectam.*)Quàm fœtida & immunda fuerit hæc hæreſis tum in dogmate,tum multò magis in C ipſa praxi & vitæ genere,docet Scriptura,quę nominatim ἔργα Νικολαϊτῶν deteſtatur Apocal.2. verſ. 6.Docent etiam Tertullianus & Epiphanius.Tertullianus enim ne illa quidem commemoranda eſſe cenſet,tam erant obſcœna. nimirum quando illi etiam turpitudines , complexus , & ipſas permixtiones execrabiles ſuos diſcipulos docerent. Qui locus eſt in lib.De præſcript.quia tamẽ valde deprauatus eſt,deſcribendum exiſtimaui , vt qua potui cõiectura reſtituerẽ.Sic igitur in impreſſis, Sũt & cætera obſcœna.Omnes enim refert quoſdam turpitudinis natos,& complexus,& permixtiones execrabiles , obſcœnáſque coniunctas, & quædam ex ipſis adhuc turpiora. At verò locum ita legendum & emendandum puto.Sunt & cætera obſcœna. Homines enim refert quoſdam turpitudinis natos,& cõplexus,& permixtiones execrabiles,obſcœnáſque coniunctiones,& quędam ex ipſis adhuc turpiora.Quæ verba iam planum & facilem ſenſum habent : illa verò ſuperiora & recepta vel nullum vel omnino barbarum. Epiphanius autem ſcribit eos,cùm tam turpia & nefanda perpetrarent in promiſcuo illo ſuo cum omnibus

A mulieribus coitu reſpõdere ſolitos fuiſſe, τῆς ἀρσενίκου τὴν δύναμιν συλλέγομεν ἀπὸ τῶν σωμάτων, διά τε τῶν ῥευσῶν, φημὶ δὲ (ait Epiphanius) γονῆς καὶ καταμηνίων. Et certè Gnoſticorum & Manichæorum, quæ fuerunt fœdiſſimæ in ipſo vitæ genere & myſteriorum ſuorum actione hæreſes, fuit fons & origo Nicolaitarum error & doctrina. Refert autem hîc Auguſtinus quatuor erroris eorũ hypotheſes. 1 Vxores docent eſſe communes, & promiſcuũ more pecudum fœminarum vſum in Eccleſiam Dei inducunt: nec tantùm, vt putat Iſidorus, coniugia permutanda cenſent. Ex Platonicorum dogmatis ortus hic error videri poteſt, quemadmodũ etiã ſcribit Clemens Stromat. li. 3. quẽ refutat Ariſto. libro 2. πολιτικῶν, & Mahumetanis poſtea ad polygamiam probandam & ſequendã profuit. 2 Idolothyta edi poſſe à Chriſtianis nulla cõtraria proteſtatione aut idololatriæ deteſtatione facta, id eſt, citra auerſationem idoli. Id quod tamen negat Scriptura, Apocal. 2. verſ. 20. 1. Ioann. 5. verſ. 21. De qua quæſtione interrogatus Paulus reſpondit, etſi idolum per ſe nihil eſt, neque quæ idolis immolata ſunt, diis ſunt propriè dicata (nullus enim eſt B præter vnum illum verum Deus) tamen quia & infirmiorum fratrum conſcientiæ ratio habenda eſt: & non poſſumus menſę Domini & mẽſæ idolorum ſiue dæmoniorum eſſe participes, idcirco idolothytis. i. immolatitiis ſiue carnibus, ſiue aliis rebus, vt loquitur Auguſt. cõtra Adimant. c. 14. eſt abſtinendum: id eſt, iis quæ immolata ſunt idolis, & ex eorum ſacris ad veſcendum in eorum epulo reſeruata porrigebantur. Quod ab ethnicis hominibus ad ſacrificiorum Dei (quæ Euchariſtica dicebantur in Lege) κακοζηλίαν fiebat. Vide Paulum 1. Corinth. 8. verſu. 9, & 10: cap. 10. verſu 20. 21. Nec enim tales cibi ſunt ex rerum verè mediarum & ἀδιαφόρων genere, nedum verò licitarum, quemadmodum docebant Nicolaitæ. Nec obſtat quòd Chriſtiani iis rebus bona conſcientia veſcebantur, quæ Iulianus apoſtata in macello diis ſuis & idolis luſtrali aqua conſecrauerat. Nam vt ſcribit Theodoretus libro 3. capite 15. impius ille vt aliquos Chriſtianis laqueos indueret, & eos idola C venerari perſuaderet, vel cogeret, iuſſit Antiochię fontes omnes, & omnia edulia quales panes, carnes, olera, luſtrari & diis conſecrari, vt vel idolothytis veſci Chriſtianos vel fame perire cogeret. Itaque ex iis cibis edebant & ſalua quidem conſcientia Chriſtiani, etſi tamen vt ait Theodoretus, lugentes & gementes, quia iſta conſecratio vniuerſalis ciborum omnium longè differt ab εἰδωλοθύτῳ, & re idolis proprio ſpecialique ſacrificio dicata & oblata. Quæ diſtinctio notanda eſt propter Papiſticos ritus & confratrias, quibus intereſſe Chriſtianis hominibus non licet, vti nec pane miſſatico indifferenter vti. Vſus eſt quidem Dauid pane ſancto & propoſitionum, qui Deo, non idolis, facer erat: ſed vrgente demum neceſſitate, & inter eos quibus nullum ex eo eſu præbebat offendiculum, Matth. 12. v. 3. 1. Samuel 21. 3 Error Nicolaitarum fuit, Mundum hunc ortum ex concupiſcentia & coitu tenebrarum cum lumine, ex quo nati Dæmones, & Angeli, & poſtea fœdiſſimo genere copulæ, homines ipſi. Vnde ſemen è virili membro emiſſum, & menſtrua mulierum pro rebus ſanctiſſimis habebant. 4 Angelos, non Deum condidiſſe hæc inferiora A atque iis dominari. Hos autem diuerſo modo & gradu diſtribuunt, vt intelligant ij qui nobis Angelorum Hierarchiam deſcribunt, vnde ſuæ matęologias initia hauſerint. Atque eoſdem peregrinis nominibus atque barbaris primi appellarunt. Barbelo enim eſſe qui octauo cœlo præſit ex Peripateticorum decretis. Eſt autem Barbelo filius veteris vel vetuſtatis, cuius mater ſit Ialdaboth. Eſt autem Ialdadoth, mater Patrum, vel genita à Patribus. Eandem Sabaoth appellant. Eſt autem exercitus. De Caulaucaux (quod vocabulum addit Epiphanius) quid ſentiendum exiſtimem, dixi ſuperius. Hæc ſecta ſuperioribus magis portentoſa, & exitialis fuit.

3 *Creaturam.*) Dixit Auguſtinus Creaturam pro rebus creatis. Paulus κτίσιν Græcè appellat, Roman. 1. v. 20. Ergo tribuunt Angelis creaturam, id eſt, tribuunt Angelis rerum creationem, & res ipſas creatas Nicolaitæ, non Deo. Id quod apertiſsimè repugnat Scripturæ, Geneſ. 1. B

CAP. VI.

Gnoſtici vnde dicti. Erroris capita quatuor.

GNoſtici[1] *propter excellentiam ſcientiæ ſic ſe appellatos eſſe, vel appellari debuiſſe gloriantur, cùm ſint ſuperioribus omnibus vaniores, atque turpiores. Denique cùm ab aliis atque alijs per diuerſas terrarum partes aliter atque aliter nuncupentur, nonnulli eos etiam Borboritas vocant, quaſi cœnoſos, propter nimiam turpitudinem, quam in ſuis myſteriis exercere dicuntur. Aliqui eos à Nicolaitis exortos putant, alij à Carpocrate, de quo pòſt loquemur. Tradunt*[2] *autem dogmata fabuloſiſſimis plena figmentis. Etiam ipſi Principum vel Angelorum nominibus terribilibus infirmas animas capiunt: & de Deo, rerúmque natura fabuloſa, & à ſanitate veritatis aliena multa contexunt. Animarum ſubſtantiam Dei dicunt eſſe naturam, earúmque aliarum quoque aduentum in hæc corpora cum aliis aereis animalibus dicunt fieri, per quas peccata in corporibus committuntur. Nam illas animas, quæ ex Dei procedunt ſubſtantia, reuerti ad Deum immaculatas. Dicuntur quoque bonum Deum & malum Deum in ſuis habere dogmatibus.*

1 *Gnoſtici.*) Quàm varia ſit de tempore huius C hæreſeos hominum & authorum Eccleſiaſticorum ſententia, ex eorum ſcriptis apparet. Quidam enim illam omnino prætermittunt, ſi nomen ipſum Gnoſticorum quæratur, quemadmodum in lib. De fabulis Hæreticorum Theodoret. quanquam idem Borboritarum meminit, & Tertullianus in lib. De Præſcript. Platina etiam in vitis Paparum. Alij confundunt vt Euſebius. Alij verò diſtinguunt, vti Auguſtinus, & Epiphanius ipſe, cuius ordinem ſequitur hoc loco & libro. Iſidorus etiam meminit, & alij plures. Cuius tantæ varietatis cauſa vt intelligatur, & vt ab aliis hi ſeparentur, ſunt nobis qui proprio ſpecialique nomine Gnoſtici vocantur, à Carpocratianis & Nicolaitis, cum quibus tamen in dogmate conueniunt, ſecernendi. Videntur enim ij demum & ſoli ita appellati, qui repudiato vtrorumque maiorum & authorum ſuorum vili, & iam odioſo nomine, ſplendido ſe & nouo Gnoſticos ſuperbè nominarunt, non ab vllo homine mortali ſumpta appellatione, ne de hominibus gloriari viderentur: ſed

A eſſe, vel paucis omnino reuelanda. Irenæus lib.1. ca.23. Ita paulatim creuit error, & abyſſus abyſſum inuexit, vt iam ab iſtis nullum dogma fidei intactum ſit relictum, tam nimirum profundè in barathrum delabimur & mergimur, vbi ſemel nos in illud volentes demiſimus.

CAP. V.

Nicolaitæ vnde dicti. Erroris autem capita quatuor explicantur.

Nicolaitæ à Nicolao[1] *nominati ſunt, vno, vt perhibetur, ex illis ſeptem, quos Apoſtoli diaconos ordinauerant. Iſte cùm de zelo pulcherrimæ coniugis culparetur, velut purgandi ſui cauſa permiſiſſe fertur, vt ea, qui vellet, vteretur. Quod eius factum in ſectam*[2] *turpiſſimam verſum eſt, in qua placet vſus indifferens fœminarum. Hi nec ab iis quæ idolis immolantur, cibos ſuos ſeparant: & alios ritus gentilium ſuperſtitionum nõ auerſantur. Narrant etiam quædam fabuloſa de mundo, neſcio quæ barbara principum nomina miſcentes* B *diſputationibus ſuis, quibus terreant auditores, quæ prudentibus riſum potius faciunt, quàm timorem. Intelligũtur autem etiam iſti non Deo tribuere*[3] *creaturam, ſed quibuſdam poteſtatibus, quas mirabili vel fingunt vanitate, vel credunt.*

1 *Nicolao.*) Theodoretus libr.3. hanc hæreſin commemorat poſt alias multas. Quidam tamen prætermittunt, ſiue quòd tam fœda & turpia huius dogmata eſſent, vt quemadmodum loquitur Tertullianus, pudor ſit dicere: ſiue ꝙ magna ex parte in Gnoſticis & Valentinianis (vtrique enim à Nicolaitis profecti ſunt, ſed imprimis Gnoſtici, vt ait Epiphanius) explicetur. Irenęus tamen, Tertullianus, Euſebius & Epiphanius retinent. Et dubitari non poteſt hanc aliquando fuiſſe, cùm illius apertè meminerit ſacra Scriptura Apocalypſ. 2. verſu 6. & 15. Collocat tamen eam poſt Cerinthũ & Ebionitas Irenæus. Euſebius autem libr.4. cap. 29. eodem tempore quo Cerinthianam, docet exortam eſſe. Tertullianus, Auguſtinus & Epiphanius ante Cerinthianos conſtituunt. Quæ poſtre- C ma ratio temporis & ſeries mihi videtur eſſe verior, etſi non longo interuallo inter ſe hæ diſcrepant. Platina ſub Cleto Roman. Epiſcopo qui ante Clementem vixit, reponit. Nicolaus autem quem huius ſectæ principem faciunt, fuit, quemadmodum Epiphan. ſcribit, Antiochenus. virus autem ſuum maximè ſparſiſſe traditur circa initiũ imperij Domitiani, annum autem à Chriſto paſſo 52. ante D. Ioãnis Apoſtoli & Euangeliſtæ in Patmo inſula exilium. Volunt autẽ hunc ipſum fuiſſe vnum ex ſeptem illis Diaconis qui ab Apoſtolis conſenſu Eccleſiæ primi electi fuerant, Actor.6. Quæ fuerit autem huius tam horrendæ ſectæ occaſio, attingit breuiter hîc Auguſtinus, latiùs autem perſequitur Clemens Alexandrinus, qui etiã Stromateus dicitur, lib.3. Stromat. quòd ſuſpicione zelotypiæ, qua apud Eccleſiam propter egregiam vxoris ſuæ formam laborabat, purgatum ſe vellet. Itaque eã omnibus proſtituit. Quod in conſuetudinem ſiue imitationem à quibuſdam poſtea in Eccleſia vſurpatum eſt. Dicit Auguſtinus, Quòd in ſectam verſum eſt. Quæ Auguſtini verba admonent me vt locum apud Iſidorum libr.8. cap.5. meo quidem iudicio, deprauatum emẽdem. Nam qui error eſt in Iſidoro, poſtea irrepſit atque A retentus eſt in Cano. Quidam autem. 24. quæſt.3. Sic igitur apud Iſidorum legitur, propter pulchritudinem relinquens vxorem dixit, vt qui vellet, ea vteretur, & verſa eſt in ſtuprum talis conſuetudo. Reponendum eſt ex hoc Auguſtini loco ex quo hauddubiè tranſcriptus eſt, Et verſa eſt in ſectam hæc conſuetudo. Nec enim eſt ſtuprũ turpis cum coniuge aliena coitus, ſed adulterium. Stuprum enim vel in viduam, vel in virginem tãtùm committitur, vt omnes loquuntur & ſentiũt qui Latinè ſciunt. Aliam verò huius tam furioſæ impietatis & turpitudinis cauſam affert Epiphanius lib.1. tom.2. quæ mihi longè videtur probabilior, Nimirum quòd cùm Nicolaus iſte ad quorundam continentium & virginum imitationem ἐγκρατεύεσθαι & perpetuò à coniuge ſua abſtinere contra Pauli pręceptum 1. Corinth. 7. verſu 1. promiſiſſet, impatiens coitus iterum ad vxorem rediit, & propter intermiſſam conſuetudinem intẽperantius ea, quæ formoſiſſima cenſebatur, vſus eſt. Cùm ſe inconſtantiæ & intemperantiſs. libidinis vitio apud Eccleſiam prægrauari ſentiret, B αἰσχυνομένος τὴν ἑαυτοῦ ἧτταν, vt ait Epiphanius, Hoc primum dixit, omnino neceſſarum eſſe vxores habere & cum iis cohabitare, adeo vt, quemadmodum ſcribit Epiphanius, dixerit, εἰ μή τις καθ' ἡμέραν λαγνεύει ζωῆς οὐ δύναται μετέχειν αἰωνίου. Deinde lõgius progreſſus (nam abyſſus abyſſum trahit) in abſurdiſſima & obſcœniſſima quæque lapſus eſt, tanti eſt Dei præceptum, & Apoſtoli admonitionem ſemel cõtempſiſſe. Durauit pauco tẽpore hæc hæreſis ipſo Nicolaitarum nomine, ſtatim enim extincta eſt, vt ait Euſebius lib. 4. cap.29. poſtea tamen interpolata à Gnoſticis & Valentinianis reuixit. In Aſia minore maximè graſſatum eſſe hoc tam peſtilens venenum apparet ex Apocalypſi. Retulit tamen Bohemus quidam quum hæc chartis illinerem, etiam aliquas tam miſeræ ſectæ reliquias in Bohemia ſupereſſe, quæ etiamnum hodie ieiunij Iudaici formam certa anni tempeſtate obſeruãt. Poſtea verò turpiſſimè & promiſcuè miſcentur.

2 *In ſectam.*) Quàm fœtida & immunda fuerit hæc hæreſis tum in dogmate, tum multò magis in C ipſa praxi & vitæ genere, docet Scriptura, quę nominatim ἔργα Νικολαϊτῶν deteſtatur Apocal.2. verſ. 6. Docent etiam Tertullianus & Epiphanius. Tertullianus enim ne illa quidem commemoranda eſſe cenſet, tam erant obſcœna. nimirum quando illi etiam turpitudines, complexus, & ipſas permixtiones execrabiles ſuos diſcipulos docerent. Qui locus eſt in lib. De præſcript. quia tamẽ valde deprauatus eſt, deſcribendum exiſtimaui, vt qua potui cõiectura reſtituerẽ. Sic igitur in impreſſis, Sũt & cætera obſcœna. Omnes enim refert quoſdam turpitudinis natos, & complexus, & permixtiones execrabiles, obſcœnáſque coniunctas, & quædam ex ipſis adhuc turpiora. At verò locum ita legendum & emendandum puto. Sunt & cætera obſcœna. Homines enim refert quoſdam turpitudinis natos, & cõplexus, & permixtiones execrabiles, obſcœnáſque coniunctiones, & quędam ex ipſis adhuc turpiora. Quæ verba iam planum & facilem ſenſum habent: illa verò ſuperiora & recepta vel nullum vel omnino barbarum. Epiphanius autem ſcribit eos, cùm tam turpia & nefanda perpetrarent in promiſcuo illo ſuo cum omnibus

mulieribus

A mulieribus coitu reſpōdere ſolitos fuiſſe, τῆς προυνίκου τὴν δύναμιν συλλέγομεν ἀπὸ τῶν σωμάτων, διά τε τῶν ῥευσῶν, φημὶ δὲ (ait Epiphanius) γονῆς καὶ καταμηνίων. Et certè Gnoſticorum & Manichæorum, quæ fuerunt fœdiſſimæ in ipſo vitæ genere & myſteriorum ſuorum actione hæreſes, fuit fons & origo Nicolaitarum error & doctrina. Refert autem hîc Auguſtinus quatuor erroris eorū hypotheſes. 1 Vxores docent eſſe communes, & promiſcuū more pecudum fœminarum vſum in Eccleſiam Dei inducunt: nec tantùm, vt putat Iſidorus, coniugia permutanda cenſent. Ex Platonicorum dogmatis ortus hic error videri poteſt, quemadmodū etiã ſcribit Clemens Stromat. li. 3. quę refutat Ariſto. libro 2. πολιτικῶν, & Mahumetanis poſtea ad polygamiam probandam & ſequendã profuit. 2 Idolothyta edi poſſe à Chriſtianis nulla cōtraria proteſtatione aut idololatriæ deteſtatione facta, id eſt, citra auerſationem idoli. Id quod tamen negat Scriptura, Apocal. 2. verſ. 20. 1. Ioann. 5. verſ. 21. De qua quæſtione interrogatus Paulus reſpondit, etſi idolum per ſe nihil eſt, neque quæ idolis immolata ſunt, diis ſunt propriè dicata (nullus enim eſt B præter vnum illum verum Deus) tamen quia & infirmiorum fratrum conſcientiæ ratio habenda eſt: & non poſſumus menſę Domini & mēſæ idolorum ſiue dæmoniorum eſſe participes, idcirco idolothytis. i. immolatitiis ſiue carnibus, ſiue aliis rebus, vt loquitur Auguſt. cōtra Adimant. c. 14. eſt abſtinendum: id eſt, iis quæ immolata ſunt idolis, & ex eorum ſacris ad veſcendum in eorum epulo reſeruata porrigebantur. Quod ab ethnicis hominibus ad ſacrificiorum Dei (quæ Euchariſtica dicebantur in Lege) κοινωνίαν fiebat. Vide Paulum 1. Corinth. 8. verſu. 9, & 10: cap. 10. verſu 20. 21. Nec enim tales cibi ſunt ex rerum verè mediarum & ἀδιαφόρων genere, nedum verò licitarum, quemadmodum docebant Nicolaitæ. Nec obſtat quòd Chriſtiani iis rebus bona conſcientia veſcebantur, quæ Iulianus apoſtata in macello diis ſuis & idolis luſtrali aqua conſecrauerat. Nam vt ſcribit Theodoretus libro 3. capite 15. impius ille vt aliquos Chriſtianis laqueos indueret, & eos idola C venerari perſuaderet, vel cogeret, iuſſit Antiochię fontes omnes, & omnia edulia quales panes, carnes, olera, luſtrari & diis conſecrari, vt vel idolothytis veſci Chriſtianos vel fame perire cogeret. Itaque ex iis cibis edebant & ſalua quidem conſcientia Chriſtiani, etſi tamen vt ait Theodoretus, lugentes & gementes, quia iſta conſecratio vniuerſalis ciborum omnium longè differt ab εἰδωλοθύτῳ, & re idolis proprio ſpecialique ſacrificio dicata & oblata. Quæ diſtinctio notanda eſt propter Papiſticos ritus & confratrias, quibus intereſſe Chriſtianis hominibus non licet, vti nec pane miſſatico indifferenter vti. Vſus eſt quidem Dauid pane ſancto & propoſitionum, qui Deo, non idolis, ſacer erat: ſed vrgente demum neceſſitate, & inter eos quibus nullum ex eo eſu præbebat offendiculum, Matth. 12. v. 3. 1. Samuel 21. 3 Error Nicolaitarum fuit, Mundum hunc ortum ex concupiſcentia & coitu tenebrarum cum lumine, ex quo nati Dæmones, & Angeli, & poſtea fœdiſſimo genere copulæ, homines ipſi. Vnde ſemen è virili membro emiſſum, & menſtrua mulierum pro rebus ſanctiſſimis habebant. 4 Angelos, non Deum condidiſſe hæc inferiora A atque iis dominari. Hos autem diuerſo modo & gradu diſtribuunt, vt intelligant ij qui nobis Angelorum Hierarchiam deſcribunt, vnde ſuæ matęologias initia hauſerint. Atque eoſdem peregrinis nominibus atque barbaris primi appellarunt. Barbelo enim eſſe qui octauo cœlo præſit ex Peripateticorum decretis. Eſt autem Barbelo filius veteris vel vetuſtatis, cuius mater ſit Ialdaboth. Eſt autem Ialdadoth, mater Patrum, vel genita à Patribus. Eandem Sabaoth appellant. Eſt autem exercitus. De Caulaucaux (quod vocabulum addit Epiphanius) quid ſentiendum exiſtimem, dixi ſuperius. Hæc ſecta ſuperioribus magis portentoſa, & exitialis ſuit.

3 *Creaturam.*) Dixit Auguſtinus Creaturam pro rebus creatis. Paulus κτίσιν Græcè appellat, Roman. 1. v. 20. Ergo tribuunt Angelis creaturam, id eſt, tribuunt Angelis rerum creationem, & res ipſas creatas Nicolaitæ, non Deo. Id quod apertiſsimè repugnat Scripturæ, Geneſ. 1. B

CAP. VI.

Gnoſtici vnde dicti. Erroris capita quatuor.

GNoſtici[1] propter excellentiam ſcientiæ ſic ſe appellatos eſſe, vel appellari debuiſſe gloriantur, cùm ſint ſuperioribus omnibus vaniores, atque turpiores. Denique cùm ab alils atque alijs per diuerſas terrarum partes aliter atque aliter nuncupentur, nonnulli eos etiam Borboritas vocant, quaſi cœnoſos, propter nimiam turpitudinem, quam in ſuis myſteriis exercere dicuntur. Aliqui eos à Nicolaitis exortos putant, alij à Carpocrate, de quo pòſt loquemur. Tradunt [2] autem dogmata fabuloſiſſimis plena figmentis. Etiam ipſi Principum vel Angelorum nominibus terribilibus infirmas animas capiunt: & de Deo, rerúmque natura fabuloſa, & à ſanitate veritatis aliena multa contexunt. Animarum ſubſtantiam Dei dicunt eſſe naturam, earúmque aliarum quoque aduentum in hæc corpora cum aliis aereis animalibus dicunt fieri, per quas peccata in corporibus committuntur. Nam illas animas, quæ ex Dei procedunt ſubſtantia, reuerti ad Deum immaculatas. Dicuntur quoque bonum Deum & malum Deum in ſuis habere dogmatibus.

1 *Gnoſtici.*) Quàm varia ſit de tempore huius C hæreſeos hominum & authorum Eccleſiaſticorum ſententia, ex eorum ſcriptis apparet. Quidam enim illam omnino prætermittunt, ſi nomen ipſum Gnoſticorum quęratur, quemadmodum in lib. De fabulis Hæreticorum Theodoret. quanquam idem Borboritarum meminit, & Tertullianus in lib. De Præſcript. Platina etiam in vitis Paparum. Alij confundunt vt Euſebius. Alij verò diſtinguunt, vti Auguſtinus, & Epiphanius ipſe, cuius ordinem ſequitur hoc loco & libro. Iſidorus etiam meminit, & alij plures. Cuius tantæ varietatis cauſa vt intelligatur, & vt ab aliis hi ſeparentur, ſunt nobis qui proprio ſpecialique nomine Gnoſtici vocantur, à Carpocratianis & Nicolaitis, cum quibus tamen in dogmate conueniunt, ſecernendi. Videntur enim ij demum & ſoli ita appellati, qui repudiato vtrorumque maiorum & authorum ſuorum vili, & iam odioſo nomine, ſplendido ſe & nouo Gnoſticos ſuperbè nominarunt, non ab vllo homine mortali ſumpta appellatione, ne de hominibus gloriari viderentur: ſed

A ab ipſa eximia, excellenti, & ſingulari cognitionis ſuæ de Dei arcanis intelligentia & comprehenſione, quam ſibi falsò tribuebant. Gnoſticos enim ſe dixerunt ἀπὸ τῆς γνώσεως, tanquam πνευματικοὺς, & qui in Dei myſteria altius quàm cæteri ſuperioréſque omnes penetraſſent. Γνῶσις autem præſtantem Dei cognitionem, & fidem, & veritatis, operúmque Dei reuelationem atque agnitionem ſæpe apud Paulum ſignificat, quemadmodum Colo. 2. verſu 3. 1. Corint. 12. verſu 8. Gnoſtici igitur quatenus ſuo ſe nomine iactant & à Carpocratianis & Nicolaitis (ex quibus tamen duobus cœnoſis fontibus tetri riui orti ſunt) diſtinguntur, & aliam ſectam conſtituunt. maximè cœperunt ſub Aniceto Roman. epiſcopo, anno à Chriſto paſſo 129. ſub initium imperij M. Aurelij Antonini Philoſophi & L. Veri Impp. Roman. & annis poſtea tribus Cataphryges alij hæretici. ita ex abyſſo abyſſus. Gnoſtici quidem etiam in Aſia noti fuerunt, ſed potiſſimum, &, vt mihi quidem videtur, primùm Romæ, cùm Marcellina, quæ huius ſectæ erat, vt ſcribit Irenæus lib. 1. cap. 24. & B Carpocratianorum & Nicolaitarum appellationem iam Eccleſiæ exoſam dimiſerat, Romam ex Aſia veniſſet, & ſua illa tabe multos infeciſſet: quod factum eſt ſub Aniceto Romano Epiſcopo, vti dixi, circa annum à Chriſto paſſo 130. vel 132. ex quo meritò verè concludi poteſt eos Carpocratianis ætate poſteriores eſſe. Nec tamen perperam hoc ordine collocantur poſt Nicolaitas, quia ex Epiphanij ſententia putat Auguſtinus à Nicolao potius, quã à Carpocrate hos ſerpentes eſſe progenitos. Sic enim ille, poſtquam de Nicolao hæreſiarcha egit, ſubiicit, Πάλιν οὗτοι οἱ γνωστικοὶ διαφόρως ἀπὸ τούτου φυόμενοι ἠπατημένοι ἄνθρωποι ὥσπερ ἀπὸ πικρίας καρποί. In quo tamen ipſo varia eſt autorum ſententia. Irenæus enim hos potius eſſe putat infœlicem Carpocratianorum fœtum. Id quod etiam in lib. De anima, ſentit Tertullianus. Quanquam idem in Scorpiaco contra Gnoſticos, ſtirpem vnde auulſi ſint & propagati tam noxij rami non explicat. Irenæus lib. 3. cap. 4. à Menandro Simonis diſcipulo ſatos fuiſſe tanquam Medeos ſerpentes ſcribit. Vtcunque, ſeges ſunt infœlicium illorum zizaniorũ, quæ C in agro & Eccleſia Domini ſeminauit Satan, vt myſterium iniquitatis operaretur, ac tandem perageret, quod effecit. Durauit autem Gnoſticorum hæreſis multis ſeculis, tùm in Aſia, tum maximè in Ægypto: ex qua Valẽtinianorum primùm, pòſt Manichæorum, deinde Priſcillianiſtarum lernæ & hæreſes diſſeminatæ ſunt, & natæ, adeò vt in Hiſpania etiam poſt annum Domini 386. non tantũ inſtaurata fuerit, ſed latè pullulauerit, vt Sigebertus ſcribit. Guillelmus autem Poſtellus fæx mundi noſtro ſeculo renouauit. Fuerunt autem omniũ mortalium in dogmate fœdiſsimi, & Nicolaitis turpibus magiſtris, longè tamen ipſi turpiores. Vnde variis ſe nominibus & ſæpe de induſtria mutatis inſinuarunt & texerunt, ne execrabili Gnoſticorum nomine noti, ſtatim ab Eccleſia exploderentur. Nec vlla fuit vnquam hæreſis, quæ tot támque diuerſis appellationibus ſe interpolarit, & celauerit: aut quæ ſe in plures ſectas & particulas citius diſſecuerit. Nam qui hîc ab Auguſtino Gnoſtici dicuntur, ab aliis Barbeliotæ à Barbelo quem colebant, ſunt nominati. Alibi Borboritæ, à cœno, voce ex Petri Apoſtoli Epiſt. ſumpta. Eſt enim βόρβορος ſordes & cœnum, 2. Petr. 2. verſu 22. A In Ægypto, vt ait Epiphanius, Stratiotici & Phibionitæ. Alibi Secundiani, Socratitæ, Zachæi, Leuitici, Coddiani. Vt autem etiam addit Theodoretus, Naaſini. Et Clemens libro 3. Stromat. Epiphanij: ita ſe nunquam tutò latere poſſe exiſtimarunt. Denique quemadmodum ſcribit Euſebius libro 4. cap. 7. Nullum vnquam fuit hominum genus, nomen Chriſtianum profitentium, vnde plura & maiora infidelibus & gentibus offendicula præberentur, quàm ab iſtis. Docuerunt enim eos qui ſuæ myſtagogiæ participes eſſe vellent, turpiſsima quæque operari & perpetrare quòd aliàs vim diaboli effugere non poſſent, niſi ſua cuique poteſtati debita ſoluerentur. Vnde tandem in vniuerſum Chriſtianum nomen magnum hominum odium conflatum eſt, & in Deum blaſphemia excitata, tam fuit Satan in hoc malo excudendo nimirum & potens & aſtutus. His omnino contrarij fuerunt qui Gnoſimachi à Damaſceno vocãtur, qui omne cognitionis ſtudium in Chriſtianis hominibus damnant, etiam Sacrarum literarum. B

2 *Tradunt autem.*) Videtur Tertullianus in li. De præſcriptionib. Ophitis tribuere, quæ alij Gnoſticis. Idem autem aliud Gnoſticis, id eſt, id tantùm concedit vt proprium hæreſcos eorum caput, quòd martyria vel mortem pro Chriſti nomine & gloria tolerandam negarent, Tertullianus in Scorpiaco. Id quod tamen Baſilidianorum eſſe proprium docuimus. Alii penè omnes iis tantùm morum turpitudinem illam quidem inſignẽ & relatu indignam vendicant, adeò vt quod de Carpocratianis commemorat Clemens libro 3. Stromat. de Gnoſticis propriè intelligendum putent. Sunt autem hæc Clementis verba, Hos dicunt, ait, & aliquos alios ſimilium malorum æmulatores, ad cœnas conuenientes (neque enim dixerim Agapen eorum congreſſionem) viros ſimul & mulieres, poſtquam ſatietate venerem excitante exſatiati ſunt, lumine amoto quòd eorum fornicatoriam hanc iuſtitiam pudore afficiat, auerſa lucerna coire quomodo velint, & cum quibus velint. Meditatos autem in eiuſmodi Agapæ communionem interdiu iam, à quibus velint mulieribus C exigere Carpocreateæ (diuinæ enim nefas eſt dicere) legis obedientiam. Hactenus Clemens. Euſebius autem addit eos promiſcuè & inceſtuoſè cum matribus & ſororibus coiiſſe, & vetitis cibis, qualia ſũt mẽſtrua mulierũ, atq; etiã nefandis maximè in ſuis myſteriis vſos eſſe. Inde verò ortæ & aſperſę in veros Chriſtianos hę calumnię, quòd Chriſtiani humana carne veſcerentur, quòd inceſtuoſos & promiſcuos coitus haberent, quòd extinctis lucernis fœda quęque peragerent, pro quibus abſtergendis & Iuſtinus Martyr vtráque apologiam ſcripſit, & Tertullianus eruditiſſimum illum Apologeticum librum. Aſtutè id quidem Satan, qui quum Chriſtianorum doctrinam per ſe in odium hominum adducere non poſſet, mores & vitam eorum criminari atque calumniari, quia diabolus eſt, falſorum Chriſtianorum prætextu cœpit. Capita verò & hypotheſes huius hæreſeos enumerantur multæ. Quatuor hic ab Auguſtino. 1 Dogmata ineptiſſima de mundi cæterarúmque rerum creatione, quæ hîc non recenſet Auguſtinus: Theodoretus tamen in Barbeliotis, & Ire-

& Irenæus lib.1.ca.33.& 34.habent, quorum hæc penè ſumma eſt. Ex ſummo & primario Æone, complures alios Æones extitiſſe, inferiores tamen ſummo: ex iis præſtantiorem eſſe Ialdabaoth, qui quum in ſuperiora eniti vellet, depreſſum grauitate adhærentis materiæ aqueæ non potuiſſe ad ſuperna deuenire. Itaque in medio loco ſubſiſtentem extendiſſe ex ſua illa aqua cœlum, & hæc omnia quæ cernimus. Triplicē filium ſummi Æonis conſtituunt. Vnum qui ſit lumen illud Bythi incorruptibile. Alterum Ennœan ἔννοιαν, qui ex illo Bythi lumine incorruptibili ſecundum hominē natus ſit, & homo ſit ab omni interitu alienus, & in virginali ſpiritu ſeruetur. Hunc Barbeloth vocant.i.filium vetuſtatis. Tertium filium productum ex primo illo homine, & Spiritu ſancto, quem vocant fœminam. Hunc filium Chriſtum nominant & Prunicum. Ex Chao autem, Aquis, Tenebris, & Abyſſo miras propagationes & προβολὰς faciunt, adeò vt quod planè & perſpicuè de rerum & mundi huius creatione narrat Moſes, abſurdiſſimis verborum inuolucris tegant, Platonicorum & Pythagoreorum deliria & commēta ſequuti. Prunicon putat Epiphanius Græcā vocem eſſe, & ſcribit πρόυνικον, quæ velox ſignificat. Alij verò Syriacam, quæ Redemptorem ſignificat, פרוקא Paruka. Dempto enim Camets fit Pruca & Prucon. addiderunt Græci ſyllabam ni, vnde Προύνικον effecerunt. Alij aliunde deriuant. Hebraicis enim nominibus non autem Græcis, figmenta ſua eos obſcuraſſe teſtatur Theodoretus. 2 Animas in hominibus infidelibus duas conſtituunt, vnam ſanctam ex Dei ſubſtantia, quam Chriſtus minuens Patris imperium, eo ignorante ſit ſolus habiturus. Alteram eſſe aduentitiam, quæ ex Dei inſufflatione inſit homini, vti cæteris animalibus, quam ſolam Pater ſit habiturus. Ita Irenæus ſub finem cap.34.libri 1. Hinc Manichæorum delirium de duabus animabus, quæ in homine ſunt hodie permiſtæ, vt aiunt, Vide Auguſt. libro De duabus anim.cap.12. Ex quo iam apparet, quàm ſit hic locus apud Auguſtinum deprauatus, vbi pro *earúmque* legēdum eſt *aliarum quoque* vel *aliarúmque*, vt duplex anima ex Gnoſticorum mente conſtituatur. Aliâs totus hic locus eſt valde obſcurus. Verba autem, *per quas peccata in corporibus committuntur*, adiectitia videri non debent. Putant enim illa eas animas, quæ in hominibus peccant, eſſe nobis cum brutis communes. Itaque rurſum eas in alia corpora etiam animalium brutorum Pythagorica παλιγγενεσίᾳ migrare & mitti. Nec id mirum, quando Thnatopſychitæ hæretici, de quibus Ioannes Damaſcenus, docent hominum animas pecudum animis ſimiles eſſe, & eas vnà cum corporibus interire. Quod longè peius & grauius fuit. Sanctas autem animas quæ inſunt in hominibus, docēt Gnoſtici non peccare, nec iterum in alia corpora mitti. Sed quaſi iam non ſatis eſſet erroris in ipſa Gnoſticorum hæreſi, addidit librarius in tranſcribendo errorē, vt in ipſo errore intelligendo penè ipſi erraremus. Huius autem erroris fundamentum & cauſam ſumpſerunt Gnoſtici, vt ſcribit Hieronymus in Gala. 1.ver.15. quòd cùm alij ſint electi à Deo: alij reprobati antequam aliquid boni fecerint aut mali: hoc iuſtè à Deo fieri non poſſet, niſi eſſet pereuntium, & ſaluandorum diuerſa natura: in vnis ſpiritualis, in aliis carnalis. 3 Angelos ex ſummo Patre & Æone procreatos, quibus nomina barbara imponunt. Septem autem genitos concubitu humano. Hoc à ſuperioribus hæreſibus ſumptum eſt.

4 Duplicem Deum primi illi falſiſſimè induxerunt, vnum bonum: alterum malum. Hinc Manichæi fæces ſuas apertiſsimè deprompſerunt.

5 Chriſtum diſtinguunt, vt aliam perſonam, à Ieſu. Deſcendiſſe enim Chriſtum in Ieſum iam natum, & grādem, & penè triginta annorum, quo primùm tempore cœpit miracula edere. Demum autem poſt reſurrectionem vnitum eſſe Chriſtum Ieſu. Irenæus. Hinc Neſtorianiſmi & Eutychianiſmi vetuſtiſsima & venenoſiſſima ſemina, quæ poſtea excitauit, & robuſtius germinare fecit Satan. 6 Chriſtum poſt reſurrectionem per octodecim menſes hîc in mundo verſatum citra manifeſtiſſimam Scripturæ fidem. Act.1.v.3. Irenæus. 7 Martyria negarunt pro nomine Dei ſubeunda Chriſtianis. Tertullianus. 8 Imagines Chriſti depictas coluerunt, & in ſumma veneratione, vti gentes, ſuorum deorum picturas habuerunt. Quod ipſum hæreſin eſſe docet Irenæus, quia nondum in Dei Eccleſia erat idololatria vti nunc eſt. Habetur enim nunc iſtud valde inter Papiſtas religioſum: inter rectè ſentientes Patres, ethnicum.

CAP. VII.

Carpocratiani vnde appellati. Erroris autem capita ſex referuntur.

CArpocratiani ſunt à [1] *Carpocrate, qui docebat,*[2] *omnem turpem operationem, omnémque adinuentionem peccati: nec aliter euadi atque tranſiri principatus & poteſtates, quibus hæc placent, vt poſſit ad cælum ſuperius perueniri. Hic etiam Ieſum hominem tantummodo, & de vtroque ſexu natum putaſſe perhibetur, ſed accepiſſe talem animam, quæ ſciret ea quæ ſuperna eſſent, atque nuntiaret. Reſurrectionem corporis cum Lege abijciebat. Negabat mundum à Deo factum, ſed neſcio à quibus virtutibus. Secta ipſius fuiſſe traditur ſocia quædam Marcellina*[3], *quæ colebat imagines Ieſu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incenſúmque ponendo.*

1 *A Carpocrate.*) Carpocratiani hæretici, propter morum diſſolutionem, etiam præter ſuperiores hęreticos, omnes Eccleſię carcinomata & verrucæ habiti ſunt. Ex nulla enim ſecta tantùm odij in Chriſtianos cōflatum eſt, quantum ex iſta. Itaq; de iis ita ſcribit Epiphanius li.2. Tim.1, Εἰσὶ δ᾽ ἐκ τοῦ σατανᾶ παρεσκευασμένοι καὶ προβεβλημένοι εἰς ὄνειδος καὶ σκάνδαλον τῆς τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας. Ex iis enim maximum in nomen Chriſtianum emanauit probrum propter turpes & nefandos mores, quemadmodum ſcribit Clemens lib.3. Stromat. Id enim fore prædixerat Petrus nimirum vt per exitiales hæreſes via veritatis blaſphemaretur, 2.Pet.2.verſu 2. Poſt Gnoſticos collocat Auguſtinus, ſequutus Epiphanium, vti Auguſtinum ipſum ſequutus eſt Iſidorus, quia vitæ turpitudine, & dogmatum vanitate inter ſe ſimillimi fuerunt. Ophitis autem & alijs hos poſtponit Tertullianus, præponit verò Theodoretus: tam eſt incerta de ijſdē rebus ſcriptorum Eccleſiaſticorum ſententia. Carpocrate autem ſiue Carpocrates, à quo ſunt appellati, vixit ſub initio imperij Antonini Pij, circa annum à Chriſto paſſo 109. quanquam Theodoretus ſub

A Adriano potius eum floruiſſe ſcribit, ſed potuit notus eſſe ſub vtroque. Euſebius libro 4.cap.8.ait eum fuiſſe contemporaneum & æqualem Saturnino. Fuit autem Ægyptius Carpocrates, genere Alexandrinus, vbi patre Ægyptio, & matre Alexādra Cephalenia natus eſt, Platonicæ diſciplinæ, & omnis encyclopedię ſcientiſsimus: diuinæ verò theologiæ ignorantiſsimus, in qua etiam Platonica ſchola filium Epiphanem erudiuit, vti ſcribit Clemens Alexandrinus. Inde verò hæreſeos fons, quòd Platonis dicta & ampullas, Euangelicæ veritati magno faſtu præponeret. Graſſata autem eſt Carpocratianorum peſtis non in Ægypto tātùm, ſed & in Aſia, & Romæ nomine Gnoſticorum. Retenta tamē eſt aliquandiu, & ſuſtentata ipſa ſuo nomine & appellatione poſt Carpocratē ab Epiphane filio Carpocratis, vt ſcribit Theodoretus, qui doctus inter Platonicos habitus eſt, & librum edidit, quem inſcripſit ἠθικὰ, & hunc citat Epiphanius: item alium περὶ δικαιοσύνης, id eſt, De iuſtitia. Iuſtitiam autem definit eſſe κοινωνίαν Θεοῦ μετ' ἰσότητος. Quæ definitio planè obſcura eſt, vt docet Clemens lib.3. Stromat. Hic vixit, iuſto Dei iudicio ſublatus, tantùm 17. annis, & in inſula Cepha-B lenia, vnde propter matrem oriūdus erat, pro Deo cultus eſt, imprimis Samiæ, quæ fuit vrbs Cepha leniæ. Epiphani ſucceſsit in eadem ſecta Prodicus quidam, vt eſt apud Theodoretum. Hic verò numero ſuperiorum errorum non contentus, excudit & ipſe nouam hæreſim Adamitarum, qui præter Carpocratianica dogmata, hoc ſuæ hæreſi addiderunt, Deum non eſſe orandum, quia nouit qui bonis digni ſint, qui verò non ſint. Clemens lib.7. Strom.

2 *Docebat omnem.)* Quæ fuerint huius ſectæ hypotheſes, tum ex hoc Auguſtini loco, tum ex eiuſdem lib.2. contra aduerſar. Legis, cap.12. tum etiam ex Irenæo lib.1.ca.24. Tertulliano, Epiphanio, & Theodoreto facilè poteſt intelligi. Primū enim eius hæreſeos authorem omnes conſtituūt, quæ duos deos, diuerſæ penitus diſsimiliſque naturæ finxit. Ex qua aliæ hæreſes innumerabiles natę ſunt, imprimis autem Manichæi, quorum in C hoc error notior fuit. Ergo prima hæc eorum hypotheſis fuit, quòd omnem morum turpitudinem ſuos diſcipulos docerent. Legem enim Dei quæ bona opera docet & exigit, contemnebant, quia ſola fide & gratia Dei ſalui ſimus. Itaque poſſe noſtrûm quemque liberè cuilibet vitio indulgere. Præter fidem enim omnia bona vel mala opera rerum indifferentium numero & pretio cēſenda, quia non naturâ, ſed tantùm hominum opinione iuſtum & iniuſtum, bonum & malum conſtaret & diſtingueretur. Itaque rerum delectum ſuſtulerunt. Imò verò nec aliter nos poſſe poteſtatum malarum, quibus hîc ſubiicimur, iura & iram euitare, niſi peccemus & turpiter viuamus. Eo enim modo illæ à nobis placantur, fiúntque nobis, vt illi quidem ſentiunt, propitiæ. Quo dogmate quid deterius aut vnquam fœdius Satan mundo adhuc propinarat? Itaque & communes vxores eſſe oportere dixerunt, & Magiam exercuerunt, & δαίμονας παρέδρους, id eſt, familiares habuerunt, vt ait Epiphanius. 2 Nos hîc agentes eſſe ſub imperio malarum poteſtatum & angelorum (hi autem ſunt diaboli) quibus non niſi ſuperatis, in ſupremum & extimum cælum peruenire poſſumus. Superari autem, ſi malè & diſſolutè viuamus. Ita A honeſto prætextu turpiſſimos mores induxerunt. 3 Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum purè hominem fuiſſe: & poſſe quęque eo & miraculis potentiorem, & vitę ſanctitate puriorem viuere, non modò eſſe parem, ſi plus, quàm ille, mundo renūtiare velit. Quare & ſeipſos & præceptorem ſuum Carpocratem Chriſto meliores eſſe impudentiſſimè affirmant & mentiuntur. Dei enim virtute aſsidente tantùm & communicata fuiſſe Chriſtum & potētem factis, & ſanctum moribus. Quæ hæreſis poſtea Samoſatenum genuit, & futuræ Arianorum hæreſeos fundamēta nocentiſsima collocabat, & eius præſertim, quæ hodie ſentit non aliter Deum eſſe in homine Chriſto quàm in Paulo & Petro. Itaque hanc de Chriſto fuiſſe Carpocratianorum ſentētiam docet Epiphanius his verbis. Εἶναι δ' αὐτὸν ὅμοιον τοῖς ἅπασι, βίῳ δὲ διενηνοχέναι, σωφροσύνῃ τε καὶ ἀρετῇ καὶ βίῳ δικαιοσύνης. 4 Chriſtum admodum cæterorum hominum ex Ioſephi patris & Mariæ matris ſemine natum, cuius ſola anima in cælum aſcenderit, & ibi eſt, non etiam corpus, quia illius anima robuſtior & valentior corpore B fuit. 5 Carnis reſurrectionem negat futuram, Μετεμψύχωσιν tamen animarum in alia corpora retinet, & probat ex Pythagoreorum & Platonicorum dogmatis, diſſimillima tamen ab illis ratione. Nam Plato ad criminum in hac vita perpetratorum iuſtam vltionem fieri putat, vt animæ ex improborum corporibus migrantes, poſt mortem in belluarum corpora, vel hominum ſeniorum mittantur ad prius ſcelus eluendum. Carpocrates autem contrà ſentit, idcirco poſt vitam hâc mitti in alia corpora animas hominum, quòd non ſe ſatis voluptatibus expleuerint & conſpurcarint. Vnde quæ animæ temperantius hic vixerint, ſæpius in corpora detrudi. 6 Mundum hunc negat à Deo factum, ſed ab inferioribus angelis, inter quos præcipuus ſit diabolus. Quo in fidei Chriſtianæ articulo varij fuerunt errores, vt docet Chryſoſto. Homil. vij. in Euangel. Ioan. Nā alij omnia ſponte ſua ferri volunt: alij Dæmonibus vniuerſi orbis prouidentiam permittūt. Sunt qui alium Deū, præter hunc, effingant: nonnulli oppoſitam poteſtatem impiè aſſerunt eſſe Deum. C Hi ſunt nimirum Platonicæ Philoſophiæ fructus, & contemptæ ſimplicis & cæleſtis veritatis, quæ in libris ſacris tradita eſt, iuſta ſanè vltio & ſupplicium, per quod in reprobum ſenſum homines à Deo inducuntur, vt qui ethnicæ iſti ſapientiæ tantopere ſunt addicti, tantúmque tribuunt, diſcāt tandem aliquando ſibi diſplicere: & tamen impudenter illi Chriſtum ſuarum nugarum autorem profitebantur, quaſi eas diſcipulis ſuis clam tradidiſſet. Vnde nec ipſi hæc tam fœda myſteria quibuſuis patefacienda eſſe dicebant, ſed diſcipulos ſuos in auricula dextra ſubula & ſtigmate aliquo notabant, vt ſcribunt Irenæus & Epiphanius.

3 *Marcellina.)* De Marcellina iſta prius diximus in Gnoſticis, de qua etiam meminit in hac hæreſi Epiphanius & Euſebius lib.5.cap.16. Cum ea fornicatus & conſuetudinem habuiſſe traditur Carpocrates.

CAP. VIII.

Cerinthiani vnde dicti, & erroris eorum capita quinque.

A *Cerinthiani à Cerintho*[1]*, iidémque Merinthiani à Merintho, Mundum*[2] *ab Angelis factum eſſe dicentes, & carne circuncidi oportere, atque alia huiuſmodi Legis præcepta ſeruari. Ieſum hominem tantummodo fuiſſe, nec ſurrexiſſe, ſed reſurrecturum affirmantes. Mille quoque annos poſt reſurrectionem in terreno regno Chriſti ſecundum carnales ventris & libidinis voluptates futuros fabulantur: vnde etiam Chiliaſtæ*[3] *ſunt appellati.*

1 *A Cerintho.*) Cur Cerinthiani Carpocratianis ſubiiciantur, quæſtio eſt, quum ætate priores fuiſſe videantur. Nam qui poſtremos ortos fuiſſe putant, falluntur: quanquam tamen Tertullianus & Epiphanius in ea ſunt ſententia vt à Carpocratianis profectos & deductos Cerinthianos velint. Epiphanium autem ſequutus eſt Auguſtinus, & Auguſtinum Iſidorus lib.8.Etymolog.cap.5. Ratio fortaſſe hæc fuit, quòd in dogmate ſimillimi, & penè iidem apparent vtrique Cerinthiani & Carpocratiani, vt ait Tertullian. Quæ certè ratio non efficit vt eodem tempore vixiſſe videantur. Vixerunt enim eodē tempore Cerinthus & Ebiō, B & tamen inter ſe diſſenſerunt, nec eadem dogmata ſemper ſunt amplexi, qui iiſdem temporibus vixerunt, vti in Cerintho & Ebione apparet, quēadmodum ſcribit Euſebius libro 3.cap.28. Quod autem ad Epiphanium attinet, à ſeipſo refutatur. Idem enim ille, qui Cerinthum poſt Carpocratē collocat, ſcribit diſertè Cerinthum iam ætate Petri & Pauli vixiſſe, & iis ſæpe reſtitiſſe, eſſéque vnum ex iis quos pſeudoapoſtolos vocat Paulus, & qui Antiochiæ propter circunciſionem Gentium turbas mouerunt, vt eſt Act.15. Carpocrates autem multis pòſt annis extitit, vt ne coæui quidē illi fuiſſe iam videri poſſint, Quid igitur? Errorem Epiphanij & indiligentem hoc loco ſupputationem ſequutus eſt Auguſtinus. Nos verò ex Irenæo, Dionyſio Alexandrino, Caio, Polycarpo, qui illis tēporibus proximi fuerunt, itémque Euſebio libro 3.capit.23.& 24.aliud obſeruauimus. Theodoretum enim omittimus, quia de Cerinthianis nihil à noſtra ſententia diuerſum ſcripſit. Cerinthum temporibus Ioannis Euangeliſtæ vixiſſe, & iam tum ſuum illud virus & hęreſin ſparſiſſe, & C paſſim vt blaſphemum innotuiſſe apparet ex narratione Polycarpi, quæ refertur ab Irenæo libro 3. cap.3.& Euſeb. libro 4.cap.14.libro 7.cap.23. nimirum quòd in balneum, lauandi cauſa, ingreſſurus Ioannes poſtquam illic eſſe Cerinthum audiuit, abiit, locum execratus, & adiecit ſe vereri ne balneum ipſum concideret, in quo tantus hoſtis veritatis lauiſſet. Præterea videtur Ioannes quibuſdam locis errorem Cerinthi perſtringere, vti 1.Ioann.2.v.19.22.& cap.4.verſ.3. Refertur autem huius ætas ad imperium Domitiani, & videtur maximè circa annum à Chriſto paſſo 62, hæreſin ſuam euulgaſſe. Sparſit autem eam in Aſia præſertim, id eſt, Aſia minore & Syria, orſus ab Antiochiæ vrbe, vt vult Epiphanius, qui de eo ita ſcribit, Ἐγένετο δ' οὗτος ὁ Κήρινθος ἐν τῇ Ἀσίᾳ διατρίβων, κἀκεῖσε τοῦ κηρύγματος τὴν ἀρχὴν πεποιημένος. Latiſſimè autem poſtea peruagata eſt, & diſſeminata, adeò vt ſuos fautores habuerit, ſed etiam interpolatores. Fuit autem Cerinthus natione Iudæus, vti Epiphanius ſcripſit, & circunciſus. Itaque omnes Chriſtianos circuncidēdos cōtēdebat. In Ægypto philoſophiā eum didiciſſe quidam tradunt, ſed vt poſtea apparuit, infeliciter. A Vtrunque ambitioſum hominem & prorſus corporis voluptatibus deditum fuiſſe demonſtrant ipſius erores. Merinthiani etiam dicti ſunt, ait ex Epiphanio Auguſtinus, ſiue quòd hic ipſe Cerinthus ſe diſſimulato nomine Merinthum appellarit: ſiue quòd Merinthus quidā fuerit eius & collega & diſcipulus. Vtrum enim ex iis ſit verius, ignorat Epiphanius ipſe. Εἴτε γὰρ, ait, ὁ αὐτὸς Κήρινθος, Μήρινθος πάλιν ἐκαλεῖτο, οὐ πάνυ τι σαφῶς περὶ τούτου ἴσμεν. Εἴτε ἄλλος τις ἦν Μήρινθος ὀνόματι, συνεργὸς τούτῳ, Θεῷ ἔγνωσται. Raro tamen Merinthianorum nomine citantur. Nomen etiam ipſum Cerinthianorum ſtatim concidit, ſed Carpocratiani, & Samoſateniani hanc ipſam blaſphemiam nouis nominibus reſtituerunt, & ſuſtentarunt. Ex quo fit vt multis in Aſia ſeculis peſſimè graſſata ſit.

2 *Mundum ab.*) Præter morum turpitudinem (quæ à Carpocratianis addita fuit) idem eſt error Carpocratianorum, & Cerinthianorum. Huius autem hîc quinque capita ſiue hypotheſes recenſet Auguſtinus. 1 Mundum hunc non à B Deo ſummo, vero & primo factum eſſe, ſed ab inferiore quadam virtute, quæ etiam verum Deū ignorarit. Iren.li.1.c.25. 2 Ieſum non eſſe natum ex virgine, ſed ad modum cæterorum hominum, ex Ioſephi & Mariæ coitu & ſemine. Itaque merū eſſe hominem, non Deum. contrà quam blaſphemiam ſcripſit Ioannes Euangelium ſuum, in cuius primo capite Chriſti diuinitas certiſsimè aſſeritur & demonſtratur. Ex virgine enim hominem naſci non poſſe cōtendunt, ſed aiunt maiori quodam virtutum profectu Ieſum cæteris hominibus præſtitiſſe. Itaque Ieſum à Chriſto tanquam duas perſonas diuidunt, in quo eſt delirium Neſtorianorum iam antiquiſsimum. Affirmant enim Chriſtum deſcendiſſe in Ieſum ſpecie columbæ quum à Ioanne baptizaretur, & Ieſum quidem paſſum, & reſurrexiſſe: Chriſtum verò non item, quia è Ieſu euolauerit. quo quid magis portentoſum?

3 Chriſtum non reſurrexiſſe, ſed Ieſum tantùm, quem etiam ſolum & paſſum eſſe & mortuū contendunt. 4 Circunciſionem carnis & cæteras legis Moſaicæ ceremonias eſſe Chriſtianis hominibus ad ſalutem neceſſarias. Itaque etiam hodie in Dei eccleſia omnino vſum habere oportere, C contra quam ſententiam ſæpe Paulus diſputauit.

5 Vitam æternam eſſe in hac terra, & in vrbe Hieroſolymorum. Eſſe autem eam omnium carnis voluptatum fruitionem & vſum, quæ per mille tantùm annos ſit duratura. Cuius ſuæ ſententiæ fundamentum ponunt, quòd mille annorum in Apocal.20.verſ.2. facta ſit mentio, ex quo factum eſt vt eum librum quidam Patres repudiarent, quemadmodum Euſeb.lib.7. cap. 25. ſcribit. Origeniſtæ hunc errorem poſtea ſunt ſecuti, & Mahumetani auidè illud de vita æterna voluptuoſa deliriū ſunt amplexi. Sed ſi poſt mille annos finitur hæc vita, non eſt æterna.

3 *Chiliaſtæ.*) Chiliaſtę ſunt Millenarij, vt eſt in cano. Quidam.24.quęſt.3. Primus igitur huius erroris fons eſt à Cerinthianis: auctus poſtea eſt & defenſus à quodam Nepote qui fuit Ægyptiorum Epiſcopus, & vixit ſub Galeno Imperatore Romano, anno poſt Chriſtum paſſum 231. cuius meminit Euſebius libr.7.cap.23.24. Ex quibus apparet Cerinthianica dogmata fuiſſe diutiſsimè latiſſiméque propagata.

A

CAP. IX.

Nazaræorum error.

Nazaræi[1] *cùm Dei filium conſiteatur eſſe Chriſtum, omnia tamen*[2] *veteris Legis obſeruant, quæ Chriſtiani per Apoſtolicam traditionem nõ obſeruare carnaliter, ſed ſpiritualiter intelligere didicerunt.*

1 *Nazaræi.*) Hæc hæreticorum ſecta à pluribus prætermittitur, quàm obſeruetur. Neq; enim de ea quicquam Irenæus, Tertullian. Euſebius. Commemorant tamen Epiphanius, Auguſtinus, Theodoretus libro 2. & Iſidorus. Sed primùm de voce ipſa Nazaræi quæſtio eſt. Nam quos hîc Auguſtinus Nazaræos vocat, Epiphanius Græcè Ναζωραίους appellauit & dixit. Differunt autem hæc tria vocabula inter ſe & origine ſiue themate, & ſignificatiõe: & ſono ſiue pronũtiatione, Ναζωραῖοι, Ναζηραῖοι, & Νατσαραῖοι. Ναζωραῖοι vel Ναζωρηνοί (vtrũque enim dicitur) eſt nomen gentile deductum ab vrbe Nazareth, quæ fuit in Galilæa gentium. B Habet autem originem ab Hebræa voce נֵצֶר Netſer quæ florem ſignificat vel Germen, à qua ipſa vrbis Nazareth appellatio videtur deducta, vt ait Hieronymus in epiſtola Paulæ ad Marcellam quòd in loco floribus & arboribus conſito, ſita eſſet. Bernard. ex Cantic. 1. Delectatur floribus Chriſtus qui in Nazareth & concipi voluit, & nutriri. in li. de Diligen. Dei. Ναζηραῖος autem eſt vox ſectæ. Eũ enim ſignificat qui Deo conſecratus & ſeparatus erat ad certum tempus eóque modo, quem Deus ipſe præſcripſerat Numer. 6. Sic Samſon erat Ναζηραῖος. Deriuatur ab Hebręo vocabulo נזיר Nazir, quod ſegregare notat. Hæc duo facilè apud Græcos & Hebræos vel ſono ipſo vocis diſtinguuntur nedum ſcriptura: apud Latinos verò non item. Verterunt enim Latini ſcriptores vtrunque vocabulum Nazarę i, vti Tertullianus libro 4. aduerſus Marcion. & hîc Auguſt. adeò vt nomẽ gentis cum voce ſectam ſignificante apud Latinos confundatur. Nos autem totius huius obſcuritatis tollendæ gratia viros doctiſſimos ſecuti ſic dicamus, vt Ναζωραίοις C qui à Nazareth appellantur, Nazarenos: Ναζηραίοις qui ſunt ἡγιασμένοι & ſancti Deo, Nazaræos nominemus. Tertium autem vocabulum Νατσαραῖοι vel Ναζαραῖοι (Tſ, enim Hebræorum Græci per ſuum ζ pronuntiant) vnde ſumptum ſit ſupra ex Epiphanio expoſuimus, cùm ageremus de Hæreſibus Iudæorum. Nazaræi igitur, de quibus hîc agit Auguſtinus, ſunt ij quos melius Nazarenos appellandos diximus, & ipſe Auguſtinus libro 19. Contra Fauſt. cap. 4. Symmachianos vocatos fuiſſe ſcribit, ne quid perturbationis in hac diſputatione inducatur. Sed Tertullianum in loquendo ſequitur hîc Auguſtin. Nazareni autem dicti ſunt ab vrbe Nazareth: quæ iam non eſt, ſed tempore Chriſti erat vrbs Galilææ, ſeculo autem Epiphanij vicus tantúm. Vnde & Chriſtus ipſe Ναζωραῖος, id eſt, Nazarenus vocatus eſt. Tertulliã. li. 4. Aduerſ. Marcion, Nazarenus vocari habebat ſecundum prophetiam Chriſtus creatoris. Vnde & ipſo nomine nos Iudæi Nazarenos appellant per eum. Nam & ſumus de quibus ſcriptum eſt, Nazarę i exalbati ſunt ſuper niuem, qui ſcilicet retrò luridati delinquentiæ maculis, & nigrati ignorantiæ tenebris. Chriſto autem appellatio A Nazaræi competitura erat ex infantiæ latebris, in quas apud Nazareth deſcendit vitando Archelaum filium Herodis. Hactenus ille. Chriſtus igitur Nazaræus vel potiùs Nazarenus, id eſt, Ναζωραῖος fuit, Actor. 2. verſu 22: 3. verſu 6. Ioan. 19. verſu 19. Matth. 2. verſu 23. A Chriſto autem Nazareno Chriſtiani primùm Nazareni dicti, vt apparet ex Actor. 24. verſu 5. & ex ſuperiore Tertulliani loco itémque Epiphanio. Nam primum omnium μαθηταὶ, poſtea Ναζωραῖοι, demum Antiochiæ Χριστιανοὶ ſunt appellati, qui Euangelicam fidem & doctrinam profitebantur. Hoc Nazaræorum nomen in probro fuit, non honori inter infideles, vti appellatio Galilæorum poſtea temporibus Iuliani apoſtatæ imperatoris, Ioann. 1. verſu 47. & Sarmentariorum & Exorciſtarum, quibus nominibus ignominioſè vocabantur ab ethnicis Chriſtiani. Inter fideles autem laudi ducebatur, primis illis Chriſtianiſmi temporibus. Ex quo factum eſt, vt hi hæretici, de quibus nunc agitur, faſtuoſa oſtentatione ſe Nazaræos appellarent, licet à vera Chriſti doctrina deſciuiſſent. Quanquã B verò ignorare ſe fatetur Epiphanius, quo potiſſimùm tempore extiterint, vtrùm ante Cerinthianos, vel poſtea: tamen alibi idem ſcribit tunc primùm innotuiſſe atque apparuiſſe, cùm Chriſtiani diuinitus admoniti omnes Hieroſolymis ſe ſubduxerunt, & in vrbem Pellam receperunt metu & præſenſione quadam proximè futuræ Hieroſolymorum ruinæ. Id quod incidit in poſtrema imperij Neronis tempora circa annum à Chriſto paſſo 37: vbi initium huius hęreſeos à nobis collocabitur. Nam & ipſe ſcribit poſt prædicatum in Ægypto Euangelium ſtatim hæc zizania ibidem emerſiſſe & enata eſſe, vt inter primas hæreſes meritò ſit cenſenda. Auguſtinus ſcribit ex eo natam hæreſin, quòd quæ Apoſtoli conceſſerant ad tempus inter Iudæos obſeruari, illa vellent ſemper eſſe retinenda inter omnes Chriſtianos, etiam eos qui è gentibus conuertebantur. Quòd enim quidam hos à Nicolaitis edoctos & profectos putant, non eſt veriſimile, quãquã fieri poteſt vt vtraque hæreſis, quæ Legis ceremonias tuebatur & obſeruabat, ſeſe mutuò conſeruarit & C confirmarit. Hi ipſi, vt tradit Epiphanius, poſtea Ieſſæi à Ieſſe patre Dauidis & Chriſti ſecundum carnem progenitore dicti ſunt. Maximè verò propter perſecutiones, quæ tunc vndique Chriſtianis hominibus à Iudæis inferebantur, natus & probatus videtur hic error, vt Chriſti Euangelium cum vſu & obſeruatione ceremoniarum Legis miſceretur, contra diſputationes tamen Pauli Apoſtoli, quem etiam vnum Nazareni iſti potiſſimum repudiarunt atque improbarunt. Sic enim furor Iudęorum euitabatur, dum eorum ceremoniis & errori de neceſſario ad ſalutem ceremoniarum cultu homines aſſentiebantur. Sic hi ipſi Nazaræi Chriſtianis Euangelium profitẽtibus annumerari videbantur, quia Ieſum filium Mariæ fatebantur & agnoſcebant eſſe Dei filium & Chriſtum illum ſiue Meſſiam promiſſum Patribus. De quo fuerunt variæ Apoſtolorum ipſorum contra Iudæos diſputationes, quæ etiamnũ hodie nobis cum illis reſtant, vt Act. 18. v. 28: 13. v. 32. Plauſibilis ſanè ratio humanę carni, per quam & periculũ effugere, & Deum ſequi ſibi prudenter videbatur.

A Itaque breui tempore latiſſimè propagata eſt, etiam per omnes Orientis ſynagogas, ſed imprimis vt ait Epiphanius,circa Pellam vrbē, vbi primùm orta eſt,& Berœam,Syriam,Decapolin, Baſanitida regionem eam , quæ Cocabe dicebatur. Durauit verò vſque ad Epiphanij ætatem & poſtea. Nam illius meminit Hieronym.in epiſt. ad Auguſt.& Auguſtin.ipſe libr.1.contra Creſco. Circunciſionem,ait,habent Iudæorum,& baptiſma Chriſti:& libr.19.contra Fauſt. cap.18. Qui ad noſtra vſque tempora,ait , iam quidem in exigua, ſed adhuc tamen vel in ipſa paucitate perdurant. Denique intantum excreuit hæc familia,& laudata eſt à Philone,vt eam cæteris ſectis præferat.Habuerunt enim ſua monaſteria eáque plura , & in Ægypto & in Cyrenaica regione illi vicina ad Tritonidis paludem, quæ olim dicebatur,ſita,tēporibus autem Chriſtianorum Mariæ palus. Iudæi autem ipſi hos poſtea ſunt odio proſecuti, adeò vt,quemadmodum tradit Epiphan. bis quotidie contra eos precarentur, eóſque præ ceteris diſertè nominarent, quibus grauiſſima quæque B imprecãtur:niſi fortaſſe Epiphanius ipſe fallitur. Nazarenos enim adhuc hodie Iudæi appellant veros Chriſtianos, quos in publicis ſuis precibus execrantur.

2 *Omnia tamen.*) Vnum tantùm erroris caput recenſet Auguſt.Epiphanius plura,è quibus quædam ad alias etiam hæreſes videntur pertinere. Nos præcipuas hypotheſes collegimus , quæ ſunt huiuſmodi,& numero quinque.

1 Legis Moſaicæ ceremonias vti ad ſalutem neceſſarias obſeruandas eſſe docent. In hoc igitur vno ſunt à Iudæis diſſimillimi, quòd Ieſum Mariæ filium,Chriſtum eſſe credunt: ad cetera penè gemelli.Quanquam in eo ipſo manifeſtiſſima cōtradictio eſt, quòd Chriſtum iam veniſſe & paſſum eſſe concedunt,ceremonias tamen, quæ ſunt venturi & nondum exhibiti ſigna, retinendas docent, contra Paulum in tota epiſtola ad Galatas. 2 Multa de Nouria vel Ouria (vtrunque enim apud Epiphanium legitur,& quidem rectè) fabulantur,quam fuiſſe vxorem Noæ Patriarchæ volunt , & interpretantur Ignem vel Eſtam, Græci C verò πυῤῥαν,Latini autem homines Veſtam , quæ publico foco & igni ſacro præſit. Epiphanius tamen vxorem Noæ vocat Βαρθάνον. At Beroſus & Aretiam & Veſtã.qui locus cum hoc optimè conſentit. נורא Noura enim vel Oura apud Chaldæos ignem denotat,id quod ex Daniele apparet c.3.v.17.vti apud Hebræos Eſch.Vnde Eſta , & ex Eſta , Veſta Latinis , quæ eadem eſt quæ Pyrrha Græcis.Hanc dicunt ſæpe arcam Noæ incendiſſe, & propterea arcam ſępius refectam fuiſſe.Sed etiã eam poteſtates illas ſupranaturales , quæ Angeli dicuntur,prius quidem ignotas,hominibus manifeſtaſſe. Cuius filius dicatur ברקבה Barkubba , id eſt , filius proſtitutæ & meritricis , vt ait Epiphanius. Ita illi in meras nugas ſacram Scripturam transformant,dum ἰδίαν ἐπίλυσιν in Prophetarum & Verbi diuini interpretatione ſequuntur & afferunt.Simile quiddam habent Saturniniani. 3 Error.Plura Euangelia,& alia habẽt quàm vera.Habent enim Euangelium perfectionis quod vocant,carmine ſcriptum,& Euangelium Euæ.

4 Viſiones, ἐνθουσιασμοὺς , priuatas reuelationes atque falſa miracula iactant,quemadmodum olim Mirabiliarij, & nunc Anabaptiſtæ , vt ſua deliria A confirment. Ab his enim Anabaptiſtarum ἐνθουσιασμοὶ videntur petiti. 5 Eſſe eiuſdem ſubſtantiæ animam quæ in hominibus , brutis animantibus,& plãtis ipſis inſit,quem errorē poſtea Manichęi ſunt amplexi.Ita error latius propagatus eſt.

Cap. x.

Ebioneorum error duplex.Ebioneis autem accẽſentur Sampſei ,& Elceſei vel Elceſaitæ : & quid hi poſtremi ab Ebioneis differant.

EBionei[1] *Chriſtum etiam tantummodò*[2] *hominem dicunt. Mandata carnalia Legis obſeruant,Circunciſionem ſcilicet carnis , & cætera,à quorum oneribus per Nouum Teſtamentum liberati ſumus. Huic hæreſi Epiphanius Sampſeos , & Elceſeos ita copulat,vt ſub eodem numero , tanquam vna ſit hæreſis, ponat,aliquid tamen intereſſe ſignificans. Quamuis & in conſequentibus loquatur de illis , ponens eos ſub numero ſuo.*[3] *Euſebius verò Elceſaitarum ſectam comme-* B *morans fidem in in perſecutione dicit negãdam docuiſſe & in corde ſeruandam.*

1 *Ebionei.*) Neque hoc loco ſeruata eſt ratio temporis,ſiue a Tertulliano , ſiue ab Auguſtino, ſiue potius ab Epiphanio,quem ſequitur κατὰ πόδας Auguſtinus.Nam ipſe ſe refutat Epiphanius , qui cũ poſt Cerinthianos & Nicolaitas collocet Ebioneos ſiue Ebionitas (vtrunque enim ab authoribus dicitur)eos tamen dicit cœpiſſe & innotuiſſe iam ex ipſo Hieroſolymitanæ vrbis excidio,quod incidit in ſecundum annum Veſpaſiani imperatoris,anno à Chriſto paſſo 40,quod tempus pręceſſit hęreſin Nicolaitarum.Longè turpius falli videtur Euſebius,qui lib.5.cap.8. dicit cùm legiſſet Ebion verſionem Bibliorum Hebręorũ ab Aquila Pontico factam in eum errorem incidiſſe , vt ſentiret Chriſtum merum hominẽ eſſe, & ex viri coitu,non autem ex virgine Maria natum , quia C locum Iſa.7.ita conuerſum ab Aquila legiſſet,Ecce iuuencula concipiet , non autem , Ecce virgo, &c.Sed magna certè hallucinatio & magnus calculi error eſt.Vixit enim ſub Adriano imperatore Aquila ille Ponticus.Iã autē penè deſierat eſſe Ebionitarum ſecta,& mortuus eſt ſub Domitiano Ebion. Verius eſt illud quod idem Euſebius li.6.cap.17.ſcribit Symmachum Hebræorum Bibliorum interpretem videri fuiſſe Ebionitam, quia omnes veteris Teſtamenti locos in ſua tralatione corrupit , qui diuinam Chriſti naturam,& illius ex Virgine natiuitatem demonſtrant. Iſidorus autem libro 8.ca.5.etymologiæ, omnium longiſsimè à vera temporis ſupputatione receſſit, qui Ebionitas poſt Montanos & Nouatianos collocat , deceptus pluſquam 200. annis in temporis ratione ineunda. Et cùm videatur vbique autor ille Auguſtinum ſecutus non improbabiliter credi poteſt illa Ebionitarum ſedes tranſpoſita , quales μεταθέσεις ſæpiſſimè ſcribarum negligentia in bonis authoribus deſcribendis accidunt , & omnia perturbant. Ergo cenſerem apud Iſidorum Ebionitas poſt Nazaræos ponendos , quando eo ipſo de Ebionitis loco apud eundem Iſidor.alia quoque ſunt menda, ſiue impreſſus , ſiue manuſcriptus codex conſulatur,

A quæ ſuis locis erunt annotanda. Ebionei igitur ſiue Ebionitæ ab Ebione dicti ſunt. Ebion autem ab Hebræo אביון Æbion, quę vox pauperem & afflictum ſignificat, deducitur. Ex quo fit vt Euſeb. hanc ſectam non de nomine autoris cuiuſquam appellatam exiſtimet, ſed de ratione profeſſionis & vitæ, quòd hi hæretici inſtar mendicantium qui dicuntur, Monachorum, & Cynicorum Philoſophorum, perpetuam paupertatem & inopiam ſequerentur & vouerent. Alij & ij quidem probati ſcriptores aliud ſentiunt, Ebioneos, ab Ebione quodam qui hoc nomen habuerit ſic nominatos, quanquam Ebion ab Hebræis etymologiam eam habet quam diximus, & egenum deſignat. Fuit autem Ebion, vt ſcribit Epiphanius, πολύμορφον τέρασιον. Σαμαρειτῶν μὲν γὰρ ἔχει τὸ βδελυρὸν, Ἰουδαίων δὲ τὸ ὄνομα, Οσσαίων δὲ καὶ Ναζωραίων τὴν γνώμην, Κηρινθιανῶν τὸ εἶδος, Καρποκρατιανῶν τὴν κακοτροπίαν, καὶ Χριστιανῶν τὴν προσηγορίαν. Natione erat Samaritanus, ſed quod nomẽ hoc odioſum eſſe intelligeret, & periculi propter ſuæ gentis ſeditiones plenũ, Iudæum ſe nominare & affirmare maluit. Vixit autem ſub Domitiano, B & cùm adhuc in terris ageret D. Ioannes Euangeliſta qui propter hunc & Cerinthum Chriſtum Deum & λόγον Dei æternum eſſe demonſtrauit. Virus ſuum ſparſit Ebion ante Nicolaitas, vt docet Irenæus libro 1. cap. 23. circa annum à Chriſto paſſo 44: quanquam Ebionem fuiſſe Cerinthi diſcipulum, ſcribit Tertullian. ſed non ſatis perpenſa temporum ratione, & authorum varietate. Platina ſub Clemente primo Romano Epiſcopo floruiſſe putat. Theodoret. libro 2. eodem quo Cerinthum tempore Ebionitas collocat. Cœpit autem hæc hæreſis primùm, vt ait Epiphanius, circa Pellam, vrbem Syriæ in vico Cochaba, quæ latiùs poſtea propagata eſt, & Baſanitida regionẽ, deinde vicinam Nabatęam & Arabiam celerrimè peruaſit, ex qua in Aſiam minorem traductus eſt infœlix iſte ſurculus, qui ſuo peſtifero ſucco infecit, corrupítque multos. Denique Romam ipſam peruenit & tentauit. Perſtitit autem in Armenia diutius, vt ait Epiphanius, de Archont. Sed huius ſectæ homines ſtatim ſe in varias partes & diuortia C alij ab aliis ſecuerunt, vt à ſeipſo diſſidet tandem mendacium. Retenta tamen eſt diutiſſimè, ſed interpolato & mutato priore nomine: Sampſæorum autem & Elceſaitarum aſſumpto, vt docet cum Epiphanio hoc loco Auguſtinus. Pauperes autem Ebionei appellabantur, & quidem contumelioſè quòd ſenſu & cognitione veræ & ſalutaris doctrinæ turpiſſimè deſtituerentur, vt ait Euſebius, qui ſe tamen altius in arcana Dei penetraſſe oſtentabãt. Sed ipſi aliam nominis huius & profeſſę paupertatis rationem afferebant. Nempe, quòd temporibus Apoſtolorum illi, qui primi huius ſuę ſectæ authores & principes fuerant, omnia ſua in pauperes benigniſſimè erogaſſent, cuius maiorum ſuorum charitatis exemplum imitari & retinere ſe profitebantur. Sed quid charitas ſine vera fide, id eſt, ramus à ſua radice auulſus poteſt? Hac tamẽ operum bonorum commendatione, profeſſione & larua, peſſimi nebulones iſti impoſuerunt multis infirmis & externa tantùm facta admirantibus. Quo fuci & hypocriſeos genere adhuc hodie multi, quemadmodum Monachi, homines decipiunt & faſcinant dementiſſimé.

2 *Tantummodo hominem.*) Duo tantùm Ebionei erroris capita refert Auguſtinus, veruntamen Epiphanius penè infinita. His autem duobus quędam addidimus. Ergo primus error eſt, Chriſtum merum hominem fuiſſe, ex Ioſephi & Mariæ coitu natum: qui propter virtutum profectum & progreſſus, quos maiores fecerat, iuſtus præ cæteris fuerit. Hic locus admonet vt Iſidorum emendem, qui pro Profectum, habet in impreſſis Prophetiã. Et omnino optimè reſtitutus erat locus in cano. Quidam. 24. quęſtion. 3. Ex hoc capite alij hæretici qui ſecuti ſunt, ſuas blaſphemias & fæces impudentiſſimas hauſerunt. Chriſtum etiam primùm quidem in cœlo conditum fuiſſe, quidam ex iis ipſis affirmarunt, qui poſtea Adami perſonam aſſumpſerit, deinde eam depoſuerit, & demum ex Ioſepho & Maria poſtremis ſeculis natus ſit. Hæc ſunt nimirum humani ingenij, vbi à veritate Dei ſemel receſſit, inepta deliria. 2 Ceremonias Legis Moſaicæ tanquam neceſſarias ad ſalutem obſeruant & retinent, ad excludendum, vt rectè annotat Tertul. Euangelium (quanquam ſe Chriſtianos dicunt, & Euangelio credere profitentur) & ad vindicandum Iudaiſmum. Ergo Semiiudæi ab Iſidoro dicuntur. & ita in dict. can. Quidam reſtituẽdum eſt, & pro iis verbis, Hi enim Iudæi, ex manuſcripto legendum Hi Semijudæi ſunt. Itaque circunciduntur, & ſabbata cuſtodiũt, & quotidie lauant, more Iudæorum. Nec alia fuit ceremoniarum cum Euangelio miſcendarum ratio, quam habuerint, niſi vt grauiſſimas illas perſecutiones à Iudæis excitatas euitarent, quemadmodum ſatis ex illo Pauli loco colligi poteſt, qui eſt in epiſtola ad Galat. 5. verſu 11. 3 Carnis vſum damnant. Docent enim animalium eſu abſtinendum tanquam re nefaria quòd illa ſint immunda, quia è coitu naſcuntur. Hanc peſtem ex Pythagoreorum vel Naſacheorum (qui erant ſectarij Iudæorum,) & de quibus in prolegomenis diximus, lacunis prodiiſſe, certum eſt: ſed tamen futuram prædixit Spiritus ſanctus, 1. Timoth. 4. verſu 3. 4 Solùm Euangelium, quod eſt ſecundum Matthæum, quia Hebraicè ſcriptum eſt, retinent & C probant: reliquas noui Teſtamenti partes & Scripturas repudiant, imprimis autem omnes Pauli epiſtolas, quòd contra vſum ceremoniarum accuratiſſimè diſputauit. Atqui & Euangelium ſecundum Ioannem, & Acta Apoſtolorum, ſuo ſeculo Hebraicè ſcripta commemorat Epiphanius, & à quodam Ioſepho Iudæorum patriarcha in Tiberiade vrbe, tempore Conſtantini Magni, reperta Chriſtianiſque liberaliter fuiſſe communicata. 5 Prophetias vanis & inanibus allegoriis corrumpunt, dum nodum in ſcirpo quærunt, & res faciles curioſis ſpeculationibus obſcurant, & peruertunt. Sic nimirum ſpiritu vertiginis aguntur, & in reprobum ſenſum tandem traduntur, qui magni animi faſtu vt ſupra Chriſtum ſapiant, ſimplici Dei veritate non ſunt contenti, ſed ab ea ſcientes prudentéſque deſciſcunt.

3 *Euſebius.*) De his agit Euſebius lib. 6. hiſtor. eccleſiaſt. cap. 28. & nos infrá.

CAP.

A

CAP. XI.

Valentiniani à quo appellati. Erroris autem capita ſex recenſentur.

Valentiniani à Valentino[1], *qui de natura rerum multa fabuloſa confinxit. Triginta* [2]Αἰῶνας, *id eſt ſecula, aſſerens extitiſſe, quorum principium eſſe Profundum & Silentium, quorum Profundum etiã Patrem appellat. Ex quibus duobus velut ex coniugio proceſſiſſe perhibet Intellectum & Veritatem, & protuliſſe in honorem patris Æonas octo. De Intellectu autem & Veritate proceſſiſſe Verbum & Vitam, & protuliſſe Æonas decem. Porrò de Verbo & Vita proceſſiſſe Hominem & Eccleſiam, & protuliſſe Æonas duodecim. Itaque octo & decem & duodecim fieri triginta Æonas habentes, vt diximus, primũ principium de Profundo & Silentio. Chriſtum autem à Patre miſſum, id eſt, à Profundo, ſpirituale vel cœleſte corpus ſecum attuliſſe, nihilque aſſumpſiſſe de virgine Maria, ſed per illam tanquam per rimam, aut per fiſtulam ſine vlla de illa aſſumpta carne tranſiiſſe. De tri-* B *ceſimo ſeculo dicit Diabolum genitum, & à Diabolo alios natos qui fecerint hunc mundum. Et ideo malitiã non arbitrio tribuit, ſed naturæ mundi, id eſt, generi diabolico. Carnis reſurrectionem negat, animam tantum & ſpiritum affirmat per Chriſtum ſaluari.*

1 *A Valentino.*) Ex iis hęreſibus quę ſuperius expoſitæ ſunt, tanquam initijs longiùs progreſſus eſt Satan, & quod moliebatur, tandem obtinuit & effecit, vt miris modis vniuerſum ſalutis noſtræ fundamentum, quod in duplici Chriſti natura conſiſtit, inuolueret. Antea quidem dubiam & abſurdam per ſuperiora deliria perſuaſerat eſſe humanam Chriſti naturam & natiuitatem, nunc etiã diuinam eiuſdem natiuitatem & naturam per hos impuriſsimos, & longè omnium anteriorum teterrimos hæreticos Valentinianos labefectat & euertit. Quanquam enim prorſus non negarunt diuinam Chriſti naturam, & ex Patre natiuitatem: ita tamen fabulis, figmentis, & nugis intricarunt, vt planè ridiculam efficerent, & prorſus ſatius fuerit Chriſtum Dei Filium ex Deo Patre omnino non naſci, quàm eo modo iiſque gyratio- C nibus naſci. Sed in eo primùm peccatum eſt, quòd rem dictu ineffabilem, cogitationi, anguſtæque comprehenſioni impoſsibilem, nempe diuinam Chriſti de Deo Patre generationem, vani homines, & terreni non modò ſe animo complecti poſſe crediderunt, ſed etiam verbis explicare, tam eſt vanum curioſorum hominum ingenium. Vnde nihil niſi meras nugas & fabulas nobis propinarunt. Fuit autem hæc hæreſis eò cæteris & ſuperioribus omnibus peſtilentior, quòd maiori quadam ratione, & ſubtiliori inueſtigatione niti videbatur, haberétque multa cum ſcriptis poëtarum & genealogiis deorum, quæ ab ethnicis laudabantur, conſentientia, tanquam illi veritatem tantùm fabulis ſuis obſcuraſſent, quam vnus hic impoſtor Valẽtinus perſpicuè vidiſſe atque commodè attigiſſe videretur. Itaque quum tam multa cum ethnicorum & gẽtilium opinionibus de diis ſuis conuenientia haberet hæc hæreſis, facilè placuit, & propterea ſtatim recepta eſt, & propagata latiſsimè, id quod vel ex eo apparet, quòd vno momento plures eandem amplexi ſunt, & hi ipſi Gnoſtici ab excellentia cognitionis penè ſoli poſtea ſunt appellati, & vt nomen ab eo ſibi parerent alij, quædam in eius ſecta & dogmate immutarunt, ſed retentis tamen ſemper illius de AEonum propagatione fundamentis & nugamentis tanquam quæ maximè omnibus tũc grata & plauſibilia cernerentur. Itaque omnium hæreſeôn quæ deinceps explicabuntur, infeliciſſima ſtirps Valentinus videri poteſt. vnde Αἱρεσιάρχην eum Epiphanius appellat, & Valentinianorum vti præcipuorum Chriſtianæ Eccleſiæ vulnerum meminit Lactantius libro 4. Inſtitut. Imò verò omnium nocentiſsimorum venenorum, quibus vera Euangelij doctrina de Chriſto mediatore noſtro Deo & homine credendo, aſperſa eſt, radix, & toxicorum; quæ Ariani, Samoſateniani, Neſtoriani, & alij ſparſerunt, lethale fuit armamentarium. Denique Mahumetiſmi fons ſpurciſsimus, & maximus. Cæterùm Valentinus hic, à quo Valentiniana hæreſis cognominata eſt, natione AEgyptius, nomo autem Pharbæbites fuit, vt ſcribit Epiphanius. Sic enim apud eum legendum eſt, non autem vt nunc corruptè Φρεζωνίτης. Fuit enim Pharbæbites AEgypti nomos & præfectu- B ra, vt Plinius libro 5. capite 9. ſcribit, ab oppido Pharbæbito dicta, quod fuit oppidum maritimum ad Peluſium Nili oſtium ſitum, vt ait idem cap. 10. Alexandriæ vicinum, & Bubaſti, vnde ortus eſt Valentinus hic, humani generis pernicies & peſtis. Alexandriæ autem ſtuduit, vbi literis Græcis inſtitutus, Platonicus & Pythagoricus potius euaſit quàm Chriſtianus. Platonis enim ſectatorẽ vocat & Tertullianus & Iſidorus: Philaſtrius autem Pythagoricum. Ariſtotelicis etiam præceptis addictum fuiſſe, & dialecticę ſophiſticæ tradunt. Iam tum verò Chriſtianos philoſophiæ ethnicæ, & imprimis Platonicæ plus æquo deditos fuiſſe, & in AEgypto maximè, apparet ex authorum illius temporis ſcriptis, veluti Clemente Alexandrino, & aliis, vti Philone Iudæo, quæ etiam retenta illic diutiſſimè floruit, vſque ad Plotinum magnum illum Platonicum philoſophum, & Abnebonem ſacerdotem AEgyptiũ, C Vixit autem Valentinus ſub Antonino Pio imperatore, vt docet Euſebius libr. 4. cap. 11, & poſt Cerinthum & Ebionitas innotuiſſe ſcribit Epiphanius ſub Higino pontifice Romano, circa annum à paſſo Chriſto 110. poſt Teleſphorum mortuum, ad quem tamen eum refert Platina, ſed grauiores authores ad Higinum. Vixiſſe autem ſcribit vſque ad Anicetum, id eſt annum à paſſo Chriſto 126. Irenæus libro 3. cap. 4. qui idem libro 1. cap. 5. ſentit à Gnoſticis, id eſt, Carcrate productam eſſe hanc inauſpicatam propaginem, nec ſanè immeritò. Illius enim & aliorum erroribus imbutus eſt Valentinus, ſed poſtea huiuſmodi venena acuit ipſe, & nocentiora fecit. Ex prioribus enim omnibus hoc monſtrum conflatum eſt, ſed ſuperiores hæreſes quòd rudiores viderentur, ipſe admiſtis ethnicorum poëtarum fabulis & linimentis, expoliuit & commendauit, quòd quæ ipſe traderet à Matthia Apoſtolo Domini & diſcipulo relicta, impudentiſſimè mentitus eſt. Quædam verò ipſe ſcribit, veluti epiſtolas & homilias, quarum particulas quaſdam recitat Clemens Strom. li. 2. & 4. & 6. vbi ipſius præcipuum fundamentum commemo-

A rat, quod ex eius ſcriptis apparet fuiſſe huiuſmodi. Multa ſunt, inquit, quæ ſcripta ſũt in libris publicis (id eſt, Clemente ipſo authore, Iudaicis & philoſophicis) & inueniuntur ſcripta in Dei Eccleſia. Vnde eorum fabulas cum vera theologia, & ſacra prophanis miſcere iam ſibi liberè permiſit. Ex quo ipſo admonemur quàm ſit periculoſum diu multúmque huiuſmodi literis inhęrere, à quibus tamen Chriſtiani hodie abduci vix tamẽ poſſunt. Verſipellem autem Valentinum appellat Tertullianus, & artificem ſtruendi & deſtruendi. Romæ etiam vixit aliquandiu, vbi hęc hęreſis diffuſa eſt, & inde Gallias ſuo veneno afflauit, adeò vt Rhodanuſias mulieres illo corruptas fuiſſe ſcribat Irenæus. Maximè tamen in Ægypto, vbi primùm nata eſt, viguit. Poſtea Antiochiæ etiam tẽpore Tertulliani, vbi eam profitebatur Axionicus quidam. Occaſio hæreſeos ex Tertull. Sperauerat epiſcopatum Valentinus, quia ingenio poterat, & eloquio. Sed alium ex martyrij prærogatiua loci potitum, indignatus de Eccleſiæ authenticæ regula abrumpit. vt ſolẽt animi pro prioratu exciti, B veritatem expugnat. Statim autem in varias ſe ſectas hic error diduxit & diſpeſcuit, vt ad min⁹ decem ex vnius & eiuſdem præceptoris ſchola profecti diſſimillimi diſcipuli commemorentur ab Iren. & Epiphan. σύγχρονοι πάντες & Gnoſtici nominati. Perſtitit autem hæc hæreſis tum ſuo vero, tum etiam mutato nomine in multa ſecula. Nam quæ ſequutæ ſunt, eas tantum exædificarunt blaſphemiarum moles, quarum ſemina longo antea tempore hæc iecerat. Succeſſores autem & collegium magnum habuit, in quo præcipui hi recenſentur, Secundus, Ptolemæus, Marcus, Colarbaſus, Heracleon, Cerdon, omnes, infelices ex infelici arbore rami, de quibus poſtea.

2 *Triginta Æonas.*) Breuius huius erroris hypotheſes perſtringam, quod & Epiphanius, & Theodoretus, & Tertullianus, & ante hos omnes Irenæus abundè, imò verò ad nauſeam vſque referunt. Sex autem capita hîc habentur. Clemens autem Alexandrinus vbique Baſilidem & Valentinum in dogmate coniungit. 1 Continet fa- C buloſam de triginta Æonum tanquam deorum generatione narrationem, vbi naſcentes & nubentes, & generantes ſunt, Æones, inquit Tertullianus. Illæ autem nugæ de Heſiodi Θεογονίᾳ potius quàm Antiphani in Theologiam ſacroſanctam ab iſto nebulone traductæ ſunt, & nominibus Pythagoricorum numerorum dyadis & octoadis venditatæ. Sic igitur Heſiodus, & longè quidem, quàm Valentinus, melius, vt ait Iren. libro 2. capite 19.

Ἐκ χάεος δ' Ἔρεβός τε, μέλαινά τε Νὺξ ἐγένοντο.
Νυκτὸς δ' αὖ Αἰθήρ τε καὶ Ἡμέρη ἐξεγένοντο,
Οὓς τέκε κυσαμένη Ἐρέβει φιλότητι μιγεῖσα, &c.

Ergo Valẽtinus πλήρωμα quoddã ex triginta Æonibus fecit, in quo prima octoas, ex qua cæteti Æones nati ſunt, fuit per quatuor συζυγίας ſiue copulationes, coiens mas Æon cum fœmina.

Primum coniugium & ſyzygia, ſiue dyas, A

Octoas prima Valentinianorum, & præcipua.

Profundi & Siges
ſiue Bythi ſiue Silentij.
Ex quibus
nati
Mens & Veritas
Νοῦς Ἀλήθεια.
Ex quibus inter ſe coeuntibus fit 2. cõiugium, ſiue ſecunda ſyzygia & dyas. ex qua Æones octo producti ſunt.

Ex his ipſis
naſcuntur
Verbum & Vita
λόγος ζωή.
Hi quoque AEones duo coeuntes faciũt 3. coniugium, ſiue tertiam ſyzygiam ſiue dyadem. ex qua Æones decem nati ſunt.

Ex his denique
gignuntur
Homo & Eccleſia
ἄνθρωπος Ἐκκλησία.
Hi quoque coniuncti connubio faciunt quartam ſyzygiã ſiue dyadem. ex qua copula nati ſunt Æones duodecim. B

Iam verò ex 8. 10. & 12. ſimul collectis fiunt triginta. Vnde apparet fuiſſe triginta Æones, qui, vt ait Tertullianus, crimina ſunt, non numina. Triceſimus autem AEon vt abortiuus quidam errãtis Sapientiæ fœtus fuit, vt ait Hieronymus, à quo cælum, & terra & mare condita ſunt. Quum enim Bythum, ſiue Profundũ patrem ſuum videre geſtiret, propterea in ſuperiora aſcendere voluiſſe, ſed quum patris videndi non eſſet capax, terrore perculſus penè diſſolutus eſt, & ex eo pauore hæc omnia caduca quibus hic mundus conſtat concepit & edidit. Nam ex eius pauore, inquit Tertullianus, tenebræ factæ ſunt: ex timore & ignorantia ſpiritus nequitiæ & malignitatis, id eſt, diaboli: ex triſtitia & lachrymis humida fontium, & fluminum materia, & maris: ex riſu eiuſdem lucem extitiſſe. Chriſtum autem à Bytho ſiue Profundo (quem & Propatrem appellant) ad huius triceſimi AEonis, & eorum quæ produxit auxiliũ miſſum, qui vt Pãdora eiuſdem Heſiodi, ſit ex omniũ C AEonum floſculis delibatus & compactus, quem Chriſtum etiam σωτῆρα vocant. Habere enim eum à Sapientia quod eſt ſpiritale: à Creatore quod eſt animale: ab œconomia corpus. ita nimirum vnam & eandem Chriſti perſonam miſerè diuellunt & diſſipant. Cuique autem AEoni affixam eſſe ſuam fœminam, quam Crucem vocant. Extra pleroma denique Chacmot. i. ſapientiam (ſic enim legendum eſt ab Hebrea voce חכמות, non autem vt vulgò apud Latinos aut Græcos ſcriptores Achamoth) conſtituunt, quæ luce percepta ſtatim ad Chriſtum accurrerit. Adducunt ad ſui delirij confirmationem eos Scripturæ locos vbi vox Plenitudo ſeculi, & numerus duodecim legitur, quibus tamen apertiſſimè & inſulſiſſimè abutuntur. Sed quid hæc omnia aliud ſunt, quàm, vt loquitur Spiritus ſanctus, profunditates Satanæ, Apocalyp. 2. verſu 24. & ægrorum ſomnia, quæ tamen Menno quidam noſtro ſeculo infeliciſſimè renouauit, de quo dogmate vide D. Caluini epiſtolas. 2 Chriſtum negant verum corpus

pus humanum habuiſſe, ſed cæleſte & ſpirituale & per Mariam ὡς διὰ σωλῆνος.i.fiſtulam tantùm percolatum pertranſiſſe.Itaque primi Marcionitis errādi occaſionem præbuerunt. 3 Diabolum de triceſimo Æone procreatum dicunt non primùm à Deo Angelum factum. 4 Mundum ab Angelis malis eo quem diximus modo, & metu triceſimi Æonis creatum. 5 Malitiam in eſſe rebus à prima earum origine & creatione natiuam. Itaque Deum autorem mali faciunt. Quod dogma quum Manichæi imprudentius cauere voluiſſent, in alium errorem & ipſi ſiue ſcopulum impegerunt,atque ſic illis euenit quod vulgò dicitur,

Incidit in Scyllam,cupiens vitare Charybdim.

6 Carnis reſurrectionem Valentiniani negāt. Solas enim animas non autem corpora à Chriſto redemptas eſſe. 7 Fidem hominibus ineſſe à natura,ſibi autem excellentius ex copia excellētis ſeminis quo conſtarent. Itaque & ſalutem ſibi ex eadem natura eſſe, alijs autem etſi non omnibus,accidere merito operum. Hinc Pelagianiſmi ſemina & initia, poſtea repetita, & illa quæ optimè extincta putabantur, vti incendium rurſum excitata ſunt. Triplex enim hominum genus faciunt,vt ait Epiphanius,πνευματικῶν, ψυχικῶν, σαρκικῶν.Pneumaticos, quales ipſi ſint,& fidem habere excellentiſsimam, & à natura, & ſine vllis operibus fieri ſaluos,quos ex Seth eſſe volunt:vnde Sethiani hæretici,ψυχικοὺς habere etiam ipſos à natura fidem, ſed exiguam, quòd è peiori ſint ſemine,operibus autem ſaluari. Hos ex Abel genitos, vnde Abelitæ.σαρκικοὺς & Carnales nullo modo ad ſalutē peruenire poſſe.Hos ex Cain natos affirmāt, vnde Cainiani hæretici. Vnde illud Tertull. Apud Valentinianos, Trinitas hominum. Inde 8 error eſt,cognitione ſola contenti ſunt,bona verò opera ſpernunt,vti inutilia, & multo riſu excipiunt.Itaque quodlibet ſceleris genus intrepidè perpetrāt. Ἀδύνατον enim putant φθορὰν καταδέξασθαι, κἂν ὁποίαις κατακυλίονται πράξεσιν, inquit Epiphanius. 9 Idolothytis veſcuntur, etiam perfectiſſimi horum, quæ in honorem idolorum mactantur,& feſta gētilium celebrant,vt inquit Theodoretus.Denique Prophetas veteris Teſtamenti explodunt. Tres enim Prophetarum ſpiritus conſtituunt,à Bytho, ab Vnigenito,à Patre, omnes inter ſe diſſimiles. Ita omni erroris vitio & genere miſeri illi & impoſtores homines ſūt faſcinati.Aduerſus hos Iuſtinus, Irenæus, Proculus,Miltiades,& Tertullianus ſcripſerunt.

CAP. XII.

Secundiani quid à Valentinianis differant.

Secundiani [1] *hoc à Valentinianis diſtare dicuntur, quòd addunt* [2] *opera turpitudinis.*

1 *Secundiani.*) Quemadmodum Dominus noſter Ieſus Chriſtus habuit ſuos Apoſtolos, per quos ſalutarem doctrinam annuntiari mundo voluit, ita etiam Satan ſuos emiſſarios & errones, per quos zizania in agro Domini,quæ eſt Eccleſia,ſeminauit. Inter eos autem præcipuus quidem fuit Valentinus, de quo iam diximus,& poſt eum illi,qui ab eo,tanquam ex fœtida fornace, incendiarij prodierunt.Fuerūt autem ij plures,& latiſſimè ſparſi,& in varias ſectas & familias diuiſi, qui ſuperiores Valentini errores diutiſſimè retinuerunt. Nam, vt ſcribit Tertullianus,fuit frequentiſſimum Valentinianorum collegium, quia plurimum ex apoſtatis veritatis & ad fabulas facile eſt,& diſciplina nō terretur.Deduxit igitur & Heracleon inde tramites quoſdam,& Secūdus, & magus Marcus.Multū circa imagines Legis Theptimus operatus eſt. Ita nuſquam iam Valentinus, & tamen vbique Valentiniani,qui per ipſum Valentinum, Solus etiam,inquit idem Tertullianus, ad hodiernum Antiochiæ Axionicus memoriam Valentini integra cuſtodia regularum eius conſolatur. Addunt autem alij alios quoque diſcipulos Valentini præter commemoratos, veluti Theodoretus,Coſſianum, Ptolemæum, Theodotium, Colarbaſium: Epiphanius autem, Epiphanem & Iſidorum, qui duo poſtremi ad Carpocratianam hæreſin propriè dictam potius pertinent. Cur autem tam facilè vna & eadem doctrina in tam contrarias ſe diffunderet opiniones & minutula, ratio eſt, non ea modò,quòd nunquam ſibi conſtat mendacium (vna enim veritatis via, infinita verò mendacij diuerticula) ſed etiam hæc, quam affert Tertullianus,nimirum,quòd ſi qui in ea ſecta noui aliquid aſtruerent, reuelationem ſtatim appellabant præſumptionem: & chariſma, ingenium: nec varietatem, ſed diuerſitatem (ſic enim apud Tertullianum lego pro Nec vnitatem.) Hi autem omnes,vt ſcribit Epiphanius,fuerūt σύγχρονοι,adeò vt interuallum temporis inter tot nouas compertas ſectas obſeruari magnum non poſſit. Quæque autem ſequētium Valentinianarum hæreſeôn penè cum ſuo authore interiit, eiúſque appellatio intercidit, origo tamen ipſa & blaſphema Valentini dogmata manſerunt, vt nobis de cuiuſque duratione & ſucceſſione magnopere laborandum non ſit.Regiones autem orbis eas peruaſerunt & corruperūt,in quibus doctores ipſi vixere & docuere:vniuerſum autem terrarum orbem ipſa Valentiniana hæreſis quàm longo tempore vexauit. Secundiani à Secundo dicti ſunt. Hic autem primarius Valentini diſcipulus & ſcholæ ſucceſſor in AEgypto fuiſſe perhibetur,quanquam alij Ptolemæum malunt,alij Heracleonem. Vt autem magiſtro ingenioſior videretur, quædam in accepta à Valentino doctrina immutauit,quędam,vt ſcribit Epiphanius, magis peregrinis & exoticis, ſed ſonantioribus vocabulis obſcurauit:quædam etiā addidit,quia nullum eſt abyſſi & erroris imū,nullúſque finis.Secundi etiam meminit Irenæus, vti primi & præcipui Valentini diſcipuli, lib. 1.cap.5.

2 *Addunt opera.*) Vnum hoc Secundianorum dogma ex Epiphanio in argumento libr. 1.Tom. 2.refert Auguſtinus,quòd præter ſuperiores blaſphemias vitæ turpitudinem ſectatoribus ſuis indulgebant.Cuius dogmatis ratio ex ipſius Valentini lacunis & dictis ſumpta eſt, quia ſe ſuóſque non operibus,ſed ſola cognitione ſaluos eſſe affirmauit. Itaque ſiue bene,ſiue malè agerent perinde eſſe. Tertullianus ſcribit Valentinianorum ſucceſſores & hæreſes tantū ſibi permittere,quantum lupæ & meretrices fœminæ quibus formam quotidie ſupparare ſolenne eſt. Itaque & vita turpiſsimos, & in dogmate inconſtantiſſimos fuiſſe certum eſt.Nos autem ex aliis alias quoque Secūdianorum hypotheſes & errores collegimus.

2 Error, per quem pigmenta deliriis Valentini

addūt, eſt, Quòd primariā illā octoadem Valentini diuidūt in dextrum & ſiniſtrum latus, nimirum vt quatuor dextero lateri, alia verò quatuor ſiniſtro tribuantur, Pythagoreos imitati, qui omnia rerum genera eodem modo partiuntur in dextra & ſiniſtra, vt ſcribit Plutarch. lib. I. De placit. Philoſ. cap. 3. Sed & ad illos octo præcipuos Æonas Valentini ipſi addunt Lucem & Tenebras. Præterea & quem deſertorem Æonem conſtituit Valentinus, nempe triceſimum, Secūdus dicit fuiſſe alium, & nullum ex illis triginta, vt ait Tertullianus. Deinde illos AEonas diuinæ mentis affectus tantùm & ideas Valentinus eſſe docuit. Secundiani verò contendunt eſſe veras eſſentias & per ſe ſubſiſtentes. Denique nomina ipſa AEonum Valentini, ipſi primi immutarunt, & à communi captu remotiora fecerunt, vt, quemadmodum ſcribit Epiphanius, ſupra Valentinum ſapere viderentur: ita bonis diſcipulis malè cum ſuo præceptore Valentino conueniet. 3 Error, negant Chriſtum verè incarnatum, & hominem factum eſſe.

CAP. XIII.

B

Ptolemiani quid à Valentinianis differant.

PTolemæus[1] *quoque diſcipulus Valentini, hæreſin nouam condere cupiens, quatuor*[2] *Æonas, & alios quatuor aſſerere maluit.*

1 *Ptolemeus.*) Ferè hæc hæreſis prætermittitur, vti à Clemente, Theodoreto, Euſebio, & Iſidoro, quia cum ſuperiori conſentit. Tertullianus Ptolemæum & Secundum coniunxit. Alij tamen, vti hîc Auguſtinus & Epiphanius, ſeparant. Ptolemæum tamen in ſchola ſucceſſiſſe Secundo tradit apertè Epiphanius. alij eum ex Marci, cuius hæreſis ſequenti capite explicabitur, pręſtigiis extitiſſe malunt. Certè fuerunt hi omnes fermè contemporanei, quemadmodum antea diximus. Viuebat tamen adhuc Irenæi ætate (qui tamen Valentino ipſo poſterior fuit) hic Ptolemæus & in Occidentis partibus notior videtur fuiſſe, vti Secundus in Oriente. Id quod ex ipſo lib. I. proC œmio aduerſus Valentinum facilè colligetur. Vſus autem eſt ad ſua dogmata propaganda Ptolemæus Flora quadam fœmina ad quam lōga epiſtola ſcripſit ſuam ſententiam, & quam ſororem ſuam appellat. Nec ea eſt tamē, à qua Floriani hæretici nominantur, de quibus poſtea. Magno autē in pretio hunc fuiſſe vel ex eo apparet, quòd totius Valentinianorum ſcholę flos & corculum, vt ait Irenæus, diceretur. Vt autem ex ipſius ſcriptis intelligimus, nec ingenio, nec eloquio caruit. Ergo ab hoc Ptolemiani vel Ptolemæi (vtrunque enim reperitur) hæretici ſunt appellati.

2 *Quatuor Æonas.*) Quanquam vtiliter ignoratur, quæ fuerint harum hæreſeôn dogmata, & in quo diuerſa, quia tamen illius rei explicatio ad hunc locum aliàs obſcurum illuſtrandum pertinet, breuiter exponā, vel propterea maximè, quòd in eo Irenæus, à quo Epiphanius ſua ſumpſit, videtur à Tertulliano apertè diſſentire. Fuit autem Tertulliano antiquior Irenæus, & à Valentinianorum ſeculo minus aberat. Iren. igitur lib. I. cap. 6. docet hunc Ptolemæum, cuius ſcripta tunc in manibus hominum verſabātur, octonarium quidem AEonum numerum tanquam fontem aliorū omnium retinuiſſe: ſed alios, alitérque quàm Valentinū conſtituiſſe & appellaſſe. A Valentinus enim Bytho vnam tantùm coniugem dedit eámque Sigē nominauit. At Ptolemæus Bytho duas vxores liberaliter gratificatus eſt & donauit, ne parcè coire videretur, quarum vnam quidem Ἔννοιαν, cogitationē: alteram verò Θέλησιν, vt loquitur Irenæus: vt autem Epiphanius Θέλημα. i. Voluntatem vocauit. Ex vtraque illa coniuge Bythus propagines emiſit, vt eſſent earum rerum, quæ ſūt apud ſe inuiſibiles & inconſpicuæ, viſibiles imagines. Ἐννοίας quidem inconſpicuæ imago conſpicua eſt Νοῦς, id eſt, Mens: Θελήσεως autem viſibilis typus eſt Ἀλήθεια, id eſt, Veritas. Itaque & nominibus & modo ipſo procreandi Æonas diuerſus fuit à pręceptore Valentino Ptolemæus. Sed iam in eo differunt Tertullianus & Irenæus, quòd Irenæus dicat Ptolemæum facere hos Æonas Bythi, id eſt, ſummi Dei διαθέσεις tantùm quaſdam & δυνάμεις, id eſt affectus tantùm & qualitates ſiue poteſtates. Tertullianus contrà ſcribit eum diſtinxiſſe AEonas in perſonales ſubſtantias, & cenſuiſſe eſſe res per ſe ſubſiſtentes, non tantùm Dei affectus. Itaque vti Plato ideas ſuas οὐσίας eſſe dixit, ſic iſte Æonas ſuos, ſi Tertullianum ſequimur. B Ego tamen potius Irenæo aſſentior, quem etiam Epiphanius ſequitur: & in eo Ptolæmeus à Secundo condiſcipulo ſuo diſſentire voluit, præceptoríſque Valentini ſentētiam tueri, quam Secundus oppugnarat. 2 Error. Legem veteris Teſtamenti non totam à Deo eſſe dixit, ſed partim à Deo, partim à Moſe ipſo: partim ex quibuſdam ſeniorum traditionibus conſtare. 3 Deum vnum & eūdem, cùm aliquid emitit, Patrem vocari: cùm vera dicit, Veritatem: cùm ſe manifeſtat, Hominem, vt Sabellianorum errorem iam tunc ſparſiſſe, etſi obſcurè, cum Simone videri debeat Ptolemæus. Ita Irenæus lib. I. cap. 6.

CAP. XIIII.

Marcus à quo Marcitæ hæretici. Erroris autem capita quatuor enumerata.

C

MArcus[1] *etiam neſcio quis hæreſin condidit, negans reſurrectionem*[2] *carnis: & Chriſtum non verè, ſed putatiuè paſſum aſſeuerans. Duo quoque opinatus eſt ex aduerſo ſibi eſſe principia. Quiddam tale etiam ipſe de Æonibus, ſicut Valentinus, affirmat.*

1 *Marcus etiam.*) Et hic quoque ex eadem Valentinianæ viperæ aluo procreatus eſt. Fuit enim condiſcipulus Colarbaſij, de quo poſtea in eadem Valentini ſchola, eiuſdémque doctrinæ blaſphemæ & auditor & ſectator. Itaque eum cum Colarbaſio coniungit Tertullianus. In quo illud ab Irenæo patre veriſſimè de Valentinianorum hæreſi dictū eſſe apparet. Nemo, ait, inter eos perfectus eſt, qui non magna mendacia velut fructus ſuæ diſciplinæ produxerit, libro I. cap. 15. Hic igitur nouam ſectam ambitioſè parturiens tandē edidit, in quo maiorum ſuorum, & ipſius adeò Valentini improbitatem, impietatémque ſuperauit, in tantum quidem, vt hic plures ſibi lucrifaceret & deciperet, captóſque potentius retineret, quia & miraculis, & propheciis, quæ magicis artibus faciebat, doctrinam ſuam cōfirmare & commen-

A mendare videbatur.Fuit enim ſūmus magus,quēadmodum aduerſ.Valentinian. ſcribit Tertullianus,& Irenæus quoque lib.1.cap.9. Aſſiduè namque incantationibus & præſtigiis vtebatur, ad infirmos & mulierculas imprimis deludendas & ſtupefaciendas propter imbecillitatem ſexus , ſpecioſo nimirum prætextu religionis ſummæque pietatis. Id quod fore prædixerat Paulus 2.Tim. 6.verſ.6.Maximè verò diuites & opulentas matronas affectabatur , quarum & animum ſuis erroribus:& corpora ſuis ſtupris miſerè fœdéque corrumpebat. Denique φίλτρα & amatoria pocula ἀγώγιμα illis bibenda porrigebat , vt quid ex tam nefando impoſtore ſani boníve ſperādum fuerit, iam tum homines ex ipſius moribus intelligere potuerint. Habuit tamen non paucos diſcipulos tum ex viris , tum etiam ex mulieribus Chriſtianis quas dementauit. Atque tam latè ſerpſit hoc infelix lolium & peſtiferum gramen , vt AEgyptum,Aſiam, & Galliam , adeóque Lugdunum ipſum vrbem celeberrimam & Rhodanenſes mulieres tabe ſua infecerit , quemadmodum ex B Irenæo facilè colligi poteſt. Hierony.in epiſt.ad Theodoram idem ex Irenæo ſcribit,Hunc Marcū in Galliam primum perueniſſe vbi Rhodanus & Garumna confluunt (vbi certè error eſt,Nam fuit dicendum vbi Rhodanus & Arar confluunt, ibi enim eſt Lugdunū ſitum) & ibi nobiles fœminas ſeduxiſſe ſua primum doctrina:deinde magicis artibus eaſdem in amorem ſui pellexiſſe. Inde Pyreneum tranſiiſſe,& Hiſpanias occupaſſe ſuo veneno. Vnde Antichriſti præcurſor hic ferè primus appellatus eſt. Dæmonem πάρεδρον,id eſt, familiarem habuit,Irenæus lib.1.cap.9. Idolorum defenſor aut certè non improbator fuit. Anaxilai quoque philoſophi Pythagorici æmulator, quia Pythagoreorum nugas de numeris, imprimis autem myſterium ſeptenarij numeri cum ſua aſtrologia miſcens , ſapientiſsimè & ſublimiſsimè de Deo, eiúſque natura,& emiſsionibus philoſophari cenſebatur.Nam obſcuriſſimè, & quibuſdam verborum tanquam myſteriorum inuolucris vtens,loquebatur de Deo , vt ſtuperent audiētes homines potius,quàm intelligerent. Hebrææ quoque C linguæ fuit peritus , itaque vocabulis Hebræis & Græcis hominibus exoticis deliria ſua tegebat , ex quo etiam illud facilè intelligi poteſt eum cum Pythagorica Platonicáque Philoſophia ,Rabbinorum Hebræorum commenta,ad Chriſtianæ doctrinæ veritatem ſimplicitatémque obruendam confudiſſe.Id quod poſtea imitatus eſt Mahumetes.Quanquam,vt Tertullianus ſcribit,ex Græcorum alphabeto dogmatum ſuorum fundamenta & myſteria ſumpſit,quò ſe ſuámque ſectam,etiam ethnicis Philoſophis & hominibus probaret. Referunt autem huius hæreſeos initia in annum Antonini Pij imperatoris nonum , qui fuit annus à Chriſto paſſo cxv. vt iam rectè collocari appareat poſt Secundianos.Huius Marci diſcipuli Μαρκώσιοι ab Epiphanio,à Latinis autem Marcitæ dicti ſunt.Hi verò ſe Perfectos vocabant,longéq; Paulo ipſo & Petro Domini noſtri Ieſu Chriſti Apoſtolis,præſtantiores eſſe iactant. Vt autē latiſſimè vagata eſt,plurimúmq; nocuit hæc hęreſis:ita diutiſſimè,ſed interpolato nomine,fuit retenta & ſuſtētata.Pullulauit enim maximè,vt ſcribit Theodoretus,& Colarbaſios , Aſcodrutas , Archonticos , Ophitas & alios hæreticos , tanquam A vipera nocentiſſima fœtus crudeliſſimos profudit:qui omnes in Dei Eccleſiam peſsimè , tanquam in matrem,ſuis erroribus ſunt graſſati.

2 *Reſurrectionem carnis.)* Quatuor erroris eorum hypotheſes recenſet hîc Auguſtinus. Alij autem,veluti toto lib.1.Irenæus,plures.Sed Epiphanij argumentum tom.3.lib.1.ſecutus eſt Auguſtinus.Ergo hæ fuerunt Marci hypotheſes. 1 Carnis reſurrectionem negauit futuram. 2 Chriſtū item negat & verè humanam carnem aſſumpſiſſe & paſſum eſſe , de quo adhuc puero narrat fabulā,quæ vt eſt falſiſſima,ſic indigna relatu. 3 Duo rerum principia ſibi contraria conſtituit , Sigen & λόγον, id eſt,Silentium & Sermonem.Inde Marcionitæ & Manichæi orti. 4 AEones quidem, ſed eorum quaternationem , tanquam omnium aliorum parentem ex ſententia & veſtigiis Valētini retinet. Quaternitatem enim pro veriſſima perſonarum diuinarum Trinitate , quam Chriſtiani confitentur ,impudentiſsimè ſuppoſuit, B atque eas ipſas perſonas ſeparatas fingit,Nempe Sigen,Logon,& præterea alios duos AEones innominatos, & tamen pares duobus illis, quos ſuis nominibus appellat. 5 Literis,ſyllabis,& characteribus ſingulos homines, & ſingula ſingulorum hominum membra ſubiici & gubernari dixit, atque adeò hæc vniuerſa, vt cùm omnia ad vnam eandémque literam redierint, ſint omnia inſtauranda,& futurus ſit rerum omnium finis.Hoc ex præceptis & nugis Magiæ cui addictiſsimus fuit,affirmauit.Itaque in iſtis literis plenam perfectámque veritatis cognitionem ineſſe,ſine quibus illa nullo modo percipi poſsit. Quod ex Iudaicarum & Cabaliſtarum quæ iam tunc erant ſuperſtitionum atque fabularum fontibus hauſtum eſſe dubitari non poteſt. Omne enim fecis genus ad veritatem Euangelij obruendam , miſcuit impoſtor iſte,& omne Satanicum inuētum ad Chriſtum opprimendum aduocauit : Græcorum autem quàm Hebræorum literas & alphabetum ſequi maluit ,tum quòd plures ſunt Græcorum literæ (nam etiam ipſe earum numero non fuit contentus,ſed ad xxiiii literas Græcorum ſex alias addidit , vt eſſent numero xxx, ad quem numerum C AEonas omnes reuocauit) tum etiam quòd hac ratione acceptior & gratior Græcis hominibus & Ethnicis eſſet futurus.Sic itaque eas diuiſit, vt A & Ω,regerent atque haberent caput hominis:B & Ψ,collū:Γ & X,humeros: Δ & Φ, pectus E & Υ,ſeptum tranſuerſum:Z & T,dorſum:H & Σ, ventrem: Θ & P,femora : I & Π,genua: K & O , tibias:Λ & Ξ,talos:M & N,pedes. Nomen autem Ἰησοῦς vti auguſtius cæteris præferebat. Mutas autem nouem quæ vocantur à Grammaticis , literas retulit ad Deum Patrem quem Silētium appellauit, tanquam illius proprias. Semiuocales octo ad λόγον & ζωὴν. Vocales ſeptem ad Hominem & Eccleſiam. Et hæc ſunt vani hominis deliria, quæ ipſa etiamnum hodie regerere nobis , & ex inferis reuocare quoſdā nō pudet. 6 Baptiſmū domini noſtri,etiam ipſi , quemadmodum & Simoniani, corrūpunt & prorſus immutant. Baptizāt enim in nomine ignoti Patris & Veritatis matris omniū, & eius qui deſcendit in Ieſum. Baptiſmi Valentiniani meminit Hier.in epiſtolam ad Eph. Sed etiā initiandas mulieres ad thalamum dedūcunt, & ibi

A myſtagogiam ſuam adhibitis nefandis quibuſdā geſticulationibus peragunt, quod ſpirituale coniugium vocant. Euſeb. lib.4. cap.11. 7 Sacroſanctam Domini Cœnam polluunt. Nam Marcitæ profitentur verbis & incantationibus vinum, quod eſt in calice, & in cœna Domini ſe mutare in ſanguinem, & gratiam Dei in eum ipſum calicem deducere, vt ex eo omnes vel guſtare cupiant. Annotare libet Epiphanium voce μετουσίας ante Ioan. Damaſ. vſum eſſe. Eſt autē Trāſubſtātiatio, quam vt prorſus ineptam hæreticis obiicit Epiphanius.

Cap. xv.

Colarbaſij, & eorum dogma.

Colarbaſius[1] *ſecutus eſt iſtos non multum aliter ſentiens. Vitam*[2] *omnium hominum & generationem in ſeptem ſyderibus conſiſtere affirmans.*

1 *Colarbaſius.*) Colarbas & Colarbaſus appellatur huius ſectæ author, cuius meminit Irenæꝰ lib.1.cap.9. & Tertull. & vterque cum Marco cōiungit. Epiphanius tamen ſcribit eos non ſolùm ex Valentinianorum, ſed etiam ſuperiorum hæreticorum ſchola profectos & ſatos, ex qua tanquam B ex hydra plura capita nata ſunt. Theodoretus quoque libro 1. horum meminit. fuit hæc hæreſis eodem tempore, quo ſuperior. Cùm autem pauca omnino de Colarbaſio tradita ſint, quis fuerit & vbi docuerit, obſcurum hominem fuiſſe & ſtatim ſectam hanc concidiſſe veriſimile eſt. In catalogo tamen retenta eſt, vt quàm variè à Satana vexata ſit Eccleſia, & oppugnata doctrina Chriſti, intelligeretur.

2 *Vitam omnium.*) Vnum dogma eorum recēſet Auguſtinus, quòd aſtris imprimis autem ſeptem planetis vitam actionéſque hominum & euenta rerum tribuerent. Quod commentum ex nimio aſtrologiæ iudiciariæ ſtudio profectū eſt, quem errorem ſecuti ſunt poſtea Priſcillianiſtæ.

2 Error. Deum vnum & eundem in perſona vna & ὑποστάσει diuerſis nominibus appellari, & diuerſas perſonas cenſeri, Patrem cùm cogitat: Veritatem C cùm patefactus eſt, & Hominem in his terris. Itaque Deum ipſum appellat hominem & naturarum confuſionem inducit. 3 Chriſtum ex xxx. Æonibus tanquam floſculum compactum & decerptum eſſe tanquam Heſiodi Pandoram, vnde appellari εὐδοκητὸν, quòd πᾶν πλήρωμα ηὐδόκησε. 4 Ieſum à Chriſto tanquam duas ſeparatáſque perſonas diuellit. Hinc Neſtoriani.

Cap. xvi.

Heracleonitæ vnde dicti. Quorum erroris tres hypotheſes hîc traduntur.

Heracleonitæ ab Heracleone[1] *diſcipulo ſuperiorum. Duo aſſerunt*[2] *principia, vnum ex altero, & ex his duobus alia plurima. Feruntur autem ſuos morientes nouo modo quaſi redimere, id eſt, per oleum, balſamum, & aquam, & inuocationes, quas Hebraicis verbis dicunt ſuper capita eorum.*

1 *Heracleone.*) Heracleon, non autem Heraclion (ſic enim legendum eſt) Valentiniani dogmatis defenſor fuit, qui differt & ſecta & tempore à quodam alio hæretico nomine Theoco, qui Heracleota à patria Heraclea, quæ vrbs eſt Thraciæ, nominatus eſt, & Arianam hæreſin amplectebatur A: itémque ab Hieracla vel Heracla à quo Heraclitæ hæretici poſtea dicti ſunt. Hic autem Heracleon ab Epiphanio conſtituitur Colarbaſio & Marco ætate poſterior, atque tanquam eorum noxius & nefarius ſurculus. Contrà verò à Tertulliano, qui ſuperiori illi ætati propinquior erat, ſcriptum eſt eum ante Marcum fuiſſe ſuúmque venenum ſparſiſſe. Quòd ſi Irenæo credimus, cuius apud me autoritas in iſtarum rerum narratione præponderat, coæuus contemporaneúſque Ptolemæo hæretico, de quo antea, dicetur fuiſſe Heracleon. Nam illum æqualem iis tēporibus ſcribit Irenæus lib.2.cap.4. adeò vt huius hæreſeos initium conſtituendum videatur in annum à paſſo Chriſto 110. Huius autem magna fuit, vt ſcribit Clemens lib.4. Stromat. in Valentinianorum ſchola autoritas, & facilè nomen ſuū illi impoſuit, cuius diſcipulos ob celebritatem famæ ad ſe traduxerat. Hæc hæreſis proprio nomine non ſtetit diuturna: ſed nouis aliorum ſuccedentium in eadem ſchola dogmatibus obſcurata, & ambitione Marcitarum & Colarbaſiorū deleta B, in vno tantùm capite poſtea retenta eſt, quod fuit de vngendis in peccatorum remiſsionē morientibus Chriſtianis. Id quod adhuc hodie in Papatu fit. Videtur in Ægypto Heracleon vixiſſe. Nā Hebraica lingua vſus eſt ſiue Syriaca, vt alij hæretici, qui ibidem floruerunt: & in Occidentalibus Eccleſijs vix nota fuit hæc peſtis & lues, niſi ex ſolo Gręcorum catalogo. Huius meminit Theodoretus lib.1. De fabul. Hæreticor. ſed breuiſsimé.

2 *Duo aſſerunt.*) Ex malo coruo Valētino malum Heracleon ouum. Primus huius ſectæ error eſt, Quòd duo rerum omniū principia conſtituit, è quibus tamē ipſis vnū altero tempore ſit prius. Bythō igitur dicit eſſe primum illum & præcipuū Deum, ex quo nata ſit Sige, id eſt, Silentium. Ex Bytho & Sige reliqui omnes Æones variis coitionibus nati, qui ſunt cæterarum rerum creatarum principia. Hoc partim ex Platone & Pythagora ſumptum eſt: partim ex Valentino, & Manichæorum delirij de duobus principiis ſemen fuit.

2 Octoadem illam AEonum primariam à Ptolemæo C excogitatam probauit Heracleon, & eius diuiſionem in dextros ſiniſtróſque AEonas tanquam bonos & malos, ſiue, vt poſtea Manichæi locuti ſunt, in gentem Lucis & Tenebrarum retinuit & docuit, tam nimirum placuit humanæ vanitati ineptiſſimum illud, ſi vllum aliud Valentini commentum, de AEonibus, id eſt, de Chimæris. 3 Error. Hominem triplici natura & eſſentia conſtare, Corpore, Anima, & quodam tertio. Id quod Didymum Alexandrinum epiſcopum poſtea fefellit, qui locum Pauli 1. Theſſal.5. malè intellexit, corrupítque. 4 Duplicem Dei confeſsionem finxerunt, vt approbarent eos tanquam nullius ſceleris reos, qui periculi mortíſque metu veram religionem abnegant. Vnam enim eſſe quæ vita & fide fit, & ſit ſatis: alteram quæ voce quam homini Chriſtiano neceſſariam non putant. Clemens libr.4. Stromat. 5 Morientes vt à morte æterna redimant, vngunt oleo, aqua, & balſamo, impiiſſimè illo Iacobi loco abuſi, qui eſt Iacobi 5. verſ.14. Inde etiam orta eſt illa vnctionis extremæ non tantùm ſuperſtitioſa, ſed etiam blaſphema inſtitutio, quæ in Papatu obſeruatur.

A uatur. Ita quod in ea re habet Romana Eccleſia, ab hæreticis, non autem ab Apoſtolis accepit, vt alia multa. Quanquam non diffiteor etiam poſt Apoſtolorum ætatem, vnctionem in baptiſmo & clinicis ægrotantibus à Patribus adhibitam fuiſſe. Sed id quàm rectè & legitimè fieret, quæritur, quicquid Sozom.lib.6.ca.29.ſcribat, & Manichæi Chriſtianis obiecerunt quòd defunctorum vmbras ritu & more paganorum vino & dapibus placarent,vt refert Auguſtinus libro 20. contra Fau. capite 4.Heracleonis autem ratio hæc fuit, quòd ita vncti Chriſtiani aereas & inuiſibiles poteſtates effugiant. 5 Denique ſuperſtitioſas Deo inuocationes peregrinis exoticiſque vocabulis faciunt, maximè ad dæmones fugandos & arcendos vtiles,quod etiam hodie Papiſtæ retinent. Illa autem vocabula ſunt hæc, quæ Epiphanius cõmemorat lib.1. tom.2. Meſsia, Vphara, Matſda, Melchona, Noſſom, Idag, Ecpharon, Tſenoua, Ieſu,Nazareni,id eſt, vt quidem coniicere potui (ſunt enim hæc omnia partim Hebræa, partim Syriaca verba) Vnctus & Radix,Turris,Rex, B Spiritus,Sciens,diſcooperiens,præcipiens,Ieſus Nazarenus: quę quanquam nihil niſi verum de Chriſto enuntient, quia tamen ſine fide & verbo Dei fiunt, meritò & magicæ incantationes à patribus appellantur: & non preces, ſed vt peccata grauiſſima eſſe cenſentur,& damnari debent.

CAP. XVII.

Ophitæ vnde dicti, & eorum erroris caput duplex hîc comprehenſum.

OPhitæ à colubro nominati [1] *ſunt. Coluber enim Græcè* ὄφις *dicitur. Hunc* [2] *autem colubrum, qui decepit Adam & Euam Chriſtum arbitrantur. Sed habent etiam verum colubrum, quem nutriunt, & venerantur, qui & incantante ſacerdote egreditur de ſpelunca, & aſcendit ſuper altare innixum ſpeluncæ, & oblationes eorum lambit, & inuoluens ſe circa eas regreditur ad ſpeluncã, & ita confringunt oblationes in Euchariſtiam, quaſi à ſerpente Chriſto ſancti-* C *ficatas. Tradunt huius ſerpentis cultum à Nicolaitis ſiue Gnoſticis ad iſtos deductum.*

1 *Nominati.*) Variis nominibus ab eodem fonte deductis hi nominantur,nimirum Ophitæ, Ophei,& Ophiomorphi,vti à Theodoreto li.1.ne nos nominũ diuerſitas fallat, & diuerſos eſſe exiſtimemus, qui ſunt ijdem. Hos cum Sethianis quidam coniungunt:alij cum Nicolaitis,vti Tertullianus. Ante Valentinianos collocat Iſidorus, ſed Auguſtinus Epiphanium ſecutus eſt, qui Heracleonitis ſubiicit. Irenæus libro 1. cap.34. demum poſt Gnoſticos & Valentinianos exortos eſſe ſcribit, à quibus tanquam è cœnoſo fonte impuriſsimus riuus fluxerunt. Ergo circa annum à Domino paſſo 132. à nobis conſtituentur longè poſt Nicolaitarum hæreſin, à qua tamen,vt ſcribit Epiphanius, dogmatis & erroris occaſionem acceperunt. Maximè in Ægypto,vt aliæ multæ, viguit, ex cuius regionis & gentis idololatria & moribus initium videtur ſumpſiſſe. Ægyptij enim Ibes, Crocodilos, & huiuſmodi ferarum genera pro diis habuerunt,atque etiam tunc colebant, vt docent M.Tull.Cicero,Plutarchus, Iuuenalis Satyr.14.& alij : quorum exemplum hi ſecuti Draconem ſerpentémque venerati ſunt alio quidem, A quàm Ægyptij, prætextu, ſed tamen ſerpentem.i. immanem & homini funeſtiſsimam beluam. Sæpe verò Satan magnas præſtigias fecit hominibus non tantùm fidelibus, ſed etiã infidelibus per ſerpentem, quod in Adamo primo parente noſtro manifeſtiſſimũ eſt.& de ea re ſcribit author prophanus in Pſeudoalexãdro. Durauit autem vſque ad tempora Iuſtiniani primi Conſtantinopolitani imperatoris hæc hęreſis,& poſtea quoque,quãquam eſt fœdiſsima.De iis enim meminit l.xj. C. de Epiſcop.audientia.& l.Arriani. C. de Hæretic.

2 *Hunc autem colubrum.*) Multiplex fuit huius hæreticorum familiæ error, & tam latè fœdéque ſparſus,vt Tertullianus hanc erroris ſcenam appellauerit. Duo illius capita recenſet hoc loco Auguſtin.alii autem & alia & plura. 1 Colunt & adorant ſerpentem,per quem Eua primùm decepta eſt,tanquam is fuerit Chriſtus. Sapientiæ enim datorem ſiue in homine autorem fuiſſe cõtendunt. Itaque diuinam illi non tantùm vim & potentiam tribuunt: ſed etiam naturam & eſſentiam. Dicũt enim eum natum eſſe ex ſummo Deo B qui Ialdaboth vocatur,& materia quadam.Itaque ὀφιόμορφον potius quàm ὄφιν id appellant, quod venerantur. Magnam autem eſſe vim huius formæ ex eo docent, quòd & inteſtina noſtra in aluo in ſpiras ſerpentum more conuoluta habeamus: & Moſes ſerpentem exaltauit in deſerto, cuius aſpectu icti ab aliis ſerpentibus ſanarentur, Ioan.3.& Numer.21.Vnde Chriſtum ipſum ſerpẽtis forma ſubiiſſe in vterũ Mariæ volũt,quæ omnia magnos errores continent.Incãtationibus autem ſerpentem aliquam Domini Cœnam celebraturi euocant,quam Auguſtinus in ſpelunca eſſe ſcribit.Irenæus & Epiphanius in ciſta geſtari & ab illis circunferri narrant,quibus potius credo.Ex quo apparet Ophitas turpiſsimam πολυθεΐαν nempe Dei & Serpentis inducere. 2 Error. Panem Cœnæ Domini & Euchariſtiæ non prius ſanctificatum eſſe putant quàm ſerpens ille euocatus lambat & attingat eum ſiue deguſtet. Itaque hoc iis euenit, quod damnat Paulus 1.Corinth.10.verſ. 21.vt mẽſæ Domini & menſæ Dæmoniorum fieri velint participes. 3 Chriſtum verè hominem factum C eſſe negant,id quod illis cum ſuperioribus hæreticis commune eſt. 4 Carnis etiam reſurrectionem irrident,vt ſcribit Tertullianus.

CAP. XVIII.

Caini vnde dicti,erroris autem eorum capita tria.

CAini propterea ſic [1] *appellati,quoniam Cain honorant,dicentes* [2] *eum fortiſſimæ eſſe virtutis: ſimul & Iudam traditorem, diuinum aliquid putant eſſe, & ſcelus eius beneficium deputant, aſſerentes eum præſciſſe, quantum eſſet generi humano Chriſti paſſio profutura, & occidendum Iudæis propterea tradidiſſe. Illos etiam,qui ſchiſma facientes in primo populo Dei,terra dehiſcente,perierunt,Core,Dathan, & Abiron,& Sodomitas colere perhibentur. Blaſphemant Legem,& Deum Legis authorem : Carniſque reſurrectionem negant.*

1 *Sic appellati.*) De voce ipſa, qua hæc hæreſis nominatur,dubia eſt analogia. Alij enim Cainos vocant,vt Theodoretus libr.1. alij Cainianos : alij

Cainęos,vt Tertullianus:alij Caianos,vti Epiphanius his verbis,Καϊανοί τινες ὀνομάζονται, ἀπὸ τοῦ Κάϊν εἰληφότες τὴν ἐπωνυμίαν τῆς αἱρέσεως,& Epiphanium ſequi gaudens Auguſtinus, quæ nominis formatio & nomenclatura minimè omnium mihi probatur. Et facilè ex voce Καϊνιανοὶ vel Καϊνοὶ in Καιανοὶ lapſus & error in Epiphanio primùm à ſcribis & librariis admiſſus eſt, qui poſtea ab Auguſtino retentus fuit. A voce autem Cain nullæ Grammaticorum regulæ ferunt vt Caianos deriuemus & dicamus,ſed potius Cainos,vel Cainianos. Et hæc quidem de huius hæreſeos appellatione,quã hîc in Auguſtino correximus, ne vulgarem deſcriptionem à nobis mutatam eſſe vel miretur vel improbet quiſquam. Alij enim ſunt ab iſtis & diuerſi Caiani hæretici,qui idem,vt ſcribit Ioannes Damaſcenus, Aphtartodocitæ dicti ſunt, noſtris poſteriores, & à Caiano Alexandrino, & Iuliano Halicarnaſſeo profecti,de quibus vide in Proclianitis. Dicti ſunt autem Caini non ab authore ſectæ,ſed ab argumento erroris,quem ſunt ſequuti, quia Cainum illum,de quo eſt Geneſ.4. tanquam primum & principem bonorum omnium, quæ homines ſentiunt,authorem colūt,& poſtea alios, B in quos Dei iudicia tanquam in reprobos homines apertè in Sacra ſcriptura legimus, qualis eſt Eſau.Malach.1.Hebr.12.verſ.16.quales Core, Dathan,& Abiron,Numer.16. verſu 26, qualis denique impius ille Iudas Iſcariotes, quem Caini vti ſalutis humanæ diſpenſatorem colunt, de quo tamen apertè pronuntiat ipſa veritas,Væ illi homini, per quem Filius hominis proditur. Bonum erat homini illi,ſi natus non fuiſſet,Matt.29.v.24. ita miſeri iſti homines ſpiritu vertiginis abrepti, & in reprobam mentē traditi, ſe Deo boniſque & ſanctis omnibus contrarios & repugnantes impudenter profitentur. Ortam autem & propagatam eſſe hanc hæreſin tanquam infelicem ſurculum & ſtolonem ex infauſta Nicolaitarum ſtirpe ſcribit Tertul.Epiph.ex Gnoſticis & Carpocrate. Iren.autem lib.1.cap.35.ex Satanica Valentinianorum ſchola,cui magis tanquam diligentiſſimo earum rerum perſcrutatori & ſcriptori aſſentior. C Itaque eodem penè tempore enatam fuiſſe puto, quo ſuperior Chriſtianæ doctrinæ labes, nempe Ophitarum hæreſis. Durarūt ad tempus aliquod, & ſeſe doctorum ſuorum fama & celebritate ſuſtentarunt, quorum ſcripta ad Epiphanij vſque ætatem peruenerunt, quemadmodum ipſe refert, inter quæ fuit liber ab iis dictus Ἀναβατικὸν παύλου. Illic mendaciſſimè exponere ſe fingunt,quæ Paulus in tertium cœlum raptus viderit, ex quibus ſuarum nugarum & præſtigiarum fundamenta quærunt. At illa nec à Paulo, qui vidit,enarrata ſunt, & dicit ipſe, nefas eſſe homini illa loqui & efferre.2,Corint.12.verſu 4.In plures autem ſectas hęc poſtea diuulſa eſt & diducta,è quibus alij Antitactæ Ἀντίτακται.I. Deo ipſi repugnantes dicti ſunt, quia quanto maximo poſſunt animi conatu Dei pręceptis aduerſantur,veluti quia dixit Deus, Non mœchaberis , Non furaberis: ipſi contrà quantum poſſunt & mœchantur , & furantur , vt ſic,quemadmodum aiunt,ſe aduerſus illum Deū, qui zizania & mala in mundum immiſit,vlciſcantur. Ita peruerſo planè animi iudicio,& nullo conſcientiæ ſenſu præcipites in omne mali genus nō modò feruntur, ſed ſponte prudentéſque ruunt.

Atque hæc Antitactarum diſcipulorum caterua A Cainorum præceptorum furores mirè auxit, de quibus Antitactis & Theodoretus libro 1.& Clemens lib.3.Strom.agit. Alij ab iiſdem Cainis profecti dicti ſunt Peratæ à Peratico Euprathenſi, & Ademe Caryſtio, qui præter Cainorum errores dixerunt Chriſtum fuiſſe Tricorporem, propter tres diuerſas mundi partes , quibus conſtat, vt aiunt, Chriſti corpus: & duplicem eſſe mundum, vnum ingenitum: alterum genitum,quem vocant ſpecialem , & huiuſmodi quaſdam ineptiſſimas fabulas fingunt, & rerum ortum ex Agenneſia, quam vocant,de quibus vide Theodoretum lib.1. Hæreticar.fabular. Alij aliis nominibus, vt Monoimi, qui à Monoimo Arabe ita ſunt appellati, videntur ex eodem cœno errores ſuos,quos Arithmeticorum numeris confirmare conātur, hauſiſſe. Ex quo fit mihi veriſimile,vt etiā ſcribit Epiphanius in hæreſi Sethianorum, primùm in Ægypto ortum eſſe hoc malum,& in vicinas gētes deinde effuſum,adeò in Oriētem ipſum penetrarit, ſed tamē Aſiam potiùs quàm Europā corruperit. Interpolata autē nouis ſectatorū nominibus,Cainorum hæreſis proprium nomen amiſit. B His contrarij ſunt Abelitæ,vel Abeloitæ, de quibus infrà.

1 *Dicentes enim.*) Siqua vnquam hominum phreneſis pietatis ſtudium labefactauit & reſtinxit,maximè Cainorum delirium id potuit & effecit,quando in eo toti fuerunt Satanæ ſpiritu planè impulſi,vt omnes eos damnarent qui à Scriptura honeſtum teſtimoniū habent: eos autem probarent, qui ab illa reiiciuntur & damnantur. Itaque ex eorum ſunt numero,quos Spiritus ſanctus tanquam Deo obtinentes & prorſus reſiſtentes execratur,Pſal.62.verſu 4. Tres antem eorum hypotheſes commemorat hoc loco Auguſtinus, fuerūt tamen plures. Prima eſt blaſphemia, Quòd Cain & omnes reprobos laudāt,colunt,& admirantur, veluti Eſau, Core, Abiron, Sodomitas, & Iudam ipſum Domini noſtri Ieſu Chriſti proditorem, quaſi fuerint ſalutis humanæ autores. Cain, inquit Tertullianus, magnificant, quaſi ex quadam potenti virtute cōceptum. Nam Abel ex inferiori virtute procreatum volunt. Iudam proditorem defendūt,admirabilem illum & magnum eſſe di- C centes propter vtilitates, quas humano generi cōtuliſſe iactatur. Animaduertens enim, inquiūt, Iudas, quia poteſtates mundi nolebant Chriſtum pati, vt ſalus humano generi per illius mortem pararetur,ſaluti cōſulens generis hominum, Chriſtum tradidit. id quod perſpicuè cum illo Actor. Apoſtolicorum loco pugnat, qui eſt cap.4. verſ. 28. Vnde periculoſa eſt illa Gregorij Magni ſētentia,qui de peccato Adami loquēs ſic ait, O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem. Cerinthiani antea Iudam adorauerant,& poſt hos Marcionitæ, vt ſcribit Irenæus libro 1.cap.29. Ex hac ſententia doctrina de electione & prædeſtinatione non modò labefactari, ſed etiam irrideri cœpit, & impietati atque improbitati ſumma laus tribui. Videtur autem hic error ortus ex doctrina de Prouidentia Dei perperam intellecta, quòd non diſtingueretur aptè in vno & eodem facto Dei & hominis opus. 2 Error. Legem à Moſe traditam damnant, & Deum illius authorem velut zizaniorum in mundo ſeminatorem oderunt & deteſtantur,

tan-

A tanquam Rhodii ſolem. Quod Marcionitis poſtea anſam erroris & inceſſendi Dei veteris Teſtamenti audaciam præbuit. 3 Carnis reſurrectionem fore negant. 4 Mundi creatorem vocant ὑστέραν, id eſt, Vuluam, quem & ignotum deum eſſe dicunt, & inuidum Caino, Eſau, & Iudæ. Itaque pro blaſphemia in eum ſpuunt. 5 Angelos & eos quidem malos inuocant & colunt, vt ait Epiphanius, quibus ſingulas ſingulis tribuunt ſuas libidines, & ſcelera, tanquam eorum authoribus, & quibus, quum illa perpetrant, ſe placere & gratificari docent, vt narrat Theodoretus. 6 Denique contendunt nos non voluntate & ſponte noſtra, ſed natura malos vel bonos eſſe, quæ fuit vetus ſuperiorum hæreticorum corniculatio & inſania. Hieronym. Tom. 2. epiſtol. in epiſt ad Oceanum iis tribuit, quòd dicerent quædam eſſe peccata quæ Chriſtus non poſsit purgare ſanguine ſuo.

Cap. XIX.

B

Sethiani vnde dicti, quorum erroris tria capita. recenſentur.

Sethiani nomen[1] *acceperunt à filio Adæ qui vocatus eſt Seth. Eum*[2] *quippe honorant, ſed fabuloſa & hæretica vanitate. Dicunt enim eum de ſuperna matre natum, quam perhibent conueniſſe cum ſuperno patre. vnde diuinum ſemen aliud naſceretur, tanquam filiorum Dei. Hi quoque multa de principatibus & poteſtatibus vaniſſima fabulantur. Quidam eos dicunt Sem filium Noe Chriſtum putare.*

1 *Nomen acceperunt.)* Et hîc quoque ab aliis authoribus diſſentit Tertullianus: quos enim omnes alii Sethianos vocant, ille Sethoitas appellat, niſi fortaſſe in impreſsis ſit error, quod mihi videtur veriſimilius; & pro Sethoitæ apud Tertullianum, Sethitæ legendum eſſe malimus. Atque hi cum Ophitis, de quibus antea, coniunguntur à Theodoreto libro 1. quaſi eiuſdem dogmatis fuerint, quos tamen diuerſa ab illis ſenſiſſe ſatis ex hy-
C pothesibus apparebit. Ante Carpocratem conſtituit Tertullianus. Iſidorus autem poſt Archonticos & Adamianos, adeò vt tota de horum origine & tempore diſputatio & definitio incerta ſit. Dicam igitur quod ſentio. Mihi videntur Sethiani eodem quo Caini & Abeliani tempore exorti, quum ex eodem erroris fonte ſcaturierint. Fuerunt enim hi omnes infelicisſimæ Valentinianorum ſtirpis & radicis ſurculi, qui quanuis diſsimiles, pari tamen ratione impulſi à veritate deflexerunt. Quum enim quærerent cauſam ſalutis hominum, nec eam in Euangelio, ſed ex ingenij ſui commento inueſtigarent, aliis Cain placuit, aliis Abel, aliis Seth. Quæ tanta opinionum varietas inter eos accidit, quòd alii aliorum ſẽtentiæ, in qua tam multa abſurda dici videbant, non poterãt aſſentiri. Itaque vnius hæreſis exortus & improbatio, alterius inducendæ & excogitandæ cauſa fuit, vt non lõgè diuerſo tempore omnes hæ natæ videantur. Viguit autem hæc ſecta in Ægypto maximè, quæ tamen non diuturna perſtitit, ſed concidit ſtatim. Scribit enim Epiphanius ſua iam ætate nulla illius veſtigia vſquam extitiſſe. Itaque non latè vagata eſt, vt ex ſuperioribus hęreſibus multę, ſed penè in ipſis cunis extincta conticuit & periit. A

2 *Eum quippe.)* Quum Valentinianorum ſententiam de cauſa ſalutis generis humani quidã nõ probarent, tentata eſt ab eorum diſcipulis, qui poſtea ſequuti ſunt, illius opinionis emẽdatio & correctio quędam. Iam enim AEones velut vetus quędam fabula, obſoleuerant. & illa inepta & intricata natiuitas diuina Chriſti à Valentino conficta, exploſa fuerat: errores tamen de Mediatore noſtro apud Deum, de cauſa vitioſitatis hominum, & peccati originalis fonte manſerant, quos auxerunt homines, dum falſas ſententias & explicationes extra Dei verbum quærũt. Hæ verò ſunt præcipuæ Sethianorum erroris hypotheſes. 1 Seth natum eſſe volunt ex ſuperiore quadam virtute, quam appellant Matrem, quæ cum ſummo omniũ Deo & Patre coiens Sethum tanquam electorum omnium, & bonorum virorum parentem procrearit, non è terra, vt primi Valentiniani docebant, quemadmodum Irenæus ſcribit lib. cap. 15. ſed ex Dei ipſius ſubſtantia, & ad veram illius ima- B
ginem. Creatum autem eſſe Sethum, propterea quòd Abel qui futurus erat ſtirps bonorum hominum, inuidia & ſuggeſtione Angelorum quorundam à Caino interemptus fuerãt. In diluuio verò (quod etiam vlciſcendæ Abelis necis gratia ab illa matre & ſumma virtute inductum eſſe contendunt aſtu eorum Angelorum, qui Cainum crearant, immiſſum fuiſſe aliquod ſemen Caini in arcam Noe: & inde tot homines improbos poſtea ſatos dicunt. Sethi autem vxorem appellãt Ὡραίαν, ex qua bonos omnes ille ſeuerit, quam potius Ἀζοῦζαν nominatam ſcribit Epiphanius. 2 Error, Chriſtum, qui è virgine Maria natus eſt, non alium fuiſſe quàm Sethum. 3 Carnis reſurrectionem negant, quod dogma impiiſsimum omnibus Valentinianis commune fuit ex Simonianorum ſchola ſumptum. 4 Angelos cum mulieribus coiiſſe ad homines gignendos, & primùm duos homines ex iis natos, vnum è terra: alterum è ſemine cæleſti; qui maſculo fœmina eſſet, & velut Androgynus, & ad Dei imaginem ſolus formatus. Deus autem, vt aiunt, duplicem illam C
naturam ſimul coniunctam in ſe habet, maris ſcilicet & fœminæ. Hoc caput ex falſa cap. 6. Geneſ. interpretatione natum eſt, cuius veſtigia etiam in ſcriptis veterum, adeóque Lactantii inſtitutionibus adhuc manent, & in libris Rabbinorum, quĩ putant Ádamum ita creatum à Deo, vt mas fœminæ in eodem indiuiduo & ὑφισαμένῳ ſibi latere adhærerent.

Cap. XX.

Archontici cur dicti. Erroris autem eorum caput hîc triplex.

Archontici à principibus[1] *appellati. Vniuerſitatem, quam Deus condidit, opera*[2] *eſſe principum dicunt. Operantur etiam quandam turpitudinem. Reſurrectionem carnis negant.*

1 *A principibus appellati.)* Non videtur hoc loco temporis obſeruata ratio. Nam ſi Epiphanio credimus, cœperat iam Conſtantius Conſtantini magni filius imperare Conſtantinopoli, quum cœpit hæc hæreſis. Primus autem Conſtantii impe-

A ratoris annus incidit in annũ à paſſo Chriſto 308. Hîc tamen Archontici ante Marcionitas(qui iam extremo Antonini Pij imperatoris tempore cœperant eſſe)collocãtur,id eſt,ante annum à Chriſto paſſo 128.vt quantum inter vtroſque temporis interuallum intercedat, facilè colligi poſsit. Ratio verò huius ordinis, quem etiam Epiphanius ipſe ſeruat, videtur eſſe, quòd Archontici vltimi Valentinianorum fuerint, quorum ſectam & ſucceſsiones quum Epiphanius continua ſerie perſequeretur,hos cum ſuperioribus, quanquam tempore diſtent inter ſe, coniunxit propter dogmatum ſimilitudinem,& ſcholæ ſucceſsionem. Fuit enim hæc hæreſis vltima Valentinianorum fæx,& poſtremus partus. Ex quo apparet Valentinianos, ſi tempus ortus & interitus eorum ſpectemus, penè per annos ducentos in Eccleſiam Dei graſſatos eſſe. Sed iis ceſſantibus, alij non minus crudeles & damnoſi ſuborti ſunt. Dicuntur autem hi Archontici, ἀπὸ τῶν ἀρχόντων, vel ἀρχῶν.i.Poteſtatibus, quas ſtatuebant velut ſecundarios quoſdam B deos,& Angelorum etiam ipſorum patres. Iſidorus appellat Archontiacos, neſcio quàm rectè, quemadmodum nec illud ab eodem ſatis accuratè ſcriptum eſt,eos Ἄρχοντας,quos colebant Archontici,& à quibus mundum conditum affirmabant, eſſe Archangelos. Imò verò longè ipſis Archangelis ſuperiores & diuiniores faciunt iſti ſuos Ἄρχοντας,quos etiam volunt eſſe ipſorum & Angelorum & Archangelorum patres ex matre Photenia. Quanquam tamen non diffiteor vanas illas de Angelis & variis eorum ordinibus ſpeculationes,quæ inter ſcholaſticos locum habent, ab iſtis initiis,& nugis & hæreticorum cœnoſis erroribus hauſtas fuiſſe. Cœpit igitur hæc peſtis tetrũ ſuum odorem ſpargere ſub Conſtantio, vt ait Epiphanius,Conſtantini magni filio,cuius autor fuit Petrus quidam Anachoreta & monachus Paleſtinus, qui in pago Carbaricha tribus milliaribus ab vrbe Hebron remoto agebat,& magnam pietatis & ſanctitatis inter homines opinionem ſibi vindicarat. Sed in illa ſolitudine, vanis iſtis & pernicioſis de C Angelorum,& cæleſtium poteſtatum natura & operibus diſputationibus ſe dedidit, turgens carnis ſuæ ſenſu, & in ea quæ non viderat,ſe ingerens, tam boni nimirum & felices ex iſto ſolitario & melancholico vitæ genere fructus apparent. Hunc ſuum errorem ſparſit idem poſtea latiùs per quendam Armenium monachum nomine Eutactum, qui in patriam Sethalem rediens hoc lethale virus per totam vicinam regionem effudit. Itaque quẽadmodum ſcribit Epiphanius,Armenia minor primùm,deinde autem maior etiam Armenia hoc veneno imbuta eſt vnà cum Palæſtina. Nec illud euomere tam citò hæ prouinciæ poſtea potuerunt. Itaque propagatum eſt hoc malum,& durauit aliquandiu in illis locis,in quibus etiam in plures ſectas ſe diſſecuit & diuiſit. Ex Archõticis enim orti ſunt hi hæretici, quos Aſcodruptas vel Aſcothryptas(vtroque enim nomine dici poſſunt.Hierony. etiam in Prologo libro 2.ad Galat. Aſcodrobos corruptè vocauit.) Græcè autem Ἀσκοδρύπτας vel Ἀσκοθρύπτας vocant: propterea quòd omnia vaſa Sacramentis adminiſtrandis deſtinata frangerent & furioſè comminuerent.Hi enim vti & Archontici Sacramentorum vſum in Eccleſia mirè deteſtabantur, & damnabant, de quibus Aſcodruptis A agit Theodoretus lib.1.De Archonticis autẽ pauci ſcribunt.Nam eos & Tertullianus & Irenæus noſſe non potuit,quorum ſeculo iſti hæretici nõdum nati erant. Variæ tamen & horrendæ fuerunt Archonticorum hypotheſes.

2 (*Opera eſſe principum.*) Erroris capita tria recenſet Auguſt.ex Epiphanio. 1 Mundum hunc à quibuſdam cæleſtibus poteſtatibus cõditum eſſe, non à Deo.Hoc ex Valentinianorum fermento,& AEonum commento fuit.Cuique autem cælo(ſeptem autem tantùm cælos conſtituunt) præfectũ eſſe Angelum vnum,& illi,tanquam glebæ, addictum à quo recedere non poſsit. Angelos autem ab illis Poteſtatibus ex Photenia matre.i.luce,tãquam à pluribus adulteris cum vno ſcorto coeuntibus prognatos.Iſtud ex Ariſtotelicis ſcriptis ſumptum eſt,præfectas eſſe cælis quaſdam intelligentias,quod commentum etiam Hieronym. alicubi probauit,& retinuit: authoritate tamen Scripturæ confirmari non poteſt.Planè autem in Archonticis erronea eſt illa de generatione Angelorum ſententia, B & hæc eorundem, Animas hominum eſſe cibum & alimentum illarum poteſtatum ſpiritualium. 2 Turpitudinem morum,& imprimis ſtuprorum,cum ſuo dogmate coniungunt, quia bona opera prorſus eſſe ſpernenda,tanquam inutilia, homini Chriſtiano docent.Itaque Epiphanius appellat eorum vitam βορβορώδη.i.ſpurcitiei plenam. 3 Carnis reſurrectionem negant, quanquam Heracleonitas imitati,mortuorum ſuorum capitibus oleum & aquam cum quorundam verborum demurmuratione infundunt,vt eos à peccatis expiẽt. Inde Purgatorij & Extremæ vnctionis Papiſticæ error cœpit. 4 Sacramenta à Domino noſtro Ieſu Chriſto inſtituta & nobis relicta tollunt, & ex Eccleſia prorſus eiiciunt, quòd indignum putent vt res ſpiritualis vllius terreni elementi ſimilitudine repræſentetur,& res cæleſtis per corporalia & ſenſibilia ſignificetur, aut peragatur. Itaque hi verè ſunt Sacramentarij. 5 Vetus Teſtamentum in multis calumniantur,non tollunt tamen omnino, C ſed apocryphos libros habent,è quibus hi ſunt præcipui, Maior & Minor Cõcordantia, item ἀναβατικὸν Iſaiæ Prophetæ ex cap.10. Ex iis fundamentis ſua deliria confirmant. 6 Saluos fieri homines, quanquã turpiſsimè & flagitioſiſſimè viuant,modò præ ſe ferant Dei cognitionem.Fidẽ enim tanquam mortuam quandam arborem ſomniant(quę bona opera non producat,ſed ſit in nuda dogmatũ cognitione & matæologia, non autem in charitate & præſtatione)quam Iacobus cap. 2. diſertiſsimè damnat & Chriſtus ipſe Luc.11. v.28. 7 Diabolum eſſe filiũ Dei Sabaoth,ſiue Dei Iudæorum, non autem Dei Chriſtianorum. 8 Diabolum ipſum ex Eua generaſſe Cain & Abel,quorum vterque eſt reprobatus à Deo,& miſer.Hæ ſunt Valentinianorum ſcholæ & doctrinæ infeliciſsimę propagines, & poſtremæ ſordes, niſi quis Florianos addat,de quibus poſtea.Itaque ad Marcionitas, & eorum parentem veniamus.

CAP. XXI.

Cerdoniani vnde dicti. Erroris autem eorum capita quatuor recitata.

Cerdo-

A *Cerdoniani à Cerdone[1] nominati, qui duo[2] principia ſibi aduerſantia dogmatizant, Deúmque Legis ac Prophetarum non eſſe patrem Chriſti, nec bonum Deum eſſe: ſed[3] iuſtum: Patrem verò Chriſti bonum: Chriſtúmque ipſum neque natum ex fœmina, neque habuiſſe carnem, ſed nec verè mortuum, vel quicquam paſſum, ſed ſimulaſſe paſſionem. Quidam verò in duobus ſuis principiis duos deos ita eum dixiſſe perhibent, vt vnus eorum eſſet bonus: alter autem malus. Reſurrectionem mortuorum negant. Spernunt etiam Teſtamentum vetus.*

1 *A Cerdone nominati.)* Quod in bellis homines faciunt, idem in oppugnanda Chriſti veritate Satan molitus eſt, & tandem perfecit, vt pluribus in locis variiſque ſtratagematis inſidias ſtrueret, ne, ſi aliquæ ex iis detectæ eſſent, & cederent malè, omnino victus ſuperatúſque maneret. Itaque eodem penè tempore Valentinum & Cerdonem ex eadem infeliciſſima Simonianorum ſchola produxit, qui diuerſam prorſus viam ingreſſi, fidei tamē Chriſtianæ doctrinam euerterent. Quia enim B Euangelica doctrina vnum & eundem Chriſtum mediatorem noſtrum, & Deum verum, & hominem verum fuiſſe tradit (alioqui enim pax nobis apud Deum conſtare non poteſt) vtrunque hoc fidei noſtræ fundamentum diruendum ſuſcepit. Erant enim iam putidiores & notiores primi illi Simonis Magi errores, quàm vt quiſquam vel leuiter fide Chriſtiana imbutus iis aſſentiretur. Itaque alios peperit Satan ex iis quidem ipſis cœnoſis fontibus hauſtos, ſed tamen nouis coloribus nouáque forma interpolatos, vt quid nouum & prorſus adhuc inauditum Eccleſię proponi videretur, eóque ipſo commendaretur. Ita verò inter Valentinum & Cerdonem munera illa ſæuiſſima partitus eſt Satan, vt Valentinus quidem intricatiſſimis fabulis & percenſionibus AEonum & genealogiarum ineptiſſimis diuinam Chriſti natiuitatem de Deo Patre prorſus inuolueret, & incredibilem redderet. Cerdo verò & poſt eum Marcion humanam Chriſti de Maria virgine natiuitatem apertè negaret, & ementitam eſſe contenderet. C Quibus ſententiis & erroribus ſemel receptis, vtrunque fidei noſtræ fulcimentum & fundamentum planè conuellitur & ruit. Vide Theodoretum Dialog. 2. qui dicitur Inconfuſus. Præclarè enim Auguſt. li. 13. cōtra Fauſt. cap. 8. Sic enim ait, Quidam Deum credendo Chriſtum, & hominem negādo errauerūt: & rurſus quidā hominē putando, & Deum negando, aut contempſerunt, aut in homine ſpem ſuam poſuerunt. De Valentinianis vero & eorum ſecta, ſiue longa ſcholæ ſucceſſione ad hunc vſque locum diximus. Ergo de Cerdone, Marcione, & Marcionitis tractatus ab Auguſtino, qui Epiphanii veſtigia κατὰ πόδας ſequutus eſt, nūc inſtituitur. Ex quo facilè intelligitur hîc non haberi rationem temporis in recenſendis hæreſibus: ſed potius dogmatis, & continuationis ſcholæ. Fuit enim nefarij iſtius erroris de tollenda & perneganda humana Chriſti natura primus author Cerdo, quanquam de eo quiddam Simon antea dixerat, ſed nullis penè rationibus erat vſus, vt non tam ab illo defendi, quàm tantùm proponi hic error videretur. Cerdo verò iſte, à quo poſtea tam peſtilentem halitum Marcionitæ bibe-runt & traxerunt, acerrimè tutatus eſt, & in eo propagando ſe mirum impoſtorem præſtitit. A Vixit autem Cerdo ante Marcionem, vt ſcribit Irenæus libro 3. cap. 4. ſub Higino primo, Romano pontifice, & Antonino Pio Imperatore, cuius hæreſis innotuit eodem tempore, quo Valentiniani, Circa annum à Chriſto paſſo 110. E Syria profectus eſt Romam, vbi, quemadmodum etiam alii hæretici & antea fecerant, & poſtea quoque continuatum eſt, venenum ſuum ſparſit. Fertur autem mortuus eſſe demum anno temporis vltimi. i. à Chriſto paſſo 148. adeò vt totos 38. annos hic impoſtor bellum aduerſus Chriſtum geſſerit. Sæpe tamen fictam erroris pœnitentiam ſimulauit, ſæpe exomologeſin in Eccleſia fecit, ídque Romæ, tamen immani ambitione abreptus latenter ibidem loci hæreſin ſuam docebat, vbi tandem à cœtu fidelium eſt excommunicatus. Propter magnitudinem enim vrbis Romæ & ciuium libertatem, in eo potiſſimum loco tantæ peſtes latere poterant, quanquam deprehenſæ non tolerabantur, ſed iam in vrbe Septicolli agebat Satan myſterium illud iniquitatis, quod demū abſoluit. Quidam Cerdonianos conſtituunt recentiores, B quaſi anno tantùm à Chriſto paſſo. 147. cœperint & exorti fuerint poſt Blaſtum & Florianos hæreticos, atque etiam poſt Tatianos, qui vt primùm ſub Commodo Imperatore nati ſunt. Sic Theodoretus lib. 1. Irenæus tamen lib. 1. cap. 28. Epiphanius, Euſebius libr. 4. cap. 10. Hiſtor. ſub Higino collocant. Nec moror ordinem quem ſecutus eſt Iſidorus, qui recenſet eos poſt Angelicos & Adamitas & Apoſtolicos hæreticos, quia multa in eo autore corrupta & peruerſa videntur. Quod ad Tertullianum attinet, qui ponit poſt Marcum & Colarbaſium, rationem diximus. Ille enim omnes Valentinianos continua ſerie perſequi maluit, quàm inſtitutum ordinem abrumpere. Ergo à Simonianis ortus eſt Cerdonis error, vt omnes tradunt. Alius enim eſt hic Cerdo, quàm ille qui vixit ſub Traiano & Alexandrinæ Eccleſiæ fuit epiſcopus, de quo Euſeb. lib. 3. cap. 21. Clemens non meminit Cerdonis, quanquam Marcionitarum hæreſin ſæpe refutauit.

2 *Qui duo principia.)* Locus hic ex Epiphan. tom. 3. libr. 1. ſumptus eſt. C Continet quatuor Cerdoniani veneni capita. 1. Duos eſſe deos & principia ſibi mutuò pugnantia & contraria. Vnum enim eſſe ſuperiorem Deum, qui bonus & miſericors & clemens ſit, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, quanquam ante Euangelium fuit, ait ille, ignotus. Alterum Deum eſſe ſęuum punientē mala, & rigidum, & quem vocat hîc Auguſtinus iuſtū: (ſed illam Dei iuſtitiam opponebat Miſericordię, tanquam res inter ſe pugnantes) Itaque iubet, ait Cerdo, hic alter Deus oculum pro oculo, & dentem pro dente eruere: ille autem prior præcipit vt inimicos diligamus. Hunc quem vocat ſæuum & iuſtum, ſæpe etiam malum appellauit, quem dixit eſſe Mundi creatorem, & iampridem Iudæis notum Deum. Hic error iugulatur Hebr. 1. ver. 1. Roman. 1. verſ. 1. Galat. 4. verſ. 4. 2 Legem Dei per Moſen datam & Prophetas veteris Teſtamenti, qui fuerunt illius interpretes, repudiat tāquam illius ſæui Dei miniſtros, & Deo Euangelii contrarios. Attamē ab iis Chriſtus ipſe teſtimonium accipit, Ioan. 5. v. 39. 3 Chriſtum ex Maria virgine natum negat, vel hominem factum & verè paſſum, ſed tantùm ſimulatè & fictè. Denique ſummum

A impoſtorem facit Chriſtum impius & blaſphemus Cerdo,& totum ſalutis noſtræ fundamẽtum ſubruit. 4 Carnis reſurrectionem negat,quod nobis tanquam rancida Simonianorum repotia apponit.

3 *Sed iuſtum.*) Sic legendum, non autem vt eſt in margine impreſsi codicis, Nec iuſtum. Iuſtitiã enim Miſericordiæ tanquam contrariam opponebat,& negabat Deum,qui aliquas de ſceleribus hominum pœnas ſumeret, eſſe miſericordem, quaſi non benè inter has pulcherrimas virtutes, Iuſtitiã dico & Miſericordiam cõueniat. Denique vocem hanc, Iuſtum, retinendam eſſe docet locus Euſebii,qui eſt lib.4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 11.vbi fit hæc inter iuſtum & miſericordem Deum ἀντίθεσις, & vnde hic Auguſtini locus procul dubio ſumptus eſt.Confirmatur etiam authoritate Thodoreti, in libro Epitome Diuinorum Decretor.cap. Quod idem ſit bonus & iuſtus.

CAP. XXII.

B

Marcionitæ vnde dicti. Vnum autem erroris eorum caput deſcribitur.

Marcion quoque[1] *à quo Marcionitæ ſunt, qui Cerdonis ſecutus eſt dogmata de duobus principiis: quanuis Epiphanius eum tria dicat aſſeruiſſe principia, bonum, iuſtum, prauum. Sed Euſebius*[3] *Synerum quendam, non Marcionem, trium principiorũ atque naturarum ſcribit autorem.*

1 *A quo Marcionitæ.*)Marcionitæ an Marcioniſtæ dici debeant,quæri poteſt,& vtroque modo tum à Græcis tum à Latinis ſcriptoribus appellantur,melius tamen & analogiæ aliorum nominatorum conuenientius Marcionitæ nominantur, quemadmodum à Tertulliano paſsim.Fuit autem hæc hæreſis nocentiſsima Cerdoniani ſeminis ſeges,qua tetriorem & Eccleſiæ Dei peſtilentiorem antea non produxerat Satan : ſed paulatim creuit ipſius Satanæ improbitas,&,vt ita dicam,ingeniũ: quòd fidem noſtram tentando, & ſubinde nouos errores gignendo videtur in dies euaſiſſe ſubtilior C & acutior Satan,adeò vt iam maioribus viribus & robuſtiori fraude ſe ſuáque venena ſeminaret & tueretur.Itaque Marciõ hic, à quo dicti ſunt Marcionitæ,& ſerpens & lupus Eccleſiæ, & primogenitus Diaboli appellatus eſt,etiã à Polycarpo ipſo Ioannis Euangeliſtæ diſcipulo, vt refert Irenæus libro 3.cap.3.Euſeb.lib.5.cap.13. Vulgò autem in contemptum totius ſectæ idem Marcion Ponticus & nauta & nauclerus appellabatur, quemadmodum ab Irenæo lib. 1.cap.29.Tertulliano,Iuſtino,Clemẽte,& Euſebio li.4.cap.11.Fuit igitur hic Marcion Cerdonis diſcipulus,quem Romæ vidit, & cum eo familiariter conuerſatus, illius furores auxit, natione Ponticus, ortus Synope ciuitate, quæ ad Pontum Euxinum ſiue Hellenopontum ſita eſt in Paphlagonia,ſicuti Xenophon in hellenicis ſcribit,& vetus Mileſiorum colonia erat: ſed Scytha tetrior,Maſſageta inhumanior, Iſtro fallacior,vt ait Tertullianus libro 1.Aduerſ.eum,in Europam migrauit hęc belua Marcion. Ac epiſcopo patre viro probo natus erat,fuítque in adoleſcentia ſanctitatis oſtentator,adeò vt,quemadmodum ſcribit Epiphanius,virginitatem Monachi habitu profiteretur. Fuit enim μονάζων. Tam boni nimirum & ſuaues fructus ex hoc vitæ genere & voto A caſtitatis naſcuntur, nempe grauiſsimæ hæreſes. Chriſtianam igitur primùm pietatem & orthodoxam fidem profeſſus eſt & amplexus, viuens vnà cum patre ſuo Marcion,quod ex ipſius epiſtola apparere ſcribit in lib.De carne Chriſti, Tertullian. Sed cùm virginem ſtupraſſet, à patre excommunicatus eſt,qui poſtea eum,quanquam animi reſipiſcentiam fingentem admittere in Eccleſiam noluit,quòd ſubdolum filii ſui ingenium norat pater & epiſcopus. Quamobrem Marcion Romam venit,vbi ſe veniam facilius ab Eccleſia impetraturũ ſperabat,quam tamen non obtinuit. Nam Roma. Epiſcopus eam tyrannidem, quam nunc in alios epiſcopos exercet,nondum vſurpauerat, vt epiſcoporum epiſcopum ſe diceret, ſed epiſcopatus ſui finibus ſe modeſtè continebat. Reſpondit igitur Marcioni ſe ἄνευ ἐπιτροπῆς τοῦ ἰδίου πατρὸς καὶ ἐπισκόπου, ſiue iuſſu proprij patris & epiſcopi,vt ſcribit Epiphanius,eum abſoluere non poſſe ab excommunicatione,quæ ab alio facta eſſet, quod veterum B ſynodorum decretis conſentaneum eſt, & diu quoque fuit vſitatum,quemadmodum Ruffin. libro.1. Hiſtor.cap.6. refert, vt ab vno epiſcopo excommunicatus ab alio non abſolueretur. Sed hac impetrandæ veniæ deſperatione perculſus Marcion ſe Cerdoni adiunxit,quòd ſeueriorem in ſe Eccleſiæ diſciplinam experiretur & eſſe conquereretur. Venit autem Romam quemadmodum libro 1. Aduerſ.eũ ſcribit Tertullian. ſub Antonino Pio, circa annum à Chriſto paſſo 115.ſub Higino,vt ait Platina:Tertullian.ſub Eleuthero. Cœpit autem poſt Cerdonem innoteſcere illius hæreſis ſub M. Antonino Philoſopho imperatore, & Aniceto põtifice Romano, circa annum à paſſo Chriſto 133. quanquam Clemens libro 7. Stromat. vult adhuc eo ipſo tempore vixiſſe, & fuiſſe Romæ Valentinum hæreticum, quem iam ſenem Marcion iuuenis viderit. Occaſio errandi fuit, quòd circa quæſtionem De origine mali & peccati langueret, vt excuſaret ſuum ſcelus. Itaque ex eo quod dictum eſt Matth.7.verſ.17.Omnis arbor bona bonos fructus facit,mala verò malos:errorem Cerdonis am- C plexus eſt & defendit. Stoicæ tamen diſciplinæ fuiſſe à prima ſtatim ætatę ſtudioſum, & illi nimium addictum volunt,vnde Iſidorus vocat eum Stoicum philoſophum, quanquam Chriſtianum ſe,non Ethnicum philoſophum profitebatur. Inde illud Tertullian. Marcionitis Deus melior de tranquillitate à Stoicis venerat. Scribit tamen Clemens libro 7. Stromat. Marcionem iactare ſolitum ſe ſua commenta non ab ſeſe,ſed ab ipſis Apoſtolorum diſcipulis habuiſſe, iis nempe qui Matthæi,de quo eſt Actor.1. auditores fuerant, quæ iactantia eſt falſiſsima. Itaque Romæ ab Eccleſia excommunicatus iterum eſt, & reddita ſunt illi CC HS. quæ apud eam depoſuerat. Tamen pœnitentiam agere & errorem abiurare paratus hac conditione veniam impetrauerat, vt quos corruperat Eccleſiæ reſtitueret, ſed morte præuentus præſtare non potuit. Alij verò Synerum quendam potius huius erroris, quem Marciõ ſecutus eſt, autorem faciunt, de quo poſtea. Cæterùm latiſsimè vagata eſt hæc hæreſis, & vt ait Epiphanius,Romam ipſam, Italiam, Ægyptũ, Thebaida, Arabiam,Palæſtinam,Cyprum,denique Perſidem

A remotiſsimam gentium peruaſit hoc venenum. Diutiſsimè etiam hoc malum in Eccleſia graſſatum eſt,adeò vt ad noſtra vſque tempora durauerit. Quanquam verò Imperatorũ Chriſtianorum legibus ſeueriſsimè ſtatim coerceretur, tamen etiam Conſtantini Magni temporibus erupit, vt in eius vita libro 3.ſcribit Euſeb.& tempore Arcadij imperatoris viuente Theodoreto Cyri epiſcopo, qui ſe huius ſectæ homines vidiſſe ait,libro 5. Hiſtor.cap.31. & libro Fabul. hæretic. commemorat reſponſum ſenis cuiuſdam Marcionitæ qui mane ſputo, non autem aqua manus ſuas abluebat, ne rebus creatoris vteretur.Denique Epiphanius ſcribit ſuo ſeculo adhuc quoſdam Marcionitas Romæ natos fuiſſe. Multas hæreſes vti vipera viperas, ſic hæc hæreſis peperit , & ſucceſſores ſcholæ plurimos audaciſsimóſque homines habuit, inter quos hi fuere primi & præcipui , Lucianus quidam,Potitus,Blaſtus,Synerus,Prepo,Pithon,Hermogenes,Afer,Apelles & alii. Denique interpolata tandem eſt hæc hæreſis nouo nomine B Aduerſariorum Legis & Prophetarum, quod genus hominum ſuo ſeculo inimicum habuit Auguſtinus. Martyres etiam ſe habere iactant,vt ſcribit Euſeb. libro 5.cap. 16. inter quos recenſet Methodorum Smyrnæ crematum libro 4.cap.16.ſed falſò.Nam cauſa facit martyres , quemadmodum Cyprianus ait,non autem pœna.Multi autem tum Græci tum Latini patres aduerſus Marcionitas ſcripſerunt, neque orthodoxi ſolùm,ſed etiam ex aliis hæreticis quidam, velut è Tatianis Rhodon quidam, & Bardeſanes.Prudentius poeta Latinus præter Tertullianum áduerſus eos edidit quædam carmine, vt ex eo ſatis apparet etiam illa ætate,quæ fuit ætas Ambroſij Mediolanenſis epiſcopi,Romæ viguiſſe adhuc Marcionitas.

2 *Secutus eſt dogmata.)* Dubitare videtur Auguſtinus vtrum Marciō duos an tres deos & principia prima conſtituerit. Nec caret ea dubitatio ratione. Epiphanius enim , quem vnum maximè ſequitur Auguſtinus, & qui videtur hæc diligentiſsimè ſcrutatus,tres deos eum conſtituiſſe ſcribit, C Summum, quem bonum & inuiſibilem eſſe dicebat:Imum , quem viſibilem factum eſſe dicebat, & malum appellabat: Medium, quem quoque eſſe dicebat Diabolum. Theodoretus autem libro 1. De fabul.Hæreticor.ait eum finxiſſe non tres tantùm,ſed quatuor deos. Tribus enim ſuperioribus addidit Materiam, & pro Diabolo Serpentem ſubſtituit. Theodoret. quem ait à Marcione pro Deo cultum eſſe. Itaque Hermogenianæ hæreſeos parens & primus autor eſt Marcion. Verior tamen eſt eorum ſententia, qui duos tantùm deos ab eo inductos ſcribunt. Vnum Creatorem huius mundi,quem non tantùm iuſtum vocauit , quemadmodum Cerdon,ſed etiam ſæuum,crudelem,& malum. Itaque vbique vocatur Marcion à Clemente & imprimis libr. 3. & 4. Stromat. ingratus in autorem ſuum,& totius naturæ parentem. Alterum autem Deum dicebat eſſe Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti,& eum bonum, clementem, & miſericordem appellabat. Atque vtroſque hos deos magna inter ſe diſtantia ſeparatos. Hæc Irenæus lib.2.cap.1.lib.4.cap.57.Tertullianus paſsim Euſeb.lib.9.Hiſtoriæ,& Iſidorus.Hinc autem Manichæorũ deliria & ſemina ſumpta fuiſſe videtur, & tota illa diſtinctio inter gentem Lucis & Tenebrarum,quæ à Manichæis inducta eſt. A Hic eſt primus Marcionis error,qui ex veteris & noui Teſtamenti diſcrimine non intellecto , & aliquot locis Scripturæ perperam explicatis natus eſt.

2 Error,non leuior:Chriſtum Dominum noſtrum non eſſe Filium Dei Creatoris,imò nec hominem verè fuiſſe, ſed fictum & phantaſticum corpus habuiſſe & geſtaſſe , quod è cœlo non ex virginis Mariæ ſubſtantia ſumpſerit. Vnde nec eum verè pro nobis eſſe paſſum,ſed tantùm δοκήσει & phantaſmate quodam ſiue illuſione. Et certè veteres quidam,quemadmodum Hilarius libr.19. de Trinit. dum nimium Chriſti humanam naturam à noſtra ſeparare conantur,huius Marcionitarum hæreſeos ſemina aut potius propagines in ſuis ſcriptis retinuerunt. Baſilius libro 5. Contra Eunom.vocat corpus Chriſti,σὰρξ κόσμιον,quod fuerit à Spiritu S.creatum, non quòd Marcionitarum exoleto iam errori faueret. Marcion denique totam illam de Chriſti paſsione & morte hiſtoriam, tragicam tantùm fabulam fuiſſe contendebat , per quam præſtigiis quibuſdam Chriſtus illuſerit B ſpectatorum,imò verò diſcipulorum ſuorum oculis. Væ autem iſtius hominis furori,qui cùm diabolis ipſis teſtibus reuincatur,Marc.1.verſ. 24. tamen & à Manichæis antea , & nunc à quibuſdam Anabaptiſtis defenditur. Itaque genealogiam Chriſti à Matthæo & Luca deſcriptam delebat ex Euangeliis,quod etiam poſtea fecit Fauſtus Manichæus, vt ſcribit Auguſtinus libro 2.3.& 7.Contra Fauſt. Hæc ipſa ex Simonianis fabulis hauſta ſunt. 3. Creationem mundi fabuloſis figmentis inuoluit. Primum quidem mundum hunc totum eſſe vult opus indignum bono Deo,propter ſummam ἀταξίαν quæ in eo apparet. Nec diſtinguit inſanus Marcion à Deóne an à peccato hominis hæc labes mundo iam facto & pulcherrimo quidem infuſa ſit. Deinde cœlum ait eſſe ex materiæ (quam coæternam Deo conſtituit, vt Hermogeniani) ſuprema & puriſsima parte conditum: ex fæce eiuſdem materiæ Tartarum ſiue infernum factum ex mediis ſeu reliquis eius partibus mundi huius elementa & res cæteras productas. Hos furores C Hermogenes poſtea retinuit & auxit. 4 Legem Dei per Moſen promulgatam, itémque Prophetas veteris Teſtamenti omnes repudiat & reiicit. Denique totum vetus Teſtamentum damnat. In quo varias ἀντιθέσεις , quemadmodum ſcribit Tertullianus afferebat,quas ipſe collegit:& in hoc vno maximè laborauit ille venenatis ſcriptis & ſibilis, vt Legem contrariam Euangelio κατὰ πάντα demonſtraret. Itaque hoc proprium & principale opus Marcionis fuiſſe ait Tertullianus. 5 Carnis reſurrectionem fore negauit, quòd animam ſolùm fore ſaluam credidit, non etiam corpus hominis. Atque hoc illi cum ſuperioribus hæreticis & Simonianis commune fuit. 6 Per Ieſu Chriſti Domini noſtri deſcenſum ab infernos animas Sodomitarum, Eſau, Caini & aliorum reproborum & damnatorum hominũ è morte æterna ereptas, & in cœlum traductas.Id quod & Cainorum errorem confirmauit, & Limborum Papiſticorum fundamenta iecit. 7 Nuptias damnauit & ad ſuæ ſectæ commendationem ſuos virginitatem & caſtitatem profiteri voluit. Itaque etiam concordantes inter ſe coniuges ſeparauit, & induxit ſuaſitque fieri diuortia inter bene cōſtituta matri-

monia contra verbum Dei. Sed & carnium eſum, imprimis autem animalium prohibuiſſe Marcionem ſcribit Irenæus lib. 1. cap. 30. 8. Baptiſmum repetendum eſſe docuit, ſi quis poſt primum acceptum lapſus eſt,nec id ſemel tantùm, ſed ter, & ſæpius,& quoties quis peccaret. Anabaptiſtarum familiam hæc opinio ſeminauit. 9 Pro mortuis Catechumenis quoſdam ſubſtituunt, quos illorum nomine baptizant, vt illi iam mortui ſalui fiant.Pauli loco abutentes qui eſt 1. Corinth. 15. verſ. 29. Inde pro defunctis oratio, & animabus eorum interceſsio inualuit.Quin etiam pręter veteris Eccleſiæ morem præſentibus Catechumenis & baptizant,& ſacramenta adminiſtrant. 10 Docent mulieres poſſe baptizare, quod ipſum hodie Papiſtæ ab iis acceptum retinent, & pro ſana doctrina amplectuntur:Can.Adiicimus. 10. quæſt.1. & can.Mulier.De conſecrat.Diſtinct. 4. Atqui vetus Eccleſia pro hęreſi ſemper id habuit, & rectè quidem & conſentienter verbo Dei, 1. Timoth. 2. 1.Corinth.14.& eſt prohibitum concilio Carthaginenſi,ne id Mulieres faciant. Itaque ne virgini quidem Mariæ matri Chriſti baptizare licuiſſe ſcribit Epiphanius lib. 3. Aduerſ. Hęreſ.maximè contra Collyridian. 11. Error.Animarum humanarũ in alia corpora reuolutionẽ & μετενσωμάτωσιν defendit.Quod ex Platonicorum & Pythagoreorum ſomniis profectum eſt. Vnde procul dubio falſa eſt illa quorundam Scholaſticorum ſententia, Poteſt anima quæ ſeparatur à corpore vno, perficere aliud.Confirmat enim hæc ratio παλιγγενεσίαν, & oppugnat reſurrectionem. 12 Bella denique omnino dãnauit tãquam mali Dei opus,nec ea putat licere magiſtratui Chriſtiano gerere vlla ex cauſa:nec homini pio tractare & geſtare arma. Quod Anabaptiſtæ retinuerunt.Atque hæc ferè ſunt venenata hominis tela,& flatus huius ſerpentis peſtilentes aduerſus orthodoxam fidem.

3 *Sed Euſebius.*) Locus Euſebij eſt libro 3. Hiſtor. eccleſiaſt. cap. 13. Et facit Theodoretus hunc Synerum diſcipulum Marcionis lib.1. de Fabul.Hæreticor.

CAP. XXIII.

Apellitæ cur dicti.Erroris autem eorum capita tria recenſentur.

APellitæ[1] ſunt quorum Apelles eſt princeps, qui[2] duos quidem introducit deos, vnum bonum,alterum malum,non tamen in duobus diuerſis,aut inter ſe aduerſis eſſe principiis:ſed vnum eſſe principiũ, Deum ſcilicet bonum,& ab illo factum eſſe alterum,qui cùm malignus eſſet,inuentus eſt in ſua mundum malignitate feciſſe.Hunc Apellem dicunt quidam etiam de Chriſto tam falſa ſenſiſſe, vt diceret eum non quidem carnem duxiſſe de cœlo,ſed ex elementis mundi accepiſſe,quæ mundo reddidit,cùm ſine carne reſurgens in cœlum aſcendit.

1 *Apellitæ ſunt.*) Quàm variè ſtatim diſſecta fuerit Marcionitarum hæreſis docet Irenæus, & poſt eum Euſeb.lib.5.Hiſtor.eccleſiaſt.cap.13. Nã quemadmodum Tertullianus ait, Idem licuit Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio ſuo fidem innouare.Quò fit vt inter hęreticos ſchiſmata naſcãtur,nec tamen ſchiſmata videantur,quia cùm ſint, non apparent eſſe ſchiſmata, propterea quòd licet cuique animi ſui ſententiam tueri, & liberè profiteri exemplo præceptorum. Inter primos verò & notiſsimos Marcionis diſcipulos hi recenſentur, Potitus, Blaſtus, Synerus, Baſilicus, & Lucianus quidam,à quo Lucianiſtæ hæretici dicti ſunt, non ii quidem qui Arriani fuerunt, & his longè ſunt tempore poſteriores, quorum autor Lucianus tempore Conſtantini Magni vixit, vt ait Epiphanius:ſed hi ſunt Lucianiſtæ qui Marcionitarum errores amplexi, nuptias damnarunt tanquam mali Dei opus & præceptum,& Deo Euangelii contrarias,de quo Tertullianus & Epiphanius. Luciano igitur in ſchola ſucceſsit Apelles,ætate iunior, & ipſe tamen auditor Marcionis, qui propriam & à ſe denominatam hæreſin condidit,quos alii Apellitas vocant, vt hîc Auguſtinus & Iſidorus : alii Apelleianos,vt Epiphanius, alii Apellicanos vel Apellicianos, vt Tertullianus in libro De carne Chriſti. Fuit hic Apelles non pictor ille memoratus, qui ante tempora manifeſtati in carne Chriſti vixit,fuitque natione Græcus: non etiam is qui vt vir ſanctus à Sozomeno libro 6.cap.28.commendatur, fuitque anachoreta:ſed hic Apelles fuit natione Syrus,Marcionis diſcipulus,qui propter ſcortationes ab oculis Marcionis magiſtri Alexandriã Roma ſeceſsit. Primùm enim cum Philumena quadam, quam Prophetiſſam vocabat: poſt autem cum alia paſsim ſcortatus eſt, quanquam pręceptor Marcion doceret ſuos vouere continentiam. Florere verò cœpit poſtquam à magiſtri dogmate declinaſſet in alium errorem,& in AEgyptum veniſſet, vbi,quemadmodum & in Aſia,maximè propagata eſt hæc hæreſis. Hîc enim adulter & ſcortator impurus magnam vitæ ſanctimoniam iactabat,eóque nomine apud multos 'αληθεῖς commendabatur. Romæ autem fuit ſub Eleuthero Pontifice Roman. & Commodo Imperatore,adeò vt huius hæreſis cœpiſſe demum videatur anno poſt Chriſtum paſſum 150. & tempore Tertulliani adhuc viuebant qui Apellem Romæ viderant,& poſt Tatianum hæreticum vixit, cùm Pantænus Alexandriæ doceret. Scripſit quædam veluti librum quem Philumenę ſcorti ſui φανερώσεις & reuelationes appellauit, item alium quem inſcripſit,Syllogiſmi, vt tradit Tertullian. Philumenam tamen quidam ad ſequentem hæreſin referunt.Sed Hieronymus Apelli tribuit, à qua, vti ab aliis multis alię hęreſes multę fuerunt propagatę, Hieronym. in epiſt.ad Cteſiphont. de Pelagianis. Nõ videtur diu perſtitiſſe hoc virus. Noua enim nouorum ex eadem Marcionis ſchola hęreticorum ſucceſsione nomen Apellitarum extinctũ eſt.Fuerunt tamen pernicioſiſsimę & plenę blaſphemiæ illius hypotheſes.

2 *Qui duos.*) Varia ſunt erroris Apelleiani capita,hîc tria enumerantur. 1 Vnum eſſe Deum ἀνώτατον & ſummũ, vt ait Epiphanius, qui ſit aliorum deorum principium, & velut informator ſiue eſſentiator, quemadmodum poſtea loquuti ſunt impiiſsimi Seruetani. Hieronymus in catalogo Scriptor. Rhodon, ait, Apellem hæreticum iam ſenem à ſe conuentum quòdam fuiſſe & irriſum ſcripſit, eo quod Deum, quem coleret, ignorare ſe diceret. Itaque à præceptore diſceſsit iſte, quòd Marcion deos duos & æquales

les conſtituebat: hic verò vnum tantùm, quia natura ſingularitatem amat principiorum. Ab hoc autem ſummo Deo eſſe & alium ſecundum qui ſit quidem ipſe lucidus, inclytus, glorioſus & πυρινὸς, id eſt, igneus (quia nimirum Moſi in rubo ardenti Deus apparuerat) & is ſecundus eſt Deus Iſrael, creator mundi, qui quia poſtea malus extitit, condidit mundum malis plenum. Hæc deorum propago ex Platonicorum & Valentinianorũ ſordibus eſt. Manichæi etiam ex his lacunis ſuos fœtores hauſerũt poſtea. 2 Chriſtum corpus quidem habuiſſe ex mundi ſubſtantia, vt ait Theodoretus, id eſt, ex 4. elementis & ſyderea quadam materia compactum, quam quum è cælo veniret, excerpſit. Hinc Seruetanum delirium, & Manichæanum, cum tamen non eſſe hominem, nec carnem humanam induiſſe, quòd illa plena eſt ignominiȩ & dedecoris. Itaque quòd Chriſtus homo videtur fuiſſe, phantaſmate tantùm quodam talem viſum eſſe, non quòd reipſa homo eſſet, vel paſſus, vel crucifix⁹, vel reſurgẽs. Hinc Docetæ hæretici. 3 Eundem Chriſtum quum in cȩlum aſcenderet, corpus illud quod ex elementis, non ex Maria virgine aſſumpſerat, depoſuiſſe, & quanque eius partem in ſua principia rediiſſe, aeream ad aerem: celeſtem ad ſydera: igneam ad ignem. Vnde ſolum Chriſti ſpiritum in cælo eſſe, non etiam eius corpus. 4 Legem Dei & Prophetas reiicit, imprimis autem Moſem damnat, aduerſus quẽ multa ſcripſit, tanquam falſi conuicturus eum. 5 Reſurrectionem carnis fore negauit. id quod & Simoniani & Marcionitæ ſumpſerunt à Sadducæis, quemadmodum Tertullianus, & rectè quidẽ, ſentit. Et hæ ſunt teterrimi hominis aduerſus Deum blaſphemiȩ, aduerſus quas etiam Theodotion Tatianus ſcripſit, quemadmodum Platina ſcribit.

CAP. XXIIII.

Seueriani cur ſic appellati, Erroris autem eorum capita quatuor explicata.

SEueriani à Seuero[1] *exorti, vinum*[2] *non bibunt*[2] *eo quòd fabuloſa vanitate de Satana & terra germinaſſe aſſerunt vitem. Etiam ipſi non ſanam doctrinam ſuam, quibus volunt, inſlant principum nominibus: Carnis reſurrectionem cum veteri Teſtamento reſpuentes. Hic præterea Philumenam quandam puellam dicebat inſpiratam diuinitus ad prænuntiandæ futura, ad quam ſomnia atque æſtus animi ſui referens, diuinationibus ſeu præſagijs eius ſecretim erat ſolitus præmoneri, eodẽ phantaſmate eidẽ Philumena pueri habitu ſe demõſtrante, qui puer apparẽs Chriſtũ ſe aliquãdo, aliquãdo eſſe aſſerebat Paulum, à quo phantaſmate ſciſcitans ea ſoleret reſpondere quæ ſe audientibus diceret. Nonnulla quoque illam miracula operari ſolitam, inter quæ illud præcipuum, quòd in anguſtiſſimi oris ampullam vitream panem grãdem immitteret, eúmque extremis digitulis leuare ſoleret illæſum, eóque ſolo quaſi diuinitus ſibi cibo dato fuiſſet contenta.*

1 *A Seuero.)* Superiori capite dictum eſt Marcionitarum hæreſin tanquam truncum in varios ſtatim ramos pullulaſſe, & eos quidem infelices & inauſpicatos, è quibus etiam hæc hæreſis vnus eſt. Dicti verò ſunt hi Seueriani, quemadmodum etiam Iſidorus vocat, non Seueritæ, vt duæ hæreſes quæ & diuerſo tempore natȩ ſunt, & de diuerſo dogmate diſtinguerentur. Nam Seueriani videntur exorti circa annum à Chriſto paſſo 156. extremo tempore Epiſcopatus Eleutheri Romani Pontificis, & ſub Commodo imperatore. Seueritȩ autem qui & ipſi à quodam Seuero dicti ſunt, ſub Anaſtaſio imperatore Conſtantinopolitano, poſt concilium Calcedonenſe. Fuerunt autem & alij hȩretici nomine Seueriani præter hos, nec procul tamen ab his noſtris remoti, ſed qui Tatiani, nõ propriè Marcionitæ erant, & qui Legem & Prophetas admittebant, quos hi noſtri Seueriani repudiãt & reiiciunt, de quibus Tatianis Seuerianis agit & Euſebius lib. 4. Hiſtor. cap. 28. & Theodoret. lib. 1. Hæret. fabular. qui quũ ſint à noſtris diuerſi, quidam tamen eos imperitè confundunt. Fuit igitur Seuerus is de quo nunc agimus, Apellis in ſchola Marcionitarum ſucceſſor, vel etiam, vt ſcribit Epiphanius, illi σύγχρονος, cuius tamen hæreſis aliquanto poſteriùs innotuit, maximè in Orientali Syria, quum iam Apelles in eadem Syria Meridionali & in Ægypto inſtituiſſet ſuam: ſed Apellis ȩmulatione impulſus Seuerus, errorem & ipſe ſuum cudere voluit. In poſtrema igitur tẽpora Eleutheri Rom. Epiſcopi incidit, adeò vt nec Irenæo nota fuerit hæc peſtis, nec iis patrib⁹ & Eccleſiaſticiis ſcriptoribus, qui ante Commodi imperium mortui ſunt. Quò magis miror quid Platinæ venerit in mẽtem vt Seuerianos ſub Pio primo Rom. Epiſcopo collocaret, qui annis plus quàm 27, Eleutherum anteceſſit. Fuiſſe autem ſub Eleuthero vel ex eo maximè apparet, quòd idem Platina ſcribit, eum voluiſſe, ne quis vllum cibi genus propter ſuperſtitionẽ reſpueret, quos fert humana cõſuetudo, quia iam tum ſoboleſcebant & inualeſcebant iſtæ de vino, & carnibus reiiciendis hæreſes. Non videtur tamen hæc diutius ipſo ſuo nomine duraſſe, quia agmine aliarum hæreſeôn eodem tempore naſcentium ingruente ſuffocata eſt, & velut in cunis extincta.

1 *Vinum non bibunt.)* Hæc iam hæreſis docet quò Satan ſpectarit, quum de mundi creatione fabulas ſpargeret, nempe vt animis hominum ſcrupulum iniiceret, ne liberè Dei creaturis cum gratiarum actione vterentur, ſed iis abſtinerent velut fœdis, ſpurcis, & diabolicis operibus. Quod iam in Saturninorum hæreticorum dogmate apparuit, & adhuc magis in Encratitarum & Manichæorum erroribus videbitur. Recitantur autem hoc loco quatuor huius hæreſis hypotheſes. 1 Vino abſtinent tanquam ſpurca creatura. Vinum enim ex diaboli in ſerpentis forma cum terra coeuntis ſemine productum putant, & vitem enatam. Nam eam tortuoſam eſſe docent. Acinum autem, qui eſt in botro, ſimilem veneno ſerpentis, imò vinum ipſum vti venenum homini eſſe noxium. Botrum denique qui niger eſt, ſimilem eſſe draconi inuoluto. Hæ ſunt fabuloſæ de mundi creatione narrationis conſecutiones & fructus. Atqui Dominus noſter Ieſus Chriſtus vinum bibit, & vinum pro ſigno in ſacroſancta Cœna inſtituit, & in Cana oppido Galilææ aquam in vinum mutauit. Addidit tamen Platina Seuerianos etiam damnaſſe carnis eſum, quod vnde ſumpſerit, non video, niſi ex eo fortaſſe quòd Marcionem, quem ſectabantur, ſcribit Irenæus lib. 1. cap. 30. carne animaliũ veſci ſuos prohibuiſſe. 2 Error, Vetus Teſtamentum &

A Prophetas reiiciunt Seueriani,ipſi autem apocryphos quoſdam libros habent,quibus vtuntur. 3 Carnis reſurrectionem, quemadmodum ſuperiores negant,& proinde vitam æternam.Nam,vt ait Auguſtinus lib.16.contra Fauſt.cap. 29. Mortuum Chriſtum & Pagani credunt: reſurrexiſſe autem Chriſtum,propria eſt fides Chriſtianorum. 4 Mundi creationem certis quibuſdam poteſtatibus & Angelis tribuit Seuerus,quos barbaris & magicis nominibus ad terrendos ſimplices vocat,& his præſtigiis doctrinæ ſuæ virus celat. 5 Mulieres tãquam diaboli & infelicis poteſtatis opus deteſtatur,& auerſatur,prçclariſſimum Dei opus calumnians,quod ad ipſius Dei imaginem cõditum eſſe docet ipſa Scriptura,Geneſ.1. Hinc confirmatum errorem de impuritate nuptiarum fuiſſe nemo ſanus ignorat. 6 Magia & præſtigiis vtitur ex Philumenæ ſuę pręcepto & exemplo,quam verum eſt dæmonem familiarem habuiſſe,quę,quod fieri vix poſſe videtur,efficeret,illudens oculis hominum. B Ergo quod ait Chriſtus fieri non poſſe vt camelus per foramen acus ingrediatur, Matth. 19, iſte præſtigiator quid ſimile ſe præſtare, ſed miniſterio diaboli oſtentauit.Quæ autem de Philumena ſcorto ab iſto Seuero adamata ſcribit Auguſtinus hoc loco,alij ad ſuperiorem hæreticum nempe Apellem referunt,quemadmodũ diximus, quã quam fortaſſe vterque ſuam Philumenam,& ſuum ſcortum habuit.

Cap. xxv.

Taciani,qui & Encratitæ,vnde dicti.Erroris autem,eorum hypotheſes quatuor. deſcribuntur.

Taciani à Tacio[1] *quodam inſtituti ſunt, qui &* C *Encratitæ*[2] *ſunt appellati. Nuptias damnant*[3]*, atque omnino pares eas fornicationibus aliiſque corruptionibus faciunt , nec recipiunt in ſuorum numerum coniugio vtentem,ſiue marem,ſiue fœminam. Non veſcuntur carnibus,eáſque omnes abominantur. Prolationes quoſdam fabuloſas ſeculorum etiam ipſi ſapiunt. Saluti primi hominis contradicunt.Epiphanius Tacianos & Encratitas ita diſcernit, vt Encratitas Taciani ſchiſmaticos dicant.*

1 *A Tacio.*) Suſpicor mendum eſſe in impreſſis,& pro Tacio reponendum Taciano,Nam conſtanter omnes authores Tacianum vocant, non Tacium, veluti Irenæus , Tertullianus , Clemens Strom.lib. 3. Epiphanius ipſe , quem in hoc toto opere ſequitur κατὰ πόδας Auguſtinus,& ita Iſidorus quoque ſuo ſeculo legebat apud Auguſtinum,cuius hoc ſcriptum in epitomen redegit libro 8.Etymolog. niſi fortaſſe idem & Tacius & Tacianus ὑποκοριστικῶς vulgò diceretur.Fuit autem hæc hæreſis fœcundiſſima. Aquarios enim,Encratitas, Valeſios,& Apoſtolicos peperit,ſed tamen quæ nihil aliud eſt ipſa,niſi infeliciſſima multarum aliarum farrago & colluies, &, vt ſcribit Irenæus libro 1. cap.30. connexio quæ partim ex Valentinianorum errore,partim ex Marcionitarum dogmate(fuit enim contemporaneus Marcioni Tacianus)partim etiam ex Simonianorum deliriis velut hydra ex pluribus capitibus conflata eſt. id quod cum Tertulliano docet Theodoretus libro 1. Videntur autem Taciani exorti poſt Marcionitas , quorũ fuerunt A diſcipuli,& ſub Sotere Epiſcopo Romano,& M. Antonino Philoſopho circa annum à paſſo Chriſto 142.quãquam Epiphanius ſcribit eum Seuero de quo diximus , ſucceſſiſſe , in quo fallitur. Venit quidem ſub Antonino Pio Romam Tacianus è Syria,quemadmodum Epiphanius tradit,ſed illic in Chriſtiana Eccleſia & orthodoxa fide perſtitit toto Iuſtini Martyris tempore , qui Taciani præceptor erat,& Samaritanus natione,ſed tamen ſummus philoſophus , & verè pius & Chriſtianus. Ergo mortuo Iuſtino,cuius metu & reuerentia tenebatur (quemadmodum impoſtor Ochinus P. Martyris pudore in ſana Eccleſiæ doctrina retētus eſt aliquandiu) mortuo, inquam , Iuſtino , vt ipſe ſibi nomẽ aliquod compararet, nouam ſectam inſtituit Tacianus. Fuit enim φιλόδοξος, vt etiam Euſeb.lib. 4. Hiſt.ſcribit. Atque hic Tacianus alius B fuit ab eo qui Alexandriæ Epiſcopus ſub imperio Iuliani Apoſtatæ vixit,de quo Ruffinus libro 2.Hiſtoriæ.& alius etiam ab eo qui fuit Phryx , & ſub eodem imperatore martyr pro nomine Chriſti, quemadmodum refert Sozomen.lib.5.cap.11. Fuit enim hic noſter Tacianus natione Syrus, è Meſopotamia,quod cum Clemente lib. 3. Strom. tradit Epiphan.lib.1.Tom.3.in ethnicorum philoſophia apprimè doctus,rhetor magnus , qui aliquot ſuæ eruditionis monimenta reliquit , eáque plura, ſed imprimis librum contra Gentiles in quo Iuſtinũ laudauit : librũ de Perfectione ſecundũ Seruatorem , cuius meminit Clemens , & Harmoniam Euangeliorum,quam appellauit διὰ τεσσάρων : cuius meminerũt omnes,& quæ diu vſum habuit in Eccleſia,ſed quũ pro Euangeliis ſubſtitueretur, & in eo opere genealogiam Chriſti,quia nuptias dãnabat,abſcidiſſet,à Theodoreto reiecta eſt hæc Harmonia,&damnata,quemadmodum ſcribit ipſe lib. 1.Hæretic.fabul.Cœpit autem hæc hæreſis Romæ, C ſed ſtatim in Aſiam delata eſt, & Antiochiam Syriæ,Meſopotamiam,Piſidiam,Pamphyliam, & vniuerſam penè minorem Aſiam.i. Græcos curioſos homines,& nouis doctrinis iam aſſuetos,peruaſit, quos corrupit,tam grata & plauſibilis propter fucatæ cõtinentiæ opinionem nimirum viſa eſt.Deniquc infeliciſſimè & ſæuiſſimè in Phrygiam , & Galatiam graſſata eſt,vbi tandem peſſimum fructum & ſobolem viperinam , nimirum Montaniſtarum luem & hæreſin peperit. Habuit Tacianus Seuerum quendam ſcholæ ſuæ ſucceſſorem , non eum quidem de quo iam diximus:ſed alium,àquo Seueriani Taciani dicti ſunt,vt Theodoretus vocat.Propagatus verò hic error eſt latiſſimè &citiſſimè,quia venena facillimè ſerpunt.Durauit autem diutiſſimè.Nam in Phrygia Encratitarum conuentus publici erant,maximè Ancyræ , quæ fuit metropolis,& ad tempora vſque Iuliani imperatoris durarunt , qui Buſirin Epiſcopum Encratitarum interfecit, vt ſcribit Sozom. libr. 5. cap. 11. Scribit tamen Epiphan.ſua ætate iam eorũ διδασκαλεῖον eſſe deſiuiſſe:ſed interpolata tantùm fuit hæreſis , non ſublata. Nam Montaniſtæ & Mãnichæi huius ſeminis diabolici ſeges & propago fuit,& hodie etiã in Papatu multa Tacianorum dogmata retinẽtur & confirmantur.

2 *Encratitæ.)* Encratitæ dicti ſunt à profeſſione,quòd cœlibatum , & à vino atque eſu carnium abſtinentiam profiterentur. vnde ἀπὸ τῆς ἐγκρατείας

vo-

vocantur Ἐγκρατῖται,ad licentiam vitiorum nomine conficto. Sic ſemper Satan homines deluſit, vt potius externa quædam opera, quàm doctrinam ſanam in pietate & religione ſectarentur & probarent. Hos igitur Encratitas vult Epiphanius lib. 2. Tom. 1. eſſe ſchiſma & ἀπόσπασμα. i. defractum à Tacianorum ſtirpe ſurculum. Euſebius tamen lib. 4.cap.27.& 28. Tacianum horum parentem & authorem fuiſſe ſcribit. Hi vſi ſunt apocryphis libris pręter cætera dogmata,& Tomę & Andreæ Apoſtolorum ſcriptis confictis. Hoc veneni genus ſuo tempore plurimùm in Phrygia,quæ κεκαυμένη dicebatur,fuiſſe & pullulaſſe ſcribit Epiphanius. Taciani verò non tantùm Encratitę dicti ſunt,ſed etiam tertio quodam nomine,quemadmodum Theodoretus narrat, quò maior pudor à Chriſtianis hominibus tanto errori incuteretur,ſed peruicit Satan,vt nihilo minus ad tempus regnaret & obtineret, ſic Domino Deo verbi ſui contemptum vlciſcẽte, & ſocordiam hominum excitãte. Nominati ſunt igitur etiam hi ipſi ὑδροπαραστάται Hydroparaſtatæ. i. Aquæ adhibitores & repræſẽtatores,quòd in Euchariſtia pro vino, quod tamen diſertè Dominus eſſe voluit alterum Cœnæ ſacræ ſignum, aquam ipſi ſubſtituerent. Vinum enim ex Chriſtianorum Eccleſia & vſu prætextu cuiuſdam ſanctioris abſtinentiæ, & maioris ſobrietatis prorſus expulerant Taciani, quòd vulgus hominum vino ad ebrietatem abutitur. Hi ſunt quos infrà Aquarios Auguſtinus appellat.

3 *Nuptias damnant.*) Etſi paucas Taciani erroris hypotheſes refert hîc Auguſtinus, fuerũt tamen multæ, quas nos è variis authoribus collegimus, Prima & eorum maximè propria,quod Adamum primum hominem damnatum, nec ex lapſu ſuo ſaluti reſtitutum putãt & docent. Qui leuis error in ſpeciem videri poteſt,ſed Nouatianæ hæreſeos,quæ lapſis ſpem veniæ denegat,prima fundamẽta &ſemina iacit. Deinde ex eo homines omnes damnatos eſſe, nulla ſpe ſalutis relicta concludit, exceptis modò Tacianis,qui ſuis operibus & continentiæ fidunt,atque ita vis mortis Chriſti aboletur,& Eccleſia Dei morti æternæ addicitur. Denique Patres aliud omnino de Adamo ſentiunt, nempe eum Dei gratia ſaluum eſſe: ídque colligũt tum ex Geneſ.3. verſu 15.tum ex 1.Corinth.15.ver. 45.quæ & ſolida ſunt argumenta & viderunt ipſi, qua ratione meritò caput hoc erroris Taciani dãnatum eſt. Itaque Tacianos refutat Irenæus lib.3. cap. 39. 2 Valentinianorum ſomnia & deliria de AEonibus & eorum progenie reuocant & amplectuntur,per quæ diuina Chriſti natiuitas non tantùm obſcuratur, ſed verius tollitur & irridetur. 3 Carnium,imprimis autem animalium, eſum tanquam rem fœdam prohibent, quam eſſe diaboli opus ſentiunt,& vinum quoque damnãt, quo non concedũt ſuis diſcipulis vti,ac ne in Cœnæ quidem Dominicæ adminiſtrarione contra Chriſti inſtitutum, Matthæi 26.verſu 26. Itaque quemadmodum diximus aquam meram pro vino in Cœna Domini adhibent. Qui ſanè error etiam tempore Cypriani adhuc viguit, & contra quem ipſe ſcripſit,vt apparet ex ipſius epiſtolis. κρεωφαγία iampridem à Pythagoricis, ſed inſulſè damnata eſt,quaſi veræ humanitati & æquitati contraria, vt docet Plutarch.in libro de ea re ſcripto,& P.Ouidius Naſo libro 15. Metamorphoſ. ſed Saturniani primùm,Marcionitæ deinde errorem hunc ab inferis reuocarunt, & in Eccleſiam inducere tentarunt, quem Taciani ſunt ſequuti. Vinum autem quod prohibent, habent cum Apellitis hæreticis commune. At de carnium eſu, Dei verbum docet quid & Lege veteri & nouo Teſtamento ſit conſtitutum. Geneſ.9.verſ.13. Acto.10.v.13. Vide Aug. lib.1.De ciuit.Dei,cap.20.21.contra Adimant.Manich.cap.14.& 15.& contra Fauſtum lib.6.cap.6.7. 8.De vino quid ſentiendum ſit, & vt eo vti liceat homini Chriſtiano vide 1.Timoth.5.verſ.23. Hos errores iampridem præuiderat prędixerátque Dei Spiritus,vt eſt 1.Timot.4.& damnarat, ſed ad Pauli præcepta non attenderunt homines commentis ſuis plus tribuentes,quàm Dei verbo. Hoc caput hæreſeos Tacianæ renouarunt Manichæi omnino, & Papiſtæ ex parte. 4 Nuptias tanquam Diaboli opus damnant, & appellant fornicationem. Itaque nec admittunt, Deum creaſſe marem & fœminam, vt tamen eſt Geneſis 1.& 2. nec genealogiam Chriſti ab Euangeliſtis deſcriptam retinent, ne à coniugibus proauis natum Chriſtum concedere cogantur. Euſeb. libr. 4.cap.28. Denique generationem liberorũ opus & fœtum diabolicum vocant, quos refutat Clemens Stromat. lib.3. Pelagiani hunc errorem interpolarunt, vt docet Auguſtinus libro 2.contra Pelag. cap. 33. 34. 35. Sed Syricius Papa Rom.apertè reuocauit,& ſuos Papiſtas docuit hunc ipſum errorem. Itaque quod Taciani faciunt, etiam fœdum cœlibatum iuſto coniugio prætulit, & planè contra id ſenſit quod eſt Hebr.13.verſu 4. Dictum Syricii extat in Can.Propoſuiſti.diſt. 82. Cœlibatum autem prætuliſſe nuptiis Tacianos ſcribit Theodoretus, & hanc ſententiam inter errores & blaſphemiæ capita recenſet. 5 Monogamiam tantùm, quanquam inuiti,permittunt.id eſt,vt quis ſemel vxorem ducat,qua mortua ducere aliam omnino non concedunt. Quum quis enim aliam ducit priore defuncta, & illi & Clemens vocant Polygamiam, ſed Clemens cõceſſam eſſe homini Chriſtiano defendit libro 3.Stromat.illi Taciani negant. Hoc caput & ſemen Montanos poſtea peperit, qui hoc dogma falſiſſimum ſequuti ſunt,& poſtrema ætate defendit Tertullianus. 6 Negant Chriſtum ex ſemine Dauidis natum, ergo negant verum fuiſſe Meſſiam,& eum qui Patribus promiſſus fuit Pſal. 132.dũ nuptias reiicere pergunt obſtinatè. 7 Legem Moſis damnat Tacianus, quòd in ea coniugiorum benedictiones & proles promittuntur. Non enim eſſe eam Dei Euãgelij, ſed alterius aſſerunt,quod ex Marcionitis ſumptum eſt: ſed in tot blaſphemias inciderunt, dum doctrinam ſuam de pollutione coniugiorum ambitioſè tueri contendunt. Atque ſic abyſſus abyſſum inter eos attraxit. Hæ verò ſunt Tacianorum hypotheſes ineptæ & blaſphemæ.

CAP XXVI.

Cataphryges vnde dicti. Quis eorum author.
Errores autem tres eorundem recenſentur.

Cataphryges [1] *ſunt, quorum authores fuerunt Mõtanus* [2] *tanquam paracletus, & duæ prophetiſſæ ipſius, Priſca, & Maximilla. His nomen prouin* *cia Phrygia dedit, quia ibi extiterunt, ibique vixerunt, & etiam nunc in eiuſdem partibus populos habent. Aduentum*[3] *Spiritus ſancti à Domino promiſſum in ſe potius, quàm in Apoſtolis eius fuiſſe aſſerunt*[4]*. Secundas nuptias pro fornicationibus habent, & ideo dicunt eas permiſiſſe Apoſtolum Paulum, quia ex parte ſciebat, & ex parte prophetabat. Nōdum enim venerat quod perfectum eſt. Hoc autem perfectum in Montanum & in eius propheti ſſas veniſſe delirant. Sacramēta perhibentur funeſta habere. Nam de infantis anniculi ſanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quaſi Eucharistiam ſuam conficere perhibentur, miſcentes eum farinæ, panémque inde facientes: qui puer ſi mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre: ſin autem vixerit, pro magno ſacerdote.*

1 *Cataphryges.*) Variis nominibus appellata fuit hæc vna & eadem hæreſis, vt Epiphanius docet. Dicti ſunt enim Cataphryges, Montaniſtæ, Taſcodrongitæ, Spirituales, Pepuziani, & Quintilliani. Primùm quidem Mōtaniſtæ, quoniam huius veneni, quod tota hæc ſecta bibit, propinator & author fuit Montanus, vti Euſeb. libro 5. Hiſtor. Eccleſiaſt. Theodoret. lib. 3. Hæret. fabul. & Iſidorus lib. 8. Etymolog. vnà cum Auguſtino tradunt, quanquam ipſum Montanum ex Tacianis fōtibus & dogmate ſua deriuaſſe. itaque illius errorem ex Encratitis profectum putant, quod nō eſt vero abſimile. Fuerūt enim hę hęreſes duę σύγχρονοι, quemadmodum Epiphanius ſcribit. Itaque Tertullianus ait hos Tacianis ſucceſſiſſe. Montanos autem hæreticos Iſidorus diſtinguit à Montaniſtis, quos à mōtibus dictos ſcribit, in quos tempore afflictionis receſſerant, & ad communem totius Eccleſiæ cœtum reduci agreſti illo ſuo vitę genere delectati poſtea non potuerunt, quorum nullū dogma fuiſſe tradit, ſed tantùm ſchiſma. Ac Cataphryges nomine compoſito dicti ſunt Montaniſtę, voce à Gręcis accepta κατὰ Φρύγας vti ex eadem Mōtaniſtarum ſecta quidā Procliani dicti vocantur à Tertul. Cata Proclū, alij Æſchiniani cata Æſchinē, id aūt Græcè dicitur κατὰ Πρόκλον & κατὰ Αἰσχίνην. Regio verò vnde primū hic erroris fons ſcaturij indicatur. Fuit enim Phrygia, quæ eſt regio minoris Aſiæ, ſupra Troadem, Lycaoniæ, Piſidiæque contermina, quemadmodum docet Plinius lib. 5. cap. 32. quę regiones nunc omnes vno Anatoliæ nomine vocantur à Turcis, à quibus poſſidētur, maximéq; gens Ottomanica ex iis regionibus orta creditur. Duplex autē Phrygia ſtatuitur, Maior, cuius etiam Galatia pars eſt: & Minor, quæ eſt inferior & magis meridiana. Mōtanus autem non tantùm Phryx vel Phrygius fuiſſe commemoratur, ſed etiā natione Galata. Graſſata verò eſt hæc hæreſis in vtraque Phrygia, atque adeò Ancyra, quæ fuit totius Phrygiæ metropolis, & Montaniſtarum nomen amittens, quia Montanus propter infœlicem vitæ exitum odioſus eſſe cœperat, aliud accepit à regione deductum Phrygum. Nam annotat in Encratitis Epiphan. Phrygiæ partem quandam κατακεκαυμένην fuiſſe dictam, quæ tota hæreſibus erat labefactata, Encratitis autem & Montaniſtis imprimis. Sed & Hieronymus in Proœmio libr. 2. ad Galatas mirum in modum totam Galatarum gentem hæreſibus deformatam etiam ſuo ſeculo fuiſſe ſcribit. Ac certè ex D. Pauli epiſtolis apparet eam regionem, cùm fidem Chriſtianam primùm ſuſcepiſſet, ſtatim ab ea deflexiſſe, & errores grauiſsimos ſecutam eſſe, vt mirum videri non poſsit ſi poſta corruptelæ omnis fons & velut ſcaturigo quædam fuerit, adeóque tandem Turciſmi, & ipſius Turcarum gentis & ſobolis ſatrix iuſto Dei iudicio. Iidem autem hæretici Taſcodrongitæ nominati ſunt, quòd, vt ait Epiphanius inter orandum digitum manus, qui dicitur index, in nares rectum immitterent, tanquam palum quendam, vt in precibus ſuis ſeueriores attentioréſque viderentur. Τάσκος enim eſt, vt ait Epiphan. πάσσαλος: & δροῦγγος ei μυκτὴρ ex earum regionum idiomate. Vide infrà Pattalorinchitæ, quos ex Phrygia natos eſſe ſcribit Hieronym. Nominantur ſpirituales ſæpe à Tertulliano; qui ipſi ita ſe vocari gaudebant, quòd Spiritus S. maxima dona & χαρίσματα habere ſe profitebantur: à ſe verò diſsidentes orthodoxos vocabant ψυχικοὺς & Animales. De aliorum nominum ratione, poſtea dicetur. Quando verò primum cœperit innoteſcere hæc hæreſis, varia eſt autorum ſententia. Platina ſub Sotere Romano Epiſcopo: alij ſub Eleuthero, quæ verior eſt ſententia, & circa annum à Chriſto paſſo 145. quanquam diutius & ſub Zepherino Pontifice, Proclum qui primarius fuit auditor Montani adhuc vixiſſe ſcribit Euſebius lib. 2. cap. 25. Durauit verò diutiſsimè in Galatia & Phrygia præſertim, vt annotat Sozomen. lib. 2. cap. 32. vbi populariter receptam fuiſſe docet: alibi autem repudiatam, quia ſe Martyrum quorundam oſtentatione apud populos commēdabat. Quanquam autem Theodoretus Cyri Epiſcopus ſcribit ſuo ſeculo nullos penè amplius Mōtaniſtas extitiſſe, tamen hoc loco teſtatur Auguſtinus author non temerarius nec leuis, ſe viuo ſuperfuiſſe adhuc hanc hæreſin, id eſt, poſtquam eſſe cœpit perſtitiſſe annos paulo minus 250. Denique etiam ſub Leone Iſaurico Imperatore adhuc permanſit, nimirum plus quàm 555. à ſua natiuitate annos, vt apparet ex Chronologiæ ratione. Latiſſimè etiam propagata eſt, quando Aſiam penè totam infecit ſua tabe, Ciliciam, Paphlagoniam, Orientem, AEgyptum, & Conſtantinopolin etiam ipſam, adeò vt inter nocentiſſimas fidei Chriſtianæ peſtes à Conſtantino Magno fuerit edicto diſertè comprehenſa & præſcripta. Denique Tertullian. in lib. Aduerſ. Praxeam, ſcribit Romanum ipſum Epiſcopum eā approbaſſe, & literis ad alias Eccleſias imprimis Phrygios Epiſcopos datis cōmendaſſe. Cur autem tam facilè reciperetur, non tantùm humani ingenij leuitas cauſa fuit, ſed etiam lis & diſſenſio de die Cœnę ſiue Paſchatis celebrādi, quæ tunc magna erat, cùm alii ſe Ioānis doctrinam in eo ſequi iactarent, nempe Aſiani: alii verò Petri & aliorum Apoſtolorum exemplum, ſcilicet homines occidētales. Deinde vtebantur eo Pauli dicto Montaniſtæ, vt ſe ſapientiores ipſis Apoſtolis oſtenderent, quod eſt 1. Corinth. 13. vbi de ſe aliiſque fidelibus loquens Paulus ait, Ex parte tantùm cognoſcimus. Denique ſuis ſectatoribus & dogmatis noui propagatoribus & concionatoribus ſalaria quædam præbebat Montanus ſiue à ſe, ſiue ex ſuorum opibus, quod alii nulli hæretici antea fecerāt, fuitque magna illex diſcipulorū, Euſe. li. 5. Hiſt. c. 16. & 17. Statim tamen in varias ſectas & partes lacerata eſt hæc hæreſis, & ipſo Mōtaniſtarū primo nomine vix pauco tēpore perſtitit. Primus autē in ſchola Mōtani ſucceſſor fuit Theodotus: poſtea Proclus: deinde alij, qui tamē oēs magno faſtu

animi

A animi & ambitione impulſi,proprias & à ſe denominatas hæreſes condiderunt,ita mendacium ſibi conſtare non poteſt, &, vt hydra, plura venenata capita parit.

2 *Montanus.*) Montanus ambitioſus & iam Encratitarum fermento fœtido corruptus ſuam & ipſe ſectam priuatim habere voluit. Fuit autem ex vico Ardaban, alij ex Pepuza, vterque locus in ſuperiore Phrygia,vicinus Marcioni natali ſolo:& qui, vt maiorem fucum faceret, ad Simonis Magi imitationem ſecum habuit ſcortum, non vnum tantùm, vt ille:ſed duo, Priſcam & Maximillam, quas à propriis maritis abductas ſecum circunduxit.Zeli autem & pietatis prætextu illæ Montanum impoſtorem relictis propriis viris ſequebantur, ſed fuco & ſtibio facie medicata, & ad perditiſſimarum meretricum exemplum cultæ & veſtitæ, quemadmodum & Apollonius qui eas vidit,& Hieronym.poſtea in epiſt.Pauli ad Titum ſcripſerūt.Harum autem deliria Montanus Spiritus ſancti reuelationes &oracula vocabat,ex quibus B quēadmodū Numa ex ſua Ægeria,ſic agyrtes iſte dogmata ſua compingebat & cudebat.Quare inter eos habebātur ſcriptæ iſtarum inſanarum & lymphatarum fœminarum ſomniationes,& ſāctiſſimè diligentiſſiméque ab iiſdem aſſeruabātur. Continebant enim etiam quaſdam de rebus & bellis futuris prophetias ſiue prædictiones,quæ omnino falſæ ſunt poſtea deprehenſæ, & paſſim irriſæ.Scripſit autem quædam Montanus ipſe. Nam ex eius libris nonnulla refert Epiphanius.Tandem iuſto Dei iſta ſcelera perſequentis iudicio, cùm iam nimiū multos iſtæ faſcinaſſenr,& ſuo veneno corrupiſſent,ſe ipſas cum Montano diaboli inſtinctu, à quo prorſus agebantur, laqueo ſuſpenderunt & ſtrangularūt:ſic miſerrimè vitam omnes iſti canes finierunt,Euſeb.lib.5.cap.16.Apollinarius epiſcopus Hierapolitanus primus aduerſus hāc hæreſin ſcripſit,vt teſtatur Hierony.in Catalogo Scriptorum.Poſtea Rhodō: deinde Apollonius anno 40. poſt huius hæreſeos ortum, quem tamen poſtea à C Tertulliano refutatum fuiſſe ſcribit ibid.Hieron.

3 *Aduentum ſpiritus ſancti.*) Hæ paſsim Cataphrygarum hypotheſes apud authores reperiūtur.

1 Se ſpiritum eſſe & illum quidem ſanctum affirmauit, qui iampridē Eccleſiæ & Apoſtolis promiſſus erat,quem ex parte tantùm & ea quidē exigua & tenui illi in die Pētecoſtes accepiſſent: ipſe autem Montanus haberet, vt ipſius diſcipuli contendebant,vnà cum Priſca & Maximilla ſine menſura.Baſil.libr.2.contra Eunomium ſcribit Montanum primum omnium hæreticorum atrociter blaſphemaſſe in Spiritum ſanctum. 2 Secunda coniugia damnauit, in quo diſceſſit ab Encratitis præceptoribus.Quod ipſum Auguſtinus libro 32. cap. 17.contra Fauſtum confirmat.Vnicum autem non reiecit,ſed ſi quis vxore priore amiſſa quæreret aliam, eum vt impium eiiciebat Montanus ex Eccleſia.Propterea verò maximè ſe ſpirituales eſſe & cenſeri volebant.alios autem omnes,qui ſecundas nuptias non damnant, ψυχικοὺς & carnales appellabat. Fuiſſe autem adulterij maximè oſores Phryges ſcribit Socrat. lib. 4. cap.28. 3 Inceſtuoſos concubitus & contra ius diuinum ſiue gētium initos non improbauit, imò conceſſit Montanus.

4 Euthouſiaſmis & Reuelationibus ſiue ecſtaſi animi,ſi qua incidit, tantum tribuunt Montaniſtæ,vt iis credant, & ea deliria potius ſequantur,quàm Dei verbum ſcriptum. Hoc Anabaptiſtæ retinuerunt, ſed maximè refutat Epiph. tanquam non tantùm ineptum, ſed peſsimum fidei fundamentum. 5 Confundunt perſonas in Trinitate,vt Simoniani fecerāt,adeò vt Noetus,à quo Sabelliani orti ſunt,Montani diſcipulus fuiſſe tradatur à Theodoreto, & ex ipſius lacunis & cœno ſuum errorē de Patre Deo paſſo hauſiſſe. 6 Euchariſtiæ & Sacroſanctę Domini noſtri Ieſu Chriſti cœnæ panem, qui eſt alterum Cœnæ ſymbolū, cum ſanguine humano miſcent, & pinſunt,vt hîc ſcribit Auguſtin.& ante eum Epiph. Hieronymus autem ſcelerata Myſteria de puero lactente appellat,fortaſſe quòd iam ille error obrepſerat,& ſpargebatur, panem in ipſum corpus Chriſti tranſſubſtantiari & tranſmutari in Cœna Domini,& idcirco in pane ſanguinem ineſſe: tot tantáſque abſurditates vnus ille error nimirū peperit. 7. Deum B nec per Moſen in veteri teſtamento, nec in nouo per Chriſtum potuiſſe ſeruare Mundum, ſed demum per Spiritum ſanctum miſſum in Montanum.Hieronymus in epiſtola ad Marcellam contra Montanum. Quædam fabuloſa de ſtatu corporum affirmant & nugantur, quę pij & fideles homines ſunt recepturi.Definiunt enim quanta lucis mēſura noſtra illa corpora ſolem ipſum ſuperabunt,alia nimirum,vt illi volunt,100.alia pluribus:alia paucioribus luminis gradibus, loco Pauli abutentes qui eſt 1.Corinth.15.verſ.41.& Daniel. cap.12.ita cum errore curioſitas, animíque vanitas ſemper eſt coniuncta.Ipſi verò Cataphryges,vt eſt apud Theodoret. conquerebantur, quòd multa falſò de ſeſe calumnioſè ſpargerentur, quæ tamen non admitterent: ſed in iis quæ recitaui, conſtans eſt omninm ſcriptorum narratio & ſententia:nihil enim illis affingo.

4 *Fuiſſe aſſerunt.*) In impreſsis additum erat, Redditum: apud Iſidorum autem eſt, Traditum, quod vtrunque aut ſaltem alterum eorum irreptitium eſt,& ex gloſſemate in textum aſcitum. Si enim C illud Redditum, apud Auguſtinū legeretur, ab Iſidoro proculdubio retineretur. Denique longè melius fluit ſententia, & elegantior eſt oratio quam deturbata illa voce reſtituimus, etſi vetuſtiore codice vel manuſcripto deſtituti.

CAP. XXVII.

Pepuziani & Quintilliani vnde dicti. Erroris autem capita tria referuntur.

Pepuziani à loco[1] quodam nominati ſunt, quam ciuitatem deſertam dicit Epiphanius. Hanc[2] autem iſti diuinum aliquid eſſe arbitrantes, Hieruſalem vocant: tantum dātes mulieribus principatum, vt ſacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim Quintilla & Priſcilla in eadem ciuitate Pepuza, Chriſtum ſpecie fœminæ reuelatum. Vnde ab hac Quintilliani etiam nuncupantur. Faciunt & ipſi de ſanguine infantis quod Cataphryges facere ſuprà diximus. Nam & ab eis perhibentur exorti. Denique alij hanc Pepuzam nō eſſe ciuitatem, ſed villam dicunt fuiſſe Montani, & prophetiſſarum eius Priſcæ & Maximillæ, & quia ibi vixerunt, ideo locum meruiſſe appellari Hieruſalem.

A 1 *Pepuziani à loco.*) Dicti ſunt etiam Montaniſtæ Pepuziani à Pepuza: & Quintilliani à Quintilla, quæ Priſcæ & Maximillæ ſcortis aggregatur tanquam ſocia,& eorumdem errorum prophetiſſa.Fuit autem Pepuza,quemadmodum ſcribit Epiphan.oppidum quod inter Galatiam & Cappadociam Aſiæ regiones ſitum erat.ab Hieronym. autẽ & Euſeb.lib.5.cap.18.Tynnium appellatum, cuius ætate,non iam vrbs erat;ſed pagus tãtùm.Fortaſſe fuit illud ipſum oppidum quod à Plinio lib.6.cap. 2.Trium nominatur,& in illis ipſis regionibus ab eo collocatur, quod propter iſtas hæreſes à Deo fuiſſe deſolatum veriſimile eſt. Alius autem eſt vicus Pazo in Phrygia, vbi ſunt fontes Sangarii fluminis,quàm Pepuza.De quo vide Socrat.lib.4.ca. 28.Ergo Montaniſtarũ hæreſis illic,id eſt in Phrygia,Galatia, Cappadocia, & vicinis locis plurimũ & latiſſimè graſſata eſt.Pepuzianos autẽ, quos alij Pepuzitas vocant,cũ Montaniſtis coniungit Theodoret.libr.2.tanquam prorſus eoſdem: hîc autem ſeparat cũ Epiphan.Auguſtin. omnino verò prætermiſit Iſidorus.Equidem cenſuerim iſtos riuum quidem fuiſſe ſuperioris hæreſis, qui & innotuerint poſtea: & ſuum quoddã atque peculiare dogma habuerint;quemadmodum ex hoc loco appa-B ret,vtpote qui natalitia perditi hominis Montani cæteris impenſius coluerint.Hi enim non tantùm Montanum ipſum, ſed etiam Pepuzam, ſiue quia natiuitatis illius hic locus erat, ſiue incolatus domicilium, ſunt venerati. Sic enim inſani homines faciunt & idololatræ.Nam locis ipſis terrenis ſanctitatem alligant,ſi quos indigenas honorant.Exorti ſunt autem Pepuziani eodem tempore, quo Cataphryges, & variis nominibus iidem hæretici ſunt appellati,vt de iſtorũ ortu,ſucceſſione,& propagatione,nihil ſit nobis amplius neceſſe dicere.

2 *Hanc autem.*)En quò mentis humanæ vanitas tandem delabitur. Montanum, Chriſto relicto,ſequuntur: ita Montani crepundia, natale ſolum,& patriam,id eſt,peſtis generis humani productricem atque altricem terrã venerantur, quam odiſſe debuerant. Hæc tanta eſt humani ingenij à puritate verbi Dei diſcedentis cæcitas. Fuerunt autem hæ Pepuzianorum hypotheſes. 1 Pepu-C zam,qui locus eſt in ſuperiore Phrygia, eſſe cœleſtem illam Hieruſalem & ciuitatem, de qua Prophetæ vaticinati ſunt, & de qua eſt in epiſtol. ad Heb.12.v.22. & Apoc.21.v.2. & ad quam ſit nobis omnibus aſpirandum, cùm tamen illa Dei viui ciuitas,non in terris vllis, ſed in cœlo ipſo ſit nobis repoſita,Coloſſ.3.Quamobrem vitam æternam illi in hac terra neceſſariò conſtituunt. 2 Mulieres ad miniſterium eccleſiaſticum, contra verbi Dei præceptum, 1.Timoth.2.verſ.12.& 1. Cor.14. admittunt, vt ſint & Presbyteræ, & Epiſcopæ, id eſt,doceant;atque ſacramenta Domini noſtri Ieſu Chriſti adminiſtrent. Hoc granum ex Marcionitarum infelici ſegete collectum eſt. 3 Fœdè & ſpurcè panem in ſacra Cœna Domini ſanguine humano pinſunt, vt horrendum potius ſacrilegium, quàm plenum conſolationis ſacramentum eſſe videatur ſanctiſsima Domini Cœna. 4 Euam quæ fuit prima mulier,ſummè laudant, quòd ederit de vetita arbore, tanquã ea ratione facta ſit noſtræ ſalutis cauſa, ſitque hoc Euæ magnũ erga nos beneficium, & non potius ſummum flagitium, vt docet Paulus,1.Timoth.2.verſ.14. 5 Chriſtum ſuarum blaſphemiarum authorem eſſe dicunt.Ita- A que eum ſibi ipſi contrarium faciunt, quod vel animo cogitare nefas eſt. Volunt enim ea quæ ipſi docent, reuelaſſe per Quintillam lymphaticam & abreptitiam mulierem. Sed & in eo quoque ipſo præter Scripturæ fundamentum ſentiunt, Chriſtum mulieris forma tunc vel vnquam apparuiſſe, muliebrémque ſexum propterea ſupra marem extollunt, cùm nuſquam tamen legamus Deum vel Angelos ipſos, quanquam mulieres & virginem ipſam B.Mariam alloquerentur, mulieris ſpecie hominibus apparuiſſe: ſed ſemper virili forma.

6 Quædam eos de Paſchate celebrando ſtatuiſſe ſcribit Sozomen. lib.7.cap.18. in quibus à reliquis Eccleſiis diſſenſerunt: ſed hoc in parte erroris nõ conſtituo, cùm in eo ipſo multæ Eccleſiæ nimia quadam contentione & ſuperſtitione ipſæ errauerint. Hæc de Pepuzianis.

CAP XXVIII.

Artotyritæ cur ſic dicti.Erroris caput vnum.

B *Artotyritæ ſunt [1] quibus oblatio [2] hoc nomen dedit. Offerunt [3] enim panem & caſeum,dicentes à primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ouium fuiſſe celebratas. Hos Pepuzianis iungit Epiphanius.*

1 *Artotyritæ ſunt.*) Hi ſunt iidem cum Pepuzianis Epiphanio, quos tamen hoc loco ſeparat Auguſtinus.certè Montaniſtarum fuiſſe propaginem certum eſt,& veriſimile etiam eos fuiſſe ſchiſmaticos Pepuzianorum, à quibus propter ſuam illam caſei oblationem receſſerunt,cùm in reliquo dogmate planè inter ſe conſentirent. Dicti ſunt autem Artotyritæ,Græcè Ἀρτοτυρῖται, ἀπὸ τȣ̃ Ἄρτȣ. i. Pane,& τυρȣ̃.i.caſeo: Quo vero tempore iſta lues primùm extiterit,& quandiu graſſata ſit,quibus item ſucceſſoribus defenſa,dici nõ poteſt, quia pauci omnino huius hæreſeos meminerunt,& ſtatim collapſam, propter manifeſtam Cœnæ corruptelam, & diſcipulorum paucitatem crediderim. Hu- C ius tamen meminit Iſidor. & retenta eſt in cano. Quidam.24.quæſt.3. Horum meminit Hierony. lib.2.in Galat.in Procœmio.

2 *Oblatio hoc.*) In impreſſis,*Oblatio eorum hoc*, ineptè. Vox enim *eorum*,non modò redundat,ſed proculdubio monachicum gloſſema fuit, quod ex Iſidoro facilè poteſt intelligi.Ait enim,*Artotyritæ ab oblatione vocati*, reiecto pronomine relatiuo, *eorum*.Itaque expũximus.Eſt autem locus hic Auguſtini apud Iſidorum ex vetuſtis,quos habuit,codicibus emendatior,quàm in noſtris & impreſſis, quos manibus hodie terimus.

3 *Offerunt enim.*) Quanquam nõ fuit vnus Artotyritarum error,quia cum Pepuzianis in reliquis dogmatibus conſentiebant,tamen quia hoc vnum fuit eorum proprium facinus & ſpeciale caput hęreſeos,quòd caſeum & panem offerebant,illud ſolum commemorauit Auguſtinus.Oblationem autem iſtam interpretor in Euchariſtia fieri ſolitam ab illis.Itaque addidiſſe tertium hoc ſignum,nempe caſeum, ad duo quæ Chriſtus inſtituerat,nempe ad panem & vinum: vel ſubſtituiſſe loco vini caſeum, quòd Deo gratior videretur caſei oblatio, quàm vini. Caſeus enim eſt fructus ouium,

A quo ſacrificij genere Deus primùm eſſet valde delectatus, Geneſ.4. Nam addita fuiſſe paulatim quędam ſigna in Euchariſtia, id eſt, alia ſubſtituta pro iis quæ Dominus noſter Ieſus Chriſtus dedit, apparet ex Can. Didicimus. & can. Cum omne de Conſecrat. diſtinct. 2. vbi quibuſdam in locis lac adiunctum, ſcribit Iulius, ad panem & vinum: alibi molam vino intinctam ſolitam porrigi docet idem. Denique in Papatu tertium ſignum manifeſtè in Cœna Domini additur & retinetur, nimirū aqua, quę miſcetur cum vino. Quis autem miretur tot iam erroribus corruptis Montaniſtis accidiſſe, vt de Cœnæ Dominicæ ſignis, qualia eſſe oporteret, diſputarent, qui legit apud Scholaſticos libr.4. Sentent. diſt. ij. & ſequent. curioſas & anxias nugas & animi vexationes de pane & vino, cur conueniens materia Euchariſtiæ eſſe poſſint? Non diffiteor autem hanc Artotyritarum ſententiam, de pane & caſeo offerendis, etiam intelligi poſſe extra Euchariſtiam, quaſi hoc genere ſacrificii vterentur pro veteribus & legalibus ſacrificiis, quæ multi hęretici veluti Nicolaitæ retinebant, & adhuc vſurpabant. Nec dubium eſt quin huiuſmodi dogmata B & blaſphemiæ fundamēta erroris Manichæorum, qui poſtea ſunt ſecuti, iecerint, ſumptæque fuerint ex Paganorum deliriis. Dixit enim Theophraſtus nullam victimam Deo gratam eſſe, quia ſanguinem effūdere eſſet crudele, & à Dei natura prorſus alienum. Itaque θυσίαν appellatam eſſe docuit, non ἀπὸ τοῦ θύειν, quod eſt mactare: ſed ἀπὸ τοῦ θυμιάματος, i. ſuffitu, quod gratiſſimum Deo ſacrificium ſit herbarum incenſarum & naturalium odorum vapor & ſuffitus: non autem iugulatæ pecudes & mactatæ. Id quod ſenſit quoque Pythagoras. Sed errat vterque. Nec enim propter rem pſam, quæ offerebatur, Deo grata ſacrificia fuerūt: ſed propter fidem, id eſt, propter præceptum Dei & finem offerentis. Is autem erat atteſtatio futuri Chriſti, Auguſtin. libr.20. Contra Fauſt. cap. 23. Sed ita repoſita eſt nobis per hæreticos omnis Paganorum hominum inſania: & omnium errorum crambe, quæ nos enecat, &, vt eſt in veteri prouerbio, mors eſt.

C Cap. XXIX.

Teſſareskædecatitæ cur ſic nominati. Eorum autē hypotheſis vna recenſetur.

Teſſareskædecatitæ hinc appellati ſunt, quòd non niſi quartadecima luna, menſe Martio Paſcha celebrant, quilibet è ſeptē occurrat dies: & ſi dies Dominicus occurrerit, ipſo die ieiunant & vigilant.

1 *Teſſareſkædecatitæ.)* Græca vox eſt, quam Latini Theologi Quartidecimanos vertunt. Ac quo tempore grauis illa de die Paſchatis celebrandi cōtrouerſia primùm in Eccleſia cœperit, anxia quæſtio eſt, & authores alij ab aliis diſſentiunt. Iſidorus demum poſt Heluidianos hæreticos collocat, quaſi poſt 300. à Chriſto paſſo annos extiterit. Alij ex ſuperiori tēpore repetūt, & hui⁹ quæſtionis & hęreſeos authores conſtituūt ante Irenæi Lugdunenſis epiſcopi, & Tertull. tempora. Sic Euſeb. ſentit. lib.1. Hiſtoriar. cap.23. cùm tamen in eorum ſcriptis nulla huius rei veſtigia reperiantur, præterquàm quòd Tertullianus in libr. De præſcript. aduerſus hæret. ante ſua tempora Blaſtum quendam extitiſſe tradit hominem hæreticum, qui Paſcha A ſecundum Legem Moſis doceret cuſtodiendum. Alii ex Cataphrygibus & Quintillianis ortos putant, vt Epiphanius. Alij ex Nicolaitis. Alij ex Nouatianis, ita eſt origo eorum incerta. Cuius ſententiæ hæc fortaſſe ratio videri poteſt, quòd, vt ſcribit Socrat. lib. 4. cap.28. & lib.5. cap. 21. & 22. à Sabbatio quodam Nouatiano mota hæc quæſtio fuerit, & in eorum ſynodis deinde variè & animoſè agitata, quam liberam tamen eſſe definierunt, qui & ipſi inter Nouatianos Sabbatiani dicti ſunt, vt ſcribit Sozomen. lib.7. cap.29. Sed cùm hæc certamina in Valentis Imperatoris tempus inciderint, quo iam exorti erant Quartidecimani, malè cenſetur huius erroris initium eo demum tempore cœpiſſe. Verior igitur, ſubductis aliorum omnium argumentis, mihi videtur eſſe hæc ſententia, ſub Victore qui fuit Romanus Epiſcopus poſt Eleutherum, & ſub Seuero Rom. imperatore de Paſchate nata eſſe in Eccleſia diſſidia, nimirum anno poſt Chriſtum paſſum 265. non quòd antea diuerſa & diſſimilis Eccleſiarum conſuetudo non fuiſſet, quemadmodum docet Socrat. lib.5. cap. 22. ſed quòd ea res & diuerſitas nondum in conten- B tionem & certamen erupiſſet, & quæque ſuum morē & à maioribus acceptum, ſine animi ſcrupulo & ſuperſtitione ſequens, aliam erroris & ſchiſmatis non damnabat. Sed poſtquam ambitioſius quidam ſe ſuúmque inſtitutum aliarum Eccleſiarum conſuetudine præferre voluerunt, nec ſecuti Pauli moderationem & conſiliū, Roman.14. in rebus ἀδιαφόροις libertatem aliis conceſſerunt, inde tandem acerrima certamina & luctuoſa de re primùm quidem leui concitata ſunt, ſed quæ manifeſtum errorem poſtea peperit, tanti nimirum eſt, in omnibus rebus etiam leuiſſimis Eccleſias inter ſe conſentire, quemadmodum docet Paulus 1. Corin. 1. & 11. Quod vt melius intelligatur, rem totā paulò altius repetam. Hoc fuit in more primis Eccleſiis, & quæ tempora Apoſtolorum ſequutæ ſunt, poſitum, vt quāquam ſæpius in anno, imò verò quoque menſe Chriſtiani συνάξεις agerent, & Euchariſtiam ſiue Cœnam Domini ſumerent, ſemel tamen tantùm in anno Paſcha Domini celebrarēt, à quo nemo Chriſtianus qui modò per ætatē poſſet, neque eſſet catechumenus aut ſuſpenſus à com- C munione Sacramentorum, eo die poſſet abſtinere. Huius rei teſtimonia extant in Can. Nos. & Cano ſeq. De conſecr. diſtinct. 4. adeò vt Carthaginenſi concilio. 4. & 5. conſtitutum fuerit vt die natalis Domini quo menſe Paſcha ſequens celebrandum eſſet, plebi denuntiaretur. Extant etiam huius rei præcepta in conciliorum volumine, & Can. Paſchæ ſolennitas. & Can. ſequent. De conſecrat. Diſtin. 4. Fuit autem primùm libera huius diei obſeruatio, vt ſiue quartadecima luna prima menſis, ſiue alia die fieret, propterea à ſeſe non diſſentirent Eccleſiæ, neque conſenſionem imminuerent. Sed quum quiſque ſuæ Eccleſiæ morem tueri vellet, inuentæ ſunt rationes, cur hoc potius quàm illo die & melius Paſcha fieri diceretur. Primus autem Victor epiſcopus Romanus magna temeritate & animi ambitione Orientales Epiſcopos, qui Romanæ Eccleſiæ morem in eo non ſequebantur, damnauit, & excommunicauit tanquā ſchiſmaticos. Qua de re & ab iis ipſis Epiſcopis O-

A rientalibus,& ab Irenæo,vt ſcribit Euſeb. Lugdunenſi Epiſcopo grauiter reprehenſus eſt.Inde lites natæ, & libri vtrinque ſcripti, imprimis à Polycrate Epheſiorum epiſcopo,quemadmodū in Catalogo Scriptorum refert Hieronymus:deinde etiā ab Anatolio,vt ait Euſebius idem libr.7.cap.32. & Socrat.lib.5.cap.22.Nam Orientales Ioānis Apoſtoli proferebant authoritatem, ex cuius conſuetudine 14. luna Paſcha celebrandum eſſe contendebant.Occidentales autem Apoſtoli Petri diuerſum morem. Sed falſò vtrique. Quanquam enim Paulus Paſcha noſtrum, qui eſt Chriſtus,immolatum eſſe tradit,1. Corinth. 5. verſu 7. non reuocat tamen nos ad ceremonialem illam Legis obſeruationem,& Apoſtoli ipſi collecti,inter quos tunc erat Ioannes vno conſenſu veteres ceremonias tollendas eſſe cenſuerunt tanquam graue iugum minimè neceſſarium,Actor.15. Quare fuit hæc commentitia ratio,dum quiſque Eccleſiæ ſuæ morem ab Apoſtolis deriuare conatur. Quāta verò Eccleſiarum inter ſeſe de ea re & die diſſenſio fuerit,ap- B paret ex eo, quòd alii 14.tantùm die eius lunæ,quę naſcitur primo anni mēſe,qui eſt Niſan,& noſtro Martio reſpondet, agendum Paſcha præciſè cenſebant, id eſt, in plenilunio primæ anni lunæ. Alij non ex lunæ,ſed ſolis potius curſu metiendam Paſchatis diem dixerunt,veluti Pepuziani, ne ſæpius quàm ſemel in anno Paſcha celebraretur, id quod nefas habebatur. Itaque ſimili, qua Chriſtus olim paſſus erat,die menſe Martio faciebāt Paſcha.i. ſole duodecimum Arietis gradum tenente poſt AEquinoctium vernum, quam diem ſemper obſeruabant,ſiue ea fuiſſet in penilunio, ſiue non. Alij tamen ex Actis Pilati, quæ vocabant, incidere in VIII. Kalend.April.i.23. Martij menſis: alii in XV. Kalend. eiuſdem menſis. i. 18. Martii: alii verò in XIII,id eſt 20. diem contendebant:tanta nimirum fuit de re leui contentio, tantúmque animorum diuortium.Qui verò quartādecimam lunam mordicus & obſtinatè retinebant, planè Iudaizabant. Viguerūt tamen diutiſſimè,& ſunt latiſſimè propagati.Nam per Aſiam,Cariam,Lydiam ſparſi ſūt, imprimis autem per Phrygiam,&Galatiam,vbi omnium hęreſeôn ſemē & receptaculum,ſiue nidus fuit.Sozomen.lib.7.capite 29.Quod ſchiſma malè primis authoribꝰ ſuis ceſſiſſe ſcribit Socrates,adeò C vt ſeipſos interfecerint Satanæ ſpiritu abrepti. Socrat.lib.7.cap.5.Sed concordia primùm tētata eſt, ne diuideretur ob tam nullam cauſā Eccleſia Dei. Quamobrem ſeptem ſynodis,quæ,vt ſcribit Euſebius libro 5. cap.23.Hiſtor.propterea diuerſis locis & temporibus conuenerant, tandem effectum, vt in vnam ſententiam Eccleſia coaleſceret, & vno eodémque die omnis Paſcha celebraret.Sed recrudu it hoc Eccleſiæ vulnus. Ac primùm quidem ſub Conſtantino Magno:verùm leuiter & facilè placata eſt hæc diſcordia Nicæna Synodo, quæ Quartidecimanos damnauit, vt eſt apud Ruff.lib.1. Hiſt. cap. 6. Theodor. libro 1.cap.10. Sozom. libro 1. cap.16. Deinde verò ſub Theodoſio Iuniore, nimirum Neſtorio hæretico, qui tum Epiſcopus Conſtantinopolitanus erat, illos ſæuiſſimè perſequente & impugnante. Socrat.libro 7.cap.29.Demum prorſus labefactata conticuit hæc hæreſis, poſtquam eſſet per tot annos in Eccleſia miſerrimè graſſata,id eſt,plus quàm 200.Audæani tamen hunc errorem poſtea renouarunt. Rationes quar- A tidecimanorum extāt in fragmento epiſtolæ Polycratis quam habet Hieronymus in Catalogo Scriptorum.

2 *Niſi quartadecima.*) Prima quidem horum hæreticorum hypotheſis fuit, Paſcha nonniſi 14. luna celebrandum eſſe ad morem Iudæorum. Itaque in quamcunque hebdomadæ diem incidiſſet illa luna,ieiunabant,& vigilias agebāt, ſiue ea dies Dominica fuiſſet,ſiue alia. Qua in re dupliciter peccari Patres Eccleſiaſtici cenſebant. Primùm propter imitationem Iudæorum, à quorum iugo & cæremoniis Chriſti beneficio liberati ſumꝰ.Et hoc quidem rectè.Secundùm,propterea quòd die Dominica,& imprimis Paſchæ,ieiunare nefas omnino veteres exiſtimabant, vt apparet ex Conciliorum decretis, & eſt non tantùm in Can.Scire debet, diſtinct. 76. ſed etiam apud Euſebium lib. 5. Hiſtor.cap.23. Hoc verò ridiculum fuit, ne dicam ſuperſtitioſum.Quemadmodum & illud, quòd tā anxiè Paſchatis feſtum in Eccleſia Chriſtiana com- B memorari & celebrari debere voluerunt,quū non Paſcha, ſed Cœna Domini ſit nobis nec quidem ſemel tantùm in anno,ſed quoties cœtus commoditas id patitur, celebranda. 2 Pœnitentiam hominibus poſt Baptiſmum lapſis denegant. Id quod ex Nouatianorum fæce ſumptū eſt, ſeu potius à Nouatianis ex Quartidecimanorum errore. Socrat.lib.5.cap.22.Sic delirant, vt ait Auguſtinus lib.2. cōtra Fauſt.qui ſanam doctrinam non ſuſtinentes,ad fabulas conuertuntur.

CAP. XXX.

Alogiani cur dicti.Erroris autem eorum capita duo recenſentur.

ALogiani propterea ſic[1] vocantur, tanquam ſine verbo (λόγος enim Græcè verbum dicitur)quia Deum[2] Verbum recipere noluerunt, Ioannis Euangelium reſpuentes, cuius nec Apocalypſin accipiunt. Has videlicet Scripturas negant eſſe ipſius.

1 *Sic vocantur.*) Immanior verò & terrior ſu- C periore fuit hæc peſtis & hæreſis, de qua nunc ſumus dicturi: quam qui ſequuntur, Alogi, Alogij, Alogiani,& Artemonitæ vocantur. His enim tot nominibus vna illa ſecta dicta eſt. Ἄλογοι quidem & Ἀλόγιοι ab Epiphanio & aliis: quas voces Latini Alogos & Alogianos verterunt vti hoc loco Auguſtinus. Iſidorus verò Alogios, quòd λόγον Θεοῦ, qui eſt Chriſtus,negarent eſſe & Deum,& Dei Filium.Itaque quòd λόγου ſignificationem & vocabulum,quo Ioannes Euangeliſta tamen vtitur,repudiarent, Alogij ſunt appellati. Sed etiam Berilliani à Berillo Boſtrenſi,vel vt alii volūt, Boſſeenſi Epiſcopo(eſt autem epiſcopatus Arabiæ)qui λόγον Θεοῦ Chriſtū non prius fuiſſe dicunt, quàm ex Maria naſceretur,vt & Euſeb.lib.3.c.27.& Niceph.libro 5.cap.22.tradunt. & antea Artemonitæ ab Artemone primo huius erroris parēte, homine profano & blaſphemo,qui de Ebionis hæretici cœno & latrina ſuum illud peſtiferum lac & dogma bibit,quod in Eccleſiam effudit. Alii ex Ariſtotelicorum ſchola profectos volunt, vti Funccius libr. 6.Commentar. Illud autem ſemel ſparſum latiſſimè propagatum eſt. Ergo hæc eadem ab authore Arte-

A Artemonis hæreſis appellatur. Videtur tamē Tertullianus in libro De præſcriptionibus aduerſ. hęret. primum huius veneni inuentorē facere Theodotium quendam Byzantinum, ſed quemadmodum docet Alexander Alexandriæ Epiſcopus, qui primus Arianis ſe oppoſuit, & refert Theodoret. lib. 1. Hiſtor. cap. 4. altius eſt arceſſendum huius mali caput, nempe ab Ebione. Ebioni tamen non tribuitur, ſed Artemoni, quia falſarum rationum pigmentis & coloribus acceptum ab illo malum ſic exornauit, vt author, non hæres aut ſucceſſor huius dogmatis videretur. Theodotius autem ille Byzantinus tantùm illius propagator, diligentiſſimus quidem & defenſor acerrimus fuit, Artemoniſque primarius diſcipulus, quemadmodum ex Euſeb. Hiſtor. lib. 5. cap. 28. facilè colligi poterit. Vixit autem Artemo vel Artemas (nam vtroque nomine vocatur) & ſuum illud nocentiſſimum virus B ex Ebionis libris recoctum euomuit, extremo tempore pontificatus Victoris epiſcopi Romani, ſub imperatore Seuero circa annū à Chriſto paſſo 167. Quis autem fuerit Artemo iſte, & vnde primùm prodierit, & quem vitæ exitum habuerit, apud probatos ſcriptores, quibus fidem habere velim, non inuenio, tantùm à Victore epiſcopo Romano excommunicatum fuiſſe tradunt. Nec certè tam nefarij hominis vita aut memoria niſi ad vituperationem cognoſcenda eſt. Hic igitur error aliquandiu poſt Artemonem à Theodotio ipſius diſcipulo defenſus eſt: ſed tādem variis doctorum Epiſcoporum diſputationibus confutatus conticeſcebat, donec penè 60. poſt annis à Paulo Samoſateno reuocatus, & poſtea ab Ario interpolatus, iterum vixit funeſtum certè quidem humano generi malum, & peſſimum, ſi quod aliud, Satanæ venenum, & quo ſanam Euangelij doctrinam C maximè labefactauit: & ſummas in Eccleſia diſcordias implacabileſque immiſit. Latiſſimè igitur vagata eſt hæc hęreſis, & omnes orbis Chriſtiani regiones infecit. Diutiſſimè pręterea retenta eſt, quando ne nūc quidem periit, ſed à variis per ſingulas hominum ætates repetita & interpolata viget adhuc, & graſſatur. Præcipuum enim ſalutis noſtræ fundamentum euertit, quod eſt, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, noſtrum apud Deum mediatorem, & in quem ſperamus, eſſe verum Deum, vti verus quoque homo eſt. Neque enim Ἰησοῦς & Seruator noſter eſſe poteſt Chriſtus, niſi Deus, atque adeò verus, & per ſe, non autem emendicatus & factitius, fuerit.

2 *Deum Verbum.*) In impreſſis, Domini Verbum: in margine Deum Verbum, & omnino rectius. Primùm, quia melius mentem Artemonis exprimit, qui non negabat aliquod omnino eſſe Dei verbum, quum Deus eſſet locutus, ſed negabat λόγον & Verbum quod appellat Ioannes in Euangelio cap. 1. eſſe Θεὸν, id eſt, Deum. Sic enim loquitur Ioan. verſu 1. ϗ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, erátque Sermo ille Deus. non dicit autem tantùm ϗ Θεοῦ ἦν ὁ λόγος, erátque Sermo ille Dei, quod poſtremum Artemō facilè admitteret. Deinde, quia ſic legitur apud Iſidor. *Deum Verbum negant*, qui ſua ex Auguſtino manifeſtè deſcripſit, vt ambigi nō poſſit, quo modo illo ſeculo hic Auguſtini locus legeretur. Ergo primum huius hæreſeos caput fuit, Chriſtum merum eſſe hominem, non eſſe Deum, non Dei A Filium, non λόγον. Nam vocem ipſam λόγου, qua Chriſti deitas caſtiſſimè, vt veteres ſentiunt, à Ioanne deſcribitur, expungunt, totúmque adeò Ioannis Euangelium, quod non recipiunt. Hoc fuit & Samoſateniani & Ariani erroris ſemen, & poſtea Mahumetani, nunc etiam Seruetani: in quem etiā ſcopulum antea & Ebion, & Cerinthus infeliciter impegerant, ſed eorum triſti naufraugio non eſt factus Artemon prudentior. Chriſtum igitur ex virgine Maria tantùm natum, & hominem eſſe: non etiā ex Deo, quia non ſit Deus: & quod Chriſtus cæteris hominibus & Prophetis ipſis excellētior extitiſſet, id factum eſſe, non natura, ſed eadem gratia quæ nobis à Deo confertur; quæ maiori menſura in Chriſtum collata eſt. Theodoret. lib. 2. hæretic. fabul. Λόγον autem imprimis repudiabat, quòd ab aliis Euangeliſtis Chriſtus non diceretur. Λόγος. Sed Deum demonſtrari ab iis & probari B negare, quantumuis impius ſit Artemon, non poteſt quum eum hominum corda noſſe, & ſecretas animi cogitationes, quum eum miracula non aliena, ſed ſua propriáque virtute edidiſſe, quum Emmanuelem illum verum fuiſſe alij Euāgeliſtæ vbique doceant, Matth. 1. ver. 23. 22. verſ. 17. 6. verſ. 22. Marc. 1. verſ. 24. Luc. 1. verſ. 32. Præterea ne profani quidem ipſi tam fuerunt in Chriſtum blaſphemi quàm Artemō. Nam quemadmodum in libro De præpar. Euangelica ſcribit Euſeb. Numenius quidam Platonicus philoſophus admirabatur aſſentiebatúrque Ioanni Chriſtum Dei Filium vocanti & λόγον & Deum, quod & rectè & verè dici fatebatur; nedum vt id negent homines qui ſe Chriſtum amplecti vēditant. Chriſtum quidem etiam hominem agnoſcimus, qui ex Maria virgine natus ſit vt putat Epiphanius, die quinta Ianuarii menſis, & qui triginta pòſt annis eadem die baptizatus eſt. Alij allio die cēſent. 2 Caput erroris fuit, Quòd Ioannis Euangelium & Apocalypſin hi quoque reiicerent. Nam vtrumque à Cerintho ſcriptum C eſſe non à Ioanne contendebant. De Apocalypſi fuit aliqua in Eccleſia controuerſia à quo ſcripta fuerit, quanquam nulli Patres orthodoxi eam hæretici hominis eſſe volunt. De Euangelio nemo dubitauit vnquam, aut controuerſiam mouit. Præterea Cerinthus ipſe Chriſti deitatem negauit, vt Euangelium illud ſcripſiſſe dici non poſſit. Denique ſi Ioannis epiſtolas admittunt, quas non repudiabant, ex iiſdem reuincentur. Nam 1. Epiſt. cap. 1. 1. verſu 1. idem de Chriſto, quod in Euangelio cōfirmatur, eum & verum Deum & verum hominem fuiſſe. Sed quid iſtis beluis facias, quæ furore animi abreptæ & ſe & alios miſerè perdunt?

CAP XXXI.

Adamiani cur ſic nominati. Erroris autem tria capita commemorantur.

ADamiani ex Adam [1] dicti, cuius imitantur [2] in paradiſo nuditatem, quæ fuit ante peccatum. Vnde & nuptias auerſantur, quia nec prius quàm peccaſſet Adam, nec prius quàm dimiſſus eſſet de paradiſo cognouit vxorē. Credunt ergo quòd nuptiæ futuræ nō fuiſſent, ſi nemo peccaſſet. Nudi itaque mares fœminæque conueniunt, nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant Sacramenta. Et ex hoc paradiſum ſuam arbitrantur Eccleſiam.

A 1 *Adamiani.*) Non videtur in hac hæreſi collocanda diligenter ab Auguſtino obſeruata ratio temporis, ſed nec ab Epiph. quem Auguſt. ſequi gaudet. Quare potius Iſidorum ſequor, qui hos cũ Cainianis & Sethianis coniungit. Eodem enim penè tempore videntur hi omnes exorti, & ex ſtirpe Carpocratianorum vel ſemine ſunt infeliciſſimus prouentus & ſeges. Vnde poſt Gnoſticos erant reponendi. Nam Gnoſtici & Adamiani ſunt ex eodem Valẽtinianorum turbido fonte diuortia duo, & riui diuerſi. Dicuntur autẽ ijdem hi Prodiciani, quòd à Prodico profecti ſint, quẽadmodũ Theodoretus lib. 1. Hær. fabul. tradit. Dicuntur ab aliis Adamitæ non Adamiani, quanquam alij ſeparant, quaſi Adamitæ nõ ſint hæretici, ſed monachorum genus inter veteres Chriſtianos receptum. Adamiani verò ſint hæretici, quos vetus Eccleſia damnauit. Adamiani verò dicti ſunt ab Adamo primo illo homine, cuius nuditatem & vitæ genus, & puritatem illi ſe imitari putant, ſed falſò. Videtur tamen Epiphanius in argumẽto libro 2. Tom. 1. ſentire ab authore ſuo ſic nominatos, qui Adã vocaretur. Ἀδαμιανοὶ, ait, ἀπὸ τινὸς Ἀδὰμ ζῶντος καλούμενοι. Huius B ſectæ pauci ſcriptores meminerunt, quia, vt ait Epiphanius, fuit minuta hæreſis, & ſtatim ex Eccleſia Dei non tantũ exploſa, ſed etiam in orbe terrarũ extincta. Ac ne nũc quidẽ nomẽ eius extaret, niſi Monachi quidam qui ſe falſo pietatis & vitæ auſteritatis prætextu commendarunt, horum hæreticorum impudentes prorſus mores retinuiſſent, & inter ſanctiſſima ordinis & regulę ſuæ præcepta poſuiſſent, quales ij qui etiam nunc hodie Adamitæ dicuntur, vigéntque plurimùm in Italia: & alij quidam qui Theodoſij iunioris ſeculo vixerunt, de quibus ſcribit Euagr. lib. 1. Hiſtor. cap. 21. Viuũt enim nudi non neceſſitate quidem adacti, vel inopia veſtimentorum, ſed ex voti profeſſione. Quo conuerſationis genere nihil certè dici vel cogitari poteſt fœdius & turpius: ſed fœdis hominibus Monachis perplacent fœdi mores. In quo ſunt primis & ſanctioribus Monachis diſſimillimi, qui, quanquam ſoli, tamen nunquam ſe nudos videre ſuſtinuerunt, quod refert variis in locis Hiſtoria Eccleſiaſtica, Socrat. libro quarto cap. 23. Sozomen. C libro primo cap. 14. Fuerunt autem Adamiani hæretici, quemadmodum ſcribit Epiphanius, ex μοναζόντων & ἐγκρατευομένων, id eſt, Monachorum genere, ne qui eorum nuditatẽ probarunt & ſequuti ſunt, putẽt ſe hæreticis illis eſſe propter monachalem vitæ rationem meliores. Quanquam autem & Prodici & Carpocratis ſoboles appellantur, verius tamen Cynicorum illorum, qui ab inuerecundia & impudentia dicti ſunt, propago fuiſſe videntur, quos vbique ex ſacra Scriptura damnat Auguſtin. imprimis autem in libris De ciuit. Dei.

2 *Cuius imitantur.* Hæ ferè ſunt horum hominum & hæreticorum hypotheſes. 1 Oportere Chriſtianos homines verſari in publico, in cœtu Eccleſiæ, in precibus, nudos, ſiue mares ſint ſiue fœminæ, ad imitationem Adami, ad cuius ſtatum & puritatem renouauit nos Chriſtus. Si enim iam nos vllius membri noſtri pudet, nos ſecũdum carnem & externum hominem, qui in nobis periiſſe debet, viuere: non ſecundum internum. Denique quum veſtimenta ſint peccati teſtimonia, & tanquam corporis noſtri vincula, exuenda eſſe iis qui A Chriſti beneficium ſentiunt. Hæc phalerata hominum oratio refutatur illo Pauli loco qui eſt 1. Corinth. 12. verſu 23. & planè in reprobum ſenſum traditi videntur, quos ne ſuæ quidem & manifeſtæ fœditatis pudeat. Sũt igitur ἀναίσχυντοι. i. impudentes. Atque tamen hi ſunt alij ab illis hæreticis, qui nudis pedibus incedunt, de quibus infrà. Hi autem Perſarum Gymnoſophiſtas imitati videntur, qui totam vitam nudi tranſigunt, & dicuntur σεμνοί, vt ait Clemens lib. 3. Strom. 2 Nuptias damnant, vt Satanę conſilium & opus, contra illud quod eſt, Hebr. 13. verſ. 4. 3 Mulieres tamẽ communes habent, & habendas eſſe contendunt. Itaque extinctis in ſuo cœtu lucernis promiſcuè coeũt, quemadmodum ex Clemente Strom. notat Theodoretus. 4 Deum à nobis precandum & orandum eſſe negant, quia ſcit ipſe per ſe quibus egeamus. Clemens hoc de illis tradit, lib. 7. Strom. At dicit Chriſtus, Petite & accipietis, Matth. 6. & iubet Pſal. 50. vt Deũ inuocemus in afflictione. 5 Cœtus ſuos dicunt eſſe illũ paradiſum qui à Deo beatis ſit promiſſus: adeò vt ex eorum ſententia ſit in his terris vita æterna & felix quærenda nobis, quã B tamen in altero demum ſeculo iubentur fideles expectare, 1. Corinth. 13. verſ. 12.. Matth. 25. Decepti ſunt homines inſulſi, quòd factas Eccleſię promiſſiones, hîc impleri exiſtimarent. In quo eodem ſcopulo multi naufragium fecerunt, vt Pepuziani, Baſilidiani, poſtea Seruetani. Sed etiam Nepotiani qui à Nepote quodam Ægyptiacę vrbis Epiſcopo dicti ſunt, idem ſenſerunt, quemadmodum Theodoretus ſcribit lib. 3. hæreticar. fabul. & Platina in vita Sixti Rom. Epiſcopi. Atque hæ tot ex vna illa Adamianorum cauerna exhalant peſtes.

CAP. XXXII.

Elceſei cur ſic appellati. Erroris autem eorum caput vnum hoc loco commemoratum.

ELceſeos & Sampſeos 1 *hîc tanquam ordine ſuo commemorat Epiphanius, quos dicit à quodam pſeudopropheta eſſe deceptos, qui vocatur Elci, ex cuius genere duas mulieres tanquam* 2 *deas ab eis perhiberi adoratas. Cætera Ebioneis tenere ſimilia.*

1 *Elceſeos & Sampſeos.*) Variis nominibus & hi quoque dicti ſunt Elceſei, vel Elceſaitæ ab Elceſai quodam homine impoſtore, qui Chriſtianam fidem & nomen ementitus eſt, quum vtrunque oppugnarit apertiſsimè. Sic igitur & hoc etiam loco legendum puto, *Elceſai*, non autem *Elci*, vt vulgò in impreſsis: ſed facilis fuit ſcribarum lapſus, qui nomen hoc abbreuiaturis deſcriptum, *Elcĩ*, imperitè legerunt, & poſtea tranſmiſerunt. Etiam in Epiphanio Ηλξα corruptè, meo quidem iudicio, legitur. Melius autem & emendatius apud Euſebium, & Theodoretum libr. 2. hæretic. fabul. ſed quia prætermiſſa eſt ab Iſidoro hæc hæreſis, non videmus quomodo veteres apud Auguſtinum olim legerint. Fuit autem Elceſai primus huius erroris author, vnde dicti ſunt Elceſaitæ, quanquam eum ex Ebionitarum, Nazareorum, &, quod peius eſt, Eſſæorũ cœno impuriſsimo hauſerit, adeò vt Elceſaitas annumeret Ebionitis Epiphanius,

A ſed propriam ſectam & erroris genus ſeparatum conſtituunt Epiphanius & Theodoretus. Variè autẽ ſparſa Elceſai hæretici dogmata collegit, acerriméque pro iis propugnauit primus Alcibiades quidã ex Apamea Cœleſyriæ vrbe profectus. Vocati ſunt etiam Sampſæi, Græcè Σαμψαῖοι, vt ait Epiphanius, quaſi illi lacertarũ generi ſimiles, quas ἠλιακὰς Græci. i. ſtelliones appellant, genus animalis variis notis maculatum & mutabile: ſic iſti fuerunt ex pluribus hæreticis conflati, & in moribus ποικιλόμορφοι & verſipelles, quũ fidem Chriſtianam abnegare non reformidarẽt. Vtrum illa vox Sampſe fuerit Arabica, ſiue AEgyptiaca, ambigitur, tamen in iis maximè regionibus valuit & obtinuit hæc hæreſis, quanquam & Syraica vox fuiſſe videri poteſt argument. ca. 4. v. 23. Eſdræ. Ipſi verò ſe Prognoſticos & Prophetas appellant, quia quibuſdam B incantationibus & aſtrologicis etiam obſeruationibus confiſi profitentur ſe futura poſſe prędicere. Cœpit autem hoc malum in Eccleſia Dei graſſari, Origine iam ſene, aduerſus quod ille ſcriptis ſuis pugnauit, ſub Anthero Roman. epiſcopo, & Gordiano imperatore, circa annum à paſſo Chriſto 210. quanquam Ioan. Funccius in annum 218. reiicit, ſed nos noſtram ſententiã ex Euſebio libro 6. Hiſtor. cap. 38. apertiſſimè confirmare poſſumus. Durauit autem ad tempora vſque Epiphanij (vixit ſub Theodoſio iuniore Epipha.) in Arabia maximè, quæ vergit ad mare mortuum, item in Moabitide & Ituræa Syriæ prouinciis. Orta eſt in Peræa, non autem in Petræa Arabiæ regione. Peræa verò eſt Iudææ pars, quæ Arabiæ & Ægypto proxima aſperis diſperſa eſt montibus, & à cęteris Iudæis Iordane amne diſcreta, quemadmodum Plinius docet libro 5. Natural. Hiſtor. cap. 14. ſed ibi primùm nata, latiſſimè poſtea propagata eſt, & à C Rhetorianis hęreticis, qui ſubſecuti ſunt, interpolata & repetitita. de quibus infrà.

2 *Duas mulieres.*) Multa fuerunt horũ phantaſticorum dogmata peruerſa. Conſenſerunt enim cum Ebionitis, quorum furorem etiam auxerunt ſuis additamẽtis. Ergo primum eorum erroris caput hoc fuit: Duos fuiſſe Chriſtos, vnum infernum qui ex Maria virgine natus ſit, & merè ſit creatura: alterum ſupernum qui non ſit cum illo inferno coaleſcẽs in vnam perſonam, etſi in eo ipſo primo ſuo dogmate varius fuit hic doctor, tam eſt anceps mendacium. 2 Spiritum ſanctum partim eundem cum Chriſto facit, eum tamen ab eo diſtinguit, quòd Chriſtus in ſingula diffuſus dicatur Spiritus: partim ſororem Chriſti eſſe contendit, quæ nomine maſculino appelletur, Theodoret. lib. 2. Hæret. adeò pueriliter de tantis myſteriis nugantur. Atqui Lex Dei vetat ne fœmina vel ipſum ſolum viri veſtimentnm induat, nedum vt ſe in illius ſpeciem transformet, Deuter. 22. 3 Deinde de vtriuſque longitudine & latitudine & locali diffuſione blaſphemè ſentiunt. 4 Aſtrologia iudiciaria, Magia & variis incantationibus vtuntur, per quas futura ſe prænuntiare affirmant, quanquam manifeſtiſſimè deprehendantur mentiri.

5 Aquam tanquam Deum adorant. Epiphan. itémque duas quaſdam fœminas ſanctè vt deas colunt, quarum vnius nomen fuit Marthus: alterius Marthana, quarum pedum puluerẽ & ſaliuæ ſcreatum ſeruant & colũt, vti Papiſtæ reliquias ſuorum ſanctorum, per quæ ſe morbis multis mederi dicunt. Fuerunt autem Elceſai cognatæ; vt quidam A volunt: vt alij verò, ſcorta. 6 Negant peccare eos qui perſecutionis tempore fidem Chriſtianam negant vel eiurant. Aduerſus quem errorem accuratè diſputauit Origenes eúmque confutauit, quẽadmodum etiam à Chriſto damnatur, Matth. 10. verſ. 33. & à Paulo Rom. 10. verſ. 10. Dixit autem & ſenſit hoc Elceſai propter perſecutiones acerbiſſimas à Iul. Maximino Imperatore Roman. excitatas, in quas incidit, & quarum terrore perculſus hoc ſuum dogma finxit, vt ſibi in abnegatione Chriſti faceret delicias, & impunitatem concederet. 7 Librum quendam Apocryphum à ſe conſcriptum tantopere commendant, vt ex eius vel ſola lectione omnium peccatorum remiſſionem à nobis obtineri contendant, non tantùm fidem & doctrinam percipi. Hæc autem inſanorum iſtorum deliria fuerunt. B

CAP XXXIII.

Theodotiani cur ſic appellati. Erroris autem eorum caput vnum, & cauſa hæreſeos explicata.

THeodotiani à Theodotione [1] quodam inſtituti hominem tantummodo [2] Chriſtum aſſeuerãt. Quod dicitur quidem Theodotiõ propterea docuiſſe quia in perſecutione lapſus, iſto modo ſe caſus ſui deuitare putabat opprobrium, ſi non Deum negaſſe, ſed hominem videretur.

2 *A Theodotione.*) Hanc hæreſin prætermiſit Iſidorus. Epiphanius tamen, Theodoretus & iis antiquior Euſebius habet libro 5. Hiſtor. cap. 28. Qui fuit huius hæreſeos parens & autor ab aliis Theodotus, vti à Tertulliano, appellatur, non autem Theodotion. Et Epiphanius ipſe Θεόδοτον nominat. Vnde hoc quoque loco ex omniũ ſcriptorum conſenſu reponerem, à Theodoto: delerẽ autem Theodotione. C Nam hi ipſi ab aliis dicti ſunt etiam Theodotij. Fuit autem & tempore & hæreſi & natione alius hic Theodotus de quo nunc Auguſtinus agit, Theodotione, quem inter hæreticos recenſent ſcriptores Eccleſiaſtici. Theodotiõ enim quanquam Chriſtum purum ϗ ψιλὸν. i. merum tantummodo hominem dixit, vti hic noſter: Taciani tamen hæreſin potius, quam Artemonis amplexus fuiſſe ſcribitur (nam Taciani fuit diſcipulus) qui Epheſius natione fuit, & cum Aquila vixit, Bibliorum Hebræorum malignus interpres, quanquam tamen peritus linguæ Hebraicæ, ſed demum ad Iudaiſmum defecit, de quo Euſeb. libr. 3. cap. 8. & cuius verſionis meminit in exaplo ſępiſſimè Origenes. Hic autem Theodotus fuit Byzantinus & Thrax natione, arte Coriarius vel σκυτεὺς, vt ait Epiphanius, Græcorum tamen literaturæ non imperitus, Artemonis primarius diſcipulus, acer ingenio, & ætate poſterior Theodotione, prior tamen illo Theodoto, qui quanquam & ipſe ſuam hæreſin condidit, quæ Melchiſedechianorum appellatur, fuit tamen hoc noſtro poſterior & iunior, quemadmodum in lib. De pręſcription. hæretic. ſcribit Tertullian. Vixit autem hic noſter Theodot. qui, quòd obſtinatiùs Artemone ipſo Chriſti diuinitatem oppugnaret, primus illius hæreſeos author fuiſſe ſcribitur ab Euſeb. lib. 5. cap. 28. vixit, inquam, ſub Victore Rom.

A Epiſcopo, & Seuero Imperatore, circa annum à Chriſto paſſo 170. quo primùm cœpit innoteſcere, quanquam Platina cum Samoſateno tanquam contemporaneum & coæqualem manifeſto errore coniungit. Cùm autem ſub Seuero fuiſſet grauis Eccleſiæ perſecutio, fidem Chriſtianam abnegauit Theodotus. Propterea pudore ſuffuſus patria Byzantio relicta Romam venit, vbi pro proditore Chriſti & Dei abnegatore agnitus, vt crimen tegeret negauit ſe Deum idcirco abnegaſſe, quia Chriſtum eiuraſſet, ſed tãtùm hominem, propterea quòd Chriſtus eſſet tantummodo homo. Hæc Epiphanius narrat. A Victore igitur damnatus & ſtatim excommunicatus eſt, ſed non reſipuit, imò ſuum errorem latiùs ſparſit. Itaque ad multos manauit error, & ſcholam & diſcipulos habuit, eóſque plures, inter quos hi fuerunt præcipui, Theodotus menſarius, Hermophilus, Apollonides, qui tamen ſtatim ſe in varias ſectas & diuortia ex eodẽ orti fonte ſecuerunt, & inter ſe dogmate diuerſi B fuerunt, ita nimirum eſt incertum omne mendacium, & à ſeipſo diſſentiens. Theodo. lib. 2. Hæretic. fabular. Nicephor. lib. 4. c. 21. Durauit autem hæc hæreſis diutiſſimè nõ ipſo quidẽ Theodotianorum nomine, quando ne temporibus quidem Epiphanij hac appellatione amplius nota fuit, ſed interpolato & renouato à Paulo Samoſateno & Ario poſtea peſſimo dogmate. Euſebius tamen lib. 6. cap. 33. ſcribit Beryllum quendam ſimilia prorſus huic Theodoto & ſenſiſſe & docuiſſe, qui Theodoto poſterior fuit. Narratur verò quædam hiſtoriola de Natali quodã qui cùm pretio à Theodotianis inductus eſſet vt ſe pro eorum Epiſcopo gereret, ídque acceptaſſet, ab Angelo noctu caſtigatus & flagellatus à Deo, errorem ſuum publicè in orthodoxorum cœtu confeſſus eſt, & eiurauit.

2 *Hominem tantummodo.*) Reperio tãtùm huius hæreſeos capita tria, quia cum Artemone coniungitur. 1 Chriſtum negauit eſſe Deum, ſed contendit eum tãtummodo hominem fuiſſe, quia dixit Chriſtus ipſe, Ioan. 8. verſ. 40. Nunc autem C ſtudetis me interficere hominem qui veritatem locutus ſum vobis, quam audiui à Deo. 2 Error, Chriſtum ex viri ſemine conceptum. Hoc enim eos ſenſiſſe, ſcribit Epiphanius, quanquam Tertullian. tradit ipſum Theodotum faſſum eſſe Chriſtum ex virgine Maria per Spiritum ſanctum natum: ſed diſcipulorum fortaſſe hic error fuit, qui ab Epiphanio aſcribitur præceptori, & certè conſequens omnino eſt ad ſuperiorem. 3 Libros Euãgelicos mutauit & mutilauit, pro animi arbitrio, hos probans, illos improbans per quos refutabatur. Hæc ferè ſunt ſuperioris hæreſeos, & peſſimæ peſtis tanquam laruæ capita nefanda & præcipua.

CAP. XXXIIII.

Melchiſedechiani quid ſenſerint.

Melchiſedechiani[1] *Melchiſedech ſacerdotẽ Dei excelſi non hominem*[2] *fuiſſe, ſed virtutem Dei eſſe arbitrantur.*

1 *Melchiſedechiani.*) Mirum eſt nihil tam ſanctè à Dei Spiritu dictum eſſe quo non Satan abuſus ſit ad errores eóſque grauiſsimos confingendos & tuendos. Nihil ad Chriſti dignitatem & ſacerdotium illud ſingulare cõmendandum aptius dici potuit, quàm quod Apoſtolus ad Hebr. c. 7. ex Pſalm. 110. de Melchiſedech affert. A Hoc ipſum ita poſtea peruertit Satan, vt inde peſtem corruptelámque fidei noſtræ maximam excuderet, & hæreſin hanc inueheret, quæ Melchiſedechianorum appellata eſt à materia, circa quam deliri homines iſti & inſani errant, non autẽ ab illius authore. Fuit enim, vt Tertullianus & Theodoret. li. 2. Hæretic. fabular. tradunt, huius erroris primus author & parens Theodotus quidam argentarius Theodoti ſuperioris & [illegible]iarii, de quo iam diximus, diſcipulus & ſectator: qui tamen nec cum ſuo præceptore, nec cum Apollonide & Hermippo condiſcipulis, in doctrina conſenſit, ita mendacij via eſt multiplex & tortuoſa. Nec etiam fuerũt inter ſe concordes Artemonicæ hæreſeos hæredes, vt ait Euſeb. lib. 5. cap. 28. Ergo magna ambitione ductus, hæreſin, & ipſe ſuam, id eſt, proprium errorem habere voluit, quo ſe inter alios hæreticos B iactaret. Vixiſſe autem videtur Theodotus iſte ſub Zephorino Pontifice Roman. & Seuero Imperatore, circa annum à Chriſto paſſo 174. quia proximè Theodotianis hæreticis ſucceſsit, quorũ errorem à ſe auctum & multiplicatum in aliis capitibus ſecutus eſt vir audax & impius. Fuit. n. hæc hęreſis tanquam auulſus ab illa mala ſtirpe ramus, quanquam Epiphanius dubitaſſe de prima origine & radice huius mali videtur. Quandiu perſtiterit non annotant ſcriptores, & ſtatim cõcidiſſe fit mihi veriſimile, quia partim orthodoxornm diſputationibus iugulata eſt: partim robuſtiore Samoſatenianorum & Arianorum, qui horum fuerũt ſucceſſores, fraude & nomine notiore oppreſſa & ſepulta. Hieronymus tamen, qui vixit poſt annum Chriſti 300, ſcribit in epiſtola ad Euagrium Tom. 3. epiſtolarum etiam ſuo tempore iſtius hæreſeos ſectatores adhuc ſuperfuiſſe. Quas etiam in regiones orbis & Eccleſię graſſata ſit, non eſt diligenter obſeruatum, Romæ tamen nota fuit, & in Græcia, vbi leui diſputationis ictu deiecta periit.

2 *Non hominem fuiſſe.*) Iſidorus hunc locum C trãſcripſit. Primum igitur huius erroris caput hoc fuit, Quòd Melchiſedechum, de quo Geneſ. 14. fit mentio, non putant fuiſſe hominem, ſed Dei virtutem Chriſto ipſo & Dei filio potentiorem, auguſtiorem, & feliciorem, ad cuius imaginem & typum Chriſtus ipſe fuerit à Deo factus. Tertulliani verò hæc verba ſunt de hoc capite. Nam illũ Melchiſedech ait præcipuæ gratiæ cœleſtem eſſe virtutem, eò quòd agat Chriſtus pro hominibus, deprecator & aduocatus ipſorũ factus: Melchiſedech verò pro cœleſtibus Angelis atque virtutibus. Huius erroris occaſio videri poteſt ſumpta ex ea comparatione quæ fit in epiſtola ad Hebr. cap. 7. ſed ſi rectè percipitur, nihil quicquã ex eo loco tale colligi poteſt. Chriſtus enim ſuperior, non autem inferior Melchiſedecho eſſe oſtenditur, & quę ſit vis huius comparationis inter Chriſtum & Melchiſedechum, vide Theodoret. Dialog. 2. qui dicitur Incunfuſus. Deinde vt Melchiſedechi genealogia non recenſeatur, cur inde colligetur non fuiſſe hominem quando nec Eliæ Prophetæ nec Danielis, nec aliorum multorum pater nec mater, nec proſapia cõmemoratur, qui tamen omnes veri homines

nes fuerunt?Sed hunc Melchiſedechum fuiſſe Sem filium Noæ,qui adhuc ætate Abrahami ſuperſtes vixerit, atque Rex & Sacerdos Dei ſummi fuerit, plerique ferè omnes exiſtimant. Præterea Epiphanius,ſed quo authore non addit, patrem Melchiſedechi appellat Heraclan,matrem verò Aſtaroth. Propter hunc locum à Melchiſedechianis corruptum,& alterum qui eſt in cap.6.à Nouatianis deprauatum,epiſtola ad Hebræos à multis vti Apocrypha,& non ſatis confirmata,reiecta eſt: quę tamen verè Apoſtolica eſt & Diuina. 2 Error.Chriſtum merè hominem eſſe contendunt, vti Theodotiani,& ita Paulo Samoſateno error hic per manus traditus eſt, & iampridem à Satana excogitatus.Sic ex malo ouo malus coruus enatus, & cùm alicuius mali ſemina ſemel iacta ſunt, confirmantur paulatim,nec meliora tempore fiunt,ſed peiora,& tandem euadunt periculoſiſsima, vt principiis etiam leuibus ſtatim obuiam ſit nobis eundum.

CAP. XXXV.

Bardeſaniſtæ cur ſic dicti.Erroris autem eorum capita duo recenſentur.

Bardeſaniſtæ[1] *à quodam Bardeſane, qui in doctrina Chriſti prius perhibetur extitiſſe inſignis, quamuis poſtea per omnia in Valentini hæreſin*[2] *lapſus ſit, addens de ſuo, vt fato aſcriberet conuerſationes hominum.*

1 *Bardeſaniſtæ.*)Neque tẽporis,neque dogmatis ratione videtur ſuo loco recenſeri hæc hæreſis, ſed prorſus alieno. Nam quod ad tempus,extitit circa annum à Chriſto paſſo 144. ſub Soſtero Pontifice Roman. & M. Antonino & L. Vero Impp. ſed ſub Vero fuiſſe potius annotatur,quia ille notior fuit Orientalibus populis, inter quos viguit & receptus eſt hic error, & ad quos bellorum quæ Romanis cum Parthis erant, adminiſtrandorum gratia profectus eſt, denique inter eos vixit L. Verus Imperator,quemadmodum tradit Dion in eius vita. M. Antoninus, qui eodem tempore regnauit, ignotior iiſdem populis fuit, quia non vltra Epheſum in eam orbis partem progreſſus eſt,ſed bella Germanica,& Marcomannica in Septentrione geſsit. Vnde error eſt apud Theodoretum lib.1.Hæretica. fabul. vbi in hæreſi Bardeſaniſtarum Seuerus pro Verus legitur. Fuit autem Bardeſanes Cyrus è Meſopotamia regione oriundus & Edeſſa vrbe, quæ propter religionem celebris fuit,quanquàm eam alii Comagenæ attribuunt,alii verò Arabiæ, vti Plinius lib.5. cap.24. Chriſtianam religionem primùm profitebatur,in qua ſic excelluit, vt aduerſus Marcionitas etiam ſcriberet,atque illius libri probarentur ab Eccleſia.Erat enim & Syriacè,id eſt,Hebraicè,& Græcè doctus.Sed etiam aduerſum eum errorem ſcripſit, in quem tamen incidit ipſe poſtea, nimirum eorum,qui omnia quæ hic fiunt, Fato Stoico regi & euenire dicunt.Id quod tradit Euſeb. libro 4. cap. 29.quos ipſius contra Fatum libros legiſſe ſe teſtatur Theodoret. Poſtquam autem Verus Imperator in Orientem venit, & Babylonem vſque progreſſus Magos & Mathematicos ſecum ex illis locis abduxit,quorum apud eum magna erat autoritas,& frequentes de Aſtrorum influentiis & poteſtate diſputationes, euocatus ab Imperatore propter doctrinam inſignem Bardeſanes, Abidam quendam ſummum Fati propugnatorem, vt ſcribit Epiphan.audiuit,cuius argumentis quanquam falſiſsimis cedens, mutauit ſententiam, & Fatum probauit, & ad alia paulatim deliria delapſus omnia in religione confudit. Denique Chriſtianæ fidei naufragium fecit, tanti eſt nimirum ab aula principum huiuſmodi & familiari cum Ethnicis colloquio abſtinere. Viguit autẽ in Syria & Oriente maximè Bardeſanis error, qui vix in Occidentalibus Eccleſiis notus fuit, niſi quòd eum poſtea Priſcillianiſtæ, quorum hæreſeos Bardeſanes parens & autor fuiſſe videtur, in Hiſpaniam vſque propagarunt, ſed multis poſt ſeculis. Succeſſorem hæreſeos & ex ſe procreatum habuit Armenium filium, virũ in Gręcis eruditum,quique propterea Athenas vſque ex Oriente remotiſsimo venerat, ſed nondum paterni veneni labe correptus & infectus.Pauci autem de hac ſecta ſcripſerũt veteres ſcriptores & probati. Noſtro enim ſeculo æquales non moror.

2 *In Valentini hæreſin.*) Tres fuerunt Bardeſaniſticæ hæreſeos hypotheſes. 1 Valẽtini blaſphemias de AEonum productione, per quam diuina Chriſti natiuitas irridetur, & ſubſannatorum calumniis exponitur,renouauit iam ſepultas. 2 Hominum malos bonóſque mores,actus, & totam vitę humanę rationem fato tribuit & ſubiecit,à quo nos regi contendebat. Fatum autem vocant eam cauſarum inferiorum cum ſuperioribus cõnexionem quæ neceſsitatem imponat rebus omnibus ineuitabilem, adeò vt ne Deus quidem ipſe ab ea Lege & iugo liberetur. Quò fit vt iam non ſit libera Dei ipſius voluntas. Deinde fit, vt in hominibus vitæ ſanctitas non ſit Dei donum, ſed ſyderum,& ſtellarum influentia:vitæ autem improbitas non ſit vitium & peccatum in homine ipſius voluntate admiſſum,ſed neceſsitas cogens eum vi iſtius connexionis cauſarum,vt etiam peccet inuitus. Denique tollitur gratuita Dei electio,ſi ſalus noſtra damnatióque ex aſtris & eorum potẽtia & influentia dependet.Hic fuit Stoicorum philoſophorum error grauiſsimus,qui à quibuſdam hæreticis primum in Eccleſiam inuectus & retẽtus eſt, veluti à Colarbaſiis,poſtea à Bardeſane fortiter defenſus, & à Priſcillianiſtis turpius confirmatus, probatúſque reuixit.Ethnici etiam ipſi tam dirum errorem irreſerunt apertiſsimè.Vnde eſt illud Iuuenalis,

Fata regunt homines: fatum eſt in partibus illis
Quas ſinus abſcondit.

Itaque alii in contrariã ſententiam lapſi dixerunt, omnia fieri fortuitò. Nos autem Dei verbo edocti dicimus docemúſq; omnia Dei liberrima, non autem coacta aut conſtricta voluntate fieri, per quam agit, operatur & implet omnia in omnibus, vt ait Paulus Epheſ.1. verſ.23. & 3.verſ.20. 3 Carnis reſurrectionem negarunt, quod illis fuit cum ſuperioribus hæreticis commune. Sic Epiphanius. Sequuntur aliæ hæreſes.

CAP. XXXVI.

Noetiani vnde dicti. Erroris autem eorum caput vnum deſcriptum.

A *Noetiani*[1] *à quodam Noeto, qui dicebat Chriſtum eundem*[2] *ipſum eſſe Patrem, & Spiritum ſanctum.*

1 *Noetiani à quodam.*) Neque hæc hæreſis ſuo loco videtur recenſeri. Nam cum Bardeſaniſtarũ errore nihil habet cõmune, niſi quòd eſt hæreſis & auerſio à vera fide. Potius ad Simonianos pertinet, ex quorum fæce & cœno ſua venena ſumpſerunt Noetiani, qui in capite de perſonis diuinis eadem cum illis ſenſerunt, longo tamen poſtea tempore poſt Simonianorum nomen extinctum atque ex Eccleſia Dei exploſum, extiterunt nec ſe Simonianos dici voluerunt. Sed non eſt ſpectandũ, quo nomine, ſed quo dogmate & errore graſſati ſint & veritatem oppugnarint, vt ad ſuum fontem & originem reuocari quæuis hæreticorum ſecta poſsit. Ergo ad Simonianos hos refero, quemadmodum & omnes alios qui idem cum illis de perſonarum diuinarum confuſione & abnegatione docuerunt. Dicti ſunt tamen hi ſuo & peculiari nomine Noetiani à Noeto. Fuit autem Noetus B Aſianus. Nam Smyrnæ natus eſt, quæ fuit Ioniæ ciuitas in ora maris Aſiatici, ſita ad amnem Meletem, quemadmodum Plinius ſcribit libro 5. cap. 29. & ea ipſa de qua poſt Epheſum facta eſt mentio, Apocalyp. 2. v. 8. cuius fuit Epiſcopus tempore Ioann. Euangeliſtæ, inſignis ille & celebris Polycarpus. Epiphanius tamen modò Epheſinum, modò Smyrnæum, Noetum appellat. Iampridem verò Smyrnæa Eccleſia Iudæorum errore corrupta fuerat, vt ſcribit illic Dei Spiritus. A Iudæis autem perſonarum diuinarum diſtinctio non modò irridetur, ſed planè tollitur, è quorum fermento & lacunis peſtiferum illud ſuum dogma Noetum hauſiſſe & inuexiſſe credibile eſt. Fuit autem Montani diſcipulus, vt Theodoretus ſcribit libr. 3. Hæret. fabul. & cõfirmatur illa ſẽtẽtia ex eo quod Tertullian. annotat Praxeanorum hæreſin, quæ eadẽ eſt atque hæc, vnà cum doctrina de nouo Spiritu natam, propagatámque fuiſſe, in lib. Aduerſ. Praxeam. Certiſsima verò iræ Dei in hanc hæreſin teſtimonia ſtatim extiterunt. Nam & Noetus ipſe inC ſepultus proiectus eſt, vt Epiphanius tradit: & Smyrna ipſius patria octo poſt hanc hæreſin ſparſam annis terrę motu concuſſa eſt & deiecta, quẽadmodum ſcribunt hiſtorici. Innotuit autem hic error circa annum à paſſo Chriſto 140. ſub Sotero Roman. Epiſcopo & M. Antonino & L. Vero Roman. Impp. annis penè 84. antè quàm à Sabellio recoqueretur. Cùm primùm exoriri cœpit, ad Senatum Eccleſiaſticum vocatus Noetus abiurauit errorem, poſtea tamen ambitione nominis ſibi comparandi adductus, iterum renouauit & ſparſit & decem omnino diſcipulos primùm habuit, inter quos præcipui fuerunt Cleomenes, vt ait Epiphanius, & Callixtus quidam, vt Theodoret. ſcribit. Nomen ipſum Noetianorum non diu perſtitit, ſed, vt ait Theodoret. libr. 3. Hæretica. fabula. cap. De Nepote hæretico, ſtatim concidit, quòd eodem tempore plures extiterunt, qui hoc idem venenum tanquam ſuum & proprium euomuerint, quanquam tamen ſcholæ ſucceſsionem quandam recenſet Theodor. Callixtum enim Noeti dogma poſt illius motem defendiſſe vult. Vulgò quidem Sabellio tribuitur hic error, certum eſt tamen longè antè Sabellium etiam natum Eccleſiã damnaſſe hanc hæreſin: ſed illius intermortuæ in- A ſtaurator & propugnator fuit Sabellius. Vnde quæſitũ eſt quis fuerit primus huius erroris renouandi (nam à Iudæis primùm Euangelium oppugnantibus, pòſt autem à Simone Mago procul dubio natum eſſe, ſuprà docuimus) author. Theodoretus libro 3. Hæret. fabul. facit Epigonium quendam: Tertullianus libro De præſcriptionibus aduerſus Hæreticos, Praxeam, qui ipſius ſeculo viuebat. Poſt hos omnes, inquit, etiam Praxeas quidã hæreſin introduxit, quam Victorinus corroborare curauit. Hic Deum Patrem omnipotentem Ieſum Chriſtum eſſe dixit, hunc crucifixum, paſſúmque contendit, mortuum præterea, ſeipſum ſibi ſedere ad dextram ſuam, cum profana & ſacrilega temeritate proponit. Vnde hi quoque Praxeani dicti ſunt: & Patripaſsiani, quia Patrem Deum paſſum eſſe dixerunt. Sed quum diſtet Noeti ætas à Praxea & Tertulliano, annis tantùm circiter 25. nihil mirum videri debet, ſi quo tempore hoc malum in Minore Aſia per Satanam à Noeto deſſeminabatur: eodem aut paulo pòſt in Africa per Prax- B eam ſpargebatur. Sed Noeti nomen Orientalibus Eccleſiis notius fuit: Praxeæ verò Africanis & Occidentalibus: Sabellij autem poſtea omnibus Eccleſiis & nationibus, quia eas grauiſsimè vexauit. Durauit autem diutiſsimè interpolata aut repetita à Sabellianis.

2 *Eundem ipſum.*) Duo fuerunt erroris Noetiani capita. 1 Eandem eſſe perſonam diuinam, quæ ſit Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Itaque hunc ipſum eſſe viſibilem, & inuiſibilem: mortalem, & immortalem: patibilem, & impatibilem. In cælis impatibilem: in terris patibilem: in cælis Deum, in terris hominem ex Maria virgine. Denique, vt ſcribit Iſidorus, Trinitatem non perſonis, ſed officiorum tantùm nominibus accipiũt. Nam in cælis Patrem appellari: in terris Filium: in viribus creaturarum, Spiritum volunt Noetiani. Vnde idem de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto dicunt impiiſsimè, quod poetæ ethnici de ſua Diana, quã in cælo Lunam: in ſyluis Dianam: in inferis Hecaten & Proſerpinam vocant. Ex quo eſt illud Virgil. libro 4. AEneid. -tria virginis ora Dianæ. His C omnino diſsimiles fuerunt Theodotiani, de quibus diximus, quia hi Filium omnino eſſe Deum negant. Noetiani verò Filium omnino idem quod Pater eſt etiam ὑπόστασιν. Etſi verò vna eſt & eadem numero Patris, & Filij, & Spiritus ſancti eſſentia ſiue natura: eſt tamen triplex ὑπόστασις, & cuiuſque perſona reipſa, non tantùm animi quadam imaginatione, diſtincta ab alia. Vnde non eſt Pater notionale tãtùm ens, ſed reale, & diſtinctũ à Filio. Id quod vel in vno Chriſti baptiſmo apparuit, vbi Pater de cælis loquitur: Filius in Iordane à Ioanne baptizatur: Spiritus ſanctus in columbæ formam deſcendit, Matth. 3. verſ. 16. 2 Error Noeti, in eo eſt, quòd ſe Moſem eſſe dixit: fratrẽ autẽ ſuũ Aaronẽ, vt ſuas blaſphemias pulchro nomine commendaret. Ex quo eum fermento Phariſaico & Iudaico imbutũ & corruptum fuiſſe facilè colligi poteſt. Et hæc de tam olida peſte dicta ſint.

CAP. XXXVII.

Valeſiorum hæreticorum erroris caput duplex.

A *Valeſii [1] & ſeipſos caſtrant, [2] & hoſpites ſuos, hoc modo exiſtimantes Deo ſe debere ſeruire. Alia quoque hæretica docere dicuntur, & turpia, ſed quæ illa ſint, nec ipſe commemorauit Epiphanius nec vſpiam potui reperire.*

1 *Valeſii.)* Valeſios à Valente quodam dictos eſſe ſcribit Epiphanius, qui fuerit Arabs, ex Bacaſcamis oppido, quod ipſe Bacathon appellat, Plinius autem libro 6. Natur. hiſtor. capite 28. Bacaſcamos: & in ea Arabię regione ſitum eſt, quod vltra Iordanem & mare mortuum ad Petræam Arabiam pertinet, quam Philadelphicam Epiphanius nominari ſcribit. Idem cum Epiphanio ſentit Damaſcenus. Quando autem & vnde hæc hæreſis extiterit, quæſtio eſt, quæ facilè ptopter obliteratam iampridem huius ſectæ memoriam definiri non poteſt. Certum eſt autem ex hypotheſibus iſtos hæreticos coniugia damnaſſe, & liberorũ procreationem tanquam diaboli opus eſſe auerſatos, cuius erroris parentem facit Carpocratem, & Tacianum Clemens Alexandrinus libro 3. Stro- B mat. adeò vt infelicis illius Carpocratianæ vel Encratitæ ſtirpis videatur hic error eſſe velut ſurculus quidam. Alii tamen à Gnoſticis deducere tanquam à vero fonte malunt. Vtcunque malæ ſemẽtis peſſima ſeges hæc fuit, quæ Satanæ aſtu, & caſtitatis ſpecioſæ prætextu turpiſſima homicidia perpetrauit, dum iſti ſe & diſcipulos & plures hoſpites exſecant: & grauiſſimum errorem induxit, dum à Deo ipſo inſtituta coniugia reiiciunt & damnãt: cum quibus etiam conſenſere Paterniani, de quibus poſtea. Itaque ad Tatianos ſiue Encratitas tanquam ad propriam radicem iſtos refero. Extitiſſe verò & primùm innotuiſſe videntur poſt Origenem, cuius ſeculo variæ per vniuerſam Arabiam hæreſes ortæ ſunt, quemadmodum ex hiſtoriis apparet, & cuius etiam exemplo Valeſij ſuam fortaſſe ſententiam & errorem confirmarunt. Nam ille quum adhuc adoleſcens eſſet, ad ſummæ caſtitatis comprobationem exſecuit ſeſe & caſtrauit, vt ſcribit Euſebius libro 6. Hiſtor. cap. 8. quum dictum Chriſti, Matth. 19. verſu 12. perperam intellexiſſet. C Quod Origenis factum hi fortaſſe ſequuti, in omnibus Chriſtianis idem habere locum voluerũt. Vnde niſi me fallit coniectura, huius hæreſis ortus ſub Anthero Romano epiſcopo, & Iuliano Philippo imperatore collocãdus eſt, circa annum à Chriſto paſſo 216. Quanquam in primo concilio Niceno damnati ſunt Chriſtiani, qui ſe libidinis impatientia caſtrarent, adeò vt iam huius hæreſeos tenuia quædam ſemina à Satana iacta fuiſſe facilè credam. Neque verò latè peruagata eſt, neque à pluribus, quòd inſignem maribus iniuriam faceret, defenſa. Meminit quidem Euagr. libro quarto capite 2. Abaſgorum gentis ad Euphratem ſitæ, quæ, vt plurimùm ſe hoſpitéſque ſuos maioris pretij à mercatoribus conſequendi cauſa caſtrabat: ſed ea fuit gens tota, non hæreſis: præterea adhuc ethnica, non autem Chriſtiana, quales Valeſii videri voluerunt.

2 *Et ſeipſos caſtrant.)* Hæ videntur fuiſſe huius ſectæ hypotheſes. 1 Neminem in regnum cælorum peruenire poſſe, niſi qui ſe eunuchum fecerit, & reipſa caſtrauerit, id eſt, virilia exſecuerit, quia hoc genus eunuchorum laudat maximè Chriſtus, qui ſe pro regno Dei caſtrant, Matth. 19. verſ. 12. & Apocalyp. 14. verſ. 4. Itaque hi & ſe & diſcipulos ſuos & hoſpites exſecant, priuántque virili- A bus etiam inuitos. At neque eò pertinet dictum Chriſti: neque fit quis idcirco ad regnum cæli aptior, quia ea corporis parte caret, ſi laſciuiis, concupiſcentiis, & deſideriis intus vritur. Et illa caſtitas voluntaria, de qua Chriſtus, eſt Dei ipſius donum, non artificis cuiuſquam, aut Armenii exſectoris opus, quemadmodum multis verbis Clemens libro 3. Stromat. explicat, & Thodoret. in libro Epitome decret. diuinor. cap. De caſtitate. & Epiphanius hoc loco. Hæc igitur fuit prima Valeſiorum hypotheſis, quæ certè in ipſam naturã hominum iniurioſa fuit, & ſenſus reprobi certiſſimũ indicium. 2 Coniugia & congreſſus maritorum cum vxoribus docent eſſe deteſtabiles, & damnandos. Et hæc fuerunt immẽſarum laudum, quæ poſtea Monachico cœlibatui ſunt tributæ, fundamẽta ex his erroribus ſumpta: & dæmoniacæ doctrinæ, quam appellat Paulus 1. Timoth. 4. v. 4. veriſſima ſemina & meſſes. 3 Multa turpia & inhoneſta fieri concedunt. Quod omnino conſequi B neceſſe eſt. Nam qui coniugium, quod à Deo inſtitutum eſt, damnat, is omnem incontinentiam, & fornicationem toleret & permittat neceſſe eſt. Id quod videmus accidiſſe in Papatu, vbi Presbyteris legitima coniugia non licent, fœdiſſima autem ſtupra conceduntur: ita nimirum vlciſcitur Dominus verbi ſui contemptum, & ſtultas, vel potius blaſphemas hominum in ipſius ſapientem ordinationem voces, vti in his exemplum perſpicuè videmus

CAP. XXXVIII.

Cathari cur ſic dicti, vnde profecti. Erroris autem eorum caput duplex enumeratum.

Cathari [1] qui ſeipſos iſto nomine, quaſi propter mundiciem ſuperbiſſimè atque odioſiſſimè nominant: Secundas [2] nuptias non admittunt, pœnitentiam denegant, Nouatum ſectantes hæreticum. Vnde etiam Nouatiani appellantur. C

1 *Cathari qui ſeipſos.)* Vna hæc & eadem hæreſis varia nomina ſortita eſt. Ipſa autem ab autore Nouato, Nouatianorum dicta eſt, quæ eſt Catharorum fons & mater. Cathari verò deductus ex ea riuulus: vti ex Carpocratianis profecti ſunt, quemadmodum ſuperius diximus, Gnoſtici. Quanquam enim vulgò Catharos & Nouatianos eoſdem omnino faciunt, & tunc καθαροὶ dicantur, quatenus à reliquo Chriſtianorum hominum cœtu ſe tanquã ſanctiores ſeparant: tunc autem Nouatiani, quatenus à ſuo denominantur parente: ſtatui tamen poteſt aliqua inter vtroſque differentia, vti in hypotheſibus videbimus. Appellantur autem etiam hi ipſi à Græcis Meletiani, de cuius nominis & erroris ſecta poſtea dicemus. Ergo primùm Nouatiani dicti ſunt. Extitit autem & innotuit Nouatus hæreticus tempore Cornelii epiſcopi Romani, Cypriani Carthaginenſis epiſcopi, & Decii imperatoris, circa annum à Chriſto paſſo 220. Catharorũ autem appellatio poſtea iis addita fuit ſub Stephano Romano pontifice, & Gallo atque Voluſiano Impp. circiter annum poſt Chriſtum paſſum 223. quanquam hæ voces confunduntur, quemadmodum apparet ex Catalogo & Indicatione hereſeôn

A in hiſtoria Eccleſiaſtica, Theodoreto libro 3. Hæreticarum fabul. Euſebij hiſtoria, & concilij Niceni artic. 9. quem refert Ruff. lib. 1. hiſtor. cap. 6. ſeparantur tamen ab Iſidoro lib. 8. & aliis, qui Catharos Nouatianorum fruticationem appellant. Fuit autem Nouatus, non autem Nouatianus huius ſectæ primus author, quanquam eadem ætate vterque vixit, ſed in vtroque diſtinguendo falluntur multi. Nouatus enim fuit Afer natione, & virus ſuum in Africa primùm poſt perſequutionem Decianam ſparſit, aduerſus quem Cyprianus libro 1. Epiſt. 5. & libr. 4. cap. 2. edidit multa. ſed tãtum nominis celebritate valuit, vt etiam à Cornelio epiſcopo Romano Eccleſiæ presbyter crearetur. Sed hic ad epiſcopatum aſpirans, dolore repulſæ, nouũ hoc & certè pernicioſiſſimum dogma in Eccleſiæ exitium cudit. de cuius hominis vafro & malitioſo ingenio, vide Euſebium libro 6. cap. 43. Nouatianus autem fuit Romanus, & Nouati diſcipulus, qui præceptoris lethiferum venenum latiſsimè propagauit, & furtim à tribus Epiſcopis, impri B míſque ab ipſo Nouato creatus eſt in Italia Epiſcopus, vt Theodoret. ſcribit (vbi Nouatianum pro Nouato legi oportuit, vt apparet ex Cypriano) quemadmodum ab eodem Nouato in Africa Nicoſtratus factionis & ſuarum partium Epiſcopus factus eſt, ne authoritate epiſcopali ipſius pars & ſecta deſtitueretur, quemadmodum etiam tradit Platina in vita Cornelii Romani epiſcopi. Cathari verò idcirco dicti ſunt, quòd ſe reliquis vita moribúſque puriores eſſe iactarent. Chriſtianos autem καθαροὺς eſſe oportet. τῷ δὲ καθαρίζειν vocabulo ſæpe vtitur agens de Dei Eccleſia Paulus, Epheſ. 5. verſu 26. Tit. 2. verſu 14. Itaque honeſto & ſpecioſo illo Purificatorum & Sanctorum nomine & fuco turpiſsima tum in doctrina tum in vita ſcelera tegebant. Qui autem propriè & Græcę ſcientibus Cathari dicuntur, à barbaris & imperitis ſcriptoribus Gazari poſtea ſunt appellati. Sic enim in conſtitutione quadam Friderici ſecundi imperatoris, quæ ex conciliis ſumpta eſt, vocantur, vti eodem ſeculo Diabolus Zabulus, ſiue id ignora C tione linguæ Græcè factum eſt, ſiue propter vitium blæſæ hominum illius ætatis linguæ. Sed etiam Catheræi nominantur eadem græcanitatis imperitia, quemadmodum in decretali conſtitutione Gregorij IX. libro 5. Decretal. tit. De hereticis. Eoſdem alii Patrinos, alii Patharinos vocarũt, vt apparet ex concilio Lateranenſi cap. 27. quod fuit ſub Alexandro tertio, & eſt in 2. Tomo conciliorum. Quum autem hæc Catharorum hæreſis eſſet omnibus, & meritò quidem, odioſa: poſterior ætas ad prægrauandam bonam ſacroſancti Euãgelii cauſam, homines verè Euangelicos infami Catharorum nomine calumniata eſt, quos eoſdem etiam Valdenſes, Pauperes de Lugduno, Arnaldiſtas, ab Arnaldo quodam, qui ſub Imperatoribus Germanis vixit, vt Sigonius ſcripſit in Hiſtoria Regni Italici libro XI. & Bernard. epiſt. 195. idem ſentit. Denique eoſdem Toſſepinos vocauit. Citiſsimè verò propagata eſt Nouatianorum hæreſis. Nam cum orthodoxis in multis confeſsionis & veræ fidei articulis, imprimis autem de Trinitate conſenſit. Itaque ab Arianis & Macedonianis perſequutionem paſsi ſunt Nouatiani, vt ſcribit Socrat. libro ſecundo capite 38. quemadmodum & ipſi viciſsim inita cum orthodoxis amicitia, Arianos exegerunt, ſi quando potuerunt. Ac A parum abfuit quin cum orthodoxis coadunarentur (ſeceſsionem enim ab iis fecerant, & ſeorſim ſuas eccleſias & baſilicas habebant) ſed vt ait Sozomen. libro quarto cap. 9. & 21. liuor quorundam obſtitit, imò potius Dei prouidentia, ne in verę ſinum Eccleſiæ recepti ſuo dogmate ſanam doctrinam miſerè labefactarent. Præterea quòd in diſciplina & ceremoniis in multis ab orthodoxis diſſentirent. Per vniuerſum autem Chriſtianum orbem latiſsimè diffuſi ſunt Nouatiani, nec vlla penè fuit mundi regio & plaga, quæ non hoc veneno, quod merita hominum ſtabilit, inficeretur. Conſtantinopoli præſertim ſuos greges, & eos quidem numeroſos, item & epiſcopos cõtinua diuturnáque ſucceſsione habuerunt, item & Epheſi, quæ duæ fuerunt Orientalis imperij ciuitates præcipuæ. Sed & Cyzici, & aliis in oppidis. Socrat. libro 5. cap. 10. Romæ tamen tam liberè conuenire nunquam ſunt auſi, ſed nec potuerunt, quòd Occidentalis Eccleſia purior adhuc in eo doctrinæ capite & in vitanda cum hæreticis ſocietate erat. Itaque B ſtatim eiecti Roma, aliò demigrarunt. Idem Socrat. libr. 7. cap. 11. Non fuerunt tamen ipſi inter ſe concordes Nouatiani, ſed ſectas quaſdam conſtituerunt, quales erant Quartidecimani. Durauit autem hæc hæreſis diutiſsimè, adeò vt ſub Arcadio imperatore etiam continuatione quadam floruerint. i. poſt annos 148. à ſuo exordio. Tandem variis Ioannis Chryſoſtomi Conſtantinopoli, Cyrilli epiſcopi Alexandriæ, & Innocentij 1. Romæ diſputationibus & concionibus exagitati & refutati, delituerunt. Denique prorſus ipſo Nouatianorum nomine (nam & Romana Synodo damnati fuerant) eſſe deſierũt. Recepta tamẽ eſt hæc hæreſis, & repetita, interpolato nomine à Pelagianis: deinde à Papiſtis retenta: quia omnes hi meritum operum noſtrorum defendunt.

2 *Secundas nuptias.*) Variæ fuerunt Nouatianorum hypotheſes. Ac prima hæc, De meritis operum ſuorum gloriantur, Iſidor. Hæc enim vna ratio vel maximè fanaticos iſtos impulit vt ſe Catharos appellarent. Hoc venenum nocentiſsimum eſt, & facilè in omnium hominum pectora gliſcit, C qui ſe ſuáque ſtulta quadam φιλαυτίᾳ admirantur. Ex quo factum vt ſtatim hoc dogma plauſibiliter exceptum, & altè fuerit impreſſum, quod infinitas alias propagines non minus inauſpicatas & infelices effudit. 2 Pœnitentiam denegant hominibus qui poſt baptiſmum ſuſceptum in abnegationem fidei lapſi ſunt infirmitate quadam & vi perſequutionis. Dicit enim nouatus, κατὰ τὸ λουτρὸν μηκέτι δύνασθαι ἐλεεῖσθαι πεπτωκότα, vt ait Epiphanius. Ad cuius ſuæ ſententiæ confirmationem abuſus eſt loco Scripturæ qui eſt Hebr. 6. qui tantùm pertinet ad peccatum contra Spiritum ſanctum, non autem ad hæc peccatorum genera. At Chriſtus exemplo Petri docet lapſis pœnitentiam peccatorúmque remiſsionem non adimi: Quæ ſi prorſus iis eſſet deneganda, fruſtrà dixiſſet idem, Quæcunque ſolueritis in terra, erunt ſoluta & in cælo, Matth. 18. verſu 18. Cathari duriores ſuo præceptore, omnibus in vniuerſum lapſis veniam denegarunt. 3 Admonitiones priuatas publicáſque hac ratione tollunt. 4 Secundas nuptias damnant, quas poſt Baptiſmum perinde atque adulterium ipſum deteſtantur. Epiphan.

Cuius

A Cuius rei rationem referunt, quòd Paulus Epiſcopum iubet vnius tantùm vxoris virum eſſe, 1. Tim. 3. quaſi vnius vxoris virum eſſe ſit ſecunda coniugia ex honeſtarum legum præceptis contracta damnare. Eſt autem ei vxori cum qua ex Dei verbo diuortium facere non potes, viuæ aliam ſuperinducere. Id quod illo ſeculo frequens & vſitatum fiebat magno ſacri coniugii contemptu. Hoc venenoſum dogma à Montaniſtis hauſerunt Cathari, & ad doctoris ſui errores adiecerunt. 5 Rebaptizāt iam baptizatos ſi poſt baptiſmum labantur & publicè peccent. Id quod fuit illis cum Marcionitis commune, & poſtea Donatiſtarum inſaniæ fundamentum. Hoc enim Catharorum erroris caput maximè ſunt amplexi Donatiſtæ, adeò vt Epiphanius eos cū Nouatianis eoſdem faciat. Addit Theodoretus libro 3. hæret. tabul. eos quoque in eo ab orthodoxis diuerſos fuiſſe, quòd in baptizando chriſma ex more iam tum in Eccleſiis recepto non adhiberent. Et certè ex Fabiani epiſcopi Romani actis & vita diſcimus magnū iā fuiſſe chriſ- B matis in baptiſmis vſum, quando ille ipſe præcepit quotannis confici, vetuit autem comburi. & eſt in Can. Literis. De conſecrat. diſt. 3. Idem apparet ex Tertulliani ſcriptis. Sed quo Scripturæ fundamento Patres chriſma in baptizando, quæſo ſanxerunt?

CAP. XXXIX.

Angelicorum hæreſis quid docuerit.

ANgelici[1] *in Angelorum* [2] *cultu inclinati, quos Epiphanius iam omnino defeciſſe teſtatur.*

1 *Angelici.*) Dicuntur Α᾿γγελικοὶ Græcè, in cuius vocis etymo perquirendo cur laboret Epiphanius, non video. Α᾿πὸ τῶν ἀγγέλων denominantur quorum ſe cultores exhibent: non autem ab Ingilino, quem Meſopotamiæ vicum eſſe ſcribit, ſed nec ab Ingenonum populorum appellatione. Hęc C autem hæreſis quum ſtatim extincta fuerit cū ipſo Angelicorum nomine, pauca de ea ſcribi poſſunt. Nec enim huius meminit Theodoretus, nec Euſebius, nec tota hiſtoria Eccleſiaſtica: quanquam Simonianorum, Caianorum, Archonticorum, à quibus hic error primùm excogitatus eſt, faciunt mentionem. Ac fieri poteſt, vt interpolato tātùm nomine Angelici, Simonianorum hęreſin renouarint, in hoc præſertim capite quod eſt de Angelorum cultu. Seleucianorum etiam poſtea meminit Auguſt. qui in hunc ipſum errorem videntur incidiſſe, vel certè parem: quanquam tamen nec Archonticos, nec Seleucianos legimus Angelos adoraſſe, aut vnquam coluiſſe, ſed tantùm de eorum poteſtate & operibus multa præter mentem Scripturæ blatteraſſe. Angelicos tamen commemorat in catalogo hæreſcôn Iſidorus, & Can. Quidam autem. 24. quæſt. 3. Ex quo Iſidori loco colligi facilè mihi videtur poſſe, quo demum tempore hæc hæreſis exciterit. Collocat enim poſt Melchiſedechianum, vt circa annum à Chriſto paſſo 180. exorti fuerint: ſed eodem penè momento euanuerint, atque (quemadmodum Epiphanius ſcribit) perierint. Quanquam autem nō eſt latiſsimè propagatum hoc virus, tenaciſsimè tamen in hominū animis ſemel ſparſum inhæſit, adeò vt Papiſtæ etiamnum hodie hunc errorem retineant, & colant A Angelos. Eſſe verò antiquiſsimum, & iam inde ab Apoſtolorum, & Apoſtolicorum virorum ætate repetitum, ex eo apparet, quòd Paulus in epiſt. ad Coloſſ. 2. ver. 18. θρησκείας Α᾿γγέλων. i. cultus Angelorum iam meminit, quem damnat & reiicit. Quæ ſententia ex Platonicæ ſectæ, & philoſophiæ fontibus hauſta, primùm à Simonianis in Eccleſiam inuecta eſt, ſed ab Apoſtolis exploſa, demum horum Angelicorū induſtria recruduit, vt ad Simonem Magum tanquam ad proprium authorem & parentem reuocari debeat. Hanc autem hæreſin maximè in Piſidia & Phrygia viguiſſe ſcribit Theodoret. Cyri epiſcopus. adeò vt Laodicena ſynodo (eſt autem illa Laodicea metropolis Phrygiæ) ſit vetitum, ne Chriſtiani precarentur Angelos.

2 *Angelorum cultu.*) Hoc fuit iſtorum hominum delirium, quòd Angelos colerent. In quo primùm non diſtinguitur, vtrum bonos æquè ac malos, an bonos tantùm adorandos cēſuerint. Quòd ſi malos, certè eos coluiſſe diabolos verum erit, B atque ita fuerint turpiſsimè ſuperſtitioſi, & furioſiſſimè dementati. Sin autem bonos tantùm Angelos & cæleſtes colendos eſſe docuerint, refutantur apertiſsimis ſacræ Scripturæ locis, velut Coloſſ. 2. v. 18. Apocalyp. 19. verſ. 10. 22. verſ. 8. Deuter. 17. v. 3. Deinde Patrum ipſorum orthodoxorum authoritate, quemadmodum Theodoreti patris in Epitome Decretorum diuinorum cap. de Angelis, & Auguſtini infinitis penè locis, imprimis libro 10. De Ciuit. Dei cap. 7. Lactantij libro 2. & Arnobij libro 3. Intelligunt, ait, ſe communiter honorari cum ſuo rege. Quanquam autem ſtatim ab ipſa penè Apoſtolorum ætate cœperunt homines multa de Angelis curioſè philoſophari, & definire, adeò vt Clemens libro 6. Stromat. dicat ex iis ſeptem fuiſſe primogenitos quorum maxima ſit potentia, & Tertull. in lib. De orat. Dominica, pios appellet Angelorum candidatos, colendos tamen venerādóſque propterea non cenſebant, quod hi fanatici homines & hæretici apertiſsimè falſiſſiméque voluere. Meminit Chryſo. in Coloſſ. 2. homil. 7. quo- C rundam hæreticorum, qui nos Deo, non per Chriſtum, ſed per Angelos reconciliatos dicerent, qui ab iſtis Angelicis videntur profecti: aut potius ab Arianis, quorum hæc ſententia & verba ſunt, quēadmodum extant apud Auguſtin. in Actis contra Maximum Arianum, Eſt officium Angeli, vt animam reſtituat ante conſpectum Domini, non tamen anima poteſt Angelum videre, & exhibere: Angelus autem animas noſtras ſpiritales videre & penetrare poteſt. Quam ſententiam nunc Papiſtæ retinent, & tuentur. Sed de hac hæreſi ſatis.

CAP. XL.

Apoſtolici hæretici quorum erroris hîc duo capita recenſentur.

APoſtolici[1] *qui ſe iſto nomine arrogantiſſimè vocauerunt, eò quòd in ſuam communionem non reciperent vtentes coniugibus, & res proprias poſſidentes, quales habet catholica Eccleſia & Monachos, & clericos plurimos. Sed ideo iſti hæretici*[2] *ſunt, quoniam ſe ab Eccleſia ſeparantes, nullam ſpem putant*

A *eos habere, qui vtuntur iis rebus, quibus ipſi carent. Encratitis iſtis ſimiles ſunt. Nam & Apotactita appellantur. Sed alia neſcio qua propria hæretica docere perhibentur.*

1 *Apoſtolici.*) Ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων dictos eſſe Apoſtolicos, quorum vitam & ſanctitatem imitari videntur velle, nemo dubitare poteſt qui vel primis labris Græcã linguam deguſtarit. Appellantur autem iidem Apotactitæ à Latinis: à Græcis autem autoribus Ἀποτακτικοὶ, quaſi qui huic mundo prorſus renuntiarent. Fuerunt autem proculdubio ſtirpis Encratitarum ſiue Tatianorum infelix propago & amara fruticatio, quæ ſuas & ipſa radices egit, multóſque poſtea palmites produxit inauſpicatos. Quotquot enim ſunt cœlibum Monachorũ in Papatu genera, tot ſunt huius hæreſeos adhuc ſurculi, & propagines aſtu Satanæ interpolatæ, & tranſplantatæ mutatis nominibus. Hæc enim hæreſis vniuerſi Monachiſmi, imprimis autem fratrum, qui dicuntur Mendicantium, fundamentum eſt. hi præcipuè hæc tria tanquam omnino neceſſaria vouent, nempe Paupertatem, Continentiam, id B eſt, Ἀκτημοσύνην, vt nihil proprium poſsideant, Cœlibatum & obedientiam, vt docet Thomas Aquinas in 2ª. 2ª. Nec mirum eſt Monachos ex hæreſeôn colluuie ſua vota & regulas conſarcinaſſe, quando grauis author & orthodoxus Theodoretus Cyri Epiſcopus libro 1. cap. 9. Hiſtoriæ ſcribit eos quædam ex Iudæorum, & Samaritanorum deliriis ad ſe tranſtuliſſe, quæ etiam hodie religioſè, ne dicam ſuperſtitioſè, obſeruant. Imprimis autem Apoſtolicorum hæreticorum faſcino hac noſtra ætate & velut extrema mundi ſenecta, illecti videntur Ieſuitæ Monachi, quos ad viuum nobis hodie referunt & repræſentant. Quòd ſi Iſidoro credimus, ſecuti ſunt hi Angelicos hæreticos. Si verò coniecturis verioribus locus eſt, longè priores iis extiterunt, proximè poſt Encratitas, iam vſitatis in Eccleſia & receptis illis monachalis habitus, victus, & continentiæ differentiis & ceremoniis, vt ſi à nobis hæc hæreſis circa annum à Chriſto paſſo 145. collocetur, non multùm aberrare videamur. Nec mirum eſt eoſdem tam breui tempore toties C nouis nominibus ſe vocaſſe Tacianos, Encratitas, Apoſtolicos, quia cùm ſtatim priorum error deprehenſus & ab Eccleſia damnatus eſſet, interpolandus & fucandus erat, quum iterum Eccleſiæ propinaretur. Itaque nomina mutabant homines aſtuti & Diabolici, vti nomine priori abdicato, aliud nouum & plauſibilius introducerent, & quaſi priori appellatione obliterata nullum errorem iam damnatum ipſi ſequi, vel reponere viderētur. Tenebras enim ea ratione meliùs ſimplicioribus hominum mentibus offundebant. Cœpit autem hæc hæreſis in ea Piſidiæ parte, quæ ad Homonadum gentem & Pamphyliam pertinet (Sic enim apud Epiphanium ex Plinio legere malo, οἱ περὶ τὴν Πισιδίαν ὁμοναδῶν, non autem vt vulgo eſt in impreſſis μόνον) quæ latius propagata Pamphyliam, Ciliciam & Phrygiam ipſam infecit. Denique vniuerſum terrarum orbem, vt in Papatu videmus. Ita verò paulatim hoc venenum inualuit, & vna cum ætate accreuit, vt Gangrenſi ſynodo (eſt autē Gangra Paphlagoniæ ciuitas) circa Nicenæ ſynodi tempora reprobari damnaríque oportuerit, ſed tamen propterea non fuit extinctum. Nam & à Monachis cellulariis retentum eſt, & falſo nomine hodie à fratribus Mēdicantibus omnino recoctũ A apponitur & laudatur. Apoſtolicos ſuo ſeculo vocatos eſſe ſcribit Bernard. in Cant. cantic. ſerm. 66. hęreticos qui erant Donatiſtis ſimiles, & nullam Eccleſiam Apoſtolicam agnoſcebant vbi nõ eſſet vita Apoſtolica.

2 *Iſti hæretici.*) Hæc fuerunt iſtius erroris capita. Primùm coniugia & coniuges damnant, adeò vt nunquam æternæ vitæ fieri participes poſſe putent. Id quod ab Encratitis hauſerunt. At hanc eſſe diabolicam doctrinam docet Paulus, 1. Timot. 4. verſ. 3. Hebr. 13. verſ. 4. & Epiphanius ipſe ὁ γὰρ θεοῦ ναὸς, ait τοῦτ' ἔστιν ἐκκλησία, πάντα ἐπιβάτην δέχεται, id eſt, non modò cœlibes, ſed etiam coniuges. & idem, ἡ δὲ ἁγία θεοῦ ἐκκλησία ἔχει μὲν γάμον σεμνὸν καὶ τιμᾷ πεῦτον. Allegant autem pro ſe primùm dictum quod aiunt eſſe Chriſti ex falſo Euangelio quod vocant Secundum Ægyptios, vbi ſic legi volunt, Veni ad diſſoluendum opera fœminæ. Sed Clemens Stromat. libro 3. qui prolixè aduerſus primos huius erroris autores diſputauit, non modò librum nihili B & apocryphum eſſe docet: ſed etiam vocem fœminæ pro intemperantia & praua cupiditate ſumi ipſis illis interpretibus oſtendit. Deinde afferunt exemplum Gymnoſophiſtarum qui inter Perſas laudati ſunt, quòd abſtinerent coniugio. Sed fruſtra & perperam ad fidem Chriſtianam ſtabiliendam profanorum hominum exempla nobis obiiciuntur. Eſt autem coniugium ſacroſancta Dei inſtitutio, vt docet his verbis Chriſtus, Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet, Matth. 19. verſ. 6. Denique ſi coniugia damnanda ſunt, ergo & homines omnes, & liberorum procreatio, quia ſunt fructus coniugij, in quo tamen ipſe fœminæ ſalutem eſſe, demonſtrat Paulus 1. Timoth. 2. verſu 15.

2 Error, Apoſtolos omnes cœlibes fuiſſe & perpetuò vixiſſe contendunt. Falſum etiam iſtud eſt, quemadmodum Paulus ipſe docet 1. Corinth. 9. verſu 5. & arguit textus Euangelii, Matth. 8. verſ. 14. Præterea teſtimonio Clementis Alexandrini, Strom. libro 3. reuincuntur, qui de Apoſtolorum coniugio diſputat, cuius ſententia etiam repetita eſt ab Euſeb. libro 3. Hiſtor. cap. 30. C 3 Damnat eos qui aliquid proprium poſsident, quaſi exſortes, & alienos prorſus à regno cœlorum. Ipſi verò vt loquitur Epiphan. Ἀκτημοσύνην inducebant, per quam nihil erat proprium cuiuſquam. Hoc contrarium verbo Dei dogma & Ieſuitæ & Anabaptiſtæ maximè ſunt amplexi. Nituntur autem loco qui eſt in Actor. Apoſt. cap. 4. verſu 32. vbi dicuntur omnia fuiſſe non tantùm inter Apoſtolos, ſed etiam inter omnes Chriſtianos communia: ſed ſequitur explicatio, nimirùm, ne quis inter eos egeret. Ergo propter ſummam charitatem, quæ inter eos feruebat, erant eorum bona χρήσει μὲν κοινὰ, ἰδίᾳ κτήσει. i. vſu quidem communia, vt loquitur Tullius, non tamen mancipio. Quare tam abſurdam ſententiam pulcherrimè refutant Clemens libro 3. Stromat. & hoc loco Epiphan. 4 Libris quibuſdam Apocryphis pro Euãgelicis vtuntur, quibus ſuum errorem confirmant, qualia ſunt Acta Thomæ & Andreæ quæ vocant, & Euangelium ſecundum AEgyptios inauditum. 5 Lapſos poſt Baptiſmum Chriſtianos nunquam poſtea, ſed ne pœnitentes quidem in Eccleſiam recipiunt. Epiphanius. quod illis eſt cum Nouatianis commune, vel quod venenum Nouatiani ab iſtis porrectum accepe-

A acceperũt & lubẽter ebiberũt. Ita citò pullulant & pernicioſè creſcunt, quæ primùm infœliciter ſparſa & ſeminata ſunt.

CAP. XLI.

Sabellius quis fuerit. Sabellianos autem vix aut parum admodum à Nouatianis differre, qui & ipſi Patripaſsiani, & Praxiani & Hermogeniani dicuntur.

SAbelliani[1] *ab illo Noeto, quem ſupra memorauimus, defluxiſſe dicuntur. Nam & diſcipulum eius quidam perhibent fuiſſe Sabellium. Sed qua cauſa duas hæreſes Epiphanius computet, neſcio, cùm fieri potuiſſe videamus, vt fuerit Sabellius iſte famoſior, & ideo ex illo celebrius hæc hæreſis nomen acceperit. Noetiani enim difficillimè ab aliquo ſciuntur: Sabelliani autem ſunt in ore multorum. Nam & Praxianos à Praxea quidam vocant, & Hermogeniani*[2] *vocari ab Hermo-* B *gene potuerunt, qui Praxeas & Hermogenes eadem ſentientes in Africa fuiſſe dicuntur. Nec tamen iſtæ plures ſectæ ſunt, ſed vnius ſectæ plura nomina ex iis hominibus, qui in ea maximè innotuerunt, ſicut Donatiſtæ ijdem Parmenianiſtæ, ſicut Pelagiani, ijdem Celeſtiani. Vnde ergo ſit factum vt Noetianos & Sabellianos, non vnius hæreſis duo nomina, ſed tanquam duas hæreſes ſupradictus Epiſcopus poneret, liquidò inuenire non potui, quia ſi quid inter ſe differunt, tam obſcurè dixit ſtudio breuitatis, vt non intelligam. Loco quidem iſto, quo, & non tam longè à Noetianis, Sabellianos commemorans, Sabelliani, inquit, ſimilia Noeto dogmatizantes, præter hoc quod dicunt Patrem non eſſe paſſum, quomodo de Sabellianis intelligi poteſt, cùm ſic innotuerint dicere Patrem paſſum, vt Patripaſſiani, quàm Sabelliani crebrius nuncupentur? Aut ſi fortè in eo quod ait, Præter hoc quod dicunt Patrẽ eſſe paſſum, Noetianos hoc dicere intelligi voluit, quis eos in hac ambiguitate diſcernat? Vel quomodo poſſunt intelligi eorum Patrem paſſum fuiſſe non dicere, cùm dicant*[3] *eundem ipſum eſſe Patrem &* C *Filium, & Spiritum ſanctum? Philaſter autem Brixianus Epiſcopus in prolixo libro, quem De Hæreſibus condidit, &* CXXXVIII. *hæreſes arbitratus eſt computandas, Sabellianos continuò poſt Noetianos ponens, Sabellius, inquit diſcipulus eius, qui ſimilitudinem ſui doctoris itidem ſecutus eſt: vnde & Sabelliani poſtea ſunt appellati, qui & Patripaſſiani, & Praxeiani à Praxea, & Hermogeniani ab Hermogene, qui fuerũt in Africa, qui & iſta ſentientes abiecti ſunt ab Eccleſia catholica. Certè iſte eoſdem poſtea Sabellianos dixit appellatos, qui ea, quæ Noetus, ſentiebant. Et alia nomina eiuſdem ſectæ commemorauit, & tamen Noetianos & Sabellianos ſub duobus numeris tanquam duas hæreſes poſuit: qua cauſa, ipſe viderit.*

1 *Sabelliani.*) Sabelliani à Sabellio dicti ſunt, qui iidem antea Noetiani vocabantur, deinde Monarchici, quia Deum tanquam Monacham mundi inducerent vnum, non autem tres perſonas, qui poſtea Photinianos pepererunt, vt eſt in Indicat. Hæreſ. in Hiſtor. Eccleſ. Quemadmodum enim Montanus erroris Noetianorum & Sabellianorũ fons & primus autor eſſe creditur, vt tradit Socrat. libro 1. Hiſtor. cap. 23. ſic Sabelliani parentes Photinianorum appellantur. Qua verò ratione Noetiani à Sabellianis diſtinguantur: etſi ſcrupuloſè quærit hoc loco Auguſtinus, fruſtrà tamẽ mihi videtur diſputari, cùm nihil aliud Sabelliani planè fuerint, quàm Noetiani nouo nomine donati, qui iidem à Prudent. poeta in Hamart. vocantur Vnionitæ, ſed Sabellianorum nomen inualuit, Noetianorũ autem ſtatim extinctũ eſt, ſiue quòd huius dogmatis & ſcholæ diſcipuli Sabellianos ſe dici maluerint, ſeu quòd Sabellius doctior acutiórque in hoc errore defendendo viſus huic ſectæ nomen dedit. Quod enim ſcribit Epiph. Noetianos non dixiſſe Patrem paſſum eſſe, ſatis vel ex eo refutatur, quòd Noetiani Patripaſsiani dicti ſunt, vt Theodoret. ſcribit: & quod omnino neceſſe ſit ei, qui in Trinitate perſonas tollit, & vnam tantùm conſtituit, illud fateri, Patrem ipſum paſſum eſſe, cùm Filius paſſus eſt. Niſi fortaſſe vt Marcellus Galata ſtatuerent Patrem ſeſe extendiſſe, & hanc eius extenſionem paſſam eſſe, quæ Filius dicebatur: Spiritum autem ſanctum eſſe extẽſionem extenſionis prioris. Vide Theodoret. libro 2. Heretic. fabular. Sed ſtatim nouo nomine ornata & venditata fuit Noetianorũ hęreſis priore repudiato. B Fuit autem Sabellius Afer, & ex ea Africæ regione & prouincia quæ Lybia propriè dicta eſt, in qua Pentapolis ſiue Cyrenaica regio quæ eadem eſt, comprehẽdebatur, vnde ſæpe Sabellius cognominatur Lybicus à ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Natus autem eſt Sabellianiſmus, vt Euſeb. docet, libr. 7. Hiſtor. cap. 7. Ptolemaide, quæ ciuitas eſt Cyrenaicæ ſiue Pentapoleos, olim à priſcis Barce dicta, quemadmodum Plinius ſcribit libro 5. cap. 5. ex quo ipſo oppido veriſimile eſt ortum Sabellium. Eccleſia verò excommunicauit Sabellium, vt tradit hîc ex Philaſtro Auguſtinus; cuius quis vitæ exitus fuerit, à nemine, quod ſciam, obſeruatur. Hominem tamen iſtum dirum, & errorem hunc ipſum meritò maledictum atque etiam anathema pronuntiamus, qui tam inſignem in Deum iniuriam & blaſphemiam contineat. Cœpit autem Sabelliani nomen innoteſcere ſub Sixto Roman. Põtifice, durante adhuc Deciana vel potius iam Valeriana perſecutione, quemadmodum Platina vult & circa annum à Chriſto paſſo 224. quanquam quidam exiſtimãt temporibus Cypriani iam quodammodo errorem hunc deguſtatum & delibatũ C fuiſſe, ſed de Montaniſtis potius intelligenda ſunt, quæ Cyprian. in Sabellianos iaculari videtur. Propagatus autem eſt hic error latiſsimè, adeò vt ex Africa ſtatim Meſopotamiam inuaſerit, denique Romam ipſam. Perſtitit autem diutiſsimè, in Oriente & Aſia maximè, quando plures Epiſcopos etiã ętate Conſtantini Magni Sabellianos & Sabellianizantes fuiſſe annotat perſpicuè Socrates lib. 1. Hiſtor. cap. 24.

2 *Hermogeniani.*) Cur Hermogenianos etiam vocari putet Auguſtinus, vel alius quiſpiã, eos qui Sabelliani dicuntur, non video. Fuit enim Hermogenes Afer quidem, vt ſcribit Tertullianus, & pictor, ſed & dogmate & ætate à Sabellianis prorſus diſsimilis & diuerſus. Ac dogmate quidem, quod in ea ſecta fuit duplex, nullo fuit modo cum Sabellianis conſentiens. 1 Quod materiam ex qua mũdus hic cõditus eſt, Deo coæternam eſſe ſtatueret, id quod à Stoicis acceperat. 2 Quòd duos deos eſſe hac ratione doceret, vnum bonum: alterum malum, qui Phyſico nomine ab eo ὕλη. i. Materia vocabatur. Hoc autẽ ſumpſerat à Marciõitis. Hu-

ius errores grauiſsimos Tertull. præclariſsima diſputatione confutauit, vbi de Sabellianis ne γρῦ quidem. AEtate verò prior fuit Hermogenes Sabellianis annis penè 58. vt non fuerit dicendum hos illis in nomen ſucceſsiſſe, ſed potius Sabellianos Hermogenianis, quorum hæreſin ſtatim concidiſſe teſtantur authores Eccleſiaſtici, & penè ipſo natiuitatis momento, adeò vt rarò de iis mentionem faciant, ſi vnum Tertullian. excipias. Obiter tamen commemoratur veluti à Theodoreto libro 1. Hæret. fabul. Euſebio libro 4. cap. 24. & Iſidoro: cuius etiam defenſor fuit Nigidius quidam, de quo in libro de præſcript. aduerſ. hæretic. Tertullianus.

3 *Cum dicant eundem.*) Vna fuit Sabellianorum hypotheſis, ſed multarum blaſphemiarum inſtar, quam ex Hermetis Sermo. ad Aſclepium hauſiſſe videntur, quòd Hermes vnam perſonam diuinæ diceret eſſe Patrem, & mentem, & Spiritum, etſi hæc verba interpretari conatur Cyrillus libro 1. Contra Iullian. Apoſtat. Perſonas enim in Trinitate non tantùm confundunt, ſed omnino tollunt Sabelliani. Itaque Patrem, Filium & Spiritum ſanctum vnam & eandem eſſe ὑπόστασιν volunt, quæ variis nominibus, prout neceſsitas & vſus exigit, appellata eſt, vti vnum & idem ſolis corpus lux, ſplendor, & calor pro diuerſis effectis nominatur. Confirmant autem ſuam ſentētiam, quia Deuter. 6. dictum eſt, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. quod certè perperam intellectum Iudæos ipſos, à quibus prima huius hæreſeos fundamenta iacta ſunt, in eundem errorem induxit, atque etiamnum hodie retinet. Clamant enim πολυθεΐαν i. deorum multitudinē à Chriſtianis Ethnicorum more renouari, ſi tres in vna & eadem diuina eſſentia perſonæ reipſa diſtinctæ & ſubſiſtentes ponantur. Reſponſio verò facilis eſt. Nos vnam quidem & eandem etiam numero, non tantùm genere & ſpecie ὀυσίαν, id eſt, eſſentiam diuinam docere, conſtituere & defendere: in ea verò eſſentia tres ὑποστάσεις, id eſt, perſonas & ſubſiſtentias agnoſcere, vt veteres verterunt. Itaque neque deos numero multos facimus, cùm non ſeparemus diuinam illam naturam: neque perſonas tollimus, quia quenque, id eſt Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum in diuina eſſentia propriam perſonam habere demonſtrauimus. Vt autem hęc commodiſsimè docerentur, voces ὀυσίας & ὑποστάσεως ſunt à Patribus receptæ, vt ait Socrat. libro. 3. capite 7. Ruffin. libro 1. cap. 29. ac ὀυσίας quidem vocabulum aduerſus Arianos: ὑποστάσεως autem aduerſus Sabellianos: vt omnis in diſputando ambiguitas tolleretur.

CAP. XLII.

Origeniani vnde dicti. Erroris autem eorum caput vnum recenſetur.

ORigeniani[1] *à Quodam Origene dicti ſunt, non ab illo, qui ferè omnibus notus eſt, ſed ab alio neſcio quo, de quo vel ſectatoribus eius Epiphanius loquens. Origeniani, inquit, ſunt cuiuſdam Origenis diſcipuli, turpis autem ſunt*[2] *operationis. Iſti ſunt nefanda facientes, ſua corpora corruptioni tradentes.*

2 *Origeniani.*) Pauca ſunt omnino quæ de hac hæreſi dici queant, cùm præter vnum Epiphanium nemo fide dignorum ſcriptorum ſcripſerit, atque is ipſe breuiſsimè. Authorem nō nominat ſiue Origenes, ſiue Origenius dictus ſit, ex propagine tamen Gnoſticorum, & imprimis Epiphanius, qui fuit Carpocratis filius, errore profectum eſſe hoc malum putat. Cuius aliquot veſtigia etiam ipſius Epiphanij ſeculo in aliquot Palæſtinæ ciuitatibus manſerant. Poſtea verò prorſus deleta ſunt & extincta. Cœpiſſe verò videntur iſti paulò poſt Gnoſticos. Habitu certè & profeſſione monaſticæ vitæ ſeſe plurimum commendarunt, quæ fuit turpiſsimarum actionum, & in his & in aliis obſcuriſsimum velum. Vnde non eſt vero abſimile hunc Origenem fuiſſe ſenem illum qui in AEgypto Antonij Magni diſcipulus vixit, & Monachiſmum profeſſus eſt, de quo Sozom. li. 7. cap. 30. Nec modò viri & mares, ſed etiam fœminæ hoc virus amplexæ ſunt, & diſſeminarunt. Origeniani enim iſti fœminas ſibi comites & adiunctas habuerunt, quas ἐισάκτους appellabant, cum quibus perpetrabant turpiſsima quæque, quem morem quanquam fœdiſsimum, tamen Epiſcopi & Presbyteri quidam Ioannis Chryſoſtomi tempore retinere ſtudebant, interim caſtitatem vouentes: nunquam tamen eum in vſu eſſe, cùm ſit iſtud concubinarum genus certiſsima coniugij peſtis, conceſsit Chryſoſtomus. Hodie verò paſsim regnat inter clericos in Papatu. Origeniani verò videntur hi nominati, vt à ſequentibus hæreticis diſtinguerentur, qui ab Origene Adamantio, Origeniſtæ, melius quàm Origeniani dicti ſunt.

2 *Sunt operationis.*) Tria recenſentur erroris huius hæreſeos capita. 1 Nuptias & coniugia damnant, quemadmodum plerique alii hæretici.

2 Semen humanum ſi quando coeunt (coeūt autem cum ſuis meretricibus, & inductitiis mulieribus ſæpiſsimè & impudentiſsimè) in terram deiiciunt & ſpargūnt, vt Onan ille propterea maledictus à Deo, de quo eſt Geneſ. 38. verſ. 8. 9. quòd humanum conceptum deteſtantur. Hoc idem poſtea fecerunt Manichæi, vt ſcribit Auguſt. contra Secundinum cap. 21. Sed illud ipſum poſtquam in terram cecidit, occant & conculcant, ne ab immundis ſpiritibus rapiatur & fiat prægnans. Exoſum enim Deo dicunt & impurum appellant omne ſemen humanum, fortaſſe propter peccatum originale, in quo errant toto cœlo. Nam proles & ſoboles eſt Dei benedictio in coniugio, vti diſputat contra Iulian. Donatiſtam luculenter Auguſtinus.

3 Error. Quoſdam Veteris & Noui teſtamenti libros reiiciunt, ex quibus eorum error turpitudo ſceleratiſsima redarguitur. Peccant enim iſti in vniuerſum genus humanum, quod extinguere conantur, cùm ſemen hominis abolent, & perdunt: tam magnum eſt nimirum ſemel à Satana faſcinatum eſſe.

CAP. XLIII.

Origeniſtæ & Adamantii cur ſic dicti. Erroris autem eorum capita ſex deſcribuntur.

ALios autem Origenianos ſubijciens continuò, Origeniani, inquit, alij, qui & Adamantij,[1] *tractatoris illius ſectatores, qui & mortuorum*[2] *reſurrectionem negant: Chriſtum autem & Spiritum ſanctum creaturam dicunt: Paradiſum autem & cœlos & alia*

non

A *non credunt eſſe ſecundum literam, ſed in allegoria. Hæc quidem de Origene Epiphanius refert. Sed defenſores eius dicunt Origenem Patrē & Filium & Spiritum ſanctum vnius eiuſdémque ſubſtantiæ docuiſſe, neque reſurrectionem repuliſſe mortuorum. Sed qui eius plura legerunt, contradicunt. Sūt & alia huius Origenis dogmata, quæ Catholica Eccleſia omnino non recepit, in quibus nec ipſum falsò arguit, nec poteſt ab eius defenſoribus excuſari, maximè de purgatione, & liberatione, ac rurſus poſt longum tempus ad eadem mala reuolutione rationalis vniuerſæ creaturæ. Quis enim catholicus Chriſtianus vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat eàm, quam dicit, malorum purgationem, id eſt, etiam eos qui hanc vitam in flagitiis & facinoribus & ſacrilegijs atque impietatibus quamlibet maximis finierunt, ipſum etiam poſtremò diabolum, atque angelos eius quamuis poſt longiſſima tempora purgatos atque liberatos regno Dei lucique reſtitui? Et rurſus poſt longiſſima tempora omnes, qui liberati ſunt, ad hæc mala denuò relabi & reuerti, & has vices alternantes beatitudinem & miſeriarum rationalis creaturæ ſemper fuiſſe, ſemper-* B *que fore? De qua vaniſſima impietate aduerſus Philoſophos, à quibus iſta didicit Origenes, in libris de Ciuitate Dei*[3] *diligentiſſimè diſputaui. Dicit præterea ipſe Origenes, quòd Filius Dei ſanctis comparatus, veritas ſit: Patri collatus mendacium: & quantum diſtant Apoſtoli Chriſto, tantum Filius Patre. Vnde nec orandus eſt Filius cum Patre, quia non eſt author indulgendarum petitionum, ſed ſupplicator.*

1 *Qui & Adamantij.)* Origenes Adamantius, tum propter ſummam in fide Chriſti conſtantiam, tum etiam propter aſſiduum & indefeſſum ſcriptionis & diſputationis laborem dictus eſt. Vnde & Suidas eundem propter multos libros, quos ſcripſit, συντακτικὸν vocatum eſſe ſcribit, quaſi dicas Compoſitorem. Ab hoc igitur appellati ſunt hi hæretici & Origeniſtæ & Adamantii, vel etiam Adamantiani, quemadmodum à falſi dogmatis capite, quod primus & præcipuè Origenes induxit, Chiliaſtæ, vel Latinè Millenarii, quòd regnum Dei poſt reſurrectionem futurum & promiſſum C intra mille annos finiendum eſſe contenderent, abuſi loco Apocalypſ. qui eſt cap. 20. verſu 2. Dicti ſunt etiam Nepotiani à Nepote quodam AEgyptio Epiſcopo, qui eundem errorem poſtea tutatus eſt acerrimè & in vanis illis Origenis allegoriis ſibi nimium placuit, cuius error innotuit ſub Gallieno Imperatore Roman. & Xyſto Epiſcopo, circa annum à Chriſto paſſo 231. Cœpit autem hæc hæreſis maximè poſt Cyprianum iam mortuum, & poſt Origenem etiam ipſum defunctum; quod ſub Gallo Imperatore accidiſſe ſcribit Euſeb. libro 7. cap. 1. Vnde demum Gallieno imperante, & Valeriano ipſius patre iam à Sapore Perſarum rege capto, Xyſto verò Roman. Pontifice initium habuit circa annum à Chriſto paſſo 227. Latiſſimè verò ſparſa eſt & citiſſimè propagata, tum propter celebre nomen Origenis, tum etiam propter curioſum hominum ingenium, qui iam myſticis allegoriis & ſcriptis iſtius autoris mirum in modum delectabantur. Admiſcuit enim & aſperſit Origenes varia ethnicorum philoſophorum dogmata Chriſtianorum & Apoſtolicorum præceptorum ſimplicitati, vt ait Euagr. libro 4. capite 38. quæ illius ætatis homines tanquam flores in Origene admirabantur, & laudabant: res tamen ipſa poſtea certiſſimas Chriſtianæ doctrinæ peſtes & corruptelas eſſe docuit, adeò vt veriſſima A abſurdiſſimæ Manichæorū hæreſeos fundamenta etiam ieciſſe dici poſſit: quanquam alij eum à Manichæis ſuas fęces hauſiſſe malunt, vt Conſtantinopolitana Synodus; id quod per temporum rationem defendi non poteſt, quum Manichæanus error demum 20. annis poſt iam vegetam, vagantem & receptam Origeniſtarum peſtem exortus ſit, nimirum ſub Aureliano imperatore, anno à Chriſto paſſo 247. Ex Ægypto igitur, & imprimis ex Monachorum & Aſcetarum (quibus plurimùm primùm illius doctrina grata fuit) cellis tanquam carceribus fœtidus ille Origeniani erroris halitus & vapor exhalauit, qui tamen ipſi poſtea ſummè Origenianæ doctrinæ fuerūt infenſi, vt docet Socrates libro 6. cap. 7. & Sozomen. libro 8. capite 11. & 12. quum Anthropomorphitarum ſententiam, contrariam Origeni, verum de Deo inuiſibili ſentienti, vt docet Paulus 1. Timoth. 6. verſu 16. hæreſin illi probaſſent, ſtolidis nimirum de Deo viſibili cogitationibus ſtolidi homines Monachi delectati. Ergo Origenem, quem primùm B vt viſcera fuerant amplexi Monachi, poſtea vt blaſphemum & abominabilem, quia rectè de Dei natura inuiſibili ſcripſerat, cane peius & angue oderūt, in quo Theophili Alexandrini epiſcopi odio aſtu & factione maximè confirmati ſunt, id quod oſtendit Socrates libro 7. cap. 45. & libro 6. cap. 7. & 9. Peruaſit igitur hic error vniuerſam AEgyptum, Syriam, Aſiam, ſed & Conſtantinopolim imprimis labefecit, adeò vt in monaſterio quod Noua Laura prope Conſtantinopolim ſitum erat penè extingui non potuerit etiam poſt multa ſecula, ſed à Theodoreto Aſceta Cæſareę Cappadociæ Epiſcopo defenſus & retentus eſt, vt ait Euag. libro 4. cap. 38. Doctiſſimos etiam homines & ſuo ſeculo claros ſcriptores corrupit, quando Euſebium Pamphili, Baſilium, Ioannem Chryſoſtomum, & Hieronymum ipſum illius fautores fuiſſe, ex apologia Ruffini apparet, quanquam ſe ab eo crimine purgat accuratè vbique Hieronymus: imprimiſque in ſua aduerſ. Ruffinum Apologia. Diutiſſimè permanſit, & plus quàm per 334. annos tanquam continua ſucceſſione & propagatione ſuſtentatus eſt, quando etiam ſub imperatore Mauricio, & Gregorio Magno pontifice Romano adhuc extabant Origeniſtæ, quemadmodum ipſe in C Iob. libro 34. & Caſſiodorus in Pſalm. 9. teſtantur. Nec tamen ſuis aduerſariis caruit, quando Epiphanius, & Theophilus, & Methodius, & Athanaſius, & Proclus epiſcopi, grauiter Origenis errores oppugnarunt: quin etiam duabus Synodis ſunt damnati. Ac prima quidem Alexandrina, anno 200. etiam ſtatim poſt Origenis mortem: poſteriori verò Conſtantinopolitana, quæ quinta generalis Synodus dicta eſt, & à Iuſtiniano primo imperatore Conſtantinopolitano dicitur collecta, quemadmodum Socrat. libro. 6. cap. 9. ſcribit, & poſt eum Euagrius. Fuit autem hic Origenes Leonidis martyris filius, Ammonij monachi diſcipulus, vt Euſebius tradit, qui eum maximè laudat, libro 6. cap. 18. 19. 20. AEgyptius, & Alexandrinus, & in omni literarum genere exercitatus, & ethnicæ philoſophiæ, imprimis autem Platonicæ peririſſimus, è cuius aſſidua tractatione, aut cœno potius ſuas illas erroris ſordes videtur ſumpſiſſe. Nam vt Valentiniani, ita hic nugis Platoni-

A cis, & vanis eius ſectæ ſpeculationibus addictus, cœpit vbiq; in ſacram Scripturam nouos ſenſus & ἀλληγορείας, plauſibiliter quidē curioſis hominibus, ſed maximè ipſi rerum veritati & ſano Scripturæ intellectui contrarias inducere, vt hæc hæreſis Valentinianæ tantùm fruticatio & propago fuiſſe mihi videri ſoleat. Quæ res ſanum prius hominis iudicium ita peruertit, vt etiam in ſeipſum eſſet ſæuus. Incidens enim in locum Matth.19.de eunuchis, ſeipſum caſtrauit: in quo ipſo non eſt allegoria vſus: vel, vt mauult Epiphanius, ναρκωτικοῖς medicamentis virilia ſibi ſtupefecit, ne ſemen emittere propter frigiditatem aſcitam poſſent. Hierony. in epiſt. ad Pāmachium & Oceanum, Voluptates in tantum fugit, vt zelo Dei, ſed tamen non ſecundum ſcientiā, ferro ſecaret genitalia. Cœpit autem ἀλληγορεῖζειν nō ſtatim, ſed quum iam Exaplo illi ſuo & collationi variæ Bibliorum verſionis manum admouiſſet, quod opus in Ambroſij comitis cuiuſdam Palatini fauorem aggreſſus eſt, vt docet Socrates lib.3.cap.7.quē Ambroſium ex B Sabellianorum, vt ait Epiphanius, & verius quidem: vt autem vult Euſebius libr.6.cap.16. Valentinianorum errore ad orthodoxos traduxit. De variis rebus ſcripſit. Nec enim Theologica tātùm illius opera, ſed etiam phyſica quædam extitiſſe tradit Epiphanius, adeóque tanti habitus eſt etiā à prophanis, vt à Mammæa Alexandri imperatoris Romani matre euocatus ſit & benignè exceptus, & ſub ea Alexandrum ipſum Chriſtianæ fidei initiarit. Vnde poſtea Alexander in ſuo larario Chriſtū habuiſſe ſcribitur. Multos errores, qui ſuo ſeculo nati erant, imprimis autem in Arabia, ſuis diſputationibus Origenes iugulauit & extinxit. Demum anno ætatis 70. ſub Gallo imperatore, quum ſub Commodo natus eſſet, vita functus eſt, ſui ſeculi lumen habitus, & Chriſtianæ Eccleſiæ doctor eximius, quanquam tamen huius hæreſeos grauiſſimæ conditor, & parens fuit, ne quis ingenij ſui viribus confidat. Vide Hieronymum in Catalogo Scriptorum, & in epiſtola ad Auitum, quid cauendum ſit in libris περὶ Ἀρχῶν: & in epiſtola ad C Pāmachium & Oceanum.

2 *Mortuorum reſurrectionem.*) Hæc ferè potiora & notiora Origeniſtarum hæreſeos capita fuerunt, partim ab ipſis conficta, partim ex ethnicorum ſcriptis deprompta, & ſacro Dei verbo admiſta, quemadmodum Conſtātinopolitana Synodus apertiſsimè pronuntiauit. Euagr.lib.4.cap. 38. 1 Nec Chriſtum, nec Spiritum ſanctum Patrem videre poſſe. Quæ enim differentia eſt hominum ad Angelos, quos illi non vident, eandem eſſe ſtatuit Filij & Spiritus ſancti ad Patrem, quem videre non poſſunt. Vnde peſsimus Arianorum & Anomiorum error poſtea fluxit, vt rectè obſeruat Epiphanius, & ex eo Hieronymus paſſim vbi de erroribus Origenis agit, imprimis autem in epiſtola ad Auitum de erroribus Origenis in lib. περὶ ἀρχῶν: & in prima defenſione aduerſus Ruffinum, vbi etiam tradit Euſebium Cæſarienſem, Arianæ factionis ſigniferum pro Origene ſcripſiſſe, eiuſq; doctrinam defendiſſe. 2 Filiū eſſe quidem eiuſdem cum Patre eſſentiæ, ab eo tamen creatū, adeò vt ex Origenis ſententia ſit tantùm gratia, non autem natura Deus. Quod ipſum Arianorum venenum poſtea ſeuit. Itaque quanquam Filium ὁμοούσιον Patri primus vocauit Origenes, quemadmodum & Athanaſius docet, & Socrates, lib.3.cap.7. Origen. A Homil.4.in Damaſ. itémque Mariam θεοτόκον: tamen animas noſtras vnum eſſe cum Dei Filio, eiuſdémque ſubſtantiæ docuit, vt tradit Theodoretus Dialogo 2.qui dicitur Inconfuſus. 3 Spiritum ſanctum creaturam eſſe dixit, non de Dei Patris, & Filij ſubſtantia, vt etiam annotat Hieronym.ad Auitum.quem errorem ſub Conrado Imperatore renouauit Abailardus quidam, vt Bernard. ſcribit epiſt.190. 4 Animas hominum non tunc à Deo creari, quum in corpora noſtra infunduntur: ſed iampridem antea in cælo vixiſſe, vbi etiam peccauerint, & pro peccati admiſſi genere in terram hanc, & in corpora noſtra tāquam in carcerem à Deo ſupplicii cauſa mitti & detrudi. Vnde corpus noſtrum δέμας tanquam vinculum appellatur: & anima ψυχὴ tanquam refrigeratus quidam cæleſtis halitus, propter corporis huius noſtri, quod eſt frigidum, contagionem & cōtactum. Hic error ex Platonicorum deliriis emanauit, & Pelagianos poſtea in diſputatione De anima, & de peccato originali decepit quemad- B modum docet Auguſtinus aduerſus Vincent. Victor. Aduerſus quem errorem ſolidè agit Cyrillus in Ioan.Euangel.1.cap.9. 5 Mundum hunc propter ſupplicia animarum factum eſſe, vt eſſet locus in quo culpæ in cælo ab iis admiſſæ, graues pœnas luerent. Iſidor. 6 Carnis reſurrectionem negat, etſi non apertè, tamen ex conſequutione, quia & vitam æternā, & animas noſtras in ea perpetuò futuras non concedit: ſed ἐμψύχωσιν, ſiue παλιγγενεσίαν tantùm, id eſt, animarum reuolutionem, more Pythagoreorum docet & inducit. De quo capite incidit grauis Ruffino Aquileienſi epiſcopo cum Hieronymo presbytero Bethleemenſi contentio, vti etiam de principiis rerum ab Origene conſtitutis. Auguſtinus lib.2.de Symbolo ad Catechum.cap.9. Introduxerūt quidam pro meritis animas dari corporibus, & eſſe reuolutiones, & circulos. Qui talia credunt, vel prædicant, impij ſunt. Sed hic quoque error fuit Origenis in argumento & doctrina de Reſurrectione carnis, quòd corpora poſt reſurrectionem tam ſubtilia & tenuia fore contendit, quàm eſt ſpiritus. Itaque C ex iſtius ſententia corpora eſſe deſinent & carnem & oſſa habere. Quem errorem refutat Hieronym.in epiſtol.ad Pammachium contra Ioan. Hieroſolymitanum, & in alia eiuſdem Hieronym. ad Pammachium & Oceanum. 7. Pœnas reproborum hominum, ſed & diabolorum ipſorum fore negat æternas, ſed mille annorum ſpatio finiendas: itaque poſtea eos eſſe ſaluandos, vti & Chriſti regnum poſt reſurrectionem iiſdem finibus concludit, & electos poſtea viciſſim damnandos putat: malè explicans locum Apocalyp.20.v. 2. Hanc rerum & mundi viciſſitudinem non tantùm à Platonicis didicerat ex Timæo: ſed etiam ab Ariſtotelicis, ex libr. De cælo & mundo. Papias verò Hierapolitanus primus huius grauiſſimi erroris author fuit, qui vitam æternam voluptatibus corporeis definiuit, quem poſtea ſequuti ſunt Mahumetani. 8 Ἀλληγορεῖζει perpetuò in Scripturæ interpretatione, adeò vt nihil firmum certúmque relinquat, nec paradiſum illum à Deo creatum, nec hominem, nec Euam à Deo creatos, nec aquas, nec alia quæ toto Geneſeos libro tradit Moſes. Vnde aduerſus huiuſmodi allegoriſtas, & ſacrę

A Scripturæ corruptores ſcripſit li. 12. De Geneſi ad literam Auguſtinus. Denique infinitũ eſſet, quãta ſit vbique huius authoris impuritas colligere, quẽ Bernardus perſtrinxit tum Homilia de Dicto Origen. tum Sermo. 54. in Cantat. Cant. quem tamen tanquam oculos ſuos quidam diligũt: quum & de peccato Originis, & de Purgatorio peſsimè ſenſerit, magnáque errorum qui poſtea ſunt conſequuti, ſemina ſparſerit: tanti eſt ad ſobrietatem ſapere, neque vanis animi ſui commentis more ὑπερβατῶς indulgere, quod fecit Origenes.

3 *In libris de Ciuitate Dei.*) Vide librum 20. De ciuitate, cap. 7. & 9. item libr. 21. cap. 23. item etiam eiuſdem operis lib. 22. & Tertullianum in libr. De anima. & ſæpe Baſilium in Homiliis.

Cap. xliiii.

Pauliani, vel Samoſateniani cur ſic dicti. Erroris autem eorum capita duo declarantur.

B *Pauliani[1] à Paulo Samoſateno, Chriſtum[2] non ſemper fuiſſe dicunt, ſed eius initium, ex quo de Maria natus eſt, aſſeuerant, nec eum aliquid amplius, quàm hominem putant. Iſta hæreſis aliquando cuiuſdam Artemonis fuit: ſed quum defeciſſet, inſtaurata eſt à Paulo: & poſtea ſic à Photino confirmata, vt Photiniani quàm Pauliani celebrius nuncupentur. Iſtos ſanè Paulianos baptizãdos eſſe in Eccleſia catholica Niceno concilio conſtitutum eſt. Vnde credendũ eſt eos regulam baptiſmatis nõ tenere, quam ſecum multi hæretici quum de catholica diſcederent, abſtulerunt, eámque cuſtodiunt.*

1 *Pauliani.*) Poſt Nouatum, Sabellium, & Origenem extitit Paulus, qui ab vrbe patria Samoſata Σαμοσατεὺς dictus eſt, id eſt, Samoſatenſis, quanquam alii malunt dicere Samoſatenus, & ita vulgò appellatur. Fuit autem Samoſata metropolis Cõmagenes regionis, ſita prope Euphratẽ amnẽ, qua parte & latere Syriam & Meſopotamiam ſpectat, vt tradunt Epiphanius, & Plinius libro 5. C cap. 24. in qua vrbe eſt ſtagnum cuius limus flagrans olidis rebus adhæret, & eas adurit, vt idem Plinius ait, libro 2. cap. 104. cui tamen nunquam fuit tam noxia labes, quàm Paulus iſte ciuis & alumnus ipſius. Nam fuit teterrima religionis Chriſtianæ peſtis. Ab hoc autem Paulo Samoſateno dicti ſunt qui errorem ipſius amplectuntur, Pauliani, Pauliſtæ, Paulianiſtæ, itémque Samoſateniani & Samoſatæi, ab Epiphanio Σαμοσατῖται: poſtea verò Photiniani, Luciani, & Marcelliani quo eos nomine vocant Chryſoſtomus & Baſilius tot nimirum fuerunt huius erroris & ſcholę ſucceſſores, & propugnatores. A fœditate verò & impietate dogmatis ab Epiphanio cognominantur θεόκτονοι, χριστόκτονοι, & ἀπαρνησίθεοι, quòd præcipuum ſalutis noſtræ caput, & fundamentum, quod eſt de diuina Chriſti natura, conuellere tentarunt. Vnde poſtea Mahumetiſmi certiſsima ſemina profluxerunt, & in animis hominum inhæſerunt. Fuit autem hæc hæreſis Artemonis vel Artemæ infelix propago, quanquam & ante hunc etiam quoſdam alios idem quod Paulum Samoſatenum ſenſiſſe, Chriſtum nimirum ante incarnationem non extitiſſe, nec Deum eſſe, ſcribit Euſeb. libro. 3. Hiſtor. cap. 27. quem errorem iam per ſexaginta annos poſt Artemonis mortẽ extinctum, ab inferis A reuocauit Samoſatenus, vt ſcribit Hieronymus in Catalogo Scriptorum in Marcionẽ, propagauit Photinus, excepit Marcellus, penè ſibi continua ſerie ſuccedentes, ſaltem ex eadem Satanæ officina profecti. Cœpit autem hæc hęreſis nomine Samoſatenianorum innoteſcere ſub Gallieno imperatore, & Xyſto Romano Pontifice, circa annum à Chriſto paſſo 232. quæ diutiſsimè, ſed interpolato & mutato poſtea nomine permanſit, quando Ariani ipſi fuerunt huius radicis amariſsimæ tantùm ſurculi quidam, vel riuuli malè illi quidem & fœdè olentes. Latiſsimè verò diſſeminata eſt, quando Arianiſmus & Mahumetiſmus, qui ſunt inde orti, ſeſe poſtea in vniuerſum terrarum orbem diffuderunt, & omnia contaminarunt. Diutiſsimè quoque perſtitit, quando etiam nunc durat plus quàm 1343. annis, poſtquam primùm nata eſt. Ex ea verò primùm occaſione Samoſatenus ſeſe & alios decepit, quòd, vt ex Chryſoſtom. Homilia in Euangelium Ioannis ſcribit Theodor. B libro 2. Hæretic. fabul. Zenobiam Arabiæ, Syriæ, & Phœniciæ reginam potentiſsimam, & Iudæorum erroribus de Chriſto fauentem ſibi conciliare & demereri, id eſt, principibus & aulæ ſeruire vellet homo ambitioſus & faſtuoſus, ſed iam tamen Antiochenæ eccleſiæ Epiſcopus, clàm idem ſe de Chriſto ſentire dixit, quod Iudæi & Zenobia ipſa regionis princeps. De quo à vicinis Epiſcopis ſæpius admonitus, quum tamen errorem ſuum ſpargeret, & faſtu creparet, denique luxu & oſtentatione diffflueret, adeò vt pro Dauidicis de ſuis laudibus compoſitos pſalmos in Eccleſia publicè cani ſineret, vt ait Euſebius lib. 7. cap. 30. de ſede epiſcopali per Synodum Antiochenam deiectus eſt. Cui decreto quum parere nolet, & in presbyterio ſiue Eccleſiæ domo adhuc maneret, interpellatus ab Epiſcopis imperator Aurelianus, eum expulit, & Eccleſiæ pacem reſtituit. Nec enim in publicæ pacis tranquillitate tuenda, Imperatoris, quãquam ethnici, auxilium implorare boni illi & Chriſtiani viri & ſubditi dubitarunt, quod nobis poteſt prodeſſe ad exemplum, vt in Chronicis ſuis annotat C D. Philippus Melanchthon. Aduerſus hunc ſcripſerunt Dionyſius Alexandrinæ vrbis epiſcopus, Malchion Antiochenæ eccleſiæ Presbyter.

2 *Chriſtum non ſemper.*) Theodoret. dial. 2. Inconfuſ. ſic ſcribit, Simon, Valentinus, Marcion negauernnt humanitatem Chriſti. Artemon, Samoſatenus, Theodorus negarunt eiuſdem diuinitatẽ. Arius & Eunomius creatam eius diuinitatem dixerunt. Apollinaris corpus quidem Chriſtum habuiſſe, & illud quidem animatum concedit, animam tamen humanam, & rationis participem illi denegat. Vnde apparet ex quo fonte ſcaturiit hic tam teter & fœtidus riuus. Fuerunt autem huius hæreſis hypotheſes iſtæ. 1 Chriſtum eſſe ψιλὸν ἄνθρωπον, id eſt, merum hominem, gratia tamen diuina inſigniter ornatum. Tunc autem demum eſſe cœpiſſe, etſi antiqua de eo vaticinia præceſſerant, quum in vtero Mariæ virginis conceptus eſt. Iſidorus & Euſebius libro 7. cap. 30. Itaque μὴ εἶναι Χριστὸν Θεῷ ἐνυπόστατον docuit, vt loquitur Epiphanius: quanquam apertè dicat ipſe Chriſtus aliud, Ego ſum, ait, in Patre, & Pater in me: & Ioannes, In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deũ, Ioan. 1. v. 1. 14. v. 10. 2 Error.

A In Chriſto non aliter quàm in aliis Prophetis habitaſſe verbum Dei vel Deum: itaque non fuiſſe illi σωματικῶς & ὑποστατικῶς vnitum, ſed tantùm gratia & efficacia aſsidentem. Hoc de Samoſateno tradit Indicat. hæreſ. in hiſtoria Eccleſiaſt. quem infelicisſimum errorem reuocant hodie ij, qui vnionem hypoſtaticam in Chriſto definiunt eſſe effuſionem omnium diuinæ naturæ proprietatum in humanam. 3 Chriſtum dicit fuiſſe λόγον Θεοῦ, ſed προφορικὸν & ἀνυπόστατον, non autem διαθετικὸν, vt loquuntur Theologi. Quidam exiſtimant Samoſatenum idem ſenſiſſe de Chriſto quod poſtea Seruetus ſcripſit, nempe fuiſſe eum tantùm ideam in mente Dei quæ poſtea ſubſtiterit cùm ex V. Maria carnem ſumpſit. Sed nihil quicquam tale de Samoſateno veteres ſcripſerunt, neque ſic illius hæreſin recitant. Epiphanius autem contra eum agens. Atqui μία ἐστὶν, ait, οὐσία Patris & Filij, & θεότης, ἓν ἀξίωμα. οὐ δύναται γὰρ εἶναι ἑτερούσιος τῷ γεγεννηκότι, οὐδὲ ταυτούσιος, ἀλλ' ὁμοούσιος. ἐστὶ γὰρ ταυτὸ τῇ θεότητι, καὶ τῇ οὐσίᾳ Υἱὸς πρὸς πατέρα.

4 Baptiſma corruperunt, neque ſubſtantiam B formámque eius veram retinuerunt, quum non baptizarent in nomine Chriſti. Itaque concilio Niceno iubentur baptizari, quia prior eorum baptiſmus, non fuit baptiſmus. Quod decretum commemorat Ruff. lib. 1. Hiſtor. cap. 6. & eſt Canon. Synodi 21. Atque hi fuerunt amariſsimi ambitionis & faſtus Samoſateni fructus, qui ab Eccleſia tamē multos abduxerunt.

Cap. XLV.

Photiniani quem errorem ſequuti ſint.

Photinus [1] ab Epiphanio non continuò poſt Paulum, ſiue cum Paulo, ſed aliis interpoſitis ponitur: non tacetur ſanè ſimilia credidiſſe, [2] ſecundum aliquid tamen aduerſatus ei dicitur: ſed quid ſit ipſum aliquid, omnino non dicitur. Philaſter autem continuatim ponit ambos ſub ſingulis & propriis numeris, quaſi hæreſes duas, quum dicat Photinum in omnibus Pauli ſe- C *quutum fuiſſe doctrinam.*

1 *Photinus.*) Non tam eſt hoc loco temporis, quàm dogmatis obſeruata ratio, quando inter Samoſatenum & Photinum interceſſere medij varij hæretici, ab iis planè diſsimiles: ídque docet epiphanius. Sed quia tetrum Samoſateni errorem Photinus renouauit, propterea hunc illi ſubiecit Auguſtinus. Hieronym. in Galat. 1. coniungit Photinianos cum Ebionitis: ſed dogmatis ratio, etſi cum Ebionitis habuit aliquid commune, plura tamen cum Samoſatenianis retinuit. Hæc autem hæreſis à Photino Photiniana, à Marcello Marcelliana, & à Lucio eſpicopo, Luciana quoque dicta eſt. Fuit autem tempore prior Marcellus & Photini præceptor, Ancyrę, quæ fuit Galatiæ metropolis, vt ait Plinius libro 5. capite 32. epiſcopus. Vnde Ancyranus appellatur, non Anticyranus, vt ignoranter à quibuſdam appellatur. Fuit enim Anticyra Phocidis vrbs in Græcia, longiſsimo terrarum interuallo ab Ancyra Galatiana diſsita. Marcellus autem vixit ſub Conſtantino Magno, qui quū Aſterio Ariano reſpondere vellet, more ſtultorum, qui dū vitāt vitia, in cōtraria currūt, incidit in Samoſateniſmū. Itaque primùm Hieroſolymitana, deinde Conſtantinopolitana Synodo damnatus, iuſſúſque librum ſuum comburere, non paruit: vnde epiſcopatu A abdicatus eſt, in quem tamen poſtea Sardicenſi concilio, quòd ſe ſuúmque ſcriptum nunquam intellectū fuiſſe diceret, reſtitutus eſt, quēadmodum tradunt Socrates lib. 1. cap. 36. & Sozomen. lib. 2. capite 33. Fuerunt autem hę illius hypotheſes erroneæ. 1 Trinitatem eſſe deitatis vti cerę cuiuſdam liquefactę extenſionem, quæ etiā pro vſu & œconomia contraheretur poſtea in vnum. Itaque ex Patre extenſo Filium, ex Filio extenſo Spiritum ſanctum productum eſſe. Theodoretus. 2 Chriſtum eſſe merum hominem, quem Aſterius Dei tantùm virtutem eſſe dixerat. Extāt quædam Marcelli epiſtolæ apud Epiphanium, & fidei confeſſio, quæ non admodum videtur reprehendi poſſe. Sed more hæreticorum egit, qui venena ſua clàm tantùm inter ſuos ſpargebant: publicè verò, ne conuicti tenerentur, non proferebant. Marcello ſucceſſit Photinus ipſius diſcipulus, acerbior Marcello, & obſtinatior. Hic ex minore Galatia ortus, vt ait Socrates libro 2. capite 18. primùm Ancyranæ Eccleſiæ presbyter fuit: poſt autem Sirmij, B non autem Smyrnæ epiſcopus. In quo grauiſſimè lapſus & hallucinatus eſt Iſidorus, qui eum Gallogræciæ Smyrnæ epiſcopum facit. Fuit autem Sirmium oppidum Pannoniæ, Illyrico conterminæ, ad Saum amnem in Europa, vt ait Plinius libro 3. cap. 25. Smyrna verò Ioniæ vel potius AEoliæ ciuitas ad mare ſita, in minori Aſia, vt idē Plinius docet libro 5. cap. 29. Cœpit hæc hæreſis iſto Photinianorum nomine innoteſcere, etiam ante Nicenam Synodum, quando in ea iſtorum mentio facta eſt, vt apparet ex Ruffini hiſtoria: ſed tamen quia nondum inualuerat, collocatur prima illius origo ſub Conſtantio imperatore, & Liberio epiſcopo Romano, circa annum à paſſo Chriſto 323. cuius ſcintillæ Sirmij primùm accenſæ in Aſiam, & reliquas orbis regiones magna incendia poſtea pepererunt. Itaque latiſsimè ſtatim ſparſus eſt hic error, cuius immani fœtore offenſi Patres orthodoxi Sirmium conuenerunt, ibique eum communibus ſententiis damnarunt, Photino C ipſo audito, & à Baſilio Ancyræ epiſcopo erroris conuicto, vt tradit Socrates libro 2. capite 29. & 30. tamen ad imperatorem prouocauit, apud quem neque cauſam ſuam approbare, neque obtinere potuit. Itaque Sardicenſi Synodo iterum damnatus, & ab Arianis ipſis exploſus eſt, & vt blaſphemus reiectus, quemadmodum ſcribit Sozomen. libro 4. capite 6. tam teter nimirum & grauis habitus eſt vel ſolus iſtius erroris odor, vt ne ab hæreticis quidem ipſis ſuſtineri poſſet. Certè in conſtitutione Iuſtiniani libro 1. Codicis inter capitales fidei Chriſtianæ hoſtes Photiniani enumerantur. Et quum ſub Theodoſio maiore variis hæreſibus ſuas ſynaxes habere conceſſum eſſet, vt ſcribit Socrates libro 5. cap. 2. idem tamen priuilegium Photinianis, Manichæis, & Eunomianis, tanquam intolerandis blaſphematoribus denegatum eſt. Perſtitit tamen hæc tam immanis blaſphemia aliquandiu: quandoquidem Lucius quidam eam retinuiſſe & defendiſſe dicitur. Vnde Luciani Photinianis cōiungi ſolent tāquam eorum ſucceſſores & diſcipuli. Fuit autem Lucius non tam Arianus, quàm Samoſatenianus, ab Arianis tamen in locum Georgij orthodoxi, quē pepulerant, Alexandriæ epiſcopus cōſtitutus,

vt

A vt ſcribit Socrates lib.3.cap.4.qui mortuo Athanaſio illo ſui ſeculi lumine, tā atrociter in Eccleſiam ipſam cui præerat ſæuiit,& ita Monachos exagitauit,vt primùm toti populo inuiſus euaſerit , vt ait Ruffin.lib.2.Hiſtor.capite 3,& 6. & ex Ruff. Socr. lib. 4. c.24.Deinde quum in eadem ſæuitia pergeret,lapidibus penè obrutus demum Alexādria expulſus & eiectus ſummo totius Eccleſiæ gaudio, vt hiſtoriæ ſuæ libro 4. capite 15. 20. & 37. narrat Theodoretus , Samoſata tranſlatus eſt, vel potius ipſe profectus,illic errorem ſuum conſimilem veteribus Samoſateni repotiis propagauit. Quæ omnia ſub Valente Imperatore Ariano , & Syricio Roman.Epiſcopo contigerunt,circa annū à Chriſto paſſo 343. quemadmodum Ruffinus tradit , vt plus quàm 200. annos infœliciſſimè & liberrimè hæc hæreſis vagata ſit,quando ne nunc quidē poſt mille annos ſopita eſt , ſed à quibuſdam reuocata turbat in Eccleſia Dei multos. Suo tamen ſeculo prorſus extinctam fuiſſe ſcribit Theodoret. libro 2.Hæretic.fabular.ſed aſtu Satanæ noſtris temporibus
B à Nearianis interpolata & excitata eſt , vti diximus.

2 *Similia credidiſſe.*) Photinianos alii Hebionitarum,vti Iſidorus:alii Sabellianorum,vti Sozomen.lib.4.cap.6.propaginem faciunt. Verius ſentiunt qui Artemonicæ radicis & ſtirpis amaræ ſurculum inauſpicatum eſſe volunt,quādo paria fuerunt erroris vtriuſque capita.Fuerunt autem hæc.

1 Chriſtum nudum & merum eſſe hominem. Socrates libro 7.capite 32.nō etiam Deū. 2 Chriſtum tunc demum ὑπάρξεως initium habere cœpiſſe,cùm ex Maria conceptus eſt. Theodor. libro 5. Hiſtor.cap. 11. Sozomen.lib.4 cap. 6.Alij verò vt hanc tam manifeſtam Charybdin & errorem euitarent,inciderunt in Scyllam,& alium pepererunt. Docuerūt enim duos eſſe Chriſtos, vnum ante ſecula & æternum:alterum in tempore qui in mundum venit.Idem Theodoret.tam varia ſunt nimirum,vbi ſemel à recta via diſceſſum eſt,erroris diuerticula,Et hæc quidem de Photinianis.

C

CAP XLVI.

Manichęi cur ſic dicti.Erroris autem eorū quanuis infinita penè ſint capita,tamē octo tantùm velut præcipua recenſentur hoc loco.

MAnichæi [1] à quodam Perſa extiterunt, qui vocabatur Manes:quanuis & ipſum cum eius inſana doctrina cœpiſſet nomen prædicari. Nam antehac Vrbicus vocabatur.Sed in Græcia diſcipuli eius vitantes nomen inſaniæ(quaſi doctiores, & eo ipſo mendaciores) geminata, n, litera Mannichæum quaſi manna fundentem,pro Manichæo,id eſt, inſano,appellauerunt.Iſte [2] duo principia inter ſe diuerſa, atque aduerſa,eadémque æterna & coæterna,hoc eſt,ſemper fuiſſe compoſuit:duáſque naturas atque ſubſtantias boni ſcilicet & mali , ſequens alios antiquos hæreticos opinatus eſt:quarum inter ſe pugnam & commixtionem , & boni à malo purgationem: & boni,quod purgari non poterat, cum malo in æternum damnationem,ſecundum ſua dogma aſſeuerans multa fabulatur , quæ cuncta intexere huic operi nimis longū eſt.Ex his autem ſuis fabulis vanis & impiis coguntur dicere,animas bonas (quas cenſent ab animarum malarum naturæ ſcilicet contrariæ commixtione liberandas) eius , cuius eſt Deus , eſſe A
naturæ. Proinde mundum à natura boni , hoc eſt, à natura Dei factum confitentur quidem , ſed de commixtione boni & mali , quæ facta eſt , quando inter ſe vtraque natura pugnauit. Ipſam verò boni à malo purgationem ac liberationem nō ſolum per totum mundum, & de omnibus eius elementis virtutem Dei facere dicunt : verùm etiam Electos ſuos per alimenta quæ ſumunt,& eis quippe alimentis,ſicuti vniuerſo mūdo,Dei ſubſtantiam perhibent eſſe cōmixtam,quam purgari putant in Electis ſuis eo genere vitæ , quo viuunt Electi Manichæorum,velut ſanctius & excellentius auditoribus ſuis. Nam his duabus profeſſionibus Electorum & Auditorum eccleſiam ſuam conſtare voluerunt. In cæteris autem hominibus , etiam in ipſis auditoribus ſuis hanc partem bonæ diuinæque ſubſtantiæ , quæ mixta & colligata in eſcis & potibus detinetur,maximéque in eis, qui generant filios, arctius & inquinatius colligari putant. Quicquid verò vndique purgatur luminis per quaſdam naues(quas eſſe lunam & ſolem volunt)regno B
Dei tanquam propriis ſedibus reddi. Quas itidem naues de ſubſtantia Dei pura perhibent fabricatas, lucémque iſtam corporeā animantium mortalium oculis adiacentem,non ſolùm in his nauibus (vbi eam puriſſimam credunt) verumetiam in alijs quibuſque lucidis rebus (vbi ſecundum iſtos tenetur admixta)Dei dicūt eſſe naturam. Quinque enim elementa quæ genuerunt principes proprios,genti tribuunt tenebrarum, eáque elementa his nominibus nuncupant,Fumum,Tenebras,Ignem, Aquam,Ventum.In fumo nata animalia bipedia, vnde homines ducere originem cenſent. In tenebris ſerpentia: in igne quadrupedia:in aquis natatilia:in vento volatilia. His quinque elementis malis debellandis alia quinque elementa,de regno & ſubſtantia Dei miſſa eſſe , & in illa pugna fuiſſe permixta fumo aera : tenebris lucem : igni malo, ignem bonum : aquæ malæ , aquam bonam : vento malo , ventum bonum. Naues autem illas,id eſt, duo cœli luminaria ita diſtinguūt , vt lunam dicant factam ex bona aqua:ſolem verò ex igne bono. Eſſe autē in eis nauibus ſanctas virtutes, quæ ſe in maſculos transfigurant , vt illiciant fœminas gentis aduerſæ, & C
per hanc illecebram cōmota eorum concupiſcentia fugiat de illis lumen , quod membris ſuis permixtum tenebant, & purgandum ſuſceperant ab Angelis lucis,purgatúmque illis nauibus imponatur ad regna propria reportandum. Qua occaſione vel potius execrabilis ſuperſtitionis quadā neceſſitate coguntur Electi eorum velut Euchariſtiam conſperſam cū ſemine humano ſumere , vt etiā inde ſicut de alijs cibis quos accipiunt , ſubſtantia illa diuina purgetur , ſed hoc ſe facere negant , & alios neſcio quos ſuo nomine Manichæorum facere affirmant. Detecti ſunt tamen in Eccleſia , ſicuti ſcis, apud Carthaginem iam te ibi Diacono conſtituto,quando inſtante Vrſo tribuno , qui tunc domui regiæ præfuit, aliqui adducti ſunt,vbi puella illa nomine Margarita iſtam nefariam turpitudinem prodidit , quæ cum eſſet annorum nondum duodecim,propter hoc ſceleſtum myſterium ſe dicebat eſſe violatā. Tunc Euſebiam quandā Manichæam quaſi ſanctimonialem id ipſum propter hoc ipſum paſſam vix compulit confiteri , cū primùm illa ſe aſſeruiſſet integram atque ab ab obſtetrice inſpici poſtulaſſet : quæ inſpecta, & quid eſſet inuenta,totum illud turpiſſimum ſcelus vbi ad excipiendum & commiſcendum concumbentium ſemen farina ſubſternitur , quod Margarita indicante abſens non audierat , ſimiliter indicauit: & recenti tempore nonnulli eorum reperti & ad Eccleſiam ducti, ſicut

A geſta epiſcopalia quæ nobis miſiſti, oſtendunt: hoc non ſacramentum, ſeb execramentum ſub diligenti interrogatione confeſſi ſunt, quorum vnus nomine Viator eos qui iſta faciunt propriè Cathariſtas, id eſt, mundatores vel purgatores vocari dicens, cum alias eiuſdem Manichææ ſectæ partes in Macarios, & ſpecialiter Manichæos diſtribus perhiberet, omnes tamen has tres formas ab vno autore propagatas, & omnes generaliter Manichæos eſſe negare non potuit. Certè illi libri Manichæi ſunt omnibus ſine dubitatione communes, in quibus libris illa portenta ad illiciendos, & per concupiſcentiam diſſoluēdos vtriuſque ſexus principes tenebrarum, vt liberata fugiat, ab eis, quæ captiuata tenebatur in eis diuina ſubſtantia, de maſculorum in fœminas, & fœminarũ in maſculos tranfiguratione conſcripta ſunt. Vnde iſta eorum, quamlibet negent ad ſe pertinere, turpitudo defluxit. Diuinas enim virtutes quantum poſſunt imitari ſe putant, vt purgent Dei ſui partem: quam profectò ſicut in omnibus corporibus cœleſtibus & terreſtribus, atque in omniũ rerum ſeminibus, ita & in hominis ſemine teneri exiſtimant inquinatam. Ac per hoc ſequitur eos, vt ſic eam & de ſemine humano, quemadmodum de alijs ſeminibus, B quæ in alimentis ſumunt, debeant manducando purgare. Vnde etiam Cathariſtæ appellantur, quaſi purgatores, tanta eam purgantes diligentia, vt ſe nec ab hac tam horrenda cibi turpitudine abſtineant, nec veſcantur tamen carnibus tanquam de mortuis vel occiſis fugerit diuina ſubſtantia, tantúmque ac tale inde remanſerit, quod iam dignum non ſit in electorum ventre purgari, nec oua ſaltem ſumunt, quaſi & ipſa cùm franguntur, expirent, nec oporteat vllis mortuis corporibus veſci, & hoc ſolum viuat ex carne, quod in farina, ne moriatur, excipitur. Sed nec alimonia lactis vtuntur, quanuis de corpore animantis viuentis mulgeatur ſiue ſugatur: nõ quia putant diuinæ ſubſtantiæ nihil ibi eſſe permixtũ, ſed quia ipſe ſibi error non conſtat. Nam & vinum non bibũt, dicentes fel eſſe principum tenebrarũ cùm veſcantur vuis. Nec muſti aliquid vel recẽtiſſimi ſorbent. Animas auditorum ſuorum in electos reuolui arbitrantur, aut fœliciore compendio in eſcas electorum ſuorum, vt iam inde purgatæ in nulla corpora reuertãtur. Cæteras autem animas & in pecora redire putant, & in omnia quæ radicibus fixa ſunt, atque aluntur in terra. Herbas enim atque C arbores ſic putant viuere, vt vitam, quæ illis ineſt, & ſentire credant, & dolere, cùm læduntur, nec aliquid inde ſine cruciatu eorum quenquam poſſe vellere, aut carpere. Propter quod agrum ſpinis purgare nefas habẽt Vnde agriculturam, quæ omnium artium eſt innocentiſſima, tanquam plurium homicidiorum ream demẽtes accuſant: ſuiſque auditoribus ideo hæc arbitrantur ignoſci, quia præbẽt inde alimenta electis ſuis, vt diuina illa ſubſtantia in eorum ventre purgata impetret eis veniam, quorum traditur oblatione purganda. Itaque ipſi Electi nec in agris operantes, nec poma carpentes, nec ſaltem folia vlla vellentes, expectant hæc afferri vſibus ſuis ab auditoribus ſuis, viuentes de tot ac tantis ſecundum ſuam vanitatem homicidijs alienis: monent etiam eoſdem auditores ſuos, vt ſi veſcuntur carnibus, animalia non occidant, ne offendant principes tenebrarum in cœleſtibus colligatos, à quibus omnem carnem dicunt originem ducere. Et ſi vtuntur coniugibus, conceptum tamen generationémque deuitant, ne diuina ſubſtantia quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole. Sic quippe in omnem carnem, id eſt, per eſcas & potus, venire animas credunt. Vnde nuptias A ſine dubitatione condemnant, & ; quantum in ipſis eſt, prohibent: quando generare prohibẽt, propter quod coniugia copulanda ſunt. Adã & Euã ex parentibus principibus fumi aſſerunt natos, cùm pater eorũ nomine Saclas ſociorũ ſuorum fœtus omnium deuoraſſet, & quicquid inde commixtum diuinæ ſubſtantiæ ceperat, cum vxore concumbens in carne prolis, tanquam tenaciſſimo vinculo, colligaſſet. Chriſtum autem fuiſſe affirmant (quem dicit noſtra Scriptura) Serpentem, a quo illuminatos eos aſſerunt, vt cognitionis oculos aperirent, & bonum malúmque dignoſcerent, eúmque Chriſtum nouiſſimis temporibus veniſſe ad animas, non ad corpora, liberandas: nec fuiſſe in carne vera, ſed ſimulatam ſpeciem carnis ludificandis humanis ſenſibus præbuiſſe, vbi non ſolum mortem, verumetiam reſurrectionem ſimiliter mentiretur. Deum qui Legem per Moſen dedit, & in Hebræis Prophetis loquutus eſt, non eſſe verum Deum: ſed vnum ex principibus tenebrarum: Ipſiúſque noui Teſtamenti ſcripturas, tanquam infalſatas, ita legunt, vt quod voluerint inde accipiant: quod nolint, reijciant, eiſque tanquam non totum verum habentibus, nonnullas apocryphas anteponant. Promiſſionem Domini Ieſu Chriſti, de paracleto Spiritu ſancto, in ſuo hæreſiarcha Manichæo B dicunt eſſe completam: vnde ſe in ſuis literis Ieſu Chriſti Apoſtolum dicit, eo quòd Ieſus Chriſtus ſe miſſurum eſſe promiſerit, atque in illo miſerit Spiritum ſanctum. Propter quod etiam ipſe Manichæus duodecim diſcipulos habuit ad inſtar Apoſtolici numeri, quem numerũ Manichæi hodiéque cuſtodiunt. Nam ex Electis ſuis homines duodecim, quos appellant magiſtros, & tertiumdecimum principem ipſorum: Epiſcopos autem ſeptuaginta duos, qui ordinantur à magiſtris: & presbyteros, qui ordinantur ab Epiſcopis: habent etiam Epiſcopi Diaconos. Iam ceteri tantummodo Electi vocantur, ſed mittuntur etiam ipſi, qui videntur idonei ad hunc errorem, vel vbi eſt, ſuſtentandum & augendum, vel, vbi nõ eſt, etiam ſeminandum. Baptiſmum in aqua nihil cuiquam perhibent ſalutis afferre, nec quenquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant. Orationes faciunt: ad ſolem per diem, quaquauerſum circumit: ad lunam per noctem, ſi apparet: ſi autem non apparet, ad Aquilonarem partem, qua Sol, cùm occiderit ad Orientem reuertitur: ſtant orantes. Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, ſed ſubſtantiæ tribuunt gentis aduerſæ, C quam dogmatizantes eſſe hominibus mixtam omnem carnem non Dei, ſed malæ mentis perhibent eſſe opificium, quam à cõtrario principio Dei coæternã eſſe aiunt. Carnalem concupiſcentiam, quâ caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, non ex vitiata in primo homine natura nobis ineſſe infirmitatem, ſed ſubſtantiam volunt eſſe contrariam, ſic nobis adhærentem, vt, quando liberamur atque purgamur, ſeparetur à nobis, & in ſua natura etiam ipſa immortaliter viuat, eáſque duas animas vel duas mentes, vnam bonam, alteram malam, in vno homine inter ſe habere conflictum, quando caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Nec in nobis ſanatum hoc vitium, ſicut nos dicimus, vnquam futurũ: ſed à nobis ſeiunctam atque ſecluſam ſubſtantiam iſtam mali, & finito iſto ſeculo, poſt conflagrationem mundi, in globo quodam, tanquam in carcere ſempiterno eſſe victurum, cui globo affirmant acceſſurum ſemper, & adhæſurum, quaſi coopertorium atque tectorium ex animabus, natura quidem bonis, ſed tamen quæ non potuerũt à natura malæ contagione purgari.

1 *Manichæi à quodam.*) Si qua fæx, ſi quæ farrago,

A rago, ſi quis teter vnquam errorum odor exhalauit, is eſt, qui ab impuriſſimo Manetis ore efflatus Manichæorũ blaſphemias euomit & continet. Qui quanquam error eſt ipſe per ſe peſſimus & obſcuriſſimus, peior tamen & difficilior alterius erroris accumulatione factus eſt, dum ſcriptores inter ſe de eo diſſentiunt, vel poſteriores non ſatis attentè attendunt ad ea quæ fuerant à prioribus & minus ab ætate Manetis remotis autoribus tradita. Nos igitur rem totam quàm poſſumus & breuiſmè & veriſſimè perſcribemus. Quod eò diligẽtiùs & accuratius mihi faciundum videtur, quòd hæc Manichæorũ hæreſis maximus & præcipuus Mahumetiſmi quì poſtea ſecutus eſt, & fons & origo meritò cẽſeri debet, ſiue dogmatum veſaniam, ſiue modum naſcendi & rationem ſpectes. Ac quidem quod ad dogmata ſpectat, poſtea docebũtur: quod autem ad naſcendi modum, in eo Mahumetiſmus & Manichæiſmus conueniunt, quod vterque primùm abs Saracenis & Arabibus profectus eſt. Nã B de Mahumete dubitari non poteſt, quem Arabem & Saracenum fuiſſe fatentur omnes. Manichæiſmum autem, id eſt, eum errorem, quẽ Manes Perſa poſtea fortiſſimè defẽdit, primus inuexit Scythianus quidam nomine, mercator Saracenus, quemadmodum Epiphanius & Socrat. lib. 1. cap. 22. ſcribunt, qui vt ſuam blaſphemiam aliqua ratione cõmendaret, Hieroſolymam venit, tanquam ibi ex Dei ipſius ore eam accepiſſet. Quod ipſum poſtea, vt ſuum Alcoranum melius hominibus propinaret, fecit Mahumetus. Scythianus autẽ domus ſuæ ruina oppreſſus miſerè periit. Diſcipulum autem & ſucceſſorem doctrinæ ſuæ habuit quendam nomine Buddam, cognomine Terebinthum, qui & ipſe à Satana in ſolitudinem abreptus ſtrangulatus eſt. Buddæ ſucceſſit Manes, qui, quòd hunc occultum adhuc errorem in lucem produxit, & libros quatuor à Scythiano ſcriptos, ſed à Budda clàm habitos & cuſtoditos tãquam ſuos euulgauit, primus huius hæreſeos parens & author creditus eſt, quam tamen tanquam per manus ab homine Saraceno Manes iſte maſtigia inſanus & præſtigiator C acceperat. A quo qui ſecuti ſũt hæretici, Manichæi dicti ſunt. Hi autem ipſi etiam Acouanitę ſunt appellati, & Agoniſtæ. Acouanitæ, vt Epiphanius ſcribit, à quodam Acouana Manetis diſcipulo, qui in Meſopotamia hunc errorem latiſſimè diffudit, & acerrimè propugnauit. Agoniſtę autem, quòd ſe contra gentem Tenebrarum, & illius principem Diabolum perpetuò pugnare ſua vita ſuíſque præceptis & doctrina dicerent. Cœpit autem hæc hæreſis Manichæorum nomine innoteſcere ſub Aureliano Imperatore, & Felice Roman. Epiſcopo, vt Euſeb. tradit, circa annum à Chriſto paſſo 247. Id quod etiam docent Platina, & Epiphan. quanquam ſub Probo vixiſſe Manetem, idem ſcribit Auguſt. lib. 13. contra Fauſt. cap. 4. Latiſſimè verò citiſſiméque propagata eſt. Nam ex Arabia ſtatim in Meſopotamiam & Perſidem delata eſt. Ex Perſide in Syriam rediit, & in Ægyptum, Africam, & poſtea in Hiſpaniam, Galliam, mari traiecto, penetrauit. In Aſia etiam, Paphlagonia & reliquis orbis patribus multos infecit. Habuit enim Manes tres præcipuos diſcipulos, Aldam, quẽ ad hoc venenum ſpargendũ in Syriam dimiſit, vt ait Theod. lib. 1. Hæret. fabul. Thomam, quem ad Indos tanquam apoſtolum ſuum ire præcepit: & Herman, A quem ad AEgyptios: quanquam præter hos alios duodecim pręcipuos, ſibíque perpetuò comites ad imitationem D. N. Ieſu Chriſti, habuit tanquam apoſtolos. quem numerum in Electis ſuis eligendis etiamnum poſtea Manichæi retinuerunt, qui eſſent duodecim ſummi doctrinæ ſuæ antiſtites, & ad quos LXXII. Epiſcopi, quos per totum orbem diſperſos habebant, ſe ſuáque dubia referebant. Itaque Romam ipſam occupauit hæc hæreſis, vnde tamen expulſa eſt à Leone Pontifice Romano circa annum à Chriſto paſſo 414. In Arabia tamẽ, Perſide & AEgypto maximè viguit potuítque, vnde poſtea Mahumetiſmus tanquam ex ſerpẽtis viperæque ouo enatus & excluſus. Diutiſſimè etiam ſubſiſtit. Nam & Anaſtaſij Imperatoris temporibus adhuc in Perſide, Meſopotamia, & Syria graſſabatur apertè: & Gregorij Magni pontificatu in Sicilia. i. annos poſt Manetem mortuũ plus quàm 340. vt apparet ex Greg. epi. 6. lib. 4. & P. Diaconi B lib. 15. Hiſtoriar. vbi Indaganam eorũ epiſcopum commemorat. Fuit autem Docetarum hæreticorũ poſtremus Manes, quemadmodum eorum primus author & princeps Simon Magus, vt ait Theodoret. Dialog. 1. Polymorphos. In varias etiam ſectas diuiſam fuiſſe hanc infœlicem familiam docet hoc loco Auguſtinus, quum inter eos alij ſe tantùm & ſimpliciter Manichæos appellarent: alij autem Chathariſtas: tertij denique Macarii à ſortis fœlicitate dicerentur. Cæterùm Manes (quem ferè Manichæum alibi vocat Auguſtinus, vt Suidas etiam) de quo nunc agimus, fuit natione Perſa, conditione primùm ſeruus, qui manumiſſus dominam cui prius ſeruiebat, in cõiugem accepit, à qua ditatus in hanc phreneſin magna ambitione excæcatus extumuit. Id quod idem Mahumeto accidit. Manes autem Perſica vox eſt, non autem Græca vel Latina, vt falſò argutantur qui à Græca & Hebræa voce deducunt Μαννιχαῖον vel Μανιχαῖον, quaſi qui Manna vel inſaniam fundat, vt hîc tradit Auguſtin. & lib. 19. contra Fauſt. cap. 22. Epiphanius tamen à Chaldaica deriuatam putat, quæ ſignificat vas. Chaldęi enim ſiue Babylonij מאנה Manah vocant σκεῦος. Dictus autem eſt hic idem Cubricus, vt Socrates & Epiphan. teſtantur, & eſt barbara vox, C non autem Vrbicus, vt hîc Auguſtinus ſcribit, & poſt eum pari errore alii, quæ eſt Latina nomenclatura: non etiam Scythianus, vt Theodoret. falſò voluit. Hic verò poſtquam multos in fide labefactaſſet (quanquam eum vnquam Chriſtianam religionem didiciſſe negat Auguſt. in lib. de Actis conta Felicia. c. 8.) adeóque ſuis incantationibus regis Perſarum filium necaſſet, viuus ab eo excoriatus eſt, ſicque inſignis illa humani generis peſtis tandem periit. De Manichæorum autem moribus ſiquis plura didiciſſe volet, legat Auguſtinũ, qui & ipſe aliquãdo Manichæus fuit, ſed poſtea ab eo errore magno Dei beneficio liberatus eſt, lib. 2. de Manichæ morib. cap. 16. & lib. De fide contra Manich. cap. 40. & 41. Scripſit etiam quædam Manes ipſe, quando lib. 2. Theſauri citat Auguſt. in lib. De fide Trinitat. cap. 5. nec is vnus fuit ex illis quatuor Scythiani libris. Nam ſeptimum eiuſdem operis notat Auguſt. cap. 14.

2 *Iſte duo principia.*) Nulla fuit vnquam Acherontis cauerna, vnde tot repentè peſtes prodie-

A rint,quàm ex infernalibus vnius Manetis faucibus Vna enim hæc hæreſis omnium penè ſuperiorum ſordes collegit. Vnde factum eſt vt ab aliis attribuatur Montaniſtis,vt à Socrat. lib. 7. cap. 32. ab aliis autem Sabellianis: ab aliis denique Marcionitis & Valentinianis,à quibus proculdubio profecti ſunt,Theodor.Dial.3 Inconfuſus & Index hæreſ. etſi vetus fuit illa quæſtio etiam in eccleſia Dei, *Vnde malum*, de qua Maximus quidam iam ſcripſerat,vt teſtatur Hieronymus.Infinitæ verò ſunt erroris eorum hypotheſes, quando vniuerſam religionem ſuſtulerunt, corruperunt, ſúſque déque habuerunt.Ergo capita iſtius hæreſeos ſic breuiter colligo ex omnibus. 1 Caput. Duo eſſe diuerſa rerum principia æterna, ſibi mutuò contraria, quorum vnum bonum ſit,& autor boni: alterum malum,qui eſt mali & gẽtis tenebrarum princeps: illum Deum vocant, hunc autem Diabolum, & Hylen.quanquam Diabolumetiam ipſum volunt ex principe illo primo Tenebrarum ortum eſſe velut à Patre, quoniam dicitur Ioan. 8. verſ. 44. B ϗ ὁ πατὴρ αὐτοῦ quam vocem αὐτοῦ referunt ad Diabolum:non autem ad mẽdacium quemadmodum tamẽ referri debet. Auguſt.tract.42.Ioan.in Euangel. Hoc caput eſt.Vetus verò fuit & perantiqua huius erroris origo,quia vetus eſt quæſtio,vt docet Euſeb.lib.5.ca.27.Vnde ſit malum:& ex Pythagoreorum δυσοιχειώσει & Marcionitarum lacunis hauſtus eſt,qui Marcionitæ ex lib.1.Platonis de legib. hũc errorem didicerunt.Animam, ait Plato, quæ hæc omnia adminiſtrat,vtrum vnam,an plures conſtituemus? Plures ego pro vobis reſpondebo: non minus vtique quàm duas eſſe eas poſuerimus, nẽpe eam,quæ eſt benefica: & eam quæ poteſt efficere contraria.Clemens Stromat.libro 5. 2 Dei boni ſubſtantiam fruſtatim in omnes creaturas fuſam eſſe,& inhærere.Vnde Dei membra in lapidibus,fructibus, & aliis creaturis, etiam ſtercoribus & virili ſemine vincta & ligata detineri docẽt,quæ ſint ab iis vinculis ſoluenda, & liberanda primùm per Chriſti aduentum, deinde per eſum qui fit à Manichæorum Electis, per quorum ventres tanC quam per igneos canales illæ Dei particulæ ſecernantur & ſeparentur à reliqua creaturę,cui inſunt, fæce. Quod quo modo fiat, hîc copioſè explicat Auguſt. & lib.2.Contra Fauſt. cap.5. Vnde fit, vt carnibus, ouis, & lacte etiam abſtineant. id quod ex Pythagoreorum nugis & Encratitarum furore & hæreſi ſumptum eſt. Atqui Papiſtæ dum in ſuis ieiuniis ex Gregorii decreto quod eſt in cano. Denique,Diſtinct.4.refugiunt damnántque eſum eorum omnium,quæ ſementinam,vt ipſi loquuntur,trahunt originem carnis, manifeſtè in Manichæorum errorem incidunt. Iubent enim carne, lacte, caſeo & ouis abſtinere. Hoc ipſum damnat Paulus 1.Corinth.9. verſ. 7.1.Timoth.4. verſ.3.& Dominus ipſe Geneſ.9. verſ. 4. 5. Actor. 10. verſ. 13, Sed etiam vini vſum execrãtur,quaſi ſit illud fel & ſordes principum tenebrarum. Auguſt. libr.16. contra Fauſt. cap. 31.Hoc Mahumetani de Manete ſumpſerunt. 3 Gentem tenebrarum cum gente lucis pugnaſſe & aliquando conflixiſſe volunt, Deo ipſo bono aggrediente tenebras per principes quoſdam ſuosquos ex ſe tanquam viſcera ſua emiſerat. In qua colluctatione iſti principes id eſt ipſius Dei partes captiuæ effectæ ſint; pro quarum redemptione & liberatione Deus ipſe iam laboA raret.Hanc autem pugnam à quodam primo homine initã fuiſſe, ex quo ſit Chriſtus natus. Aug.lib. 2.contra Fauſt.c.3.& Theod. 4 Deũ Legis non eſſe verum Deum.itaque vetus Teſtamentũ repudiant,& nouum partim mutilãt& truncant,partim verò reiiciunt,qualia illa ſunt, quæ de genealogia Chriſti loquuntur.Idem antea Marcion.Idem poſtea Mahumetus. 5 Chriſtum Deum eſſe negant,ſed etiam negãt verè hominem fuiſſe: itaque fictè & imaginariè tantùm paſſum,crucifixũ,mortuum,ſed eſſe Patrem ipſum gentis tenebrarum,id eſt,Diabolum,qui tunc paſſus ſit & crucifixus.Vide quanta ſit iſtius furoris inſania apud Auguſtin. libr.De fide Trinit. cap.28.& 32.Denique illuſione quadam oculorum videri Chriſtum reſurrexiſſe.Auguſt.idem in libr. contra epiſt.funda. cap. 7. 8. & lib. 5. contra Fauſt. 6 Chriſtum fuiſſe illum ſerpentem qui Euam & Adamum deceperit. Ophitarum error eſt. 7 Chriſti corpus in ſtel- B lis ligatum & affixũ eſſe, vti poeticus Prometheus Caucaſo, imprimis autem lucido illi globo Solis infuſum : Et hæc dicitur eſſe illius aſcenſio in cœlum. 8 Chriſtum animas tãtùm ſua morte redemiſſe, non autem corpora noſtra. itaque non perfectè σωτὴρ eſt. 9 Reſurrectionem carnis fore negant. pro qua corporum μετεμψύχωσιν, & animarum ἀνασωμάτωσιν ſubſtituunt, per quam humanæ animæ in alia corpora migrabunt,eorum nempe quos quiſque in hac vita amauit, vel etiam occidit,vti qui muſcam vel murem occiderit,in muſcam vel murem mutabitur. Atque,vt iidem aiunt, contrariam ſortem ſortietur illi,quam hîc quiſque noſtrûm habuit. Diues enim in pauperem pauper indiuitem renaſcetur.Epiphanius. 10 Se eſſe Paracletum illum à Chriſto promiſſum dixit Manes. Montaniſticum eſt. 11 De mundi creatione ineptiſsima quædam nugatur, nempe Adamum & Euam à quodam conditos, qui Sacla vocetur, id eſt, opifex. שכלח Schacla enim Chaldæi & Perſæ vocant opificem & structorem. Solem & Lunam eſſe naues inuerſas : fuit hoc Anaxagoricum deli- C rium.Lapides eſſe oſſa principum lucis. Poeticum hoc quoque figmentum eſt. De lunæ quoque defectibus & incrementis, inſulſa prorſus fabulantur. 12 Solem & Lunam adorant tanquam deos:itémque alia idola,vt ſe ethnicis commendent & inſinuent, non reſpuunt. Auguſtinus contra Adimant.cap.13. Hinc etiam nati alii hæretici, quos Heliotropitas vocat Damaſcenus,quòd heliotropium,& alias herbas, quæ ad ſolem folia conuertunt, cernui adorarent. 13 Atlantem fingunt qui humeris cælum ſuſtineat, quem & Laturarium vocant,& Splendipotentem,qui per ſingulos 30.annos latus defeſſum in aliud mutet,vt ille poetarum Enceladus,qui Ætnam montem geſtat. Auguſtinus lib. 15. contra Fauſtum cap.5. Epiphan. Hoc planè fabuloſum eſt. 14 Iurant ſæpiſsimè, nullóque mẽtis ſcrupulo,per creaturas Manichæi, vti etiam Mahumetani. Auguſtin. libr. 19. contra Fauſt.cap.22. 15 Cuique noſtrûm duas animas, duáſque mentes ſeparatas tribuunt,& ineſſe reipſa putant, quarum vna cum altera pugnet, & aſſiduè confligat.Auguſt.lib.6.contra Fauſt.cap.8. Theodoret. 16 Animam arboris & hominis eſſe eiuſdem eſſentiæ, quia vtraque Dei pars ſit & ſubſtantia.

A tia. Auguſt. contra Adimant. cap.22. contra Fauſt. lib.3.ca.6.Sẽſerat iampridem antea Origenes,Patrem, Filiũ, S.ſanctum, Angelos,poteſtates,ipſum quoque hominem ſecundum animæ dignitatẽ eſſe vnius ſubſtantiæ ex quo fonte hic Manichæorũ error procul dubio fluxit. 17 Coniugia & fœtus damnant, tanquam miſeros & horribiles ſubſtantiæ Dei carceres,& vincula.Itaque nec coeundum,nec vxores ducendas eſſe, vt proles ſuſcipiatur,ſed voluptatis & libidinis tãtùm explẽdæ gratia:quam vt proritaret Deus mutaſſe quaſdam ſui partes in fœminas, quas maſculis obiecit: & alias in maſculos,vt fœminas prouocaret, vnde naſcatur coeundi appetitus. Auguſt. contra Fauſt. lib. 19.cap.26:15.cap.7. Ad Secund. cap.21. Hoc etiam dogma poſtea Mahumetanũ factum eſt. 18 Peccatum eſſe ſubſtantiam, & ὑσίαν per ſe viuentem & ſubſiſtentem,quia à patentibus in filios transfunditur, & quia mali principii opus eſt: non autem tantùm qualitatem quandam affectionémque, vel B πάθος mentis à ratione auerſæ, quæ ſubſtantiæ ſuperuenerit. 19 Voluntatem malè agẽdi, quod vocant Liberum arbitrium,nobis à natura ipſa inſitam non ex rebellione noſtra accerſitam, vel ex inobedientia natam: quanquam homines propria voluntate peccant. 20 Eleemoſynam pauperi dandam negant,ac ne Chriſtiano quidem,& fratri ſupplici,quia ſit ſuſtẽtatio materiæ,& mali dei patrocinium,& fauor.Auguſt.contra Adimant. cap. 17.& Theodor. 21 Baptiſmum nobis prodeſſe conferendúmque cuiquam negant. Itaque illius contemptum induxerunt. Denique infinita ſunt, quæ miſera illa hominum colluuies in Deum debacchatur,& euomit, quæ ſingula colligere non poſſumus, neque etiam operæpretium duximus, quia hæc etiam ipſa nauſeam piiſſimis hominibus mouebunt.Sed tot tãtáſque blaſphemias tum ambitio,tum ignorantia veritatis produxit.

CAP XLVII.

C Hierachitæ cur ſic dicti.Erroris autem eorum capita tria recenſentur.

Hierachitæ[1]*, quorum author Hieracha nuncupatur, reſurrectionem carnis*[2] *negant: monachos tantùm & monachas, & coniugia non habentes in communionem recipiunt: ad regnum cælorum non pertinere paruulos dicunt, quia non ſunt illis vlla merita certaminis, quo vitia*[3] *ſuperentur.*

1 *Hierachitæ.*) Non eſt hoc loco obſeruata tẽporis ratio, ſiue Auguſtinum, ſiue Epiphanium, à quo ille ſua ſumpſit, ſpectes. Aſſentior enim iis qui hanc hæreſin, Allegoriſtarum qui ab Origene orti ſunt,propaginem eſſe cenſent,in quorum numero eſt Epiphanius. Dicuntur autem hi nõ tantùm Hierachitæ,ſed etiam Heraclitæ,quemadmodum ab Iſidoro,ſiue is ſcribarum error fuit, ſiue quòd duo præcipui fuerunt huius ſectæ patroni & columnæ. Hierachitæ quidem ab Hieracha, vel Hierace, vt alii malunt, qui Ægyptius fuit, patria Leontopolites. Eſt autem Leontopolis celebre Ægypti oppidum,à quo nomos Leontopolites appellatur, vt ſcribit Plinius li.5.cap.9,& 10.Hũc autẽ ſub Seuero imperatore quidam collocãt,in quo meo quidem iudicio falluntur,quemadmodũ poſtea etiam apparebit:& Hieracẽ hunc cum eo con- A fundunt, qui laudatur ab Euſebio libr. 7. Hiſtor. cap.21. neque fuit hæreticus. Heraclitæ autem ab Heracla,non illo quidem qui commemoratur ab Euſebio libro 6.hiſt. capite 20. qui fuit & AEgyptius,& omnis Græcorũ literaturę peritiſſim⁹:ſed ab hoc, qui Monachus fuit,& hoc teterrimo errore iam infectus. quanquam hunc etiam ipſum in Græca & AEgyptiaca lingua eruditiſſimum floruiſſe teſtatur Epiphanius.Fluxit igitur hæc hæreſis ex Origeniſtarum ſchola: & poſt monachiſmũ non modò exortum,ſed etiam in pretio iam habitum,adeò vt huius initia poſt Origenem, & Paulum Eremitam,à quo primùm monachatus,& ſub Xyſto quidem primo Rom.pontifice cœpit, collocentur.Innotuit igitur ſub Gallieno imperatore,& Dionyſio Romano pontifice, circa annum à paſſo Chriſto 234.fuitque laudum cœlibatus, monachatus, abſtinentię immenſarum, id eſt, Encratitarum, ſiue Montaniſtarum erroris infelix fruticatio. Inter Monachos enim primùm B recepta eſt, qui, quam vocant, coniugij & ciborum continentiam vouerant. Manſiſſe autem diutiſſimè, etſi non ipſo Hierachitarum nomine, vel ex eo apparet, quòd quædam huius erroris capita etiamnum hodie inter Monachos vigẽt, & defenduntur.Latiſſimè denique tanquam teter quidam odor diffuſa eſt,quãdo omnes Monachorum,nõ tantùm AEgyptiorum, ſed Europæorum & Aſianorũ cellas hic fœtor occupauit & peruaſit.

2 *Reſurrectionem carnis.*) Multæ fuerunt huius erroris & ſectæ hypotheſes. 1 Reſurrectionem carnis negant. 2 Nuptias & coniugia adeò damnant,vt cõiuges negent vitæ æternæ vnquam participes eſſe poſſe.Itaque cœlibes,& viduas tantùm in ſuæ Eccleſiæ ſocietatem & communionem admittunt contra manifeſtiſsimum Dei verbum, 1. Timoth.4.Heb.13.verſu 4.ſed hi nimirum ſunt Tatianorum,& Manichæorum,& in ſumma, humanæ ἐθελοθρησκείας & ταπεινοφροσύνης fructus. 3 Paruulos & infantes fidelium negant ad regnum cælorum pertinere,quia nihildum lucta ſua aduerſus peccatum, vel bonis operibus ſuis mereri potuerunt. Itaque Operiſtarum errorem iam non tantùm ſparſum aut ſeminatum, ſed etiam receptum C intelligimus. 4 Spiritum ſanctum dictum eſſe Melchiſedech, de quo meminit Moſes Gen. 14. Epiph. 5 Paradiſum in quo conſtitutus eſt Adamus,negant fuiſſe locum aliquem in his terris viſibilem & terrenum, ſed in eo interpretando contra Scripturæ fidem, more Origenis ἀλληγορίζουσι, & verum Scripturæ ſenſum peruertunt. Papiſtæ addiderunt eos iam contendiſſe Vnctionem extremam non eſſe ſacramentum à Deo inſtitutum, in quo rectè ſenſerunt, etſi à Papiſtis damnantur, ſed perperam & inſulſé. Hierachitas iſtos Manichæis attribuit alicubi Auguſtinus,non autem, vt quidam faciunt, Origeniſtis. Alius etiam fuit Hieracha qui poſt Nicenum concilium primum vixit,qui dixit perſonas in Trinitate eſſe vti diuiſionem luminis in plures lucernas, & ita ſeparat hypoſtaſes. Contra quem Hilarius lib. 6. operis de Trinit.agit. Mouebatur autem propter dictum patrum in Niceno concilio, lumen de lumine. ſed quam vim ea comparatio habeat docet Hilarius. Non enim poſita eſt ſimilitudo in diuiſione: ſed in eo quod Filius eſt de Patre ſine diminutione &

A detrimento ipſius ſubſtantiæ Patris, vti lumen de lumine procedit. Theodoret. ita explicat quoque lib. de Diuin. dogmat.

3 *Superentur.*) In vulgatis codicibus Separantur. Nihil hoc loco ab Iſidoro Auguſtini abbreuiatore iuuamur. Ex coniectura tamen reſtituimus, Superentur.

CAP. XLVIII.

Melitiani cur ſic appellati. Erroris autem eorum caput vnum hîc explicatur.

MElitiani[1] à Melitio nuncupati, nolentes [2] orare cum conuerſis, id eſt, eis qui in perſequutione ceciderunt, vel ſchiſma fecerunt. Nunc autem dicuntur Arianis eſſe coniuncti.

1 *Melitiani.*) Meletianos quàm Melitianos appellare maluerim. Vocant enim eos Græci Μελητιάνοις. Dicti ſunt autẽ à Meletio, qui vt docet B Socrat. libro 1. Hiſtor. cap. 6. fuit Ægyptius, & in Thebaide regione vnius ciuitatis epiſcopus. Hic perſequutionis illius ſæuæ, quæ à Diocletiano facta eſt, tempore, à Culciano Thebaidis prouinciæ præſide, quemadmodum Epiphanius ſcribit, in carcerem propter nomen Chriſti coniectus, conſtanter non perſtitit, ſed idolis ſacrificauit. Inde de gradu à Petro Alexandriæ epiſcopo, & Thebaidis totiúſque illius tractus archiepiſcopo deiectus, vt ſe vlciſceretur, eò veſaniæ propter impatiẽtiam & ambitionem tandem prouectus eſt, vt ne laicos quidem, qui ſemel à fide defeciſſent, & poſtea reſipiſcerent, in eccleſiam recipiendos eſſe contenderet, ſi ipſe propter lapſum epiſcopatu priuaretur. Sed alia eſt epiſcopi, alia vnius alicuius in grege Domini priuati ratio. Id quod Marcellini Romani epiſcopi eo quoque tempore idolis ſacrificantis exemplum apprimè docet. Et quia vanis hominũ ingeniis vana commenta perplacent, ſequuti ſunt Meletianum errorem multi, qui ſchiſma & ſeceſſionẽ à Petro & orthodoxa Eccleſia fecerunt, ſibíque C priuatim alios epiſcopos, & ad cœtum ſuum colligẽdum locos elegerunt. Fuit autem hoc ſchiſma potius, quàm hæreſis, quia primùm in doctrina fidei cum orthodoxis planè conſentiebat Meletius, eiúſque ſequaces, adeò vt is dicatur, qui latentem, & virus ſuum concoquentem Arium primus ſubolfecerit & deprehenderit: Arianis tamen hæreticis poſtea ſeſe Meletiani adiunxerunt, adeò vt grauiter & penè ſoli diuinum illum Athanaſiũ in Tyria Synodo conarentur opprimere, & qui eũ præcipuè homicidij accuſauit Arſenius, erat Meletianus. Hi planè ſimiles ſunt Nouatianis, à quibus (erant enim frequentes in Africa) profecti ſunt, ſed tempore poſteriores. Cœpit igitur hoc ſchiſma, quod hæreſis poſtea fuit, ſub Conſtantino imperatore, & Syluestro Romano epiſcopo, circa annum à Chriſto paſſo 286. Latiſſimè ſparſum eſt, & à Monachis ſtatim prætextu ſeuerioris cuiuſdam in ἀρνηθεῖσι diſciplinæ & zeli in Deum maioris probatum, vt Epiphanius ſcribit, adeò vt omnes penè nominis Chriſtiani regiones labefecerit, & Conſtantinopolin etiam ipſam plurimùm, vt tradit Socrates libr. 4. cap. 28. Diutiſſimè etiã durauit, quando ſcribit Theodoretus lib. 4. hæretic. fabular. ſuo adhuc ſeculo venenũ hoc in AEgypto præſertim graſſatũ fuiſſe, multóſque corrupiſſe. Vſi ſũt ad ſui A erroris cõfirmationem Hebr. cap. 6. quod falſa interpretatione penitus euerterunt.

2 *Nolentes orare.*) Hęc ſunt ferè erroris iſtius capita. 1 Nolunt cum iis qui ſemel Chriſti fidem abnegantes lapſi ſunt, quanquam poſtea pœnituerint, & ſeriò reſipuerint, conuenire & communicare, vel in Sacramẽtis, vel in ipſa ſolius verbi Dei auditione, aut precatione. At cui Dominus dat pœnitẽtiam, is proculdubio ad Dei Eccleſiam pertinet, eſt Dei Filius, neque à piorũ cœtu arceri poteſt: præterquam quòd illud etiam eſt tritum, Nemo deſperet meliora lapſis. Videntur igitur à Nouatianis hi diſſenſiſſe, quòd Nouatiani reſipiſcentiam in lapſis eſſe vnquam poſſe negarent: hi verò nollent, quãquam in iis ineſſet, eos in Eccleſiæ cœtũ recipi. Quod diſſidiũ inter eos & orthodoxos tã pertinaciter durauit, vt quanquã in reli- B quis fidei Chriſtianæ dogmatis ferè conuenirent, tamen ſimul precari, etiam in mediis ipſis metallorum, quibus erant addicti, pœnis recuſarent, quemadmodum Epiphanius ſcribit. 2 Sanctimoniam quandam in repetitis lotionibus conſtituebant, more Iudæorum, aliiſque ceremoniis, vel à ſe recenter inuentis, vel ad Legalium imitationem confictis. Itaque hymnos canentes ſaltitabãt, & tintinabula varia vni cuidam funi alligata ad Deum placãdum, & deprecandũ ſimul pulſabant. Theodoret. lib. 4. hæretic. fabul. Id quod retinuerunt Papiſtæ, tam eſt nimirum infelicis lolij & veneni ferax tenáxque humanum ingenium. Ac de Meletianis hactenus, quorum etiam ad Damaſc. meminit Hieronymus.

CAP XLIX.

Ariani cur ſic dicti. Erroris autem eorum capita quatuor enumerantur.

ARiani ab Ario[1], in eo ſunt notiſſimi errore, quo[2] Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum nolunt C eſſe vnius & eiuſdem naturæ, atque ſubſtantiæ: aut, vt expreſſius dicatur, eſſentiæ, quæ ὐσία Græcè appellatur: ſed eſſe Filium creaturam: Spiritum verò ſanctum creaturam creaturæ, hoc eſt, ab ipſo Filio creatum volunt. In eo autem, quòd Chriſtum ſine anima ſolam carnem ſuſcepiſſe arbitiantur, minus noti ſunt. Nec aduerſus eos ab aliquo inueni de hac re aliquãdo fuiſſe certatum. Sed hoc verum eſſe & Epiphanius non tacuit, & ego ex eorum quibuſdam ſcriptis & colloquutionibus certiſſimè comperi. Rebaptizari quoque ab his catholicos nouimus, vtrum & non catholicos, neſcio.

1 *Ab Ario.*) Hæreticorum vti philoſophorum alij minuti dici videntur poſſe: alij verò maiores & inſani horrendarum blaſphemiarum authores. Inter quos Arius certè quidem eſt habendus. Etſi enim Paulo Samoſateno, & Manete Perſa (à quibus ſua didiciſſe videtur Arius) fuit ætate poſterior: dogmate tamen & erroris veneno fuit vtroque longè peſtilẽtior, periculoſiórque. Itaque magnũ vniuerſalis illius apoſtaſiæ, quæ poſtea ſequuta eſt, & non tantùm Antichriſtianici, ſed etiam Mahumetici regni, quod nunc exædificatum eſt, fundamentum videtur eſſe Arianiſmus, quo nec tetrior hęreſis, nec diuturnior, nec etiam plauſibilior reperta vnquam à quoquam fuit. Vnde Antichriſti principium ab Hilario Arius nominatur. Acceſſit autem ad hoc malum aliud, nempe Græcorum

A corum hominum vanitas,& Chriſtianorum in curioſis diſputationibus tuendis nugacitas , potius quàm in vera pietate, aut morum emendatione diligentia,ſeriúmque ſtudium. Quæ duæ res Arij furorem non ſolùm gratanter exceperunt, ſed etiam in Eccleſia commendarunt,& mirabiliter auxerunt , adeò vt nulla ſit hæreſis, de qua ſæpius in hiſtoria Eccleſiaſtica mētio facta ſit,quæque plus aut diutius Eccleſiam Dei turbauerit. Fluxit autem tanquam fœtidiſſimus & turbidiſſimus quidam riuus , ex tetra Samoſatenianorum ſchola & fonte. Cœpit enim ſub Conſtantino Magno imperatore, & Sylueſtro Romano epiſcopo , anno à Chriſto paſſo 290. recreata iam publica pace Eccleſia, & Satana tantam populo Chriſtiano quietem inuidente. Nam quos armis & igni amplius oppugnare non poterat,ſectis,hæreſibus & corruptelis aggredi,atque adeò infenſè vexare niſus eſt, quod effecit. Dicti ſunt hi vniuerſi quidem Ariani,& Exoucontij , quòd Chriſtum ἐξ οὐκ ὄντων extitiſſe,conditúmque fuiſſe contenderēt: etſi poſtea qui hanc hæreſin profeſſi ſunt, Chriſtum non ex nihilo creatum docuerunt,vt ſcribit Auguſt.lib.3. B cōtra Maximin.cap.14.ſinguli verò ab eius authoris nomine,qui in ea ſecta aliquid innouauit,velut Eunomiani,Eudoxiani,Aetiani, Euſebiani, & Pytheciani. Plures autem feruntur eſſe primi huius tam lethalis erroris authores & progenitores. Alij enim, quemadmodum Nicephorus lib.8. cap.4. Alexandrum Beucalem Alexandrinum, huius veneni primùm ſeminatorem : alij,vt Zonaras, Origenem potius,qui Filium Dei vnigenitum conditum fuiſſe ſcribit,conſtituunt. Certior tamen eſt de Ario fides & hiſtoria, quem primùm in Dei Filium Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum hoc virus & blaſphemiam euomuiſſe omnes fatentur,& imprimis Ruffinus contendit lib.1. Hiſtor. cap.1. Vnde χεισόμαχος in Sardicenſi Synodo cōtumelioſè vocatus eſt. Et in Aquileienſi concilio contra Palladium Arianū ſolius Arij tanquā huius monſtri parentis epiſtola lecta eſt & recitata. Ortæ autem huius hæreſeos plura ſtatim fuerunt diuortia. In ipſis enim penè incunabulis tres ſectas hominū inter ſe diuerſè de Chriſti deitate ſentientium C peperit, Arianorum ipſorum, Aetianorum, ſiue Eunomianorum (qui fuerunt iidem) & Macedonianorum,quemadmodum tradit Ruffin. lib.1. Hiſt. cap.25. & Socrat. libro 5.cap.10. Sub Theodoſio verò maiore duæ quoque aliæ illis tribus etiam acceſſerunt, Dorotheanorum, & Marianorum, vt iam hæc hydra quinque peſtifera capita geſtaret. Marianos defendit & amplexus eſt Theoctiſtus quidam Antiochenus, ψαθυροπώλης. Eſt autem ψάθυρον cruſtuli friabilis genus,quod ille publicè populo diuendebat. Vnde iidem Mariani poſtea Pſathyriani quoque ſunt ignominioſè nominati, vt ait Socrates libr.5.cap.23. quanquam apud Theodoretum lib.4:hæret.fabul. Tapſyrianos pro Pſathyrianos corruptè legitur. & apud Epiphanium perperam Pſathyropolitanus , tanquam à loco deducta voce, quæ mercaturæ & artificij genus ſignificat. Adiunxerunt ſe quoque iis duæ adhuc ſectæ Pythecianorum, & Dulianorum, de quibus in Eunomianis agemus , vt iam deformia ſeptem eiuſdem beluæ capita fuiſſe appareat. Tempore verò ipſius Arij tres quoque conſtituunt huius erroris præcipuos propugnatores , & propagatores, Arium ipſum presbyterum : Euzoium diaconum A : & Achillam lectorem , omnes Alexandrinæ Eccleſiæ inſeruientes : ita Hieronym. aduerſus Luciferian. Alios autem adiungunt Arij & fautores & ſocios , qui ab illius dogmate ne latum quidem vnguem diſceſſerunt, Vrſatium Singidonenſem ſuperioris Myſiæ epiſcopum: Valentem Murſarum ſuperioris Pannoniæ epiſcopum, homines ad humanam generis perniciem natos, Acatianum à Cæſarea , Aſterium , Euſebium Nicomedenſem epiſcopum,qui Conſtantinum Magnum & Conſtantium baptizauerat, proptereáque in aula imperatoris gratioſus erat. Theogonium Nicenum epiſcopum , & alios penè infinitos,inter quos etiam omnium Hiſtoricorum cōſenſu, Liberius Romanus Epiſcopus recenſetur, ne quis Romanam Eccleſiam errare poſſe neget. è quibus tamen ipſis quidam occultè , quidam autem apertè Arium defenderunt , vt mirum appareat in ea re Satanæ opus. Perſequuti ſunt autem Ariani orthodoxos longè tetrius & durius quàm vlli vnquam Pagani fecerant , vt ſcribit Socrates libro 5.cap.13. & Sozomen.libro 6.cap.37. Theodoret.libro 2.hiſtor.cap.8. Latiſſimè verò propagata B hæc hęreſis,etiam perſtitit diutiſſimè,vt ſcribit Socrates libro 6. cap.8. quando ne nunc quidem tetræ & amaræ ipſius radices exſcindi extirparíque è mundo potuerunt. Mahumetani enim ſunt huius infelicis ſtirpis ſtolones , & nunc quoque plus quàm 1500. poſt primum ipſius ortum annos, inter Chriſtianos (proh blaſphemia) nomine Seruetanorum , Dauidicorum , Syluaniſtarum , Blandratarum , Nearianorum repullulat. Floruit autem plus quàm 80.annos publicè in Eccleſia recepta , vti apparet ex epiſtol.Conſtantin. concilij ad Damaſum , & niſi Deus per paucos quoſdam orthodoxos epiſcopos, veluti per Athanaſium,magna ſua miſericordia hoc venenum repreſſiſſet, fidem Chriſtianam, & veram de Chriſti deitate doctrinam prorſus ſublaturum & aboliturum erat. Ergo inter Græcos durauit etiam ſub Zenone imperatore Conſtantinopolitano, vt ſcribit Proſper(nam ſub Conſtantio,Valente, Theodoſio,Valentiniano,& proximis aliis regibus etiā floruit,ſuáque templa publicè conceſſa habuit) & C poſtea ſub Anaſtaſio. Inter Latinos autem etiam fuit. Nam & Liberius epiſcopus Romanus illi errori fauit,& Auxentius , & alij penè innumerabiles,etiam Valentiniani mater. Longobardi anno Domini 700.hoc veneno infecti fuerunt. Oſtgothi & VVeſtgothi etiam hāc hæreſin ſequuti ſunt: ſed & Vandali quoque , quam in Africa ſtudioſè propagarunt. Honoricus enim eorum rex Orthodoxos qui Carthagine erant,damnauit , collecta ex ſuis Synodo , cui Cyritta Arianus præfuit. In Gallia denique & Hiſpania , ne quid intactum relinqueret,viguit. Scribit enim Gregorius Turonenſis Chilpericum Francorum regem edictis ſuis Arianis apertè fauiſſe , lib.5. cap.44. & lib.9. cap.15. & idem de Hiſpanis tradit Paulus Diaconus.Fuit autem Arius natione Libs , presbyter in Beucale eccleſia ſiue diœceſi , quæ intra Alexandrinæ ciuitatis mœnia comprehendebatur,qui ſiue ſubtili Alexandri epiſcopi argutiola cōmotus, vt Euſeb.lib.2.de vita Conſtantini tradit, ſiue animi ſui vanitate & ambitione impulſus , hunc certè peſſimum errorem excudit , quò notior eſſet, A Et quum primùm clàm eũ Arius inſuſurraret, induſtria Meletij epiſcopi, de quo iam diximus, detectus eſt, & in lucem productus. Multum autem, vt ait Hieronym. contra Luciferianos ab Euzoio Diacono, & Achilla lectore adiutus eſt ad erroris ſui propagationem Arius. Demum ad concilium Nicenum vocatus, ibique damnatus, aliquandiu iuſſu Conſtantini imperatoris exulauit. Sed pœnitentiæ ſimulatione, & technis Euſebij Nicomedenſis aulici Epiſcopi perditiſſimi, ab eodem reſtitutus & reuocatus, quum in Conſtantinopolitanam Eccleſiam inuito & renitente Alexandro illius ſedis epiſcopo, admittendus eſſet ex iuſſu imperatoris, pœna illi grauiſſima diuinitus inflicta eſt. Aluum enim exoneraturus, in publicas latrinas ſeceſſit, in quas viſcera miſerè fœdéque ipſe ſua, tanquam alter Iudas, in torminibus deiecit. Sozo. libro 2. ca. 30. Ex quo locus ille inauſpicatus habitus eſt, præterquam ab Arianis: & Diuini numinis ira & plaga in tam horrendæ blaſphemiæ autorem manifeſtiſſima apparuit. Propter B quam tamen minimè reſipuerunt homines, & ab illo errore nefario deſtiterunt. Nam etiam tempore Caroli Magni extiterũt, ſed ab authore Felicio Feliciani dicti, idem cum Arianis ſentientes.

2 *Quo Patrem.*) Quæ fuerint Arianorum hypotheſes, videtur hoc loco complexus Auguſtinus. 1 Chriſtum neque eſſe Deum, neque æternum, ſed creaturam, excellentem quidem, & cæteris dignitate præſtantiorem. Itaque eum γνήσιον Υἱὸν Θεοῦ appellari, non autem adoptiuum tantùm quemadmodum nos dici ſolemus, vt tradit Theodoretus Dialogo 2. Inconfuſ. Chriſtum dici Deum non origine quidem, & naturâ, ſed operatione tantùm & gratiâ. Patrem autem Filio tanquam inſtrumento vſum eſſe ad cęteras res creandas. Vnde Duliani hæretici nati, qui Filium Patris ſeruum eſſe dixerũt, quemadmodum ex eo quòd Ariani negant Chriſtum natura Deum, orti ſunt Bonoſiani hæretici, de quibus poſt Innocentium primum, epiſt. 20. & 21. & poſt Gregorium in Epiſtola ad Quirinum, & can. Hi qui, De conſecrat. diſtinct. 4. Iſidodorus. qui Chriſtum eſſe quidem C Filium Dei, ſed adoptiuum tantùm contendunt, nec ante ſecula genitum. ex iſta enim lue innumerabiles hæreſes extiterunt. Ergo Ariani volunt Chriſtum eſſe ἐξ οὐκ ὄντων, ante omnes quidem creaturas, ſed tamen creatum & conditum fuiſſe. Vnde aiunt fuiſſe tempus quum nondum ille eſſet, & exiſteret. Inde eſt vexata illa Arij ſententia, Ἦν ὅτε οὐκ ἦν. i. erat quando non erat, & toties Synodis exploſa, toties tamen ab Arianis repoſita. Adduxerũt autem ad ſui erroris confirmationem locum Prouerbiorum cap. 8. verſu 22. & Coloſſ. 1. verſu 15. quos Athanaſius eruditè explicat, & diſſoluit. Perperam enim ille Prouerb. locus ex Hebræo traductus eſt, Creauit, pro Poſſedit, habuit. Atque ſic Chriſtus ipſe Ioannis 17. verſu 5. interpretatur. quanquam in huius gryphi & nodi ſolutione laboret & ſeſe fatiget Epiphanius. Multis conciliis damnatus eſt hic error, ſed multis etiam defenſus. Nam & Ariminenſi, quam hæreticam appellat Auguſt. libr. 3. contra Maxim. capite 14. & Hieroſolymitana ſynodo, & aliis aliquot particularibus confirmatus eſt. Tandem iugulatus conquieuerat, donec à Mahumeto interpolatus, & reuocatus poſtea ſub Carolo Magno à Felicio, nunc etiã ab impiis & profanis Nearianis in Tranſſyluania perfidiſſimè mundo propinatur. A Quia verò in Euſebij, Ruffini, Socratis, & Theodoreti Eccleſiaſtica hiſtoria perſcribũtur omnia copiosè, quæ ad huius hæreſeos ſucceſſionem, incremẽta, damnationem & propagationem geſta ſunt, iis recenſendis ſuperſedeo. Hoc tantùm addam. Hunc errorem Arij, præterquam, quòd ex Samoſateni hęreſi natus eſt, etiã ex Origenis libris περὶ Ἀρχῶν auctũ, aut certè confirmatum eſſe, quemadmodum ex Hierony. epiſtola ad Auitum apparet. 2 Error, Chriſtum corpus tantùm aſſumpſiſſe, non etiam animam humanam. Diuinitatẽ enim in eo illas quæ ſunt animæ propriæ actiones & partes peregiſſe. Theodor. Dial. 2. & li. 4. Hæretic. fabul. Epiphanius quoque. Quod Arianiſmi caput alios quoque nempe Apollinariſtas hæreticos poſtea peperit. 3 Spiritum ſanctum eſſe creaturam creaturæ, id eſt, Filij, quem creaturam appellant. 4 Rebaptizant ſæpius etiam orthodoxos & ab orthodoxis baptizatos, quòd vim ſalutis operi operato alligent. Formam quidem baptiſmatis à Chriſto conſtitutam non mutauit Arius: ſed δοξολογίαν B peruertit. Nec enim ita Deo laudes cecinit, quemadmodum in orthodoxorum Eccleſiis fiebat, quia Hymnos ſuos ſic concludebant Ariani, *Gloria Patri per Filium in Spiritu ſancto*, pro eo quod in quolibet piorum cœtu ex vera Triadis fide & confeſſione dicebatur, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto*. Inde inſtitutus eſt triſagius ille, qui canebatur in Eccleſia, hymnus, pro quo tot poſtea contentiones ſunt ortæ, ſed tamen orthodoxus & vtilis Eccleſiæ. Baptiſmũ autẽ adminiſtrantes, nõ totũ hominem immergunt vel intingunt, ſed tantùm ſuperiores eius partes vſque ad vmbilicum. inferiores enim hominis partes baptiſmo iudicãt indignas. Itaque vt ne aqua in caput effuſa in eas deflueret, faſciis paruulos vel homines baptizandos ab vmbilico ad imos vſque pedes inuoluebant. Quem baptizandi ritum retinuerunt imprimis Eunomiani, poſt Eunomij in Pamphylia exilium, quo ab Imperatore Conſtantino multatus eſt. Nam hos etiam formam Baptiſmi poſtea mutaſſe, ſcribit Socrat. li. 5. c. 24. de quibus conqueri- C tur Chryſoſt. Hom. 1. in Gal. Atque hæc ſunt pauca quidem numero, ſed veneno & fœtore maxima erroris Arianorum capita, quæ Satan in magnam ipſius Chriſti contumeliam, & fidei Chriſtianæ ſubuerſionem & pernicioſiſſima toti humano generi profudit. Siquis alias Arianorum hypotheſes requirat, legat eorum ſermonem qui extat apud Auguſt. Tom. 6.

CAP. L.

Audiani qui fuerint, & quod eorum dogma.

AVdianos [1] *quos appellant, (& Epiphanius ſchiſmaticos non hæreticos vult videri) alij vocant Anthropomorphitas, quoniam* [2] *Deum ſibi fingunt cogitatione carnali in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis: quod ruſticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis, ne dicantur hæretici. Eos autem ſeparaſſe ſe dicit à communione noſtra culpãdo Epiſcopos diuites, & Paſcha cũ Iudæis celebrãdo, quãuis ſint qui eos in Ægypto Eccleſiæ Catholicæ cõmunicare aſſeuerent. De Photinianis autẽ, quos iſto loco Epiphanius cõmemorat, iã ſuperius ſatis locutus ſum.*

Audianos

A 1 *Audianos quos.*) In omnibus vulgò impreſſis atque adeò in ipſo Auguſtini indice perperam legitur Vadiani pro Audiani, facta nimirum literarum tranſpoſitione. Neque enim qui ſint Vadiani hæretici fando vnquam auditum eſt: & quæ de Vadianis ſcribit hîc Auguſt. ex Epiphanio tranſcripta ſunt, ex indice nimirum lib. 3. tom. 1. vbi hi vocantur Αὐδιανοὶ, non autē ὐαδιανοὶ vel βαδιανοί. Itaque locum hunc reſtituimus ex coniectura quidem, ſed cui doctos omnes putamus aſſenſuros. Hi verò & Audiani & Audæi vocitantur, ab authore, vt apparet ex l. Ariani, & De hęre. & Manichæis: quemadmodum ex dogmate poſtea dicti ſunt à Græcis Anthropomorphitæ, à Lactantio verò Anthropiani lib. 4. cap. 30. Ac Audianorum nomen prius innotuit ſub Valentiniano primo Imperatore & Damaſo Epiſcopo Rom. circa annum à Chriſto paſſo 338. vt annotant chronographi, quanquam eorum parens Audæus homo lingua & natione Syrus, quemadmodum Theodor. lib. 4. Hiſtor. ca. 10. tradit, ex Meſopotamia profectus ſub extrema Arij hæretici tempora vixiſſe & B floruiſſe ab Epiphanio ſcribitur. Anthropomorphitæ autem (qui ſunt iidem cum ſuperioribus) hoc nomine primùm ad huius erroris maiorem notationem & deteſtationem vulgò dicti videntur, ſublata Audianorum appellatione, demum ſub Arcadio Imperatore, & Anaſtaſio Roman. Epiſcopo circa annum à Chriſto paſſo 370. Fuit ſanè hæc hæreſis non tantùm Manichæiſmi propago & fruticatio, vt eſt Tripart. hiſtor. lib. 1. cap. 11. ſed etiam Monachicæ ſtupiditatis fœtus. Quæ, vt aiunt, ex iis regionibus primùm prodiit, in quibus Manichæi conferti regnabant, nimirum ex Meſopotamia & Syria Euphrateſi. Nam ſæpe Manichæis obiicit Auguſtinus, eos nihil de Deo quidem cogitare niſi terrenum poſſe. Duæ verò res potiſſimùm Audæum iſtum hominem profeſſione monachum ad nouum hunc errorem pariendū impulerunt. Prima quidem, nimia iam Epiſcoporum Chriſtianorum in ipſum gregem Domini inſolentia, & in viuendi more & genere ſuperbia, luxus, otium, pompa, opes, & lautitiæ, quibus vir ille, & meritò quidem, vt Epiphan. ſcribit, offenC ſus ſæpe eos coràm acerbè increpauit. Quamobrē illis inuiſus & conuitiis impetebatur, &, vt auſterior Prælatorúmque Eccleſiæ calumniator, accuſabatur: tandem pugnis etiam ab iis cæſus & vi ex eius Eccleſiæ, cui præerant tales epiſcopi, cœtu eiectus nouum ſibi cœtū colligere coactus eſt. Nec verò nimius ille Epiſcoporum faſtus, nimiæque diuitiæ hunc ſolum, qui duræ illi & monaſticæ vitæ aſſuetus erat, offendit: ſed poſtea quoque Mahumetem ipſum tam ſuperbas ſuo ſeculo Epiſcoporum (qui ſe Chriſtianos appellabant) aulas cernentem ita à fide Chriſtiana auertit, vt de noua religione, in qua paſtores ſimpliciori genere vterentur, cogitarit, quemadmodum illius temporis hiſtorici ſcribunt. Quid igitur ſi Roman. curiæ ſplendorem, ſi Cardinalitium luxum, qualis hodie eſt, vidiſſet? Altera verò Audianorum erroris inducendi cauſa fuit Monachalis ſtupor & ignorantia, qui in ſolitudine & procul à cultura ingenij ſemoti, ſolúmque vitam agreſtem viuentes, nihil niſi corporeum, terrenum, craſſum & ſenſibile, ac ne de Deo quidem imaginari meditaríque apud ſe poterant. Vnde in cellis, & luſtris A monachorum ſtatim hic error obtinuit, diúque perſtitit. Quare ruſticitati & εὐηθείᾳ potius: quàm κακίᾳ & ingenij peruerſitati tribuitur ab Epiphanio: ſed & ambitionis & αὐθαδείας planè fructus fuit, quæ in hoc hominum genere ſumma eſſe ſolet. θράσος γὰρ ἀμαθία. Ergo Audæus hanc hæreſin condidit, cuius tamen ſuæ temeritatis, & in Deum blaſphemię pœnas luit. Nam à Conſtantio (ſic enim potius quàm à Conſtantino lego) in exilium actus in Gothia conſenuit, quam etiam ſuo veneno infecit. Citiſſimè verò propagata eſt hæc hæreſis inter nouarum rerum cupidos & iam aſſuetos ſectis homines Aſianos & Orientales. Adeò vt è Meſopotamia profecta Syriam Damaſcenam, Antiochenam, Ægyptum, Aſiam ipſam, imprimis autē monaſteria, quæ in Senitide, Ægypti nomo plurima erant, inuaderet, Epiſcopos haberet & Presbyteros ad imitationem orthodoxæ Eccleſiæ, atque etiam ſucceſſores, veluti Vranium & Syluanum, vt tradit Epiphan. Denique regiones & vrbes totas occuparet, velut Chalcidem, quæ ad Belum ſita eſt, celebre, vt ait Plinius libro 5. cap. 23. Cœles Syriæ oppidum. Sed nec Italia, B nec Gallia huius peſtis immunis fuit. Imprimis autem Theophilus Alexandrinus Epiſcopus, vt Dioſcurum Hermopolitanum Epiſcopū, rectè de ſpirituali Dei natura ſentientem, quem oderat, opprimeret, hanc hæreſin quieſcentem & miteſcentem renouauit, quam poſtea defendit & propugnauit cum Ægyptiacis ſuis monachis, vt docet Sozomen. libr. 8. cap. 11. & 12. Diutiſsimè verò non tantùm inter monachos ſed alios etiam manſit, quando in Italia ſub Berengario Imperatore, qui Ludouico Pio Caroli filio ſucceſsit, adhuc florebat. Denique inducendarum in Chriſtianorum templa imaginum, pòſt deinde cultus earum inſtituendi primum fundamentum hinc videtur eſſe ortum. Nam poſtquam Deus ipſe ad hominis ſimilitudinem corporeus fingi cœpit, tales imagines honeſtę quoque & pię habitę ſunt, tanquam per eas Dei ipſius forma repræſentaretur. Poſt Dei imaginem, Martyrū quoque & Apoſtolorum imagines induci cœptę ſunt & coli. Quē C errorem vni maximè Monachi fouerunt & diſſeminarunt, vt apparet ex actis Nicenæ Synodi ſecundæ, vbi pro imaginibus & earum cultu acerrima mouerunt illi certamina.

2 *Quoniam Deum.*) Hæc ſunt Audianorum & poſtea Anthropomorphitarum hæreſeos capita:

1 Deum eſſe corporeum humanæque formæ ſimilem. Itaque & brachia, & pedes, & aures, & cætera huiuſmodi membra noſtris ſimilia habere, cùm & loqui dicatur, & audire, & progredi. Denique cùm homines ad Dei imaginem eſſe cōditi, diſertè ab ipſa Scriptura pronuntiãtur. Theodoret. Iſidor. Epiphan. Inde Ἀνθρωπομορφῖται nominati, quòd Deum (qui merè ſpiritualis eſt, natura & eſſentia ſimpliciſſima, nulliſque membris aut partibus conſtans, vt eſt Ioann. 4. verſ. 24.) humanam corporis formam induant. Quod enim ad has Scripturæ phraſes, Deus videt, audit, &c. per ἀνθρωποπάθειαν ſunt accipiendæ: quemadmodum etiam docet Ioan. Damaſce. li. 1. Orthod. fidei, ca. 12. Et quod de homine ad imaginem Dei creato afferunt, eorum inſcitiam prodit, cùm ea Dei imago in animo non in corpore vel mēbris quibus illud compoſitum eſt & diſtinctum: nō in

A viribus ipſius : non in baptiſmate & charactere, quem nos accipere quidam volunt: in animo, inquam, hominis perſpicuè poſita ſit, qui quoad eſſentiam ſpiritualis eſt, inuiſibilis, intelligens: quoad qualitates autem & facultates primæuas (quas antè peccatum velut dotes à Deo habuit) erat intellectu perſpicax & cognoſcens verè, certò, lucidè & facilè quæ hominē intelligere oportuit: corde verò & voluntate recta, bona, & nihil mali per ſe appetēs. Deleta verò eſt per peccatum in nobis magnam partem hæc Dei imago: non tamen prorſus ſublata. Per Chriſtum autem D. noſtrum renouatur in electis Dei. Huius ergo erroris de quo agimus, euitandi damnandique gratia, ſeuerè ad Hieron. & Epiphanij vſque tempora in Eccleſia ſancitum erat, ne in templis Chriſtianorum vllæ vel Dei vel Martyrū, ac ne ipſius quidē crucifixi Chriſti imagines erigerentur vel eſſent: & cùm in Syriam proficiſcens Epiphanius velum in quo pictus erat Chriſtus, repériſſet, propriis manibus illud diſcerpſit & diſcidit, vt ipſe ſcribit, & ex ipſius epiſtola Hieronymus. Huic errori maximè fuerūt Origeniſtæ contrarij, quo factum eſt vt Origenis ſcriptis maximè delectaretur Chryſoſtomus, cuius ætate hæc hæreſis plurimum pul- B lulabat. 2 Error, Tenebras, Ignem & Aquam eſſe æterna & ingenita rerum principia, ex Manichæorum fæce ſumptum eſt, & Empedoclis delirium ſapit. 3 Propter hominum vitia cœtum orthodoxæ Eccleſiæ deſerunt. Quod Donatiſtarum erroris fuit poſtea ſeminarium. Quanquam enim Epiſcoporum, inter quos ſana tamen manebat adhuc Chriſti Euangeliíque doctrina, vitia, luxus, & faſtus damnandi erant: & fœnora Chriſtianorum, & concubinatus cœlibum deteſtandus (propter quæ crimina primùm & meritò inuectus eſt in ſui ſeculi eccleſias Audæus) cœtus tamē ipſe piorum, vbi retinebatur adhuc orthodoxa veritas, non fuit ſcindendus. 4 Sine publica pœnitentia Chriſtianos iam receptos grauiſſimè peccantes in Eccleſiam tamen admittunt & ad ſacramenta recipiunt. Quod non tantùm contra veterem Eccleſię diſciplinam fiebat, ſed ipſa Domi- C ni Dei dona ſanctiſſima & ſacratiſſima profanat. Atque ex his apparet vt abyſſus abyſſum impellat, & qui primùm leuiter peccare videbantur, dum charitatis Chriſtianæ normam non ſequuntur, grauiter & in pluribus quidem impegeriut, fideíque naufragium fecerint.

CAP. LI.

Semiariani qui fuerint.

SEmiarianos[1] *Epiphanius dicit, qui ſimilis*[2] *eſſentiæ dicunt Patrem, & Filium, tanquam non plenos Arianos, (quaſi Ariani nec ſimilem velint) cùm hoc Eunomiani dicere celebrentur.*

1 *Semiarianos.*) Ariani ab Epiphanio Ἀρειομανῖται dicuntur: hi verò, quos Semiarianos vocat Auguſtinus, ille Ἡμιαρείους, non ſunt Macedoniani, ſed qui alio quoque nomine Acatiani, ab authore ſuo nimirum Acatio Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopo monoculo & coclite, qui vt verum animi lumē amiſerat ita corporis quoque alterum oculum, vnde μονόφθαλμος nominatur. Ab hoc igitur Acatio, qui Euſebio Pamphili in epiſcopatu ſucceſſit, Acatiani, Semiariani dicti ſūt. De quo Tripart. hiſtor. libro 4. & Socrat. libro 2. cap. 45. & libro 4. cap. 22. & tota hiſtoria Eccleſiaſtica. A Vt autem quæ fuerit hæc hæreſis & vnde emerſerit intelligatur, res tota eſt altius ab ipſo fonte arceſſenda, qui eſt Arius. Ariani ab Ario, quemadmodum ſupra docuimus, appellantur, qui ſecantur & diuiduntur

vel ab { authoribus ſuis. / dogmate.

Ab authore quidem nominantur alij {
Ariani,
Eudoxiani,
Eunomiani,
Actiani,
Pytheciani vel Cyrtiani.

Tot enim & tam varias huius vnius hæreſeos tradunt autores eccleſiaſtici.

A dogmate verò item multipliciter. Alij enim affirmant & docent Chriſtum eſſe.

Patri {
1. ὁμοιούσιον, ídq; vel {
κτ᾽ φύσιν & οὐσίαν .i. ſimilis eſſentiæ Patri. { Acatiani priores qui & Semiariani dicuntur.
κτ᾽ θέλησιν, id eſt, ſimilem voluntate tantùm, non autem eſſentia, qui eum etiam ἑτερούσιον poſtea dixerunt. { Hi ſunt Acatiani poſteriores, & ἑτερόδοξοι. B
2. ἀνόμοιον { eſſentia. & voluntate. { Aetiani, Eunomiani, Anomij.
3. δοῦλον, ſeruum Patris. { Eudoxiani, Duliani.

Ex eodē igitur Satanico fonte apparet, quot enata ſint hæreſeôn diuortia, & fidei ſcopuli poſiti. Sed de Acatianis, quos & primos diximus & Semiarianos, videamus. Hæc hæreſis proximè ſecuta eſt & ſoboleuit poſt Arianum furorem ſparſum, atque etiam damnatum Nicena ſynodo. Dixerat quidem Arius Filium non eſſe ἄναρχον, οὐκ ἀΐδιον, ſed creaturam, & Patre poſteriorem. Itaque diuerſas in Trinitate ſubſtantias & οὐσίας, non tantùm ὑποστάσεις & perſonas conſtituebat. Aduerſus quem Patres Niceæ collecti apertè ex Dei verbo defi- C nierunt, conſentiente etiam veterum orthodoxorum & ſententia & phraſi, Filium eſſe Patri ὁμοούσιον &, vt poſtea per craſin pronuntiatum eſt, ὁμούσιον, ad tollendas & euitandas Acatianorū technas, qui vna tantùm dipthongo οι adiecta ex ὁμοούσιον, ὁμοιούσιον fecerant, ne diuerſa ſentire à Nicena ſynodo perciperentur, dum Homouſion ore proferrent. Socrat. lib. 1. cap. 8: 4. cap. 11: 3. ca. 7. Eſſe autem ὁμοούσιον κτ᾽ πάντα Filium Patri ſic docebant, & interpretabantur orthodoxi patres, vt & Deus verus & æternus, & Patri coneſſentialis eſſe Filius perſpicuè intelligeretur. Hæc ipſa vox poſtea variis ſynodis orthodoxorum & recepta & probata eſt, imprimis OEcumenicis conciliis: ſed iis quoque ſynodis quæ Nicenæ proximæ fuerunt, qualis Alexādrina, quæ ab Athanaſio & Euſebio collecta eſt: & Sardicenſi, quę ab Imperatore. Aduerſus Arianos vocem οὐσίας introduxerunt Patres, quemadmodum ad iugulandum Sabellianorum errorem, vocem ὑποστάσεως, Socrat. lib. 3. cap. 7. Quæ cùm eſſent ſcitè & piè & doctè cōſtituta, extiterūt non tantùm curioſi, ſed etiam audaces & impij homi-

A homines, qui primùm hanc ὁμουσίου vocem nuſquā in Scriptura legi contenderent. Atqui, vt reſpondent Patres, & rectè, perinde eſt, cùm res ipſa quæ hac voce denotatur, diſertè extet. Deinde obiecerunt, ſi ὁμοούσιον recipiatur, apertè plures Deos conſtitui. Hæ fuerunt præcipuæ hoſtium rationes, vt ſcribit Socrat. libr. 1. cap. 23. & 2. cap. 40. Atque vt poſtremæ reſpondeatur, maximè vnus tantùm Deus eſſe docetur, cùm tres illæ hypoſtaſes, non ſolùm ὁμοιούσιοι, ſed quod longè plus eſt ὁμοούσιοι eſſe demonſtrantur, iuxta illud Chriſti, Ego & Pater vnum ſumus, Ioan. 10. v. 30. Sed tamen impudenter ab iſtis & pluribus quidem eorum ſynodis vox ὁμοούσιον & ὁμούσιον damnata eſt, vti Philippenſi, Antiochena, Seleuciana, Nicea, quæ à Nice vrbe Thraciæ dicta eſt, & à Valente & Vrſatio impuriſſimis canibus & Epiſcopis ſub Conſtantio congregata. Vide Hierony. in Dialogo contra Luciferianos, qui totam Valentis iſtius fraudem narrat graphicè, quæ poſtea Ariminenſi ſynodo eſt probata. Vide etiam Hilarium in libro de Synodis. Ariminēſis quidem ſynodus vocem ὁμοούσιον omnino B & de induſtria & cautè, ne quid turbarum cōtra Conſtātij edictum moueret, prætermiſit, Homouſianos tamē damnauit. Sic igitur vox hæc exagitata eſt, adeo quidem vt in Chriſtum, & in Filiū ὁμούσιον Patri credere propoſitum ſit à Græcis hominibus quibuſdā Latinis Epiſcopis linguæ Grçcæ ignaris, velut quædam duo ſibi planè contraria & repugnantia, Ruffin. lib. 1. c. 23. Sed tamen quia Nicenæ ſynodi plurimū, & iure quidem, ſemper valuit autoritas, Acatius hic, à quo Acatiani (alius enim eſt Acatius Eutychianus, qui & ipſe quoque damnatus eſt, & de quo canon. Acatius. 1. & 2. 24. quæſt. fit mentio) falſò quidem conciliandarum Eccleſiarum prætextu voluit in Seleuciana ſynodo quę ſub Conſtantio Imperatore conuenit, pro ὁμοούσιον Chriſtum, ſubſtitui, dicique ὁμοιούσιον. Nam cum ἑτερούσιον appellare duriùs videbatur, quàm vt recipi ab orthodoxis & Nicenam fidem ſequentibus poſſet, præterquàm quòd etiam Conſtantij edicto ad placandas, vt ille voluit, tantas epiſcoporum rixis, ſtrictè vetitum erat, ne Chriſtus vel ἑτερούσιος vel ὁμοούσιος diceretur. Ergo tolerabilis vi- C debatur Acatij ſententia, ſed cùm ſub eo fuco & melle venenum maximum lateret, obſtiterūt patres, neque ὁμοιούσιον tantùm Patri Chriſtum eſſe negarunt, quòd ὁμοιούσιοι dicantur plura eiuſdē ſpeciei indiuidua, vti Ioannes homo eſt Petro homini ὁμοιούσιος, Bucephalus equus eſt Pyroei equo ὁμοιούσιος, in quibus tamen plures numero ſunt eſſentiæ & humanitates, & equinę eſſentiæ: at ὁμοούσιος dicitur Filius Patri in diuinis, quòd eiuſdem omnino & numero vnius ſit cum Patre eſſentiæ, quanquam Sozomen. aliam harum vocum interpretationem affert, libro 3. ca. 18. Ac primùm quidem Acatiani Filium Patri ὁμοιούσιον κατὰ φύσιν & οὐσίαν dixerunt: ſed cùm ab aliis Arianis, imprimis autem Valente & Vrſatio exagitarentur, quòd tam multa concederent orthodoxis, & ipſi quoque Conſtantio Imperatori, qui non obſcurè fauebat Arianis, gratificari vellent, mutarunt ſententiam: & Filium Patri κατὰ θέλησιν duntáxat. i. ſecundum voluntatem ſimilem, non autem ſecundum eſſentiam dixerunt. Quod ipſum poſtea mutantes in deterius, Filium Patri ἀνόμοιον eſſe docuerunt. Atque hi ſunt poſteriores Acatiani ἑτερόδοξοι à primis nominati, qui ὁμοιούσιον etiam expunxerunt, vt tradunt A Socrat. lib. 2. cap. 43. & Sozomen. libro 3. capite 15. Epiphan. ex quo manifeſtiſſima vocis huius ὁμοιουσίος labes & fraus intelligitur, Sozomen. lib. 4. cap. 29. Dixit quidem Ancyrana ſynodus, vt Epiphan. refert, πατέρα εἶναι αἴτιον τῆς ὁμοίας υἱοῦ οὐσίας, ſed propter relationem perſonarum, non autem ob diuerſitatē eſſentiarum, aut quòd Patrem in diuinis Filij eſſentiatorem faciat. Cœpit autem hæc hæreſis ſub Cōſtātio Imperatore & Liberio Rom. Pontifice, anno à Chriſto paſſo 330. Adiutores habuit Vrſatium, & Valentem Epiſcopos. Succeſſores Baſiliū Ancyranum & Gregorium Laodicenum Epiſcopum, Gymnaſium, Syluanum. Sed nouis ex eodem Arianiſmi fonte ſubnaſcentibus hæreſibus & peioribus quidem, huius nomen obrutum periit. Statim verò propagata eſt, & nomine Nicenæ ſynodi commendata. Id factum fraude Vrſatij, qui Ariminenſem confeſſionem oblatā principi ſubdolè confirmauit, conuocata raptim ſynodo Niceam non Bithyniæ, ſed Thraciæ vrbem. Vnde B ſuum ſymbolum vafrè poſtea Nicenum appellarunt, cùm Niceum potius nominandum eſſet. Sozomen. lib. 4. cap. 19. Plures enim fuerunt Niceæ ciuitates, è quibus vna eſt in Thracia, quemadmodum docet Suidas.

2 *Similis eſſentiæ.*) Hæ fuerunt hypotheſes. 1 Chriſtum eſſe Dei Patris creaturam, non tamen ex eo natum ad morem cæterorum qui filij naſcuntur & procreantur ex patribus, quia in gignendo hoc Filio nullū laborem Deus Pater ſenſit, quem tamen alij patres & matres in liberis ſuis procreandis ferunt. Impium certè dogma, & plenum blaſphemię, & fabularis hiſtoriæ, & illi ſimile quod de Minerua ex Iouis cerebro nata dicitur à poëtis. 2 Chriſtum non eſſe αὐθεντικῶς Deum ſed θελήσει tantùm, & ἐνεργείᾳ, id eſt, voluntate & operatione, non autem eſſentia. At nihil vel voluntatem vel operationem Dei habet, niſi ſit hoc ipſum Deus. Præterea Chriſtus ait, Qui me videt, videt & Patrem, Ioann. 14. verſu 9. Quod de nullo alio vel homine, vel Angelo dici poteſt. 3 Spiritum ſanctum Filij creaturam eſſe, non eſſe autem Deum. Hæc eſt Macedonianorum ſtirps, quę poſtea pullulat. C

CAP. LII.

Macedoniani cur ſic dicti. Erroris autem eorum caput vnum recenſetur.

MAcedoniani[1] *ſunt à Macedonio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopo, quos & πνευματομάχους Græci dicunt, eo quòd de Spiritu ſancto litigent. Nā de Patre & Filio rectè ſentiunt, quòd vnius ſint, eiuſdémque ſubſtantiæ vel eſſentiæ: ſed de Spiritu ſancto hoc nolunt credere, creaturam*[2] *eum eſſe dicentes. Hos potius quidam Semiarianos vocant, quòd in hac quæſtione ex parte cum illis ſint, ex parte nobiſcum. Quanuis à nonnullis perhibeantur, non Deum, ſed deitatem Patris & Filij dicere Spiritum ſanctum, & nullam propriam habere ſubſtantiam.*

1 *Macedoniani ſunt.*) Infelicis Arianorum ſtirpis infelix ſurculus Macedoniani, qui & ſibi ipſis parum conſentientes, & ab autore ſuo Ario

diuerſi,monſtrum potius quàm hæreſis fuiſſe videtur,vt ait Epiphanius,quòd partim ex Arianis, partim ex orthodoxis conflati fuerint. Dicti ſunt autem varijs nominibus. Ac primùm Macedoniani à Macedonio. Fuit autem Macedonius primùm artis plumarię, deinde presbyter in Eccleſia Conſtantinopolitana, demum factione Arianorum, qui omnia ſub Conſtantio poterant, eiuſdem Eccleſiæ creatus epiſcopus. Fuit autem alius Macedonius etiam Conſtantinopolitanus epiſcopus, ſed poſterior iſto noſtro, & vir pius ſub Leone ſeniore imperatore ,anno à Chriſto paſſo 484. qui Gāgris exulauit propter orthodoxam fidem. Hic igitur , de quo nunc agimus, malis artibus eum gradum conſequutus inſolētiſſimè ſe geſsit. Trux enim & ſæuus in omnes qui ab eius confeſſione diſſentiebant,fuit,in quos magnas perſequutiones excitauit,etiam immiſsis militibus,qui illos impunè trucidarent, propter quas & ſuis & aliis etiā inuiſus, maximéque propter commotam ab eo in Paphlagonia ſeditionem,ab ipſo imperatore crudelis iudicatus, tandem depoſitus, & in exilium actus eſt,vbi circa locum, qui Pylæ dicuntur (nec tamen eæ Pylę quæ à Plinio libro 6.in Troglodytis collocantur) conſenuit,iuſtas ſuæ blaſphemię luens pœnas. Socrates libr. 2.cap.38:4.cap.20.Sozom. lib.4.ca.26. De quo eodem traditur à Theodoreto libr.2.hiſtor.cap.5.curaſſe vt Paulus,quem epiſcopatu Conſtantinopol. perfidè deiecerat, & priuauerat, Cucuzi , vbi exulabat,ſtrangularetur. Vnde Suidas improbum & impium Macedonium vocat. Nam & manes ſiue oſſa Conſtantini Magni effodit,vt in alium locum transferret. Sozomen.lib.4.ca.21. Qua re maximè offenſus eſt populus Conſtantinopolitanus. Appellati quoque ſunt Marathonij à Marathonio presbytero,quem primum huius ſectæ authorem, etiam ante Macedonium fuiſſe volunt.Socrat.lib.2.cap.45.item & πνευματόμαχοι à dogmate, quòd aduerſus Spiritus ſancti deitatem pugnarent, quo nomine ſunt notiſſimi,& ab Epiphanio vocantur. Denique quidam ſentiūt eoſdem ſub Valentiniano Tropicos, à tropis,quibus eſſent nimium addicti, pręter veram Scripturæ mentem,nominatos. Cœpit autem hæc hæreſis non ſub Felice Romano epiſcopo, vt Platina ſcribit, ſed ſub Iulio primo, & Cōſtantio imperatore Conſtantini filio , circa annum à Chriſto paſſo 312. ex Arianæ fæcis cœno hauſta. Socrat.lib.1.cap.8. Habuit autem ſummos ſui erroris propugnatores,& Eleuſium Cyzicenum epiſcopum,& Euſtathium.Socrat.lib.2.cap.38 , & 45. Succeſſores etiam multos poſt ipſius damnationem,& presbyteros multos:paucos autem omnino epiſcopos habuit,propter varias difficultates. Vexata enim eſt & à Valente imperatore,qui quū eos merè Arianos eſſe putaret, agnouit ſentire in quibuſdam cum Homouſianis, & orthodoxis : & poſtea à Neſtorio quoque epiſcopo,& hæretico. Fuerunt autem Macedoniani in fidei ſuæ confeſſione retinenda inconſtantiſſimi. Quum enim primùm cum Semiarianis & Acatianis conſenſiſſent, poſtea ſe Homouſianis adiunxerunt.Socrat. libro 2.cap.45. Deinde quum quidam ex iis Conſtantinopoli eſſent , imperatori Conſtantio gratioſi,ſe ab illis diuulſerunt. Sed quum ſeparatim à Valente & Arianis affligerentur, ad Homouſianorum partes iterum redierunt. Socrates libro 4. cap.11.& libr.7.cap.3. Denique quum ſub Gratiano imperatore libera eſſet cuiuſuis erroris profeſſio,iterum ſe ab Homouſianis diſtraxerunt.Socrat.libr.5.cap.4.Sozomen.libro.7.cap.7.tam nimirum varium eſt hominum hæreticorum ingenium. Latiſsimè verò propagata eſt, in Helleſponto præſertim retenta propter Synodum Lampſacenam,qua confirmata eſt hæc hęreſis.Eſt autem Lampſacus in ſinu Helleſponti ſita.Socrat. libr.4.cap.4. ſed & in Phrygia Pacatiana viguit. Durauit autem diutiſsimè etiam ſub Arcadio imperatore Synadæ , quæ eſt vrbs Phrygiæ , etiam poſtquam Synodo illa œcumenica , quæ ſecunda fuit,& Conſtantinopoli à Theodoſio Magno collecta,grauiſsimus illius ſectæ error damnatus eſt. Socrates libro 7.cap.3.& 31.Cui Synodo Macedonius aduerſam valetudinem cauſſatus adeſſe noluit:quum vocatus tamen à Synodo fuiſſet. Sozomen.libro 2.cap.39. Denique tempore Bernardi Clareuallen.abbatis renouata eſt à quodam Abailardo theologo,vt ipſe ſcribit epiſt.190.

2 *Creaturam eum eſſe.)* Mirum eſt quòd quum ante Macedonium plures Spiritum ſanctum creaturam eſſe dixerint , hic tamen error Macedonio tanquam primo tribuatur authori. Cuius rei hæc fortaſſe ratio eſt,quòd cum & robuſtius defenderit, quanquam non à ſe primùm inuentum,& hūc ſolum ex Arianorum deliriis præſertim retinuerit. Ergo hæc ſunt Macedonianici erroris capita, quæ ex Theodoreto lib.4.hæretic.fabular. collegimus. 1 Filium Dei non eſſe Patri ὁμοούσιον , ſed ὁμοιούσιον , Sic enim leni vnius literæ interpoſitione non leuem tamē errorem tegebat. Itaque Acatianis aſſentiens,Filium non eiuſdem cum Patre eſſentiæ,ſed ſimilis tantùm aſſeuerabat : ſed latebat error , niſi deprehenſus eſſet. Hæc Theodoret. Quanquam Ruff.libr.in cap.25.ſcribit in articulo de Filij & Patris deitate , Macedonium idem nobiſcum ſenſiſſe,id eſt,cum orthodoxis. Id autem falſum eſſe vel ex eo ſolo apparet, quòd tunc tantùm cum Homouſianis conciliati dicuntur Macedoniani,quū amplexi ſūt orthodoxam de Patre & Filio ὁμουσίοις fidem. Aliàs enim ab iis diſſentiebant. Quod ipſum non diffitentur. Cauſam tamen ſuæ innouations afferunt Heterouſianorum , & Homouſianorum rixas & diſputationes,vt refert Socrat.libro 3.cap.10. 2 Error.Spiritum ſanctum Deum eſſe negant,ſed Dei tantùm miniſtrum faciunt , qui etiam creatura ſit,nec quidem æterna. Itaque vim eſſe dicit à Deo conditam, quæ eſſentiæ diuiſione in ſingulis rebus creatis inſit,adeò vt ſingulæ creaturæ eſſentiæ Spiritus ſancti partem intra ſe habeant. Id quod Seruetus poſtea retinuit. Hic tam peſtilens error & noxius etiam Lampſacena Synodo confirmatus eſt , vt ſcribit Socrates libro 4.cap.4. quia quod cap.4. Amos verſu 13.ſcriptum extat, *Ecce Deus creans ſpiritum,* perperam interpretantur. Nam hoc loco vox πνεῦμα Græcis, & רוח Ruach Hebræis ventum , & aerem emotum ſignificat,non autem Spiritū ſanctum. Præterea afferunt pro ſe quòd Synodus Nicena nihil de Spiritus-ſancti ὁμουσίᾳ cum Patre definiuit. Reſpondeo verò id antea clariſsimè Synodo Alexandrina conſtitutum fuiſſe, vt eſt in hiſtoria Eccleſiaſtica. Nec præcipuè de eo contendebat Arius : ſed tantùm de Filio , de quo definitio Synodi idcirco neceſſaria fuit. Denique ſcribit

Gr ego-

A Gregorius Magnus lib.9.epiſt.6.etiam ſuo ſeculo quoſdam de Spiritu ſancto tam ineptè ſenſiſſe, vt cum crederent eſſe paruum quendam hominem montanum. Sic ex vno præcipitio in aliud trahit homines Satan hoſtis vaſerrimus.

CAP. LIII.

Aeriani cur ſic dicti. Erroris autem eorum capita recenſentur quatuor.

AEriani ab Aerio[1] *quodam ſunt nominati, qui quum eſſet presbyter, docuiſſe fertur*[2] *quod Epiſcopus non poteſt*[3] *ordinare, & in Arianorũ hæreſin lapſus, propria quoque dogmata addidiſſe nonnulla dicens, Orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec ſtatuta ſolenniter celebranda eſſe ieiunia: ſed quum quiſque voluerit, ieiunandum, ne videatur eſſe ſub Lege. Dicebat etiam presbyterum ab Epiſcopo nulla differentia debere diſcerni. Quidam perhibent iſtos, ſicut Encratitas, vel Apotactitas non admittere ad communionem ſuam, niſi continentes, & eos qui ſeculo* B *ita renuntiauerint, vt propria nulla poſſideant. Ab*[4] *eſu tamen carnium non eos abſtinere dicit Epiphanius. Philaſter verò & hanc eis tribuit abſtinentiam.*

1 *Aeriani ab Aerio.*) Aerius à quo deductum eſt Aerianorũ nomen (ſunt enim alij Aeriani, alij verò Aetiani & dogmate, & parente) fuit primùm Monachus cum Euſtathio, qui Sebaſtiæ (quæ in Pontica Cappadocia ſita eſt: niſi fortaſſe illa ſit Sebaſtia Armeniæ, in qua natus eſt Atticus Conſtãtinopolitanus epiſcopus, & de qua Socrates libro 6.cap.20.) poſtea Epiſcopus creatus eſt, & Arianũ dogma ſequutus: quanquam cum orthodoxis & Nicæna Synodo primùm ſentiret, quemadmodũ cum Epiphanio ſcribit Sozomen. libro 4.cap. 29. Ergo ab Euſtathio epiſcopo ſtatim presbyter factus Aerius Ptochodocheio, id eſt, domui alendis excipiendíſque pauperibus deſtinatæ (quam nos Galli, Dei domum, vel Hoſpitalium, quaſi extraneorum hoſpitium vocamus) præficitur, cuius quum liberam adminiſtrationem habere nõ poſſet propter Euſtathij epiſcopi, qui totam pecuniarum Eccleſiaſticarum οἰκονομίαν & tractationem C ſibi vſurpabat, auaritiam, primum diſſenſiones & rixæ ortæ ſunt: deinde contentiones grauiſſimæ: demum aperta odia & diuortia, & quæſtiones natæ, de presbyterorum & epiſcoporum iure, & iuriſdictionis vtriuſque muneris finibus. Quæ ex malis illis initiis profectæ, primùm offendicula pepererunt, poſtea verò ſchiſma, denique hæreſin effecerunt. Sed quæſtionis eſt, vtrum Aeriani pro hæreticis ſint habendi, an potius Euſtathius ipſe, & Euſtathiani, qui videntur magna Antichriſti tyrannidis fundamẽta illo ſuo dogmate ieciſſe. Epiphanius quidem, Auguſtinus hîc, & Auguſtini abbreuiator Iſidorus, Aerianos hæreticorũ albo, in eo quòd presbyteri & epiſcopi parem dignitatem conſtituerunt, aſcripſere: ſed quam rectè ipſi viderint. Nam neque Theodoretus in hæretic. fab. 4.libris, nec tota eccleſiaſtica Aerianorum tanquam hæreticorum meminit, etſi ante Socratem, Sozomenum, Euagrium vixit Aerius, nempe ſub Valentiniano primo imperatore, & Damaſo Epiſcopo Romano, circa annum à Chriſto paſſo 340. & temporibus Epiphanij, vt ipſe ſcribit: quæ tamen eadem Euſtathianos contemporaneos ſæpe commemorat inter hæreticos, adeò vt à paucis A Aerij ſententia damnata videri poſſit. Ac certè ſiquis ea excipiat, quæ cum Arianis de Chriſti deitate ſenſiſſe fingitur potius, quàm probatur Aerius, nihil erit, quod iuſtè in illius dogmate meritóque reprehendas. Sed inſolentes iam Epiſcopi, & imperitando magis quàm paſcendo gregi aſſuefacti, contra Petri præceptum, 1.Petr.5.ver. 3.tam liberas aduerſus ſuam ſuperbiam, inſolentiam, & tyrannidem voces ferre non poterant, & iam tum agebant quod Rom. Antichriſtus crudelius poſtea imitatus & exequutus eſt, vt haberent pro hæreticis quicunque aduerſus eorum vitia, vel ordinis ipſorum peccata mutire auderent: quanquam illorum faſtus & arrogantia iam Audeanis occaſionem recedẽdi ab Eccleſia præbuiſſet. Itaque quum Aerianis nihil aliud impingere poſſent, affinxerunt eos cum Arianis ſenſiſſe, cõiugia damnare, eſu carnium omnino abſtinere. Sed illud prius in Euſtatianos, non autem in Aerianos dictum verum eſt. Agreſtes homines etiam fuiſſe Aerianos, & in ſyluis potius quàm cum hominibus vitam tranſegiſſe, nimirum quia ab Epiſcopis B vbique cœtu Eccleſiaſtico arcebantur, quòd in eorum mores improbos inueherentur. Ergo hæc hominum ſecta & hæreſis (ſi tamen hæreſis eſt) circa annum 340. primùm innotuit. Dicti ſunt autem non tantùm Aeriani, ſed etiam Syllabici, quaſi verba & ſyllabas ſtudioſè captarent, ſed vafrè, & contentioſè. Serpſit autem dogma ad plures quemadmodum etiam Epiphanius annotauit. Imprimis in Ponto & Cappadocia viguerũt AEriani: inde longius profecti, ad alias quoque Eccleſias peruenerunt. Citiſſimè verò ſuppreſſi ſunt, quòd communi omnium epiſcoporum conſenſu oppugnabantur, qui tantam epiſcopalis ſuæ dignitatis maieſtatem tolli aut imminui moleſtè patiebantur. Nam ſunt conſtituti epiſcopi, non tantùm propter Nicænæ Synodi decreta de metropolitanis & Patriarchis, ſed etiam propter ἀρχαῖα ἔθη, & vetuſtum morem iampridem in Eccleſia vſurpatum, presbyteris, imò verò presbyterio C ipſo toto tum gradu, tum etiam τάξει & ordine ſuperiores, vt illi tanquam imperarent. Quæ fuit cauſa diſſidij inter Chryſoſtomũ & presbyteros.

2 *Quod epiſcopus.*) Hæc ferè ſunt erroris qui ab Epiſcopis tribuitur Aerianis, capita.

1 Presbyterum ab Epiſcopo ordine & gradu (τάξει & ἀξιώματι, dixit Aerius) nõ differre: ſed qui presbyter eſt, epiſcopum dici, quatenus in vno aliquo actu, in quo ab presbyterio electus eſt, præeſt cœtui, quia in Eccleſia nihil confusè fieri gerive debet. Ex quo fit vt per vices præſidentes presbyteri, ſint omnes Epiſcopi. Quæ ſententia cur dãnari debeat, non video. Primùm enim eoſdem presbyteros & epiſcopos eſſe agnoſcit ſacra Scriptura, nec eos diſtinguit, aut hos illis præfert, ſed in commune vocat omnes eos ἡγουμένους. Hebr. 13.v.7. Act.20.v.17.& 12. Nam presbyterũ eſſe nihil aliud eſt, ait Petrus, quam ἐπισκοπεῖν. 1. Petr.5.v. 1,& 3: 1. Timoth.3. Vnde & Hieronymus ad Tit.ca. 1.& in epiſtola ad Euagr. ſcribit id non iure diuino, ſed tantùm hominum conſuetudine & metu ſchiſmatis factum, vt è pluribus presbyteris vnus crearetur Epiſcopus. De quo ipſo anxiè Canoniſtæ diſputant in cano. Legimus, diſtinct.90.& cano. Olim presbyter, diſtinct.93. Sed & ſcholaſtici

A quoque veluti Durandus in libr.4.Sentent.diſtin. 24.quæſt.5.vbi ſacerdotali, quam ait cum epiſcopali eandem eſſe, nullam dignitatem maiorem à Chriſto eſſe inſtitutam docet.Epiphanius ipſe hæreſ.68.de Meletianis ita ſcribit.οὐ γὰρ ποτ' Ἀλεξανδρεία δύο ἐπισκόπους ἔσχεν, ὡς αἱ ἄλλαι πόλεις. adeò vt hoc diſcrimen & hæc prælatio vnius in Alexandrina ciuitate primùm nata fuiſſe videatur, ex qua vrbe etiam Monaſtica vita & variæ Eccleſiæ peſtes ortæ ſunt. Et quas hoc loco rationes affert Epiphanius contra Aerianos eæ ſunt prorſus inanes.Denique Irenæus Piũ & Higinum epiſcopos Romanos vocat presbyteros,& Euſeb.li.5.ca.26. Quanta verò huius epiſcopalis dignitatis & protaſiæ incommoda percepta fuerint,quia præter Dei verbum in Eccleſiam inducta eſt,rerum euentus docuit, & declarauit poſtea Synodus Carpẽtoratẽſis ſub Leone.Epiphanius ipſe tandem coactus concedit hanc diſtinctionem inter epiſcopos & presbyteros tempore & ſeculo Apoſtolorum nõdum fuiſſe, quaſi verò in regenda Eccleſia poſteri nóſque ipſi iis ſapientiores ſimus.Mõtaniſtas notauit B Hieronymus in epiſtola ad Marcellam quòd Epiſcopum tertio loco in Eccleſia non autem primo ponerent. Primi enim inter eos erant Patriarchæ, deinde Cenones, tertij Epiſcopi. 2 Preces pro defunctis non eſſe fundendas & faciendas, quia huiuſmodi noſtris ſuffragiis nequeãt iuuari. Hoc cur Chriſtiani non admittant,non video,quando Papiſtæ ipſi genꝰ hominis ſuperſtitioſiſsimũ, etiã de ea re diuerſas Patrum Eccleſiaſticorum ſentẽtias annotarint,vt eſt in Can. Quibus peccata. & Can.In præſenti.Can.Tempus,13.quæſt.2.& Epiphanius hoc loco negat apertè verbo Dei fundari & niti huiuſmodi pro mortuis conceptas preces,ſed tantùm more & traditione quadam maiorum.At quicquid ſine fide fit,peccatum eſt,Rom. 14.verſu 23. 3 Certis ſtatutiſque annuatim diebus & ſolennibus ieiunia non præfigenda & alliganda,quale erat ieiunium quadrageſimale, & ſeptimanæ quæ Paſcha præcederet. Eſſe enim hoc totum ieiuniorum anniuerſariorum genus Chriſtianis hominibus & fugiendum, & ſuperſtitioſum,& in vſum veteres de ieiunio ſeptimi menſis C ceremonias reuocare. Quod verum certè quidem eſt.Ieiuniorum igitur vſum non damnant Aeriani (in quo ipſo ſanè damnandi eſſent) ſed illam tantùm de certis diebus anniuerſariis obſeruationem, quæ ſuperſtitionem dierum à Paulo damnatã,non tãtùm ſapit,ſed retinet,Rom.14. Hoc caput cur improbari potuerit, nulla ratio eſt, ſi quam ex Dei verbo quærimus, vnde peti debet. 4 Nullum inter Chriſtianos eſſe reſtaréve Paſcha quod ſit peragendum & celebrãdum. Quam ſuam ſententiam authoritate Pauli confirmant, 1. Corinth.5.7. Ait enim Paulus,Paſcha noſtrum immolatum eſt, Chriſtus. Ergo non reſtat ſacrificandum. Quòd ſi obſeruetur Paſcha iterũ,& ad legales ceremonias reuoluimur, & Chriſtum in carne adueniſſe negemus neceſſe eſt, ſimúſque,vt ait Ioannes, Antichriſti. Quare nec hæc ipſa Aerianorum ſententia damnari debuit, quia vera eſt,& manifeſtiſſimè inter Cœnam Domini & Paſcha diſtinguendum eſſe docet. Quæ de inducta carnium abſtinentia, & coniugiis ab iiſdem improbatis,de Arianorum approbatione, epiſcopi addunt,reponúntque inter Aerianæ hæreſeos hypotheſes,ſi vera ſunt,certè errarunt Ae- A riani: ſin minus (& mihi quidem ex hac ipſa Auguſtini oratione & titubatione, qui totum hoc dubium eſſe ſcribit,prorſus in eos calumniæ cauſa commentitia & conficta videntur) ex hæreticorũ numero Aerianos eximemus: & inter ſchiſmaticos potius habebimus, ſi bene conſtitutum Eccleſiæ ordinem temerè perturbare ſunt conati. Quod tamẽ ab iis factũ fuiſſe hactenus non apparet.Quare hos inter hæreticos minimè notauimꝰ.

3 *Non poteſt ordinari.)* Alibi Ordinare, alibi Ordinari.vtrunque conſtare poteſt.

CAP. LIIII.

Aetiani & Eunomiani,cur ſic dicti. Erroris autem eorum capita duo referuntur.

AEtiani ab Aetio[1] *ſunt vocati: ijdémque Eunomiani ab*[2] *Eunomio Aetij diſcipulo,quo nomine magis innotuerunt. Eunomius quippe in Dialectica præualens,acutius,& celebrius defendit hanc hæreſin. Diſſimilem*[3] *per omnia Patri aſſerens Filium, &* B *Filio Spiritum ſanctum. Fertur etiam vſque adeò fuiſſe bonis moribus inimicus,vt aſſeueraret,quòd nihil cuiquam obeſſet quorumlibet perpetratio, ac perſeuerantia peccatorum,ſi huius, quæ ab illo docebatur, fidei particeps eſſet.*

1 *Ab Aetio.)* Hęc vna & eadem dogmate quidem ſecta & hæreſis,variis tamẽ nominibus propter ſucceſſores eſt appellata. Dicti ſunt enim hi qui Chriſtum Filium Dei Patri Deo non tantùm ἑτερούσιον ſed κατὰ πάντα ἀνόμοιον eſſe docuerunt, Anomij,Anomœi,& Anomiani, quæ tres voces idem ſignificant.Sozom.lib.3.cap.10.Ab authoribus autem & propugnatoribus ſuis iidem nominantur Aetiani, Eunomiani, Eudoxiani, Theophroniani : atque etiam poſtquam imperatoris Theodoſij Magni edicto vrbibus omnibus in deſerta & ſolitudines expulſi, vt ſcribit Sozom. lib. 6.c. 26.in cauernis & priuatis ędibus clàm conueniebant Trogloditæ,id quod Theodor.libr.4.hęret.fab. Denique Gothici ,quòd Gothorum magna pars hunc errorem propter Vlphillam ipſorum Epiſcopum ſequuta eſt.Sozomen.libr.6.cap. C 37. His igitur tot nominibus ad impiiſſimam eorum blaſphemiam deſcribendam & deteſtandam, hæc hæreſis vocata eſt, vt ait Socrates libr.2. cap. 35.Sozom.libr.6.ca.26. Fuit autem infelicis Arianorum fontis amariſsimus & turbidiſſimus riuus, qui fœtido eorum cœno maiores etiam ſordes adiecit. Nam Arianorum immanes iam furores ipſa tamen auxit & locupletauit,quemadmodum libro 2.hiſtor.cap.24.ſcribit Theodoret. Vnde Aetius Ario ſucceſſiſſe dicitur à Ruffino li.1.c.25. nõ tantùm ꝙ eo mortuo impietatẽ ipſius defẽdit, ſed quòd eã propagauit,& tetriorẽ reddidit.Hæc enim eſt ſucceſſio hæreticorum,nimirum erroris accepti amplificatio.Quo verò tempore primùm cœperit,anceps & dubia eſt authorũ ſentẽtia,quãdo nec in Aetij nomine, neque quot Aetij Ariani fuerint inter ſe cõſentiunt.Nã in eo apertè Suidas in voce Ἀέτιος ab Indicatio. hære.quæ eſt in hiſtor. Eccl.diſſentit. Ergo alij ſub Conſtantino hãc hæreſin exortã & natã volunt,alij ſub Conſtãtio Cõſtantini filio,& Felice Rom.epiſcopo, vt & Socr. lib.4.cap.11.& Platina.Verior tamen mihi videtur

eorum

A eorum ſententia, qui natam ſub eodem quidem Conſtantio primùm fuiſſe tradunt, Cõſtante fratre iam mortuo,& ipſo Conſtantio propterea audaciore,& ad alendas Arianorum hæreſes propẽſiore,ſed ſub Liberio Rom.epiſcopo,circa annum à Chriſto paſſo 325.non ſub Felice. Certè poſterior fuit quàm Ariana,magíſque diſplicuit. Vnde & Cõſtantinopoli ſtatim atque emergere cœpit, Synodus congregata eſt, quæ eam damnauit, vt ſcribit Theodoret. libro 2. hiſtor.cap. 28. Nec quum reliquæ hæreſes templa ſua habere permitterentur, hæc tamen ſua retinere conceſſa eſt, vt Socrat.libr.5.cap.2.ſcribit. Sed & Seleucianam etiam Synodum propter hũc ipſum errorem præcipuè à Conſtantio conuocatam ſcribit quidem Sozomen.libr.3.cap.19.quanquam nondum vulgò Aetij nomen auditum in Eccleſia erat, vt parum rationem temporis obſeruaſſe videri eo loco poſſit Sozomen. quando ex Acatianis Aetianos iſtos ortos,idem ipſe alibi tradit,nempe libr.4.cap.29. qui in Seleuciana Synodo primùm extiterunt, ſeque prodiderunt.Latè verò ſparſum eſt hoc venenum, B quia multi iam propter varias hæreſes, imprimis autem Arianiſmum,quem Satã inter Chriſtianos valde plauſibilem effecerat, vel à vera fide defecerant,vel in ea nutabant, vt leui impulſu facilè de vera confeſſione deiicerentur. Itaque etiã qui hanc hæreſin ſectabantur Conſtantinopolitani Epiſcopi creati ſũt,quemadmodum Eudoxius: & niſi Eunomius præter conſilium Eudoxij & ſociorum intempeſtiuè ſe ſuáque prodidiſſet, vniuerſum penè terrarum orbem erat infectura. Sed à Conſtantio ipſo etiam Arianis æquo exilio multata eſt, tantúſque iſtius blaſphemiæ horror inuaſit,vt Aetius ipſius author non tantùm hæreticus: ſed apertè & paſsim etiam ἄθεος diceretur: hácque ratione impulſus Imperator edicto vel ὁμούσιον vel ἑτερούσιον in docendo nominari & vſurpari ſeueriſſimè vetuerit. Theodoret. libr.2.Hiſt. cap.27. Vnde longius progredi prohibita, & ipſo Aetianorum nomine damnata, nouis tamen & interpolatis Eunomaniorum, & Eudoxianorum appellationibus retenta, & velut crambe recocta C repoſita eſt,tam eſt in ſe ſimulando Satan aſtutus artifex. Aſia igitur quæ minor eſt, imprimis item, à Tauro monte ad Helleſpontum, Cappadocia Paphlagonia,& Cilicia,vnà cum Conſtantinopolitano tractu hac peſte grauiſſimè laborauit, Sozomen.libr.6.cap.27. quæ Baſilij Magni, & Gregorij Nazianzeni eruditiſſimis diſputationibus, tanquam ſalubribus medicamentis, non tam ſanata prorſus eſt,quàm ad tempus repreſſa.Hic autem Aetius tanti mali ſeminator patre Georgio milite natus eſt Antiochiæ,vnde Syrus dictus nõ Cilix,vt Epiphanius tamen putat, ſed eum refutat Sozomen. lib.6.cap.26. alius ab Alexandrino & Ægyptio, quem refert Suidas etiam Arianam hæreſin amplexum eſſe. Propter ſummam autem paupertatem hic noſter primum χρυσοχοΐαν, vt omnes tradunt,exercuit, deinde Paulino Antiocheno Epiſcopo defuncto, ſpem adipiſcendi aliquando Epiſcopatus magna animi ambitione & ingenij confidentia concipiens ſe Leontio Paulini ſucceſſori adiunxit, à quo Diaconus Eccleſiæ factus,non autem à Georgio Alexandrino Epiſcopo (in quo hallucinatur Epiphanius, vt ex Suida facilè intelligi poteſt.Nam duos Aetios cõfundit Epiphanius) inepta quædam & blaſphema A contra Chriſtum Dei filium euomere cœpit, Socrat.lib.2.cap.37.Sozomen.lib.4.cap.12. ſed à Flauiano & Diodoro monachis deprehenſus & refutatus,tandem à Leontio gradu Eccleſiaſtico deiectus eſt,& vrbe pulſus. Hinc verò iratior & cõmotior Anazarbum(quę eſt vrbs ſuperioris Tracheæ Ciliciȩ,vt ſcribit Plinius) conceſſit,vbi nugator iſte & præſtigiator Sophiſticis dialecticorum,& Ariſtotelis præſertim Elenchis, non autem Euangelicis ſcriptis operam dedit, itémque Geometricis ſtudiis, vt cum Epiphanio Socrat. lib.2.cap.35,& Indicat.hæreſ.tradunt: tandémque ſibi viſus ad argutandum inſtructior,iterum prodiit,& nouum hoc ſuum certè inſanum, & planè blaſphemum in Chriſtum Dominum noſtrum æternum Deum, æterni Patris filium dogma cudit.Quod cùm ſummè impium & adhuc nulli alij errori iam noto ſimile vel conferendum omnes iudicarent,ἄθεος dictus eſt. Tandem cùm magis magíſque inualeſceret, in exilium pulſus eſt Aetius,etiam à Cõſtantio Imperatore, & in vaſtas & montoſas Phrygiæ ſolitudines relegatus ibi frendebat, B atque cõſeneſcebat:ſed in odium Chriſtianorum à Iuliano Imperatore & apoſtata reuocatus mirè ſuo illo veneno Eccleſiã afflixit, Theodoret.lib.2.Hiſtor.cap.27.Sozom.lib.5.ca.5. Nam etiam ſchedium pro ſuo errore tuendo publicauit,quod deſcripſit Epiphan.& refutauit.

2 *Ab Eunomio.*) Hic Aetio ſucceſſit, qui nomen ſuperioris ſectæ mutauit, virus tamẽ & dogma retinuit.Itaque ab hoc Eunomiani dicti ſunt, qui videntur primùm hac appellatione noti ſub Conſtantio Imperatore atque Liberio Epiſcopo Roman.anno à Chriſto paſſo 331. Fuit autem Eunomius è Dacora vrbe,quæ ſita eſt in agro Argæno à monte Argæo nominato,qui extra Cappadociam eſt ad Euphratem prope Mazacam ſiue Cæſaream,vt ſcribit Plinius lib.6.cap.3. Hic primùm Aetij ſcriba & amanuenſis,vt Suidas narrat,poſtea hæreſiarcha,demum Cyzici epiſcopus opera Eudoxij factus eſt, Aetio præceptori abſenti gnauiter operam nauans, qui propter hunc animi errorem & fidei corruptelam à ſe latè ſparſam, propagatámque Leproſus dictus eſt. Poſt hunc in ſchola ſucceſsit,noménque habuit Theophronius C quidam Cappadox,deinde Eutychius. A quibus Eunomiani in duo iam diuortia ex eodem fonte ſe diduxerunt: Eorum enim alij Theophroniani, alij verò Eunomeutychiani nominari cœperunt, Sozomen.lib.6.cap.17.& 26. Demum in exilium actus à Conſtantio Eunomius in Pamphyliæ ſolitudine miſeram & infelicem vitam & animam iuſtas ſuæ blaſphemiæ pœnas pendens traxit, ſub Valente mortuus.Hic Aetianorum etiam furores auxit, quibus tamen nihil addi videbatur poſſe, fuítque πολυγραφώτατος, vt Epiphanius tradit. Eudoxius verò ex Germanicia Syriæ ciuitate fuit.

3 *Diſſimilem per omnia.*) Variæ fuerunt ſuperiorum hæreticorum hypotheſes, quæ ex variis ſcriptoribus à nobis collectæ recenſebuntur.

1 Deũ à nobis plenè perfectéque comprehendi poſſe, qualis quantúſque in ſeſe eſt ,contendunt. Atqui Paulus 1.Tim.6.verſ.16. aliud docet, eum nempe lucem inacceſſam habitare. Nec cuiquam niſi ſibi ipſi & ſoli comprehenſibilem Deum eſſe, ſatis tritum eſt dogma in Chriſtianorum ſcholis,

A Theodoret.& Ioan.Damaſcen.lib.1.de Orthodo. fide.cap.13.in Græco. 2 Filium Dei eſſe Patri Deo in omnibus diſſimilem. Nam eſſe volunt creaturam Patris ab eo ex ſuperueniente voluntate procreatam. Itaque nec eſſentia, nec poteſtate, nec voluntate parem, ac ne ſimilem quidem eſſe Patri Deo. In quo longè peius de Chriſti deitate iſti ſentiunt, quàm qui eum tantùm Patri ἑτερούσιον, id eſt diuerſæ eſſentiæ dixerunt: in reliquis enim attributis Heterouſij hæretici tamen ſimilem eſſe concedunt. γνώμῃ τοῦ Πατρὸς τὴν οὐσίαν υἱοῦ γεννηθεῖσαν dixit, vt refert ipſius Eunomij verba Baſil. libro 2. aduerſ.eum. Præcipuum autem Aetij argumentū totum in argutiola quadam poſitum erat, vt & Auguſtin.lib.15. de Trinit.cap.20. & Lombard.lib.1. diſtin.6.cap.1. referunt, & ante vtrunque Baſilius & Epipha. hâc nempe, quòd cùm ἀγέννητον ſit γεννητῷ ἀνόμοιον. Pater autem ſit ἀγέννητος, id eſt, ingenitus: Filius verò γεννητός, id eſt, genitus, Filium Patri diſſimilem eſſe oporteat. Ad quod penè vnicum Aetij argumentum breui quidem, ſed tamen veriſſima ſolutione reſpondet Baſilius, Ἀγέννητός ἐστι δήλωσις τῆς ὑπάρξεως, οὐ τῆς οὐσίας, id eſt, Genitum & ingenitum non diuerſam eſſentiam, ſed diuerſum tãtùm B exiſtentiæ modum ſignificant. Rem verò exemplo doceo ex Auguſtino & Damaſceno. Adam enim ἀγέννητος dici poteſt, quia primus homo eſt à nullo patre genitus: Seth autem γεννητός, quia eſt ex Adamo: non tamen eſt propterea diuerſa Sethi & Adami natura & eſſentia. Imò vterque verus homo, eiuſdémque naturæ, Geneſ.5.v.3. quanquam diuerſo modo ea natura in Adamo extitit, diuerſo verò in Setho, qui ab eo genitus fuit. Hoc Aetij argumentum regerunt nobis millies Seruetani, Syluaniſtæ & Neariani noſtri temporis. Hoc tamen hæreſeos Eunomianæ caput iam inde à Clementis, qui coæuus Paulo fuit, ætate natum fuiſſe ſcribit Ruffinus, vt extat in 2.Apolog. aduerſ.Hyeronymum. 3 Spiritum ſanctum à Filio creatum fabricatúmque eſſe contendunt Aetiani. itaque negant eſſe αὐτοσύστατον, id eſt, propriæ naturæ & eſſentiæ vi eſſe & viuere, ſed eſſe Filij, &, vt ipſe loquebatur, Μονογενοῦς δημιούργημα tantùm. Baſil. lib.2. con- C tra Eunomi. & libro 3. Theodoret. & Epiphan. 4 Rebaptizant etiam ab orthodoxis baptizatos. Quod non fuit Aetij, ſed Eunomij iam exulis commentum & dogma, quod Eunomiani poſtea ſecuti ſunt atque retinuerunt. Sozomen.lib.6.cap.26. & Epiphan. 5 Baptiſmum à Domino noſtro Ieſu Chriſto inſtitutum nõ tantùm corrumpunt, ſed mutant. Primùm enim ſuperiores tantùm hominis partes baptizandas putãt, inferiores autem putant indignas tanto ſacramento. Itaque baptizandos faſciis infra vmbilicum inuoluunt, ne vlterius aqua fluat. Baptizant autem alia quàm Chriſtus docuit forma, nempe ſic, εἰς ὄνομα θεοῦ ἀκτίστου, υἱοῦ κεκτισμένου, καὶ πνεύματος ἁγιαστικοῦ καὶ ὑπὸ κεκτισμένου υἱοῦ κεκτισθέντος. Quare Spiritum ſanctum nec ſanctum vocant, nec Deum eſſe credunt. His verbis imprimis Theophronianos, Eunomianos babpizaſſe ſcribunt, in quibus quot ſunt ſyllabæ, tot ſunt blaſphemiæ comprehenſæ. 6 Chriſtum corpus tantùm, nõ etiam animam aſſumpſiſſe humanam. Theodor.Dialog.2. Inconfuſus. 7 Honeſtam vitam à vera fide, id eſt, res inter ſe inſeparabiles diuellunt, & fructum ab arbore diſtrahunt, & omnibus vitiis non tantùm impunitatem, ſed etiã licentiam concedunt, abuſi loco Ioan.17.v.3. Hæc A eſt vita æterna, &c. Hoc fuit antiquum Seuerianorum hæreticorum dogma. Quanquam enim opera bona quę Dei Spiritu impulſi facimus, non ſunt ſalutis noſtræ cauſæ, ſunt tamen fidei noſtræ effectus: quæ ſine illis vera eſſe non poteſt, vel viua: Iacob.2. Itaque à ſeſe ſeparari non poſſunt. Hæc ſunt fœtidi oris Aetianorum & Eunomianorum vomitiones & venena, quanquam his etiam tribuit Hieronym. aduerſ.Vigilantium quòd Baſilicas Apoſtolorum & Martyrum non ingrederentur, nimirum quòd ſuperſtitionem reliquiarū colendarum iam naſcentem damnaret Eunomius. Qui certè non fuit error.

CAP. LV.

Apollinariſtæ à quo primùm dicti. Erroris autem capita duo recenſentur.

APollinariſtas[1] Apollinaris inſtituit, qui de anima Chriſti à Catholica diſſenſerunt, dicentes, ſicut B *Ariani, Deum Chriſtum carnem[2] ſine anima ſuſcepiſſe. In quæſtione Euangelicis teſtimoniis victi, mentem (qua rationalis eſt anima hominis) non fuiſſe in anima Chriſti: ſed pro hac ipſum Verbum in ea fuiſſe dixerunt. De ipſa verò eius carne ſic à recta fide diſſenſiſſe perhibentur, vt dicerent carnem illam & Verbum vnius eiuſdémque ſubſtantiæ, contentioſiſſimè aſſeuerantes Verbum carnem factum eſſe, hoc eſt, Verbi aliquid in carnem fuiſſe conuerſum atque mutatum: non autem carnem de Maria carne ſuſceptam.*

1 *Apollinaris inſtituit.)* Apollinaris & Apollinarius dicitur. Apollinarij autem fuerunt multi. Ac quidem ante huius hæreſeos tempora quidam vir pius Hierapoleos Phrygiæ ciuitatis Epiſcopus, qui contra Marcionitas ſcripſit, vt Euſeb. tradit lib.5.cap.16. Theodoret.lib.3.Hęreticar.fabul. Alius poſt hunc noſtrum qui tempore Iuſtiniani ſecundi vixit, & in Alexandriæ epiſcopatu claruit, de quo Euagr.lib.5.cap.16. Alius huius noſtri hæreſiarchæ ſeculo vir inſignis & Laodicenus Epiſcopus, qui æqualis Baſilio Magno, & Gregorio C Nazianzeno, (eſt autem Nazianze portus Cappadociæ) fortiter pro fide Nicena ſcriptis ſuis depugnauit, quemadmodum & Suidas & Philoſtorgius meminerunt. Hic autem noſter à quo denominata eſt Apollinariſtarum ſecta, duplex fuit, pater, & filius. Pater Alexandrinus natione & patria, qui docendi gratia in Syriam profectus, Beryti primùm, poſt Laodiceæ (quæ eſt ad Libanum, & Laodicea libera dicitur à Plinio libro 5.cap.20.) Grammaticam profeſſus eſt. Vbi inito coniugio filium ſibi cognominem ſuſtulit, qui Rhetoricam artem ætatis acceſſione feliciſſimè docuit. Vterque autem ad Eccleſiaſticum ordinem Laodiceæ vocatus eſt, & pater quidem Presbyter: filius autem Lector creatus primùm orthodoxam & Nicenam fidem tenuit, vt apparet ex Socrat.libro 2. cap.46.& Sozomen.lib.5.cap.18. Poſtea cùm Epiſcopatus, quem affectabat, ſpe decidiſſet, à recta veráque Chriſti doctrina deſciuit, vt ait Theodoret.lib.5.Hiſtor.cap.4. vt falſa appareat Platinę ſententia, qui hũc noſtrum Laodicenum Epiſcopum vocat, quemadmodum & eorum quædam hallucinatio eſt, qui eundem Syrũ appellari exiſtimant,

quòd

A quòd fuerit patria Laodicenus, cùm Ægyptius fuerit, vide Indicat. Hæreſ. Acceſſit alia quoque cauſa irritandi hominis, quod cùm nimium familiariter conuerſaretur cum Epiphanio ſophiſta homine profano (nec enim Libanium, ſed Epiphanium habet & Suidas & Socrat. libro 2. cap. 46. & Libanius Antiochiæ vixit, non autem Laodiceæ) à Georgio Epiſcopo Laodiceno ſæpe admonitus, tandem eſt excommunicatus. Sed ex ea nimia familiaritate nihil ſani didicit. Itaque & rebellis Eccleſiæ factus, & animo turgens, ingeniíque confidentia temerarius blaſphemum hoc dogma protulit, ex quo innumerabiles peſtes poſtea extiterunt, Monothelitarum, Agnoetarum, & imprimis Eutychianorum. Fuit tamen eruditus & linguæ Græcæ ſcientiſſimus, qui ad Homeri & Platonis & Euripidis imitationem multa ex ſacris Scripturis ſumpto argumento carmine, & proſa oratione ſcripſit, ne propter edictum Iuliani Imperatoris honeſtarum artium ſtudia inter Chriſtianos frigeſcerent: ſed tamen illa ſcripta Eccleſia repudiauit, quòd cæleſte Dei verbum ſacroſanctum eſſe voluerit: neque Poetico more, in quo fabularis hiſtoria eſt: neque Rhetorico, in quo lenocinium potius orationis quàm vis veritatis & Spiritus Dei B apparet, tractari legique cenſuerit operæpretium, Sozomen. lib. 5. cap. 18. Alia quoque commentatus eſt, veluti Summam & Epitomen, De Fide, de Incarnatione, quæ in tribus dialogis Polymorphi ſæpe citat Theodor. in quibus ipſis varium ſe & inconſtantem (qualia ſunt hæreticorum omnium ingenia) prodit, cùm quæ ædificat deſtruat. Vnde Dialogo 2. vocat Theodoret. eius ſcripta fabulas & præſtigias, quemadmodum & Socrat. lib. 2. cap. 46. Vnde verò nata ſit hæc, de qua agimus, ſecta, dubitare videtur Epiph. Itaque ex nullius autoris nomine eam appellat, ſed διμοιρίτας vocat qui hanc profitentur, quòd humanam naturam in Chriſto diuellunt, vnámque eius partem tantùm tribuunt Chriſto. At omnium authorum conſenſu Apollinariſtæ nominantur. Ergo & Dimoiritæ ſiue Duplares, & Apollinariſtæ dicuntur. Cœpit autem hæc hæreſis poſt Nicenam ſynodum (etſi tempo- C re Athanaſij nota iam fuerunt eius initia. Nam de ea ſcribit ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum, quod etiam refert Epiphan.) circa Valentis Imperatoris, & Damaſi Roman. Epiſcopi, non autem Innocentij, vt Platina ſentit, tempora, anno à Chriſto paſſo 350. Socrat. libro 2. cap. 20. Quo primùm tempore Talmud à Iudæis ſcribi cœptum eſſe hiſtorici Eccleſiaſtici tradunt. In Cilicia verò primùm inualuit & recepta eſt Apollinariſtarum hæreſis, vnde ſe per totam diffudit Aſiam, imprimis autem Antiochiam labefecit, Sozomen. lib. 6. cap. 27. Latiſſimè certè propagata eſt propter opinionem de Apollinariſtarum illius authorum ſanctimonia, qui propter exactam vitæ rationem hominibus penè admirabiles erant, vt Epiphanius ſcribit, ne nos fucus iſte ſanctitatis externus hodie decipiat. Deinde in aſſuefactis iam & imbutis multa rerum curioſitate Syrorum Chriſtianorum (propter iam enatas diuerſas hæreſes) ingeniis, facilem ſibi aditum inuenit. Tamen & à Damaſo Romæ ſynodo collecta: & Conſtantinopoli à congregatis Epiſcopis ſtatim damnata eſt. Peruicerunt tamen animi peruicacia & contumacia Apollinariſtæ, & ſe ſuúmque errorem ſuſtentarunt diutiſſimé. A Perſtitit enim hic error continua quadam Epiſcoporum ſucceſsione vſque ad Leonis Imperatoris tempora. Nam vt ſcribit Theodoretus libro 5. Hiſtoriarum capite 38. ſub Martiano in Alexandria maximè vigebat, & ſub imperio Leonis in Antiochia ſeditionem Apollinariſtæ mouerunt, quemadmodum traditur in collecta Theodori Lectoris, id eſt, poſt annum, poſtquam nata eſt hæc hæreſis pluſquam 150. In duas tamen partes ſtatim ſe diſcidit.

Dicti ſunt enim alij {
Apollinariſtæ ſimpliciter, qui Chriſtum incarnatum dixerunt.
Apollinariſtæ Marcionitici, q Chriſtũ corpus ſuũ de cœlo ſumpſiſſe, & in cœlis ipſis θειότητι ὁμοούσιον habuiſſe contenderunt.

Fuiſſe enim Chriſtum in cœlo ipſo hominem antequam è Maria naſceretur. Socrat. libro 6. cap. 27. ibíque corpus habuiſſe diuinæ naturæ æquale & omnino ſimile & ὁμοούσιον. Itaque ex Maria nihil ſumpſiſſe, ſed θείᾳ φύσει corpus geſtaſſe, quod noſtris non eſſet par. Habuit igitur hæc ſecta hos ſucceſſores celeberrimos, Polemium, qui Verbum carni mixtum & cõſubſtantiatũ dixit; B Vitalianum qui vixit Antiochię: & Theodorum Mopſueſtię Epiſcopũ.

2 *Carnem ſine anima.*) Grauiſsimam fuiſſe hanc hæreſin ex Gregorio Nazianzeno teſtatur refértque Sozomenus, quæ infinitas orthodoxæ fidei labes peperit. Ex Arianis autem ſumpta eſt, à quibus paululum deflexit. Illi enim Chriſtum corpus omnino ſine anima ſumpſiſſe docuerunt: hi verò Chriſti corpus ἄψυχον fuiſſe nunquam contenderunt. Nam contenſerunt Chriſtum aſſumpſiſſe σάρκα ἐμψυχωμένην quidem, ſed anima rationali deſtitutam. Fuiſſe enim volunt in Chriſto animam quidem θρεπτικὸν καὶ ἄλογον tantùm, nõ autem λογικὴν, non eam animæ partem, quæ in homine νοῦς & ἡγεμὸν appellatur. In hoc igitur fuerunt ab Arianis diſsimiles, vt Theodor. Dialog. 2. Inconfuſus, docet, & Heſych. in Leuitic. cap. 14. In quo fallitur Iſidorus, qui ſcribit Apollinariſtas ſenſiſſe Chriſtum aſſumpſiſſe duntaxat corpus ſine anima. Nec enim id illi docuerunt, ſed potius Ariani. Pro mẽte autem & anima humana deitatem in Chriſto ſubſtituerunt Apollinariſtæ, ex qua & corpore C conſtaret Chriſtus, faceretque eadem illa diuina natura in Chriſto, quæ ratio in nobis conſulit & operatur. Vnde oppoſita eſt Apollinariſtis hæc confeſsio, οὐκ ἄψυχον, οὐκ ἀναίσθητον, οὐκ ἀνόητον σάρκα καὶ σῶμα εἶχεν σωτὴρ, vt docet Epiphan. Cur autem id ſtatuerent ratio eſt, ne ſi ſimilem nobis animam habere diceretur Chriſtus, eum peccare potuiſſe cõcedendum eſſet. Deinde, quòd vt homines cum brutis animalibus corpore conueniunt, anima verò differunt: ſic Chriſtus cum reliquis hominibus carne quidem conuenit, anima verò ab iis differt, quia in eo λόγος & diuina ipſa natura eſt animæ vice: non autem, vt in nobis, eſt in illo νοῦς & διάνοια. Hæc ſanè ratio ineptiſſima eſt. Primùm quia vna eſt numero in vno quoque homine anima, non plures, quæ facultatibus tãtùm diſtinguitur in corpore & differt, propter quas θρεπτικὴ, αἰσθητικὴ, λογικὴ nominatur: non ſunt autem hæ diuerſarum & plurium eſſentiarum & ſeparatarum appellationes, adeò vt in homine θρεπτικὴ ſine λογικῇ animæ facultate & parte eſſe nõ poſſit. Eſſet enim

A compoſitum quid, corporeum, & partibile anima hominis. Deinde docet Chriſtus ipſe ſe habuiſſe eam animam, quam νοῦν & ἡγεμονικὸν appellant philoſophi, quæque verè eſt immortalis. Nam in morte ad Deum, qui eam condidit, redit. Hoc igitur probant verba Chriſti, cùm ait, Luc.23.ver.46. Pater, in manus tuas depono ſpiritũ meum. Ioan. 10.verſ.16. Denique, vt docet Auguſt. Contra Felicia.capit.13. Chriſtus non eſt perfectè mediator noſter, ſi animam noſtram non aſſumpſit, quæ & ipſa peccato, vti caro, peſſimè vulnerata eſt. Itaque ſananda. Præclarè enim Nazianzen. quod non eſt à Chriſto aſſumptum, nec ab eo quoque ſanatum eſt. Item Auguſtin.tract.47.in Ioan.Euangel.cap. 10. Apollinariſtæ hæretici dicti ſunt, quia auſi ſunt dogmatizare, quòd Chriſtus non ſit niſi Verbum & caro, & Animam humanam non eum aſſumpſiſſe contendunt. Videte abſurditatem & inſaniam: Animam irrationalem eum habere voluerunt: Rationalem negauerunt. Dederunt ei animam pecoris: ſubtraxerunt animam hominis: & lib.2.cap.10. de Symbol.ad Catechumen: Totum quidem hominem B ſuſcepit ille curandum, ſed ampliorem curam demonſtrauit adhibendam eſſe animæ, quàm corpori. Atque hoc eſt primum Apollinariſtarum hæreſeos caput. 2 Quidam ex illis cum Sabellianis conſentiunt, & in Trinitate perſonas tollunt vel confundunt, Theodoret. 3 Diuerſas eſſentias & diſſimiles in Trinitate cõſtituũt. Tres enim eóſque diuerſos potentiæ gradus in Perſonis diuinis conſtituunt, cùm dicunt, Magnus, Maior, Maximus. Spiritum enim ſanctum Magnum appellant: Filium Maiorem: Patrem autem Maximum. Quæ differentia & inęqualitas locum habere non poteſt, ſi trium perſonarum vna ſit eſſentia. Quare qui ſic docent, tres diuerſas in diuinis οὐσίας & impares fingũt & conſtituunt, Theodoret. lib.4.Hæret.fabul.& lib.5.Hiſtor.cap.3. 4 Λόγον cum carne commixtum confuſúmque eſſe, & in eam mutatum, quia non tantùm vnionem, ſed vnitatem deitatis & carnis defendebãt, vt Theodoretus docet. Suidas de illis agens ait, μίαν εἶναι φύσιν λόγου καὶ σαρκὸς ὡς ἀπελθούσης τῆς εἰς τὸ εἶναι. Itaque Polemius Apollinaris diſcipulus dixit λόγον conſubſtantia-C lem cum carne fuiſſe. Hinc poſtea infœliciſſima Eutychianorum ſoboles propagata. 5 Chriſtum non ſumpſiſſe carnem ex Maria, ſed eam è cœlo ſecum detuliſſe, vti eandem poſtea per aſcenſionem in cœlum intulit & euexit. 6 Chriſtum propriam humanámque voluntatem non habere aut habuiſſe, quemadmodum nos homines habemus: ſed eam tantùm, quæ à diuinitate creatur, & diuina eſt. Hoc certè tollit duplicem illam naturam qua conſtat ſaluator noſter Chriſtus. Hinc Monothelitę genus hominum religioni Chriſtianæ infeſtiſſimum prognatum. 7 Animas ab animabus propagari & generari vti corpora à corporibus. Itaque partibilem diſſolubilémque hominis animam facit, vnde & mortalem, quod eſt conſequens. 8 Poſt reſurrectionem vltimã inter pios Sabbatha, circunciſionem, Iudaicorum ciborum diſcrimen, cæteráſque legales ceremonias locum habituras: imò etiam futurũ templum inter nos. Qui error ex Apocal.cap.21. & 22. perperam explicato natus eſt, vbi ſpiritalia rerũ terrenarum & inter Iudæos notiſſimarum ſimilitudine proponuntur. Hunc Apollinarij errorem notauit etiam Baſil. in epiſtol.ad Occidentales Epiſcopos de Euſtathio, Apollinario Paulino &c. loquens. Atque hi ſunt malæ arboris mali peſtiferíque fructus, & Arianorum τέκνα πήματα, vt eſt in veteri prouerbio. A

Antidicomarianitæ cur ſic dicti. Erroris eorum caput vnum commemoratur.

Cap. LVI.

ANtidicomarianitæ[1] *appellati ſunt, qui Mariæ virginitati vſqueadeò contradicunt, vt affirment*[2] *eam poſt Chriſtum natum viro ſuo fuiſſe commixtam.*

1 *Antidicomarianitæ.*) A dogmate non autem ab autore denominata eſt hæc hæreſis. Dicuntur enim Ἀντιδικομαριανῖται quòd ſint ἀντίδικοι Μαρίας, id eſt, Mariç aduerſarij, B cuius virginitatem, quantum poſſunt, oppugnant. Appellantur etiam Antimaritæ & Heluidiani, ab Heluidio homine, vt ait Hieronymus in ſcripto aduerſus eum edito, ruſticano & vix literis imbuto, ſed Auxentij Ariani Epiſcopi diſcipulo. Vnde fit, vt Arianorum ſobolem hos quidam exiſtimẽt. Alij Apollinariſtarum παρέκφυσιν & ſuperfœturam obſcœniſſimã eſſe malunt, velut Epiphanius, quandoquidem huius ſectæ error primùm ab Apollinario patre, pòſt autem ab ipſius auditoribus conceptus eſt, quem ante Heluidium vixiſſe nemo dubitat. Cœpiſſe verò videtur ſuo ſeparatóque ab Apollinariſtis nomine & cœtu hæc hæreſis ſub Theodoſio Magno Imperatore & Syricio Roman. Epiſcopo, anno à Chriſto paſſo 355. In Arabia verò primùm innotuit & propagata eſt, vnde in Gallias & Italiam traiecit: ſed ſtatim tum ab Epiphanio Cypri Epiſcopo in Oriente: tum ab Ambroſio in epiſt.79. tum etiam Hieronymo Stridonenſi, presbytero Romano in Occidente, repreſſa conticuit. Neque enim vllos magni nominis inſigniſque doctrinæ viros defenſores & patronos habuiſſe videtur, niſi fortaſſe Bonoſum epiſcopum, de quo idem Ambroſ. eadem epiſtola 79. meminit. Præterea iam C tum adeò inualuerant virginitatis laudes, & B. Mariæ matris Domini noſtri Ieſu Chriſti veneratio, vt facilè compeſci quæcunque aduerſus Mariam blaterarent homines, potuerint. Quemadmodum verò ex huius erroris refutatione confirmatur articuli fidei noſtræ & veræ, Natus de Maria virgine, ſententia, eripitúrque Iudæis occaſio eleuandæ in eo Euangelij certitudinis, quæ in dubium vocari videtur, ſi Maria poſt partum Domini noſtri Ieſu Chriſti à Ioſepho cognita dicatur: ſic ex huius virginitatis præpoſtera & immodica certè defenſione & commendatione auctæ ſunt colendæ adorandæque Mariæ, & coniugij vituperandi cœlibatúſque extollendi in immenſum occaſiones, adeò vt Syricius ipſe ſub cuius pontificatu hæc diſceptatio agitata eſt, apertiſſimè pronuntiarit, ſed tamen impiiſſimè, coniugium eſſe Deo exoſum, & qui coniuges ſunt in carne viuere, nec Deo iam placere poſſe. cuius ſententia extat in Decreto.diſtin.82. Denique eò tandem ventum eſt, vt ſoli cœlibes beati, felices,

A regno cælorum digni vel participes cenſerentur, contra manifeſtam Spiritus Dei vocem, Hebr.13. v.4:1. Tim.4.v.3. & vt Maria virgo apertè iam in Dei Eccleſia templis ariſque coleretur, & numen Deo par obtineret, de qua ſcribit Epiphanius, ſe non audere affirmare vtrum mortua ſit, an in ipſo corpore immortalis facta. Extabat quidem iam Irenæi dictum de Mariæ laudibus, & patrocinio apud Deum pro nobis, ſi modò illius tātique viri germana ſententia eſt, non autem inſita, & tranſlatitia: ſed poſtea eæ Mariȩ laudes in furorem euaſerunt, & planè idololatricus cultus fieri cœpit, adeò vt ad illius ſimulachrum homines tāquam ad diuinum numen confugerent: Euagr. libro 5. cap. 18. & illius etiam imaginem venerabundi oſtentarent. Quod fecit illa Pulcheria ſoror Theodoſij, ad quam Eudocia eiuſdem Theodoſij vxor, eam Hieroſolymis & Iudæa Conſtantinopolin miſerat, vt ſcribit Theodoret. Lector in Collecta.

2 *(Iam poſt Chriſtum.)* Erroris huius ſectȩ ſumma, Mariam poſt editum Chriſtum virginem non permanſiſſe. Iſidor. Nam errant qui hanc hæreſin multiplicem conſtituunt. Quòd enim hæreticorum B quidam Chriſtum negant ex Mariæ ſubſtantia genitum, alij ſine viri ſemine ex ea natum non concedunt: alij ex Maria Chriſtum paruulum prodiiſſe non admittunt, ſed iam plenæ ſtaturȩ hominem: alij denique virginem ϑεοτόκον. i. Dei matrem appellari non patiuntur, ſed tantum Χειστοτόκον, ad alias hæreſes pertinet, non autem ad Antidicomarianitas. Cur autem hoc iſti ſenſerint, ratio eſt, primùm quorundam veterum authoritas, qui Mariam poſt Chriſtum à Ioſepho cognitam ſcripſerunt. Alij autem malunt Ioſephum mortua Maria ex alia vxore liberos ſuſcepiſſe. Epiphanius autem cēſet Ioſephum iam octogenarium fuiſſe, quum Mariam deſponderet quanquam tamen idē putat à Ioſepho alios liberos fuiſſe ex alia vxore ſuſceptos. In eadem ſententia eſt Nonnus qui Ioan. Euangelium verſibus expreſſit cap.7. Alia Antidicomarianitarum ratio ſumitur ex Matth.1. v.25. vbi Chriſtus primogenitus appellatur. Sed vt Iuriſconſulti reſpondent, Primus non ad ſequentes, ſed ad antecedentes tantùm refertur. Tit. De C reb. dubiis. D. Eſt primus quem nemo præcedit. Eſt vltimus, quem nemo ſequitur. Quod autem ibidem addit Matthæus, Et non cognouit eam quouſqne peperiſſet: non arguit probátve Ioſephum cum ea poſt partum coiſſe. Denique quod iidem afferunt quoſdam in Scriptura nominari fratres Chriſti, vt Iacobum, Galat.1. verſ.19. leue eſt. Fratris enim nomen ex more Hebræorum, omnes qui ſunt eiuſdē cognationis complectitur: quanquam ait Euſebius lib.2. ca.1. hunc Iacobum, qui iuſtus vel Oblia dictus eſt, à quibuſdam putari eſſe filium Ioſephi viri Mariȩ, ſed falſó. Atque hæc ſunt exigua huius hæreſeos robora. Accedo igitur eorum ſententiæ qui Mariam matrē Chriſti ſelectiſſimum Dei organum fuiſſe ſentiunt, & eam ἀειπάρθενον. i. ante & poſt partum virginē manſiſſe, & vixiſſe ſcribunt, non quòd tamen eam coniugem votum virginitatis vouiſſe, idque marito ſignificaſſe aſſentiar, vt eſt in Can. Beata. & Can. Sic quippe. 27. quæſt.2. Auguſt in Ioan. Euangel. tract.28. Sicut enim in ſepulchro, vbi poſitum eſt corpus Domini, nec antea, nec poſtea mortuus iacuit: ſic vterus Mariæ nec antea, nec poſtea quicquam mortale concepit. Et de hac quidem quæſtione ſatis. A Cui fuerunt contrarij Collyridiani, de quibus agemus in Arabicis hæreticis infrá.

CAP. LVII.

Meſſaliani cur ſic dicti. Erroris autem eorum capita tria commemorantur.

MEſſalianorum[1] *poſtremā ponit Epiphanius hæreſin, quod nomen ex lingua Syria eſt. Græcè autem dicuntur*[2] Εὐχῆται, *ab orando ſic appellati. Tantùm*[3] *enim orant, vt eis, qui de illis audiunt, incredibile videatur. Nam quum Dominus dixerit, Oportet ſemper orare, & non deficere: & Apoſtolus, Sine intermiſſione orate (quod ſanctiſſimè ſic accipitur, vt nullo die intermittantur certa tempora orandi) iſti ita nimis hoc faciunt, vt hinc iudicentur inter hæreticos numerandi. Quamuis nonnulli eos dicant de purgatione animarum neſcio quam phantaſticam, & ridiculam fabulam narrare, porcam ſcilicet cum porcellis ſuis videri exire de ore hominis quādo purgatur: & in eum viſibili ſimiliter ſpecie ignem, qui non comburat, intrare. His* B *adiungit Epiphanius Euphemitas, Martyrianos, & Satanianos, & hos omnes cum illis tanquam vnam hæreſin ponit. Dicuntur Euchitæ opinari Monachis non licere ſuſtentandæ vitæ ſuæ cauſâ aliquid operari: atque ita ſeipſos Monachos profiteri, vt omnino operibus vacent. Vſque ad iſtos ergo de hæreſibus opus ſuum perduxit ſupradictus Epiſcopus Cyprius, apud Græcos inter magnos habitus, & à multis in catholica fidei ſanitate laudatus. Cuius ego in cōmemorandis hæreticis non modum, ſed ordinem ſum ſequutus. Nam & aliqua ex alijs poſui, quæ ipſe non poſuit: & aliqua non poſui, quæ ipſe poſuit. Itaque alia latius quàm ipſe, alia breuius explicaui, paremque in nonnullis exhibui breuitatem, omnia moderans, ſicut intentionis meæ ratio poſtulabat. Proinde ille de octoginta hæreſibus, ſeparatis viginti, quas ante Domini aduentum extitiſſe, ſicut ei viſum eſt, computauit: reliquas poſt Domini aſcēſum natas ſexaginta breuiſſimis libris quinque comprehendit, atque omnes in ſex libros totius eiuſdem ſui operis fecit concludi. Ego autem qui ſecundum petitionem tuam eas hæreſes memorare inſtitui, quæ poſt glorificationem* C *Chriſti ſe aduerſus doctrinam Chriſti, etiam ſub velamine Chriſtiani nominis extulerunt, quinquaginta ſeptem ex Epiphanij ipſius opere in meum tranſtuli, duas in vnum referens, vbi nullam differentiam potui inuenire: & rurſus vbi ille ex duabus vnam facere voluit, ſub numeris ſuis ſingulas poſui. Sed adhuc commemorare debeo ſiue quas apud alios reperi, ſiue quas ipſe reminiſcor. Nunc ergo addo quas Philaſter poſuit, nec poſuit Epiphanius.*

1 *Meſſalianorum.)* In impreſſis omnibus quos mihi adhuc videre contigit, Pſallianorum. In quo error errori accumulatus eſt. Primus, quòd Pſalliani pro Meſſaliani ſcriptum eſt corruptiſſimé. Secundus, quòd hanc ipſam Pſallianorum vocem Syriacam eſſe volunt, quæ planè Græca erat, & à verbo ψάλλειν, quod fidibus canere ſignificat, deducta. Quem tamen errorem plerique ſunt ſequuti, præſertim F. Bernardus Lutzemburgus, ordinis, vt ipſe loquitur, Prædicatorij, in quinque libris De hæreticis. Ego verò ſic reſtituēdum

A affirmo, Meſſalianorum. ſed librariorum incuria maiuſculæ hæ literæ Meſ in P. mutatæ ſunt. Confirmant autem noſtram ſententiam infiniti penè authorum loci, ſed imprimis Epiphanius, à quo Auguſtinus hæc ſua ſumpſit, Theodoretus, & Epiphanij abbreuiator, Ioannes Damaſcenus. Sed etiam ratio ipſa Auguſtini, qui Meſſalianorũ vocabulum à Syriaca lingua deriuat. Et rectè. Dicti ſunt à verbo Chaldaico ſiue Aramæo צלה tſalah, quod orare & precari Syris deſignat. Hebræis autem aſſare & vrere. Inde Methſalim in Benoni Piel, Precantes: ſed Græci Tſade Hebræorum in duplex ſuum Sigma, propter διφωνίαν commutarunt. Hac voce vtitur Daniel capite 6. ver. 10. Hos eoſdem à Syris gentili ſermone Abin, & Paanin, id eſt, peruerſos & Maſſilianos vocatos fuiſſe ſcribit Hieronym. in Prologo Dialogor. aduerſ. Pelagian.

2 *Dicuntur* Εὐχῆται.) Variis appellationibus vna hæc & eadem hæreſis nominata eſt propter authorum qui eam vel defenderunt vel propagarunt, vel interpolarunt, diuerſa ſtudia, quò B maiore odio digna, & meritò quidem, haberetur. Nam iſtos magis quàm Cainianos & Antitactas hæreticos impios, execrandóſque eſſe teſtatur Theodoretus Epitom. Diuinor. Ergo Meſſaliani dicuntur ob eam, quam expoſuimus, cauſam: & Euchetæ Εὐχῆται, id eſt, Precatores, quæ vox planè Græca eſt, ἀπὸ τῆς εὐχῆς, quæ precationem ſignificat. Martyriani, quòd quendam ex ſuis à duce militum Luppiciano necatum colunt, tanquam Dei Chriſtianæq; fidei martyrẽ. Satanici, vel Sataniani, ꝙ Satanã, quẽ vitæ noſtræ præſidẽ, omniúmq; actionum noſtrarum moderatorem credũt, ſummiſsi venerantur, ne vt malus genius eos lædat. Εὐφημῖται, vt ait Epiphanius, quòd εὐφημίας & elogia quædam ex ſacris Literis decerpta, in Dei laudem cantitent. Ἐνθουσιασταὶ, quòd inſano furore abrepti, ſe quiduis eſſe ſomniant, & interrogati, An Prophetæ, an Abrahã, an Patriarchæ, an Chriſtus, ſint, omnia hæc ſe eſſe profitentur, & miſeri perſuadẽt. Itaque vt phanatici ſtatim in medium hominum cœtum exiliunt, & ſaltant variè, ridiculéque geſticulantur, vel digitis crepant, tanquam his C ſuis geſtibus dæmonas impugnent, & à ſe eiiciãt. Denique Spirituales vocantur, quòd ſe planè mũdo renuntiaſſe, quanquam tamen falſiſſimè, iactitant: ſed hoc illis cum Gnoſticis commune nomen eſt. Hanc autem infelicem ſtirpem ex Montaniſtarum ſemine natam quidam volũt: Epiphanius tamen ex Gręcorum, id eſt, ethnicorũ, & idololatrarum cœno hauſtam fæcem mauult. Ego verò etiam ex Anthropomorphitarum fonte ſcaturiiſſe dixerim, cum qua in multis conuenit. Certè monachiſmi, qui nunc ſub Papatu ſtabilitus eſt, & viget, magnum dedit hoc erroris & hominum genus non tantùm incrementum, ſed etiã fundamentum. Quid enim aliud ſunt noſtri temporis Monachti, quàm Euchetæ reſtituti, nouóq; nomine ſe celantes? Cœpit autem hęc hæreſis initia quædam ſua habere, iam inde ſub Conſtantio imperatore, quemadmodum Epiphanius ſcripſit: pleno autem dogmate, & ſua ſpecialíque appellatione innoteſcere ſub Valentiniano, & Valente Impp. & Damaſo epiſcopo Romano, circa annum à Chriſto nato 341. cuius non vnus quidam, ſed plures ſtatim authores extiterũt, in Meſopotamia præſertim, vnde primùm cenſetur ad alias Eccleſias profecta. A Dadoes enim, Sabbas, Hermes, Symeones, & Adelphius, qui Edeſſæ eorum epiſcopus fuit (eſt autem Edeſſa ciuitas eius Arabiæ quę & ad Euphratem pertinet, & Meſopotamię vicina eſt) eodem exorti tempore, hoc venenum diſſeminarunt, & diffuderunt. Senſim autem pullulans hæc arbor infauſta, & ex ipſius fructu deguſtato, peſſima percepta eſt à Latoio Melitenæ epiſcopo (Melitene verò eſt Cappadociæ ad Euphratem vergentis oppidum, vt ait Plinius libro 5. cap. 24.) deinde abs Flauiano Antiochiæ præſule damnata, vt eſt apud Theodoretum libro 4. hiſtor. cap. 11. tota Syria videbatur expulſa: ſed in Pamphyliam traducta eſt, vbi floruit, & tandẽ renouata in monaſteriis, vniuerſum penè terrarum orbem infecit. Diuiſi verò fuerunt etiam ipſi inter ſe in varias ſectas, magna ſucceſſorum ambitione, omnes tamen dogmata hæc retinuerunt, vt oratoria, quas εὐχὰς & εὐκτήρια vocant, tanti facerent, vt ex iis ſolis tota hominum ſalus pendere cenſeretur, & diceretur. Synodo vero Epheſina damnata eſt, quia cùm propter ipſum errorem diſplicuit: tum verò propter nouum & inſolitum tunc temporis inter B Chriſtianos & eccleſiaſticos homines corporis habitum inſtitutũ. Vt enim hi quid melius quàm vulgus Chriſtianorum profiteri viderẽtur, contra Pauli præceptum, 1. Corint. comam alere ſuos iuſſerũt, & barbam radere, quod & naturæ rerum repugnat, & formæ virili. Eſt enim, vt ait Epiphanius, barba ipſa quodammodo dignitas & forma viri. Quare etiam Carthaginenſi Synodo eam radere clerici vetiti ſunt, quod Synodi caput corruperunt perfidioſiſſimè poſtea Rom. pontifices in Decretal. epiſ. Tit. De vita & honeſtate clericorũ. & Agathenſi concilio ca. 20. iidem clerici comam promittere, vel alere prohibentur. id quod etiam extat in Can. clerici diſtinct. 23 in Decret. Duo verò hæreticorum ſuperiorum genera his noſtris aduerſabãtur: Prodiciani à Prodico vetuſto nebulone profecti, qui Deum omnino precandum eſſe negarunt, vt ſcribit Clemens Alexandrinus Strom. lib. 7. & Audiani, qui Monachos otioſos & nihil operantes, quales iſti ſuos eſſe volunt, vti ἀτάκτοις homines, & excommunicandos prorſus reiiciunt & damnant. Ita diabolus ſibi ipſi contrarius eſt, & ſerpens ſerpentem necat. C

3 *Tantum enim orant.*) Fuerunt multiplicia iſtius erroris capita. 1 Deum vnum quidem colunt, velut numen quoddam ſingulare, & monarchicum, non autem quale nobis à diuina Scriptura proponitur in tres diſtinctum perſonas & ὑποστάσεις reipſa exiſtentes Id quod ex Sabellianorũ putido & exoleto iam errore ſumptum eſt. Epiphanius. Inde Deitæ noſtri ſeculi nati, & qui olim Monarchici dicti ſunt, hoc caput amplectuntur.
2 Deum corporeis oculis cerni & videri poſſe contẽdunt. Nam eius naturam ſub ſenſus noſtros cadere volunt, quod ex Anthropomorphitarum errore ab iis ſumptum & interpolatum eſt, contra manifeſtiſsimam Chriſti vocem, Ioann. 1. verſ. 16. Nam quod ait Chriſtus ipſe. Matth. 5. v. 8, mundos corde viſuros Deum, ad oculos corporis propriè non pertinet, vt explicat Auguſtinus libro 1. De Trinitate, cap. 6. 3 Satanam vitæ actionúmque noſtrarum præſidem non modò fingunt, à quo tota vita etiam inuiti regamur, & agamur: ſed etiã colunt, placant & vt malum genium, venerantur, vt auerruncet mala. Itaque vt Antitactæ vitiis turpiſſimis

A piſſimis indulgent. Theodoretus lib.4. hæret. fabul.& in Epitom. Decret. diuin. 4 Caput erroris & huius ſectæ maximè proprium, Orationi & precationi totam animarum noſtrarum ſalutis vim attribuunt,& Chriſti ſanguini adimunt. Itaque & fidem & Euangelij prædicationem inutilem conſtituunt, quod idem poſtea fecerũt Gnoſimachi hæretici,de quibus Ioannes Damaſcenus. Contemnunt etiam diuina Sacramenta, quòd in vnam certarum precum & verborum demurmurationem transferunt cauſam noſtræ peccatorum remiſſionis, redemptionis,& liberationis. Vnde & ſtolidos ignaróſque prorſus homines iſtos eſſe oportuit, qui verbum Dei contemnerent: & ſuperbos,qui operibus ſuis, id eſt, precationi, ſuam aliorúmque ſalutem deuincirent. Quod tamen vtrunque noſtræ ætatis Monachi ſentiunt, & faciunt. Extant quidem paſſim in Scriptura precationis eximiæ laudes, vt ad eam homines incitentur, & docet Chriſtus ſemper orandum, Luc.18. verſ.1: & Paulus quoque 1.Theſſal.5.verſ. 17. Denique Moſes per preces hoſtes vicit,Exodi 17.ver. B 11.& Dauid hoc ſibi præſentiſſimum & tutiſſimũ fuiſſe ſemper in omnibus malis remedium teſtatur,Pſal.109.verſu 4.quæ etiam appellatur ſacrificium,& incenſum Domino gratiſſimum,Pſal.141. verſ.1. & Hoſeæ 14. verſ.3. & Chriſtiani hominis exercitatio,Heb.13.verſ.15. tamen hæc elogia non ad ipſum orationis noſtræ actum & dignitatem pertinent, neque ipſis noſtris verbis vim & cauſam tantorum Dei bonorum tribuunt, (eſt enim eorum veriſſima cauſa ſola Dei benignitas & gratia per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro nobis paſſum &crucifixum)ſed modum ad Deum adeundi,& colloquendi tantùm oſtendunt. Eſt autem precatio vera & ſincera ex fide ἀνυποκρίτῳ profecta,quia eſt oratio fidei fructus,Iacob.1.verſu 5. Rom.10.verſ.14.Hi verò ſpoliantes Chriſtum ſuo beneficio,ipſi labiorum ſuorum motui,& verborum à ſe effuſorum ſono illa dona vindicant, cum magna Dei ipſius blaſphemia. Habent igitur inſtar Iudæorum, vt vult Epiphan.magna extra vrbes ſepta in quibus precantur confuſi & inconditi. 5 Peccata & Satanam orando ſenſibiliter C eiici,qui tã exiguus fiat,quàm fumus eſt, aut paruum animalculum. Sic itaque extenuatus exit viſibiliter ex ore noſtro, vti porca & ſcrofa cũ porcellis:cuius loco viſibiliter quoque ſuccedit & ingreditur Spiritus ſanctus. Plus dicunt etiam per mucum, ſputum & excreationes Satanam abs nobis exſpui.Hæc autem non tantùm inepta ſententia eſt,ſed etiam falſa:quæ & Spiritum ſanctum & diabolum corporeum ſtatuit. Eorum autem quidam vlterius progreſſi ſenſerũt, Poſſe nos ad perfectionem eam iuſtitiæ peruenire in his terris degentes, vt non ſimiles tantùm Deo, ſed etiam æquales ſimus,adeo vt ne cogitatione quidem peccemus. Hinc Pelagianorum & Adamitarum hæreſes natæ,vt docet Hieronym.in Prolog.Dialog. aduerſ.Pelagianos. 6 Eleemoſynas quæ non ſuæ fidei hominibus fiunt, quanquam egentibus, damnant: Ioannes Damaſcenus. 7 Otioſi viuunt, & ſi quis opus aliquod manuum agere aggrediatur, eum ex cœtu ſuo excommunicant. Opera enim manuum auerſantur tanquam impia, contra Dei verbum tamen. Nam ait Dominus,In ſudore vultus tui comedes panem tuum.Geneſ.3. verſ.19: 2.Theſſ.3.& Pſalm.128.verſ.2. Itaque poſt A cantillationes ſuas abſolutas (eas enim certas numero,certíſque horis tanquã penſum perſoluunt) toto reliquo die otioſi ſtertunt. Theodoretus lib. 4.Hiſtor.cap.11.Atque hoc ipſum vitæ genus poſtea Monachi lubenter arripuerunt, & hodie etiamnum ſequuntur,vt ex Caſſian.lib.2. De canonico.noctur.colligi poteſt. Quod tamen vitæ genus inſectatur grauiſſimè & damnat apertiſſimè Auguſtinus in libro De opere Monachorum. 8 Neque mendacium neque periurium execrantur, vel damnant, quod latitandi & celandæ religionis gratia fit. Itaque impunè ſibi fidem ſuã negare permittunt,ſed & iurare & peierare docent, ne detegantur. Id quod ab iis Priſcillianiſtæ poſtea didicere. In quo dupliciter peccant, quòd & interrogatos homines fidem abnegare ſine ſcelere poſſe putant, contra illud Apocal.21. verſ.8. & Matth.10.ver.33.& quòd mentiri permittũt Chriſtianis, contra Pſalm.5.verſ.7. Hinc quoque nata eſt illa Scholaſticorum ſententia & defenſio,de officioſo mendacio minimè damnando. B 9 Baptiſmi vim ad præcedentia tantùm peccata delenda, non etiam ad futura abolenda & remittenda valere docent. Nouaculæ enim comparant, qua pili tantùm enati ſecantur & raduntur, latentes autem adhuc in carne non item. Theodoret.in Epitom.Diuin.decret. 10 Sacramenta denique nihil nos Chriſtianos iuuare.Itaque impunè & ſine piaculo contemni. Quod & de Baptiſmo, & de ſacra Domini Cœna ab iis dici manifeſtè ſcribit Theodoret.libro 4. hiſtor. cap.11. Si quis autem alia eorundem dogmata noſſe volet, legat Ioãnis Damaſceni opuſculum De hæreſibus. Atque hæc fuit mali ſurculi monachiſmi ſcilicet mala ſtirps quæ ſerpentis diaboli veneno infecta, etiam nunc peſtiferos profert fructus.

HÆRESES EX PHILAſtro ab Auguſtino collectæ & tranſcriptæ.

C

CAP. LVIII.

Metangiſmonitæ cur ſic appellati. Erroris autem caput duplex.

METangiſmonitæ[1] dici poſſunt, qui Metangiſmon aſſerunt, dicentes ſic eſſe in Patre [2] Filium,quomodo vas in vaſe, quaſi duo corpora carnaliter opinantes,ita vt Filius intret in Patrem tanquam vas minus in vas maius. Vnde & tale nomen hic error accepit,vt Μεταγγισμὸς *Græcè diceretur.* Ἀγγεῖον *quippe illa lingua vas dicitur, ſed introitus vnius vaſis in alterum. Latinè vno nomine non poteſt dici,ſicut Græcè potuit* Μεταγγισμός.

1 *Metangiſmonitæ.*) Græca eſt appellatio huius hæreſeos, à dogmate, non autem ab authore ſic denominata. Dicti ſunt autem & Metangæi & Metangiſmonitæ ἀπὸ τοῦ Μεταγγισμοῦ, vt etiam ex hoc Auguſtini loco docet Iſidorus. Quod autem μεταγγισμὸν vna voce dici, reddíve Latinè non putat poſſe Auguſtinus,fallitur. Nam & trãſuaſatio dicitur, vti conuaſatio, & elutriatio, vt anno-

A tãt Grammatici. Quo vero tempore cœperit hæc hæreſis, non eſt obſeruatum, quum tamen partim ex Sabellianorum, qui perſonas in diuinis cõfundunt: partim ex Anthropomorphitarum, qui Deũ corporeum faciunt, erroribus conflata fuerit, proximè Anthropomorphitas ſequuta videri poteſt. Sed neque vbi plurimùm viguerit, neque quandiu, commemoratur, & ſtatim extinctam eſſe veriſimile mihi ſit, quia pauci omnino de hoc hæreticorum grege ſcripſerunt. Dogma tamen iſtorum tempore Ioannis Damaſceni quodammodo notum vel renouatum videtur, quum lib. I. De orthodoxa fide, De Trinitate ſcribẽs, diſertè ſæpius repetit, Perſonas neque confundi, neque comprehendi alias ab alijs: ſed inter ſe ἔχεσθαι, & haberi, vt vnitas ſit motionis & operationis earum, quia, vt rectè ſæpius dixit Auguſtinus, ſunt indiuidua Trinitatis opera. Ἀδιάστατοι γὰρ καὶ ἀνεκφοίτητοι ἀλλήλων ὑποστάσεις, vt ca. 19. loquitur idem Damaſcenus. Inde natum eſt monſtroſum illud Scholaſticorum Theologorũ dogma, de Circuminſeſsione Perſonarum, quam vocãt, quia Ioan. 14. v. 11. ſic ait B Chriſtus, Credite mihi, me in Patre, & Patrem in me eſſe, quem illi locum nunquam intellexere. Quod autem Epiphanius in Marcionitis vocat Valentinianos, & Colarbaſios, Metangiſmonitas, & Metempſychochitas, aliò ſpectat, nimirum quòd hominum animas in alia corpora tanquam liquores in alia vaſa poſt mortem transfundi ineptè & falsò contenderent. Sed hi noſtri elutriatores non de hominum animis: ſed de ipſis diuinis Perſonis cõmenta ſua finxerũt, inuexerúntque. Atque eo ipſo peior eſt & grauior hic error.

2 *In Patre Filium.*) Triplex erroris caput. 1 Filium in Patre tanquam vas minus in maiore eſſe & contineri, vt Chriſti ſententia, Ego ſum in Patre, locum habeat. Atqui hoc propter vnam eandémque Patris & Filij eſſentiam dictum eſt, non quòd corporali quodam ſitu vel cõplexu vna perſona alteram ambiat, conſtringat, tãgat & amplectatur. Quod de Deo ſentire ridiculum eſt. 2 Deum eſſe corporeum, & corporali ſitu modóque κεῖσθαι & habere ſuum vbi, in quo eſt. Hoc ex Anthropomorphitis tralatitium eſt. 3 C Caput, quod ex duobus his ſuperioribus neceſſariò conſequitur, nimirum in diuina eſſentia aliquid eſſe ſeipſa maius, aliquid etiam minus, quod eſt prorſus abſurdum & ἀσύστατον. Maius quidem, vt Pater: minus autem, vt Filius: contra quem errorem acerimè veriſsiméque diſputauit iampridẽ vir Dei Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus. Et hæc quidem de vipera iſta minimóque ſerpente, ſed tamen nocentiſsimo. Tanti eſt nimirum cùm de Deo cogitamus, à rebus corporeis ad cœleſtes animum mentémque traducere.

Cap. lix.

Seleuciani vel Hermiani cur ſic dicti. Errorum autem eorum capita ſeptem.

SEleuciani[1] *vel Hermiani ab authoribus Seleuco & Hermia, qui elementorum materiam*[2]*, de qua factus eſt mundus, non à Deo factam dicunt, ſed Deo coæternam. Nec animam Deo tribuunt creatori, ſed creatores eſſe animarum Angelos volunt de igne & ſpiritu. Malum autem aſſerunt aliquando eſſe à Deo, aliquando à materia. Negant Saluatorem in carne ſedere ad dextram Patris, ſed ea ſe exuiſſe perhibent, eámque in ſole poſuiſſe, accipientes occaſionem*[3] *de Pſalmo, vbi legitur, In ſolo poſuit tabernaculum ſuum. Negant etiam viſibilem paradiſum. Baptiſmum in aqua non accipiunt, Reſurrectionem non putant futuram, ſed quotidie fieri in generatione filiorum.* A

1 *Seleuciani vel Hermiani.*) Anteſtari libet in plurimarum, quæ ſequuntur, hæreſeôn explicatione nos bonis probatíſque authoribus deſtitui. Nam nec Philaſtrum, nec Alphonſum de Caſtro, nec alios ſimiles ſcriptores moramur, in quibus & diligentiam & iudicium requirimus. Itaque quanquam inueſtigandi ſtudium in ſequentibus hæreſibus nobis non defuerit, vnde tamen adiuuaremur vt in ſuperioribus, non habuimus: contenti ergo erunt æqui noſtri huius laboris iudices & lectores qualicunque opera noſtra & diligẽtia. Sed ad Seleucianos & Hermianos, vel potiùs Hermogeniſtas accedamus. Videtur Philaſter, & poſt eũ Auguſtinus, duas eáſque diuerſas hæreſes, quæ etiam diuerſo tempore fuerunt, confudiſſe potiùs B, quàm coniunxiſſe. Harum prior ab Hermia vel Hermogene (idem enim & vnus vtroque nomine dictus eſt) Hermogenianorũ nominata eſt, extitítque ſub Seuero Imperatore & Zepherino Epiſcopo Roman. circa annum à Chriſto paſſo 177. & tempore Tertulliani, & poſtea Samoſateni. Fuit autem Hermogenes iſte Afer natione, cuius delirium de æterna huius mundi materia, pulcherrimo opere refutauit Tertullian. dedítque Manichæorum hæreſeos, quæ poſtea producta eſt, iaciendæ magna fundamenta. Multi quidem Hermiæ & Hermij hæretici fuiſſe leguntur (veluti Hermias vel Hermas Anthropomorphitarũ defenſor, de quo Theodoret. in hiſtoriis: & alius Manichæorum diſcipulus, de quo idem Theodoretus lib. I. Hæret. fabularum: item alius Sabbatij Epiſcopi fautor, de quo Nicephor. lib. 14. cap. 13. & ipſe hæreticus) cui tamen potius quàm Afro Hermogenianos iſtos errores tribuam, non habeo. Primùm, quòd eos in Hermogenem agens refutat Tertullianus: deinde quòd notiſsima & pernicioſiſſima fuit iſtius hæreſis. adeò vt illius etiam C in compendio ſuo meminerit Iſidorus: nec veriſimile eſt eã ab Auguſtino Afro vel Philaſtro illius ætatis vicino ſcriptore prętermitti potuiſſe. Nec verò nos varietas nominis perturbare debet. Idẽ enim & Hermias, & Hermas, & Hermogenes dici ſolet. Denique Hermianorum hæreticorum nulli alij probati authores meminerunt, niſi pro Hermogenianis accipiantur. Seleuciani verò alij fuerunt ex ipſis Manichæorum fontibus, meo quidem iudicio, orti, tempore tamẽ Hermogenianis poſteriores, eandem tamen de æterna mundi materia falſam ſententiam ſecuti, qui poſt Manichæorum ortum innotuerunt circa annum à Chriſto paſſo 247. Eadem verò quæ Manichæi profeſſi ſunt, de mali origine, creatione mundi, reſurrectione carnis: quædam tantùm, quò laterent tutius & ſecurius, in iam exoſa & damnata hæreſi interpolarunt & mutarunt, vt diuerſi ab aliis eſſe cenſerentur. Huius ſectæ nec Theodoretus qui Epiphanio poſterior fuit: nec Damaſcenus, qui iunior Theodoreto vixit: nec etiam Nicephorus vel quarumlibet ineptiarum magnus coaceruator, fecit men-

A cit mẽtionẽ vllã. Itaque pauca omnino à nobis de ea dici poſſunt. Et veriſimile eſt à variis Manetis diſcipulis variis in locis & mundi plagis eundẽ errorem diuerſo nomine ſparſum propagatúmque viguiſſe, ne nos nominum diuerſitas abducat.

2 *Elementorum materiam.*) Septem hîc recenſentur duarum ſuperiorum hæreſeôn capita, quorum alia ab Hermogene, alia à Manichæis defenſa introductáque legimus. Ex his autem hoc eſt. 1 Materiam mundi huius eſſe Deo coæternam, non autem à Deo, vt cætera, factam & creatam. Hæc fuit proculdubio antiqua in Eccleſia controuerſia, vt docet Euſeb. lib. 5. cap. 27. quæ tamen vulgò cenſetur Hermogenis commentum & delirium, quod poſtea interpolauit Manes. Nam idipſum à Philoſophis Stoicis, vt penè omnia ſua ſumpſerat Hermogenes, vt docet Tertull. 2 Ab Angelis de igne & ſpiritu, quæ ſunt tenuiſſimę eſſentię, creatas eſſe hominum animas, & creari quotidie, non autem à Deo, contra manifeſtam Scripturæ vocem, 1. Petr. 4. verſ. 19. Deuteron. 31. verſ. 16. Heb. 12. verſ. 9. Sed hoc ipſum ſomnium B ex Platonis Timæo in ſcholam Chriſtianorum traductum eſt ineptiſsimé. Eſt enim falſiſſimum. 3 Malum eſſe à Deo partim, partim à Materia, Manichæorum dogma & delirium illi cum Marcionitis commune, & cum Philoſophis pleriſque, qui cauſam mali & confuſionum, quæ in his rebus cernuntur, tribuunt materiæ, quam & cæcam dicunt, & ſemper impetu quodam ad nouas formas induendas ruere fingunt & contendunt. Collutiani verò hæretici, de quibus poſtea, huic dogmati prorſus aduerſantur, vt Iſidorus ſcribit, qui adeò malum à Dei natura putant alienum, vt ne mala quidem pœnæ, quæ dicuntur (quales ſunt afflictiones) à Deo proficiſci & immitti velint, contra dictum Prophetæ Amos 3. verſ. 6. ita mutuis ſe vulneribus confodiunt hæretici. 4 Negant Chriſtũ aſcendiſſe & ſedere in carne ad dexteram Patris. Eum enim carnem ſuam, cùm in cœlum aſcenderet, in ſole depoſuiſſe, quód perperam ex Pſalm. 19. verſ. 5. confirmare nituntur. Hóc Manicheanum eſt, vt ſuperius docuimus, & C Auguſt. lib. 2. contra Fauſt. cap. 5. annotauit. Carpocrates quidem antea dixerat ſolam animã Chriſti in cœlum aſcendiſſe, quod peræquè impium & falſum quoque eſt. 5 Negant vllum viſibilem paradiſum primùm à Deo cõditum, in quo Adamus & Eua à Deo collocati fuerint, & ita hominem à Deo ipſo malum peccatorémque creatum non ſubobſcurè indicant. Præterea manifeſtiſſimè Scripturæ repugnant, Geneſ. 2. verſu 8. ſed in eam ſententiam propter allegorias Origenis & aliorum inductos deceptóſque fuiſſe veriſimile eſt, qui omnia illa ad ſuas ſpeculationes reuocant. 6 Baptiſmum in aqua fieri non probãt propter elementi vilitatem, quod eſt tamen ſignũ à Chriſto ipſo inſtitutum, Actor. 8. verſu 36. & vox ipſa βαπτισμοῦ aqua fieri debere ſatis oſtendit. Inde factum & receptum eſt, vt à Papiſtis multa adderentur tanquam Baptiſmi ornamenta, & ſigna potiora ipſa aqua, quale chriſma, ſputum, cereus, & huiuſmodi quædam nugę, vt eſt in cano. Prima igitur. De conſecrat. diſt. 4. 7 Negant reſurrectionem carnis, quod illis eſt cũ multis commune.

3 *Occaſionem de Pſalmo.*) Locus eſt Pſalm. 19. verſ. 5. qui ad ſolem, cui Dominus in cœlo domicilium poſuit, non ad Chriſtum pertinet. A Id quod omnes linguæ Hebraicæ docti ſciunt. Itaque legendum eſt, Soli in illis tabernaculum poſuit. Sed Imperitia Hebraicæ linguæ ſæpe à veteribus erratum eſt.

CAP. LX.

Proclianitæ quibus ſucceſſerint, & quid ſenſerint.

PRoclianitæ[1] *ſecuti ſunt iſtos, & addiderunt Chriſtum non in carne veniſſe.*

1 *Proclianitæ.*) Vtrum Procliani vel Proclianitæ dicãtur, nihil intereſt. Ratio enim Grammatica patitur vtrunque. A Proclo enim vel Proculo (quod idem eſt: quem enim Græci Πρόκλον, Romani Proculum dicunt) deriuantur, qui ſuperioris hęreſeos defenſor: huius autem autor & parens fuit. Quis autem hic fuerit (niſi ſi fortaſſe is cenſeatur, qui Cataphrygarum erroris ſuſpectus ab Euſebio commemoratur, libro 2. ca. 25. Hiſtor. deinde à Nicephoro lib. 4.) explicari non poteſt. Sed is ante Manetem & Manichæos vixit: hic noB ſter poſtea, vt alius mihi videatur. Obſcuri enim nominis tota hæc hominum ſecta fuit, vt nec Iſidorus, nec Platina ex recẽtioribus: nec Græci poſteriores, qualis Damaſcenus vel Nicephorus vel Zonaras, illius meminerint. Ex collocatione tamen ſuſpicamur eos fuiſſe Seleucianis ætate proximos. Fuit autem Proclus quidam Conſtantinopol. Epiſcopus, poſt Maximum, Theodoſij iunioris tẽpore, Ioan. Chryſoſtomi diſcipulus & amanuenſis, vt Nicephorus ſcribit lib. 14. cap. 37. ſed is nullius vnquam hæreſeos damnatus eſt, ſed ne accuſatus quidem vel inſimulatus. Hic autem noſter hæreticus fuit. Huius autem ſectæ vna hæc hypotheſis propria (in reliquis enim ſenſerunt cum Seleucianis) cenſetur, Chriſtum in carne non veniſſe. Id quod apertè Antichriſtianum dogma vocat Ioannes 1. epiſtola, cap. 4. verſ. 3. & totum ſalutis noſtræ fundamentum ſubruit, denique Deum mendacem conſtituit, & efficit falſam Euangelij prædicationem. Itaque planè blaſphema ſententia dicenda eſt. His autem ſimillimæ fuerunt aliæ duæ hæreticorum familiæ, quorum Ioan. Damaſcenus meminit. C Ex iis autem alij Chriſtolytæ (quòd Chriſtum diſſoluerent, & Chriſtum cum carne in cœlum aſcendiſſe negent) alij Aphtartodocitæ nominãtur, quòd Chriſtum verum hominem fuiſſe negent, & verum paſſum, noſtríſque infirmitatibus, excepto tamen peccato, corpus obnoxium aſſumpſiſſe. Quæ omnes ſententiæ planè noſtram ſalutem euertunt, & ſunt repetita Marcionitarum crambe.

CAP. LXI.

Patriciani cur ſic appellati. Erroris eorum capita duo recenſentur.

PAtriciani[1] *à Patricio nuncupati, ſubſtantiam*[2] *carnis humanæ non à Deo ſed à diabolo conditam dicunt, eámque ſic fingendam & deteſtandam putant, vt quidam eorum perhibeantur etiam morte ſibi illata carere carne voluiſſe.*

1 *Patriciani.*) Minutæ iam aliquot hæreſes ſequuntur, non quidem dogmatis, ſed famæ &

A celebritatis ratione, qualis hæc Pauci enim omnino huius meminerunt, & quod reliqui de ea ſcribunt, veluti Iſidorus, Gratianus, & Bernardus Lutzemburgus, ex hoc Auguſtini loco tranſcriptum eſt ad verbum. Ac mihi quidem fit veriſimile, cùm hæc eſſet cœnoſus Marcionitarum & Manichæorum fontis riuulus, ab vno aliquo dogmatum iſtorum diſcipulo & propagatore nouo Patricianorum nomine vocatam & donatam, quò lateret ſecurius, lubentiúſque reciperetur: quæ tamen ſtatim extincta neque latiùs peruagata eſt. Nec verò nouum eſt, vt vnus & idem error variis à profeſſorum nomine appellationibus, tanquam variæ eſſent hęreſes, proponatur & damnetur. Ergo quis fuerit hic Patricius non eſt traditum. Neque enim is fuit qui à Socrate lib.3. Hiſtor.cap.25. dicitur Epiſcopus Palti. (Paltos autem erat Syriæ ad Libanum ſitæ oppidum) quia fidem orthodoxam ille tenuit. Hic autem noſter Patricius fuit planè κακόδοξος & hæreticus: & quidem teterrimi dogmatis propugnator. Sed nec is Patricius eſt, cuius meminit Suidas & ſub Iouiniano vixit. Extitit enim hæc hæreſis, non tantùm poſt Cerdonianorum, Marcionitarum & Manichęorum B tempora: ſed etiam, vt videtur, poſt Epiphanij ętatem, qui ſub Arcadio Imperatore vixit, fortaſſe circa annum à Chriſto paſſo 387. Pauco vero tempore viguit iſta ſecta permanſitve, quæ alia fuit quàm Paternianorum ſiue Venuſtianorum hæreticorũ, de quibus poſtea hic ipſe Auguſtinus. De his autem noſtris idem Auguſtinus lib.2. contra aduerſar. Legis & Prophetar. capit.12. ſic ait, Fuerunt à quodam Patricio nonnulli Patriciani, qui ſunt ſimiliter aduerſantes diuinis veteribus libris. Ioannes autem Damaſcenus Parermeneutas appellaſſe videtur, quanquam quę fuerit eorum hæreſis & dogma non explicat accuratè. Venuſtianos tamen & Paternianos huius ſtirpis ſurculum fuiſſe ſanè crediderim.

1 *Subſtantiam carnis.*) Tres videntur colligi poſſe huius ſectæ hypotheſes. 1 Subſtantiam carnis, id eſt, corporis à Deo conditam non eſſe, ſed à diabolo. Iſidorus. Caro enim apud eos C corpus ſignificat, non totam humanam naturam, id eſt, animã & corpus, quibus duabus partibus conſtamus ſinguli. Cur autem fallerentur, ratio eſt, quòd paſſim in Scriptura & opera carnis & concupiſcentiæ damnantur, veluti Galat.5. verſu 19: Rom.8.verſ.13: 1.Corinth.16.v.50: 1.Ioann.2.verſu 16. Sed homonymia vocis hallucinantur turpiſſimè. Tunc enim caro non ſubſtantiam ipſam corporis, ſed vitioſitatem illam quæ per peccatum Adami humanæ naturæ ſuperuenit, tanquam vulnus & ſauciatio quædam integro & valenti membro, deſignat. Quatenus enim caro pro ipſa corporis ſubſtantia ſumitur, à Deo creata eſt, non autem à Diabolo. Quatenus humanam etiam naturam denotat, Dei planè opus eſt, & carnem aſſumpſit Chriſtus ipſe filius Dei dilectiſſimus & qui ſanctiſſimus ſemper mãſit. Ioã.1.v.14. Heb.2.v.14. adeò vt Chriſtũ ipſum, verũ hominẽ fuiſſe, carnémque aſſumpſiſſe neget, qui carnis ſubſtantiam execratur, & deteſtandum diaboli opus eſſe defendit. Id quod cum Marcionitarũ & Manichæorum errore coniunctum eſt. 2 Chriſtianum hominem mortem ſibi conſciſcere poſſe putant, vt ſe hac carnis mole .i. corpore noſtro exuat. Hos intelligit Chryſoſtomus in 1.cap. epiſtolæ Pauli A ad Galatas. Ratio videri poteſt ducta ex Roma.7. v.24. his verbis, Miſer homo ego, quis me eripiet ex iſto corpore mortis? Sed de vitiis & peccatis, quæ in nobis hîc viuentibus habitant & ſæpe regnant, loquitur illic Paulus, quemadmodum alibi doctiſſimè Auguſtin. interpretatur lib. De natura & grat.cap.55. non autem ipſam corporis φύσιν deteſtatur, quam idem affirmat reſurrecturã 1. Cor. 15.verſ.53. 3 Error, Vetus teſtamentum mutilant & truncant, nec libros omnes qui ſunt ἁγιόγραφοι ϗ ἐνδιάθηκοι recipiunt. Auguſt.libr.2.contra aduerſ.Legis & Propheta.cap.12. Ita nimirum ſemper accidit, vt error errori cumuletur, & qui paruus primùm videbatur, ſi antecedentia conſequẽtiáque ex eo colligamus, magnus omninóque periculoſus tandem appareat. Itaque vel leuiſſimos quoſque hæreticorum afflatus, quia ſunt Satanæ flabella, diligentiſſimè cauere, & tanquam omnia infauſta procurare debemus.

CAP. LXII. B

Aſcitæ cur ſic dicti. Erroris autem eorum caput eequod fuerit.

AScita ab vtre [1] *ſic appellati ſunt. Ἀσκὸς enim Græcè, Latinè vter dicitur, quem* [2] *geſtare perhibẽtur inflatum & opertum circumire bacchantes, tanquam ipſi ſint Euangelici vtres noui vino nouo repleti.*

Aſcitæ ab vtre.) Hi verò etiã Vtrarij vel Vtricularij dici poſſunt, quòd vt à Græco ἀσκὸς Ἀσκίτης, ita à Latino Vter, Vtrarius certè formatur. Quæ fuerit autem hæc hominum ſecta, vbi graſſata, quandiu perſtiterit, & quo primùm authore cœperit, legiſſe me non memini. Ac ne apud Iſidorum quidem huius facta mentio eſt, tam leuiter deiecta & exploſa nimirum fuit. Fortaſſe ad pōpæ eiꝰ, quæ in ſacris Dionyſij Bacchi Athenis fiebat, & in qua σκαφοφόροι & ἀσκοφόροι erant, quemadmodũ Suidas ſcribit, ſimilitudinem iſtos excitauit Satan, qui noua & prodigioſa planè ratione ſe Dei miniſtros & Euangelij præcones profiterentur, qui C digni erant, ad Probi imperatoris Romani exemplum, nomine vtris in aëre pendere potius, quàm viuere. Hi verò ſunt diſſimillimi ab iis, quos Aſcodrupetas Theodoretus appellat, de quibus diximus antea. Enthouſiaſtæ tamen & prorſus fanatici homines etiam iſti fuiſſe mihi videntur, & in loci illius qui eſt apud Matthæum explicatione falluntur & hallucinantur.

2 *Quem geſtare.*) In impreſſis ſic legitur, Quẽ perhibentur, hiulca prorſus oratione. Itaque vocabulum quod incuria librariorum excidit, repoſuimus. Huius autem hæreſeos dogma recenſet Auguſtinus, quòd vtrem inflatum & opertum circunferendum putant iis, qui ex Chriſti præcepto legitimè ſanctum Euangelium prædicare velint, abuſi ſacro Dei verbo quod eſt apud Matthæum 9.verſ. 17. & fortaſſe illo militum Gedeonis exemplo, quod extat in libro Iudicum capit.7. verſu 16. Sed ineptiſſimè. Quid enim fiet, ſi ea quæ παραβολὰς Chriſti continent, omnia vſurpemus? Oportebit nos habere lampades ardentes in manibus noſtris, eas circumgeſtare, lumbos etiam in ſuggeſtu præcinctos, & alia penè infinita, quæ nos

ſimias

A ſimias potius & ridiculos hiſtriones, quàm graues verbi Dei concionatores demonſtrabunt. Itaque inſulſa, abſurda, & nulla vel probabiii ratione fulta fuit hæc hæreſis. Sed tanti eſt, verum & genuinum Scripturæ ſenſum diligenter obſeruaſſe.

CAP. LXIII.

Pattalorinchitæ cur ſic dicti. Error eorum ecquis fuerit.

PAttalorinchitæ [1] *intantum ſilentio ſtudent, vt naribus, & labiis ſuis digitum opponat, ne vel ipſam* [2] *taciturnitatem voce præripiant, quando tacendum ſibi eſſe arbitrantur. Vnde etiam illis nomen eſt inditum.* Πάτταλος *enim Græcè dicitur palus, &* ῥύγχος *naſus. Cur autem per palum digitum ſignificare maluerint, à quibus nomen hoc compoſitum eſt, neſcio, cùm Græcè dicatur digitus* δάκτυλος, *& poſſint vtique Dactylorinchitæ multò euidentius nuncupari.*

1 *Pattalorinchitæ intantum*) Hæc hæreſis Monachiſmi & operiſtarũ fruticatio eſt, & ſolitudinis B eius, quam iſta hominum natio ſecuta eſt, atque amplexa, de qua meminit etiam Hierony. in Prooemio lib. 2. ad Galat. Nam vti ſe à communi hominum cœtu, tanquam feræ beſtiæ, monachi, ſubduxerunt, humanam mentem & naturam exuentes: ita varios errres genuerunt, multáque non tantùm paradoxa inſtituerunt, ſed ab humanitate ipſa & beneuolentia, quæ inter omnes homines eſſe debet, aliena probarunt; quòd à Deo in ſenſum reprobum ſunt traditi. Nec affirmari poteſt, vtrum Monachi hæreticorum variorum patriarchæ fuerint: an potius illi hæretici Monachorum patriarchæ & parentes. Pattalorinchitæ ex huiuſmodi luſtris & cauernis prodiere: qui & Silentiarij à ſilentio quod profitentur dici poſſunt, & à Caſſiano libro 4. De inſtitut. renuntiant. cap. 17. Tabenneſiotæ Monachi videntur appellati, quòd in regione Tabennæa (eſt autem Tabenne oppidum in extremis Ægypti & Cyrenaicę regionis finibus ſitum, quod Plinius videtur Tabidium appellaſſe, & Garamantis attribuiſſe lib. 5. C cap. 5. non multum deceptus: quia, vt eſt in Æthici Coſmographia nuper D. Ioſiæ Simleri diligentia luce donata, & ab inferis reuocata, Cyreniaca regio etiam Garamantas habet) primùm hoc vitę genus fuerit inſtitutum & receptum. Id quod etiã Sozomeni autoritate confirmatur libr. 6. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 28. Ex quo eodem loco apparet hãc hæreſin primùm in Ægyptiacis monaſteriis natã (nam illius præcipuè regionis monachos laudat Caſſianus, quòd vmbrarum more fuerint ſilentes, & ἄλαλοι) circa ea ipſa tempora, quibus Eunomianorum error pullulauit, id eſt, anno à Chriſto paſſo 333. Fuit enim eo poſterior. Cuius author Theonas quidam monachus Tabenneſiota (qui cum Beno deſertis illis poſt Ammonem præfuit) fuiſſe videtur, cuius cùm magna feratur doctrinæ & cognitionis trium linguarum laus, imprimis autem illius ſeculi hominibus ſtupendus erat, quòd per totos triginta annos ſiluit. Miror autem ego, quomodo doctum eum intellexerint illius ſeculi homines, cùm tandiu ipſorum teſtimonio ſiluerit, neque quicquam ſcripſiſſe dicatur. Solùm enim ex ſcriptis vel ex oratione homines eruditos agnoſcimus, ex vultu autẽ, geſtu, habitu peregino, genibus flexis & lachrymis non A intelligimus, vt ementita ea Theonæ laus mihi videri ſoleat, cuius tamen tanta laus per totam AEgyptum fuiſſe videtur, tantáque celebritas, vt in media Alexandria templum eum habuiſſe ſcribat Epiphan. in Ariomanit. Ergo hic iſtius erroris parens & author à nobis & hiſtoricis Eccleſiaſticis & à Caſſiano imprimis ſtatuitur, niſi quis adhuc antiquiorem eum eſſe malit, & à Pambone (qui & ipſe AEgyptius monachus fuit) profectum cenſeat, qui vt eſt apud Socrat. libro 4. cap. 23. cùm ex Pſal. 34. verſ. 14. *Serua ab iniuria linguam tuam*, audiiſſet, in eo vno implendo ediſcendóque totum vitæ tempus ſibi collocandum duxit, ſilentiúmque ſibi ex eo perpetuùm indixit. Hieronymus in epiſtola Paulæ ad Marcellam. In Chriſti verò villula, ait, tota ruſticitas, & extra Pſalmos ſilentiũ eſt. Certè hęc tota rigida ſilentij obſeruatio, Pythagoricorum inuentum eſt, qui diſcipulos ſuos per quinquennium continuum ſilere (quam ἐχεμυθίαν A. Gellius dixit) iubebat. Quanquam autem iſti Silentiarij apertè hîc ab Auguſt. inter hęreticos recenſentur, tamen peruicit Satan, B vt hic error & mos (qui planè eſt inhumanus & agreſtis) non tantùm in pleriſque monaſteriis toleraretur & retineretur: ſed nouo Carthuſianorũ monachorum nomine laudaretur, & vt ſanctitas quædam eximia commendaretur. Sunt enim Carthuſiani iſtius fæcis limus & ſordes, & ipſi verè Pattalorinchitæ & Silentiarij damnati. Etſi Bernard. ſuperſtitione monachica iam planè faſcinatus huiuſmodi ſilẽtij affectati regulas probat epiſt. 341. ſed vaniſſimo argumẽto. Cum his autem noſtris ſunt coniungendi alij hæretici, quorũ meminit Epiphanius in Cataphrygibus, appellátque Τασκοδρυγγίτας. Porrò hæc hæreſis ſtatim iſto Pattalorinchitarum nomine periit, alieno autem & interpolato, id eſt, Monachorum retenta, & ad noſtra vſque tempora propagata eſt.

2 *Vel ipſam taciturnitatem.*) Iſtorum erroris caput fuit, quòd futilibus quibuſdam nugis, & operibus à rerum natura alienis, vim ſalutis tribuerent, id quod ſolent omnes hypocritæ. Itaque iſti diuturno ſuo ſilentio laudes ſanctæ vitæ vindicãt, quod ſi rumpant, putant ſe damnatos, credúntque ſe crimen inexpiabile perpetraſſe. Vnde illud Æ- C gyptij Harpocratis faciunt, St, quemadmodum Varro lib. 4. De lingua Latina ſcribit, & digito tãquam palo fortiſsimè compeſcunt labia, ne vox vlla erumpat. Sed ex agendi vel loquendi geſtu appellatos fuiſſe iſtos homines veriſsimile eſt Παπαλορυγχίτας, quòd digitum tanquam baculũ naſo admouerent dum ſeriò ſua dogmata affirmarent. Sic Nonnus ſcribit, etſi falſò, Chriſtum hoc geſtu vſum quum alloqueretur Samaritanam mulierẽ. Hæc Nonni verba ſunt cap. 4. Ioan.

--Καὶ χριστὸς ἀμείβετο μάρτυρι μύθῳ
Δάκτυλον αὐτοβόητον ἀναυδ᾽ ἀεὶ ῥινὶ πελάσσας.

Nec vana eſt coniectura tantam ſilentij obſeruationem, támque rigidam non tantùm ſuperiorum Monachorũ, à quibus cœtus hi collecti erãt, exemplo: ſed etiam expreſſo voto, & iureiurando interpoſito ſancitam, quò res auguſtior ſanctiórque videretur. Ita nimirum hypocritæ illudere Deo volunt. Hæc Nouatianorum & Meletianorum. i. Operiſtarum fruticatio eſt. Nec nouum eſt, vt huiuſmodi quædam blaſphema, & non tantùm

A inepta deliria imperiti & idololatræ homines Monachi introduxerint, quando & Iudæorum, & Samaritanorum ritus ab vniuerſa Eccleſia damnatos, non tantùm inter ſe ſuiſque in luſtris vſurparunt: ſed etiam in Eccleſiam inuexerunt, & reuocarunt, quemadmodum non tantùm Theodoretus libro 1. hiſtor. ca. 9. teſtatur: ſed etiam vniuerſa Synodus Gangrenſis. Habuerunt autem hæc ferè erroris ſui fundamenta Silentiarij, quæ pro ſe afferrent, Pſal. 4. v. 14. Iacob. 3. v. 2. Siquis in ſermone non labitur, is perfectus eſt vir. Denique quod eſt ſcriptum Pſalmo 39. verſu 2. Quaſi fiſcella os meum, dum coràm fuerit improbus, capiſtrabo. Quæ omnia primùm non quid præſtemus, oſtendunt: ſed quid præſtare debeamus. Deinde non ſilentium importunum & ἄκαιρον inducunt, ſed tantùm linguæ moderationem ſuadẽt. Denique nullã ſalutis vim iſtis rebus tribuunt, ſed tãtùm metus Dei quædam effecta demonſtrant. Atque adeò in Deum ipſum grauiter peccat, qui, quũ opus eſt, non loquitur. Oratione enim quemadmodũ & ratione homines à brutis maximè differimus, cuius qui vſum inter homines tollit, non modò B magnas vitæ humanæ commoditates tollit: ſed etiam ex homine pecudem vel potius truncum & lapidem facit. Quamobrem rectè, mea quidem ſententia, habet prouerbium vetus, δεῖ μὴ σιωπᾷν, καὶ λαλεῖν, ὅπου χρεών. Atque hi ſunt ingenij Satanici fœtus, deteſtabiles illi quidem, & blaſphemi, ſed tamen à multis excepti, nimirum vt diſcamus ſalutem noſtram in veris ſuis cauſis quærere, non autem in noſtris deliriis collocare. Hi ſunt Carthuſiani noſtri temporis.

CAP. LXIIII.

Aquarii cur ſic appellati. Eorum error quis fuerit.

AQuarij ex [1] hoc appellati ſunt, quòd aquam offerunt in poculo ſacramenti, non illud, quod omnis Eccleſia.

1 *Aquarij ex hoc.*) Hanc Aquariorum hæreC ſin nõ tantùm partim à Seuerianis, qui vini vſum in Eccleſia damnarunt, profectam crediderim: partim etiam ab Helceſaitis, qui aquam pro Deo coluerunt, Thaletíſque Epheſij philoſophi dogma, vel errorem reuocarunt: verùm etiam cum Encratitis eandem fuiſſe affirmarim: ſed propter nominis varietatem, aliã & diuerſam cenſeri. Nec nouum eſt, vt vnus & idem error, quia interpolatus, aut à diuerſis ſparſus eſt diuerſis in locis, diuerſarum quoque hæreſeôn appellatione repetatur, & damnetur, Sic qui inter Gręcos Encratitę, apud Latinos Aquarij à dogmatis parte ſunt nominati. Itaque ad idem tempus vtroſque refero, & eandem illis infelicem ſtirpem aſſigno. Facit autem in hanc ſententiam quodammodo Iſidorus, qui Seuerianos iſtis Aquariis in recenſendo proximos collocat. Malim tamen ipſe Encratitarum ſchiſmaticos, & propaginem inauſpicatam conſtituere. Et certè digni erant qui non in Chriſtianorum numero cenſerentur, ſed ad ſacra prophanorum Athenienſium quæ vocantur Νηφάλια & Ὑδροφορία, quòd in his pro vino aqua idolis libaretur, relegarentur. Erroris igitur caput eſt, Aquam in ſacroſancta Domini noſtri Ieſu Chriſti A Cœna pro vino ſubſtituendam & porrigendam eſſe. Quod iſti ſentire nec poterant, nec auderent niſi & vinum damnarent ex deliriis Seuerianorũ: & aquam magnifacerent, quemadmodum Helceſaitæ: & certa ciborum genera tanquam deteſtanda abominarentur, veluti Encratitæ. Huius autẽ erroris prima fundamenta tunc iacta fuiſſe videntur, quum homines ſancta & ſimplici Cœnæ inſtitutione, quæ à Chriſto ipſo facta eſt, non contenti, ſua commenta illi addiderunt. Quare duobus ſignis à Chriſto datis, nempe pani & vino, tertium adiecerunt, aquam, quam vino miſcendam eſſe tradiderunt: non autem ſeorſim & ſeparatim à vino bibendam. Atque hac vini & aquę mixtione, Chriſti cum Eccleſia vnionem ſignificari docuerunt. Ita ſępe Cyprianus in epiſtolis, ita Ambroſius in libris De ſacramentis, ſi modò Ambroſij Mediolanenſis epiſcopi illa germana ſcripta ſunt, & non notha & falſò inſcripta. Ita in Cano. In calicem. De conſecrat. Diſtinct. 2. Sed & damnati Armenij, vt hæretici, quòd in Cœna Domini aquam non adhiberent. His autem nihilo vel meliores, vel ſaniores alij hæretici, qui à B Damaſceno Barſaniani, ſiue Semidalitæ nominãtur, qui non tantùm in cæteris cum Cainianis cõſentiunt, ſed etiam hoc habent à ſe, ſibíque peculiarem errorem etiam præter Eutychiani Dioſcori delirium, quòd in ſacroſancta Domini noſtri Ieſu Chriſti Cœna (in qua nihil immutãdum docet Paulus, 1. Corinth. 11. verſ. 23.) pro pane tantum ſimilæ & farinæ quantum ſummis digitis comprehendere poſſunt, capiunt, cámque ſummis labris deguſtant tantùm, & pro vſu eſúque panis & ſymboli Cœnæ ſubſtituunt, ita nihil vſquam à Satana intactum in religione Chriſtiana relictum eſt, ſed omnia etiam auguſtiſſima quæque fœdè conſpurcata. Deinde aſcititia illa in Cœnæ ſacramentum aqua variis laudibus commendata eſt, quia & Baptiſmus ſolam aquam habet, & in vino intemperantia eſſe dicitur, eóque iubentur reges abſtinere. Epheſ. 5. verſu 18: Prouerb. 13. ver. 4. Prętereа, miracula in aqua facta erant à Narciſſo, vt ait Nicephorus libro 5, ca. 9. Poſtremò iam exorti Encratitæ & Taciani ciborum aliquot, quemad- C modum diximus, genera damnarant, ita paulatim confirmata Aquariorum ſententia recepta eſt & probata, quæ in Miſſa Papiſtica ex parte etiamnũ hodie retenta eſt. tanti nimirum eſt à Dei inſtitutione & ordinatione non receſſiſſe.

CAP. LXV.

Coluthiani cur ſic dicti. Erroris eorum caput.

COluthiani[1] à quodam Colutho, qui dicebant Deũ [2] non facere mala, contra illud quod ſcriptum eſt, Ego Deus creans mala.

1 *Coluthiani à quodam.*) Coluthiani dicti ſunt hi hæretici vel Collouthiani, quos tamen Collitianos à quodam Collitio, vocat Iſidorus: ſed, meo quidem iudicio, mendoſè & corruptè, apud quem nomen iſtorum ex hoc Auguſtini loco (quem totum Iſidorus tranſcripſit) reſtituendum puto. Platina verò peſſimè in Eleutherio Quolitianos appellat. Quod etiam eſt ex hoc loco caſtigãdum. Coluthiani verò cur dicti ſint, ambigitur. Quidã enim à Coluthione nominatos putant. Eſt

A autem Coluthion,ſicut & Cephron, oppidulum ſquallidæ & internæ Lybiæ,quæ à Plinio libro.5. cap.6.dicitur Mareotis,éſtque contermina Ægypto,à qua etiam Mareotis lacus apud Vibium Sequeſtrum D.Simleri nominatus eſt,in quæ deſerta loca plures Chriſtiani perſequutionum tempore à præfectis Ægypti relegati ſcribuntur ab Euſebio libro ſeptimo capit.11.Auguſtinus autem ex Epiphanio, vt opinor, à Colutho mauult dictos, qui fuit huius erroris princeps & author. Fuit autem Coluthus iſte Alexandrinæ Eccleſiæ presbyter, Ario coæuus, quem etiam quanquam maleuolo quidem animo,detexit,& eſt perſequutus.De quo & Theodoretus libro 1.hiſtoriæ cap. 4.& Nicephorus libr.8.cap.7.meminit,ſed maximè Epiphanius hæreſi 69.Ariomanitę,his verbis, Καὶ οἱ μὲν προσεκλίθησαν Ἀρείῳ, ἕτεροι δὲ Κολλούθῳ, ἄλλοι δὲ Καρπώνῃ, ἕτεροι δὲ Σαρματᾷ. ὡς οὖν ἐξηγεῖτο ἕκαστος ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐκκλησίᾳ ἄλλος ἀλλότι, καὶ ἄλλος ἄλλο ἐκ τῆς παρακλήσεως καὶ ἐπαίνου τοῦ παρ' αὐτῶν, οἱ μὲν Κολλουθιανοὺς ἑαυτοὺς ὠνόμασαν, ἄλλοι δ' Ἀρειανούς. καὶ γὰρ ὁ Κόλλουθος τινὰ διατετραμμένα ἐδίδαξεν, ἀλλ' οὐκ ἐνέμεινεν ἡ τούτου αἵρεσις, ἀλλ' εὐθὺς διεσκορπίσθη. B Non commemorat igitur Epiphanius quid Coluthus ſēſerit:ſed ex hoc Auguſtini ſcripto intelligimus. Fuit autem alius Coluthus, de quo Suidas, Lycopolites & ἐποποιὸς ſub Anaſtaſio imperatore,qui ad hunc locum non pertinet.Cœpit igitur hæc hæreſis ſub Conſtantino Magno, quo tempore Arianus furor, circa annum à Chriſto paſſo 290. maximè in Ægypto, quæ huiuſmodi corruptelarum,quemadmodum & ſerpentum,feraciſſima regio ſemper fuit,videtur viguiſſe, nec diu tamen perſtitiſſe:quia à tetriore & immaniori blaſphemia, ſcilicet Ariani abſorpta, & ſtatim deleta eſt.Dum enim maioribus vitiis ſtudēt homines, minora negligunt, & non conſectantur. Quia tamen huius Philaſter tam diſertè meminit, etiam in Occidente graſſata videri poteſt, vti in Ægypto,& Oriente.

2 *Deum non facere mala.*)Huius hæreſeos caput vnum commemoratur(dogma enim Colouthianorum prætermiſit Epiphanius) nimirum quòd Deum pœnas & ſupplicia ſceleratis hominibus immittere & irrogare negarent, quia illa in Scri- C ptura vocantur mala. Deus autem nullius mali author eſt. Quod verò iſti dicunt,perinde eſt,atque ſi Deum iuſtum eſſe negarent, ſed ſcelerum otioſum ſpectatorem,non autem vltorem.Itaque Patres obiiciebant iam tum hunc Iſaiæ locum, quem refert Auguſtinus.Eſt autem cap.45.verſ.7. Ego Iehouah,&c.formans lucem,& creans tenebras,faciens pacem,& creans malum:ego Iehouah faciens omnia hæc.Item afferebant locũ ex Amos cap.3.verſ.6.An erit malum in ciuitate,& Iehouah non faciet,Et quod negatur, & contenditur Deũ non eſſe authorem mali,diſtinguendum eſt. Nam eſt malum duplex, quemadmodum Tertullianus docet,& ſequēti capite hic ipſe Auguſtinus,aliud nempe culpæ malum:aliud pœnę.Eius mali,quod eſt culpæ,non poteſt eſſe author Deus: eius autē, quod eſt pœnæ,non poteſt non eſſe Deus author, ſi modò & iuſtus eſt,& Omnipotens.quod nemo ſanus diffitetur.Huius autē erroris initia ex Marcionitarum dogmate (nondum enim orti erant Manichæi)quod Colluthianorum anteceſſit tempora,profecta videntur, dum homines imperitè illud euitare conantur & ſtudent.Illi igitur Marcionitę Deum veteris Teſtamenti authorem mali,omníſque rerum perturbationis conſtituebant: A iſti Colluthiani vocis ambiguam ſignificationem non attendentes,nullius mali cauſam eſſe contendebāt,dúmque contentioſè nimium inter ſe vtrique altercantur, veritatem, vt eſt in prouerbio, amiſerunt. Itaque illis accidit quod ait Horatius Flaccus,

Dum vitant ſtulti vitia,in contraria currunt.

Tāti eſt veram verborum ſignificationem percepiſſe & obſeruaſſe.

CAP. LXVI.

Floriani cur ſic dicti. Quis eorum error,& quàm Coluthianis contrarius.

FLoriani à Florino,[1] *qui è contrario dicebant Deũ*[2] *creaſſe mala, contra id quod ſcriptum eſt,Fecit Deus omnia,& ecce bona valde. Ac per hoc quãuis contraria inter ſe dicentes,tamen ambo diuinis eloquijs reſiſtebant.Creat enim Deus mala,pœnas iuſtiſſimas irrogando,quod Coluthus non videbat : non autem* B *malas creando naturas,atque ſubſtantias, in quantum ſunt naturæ,atque ſubſtantiæ,vbi Florinus errabat.*

1 *Floriani à Florino.*) Omnino vetus eſt hæc hæreſis.non autem poſt Colouthianos, aut circa eorum tēpora nata,etſi ſibi mutuò illi repugnant. Florianos vel Florinianos(vtrũque enim dici poteſt)à Florino denominatos eſſe omnes authores conſentiunt præter vnum Iſidorum,qui huius ſectæ parentem Florianum appellat.Quidam etiam à Flora muliere vocatos putant, ad quam Ptolemæus Valentiniani dogmatis aſſertor luculentiſſimè de ſui erroris defenſione ſcripſit, extátque apud Epiphanium ipſius epiſtola hæreſi 33. Sed quãdo & Euſeb. & Theodoretus, & alij authores claſſici ad Florianũ eã referũt,de primo huius nominis authore mihi non videtur ambigendum. Fuit autem Florianus Romanæ eccleſiæ presbyter,vnà cum Blaſto (ſic enim etiam apud Platinã legendum eſt, non autem Blaſco) huius ipſius dogmatis propugnatore(cui etiam ſæpe tanquam C authori tribuitur, vt à Tertulliano, & Euſebio) ſub Commodo imperatore,& Eleutherio Romano pontifice. Itaque circa annum à Chriſto paſſo 153.cœpiſſe videtur hæc hæreſis,Irenęo Lugdunēſi epiſcopo adhuc in viuis agente,qui ſæpe Florianum ipſum literis de errore abiurando commonefecit, vt eſt apud Euſebium libro 5.capite 20. ſed obſtinatus ille & peruicax perſtitit.Ex quo factum eſt, vt ab Eccleſia palàm excommunicaretur:quemadmodum etiam & Blaſtus,ſicut Theodor.lib.1.hæretic.fabul.ſcribit.Blaſti verò meminit in libr. De præſcript.aduerſ. hæreticos etiam Tertullian.Fuit autem hæc hæreſis Valentiniani ſeminis ſeges & propago teterrima (etſi Montaniſtis eam attribuit Euſebius,ſed falsò) quæ ſic in Occidente, & Romæ præſertim omnia labefecit Æonum deliriis,vti Valentinus in Ægypto & Syria viru venenóque ſuo cuncta corruperat, latiſſimè peruagatam ſcribit Euſebius libro 5.Hiſt. ca. 14,& 15. diu tamen retentam, defenſámque iſto nomine non legimus:ſiue quòd Occidens ab hæreſibus magis immunis fuit:ſiue quòd nõ fuerint magni inter homines nominis authores iſtius ſe-

A ctæ.Coluthianis prorſus contraria fuit, & repugnans, ita nimirum infinita ſunt mendaciorum diuerticula, ſibíque aduerſantia: veritatis autem via,vna & ſimplex.

2 *Deum creaſſe mala.*) Variæ fuerunt huius hęreſeos hypotheſes,quanquam vnam tantùm recenſet Auguſtinus, nimirum quæ ſuperiori errori repugnat,vt ex mutua collatione maior inter hæreticos ipſos diſcordia,atque fidei,rerúmque credendarum incertitudo eſſe appareat. Superiores igitur hæretici Deum iuſtum ſceleratorum hominum vindicem negabant: iſti peccati ipſius earúmque rerum, quæ meritò malæ & damnabiles ſunt,authorem faciunt. Itaque Florianus incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdin. Primùm igitur huius erroris caput fuit, Deum creaſſe mala, quo nomine peccata complectuntur, & naturas rerum etiam prima ſua origine, qualéſque à Deo conditæ ſunt, malas, prauas, & detortas,vitióque obnoxias affirmant. Fortaſſe ita ſentiunt ne non Deum omnipotentem confiteri, aut ne deos plures ex dogmate Marcionitarum,quod iam notum B erat,inducere viderentur, vnum boni,alterum mali conditorem. In quem errorem apertè poſtea Manichæi inciderunt. Itaque fuit hoc velut Manichianiſmi ſemen,& fundamentum,quod poſtea exædificatum eſt. Rectè verò Patres ex Geneſ. 1. demonſtrant, quæcunque à Deo facta ſunt, bona condita fuiſſe: omnia verò ſunt ab eo creata. Itaque diabolum & hominem ipſum ſe ſuámque naturam, quæ prius bona erat, corrupiſſe: & eius actus, quod malum & peccatum vel vitium rei dici debet,reique iam conditæ ſuperuenit, authorem eſſe. 1 De quo argumento aduerſus Manichæos infinita propè ſcripſit Auguſtinus,íſque legendus eſt. 2 error. Æonas Valentinianorum, eorúmque propagines & productiones, vt alij ex aliis naſcantur,renouarunt,ſúntque amplexi. Qua ſententia non modò ridicula fit tota de Filij ex Patre generatione fides: ſed etiam blaſphema de Deo opinio hominum animis inſeritur,dum Deum hominum more fluxu ſeminis atque ita partitione quadam ſeparationéque ſubſtantię generaſſe fingunt. C Theodoretus. 3 Iudæorum morem in celebrando Paſcha retinent,præfractéque obſeruãdum, aliáſque Iudæorum ceremonias docent, atque ita latenter,vt ait Tertull. Iudaiſmum in Eccleſiam Dei reuocant,& reponũt. Cętera ſunt Valentiniani,atque ita ex mala ſtirpe malus ſurculus.

CAP. LXVII.

Æternales,& eorum error quis fuerit.

HÆreſin[1] *quandam ſine authore, & ſine nomine Philaſter commemorat, quæ dicit hunc mundum etiam poſt reſurrectionem mortuorum in eodem ſtatu in quo nunc eſt,eſſe manſurum, neque ita eſſe mutandum,vt ſit cælum nouum, & terra noua,ſicut ſancta Scriptura promittit.*

1 *Hæreſin quandam.*) Anonymam hanc hæreſin commodioris diſputationis cauſa, nos Æternales nominauimus,quia mundi huius ſtatũ contra Dei verbum conſtituunt, qualis nunc eſt,fore æternum. Id vnde ſumpſerint,præterquàm ex philoſophorum (ſunt enim patriarchæ hæreticorum, quemadmodum ſcitè dixit Tertullianus,philoſophi) imprimìs autem Platonicorum, & Peripateticorum A deliriis, non video, quorum vtrique æternum quidem fore hunc mundum volunt, ſed illi quidem Platonici ortum initiúmque habuiſſe concedũt: hi autem Peripatetici,ſine initio & ortu fuiſſe fingunt, ſacratiſſimo Dei verbo & hiſtoriæ de creatione mundi apertiſſimè repugnantes. Sic Ariſtoteles Peripateticorum princeps ſcribit, & ſentit libro 1. De cælo: & quod de Platonicis diximus,extat in Platonis Timæo. Vtriuſque autem philoſophorum familiæ magna laus inter Ægyptios Chriſtianos, ſed præſertim Alexandrinos, fuit,adeò vt ij plurimùm ſapere viderentur in fide Chriſti, qui plurimùm in dogmatis iſtorum philoſophorum profeciſſent, & Ariſtotelica ſchola Alexandriæ viguit,à Chriſtianis ſuſtẽtata, vt Euſebius libro 7.hiſtorię,cap.32.tradit. Denique aliquando diſputatum eſt inter Chriſtianos, Vtrum Platonis an Ariſtotelis dogmata potius retinenda ediſcendáque eſſent, & præualuit ſententia propter Origeniſtarum errores & allegorias à Platonicis acceptas,vt repudiata Platonicorum ſchola, B Ariſtotelicorum,ſiue, qui iidem ſunt, Peripateticorum philoſophia præferretur, atque tanquam verior, ſimpliciórque in ſcholis Chriſtianorum doceretur. Ex his tamen fructibus orta hæc hæreſis latiſſimè deriuata eſt, & in ſcholas etiam medicorum perrupit. Niſi fortè quis etiam ex illo Geneſis loco perperam intellecto, ductam exiſtimet, qui eſt cap.8.ver.22. vbi poſt diluuium ſic ait Dominus, Adhuc omnes dies terræ,ſementis & meſſis,frigúſque & æſtas, necnon æſtas & hyems,dies quoque & nox non ceſſabunt: quaſi perpetuus huius mundi ſtatus fore promittatur. Quãquam verò nec nomen nec locum,nec tempus, nec authorem huius erroris deſignent,neque Philaſter, neque Auguſtinus: ex Petro tamẽ intelligimus peruetuſtam eſſe hæreſin, quæ ab ipſis Apoſtolorum temporibus cœperit,quãdo contra eos, qui mundum hunc immortalem ſtatuebant, futurúmque vnquam vllum Dei extremum iudicium negabãt, acerrimè diſputat cap.3. poſterioris ſuæ epiſtolæ. In Ægypto etiam viguiſſe crediderim, ſed citiſſimè inter Chriſtianos extinctam, tum propter manifeſtam C Moſis hiſtoriam de mũdi origine, & prima creatione: tum etiam propter apertam de mũdi huius non tantùm mutatione quadam & abſterſione fœditatũ, quibus iam propter hominis peccatum ſcatet,ſed conſumptione,& tranſitione ſententiam, Apocalypſ.21.verſ.1: Pſalmo 102.verſ.26: Hebr.1.verſ.12: 2.Petri 3.verſ.7. quo nihil dici poteſt apertius. Addãtur etiam quæ dicit Paulus, 1. Corinth.7. verſ.31, & Rom.8. verſ.26. Et apertè Iſaias 65.verſ.17: 66.verſ.22. vaticinatur. Ex quibus omnibus locis facillimè veriſſiméque iugulatur hic error. Mihi autem ad Nepotianos vel Chiliaſtas hærereticos referendus eſſe videtur, quorum fruticatio, & riuus, & quidem fœtidus proculdubio fuit, ita nimirum errore errorem pariẽte,& ſuperfœtura quadam progignente. Hunc tamen prætermiſit Iſidorus.

CAP. LXVIII.

Nudipedales,& eorum hæreſis.

EST alia hæreſis, nudis pedibus[1] *ſemper ambulantium, eò quòd Dominus dixerit ad Moſem, vel ad*

A *vel ad Ioſue,Solue calceamẽtũ de pedibus tuis.Et quòd Propheta Iſaias nudis pedibus iuſſus fuerit ambulare. Inde ergo hæreſis eſt,quia non propter corporis afflictionem ſic ambulant,ſed quia teſtimonia taliter intelligũt.*

1 *Nudis pedibus.*)Eſt & hic error,qui vana ſuperſtitio potius,quàm hæreſis dicendus eſt, Monachiſmi fruticatio,& λόχμην,quemadmodum plures alij vel iam à nobis obſeruati, vel qui poſtea notabuntur.Fuit enim hoc hominum genus,Monachorum dico,tam nouis,& à communi aliorũ Chriſtianorum conſuetudine remotis viuendi ritibus addictum, & gaudens, vt in dies iam receptos mutaret,probatos interpolaret, peregrinos induceret,denique nec finem nec modum in variando habitu,colore,geſtu, ciborum genere ſtatueret vllum.Inde enim orta ſunt tot Monachorũ genera,& in quoque genere tot ſectæ,& diuortia, qui colore quidem,externíſque rebus inter ſe differunt : ſuperſtitione autem & falſa, atque adeò impia de operum ſuorum meritis, opinione ſunt omnes inter ſe iidem,& æquales.Hunc autem errorem, de quo nũc agimus,peperit κακοζηλία,dum illi ſe ſanctos Dei ſeruos imitari putant, quia externum eorum habitum repræſentarent,& ſimiarum B more,fingerent.Sed infinita penè ſunt in eo peccata, quæ Monachi admiſere, quæque apud Euagrium libro primo capite 21.recenſentur magnæ quidem animi vanitatis & arrogantiæ plena argumenta,quanquam à pleriſque eius ætatis hominibus inſulſè probantur.Cenſent igitur hi noſtri hæretici Chriſtianos omnes,qui ſanctè,piè,& religioſè viuere,verſaríque velint, pedibus nudis incedere debere.ob quam rationem à nobis Nudipedales ſunt appellati. Vnde verò tam inepti dogmatis origo?Nimirum quòd externis iſtis viuendi ritibus & operibus noſtris vera ſanctitas pietáſque tribueretur,atque à fide, metu Dei, & interno homine ad hæc elementa, opera mortua, & externum hominem peſſimè transferrentur, Coloſſ.2.verſ.20.Quod Nouatiani iam docuerãt. Afferebant tamen pro ſe tres imprimis Scripturæ locos.Primum ex Exodo cap.3.verſ.5. Secundum Ioſuæ cap.5.verſ.15.Tertium autem ex Iſa.20.ver. 2.qui omnes ſpecialia præcepta cõtinẽt, fuerúntque ex ſigna & ſymbola certarum rerum quæ non ſunt ad imitationem & exemplum à nobis trahẽ- C da.Itaque errarunt grauiter & alij monachi qui ad eiuſdem Iſaię imitationem nudi vixerunt,vt Euagrius ſcribit. Id quod abhorret ipſa honeſtas & humanus aſpectus. Quando verò primum cœperit hæc hæreſis,& quo authore inſtituta, vbi plurimum graſſata,quandiu,& quàm latè propagata, non explicat Auguſt.Circa Theodoſij tamen iunioris tempora (quando Imperatrix etiam ipſa Eudocia propter monachorum varios ritus Hieroſolymis ſtupefacta,eos admirari & venerari viſa eſt)extitiſſe in Syria & Iudæa præſertim crediderim,veluti circa annum à Chriſto paſſo 400. quæ fuit ætas monachorum fœcundiſſima, vt ſcribit Socrat.libr.6.cap.7.Tunc enim certatim quiſque in pretio haberi ſtuduit,& monachi nouas in dies profeſſionis regulas excogitare cœperunt. Vnde ϛηλίδαι,& Armentarij monachi exorti. Meminerunt verò ante hęc tempora Hieronymus & Egeſippus feſti Nudipedalium,ſed illud inter Iudæos obſeruabatur menſe ſeptimo. Meminit etiam Tertullian.in Apologet.capit.40. ſed ab ethnicis A fiebat. Vt hi hæretici nihil aliud quàm veterem Iudaiſmum & Paganiſmum coniunxiſſe inuexiſſéque dici poſſint,& in iis ipſis rebus Chriſtianam pietatem collocaſſe,quod planè blaſphemum eſt. Hanc tamen hæreſin hodie profitẽtur Cordigeri & Franciſcani,qui dicuntur ſuperbè Maioris obſeruantiæ.Sed ſuperſtitio nihil penſi habet,modò ſe ſuáque tueatur & commẽdet hominibus.Verba verò Tertulliani ſunt hæc, Denique cùm ab imbribus æſtiua,hyberna ſuſpendunt,& annus in cura eſt, vos quidem quotidie paſti, ſtatímque pranſuri balneis & cauponis & lupanaribus operati,Aquilicia Ioui immolatitio, Nudipedia populo denuntiatis, &c. Quæ omnia pulchrè cum monachorum moribus conueniunt. Sed ad alios notioréſque hæreticos tranſeamus.

CAP. LXIX.

Donatiſtæ ſiue Montenſes vnde primùm orti. Quos ſuę ſectę vel defenſores vel ſchiſmaticos B habuerint.Circuncelliones qui fuerint. Denique Donatiſtarum erroris capita tria.

DOnatiani vel Donatiſtæ [1] *ſunt,qui primùm propter Cæcilianum contra ſuam voluntatem ordinatum Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopũ ſchiſma fecerunt,obijcientes ei crimina non probata: & maximè quòd à traditoribus diuinarum ſcripturarum fuerit ordinatus.Sed poſt cauſam cum eo dictam atque finitam falſitatis rei deprehenſi pertinaci diſſenſione firmata in hæreſin ſchiſma verterunt, tanquam Eccleſia Chriſti propter crimina Cæciliani,ſeu vera, ſeu, quod magis iudicibus apparuit,falſa, de toto terrarum orbe perierit, vbi futura promiſſa eſt,atque in* [2] *Africa & Donati parte remanſerit : in alijs terrarum partibus quaſi contagione communionis extincta. Audent rebaptizare Catholicos,vbi ſe amplius hæreticos eſſe firmarunt,cùm Eccleſia catholica vniuerſa placuerit,nec in ipſis hæreticis baptiſma commune reſcindere.* G *Huius hæreſis principem accipimus fuiſſe Donatum, qui de Numidia veniens, & contra Cæcilianum Chriſtianam diuidens plebem adiunctis ſibi eiuſdem factionis Epiſcopis, Maiorinum apud Carthaginem ordinauit Epiſcopum.Cui Maiorino Donatus Epiſcopus alius in eadem diuiſione ſucceſſit. qui eloquentia ſua ſic confirmauit hanc hæreſin, vt multi exiſtiment propter ipſum potius eos Donatiſtas vocari. Extant ſcripta eius, vbi apparet eum etiam non catholicam de Trinitate habuiſſe ſententiam : ſed quanuis eiuſdem ſubſtantiæ,minorem tamen Patre Filium, & minorem Filio putaſſe Spiritum ſanctum. Verùm in hunc, quem de Trinitate habuit, errorem Donatiſtarum multitudo intenta non fuit, nec facile in eis quiſquam, qui hoc illum ſenſiſſe nouerit,inuenitur. Iſti hæretici in vrbe Roma Montenſes vocantur, quibus hinc ex Africa ſolent Epiſcopum mittere : aut hinc illuc Afri Epiſcopi eorum pergere, ſi fortè ibi eum ordinare placuiſſet.Ad hanc hæreſin in Africa vt illi pertinent, qui appellantur* [3] *Circumcelliones, genus hominum agreſte, & famoſiſſimæ audaciæ, non ſolùm in alios immania facinora perpetrando : ſed nec ſibi inſana feritate parcendo. Nam per mortes varias maximè præcipitiorum & aquarum, & ignium ſeipſos necare*

A *conſueuerunt, & in iſtum furorem alios, quos potuerint vtriuſque ſexus ſeducere, aliquando vt occidantur ab alijs, mortem, niſi fecerint, comminantes. Veruntamen pleriſque Donatiſtarum diſplicent tales, nec eorum cõmunione contaminari ſe putant, qui Chriſtiano orbi terrarum dementes obijciunt ignotorum crimen Afrorum. Multa & inter ipſos facta ſunt ſchiſmata, & ab ijs ſe diuerſi cœtibus alij atque alij ſepararunt, quorum ſeparationem cætera grandis multitudo non ſenſit. Sed apud Carthaginem Maximianus [4] contra Primianum ab eiuſdem erroris centum fermè Epiſcopis ordinatus, & à reliquis trecentis decem, cum eis duodecim, qui ordinationi eius etiam præſentia corporali interfuerunt, atrociſſima criminatione damnatus compulit eos noſſe, etiam extra Eccleſiam dari poſſe baptiſmum Chriſti. Nam quoſdam ex eis cum eis, quos extra eorum Eccleſiam baptizauerant, in ſuis honoribus ſine vlla in quoquam repetitione baptiſmatis receperunt, nec eos vt corrigerent, per publicas poteſtates agere deſtiterunt, nec eorum criminibus per ſui concilij ſententiam vehementer exaggeratis communionem ſuam contaminare timuerunt.* B

1 *Donatiani vel Donatiſtæ.*) Non eſt hoc loco religioſè ratio temporis obſeruata, vt coæui & cõtemporanei hęretici commemorarentur, ſed Philaſtrum ſecutus Auguſtinus, prout quæque hæreſis occurrebat, deſcripſit. Parum autem Græcis hominibus nota fuiſſe videtur, qui eam omnes, paucis modò exceptis, veluti Theodoreto libr. 4. Hæreticar. Fabul. & Ioanne Damaſceno, prætermittunt. Huius enim nec hiſtoria eccleſiaſtica, niſi admodum ſubobſcurè & in aliena, id eſt, Nouatianorum hęreſi meminit: nec Nicephorus magnus alioquin alienorum ſcriptorum compilator & ῥαψῳδὸς, nec Epiphanius ipſe, quanquam ante illius ſecula iam celeberrimi Donatiſtæ erant, qui paulo poſt Nouatianos in eadem orbis plaga, id eſt, Africa ſunt exorti. Cauſam verò ignorationis fuiſſe cenſuerim magnum locorum & regionum interuallum, cùm Donatiſtæ in extremis penè Africæ Occidentalis finibus, & Numidia fuerint, quæ longiſſimè diſtat ab Oriente, Syria & Ægypto, vbi plurimum receptæ & graſſatæ ſunt hæreſes omnes. Deinde quòd Donatiſtæ primùm C repreſſi ſeſe penè in ſola Africa continebant: in Italiam autem aut alias nationes, quod poſtea fecere, nondum diffundebant. Caput tamen & ipſi poſtea exeruerunt, & venena ſua latiſſimè ſparſerunt. Ortũ verò eſt hoc malũ ſub Conſtãtino Magno (id quod vel ex ſola hiſtoria & accuſatione Cæciliani ſatis intelligi poteſt, qui ab ipſo Cõſtantino Magno auditus & abſolutus eſt) & Sylueſtro Epiſcopo Roman. circa annum à Chriſto paſſo 298. etiam ante Sardicenſe Concilium, vt Auguſtinus ipſe libr. 3. contra Creſcon. docet. Non autem ſub Iulio Pontifice, vt putat tamen Platina: nec ſub Liberio Roman. præſule, vt ſcribunt alij. Nam tẽporis calculus & ratio eos apertiſſimè refutat. In Africa verò regione primùm inualuit hæc peſtis, & Carthagine præſertim, quæ in ea ipſius Africæ parte ſita eſt, quæ propriè Africa dicta eſt, & à Græcis Lybia, éſtque ad Orientem pergentibus poſterior & vicinior Ægypto, quàm ipſa Numidia. Ex Numidia verò Donatus iſte dictus à Caſis Nigris (ad diſtinctionem eius Donati, qui Carthagine hanc ipſam hæreſin fortiſſimè poſtea defendit) primus huius ſectæ author fuit oriundus. Nam cùm ad Carthaginenſem Epiſcopatum Donatus iſte aſpiraret, eáque ſpe (electo ſibíque prælato Cæciliano) A excidiſſet, eum perfidiæ atque abiurati nominis fideique Chriſtianæ apud Eccleſiam accuſauit, quòd in perſecutione, quę ſub Maximiano & Diocletia. Impp. acciderat, ſacros codices hoſtibus fidei & idololatris Chriſtianos perſequentibus comburendos tradidiſſet. De quo ipſo ab eodem Donato omnes alij Epiſcopi, qui Cæcilianum Epiſcopum ordinarant, accuſati ſunt, ſed omnes falſò, vt cauſæ euentus ter apud diuerſos iudices actæ docuit. Itaque nec Cæcilianum pro Epiſcopo, nec eius cœtum pro vera Dei Eccleſia ſe agnoſcere poſſe prædicabat, quæ perfidis & traditoribus ſacrorum codicum hominibus conſtaret, neque ſatis pura & immaculata ipſius iudicio eſſet. Atqui ipſe & Donatiſtarum cœtus totus ſcatebat vulneribus, & ſanie non tãtùm erroris impuriſſimi, ſed etiam improborum morum, vt docet ſæpiſſimè Auguſtinus. Collegit igitur ſibi priuatim Eccleſiam homo ambitioſus & arrogans, & ſchiſma Carthagine fecit cœtúmque ſuum ſolum eſſe ſanctam illam Eccleſiam, quam crederemus contendit. Quod etſi primùm B irriſum eſt, & facillimè à pleriſque refutatũ, Concilióque Carthagine collecto damnatum, peruicacia tamen indomitáque iſtorum audacia defenſum eſt, ex quo cœpit eſſe manifeſta hæreſis, corruptis iam pleriſque Sacræ ſcripturæ locis. Támque valida & potẽs euaſit breui tẽpore, vt multos fautores haberet, tũ viros, tũ mulieres, imprimis autẽ ditiſſimam illã mulierem Carthaginenſem nomine Lucillam, vt Aug. ſcribit, quæ ſuis opibus eorum Epiſcopos & cœtus lautè ſuſtentauit. Erupit igitur lõgius hoc venenum, nec ſe ſolius Carthaginis mœnibus coercuit, ſed ita totam Africam peruaſit, & infecit, vt multæ ciuitates eæque totæ hac peſte tabeſcerent & corriperentur. Vnde facti inſolentes illi vim in Africa orthodoxis inferebant, donec aduerſus eos miſſus ab Honorio Imperatore Dulcitius Tribunus militum eorum vim & iniuriam in Chriſtianos compeſcuit. Nec totius Africæ regno contenti homines periuri & cõtumaces, in alias & trãſmarinas regiones traiecerunt, quas labefactarũt. Ex quo factum eſt, C vt imperatorum legibus coercerẽtur, illíſque pœna, niſi conuerterentur ad fidem orthodoxam, imponeretur grauiſſima, quæ extat libro 1. Codic. Iuſtinia. cuius meminit ſæpe Auguſti. & eam defendit libr. 2. Contra liter. Petilian. Diu verò perſtitit hæc hæreſis, quando etiam Tiberij ſecundi imperatoris Conſtantinopolitani ætate vixit, & Gregorius Magnus de ſui ſeculi Epiſcopis & Magiſtratibus conqueritur, quòd magna eorum culpa & negligentia fieret, vt hic tam grauis error & peſtilens, tamen in Eccleſia latius ſerperet, & diutius obtineret. epiſt. 33. indi. 10. & maximè in Africa epiſt. 161. & 163. Poſtea tamen iugulata eſt hæc hæreſis, atque cõquieuerat, niſi miſeri & inſani Anabaptiſtæ eã ab inferis hoc noſtro ſeculo reuocaſſent. Dicũtur autẽ Donatiani & Donatiſtę (, de cuius vocis declinatione & analogia incidit Auguſtino cũ Creſconio Grãmatico quæſtio, vt ipſe li. 2. cõtra eũ ca. 2. ſcribit) à Donato à Caſis Nigris, Numida, qui primus huius dogmatis propinator fuit, & altare cõtra altare, vt ait Aug. erexit. Sed primùm Carthagine pars Maiorini (quòd aduerſus Cęcilianũ Catholicę Eccleſię Epiſcopũ cõſtitutꝰ,

illic

A illic erat Donatiſtarum præſul Maiorinus, id eſt, altare contra altare in Dei Eccleſia erat erectum, vt Auguſtinus loquitur) vocabantur. quemadmodùm ipſi Catholicos à Comitis Macarii nomine, qui Carthagini Cæciliani tempore præfuit, Macarianos appellabant: tamen poſtea obtinuit, vt hi hæretici Donatiſtæ paſſim dicerentur, Romę verò Campates, vt ait Hierony. in Epiſt. contra Luciferia. à campo: & Montenſes, à monte, vt opinor, in quem latenter & clam conueniebant, quo nomine eos appellat Auguſtinus lib. 2. contra Petilian. cap. 108. Quòd autem Parmenianiſtæ etiam nominati ſũt, vt ait Auguſtinus à Parmeniano Donati ipſius diſcipulo, quem egregium exiſtimabant, hoc nomen acceperunt, vt Manichęi ab Adamantio acerrimo Manichæi dogmatis propugnatore Adamãtij ſunt vocati, vt idem Auguſt. ſcribit. Breuius verò iſta perſequor, quòd ſcripta Auguſtini tum in epiſtolis, tum in diſputationibus & libris aduerſus eos editis certè quidem vtiliſſima & doctiſſima nota omnibus eſſe exiſtimen, ex quibus huius peſtis & hæreſeos tota vis & ratio luculẽter intelligetur. Scripſit etiam aduerſus eos Optatus Epi- B ſcopus Mileuitanus libros 4. Donatus autem habitus eſt doctus ſua ætate, cuius etiam libros vidit Hieronym. Alius autem fuit Donatus Eurææ Epiricæ Epiſcopus orthodoxus, de quo Nicephorus libro duodecimo capite 45. qui nihil ad hanc ſectã & tempus pertinet.

2 *Atque in Africa & Donati parte.*) Copulam, &, addidimus, quæ deeſt in impreſſis, & ex cuius prætermiſſione fit tota hæc oratio hiulca, male ſonans & obſcura. Sed etiam in quibuſdam recentioribus qui hunc Auguſtini locum citãt, ita tranſcriptum inueni. Sequuntur iam huius ſectæ variæ hypotheſes, & eæ quidem blaſphemæ & tetræ, è quibus 1 eſt: Eccleſiam Dei eam demum eſſe in his terris agnoſcendam & ſequendam, quæ omni ruga, macula & peccato quantummis leui careat, & pura ſit, quia ſanctus eſſe debet ille cœtus, qui Eccleſia vocatur. Sanctus autem non eſt, cui adhuc peccatum inhæret, Epheſ. 1. verſ. 4. 5. ver. 26. Itaque perfectionem iuſtitiæ & angelicam ſanctitatem hîc ab hominibus requirunt, quam etiam C ſe ſuóſque illos impuros cœtus habere iactant & profitentur, tam ſunt arrogantes, cæci & à vero ſuę infirmitatis & rebellionis ſenſu alieni. Vnde ſe ab eorum cœtu ſeparant, quos peccatores & non ſatis puros iudicant, vt ſeorſim cœtus colligant & ſchiſma faciant. Hoc dogma noſtro ſeculo Anabaptiſtæ renouarunt: fuítque Pelagianiſmi, qui ſecutus eſt, magnum certè fundamentum. At ſi quis ſe ſine peccato eſſe glorietur, mendax eſt: nec coram Deo quiſquam mortalium hîc degentium iuſtus, excepto modò vno Chriſto, reperietur, 1. Ioan. 1. v. 8. Iacob. 3. v. 2. Pſal. 143. v. 2. Et ſi operibus noſtris iuſtificamur, fruſtra Chriſtus mortuus eſt, Galat. 2. ver. 21. Ex quo ſatis apparet vnde hic error natus ſit, quǽque eius concipiendi prima ſemina primíque afflatus fuerint, infernalis nimirùm & diabolica de ſuorum operum merito, iuſtitia & perfectione opinio ſemel iam animis hominum à Satana infuſa contra meritum & gratiam Chriſti, quam prorſus tollit & reiicit. Vnde iſti hæretici verè ad operiſtas pertinent, ſúntque ex eorum numero & grege. Itaque ſuos tantùm cœtus veram Dei Eccleſiam eſſe & dici. 2 Neminem ad be- A ne viuendum eſſe compellendum vrgendúmque cenſent, non tantùm quidem ne ſit coacta & inuita pietas & obedientia Dei: ſed vt libera & effrenis ſit vitiorum errorúmque omnium licentia & graſſatio. Auguſtinus. Hoc quidem ſuperiori ſententiæ, per quam tam exactam & puram putam ſanctimoniam vitę à piis efflagitant, planè contrarium eſt: ſed nec mirum, nec nouum eſt, vt hæretici ſeipſos repugnantibus inter ſe dogmatis tanquam proprio gladio iugulent & necent. 3 Hæreticos negant vllo modo magiſtratus quanquam pij & fidelis autoritate coercendos, caſtigãdos vel comprimendos, ne eorum venenum latius ſerpat, vel vt ipſi hæretici reſipiſcant. Vetus tamen Eccleſia contra Samoſatenum graſſantem & turbantem Eccleſias, Adriani imperatoris authoritatẽ implorauit, & cũm de hoc argumento luculenter diſputarit, epiſt. 48, 50. 204. aliiſque penè infinitis locis Auguſtinus, non puto mihi neceſſe fuſius iſtos refutare. Fuit quidem iſtius primùm ſententię ipſe, vt coercendos à magiſtratu hæreticos negaret, ſed ratione ipſáque rerum experientia conuictus & ſapientior factus priorem ſententiam commuta- B uit. Itaque aduerſus Donatiſtas lex lata eſt ab Impp. Arcadio & Theodoſio, quæ multa eos comprimeret, vel in errore perſeuerãtes: vel latius graſſantes. Nam vtriuſque Dei tabulæ cuſtos eſt verus piuſque Magiſtratus, & de hoc argumento extant doctiſſ. noſtræ ætatis virorum vbertimi aduerſus Anabaptiſtas, qui hoc venenum nobis reflarunt, tractatus. Ita verò in hoc argumẽto excanduerunt Donatiſtæ, vt multa contra Magiſtratum & ſanctam illam Dei ordinationem, vt vocat Paulus Rom. 13. euomerent, & impiè blaterarent, tanquam ſemper Eccleſiæ lupi & peſtes Magiſtratus eſſent. Quod ipſum, ſed aliis verbis, Anabaptiſtæ nobis hodie reponunt. 4 Sacramentorum vim & effectum ex miniſtri illa præbentis dignitate, ſanctitate, & manu metiuntur, non ex ipſius Dei authoris, cuius illa ſunt, promiſſione, & ſpiritus Dei ἐνεργείᾳ. Itaque baptiſmum infamem & pollutum cenſent & appellant, qui ab infami & polluto miniſtro datus eſt etiam credenti, & pio homini, nedum adhuc infanti & paruulo. Hæc ſanè Hieronymi ſententia in Pauli epiſt. ad Galat. cap. C 3. Si igitur qui in Chriſto baptizati ſunt, Chriſtum induerunt, manifeſtum eſt eos qui non ſunt induti Chriſtum, non fuiſſe baptizatos in Chriſto, dat aliquod huic Donatiſtarum errori fulcimentum, niſi dextrè explicetur. 5 Rebaptizant à Catholicis & orthodoxis iam baptizatos, quod erat conſequens, quia putant eos à traditoribus & malis miniſtris tinctos: itaque non eſſe baptizatos. Afferunt pro ſeſe Cypriani martyris & epiſcopi Carthaginenſis ſententiam, cui ſex libris De vnico baptiſſ. reſpondit Auguſt. Nec enim Chriſti baptiſmate ſemel tincti ſunt rebaptizandi, vt rectè ex Dei verbo definiuit Eccleſia, nec hoc ipſum à Donatiſtis fieri inſtituit primus eorum author Donatus, vt Auguſtin. ſcripſit: ſed illius ſucceſſores hunc errorem aliis iam ab eo acceptis addiderunt. Hieronymus aduerſus Luciferianos. An neſcis etiam eccleſiarum hunc eſſe morem, vt batizatis poſtea manus imponantur & ita inuocetur Spiritus ſanctus? Exigis vbi ſcriptum ſit? In Actibus

A Apoſtolorum. Etiamſi ſcripturæ authoritas non ſubeſſet,totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret. 6 Violentas ſibi manus afferunt,ne à Magiſtratu capti propter errorē puniantur, idque fieri licere ſalua conſcientia docent,& appellant martyrium. Plurimi enim ſeſe propterea occiderunt, & quoſdam ab hoc conſilio Auguſtinus ipſe, quanquam ab iis inſidiis petitus,reuocauit. 7 Obuios ſibi quoſque in plateis & agris homines à ſuis erroribus alienos cædunt & iugulant furioſè, maximè ij qui inter eos Circumcelliones appellantur. Nā rectè ſe id poſſe contendunt. Donatiſtis autem iſtis ſimiles fuerūt alij hæretici quos Damaſcenus Thymoleontas nominat, homines planè ſanguinarii, truculenti, & qui religionem ipſam in occaſionem ſæuitiæ & homicidii impiè arriperent,Theodoret. Auguſt. Iſidorus. 8 Arianis conſentiunt,dum Filium Patre minorem faciunt: & Filio Spiritum ſanctum ſubiiciunt,Auguſtinus & Iſidorus. Itaque Theodoret.lib.4.Hæreticar.fabular. eos Arianis annu- B merat,& libro 3.contra Creſco.Grammat.cap.34. ſcribit Auguſtin. ipſum Donatum Carthaginenſem Epiſcopum Sardicenſi ſynodo,quæ, vt ait Auguſtinus, fuit Ariana, interfuiſſe, illique ſubſcripſiſſe. 9 Purgationes quaſdam magicas oſtentant & inuehunt, iactántque reuelationes & enthouſiaſmos vt ſua dogmata plauſibiliùs confirment,& ſe ſanctos perfectóſque fumoſiùs glorientur. Iſta verò purgatio fit ab iis oſſe, quod manu complectentes & occultantes, myſteria quædam peragunt per quæ ſanctificari ſe, Platonicorum & Ethnicorū more,ſomniāt,non autē ſolo ſanguine Chriſti, & vi S.ſancti.1. Petr.1.Ioan. Damaſc. Atque huius fontis hęc tot ſunt ſordes & fœtidi riui.

3 *Appellantur Circumcelliones.*) Multa fuerunt in ſecta & cœtu Donatiſtarum ſchiſmata. Alij enim Rogatiſtæ dicti ſunt:alii Maximianiſtæ: illi à Rogato & Rogatiano, hi verò à Maximiano: alii Circumcelliones, quòd in agris cellas quaſdam & tuguriola veluti auſteram Eremitarum vitam imitantes,haberent,in quibus habitabant primùm ſo- C li:poſtea verò cum quibuſdam mulieribus. Sed illinc in homines ſuæ doctrinæ aduerſarios impunè irruebant, quos iugulabant & trucidabant obuios, adeò vt minora leuioráque fuiſſe quorumuis latronum & prædonum facta, quàm Circumcellionum iſtorum ſcribat Auguſt.lib.3. contra Creſco.Grammat.cap.42.& ſeq. Alii Parmenianiſtæ: alii verò Cirtenſes,non autem, vt quidam volunt, & perperam legunt, Circenſes, & ita in epiſtolis Auguſtini eſt emendandum.Dicti ſunt autem Cirtenſes, quòd Donatiſtarum primi & maiores Secundo Tigiſitano Epiſcopo procurāte apud Cirtam oppidum Numidiæ (eſt autem in Numidia Cirta duplex, vna metropolis,vt Pomponius Mela docet:altera colonia, vt Antonini itinerarium habet) concilium ſuum habuerint, à quo poſtea Cirtenſes ſunt appellati, quaſi qui fidem Cirtæ conſcriptam ſequerentur. Auguſtinus ipſe noſtrā ſententiam confirmat,lib.3.contra Creſco.Grammat.cap.26.& 27. Ergo Circumcelliones fuerunt inter eos immaniſsimi.

4 *Maximianus.*) Hanc Hiſtoriam & ſchiſma Donatiſtarum ſæpe repetit Auguſtinus,& extat in libris aduerſus Petilian. literas:ſed maximè lib.3. contra Creſco.cap.27.& 28.

A

CAP LXX.

Priſcillianiſtæ cur ſic dicti. Ex quibus erroribus conflati & nati.Erroris autem eorum capita ſeptem enumerantur.

PRiſcilianiſtæ [1] *quos in Hiſpania Priſcillianus inſtituit,maximè Gnoſticorum & Manichæorū dogmata permixta ſectantur. Quanuis & ex alijs hæreſibus in eas ſordes tanquam in ſentinam quandam horribili confuſione confluxerint. Propter occultandas autem contaminationes,& turpitudines ſuas habent in ſuis* [2] *dogmatibus & hæc verba.*

Iura,periura,ſecretum prodere noli.

Hi animas dicunt eiuſdem naturæ atque ſubſtantiæ,cuius eſt Deus,ad agonem quendam ſpontaneum in terris exercendū per ſeptem cælos,& per quoſdā gradatim deſcendere principatus, & in malignum principem incur- B *rere, à quo mundum hunc factum volunt, atque ab hoc principe per diuerſa carnis opera ſeminari.aſtruunt etiā fatalibus aſtris homines colligatos, ipſúmque corpus noſtrum ſecundum duodecim ſigna cœli eſſe compoſitum, ſicut hi qui Mathematici vulgò appellantur, conſtituentes in capite Arietem,Taurum in ceruice, Geminos in humeris,Cancrum in pectore,& inde cætera nominatim ſigna percurrentes ad plantas vſque perueniunt, quas Piſcibus tribuunt, quod vltimum ſignum ab Aſtrologis nuncupatur. Hæc & alia fabuloſa,vana,ſacrilega, quæ perſequi longum eſt, hæreſis iſta contexit. Carnes tanquam immūdas eſcas etiam ipſa deuitat.Coniuges,quibus hoc malum potuerit perſuadere, diſiungens,& viros à nolentibus fœminis,& fœminas à nolentibus viris. Opificium quippe omnis carnis non Deo bono & vero,ſed malignis angelis tribuunt, hoc verſutiores etiā Manichæis, quòd nihil Scripturarum canonicarum repudiāt, ſimul cū Apocryphis legentes omnia, & in authoritate ſumentes, ſed in ſuos ſenſus allegorizando vertentes, quicquid in ſanctis Libris eſt, quod eorum euertat errorem. De Chriſto Sabellianam ſectam tenent, eundem ipſum eſſe dicentes,non ſolùm Filium,ſed etiam Patrem & Spiritum ſanctum.* C

1 *Priſcillianiſtæ,quos.*) Quo tempore Satan variis erroribus ſparſis in Orientali Eccleſia graſſabatur,exorta eſt in Occidente hæc infernalis Priſcillianiſtarum Erynnis,quæ teterrimarum hæreſeôn omnium,quæ præceſſerant, farrago & colluuies fuit.Nec enim diabolus,qui ſalutis noſtræ hoſtis eſt,à turbandis Dei Eccleſiis,in hac mundi plaga,quanquam hæreſibus minus obnoxia, & patente,ceſſare potuit.Itaque Occidentales Chriſtianos aggreſſus eſt, apud quos in vnum tanquam faſciculum coniecit ſingula,quæ in Oriente per varios & diuerſos hæreticos iam iaci, diſſeminaríque curauerat. Vocata verò eſt hæc Priſcillianiſtarum hæreſis,non à Priſcilla quidem,quę fuit Mōtani ſcortū, & longè antè huius erroris principia vixit, etſi è Galatia,vbi plurimùm Montaniſtæ viguerūt,ortum profectúmque hoc malū ſentit Hieronymus: ſed à Priſcilliano homine,vt omnes authores ſcribunt, imprimíſque Iſidorus, & ipſe Hiſpanus, & Hiſpalenſis Epiſcopus,Hiſpano.Hic ab Helpidio rhetore in fide inſtitutus & edoctus eſt:Helpidius autē ipſe à Marco quodā Monacho, qui Ægyptia Memphi profugus, propter Valentis edictum de reuocandis ad ſuas curias & ad publica munera ſubeunda, Monachis (vt apparet ex L. Quidam

ignauiæ

A ignauiæ ſectatores. C.De Decurionibus li.10.)venit in Hiſpaniam:ſed iam Gnoſticorum, & Manichęorum labe & veneno planè tabidus & infectus, quemadmodũ inter Monachos errores omne genus aluntur. Ita igitur faſcinatus Priſcillianus, errorem ſuum in Hiſpania ſparſit,ſub Gratiano imperatore,& Damaſo epiſcopo Romano, circa annum à Chriſto paſſo 348.etſi Sigeberto tardius hoc malum propagatum videtur : ſed propagationem, non autem originem ipſam ſpectauit Sigebertus. Gratanter autem & auidè exceptus à plurimis in Hiſpania,imprimis ab Inſtantio,& Saluiano epiſcopis,à quibus Priſcillianus ipſe epiſcopus cõſtitutus eſt in Laletanis populis (qui ſunt citerioris Hiſpaniæ.vt Plinius lib.3.cap.3. ſcribit) Adygino tamen Cordubenſi epiſcopo reclamante , & eum errorem grauiter oppugnante. Peruicit tamen hęc lues & obtinuit,ita vt non tantùm Hiſpanias , ſed etiam Gallias , & in Italia plurimos corrumperet. Sed & in Africanas eccleſias,traiecto mari , peruenit,vbi à nonnullis excepta,retentáque eſt. B Itaque quod Priſcillianiſtæ docebãt de mendacio & periurio , illud nimirum religionis cauſa eſſe conceſſum,multis etiam in Africa placuit,aduerſus quos libros De mendacio ſcripſit Auguſtinus. Latiſſimè igitur vagata eſt,& furioſè penè in toto Occidente graſſata,adeò vt coercẽda etiam publicis Synodis,& imperatorum edictis fuerit,ne noceret pluribus. Itaque Synodo Romana, quæ à Damaſo & Ambroſio collecta eſt:& Gallicana,quæ Burdegalam conuenit , cuiíque Martinus ipſe Turonenſis epiſcopus interfuit:& Toletana,error Priſcillianiſtarum damnatus eſt,& Priſcillianus ipſe excommunicatus , atque anathemate percuſſus , fugere Gratiani imperatoris iuſſu coactus eſt:Quanquam id ſub Innocentio primo,qui longè tempora Damaſi ſequutus eſt,contigiſſe mauult Platina, errore calculi & temporis manifeſto deceptus.Sed homo pertinax Priſcillianus,cælum nõ animum mutauit.Nam ad Maximum,qui in Galliis imperium aduerſus Gratianum inuadere cœperat : ideóque tyrannus vulgò nominatur , confugit (vel, vt alij volunt,ad eum ex ſynodo Burdegalenſi prouocauit) C vbi ſua venena euulgare Treuiris conatus,Indatii (alii verò Vrſatium appellant, alii Paulinum fuiſſe malunt:)& Itatii(quem Itachium vocat epiſtola Leodicenſ.eccleſia ad Paſchalem. 2. Tom. 2. Conciliorum)epiſcoporum diligentia conuictus, refutatus, damnatúſque hæreſeos ab Euodio Maximi præfecto, Treuiris,quæ eſt vrbs celeberrima Germaniæ,morte mulctatus eſt,quum etiam illud prius confeſſus eſſet,ſe ſæpius in ſuis conuenticulis mulieres ſuæ ſectæ addictas, fœdè conſtupraſſe & violaſſe : (inter quas fuit Euchrotia Delphidij Rethoris vxor, vt ex Auſonio à Ioſepho Scaligero eſt annotatum (cuius tamẽ oſſa in Hiſpaniã relata eſſe dicuntur.Vide Hier.in Catalogo Scriptorũ in Priſcilliano & Matroniano,item librum 4.Seueri, De vita S.Martini,& Sigeberti Chronicon. ad Orientẽ tamẽ huius erroris & ſectæ ne fama quidem videtur perueniſſe.Illius enim nec Epiphanius,qui Gratiani tempora ſequutus eſt, nec Theodoretus, nec authores hiſtoriæ Eccleſiaſticæ,nec Nicephorus,nec denique Damaſcenus meminit, niſi fortaſſe hi ſint,quos ipſe Ethnophronas appellat (quidam enim iſti cum Priſcillianiſtis , in ſyderum & aſtrorum obſeruatione cõmune habuerunt.) A Priſcillianiſtarũ tamen nomẽ nõ extat.Perſtitit autem in Occidente diutiſſimè hæc hæreſis, quando ſub Leone primo,vt apparet ex ipſius epiſtola 93. cap. 12.& ſub Gregorio Magno adhuc viguit,& aliquot poſtea ſeculis. Tempore Oroſij & Auguſtini adhuc in Hiſpania repullulaſſe,facilè ex Oroſij ipſius ſcripto ad Auguſtinum colligitur,quod extat Tomo 6.Sed & tempore quoque Bernardi Clareuall. adhuc reſtaſſe quaſdam illius fruticationes apparet ex ipſius Serm.63. in Cant.Cantico.

2 *In ſuis dogmatibus.)* Variæ fuerunt huius ſectæ ſordes , omnes tamen ex alieno cœno hauſtæ , & imprimis Gnoſticorum & Manichæorum lacunis deriuatæ : quarum aliquot capita recenſet hoc loco Auguſtinus. Nos autem ex variis & diuerſis authoribus hæc tot congeſsimus. 1 Mundum hunc à maligno deo & angelo conditum eſſe,non à bono Deo. Hoc Simonianorum, & Manichæorum delirium fuit, nec in eo quicquã B illi noui aut inauditi dixere,qui tamen refutantur, Geneſ.1.Pſalmo 33.& infinitis aliis Scripturæ locis. 2 Confundũt perſonas in Trinitate , & eundem eſſe Patrem,Filium, & Spiritum ſanctum contendunt , qui pro diuerſis officiis & operibus , diuerſa nomina ſortiatur. Hoc Sabellianum eſt.Auguſtinus etiam contra Origeniſtas cap.4.meminit.3. Animam humanam eiuſdem eſſe , atque Deum ipſum,eſſentiæ.Itaque Deus ſit oportet,& tot propterea dii , quot ſunt hominum animæ. Quamobrem Deus peccare poteſt,& ſubiici diabolo, & inferni pœna torqueri, quia his omnib' malis obnoxia eſt humana anima. Hoc certè Manichæanũ eſt. 4 Animas hominum quum ſunt in hęc corpora mittendæ , ex quodam promptuario ſumi,vbi conditæ ſunt, ſeruantúrque. Hoc Origenianum eſt. Quum autem demittuntur in has terras per varia principum cæleſtium regna, qui ſunt orbes,& ſphæræ cæleſtes,meare, à quibus ſingulis donum aliquod anima noſtra accipit,quemadmodum illa Heſiodi Pandora. Hoc & poeticum , & prorſus ethnicum eſt,& profanum. 5 Aſtris & ſyderibus, eorúmque , conſtellationi , ſignis item duodecim Zodiaci,& Planetis , more Aſtrologorum,vitæ humanæ curſum attribuũt, à quibus nos C regi,vitæque noſtræ actiones gubernari, & adminiſtrari cenſent, vt felices ſint,vel infelices, bonæ item,vel prauæ. Quod autẽ Zodiaci ſignũ cuique humani corporis membro aſsignent , explicat hîc Augu. & nos ex Irenæo diximus alibi : Hoc magicum eſt,& damnatæ , iudiciariæque Aſtrologiæ planè delirium,quod ne ſequamur,aut probemus, ſæpius verbo Dei interdictum fuit , Hier.10.Deuteron.18. Iſaiæ 44. verſu 25:& aliis. 6 Inuitos nos malos fieri,& peccare,vi ſyderum coactos: nõ ſponte,neque animi electione. Hoc à Stoicis ſumptum , qui peccata hominum fato ſuo tribuunt: ſed planè falſum. Nam perditio noſtra à nobis ipſis eſt,nõ à ſtellis, & earum vi & impulſu.de quo vide Ioãnem Damaſcenum libro 2. de orthodoxa fide.capite 7.

7 Mendacia & periuria religionis ſuæ celandę gratia,fieri bona conſcientia , & Dei numine ſaluo & illæſo,docent blaſphemi homines. Hoc videtur quidem proprium eorum fuiſſe , ſed tamen

habent etiam hoc ipſum cum Audianis commune. Vnde illud eſt eorum, Iura, periura, ſecretum prodere noli. Hanc taciturnitatem à ſuis illi exigebant, quia ſoli cum ſolis claudebantur mulierculis, & illud eis inter coitum amplexúſque decantabant ex Vergilio, Tum pater omnipotẽs fœcundis imbribus æther, Coniugis in gremium lętę deſcendit, &c. Hierony. in epiſt. ad Cteſiphontem de Pelagianis. Vide Auguſtinum tum in Enchiridio, tum in libro De mendacio, ad Conſent. Item Bernard. Clareuallenſ. ſermo 65. in Cantic. canticor. & refutantur apertiſsimè, Iob. 13. v. 7. 8 Carnes vt pollutas omnino creaturas damnant, & earum eſum improbant, adeóque quicquid ex carne vel carnis opus eſſe videtur. 9 Coniugia prætereà damnant, & quos poſſunt ad diuortia cum propriis vxoribus facienda inducunt. quanquam ex iis quidam cum virginibus connubia contracta probant & concedunt, vt ſcribit Bernard. Clareuallenſ. ſerm. 66. Cãtic. Hoc vt & ſuperius dogma eſt & Manichæorum, & Gnoſticorum, contra illud Chriſti, Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet, Matth. 19. v. 6. Papiſtæ tamen prætextu religionis profitendæ, & ingreſſus Monaſterii, vt loquuntur, idem penè etiam coniugibus permittũt. Can. Notificaſti. & Can. Qui vxorem. 33 Quæſt. 5. Vide etiam Auguſtinum epiſt. 199. 10 Prophetas Dei tanquam abreptitios, & fanaticos homines non tantùm reiiciunt, ſed etiam vt ignaros Dei voluntatis accuſant, & condemnant. Quod eſt Gnoſticorum, contra illud Act. 20. v. 27. Atque hæ ſunt tot & tam noxiæ vnius hæreticorum ſectæ, ſententiæ, & peſtes, quas illi à Satana afflati, in orbem terrarum euomuerunt.

Cap. lxxi.

Feri & inhumani hæretici cur ſic dicti. Erroris eorum caput duplex hîc enumeratum.

Dicit Philaſter eſſe alios hæreticos, qui cum hominibus non ſumunt[1] *eſcas, ſed vtrum cum aliis, qui eiuſdem ſectæ non ſunt, an etiam inter ſeipſos faciant, non exprimit, Dicit etiam eos de Patre & Filio rectè, de Spiritu autem ſancto, nõ catholicè ſapere, ſed quòd eum opinentur eſſe creaturam.*

1 *Non ſumunt eſcas.*) Fuit & hic quoque agreſtis viuendi mos, & ritus, Monachiſmi fruticatio, & infelix affectatæ ſolitudinis, & non neceſſariæ fructus, per quem videntur iſti contra naturam ipſam humanam pugnaſſe, illíque bellum indixiſſe, vt in reprobum ſenſum traditi, planè cenſeri debeant. Præclarè enim Ariſtoteles hominem ζῶον πολιτικὸν. i. animal gregabile, & ad ſocietetem natum eſſe definiuit, & Auguſtinus libro De bono coniugali, capite 1. adeò vt ſi omnia nobis tãquam virgula diuina ſuppeditarentur, ſolitudinem tamẽ, vt rectè & verè ſentit M. Tullius Cicero libro 1. De officiis, fugeremus. Nam etiam magnitudo ipſa animi remota à communitate, cõiũctionéque humana feritas quædam & immanitas eſt nominanda. Sed & cognitionis ſtudium vincit conſociatio hominum, atque communitas. Quamobrem inter reliqua Dei erga genus humanũ beneficia hoc quoque recenſetur. Pſal. 107. verſu 40. quòd in locis frequẽtibus, nõ in deſertis & ſolitudine habitamus. Hi tamen pro ſumma laude & ſanctitatis cõmendatione duxerunt, ſi more ferarum aſpectus hominum, & cõmercia fugerent, incidentes in illã pœnam, quæ à Domino pro ſumma Nebucadnezari fuit inflicta, vt eſt apud Danielem 4. His autẽ ſimiles ſunt, qui iura naturæ temerantes, & conſtitutum à Deo rerum ordinem peruertentes, noctẽ ad preces deſtinarunt, quæ quieti conceſſa eſſe debet. ſed hi etiam fuerunt Monachi. Quanquam nõ dubito Iſidorum inter hæreticos referre, qui hoc nocturnarũ matutinarum inſtitutũ dãnant, eóſque Nyctages appellare: ſed iam ſui ſeculi næuis & ſuperſtitione infectus Iſidorus id ſentit. Nec verò tã ab omni humanitatis ſenſu alienæ viuendi rationes à quoquam inſtitui, vel inſtitutæ probari potuiſſent, niſi iam ſanctitatem vitę ex ſuis operibus, meritis, & ritibus humano ingenio excogitatis homines metirentur, contra manifeſtam Pauli ſententiam, Coloſſ. 2. Neque etiam ſolitariis, & lucifugis hominibus Monachis, qui ſunt natura αὐθάδεις, huiuſmodi opinionum portenta obrepere potuiſſe mirum videtur, quum abſurdiora quædam & immaniora iis in mentem veniſſe legamus apud Euagrium libro 1. capite 21. quæ tamen omnia Monachiſmi nomine & velo recepta & commendata ſunt. Ait igitur ille, Rurſus alij diuerſa ratione viuentes, ipſi ſe ſolos domiciliis includunt, quæ tantùm habent latitudinis, tantúmque altitudinis, vt neque corpora ſua erigere, neque liberè iacere queant. Alij cum beſtiis agentes, latebris quibuſdam incognitis abditi, precationes ad Deum faciunt. Quin eſt aliud quoddam genus conuerſationis, viri & mulieres, ardẽti ſolitudini ſeipſos committentes ac ſola naturæ pudenda contegentes, cętera nudi, terram depaſcuntur (vnde & armẽta vocantur, Græcè βοσκοὶ, &, vt ait Nicephorus libro 14. c. 58. ἀπαθεῖς ita vt ſuibus & beſtiis ſimiles reddantur, aſpectúſque ipſorum, & mens quoque ab humana forma & mẽte diſſideat, & homines viſos fugiant. Sed & quidam Circulatores ſe vocant, quòd omni pudore abiecto inter homines ad riſum aliis mouẽdum nudi verſantur, vt idem Euagrius ſcribit. tot nimirum fuerunt monſtrorum genera, quæ Monachiſmus tantopere laudatus peperit. Iſtis verò longè feſtiuiores alii Monachi, & ipſi quoque inter hæreticos recenſiti à Ioanne Damaſceno, & Heicetæ dicti, qui cum Monacharum mulierum cœtu in monaſteris ſaltant, & tripudiant, & id putant Chriſtianum, neque laſciuum, quos Damaſcenus damnat. Hi verò noſtri feri & agreſtes homines, inter hæreticos recenſentur ab antiquis Chriſtianis, & meritò licet eos Eremitarum natio ſequatur adhuc hodie, qui Eremitæ à Papiſtis non damnantur. Vocantur autem à nobis iſti, feri, & inhumani, ſiue agreſtes: ab aliis verò videntur Girouagi nominari, quorum vitæ & inſtituto planè repugnat vita Chriſti, qui cum hominibus, vt cæteri, comedit, & verſatus eſt, Matth. 11. verſu 19. & illud quod eſt in Eccleſiaſtico, Væ homini ſoli. Huius hæreſeos meminit Iſidorus, apud quẽ mendum eſt. Sic enim apud eum, Aliæ (hæreſes) cũ hominibus manducant. legendum tamen ex hoc Auguſtini loco, non manducant. Videtur extitiſſe tẽporib⁹ Theod. iunioris, poſt Chriſtũ paſſum, anno 420. in Syria & Palæſtina præſertim, vbi tetriora

quàm

A quā in ipſis AEgypti ſolitudinibus & deſertis Monachorū portenta vixerunt, vt ille Euagrii locus docet. Horum duplex fuit dogma. 1 Hominum commercium & conſortium ad vitæ æternæ facilem aſſequutionem eſſe fugiendum. 2 Spiritum ſanctum eſſe creaturam. Ita qui hominum ſocietatem refugerunt, fuerunt in Deum ipſum blaſphemi.

CAP. LXXII.

Rhetoriani cur ſic dicti. Error eorum quis fuerit.

A Rhetorio[1] *quodam exortam hæreſin dicit nimium mirabilis vanitatis, quæ omnes hæreticos rectè ambulare, & vera dicere affirmat, quod ita eſt abſurdum, vt mihi incredibile videatur.*

1 *A Rhetorio.*) Quis fuerit hic Rhetorius, nuſquam B alibi inuenio explicatum. Eſt tamen hæc hæreſis Apellitarum vel veterum philoſophorum Academicorum ſurculus, vt ex Euſeb. lib. 5. cap. 13. videtur colligi poſſe. Atque hi ipſi ab aliis, veluti à Damaſceno, Lampetiani, à Lampetio quodam dicuntur, qui liberam cuique eſſe debere religionis, quam velit, & quam veram putat, profeſſionem docent, quia nihil coactum aut inuitum Deo placet. Eſt quidem illud Epiphanij in Apoſtolicis hęreticis dictum certiſſimum οὐκ ἐπαναγκὴς ἡ θεοσέβεια, ἀλλ' ἐκ προαιρέσεως ἡ δικαιοσύνη. quod etiam Socrates libro 3. capite 25. probat, propterea tamē non debet quodlibet humani ingenii commentum admitti, &, vt δόκιμος & probus numus recipi: ſed ea tantùm doctrina, quæ cæleſtis eſt, & verbo Dei conſentiens, audienda. Retinenda enim eſt nobis illa Petri ſententia in 2. epiſt. cap. 1. verſ. 20. Prophetiam non eſſe ἰδίας ἐπιλύσεως. i. propriæ cuiuſque explicationis, vt in quācumque velit partem quiſque eam inflectere poſsit. Nā vt Deo iubente allata eſt: ita nulla eius interpretatio admittenda eſt, quæ à Dei gloria & ſpiritu diſſentiat. Iſ. 30. v. 8. Hier 36. ver. 2. idcircóque dicunt Apoſtoli reſcribentes, placuit C non *nobis* tantùm ſed *nobis & Spiritui ſancto*. Actor. 15. vſ. 28. Immane verò eſt iſtud, quenque hæreticū vera dicere etiam in eo, in quo cenſetur hęreticus, quæ dicendi ratio etiam in ipſis verbis contradictionem, vt aiunt, implicat, ſéque ipſa tollit & refutat. Cuius erroris nullum certè poteſt eſſe fūdamētum, niſi quis fortaſſe illud Pauli afferat, Rom. 14. verſ. 5. Quiſque abundat in ſuo ſenſu. quod planè aliò pertinet, neque ad hunc errorem confirmādum facit. Sed & quod hæretici, vt docet Hilarius in libro ad Conſtantium, iam ad ſuos errores defendendos autoritate ſcripturæ paſſim niti videbantur, magnum huius Rhetorianorum erroris fundamentum vel fulcimentum fuit. Iouinianus imperator perperam laudatur à Themiſtio, quòd liberam eſſe cuiuſque hæretici religionem ſiuerit. Iſtud tamen Rhetorianorum cogitari, nedum dici nō potuit, niſi propter allegorias in Scripturæ interpretatione iam inductas, homines exiſtimaſſent in ſcripto Dei verbo nihil certum, nihílque definitum ineſſe, ſed velut naſum cereū à quoque, pro animi ſui ſenſu in varias & cōtrarias partes & ſententias torqueri poſſe. Hāc igitur de ſacrę Scripturæ dubia & ancipiti intelligentia opinionem nō modò hæreticā eſſe pronuntiat hoc loco Auguſtinus, A ſed etiam ſtupendam & παράδοξον, quam tamen Papiſtæ tuentur, & in primis literis Clemētis Romani pontificis de Synodo Tridentina colligenda datis, diſertè totidémque penè literis retulerunt, & deſcripſerunt. Quo autem tempore collocanda ſit hæc hæreticorum familia, ignoro, niſi poſt Apellitas, & poſt annū à Chriſto paſſo 150. Quo verò in loco, niſi in quibuſdam Occidentis partibus viguerit, dici nō poteſt, quia de ea ſilét omnino homines Græci, & certè eſt minuta hæreſis, cuius ne Iſidorus quidem meminit, eam tamē amplexi ſunt & retinēt hodie Mahumetani, qui quenque in ſua religione ſaluum fore docent, & credunt.

CAP. LXXIII.

Theopaſchitæ, vel Theopaſſiani, quid ſenſerint.

Alia eſt hæreſis, quæ dicit in Chriſto diuinitatē[1] *doluiſſe,* D *quum figeretur caro eius in cruce.*

1 *Diuinitatem doluiſſe.*) Minuta hæc hæreſis, ſi author ſpectetur: cæterum pernicioſiſſima, ſi dogma perpēdatur, quæ videtur teterrimorum poſtea errorum occaſio & cauſa fuiſſe, vt ex tribus Theodoreti dialogis apparet, Eutychianorum nempe, dum in Chriſto diuinam naturam paſſam eſſe contendunt: & Neſtorianorum, dum vt hic error euitaretur, ſtulti homines duas in Chriſto naturas, tanquam duas perſonas fingunt, & ſeparant. Anonymos eſt hic error apud Auguſtinum & Iſidorū, ſed nos ex Niecphoro libro 15. cap. 28. Θεοπασχίτας id eſt, Deipaſſianos appellauimus, ad veterū imitationē, qui Sabellianos Patripaſſionos vulgò nominabant. Ergo naturas in Chriſto confuderunt, & quod humanę proprium eſt, tribuerunt diuinę, quia vna eſt perſona, & vnum eſt ὑφιστάμενον Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Quanquam verò ſanguine ſuo dicitur Deus redemiſſe, & acquiſiuiſſe ſibi Eccleſiam, Actor. 20. verſ. 28. quanquam item Deus gloriæ dicitur crucifixus, 1. Corinth. 2. verſu 8. paſſio tamen crucifixióque propriè ad humanam tantùm Chriſti naturam pertinet. Diuinę verò tribuitur Dialectica tantùm & verbali, vt aiunt, prædicatione, non autem phyſica & reali per C ἰδιωμάτων κοινωνίαν, & propter hypoſtaticam diuinæ cum humana natura vnionem. Nam in Chriſto deitas habitat perſonaliter, id eſt, vt loquitur Paulus, σωματικῶς. De qua re luculentiſsima eſt apud Patres orthodoxos diſputatio, imprimis in tribus illis Theodoreti dialogis aduerſus Eutychen, qui Eraniſtes dicuntur, apud Vigilantium, & Leonem primum Romanum epiſcopum, in epiſtola ad Chalcedonenſe concilium. Auguſtinus lib. 3. contra Maximin. Arianum cap. 20. Si ergo attendas diſtinctionem ſubſtantiarum, Filius Dei de cœlo deſcendit: Filius hominis crucifixus eſt. Si vnitatem perſonæ, & Filius hominis deſcendit de cœlo, & Filius Dei eſt crucifixus. Videtur verò ex Arianiſmo tanquam fonte deductus fœtidus iſte riuulus. Sublata enim Chriſti diuinitate, & imminuta, quod Arius fecit, facile poſtea fuit blaſphemis hominibus, & Satanæ ipſi, quidlibet abſurdum de Chriſto comminiſci, eius facta dictáque plurima reprehendere, & damnare, quod fecerunt hi hæretici, quos Damaſcenus Theocatagnoſtas nomina-

A uit. A dextris enim & ſiniſtris, ex tam impuro fonte riui innumerabiles extiterunt, & ſcaturiuerunt, & illi quidem omnes impuri, & ſæpe ſua origine fœdiores, & ſordidiores. Fuerunt autem iſti Marcionitis, & Docetis planè dogmate contrarij. Nam Chriſtum vllo modo verè paſſum negãt: iſti etiam in diuina natura laboraſſe, & cruciatus verè toleraſſe contendunt, ita nimirum ſibi ipſi non conſtat mendacium, & ſeipſum repugnantibus erroribus euertit. Quo verò tempore, quóve primùm authore cœperit, non reperit Auguſtinus, ſed nec Philaſter ipſe commemorauit. Quidam à Seueritis & Armeniis hæreticis profectum hunc errorem putant. Alii ex Nicephoro à Petro Gnapheo, libro 15. cap. 28. ſed falluntur magna temporum ignorãtia. Vixerũt enim hi omnes aliquot poſt Eutychen hæreticum ſeculis, à quo ſua deliria ſumpſerunt illi. Eutyches autem ipſe poſt defunctum Auguſtinum, qui hunc errorem iam pullulantem viderat, natus eſt, vt manifeſtiſſimè ratio temporis iſtorum ſententiæ repugnet. Quantum verò coniicere potui, præſertim ex tertio Theodoreti dialogo, qui B dicitur Impatibilis, temporibus Apollinaris, & Euſebii Emiſeni fabricari & ſpargi cœpit, ſub Cõſtantio, Conſtantini Magni filio, & Iulio Romano epiſcopo vt docet Socrates libro 2. circa annum à Chriſto paſſo 311. Durauit autem diutiſsimè. Suſtentata enim eſt hæc hæreſis ab Eutychianis, & ab iis pertinaciter defenſa, maximè verò à Petro Gnapheo ſub Zenone imperatore, & nunc quoque inter Armenios, qui ſe Chriſtianos appellant, permanſiſſe fertur. Graſſata verò eſt in Aſia, & Syria Orientali præcipuè, vt quanuis initio paruus error videretur, ſucceſſu temporis, atque obſtinationis acceſsione, grauiſsimus poſtea factus eſt, tanti eſt nimirum, vel latum quidem vnguẽ à vera de Chriſti duabus naturis fide diſcedere, ſéque tetris iſtis erroribus mancipare.

CAP. LXXIIII.

Triformii & Tritheitæ quid ſenſerint.

C *Eſt alia, quæ triformem[1] ſic aſſerit Deum vt quædam pars eius ſit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus ſanctus, hoc eſt quòd Dei vnius partes ſint, quæ iſtam faciunt Trinitatem, velut ex ijs tribus partibus compleatur Deus, nec ſit perfectus in ſeipſo vel Pater vel Filius vel Spiritus ſanctus.*

1 *Triformem ſic aſſerit.*) Innominata eſt hæc hæreſis, à nobis tamen commodioris diſputationis gratia Triformij vel Triformiani nominẽtur, qui quanuis cum Tritheis, & Tetratheis hæreticis, de quibus Nicephorus lib. 8. cap. 49. & 50. conuenire videantur, habent tamẽ aliquid ab vtriſque diuerſum. Ac à Tritheis quidẽ, quòd hi noſtri ſunt priores, Trithei verò poſteriores, quorum autor fuiſſe ſcribitur Ioannes Grammaticus cognomẽto Philoponus patria Alexandrinus & Ægyptius, qui ſub Phoca Imperatore, & Bonifacio tertio Romano Pontifice, vixit circa annum à Chriſto paſſo 574. Triformiani verò vel cum Metangiſmonitis, vel paulò pòſt circa annum à Chriſto paſſo 370. cùm de Dei eſſentia & trium in ea perſonarum diſtinctione propter Sabellianos, Anthropomorphitas, & poſtea natos Arianos variè diſputari & ſentiri cœpiſſet, & in eo argumẽto errarent multi A in Eccleſia. Vt enim Sabellianorum errorem vitarent homines, hunc nouum nec minus periculoſum temerarii excuderunt, quia ex ſuo ſenſu potius quàm ex ipſiſſimo Dei verbo ſapere voluerũt, & dum vitant ſtulti vitia, in cõtraria currunt. Pręterea Tritheitæ Dei naturam & eſſentiam triplicem faciunt, non autem vnam & eandem, vt docet Iſidorus: & perſonas non tantùm reipſa inter ſe diſtinguunt, ſed loco & ſitu ſeparant & diuellunt, quemadmodum tres homines inter ſe totis ſubiectis & locis differunt, veluti Paulus, Petrus, Ioannes. Sunt enim Tritheitæ, qui tres deos conſtituũt ſeorſim & reapſe ſeparatos à ſeſe, non autem in vna & eadem diuina eſſentia tres hypoſtaſes diuerſas & diſtinctas credunt. Triformiani verò diuinam naturam vnam quidem & eandem in tribus perſonis conſtituunt, ſed non totam. Cogitant enim diuinam eſſentiam velut quiddam compoſitum vel aggregatum, quæ in tribus illis hypoſtaſibus coaleſcentibus vel coniunctis inter ſe tota & perfecta ſit: in ſingulis verò perſonis ſit imperfecta. Itaque faciunt Trinitatem velut monſtrum quoddam & corpus quod tribus diuerſis formis B tanquam capitibus conſtet, qualem ſuum Geryona finxerunt profani poetæ. Quo deliramẽto quid in tanta & tam ſancta re, qualis eſt Sacroſancta Trinitas, fœdius & abſurdius vel dici, vel etiam cogitari poteſt? Tetratheitæ etiam à Triformianis differunt & tempore & dogmate. Nam Tetratheitæ ante Anaſtaſium primum Imperatorem extitêre, quando traditum legimus eum edicto ſuo propoſuiſſe, vt, ex iam inter multos recepta ſententia, Quaternitas pro Trinitate adoraretur, circa annum à Chriſto paſſo 485. propter quod impium edictum à Deo ictus fulmine miſerè periit, Hormiſda ſedem Roman. moderante. Itaque noſtris Triformianis ætate ſunt recentiores iſti, quorum tamen manſit viguítque ſententia etiam ſub Phoca Imperatore, ſub quo Theodoſiani, Damianiſtæ, & Angelitæ vocati ſunt, quemadmodũ Nicephor. tradit, lib. 18. cap. 49. ex eadem quidem occaſione, ex qua ſuperiores orti, nimirum, vt Sabellianorum errori obuiam iretur, ſed malo nodo peior cuneus quæſitus eſt ab imperitis hominibus & iam multis C hæreſeôn ſordibus inquinatis & imbutis. Ad verbum autem Dei non recurrebant. Dogma verò Tetratheitarũ hoc fuit, præter tres illas diuinas hypoſtaſes & perſonas exiſtere quartam quandam eſſentiam, quæ trium communis eſſet, & ſe tribus illis communicaret, propter quam communicationem dij fierent. Atqui nec tres illæ perſonæ aliud ſunt, quàm ipſa diuina natura: nec illa aliud eſt nec alibi, nec alio modo ſubſtitit, quàm in tribus illis perſonis, tota in omnibus, tota in ſingulis, cuius non participatione tantum aliqua, ſed tota poſſeſſione, quęque perſona Deus eſt, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus tres perſonę, ſed vnus & idẽ Deus. Triformiani verò quatuor eſſẽntias, vt Tetratheitæ, non conſtituunt. Quare ab iis dogmate differunt. Huius hæreſeos meminit Iſidorus, quam ſicut & ſuperiores vt euitaret S. Bernardi ſeculo Gilbertus Porretanus docuit, ſed falſiſſimè, diuinas perſonas non realitate quadam, ſed tantùm nuda notione & cogitatione animi inter ſe differre & diſtingui, qui à Rhemenſi ſynodo refutatus eſt, & aliud eſſe dixit in Deo naturã & ſubſtãtiã, quę Deus

eſt,

eſt,ab ea qua Deus eſt.Diuinitate enim Deum eſſe Deum. Diuinitatem tamen non eſſe Deum.Quẽ errorẽ luculentiſsimè &pulcherrimè refutat Bernard. ſerm. 80 in Cantica.

CAP. LXXV.

Aquei quid ſenſerint.

ALia eſt,quæ dicit aquam[1] *non à Deo creatam,ſed ei ſemper fuiſſe coæternam.*

1 *Aquam non à Deo.*) Hæc ſuperiorum hæreſeôn particula eſt, partim ex Materiariis ſiue Hermogenianis,partim ex Audianis decerpta. Illi enim materiam mundi huius Deo coæternam cõſtituebant: hi vero tria mundi huius principia faciebant,ex quibus vnum eſſet aqua. Noſtri igitur hoc poſtremum Audianorum dictũ temerè ſunt amplexi,quia de Aquæ creatione non videtur meminiſſe Moſes Geneſ. 1. ſed tantùm de illius congregatione in vnum locum, & aquarum cœleſtiũ ſiue ſuperiorum ab inferioribus ſeparatione. Sed facilis ſolutio eſt. Cùm enim dicitur Deus creaſſe cœlum & terram, & in huius creatæ terræ globo & corpore aqua illi ſuperfuſa contineatur, neceſſe eſt aquam quoque à Deo creatam confiteri,& intelligere.Iſti tamen propter varias aquæ laudes tũ à profanis hominibus,tum à ſuperioribus hæreticis,quales Seueriani, Encratitæ, Aquarii decantatas,aquæ elementum increatum eſſe & Deo coæternum impiiſsimè ſenſerunt, atque docuerunt. Itaque à nobis Aquei dicti ſunt, vt ab Aquariis, de quibus antea,diſcernerentur, Laudauit aquam Pindarus in Pithiis,ὕδωρ τὸ ἄριστον dixit.Thales Mileſius philoſophus Pindaro vetuſtior earũ rerum omnium primum principiũ eſſe voluit, vt omnes ſcribunt, imprimis autem Diogenes Laertius,& Clemens Alexander.Stromat.libr.1.à quo proculdubio hæ fæces ſunt deſumptæ,& in ſcholas Chriſtianorum tranſlatæ. Plures enim deos inuehunt, Deum ſcilicet & aquam,dum vtrunque faciunt æternum,quæ tamen ſunt diſsimilis naturæ, non eiuſdem.Hæc ſententia planè profana eſt. Nec diu perſtitit hæc hæreſis,nec certum authorem habet, nec nomẽ,quanquam eius obiter meminit Iſidorus.Quo verò tempore cœperit incertum eſt, niſi ad Aquariorum tempora referamus, circa annum à Chriſto paſſo 145. Vbi graſſata ſit, à quibus defenſa & propagata,non explicatur,& ſtatim intercidiſſe veriſsimile eſt,cùm pauci illius meminerint, & facilè tam inepta deliria verbo Dei deiiciuntur ex meris Philoſophorum nugis ficta & traducta.

CAP. LXXVI.

Melitonij quid ſenſerint.

ALia dicit[1] *corpus hominis, non animam eſſe imaginem Dei.*

1 *Alia dicit.*) Hanc non nominat hîc Auguſt. in indice tamen huic operi præfixo ſiue ex gloſſemate,ſiue ex veteri codice Melitonii appellantur, quam nos appellationem retinuimus. Quis tamen fuerit hic Melito,nõdum legiſſe me memini. Nec enim is eſt,de quo Euſeb.libro 4.cap.21. & Niceph.libro 4.cap.10.qui & Sardicenſis Epiſcopus & orthodoxus fuit Antonini Pii temporibus.Hęc enim hæreſis omnino recentior videtur fuiſſe, & Antropomorphitarum ſiue Audæorum ſurculus quidã,vt indicat Theodoret.in Epitom. diuinor. decretor.cap.De homine,qui cùm Deum corporeum fingerent,imaginem Dei in homine non in anima, quæ ſpiritualis eſt:ſed in corpore,quod lineamentis,membris,& dimenſionibus aſpectabilibus conſtat,collocabant.In quo ex cœleſti & ſpirituali fit terrena,mortalis, & corporea diuina natura,non ſine inſigni in Deum ipſum blaſphemia, Itaque repudianda eſt tam praua & aliena à veritate Scripturæ interpretatio,quę fit de cap.1.Gen. verſ.27.Veterem tamen fuiſſe de ea re quęſtionem & inter Patres vexatam apparet ex Irenæi libro 5 cap.1.Auguſtin.libro 3.de Geneſ.ad liter.cap.19. & aliis authoribus,veluti Ambroſio, Chryſoſtomo & Baſilio in Exameris,ſed tamen in hominis anima,non in corpore ſemper ab iis poſita eſt imago Dei in homine. Quid ſit autem illa, & qualis, explicat Paulus Coloſſ. 4. verſu 10. Epheſ. 4. verſu 24. nec melior interpres quærendus erat. Ergo ad Anthropomorphitas iſtos refero, & ad eorum tẽpora. Huius hæreſeos meminit Iſidor. libro 8.etymologiar.

CAP. LXXVII.

Opheorum error qui fuerit.

ALia dicit innumerabiles[1] *mundos, ſicut opinati ſunt quidam philoſophi gentium.*

1 *Innumerabiles mundos.*) In indice præpoſito huic operi vocantur Ophei qui hoc delirium amplexi ſunt, ſiue quòd ab Ophitis hæreticis orti ſunt, ſiue quòd Opheus quidam eorum author fuerit,quos tamen à Valentinianis & Baſilidianis potius ortos eſſe iudico,qui 365.cœlos conſtituũt. Quid enim facilius fuit,quàm poſt cœlorum globos inductos facere mũdos innumerabiles? Quod antea ab ethnicis philoſophis traditum erat,quemadmodum à Democrito Abderita, & Epicuro Athenienſi. Id quod in eorum vita refert Diogenes Laertius,libro.9.& 10.Lactant.De ira Dei.cap.10. Origenes quidem libro 3.περὶ ἀρχῶν, cap.5. opinatur præter hunc viſibilem & conſpicuum mundũ, alium quoque eſſe,qui etiam ante hunc conditus ſit à Deo.Quæ ſententia huic,quem nunc exponimus,errori,magnum firmamentum videtur attuliſſe,& tamen falſa eſt. In principio enim creauit Deus cœlum & terram, nec antea vllus mundus erat vel viſibilis vel inuiſibilis.Nec tunc Deus mũdos plures condidit, ſed hunc tantùm cõſpicuum, quem incolimus,cuiúſque nobis Geneſ.cap.1.origo explicatur.Et rectę Patres argumentantur vnũ eſſe mundum,quia vnus eſt Deus. Eſt enim opus Dei mundus.Neque verò prætermiſſura erat Scriptura,ſi plures eſſent mundi, ne alium præter vnũ & verum Deum, eorum conditorem exiſtimaremus:aut ne Deum ipſum tanti opificii laude priuaremus.De quo in prima Phyſicæ noſtræ Chriſtianæ parte,quæ tamen nondum edita eſt,abundè diximus. Quod autem ad hanc hæreſin attinet,ne-

A uit. A dextris enim & ſiniſtris,ex tam impuro fonte riui innumerabiles extiterunt, & ſcaturiuerunt, & illi quidem omnes impuri, & ſæpe ſua origine fœdiores, & ſordidiores. Fuerunt autem iſti Marcionitis,& Docetis planè dogmate contrarij. Nam Chriſtum vllo modo verè paſſum negãt:iſti etiam in diuina natura laboraſſe , & cruciatus verè toleraſſe contendunt , ita nimirum ſibi ipſi non conſtat mendacium,& ſeipſum repugnantibus erroribus euertit. Quo verò tempore , quóve primùm authore cœperit,non reperit Auguſtinus , ſed nec Philaſter ipſe commemorauit. Quidam à Seueritis & Armeniis hæreticis profectum hunc errorem putant. Alii ex Nicephoro à Petro Gnapheo,libro 15.cap.28.ſed falluntur magna temporum ignorãtia. Vixerũt enim hi omnes aliquot poſt Eutychen hæreticum ſeculis, à quo ſua deliria ſumpſerunt illi. Eutyches autem ipſe poſt defunctum Auguſtinum,qui hunc errorem iam pullulantem viderat, natus eſt,vt manifeſtiſſimè ratiotemporis iſtorum ſententiæ repugnet. Quantum verò coniicere potui, præſertim ex tertio Theodoreti dialogo , qui B dicitur Impatibilis, temporibus Apollinaris , & Euſebii Emiſeni fabricari & ſpargi cœpit,ſub Cõſtantio , Conſtantini Magni filio, & Iulio Romano epiſcopo vt docet Socrates libro 2.circa annum à Chriſto paſſo 311.Durauit autem diutiſsimè. Suſtentata enim eſt hæc hæreſis ab Eutychianis,& ab iis pertinaciter defenſa,maximè verò à Petro Gnapheo ſub Zenone imperatore,& nunc quoque inter Armenios , qui ſe Chriſtianos appellant , permanſiſſe fertur. Graſſata verò eſt in Aſia , & Syria Orientali præcipuè,vt quanuis initio paruus error videretur, ſucceſſu temporis, atque obſtinationis acceſsione , grauiſsimus poſtea factus eſt, tanti eſt nimirum,vel latum quidem vnguẽ à vera de Chriſti duabus naturis fide diſcedere , ſéque tetris iſtis erroribus mancipare.

Cap. LXXIIII.

Triformii & Tritheitæ quid ſenſerint.

C *Eſt alia,quæ triformem[1] ſic aſſerit Deum vt quædam pars eius ſit Pater , quædam Filius , quædam Spiritus ſanctus, hoc eſt quòd Dei vnius partes ſint,quæ iſtam faciunt Trinitatem , velut ex iis tribus partibus compleatur Deus, nec ſit perfectus in ſeipſo vel Pater vel Filius vel Spiritus ſanctus.*

1 *Triformem ſic aſſerit.*) Innominata eſt hæc hæreſis, à nobis tamen commodioris diſputationis gratia Triformij vel Triformiani nominẽtur, qui quanuis cum Tritheis , & Tetratheis hæreticis,de quibus Nicephorus lib.8.cap.49. & 50.conuenire videantur, habent tamẽ aliquid ab vtriſque diuerſum. Ac à Tritheis quidẽ,quòd hi noſtri ſunt priores,Trithei verò poſteriores, quorum autor fuiſſe ſcribitur Ioannes Grammaticus cognomẽto Philoponus patria Alexandrinus & AEgyptius , qui ſub Phoca Imperatore , & Bonifacio tertio Romano Pontifice,vixit circa annum à Chriſto paſſo 574.Triformiani verò vel cum Metangiſmonitis, vel paulò pòſt circa annum à Chriſto paſſo 370.cùm de Dei eſſentia & trium in ea perſonarum diſtinctione propter Sabellianos, Anthropomorphitas , & poſtea natos Arianos variè diſputari A & ſentiri cœpiſſet,& in eo argumẽto errarent multi in Eccleſia. Vt enim Sabellianorum errorem vitarent homines,hunc nouum nec minus periculoſum temerarii excuderunt , quia ex ſuo ſenſu potius quàm ex ipſiſſimo Dei verbo ſapere voluerũt, & dum vitant ſtulti vitia,in cõtraria currunt. Prçterea Tritheitæ Dei naturam & eſſentiam triplicem faciunt,non autem vnam & eandem, vt docet Iſidorus : & perſonas non tantùm reipſa inter ſe diſtinguunt,ſed loco & ſitu ſeparant & diuellunt, quemadmodum tres homines inter ſe totis ſubiectis & locis differunt,veluti Paulus, Petrus, Ioannes. Sunt enim Tritheitæ, qui tres deos conſtituũt ſeorſim & reapſe ſeparatos à ſeſe,non autem in vna & eadem diuina eſſentia tres hypoſtaſes diuerſas & diſtinctas credunt. Triformiani verò diuinam naturam vnam quidem & eandem in tribus perſonis conſtituunt , ſed non totam. Cogitant enim diuinam eſſentiam velut quiddam compoſitum vel aggregatum, quæ in tribus illis hypoſtaſibus coaleſcentibus vel coniunctis inter ſe tota & perfecta ſit:in ſingulis verò perſonis ſit imperfecta. Itaque faciunt Trinitatem velut monſtrum quoddam & corpus quod tribus diuerſis formis B tanquam capitibus conſtet, qualem ſuum Geryona finxerunt profani poetæ. Quo deliramẽto quid in tanta & tam ſancta re,qualis eſt Sacroſancta Trinitas,fœdius & abſurdius vel dici , vel etiam cogitari poteſt? Tetratheitæ etiam à Triformianis differunt & tempore & dogmate. Nam Tetratheitæ ante Anaſtaſium primum Imperatorem extitêre, quando traditum legimus eum edicto ſuo propoſuiſſe , vt, ex iam inter multos recepta ſententia, Quaternitas pro Trinitate adoraretur, circa annum à Chriſto paſſo 485. propter quod impium edictum à Deo ictus fulmine miſerè periit, Hormiſda ſedem Roman.moderante. Itaque noſtris Triformianis ætate ſunt recentiores iſti, quorum tamen manſit viguítque ſententia etiam ſub Phoca Imperatore,ſub quo Theodoſiani,Damianiſtæ, & Angelitæ vocati ſunt,quemadmodũ Nicephor. tradit,lib.18.cap.49.ex eadem quidem occaſione, ex qua ſuperiores orti,nimirum,vt Sabellianorum errori obuiam iretur,ſed malo nodo peior cuneus quæſitus eſt ab imperitis hominibus & iam multis C hæreſeôn ſordibus inquinatis & imbutis. Ad verbum autem Dei non recurrebant. Dogma verò Tetratheitarũ hoc fuit,præter tres illas diuinas hypoſtaſes & perſonas exiſtere quartam quandam eſſentiam,quæ trium communis eſſet,& ſe tribus illis communicaret,propter quam communicationem dij fierent. Atqui nec tres illæ perſonæ aliud ſunt,quàm ipſa diuina natura:nec illa aliud eſt nec alibi,nec alio modo ſubſtitit, quàm in tribus illis perſonis , tota in omnibus , tota in ſingulis , cuius non participatione tantum aliqua,ſed tota poſſeſſione , quçque perſona Deus eſt, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus tres perſonç,ſed vnus & idẽ Deus. Triformiani verò quatuor eſſẽntias, vt Tetratheitæ,non conſtituunt. Quare ab iis dogmate differunt. Huius hæreſeos meminit Iſidorus , quam ſicut & ſuperiores vt euitaret S.Bernardi ſeculo Gilbertus Porretanus docuit , ſed falſiſſimè , diuinas perſonas non realitate quadam , ſed tantùm nuda notione & cogitatione animi inter ſe differre & diſtingui,qui à Rhemenſi ſynodo refutatus eſt , & aliud eſſe dixit in Deo naturã & ſubſtãtiã,quç Deus

eſt,

A eſt,ab ea qua Deus eſt. Diuinitate enim Deum eſſe Deum. Diuinitatem tamen non eſſe Deum. Quẽ errorẽ luculentiſsimè & pulcherrimè refutat Bernard. ſerm. 80 in Cantica.

Cap. lxxv.

Aquei quid ſenſerint.

ALia eſt,quæ dicit aquam [1] *non à Deo creatam,ſed ei ſemper fuiſſe coæternam.*

1 *Aquam non à Deo.*) Hæc ſuperiorum hæreſeôn particula eſt, partim ex Materiariis ſiue Hermogenianis,partim ex Audianis decerpta. Illi enim materiam mundi huius Deo coæternam cõſtituebant: hi vero tria mundi huius principia faciebant,ex quibus vnum eſſet aqua. Noſtri igitur hoc poſtremum Audianorum dictũ temerè ſunt amplexi,quia de Aquæ creatione non videtur meminiſſe Moſes Geneſ. 1. ſed tantùm de illius congregatione in vnum locum, & aquarum cœleſtiũ B ſiue ſuperiorum ab inferioribus ſeparatione. Sed facilis ſolutio eſt. Cùm enim dicitur Deus creaſſe cœlum & terram, & in huius creatæ terræ globo & corpore aqua illi ſuperfuſa contineatur, neceſſe eſt aquam quoque à Deo creatam confiteri,& intelligere. Iſti tamen propter varias aquæ laudes tũ à profanis hominibus,tum à ſuperioribus hæreticis,quales Seueriani, Encratitæ, Aquarii decantatas,aquæ elementum increatum eſſe & Deo coæternum impiiſsimè ſenſerunt, atque docuerunt. Itaque à nobis Aquei dicti ſunt, vt ab Aquariis, de quibus antea,diſcernerentur, Laudauit aquam Pindarus in Pithiis,ὕδωρ γὰρ ἄειϛον dixit. Thales Mileſius philoſophus Pindaro vetuſtior carũ rerum omnium primum principiũ eſſe voluit, vt omnes ſcribunt, imprimis autem Diogenes Laertius,& Clemens Alexander. Stromat. libr. 1. à quo proculdubio hæ fæces ſunt deſumptæ,& in ſcholas Chriſtianorum tranſlatæ. Plures enim deos inuehunt, Deum ſcilicet & aquam,dum vtrunque faciunt æternum,quæ tamen ſunt diſsimilis naturæ, non eC iuſdem. Hæc ſententia planè profana eſt. Nec diu perſtitit hæc hæreſis,nec certum authorem habet, nec nomẽ,quanquam eius obiter meminit Iſidorus. Quo verò tempore cœperit incertum eſt, niſi ad Aquariorum tempora referamus, circa annum à Chriſto paſſo 145. Vbi graſſata ſit, à quibus defenſa & propagata,non explicatur,& ſtatim intercidiſſe veriſsimile eſt,cùm pauci illius meminerint, & facilè tam inepta deliria verbo Dei deiiciuntur ex meris Philoſophorum nugis ficta & traducta.

Cap. lxxvi.

Melitonij quid ſenſerint.

ALia dicit [1] *corpus hominis, non animam eſſe imaginem Dei.*

1 *Alia dicit.*) Hanc non nominat hîc Auguſt. in indice tamen huic operi præfixo ſiue ex gloſſemate,ſiue ex veteri codice Melitonii appellantur, quam nos appellationem retinuimus. Quis tamen fuerit hic Melito,nõdum legiſſe me memini. Nec enim is eſt,de quo Euſeb. libro 4. cap. 21. & NiceA phor. libro 4. cap. 10. qui & Sardicenſis Epiſcopus & orthodoxus fuit Antonini Pii temporibus. Hęc enim hæreſis omnino recentior videtur fuiſſe, & Antropomorphitarum ſiue Audæorum ſurculus quidã,vt indicat Theodoret. in Epitom. diuinor. decretor. cap. De homine,qui cùm Deum corporeum fingerent,imaginem Dei in homine non in anima, quæ ſpiritualis eſt:ſed in corpore,quod lineamentis,membris,& dimenſionibus aſpectabilibus conſtat,collocabant. In quo ex cœleſti & ſpirituali fit terrena,mortalis, & corporea diuina natura,non ſine inſigni in Deum ipſum blaſphemia, Itaque repudianda eſt tam praua & aliena à veritate Scripturæ interpretatio,quę fit de cap. 1. Gen. verſ. 27. Veterem tamen fuiſſe de ea re quęſtionem & inter Patres vexatam apparet ex Irenæi libro 5 cap. 1. Auguſtin. libro 3. de Geneſ. ad liter. cap. 19. & aliis authoribus,veluti Ambroſio, Chryſoſtomo & Baſilio in Exameris,ſed tamen in hominis anima,non in corpore ſemper ab iis poſita eſt imago B Dei in homine. Quid ſit autem illa, & qualis, explicat Paulus Coloſſ. 4. verſu 10. Epheſ. 4. verſu 24. nec melior interpres quærendus erat. Ergo ad Anthropomorphitas iſtos refero, & ad eorum tẽpora. Huius hæreſeos meminit Iſidor. libro 8. etymologiar.

Cap. lxxvii.

Opheorum error qui fuerit.

ALia dicit innumerabiles [1] *mundos, ſicut opinati ſunt quidam philoſophi gentium.*

1 *Innumerabiles mundos.*) In indice præpoſito huic operi vocantur Ophei qui hoc delirium amplexi ſunt, ſiue quòd ab Ophitis hæreticis orti ſunt, ſiue quòd Opheus quidam eorum author fuerit,quos tamen à Valentinianis & Baſilidianis potius ortos eſſe iudico,qui 365. cœlos conſtituũt. Quid enim facilius fuit,quàm poſt cœlorum glo- C bos inductos facere mũdos innumerabiles? Quod anteaab ethnicis philoſophis traditum erat,quemadmodum à Democrito Abderita, & Epicuro Athenienſi. Id quodin eorum vita refert Diogenes Laertius,libro. 9. & 10. Lactant. De ira Dei. cap. 10. Origenes quidem libro 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 5. opinatur præter hunc viſibilem & conſpicuum mundũ, alium quoque eſſe,qui etiam ante hunc conditus ſit à Deo. Quæ ſententia huic,quem nunc exponimus,errori,magnum firmamentum videtur attuliſſe,& tamen falſa eſt. In principio enim creauit Deus cœlum & terram, nec antea vllus mundus erat vel viſibilis vel inuiſibilis. Nec tunc Deus mũdos plures condidit, ſed hunc tantùm cõſpicuum, quem incolimus,cuiúſque nobis Geneſ. cap. 1. origo explicatur. Et rectę Patres argumentantur vnũ eſſe mundum,quia vnus eſt Deus. Eſt enim opus Dei mundus. Neque verò prætermiſſura erat Scriptura,ſi plures eſſent mundi, ne alium præter vnũ & verum Deum, eorum conditorem exiſtimaremus:aut ne Deum ipſum tanti opificii laude priuaremus. De quo in prima Phyſicæ noſtræ Chriſtianæ parte,quæ tamen nondum edita eſt,abundè diximus. Quod autem ad hanc hæreſin attinet,ne-

A que illius originem,neque durationem,neque ſedem vſquam legimus. Huius tamen breuiſsimè quidem meminit Iſidorus,& fuit minuta hæreſis, quę magnos authores aut patronos diuturnámque ætatem habuiſſe minimè mihi videtur, eámque ad Baſilidianos refero.

CAP. LXXVIII.

Tertullij & eorum error quis fuerit.

ALia ſceleratorum animas [1] *conuerti in dæmonas dicit, & in quæque animalia ſuis meritis congrua.*

1 *Animas conuerti.*) Neque hîc, neque apud Iſidorum nominatur hæc hæreſis,tamen in indice huic operi profixo vocantur hi Tertullij, quam nos appellationem retinuimus. Tamen quis fuerit hic Tertullus,neque quando primùm cœperit, vbi recepta vel propagata ſit, quandiu perſtiterit hæc hæreticorum ſecta non reperio apud probatos vllos authores,quibus à me fides habeatur, aut B quorum authoritatem aliis ipſe commendare vel poſsim, vel audeam. Dogma igitur iſtorum hoc fuit, Sceleratorum hominum auimas conuerti in dæmonas ipſos ſiue diabolos: vel in animantia iis vitiis & ei turpitudini ſimilia, cui ipſi viuentes addicti fuerint. Atque hanc ſententiam & μετεμψύχωσιν potius,quàm μετενσωμάτωσιν ex Pythagoreorum primùm, pòſt autem Manichæorum & Priſcillianiſtarum(qui Pythagoreorum errores ſecuti ſunt) deliriis ſumptam eſſe docet cùm Diogenes Laert. in vita Pythagoræ, tum Auguſtin. ipſe libro ſeptimo de Geneſ.ad liter.cap.9. & 11. Quam Claudian.poeta pulcherrimè libro 2.in Ruffin.his verſibus expreſsit,

Nam iuxtà Rhadamantus agit, cùm geſta ſuperni
Curriculi,totóſque diu proſpexerit actus,
Exæquat damnum meritis,& multa ferarum
Cogit vincla pati:truculentos ingerit vrſis:
Prædonéſque lupis:fallaces vulpibus addit.
C At qui deſidia ſemper,vinóque grauatus
Indulgens Veneri voluit torpeſcere luxu,
Hunc ſuis immundę pingues detrudit in artus.
Qui iuſto plus eſſe loquax arcanáque ſueuit
Prodere,piſcoſas fertur victurus in vndas,
Vt nimiam penſent æterna ſilentia vocem.

Nec tamen mirum eſt iſta ab hæreticis recipi & recoqui ex impiis philoſophorum inſomniis, cùm Euſeb.libr.5. de vita Conſtantini figmenta Platonis, de animabus hominum poſt mortem circa Stygem fluuium oberrantibus laudet & admittat. Denique hoc Tertulliorum delirium confirmauit fabula potiùs,quàm hiſtoria iactata tunc,& à Nicephoro libro 8.cap.35.narrata,nempe à Georgio quodam epiſcopo cõuerſos in humanam formam porcos, qui antea ex hominibus porci metamorphoſi quadam facti erant. Certè ἀτοπωτάτη meritò iudicanda eſt hæc ſententia , quæ præter omnium Phyſicorum philoſophorum regulas,formas εἰδοποιὰς & eſſentias rerum confundi poſſe cẽſet. Quid enim aliud docet, cùm humanas animas in diabolos vel pecudes mutari contendit , quàm hominẽ, diabolum, & pecudem non eſſe diuerſas rerum ſpecies & genera:aut ſi eſſe confitetur, ea tamen non ſua propriáque forma & eſſentiali conſtare, propter quam inter ſe tota natura diſtinguantur, & tale A quiddam ſint, quę forma illis adimi non poſsit? Sed tanti eſt nimirum in philoſophicis nugamentis immorari, & præter Dei verbum ſapere. Nos igitur iſtos ad Manichæos blaſphemos homines reuocamus,& ad Priſcillianiſtarum ætatem & tempora reducimus.

CAP. LXXIX.

Liberatorum error quis fuerit.

ALia, deſcendente ad inferos [1] *Chriſto, crediſſe incredulos, & omnes inde exiſtimant liberatos.*

1 *Ad inferos Chriſto.*) Nos Liberatores appellauimus,qui nomine carebant. Videntur autẽ iſti primùm à Marcionitis, pòſt autem ab Origeniſtis & Chiliaſtis profecti, qui damnatos homines imò verò diabolos ipſos aliquando ſaluos futuros, nẽpe poſt milleſimum à die reſurrectionis annũ con B tendebant. Iſti verò noſtri iam ſalutem conſecutos eſſe quoſdam incredulos docent,eos nimirum:qui tempore deſcenſionis Chriſti in inferis erant & detinebantur. Chriſtum enim apud eos,cùm ad inferos veniſſet,concionatum eſſe volunt,eóſque credidiſſe,atq; ita è grauiſsimis inferni pœnis ereptos ad cœlum cum Chriſto euolaſſe, & traductos fuiſſe. Gregorius Magnus epiſt. 179. ſic ait, Agnoui quòd dilectio veſtra dixiſſet omnipotentem Dominum ſaluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum ad inferos deſcendentem,omnes,qui illic confiterentur eum Deum,ſaluaſſe , atque à pœnis debitis liberaſſe. De qua re volo vt fraternitas veſtra longè aliter ſentiat. Deſcendens quippe ad inferos, ſolos per ſuam gratiam liberauit, qui eum & venturum eſſe crediderunt,& præcepta eius viuendo tenuerunt. Alterius autem & huic planè contrariæ hæreſeos meminit Iſidorus his verbis, Alię liberationem hominum apud inferos factam Chriſti deſcẽſione non credunt. Huius autem erroris duplex occaſio ſtatui poſſe videtur. Ac prima quidem, locus Petri in priore epiſtola cap.3.ver.19. perperam C & conuerſus,& à Patribus intellectus. Sic autem habet, Nam & Chriſtus ſemel pro peccatis paſſus fuit iuſtus pro iniuſtis,vt nos ad Deum adduceret, mortificatus quidem carne,viuificatus autem ſpiritu,per quem ſpiritibus,qui erant in carcere,profectus prædicauit. Ex quo loco Chriſtum ad inferos.i.locum damnatis deſtinatum , poſt mortem deſcendiſſe veteres crediderunt,& ſcripſerunt. In quo ab iis tamen peccatum eſt grauiſsimè. Secunda huius erroris occaſio fuit, quòd iam ex communi omnium ſententia receptum erat,Chriſtum idcirco ad inferos veniſſe,vt fideles & dignos,qui viui conſtanter in fide perſeueraſſent,in vitam æternam,& in ipſum adeò paradiſum tanquam author & princeps vitæ traduceret. Eo enim ipſo die,quo deſcenderat , cum iis ereptis Chriſtum exiiſſe ex inferis credebant. Hæc tradit ex Patrum dogmate Nicephorus libro 1.cap.27. & 31. & Irenæus libro 4.cap.45. Nam varia fuit huius de deſcenſu Chriſti ad inferos articuli interpretatio, qui à nonnullis Eccleſiis retentus, à nonnullis verò omnino prætermiſſus eſt. Quo primùm autẽ authore cœperit, vbi item(niſi fortaſſe in AEgypto, & Arabia viciniſque

A niſque regionibus, vbi Chiliaſtæ & Origeniſtæ viguerunt) innotuerit, & perſtiterit hæc hæreſis, difficile eſt definire, cùm fuerit à paucis cognita. Gregorius Magnus libro 5.epiſt. 17. indict.15.tradit Georgium & Theodorum preſbyteros Conſtantinopolit.Eccleſiæ hoc ipſum docuiſſe & defendiſſe, qui, ſi Nicephoro credimus lib.14.cap.13. ſub Theodoſio Iuniore Imperatore, & Innocẽtio Rom.Epiſcopo, circa annum à Chriſto paſſo 385. extiterunt, quãquam apud eundem Nicephorum, Timotheus pro Theodoro legitur. Sed quia hanc hæreſin Auguſtinus à Philaſtro ſumpſit, qui ante Thedoſii Iunioris imperiũ obierat, ad hoc tẽpus referri non poteſt. Potius in Origeniſtarum tempora colloco, quando tunc quoque Theodorum & Georgium Origenis fautores fuiſſe idem Nicephor.lib.5.cap.21.ſcribit, qui ipſius dogmata acutiſſimè acerriméque defenderunt. Statim tamen concidiſſe crediderim, neque illius venenum latius propagatum multis nocuiſſe. Sed ad alias hæreſes tranſeamus.

B

CAP. LXXX.

Natiuitariorum error quis fuerit.

ALia ſempiternè[1] natum non intelligens Filium, putat illam natiuitatem ſumpſiſſe à tempore initium, & tamen volens coæternum Patri Filium confiteri, apud illum fuiſſe, antequam de illo naſceretur, exiſtimat, hoc eſt, ſemper eum fuiſſe, veruntamen eum ſemper Filium non fuiſſe: ſed ex quo de illo natus eſt, Filium eſſe cœpiſſe. Has hæreſes, quæ abſque authorum nominibus ſunt, putaui in hoc opus meum de Philaſtri opere transferendas: & alias quidem ipſe commemorat, ſed mihi appellandæ hæreſes non videntur. Quaſcunque autem ſine nominibus poſui, nec ipſe earum nomina commemorauit.

1 *Alia ſempiternè natum.*) Mirum eſt Auguſtinum, qui poſtrema ætate ſua iſta ſcribebat, non agnouiſſe à quo ſit ortus hic Natiuitariorum vel Initiariorum error (ſic enim eos docendi diſtin- C guendíque ab aliis hæreticis gratia, nomino) cùm ipſe lib.15.de Trinitate cap.20.eum Eunomio tribuat, qui ab Arianis profectus eſt. Ridẽda eſt, ait, Eunomii dialectica, à quo Eunomiani hæretici orti ſunt, qui cùm non potuiſſet intelligere, nec credere voluiſſet vnigenitum Dei Verbũ Filium Dei eſſe natura, id eſt de ſubſtantia Patris genitũ, non naturæ vel ſubſtantiæ dixit eſſe Filium, ſed Filium voluntatis Dei, volens aſſerere accedentem Deo voluntatem, qua gigneret Filium: ſicut nos aliquando aliquid volumus, quod antea non volebamus, propter quod mutabilis intelligitur noſtra voluntas, quod abſit, vt in Deo eſſe credamus. Non enim ante voluit Pater gignere vel potuit, quàm genuit: ſicut nec ante fuit, quàm genuit, quia ab æterno fuit, & ab æterno genuit. Idem Auguſt.lib.65.quæſt.7. De qua re ſunt ſubtiles Scholaſticorum diſputationes in libro 1. Mag.Sentent. diſt.6.cap.1. Quærunt enim vtrum neceſſitate an quadam noua & ſuperueniente voluntate Pater Filium genuerit, quaſi Deus eſſet mutabilis, vel nouum aliquod conſilium illi ſuperueniſſet. Itaque fuerunt iſti Eunomianorum ſurculus vel ramunculus infelix quidem, ſed tamen qui duobus Scripturæ locis niti videbantur. Primus eſt Ioan.1. v.1. In principio erat Sermo, & Sermo erat apud A Deum, & Sermo ille erat Deus. Alter locus eſt Pſalm.2.verſ.7. Ego hodie genui te. ex quibus coniunctis argumentabantur, Ab æterno quidem fuiſſe Sermonem, ſed non ab æterno fuiſſe Filium, ſed ex certo tantùm tempore, quod initium habuiſſet, quia dictum eſt, Hodie, quæ vox eſt ſignificans tempus. Sed reſpondet ex epiſtola ad Hebræos 12.verſ.8. Auguſtinus, vocem Hodie in Chriſto æternum ſtatum denotare; quia qui hodie eſt & heri, idem eſt in perpetuum. Id quod & Prouerb.8.& Ioan.17.verſ.5. apertè confirmatur. Hic tamen ipſe error noſtro ſeculo videtur à Serueto impio renouatus, qui Patrem fingit geniturientem quidem ab initio: demum autem Filium reipſa genuiſſe, cùm Chriſtus ex Maria virgine natus eſt. In quo tamen apparent iſti, qui certè ab orthodoxis patribus ſtatim extincti ſunt, & communi primitiuæ Eccleſiæ voce damnati, Seruetanis noſtri temporis tolerabiliores, minúſque blaſphemi, qui tamen à quibuſdam non tantùm priuatis ho- B minibus, ſed regnis & proceribus probantur, vt in iis ſuum venenum ſpargere ſinantur, magno totius Reip. Chriſtianæ detrimento. Videtur igitur cœpiſſe hæc hæreſis poſt Eunomianos iam natos & notos, poſt annum à Domino paſſo 331. Nec diu tamen floruiſſe, vel propagata perduraſſe. Verum enim eſt illud quod omnes Eccleſiæ retinebant, Deum Patrem, non antè Deum quàm Patrẽ fuiſſe, ſed ab æterno & Patrem & Deum fuiſſe, Filiúmque ſibi ὁμόιον genuiſſe. Sed tanti eſt vel vno Satanæ halitu licet leuiſſimo afflatum fuiſſe, illúmque ſemel hauſiſſe. Huius hæreſeos etiam Iſidorus meminit, ſed breuiter.

CAP. LXXXI.

Luciferiani cur ſic dicti. Erroris autem eorum caput vnum relatum.

LVciferianos à Lucifero[1] Caralitano Epiſcopo exortos, & celebriter nominatos, nec Epiphanius, nec Philaſter inter hæreticos poſuit, credo tantummodo C *ſchiſma, non hæreſin eos condidiſſe credentes. Apud quendam tamen, cuius nomen in eodem eius opuſculo non inueni, in hæreticis Luciferianos poſitos legi, per hæc verba, Luciferiani, inquit, quum teneant in omnibus catholicam veritatem, in hunc errorem ſtultiſſimum prolabuntur, vt animam[2] dicant ex transfuſione generari, eandémque dicunt & de carne, & carnis eſſe ſubſtantiam. Vtrum ergo iſte propter hoc quòd de anima iſta ſentiunt, ſi tamen verè ita ſentiunt, eos inter hæreticos ponendos eſſe crediderit, an etiam ſi id non ſentirent, ſiue non ſentiant, ideo tamen ſint hæretici, quia diſſenſionem ſuam pertinaci animoſitate firmarunt, alia quæſtio eſt, neque hoc loco mihi videtur eſſe tractanda.*

1 *A Lucifero Caralitano.*) Luciferiani primùm, poſtea verò Homonymiani dicti ſunt, vt Nicephorus libro 9.cap.16. & ante eum Socrat. libro 3.cap. 15.tradunt. Luciferiani à Lucifero epiſcopo, qui huius ſectæ primus autor fuit. Homonymiani verò cur ſint appellati, nemo explicat, fortaſſe quòd in errore ſuo tuendo homonymia vocis, Caro, fallerent, quemadodum in huius ſectæ hypotheſibus apparebit. Fuit autem hæc ſecta primùm ſchiſma, non ita valde quidem periculoſum, vt

A hîc Auguſtinus docet,& Ambroſius in Orat.funebri,de obitu fratris,éſtque in Canone Aduocauit. 24. quæſt. 1. itémque Ruffin. libro 1.cap.30.ſed ex ſchiſmate facta eſt hæreſis, vt aliæ multæ, dum ad ſui facti, & ſeceſsionis defenſionem animoſius quàm prudentius verbo Dei abutitur,illúdque falſa interpretatione corrumpit. Huius enim erroris & diſceſsionis à communis Eccleſiæ cœtu faciendæ cauſa fuit Luciferi epiſcopi tum ambitio, tum etiam ira,quemadmodum in hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libello, qui Indicatio hæreſ. dicitur, traditum eſt,adeò vt ex paruis initiis lugubres exitus habuerit,fueritque magnarum occaſio in Eccleſia diſſenſionum,& ὅπλον φιλονεικιῶν, vt Gregor.Nazianzenus ſcripſit. Quum enim Paulinum creatum à ſe Antiochiæ epiſcopum præter communem totius plebis conſenſum,ſed tantùm ad vnius,quanquam ſanioris populi partis votum, intellexiſſet ſperni, neque acceptari ab Euſebio Vercellenſi epiſcopo (qui ab Alexandrina Synodo illuc miſſus erat perturbationis Eccleſiæ tollendæ gratia) excandeſcẽs B Lucifer, ſe, ſibíque conſentientes alios, ab Euſebio ſeparauit, & Alexandrinam illam Synodum, quanquam orthodoxam, & cui etiam Athanaſius ipſe interfuerat,damnauit. Fuit autem Lucifer Caralitanus epiſcopus, vti Ruffinus libro 1.cap.20. Socrates libro 3.cap.9.& 15.Sozomen.libro 5.cap. 12.& 13.vnanimiter tradunt. Eſt autem Caralitanum Sardiniæ oppidum,à Caralitano promontorio (quod Africam ſpectat) denominatum, & colonia populi Rom. quemadmodum Plinius libro 3.Hiſtor.Natural.cap.7.tradit. Vnde etiam Caralitani populi dicti. Quo magis miror quid venerit in mentem Iſidoro,& aliis eum ſequutis, vt Luciferum Smyrnæ epiſcopum (eſt autem Smyrna AEoliæ in minori Aſia ciuitas)facerent,quum tanto locorum interuallo diſtet Smyrna à Sardinia inſula,quæ eſt in mari Liguſtico, vel Africo potius: ſed fortaſſe mirum non videbitur, qui apud eundem Iſidorum in eadem hæreſi, obſeruabit aliud quoque mendum eſſe, & pro his verbis, Inſtanti perſequutione, legendum ex Theodoreto C libro 3.hiſtor. cap. 4. Conſtantij perſequutione. Nam à Conſtantio Conſtantini filio excitata eſt in orthodoxos epiſcopos illa perſequutio, de qua meminit Iſidorus, & in qua hic Lucifer & Euſebius Vercellenſis epiſcopus, vnà cum Hilario Pictauienſi epiſcopo,in exilium acti ſunt:illi quidem duo priores in Thebęorum(quę eſt AEgypti pars deſerta) regionem: hic verò partim in Illyricum, partim in Aſiam,quòd damnationi Athanaſii Alexandrini epiſcopi,à Conſtantio factæ,id eſt,orthodoxæ fidei condemnationi ab iſto imperatore Ariano ſcriptæ,aſſentiri & ſubſcribere noluiſſent, vt Ruffinus libro 1.Socrat.libro 3.Sozomen. libro 5.Theodor.lib.3.luculenter tradunt.In hoc autem exilio toto reliquo imperij Conſtantij tempore vixerunt,quo mortuo, ſunt ſubdolè ad perturbationem Eccleſię,& mouendas iterum orthodoxorum cum Arianis contentiones, à Iuliano Apoſtata reuocati,& ſuis ſedibus reſtituti. Et certè Lucifer iſte, tempore demum Iuliani Apoſtatæ imperatoris, & Liberij epiſcopi Romani, circa annum à Chriſto paſſo 333. iam reuocatus ſeceſſit à fide Eccleſiæ, in qua ſemper antea permanſerat. In Oriente autem,& Antiochiæ maximè hoc hæreticorum genus viguit,vt Nicephorus libro 8.capite 17.& Socrates libro 5.cap.5.tradunt. A Diu tamen permanſiſſe & perſtitiſſe non videtur,(quanquam aduerſus Luciferianos & Hieronymus ſcripſit, & Auguſtinus)quia ſua iam ætate paucos huius ſectæ homines ſuperfuiſſe ſcribit libro 1.capite 30. Ruffin. Theodoretus autem ſuo ſeculo prorſus eſſe deſiiſſe,lib.3.Hiſtoriæ cap.4. Ipſe vero Lucifer in Sardiniam rediit, vbi tamen pauca, aut nulla ſui erroris veſtigia reliquit, nimirum in longinquis regionibus placuit,qui in propria ſede diſplicuit, & damnatus eſt.

2 *Vt animam dicant.*) Quanquam ambigere videtur hoc loco Auguſtinus, vtrum ſchiſma an hæreſis fuerint Luciferiani, propter paucas huius hominum ſectæ hypotheſes ſibi notas, tamen ſi quæ fuerint,& quàm erroneæ ſpectetur, ἀναμφισβητήτως inter hæreticos cenſebuntur. Fuerunt igitur hæc Luciferianorum dogmata. 1 Mundum hunc vniuerſum diaboli opus eſſe, (Hieronymus aduerſus eos ſcribens,) quia in maligno poſitus ſit,1.Ioannis 5.Hic eſt paralogiſmus à qualitate ad B rei ſubſtantiam & ſumptus error à Cerinthianis & Marcionitis. 2 Animas humanas ex carne ſumi, & transfuſione ſiue ex traduce alterius animæ generari. Quæ ſententia animas noſtras facit corporeas,non autem ſpiritus. Nam vt rectè Damaſcenus lib.2.capite 12.de orthodoxa fide, definit,fluxus,tradux,& propagatio propria ſunt corporũ παθήματα, non autem ſpirituum. Spiritus autem,qualis eſt anima hominis,nec carnem nec oſſa habet,Luc.24.verſ.39. Et quòd totus homo caro eſſe dicitur,Geneſis 6.verſu 3.eſt de vitioſitate, non de natura corporea intelligendum.Nec enim omnes hominis partes ſunt corporeæ,quanquam omnes ſunt corruptæ. Itaque homonymia vocis, Caro,fefellerunt imperitos,& non ſatis attentos. Hic error à Tertulliano ſumptus, eſt ſanè vetus. Quomodo autem fiant animæ,& in nobis naſcantur,variæ ſunt hominum ſententiæ, etiã Patrum, de quibus eſt epiſtola Auguſtini ad Hieronymum legenda,quemadmodum & illa quæ eſt ad Optatum. 3 Pœnitentiam clericis poſt ordinem & gradum in Eccleſia acceptum,lapſis denegant:laicis autem lapſis, C nullo tempore ſpem veniæ & reconciliationis adimunt,quòd grauiori pœna clericos caſtigandos eſſe cenſerent.Atque iſtud quidem verum eſt,ſi de ea pœna agimus, quæ ab Eccleſia offendiculi tollendi gratia infligitur:non eſt tamen cuiquam ſpes remiſſionis peccatorum eripienda,quum Chriſtus pro omnibus ſit mortuus, & præterea Chriſtus ipſe Petrum poſt Apoſtolatum lapſum,pœnitentem recepit, & Paulum perſequutorem in ſuum gregem, & ad Apoſtolatum etiam admiſit,1.Timoth.1.verſ.13. Hæc verò Luciferianorum ſententia ex Nouatianorum,& Meletianorum lacunis & fæcibus hauſta eſt, ad quas hanc hæreſin refero. 4 Inde natus eſt error ſequens, Epiſcopos, vel qui minorem in Eccleſia dignitatem habuerunt, ſi ſemel in hæreſin inciderint, quanuis poſtea reſipuerint, erroréṁque ex animo abiurarint, nunquam tamen in priſtinum, vel alium minorem gradum admittendos,quòd ſpes apud Deum ipſum prioris loci & adoptionis obtinendæ ſit illis adempta.Hier.in Dial.aduerſ.Luciferianos: item Iſidor.Hæc quidẽ ratio falſa eſt:quanquã vtrum qui in errorẽ & hæ-

reſin

reſin lapſi ſunt epiſcopi, vel alii clerici, ſint, errore damnato, vel in priorem ſedem, vel in parem, vel in inferiorem gradum reponendi, dubia & perplexa fuit apud Patres orthodoxos quæſtio, quum eos alij recipi poſſe concederent, alij negarent. Id quod anxiè in Alexandrina Synodo diſputatũ eſſe tradit Ruffinus lib. 1. Hiſtor. cap. 28. Hieronymus contra Luciferian. & in ſcriptis aduerſus Donatiſtas Auguſtinus, itémque epiſt. 50. modò fieri poſſe concedit, modò negat. Denique de ea re diuerſa reſponſa Gratianus collegit tota diſt. 50. in Decret. Tandem verò tota hæc controuerſia concilio Alexandr. & poſtea Agathenſi ita definita eſt, vt exceptis ipſis autoribus hæreſeos, clerici, qui prius hæretici erant, errore depoſito, ídque ex animo, & ſeria publicáque pœnitentia, & exomologeſi accedente, ſi è re Eccleſię videatur ita fieri oportere, in ſuis gradibus & ordinibus retineri poſſint: ad maiores tamen & ſuperiores vocari neque poſſint, neque debeant. Idem Hilerdenſi concilio, cap. 5. In quo ipſo noua electione & ordinatione vſa eſt Eccleſia, quemadmodum dixit Chriſtus ipſe Petro lapſo, Paſce oues meas, iterata quadam ad Apoſtolatum vocatione vtens, Ioannis 21. Hanc fuiſſe veterem Eccleſiæ diſciplinam, poſt Luciferianorum tempora, apparet ex Leonis epiſt. 3. & 83. & Synodo Martini, cap. 36. éſtque relatũ in Canone Saluberrimum. & Can. Daibertum 1. quæſt. 7. itémque variis exemplis & argumentis docetur Can. Ioannis Chryſoſtom. diſtinct. 50. Itaque Luciferiani Athanaſium, & Alexandrinam Synodum damnarunt, quę epiſcopos pœnitentes, in priorem gradum reponeret. Atque hi nimirum fuerunt αὐθαδείας & ambitionis Luciferianæ peſtilentiſſimi fructus, dum Paulinum epiſcopum à ſe creatum defendere quo iure, quáve iniuria contendit, nec Euſebii modeſtum iudicium ferre poteſt.

Cap. LXXXII.

Iouinianiſtæ cur ſic dicti, quãdo primùm nati. Erroris autem eorum capita quatuor recenſentur.

Iouinianiſtas[1] *quoque apud iſtum reperi, quos iam noueram. A Iouiniano quodam monacho iſta hæreſis orta eſt ætate noſtra, quum adhuc iuuenes eſſemus. Hic omnia peccata, ſicut Stoici philoſophi, paria eſſe*[2] *dicebat, nec poſſe peccare hominem lauacro regenerationis accepto, nec aliquid prodeſſe ieiunia, vel à cibis aliquibus abſtinentiam. Virginitatem Mariæ deſtruebat, dicens eam pariendo fuiſſe corruptam. Virginitatem etiam ſanctimonialium, & continentiam ſexus virilis in ſanctis eligentibus cœlibem vitam coniugiorum caſtorum atque fidelium meritis adæquabat, ita vt quædam virgines prouectæ iam ætatis in vrbe Romana, vbi hæc docebat, eo audito, nupſiſſe dicantur. Non ſanè ipſe vel habebat, vel habere volebat vxorem, quòd non propter aliquod apud Deum maius meritum in regno vitæ perpetuæ profuturum: ſed propter præſentem prodeſſe neceſſitatem, ne homo cõiugales patiatur moleſtias, diſputabat. Citò verò iſta hæreſis oppreſſa, & extincta eſt, nec vſque ad deceptionem aliquorum ſacerdotum potuit peruenire.*

1 *Iouinianiſtas quoque.* Iouiniani quoque nominantur, quemadmodum & Iouinianiſtæ, à Iouiniano, cuius etiam meminit Auguſtinus alibi, ſed maximè libro 2. Retractation. cap. 22. Hieronym. duobus libris aduerſus hunc ipſum editis. Ambroſius epiſt. 82. ad Vercellenſes. Cœpiſſe verò mihi videtur hæc hæreſis ſub Iouiniano imperatore, & extremis temporibus pontificatus Liberii epiſcopi Rom, circa annum à Chriſto paſſo 335. Quod vt credã, hac præſertim ratione ſum inductus, quòd quẽadmodũ & Sozo. lib. 6. c. 3. & Niceph. lib. 10. c. 39. tradunt, ab imperatore Iouiniano lex aduerſus eos ſeueriſſima condita eſt, qui ſacras & Deo dicatas virgines vel rapere, vel etiam attentare eſſent auſi, adeo vt capite punirentur. Quod ideo neceſſarium fuiſſe putant, vt ediceretur, quia homines quidam, vt illi ſcribunt, improbi & impudici ſceleſtas cum iſtis virginibus ſacris, & Veſtalibus nuptias contraherent, vel vi illis illata, vel perſuaſione adhibita: quorum alterum, nempe vim, ad tempora Iuliani Apoſtatæ refero, quibus in eas virgines ſæuire & illudere licuit: alterum autẽ, nempe perſuaſionem, ad dogma iſtius Iouiniani. ſcribit enim Auguſtinus Iouinianum diſputando coniugium Monialibus perſuaſiſſe. Extat lex in Cod. Iuſtinian. lib. 1. Tit. De epiſcop. Audient. L. Si quis non dicam rapere. Fuit autem huius hæreſeos author & nomen propè Græcis hominibus ignotũ, quandoquidem neque Niceph. neque eo poſterior Ioan. Damaſce. inter hæreticos meminere: quum tamen alterius cuiuſdam Iouiniani Pergenſis epiſcopi (qui fuit Arianus, hoc noſtro poſterior) mentionem faciat Nicephorus libro 11. capite 21. Latini verò ſcriptores hanc non prætermittunt, vt infeſtum ſibi venenum, veluti Philaſter, Hieronymus, Auguſtinus, Iſidorus, quam tamen ſtatim extinctam, neque latius peruagatam, ſcribit hoc loco Auguſtinus, cuius neque epiſcoporum, vel presbyterorum vnus patrocinium ſuſcepit, nimirum ita omnes iam illo ſeculo virginitatis laudibus, & immodica abſtinentiæ commendatione, & encomiis præoccupati, contrarias ſententias facilè repudiabant. Clàm tamen à pleriſque probabatur, etſi non prodirent palàm, vt Auguſtinus libro De bono coniugali, capite 10. docet, quòd Iouiniani & ſcripta & rationes non tantùm plauſibiles, ſed multis in rebus verbo Dei conſentaneæ viderẽtur. Itaque aduerſus has ipſas ſcribere coactum ſe tandem fuiſſe, ne palàm reuiuiſceret hęc ſententia, teſtatur Auguſt. lib. 2. Retract. Liber Augu. aduerſus Iouinianum, eſt De bono cõiugali, extátque operum eius Tomo 6. Romæ hæc hæreſis & ſecta primùm cœpit, vbi monachus, & poſtea clericus fuiſſe videtur Iouinianus, cuius rarò Patres meminerunt, niſi vt damnarent. Itaque quis fuerit, præterquam quòd Romanus dicitur, nihil penè certi habemus. Damnata & reiecta tandem eſt hæc hæreſis, & ſententia Velenſi Synodo, ſub Honorio imperatore, anno ſalutis & à Chriſto nato 419. cui cœtui præfuit Ponatianus epiſcopus Telenſis. Quæ verò huius impugnationis & ſententiæ, quæ Virginitatis & Ciborum abſtinentię tantam commẽdationem iam receptam damnaret occaſio fuerit, quæri poteſt. Ac mihi quidem alia non videtur, quàm quòd viris bonis iam tum diſplicebant immenſæ illę rerum, quæ per ſe ſunt ἀδιάφορα, laudes, per quas in iis ſalutis noſtræ prora & puppis, penè

neglecto Chriſti ſanguine conſtituebatur, nuptiæ ſpernebantur, & damnabantur, denique operum noſtrorum merita non ſine aperta in Dei gratiam blaſphemia, inducebantur. Itaque, quæ quantáque eſſet earum rerum & ἐθελοθρησκειῶν ad ſalutem noſtram vis, cœptum eſt diſputari: & ex huiuſmodi diſputatiõibus intelligi per ſe nullius eas eſſe ad remiſsionem peccatorum noſtrorum momenti: ſed eatenus vtiles cenſendas, quatenus meliori cuidam fini ſubſeruiunt, qui eſt animorum ad Deum colẽdum noſtrorum præparationi, quia in iis nulla legitimi Dei cultus pars ponenda eſt. Nam quum ſint mediæ, & per ſe ἀδιάφοροι, & bonæ & malę eſſe poſſunt, prout illius animus & finis eſt, qui iis vtitur, ſed neque à Deo ipſo huiuſmodi res præceptæ, & obſeruari iuſſæ ſunt, vt fruſtra in iis pietatem collocent homines. Quare de coniugio & cœlibatu, ſic Paulus 1. Corinth. 7. verſ. 27. Alligatus es vxori? ne quære diſſolutionem: Solutus es ab vxore? ne quære vxorem. Et quicquid illic idem diſputat, propter inſtantem, vt ipſe verſu 26. diſertè ait, neceſſitatem conſulit, non autem vt laqueum hominũ conſcientiis, vel præceptum non nubẽdi cuiquã iniiciat. Bernar. Hom. 1. Miſſus eſt. Laudabilis virtus virginitas: ſed magis neceſſaria humilitas. Illa cõſulitur, iſta præcipitur. Potes deniq; ſine virginitate ſaluari: ſine humilitate, nõ potes. Sine humilitate, audeo dicere, virginitas Mariæ nõ placuiſſet. Quod ad ciborũ abſtinẽtiã, vel diſcrimẽ, ita idem Paulus Rom. 14. verſ. 3. Qui edit, non edẽtem ne pro nihilo habeto: & qui non edit, edentem ne condemnato. Eſca enim nos nõ commendat Deo: neque eſt regnum Dei eſca & potus ver. 17. & 1. Corin. 8. verſu 8. Quantę tamen fuerint virginitatis & ieiunij laudes à Patribus ſcriptę, apparet, cùm Baſilius, Chryſoſtomus, Gregorius, tum Naziãzenus, tum Nyſſenus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus etiam ipſe in tertium vſque cælũ homines virgines & cælibes, vel abſtinentes quibuſdam cibis extulerint.

2 *Paria eſſe dicebat.)* Cur Iouinianum hæreticum eſſe cenſeant Patres, niſi fortaſſe propter hoc vnum caput quæri poteſt. Quod vt facilius intelligatur, illius hypotheſes recenſeo. 1 Peccata omnia inter ſe paria eſſe. Hoc quidem Stoicorum dogma, vel potius delirium fuit, quemadmodum Cicero, Plutarchus, & Diogenes Laertius tradunt. Quod cum verbi diuini veritate non conſentit. quanquam enim omnis peccati authoramentum eſt mors, eáque æterna, vt docet Paulus Rom. 6. verſu 23. ſitque peccatum quodlibet ἀνομία, 1. Ioannis 3. verſu 4. & qui in vno peccat, omnium reus ſit cenſendus, Iacobi 2. verſu 10. certum eſt peccata alia aliis grauiora etiã à Deo quoque definiri, quòd in Achami peccato apparet, vbi circũſtãtiæ à Deo ipſo enumerantur, quæ augent delictum, Ioſue 7. verſu 11. & Ezechiel. 16. aliud exemplum extat. Nã ab eadem meta longius recedi ab vno quàm ab alio poteſt. Sed fortaſſe hoc non ſenſit Iouinianus: ſed quum, vt tradit Thomas Aquinas in libro Cõtra detrahent. Regul. c. 6. Nullũ viduatũ vel virginũ maius eſſe, propter cœlibatũ, meritũ quàm coniugũ, doceret & defenderet, ex hoc ipſius dicto aduerſarii colligebãt, ergo paria eſſe omniũ merita: & ſi paria merita, ergo peccata paria & ęqualia. Itaq; hæc fuit tãtùm ἀκολούθησις, quæ à virginitatis pręconibus fiebat: nõ autẽ ipſius Iouiniani ſententia. Sic enim multa aduerſus quoſdã abſurda collecta ſunt artificioſè, vt eorũ & nomen & doctrina inuidia apud Eccleſiam premeretur, & grauaretur. 2 Hypotheſis, Homines poſt Baptiſmum non peccare. Hoc ſi ita ſimpliciter dixit Iouinianus, planè errauit. Sin verò vt operũ & cœlibatus merita (per quę peccata deleri docẽt Monachi) tolleret, voluit quæ à Chriſtianis peccata cõmittũtur, eà à Chriſto deleri, neque iam peccata propter ipſius ſanguinem cenſeri, nõ video cur damnari debuerit. Peccare verò homines Chriſtianos etiam poſt Baptiſmum, docet cùm Ioannes priore epiſtola, cap. 1. verſ. 8. tum hæc à Chriſto inſtituta precatio, Matth. 6. Dimitte nobis debita noſtra. 3 Coniugium cœlibatui, & nuptias virginitati adæquabat, tum quòd vtrunque per ſe eſt ἀδιάφορον, nulláque veri cultus Dei pars: tum etiam quòd ex nimiis iſtis virginitatis præconiis, coniugium non tantùm in contemptum, ſed in odium Chriſtianorum adductũ erat, adeò vt qui coniuges eſſent, in carne viuere dicerentur, & Deo placere nõ poſſe cenſerentur, atque etiam ab impio Syricio Romano epiſcopo, iam tum tales pronuntiati eſſent. Præceſſit enim Syricius ætatem Iouiniani. Ambroſius quidem libro 9. epiſt. 80. & 81. iam ſui ſeculi falſæ opinioni tanquam tyrannico imperio cedens, Iouinianum damnat, & Syricium laudat: ſed plus poſſe apud nos debet veritas verbi Dei, quàm vllius hominis authoritas. Hoc cur erroneum ſit, neque Hieronymus infeſtiſſimus coniugij oſor & hoſtis, & penè Manicheanus, vel Tatianus docet, neque alius quiſquam veterum probauit. Quod enim ait Paulus, melius eſſe nubere, quàm vri, non euincit malas eſſe nuptias, quod tamen affirmat, & colligit Hieronymus, aduerſus quem luculenter Theodorus Beza in lib. De polygamia, & diuortio, in contrariam partem verè diſputauit. Vera certè eſt hæc Auguſtini ſententia, lib. De bono coniugali, cap. 8. Coniugium non ſic dicimus bonum, vt in fornicationis comparationem ſit bonum, alioquin duo mala erunt, quorum alterum peius. Sicut autem ieiuniis ſacrilegorum meliora ſunt prandia iuſtorum: ita nuptiæ fidelium, virginitati anteponuntur impiorum. Veruntamen neque prandium ieiunio, ſed iuſtitia ſacrilegio: neque nuptiæ virginitati, ſed fides impietati præfertur. Denique idem Auguſt. libr. Quæſt. Veteris & Noui teſtamenti. quæſt. 127. verſutos & hypocritas appellat qui iſtas virginitatis laudes inuehunt, quas apertè Satanę præſtigias eſſe vult. Mariam Domini noſtri matrem non negauit eſſe, & permanſiſſe virginem Iouinianus, & ſine viri coitu vixiſſe, quod Heluidius fecit: ſed negauit tantùm non abrupta ea pelle, quæ virginitatis indicium eſſe dicitur, peperiſſe Chriſtum: quin Hieronymus ipſe Chriſtũ cruentatum ex virginis aluo exiiſſe fatetur. Sed ad prægrauandam Iouiniani ſententiam hæc addita ſunt. Et vulgò ita dicebant Patres, Virgo peperit, quia virgo concepit, & non ſeruato rerum ordine: ex integro matris corpore, integrum corpus Chriſtus aſſumpſit. Auguſtinus contra Felician. Arianum, capite 8. 4 Ieiunia, & huiuſmodi corporales exercitationes, quas Paulus vocat, 1. Timoth. 4. verſ. 8. ſpernebat: imò res medias pro ἀδιαφόροις habebat. Ieiunia non ſpernebat neceſſaria, & quæ eſſent animorum ad Deum precandum præparationes,

A tiones, & non ſuperſtitioſa, qualia ſunt in Papatu hodie omnia. Virginitas autem primùm res fuit & ad tempus ſuſcepta, & libera etiam in fœminis, vt docet Cyprianus: pòſt autem tanta illius admiratio homines cœpit, vt res in votũ perpetuum abierit. Primus autem Baſilius virgines inſtituit conſecrare, vt ait Ruffinus libro 2. capite 13.

CAP. LXXXIII.

Arabici qui fuerint. Erroris eorum caput vnum enumeratum.

*QVum Euſebij hiſtoriam perſcrutatus eſſem, cui Ruffinus à ſe in Latinam linguam translatæ ſubſequentium etiam temporum duos libros addidit, non inueni aliquam hæreſin, quam non legerim apud iſtos, niſi quam in ſexto libro ponit Euſebius, narrãs eam extitiſſe in Arabia. Itaque hos hæreticos, quoniam nul*B*lum eorum ponit authorem,* [1] *Arabicos poſſumus nuncupare, qui dixerunt* [2] *animas cum corporibus mori, atque diſſolui, & in fine ſeculi vtrunque reſurgere. Sed hos diſputatione Origenis præſentis, & eos alloquentis, celerrimè dicit fuiſſe correctos.*

1 *Arabicos poſſumus.)* Ferax hæreſeôn Arabia, quemadmodum & illi vicina Ægyptus. Vti enim ſerpentes vtraque regio alit, humano generi nocentiſsimos: ſic vtraque protulit dogmata ſaluti animorum noſtrorum prorſus peſtifera: quale fuit hoc Arabicorum ſiue Arabiorum hæreticorum. Vtroque enim modo dici poſſunt, etiam Suida teſte. ſed & Arabes quoque. A loco verò, vbi primùm nati ſunt, ſic denominantur, qui eſt Arabia illa infelix, atque vaſta illa deſerta in quibus mons Sina (qui nunc S. Catharinæ à Monaſterio illic condito vocatur) ſitus eſt. Ea denique ipſa eſt quæ AEgypto vicina, & Petræa ab oppido Petra denominata eſt. A dogmate verò dicuntur à Damaſceno in libro De hæreſibus θνητοψυχῖται, id eſt, ad verbũ, Animimortales, Tnetopſychitę, vt eſt in vulgari verſione. C Cœpit autem hæc hæreſis ſub Philippo Imperatore & Anthero Epiſcopo Roman. circa annum à Chriſto paſſo 217. Origene iam noto & celebri, qui ad hos hæreticos confutandos à ſynodo illic collecta euocatus eſt, vt tradunt Euſebius libro ſexto capite 37. & Nicephor. libro 5. capite 23. tantùmque diſputando effecit, vt non modò conquieſcerent, ſed etiam mutarent ſententiam, errorémque ſuum reuocarent. Itaque ſtatim ſiluit & extincta eſt hæc hæreticorum ſecta & penè in ſola Arabia graſſata eſt, quanquam illius Iſidorus meminit, ſed tantùm ex hoc Auguſtini loco illi nota fuit. Quidam tamen ſentiunt hos ipſos diutiſsimè permanſiſſe, nimirum vſque ad Conſtantis, qui fuit Heraclij nepos, imperium, quod incidit in annum à paſſo Chriſto 710. quos ſe latiſsimè in Syriam & Perſidem ipſam poſtea diffudiſſe aiunt, & ſuo de animorum mortalitate errori Monophyſitarum delirium addidiſſe. Denique hos ipſos eſſe, qui à Paulo Diacono libro 19. Hiſtoriar. Charurgitæ nominantur, mutata iam nota & odioſa illa Arabicorum appellatione. Sed repugnat tum ratio temporis, tum meliorum authorũ, nempe Euſebij & Nicephori authoritas, qui hos ſtatim eradicatos ſcribunt. Denique variæ ex eadẽ Arabia hæreſes natæ ſunt, non tantùm hæc vna, A quemadmodũ poſtea Mahumetana, cuius iam tum ſemina iaciebantur, & ſternebantur in ea regione fundamenta, quando gentem Saracenorum quæ illic habitat, ſemper infeſtiſsimè ſolitam eſſe perſequi eos qui Chriſti nomen profitebantur, ſcribit Euſeb. libro 6. cap. 42. Sed & hæreſis Collyridianorũ illic quoque poſt hos Arabicos nata eſt, quemadmodum ſcribit Epiphanius, vel ex Scythia & ſuperiore Thracia, in eas regiones delata illic ita pullulauit, vt totam gentem impia idololatria & ſuperſtitione imbueret. Hi verò Collyridiani ἀπὸ τῆς κολλυρίδος, id eſt, torta panis & tortilis placentæ genere, quam Mariæ virgini ſuperſtitioſè offerunt, ſunt dicti, & primùm ſub Theodoſio maiore Imperatore, & Syricio Epiſcopo Roman. circa annum à Chriſto paſſo 357. noti, ſed tamen etiam à Ioanne Damaſceno, in libro De hæreſib. commemorati. Dogmate ſunt prorſus hæreticis Antidicomarianitis contrarii. Hi enim B. Mariã prorſus de ſuo gradu deiiciunt. Iſti verò Collyridiani, dum eam colunt, in Dei numen & locum euehunt, B ſuntque, vt ait Epiphanius apertiſsimè, idololatræ & hæc eorum hæreſis εἰδωλοποιός. Vnus enim Deus Pater, Filius & Spiritus ſanctus colendus eſt: Μαρίαμ δὲ μηδεὶς, ait ille, προσκυνείτω. Nec enim minus peccant qui ὑπὲρ τὸ δέον Μαρίαμ δοξάζουσιν, ait idem, quàm qui infamant & vituperant. Illa quidem Chriſti mater eſt, non ſuo tamen merito, ſed mera Dei gratia: & ad cæterorum hominum morem ex viri & mulieris ſemine & coitu nata, ne bonis quidem Angelis par aut æqualis, nedũ Deo ipſi. Quæ omnia ſunt Epiphanii. Quo magis miror quid venerit Papiſtis in mentem, vt eam etiã ὑπερδουλείᾳ quadam colendam eſſe tãquam ex Patrum ſententia dicerent. Fuit autem Collyridianorum cultus qui Mariæ exhibebatur huiuſmodi & leuis præ hodierno, nempe, quòd ſtata anni die tortas & placentas quas Græci κολλυρίδας vocant, in honorem Mariæ virginis cuidam puellæ in ſella curuli vel thenſa velo tecta ſedenti offerrent. Quod imprimis fiebat à mulieribus, quia hic ſexus eſt mirũ in modum, ait Epiphanius, hebes & ſuperſtitioſus. Quod cùm damnet idem ille Epiphan. quid face C ret ſi immanem idololatriam & cultum, qui nunc ei defertur, vel videret, vel ſolùm audiret?

2 *Dixerunt animas.)* Nazareorum ſurculus fuit hæc hæreſis, qui hominum & pecudum animas eiuſdem eſſe naturæ & eſſentiæ dixerunt. Itaque etiam humanas animas mortales eſſe voluerũt manifeſto errore. Nam quoad beſtiarum animas, illæ quidem ſunt mortales, vt eſt Pſalm. 49. ver. 21. Humanæ verò non item, ſed Dei gratia & ſuſtentatione manent immortales, & poſt hanc mortem redeunt ad Deum qui dedit illas. Eccleſiaſt. 12. v. 7. Matth. 10. verſu 28. Vnde Deus dicitur Deus ſpirituum & animorum noſtrorum, quos ad ſe recipit, non diſſoluit autem per corporis noſtri mortem, Hebr. 12. verſ. 9. 1. Petr. 4. verſu 19. Quòd ſi animæ non moriuntur, nec reſurgunt. Neque nos etiam credimus animorum, ſed carnis, id eſt, corporum tantùm, vt Paulus ipſe explicat 1. Corinth. 15. reſurrectionem. Duplex verò locus videtur ab iſtis ad impij ſui dogmatis defenſionem prolatus. Primus ex Geneſ. 6. verſ. 3. 2. verſ. 7. hominem eſſe carnem, & ſumptum de puluere terræ. Reſpondeo verò vtrunque locum de corpore tantùm hominis, non de animo ſumendum & intelligẽdum eſ-

A ſe, argumento verſ.19.cap.3.Eccleſ.12.verſ.7.Alter locus eſt ex 1.Timoth.6. verſu 16. Solus Deus habet immortalitatē.Reſpondet Theodoret.Dialo. 3.qui dicitur Impatibilis,Subſtantia quidem ſolus, non autem communicatione ſolus immortalis eſt, id eſt,per ſe ſuáque vi & propria ſolus Deus eſt immortalis, non autem omnino ſolus immortalis. Nam Angeli & humanæ animæ Dei beneficio & gratia ſunt immortales,Auguſt. libro contra Felicia.Arian.cap.7.& 15.& libro 6.cap.6.de Trinit.& lib.7.cap.6.de Geneſi ad literam.Cur autem hunc errorem facilè arriperent Arabes, ratio eſt, quòd moribus diſſolutiſsimis fuere & homines prædæ & latrociniis aſſueti, magníque totius numinis contemptores.Vnde vetus prouerbium apud Suidam, Ἀράβιος αὐλητὴς, Arabicus tibicen. Huic autem errori affines ſunt Pſychopannychitæ noſtri temporis,qui etſi animas cum corporibus diſſolui vel mori non putant: eas tamen cum corporibus in ſepulchris ſuis dormire & ſtertere ad diem vſque extremi iudicii, & nouiſsimæ reſurrectionis B impiè aſſerunt & docent,contra illud Chriſti.Hodie mecum eris in paradiſo,Luc.23. verſu 43: & illud Pauli,Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto, Philipp.1.verſ.23.Quæ certè ſententia propè eſt,vt animorum humanorum mortalitatem inducat.Tanti eſt nimirum vanis animi ſui ſpeculationibus indulgere,aut ſeſe vitiis, laſciuiæque dedere, quod vtrique & Arabici,& Pſychopannychitæ (aduerſus quos eruditiſsimè piæ memoriæ D. Caluinus ſcripſit)fecerunt.

HAERESES AB IPSO AVguſtino additæ.

CAP. LXXXIIII.

C Aliæ hæreſes,è quibus prima eſt Heluidianorum, & quod illius dogma fuerit.

IAM nunc illa commemorandæ ſunt hæreſes, quæ à nobis non apud iſtos repertæ ſunt, ſed in recordationem noſtram quomodocunque venerunt. Heluidiani[1] *exorti ab Heluidio ita virginitati Mariæ contradicunt, vt eam poſt Chriſtum alios etiam filios de viro ſuo Ioſeph peperiſſe contendant: ſed mirum ni iſtos, prætermiſſo Heluidij nomine, Antidicomaritas Epiphanius appellet.*

1 *Heluidiani exorti.*) Tranſitio eſt.Iam enim præter eas hæreſes,quas tum ex Euſebij & Epiphanii libris, tum etiam Philaſtri commentario decerpſit,deſcripſitque Auguſtinus, alias affert ab illis omnibus prætermiſſas, à ſe autem collectas. E quibus prima eſt hæc Heluidianorum, aduerſus quam animoſus Virginitatis defenſor Hieronym. ſcripſit,etſi verè improbanda eſt Heluidii ſententia. De qua nunc nihil eſt neceſſe pluribus agere, cùm ſuprà cap.56.in Antidicomarianis de ea ſit abundè diſputatum. Ad quem etiam locum nos remittit Auguſtinus.vbi prætermiſimus illud quod nunc videtur addendum, Epiphanium in Antidicomar. ſcribere Ioſephum ex alia vxore & priore quàm Maria,ſex liberos ſuſtuliſſe. Itaque venio ad alias. A

CAP. LXXXV.

Paterniani ſiue Venuſtiani hæretici quid ſenſerint.

PAterniani [1] *inferiores partes humani corporis non à Deo ſed à diabolo factas opinantur, & omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes impuriſsimè viuunt. Hos etiam Venuſtianos quidam vocant.*

1 *Paterniani inferiores.*) Ignota penè hæreſis & minuta:quæ tamen ex peſsimis fontibus Eunomianorum, & Patricianorum hæreticorum profluxit, quemadmodum apparet ex dogmatis conſenſione. B Appellantur verò his nominibus, Paterniani à Paterno quodam ignobili authore,& hoc nomine meminit eorum Iſidorus. Venuſtiani,vt hîc ſcribit Auguſtin. à ſcelere & laſciuia, cui ſunt addictiſsimi. A Venere enim (quam impudiciſsimarum voluptatum & actionum deam & patronam Chriſtiani homines ſemper oderunt & meritò infamarunt,vt apparet ex Nicephoro libr. 14. cap. 49. & ex eo quòd Veneris templum ad Libanum & Heliopolin Chriſtiani funditus ante reliquorum deorum fana euerterunt, vt idem tradit libr.8.cap.33. & Sozomen.libr.5.cap.10.)à Venere, inquam, dicti ſunt Venuſtiani ab illius ſeculi hominibus Latinè loqui ſtudentibus,qui aptius Veneriani vel Venerij dicerentur. Quanquam enim, vt tradit M. Tull.à Venere venuſtas deducta eſt: aliud tamen eſt venuſtas (quę eſt corporis pulchritudo & apta quædam inter ſe membrorum cōformatio) aliud autem Venus & libido, à qua iſtos appellare,non autem à venuſtate veteres illi voluerunt.Dicitur quidem Venus hortis præeſſe, & Venus pro oleribus apud Varronem accipitur.Denique Venus,vt in ſuis in Feſtum Pompeium commentariis annotat vndecunque doctiſsimus,Ioſephus Scaliger,à veniendo nominata eſt, C quaſi dea peregrina,non autem à turpi aliqua actione: tamē vſus ratióque etiam profanæ Mythologiæ, vt docet lib.2.Mythol.Fulgentius, ita obtinuit, vt pro ſpurciſsimarum libidinum dea Venus haberetur, à qua ſalaces iſti homines Venerij, & Veneriani ſiue Venuſtiani ſunt appellati. Videntur autem hi ipſi à Ioanne Damaſceno ἠθικοπροσκόπται.i.morum & hōeſtatis irriſores dicti,Ethicoproſcoptę:quòd omnem vitæ ſanctæ inſtituendæ rationem irriderent & ſpernerent, & Cynicorum more laſciua & obſcœna quæque agere non erubeſcerent.Nec verò mirum eſt vnam & eandem hæreſin alio à Græcis,& Latinis nomine vocari, quēadmodū in Heluidianis docuit Auguſtinus, quos Antidicomaritas appellant Græci.Cœpiſſe verò videtur hoc hominum genus & ſecta poſt Eunomianos & Patricianos hæreticos,ex quibus vtriſque,vti dixi, conflata eſt ſub Arcadio Imperatore,poſt annū à Chriſto paſſo 387.quæ quandiu inter illius ætatis homines fuerit,non eſt annotatum.Certè noſtro ſeculo & memoria impuriſsimus quidam nebulo G. Poſtellus Sorboniſtarum Pariſienſium deliciæ, hunc blaſphemum errorem impudenter,quidē, ſed tamen liberè Lutetiæ renouauit,dixítquenos à Chriſto ab vmbilico tātùm ad caput ſaluos eſſe factos:

A reliquas autem noſtri partes & inferiores vmbilico non à Dei Filio, ſed à Ioanna quadam ſcorto ipſius (quam etiam inceſtuoſus homo matrē ſuam appellabat) redemptas liberatáſque eſſe. Quale opinionum portentum canem illum etiam publicè in media Academia euomuiſſe, ſciunt omnes, qui eũ profitentem Cl. Ptolemæi 100. canonas mecum Lutetiæ audierunt. Paternianis autem adiungunt quidam Symmachianos tanquam eiuſdem dogmatis & erroris ſocios, qui mihi verius & commodius videntur ad Ebionitas vel Photinianos, quorum venena aliis propinarũt, ipſique biberunt, poſſe referri. Chriſtum enim negarunt Deum eſſe Deique Filium: ſed tantùm hominem ex Ioſephi mariti & Mariæ coniugis coitu ad cæterorum hominũ morem natum, vt ſcribit Euſeb lib.6.cap.17. Præterea ſunt iſtis noſtris Paternianis ætate longè priores. Cœperunt enim non, vt quidã volunt, ſub Theodoſio maiore, ſed antea, quando Symmachus eorum author etiam ante Origenis tempora vixit & floruit, vt omnes fatentur, & ſciunt. B Paternianorum verò hypotheſis hæc fuit, Inferiores humani corporis partes, qualis anus, penis, pedes, &c. (quòd tegerentur tãquam obſcœnæ, vt docet Paulus 1. Corinth.12.verſ.23. niſi fortaſſe Cynici & inuerecundi eſſe volumus) non à Deo creatas eſſe, ſed à diabolo. Hi ſanè Adamiſtis hæreticis planè fuerunt contrarij & diſsimiles. Nam Adamiſtæ quòd nullum inter humani corporis membra aſpectu & contrectatione turpe & obſcœnum ducerẽt nudi agebant: hi verò quòd nimiam in quibuſdam membris noſtræ fœditatem agnoſcant, negant illa eſſe Dei opera: quia quæcunque fecit Deus, illa ſunt & bona & aſpectu iucunda. Vtrique falluntur. Nam ab initio quidem & ante peccatum fuerunt honeſta omnia humani corporis membra: poſt peccatum autem fœditas quædam & inhoneſtus aſpectus in iis membris remanſit, quibus ad libidinem explendam vtimur, vt docet Auguſt. libr. 4. contra Iulian. Pelagian. cap.16. Sed longius progreſsi ſunt Paterniani. Cùm enim inferiores hominis partes diabolo tanquam opifici tribuiſſent, in C omne ſe fœdæ libidinis genus, quæ iſtis membris perageretur, veluti, ſcortationis & vẽtris ingluuiei profuderũt, vnde ſunt Venuſtiani appellati. Quare & iſti, vti plerique alii hæretici, vitiis voluptatibúſque corporis habenas laxarunt, qui propterea ſunt non tantùm ex aris Chriſtianorum, ſed ex vniuerſo hominum cœtu & choro depellendi, & in porcorum haras & ſtabula detrudendi, ex Epicureorum potius hortis & ſchola, quàm ex ſanctis Chriſtianorum præceptis & diſciplina profecti & nati, qui, ne nobis ſuis illis turpibus voluptatibus nauſeam moueant, ſunt planè dimittendi.

CAP. LXXXVI.

Tertullianiſtæ cur ſic dicti. Erroris autem eorum capita quatuor deſcripta.

Tertullianiſtæ à Tertulliano[1], *cuius multa leguntur opuſcula eloquentiſsimè ſcripta, vſque ad noſtrum tempus paulatim deficientes in extremis reliquiis durare potuerunt in vrbe Carthaginenſi. Me autem ibi poſito ante aliquot annos, quod etiam te meminiſſe arbitror, omni ex parte conſumpti ſunt. Pauciſſimi etiam, qui remanſerunt, in Catholicam tranſierunt, ſuámque* A *Baſilicam, quæ nunc etiam notiſsima eſt, Catholicæ tradiderũt. Tertullianus ergo, ſicut ſcripta eius indicãt, animam dicit*[2] *immortalem quidem, ſed eam effigiatum corpus eſſe contendit. Neque hanc tantùm, ſed ipſum etiam Deum corporeum eſſe dicit, licet non effigiatum. Nec tamen hinc hæreticus creditur factus. Poſſet enim quoquo modo putari ipſam naturam ſubſtantiámque diuinam corpus vocare: non tale corpus, cuius partes aliæ maiores, aliæ minores valeant vel debeant cogitari, qualia ſunt omnia quæ propriè dicimus corpora: quanuis de anima tale aliquid ſentiat: ſed potuit, vt dixi, putari corpus Deum dicere, quia non eſt nihil, non eſt inanitas, nõ eſt corporis vel animæ qualitas, ſed vbique totus, & per locorum ſpatia nulla partitus, in ſua tamen natura atque ſubſtantia immutabiliter permanet. Non ergo ideo eſt Tertullianus factus hæreticus, ſed quia tranſiens ad Cataphryges, quos antè deſtruxerat, cœpit etiam ſecundas nuptias contra Apoſtolicam doctrinam, tanquam ſtupra damnare: & poſtmodum etiam ab ipſis diuiſus, ſua conuenticula propagauit. Dicit ſanè ipſe animas hominum peſsimas poſt mortem in dæmones verti. Statum autem* B *animæ credit per traducem propagari.*

1 *Tertullianiſtæ à Tertulliano.*) Tertullianus quis fuerit, notius eſt ex Hieronymo, Auguſtino, Hiſtoria eccleſiaſtica, & ipſius adeò Tertulliani ſcriptis, doctiſque in ea Beati Rhenani commentariis, quàm vt explicari debeat. Carthaginenſis fuit, Patre proconſulari & centurione natus, iuris ciuilis ſtudiis primùm addictus, in iiſque clarus habitus, quemadmodum etiam Euſeb. libro.2. Hiſtor. cap.2. tradit, quando etiam hodie in corpore Pandectarum à Triboniano ex diuerſis Iuriſconſultis collectarum extant quædam ſcriptorum & reſponſorum Tertulliani fragmenta docta & erudita. Sed ex perpetuo ipſius ſtylo & dicendi genere ſummum fuiſſe Iuriſconſultum apparet. A ſtudiis verò Iuris ciuilis & Romani .i. humani, ad diuini iuris cognitionem .i. Theologiam traductus, in ea plurimum profecit, adeò quidem vt poſt Victorem & Apollonium Latinorum Patrum & ſcriptorum primus celebretur, quemadmodum Hieronymus ſcribit, cuius lectione tantopere Cyprianus ipſe Epiſcopus poſtea Carthaginenſis C delectatus eſt, vt magiſtrum ſuum appellaret. Lactantius libro 5. cap.1. Tertulliani eruditionem laudat: eloquentiam verò, quaſi duriorem non probat. Et certè habet quædam dura & aſpera: quædam obſcura & inuoluta: quædam etiam falſa, quanquam vbique (qualis fuit illius ſeculi felicitas, & hominum illius ætatis ingenium) mirum magnúmque animi in Deum zelum ſpirat, & præ ſe fert. Acutus ſcriptor & grauis, & qui totum hominem deſyderet, imò etiam ſæpe ingenij communem captum ſuperat. Presbyter Carthaginenſis creatus eſt, poſtquam fidem Chriſtianam amplecti cœpit, quam variis opuſculis contra hæreticorum errores tutatus eſt. Sed ad Cataphrygum ſeu Montaniſtarum deliria & dogmata tandem delapſus & ipſe hæreticus fuit, contráque Eccleſiam volumina contexuit, & ſex libros pro furioſa illa Montaniſtarum ecſtaſi, quę Anabaptiſtarum reuelationibus non erat abſimilis, edidit. Denique contra Apollonium, qui Cataphrygum errores confutauerat, & ipſe ſcripſit. Cur verò hæreticorum blaſphemias vir tam diſertus & tali,

A quemadmodum loquitur libro 11. de Geneſi ad literam, cap. 25. Auguſtinus, corde ſequeretur, occaſio illis à clericis Romanis, (Romæ enim aliquandiu verſatus eſt, quemadmodum & in Africa ipſa, vt ex ipſius ſcriptis apparet) præbita eſt, qui eum nimis externa illa ieiunij, ciborum abſtinentiæ, virginitatis exercitia extollentem & admirantem ſeuerius primùm tractarunt, & velut planè Montaniſtam excommunicarunt, cùm hæc ille ex immoderato quodam ſanctitatis zelo, & regnantis inter multos laſciuæ odio potiùs, quàm ex concepta Cataphrygum hæreſi tantopere commendaret ſuis ſcriptis. Itaque Eccleſia expulſus & in ſegregum numerum relatus, cœpit in orthodoxos tanquam Pſychicos & animales debacchari, atque ſenſim in Gnoſticorum, id eſt, Spiritualium quos ipſe vocat, & Cataphrygum præcepta delabi, quæ poſtea apertè defendit, vt apparet ex ipſius libro de Monogamia. Vixit autem Tertullianus ſub Seuero Imperatore, cuius ſæpe ipſe meminit, vti B in oratione ad Scapulam, in Apologet. cap. 4. libr. 2. aduerſus Marcion. vt omnino mirer, cur huius ætatem quidam docti viri ad Alexandri Mammeę filij, vel Origenis tempora potius quàm ad Seueri referendam contendant. Ipſe anni 160. à Chriſto nato meminit in libro de Monogamia Nicephorus quoque libro 4. cap. 12. & 34. ſub Seuero collocat. Cœpit denique hæc hæreſis ſub eodem Seuero Imperatore & Zephyrino Epiſcopo Roman. (quanquam Platina ſub Callixto, neſcio tamen quo argumento motus, mauult reponere) circa annum à Chriſto paſſo 170. In Africa viguit, & Carthagine potiſſimum, vnde oriundus erat. In Aſiam penetraſſe non videtur. Nec enim illius meminit Epiphanius, qui Tertulliano longè poſterior fuit, & ignota primis Græcis videtur hæc hæreſis. Quãquam enim Anthropomorphitæ aliquod caput cum Tertulliano conſentiens ſecuti ſunt, veluti de Deo corporali, neutri tamẽ ab aliis ſua dogmata videntur mutuati, ſed potius fuiſſe eiuſdem erroris quidem patroni, alii tamen aliis C diſſimiles, quando Anthropomorphitarum hęreſin, qui Deo membra aſsignant, ipſe in libro De Trinitate refutat & arguit. Nec etiam præcipuè propter hoc caput damnatus eſt Tertullianus, ſed propter alia, vti docet hoc loco Auguſtinus. Itaque potius ad Montaniſtas, vel Cataphrygas hanc hæreſin tãquam ſurculum ad ſuam germanámque ſtirpem refero.

2 *Animam dicit.*) Variæ fuerunt erroris qui Tertulliano tribuitur, hypotheſes, è quibus eſt hæc. 2 Deum eſſe corporeum quidem, non tamen effigiatum, aut in membra diſtributum. Tertulliani hæc verba ſunt aduerſ. Praxeam, Quis enim negabit Deum corpus, etſi Deus ſpiritus eſt? Spiritus enim corpus ſui generis in ſua effigie. Idem confirmat, vel potius contendit in libro De anima, qui proculdubio eſt Tertulliani (illius enim meminit in commentario De reſurrectione carnis) ſed tamen in libro De Trinitate, negat Deum membra habere. Hoc itaque, quod dicimus, eum ſenſiſſe teſtatur idem Auguſtinus libro 10. De Geneſ. capite 25. & 26. quem illius errorem hîc excuſat Auguſtinus, quòd generaliter corpus accipiat pro οὐσίᾳ, quaſi nihil ſubſiſtat, quod non propter humanæ aciei imbecillitatem ſit corpus appellandum. Itaque ne videretur Deum conſtituere, aut proponere velut inane quiddã, & φάντασμα, ſed vt omnes intelligerẽt eſſe verã per ſéque ſubſiſtentẽ οὐσίαν, Deũ corpus eſſe dixit, abutẽs nomine corporis, vt vult Auguſtin. A Queãdmodũ de Eccle. dogma. capite 12. dicitur omnis creatura etiã Angelica, eſſe corporea, id eſt, οὐσιῶδες quiddã habere. Et Hilarius etiam Pictauienſis, eodem modo alicubi loquitur. 2 Animam humanam vti & Angelos ipſos eſſe corpora: tenuia quidem, ſed quæ tamen effigiem delineationémque membrorum habeant, vt à Dei natura diſtinguantur, quam fecit corpoream. Vnde animam creſcere, adoleſcere, cibos deſiderare, & in cæteris vnà cum corpore συμπαθεῖν, & conuenire. Iſta omnia non ex Sorani medici, ſed ex ſuo ipſius ſenſu & iudicio acriter defendit Tertullianus in libro De anima. Definimus, ait, animam dei flatu natam, immortalem, corporalem, effigiatam, ſubſtantia ſimplicem: & alio capite tribuit animæ longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, effigiem, ſexum, habitum, terminum, vti corpori, quia non eſt vbique diffuſa, vt B Deus: ſed certo vbi comprehenſa. Reſpondeo verò hoc verum eſſe, circunſcriptam & definitam eſſe animam propritate naturæ, non autem loco & dimenſionibus comprehenſam, vt corpus.

3 Animam humanam ex traduce eſſe: &, vt ipſe in libro De anima loquitur, ex vna redundare, & cum carne in vtero ſeminari. quia ex vno Adamo omnes peccatum originale hauſimus. Hoc poſtremum quidem verum eſt, antecedens tamen falſum. Poteſt enim ad nos ex primo parente peccatum deriuari, etſi neque eſt peccatum ſubſtantia, vt Manichæi volunt: neque anima ex traduce, vt cenſent Pelagiani. 4 Animas ſceleratorum hominum in dæmonas eſſe tandem conuertendas, Auguſtinus hîc, & Iſidorus. Ipſe quidem in libro De anima, contendit nullam eſſe animam ſine dęmone comite, tamen non aſſerit vertendam in dęmonem, imò contra μετεμψύχωσιν & μετενσωμάτωσιν tum Platonicam, tum Pythagoricam inuehitur, quam impugnat. Hunc tamen errorem Tertulliano Auguſtinum affinxiſſe, non facilè crediderim, quum in eum ſit æquior: & propter ipſius peccata C tremendũ potius quàm ridendum eſſe, idem dicat.

5 Secundas nuptias apertè damnat ex diſciplina Montaniſtarum, in libro De monogamia. ſic enim eſſe debere vnum tantùm coniugium, vt vnus eſt Deus. Papiſtarum ſententia de bigamis hinc orta. Ambroſius libro 1. De officiis, cap. vltimo, Vna tantùm, nec repetita nobis copula permittitur, & in ipſo coniugio lex eſt, non iterare coniugium. Quod quantum ab hoc errore Tertulliani diſſideat, non video: vti nec illud, quomodo ferè Montaniſtæ non ſint, qui eos, qui ad ſecundas conuolant nuptias, Bigamos probroſè vocant, & ab omni dignitate Eccleſiaſtica arcent. 6 Mariam poſt Chriſtum editum ſemel nupſiſſe, quod eius dictum afferebat pro ſe Heluidius, refutat Hieronymus & eleuat, quòd Tertullianum hominem Eccleſiæ eſſe neget. 7 Paracletum & Spiritum nouæ Prophetiæ, quem falſò Cataphryges iactabant ſe accepiſſe, & vberiorem quidem, quàm ipſi Domini noſtri Ieſu Chriſti diſcipuli, vbique commendat & approbat Tertullianus, maximè in libr. aduerſus Praxeam, in fine. & lib. De monogamia.

8 Hominem Chriſtianum bona conſcientia ſub principe ſuo, ſi ſit ethnicus, militare poſſe negat,

& vſum

A & vſum armorum omnino Chriſtianis interdicit, imò verò etiam eos iudices quos vocant, capitales & criminales eſſe vetat, in libro De idololatria, quia vſum gladii Chriſtianis adimit. Hoc Anabaptiſtas peperit, in hoc errore pertinaciſsimos. Itaque iampridem Tertulliani opuſcula damnata ſunt communi quodam conſenſu Eccleſiæ, vt apparet ex Can. Sancta. diſtinct. 15. Quædam autem tribuũtur Tertulliano, quæ nõ ſunt erronea, veluti quòd panem & vinum in Cœna Domini figuram & σύμβολα corporis & ſanguinis ipſius eſſe dixerit in libro 4. aduerſus Marcionem. Sed ſic Papæ etiam ipſi ſunt loquuti, vti Hilarius 2. in Canone Corpus Chriſti. De Conſecr. diſtinct. 2. vt intelligant Papiſtæ quantum à capitis ſui doctrina diſceſſerint. Quædam etiam durè de Trinitate & diſtinctione Perſonarum diuinarum dixit. Itaque cum magno iudicio legendus eſt Tertullianus: quemadmodum etiam veteres Patres ſcriptores Eccleſiaſtici penè omnes.

B

Cap. LXXXVII.

Abelonitæ cur ſic dicti. Erroris autem eorum caput vnum.

Eſt quædam hæreſis ruſticana in campo noſtro, id eſt, Hipponenſi: vel potius fuit. Paulatim enim diminuta, in vna exigua villa remanſerat, in qua quidem pauciſſimi, ſed omnes hic fuerunt, qui omnes modò correcti, & catholici facti ſunt, nec aliquid illius ſuperſedit erroris. Abelonij vocantur Punica declinatione nominis. Hos nonnulli dicunt ex filio Adæ nominatos, qui eſt vocatus Abel, vnde Abelianos, vel Abeloitas eos poſſumus dicere. Non miſcebantur vxoribus, & eis tamen ſine vxoribus viuere ſectæ ipſius dogmate non licebat. Mares ergo & fœminæ ſub continentiæ profeſſione ſimul habitantes, puerum & puellam ſibi adoptabant in eiuſdem coniunctionis pacto ſucceſſores ſuos futuros. Morte præuentis quibuſque ſingulis alij ſubrogabantur, dum tamen duo duobus diſparis ſexus in illius C *domus ſocietate ſuccederent. Vtrolibet quippe parente defuncto, vno remanenti, vſque ad eius quoque obitum filij ſeruiebant, poſt cuius mortem etiam ipſi puerum & puellam ſimiliter adoptabant. Nec vnquam eis defuit, vnde adoptarent, generantibus circunquaque vicinis, & filios ſuos inopes ad ſpem hæreditatis alienæ dantibus libenter.*

1 *Abelonij vocantur.*) Mirum planè futurum erat, ſi cùm Adamus, Cain, Seth, ſuos imitatores habuiſſent, Abel nullos ſui admiratores & cultores nanciſceretur. Itaque & hunc quoque in occaſionem hæreſeos fanatici homines arripuerunt: qui propterea Abelonij, Abeliani, Abeloitæ vel Abelitæ dici poſſunt, quorum tamen nec certus autor, nec tempus traditur. Nec enim, hoc penè capite & loco Auguſtini excepto, quicquam de iis à Latinis ſcriptoribus commemoratum eſt: ſed nec à Græcis, quibus fuerunt ignoti. Si quis tamen coniecturis locus eſt, videntur ante poſtremam Auguſtini ætatem & nati & extincti. Ac nati quidem ſub Arcadio Imperatore, & Anaſtaſio Roman. Epiſcopo poſt annum à Chriſto paſſo 370. Extincti verò poſtea ſub Theodoſio Iuniore. Scripſit enim ſenex Auguſtinus hoc opuſculum de Hæreſibus. Fuerunt autem hi propago non Cataphrygarum & Montaniſtarum, vt quidam exiſtimant: A ſed potiùs Encratitarum & Tatianorum, quorum dogma perſpicuè interpolarunt. Cùm enim illi nuptias & coniugium prorſus damnarẽt: hi nomen quidem coniugii & nuptiarum retinuerunt, vim autem & effectum earum proſus ſuſtulerunt. Vetuerunt enim coniuges ſeipſis vti, tanquam coitus in coniugio eſſet Chriſtianis hominibus fugiẽdus, & diaboli potius quàm Dei opus, proptereáque opus carnis appellabant, & peccatum originale ex eo naſci, & in homines propagari dicebant, quod quidẽ diſpliceret Deo. Deinde Abelis (qui humanæ iuſtitiæ primarius dicitur ab antiquis, & ab Auguſtino eius ſocietatis, quæ eſt Dei ciuitas & Eccleſia, princeps, & primus) exemplum proferebant, quem etſi non negabant fuiſſe coniugem, vſum tamen vnquam vxore ſua non concedebant, quia nullos filios ſuſcepiſſe legitur, quemadmodum Cain & Seth, quorum ſoboles refertur & commemoratur à Moſe. Ad ſubſidium autem & cõſeruationem ſuæ ſectæ, & ſynagogæ, quam eſſe Dei Eccleſiam cenſebant, adoptionis B beneficio vtebantur, vt quia natura filios propter ſuæ ſectæ dogma ſuſcipere non poterant, haberẽt adoptiuos. Et certè videtur hoc Auguſtini ipſius dictum libro 2. De conſenſu Euangeliſtarum, cap. 1. magnum quoddam huius ſectæ firmamentum dediſſe. Exemplo Ioſeph & Mariæ, inquit, magnificè inſinuatur fidelibus coniugatis, etiam ſeruata pari conſenſu continentia, poſſe permanere, vocaríque coniugium non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu. Idem in libro De bono coniugali, capite 1. Poterat eſſe in vtroque ſexu, etiam ſine tali commixtione, alterius regentis, alterius obſequentis amicabilis quędam & germana coniunctio. Cuiuſmodi ſententiæ plerunque apud veteres occurrunt, ex nimia continentiæ & cœlibatus admiratione profectæ. Quod ad Abelem, Moſes neque eum vxorem habuiſſe ſcribit, neque filios ſuſcepiſſe, vt temerè ad huius erroris defenſionem hoc exemplum afferatur. Cœpit autem in agro Hipponenſi, eóque Regio, quemadmodum diſertè annotat hìc Auguſtinus. Fuit enim in Numidia, quæ Africæ pars eſt, C duplex Hippo. Hippo Regius in ea Numidia quæ propriè ita appellata eſt, Romanorum colonia, cuius fuit epiſcopus Auguſtinus. Alter Hippo Zarithos dictus, maritimum oppidum, vt eſt in Itinerario Antonini, pulcherrimè nobis opera D. Ioſiæ Simleri felicitérque reſtituto, in ea Numidiæ regione, quæ Zeugitana cognominatur. Longius autem aut latius non videtur hic error Abelinotarum peruagatus, neque etiam diutius permanſiſſe, ſed in ipſis cunis extinctus, & verbo Dei cõfoſſus, ſiluiſſe, quem neque nos reuocare, neq; nimia perquiſitione illuſtrare debemus.

Cap. LXXXVIII.

Pelagiani cur ſic dicti. Erroris autem eorum capita quinque recenſentur.

Pelagianorum eſt hæreſis hoc tempore omnium recentiſſima, à Pelagio[1] *Monacho exorta, quem magiſtrum Cæleſtius ſic ſequutus eſt, vt ſectatores eorum Cæleſtiani etiam nuncupentur. Hi Dei*[2] *gratiæ (qua prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorum*

A quemadmodum loquitur libro 11.de Geneſi ad literam,cap.25.Auguſtinus corde ſequeretur, occaſio illis à clericis Romanis,(Romæ enim aliquandiu verſatus eſt, quemadmodum & in Africa ipſa, vt ex ipſius ſcriptis apparet) præbita eſt, qui eum nimis externa illa ieiunij, ciborum abſtinentiæ, virginitatis exercitia extollentem & admirantem ſeuerius primùm tractarunt, & velut planè Montaniſtam excommunicarunt, cùm hæc ille ex immoderato quodam ſanctitatis zelo, & regnantis inter multos laſciuæ odio potiùs,quàm ex concepta Cataphrygum hæreſi tantopere commendaret ſuis ſcriptis. Itaque Eccleſia expulſus & in ſegregum numerum relatus, cœpit in orthodoxos tanquam Pſychicos & animales debacchari, atque ſenſim in Gnoſticorum, id eſt ,Spiritualium quos ipſe vocat,& Cataphrygum præcepta delabi, quæ poſtea apertè defendit, vt apparet ex ipſius libro de Monogamia. Vixit autem Tertullianus ſub Seuero Imperatore, cuius ſæpe ipſe meminit, vti B in oratione ad Scapulam,in Apologet.cap. 4.libr. 2.aduerſus Marcion. vt omnino mirer, cur huius ætatem quidam docti viri ad Alexandri Mammeę filij,vel Origenis tempora potius quàm ad Seueri referendam contendant. Ipſe anni 160. à Chriſto nato meminit in libro de Monogamia Nicephorus quoque libro 4. cap.12.& 34. ſub Seuero collocat. Cœpit denique hæc hæreſis ſub eodem Seuero Imperatore & Zephyrino Epiſcopo Roman.(quanquam Platina ſub Callixto, neſcio tamen quo argumento motus, mauult reponere) circa annum à Chriſto paſſo 170. In Africa viguit, & Carthagine potiſsimum,vnde oriundus erat.In Aſiam penetraſſe non videtur. Nec enim illius meminit Epiphanius, qui Tertulliano longè poſterior fuit, & ignota primis Græcis videtur hæc hæreſis. Quãquam enim Anthropomorphitæ aliquod caput cum Tertulliano conſentiens ſecuti ſunt,veluti de Deo corporali, neutri tamẽ ab aliis ſua dogmata videntur mutuati, ſed potius fuiſſe eiuſdem erroris quidem patroni, alii tamen aliis diſſimiles,quando Anthropomorphitarum hęreſin,qui Deo membra aſsignant, ipſe in libro De C Trinitate refutat & arguit. Nec etiam præcipuè propter hoc caput damnatus eſt Tertullianus, ſed propter alia,vti docet hoc loco Auguſtinus. Itaque potius ad Montaniſtas,vel Cataphrygas hanc hæreſin tãquam ſurculum ad ſuam germanámque ſtirpem refero.

2 *Animam dicit.*) Variæ fuerunt erroris qui Tertulliano tribuitur, hypotheſes, è quibus eſt hæc. 2 Deum eſſe corporeum quidem,non tamen effigiatum,aut in membra diſtributum. Tertulliani hæc verba ſunt aduerſ. Praxeam, Quis enim negabit Deum corpus,etſi Deus ſpiritus eſt? Spiritus enim corpus ſui generis in ſua effigie. Idem confirmat, vel potius contendit in libro De anima, qui proculdubio eſt Tertulliani (illius enim meminit in commentario De reſurrectione carnis) ſed tamen in libro De Trinitate, negat Deum membra habere. Hoc itaque, quod dicimus,eum ſenſiſſe teſtatur idem Auguſtinus libro 10.De Geneſ.capite 25. & 26. quem illius errorem hîc excuſat Auguſtinus, quòd generaliter corpus accipiat pro οὐσίᾳ, quaſi nihil ſubſiſtat, quod non propter humanæ aciei imbecillitatem ſit corpus appellandum. Itaque ne videretur Deum conſtituere, aut proponere velut inane quiddã, & φάντασμα, ſed vt omnes intelligerẽt eſſe verã per ſeque ſubſiſtentẽ οὐσίαν, Deũ corpus eſſe dixit,abutẽs nomine corporis, vt vult Auguſtin. Quẽadmodũ de Eccle.dogma.capite 12.dicitur omnis creatura etiã Angelica,eſſe corporea,id eſt,οὐσιῶδές quiddã habere. Et Hilarius etiam Pictauienſis, eodem modo alicubi loquitur. 2 Animam humanam vti & Angelos ipſos eſſe corpora: tenuia quidem, ſed quæ tamen effigiem delineationémque membrorum habeant,vt à Dei natura diſtinguantur,quam fecit corpoream. Vnde animam creſcere,adoleſcere,cibos deſiderare, & in cæteris vnà cum corpore συμπαθεῖν,& conuenire. Iſta omnia non ex Sorani medici,ſed ex ſuo ipſius ſenſu & iudicio acriter defendit Tertullianus in libro De anima. Definimus, ait, animam dei flatu natam, immortalem, corporalem,effigiatam,ſubſtantia ſimplicem: & alio capite tribuit animæ longitudinem, latitudinem,ſublimitatem,effigiem,ſexum,habitum, terminum, vti corpori,quia non eſt vbique diffuſa,vt B Deus:ſed certo vbi comprehenſa. Reſpondeo verò hoc verum eſſe,circunſcriptam & definitam eſſe animam propritate naturæ, non autem loco & dimenſionibus comprehenſam, vt corpus. 3 Animam humanam ex traduce eſſe: &, vt ipſe in libro De anima loquitur, ex vna redundare, & cum carne in vtero ſeminari. quia ex vno Adamo omnes peccatum originale hauſimus. Hoc poſtremum quidem verum eſt, antecedens tamen falſum. Poteſt enim ad nos ex primo parente peccatum deriuari,etſi neque eſt peccatum ſubſtantia, vt Manichæi volunt: neque anima ex traduce,vt cenſent Pelagiani. 4 Animas ſceleratorum hominum in dæmonas eſſe tandem conuertendas, Auguſtinus hîc,& Iſidorus. Ipſe quidem in libro De anima,contendit nullam eſſe animam ſine dęmone comite,tamen non aſſerit vertendam in dęmonem, imò contra μετεμψύχωσιν & μετενσωμάτωσιν tum Platonicam, tum Pythagoricam inuehitur, quam impugnat. Hunc tamen errorem Tertulliano Auguſtinum affinxiſſe, non facilè crediderim, quum in eum ſit æquior:& propter ipſius peccata C tremendũ potius quàm ridendum eſſe,idem dicat. 5 Secundas nuptias apertè damnat ex diſciplina Montaniſtarum,in libro De monogamia. ſic enim eſſe debere vnum tantùm coniugium, vt vnus eſt Deus. Papiſtarum ſententia de bigamis hinc orta. Ambroſius libro 1. De officiis, cap. vltimo, Vna tantùm,nec repetita nobis copula permittitur, & in ipſo coniugio lex eſt, non iterare coniugium. Quod quantum ab hoc errore Tertulliani diſsideat, non video: vti nec illud, quomodo ferè Montaniſtæ non ſint,qui eos,qui ad ſecundas conuolant nuptias, Bigamos probroſè vocant,& ab omni dignitate Eccleſiaſtica arcent. 6 Mariam poſt Chriſtum editum ſemel nupſiſſe, quod eius dictum afferebat pro ſe Heluidius,refutat Hieronymus & eleuat, quòd Tertullianum hominem Eccleſiæ eſſe neget. 7 Paracletum & Spiritum nouæ Prophetiæ, quem falsò Cataphryges iactabant ſe accepiſſe,& vberiorem quidem,quàm ipſi Domini noſtri Ieſu Chriſti diſcipuli, vbique commendat & approbat Tertullianus,maximè in libr. aduerſus Praxeam,in fine.& lib. De monogamia. 8 Hominem Chriſtianum bona conſcientia ſub principe ſuo,ſi ſit ethnicus, militare poſſe negat,

& vſum

A & vſum armorum omnino Chriſtianis interdicit, imò verò etiam eos iudices quos vocant, capitales & criminales eſſe vetat, in libro De idololatria, quia vſum gladii Chriſtianis adimit. Hoc Anabaptiſtas peperit, in hoc errore pertinaciſsimos. Itaque iampridem Tertulliani opuſcula damnata ſunt communi quodam conſenſu Eccleſiæ, vt apparet ex Can. Sancta. diſtinct. 15. Quædam autem tribuũtur Tertulliano, quæ nõ ſunt erronea, veluti quòd panem & vinum in Cœna Domini figuram & σύμβολα corporis & ſanguinis ipſius eſſe dixerit in libro 4. aduerſus Marcionem. Sed ſic Papæ etiam ipſi ſunt loquuti, vti Hilarius 2. in Canone Corpus Chriſti. De Conſecr. diſtinct. 2. vt intelligant Papiſtæ quantum à capitis ſui doctrina diſceſſerint. Quædam etiam durè de Trinitate & diſtinctione Perſonarum diuinarum dixit. Itaque cum magno iudicio legendus eſt Tertullianus: quemadmodum etiam veteres Patres ſcriptores Eccleſiaſtici penè omnes.

B

CAP. LXXXVII.

Abelonitæ cur ſic dicti. Erroris autem eorum caput vnum.

Eſt quædam hæreſis ruſticana in campo noſtro, id eſt, Hipponenſi: vel potius fuit. Paulatim enim diminuta, in vna exigua villa remanſerat, in qua quidem pauciſſimi, ſed omnes hîc fuerunt, qui omnes modò correcti, & catholici facti ſunt, nec aliquid illius ſuperſedit erroris. Abelonij vocantur Punica declinatione nominis. Hos nonnulli dicunt ex filio Adæ nominatos, qui eſt vocatus Abel, vnde Abelianos, vel Abeloitas eos poſſumus dicere. Non miſcebantur vxoribus, & eis tamen ſine vxoribus viuere ſecta ipſius dogmate non licebat. Mares ergo & fœminæ ſub continentiæ profeſſione ſimul habitantes, puerum & puellam ſibi adoptabant in eiuſdem coniunctionis pacto ſucceſſores ſuos futuros. Morte præuentis quibuſque ſingulis alij ſubrogabantur, dum tamen duo duobus diſparis ſexus in illius C *domus ſocietate ſuccederent. Vtrolibet quippe parente defuncto, vno remanenti, vſque ad eius quoque obitum filij ſeruiebant, poſt cuius mortem etiam ipſi puerum & puellam ſimiliter adoptabant. Nec vnquam eis defuit, vnde adoptarent, generantibus circunquaque vicinis, & filios ſuos inopes ad ſpem hæreditatis alienæ dantibus libenter.*

1 *Abelonij vocantur.*) Mirum planè futurum erat, ſi cùm Adamus, Cain, Seth, ſuos imitatores habuiſſent, Abel nullos ſui admiratores & cultores nanciſceretur. Itaque & hunc quoque in occaſionem hæreſeos fanatici homines arripuerunt: qui propterea Abelonij, Abeliani, Abeloitæ vel Abelitæ dici poſſunt, quorum tamen nec certus autor, nec tempus traditur. Nec enim, hoc penè capite & loco Auguſtini excepto, quicquam de iis à Latinis ſcriptoribus commemoratum eſt: ſed nec à Græcis, quibus fuerunt ignoti. Si quis tamen coniecturis locus eſt, videntur ante poſtremam Auguſtini ætatem & nati & extincti. Ac nati quidem ſub Arcadio Imperatore, & Anaſtaſio Roman. Epiſcopo poſt annum à Chriſto paſſo 370. Extincti verò poſtea ſub Theodoſio Iuniore. Scripſit enim ſenex Auguſtinus hoc opuſculum de Hæreſibus. Fuerunt autem hi propago non Cataphrygarum & Montaniſtarum, vt quidam exiſtimant: A ſed potiùs Encratitarum & Tatianorum, quorum dogma perſpicuè interpolarunt. Cùm enim illi nuptias & coniugium prorſus damnarẽt: hi nomen quidem coniugii & nuptiarum retinuerunt, vim autem & effectum earum proſus ſuſtulerunt. Vetuerunt enim coniuges ſeipſis vti, tanquam coitus in coniugio eſſet Chriſtianis hominibus fugiẽdus, & diaboli potius quàm Dei opus, proptereáque opus carnis appellabant, & peccatum originale ex eo naſci, & in homines propagari dicebant, quod quidẽ diſpliceret Deo. Deinde Abelis (qui humanæ iuſtitiæ primarius dicitur ab antiquis, & ab Auguſtino eius ſocietatis, quæ eſt Dei ciuitas & Eccleſia, princeps, & primus) exemplum proferebant, quem etſi non negabant fuiſſe coniugem, vſum tamen vnquam vxore ſua non concedebant, quia nullos filios ſuſcepiſſe legitur, quemadmodum Cain & Seth, quorum ſoboles refertur & commemoratur à Moſe. Ad ſubſidium autem & cõſeruationem ſuæ ſectæ, & ſynagogæ, quam eſſe Dei Eccleſiam cenſebant, adoptionis B beneficio vtebantur, vt quia natura filios propter ſuæ ſectæ dogma ſuſcipere non poterant, haberẽt adoptiuos. Et certè videtur hoc Auguſtini ipſius dictum libro 2. De conſenſu Euangeliſtarum, cap. 1. magnum quoddam huius ſectæ firmamentum dediſſe. Exemplo Ioſeph & Mariæ, inquit, magnificè inſinuatur fidelibus coniugatis, etiam ſeruata pari conſenſu continentia, poſſe permanere, vocaríque coniugium non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu. Idem in libro De bono coniugali, capite 1. Poterat eſſe in vtroque ſexu, etiam ſine tali commixtione, alterius regentis, alterius obſequentis amicabilis quędam & germana coniunctio. Cuiuſmodi ſententiæ plerunque apud veteres occurrunt, ex nimia continentiæ & cœlibatus admiratione profectæ. Quod ad Abelem, Moſes neque eum vxorem habuiſſe ſcribit, neque filios ſuſcepiſſe, vt temerè ad huius erroris defenſionem hoc exemplum afferatur. Cœpit autem in agro Hipponenſi, eóque Regio, quemadmodum diſertè annotat hîc Auguſtinus. Fuit enim in Numidia, quæ Africæ pars eſt, C duplex Hippo. Hippo Regius in ea Numidia quæ propriè ita appellata eſt, Romanorum colonia, cuius fuit epiſcopus Auguſtinus. Alter Hippo Zarithos dictus, maritimum oppidum, vt eſt in Itinerario Antonini, pulcherrimè nobis opera D. Ioſiæ Simleri felicitérque reſtituto, in ea Numidiæ regione, quæ Zeugitana cognominatur. Longius autem aut latius non videtur hic error Abelinotarum peruagatus, neque etiam diutius permanſiſſe, ſed in ipſis cunis extinctus, & verbo Dei cõfoſſus, ſiluiſſe, quem neque nos reuocare, neq; nimia perquiſitione illuſtrare debemus.

CAP. LXXXVIII.

Pelagiani cur ſic dicti. Erroris autem eorum capita quinque recenſentur.

Pelagianorum eſt hæreſis hoc tempore omnium recentiſsima, à Pelagio[1] *Monacho exorta, quem magiſtrum Cæleſtius ſic ſequutus eſt, vt ſectatores eorum Cæleſtiani etiam nuncupentur. Hi Dei*[2] *gratia (qua prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorum*

A *per Ieſum Chriſtum in ipſum, & qua eruimur de poteſtate tenebrarum, vt in eum credamus, atque in regnum ipſius tranſferamur, propter quod ait, Nemo venit ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo: & qua diffunditur charitas in cordibus noſtris, vt fides per dilectionem operetur) in tantum inimici ſunt, vt ſine hac poſſe hominem credant facere omnia diuina mandata: quum, ſi hoc verum eſſet, fruſtra Dominus dixiſſe videretur, Sine me nihil poteſtis facere. Denique Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei ad eius mandata facienda, correctioni eorum hactenus ceſſit, vt non eam libero arbitrio præponeret, ſed infideli calliditate ſupponeret, dicens ad hoc eam dari hominibus, vt quæ facere per liberum iubentur arbitrium, facilius poſſint impleri per gratiam. Dicendo vtique, vt facilius poſsint, voluit credi, etiamſi difficilius, tamen poſſe homines ſine gratia diuina facere iuſſa. Illam verò gratiam Dei, ſine qua nihil poſſumus facere, non eſſe dicunt niſi in libero arbitrio, quo nullis ſuis præcedentibus meritis ab illo accepit noſtra natura, ad hoc tantum ipſo adiuuante* B *per ſuam Legem & doctrinam, vt diſcamus quæ facere, & quæ ſperare debeamus: nos autem, ad hoc per donum Spiritus ſancti, vt quæ didicerimus eſſe facienda, faciamus. Ac per hoc diuinitus nobis dari ſcientiam confitentur, qua ignorantia pellitur: charitatem autem dari negant, qua piè viuitur: vt ſcilicet, quum ſit Dei donum ſcientia, quæ ſine charitate inflat: non ſit Dei donum ipſa charitas, quæ vt ſcientia non inflet, ædificat. Deſtruunt etiam orationes, quas facit Eccleſia ſiue pro infidelibus, & doctrinæ Dei reſiſtentibus vt conuertantur ad Deum: ſiue pro fidelibus, vt augeatur eis fides, & perſeuerent in ea. Hæc quippe non ab ipſo accipere, ſed à ſeipſis homines habere contendunt gratiam Dei, qua liberamur, dicentes ſecundum merita noſtra dari. Quod quidem Pelagius in epiſcopali iudicio Palæſtino damnari metuens, damnare compulſus eſt: ſed in poſterioribus ſuis ſcriptis hoc inuenitur docere. In id etiam progrediuntur, vt dicant vitam iuſtorum in hoc ſeculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici, vt ſit omnino ſine macula & ruga, quaſi non ſit Chriſti Eccleſia, quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum, Dimitte nobis de-* C *bita noſtra. Paruulos etiam negant ſecundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contrahere. Sic enim eos ſine vllo peccati originalis vinculo aſſerunt naſci, vt prorſus non ſit quod eis oporteat ſecunda natiuitate dimitti: ſed eos propterea baptizari, vt regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius tranſlati, non iſta renouatione ab aliquo malo obligationis veteris abſoluti. Nam etiamſi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, ſed tamen æternam & beatam quandam vitam ſuam. Ipſum quoque Adam dicunt, ſi non peccaſſet, fuiſſe corpore moriturum, neque mortuum merito culpæ, ſed conditione naturæ. Obijciuntur illis & alia nonnulla, ſed iſta ſunt maxima, ex quibus intelliguntur etiam illa vel cuncta, vel penè cuncta pendere.*

1 *A Pelagio Monacho.*) Recens omnino hæreſis, Auguſtino iam ſene. Pelagiani autem & Celeſtiani cõmuni nomine vulgò ſunt appellati iſti hæretici, non etiam Iulianiſtæ: quanquam iiſdem etiam temporibus Iulianum patronum haberent, hominem notum, aduerſus quem ſcripſit iam grãdæuus Auguſtin. quẽadmodũ aduerſus duos illos ſuperiores. Sed hi parentes & primi authores huius ſectæ fuiſſe videntur: A Iulianus autem horum tãtùm diſcipulus & cliens, quanquã Celeſtium Pelagij ipſius diſcipulum & μαθητὴν appellat Auguſtinus libr. 2. capite 7. & 41. De nupt. & concupiſc. Pelagiani verò, vel Pelagianiſtæ (vtraque enim terminatione vocatos inuenio) à Pelagio dicti ſunt, qui hoc nomine & ſpeciali hæreſeos diſtinctione primùm innotuerunt ſub Theodoſio iuniore imperatore, & Innocentio primo epiſcopo Romano, circa annum à Chriſto paſſo 382. quanquam tamen qui hæc tempora ſequuti ſunt authores Græci, nec hominis, nec nominis, errorìſve huius meminerunt, ſiue quòd illis ignota fuerit hæc hæreſis, ſiue quòd ſtatim propter Synodum Palæſtinam, in qua damnata fuerat, extincta inter eos perierit: ſiue denique, quòd Græci ſcriptores liberi arbitrij vim ex philoſophorum profanorum doctrina nimium iam extollentes, & prædicantes B hunc Pelagianorum errorem vel leuem vel nullum exiſtimauerunt, qui tamẽ eſt teterrimus, & omnium Iuſtitiariorum, ſiue Operiſtarum hæreticorum, qui ſequuti ſunt, fons & ſcaturgo, verè dici poteſt. Itaque neque Theodoretus in libro De fabul. hæretic. neque Ioannes Damaſcenus, neque cuiuſlibet rei compilator & rhapſodus Nicephorus Calliſtus hos hæreticos commemorant. Latinis verò epiſcopis fuerunt notiſsimi, quos variè multúmque vexarunt, vt ex ſcriptis Ambroſij De vocatione Gentium, Hieronymi aduerſus Pelagianos, Auguſtini ipſius toto 7. Tomo facilè apparebit. Iſidorus verò etiã huius meminit. Fuit autem Pelagius tam impiæ blaſphemiæ author, Monachus primùm Romæ, poſtea verò ad preſbyterii dignitatem euectus, vt Auguſtinus in epiſtolis ſcribit, alij etiam ad epiſcopale culmen putant perueniſſe. A patria verò Britannia, quę maritima Galliæ regio eſt (vbi olim Armoricæ ciuitates vocabantur) Brito cognominatus, vt à Pelagio Samoſatenſi epiſcopo, qui pius & orthodoxus fuit, & ante hunc ſub Valente vixit, diſtingueretur. de quo meminit Theodoretus libro 4. hiſt. capite 13. C itémque ab alio Pelagio, qui Tarentus dictus eſt, noſtro huic æqualis, ſed orthodoxus. Illo verò ſeculo cœperat iam Britannia in Gallia vocari ea Galliæ poſtrema plaga, in quam Britãni (qui nunc Angli dicũtur) ex Albione inſula, & è patriis ſedibus partim à Maximo tyranno traducti fuerant, vt Martinus Polonus in ſuo Chronico tradit, vt eorum imperium propagaretur: partim à Scotis populis, & Anglis (qui ſunt Saxonici populi) rege Vertunegaro duce, vt ait Pomponius Lætus, pulſi fuerant, quod ſub Valentiniano ſecundo accidit, ante hanc hæreſin enatam. Nec mirum eſt tam peſtilentem errorem ab homine Britone excogitari ſpargíque potuiſſe. Illo enim ſeculo, vt docet Auſonius lepidiſsimo epigrãmate, mixti Gallis, profugi Britones iſti non niſi mali habebantur. Auſonij verò epigramma ſic habet.

Siluius hic bonus eſt: Quis Siluius? iſte Britannus.
Aut Brito hic non eſt Siluius, aut malus eſt.

Quum autem egreſſus Roma, peregrè ageret in Syria, Nouatianorũ & Meletianorum, id eſt, Operiſtarũ, qui plurimi in illis regionibus erant, veneno ſemel hauſto, longius progreſſus eſt Pelagius, & operũ merita, liberúmq; hominis arbitriũ Dei gratiæ repugnans, apertè induxit. Ex Nouatianorum

enim

A enim fontibus ortum eſſe hunc errorem non dubito,potius quàm ex Manichæorum deliriis, quāquam Auguſtinus libro 4.ad Bonifacium, magnā eſſe Manichæorum & Pelagianorum in dogmatibus pleriſque cōſenſionem docet. Habitus autem Pelagius pro ſui ſeculi ratione non indoctus,& libros complures ſcripſit,quorum ſparſim meminit Auguſtinus Tomo 7. velut libro 4. De libero arbitrio:De fide ſua,lib.vnum: Ad virginem ſacram: Ad virginem Demetriadem:item epiſtolas ad Innocentium,ad Paulinum epiſcopum:ad Conſtantinum epiſcopum. Pelagio paraſpiſtes fuit Celeſtius,qui ita cum Pelagio terrarum orbem videtur partitus,vt Pelagius in Oriente, Italia, Gallia, per LeporiumMonachum,vt ſcribit Caſſianus,& Anglia hoc virus ſpargeret, quod fecit. Celeſtius autem in Africa,vbi degebat.Succeſſit verò Celeſtio Ammianus quidam diaconus Celedenſis, & alibi Iulianus,is de quo diximus,qui tempore Proſperi pœnitentiā ſimulauit, vt in Eccleſiā admiſſus plures corrumperet:ſed à Sixto Romano epiſcopo B recipi prohibitus eſt. Cœpit autem primùm in Palæſtina regione Syriæ hæc hæreſis ipſo Pelagio ſpargente & tutante, ſed ibi concilio propterea congregato damnatus, & quædam reuocare ſe ſimulans,vt infra dicetur,Romam venit,vbi epiſtola apud Innocentium ſe ſuámque doctrinam purgare conatus eſt. Inde in Angliam profectus, vbique veneni ſui afflatum & ſemina maxima & nocentiſſima reliquit,quæ breui tempore ita pullularunt, vt totum Chriſtianum orbem occuparent, & inficerent miſerè. Denique tam altè huius erroris radices hæſerunt, vt ne nunc quidem extirpari poſſint. Manent.n.in Papatu vbi Semipelagianiſmus apertiſſimè docetur. Durauit verò etiam ipſo Pelagianorum nomine liberè ſub Iuſtino imperatore,qui etiam illis fauit,ſub Gregorio Magno, vt apparet ex epiſt.14.lib.5. Atque etiam ſub Heraclio imperatore, maximè in Anglia. Poſtremo Bernardi tempore recruduit,epiſto.240.etſi quinque Synodis, Palæſtina in qua, vt ſcribit Proſper, fuerunt pluſquam 200. epiſcopi : C Carthaginenſi ſecunda : Mileuitana: Prima Epheſina, vt ſcribit Gregorius Magnus epiſt.114.& epiſt.47.Indic. 2.ſub Martiano Imperatore.& Arauſiaca iam erat damnatus hic error. Denique à Bernardo epiſt. 190. cùm ab Abailardo quodam ſuo ſeculo eſſet renouatus. Nam eum pulcherrimè refutat idem Bernardus.

2 *Hi Dei gratia.*) Quàm ſæuum & immane fuerit pus & venenum quod poſtremis temporibus Satan per os impurum Pelagii euomuit, dici non poteſt.Inde enim totius Chriſtianæ fidei peſtis enata eſt:inde gratuita illa Dei gratia,per quam ſalui ſimus, abolita : inde Chriſti Domini noſtri mors euacuata:inde promiſſiones Dei gratuitę eſſe deſierunt:inde merita operum noſtrorum inducta:inde denique homines ſeſe ſuáſque vires colere & mirari cœperunt, Dei autem Spiritum contemnere, & ipſius in illis opus & efficaciam non tātùm obliuiſci,ſed etiam negare & prorſus extinguere. Cur autem tam tetri errores naſcerentur, támque facilè admitterentur,non hæc tantùm ratio eſt,quòd generalem illam à fide Euangelij (per quam ad Dei gratiam tanquam ad ſolum & vnicum ſalutis noſtræ fundamentū reuocamur) Apoſtaſiā de qua Paulus 2.Theſſal.2. euenire oportuit, vt mundus iuſtas laceratæ & deprauatæ Dei veritatis A pœnas lueret,ſuǽque tandem audaciæ miſerrimum fructum ſentiret:ſed pręterea duplex occaſio videtur fuiſſe. Ac prima quidem recepta iam inter Græcos epiſcopos, ſed ex profanorum tamen Philoſophorum ſcriptis hauſta, hæc ſententia,nos αὐτεξουσίῳ(quod liberum arbitrium & æquè ad bonum & malum per ſe propenſam volūtatem interpretantur) bonos vel malos eſſe. Itaque quæ bene ageremus,non tantùm ſponte & volētes nos, ſed ea ipſa eligentes, & proprio motu impulſos facere. Altera,quòd Prædeſtinatorum exorta iam hæreſis, mirum in modum abſurda videretur, quā tamen refelli poſſe non cenſebant, niſi homini liberum arbitrium,per quod ſua ipſius ſpōte & impulſu æquè ad bona atque mala eligenda, perpetrandáque ferretur,tribuerēt. Fuit enim hoc Prædeſtinatorum,qui dicti ſunt,hæreticorum dogma, neque mala opera hominibus à Deo electis,& prædeſtinatis fugienda,vel obeſſe:neque reprobis eſſe bonis operibus ſtudendū:quia nullo modo iis cōfirmari B iuuaríque poſſent. Dum enim doctrinā de prædeſtinatione Dei peſſimè intelligunt,& explicant, hominum ad bona opera ſtudia extinxerūt: malorum autem,ad quælibet ſcelera committēda, audaciam non tantùm irritarunt,ſed etiam inflammarunt. Ortus verò erat hic error pauco ante Pelagium tempore, nimirum ſub Honorio imperatore,quemadmodum Sigebertus ait.Ex quo factū eſt,vt pulcherrimum De prędeſtinatione Sanctorum tractatum ederet Auguſtinus , docerétque quomodo ea doctrina quæ ſaluberrima eſt,omninóque Eccleſię ſcitu neceſſaria,prædicari & populo explicari poſſet. Huic Prædeſtinatorum ſectæ ſucceſſerunt noſtro hoc ſeculo Libertini homines ſpurci & fœdi, digni qui canes potius & porci quàm homines appellentur. His igitur tot erroribus impulſi & fatigati iam hominum animi facilè lubentérque Pelagianorum errorem, tanquam ſalutare quoddam pharmacum amplexi ſunt. Sed dum vitant ſtulti vitia , in contraria currunt: quia ad verbum Dei in controuerſiis & negotio de fide non recurrunt, malúntque ſuis definitionibus, quàm diuina veritate niti. Pelagianorum autem hypotheſes fuerunt multæ, vt tradit variis in locis C Auguſtinus.quarum tamen omnium fundamenta hæc fuerunt, vt idem ſcribit libro 4. ad Bonifacium cap.2.Quòd hominem imprimis laudare conarentur , Quòd nuptias commendare vellent, Quòd Legem diuinam extollere ſe hoc modo pulcherrimè iudicarent, Quòd liberum arbitrium iam ab aliis inductum pulchrè ſic explicari ducerent,Quòd ſanctos homines dignis laudibus proſequi hac ratione putarent. Hieronym.in epiſt. ad Cteſiphontem contra Pelagian.iam inde à Manichæis huius erroris initia repetit, imò ab ipſo Origene in commentariis in Pſalmum 16.v.7. Caſſianus lib.1. contra Neſtorium de his vti Neſtorianorum parentibus diſputat. Prima verò hypotheſis hæc fuit,vt in libro Hypognoſticῶν copioſè traditur, Adam moriturum fuiſſe, etſi non peccaſſet, lege & conditione naturæ. Hac præmunitione ſubdolè ſuam ſententiam confirmare conabantur, ne mors pœna peccati diceretur cēſeretúrque, quę ſic in omnes homines tranſit, quemadmodum & peccatum ipſum.ſic Paulus Romanorum quinto, verſu duodecimo.

A 2 Peccatum Adami ipſi ſoli nocuiſſe, non etiam aliis hominibus ipſius poſteris, niſi ſolo exēplo peccandi. Ergo & hoc erit tantum Chriſti beneficium, ait Bernar. vt ſuo exemplo nobis profuerit, benéque viuere docuerit. Siquidem pro qualitate vulneris allata eſt medicina & remedium doloris. Perſpicuè contrà Paulus Roman. 5. 12. Hoc inducunt vt peccatum originale negent, & à parētibus in liberos generatione traduci. 3 Libido concupiſcētiáque quæ nobis natura ineſt, bonum eſt, nec in ea eſt quicquā, cuius nos pudere debeat. Hoc aiunt, vt originale peccatum oſtendant nullum in liberos tranſire, qui ex ea libidine naſcuntur, ſúntque fructus coniugii, id eſt, honeſtæ Dei inſtitutionis & ſanctiſſimi vinculi. Coniugiū quidem per ſe ſancta quædam res eſt & à Deo inſtituta: propter peccatum tamen hominis quædam ſunt in coniugii vſu pudenda. Nam nec ipſa coniugum libido in ipſo etiā coniugij vſu hodie propter idem peccatum pura puta eſt coram Deo, vt B docetur Pſalm. 51. verſu ſeptimo. 4 Paruulos non trahere neque habere à parentibus peccatum originale. Contrà Paulus Roman. 5. verſu 12. & Epheſ. 2. verſu 2. natura filij iræ omnes naſcimur.

5 Paruulos fidelium, etſi non baptizentur, ſaluos tamen fore, vitáque ęterna fruituros, ſed extra regnum Dei tamen futuros. Duo ineptiſſima. Primum quòd omnes paruulos etiam fidelium ſaluos eſſe definiunt. Secundum, quòd vitam æternam extra Dei regnum impiiſſimè conſtituunt. Huic autem dogmati (per quod dignitas Baptiſmi contemptúſque omnino inducebatur) Patres orthodoxi vt occurrerent, primùm quidem Baptiſmum commendarunt, ſed dum nimio vindicandi à contemptu Baptiſmi ſtudio præcipites ferūtur, & ipſi in alium errorē incurrerūt, inciderúntque in Scyllam dum cupiunt vitare Charybdin. Affirmarunt enim omnes paruulos qui ſine baptiſmo moriuntur, omnino damnatos eſſe & infelices. Vnde natus eſt error de præciſa neceſſitate baptiſmatis, & de vi operis operati, per quod in Baptiſmo ſalutem conferri Scholaſtici etiam nūc docent blaſphemè ad terrenum aquæ elementum transferentes, quod C eſt ſoli Dei gratiæ inſolidum accepto ferendum & vindicandum, nimirum ſalus hominum, remiſſióque peccatorum. 6 Homines habere etiā nunc poſt peccatum liberum arbitrium, quod ſit ſibi ipſi ad bene agendum ſufficiens, & ſine Dei gratia αὐταρκες Contrà verò Paulus nos in peccatis mortuos eſſe docet, niſi Dei Spiritu viuificemur, Ephe. 2. v. 1. Hîc autem cùm premeretur in ſynodo Palęſtina Pelagius, quid igitur Dei gratiæ in nobis noſtríſque operibus bonis relinqueret, reſpondit hoc nimirum, Quòd Dei gratia naturam ipſam nobis dediſſet, per quam homines ſumus. Iam verò homines facti ipſi per nos nullo accedente diuinæ gratiæ adiutorio bene agimus & viuimus. Hoc dogma Scholaſtici interpolarunt, & adhuc ex parte retinent, quæ eſt ſumma Chriſtianæ doctrinæ inter eos labes, & vera gratiæ Dei Chriſtíque beneficij abolitio. 7 Meritis operū noſtrorum dari gratiam Dei. Hinc monſtroſa illa vocabula nata, gratia de Cōgruo, & de Condigno quę apud Papiſtas cenſentur aurea. 8 Doctrinā de Prædeſtinatione ſanctorum non modò irrident & ſubſannant, ſed prorſus ex Dei Eccleſia explodunt cōtra D. Pauli ſententiam Roman. 9. 10. & Epheſ. 1. 9. A 9 Chriſtum eſſe ſolitarium hominem, non ſimul & Deum, etſi ſine peccati contagione fuit. Poſſe igitur homines cæteros eſſe ſine peccato, ſi velint, quia quicquid Chriſtus ſolitarius fuit, omnes quoque homines eſſe poſſunt, Caſſianus lib. 1. Contra Neſtor. Atque hæc fuerunt Pelagianæ hæreſeos venena notiſsima nocentiſsimáque, de quibus vide Auguſt. epiſt. 89. 90. 92 94.

CAP. LXXXIX.

Peroratio operis in qua docet varia eſſe hæreticorum genera, quorum errores noſſe ſit perutile.

ECce quàm multas commemorauimus hæreſes, nec tamen modum tuæ poſtulationis impleuimus. Ex quo enim Chriſtiana religio, vt verbis tuis vtar, hereditatis promiſſæ nomē accepit, quæ hæreſes ortæ ſint, D *quomodo commemorare omnes potui, qui omnes noſſe nō potui? Quod ideò exiſtimo, quia nullus eorum quorum de hac re ſcripta legi omnes poſuit. Quandoquidem inueni apud alium, quas apud alium non inueni, & rurſum apud iſtum quas ille non poſuit. Ego autem propterea plures quàm ipſi poſui, quia collegi ex omnibus quas omnes apud ſingulos non inueni, additis etiam his quas ipſe recolens apud vllum illorū inuenire non potui. Vnde meritò credo nec me poſuiſſe omnes, quia nec omnes qui de hac re ſcripſerunt legere potui, neque hoc quenquam eorum video feciſſe quos legi. Poſtremo etiamſi omnes forſitan poſui, quod non puto, vtrum omnes ſint vtique neſcio. Et ideò quod vis me loquente finiri, non ſaltem poteſt me cognoſcente cōprehendi. Audiui ſcripſiſſe de hæreſibus ſanctum Hieronymum, ſed ipſum eius opuſculum nec in noſtra bibliotheca inuenire potuimus, nec vnde poſſit accipi ſcimus. Quod ſi tu ſcieris peruenias ad illud, & forſitan habebis melius aliquid quàm hoc noſtrum: quamuis nec ipſum, licet hominem doctiſſimum, omnes hæreſes arbitrer indagare potuiſſe. Et certè Abeloitas noſtræ regionis hæreticos quantū exiſtimo, ille neſciuit. Si fortè & alibi alios in obſcuriſſimis locis recōditos eiúſque notitiā ipſa locorū obſcuritate fugientes. Iā verò illud quod habent tuæ literæ, vt omnia omnino dicamus quibus hæretici à veritate diſſentiūt, etiamſi omnia* C *ſcirē, facere non poſſum, quantò minus poſſim qui omnia ſcire non poſſum. Sunt enim hæretici, quod fatendum eſt, qui ſingulis, vel non multò amplius dogmatibus oppugnant regulam veritatis, ſicut Macedoniani vel Photiniani atque alij quicunque ita ſeſe habent. Illi autem, vt ita dixerim, fabulones, id eſt, qui fabulas vanas eaſdémque longas, perplexáſque contexuerunt, tam multis falſis dogmatibus pleni ſunt, vt ipſi quoque illa numerare non poſſint, aut difficillimè poſſint. Nec vlli alieno vlla hæreſis facilè ſic innoteſcit vt ſuis: vnde nec earum quas commemoraui omnia dogmata me dixiſſe profiteor. Quis enim non videat quantā res iſta operam, & quàm multas literas flagitet? Nec ideò tamen parum prodeſt errores iſtos, quos huic operi intexui, lectos cognitóſque vitare. Quid enim contra iſta ſentiat catholica Eccleſia quod à me dicendum putaſti, ſuperfluò quæritur, cùm propter hoc ſcire ſufficiat eam contra iſta ſentire, nec aliquid horum in fidem quēquam debere recipere. Quomodo autem quæ contra hæc veritas habet, aſſerenda ac defendenda ſint, modulum operis huius excedit. Sed multum adiuuat cor fidele, noſſe, quid credendum non ſit,* A *ſit,etiamſi diſputandi facultate id refutare non poſſit. Omnis itaque Chriſtianus catholicus iſta non debet credere,ſed non omnis qui iſta non credit, conſequenter debet ſe Chriſtianum Catholicum iam putare vel dicere. Poſſunt enim & hæreſes aliæ quæ in hoc opere noſtro commemoratæ non ſunt, vel eſſe vel fieri, quarum aliquam quiſquis tenuerit,Chriſtianus catholicus non erit. Quid ergo faciat hæreticum deinceps requirendum eſt, vt cum hoc Domino adiuuante vitamus, non ſolum ea quæ ſcimus,verùm etiam quæ neſcimus ſiue quæ iam orta ſunt, ſiue quæ adhuc oriri poterunt,hæretica venena vitemus. Huius autem ſit iam voluminis finis,quem propterea vobis antequam totum hoc opus perficerem credidi eſſe mittendum,vt eum quicunque legeritis,ad id quod reſtat implendum, quod tam magnum eſſe cernitis, me orationibus adiuuetis.*

Hactenus Auguſtinus.

Videtur autem polliceri ſecundam quandam diſputationem de eo quod facit hæreticum hominem. Nec tamen eam promiſsionẽ repræſentauit, ſiue aliis negotiis diſtractus, ſiue quòd neceſſaria non iudicauit,ſiue quòd temporis iniuria perierit.

B

ALIAE HAERESES EX VEteri exemplari Gemblenſi tranſcriptæ, & huic Auguſtini catalogo additæ.

CAP XC.

Timotheanorum error quis fuerit.

TIMOTHEANI[1] *dicunt*[2] *Filium Dei verum quidem hominem ex virgine Maria natum,ſed non ita vnã reddidiſſe perſonam, vt non in vnam ſit redactus naturam,conflatorium quoddam volentes fuiſſe interiora virginis, per quod duæ naturæ,* C *id eſt,Deus & homo,in vnam reſolutæ & compactæ maſſam,vnam Dei & hominis exhibuerint formam, immutatam videlicet naturarum proprietatem, efficiẽtiarum*[3] *coitione. Et ad confirmandam huiuſmodi impietatem, quæ Deum aſſerit à ſua verſum natura, cogunt Euangeliſtæ teſtimonium dicentis, & verbum caro factum eſt, quod ita interpretantur, Diuina natura in humanam verſa eſt.O abolitionem illi inuiolabili impingẽtem ſubſtantiæ! Huius impietatis initium Timotheus,apud Byzam Bithyniæ modò exulans ciuitatem, continentis & religioſæ vitæ imagine multis illudit.*

Timotheani.) Quæ ſequuntur hæreſes nõ ſunt ab Auguſtino collectæ,ſed à quodam additę,qui vnde quædam ſumpſerit,quæ primo hoc capite traduntur,non video,neque etiam quomodo cum aliis ſcriptoribus huic noſtro conueniat. Timotheum igitur huius hęreſeos authorem facit,quem & Byzæ in Bithynia exulaſſe ait, & monachicã vitam profeſſum fuiſſe,cuius fuco & prætextu multos deceperit. Ac primùm dubium non eſt, hunc eſſe Timotheũ qui à Græcis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptoribus Αἴλουρος id eſt , Felis vel à cæſiis oculis vel à malignitate nominatur, ex monacho primùm Presbyter:pòſt autem Alexandriæ factus A Epiſcopus ſeditione populari, in qua Proterium Alexandriæ Epiſcopum(vt ipſius ſedem & locum inuaderet)crudeliſſimè etiam in medio baptiſterio & ipſo die Paſchę trucidauit,quemadmodum cùm Euagr. libr.2. cap.8. tum verò Nicephorus lib. 15. cap. 17,luculentiſſimè tradunt. Propter quod facinus horrendum & excommunicatus & de throno deiectus eſt,& in exilium actus non Byzam quidẽ aut in Bithyniam:ſed Gangrem(quę,vt ait Plinius lib.6.cap.2.ciuitas eſt Cappadocum)in qua iã pręceptor eius Dioſcurus , & ipſe Alexandrinus Epiſcopus,ſed propter nefariã Flauiani Epiſcopi Antiocheni cædem, & Eutychianam hæreſin depoſitus & relegatus exulabat, quemadmodum idem Nicephorus eodẽ lib. 15.cap.16.ſcribit : vt proculdubio mẽdum eſſe hoc loco appareat,& pro Byza Gangre ſit reponenda, quando etiam nuſquam Byza Bithyniæ ciuitas eſſe dicitur:ſed Thraciæ, vt & Plinius docet,& Socrat.libro 4.cap.15. & Sozomen.libr.6.cap.13. In eo verò exilio per annos octodecim vixit , cui interim ſucceſſerat in Alexandrino Epiſcopatu populo petente Timotheus 15. qui & Baſilicus & Salophacialus ab Euagrio,lib.2. B cap.11.cognominatur,quòd eiuſdem cum Proterio Epiſcopo ſententiæ fuiſſet, illíque familiaris. Sed mortui Salophaciali oſſa poſtea Petrus Mongus vel Moggus (vtroque enim modo vocatur, id eſt admiſſarius & publicus aſinus)in eius locum ſubſtitutus in gratiã Timothei Æluri,& odiũ Chalcedonẽſis ſynodi effodit,vt Theodorus lector & Euag. lib.3.cap.11.itémque Nicephor. lib. 16. cap.13. tradunt , adeò variis hominum odiis iactata fuit Dei Eccleſia,& acerbè oppugnata orhodoxa de duabus in vna Chriſti perſona naturis fides & ſententia ab iis qui contra ſentiebant , & Eutychen probabant. Hic tamen Timotheus Ælurus ex longo exilio poſtea à Baſiliſco Imperatore reuocatus eſt, & Alexandrinis,qui iam Eutychiano faſcino dementati erant,petentibus reſtitutus,quo maximè tempore videtur hæc hæreſis cœpiſſe, & tum ab eo ipſò fidenter introducta:tum etiam ab aliis Epiſcopis & monachis ipſius fautoribus fortius tutiúſque defenſa fuiſſe, authore ipſo triumphante & præclariſſimam Epiſcopatus ſedem obtinente. Itaque huius erroris initiũ colloco ſub Baſiliſco (qui Zenoni ſucceſſit) Imperatore, vel potius ſub Zenone ipſo, (tempora enim iſtius Baſiliſci Zenoni C tribuuntur,quòd imperium ſibi ademptum recuperauit Zeno)& ſub Simplicio Roman.Epiſcopo, circa annum à Chriſto paſſo 447. vt valdè mihi hallucinari videantur,qui hanc hæreſin vel ad tempora Honorii Imperatoris vel Marciani referunt, cùm & Eutyche & Dioſcuro iam mortuis excitatam,&ex impiis eorum blaſphemiis interpolatam conflatámque eſſe conſtet. Huius ipſius hæreſeos meminit author libelli qui appellatur De Eccleſia. dogmatib. cap.2. & Petrus Lombardus libro 3. diſtinct.1.cap. Diligenter , ex quo eam diſſeminatam, propagatam & noxiam fuiſſe colligi poteſt. In AEgypto verò maximè viguit,vbi tanquam in ſuo regno debacchatus eſt furioſè in Chalcedonẽſem ſynodum Timotheus. Mãſit verò vel ipſo ſuo nomine,vel Monothelitarũ & Monophyſitarũ appellatione diutiſſimè,& certiſſima, quemadmodũ Eutychiana hæreſis, Chriſtianæ fidei corruptela fuit. Succeſſores habuit Theodoſianos hæreticos, A & Caianitas vel Caianos (vtroque enim nomine dicuntur)à Caiano Alexandrino , vt docet Damaſcenus , Epiſcopo dictos , non autem à Gaina qui fuit dux militaris & barbarus ſub Arcadio, vt docet Socrat.libr.6.cap.5.Hi idem,quod noſtri,dogma profeſſi ſunt,& vixerũt , cœperúntque ſub Iuſtiniano ſecundo Imperatore,& Conſtantino Roman.Epiſcopo,circa annum à Chriſto paſſo 675. Dioſcuriani delirii innouatores, vt Iſidorus tradit libro 8. Etymologia. & eſt in cano. Quidam 24. quæſt.3.Fuit enim Iuſtinianus iſte Eutychiana labe infectus , quam etiam defendit,ſub quo Theodoſiani & Eutychiani in Ægypto etiam refloruerunt.Nec verò hic eſt Theodoſius,à quo Theodoſiani,de quibus nunc , vocantur , de quo Euagrius libro 2.cap.5.meminit. Nam etſi ille fuit Chalcedonẽſi ſynodo contrarius,ętate tamen hoc noſtro prior eſt: ſed is eſt potius de quo Ioannes Damaſcen.libr.De hæreſib.ſcribit,fuítque Alexandrinus Epiſcopus.Theodoſiani verò illi & Iacobitæ poſtea dicti ſunt,& Monophyſitę,quibus etiam con- B iungit idem Damaſcenus & Aphthartodocitas, & Barſanianos,tanquam in ęodẽ de vtraque in Chriſto natura dogmate conſentientes & concordes.

2 *Dicunt Filium Dei.*) Obſcura ſententia niſi explicetur & illuſtretur.Itaque etſi ſumus de Eutychianæ hęreſeos riuulis fœtidis illis quidem fuſius poſtea dicturi,hoc tamen loco breuiter annotabimus,Erratum à Timotheanis fuiſſe in hypoſtatica duarum,quæ ſunt in vna & eadem Chriſti perſona,naturarum vnione & coniũctione.Alij quidem ipſas naturas , diuinam dico & humanam, ita coaluiſſe in Chriſto voluerunt,vt diuina(quæ potentior eſt)humanam,quæ infirmior erat,ipſa aſſumptione abſorbuerit. Itaque totum quicquid eſt in Chriſto iam Deum eſſe contendunt. Timotheani verò aliud dixerunt , Ipſas nimirum Chriſti naturas in Mariæ vtero conflatas in vnam quãdam tertiam naturam velut maſſam , quæ iam nec diuina ſit nec humana propriè,quia iſtiuſmodi vnione & conflatura proprietates vtriuſque naturæ coierunt & perierunt : ſed inde tertium quiddam volunt productum , quod vocetur Chriſtus. Nimirum C quemadmodum ex aqua & melle commixtis fit hydromel: item ex melle & aceto fit oxymel,quod iam neque acetum eſt neque mel , & tamen quiddam tertium ex vtroque compoſitum,quod vtriuſque proprietates confuſas habeat , non autem in ipſo malagmate diſtinctas. Boethius in lib. De duabus Naturis & Vna perſona Chriſti. Idem igitur in Chriſto accidiſſe impiiſſimè docent , quaſi Dominus noſter Ieſus Chriſtus poſt aſſumptum hominem amplius neque verus Deus,neque verus homo ſit,ſed velut chimæra quædam & mõſtrum horrendum ex Deo & homine confuſis inter ſe & tribulatis compactum & conflatum. Hoc poſtea renouauit impurus Seruetus,veluti ſi duę cerę colliqueſcant , aut duo humores inter ſe velut vinum & aqua, confundantur.Iam verò Theodoſiani hęretici hanc tertiam naturam quam à Timotheanis acceperũt totam mortalem eſſe aſſerunt, vt ait Iſidorus.At Caianitæ vel Caiani qui ſecuti ſunt,contrà malunt tertiam eam naturam totam eſſe immortalem & impatibilem , adeò vt totum Chriſti ex Theodoſianorũ ſententia fuerit mortale & patibile. Ex Caianorũ verò, qui & ipſi propago Eutychianorum fuerunt,dogmate totum Chriſti fuit impatibile. A Atq; vtraque hac ſentẽtia verè ſuo ſpecialique σωτῆρος honore ſpoliatur Chriſtus.Nec enim noſter apud Deum mediator eſt , ſi totus & tantùm eſt Deus:neque etiam eſt nobis vitæ æternæ author,princeps & largitor, ſi totus & tantùm eſt homo.Ex vtraque verò Chriſti natura tertium quiddam fuiſſe cõflatum,quod nec homo poſt incarnationem manſerit,nec Deus,falſiſſimum certè quidem eſt,quia & naturas in Chriſto confundit,quas diſtinguit Scriptura,Romã.1.verſ.3.1. Pet. 13.2.Corinth.13.verſ.4.& ei dicto aduerſatur,quod pronuntiat veriſſimus Dei Propheta Iſaias cap.7. verſ.14.& confirmat Paulus, 1. Timoth.3. v.16.atque etiam explicat Matthæus 1.verſ.23.Eſt autem, Chriſtum poſt aſſumptum hominẽ manere & eſſe Emmanuelem,id eſt,Deum verum in noſtra carne & natura,quam verè aſſumpſit,atque retinet. Eſt enim Deus,vt loquitur Ioan. 1. verſ. 14. nobiſcum habitãs.Ergo & Deus manet,& homo: non autem eſt quiddam ex vtroque miſtum,conflatum & tertium. B Quæ omnia ab alijs & doctis quidem viris præclarè contra Eutychianos & eorum patriarchas Apollinariſtas iampridem velut à Cyrillo, Theodoreto,Vigilio, Leone & aliis ſunt diſputata.Itaque non tradam fuſiùs.

3 *Efficientiarum coitione.*) Vulgò in impreſſis corruptus locus & obſcurus,vbi ſic legitur,*Immutatam videlicet naturarum proprietate efficientiarum coitionem.* Sic reponendum eſt, vt fecimus. Naturarum enim immutatam volebant proprietatem, propterea quòd earum effecta confuſa eſſe dicerẽt & putarent. Cur autem putarẽt, ratio eſt, quòd in Scriptura quæ humanæ naturæ propria ſunt, diuinæ tribuuntur:& quæ diuinę verè competunt,tribuuntur etiam humanæ,vt cùm Deus gloriæ dicitur crucifixus , 1. Corint.2. verſ. 8. Deus ſanguine ſuo redemiſſe Eccleſiam, Actor.20.verſu 28. Filius hominis fuiſſe in cœlo antequam in illud aſcenderet,Ioann.3.verſu 13.Quæ phraſes per idiomatum communicationẽ propter naturarũ vnionẽ in vna Chriſti perſona rectè intelligũtur , ſuntque à nobis accipiendæ,non quaſi Deus ipſe paſſus ſit : aut humanitas Chriſti in cœlo iam tum ante aſcenſionem fuerit.Itaque huiuſmodi prædicationes extra eam naturam,cui propriè competũt, ſunt tantùm C dialecticæ:non autem Phyſicę enũtiationes. Phyſicas tamen eſſe Timotheani volebant , & idcirco pro hæreticis meritò ſunt habiti. Quem errorem iuſtiſſimè quidem damnatum à patribus hodie Vbiquitarij , imprimis autem Iacobus Smidelinus, Ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δέ τε πάντες Αἰγαίωνα,cùm nihil aliud haberet , vnde homo ambitioſus vanæ gloriolæ laureolam aucuparetur , impiè funeſtéque renouauit.

CAP. XCI.

Neſtoriani cur ſic dicti. Erroris autem eorum caput vnum.

NEſtoriani à Neſtorio[1] *Epiſcopo Patriarcha Conſtantinopolitano , qui contra fidem Catholicam dogmatizare auſus eſt , Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum hominem*[2] *tantùm:nec id quod mediator Dei & hominum factus eſt,in vtero virginis de Spi-*

A *ritu ſancto fuiſſe conceptum : ſed poſtea Deum homini fuiſſe permixtum, nec Deum hominem paſſum ſepultúmque dicebat, euacuare contendens omne noſtrum remedium, quo verbum Dei ſic hominem ſuſcipere dignatum eſt in vtero Virginis, vt vna perſona fieret Dei & hominis, propterea ſic ſingulariter & mirabiliter natus, mortuus etiam pro peccatis noſtris, cùm ea, quæ non rapuerat, ſolueret, Deus homo à mortuis reſurgens aſcendit in cœlum.*

1 *Neſtoriani à Neſtorio.)* Cùm iampridem fidem Chriſtianam variis modis labefactare tentaſſet Satan, variíſque ad eam rem machinis & inſtrumentis vſus multum tum in Oriente tum in Occidente eam de ſua veritate propuliſſet tandem maioribus viribus connixus prorſus extinguere & ſemel euertere voluit, ne toties ſibi laborandum colluctandúmque eſſet. Itaque cùm per Arianos magna iam iſtius totius fidei Chriſtianæ ruinæ initia feciſſet, quicquid veræ lucis & cognitionis reſtabat per Neſtorianos & Eutychianos vel omnino tollere, vel prorſus inuoluere vt incertum B & obſcurum cœpit. Fuerunt enim iſtæ hæreſes duæ vt tempore ad Mahumetiſmum & Papiſmum conſtituendum poſtremæ: ita totius Chriſtianæ fidei internecio, quæ ipſas pietatis reliquias erroris teterrimi veneno iugularunt, & funeſtiſsimis exequiis ſepelierunt. Nam vt de hoc argumento agens Theodoretus, & piè quidem ſcribit, prius per externos & manifeſtos hoſtes Satan aduerſus Eccleſiam arma ſumpſerat: ſed per Neſtorium fidem oppugnans, domeſticum & latẽtem hoſtem, ipſúmque adeò Eccleſiæ paſtorem in ipſius Eccleſiæ viſcera armauit, qui omnem diuinitatis & humanitatis vnigeniti inficiationem & abnegationem, ipſo tamen orthodoxæ fidei illuſtrandæ & defendendæ prætextu, induceret. Itaque fuit Neſtorius totius diabolicæ nequitiæ capax inſtrumentum, veréque totius Eccleſiæ incendium, vt ſcribit Socrates libro 7.cap.29.& officina blaſphemiæ, vt loquitur Euagrius lib.1. cap.2. Quid enim nobis in fide ſaluum manere poteſt, ſi ipſum illius C fundamentum ſubruitur, quod ille fecit? Eſt autem hoc fundamentum & fidei & ſalutis noſtrę, vt Paulus docet 1.Timoth. 3.verſ. 16, Deum in carne manifeſtatum fuiſſe, & Filium Dei ex muliere hominem factum eſſe, Galat.4.verſ.4. vtraque natura in vnam eandémque perſonam aſſumpta, non in duas pluréſque perſonas diuiſa & ſeparata, vt ſit verè noſter Emmanuel, Redemptor, Mediator, & Deus & homo idem & vnus Ieſus Chriſtus, vtrũque in vnam perſonã concilians, & inter vtrunque mediãs ſéque interponẽs, Mat.1.v.23. 1.Tim.2.v.6. Quare neque tetriorem neque fœdiorem errorem, neque peſtilẽtius vllum venenum Neſtoriana peſte Satan in Eccleſiam vnquam induxit, ex qua poſtea Eutychiana ſecuta eſt deinde Mahumetana, quando Mahumetum ipſum in ſua illa noua blaſphemia cudenda Sergio quodam monacho Neſtoriano adiutum fuiſſe conſtat. Cœpit verò hæc hæreſis ſub Theodoſio Iuniore & Celeſtino primo Pontifice Roman. circa annum à Chriſto paſſo 400. vel, vt alij ſupputant, 399. Primùm autem Conſtantinopoli exorta & nata eſt Neſtorio iam illic Epiſcopatum obtinente, ſed inde progreſſa totius Oriẽtis regiones & Eccleſias celerrimè peruaſit atque miſerè corrupit, maximè verò vtrãque A Armeniã: vbi etiamnũ hodie regnat, quanquã Armeniaca ſynodo iampridẽ dãnata & anathematizata fuit. Habuit autẽ Neſtorius tum Anaſtaſiũ, & Photium, presbyteros Conſtantinopolitanos, tum etiam Phriulcum Heracleæ epiſcopũ, & alios plures Orientales epiſcopos ſibi ſtatim aſſentientes, fauentéſque, quemadmodum docet Socrat. lib. 7. c.34. etiam quum Epheſina Synodus, cui primùm interfuit, & à qua damnatus hæreſeos depoſitúſque eſt, ageretur, adeò vt ab iis Neſtorius vir ſanctiſſimus paſſim appellaretur. Perſtitit verò hæc tanta támque atrox in Chriſtum blaſphemia diutiſſimè, & ſucceſſores habuit, defenſoréſque obſtinatiſſimos. Mortuo enim Neſtorio, non tantùm Xeneas quidam AEgyptius, & Hierapolis in AEgypto epiſcopus, de quo Euagr. li.3.ca.31. ſed etiam Theodorus Mopſueſtiæ (quæ, vt Sozomenus ait, Ciliciæ ciuitas eſt) epiſcopus, hunc errorem renouauit, acerimèque propugnauit ſcriptis aduerſus duodecim Cyrilli capita, & Synodum Epheſinam editis: qui ſub Iuſtiniano etiam mortuus publicè Synodo damnatus eſt, quemadmodum idẽ Euagr. B libro 4.capite 38. refert, quanquam tamen Theodoretus libro 5. capite 40. hiſtor. videtur hunc ipſum Theodorum laudare, ſed durãte adhuc infelici illa Theodoreti cum Cyrillo propter duodecim illa capita diſſẽſione. Hunc Theodorum Neſtorianum eſſe, primùm Acatius Melitenſis epiſcopus, & Rabula Edeſſenus deprehenderunt. Ergo & ſub Anaſtaſio imperatore, & poſtea ſub Heraclio viguit, imprimíſque à Syris Monachis defenſa eſt, & ſępe ſub diſputationis de duabus in Chriſto naturis prætextu interpolata, & velut crambe bis cocta iterum appoſita. Denique nouo Chriſtolytarum nomine, quorum meminit Damaſcenus, repetita. Epheſina Synodo prima, cui præfuit Cyrillus Alexandriæ epiſcopus, ſub Theodoſio iuniore, confutatus eſt hic error: deinde à Zenone imperatore, tota Edeſſæ ciuitatis ſchola, quòd Neſtorianum dogma probaret, euerſa eſt, vt Theodoretus libro 2. ſcribit. Denique legibus etiam publicis & Romanis, punita & coercita, vt apparet ex l. Damnato. C. De hæretic. & Manich. & meminit etiam illius legis Euagr. libro 1. capite 12. & poſt eum Nicephorus libro 14. vt nihil iſto dogmate C tetrius, putidius, & odioſius vniuerſis Eccleſiis, totíque terrarum orbi vnquam fuerit. Quis autem huius ſectæ & hæreſeos primus author fuerit, vel cenſendus ſit, quæſitum iampridem legimus. Quidam enim à Photinianis hæreticis velut propaginem quandam deducunt: alii à Samoſatenianis, vel Paulianis potius ortam malunt, quemadmodum Suidas in voce Νεςόριος. quorum omnium ſententiam refutat Socrates libro 7. cap.32. Alii à Pelagianis ortos eſſe volunt, velut Caſſian. lib.1. contra Neſtorium. Veriſimilius diceretur à Manichæis profecta, qui, vt ſcribit Auguſtinus libro 23. contra Fauſtum, docent alium eſſe in Chriſto Filium Dei, alium autem Filium Mariæ (non tantùm autem aliud (& Filium Dei in Baptiſmo Chriſti deſcendiſſe in Filium Mariæ. Itaque duas in Chriſto perſonas conſtituũt, quod & Helceſaitæ ab iiſdẽ Manichæis profecti & edocti faciunt, & ante vtroſque Cerinthiani, Gnoſtici, & Colarbaſij. Sanè Hieronymus, qui ante tẽpora Theodoſij huius vixit, meminit eorum, qui duos in Chriſto Filios faciunt,

A vnum Filium Dei,alterum Filium Mariæ : quos inſanos vocat, vt hunc errorem iampridem quædam initia habuiſſe facilè conſtet. Verius tamen mihi cum Arianis videntur coniungendi. Nam hi primùm in tollenda deſtruendáque vera de Mediatoris noſtri perſona,fide impetum fecerunt,magnáſque in ea ruinas ediderunt, quos tantùm ſunt ſequuti & imitati alii,qui in eodem fidei orthodoxæ capite fœdiſsimè impegerunt, velut hi Neſtoriani & poſtea Eutychiani, quos vtroſque idcirco ad Arianos velut ad propriam ſtirpem & patriarchas ſuos refero. Huius autem dogmatis quanquã apertus defenſor, & diſſeminator fuit Neſtorius, repertor tamen dicitur fuiſſe Anaſtaſius illius preſbyter & cum eo Antiochia Conſtantinopolim traductus, Neſtorióque familiaris, vt docet Socrates libro 7. & Nicephorus libro 14. Obtinuit tamen,vt Neſtoriani, non autem Anaſtaſiani dicerentur. Fuit autem Neſtorius Germanicia (quod erat Comagenæ prouinciæ oppidulum)oriundus, homo diſertus,ſed ambitioſus, qui per varias ciuitates obambulans,ſedéſque ſubinde mutans, fama ſanctæ cuiuſdam & auſteræ vitæ, ad epiſcopatum B Antiochenum tandem peruenit.Inde poſt Siſinnii mortem Conſtantinopolitanus epiſcopus factus ſæuum ſe & crudelem in omnes hæreticos mirum in modum ſtatim præbuit, adeò vt in iura magiſtratus inuaderet, dum ipſe præcipiti ira raptus, manu propria eorum templa incendit, de quo eſt ab ipſo imperatore Theodoſio iuniore reprehenſus.Tandem virus illud ſuum de duabus in Chriſto perſonis per Anaſtaſium presbyterũ euomuit. Quod quàm eſſet noxium, primus Euſebius quidam, cognomine Dorylæus rhetor deprehendit, & demonſtrauit,quemadmodum refert Euagr.lib. 1.cap.9. Vocatus igitur ad Synodum Epheſinam, quæ propterea à Theodoſio iuniore collecta erat, primùm adfuit: poſtea quum doctiſſimis Cyrilli velitationibus & diſputationibus imparem ſe ſentiret,ſeceſſit,neque poſtea euocatus,etiam poſt trinam denuntiationem,adeſſe voluit. Itaque ob errorem anathematizatus,& ob contumaciam quoque depoſitus eſt,quum ad eum antea Cyrillus literas priuatim dediſſet,& ad reſipiſcẽtiam inuitaſ- C ſet, quibus Neſtorius ipſe in errore tamen perſiſtens, viciſſim reſpondit. Conſtantinopoli igitur in Neſtorii locum ſuffectus eſt Maximianus. Neſtorius autem in monaſterium quoddam,quod duobus ſtadiis Antiochia abeſt,& Euprepium dicitur,abiit,vbi per annos quatuor latitauit. Poſtea Ioãnis Antiocheni epiſcopi literis admonitus imperator Theodoſius iubet Neſtorium deportari Oaſin oppidum(quæ & Ibis,vel Ibin,vt eſt in itinerario Antonini, dicitur) ad extremos AEgypti & Africæ fines, quæ Romano imperio parebat, Thebaïſque vicina erat,etſi ſeptem dierum terreſtris itineris ſpatio remotam ſcribit Herodotus libro 2.Sed aliter Ptolemæus, cui potius eſt, aſſentiendum.Vicinam enim facit,quem vide, libro 4. capite 5.Hoc exilium fuit Neſtorio valde durum, tum propter incultam & inſolitam regionem,tum ob Blemmyarum & Nomadum, barbararũ gentium,excurſiones,à quibus captiuus abductus eſt, poſteáque Romanis redditus. Neque tamen propterea reſipuit hæreticus obſtinatus. Tandem verò in eodem exilio ſenio miſerè confectus periit, lingua prius,vt omnes tradunt,à vermibus corroſa,& exeſa:& terra ipſa ſub eo dehiſcente,eúmque A cooperiente & deglutiẽte,vt memorabile aliquod tantæ támque impiæ in Chriſtum blaſphemiæ in Neſtorio illius authore, quemadmodum in Dathan,Core,& Abiron,exemplum poſteris extaret. Has igitur pœnas luit canis impuriſſim⁹,& impiiſſimus Neſtorius. Quæ nos breuiſſimè ex pluribus Socrat.lib.7.Euagrii lib.1.Nicephori lib.14. capitibus collegimus, vt nota eſſet eorum temporum hiſtoria,ſequuturíſque Neſtorianis, ſi qui fortè erunt,ad reſipiſcentiam prodeſſent.

2 *Chriſtum hominem tãtùm.*) Quiſquis ille fuit, qui ad Auguſtini catalogum has tres hæreſes addidit, parum & diſertus & doctus mihi fuiſſe videtur. Nec enim commodè quæ fuerit Neſtorianæ hæreſeos ſumma explicat.Igitur ex aliis, imprimis autem Iſidoro lib.8. Etymologia.colligemus.

1 Chriſtum duabus perſonis iiſque ſeparatis, & ſeorſim conſiſtentibus conſtare, non tantùm duabus naturis.Itaq; ſeorſim & ſeparatim in Chriſto eſſe Dei Filium,& Mariæ Filium,& alium eſſe Dei Filium, alium autem Filium Mariæ, non tantùm autem aliud. Quæ igitur,vt ait Damaſcenus, infirmitatis opera ſunt in Chriſto,veluti dormiſſe, B ediſſe,bibiſſe,lachrymaſſe,ea omnia Filium Mariæ operatum eſſe ſine Dei Filio. Quæ autem egregia & miraculoſa ſunt Chriſti opera, illa Filium Dei in eodem Chriſto operatum eſſe ſine Filio Mariæ. Quare nec eum Filium qui ex Maria natus eſſet, Dei Filium eſſe,neque etiam Deum. Per contumeliam enim eum trimeſtrem Deum appellabat, vt refert Socrates lib.7.c.34. Quæ ſententia quàm ſit abſurda,facilè ex his apparebit.Primùm, quòd ita diſtrahit naturas in Chriſto,vt non diſtinguat, ſed prorſus ſeparet & loco ſeiungat. Itaque naturæ Chriſti diuinæ humana natura iam non erit vnita, & ὑποστατικῶς,vel,vt loquitur Paulus,σωματικῶς coniuncta,& inhabitans,Coloſſ.2. verſu 9. Ex quo ſequitur,non vnum nobis datum eſſe Chriſtum, ſed duos. Deinde ex eo efficitur, Filium Dei neque aſſumpſiſſe humanam naturam, neque ſemen Abrahæ, neque etiam carnis & ſanguinis nobiſcum participem fuiſſe, contra apertiſſimum Scripturæ teſtimonium,quod eſt Hebr. 2. verſu 14. & 16. Secundùm, Chriſtus iſte qui ex Maria natus eſt, non erit mediator noſter,ſi ab eo in aliam perſonam ſeparetur Filius Dei,id eſt,diuina ipſius natura. Solùm enim erit homo Filius Mariæ.Itaque nec fons C vitæ erit,nec lux mundi,nec naturam habuerit quę pœnæ peccatorum noſtrorum perferendę ſatis eſſe potuerit,ſed ab ea pœna fuerit illa natura abſorpta.Quod enim in vero & non Neſtoriano Chriſto humana natura pœnas illas peccati immenſas tolerare potuit, factũ eſt, quoniã à diuina natura, cui hypoſtaticè vnita erat,ſuſtẽtabatur.Extra vnionem igitur,non erit ſuſtentata:vel plures eodem modo eadémque ſuſtentatione noſtri mediatores, præter vnum Chriſtum eſſe potuerunt. Quod eſt impiiſſimum,& ſummè blaſphemum.Denique nõ alio modo Deus in Chriſto fuerit, & habitauerit,quàm eſt in nobis,& in reliquis ſanctis, Petro, Paulo, Ioanne, gubernatione nimirum & ἐνεργείᾳ Spiritus ſui: non autem σκηνώσει, & naturæ vnione, vt loquitur Ioannes. Quare non magis in Chriſto Deus in carne manifeſtatus erit quàm in Petro, & in me: quod eſt planè horrendum impium,

A impium,& blaſphemum. 2 Filium Dei in Chriſto eſſe Mariæ Filio aſſeſſorem tantùm: vel, vt in ſingulis noſtrûm, habitatorē, vti in templo quodam ſuo Ioan.2.verſ.21. & in eo ſolùm eſſe diſcrimen, quod maiori efficacia, energia,& effuſione operationis & virtute in Chriſto, quàm in ſanctorū vllo habitauerit, & agat. Itaque non aliter Deū in homine Chriſto eſſe dicebat, quàm adoptione & merito, fuitque hæc impia illius vox, vt refert Gregorius Maximus, Nō inuideo Chriſto Deo facto, quia, ſi volo,& ipſe poſſū fieri. Falſiſſimū verò iſtud eſt. Neque enim Deus in Chriſto vel vt hoſpes, vel vt ſuſtētator, vel vt ſanctificator dūtaxat habitauit, ſed humanam naturam aſſumpſit, efficiens eam ſuam ſibíque propriam vnione perſonæ, non confuſione tamen naturæ. Et quod dicitur corpus aſſumptum à Chriſto templum Dei, non diuidit ipſius Chriſti perſonam: ſed metaphorica eſt locutio, vti quum dicitur corpus hominis eſſe tabernaculum Animæ 2.Corinth 5.v.4. vt quæ in illa perſona natura ſit præſtantior, doceatur & explicetur. Nec enim hominis corpus B efficit ὑφιστάμενον & perſonam ſeparatam ab Anima, etſi illius eſt tabernaculum. 3 Hominem ſiue humanitatē in Chriſto adæquabat Filio Dei, id eſt, diuinæ naturæ Neſtorius. Itaque appellationem Dei in homine Chriſto reſtringebat ad dignitatis exæquationem, quæ in humana natura facta erat: non ad naturam diuinā, quaſi reuera & φύσει Deus eſſet Chriſtus. Hanc Neſtorij fuiſſe ſententiam docet Cyrillus in libro De incarnatione vnigenit.cap.27. Blaſphemum & hoc ipſum quoque eſt. Nam primùm naturas confundit, earúmque proprietates, quæ tamen in vna & eadē Chriſti perſona diſtinctæ manent. Paſſus enim & mortificatus eſt κατὰ σάρκα, ait Scriptura: viuificatus autem κατὰ πνεῦμα, Roman.1.v.3:1.Petr.3. verſu 18. Deinde inducit Deum factitium,& non æternum. Si enim homo in Chriſto Deus eſt factus adæquatione, ergo ille homo eſt Deus factitius & mutuatitia diuinitas, non naturalis,& propria. Quod eſt planè ridiculum. 4 Mariam virginem, quæ peperit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, non Θεοτόκον dicendam, ſed Χριστοτόκον. Quum enim eſſet C orta quæſtio, vtrum illa ἀνθρωποτόκος an Θεοτόκος eſſet appellanda, ad vtrunque ſcopulum euitandum, Χριστοτόκον nominandam dixit Neſtorius, negauit, autem vel eſſe Θεοτόκον vel vocandam. Euagrius li.1.ca.7. Qui tamen refutatur à Socrate lib.7.cap.32. Nam ſic veteres etiam, velut Origenes & Euſebius, loquuti ſunt: & res ipſa indicat, quum idem Chriſtus ſit Deus & homo, Θεοτόκον dici & poſſe & debere. Quod quemadmodum ſit intelligendū, Auguſt. libro contra Felic.cap.12. explicat his verbis, Sic poſt partum virginis non alius Dei Filius, & alius hominis: ſed idem Chriſtus Dei & hominis Filius. Et ſicut in vno homine aliud eſt corpus, & aliud animus: ſic in vno Mediatore aliud Dei, & aliud hominis Filius, ſed idem tamen, & non alius Dei quàm hominis Filius, quanuis propter aliud, Dei: & propter aliud hominis filius. Genuit ergo Maria,& nō genuit Filium Dei. Genuit, quando ex ipſa ſecundum carnem natus eſt Chriſtus: non genuit, quando de Patre ſine initio extitit Filius. Ergo concilio Chalcedonenſi damnati ſunt Neſtorij errores cuius concilij autoritatem poſtea tentarunt hæretici conuellere,& quidem ſub Iuſtiniano primo in Oecumenica A Synodo 6 Conſtantinopolitana: ſed tamen ea & defenſa & retenta eſt vt docet Gregor. Magnus Indict.12. epiſt.3.& 4.& epiſtol.53. Indict.2. Hactenus Aug. Papiſtæ quidam addiderunt inſulſum quiddam. Putāt enim in eo quoque hæreticos fuiſſe Neſtorianos, quòd ſub vtraque ſpecie omnes ipſi Cœnæ Domini communicarent, & omnibus communicandum eſſe tā laicis quàm clericis contenderent ex Dei verbo. Id quod Papiſtarum inſcitiam arguit. Nec enim in eo à Neſtorianis erratū eſt, quicquid à Staniſlao Hoſio Varmienſi epiſcopo in Dialog. de Vtriuſque ſpeciei communione contrà diſputetur. Nec enim prætermiſſus fuiſſet hic error à Synodo, ſed dānatus, vt alij eiuſdem Neſtorij errores fuiſſet. Imo hæc Neſtorij ſententia oſtendit iam tunc à quibuſdam corrumpi & immutari cœptam Cœnæ inſtitutionem quæ à Chriſto facta fuerat. Atque hæc ſunt tot vnius erroris capita, & vnius ſpiritus peſtes, tātique eſt veram hypoſtaticæ naturarum in Chriſto vnionis vim & definitionem noſſe.

B

CAP. XCII.

Eutychiani cur ſic dicti. Erroris autem eorum caput vnum.

EVtychiani ab [1] *Eutyche quodam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ presbytero Monacho exorti ſunt, qui quum videretur refutare Neſtoriū, in Apollinarem Manichæúmque tranſiuit, & humanitatis in Chriſto denegans veritatem, quicquid à Verbo noſtræ proprietatis receptum eſt, diuinæ tantummodo* [2] *aſcribit eſſentiæ, vt ſacramentum ſalutis humanæ (quod non niſi in vtraque ſubſtantia eſt) noſtram in Chriſto naturam negando diſſolueret ſtulta impietate non inſpiciens vniuerſo corpori auferri, quod capiti defuiſſet.*

1 *Eutychiani ab Eutyche.*) Vere hic illud Horatianum vſurpari poteſt, Dū vitant ſtulti vitia, in contraria currunt. Nam quum Neſtorij errorem effugere conatur Eutyches, in alium ipſe incidit, & longè quidem tetriorem, & ſuperiore fœdiorem, quē qui poſtea ſequuti ſunt, Eutychiani ſunt denominati: ſed & Eutychitæ, & Eutychianiſtæ, C vt apparet ex l. Quæcunque.& l. Ariani, C. de hæret.& Manich. Quanquam Theodoretus lib.1. hęretic.fabul. Eutychitas alios ab iſtis fuiſſe docet, & alius fuit Eutychianus (qui & ipſe hæreticus, licet etiam fuerit alius Eutychianus orthodoxus) alius verò Eutyches iſte, à quo cœpit hæc hæreſis. Fuit autē Eutyches Conſtantinopolitanus Archimandrita, quem Abbatem poſteà vocarūt, ſuperbiæ ſuperſtitioniſque monachicæ plenus, homo arrogans,& αὐθάδης, qui totā hæretici cœni fæcem & excrementa impuriſsima colligens, tandem hāc hæreſin cōdidit, quę velut immanis hydra innumeras poſtea alias peperit,& eccleſiæ, peſtē, fideíque Chriſtianæ internecionem in Oriēte tandē prorſus attulit. Hic igitur Satanæ maſtigia & Monach⁹ (ſunt enim Monachiſmi fructus blaſphemiæ in doctrina horrendæ,& hæreſes penè irradicabiles, tam eſt pertinax & rationi ἀνήκοον hoc hominū genus.) Hic igitur iā ſenex ſub Theodoſio iuniore iam ſene, quum Neſtorium refutare vellet, & dogma de duabus in Chriſto perſonis reuellere, dixit poſt vnionem naturarum in Chriſto,

A non iam duas, ſed vnam tantùm, nempe diuinam naturam mãſiſſe. Hoc quum publicè profiteretur, & inter ſuos monachos effutiret, deprehendit eſſe erroneum Euſebius Dorylæus epiſcopus (eſt autem Dorylum ciuitas Phrygiæ, vt ait Plinius lib. 5.ca.29.) qui & Neſtorium primus detexerat. Itaque res tota ad Flauianum tunc vrbis Conſtantinopolitanæ epiſcopum delata eſt: ſed quum non reſipiſceret vetulus monachus, & ſenex obſtinatus, Synodus prouincialis à Flauiano Conſtantinopolin collecta eſt, in qua præſens, auditúſque Eutyches damnatur, & deponitur. De quo conqueſtus apud Theodoſium imperatorem, habuit Chryſaphium quendam inter cubicularios principis primarium ſibi ſuóque errori fauẽtem, tum in odium Flauiani (oderat enim hypocrita & impius Chryſaphius pium hominem, & Dei ſeruum Flauianum) tum ruente iam Dei Eccleſia, & Satana (Domino Deo iuſtè verbi ſui contemptum, & tot iam in Oriente enatas hæreſes vlciſcente) liberè graſſante etiam in media principis aula. Itaque vt iterum Eutychis cauſa diſceptaretur, B conuocata eſt Synodus Epheſum, quæ fuit ſecunda Epheſina Synodus, cui Flauianus interfuit: pręfuit Dioſcurus homo, ſi vllus alius, nequam, & ad omne ſcelus audaciſsimus, Alexandrinus epiſcopus, qui Cyrillo pio epiſcopo ſucceſſerat, Chryſaphiiq; aulici merus ſatelles, vt eius fauore ad maiorem dignitatẽ eueheretur. Dioſcurus igitur Eutychẽ abſoluit, tumultuosè omnia agit, & Flauianum in ipſo Synodi cœtu de ſede vi deturbatum calcibus ita, ſpectantibus alijs epiſcopis, & nõ obſtãtibus, proculcat & proterit, vt inde ſaucius elatus, triduo pòſt moreretur. Vnde hæc Synodus Epheſina ſecunda, λῃστρικὴ & prædonum conuentus dicta eſt, & poſtea Chalcedon. Synodo prorſus abolita, depoſitus Dioſcurus, & in exilium actus, reſciſſa omnia illius acta, & pia Flauiani memoria in integrũ etiam promulgatis legibus reſtituta. l. Quoniam. C. De epiſc. Sed poſt abſolutionem ſuam Eutyches liberiùs dogma ſuum tueri cœpit. Itaque ſerpſit venenũ latius & validius, vt iã multæ de eo dogmate controuerſiæ in Eccleſia orerẽtur, cui planè orthodoxi contradicebant, imprimíſque Leo primus Rom. tũc epiſcopus & omnes C Occidẽtales Eccleſiæ. Quare mortuo iam Theodoſio, à Martiano imperatore collecta Chalcedone (quæ Bithyniæ ciuitas eſt, ex aduerſo obiecta Byzãtio) Synodus eſt, quæ Eutychem & audiuit, & damnauit, nec propterea tamẽ error poſtea pullulare deſiit, tam altè nimirum mali radices hærent, & homines hęreſibus iam aſſueti, eas diligũt. Hæc tum ex Euagr. lib. 1. cap. 2: 2. ca. 4. & 16. Theodor. lib. 4. hær. fab. Nicep. lib. 14. cap. 47. & ſeq. collegimus. In exilium autem pulſus eſt ab imperatore Eutyches, in quo miſerè & in hæreſi perſeuerans, periit. Ergo cœpit hæc hæreſis propriè ſub Martiano imperatore, & Leone primo Rom. põtifice, circa annum à Chriſto paſſo 422. Viguit in toto Oriente latiſsimè, citiſſiméque propagata, in Ægypto, maximè, & Conſtantinopoli diu & ſeruata, & variis nominibus Monothelitarum, Monophyſitarum, Acephalorum, Agnoetarum, & Iacobitarum interpolata, donec aliquod Cõſtantinopolitani imperij veſtigium inter Chriſtianos manſit. Nam ea peſsimè etiã imperatores ipſi, imprimis Heraclius, & eius poſteri tanquam tabe & veneno infecti ſunt, adeò vt propterea grauiſsimas A aduerſus Occidentales eccleſias inimicitias exercuerit, Romámque ipſam, quæ nondũ huic errori aſſentiebatur, vt docet Carolus Sigon. li. 2. De regno Italico. Poſtea verò propter tranſſubſtantiationem inuectam in Cœna Domini, & eam quoque hæreſin velut cæteras tãdem Papiſmus ſuſcepit, ne quid illi ad myſteriũ iniquitatis planè peragendum deeſſet. Denique nulla tenacior, diuturniórque vnquam hæreſis fuit, quæ nũc etiam prætextu corporalis carnis & hominis Chriſti in ſacra Cœna pręſentiæ acerrimè defenditur & reuocatur. Qui autem illius rami & propagines fuerint, poſtea docebimus.

2 *Diuinæ tantummodo aſcribit.*) Suidas Eutychẽ Maneti & Apollinario ſucceſſiſſe ſcribit. Theodo. in dialogis tribus aduerſus eum editis, ex Valentini & Apollinarij cœno & lacunis hauſtam fuiſſe Eutychis fæcem veriùs tradit. Quæ autem fuerit illius ſententia, apparet ex ipſius verbis & reſponſo quod in Chalcedonenſi Synodo interrogatus fecit, quemadmodum refert Euagr. lib. 2. c. 16. Sũt autem hæc verba, Ex duabus quidem naturis ſcio B Chriſtum ante vnionem conſtitiſſe: poſt vnionẽ verò vnam duntaxat in illo fuiſſe ſcio, & agnoſco. Boethius in libro De duabus naturis, & Vn. Ex duabus Naturis Chriſtum eſſe cõfiteor, in duabus conſiſtere nego. Itaque ipſa aſſumptionis vel cõceptionis conditione, humanam naturam à diuina abſorptam fuiſſe dixit, quia ea præualebat, vt & Leo, & Theod. & Vigilius, & Damaſcenus, & Iſidorus ſcribunt. 2 Proprietates naturarũ quoque cõfuſas eſſe poſt aſſumptionem docuit, quod erat conſequẽs. Itaque vt dilucidè & perſpicuè vtrumque errorem Chalcedonẽſe concilium damnaret, dixit Chriſtum vnum & eundem nõ tantùm duabus οὐσίαις, id eſt, eſſentijs: ſed duabus φύσεσι, id eſt, naturis inconfusè, inconuertibiliter, indiuiſè, & inſeparabiliter conſtare. Vocem enim φύσιν vſurparunt Patres vt non tantùm eſſentias ipſas, diuinam nimirum & humanam poſt vnionẽ: ſed etiã earum proprietates ſaluas eſſe demonſtrarent. Boethius, Neſtorius rectè tenens duplicem in Chriſto eſſe naturã, ſacrilegè confitetur duas eſſe perſonas: Eutyches verò rectè tenens vnam eſſe perſo- C nam, impiè credit vnam quoque eſſe naturam.

3 Verbum Deum negauit quicquam humanum ex virgine Maria aſſumpſiſſe, vel nobis ὁμοφυῆ & ὁμούσιον fuiſſe, Theodor. libr. 4. hær. fab. & Suidas. Quidam tamen ex Eutychian. vt Vigil. li. 1. docet. mitigare tam abſurdam ſentiam voluerunt, dixerúntque non ab initio & momento quidem conceptionis in Chriſto humanam naturam abſorſorptam, ſed demum poſt ipſius reſurrectionem, & corporis glorificationẽ. Idem tradit Boethius. 4 Diuinam naturam paſsibilem conſtituit, quę in Chriſto crucifixa & mortua fuerit. 5 Deũ factitium & nouum inducit, & Chriſtum deificatũ potius quàm Deũ agnoſcit. Hæc ſentẽtia quãtę blaſphemię plena ſit, vel ex eo ſatis oſtẽditur, ꝙ ſi huiuſmodi eſt Chriſtus, qualem Eutychiani fingunt, nec pro nobis paſſus eſt, quia ſimilem nobis naturã nõ habuit: nec reſurrexit, quia quũ Deus ſolùm fuerit, mori non potuit. Itaque nec redemptor noſter, nec Ieſus eſt, & omnis hiſtoria Euangelica falſiſſima eſt: ſpéſque Chriſtianorum, quæ Chriſto Dei verbo innititur, vaniſsima. Atque hoc errore ni-

A re nihil immanius, nihil tetrius, nihil fœdius ne cogitari quidem poteſt, & in eo omnium errorum cumulus eſt. Itaque fuit hæc palmaris Satanæ aduerſus fidē victoria, & totius fundamenti Chriſtianæ doctrinæ ſubuerſio, propter quam liberè poſtea triumphauit Satan. Quædam etiam perperam de reſurrectione eum docuiſſe tradunt.

HAERESES A NOBIS additæ.

CAP. XCIII.

Quæ fuerunt Eutychianæ hæreſeos infelices propagines & fruticationes.

QVandiu ſynodi Chalcedonenſis valuit in Eccleſia, imprimis autem Orientali, autoritas, fuit aliqua Eccleſiarum tanquillitas & quies, etſi Eutychianorum reliquiæ per ſuos aliquem in dies nouum errorem moliri & inſuſurrare, ſed tamen clam propter imperatorum edicta, & ob metum exilij, non B ceſſarent. Nam qui Synodo Chalcedonenſi non ſubſcribebant, interim ſe Διακρινομένους, quaſi medios & Ambigentes, vocarunt. Itaque ex vna illa Eutychis hæreſi, tāquā ex immani fonte & hydra, multa hęreſeôn millia quemadmodū Nicephorus li.18.c.45. ſcribit, extiterūt quę nō eruperūt ſtatim, ſed tū demum, poſtquam imperatorū (qui ſecuti ſunt huiuſmodíque veſania imbui ſe ſiuerunt) fauore ſubnixi venena ſua euomere homines ſunt liberè auſi. Qui tot penè nomina diuerſarum hæreſeôn ſortiti ſunt, quot fuerunt homines de iis rebus loquentes: nos tamen prætermiſſis diuerſis eiuſdem erroris appellationibus, quæ penè ſunt infinitæ, capita ipſa hæreſeôn diuerſa referemus. Ac primi quidem ex Eutychianis pullularunt ij, qui dicti ſunt Monophyſitæ, & alio nomine Ægyptij, Schematici, vt ait Damaſcenus, & Theopaſchitę, cuius primus author fuiſſe videtur Dioſcûrus Alexandrinus Epiſcopus ſub Martiano & Valentiniano imperatoribus, & Leone primo Romano Epiſcopo, circa annum à Chriſto C paſſo 425. Dixit enim Dioſcurus, præceptorem impium Eutychem imitatus, Ex duabus naturis ſuſcipio, Duas naturas non ſuſcipio. Vnam igitur duntaxat in Chriſto agnoſcunt naturam Monophyſitæ, diuinam nempe, quam etiam paſſam fuiſſe apertè profitentur. Cōcilium Chalcedonenſe omnino damnant. Hi in Ægypto plurimum regnarunt, & poſtea per totam Syriam. Itaque ſtatim tota Ægyptus in eam ſententiam abiit, & prima ex omnibus Romani imperij prouinciis, & quidem vniuerſa, ab orthodoxa & vera fide defecit, iſtos epiſcoporum ſuorum errores infelix ſecuta. Hanc hæreſin poſtea ſub Phoca Imperatore pertinaciſsimè defendit, latéque propagauit Ioannes Grammaticus cognomēto Philoponus genere Alexandrinus, vt docet Nicepho. lib.18.cap.47.

Acephali qui & Seueritæ & Iulianiſtæ à Iuliano Halicarnaſſeo, & à loco Contobabditę & Angelitæ dicti ſunt, vt ait Damaſcenus, deinde ex eodem impietatis fonte fluxerunt, qui ſic appellati ſunt quòd nullos Epiſcopos haberēt, neque Presbŷteros, adeò vt conuentus etiam publicos ſacramentorúmque adminiſtrationem paſſim negli- A gerent, vt ait Niceph. lib.18.cap.45.& 49.& lib. 17. cap.7.8. non quòd primus eorum autor ignoretur, vt vult Iſidorus. Hi naturarum proprietates inconfuſas in Chriſto poſt vnionem manere negant. confuſas enim eſſe docent, etſi de duabus in eo naturis non magnoperè contendunt, quas etiā agnoſcunt, modò earum proprietates confuſę cōcedantur. Itaque ex ea parte concilium Chalcedonenſe, & ipſi oppugnant, quod non modò naturas in Chriſto eſſe poſt vnionem dixit inconfuſas, ſed etiam earum proprietates. Vſi ſunt ad ſuæ ſententiæ confirmationem ſimilitudine aceti ſumpta ex Gregor. Nyſſeno, cuius vt gutta in mari effuſa perdit ſuas vires, ita humanitas cū diuinitate vnita ſuas proprietates. Horum autor primus fuit Seuerus Antiochenus Epiſcopus ſub Anaſtaſio Imperatore, & Gelaſio Roman. Epiſcopo, circa annum à Chriſto paſſo 462. Euagr. lib.3.cap.33.& li. 4.ca.4. Hanc hæreſin poſtea tutatus eſt Theodoſius Alexandrinus Epiſcopus acerrimé. Vnde etiā Theodoſiani ſunt dicti. Hanc hæreſin damnauit Vigilius Papa, itē Gregor. Mag. epiſt.36. Indi.10.

Agnoetæ à dogmate ſic nominati, non ab au- B thore. Nam à primo ipſorum parente Themiſtio philoſopho, qui Valentis imperatoris ætate vixit, poſt annum à Chriſto paſſo 321, niſi quis ab Empſŷchio Eunonij diſcipulo altius totam eā hæreſin repetere malit vt ex Sozome. li.7.c.19. & Nicephor. lib.12.cap.30. colligi poteſt. Sed à Themiſtio poſtea iſti Themiſtiani dicti ſunt, quanquam corruptè apud Iſidorum Gnoitæ pro Agnoetæ nominantur. Hanc hæreſin feliciſſimè quidem multis ſeculis ſepultā, poſtea ſub Mauricio Imperatore & Gregorio Magno Epiſcopo Rom. circa annum à Chriſto paſſo 572. Theodoſius Alexandriæ miſerè renouauit & ſub Phoca propagauit, vt & Damaſcenus tradit & Gregorius Magnus li. 8. epiſt.42. ne nō ante Antichriſti exortum, à quo myſterium iniquitatis peractum eſt, omnes hæreſes regnaſſe & ſeſe effudiſſe viderentur. Hęc docet diuinam Chriſti naturam (quam illi ſolam poſt vnionem ex Eutychis & Dioſcuri dogmate relinquit vt docet Damaſcenus in li. de Hæreſib.) quędam ignoraſſe veluti horam extremi iudicij, & v- C bi Lazarus poſt mortem conditus eſſet, transferēs impiiſſimè ad diuinam Chriſti naturam, quæ humanæ propria fuerunt. Niceph. li.12.c.30. & quicquid ſcribat malè ſe & Agnoetarum hæreſin intelligens Nicephorus. libr.18.cap.50. Hi verò ἄγνοιαν non definiebant, vt Suidas, ἕξιν μοχθηρίας: ſed στέρησιν γνώσεως, qui poſtea in tres ſectas ſeſe diuiſerunt, Damianos, Paulianos & Petritas Nicephor. libro 18.cap.49.

Iacobitæ qui à Iacobo quodam homine gente Syro, & ob paupertatem Zanzalo denominato vocantur, In Syria ſub Phoca Imperatore & Bonifacio tertio nati, circa annum à Chriſto paſſo 575. totam Syriam à fide Chriſti auerterunt, quæ Ægyptum ſecuta de Chriſto mediatore rectè ſentire deſiit. Hi eandem prorſus, quàm primi Eutychiani ſententiam amplectuntur & defendunt, atque ita impunè orthodoxos irriſere, vt eos Melchitas vocarent, quòd imperatorum fidem ſequerentur. Hi poſtea Anaſtaſium, vel, vt alij Athanaſium Patriarcham habuerunt, qui Antiochiæ Epiſcopus factus Heraclium imperatorē illū

A quidẽ optimũ ſua tabe miſerè & ſubdolè infecit. Nicephorus li.18.c.52. Itaque hi vti ſuperiores, cõcilium Chalcedonẽſe damnant & anathematizãt.

Armenij à prouincia dicti, quòd eodem Eutychis errore paulò pòſt etiam duæ Armeniæ maior & minor non modò labefactatæ fuerunt, ſed prorſus à vera fide de vtraque in Chriſto natura abductæ, opera infelicis cuiuſdam Euchanij, vel Ethami, qui cognominatur Mantacunes, vt ſcribit Nicephorus lib.18.cap.53. Hi negant Chriſtum corpus humanũ ex virgine Maria aſſumpſiſſe, ſed illud ab ipſo conceptionis momento incorruptibile habuiſſe contendunt, quod ipſum per ſe adorant. Vnde φθαρτολάτραι, & σκηνολάτραι dicti ſunt ab orthodoxis, quos ipſi viciſſim remordentes Manichæos & Phantaſiaſtas contumelioſè vocabant. Nicephorus lib.18.ca.45. Paſcha more Iudaico celebrant. Quaternitatem, non Trinitatem in diuinis perſonis inducunt. Diuinitatem paſſam dicũt, & Chalcedonenſe concilium repudiant. Hi etiam ab Epiſcopo, de quo maximè gloriantur, Gregoriani ſunt appellati. quos tamen alij corruptè Gergianos nominant. Dicti ſunt etiam Staurolatræ, ſiue ipſorum lingua Chazinzarij, quia crucem Domini colunt & venerantur. Sed & hi in varias ſe ſectas poſtea didùxerunt, quorum vna eſt Arziburorum, qui ita à ieiunio dicuntur. Nicephorus libr.18.cap.54. Videntur autem exorti primùm ſub Phoca Imperatore & Bonifacio quarto, circa annum à Chriſto paſſo 577. è Petri illius Gnaphei Epiſcopi Antiocheni & Iacobitarum hæreticorum cœno profluentes.

B

Monothelitæ à dogmate ſic vocati ex iiſdem Apollinariſtarum & Eutychianorum fæcibus deriuantur, & ſtatim poſt Armenios in Ægypto naſcuntur, vbi emergunt, pullulant, & confirmantur. Eorum author primus Cyrus Alexandrinus Epiſcopus, patroni autem Sergius Conſtantinopolitanus Patriarcha, & Macarius, ſub Heraclio Imperatore, & Bonifacio quarto & quinto, circa annum à Chriſto paſſo 579. innoteſcunt. Cùm enim propter aſsiduas de vna tantùm in Chriſto phyſi & natura controuerſias Eutychiani ſe exoſos viderent, hunc eundem errorem retinuerunt quidem, ſed nomine Voluntatis interpolarunt & fucarunt. Itaque negarunt in Chriſto duas eſſe voluntates, quia eſſent ſibi contrariæ, & quia duas in Chriſto poſt vnionem fuiſſe naturas reipſa non concedebant, etſi tamen verbis profiterẽtur ſe de eo nolle contendere. Itaque humanam voluntatẽ, quæ in Chriſto fuit, θεοκίνητον appellabant, quòd ipſa per ſe nulla eſſet, neque à ſe moueretur, quicquámve vellet, & eam ſe vocẽ à Gregorio Nyſſeno accepiſſe iactabant. Refutantur autem apertiſſimè loco Scripturæ, qui eſt Luc. 22. verſu 42. Sed huius erroris occaſio hæc fuit. Cùm Heraclius Imperator tot litium & contentionum ſemina, quæ durabant propter Chalcedonenſe concilium & duas in Chriſto naturas repudiatas, tollere vellet, Anaſtaſium quem alij Athanaſium vocare malunt, Antiochiæ Epiſcopum, vbi tum ipſe Imperator diuerſabatur, interrogauit, An non duas in Chriſto naturas vnitas ipſe admitteret: Anaſtaſius vir ſubdolus cùm in Chalcedonenſis concilij defenſionem propenſum Heraclium cerneret, hoc quidem conceſsit, ſed deprecatus ne tamen duas in Chriſto voluntates

C

(quas iam Cyrus Epiſcopus in AEgypto ſuſtulerat) fateri cogeretur. Quo reſponſo attonitus Imperator tanquam abſurdo, ſéque ipſum refutante, (Nam ſi duæ ſunt in Chriſto naturæ diſtinctæ, ſint & duæ voluntates oportet) de hac tota re Sergium Conſtantinopolitanum epiſcopum interrogauit. Sergius vtpote qui Eutychis & Cyri ſententiam iampridem probaret, & Anaſtaſio populari ſuo gratificari cuperet, veram eſſe illius ſententiam reſpondit. Itaque in Monothelitarum errorem incidit his Epiſcoporum inſidijs deceptus imprudens Heraclius, quem & Honorius epiſcopus Roma. & Pyrrhus Conſtantinopolit. & imperatores alij Heraclij ſucceſſores ſunt amplexi, regnauítque aliquot deinde ſeculis furioſiſſimè & latiſſimè. Tãdem omnes iſtæ ſuperiores ſectæ & contentiones à Conſtantino Pogonato Imperatore Heraclij pronepote profligatæ videbantur magno pietatis zelo, collecta ab eo Cõſtantinopolin Synodo, quæ Sexta vniuerſalis & œcumenica dicta eſt, vbi Sergius etiã mortuus excommunicatus eſt, & ante eam etiam exploſæ fuerãt ab Agathone Roma. Epiſcopo ſub Heraclio, congregata Romæ ſynodo ex Occidentalibus penè Eccleſijs omnibus: & poſt vtranque, Hiſpalenſi ſynodo multíſque alijs anathematizatæ. Sed tamẽ propterea nunquam illi obmutuerunt aut conquieuerunt: tanta eſt nimirũ hæreticorum peruicacia, & in fide oppugnanda immanitas & impunitas. Nam etiam poſt illam Conſtantinopolitanam ſynodum reuocata, repetitáque eſt imprimis Monothelitarum hæreſis à Gregorio Conſtantinopolit. & Macario Antiocheno Epiſcopis, adeò vt etiam Iuſtinianum ſecundum Imperatorem exulem monachus quidam ea tabe polluerit & infecerit. Vnde in imperium ope Terbellini Bulgarorum regis reſtitutus Rom. Epiſcopos adhuc in hoc fidei capite rectè ſentientes perſecutus eſt. Nam Sergium Epiſcopum Romæ per Zachariam præfectum militum, etiam in media vrbe propterea vinciri iuſſerat: & antea Conſtans Heraclij filius per Olympium ducem ſuum propter eandem cauſam Martinum Epiſcopum Roman. adduci Conſtantinopolim voluerat, vbi in teterrimo carcere periit Martinus, vt etiã tradit Carolus Sigonius libr.2. de regno Italico. Antea quidem & ſtatim poſt concilium Chalcedonenſe, nõ modò à Dioſcuro & Xenæa pugnaciſſimè defenſa fuerat Eutychis hæreſis: ſed etiam poſt vtriuſque mortem à Theodoro quodam, & Petro Gnapheo Antiocheno Epiſcopo ſub Leone Imperatore, & Simplicio Roman. Epiſcopo repetita & ſuſtentata. Quinetiam poſt Gnapheum damnatum fuit nihilominus ab Acatio Conſtantinopolitano Epiſcopo ſub Zenone Imperatore & Felice Epiſcopo Rom. circa annum à Chriſto paſſo 454. acerrimè propugnata, adeò miniſtris alaſtoribus ſuis nunquam caruit Satan in peſtem Eccleſiæ. Inde Acaciani hæretici dicti ſunt, de quibus eſt in can. Acatius 1. & 2.24. quæſt.1. & cano. Secundum. Diſt.19. & apud Euagr.lib.2.cap.16. Sozom.li.7.c.11. denique Nicephorum Calliſtum lib.16.c.16. Sed vt omnes tandẽ Eutychianæ hæreſis reliquias tolleret Iuſtinianus primus, Conſtantinopolim vniuerſalem ſynodum conuocauit, quę quinta generalis & œcumenica dicta eſt, à qua omnes iſtæ peſtes & fæces damnatæ prorſúſque iugulatæ & exterſę videban-

A debantur, niſi poſtea Satanæ aſtu & interpolatis Monophyſitarum, &c. nominibus miſerè reuixiſſent. Nam & Iuſtinianus ipſe earum oppugnator Theodoræ vxoris blanditiis illectus tādem Aphthartodocitarum veneno imbutus & infectus eſt.

CAP. XCIIII.

Mirabiliarij & Enthouſiaſtæ quid docuerint & quàm latè ſtragem in Eccleſia ediderint.

Mirabiliarij, Miracularij & Miratores dicti ſunt ij omnes, qui miraculorum à ſe vel ab aliis editorum prætextu vel nouum in Eccleſia Dei errorem induxerunt, vel veterem renouarūt. Cùm enim propter tot nouas hęreſes in dies enaſcentes nihil iam ex ſcripto Dei verbo in negotio fidei certò conſtitui poſſe videretur, quòd ſinguli hæretici Sacras ſcripturas ad ſe traherent, & ex iis ſui erroris confirmationem petere ſe iactarēt, viſa eſt tandem hæc expeditiſſima & optima B veritatis dignoſcendæ ratio, ſi ad miracula recurreretur, vt eorum vera doctrina eſſe cenſeretur, qui feciſſent miracula: Vel ſi vterque eorum, qui contraria docebant, ederet miracula (quod ſæpe aſtu Satanæ & iuſto Dei iudicio cōtingebat) illius tantùm vera ſententia haberetur, qui vel plura vel maiora, id eſt, magis ſtupenda & inaudita operaretur. Itaque poſtremis maximè temporibus, quæ has tot hæreſes proximè ſecuta ſunt, & ante vicinam Antichriſti parturitionem hæc hæreſis inualuit, vt apparet ex Nicephoro lib.8.cap.35.lib.14. cap.45.& tota Nicena ſynodo ſecunda, vbi potiſſimum propter iactata miracula cultus idolorum ſiue imaginum in Eccleſiam inuectus & approbatus eſt. Hoc eodem fundamento nituntur penè omnes errores, qui præter atque etiam contra manifeſtum Dei verbum ſiue in Papiſmo, ſiue in Mahumetiſmo defenduntur. Hoc eodem nouæ in dies hæreſes & ſuperſtitiones finguntur & commendantur, vti ex Gregorij Turonenſis & ſimilium ſcriptorum hiſtoria facilè colligi poteſt. Itaque omnium hæreſeôn magnum iſti Mirabiliarij C fundamentum iaciunt, ſed tamen falſiſſimum & imbecillimum. Neque enim nos primùm reuocat Chriſtus ad miracula, ſed ad Scripturas diuinas. Ioan.5.verſ.39. vti etiam Petrus in 2.Epiſt.1. verſ. 19. Deinde cùm Satanæ ipſi data ſit à Deo efficacia & vis, per quam ſigna & miracula operatur, vt qui ſoli Dei verbo acquieſcere noluerunt, decipiantur, vt ait Paulus 2.Theſſ.2.verſ.9.&10, quàm inualidum eſt hoc vnicum miraculorum fundamētum ad veritatem doctrinæ dignoſcendam? Denique ſic aduerſus iſtos ſcribit Auguſtin.tract.13. in Ioan.Euangel. Nam & contra iſtos, vt ſic loquar, mirabiliarios cautum me fecit Deus meus, dicens in Nouiſſimis temporibus exſurgēt pſeudoprophetæ &c. Mirabiliariis ſeſe adiunxerūt Enthouſiaſtæ, qui & ἔνθεοι dicti ſunt. Hi ecſtaſi ſe rapi fingunt, vt cum Deo vel Spiritu ipſius colloquantur. Vnde poſtea varios errores cudunt & ingerunt. Hac arte vſus Mahumetes terrarum orbem decepit. Hac Anabaptiſtæ graſſantur. Hoc etiam fundamentum euertunt Ioan. & Paulus. Ac Ioannes quidem qui diiudicandos & probandos eſſe ſpiritus docet. Paulus autem qui verum eorum examen A eſſe Dei verbum ſcriptum affirmat, 1.Ioan.4.verſu 1: 1.Corinth.14. verſ.32. Itaque quicunque harum viſionum prætextu aliquid à Dei verbo ſcripto diſſentiens nobis annuntiant, etiamſi Angeli eſſent, ſunt vt pſeudoprophetæ reiiciendi, atque anathematizandi, Galat.1.verſ.8. Hæc igitur duo, Miracula nimirum & Enthouſiaſmi ſunt firmiſſima tum ſuperiorum hęreſeôn, tum etiam Papiſmi & Mahumetiſmi (quæ duæ ſunt omnium fecium ſentinæ, & tota omnium hæreſeôn colluuies) fundamenta: ſed falſiſſima & infirmiſſima.

CAP. XCV.

De Papiſmo, qui eſt alter omnium ſuperiorum hæreſeôn alueus & mare, quod eas in Occidente & Septentrione recipit & abſorbet.

Papiſmus tandem exortus eſt, qui ſuperiores omnes hæreſes partim vt alueus recepit: partim vt mare abſorpſit, alieno quidem nomine: B ſed tamen earum dogmate retento & confirmato. Eſt autem Papiſmus vniuerſa Antichriſti propriè dicti doctrina, & regnum in Eccleſia Chriſto contrarium, myſteriúmque illud iampridem à Paulo 2.Theſſal.2.prænuntiatum, quod ex iſtis erroribus omnibus velut corpus quoddam conſlatum & productū, magno Satanæ enixu magnísque ὠδίνας tandem in Occidente & Septentrione editum eſt. Cuius ſeminandi initia ſub ipſis adeò Apoſtolis iacta iam fuerunt: pariendi autem tempus demum fuit Phocæ imperatoris in Mauritium perfidiſſimi imperium, & Bonifacij tertij Epiſcopatus. Hoc propter ambitioſam & infelicem illam de primo Epiſcoporum Epiſcopo in Eccleſia deſignādo, conſtituendóque contentionem inter Conſtantinopolitanam & Romanam ſedem accidit. Obtinuit autem in ea lite Roman. Pontifex Phocæ imperatoris beneficio, cui gratificatus erat. Nam propter cædem Mauritij omnibus odioſus erat Phocas. Sed illi, fauente ſuadentéque Bonifacio, à S.P.Q.R. tanquam legitimo C Imperatori acclamatum eſt. Circa annum autem à Chriſto paſſo 574. nata eſt hæc Eccleſiæ vniuerſæ internecio, peſtis & tyrannis, quæ Chriſti regnum poſtea funditus deleuit, ex omnium hæreſeôn erroribus, velut deforme monſtrum, compoſita. De qua pluribus ageremus, niſi luculenter de toto hoc argumento in libello noſtro, qui eſt de Antichriſto, iam dixiſſemus.

CAP. XCVI.

De Mahumetiſmo, qui eſt alter omnium ſuperiorum hæreſeôn alueus, & mare, quod eas in Oriente & Meridie ebibit & abſorpſit.

Mahumetiſmus Papiſmum ſecutus eſt proximè. Nam anno duodecimo Heraclij imperatoris, ſub extremo pontificatu Bonifacij quinti, circa annum à Chriſto paſſo 589. nata eſt primùm hæc mundi lues, & hæreſis pluſquam blaſphema, vel potius hæreſeôn lacuna, vt docet Damaſcenus: adeò vt inter vtriuſque blaſphemiæ exortū ſiue initia, xv. tantùm annorū ſpatium ferè interceſſerit. Totum autem Orientem

A & Meridiē celerrimè occupauit Mahumetiſmus, quemadmodum Papiſmus totum Occidentem & Septentrionem:atque ita duplex & bipartitum factum eſt Satanę regnum:è quibus Mahumetiſmus quidem naturas in Chriſto abolet & negat.Papiſmus autem officia & verum munus Mediatoris, & titulum Chriſti tollit,& abrogat. Mahumetiſmus autem à Mahumete (quem alij Mahumedem , alij Machometem , Damaſcenus Magmedum vocat, nos autem receptam iam & tritam pronuntiationem ſequimur) dictus eſt. Fuit autem iſte Mahumet ex Arabum Iſmaelitarum (qui Agarenorum nomen ab Agar ancilla Saræ retinuerunt) gentē, Abdalę principis Arabum filius, Munichialenſis , quæ eſt prouincia ad mare Elamiticum in Arabia Petræa,licet poſtea ſe Saracenos tanquam à Sara dici voluerint Agareni, vt Sozomen. lib.6. cap.38.ſcribit.Sub philippo imperatore perſecuti ſunt Chriſtianos,vt tradit Euſeb.libr.6.ca.42.Sub Valente verò primùm Moſis cuiuſdam Monachi monitu & admiratione Chriſtiani facti ſunt, vt Ruffin.libr.2.Hiſtor.cap.6.commemorat. Atque B in fide Chriſti à monachis qui phrontiſteria & aſceteria ſua in Arabicis deſertis habebant,inſtituti,permanſerunt in ea donec variis & penè infinitis nouarum ſubinde hæreſeôn tempeſtatibus & fluctibus agitata & ſubmerſa vera fidei doctrina, tandem in Ægypto , Arabia , & Syria extincta eſt: imprimis autem,vt diximus, erroribus Eutychianorum,qui omnem Orientem & Meridiem,præſertim verò Ægyptum & Arabiam, mirè vexarunt & tandem prorſus ſubuerterunt. Mahumet igitur Arabs & Iſmaelita , homo ambitioſus, aſtutus , ἀλάστωρ, & ad mundi totius perniciem natus , religionis Chriſtianæ diſſidia pertęſus,Sergio monacho Neſtoriano(qui tum exul in Arabia verſabatur) adiutore , & Ioanne Antiocheno Ariano, itémque Iudęo quodam Selā aſtrologo , & Barra Perſa Iacobita ſuggeſtore , nouū prorſus dogma & inauditæ antea blaſphemiæ plenum commentus eſt,quod Eubokara , Aomar , Odmen,& Hali Saracenis & Arabibus patrocinantibus & commendantibus à Saracenis ipſius Mahumeti C popularibus primùm ſolis: pòſt autem ab Arabibus vniuerſis qui Mahumetum etiam expulerant, receptum eſt.Hinc magna huic doctrinæ laus acceſſit,quæ ſtatim ab Ægyptiis vicinis populis recepta,& propter iam tandiu incertam apud ſe fidei Chriſtianæ doctrinam probata eſt. Deinde vi armorum ab ipſo Mahumeto, qui exercitum collegerat ſuáque dogmata armis tuebatur, latè propagata eſt. Nam ab Heraclio (cui primùm militauerat) vnà cum tota Saracenorum gente defecit,quia ſuperbo quæſtoris Romani conuitio,per quod eos ſtipendia flagitātes canes vocauerat, offenſus fuerat.Itaque Syriam inuaſit. Deinde Africam Vandalorum & Arianorum erroribus planè in vera fide fluctuantem. Demum ita excreuit, vt totum Orientem iā propter Turcarum potentiam occupet,éſtque in eo horrendum Dei in homines verbum ipſius contemnentes & lacerantes iudicium.Gratulatur autē ſibi impoſtor ille Azoa. 20.quòd ab opinionibus Chriſtianorum inter ſe diſſidentium liberatus ſit. Hæc autem docet, per quæ ipſe reuincitur. Primùm in ca.Martij, omnes Saracenos in infernum ituros pronuntiat.deinde, Euangelium eſſe ait lucē veteris Teſtamēti, Azoa. 21.Dauidis Pſalterium probat,Azoa.7. Chriſtum A verè Prophetam fuiſſe & Dei verbum : Chriſtum item in cœlū cum carne euolaſſe : Antichriſti aduentum,Reſurrectionem carnis cōcedunt Mahumetani,& iudicium extremū.Azoa.16,& 17. Idololatriam,id eſt,cultum & templa imaginum damnant : item Magiam , aleæ luſum , & ſcacorum. Præterea vſuras & fœnus, & litium vim illam & multitudinem,quæ eſt inter Chriſtianos infinita. Azoa.11.13.23.Cum infidelibus familiaria cōmercia non probant.Nimiā item epiſcopotum & Monachorum venerationem deteſtātur, & mortuorum ſanctorum cultum & inuocationem , qua vna re maximè tanquam vera idololatria ſemper ſunt offenſi Saraceni. Atque hæc quidem illi damnant , ex quibus intelligitur,quanta tunc fuerit tum in doctrina ipſa,tum in moribus Eccleſiæ corruptio.Hæc enim omnia damnauit Mahumetus , quibus à Chriſtianis offendiculum præberi tunc videbat. Et certè hæc omnia vitia in Eccleſia paſsim regnabant. Illa autem quæ ſequuntur, docent,quæ ,vt verè Saracenica,& blaſphema , & impia, & ex omnium hæreſeôn cloacis & ſordibus B collecta,à nobis meritò damnantur : quæ eadem oſtendunt quàm varia errorum genera iam populariter recepta , & in mediis ipſius Eccleſiæ viſceribus graſſantia fuerint. 1 Negant eſſe tres in vna eadémque diuina eſſentia perſonas. Sabellianum,& Arianum eſt. 2 De creatione mundi,& dæmonum natura,& propagatione , tū Manichæorum,tum Valentinianorum abſurda & nugatoria dogmata retinent. 3 De ſeptem cælis & eorum intelligentiis eodem modo quo Valentiniani & ethnici fabulantur, in quo & Dei generalem tantùm prouidentiam conſtituunt: & Angelorum cultum inducunt. Azoa.23,& 25. 4 Diuinam eſſentiam negant eſſe ſimpliciſſimam , ſed & eam cum Anthropomorphitis corporalem fingunt,& Deo præter eſſentiam tribuunt animam. Itaque ſemper de Deo tanquam de pluribus quibuſdam rebus vnitis plurali numero loquuntur. 5 Chriſtum negant eſſe Deum ,ex Ario ſed creaturam tantùm appellant , etſi magnum quidem & ſanctum Prophetam eum fuiſſe agnoſcunt , cum Carpocrate. 6 Chriſtum negant eſſe verum C Dei Filium , quia Deum ſine vxore Filium genuiſſe putāt,cum Cerdone,abſurdum & ἀδύνατον, etſi ex ſancto Spiritu conceptum cōcedunt.Azoa. 9,& 11. 7 Chriſtum neque paſſum,neque crucifixum volunt:ſed phantaſma pro eo Iudæis eſſe oblatū,quod illi deluſi pro Chriſto in cruce fixerunt. Manichæanum & Marcioniticum iſtud. Azoa,11. 8 Diabolos tandem ſalutem conſequuturos,cum Origeniſtis docent. 9 Vitam æternā, Epicureorū more, in voluptatibus corporis , etiā in cælo collocant,cum Cerinthianis. Azoa 23. 10 Infernum & pœnas inferni fabuloſè explicant, ad modum inferni Vergiliani, Purgatoriíque Papiſtici.Azoa.21 , & 25. 11 Legis ceremonias, imprimis circumciſionē,delectum ciborū, & corporis, imprimis autem ani,lotiones vti neceſſarias ad ſalutē retinēt & obſeruant,cum Ebionitis. Azoa.12, & 16. 12 Iurant per creaturas veluti per ficū,& ficetum,item per oliuetum,cum Priſcillianiſtis. 13 Bella pro ſola religionis cauſa,& vt inuiti homines cogātur ſuſcipere ipſorū dogma,geri oportere docēt.Azoa.6.7.18,& 19. 14 Matrimonij ſāctam

ctam inſtitutionem tollunt, profanāt, & polluūt: pluréſque cuique vxores habere concedunt. Diuortia extra cauſas verbo Dei expreſſas fieri concedunt. Azoa. 8, & 9. 15 Operum merita inducunt, per quæ ſe ſaluos fore ſperāt, cum Pelagianis. Azoa. 18. & 41. Itaque varias ceremonias habent, & diuerſas vitæ rationes, velut monachiſmos quoſdam, inſtituunt, & obſeruant. 16 Deficientibus à fide ipſorum veniam cum Nouatiatianis in perpetuum denegant. 17 Peccata alia mortalia, alia venialia conſtituunt. Azoa. 10. 18 Orandum omnino verſus Orientem docent, vt ſit Deo accepta oratio, & certum precationum numerum quoque die vti neceſſarium præſcribunt. Azoa. 10. & 17. & 19. Neque pro incredulis orandum eſſe volunt. 19 Omnia Sacramenta à Chriſto inſtituta tollunt. Denique infinitum eſſet reliquos errores perſequi, contra quos & Ioannes Cantacuzenus Gręcè nomine Achæmenidis Perſæ, ad fidem conuerſi, ſcripſit, conuertit autem Gualterus D. eximius, & Pius ſecundus, & Richardus quidam tempore Bernardi, & D. Philippus Melanchthon.

CAP. XCVII.

QVANTA SIT HODIE IN *Oriente Eccleſiæ vaſtitas, & quantis erroribus labefactentur, atque laborent ij qui in ea mundi plaga Chriſtianum nomen profitētur.*

VIſum eſt autem his omnibus addere quædā ex volumine Alcorani & ipſius refutatione tranſcripta, ex quibus quanta ſit hodie in Oriente vaſtitas Eccleſiæ: quantíque errores, & quàm ſæui pro vera fide regnent etiam inter eos, qui Chriſtianum nomen illic ſibi aſſumunt, luculenter apparebit. Sic igitur illa ſe ad verbū habēt.

Denique gens Chriſtianum nomen profitentum, vniuerſa diuiſa eſt in decem nationes, & velut diuerſas eiuſdem tamen religionis profeſſiones præcipuas.

1 Latinorum, qui parent imperatori Germaniæ, & Romanæ eccleſiæ: vti Germania ipſa Gallia, Hiſpania, Italia, Anglia, Scotia, Polonia.

2 Græcorum, qui imperatori Græco parebāt olim, & nunc Conſtantinopolitano Patriarchæ, qui non obediunt Romanæ eccleſiæ.

3 Indorum, ſiue Æthiopum, quorum princeps eſt Presbyter Ioannes, in cuius terra eſt corpus ſancti Thomæ. Hic habet ſub ſe reges ſeptuaginta duos, & quando progreditur aliquo, crucem ligneam ante ſe portari iubet: quum in bellum it, duodecim cruces aureas.

4 Iacobitarum, à Iacobo hæretico diſcipulo Alexandrini Patriarchæ. Sunt in Oriente, Chaldæa & Arabia multi. Circunciduntur & ferro cādente ſibi ſuíſque crucem imprimunt. Aiunt in Chriſto tantùm eſſe diuinam naturam. Soli Deo confitentur. Damnati concilio Cedenſi.

5 Neſtorianorum, à Neſtorio hæretico Conſtantinopolitano epiſcopo, qui duas in Chriſto perſonas poſuit. Tartariam habitant latiſſimam, & in India maiore. Conficiunt corpus Chriſti in fermento.

6 Moronitarum, à quodam Moronitè hæretico, qui vnam tātùm in Chriſto voluntatem ponunt. Hi ſunt militares viri. Campanis, vt nos vtūtur. Libyam incolunt, & Phœniciam. Lingua vtuntur Arabica.

7 Armeniorum, à loco, vbi habitant ſcilicet prope Antiochiam, & in vtraque Armenia. Habēt ſuum Catholicum, cui parent omnes: vulgari ſermone in Eccleſia & officio faciendo vtuntur, vt omnes intelligant quæ geruntur. Ieiunant quadrageſimam. die tamen veneris carnes edunt. Sacerdotes eorum habent coronas in capite rotundas, alij quadratas. Hieroſolymam quotannis votiua peregrinatione veniunt, magni exercitus inſtar erectis vexilis.

8 Georgianorū, à beato Georgio, cuius imaginem in præliis & vexillis ferūt. Mediam & Perſiam, & Caſpium mare incolunt. Lingua Græca vtuntur, & eorum more adminiſtrant ſacramenta. Fœminæ barbam habēt, vt viri. Sacerdotes coronas in capite rotundas, alij quadratas. Magni exercitus inſtar Hieroſolymam quotannis votiua peregrinatione veniunt erectis vexillis.

9 Suranorum, à Sur ciuitate in Aſſyria. Lingua vulgari vtūtur Saracenica in officiis Miſſæ. Gręco more conficiunt in fermento. Horum ritus ſequuntur quidam in terra ſancta, qui dicuntur Samaritani. Obediunt Græcis, quorum doctrinam in multis amplectuntur.

10 Mozarabum. Hi partim ſunt in Africa, partim in Hiſpania, ex Arabia profecti. Vtuntur in officiis lingua Latina, & Romanæ eccleſiæ parēt. Conficiunt in azymis, in multis tamen à Latinis diſſentiunt. Inter ſuæ tantùm gentis homines cōiugia ineunt. Singulis horis ſingulos Pſalmos dicunt. Natio deuota. Nunc pauci omnino reſtant.

Hactenus iſta, ex quibus intelligitur quàm nūc miſer ſit & prorſus infelix orbis terrarum ſtatus, qui Chriſtianam fidem olim per Apoſtolorum & aliorum prædicationem ſemel amplexus, eam deſeruit, nouíſque doctrinis delectatus, ita diſcerptus iam diſtractúſque eſt, vt puræ religionis illic, vbi olim florentiſſimæ fuerunt Eccleſiæ, veſtigia vel nulla omnino, vel admodum exigua nunc reſtent. Ac mihi tot hæreſes & tantas, tum in Deum tum in Chriſtum ipſum támque horrendas blaſphemias à Gentibus, & præputiatis (quibus magna ſua miſericordia Dominus tam liberaliter ſalutem Euangeliúmque ſuum communicauerat) excogitatas, pertinacitérque defenſas intuenti horret animus, venítque ſæpe in mentem fore, vt propter tam grauem verbi nominíſque ſui contemptum, Dominus Deus à Gentibus ſuum Euāgelium, iuſto ſuo iudicio auferens, trāsferat iterū traducátque ad Iudæos à quibus primùm ortum eſt. Nam ſi Deus illis naturalibus ramis non pepercit, vt ait Paulus, vide ne tibi, qui oleaſter es, & in eorum locum tantùm inſitus, non parcat. Ac certè notanda eſt illa maximè neceſſaria Pauli admonitio & ſententia ad nos Gentes, Rom. 11. ver. 22. Vide igitur benignitatē & ſeueritatem Dei in eos quidem, qui ceciderunt, ſeueritatem: in te verò benignitatem, ſi permanſeris in benignitate: alioquin & tu excideris. Quod tam horrendum ſuum iudicium Deus, Pater miſericordiarum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum à nobis auertat. cui laus & gloria in ſecula ſeculorum; & vltra. Amen.

VT autem melius intelligeretur quibus ſenſim gradibus in tantam tum doctrinæ, tum morum ſanctorum calamitatem Eccleſia Dei Apoſtolorum prædicatione tam feliciter & diligenter plantata inciderit, adiunximus pro colophone & coronide totius huius argumenti appoſitum pij cuiuſdam viri ſcriptum, quod ille nobis vobiſque liberaliter communicauit, ex quo tanti eccleſiæ lapſus ratio, & ruinæ gradus, facillimè colligentur. Sic autem habet.

TRACTATVS DE ECCLESIA.

QVVM agitur de vera Eccleſiæ notitia, non poteſt illa certius tradi, quàm ſi ad Caput ſuum, id eſt ad Chriſtum, Eccleſia ſemper reuocetur. Quum enim Eccleſia nihil aliud ſit quam Chriſti corpus & complementum, omnis etiã Eccleſiæ vita & habitus ex ipſius cum Chriſto coalitione & connexione pendeat neceſſe eſt. Hoc autem vno illo modo efficitur, dum vera ac certa Chriſti agnitio Eccleſiæ traditur verbi Miniſterio ad eum finem ab ipſo Chriſto ordinato, vt accedente ex eiuſdem Chriſti promiſſione Spiritus ſancti efficacia & virtute, fides in animis audientium quodammodo concipiat & pariat Chriſtum Redemptorem & Paſtorem Eccleſiæ perpetuum. Hæc enim illa Chriſti agnitio efficit, vt Chriſti cum Eccleſia coniunctio & communicatio foueatur & augeſcat in dies, ſub ſpe beatæ tandem ab illo obtinendæ immortalitatis. Quæritur igitur an cùm Apoſtoli hoc vnum fundamentum in vera Eccleſia inſtituenda ſemel poſuerint, an inquam, ab eo diſceſſum fuerit interiecto ab illis ad nos vſque intermedio tempore. Quod ſi de eo iudiciũ fieri ex parte poteſt ex ipſa quam vocant apparentia, omnino ſtatuendum erit rem vel ſuo loco ſtetiſſe hactenus, vel nihil tanti momenti accidiſſe, quod Eccleſiæ Fidem defeciſſe teſtari poſſit. Manent enim voces & verba dogmatum fidei: Manet etiam forma quædã Miniſterij Eccleſiaſtici in ordinaria ſucceſſione paſtorum. Hæ ſunt igitur Regni cœlorum claues paſtoribus ordinariis in Apoſtolorum perſona traditæ, quæ quidem ab eodem quem illi primum acceperunt Spiritu directæ, omnia deinde in Eccleſia ita diſpoſuerũt, vt quomodo Chriſti agnitio tradenda per illas eſſet, penes illarum adminiſtros fuerit ſtatuere. Quod ſi aliter de Eccleſiæ ſtatu & adminiſtratione quis ſentit, videat imprimis quid agat, quum nulla difficultas cum pace Eccleſiæ nõ ſit commutanda potius, quàm vt conuulſo ſemel tantæ molis fundamento, vbi tandem cõſiſtat pedémve quis figat, ſtatui vix poſſit. Quicquid ſit, poſſeſſio quamdiuturna bonę fidei plurimum momenti habere meritò ſemper iudicabitur. Et quũ vnius Chriſti res hîc agatur tanquam veri Eccleſię ſuæ Domini, ſi quid de ipſius iure interuerſum eſſe poteſt, nemo ipſo certius nouum opus nuntiare potuit: quod tamen ab ipſo factum eſſe non conſtat. Hæc ſunt nempe ordinaria Eccleſiæ viſibilis & militantis, vt loquuntur, inſignia ac documenta: Hæ aduerſus omnem innouationem iuris exceptiones: de quibus in alterutram partem pronuntiare, res eſt in ſpeciem omnium fortaſſe difficillima. Meretrix ſum (inquit apud Hieronymum adu. Luciferianos Eccleſia) ſed tamen mater tua ſum. Non ſeruo vnius thori caſtitatem: Talis eram quando conceptus es, cum Ario adulterium committo: Feci & antea cum Hebione. Neſcio quid te vnus adulter offendit. & in eodem ſupra, Rariſſimam eſſe fidem illam agnoſcit ſecundum quam fiat nobis, quæ ſimplicitas eſt mentis & deuota Deo anima. Nolim, inquit, ſecundum illam mihi fieri. Alia verò eſt fides dogmatum, quã ego profiteor. Hæc ſunt illius verba ad conciliandam Eccleſiæ vnionem cui omnia condonari vult. Aliud denique eſſe Hæreticum ſenſu, aliud quaſi ſocietate quadã. Equidem iſtiuſmodi multa iũ quidem vſurpari potuerunt, quæ tamen vix perinde alio quouis tempore admitti poſſent ſine dextra quadam interpretatione. Et quum omnia ſatis ſuperque ſubducta fuerint, ex duobus in ſpeciẽ inconuenientibus, vnum alteri omnibus modis ita præponderat, vt omnis aduerſus illud diſceptatio abſurdiſſima ſit. Sit Deus verax, inquit Apoſtolus, omnis autem homo mendax. Hæc eſt, inquam, ſolida omnium difficultatum conciliatio, hæc veræ religionis ſumma, hæc conſcientiæ quies, vt omne os obſtruatur, & omnes dent gloriã Deo. Quemadmodum igitur nõ ita veritas Chriſti in ſublime attollẽda eſt, vt nullus ipſius ſenſus & vſus in mũdo ſuperfuiſſe aliquando exiſtimetur, (quod abſit) ita ſanè ac multò minus Chriſti nomen Eccleſiæ alligandum affigendúmve eſt, vt veritatis ipſius præiudicio, fides & honor quidam Eccleſiæ aſſeratur. Immò verò ſingulare illud & nunquam ſatis prædicãdum incomparabilis Domini miſerationis in Eccleſia tot ſæculis ſuſtinenda argumentum eo vnicè referatur, vt arcana ipſius diſpenſatio adoretur in omnibus, iudicium verò & miſericordia tũ erga patres, tum erga filios agnoſcatur atque prædicetur. Neque enim Chriſtus eſt per Eccleſiam, etſi nõ ſit ſine Eccleſia. Eccleſia autem à Chriſto eſt, per Chriſtum, & propter Chriſtum. Proinde ſic nomen ſponſæ Eccleſiæ tribuitur, vt maneat & ancilla Domini ſui. Sic illi depoſitũ veritatis & Talenta heri ſui creduntur, vt non ſua ſed illius fide adminiſtrentur. ſic illi Spiritus veritatis vt arrabo coniugij deſtinatur, vt in digito veritatis eluceat, nõ ad illius arbitrium recondatur vel geſtetur. Denique ſic in Chriſto & Eccleſia Deus cum hominibus coniungitur, vt vnius Dei in Chriſto opus extet ad Eccleſiæ ſalutẽ: Eccleſia verò in ſeſe merè paſſiuè ſeſe habeat, vniúſque Chriſti opus cenſeatur. Neque enim (quod eſt totius iſtius controuerſiæ expediendæ ſummũ caput) ita cum Eccleſia trãſegit Chriſtus, vt dum ab

A illa abeſt corpore illo ſuo quod in cœlum euectũ eſt,ſua illi omnia abſolutè reſignaret : ſed potius ſe illi interfuturum pollicetur, ac nunquam defuturum confirmat (præſenti nimirum ſpiritus efficacia in verbi ſui luce propaganda:) dummodo quæ ab ipſo mandata accepit, ipſius non ſuo nomine tradat,ipſi non ſibi acquirat quod acquiret,rem denique Domini non ſuo ſed illius Spiritu gerat. Quod ſi quid ſecus incidat,(vti manifeſtè euenturum prædicit Dominus) adeò non eſſe accipiendam ipſius indignationem ſilentio malè tectam pro certa adprobatione malæ adminiſtrationis, vt potius inopinatò rediturum ſe & ſummo iure tantam improbitatem vindicaturum adfirmet.Hoc illud eſt igitur Myſterium quod nos omnes exercet neque immeritò:ſed ita tamen, vt quicunque in Chriſtum vnum apud Apoſtolos ſuos veritatem omnem pro Eccleſiæ notitia tradentem intenti erunt,illorũ pedes à laqueo euellendi ſint:qui ſecus,iuſtas dent pœnas præuaricatricis erga heram ex ancilla factam obſeruantiæ, inſuperhabito Domino ac perpetuo redemptore,qui eſt Deus benedictus in ſæcula,Amen.

B Primùm igitur duo iſta ponenda ſunt neceſſariò, ſecundum quæ tota de Eccleſiæ ſtatu diſquiſitio peragatur. Vnum,Quod Eccleſia mutationibus nõ vniuſmodi obnoxia eſſe poſſit,ac proinde non eſſe idem ſemper de illius habitu faciendum iudicium. Alterum,neque vllam huiuſmodi mutationem adde & perturbationem in Eccleſiam incidere poſſe,quin ſemper Domino ius ſuum in illam maneat,quo etiam ad ſuorum conſolationẽ arcana diſpenſatione vtatur : neque tamen ex eo effic (quod quidam velint ac mercentur magno) vt illa etiam ſpecies adminiſtrationis Eccleſię quę non iam ſpirituale illud caput refert,ſed humanũ pro ſpirituali prę ſe fert,legitima habenda ſit.Sed vt in damni incendij,naufragij, caſu plæraque ſine certo ordine admittuntur,quæ non per ſe probentur vel optentur,ſed vt res ferunt, magis tolerantur:ita etiam in ſtatu Eccleſiæ viſibilis, quæ & Catholica audire vult, factum eſſe Domini prouidentia & factum iri quandiu ipſi ita videbitur, vt quum ex iſtorum mente & actis ipſis ius omne ipſius ad illos deuolutum credi velint, C liberum tamen ſit ipſi Domino quod per iſtos fit ratum habere eatenus, vt neque perſonas illorum probet,neque acta vt in perſonis conſiderata.Hoc tantùm valet vſurpatio nominis Eccleſiæ quod ad iſtos,vt tanquam ſerui ſubductitij ab hero tãdem pro merito accipiantur,ac non vt extranei leuiori iudicio obnoxij ſint. Quod autem non vno interea loco reliquiæ quędam Eccleſiarum ex veteri ſtirpe veritatis tandiu defoſſa excitantur vi illa ſpiritus Chriſti opus ſuum per medias abyſſos fouentis,illud etiam ita accipi non poteſt,quaſi igitur emortua fuerit Eccleſia. Etenim vnam eandémque dogmatum fidem cum Eccleſia ipſa Romana habemus , quæ quidem fides perpetuum fuit iam inde ab Apoſtolis totius Eccleſiæ vexillum. Sed quia res ipſa loquitur ſub illo Symboli fidei titulo,& veritatem omnem ſupprimi iam olim,& pleraque omnia quæ cum illo directè pugnent tradi & inculcari , illud dicimus, neque integram cordis fidem ad iuſtitiam ,neque oris confeſſionem ad ſalutem profiteri nos poſſe cum illis, qui Deum quidem reuera noſſe fatentur,dictis autem ipſis nedum operibus, planè abnegant. A Quod igitur nobis cum illis eſt iuſtiſſimo noſtro animi dolore diſſidium , quo magis leue videri poſſit,quatenus & fidem,& Sacramenta,& Scripturas eaſdem tractamus , & quæ tantùm ab illis accepimus,illa nos ab iis ſeiungere cogunt,& Doctores ipſos Eccleſiaſticos ac ſynodos purioris antiquitatis eadem cum illis veneratione quàuis certiore fide proſequimur , eo magis ſpiritus ille aduerſarij Chriſti deprehendendus eſt , cuius os impudens omnia ita permiſcet, vt quum ſine Chriſti & Eccleſiæ nomine ſtare ſe non poſſe intelligat,ſub illis tamen tantorum nominum præſtigiis, vim omnem pietatis quantum in ipſo eſt, conuellat. Videat Dominus & requirat. Nos verò noſtra omnia faciamus quę Domini ſunt,vt Pſalmos , lectiones pias, & reliqua illa veneranda in ſeſe pietatis auitæ etiam ſub Papatu veſtigia : ſed ita ſimul vt Domini vnius ſimus, neque oleum peccatoris interea caput noſtrum demulceat.

His igitur obiter ita diſpunctis,quod præcipui momenti eſt, agamus. Quæritur igitur quî fieri potuerit,ſi factum detur, vt Eccleſia tantùm à ſe B mutata fuerit (quum ita fideliter atque feliciter inſtituta & confirmata fuiſſet primùm) vt quod ad viſibilem illam attinet,nihil minus habenda ſit quàm quod audire vult,vt vera ſit Eccleſia. Quæritur etiam quibus ex notis hoc totum certò deprehendi poſſit, quum videlicet res illa in ſeſe plus quàm dici poſſit & annorum ſerie & rerum varietate inuoluta videatur. Primùm igitur ſtatuendum illud nobis eſt, agi hîc de cœtu illo hominum variis locis & temporibus hîc agente, qui Dei veri cultum ſub ſpe & fide ſalutis ęternæ ab ipſo per vnius Chriſti nomen accipiendæ profiteatur. quanuis autem iſtiuſmodi cœtus neq; haberi neq; regi poſſit ſine hominum miniſterio, vti ex ipſa Domini ordinatione cõſtat, non tamẽ ex eo cõſequitur Eccleſiam ab hominũ miniſterio pendere abſolutè, ſed quatenus illorum opera vti Domino viſum fuerit. Horum autem hic ſenſus eſt,neque quum paſtores ſincerè munere ſuo C funguntur, aliud tamen quàm vt teſtes & præcones veritatis habendos eſſe, neque quum illi ab officio ceſſant,Dominum ipſis alligatũ eſſe, quin in ſeſe omnem regendæ Eccleſiæ curam recipiat. Ratio eſt,quia quocunque modo regatur Eccleſia ſi Eccleſia eſt, generatio Chriſti ſit & quaſi partus Spiritus S. ſemper agnoſci debeat. Iam verò vt primaria illa nota Spiritus Domini cuius veluti vtero Eccleſia geſtatur, extra quoque percipiatur, ac non in cogitatione aliqua volitare exiſtimetur, inſtituit Dominus ipſe Verbum ſuũ per Apoſtolos conſignandum Eccleſiæ,ex quo & fidem & cultum omnem ipſi gratum perpetuò hauriret,atque in ſeſe exhiberet. Sunt autem Verbi ſcripti ſummæ quædam partes duę,quibus Eccleſiæ adminiſtratio legitima & irrefixa continetur. Vna eſt in verbi ipſius auditione & interpretatione recta, poſita, quæ in Chriſti beneficio & veritate amplectenda omnes à ſummo ad infimũ contineat. Altera in rituũ pauciſſimorũ eodem verbo præſcriptorum religioſa obſeruatione, quę ſpiritualem Eccleſiæ conditionem per eundem Chriſtum teſtificetur , vt in illius fide & cultu omnes tanto magis confirmentur. Sunt iſtæ(inquam) ſubſtantiales veræ Eccleſiæ notæ. Quod

A autem ad ritus ſiue modos agendi pro varijs circunſtātiis rerum, locorum, temporum, perſonarū, quibus vix etiam carere poteſt omnis conuentus Eccleſiaſticus, quoniam in eiuſmodi rebus vſurpandis ædificatio vna pro legitimo ſcopo ſemper habenda eſt, quicquid, inquam, ijs in rebus poſitū eſt, propriè ordinem externum ſpectat, non autem ad conſcientiam per ſeſe pertingit. Iſtiuſmodi fuerunt fortaſſe iam olim quæ prout Eccleſiæ decentius viſum erat, in lócis, horis, vaſis, oblationibus, & reliquis eiuſmodi rebus externis, ſimpliciſſimè ſine vlla cultus adſtrictione obſeruabātur. Quū igitur nihil ex illis ritibus ad Dei cultum propriè pertineat, nimis abſurdum fuit ſummam Religionis Chriſtianę in illis repoſitam tradere, etiamſi nihil illic veræ Chriſti inſtitutioni repugnans notari poſſet. Neque enim dubito hoc affirmare, quod ſi quid ab Apoſtolis ipſis ſine vlla exceptione traditum ordinatúmve quod ad externa iſta attinet liquidò obtēderetur, quod tamen in abuſum deinde tractum ſit quacunque occaſione, illud inquam etiam ſi (quod cum venia B dictum ſit) de ipſiſſimamet MISSA oſtendi poſſet, déque ipſo Romani Antiſtitis PRIMATV, totum illud tamen illis ipſis auctoribus, & auctore qui in illis egit Spiritu reſecandum abrogandúmque eſſe, nequid vnquam Eccleſiæ luminibus, Chriſti Domini nempe beneficio & veritati ſingulari ac perpetuę, vel tantillum officiat. Dicamus igitur, Si Eccleſia regimen illud certum quo Chriſti agnitio continetur, vti omnino debuit, integrum retinuit, quanuis non vna ex cauſa intus vel extra conflictata ſit, Eccleſiam quoque rectè ſibi tum conſtitiſſe. Quod ſi eadem illa Eccleſia à natiua illa puritate per humanam infirmitatem ita degenerauit ſenſim, vt tamen ipſam lucem veritatis, aliquo modo retineret, & ſibi applicaret, ita tū quidem laborare illam cœpiſſe, vt tamē pax illius ſtudioſè adhuc retinenda fuerit. At verò ſi tanquam remoto pudore & metu, ſuo tantùm ingenio vti præſumpſiſſe hominum ille cœtus ſub humano capite, Chriſto & verbo ipſius inſuperhabito, deprehendatur & cōuincatur, tum demum ſub illo viſibilis Eccleſiæ nomine Filium illum perdi- C tum caput extuliſſe certò ſtatuamus, quicum nihil eſſe ſibi commune pij omnes teſtari debeant, quantum dederit Dominus.

Vt autem omnium iſtorum verior & expreſſior demonſtratio velut oculis ipſis ſubiiciatur, ex qua nempe & occaſiones & inclinationes rerum in Eccleſia denotentur, hominibus ad res tantas nūquam ſatis vt par erat attentis poſt Apoſtolorum exceſſum: conſtituētur à nobis quinque veluti ętates Eccleſiæ, quibus ætatibus totum illius curſum & peregrinationem ab Aſcenſione Domini ad hæc tempora perſtringemus.

Sit igitur prima Eccleſię ętas ſub Apoſtolis ipſis ac primariis ipſorum diſcipulis, per annos ferè ſeptuaginta, poſt Domini aſcenſionem, ad Traianū.

Secunda ætas à Traiano ad Conſtantinum ſub Martyribus illis numeroſiſſimis, per annos ducentos & amplius.

Tertia ętas à Conſtantino ad Phocam ſub eximiis & doctiſſimis Epiſcopis quos Doctores Eccleſiæ vocarunt, per annos circiter trecentos.

Quarta à Phoca ad Carolum Magnum ſub initia inſignium mutationum tam in Eccleſia quàm in Republica, per annos ducentos plus minus. A

Quinta demum à Carolo illo Magno ad Carolum Auſtriacum, & quod ab illo hactenus excurrit, per annos ferè octingentos: quo quidem tempore maximè cœpit Dominus aliquot in locis Eccleſiæ ſuæ reliquias colligere, & ſuis natalibus reſtituere. Et ſanè noſtra fraus omnis eſt, & indigniſſima ingratitudo, quod tam incomparabile Domini beneficium quandoque interuerti videtur ac retroferri. Sed ille nobis ſit ſpes à turbine, & vmbraculum ab æſtu, qui refugium fuit ſuis ſemper à generatione in generationem.

Quod igitur ad primam illam ætatem quam Apoſtolis præcipuè tribuimus, attinet, agnoſcimus ex ipſius veritatis teſtimonio, nihil non illic ſinceriſsimum fuiſſe ac vegetiſsimum. Nam & verbi prædicatio qua Chriſti agnitio traditur, tanquā ex ipſius Chriſti ore in egregiis illis ipſius organis perſonuit, & tota Eccleſiæ adminiſtratio ſpiritualem ſuam innouationem & quaſi à Legis iugo liberationem appoſitiſſimè teſtata eſt. Quāuis autem vix colligere potuerim quis ordo quæve ratio docendi vel agendi in miniſterio Apoſto- B lorum teneretur, quia videlicet in tantis rerum initiis occaſiones & circunſtantiæ non eædem idē ferunt, adeóque plerique initia quædam fidei, vti in cap. 6. ad Hebr. citantur, tantùm primò caperent, in genere tamen non dubito, quin duplex forma docendi obſeruata fuerit iam inde. Vna, quæ ad initiādos ſpectaret: altera deinde ad adulteros in fide paſcendos, magiſque ac magis confirmandos, quod notat Apoſtolus 1. ad Theſ. 3. dū ait, vt compleamus quæ deſunt fidei veſtræ. Atque horum omnium ſummam ex ſcripturis peti ſolitam, ad Chriſti beneficium vt ad ſcopum relatam, ad fidei analogiam & fidei appēdices Baptiſmum & Cœnam, & reliqua eiuſmodi exactam fuiſſe, perſuaſum habeo. quæ verò peculiariter agenda, vrgenda, toleranda publicè vel priuatim, illa inquam ita prudentiæ Eccleſiæ relicta, vt ſemper libertas illa ſpiritualis à Chriſti beneficio inſeparabilis ad omnium ædificationem cum charitatis vſu retinēda aſſereretur. Sed tamē hîcquoque diſſimulari non debet, quod ab Eccleſia vix vnquam C ſeparatum iri ſperari poteſt, nempe, non vna ex occaſione fœliciſsimam illam Eccleſiæ ſub Apoſtolorum Miniſterio educationem non ita paſſim proceſſiſſe, quin eodem ferè momēto initia quoque malorum à Satana immiſſa ſint, quę deinde optimis quibuſque non ſatis ad opus Domini attētis, ipſius Chriſti Agnitionis fundamenta iam inde perturbarent. Vidit enim Satan quod res erat: non poſſe certius aut grauius noceri operi Domini, quàm ſi ipſiuſmet occaſione ad illud tentandū ab ipſis initiis abuteretur. Neque tamē hoc quodcunque extiterit adeò de Apoſtolorum integerrima fide & opera detrahit quidquam, vt potius inſignia illa Spiritus ſancti luminaria tanto purius eniteſcant, vbi lucem illam ab illis oblatam, nō ea qua decuit ratione perceptam, & ad ſuum vſum relatam fuiſſe contendimus. Hinc igitur iudicium de reliquis Eccleſiæ ætatibus ducendum eſt. Neque enim vnquam ſe melius habere potuit quàm ſub Apoſtolis ipſis Eccleſia, cùm incomparabili illo Spiritus dono perfuſa, & lucem veritatis certiſsimam vndique circunferret, & puriſſimum adhuc ſuccum ac ſanguinem generationis illius ſpiritua-

A ritualis retineret. Quid igitur ætas illa prima pati
iam tum potuerit expendendum nobis eſt. Hoc
autem non poteſt commodius exquiri, quàm ſi
in vna illa Chriſti agnitione hæreamus,in qua ve-
rè proram & puppim ſtatus Eccleſiæ poſitam eſſe
initio cōſtituimus.Chriſti igitur agnitio duo prę-
cipuè complectitur. Vnum eſt, vt quis in ſeipſo
Chriſtus ſit,Alterum,vt quid in nobis,intelliga-
tur.Primum,diuinæ & humanæ naturæ vnionem
perſonalem, alterum, officium ſiue beneficium
perſonæ illius quæ Chriſtus eſt, erga Eccleſiam
complectitur:ac in ſumma, vt qui ſeruator & di-
citur & creditur,& tātum potuiſſe & reuera præ-
ſtitiſſe oſtendatur. Debitum enim Humanæ na-
turæ in Adamo reæ coram Deo non potuit ſolui,
niſi per æquiualens aliâs indebitum. Vnúſque ex-
titit ſecundum Dei promiſſionem Ieſus Chri-
ſtus Filius ille Dei Deus Homo qui vt ad eam
rem exactè præſtandam idoneus à Deo Patre
miſſus in mundum, totum illud ſalutis noſtræ
negotium in ſeipſo ſuorum omnium nomine
perageret.Vnum eſt etiam illud Myſterium Chri-
B ſti, in quo vno inſinuando totus eſt Apoſtolus
nominatim,vtpote in quo vno Eccleſiæ vita pla-
nè contineatur,ſi dextrè accipiatur vt par eſt: &
contra, ſanitas Eccleſię ſtare non poſſit, illo eo-
dem arcano quouis modo obſcurato, nedum in-
dignè ſepulto,vti tandem accidit. Ergo quod ad
illam de Chriſti perſona & in illa exiſtentibus na-
turis veritatem attinet, quanuis nihil non moli-
tus ſit Satan ab initio,quo illam quacunque poſ-
ſet vel per ementitos ex Iudæis Chriſtianos, vel
per alios quoſuis ſubuerteret,quia tamen res erat
apertior in ſeſe,quàm vt verè pium quēquam per
illa tempora lateret,nihil effecit Satan, quod Ec-
cleſię tandem magis in bonum non cederet.Nam
& monſtroſa illorum ingenia qui de Chriſti natu-
ris vel perſona, vel etiam de tribus in vno Deo
ſubſiſtentibus perſonis, extra Dei verbum quaſi
cum ratione inſaniendo impiè loquebantur, non
incommodè retecta ſunt, eorúmque damna-
tæ blaſphemiæ: & piorum tanto magis confir-
mata in rebus ſacris tractandis fides atque re-
C uerentia. Sic igitur illa hoſtilis impreſſio Ci-
uitatem Dei perfidis ciuibus repurgauit, vt ve-
ros atque probos tanto magis eaoccaſione com
mendaret. Hoc autem toto de Hęreſibus, Au-
guſtini libro, & commentario illi adiuncto ap-
poſitè comprehenditur. Atqui non in eo conſti-
tit Satan, vt per apertos tantùm illos hęreſiarchas
bellum veritati inferret, quod ipſum tam ſtrenuè
repelli ſentiret. Sed potius quaſi nihil aliud val-
dè Eccleſiæ aliunde timendum eſſet, dum in illa
dogmatum in ſeſe longè præcipuorum aſſertio-
ne bona ex parte ipſam diſtinet, interea non vna
ex occaſione ipſa illius præcordia ita tentauit, vt
quaſi aliud agens,ab illa liquida & exacta Myſte-
rij Chriſti perceptione & ſeria profeſſione pios
adeò ipſos nihil minus cogitātes ſenſim auerteret.
Neque verò res illa nunc quidem longa demon-
ſtratione indiget,quando ipſæ ſcripturæ Apoſto-
licæ hoc omnes quaſi vno ore clamitant.Si quidē
Eccleſia in ſynagoga primùm educata & ad Gen
tes traduci cœpta, rariſsima adeò fuit illa ſpiri-
tualis prudentia & moderatio in pleriſque, quæ
quid & quorſum & à quibus & quandiu toleran-
dum condonandúmve eſſet,ſatis appoſitè videret,
vt vel optimis quibuſque oculi in illis rebus cali- A
garent. Sic igitur illa Gentium cum Iudæis ſub
Chriſti nomine in Eccleſiam coalitio ſuas difficul
tates experiebatur à ſubdolis operariis,vt vix ſatis
Apoſtoli ipſi apud hos vel illos exaudirentur, dū
appoſitam inter omnes vnionem ita procurant,vt
ſemper ad Chriſtum agnoſcendum reuocent, &
in eo retineant.Quod autem ad Gentes peculiari-
ter attinet,vel ex aliquot prioris ad Cor.locis con
ſtat,itémque ex 2.& 3.Apocalyp. nominatim, non
defuiſſe & illic initia infelicia ſcandalorum, quæ
quidem cum ſecuritate & inflatione multa radices
agerent paſsim, quantumcunque ſpiritus etiam
Domini per Apoſtolos intercederet, vel in herba
nata ſemina necaret.Eius autem quam notauimus
præcipuæ occaſionis longè maximi in Eccleſiam
irrepentis mali per illegitimam & minimè natiuā
Chriſti Domini agnitionem, argumenta certiſsi-
ma colligi poſſunt(vti diximus)ex perpetuis Apo-
ſtolorum teſtimoniis. Etenim vnum illud ferè
habent propoſitum vt veritatem de Chriſti bene-
ficio traditam aſſerant aduerſus importunos ho-
mines & improbiſsimos ſeductores, qui quidem B
omnia Chriſti nomini tribuendo, reipſa homines
vel in ſeipſis vel in euaneſcentibus pædogogiæ
legalis ritibus adfigebant. Teſtis perpetua ad Ga-
latas epiſtola. Teſtis & bona pars ſecundi ad Co-
loſſenſes epiſtolæ capitis. Imprimis autem hoc
totū quamſcitiſſimè ab omnibus ſimul Apoſto-
lis quaſi ad ipſum Spiritus Chriſti tribunal his
paucis verbis traductum notari poteſt, notiſſimo
illo loco Actorum Apoſtolorum,Quidam ex no-
bis egreſſi turbarūt vos labefactantes animas ve-
ſtras,iubentes circūcidi & ſeruare Legem, QVI-
BVS NON MANDAVERAMVS. Sic igitur iſti
falſo mandatarij iam tum ſeſe ingerebant, & quā-
tum erat in ipſis Chriſti lucem ac beneficium per
Eccleſias ſuffocabant:vnde,vt etiam diximus,vē-
tura ætas poſt Apoſtolos eam infirmitatem con-
traheret, quæ tandem Eccleſiam per ſeſe vel ſine
vlla externa impreſſione ſubrueret. Quæ enim
Chriſti agnitio illa eſt, vbi quid ab illo ad Eccle-
ſiam proueniat,ferè ignoratur? Hoc autem ſubie-
ctis aliquot exemplis illuſtrare operæpretium erit
vt quanti fuerit momenti iſta ſub initia ipſa Ec-
cleſiæ gliſcens lactis viuifici indigeſtio, certius C
connotetur, & ad reliquias ætates porrigatur.
Quum igitur articuli fidei quos vocant in omni-
bus Eccleſiis rectè intelligerētur & perſonarent,
multum aberat tamen vt quis eſſet vſus illius in-
comparabilis Symboli ſatis appoſitè quemadmo-
dum Apoſtoli docuerant, apud quamplurimos
conſtaret.Baptiſmus nempe quo homines in Ec-
cleſiæ cœtum ſub Chriſti nomine aggregabātur,
eò iam referebatur,vt per illud lauacrū ab omni-
bus peccatis ante admiſſis ablui homines ſtatuen-
do,plenam & exactam(pro inchoata tantùm)Spi-
ritus ſanctificationem atque ab illa manantem in-
nouationem adeptos eſſe exiſtimarent. ita videli-
cet Sacramentum beneficij Chriſti interpretabā-
tur,vt ipſummet Chriſti beneficium vel ignora-
rent vel confunderent. Ablutio enim in Baptiſ-
mo accepta perpetuam ſordium omnium expur-
gationem nō eo ſenſu habet, quaſi nihil ſupereſ-
ſet in baptizatis non innouatum & ſanctificatum:
ſed quatenus perfuſio ſanguinis Chriſti omnes
omnino baptizatorum in fide maculas quod ad

A reatum abſtergit: ac ſimul arcanum ſanctificationis germen immittit, quod ſuo tempore & modo Spiritum Chriſti in ſuis membris teſtetur atque exerat. Coniuncta erat & altera quędam ignorantiæ nebula, quæ ad iſtam fouendam valeret. Plerunque enim quænam eſſet illa peccati originalis labes, & quàm profundi illius receſſus vel maximè ante, vel etiam poſt Baptiſmum pauci attendebant. Inde illa vtriuſque hominis ſtatus nempe & ſine & in Chriſto cōſiderati deſcriptio ſub verbis carnis & ſpiritus ad ſenſum humanum detorta: quaſi caro nō hominem totum vt Adami prolem, ſed tantùm affectus prauos, Spiritus autē non etiam hominem totum internum à Spiritu Chriſti quaſi in lucem editum, ſed rationem & intellectum vt nobiliſſimam hominis partem deſignaret. Hæc autem & Iudæis etiā noua, & Græcis abſurda videbantur, ex communi omnium ſenſu ac iudicio. Inde etiā illa operum ita anxia apud pleroſque inculcatio, & cum ea ſtatim coaleſcens exquiſitior vitæ ratio, à coniugio & cæteris vitæ vſibus remotior, tanquam per ſe acceptior Deo. B Inde etiam vitæ cuiuſdam ſocialis in Ægypto maximè, quaſi ſub Marci illius Petri diſcipuli nomine, ab Apoſtolorum exemplo ducta quædam informatio. Inde illa Legis & Euangelij indiſcreta acceptio: quaſi aut Euangelium lex quædam, ſed magis ſpiritualis eſſet, aut noua quædam ſalutis obtinēdæ ratio, quaſi Lex vnos Iudæos ſpectaſſet. Denique vel vnum iſtud caput de recto intellectu & vſus & differentiæ Legis & Euangelij minus dextrè perceptum iam ab initio, totam rem Eccleſiæ ita permiſcuit, vt vix vnquam deinde quid omnino ſibi vellet Chriſti Domini nomen, & quouſque illud porrigeretur, neque in doctrina neque in ritibus Eccleſiæ ſatis attenderetur. Quoniam enim Euangelij luce vetus hominum εἰδολωμάνια primùm impetebatur, in eo ferè capite non pauci acquieſcebant, vt Chriſtianum nomen εἴδωλα profligaret, ac proinde Chriſtus Dominus vnus verus Deus auctor melioris vitæ per ſuam reſurrectionem & adito propter illam Martyrio prædicaretur. Alij paulo vlterius progreſsi, non tantùm C imitandum ſibi in cruce ſubeunda pro veritatis teſtimonio Chriſti exemplum ſtatuebant, ſed etiā vt auctorem omnis gratiæ in ſua per Baptiſmum innouatione & ſanctificatione agnoſcebant.

Pauciſſimi verò ad ſummum ipſum Chriſti agnitionis punctum attendebant, vt perpetua beneficij ipſius & perfectæ erga Patrem obedientiæ imputatio ſitientiſſimo conſcientiæ ore ſincera fide ſemper hauriretur, ad obtinendā apud Deum ſolidam & gratuitam iuſtificationem. Denique quid in fide quid in operibus poſitum eſſet, quæ fidei vis, quæ origo, quis operum vſus & ſcopus promiſcuè plurimum, non autem enucleatè, plerique expendebant. Quod autem ad ritus etiam attinet, quanuis ea tum ſimplicitas & ſobrietas vſurparetur quæ Apoſtolicam ingenuitatem ſatis referret, neque tamen ea in parte ſatis commodè etiam exemplum Apoſtolorum à Domini ipſius inſtitutione ductum obſeruabatur. Quia enim in Cœna Domini mentio fiebat ſacrificij corporis ipſius pro nobis omnibus oblati ſemel, vt illius deinde communicatio atque perceptio pios omnes in tanti beneficij prædicatione exerceret, videri iam tum etiā potuit ineſſe actioni illi Cœnæ Domini ſpecies quædam auguſtæ oblationis. A quia item communicatio ipſa corporis Chriſti in panis illius fractione arcani aliquid habebat quod ſola fide caperetur, affixa eſt etiam impenſa quædam reuerentia tum ipſis Symbolis in ſeſe, tum illi etiam actioni quæ etiam myſteriorum nomine donata fuit, parum fortaſſe oportunè. quia denique in ipſa illa actione Chriſtus Dominus panem manibus tenens ita gratias Patri egerat, creditum eſt ferè iam tum etiam in illa agendi ratione ſubeſſe & conſecrationis alicuius realis argumentum, & oblationis quoque exemplum. Contulit & ad illam opinionem non parum conſuetudo illorum temporum, quum ad menſam Eccleſiæ quiſque munera illa offerret, quę gratiarum actionem erga Deum, charitatem & communionem erga proximos teſtarentur. ex quibus etiam panis & vinum ſecernebantur in vſum Cœnæ Domini. quę ergo propter illa munera concipiebantur benedictiones ad Deum, iam aliquē ad Cœnæ Domini pro ſacrificio peculiari habendæ gradum faciebant, quanuis omnia iſtiuſmodi initio vix in ſeſe periculoſa haberentur. Tanti momenti eſt B non tantùm quid & à quibus, ſed qua etiam mente & conſilio fiat factúmve ſit ſeriò expendere. Hinc enim illa deinde Traditionū indigeſta moles ſub Apoſtolorum nomine bona quam vocant fide ſenſim irrepſit, cuius cùm certa fundamenta neque ex Apoſtolorum ſcriptis neque ex vllo vſu qui illorum prouidentiſſimam mentem referat colligi poſſint, tamen antiquitatis nomine ſacroſanctæ habentur. Notari poteſt & vnum vel alterum exemplum ſimile ſuperiori in eo, quòd quæ fiebant ab Apoſtolis, non vti par erat ex illorum intentione deinde ab aliis vſurpata ſint. Vnctionis vſum erga ægrotos Apoſtolicum fuiſſe ſatis conſtat: quorſum illud? Nempe vt teſtimonium eſſet virtutis & gratiæ Chriſti etiam erga ipſa corpora, ex quo præcipua illa Chriſti vnctio ſpiritualis erga animas commendaretur (& tamen pleroſque ſimplici tactu ab Apoſtolis ſanatos eſſe conſtat.) Factum eſt & inde præpoſterè vt vnctio quoque ad omnia illa applicaretur. in quibus gratia & virtus ſpiritus Chriſti requireretur C, vt verbi gratia, in baptiſmo vel poſt baptiſmum catechumenorum, in ordinationibus etiam miniſtrorum Eccleſiæ. & tandem nullus vnctionum finis. In Baptiſmo quidem adultorum nominatim, vti tunc plurimum fiebat, aliquot interrogationes fieri ſolebant & abrenunciationes requirebantur, non illæ quidem ſine ſuo vſu & fructu: ſed quod ad nouas cerimonias attinet, humano affectu vt & iudicio inuectas fuiſſe probabilius multo eſt. Fit quidem oleo curatorum mentio etiam à Tertulliano: ſed vt neque rei promiſcuæ, & iam tum rareſcentis. Alterum etiam notari poteſt quod ad ordinē Eccleſiæ ſpectat, nempe quod ab exemplo quoque Apoſtolorum non à ſenſu ductum ſit. Solebant omnino ſancti illi viri in cœtu Eccleſiæ honorem aliquem vel ſeniori habere, vel alicui alteri, qui idonea occaſione inter fratres quaſi primarius ſederet: quod Petro etiam deferri potuiſſe nolim in dubium reuocare. Nam & ratio omnino poſtulat, vt in communi cœtu aliquis vel ſua vice vel alio quouis ordine præſideat, dummodo ordo iſtiuſmodi nullā graduum inter æquales & planè collegas, differētiam inuehat.

A inuehat. Factum hinc igitur vt nomen Epiſcopi
eo ſenſu irrepſerit per multas Eccleſias, quaſi Epiſcopus
perpetuus aliquis ordinandus eſſet, qui
reliquis compresbyteris excelleret & ſuperior haberetur.
Hoc verò Apoſtolicum non eſſe, tum eorum
exemplo, tum doctrina conſtat. Primatus verò
Romanæ ſedis Petri nomini & apoſtolatui accenſus,
neſcio qua credulitate quaſi in cœlum ſublatus
eſt iam olim, quanuis non illa tum quidem
impotentia & ambitione, quæ paulo pòſt in pleriſque
retecta eſt. Et fortaſſe occaſionem illi opinioni
dedit, quòd pro illo tempore Hieroſolyma
euerſa prorſus, Eccleſia Chriſti alteram ſedem in
vrbe imperij primaria & quaſi altera Hieroſolyma,
ſcilicet, inueniſſet. Sunto igitur pauca de multis
exempla interuerſæ Eccleſiæ educationis ſiue
in doctrina ſiue in ritibus: ex quibus iterum hoc
ſtatuatur, ſementem videlicet ab ipſis initiis ſubmiſſam
inde eſſe, quæ zizania cum vero frumento
ederet. ac proinde quãuis ad vltimum vſque diem
iſta rerum confuſio iam diu producta duratura videtur
ex Domini ipſius admonitione, non eſſe tamen
B ad illam ſtertendum quaſi ad caliginem ex
ſpiſſitudine tot ſæculorum Eccleſiæ obductam.
Maneant igitur iſta ex totius iſtius ætatis diſquiſitione
firmata: Apoſtolorũ nempe ſtudium, fidem
& ſapientiam verè cœleſtem omnino in Eccleſia
inſtituenda & quodammodo parturienda certiſſimè
conſtitiſſe: extitiſſe item illius hunc fructum
ſingularem, quòd veri Dei agnitio & Chriſti Domini
melioris vitæ autoris prædicatio orbem terrarum
quodammodo innouarit. Reliqua verò quę
verè tum Chriſti beneficiũ, tum illius percipiendi
rationem ſpectarunt, non eadem attentione
percepta iam tum qua decebat: incidiſſe item eiuſmodi
tempora, quæ bonos viros in parte veritatis
aſſerenda occupatos, humanis iam morbis implicarent,
vnde tandem Eccleſia tanto plus detrimenti
caperet, quãto res eæ temporis tractu profundius
radices egerunt. In genere enim veritas
illa Dei quæ nouiſſimis ſęculis ab ipſo Chriſto palam
eſt tradita, ita omnibus hominum mentibus
ſuperior eſt, ſi intus non autem in cute tantùm inquiratur,
vt vix vllo ſæculo liquidò in ſuis partibus
C præcipuis ſeriò agnita fuerit. Semper enim
quod Dei eſt humano more accipitur. Quúmque
doctrina de Chriſto homini ſuam perpetuò nuditatem
improperet, vt vnam ſibi in Chriſto iuſtitiam,
ſapientiam, ſanctificationem, redemptionem
oblatã amplectatur, quid hoc valeat & quouſque
peruadat nõ modò rariſſimè cogitatum eſt
ſemper, ſed qui ab eo longiſſimè diſceſſit, modò
ne contra ferri videretur, maximè à ſapientia ac iuſtitia
humana apud homines eſt commendatus.
Atque hoc ita ſe habuiſſe ſubſequuta deinde quæ
nos ad ſe vocant ſæcula oſtenderunt: quæ quidem
non ita degeneraſſent à pietatis notitia ſolida &
ſimplici ad tot extraneas nouitates, niſi exſuccum
illud primæ ætatis lac habuiſſent. Sic igitur Domino
viſum eſt apud gentes & populos ſolem illum
Chriſti Domini retegere, vt ſimul etiam ſuos
non vno modo humiliaret, & vt Myſterio iniquitatis
quod iam tum interi incipiebat, ianua panderetur,
quod noſtra hæc nouiſſimorum nouiſſima
ſæcula in cœlum vſque eos ponentia teſtantur.
Et de illa quidem prima ætate hactenus. Quæ
enim extra Apoſtolorum ſcripta apud hos vel illos
auctores de temporibus Apoſtolorum leguntur, A
illa ita partim fabuloſa ſunt, partim etiam implicita;
vt ferè iam tum cum exceſſu Apoſtolorum
tenebræ rediiſſe videantur, & quiduis credi
cœpiſſe in multis Eccleſiæ rebus.

Ætas ſecunda primæ equidem ita reſpondit, vt
quæ ab illa integra acceperat, optima fide & incõparabili
zelo aduerſus cruentiſſimas multorum
annorũ perſequutiones conſtanter aſſeruerit: quæ
ſecus, in illis bonã fidem nimis ſimpliciter agnouerit,
ac nihil in melius in vſu doctrinæ vel Sacramentorum
reformarit. Sic & veram de Deo vno
doctrinã aduerſus totius orbis tum πολυθείαν tum
εἰδωλομανίαν latiſſimè propagauit: & tũ Hæreticos,
tum eorũ patriarchas Philoſophos de Deo & de
Chriſto impiè ſentientes præſentiſſimo veritatis
clypeo excepit: & denique quod potuit, & pluſquã
potuit adulta iſta Eccleſiæ ætas laudatiſſimè præſtitit.
Vnum illud maximè iſti ætati nocuit, quod
dum nõ ſatis attendit quid verè Apoſtolicũ à ſuis
patribus haberet, humanos potius ſenſus & diuerticula
humanæ ſapiẽtiæ ſenſim captare cœpit. Atque
ea occaſione abuſus eſt Satan nominatim, vt B
quum iſtorũ fidem atque zelum fruſtra contentis
perſecutionibus tentaret, eorundem infirmitatem
& ſimplicitatẽ quandã in beneficij Chriſti doctrina
non ita exactè perſcrutanda aleret ac foueret.
Ritus autẽ & cerimonias quaſdã hæc quoque ætas
nimis cupidè amplexa eſt. Accidit verò hoc totum
iſto ſæculo tanto incõmodius, quanto & à ſumma
integritate, & à cognatione quadã cum Apoſtolico
illo ſuperiore commendatius fuit. Quæcũque
enim tum vel primùm enata, vel latius propagata
ſunt illius generis, quæ ad ſimplicitatẽ & ingenuitatem
illã Chriſtianiſmi obſcurandã faciebant, illa
omnia ab ætate inſecuta deinde pro ſumma qua
iſtã proſequebatur reuerentia, tanquã merè Apoſtolica,
ac nihil minus quàm quod erant humanæ
mentis fœtus, habita ſunt, & pro talibus ad poſteros
omnes ſine vlla exceptione tranſmiſſa. Quod
igitur ad illã partẽ doctrinæ attinet quæ iſta ætate
apertè adhuc oppugnabatur tũ ab Hæreticis, tum
ab aliis planè extraneis hoſtibus, eluxit omnino
ſingulare tum etiã Chriſti donum in aſſerendis ab
Eccleſia ex Scriptura dogmatis fidei & diſciplinæ C
quoq; vigore ſincerè & enucleatè. Et qui à ſanctis
viris tum impenſus eſt labor, toti Eccleſię magno
vſui fuit, etiãque ſemper vel ad illa ipſa quæ indignè
deinde ſcriptis illorũ adſuta ſunt, cõuincenda.
Sed tamen ſi quis attentè cõſideret, planè reperiet
duo quędam in illis etiã meritò deſiderari. Magna
enim linguarum ignorantia tum ita bonos viros
torquebat, vt in plena luce plerunque palparent:
quod malũ etiã deinceps creuit in dies ad noſtra
vſque tẽpora. Interea verò iſta etiã ætas ſuis ſpiritualibus
donis nõ prorſus deſtituta, illis etiã plus
quàm par eſſet acquieuit, dum veræ Scripturæ tractationi
minus ſeriò incumbit: vnde perpetuum
Eccleſiæ detrimentum. Nam & melius plerunque
dicunt quàm probent, dum ſcripturas minus dextrè
accipiunt: & quod ab illis optimè dicitur, ita
quidem traditur, vt ferè quid tenendum ſit vel ſecus
tractaſſe contenti, cur hoc ita tenendum ſit omittãt,
id eſt artem magis quàm vſum artis perſequãtur.
Atqui in Eccleſia omnia ad vſum referenda
ſunt. Videamus igitur quid iſta ætas humani
paſſa ſit, & quibus occaſionibus, & quò etiã euẽtu,

A Quum igitur non voce ſcripturæ tantùm, ſed ipſo corporis muro obiecto, id eſt vita vero impenſa, Chriſtianis paſſim decertādum eſſet aduerſus recrudeſcentes ſubinde perſequutiones, factum eſt inde vt laudatiſſima Martyrij aditio pro ſummo & ferè ſingularis Euangelij ſcopo iudicaretur, & tantumnō ambiretur. Quum etiam aduerſus Philoſophos conſiſtendum eſſet, qui ſimplicitati veritatis contumelioſè pro ſuo ingenio inſultarent, non raró optimi Dei ſerui ita ſeſe contorſerunt, vt illorum artes euaderent, vt magis ex ipſorum ſcriptis, quàm ex ſcripturæ ſenſu decertarent. Hoc autem non inconſultè eatenus, vt ſuo ipſos gladio iugularent. Sed quoniam ipſa intus Eccleſia toto veritatis Chriſti pabulo reficienda erat, vt & micę ipſæ ad extraneos peruenirent, vix veræ de Chriſti beneficio perpetua vita ſibi cuique in Eccleſia applicando reliquiæ tum appoſitè apponebantur. Denique Eccleſia tota externis hoſtibus vexata, internam inediam minus agnouit, aut myſteriis, vti iam inſtituta eſſe poterant, ſuas anguſtias ſuſtinuit ex parte, aut ſub Chriſtianiſmi titulo palpitantem B adhuc Iudaiſmum in quibuſdam retinuit, neque à Paganiſmo ad Chriſtianiſmum inflexo in omnibus abhorruit. Scripturæ porrò ſenſum & vſum per allegorias euagando mirum in modum ornari à ſe plerique poſt Origenem & ante illum, tum ſibi, tum aliis, perſuaſerunt. Gliſcebat & illis tēporibus ſpecioſa illa τῆς ἀσκήσεως opinio, maximè propter incumbentes Eccleſiæ tempeſtates, coniugali interea caſtitate quaſi inferiori à continentia loco habenda. fit. n. mētio iſtiuſmodi exemplorum apud mulieres & virgines Chriſtianas multis locis extātium: quod ad monachos autem attinet tum re tum nomine pręter anachoretas & ſolitarios quoſdam Ægypti, vix ſcio an villa tum virorum examina eiuſmodi cœperint: & magis ſub ætatis ſequentis initium iſtos nidificaſſe probarim: tantùm paſtores plerique quos Epiſcopos & Presbyteros vocabant, iam à vita coniugali pedem ita referebāt, vt ferè in mores hoc abiret. Sed nec mulieres ipſæ vel virgines ita continentiam affectabant, vt nodum planè ſtringerent C vti deinde accidit: nec domos parentum ea occaſione relinquebant: adeò vt minus mali illic fuiſſe, immo & non parum ſæpe virtutis & pietatis videri poſſit. Attamen in genere omnis illa vitæ informatio, quæ quanuis Dei cultus ſpeciem extra Dei vocationem & Chriſti gratiæ fidem quærit aut conſtituit, non poteſt diu cum beneficij Chriſti agnitione conſiſtere. Sed quemadmodum Simiæ amant ſuos catulos, ita etiam quæ minimi ferè in pietatis profeſſione facienda ſunt, quia tamen ab humani ſenſus fundo prodeunt, omnes paſſim in ſui admirationem, pleroſque ad ęmulationem rapiūt. Quaſi verò ſatis Chriſtianus non eſſet: qui & in Chriſti beneficio ſalutis omnē rationem poneret, atque ita cū ſua infirmitate ſeriò ac perpetuò ex Domini virtute & vocatione luctaretur. Doctrina denique veræ fidei & verorum operum nō certo aliquo examine ab Euangelio petito, ſed vt res ferebant recto ſtudio tractabatur. Abſtentio item à promiſcuis cibis, obſeruatio quoq; memoriæ præcipuorū Domini ad ſalutē noſtram operū ſtatis præter diem Dominicum diebus huic ætati placere cæpit, quum tamē huiuſmodi ἐθελοθρησκείας in herba iam antè Apoſtolus enecaſſet. Signaculū porrò Crucis Chriſti in myſteriis quæ vocabāt, & A nominis Chriſti promiſcua vſurpatio ad ipſi' vim erga infideles aſſerendam ita paſſim in vſu fuit, vt ſumma quædam Chriſtianæ profeſſionis illic ſita crederetur. Atqui prædicatio crucis & beneficij tanti in illa à Chriſto Domino hominibus conſignati, illa ſunt verè quibus & crucis & Chriſti mētio applicanda eſt: neque ſine periculo vnum abſque altero proponitur. Adeò enim ſimilis ſui manet ſēper Satā, vt modò ne ita illū vrgeat viua illa Chriſti prædicati expreſſio in miniſterio verbi, omnia vel ipſe primus ſignis & verbis inanibus quaſi ad illa cohorreſcēs tribuere ſe fingat: quod ſanè non paucis iam olim impoſuit, quorum exempla nullo iudicio nunc ab aduerſariis repetuntur. Mortuorum item pro Chriſti nomine cōmemoratio in cœtu Eccleſiæ hoc ſæculo eam venerationem adiunctam habuit, quæ non ita multum iam ab inuocatione, quam & deinde peperit, diſtaret. Et quaſi ſatis hoc non eſſet ad pietatem erga illos teſtandam, ad ipſorum quoque ſepulchra quæ μνημεῖα vocabantur, cœtus Eccleſiæ conſiſtebant: vnde deinde Stationum nomina, & altarium B initia. Prima enim in Eccleſijs altaria illa fuiſſe probabile eſt, quæ eadem ſepulchrorum Martyrū ſumma erant faſtigia: quibus etiam ſepulchris tectoria ampliora ſuperducta ſunt, quæ & templa Chriſtianorum, & memoriæ Martyrum appellarentur. Iam verò quaſi de ſalute ante Baptiſmum morientium minus conſtaret, quúmque etiam de illorum qui extra Eccleſiæ communionem poſiti deceſſerant, ſtatu laboraretur, inofficioſa quadam pietate & pro his & pro illis commēdationes inuectæ ſunt, quaſi nempe ita nominis Chriſti veneratio amplificaretur, quum ad mortuos vſque nō extra ſpem aliquam ſalutis, porrigeretur. Opinio verò oblationis cuiuſdam, atque eiuſdem oblationis efficacitatis perinde etiam vires collegit, vnde tandem aliquando Sacrificium præſens ex opere operato pro viuis & defunctis obtinuit. In Baptiſmo perinde etiam ceremoniæ ſupperadditæ ſunt, quæ etiam totam rei per ſe ſanctiſſimæ commendationem atque pondus deinde ſibi vēdicarūt. Vnū etiā notari poteſt ex Tertul. maximè C autē ex Cypriano, quod per Eccleſias tū vſitabatur: vt qui quouis ſcandalo offēdiſſent Eccleſiā, illi adirent confeſſores in carcere martyrio deuotos, & ab illis pacē apud Eccleſiā cū remiſſione ordinariæ cenſuræ impetrarent. vnde magnæ turbæ in Eccleſia iam tum, & ſanctorum poſt mortem interpellatio inſinuata. Vltimò quod ad ordinē paſtorum in Eccleſia attinet, & ſibi quiſque tum Epiſcopus, quaſi altera Chriſti figura, ſupra populum & clerum quem vocant, thronum erexit: & Rom. ille Pontifex ſibi minimè omnium hac in parte defuit. Tum enim imprimis quaſi ſolo egreſſus caput ad nubila vſque extollere auſus eſt, maximè in Occidentis partibus, ac niſi à ſuis collegis vt Irenæo, Cypriano & aliis in ſuo ordine retineretur, ne ſub perſequutionū quidā mole ambitioſā illā ceruicem erigere diſtuliſſet. Nec temere illum ita libro De Pudicitia vellicaſſe ſtylo ſuo cenſorio Tertullianum credibile eſt: *Pontifex* (inquit) *Maximus quod Epiſcopus Epiſcoporum dixit, Ego Mœchiæ & Fornicationis funes dimitto. O Edictum cui adſcribi non poterit, Bonum Factum.* Denique vbi ſemel hoc receptum eſt, vt ſaluo Chriſtianæ veritatis iure quod ad conſcientiam & pium animi

A propoſitum attinet, quidlibet audere ius faſque ſit, non poteſt tractu temporis non multum damni ſanitas Eccleſiæ pati, dum vera agnitio illa Chriſti tot illis modis internum vigorem & guſtum amittit.

Hæc ſunt igitur infirmitatis etiã ætatis iſtius ſecundæ teſtimonia, quæ ſatis admonebant quàm non modò conſtanter, ſed etiam prudenter in cœleſti illa Euangelij luce percipienda verſari omnes deceret, niſi malum malo cumulatũ vellẽt. Atqui nõ in eo ſtetit illa iam Eccleſiæ inclinatio, ſed non ſine Domini iuſto iudicio res eæ vlterius progreſſæ ſunt, ex quibus deinde Catholiciſmi illa turris pro Euangelica extrueretur.

Tertia igitur ętas ita ſeſe habuit primùm, vt quę vel à precedẽte acceperat aduerſus hæreticos bella pro veritate profligãda, vel etiam recẽs illata ſuſtinenda, illa eadem inſigni pietate & eruditione freta, confecerit. Quum enim vndique velut agmine facto portentoſa vtique ingenia Eccleſiã laceſſerent, vt quæ ab externis perſecutionibus recreari incipiebat, tanto grauius à ſuis nomine tenus B domeſticis impeteretur, non defuit tamen operi ſuo Dominus. Euicit enim Spiritus ipſius in aſſerenda & Dei gloria, & perſonæ Chriſti ac naturarum certiſſima illa veritate: quum & Ariani funeſtiſſimi, & Manichæi nefandi, & Donatiſtæ pluſquam amentes, & alij ferè innumeri hinc inde ordines aduerſus Eccleſiam ducerent. Quod autem ad illam beneficij Chriſti agnitionem attinet, ita iam olim res ea à recto intellectu deflexerat, vt vix ipſe Pelagius beneficij Chriſti & omnis ipſius veritatis reipſa aduerſarius, pro hæretico haberetur: quaſi nimirum philoſophia & Chriſtiana doctrina in gratiam iam planè rediiſſent. Siquidem mutato nomine, & mitigatis quibuſdam Pelagij aſperitatibus, non pauca tum in Eccleſia audiebantur, quæ cum illo facere viderentur. Vnus tamen extitit Auguſtinus ſingulari Domini prouidentia, qui hoc ipſum bellum imprimis tentaret & perageret: quãquam à ſui ſeculi hominibus fortaſſe ne ſatis quidem exauditus. An verò & ipſe Auguſtinus Pelagium legitimè oppugnans, nihil C pluris etiam ſanctificationi per Baptiſmum oblatæ tribuerit quàm Scriptura doceat, ſubſiſto. Video enim morbum illum ita occupaſſe Eccleſiam per illa tempora, vt innouationem naturæ hominis in Baptiſmo, ferè vnam, eámque quaſi plenam omnino prædicarent. Vnde etiam alterum tum malum plurimum obtinuit, nimirum ſacramentis ipſis ineſſe vim illam ſpiritualem quaſi inhærentem, adeò vt qui non baptizatus excederet, à gloria Dei alienus futurus cenſeretur: & baptiſmi valde anxia adminiſtratio homines, imprimis recepto illo dogmate torqueret. Græci autem Scriptores & Doctores Eccleſiaſtici per iſta tẽpora inſignes, mirum in modum humanas quas ſomniabant vires extollebant. Hæc eſt enim illa Eccleſiæ veluti Helena, cuius occaſione omnia conflagrare cœperunt. Nempe vbi homo ſibi addicitur, & poſſe per ſe aliquid iactatur, ne otium intẽdatur & ſegnitia, ſcilicet: quaſi verò gratia Chriſti dextrè tradita, non omnes hominis partes vna ſatis ad bonum excitet, in eóque confirmet.

Reliqua porrò illa, quæ vt ſuperioris ætatis næuos antè notauimus, iſta demum planè Eccleſiam ita affecerunt, vt quaſi apoſtolica paſsim obtinerent. A Etenim vix ipſa Cœnæ Domini inſtitutio ſimpliciter retinebatur, quum vt ſacrificium corporis Domini paſſim actio illa commendaretur. Scio quidem emolliri hoc ita poſſe, quia veteres illi plurimum in Cœnæ Domini celebratione & adnexis illi precibus tribuebant, ideo quaſi propitiatorium quiddam illam actionem ſępe in omnibus cœtibus Eccleſiæ & manè & veſperi vſurpaſſe. Sed vtvt ſe res habuerit, vix quidẽ video quomodo non craſſius multo tum ſenſerint de ſacroſancto illo ritu, quàm quod vnũ Apoſtolus à Domino accepiſſe ſe teſtatus olim fuerat. Et quod ad elementorum quę & Sacramenta dicta ſunt, vſum attineret, ſic etiam illorũ veneratio aucta eſt iſtis temporibus, vt quanuis non apertè diceretur, illa in Myſterijs deſinere eſſe quod erãt natura, haberentur tamen vt vaſa quædam quibus res ipſæ ſignificatæ & promiſſæ continerentur. Ex quibus duobus capitibus, ita iam tum inter ſe implicitis operatorium Miſſæ ſacrificium, quod Eccleſiam tandem inebriauit, ortum duxiſſe conſtat. Et extat in vita Gregorij Romani Papæ primi hiſtoria quædã iſtius inſcitiæ index. Venerat in Eccleſiã ex vſu illorum temporum Romæ Matrona quædam B ad horam cœtus ſolennis, quæ & panem ad menſam Gregorio vt cæteræ obtulerat. (hoc autem MISSARVM nomine id eſt MISSIONVM ſiue munerum, intelligebatur,) Gregoris quum ad Sacramentorum celebrationem ventum eſſet, Matronę illi Myſteria traditurus dixerat, Corpus Domini conſeruet animam tuam: illa ſubriſit. quod animaduertẽs Gregorius partem illam Domini corporis ſuper altare depoſuit, & actione tandem finita, mulierem coram populo cur riſiſſet interrogauit. Reſpondit illa tandem, Quia panem quem propriis manibus feciſſe me cognoueram, tu corpus Dominicum perhibebas. Hæc erat illorum temporum eruditio, vt quæ ſacramentaliter dici accipíve commodè poſſent, illa crudè prolata aut ſcandalum parerent, aut horrorem incuterent. Sed tamen illis adhuc ſæculis communicatio publica & ordinaria & integra omnium fidelium, non manca & quaſi ad terrorem inſtituta retinebatur: niſi quod res eò ſenſim vergebant. Et quum C quo plus ritibus etiam non peſſimo conſilio tribuitur, eo magis & prædicationi doctrinæ, & attentioni illius detrahitur, ſic omnino ab auribus ad oculos ferè omnis Eccleſiæ adminiſtratio trãsferri cœpit: vt iam pluſquam Iudaico iugo opprimi Eccleſiam ſuo tempore queratur Auguſtinus ille, ſi quiſquam alius, pacis Eccleſiæ ſupra modum etiam ſtudioſus. In ſumma autem quod ad numeroſos illius ritus attinet quibus liturgia Eccleſiæ non tam exornata eſt vt creditur (quanquã in eo nouiſsima ætate ſtatum non ſit) quàm planè cõſpurcata, vnum audiamus apud Caſſandrum Rupertum ita quod res eſt, appoſitè ſcilicet, ſcribẽtem. Olim, inquit, non tanto exterioris apparatu decoris Miſſarum ſolennia celebrabantur, nec ab vno quolibet hæc omnis religioſi obſequij gloria cõſummata & perpolita. Et ſicut traditũ à Domino per Moſem veteris ſacrificij ordinem præcipuè Dauid & Solomon Sacerdotum & Leuitarum miniſterio, cantorum multiplici numero, Pſalmorũ diuinorũ tripudio, tẽpli vel altaris illuſtri gloria, ſacrorúmque multitudine vaſorũ ſplẽdidius amplificauerunt: ſic traditum à Domino

A mirabilem ſacrificij ritum per primos Apoſtolos ſancta Romana Eccleſia ſuſcipiens religioſa fide amplexata fideli cura conſeruauit, diligenti apparatu exornauit. Non quidem ſanctius hinc eſt, quàm erat prius, quādo ad ſola Domini verba ſolámque orationem Dominicam conſecrabatur: ſed maximè decuit, vt fides quę adhuc erat illo tēpore rudis, & vt ait quidā tā doctus quàm fidelis,

-agreſti turbida cultu,
Nuda humeros, intonſa comas, exerta lacertos,

Vbi ornari potuit, maximè in hac parte tanquam in capite ſuo deauraretur. Ita nimirum iuſtificatur ſuperſtitio à filiis ſuis, quum legitimus Dei & Chriſti cultus in ritibus & cerimoniis quaſi honorificè ſepultus, exhibetur. Et tamen ex hac veritatis agnitione illud boni colligi poteſt, quod etiā reipſa conſtat, nempe illam quam vocant, conſecrationem, non eſſe vnius ſæculi, ac proinde parū ſibi in plerisque conſtare: quæ enim illic ita legūtur, PRO REDEMPTIONE ANIMARVM SVARVM, ex Græco petita ſunt, vbi vox iſti reſpondēs eo ſenſu vſurpatur, non ἀντὶ ſed ὑπὲρ vel διὰ, non vt aliquid obtinendum indicetur, ſed vt pro obtento B gratiæ agantur, vnde & nomen εὐχαριστίας. Vt autem integritatis & modeſtiæ iſtius etiamnum ſæculi ac Romæ præſertim teſtimonium inſigne extet, audiamus quid pro ambitu Damaſi & Vrſicini ad obtinendam illam ſedem Epiſcopalem acciderit. ſic enim de Viuentio vrbis tum Præfecto loquitur Ammianus lib. 27. Et hunc, inquit, ſeditiones diſcordantes populi terruere cruentæ, quæ tale negotium excitauere. Damaſus & Vrſicinus ſupra humanum modum ad rapiendam Epiſcopalem ſedem ardentes, ſciſſis ſtudiis aſperrimè conflictabantur, aduſque mortis vulnerúmque diſcrimina adiumentis vtriuſque progreſſis: quos nec corrigere ſufficiens Viuentius, nec mollire, vi magna coactus ſeceſſit in ſuburbanum: & in cōcertatione ſuperauerat Damaſus, parte quæ ei fauebat inſtante. Conſtátque in Baſilica Sicinini (vbi ritus Chriſtiani eſt conuenticulum) vno die centum triginta ſeptem reperta cadauera peremptorum: efferatámque plebem ægrè poſtea C delinitam. Neque ego abnuerim, oſtentationem rerum conſiderans vrbanarum, huius rei cupidos, ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum iurgari debere: quum id adepti, futuri ſint ita ſecuri, vt ditentur oblationibus matronarum, procedántque vehiculis incedentes, circunſpectè veſtiti, epulas curantes profuſas, adeo vt eorum conuiuia regales ſuperent menſas: qui eſſe poterant beati reuera, ſi magnitudine vrbis deſpecta quam vitiis opponunt, ad imitationem quorundam Antiſtitum prouincialium viuerent: quos tenuitas edēdi potandíque parciſſimè, vilitas etiam indumentorum & ſupercilia humum ſpectantia, perpetuo numini veríſque eius cultoribus, vt puros commendant & verecundos. Hæc ille, Valentiniani primi temporibus, (vt Ethnicus, Chriſtianis tamen nunquam iniquus) quum Eccleſia poſt centeſimum ferè annum à cruce reſpirans, fauore Cæſarum innixa nō modicè luxuriaret. Quinam autem mores promiſcuè Chriſtianorum fuerint tū Romæ tū alibi, teſtantur Hieronymus, Sidonius, Saluianus. Reliquas verò Eccleſiæ per hoc ſæculum corruptelas, quæ tamē nihil minus quàm quod erant, haberentur, paucis etiam perſtringemus, vt cumulum ipſum nō attingamus. Inuenio A igitur in genere bonos illius ætatis viros & benè eruditos hoc ferè ſibi propoſuiſſe, vt homines ſui ſeculi in eo ſtatu quem tolerabilem iudicabant, retinerent, quum reuera, ſi de Eccleſia ad Doctrinam Apoſtolorum redigenda omnino quæſitum fuiſſet, vix vllus fortaſſe de eo quod ſequendum eſſet ſtatuere potuiſſet. quum enim aliquid cōtrouerſiæ tum in Eccleſia incidebat, recurrebatur cōtinuò ad vſum receptum, vel ad expoſitiones quas Patrum traditiones vocabant: quaſi nempe extra illum veluti canalem apoſtolicæ doctrinæ certitudo percipi ſatis non poſſet. In quibuſdam item particularibus quicquid poſitum inuenerant in Eccleſia, magis commēdabant, quàm vt de eo inquirerent, nedum vt diſtinctè ex Dei verbo iudicarēt. Vnus Mediolani per illa tēpora Ambroſius improbabat illam ad ſepulcra mortuorum oblationem alimentorū, quāuis pauperibus deinde reſtituendam: vti Auguſtini matri hoc agere ſatagenti ac non ita ingredi cœmiterium permiſſę, ab ipſo Ambroſio per Auguſtinum filium reſponſum legitur. Et tamen idem Ambroſius quàm reuerenter B reliquias Martyrum quorundam eruit & proſequitur? quàm impenſè etiam idem continētiam & virginitatem cōmendat, quaſi omne punctum pietatis in eo ſit poſitum, vt quis à coniugio quam alieniſſimus ſit: cui deinde omnes perinde adſtipulati ſunt, *atque ille à Baſilio & alijs ſuperioribus* iſta percepta tota animi intentione inculcarat. Inde igitur latens illud eóque pernicioſius ſchiſma, idémque omnium malorum in Eccleſia fomentum, nempe perfectionis ſub Monachatus inſtituto profeſſio, cuius ſūmus auctor iſto vergente ſæculo notandus eſt Benedictus ille, ſub cuius nomine tot deinde monachorum examina Eccleſiam repleuerunt. Inde inquam factum eſt, vt quicunque iſtis ſeſe non addiceret, ille ſemi-Chriſtianus haberetur, vt in carne viuēs, Deo minus placens, Baptiſmi polluti reus: qui contrà iſtis adiungeretur, tantumnon Angelicam integritatē in terra profiteri diceretur. Paſtorum autem coniugatorū rariſſima iam tum exempla ſupererant. quum quod moribus ſemel ita inualuerat, pro lege C quadā apoſtolica vaniſſima credulitate paſsim haberetur. Imo hoc ferè ſingulare argumentum declamatorium de continentia ſeu virginitate, omniū & ora & ſtylos occupabat. Quale enim illud eſt Hieronymi ita Paulę matri de Euſtochij virginitate gratulātis! Noluit, inquit, militis eſſe vxor, ſed Regis: grāde tibi beneficium præſtitit: Socrus Dei eſſe cœpiſti. & quæ reliqua ita apud illos detrita ſunt, non ſine aperta quicquid prætexant, coniugalis vitę ſuggillatione. Sic igitur omnia tum in Eccleſia ad illa quædā vitæ genera referebantur, quaſi ad ſingulare & certiſſimum Chriſtianæ profeſſionis & agnitionis Chriſti compendium. Cœpit quoque his iiſdem tēporibus & de ſtatu mortuorū ante omnem quam volebāt impletam iuſtitiam, tanquam in Purgatorio ſequeſtram Domini ſeueritatem pro æternis pœnis experientium, diſceptari: Cuius rei tādē Gregorius ſuis illis dialogis præſertim maximā fidem fecit, tanquā re tot viſionibus ſcilicet explorata. Itidem & illorū qui ex hac vita cum Martyrij corona, vel altera quauis integritatis peculiaris nota deceſſerāt commemoratio tum quoque & imploratio quædam inuecta eſt ad illorū memorias. Inde pedetētim etiā ipſo-

A rum & merita quæ dicũtur,& inuocatio,quaſi magnũ pietatis Chriſtianę adminiculũ,mũdo ita ſpõteiam cæcutienti obtruſa ſunt. Et quod veluti corollarium iſtis omnibus acceſſit, ceſſante in dies ordinaria verbi adminiſtratione, (ceſſante etiam illius cauſa, nempe ſincero ſcripturæ intellectu & tractatione)imagines illa occaſione templis Chriſtianorum irrepſerunt,quas etiam commendat ex ſuo ſenſu bonus ille Gregorius. Paulinus autem Nolenſis Epiſcopus Auguſtini σύγχρονος ita ſe egregiè eleuaſſe gloriatur ſcandalum ex conuentu ad Felicis Martyris ædem cum epulis profuſis fieri ſolito,dum totam ædem hiſtoria martyrij Felicis depicta circumueſtit. Neque enim aliunde quàm ex iſta imaginum poſitione,idola deinde ſine vllo pudore, contra omnem Eccleſiæ purioris vſum paſſim in templis Chriſtianorum intumuerunt. Poſtremo etiã tituli illi munerum Eccleſiaſticorum, Epiſcopatus nempe, ita ſub ordinis alicuius prætextu in metropoles & diœceſes ad Imperij Notitiæ formam redacti fuerunt,vt ferè ſaluo tantùm nomine, adminiſtratio Eccleſiæ in humanæ B politiæ formam & dignitatem degeneraret.ac Romæ nominatim hoc obtinebat ferè ante Gregorium, niſi riualis tum Conſtantinopolitanus Patriarcha,vti vocabant,plurimum inuidiſſet. Et tamen vel vnum exemplum cognitionis Eccleſiaſticæ à Romano Concilio ad Arelatenſe ſub Conſtantino demandatæ ſatis etiamtum oſtendebat, præſidentiam illam Romanam non eſſe iuris ordinarij,ſed poſitiui,vt loquuntur. Non quod inficias eam Eccleſiæ Romanæ nomen magni iam olim ponderis, adde & vſus, in Eccleſia Chriſtiana fuiſſe. Hoc enim vel vnius Athanaſij hiſtoria teſtatur. Sed hoc dico primùm humano conſilio & ſtudio, atque vt ſe res dabant, ſedem illam occaſione vrbis imprimis ita in ſublime euectam fuiſſe. Ingenia etiam Occidentalium non ita mobilia vti Orientalium efficiebant, vt quicunque motus alias per orbem Eccleſias agitarent, ſtatim pars quæ læſa videri volebat, Romam accurreret, vbi etiam quaſi obuiis vlnis accipiebatur: tanquam in altero Aſylo Eccleſiaſtico.Vnde etiam interdictæ C ſunt tandem nominatim in Carthaginenſi Synodo traiectitiæ appellationes ſub pœna excommunicationis. Illa igitur Romanæ ſedis Maieſtas per iſta tempora non extabat, quæ inſequentibus demum agnoſci voluit: tantùm eouſque ventum erat,vt pro Eccleſiæ totius bono,quantum expediret, honoratiſſimæ inter reliquas Eccleſiæ Rom. deferretur. En igitur quò tandem infœlix humana ſapientia rem Eccleſiæ deduxerit, cuius Apoſtoli legitimi architecti à Domino inſtituti erant, vt illorum gnomon & exemplum perpetuò obſeruaretur, ſi quidem non malis hominibus non iam olim mens læua fuiſſet. Hucuſque igitur Eccleſiam quantumuis debilitatam & minimè in pleriſque natiuam illã Chriſti agnitionis vitam exhibentem, ſubſtitiſſe tamen, & illius pacem retinendam fuiſſe agnoſcimus. Neque verò hanc Eccleſiæ inſtantem inuerſionem ἀμάρτυρον reliquit Dominus: quemadmodũ enim illa doctrinæ corruptio gliſcebat in dies quum minimè propter alluuionem illam ſuperſtitionum deprehẽderetur, ita etiam mores Eccleſiæ planè prophani erant & pluſquam degeneres.quid enim aliud accidere potuiſſet,ipſis Eccleſiæ oculis, auribus,lingua,ſenſibus denique omnibus in miniſterij interuertione A planè obturatis,vt neque currus neque habenæ ſatis certæ deinceps ſupereſſent. Obnitebãtur quidem & obtonabãt per aliquot ſæcula pij quidam Epiſcopi, & Gregorius ipſe in eo quoque ſaltem fidelem Eccleſiæ operam impendebat. Sed ne ſic quidem illa reuocari ſeriò potuit ad aliquam frugem, maximè quum vnicus tum ſalutis portus in Monachatus aditione reponeretur. Exundarunt igitur per Europam maximè & Aſiam quæ eſt ad Orientem horrenda illa Barbarorum etiam nomine terribilium examina numeroſa, quæ Mahemedis impoſturis & regno exædificando viã tandem ſternerent. Sic, inquã, Dominus ipſe vindicare cœpit ſuo iuſtoiudicio illorũ ingratitudinem qui Euangelij ipſius contemptu quaſi profeſſo,patrum quoque ſuorũ in piis olim excarnificãdis,ſcelera apud ipſius tribunal in memoriã reuocabant.

Quarta porro Ætas quam à ſexenteſimo à Chriſto anno recenſuimus,neque valde remorari nos poteſt,neque tamen ſimpliciter diſpungi.Planè enim illi conuenit quod de ſui ſæculi Eccleſia Ieremias querebatur appoſitiſſimè.Quis det mihi B in ſolitudine diuerſorium viatorum, vt derelinquam populum meũ,& recedam ab eis? Vniuerſi enim ſunt adulteri,& cœtus præuaricatorũ. Quæ igitur per iſtam ętatem ſubſtitit Eccleſia viſibilis, illa quaſi extremũ veritatis ſpiritũ ſenſim emiſiſſe dici poteſt,ac proinde vna ſubſequentis & vltimi comparatione nomen illud Eccleſiæ retinuiſſe potuit:quum reipſa vix iam pro Chriſti Eccleſia agnoſci mereretur.Quid enim ad illã Chriſtus pertinuit, quæ & verbum ipſius & Sacramenta, vt exſuccũ corticem complectẽdo, veritatem ipſam in ſolida agnitione beneficij Chriſti, cum omne genus ſuperſtitionibus quaſi magno cum quæſtu pietatis cõmutaſſet. Inde igitur inter cætera iſtius Ætatis probra illud vnum ſummũ planè rebus ita in deterius labentibus momentum attulit: quod de imaginibus & picturis in templis Chriſtianorum erigendis ſeriò tandem cautum eſt,vnde manifeſta ſciſſio tãdem extitit inter Eccleſias Orientis & Occidentis. Quanquã in aliis pleriſque ineptiis & hæ & illæ Eccleſiæ,eodem Spiritu vanitatis & ignorantiæ in præceps ferrentur. Neque ad C hanc rem magis idonei teſtes citari poſſunt Nicephoro Calliſto & Gregorio Turonenſi iſtorum ſæculorum magnis fautoribus.

Ac ne in ſingulis iſtius ętatis corruptelis hęreamus,ſic habendum eſt ſemel, non poſſe compendioſius illius formam & ſtatum tradi, quàm ſi remanente Chriſtianiſmi verbotenus ferè nomine, reipſa humanam adminiſtrationem & ſpiritum ac caput humanũ in illa extitiſſe atque obtinuiſſe dicamus. Quum enim Reſpublica ipſa mutationem prima pateretur,& vix amplius Imperij ſedes Romæ propter motus in Oriente continuos ſtaret, omnino ſibi quantumuis diſſimulanter conſiliũ illud cœperunt Occidentis prouinciæ,vt in fidem quandã Epiſcoporũ hoc ipſum omnino captantiũ exemplo Romani ipſius Epiſcopi ſeſe dederent. Sic enim boni Eccleſiarum ſub Romanẽſi Paſtores ſeſe rebus omnibus immiſcebant,vt & cũ Cęſaribus & cum Barbaris quaſi pacis ſequeſtri pleraque omnia tractarent. Atque iſtam imprimis occaſionem Romana ſedes arripuit,qua tantum ſibi apud Occidentis Eccleſias faſtigium adrogaret, A cuius iam olim fundamenta ex innata ſuperioris ſæculi credulitate iacta habebat. Vacabat igitur ferè tum ſedes imperij in Italia, quum etiam Roma repetitis vaſtationibus plurimum deformata eſſet: ac proinde Cæſares ipſi Rauennę potius Exarchatus nomine Vicarium Occidentis inſtituiſſent. Quanquam etiam ſuum ad illam loci tranſlationem momentum habuit imprimis Epiſcopi Romæ dominatio iam planè ſi nomen excipias, Regia, & Religioſo nomine Eccleſiæ ità ſubnixa, vt vix iam Cæſaris nomen præ fulgore pontificio Romæ diu cum aliqua dignitate agnoſceretur. Quamobrem illa dominatione externa Eccleſiæ ſemel ita conſtituta, ipſiſſima omnino Imago Beſtiæ illic etiam extitiſſe credenda eſt: quum (vt iam in ipſo Pontifice notauimus) omnia iam ſui iuris Eccleſia eſſe vellet, id eſt illius nomine ementito omnes mundi dignitates ad ſe ſuperba illa Romani Imperij prædatrix ſynagôga (Chriſto quaſi in cœlum cum verbi doctrina relegato) vindicaret. Hinc igitur vltimus etiam cumulus abominationis inuectus eſt. iſtius enim ſæculi egregij B Epiſcopi ac veluti flos præcipuus nihil aliud fuiſſe comperiuntur quam Vnctores, Mirabiliarij, Benedictionarij, Proceſſionarij, Rituarij denique & Myſtagogæ, vt qui ad idola tum paſſim emergentia commendanda ipſimet tanquam altera idola accederent. Atque ex iſtis ferè etiam delecti fuerunt tot illi nomine Sanctuli vel peculiares patroni, quibus aliquanto poſt eorum obitum noua paſſim templa & altaria ſequens ætas inſtituit, quum vel ipſi ſuperſtites tantum non adorarentur: quaſi nempe in ipſis etiam mortuis potiora omni doctrina miracula & apparitiones ad omnē vſum & occaſionem editæ perpetuò [illegible]. Imprimis autem pro omni & doctrin[illegible]ne & Miniſterij diſciplina duo iſta qua[illegible] Eccleſiam tum ita occuparunt, vt in illis etiam defixæ omnium mentes hærerent: vnum, Pontificis Romani atque ſub illo reliquorum Eccleſiæ procerum Maieſtas ſupra omnes creaturas veneranda & imploranda. Nil oriturum aliâs, nil ortum tale fatentes. (Sic enim Chriſti Domini virtus omnis & gratia in illud nouum caput tranſlata credebatur, C vt omni alia re inſuperhabita, illud vnum & audiretur & prædicaretur.) Alterum acceſſit etiā, operoſa nempe cæremoniarum moles in Myſterijs peragendis: quæ quidem Myſteria tum planè Miſſarum nomine iam recepto commendarentur. Atque in iſtis quidem Myſteriis illud minus corruptum ſupererat, quod etiam vtraque ſpecies quam vocant tradebatur populo, & ſatis frequens in Eccleſia communio retinebatur. Quorum vtrunque ſequenti ætate interpolatum eſt tandem, quaſi ſub ſpecie quadam indulgentiæ erga vulgus promiſcuum, minus ad tantas res percipiendas ordinariò comparatum. Sed tamen vt veneratio elementorum hac ætate ferè ad adorationis ſpeciem acceſſit, ita imprimis opinio illa ſacrificij operatorij increuit. Atque illud nominatim Purgatorij illius ignius iſto iam poſt Gregorium ſæculo plurimum exæſtuantis argumento. Miſeri enim homines omnem ſibi in pace tum viuis tum mortuis procurandæ rationem in Miſſarum celebratione repoſitam credebant. Vnde magnum rei Pontificiæ incrementum. Siue igitur ſtatum politicum, ſiue Eccleſiaſticum per iſtam ætatē expendamus, tūc omnino accidiſſe comperiemus quod Dominus exprobrat ſuis per Prophetā: A iſtis nēpe rerū omniū perturbationibus teſtari ipſum apud ſuos, *vt ſcirent*, inquam, quantum inter Dei cultum & veritatem, & hominum tyrannidem atque impoſturas intereſſet. Qui igitur extrema hac ætate pietatem aliquam retinuerunt, non potuerunt nō ex tantis anguſtiis apud Dominum ingemiſcere, & tamen vix ſummam malorum partem ſenſerūt propter illius iā ſecuti ſæculi tenebras dēſiſſimas.

Quinta ignitur ætas hoc vnum habuit commune cum tribus ſuperioribus quòd ea quæ ab hominibus inuecta acceperat, magis ac magis excoluit atque in ſublimè extulit. Eiuſmodi ſunt autē duo illa capita de Pōtificia Maieſtate, & de Sacrificij Miſſæ efficacitate, quaſi totus in illis duobus Dei cultus, totum Chriſti beneficiū, plena omniū rerum ſacrorum ſcaturigo agnoſceretur. Ad hanc autem rem ita promouendam magnam occaſionem attulit noua quædam facies ſtatuū atque ordinum tum in Eccleſia tum etiam in Republica. Qui enim nouiſſimo ſæculo Epiſcopi dicti ſunt, illi vt plurimū rebus huius vitæ addicti: nihil minus quam quod dicebantur, curare cœperunt: B ſic igitur quum iidem & Eccleſiæ & Reipublicæ capita ac principes haberi vellent, omnia ſemel ſúſque déque verſa ſunt. Ac ne quid interea deeſſet, quod mūdo iam ad noua illa numina ſtupenti reliquam mentem adimeret, tota Eccleſiæ forma in cerimonias, ędificia operoſa, ſuperſtitiones ac pōpas, veſtes, ornamentáque theatrica, tanquam noua totidem ſacramenta immutata eſt. Pauculi aliquot monachi rythmos & proſas concipiebant, quibus deinde cultus Eccleſiæ quem vocant, perſonaret. Iidem aliquando etiam concionabantur. Parochi enim vel plebani quos vocabāt iam planè alieni erant à verbi Dei tractatione. Conciones autem quæuis (ſi Bernardi fortaſſe vnius ſinceritatem excipias) nihil aliud erant, quàm fabellę de igne purgatorij, de viſionibus monachis & monialibus oblatis, de ſanctulorum reliquiis, & reliquis eiuſmodi nugis. Diſciplina Eccleſię ſi quę retineri videbatur, ad Officiales ſedium epiſcopaliū relegabatur, qui videlicet pro ſua ſpirituali prudentia ex foro conſciētiæ rabulariam ſcholam inſtituerunt. Imprimis autem Eccleſiaſtici hoc ſæculo C ſui omnia fori eſſe, ſe verò nullius præterquā ſui, credi voluerunt. Imò Dominus ille Apoſtolicus ſedis Imperij vſurpator ita callidè egit cū Carolo Magno, vt bonam partē Italiæ ab ipſo armis Langobardorum liberatam, ſibi quocunque illius munere delatam quaſi manu iniecta arriperet. Sic enim ſedem Petri plurimum ſcilicet exornari mundo perſuadebatur. Atque iſta etiam occaſione factum eſt, vt quum iam nominis Chriſtiani Eccleſiæ minus inter ſe communionis retinerent, propter Romani Pontificis vſurpationem Gręcis Eccleſiis & Aſiaticis quæ ſupererant nunquam probatam, quæ deinde per reliquam Europam in Papæ dominationem conſenſerant, ſub illo quoque Catholicæ Eccleſiæ nomen ſibi vendicarent Sic inquam factum eſt, vt deſciſſa Eccleſia, Romana vna triumphum ageret, dum à ſe ſub iugum miſſas eo tamē nomine liberas & Catholicas Eccleſias pronuntiauit, quòd ad ſe vnum vt nouum ac indubitatum Caput omnium omnia etiam deferrent. Quod ne etiam vlla ex parte aliter quiſpiā interpretaretur, idioma ipſum Latinum Romanen-

Anenſe in Catechiſmis & aliis quibuſdam actibus Eccleſiaſticis inuectũ eſt,vbi aliqua ſuperioris ſæculi puritas & ſimplicitas in vernaculo ſermone in Eccleſijs ſuperfuerat. Quãuis enim Romana lingua per Imperij Romani ambitum propagata eſſet, non omnis tamen Eccleſiæ adminiſtratio illi linguæ ad hoc vſque Caroli tẽpus ceſſerat. Exorti ſunt etiam media iſta ætate noui poſt tot alios monaſticos Mendicantium ordines, vel vni præcipuè ad iſtam Babelis turrim exædificandam appoſitiſſimi.Sic enim Satanam ludificari mundum oportuit,vt illos vermes & ſcarabeos ex fæce Põtificiæ Eccleſiæ enatos tãquam nouos Apoſtolos & noui illius cœli Angelos paſſim propagaret.Atque iſti viciſſim vt Pontificij numinis creaturę nihil non ad illius Maieſtatem amplificãdam commenti ſunt,vt dignos ſe illo ſuo Ioue heroas oſtẽderent. In vno autem optimè inter iſtos & Pontificem conuenit,quod ad illa ſuperiora adiectum prorſus deploratam iſtius ſæculi cæcitatem detegit.Quicquid enim Scriptura de Chriſti agnitione & veritate paſſim prodidit,illud totum diſertè tranſcriptũ eſt in Virginem Matrem planè in B omnibus.Cultus denique diuinus in Concilio Claromontano Virgini Matri inſtitutus eſt, Anno Dom.M.X C V I.quaſi iam illa vna perinde Chriſtum in cœlis,atque Papa in terris repræſentaret. Quamobrem ita ceſſit nouis iſtis Eccleſiæ transformatoribus opus ſuum,vt vel ipſimet adorarẽtur à populis & gentibus.Adeóque Reges ſummi paſſim hoc vno ſummam pietatem ſibi teſtari coram Deo viderentur, ſi omnia Pontifici & Pontificiis accepta ferrent. Neque enim vllus pudo in iſtis reſiduus fuit, vt ſpiritualia à temporalibus quæ vocant diſtinguerẽtur,quatenus dominationem ſuam & vſurpationem ad tempus diſſimulatam plenis buccis profiteri præſumpſerunt. Qua de re ne qua diſceptatio ſupereſſet deinde,Lotharij Tertij Cęſaris ſubmiſsio coram illa Beſtia Romæ ſedente, pro æde Laterani inſcripta extat ad perpetuam rei memoriam hoc diſticho cõprehẽſa(vt innumera exempla ſatis nota nõ attingam)

Rex venit ante fores,iurans prius vrbis honores,
Poſt homo fit Papæ,ſumit quo dante coronam.

Accedit etiã occaſio alia valde opportuna ad iſtiꝰ C regni Pontificij molem plurimum erigendam. quia enim Saraceni per iſta tempora Aſiam valde perturbabant, & Syriam ac Iudæam cum reliquis illis prouinciis:factum eſt vt Pontificiorum arte omnia Occidentis regna aduerſus illos concitarentur quaſi ſub Titulo aſſerendę vel propugnandæ aduerſus illos terræ illius ſanctæ, ac nominatim Sepulchri illius ipſius Domini.ſic enim oportuit mortuos tum obſeruare mortuos & quem viuentem in cœlis vix ac ne vix quidem cogitabãt, illius à monumento iam olim egreſsi venerationem in rebus mortuis fateri.Inde igitur Domini Eccleſiaſtici dum ſua Capitolia Romæ, atque alibi palatia ſeruant ,fabula illa de ſepulchro Domini violato per orbem ſparſa commodiſſimè etiam abuti perrexerunt, vt ipſi ſoli rerum Domini atque arbitri rerum omnium ſederent. Neque eos expectatio fefellit.Sparſis enim iſta peregrinationũ Orientaliũ infauſtiſſima occaſione per omnes ordines reipublicæ æmulationibus ac rixis, inde etiam ſui iuris plæraque omnia reddiderunt.Neq; tamen defuerunt ſubinde etiã hac nouiſſima ætate qui nouum iſtud Eccleſiæ opus pro ſuo captu A nuntiarent.Certum eſt enim de Berengario,illum hoc ipſum aduerſus Miſſæ erectionem aſſeruiſſe, quod etiam ex Bertrami Presbyteri doctrina accipere potuerat,In cœna Domini figuram tãtùm ſacrificij Chriſti exhiberi,item,ipſa elemẽta panis & vini manere id quod eſſent naturâ in ſua ſubſtantia.Et quanuis ad Palinodiam adactus tãdem fuerit,ſententiam tamen in animo retinuiſſe magis conſtat.Bernardus autem Clareuallenſis Abbas vnus poſt Auguſtinum , vti Auguſtinus poſt Apoſtolos vnus de Dei iuſtitia aduerſus peccatũ, eiuſdẽmq; miſericordia aduerſus peccatores perpetua etiam poſt Baptiſmum ita ſenſit & ſcripſit, vt Apoſtolicum in illo ſenſum agnoſcere poſſis. liberum item hominis arbitriũ ſine gratię antidoto turgens appoſitiſſimè traduxerit : Dominationem externam Papatus heroicè imprimis oppugnauit. Spiritualem enim illam bonus vir modò ritè exerceretur,& probauit & commendauit plurimũ.vti omnino ab vno extremo in alterum ferè optimi delabuntur. Nullum gladium, nullum venenum tibi ita formido (inquit ad Eugenium) vt libidinem dominandi. Riuus qua fluit cauat B terram , ſic diſcurſus temporalium conſcientiam rodit.Sarculo Prophetæ opus eſt tibi,nõ ſceptro, ille ad operandum non ad imperandum permittitur. Alio iure argentum habeas, Apoſtolico non habes.Cadit Aſina,& eſt qui ſubleuat. Perit anima,& nemo qui reputat. Et in epiſtolis : Romani valdè diligunt munera, ſequuntur retributiones. [illegible]da loquor:nec retego verenda, ſed inue[illegible]a confuto. Vtinam tantùm in cameris iſta [illegible], vtinam ſoli iſta viderimus & audierimus. [illegible]am nobis reliquerint moderni Noæ , vnde à nobis poſſent aliquatenus operiri.Nunc verò cernente orbe,mundi fabulam ſoli tacebimus? caput meum vndiquaque conquaſſatum eſt , & ego ſanguine vndiquaque ebulliente putauerim eſſe tegendum.quicquid appoſuero ,cruẽtabitur.& maior erit confuſio , voluiſſe celare , cùm celari nequiuerit. Item,Et olim quidẽ eratis contra Apo- C ſtolum Petrum dominantes in clerum,imò & cõtra coapoſtolum eius Paulum dominabamini fidei totius orbis.At nũc nouum aliquid adieciſtis, vſurpantes amplius & in ipſam religionem.quid reſtat niſi vt adiiciatis & Angelis ſanctis dominari?Item:de Concilio:illud concilium probo, & ei me affectu intereſſe teſtor, in quo non hominum traditiones obſtinatè defenſantur,aut ſuperſtitiones obſeruantur , ſed diligenter humilitérque inquiritur quæ ſit voluntas Dei bona , & beneplacens,& perfecta. Hæc ille ex mediis tenebris ad lucem adſpirás , quũ alioquin in pleriſque alijs ſui temporis næuos retineat. Nec verò dubitandum alios quoque ius illud Dei aliquatenus agnouiſſe in denſiſſimis etiã illis tenebris:ſed quoniam Dominus habet ſua momẽta quibus ſolẽ ipſum veritatis reducat, multũ tẽpus elapſum eſt in Eccleſia ſine vero Ephod,& ſine vero propheta quod ſi qui non planè inter cæcos cæcutierunt, vix tamen ita oculos aperire audebant, quin & luce reperta ingemiſcerẽt,ac ſimul lumina demitterẽt & os clauderent.Eiuſmodi extitere per Italiam etiã,Gallam ac Germaniã & aliis in locis, qui tyrannidis Papiſticæ myſteria vtcũq; traduxerũt.Sed vel neglecti paſsim diu fuêre, vel ita terrore immanis beſtiæ

A percuſſi, vt vel metu ipſo obruerentur. Qui verò ampliore Spiritus Chriſti virtute freti, & Eccleſiam Romanam cum ſuo capite ſe non agnoſcere, & vnum Dei verbum pro vita Eccleſiæ requirendum eſſe profiteri auſi ſunt aliquot Europæ locis, illi vt veræ Eccleſiæ reliquiæ diſiectæ, inauditis criminum notis cooperti, tanquam immane auſi nefas, omnibus diris deuoti, omnibus viribus obſeſſi & tantumnon excarnificati fuerunt. Nam & ipſa Bohemorum & Valdenſium nomina nonniſi cum horrore aliquo proferebantur.

Quis igitur fieri potuiſſe credat, vt Eccleſia illa Domini qua nihil olim ſanctius ſol vidit, nec terra tulit, imò quam Spiritus ipſe Domini Ieſu Chriſti cœlitus verbi prædicatione concepit atque edidit primùm per Apoſtolos, quam deinde per eoſdem tam longè latéque propagauit, quam tandiu támque mirabiliter fouit & aſſeruit aduerſus continuas domi foríſque tempeſtates, vt in illa Miſericordia & Veritas obuiarent ſibi, Iuſtitia & pax oſcularentur ſe: Quis inquā fieri potuiſſe credat vt ab illo lacte Euangelij, educatione Spiritus, B cultu charitatis atque ſimplicitatis incomparabilis, ita ſenſim in humanam primùm infirmitatem relaberetur, vt purum fidei vſum in pleriſque non ſatis attendendo, tādem etiam in pleriſque omnibus & in ſuperſtitioſam planéque idololatricam cultus Dei ſpeciem, & in prophanam dogmatum ipſorum fidei interpolationem, & in ſuperbam adeò abſolutæ dominationis vſurpationem erumperet, omnis & Dei iuris & iudicij ipſius ſecura, vti nouiſſimi iſti dies teſtantur, & tamen Eccleſię nomen illis moribus, illis ritibus, illis impoſturis ſuo loco manentibus, quacunque fide vindicari poſſe? Sedeo (inquit) Regina, nec vidua ſum, nec luctū videbo. Ergo ſua hîc omnis vni Domino gloria cedat & deferatur, qui quidem iuſto ſuo iudicio errare fecit nos à viis ſuis, & indurauit cor noſtrum ne ipſum timeremus, vt loquitur Eccleſia apud Prophetam Iſa. 63. Sic ille, inquam, videre fecit populum ſuum dura, propinauit nobis vinum ſoporiferum, vt tamē metuentibus ſe dederit vexillum, ad eleuandum propter veritatem, vt eadem agnoſcit Eccleſia Pſalm. 60. Quidquid enim acciderit ab illa Eccleſiæ interuerſione C ad noſtrum vſque ſæculum, illud tamen conſtare oportuit & credi, Chriſtum Dominum ſemel in altum euectum apud omnes populos prædicari debuiſſe, vt omnium Dei electorum obedientia impleretur, ac reliqui omnes tanto magis Dei iudicio obnoxij redderentur. Huius Dei operis quantum exactum ſit hactenus, quantúmve exigendum ſuperſit, & qua ratione totum illud cōſtiterit conſtaturúmq; ſit, ille vnus nouit qui vnus fecit magna nobiſcum, & Sanctum nomen eius. Quamuis enim ceſſante iam olim ſincera Eccleſiæ adminiſtratione, fides quoque non periclitata ſit tantùm quod ad ſenſum & verum vſum maximè, ſed etiam nomen ipſum Chriſtianiſmi quod ad A homines attinet, profeſſionis externæ vim quandam potius quàm vel ſcientiæ lucem vel morum integritatem exhibuerit, non temere tamen etiam ſub illa planè nouercali Eccleſiæ gubernatione, notæ illæ fœderis Dei hæſerunt, & verbi Dei lectio quædam vel aſperſio potius miſeras piorum animas intus anhelātes ſuſtinere potuit, vt & ipſorum gemitus ac deſideria nunquam Dominū latuerunt. Aſylum enim Eccleſiæ eſt remiſſio peccatorum, vt eleganter ſcribit Auguſtinus. Et quod noſtri miſertus Dominus tantā verbi ſui lucē reſtituit Eccleſiæ ſuæ, vt Chriſtū ipſum quaſi facie ad faciem contueri poſſit, ſi in ipſius verbum tam ſeriò cor intendat, quàm ſincerè & limpidè nunc illuxit, quis poteſt adeò incomparabile beneficium ipſius vel animo concipere, nedum voce complecti, ac multo minus reipſa agnoſcere! Sed tamen ſingulari ipſius miſeratione neque fruſtra ceſſit hactenus, neque porrò ceſſura eſt tanta ipſius liberalitas, quæcunque ſit noſtra omnium ingratitudo. Noſtrum modò erat videre ne ab illo ergaſtulo & plus quàm agnoſcamus plerunque horri- B bili mortis vmbra liberati perefflueremus paſſim, & ferè aliis ſimiles, niſi etiam deteriores, euaderemus. Qui ſunt enim mores noſtri, vt & corā Deo proficiamus in ipſius veritatis obedientia, & in nobis ipſis ad ſeriam mortificationē à luxu communi & affectibus carnis reuocandis, & aduerſus proximos quoſuis ad illos & Domino lucrifaciēdos, & nobis demerendos? Quando igitur extabit illud Domini oraculum ad ſuos, Dicite fratribus veſtris, Populus mi & ſororibus veſtris, Miſericordiam conſequutę? Expoſtulate cum matre veſtra, quoniam ipſa non eſt vxor mea & ego non ſum vir eius: vt auferat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria de medio vberum ſuorum. Hoc audimus in Eccleſia aliquando, ſed parum afficimur: quia aliò mentes auertimus. Hinc nixus ille Eccleſiæ ſubſtitit. Dies anguſtię, Dies increpationis, Dies Blaſphemiæ dies hæc: venerunt Filij vſque ad matricem, & virtus non eſt ad pariendum. Videat Dominus deſolationes noſtras, & brachio illo ſuo ſpem ſuorum ſuſtineat, electos vndique C colligat, omnium noſtrûm miſereatur, vt tandem os vnum & caro vna in Chriſto Domino cenſeamur, quia nomen eius inuocatum eſt ſuper nos. Inſtant enim magis ac magis extrema omnia, & totus in eo eſt Satan vt nomen Eccleſię cum veritate committat, atque intus & extra bella ſęuiant, & ſcandala exūdent. Et qui in aliis cæcitatem meritò improbamus, in nobis non deprehendimus oculorum apertionem tanto indigniorem, dum nobis fere viuimus plerique, & noſtra tantùm quærimus, non quæ Ieſus Chriſti.

Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Iacobi IIII.

INDEX SECVNDVS, IN QVO

Chronologia hæreſcôn continetur à Chriſto paſſo, per annorum centurias diſtributa.

CApernaitæ, quos Chriſti tempore extitiſſe ſcribit Auguſtinus, à nobis prætermittuntur. Ergo

PRIMA CENTVRIA ANnorum incipit à Chriſto paſſo & reſurgente, finit autem ad annum decimum quintum imperij Adriani.

Fuerunt autem hoc ſeculo hæreſes paucæ quidem, ſed primæ: nimirum,

Simoniani ſub Caligula, anno à Chriſto paſſo	6
Hymenæus & *Philetus* ſub Nerone, circa annum à paſſo Chriſto.	34
Nazareni ſub Nerone, anno à Chriſto paſſo	37
Menandriani ſub Tito, anno	40

Ebionei

A *Ebionei* ſub Domitiano Imperatore, circa annũ 44
Nicolaitæ ſub Domitiano anno 52
Cerinthiani ſub eodem, anno 62
Saturniniani & Baſilidiani anno Adriani imperatoris XV. à Chriſto paſſo.

SECVNDA CENTVRIA à XV. anno imperij Adriani, finit ad annum imperij Alexandri Mammeæ IX.

Hæc ætas ferax fuit hæreſeôn, quæ partim ex Iudaicis cæremoniis, partim ex prophanorũ philoſophorum ſectis ortæ ſunt.
Carpocratiani ſub initio imperij Antonini Pij an. 109
Valentiniani ſub eodem Antonino. 110
Secundiani & Ophei eodem tempore. 110
Ptolemiani eodem tempore 110
Heracleonitæ & Cerdoniani eodem tempore 110
Marcitæ ſub eodem Antonino, anno 115
Colarbaſii eodem tempore 115
Gnoſtici ſub initio imperij M. Aurelij & L. Veri Impp. anno 129
B *Ophitæ* ſub iiſdem, ſed paulò pòſt, anno 132
Origeniani }
Cainitæ } eodem tempore 132
Adamitæ }
Sethiani
Marcionitæ ſub Antonino Philoſopho Imperatore, & Aniceto Romano Epiſcopo innotuerunt, anno à Chriſto paſſo 133
Noetiani ſub eodem imperatore & Soſtero Romano Epiſcopo, anno 140
Taciani ſub eodem imperatore & Epiſcopo Romano, anno 142
Encratitæ eodem tempore 142
Bardeſaniſtæ ſub iiſdem, anno 144
Aquarij eodem tempore 144
Cataphryges ſiue *Montaniſtæ* ſub eodem imperatore & ſub Eleuthero Rom. Epiſcopo, anno 145
Pepuziani }
Artotyritæ } eodem ferè tempore, anno 145
Apoſtolici }
Aquei
C *Apellitæ* ſub Commodo imperatore & Eleuthero Romano Epiſcopo, anno 115
Rhetoriani eodem tempore 150
Floriani ſub Commodo & Eleuthero, anno 153
Seueriani ſub iiſdem, anno 156
Quartidecimani ſub Seuero imperatore & Victore Epiſcopo Romano, anno 150
Artemon } ſub iiſdem
Alogij } anno 167
Hermogeniani ſub Seuero imperatore & Zepherino Romano Epiſcopo, anno 170
Hermiani } eodem tem- 170
Theodociani } pore
Melchiſedeciani ſub iiſdem, anno 174
Tertullianiſtæ ſub iiſdem, anno 177
Angelici, anno 180

TERTIA ANNORVM centuria à IX. Alexandri Mammeæ imperatoris anno, finit ad XXIIII. Conſtantini Magni, qui ſunt anni CCC. à Chriſto paſſo.

Seculum ferax ſuperſtitionum Monachicarum, & ſæuiſſimarum hæreſeôn, quæ ab eiuſmodi ſuperſtitionibus ſunt natæ.
A *Helceſaitæ* ſub Gordiano imperatore, & Anthero Romano Epiſcopo, anno 210
Valeſii ſub Philippo imperatore & Anthero Epiſcopo Rom. anno 216
Arabici ſub iiſdem, anno 217
Nouatiani ſub Decio imperatore & Cornelio Epiſcopo Romano, anno 220
Cathari ſub Gallo & Voluſiano imperatoribus, & Stephano Rom. Epiſcopo, anno 223
Sabelliani ſub Gallo Hoſtiliano imperatore, & Sixto Rom. Ep. anno 224
Origeniſtæ ſub iiſdem, anno 227
Æternales }
Chiliaſtæ } eodem tempore 227
Liberatores }
Nepotiani ſub Galieno imperatore, & Sixto Romano Epiſcopo, anno 231
Samoſateniani vel *Pauliani*, ſub iiſdem, anno 232
Heraclitæ vel *Hierachitæ*, ſub Galieno imperatore, & Dionyſio Epiſc. Rom. anno 234
Manichæi ſub Aureliano imperatore, & Felice Roma. Epiſc. anno 247
B *Seleuciani* & }
Proclianitæ } eodem tempore 247
Meletiani ſub Conſtantino Magno & Syluestro Roma. Epiſc. anno 286
Ariani ſub iiſdem, anno 290
Coluthiani ſub iiſdem, anno 293
Donatiſtæ ſub iiſdem, anno 98

QVARTA ANNORVM centuria à XXIIII. imperij Conſtantini Magni anno, finit ad XXII. imperij Theodoſii iunioris.

Ætas fertilis hæreſeôn impuriſſimarũ, quæ ipſum fidei noſtræ fundamẽtum euerterunt, ex mala & peruerſa ſcripturę interpretatione ſunt natę.
Archontici ſub Conſtantio Conſtantini F. anno à Chriſto paſſo 308
Theopaſchitæ ſub eodem Conſtantio, & Iulio Romano Epiſc. anno 311
Photiniani ſub eodem imperatore, & Liberio Romano Epiſc. anno 323
C *Aetiani* ſiue *Anomij* ſub iiſdem, anno 325
Acatiani ſiue *Semiariani* ſub iiſdem, anno 330
Eunomiani ſub iiſdem, anno 331
Macedoniani eodem anno
Pattaiorinchitæ ſub iiſdem, anno 333
Natiuitarij eodem tempore 333
Luciferiani ſub Iuliano Apoſtata imperatote, & Liberio Romano Epiſcopo, anno 333
Iouinianiſtæ ſub Iouiniano imperatore, & Liberio Romano Epiſc. anno 335
Audiani ſub Valente imperatore, & Damaſo Roma. Epiſcopo, anno 338
Aeriani ſub iiſdem, anno 340
Meſſaliani ſub iiſdem, anno 341
Priſcillianiſtæ ſub Gratiano imperatore, & Damaſo Romano Epiſc. anno 348
Tertullij eodem tempore 348
Apollinariſtæ anno 350
Antidicomarianitæ ſub Theodoſio maiore imperatore & Syricio Epiſcopo Romano, anno 355
Heluidiani eodem tempore; 355
Collyridiani ſub iiſdem. anno 357
Anthropomorphitæ ſub Arcadio imperatore, &

Anaſtaſio Rom.Epiſc.anno	370
Melitonij *Triformiani* *Abelonitæ* } eodem tempore	370
Metangiſmonitæ	
Pelagiani ſub Arcadio imperatore,& Innocentio primo Rom.Epiſc.anno	382
Luciani eodem tempore	382
Patriciani ſub eodem Arcadio,anno	387
Paterniani eodem tempore	387
Aſcitæ ſub Theodoſio iuniore,anno	390

QVINTA ANNORVM centuria à XXII. anno imperij Theodoſii iunioris, finit ad annum ſextum Iuſtiniani primi imperatoris.

Ætas ingenioſa & obſtinata in retinendis,augendis,& propagādis ſuperioris cēturię hęreſibus.

Neſtoriani ſub Theodoſio iuniore, & Celeſtino R.E.anno	400
Nudipedales ſub iiſdem,anno	401
Feri & *Inhumani*,anno	420
Heicetæ eodem tempore	420
Eutychiani ſub Martiano imperatore , & Leone primo R.E.anno	422
Barſaniani ſub iiſdem,anno	424
Monophyſitæ ſub iiſdem,anno	425
Timothiani ſub Zenone imperatore , & Simplicio R.E.anno	447
Acatiani alij ſub Zenone imperatore ,& Felice R.E.anno	454
Acephali ſub Anaſtaſio imperatore ,& Gelaſio R.E.anno	462
Tetratheitæ ſub eodem Anaſtaſio,& Hormiſda R.E.anno	485

SEXTA ANNORVM CENturia à VI.imperij Iuſtiniani primi finit ad annum XXIII. Heraclij imperatoris,quo ipſo anno terræmotus in Palæſtina factus eſt,ſignum gladij in cælo viſum , quod triginta diebus verſus Meridiem ſtetit , & futuram Saracenorum potentiam portendebat.

Ætas ferax,& mater vniuerſi,quod poſtea in orbē terrarum vniuerſum ex ſuperioribus hęreſibus ſparſum eſt,veneni,& vniuerſalis apoſtaſiæ,tū in Oriente,tum in Occidente.In hac enim annorum centuria & Papiſmus & Mahumetiſmus ortus eſt.

Agnoetæ ſub Mauricio imperatore , & Gregorio Magno,anno	572
Tritheitæ ſub Phoca imperatore,& Bonifacio tertio R.E.anno	574
Papiſmus ſub iiſdem & eodem tempore	574
Iacobitæ ſub iiſdem, anno	575
Armenij ſub eodem Phoca , & Bonifacio quarto, anno	577
Mahumetiſmus ſub Heraclio imperatore , & Bonifacio quinto anno	589

SEPTIMA ANNORVM centuria à XXIII. Heraclij imperatoris,finit ad annum XVI. imperij Leonis Iſaurici, qui Εἰκονόμαχος dictus eſt.

Hoc ſeculum fuit tantùm confirmatio & incrementum riuúſque vniuerſalis apoſtaſiæ,Papiſmi nimirum & Mahumetiſmi.

Theodoſiani ſub Iuſtiniano II.imperatore, & Cōſtantino R.E.anno	675
Caianitæ eodem tempore.	675

INDEX TERTIVS, VBI OSTENDITVR, IN QVO DOctrinæ Chriſtianæ capite à ſuperioribus hæreſibus ſit erratum.

Omnis autem doctrina Chriſtiana breuiter ad hæc quatuor capita reuocatur , nimirum Decalogum Legis, Symbolum fidei , Orationem Dominicam,& Sacramenta.

Ac primùm qui in Decalogo Legis errarunt.

DE VERBO DEI ſcripto.

Verbum Dei ſcriptum in vniuerſum nullam certitudinem habere,ſed quemque hæreticum rectè ſentire dicunt *Rhetoriani*, *Lampetiani*.

Verbum Dei allegoriis prorſus peruertūt *Originiſtæ*, *Nepotiani*, *Priſcillianiſtæ*.

Reuelationes, enthuſiaſmos & deliria ſua pro Dei verbo ſubiiciūt,& ſequūtur *Montaniſtæ*, *Pepuziani*, *Donatiſtæ*, *Enthouſiaſtæ*, *Monachi*, *Anabaptiſtæ*.

Traditiones humanas pręferunt Dei verbo *Bonoſiani*.

Traditiones humanas Dei verbo æquant authoritate, & quoad conſtringendas hominum conſcientias, *Encratitæ*, *Manichæi*, *Papiſtæ*.

Traditiones humanas viſionibus ,& falſis miraculis commendant *Nazareni*, *Papiſtæ*.

DE VETERI TESTAmento.

Vetus Teſtamentum omnino reiiciunt *Simoniani*, *Caiani*, *Archontici* , *Cerdoniani* , *Marcionitæ*, *Apellitæ*, *Seueriani*, *Tatiani*, *Manichæi*.

Veteris Teſtamēti lectionem in Eccleſia Chriſtiana & ſub Euangelio inutilem dicunt *Manichæi*, *Aduerſarij Legis & Prophetarum*.

Prophetas veteres à diabolo fuiſſe contendunt *Saturniani*, *Baſilidiani*.

Prophetas abreptitios homines & inſanos fuiſſe dicunt *Gnoſtici*, *Priſcillianiſtæ*.

Nouos & ſuos veteribus Prophetis præferunt *Archontici*, *Cerdoniani*, *Marcionitæ*, *Apellitæ*.

Veteris Teſtamenti partem tantùm à Deo eſſe dicunt *Ptolemæi*.

Moſem ſe eſſe dixit *Noetus*.

DE DECALOGO Legis.

Decalogum Legis non Dei,ſed infauſtæ cuiuſdam naturæ præceptionem eſſe aiunt *Simoniani*, *Carpocratiani*, *Manichæi*.

Promiſſiones in Lege Dei comprehenſas, terrenas tantùm eſſe dicunt *Baſilidiani*, *Pepuziani*, *Adamitæ*, *Nepotiani*, *Seruetani*.

A

DE PRIMO DECALOGI præcepto, Non habebis deos, &c.

Plures deos conſtituunt, quatuor *Tetratheitæ, Theodoſiani, Angelitæ*

Tres deos *Tritheitæ*.

Duos deos, & duo rerum principia ſibi mutuò contraria, alterum bonum, alterum malum, *Gnoſtici, Marcitæ, Cerdoniani, Marcionitæ, Manichæi.*

Alium Iudæorum, alium Chriſtianorum Deum faciunt, eóſque ſibi contrarios, *Saturniniani, Baſilidiani, Cerdoniani.*

Verum Deum etiam Iudæis ipſis ante Chriſti aduentum ignotum fuiſſe dicunt *Menandriani, Saturniniani, Baſilidiani, Cerdoniani.*

Verum Deum falſis attributis, & barbaris nominibus deſignant *Nicolaitæ, Carpocratiani, Valentiniani.*

Verum Deum qualis quantúſque eſt, comprehendi poſſe dicunt *Aetiani.*

Dei eſſentiam corpoream eſſe contendũt *Manichæi, Tertullianiſtæ, Audiani, Anthropomorphitæ, Metangiſmonitæ.*

B Oculis etiam corporeis cerni poſſe dicunt *Euchitæ.*

Verum Deum eſſe Bython & abyſſum illam, de qua Geneſ. 1. *Valentiniani.*

Simonem Magum fuiſſe verum illum Deum aiunt *Simoniani.*

Dæmones familiares pro vero Deo colunt *Carpocratiani, Marcitæ, Seueriani.*

Magicas artes exercent & probant, tanquã diaboli liberum ſit in res omnes imperium, *Simoniani, Carpocratiani, Marcitæ, Seueriani, Helceſaitæ, Manichæi, Menandriani.*

Aſtra, ſydera, & planetas, hominum actiones & vitam moderari aiunt *Colarbaſii, Priſcillianiſtæ.*

Fato vitæ noſtræ imperium tanquam Deo tribuunt *Bardeſaniſtæ, Priſcillianiſtæ.*

Item certis quibuſdam characteribus *Valentiniani.*

Habebis.

C Eſt autem Habere, inuocare, & ore & corde confiteri, in quo peccant ſequentes hæreſes.

Deum inuocandum docent peregrinis & magicis incantationibus *Heracleonitæ.*

Deum confiteri aut negare, dicunt eſſe rem indifferentem *Helceſaitæ.*

Duplicem Dei confeſſionem faciunt, æqualem inter ſe, eam quæ ſolo corde fit, & eam quæ ore, vt euitent perſequutiones, *Heracleonitæ.*

Negare Deum, & fidem Chriſti, homini Chriſtiano licere docent *Macedoniani, Meſſaliani, Priſcillianiſtæ.*

Martyria pro Dei nomine toleranda negant *Baſilidiani, Gnoſtici, Helceſaitæ.*

DE SECVNDO PRÆCEPTO, Non facies tibi ſculptile, &c.

Idola etiam ethnicorum, veluti Iouis, & Mercurij, palàm coli poſſe docent, *Simoniani, Baſilidiani, Manichæi.*

Clàm & occultè id fieri debere contendunt *Gnoſtici.*

Idolothyta, & iis veſci, rem eſſe ἀδιάφορον dicunt *Nicolaitæ, Baſilidiani, Valentiniani.*

A Angelos colunt *Simoniani, Caiani, Angelici.*

Imaginem Chriſti colunt *Gnoſtici, Montaniſtæ, Helceſaitæ.*

Crucem Chriſti colunt *Armenij.*

Mariam virginem, *Collyridiani.*

Serpentem, *Ophitæ.*

Satanam, *Meſſaliani, Satanici.*

Cainum, *Cainitæ.*

Sethum, *Sethiani.*

Abelem, *Abelonitæ.*

Solem, & lunam, & planetas, *Manichæi.*

Aquam, *Helceſaitæ.*

Heliotropium, & herbas quæ ad ſolem conuertuntur *Heliotropitæ.*

Imagines ſanctorum, *Papiſtæ.*

DE TERTIO PRÆCEPTO, Non ſumes nomen Dei in vanum, &c.

Iurare docent, quaſi rẽ indifferentẽ, *Manichæi.*

Mentiri & peierare religionis gratia, licere aiunt *Priſcillianiſtæ, Audiani.*

Per creaturas iurari poſſe, docent *Manichæi.*

B DE QVARTO PRÆCEPTO, Memento diei ſabbati, &c.

Sabbatorum obſeruationem hodie neceſſariam putant *Ebionitæ, Cerinthiani, Apollinariſtæ.*

Moſaicas ceremonias in vſum, tanquam neceſſarias, reuocant *Ebionitæ, Cerinthiani, Nazareni, Floriniani.*

Sacrificia Legis retinent, adeò vt oues & boues mactent, *Samoſateniani, Symmachiani, Armenij, Iacobitæ.*

Ceremonias Legis etiam poſt mortem & reſurrectionem vſum habituras dicunt *Apollinariſtæ.*

Deum nouis ceremoniis, & ex Paganorum ritu repetitis, colunt *Papiſtæ.*

Deum corporeis exercitationibus colunt, tanquam in iis verus Dei cultus ſit poſitus, *Monachi.*

Deum nouo abſtinentiarum genere colunt, tãquam in iis vera ſanctitas ſita ſit, ac quidem carne & animatis abſtinent *Saturniani, Ebionitæ, Tatiani, Manichæi, Priſcillianiſtæ, Patriciani.*

Vino abſtinent *Seueriani, Encratitæ.*

C Abſtinentiam prorſus damnant, quaſi rem homini Chriſtiano prorſus inutilem & ſuperſtitioſam *Aeriani.*

Abſtinentiam tanquam cardinem ſanctitatis commendant *Encratitæ.*

DE QVINTO PRÆCEPTO, Honora patrem, & matrem, &c.

Magiſtratum damnant & tollunt *Manichæi, Anabaptiſtæ.*

Magiſtratus authoritatem ad negotia religionis interponendam prorſus negant *Donatiſtæ.*

Iudicia capitalia à Chriſtiano homine exerceri poſſe negant *Tertullianiſtæ.*

DE SEXTO PRÆCEPTO, Non occides.

Hominum ſocietatem fugiunt, tanquam rem homini Chriſtiano illicitam, *Feri.*

Seipſos occidere putant licere hominibus *Patriciani, Circuncelliones.*

Homines caſtrant & mutilant, idque faciẽdum docent ad regnum cælorum adipiſcẽdum *Valeſii.*

Bella omnino damnant, atque vſum gladij, *Marcionitæ, Anabaptiſtæ, Tertullianiſtæ.*

Hæreticos à Magiſtratu puniendos negāt *Donatiſtæ.*

DE SEPTIMO PRÆCEPTO,

Non mœchaberis.

Vxores communes & promiſcuas eſſe debere docent *Simoniani, Nicolaitæ, Carpocratiani.*

Inceſtus admittunt & probant *Cataphryges.*

Pudorem omnem more Cynicorum, & verecundiam tollunt *Adamitæ, Feri.*

Damnant matrimonia velut doctrinam diaboli *Saturniniani, Taciani, Encratitæ, Adamitæ, Valeſii, Apoſtolici, Origeniani, Manichæi, Hierachitæ.*

Coniugia, vti fidei Chriſtianæ repugnantia, damnant *Marcionitæ, Luciani, Priſcillianiſtæ.*

Coniugia concedunt, vſum tamen coniugij damnant *Abelonitæ.*

Coniugia bene concordantia, inter diuites coniuges diſſoluunt *Montaniſtæ, Priſcillianiſtæ.*

Primas nuptias concedunt, ſecundas autem B damnant *Cataphryges, Nouatiani, Cathari, Tertullianiſtæ.*

Semen & menſtrua mulierum, tanquam res diuinas, excipiunt & lingunt *Nicolaitæ, Manichæi.*

Semen hominis vt impurum in terram ſpargũt *Orgieniani.*

DE OCTAVO PRÆCEPTO,

Non furaberis.

Propria quædam à Chriſtianis poſſideri poſſe negant *Apoſtolici, Ieſuitæ, Anabaptiſtæ.*

In otio & inertia vitam Chriſtianam conſtituunt *Meſſaliani, Euchetæ, Monachi.*

DE NONO PRÆCEPTO,

Non falſum teſtimonium, &c.

Mentiri homini Chriſtiano licere putant *Meſſaliani, Euchetæ, Priſcillianiſtæ.*

DE DECIMO PRÆCEPTO,

Non concupiſces.

C

DE SYMBOLO FIDEI,

quod ex Euangelio colligitur.

Ac primùm, Euangelia plura quàm noſtra quatuor habent *Nazareni.*

Euangelia alia pro noſtris ſubſtituunt *Ebionitæ, Apoſtolici.*

Euangelia quatuor fingunt, quæ diuerſis temporibus durarint, ſcilicet ante diluuium, poſt diluuium, à Moſe, & à Chriſto *Valentiniani.*

Credo.

Fidem nobis eſſe naturalem, non Dei donum dicunt *Baſilidiani, Valentiniani, Pelagiani.*

Fidei ſecretum & myſterium paucis manifeſtandum contendunt *Baſilidiani, Papiſtæ.*

Fidem eſſe ſolam & nudam Euangelij cognitionem, quæ bona opera velut fructus adiuncta non habeat, docent *Gnoſtici.*

Opera bona à fide vti rem illi repugnantem, ſeparant *Simoniaci, Baſilidiani, Libertini.*

Ab operibus bonis, quæ Lege Dei præſcribuntur, liberatos nos eſſe, cúmque eſſe fidei Chriſtianæ fructum, dicunt *Archontici, Antitactæ, Valeſii.* A

Opera omnia bona Lege Dei præcepta, negant nobis Chriſtianis ſectanda *Simoniani, Antitactæ.*

Eleemoſynas quæ pauperibus fiunt, damnant *Manichæi, Meſſaliani.*

Turpia facere ſuadent *Origeniani, Meſſaliani.*

Omni turpi libidini inſeruiunt, & inſeruiendum docent *Carpocratiani, Paterniani, Venuſtiani, Ethicoprocoptæ.*

Opera bona & mala, res eſſe indifferentes natura, ſed opinione hominum tantùm diſtingui docent *Carpocratiani.*

Opera futilia & inania pro cauſis ſalutis conſtituunt, veluti vtrium geſtationem, *Aſcitæ:*

Silentium, *Pattalorinchitæ, Silentiarij.*

Nuditatem, *Adamitæ, Nudipedales.*

Cibos, & colores veſtium, *Monachi, Ieſuitæ.*

De meritis operum.

Fidei fructus maximi ſunt

duo, { Iuſtificatio,
Sanctificatio. B

Iuſtificationem meritis operum noſtrorũ tribuunt *Cathari, Hierachitæ, Meletiani, Donatiſtæ, Pelagiani, Monachi, Anabaptiſtæ. Iuſtitiarij, Operiſtæ, Papiſtæ.*

Sanctificationem, ſiue vitæ & ſpiritus renouationem, dicunt eſſe reſurrectionem carnis *Hymenæus, Menandriani.*

Vitæ ſanctitatem irrident *Baſilidiani, Carpocratiani, Nicolaitæ, Valentiniani, Archontici.*

Neminem ad ſanctè viuendum compellendum eſſe volunt *Donatiſtæ.*

Exercitia pietatis omnia repudiant *Aeriani, Iouinianiſtæ.*

In Deum.

Deum numen quoddam vnicum eſſe & ſolitarium tanquam mundi monarcham vnum dicunt *Apellitæ, Meſſaliani, Deitæ, Monarchitæ.*

Vnam eſſe in Trinitate perſonam, quæ diuerſis nominibus, Patris, Filij, & Spiritus ſancti appelletur, dicunt *Simoniani, Ptolemæi, Colarbaſii, Montaniſtæ, Noetiani, Praxeani, Sabelliani, Apollinariſtæ, Priſcillianiſtæ.* C

Trinitatem eſſe extenſionem vnius eiuſdémque rei, vti ceræ, docent *Marcelliani.*

Perſonas in Trinitate eſſe vti vnius lucernæ duo luminaria *Hierachitæ.*

Perſonas eſſe vti vaſa alia in aliis contenta, & pelles in ſeſe implicatas *Metangiſmonitæ.*

Tres perſonas eſſe tres Deos diuerſos & ſeparatos, *Tritheitæ, Triformiani.*

Perſonarum quaternitatem conſtituunt *Marcitæ, Apollinariſtæ, Tetratheitæ.*

Tres perſonas eſſe tres tantùm qualitates *Aetiani.*

Omnipotentem.

Homines eſſe ſub poteſtate malorum Angelorum, non autem Dei, contendunt *Carpocratiani, Meſſaliani.*

Deum neque iuſtum eſſe, neque huius mundi adminiſtratorem *Coluthiani.*

A Mundum ab Atlante ſuſtineri & geſtari dicunt *Manichæi.*

Creatorem cæli & terræ.

Mundum hunc eſſe opus indignum Deo bono dicunt *Marcionitæ.*

Mundum ab Angelis, non à Deo creatũ aſſerunt *Simoniani, Nicolaitæ, Menandriani, Archontici.*

Mundum à ſeptem tantùm Angelis creatum dicunt *Saturniniani, Baſilidiani.*

Mũdum ab inferioribus Angelis & diabolo cõditum aſſerunt *Cerinthiani, Luciferiani, Carpocratiani, Valentiniani, Manichæi, Priſcillianiſtæ.*

Mundi creatorem eſſe malum Deum dicũt *Cerdoniani, Marcionitæ, Apellitæ.*

Mundi creatorem nõ eſſe Deum Abrahami, ſed alium dicunt *Caiani.*

Mundum à Chriſto tanquam Patris inſtrumẽto conditum dicunt *Arriani, Duliani.*

De mundi creatione fabuloſa narrant *Gnoſtici, Manichæi.*

B Omnia hæc eſſe Dei ſubſtantiam dicunt *Manichæi.*

Mundos innumerabiles eſſe, *Ophei.*

Alium mundum eſſe præter hunc qui ſit ingenitus, *Peratæ.*

Materiam mundi Deo coæternã eſſe, *Seleuciani, Hermiani, Procliani, Hermogeniani.*

Ex ſudore & metu Æonum factum eſſe mundũ, *Valentiniani, Secundiani.*

Principia hęc tria eſſe increata, nimirum, aquam, ignem & tenebras, *Audiani.*

Aquam eſſe Deo coæternam, *Aquei.*

Mundi huius ſtatum eſſe æternum, *Æternales.*

De Angelis.

Angelos eſſe ex Dei ſapientia velut matre, propagatione ſatos, *Baſilidiani, Gnoſtici, Archontici.*

Ex concupiſcentia tenebrarum & impetu in lucem, *Nicolaitæ.*

Angelos barbaris nominibus & magicis appellant *Nicolaitæ, Gnoſtici, Seueriani.*

C Angelos præfici cælis, quemque ſuo orbi, *Baſilidiani.*

Bonos Angelos reuera cum mulieribus coiiſſe ad homines procreandos, *Sethiani.*

Diabolum eſſe natum ex triceſimo Æone, *Valentiniani, Archontici.*

Diabolum eſſe corporeum, *Meſſaliani.*

De cœlo.

Cœlos eſſe alios ex aliis fluentes, & numero 365. *Baſilidiani.*

Stellas & aſtra eſſe prædita ratione, *Priſcillianiſtæ.*

De homine.

Adam & Euam non eſſe à Deo creatos, *Manichæi.*

Hominem conſtare triplici eſſentia, *Heracleonitæ.*

Carnem hominis à Deo non eſſe, *Patriciani.*

Partes corporis noſtri inferiores Diaboli opus eſſe, *Paterniani, Eunomiani, Ethicoprocoptæ.*

Mulieres deteſtantur *Archontici, Seueriani.*

A Humanum ſemen deteſtantur *Origeniani, Manichæi.*

Hominis primi nuditatem imitantur *Adamitæ.*

Adamum moriturum fuiſſe, etſi non peccaſſet, *Pelagiani, Celeſtiani.*

Hominem creatum ad ſimilitudinem ſplendoris cuiuſdam celeſtis, nõ ad Dei imaginem, *Saturniniani.*

In homine imaginem Dei eſſe in corpore, nõ in anima *Melitonij, Anthropomorphitæ.*

Animam hominis ab Angelis non à Deo creatam eſſe, *Seleuciani, Hermiani, Procliani.*

Animam hominis eſſe corpoream, & ex carne transfundi, *Luciferiani, Tertullianiſtæ.*

Animam hominis eſſe mortalem, & cum corpore interire, *Arabici.*

Animam hominis diuinæ naturæ partem eſſe & eiuſdẽ cum eo eſſentię: *Gnoſtici, Manichæi, Priſcillianiſtæ.*

Animam hominis & brutorũ animãtium eſſe eiuſdem eſſentiæ & naturæ, *Nazarei, Manichæi.*

B Animam hominis eſſe duplicis & diuerſæ naturæ, quarum vna ſit à Deo, altera non, *Gnoſtici, Manichæi.*

Animas hominum ſemper fuiſſe, ſed in cælis, *Origeniſtæ.*

Animam ex anima naſci, *Apolinariſtæ.*

Animas hominũ in corpora migrare poſt mortem, *Tertullij.*

Animas hominum ſceleratorum poſt mortem diabolos fieri, *Tertullij, Tertullianiſtæ.*

Vinum damnant quaſi non Dei opus, *Seueriani.*

De malis & peccatis.

Mala & peccata à Deo creata, *Valentiniani, Manichæi, Seleuciani, Hermiani, Floriniani.*

Et in Ieſum Chriſtum.

Ieſum à Chriſto vt duas perſonas ſeparant *Gnoſtici, Cerinthiani, Colarbaſii.*

In Chriſto aliam eſſe diuinitatis, aliam eſſe humanitatis perſonam, *Neſtoriani, Chriſtolytæ.*

C Ieſum Chriſtum in tres perſonas diuidunt *Valentiniani.*

Chriſtum tricorporeum ex tribus mundi partibus conſtituunt *Peratæ.*

Chriſtos duos faciunt *Helceſaitæ.*

Chriſtum eſſe dicunt Simonem Magum, *Simoniani.*

Sethum, *Sethiani:*

Serpentem *Ophitæ, Manichæi.*

Ieſum & ſeruatorem ſe eſſe dixit *Menander.*

Ieſum animarum tantùm non etiam corporum noſtrorum redemptorem eſſe dicunt *Manichæi.*

Ieſum ſuperiorũ tantùm, non etiam inferiorum corporis noſtri partium redemptorem eſſe volunt *Paterniani, Poſtelliani.*

Filium eius vnigenitum.

Chriſtum eſſe νοῦν, id eſt mentem, creatã, ſed primogenitam contendunt *Baſilidiani, Origeniſtæ.*

Chriſtum non eſſe Dei creatoris ſed alterius filium *Marcionitæ.*

Chriſtum eſſe creaturam natura, ſed gratia Deũ, *Origeniſtæ, Ariani.*

Chriſti Filii Dei ex Dei Patris ſemine gene-

Bella omnino damnant, atque vſum gladij, *Marcionitæ, Anabaptiſtæ, Tertullianiſtæ.*

Hæreticos à Magiſtratu puniendos negāt *Donatiſtæ.*

DE SEPTIMO PRÆCEPTO,

Non mœchaberis.

Vxores communes & promiſcuas eſſe debere docent *Simoniani, Nicolaitæ, Carpocratiani.*

Inceſtus admittunt & probant *Cataphryges.*

Pudorem omnem more Cynicorum, & verecundiam tollunt *Adamitæ, Feri.*

Damnant matrimonia velut doctrinam diaboli *Saturniniani, Taciani, Encratitæ, Adamitæ, Valeſii, Apoſtolici, Origeniani, Manichæi, Hierachitæ.*

Coniugia, vti fidei Chriſtianæ repugnantia, damnant *Marcionitæ, Luciani, Priſcillianiſtæ.*

Coniugia concedunt, vſum tamen coniugij damnant *Abelonitæ.*

Coniugia bene concordantia, inter diuites coniuges diſſoluunt *Montaniſtæ, Priſcillianiſtæ.*

Primas nuptias concedunt, ſecundas autem B damnant *Cataphryges, Nouatiani, Cathari, Tertullianiſtæ.*

Semen & menſtrua mulierum, tanquam res diuinas, excipiunt & lingunt *Nicolaitæ, Manichæi.*

Semen hominis vt impurum in terram ſpargūt *Orgieniani.*

DE OCTAVO PRÆCEPTO,

Non furaberis.

Propria quædam à Chriſtianis poſſideri poſſe negant *Apoſtolici, Ieſuitæ, Anabaptiſtæ.*

In otio & inertia vitam Chriſtianam conſtituunt *Meſſaliani, Euchetæ, Monachi.*

DE NONO PRÆCEPTO,

Non falſum teſtimonium, &c.

Mentiri homini Chriſtiano licere putant *Meſſaliani, Euchetæ, Priſcillianiſtæ.*

DE DECIMO PRÆCEPTO,

Non concupiſces.

C

DE SYMBOLO FIDEI,

quod ex Euangelio colligitur.

Ac primùm, Euangelia plura quàm noſtra quatuor habent *Nazareni.*

Euangelia alia pro noſtris ſubſtituunt *Ebionitæ, Apoſtolici.*

Euangelia quatuor fingunt, quæ diuerſis temporibus durarint, ſcilicet ante diluuium, poſt diluuium, à Moſe, & à Chriſto *Valentiniani.*

Credo.

Fidem nobis eſſe naturalem, non Dei donum dicunt *Baſilidiani, Valentiniani, Pelagiani.*

Fidei ſecretum & myſterium paucis manifeſtandum contendunt *Baſilidiani, Papiſtæ.*

Fidem eſſe ſolam & nudam Euangelij cognitionem, quæ bona opera velut fructus adiuncta non habeat, docent *Gnoſtici.*

Opera bona à fide vti rem illi repugnantem, ſeparant *Simoniaci, Baſilidiani, Libertini.*

Ab operibus bonis, quæ Lege Dei præſcribuntur, liberatos nos eſſe, cúmque eſſe fidei Chriſtianæ fructum, dicunt *Archontici, Antitactæ, Valeſii.* A

Opera omnia bona Lege Dei præcepta, negant nobis Chriſtianis ſectanda *Simoniani, Antitactæ.*

Eleemoſynas quæ pauperibus fiunt, damnant *Manichæi, Meſſaliani.*

Turpia facere ſuadent *Origeniani, Meſſaliani.*

Omni turpi libidini inſeruiunt, & inſeruiendum docent *Carpocratiani, Paterniani, Venuſtiani, Ethicoprocoptæ.*

Opera bona & mala, res eſſe indifferentes natura, ſed opinione hominum tantùm diſtingui docent *Carpocratiani.*

Opera futilia & inania pro cauſis ſalutis conſtituunt, veluti vtrium geſtationem, *Aſcitæ:*

Silentium, *Pattalorinchitæ, Silentiarij.*

Nuditatem, *Adamitæ, Nudipedales.*

Cibos, & colores veſtium, *Monachi, Ieſuitæ.*

De meritis operum.

Fidei fructus maximi ſunt

duo, { Iuſtificatio,
Sanctificatio. B

Iuſtificationem meritis operum noſtrorū tribuunt *Cathari, Hierachitæ, Meletiani, Donatiſtæ, Pelagiani, Monachi, Anabaptiſtæ. Iuſtitiarij, Operiſtæ, Papiſtæ.*

Sanctificationem, ſiue vitæ & ſpiritus renouationem, dicunt eſſe reſurrectionem carnis *Hymenæus, Menandriani.*

Vitæ ſanctitatem irrident *Baſilidiani, Carpocratiani, Nicolaitæ, Valentiniani, Archontici.*

Neminem ad ſanctè viuendum compellendum eſſe volūnt *Donatiſtæ.*

Exercitia pietatis omnia repudiant *Aeriani, Iouinianiſtæ.*

In Deum.

Deum numen quoddam vnicum eſſe & ſolitarium tanquam mundi monarcham vnum dicunt *Apellitæ, Meſſaliani, Deitæ, Monarchitæ.*

Vnam eſſe in Trinitate perſonam, quæ diuerſis nominibus, Patris, Filij, & Spiritus ſancti appellet- C
tur, dicunt *Simoniani, Ptolemæi, Colarbaſii, Montaniſtæ, Noetiani, Praxeani, Sabelliani, Apollinariſtæ, Priſcillianiſtæ.*

Trinitatem eſſe extenſionem vnius eiuſdémque rei, vti ceræ, docent *Marcelliani.*

Perſonas in Trinitate eſſe vti vnius lucernæ duo luminaria *Hierachitæ.*

Perſonas eſſe vti vaſa alia in aliis contenta, & pelles in ſeſe implicatas *Metangiſmonitæ.*

Tres perſonas eſſe tres Deos diuerſos & ſeparatos, *Tritheitæ, Triformiani.*

Perſonarum quaternitatem conſtituunt *Marcitæ, Apollinariſtæ, Tetratheitæ.*

Tres perſonas eſſe tres tantùm qualitates *Aetiani.*

Omnipotentem.

Homines eſſe ſub poteſtate malorum Angelorum, non autem Dei, contendunt *Carpocratiani, Meſſaliani.*

Deum neque iuſtum eſſe, neque huius mundi adminiſtratorem *Coluthiani.*

A Mundum ab Atlante ſuſtineri & geſtari dicunt *Manichæi.*

Creatorem cæli & terræ.

Mundum hunc eſſe opus indignum Deo bono dicunt *Marcionitæ.*

Mundum ab Angelis, non à Deo creatũ aſſerunt *Simoniani, Nicolaitæ, Menandriani, Archontici.*

Mundum à ſeptem tantùm Angelis creatum dicunt *Saturniniani, Baſilidiani.*

Mũdum ab inferioribus Angelis & diabolo cõditum aſſerunt *Cerinthiani, Luciferiani, Carpocratiani, Valentiniani, Manichæi, Priſcillianiſtæ.*

Mundi creatorem eſſe malum Deum dicũt *Cerdoniani, Marcionitæ, Apellitæ.*

Mundi creatorem nõ eſſe Deum Abrahami, ſed alium dicunt *Caiani.*

Mundum à Chriſto tanquam Patris inſtrumẽto conditum dicunt *Arriani, Duliani.*

De mundi creatione fabuloſa narrant *Gnoſtici, Manichæi.*

Omnia hæc eſſe Dei ſubſtantiam dicunt *Ma-* B *nichæi.*

Mundos innumerabiles eſſe, *Ophei.*

Alium mundum eſſe præter hunc qui ſit ingenitus, *Peratæ.*

Materiam mundi Deo coæternã eſſe, *Selenciani, Hermiani, Procliani, Hermogeniani.*

Ex ſudore & metu Æonum factum eſſe mundũ, *Valentiniani, Secundiani.*

Principia hęc tria eſſe increata, nimirum, aquam, ignem & tenebras, *Audiani.*

Aquam eſſe Deo coæternam, *Aquei.*

Mundi huius ſtatum eſſe æternum, *Æternales.*

De Angelis.

Angelos eſſe ex Dei ſapientia velut matre, propagatione ſatos, *Baſilidiani, Gnoſtici, Archontici.*

Ex concupiſcentia tenebrarum & impetu in lucem, *Nicolaitæ.*

Angelos barbaris nominibus & magicis appellant *Nicolaitæ, Gnoſtici, Seueriani.*

Angelos præfici cælis, quemque ſuo orbi, *Baſi-* C *lidiani.*

Bonos Angelos reuera cum mulieribus coiiſſe ad homines procreandos, *Sethiani.*

Diabolum eſſe natum ex triceſimo Æone, *Valentiniani, Archontici.*

Diabolum eſſe corporeum, *Meſſaliani.*

De cœlo.

Cœlos eſſe alios ex aliis fluentes, & numero 365. *Baſilidiani.*

Stellas & aſtra eſſe prædita ratione, *Priſcillianiſtæ.*

De homine.

Adam & Euam non eſſe à Deo creatos, *Manichæi.*

Hominem conſtare triplici eſſentia, *Heracleonitæ.*

Carnem hominis à Deo non eſſe, *Patriciani.*

Partes corporis noſtri inferiores Diaboli opus eſſe, *Paterniani, Eunomiani, Ethicoprocoptæ.*

Mulieres deteſtantur *Archontici, Seueriani.*

Humanum ſemen deteſtantur *Origeniani, Manichæi.* A

Hominis primi nuditatem imitantur *Adamitæ.*

Adamum moriturum fuiſſe, etſi non peccaſſet, *Pelagiani, Celeſtiani.*

Hominem creatum ad ſimilitudinem ſplendoris cuiuſdam celeſtis, nõ ad Dei imaginem, *Saturniniani.*

In homine imaginem Dei eſſe in corpore, nõ in anima *Melitonij, Anthropomorphitæ.*

Animam hominis ab Angelis non à Deo creatam eſſe, *Seleuciani, Hermiani, Procliani.*

Animam hominis eſſe corpoream, & ex carne transfundi, *Luciferiani, Tertullianiſtæ.*

Animam hominis eſſe mortalem, & cum corpore interire, *Arabici.*

Animam hominis diuinæ naturæ partem eſſe & eiuſdẽ cum eo eſſentię: *Gnoſtici, Manichæi, Priſcillianiſtæ.*

Animam hominis & brutorum animãtium eſſe eiuſdem eſſentiæ & naturæ, *Nazarei, Manichæi.*

Animam hominis eſſe duplicis & diuerſæ naturæ, quarum vna ſit à Deo, altera non, *Gnoſtici, Manichæi.* B

Animas hominum ſemper fuiſſe, ſed in cælis, *Origeniſtæ.*

Animam ex anima naſci, *Apolinariſtæ.*

Animas hominũ in corpora migrare poſt mortem, *Tertullij.*

Animas hominum ſceleratorum poſt mortem diabolos fieri, *Tertullij, Tertullianiſtæ.*

Vinum damnant quaſi non Dei opus, *Seueriani.*

De malis & peccatis.

Mala & peccata à Deo creata, *Valentiniani, Manichæi, Seleuciani, Hermiani, Floriniani.*

Et in Ieſum Chriſtum.

Ieſum à Chriſto vt duas perſonas ſeparant *Gnoſtici, Cerinthiani, Colarbaſii.*

In Chriſto aliam eſſe diuinitatis, aliam eſſe humanitatis perſonam, *Neſtoriani, Chriſtolytæ.*

Ieſum Chriſtum in tres perſonas diuidunt *Valentiniani.* C

Chriſtum tricorporeum ex tribus mundi partibus conſtituunt *Peratæ.*

Chriſtos duos faciunt *Helceſaitæ.*

Chriſtum eſſe dicunt Simonem Magum, *Simoniani.*

Sethum, *Sethiani:*

Serpentem *Ophitæ, Manichæi.*

Ieſum & ſeruatorem ſe eſſe dixit *Menander.*

Ieſum animarum tantùm non etiam corporum noſtrorum redemptorem eſſe dicunt *Manichæi.*

Ieſum ſuperiorũ tantùm, non etiam inferiorum corporis noſtri partium redemptorem eſſe volunt *Paterniani, Poſtelliani.*

Filium eius vnigenitum.

Chriſtum eſſe νοῦν, id eſt mentem, creatã, ſed primogenitam contendunt *Baſilidiani, Origeniſtæ.*

Chriſtum non eſſe Dei creatoris ſed alterius filium *Marcionitæ.*

Chriſtum eſſe creaturam natura, ſed gratia Deũ, *Origeniſtæ, Ariani.*

Chriſti Filii Dei ex Dei Patris ſemine gene-

A rationem fabuloſam narrant *Heracleonitæ*, *Bardeſaniſtæ*.

Chriſtum eſſe ex Æonibus, non ex Deo *Valentiniani, Seleuciani, Colarbaſii*.

Chriſtum fuiſſe Filium Dei, ſed adoptiuum *Bonoſiani*.

Chriſtũ fuiſſe ab æterno quidẽ apud Patrẽ, nõ tamẽ ab æterno Filiũ, vel ab eo genitũ, *Natiuitarij*.

Chriſtum ante incarnationem ex Maria virgine omnino non fuiſſe, ſed nec Deum, *Cerinthiani, Artemonitæ, Samoſateniani, Marcelliani, Photiniani, Luciani*.

Patrem ab æterno geniturientem tãdem in virgine Maria genuiſſe Filium ſuum, *Sernetani*.

Chriſtum ex non entibus factum *Arriani, Exoucontij*.

Chriſtum non eſſe αὐτόθεον, ſed Patre minorem .i. deificatum, *Arriani, Donatiſtæ*.

Chriſtum eſſe virtute & natura inferiorẽ Melchiſedeco, *Melchiſedeciani*.

Chriſtum Patri ὁμοιούσιον tantùm, *Acatiani, Semiarriani, Macedoniani*. B

Patri ἑτερούσιον, *Eunomiani*.

Patri ἀνόμοιον *Anomij, Aetiani*.

Patris ſeruum, *Duliani*.

Diuinam Chriſti naturam quædam ignoraſſe, *Agnoetæ*.

Diuinam naturam in Chriſto fuiſſe tãtùm poſt incarnationem, *Monophyſitæ*.

Filium ex ſuperuenente Patri conſilio & volũtate genitum *Eunomiani*.

Dominum noſtrum.

Caput Eccleſiæ præter Chriſtum, Papam conſtituunt *Papiſtæ*.

Chriſti multa facta improbant *Theocatagnoſtæ*.

Conceptum ex Spiritu ſancto.

Chriſtum conceptum ex concubitu ad morem cæterorum hominum aſſerunt *Carpocratiani*.

Ex Ioſephi & Mariæ coitu, *Ebionitæ, Cerinthiani, Theodotiani*.

C

Natum ex Maria virgine.

Chriſtum in carne veniſſe & hominem factum negant *Simoniani, Chriſtolytæ, Proclitæ*.

Chriſtum dũtaxat fuiſſe hominem, ſed propter maiores progreſſus virtutum perfectiorẽ cæteris, *Ebionitæ, Cerinthiani, Artemonitæ, Alogij, Theodotiani, Melchiſedeciani, Manichæi*.

De vnione naturarum.

Naturam humanã in Chriſto à diuina fuiſſe abſorptam, *Eutychiani, Iacobitæ, Armenij*.

Naturam humanam deificatam. i. mutatam in diuinam & illi adæquatam fuiſſe, *Neſtoriani, Seruetani, Vbiquitarij*.

Ex duabus naturis vnum quiddam mixtum & tertium factum eſſe in Chriſto, *Timotheani*.

Quod tertium, alii dicunt mortale fuiſſe, nempe *Theodotiani*: alii immortale, nempe, *Caiani*.

Filium Dei in filium Mariæ deſcendiſſe in Baptiſmo, *Manichæi*.

Verbum ipſum Dei in carnem eſſe mutatum, *Apollinariſtæ*.

Diuinam naturam in Chriſto paſſam eſſe, *Theopaſchitæ*.

Diuinam naturam & humanam manere quidem in Chriſto, ſed earum proprietates eſſe confuſas, *Acephali, Seueritæ*. A

Chriſtum, quatenus homo, nõ habere propriam volũtatem, quia confuſa ſit humana natura & verſa in diuinam, *Apollinariſtæ*.

Vnam tantùm in Chriſto voluntatem fuiſſe, *Monothelitæ*.

Ex Maria.

Chriſtum negant ex Maria aſſumpſiſſe corpus, *Valentiniani, Secundiani, Apollinariſtæ*.

Chriſtum ex Dauidis ſemine eſſe negant *Tatiani, Manichæi*.

Chriſtum ex Maria virgine natum negant hominem verum fuiſſe, & paſſum, quia caro humana ſit res polluta, *Ophitæ, Cerdoniani, Marcionitæ, Apellitæ, Manichæi, Autartodochitæ*.

Chriſti corpus ex quatuor elemẽtis & ſideribus fuiſſe compoſitum dicunt *Apellitæ*.

Corpus ex Maria aſſumptum fuiſſe ab ipſa conceptione impaſſibile dicunt *Armenij*.

Chriſtum corpus cęleſte & ſpirituale, nõ autem terrenum aut humanum, habuiſſe volunt *Valentiniani, Marcionitæ, Apollinariſtæ*. B

Chriſtum animam humanam negãt aſſumpſiſſe, ſed tantùm corpus, *Arriani, Eunomiani*.

Chriſtum animam quidem aſſumpſiſſe cum corpore, ſed tantùm vegetatiuam, non etiam rationalem, *Apollinariſtæ*.

Mariam virginem manſiſſe negant *Antidicomarianitæ, Heluidiani*.

Paſſum ſub Pontio Pilato.

Fictè & putatiuè tantùm, nõ autem verè paſſum Chriſtum dicunt *Simoniani, Saturniniani, Baſilidiani, Marcitæ, Cerdoniani, Marcionitæ, Apellitæ, Docetæ, Manichæi*.

Chriſti diuinitatem paſſam eſſe, *Theopaſchitæ, Autartodocetæ, Eutychiani, Seueritæ, Armenij*.

Patrem paſſum eſſe, quia eadem ſit cum Filio perſona, *Noetiani, Sabelliani*, qui & *Patripaſſiani* dicuntur.

Crucifixum & mortuum.

C

Mortem negant eſſe peccati pœnam, *Pelagiani, Celeſtiani*.

Sepultum.

Qui deſcendit ad inferos.

Chriſtũ deſcenſu ſuo liberaſſe ab inferis animas reproborum dicunt *Marcionitæ, Liberatores*.

Reſurrexit à mortuis.

Chriſtum reſurrexiſſe negant *Cerinthiani*.

Poſt reſurrectionem Chriſtum veras vulnerum cicatrices in corpore habuiſſe negant *Manichæi*.

Chriſtum poſt reſurrectionem hîc fuiſſe per octodecim menſes dicunt *Gnoſtici*.

Aſcendit in cælum.

Chriſti in cælum aſceſionẽ eſſe corporis illius in quatuor elementa diſſolutionem dicunt *Apellitæ*.

A Chriſti corpus aſtris & ſideribus alligatum eſſe, & maximè globo ſolis affixum, *Manichai, Seleuciani, Hermiani.*

Chriſti aſcẽſionem eſſe ex his terris diſparitionem & euaneſcentiam tantùm, *Vbiquitarÿ.*

Chriſti animam tantùm in cælũ aſcendiſſe, non etiam corpus, *Carpocratiani.*

Chriſti Deitatem duntaxat in cælum aſcendiſſe, *Chriſtolytæ.*

Sedet ad dexteram, &c.

Chriſtum non ſedere in carne ad dexteram Patris, *Seleuciani, Hermiani, Proclianitæ.*

Venturus vt iudicet viuos & mortuos.

Credo in Spiritum ſanctum.

Spiritum ſanctum eſſe tantùm nomẽ energiæ & virtutis, non autem eſſentiæ dicunt *Simoniani.*

Spiritum ſanctũ eſſe Melchiſedech, *Hierachitæ.*

Spiritum ſanctum eſſe ſororem Chriſti, *Helceſaitæ.* B

Spiritum ſanctum ſe eſſe dixit *Manes* ſiue *Manichæus.*

Spiritum ſanctum ſe & ſuum ſcortum appellauit *Simon Magus, Montanus*

Spiritum ſanctum eſſe creaturam, non autem Deum, *Origeniſtæ, Ariani, Acatiani, Macedoniani, Aetiani, Feri.*

Spiritus ſancti partes & eſſentiam ipſum, per omnes creaturas eſſe diffuſam, *Macedoniani, Seruetani.*

Spiritum ſanctum negant eſſe datum Apoſtolis quantũ ſatis eſt, *Cataphryges, Mõtaniſtæ, Manichæi.*

Credo Eccleſiam ſanctam.

De prædeſtinatione quæ fundamentum eſt Eccleſiæ.

Prædeſtinationẽ vllam eſſe negant *Pelagiani, Celeſtiani.*

Prædeſtinationem & electionem non Dei gratiæ, ſed noſtris operibus tribuunt *Baſilidiani, Caiani, Pelagiani, Papiſtæ.*

C Prædeſtinationem aſtris & fato tribuunt *Bardeſaniſtæ, Priſcillianiſtæ.*

Prædeſtinatione ad ſcelera quælibet perpetranda abutuntur *Prædeſtinati,* dicti, *Libertini.*

Reprobatos laudant & colunt tanquam Dei inſtrumenta præſtantiſſima, *Caiani, Marcionitæ, Cerinthiani, Pepuziani.*

Adamum reprobatum affirmant *Tatiani.*

Eccleſiam.

Eccleſiam certis locis aſſignant.

Pepuziani Papiſtæ.

Eccleſiam propter Epiſcoporum orthodoxorũ & aliorum Chriſtianorum vitia negant eſſe Eccleſiam, *Audiani, Donatiſtæ.*

Sanctam.

Vitę turpitudinem probant *Seueriani, Origeniani, Aetiani, Eunomiani.*

Eccleſiam perfectè ſanctam hîc debere eſſe contendunt *Nouatiani, Donatiſtæ.*

Communionem Sanctorum.

Bona omnia inter Chriſtianos eſſe debere communia, etiam quoad dominij ius dicunt *Anabaptiſtæ, Ieſuitæ.* A

Vxores inter Chriſtianos communes eſſe debere, *Nicolaitæ.*

Remiſsionem peccatorum.

De peccato.

Peccatum à natura non à culpa hominibus ineſſe dicunt *Saturniniani, Manichæi.*

Peccata à fato & ſtellarum cõſtellatione eſſe dicunt *Priſcillianiſtæ.*

Peccatum eſſe ſubſtantiam dicunt *Manichæi.*

Peccata omnia eſſe æqualia *Iouinianiſtæ.*

Peccatum originale nullum eſſe, *Pelagiani, Celeſtiani.*

De remiſsione.

Peccata non omnia, ſed inuoluntaria tantùm, remitti dicunt *Baſilidiani.* B

Peccata per vnctionem, & certas ceremonias, non per ſolum Chriſti ſanguinem remitti dicunt *Heracleonitæ, Helceſaitæ.*

Peccatorum remiſsionem operibus & orationi tribuunt *Meſſaliani, Euchetæ.*

Peccatorum remiſsionem denegant lapſis, *Cathari.*

Lapſis poſt baptiſmum; *Nouatiani, Quartidecimani, Apoſtolici, Meletiani.*

Clericis & Epiſcopis tantùm poſt gradum aſſumptum lapſis, *Luciferiani.*

Carnis reſurrectionem.

Carnis reſurrectionẽ negant *Simoniani, Saturniniani, Baſilidiani, Corpocratiani, Valentiniani, Marcitæ, Ophitæ, Caiani, Sethiani, Archontici, Cerdoniani, Marcionitæ, Apellitæ. Seueriani. Bardeſaniſtæ, Heraclitæ, Seleuciani, Hermiani, Prochiani.*

Carnis reſurrectionem iam factam eſſe dicunt, *Hymenæus, Philetus, Menandriani.*

Animas quoque reſurrecturas dicunt *Arabici.*

Animas hominum non diſſolui quidem morte, ſed in ſepulchris dormire vſque ad diem reſurrectionis, *Pſychopannychitæ.* C

Pro reſurrectione inducunt μετεμψύχωσιν, ſiue reuolutionem animarum, *Baſilidiani, Carpocratiani, Marcionitæ, Origeniſtæ, Manichai.*

Animas hominum ſceleratorum tranſire in dæmonas, *Tertullianiſtæ.*

Vitam æternam.

Vitam æternam eſſe extra Dei regnum & paradiſum dicunt *Pelagiani, Celeſtiani.*

Vitam æternam poſt reſurrectionem conſtituunt in corporis voluptate & in hac terra, quæ duratura ſit mille tantùm annos, *Cerinthiani, Nepotiani, Chiliaſtæ, Æternales.*

Vitam æternam & Ieruſalem cæleſtem eſſe in hac terra dicunt *Pepuziani.*

De gloria beatorum nugantur, *Montaniſtæ.*

Paradiſum verum eſſe cœtus Eccleſiæ, qui ſunt in his terris, *Adamitæ.*

Paradiſum terrenũ fuiſſe certum locum negant, *Origeniſtæ, Hierachitæ.*

Paruulos ad regnum Dei pertinere negant *Hierachitæ*

A

De inferno.

Pœnas peccatorum eſſe in hac tantùm vita dicunt *Baſilidiani*.

Pœnas ęternas eſſe temporaneas, & diabolos eſſe ſaluandos, *Origeniſtæ*, *Liberatores*.

Limbos & purgatorium pro inferno ſubſtituũt *Papiſtæ*.

DE ORATIONE.

Orandum Deum negant *Prodiciani*, *Adamitæ*.

Orationi vim & cauſam ſalutis noſtræ tribuũt, *Meſſaliani*, *Euchetæ*, *Monachi*.

DE SACRAmentis.

Sacramenta omnino tollunt *Archontici*, *Aſcodrutæ*.

Vſum ſacramentorum ſpernunt *Meſſaliani*, *Anabaptiſtæ*.

Sacramentorum effectum miniſtrorum ſanctitati & manui attribuunt *Donatiſtæ*.

Operi operato, *Papiſtæ*.

B Sacramenta per mulieres dari poſſe dicũt *Marcionitæ*, *Pepuziani*, *Papiſtæ*.

Sacramenta plura, quàm Chriſtus ipſe, inſtituunt *Papiſtæ*.

De Baptiſmo.

Baptiſmum aliquem viſibilem eſſe dandũ Chriſtianis negant *Aſcodrutæ*.

Baptiſmum Chriſti nec bonum, nec vtilem eſſe, ſed ſuum tantùm dicunt *Samoſateniani*, *Manichæi*, *Arriani*, *Aetiani*.

Baptiſmum Chriſti ſpernũt *Pelagiani*, *Celeſtiani*, *Catabaptiſtæ*.

Baptiſmum Chriſti conſpurcant *Marcitæ*, *Papiſtæ*.

Baptiſmum in aqua faciendum negant *Marcionitæ*, *Seleuciani*, *Hermiani*, *Procliani*,

Baptiſmi vim ad præterita tantùm peccata delenda pertinere, *Meſſaliani*, *Papiſtæ*.

Baptiſmum paruulis fidelium negant dandum *Pelagiani*.

A Coniugibus Chriſtianis denegant *Marcionitæ*.

Poſt Baptiſmum homines peccare non poſſe, *Iouinianiſtæ*.

Inferiores hominis partes negant baptizandas *Eunomiani*.

Baptizatos ab orthodoxis, rebaptizandos dicũt *Nouatiani*, *Ariani*, *Aetiani*, *Donatiſtæ*.

Baptiſma etiam in ſuis à ſe baptizatis ſępius reperunt *Marcionitæ*, *Nouatiani*, *Cathari*, *Anabaptiſtæ*.

Pro mortuis catechumenis alios ſubſtituunt baptizandos, *Marcionitæ*.

Homines iam mortuos baptizant *Montaniſtæ*.

De Euchariſtia ſiuè Cœna Domini.

Cœnam Domini ſpernunt *Meſſaliani*.

Cœnam Domini conſpurcant *Marcitæ*, *Ophitæ*.

Cœnam Domini, vt Paſcha antiquum, diei decimæquartæ menſis aſtringunt *Quartidecimani*, *Floriani*.

In Cœna Domini ſigna neceſſaria negant *Aſcodrutæ*

B Signa tollunt, & tranſſubſtantiant in rem ipſam ſignatam *Papiſtæ*.

Vinum damnant, & eius vſum in Cœna Domini *Seueriani*.

Aquam pro vino in Euchariſtia ſubſtituunt *Tatiani*, *Encratitæ*, *Aquarij*.

Panem Cœnæ Domini ſanguini humano permiſcent *Cataphryges*, *Pepuziani*:

Semini humano, *Gnoſtici*, *Manichæi*.

Panem non eſſe carnis, ſed Diuinitatis Chriſti ſignum, dicunt *Armenij*.

Azymo pane præciſè & neceſſariò in Cœna Domini vtendum eſſe dicunt *Armenij*,

Similam & farinam ſummis tantùm digitis apprehenſam, pro pane in Cœna Domini accipiunt *Baſaniani*, *Similitæ*.

Præter duo ſigna à Chriſto inſtituta, alia addũt, nempe aquã, *Aquarij*, *Papiſtæ*: caſeum *Artotyritæ*.

Sine pœnitentia quoſlibet peccatores, etiam ſceleratiſsimos homines, ad Cœnam Domini admittunt *Audiani*.

ARBOR



ARBOR HÆRESEON

Ex qua, quomodo aliæ ex aliis profluxerint, intelligitur. Illæ autē in duo tādem capita, nimirum Papiſmum & Mahumetiſmum, coaluerunt, eáque prorſus diuerſa. Sibi enim falſum conſentire non poteſt Ex his autem hereſibus, quæ ſunt ad dexteram, minùs: quæ autem ad ſiniſtram, magis patriarcharum ſuorum errorem interpolarunt.

PAPISMUS
in Occidente &
Septentrione.

MAHUMETIſmus in Oriente
& Meridie.

ARIUS 6. patriarcha, anno à Chriſt. paſſo 290.

NOVATUS Operiſta 5. patriarcha, anno 220.

ARTEMON 4. patriarcha hæreticorū, anno 167.

CERDO tertius patriarcha, anno à Chriſto paſſo 110.

VALENTINUS 2. patriarcha, anno 110.

SIMON Magus primus patriarcha hæreticorum, anno à Chriſto paſſo 6.

OMNES QUI VERItatem adulterant, ſunt diſcipuli & ſucceſſores Simonis Magi: Irenæus libro 1. cap. 30.

SATAN EX CUius corde tanquam hæreſeō radice & ſtirpe extitit

AUGUSTINUS LIBRO SEcundo contra aduerſarios Legis & Prophet. cap. 12. Hi autem (de hæreticis agens) cœperunt eſſe poſt aſcenſionem duntaxat in cœlum Domini noſtri Ieſu Chriſti ab illo Simone Mago quem legimus in Act. Apoſt. baptizatum.

Neſtoriani.
Natiuitarii.
Theopaſchitæ.
Bonoſiani.
Acatiani, ſeu Semiariani.
Eudoxiani.
Eunomiani.
Aetiani, ſeu Anomœi.
Paterniani.
Celeſtiani.
Pelagiani.
Donatiſtæ.
Cathari.
Metagiſmonitæ.
Luciani.
Photiniani.
Samoſateniani, ſiue Pauliani.
Theodotiani.
Alogii.
Anthropomorphitæ.
Audiani.
Coluthiani.
Tertullii.
Priſcillianiſtæ.
Hermogeniani.
Aquei.
Hierarchitæ.
Proclianitæ.
Seleuciani.
Manichæi.
Seueriani.
Apellitæ.
Marcionitæ.
Hermiani.
Marcitæ.
Colarbaſii.
Liberatores.
Chiliaſtæ.
Origeniſtæ.
Archontici.
Floriani.
Bardeſaniſtæ.
Heracleonitæ.
Ptolemæi.
Secundiani.
Arabici.
Triformiani.
Sabelliani, ſeu Patripaſsiani.
Praxeani.
Noetiani.
Nazaræi.
Baſilidiani.
Ptolemiani.
Saturniniani.
Menandriani.
Ophei.
Barſaniani.
Gaiani.
Armeni.
Iacobitæ.
Timotheani.
Eutychiani.
Monophyſitæ.
Acephali.
Agnoetæ.
Monothelitæ.
Iouinianiſtæ.
Apollinariſtæ.
Antidicomarianitæ.
Theodoſiani.
Collyridiani.
Heluidiani.
Luciferiani.
Meletiani.
Pattalorinchitæ, ſiue Silentiarii.
Nudipedales.
Feri atque Inhumani.
Heicetæ.
Melchiſedechiani.
Tertullianiſtæ.
Meſſaliani, ſiue Euchetæ.
Valeſii.
Aquarii.
Abelonitæ.
Montaniſtæ, ſiue Cataphrygæ.
Tatiani, ſeu Encratitæ.
Pepuziani.
Quintilliani.
Artotyritæ.
Quartadecimani.
Ophitæ.
Cainitæ.
Enthouſiaſtæ.
Aſcitæ.
Mirabiliarii.
Carpocratiani.
Gnoſtici.
Sethiani.
Adamitæ.
Origeniani.
Nicolaitæ.
Cerinthiani.
Hebionitæ.
Eleſaitæ.
Angelici.

L. D.

TRACTATVS DE ANTICHRISTO, IN QVO ANTICHRISTIANI REGNI LOCVS, TEMPVS, FORMA, MINISTRI, FVLCIMENTA, PROGRESSIO, ET TANDEM EXITIVM, ET INTERITVS EX DEI VERBO DEMONſtratur, vbi etiam aliquot difficiles anteà & obſcuri tum Danielis, tum Apocalypſeos loci perſpicuè iam explicantur. B

Addidimus in calce operis quædã vetuſtiſsimorum Epiſcoporum, Monachorum, & aliorum ſcripta iampridem aduerſus Antichriſti Romani tyrannidem edita.

AD LECTOREM.

ANteſtari licet, Candide lector, quæ tum ex Daniele, tum ex Apocalypſi adducuntur, ea proponi diiudicanda, minimèque nos eſſe repudiaturos diuerſas aliorum de iiſdem locis ſententias, quæ modò nihil habeant cum Dei verbo pugnans, aut ab ipſo rerum euentu (eſt enim is optimus omnium prædictionum interpres) alienum.

ILLVSTRISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI

ac Domino D. Ioanni Caſimiro Comiti Palatino ad Rhenum Duci Bauariæ, &c. C
Domino ſuo clementiſſimo, S. P.

QVVM multæ res in hac renaſcentis Euangelicæ lucis ætate ſunt controuerſæ: tum perdifficilis, Princeps illuſtriſſime, & minimè communi ſcriptorum conſenſu definita quæſtio eſt de Antichriſto. Quanquam autem & ad cœleſtis veritatis agnitionem omnino neceſſaria eſt, & ad conſtituendam Eccleſiam perutilis: fuerunt tamen in ea veterum patrum tam variæ diſcrepantéſque ſententiæ, vt quid ſine dubitatione nobis ſequendum ſit, propemodum ignoremus. Id ſanè partim ex eo euenit, quòd illi ante ea tempora vixerunt, quibus iſtius ſceleris notæ à Dei Spiritu deſignatæ vniuerſæ apparerent (itaque nondum totus Antichriſtus extabat) partim etiam ex eo, quòd præiudicio quodam receptarum iam opinionum præoccupati, & Romanæ ſedis fulgore perſtricti, & excæcati, tantum inde malum exoriturum eſſe, minimè ſibi perſuaderent. Etſi verò paulatim & illa ſigna emergebant ex quibus horrendum illud monſtrum agnoſci poterat: & illa ipſa ſedes iam cœperat in eam ſuſpicionem venire apud pleroſque: tamẽ propter ſummum Romani Epiſcopi apud omnes authoritatem, illi, quanquam rectè ſentientes, ne mutire quidem audebant. Statim enim non tantùm tanquam ſchiſmatici quidam à cæteris in Synodis damnabantur: ſed etiam velut hæreticis omnibus, qui vnquam vixerant, tetriores ac immaniores à magiſtratibus crudeliter trucidabantur. Itaque metu territi conticeſcebant. Ac certè maiorum noſtrorum memoria, atque circa annum Domini 350. Leone primo Roma-

A nam ſedem adminiſtrante, Hilarius Viennenſis Epiſcopus in Gallia Romani Epiſcopi tyrannidem, A
quæ tunc magna incrementa capiebat, apertiſſimè oppugnauit. Poſtea verò, & ante quadringentos
fermè annos extitit in Italia Arnoldus quidam cognomine Brixianus, qui cùm argumentis firmiſſimiis
atque magna vi orationis (fuit enim inter ſui ſeculi homines & doctus & diſertus habitus)
publicè & paſſim, ac in media ipſa vrbe Roma, hoc idem ageret, & luculenter tractaret,
commouit quidem vi veritatis multos, cauſam tamen apud omnes obtinere non potuit. Nimirum
tantæ molis erat Romanam euertere gentem: adeò vt à Bernardo Clareuallenſi (homine aliàs
Romani Epiſcopi tyrannidi non ſatis æquo) propter communem illius ætatis de Romanæ ſedis
dignitate opinionem & faſcinum, Arnoldi ſententia, quamuis vera, variè exagitaretur.
Durauit autem per aliquot ætates hæc de Ro. Epiſcopi ſacroſancta authoritate tam inueterata &
recepta opinio: neque præter Græcos Epiſcopos, atque eos etiam paucos, qui contradicerent, vllos
habuit. Græci verò in eo noſtris hominibus, Latiniſque Epiſcopis liberiores, atque etiam ſapientiores
ſe præſtiterunt, qui (vt ex Nili Theſſalonicenſis Epiſcopi, viri eloquentiſſimi ſcriptis apparet)
non modò aliquem Antichriſtum iam in Eccleſia Dei natum eſſe contendebant: ſed eum eſſe Romanum
antiſtitem, iis rationibus, quæ refelli ab eius ſedis ſummis patronis nunquam potuere, demōſtrabant.
Ab his autem Occidentales Epiſcopi non tam quidem vllo probabili argumento, quàm
recepta conſuetudine nitentes diſſenſerunt: quin etiam magna Satanæ (myſterium iniquitatis à
Paulo prædictum iam peragentis) fraude decepti tantæ peſti (quam tamen Chriſtianus quiſque
B extinctam velle debet) latius propagandæ, auxilium, fulcimentum & adiumentum ſtudioſè conquiſiuerunt, B
atque tanquam oleum camino addentes pertinaciter attulerunt. Itaque factus eſt tādem
Pontifex Romanus, Briaræus, qui (vt eſt in veteri prouerbio) antea lepuſculus tantùm erat.
Imprimis autem ſub Henricis, & poſtea ſub Fridericis Germanorum Imperatoribus, Antichriſtianum
regnum magnas vires habuit, & plurimum in omnes hominum ordines graſſatum eſt.

Quanquam verò iam ab ipſis Apoſtolorum temporibus ſenſim illius fundamenta Satan iacere cæperat:
cæleſtis tamen doctrinæ ſplendore & puritate, quæ tunc in Eccleſia retinebatur depulſus,
& tanquam à Deo facta noui operis denuntiatione impeditus, in ſequentia tempora opus hoc
ſuum diſtulit. Itaque quod iampridē tentarat, & paulatim promouerat, demum ſub Cōſtantino Pogonato
Conſtantinopolitano Imperatore perficere atq; exædificare potuit. Cæterùm Satan in ſummā
Eccleſiæ Chriſtianæ arcem per Antichriſtum tanquam legatum ſuum ſemel receptus: ita ſe in ea cōfirmauit,
vt vix poſtea deiici detrudique vllis machinis penè potuerit: ſed (quemadmodum fortis
ille, de quo apud Matthæum Chriſtus) quantò validius à ſtrenuis Chriſti militibus Arnoldo,
VViclefuio, Huſſio, Praga, & alijs aliquot oppugnabatur, tantò nequiores ac impuriores Spiritus,
velut auxiliares copias, opponebat. Defenſa eſt.n. Antichriſtiani regni & vis, & potentia à perditiſſimis
& impudentiſſimis, ſi quos vnquam mundus habuit, hominibus: nec tantùm ſuperiori
ætate: ſed etiam hac noſtra, velut ab Eckio, Fabro, Cochleo, & ſimilis farinæ blatteronibus alijs, à
quibus eſt, nullis non cauillis & impoſturis adhibitis, aliquandiu ſuſtentata. Sed Deus, Pater ille
miſericordiarum, magna ſua benignitate orbis tandem miſertus eſt, & cæleſte lumen Euangelij
C (per quod ſolum Antichriſtus deiici poteſt) hac poſtrem mundi ſenecta nobis illuceſcere voluit.
Itaque & mentes noſtras illuſtrauit, & Antichriſti tenebras diſcuſſit, & egregios ſeruos ſuos, C
velut inſignes & inuictos duces ad Antichr. debellandum excitauit. Nam in hac palæſtra, per
quam erat cum Antichr. colluctandum, decertarunt varij fæliciſſimè, imprimiſque M. Lutherus:
& poſt Lutherum, (neque enim pace quorundam dixerim, fuit ille prophetarum vltimus)
Henr. Bullingerus & Rodol. Gualterus, omnes magni & excellentes, tum doctrina tum pietate viri,
qui de Antichriſto ex profeſſo ſcripſerunt (vt præſtantiſſimos & perpetuos illos Antichriſti Antagoniſtas,
I. Caluinum, Th. Bezam & Hier. Zanchum omittam, & veteres illos Mathiam Pariſienſem,
Michaelem Ceſennatem, Ioannem de Poliaco, Militzium Bohemum) Horum igitur erudita
ſcripta Antichriſtiani regni fundamenta concuſſerunt, vel potius conuulſerunt. Sed quum reſtarent
in quorundam animis inhærentes adhuc huius ædificij quædam reliquæ maceriæ, conatus
ſum ipſe quoque pro virili, Princeps Illuſt. eas quàm latiſſimè potui, tormento fortiſſimo ſacro Dei
verbo adhibito, in præceps propellere & funditus euertere. Eſt.n. huiuſmodi hæc tota res, vt multorum
operam requirat, & propter obſcuros quoſdā Scripturæ locos, indies magis magíſque illuſtrari
poſſit. Ad hæc autem acceſſerunt noui huius tyrannidis fautores Ieſuitæ, Monachorum fuci, viliſſimæ
totius Papiſmi fæces: & poſtremus (vt credi par eſt) ingenij Satanici partus, qui acceptum
iam in eo regno damnum, quanta maximo poſſunt ſtudio, reſarcire conantur. Homines certè aſtuti
qui quanuis Syrenas imitari videantur, meri tamen ſunt gracculi & picæ, & mugilis laríque vt
eſt in prouerbio. vitā viuētes è ſcapha ſtatim in triūphales quadrigas (trāſlatis in ſe aliorū Monachorum
laboribus) cōſcenderunt. Etſi vero noui iſti propolæ nihil aliud, quàm obſoleta, ſed nouo quodam

dam

A *dã colore fucata,id eſt,tincta,& interpolata Papiſtarũ dogmata & ſcruta vẽditant,nobiſque velut nuper ex vltima India aduecti pſittaci garriunt, ab inſulſa tamen plebe miri quidã artifices & nouarũ mercium inſtitores eſſe imperitè creduntur. Atque hi in tyrannico Antichriſti regno tuendo& ſuſtentando,velut ſolæ illius columnæ magno animi faſtu ſe iactant,& dies nocteſq; miſerrimi deſudant,quorũ certè obſtinationi& proteruiæ hoc præſertim tempore fuit occurrendum.*

Hanc autem regni Chriſti aduerſus Antichriſtum, totámque illius impiam cateruam defenſionem,vt tuta,gratáque in manus hominum perueniret,cui vel melius , vel iuſtius , quàm tibi, princeps clementiſſime,dedicarem,non habui. Nam à prima ſtatim adoleſcentia ſanctiſſimis patris tui,Illuſtriſſimi Principis Friderici,Comitis Palatini,& ſacri imperij Electoris viri pectoris pluſquam heroici, inſtitutis ita es educatus,& à Deo ipſo natiua quadam animi pietate ſic exornatus,vt ad Antichriſtum oppugnandum natus,& Eccleſiæ à Deo ipſo datus vnus eſſe videaris, Certè quum anteactæ vita tuæ ratio,quàm ſis,exemplo Dauidis,omnium Chriſti hoſtium ipſe hoſtis,oſtendit:tum verò piorum omnium Gallorum vox illa concors apud omnes gentes ſemper teſtabitur. Nam Gallia te,& Illuſtriſſimum parentem tuum , ſecundum Deum Opt. Max. libertatis ſuæ authores, vos patronos, vos vindices prædicat , & lubenter agnoſcit:atque (vt ex vnius ore,quis ſit cæterorum piorum ſenſus,intelligas) illa hoc vnum fert moleſtiſſimè : quòd T. C. pro B *meritis erga ſe tuis nunquam ipſa ſatis vel laudare,vel prædicare poteſt. Quid enim de tua virtute tam magnificè dicturus eſt quiſquam,id virtus quin ſuperet tua? Tu iam ea ætate,qua militiam vix attingunt alij,pro Ieſu Chriſti nomine,tu pro Eccleſia Dei , aduerſus Antichriſtum illiúſque potẽtiſſimã factionẽ periculoſiſſimã difficilimámque expeditionẽ in Galliã bis ſuſcepiſti. Tu formidabiles aliis gentibus Gallorum vires & exercitus vel ſola nominis tui fama bis perterruiſti. Tu pacem terris,ciutatem & patriam exulibus,tu Euangelium Eccleſiis bis reſtituiſti. Tu,vt omnia dicam,vitam ipſam,aut etiam vita iucundiorem cæleſtis doctrinæ lucem nobis penè iam deſperantibus reddidiſti. Quod ſummum T.C. in nos omnes beneficium,quum ipſe pro ſummo animi mei voto,hominum memoriæ prodere,atque aliquod grati mei animi monumentum extare cuperem,hoc,qualecunque eſt munus, C. T. fideliſſimo & deditiſſimo animo mittere volui. Quod vt grato animo C. T. accipiat,etiam atque etiam rogo. Vale. Datum Cal. Auguſti, Anno temporis vltimi M. D. LXXVI.*

C. T. addictiſſimus

Lambertus Danæus.

C

TRACTATVS DE ANTICHRISTO,

IN QVO ANTICHRISTIANI REGNI locus,tẽpus,forma,Miniſtri,fulcimenta,progreſſio,& tandem exitium & interitus ex Dei verbo demonſtratur.

CAP. I.

Quæ duo ad futura diſputationis de Antichriſto illuſtrationem maximè requirantur.



DICTVRI de Antichriſto , primùm omnium verba ipſa Pauli, vbi luculenter de hoc argumento agitur , tranſcribenda duximus. Sunt autem hæc 2.Theſſ.2.cap.

Verſ. 3. *Nequis vos ſeducat vllo modo: non enim adueniet dies Chriſti, quin venerit defectio prius , & retectus fuerit homo ille ſceleratus , filius , inquam , ille perditionis:*

4 *Seſe opponens & efferens aduerſus quicquid dicitur Deus,aut numen,adeo vt in templo Dei,tanquam Deus ſedeat,præ ſe ferens ſe eſſe Deum.*

5 *Annon me miniſtis me,quum adhuc eſſem apud vos,hoc dixiſſe vobis?*

6 *Nunc verò quid obſtet noſtis, vt is ſuo tempore retegatur.*

7 *Iam enim peragitur myſterium iniquitatis,tantùm qui nunc obſtat,obſtabit vſquedum è medio ſublatus fuerit.*

8 *Et tunc retegetur impius ille , quem Dominus conficiet Spiritu oris ſui,& illuſtri aduentu ſuo abolebit.*

9 *Illum, inquam , cuius aduentus eſt ex efficacia Satanæ,cum omnipotentia & ſignis ac prodigiis mendacibus.*

A 10 *Et cum omni fraude iniuſtitiæ in iis qui pereũt, pro eo quòd amorem veritatis non receperunt vt ſalui fierent.*

11 *Propterea igitur mittet illis Deus efficaciam deceptionis, vt credant mendacio.*

12 *Vt damnentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed acquieuerunt in iniuſtitia.*

Ad quorum explicationem accedẽtes duo quędam petimus, vt nobis concedãtur. Primum quia res & diſputatio hæc tota eſt obſcuriſsima, vt patrum ſententiis nobis vti liceat, ne, ſi in dubio loco, noſtro tantùm ſenſu niti videamur, parum authoritatis habitura ſit noſtra ſententia & oratio: verùm ſi patrum orthodoxorum iudicio & calculo comprobari demonſtrabitur, & pondus habebit, & omnem à nobis inuidiam amouebit, quaſi in Papam & Papatum priuato quodam odio iniquiores ſimus & infenſiores.

Alterum, quod poſtulamus, eſt huiuſmodi, vt quia Scriptura Scripturæ eſt optima interpres; & quæ hoc loco dicit Paulus, magnam ex Apocalypſi B lucem habent, vbi hæc eadem fuſius continentur, liceat nobis bona cum omnium piorum venia aliquot ex Apocalypſi locos cum hoc cõferre & obiter explicare: ne, dum in illis enodandis immoramur, videamur cuiquam longiores, & ſuſcepti argumenti fines egreſsi.

CAP. II.

Futuræ diſputationis, primùm generalis: deinde ſpecialis partitio proponitur.

CVm autem in diſputatione de Antichriſto hæc duo maximè quæri ſoleant,

1 De voce ipſa quid ſignificet. De re & perſona, Quid ſit Antichriſtus: In re ipſa explicanda varia capita verſantur. Nam præcipuè quæritur.

2 Quis futurus ſit Antichriſtus: vnúſne tantùm & certus quidam, an varii & diuerſi homines. C

3 Vbi & vnde futurus ſit. (ditio.
4 Quando, Quæ perſonæ eius con-
5 Qualis, id eſt, Quæ doctrina.

6 Modi & gradus, per quos prodibit ſenſim.

7 Potentia per quam ſe tuebitur & florebit.

8 Miniſtri quales.

9 In quos poteſtatem ſuam exercebit.

10 Denique qua ratione deſtruetur.

Ita in vniuerſum huius tractationis & diſputationis capita ſunt decem, quæ omnia hoc loco Paulus explicat breuiter & commodè. Et certè vti de Chriſto hæc omnia penè paria ſunt explicata, ita de Antichriſto quoque ad maiorem nimirum cautionem, & piorum conſolationem dici & doceri oportuit.

CAP. III.

Prædictionem de Antichriſto futuro, eſſe inſignem prophetiam & à multis prænuntiatam.

AC primùm quæritur, vtrum hoc Pauli dictum ſit prophetia & extraordinaria quædam Dei reuelatio, an prudens tantùm & plana interpretatio Scripturæ, quæ antea id, ſed obſcurè, tradiderit, quod hoc loco Paulus. A Fuit enim Paulus Apoſtolus, &, vt ipſe ait, in Dei Eccleſia diſtincti ſunt Apoſtoli à Prophetis. Eph. 4. 11. Ergo exiſtimant quidam hanc eſſe tantùm eruditam & ſagacem aliorum Scripturæ locorum explanationem, qui tum apud Danielem extant, cap. 7. & 11. tum apud Matth. 24. & Luc. 21. Sed (quod verius dixerim) eſt hoc Pauli dictum, vt & alia ſimilia, mera prophetia & extraordinaria, qualia multa dona Paulus habuit 1. Cor. 14. 2. Cor. 12. inter quæ etiam eſt ipſum prophetiæ donum, quale apparet 1. Timoth. 4. & apud eundem extant inſignes aliæ reuelationes & extraordinariæ 1. Corinth. 15. verſ. 51. Nec obſtat quòd diſtincta fuerint dona Apoſtolatus & Prophetiæ. Hoc enim verum eſt, ſi ipſa dona per ſe ſpectentur. Sæpe tamen Dominus vtrunque donum contulit in vnum & eundem hominem. B Exempli gratia, Petrus Apoſtolus prædixit ex Dei reuelatione mortem ſuam, 2. Petr. 14. & Ioannes Euangeliſta fuit Propheta (vti apparet ex Apocalypſi) & Euangeliſta. Neque etiam abſurdũ eſt, eadem hæc à Chriſto prædicta eſſe, & à Ioanne poſtea in Apocalypſi, quia de eadem re ſæpe Prophetæ plures ſunt locuti. Præclarè enim Bernard. Vnus nimirum fuit Spiritus Prophetarum, ait, licet diuerſis modis, ſignis, & temporibus, candem rem diuerſi non diuerſo ſpiritu & præuiderunt & prædixerunt.

CAP. IIII.

Cur Antichriſti regnum & ſtatum prædici neceſſe fuerit.

PAulus igitur quid futurum ſit, vno verbo cõplexus eſt, quum ait fore Apoſtaſiam ante extremum Chriſti iudicium. Vniuerſum enim futuræ rei ſtatum ſignificauit hac voce, & totam Antichriſti vim & effectum propoſuit. Hoc quidem eſt horrrendum, quod ait Paulus: C Eccleſiam, quæ tanto Martyrum ſanguine irrigata eſt, tot & tãtis Apoſtolorum & ſanctorum paſtorum laboribus plantata, tandem Satanæ vi deiectum iri & peſſundatum. Quæ res non poteſt non magnũ doloris ſenſum omnibus piis iniicere, & qui, antequam hæc euenirent, vixerunt: & nunc viuũt, poſtquam hæc accidere.

Vnde quæſitum eſt, cur id prædixerit Dei Spiritus, cùm fideles nonniſi perturbare poſſe videretur, atque impios reddere obſtinatiores, ac in Dei Eccleſiam animoſiores, quum prædictum ſcirent fore, vt vera doctrina Dei è mundo pelleretur, falſa autem reciperetur publicè & ſummo conſenſu. Reſpondeo verò, id factum & prænuntiatum eſſe duplici de cauſa, & piorum nempe, & impiorum.

Ac piorum quidem, primùm, vt ne offenderentur, quando hæc cõtingerent, quum ſcirent prædicta olim eſſe, & Dei voluntate, eáque iuſta, fieri. Poſteà, ne doctrinam Euangelii minus cæleſtem & diuinam exiſtimarent, vel nunc etiam cenſeant, quia futurum erat, vt reiiceretur & reprobaretur

publicè

A publicè,& vt ab ea homines paſsim & cateruatim deficerent. Ergo tota hæc prænuntiatio ad conſolationem piorum & confirmationem Eccleſiæ pertinet. Impios autem hoc idem vaticinium admonet proximæ Dei in eos iræ, quum ea complectantur, poſt quæ futurum eſt extremum Dei iudicium,ac ipſorum ſummum exitium. Ob eas igitur cauſas & Chriſtus ipſe Matt.24. & Spiritus Dei in tota Apocalypſi prædixit quæ futura erant Eccleſiæ,etiam calamitoſiſsima : nequis hæc intempeſtiuè & importunè exiſtimet dici.

Cap. v.

Antichriſtum non vnum quendam & ſingularem hominem futurum, ſed hac voce vniuerſitatem quandam hominum,& ſucceſsionem diuturnam ſignificari. Item cur Antichriſtus nominetur Apoſtata.

B Iam verò,his explicatis,Pauli verba videamus, in quibus quædam,quoad verba ipſa,dubitatio ineſt.Legitur enim in noſtris codicibus ἀποστασία, id eſt defectio,nomine abſtracto, & plures complectente.Legit tamen Auguſtinus ἀποστάτης, concreto & ſingulari,itaque vertit ipſe, Refuga libro 20.de ciuitat.Dei,cap.19. Sed codicum omnium Græcorum,etiam vetuſtiſsimorum,conſenſus, & Græci interpretes ipſi legunt, quemadmodum & nos ἀποστασίαν. Certè errorem magnum induxit vitioſa illa,quam Auguſtinus ſequutus eſt,lectio.Ita enim locum hunc interpretati quidam ſunt, quaſi de vno tantum quodam & ſingulari homine ageret Paulus, quem ſic deſignaret, quenque ſolum Antichriſtum appellaret, non de toto aliquo corpore.At huic lectioni & explicationi repugnat apertè mens Pauli,& ratio ipſa, & rerum euentus. Agit enim Paulus non de vno & ſingulari homine,ſed de corpore collecto & vniuerſitate ſiue ſocietate quadam hominum in horribilem illam blaſphemiam aduerſus Deum coniuratorum ac conſentientium. Itaque vtitur nomine abſtracto C ἀποστάσεως.Poſtea planè perſpicuéque plurali numero,verſu 12.*vt damnentur omnes*,ait,&c. Ratio etiã ipſa euincit,ne de vno tãtùm homine, ſed de quadam vniuerſitate & regno locum hũc accipiamus. Nam vnus quidam ſingularis homo tandiu viuere,quantum interceſsit temporis ſpatium ab ætate Pauli ad Romani imperii ſubuerſionem, non potuit, poſt quam demum verus Antichriſtus apparuit.Denique rerum euentus docet de ipſo vniuerſæ Eccleſiæ & mundi huius ſtatu hoc intelligendum eſſe,qui per multas hominum ętates durauit, adeóque durat adhuc:non autem de vnius tantùm cuiuſdam hominis vita & ætate. Vnius enim hominis(quantumuis longæuæ vitæ) tẽpus eſt breuiſsimum,ſi cum huius Apoſtaſiæ ſpatio conferatur, quod pluſquam 900.annos iam continet impletos.Hæc autem ἀποστασία eſt quidam miſerrimus rerum ſtatus ante ſecundum Chriſti aduentum in mundo futurus, in quo non tantùm horrenda & miſerabilis diſsipatio Eccleſiæ & perſequutio:ſed etiã penè internecio,& abolitio totius fidei Chriſtianæ, & extinctio futura erat, quoniam paſsim publicè falſa contrariáque Euangelio doctrina admittetur,probabitur & propagabitur etiam in media Eccleſia.

Cõfirmatur hæc noſtra interpretatio,primùm, A dicto Chriſti,Luc.18. 8. quum veniet filius hominis putas fidem inueniet?& Matth.24.12. Charitas (id eſt fides illo loco)multorum refrigiſcet. Ergo ad multos,non ad vnum tantùm hominum miſer ille Eccleſiæ ſtatus pertinet, qui Antichriſti nomine nobis eſt deſcriptus. Sed etiam confirmatur prædictione Ioannis,quæ eſt in Apocalypſi 17.1.& 18.3.vbi huius Apoſtaſiæ tanta potentia, & propagatio deſcribitur,vt meretrix illa Chriſto contraria ſuo veneno ſuáque doctrina omnes reges terrę & populos infectura & inebriatura dicatur. Confirmatur quoque & 1. Ioan. epiſtol. cap. 2. verſu 18. vbi docet Antichriſti nomen ad plures pertinere. In cuius loci interpretatione ſic ſcribit Ioan.Caluinus,*Paulus quum venturæ defectionis meminit, apertè teſtatur certum fore corpus, & regnum 2.Theſſalo.2.3.*

Iam ex hoc colligendum eſt ab antecedenti neceſſario, Ergo ante extremum Chriſti aduentum futurum fuiſſe,vt Euangelium per vniuerſum orbem B prædicaretur, & Dei Eccleſia diffunderetur, & ſalutis doctrina reciperetur. Id quod fore prædixerat etiam Chriſtus Matth.26.13. Sed diſputationem iſtam ordine tractantes,quid vox,*Apoſtaſia*, ſignificet, videamus. Apoſtatæ multis modis definiuntur:aliter à Iuriſconſultis, aliter à Theologis. A Iuriſconſultis, transfugæ à caſtris, & ab imperio principum deſciſcentes milites dicuntur Apoſtatæ:ſic Modeſtinus Iuriſconſultus in L. deſertores D.de re.milita.Nam deſertorem appellat & apoſtatam militem, qui per longum tempus à caſtris euagatur,etſi poſtea reducitur.At in L.Apoſtatæ.c.de Apoſtatis aliter à Theologis definiuntur. Dicuntur enim ii eſſe apoſtatæ,qui ſanctam & Chriſtianam fidem ſemel ſuſceptam prodiderunt & deſeruerunt.Scholaſtiei & Papiſtæ apoſtatas etiam aliter deſcribũt,eos nempe, qui religionis ordinem,& regulam,quam ſemel voto profeſſi erant,poſtea repudiant. Certè hîc neque de militia,& caſtris agit Paulus : neque de religionum Papiſticarum ordinibus & inſtitutis, quæ nulla tunc erant.Ergo hæc apoſtaſia & defectio, de qua C loquitur,eſt referenda & intelligẽda fieri vel à fide Chriſtiana,vel ab imperio Romão.Ac de imperio Romano quidã hãc vocẽ,defectionémq; accipiũt, vti Lact. li.7.c.15.Auguſt.li.20.de Ciuitate Dei,c. 19. Hieron.ad Algaſ.quæſt.11.Quæ ſententia, vtrũ vera ſit,quærendum eſt. Vt autem breuiſsimè reſpondeatur, ſic ſentio, non poſſe duntaxat de imperio Romano accipi hunc locum, idque multis de cauſis:Primùm non agit hoc loco Paulus de regnis & mutationibus politicis,ſed de doctrina ipſa fidei. Deinde rei ipſius euentus,qui eſt optimus totius huius prophetiæ interpres,id declarat. Neque enim Antichriſti regnum tam ab imperio Romano,quàm à Dei ipſius doctrina defectio & apoſtaſia fuit. Præterea Damaſcenus libro 4.cap.27. de Orthodoxa fide mecum facit, qui demum poſt Euangelii doctrinam vbique ſparſam venturum eſſe Antichriſtum docet. Denique patres omnes quum Antichriſtum ipſum aduenisſe contendunt,id definiunt ex hæreſibus, quæ piæ doctrinæ aduerſantur : non autem ex vlla ſeditione aut rebellione ſubditorum in imperii Romani maieſtatem facta. Ergo hæc apoſtaſia,quæ Anti-

A chriſti ſtatum ſtabiliet, eſt à fidei Chriſtianæ vera doctrina diſceſsio.

CAP. VI.

Antichriſti regnum & ſtatus, cur Apoſtaſia dicatur à Spiritu Sancto indefinitè.

QVum autem appelletur à Paulo generaliter ἀποστασία, ea fiet non in vna tantùm, aut altera Eccleſia, ſed in vniuerſo ipſo totius viſibilis Eccleſiæ, quæ dicetur, corpore. Itaque indefinitè loquitur Paulus. Indefinitæ autem loquutiones æquipollent vniuerſalibus, vt aiunt Dialectici. Id etiam confirmatur, & apparet ex Apocalypſi, vbi meretrix dicitur non vnam tantùm aut alteram Eccleſiam vel prouinciam veneno ſuo inebriatura, ſed omnes mundi reges, nationes, & incolas. Nec tamen propterea ſinguli homines in Dei Eccleſia fient apoſtatæ, (Sibi enim ſemper a- B liquos pios Dominus reſeruaturus eſt, etiam in media illa defectone, vti tempore Eliæ ſex millia, qui erant vera Eccleſia) ſed corpus ipſum, conſenſus, & numerus maior eorum, qui ſe Dei Eccleſiam vocabunt & profitebuntur, à fide & doctrina Chriſti receſſuri ſunt, atque ad aliam prorſus contrariámque doctrinam defecturi. Idque paſsim & publicè fiet communi conſenſu & authoritate. Quod factum eſſe tum in Mahumetiſmo ſiue Turciſmo, tum etiam in Papiſmo videmus, & res ipſa loquitur. Hinc duo colliguntur, quæ ſunt & ſcitu digna & obſeruanda. Primùm, iam non eſſe firmiſſimum & ἀκίνητον argumentũ ad confirmandam doctrinæ veritatem illud, quod à ſucceſsione continua & traditione maiorum ducitur. Quum enim euenerit iſta vniuerſalis apoſtaſia, quomodo tutò colligi poteſt: hæc doctrina vera eſt & apoſtolica, quia publicè recepta eſt, prædicata, & probata in omnibus paſsim Eccleſiis? Futurum enim dixit Paulus, vt contraria Euangelio doctrina & admitteretur & probaretur etiam in Eccleſiis ipſis, C idque & paſsim & publicè. Hoc quidem argumento ſæpe veteres vſi ſunt, quod ante hanc apoſtaſiam fuit validum & tutum, nunc autem non eſt.

Alterum eſt, non rectè quoque colligi & concludi veram eſſe Eccleſiam, verámque doctrinam illîc, vbi perſonarum ſucceſsio & continuatio ordinaria locum habuit. Nam quum hæc apoſtaſia in ipſa Dei Eccleſia fuerit futura ac duratura, & diu quidem, id eſt, per multas perſonarum ſucceſsiones & ætates, quomodo tutò colligitur inter medios apoſtatas idcirco veram eſſe Dei Eccleſiam, quia illic fuit continua perſonarum ſucceſsio, quũ illi ipſi fuerint apoſtatæ?

Denique ex hoc ipſo colligitur falſum, quod tamen ſcholaſtici mordicus tenent, Eccleſiam errare non poſſe. Imò poteſt, nec vna tantùm aut altera Eccleſia particularis, ſed plures ſimul collectæ, imò vniuerſa ipſa concilia & Eccleſia, quæ & in apoſtaſiam erat prolapſura, & prolapſa iam eſt. Id quod fore prædixerat Spiritus Dei.

Aduerſus quæ omnia mala vnũ eſt, & illud quidem præſentiſsimum remedium, nimirum Dei verbum, ex quo ſolo & vera Eccleſia, & vera doctrina, & veri paſtores æſtimandi & definiendi ſunt, atque à falſis ſecernendi. Atque cur Apoſtata dicitur A Antichriſtus, hactenus. Hæc enim breuiter iam perſequor, quòd poſtea maioribus velis remiſque in eodem hoc pelago nauigabimus. Hîc enim nauem tantùm propellimus ex littore, & orã ſoluimus.

CAP. VII.

Antichriſtum cur Paulus appellet hominem.

ADdit, Paulus, *Homo ille peccati.* Hîc iam de Antichriſto apertè ac planè agit. Primùm quidem de nomine, pòſt de ipſius perſona, ſiue qualitate & doctrina. Appellat igitur eum Paulus *hominem peccati & perditionis.* In quo illud quoque quæritur, quod ſuperius diximus diſputari, quum Antichriſtum appellet hominem Paulus, Vtrum de vno tantùm quodam homine & indiuiduo, qui ſemel victurus fuerit, intelligat: an de toto aliquo ſucceſsionis & hominum ordine & cœtu, B qui in illa apoſtaſia per aliquot ætates futurus ſit, quem homini comparet, & hominem ſingulari numero appellet: quanquam tamen eſt cœtus & vniuerſitas quædam ex multis hominibus, atque adeo nationibus & regnis penè omnibus collecta & conſtituta. Qua ratione Paulus 1. Cor. 4. verſ. 1. Singulari numero, *Hominis*, plures intelligit. Id quod etiam Hebræum idioma ſequentibus familiare eſt, & vſitatum. Illud autem idioma in ſcribendo maximè conſectatur Paulus. Sed & hoc quoque eſt diligenter retinendum quod ait Damaſcen. Antichriſtum non fore vnum aliquem ex Diabolis, qui ſibi carnem humanã vniat, vti Chriſtus eã ſibi vniuit, etſi tamen Antichriſti qui erunt, mentem Diabolicam & Deo inimicam gerent. Papiſtæ ſanè dictum hoc accipiunt de vno tantùm quodam & ſingulari, ſine indiuiduo homine, qui aliquando futurus ſit, & extiturus, quem etiam ex tribu Dan oriturum eſſe putant, ſed illi nullo fundamento Scripturæ nituntur. Itaque ſunt prætermittendi. Alii, & docti quidem viri, ſentiunt de vno quodam homine hoc ipſum dici, qui inter omnes apoſtatas à fide alieniſsimus & teterrimus C ſit futurus, ac tanquam aliorum apoſtatarum princeps. Nam, aiunt, piorum & fidelium omnium caput eſt vnum, Chriſtus. Huius autem tam inſignis inter alios Antichriſti futuri nomen quoque obſcurè ſignificatum putant hoc loco, & imprimis Apocalyp. 13. 18. cuius characteres & literæ numerum efficiunt 666. Atque hæc ſanè eſt receptior vulgò ſententia, & quæ viſa eſt probabilior. Vtrique verò huic rationi ſic reſpondeo. Ac primæ quidem quòd etſi verum eſt omnium infidelium caput vnum eſſe, ille tamen eſt Diabolus, ſerpens, & Draco qui appellatur, non autem vnus quidam homo mortalis, qualem tamen Antichriſtum etiam illum inſignem eſſe oportere apparet ex Matth. 25. Secunda verò eorundem ratio per ſe nutat, quòd perperam omnino explicatur ille locus Apocalypſ. 13.18. de certo vocabulo, nomine & appellatione vnius alicuius hominis, cuius literæ hunc numerum 666. in ſe complectantur. Neque enim illic agitur de literarum aut characterum (quibus vox aliqua componitur) arithmetica ſignificatione: ſed de tempore ipſo & annorum numero, quo ea, quæ illic prædicuntur, A tur, euentura errant. Nuſquam enim Scriptura huiuſmodi magicas & ineptas literarum ſignificationes conſectatur, quæ ſunt meræ Cabaliſtarum fraudes, & Magorum damnata deliria, ſed planè perſpicuè loquitur, quum de futuro aliquo vaticinatur, veluti quum de Cyro & Ioſia etiam pluſquam centum annis agit, antequã illi naſcerentur. Ergo qui futuri homines prædicti ſunt à Dei Spiritu, illi propriis & apertis nominibus appellãtur, non iſtis ambagibus verborum, vti Cyrus, Ioſias, Ieſus Chriſtus, quemadmodum diximus. Atque vt hoc melius intelligatur, adfero verba ipſa capitis ex Apocalypſi.

Verſ. 18. *Hic ſapientia eſt. Qui intelligentia præditus eſt, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt: & numerus eius, ſexcentum ſexaginta ſex.*

Iam igitur quæro de cuius idiomatis literis & characteribus illud vocabulum & nomen accipiẽdum eſſet, Hebraicíne an Greci, an Latini idiomatis: quoniam, vt ait Auguſtinus libro 12. de Geneſi ad literam, hæ tres linguæ fuerunt ſemper inter B mortales præcipuę. Et certè qui primi illam interpretationem, quam diximus, induxerũt, vti Irenæus libro 5 planè vacillant & laborant ipſi in aliquo nomine, vel vno, fingendo quod ex ſuis characteribus & literis numerum 666. reddat: quanquam tamen Euſebius, libro 5. hiſtor. cap. 8. Irenęũ eſt ſequutus. Poſſum ego plura fingere, ſed nihil ad rem illa omnia pertinent. Nam hoc nomen, *Claudius Ruber*, eundem numerum habet quem Italica Eccleſia, & Lateinos & Teitan, quæ Irenæus tamen putat fore veriſsima nomina illius inſignis Antichriſti. Veteres quoque ante Irenæum ex Græco idiomate vocem hanc λατεῖνος, & has ἰταλικὴ ἐκκλησία ſignificari contendunt, quæ hunc numerum 666. efficiunt: nempe λ.30.α.1.τ.300.ε.5.ι.10.ν.50.ο.70.ς.200. Nam hi omnes numeri ſimul collecti efficiunt 666. Eadem etiam ſumma in his duobus vocabulis ex Grecorum Arithmeticorum ſupputatione continetur, ι. 10. τ. 300. α. λ. 30. ι. 10. κ. 20. α. 1. ε. 5. κ. 20. κ. 20. λ. 30. η. 8. σ. 200. ι. 10. α. 1. qui etiam ſimul additi reddunt 666. Et ſanè res ipſa eos in C hanc ſententiam confirmabat, quòd in Italica Eccleſia, cuius caput ſemper Roma fuit, veriſsimum Antichriſto regnum erigi iam tum videbatur, & ex huiuſmodi initiis, quæ tunc apparebant, firmiſſimum illic quoque fore, Dei Spiritu impulſi boni illi viri vaticinabantur. Irenæus autem ipſe potius Τείταν proprium Antichriſti nomen fore exiſtimauit. Sed hæc arguta ſunt, veram autem loci à nobis ex Apocalypſi adducti explanationem non continent, quam vt aſſequamur recurrendum nobis eſt ad ſacram Scripturam, & ſimiles huic locos, vti ad Daniel. 7. vbi non vnus tantùm quidam, ſed totus & vniuerſus regni alicuius ordo ſub nomine & figura vnius beſtiæ, vt hominis proponitur. Sic regnum & reges omnes Perſarum ſub figura vnius vrſi, item Macedonum ſub figura leopardi denotantur. Sic quoque omnes, qui in illa generali apoſtaſia præſidebunt, id eſt, principatum occupabũt, nomine ſingulari beſtiæ ſignificantur. Ex quo fit, vt hoc dictum Apocalypſeos ad omne ſucceſsionis cuiuſdam genus & tempus, quod erit in illa apoſtaſia, non ad vnum aliquem ſingularem hominem, pertineat. Denique principatus iſtius apoſtaſiæ proculdubio hec voce deſignatur. Quis ſit autem verus illius loci ſenſus poſtea docebimus, vbi de tempore, quo futurum Antichriſtum prædixit Spiritus Dei, diſputabitur. A

His autem verbis tam tetris deſcribitur Antichriſtus à Paulo, vt omnes ab eo fugiant, & vt pij ſiue fideles cohorreant vel ad ſolum illius nomen.

CAP. VIII.

Antichriſtus, cur Filius perditionis appelletur, Apollyon, Beſtia, Fœmina, Meretrix.

CÆterum obſeruandæ ſunt aliæ quoque voces, quibus in Scriptura Antichriſtus appellatur. Ac primùm perditionis & peccati hominem appellat Paulus, id eſt, ſceleratiſsimum & B perditiſsimum hominem, Hebræorum more, quemadmodum Chriſti ipſius proditor Iudas, filius perditionis appellatur, Ioan. 17. Ergo per ἀντονομασίαν qui in illa apoſtaſia præſidatum tenebit, dicitur futurus inſigniter impius, reprobus, & maledictus.

Nec obſtat quòd nos omnes etiam fideles dicimur filii iræ, & filii contumaciæ. Eph. 2. 3. & 5. 16. Hoc enim verum eſt, ſed hîc agit Paulus de vno quodam hominum genere præter cæteros ſcelere in Deum nobilitato, execrando, reprobo atque doctrinæ Chriſti aduerſante, itaque inſigniter impio & ſcelerato: quod genus hominum propterea nominat hominem peccati & reprobationis. Et certè veriſsimè annotat D. Gualt. Antichriſtum & actiuè & paſsiuè dici Filium perditionis, quia & perdit alios & ipſe perditus eſt, vnde etiam alibi hic ipſe appellatur Apollyon, vt Apocalyp. 9. 12. quòd omnis & animarum & corporum peſtis & perditionis ſit author. Itaque meritò Filius perditionis appellatur à Paulo, qui à Dei Spiritu nominatur Ἀπολλύων.

Quanquam verò hic idem nominatur paſsim C ab aliis Antichriſtus, vti 1. Ioan. 2. & 4. duplici tamen ratione videtur Paulus ſic potius eum deſcribere voluiſſe. Primùm, quia hæc deſcriptio maiorem ἔμφασιν habet, & manifeſtiorem ſceleris ipſius & blaſphemiæ repreſentationem quum agnoſcimus eum eſſe hominem perditiſsimum. Deinde quòd hoc modo certius demonſtratur, de quo potiſsimum Antichriſto hoc dictum ſit à nobis accipiendum. Eſt enim (vt ait Origenes in Matth. homil. 30.) Antichriſti nomen ipſum generale, cuius ſunt ſpecies multæ. Hîc autem vna tantùm quædam deſignatur, quæ peſsima, ſceleratiſsima, & omnium maximè eſt execranda. Demonſtratur denique is, qui inter omnes Antichriſtos maximè erit Antichriſtus.

Dicitur autem idem Antichriſtus Beſtia & Meretrix, Apocal. 17. & 18. Nec obſtat quod idem appellatur illîc quidem Beſtia & Meretrix: hîc autem Homo. Nam hîc, genus & naturam eius deſcriptã eſſe, & ſignificatam dico: illîc autem, *Beſtiæ & Meretricis* vocibus mores ipſius denotatos & depictos. Ergo cõparatur hic ſtatus, & illius princeps, capútque apoſtatarum tribus his maximè rebus, in Scriptura.

Beſtiæ, per quam crudelitas & ignorantia.

A Fœminæ, per quam auaritia & inſolentia ſiue impotentia animi.

Meretrici, per quam diſſoluti huius generis hominum mores ſignificantur, &

Idololatria imprimis, quæ maxima eſt animarum ſcortatio, vti Scriptura docet.

Ac, quod ad crudelitatem huius ſtatus attinet, Lactant.lib.7.eam fore maximam docet, cùm de Antichriſto cap.17.ita ſcribit.Id erit rempus, quo iuſtitia proiicietur, & innocentia odio erit, quo mali bonos hoſtiliter prædabuntur, confundentur omnia, & miſcebuntur contra fas, contra iura naturæ. Conuenit autem hoc Lactantii dictum, cum eo, quod eſt Apocalyp.17.6. Vbi dicitur Antichriſtus eſſe illa Meretrix ebria ſanguine ſanctorum & martyrum. Ex quo fit, vt aduerſus fideles maximas perſecutiones Antichriſtus fuerit, ſitque ſemper excitaturus. Chryſoſt.40.Homil.in Matt. idem tradit. Id autem quando magis, aut à quo magis quàm à Romano Pontifice, totóque eo B hominum ordine & genere factum eſt, & fit adhuc? Ac quidem de crudelitate iſtius hominum generis breuiter iſta ſint dicta.

Quod autem ad ignorantiam huius quoque hominum ordinis attinet, de ea in libello qui tribuitur Auguſtino, & inſcribitur De Antichriſto, ſic eſt ſcriptum, Habebit autem Antichriſtus magos, maleficos, diuinos, incantatores, qui docebunt in omni iniquitate & falſitate & nefaria arte, &c. Hoc vbi magis fit, quæſo, quàm in Papiſtis & Papatu? Et certè 2.Petr.1.12.& 15.vbi clericatus papalis, (qui eſt columen iſtius ſtatus & apoſtaſiæ deſcribitur, hic ordo dicitur eſſe brutorum animantium genus, ſpernentium quæ ignorant, & qui vbique à via recta aberrant. Et res ipſa docet, ignariſsimos omnium hominum eſſe iſtos, adeo vt inter eos Monachi vel præſtantiſsimi doctores habeantur, de quibus iam tamen etiam apud eos ipſos in prouerbium abiit, Monacho indoctior. De auaritia verò illius ſtatus & ordinis hominum, nihil neceſſe eſt quicquam à nobis amplius dici, C quum res ipſa per ſe pateat. Nam ibidem Petrus verſu 14.addit hoc idem genus hominum eſſe exercitatum ad auaritiam: Apoc.18.3.dicuntur eſſe mercatores. Bernardus qui maximè ſuo Eugenio, & poſtea Innocentio ſecundo fauit, tamen in Pſalm. Qui habitat.de hoc ordine ideſt toto Papiſtico ſtatu ſic ait: Eccleſiaſticę dignitatis officia in turpem quæſtum & luxuriam diuitiarum quæruntur, pro iis & eorum reditibus impudenter certatur. Idem in ſerm.de conuerſione Pauli, vbi apertè de regimine Eccleſiæ ſub Papa Romano diſſerens, tandem de eo ſic concludit. Ipſe eſt Antichriſtus. Idem quoque in Cant.Cantic.ſerm.33.vt infinitos alios huius autoris locos omittam. Quid vero, illa præclara epiſtola Leodicenſis Eccleſiæ aduerſ.Paſchalem 2.quæ exſtat tom.2.Concilior. nónne huius rei fidem facit locupletiſsimam? cuius hęc ſunt verba, Illos verò legatos à latere Romani Epiſcopi exeuntes, & ad ditanda marſupia diſcurrentes, omnino refutamus, ſicut temporibus Zoſimi, Celeſtini, Bonifacij concilia Africana probauerunt. Etenim vt ex fructibus eorum cognoſcamus eos, non morum correctio, non vitæ emendatio, ſed inde hominum cædes, & Eccleſiarum Dei proueniunt deprædationes.

Denique de ambitione ſi quærimus, vbínam gentium maior? Certè Petrus.2.Pet.2.totum hunc A ordinem clericorum quem in Papatu videmus, notat damnátque ſummæ inſolentiæ, qui etiam ſpernant magiſtratus. Et quando qui Romæ ſedet ſe ſupra regna & reges conſtitutum eſſe apertè ipſe pronuntiat, (Id quod fecit Leo XII. in bulla & præfatione Concordat. & Bonifacius 8. in Iubilæo geſtans coram populo clauem & gladium) quid apertius dici poteſt, quàm rectè & verè impotentis animi mulieri, & Antichriſtum ipſum, & totum Antichriſti regnum comparari? Quàm ſæpe contentiones & digladiationes extiterunt pro ea ſede ambienda, omnes ſciunt & res ipſa teſtatur: & iam tum tempore ſuo viderat ipſe Auguſtinus, vti libro 6. contra Iulian. cap.4.teſtatur. Denique homines etiam Ethnici idem ſcripſerunt, vti Ammianus Marcellinus de Damaſo Papa. Bernardus certè Cantic.cantic.ſermo.33.de illo ſtatu agens, & iis qui in eo ſedent, Et ſurrexerunt homines vani, ait, cupidi, gloriæ, & voluerunt ſibi facere nomen. Denique B lib.4.de conſideratio.ad Eugenium Papam, poſtquam pontificum Roman. faſtum & comitatum plus quàm regium deſcripſit & execratus eſt: tandem his verbis concludit, In his ſucceſſiſti, ait, nō Petro, ſed Conſtantino: Petrus hic eſt, qui neſcitur proceſſiſſe aliquando vel gemmis ornatus, vel ſericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec ſtipatus milite, nec circunſtrepentibus ſeptus miniſtris. Sed mollius loquitur Bernardus, quum Pontificem Romanum ait ſucceſsiſſe Conſtantino: debuit dicere Diocletiano ſæuiſſimo tyranno, vel Caligulæ, quorum vterque ex ſumptuoſo veſtimentorum cultu ſe pro Deo voluit agnoſci & coli. Hilar.contra Auxent. de Antichriſti ſtatu loquens, Ambitioſè ſecularis poteſtatis auxilia petunt, & nomini ſuo conciliant, & ad tuendam Eccleſiam ambitione ſeculari laboratur. Denique ait idem, diligi ſe gloriantur à mundo. Hæc omnia ille de Antichriſto. Quid autem in Papatu magis frequens & vſitatum quàm hoc? aut quid toto illo hominum & clericorum ordine turgidius & magis inflatum? quando ſuos C Cardinales regibus ipſis præire debere ſanciuit Romanos Pontifex, id quod ex Clementinis apparet. Et hæc de ambitione.

De idololatria denique quanta futura eſſet ſub Antichriſti ſtatu, docent omnes. Auguſtinus in tractatu De Antichriſto, Dæmonum, ait, cultum reuocabit, impios magnificabit, legem Euãgelicam diſſipabit. Atque hæc quidem omnia in media ipſa Eccleſia. Ex quo fit, vt paſsim in Apocaly.17. & 18.reges terræ cum ea Meretrice ſcortati eſſe dicantur: id quod ad idololatriam pertinet. Sed quæ & vbi maior & apertior idololatria, quàm in Papatu?

Luxus verò & diſſoluti mores erunt ſub Antichriſti regno & ſtatu, ídque in media Eccleſia. Vnde in Apoc. 18.9.reges terræ & incolæ nō tantùm ſcortati cum ea dicuntur: ſed etiam luxu perditi, στρηνιάσαντες.i. ſummis deliciis profluentes & immerſi, quomodo loquitur Paulus 1.Tim.5.11.Hoc viuendi genus prorſus in epiſcopis ipſis & paſtoribus Papiſticis & aliis prælatis, apparet, & laudatur: quod non nunc primùm cœpit, ſed iam olim, quum qui ante 400. annos vixit Bern. de eo grauiſſimè ſæpiſſiméque conqueratur, veluti in li.5.

A de conſiderat.& in Cant.can.ſermo.33. Quem locum, quia ad viuum papiſticorum Prælatorum mores expreſsit, operæpretium duxi tranſcribere, Honorati incedunt, ait, de bonis Domini, cui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, hyſtrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frænis, ſellis & calcaribus, & plus calcaria quàm altaria fulgẽt. Inde ſplendidæ menſæ, & cibi & ſcyphi: inde comeſſationes, & ebrietates. Inde cythara, & lyra, & tibia: inde redundantia torcularia, & promptuaria plena erúctantia ex hoc in illud: inde dolia pigmẽtaria: inde referta marſurpia. Proh! Huiuſmodi volunt eſſe & ſunt Eccleſiarum Præpoſiti, Decani, Archidecani, Epiſcopi, Archiepiſcopi. Nec enim hæc cedunt negotio illi, quod perambulat in tenebris. Et poſtea addit, Ipſe enim eſt Antichriſtus. Videat & legat locum totum, qui volet & eiuſdem patris ad Eugenium epiſtolas, ac Nicolai de Clemengis libellum, & querimoniam aduerſus totum Papatus ordinem, itémque Petrum de vineis in epiſtolis. Denique legantur quæ B variis in locis ſcripſit Platina Paparum aſſecla, ſed præſertim de Samoſateno in vita Dionyſij primi, vbi nihil pontificali & Romano luxu diſſolutius vnquam fuiſſe docet. Confirmat hoc ipſum D. Hieronymus, qui in prologo lib. de Spiritu ſancto, Romam apertè Babylonem, & purpuratam illam meretricem, quæ in Apocalypſi deſignatur, appellat.

Ergo quum non de vno aliquo & ſingulari homine Pauli dictum ſit intelligendum, ſed de toto quodam hominum apoſtatarum corpore & ordine, qui per plures ætates durabit, & ſe Eccleſiæ nomine venditabit, apertè iam intelligi poteſt, qui homines & qui ſtatus à Paulo ſit hoc loco prædictus. Nec dubitari poteſt, quin ii ſint Papiſtæ.

CAP. IX.

Quæ beſtia ex tribus, quarum in Apocalypſi facta mentio eſt, Antichriſtum nobis deſignet.

C QVod ipſum vt melius & certius adhuc credatur, quærendum eſt, ſub cuius beſtiæ, ex iis quæ in Apocalypſi commemorantur, figura Antichriſtus expreſſus ſit, & ecqua eum nobis ſignificet de tribus quarum illic mentio facta eſt. Et certè beſtiæ nomine aliquem rerum ſtatum ſignificari ſatis ex Daniele cap. 7. & 8. colligi poteſt. Tres autem beſtiæ in Apocalypſi omnino commemorantur præter Draconem illum, qui eſt Diabolus (vt Angelus ipſe explicat) & trium illarum beſtiarum author, parens, & genitor. Ac prima quidem beſtia, eſt illa, quæ ex abyſſo aſcendit, cuius nulla eſt deſcriptio nec forma expreſſa. Hęc commemoratur Apocalypſ.cap.11.verſu 7. & cap. 17.verſu.9. Secunda beſtia, illa eſt, quæ è mari aſcẽdit, quæ eſt ſimilis variis beſtiis, nempe pardo, vrſo, & leoni, & quæ eadem habet ſeptem capita, & decem cornua, quemadmodum & Draco parens ipſius. Hæc recenſetur cap.13. verſu 1.& cap.12. ver. 3. Tertia denique beſtia, illa eſt, quæ ſecundę ſimillima eſt: habet autem cornua duo ſimilia cornibus agni, & è terra oritur. Hæc deſcribitur Apocal. 13. 11. cui etiam alibi comes adiungitur pſeudopropheta, A per quem illa poteſt plurimùm, & floret, cuiuſque parens dicitur eſſe draco, vti apparet ex Apoc. 16.13.& 19.26.

Quod igitur ad primam illam beſtiam, quæ eſt capite 11. eadem eſt, quæ & tertia, vti ex effectis intelligitur. Nam idem ſtatus atque ordo hominum vtraque beſtia ſignificatur, ab eodem parente Dracone ortus, & eodem pſeudopropheta ſuffultus & ſuſtentatus: ſed in cap.11. generaliter & vniuerſim primùm illa proponitur, cuius poſtea particularis deſcriptio, origo, finis, ſtudium & conatus cap.13. & 17. deſcribitur, quò certius eam agnoſcamus. Idem autem eſt è terra, & ex abyſſo aſcendere, quia abyſſus ſub terra ſtatuitur in Scriptura: ſed diuerſa ratione tamen dicitur aſcendere ex abyſſo, & diuerſa è terra. Aſcendit igitur hæc eadem beſtia è terra, quia ex vili hominum genere & fæce vulgi eliguntur, qui eum ſtatum gubernant, ſúntque in eo principes. Aſcendit etiam ex abyſſo, quòd nihil niſi Diabolicum, confuſúm, tetrum, & Deo aduerſarium, iidem illi eſſent & cogitent. Ergo ſtatus & conditionis perſonarum, à quibus regimen illud adminiſtratur ratione, dici- B tur hæc beſtia & hoc regnum eſſe è terra, id eſt, ex vili hominum genere. Tales enim ſunt vt plurimùm Cardinales Romani, & cæteri, qui ſunt prælati in Papatu. Ratione autem præceptorum, inſtitutorum & doctrinæ, dicitur hæc eadem beſtia, & hic hominum ordo aſcendere ex abyſſo, id eſt, inferno, quia nihil niſi Sathanicum redolet, docet, ſequitur, & pręcipit. i. profunda Sathanæ, vt loquitur Spiritus ſanctus Apocalypſ.2.24. Talis ſanè eſt doctrina Papiſtica. Ergo eadem eſt beſtia, quæ prima & tertia deſcribitur, ſed quæ primùm tantùm propoſita fuerat confuſè, poſtea diſtinctè deſcripta & deſignata nobis eſt ad faciliorem agnitionem.

Sic apud Danielem (cum quo Apocalypſis maximè conferenda eſt & ordinis ratione, & ſtyli genere) poſtquã breuiter & ſummatim quatuor Monarchias vidit, propoſuítque Propheta cap. 7. ea, quæ ad Eccleſiæ conſolationem pertinent, fue- C rúntque in duabus poſterioribus Monarchiis, idẽ poſtea explicat diſtinctè & ſigillatim cap.10.& 11. Atque vti illic, ita hîc, duobus capitibus interpoſitis, quæ in vniuerſum prius oſtenſa ſunt, deinceps particulariter & minutius deſcribuntur. Quare quum primæ & tertiæ beſtiæ eadem ſit ſignificatio, de ſecunda tantùm reſtat quæſtio, vtrum per eam potius, quàm per tertiam ſignificetur Antichriſtus, cuius hîc meminit Paulus. Certè, vt quod ſentio breuiter dicã, per ſecundam hanc beſtiam quę eſt Apocaly.13.1. perſpicuè ſignificatur Romanum imperium, quale fuit idololatricũ exiſtens & Romæ, nondum autem Conſtantinopolim trãſlatum. Romanũ enim illud imperium, regúmque in eo ſucceſsio ſeptem capitibus & decem cornibus oſtenſa eſt. Sed illa decẽ poſtea ad duo tantùm reuocata ſunt: fuerunt enim tãdem imperii Romani cornua duo, id eſt, ſedes pręcipuæ duæ: prima quidem & antiquiſsima Romæ, quæ in Italia ſita eſt. Secunda verò & poſterior Bizantij, quæ Conſtantinopolis dicta eſt, in Thracia, quò ſedem imperii Conſtantinus Magnus poſtea traduxit. Inde duæ Romæ nominantur paſsim, tum in conciliis, A tum in Imperatorum conſtitutionibus: vna vetus, quæ eſt Roma ipſa à Romulo condita: altera noua quæ eſt Conſtantinopolis, quæque veteris Romę priuilegiis & prærogatiua gaudet. Cæterum inter vtrunque hoc eiuſdem imperij Romani cornu differentia iſta fuit, quæ diligenter à nobis eſt obſeruanda, quòd quandiu in Italia fuit Romani imperii cornu & ſedes, fuerunt imperatores Romani idololatræ, & eorum edicta in Deum blaſphema. Poſtquam autem cœperũt iidem imperatores eſſe Chriſtiani, quod primùm Conſtantino Magno accidit (nam quod de Philippo, quem Decius interfecit, ſcribunt, eum Chriſti doctrinam amplexum eſſe, is clam, non autem publica profeſsione ſe Chriſtianum eſſe voluit) tunc inquam, & ſtatim, & primùm tranſlatum eſt hoc ipſum Romanum imperium ex Italia & Roma veteri in Thraciam & Conſtantinopolim. Hoc enim ita futurum eſſe iampridem prędixerat in Apocalypſi Dei Spiritus, vt poſtea docebitur. Ad eam quidem B prophetiam non reſpexit Conſtantinus, quum primum Roma Byzantium migrauit, illícque ſedem imperii primùm collocauit, ſed tantùm ad rerum & regnorum Orientalium, quæ à Parthis & Perſis miſerè vexabantur, commodiorem adminiſtrationem. Nam Conſtantinopolis ita ſita videbatur (alibi enim manere prius cogitarat Conſtantinus) vt totius ditionis Romanæ, quanquam latiſsimæ, eſſet, tanquã vmbilicus quidam: tamen hæc ita fieri omnino oportuit, vt fieret imperium Romanum biceps, atque duo illa cornua haberet, quæ prænuntiarat Deus. Itaque Dei ipſius prouidentia hoc totum Conſtantini conſilium gubernauit, & quod fore prædixerat, impleuit. Hæc autem diſtinctio duplicis ſedis, & cornu Romanæ monarchiæ probatur verbis Apocalypſ. 13. 11. & Zach. 4. 8. éſtque veriſsima interpretatio eius, quod dicitur beſtia habere duo cornua. Notandum verò, deinceps nos conſtituere & appellare primam beſtiam eam quæ in diuiſione & explicatione illa priore trium beſtiarum, à nobis ſecunda dicebatur: Et item ſecundam, eam quæ in dicta diuiſione tertia erat. C Hoc enim caput, quod in ea beſtia quæ iam à nobis prima dicitur, apparuit vulneratum & lethaliter cæſum, erat quidem vnum ex ſeptem prius cõmemoratis. At illa ſeptem ſuperiora fuiſſe tandem ad duo tantùm redacta ex eo apparet quòd ſecunda beſtia quæ prius à nobis tertia dicebatur & quę in ſe trãſtulit omnem poteſtatem prioris, duo tantùm cornua habere dicitur v. 11. cap. 13. Nec mirum eſt nos in hac ſecũda beſtia accipere aliter cornuũ ſignificationem quàm in priore. Nam in priore cornua nobis perſonas regum deſignant vt infra videbitur quia additum eſt illa cornua geſtare diademata. In ſecunda autem beſtia cornua duo ſtatum potius quàm perſonas ſignificant, propterea quòd illa cornua dicuntur ſimilitudinem agni referre, & ita ſtatum qualitatémque regni denotare. Eſt denique hoc ipſum tanquam fundamentum retinendum ad infinitos penè Apocalypſeos locos explicandos, quibus maximam lucẽ hęc imperij Romani in duo imperia diſtinctio præbebit. Explico igitur locum Apocalypſ. 13. ver. 1. 2. & 3. qui quidem ita habet.

1 *Tum vidi beſtiam è mari aſcendentem, qua habebat capita ſeptem & cornua decem: & ſuper cornua eius erant decem diademata, & ſuper capita eius nomen blaſphemia.* A

2 *Erátque hæc beſtia quam vidi, ſimilis pardo, & pedes eius, vt pedes vrſi, & os eius, vt os leonis, dedit autem ei Draco virtutem ſuam, & thronum ſuum, & poteſtatem magnam.*

3 *Et vidi vnum ex capitibus eius quaſi lethaliter cæſum: ſed ipſius plaga lethalis curata eſt: & admirans vniuerſa terra ſequuta eſt beſtiam.*

Decem reges, de quibus fit hoc loco mentio, numerandi ſunt ab eo & tempore & imperatore, ſub quo hæc prophetia ſcripta eſt. Is autem fuit Domitianus filius Veſpaſiani. In quo tamen ipſo non omnes ij, qui in imperium ſucceſſerunt, pro imperatoribus & regibus ſunt habendi. Nam eorum alij omnino non ſunt approbati, ſed à Senatu populóque Romano repudiati: alii ne ipſam quidem imperii ſuauitatem & maieſtatem deguſtarunt, B ſed breuiſsimo tempore regnarunt. Ergo ſunt ij demum in numerum decem regum recenſendi, qui & conſenſu ordinum regnarunt, & aliquot annos tenuerunt imperium. Denique, qui ex iis ipſis cum aliis ſimul imperarunt, pro vno tantùm Rege ſunt à nobis recipiendi, & ad eum referendi, à quo aſciti ſunt in imperium & cooptati. Quare hi mihi decem illi reges videntur fuiſſe, & intelligi debere.

I. Traianus imperator, qui regnat totius populi Romani conſenſu annos 20.

II. AElius Adrianus, omnibus gratus, regnat annos 21.

III. Antonius Boionius Nemauſo oriundus, dictus Pius, imperat annos 23.

IIII. M. Antoninus philoſophus, cũ L. Vero fratre imperat annos 18.

V. Commodus philoſophi filius, qui ſolus imperat per annos 13.

VI. Septimus Seuerus Afer. (Nam AElius Pertinax & Didius Iulianus, vix ac ne vix quidem ſalutarunt imperium, neque etiam accepti pro imperatoribus, vel à ſenatu, vel à militibus vnquam fuere.) Imperat autem Seuerus C annos 18.

VII. Alexander Mammæus. Nam Antonius Caracalla à patre Seuero in imperium allectus fuerat, vt eius tantùm continuatio quædam fuiſſe videatur. Heliogabalus autem biennio imperauit, ignotus penè Senatui & aliis prouinciis: deinde illius imperium debet referri ad huius Alexandri annos, qui Heliogabali ætate imperare cœpit. Macrinus qui ſequitur à nullo ordine hominum acceptatus, nec Romam ipſam vidit in imperio: vnde quum breuiſsimo etiam tempore regnarit, non eſt inter imperatores reponendus. Imperat autem Alexander annos 13.

VIII. Gallienus, ſub quo imperium Valeriani comprehendimus, qui ne dignus quidem eſt qui inter Imperatores recenſeatur, quum duram ſeruitutem Sapori Regi Perſarum ſeruierit. Quod autem ad Iulium Maximinum, & Gordianos attinet, nunquam eorum imperium quietum fuit, vti neque Philippi: qui non fuit celebris, & prouinciis metuendus Decimus autem & Virius Gallus qui ſequuti ſunt, vix imperium ſalutarunt. Regnat autem Gallienus annos

A annos 15.

IX. Aurelianus omnibus gratus, & acceptus, inſignis & ſtrenuus imperator, etſi pauco tēpore regnat. Imperat enim annos 5.

X. Diocletianus. Nam Tacitus & Florianus ne viderūt quidem imperium, vti nec Carus Probus, ſed plures eo ipſo tempore inuaſerunt & inuolarunt in imperium, vt Rex dici de horum decem numero ex iſtis nemo poſsit. Regnat autem Diocletianus annos 25.

Atque hi omnes diadema geſtarunt: reliqui verò illud attigerunt tantùm vel aſpexerunt: non autem liberum geſtandúmque habuerunt. Quemadmodum verò per decem regum ſucceſsionem floret hæc beſtia, ſic Apocal. 17. 16. dicitur per decem reges hæc eadem poſtea perſequenda & deuoranda. Atque hæc quidem de regibus decem, qui illic commemorantur.

Septem verò capita, quæ huic eidem beſtiæ, id eſt, Romano imperio idololatrico tribuuntur, ſunt vt quidam volūt ſeptem-viri illi Imperii Germanici poſt tranſlatum à Pontifice Romano ad B Germanos Imperium: olim autem & ante tranſlatum ad eos imperium cùm adhuc illud eſſe idololatricum & Romæ conſtitutum, erant vel ſeptem dignitates pręcipuæ quæ erant Romæ, nempe. 1 Conſulatus, 2 Prætoria poteſtas, 3 Præfectus prætorio, 4. Præfectus vbi, 5 Pręfectus ærario, 6 Equeſtris ordo, & 7 Senatorius: vel etiam erant ſeptem prouinciæ, quibus præcipuè robur Romani imperii tūc inniti & conſtare videbatur, è quibus prima præcipuá que fuit Italia ipſa. 2. vniuerſa Gallia vſque ad Rhenum & Pyrenæos montes. 3. Hiſpania tota. 4. Germania cum Illyrico. 5. Macedonia cui & Græcia & Thracia coniuncta eſt. 6. AEgyptus cum tota Africa, quanquam in ea diſtinctas fuiſſe prouincias & præſidatus gentium non ignoro, vti apparet in notitia Romani imperii: ſed non quid pro ſua commoditate & ſecuritate decreuiſſent Romani ſpectandum eſt, ſed vnde plurimùm vires & exercitus conſcribere ſolerent. 7. Syria C & Aſia minor. Cæterùm ea Syriæ pars & regio, quæ ad Euphratem ſpectauit & Romanis paruit, exhauriendi potius ærarii & imperii Romani, quàm tuendi atque ſuſtentandi cauſa fuit, quum ibi perpetua bella aduerſus Arabas vel Perſas gerenda eſſent, nec inter iſtas 7. prouincias recenſenda eſt.

Ergo ex his ſeptem prioris Beſtiæ capitibus præcipuum fuit Italicum, quod primum Romano imperio ereptum eſt, & à Gothis ita vulneratum, vt deletum meritò prorſus videretur, niſi per Antichriſtum poſtea animatum atque reſtitutum fuiſſet, ſed alia ratione, nimirum prætextu pietatis & religionis Chriſtianæ. Hæc ergo Beſtia fuit Monarchia & imperium illud Romanum, quod vti hîc, ita apud Daniel. 7. 3. dicitur ex mari aſcendere. Deinde, quum apud Danielem eius beſtiæ nomine appelletur, cuius forma illîc nulla deſcripta eſt (Tres enim ſuperiores beſtias, quas Daniel antea viderat, immanitate & feritate quadam hæc quarta erat ſuperatura) ſic hîc quoque tam tetra & ſtupenda depingitur, vt nihil ſit ea Beſtia & eius deſcriptione horribilius, immanius magíſue tetrū & truculentum.

Habet enim, A
Pedes vrſi,
Os leonis,
Pardo cetera membra ſimilis eſt.

Ergo huius beſtiæ & imperii caput vnum lethaliter dicitur fuiſſe vulneratum, illud nempe, quod in Italia fuit. Nam per aliquod tempus eſt à Gothis omnis dignitas Romani imperii in Italia euerſa, ſed ibidem tamen poſtea reuixit ope alterius Beſtiæ, id eſt, Papæ & Romani Antichriſti, vt in hoc tractatu fuſius poſteà demonſtrabimus.

Quamobrem vt tandem concludámus, per tertiam Beſtiam Antichriſtus ſignificatur, qui tetræ illius Beſtiæ in capite lethaliter iam vulneratę imaginem animauit, id eſt, Romani imperii idololatrici, quale Romæ fuerat, formam nobis refinxit & repoſuit. Hoc enim Romani imperii caput & cornu, quod erat idololatricum, Imperatoribus ipſis ad Chriſti doctrinam vocatis, & tranſlata Cōſtantinopolim imperii ſede, prorſus ſublatum & lethaliter vulneratum videri poterat. Denique hoc ipſum, ſiquod in Italia reſtabat, funditus poſtea deleuerat Odoacer Herulus, Apo. 17. illudque poſtea tenuerunt Gothi per decem reges continuos, B ſibíque ſuccedentes, etiam ipſa regia & metropoli vrbe Roma euerſa. Et certè omnia optimè inter ſe conueniunt, quæ de Beſtia hac tertia, id eſt, de Antichriſto, atque etiam quæ de Beſtia illa, quæ Romanum imperium idololatricum repræſentat, dici & conferri poſſunt: quod quia magnam toti huic argumento lucem affert, ſic breuiter oſtendo ex comparatione vtriuſque Beſtiæ. Illa tertia igitur Beſtia dicitur habere
Cornua agni,
Loqui tamen, vt Draco ſolet.

Ita Antichriſtus id eſt, totus ille ordo hominum, & imprimis princeps ordinis Papiſtici & Romani ſtatus,
Præ ſe fert manſuetos mores, & doctrinā Chhriſti.
Reuera tamen loquitur, vt Sathan, blaſphema in Deum & impia.

Secundò quod ad Antichriſti & tertiæ beſtiæ conatum, ſtudium & operam, rectè conueniunt.

Nam tertia beſtia C
Animat imaginem beſtiæ vulneratæ lethaliter, & aliàs perituræ, & eam ad vitam reuocat.
Iubet ſatagítque, vt omnes eiuſdem primæ beſtiæ characterem, aut nomen aut numerum beſtiæ, id eſt, ordinem aliquem ferant, & gerant publicè & palàm.

Sic Antichriſtus & Papa Romanus
Romani imperii, quatenus idololatricum fuit, & Roma eiusſedes, imaginē reſuſcitauit mūdo.
Obnoxiè curat & agit, vt omnes eius idololatriæ, quæ per Euangelium euerſa videbatur, characterem, dignitatē vel munus, vel notā publicè profiteantur.

Sed Beſtia hoc facit vi & potentia Draconis & ope ſiue miniſterio pſeudoprophetæ cuiuſdam

A inſignis. Id quod etiam conuenit ſtatui Papiſtico:Pſeudopropheta enim ille eſt Papa: Draco verò,Diabolus ipſe.

Romanus ergo, & Papiſticus ſtatus floret, & operatur vi & potentia Satanę,quę data eſt, & conceſſa illi à Deo,vti res ipſa docuit: agit etiam ope ſiue miniſterio pſeudoprophetæ illius inſignis, nẽpe Papę,& eorum qui ab eo inaugurãtur & mittuntur ad eiuſdem doctrinæ & apoſtaſiæ propagationem & defenſionem,quales ſunt epiſcopi,monachi,reges,& reliqua Papæ mancipia.

Ergo hi omnes idem agunt,pro ſe certatim quiſque,quod Beſtia tertia in Apocalypſi propoſita, nimirum animant imaginem beſtiæ illius quæ lethaliter fuerat vulnerata: & illi authoritatẽ,quam antea habuit,tribuunt & conciliant, quando obnixè efficiunt & ſeuerè curant, curarúntque ſemper, quantum in ipſis fuit, vt omnes & ſinguli characterem & inſigne aliquod profeſsionis vel honoris prioris Beſtiæ & idololatricæ geſtarent. B Ac ne Romani quidem ipſi imperatores idololatræ tam anxiè támque ſæuè vnquam expetiuere & extorſere quàm iſti,vt idolis ſeruiretur. Ipſa verò Apocalypſeos phraſis ad ſimilitudinem eorũ quæ ſcripa ſunt,Daniel. 3. expreſſa à Spiritu ſancto videtur,ne fortaſſe noua cenſeatur.

Cap. x.

Quomodo Antichriſtus, prioris Beſtiæ lethaliter vulnerata.i.Romani imperij Italici & idololatrici iam deleti ſtatũ refingat, & illius imaginem animet & nobis reponat.

SEd vox *imago* planè rem ipſam, mentémque Spiritus ſancti explicat, quæ & attendenda idcirco diligenter, & à nobis exponenda eſt. Facítne verò Papa, dicet quis,vt Romani Imperatores,& maximè idololatræ hodie colantur & C obſeruentur? Reſpondeo, imaginis, quæ ab eo animatur, nomine non ſignificari perſonas ipſas Imperatorum,qui Romæ ſederunt: ſed potius ea voce denotari & deſignari ſtatum ipſum & formam Romani imperii, Italici & idololatrici, quam mortuam Papa prorſus nobis inſtaurauit, & animauit. Eam enim nobis etiam hodie ad viuum repreſentat & refingit. Id quod ex hac comparatione & partium enumeratione iam omnes facilè intelligent.

Romani, vti cuiuſlibet alterius, imperii ſtatus in his duabus rebus maximè conſtitit, quarum aliæ ad Religionem cultúmque diuinum pertinebant,aliæ ad Humanam politiam, ipſiúſque Reip. adminiſtrationem.Cultus Dei in Romano imperio Italico & idololatrico (id eſt, quandiu Roma ipſa fuit fixa & certa ipſius ſedes) qualis quæſo fuit?Idololatricus planè, & pluſquam cæterarum gentium furioſus, infinitæque ſuperſtitionis plenus, quicquid Dionyſius Halicarnaſſeus homo Ethnicus lib.2. ἀρχαιολογίας contra & ſcribat & ſentiat.Sic in Papatu teterrima idololatria & furioſiſſima fuit,atq; adhuc eſt,vt poſtea apparebit, Proceſsiones,luſtrationes,aquæ benedictę,februa hîc & illîc eadem, item in honorem hominum mortuorum candelæ. A

Regimen verò ipſum & politia imperii Romani idololarrici,in duabus rebus conſiſtebat nempe Eſſentialibus,vt vocant,& Accidentariis. Eſſentialia voco ea,ſine quibus nulla Reſp.conſtitui vel eſſe poteſt,qualia ſunt hæc tria,Forma politiæ,velut regnum vel ariſtocratia: Magiſtratus,qui eam formam tuetur:Leges,quæ quietem publicam cõſeruant. Accidentaria verò ea,in quibus non eſt poſita ſalus & incolumitas publici ſtatus,qualia ſunt Linguæ idioma,Cultus corporis, Vrbs ipſa, vbi eſt ſedes imperii.

Forma igitur politiæ Romanæ fuit quo tempore Apocalypſim ſcripſit Iohannes, ſpecie quidem Ariſtocratica propter Senatus authoritatem: reuera autem teterrima tyrannis & ſæuiſsima Monarchia propter vnius principis & imperatoris ſummum in omnes ius & imperium. Sic in Antichriſtiano & Papiſtico regno, ſpecies quidem adminiſtrationis eſt Ariſtocratia & bonorum conſenſus titulo tenus,reipſa autem eſt tyrannis. Nam vnus in ea præeſt, iſque ſæuiſsimè & tyrannicè, nempe Pontifex Romanus, qui in omnia ius habet,cuique ad nutum parent cæteri tanquam mãcipia. B Ex quo fit,vt in iis rebus quæ ad Religionẽ pertinent, & iis quæ ad reip.formam Antichriſtus beſtiæ lethaliter vulneratæ,id eſt,Romani imperii idololatrici & Italici iam deleti imaginem reponat nobis & animet.Iam veniamus ad Magiſtratus Romani imperii,Italici & idololatrici.

Magiſtratus Romæ fuit duplex,Summus, & Inferior. Summus Magiſtratus Romæ fuit Imperator.Is contra omnium gentium receptum morem ſacerdotium vnà cum regno coniunxit & adminiſtrauit. Alibi enim ferè hæc duo diſcernuntur & à diuerſis geruntur, vti certè ſunt diuerſa planè inter ſe munera Regum & Sacerdotum.Sed his duabus,quanquam ſummis, inter mortales dignitatibus non contentus Romanus Imperator & Magiſtratus,etiam hanc tertiam ſibi aſſumpſit & addidit,vt idem eſſet Tribunus plebis, & quidem perpetuus,adeò vt vnus & idem hic ſummus Romanus Magiſtratus, quandiu fuit Italicum & idololatricum C hoc imperium, hæc tria ſimul ſumma haberet, nempe ſummum Regnum & imperium in omnes:ſummum Sacerdotium & in religionem ſummam poteſtatem: item ſummum Tribunatum plebis,id eſt poteſtatem intercedendi prohibendíue decreta à cæteris magiſtratibus facta. Denique vt ipſe eſſet,tãquam numen quoddam, ſacroſanctus,inuiolabilis,ſacer,Ἀνυπεύθυνος & ἄσυλος. Papa Romanus,& qui in eo ſtatu & ordine ſummus eſt,eadem hæc tria ſumma vſurpauit quoque,ſummum ſcilicet Imperium in omnes:(omni enim Iuriſdictione cenſetur maior ipſe omnes iudicans) ſummum ſacerdotium & arbitrium de religione: Tribunatum quoque ſummũ, vt ſit ſacroſanctus, omníque iuriſdictione exemptus, & cæterorum epiſcoporum decretis intercedit.

Cæterùm inferiores Magiſtratus Romæ erant tunc Senatus Romanus, Prouinciæ præſides, & alii quidam, qui ius ipſum imperii non habebant, ſed tantùm delegatam ab vno Imperatore iuriſdictionem. Sic in Papiſtico ſtatu ſunt Cardinales, velut Senatus ipſe Eccleſiæ. Ii enim ſoli dicuntur facere conſiſtorium Romanum. Deinde Archie-

Archiepiſcopi & Epiſcopi, velut Præſides prouinciarum ſingularum: tum alii quoque ab ipſo Papa delegati, quorum nemo habet ius ipſum poteſtatis penes ſe: ſed tantùm acceptum & delegatum ab eo imperium, in quo vno fontem ipſum & ius omnis dignitatis & poteſtatis Eccleſiaſticæ eſſe, ſcaturire, & reſidere volunt. Ab eo verò ceteros accipere tanquam riuulos quoſdam emiſſos ex ipſius plenitudine, quæ in eo ſolo prorſus ſit concluſa. Denique quis dubitat quin ad notitiæ Romani imperii imitationem deſcriptæ ſint Epiſcoporum & Metropolitanorum differentiæ & ſedes ipſæ & iura in Papatu, vt illic eſſent Metropolitani vbi olim fuerunt totius prouinciæ præſides? Hoc enim Anicletus Papa Romanus teſtatur in epiſt. 2. & vniuerſi canones qui ſunt. 9. quęſt. 3. in Decretis pōtificiis. ergo & in eo ipſo Antichriſtus Romanúſque ordo nobis imperii Italici & idololatrici totam imaginem inſtaurauit.

Veniamus autem ad leges, in quibus tertium caput politici regiminis verſatur. Leges igitur Romanæ, quæ qualéſue fuerint ſub imperatoribus ad placandas priuatorum hominum controuerſias conſtitutæ, apparet tum ex Pandectis à Triboniano compilatis: tum etiam ex Codice Iuſtinianeo, Theodoſiano & libris Βασιλικῶν.

Leges etiam Papiſticæ, quæ ad hominum lites tollendas latæ ſunt, Decretales epiſtolæ ad ſimilitudinem reſcriptorum Imperialium appellantur, quæ planè nihil aliud ſunt, quàm imitatio, repetitio, vel frigida quædam recoctió ipſiſsimarum legum Romanarum, quæ ſub Imperatoribus idololatricis locum habuerunt. Id quod facilè cuiuis legenti apparebit, ipſique Canoniſtæ fatentur: ne ſit longior hæc diſputatio, ſi illa fuſius perſequamur. Et hæc de Eſſentia politiæ Romanæ, quæ tota pulcherrimè cum Antichriſtiani & Papiſtici regni adminiſtratione conſentit.

Iam verò ſpectemus Accidentia eiuſdem politiæ. Nam ea etiam nobis repoſuit & omnino reſtituit ſtatus Papiſticus. Sunt autem illa accidentia maximè tria, quemadmodum diximus: primùm lingua Latina. Hoc autem idioma Imperatores Romani vbique in iudiciis obtinere & dominari voluerunt, & ſanciuerunt, adeo vt ſententiæ etiam in prouinciis eius linguæ imperitis & ignaris per vniuerſum Romani imperii orbem Latinè pronūtiarentur: vt eſt in L. Prætor. D. De re Iudicat.

In ſtatu Papiſtico & in Antichriſtiano regno eadem hæc lingua dominatur & imperat, quanquam tamen & Græca & Hebraica eam dignitate & antiquitatis laude ſuperant.

Secundum accidens eſt Corporis cultus. Cultus autem hominum & veſtitus Romæ olim quidem fuit duplex: nempe popularis & vulgo promiſcuus. Item certarum quarundam perſonarum, vti Imperatorum ipſorum, Magiſtratuum cæterorum.

Popularis habitus & promiſcuus omni hominum generi, fuit toga virilis, & pileus, non galerus Vnde illud Virg. libro 1. AEneid. *Romanos rerum dominos gentémque togatam.* Apud Græcos autem fuit veſtitus pallium, & crepidæ calceamentum. In Papatu & toga eſt veſtimentum: & capitis tegumentum eſt pileus, etiam ſacerdotum ipſorum tanquam proprium quoddam decus. At in Lege Dei Leuitæ, galeros geſtare iubebantur. Exod. 28. 40. Quid igitur in Papatu toga frequentius, aut magis eorum iudicio decorum atque etiam ſpecioſum? Denique toga honeſtarum tantùm perſonarum habitus exiſtimatur. Alia autem veſtis, vti pallium, indecora, vilis & minus inter ipſos honeſta eſt, quemadmodum eadem olim inter Phariſæos, vt docet Chriſtus. Matth. 12. verſu 38. fuit in pretio.

Magiſtratus Romani qui mittebantur in prouinciam paludati proficiſcebantur. Erat autem paludamentum habitus militaris ac pallium quoddā viatorum, breue & pretioſum, quo velut inſigni diſcernebantur magiſtratus ipſi à cæteris, qui in eorum comitatu vel etiam in exercitu erant.

Eodem modo Metropolitanis & Archiepiſcopis in Papatu deſtinatum eſt pallium ex legibus Papiſtici ſtatus, vnde titul. de vſu pallij in Decretalibus, quia ſunt ſimiles præſidibus prouinciarum, qui, vt iidem, ſub ſe plures conuentus habebant, ita Archiepiſcopi ſub ſe habent plures epiſcopos, quos ſuos appellant ſuffraganeos.

Cæteri denique Magiſtratus Romani imperij idololatrici habebant latum clauum tanquam inſigne dignitatis, veluti ſenatores. At Dalmaticam veſtem ſolus Imperator geſtabat. Sic in Papiſtico ſtatu prælati, vel qui officium aliquod in templis faciunt & ſunt velut inſigniores & digniores, habent cappam, qui ſanè veſtitus eſt antiquorum laticlauo ſimillimus. At Dalmaticam quam ipſi vocant, ferre quibuſlibet clericis non licet, ac ne Diaconis quidem, ſed ne epiſcopis ipſis ſine Romani Pontificis, & ſummi eorum Imperatoris ſpeciali conceſsione. Sic olim purpuram & Imperatorium veſtitum & Dalmaticam nemo ſine venia & conceſsione ſibi ab Imperatore facta geſtare potuit: quod verum eſſe docet Canon. Communis. Diſt. 23.

Reſtat vrbs & ſedes ſiue locus ipſe imperii & metropolis. Fuit quidem ea olim in Italia atque etiam Roma: nec alibi quàm Romæ Romanos Imperatores idololatras habitare fas fuit & eius imperii ſedem collocare: ſic in Papiſtico ſtatu ſedes & metropolis illius Regni & ſtatus eſt in Italia: & Roma quidem ipſa, locus illius deſignatus, nec præter eam vrbs alia vera & idonea cenſetur. Antichriſtiani regni & Romani Pontificis ſedes.

Quæ quum ita ſint, & tot & tanta in Romano imperio idololatrico deleto & in Papiſtico ſtatu reſtituto ſimillima cernantur: quis dubitet Antichriſtū eſſe eum, qui prioris Beſtiæ lethaliter vulneratæ, id eſt, Romani imperii, Italici & idololatrici imaginem nobis animauit & infœliciſsimè reſtituit. Denique quis neget Papiſticum ſtatū eſſe ipſam Beſtiæ vulneratæ imaginem? Atque hæc quidem de Beſtia, quę Antichriſtum nobis in Apocalyp. deſignat.

CAP. XI.

Antichriſtus cur Ἀντίχριστος *nominetur, non autem* Ἀντίθεος, *vbi Chriſtianæ ſiue Euangelicæ doctrinæ & Papiſticæ ſit inter ſe collatio.*

VEniamus ad alia Antichriſti nomina. Vocatur verò hic idem, Antichriſtus 1. Ioan. 4.3. Qua ſanè voce illius conditio, & qualitas, id eſt, breuiter eius doctrina perſtringitur. Ac à Paulo huius vocis notio deſcribitur, quum dicitur iſte futurus Chriſti & Dei ipſius aduerſarius, eiúſque ad ſe poteſtatem & numen rapturus, vt nihil tetrius atque homine iſto fœdius aut horribilius omnibus piis eſſe debeat: vnde hunc totum ordinem toto pectore deteſtari fideles & filii Dei debent: quemadmodum etiam facere ſæpe monentur Apocal. 18.4. Exite ex ea popule mi: & cap. 18. verſ. 9. Si quis adorauerit Beſtiam aut imaginem eius, bibet ex vino iræ Dei. Matth. 24. verſ. 25. Si dixerint vobis, Ecce in deſerto, ne egredimini. Quare vel ob eã cauſam vtile fuit Antichriſtũ deſcribi & depingi nobis talẽ, qualis futurus erat. Sed etiam vtile fuit hęc dici, ne propter tantam impietatem offendamur, & putemus Deum abieciſſe Eccleſiæ & gloriæ ſuæ curam, imò conſtanter & piè in ſana doctrina (etiam in media iſta impietate) nos verè Chriſtiani perſtemus. Quod autem ait Paulus Antichriſtum ſiue hominem illum ſceleratum totius iſtius ordinis & hominum generis principem & ducem fore ἀντικείμενον & aduerſarium Chriſto, eſt alluſio ad vocem ipſam Ἀντίχριστον. Dicitur enim Ἀντίχριστος quaſi ἀντικείμενος Χριστῷ, id eſt, aduerſarius & ſeſe opponens non vni tantùm articulo ſymboli, & vni tantùm Chriſtianæ doctrinæ parti: ſed vniuerſæ pietati: vnde plus dixit Paulus, maiorémque ἀντίθεον & à Chriſto diſceſſionem denotat, quum appellat ἀντικείμενον, quàm ſi tantùm ἐχθρὸν, id eſt inimicum Chriſti nominaſſet: ἁπλῶς enim non autem κατά τι Chriſto aduerſatur. Dicuntur quidem omnes hæretici, imprimis qui Chriſti perſonam vel officia negant Antichriſti, 1. Ioan. 2.18. & 4.2. ſed κατά τι. At verò hic impiiſſimus Antichriſtus omnium hæreſeon fæces, & venena in ſummam Chriſti blaſphemiam ſemel collegit propagauítque.

Ex hoc autem loco, vt obiter illud moneam, cõfirmatur Auguſtini ſententia, qui aduerſus quoſdam linguæ Græcæ imperitos homines agens in 1. Ioan. epiſtola tractat. 3. docet Antichriſtum dici, non quòd ante Chriſtum venturus eſſet (quemadmodum illi ex vocis etymo malè percepto putabant) ſed quòd eſſet contrarius futurus Chriſto, ipſiúſque doctrinæ: vnde Ἀντίχριστος dicitur tanquã ἀντικείμενος τῷ Χριστῷ: eſt enim hæc Græca non autẽ Latina vox.

Mirum autem videri poteſt quum vniuerſæ ſacrarum Scripturarum doctrinæ aduerſarius eſſet iſte futurus, cur tamen potius Ἀντίχριστος appelletur quàm ἀντίθεος, aut alio quopiam nomine. Sed ratio videri poteſt, quòd cùm poſtrema Mundi huius ætate apparuerit Chriſtus, illiúſque doctrina, cui maximè aduerſatur iſte, vltimo hoc mundi ſeculo fuerit nota & recepta, oportuerit eum, qui ſe & Chriſto & illius doctrinæ oppoſuit hoc quoque poſtremo ſeculo, potius Ἀντίχριστον quàm ἀντίθεον aut ἀντευαγγελικὸν, aut alia aliqua voce nominari, nobíſque deſcribi. Cæterùm planè conſentit hic locus cum Apocalypſi 16.13. & 9.20. vbi præcipuus miniſter illius Beſtiæ, quæ totum hunc apoſtaſiæ ſtatum repræſentat, appellatur Pſeudopropheta per ἀντονομασίαν, quaſi qui inter omnes, qui vnquam extitére, peſſimus & teterrimus eſſet futurus. Sed & Beſtia ipſa, quæ huius ipſius ſtatus figura, & typus nobis à Dei Spiritu proponitur, dicitur eſſe plena nominibus blaſphemiæ, ſcortationis, & immunditiæ Apoc. 17. v. 3.4. Quod proculdubiò ad nomen doctrinámque Antichriſti referendum eſſe ambigere, meo quidem iudicio, nemo poteſt. Quamobrem poſtulat quoque hic locus vt ad dilucidam huius argumenti explanationem, & noſtræ ſententiæ confirmationem de doctrina Antichriſti, eiúſque cum Euangelica collatione, breuiter agamus. Fiet autem facillimè, ſi hæc duo meminerimus, Primùm Antichriſtum, de quo nunc agimus, eum eſſe, non qui vnum tantùm Chriſti doctrinæ caput petat & euertat, quales fuerunt olim multi, veluti Simon, Valentinus, Marcion, Nicolaus, Cerdo, Manes, Sabellius, Arrius, & alij ſimiles: ſed qui vniuerſam ipſam Chriſti doctrinam labefactuit, corrupit & peſſumdedit. Hoc ipſum verum eſſe docet indefinita loquendi ratio, qua in toto hoc argumento vtitur Paulus, ἀντικείμενος. Alii igitur hæretici ex vno quodam ſuo errore deſcribuntur, vt ſi quis neget Chriſtum in carnem veniſſe, hic eſt Antichriſtus, ſed Simonianus. Hymenæus & Philetus κατά τι fuerũt etiam tempore Pauli Antichriſti, quia reſurrectionem carnis tollebant, qui homines praui, quanquam iam tum viuebant atque docebant, tamen hunc Antichriſtum, de quo agit hoc loco Paulus, nondum veniſſe ipſe apertè claréque pronuntiat. Ex quo fit, vt hic alius ab illis, & quidem impurior blaſphemator ſit intelligendus, quàm ſimplices illi hæretici. Alterum autem, quod nos affirmamus quidem nunc, tamen poſtea certiſsimis rationibus demonſtrabimus, eſt: hoc dictum Pauli de Antichriſti doctrina contraria Chriſto, neque poſſe, neque debere propriè de Mahumetana ſecta & doctrina accipi vel intelligi. Etſi enim illa planè Chriſtianæ aduerſa eſt & repugnans, tamen nec Mahumetus ipſe ſedet in templo Dei, nec qui Mahumeti doctrinam ſequuntur profitentur ſe eſſe Chriſtianos aut Chriſtianę Eccleſię paſtores & præſules: quod tamen Antichriſtus, quique illi ſubſeruiunt, faciunt: ſed à Chriſtianorum & nomine & ſocietate palàm apertéque ſe defeciſſe Mahumetani gloriantur.

Iam verò oſtendatur de Papiſtis quàm verè dixerit Spiritus ſanctus, eorum (qui ſe tamen ſolos Chriſtianos & Catholicos dici volunt) doctrinam eſſe & Chriſto & Euangelio contrariam. Nam in eo conſentiunt nobiſcum Patres, qui hoc ipſum Pauli dictum ad Papiſticam Eccleſiam, id eſt, ad eam, quæ ſe falsò Chriſtiani nominis fulgore commendat, referunt. Bernardus in Cant. Cantic. 33. Miniſtri Chriſti ſunt, & ſeruiunt Antichriſto. Hilarius aduerſus Auxent. Sub ſpecie Euangelicæ prædicationis Chriſto contrarius erit, vt Dominus Ieſus Chriſtus denegetur, quum prædicari creditur. Denique Chryſoſt. in Matth. Hom. 49. ad diſcernendam Antichriſti doctrinam à vera, nos reuocat ad Scripturam diuinam, quia ſi nomen, ſi titulos, ſi profeſsionem ſpectemus, illi ſe Chriſtianos profitebũtur. Denique, ait idẽ, etiã maiorẽ præ ſe ferent continentiã & carnis mortificationẽ externam, quàm appareat eſſe inter veros Chriſtianos. Quæ omnia Papiſtico ſtatui optimè conuenire & graphicè eum nobis depingere omnes vident.

A Ergo Antitheſin Euangelicæ & Papiſticæ doctrinæ explicemus. Illa verò in his tribus maximè apparet. In diſputatione de Deo & eius natura, de Salute hominum eiúſque mediis cauſis, itémque de Cultu Dei ſiue Interno, ſiue Externo, vt ceremoniis. Ac de Deo tria hæc præcipuè & ſummatim ſacra Scrip. perſpicuè tradit, Eum eſſe primò Vnicum Marc.12.29. Deut.6.4. ſecundò Cęleſtem nihílque humanæ & terrenæ fæcis & contagionis habentem Act.7.48. Iſa. 66. tertiò Regem omniũ rerum, imprimis autem animarum & conſciẽtiarum noſtrarum dominum, cúmque ſolum 1.Pet.4.19. & 2.25. Ex quo conſequũtur hæc tria Deum verum odiſſe πολυθεΐαν. i. multos deos, & ſi qui ſocii adiungantur illi. Item odiſſe Idola, per quæ repręſentatur. Et Legiſlatores alios noſtrarum conſciẽtiarum. Luc.4.12.

De ſalute autem hominum, illiúſque cauſis hęc duo præſertim docet Scriptura, eam primò Perfectam eſſe & impletam per vnius Chriſti veri Dei & hominis ſacrificium ſemel in cruce oblatũ Heb. B 9. Secundò eã gratuitò conferri nobis à Deo Rom. 3. & 4. Denique de pietate & ipſius Dei cultu hoc docet generaliter Scriptura, primùm eum ex ſolo Dei verbo eſſe hauriendum, non ex hominum traditionibus & doctrinis Mat. 12. Deut. 12. Deinde quòd ad actus externos, qui nobis ſunt pignora ſalutis, & dicuntur ſacramenta: eadem docet, ſolum Deum eorum nobis authorem eſſe 1.Corin.11.

Quod autem ad cęremonias, quę ſunt etiam externi Dei cultus pars quædam, eadem ſcriptura, & paucas eas & vtiles tantùm, id eſt, quæ ædificent, vult eſſe tolerãdas, in quibus nulla pars ſalutis aut iuſtitiæ noſtræ ineſt, & per quas nulla lex cõſcientiis imponatur: ſed tãtùm decorũ cœtus Eccleſiaſtici, & quædam externa tantùm diſciplina & honeſtas inter homines Chriſtianos conſeruetur, vti ſcribit Paulus, 1.Cor.7. & 10. & in epiſt. ad Galat. & Apoſtolus ad Heb. cap.8.9. & 10.

At Papiſtica doctrina quid tradit cum his cõſentiens? Nam quod ad vnum Deum, hunc articulum planè ſuſtulit: diuinã enim maieſtatẽ in aſcititios deos transformat, & eã partitur fruſtulatim in minores quoſdam deos. Quot enim ſanctos adopta- C uit, tot deos mundi & dominos, & adminiſtratores induxit. Hic pluuiæ, ille ſerenitati præeſt: hic morbis, ille ſanitati. Quod autem ad cœleſtem Dei naturam attinet, Primum Deum ipſum terrenum eſſe fingit, quando & Papam Deum eſſe tradit terrenum, Cruſtulum ſuum ſiue panem furfuraceum, verum quoque Deum eſſe cõtendit. Deinde idola induxit quæ colit, & per ea ipſa Deum adorãdum eſſe ſtatuit: in quo fuit infinitus iſtorum hominum furor. Nuſquam enim gentium, ac ne quidem inter Græcos ipſos (à quibus primùm idololatria narratur profecta) tanta fut vnquam εἰδωλομανεία, quãta inter Papiſtas hodie viget. Noua enim Idola habent, vetera retinent, externa inducunt, indigetes deos venerantur, notos, ignotos etiam colunt. Denique planè totum gentiliſmum tandem nobis repoſuerunt homines inſani. De ſalute autem noſtra atque illius cauſis, quaſi per vnius Chriſti ſacrificium ſatis perfecta non ſit, quotidie Papiſtæ Miſſæ ſacrificium ad peccatorum remiſſionem celebrant & obtrudunt. Itaque horrendum illud Miſſæ Papiſticæ commentum tandem A verisſimum ſalutis noſtræ modum obliterauit: ac quidem ita, vt iam in vnius Chriſti ſacrificio & ſanguine non acquieſcant mortales. Miſſam autem illam nefandam quidam id ipſum eſſe putant, quod apud Danielem cap. 11. Mahuzim appellatur: ſed fruſtrà. Mahuzim enim apud Danielem in bonam partem pro munita Sionis arce, totóque Iudaicę regionis ſitu inuio accipitur: quo titulo à Daniele ornatur verus Deus. Sed nec ſalutem ipſam nobis à Deo gratis dari concedunt, imò meritis operum noſtrorum deberi: atque liberi arbitrii viribus & actionibus humanis eam à nobis acquiri docent. De ſacramentis, de cultu Dei, & cæremoniis vt contra Dei verbum ſentiant, vident & fatentur etiam ipſi ſaniores Papiſtę vt non ſit neceſſe pluribus hãc partem perſequi. Nec obſtat quòd ſua commenta, Profunda, & myſteria Papiſtæ appellant. Sunt enim reuera Profunda, ſed Sathanæ, quemadmodum ait Dei Spiritus Apocal.2.24. Nã ea myſteria appellanda fore prædixit Scriptura. Habebit enim Beſtia in fronte & præ ſe feret nomen B ipſum myſterii, quo ſacrilegas ſuas in Deum blaſphemias aſtutè tegit & vẽditat Apoc.17.5. Hoc enim ſpecioſo fuco & prætextu, myſteriorum & arcanorum, ſuas omnes impuriſſimas ſuperſtitiones cohoneſtabit. Denique quod diſertè in Apoc. 17. 5. ſcriptum eſt: in fronte Beſtiæ nomen ipſum Myſterium inſcribendum fore, verum fuit. Quondam enim in lamina thiarę Romani Pontificis vocabulum hoc *Myſterium* ſcriptum extabat: quemadmodum olim in lamina mitræ ſummi Sacrificatoris erat inſcriptum, Sãctitas Iehouę. Certè quòd Papiſtici epiſcopi bicornutas mitras gerunt, hoc fieri μυστειώδως docent ipſi. Denique illæ omnes Beſtiæ in fronte gerunt Myſterium illud, de quo loquitur Iohannes.

Obiicitur tamen, Papam & Papiſtas Chriſtianum nomen profiteri. Reſpondeo, Ex eo etiam ipſo multo certius doceri illos eſſe Antichriſtos, de quibus nunc agimus. Nam eo ſunt magis Chriſto aduerſi, quòd illius nomen & doctrinam profitentes, eam tamen funditus euertunt, vti fures & hoſtes domeſtici ſunt externis tetriores. C

CAP. XII.

Antichriſtus cur indefinitè & pſeudopropheta & Papa appelletur.

APpellatur autem hic idem Antichriſtus per αὐτονομασίαν Pſeudopropheta, quaſi omnium peſſimus Apocalyp, 20.15. Hic enim eſt qui indiuiduus Beſtię & Draconis comes & primarius ſatalles eſſe dicitur. Denique idem Antichriſtus nominatur quoque Papa, id eſt honorandus Pater. De qua voce *Papa* multi tamen quærunt quid ſignificet, & vnde deducta ſit. Alii igitur compoſitum putant ex his notis, *Pa, Pa*, quæ antiquis ſignificant Pater patriæ, qui titulus Romanis Imperatoribus tribui ſolitus eſt. Alii à voce *Pupæ puparum*, factam volunt, quæ ſunt imagunculæ, alii à voce hac *Pater* corruptè pronuntiata quod pueri faciunt. Has varias huius vocis etymo-

A logias recenſet Ioannes Coraſius doctiſſimus Iuriſconſultus:quarum tamen nulla mihi (tanti viri pace dixerim)ſatis placet. Verius eſt igitur Siculam eſſe vocem *Papa* qua dignitas & honor inſignis deſignatur, vt annotat Suidas, οὕτω δὲ λέγεται, ait, παρὰ Συρακουσίοις ὁ πατὴρ Πάπας, καὶ κατ' ἀναδιπλασμὸν τοῦ π, Πάππας. Qua voce vtitur etiam Homerus lib.6.Odyſſ. vbi ſic vetus autor Didymus, Πάππα προσφώνησις φιλοφρονητικὴ νεωτέρου πρὸς πρεσβύτερον, id eſt, Papa eſt vox blandientis iunioris ad ſeniorem. Eſt autem communiter olim tributa epiſcopis omnibus, vt apparet ex epiſtolis Sidonii Apollinaris, Gregorii Magni, atque etiam ſuperiorum veluti Cypriani, Hieronymi & Auguſtini, vbi paſſim epiſcopi appellantur Papæ. Sed poſtea hæc appellatio adulādi ſtudio in ſolo Romano Epiſcopo manſit, quaſi eſſet ille omnium epiſcoporum ſummus & maximè inſignis:id eſt, inter omnes epiſcopos ſolus epiſcopus & verè honorandus:quod factum eſt demum poſtquam hæc opinio recepta eſt in Eccleſia, B Romanum Epiſcopum eſſe caput Eccleſiæ:penes quem vnum ius ipſum dignitatis Eccleſiaſticę & clauium reſideret:penes cæteros autem Epiſcopos ius tantùm delegatum. Atque his tot támque variis nominibus, nimirū Apoſtata, Antichriſtus, Homo peccati, Filius perditionis, Beſtia, Apollyō, Meretrix, Fœmina, Pſeudopropheta, Papa : tum ipſe Papiſtarum ordo, tum qui in eo ipſo Caput & Princeps eſt, à ſacra Scriptura appellatur, vt ſit ipſius fraus nobis notior. Et quia de voce ipſa, qua deſignatur diximus : ad rei ipſius explicationem tempus eſt accedere.

CAP. XIII.

Antichriſtum ſibi Dei nomē vſurpaſſe, maximè quum ſe vniuerſalem Eccleſiæ Chriſtianæ Epiſcopum vocari voluit.

POſtquam igitur de perſona & appellatione Antichriſti diximus, videamus de dignitate & C nomine, quod ſibi princeps iſtius ordinis & ſtatus in Dei Eccleſia vendicauit. Ait Paulus, Effert ſe ſupra omne id quod dicitur Deus vel Numen. Certè non potuit expreſſius & dilucidius Spiritus ſanctus nobis totius iſtius ſtatus & rei veram formā depingere, & Romani ſiue Papiſtici regni naturam referre & repræſentare, quæ ipſo rerum (quæ poſtea ſunt ſequutæ & nunc apparent) euentu planè nunc quoque confirmatur. Ergo hic Papiſtica non Mahumetana apoſtaſia deſcripta eſt, ídque graphicè. Sibi enim princeps iſtius ſtatus (& in Dei quidem Eccleſia) honorem, poteſtatem, & numen Dei ipſius vſurpat. Ex quo primùm apparet hanc apoſtaſiam, de qua loquitur Paulus hoc loco, nō debere intelligi de Mahumetana & Turcica(quia Turcæ non ſedēt in templo Dei, neque id præ ſe ferunt)ſed manifeſtiſſimè de Papiſtica.

Poterat videri hoc dictum conſentire cum Daniel. 7 verſ. 8. & 20. vbi de paruo quodam cornu, quod inter decem cornua exoritur, agitur, dicitúrque grandia loqui. Sed verior eſt eorum ſententia, meo quidem iudicio, qui illum Danielis locum, non de Antichriſto accipiunt : ſed de Cæſarum Romanorum imperio : imprimis autem de A Veſpaſiano, qui propter proſapiam ignotam paruum cornu vocatus eſt.

Ergo quæritur, vtrum quod ſcribit Paulus Antichriſtum & principem iſtius apoſtaſiæ, vſurpaturum ſibi nomen Dei, de nomine ipſo & vocabulo Dei intelligatur, quod ſit aſſumpturus : an tantùm de Dei ipſius poteſtate, quam ſit ſibi impiè vindicaturus. Quidam igitur minimè putant id ad nomen ipſum diſertè referendum eſſe, ſed intelligendum tantùm de potentia Dei, quam inuadet ipſe, ſibíque tribuet & vſurpabit. Certè quum res ipſa, quæ eſt huius tam memorabilis prophetiæ implementum, doceat apertè Romanum Pontificem ſiue Papiſtici ſtatus ſummum προεστῶτα vtrumque ſibi vſurpaſſe, Nomen ipſum Dei, & Poteſtatem, de vtroque proculdubiò locus hic eſt intelligendus.

Ac quidem quod ad nomen ipſum Dei:Roma- B nus Pontifex apertè & nullis ambagibus illud ſibi tum ſumit ipſe, tum etiam quum ab aliis ſibi tribuitur, non recuſat. Nónne enim ab iis dicitur eſſe Deus in terris? Nónne patitur, vt Imperatores ipſi pedes exoſculentur? Hoc agnoſcit de ſe dictum nulla verecundia, ídque acceptat, & ſibi applaudit etiam in hoc ipſo tam ſuperbo nomine Romanus pontifex, vti apparet ex diſtinct. 21. per totam.

Deinde quum ſe non modò patitur vocari vniuerſalem totius Dei Eccleſiæ Epiſcopum, ſed eo ipſo titulo & honore ipſe ſe donet & dignetur, nónne Dei nomen per ἰσοδυναμίαν vſurpat? Quis enim alius eſt vniuerſalis Epiſcopus quàm Deus, quàm ipſe Chriſtus, qui ἀρχιποιμὴν & ἀρχιερεὺς ſolus eſt & meritò appellatur. 1. Pet. 2. 25. & 5. 4. Heb. 6. 20. & 7. 26. & 9. 11. Et quid eſt aliud, obſecro, principem epiſcoporū & caput Eccleſiæ vocari, quàm Deum vocari, quemadmodum in concilio Carthaginenſi docet Cyprianus? Epiſcopi verò primi & veteres etiā Romani blaſphemiam iſtam Epiſcopi vniuerſalis, & tam tetram appellationem, vt ſolius Antichriſti propriam, recuſarunt & reformi- C darunt adeo, vt qui ita ſe dici & nominari vellet, Antichriſtum eum eſſe, & qualem quidem Paulus hîc notat & deſcribit, apertè & ingenuè agnoſcerent, & paſſim apud alios ipſi vociferarentur. Sic Gregorius Magnus lib. 7. Epiſt 3. ad Eubolium Alexandriæ epiſcopum, & 80. ad eundem. Item epiſt. 78. & 79. Legantur etiam quæ in huius nominis deteſtationem ſcripta ſunt in Cano. primæ ſedis, qui eſt ſumptus ex concilio Charthaginenſi 3. & ex Pelagii epiſcopi Romani epiſtolis in Ca. nullus diſt. 99. Legantur quæ idem Gregorius Mauritio Auguſto epi. 194. & epi. 188. li. 6. ſcripſit. Legatur concilium Carthaginenſe ſub Mauritio Imperatore(qui vixit anno Chriſti 595. & mortuus eſt 604.)habitum. Primùm autem nata eſt inter Ioannem Conſtantinopolitanum epiſcopum, & Pelagium Romanum Pontificem infœlix de iſto nomine contentio. Habuit ſibi fauentem Mauritium Conſtantinopolitanum Imperatorem Ioānes & ipſe Conſtantinopolitanus epiſcopus. Itaque cœperat dici vniuerſalis Epiſcopus, etiam iubente & poſtulante Mauritio Imperatore, qui recuſantem id facere Gregorium fatuum appellauit, adeó-

A adeoque propterea in Romanos exarſit, vt in eos Longobardicam gentem, quæ iam erat in Italia, cōcitaret Imperator.Poſt Iohannē Cyriacus Epiſc. Conſtantinopol. iuſſu Imperatoris & ipſe vniuerſalis Epiſco. vocatus eſt. His autē duobus Pelagius Romanus epiſcopus ſeſe fortiter primùm oppoſuit,etiam viuo adhuc Mauritio Imperatore: poſtea vero Greg.Mag. huic appellationi totis viribus obſtitit,& ſibi delatam piè recuſauit. ſed Bonifacius 3.ambitione tanti faſtigii ductus à Phoca Imperatore(qui Mauritio ſucceſſit in imperium) obtinuit vt ipſe,qui eſſet Romanus Epiſcopus,potius quàm Conſtantinopolitanus vniuerſalis Epiſcopus diceretur. Ratio iſtius contentionis fuit, quòd iam ſolerent Conſtantinopolitani epiſcopi publicè Romanos Imperatores inaugurare, vti Ioannes ipſum Mauritium & Tiberium conſecrarat & coronarat vt tradit Euagrius lib. 5. cap. 13.& Zonaras tom.3.Vnde aduerſus Romanos epiſcopos criſtas ſuſtulerunt,tanquam iis eſſent lōgè digniores. Cōtrà verò Romani epiſcopi veteris Romæ dignitate ſe ſuúmque epiſcopatum tuebantur. B Inde igitur tandem nata eſt illa peſtifera in Dei Eccleſia contentio:cuius reliqui epiſcopi fuerunt ſederuntque non tantùm otioſi ſpectatores,ſed etiam ſeditioſi fautores: in qua certè magna fraude & peiori etiam impietate tandem vicit Romanus, effecítque,vt pro ſe vindiciæ etiam ab ipſo Imperatore pronuntiarentur, & vniuerſalis Epiſcopus conſtitueretur, quia Romæ Antichriſtus eſſe debebat, non autem Conſtantinopoli,vt poſtea docebimus.

Cap. XIIII.

Antichriſtum Dei poteſtatem impiè ſibi vindicaſſe

QVod autem ad Dei poteſtatem attinet, proculdubiò eam ſibi vſurpat Romanus Pontifex,& ſe ſupra omne diuinum numen extollit. Quum enim Dei ſumma poteſtas maximè in his duobus eluceat,Regnorum donatione,Dā. 3.Eccleſię adminiſtratione libera:vtranque ſibi vſurpat C & impiè vendicat ille impurus. Ac regnorum quidem diſpoſitionem, ademptionem, conceſſionem, donationem attribuit ſibi Romanus Pontifex,ídque apertè,vt apparet c.2. Extra.de maioritate & obedientia:quanquam Gregorius Magnus ſe ſeruum ſeruorum Dei primus,quò ſuis ſucceſſoribus humilitatis exemplum daret, appellauit: ſed illi nomen quidem ipſum,& inſcriptionem retinent: dignitatem verò interim huic titulo prorſus repugnantem ſacrilegè vſurpant.Eccleſiæ autem liberam pro ſuo nutu & arbitrio gubernationem ſuam eſſe dicit & contendit idem nefarius Pontifex.vt eſt Can.Cuncta.9.quæſt.3.Can.Si Papa diſt.40.Can. Neminis eſt de ſedis Apoſtolicæ iudicio iudicare 17.quæſt.4.

Hoc igitur verum eſſe ipſius decreta docent. Nam ſacramenta noua inſtituit,à Chriſto inſtituta abrogat,transformat & tollit. Leges conſcientiis impoſitá Chriſto latas,quum libet, figit & refigit. Can.Sunt quidam 25.quæſt. Denique ſe ſupra vniuerſum œcumenicum concilium extollit impudens.Can. Nunc autem.diſt.21. Quid autem aliud hæc ſunt omnia, niſi ipſam Dei poteſtatem A ſibi apertiſsimè arrogare? Poteſtates, reges, dominatus ſibi omnes ſubiecit.Can. Si Imperator.diſtinct.96.ipſum denique imperium, quo nihil eſt in terris maius, ſacratius & excellentius, quum Imperatorem ipſum vix ac ne vix quidem ad pedum ſuorum humillima oſcula admittat? quum ſe Soli ipſi, Imperatorem autem Lunæ tantùm conferat,vt ſe omni poteſtate maiorem vanus homo oſtentet etiam eluſo 1.Petr.epiſt.cap. 2.ver. 2.Quæ execranda Papæ ipſius blaſphemia, eſt in cap.2.Ext.de Maioritate & obedientia cap.Quanto.& ſeq. Ext. de Tranſlat. epiſcop. poſtea deſcripta & literis ad æternam impietatis memoriam conſignata. Denique ſcribit Helmodus in Saxonica hiſtoria, quòd Imperatorem Fridericum pro legitimo noluerit agnoſcere Alexander tertius, quia ſtrepam eius dextram pro ſiniſtra in conſcendendo equo tenuiſſet ſummiſſus Imperator. Legendus verò inter cæteros eſt Bernard.tum in libr.de Conſider. 2. ad Eugenium Pontificem Romanum, vbi tandem in hæc verba Bernardus erumpit, Sarculo, ait, tibi eſt opus, non ſceptro, vt officium Prophetæ facias:tum in B epiſtolis, vti 230, vbi de Curię Romanæ tyrannide agens, ſic vir ille tandem exclamat, Et olim quidem eratis contra Apoſtolum Petrum dominantes in clerum:imò & contra coapoſtolum eius Petrum dominabamini fidei totius orbis. At nunc nouum aliquid addidiſtis, vſurpantes amplius & in ipſam religionem. Quid reſtat, niſi vt adiiciatis & ipſis angelis ſanctis dominari? Quid autem maius dici poteſt,ex quo quenquam ſibi diuinam poteſtatem vſurpaſſe poſſit intelligi? vt iam dubitari non debeat,quin Romanus Pontifex ipſius Antichriſtiani regni, ſit caput & princeps: qui autem illius doctrinam amplectūtur & retinent eos inter Antichriſtos, & ex eo ordine cenſendos æſtimándóſque eſſe?

Cap. XV.

C

De loco vbi Antichriſtus ſeſſurus eſt, ex quo ipſo perſpicuè colligitur nec Mahumetum ipſum nec Mahumetanos eſſe eos quos Scriptura Antichriſtos appellat.

EST autem ordine obſeruandus nobis locus in quo ſeſſurus eſt Antichriſtus, id eſt princeps iſtius & apoſtaſiæ & totius hominū generis. Definit autem eum Paulus, ſed,vt videtur, obſcurè,quum in templo Dei eum ſeſſurum eſſe ſcribit. Quid tamen verba hæc ſignificent anxiè admodum quæſitum eſt Origen. in Matth.hom. 29. per templum Dei intelligit Scripturas & doctrinam. Itaque, ait, tunc in Eccleſia Dei falſum verbum erit & vigebit pro vero Dei verbo, & falſa doctrina pro vera obtinebit. Certè poſtremis temporibus receſſuros fuiſſe homines à fide, & diabolicam doctrinam ſparſuros & amplexuros iampridem teſtatus eſt Paulus, 1. Timoth. 4. & 2.Timoth. 3. & 4. verſ. 3. Quod etiam vox ipſa apoſtaſiæ, quam ſub Antichriſto futuram ſuprà ex Paulo docuimus, ſatis probat. Auguſtinus verò lib.20.de Ciuit.Dei,c.19.verba hæc εἰς τὸν ναὸν θεοῦ,exponit,In templum Dei,non autem in templo Dei,&cenſet in templum Dei dici perinde acſi ſcriptum eſſet,ſedebit pro templo Dei. i.pro Eccleſia Dei. Verùm hæc dicendi ratio ex 1.Corinth. 6.19.1.Pet. 2. 5. ſatis nota eſſe potuit , vt Dei templum pro eo populo & loco, vbi Deus coli ſolet, accipiendum intelligamus,qui alio nomine Eccleſia appellatur.Ergo ſedebit in templo Dei Antichriſtus , id eſt , in media Dei Eccleſia & populo ſuam illam poteſtatem exercebit. In media enim ipſa Eccleſia futura eſt iſta apoſtaſia, & qui eam ipſam inuehent & tuebuntur ſe ipſius Eccleſiæ Dei nomine & fulgore venditabunt & oſtentabunt. Denique volent dici & cenſeri ſoli vera Dei Eccleſia, illiúſque veri prælati & præſules. Ex quo primum omnium apparet illud,quod ſæpe iam diximus , Mahumetanos non eſſe eos,de quibus loquutus & vaticinatus eſt hoc loco Paulus,etſi enim penè iiſdem temporibus Mahumetana doctrina & Papiſtica cœpit(Mahumet enim poſterior ſub Heraclio,Papiſtica tyrannis prior ſub Phoca nata eſt, & origine illa duo regna Chriſto contraria plus minus decem annorum ſpatio diſtant)tamen quãdo apertè Mahumetani ſe nomine Eccleſiæ Chriſti abdicant , neque illum titulum volunt vel præ ſe ferunt: Papiſtæ contra mordicus nomen hoc & titulum Eccleſiæ, & templi Dei,& Catholicorum retinent,ſibíque vendicant,de quibus ſit accipiendus hic locus,nemo,qui rectè iudicare volet , amplius dubitabit. Iuuat autem noſtram ſententiam & interpretationem quòd ſcholaſtici ipſi Mahumetum eſſe verum Antichriſtum,vel eum de quo hîc agit Paulus conſtanter negãt.Bernardus etiam vltra ea,quę ad Eugenium Pontificem Romanum & Papiſticæ Eccleſiæ tunc principem ſcripſit (ex quibus facilè apparet eum agnoſcere Romanam ſedem Antichriſti ſedem eſſe) in Cant. Cantic. ſerm.33.ait,Antichriſtum futurum meridianũ dæmonium, quia à meridie erit, & illîc ſedebit. Eſt autem Romæ ſitus ad meridiem vti ex climatum 2.geographica deſcriptione ſatis doceri poteſt. In epiſtola quæ à Leodicenſi eccleſia ad Paſchalem, 2.Romanum põtificem ſcripta extat Tom.2. concilior. diſertiſſimè affirmatur Romana Polto nomineBabylonis ſignificari & eſſe vere Babylonem etiam nunc.

Quod verò Viguierius ex ſuæ ſcholæ commentis addit naſciturum eſſe Antichriſtum Babylone, & verſaturum in Iudæa , in vrbibus Bethſaida & Corazin, planè inſulſum eſt , & nullo Scripturæ fundamento nititur : ſed hoc modo verum huius loci intellectum & ſenſum Scripturæ , nequis de Romano Antichriſto cogitaret , corrumpere vafer homo conatus eſt.

Cap. XVI.

Romam quæ in Italia inter veteris , & exciſæ Romæ rudera inſtaurata eſt,eſſe ſedem futuro Antichriſto iampridem à Deo deſignatam & deſcriptam.

QVod autem ſcribit Auguſtinus libr. 20. de ciuit. Dei,cap.19.incertum eſſe neque diſertè in Scriptura definitum , in quo Dei templo ſeſſurus ſit Antichriſtus, vtrum Romę anHieroſolymis , ſed tantùm generaliter oſtenſum non in templo idolorum, ſed in media ipſa Dei Eccleſia regnaturum eſſe : hoc , inquam , Auguſtini dictum certè nutat, neque concedendum eſt. Nam ſi alii Scripturæ loci cum Paulo conferuntur , apparebit eſſe diſertè demonſtratum , non tantùm quo in loco , ſed etiam in qua vrbe ſit ſeſſurus , & imperium ſuum habiturus & fixurus Antichriſtus. Illa autem vrbs eſt Roma.id quod verum eſſe ipſa rerum experientia & euentus (qui fuit huius prophetiæ interpres,& veriſsimum implementum)docet hodie, & iampridem docuit. Ex quo ducenda eſt nobis huius loci & aliquot obſcurarũ Apocalyp.ſententiarum facilis iam & dilucida explicatio.

Ac Romam eſſe locum ſedémque futuro Antichriſto à Deo iam pridem conſtitutam apparet, primùm quòd quum Papiſticus ſtatus ſit (quemadmodum ſuprà diximus) veteris imperii Romani Italici & idololatrici imago , oportet vt quemadmodum illius veteris imperii ſedes & metropolis fuit Roma:ita huius ficticii imperii & interpolati ſedes ſit etiam Roma noua & inſtaurata (quæ & ipſa illius Romę veteris tantùm,vt docet Blondus in lib.de Roma , reſtaurata imago eſt & rudera) Deinde hoc ipſum quod iam dicimus probat apertiſsimè locus Apoc.17.18.vbi apertè ſedes Beſtiæ dicitur fore vrbs illa magna , quæ tunc toti orbi imperabat,& ſeptem habebat colles id quod eo capite ſcribitur v.9.his verbis,

Hic eſt mens quæ habet ſapientiam. Septem capita ſeptem montes ſunt , ſuper quos mulier ſedet. Quibus verbis certiſsimè & manifeſtiſsimè vrbs Roma deſignata eſt , quæ tunc Domina rerum dicebatur,& Vrbs ſepticolis appellabatur,quia ſeptem colles cõplexa ſuo ambitu ſuiſque mœnibus erat, Virgilius lib.2.Georg.de vita Ruſtica agens ait,

Hanc olim veteres vitam coluêre Sabini:
Hanc Remus,& frater,ſic fortis Etruria creuit:
Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma.
Septem quæ vna ſibi muro circundedit arces.

Et lib.6.Æneidos.

En huius nate auſpiciis illa inclyta Roma
Imperium terris,animos æquabit Olympo,
Septem quæ vna ſibi muro circundedit arces.

Denique confirmat noſtram ſententiã magis adhuc dilucide locus alter Apoc.16.16.ſi modò rectè explicetur.Is autem ſic habet.

Congregarunt igitur eos in locum qui vocatur Hebraicè Armageddon. Prædicit igitur omnes qui à Pſeudopropheta.i. Antichriſto mittentur,vt prælium gerant contra Deum & ſanctos eius.i. fideles,congregandos eſſe in locum qui Hebraicè(vt vulgò quidem legitur)nominatur Arma geddon: vt autem legi debet Geddon Harma, id eſt exciſio excelſæ ſiue Romæ. Omnes enim,qui Chriſti regnum euertunt , & Antichriſto fauent , vulgò conueniunt in eum locum , vbi vetus illa & excelſa Roma olim fuit , nunc autem vbi eſt noua & reſtituta Roma , qui locus eſt euerſio ſiue exciſio veteris Romæ, & illa ipſa plaga , vbi euerſa iacet antiqua illa & vetus vrbs Roma. Cur huc igitur præcipuè confluunt omnes, qui Pſeudoprophetæ & Beſtiæ ſeruiunt? quòd illîc ſedem fixam Beſtia & ipſius Pſeudopropheta , qui eſt homo ille peccati, de quo loquutus eſt Paulus, A lus, ex Dei decreto habiturus erat, atque etiam nunc habet. Ex quo fit, vt ex eo planè demonſtretur ſeſſurum eſſe Antichriſtum, non vbiuis, ſed Romæ. i. in eo ipſo loco, vbi olim vetus Roma ædificata eſt: nunc autem vbi eius veteris & euerſæ tantùm rudera iacent. Hoc ipſum rerum experientia verum eſſe docet. In Roma enim noua, Papa tanquam in ſui regni veriſſima Metropoli ſedet & habitat. Tam autem verum eſt Romam, quæ Italiæ Metropolis eſt certam & definitam eſſe à Deo ipſo Antichriſti ſedem, vt in eum locum ad noui huius apoſtaſię principis electionem omnino & neceſſariò ſit electuris conueniendum, quemadmodum expreſſè in ſexto Decretal. ſancitum eſt. Denique illa eſt officina omnium peſſimorum in Dei Eccleſiam conſiliorum & coniurationum, inde omnia hoſtilia in ſanctos Dei cœpta emanant: illa denique eſt regia ſedes Papiſtici ſtatus & Antichriſti ipſius, & quidem fixa omnium apoſtatarum, & illius ordinis hominum ſummo conſenſu. Cur enim Romani Papæ qui poteſtatem vbi- B que conſtituti eandem in omnes Antichriſtianas Eccleſias habent, Romæ tamen potius & eſſe & morari coguntur quàm vel Bononiæ, vel Auenione, vel Viterbiæ, vel Lutetiæ, vel Venetiis, quæ ſunt tamen vrbes ampliſſimæ, & propter victus commoditatem & mercimoniorum frequentiam Romæ ipſi & Romano ſolo præferendæ? Si excipitur, quia Papa eſt epiſcopus vrbis Romæ: reſpōdeo eos ipſos, qui alios diſpēſant, ne in ſuis epiſcopatibus reſideant, poſſe non reſidere ſi velint, & ſeipſos, vt vocant, in eo ipſo liberos gerere & diſpenſare. Deinde, quando fuit Auenione Romani huius Epiſcopi ſedes per annos pluſquam 70. cōtinuos, nónne tunc quoque erat Papa Romanus Epiſcopus, vti nunc eſt, quum tamen nō eſſet Romæ? Quando Stephanus Romanus Epiſcopus propter Longobardos Romanæ ſedis hoſtes infeſtiſſimos, toties ad Pipinum Regem in Galliam venit, quoties & quum tandiu in Gallia commoratus eſt, non deſinebat tamen eſſe Romanus Epiſcopus. Ergo non vrget illa ratio. Sed cur Roma potius, quàm alius quiſpiam terrarum locus, vel vrbs alia quæpiam quantumuis celebris (qualis fuit C olim Alexandria, Antiochia, Hieroſolymæ, Conſtantinopolis: hodie verò Venetiæ, Florentia, Bononia, Lutetia, Antuerpia, Auinio, Londinum) regni iſtius Papiſtici & Antichriſti ſedes firma & fixa ſit, & maneat, veriſſima certè quidem ratio eſt, quòd oportebat dictum Spiritus Dei & prophetiam de Antichriſti ſede Ioanni manifeſtatam omnino impleri. Deſcriptus enim & deſignatus eſt expreſſè huius ſedis tam nefariæ locus, nempe ea plaga, vbi antiqua illa celebris & excelſa vrbs Roma olim ſita fuit. Hoc autem ipſum priùs fieri non potuit, quàm vetus illa & nobilis Roma, quæ idololatrici imperii fuerat olim ſedes, fuiſſet euerſa. Dicitur enim hic locus eſſe Geddon, id eſt, Exciſio vel excidio: Harma, id eſt, Excelſæ. Sic autem appellari non potuit, niſi poſtquam exciſa eſſet illa excelſa Roma. Id quod etiam ante conditam Antichriſti in eo loco ſedem à Gothis factum eſt & impletum. Neque enim nomen vniuerſalis Epiſcopi & Antichriſti poteſtatem arripuerunt, ſibique vendicarunt Romani Pontifices, priuſquam funditùs fuiſſet deleta & A euerſa Roma illa vetus. Expilata quidem & capta illa ſæpius eſt, ſed demum à Gothis, poſtquam Conſtantinopolim iam tranſlatum erat ſummum rerum imperium, exciſa penitus eſt. Nam, vt omittam quod à Gallis antea capta fuerat (id quod ad hunc locum omnino non pertinet) poſt hāc Ioannis prophetiam ter capta eſt, & tādem ex hoc Dei decreto deleta. Ac primùm quidem à Gothis, Arcadio & Honorio Imperatoribus, anno Domini 414. ſed tunc non fuit euerſa. Secundùm ſub Marciano à Vandalis anno Domini 449. ſed nondum quoque euerſa. Tertium ſub Iuſtiniano primo à Totila rege Gothorum, quæ fuit illa euerſio, & excidio totalis Romæ, de qua locus ille Apoc. perſpicuè intelligendus eſt. Tunc enim peſſimè habita eſt Roma & funditus deſtructa eſt: tunc illius muri diſiecti: tunc incendium ſæuiſſimum per 40. dies continuos in ea graſſatum, adeò quidem vt totam vrbem anno Domini 540. conſumpſerit. Sed antea etiam propter bella Gothica & ab anno Domini 534. vt annotat lib. 3. Faſt. Onuphr. deſierant B prorſus Conſules creari Romæ & in Occidente, nempe ſub Iuſtiniano primo, poſt Decii Theodori Paulini conſulatum. Vſurpauit autem demum ſub Phoca Imperatore hoc tam ſuperbum vniuerſalis Epiſcopi nomen Romanus pontifex. Itaque poſt exciſam Romam, ille ſedit hoc titulo in eo ipſo loco, vbi olim vetus Roma fuerat, circiter annum Domini 600. Conatus eſt quidem Conſtans Secundus Imperator Conſtantinopolitanus Heraclii nepos poſteà reſtituere veteri Romæ imperium, & dignitatem: voluerunt etiam poſt eum alij Imperatores veluti Itali, Berengarij, & Papæ ipſi, vt docet Sigonius, ſed non potuêre. Obſtabat enim Dei decretum. Oportuit ergo atque etiam oportet eam manere excidionem & rudera tantùm, vt ſit ῥώμη ῥύμη, vt etiam prædixerat Sybilla, & δῆλος ἄδηλος, adeò vt qui Romæ ſunt hoſpites, Romam ipſam in media Roma quærant. Et certè inſtauratæ iſtius & nouæ Romæ incolæ & ciues, eorúmque mores & ingenium Antichriſtiano regno prorſus conueniunt, quos ex D. Bernardi (qui pro Roma eorúmque tuenda dignitate tantùm toto vitæ tempore labo- C rauit) quàm ex meis verbis ab omnibus intelligi malo. Ille igitur libr. 4. de Conſidera. Ad Eugenium 3. Papam, cap. 1. ſic ſcribit de Romanis, Omne Papale negotium illi agunt, Quid tam notum ſeculis, quàm proteruia & faſtus Romanorum? Gens inſueta paci, tumultibus aſſueta, gens immitis & implacabilis vſque adeo ſubdi neſcia, niſi quum non valet reſiſtere. Quem dabis mihi de tota maxima vrbe, qui te in Papam receperit, pretio ſeu ſpe pretii non interueniente? Et nunc experire paucis, nouerímne & ego aliquatenus mores gentis. Ante omnia ſapientes ſunt, vt faciant mala. Bonum autem facere neſciunt. Hi inuiſi terræ & cœlo, vtrique iniecêre manus: impii in Deum, temerarii in ſancta: ſeditioſi in inuicem, æmuli in vicinos, inhumani in extraneos, quos neminem amantes, amat nemo, & quum timeri affectent ab omnibus, omnes timeant neceſſe eſt. Hi ſunt qui ſubeſſe non ſubſtinent, præeſſe non norunt: ſuperioribus infideles: inferioribus importabiles. Hi

A inuerecundi ad petendum, ad negandum frontoſi. hi importuni vt accipiant, inquieti donec accipiant, ingrati vbi acceperint. Docuerunt linguam ſuam grandia loqui: quum operantur exigua, largiſſimi promiſſores, & parciſſimi exhibitores: blādiſſimi adulatores & mordaciſſimi detractores: ſimpliciſſimi diſſimulatores & maligniſſimi proditores. Hactenus doctor egregius Bernardus de moribus Romanorum. Sed ante Bernardum Saluianus Maſſilienſis epiſcopus, qui vixit anno Domini 480. in lib. De prouidentia Dei, de iiſdem, Itaque, ait, nomen ciuium Romanorum, aliquando non ſolùm magno æſtimatum, ſed magno emptum nūc vltrò repudiatur ac fugitur, nec vile tātùm ſed etiam abominabile habetur. Ecquod maius eſſe poteſt teſtimonium Romanæ iniquitatis, quàm quod plerique honeſti (quibus Romæ ſtatus ſummo & ſplendori eſſe debuit, & honori) ad hoc tamen Romanæ crudelitatis iniquitate compulſi ſunt, vt nolint eſſe Romani? Hactenus Saluianus.

B Atque hi ſucceſſu temporis non ſunt meliores facti: imò de iiſdē dixit alius & Italus, & inter Italos magni nominis nimirum Mantuanus, *Roma*
Omnia quum liceant non licet eſſe pium.

Cæterùm ita eſſe reſtituendum, vt fecimus, & legendum illum Apoc. locum, cap. 16. 16. Geddon Harma, docuit me Ioſephus Scaliger, lumen omnis hiſtoriæ & literarum. Verba enim illa ſcripta fuiſſe Hebraicè גדן הרמה dubitari non poteſt. Itaque more Hebræorum à dextris incipiendum, pergendúmque in ſiniſtra fuerat in iis legēdis. Qui verò locum hunc tranſcripſit, & Latinum fecit, vel Græcum ex Hebræo, morem Latinorum & Græcorum in legendo ſequutus eſt, & à ſiniſtris ad dextram progreſſus legit Harmageddō pro Geddon Harma.

Sumptus autem & ſcriptus eſt locus (quanquam nonnulli aliter exiſtimant) ad ſimilitudinem illius, qui apud Danielem 4.14. extat his verbis, *Excidite arborem*, vbi גדן præcedit: deinde ſequitur vocabulum הרמא. Illud autem apud Hebræos C excelſam, vel vt vult Hieronymus proſtibulum, vel etiam vt ex Iudic. 1. 17. colligitur, deſtructionem ſignificat, & cum he Haiedia, ſiue Emphatico excelſam & nobilem quandam vrbem planè denotat, qualis olim vetus Roma fuit. Denique in voce ipſa eſt alluſio ad nomen Romæ Hebraicè ſcriptum, quod iiſdem pūctis deſcriberetur, & iiſdem omnino literis. Sic Hieronymus in Iſa. 21.11. putat in voce רומא alluſum eſſe ad Romam. Sic Ioannes Mercerus vir Hebraicæ linguæ peritiſſimus in Can. Cantic. 4. 6. cenſet in voce מור alluſum eſſe ad montem Moria, qui fuit alterum montis Sionis caput. Et certum eſt aptiſſimam atque conuenientiſſimam eſſe hanc alluſionem vt Roma Horma. i. excelſa illa dicatur, ſiue montes & ſitum ipſius loci ſpectes, in quo condita & ædificata tunc erat, quum hæc ſcribebat Ioannes: ſiue celebritatem & nominis famam, quia vna illa vrbs cęteris pręſtantior, & Domina rerum, vt loquitur Auguſtinus, cenſebatur. Quid verò? Virg. Ecloga 1. id ipſum teſtatur,

Vrbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putaui
Stultus ego huic noſtræ ſimilem,
Verum hæc tantum alias inter caput extulit vrbes, A
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

& illud,

--illa inclyta Roma,
Imperium Oceano, famam quæ terminat aſtris.

Ex quibus omnibus efficitur ſedem Antichriſti & locum illum in quem omnes conueniunt, qui contra Deum prælium gerunt, eſſe certò definitum. Eſt autem is Roma hodierna, quæ ſuper veteris & illuſtris illius, ſed exciſæ à Gothis Romæ ſepulchro, ruderibus & cineribus, id eſt, in ipſo illo loco, vbi prior & ſuperba illa euerſa eſt, hodie ædificata apparet & incolitur. Diſſimilem planè ob cauſam, propter quam ſecūda vrbs Hieruſalem poſt excidium Babylonicum eodem in loco ædificata eſt, in quo prior fuerat. Illa enim Hieruſalem reædificata eſt, vt Deus iterum coleretur illîc: hæc autem Roma extruitur iterum, vt Deus in ea iterum blaſphemetur.

CAP. XVII. B

Papiſtarum & Antichriſti cœtus qua ratione dicatur Templum & Eccleſia Dei, vbi variis eorum obiectionibus reſpondetur.

ILla verò nobilis & illuſtris quęſtio eſt quo modo Paulus apoſtaſiā Eccleſiā, & illum apoſtatarum cœtū templū tamen Dei nominet: Eſtne verò Papiſmus Eccleſia Dei? Hæc ſanè quæſtio & antea torſit, & nūc quoque plurimos torquet, & eos etiam viros doctos, qui propterea in Papiſmo retinentur, quòd eam quanquam corruptam Eccleſiam, tamen Dei eſſe Eccleſiam, putant & iudicant. Hæc autem tota res vt commodè definiatur, ſic diſtinguendum eſt. Rerum, quæ naturam quādam & nomen aliquod ſortitæ ſunt, aliæ perfectè & abſolutè eam naturam habent, quam ſunt ſortitæ: aliæ imperfectè & ex parte tantùm.

C In hominum genere hoc verum eſt. Etſi enim omnes, qui homines dicuntur, ex eo appellantur, quòd ſint animalia ratione vtentia, tamen ex hominibus ipſis quidam eam rationem ex parte tantùm aſſequuti videntur, quales moriones & monſtra, brutorum potius, quàm hominum ſimilia: quidam autem plenius, & perfectè rationem habent. In domo hoc idem explicari poteſt. Quum ſit enim hæc definitio domus, vt tecto, pariete, & fundamentis conſtet, ad arcendam aëris iniuriam, domus tamen quædam eum vſum plenè & perfectè nobis non præſtant, quæ vel tecto carent, vel pariete: quædam autem præſtant. Ergo ex parte illæ tantùm dicuntur domus, quod Dialectici dicunt κατά τι. Hæ autem ἁπλῶς & abſolutè. Cur autem id fiat, vt quæ integram totámque naturam res nō ſunt aſſequutæ, rei tamen nomen ſortiantur: ratio eſt, quòd propter ſimilitudinem, quam huiuſmodi res imperfectæ ad perfectas habent, earum nomen obtinent. Plures ſunt enim res, quàm rerum vocabula, nec res quælibet ſuo diſtinctóque ab aliis vocabulo nominari à nobis poteſt: idcircóque ſæpe nomen vnum & idem pluribus rebus, A rebus, non pari tamen ratione tribuitur. Itaque non eſt vniuoca (vt loquuntur in ſcholis) iſtarum rerum appellatio, ſed homonyma tantùm. Hoc idem in ipſo Eccleſiæ & nomine & vocabulo obſeruari debet, quod & veræ & falſæ Eccleſiæ ſæpe tribuitur. Nam ſi vera & propria definitio Eccleſiæ ſpectetur, illa certè veræ tantùm comperietur competere. Eſt autem hæc, vt ſit vera Eccleſia, cœtus fidelium purè Deo ſeruientium, atque adoptionis notas ab eo ipſo inſtitutas retinentium, qualia ſunt verbum cœleſte, ſacramenta, & diſciplina. Vnde fit vt his tribus tanquam ſuis veriſſimíſque notis conſtet, deſignetur, diſtinguatúrque à falſa vera Dei Eccleſia, Puro nimirum Dei cultu, qui ſecundùm veram illius doctrinam inſtituitur, Ioan.10. Oues meæ vocem meam audiunt: Puris & à Deo inſtitutis ſacramentis: denique vera morum correctione & diſciplina. Qui igitur hominum cœtus has notas non habet, ſiquidem nullas omnino habet, Dei Eccleſia dici non poteſt: ſin vnam tantùm ex illis tribus retinet, Eccleſia dicitur, ſed κατά τι. Qui verò cœtus plures ex B illis notas adhuc ſeruant, æquiori iure & ratione cenſentur Eccleſia, quàm quæ pauciores notas. Hæ verò notæ ſi obſeruentur & inquirantur in Papatu, certè intelligemus eum Eccleſiam & templum Dei dici quidem, ſed κατά τι tantùm: quia tenuiſſimum quoddam earum Eccleſiæ Dei notarum veſtigium ſeruat & retinet, nempe vnius tantùm ſacramenti, id eſt, Baptiſmi vſum & notam, qui ſumma quidem Dei prouidentia in Papiſtarum cœtu, quoad ſubſtantiam ſuam purus manſit: quoad externa autem accidentia & adiuncta omnino corruptus, pollutus, & prophanatus inter eos eſt. Ergo Papatus & Antichriſti regnum eſt ex tenuiſſimo illo & vnico ſigno, tanquam filo quodam, Dei Eccleſia. Euangelicus autem cœtus is eſt, qui & ἁπλῶς & ex omnibus notis veriſſima illa Dei Eccleſia in terris cenſenda eſt, quæque nobis conſectanda. Eadem olim differentia fuit inter regnum Iudæorum, & Iſraelitarum, in quo poſtremo fuit retenta circumciſio tantùm, ne adoptionis Dei ſignum prorſus inter eos deleretur. C Eadem etiam hodie differentia cernitur inter veram domum quam incolimus, & vbi familiam & res omnes noſtras domeſticas conſtitutas habemus, atque ruinoſam aliquam maceriem, vbi olim quidem habitauimus, ſed quam habemus pro derelicta: vtramque enim domum noſtram appellamus: illam propriè quam incolimus: hanc impropriè quam deſeruimus & abiecimus. At obiicitur nobis, ſi Papatus eſt Dei Eccleſia, ergo eſt ſponſa Chriſti: ſi ſponſa, ergo præter eam nullus alius hominum cœtus Dei Eccleſia cenſenda eſt. Nemo enim duas vxores habere vel debet, vel poteſt. Quamobrem vos ipſos huic Papiſtarum cœtui adiungere omnino neceſſe eſt. Reſpondeo verò, Vnicam tantum Eccleſiam eam nimirum ſolam, quæ vera Dei Eccleſia eſt, cenſendam eſſe ſponſam Chriſti. Reliquæ verò ſunt illius tantùm velut pellices: & vt ait Auguſt.lib.1. contra Donat.cap.10. quicquid etiam hæreticorum & Schiſmaticorum cœtus ex Dei verbo habet, illud ſuum eſſe vera Dei Eccleſia agnoſcit & contendit: eatenus enim reliqui cœtus ſunt probandi, quatenus cum vera Dei Eccleſia concordant, quatenus diſcordant improbandi. A Papatus igitur quatenus ab Eccleſia vera recedit, & Papatus eſt, eatenus & eo tantùm modo Chriſti ſponſa dici poteſt, quo vxor à nobis olim ducta, ſed propter adulterium ab ea commiſſum poſtea repudiata vxor noſtra fortaſſe vocaretur, cui repudij libellum iuſtè miſimus, & cum qua iam coniugium ceſſat: ſed tamen quia aliquos adhuc annulos retinet & aliqua prioris noſtri cum ea coniugij pignora, vxor noſtra nominatur. Itaque quod ſcriptum eſt, vbi cadauer, illic aquilæ, Matth.24.28: & quemque debere ſe illi adiungere Eccleſiæ, quæ Dei Eccleſia eſt, verũ eſſe fatemur. ſed reſpondemus illud de vera tãtùm, non de falſa Eccleſia accipiendũ eſſe, & illã eſſe verã Dei Eccleſiã, in qua vel omnes ſuperiores, vel præcipuæ Eccleſiæ notę cernũtur atque apparent. In quo autem hominũ cœtu pro puro Dei verbo hominũ tantùm traditiones docentur, pro vero Dei cultu, mera idololatria retinetur: pro veris Chriſti ſacramẽtis, hominum cõmenta ſupponũtur (quæ omnia fiunt apertiſſimè in Papatu) eũ cœtum Eccleſiam Dei eſſe negamus: & eam, cui vt nos adiungamus, Chriſtus vel velit vel præcipiat. B Denique quod vulgò dicimus Dei promiſſiones ad Eccleſiam pertinere, illud etiam ipſum de vera tantùm Eccleſia intelligendum eſſe contendimus. Itaque neque de Papiſtica, neque de hæretica. Cæterùm ex hoc ipſo iam facilè colligetur non eſſe eos ſchiſmaticos qui à Papiſmo deſciſcunt, quia non à vera Dei Eccleſia recedunt vel ſeceſſionem faciunt, à qua qui diſcedit, ſchiſma facit: ſed potius ab apoſtaſia illa blaſphema & ab apoſtatis ſe ſeparant, id eſt à Larua Eccleſiæ, in quo ipſo tam laudandi ſunt, quàm qui ſe è fœdiſſimis ſordibus purgant & extrahunt. Quod ſi à Papiſtis (ſunt enim in erroribus ſuis defendendis obſtinati) dicatur, At in hac noſtra Eccleſia baptizati eſtis, cur igitur aut non rebaptizamini, aut eum cœtum, in quo primùm baptiſmum accepiſtis, cuíque nomen dediſtis, non colitis, & in eo non perſtatis? Reſpondemus, Rebaptizari quidem nos nihil neceſſe eſſe, quia Chriſti baptiſmo ſemel iam tincti ſumus, qui (quemadmodum diximus) quoad ſubſtantiam inter Papiſtas manſit. Itaque quia Chriſti baptiſmum ſuſcepimus, iterum baptizandi non ſumus. C Hoc ipſum eodem modo Auguſtinus ſæpe Donatiſtis reſpondit. Neque propterea tamen in Papiſtarum cœtu manere vel debemus, vel debuimus: aut eorum cœtum deſerere fuit periurum eſſe, & transfugam ab eo, cui prius dederamus nomen. Non enim Papæ, dum etiam à Papiſtis baptizaremur, nomen dedimus: ſed Chriſto, in cuius nomen certè nos, vt Chriſtiani, tunc quoque tincti ſumus. Hunc ducem fidei noſtræ profeſſi ſumus & agnoſcimus, non homines, non Papam ipſum, non Epiſcopos, ſed magna paſtorum noſtrorum, partim perfidia, partim ignorantia, fuimus (ídque per diuturnum tempus) à duce noſtro Chriſto abducti. Ignorantes igitur & ab iis excæcati Papam pro Chriſto impiè ſequuti ſumus. nunc autem illuminati Dei gratia, errorem noſtrum videmus, & eum agnoſcimus. Ergo priorem & verum illum ducem noſtrum, cui nomen ſoli dedimus, Chriſtum, inquam, toto pectore & affectu, requirimus, illíque

A in perpetuum adhærere decreuimus. Auguſtin.in Ioan.Euangel.tract.40.Moneta Dei ſumus :Numus à theſauro aberrauimus: errore detritum eſt, quod in nobis fuerat impreſſum, venit qui reformet, quod ipſe formauerat. Num hæc, obſecro, perfidia eſt, ducem & ſigna repetere, quæ ignorãs amiſeras? Num hoc eſt transfugam eſſe? Si quis autem iuſtam eſſe hanc noſtram reſponſionem neget, audiat Auguſtinum tract.6.in Euang.Ioan. alloquentẽ eos qui à Donatiſtis fuerant baptizati. Tene ergo quod accepiſti. nõ mutatur, ſed agnoſcitur. character eſt regis mei. non ero ſacrilegus: corrigo deſertorem, non muto characterem. Nã & quos Ioannes baptizabat, Chriſtus poſtea ad ſe adduxit: & eorum ſumus per Baptiſmum diſcipuli in quorum nomen baptizamur, 1.Cor.1. Quod ſi obiicitur, nos incidere in errorem Donatiſtarũ, qui nullum cœtum, niſi qui omni labe purus eſſet, pro legitima Dei Eccleſia agnoſcebant, ſi Papiſmum propter quaſdam in eo corruptelas & malos homininum mores negamus eſſe Dei Eccleſiam: Reſpondemus, A nobis in Papiſmo vitia ho-
B minum non ſpectari, neque propter illa eſſe Dei Eccleſiã negari: ſed vitium rei ipſius, id eſt, ipſam potius doctrinam, ipſam naturam, ipſum fundamentum Eccleſiæ perpendimus, quod quum ab eo cœtu omnino abſit, non poteſt Papatus vera eſſe Dei Eccleſia concedi.

CAP. XVIII.

De tempore aduentus Antichriſti. Ac primùm ex Scriptura manifeſtè colligi eum prius non fuiſſe patefaciendum, quàm Romanum imperium labaſceret, & Chriſti regnum per Euangelij prædicationem exoriretur & creſceret.

QVartus in hac diſputatione locus eſt de tẽpore aduentus Antichriſti: atque hic locus omnino ſcitu dignus eſt & neceſſarius, vt certius Antichriſtus agnoſcatur, & vt fugiatur. De hoc autem variæ ſcriptorum ſententiæ fuerunt. Nam Arabianus quidam (quemadmodum in vita Victoris ſcripſit Platina) iam tempore Seueri
C Imperatoris natum Antichriſtum docuit, quòd Eccleſiæ corruptos mores & infinitas penè hæreſes exortas cernens ita ſibi perſuadebat. Sed totam hanc quæſtionem (vt breuiores ſimus) definit Paulus, quum ait, Tunc reuelandum eſſe & patefaciendum, quum illud quod impedit, ſublatum fuerit. Nam quid nunc impediat, noſtis. Verba Pauli hæc ſunt, τὸ νῦν κατέχον. Quæſitum verò eſt, quid illa verba ſignificarent: alij enim ſic accipiũt, vt de Romano tantùm imperio: alij de Euangelij duntaxat prædicatione, quæ per vniuerſum orbem terrarum prius erat futura, intelligunt.

Quæ ſententiæ, quanquam inter ſe videntur eſſe diſſimiles & diuerſæ, rectè tamen & facilè conciliari inter ſe poſſunt. Nam vtraque vera eſt, ſi modò ſatis perpendatur. Ante ſtabilitum enim & conſtitutum Antichriſti regnum, de quo nunc agimus hæc duo euenêre: Romani nimirum imperij euerſio, & Euangelicæ doctrinæ publicatio diſſeminatióque per vniuerſum orbem. Confirmatur autem iſta & conciliatio & explicatio noſtra apertiſsimo Danielis loco, qui eſt cap.2. verſ. 34.& 44.& 7. v.13, qui ſic habent.

Capite 2.verſu 34. *Videbas ita, donec abſciſſus* A
eſt lapis de monte ſine manibus: & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos.

V.44. *In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.*

Cap.7.v.13. *Aſpiciebam ergo in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli. quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit: & in conſpectu eius obtulerunt eum.*

Acciderunt igitur eodem tempore, iiſdémque penè gradibus & momentis procedebant Romani ſcilicet imperij extirpatio, & Euangelij regníque Chriſti propagatio. Quemadmodum autem non eſt vno temporis momento ſublatum dirutúmque Romanum imperium, ita nec vno temporis articulo ædificatum conſtitutúmque per Euangelij prædicationem Chriſti regnum, ſed paulatim & pedetentim vtrumque, pari, vt ita loquar, paſſu. B
At obiici nobis videtur poſſe, quòd ſtante adhuc & florente Romano imperio, regnum tamen Chriſti conſtitutum eſt. Conſtantinus enim Magnus publico edicto primùm templa idolorum claudi iuſſit: tum Chriſtianam atque Euangelicam doctrinam penitus approbauit: id quod ſequuti & imitati ſunt poſtea alij Imperatores Romani omnes: (vno modò Iuliano Apoſtata excepto) atque inde factum, vt totus fermè terrarum orbis Chriſtianam religionem amplecteretur. Hoc autem contigit poſt annum Domini 300. vt vno eodémque tempore & Romanum imperium & Chriſti regnum floruiſſe & ſubſtitiſſe videatur contra & noſtram interpretationem, & Danielis Prophetiam. Hoc certè argumento etiam hodie Iudæorum Rabbini aduerſus Chriſtianos vtuntur, cui perſpicuè reſpondet D.Caluinus, nempe quòd vti Chriſti regnum per gradus & momenta quædam, non autem vno temporis articulo conſtitutum eſt: ita iiſdem gradibus euerſum eſt Romanũ imperium. Oportuit enim C
ex Dei decreto omnino quartã Monarchiã euerti & tolli: vt quinta, quæ Chriſti erat, erigeretur & ſtabiliretur. Non quòd tamen Euangelium politiis humanis ſit contrarium aut repugnans, ſed quòd alio modo mundum regi vellet Deus poſt Euangelium ſuſceptum quàm anteà, non ab vno nimirum quodam terreno Monarcha & Principe, quemadmodum factum erat antea. Ergo momento vno non eſt diſiecta Romani imperij moles, ſed per partes. Itaque falluntur Rabbini, qui tunc demum Romanum imperium euerſum fuiſſe putant, quum prorſus deſiit aliquis nomine Imperatoris Romani regnare. cœperat iampridem etiam ante Conſtantinum Magnum Imperatorem perire veriſſima Romani imperij maieſtas: cœperat ſplendor robur & dignitas extingui. Ex quo enim tempore illud imperium ſcindi per partes cœpit, & qui populi ei antea paruerant, ſe in libertatem aſſerebant, ex eo concuti & deiici Romæ imperij maieſtas apertiſſimè viſa eſt. Quinetiam quando illa tam auguſta Romani imperij poteſtas & dignitas nõ ſolùm tranſijt ad homines exteros,

A qui origine Romani non erant, ſed vel Galli, vel Hiſpani, vel Afri, imò verò ad ſubulcos, opiliones,armentarios,funarios,& infames omnino homines delata eſt,id quod ſtatim poſt cœptam Euangelij prædicationem contigiſſe teſtantur Romanæ hiſtoriæ. Ex eo ſanè tempore Romanum imperium aboleri cœpiſſe, dubitari non poteſt, quo ipſo momento Chriſti regnum & Euangelium mundo maximè ſeſe exeruit atque innotuit. Atque illud eſt, quod Paulus obſtare dicit, quo minus ſuo iam tempore,& ſeculo pateficeret Antichriſtus, nimirum quòd & Romanum imperium paulatim excindi, & Euangelium ſenſim propagari oporteret, antequam palàm iſta tā nefanda à Chriſti doctrina apoſtaſia exoriretur.Cōfirmatur verò hæc noſtra ſententia duplici argumento, ratione nimirum & patrum authoritate, præter ipſum euentum, qui eſt certiſſimus iſtius prophetiæ interpres. Ac ratio quidē eſt hæc: quòd quum eſſet Antichriſtus Romani imperij ſedem, vti diximus, occupaturus, Romanum imperium extrudi & deiici prius erat neceſſe, quàm illic Antichriſti ſedes collocaretur.Romam enim vacuam B erat inuaſurus:nec enim iam occupata Roma occupari potuit.Deinde,quum hoc totū Antichriſti regnum ſit mera ab Euangelio apoſtaſia, vt mundus ſuæ ingratitudinis & contempti Euangelij pœnas daret iuſtiſſimas, prius oportuit & Euangelium prædicari, & ſanam doctrinam ſpargi, à qua poſtea deſciſceret ingratus mūdus. Niſi enim hæc prius fierent,nec iſta contingerent,nec Antichriſti regnum apoſtaſia rectè diceretur.

Patrum autē dicta & teſtimonia de ea re ſunt apertiſſima,noſtrámque ſententiam planè confirmant.Irenęus imprimis:Tertullianus vbique,Lactantius lib.7.cap.15.Imperium,ait, ex Occidente in Aſiam reuertetur, & Romanum imperium (horret animus dicere) tolletur. Ægyptus prima ſentiet pœnas iſtas. Quæ fuiſſe veriſſima vaticinia,rerum euentus comprobauit. Idem quoque ſentit Chryſoſtomus in hunc ipſum Pauli locum: Hieronymus in epiſtola ad Algaſium:Auguſtinus lib.20.de Ciuitate Dei,cap.19. Item contra Petilia.cap.14. Poſt prædicatum,ait, Euangelium erit finis. Quid præterea? Author libelli de C Antichriſto,diſceſſio fiet omnium regnorum, ait,à regno Romanorum, cui ſubdita erant, vt patefiat Antichriſtus.

Cap. XIX.

Vtrum Antichriſtus ante ſublatum Francorum imperium,vel exoriri vel ſtabiliri potuerit.

QVIddam autem in eodem de Antichriſto libello in Francorum laudem ſcriptum extat magnificè his verbis. Hoc autem tempus nondum aduenit,quia licet videamus Romanum imperium ex maxima parte deſtructum, tamen quādiu reges Francorum durauerint, qui Romanum imperium tenere debent,Romana dignitas ex toto nō peribit, quia in regibus ſuis ſtabit.Cui ſanè conſentit illud Innocētij tertij in quadam ad Epiſcopos Galliarum epiſtola,Francorum regni, ait, exaltatio eſt Apoſtolicæ (.i. Romanæ ſedis) ſublimatio.Hoc quidem probent alij,ſi velint,mihi tamen fide carere, & ſuſpectum videri ſolet, neque etiam vllo fundamento niti poſſe,cùm res ipſa aliud verum fuiſſe doceat.Maximi enim, quod nemo A diffiteri poteſt,Antichriſti ipſius & Antichriſtiani regni patroni & fautores fuêre ſemper Frācici reges,imprimíſque Pipinus ille, qui Breuis dictus eſt. Item Ludouicus Pius eius nepos,qui etiā totam Flaminiam viam (quam Itali Romaniolam vocant, alij verò patrimonium ſancti Petri) primus iſti Antichriſto dono dedit. Atque hæc eſt ementita Conſtantini Magni donatio, quam toties nobis Romani Pontificis adulatores,ſed falſiſſimè tamen,obiiciunt. Sed etiam Ludouicus octauus & Philippus Auguſtus totis & ſuis & regni viribus Antichriſti regnum fulciuêre: vt vel vna hęc ſententia ſatis oſtendat non eſſe libellum illū Auguſtini, cuius ætate nec Francorum reges, nec Francicum imperium,quod demum ſub Imperatore Valente cœpit, notum adhuc erat. Ex ſuperioribus autem omnibus illud efficitur,& manet concluſum quod diximus, & Euangelium annuntiari,& Romanum imperium tolli prius oportuiſſe,quàm Antichriſti regnum perſpicuè cerneretur, atque conſtitueretur. Hanc autem imperij Romani euerſionem ſignificauit quidem Paulus, ſed obſcurè. Id quod duplici de cauſa factum videri B poteſt: primùm quòd apud Chriſtianos & non ignaros huius prophetiæ & negotij homines verba faceret. Sæpe enim de eo ipſo in Eccleſia apertè egerant concionantes Apoſtoli, vt ex ipſorum libris conſtat. Deinde ne quiſquam offenderetur,atque ne Eccleſia in diſcrimen & periculum apud Imperatores Romanos adduceretur, tanquam eorum exitium Chriſtiani homines præſagirent,ac lubenter exoptarent.Nam vt hoc ipſum taceretur, ſatis tamen ex Daniele 2. & 7. intelligi poterat futurum.Obſtare autem huic noſtræ ſententiæ & Pauli dicto videtur vnus Ioannes, qui iā ſuo ſeculo exortum eſſe Antichriſtum dicit 1. Ioā. 2.Sed ad eum Ioannis locum facilis eſt hęc reſpōſio, iam quidem fundamenta iſtius regni & apoſtaſiæ per hæreſes & hæreticos iacta fuiſſe,plenum tamen illius regni ſtatum & ædificium tunc demum patefactum & cōſtitutum, poſtquam & regnum C Chriſti annuntiatum,& Romanum imperium euerſum atque abolitum eſt.

Cap. XX.

Tempus Antichriſtiani regni ſtabiliendi & publicè in Eccleſia conſtituendi fuiſſe à Dei Spiritu præciſe definitum annos 666, à tempore reuelatæ Ioanni prophetiæ, qui anni ferè in tempora Conſtantini Pogomati imperatoris Conſtantinopolitani incidant.

LOngè verò magis ardua & difficilis quæſtio nobis in hac de temporis aduentus Antichriſti diſputatione verſantibus proponitur: Vtrum illud tempus, intra quod Antichriſti regnum erigendum erat, certò definitum vllo ſacræ Scripturæ loco inueniatur, In quo varia certè eſt variorum ſententia. Quidam negant.Itaque lib.18.de Ciuit.Dei,cap.52. & 53.Auguſtinus illud tempus omnino occultum & ignotum eſſe ait, neque annum, neque menſem, neque tempus aduentus,ſtatúſque ipſius ſciri poſſe contendit.Hoc qui ſentiunt, falli videntur, & idcirco falluntur, quia quæ de toto Antichriſti ſtatu intelligenda ſunt, ad vnum quendam hominem, vti demonſtrauimus, imperitè & falsò reſtringunt, A quem ſolum fore putant Antichriſtum. At de toto quodam hominum genere, de longa rerum & temporum ſerie accipiendum eſt, quod de Antichriſti regno copioſè tradit Scriptura.

Alij igitur aliud ſentiunt, tempus illud nimirum diſertè pronũtiatum definitúmque eſſe, quo Antichriſti regnum exorietur, in quo tamen ipſo alij ab alijs diſſentiunt. Quidam enim exiſtimant eſſe illud tempus annum 1000: alii 500: alij 400. à Chriſto nato: qui omnes, quia nullo ſacrę Scripturæ loco perſpicuè nitũtur, ſed tantùm dubiis ſuíſque coniecturis agunt, aliam nos viam, eámque certiorem inſiſtemus, meliori (niſi fallimur) nixi fundamento. Nam ſi rectè & attentè Apocalyp. examinetur, reperietur tempus, intra quod ſtatus iſtius Apoſtaſiæ conſtituendus erat, definitum. Eſt autem annus non tam quidem à Chriſto paſſo vel nato, quàm à tempore reuelatę Ioanni prophetiæ 666. vti apparet ex cap. 13. ver. 18. etſi locum hunc inſigniter corruptum fuiſſe ſcribit lib. 5. cap. 25. Irenæus. Is autem ſic habet,

Hîc ſapientia eſt. Qui intelligentia præditus eſt, computet numerum Beſtiæ: numerus enim hominis eſt: & B *numerus eius ſexcentum ſexaginta ſex.*

Diximus iam verba hæc, *Numerus hominis*, non de certo quodam Cabaliſtico vel Magico vocabulo, quod ex literarum & characterum ſuorum ſignificatione numerum 666. complectatur, ſumenda. Eſt enim hæc temporis notãdi ratio prorſus à Scripturæ ſacræ ratione aliena & ignota. Denique inſanorum Cabaliſtarum, potius, quàm Spiritus ſancti propria. Quam, etſi in ea laboret, tamen in Valentiniano irriſit Irenæus lib. 2. cap. 40. Deinde videmus qui hoc faciunt (vt Irenæus & alij) quàm ſint ipſi varij, atque à ſeipſis diſſentientes. Quot enim inter eos capita, tot ſentẽtiæ. Impingunt autem in hũc maximè ſcopulum omnes, quòd ad ipſa Ioannis verba ſatis non attendunt, & tamen loquitur Spiritus ſanctus ſimplicisſimé. Nam poſtquam fore Antichriſti ſtatum prædixit illo capite 13. itémque qualis futurus ſit deſcripſit, tempus etiam ipſum addidit perſpicuè, quo illa omnia euentura erant: nempe annum 666. quem C appellat numerum hominis, id eſt numerum planum, facilem cognitu, numerum numerabilem (quemadmodum apud Iſaiam cap. 8. appellatur Scriptura facilis & plana ſcriptura hominis, & Gẽ. 34. verſu 30.) & eo modo numerandum, quo vulgo tunc temporis homines omnes numerabant. Incipiunt autem hi 666. anni præcipuè ab anno non nati, ſed paſſi Chriſti, & à tempore Ioannis. Itaque populari numerandi modo & ratione vtendum eſſe docet Spiritus ſanctus in his annis 666. à ſe prædictis, ſupputandis.

Cur autem de eo præſertim monuerit Spiritus ſanctus: ratio eſt, ne quum de annis aduentus Antichriſti agitur, eadem ratione nobis eos ineundos & numerandos eſſe cẽſeremus, qua apud Danielem cap. 9. ver. 25. anni aduentus Chriſti per annorum hebdomadas ſupputantur: falleremur enim ſi ita ageremus. Voluit quidem Deus vti Chriſti, ſic Antichriſti aduentum & tempus certo nobis deſignatum eſſe, ſed diuerſa tamen numerandi ratione vtrunque. Tempus enim aduentus Chriſti Iudæis per annorum hebdomadas ſupputandum erat: tempus autem aduentus Antichriſti familiari, populari, & vulgari ratione & A modo, & vti omnes homines numerant, computatur. Nam iſta numerandi ratio per annorũ hebdomadas eſt illa quidem & ſubtilis, & difficilior, neque cuiuis nota, aut familiaris: ſed hæc ſupputatio, quæ fit per ſingulos annos & continuos, eſt vulgaris, & certè plana & popularis. Illa vſus eſt Dominus, quum ageret apud Iudæos quibus numerus ſeptenarius ſolennis erat & ſacer, & apud quos multa per annorum hebdomadas iam agebantur & numerabantur, veluti Iubilæi anni. Hac autem vulgari, quæ fit ſingulis annis ad proximè præcedentem additis, vſus eſt Dominus, quum ageret apud gentes, in quibus futura erat Eccleſia, & inter quas neque numerus ille ſeptenarius, neque annorum hebdomades erãt vel notæ vel vſitatę: ſed hęc tantum popularis & vulgata ratio, per quam ſingulos annos, quotannis pręteritis & pręcedentibus addunt. Alia etiam ratio ab interpretibus Danielis cap. 9. afferri ſolet, cur Dominus in notando definiendóque aduentus Chriſti tempore (vbi plena erat cõſolatio Iudæorum futura) numero ſeptenario potiſſimum ſit vſus, nempe vt conferret tempus exilij eorum, quod fuit 70. B annorum, cum tempore conſolationis & miſericordiæ ſuæ erga eos futuræ, quod fuit ſepties 70. i. per annos 490: quot annos hebdomadæ illæ 70. apud Danielem definitę continent. Ergo hòc modo numerandi ſunt nobis anni & numerus aduentus Beſtiæ, quia eam nobis numerandi rationem præſcribit ipſe Spiritus ſanctus. Vnde fit, vt tempus illud, quo regnum & ſtatus Antichriſti cœpit in Eccleſia Dei publicè palàm & potiſſimùm cõſtitui & erigi, fuerit annus à Chriſto 666. Quanquam variam fuiſſe etiam in Eccleſia Dei poſt Chriſtum paſſum annorum ſupputandorum rationem non ignoro, quum alij à conceptione Chriſti: alij ab imperio Alexandri, alij à Diocletiani imperij anno primo inciperent: ſed nos hoc loco & à Chriſto paſſo & à tempore reuelatæ huius prophetiæ hos 666. annos accipiẽdos iudicamus, maximéque facilioris rationis ineundæ gratia à Chriſto iam paſſo eos ſupputabimus. Ergo anno à Chriſto paſſo, 666. palàm & publicè conſtitutum eſt in Dei Eccleſia blaſphemum illud Antichriſti regnum, quod prædixerat Dei Spiritus. C Certè hoc eodem tempore & anno Miſſa illa execrabilis, & Papiſtica, verè mortis Chriſti abolitio, paſſim Latinè celebrari cœpit priuatim in Eccleſiis, vt ſcribit Baleus Centu. 1. c. 80. ſub Vitaliano nimirum Pontifice Romano. Sed videri quoque præcipuè poteſt hoc temporis ſpatium 666. à Deo reuelando Antichriſto definitum eſſe, quòd 2000. annorum, quibus à Chriſto nato creditur mundus ad extremum vſque diem iudicij duraturus, tertiam tantùm partem contineat & efficiat, vt aliquod ſupereſſet temporis ſpatium, quo & regnaret ipſe Antichriſtus, & poſtea deſtrueretur. Sed hoc quod de 666. annis computandis dicimus, quàm ſit verum iam videamus. Nam rerum euentus, & ipſius prophetiæ implementum debet teſtis & confirmatio noſtræ ſententiæ eſſe locuples. Quod vt appareat ſic dico: Certo certius eſſe firmiſſimum Antichriſtiani regni firmamentum, aut fundamentum potius, tunc publicè & verè receptum, & in media ipſa Eccleſia erectum eſſe, quum vnus aliquis publico Chriſtianorum conſen-

A conſenſu, Epiſcopus epiſcoporum, vel Epiſcopus vniuerſalis dici agnoſciue cœpit. Hoc autem, etiam accedente Imperatoris ipſius authoritate, & iuſſu, circa annum Domini ſexcenteſimum quartum factum eſſe conſtat ex hiſtoriis. Bonif. enim tertius Rom. Epiſcopus, à Phoca Rom. Imperat. vniuerſalis & OEcumenicus Papa & Epiſcopus (vti ſuprà docuimus) pronuntiatus eſt, & ea quidem prærogatiua, vt hoc idem priuilegium trāſiret ad ipſius ſucceſſores omnes, qui Romæ poſtea erant ſeſſuri. Phocas hoc fecit initio imperij ſui, quod collocatur ab omnibus hiſtoricis in annum Domini 603. Nec verò fruſtrà hoc Pontifici Romano datum eſt ab Imperatore Phoca: nam quum eſſet Mauritij Imperatoris nefarius parricida Phocas, hoc tanto in Romanos Epiſcopos (qui tum plurimùm in vrbe Roma apud populum poterāt) munere, redemit ſibi fauorem populi Romani, ope & commendatione ipſius Epiſcopi. Phocam enim propter iſtam Mauritij Imperatoris perfidioſiſſimè ab eo trucidati cædem inſenſè oderat Pop. Rom. & Imperatorem auerſabatur. Opera B igitur Bonifacij tertij, & in compēſationem iſtius tanti priuilegij conciliatus eſt Phocæ Romanus populus, illíque ſolenniter acclamauit. Fortaſſe quoque motus Phocas Imperator videri potuit propter conſtitutionem Iuſtiniani, quæ eſt lib. 2. Nouella 131. de quatuor ſanctis conciliis, vbi Romanum Epiſcopum Imperator priorem in ſynodo ſedere iubet, Conſtantinopolitanum autem Epiſcopum ſecundo loco & poſteriore. Iam verò priuilegium à Phoca datum, confirmauit poſtea Synodus, quæ Romæ ſub Bonifacio 3. collecta eſt anno Domini 607. vt ait Sigibertus. Conſtitit autem ſexaginta duobus epiſcopis, triginta presbyteris, & tribus diaconis: qua Romano Pontifici confirmandæ aut abrogandæ aliorum epiſcoporum electionis poteſtas conceſſa eſt. Deinde in Synodo Africana (quæ his temporibus proxima fuit, & ſub Conſtante Imperatore Heraclij nepo-
» te conuenit) hæc inſcriptio facta eſt, Theodoro
» Pontifici Romano, D. Apoſtolico culmini ſubli-
» mato, ſancto patri Patrum, Theodoro Papæ &
» ſummo omnium præſulum principi, Synodus A-
» fricana, &c.

C Ergo iam habemus Apoſtaſiæ Antichriſti & perfidi iſtius ſtatus (qui hîc à Paulo deſcribitur) fundamenta publicè circa annum Domini 604. iacta. Sed nondum tamen conſtat annorum numerus. Nam dicitur eſſe ſexcentorum ſexaginta ſex. Quid igitur? Iam ex eo tempore cœpit magis ac magis iſtius ſtatus, & Epiſcopi vniuerſalis, id eſt, Antichriſti potentia emergere, adeò vt iam ipſius authoritate omnia in Dei Eccleſia gererentur. Denique iſtius apoſtaſiæ incrementa, membra, & tota conſtitutio & deſcriptio cœpit palàm & apertè in Eccleſia deſignari, ſtabiliri, & formari, tanquam infans quiſpiam, qui iam in aluum matris receptus accipiebat membrorum conformationem. Nundum tamen editus erat, nondum plenè partus Antichriſtus. Nam & adhuc reprimebatur iſtius Epiſcopi OEcumenici poteſtas authoritate imperatoria, & adhuc imperatoribus ſubditum ſubiectúmque ſe eſſe agnoſcebat ipſe. Cuius rei exemplum eſt, quod Romani Epiſcopi ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis, & confirmabantur adhuc, & poterant quoque caſtigari, atque etiam deponi, etiam poſt hoc priuilegium illis à Phoca conceſſum. A Sed tandem quum creſceret Epiſcopi Romani authoritas in Italia: Romani verò, id eſt, Conſtantinopolitani Imperatoris maieſtas & imperium minueretur in dies, vel potius propè eſſet in Italia extinctum: denique quum Romæ Pontifices & Epiſcopi Romani tanquam imperatorum ipſorum vicarij & legati, vel etiam ipſi per ſe, tanquam pro ſuo iure, omnia & ſacra & prophana tractarent, publica & priuata adminiſtrarent, conſenſu totius populi cuncta definirēt: tandem id ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis facilè obtinuerunt, atque publico quidem diplomate & edicto, vt illi ius omne in Romanos epiſcopos ſuum ipſis remitterent, veliéntque ac ſciſcerent, vt quicunque deinceps à clero populóque Romano Epiſcopus Romanus deſignatus & electus eſſet, is ſine vlla ipſius Imperatoris confirmatione, & ſacra, quæ vocabatur. i. epiſtola qua fidem ſuam declarabant, legitimus Romæ epiſcopus cenſeretur & in poſterum αὐτόνομος haberetur, nihílque in eum amplius quicquam inquireretur. B Ex quo factum eſt, vt iam Romanus Epiſcopus nullius confirmatione, ac ne ipſius quidem Imperatoris Romani (qui tunc erat Conſtantinopoli) conſenſu & approbatione egeret, ſed ipſe per ſe tanquam omnino ſui eſſet iuris eam poteſtatem dignitatémque iniret & adipiſceretur. Itaque ex eo tempore cœpere Romani Epiſcopi omni Imperatorum Iuriſdictione, id eſt omni hominum & magiſtratuum poteſtate exempti ſolutíque viuere: cœperunt & Deo ipſi ſimiles cenſeri, nec à quoquam homine mortali (vt ita loquar) eſſe iudicabiles. Id quod ipſi poſtea Cano. Nemini 17. quæſt. 3. & Cano. Nemo 9. quæſt. 3. contentioſè docuerunt. Hoc ſanè plenum Antichriſti regnum fuiſſe videri poteſt, & extra controuerſiam eſt, hoc potiſſimum tempore erigi, in lucem edi, & authoritatem ſummam habere cœpiſſe. Hæc autem tam immenſa poteſtas, per quam Romanus Epiſcopus ab omni imperatoria cognitione & poteſtate eriperetur, illi conceſſa primùm eſt à Conſtantino Pogonato ſiue Barbato Imperatore Conſtantinopolitano, cuius imperium colloca- C tur circa annum Domini 666, ab aliis verò circa annum 668 Carolus autem Sigonius lib. 2. De Regno Italico hoc priuilegium cōceſſum anno Domini 684. mauult. Vtcunque, eo tam immoderato Imperatorum Conſtantinopolitanorum priuilegio primus vſus eſt Benedictus Romanus Epiſcopus. Facilis autem fuit ſcriptorum error & lapſus in ſupputatione duorum vel plurium annorum, qui debet corrigi ex Apoc. Nam quanta ſit inter hiſtoricos in annis & temporibus numerandis diuerſitas, ſciunt omnes, quum vnam numerandi rationem non ſit ſemper ſequuta Chriſtiana Eccleſia. Ergo in tanto numero facile fuit aliquot annos addere vel detrahere: vt iam Antichriſti regnum & imperium publicè conſtitutum & erectum fuiſſe appareat eo ipſo & tempore & anno, quo à Dei Spiritu fore prædictum iampridem fuerat, id eſt anno Domini 666.

Mahumetani verò regni initium collocatur in annum Chriſti 623. ſub Heraclio Imperatore anno imperij eius decimo tertio, vt Antichriſti

A & Mahumetis regni initia & exortus breuiſſimo quidem temporis interuallo inter ſe diſtent. Hoc autem Mahumetanum breui tempore intra annos ferè 32. ita creuit vt magnam maioris Aſiæ, Phœniciæ, Libyæ partem claſſibus miſſis ſtatim occuparet ſub Conſtante Conſtantini Iunioris filio,nepote Heraclij,anno Domini 655.adeò vt ad regnum Mahumetanum annus & numerus ille, qui eſt in Apocalypſi 666.pertinere iam non poſſit. Antichriſtianum autem regnum, neque tam citò,neque tam facilè propagatum eſt, quàm Mahumetanum.

CAP XXI.

Mille illos annos poſt quos Satanas ſoluẽdus eſſe dicitur ad tẽpus aduentus Antichriſti nõ poſſe pertinere.

VNum autem quiddã reſtare videtur, quod ſuperioribus obiici poteſt.Eſt verò Apoc. 20.v.2.& 7.vbi ſcriptum eſt,fore vt demum poſt mille annos Satanas ſoluatur, turbétque vniuerſum orbem terrarum,atque Gog & Magog, id eſt gentes à Dei Eccleſia extraneas ad pręlium cõtra B eam colligat. Hoc igitur potius loco quidam cenſent deſcriptum eſſe & definitum aduentus & regni Antichriſti tempus. Sed quàm varia fuerit veterum de illius loci mente interpretatio & ſententia apparet ex Auguſtino libro 20. de Ciuit. Dei,cap.8.9.& lib.21. cap.23. Dicam tamen ipſe quod ſentio , quódque poſtquam omnia mecum ſubduxi de eo puto conſtituendum,eos mille annos (id quod ex ipſo rerum euentu manifeſtiſſimè apparet)tempus aduẽtus Antichriſti minimè definire,aut deſignare:ſed potius eos ipſos ab anno illo 666.elapſo numerandos.Ex quo fiet,vt iam planè habeamus per ſucceſſionem temporum definitum,quid vſque ad extremum penè diem ſit futurum.Nam ante eos mille annos euenire & impleri oportuit,quæ in cap.16. verſ.12. prædicta erant, nempe vt Euphrates exſiccaretur, & via (regibus Orientis in ditionem & regiones Romano antea imperio ſubditas irruentibus) aperiretur. Quod certè factum eſt:proculdubio enim ij Reges Orientis, qui per Euphratem exſiccatum , id eſt iter facile per medium alueum præbentem,in Romanum C orbem & imperium itruperunt,ſunt Turcæ. Ergo prius Turcarum imperium , excitari oportuit,quàm mille illi anni implerentur. Quod ſi annos à paſſo Chriſto inchoemus,certè ante Turcarum imperium(quod collocatur poſt annũ Chriſti 1200) penitus mille illi anni effluxerint , falſáque apparebit Apocalypſeos,id eſt, S.ſancti prophetia. Quod vel cogitare nefas eſt. Quare perſto in ſententia , & ab anno Domini 666.numero illos 1000. annos , qui omnes numeri ſimul collecti efficiunt 1666.poſt quos illa iam futura & implenda ſunt,quæ Dei Spiritus Apocalyp.19. & ſequentibus deſcripſit. Quanquam ipſum extremi iudicij articulum definire aut perſcrutari velle planè impium eſt.Actor.1.Nec eò etiam pertinet hęc noſtra ſententia.

CAP. XXII.

Modum Antichriſtiani regni conſtituendi & collocandi fuiſſe planè Satanicum & fraudulentum.

HIs iam expoſitis, ſequitur vt & modum & gradus explicemus, per quos Antichriſtus ſenſim prodire debuit , hócque opus ſuum Satan A erat perfecturus. Quanquam verò illa magna iam ex parte in ſuperioribus diximus , breuiter tamen hæc ipſa docuit Paulus , quum totum hoc infœliciſſimum opus,appellat Myſterium.Ergo demõſtrat tantum ſcelus occultè, aſtutè,clàm, & ſubdolè à Satana adminiſtratum & admiſſum iri. Voce enim μυςήριον nulla doctrinæ Satanicæ & apoſtaticæ dignitas oſtenditur , ſed ipſius artificis & authoris huius regni (eſt autem ille draco & ſerpens antiquus , qui etiam Diabolus dicitur Apoc.20.v.2.) fraus tantùm & dolus. Quidam tamen vocem Myſterium ſic accipiunt,tanquam omnino & ex antitheſi doctrinam Chriſti doctrinæ Antichriſti Paulus opponat. Vt enim ſacroſanctũ Dei Euangelium paſſim ,laudis ergò , myſterium nominatur : ita Antichriſtus peſtiferam illam ſuam doctrinam & omnino damnabilem, myſterium quoque dicturus eſt,& eodem nomine donaturus : quò ſanctior atque auguſtior hominibus appareat,atque ita facilius obrepat. Et certè Apocalypſ.17.5. dicitur Beſtiam, quæ Antichriſtum repræſentat,omnibus ſuis etiam impiiſſimis B ſuperſtitionibus,Myſterij tamen nomen eſſe prætenſuram.Præ ſe feret enim vbique Myſterij & rei arcanæ maieſtatem,tum in falſæ doctrinę commendationem : tum etiam ne diligentius de iis rebus inquirant homines,errorémque illum ſeriò tandem agnoſcant.Hęc autẽ tam robuſta fraus ab ipſis Ethnicis, vti multa alia,ad Papiſtas traducta eſt,qui ſua orgia , infandáque ſacra & turpiſſima ſacrilega Myſterij nomine, tanquam honeſto velo, obtegebant:ne tam fœdæ ſordes veris nominibus appellatæ puterent hominibus. Sic ſacra illa fœdiſſima Eleuſynæ Cereris , ſic ſacra obſcœniſſima Itiphalli dei,& fercula illa,quæ in illis geſtabantur & oſtendebantur (quæ in lib.De Præparat. Euangel.enumerat Euſeb.) hoc plauſibili Myſterij nomine Ethnici commendabant , tanquam eſſent res non fœdæ , ſed myſticæ,arcanæ, obſcuræ,denique auguſta quadam ſignificatione venerabiles.

Ac ſanè in Papatu fit idem. Nam rerum euentus & experiẽtia id apertiſſimè & certiſſimè probat. C Quo enim præſertim nomine & prætextu omnes ſuas idololatrias,ſuperſtitioſas cęremonias, & blaſpemias , etiam apertiſſimas vel commendant,vel occultant?Nimirum, quòd eas appellent Myſteria & arcana quædam à paucis intellecta, quæque vulgò præferenda non ſint. Sic omnis cultus hiſtrionicus epiſcoporum , dum primùm epiſcopi conſecrantur, & dum conſecrati epiſcopatum ſuum ineunt:ſic Miſſalis & theatricus ille habitus,ſic monachalis,ſic denique infinitæ horribiles blaſphemiæ & actiones impiiſſimæ inter eos ſacræ vẽditantur, quòd ſint ſignificatione auguſtæ & myſteriales: quũ nihil tamen niſi veriſſimas ita Deum ipſum & Chriſti ſanguinem coniurationes & blaſphemias contineant.

Modus igitur huius regni & impietatis ſtabiliendæ planè fraus eſt, ſempérque fuit,quæ facta eſt ſpecioſo pietatis & myſteriorum diuinorum prætextu , ſimplicioribus ingeniis & minus ad Dei verbum attendentibus.

A

CAP. XXII.

Antichriſtianum regnum ſenſim & paulatim,nō autem vno temporis momento fuiſſe ædificandum ex Spiritus ſancti prædictione.

GRadus autem eiuſdem imperij conſtituendi quoſdam futuros, non autem vno temporis momento exoriturum eſſe hunc tam tetrum apoſtaſiæ ſtatum oſtendit etiam Paulus, quum ait, Peragitur. Quæ ſententia vtiliſſimam admonitionem,quę iam tunc fuit Eccleſię neceſſaria,continet,quò ſedulò magis technas Satanæ homines pij perſpicerent, & propterea fugerent.

Docet igitur hæc Pauli ſententia & diſputatio paulatim & pedetentim erigendum,nō vno quodam temporis momento, non item vel vno die, vel vna hora producendum fuiſſe hoc Antichriſti regnum. At Scholaſtici contrà ſentiunt: ſtatim enim illud extiturum,& caput exerturum eſſe putant.Contrà verò,inquit Paulus, per cuniculos & latenter Satan aſtutus artifex operabitur,illúdque promouebit.Deinde longa ſerie temporum,longíſque ambagibus tandem id,quod conatur,obtinebit. B Hoc autem priuſquam latius explicemus, & verum eſſe fuſius doceamus, reſpondendum nobis eſt vni cuidam obiectioni quæ fieri ex Apo. 17.v.12.& 17.videtur poſſe: illi igitur verſiculi ſic habent.

Verſu 12. *Decem autem cornua quæ vidiſti,decem reges ſunt,qui regnum nondum acceperunt,ſed poteſtatem tanquam Reges vna hora accipient cum Beſtia.*

V.17.*Deus enim dedit in corde eorū vt faciant quod placitum eſt ei,& vt conſentiant,dénique regnum ſuum Beſtiæ, donec compleantur verba Dei.*

Ita enim coniungendus eſt locus, & verſiculus 17. ſtatim poſt verſiculum 12,ſubiiciendus, quia verſuum tranſpoſitio facta eſt,& laceratio capitis per iniuriam librariorum,quod alibi in eodem libro contigiſſe annotat & docet diſertiſſimus Theodorus Beza cap.16.v.15.

Videtur igitur dici Beſtiā vna hora accepturā eſſe ſuam illam potentiam à Regibus decē. Quod ſi verum eſſet, Scholaſticorū ſentētiā planè confirmaret. Reſpondeo verò illum locum propriè C ad Beſtiam,quę ſignificat Antichriſtum,non pertinere,ſed potius ad eam quæ figura eſt Romani imperij,quatenus Italicum fuit,non autem Conſtantinopolitanum.Nam prædicitur fore, vt antequam 10. illi Reges qui Romam Romaníque imperij dignitatem funditus euerſuri ſunt, exoriantur,decem alij prius appareāt, & vno quidem temporis momento, qui in Italia imperium Romanum conabuntur inſtaurare atque primæ illi Beſtiæ priſtinum ſuum regnum dare, & reſtituere,ſed nihil tamen efficient. Quare ille Apocalypſeos locus planè intelligendus eſt de iis, qui Romanum imperium, non in Oriente quidem & Conſtantinopoli,ſed in Italia ipſa & Romæ reſtituere,reddere,& iterum erigere tentarunt. Quos fore numero decem.Spiritus Dei prædicit, nondum autem eo tempore, quo illa ſcribebat Ioannes,aut cœpiſſe,aut fuiſſe:atque hos etiam omnes vna penè hora,id eſt,vno temporis articulo exorituros,& in Romani imperij dignitatem reponendam laboraturos affirmat hic idem Spiritus Dei.Poſt quos naſcentur alij decem, qui contrario conatu Romanum imperium deuorabunt, id A eſt,prorſus, & ab imis fundamentis euertent atque delebunt.Nos igitur omiſſis aliorum ſententiis,imprimis autem eorum,qui illos decemreges (qui fauebunt Beſtiæ)putant eſſe decem Cæſares, qui ante Domitianum Imperatorem vixerunt, quorum prorſus ab illius loci ſenſu videtur eſſe interpretatio aliena:ſic dicimus, hanc Apocalypſeos prophetiam,quę eſt cap.17.v.12.& 17.intelligendam eſſe de decem illis Imperatoribus & regibus, qui poſtremi poſt imperium Conſtantinopolim tranſlatum, nimirum in Italia imperarunt, id eſt, poſtquam iam Conſtantinopolim tranſportata eſſet imperij ſedes, & vix poſſeſſio Italiæ ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis retineretur. Quod demum poſt Valentiniani tertij vltimi ex regia proſapia Imperatoris,cędem & interitum accidit, id eſt, circa annum Domini 459.Nam ex hiſtoriis apparet,ſtatim poſt eam cędem vno penè temporis momento reges decem extitiſſe,qui imperium in Italia arripuerunt, & erigere collapſam illius dignitatem ſunt magno niſu conati.Ergo ſunt decem illi reges ſiue Imperatores,qui vna hora poteſtatem erant accepturi. B Nos autem, vt noſtra hæc ſententia atque interpretatio verior appareat,eos ordine iam recenſebimus.Ex his igitur primus fuit.

I Maximus,qui ipſe Valentinianum occidit, & ſecundo menſe imperij ſui à Genſerico Gothorum rege occiſus eſt,& in Tyberim abiectus.

II Auitus, qui anno primo imperij à Richimer Gottho depoſitus.

III. Maiorianus eodem tempore factus Imperator Rauennæ, tertio anno imperij nondum completo mortuus eſt.

IIII. Seuerus Rauennæ item factus imperator, intra annum imperij tertium veneno extinctus.

V.VI. Anthemius & Richimer Gotthus ab Anthemio aſcitus in imperium & in affinitatem: itémque intra annum imperij quartum ſublatus.

VII. Olybrius gener Valentiniani tertij factus C Imperator,viuit ſeptem menſes.

VIII. Glycerius Rauennæ factus Imperator, nec ipſe toto anno imperat, ſed à Iulio Nepote interficitur.

IX. Iulius Nepos ſtatim interfectus ab Oreſte Magiſtro equitum.

X. Auguſtulus Oreſtis filius poſt annum imperij ab Odoacro depoſitus.Hic fuit vltimus Imperatorum Italicorum.Poſt hos autem cœperunt alij in Italia Reges eſſe,qui de reponēda & inſtauranda Italici imperij dignitate ne cogitarunt quidem: ſed toti potius in ea euertenda fuerunt. Erant enim barbari homines, quales Rugiani & Gotthi, qui iam apertè in Italia imperare cœperant.

Omnes autem hi decem Reges, de quibus diximus,vna penè hora,id eſt,breuiſſimo temporis momento & ſpatio regnarunt,& eodem penè tēpore omnes,quando paulò minus,quàm intra decem annos,omnes imperium acceperunt, regnarunt,& extincti ſunt. Ac fortaſſe futurum eſt, vt imago,id eſt Papatus ipſe ἀρχετύπῳ ſuo, id eſt Romano imperio Italico in eo reſpondeat & conueniat:regnúmque Antichriſti habeat tandem in ſui fine & exitio decem Papas breuiſſimo tempore

A regnantes.

Itaque & numerus Regum, qui à Scriptura definitus eſt,& tempus imperij eorum breuiſſimum confirmat noſtram interpretationem, & eam eſſe veriſſimam demonſtrat, quam malo equidem ſequi, quàm illam Primaſij in hunc locum explicationem,qui horã generaliter interpretatur, quodlibet tempus & ſpatium etiam longiſſimum, cui obſtat eiuſdem Apoc.cap.8.verſ.1.

CAP. XXIIII.

Antichriſtiani regni ſtabiliendi fuiſſe hæc tria præcipua & potiſſima fundamenta, 1. Varias, quæ in Eccleſia natæ ſunt de Chriſti naturis & officio hæreſes. 2. Funeſtas Epiſcoporum inter ſe contentiones. 3. Immenſas Imperatorum & aliorum quorundam hominum potentum & ſuperſtitioſorum in Romanam Eccleſiam donationes.

QVæ quum ita ſint,iam quibus ſenſim gradibus ſe in eum gradum & magnitudinem iſta ſedes & Romani Epiſcopi tyrannis B euexerit,eſt explicandum,vtque paulatim plenum tanquam ædificationis implementum in Geddon Harma, id eſt, veteris Romæ ruderibus & cineribus acceperit. Tria verò fuerunt primordialia regni Antichriſti ponendi & ſtabiliendi initia,& tãquam originalia fundamenta:nimirum Hęreticorum errores,Epiſcoporum contentiones,ac Principum Chriſtianorum ſuperſtitiones, & immenſæ donationes. Sic enim ſtolidæ illæ in Eccleſiam & immoderatæ eorum largitiones potius appellandæ, quàm legitimæ deuotiones: fuerunt enim nimiæ quædam in Eccleſiam imprimíſque Romanam,propenſiones & indulgentiæ.Hæc autem tria,quæ diximus Antichriſtiani regni fundamenta, fuiſſe etiam potiſſimos & præcipuos gradus, quibus ſe in eam, quam poſtea immenſam & tyrannicam adeptus eſt,potentiam pedetentim Antichriſtus euexit, facilè poteſt intelligi. Ac primùm quod ad errores in fide pertinet,duabus maximè de cauſis mãſit Romana, imò verò tota Occidentalis Eccleſia purior & ſanior quàm Orientalis & Syriaca, C nimirũ propter crebriores in Occidentis partibus afflictiones ab Imperatoribus Romanis excitatas: item propter obtuſiora Occidentalium hominum ingenia. Vnde factum eſt, vt ſæpe Orientales Eccleſiæ ad Romanam confugerint, illiúſque iudicium & auxilium in damnatione hæreſeon petiuerint. Creuit igitur ob eam cauſam,maximè quidem, ſed tamen paulatim, in Eccleſia Romani Epiſcopi dignitas. Hæreſes enim illæ variæ & multiplices non modò fidẽ Chriſtianam labefactarunt,ſed eam vt incertam,in Oriente præſertim, apud pleroſque reddiderunt. Vnde etiam aditum ad vniuerſalem illam Apoſtaſiam opportuniſſimum præbuerunt. Itaque appellantur illę à Chryſoſtomo exercitus Antichriſti.Imprimis autem quæ natæ ſunt poſteriores,in quibus de naturis Chriſti, de earum vnione, de Chriſti officio, & meritis noſtrorũ operum contra Dei verbum acerrimè diſputatum eſt: quales ab Arrianis,Neſtorianis,Eutychianis, & Pelagianis fuerunt inductæ,quæ ſanè & teterrimæ,& potentiſſimæ in hominum animis euertendis fuerunt. Ergo ob eam quoque cauſam in Oriente Mahumetana ſuperſtitio ſubitò exorta eſt,& propter A aſſiduas Chriſtianorum inter ſe de fide diſſenſiones,recepta lubenter. Nam Orientales Eccleſiæ infinitis hæreſibus iam erant contaminatæ, vexatę & prorſus deformatæ.Quot enim ſunt hęreſes in fide, tot certè quidem in Eccleſia doctrináque Chriſtiana ſunt fœdiſſimi næui & maculæ. Et rectè quidem ſcribit Chryſoſtomus in Matth. 49. quòd poſtquam publica templa etiam hæreticis à Theodoſio Magno ſemel conceſſa fuerunt, factum eſt,vt maximam labem & hæreſeon acceſſionem Eccleſiæ acciperent.Ergo Orientalis Eccleſia, quia penè fidem & dignitatem Chriſtiani nominis apud ſuos amiſerat,à Symmacho Romano Epiſcopo petiit, vt ipſe hæreſim Acatij damnaret, quòd iam Orientales Epiſcopi nec ſatis virium, nec ſatis authoritatis inter ſuos haberent: item ab Agapeto vt Antimum Conſtantinopolitànum Epiſcopum hæreticum deponeret. Denique tota hiſtoria Eccleſiaſtica huiuſmodi exemplis plena eſt. Ergo hoc primum Antichriſtiani regni ſeminarium fuit. Secundum verò ſeminarium regni Antichriſtiani, fuerunt aſſiduæ Epiſcoporum inter ſe contentiones, æmulationes, rixæ, B & concertationes luctuoſæ, quæ non modò eos ipſos hominibus inuiſos reddiderunt, ſed etiam Chriſtianam doctrinam, cuius erant Antiſtites, penitus exoſam effecerunt. Hæ verò fuerunt in Orientali Eccleſia frequentiſſimæ, raræ autem in Occidente propter perſequutiones aſſiduas:reddit enim otium & diuturna quies homines laſciuiores & petulantiores. Ex quo factum eſt, vt afflicti Epiſcopi lubenter ad vnum aliquem dignitate præſtantem Epiſcopum confugerent, à quo ſubleuarentur, & contra iniurias ſibi ab aliis Epiſcopis factas defenderentur. Romanus autem Epiſcopus propter ipſius vrbis celebritatem cæteris dignior ſine dubio videbatur, qui etiam afflictis & miſeris Epiſcopis ipſe opem ſuam & auxilium facilè lubentérque impertiebatur. Nam & Athanaſius ab Arrianis epiſcopatu pulſus ad Romanum Epiſcopum, tanquam ad ſacram anchoram confugit: & poſt eum Fabianus: & ante eum quoque alij, vt ex hiſtoriis apparet, & ſingula exempla perſequi eſſet penè C infinitum, adeò vt poſtea iſta confugij exempla magnam Romano Epiſcopo authoritatem apud omnes omnium nationum (quæ Chriſtianam adhuc doctrinam profitebantur) homines conciliarent. Denique tantam, vt ea Romani ipſi Epiſcopi planè ſint abuſi. Itaque grauiter libro 1. & 4. De conſideratione ad Eugenium conqueſtus eſt Bernardus Epiſcopum Romanum ea factitare, per quæ oſtenderet ſe quidem habere plenitudinem poteſtatis, ſed non iuſtitiæ, quum Apoſtolica authoritate fieret, vt monſtra hominum & portenta etiam epiſcopatus optimos & ſummos honores in Eccleſia obtinerent. Hic igitur fuit ſecundus Antichriſtiani regni prouehendi gradus. Tertius autem & vltimus fuit nimia Principum, imprimis autem Imperatorum, in eam ſedem indulgentia: fuit enim hoc tertium iſtius regni præcipuum fundamentum. Nam non modò tunc opes nimias in illius ſedis Epiſcopos, omnes homines certatim & furioſè congeſſerunt, ſed etiam honores, Iuriſdictionis iura, & cætera

quæ

A quæ ſunt imperialis dignitatis vel ciuilis magiſtratus propria ornamenta Imperatores ipſi contulerunt: adeò vt decreta & ſua & Synodorum ab Epiſcopo Romano confirmari voluerint. Iuſtinianus Imperator ad Ioannem Romanum Epiſcopum miſit legatos, vt codicem legum ab eo editum ille approbaret: quemadmodum ex epiſtola Codici Iuſtinianeo præfixa apparet: & ab ipſis Imperatoribus nimium demiſſè ſcriptum eſt, non dedignantur leges ſacros canones imitari, quaſi minor eſſet Imperialiũ edictorum quàm Pontificiorum decretorum & Canonum maieſtas atque authoritas. Ac quidem quum tantas in iſtos Epiſcopos opes contulerunt, quid tandem aliud imprudentes illi Imperatores effecerunt, quàm quòd præſentiſſimum venenum ſeminarunt in Eccleſia? Et hoc ipſum etiam in aëre palàm auditum & dictum fuiſſe ſcribunt Paparum aſſeclæ, in Syluestri primi vita, quum reditus tam opulẽti à Conſtantino Magno Eccleſiæ Romanę aſſignati eſſent. Certè Hieronymus in Malcho, apertiſſimè ſcribit, Eccleſiam, poſtquam ad Chriſtianos principes venit, potentiâ quidem & diuitiis maiorem, virtutibus autem minorem factam B eſſe. Denique quorſum tot priuilegia ab iiſdem conceſſa tum rebus, tum perſonis ipſis Eccleſiaſticis, & Romanæ præſertim Eccleſiæ, per quæ etiam ab ordinariorum magiſtratuum imperio & iuriſdictione exempti ſunt vt tanquam effrenes, & omnium ſcelerum impunitate illis conceſſa, viuerent? Certè ea fuerunt infœlicia auſpicia, & poſtea progreſſiones tãtæ tyrannidis, per quam regnum Antichriſti & Apoſtaſia hæc vniuerſalis fundata, aucta & confirmata eſt. Hæc tamen authoritas tãta etiam à Iuſtiniano Imperatore iampridem in Nouella authent. 131. de quatuor ſanctis conciliis, ante Phocæ imperium & ætatẽ impia fundamenta quædam acceperat.

CAP. XXV.

Quibus aliis gradibus & occaſionibus Romani Põtificij & Antichriſtiani regni authoritas vel ſenſim prouecta eſt, vel maximè confirmata.

C NEc verò his ſolis cuniculis in Antichriſti regno promouendo egit Satan aſtutus artifex: ſed alia quoque machinamenta, tanquam omnem ſuam in hoc opere texendo induſtriam proderet, adhibuit. Acceſſerunt.n. his progreſſionibus & fundamentis aliæ quoque cauſæ, & occaſiones, tanquam appendices, nec paruæ, nec inutiles: nimirum primò Vrbis ipſius Romæ, quæ caput mundi dicebatur, celebritas & dignitas: ſecundò Romani imperij laceratio & vacua tunc ſedes, tranſlato Conſtantinopolim imperio: tertiò, Aliquot Pontificum Romanorum in vniuerſam Italiam, atque etiam in ipſam vrbem Romam, quæ extabant egregia beneficia, & teſtimonia amoris & ſolicitudinis pro ciuibus, & ouibus ſuis collata. Leo primus Pontifex Romanus obuiam iit Attilæ irruenti in Italiam, & eum auertit, placauítque miti admodum oratione, adeò vt illa bellua (ad cuius nomẽ horrebãt omnes) delinita, Italia non tentata rediret in Pannoniam. Pelagius primus Pontifex Romanus Totilam ſæuiſſimum tyrannum precibus ſuis ita flexit, vt A quum ille Romam cepiſſet, atque de ea omnino excindenda inflammatus cogitaret, tamen ab irato Totila obtinuerit, vt etiam cædes & incendia latius Romæ & fieri & vagari Totila prohiberet. Extant alia aliquot Romanorum Epiſcoporum egregia opera, vel in totam Italiam, legationibus miſſis vel ſuſceptis, vel in ipſam Romã, quæ res illis & eorum ſucceſſoribus maximum non tãtùm Italorum aut Romanorum, ſed etiam aliarum gentium fauorem, & meritò quidem, cõciliauit. Vnde factum eſt, vt etiam contra iniurias magiſtratuum & præfectorum etiam extra Italiã appellati ſint Romani Epiſcopi. Sic Victor Fauſianenſis Epiſcopus Gregorium primum Romanum Pontificem contra iudices Africanos, qui multa impiè & violenter agebant, implorauit. Sic idem Iſidor. Muſtelli Conſtantij aduerſus Epiſcopos eorum ſuſcepit. Adriano item Thebano Epiſcopo contra Lariſſæum & Iuſtinianæ primæ metropolitanos patrocinium præbet. epiſtol. 46. Indict. 11. Sic idem Gregorius ad Brunchildam Francorum reginam, quòd Iudæos malè ſineret Chriſtiana habere mancipia, ſeuerè ſcripſit. ex eo B denique ipſo euenit, vt etiam barbari ipſi & Gothi principes (quanquam à nomine Chriſtiano adhuc alieni) tamen haberent Epiſcopos Romanos in pretio eorúmque dignitatem augerent & cohoneſtarent. Nam Attalaricus Gotthorum rex Bonifacium quartum & Ioannem Epiſcopos Romanos à populo Senatúque Romano coli & honorari publico edicto propoſito iuſſit. Idem poſtea Theodoricus quoque & ipſe Gothorum Rex fieri præcepit. Denique, vt omnia hîc, quantum poſſumus complectamur, maximum huius authoritatis & tyrannicæ poteſtatis fulcimentum fuit θρυλλούμενον & celebre illud Chriſti dictum, ſed perperam explicatum, Paſce oues meas, Ioann. 21. Quod Romani Pontifices de Petro & illius ſucceſſoribus duntaxat accipiendũ eſſe, nõ de Paulo, non de Ioanne, qui Chriſto fuit dilectiſſimus, nõ etiam de eorum ſucceſſoribus magna contentione docuerunt. Se autem eſſe veros illos Petri ſucceſſores, ad quos ſolos hæc poteſtas pertineat. Ex quo iam Petrus Apoſtolus Princeps Apoſtolorũ C dici cœpit, & ipſi Romani Epiſcopi (qui ſe illius ſucceſſores iactant) hoc priuilegium ſedi ſuæ & vrbi Romę inſeparabiliter ita arrogarunt, vt quicunque in ea ſedent, eam poteſtatem ſine controuerſia obtineant. Sed quid Bernardus epiſt. 237. ad Eugenium Pontificem Romanum? Certè indignans ille ſic ſcribit, Verus ſucceſſor Pauli dicet cum Paulo, non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudii veſtri. Petri hæres audiet Petrum dicentem, Neque vt dominantes in clerum, ſed forma gregis facti. Quis mihi det antequam moriar videre Eccleſiam Dei, ſicut in diebus antiquis, quando Apoſtoli laxabant retia non in capturam argenti vel auri, ſed in capturam animarum? vt ſatis appareat eum nihil minus vnquam ſenſiſſe, quàm iſtius ſedis Epiſcopos veros & legitimos Petri vel Pauli ſucceſſores cenſendos eſſe. Atque hæc tot ſunt fundamenta, progreſſiones, gradus & fulcimenta, quibus Antichriſti regnum ſtabilitum eſt, maximéque Romæ confirmatum.

A

Cap. XXVI.

Antichriſti authoritatem & potentiam nulla hominum ætate ſine bonorum Epiſcoporum certamine & contradictione receptam eſſe.

NEc tamen huiuſmodi poteſtas & imperiũ, ſine multorum querelis & certamine conſtitutum aut vnquam vſurpatum eſt. Nam omni hominum ætate etiam poſt fundatam huiuſmodi apoſtaſiam extiterunt ſemper aliqui viri boni & Epiſcopi, qui apertè contradicerent, eámque tanquam impiam damnarent, quíque ſe illi & liberè & acerrimè toto conatu opponerent, per quos Dominus ſatis Eccleſiam monebat, ſi ſaperet, vt ſe eò iugo liberaret. Ac anno quidem 600. in ipſis eius incunabulis, & initiis omnis Eccleſia Græca, imprimíſque Conſtantinopolitana, & quæ per Daciam & Illyricum erat, illi potentiæ fortiter obſtitit, & reclamauit. Epiſcopi, qui Symmachum Pontificem Romanum apud Theodoricum regẽ Gothorum accuſarunt, inter reliqua crimina hoc B velut maximum illi obiecerunt, quòd ſe αὐτόνομον & ἀνυπεύθυνον. i. à quoquam homine & Magiſtratu iudicabilem & damnabilem eſſe negaret, vt eſt in Canon. Nullus diſtinct. 99. Dinoth Abbas Britonum id eſt Anglorum illi ſeſe viriliter quoque oppoſuit. Gildas in caſtigatione Eccleſiaſtici ordinis docet ad omnes Epiſcopos, non ad vnum pertinere quod dictum eſt, *Quodcunque ligaueritis*, &c. Germaniæ & Galliæ aliquot etiam præcipui & doctiores Epiſcopi, vt apparet ex hiſtoria Auẽtini in epiſtol. ad Anaſtaſium, illi regno & conſtituendo & iam conſtituto reſtiterunt. Prætermitto enim Concilium Carthaginenſe, vbi quum hanc ſuam tyrannidem introducere vellet, falſi publicè à toto cœtu damnatus eſt Romanus Epiſcopus. Quod illi crimen etiam in concilio Florentino anno 1439. obiecit publicè Marcus Epheſiorum epiſcopus. Beliſarius denique dux Iuſtiniani Syluerium Pontificem Romanum de proditione vrbis ſuſpectum ipſe depoſuit.

Anno verò Domini 700. iam poſt collocatam etiam plurimorum conſenſu hanc dominationis C & apoſtaſiæ ſedem : illi tamen Paulus Cretenſis Epiſcopus contradixit, & Ioanni Lampeonis vrbis Epiſcopo appellationem ad ſedem Romanam ſe conceſſurum eſſe negauit. Rauennatenſis Eccleſia αὐτοκέφαλον ſe geſſit, neque ipſa (quãquam eſſet in Italia) ſubiiciebatur tamẽ Romanę vſq; ad Domnum Papam. Nilus Theſſalonicenſis Archiepiſcopus cõtra Papæ primatum librum eruditiſſimum etiã ſcripſit. Tota Græcia adhuc huic poteſtati & tyrannidi Rom. pontificis apertè repugnat, ſempérque eam abnegauit, adeò quidem, vt cùm Ioannes Palæologus Imperator Conſtantinopolit. & Ioſephus eiuſdem vrbis Patriarcha: atque alij aliquot Græci Epiſcopi, (inter quos erat Beſſario) concilio Florentino anno Domini 1439. hanc Epiſcopi Romani in omnes Eccleſias approbaſſent, à reliquis Græciæ & Orientis Eccleſiis excommunicati atque improbati fuerint. Quin etiam Papa ipſe per ſingulos annos aureum ex pacto donat ſingulis Gręcorum Epiſcopis, qui eum ἀρχιερέα in Miſſarum celebratione appellant. Anno Domini 1140. qua ætate viuebat Bernardus Abbas ille Clareuallenſis Arnoldus Brixianus vir eloquens & Monachus aduerſus illum Papæ primatum & tyrannidem toto vitę tempore fortiter A declamauit, vt ſcribit Sigonius libr. 11. de Regno Italico, cuius etiam ab ipſo Bernardo mentio facta eſt epiſt. 195. quem, vt hęreticum, Innocent. ſecundus Pontifex Rom. Romanæ ſæuitiæ iam cunctis applaudentibus, propterea damnauit. Ergo per ſingulas ætates factum eſt, vt apertè huic poteſtati etiam Synodis collectis reclamaretur, donec tandem (quod à Dei Spiritu prædictum erat) Antichriſtus & ipſius doctrina peruicit, &, Domino contemptum ſui nominis vlciſcente, regnauit, omnibus quidem ſilentibus & ſeſe illi miſerè demiſſéque ſubmittentibus: id quod magno totius orbis Chriſtiani factum eſt damno, donec Iohannes VViclef exortus & à Deo excitatus in Anglia eſt, qui ſe illi conſtanter opponeret, qui primus illius neruos magno ictu conſcidit. Poſt quem Iohannes Hus & Hieronymus Pragenſis ſummo Dei munere in Mundo nati, duo illi filij Oliuæ, de quibus eſt Apoc. 11. Deinde M. Lutherus, poſtea Ioannes Caluinus, & alij, Dei Spiritu armati viri animoſè & heroico pectore ſeſe huic doctrinę & poteſtati obiecerunt, quam magna ex B parte Dei gratia iam concuſſerunt & diſiecerunt, quanquam illa ſe tamen tuetur ficulneis armis, quantum poteſt.

Cap. XXVII.

De Antichriſtiani regni exitio & interitu, qui ſolo Spiritus Dei ore, non autem vllis quinta, vel ſextæ, vel ſeptimæ alicuius Monarchiæ, quæ reſtet nobis ſperanda & excitanda, viribus & potentia futurus eſt.

SExtum autẽ diſputationis huius de Antichriſto caput ad conſolationem Eccleſiæ iã pertinet. Explicat enim illius interitum & exitium. Hoc certè omnino neceſſe fuit, vt adderetur, ne pij homines labaſcerent animúmque deſponderent, dum & tam immenſum fore hoc Antichriſti regnum & per multas ætates duraturum intelligunt. Sed iam euertendum tandem & prorſus tollendum eſſe ex eodem Dei Spiritu læti audiunt. Ergo ſi quæritur, Quid ſit iſti apoſtaſiæ & infœlici Antichriſti regno euenturum, Reſpondet Paulus, C Tolletur funditus. Si verò quæritur, Quomodo? quáue ratione? Reſpondet idem, Spiritu oris Dei. Denique ſi quæritur, Quando tandem, quóue tempore id fiet? Reſpondet ad illud quoque Paulus, Quum erit aduentus ille illuſtris Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Itaque hæc tria, vnum hoc caput & diſtinctè quidem continet. Ac certè tollendum eſſe aliquãdo impiiſſimum illud Antichriſti regnum, ídque prorſus & funditus, tum ipſa ratio docet, tum veneranda nobis ſacræ Scripturæ authoritas. Ratio, quòd quum Chriſti & Antichriſti regnum ſimul eſſe non poſſint, (ſunt enim res inter ſe prorſus pugnantes & contrariæ) Chriſto autem regnum & liberum & æternũ ſit à Deo promiſſum: omnino Antichriſti regnũ, quod illi obſtabat, tolli neceſſe eſt. Aliâs enim nunquam in omnia liberè regnabit Chriſtus. Perpetuum autem ſiue æternum in omnia regnum Chriſto promiſſum eſſe probãt hi loci Pſa. 2. 8. Dan. 7. v. 14. 27. & 2. v. 44. Luc. 1. 33. Iſta verò vniuerſalis apoſtaſia inter præcipuos Chriſti, ipſiúſque regni hoſtes, quos ipſe tandem deleturus eſſe dicitur, enumeratur 1. Corinth. 15.

Quam-

A Quamobrem eam aliquādo deleri neceſſe eſt. Authoritas autem Scripturæ perſpicua eſt hæc, quòd vetuſtiſſima Prophetarum Dei vaticinia docent euertendum eſſe Antichriſti regnum. Daniel 7. 27. Apoc. 19. 20. Denique ſub typo Antiochi illius illuſtris, ſiue nobilis (qui pro Antichriſti figura nobis proponitur) idem oſtenditur Daniel. 8. v. 23. 24. & ſequentibus.

Ergo conſolemur nos ipſos & rectè ſperemus, ſtrenuéque in hac pro regno Chriſti lucta perſeueremus, quando ex ipſius Dei ore futurum intelligimus, vt tandē vincat Euangelij veritas, vincat Chriſtus: denique vt Antichriſti regnum ſubuertatur. Multis quidem fulcimentis illud nititur, multis viribus defenditnr, & videtur infinitæ plane molis & operis eſſe Romanam euertere gentē: ſed quis Dei voluntati & decreto reſiſtet? Quis quominus impleatur, obſtabit? quum apertiſſimæ de huius regni euerſione prophetiæ extent. Ergo non tantùm id fore ſperandum eſt ex ea generali regula, quæ eſt Iſ. 60. 12. Omne regnum & omnis gens quæ mihi non ſeruiet, peribit: ſed multo magis ex hac Pauli particulari prophetia ita ſtatuendum nobis eſt.

B Cæterum ex hoc ipſo loco Manichæorum delirium refutatur, qui principium illud, quod ſe vero Deo & Chriſto opponit, perpetuum fore dixerunt. Secundo verò loco videndum eſt, qua ratione hoc tam potens támque latè patens Antichriſti regnum tandem tolletur. Reſpondet autē Paulus, Spiritu oris Dei: ergo planè diuerſo (quàm homines opinentur, quanque cætera regna euerti ſoleant) modo, hoc diſperdi neceſſe eſt. Hac enim περιγραφῇ verbum Dei deſcribit Paulus cum vera intelligentia, ſuáque efficacia coniunctum. Ratio verò huius tam admirabilis ſententiæ certè multiplex afferri poteſt. Primùm, quòd quemadmodū Antichriſti regnum (quod eſt mera à fide Chriſtiana apoſtaſia) fuco & corruptela verbi Dei ſeſe erexit & tuetur, ita per idem Dei verbum fideliter & ſyncerè explicatum delendum eſt. Deinde, quum ſit iſte rerum ſtatus tenebrarum & ignorātiæ regnū, lumine & cognitione verbi Dei, ipſiúſque veritate illucente deiici neceſſe eſt. Vti enim C Solis præſentia tenebræ fugantur, die accedente nox perit: ita Chriſti doctrina radiante & prodeunte, Antichriſti & regnum & doctrina agnoſcetur, atque tota abolebitur. Denique nullius alterius regni poſt Chriſti Euangelium propagatū erigendi facta vſquam apud Danielem mētio eſt. 2. 44. & 7. 27. & 11. 48. Quatuor enim tantùm Monarchiarum Daniel meminit, poſt quas regnum ſanctorum futurum, ídque perpetuum, promittitur. Atque ita quis futurus ſit mundi huius ſtatus ad extremum vſque iudicium oſtenſum eſt. Nullius autem alterius futuræ Monarchiæ meminit Dei Spiritus, quę Antichriſtum, ipſiúſque regnum perderet. Ergo oportet hanc quintam, nempe Chriſti, in perpetuum perſtare. Regnum autem Chriſti, verbi Dei prædicatione conſtituitur & agit potentiſſimè. His igitur armis, atque hoc modo à Chriſto regnum Antichriſti euertetur. Eodem autem modo, quo hîc Dei verbum Spiritus oris Dei nominatur, apud Iſa. 11. 4. Verbū Dei efficaciter agens appellatur Spiritus labiorū Dei, quòd nuda ipſius verbi enuntiatio ſit ipſa per ſe & ſine Spiritu Dei planè inefficax. Itaque vni Deo A tribuendum eſt quicquid in nobis prædicatio diuini verbi efficit & operatur. Cur autem quinta quædam Monarchia poſt quartam excitari nō debeat, non ea quidem ratio eſt, quam tamen quidam, tanquam veriſſimam afferunt, quòd in hac extrema Mundi & effœta ſenecta nulla iam tanta potentia, tantáque vis hominum naſci & excitari poſſit, quæ Monarchiam ſtabiliat. Ad eam enim erigendam magnis hominum viribus, & ad retinendam magna prudētia eſſet opus: quæ duo huic mundo iam ſeni & decrepito, plane deſunt. Verſatur enim, in poſtrema iam & exhauſta ætate. hoc quidem illi. quibus vt ipſe reſpondeam, hoc quæro: nonne Deo tam facile nūc eſt excitare homines corpore manúqne ſtrenuos, & conſilio valentes, quàm olim fuit, quum veteres erexit Monarchias? Cur enim, ſi vellet, idem iam non poſſet qui eſt tum per ſe omnipotens, tum verò ſibi ſemper æqualis? Quid igitur obſtat? Nimirum, quòd hanc tantam victoriam ſola vi verbi ſui & Euangelij prædicatione comparari vult Dominus, vt ea ratione nobis doctrinam ſuam commendet, infinitámque eius vim & dignitatem oſtendat, quā homines tamen vulgò ſpernunt & contemnunt. B Atque hanc noſtram ſententiam confirmat locus Apoc. 19. 21. vbi Angelus homines & pſeudoprophetam ipſum principem huius tam damnabilis ſtatus occiſum iri gladio oris Dei prædicit. Gladius autem oris Dei eſt proculdubiò efficacia, & vis ipſius verbi Dei. Id quod tum ex epiſtola ad Hebręos 4. 21. facilè perſpicitur, tum ex alio Scripturæ loco, qui eſt Apoc. 19. 15. & 2. 16. Idē quoque docetur Hierem. 1. 18. Eodem etiam pertinet, quod Pſalm. 149. 6. ſcriptum eſt ſanctos in manu gladium ancipitem habituros eſſe, id eſt, Dei ſermonem efficacem, ad malos nimirum perdendos & euertendos.

CAP XXVIII.

Quid ſignificent decem illi reges, qui meretricem illiuſque carnes deuoraturi atque igne crematuri in Apocalypſi dicuntur.

OBiicitur autem nobis locus Apo. 17. 16. obſcuriſſimus qui, ne faceſſat negotium, eſt & C proponendus, & explicandus. Sic igitur habet,

Et decem cornua, quæ vidiſti in Beſtia, hi odio perſequentur meretricem, & ſolam reddent illam & nudā, & carnes eius comedent, & ipſam igne exurent.

Id autem, quia fieri verbi ipſius efficacia non eſt intelligendum, ſed planè armis & gladiis carnalibus, Pauli ſententiam oppugnat in ſpeciem. Quid igitur? Sanè locum illum minimè ad eam Beſtiam, quæ Antichriſtum nobis repræſentat, pertinere: ſed ad illam, quæ Romanum Imperium Italicum, quod euertendum eſſe in Italia per decem reges denuntiatur, referendum eſſe ſatis quilibet per ſe iam intelligit. Atque hæc interpretatio veriſſimè cum rerum geſtarum euentu & hiſtoria congruit, Vnde huius prophetiæ implementum maximè, & explicatio ſemper nobis petenda eſt. Nam ſi ſpectemus qui verè & potiſſimum Romanum imperium in Italia prorſus euerterint, ij certè fuerunt illi Reges numero decem, quos hic commemorat Iohannes: etſi non continua ſerie illi ſibi ſucceſſerunt, ſed tamen

A

CAP. XXVI.

Antichriſti authoritatem & potentiam nulla hominum ætate ſine bonorum Epiſcoporum certamine & contradictione receptam eſſe.

NEc tamen huiuſmodi poteſtas & imperiũ, ſine multorum querelis & certamine conſtitutum aut vnquam vſurpatum eſt. Nam omni hominum ætate etiam poſt fundatam huiuſmodi apoſtaſiam extiterunt ſemper aliqui viri boni & Epiſcopi, qui apertè contradicerent, eámque tanquam impiam damnarent, quíque ſe illi & liberè & acerrimè toto conatu opponerent, per quos Dominus ſatis Eccleſiam monebat, ſi ſaperet, vt ſe eò iugo liberaret. Ac anno quidem 600. in ipſis eius incunabulis, & initiis omnis Eccleſia Græca, imprimíſque Conſtantinopolitana, & quæ per Daciam & Illyricum erat, illi potentiæ fortiter obſtitit, & reclamauit. Epiſcopi, qui Symmachum Pontificem Romanum apud Theodoricum regẽ Gothorum accuſarunt, inter reliqua crimina hoc B velut maximum illi obiecerunt, quòd ſe αὐτόνομον & ἀνυπεύθυνον. i. à quoquam homine & Magiſtratu iudicabilem & damnabilem eſſe negaret, vt eſt in Canon. Nullus diſtinct. 99. Dinoth Abbas Britonum id eſt Anglorum illi ſeſe viriliter quoque oppoſuit. Gildas in caſtigatione Eccleſiaſtici ordinis docet ad omnes Epiſcopos, non ad vnum pertinere quod dictum eſt, *Quodcunque ligaueritis*, &c. Germaniæ & Galliæ aliquot etiam præcipui & doctiores Epiſcopi, vt apparet ex hiſtoria Auẽtini in epiſtol. ad Anaſtaſium, illi regno & conſtituendo & iam conſtituto reſtiterunt. Prætermitto enim Concilium Carthaginenſe, vbi quum hanc ſuam tyrannidem introducere vellet, falſi publicè à toto cœtu damnatus eſt Romanus Epiſcopus. Quod illi crimen etiam in concilio Florentino anno 1439. obiecit publicè Marcus Epheſiorum epiſcopus. Beliſarius denique dux Iuſtiniani Syluerium Pontificem Romanum de proditione vrbis ſuſpectum ipſe depoſuit.

Anno verò Domini 700. iam poſt collocatam etiam plurimorum conſenſu hanc dominationis C & apoſtaſiæ ſedem: illi tamen Paulus Cretenſis Epiſcopus contradixit, & Ioanni Lampeonis vrbis Epiſcopo appellationem ad ſedem Romanam ſe conceſſurum eſſe negauit. Rauennatenſis Eccleſia αὐτοκέφαλον ſe geſſit, neque ipſa (quãquam eſſet in Italia) ſubiiciebatur tamẽ Romanę vſq; ad Domnum Papam. Nilus Theſſalonicenſis Archiepiſcopus cõtra Papæ primatum librum eruditiſſimum etiã ſcripſit. Tota Græcia adhuc huic poteſtati & tyrannidi Rom. pontificis apertè repugnat, ſempérque eam abnegauit, adeò quidem, vt cùm Ioannes Palæologus Imperator Conſtantinopolit. & Ioſephus eiuſdem vrbis Patriarcha: atque alij aliquot Græci Epiſcopi, (inter quos erat Beſſario) concilio Florentino anno Domini 1439. hanc Epiſcopi Romani in omnes Eccleſias approbaſſent, à reliquis Græciæ & Orientis Eccleſiis excommunicati atque improbati fuerint. Quin etiam Papa ipſe per ſingulos annos aureum ex pacto donat ſingulis Gręcorum Epiſcopis, qui eum ἀρχιερέα in Miſſarum celebratione appellant. Anno Domini 1140. qua ætate viuebat Bernardus Abbas ille Clareuallenſis Arnoldus Brixianus vir eloquens & Monachus aduerſus illum Papæ primatum & tyrannidem toto vitę tempore fortiter A declamauit, vt ſcribit Sigonius libr. 11. de Regno Italico, cuius etiam ab ipſo Bernardo mentio facta eſt epiſt. 195. quem, vt hęreticum, Innocent. ſecundus Pontifex Rom. Romanæ ſæuitiæ iam cunctis applaudentibus, propterea damnauit. Ergo per ſingulas ætates factum eſt, vt apertè huic poteſtati etiam Synodis collectis reclamaretur, donec tandem (quod à Dei Spiritu prædictum erat) Antichriſtus & ipſius doctrina peruicit, &, Domino contemptum ſui nominis vlciſcente, regnauit, omnibus quidem ſilentibus & ſeſe illi miſerè demiſſéque ſubmittentibus: id quod magno totius orbis Chriſtiani factum eſt damno, donec Iohannes VViclef exortus & à Deo excitatus in Anglia eſt, qui ſe illi conſtanter opponeret, qui primus illius neruos magno ictu conſcidit. Poſt quem Iohannes Hus & Hieronymus Pragenſis ſummo Dei munere in Mundo nati, duo illi filij Oliuæ, de quibus eſt Apoc. 11. Deinde M. Lutherus, poſtea Ioannes Caluinus, & alij, Dei Spiritu armati viri animoſè & heroico pectore ſeſe huic doctrinę & poteſtati obiecerunt, B quam magna ex parte Dei gratia iam concuſſerunt & diſiecerunt, quanquam illa ſe tamen tuetur ficulneis armis, quantum poteſt.

CAP. XXVII.

De Antichriſtiani regni exitio & interitu, qui ſolo Spiritus Dei ore, non autem vllis quinta, vel ſextæ, vel ſeptimæ alicuius Monarchiæ, quæ reſtet nobis ſperanda & excitanda, viribus & potentia futurus eſt.

SExtum autẽ diſputationis huius de Antichriſto caput ad conſolationem Eccleſiæ iã pertinet. Explicat enim illius interitum & exitium. Hoc certè omnino neceſſe fuit, vt adderetur, ne pij homines labaſcerent animúmque deſponderent, dum & tam immenſum fore hoc Antichriſti regnum & per multas ætates duraturum intelligunt. Sed iam euertendum tandem & prorſus tollendum eſſe ex eodem Dei Spiritu læti audiunt. Ergo ſi quæritur, Quid ſit iſti apoſtaſiæ & infœlici Antichriſti regno euenturum, Reſpondet Paulus, C Tolletur funditus. Si verò quæritur, Quomodo? quáue ratione? Reſpondet idem, Spiritu oris Dei. Denique ſi quæritur, Quando tandem, quóue tempore id fiet? Reſpondet ad illud quoque Paulus, Quum erit aduentus ille illuſtris Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Itaque hæc tria, vnum hoc caput & diſtinctè quidem continet. Ac certè tollendum eſſe aliquãdo impiiſſimum illud Antichriſti regnum, ídque prorſus & funditus, tum ipſa ratio docet, tum veneranda nobis ſacræ Scripturæ authoritas. Ratio, quòd quum Chriſti & Antichriſti regnum ſimul eſſe non poſſint, (ſunt enim res inter ſe prorſus pugnantes & contrariæ) Chriſto autem regnum & liberum & æternũ ſit à Deo promiſſum: omnino Antichriſti regnũ, quod illi obſtabat, tolli neceſſe eſt. Aliâs enim nunquam in omnia liberè regnabit Chriſtus. Perpetuum autem ſiue æternum in omnia regnum Chriſto promiſſum eſſe probãt hi loci Pſa. 2. 8. Dan. 7. v. 14. 27. & 2. v. 44. Luc. 1. 33. Iſta verò vniuerſalis apoſtaſia inter præcipuos Chriſti, ipſiúſque regni hoſtes, quos ipſe tandem deleturus eſſe dicitur, enumeratur 1. Corinth. 15.

Quam-

A Quamobrem eam aliquãdo deleri neceſſe eſt. Authoritas autem Scripturæ perſpicua eſt hæc,quòd vetuſtiſſima Prophetarum Dei vaticinia docent euertendum eſſe Antichriſti regnum. Daniel 7. 27.Apoc.19.20.Denique ſub typo Antiochi illius illuſtris, ſiue nobilis (qui pro Antichriſti figura nobis proponitur)idem oſtenditur Daniel.8.v.23. 24.& ſequentibus.

Ergo conſolemur nos ipſos & rectè ſperemus, ſtrenuéque in hac pro regno Chriſti lucta perſeueremus, quando ex ipſius Dei ore futurum intelligimus,vt tandẽ vincat Euangelij veritas, vincat Chriſtus:denique vt Antichriſti regnum ſubuertatur.Multis quidem fulcimentis illud nititur, multis viribus defenditnr,& videtur infinitæ plane molis & operis eſſe Romanam euertere gentẽ:ſed quis Dei voluntati & decreto reſiſtet?Quis quominus impleatur,obſtabit?quum apertiſſimæ de huius regni euerſione prophetiæ extent. Ergo non tantùm id fore ſperandum eſt ex ea generali regula,quæ eſt Iſ.60.12.Omne regnum & omnis gens quæ mihi non ſeruiet,peribit:ſed multo magis ex hac Pauli particulari prophetia ita ſtatuendum nobis eſt.

B Cæterum ex hoc ipſo loco Manichæorum delirium refutatur,qui principium illud,quod ſe vero Deo & Chriſto opponit, perpetuum fore dixerunt.Secundo verò loco videndum eſt,qua ratione hoc tam potens támque latè patens Antichriſti regnum tandem tolletur. Reſpondet autẽ Paulus,Spiritu oris Dei:ergo planè diuerſo(quàm homines opinentur,quanque cætera regna euerti ſoleant)modo,hoc diſperdi neceſſe eſt.Hac enim περιγραφῇ verbum Dei deſcribit Paulus cum vera intelligentia,ſuáque efficacia coniunctum. Ratio verò huius tam admirabilis ſententiæ certè multiplex afferri poteſt.Primùm,quòd quemadmodũ Antichriſti regnum (quod eſt mera à fide Chriſtiana apoſtaſia)fuco & corruptela verbi Dei ſeſe erexit & tuetur, ita per idem Dei verbum fideliter & ſyncerè explicatum delendum eſt. Deinde, quum ſit iſte rerum ſtatus tenebrarum & ignorãtiæ regnũ,lumine & cognitione verbi Dei,ipſiúſque veritate illucente deiici neceſſe eſt. Vti enim C Solis præſentia tenebræ fugantur, die accedente nox perit : ita Chriſti doctrina radiante & prodeunte,Antichriſti & regnum & doctrina agnoſcetur,atque tota abolebitur. Denique nullius alterius regni poſt Chriſti Euangelium propagatũ erigendi facta vſquam apud Danielem mẽtio eſt. 2.44.& 7.27.& 11.48.Quatuor enim tantùm Monarchiarum Daniel meminit, poſt quas regnum ſanctorum futurum,ídque perpetuum,promittitur.Atque ita quis futurus ſit mundi huius ſtatus ad extremum vſque iudicium oſtenſum eſt.Nullius autem alterius futuræ Monarchiæ meminit Dei Spiritus,quę Antichriſtum,ipſiúſque regnum perderet. Ergo oportet hanc quintam, nempe Chriſti,in perpetuum perſtare. Regnum autem Chriſti, verbi Dei prædicatione conſtituitur & agit potentiſſimè. His igitur armis, atque hoc modo à Chriſto regnum Antichriſti euertetur. Eodem autem modo,quo hîc Dei verbum Spiritus oris Dei nominatur,apud Iſa.11.4. Verbũ Dei efficaciter agens appellatur Spiritus labiorũ Dei, quòd nuda ipſius verbi enuntiatio ſit ipſa per ſe & ſine Spiritu Dei planè inefficax.Itaque vni Deo A tribuendum eſt quicquid in nobis prædicatio diuini verbi efficit & operatur. Cur autem quinta quædam Monarchia poſt quartam excitari nõ debeat,non ea quidem ratio eſt, quam tamen quidam,tanquam veriſſimam afferunt, quòd in hac extrema Mundi & effœta ſenecta nulla iam tanta potentia,tantáque vis hominum naſci & excitari poſſit,quæ Monarchiam ſtabiliat. Ad eam enim erigendam magnis hominum viribus, & ad retinendam magna prudẽtia eſſet opus:quæ duo huic mundo iam ſeni & decrepito,plane deſunt. Verſatur enim, in poſtrema iam & exhauſta ætate. hoc quidem illi.quibus vt ipſe reſpondeam, hoc quæro:nonne Deo tam facile nũc eſt excitare homines corpore manúqne ſtrenuos,& conſilio valentes,quàm olim fuit,quum veteres erexit Monarchias?Cur enim,ſi vellet,idem iam non poſſet qui eſt tum per ſe omnipotens,tum verò ſibi ſemper æqualis?Quid igitur obſtat?Nimirum, quòd hanc tantam victoriam ſola vi verbi ſui & Euangelij prædicatione comparari vult Dominus, vt ea ratione nobis doctrinam ſuam commendet,infinitámque eius vim & dignitatem oſtendat,quã homines tamen vulgò ſpernunt & contemnunt. B Atque hanc noſtram ſententiam confirmat locus Apoc.19.21.vbi Angelus homines & pſeudoprophetam ipſum principem huius tam damnabilis ſtatus occiſum iri gladio oris Dei prædicit. Gladius autem oris Dei eſt proculdubiò efficacia, & vis ipſius verbi Dei. Id quod tum ex epiſtola ad Hebręos 4.21.facilè perſpicitur, tum ex alio Scripturæ loco,qui eſt Apoc.19.15.& 2.16.Idẽ quoque docetur Hierem.1.18. Eodem etiam pertinet, quod Pſalm.149.6. ſcriptum eſt ſanctos in manu gladium ancipitem habituros eſſe,id eſt, Dei ſermonem efficacem,ad malos nimirum perdendos & euertendos.

CAP XXVIII.

Quid ſignificent decem illi reges,qui meretricem illiúſque carnes deuoraturi atque igne crematuri in Apocalypſi dicuntur.

OBiicitur autem nobis locus Apo.17.16. obſcuriſſimus qui,ne faceſſat negotium,eſt & C proponendus, & explicandus. Sic igitur habet,

Et decem cornua,qua vidiſti in Beſtia, hi odio perſequentur meretricem,& ſolam reddent illam & nudã, & carnes eius comedent,& ipſam igne exurent.

Id autem, quia fieri verbi ipſius efficacia non eſt intelligendum,ſed planè armis & gladiis carnalibus, Pauli ſententiam oppugnat in ſpeciem. Quid igitur? Sanè locum illum minimè ad eam Beſtiam, quæ Antichriſtum nobis repræſentat, pertinere:ſed ad illam,quæ Romanum Imperium Italicum, quod euertendum eſſe in Italia per decem reges denuntiatur,referendum eſſe ſatis quilibet per ſe iam intelligit. Atque hæc interpretatio veriſſimè cum rerum geſtarum euentu & hiſtoria congruit, Vnde huius prophetiæ implementum maximè, & explicatio ſemper nobis petenda eſt. Nam ſi ſpectemus qui verè & potiſſimum Romanum imperium in Italia prorſus euerterint, ij certè fuerunt illi Reges numero decem, quos hic commemorat Iohannes : etſi non continua ſerie illi ſibi ſucceſſerunt,ſed tamen

A In Italiam omnes & irruperunt & regnarũt. Rhadagaſius quidem fuit primus, qui Gothorum rex creatus anno Domini 409. tentauit Italiam ſub Honorio Imperatore cum 200000. Gothorum, ſed infeliciter. Victus enim à Stilicone Honorij duce, captúſque ad vrbem Feſſulas ab eo ſtrangulatus eſt. Itaque hic Rhadagaſius non numeratur inter hos decem reges, qui Romani imperij dignitatem in Italia euerterunt, quum eius irruptio nihil neque Italiæ, neque Romano imperio nocuerit, præterquam quod aliis, exemplo ſuo, aditum & viam in Italiam patefecit, animóſque ad id intrepidè audendum addidit. Ergo hi decem reges, de quibus in Apocalypſi facta mentio eſt, ſequuntur.

I Alaricus, is enim eſt primus ex iis decem regibus, & Gothus quidem, qui Romanum imperium & Romam ipſam in Italia iam delere cœperunt. Vixit autem ſub Honorio Imperatore, ſucceſſitque Rhadagaſio ab eius exercitus reliquiis in Regem electus. Hic Romam & primus quidem omnium barbarorum ducum poſt Gallos Senonas, & poſt Imperatores in ea conſtitutos B cepit, anno Chriſti 414. anno imperij Honorij 18. quinquennio poſt Rhadagaſij mortem. Vrbem tamen ipſe neque deleuit, neque in fideles & pios homines magnoperè ſæuiit.

II. Adeulphus ſecundus eſt, qui & ipſe Gothorum rex Romam tenuit, atque in eam primus ſæuiit, ſed Placidiæ ſororis Honorij precibus & interceſſione delinitus, eam funditus, quemadmodum apud ſe decreuerat, tamen non deleuit. Vixit ſub Honorio.

III. Genſericus Vandalorum rex. Hic ab Eudoxia Valentiniani tertij vxore ex Africa accerſitus in Italiam, Romam cepit anno Domini 459. anno Martiani Imp. VI. Hic iam eſt tertius ex illis decem regibus, qui nefandam illam meretricem ex Dei decreto igne concremarunt. Attila quidem incidit in ea tempora, qui quanquam res magnas geſſit, multúmque Romanum imperium afflixit, id tamen in prouinciis, non in ipſa Italia fecit. Nam quum ſecundo Imperatoris Martiani anno Italiam inuaderet, capta iam Aquileia, quum C Romam videretur acceſſurus, obuiam illi profectus eſt Leo I. Romanus Pontifex, & pars Romani Senatus, qui quum obnixè ab eo peterent, vt parceret vrbi Romæ, eorum ille precibus motus exercitum in Pannoniam, Italia non vlterius tentata, reduxit. Itaque hic Attila minimè eſt inter decem illos reges, qui Beſtiæ, id eſt, Romani imperij carnes deuorarunt, vrbémque ipſam igne cremarunt, numerandus.

IIII. Odoacer ſequitur, qui eſt ex illis decem quartus, ſub Leone primo Imperatore. Hic Odoacer Rugianus fuit, & Romam ingreſſus ſe regem Italiæ, non autem Imperatorem primus appellauit: Italicos Imperatores omnes aboleuit. Diripuit Romam per 14. annos, adeò vt poſt Auguſtulum ab eo deiectum nemo Italicus Imperator amplius dictus ſit.

V. Theodericus Gothorum rex, à Zenone Imperatore accerſitus in Italiam contra Odoacrum, tenuit imperium Romanum in Italia per 30. annos, qui vt Romam contemnere cenſeretur, habuit imperij ſui ſedem Rauennæ. Hic eſt quintus.

VI. Athalaricus qui ſucceſſit Theodorico patri, A ſub Anaſtaſio Imperatore. Cœperat enim iam Gothorum Imperium in Italia continua quadam regum ſucceſſione perſtare, atque ſub hoc Athalarico, Gothi Romani imperij dignitatem in Italia delere continuarunt.

VII. Theodatus ſeptimus, & ipſe Gothorum rex, qui Athalarico ſucceſſit in Italia.

VIII. Vitiges Octauus Gothorum rex poſt Theodatum, qui totam penè Italiam vaſtauit, Romam ipſam obſidione cinxit, quæ ſe fiducia ducũ & Imperatorum Conſtantinopolitanorum à Gothorum imperio auerterat, deſciuerátque. Hic omnia antiquorum Romanorum iura, inſtituta, & veteres familias, quæ reſtabant in Italia, prorſus extinxit & aboleuit, quemadmodum ſcribit Sabellicus. Viuit ſub Iuſtino primo.

IX. Totilas rex Gothorum ſucceſſit Vitigi, & hic nonus eſt ex iis decem. Vixit ſub Iuſtiniano primo imperatore Conſtãtinopolitano. Hic Romam, & obſedit, & cepit, & funditut deleuit. Denique, vt à Dei Spiritu prędictum fuerat, igne cremauit. Graſſatum autem eſt hoc incendium per 40. dies continuos, vt omnino tunc deleta Roma, B cenſeretur verè Geddon Harma, vt eſt in Apocalypſi, id eſt, tantùm rudera, & plena euerſio nobilis illius vrbis & antiquæ. Nam manſit locus tãtùm ruinoſus. Hoc autem accidit anno Domini 546. Durauit ea plaga, quemadmodũ eſt in Apocalypſi 13.5. per menſes 42. id eſt, tres annos & ſemeſtre. Nam tribus demum annis poſt ita incenſam & prorſus euerſam à Totila Romam, Beliſarius Dux Iuſtiniani primùm cœpit eã inſtaurare, & rudera eius aliquot colligere, & tandem mœnibus locum ipſum, vbi olim Roma fuerat condita, cingere, quæ ſunt illa ipſa mœnia, quibus nunc Roma, quæ dicitur Vetus, ornata eſt.

X. Teias & ipſe Gothorum rex eſt decimus, qui Totilæ ſucceſſit in regnum, & pauco tempore Italiam vexauit, vaſtauítque quando neque amplùs Roma illa antiqua erat, neque vllum Romani imperij veſtigium in Italia ipſa reſtabat. Hic à Baliſario captus Conſtantinopolim deductus eſt. C

Hæc autem omnia, ſi ab Alarico incipimus numerare, geſta ſunt per annos plus minus 132. ſin autem, vt alij volunt, ab Odoacro per annos ſexaginta & amplius.

Quibus ſic explicatis, iam intelligitur Deum non eſſe armis (vt loquitur Scriptura) carnalibus, ſed ſpiritualibus Antichriſti regnum euerſurum, nec gladio ferreo, ſed Spiritu oris ſui dimicaturum. Aliæ quidem Monarchiæ terrenæ & humanæ, armis terrenis & carnalibus vſæ ſunt, & ad ſeipſas erigendas, & ad alias tollendas. Sic Perſæ Aſſyrios armis & bello perdiderunt. Sic Macedones Perſarum imperium deleuerunt. Sic Romani ipſos Macedonas domuerunt. At Dominus, qui vi verbi ſui mundum hunc conſtruxit & condidit, qui eundem verbo ſuo ſuſtentat & regit, qui per verbi ſui prædicationem regnare vult in Eccleſia, qui denique regnum dedit Chriſto ſpirituale, non terrenum, vtetur ad ſuos inimicos tollendos ſpirituali gladio, & verbi ſui efficaci prædicatione, quemadmodum quoque eſt Zach. 4.6. Eſa. 9.5. Præclara enim Lactantij eſt ſententia,

& vera

A & vera etiam cenſenda lib.5.cap.19. Recta igitur ratio eſt,vt religionem patientia,vel morte defendas, in qua fides conſeruata & ipſi Deo grata eſt, & religioni addit authoritatem.

Nec certè obſtat quod dicitur Pſal.2.9. Chriſtum habiturum virgam ferream qua frangat hoſtes ſuos. Nam tribuit quidem ille locus Chriſto tantam vim, tantámque potentiam, cui ab obſtinatiſſimis & potentiſſimis hoſtibus reſiſti nõ poſſit: propriè autem neque modum explicat,neque inſtrumẽtum,per quod Eccleſiæ hoſtes deſtruentur. Potius enim id fiet verbo Dei, quàm armis. Arma enim Chriſtianorum & Eccleſiæ ſunt ſpiritualia,quemadmodum ait Paulus 2.Corinth.10. Apoc.19.15,non autem carnalia.

Cap. XXIX.

Vtrum Chriſtianis & Euangelicis aduerſus Papiſtas bellum ſuſcipere pro extirpando Antichriſti regno eiúſque doctrina liceat.

B NEque tamen propterea cenſendum eſt armorum vſum ab Euãgelio prorſus damnari, quemadmodum quidam ſentiunt inter quos Tertullianus in libro de Idololatria,& Apologetico Lact.lib.5.cap.22. & cap.19, recenſent. Hoc quidem Marcionitæ exiſtimarunt, & eundem hũc errorem hodie renouarunt Anabaptiſtæ quidam: ſed modò ea ſit perſona, quæ debeat, armis vti licet. Is autem eſt magiſtratus,vti Rom.13.Luc.3.14. apparet. Sed differentia nunc oſtenditur quæ inter Regnum Chriſti, & Regna terrena futura erat. Regnum enim Chriſti,vti natura ſua ſpirituale eſt, ſic armis ſpiritualibus vtitur, qualis eſt ſermo Dei, Spiritus efficacia,& lux veritatis. Regna verò politica & terrena, quum ad huius vitæ commoditatem & rationem pertineant, ſintque conſtituta armis terrenis & mundanis (concedente Deo,atque etiam ſæpe iubente)ſe tuentur. Atque ex eo iam incidit in hunc locum vtilis illa & nobilis quæſtio,quæ tam ſępe vexata eſt, Vtrum cuipiam vnquam pro tuenda Chriſti doctrina con- C tra Papiſtas (qui certè quidem ſunt ſtatus & regnum Antichriſti) arma ſumere, gladiúmque diſtringere licuerit, atque his vti armis, quæ carnalia vocantur,quod & in Germania,& in Anglia,& in Scotia, & in Flandria, & in Gallia factum legimus, fitque adhũc. Augetur ſanè hæc dubitatio, fitque maior, quod Conſtãtinus ille Magnus iam verè Chriſtianus factus ex omnium Chriſtianorum Epiſcoporum conſilio & aſſenſu bellum aduerſus Licinium collegam propter religionem,id eſt, vt Chriſtianos, quos ille infenſè perſequebatur,tueretur & liberaret,mouerit. Illi enim cogebantur à Licinio ſacrificare contra conſcientiam idolis. In quo iam non ago equidem de perſonis ipſis: Vtrum potuerit Conſtantinus contra Licinium imperij collegam bellum gerere. Potuiſſe enim nemo eſt, vt opinor, qui dubitet, quum & ipſe eſſet ſummus Magiſtratus, vti Licinius:& par pari ſubditus non ſit.Sed de ipſa potius belli cauſa nunc diſputo,Vtrum propter religionem Chriſtianam à perſequutione liberandam, & propter tollendam idololatriam bellum gerere & ſuſcipere debuerit Conſtantinus.Hęc autem perplexa eſt A quæſtio:turbat enim ſæpe maximè (propter hunc Pauli locum, Deſtruet Dominus Antichriſtum Spiritu oris ſui) hominum conſcientias, quæ vt explicetur, hæc primùm nobis diſtinctio eſt afferenda:

Cauſarum, propter quas aliquid fit & ſuſcipitur, non eſt omnium idem momentum, ratio, & gradus. Aliæ enim ſunt Propriæ,aliæ Accidentales. Propriam cauſam dico eam, cui præſertim & potiſſimum noſtri conſilij factíque ratio innititur,quæque à nobis vel ſola ſpectatur, quanquam aliud nihil huic eſſet adiunctum: veluti quum quis famelicus edit,cauſa edendi eſt ipſa fames. Accidentalis autem cauſa eſt ea,quæ concurrit quidem & incidit cum propria,ſed non neceſſarió. Itaque à nobis non proponitur animo præcipué. Nam ſi deſit, faceremus tamen: veluti etſi deſint lautitiæ, ederet tamen famelicus. Ex hac igitur diſtinctione, ſi retinetur, facilis iam eſt & plana ſuperioris quæſtionis ſolutio. Nam qui bellum gerit aduerſus Papiſtas aut alios idololatras, aut etiam Turcas vel hæreticos, id facit vel ipſius eorum ſuperſtitionis & erroris tollendi gratia,propriè & pręcipuè: Vel non: ſed quum aliæ belli cauſæ,& qui- B dem iuſtæ, præceſſerunt, quas ipſe tanquam Magiſtratus habet & intuetur, accidit tamen, vt ſint Papiſtæ, idololatræ,aut Turcæ,aut hæretici ij,contra quos ipſe belligeratur. Non rectè ſanè quæritur hæreſeos vel erroris euerſio in armis. Nec enim ex euentu belli pendere debet doctrinæ Chriſtianæ certitudo. Itaque neque Chriſtus ipſe, neque Apoſtoli arma contra eos ſumenda docent, qui ſunt à fide Chriſtiana alieni, tanquam hæc ſit legitima erroris tollendi ratio. Nam quæ armorum metu fit religionis ſuſceptio,vel propagatio, illa Mahumetana potius, quàm Chriſtiana certè dicenda eſt. Sed quum aliunde iuſtæ belli cauſæ afferuntur ab iis, qui ſunt fidei Chriſtianæ hoſtes, veluti ſi à Papiſtis vel Turcis iuris publici facta fuerit violatio, tunc accidit vt Religionis Chriſtianæ propugnatio & tutela, cum iuris publici defenſione coniuncta aduerſus Papiſtas vel Turcas homines à fide Chriſti alienos ſit ſuſcipienda: non quidem quatenus illi à fide noſtra diſſentiũt, C ſed quatenus publicæ pacis & tranquillitatis perturbatores ſunt.Atque ea ratione fit, vt tunc contra eos rectè ſumantur arma,qui ſunt à vera fide alieni, non quidem quatenus ſunt vel hæretici vel idololatræ, vel etiam Papiſtæ: ſed quatenus moris maiorum,legúmque publicarum ſunt ſeditioſi infractores & publici perduelles. Atque hæc veriſſima quidem eſt & diſtinctio & ſententia. Quod autem ad Conſtantinum Magnum pertinet, & ad illud bellum, quod ab eo cum Licinio geſtum eſt, illud quidem eſt certiſſimum, certa quædem inter Conſtantinum Magnũ Chriſtianum, & Licinium hominem Ethnicũ primum inita pro tuenda communis imperij pace & tranquillitate fœdera, eáque fuiſſe ex vtriuſque conſenſu ſancita & confirmata: vt docet Euſebius in vita Conſtãtini Magni.Quæ quia primus Licinius violauit, dum cõtra fœdera perſequitur Chriſtianos,iure bellum aduerſus eum ſuſceptum eſſe,dubitari non poteſt. Eorum enim fœderum primum & præcipuum caput hoc erat, vt Chriſtiani in toto Romano imperio liberè Religionem ſuã profiteri poſſent, pro legitimo collegio eorum

A cœtus haberentur, & nequam, propter Chriſti fidem, in eos vel Conſtantinus vel Licinius ipſe moueret perſequutionē. Hoc igitur primum fœderis & communis pacis caput & pactum, quum eſſet à Licinio perfidè poſtea ruptum & violatū, meritò & iure mouit in eum Conſtantinus: non quidem in eum tanquam regem idololatram, nec ad illius de Chriſto errorem tollendum: ſed vt fœdera illa publica & publicę imperij leges & cōditiones vtriuſque conſenſu ſancitæ ſartæ tectæ conſeruarentur, quia neutri eas violare licebat. Idē eſt à cæteris quoq; populis, qui pro Chriſtiana Religione bellum geſſiſſe dicuntur, factitatum. Pacta enim & leges publicæ pro totius regni incolumitate & pace ipſorum populorum conſenſu prius interceſſerunt: ſuntque promulgatæ, per quas diſertè cautum erat, vt ne Chriſtiana Religio offenderetur, arceretur, impediretur, néve quis ob eam cauſam quicquam damni vel iniuriæ pateretur à quoquam. Quod legum & fœderum caput quum à Papiſtis poſtea non eſſet obſeruatum, ſed populariter violatum: infœlicia illa B bella, quæ funeſtiſſima dicuntur & ciuilia, excitata ſunt, iuréque Papiſtas armis perſequi licuit. Ex iis autem omnibus intelligitur, meritò & iure illas Papiſtarum, quas vocant, cruciadas, quæ ſunt ſolius Religionis eorum nomine bella ſuſcepta, & damnandas & deteſtandas eſſe. Id quod etiam præclarè & ſenſit & ſcripſit M.Lutherus.

CAP. XXX.

Antichriſtianum regnum extremo demum Chriſti aduentu funditus tollendum eſſe.

SEd ad Paulum, & euerſionem Antichriſti regni, vnde noſtra digreſſa eſt oratio, redeamus. Addit igitur (de eadem infœlicis ſtatus extirpatione agens) Paulus, Et illuſtri ſuo, id eſt, Chriſti aduentu. Hæc verò verba, quid ſignificent anxiè quæſitum eſt. Alij enim patefactionem Euangelij his verbis ſignificari putant, quia tūc Dominus noſter Ieſus Chriſtus inſigniter apparet, C quum eius Euangelium & doctrina annuntiatur. Vnde ex eorum ſententia, aduentus Chriſti eſt, quotieſcunque eius regnum per verbi prædicationem manifeſtatur & illuceſcit. Alij hîc παρουσίαν & aduentum Domini aliter accipiunt, qua ratione paſſim apud eundem Paulum exaudiri ſolet, pro extremo illo Chriſti aduentu, de quo in Symbolo facta mentio eſt, & quo ſignificato 1. Theſſ. 2.19.& 3.13. accipitur: adeò vt de vltima tantùm Chriſti apparitione, non autem de Euangelij prędicatione hunc locum intelligant. Et certè hæc poſterior ſententia verior mihi videri ſolet. Confirmatur enim ſimili ratione dicendi, quæ apud eundem Paulum Tit.3.14.extat. Deinde ab ipſo epitheto & differentia, quam nominatim Paulus adiunxit. Nec enim hîc de quolibet Chriſti aduētu ad nos, ſed de illo tantùm illuſtri & glorioſo agit, de quo meminit Scriptura, qui tunc futurus eſt, quum Chriſtus nimirum apparebit viuorum & mortuorum iudex, & verè Rex, & omnium Dominus. Qui aduentus propterea dicitur & illuſtris & glorioſus, & dies Domini, & aduentus de cœlis.1.Theſſ.1.10.& 1.Cor.1.8. Denique hęc eadē ſententia ipſo rerum euentu, qui iuſtus eſt huius A prophetiæ interpres, defenditur. Nam ſi ſtatim ab ipſa Euāgelij coruſcatione & prædicatione euerti & planè ſubrui regnum Antichriſti dixerimus, falſa erit prophetia. Iampridem enim Euangelium prædicatur, nec dum tamen prorſus Antichriſti regnum periiſſe videmus, imò floret, vigétque adhuc. Quòd ſi hæc verba de vltimo Chriſti aduentu intellexerimus, ſanè veriſſima apparebit hæc prophetia. Nam vel tunc ſaltem Antichriſti tyrannis & potentia prorſus, penitúſque abolebitur. Atque hoc ipſum nobiſcū ſenſit Auguſtinus lib.18.de Ciuit.Dei.cap. 4. qui Antichriſtum ab ipſo Domino præſente confundendum eſſe extremo demum iudicio ait. Neque tamen diffiteor, quantò purius quantóque magis Dei verbum prædicatur, tanto celerius Antichriſtum diminui & de ſuo gradu deiici. Sed hîc agit Paulus de tota illius ſubuerſione & ruina, non autem de quadā tantùm illius labefactatione & concuſſione.

B

CAP. XXXI.

Antichriſtianum regnum per partes non autem ſimul, vnóque temporis momento frangendum, & diſiiciendum eſſe.

EX ſuperioribus autem omnibus hæc tria iam à nobis colliguntur: Primùm Antichriſti regnum per momenta, non autem ſemel & ſimul, nec, vt loquuntur, vno temporis articulo eſſe diſiiciendum. Vti enim imperium Romanum, cuius imago eſt, per momenta, quemadmodum docuimus deletum eſt, vt docetur id ipſum Daniel.3.44.ſic ipſam illius imaginem frangi paulatim oportuit. Atque hoc ita fieri vult idcirco Dominus, ne ſi vno ſtatim momento proſterneretur, nimius quidam terror & ſtupor iniiceretur hominibus, propter quem neque ſatis ad tātum Dei opus attenderent, neque tam facilè iſta Dei manu, & vi verbi ipſius fieri animaduerterent, quàm nunc intelligunt, quum hæc paulatim eueniunt, atque cum qua ratione eueniant ipſi poſſunt obſeruare. C Hoc primum eſt.

CAP. XXXII.

Nullam Chriſtianæ Religionis labem Antichriſtiano regno prædici ſucceſſuram.

SEcundo verò loco illud eſt annotandum, Regnum Antichriſti vſque ad finem mundi perſtiturum, duraturúmque eſſe, ſi non quidem tam florens, potēs, & inſigne, quàm vel olim fuit, vel nunc eſt, futurum nihilominus tamen. Quum enim dicat Paulus illuſtri demum & vltimo Chriſti aduentu illud excutiendum eſſe, certè à contrario colligi mihi videtur, & rectè quidem, poſſe, regnandi locum Antichriſto ad illud vſque extremum mundi tempus à Deo datum eſſe. Multi quidem præſagiunt neſcio quem alterum Religionis morbum & ſtatum in mundo, & aliam Religionis Chriſtianæ corruptelam, ſed diuerſam & aliam tamen, quàm eſt hodie Papatus. Papatum autem deſiturum eſſe animo fingunt, cui noua quædam apoſtaſia, A ſed alterius generis ſit ſucceſſura. Quod mihi non placet.Quanquam enim per partes & tãquam per fruſta & prouincias diruenda ſit hæc Tyrannis, aliqua tamen ſemper Papiſtici ſtatus forma & veſtigium extabit in mundo, vt ex hoc Pauli dicto colligi facilè mihi videtur poſſe & debere. Confirmatur autem hæc noſtra ſententia apertiſſimo quodam (quod ex Apocalypſi ductum eſt) argumento. Poſtquam enim cap.19.verſ.20.& capite 21.verſu 10. vaticinatus eſt Ioannes de apprehenſa Beſtia & coniecta in ſtagnum ignis: item de Pſeudopropheta occiſo (quæ duo Antichriſti regnum perſpicuè deſignant) ſtatim fit vltimæ reſurrectionis mentio. Quare nec Angelus vllus, nec plaga vlla dicitur, huic mundo, poſt occiſum Pſeudoprophetam, id eſt, poſt Antichriſtianum regnum euerſum, reſtare, quæ expectetur, ſed ſola vel vita vel mors æterna ſuperfutura.

CAP XXXIII.

Vtrum præter quartam Monarchiam & Romanam vlla alia terrena quinta adhuc reſtet erigenda. Explicatus Danielis obſcuriſſimus locus. B

TErtio denique loco, quod ex ſuperiore diſputatione nobis etiam videtur colligẽdum, eſt,huiuſmodi, nullã amplius Monarchiam in mundo reſtare excitandam, poſtquam Romana, & hęc ipſius imago, id eſt Romanus Antichriſtus perierit. Atque ſic intelligi poteſt quicquid à principio Monarchiarum vſque ad finem mundi futurum & euenturum erat Danieli prædictum fuiſſe cap. 11 Itaque poſt ea,quæ illo cap. 11. explicata ſunt, ſtatim vltimæ reſurrectionis non tantùm mentio fit, ſed eius etiam ſtatus ad piorum conſolationem deſcribitur, capite 12.

Neque propterea tamen fideles in oppugnando Antichriſti regno tardiores eſſe decet, quaſi ſit irritus & inutilis futurus eorum labor. Imò verò fœliciter ſuccedet, & per partes deiicient, quod vno temporis momento, vnóque ictu Dominus ipſe cadere non vult.Atterunt igitur, defringunt, decerpunt: denique ſemper aliquid de regno C Antichriſti diminuunt,qui Chriſti Euangelium verè vel prædicant,vel amplectuntur. Sed huic noſtræ poſtremæ ſententiæ & corollario obiici poſſe videtur,quod eſt Daniel.11.40.& ſequentibus, qui ſic habent,

40 *In tempore autem finis cornupetet illum Rex Auſtri, & inſtar turbinis veniet contra eum Rex Aquilonis cum curribus & equitibus & nauibus multis:ingredietúrque terras,& innundabit & tranſibit,*

41 *Veniet etiam in terram deſiderabilem,& multi corruent: iſti autem euadent de manu eius, Edom & Moab,& primitiæ filiorum Ammon.*

42 *Mittet quoque manum ſuam in terras,& terra Myſraim non erit in euaſionem.*

43 *Sed dominabitur theſauris auri & argenti, omnibúſque concupiſcibilibus Myſraim, & Lubim & Chuſim in greſſibus eius erunt.*

44 *Rumores autem terrebunt eum ab Oriente & ab Aquilone, egredietúrque è loco ſuo cum ira magna, vt perdat & interficiat multos.*

45 *Et plantabit tabernacula palatij ſui inter maria in monte inclyto ſanctitatis,& veniet vſque ad ſummitatem eius,& non erit adiutor ei.* A

Hoc Danielis dictũ,ſiquod aliud, eſt ſanè obſcuriſſimum.Vnde factum eſt,vt in diuerſas inter ſe ſententias ierint interpretes.Nam ſic alij hunc locum explicant,vt referant ad Tigranem & Mithridatem, qui in Romanum imperium irruperunt. Alij verò ad Antiochum pertinere malunt. Alij ad Pompeium Magnum & Iulium Cæſarem.Multa tamen omnibus iſtis interpretationibus obſtant. Qui proximè ſunt interpretati, ad Reges Aſiæ & Ægypti tantùm referunt, de quibus toto illo capite mentio eſt.Quam ſententiam & interpretationem vti minimè equidem reiicio: ita duo illa imperia futurarum, etiam poſt Chriſti aduentum, rerum typos & imagines fuiſſe Eccleſiæ ſtatuo.Itaque ſic ipſe ſentio: primùm quidem neque appellari neque promitti fore duo illa regna (de quibus poſtremis Daniel agit) Monarchias,ſed tãtùm regna: quæ quidem duo quicquid quartæ Monarchiæ, id eſt Romani imperij, in Meridie & Oriente reliquum erit,omnia euertent. B Ex illis autem regnis vel Regibus vnus à Meridie,vt ait Daniel, veniet: alter ab Aquilone, & hic Aquilonaris plus terroris huic Monarchiæ incutiet.Vterque tamẽ rex vel regnum nauibus curribus & equitibus id eſt terra maríque quartam Monarchiam & reliquias eius oppugnabit.Vterque etiam rex ſucceſſiuè quidem mittet manum ſuam, id eſt, ſibi ſubiiciet Ægyptum, theſauros auri & argenti ingentes poſſidebit. Denique Lybiam,id eſt,Cyrenaicam regionem, & Æthiopiam,id eſt Arabiam obtinebit. Hæc igitur communiter de vtroque illo regno à Daniele dici intelligo, non autem de ipſa quarta Monarchia & de regno Romanorum.Poſtea verſu 44. fit iſtorum duorum regnorum collatio inter ſe, & dicitur regnum Meridianum perturbandum eſſe à regno Aquilonari.i.ab Oriente.Ergo regnum Meridianum erit tempore prius, & Aquilonare poſterius. Figent autem tentoria inter duo maria & montem ſanctitatis,id eſt,verſus Iudæam, ſed tãdem exitium & finem ſum habebunt, nemóque C illis auxiliabitur. Hæc ita apud Danielem ſunt, quæ ſi accipimus, vt alij explicant de Pompeio & Cæſare ſunt obſcuriſsima & minimè rebus geſtis conſentanea. Vt autem nos explicanda ducimus, erunt facillima & congruent cum rerum euentu. Ac primùm iſta referri ad Romanos non poſſunt, qui prius potiti ſunt Lybia & Africa,quàm veniſſent in terram ſanctam, id eſt, Iudæam.Sic enim ex ſui ſeculi more vocat eam regionem, vt & vicinos populos, ſuis notíſque nominibus illo ſeculo,Ammonitas,& Moabitas,etſi de eo tempore vaticinatur, & quæ prædicit, tunc futura erant,quum neque Iudęa amplius terra deſiderij, neque Ammonitæ & Moabitæ his nominibus vocarentur.Quod notandum eſt,ne nos hæ appellationes perturbent, &, quæ illic Daniel prædicit,putemus accipienda & euentura eo tantùm tempore, quo & Iudæa Dei promiſſiones adhuc habebat,& Moabitæ hac appellatione noti erant, Loquitur igitur de iis regionibus, ſed eo modo & nomine, quo Iudæis,quibus ſcribebat, cognitæ tunc erant: tamen ea, quæ prædicit, A tunc futura erant, quum neque amplius Iudæa eſſet Dei requies, neque populi Dei domicilium. Quod demum factum eſt poſt publicatum Euangelium, & poſt Chriſti mortem.

Confirmat noſtram ſententiam, quòd vaticinatur de iis, quæ in tempore finis, id eſt, extrema mundi ætate futura erant, poſt quæ impleta nullũ amplius tempus fore prædicit Angelus in Apoca. 10.7. id eſt, poſt quæ nullum temporis ſpatium præfinitum à Dei Spiritu reſtat nobis expectandum. Nam poſt vocem ſeptimi Angeli myſterium Dei, quod extat apud Prophetas reuelatum (maximè autem hoc Danielis loco ſcilicet cap. 11. verſ. 40 & ſequentibus) eſt conſummandum. Atque ita accipio verba illa Danielis *In tempore finis*, ca. 11. verſ. 40. vt & cap. 12. verſ. 9. 1. poſtremo mundi tempore, & vltima ſenecta naſcentur hæc duo poſtrema regna, quæ deſcribit & deſignat, vnum à Meridie: alterum ab Oriente & Aquilone. Hæc autem duo euertent, vti dixi, quicquid erit reliquum quartæ Monarchiæ, id eſt, Romani imperij in Meridie & Orientali Septentrione: quod terra B maríque oppugnabunt. Coniungit quidem illa duo regna noua vno vocabulo, & ſimul Daniel, quia hiſtoriam à ſuo ſeculo remotiſſimam, & adhuc obſcuriſſimam breuiter perſtringit tantùm, quum tamen illa ſint à ſeſe & loco & tempore ſeparanda, quorum vnum prius exoriturum erat: alterum autem, vt ex ipſo textu apparet, poſterius. Atque hanc noſtram ſententiam veram eſſe, ex eo apparet, quòd poſtea comparãtur inter ſe hæc regna vt diſtincta & duo è quibus vnum ab altero euerſum iri oſtenditur, nempe Meridianum ab Oriẽte Aquilonari, quod etiam ipſum ſuum quoque finem poſtea habiturum eſt.

Demum quod ait Daniel v. 45. להר צבי קדש *montem optabilem*, locum deſignat, nempe Iudæam: vt Zach. 14. 4. Ergo maria illa duo, intra quæ palatiũ, tabernaculum, ſiue ſedem figent illa regna duo, deſcribuntur à Daniele, & dicuntur eſſe non maria quidem Occidentis, quale eſt mare Gallicum, vel Tyrrhenum, Adriaticum, vel Hiſpanicum, quia non ſpectant illa verſus Iudæam, ſed ſunt illa maria Orientis, id eſt, tota illa regio C quæ intra mare Syriacum ſiue Ægæũ, & mare rubrum ſita eſt. Illa enim maria duo ſuperiores regiones includunt, & verſus Iudæam ſpectant, vt ex Geographia quiuis intelliget. Denique dicitur Aſia & Syria tota illa regio, in qua oritura prædicit hæc duo regna Dominus, quæ Romanæ Monarchiæ reliquias conſument, & vnum quidem à Meridie, alterum ab Oriente Septentrionali. Sic enim quod ſingulari numero à Daniele dicitur communiter de vtroque iſto regno accipio. Euertent itaque illa duo quartam Monarchiam iis in locis, vbi tentoria ſua figent, & in ea mundi parte, quæ intra duo illa maria Ægęum nempe ſiue Syriacum, & rubrum ſiue Elaniticum cõtinetur verſus Meridiem, Orientem, & Septentrionem. Fuit autem operæpretium horum duorum regnorum ſitum deſignari, & addi de quibus maribus & pelagis intelligeretur hæc prophetia, quia & Roma ipſa intra duo maria ſita eſt, de qua tamen minimè eſt accipiendus ille Danielis locus, & variæ ſunt mundi regiones, quæ intra duo maria concluduntur, vt Græcia, vt Peloponneſus, Pontus & Aſia minor. Ne eſſet igitur anceps & A inexplicabile hoc dictum, deſcripſit ex regionibus vicinis & pelagis affuſis, totum horum regnorum ſitum. Deinde hæc ipſa geographia oſtendit, quibus in mundi plagis & locis fiet iſta euerſio ab iſtis duobus regibus, ſiue regnis tunc exorituris, non in Occidente quidem fiet iſta quartæ Monarchiæ euerſio, ſed in Meridie & Septentrione, qui ed Orientem eſt. Romana enim Monarchia (vti iam diximus) duo capita præcipua habuit, Orientale, ſiue Conſtantinopolitanũ, & Occidentale ſiue Italicum imperium. Vnde & imperatores ipſi ſic partiti ſunt inter ſe prouincias, vt alius in Oriente, alius in Occidente eſſet Imperator, ſedémque haberet. Sic etiam Scriptura diuidit Zachar. 14. 8. Imperij Romani pars & caput quod dictum eſt Oriẽtale, habuit quicquid Romana Monarchia in Meridianis regionibus, Oriẽtalibus & Scythicis ſiue Septẽtrionalibus ad Orientem vergentibus obtinebat. Occidentale ſiue Italicum imperium reliquas habebat prouincias. Hoc autem imperium Italicum euerſum eſt à Gothis & Vandalis, vti ſuprà docuimus, & longè quidem ante Orientalis imperii excidium, B fere pluſquam 600. annos. At ſub tempore finis rerum & poſtrema Mundi ætate & ſenecta inclinatum eſt Orientale ſiue Conſtantinopolitanum imperium, quod de Romana Monarchia reſtabat, à Sarracenis, & tandem euerſum à Turcis. Atque certè illi ſunt, mea quidem ſententia, hi duo reges, quorum vnus venit à Meridie, nempe Sarracenus, alter à Septentrionali Oriente, nimirum Turca, quos fore hoc loco Daniel prædixit. Et hę quidem duæ gentes Sarracenica & Turcica ſic in terras exundarunt, quemadmodum ait Daniel verſ. 40. vt conculcauerint quicquid erat reliquum quartæ Monarchiæ, id eſt, quicquid illi in Oriente & Septentrione, & Meridie reſtabat toto iampridem Occidente iam ab aliis euerſo: adeò vt in tota Aſia, Syria, Ponto, Ægypto, Romanæ maieſtatis imperij, & potentiæ, ne veſtigium quidem nunc appareat.

Huius autem quartæ Monarchiæ partis & imperij Orientalis potius, quàm Occidentalis exitium & ruinam à Daniele prædici Iudæis C Dominus voluit, quia gentes, quas Orientale caput Romanæ Monarchiæ continebat, notiores erant Iudæis, quàm Occidentales, quæ ſunt trans mare Syriacum & remotiſſimæ, neque illæ Iudæos tunc temporis afflixerant. Italici verò & Occidentalis imperij euerſio prædicta eſt in Apocalypſi apertiſſimè, adeò vt habeamus ex collocatione vtriuſque, Danielis nimirum & Apocalypſeos, quicquid ad imperij Romani, ſiue Orientalis & Conſtantinopolitani, ſiue Occidentalis & Italici excidium pertinet, & ad mundi huius ſtatum (qualis ſiue in Oriente, ſiue in Occidente vſque ad poſtremum & vltimum tempus futurus eſt) cognoſcendum neceſſarium eſt ad noſtram conſolationem.

Iam verò conferatur noſtra interpretatio cum rerum ipſarum euentu, qui eſt optimus diuinarum prophetiarum interpres. Neque enim mentiri poteſt verus Dei Propheta & Spiritus. Dico igitur, quod res eſt, & hiſtoriæ probant, quòd Cõſtantinopolitanum ſiue Orientale quartę Monarchiæ

A chiæ caput & imperium, quod illi tantùm reliquum & reſiduum erat, protruderunt primùm in ea Septentrionis parte, quæ ad Orientem eſt, Saraceni: Inclinatum autem & peſſimè affectum poſtea funditus ſuſtulerunt Turcæ. Scimus quidem ex Romanis hiſtoriis fuiſſe capitalia & perpetua inter Conſtantinopolitanos Imperatores, & Parthicos bella, & poſtea cum Perſis, qui Parthis ſucceſſerunt. Nam poſt Alexandri Magni mortem, quum aliquandiu ipſius poſteris, nempe Seleuci regis liberis paruiſſent Parthi, duce Arſace ſe in libertatem vindicarunt, & regnum inſtituerunt, à cuius ducis nomine poſtea Parthorum reges dicti ſunt Arſacidæ. Hi regnarunt vſque ad Alexandrum Mammeæ filium Imperatorem Romanum, & ad quartum illius imperij annum qui fuit annus à Chriſto nato 228. Quo ipſo anno nimirum Artaxerxes quidam Perſa occidit Artabanum Parthorum regem, vltimum Arſacidarum. Hic igitur Parthicum imperium & regnum arripiens tranſtulit ad Perſas. Atque durauit huius Artaxerxis poſteritas & Perſicum imperium vſque ad Heraclium B Imperatorem Conſtantinopolitanum, id eſt, vſque ad annum Chriſti 636. per annos continuos ferè 329. In hæc tempora iam incidit initium Sarraceni regni & imperij. Heraclij enim & Mahumetis tempore regnauit Syrochas penultimus Perſarum rex, à quo Heraclius recepit ex pacto, quæcunque eius maiores Conſtantinopolitano imperio vnquam ademerant. Hæc igitur duo regna Parthorum & Perſarum ſibi mutuò ſuccedentia fuerunt quidem Monarchiæ Romanæ formidoloſa & Conſtantinopolitanis Imperatoribus, vti apparet ex hiſtoriis: ſed tamen Orientale & Conſtantinopolitanum imperium neque exciderunt, neque euerterunt: imò æquis viribus cum illis Conſtantinopolitani Imperatores dimicarũt, & ſe aduerſus eos validè ſuſtentarunt. Sed prima inclinatio & labefactatio Conſtãtinopolitani imperij, quod (vti diximus) fuit in Oriente, Meridie & Septentrione, facta eſt à Sarracenis, qui ſunt illud prius (ex duobus à Daniele prædictis) regnũ, quod à Meridie exoriturum & in terras exundaturum C erat, vt terra maríque quartam Monarchiam in Aſia, Syria & Septentrione Orientali oppugnaret. Et certè ita Orientale imperium afflixerunt Sarraceni, vt ſe poſtea nunquam erigere reciperéque potuerit, ſed ſenſim labaſcere cœperit. Nam illi mira celeritate, tãquam fulgur quoddam, præuaſerunt Syriam, Ciliciam, Cappadociam, Meſopotamiã, quas omnes prouincias Conſtantinopolitanis Imperatoribus ademerũt & occuparunt. In quo planè notanda fuit vox Danielis 11.40. quum de iſto regno Sarracenico loquitur, *Veniet*, ait, *exundabit & tranſibit, percurrétque iſta gens celerrimè omnes Orientis & Meridiei regiones.* Nam ita factum eſt, incredibili prorſus miraculo & celeritate, quemadmodum verba ipſa apud Danielem ſimul coniuncta ſonant, quale illud eſt Iulij Cæſaris, Veni, Vidi, Vici, tanquam illi volarent, nihílque illis eſſet impedimento, non vrbes munitæ, non maria, non vires hominum. Nam intra ſexaginta annos penè totum Orientem occuparunt Sarraceni. Item Ægyptum, percurrerunt etiam vniuerſam Africam, Hiſpaniam, Gallias etiam ipſas inuaſerunt. Sed occidentales populos, præter aliquam partem Hiſpaniæ, tentauit potius, quàm occupauit gens Sarracenica. A Orientales autem & Meridionales, quæ ad imperium Conſtantinopolitanum pertinebant, vi & armis ſibi planè retinuit, Ægyptum & Lybiam quoque, id eſt, Cyrenem, in quas diutiſſimè imperauit: adeò vt Sarraceni Perſicum imperium potentiſſimum eodem tempore deleuerint, occiſo Hormiſda Perſarum rege vltimo. Iidem verò in Iudæam & terram illam, quam vocat Daniel deſiderabilem, irruperunt, quam maximè afflixerunt. Parebat enim Iudæa tunc Chriſtianis Imperatoribus & Conſtantinopolitanis. Ergo eam longo tempore, vt & Ægyptum, tenuerunt, potitíque ſunt auro, argento, omnibúſque deſiderabilibus illarum regionum per annos nimirum 192. & vſque ad annum Domini 1051. quo ſunt à Turcis imperio excuſſi. Sarracenos autem eſſe Meridionalem gentem nemo ignorat. Et ita quod primum regnum prædixerat Daniel euerſurũ eſſe Romanam & quartam Monarchiam, & id quidem in Oriente & Meridie, ſic ſe habuit. Atque illa quidem tempeſtas incidit mundo ex Auſtralibus mundi partibus, vbi Agarehorum ſiue Sarracenorum regio B ſita eſt.

Erexit etiam hoc Sarracenicum regnum ſua tentoria intra duo illa maria Syriacum & Rubrum, quæ Daniel commemorat. Nam regni ſui regiam primã & præcipuas prouincias in ea mundi parte habuerunt, quæ concluditur vtroque illo mari. Et quod obiicitur habuiſſe Sarracenos duo imperia, Vnum Babylone, alterum in Ægypto in Cairo quæ eſt Memphis, nihil obſtat. Præcipuæ enim eorum imperij regiones fuerunt in ea mundi plaga, quæ vtroque mari continetur. Deinde præcipuum & diuturnius eorum regnum fuit Syria & Arabia, quæ dicitur Æthiopia apud Danielem, vbi etiam eſt Meſchita & templum ſiue ſepulchrum illius nefandi Mahumeti.

Sed de Turcis nunc eſt nobis dicendum, vt totus hic Danielis, certè quidem obſcuriſſimus, locus illuſtretur. Nam hi ſunt regnum illud ſecundum, quod ab Orientali Septentrione oriturum erat, & quartam Monarchiam in Oriente, Meridie, & regionibus cæteris, quæ vtroque illo mari C comprehenduntur, prorſus deleuit, Ægyptum occupauit, Iudæam afflixit, potitur auro, argento, & deſiderabilibus totius mundi iam penè per 300. annos continuos. Hi igitur terra maríque miro etiam ſucceſſu Orientale caput quartæ Monarchiæ attriuetunt. Fixerunt autem habuerúntque & ipſi primam ſui palatij ſedem in ea mundi parte, quæ vtroque illo mari, de quo diximus, continetur circa Taurum montem & Syriam Damaſcenam ante Tartarorum aduentum, & antequam cepiſſent Conſtantinopolim. Illîc enim maius robur Turcici imperij primum conſtitit. Ortos autem eſſe Turcas à Scythis Orientalibus nemo eſt qui ignoret. Hi autem Romanis fuerunt formidabiliores quàm Sarraceni, vt etiam deſcribit Daniel: & poſt Sarracenos futuri prædicti ſunt. Regnum enim, quod ex Oriente & Septentrione oriturum erat, ſecũdo loco commemoratur à Daniele. Et congruit iſta prophetia cum hiſtoria rei geſtæ. Nam Turcæ deleuerunt Sarracenorum imperium, quum ab Hormiſda Perſarum Rege primùm acciti & euocati

A ex ſuis ſedibus eſſent:poſtea verò à Mahomet Sarraceno,Suldano Perſidis Sogdianæ & Mediç,quia viribus Calipha Sarraceno Babylonico impar erat, ſocij imperij facti quod etiam fore Daniel prædixerat.Itaque deiectis de imperio Sarracenis, ipſi ſunt eo potiti, & in Aſia & Syria regnarunt per annos continuos 192. ſed poſtea à Tartaris & Aſſumbeis Parthorum Regibus vexati, eorum potentia acciſa eſt,& penè delata. Deinde anno Domini 1300.ſub Romano Diogene Imperatore Conſtantinopolitano Ottomanica domus Turcicum imperium in priſtinam dignitatem reſtituit, cuius certè inſtauratio fuit plena & vltima Orient.& Cõſtantinop.imperij internecio. Ergo Turcicum imperium iis limitibus continebitur, quibus olim Orientale Romanorum imperium: Occidẽtale enim & Italicum nõ capiet, quia Antichriſti regno hæc 4. Monarchiæ pars videtur attributa,Apoc.13.

Quod autem apud Danielem eſt v.45.neminem fore auxiliatorem, neq; Sarracenis neque Turcis: hoc eſſe verum docuit rerum experientia. Nam B Deus hæc regna ita excitauit & promouit, vt nullis alterius & externæ gentis auxiliis & copiis adiuuarentur : imò omnibus fuerunt inuiſæ, ſed ipſę ſuis duntaxat opibus ſunt vſæ & nixæ.In quo maius Dei opus eſſe apparet, tam cita & velox iſtorum regnorum promotio. Et dicitur de Iſmaële (à quo proculdubiò ſunt orti Sarraceni) Et manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.Geneſ.16.12. Habitabit ex aduerſo fratrum.

Denique quod vltimo loco obiicitur ex Apoc. 20.8. de Gog & Magog qui cum Pſeudopropheta cõſenſuri ſunt: fateor me ignorare & neſcire quid iſta gens ſignificet. Gog quidem eſt populus ſuperbus, quales ſunt omnes inimici Chriſti & Eccleſiæ,éſtque hæc ratio dicendi ſumpta ex Ezec. 38.& 39. Apparet autem Magog ortum eſſe à ſtirpe Iaphet.Geneſ.10.2.

CAP. XXXIIII.

C

Antichriſtiani regni propagationem duobus his modis ad imitationem Chriſti maximè fieri oportuiſſe, doctrinæ cuiuſdam prædicatione, & variorum miraculorum oſtentatione.

SEquitur ſeptimum huius diſputationis caput, nempe quibus ſignis & modis ſuam illam tam immanem potentiam & tyrannidem confirmaturus & retenturus ſit Antichriſtus. Vidimus ſuprà quibus rationibus eam ſit conſequutus. Voluit autem Dei Spiritus iſta ſigillatim perſequi, vt minus offendiculum oriretur piis, dum implentur,quando & Dei voluntate fiunt ad probandos fideles,& futura eſſe iampridem prædicta ſunt ad terrendos impios.

Quibus igitur fulcimentis innitatur & corroboretur hoc regnum,explicat hoc loco Paulus : qui fulcimenta ſtatuit duorum generum,alterũ Principale, qualis eſt operatio Saranæ & illa quidam efficax maxima. Alterum Subſeruiens illi principali operi & efficacię quę appellat Signa & prodigia. Sed etiam addit, Qualia illa futura ſint. nempe mendacia : & Ad quem finem, nempe ad decipiendosretinendóſque homines in omni iniuſtitia & errore.Quæ omnia habent tũ pulcherrimas A conſolationes,tum vtiliſſimas cogitationes & prædictiones earum rerum,quę poſtea ſunt ſequutæ.Ac conſolationes quidem & dulciſſimas & vtiliſſimas, quòd nihil lætius prædici piis poteſt, quàm quũ admonentur omnia,quæ contra Chriſti doctrinam fiunt, etiam cum magna hominum admiratione, ac quidem tanta vt illa miracula & prodigia vocentur,eſſe tamẽ nefandas operationes Satanæ & falſa miracula. Prædictiones autem idem hic locus habet, per quas homines obſeruant,cur tam facilè vniuerſus orbis in eum errorem pertractus fuerit. Nam quum id vident plerique, mirantur & ſtupent, atque etiam quærunt, quomodo tam facilè id fieri potuerit. Denique ſic concludunt, niſi eſſet Antichriſti blaſphemia vera Dei doctrina, tam facilè & tam citò ſtabiliri, recipíque non potuiſſet. Sed reſponſio nimirum hæc parata eſt. Prædixerat Deus iſta omnia fore,& eam ſe poteſtatem conceſſurum eſſe Satanæ:quod vaticinium & Dei iuſtum iudicium impleri certè oportuit.Cur autem voluerit,ídque iuſtè Deus,poſtea ratio reddetur. B

Vt autem noſtra ſententia omnino confirmetur, afferendus eſt primùm planè ſimilis huic locus qui eſt Matth.24.24.tum alter qui eſt Apoc. 16.14. Sed & exemplum Magorum,qui per falſa miracula reſtiterunt veritati Dei, vt ait Paulus 2. Timoth.3.9. Quæ omnia oſtendunt qua ſemper via cæleſtis veritatis hoſtes eam oppugnent, vt hoc idem de artificio Antichriſti & Satanæ, qui totum hoc iniquitatis myſterium operaturus eſt & de technis in hoc ſuo regno aduerſus Chriſti doctrinam tuendo dici mirum iam nobis videri non debeat. Ratio quoque hoc ipſum probat & euincit.Quum ſit enim Antichriſti regnum regni Chriſti corruptela quidem, ſed tamen imitatio quædam, oportet, vt quemadmodum Chriſti regnum his duobus maximè continetur, nempe Doctrina veritatis,& vi Spiritus Dei,vt ait Paulus 1.Theſſal.1.5.ita Antichriſti regnum alia duo, Errorem ſuum ſanæ doctrinæ, & Miracula ſua ſiue operationes Satanæ, miraculis & vi Spiritus ſancti obiiciat, vt tenebras offundat hominibus & eodem modo agat,quò Chriſtus eſſe videatur. C Sic enim facillimè tandem obtinet,vt pro vero Chriſto habeatur,quum ipſa Chriſti opera,doctrinam & miracula præ ſe fert & perfidè impius ille imitatur.Ergo pro veritate habet Antichriſtus mendacium & impium errorem,per quem Deo fit iniuria.Pro vi Spiritus Dei ſigna operantis, ſua prodigia oſtentat. Hoc enim vtrunque coniunxit Chriſtus mittens Apoſtolos ſuos.Mar.16.Ac primùm quod ait Paulus aduentum Antichriſti fore per miracula : Vox *aduentus* non ad primam illius manifeſtationem referri debet,ſed ad totam regni illius confirmationem,conſtructionem,conſtitutionem & cõſeruationem. Verba enim hæc, *cuius aduentus*,id ſignificant,Cuius corroboratio,ſtabilimẽtum & propagatio erit per efficaciam Satanæ operantis miracula. Quę ſanè duo,Papatum latiſſimè prouexerunt, nobíſque graphicè deſignant & depingunt. Quid enim inter eos iſta infinitorum miracalorum iactatione frequentius ? quid ab iis petitur, quæriturque ardentius ? Mahumetani quidem doctrinæ cuiuſdam impiæ noua productione extiterunt:

A runt: miracula autem nec ipſi ſe feciſſe vnquam oſtentant, nec ab vllis requirunt. At verò Papiſtæ doctrinæ ſuæ puppim & proram atque adeò iuſtiſſimum firmamentum in miraculis quęrunt. Itaque ea plenis buccis nobis crepant & obiiciunt, vt Papatus nec melius deſcribi, nec planius deſignari pro vero Antichriſti regno, quàm ex hoc Pauli dicto, nobis poſſit.

CAP. XXXV.

Qui ſint tres illi Spiritus, de quibus eſt in Apocalypſi, quique Antichriſtiani regni præcipui Miniſtri futuri dicuntur.

EX ſuperiori autem interpretatione iam facilè intelligi poteſt, quod ad hunc locum maximè pertinet, & eſt in Apocalypſi: Quid tres illi Spiritus, qui à Pſeudopropheta ad omnes reges terræ ſui regni & conſtituendi & retinendi gratia dimittuntur, ſignificent. Dicuntur autem illi Spiritus eſſe ſimiles ranis. Sed locus ipſe Apocalypſeos eſt 16. v. 13. & 14. qui ſic habet.

13. *Et vidi ex ore Draconis, & ex ore Beſtiæ, & ex ore Pſeudoprophetæ illius tres impuros Spiritus ſimiles ranis prodeuntes.*

B 14. *Sunt enim Spiritus dæmoniorum edentes ſigna, quique abeunt ad reges terræ & totius mundi, vt congregent eos ad prælium magni illius diei Dei omnipotentis.*

Quem locum quidam explicantes exiſtimant hunc trium Spirituum numerum eſſe finitum pro infinito, vti apud Salomonem dicitur, tres funiculi faciunt fortiorem funiculum. Ergo tres Spiritus ſunt, ex eorum ſententia, quilibet Spiritus à Satana ad tuendum hoc mendacij regnum excitati & impulſi, quales fuerunt innumerabiles penè homines & Antichriſti aſſeclæ, tum viui adhuc, tum etiam iam olim mortui, qualis EKcius & alii qui illlud pedibus manibúſque tutati ſunt, & pro viribus illud promouerunt. Alii verò propius ad veram illius loci ſententiam videntur accedere. Numerum enim ternarium ponderant, vt eſt perpendendus, ſed non ſatis appoſitè tamen ad ſolos Theologos, ſiue Sorboniſtas, Monachos & Decretiſtas eum referunt. Nobis igitur omnia ad calculum reuocantibus & ſubducentibus, C videntur hi tres Spiritus diſtinguere tres quoſdam præcipuos hominum ordines, per quos velut legatos & ſelectiſſimos ſuos miniſtros atque patronos, Papatus ipſe & totum Antichriſti regnum inſtitutum, propagatum, & erectum eſt, atque adhuc hodie maximè fouetur & ſuſtentatur. Nam quum Chriſtus ad regni ſui promulgationem habuerit imprimis hos tres miniſtrorum ordines Eph. 4. nempe Apoſtolos, Doctores ſiue Euágeliſtas & Epiſcopos. Ita Antichriſtus habet ex aduerſo Cardinales, Scholaſticos, Epiſcopos.

Apoſtolis Chriſti ſimiles & reſpondere videri volunt Cardinales Antichriſti, quorum poteſtas ſit vbique ſparſa & diffuſa, nullóque certo territorio coërceatur. Doctoribus autem & primis Euangeliſtis, qui fuerũt ſub initio Euãgelii Chriſti Apoſtolorum perpetui comites, ex altera parte reſpondent (Si Deo placet) Scholaſtici, qui dicuntur. i. totus iſte Sophiſtarum & Doctorum ordo, ſiue qui ſecularem, ſiue qui regularem, vt loquuntur ipſi, & Monachalem vitam profitentur & colunt. Epiſcopos Chriſtianos referre ſe dicũt Epiſcopi Papiſtici & Satanici. A

Atque hi ordines omnes proculdubiò ſunt veriſſimæ Papatus columnæ, qui à Papa ſiue Pſeudopropheta illo variis modis & occaſionibus ad reges terræ, vel vt nuntij, vel vt legati ſimplices, vel vt legati à latere, pro vario negotiorum huius regni gerendorum genere mittuntur, omnéſque ad bellum aduerſus pios & ſanctos gerendum, cõgregantur in Geddõ Harma, id eſt in eum locum, vbi vetus Roma fuit, quæ ſanè eſt veriſſima omnium, quæ aduerſus Deum & Chriſtum eius fiunt coniurationum officina.

Confirmat autem hanc noſtram ſententiam & interpretationem, & tempus, & ſimilitudo, quæ à Iohãne allata eſt, & (quod maximè ſemper in iſtis prophetiis annotandum eſt) rei ipſius euentus, teſtis certè & interpres huius prophetiæ locupletiſſimus. Ergo dicuntur hi Spiritus & tres eſſe, & inter ſe diſtincti, etſi ab eodem authore Satana aut eius potius filio, pſeudopropheta illo nefando, id eſt Papa, omnes impellũtur. Cardinalium autem, Sophiſtarum, & Prælatorum Papiſticorum quis verior author, quàm ipſe Satanas dici poteſt, & quæ eorum doctrina, vita, & conatus eſt niſi Satanicus? B

Dicuntur etiam immundi Spiritus hi tres. Nam quum à Diabolo excitati ſint, qui eſt Spiritus immũdus, ſint ſimiles parenti ſuo Diabolo, eiúſque opera imitentur, neceſſe eſt.

Tempus denique quo iſta fieri cœperunt, noſtram etiam ſententiã planè confirmat & tuetur. Nã iſtos mitti cœptos eſſe oſtẽdit Iohãnes, poſtquam via Regum Orientis patefacta & aperta fuit, & Euphrates fluuius, qui ante à Romani imperij in Oriente, tanquam ſacer quidam terminus fines, ab exteris gentibus diſtinguebat, cœpit eſſe tanquam exſiccatus, & Orientalibus populis penetrabilis, qui Conſtantinopolitanos Imperatores deleuerunt. Hi igitur populi ſunt Turcæ, & Tartari, qui primi ſuperato Euphrate, & confuſo iam ſublatóque antiquo illo imperij Romani limite in Romanam Monarchiam, vti ſuperius diximus, irruperunt. Hoc autem contigit circa annum Domini 1051. poſt quod maximè tempus Scholaſticorum & Monachorum Papiſtarum C (nã alij olim erant Monachi, & quidem ſanctiores & tolerabiliores, quàm nunc ſint Papiſtici) luſtra & collegia tanquam arces & propugnacula Papiſmi variè extrui, fundari, & propagari cœperunt, poſt annum nimirum Domini 1200 (vt ex hiſtoriis apparet) Cardinalium inſtitutio longè eſt iſtis recẽtior, qui tamen ipſi quoque poſt Turcicam potẽtiam iam enatam emerſerunt & eam authoritatem apud reges obtinuerunt, vt eos, quocunque vellent pro nutu fortiter impellerent. Quanquam enim Cardinalium meminit Gregorius primus epiſt. 15. 77. & 79. qui ante Turcarum in Romanũ imperium irruptionem vixit, tamen ea Cardinalatus authoritas, quæ nunc eſt, poſtremi temporis & ætatis eſt inuentum: quod alij Gregorio vndecimo, qui Romanam curiam Auenione Romam reduxit, tribuunt: alij verò, qui maximè Cardinalibus fauent, ſuperioribus Pontificibus. Epiſcopatus autem nomẽ vetuſtiſſimum quidem eſt, quod in ſacra Sriptura ſæpe commemoratur 1. Timoth. 3. ſed qualis nunc eſt in Papatu, recẽs & nouus: & longè poſt tempora Apoſtolorum, & Apoſtoli-

A eorum hominum, etiam poſt ætatem Bernardi Clareuallenſis introductus eſt, adeò vt Audæani qui tempore Conſtantini Magni fuerũt, hac præſertim Epiſcoporum inſolita, & non antea audita poteſtate offenſi, ab Eccleſia receſſerint. Et certè, qui nunc eſt in Eccleſia Romana Epiſcopatus, nõ Euangelicus, ſed planè Satanicus eſt epiſcopatus, qui omnia ad auaritiam, ambitionem, faſtúmque tranſtulit. De quibus omnino breuius hoc loco agimus: quod & D. Caluinus lib. 4. Inſtitut. Chriſtianarum, cap. 7. & Carolus Molinæus in lib. contra Paruas datas, luculentiſſimè hoc argumentum videntur nobis perſequuti.

Denique ſimilitudo illa, qua vtitur Iohannes, dum eos vocat Ranas, ſatis hanc interpretationem noſtram adiuuat. Vti enim Ranæ ſunt Sordida animalia in cœno agitantia & clamoſa, iniucunda, & illa ſua coaxatione importuna: ſic hi tres ordines ſunt Sorboniſſimæ, id eſt, Sordidiſſimæ vitę, & ad pios ſanctósq; Dei vexandos obſtrepere ſemper. Id quod verum eſſe res ipſa, eorúmque importuniſſimi aduerſus pios & Chriſtianos cœtus clamores vbique terrarum docent. B

CAP. XXXVI.

Quæ miracula ad Antichriſti regni commendationem fiunt, cur à Paulo nominentur mendacia.

QVæ quum demonſtrauerimus, reliqua iam perſequamur, quæ ad Antichriſti technas pertinent. Ait Paulus κατ' ἐνέργειαν, & ἐν πάσῃ δυνάμει. Quibus verbis demonſtrat non ſolùm operaturum eſſe Satanam, ſed & efficaciter, & totis viribus. Magna certè vis, magnáque fraus & techna Satanæ fore perſpicuè prædicitur. Ex quo fit, vt dicat Chriſtus parum abſore, quin etiam electos ipſos Dei ſeducat Satan, lucretur, & intercipiat. Vnde Auguſtinus in Pſalmo nono, Tanta aget Antichriſtus, ait, vt tunc multi ſint exiſtimaturi Deum negligere res humanas. Vim habebit in imperio, dolum in miraculo. Nihil enim eſt ſtultis hominibus aptius, ait idem, quàm id quod ſenſibus percipitur, lib. De vtilitate credendi, ad Honorium cap. 16. C Quod vt Satan faciat, edit & operatur miracula, quæ hîc Paulus vocat, Signa, σημεῖα, & Prodigia τέρατα. Verba autem iſta diſtinguunt quidam, ſed nihil eſt neceſſe. Notat enim Paulus Antichriſtum non vulgaria quædam & communia, ſed maximè ſtupenda & noua miracula per Satanæ miniſterium effecturum, vt in errorem homines abducat. Denique proximè imitaturum eſſe excellentiſſima illa Chriſti opera per quæ Euangelij veritas fuit obſignata. Horum miraculorum pars quædam, ſunt illa, quæ quotidie à ſuis fieri ſomniant Papiſtæ: pars etiam illa, quę commemorant ad ſanctorum ſuorum ſepulchra antea facta, per quæ ſuperſtitiones innumeræ inductæ ſunt: & imprimis turpiſſimus ille & blaſphemus de inuocandis ſanctis (tanquam noſtris apud Deum mediatoribus) error. Illa verò ab ipſis recitantur penè infinita. Habent enim Papiſtæ, quicquid perſuadere voluerint, & quantumuis ſit ſuperſtitioſum & verbo Dei repugnãs, ſtatim ad manum miracula, per quæ omnes erroris ſui partes & capita apud ſtultos homines confirmant. Quod pluribus oſtenderem, niſi eorum libri iſtarum nugarum pleni eſſent & referti. A Sed quum additur à Paulo iſta eſſe mendacia, & in omni deceptione & fraude iniuſtitiæ fieri, iis minimè credendum eſſe oſtenditur, nec propter illa veram eſſe Antichriſti doctrinam. Quum enim ſint mendacia ſigna, neque mendacio ſit credendum, neque iis etiam ſignis & miraculis credendum eſt. Itaque dicimus cum Auguſt. libro De vnitate Eccleſiæ, cap. 16. Remoueant iſta vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium Spirituum. Aut enim non ſunt vera quæ dicuntur: aut ſi hæreticorum aliqua mira facta ſunt, magis cauere debemus. Mendacia verò illa Satanæ ſigna duplici nomine dicuntur, tum propter rem ipſam, quia ſæpe ſunt illuſiones tantùm, non res ipſæ, quæ videntur fieri & apparent oculis: tum propter Finem propter quem fiunt. Fiunt enim ab Antichriſto, vt homines decipiantur, & in omnem impietatem & iniuſtitiam abducantur, vt etiam explicat Auguſt. libro 20. de Ciuitate Dei, cap. 19. Itaque his duobus epithetis, omni iſti mirabiliariæ vel miraculariæ operæ fides ſatis detrahitur, & quicquid B inde ſtabiliri poteſt, euellitur, atque à Dei Spiritu confutatur, ne propterea nos ab Antichriſto decipi vnquam ſinamus.

Ex his autem ſuperioribus omnibus facilè iam colligitur ſolos infideles & eos qui ad Dei electionem minimè pertinent, Antichriſti doctrinæ & regno eſſe adhæſuros, qui fidem ſuam non in ipſo Dei verbo, ſed in operibus quibuſdam ſtupendis fundatam habent, quos decipere ſemper quidem facilè Diabolo fuit. At hoc ipſum piis & verè fidelibus & electis Dei non continget, tum quòd Dei manu & Spiritu ſuſtentantur, ne fides eorum corruat, & à Satana ſubuertatur: tum quòd ad ſolum Dei verbum attendunt, à quo ſe non ſinunt abduci. Ex quo fit, vt totum Antichriſti regnum nihil aliud ſit, quàm hominum mendacio Satanæ aſſentientium, & à vera ſalute auerſorum conſpiratio & cœtus, qui nobis probari & arridere non debet.

C

CAP. XXXVII.

Antichriſtiano regno etiam conſtituto, nec adhæſiſſe, nec adhæſuros etiam eſſe ſingulos homines, qui tunc vixerunt, vel nunc viuunt.

SEquitur iam octauum & poſtremum caput quod ſuperiori conſequens eſt. Quæritur enim Quínam iſti Antichriſto adhærebunt atque cur: hoc autem duplici nomine videtur neceſſarium, vt adderetur. Primùm vt pios conſoletur Dominus ne putent tanto gurgite impietatis ſe ſubmergendos, atque abripiendos tandem eſſe. Eſt quidem nobis ſedulò vigilandum, vt monet Chriſtus, etiam ſanæ doctrinæ tota mente ſemper inhærendum: ſed tamen ne ſuccumbamus néue à Deo nos neglectum iri exiſtimemus huic promiſſioni eſt acquieſcendum, ſolos reprobos eſſe Antichriſto adhæſuros. Pollicetur enim ſe nos à tantæ blaſphemiæ communicatione & participatione liberaturum Deus. Deinde altera cauſa eſt, cur hoc addi oportuerit, nimirum quòd ratio tanti Dei iudicij in homines

A mines fuit explicanda. Aliter enim vel obſtupeſcunt, dum hanc tam immanem & horrendã Eccleſiæ Dei diſſipationem fore audiunt, vel in Deũ ipſum, tanquam ſeueriorem hominum iudicem, blaſphemant. Sed quum cauſa adiecta eſt, propter quam hæc fiunt omnia, explicatúrque in quos etiam fiant, & locum habeant, tunc facilè omnis iſta hominum murmuratio ſedatur, erudiuntúrque pij viri & Dei timentes. Similis autem huic locus eſt Matth. 24. 24. vnde verbum Dei ſibi ſemper conſentiens appareat. Hîc autem Scholaſtici ineptos ſe & planè curioſos demonſtrant, dũ numerum definire audent eorum, qui Antichriſto erunt & acceſſuri & adhæſuri. Id quod fecerunt Viguerius & Methodius. Longè verò tutius cum ſacro Dei verbo nos ſentiemus, ſi infinitos & innumerabiles quidem homines, quoad ipſa capita fore qui hanc blaſphemiam amplectentur dixerimus, non tamen ſingulos, qui tunc erunt & viuent. Nam vt eſt Apocal. 18. 3. ex vino Antichriſti & ſcortationis Babylonicæ bibituræ erant omnes gentes & populi & nationes mundi, quanquam non ſinguli tamen homines ex eo bibituri erant. B Summa enim Dei miſericordia quidam ab eo veneno ſunt præſeruati, qui in vera fide permanſerunt, quanquam ij omnino fuerunt numero pauci. Vt enim non ſingulos homines ſaluos facit Chriſtus, ita nec ſingulos quoque cuiuſlibet gentis perdit Antichriſtus. Quod enim eſt apud Paulũ 1. Tim. 2. vult Deus omnes homines ſaluos fieri: illud nõ de ſingulis generũ: ſed de generibus ſingulorum, proculdubio accipiendum eſt. Quod eodẽ modo in Antichriſto debet intelligi, quum ſua fęce omnes homines conſpurcaturus atque inebriaturus in Apocalypſi dicitur.

CAP. XXXVIII.

Solos reprobos & reiectos à Deo homines Antichriſtiano regno conſtanter & obſtinatè adhæſiſſe atque nunc adhæſuros eſſe.

C QVę quum ſint veriſſima, iam videamus quínam tam impio & tam immani in Deum ipſum & illius doctrinam ſceleri ſint cõſtanter aſſenſuri. Sunt autem ij infideles & reprobi, qui non ſunt filij Dei, quos propterea Paulus ἀπολλυμένοις vocat. Ij autem ſunt iidem, quos alibi Scriptura (veluti Iudas in epiſtola ſua) deſtinatos & deſcriptos in hanc damnationem Iud. v. 4. appellat. Chriſtus autem docet non eſſe plãtam patris, Matth. 15. 13. Soli igitur rebelles, reprobi, & reiecti à Deo, Antichriſto ſunt perpetuò & pertinaciter adhæſuri: nulli autem ex verè electis & filiis Dei. In quo ipſo iuſtum eſſe Dei in eos iudicium apparet. Pereunt enim, qui perditione digni ſunt, nõ autem alij. Vox enim ἀπολλυμένοις ſignificat ἀξίους ἀπωλείας. Quamobrem neque electi, neque eorum fides, Deo confirmante eos, à Satana euertetur, etiam in media iſta generalíque apoſtaſia, quanquam tamen, vti dixi, tunc omnino ij pauci fuerunt, & in deſertis habitãtes, atque aliis etiam hominibus ignoti. Tunc enim euenit, quod à Iohãne prędictum fuerat, nimirum vt Eccleſia Dei fugeret in ſolitudinem, Apocaly. 12. 6. & ibi lateret ad tempus.

CAP. XXXIX.

A

Quàm iuſta fuerit Deo cauſa, propter quam hac pœna & cæcitate mundum puniret, vt iſtum tam miſerũ ſtatum & Antichriſtianum regnum induceret. Item quàm immanis verbi Dei contemptus Antichriſtianum ſtatum anteceſſerit.

CVr autem impios & rebelles homines vult Dominus in eam apoſtaſiam tam grauem incidere & labi, ratio à D. Paulo, eáque iuſtiſſima reddita eſt. Quanquam enim Domino ſuorum conſiliorum & iudiciorum optima ratio ſemper conſtat (omnes enim viæ Domini veritas & iudicium Pſal. 25.) neque etiam ſit neceſſe eam nobis reddi, tamen vt Dei ſapientia ab ipſius filiis iuſtificetur, Matth. 11. 19. magiſque ipſi confirmentur, rationem & cauſam huius tanti, támque tremendi, quod ſequutum eſt, in mundum vniuerſum iudicij adferre voluit Spiritus ſanctus. Eſt autem hæc, quòd propter ἀπείθειαν & ἀπιστίαν ſuam mũdus iram illam Dei grauiſſimam, illáſque pœnas commeritus erat. Nónne enim hæc fœdiſſima & ſumma fuit hominum in Deum ingratitudo, quòd non ab ignorantibus, ſed ab iis ipſis qui vim eius dignitatémque intelligebant, & iam audierant, ſacroſanctum Dei Euangelium prorſus ſpretum & contemptum fuit. B Hominum autem commenta, hæreticorum etiam errores, & omnis generis impietates & ſuperſtitiones contra Dei ipſius verbum ſacroſanctum manifeſtiſſimè inductæ & magno omnium ordinum applauſu ab ipſa Eccleſia receptæ, defenſæ, & ipſi Dei veritati pręlatæ ſunt? Quæ impietas maior? Quæ Deo, qui honoris & gloriæ ſuæ Zelotes eſt, inſignior, aut atrocior iniuria vnquam fieri ab hominibus potuit, obſecro? Itaque huiuſmodi in mundum & Eccleſiam pœna eſt ἐκδίκησις, id eſt iuſtiſſima Dei vltio & vindicta, & in nominis & verbi ipſius irriſores & ἐμπαίκτας homines inflicta. Ex quo fit, vt appellet Paulus eandem pœnam καταδίκην, verſu 12. ἵνα, ait, κριθῶσι, id eſt, vt huiuſmodi contemptores Dei iudicentur & puniãtur. Eſt ergo hæc pœna punitio ſummæ hominum in Deum nequitiæ, blaſphemiæ & ingratitudinis. C Nam verbum κρίνεσθαι hîc non tantùm cauſę examen, quod à Deo factum eſt, ſed etiam dãnationem ſcelerum & pœnæ exequutionem complectitur & ſignificat. Cuius quidem Dei vindictæ miniſter fuit iſte Antichriſtus, vti & Diabolus quoque.

Cæterùm & amplificatio & δεινότης verborum, qua vtitur ad hoc hominum ſcelus deſcribendum apud Paulum Spiritus Dei, ſummoperè videtur à nobis obſeruãda: ex ea enim magis apparet, quàm fuerit immanis iſte verbi Dei atque Euangelij contemptus, cuius horrenda quoque pœna eſt, & tanta, vt maior eſſe potuiſſe non videatur. Huc igitur pertinent, quæ, & non otioſè quidem, addit Paulus his verbis,

1. *Non receperunt illi, ergo oblatum illis fuerat Euangelium, & eo maior contemptus & ingratitudo cernitur.*
2. *Amorem, id eſt ſuauem & deſiderabilem illam doctrinam: qua ad ſe hominum animos & conſcientias allicit, inuitat, & conſolatur.*
3. *Veritatis, quæ eſt res per ſe pretio digniſſima, &*

A *omnium hominum commentis anteponenda.*

Quam eandem ab effectu commendans, Paulus ait, quòd per eam ipſam ſalui fiunt homines. Eſt enim prædicatio Euangelij inſtrumentum ad eos adducendos ad Chriſtum, per quem vnum ſalui ſimus. Veritas igitur ἀντονομαστικῶς hîc pro Euãgelij doctrina poſita eſt. Ergo tãta hęc Dei dona ſpreuiſſe, fuit tetra & immanis hominũ ingratitudo, & pluſquã barbara & belluina væcordia, & impietas, quæ hanc pœnam merebatur. Denique hoc iam tam magnum per ſe ſcelus & Dei contemptum amplificat tamen adhuc Paulus, ne leue quoddam crimen nobis videatur. Amplificat autem à modo & gradu, quo tandem hanc ipſam rebellionem, & in Deum apoſtaſiã amplexi ſunt inſani homines. Id enim eos feciſſe εὐδοκήσαντας, ait, id eſt, ita auidè, ita lubenter, ita mordicus & ſtudioſè vt in ea mirè ſibi placerent, eam probarent, ea delectarentur toti, & pro puriſſima & pretioſiſſima quadam doctrina ſcientes prudentéſque haberent: denique cœleſti Dei ipſius verbo præferrent. B Eſt autem hic ſummus profectò veſaniæ gradus, quum homines pro veritate mendacium non modò ſtolidè probant & arripiunt: ſed etiam in eo placidè, lubenter, gratíſque animis acquieſcunt, ídque obuiis vlnis amplectuntur, & ſibi in eo, repugnante conſcientia, blandiuntur. Denique addit idem Paulus pro ſummo eiuſdem in Deum perpetrati ſceleris & veſaniæ cumulo, quòd hoc ipſum, quod ſequuntur tam auidè homines iſti, & amplectuntur tam obſtinatè prorſus eſt iniuſtitia. In quo maior fuit etiam hominum iſtorum damnatio & iuſtior punitio. Iuſtiſſimum enim eſt, vt qui iniuſtitiam faciunt probant vel tuentur, grauiſſimè puniantur, Pſal.94. Iniuſtitiam autem hanc appellat ἁπλῶς iniuſtitiam, vt in iſto Antichriſti ſtatu, qui Papiſticus eſt, non vno duntaxat modo Deum offendi, & eius regnum euerti intelligamus: ſed omne iniuſtitiæ genus receptum perpetrari probaríque doceamur. Vti enim iuſtitia eſt, per quam & Deo & proximo quod debetur, reddimus, & in omnibus ſiue internis ſiue externis actionibus noſtris volũtati Dei ſumus obſequẽtes, C ita iniuſtitia eſt per quam & Deo & proximo planè iniurij ſumus, & nos ſiue in doctrina, ſiue in vita & moribus à Dei voluntate ſubducimus. Id quod in Papatu & regno Antichriſti & fieri & eſſe nemo dubitat, niſi qui nunquam vel prima illius lineamenta viderit, vel prima venena nondum deguſtarit. At qui eius ſtatus vel prima rudimenta ſemel imbiberit (id quod nimiũ multi faciunt) poſteáque ad veram Euangelij lucem à Deo deductus erit, ſanè meridiana luce clarius videbit, vt omnis doctrinæ & vitæ ſanctæ corruptela in eo laudetur, locúmque habeat? Ergo quum tantus ſit, fuerítque in mũdo huius iniuſtitiæ gradus & ſcelus, nihil mirum ſi grauiſſima hæc quoque in mundum pœna ſit ſequuta, vt in iſtam tam immanem animorum & conſcientiarum tyrannidem inciderint reprobi & infideles homines, qui veritatem Dei vel oblatam, vel iam agnitam impiiſſimè ſpreuerunt.

CAP. XL.

Reſponſio ad tria quædam præcipua Papiſtarum argumenta, quibus ſe, ſuúmque illud Antichriſtianum regnum approbare conantur,

Sed iam ad finem perductus ex Paulo videri A poterat totus hic De Antichriſto tractatus, niſi difficilis quędam Papiſtarum obiectio reſtaret, cui putauimus pro huius tractatus colophone breuiter eſſe occurrendum. Illa verò tribus argumentis fulcitur, quæ pro ſe, ſuáque illa ſynagoga & doctrina tuenda & confirmanda pertinaciſſimè afferunt.

I. Primum autem ex illis ductum eſt à multitudine eorum, qui hanc apoſtaticam doctrinam, id eſt Papiſticam, & ſunt antea profeſſi, & nunc quoque profitentur. Huic verò argumento facilis eſt reſponſio. Nam quum doceat apertè Paulus, fore vt ſoli electi Dei in vera doctrina perſtent, ij autem ſint omnino pauci, qui autem Euangelium ſpernunt, & à Satana decipiuntur, ij ſint penè innumerabiles (eſt enim ſalutis via anguſta: at via perditionis latiſſima, vt inquit Chriſtus) nullum certè duci poteſt argumentum ab hominum maiore numero & cœtu ad veras Eccleſiæ notas deſignandas, & veritatis doctrinæque noſtræ certitudinem confirmandam. Nam eadem B ratione Turcæ iam eſſent potius vera Dei Eccleſia cenſendi, quàm Papiſtę. Sunt enim plures Turcæ & Mahumetani quàm Papiſtæ. Fuiſſent etiam olim idololatræ potiꝰ Dei Eccleſia ante Chriſtũ, quàm Iudæi, quia maior ſemper idololatrarum hominum, quàm Iudæorum fuit numerus. At Chriſtus veram ſuámque Eccleſiam, quæ ſola Dei Eccleſia eſt, vocat puſillum gregem. Luc.12.32. Chryſoſt. Hom.28. ad popul. Antioch.28. Melius eſt, ait, vnum eſſe qui Domini voluntatem faciat quàm impios mille. Potes videre ſi vis, quòd multa turba, chariſſime, quæ Dei voluntatem non faciat, nihilo ab iis, qui non ſunt, differat. Hæc Chryſoſtomus.

II. Secundum autem argumentum ducitur ab approbatione illius doctrinæ apoſtaticæ, quæ (vt ipſi aiunt) variis hominibus & plurimis Synodis iam facta eſt. Sed ex Paulo ipſe reſpondeo futurum fuiſſe, vt hæc Antichriſti doctrina & apoſtatica non modò approbaretur ab aliquibus: ſed etiam lubentiſſimè in Eccleſia ipſa ſuſciperetur, in eáque ſecurè & mirum in modum homines tã- C dem acquieſcerent: quia tunc ad verbum Dei non attendebant. Ergo hæc argumentatio corruit, & habet paralogiſmum: ſtatuit enim, vti ſuperius, eam quæ non cauſa eſt pro cauſa.

III. Tertium denique Papiſtarum aduerſus nos argumentum ducitur à præſcriptione longi temporis, quo iſta apoſtaſia iam recepta eſt, regnátque inter homines ſecurè. Atque huic ipſi argumento reſpõdemus quoque ex Paulo, futurum fuiſſe, vt immitteret Deus tantam erroris efficaciam, ídque iuſtè, vt homines non vno tãtùm die, ſed diutiſſimè crederent iſti mẽdacio. Quare diuturna illa erroris poſſeſſio eum minimè confirmat, ſed peiorẽ potius deterioremque facit, quòd & plures ſeduxit & diutius graſſatus eſt. Id quod etiam quadam ſua decretali epiſtola reſpõdet Innocentius tertius Pontifex Romanus. Nam contra pietatem, contra bonos mores, contra expreſſiſſimum Dei verbum conſuetudo doctrináque recepta nullo vnquam temporis tractu conualeſcere poteſt. Can. Conſuetud. diſt, II. Quæ enim ab initio non valuerunt, temporis ſpatio & fluxu (quemadmodum apertè Iuriſconſulti docent) nõ con-

A confirmantur. L. Quæ ab initio. D. de Regul. Iur. Quòd ſi tam multa ſunt, quæ ne longiſſimo quidem tempore ex ipſorum Papiſtarum & decretorum regulis præſcribi poſſunt, qualia ſunt iura fiſci, & quæ ad Remp. pertinent, quæ hoſtilitatis metu deſerta ſunt, quæ certis ſpatiis definita, denique quæ ipſa Romanæ Eccleſiæ iura dicuntur, cur non hoc idem priuilegium verbo Dei.i. Dominorum & Regum Regi & ipſius Eccleſiæ cõceſſum eſſe volumus, ne vlla ſit aduerſus ipſum Dominum temporis, quãtumuis longiſſimi, præſcriptio? maximè, quum qui hanc vſucapionem primùm inchoarunt, prorſus id mala fide egerint, bonáque caruerint, ſine qua in Eccleſia nulla fieri præſcriptio poteſt. Non ſequitur ergo Papiſticam doctrinam ideo veram eſſe quia diutiſſimè iam probata floruit. Id enim futurum fuiſſe prædixit Daniel Deíque Spiritus: itaque implendum erat. Denique 2. Reg. 17. v. 41. damnantur Iſraelitici regni ſuperſtitiones & cultus, Deo ex inſtituto Ieroboami inſtitutus, etſi & à maioribus, & à filiis, & à nepotibus, atque ita deincepsdicitur fuiſſe obſeruatus. Quòd autẽ mirantur homines, quomodo B Deus ſiuerit tanto tempore ſuam Eccleſiam errare, facilem hanc reſponſionem habet. Deum non ipſam quidem ſuam Eccleſiam, ſed impios, reprobos, & à ſe deſciſcentes homines, vt errarent ſiuiſſe, atque vt mendacio crederent, idque meritò: & quemadmodum diximus, iuſtiſsimè. Quanquã enim nunquam fuit Papatus vera Dei Eccleſia: in Papatu tamẽ & inter medios ipſos Papiſtas Deus miraculoſè ſuam Eccleſiam ſæpe conſeruauit. Atque ex his omnibus non modò iam locus Pauli facillimè, quod ſperamus, intelligi poteſt: ſed quã verè Romanus non tam Pontifex, quàm carnifex, quique illi adhærent, ſint illud prædictum variis Scripturæ vaticiniis Antichriſti regnum, luce meridiana clarius ex ipſa Scriptura confidimus eſſe demonſtratum. Qui quum fuerit huius tractatus & ſcriptionis noſtræ ſcopus, imponendus eſt finis, & hac ad Deum prece concludendus, vt det Pater ille miſericordiarum cæcis iam tanto tempore hominibus oculos, quibus patefactam Euãgelij lucem videant: & videntibus voluntatem, C quò veritatem Euangelij & corde & animo amplectantur, & vitæ ſanctitate conſtantiſsimè ſemper profiteantur per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

* * *

BERNARDVS CLVNIAcenſis Monachus floruit ante annos 400. Is ad Petrum Abbatem Cluniacenſem ſcripſit tres Satyras, in quarum duabus poſterioribus, & Clerum & Romani Epiſcopi tyrãnidem veriſſimè inſectatur. Aliquot autem ex iis verſibus tranſcripſimus, quales in libro, qui Catalogus teſtium veritatis inſcribitur, extant: quos (non tam propter ſtyli & verſuum elegantiam, quàm rei ipſius veritatem & Eccleſiæ illius ſeculi de Romano Antichriſto iudicium) deſcribendos curauimus.

LEX mala, furibus his ſubeuntibus, intrat abundè.
O mala ſecula, venditur infula põtificalis:
Infula venditur, haud reprehenditur emptio talis.
Vẽditur annulus, hinc lucra Romulus auget, & vrget.
Eſt modò mortua Roma. ſuperflua quando reſurget?
Roma ſuperfluit, arida corruit, afflua, plena,
Clamitat & tacet, erigit & iacet, & dat egena.
Roma dat omnibus omnia, dantibus omnia Romæ,
Cum pretio, quia iuris ibi via, ius perit omne,
Roma nocens nocet, atque viam docet ipſa nocendi,
Iura relinquere, lucra requirere, pallia vendi.
Sæpe notarius eſt ibi carius emptus, vt ille,
Quæ cupis, exaret, & ſacra præparet ipſe ſigilla.
Si tua nuntia præuenit vncia, ſurge ſequaris.
Si datur vncia, ſtat propè gratia Pontificalis:
Sin procul hæc valet, hæc tibi lex manet, & ſchola talis,
Diues es indiga, pinguis es arida, libera ſeruis:
Libera ſubderis, æréque venderis ipſa proteruis,
Sæpe reuenderis, hinc reprehenderis ore Iugurthæ:
Sylla vorax rapis, & cupis, & capis, & trahis ad te.
Roma ruens, Rota fœda ſatis nota cauteriat te:
Gurges es altior, arca voracior, alta lacuna:
Inſociabilis, inſatiabilis, omnibus vna.
Quò bibis amplius, hoc inhiantius, huc date, clamas,
Dic rogo, ſufficit: at mihi deficit, ipſa reclamas.
Si tibi det ſua, non repleat tua guttura Crœſus.
Marca vel aureus amodò, non Deus, eſt tibi Ieſus. B
Mittis in extera tollere munera ſola flagrantes:
Quem tua dirigit huc manus, exigit ille tributum,
Nec bona ſecula. ſed bona fercula, molléque fulcrum
Suetus ab vbere, nonniſi currere, vel peditare,
Celtica curribus exit equeſtribus arua meare.
Qui modò greſſibus ibat ouantibus, incomitatus,
Clerus equeſtria vix animalia paſcit auena.
Serica pallia dat tibi Gallia, Roma caprinum,
Errat ibi pedes, ambulat hîc eques in reſupinum:
Gens fluit obuia, fit ſibi gloria, pulchra videri.
Ductus in atria pontificalia molle recumbit,
Pocula præcipit, agmina ſuſcipit, oſcula iungit.
Roma quid exequar, imò quid eloquar, aut tibi promã?
Vncia te rotat, vncia te notat haud fore Romam.
Tu populos tibi, te rutilans ſibi marca ſubegit.
Semper enim lucra progenies tua vult, agit, egit.
Hæc ſitis ebria ſtat tibi propria, marte, togáque
Te cremat, impiat, vrit, inebriat, excruciátque,
Das ſacra culmina, das moderamina ſacra probroſis,
Arida mitibus, afflua ditibus ambitioſis.
Fas mihi ſcribere fas mihi dicere, Roma fuiſti: C
Ecce relaberis, atque reſolueris ordine triſti.
Vrbs ſine viribus, & ſine patribus obruta marces.
Dardanias premit, Auſonias emit aureus arces,
Fas mihi ſcribere, fas mihi dicere, Roma periſti.
Obruta mœnibus, obruta moribus occubuiſti,
Vrbs ruis inclyta, tam modò ſubdita, quàm prius alta:
Quò prius altior, hoc mihi preſſior & labefacta.
Clauda redis, caput alta iaces apud omnipotententem.

Iohannes Monachus.

Curia vult marcas, burſas exhaurit, & arcas:
Si burſæ parcas, fuge Papas, & Patriarchas.
Se dederis marcas, & eis impleueris arcas,
Culpa ſolueris quaque ligatus eris.
Intus quis? tu quis? ego ſum. quid quæris? vt intrem.
Fers aliquid? non. ſta foris. fero quod ſatis. intra.

Iohannes Monachus Romam à prædonibus fundatam adhuc de primordiis retinere ſcribit.

Dicta eſt enim (ait) Roma, quaſi rodens manus Vnde verſus

Roma manus rodit: quod rodere non valet, odit.
Dantes exaudit, non dantibus oſtia claudit.
Curia curarum genitrix, nutrixque malorum,

A *Ignotos notis,inhoneſtis æquat honeſtos.*

Ex Munſtero prædictio planè cum D.Paulo conſentiens,etſi in ea Lex carminis non ſatis obſeruata alicubi videtur.

Roma diu titubans longis erroribus acta
Decidet:& mundi deſinet eſſe caput.
Eccleſiæ cenſura,fides,diſceſſio Romæ,
Regnáque de medio ſunt remouenda prius.
Qui latet error,erit publicus,connubia fœda
Fient,tolletur hinc pudor,inde timor.
Poſt homo peccati veniet,quem Spiritus oris
Chriſti perdet,erit póſtque ſuprema dies.

Gregorius Magnus Epiſt.30.ad Mauritium Imperatorem.lib.16.

Nunquid non,quum ſe Antichriſtus veniens Deum dixerit friuolum valde erit ſed tamen nimis pernitioſum? Si quantitatem vocis attendimus,duæ ſunt ſyllabæ: ſi verò pondus iniquitatis,vniuerſa pernicies. Ego verò fidenter dico,quod quiſquis ſe Vniuerſalem Sacerdotem *vocat,vel vocari deſiderat: in elatione ſua Antichriſtum præcurrit,quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit.*

Ex epiſtola Epiſcoporum Germaniæ & Galliæ contra Anaſtaſium Papam,ſub Clodoueo rege, ex Auentini collectaneis. B

Præterea iuxta literam intellectus noſter refugit nouitatem compaſſionis, qua vtuntur erga infirmitatem Franciæ medici Italiæ. Continuis febribus agitantur, qui curare noſtros Epiſcopos volunt. Cæci ſunt qui lumen eis promittunt. Gibberoſos & obtortos noſtros eſſe putant,qui habentes ſtrumam auaritiæ, anguſtam portam non intrant. Oues ſuas errare permittunt,& paſtores noſtros ad viam veritatis reuocant, quum ſpiritualium morborum medicinam, hoc eſt, abſolutionem animarum Romæ eſſe aſſerunt,&c.

Gualterus Mapes,de Papa & illius decretis,de toto clero Papiſtico, imprimíſque de Epiſcopis agens,eorum mores ſequentibus verſibus deſcripſit.

Væ genti inutili cornutis ducibus,
Qui multant mutilos annatæ fructibus:
Dum habet quilibet fœnum in cornibus,
Non paſtor ouium,ſed paſtus ouibus.
Non tantùm cogitat ille de miſeris,
De claudis ouibus,agníſue teneris:
C *Quantum de computo lactis aut velleris.*
Sic ouem perditam reportat humeris.
Si vulgi inuenerit exceſſus paruulos,
Cauſatur fidei læſos articulos:
Trahit ius ouium in caulæ tribulos.
Vellens exuuias,& mungens loculos.
Errantem ſequitur grex errans prauium:
Quem paſtor deuius ducens per deuium
Poſt lac & vellera dat carnes ouium,
Luporum dentibus,& roſtris auium.
Hîc ſcriptas reperi conſuetudines,
Officialium raptim imagines,
Fraudes,inſidias,& turpitudines,
Quæ magnos Codicis excedunt margines.
Hi ſunt:quos retinens mundus inhorruit,
A quorum facie totus contremuit,
Quos dum in cautibus Rhodope genuit,
Ad omnes ſcelerum motus exacuit.

Franciſcus Petrarcha, qui vixit ante annos 260. Italicorum poëtarum facilè princeps, quid ſua ætate homines de Eccleſia Romana ſentirent, his verſibus ſcriptum nobis reliquit.

Fontana di dolore,albergo d'ira, A
Schuola derrori,è tempio d'hereſia
Gia Roma,hor Babylonia falſa eria.
Per cui tanto ſi piagne,& ſi ſoſpira:
Offucina d'inganni,ô pregion d'ira,
Oue` l'ben muore,e' l'mal ſi nutre è cria:
Di viui inferno:vn gran miraculo ſia,
Si Chriſto teco al' fine non s'adira.
Fondata in caſta & humil pouertate.
Contra tui fundatori alzi le corna
Putta sfaciata:è dou' hai poſto ſpene?
Negli adulteri tuoi:ne le mal nate
Richezze tante:hor Conſtantin non torna,
Ma tolga l' mondo triſto,che l s'eſtiene.

Fiamma dal ciel ſu le tue treccie pioua
Maluagia, che dal fiume,& da le ghiande
Per l'altrui impouerir ſe ricca e grande,
Poi che di mal oprar tanto ti gioua.
Nido di tradimenti:in cui ſi coua
Quanto mal per lo mondo hoggi ſi ſpande
Di vin ſerua,di letti,è di viuande.
In cui luxuria fa l'vltima proua. B
Per le camere tue fanciulle,è vecchi
Vanno troſcando,e Belzebub in mezo
Co mantici,col fuoco,e con gli ſpecchi.
Gia non fuſtu nutrita in piume al rezo,
Ma nuda,al vento,e ſcalza fra li ſtecchi:
Hor viui ſi,ch'a Dio ne venga il l'ezo.

Hos autem verſus ita vir doctiſſimus Latinos ad verbum fecit.

Fontana di dolore.

O fons dolorum,domicilium irarum.
Schola errorum,templum hæreſeum:
Olim Roma,nunc Babylon falſa & nequam,'
Cuius cauſa tantùm lachrymarum funditur & ſuſpiriorum.
Officina fraudum,ô clauſtrum irarum,
In qua bonum interit,malum creatur & alitur.
Viuentium inferne & cruciatus:miraculi ingentis inſtar fuerit,
Ni Chriſtus tandem tibi iraſcatur.
Tu,cuius fundamenta iacta ſunt in caſta,& humili paupertate,
In authores tuæ originis erigis cornua: C
Scortum perfrictiſſimæ frontis, & qua in re poſuiſti ſpem?
In tuis adulteriis? in malè partis
Tantis opibus?iam Conſtantinus non reuiuiſcit:
Sed perfruatur iam mundus eo quod paſſus eſt.

Fiamma dal ciel.

Flamma cœlitus in tuos crines pluat
Improba,quæ ex flumine & glandibus,
Alterius paupertate,es diues & potens,
Quando improbè agere adeò te iuuat.
Nide proditionum,in quo latitant
Quæcunque mala per orbem terrarum hodie ſparguntur.
Vini ſerua,otij,& epularum,
In qua libido ſuos extremos edit conatus:
Per cubicula tua puellæ,& ſeniores
Vadunt ludentes,& Belzebub inter eos,
Cum follibus,& igne,& ſpeculis:
Olim non fuiſti tu educata in plumis ad auras,
Sed nuda,ventis expoſita,nō calceata inter ſentes:
Iam viue ſic,vt Deum capiat faſtidium tui.

IN PETRI LOMBARDI EPISCOPI PARISIENSIS (QVI MAGISTER SENTENTIARVM APPELLATVR) LIBRVM PRIMVM SENTENTIARVM,

qui eſt de vero Deo, eſſentiâ quidem vno:
perſonis autem trino:

LAMBERTI DANAEI COMMENTARIVS TRIPLEX: VNVS, AD
marginem ipſius libri, in quo ſingularum Diſtinctionum artificium breuiter explicatur: Alter,
B *vbi Locorum à Lombardo prolatorum accurata collatio facta eſt: Tertius, qui Cenſurā Doctrinæ,*
Methodique Lombardi, tum ex ipſo Dei verbo, tum ex veris ſententiarum ſcribendarum præceptis habet.

Acceſſerunt initio quidem operis, Prolegomena, vbi Scholaſticæ Theologiæ, origo, progreſsiones, & B
ætates oſtenduntur.

Item Elenchus Additorum, Detractorum, & mutatorum à Lombar.

Ad calcem autem, Synopſis, in qua veteres Synodorum & Symbolorum de eodem argumento Canones certis capitibus deſcribuntur.

Hilarius.

Nunc mihi non alia ad dicendum cauſſa, quàm Chriſti eſt: cui & hoc debui, quod vſque nunc tacui: & ex reliquo me intelligo debere, ne taceam

---

AD LECTOREM, IMPRIMIS AVTEM SCHOLASTICOS THEOLOGOS.

Hieronymus Tom. 3. Epiſt. 3.

Legant priùs, & poſtea diſpiciant, ne videantur, non ex iudicio, ſed ex odij præſumptione ignorata damnare. Non eligo quod reprehendam, eligant ipſi quod vitio careat.

Ex eodem.

Non eſt detrahere verum dicere. Noſtra correptio viuificatio eſt, vt hæreſi moriens viuas Catholicæ fidei. Multitudo ſociorum nequaquam te Catholicum, ſed hæreticum eſſe demonſtrabit.

Ex Epiphanio ad Hieronymum.

Quaſi multitudo peccatorum ſcelus minuat, & non numeroſitate lignorum maior gehenna flamma ſuccreſcat.

Plato è lib. 6. de Rep.

Σοφιστεῖ μὴ ἄλλα παιδεύειν, ἢ ταῦτα τὰ πολλῶν δόγματα.

M. Cicero, Philipp. 2.

C *Cuiuſvis eſt hominis errare: nullius, niſi inſipientis, in errore perſeuerare.*

Ex Hieron.

Grandis tamen prudentia eſt aurum in luto quærere. C

CLARISSIMIS ET AMPLISSIMIS VIRIS, DOMINIS, PRÆTORI, Conſulibus, Senatoribus, ac Secretario vrbis Leydenſis: eiúſque Academiæ præfectis, ac Profeſſoribus eruditiſsimis, Dominis ſuis plurimum obſeruandis,

LAMBERTVS DANÆVS IN CHRISTO S. P. D.

NON eram neſcius, V. Clariſſimi, quum ea, quæ ad hunc vſque diem ſcitè dicta & certa viſa ſunt, ad verbi diuini amuſſim reuocarem, fore, vt hic noſter labor in varias reprehenſiones incurreret. Nam nonnullis, & ijs quidem, qui moderatiores videri volunt, hoc totum diſplicet, mutuus ſe libris & ſcriptionibus vexare. Quidam, etſi id totum non reprehendunt, in ijs tamen potius verſandum fuiſſe iudicabũt, quæ ſunt magis inter nos controuerſa, & dubia: in ijs autem, de quibus antea nemo penè litem mouebat, (qualis eſt hic primus Sententiarum P. Lombardi liber) neque tantum ſtudiũ, neque tã multã operã ponendã arbitrabuntur. Erunt etiã, qui nos malè de Theologia Chriſtianã mereri fortaſſe dicẽt, quòd hũc tã auguſtũ & arcanũ fidei noſtræ articulũ qui eſt de S. Trinitate) tã multiplici diſputationũ genere inuolutũ eſſe oſtẽdamus. Poſtremò aliquos futuros ſuſpicor, q me in his ſcriptis, (quæ tã varia authorũ cõgerie cõſtãt) tanquã in aceruo aciculã: & in ſcirpo nodũ laborioſè quidẽ, ſed fruſtra quæſiuiſſe cõquerẽtur. Cõtra quos oẽs dicendũ breuiter exiſtimo: quãquã poſtremis ſatis reſpõſum eſt in vltimo noſtrorũ προλεγομένων capite, & demõſtratũ nõ oĩa, quæ in hoc libro meritò notari poterãt: ſed quæ neceſſaria erãt, à nobis tãtùm fuiſſe reprehẽſa. Qui igitur de cõtro

A *uerſis fidei Chriſtianæ capitibus omnino ſcribendum non putant, & eos damnant, qui in ijs rebus cæleſtem & ſacrã Dei veritatem libris editis defendunt, id certè poſtulãt à nobis, quod eſt iniquiſſimũ, nẽpe, vt ipſius Dei veritatis deſertores, ac noſtræ ipſorũ ſalutis æternæ (qua ſolùm vera fide: non autem mẽdacio inniti poteſt) cõtẽptores euadamus. Qua petitione quid iniquius, aut toti Chriſtianæ Eccleſiæ pernicioſius eſſe, vel cogitari poteſt? Erat quidem illud optãdum, ne quis vnquã, ſaltẽ Chriſtianũ nomen profeſſus, quicquã præter Dei verbum de fide ſaperet aut doceret: ſed quoniã tanta eſt humanæ mentis, & tam impudens, ne dicam ſacrilega, audacia, vt mendacia ſua pro veritate, venenũ pro ſalutari cibo obtrudere ſæpe eã nõ pudeat: tanto malo eſt certè quidẽ obuiã eundũ, ne ſi fuerit neglecta veritas, miniméque cõtra errores defenſa, tandẽ gradum ſuũ, authoritatémque in media ipſa Eccleſia (quod in miſero illo Papatu iã accidit) prorſus amittat. Qui autem in ijs potius noſtrã operã ac ſtudium probarent, quæ ſunt hodie magis inter nos, & aduerſarios in cõtrouerſia poſita, ij certè cũ apud ſeipſos perpenderint, quãti momẽti quóve loco ſit inter cæteros fidei Chriſtianæ articulos vnus hic de* SANCTA TRINITATE *locus, ab eo potiſſimum inchoãdũ fuiſſe mihi, quẽadmodum opinor, facile cõcedent. Neque. n. hoc ipſo fructuoſior eſt alius: neque etiã (quẽadmodum ait Auguſtinus) in quo periculoſiùs erretur: aut qui laborioſiùs quæratur. Nam in hoc eodem ipſa fidei noſtræ ſumma verſatur: inuocationis Dei fundamentum poſitũ eſt: totius denique doctrinæ vtriuſque Teſtamenti diuini ſcopus eſt ſanè cõprehenſus. Quò grauiori accuſatione digni ſunt ij, qui hoc argumentum in iſto Lõbardi libro aſſiduè tractãtes (ij autem ſunt Scholaſtici) tam ſecurè, ne dicam ſupinè, ac* B *negligenter illius ſententias omnes, tanquã* κυρίας *quaſdã* δόξας *amplexi ſunt: & eas tanquã inguſtatum cibũ ne ſentientes quidem quid ederent ſtupidè deuorarunt. Sed illi, quod datatim traditũ erat,* ὀμεσκῆ, *vt dicitur,* πιστῶς *& ſeruili quadã parẽdi neceſſitate ſuſceperunt: neque ad ipſum Dei verbum (tanquã ad Lesbiã illã normã) fidei ſuæ capita examinãtes: neque ipſos etiã autorum, qui hîc citabãtur, codices cõſulentes. Tã fuit miſera, & ſeruilis, inquam, ſuperiorum illorum temporum (quibus Papatus in Eccleſia Tyrãnidem obtinuit) ſeruitus. Ergo quod in pecudibus fieri videmus, vt ſi quãdo in grege ouium vna propter metum locum aliquem, velut ſalebroſum, ſaltu trãſilierit, cæteræ omnes ad illius imitationem, & eodem incõſiderato metu perculſæ eundem illũ locum ſaltu itidem trãſmittãt: ita hominibus Scholaſticis euenit, vt quod à Maioribus intactũ ac inemendatum acceperant, ipſi quoque Panico quodã terrore attoniti, & velut* ἐμβρόντητοι, *præterſilientes, inexaminatum, aut inexploratum relinquerent. Fuit enim illis homo ſacer &* ἄσυλος *Lõbardus, quem attingere nemo ea ætate audebat: & ipſius ſcripta, tanquã aurum quoddã Tholoſanũ (aut potiùs velut quoddã templi adytum & aſylum) inuiolabilia, &* ἀνυπεύθυνα *cenſebãtur. Verùm, ſummo Dei beneficio, ſucceſſit hiſce tã horrendis mundi tenebris noſtra hæc fælicior ætas, quæ verbi Euangelici luce illuſtrata, & Dei ſpiritu accenſa, & corroborata, omnem de ſalute animorum propoſitã doctrinã cœpit ex Iſaiæ præcepto, Theſſalonicenſiúmque exemplo, ad legem & Prophetas. i. ad verbum Dei ſcriptum diligenter exigere: atque adeo has ipſas Lombardi ſententias, aliorúmq; omnium ſcripta in ea, iuſtiſſima, miniméque fallaci trutina, appendere. Inde autem ſtatim multa leuiora, ac tanquam* ἀδόκιμα νομίσματα, *deprehendi, repudiarique cœperunt. Qua in re non fuit pœnitenda, aut leuis M. Lutheri: poſt autẽ I. Caluini* C *(parẽtis in Chriſto mei) & Phil. Melanchthonis opera, imò admirabilis illorũ pro Dei regno ꝓpagãdo aſſerendaq; Chriſti veritate cõſtãtia: quibus varij poſtea, velut Theo. Beza (præceptor & ipſe quoque meus) Hieronymus Zanchus, M. Chemnitius, Chriſtophorus Pezelius, & alij aliquot viri clariſsimi, ſucceſſerunt. Sed cùm hi carptim tantùm ea reprehenderint, quæ pro argumenti à ſe ſuſcepti ratione, in Lõbardo cõtraria verbo Dei occurrebãt, perpetuũ autẽ ipſius doctrinæ examen nõ inſtituerint: viſus ſum & amicis aliquot pijs viris, & ipſi adeo Eccleſiæ operæpretiũ facturus, ſi nõ vnũ duntaxat aut alterum Lõbardi locũ, ſed vniuerſum aliquod argumentum ab eo tractatum ex Dei verbo perpetua quadam obſeruatione diiudicarem: vt quid, quantúmque fidei Lombardo in cæteris locis eſſet tribuendum, omnes pij, veritatíſque Dei amantes viri intelligerent. Hoc igitur, quanquã penè Herculeum opus (id enim verè citráque vllã oſtentationẽ certè dixerim) virorũ bonorũ hortatu tandem ſum aggreſſus. Et primùm quidem cùm pauca contuliſſem, authorem iſtum aranearum (vt loquuntur) plenũ deprehẽdi. Poſtea verò quũ dulcedo ſciendi (*οὐδὲν γὰρ γλυκερώτερον, ἢ πάντ' εἰδέναι τ' ἀγαθὰ*) lõgiùs me pertraxiſſet, totum illius librum primum euoluere, perluſtrare, atque examinare ſum auſus. De reliquis quid ſim acturus, nondum apud me conſtitui. Vnum tamen hoc, vtpote expertus, affirmare, & ſãctè iurare poſſum, ſi quis hunc authorem integrum repurgare velit, illum, velut alterum quendam cœleſtémque Herculẽ, conari plus quã ipſius Augiæ ſtabulũ exhaurire: ſic nimirũ & falſis allegationibus, & falſa doctrina, velut ſanie, & ſordibus ſcatet hic autor totus. Quæ quia ex ipſarũ Annotationum noſtrarum lectione poſtea cognoſcentur, de his non ſum hoc loco latiùs dicturus. Quòd autem quidam fortè mirabuntur, quid nobis in mentem venerit, vt poſt tantum tẽporis nos Lombardum reprehendere cogitaremus, in eo noſtrum quoque & ipſi reſponſum habeant. Neque*

ſeram

A ſeram gratulationem,neque ſeram reprehēſionem accuſari meritò poſſe,præſertim quæ culpa careat,
id eſt,quum quòd tandiu tacuimus,non noſtræ negligentiæ,ſed temporis ipſius rationi ac neceſſitati
tribuendum planè ſit: Antea igitur non potuimus, vtpote vel qui nōdum nati eſſemus,vel qui totam
iſtorum hominum doctrinam antè percipere voluimus,quàm in illa quicquam temerè à nobis
non ſatis intellectum damnare. Quamobrem quòd ad hunc vſque diem ſiluimus,hoc & tempori,&
noſtræ fidelitati,& ipſi rerum neceſſitati eſt certè cōdonandum. Huc enim vſque taciturnitas noſtra,
vt cum Hieronymo loquar, diſpenſatio fuit,nō conſenſus:& ſua eſt cuique rei tempeſtas. Quamquam
etiam, vt eſt in veteri prouerbio,facimus iſtud ſat citò,ſi ſat bene. Neque verò nouum eſt,aut in Eccleſia
Dei inuſitatum,vt iampridem defunctorum hominum errores poſt ipſorum obitum publicè arguantur.
Penè enim ducentis poſt ipſius mortem annis damnata ſunt à Theophilo Alexandriæ Epiſcopo
Origenis Adamantini erronea dogmata,quæ tamen,velut vera,in Eccleſia diutiſſimè recepta
fuerant. Damnantur hodie, & meritò quidem, & tamen poſt mille ducentos ab eorum exceſſu annos,
multæ Hieronymi:& quædam Auguſtini ſententiæ, olim tamen populariter laudatæ,quoniam
nunquam ſera eſt mali,falſæq; doctrinæ(quantumcunque tempore confirmatæ) extirpatio. Denique
vt hæreticorum libri,qui diu tamen probati fuerant,cremarentur etiam multis poſt ipſorum obitum
ſeculis,ſæpe est in Eccleſia Dei constitutum,vt Tomi conciliorum docent:& exemplo ipſo comprobatum
ac factitatum,quemadmodum Gelaſius,Iuſtinianus,Iuſtinus & Euagrius oſtendunt. Nam neque
B temporis vetustas, neque hominum conſenſus,quantumuis diuturnus,errorem,vel mēdacium
in veritatem poteſt commutare.Itaque cùm nobis erectis in cælum oculis,non autem in vana hominum
iudicia intuentibus ſit de vera fide Philoſophandum,nunquam poteſt ſera aut intempestiua videri
erroris etiam receptiſſimi reprehenſio,quæ ex Dei ipſius ore & verbo fieri demonstratur. Imò
verò quò error aliquis diuturnior fuit,eò periculoſior,turpiórque cenſendus est. Superest igitur vt
ad eorum reprehenſiones reſpondeam,qui me de Theologia Christiana malè mereri fortaſſe dicent,
quòd tot ſalebroſas in tam auguſto argumento dubitationes,perplexáſque quæstiones excutiam,quæ
vel antea ignotæ,vel feliciter ſepultæ conticeſcebant. Cui hominum accuſationi,ſi qua erit,hoc vnum
reſponſum eſſe velim: Lombardo ipſi,(quem κατὰ πόδας ſum ſecutus) non autem mihi imputādum eſſe,
culpámque affigendam,ſi quæ perplexæ,duræ,ſpinoſæ,atque etiam curioſæ quæstiones in hoc tam ſacroſancto
argumento tractantur. Illas enim ipſe,non autem ego, induxit,quas etiam(ſi quando inciderint)
pro virili dilucidè explicare,& earum etiam ipſarum vſum tradere ſum equidem conatus:
vt ſi quid in illis inſit lucis,hoc mihi citra arrogantiam vindicandum:ſi quid obſcuritatis & nimiarum
argutiarum , hoc citra odium Lombardo ſit tribuendum. Inſumma ſi quis alius in cæteris, vel
eiuſdem Lombardi,vel aliorum Scholaſticorum præcipuis ſcriptis id præſtiterit , quod nos hîc voluimus,
næ ille vtiliſſimam Eccleſiæ Dei operam nauauerit , ex qua mortales omnes (qui modo ſyncerè
& candidè,non autem ex vllis præiudiciis de ipſa rerum veritate iudicare cupiunt)intelligēt,quàm
ſint vana,infirma,& falſa,ipſique Dei verbo vt plurimùm repugnantia, omnia Papiſticæ,ſeu Pontificiæ
doctrinæ fundamenta : atque propterea quàm ſit & ipſa quoque illa(quæ fundamentis iſtis innititur)
C Papiſtarum fides & doctrina debilis,atque falſa. Sed quia in Prologomenis,quæ ſit prima totius
huius doctrinæ Lombardicæ ſeu Scholaſticæ (vna enim & eadem eſt origo) docuimus , & à
multis quoque multa in eandem ſententiam antea dicta ſunt , plura de ea dicere non puto mihi
iam neceſſe. Illud potius explicandum videtur, cur vobis vrbis Leydenſis Senatoribus ſanctiſſimis,
& vobis quoque celebris illius Academiæ Profeſſoribus eruditiſſ. & vtriſque Viris clariſſimis,
atque Optimis, cur, inquam , potiſſimum vobis meum hunc laborem dedicandum ipſe vobis
ignotus, & homuncio obſcurus existimarem. Certè huic meo , quanquam iustiſſimo maximéque
neceſſario, tamen Scholaſticis & Pontificijs doctoribus omnibus exoſo, & arrodendo(quàm difficilè
enim est istud diuinare?) ſcripto quærendos fuiſſe patronos , & eos quidem non minutos , ac
vulgares quoſdam,ſed inſignes,& vera in Deum pietate, ac ſolida rerum cognitione celebres,nemo
non videt. Quis enim deſertum , & nullius authoritate communitum eum librum edat in
lucem , qui statim innumeros aduerſarios , omnes nimirum Pontificiæ doctrinæ fautores,ſit habiturus?
Ergo ne fætum hunc meum prodere , & istis furioſorum hominum dilaniationibus
exponere immiſericorditer vellem, fuit illi quærendum firmiſſimum aliquod piorum , veríque
Dei timentium virorum præſidium , quo ab iſta vi tanta , tantóque periculo tutus
ſeruaretur. Ecquod verò istius implorari , quàm vestrum omnium potuit , Viri orntiſſimi ,
quorum res postremis hiſce temporibus gestæ , ſummam pietatem : & religionis
profeſſio puriſſimam verbi Dei , atque Euangelij doctrinam inter vos eſſe testatur ?
Nam , vt omittam illa , quæ vobis ſunt quum omnibus feliciſſimæ iam Hollan-

A *diæ ordinibus cōmunia, quòd abdicato prorſus Papiſmo, eſtis ſummo ardore amplexi fidem in verum Chriſtum illum vnigenitum Dei Filium, Dominum, & vnicum apud Patrem mediatorem noſtrum: vt nō cōmemorē illa, veſtra quidē, ſed penè iā vetera, & tamē immortali hominū laude digniſſima, quòd vt patriā veſtrā. i. vniuerſam Hollandiā à ſæuiſſima illa Hiſpanorum (quā iam tot annos inuaſerāt) tyrannide liberaretis: Bis in periculū rerū omniū. i. capitis & fortunarū veniſtis: Bis ab Hiſpanis obſeſſi eſtis: Bis quoque à Deo, ſummo miraculo, ex eorū faucibus erepti. Quomodo de ceteris rebus à vobis feliciter geſtis tacere vlla hominū ætas poterit? Ergo acerba quæque tolerātes tandē illū, qui cenſebatur inuictus, victum Hiſpanorū exercitum vidiſtis, nimirū Illuſtriſs. Auraniæ Principis, viri ad Eccleſiæ patrociniū nati, auſpicijs: Duce fortiſſimo illo & verè antiquis Athenienſiū & Rhodiorū Thalaſſiarchis, conferēdo Boiſoto: præfecto Leydēſis vrbis Iano Duza penè quidē adhuc adoleſcente, ſed tamē iā Hectoreū illud pectus ſuū fortiter pro Patriæ ſalute hoſtibus immaniſſimis opponēte. Qui quāuis ſic videretur, & natus, & educatus, vt totū ſe tradidiſſet tranquillo Mineruæ otio, ſtudióque Poëtices (in qua locū inter eximios noſtræ ætatis poëtas habet) ita tamē in ipſo periculo Martij illi & generoſi Duzæ impetus prius deliteſcētes, ſtatim emicuerunt, ſéque prodiderunt, vt nihil Duza cōſtantius, nihil fortius, nihil denique magis & ſtrenuū & prudēs appareret. Sed hæc omnia prætermitto. Sunt. n. illa vel vobis cū multis ampliſſimis alijs Hollādiæ ciuitatibus cōmunia: vel cenſeatur eſſe hæc extraordinaria quædā veſtra illiúſque Illuſt. Auraniæ Principis felicitas vobis à Deo benignè cōceſſa. Ad eā igitur laudē, quæ propriè veſtra eſt, mea feſtinat oratio. Qualis eſt. n. Deus immortalis, quātúſque hic veſter in regnū Dei propagādum ardor, quòd cū homines ipſos, mortales: piā autē religionē, immortalē eſſe debere iudicaretis, celeberrimā Academiā, vbi perpetuò illa veræ fidei do- B ctrina ſonaret, non modò ex cōmuni Hollandicorū ordinum cōſenſu eſſe decreuiſtis: ſed in ipſummet gremium veſtrū volētes iubētésq; vos, inquā, ſuſcepiſtis: Vos in eā regni Chriſti partē ſtudiū omne, operā, diligentiā, opesq; omnes veſtras liberaliſſimè atque benigniſſimè præter cæteros polliciti eſtis? Magnū certè quidē hoc erat Dei in vos beneficium, quòd ex miſerrimis ac exitioſiſſimis ſuperſtitionibus Papiſticis, Pater ille clementiſſimus vos ſemel liberarat. Sed illud eſſe, & maius, & admirabilius Dei inter vos opus nemo certè iā diffiteri poteſt, quòd præter omniū hominum ſpē, lucē è miris tenebris inter vos Deus eduxit. Nā ex qua vrbe grauis illa & tetra hæreſeωn, nempe Anabaptiſtarum, lacuna primùm ſcaturijt, & in alias regiones arte Satanæ exhalauit: in ea ipſa vrbe Dominus iā veriſſimum, ſuauiſſimum, puriſſimumq; doctrinæ ſuæ fōtē aperit, qui ſuis limpidiſſimis riuis nō tantùm cæteras Batauorum vrbes irrigare: ſed poſtea ad vniuerſas Dei Eccleſias deriuari & propagari poſſit. Quod certè vt obtineatis, nullo vel labori, vel ſumptui veſtro parcitis, & vndique vobis doctiſſ. viros ad ornandā illam Academiā veſtram accerſitis, qualem vos præſtantiſſimum illum Feugereium Theologū antea habuiſtis: qualem celeberrimum illum Iuriſconſultum D. Hugonem Donellū I.C. nuper ad vos vocaſtis: qualem ſingularē illum πολυίςορα Iuſtum Lipſiū iampridem nacti eſtis, quorum egregia ingenij monimenta caneſcent ſeclis, vt ait ille, innumerabilibus. Nec minorem ſanè Petreius Tiara, & alij in ſua quiſque arte & facultate laureā Profeſſores veſtri merentur, de quorum laudibus plura dicerē, niſi eorū modeſtia & pudor mihi manū inijceret. Sic igitur & in cæteras C artes, & in vnā præcipuè Chriſti doctrinā purā ad poſteros cōſeruādā egregiè laboratis. Nā diſciplinā Eccleſiaſt. quid cōmemorē, quæ ipſius Doctrinæ indiuidua quædā comes eſt? Quæ. n. verbi Dei vis, & authoritas eſſe ſine diſciplina poteſt? Quis vitæ morūq; ſanctitatis vel inſtituēdæ, vel cōſeruādæ ratio, ſemel ſublata diſciplina Eccleſiaſtica reſtat? Illa. n. eſt ipſius doctrinæ neruus, Eccleſiæ decorū, ornamētū cœtus, robur exhortationū, neceſſarium deniq; ad oēs libidines coercēdas frenū. Qui verò hac ſemel inducta, ius Chriſtiani magiſtratus euerti, vel tātillum imminui putāt, ij certè ab ipſo Spiritu S. apertè cōfutātur. Nā ille & magiſtratus ius illibatū, & huius diſciplinæ vſum in Eccleſia ſimul cōiungit. Imò verò vtraque hæc (ſiue Iuriſdictio, ſiue poteſtas appelletur) ciuilis nēpe, & Eccleſiaſtica ad regnū Chriſti inter homines ꝓpagādū pulcherrimè atq; amiciſſimè inter ſe cōiurat: altera fouet alterā: altera alterius eſt & cuſtos, & adiutrix: & eo inter ſe nexu vinciūtur, quo bini in eodē corpore oculi, binæ, manus, bini pedes: vel, ſi quis fortaſſis intelligere explicatiùs iſtā vtriuſque huius poteſtatis ſocietatē velit, quo oculus & manus ad totius corporis conſeruationē & tutelā à Deo in nobis ſingulis coniunguntur. Eſt n. diſciplina Eccleſiaſtica, quique legitimè illi ex vniuerſæ Dei Eccleſiæ ſuffragio & cōſenſu præſunt, velut oculi ipſius magiſtratus: Magiſtratus verò velut iſtorum oculorū manus & robur. Quāobrem hoc iā à vobis petā, V. Clariſ. vt quoniā huius meæ erga vos obſeruātiæ rationem expoſui: hoc meū de veſtris virtutibus iudicium, ac teſtimoniū æquis animis interpretemini. Quod feciſſe vos intelligā, ſi hoc meum munuſculum animo tā benigno accipiatis, quàm beneuolo vobis demiſſoq; à nobis offertur. Dominus Deus per vnigenitum Filiū ſuum vos Sancto ſuo Spriritu corroboret, & ſub vmbra alarum ſuarum protegat, atq; veſtris omnibus conatibus ad laudē ſui nominis benedicat. Datum Geneuæ Cal. Septemb. anno temporis vltimi* CIↃ IↃ LXXX.

V. D. addictiſs.
Lambertus Danæus.

INCIPIVNT RVBRICAE LIBRI PRIMI.

Distinct. I.

Omnis doctrina eſt de rebus vel de ſignis.1.A
De rebus quibus fruēdū eſt vel vtēdū,& de his quæ fruuntur & vtuntur. 2.B
Quid ſit frui,vel vti, ibidem.C
Determinatio eorū quę videntur contraria.ibid.D
Alia determinatio. ibidem.E
Vtrum hominibus ſit vtendum vel fruendum. 3.F
Hîc quęritur an De⁹ fruatur,an vtatur nobis.ib.G
Vtrū vtēdū,an fruendū ſit virtutib.ib.H.Epilog.4

Distinct. II.

De myſterio trinitatis & vnitatis. 4.A
Quæ fuerit intentio ſcribentiū de trinitate.ibid.B
Quis ordo ſit ſeruādus cùm de trinitate agitur.5.C
Teſtimonia ſanctorum de trinitate. ibid.D
Apertè oſtendit quòd nec ſolitudo,nec diuerſitas, nec ſingularitas ibi eſt,ſed ſimilitudo. ibid.E
Ad idem quod cœperat redit, vt alias authoritates ſupponat. 6.F
Specialia teſtimonia de Spiritu ſancto. ibid.G
De teſtimoniis noui teſtamenti ibid.H

Distinct. III.

De cognitione creatoris per creaturas, in quibus trium veſtigium apparet. 7.A
Prima ratio vel modus,quomodo potuit cognoſci Deus. ibid.B
Secunda,tertia,& quarta ratio, qua potuit cognoſci Deus. ibid.C.D.E
Qđo in creaturis apparet veſtigiū trinitatis.8.F.G
Quomodo æqualia ſint, quia capiuntur à ſingulis omnia,& tota. 9.H.I.K.L
Ex quo ſenſu illa tria dicātur eſſe vnum & vna eſſentia quæritur. ibid.M
Quòd etiam ad ſeinuicem dicuntur relatiuè.ibi.N
Hîc aperitur quod ſuprà quærebatur.ſ.quomodo hæc tria dicuntur vnum. ibid.O
Quòd in illa ſimilitudine eſt diſſimilitudo. 10.P
Prima diſſimilitudo. ibid.Q
Altera diſſimilitudo· ibid.R
Alia aſsignatio trinitatis in anima,ſcilicet mēs, notitia,amor. ibid.S.T.V.X
Quomodo mens per iſta proficit ad intelligēdum deum. ibid.Y
Hîc de ſumma trinitatis vnitate. 11.Z

Distinct. IIII.

Hîc quæritur vtrū cōcedendū ſit,quòd deus ſe genuerit. 11.A
Alia quæſtio de eodem. ibid.B.& 12.C
Redit ad præmiſſam quæſtionem, ſcilicet an deus pater ſe deum,an alium deum genuerit. 12.D

Distinct. V.

Vtrū diuina eſſentia genuerit filiū, vel genita ſit à patre,vel de ipſa natus ſit filius,vel ſpiritus ſanctus proceſſerit. 12.A
Secunda ratio. ibid.B
Tertia ratio & potior. ibidem C
Huic aduerſari videtur Auguſt. 13.D.E.F.& 14.G
Quomodo ſint intelligenda præmiſſa verba Hilarii.14.H.I.& 15.K
Quòd filius non eſt de nihilo,ſed de aliquo,nō tamen de materia:ſic & ſpiritus ſanctus. 15.L
Quare verbum patris dicatur filius naturæ. 16.M

Distinct. VI.

Vtrum pater voluntate genuerit filium,an neceſſitate:& an volens vel nolens ſit deus. 16.A.B
Qualiter intelligēda ſūt illa verba, pater nec nolēs nec volēs deus eſt,nec volens nec nolens genuit filium. 17.C

Distinct. VII.

Hîc quæritur an pater potuerit,vel voluerit gignere filium. 17.A.B.C
Hîc quæritur quomodo intelligenda ſint.18.D.E.
Vtrum pater natura ſit potens gignere filium:& an hoc ſit aliqua potētia quæ ſit in filio.ibi.F.G

Distinct. VIII.

De veritate & proprietate & incommutabilitate & ſimplicitate eſſentiæ dei. 19.A.B
Hîc de incommutabilitate ibid.C
Hîc de ſimplicitate. 20.D
Hîc de ſpirituali creatura oſtendit quomodo ſit multiplex,& non ſimplex. ibid.E
Qualiter deus,cùm ſit ſimplex,multiplex tamē dicatur ibid.F
Tanta eſt dei ſimplicitas,quod nulli prędicamentorum ſubiicitur. 21.G
Quòd deus non propriè,ſed abuſiuè dicitur ſubſtantia.ibidem.H
Quòd nō eſt aliquid in deo quod nō ſit deus.ibi.I.

Distinct. IX.

De diſtinctione trium perſonarum 22.A
Hîc de coæternitate filii cum patre.ibid.B.C.D.E
Reſpōſio Ambroſij ad idē authoritate fulta. ibi.F.
Inuectio Ambroſij cōtra hæreticum. ibid.G.H
Quidā præſumūt diſcutere generationis ſeriē.23.I
Vtrum debeat dici,ſemper gignitur, vel ſēper genitus eſt filius. ibidem K.L.M
Quòd filius ſemper generatur,confirmatur ex dictis Hilarii. 24.N
Breuiter docet quid de hoc concedēdū ſit. ibid.O
Argumentatio hæretici. ibidem.P

Distinct. X.

De ſpiritu ſancto quòd amor patris & filii propriè dicitur, quum ſit in trinitate amor qui eſt trinitas, ſicut verbū propriè dicitur ſapientia, & tamē tota trinitas dicitur ſapientia. 25.A.B.C
Exemplis firmat eadem nomina propriè, & vniuerſaliter accipi. ibid.D.E
Redit oſtendere quod propoſuerat, ſcilicet quòd ſpiritus ſanctus ſit amor,quo pater à filio & filius à patre diligitur. 26.F.G
Quòd ſpiritus ſanctus ſicut communis eſt patri & filio,ita cōmune nomen habet propriū. ibid.H

Distinct. XI.

Quòd ſpiritus S.procedit à patre & filio, quē tamē Græci à filio procedere diffitentur.26.A.&27.B.C
Quòd Græci in ſenſu nobiſcum conueniunt, etſi verbis differant. 27.D
Authoritatibus Græcorum oſtendit ſpiritū ſanctū procedere etiam à filio. ibid.E

Distinct. XII.

Vtrum ſpiritus ſanctus priùs vel pleniùs procedat à patre,quàm à filio 28.A
Reſponſio Auguſtini ad id quod primò quærebatur, ſcilicet an priùs à patre, quam à filio proceſſerit. ibid.B
Hîc agitur de eo,quod ſecūdò quærebatur.ſ.an pleniùs vel magis proceſſerit à patre q̃ à filio.ib.C.D
Ex eodē ſenſu dicitur ſpiritus ſanctus eſſe, & mitti à patre per filium 29.E

Distinct. XIII.

Quare ſpiritus S.cū ſit de ſubſtantia patris, nō dicatur genitus vel filius,ſed tantùm procedēs.29.A
Cùm ſpiritus ſanctus nō dicatur genitus,cur filius dicatur procedere. ibid.B
Quòd non poteſt diſtingui à nobis inter generationem filii, & proceſſionem S.ſancti. 30.C.D

A An ſpiritus ſanctus debeat dici ingenitus ibi.E.F.
Determinatio ſecũdum diuerſas acceptationes dicit eos locutos 31.G
Ex verbis Hieronymi oſtēditur, ex quo ſenſu dixit, ſpiritum ſanctum ingenitum. ibi.H

Diſtinct. XIIII.

De gemina proceſſione ſpiritus ſancti, temporali & æterna 31.A.B
Quòd non ſolùm dona ſpiritus ſancti, ſed etiã ſpiritus Deus datur hominibus & mittitur. 32.C
An viri ſancti poſſunt dare ſpiritum ſanctum. ibidem D.E.& 33.E.F.

Diſtinct. XV.

Quòd ſpiritus ſanctus à ſeipſo datur, & filius quòd à ſeipſo mittitur. 33.A.B
Quomodo intelligenda ſit miſſio vtriuſque. 34.C
Quòd à ſpiritu ſancto etiam ſit filius miſſus. ibi.D
Quòd filius etiam ſit datus à ſeipſo. ibid,E.F.G
Quomodo intelligendum ſit illud, A meipſo non veni. 35.H
B Vtrũ ſemel tantùm ſit filius miſſus, an ſæpe. ibi.I
De duobus modis miſſionis filii ibi.K
Quòd ſecundum alterum modum ſemel ſit miſſus, ſecundum alterum ſæpe: & ſecundum alterum modum dicitur miſſus in mundum, ſecundũ alterum non. ibi.L.M
Quare pater non dicitur miſſus. ibi.N
Quòd filius & ſpiritus ſanctus non ſunt quaſi minores patre, quia miſſi. 36.O

Diſtinct. XVI.

De miſſione ſpiritus ſancti, quæ fit duobus modis, viſibiliter & inuiſibiliter, 36.A
Prùs de illo modo miſſionis, qui fit viſibiliter agit. ibidem.B
Cùm filius ſit minor patre ſecũdum formam creatam in qua apparuit, cur non & ſpiritus ſanctus ſimiliter. ibi.C
Quòd filius ſecundum quod homo factus eſt, non modo patre, ſed ſpiritu ſancto, & etiam ſeipſo minor eſt 37.D
Hilarius aliter dicit, ſcilicet quòd pater ſit maior, nec filius tamen minor. ibi.E

Diſtinct. XVII.

C Quòd ſpiritus ſanctus eſt charitas, qua diligimus deum & proximum. 37.A
Prętermittitur quiddam ad hanc oſtenſionem, neceſſariũ, ſcilicet quòd ſpiritus ſanctus eſt charitas, qua diligimus deum & proximum. 38.B
Authoritatibus ita eſſe confirmat. ibi.C
Quòd fraterna dilectio eſt deus: nec pater vel filius, ſed tantùm ſpiritus ſanctus. ibi.D
Quòd nõ eſt dictũ illud per cauſam, Deus charitas eſt: ſicut illud, Tu es patiētia mea & ſpes mea. 39.E
Quomodo S. ſãctus mittatur, vel detur nobis. ib.F
Vtrũ ſpiritus ſanctus augeatur in homine, vel minus vel magis habeatur, vel detur: & an detur habenti, vel non habenti. ibid.G
Reſponſio ad primam quæſtionem. 40.H
Reſponſio ad ſecundam. ibidem I.
Authoritate cõfirmat vtrãque quæſtionem. ibid K
Quòd aliqui dicunt ſpiritum ſanctum nõ eſſe charitatē qua diligimus Deum & proximum. ibi.L
Reſpõſio ad ꝑdicta determinãs authoritates 41.M
Determinatio primæ authoritatis. ibid.N
Determinatio ſecundæ. ibidem.O
Aliud obiiciunt. ibid.P
Quòd alias inducunt rationes & authoritates ad idem probandum. ibid.Q A
Quòd charitas eſt motus vel affectio animi. ibid.R
Reſponſio determinans autoritates. ibid.S
An cõcedēdũ ſit quòd per donũ dētur dona. 42.T

Diſtinct. XVIII.

Vtrum eadem ratione ſpiritus ſanctus dicatur donum & datum, ſiue donatum. 42.A
Quare ita eſſe videtur. ibidem B
Reſponſio quare datum ſine donatum dicatur ſpiritus ſanctus. ibid.C
Hic quare donum. ibid.D
Quæritur cui donabilis. 43.E
Quòd ſicut filius naſcendo accepit non tantùm vt eſſet filius, ſed etiã eſſentia: ita & ſpiritus ſanctus procedendo accepit non tãtùm vt eſſet donum, ſed etiam vt eſſentia. ibid.F
Quòd ex prædictis videtur quòd filius non tãtùm ſit filius natiuitate, ſed etiam de ſimili eſſentia, & ſpiritus ſanctus proceſſione. 44.G
Exponit verba Hilarii, ibidem.H
Quòd ſpiritus ſanctus dicitur donum & donatum ſecundum duos modos prędictos proceſſionis, B qui, ſecundũ quod donũ eſt, refertur ad patrem & filium: ſecundum quod datum, ad eum qui dedit, & ad eos quibus datur. ibid.I.K
An filius, cùm ſit nobis datus, poſſit dici noſter vt ſpiritus ſanctus. ibi.L
Vttum ſpiritus ſanctus ad ſe ipſum referatur. 45.M

Diſtinct. XIX.

De æqualitate trium perſonarũ. 45.A
Quòd æternitas & magnitudo & potentia in Deo vnum ſunt, etſi videantur diuerſa. ibid.B
Quòd aliqua perſonarũ aliã nõ excedit magnitudine: quia nõ eſt maior vna perſona alia, nec maius aliq̃d duę q̃ vna, nec tres q̃ duę vel vna. 46.C.D
Quomodo dicitur pater eſſe in filio, & filius in patre, & ſpiritus ſanctus in vtroque. ibid.E.
In trinitatę alius alium non ſuperat 47.F.
Quòd nulla perſonarũ pars eſt in trinitate. 47.G
Quare tres perſonæ dicantur ſummè vnum. ibid.
Quum dicimus tres perſonas eſſe vnã ſubſtãtiã vel eſſentiã, nec vt genus de ſpeciebus, nec vt ſpeciē de indiuiduis prædicamus, quia nõ eſt eſſentia genus, & perſona ſpecies, vel eſſētia ſpecies & perſonę indiuidua. ibid.H.& 48.I.K C
Quòd nec ſecundum materialē cauſam dicantur tres perſonæ vna eſſentia. 48.L
Nec ita dicitur tres ꝑſonę vna eſſētia, vt tres homines vna natura vel vni⁹ naturę. ib.M.N.& 49.O.P
Vtrum tres perſonæ differant in numero, quæ in proprietatibus diſtinctæ ſunt. 49.Q
Quare tres perſonæ ſimul non ſint maius aliquid quàm vna. ibi.R.& 50.S
Quòd de⁹ nõ eſt dicēdus triplex, ſed vnus. 50.T.V

Diſtinct. XX.

Quòd aliqua ꝑſonarũ nõ excellit aliã potētia 50.A
Quòd non minus poteſt filius quàm pater. ibid.B
De obiectionibus hæreticis, cõtra hoc, & reſponſionibus catholicis. 51.C.D.E.F.G

Diſtinct. XXI.

Quomodo poſsit dici ſolus pater, vel ſolus filius, vel ſolus S. ſanctus, cùm ſint inſeparabiles. 51.A
Vtrũ debeat dici ſolus pater eſt deus, vel ſolus filius eſt deus, vel ſolus ſpiritus ſanctus eſt deus: an pater eſt ſolus deus, filius eſt ſolus deus, ſpiritus ſanctus eſt ſolus Deus 52.B
Quomodo trinitas dicatur ſolus Deus, cũ ipſa ſit cum ſpiritibus, & animabus ſanctis. ibid.C.D

A *Diſtinct.* XXII.

De nominum differentia, quibus vtimur loquẽtes de Deo. 53.A
De hoc nomine, quod eſt trinitas. ibid.B
De his, quæ temporaliter Deo conueniunt, & relatiuè dicuntur. ibi.C
De his quæ temporaliter Deo conueniunt, & non relatiuè dicuntur. ibid.D
De his quæ propriè ad ſingulas perſonas pertinẽt, & de his quæ vnitatem eſſentiæ ſignificant. ibi. E.& 54.F.

Diſtinct. XXIII.

De hoc nomine, quod eſt perſona, quod cùm ſecundum ſubſtantiam dicatur, tamen non ſingulariter, ſed pluraliter accipitur in ſumma. 54. A.B.C.
Qua neceſsitate dictum ſit, tres perſonę à Latinis, & à Gręcis tres hypoſtaſes vel ſubſtãtię. 55.D.E
Quare nõ dicimus patrem & filiũ & ſpiritum ſanctum eſſe tres deos, vt tres perſonas. ibid.F
B Cur non dicimus tres eſſentias, vt tres perſonas. ibid.G.& 56.H
Quòd in trinitate non eſt diuerſitas, vel ſingularitas, vel ſolitudo: ſed vnitas & trinitas & diſtinctio & identitas. 56.I
Quòd non debet dici Deus multiplex. ibid.K

Diſtinct. XXIIII.

Quid ſignificetur his nominibus vnus vel vna, duo vel duę, tres vel tria, trinus vel trinitas, plures vel pluralitas, diſtinctio vel diſtinctæ, cùm his vtimur de Deo loquentes. 57.A
Magis illa dicuntur ad excludendum, ea quæ non ſunt in Deo, quàm ad ponendum aliqua ibid.B
Quid per vnũ ſignificetur, cùm dicitur, vnus Deus. ibid.C
Quo ſenſu dicitur vnus eſt Pater, vel vnus eſt Filius. ibi.D
Quid per ternarium ſignificetur cùm dicitur, tres perſonæ. ibid.E
Quid per duo, cùm dicitur, duæ perſonæ, vel Pater & Filius duo ſunt. ibid.F
C Ex quo ſenſu dicitur in perſonis diſtinctio, vel perſonæ diſtinctæ. 58.G
Quomodo ibi accipiatur diſcretio. ibid.H
Quomodo trinitas ibi accipiatur. ibid.I
Hoc videtur contrarium eſſe prædictis ibid.K

Diſtinct. XXV.

Quid ſignificetur hoc nomine, perſona in plurali numero, ſcilicet cum dicitur perſonæ. 58.A.B. & 59.C.D.
De triplici acceptione huius nominis, perſona, in trinitate. E.F.& 70.G.H
Ex quo ſenſu dicatur, Alia perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti: ſiue alius in perſona Pater, ſiue alius in perſona Filius, alius in perſona Spiritus ſanctus. 60.I.K.L.& 61.M.

Diſtinct. XXVI.

De hoc nomine hypoſtaſis. 61.A
De proprietatibus perſonarum, & de nominibus rerum relatiuis. 62.B
Quòd non omnia dicuntur de Deo ſecundũ ſubſtantiam: quędam enim ſecundum relationem, non tamen ſecundum accidens. ibid.C
Quare dicatur proprium eſſe vnigeniti Filium Dei eſſe, cùm etiam homines ſint Filii Dei. ibid.D
Quòd homo dicitur Filius trinitatis, & trinitas Pater hominum. 63.E A
Quòd Spiritus ſanctus eadem proprietate donum dicitur, qua Spiritus ſanctus, & vtroque modo relatiuè ad Patrem & ad Filium. ibid.F
Vtrum Pater vel Filius vel trinitas ipſa poſsit dici Spiritus ſanctus. ibi.G
Quòd non omnia quæ relatiuè dicuntur ſuis ad ſe viciſsim reſpondent vocabulis. 64.H

Diſtinct. XXVII.

Quæ ſunt illæ proprietates quibus diſtinguuntur perſonæ. 64.A.B
Quòd non omnino eſt idem dicere eſſe Patrem, & genuiſſe vel habere Filium. 65.C
Quòd proprietates determinant hypoſtaſes non ſubſtantiam, id eſt, naturam. ibid.D.E.F
De generali regula eorum, quę ad ſe & eorum: quę relatiuè dicuntur. 66.G B
An ſecundum ſubſtantiam dicatur Deus de Deo, & huiuſmodi. ibid.H.I

Diſtinct. XXVIII.

Quòd nõ tãtùm tres ſint proprietates perſonarũ. 66.A
An ſolus Pater debeat dici non genitus vel nõ Filius ſicut dicitur genitus. 67.B
De proprietate quam notat ingenitus. ibid.C
Reſponſio Ambro. contra Arrianos de ingenito. 68.D
An diuerſum ſit, eſſe Patrẽ & Filium eſſe ibid.E
Si ſapientia genita dicitur ſecundum relationem vel ſecundum ſubſtantiam. ibid.F
De imagine. 69.G

Diſtinct. XXIX.

De principio. 69.A
Quòd ab æterno, Pater eſt principiũ & Filius, ſed & Spiritus ſanctus. ibid.B
Quomodo Pater ſit principium Filij, & ipſe cum Filio Spiritus ſancti. 70.C
An eadem notione Pater & Filius ſit principium Spiritus ſancti. 71.D

Diſtinct. XXX. C

De his, quæ temporaliter de Deo dicuntur & relatiuè ſecundum accidens, quod nõ Deo, ſed creaturis accidit. 71.A.B
An Spiritus ſanctus dicatur datum vel donatum relatiuè ad ſe, cùm à ſe detur. 72.C

Diſtinct. XXXI.

An Filius dicatur æqualis vel ſimilis Patri ſecundum ſubſtantiam. 72.A.B
De ſententia ſancti Hilarij, qua trinitatem perſonarum propriam oſtendit. 73.C.D.E.F.G
Quare Patri attribuitur vnitas. 74.H
Quare Pater & Filius dicantur eſſe vnum vel vnus Deus, ſed non vnus. ibid.I
Quare dicitur æqualitas eſſe in Filio. 75.K
Quare in Spiritu ſancto dicitur eſſe vtriuſque concordia vel connexio. ibid.L

Diſtinct. XXXII.

Vtrum Pater vel Filius eadem dilectione ſe diligant, quæ procedit ab vtroque, id eſt, Spiritu ſancto. 75.A.B
Vtrũ Pater ſit ſapiẽs ſapientia quã genuit. 76.C.D
An Filius ſit ſapiens ſeipſo, vel per ſeipſum. ibi.E
An vna ſit tantum ſapientia Patris. 77.F
Sicut in trinitate eſt dilectio quæ eſt trinitas, & tamẽ S. ſanctus eſt dilectio quæ nõ eſt trinitas: nec

A ideo ſunt duę dilectiones,ita & de ſapiētia. ibid.G
Quare Pater nō dicitur ſapiēs ſapiētia genita,ſicut dicitur diligēs dilectiōe q̄ ab ipſo ꝓcedit.ibi.H.I

Diſtinct. XXXIII.

Vtrum proprietates perſonarum ſint ipſę perſonę vel diuina vſia, 78.A.B.C.D.E.F.G
Quomodo proprietates poſſūt eſſe in natura Dei, nec eam determinent. 80.H.I.K

Diſtinct. XXXIIII.

De verbis Hilarij, quibus ſecundum prauorū intelligentiā videtur dicere nō idem eſſe diuinam naturam & rem naturæ,& non idem eſſe Deū & quod Dei eſt. 81.A.B.C.D
Vtrū ita poſsit dici, vnus Deus triū perſonarū, vt dicitur vna eſſētia triū perſonarū:& tres perſonę vni⁹ Dei,vt tres perſonę vnius eſſentiæ. 83.E
Quòd potētia,ſapiētia, bonitas in ſcriptura interdū ad perſonas diſtinctè referuntur. ibid.F
Quare Patri potentia,Filio ſapientia,Spiritui ſancto bonitas tribuatur,cùm ſit vna ſapientia potentia,bonitas trium. ibid.G.H
B De hoc nomine Homouſion,vbi in authoritatem receptum ſit,& quid ſignificet. ibid.I.K.L.

Diſtinct. XXXV.

De ſcientia,pręſcientia,prouidentia,diſpoſitione, & prædeſtinatione Dei. 84.A
De quibus ſit pręſciētia vel prouidentia, ibidem.
De quibus ſapientia vel ſcientia. ibid.
Vtrum pręſentia,vel diſpoſitio, vel prædeſtinatio Dei eſſe potuerit,ſi nulla eſſent futura. ibid.B.C
Quòd ſciētia Dei de tēporalib⁹ eſt & ęternis.85.D
Quomodo omnia dicuntur eſſe in Deo, & vita in eo. ibid.E.F

Diſtinct. XXXVI.

Vtrū omnia debeāt dici eſſe in Dei eſſentia, vt in Dei cognitiōe vel pręſciētia eſſe dicūtur.86.A.B
Qua ratione bona dicuntur eſſe in Deo & non mala. 87.C
Vtrum idem ſit omnino eſſe ex Deo,& per ipſum & in ipſo. ibid.D
Quòd omnia ſunt in quolibet trium,& per ipſum, & in ipſo. ibid.E
C Quòd non omnia quæ ex Deo ſunt, etiā de ipſo ſunt. ibid.F.G

Diſtinct. XXXVII.

Quibus modis dicitur eſſe Deus in rebus 88.A
Quòd Deus non vbicunque eſt,habitat, ſed è conuerſo. ibid.B
Vbi erat Deus antequam eſſe creatura, 89.C.D.E.F.G
Quòd Deus cùm ſit in omnibus rebus eſſentialiter,non ſæpe:& ſecundum alterum tamē coinquinatur ſordibus rerum. 90.H
Cùm Deus ſit vbiq; & ſemper,non tamen localis, nec loco nec tempore mouetur. ibid.I
Quibus modis aliquid dicatur locale vel circunſcriptibile. ibidem.
Quid ſit mutari ſecundum tempus. 91.K
Vtrum ſpiritus creati ſint locales & circunſcriptibiles. ibid.L.M.N
Quòd Deus eſt vbiq; ſine locali motu.92.O.P.Q

Diſtinct. XXXVIII.

An ſcientia vel præſcientia Dei ſit cauſa rerum, vel econuerſo. 92.A.B.C.D
Vtrum præſcientia Dei poſsit falli. 94.E

Diſtinct. XXXIX.

Vtrum ſcientia Dei poſsit augeri, vel minui, vel aliquo modo mutari. 95.A A
An Deus poſsit nouiter, vel ex tempore ſcire vel præſcire aliquid. ibid.B
Vtrum Deus poſsit ſcire plura,quàm ſcit. 96.C
Quòd Deus & ſēper & ſimul ſcit omnia. ibi.D.E

Diſtinct. XL.

An aliquis prędeſtinatus poſsit damnari,vel reprobus ſaluari. 96.A.B.C
Quid ſit reprobatio Dei, & in quibus cōſideretur: & quis ſit prædeſtinationis effectus. 97.D

Diſtinct. XLI.

Vtrum aliquod ſit meritum obdurationis,vel miſericordiæ. 98.A.B.C.D.E
De variis ſuper hoc carnaliū opinionib⁹,an ea quę ſcit ſemel Deus vel pręſcit,ſemper ſciat vel pręſciat,& ſemper ſcierit & præſcierit. 100.F.G

Diſtinct. XLII.

De omnipotētia Dei, quare dicatur omnipotens, cùm nos multa poſsim⁹,q̄ ipſe nō poteſt. 100.A
Quomodo dicatur Deus omnia poſſe. 101.B.C.D
De omnipotentia Dei, quæ ſecundum duo conſideratur. ibid.E.F.G.H B

Diſtinct. XLIII.

Inuectio contra illos,qui Deum dicunt nihil poſſe,niſi quod vult & facit. 102.A.B.C.D.E

Diſtinct. XLIIII.

An Deus poſsit facere aliquid melius quàm facit, vel alio vel meliori modo. 104.A.B.C
Vtrū poſsit Deus ſēper omne quod potuit. 105.D

Diſtinct. XLV.

De voluntate Dei quę eſſentia Dei eſt, & de ſignis eius. 106.A.B
De intelligētia harū locutionū,Deus ſcit,vel Deus vult,Deus ſcit omnia,vel vult aliquid. ibid.C
Quòd Dei voluntas ſummè bona cauſa eſt omniū quæ naturaliter ſunt:cuius cauſa nō eſt quęrēda, quia prima & ſumma cauſa eſt omniū. ibi.D.E
Quibus modis accipitur Dei voluntas. 107.F
Quòd præceptio,prohibitio,permiſsio, cōſilium, operatio,nomine voluntatis interdum intelliguntur vel accipiuntur. ibid.G.H.I
Vtrum Deus velit ab omnibus fieri ea quæ præcipit,vel non fieri ea quæ prohibet. 108.K.L.M C

Diſtinct. XLVI.

Quòd voluntas Dei quæ ipſe eſt, in nullo caſſari poteſt. 108.A
Quomodo intelligendū ſit illud, Volui cōgregare filios tuos,& noluiſti:& illud,Qui vult omnes homines ſaluos fieri. ibid.B.C
Vtrum mala Deo nolente vel volēte fiāt. 109.D
Quomodo intelligendum ſit illud Auguſt. Mala fieri bonum eſt. ibid.E.F.G
De multiplici acceptione boni. 110.H
Quòd mala vniuerſitati valent. 111.I.K
Quòd in Deo non eſt cauſa vt ſit deterior homo. ibid.L.M
Obiectio quorundam ſophiſtica, qua probare nituntur ex Deo eſſe quòd mala fiant. 112.N
Reſponſio,vbi concedit omne verum eſſe à Deo, & ſophiſma aperit. ibid.O
Partem quæſtionis approbat illorum quæ dicunt Deum non velle mala fieri. ibid.P

Diſtinct. XLVII.

Quomodo volūtas Dei de homine impletur quocunque ſe vertat. 112.A
Ex quo ſenſu quædam dicuntur fieri contra Dei voluntatem. 113.B

A Quare pręcepit Deus omnibus bona facere & mala vitare, etſi non id ab omnibus vult impleri. ibid.C.

Diſtinct. XLVIII.

Quòd homo ali quando bona volũtate aliud vult quàm Deus: & mala idem quod Deus. ibid.A A
Quòd Dei voluntas per malas hominum voluntates impletur. ibid.B.C
Vtrum placuerit viris ſanctis, quòd Chriſtus moreretur, & pateretur. ibid.D
Vtrum paſsiones ſanctorũ debeamus velle. 115.E

INDICIS LIB. I
FINIS.

PROLEGOMENA IN PETRI LOMBARDI LIBRVM PRIMVM SENTENTIARVM.

Cap. I.

De prima Scholaſticæ Theologiæ origine.

B ITA ferè vſus, cõmuníſque ratio loquẽdi iam obtinuit, vt qui inter Pontifices homines ſe in religione profitentur aliorum doctores, citra conuitiũ, aut cõtumeliam vllã vulgò *Doctores Scholaſtici* vocẽtur. Quam appellationẽ nec ipſi dedignãtur, nec habere ipſam per ſe vllã probri ſignificationẽ omnes facilè cõcedunt. Huius autẽ vocis minimè eſt obſcura deriuatio. Nam ἀπὸ τῆς σχολῆς deduci σχολαστικὸν vel tenuiſsimè Græcè ſcientibus notum eſt ſatis. *Scholæ autem dictæ ſunt* (inquit Feſtus) *non ab otio, ac vacatione animi: ſed quòd cæteris rebus omiſſis, liberalibus ſtudiis homines* in illis locis, velut Academia Platonis, Stoa Zenonis, Peripato Ariſtotelis, vel alio quouis loco ſtrenuè vacarent. Ac primis quidẽ Eccleſiæ tẽporibus, quũ rectè & ex præceptis, & exẽplis Apoſtolorũ gubernaretur, verbũ Dei & priuatim & publicè, quemadmodũ apparet ex Actis 20. v.20. docebatut à veris Paſtoribus, ac doctoribus: adeò vt non modò ipſi Eccleſiæ cœtus, ſed ſingulorũ quoque fideliũ domus ſcholæ quodammodo pietatis, & Chriſtianę doctrinæ dici poſſent: & fideles ipſi promiſcuè & Μαθηταὶ, vel Chriſtiani vocabantur. Etſi verò Doctores à Paſtoribus diſtinguit Paulus in epiſtola ad Epheſios, quũ functiones Eccleſiaſticas perpetuas, & ordinarias recẽſet: nõ raro tamẽ euenit, vt vnus & idẽ propter egre-C gias animi dotes, Paſtoris & Doctoris munere in Eccleſia fungeretur. Cuius rei fidẽ faciũt tũ κατηχήσεις, tũ alia quoque ſcripa edita, ex quibus eoſdem vtrũque illud eximiè præſtitiſſe cõſtat. Verùm decreſcẽtibus primis illis Dei in Eccleſiã donis: vel Epiſcopis ipſis, ac Paſtoribus alibi iã occupatis, ni mirũ, vt hominũ mores corrigerẽt, aut etiã vt opes Eccleſiæ (cui præerãt) iam lautas illas quidẽ tuerentur & augerẽt, cœperũt quotidiano illi à docendi munere, nõ grauatim abſtinere. Satis enim ad tuendam dignitatẽ officiũ ſe ſuũ facere exiſtimarunt, ſi vel aliis illũ laborẽ demandaſſent, velut Presbyteris, Diaconis, & aliis Eccleſiæ ſuæ, quos vocabant, Clericis: vel ipſi nonnunquã in ſolenniori populi cœtu cõciones habuiſſent. Ex quo factũ eſt, vt ab Epiſcoporũ, tanquã eminentiore dignitate, docendi onus ſeparari cœperit, & aliis delegari. Paulatim verò Epiſcopis paſcendi gregis ſui curã omnẽ etiã deponẽtibus, doctrina Chriſtiana nõ tantùm tanquã lucerna ſub modio abſconſa fuit, Matth. 5. v.15. ſed (quod omnino neceſſe erat euenire) inualeſcentibus erroribus penè omnis etiã inter Chriſtianos ipſos extingui cœpit. In tanta igitur Paſto-B rum vęcordia exorti ſunt quidã, vt verbis Platonis vtar, homunciones, qui cùm hanc ſedẽ vacuã conſpicerent, præclaris tamen nominibus & ſtẽmatis ſpecioſam, inſtar eorũ qui è carceribus ad templa cõfugiunt, vltro ex infimis ſedibus in illam inuaſerunt. Ii autẽ fuerunt pręſertim Monachi, qui neglectum docendi munus in ſeſe ſuſcipere nõ recuſarunt. Hi verò quoniã iam doctrina Chriſtiana, velut incultus iam pridẽ ager infinitis erroribus, velut ſentibus, obſita, & penè obruta erat, receptas in Eccleſia opiniones, tanquã ſola veræ fidei dogmata docere, defendere atque etiã propagare, habebãt ſatis: adeò vt reliquum cæleſtis Euangelii doctrinæ, quæ magna ex parte ſepulta iam erat, non tanquam languẽtem lucernã effungarent: ſed ſuis potiùs diſputationibus & παραδιαλεκταῖς ſuffocarent. Ergo Scholaſtici dicti ſunt, quòd eam doctrinã tenerent, quæ in Scholis publicis tradebatur publicè, vtvt quidã priuatim illi doctrinæ repugnarent. Sed cum difficiles intricatæ infinitæque de iis rebus quæſtiones tũc quoque orirentur, cœperũt in ſuis illis ſcholis cõcertationes inter ſe de ſua doctrina laborioſiſsimas inſtituere, ac exercere. Vnde & *ſcholæ Theologicæ*, & *Scholaſticorũ Theologorum* nomen celebre factum eſt: atque hæc ſecta originem primùm habuit. *Scholaſticos* ergo ſeſe peculiari appellatione nominarũt, & quòd quæ in Scholis, vti dixi publicis docebantur, quaſi ab omnibus pro- C batũ traderent, & quòd difficilem in ſuis illis ſcholis diſputandi rationem retinerent: adeò vt aliam apud populũ docendi rationem ſequerentur. Nam & diſtinctiones, & locutiones ſuas, & quæſtiones in ſcholis retinent, quæ ſunt reliquis omnib⁹ Chriſtianis ignotæ, & ad συρφετώδη, ac σκοτεινὸν potius diſputãdi vſum, quàm ad vllã cõſcientiarũ ędificationem conſtitutæ. Itaque quòd ea doctrina ad populum minimè pertineret, etiã Scholaſticã appellarunt. Ac verè quidem de ea dici poteſt, quod ſcribit Iullius Pollux, τὸ διδασκαλικὸν εἶδος αὐχμηρόν ἐστι, καὶ προσκορές, *hoc ſcholaſticum dicendi genus eſt aſperum, & faſtidium affert*: quanquã ipſi tamen magnam ex ea voluptatem vtilitatémque ſentiunt. Vt quod de Scholaſtica vita Chryſippus iampridem ſcripſerat, iſti reipſa verũ eſſe probent, *Nempe Scholaſticã vitam nihil à voluptaria differre.* Ne igitur de iſtorum Scholaſticorũ genere quis dici putet, vel quod de Serapione ſcribit Hierony. eum propter elegantiã

A ingenii Scholaſticū fuiſſe nominatū: vel quod de
Iſæo Rhetore ſcribit in epiſtolis Plinius Iunior.li.
2.cap.3.*Scholaſticus tantùm eſt*(ait) *quo genere homi*
num nihil aut ſimplicius,aut ſyncerius,aut melius. Imò
verò quod ait idē de cauſarū patronis ſuæ ætatis,
hocad iſtos ſcholaſticos pertinere potius exiſtime
mus.*Iſti in rixationibus,aſſiduiſque inter ſe litibus, ac*
contentionibus ſic ferūtur, vt multum malitiæ & inuidiæ
inde contrahant,atque etiam addiſcant. Sed quoniam
(vt ait Tullius) *iniqua eſt in omni re accuſanda præ-*
termiſſis bonis,malorum enumeratio,vitiorumque ſele-
ctio,)quando *ne bonis quidem aduerſariorum detrahen*
dum eſt, vt rectè monet Hieronymus) iſta duo ex
horū Scholaſticorū ſcriptis cōmoda certè quidē
percipimus,Vnum,quòd ſummâ,& accurata me-
thodo in iis,quæ ipſi tractant,vtuntur,quæ viā no
bis ad veram Theologiam explicandam facillimā
ſternit. Alterum,quòd quędā etiā vera in religio-
ne retinuerunt,neque prorſus Chriſtianæ fidei no
men obruere,velut Turci & Iudæi,voluerūt, ani-
móque diſtinarunt. Verùm,vt quæ generatim,ac
B fortaſſe obſcurius dixim⁹,iā ordine, & facilius in-
telligantur, operæpretium mihi facturus videor,ſi
pauca quędā de toto iſto hominū genere, & illius
origine dixero explicatius atq; diſtinctius.Ipſi igi-
tur Scholaſtici ſe Theologos appellarūt, quòd te-
nuiſsimas veræ lucis, ac Theologiæ Chriſtianæ
ſcintillas adhuc conſeruarent.Noluit enim Domi
nus(Iudæis quidem Euangeliū Chriſti prorſus ab
initio ſuffocantibus:Mahumetanis autē, & Turcis
magno conatu iam plantatū eradicātibus) illud o-
mnino ſepultum eſſe,& manere obrutam omnem
ſuæ veritatis lucem,& beneficii in genus humanū
ſui per Chriſtū memoriam.Quamobrem iſti Scho
laſtici,homines Theologi, ſe Prophetarum quos
olim habuit Iudæorū Eccleſia:& Doctorum quos
poſtea Chriſtiana,ſucceſſores eſſe putant.Sed cū ij
ſint Prophetarum ſoli ſucceſſores,Hieronymo te
ſte,qui Prophetarū doctrinā retinent, iſti procul
dubio neque Dei Prophetarum, neque verorū Ec
cleſiæ doctorū filii,ſucceſſores,diſcipuli,aut ęmu-
li ſunt appellandi.Quare prætermiſſa illa tam vete
ri origine(quoniam ſuæ ſectę initia repetere ab il-
la Prophetarum ætate nequaquam poſſunt) fate-
mur quidem circa annum Domini 150 Alexādriæ
(quæ eſt metropolis AEgypti) inſtitutam fuiſſe
Chriſtianorum celebrem præter cęteras Scholam,
vbi de præceptis veræ,Chriſtianæque fidei homi-
C nes adhuc huius myſterii rudes inſtituebantur. In
hac Schola primus,vt ait Euſebius lib.Hiſtor.Ec-
cleſiaſt.5.cap.9.Pantenus docuit:cui ſucceſsit Cle
mens Presbyter Alexandrinus,is,qui *Pædagogi* li-
bros duos conſcripſit: Clementi Presbytero Ori-
genes Adamantius, quemadmodum ex eodē Eu-
ſebio lib.6.cap.2.& Hieronym.in Eiſtola de Erro
ribus Origenis, colligi facilè poteſt: & Origeni
Dionyſius,vt Docet Hieronymus idem in Cata-
logo ſcriptor. Eccleſiaſt. & ſic deinceps alii: ſed
quorum Scholaſtici iſti neque doctrinam, neque
docendi rationem ſecuti ſunt,vt eorum ſucceſſo-
Anno Do res dici minimè propterea vel poſsint,vel debeāt.
mini 1020 Quare longè recentior eſt totius huius hominum
ſectæ,id eſt,Theologiæ Scholaſticæ ortus. Ergo
circa annum temporis vltimi Milleſimum,vigeſi-
mum,(vt quàm longiſsimè retro reſpiciamus) vi-
dentur prima iſtius Philoſophiæ initia cœpiſſe,
nempe tempore Lanfranci Papienſis,qui Berengarii Antagoniſta fuit.Huius autem tam noui euen- A
tus,& tam nouæ Philoſophiæ cauſa (id quod ne-
ceſſarium puto explicare)hæc fuit. Certum eſt an-
te illud Lanfranci ſeculum,vnius ferè Auguſtini,
ſecundùm verbum Dei ſcriptum,doctrinam inter
Chriſtianos quoſque doctiſsimos obtinuiſſe, atq;
diligentiſsimè tanquam per manus traditā fuiſſe.
Nam primùm ab Egyppio,qui Fulgentio fuit æta
te æqualis,poſtea etiam ab ipſomet Fulgētio,dein
de à Primaſio Afris Theologis: poſtea autem Iſi-
doro Hiſpalenſi Epiſcopo: Maximo Taurinenſi:
Proſpero Gallo.conciliis etiam totis, velut Arau-
ſiaco, & Conſtantinopolitano ſexto approbata
perpetua quadam tēporis ſucceſsione ſemper fuit.
Adeò vt cum in Hiſpania deeſſent operum Augu
ſtini exemplaria circa annum Domini 650. Taio
epiſcopus CæſarAuguſtanus, Romam miſſus ſit
qui ea,& Moralia Gregorii magni ex Bibliotheca
Romana peteret.Denique ante Carolum illū Ma
gnum Imperatorem à Beda AngloSaxone defen-
ſa eſt,atque etiam abs Bedæ diſcipulis diutiſsimè, B
velut Alcuino,(quē alii Albinū vocant) Claudio,
Rabano,Mauro, & aliis quàmplurimis per annos
pluſquam quingentos retenta eſt. Igitur cùm ſola
diu lecta eſſet,ac per locos etiam cōmunes tradita
& collecta:cœptum eſt tamen paulatim progreſſu
temporis ab Auguſtini ſententia, cùm aliis in re-
bus,tū verò præſertim in articulo de Sacramento
S.Domini Cœnæ diſcedi, gliſcentibus nimirū in
Eccleſiam Dei variis iam erroribus. Nam myſte-
rium illud iniquitatis,& vniuerſalis Apoſtaſię Sa-
tan iam multū per Romanos Pōtifices promoue-
bat,& immanem illum Tranſſubſtantiationis er-
rorem,fontem aliorum infinitorum, parturiebat.
Huic labi,& ſanæ doctrinæ corruptelæ tam perni
tioſæ,quæ fieri cœperat,oppoſuit ſeſe conſtanter,
pro ſuo in Dei veritate tuenda zelo, Berengarius,
ille Andegauenſis Archidiaconus, Gallus, vir ha-
bitus ætate ſua eruditiſsimus, qui veterem Augu-
ſtini ſententiam reuocare,& (quanquam ipſe du-
rius nonnumquam loquebatur de Sacramentis) re
tinere ſtuduit.Sed Berengario id agenti ſeſe oppo
ſuit altera ex parte Italus quidam nomine Lāfran-
cus,qui Papiæ in Italia Theologiam profitebatur
Cæterùm Lanfranci Itali,Pontificum Romanorū
errorem de *Tranſſubſtantiatione* tuētis diſputatio-
nes contra Berēgarium Gallum ex Auguſtino ſua
defendentem ſuſtentatę à Guitmundo Archiepi- C
ſcopo, & aliis Italicis hominibus pertinaciſsimè
confirmatæ effecerunt,vt primùm prętermittere-
tur:poſt autem etiam omnino negligeretur, quæ
tamdiu in Eccleſia inualuerat,Auguſtini authori-
tas,doctrina,ac ſententia.Ex quo euenit, vt,qui ſe
Theologos profitebantur, deinceps ſuæ doctri-
næ,& Theologiæ fundamenta non eadem ſume-
rent, quæ veteres: ſed ſolùm ea,quæ iam receptis
opinionibus, quanquam erroneis: partim etiam
Philoſophicis rationibus probatis: partim etiam
ipſius Pontificis Romani, velut irrefragabilibus,
decretis conſtarent.Pro his tam anxiè, quàm pro
veriſsimis, ac ſanctiſsimis Dei ipſius aris pugna-
bant,acerriméque dimicabant.Additum eſt quo-
que iſti camino oleum.Nam Lanfrancanorum fa-
ctio & ſtudium à Romanis Pontificibus contra
Berengarianos,quos vocabant,laudabatur: & do-
ctrina Lanfranci,ſententiáq; etiam Vercellenſi cō
cilio, (ſunt autem Vercellæ oppidū Papiæ patriæ
Lanfran-

A Lanfranci vicinū)ſuffragio Italorū hominum(qui illuc frequentes cōuenerant)& Lanfranci diſcipulorū apertè melior iudicata fuit:adeóq; poſtea Berengarius ipſe truculentiſsimis Nicolai Papæ minis ad Palinodiā coactus eſt. Quod ita hominū animos cōmouit, vt ex eo tempore certatim omnes (verbo Dei ſpreto,& orthodoxorum patrum ſcriptis neglectis,aut eatenus probatis,quatenus opinionibus iam receptis ſuffragabātur) in eā doctrinam incūberent, quæ Lāfrancianæ ſimillima eſſet, id eſt,quæ Pontificū decreta,receptos iā in Eccleſia ritus & opiniones celebres (quacunque tandē ratione ſemel irrepſiſſent)in Eccleſia proponebat, ac tuebatur.Hæc circa Annū Domini 1020.contigerunt.Nec enim tēporis momētū & rationē ſcrupuloſiùs in omni iſta ſupputatione, & in tanta hiſtoricorū varietate,inquiro. Porrò autē ex eo omnia iam in peius ruere,&, vt ait ille, retrò ſublapſa referri.Nā ex hoc fonte innumerabiles diſputationes,& quidē ſtatim,ortæ ſunt:quęſtiones inutiles extra Dei verbū agitatæ, & difficultates propoſitæ.Deniq; Theologicæ ſententię ac definitiōes omnes ad ritus iam vſitatos & recepta dūtaxat placita & ἀρέσκοντα,nō ad verbū Chriſti reuocatę ſunt, B & exigi cœptæ.Tandē de his ipſis rebus regulę,velut κυρίαι δόξαι & vt Dei ipſius oracula,traditę,& libri ſcripti,& cōtentiones ſuſceptæ.Quid amplius? Veterū etiā Patrū ſcripta, quo iure, quáve iniuria ne noua cēſeretur iſtiuſmodi congeries,ad huiuſmodi cōſarcinationes fuerunt accōmodata. Ergo tandē(vt ex his apparet) ea doctrina nata,conflata, cōſtituta,& cōpilata eſt, quę *Scholaſtica* Theologia appellatur, & ſola pro vera Theologia habita eſt. Cęterū illa,quę breuiter iā narrauimus,fuerūt initia tātùm fraudis iſtiꝰ,& dolorū,qui ſecuti ſūt. Nā in dies malū hoc & cacoëthes tū inutilia in Theologicis ſcribēdi & cōſarcinandi:tū etiā pro Pontificum decretis,& Eccleſiæ placitis acriter, velut pro ſalutari animarū noſtrarū doctrina, decertādi robuſtius euaſit,adeò vt poſtea lōgè lateq; ſerperet,ſtragē in Eccleſia daret,& reliquas omnes doctrinas aboleret quātumuis veras. Neque tamen id ſine colore quodā,& iuſta,vt videbatur,ęmulatione fiebat,per quā ſanè Scholaſtica Theologia maxima quoque incremēta accepit. Quis autē fuerit color iſte,& æmulatio,malo omnes ex viri clariſſimi,& & eruditiſ.Gaſparis Peuceri Chronicorum C lib.4.quā ex me cognoſcere.Hērici,ait, quinti Imperatoris Germanici tēpore fuit in Italia vir ſummæ authoritatis Irnerius, qui gubernauit eas partes,quæ tū erāt Romani imperii.Is quū eſſet eruditus,fortaſſe Cōſtantinopoli,aut ab iis,qui audierāt Cōſtantinopolitanos,ſæpè ritus barbaricos in ſucceſsionibus,& aliis negotiis ex iure Romano, aut correxit,aut moderatꝰ eſt.Grauiter autē quaſſarāt Italiā bella Henrici quinti, quibus, vt fit in bellis Ciuilibus,patrimonia multorū tranſlata fuerāt ad alienos. Ex ea tamen calamitate nōnihil recreauit Italiā prudentia & moderatio Irnerij,qui quū poſteritati conſulendū putaret, cupiebat autoritate imperatoria proferri rurſus ius Romanorum,quo ante aduentū Longobardorū ſemper vſa erat Italia,quemadmodū ex Gregorii Magni epiſt.lib. II. Indiction. VI.cap.53.apparet.Hic verò Irnerius nactus imperatorē Lothariū Saxonē minùs impeditū bellis Ciuilibus, fuit huic hortator, vt pręciperet cauſas diiudicari ex legibus Romanis:& vt A curaret Romæ & Bononiæ,vbi iam erant Academiæ à Carolo Magno inſtitutæ,eaſdē publicè enarrari, ſicut fieret Cōſtantinopoli, & antiquitus Athenis & in Beryto.Et ne deeſſet doctrinæ copia, produxit libros ſcriptos. Fertur & ipſe quoque Romæ ac Bononiæ docuiſſe,& primus ex Italis gloſſemata textibꝰ addidiſſe.Hęc circa annū Domini 1030. vt plerique annotant,geſta ſunt.Secuti ſunt Irneriū auditores ipſius,Ioānes Bulgarus,Azo, Ioānes Placentinus, & alii, qui in ſchola pariter, & Reip. adminiſtratione floruerūt,denique capta admiratione doctrinę huius,Italia certatim in eā incūbere cœpit,& prodierūt ex illis ſcholis plurimi, qui docēdo,ſcribēdo,& de iure reſpōdēdo,regēdis imperiis,de vita hominū optimè meriti ſunt.Horum nōnulli,vti Placētinus & Azo,ſummā Iuris Ciuilis,id eſt capita rerū in toto iure Romano traditarum,ad locos quoſdam cōmunes in ſtudioſorum gratiam breuiter & methodicè reuocarunt.

Anno Domini 1030

Feruebat igitur recens excitatū ſtudiū doctrinæ legū Romanarū,certatim in id incūbentibus ingeniis Italicis & Germanicis:quod quia Imperatores muniebat,atque armabat, videbatur minitari recenti B necdū ſatis cōfirmatæ Pontificū Romanorū tyrannidi.Pericula ergo,quæ inde emerſura eſſent, ſi inualuiſſet,vt maturè auerterentur, extolli cœpta eſt Canonū authoritas, & legibus Romanis anteponi.Itaque ferri cœptæ ſunt leges, quibus de Romanis aliquid derogaretur,autoritate Eccleſię ceu correctū ac limitatū.Cúmque nouo iuri iſti & legibus Pontificiis nouis patronis & defenſoribus opus eſſet,citò cōmouit ſeſe duplex hominū genꝰ Canoniſtæ & Scholaſtici:quorum illi Canoniſtæ, hierarchiā & tyrannidē Romani pontificis propugnandā ſuſceperunt ex Canonū decretis, non minore contētione quàm cæteri imperatoriā poteſtatem ex ſacris literis & iure Romano tuebantur.Hi verò Scholaſtici dogmata noua excogitarunt, ad faſcino erroris ac ſuperſtitionis capiendos & irretiendos hominū animos, quibus laqueis hi vincti permanerēt in obediētia erga ſedē Romanā. Inde Scholaſticæ Theologiæ nomē celebrius factū eſt, & reliquæ purioris doctrinæ de Chriſti officiis,de peccato originis,de Euāgelio,de Lege, de Gratia, de noſtra corā Deo iuſtificatione, de vero vſu Sacramentorū,de vera Dei inuocatione,& aliis veræ fidei articulis ſcintillulę ab ea ſūt extinctę:pro quibus ſubſtitutæ ſunt determinatiōes de Meritis ope C rū,de inuocatiōe Sanctorū,de vi operis operati,de primatu Papæ,de Purgatorio,& ſimilibus nugis.

Cùm enim errores & abuſus vel recepti conſuetudine,vel à Pōtificibus orti aut approbati,defendi non poſſent,ſi exigerētur ad regulā & normam verbi ſacri:illo neglecto quæſita ſunt alia præſidia & imprimis Philoſophia Ariſtotelica,id eſt,humanis ſomniis ſtraminea fundamēta ſunt ſubſtrata,vt baberēt nimirū ſimiles labra lactucas.Hæc fuit igitur altera doctrinę ſectęque Scholaſticorū Theologorū probandæ, atque etiā maximè inter illos mortales cōmendādæ cauſſa,quæ ex ſtudio opprimendæ Ciuilis iuriſdictionis, ac poteſtatis imperatoriæ nata eſt,quemadmodū prima ex ſtudio euertendę veritatis verbi Dei,Auguſtinianęque doctrinæ odio profecta fuerat.Atque hęc fuit Scholaſticæ doctrinæ velut prima origo:eiuſdem verò

A ingenii Scholaſticū fuiſſe nominatū: vel quod de Iſæo Rhetore ſcribit in epiſtolis Plinius Iunior. li. 2. cap. 3. *Scholaſticus tantùm eſt* (ait) *quo genere hominum nihil aut ſimplicius, aut ſyncerius, aut melius.* Imò verò quod ait idē de cauſarū patronis ſuæ ætatis, hoc ad iſtos ſcholaſticos pertinere potius exiſtimemus. *Iſti in rixationibus, aſſiduiſque inter ſe litibus, ac contentionibus ſic feruntur, vt multum malitiæ & inuidiæ inde contrahant, atque etiam addiſcant.* Sed quoniam (vt ait Tullius) *iniqua eſt in omni re accuſanda prætermiſſis bonis, malorum enumeratio, vitiorumque ſelectio,*) quando *ne bonis quidem aduerſariorum detrahendum eſt*, vt rectè monet Hieronymus) iſta duo ex horū Scholaſticorū ſcriptis cōmoda certè quidē percipimus, Vnum, quòd ſummâ, & accurata methodo in iis, quæ ipſi tractant, vtuntur, quæ viā nobis ad veram Theologiam explicandam facillimā ſternit. Alterum, quòd quędā etiā vera in religione retinuerunt, neque prorſus Chriſtianæ fidei nomen obruere, velut Turci & Iudæi, voluerūt, animóque diſtinarunt. Verùm, vt quæ generatim, ac B fortaſſe obſcurius diximꝰ, iā ordine, & facilius intelligantur, operæpretium mihi facturus videor, ſi pauca quędā de toto iſto hominū genere, & illius origine dixero explicatius atq; diſtinctius. Ipſi igitur Scholaſtici ſe Theologos appellarūt, quòd tenuiſsimas veræ lucis, ac Theologiæ Chriſtianæ ſcintillas adhuc conſeruarent. Noluit enim Dominus (Iudæis quidem Euangeliū Chriſti prorſus ab initio ſuffocantibus: Mahumetanis autē, & Turcis magno conatu iam plantatū eradicātibus) illud omnino ſepultum eſſe, & manere obrutam omnem ſuæ veritatis lucem, & beneficii in genus humanū ſui per Chriſtū memoriam. Quamobrem iſti Scholaſtici, homines Theologi, ſe Prophetarum quos olim habuit Iudæorū Eccleſia: & Doctorum quos poſtea Chriſtiana, ſucceſſores eſſe putant. Sed cū ij ſint Prophetarum ſoli ſucceſſores, Hieronymo teſte, qui Prophetarū doctrinā retinent, iſti procul dubio neque Dei Prophetarum, neque verorū Eccleſiæ doctorū filii, ſucceſſores, diſcipuli, aut ęmuli ſunt appellandi. Quare prætermiſſa illa tam veteri origine (quoniam ſuæ ſectę initia repetere ab illa Prophetarum ætate nequaquam poſſunt) fatemur quidem circa annum Domini 150 Alexādriæ (quæ eſt metropolis AEgypti) inſtitutam fuiſſe Chriſtianorum celebrem præter cęteras Scholam, vbi de præceptis veræ, Chriſtianæque fidei homines adhuc huius myſterii rudes inſtituebantur. C In hac Schola primus, vt ait Euſebius lib. Hiſtor. Eccleſiaſt. 5. cap. 9. Pantenus docuit: cui ſucceſsit Clemens Presbyter Alexandrinus, is, qui *Pædagogi* libros duos conſcripſit: Clementi Presbytero Origenes Adamantius, quemadmodum ex eodē Euſebio lib. 6. cap. 2. & Hieronym. in Eiſtola de Erroribus Origenis, colligi facilè poteſt: & Origeni Dionyſius, vt Docet Hieronymus idem in Catalogo ſcriptor. Eccleſiaſt. & ſic deinceps alii: ſed quorum Scholaſtici iſti neque doctrinam, neque docendi rationem ſecuti ſunt, vt eorum ſucceſſores dici minimè proptereà vel poſsint, vel debeāt.

Anno Domini 1020

Quare longè recentior eſt totius huius hominum ſectæ, id eſt, Theologiæ Scholaſticæ ortus. Ergo circa annum temporis vltimi Milleſimum, vigeſimum, (vt quàm longiſsimè retro reſpiciamus) videntur prima iſtius Philoſophiæ initia cœpiſſe, nempe tempore Lanfranci Papienſis, qui Berengarii A Antagoniſta fuit. Huius autem tam noui euentus, & tam nouæ Philoſophiæ cauſa (id quod neceſſarium puto explicare) hæc fuit. Certum eſt ante illud Lanfranci ſeculum, vnius ferè Auguſtini, ſecundùm verbum Dei ſcriptum, doctrinam inter Chriſtianos quoſque doctiſsimos obtinuiſſe, atq; diligentiſsimè tanquam per manus traditā fuiſſe. Nam primùm ab Egyppio, qui Fulgentio fuit æqualis, poſtea etiam ab ipſomet Fulgētio, deinde à Primaſio Afris Theologis: poſtea autem Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo: Maximo Taurinenſi: Proſpero Gallo. conciliis etiam totis, velut Arauſiaco, & Conſtantinopolitano ſexto approbata perpetua quadam tēporis ſucceſsione ſemper fuit. Adeò vt cum in Hiſpania deeſſent operum Auguſtini exemplaria circa annum Domini 650. Taio epiſcopus Cæſar Auguſtanus, Romam miſſus ſit qui ea, & Moralia Gregorii magni ex Bibliotheca Romana peteret. Denique ante Carolum illū Magnum Imperatorem à Beda AngloSaxone defenſa eſt, atque etiam abs Bedæ diſcipulis diutiſsimè, B velut Alcuino, (quē alii Albinū vocant) Claudio, Rabano, Mauro, & aliis quàmplurimis per annos pluſquam quingentos retenta eſt. Igitur cùm ſola diu lecta eſſet, ac per locos etiam cōmunes tradita & collecta: cœptum eſt tamen paulatim progreſſu temporis ab Auguſtini ſententia, cùm aliis in rebus, tū verò præſertim in articulo de Sacramento S. Domini Cœnæ diſcedi, gliſcentibus nimirū in Eccleſiam Dei variis iam erroribus. Nam myſterium illud iniquitatis, & vniuerſalis Apoſtaſię Satan iam multū per Romanos Pōtifices promouebat, & immanem illum Tranſſubſtantiationis errorem, fontem aliorum infinitorum, parturiebat. Huic labi, & ſanæ doctrinæ corruptelæ tam pernitioſæ, quæ fieri cœperat, oppoſuit ſeſe conſtanter, pro ſuo in Dei veritate tuenda zelo, Berengarius, ille Andegauenſis Archidiaconus, Gallus, vir habitus ætate ſua eruditiſsimus, qui veterem Auguſtini ſententiam reuocare, & (quanquam ipſe durius nonnumquam loquebatur de Sacramentis) retinere ſtuduit. Sed Berengario id agenti ſeſe oppoſuit altera ex parte Italus quidam nomine Lāfrancus, qui Papiæ in Italia Theologiam profitebatur. Cæterùm Lanfranci Itali, Pontificum Romanorū errorem de *Tranſſubſtantiatione* tuētis diſputationes contra Berēgarium Gallum ex Auguſtino ſua defendentem ſuſtentatę à Guitmundo Archiepiſcopo, C & aliis Italicis hominibus pertinaciſsimè confirmatæ effecerunt, vt primùm prętermitteretur: poſt autem etiam omnino negligeretur, quæ tamdiu in Eccleſia inualuerat, Auguſtini authoritas, doctrina, ac ſententia. Ex quo euenit, vt, qui ſe Theologos profitebantur, deinceps ſuæ doctrinæ, & Theologiæ fundamenta non eadem ſumerent, quæ veteres: ſed ſolùm ea, quæ iam receptis opinionibus, quanquam erroneis: partim etiam Philoſophicis rationibus probatis: partim etiam ipſius Pontificis Romani, velut irrefragabilibus, decretis conſtarent. Pro his tam anxiè, quàm pro veriſsimis, ac ſanctiſsimis Dei ipſius aris pugnabant, acerrimèque dimicabant. Additum eſt quoque iſti camino oleum. Nam Lanfrancanorum factio & ſtudium à Romanis Pontificibus contra Berengarianos, quos vocabant, laudabatur: & doctrina Lanfranci, ſententiáq; etiam Vercellenſi cōcilio, (ſunt autem Vercellæ oppidū Papiæ patriæ Lanfran-

A Lanfranci vicinū)ſuffragio Italorū hominum(qui illuc frequentes cõuenerant)& Lanfranci diſcipulorū apertè melior iudicata fuit:adeóq; poſtea Berengarius ipſe truculentiſsimis Nicolai Papæ minis ad Palinodiā coactus eſt. Quod ita hominū animos cõmouit, vt ex eo tempore certatim omnes (verbo Dei ſpreto,& orthodoxorum patrum ſcriptis neglectis,aut eatenus probatis,quatenus opinionibus iam receptis ſuffragabātur) in eā doctrinam incūberent, quæ Lāfrancianæ ſimillima eſſet, id eſt,quæ Pontificū decreta,receptos iā in Eccleſia ritus & opiniones celebres (quacunque tandē ratione ſemel irrepſiſſent)in Eccleſia proponebat, ac tuebatur.Hæc circa Annū Domini 1020.contigerunt.Nec enim tēporis momētū & rationē ſcrupuloſiùs in omni iſta ſupputatione, & in tanta hiſtoricorū varietate,inquiro. Porrò autē ex eo omnia iam in peius ruere,&, vt ait ille, retrò ſublapſa referri.Nā ex hoc fonte innumerabiles diſputationes,& quidē ſtatim,ortæ ſunt:quęſtiones inutiles extra Dei verbū agitatæ, & difficultates propoſitæ.Deniq; Theologicæ ſententię ac definitiões omnes ad ritus iam vſitatos & recepta dūtaxat placita & ἀρέσκοντα,nõ ad verbū Chriſti reuocatę ſunt, B & exigi cœptæ.Tandē de his ipſis rebus regulę,velut κυρίαι δόξαι & vt Dei ipſius oracula,traditę,& libri ſcripti,& cõtentiones ſuſceptæ.Quid amplius? Veterū etiā Patrū ſcripta, quo iure, quáve iniuria ne noua cēſeretur iſtiuſmodi congeries,ad huiuſmodi cõſarcinationes fuerunt accõmodata. Ergo tandē(vt ex his apparet) ea doctrina nata,conflata, cõſtituta,& cõpilata eſt, quę *Scholaſtica* Theologia appellatur, & ſola pro vera Theologia habita eſt. Cęterū illa,quę breuiter iā narrauimus,fuerūt initia tātùm fraudis iſtiꝰ,& dolorū,qui ſecuti ſūt. Nā in dies malū hoc & cacoëthes tū inutilia in Theologicis ſcribēdi & cõſarcinandi:tū etiā pro Pontificum decretis,& Eccleſiæ placitis acriter, velut pro ſalutari animarū noſtrarū doctrina, decertādi robuſtius euaſit,adeò vt poſtea lōgè latéq; ſerperet,ſtragē in Eccleſia daret,& reliquas omnes doctrinas aboleret quātumuis veras.Neque tamen id ſine colore quodā,& iuſta,vt videbatur,ęmulatione fiebat,per quā ſanè Scholaſtica Theologia maxima quoque incremēta accepit. Quis autē fuerit color iſte,& æmulatio,malo omnes ex viri clariſſimi,& & eruditiſ.Gaſparis Peuceri Chronicorum C lib.4.quā ex me cognoſcere.Hērici,ait, quinti Imperatoris Germanici tēpore fuit in Italia vir ſummæ authoritatis Irnerius, qui gubernauit eas partes,quæ tū erāt Romani imperii.Is quū eſſet eruditus,fortaſſe Cõſtantinopoli,aut ab iis,qui audierāt Cõſtantinopolitanos,ſæpè ritus barbaricos in ſucceſſionibus,& aliis negotiis ex iure Romano, aut correxit,aut moderatꝰ eſt.Grauiter autē quaſſarāt Italiā bella Henrici quinti, quibus, vt fit in bellis Ciuilibus,patrimonia multorū tranſlata fuerāt ad alienos. Ex ea tamen calamitate nõnihil recreauit Italiā prudentia & moderatio Irnerij,qui quū poſteritati conſulendū putaret, cupiebat autoritate imperatoria proferri rurſus ius Romanorum,quo ante aduentū Longobardorū ſemper vſa erat Italia,quemadmodū ex Gregorii Magni epiſt.lib. II. Indiction. VI.cap.53.apparet.Hic verò Irnerius nactus imperatorē Lothariū Saxonē minùs impeditū bellis Ciuilibus, fuit huic hortator,vt pręciperet cauſas diiudicari ex legibus Romanis:& vt curaret A Romæ & Bononiæ,vbi iam erant Academiæ à Carolo Magno inſtitutæ,eaſdē publicè enarrari, ſicut fieret Cõſtantinopoli, & antiquitus Athenis & in Beryto.Et ne deeſſet doctrinæ copia, produxit libros ſcriptos. Fertur & ipſe quoque Romæ ac Bononiæ docuiſſe,& primus ex Italis gloſſemata textibꝰ addidiſſe.Hęc circa annū Domini 1030. vt plerique annotant,geſta ſunt.Secuti ſunt Irneriū auditores ipſius,Ioãnes Bulgarus, Azo, Ioãnes Placentinus, & alii, qui in ſchola pariter, & Reip. adminiſtratione floruerūt,denique capta admiratione doctrinę huius,Italia certatim in eā incūbere cœpit,& prodierūt ex illis ſcholis plurimi, qui docēdo,ſcribēdo,& de iure reſpõdēdo,regēdis imperiis,de vita hominū optimè meriti ſunt.Horum nõnulli,vti Placētinus & Azo,ſummā Iuris Ciuilis,id eſt capita rerū in toto iure Romano traditarum,ad locos quoſdam cõmunes in ſtudioſorum gratiam breuiter & methodicè reuocarunt.

Anno Domini 1030.

Feruebat igitur recens excitatū ſtudiū doctrinæ legū Romanarū,certatim in id incūbentibus ingeniis Italicis & Germanicis:quod quia Imperatores muniebat,atque armabat, videbatur minitari recēti B necdū ſatis cõfirmatæ Pontificū Romanorū tyrannidi.Pericula ergo,quæ inde emerſura eſſent, ſi inualuiſſet,vt maturè auerterentur, extolli cœpta eſt Canonū authoritas, & legibus Romanis anteponi.Itaque ferri cœptæ ſunt leges, quibus de Romanis aliquid derogaretur,autoritate Eccleſię ceu correctū ac limitatū.Cúmque nouo iuri iſti & legibus Pontificiis nouis patronis & defenſoribus opus eſſet,citò cõmouit ſeſe duplex hominū genꝰ Canoniſtæ & Scholaſtici:quorum illi Canoniſtæ, hierarchiā & tyrannidē Romani pontificis propugnandā ſuſceperunt ex Canonū decretis, non minore contētione quàm cæteri imperatoriā poteſtatem ex ſacris literis & iure Romano tuebantur.Hi verò Scholaſtici dogmata noua excogitarunt, ad faſcino erroris ac ſuperſtitionis capiendos & irretiendos hominū animos, quibus laqueis hi vincti permanerēt in obediētia erga ſedē Romanā. Inde Scholaſticæ Theologiæ nomē celebrius factū eſt, & reliquæ purioris doctrinæ de Chriſti officiis,de peccato originis,de Euāgelio,de Lege, de Gratia, de noſtra corā Deo iuſtificatione, de vero vſu Sacramentorū,de vera Dei inuocatione,& aliis veræ fidei articulis ſcintillulę ab ea ſūt extinctę:pro quibus ſubſtitutæ ſunt determinatiões de Meritis operū C,de inuocatiõe Sanctorū,de vi operis operati,de primatu Papæ,de Purgatorio,& ſimilibus nugis.

Cùm enim errores & abuſus vel recepti conſuetudine,vel à Põtificibus orti aut approbati,defendi non poſſent,ſi exigerētur ad regulā & normam verbi ſacri:illo neglecto quæſita ſunt alia præſidia & imprimis Philoſophia Ariſtotelica,id eſt,humanis ſomniis ſtraminea fundamēta ſunt ſubſtrata,vt haberēt nimirū ſimiles labra lactucas.Hæc fuit igitur altera doctrinę ſectęque Scholaſticorū Theologorū probandæ, atque etiā maximè inter illos mortales cõmendādæ cauſſa,quæ ex ſtudio opprimendæ Ciuilis iuriſdictionis, ac poteſtatis imperatoriæ nata eſt,quemadmodū prima ex ſtudio euertendę veritatis verbi Dei,Auguſtinianęque doctrinæ odio profecta fuerat.Atque hęc fuit Scholaſticæ doctrinæ velut prima origo:eiuſdem verò

A progreſsiones & incrementa iam videamus.

CAP. II.

De Scholaſticæ doctrinæ progreſsione, & triplici eiuſdem ætate, ac differentia.

IAm verò inter Scholaſticos ipſos quidā vel audaciores facti,vel certè eruditiores habiti,ſuę illiꝰ doctrinæ & Scholaſticæ Theologię capita,ac velut fundamenta,ſtudioſè collegerūt,illíſque maxima dederūt incremēta.Imprimis autē tres hi laborioſè id præſtiterūt,Gratianus,Petrus iſte Lōbardus,& Petrus Comeſtor.Gratianus enim Decreta Pontificū Romanorū in vnū volumē primus cōgeſsit,circa annū Domini nimirū 1040.quod *Decretorum* opus etiā nū hodie nominatur,opus ad vſum forēſem,ac quęſtiones,& lites illo ſeculo vexatas pręſertim accōmodatū. Ante Gratianū quidā Iuo Carnotēſis Epiſcopus ſimile quiddā cōdiderat:& ante Iuonē Burchardus VVormacienſis Epiſcopus:ſed vterq; ille tenuiori ſtylo,& argumēto ſcripſerat. Itaque Gratiani liber vberior habitꝰ eſt,& propter Iuris Ciuilis authoritatē inualeſcētem,quā obſcurabat,gratiſsimus Pōtificibus Romanis fuit,imò etiā nouis Iuriſconſultorū Italicorū Sūmis tanquā locupletior quidā theſaurus illa ætate illuſtratus,& omnibus aliis ſcriptoribꝰ prælatus eſt. Deniq; cauſſam quoq; & argumentū prębuit,vt Pōtifices Romani deinceps infinita quędā alia decreta cōderent,quæ & ipſa poſtea à Gregorio Nono Pontifice Romano circa annum Domini 1230.in vnum quoque corpus,ac volumen pluribus libris diſtinctū ſunt collecta,& Decretalia nominata.Gratiani porrò exēplū ad imitandū ſibi propoſuit P.Lōbardus,epiſcopus Pariſiēſis,ſed in diſsimili planè argumēto.Nā in Theologia verſari ipſe maluit,quàm in forēſibus,litigioſíſq; quæſtionibus.Itaq; Scholaſticæ Theologiæ,qualis tūc erat,fundamenta in quatuor libros(qui Sentētiarū dicūtur)congeſsit ordinē illū in vniuerſi operis diſtributiōe ſecutus,qui in quatuor libris Damaſceni de *Fide orthodoxa* nunc quoq; apparet. Hi libri quatuor fuerunt poſtea totius Scholaſticæ doctrinæ velut baſis & *κυρίαι δόξαι*.Vnde ipſe *Magiſter Sententiarum*,vulgò in Scholis eſt appellatus. Scripſit autē Lombard. circa annū Domini 1150, tanti habitus,vt aduerſus eum ne hiſcere quidē vllis licuerit.Nā quum poſt annū Domini 1190. Ioachimus Abbas Florentinus P.Lōbardi ſententiā impugnaret,ab Innocentio III. ſtatim Lateranenſi cōcilio (ad quod 1215.Prælati conuenerāt)dānatus eſt.Iam verò eodē ferè tēpore P.Comeſtor hiſtoriā vtriuſque Teſtamenti Eccleſiaſticā conſarcinauit,eámq; gloſsis illius ætatis tum falſiſs.tum inſulſiſsimis referciuit,quæ tamē ita tū vbiq; obtinuit,vt ipſi Scripturæ ſacræ nudæ & puræ penè pręferretur.Vnde factū iam apertè,vt ipſum quoq; Dei verbū ſacroſanctū paulatim vileſceret:huiuſmodi hominū cōmenta prædicarentur, velut cōmodiora docendis hominibus , quàm ipſummet Dei verbū,& magis ad rudiū hominū captū accōmodata. Denique ne ſcripta quidē iuniorū,ac cæterorū orthodoxorum Patrū(ſi quę tū fortè extabāt)citabātur,qui minùs cū illis Scholaſticis placitis videbātur conſentire. Bernardi.n.Clareuallenſis veri ſuę ętatis luminis,& hominis in vera Theologia eruditiſsimi,nūquā tamē vel Gratianus,vel Lombardus iſte meminit,quāquā Lōbardus tamē Hugonis de ſancto Victore ſcripta citat, qui Bernardo Clareuellēſi tēpore fuit æqualis. Vterque enim floruit anno Domini 1190.ſed nimirū oderāt iſti omnia,quæ à ſuis Scholaſticis determinationibus,ac dogmatibus, vel tantillū diſſentire videbātur,qualia ſunt Bernardi ſcripta.Sed quid amplius? Circa annū Domini 1190. Nouū Euāgeliū à Cyrillo quodā monacho Carmelita cudi cœptū eſt,atq; fabricari,ex veteri Origenis errore,in Epiſtolā ad Romanos,quod AEternū Euangeliū appellarūt:quaſi Domini noſtri Ieſu Chriſti,Filij Dei,& Dei æterni Euāgeliū ad tēpus tātùm,tanquā lex illa vetus & Ceremonialis (abutētes etiā pulcherrimo quodā ipſius Apocalypſeos loco)datū eſſet:ſed nimirū,cur nouū iſtud Cyrilli Euangeliū vehemēter,à Monachis pręſertim,probaretur,hæc cauſa erat,quòd dogmata Scholaſtica cōfirmabat,ritus ſuperſtitioſos Romanæ Eccleſiæ approbabat,ac Monachorū ordines,regulas,& inſtituta,ex ipſa,ſi Deo placet,Apocalypſi impiè deriuabat.Cuius tamē tā impudētis mēdacii ipſūmet etiā Satanā tandē puduit:quādo illius vel excuſandi nulla(quantūuis in eo defendēdo monachi ipſi, aliíque ſcholaſtici anxiè laborarēt)ratio afferri poterat.Atq; hæ mūdi tenebræ,teterrimúſq; tūc Eccleſiæ ſtatus erat, in quo Scholaſtica doctrina & Theologia maximos tamē faciebat progreſſus:ſed Dominus tādē tātarū Eccleſiæ ſuæ calamitatū miſertus veriſs.doctrinā ſuā tot erroribus oppoſuit. Nā Ioannē Valdonē excitauit, ciuē Lugdunēſem, diuitē illum quidē:ſed qui in pauperes ex vera Chriſtianaq; charitate omnia ſua erogabat , quēadmodum etiā Gaguinus,& ipſe Monachus,teſtatur. Is igitur verū Euangeliū Domini noſtri Ieſu Chriſti ab Euāgeliſtis ſcriptū curauit fideliter ſibi in Gallicū ſermonē conuerti,& cōuerſum ita aſsiduè , & diligēter & attētè legit,vt verā fidei doctrinā Dei gratiâ,ex Euāgelio Chriſti cōſecutus,falſum illud, & blaſphemū Cyrilli monachi Euangeliū primus omnium ipſe Valdo publicè cōfutaret. Cæterùm Valdoni ſtatim plures, ita eos impellente Spiritu ſancto,ſeſe adiunxerūt,atq; in tā honeſto pro Deo veritate certamine ſuccēturiatores acceſſerūt.Deniq; à Guillielmo de ſancto Amore , viro pro illa ætate doctiſsimo anno Domini 1254.maledictū illud Cyrilli monachi ſuppoſitúmq; Euangeliū aſsiduis cōcionibus oppugnatū eſt,& tandē euerſum. Atq; hęc erāt Scholaſticę Theologię infeliciſsima incremēta,ac progreſsiones,quæ poſtea ſub Innocētio IIII.ſic propagata tamē eſt,vt in ſummū dignitatis gradū hominū laudibꝰ eueheretur,& penè in cęlū vſq; ipſū extolleretur nimirū circa annū Dōmini 1245.& paulò antè quā maledictū iſtud Euangeliū Cyrilli,vllo edicto publicè antiquaretur.

Anno Domini 1190.

Origenes in Epiſtolam Pauli ad Romanos initio commentariorum.

Anno Domini 1254.

Verùm quēadmodū Theologiæ iſtius Scholaſticæ primā originē,& progreſsiones vidimus: ſic etiā quæ iſtius disciplinę ætates,ac differētiæ fuerint,agè iam breuiter explicemus,quoniā ea cognitio nō modò iucunda eſt,ſed etiā neceſſaria, ad facilem huius Scholaſticæ hiſtoriam pertexendam.

In ætate autem & differentia iſtius Scholaſticæ Theologiæ(ſemper enim deterior facta eſt) diſtinguenda,nihil mihi videtur aptius dici poſſe, quàm quod & res ipſa verū eſſe demōſtrat,& ipſa Scholaſticorū hominū agendi ratio docet. Nam quum iſti de omnibus Chriſtianæ fidei articulis Academicorū more,ſemper in vtrāque partem diſputēt,

A poſſunt certè cum eorum philoſophorum (qui à
profanis ſcriptoribus *Academici* dicti ſunt) fa-
milia ſectáve veriſſimè comparari. Ergo quem-
admodum illius Academicæ ſectæ fuit triplex
ætas, eáque inter ſe & methodo quadam, & do-
gmatibus aliquibus diuerſa, omnis tamen in eo
conſtans, quòd omnia etiam certiſſima quæque
in dubium reuocabat: ſic ipſius Theologiæ Scho
laſticæ triplex ætas eſt obſeruanda, Vetus, Me-
dia, Noua. Veteris Scholaſticæ Theologiæ ini-
tia à Lanfranco Papienſi, quemadmodum anteà
diximus, cœperunt: ſed ea duraſſe poſtea vi-
detur vſque ad Albertum Magnum penè per an-
nos 200. videlicet ab anno Domini 1020. vſque
ad annum 1220. quo tempore Lutetiæ Pariſio-
rum ipſum Scholaſticorum Theologorum col-
legium, & luſtrum, quod Sorbona dicitur, ædifi-
cari cœptum eſt, ne non tanta vrbs hoc malum
venenum maturè intra viſcera ſua reciperet.
Hæc ætas habuit Lanfrancum, Guitmundum,
Anſelmum, Hugonem de ſancto Victore, Gra-
tianum, Lombardum, Comeſtorem, Petr. Cleri-
cum, Rupertum, Leonem Tuſcum, Guillielmum
B Antiſiodorenſem, Cyrillum (illum impurum
Monachum montis Carmeli, qui ſcripſit nouum
Euangelium) Petr. Cluniacenſem, Bernardum
Compoſtellanum, Hugonem Barcinonenſem,
Vincentium Gallum, Alexandrum Alenſem,
(qui primus in quatuor libros ſententiarum P.
Lombardi commentatus eſt) Gualterum Picta-
uienſem. Hæc vetus ſcholaſtica certè quidem
pudentior adhuc erat: & quanquam Patrum Ec-
cleſiaſticorum, id eſt, hominum Eccleſiaſtico-
rum dicta ipſi verbo diuino æquabat, tamen
verbum Dei tractabat, & commentariis pro ca-
ptu illorum hominum, id eſt, pro ignorantia &
barbarie illius ætatis explicabat. De hac igitur i-
pſa ætate ſic in P. Dialectico ſcribit Io. Tritten-
hemius, abbas Sphemhemenſis, *Ab hoc tempore*
philoſophia ſecularis ſacram Theologiam ſua curioſi-
tate inutili fœdare cœpit. Ariſtoteles quidem in
ipſius S. Theologiæ templi & ſacrarij limen iam
introductus erat: nondum tamen in ipſum tem-
plum, vel illius adytum. In quod tamen poſtea
C perrupit, aut potiùs à Media ſcholaſtica, quæ ſe-
cuta eſt, deductus fuit.

Media Scholaſtica cœpit ab Alberto magno.
i.anno Domini 1220, & durat vſque ad Duran-
dum de ſancto Porciano, qui vixit anno Domi-
ni 1330. Itaque durat illa ferè per annos centum
& decem, qua florente Ottomanus ille Turca-
rum Imperator, & nominis Chriſtiani infeſtiſſi-
mus hoſtis exoritur: Monaſteria in Occidente
præſertim, vbi hęc Scholaſtica vigebat, hac ea-
dem ętate furioſè exſtruuntur, creuítque hoc lo-
cuſtarum genus in immenſum. Habuit hęc me-
dia Scholaſtica Albertum magnum tanquam pri
mum parentem & authorem, qui philoſophiam
illam prophanam, Ariſtotelicam dico, iam qui-
dem in limen S. Theologiæ impudenter & te-
merè à ſuperioribus introductam, ipſe in intima
& adyta ipſa ſacrarij Chriſti intromiſit, illíque
in ipſo illo templo principem locum & prima-
riam ſedem collocauit. Superiores enim Schola-
ſtici Patrum quidem, ſed Eccleſiaſticorum dun-
taxat, dicta ipſi ſacro & diuino Verbo exæqua-
bant: (quandoquidem in toto P. Lombardo ne
nomen quidem Ariſtotelis legitur) ipſe verò, & A
qui ab eo profluxerunt, omnes ſcripta Ariſtolis
philoſophi diuino ipſi Verbo vbique compara-
runt: adeò vt quæ veſtigia exiguæ illius reueren-
tiæ erga Dei verbum reſtabant, hoc ſeculo & à
Media Scholaſtica prorſus exſtincta, & ex homi-
num animis deleta perierint. Hinc fit, vt in iſtius
ætatis ſcriptoribus exſtet nomen ipſum *Ariſtote-*
lis aut *Philoſophi* primo loco poſitum, ſcripta e-
ius demonſtratione niti cenſeantur: quæ autem
verbum Dei docet, credulitate & probabili po-
tiùs opinatione teneri, quemadmodum quum a-
lij plerique: tum verò Occan ille celeberrimus
Scholaſticus in Centilogio ſcribit, & ſæpiſs. re-
ſpondet. Hinc Metaphyſicorum Ariſtotelico-
rum libri ipſis auguſtiſs. ſancti Spiritus arcanis
& Dei verbo ſunt exæquati. Hinc denique eue-
nit, vt qui illa ætate in Theologia Scholaſtica
florere, celebréſque haberi vellent, in Ariſtotelis
ſcripta vel phyſica, vel logica, vel metaphyſica
commentationes accuratas ederent, ac in illis
ſcriptis plus operæ & ſtudij, quàm in ipſa ſacra
Scriptura ponerent. Hanc enim per tranſen- B
nam, vt aiunt: ſcripta verò Ariſtotelis tanquam
proprium ſuæ profeſſionis opus & ὑποκείμενον ex
profeſſo pertractabant. Ac quidem primus ip-
ſe Albertus ſummam philoſophię ſcripſit: & in
libro 8. Phyſicor. Ariſtotelis, libro 2. de Generat.
& corrupt. lib. de Anima, de ſomno & vigilia,
de inſomniis commentatus eſt: itémque ſcripſit
de plantis & vegetabilibus, ac de motibus ani-
malium. Thomas Aquinas, qui Albertum præ-
ceptorem habuit, illius veſtigia ſecutus eodem
modo in Theologia tractanda verſatus eſt: & ſic
deinceps alij. Hac ætate farragines illę, *de vni-*
tate formæ, de Vnitate intellectus, de Vniuerſalibus,
de Entitate, de Ideis quæ ſunt in Deo, *de realitati-*
bus ſunt conſutæ. Deinde iſtę quęſtiones, vt Phi-
loſophia prophana prorſus in articulis fidei re-
gnaret, & omnia in iſtorum Chriſtianorũ ſcho-
lis moderaretur, fieri cœptæ ſunt: impiæ illæ
quidem, ſed anxiè tamen etiamnum hodie quo-
que inter iſtos vexatę, *An Deus poſsit quoduis*
malum, etiam odium ſui præcipere, & omne bonum
prohibere, etiam amorem & cultum ſui: An poſſit C
vniuerſalem naturam ſine ſingularibus producere &
conſeruare: An potuerit hunc Mundum etiam ab æ-
terno meliorem, quàm fecit, condere: An tres perſonæ
poſſint ſimul eandem naturam aſſumere: An hæc
propoſitio, Deus eſt ſcarabeus aut cucurbita, tam
poſſibilis ſit, quàm hæc, Deus eſt homo: An numerus
perſonarum pertineat ad primam intentionem, an ad
ſecundam: Vtrum ideæ in Deo ſint practicæ an ſpe-
culatiuæ: An in Deo ſit intellectus agens & paſſibi-
lis, An anima Chriſti potuerit mentiri, An ſibi me-
ritus ſit Chriſtus, Vtrum Pontifex Romanus habeat
maiorem poteſtatem quàm Petrus, an parem: &
cętera huiuſmodi vel blaſphema ipſa per ſe,
vel quę ad manifeſtam impietatem feneſtram
& viam aperiunt. Hinc quotlibetariæ quoque
quęſtiones ab iſtis propoſitę. Hęc fuit igitur
illius ætatis Theologia, & ingeniorum ſtudia
huiuſmodi: ſcriptorum materia & occupatio
talis & tam à vera pietate aliena. Hęc ętas ha-
buit Albertum Magnum, Thomam Aquinatẽ,
Petrum de Tarenteſia, Gulielmum epiſcopum
Pariſienſem, Durandum, Egidium Romanum,

A Hugonium Conſtantinopolitanum, Richardum de Mediauilla, Ioan. Scotum nomine Duns, qui perpetuus Thomæ Aquinatis impugnator fuit: adeò vt quod de Carneade & Chryſippo ſcribit Cic. idem de iſto & Thoma poſſit affirmari, nihil vel dicturum vel ſcripturum fuiſſe hunc Scotum, ſi nihil Thomas priùs vel dixiſſet vel ſcripſiſſet: tanta fuit iſtorum diſcordia fratrum. Habuit quoque hæc ætas Alanum de Inſulis, Alexandrum de Alexandria, Nicolaum de Lyra, Auguſtinum de Ancona, Bonauenturam, Gulielmum Occanum, Durandum de ſancto Porciano, cui poſtea Thomæ doctrina & ſophiſtica diſplicuit, quaſi omnis mali fons, & cauſſa.

Sequitur Noua ſcholaſtica, id eſt, vltima & peſſima certè quidem iſtius Theologiæ ætas, quæ poſt Durandum cœpit ab Hereno de Boio, Britone & Carmelita, illius Cyrilli nebulonis qui Nouum Euangelium ſcripſerat, blaſphemo diſcipulo, & ad noſtra hæc tempora, magno Eccleſiæ B malo, propagata eſt, id eſt, vſque ad annũ Domini 1514, quo primùm à M. Luthero euerti cœpit, & ab iis qui poſtea ſequuti verum Euangelium docuerunt. Hęc ætas longè fuit impudentiſſima. Nam quę modeſtia in ſuperiori & Media ſcholaſtica adhuc manſerat, ne temerè de quibuſdam ritibus & quæſtionibus adhuc dubiis affirmaretur, iſta ætate ſublata eſt. Et de rebus etiam abditiſſimis & maximè arcanis, imò verò ſoli ipſi Deo notis magiſtraliter affirmari cœptum eſt, iuxta illud vetus, Ἀμαθία μὲν θάρσος, λογισμὸς δ᾽ ὄκνον φέρει, id eſt, interprete Hieronymo imperitia confidentiam, eruditio timorem creat. Denique impurior quæuis doctrina, tanquam veriſſimus articulus fidei, publicè hoc ſeculo introducta eſt, priuatim quidem quibuſdam reclamantibus, quorum vel iudicia contemnebantur, vel liberiores voces flammis ipſis coercebantur. Ergo pronuntiari & deffiniri cœpit de Papa ipſo, quod antea tantùm quærebatur, licet abſurdè, *Vtrum Pontifex Romanus ſit ſimplex homo, an quaſi Deus: an participet vtramque naturam cum Chriſto: de eius* C *poteſtate ſupra Concilium: de Virginis Mariæ immunitate à peccato: de altero ſigno in S. Domini Cœna laicis interdicendo*: & ſic de cæteris. Planè enim & ſuperciliosè Magiſtri iſti determinarunt de iſtis quæſtionibus: ſed falſiſſimè, & in Deum ac Eccleſiam ipſam contumelioſiſſimè. Ergo quod in Media Scholaſtica adhuc poſitum erat velut in quadam deliberatione ſeu quæſtione fuit, ab iſta decretum pro certiſſimo fidei Chriſtianæ articulo. Sic malum malo additum eſt, vt iam nihil penè iſta poſtrema Scholaſtica eſſe poſſit deterius, niſi vniuerſa Chriſtiana doctrina funditùs euerteretur. Hæc ætas habuit Ioannem de Regno, Henricum de Vrimaria, Ioannem Capreolum, Petrum de Aliaco, Ioan. Gerſonem, Bernardinum Senenſem, Gabrielem Bielem, & ſimiles alios: ac tandem Eckium illum ſophiſtam, ac Genebrardum impudentiſs. Monachos, vera eorum, qui in reprobum ſenſum à Domino traduntur, exempla. Porrò in eo Scholaſtica omnino omnis conſenſit, vt quidquid contra recepta & probata à ſe dogmata, ritúſque à Romana Eccleſia traditos, & iam inuectas ſuperſtitiones, in verbo Dei ſcripto reperitur, omne illud variis diſtinctionibus, ſophiſmatis atque oppoſitionibus obrueret: denique hominum ſcripta diuinis exæquaret. Ac tandem Philoſophiam humanam, imprimis autem Ariſtotelicam in ſupremo ſuæ ſcholæ ac controuerſarum quæſtionum diiudicandarum ac decidendarum gradu & throno tanquam reginam collocaret. Et tamen illa Pauli admonitio præceſſerat, *Videte ne quis ſit, qui vos deprædetur per philoſophiam*: item & illa Tertulliani, *Philoſophi patriarchæ hæreticorum*: Sed & Hieronymi ipſius, *Mihi videntur Aegyptiorum primogenita, dogmata eſſe Philoſophorum, quibus deceptos homines, atque irretitos tenebant*, ſi modò ad Dei verbum, vel veteres Patres iſta Scholaſtica attendiſſet. Et hæc quidem de Scholaſticæ Theologiæ progreſſione, ac varia ætate & differentiis dicta ſint. A

CAP. III.

De Eclogis, ac Summis Theologicis, quæ vocantur, & quando primùm colligi cœperunt, tum Decreta, tum Summa. B

LOcorum Communium ſcribendorum fuiſſe peruetuſtum morem docent, M. Cicero in libro de claris oratorib. & Fabius Quintilianus, lib. 3. Inſtitut. Oratoriarum cap. 1. Sed locos Communes ſcripſerunt non profani modò, ſed etiam Eccleſiaſtici viri, & Chriſtiani ſcriptores: qui, vt commodiùs totam veræ fidei doctrinam traderent, eam & orationis compendio, & certis quibuſdam capitibus diſtinctam complexi ſunt, poſteríſque tradiderunt. Nam vt Symbola illa, velut Apoſtolicum, Nicænum primum, Epheſinum, & huiuſmodi alia prætermittam, quæ fuerunt tamen breuiſſimæ & compendioſiſſ. totius Euangelicæ doctrinæ quædam deſcriptiones, quis neſcit Melitonem, quemadmodum ſcribit Hieronymus, Eclogarum libros ſex primùm ſcripſiſſe, circa annum Domini 180. & poſtea Cyprianum Epiſcopum Carthaginenſem ex variis S. Scripturæ locis teſtimoniorum libros tres ad Quirinum, tanquam etiam Eclogas & locos Cõmunes Theologicos primùm Latinorum Patrũ collegiſſe, circa annum Domini 250. Anno Domini 180. C Anno Domini 250.

Poſtea à Baſilio & Athanaſio, ſicut nonnulli volunt, Græcis Theologis Ἀνθολογίαι. i. flores ex omnibus Origenis opuſculis concinnati ſunt, tãquam vberes & locupletes quidam Quæſtionum Sententiarúmque Theologicarum theſauri, circa annum Domini 320. Nec verò temporũ rationem ad viuum reſeco. Anno Domini 320.

Scripta quoque ſunt Enchiridia & tractatus alij, vti *de fide & de ſymbolo*. Item commentarij in ipſum Apoſtolorum Symbolũ, quaſi loci Communes à Latinis Patribus ſunt ſcripti, velut à Ruffino circa annum domini 350. Et in optimo genere interpretandi meminit iam Hieronymus locorum Communium. A Græcis autem Patribus ij libri, qui *Theſaurus orthodoxæ fidei, expoſitio fidei, de fide*, & ſimilibus aliis titulis inſigniebantur, vti à Cyrillo, & aliis pleriſq;. Sic à Damaſceno editi ſunt, tanquam epitome veræ Chriſtianæque religionis libri 4. De orthodoxa fide circa annum Domini 740. Poſtea à Niceta Choniata hiſtorico Eccleſiaſtico orthodoxiæ libri aliquot, A aliquot, qui temporis iniuriâ perierunt. In ſcriptis autem Auguſtini, vti diximus, diu ac plurimùm verſatæ ſunt Eccleſiæ Latinæ, & ſequens ætas. Verùm quum inualeſceret poſtea Romanorum Pontificum authoritas, vel potiùs tyrannis, Bonifacius ille, qui primus Archiepiſcopus Moguntinus à Roma. pontifice ex monacho creatus eſt, imperium Romanæ ſedis & autoritatem apud Pipinum Regem Francorum maximè commendauit. Ex quo factum eſt, vt omnia in omnibus Eccleſiis per ſuas tum decretales, tum commonitorias epiſtolas in Occidente Romani Pontifices gubernarent. Ergo Burckardus extitit, qui & ipſe ex monacho quoque Epiſcopus VVormacienſis à Roman. pontifice factus Decretorũ libros xx. vno volumine, quemadmodum antea diximus, edidit, tanquam ſummam omnium quęſtionum tum ad fidem Chriſtianam, tum ad forum pertinẽtium, circa annum Domini milleſimum. Burchardo ſucceſſit Iuo Carnotenſis Epiſcopus. Sed compendia iſta & collectanea ab iſtis duobus, vti & in Panormia quædam, deſcripta ad B vſum forenſem potiùs, quàm ad fidei Chriſtianæ doctrinam accommodata videbantur, quia propter Romanorum Pontificum authoritatem paſſim quidem vbique: ſed in foro præſertim regnantem, omnis Theologia forenſis, & cauſſarum litiúmque dirimendarum gratiâ comparata cenſebatur.

Cœpit tamen forus à Theologia poſtea diuelli, ab iis nimirum, qui annum Domini milleſimũ ſecuti ſunt. Nam quæ collectiones ex Romanorum Pontificum decretis aut Patrum ſcriptis ad lites forenſes dirimendas pertinere iudicabãtur, *Decretorum* nomine ſunt ab iis appellatæ.

Quæ autem ex iiſdem Pontificum Romanorum decretis, & ex Patribus fidei Chriſtianæ articulos ſpectare aut illuſtrare videbantur, *Scholaſtica Theologia*, quemadmodum iam docuimus, eſt nominata. Itaque iam ex eo tempore diuerſum iter ingreſſi ſunt vtrique, nimirum Canoniſtæ & Scholaſtici: & alia fuerunt vtrorúmque ſcripta, ſæpe etiam diſſentiẽtia à ſeſe mutuò, imò etiam contraria. Vtrique tamen compendia & C eclogas ſeu epitomas ſuæ, quam quiſque profitebatur, artis componebant. Summas tamen nondum appellabant.

Primus Hugo de ſancto Victore habitus ſua ætate doctiſſimus circa annum Domini 1120. librum edidit, quem *Summam ſuarum ſententiarum inſcripſit*, Hinc ſanè *Summæ, & ſummarum Theologicarum, & ſummiſtæ theologi*, qui & iidem *Scholaſtici*, vocabulum nouum increbreſcere cœpit. Petrus Abelardus ad huius imitationem iiſdem temporibus *Theologiam ſuam* vno libro complexus eſt, quem librum pro *ſumma, Theologiam* appellare maluit. Poſt Abelardum Richardus Monachus ſancti Victoris *epitomen Bibliorum ſcripſit*, & inſcripſit, circa annum Domini 1140. Deinde Guilielmꝰ Abbas ſancti Theodorici ſcripſit primus de fide hoc titulo, *Sententiarum fidei liber vnus* circa annum Domini 1140. Hinc iam & *Sententiæ* & *Sententiarum libri* & *Sententiarij Theologi*, voces audire cœperunt & vſurpari. Quæ vti & *Summiſtæ* & *Summarum* percrebuerunt, ac commendari, velut præclaræ profeſſionis tituli, ſolitę ſunt. Poſt Guilielmum Abbatem dicitur Bandinus quidam ſententias eadem methodo ſcripſiſſe, qua poſtea P. Lombardus: adeò vt à Gilberto Genebrardo homine iſtius ordinis & ſcholæ, ſed Monacho maledicẽtiſſimo, manifeſtè accuſetur plagij turpiſſimi Magiſter ſententiarum Petrus iſte Lombardus, quaſi alienam, id eſt, Bandini laudem in ſeſe tranſtulerit. Sed Bãdini iſtius ne Trittenhemius quidem, diligens alioquin huiuſmodi ſcriptorum nomenclator meminit, vt manifeſta in Lombardum appareat Genebrardi calumnia: Verùm rabioſa iſtius monachi intemperies ſuos arrodere maluit, quàm intactũ quenquam, nedum me ſuarum iſtarum tenebrarum aduerſarium, dimittere.

Anno Domini 1120

Anno Domini 1140

A

Ergo Gulielmi abbatis Theodorici exemplũ & titulum non ſuffuratus, ſed imitatus Lombardus ſcripſit *libros quatuor Sententiarum*, in quorum gratiam iſta omnia prolegomena à nobis præmittuntur. Denique in ipſas etiam *ſummas* & *Sententias* commentarij quoque ſunt conſcripti. Nam Rupertus Linconienſis epiſcopus poſt Lombardum & ipſe quoque *Summam Theologiæ* ſcripſit, librum, quem eo nomine donauit. Qui B idem ad imitationem Lombardi edidit in Dionyſium illum, quem appellant Areopagitam, commentatiorum libros quatuor. Hinc ſummarum ſcribendarum audacia creuit, quæ nullum finem inter iſtius generis homines habere adhuc potuit. Poſt Rupertum enim eodem titulo & argumento librum edidit Gulielmus Antiſiodorenſis *ſummam Theologiæ* appellans, circa annum Domini 1200. Primus autem Gualterus epiſcopus Pictauienſis librum *Quod libetorum* edidit, magno orbis miraculo, circa annum Domini 1240. niſi fortè quis exiſtimet Araciũ Arianum qui primus inter Chriſtianos *συμμίκτων ζητημάτων* libros ſex ſcripſit, quemadmodum Hieronymus in catalogo ſcriptorum tradit, harum quodlibetariarum quæſtionum argumenta ſuppeditaſſe. Hunc titulum & argumentum alij ex eadem hac ſchola poſtea imitati ſunt. Inde quoque *Quodlibetariæ quæſtiones natæ*. Atque hoc eodem tempore cœpit Alexander de Ales ſiue Alenſis ab iis *irrefragabilis doctor* appellatus commentari in hos libros quatuor Sententiarum à P. Lombardo C ante iſtius ætatem annis prope 100. editos. Hic quidem velut alter Alexander Macedo auſus eſt primus nodos illos Gordianos, qui ſunt apud Lombardum non ſoluere, ſed diſrumpere & ſecare. Alexandrum tamen iſtum in eodem argumento & commentariis in libros ſententiarum ſcribendis ſecuti ſunt ſtatim Iohannes de Rupella, & Euſthathius, qui & Bonauentura dictus eſt, & alij poſtea, vti poſtea dicemus, propemodum infiniti. Ex his autem apparet, cur, & vnde eclogarum & Summarum iſtarum ſcribendarum initia in rebus Theologicis primùm cœperint, & quo poſtea progreſſu aucta fuerint.

Anno Domini 1200

CAP. IIII.

De Petro Lombardo, qui magiſter Sententiarum appellatur, & de variis horum librorum interpretibus.

PEtri Lombardi vita nec breuiùs, nec meliùs perſtringi poteſt, quàm eſt à Ioanne Trittenhemio Abbate Spanhemmenſi deſcripta

A his paucis verſiculis.

Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis ex ſcholaſtico vir in diuinis ſcriptis ſtudioſiſſimus & nobiliter doctus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio nomen ſuum ſcribendo cum tanta gloria transmiſit ad poſteros, vt vſque in hodiernum diem ſuis opuſculis Theologorum ſchola vbique exercitata ſingulari veneratione Magiſtrum eum nominet, & habeat. Scripſit enim ſagaci ſtudio ex dictis ſanctorum Patrum commendabile opus.

Sententiarum lib.4. cupientes aliquid.
In totum Pſalterium li.1. Cum omnes Prophetia.
In omnes epiſtolas Pauli lib.14. Principia rerum.
Sermones varios lib.1.

alia quoque non pauca compoſuit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Conrado Imperatore tertio, anno Domini M. CXL. *Hac Trittenhemius.* Hunc autem Petrum alij Longobardum vocant à gente Longobardorum, qui & Lombardi dicuntur: vnde & Lombardia nominata, quæ olim Inſubria Gallia, cuius Metropolis primùm fuit Pappia ciuitas, nunc verò eſt Mediolanum. B Gentem autem illam à longis, quas geſtabat, barbis Longobardicam appellatam eſſe ſciunt omnes. Huic poſtea tamen longæ iſtæ barbæ adeò diſplicuerunt, vt cum eſſet Epiſcopus Pariſienſis factus (cedente nimirum ei Philippo Regis ipſius Ludouici Iunioris fratre Archidiacono Pariſienſi propter Lombardi famam) Regi Francorum Ludouico (qui eſt eius nominis ſeptimus & propter abraſam barbam *Iunior* cognominat') perſuaſerit, vt omnes Franci ſeu Clerici ſeu Laici barbas abraderent. Quidam tamen hoc edictum à Ludouico Sexto potius promulgatum putant, vt facilius vtraque gens Francorum nimirum, qui barbati erant, & veterum Gallorum qui barbas abradebant, inter ſe coaleſceret: quoniam Galli veteres ad illud vſque tempus diuiſi, id eſt, cultu & forma corporis diſtincti à Francis manſerant. Vtvt ſit, poſtea ex eo imberbes manſerũt in Gallia imprimis Clerici omnes, & nunc quoque contra concilium Carthaginenſe barbas abradunt, quamuis populariter irriſi fuerint à Græcis ſacerdotibus, quòd eſſent imberbes Epiſcopi, C tanquam eunuchi quidam eſſent, & non mares, ſed fœminæ. Nam cum à Francis & Venetis capta eſſet Conſtantinopolis, ægrè tamen epiſcopos Francos imberbes pro epiſcopis ſuis eſſe paſſi ſunt Græci, quemadmodum ſcribit Nicetas Choniata in fine ſuæ Hiſtoriæ. Petrum autem hunc Lombardum potiùs à Gente cognominatum putant, quàm ab vlla certa familia, quòd filius eſſet ſpurius è Nonna nimirum, id eſt, Monacha natus, cuius filios alios quoque duos fuiſſe tradunt Petrum Comeſtorem, & Gratianum, magnos alioquin & celebres viros huius fratres. Itaque cùm à confeſſore admoneretur Nonna illa mater trium iſtorum, vt pœniteret propter illam ſcortationem, & votum virginitatis violatum, reſpondit, ſe nec poſſe nec debere pœnitere, cùm tam pręclara orbis lumina edidiſſet. Denique iſtius Petri libri 4. Sententiarum ſunt κυρίαι θεολογίας σχολαστικῆς δόξαι. Atque vt quod de hoc ſcriptore ſentio, ingenuè profitear, iudico, Hominem iſtum, ſi in feliciora tempora incidiſſet, minúſque corruptam fidei Chriſtianæ doctrinam didiciſſet, potuiſſe multum prodeſſe Eccleſiæ Dei. Fuit enim diligens, & acutus: Atque etiam huius operis inſtituendi ſcopus non modo honeſtus, ſed etiam neceſſarius fuit, vt ex Auguſtini doctrina (ad quem vnum ferè prouocat Lombardus) receptæ opiniones & emendarentur & iudicarentur. A Porrò autem in hos Sententiarum libros ediderunt commentarios infiniti penè, quos idcirco omnes recenſere non eſt opus, cum nec omnium etiam commentationes hodie extent & ſint ex illis quidam ineptiſſimi. Primus igitur omnium auſus eſt iſtos libros attingere, id eſt, difficultates difficultatibus augere Alexander Aleſius, dictus de Ales, deinde Ioannes de Rupella, poſtea Euſthathius qui & Bonauentura de balneo dictus eſt, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Petrus de Tharanteſia, Vdalricus de Argentina: Haimo Anglus, Ioannes Valens, Gulielmus Lugdunenſis. Gulielmus Lamarenſis, Ioannes de Parma, Hanibaldus Romanus, Henricus de Gandauo, Hugolinus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Richardus de media Villa, Bonauentura, Gulielmus Pariſienſis, Gulielmus Varro præceptor Scoti, B Richardus de noua Villa, Ioannes Scotus, Gregorius Ariminenſis, Franciſcus Marronis, Gulielmus Occan, Durandus à ſancto Porciano, Matthæus de Aqua ſponta, Nicolaus Papa quartus, Alanus de Inſulis, Alexander de Alexandria, Petrus de Verberia, Michael de Ceſena, Gerardus de Bononia, Nicolaus de Lyra, & infiniti alij, quales Holcot, Tricot & Bricot. Poſtremus omnino Thomas Caietanus: tot nimirum calami & miſerum Lombardum exagitarunt, & ſe intricatiſſimis quæſtionibus cruciarunt. Si quis autem alios interpretes requirat, Legat Trittenhemium. Hi autem omnes examen ipſius Lombardi doctrinæ prętermittentes, & locorum ab illis prolatorum collationem negligentes, tanquam cæci cæcum ſunt ſecuti, tanta fuit nimirum vel illorum ſcriptorum negligentia, & ſecuritas, vel iſtius inter ſuos authoritas, vt ex Lombardo, tanquam Pythagorei à ſuo Pythagora ἀδιακρίτως dependerent, ſtatímque, ſi quis contrà mutiret, in promptu illud, αὐτὸς ἔφα, haberent. C

CAP. V.

Quæ, quantáque eſſe debeat horum quatuor librorum inter Chriſtianos homines authoritas.

Modeſtiſſima eſt illa Auguſt. lib.2. De bono perſeuerantiæ cap. 21. de ſuis ſcriptis ſententia, quam alij omnes Chriſtiani ſcriptores certè quidem imitari debent, *neminem velim,* ait, *ſic amplecti omnia mea, vt me ſequatur, niſi in ijs, in quibus me non errare perſpexerit.* Præterea quid, quantúmque aliis ſcriptoribus, præterquàm vni Dei verbo ſcripto, ſit tribuendum, idem docet ſuo exemplo, quum in epiſtola ad Hierony. ita ſcribit, *Alios autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate, doctrináque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt: ſed quia mihi vel per illos authores canonicos* (id eſt *verbum Dei ſcriptum*) vel *probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.* Quæ cogitans Lombardus

A bardus in proœmio huius operis anteſtatur *ſe in hoc tractatu non ſolum pium lectorem, ſed etiam liberum correctorem deſiderare*, verba Auguſtini libr. 3. Trinitat. in proœmio nimirum imitatus. Ex quibus ſatis intelligitur, primùm authorem iſtum & ſcriptum eius neque eſſe αὐτόπιστον, vt per ſe fidem mereatur: neque ex librorum Canonicorum & ἐνδιαθήκων numero, vt pari cum iis authoritate cenſeatur. Quò impudentior fuit illius (ſiue is Lombardus fuit, qui ſuo opere delectatus ita ſeſe extulerit: ſiue alius quiſpiam) audacia, ne dicam blaſphemia, qui ad calcem libro 4. iſtius operis adiecit, quæ in his libris continentur, ea *ex pedibus ſedentis ſuper ſolium excelſum, quos ſeraphim duabus alis velabant.* I. *ex pedibus ipſius Dei* commemorata & dictata fuiſſe. Quæ verò, obſecro, iſta eſt impudentia? Nam quæ ſunt à Deo dictata, licèt ex pedibus, tamen ſunt ἄψευστα & omnino credenda & ἄνευ πάσης διακρίσεως *abſque vlla haſitatione* animi aut examine credenda. Nec enim aliud ex capite, aliud ex pedibus Dei dictatur, niſi fortè verum & æternum illum Iehouam B ſimilem profano cuidam Ioui facimus, qui ex capite Mineruam edidit: ex fœmore autem & pedibus ſuis Herculem. Ergo nimirum arrogans & blaſphema eſt laus iſta, ſiue ſibi ab hoc vſurpata: ſiue ab alio tributa, nempe ſcriptum hoc à Deo dictatum eſſe, cùm etiam ipſi illi huius ſcriptionis ſummi patroni Scholaſtici varios in ſingulis harum ſententiarum libris errores agnouerint: & aliis, vt cauerentur, annotarint, qui tractatus etiam ad calcem horum librorum addi ſolet. Quare detrahatur iſti fides illa vel authoritas, quæ ſolis Canonicis libris debetur, de quorum albo & numero nequaquam, vel ipſis ſcholaſticis teſtibus, ſcriptor iſte cenſendus eſt. Quænam igitur illi relinquenda eſt fides aut authoritas, dicet quiſpiam? Reſpondeo, cum grauiſſimi errores in hoc ſcriptore à diſcipulis etiam ipſis ſint non tantùm leuiter animaduerſi, ſed grauiter notati: & cum ſæpe iſtorum librorum margines habeant, *Hic non tenetur Magiſter Sententiarum*, apparet omnino dubiam eſſe huius ſcriptoris authoritatem & fidem. In quo non à me, ſed ab ipſis C ſcholaſticis eleuatam eſſe huius ſcripti fidem & in dubium reuocatam omnes vident. Equidem anteſtari licet, & ea ipſa verba, Deo teſte, vſurpare, quæ Hilarius contra Conſtantium Imperatorem ſcribens habet. *Nunc mihi non alia ad dicendum cauſſa quàm Chriſti eſt, cui & hoc debui quod vſque nunc tacui: & ex reliquo me intelligo debere ne taceam: vlterius enim tacere diffidentiæ ſignum eſt*, non modeſtiæ *ratio. quia non minus periculi eſt ſemper tacuiſſe, quàm nunquam.* Ergo primùm authorem iſtum, & quidem ſæpius legere antea volui, & cognoſcere, quàm quicquam in eum meditari. Sed cùm tot, támque multiplices vbique errores à me in his libris depræhenderentur, temporum fortaſſe iniuria corruptæque iam veræ doctrinæ potius quàm ipſius Lombardi vitio, non potui non cohorreſcere, & ſaltem in illo tam neceſſario & auguſto fidei Chriſtianæ articulo qui eſt *de ſancta Trinitate*, & ab iſto huius operis primo libro tractatur, errores iſtius non commonſtrare. Nam veriſſima mihi ſemper viſa eſt hæc Auguſtini ſententia libro 3. contra Creſco. capit. 3. *Sicut laudabile eſt à vera ſententia non amoueri*, *Ita* A *culpabile eſt perſiſtere in falſa, quam nunquam temerè prima laus eſt, ſecunda mutare: vt aut ex initio vera permaneat, aut mutata falſa vera ſuccedat.* Ergo iſtius hominis diſcipuli rectè ſentire de tanto Dei arcano tandem aliquando diſcant. *Timendum eſt enim*, ait Hieronym. *ne Magiſtrorum noſtrorum mulſum & venena pariter bibamus: aut ne quos duces recti itineris habere nos credimus, eos comites habeamus erroris*, Præſertim cùm idem Hieronym. alibi veriſſimè ſcribat. *Fateor, Miratus ſum, quòd quantumuis aliquis malè ſcripſerit, inuenit ſimilem lectorē ſui.* Ait quidem Chryſoſtomus Homil. 57. in Ioan. *Mendacium, etſi veritatem oppugnare videtur, ſeipſum tamen detegit, & veritatem reddit clariorem.* ſed illud verum eſſe tum demum experimur, quum à nobis cæcis mendacium pro veritate non ſumitur, & laudatur. Vbi enim ſemel inhæſit hominum animis iſta ſententia, quæ de re aliqua dicuntur, ea eſſe vera, tum certè (quæ vis eſt conſuetudinis & receptæ ſemel iam opinionis) difficilè mendacium detegitur. Sed cùm nox eſſe nox à nobis nullo præiudicio præoccupatis iudicari B poteſt, cùm Sol verbi Dei cum tenebris confertur, tum verò facillimè omnis in fidei doctrina impoſtura, & mendacium deprehendi poteſt. Quod præclarè nobiſcum ſentit his verbis Cyprianus libro primo epiſtol. 3. *Mendacia non diu fallunt. Nox eſt, quouſque dies illuxerit. Poſtquam autem dies aduenerit, & Sol ortus fuerit, & luci tenebræ cedunt, & noctis latrocinia ceſſant.* Imò verò ſæpe fit, vt, quemadmodum ex Auguſtino ſcribit Clithoneus, & ipſe Scholaſticus, *vt per quæ inſidias patitur veritas, per ea fortior euadat.* Quemadmodum nobis in hoc examine Lombardi contigit. Ex iis enim ipſis locis, quos citat ipſe pro ſe, deprehendimus falſam eſſe eius ſententiam. Interim tamen etiam per eius veſtigia veritatem eorum locorum inueſtigauimus. Quamobrem vitio nobis verti non poteſt, ſi hanc operam toti Eccleſiæ Dei impendimus, vt quæ ſit horum ſcriptorum authoritas & fides, ſaltem in hoc libro primo demonſtraremus.

Paradoxum fortaſſe, ſed tamen id, quod eſt verum, dicam, Autorem iſtum omnino nullam C per ſe fidem mereri. Primùm enim eam non meretur, quam Canonici ſcriptores: ſed nec eam, quam alij Patres Eccleſiaſtici, quoniam, vt ipſe teſtatur, in his libris *non ſuam, ſed alienam vocem ſonare voluit.* Itaque ſic contexta eſt tota iſta ſcriptio, vt aliena potiùs, quàm Lombardi ipſius ſcripta & ſententiam in ea legamus: iam verò qui aliena verba refert & tranſcribit, eatenus fidem meretur, quatenus ab eius mente, & verbis, quem autorem profert, non diſcedit. Quod ſi ab eo diſceſſerit, iam nullam omnino fidem meretur, quia fallitur. *Quiſquis enim*, ait Auguſt. libro 80. Quæſtion. 31. *vllam rem aliter, quàm eſt, intelligit, fallitur: & omnis qui fallitur, id, in quo fallitur, non rectè intelligit. Quiſquis igitur vllam rem aliter intelligit, quàm eſt, non intelligit. Tria enim genera ſunt errorus*, inquit idem Auguſtinus libr. de Vtilitate credendi capit. 4. *in quibus homines errant, quum aliquid legunt, atque etiam citant. Primum genus eſt, in quo, quod falſum eſt, verum putatur, cum aliud, qui ſcripſit, putauerit.* Exempli cauſſa, ſi Lucretium legens putes nulla eſſe

A corpuſcula, quæ Atomi dicantur. Verum quidem ſentis ratione rei, ſed erras & falleris in mente Lucretij, id eſt, authoris, quem legis, interpretanda. *Alterum eſt quamuis non tam latè patens, non tamen minus noxium, quum id, quod falſum eſt, verum putatur: id tamen putatur, quod etiam ille, qui ſcripſit, putauit.* Vtputà legens Lucretium putas verè eſſe corpora illa ab Epicureis defenſa, quæ Atomi dicuntur. Falſum putas ratione rei: ſed verum ratione mentis autoris ipſius. Ergo & hîc quoque erratur: *Tertiũ eſt*, addit Auguſtinus, *cùm ex alieno ſcripto intelligitur aliquid veri, cum hoc ille, qui ſcripſit, non intellexerit.*

Veluti ſi quis eundem Lucretium legens vbi mortem docet contemnendam, ſentiat mortem non eſſe propter noſtram cum Deo reconciliationem per Chriſtum metuendam, vel contemnendam, verum intelliget: ſed tamen non ſenſum autoris & rationem capit. Qui cum tot modi ſint errandi in alienis ſcriptis legendis & citandis, certè ex noſtris in hunc primum librum ſcholiis & collationibus omnes cognoſcent Lombardum
B triplici illo modo, & quidem ſæpiſſimè, erraſſe: & aliter rem, quàm eſt vel in ipſa veritate, vel in ipſo, quem citat, autore, intellexiſſe. Ex quo iam ex priori illa Auguſtini regula concludo, illum igitur deceptum & falſum fuiſſe. Quis autem neget ei qui fallitur fidem non eſſe habendam, quia falſus eſt, & præter verba, vel mentem eius, de quo teſtatur, deponit, id eſt, quia ſermonem & mentem illius proferre ſe dicit, ac teſtatur, cuius tamen bona fide mentem, vel verba non refert? Intelligent verò poſtea omnes, quàm multa vel in vno hoc libro primo, addita, detracta, & committata ſint à Lombardo, in citandis alienis ſcriptis, vt eum crimine falſi teneri ne ipſi quidem illi (qui eum in delitiis habent ſcholaſtici) negare vel audeant, vel poſſint. Nam iidem illi Diſtinct. 27. capit. 4. in margine annotant quædam ab eo mutari. Quare cur huic autori & ſcripto fidem, & meritò quidem, detrahamus iam bona, quemadmodum opinor, piorum omnium veniâ perpendendum eſt, ne temerè iudicare videamur.

C Sunt autẽ tres cauſſæ ex plurimis, propter quas id fieri oportere æqui iudices omnes pronuntiabunt, Nempe quòd ſit Lombardus

1 Teſtis falſus,
2 Scriptor pernicioſus,
3 Denique, vt verum dicam, etiam ridiculus.

Priuſquam autem harum trium accuſationum aut grauiſſimorum criminum tractationem inſtituam, fidem facere aggrediar, eâdem oratione & præfatione lectorem admonere mihi liceat, & me tutari, qua aduerſus Ioannis Hieroſolyman. Epiſc. plurimos errores ſcripturus Hieronymus ſeipſum muniuit. *Quæſo Lector* ait, *vt memor tribunalis Domini, & de iudicio tuo te intelligens iudicandum, nec mihi, nec aduerſario meo faueas, néve perſonas loquentium, ſed cauſſam cõſideres. Iterum atque iterum te commoneo, vt patientiam teneas, & diſcas, quod ego quoque per patientiam didici.* Nam liberum correctorem etiam Lombardus ipſe poſtulauit.

Ergo ad primum crimen iam accedamus, & Petrum Lombardum falſi teſtimonij reum coram vniuerſo terrarum orbe peragamus, ne noſtra hæc oratio non tam accuſatio, quàm calumnia alioquin exiſtimetur. A *Falſi ſunt teſtes*, inquit, Hierony. in Matthæ. cap. 26. *Qui non eodem ſenſu dicta proferunt, quo dicuntur.* Nam qui hæc Chriſti de templo loquentis verba, *Deſtruite templum hoc, & tribus diebus erigam illud*, audierant Ioan. 2. verſ. 19. apud Caiapham pontificem non eodem ſenſu referunt, Matth. 26. verſ. 61. quo à Chriſto dicta fuerant, vnde meritò falſi teſtes appellantur ab ipſo Spiritu ſancto Matth. 26. verſ. 60. De templo enim corporis ſui loquebatur Chriſtus, Ioann. 2. verſ. 21. Illi verò de templo lapideo Hieroſolymis ædificato intellexerant: & tamen verba ipſa *Deſtruendi & Templi*, retinuerant, λύειν καταλύειν, ναός. Ex quo fit, vt rectè tum ex ipſius Spirit. ſancti ſententia, tum ex Hieronymi annotatione falſus teſtis is eſſe dicatur, qui etiam verba ipſa autorum, quos citat, retinens, mentem tamen eorundem non retinet, ſed eam vel euertit ſciens & prudens: vel imprudens ac errans mutat. Quòd ſi ſciẽs & dolo malo, id eſt, ex profeſſo id facit, non modò flagris & fuſtuario dignus eſt, ſed etiam ex iure Romano lege Cornelia De falſis eſt in vltimas B orbis terrarum oras, tanquam ciuiliter mortuus, deportandus. Ex iure autem Canonico non tantùm in Monaſterium velut miſerum carcerem detrudendus, cano. Quia §. Pręsbyteri ſeu Diaconi, v. quæſtio. vi: ſed etiam ab omni honore officij deiiciendus eſt, maximè ſi erit Presbyter, ait Canon. Si Epiſcopus aut Presbyter, Diſtinct. 50. 51. *Si Epiſcopus*, ait Concilium Agathenſe, *aut Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiſerit, aut chartam falſauerit, aut falſum teſtimonium dixerit, ab officij honore depoſitus in monaſterium detrudatur, & ibi, quandiu vixerit, laicalem tantummodò communionem accipiat.* Quod idem canon. 25. Apoſtolorum traditum eſt, & Leonis Cõſtantinopolitani Imperatoris conſtitutione 76. & 77. *de Sacerdote falſum teſtimonium dicente* confirmatum, vt de eo pluribus diſputandum à nobis minimè ſit. Lege autem Dei, vltimum ſupplicium ſeu Mors ipſa falſi teſtis pœna conſtituta eſt, Deutero. 19. verſ. 19. Et hæ quidem pœnæ ſunt in falſos teſtes poſitę & ſcriptæ, pręterquàm quòd eorum teſtimonio quoque ex l. *Scriptura. C. de fide inſtrumentorum*, minimè credendum eſt. C

Quòd ſi Lombardus ipſe errans & imprudens, eius, quem legit aut citat, mentem euertit, vel immutat, ſaltem meretur hanc pœnam eius error & imprudentia, vt ipſi erranti nequaquam credatur, quoniam errat, vt vel leuiſſimè cum eo agi poſſit. d. l. *Scriptura* C. *de fide inſtrumentorum*, & hoc ipſum ex Auguſtino quoque ſuprà demonſtrauimus. Imò verò in eo præclara eſt iſta lex Platonis libr. 2. de legibus, Ἐάν τις, ait, ἁλῷ δὶς ψευδομαρτυρῶν, τοῦτον μηκέτι νόμος ἀναγκαζέτω μηδεὶς μαρτυρεῖν: ἐὰν δὲ τρίς, μηκέτι ἐξέστω τούτῳ μαρτυρεῖν, Quę ita conuertit vir doctiſſimus Ioan. Serranus: *Si quis falſi bis conuictus fuerit, ad dandum teſtimonium lex eum in poſterum minimè cogito: Si ter, ne ei quidem vllo modo fas eſto teſtimonium perhibere.* Atqui non ter duntaxat, aut quater Lombardum falſi conuincemus, ſed penè millies. Ergo hęc eſt vna falſi teſtis definitio, ex qua Lombardum æqui iudices omnes damnabunt.

A Altera eſt, Dum, qui teſtimonium perhibet, verba ipſa primaria mutat, nimirum vel addendo, vel detrahendo, vel etiam quædam in iis commutando. Námque ea debet afferri in his præſertim rebus Theologicis ſynceritas, vt ne tantillum quidem in S. ſcripturæ, aut Patrum orthodoxorum verbis & oratione mutetur: ne alienus illis ſenſus affingatur, non autem ſuus, & proprius retineatur. Irenæus Pater, vt & ex eius operibus, & ex Hieronymo apparet, ita ſcripſit, *Adiuro te, qui tranſcribis librum iſtum, per D. N. Ieſum Chriſtum, &c. vt conferas poſteaquam tranſcripſeris, & emendes illum ad exemplar vnde deſcripſiſti, diligentiſsimè*, tanti eſſe momēti iudicauit ille, falſi quippiam etiam in hominum ſcripta admittere. Si tāti eſt vitrum, quanti margaritum.i. Dei ipſius verbum? Hoc idem Ruffinus in Prologo ſuæ tranſlationis libris Origenis De Principiis poſtulat. Nota eſt Spiridonis hiſtoria, quam refert Hermius Sozomen. lib. 1. cap. 11. qui cum Thriphylliū Epiſcopum Le- B dranum concionantem audiret, & verba illa Chriſti ex Ioan. 5. verſi. 8. *Tolle grabbatum tuum, & ambula*, Thriphyllius vir eloquens commutaſſet, próque grabbato dixiſſet ſcimpoda, id eſt, pro *grabbato lectum* ſubſtituiſſet, exclamauit Spiridon, *Túne eo melior es, qui grabbatum dixit, vt verbis eius vti dedigneris?* Notum quoque eſt Auguſtini cum Hieronymo certamen de voce Kiccaion vel Cucurbita apud Ionam Prophetam à Hieronymo mutata. Quāquam autem nolim veram Theologiam λογοδαιδαλίαν quandam & certis ſyllabis aſtricam ſcientiam cēſeri (quod Magicarum duntaxat artium proprium eſt) tamē vbi quid ex Dei verbo aut Patribus rectè ac ordine probandum eſt, verba ipſa primaria neque detrahenda ſunt, neque mutanda: neque iis quicquam addendum, quò in tuam ſententiam faciliùs ea contorqueas, aut inclines, *Ne addite*, inquit Dominus, *ad verbum illud quod præcipio vobis neque detrahite de eo.* Patrum autem ſcripta quanquam non ſunt eiuſdem momenti, aut tam ſacroſancta: tamen quia non niſi ex verbis ſyncerè recitatis poteſt mens C autorum percipi, idem quoque à vero teſte (qui ſibi fidem adhiberi vult, quíque probare rectè & verè quidpiam ex iis cupit) eſt obſeruandum, vt nihil Patrum ſcriptis & verbis, vel addat, vel detrahat, aut in iis immutet. Nam, vt etiam præclarè Hilarius lib. 8. Trinitat. ſcribit, *ex verbis inordinatè prolatis*, addo ego & recitatis, *hæreſis oritur*: atque idem lib. 1. eiuſdem operis, *Optimus eſt lector*, ait, *qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potius, quàm imponat*, id eſt, vt ipſemet Lombardus lib. 1. Sentent. Diſtinct. 32. cap. 9. interpretatur, *qui ex dictis*, & verbis eius autoris, quem profert, *intelligentiam retulerit magis, quàm attulerit: neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum. Ergo licet*, ait idem Hilarius lib. 8. Trinit. *ipſum intelligentiæ ſuæ ſenſum impietas demutet, non tamen poteſt intelligentia non extare dictorum.* Adeò vt propè furor ſit, vt ad tuam ſententiam aliquem veterum inuitum pertrahas, mutare illius verba, eáque corrumpere addēdo quidpiam, vel detrahendo, quod certè quidem iſte ſæpius (quemadmodum tum ex Elencho noſtro, tum ex collatione apparebit) manifeſtiſsimè facit. Ex quo fit, vt etiam ex hac ſecunda falſi teſtis definitione Reus falſi meritò, & citra calumniam peragatur à nobis Lombardus: ideóque fidem illi, illiúſque ſcriptis eſſe detrahendam contendimus. A

Tertia denique falſi teſtis, falcíque teſtimonij ratio & nota in eo poſita eſt, ſi ratio dictorum ſcriptorúmque alienorum, vel omnino prætermittitur, vel mutatur. Fit enim hac ratione, vt quod verum & ſolidum in ipſis autoribus extat, euadat ieiunum, aut dubium, dum abſque ratione recitatur: ideóque nutęt illius totius concluſionis firmitas. Sæpe etiam fit, vt in alienum ſenſum detorqueatur, & incommodè dictum collectúmque appareat, quod detracto concluſionis fundamento, tanquam baſi ſua, proponitur, aut ædificatur. Præclarè enim Hilarius lib. 4. (quod etiam Lombardus ipſe lib. 1. Sentent. Diſtinct. 25. cap. 5. velut auream planè ſententiam tranſcripſit) *Intelligentia dictorum*, ait, *ex cauſsis eſt aſſumēda dicendi.* Ideóq; idem Hilarius conqueritur de hæreticis, lib. 9. Trinit. quòd adimplerent *aures ignorantium ſola hæc* (quę citant) B *& nuda memorantes, aut abſolutionibus eorum tacitis, aut cauſsis: cum dictorum intelligentia, aut ex propoſitis, aut ex conſequentibus expectetur.* Atqui infinitis locis hoc modo vel in vno hoc primo Sētentiarum libro peccat Lombardus, vt meritò fides ei propterea ſit detrahenda. Quòd ſi quemadmodum leges ipſæ Romanorum ſanciunt, qui priuati hominis teſtamentum interleuit, lege Cornelia de falſis, falſarius eſt, & falſi crimine tenetur, l. 2. D. ad l. Cornel. de falſ. quid de eo ſentiemus, qui in puplicis illis tum S. ſcripturæ, tum veterum Patrum ſcriptis aliquid deleuit, aut adlecit, aut interleuit? Si qui nummos aureos raſerit, vel inſtrumenta, quæ probari non poſſunt, produxerit: vel falſas conſtitutiones protulerit, falſarius eſt, & lege Cornelia damnatur: qualis, obſecro, cenſendus eſt, qui ſancta Patrum ſcripta raſit, qui falsò eorum dicta protulit, & in quæſtione tam auguſta, (qualis eſt omnis, quæ de vera fide, & Chriſtiana religione inſtituitur diſputatio) propoſuit? Plus etiam dicam, non modò Lombardum ipſum falſi teneri: ſed eos quoque omnes, qui illis falſis ſcientes pru- C dentéſque iam vtuntur, aut in poſterum vtentur, reos eſſe & ipſos falſi pronuntio. l. *Si vteris inſtrumento*, C. *De fide Inſtrumentorum.* Atque hæc quidem de prima horum Petri Lombardi ſcriptorum, abrogandorum, & damnandorum cauſſa dicta ſunto: quam prætermitti à me debuiſſe, nec ipſa Dei gloria ſinebat: nec Patrum orthodoxorum, qui ab iſto tam fœdè mutilantur, reuerentia & autoritas patiebatur: nec ipſa denique cōſcientiæ meæ quies concedebat. Prætermitto verò, quod doctiſsimus ille Antonius Sadeel, amicus meus, in loco communi *De Verbo Dei* totam Scholaſticorum iſtorum agēdi rationem dubiam, incertam, & Academicam, miniméque Chriſtianæ fidei conſentaneam eſſe luculenter demonſtrauit.

Venio igitur ad ſecundam iſtius ſcriptionis exautorandæ cauſſam, quæ in eo eſt, quòd ſit hic idem Lombardus, in hoc præſertim opere, ſcriptor, vt ego quidem iudico, pernicioſus. Sputis fortaſſe me cooperient propterea Scholaſtici Philolombardi: ſed (vt illi cœlum terræ miſceant) Dei veritas, etiam ipſis rumpentibus, eſt tuenda, A quando Iudæorum & Phariſæorum primoribus corde frendentibus, & dentibus etiam ſuis ſtridentibus, Stephanus tamen puram Chriſti doctrinam confeſſus eſt.Scio quid Ioanni Scoto Bedæ diſcipulo acciderit, qui cum Ludouici pij ſeculo libellũ Dionyſij de Hierarchia enarraret, & opinionem tunc receptam in Eccleſia, de Oblatione Cœnæ Dominicæ pro viuis & mortuis taxaret, à diſcipulis ſuis in media ipſa ſchola graphiis confoſſus eſt.Sed quia & in vita, & in morte Chriſtus mihi lucrum eſt,quicquid tandem omnes veritatis Dei hoſtes in me ſint machinaturi, dicam quod ad Dei æterni & omnipotentis gloriam, illiúſque veritatem ſartam tectam tuendam pertinet,pro qua ſum vitã ipſam profundere, ſi Dominus voluerit , mihíque affuerit , paratus.

Eſſe verò hæc ſcripta Petri Lombardi pernicioſa fidem faciunt,vel hæc duo,vt pauca è plurimis,breuitatis gratiâ,cõmemorem: Vnum, quòd B totam de S. Trinitate, & reliquis Chriſtianæ fidei partibus doctrinam, quæ conſcientiarum ædificandarum gratiâ à Spiritu ſancto dictata eſt, in quandam inanem Matæologiam, & curioſitatem commutauit. Alterum, quòd ex patrum. i. hominum ſcriptis potiùs,quàm ex ipſo Sacroſancto Dei verbo ſcripto pendere nos ſuo exemplo docet, cùm de ſacra Scriptura citet omnino paucisſima quædam : de Patribus autem pleraque ferè omnia ſua. De vtroque igitur hoc pernicioſo exemplo æquè breuiter aliquid dicamus. Ac primùm huius ſcriptionis curioſam Matæologiam eſſe periculoſam,quis dubitat? *Finis Scripturæ*, inquit Paulus, imò veræ omnis Theologiæ, *eſt, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus*, 2.Timoth.3.verſ.17.Ex quo fit,vt idem cap.2.verſ.23 apertè damnet ſtultas illas quæſtiones,quæ pugnas gignunt, &, vt alibi idem loquitur, λογομαχίας. Vnde damnantur , quicunque carnis & prudentiæ ſuæ ſenſu turgentes ingerunt ſeſe in ea,quæ non viderunt,nec ex Dei verbo ſapere ſunt edocti,Coloſſ.2.verſ.19. C

Finis denique omnium Theologicorum ſcriptorum,vti & ipſius Scripturæ, hic eſt, *Charitas ex puro corde,& conſcientia bona, & fide non ſimulata*.1.Timoth.1.verſ. 5. Ergo qui ab hoc fine recedunt, & pro conſcientiarum pace , perturbationem afferunt:pro charitate, pugnas & rixas inter ſeipſos ſerunt:pro fidei luce , intricatas & inexplicabiles quæſtiones : denique pro vero cognitionis Dei vſu,curioſas tantùm , & ἀκροβαλῦσας ἐννοίας: ſunt ſanè pernicioſi ſcriptores, & meritò à Chriſtiana ſimplicitate damnandi. Τίς γὰρ, ait Iſocrates in oratione cõtra Sophiſtas, ὐκ ἂν μισήσειεν ἅμα, κὴ καταφρονήσειε , πρῶτον μὲν τῶν περὶ τὰς ἔριδας διατριβόντων: οἳ προσποιοῦντας μὲν τὴν ἀλήθειαν ζητεῖν, εὐθὺς δ᾽ ἐν ἀρχῇ τῶν ἐπαγγελμάτων ψευδῆ λέγειν ἐπιχειροῦσι. *Quis non oderit,& ſimul contempſerit primum quidem eos, qui circa rixationes verſantur, qui profitentur quidem ſe veritatem quærere,ſed in ipſo ſtatim rerum à ſe promiſſarum initio falſa dicere aggrediuntur*? Sed & præclarè Homilia II.Ex ameri ſui docet Baſilius, quòd Eccleſia Dei,vel ſcripta Theologica legens, vel conciones audiens non expectat audire res inanes , & curioſas : ſed eas, quæ ad ſuam ipſius ædificationem pertineant, & quæſtionum vtilium tractationem.*Melior eſt enim*, vel ipſo Lombardo teſte lib.1.Sentent.Diſtinct.41.cap.4.*fidelis ignorantia, quàm temeraria ſciẽtia*. A Ergo omnis in verè Theologicis ſcriptis (qualia hæc eſſe dicuntur) curioſitas,& quæſtio,quæ extra pietatis vſum eſt, damnatur,tanquam pernicioſa.At verò in quónam vllo ſcriptore,vel plures,vel manifeſtiores ſunt huiuſmodi quæſtiones, quàm in iſto ? Id quod noſtrorum Scholiorum in hunc librum primum lectio veriſsimum eſſe comprobabit.

Quòd ad alterum autem,nempe, quòd ad modum rarò ad ipſum verbum Dei , aut nunquam: ad hominum autem ſcripta vt plurimùm in his ſcriptis reuocemur, de eo ambigere nemo poteſt , ſi quis vel ipſum horum librorum prooemium ſolùm à limine ſalutarit,vbi Patrum authoritates pro fundamento totius ſuæ doctrinæ ſe prolaturum profitetur. In quo à ſeipſo refutatur apertè,qui lib.1.Sentent.Diſt.11.cap.2.ait, *Euangelium continere integram fidem*. Ergo extra illud, nihil erat quærendum homini Theologo, quod nos docere vellet. Itaque cum ait idem lib. 1. in B difficillima quæſtione Diſtinct.25.cap.12.*Ex authoritatibus Sanctorũ oſtẽdi oportet,ne coniecturis noſtris aliquid auſi dicere videamur*, fallitur. Dicendum enim erat,*Ex authoritate S. Scripturæ*. Chryſoſtom.in Ioan.10. Homil. 58. *Qui ſacra*, inquit, *non vtitur ſcriptura:ſed aliunde aſcendit, & non conceſſa via, is fur eſt. Ideo Iudæis dicebat, Scrutamini Scripturas*. Sed iam hic erat iſtorum Theologorum pernicioſus mos, vt hominum ſcriptis, non autem Dei verbo vellent inniti. Ergo ex his pernicioſa eſſe iſta ſcripta,facilè omnes æqui iudices iam mecum intelligunt.

Reſtat vt hunc eundem in hoc eodem opere ridiculum ſcriptorem eſſe oſtendamus. In quo ſanè prętermittam linguæ Latinæ inelegantiam, vel ſtyli ineptias : imò etiam ſolœciſmos & barbariſmos condonabo. Sunt hæc vitia illius ætatis. Sed quod intelligo,facilè vel Occan ipſe huius commentator verum eſſe oſtendet. Primùm quum perpendens quæ quæſtiones vt plurimum ab iſto proponantur, ait, *Iſta difficultates vocales ſunt*,i. de ſyllabis:*non autem reales*, de re vlla. C Eſt autem illud ridiculum hominem Theologum ſyllabas & verba conſectari, quibus nihil ſubſit rei aut doctrinæ,quæ vtiliter ediſci poſsit.Deinde idem ſæpe Methodum probationéſque iſtius ſcriptoris examinans , tandem reſpondet , *Quamuis concluſio ſit vera , tamen ille modus ponendi accipit aliqua falſa*. Quid autem eſt magis ineptum aut ridiculum,quàm ex falſis verum , in S. Theologia præſertim,aſtruere velle ? Denique illud quoque pro colophone addendum eſt , quod Thomas ipſe in 1. parte quæſt. 32. Artic. 1. in reſponſione, grauiter & verè animaduertit,vt oſtendatur, quã ridiculam Lombardus faciat ipſam Theologiam, quum probationes dogmatum ſuorum prorſus ineptas affert , quales certè ſunt pleræque huius autores omnes, *Derogatur*,ait Thomas,*fidei Chriſtianæ,quum aliquis ad probandam fidem inducit rationes,quæ non ſunt cogentes. Cedit enim in irriſionem infidelium. Credunt enim quod huiuſmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus*. Et hæc quidem oſtendunt quæ iam authoritas ſit iſtis ſcriptis relinquenda:quibus tamen ſolis,velut iuſtis fundamentis , innititur & incumbit tota Scholaſtica, quæ dicitur Theologia.

CAP.

A

CAP. VI.

Quę pro tuendis iſtis P. Lombardi ſcriptis afferri ſoleant: & breuis ad ea reſponſio.

QVæ cum vera ſint, conantur tamen nonnulli Lombardum vel defendere, vel excuſare. Quorum certè quidem rationibus, ne quem fortaſſe moueant, eſt hîc quoque à nobis reſpõdendum. *Neque enim*, vt ait Hieronymus, *ita debemus bona recipere, vt mala quoque recipere cogamur.* Imprimis autem illi iſtas rationes afferunt, quarum eſt hęc.

Vna, quod quæ in Lombardo pro grauiſsimis erroribus, aut etiam falſis teſtimoniis, & corruptis locis annotamus, ea ſunt tantùm μνημονικὰ, quędam ἁμαρτήματα, qualia etiam optimis quibúſque, & fideliſsimis ſcriptoribus plerunque accidunt, quòd nemo, qui multa legerit, tam ſit memorioſus, vt omnium ſigillatim recordari que- B at. Præclara ſanè defenſio: imò grauiſsimorum Lombardi criminum confeſsio potius, quàm eleuatio. Quomodo enim poſſunt cēſeri ἁμαρτήματα μνημονικὰ, cùm ad manum eſſent Lombardo ipſi authorũ codices, quos proferebat? Sic enim, quę citat affert, vt eum ex ipſis codicibus deſcripſiſſe, non ex veteri quadam memoria repetiiſſe & recitaſſe ſatis appareat. Deinde quomodo in ſingulis, quæ producit, teſtimoniis ſic memoria laberetur, vti eum feciſſe demonſtrauimus? Cur non ſaltem vel in vno quopiam loco memoriæ ſuæ infirmitatem excuſaret, aut de penuria codicum ſua conquereretur? Quid quod Lombardo μνημονικὰ illa ἁμαρτήματα condonauimus, & alia eſſe docemus, quàm hæc ἀπαραίτητα & ἀναπολογήτα. Denique ſi hæc ſunt Lombardi memoriæ dũtaxat lapſus, cur non ſunt à tot ſecutis poſtea interpretibus emendati, & pro illis ipſa autorum verba reſtituta? Nam ſi exceperint, Bonos illos diſcipulos noluiſſe detegere pudenda ſui Patris. C Ergo iſta in Lombardo fatentur eſſe pudenda, ſed à ſe eâdem negligentiâ poſtea fuiſſe prætermiſſa, quâ ab ipſo primùm fuerunt admiſſa. Deinde reſpondebo, hoc illis ipſis (qui toties Ariſtotelis nomen in ore habent) ſaltem venire in mentem debuiſſe, *Amicus Plato, magis tamen amica veritas*, ne videlicet vitia iſta, quæ tam multos poſtea in errorem induxerunt, in Lombardo inemendata relinquerent. Erat ſanè hominum Theologorum, & Dei gloriam tueri, ſe profitentium, dicere etiam patri ſuo, *non Noui te*, vt Dei veritas ſarta tecta, & illibata permaneret, Deut. 33. verſ. 9. Hæc igitur eſt noſtra ad primam eorum excuſationem reſponſio.

Altera defenſio, quæ ab ipſius patronis profertur, eſt hæc: *Ab Aquila non cerni muſcas*, & quę nos reprehendimus eſſe minutula quædam & exigua, quę ab ipſo ſunt meritò neglecta. Reſpondeo verò neque iſtum eſſe tam eminentem Aquilam, vt in hæc, quæ obſeruauimus, deſcendere non debuerit: neque etiam muſcas, aut res leuis momẽti eſſe ea, quę in eo annotauimus. Quę enim erant huiuſmodi, vt incolumi authoris ſenſu prætermitti poſſent, nequaquam reprehendimus. *Nec enim*, vt ait Hieronymus *nobis cura eſt de vocabulo, vbi ſenſus eſt in tuto*) Et rectè. Verùm audiant ipſi Scholaſtici & diſcant, in rebus tanti momenti, qualis eſt religionis Chriſtianæ con- A ſtitutio, eſſe quantumuis exigua, tamen diligenter perpendenda. Id quod eos ex Chryſoſtomo potiùs, quàm ex me audire malo. Sic enim idem Homil. 19. ad populum Antiochenum: *Hoc exiguum*, ait, *neglectum & omne, quod eſt reliquum, deſtruit. Sæpius nanque qui domos ædificant, & tectum imponunt, vnius tegulæ excuſſæ curam non habentes totam domum perdiderunt: & in veſtimentis hoc ipſum euenire quis cernere poſſit. Etenim parua in illis facta ſciſſura, nec reſarcita, magnam facit diſruptionem. Hoc & in torrentibus multoties euenit.* Scio quid Hieronymus de optimo genere interpretandi ad Pannachium ſcripſerit: non ſe interpretem, imò ipſorummet alienorum verborum recitatorem duntaxat profitetur, adeò vt penè nuſquam ſuam ipſe vocẽ ſonare voluerit. Scio quid de 70. interpretibus idem ſcribat, à quibus ſunt multa ex ſacris Bibliis prętermiſſa. Sed nec in eo laudandi ſunt illi 70. nec eos, quos citat, autores conuertit iſte in alienam linguam, vt illi S. Scri- B pturam. Itaque minimè, vt illi eſt, excuſandus Lombardus.

Tertio loco dicunt Lombardum olim ſic in ſuo codice legiſſe, quemadmodum profert. In quo primùm illi ipſi ſtrenuè ſibi aduerſantur, cùm antea dixerint hos fuiſſe lapſus memoriæ. Deinde falſum eſt, Authorum, quos citat, codices illi tempore fuiſſe tam diſsimiles & diuerſos ab iis, quos ſequens ætas habuit, & noſtra hęc quoque legit. Nam & ipſe Lombardus eundem locum ſæpe bis citans illic rectè tranſcribit, vbi eum ad ſuum propoſitum non torquet: alibi eundem corrumpit, dum vim illi facit, & ad ſuam ſententiam accommodat.

Præterea eruditiſſimi viri plerique Auguſtinũ & alios veteres ex plurimorum & diuerſiſſimorum codicum collatione ſæpe emendarunt, & quidem diuerſis temporibus, atque etiam hoc noſtro ſeculo: nulli tamen Lombardi lectionem vel retinent, vel vnquam fuiſſe oſtendunt: ac ne C Monachi quidem ipſi & Ieſuitę poſtremi operũ Auguſtini emendatores. Denique etiam plurima vel adita vel detracta cernuntur, quæ cum ipſamet autorum & locorum, quos Lombardus affert, mente manifeſtè pugnant, vt hac audacia excuſari minimè poſsit, niſi fortaſſe apud eos, qui, vt ait Hieronymus, *Hiberas nenias libris authenticis præferunt.*

Quartam defenſionem pro Lombardo hanc afferunt: nimirum eam, quam habet nunc Lombardus, lectionem longi iam temporis præſcriptione tutam eſſe, ac eam quoque, quam ex iis locis colligit, doctrinam in Eccleſia longa iam conſuetudine & aſſenſu hominum eſſe comprobatam, vt de ea, aut aduerſus eam ne mutire quidẽ vlli mortalium iam fas ſit. Quid igitur? Equidem illud reſpondeo, quod Chryſoſtomus Homil. 19. ad Populum Antiochen. de vitiis grauiſsimis, ſed iam longo vſu inueteratis agens, ait, *Ne mihi iam aliquis conſuetudinem prætendat: propterea enim indignor & iraſcor, quoniam conſuetudinem vincere non poſſumus.* Hieronym. in 2. præfatione in Iobum: *Tanta eſt vetuſtatis conſuetudo, vt etiam confeſſa pleriſque vitia placeant, dum magis pulchros habere volunt codices, quàm emendatos.* Ergo quid mihi, obſecro, conſuetudinẽ pro verita-

A tis munimento profers, cùm ea ſit tam rerum malarum falſæque doctrinæ autor & cuſtos: quã bonæ & veræ, quemadmodum ait idem Chryſoſt.Homil.36.ad Popul. Antiochen? Illud potius Auguſtini ad Caſulanum ſequamur, *Conſuetudinem laudamus, qua tamen contra Catholicam fidem nihil vſurpare dignoſcitur.* Nam ait idem in lib. de Baptiſmo Paruulorum, *Qui contempta veritate præſumit conſuetudinem ſequi, aut circa fratres inuidus eſt & malignus, quibus veritas reuelatur: aut circa Deum ingratus eſt, inſpiratione cuius Eccleſia eius inſtruitur. Nam Dominus in Euangelio, EGO SVM, inquit, VERITAS, non dixit: Ego ſum conſuetudo. Itaque veritate manifeſtata, cedat conſuetudo veritati.* Denique, vt ex ipſis Pontificibus Romanis aduerſus Pontificiæ doctrinæ & Romanæ Theologiæ patronos aliquid adferamus, veriſsimam eſſe contendimus illam Innocentij III.ſententiam, qui ait. *Malam conſuetudinem, quæ vetus eſt eſſe veterem errorem*, qui idcirco B nequaquam ſit excuſandus. Ex quibus fit, vt nec ex longi temporis præſcriptione, quoniam aduerſus Dei veritatem nulla eſt temporis præſcriptio: nec diuturno hominum aſſenſu confirmetur iſtorum ſcriptorum autoritas, ſi ab ipſa Dei veritate oppugnari demonſtrabitur.

Verùm quinto loco fortaſsis excipient, nec ab ipſis Euangeliſtis & Apoſtolis verba Veteris Teſtamenti, quod citant, religioſè fuiſſe ſemper A obſeruata. Sed huic excuſationi facilis eſt reſponſio: Apoſtolos & Euangeliſtas eodẽ omnino Spiritu in illis citandis, quæ ex Prophetis afferunt, fuiſſe impulſos, quo ipſimet Prophetæ, dum illa ſcriberent. Idem enim Dei ſpiritus vtriſque dictauit. Ergo quòd quædam verba mutant nonnunquam Euangeliſtæ aut Apoſtoli, id faciunt interpretationis tantùm facilioris gratiâ: interea tamen ſenſum verum & mentem ſequuntur, atque retinent. Itaque, quemadmodum ait Hieronymus de optimo genere interpret. *Tanta ſermonum varietas Spiritus vnitate concordat.* Deinde Apoſtoli non ſunt nudi alienorum verborum recitatores, quemadmodum iſte: ſed etiam eorum ſuo iure interpretes, vtpote qui Dei Spiritu ſenſum non verba olim loquebantur: ergo ſenſum, non verba quæſiuerunt.

B Et iſta quidem de Lombardo & Lombardicis ſcriptis hactenus. Sequitur Elenchus noſter, quẽ vt verum eſſe probemus, ipſummet Lõbardum poſtea audiemus loquentẽ. Vnum modò Lectorem admonemus, adiunctã eſſe ad huius libri calcem Synopſin Veteris & orthodoxæ fidei de S. Trinitate, quæ ex receptis Symbolis & Cõciliis à nobis collecta eſt, quã breuiſsimã longiſsimæ Lombardi ſcriptioni, & toti ipſius libro primo Sententiarũ in ſtudioſorũ gratiam oppoſuimus.

ELENCHVS EORVM, QVÆ HOC PRIMO LIBRO SENTENTIARVM IN CITANDA tum S. Scriptura, tum Patrum autoritate ſunt à P. Lombardo vel addita, vel detracta, vel commutata, vel lapſu memoriæ ſuppoſita.

C

ADDITA

DIſtinctio 2.cap.8.ad dictum Ambroſij additur vox, *Natura.*
Diſt.ca.3.1. ad Paulum Romanor. ca. 1.verſ.20.vox, *Inuiſibiles.*
Cap.3. ad Auguſtinum, *etiam.*
Cap.14.ad eundem Auguſt. *cum.*
Diſtinct.6.in margine cap.3.ad Hilarium, *neque conſilio.*
Diſtinct.8.cap.1. ad Hierony. *Quia in eius comparatione.*
Diſt.9.cap.4.ad Auguſt. *De.*
Cap.10.ad Gregorium, *ſed balbutiendo.*
Poſtea ad Chryſoſtom. *Semper.*
Cap.11. ad Originem *Saluator ergo noſter.*
Diſtinct.12.cap.2.ad Auguſt. *ex.*
Diſtinct.17.cap.17.ad Auguſt. *quæ coniungit.*
Diſtinct. 19. cap. 2. ad poſtremum Auguſt. dictum addit falſam interpretationem vocis *generationum.*
Diſtinct.20.cap.4.ad Auguſt. *Ei.*
Cap.5. *Tu dicis quod.*
Diſtinct.21.cap.1.ad Auguſtin. *Deum.*
Diſt.23. cap. 9. ad primum dictum Aug. *Noluit.*
Diſtin. 24.cap.4. ad dictum Auguſt. de Fide ad Petrum, *In perſona.*
Diſt.26.cap.2. *Non.* Dixit enim Auguſt. *quia non eſt natus* iſte verò, *Non quia non eſt natus.*
cap.3.ad Auguſtini *aut amiſsibile*, deinde, *Eſt.*
Diſtinct. cap.3. *ſcilicet ab ingenito genitus.*
cap.4. *eſſentia vel.*
Diſt.29.cap.2.In ſecundo Auguſtini dicto ad N. 4. *Cum Patre & Filio eſt Spiritus ſanctus.*
Diſtinct.31.ca.1.ad Hilarium, *ipſi* ad primum dictum Auguſtini *quærimus,*
cap.4. *Fidei.*
Diſtinct.32.cap.1. *diligens.*
cap.2. *de qua & intelligens eſt.*
Diſtinct.33.cap. 5.ad dictum Hilarij multa.
cap.8. *Abſolutè tamen.*
Diſtinct.34.cap.4.ad Auguſtini *Deus.*
Diſtinct.35.cap.5.ad Auguſtini. *viſibilia.*
Cap.6.ad Auguſtinum, *quia apud Deum nihil præteriit, nihil futurum eſt.*
Diſtinct.36.cap.6. *penitus.*
Diſtinct.37.cap. 2. ad prius dictum Auguſtin. *operatur.* ca.4. ad Auguſtinum, *id eſt, in Sanctis.* cap. 14. ad poſterius dictum Auguſtini *locali* & *localem.*
Diſt.39.cap.1. ad Auguſtin. N. 2. ſciat, & Paulo pòſt *eius itaque ſcientia inamiſsibilis eſt, & inuariabi-*

A *riabilis.*

Diſtinct. 40.cap.4.ad Auguſti. N. 4. *Sicut* item hæc verba,*ita reprobatio eſt*,&c.

Ad poſterius dictum eiuſdem Auguſti. N. 5. *Non enim intelligendum eſt quod Deus ita induret.*

Diſt.42.ca.4. *non poteſt miſer fieri. non poteſt vinci.*

Diſtinct.43.cap.5.ad prius Auguſtini dictum *ſolùm*. ad poſterius N. 3. addit hæc omnia,*omnipotens voluntas multa poteſt facere, quæ non vult, nec facit &c.* vſque ad verba,*item.*

Diſtinct. 45.cap.5.N.3. ad Auguſtin. *Sanitatis & ægritudinis.*

Diſtinct.46.cap.6.ad Ioannis cap.1. verſ. 3. poſt vocabulum.*Nihil*, addit diſpunctionem, quæ ſenſum euertit.

cap.11.ad Auguſti.*Aut in nihilo.*

DETRACTA VEL OMISSA.

B

Diſtinct. 4. cap. 1. ex Auguſtino detracta vox, *omnino.*

Diſtinct. 5.cap.7.ex Hilario *Deus.*

Diſtinct.8. cap. 3. ex Auguſt. *qualitercunque*, &, *pro ipſo ſuo modo.*

Diſtinct.10.cap.7. ex Auguſtino *quomodo Deus dilectio.*

Diſtinct.21.ca.vlt.ex Auguſt.*vt per hanc vtrumque vnum.*

Diſt. 23. cap. vlt.ex Ambroſio *plenitudo Deitatis* & alia multa.

Diſtinct.24.cap.5. Auguſtini ſententia & truncata & planè euerſa.

cap.8.*generationis.*

Diſtinct.25.cap.8.ex Auguſti. *Si tamen & cauſſa.*

Diſtinct.26.cap.1.ex Hieronym. *aut tria enhypoſtata*,item *& vna teneatur*, item ſcrupuli ratio, quem habuit Hieronym.

ca.2. ex Auguſtino detraxit rationem propter quam dixit Auguſtin. *quia non eſt natus*, i. lucem totius illius loci Auguſtini.

C cap.3.*& non*:atque ſic ex negatione fecit affirmationem.

cap.5.ex Aug.*Sic* ex Hilario,*qua dicitur* tuum.

Diſtinct.27.ca.4. ex Damaſce. κατὰ τὰ συμβεβηκότα, item ἰδίων μετὰ συμβεβηκότων, item pleraque alia à nobis obſeruata N.3.

Diſtinct.28. cap.1. prætermiſit neceſſaria verba Auguſtini N.3.

ca.3.ex Hilario multa ca.4. *Non poteſtatis eſt.*

Diſtinct.29.cap.2. ex poſteriore dicto Auguſtini multa detracta.

Cap. 3. in dicto Hilarij pro *ab æterno* ſubſtituit *ab initio:* pro *non ipſum initiabilem* habet iſte *ipſum ab initio.*

Diſtinct.30.cap.2.*Domine,inquit,refugium factus eſt nobis.*

Diſtinct.31. cap.1. in poſteriore dicto Auguſtin. *Apoſtolus autem dixit æqualem.*

cap.3.Ex Auguſtino *omnia*. cap.4. ex Aug. *vt ordinem ſuum teneam,& locis ſuis acquieſcant.*& alia pleraque.

Diſtinct.32. cap.2. ex priore Auguſt. dicto *Spiritus in vinculo.*

Diſtinct. 33. cap.5.*eſt quod audetur*, item, *excedit.*

Diſtinct. 34. cap. 2. ex poſteriore Hilarij dicto, *Euangelica*: item, *& quum habitat in nobis S. ſanctus.* A

Diſtinct. 37. cap.1.ex Hilario. *Et ſua non aliud, quàm ſe eſſe ſignificat.*

Cap.8.ex Auguſtino *Bonis*.cap. 14. ex poſteriore Auguſt. dicto,*nondum aſſumpta carne.*

Diſt.38.cap.1.ex poſteriore Auguſtini dicto,*vel mutabilia.*

Diſtinct.39.cap.1.N. 4. *quoniam eſſe poſſumus, etiamſi neſciamus.*

Diſtinct. 45. cap. 4. ex priore Auguſtini dicto, *ſed omnis cauſſa efficiens eſt*: item ex poſteriore contra Manich. *vt priùs diſcant vim voluntatis humanæ.*

Ca.5.N.1. *Corporalium*,item *viſibiliter,& ſenſibiliter.*

Diſtinct.46.cap.7.ex priore Auguſt.dicto. *Quod etiam infideles fatentur.*

Diſtin.48.cap. 5. ex Auguſt.*id ipſum quidem, ſed ipſe per eos.*

B

COMMVTATA.

Diſtinct.5.cap. 8. ex Hilario, *in vno* Hilarius, in *vnum.*

Diſtinct.8.cap.1.*comparatione verè eſt.*

Cap.2.ex Hilar.*Ecce in eſſe.*

cap.3. ex Auguſt.*quæ Deus*:item *modo quodam.*

cap.5. ex Auguſt. *Simpliciter.*

cap.7.ex eod.*Intelligentia.*

cap. 9. Locos Hilarij & Aug. omnino peruertit.

Diſtinct.9.cap.9.ex Hierony.*ſæpiſsimè.*

cap.10.ex Auguſt.*diuinitus.*

Diſtinct.12.cap.5. ex Aug. *&* poſtea,*ſicut.*

Diſtinct.14.cap. 2. & 3. dicta Auguſt. præſertim in vocibus *eundem ſpiritum* miſerè detora.

Diſtinct.16.cap.3.ex Auguſt.*fateamur.*

Diſtinct.17.cap.3.ex Auguſt. multa commutata.

cap.11.prima autoritas.

Auguſtini commutata prorſus cap. 17. mutat genus ipſum dicendi Auguſtinianum. C

cap.18.prima Auguſtini autoritas euerſa.

Diſtinct.19.cap.2.ex Aug.*Deus eſt vnus eſt.*

Diſtinct. 22. cap.1. Auguſtini dictum ex lib. 8. prorſus euerſum & mutatum.

Diſtinct. 23. cap. 4. Auguſtini dictum ex lib. 7. Trinit. cap. 4. inuerſum. cap. 9. ſecundum Auguſtini dictum ex lib. Quæſtio. Veter. & Nou. teſtam. ibidem ex Ambroſ. *Deitatem Trinitatis.*

Diſt.24. cap. 3. Ambroſij verba prorſus mutata.

Ca.4.dictum Hilarij in principio mutatum.

Cap.10.totus Iſidori locus mutatus.

Diſtinct. 26. cap.1. Hieron. verba mutat vt eſt annotatum N.4. cap.5. Hilarianæ orationis ſeriem mutat in voce, *quibus.*

Diſtinct. 28. cap.1. priùs Auguſtini dictum ex perſona hæreticorum ſcriptum tribuit ipſi Auguſtino:ibidē in poſteriore eiuſdem dicto mutat affirmationem in negationem: Deinde *Ergo* in,*autem.*

Diſt.29.cap. 2. in priore Auguſt.dicto *naturaliter, eſſe*:in poſteriore quoque mutat pleraque.

Diſtin.30.cap.2.*auferri videatur*, item *ſimul* in *ſimiliter.*

Diſtinct.31.cap.1.in priore dicto Auguſt. *qua in*

A *illa ſubſtantia eſt.*

Cap.3.ex Hilario *infinitas*.cap.9. ex Aug *quia: diuerſum enim eſt.*

Diſtinct.32.cap.4 *qua.*

Diſtinct.33.cap.3.ex Hilarij priore dicto *in ea eſſe natura:* item & ſecundum & tertium Hilarij dictum commutat.

Cap.5.*ſenſus contemplationem.*

Cap.8.ex Hilario *Viuus à viuo*:item, *& inſerete*:item *eſt filius ab eo, qui Pater eſt.*

Diſtinct. 34. cap.2. *Alius tamen.* cap. 4. diſpunctio mutata, quæ reddit totum illud locum obſcuriſsimum.

Diſtinct.35.cap.6. *vt.*

Diſtinct.36.cap.4.Ambroſij locus totus & quoad verba, & quo ad mentem immutatus, ac corruptus.

Diſtinct.37.cap.1.in priore Auguſt.dicto pleraque mutata.

Ex Ambroſij dicto, *quia*, & poſtea, *quod vltra*
B *totum orbem eſt.*

Cap. 2. poſterius Auguſtini dictum penitus euerſum.

Cap.14.in poſteriore Auguſtini dicto, *vbi eſt:* & poſtea negatio in affirmationem.

Diſtinct. 38.ca.4. Auguſtini locus prorſus commutatus.

Diſtinct.39. cap. 4.*potentiam*, *Cimicum*, *detrahimus.*

Diſtinct.40. cap. 2. Auguſtini dictum prorſus à germano ſenſu detortum.

Cap. 4. dictum Auguſtini ex libr. De Bono perſeuerantiæ immutatum. Item Fulgentij.

Diſtinct.42.cap. 3. mutat rationem ab Auguſtino allatam, quæ tamen eſt certiſsima.

Cap. 4. eodem modo & verba mentem & Auguſtini euertit.

Cap.8.eodem modo Hilarij dictum.

Diſtinct.43.cap.5. in priore dicto Auguſt. verba commutat.

A Diſtin.45.cap.4. in poſteriore Auguſtini dicto *cauſſas voluntatis*:item, *quòd & voluit.*

Diſtin. 47.cap.1.in priore Auguſtini verbo: *preter.*

Diſtinctio 48. cap. 3. ex Auguſtino *occidi venerat.*

LAPSVS MEMORIÆ, QVI LOMBARDO IN HOC PRIMO *Sententiarum libro exciderunt.*

Diſtinct.14. cap.6.N.6.Auguſtini locus.

Diſtinct.35.cap.6. Ambroſij locus ab iſto citatus nuſquam extat.

Diſtinct. 37. cap. 1. Gregorij Magni locus nuſquam extat.

B Diſtin.40.cap. 4. Auguſtini dictum ex epiſtola ad Proſperum & Hilarium nuſquam in ipſius operibus extat.

Diſtin.41.cap.6.Auguſtini locus ex lib. De Spiritu & Litera nuſquam.

Diſtinct.46. cap. 7. Hieronymi dictum in Marcum nuſquam legitur.

Cap. 9. prius Auguſtini dictum notatum N. 1.nuſquam extat.

Diſtinctio.47.cap.1.N.1.nuſquam extat.

FINIS ELENCHI.

Ridiculum eſt debilitati & fracti totius corporis vulnera pauca monſtrare. Non eligo, quod reprehendam, eligat ipſe quod vitio careat.

* * *

PATRES SEV AVTORES, QVOS IN HOC PRIMO SENTENTIARVM LIBRO citat Petrus Lombardus.

Ambroſius.
Athanaſius.
Auguſtinus.
Beda.
Boëthius.
Caſsiodorus.
Chriſoſtomus.
Cyrillus.
Damacenus.
Didymus.
Fulgentius.
Gregorius Magnus.
Hieronymus.
Hilarius.
Iſidorus.
Origenes.

L. D.

PETRI LOMBARDI EPISCOPI PARISIENSIS, IN LIBROS SENTENTIARVM, PROLOGVS,

IN QVO RATIONEM SVI INSTITVTI
affert, atque huius operis vtilitatem &
fundamenta docet.

* * *

Luc. 21. a CVPIENTES.1 aliquid de penuria
Mat. 12. g ac tenuitate noſtra cum paupercula in ga
zophylacium domini mittere, ardua ſcan
dere, opus vltra vires noſtras agere præ-
B ſumpſimus, conſummationis fiduciam, laboriiſque
Luc. 10. f mercedem in curationem eſt ſemiuiui duobus de-
nariis, ſupererogantì cuncta reddere profeſſus eſt. De-
Ex Aug. 3. lib. de Tri lectat nos veritas pollicentis: ſed terret immenſitas
nitate in laboris. Deſiderium hortatur proficiendi, ſed dehor-
prooemio. Cant. 4. h tatur infirmitas deficiendi, quam vincit zelus domus
Dei.2 Quo inardeſcentes, fidem noſtram aduerſus
errores carnalium atque animalium hominum, Daui
dicæ turris clypeis munire, vel potiùs munitam oſten-
dere, ac Theologicarum inquiſitionem abdita aperire,
necnon & ſacramentorum Eccleſiaſticorum pro modu
lo intelligentiæ noſtræ notitiam tradere ſtuduimus. No
valentes ſtudioſorum fratrum votis iure reſiſtere, eorũ
in Chriſto laudabilibus ſtudiis linguâ ac ſtylo nos ſer
Ex eodem uire flagitantium: quas bigas in nobis agitat Chriſti
Aug. loco charitas.3 Quanuis non ambigamus omnem humani
citato. ex Hilario eloquij ſermonem calumniæ atque contradictioni æmu
in princi- lorum ſemper fuiſſe obnoxium: quia diſſentientibus vo
pio 10., de Trinitate. luntatum motibus, diſſentiens quoque fit animorum
ſenſus: vt cùm omne dictum veri ratione perfectum ſit
C tamen dum aliud aliis, aut complacet, veritati vel
non intellectæ, vel offendendi & impietatis error ob-
2. Cor. 4. a Epheſ. 2. nitatur, ac voluntatis inuidia reſultet: quam Deus
ſeculi huius operatur in illis diffidentiæ filiis qui non
rationi voluntatem ſubiiciunt, nec doctrinæ ſtudium
impendunt: ſed his quæ ſomniarunt ſapientiæ verba
coaptare nituntur, non veri, ſed placiti rationem ſe
ctantes: quos iniqua voluntas non ad intelligentiam
veritatis, ſed ad defenſionem placentium incitat: non
deſiderantes doceri veritatem, ſed ab ea ad fabulas
2. ad tim. 4. a conuertentes auditum. Quorum profeſſio eſt magis
Col. 2. d. placita quàm docenda conquirere: nec docenda deſi-
1. ad Ti. 4. c derare, ſed deſideratis doctrinam coaptare, quæ habent
orationem ſapientiæ in* ſuperſtitione. Quia fidei defe-
* ſuperficię. Malim ctionem ſequitur hypocriſis mendax: vt ſit in verbis
ſuperſti- pietas, quam amiſerit conſcientia: ipſámque ſimula-
tione. tam pietatem omni verborum mendacio impiam red-
2. tim. 4. b dunt: falſæ doctrinæ inſtitutis fidei ſanctitatem cor-
rumpere molientes: auriúmque pruriginem ſub nouel-
lo ſui deſiderij dogmate aliis ingerentes: qui conten-
tioni ſtudentes: contra veritatem ſine fœdere bellant.
i cœtum. Inter veri nanque aſſertionem & placiti defenſionem
Matt. 5. b. pertinax pugna eſt: dum ſe & veritas tenet, & ſe vo-
Commendatio ope luntas erroris tuetur. Horũ igitur & Deo odibilẽ Ec-
ris à difficultate & cleſiam euertere, atque ora opilare (ne virus nequitiæ
labore. in alios effundere queãt) & lucernã veritatis in can-
delabro exaltare volentes, in labore multo ac ſudore
hoc volumen (Deo præſtante) compegimus, 4 ex teſti-
moniis veritatis in æternũ fundatis in quatuor 5 libris
distinctũ: In quo maiorum exempla doctrinámq; re- B
reperies: in quo per Dominicæ fidei ſinceram profeſ-
ſionem viperæ doctrinæ fraudulentiam prodidimus,
aditum demonſtrandæ veritatis cõplexi, nec periculo
impiæ profeſſionis inserti, temperato inter vtrunq; mo Ex Aug. inprooem. 3. de trin.
deramine vtentes 6 Sicubi verò parũ vox noſtra inſo-
nuit, non à paternis diſceſſit limitibus. Nõ igitur de-
bet hic labor cuiquam pigro vel multũ docto videri a Ab vtilitate.
ſuperfluus:[a] cum multis impigris multíſque indoctis,
inter quos etiam & mihi ſic neceſſarius: breui[b] volu- b A breuitate.
mine complicans Patrum ſententias, appoſitis eorum Ex loco ſuprà
teſtimoniis: vt non ſit neceſſe quærenti librorum nume citato.
roſitatem euoluere, cui breuitas quod quæritur offert
ſine labore. 7 in hoc autem tractatu non ſolùm pium
lectorem, ſed etiam liberum correctorem deſidero: ma-
ximè vbi profunda verſatur veritatis quæſtio, quæ v-
tinam tot haberet inuẽtores, quot habet cõtradictores.
Vt[c] autem quod quæritur faciliùs occurrat, titulos, c A methodo.
quibus ſingulorum librorum capitula diſtinguuntur,
præmiſimus.

IN P. LOMBARDI Librum primum Sententiarum.

C

IN PROLOGVM, Scholium.

1 *Cupientes*. Excuſatio autoris, qui tam arduum ac immẽſum opus ſcribere aggrediatur. Sed ſe diuini auxilij ſpe, & fratrum flagitationibus, quibus ex charitate ſatisfacere debeat, impulſum id facere reſpondet.

2 *Quo inardeſcentes*. Vtilitas & finis huius operis triplex. i. vt ſit clypeus, quo aduerſus hæreſes ſtudioſi muniantur. 2. Vt difficiles Theologiæ quæſtiones explicentur. 3. Vt Sacramentorum natura enodetur.

3 *Quanuis*. Occurrit improborum calumniis, qui ſuam ſententiam, quàm ipſam veritatem ſequi & tueri malunt, non ſunt horum librorum doctrinæ ſubſcripturi.

4 *Ex teſtimoniis*. Doctrinam tum ex æterno Dei verbo, tum ex receptis iam probatis Patrum ſcriptis, collectam ſe traditurum pollicetur: quod vtinam præſtitiſſet.

5 *Libris* Partitio totius operis in quatuor libros.

6 *Sicubi verò*. Se raro ex ſua perſona loqui docet, quòd à Patrum ſententia nolit diſcedere.

7 *In hoc autem*. Se corrigi patienter feret Lombardus.

A

CAP. I.

Omnis doctrina de rebus vel de ſignis.

LIBER I. DISTINCTIO I.

De materia huius libri & librorum diuiſione. Lib. 1 cap. 2.

a Res & Signa ſubiectũ Theologiæ.

b Signorum diſtinctio, Nec enim quodlibet ſignorum genus ad Theologos pertinet. Li. & loc. citatis.

B

Veteris ac nouæ legis continentiam, diligenti indagine, etiam atque etiam conſiderantibus nobis, præuia Dei gratiâ, innotuit ſacræ paginæ tractatum circa res, vel ſigna præcipuè verſari. vt enim egregius doctor Auguſt. ait in libro de Doct. Chriſti. 1 Omnis doctrina [a] vel rerum eſt vel ſignorum: ſed res etiam per ſigna diſcuntur. Propriè autem hîc, Res appellãtur, quæ non ad ſignificandum aliquid adhibentur: Signa verò, quorum vſus eſt in ſignificando. [b] Eorum autẽ aliqua ſunt quorum omnis vſus eſt in ſignificando, non in 2 iuſtificando: quibus non vtimur, niſi aliquid ſignificandi gratia, vt aliqua ſacramenta Legalia. Alia quæ non ſolùm ſignificant, ſed conferunt quod intus adiuuet ſicut Euangelica ſacramenta. Ex quo apertè intelligitur, quæ hîc appellentur ſigna, res illæ videlicet, quæ ad ſignificandũ aliquid adhibẽtur. Omne igitur ſignum etiam res aliqua eſt. Quod enim nulla res eſt, vt in eodem Aug. ait omnino nihil eſt. Non autem è diuerſo omnis res ſignum eſt: quia non adhibetur ad ſignificandum aliquid. Cùmque his intenderit Theologorum ſpeculatio ſtudioſa atque modeſta: diuinam ſcripturam formam præſcriptam in doctrina tenere aduertet. De his [c] ergo nobis aditum ad res diuinas aliquatenus intelligendas, Deo duce, aperire volentibus diſſerendum eſt: & primùm [d] de rebus, poſtea de ſignis diſſeremus.

c Ordo huius operis.

d De rebus prius agendum quàm de ſignis.

CAP. II.

De rebus quibus fruendum eſt, vel vtendum: & de his qui fruuntur & vtuntur.

C

De rebus communiter agit.

Generalis diſtributiò Rerũ. Li. 1. cap. 3.

Quid ſit frui, Quid vti.

Idem eodẽ li. ca. 4.

Idem lib. 1. cap. 5.

Quibus fruẽdum eſt. Li. 1. ca. 5.

ID ergo in rebus conſiderandum eſt, vt in eodem Aug. ait quòd res aliæ ſunt, quibus fruendum eſt: aliæ, quibus vtendum eſt. aliæ, quæ fruuntur & vtuntur. Illæ quibus fruendum eſt, nos beatos faciunt. Iſtis, quibus vtendum eſt, tendentes ad beatitudinem adiuuamur, & qua adminiculamur, vt ad illas res, quæ nos beatos faciunt, peruenire, eiſque inhærere poſſimus. Res verò quæ fruuntur, & vtuntur, nos ſumus, quaſi inter vtráſque conſtituti, 1 Angeli, & Sancti. Frui autem eſt amore alicui rei inhærere propter 2 ſeipſam: vti verò, id quod in vſum venerit, referre ad obtinenendum illud, quo fruendum eſt: aliàs abuti eſt, non vti: nam vſus illicitus abuſus vel abuſio nominari debet. Res igitur quibus fruendum eſt, ſunt Pater, & Filius & Spiritus ſanctus. Eadem tamen Trinitas quædam ſumma res eſt, communiſque omnibus fruentibus ea, ſi tamen res dici debet, & non rerum omnium cauſa, ſi tamen & cauſa. Non enim facilè poteſt inueniri nomen, quod tãtæ excellentiæ conueniat, niſi quòd melius dicitur, Trinitas hæc 3 vnus Deus. Res autem, quibus vtendum eſt, mundus eſt, & in eo creata. Vnde Auguſt. in eodem: Vtendum eſt hoc mundo, non fruendũ vt inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciantur. id eſt vt de temporalibus æterna capiantur. Item in eodem: In omnibus rebus illa tantùm ſunt quibus fruendum eſt, quæ æternæ & incommutabiles ſunt: cæteris autem vtendũ eſt, vt ad illarum perfruitionem perueniatur. Idem Aug. in 10. lib. de Tri. 4 Fruimur cognitis, in quibus ipſis propter ſe voluntas delectata conquieſcit: vtimur verò eis, quæ ad aliud referimus, quo fruendum eſt.

Quibus rebus vtendum eſt. Libr. 1. c. 4. Rom. 1. c.

A

Cap. 22.

Cap. 10.

CAP. III.

Item quid interſit, inter, Frui, & Vti, aliter quàm ſuprà.

Cap. 11. Fruendi & Vtendi voces etiã ab ipſo Auguſtino aliter accipi.

B

quàm ſuprà ſit explicatum.

NOTANDVM verò quòd idem. Auguſt. in libro 10. de Tri. aliter quàm ſuprà accipiens, Vti & Frui, ſic dicit: Vti eſt aſſumere aliquid in 1. facultatẽ voluntatis: Frui autem eſt vti cum gaudio: non adhuc ſpei, ſed iam rei: ideóque omnis qui fruitur, vtitur: aſſumit enim aliquid in facultatem voluntatis cum fine electionis. Non autem omnis qui vtitur, & fruitur: ſi id quod in facultatem voluntatis aſſumit, non propter ipſum, ſed propter aliud appetit. Et attende quia videtur Aug. dicere illos frui tantùm, qui in re gaudent, non iam in ſpe: & ita in hac vita non videmur frui, ſed tantùm vti, vbi gaudemus in ſpe, quum ſuprà dictũ ſit, Frui eſſe amore inhærere alicui rei propter ſe: qualiter etiam. [d] hîc multi adhærent Deo.

In lit. B. huius diſ.

b In hoc mundo.

CAP. IIII.

Determinatio eorum quæ videntur contraria.

Solutio 1. ſuperioris obiectionis.

1 Cor. 13. d.

C

Comparatè loquutus eſt Auguſt. Cap. 10. lib. 1. c. 30. in princ.

HAEC ergo, quæ ſibi contradicere videntur, ſic determinamus, dicentes nos & hîc & in futuro frui: ſed ibi propriè & perfectè, plenè, vbi per ſpeciem videbimus quo fruemur, hîc autem, dum in ſpe ambulamus quo fruimur quidem, ſed non adeò plenè, vnde in lib. 10. de Trinit. Fruimur cognitis, in quibus voluntas eſt. Idem in lib. de Doctr. Chriſt. ait, Angeli illo fruentes iam beati ſunt, quo & nos frui deſideramus: & quanto in hac vita iam fruimur, vel per ſpeculum, vel in ænigmate, tãtò noſtrã peregrinationẽ & tolerabilius ſuſtinemus, & ardentius finire cupimus.

CAP. V.

Alia determinatio.

Solutio 2. ſuperioris obiectionis. Negatur conſecutio ipſomet Aug. teſte. libr. 1. de Doct. Chri. cap. 33

Aug. lib. eodem c. 31.

Aug. de Doct. Chr. ca 33.

POTEST etiam dici quòd qui fruitur etiam in hac vita, non tantùm habet gaudium ſpei, ſed etiam rei: quia iam delectatur in eo quod diligit, & ita iam rem aliquatenus tenet. Conſtat igitur quod debemus Deo frui, & non vti. Illo enim, vt ait Aug. frueris, quo efficeris beatus, & in quo ſpem ponis, vt ad id peruenias. De hoc idẽ ait in lib. de Doct. Chr. Dicimus nos ea re frui, quam diligimus propter ſe, & ea re fruendum nobis eſſe tantum, quâ efficimur beati: cæteris verò vtendũ. Frequẽter tamẽ dicitur frui, cũ delectatione vti. Cùm enim adeſt quod diligitur, etiam delectationẽ ſecũ gerit: ſi tamen per eam tranſieris, & ad illud vbi permanendũ eſt, eam retuleris, vteris ea: & abuſiuè, non propriè diceris frui. Si verò inhæſeris atque permanſeris, finem in ea ponens lætitiæ tuæ

tunc

A *tunc verè & propriè frui dicendus es: quod non eſt faciendum, niſi in illa Trinitate, id eſt, ſummo & incommutabili bono.*

CAP. VI.

Vtrum hominibus ſit vtendum, an fruendum.

QVVM autem homines, qui fruuntur & vtuntur aliis rebus, res aliquæ ſint, quæritur vtrum ſe[a] frui debeant, an vti, an vtrunque. Ad quod ſic reſpondet Aug. in lib. De Doct. Chriſt. 1 Si propter ſe homo diligendus eſt, fruimur eo: ſi propter aliud, vtimur eo. Videtur autem mihi propter aliud diligendus. Quod enim propter ſe diligendum eſt, in eo conſtituitur beata vita: cuius etiam ſpes hoc tempore nos conſolatur. In homine autem ſpes ponenda non eſt: quia maledictus eſt, qui hoc facit. Ergo ſi liquidè aduertas, nec ſeipſo quiſquam frui debet, quia diligere ſe propter ſe non debet: ſed propter illud, quo fruẽdum eſt. Huic[b] autem contrarium videri debet, quod Apoſt. ad Philemonem loquens, ait, Ita frater ego te fruar in Domino. Quod ita determinat. Aug. Si dixiſſet tantùm, te fruar, & nõ addidiſſet, in Domino, videretur finem dilectionis ac ſpem conſtituiſſe in eo: ſed quia illud addidit, 2 in Domino, ſe finem poſuiſſe, [c] eodémque frui ſignificauit. Quum enim (vt idem Aug. ait) homine in Deo frueris, Deo potiùs quàm homine frueris.

1. Quæſtio.
a I. ſeipſis
Cap. 22.
Solutio.
Hiere. 17
B
b Obiectio. Cap. vnico. Aug. in lib. 1. de Doct. Chri. c. 33
c Deo, nempe. Ibidem

CAP. VII.

Vtrum Deus fruatur, an vtatur nobis.

SED cùm Deus diligat nos, vt frequenter Scriptura dicit, quæ eius dilectionem erga nos multùm commendat, quærit Aug. quomodo diligat, an vt vtens, an vt fruens: & procedit ita, Si 1 fruitur, eget bono noſtro, quod nemo ſanus dixerit, ait enim Propheta, Bonorum meorum non eges. Omne enim bonum noſtrum vel ipſe eſt: vel ab ipſo eſt: nõ ergo fruitur nobis, ſed vtitur. 2 Si enim nec fruitur, nec vtitur, non inuenio quomodo diligat nos. Neque 3 tamen ſic vtitur nobis, vt nos aliis rebus. Nos enim res, quibus vtimur, ad id referimus, vt Dei bonitate perfruamur: Deus verò ad ſuam bonitatem vſum noſtrum refert. 4 Ille enim miſeretur noſtri propter ſuam bonitatem: nos autem nobis inuicem, propter illius bonitatem. Ille noſtri miſeretur, vt ſe perfruamur: nos verò inuicem noſtri miſeremur, vt illo fruamur. 5 Quum enim nos alicuius miſeremur, & alicui conſulimus, ad eius quidem facimus vtilitatẽ, eámque intuemur: ſed & noſtra fit conſequens, cùm miſericordiam, quã aliis impẽdimus, nõ relinquit Deus ſine mercede. Hæc autẽ merces ſumma eſt, vt ipſo fruamur. 6 Item quia bonus eſt, ſumus: & in quantum ſumus, boni ſumus. Porrò etiam quia iuſtus eſt, non impunè mali ſumus: & in quantum mali ſumus, in tantum etiam minùs ſumus. Ille ergo vſus, quo nobis vtitur Deus, nõ ad eius, ſed ad noſtram vtilitatem refertur: ad eius verò tantũmodò bonitatẽ.

2 Quæſtio.
Ad Eph 2.
Aug. in libro 1. de Doc. Chr. c. 31 & 32
Pſal. 10.
C
Aug. lib. 1. de Doctr. Chriſtia. cap. 32.
Ex eodem lib. cap. 32.
Math. 5.
Solutio.

CAP. VIII.

Vtrum vtendum an fruendum ſit virtutibus.

HIC conſiderandum eſt, vtrum virtutibus ſit vtendum, an fruendum. Quibuſdam[d] videtur quòd eis ſit vtendum, & non fruendum: & hoc confirmant authoritate Aug. qui, vt prætaxatum eſt, dicit non eſſe fruendum niſi Trinitate, id eſt, ſummo & incommutabili bono. Item dicunt ideo nõ eſſe fruendum eis, quia propter ſe amandæ non ſunt, ſed propter æternam beatitudinem. Illud autem quo fruendum eſt, propter ſe amandum eſt. Sed quòd virtutes propter ſe amãdæ non ſint, imò propter beatitudinem ſolam, probant authoritate Aug. qui in lib. xiij. de Trinit. cõtra quoſdã ait, Fortè 1 virtutes, quas propter ſolam beatitudinem amamus, ſic nobis perſuadere audent, vt ipſam beatitudinem nõ amemus: quod ſi faciunt, etiam ipſas vtique amare deſiſtimus, quando illam, propter quã ſolã iſtas amauimus, non amamus. Ecce his verbis videtur Aug. oſtendere, quòd virtutes nõ propter ſe, ſed propter ſolam beatitudinem amandæ ſint. Quod ſi ita eſt: ergo eis fruendũ nõ eſt. Aliis[e] verò contrà videtur ſcilicet quod fruendũ eis ſit, quia propter ſe petẽdæ & amãdæ ſunt. Et hoc confirmãt authoritate Amb. qui ait ſuper illum locum epiſtolæ ad Gal. Fructus autem Spiritus eſt, charitas, gaudium, pax, patientia, &c. hîc non nominat opera, ed fructus, quia propter ſe petẽda ſunt: ſi verò propter ſe petẽda ſunt, ergo & propter ſe amãda. Nos[f] autẽ harũ, quæ videtur, authoritatũ repugnantiam de medio eximere cupientes, dicimus quòd virtutes propter ſe petendæ & amandæ ſunt: & tamen propter ſolam beatitudinem. Propter ſe quidem amãdæ[g] ſunt, quia delectant ſui poſſeſſores ſincera & ſancta delectatione, & eis pariunt gaudium ſpirituale. Veruntamen non eſt hic conſiſtendum, ſed vltrà gradiendum. Non hîc hæreat dilectionis greſſus: neque hîc ſit dilectionis terminus: ſed referatur hoc ad illud ſummum bonum, cui ſoli omnino inhærẽdum eſt: quia illud propter ſe tantùm amandum eſt, & vltra illud nihil quærendum eſt: illud eſt enim ſupremus finis. Ideo Auguſt. dicit quod eas diligimus propter ſolam beatitudinem, non quin eas propter ſe diligimus: ſed quia id ipſum, quòd eas diligimus, referimus ad illud ſummum bonum, cui ſoli inhærẽdum eſt, in eo permanendum finíſque lætitiæ ponendus: quare virtutibus non eſt fruendum. Sed dicit[h] aliquis, Frui eſt amore inhærere alicui rei propter ſeipſam, vt prædictum eſt. Si ergo propter ſe virtutes amandæ ſunt, & eis fruendum eſt. Ad quod[i] dicimus, in illa deſcriptione, vbi dicitur propter ſeipſam: intelligendum eſt tantummodo, vt. ſcilicet ametur propter ſeipſam tantùm, vt non referatur ad aliud, ſed ibi ponatur finis, vt ſuprà oſtendit Aug. dicens: Si inhæſeris atque permanſeris finem ponens lætitiæ, tunc verè & propriè frui dicendus es: quod non eſt faciendum, niſi in illa Trinitate, id eſt, ſummo & incommutabili bono. Vtendum eſt ergo virtutibus, & per eas fruendum ſummo bono: ita & de voluntate bona dicimus. vnde Aug. in lib. 10. de Tri. ait, Voluntas eſt per quam fruimur: ita & per virtutes fruimur, non eis, niſi fortè aliqua virtus ſit Deus, vt Charitas: de qua pòſt tractabitur.*

Tertia Quæſtio.
A
d 1. opinio.
In litera E huius primæ diſtinct. id habe.
Lib. 1. de Doctr. Chr. c. 33.
Cap. 8.
e 2. opinio. Non reperitur in Ambroſij commentariis, ſed
B
in gloſſa interlineari, ſuper hoc verbo ad Gala. cap. 5.
f Solutio ex diſtinctione.
g ſed non duntaxat per & propter ſe: ſed etiam propter alium ſuperiorem finem nempe Deum ipſum.
C
h Obiectio Frui in litt. B.
i Solutio
lib. de Doctrina Chriſtiana 1. cap. 33.
Cap. 10. 1. Ioan. 4. 2. diſt. 17. & 1. lib.

CAP. IX.

Epilogus I.

OMNIVM igitur quæ dicta ſunt, ex quo de rebus ſpecialiter tractauimus, hæc ſumma eſt. Quòd alia ſunt, quibus fruendum eſt: aliæ quibus vtendum eſt: aliæ, quæ fruũtur & vtũtur: & inter eas, quib⁹ vtẽ

Propoſitio totius, futuri argumenti.

A *dum eſt, etiam quædam ſunt per quas fruimur, vt virtutes, & potentiæ animi, quæ ſunt naturalia bona. De quibus*[a] *omnibus, antequam de ſignis tractemus, agendum eſt: ac primùm de rebus quibus fruendum eſt: ſcilicet de ſancta atque indiuidua Trinitate.*

[a] Diſtributio operis.

AD DISTINCT. I.

CAP. I.

Collatio.

Totius Theologiæ Chriſtianæ ſubiectum & materia eſt duplex, nempe Res & Signa, quæ duo non eſſentię: ſed relationis & ſignificationis modo inter ſe differunt.

1 *Sed rei.* Auguſtinus habet, *Sed res per ſigna diſcuntur.* Hic, *Sed res etiam per ſigna diſcuntur.* Ergo addidit, *Etiam*, quod eſt non modò præter, ſed etiam contrà Auguſtini mentem, qui res ip-
B ſas per ſe, & extra ſignificationem conſiderat: at iſte cogitat res primùm per ſe diſci: deinde per ſigna. i. per verba.

2 *Eorum autem.* Auguſt. habet, *Sunt autem alia ſigna, quorum omnis vſus in ſignificando eſt, ſicuti ſunt verba.* Hîc addit, *non in iuſtificãdo.* Primùm præter mentem Auguſtini, qui de verbis tantùm & vocabulis (quæ ſigna duntaxat eſſe poſſunt, nempe ſenſa mentis noſtrę exprimentia) hoc genus ſignorum intelligit. Iſte autem de ſacramentis Legalibus hoc genus ſignorum ſumit, quaſi illa (quales erant boues, & oues victimæ: aqua luſtralis: & vacca ruffa, & lotiones, & panes propoſitionis) duntaxat ſigna ſint, non etiam res quædam, quòd tamen ipſa eorum definitio oſtendit. Quum enim eſſent Sacramenta, etſi Legalia, res erant primùm & per ſe quidem res quædam: deinde ex Dei promiſsione, eædem res ſunt effectæ ſigna. i. Sacramenta. Ergo hoc ſignorum genus (nempe ſacramenta Legalia) ex ſententia Auguſtini, ad idem genus ſignorum,
C ad quod vocabula referuntur, quæ ſunt merè ſigna, pertinere non poteſt: ſed ad illud potius rerum genus, quæ & res & ſigna ſunt. Auguſt. lib. 2. cap. 2. & 3. de Doctr. Chriſt. Vnde falſum eſt quod hic ipſe poſtea ſubiicit, nos non vti iſtis rebus, quæ ſunt ſacramenta Legalia, niſi aliquid ſignificandi gratiâ. Nam non bos & ouis quælibet, fuerunt Iudæis ſigna Sacramentalia, vti neque nobis quilibet panis in oculos incurrens eſt ſignum corporis Chriſti. Sed quod de ſolis vocabulis & vocibus ex hominum inſtituto ſignificantibus, rectè dixit Auguſtinus, addens, *Nemo enim vtitur verbis, niſi aliquid ſignificandi gratia*: iſte ad ſacramenta Legalia perperam refert: vt errorem errori cumulans diſcrimen conſtituat inter Euangelica & Legalia ſacramenta: quaſi hæc gratiam ex ſe non conferrent, ac proinde per ſe, ipſáque operatione & communicatione non iuſtificarent: illa verò Euangelica ſacramenta vtrunque per ſe faciant & præſtent: ideóque de Legalibus agens dixit eſſe eorum vſum, *tantùm in ſignificando, & non in iuſtificando.*

CAP. II.

1 *Inter vtraſque conſtituti.* Auguſt. libr. 1. cap.
3. ſic habet. *Nos qui fruimur, & vtimur, inter vtraſque conſtituti, ſi eis, quibus vtendum eſt, &c.* Hic addit, *& Angeli, & Sancti.* Auguſtinus ſuam ſententiam, id eſt, quòd nos hîc viuentes, eæ res ſumus, quæ fruuntur, & vtuntur, confirmat eodem libro, cap. 21. *Nos itaque qui fruitur & vtimur aliis rebus, res aliqua ſumus.* De Angelis autem (quos hic beatos proculdubiò intelligit) & Sanctis, id eſt, in cœlum iam receptis hominum ſpiritibus quod iſte addit, falſum eſſe apparet, prætérque ipſius etiam Auguſtini mẽtem dici. Nam quum & hîc & infrà ſubiiciatur ex Auguſtino, rem eam, in quam propriè cadit vſus, eſſe hunc mundum, & quæ in eo creata ſunt, vt, (quemadmodum ait Auguſtinus, cap. 4. eiuſdem operis) inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, id eſt viſibilia, conſpiciantur, quomodo & mundi vſus, & ea etiam vtendi cauſa in beatos Angelos & Sanctos in cœlum iam receptos quadrare poteſt, qui B
ſupra hunc mundum ſunt? Itaque ij nullo modo iam mundo iſto viſibili vtuntur, ſed Deum vident facie ad faciem. 1. Cor. 13. Quare ex Auguſtini ſententia, nos ſoli qui hîc viuimus, ſumus eæ res, quæ & vtuntur & fruuntur: Angeli verò, & Sancti beati, ſunt eæ res, quæ ſolùm fruuntur. Matth. 18. verſic. 10. Itaque vt plena eſſet hæc partitio dicendum fuit, Rerum aliæ ſunt quibus vtimur: aliæ ſunt, quibus fruimur: aliæ quæ fruuntur: aliæ quæ fruuntur & vtuntur: ſed omiſſa eſt ab Auguſtino diſputatio de Angelis & Sanctis quòd ad præcepta tradenda non pertineret, vti neque de pecudibus idem egit, quæ tantùm vtuntur, quia extra fines Theologiæ ea diſputatio euagatur.

2 *Vti verò id.* Auguſtinus habet, *Vti autem quod in vſum venerit, ad id quod amas obtinendum referre, ſi tamen amandum eſt. Nam vſus illicitus,* &c. *vti verò id, quod in vſum venerit, referre ad obtinendum illud, quo fruendum eſt: aliàs abuti eſt, non* C
vti. videtur iſte propriam duntaxat vtendi ſignificationem ſpectaſſe, & definiiſſe. Itaque quod dixit generaliter Auguſtinus, *quod amas, ſi tamen amandum eſt*: iſte commutauit in hæc verba, *Quo fruendum eſt.* At melius Auguſtinus, & ex vſu loquendi: & ex reiipſius experientia definit primùm generaliter vſum ſiue vti, eſſe, ſiue quis ea quæ amanda ſunt: ſiue quæ non ſunt amanda, referat eò, vt cupita re potiatur. Deinde diſtinguit, vt vtendi modus ſit duplex: alius enim eſt legitimus & verè vſus, alius verò abuſus potiùs quàm vſus nominandus eſt. Vide hunc eundem Auguſt. lib. 83. quæſt. 3.

3 *Vnus Deus.* Auguſtinus addidit, *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.* hic prætermittit. Sunt tamen iſta verba neceſſariò addenda, vt intelligatur, cur tanta ſit Trinitatis excellentia, vt ſupra res omnes & rerum tamen omnium cauſa ſtatuatur. hoc ipſum eſt, quod ait Damaſc. libro 1. De fide orthodoxa, cap. 4. οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων ἐστὶν ὁ θεὸς, οὐχ ὡς μὴ ὤν, ἀλλ᾽ ὡς ὑπὲρ πάντα τὰ ὄντα, καὶ ὑπὲρ αὐτὸ τὸ εἶναι ὤν. id eſt, *Nihil eſt enim Deus rerum cæterarum, quòd Res quædam non ſit: ſed quoniam eſt eminentior rebus omnibus, atque etiam eſt ſupra omnem eam rationem, quà res cæteræ ſunt.*

4 *Fruitur cognitis.* Auguſtinus libro decimo de Trinitate, capite decimo circa principium. ſic, *Fruitur enim cognitis, in quibus voluntas ipſis propter*

A *propter ſeipſa delectata conquieſcit: vtimur vero eis, quæ ad illud referimus, quo fruendum eſt.* Hic verò obſcurus planè & barbarus propter harum vocum, *Ipſis*, & *Seipſa*, immutationem, vel detractionem. Barbarè enim dicitur, *In quibus ipſis delectata*: quæ perſpicuè & latinè Auguſtinus interiecta voce *Voluntas*, ad euitandam illam barbariem ſcripſerat, *in quibus voluntas ipſis propter ſeipſa delectata*. Præterea vox *Se* apud hunc obſcura eſt, vtrum ad volũtatẽ, an potiùs ad res ipſas referatur, quæ proculdubiò ad res ipſas pertinet, quibus propter ſeipſas delectari debemus, vt iis frui dicamur. Item in definitione vtendi, Auguſt. habet ad *illud* cõmodè: hic habet *aliud* obſcurè.

CAP. III.

1 *In facultatem voluntatis aſſumere.* Voces hæ tum apud Auguſt. tum apud hunc ipſum obſcuræ ſignificant reipſa aliquid velle, & expetere. B Ergo facultas noſtræ volũtatis aſſumere hîc dicitur ea, quæ non δυνάμει, tantũ poſſumus velle, ſed quę reipſa, & ἐνεργείᾳ iam deſideramus & petimus, vel propter ſpem tantùm rei: vel propter ipſius aſpectum, vt ait Paulus. Vti, minus eſt: frui, maius eſt.

CAP. VI.

1 *Si propter.* Quanquam multa ſunt hîc ex Auguſtini verbis reſecta, ſiue huic quæſtioni lucem afferrent, quia tamen à mente Auguſtini non eſt receſſum, duo tantùm annotabimus. Primùm non incoloratè & πιθανολόγως de homine quæri, vtrum eo ſit nibis fruendum, an potiùs vtendum, quoniam magna quædam (inquit Auguſt.) res eſt homo, factus ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quatenus rationalis animæ honore beſtias præcellit. Præterea præceptum eſt à Deo nobis, vt proximum, id eſt, hominem diligamus. Addo ego & hanc quoque tertiam rationem, Quòd hæc inferiora omnia, quæ mũdus complectitur, propter hominem ipſum condita ſunt, vt eſt Pſal. 8. Gen. 1. verſic. 29. 9. verſ. 2. adeò vt proximus C mundi huius finis proculdubiò ſit homo ipſe. Ergo aliis quidem rebus eſſe vtendum: homine autem ipſo fruendum, quemadmodum Iuriſconſulti ipſi Romani cenſuerunt. Vlpianus in lib. 18. ad Sabinum in l. Vetus fuit quæſtio. D. De vſufructu, & quemadmodum quis vtatur. Sed quum ſanè homo ad Dei gloriam conditus, ſit, homine eſt vtendum, nõ autẽ fruendũ, ne in homine acquieſcamus, eũq; ꝓ Deo impiiſsimè habeamus. Alterum noſtrum annotamentũ eſt, Auguſt. hîc argumentati à dilectionis modo, ac genere, ad genus & modum vſus: vt quo quídque gradu & modo ex Dei præcepto diligendum eſt, eodem modo nobis ſit eo ipſo vtendum. Quod eſt optimum totius huius quæſtionis explicandæ μέσον. Nam vt dilectio: ſic vſus finem tanquam ſuum fundamentum maximè ſpectat, ex quo ipſo vtrum vtendum an fruendum ſit nobis re aliqua, definiendum putat Auguſtinus.

CAP. VII.

Multa in hoc capite perturbatè & confuſè ex Auguſtino tranſcripta ſunt: multa obſcurè A accommodata, quæ tamen apud ipſum autorem plana ſunt. Itaque iſte ex bonis Auguſtinianis ſua mala fecit.

1 *Si fruitur.* Auguſti. cap. 32. lib. 1. Doctrinæ Chriſt. duas huius ſuæ ſententiæ rationes affert. Primam ex Dei ipſius natura, qui quum ſit lux ſplendidiſsima, cæteráque illuſtrans, noſtro, aut vllius alterius rei nitore non eget. Hanc prætermiſit iſte. Altera Auguſtini ratio ducitur ab autoritate Pſ. 16. quæ huc tranſcripta eſt. Quicquid enim bonum noſtrum eſt, id eſt, Bonum quo egemus, illud eſt vel Deus ipſe, nempe ſummum noſtrum bonum: vel à Deo, qualia cætera bona noſtra. Ex qua ipſa definitione à contrariis iam intelligitur, quum illud omne, quò vel vtimur, vel fruimur, ſit à Deo, vel Deus, Deum ipſum nobis minimè frui, ſed neque noſtris rebus, nobiſve egere, quòd Pſ. docuit. Hæc igitur Auguſtiniana ſententia hîc obſcura eſt, id eſt, in iſta lacuna turbida: in ipſa tamen Auguſtiano fonte limpida & clara lucet. B

2 *Omne enim bonum.* Ex Auguſt. cap. 31. libro de Doctr. Chriſt.

3 *Sed neque ſic.* Iam iſtud ex cap. 32. tranſcriptum eſt. Hoc enim Auguſtinus proponit hypophoræ cuiuſdam ἰρόνῳ, quum negari non poſsit Deum nobis, & aliis rebus vti. Ergo fuit explicandum, quæ differentia ſit inter { Noſtrum, Dei ipſius vſum.

Videtur autem conſtitui diſcrimen triplex inter vtrumque vſum.

1 Deus propter ſeipſum. i. ad ſuam bonitatem, potentiam, & ſapientiam patefaciendam rebus à ſe creatis vtitur. Summa enim dignatio Dei, potentia, ſapientia, & miſericordia apparet erga res eas, quibus vti dignatur. Nos autẽ propter Deum illis ipſis rebus vtimur. i. vt illi faciliùs poſtea ſeruiamus. Ergo nullo bono ſuo, Id eſt, non ex vlla inopia iis vtitur Deus: nos autem, & noſtro bono, & ad Dei ipſius gloriam.

2 Deus nulla neceſsitate compulſus aut ἀδυναμίᾳ, iis rebus vtitur, vtpote qui abſque illis eadem planè efficere poſsit, quæ illis interpoſitis. C Itaque eæ ſunt tantùm ὄργανα electa, & præparata, nempe ratione Dei: nullo autem modo cauſſæ neceſſariæ. Nos autem iis rebus, veluti cibis, vtimur ex neceſsitate & conſequentis & conſequentię. Nã iis omnino egemus, quales quidẽ naturâ ſumus. Itaq; noſtri ratione nõ tãtũ ſunt organa, ſed & cauſſę efficiẽtes, & eædẽ nobis neceſſarię.

3 Deus rebus omnibus pro ſuis iuréque pleni dominij liberrimè vtitur, vtpote qui iis ſingulis τὸ εἶναι dederit, eáſque conſeruet & ſuſtentet. Nos autem precariò tantùm, ídq; ab eo, & quatenus, quóque modo ille concedit. Gen. 9. verſ. 2. 1. Timoth. 4. verſ. 4. vt ex ſcripta nobis ab eo regula planè ſit iis vtẽdum, neq; aliter, neque latiùs neq; lautiùs. Primum tantùm vſum attigit Auguſt.

4 *Ille enim.* Sumptus locus ex eod. libro, cap. 30. in fine ab Auguſtini tamen mente longiſsimè detortus. Auguſtinus enim ibi docet quid dilectio noſtra erga proximum differat à dilectione Dei erga nos. Hic intorquet in eum ſenſum, vt doceat nullum eſſe inter vtranque diſcrimen: ſiquidem iſte ex hoc loco nititur efficere Deum propter ſuam bonitatem nobis vti, & nos quoque alios aliis vti propter eãdem Dei bonitatem

A Quare ex iſto loco nulla eſt ſtatuenda differentia inter iſtas dilectiones: vnde omnino aliud, quàm Aug. voluit, hîc efficitur.

5 *Quum enim.* Sumptus locus ex cap. 32. qui vti ex diuerſo loco, ita diuerſo planè ſcopo ab Auguſtini ſententia hîc citatur: adeóque nullo nexu cum ſuperiore iſtius ſententia cohæret. Ineptè enim, (quum proximè dixerit, nos aliis & nobis mutuò ipſis vti propter Dei gloriam & bonitatem) nunc ſubiicit, tanquam ſuperioris ſententię firmamentum & rationem, *quia quum aliorum miſeremur, illiſq; conſulimus, eorum vtilitatem intuemur.* Dicendum enim fuit, *Dei gloriam intuemur.* Quod ad Auguſt. ille diſtinguit affectum & finem quo Deus, & quo nos ipſi iiſdem rebus cōſulimus. & præſertim hominibus. Deus iis conſulit propter ſuam tantū bonitatem & benignitatē, adeò vt ſeipſum, in eorū vſu ꝓpriè cogitet. Nos verò, eorū ipſorum, quibus conſultū volumus, vtilitatem proximè & per ſe: ex cōſequenti B verò ſæpe noſtram etiam habemus ante oculos. Remotè verò etiā Dei gloriā. Sed hęc nō explicat hoc loco Lōbardus, nec ipſius Auguſtini mentē.

6 *Item quia bonus eſt.* Ex eodem cap. 32. ſed tamen alio ſenſu, propter ſententiarum Auguſtini μετάθεσιν ab iſto factam. Docet Aug. cur omnia quibus vtimur, ſint ad Dei gloriam & bonitatem agnoſcendam referenda, quia nimirum ſola ipſius bonitate etiam nos ipſi ſumus. Solus enim Deus verè, ſummè, & primò. i. πρώτως καὶ καθ' ἑαυτὸ καὶ ἰδίως, vt loquitur Ariſtot. eſt. Nos eatenus, quatenus, ipſe ſui illius εἶναι effecta pro ſua bonitate nobis communicauit. Hic autem affert, velut abruptam à ſuperiori argumento ſententiam.

CAP. VIII.

1 *Fortè virtutes.* Auguſtinus ſic, *Niſi fortè virtutes (quas propter ſolam beatitudinē ſic amamus) perſuadere nobis audent, vt ipſam beatitudinem non amemus.* Hic autem ſic, *Fortè virtutes (quas propter ſolam beatitudinem amamus) ſic nobis perſuadere audent,* C &c. tranſpoſita *Sic* comparandi particula, quem Auguſtinus refert ad noſtrum de virtutibus amorem & ſtudium. Itaq; apud Auguſtinum vox *Sic* ſignificat tantopere, iſte ad ipſam virtutum orationem & perſuaſionem pertinere maluit. Vnde aduerbium, *ſic,* ex huius ſenſu denotabit *eo modo,* vel *tā aliena* perſuadere & ſuggerere. Eligat lector vtri potiùs aſſentiēdum exiſtimet, vel veteri omnium codicum conſenſui: vel vnius Lombardi exemplari, aut potius negligenti deſcriptioni, vel ineptę traiectioni. Ii verò contra quos diſputat lib. 13. de Trinitate Auguſtinus ſunt proculdubiò Epicurei philoſophi, qui vitam beatam ab immortalitate diſiungebant, vti poſtea Pelagiani regnum Dei à paradiſo ſeu vita æterna diuulſerunt, quę tamen indiſſociabilia eſſe cōtendit, & meritò quidē, Auguſtinus, quemadmodum contra Epicureos, lib. 9. cap. 14. lib. 12. ca. 6. 13. & 20. De Ciuitate Dei: ita contra Pelagianos in libris contra Iulianum. Sed quòd ad hunc locum, Lactantius ait, *Non ipſa virtus eſt ſummum bonum, ſed effectrix & via tantùm,* Aug. etiam lib. 4. contra Iulia. cap. 3. *Veræ virtutes Deo ſeruiunt.* i. ad Deum referendæ ſunt, non ſunt ipſę ſummum bonum hominis.

Cenſura. A

Quanquā tota hæc diſputatio ex Auguſtinianæ doctrinæ fontibus hauſta videtur, tamen de verbis, eorúmque ſignificatione potius eſt inſtituta, quàm de rebus ipſis. Quas anxias quæſtiones Paulus λογομαχίας & παραδιατριβὰς odioſo nomine vocat 1. Timoth. 6. verſ. 5. 6. vt vel ex hoc ipſo initio & fundamento ſatis appareat quale futurū ſit reliquum ædificium huius operis. Neque verò (quod Auguſtini pace dictum ſit) ſatis conſentit, tam ſcrupuloſa harum vocum *vtendi & fruendi* deſcriptio & obſeruatio, cum vel Hebræi, vel Græci, vel Latini etiam ſermonis proprietate & vſu, vt, *Vti* dicamur iis rebus tantùm, quas ad alium ſuperiorémque finem referimus: *Frui* autem iis, quibus ipſis propter ſeipſas potimur, & in quibus acquieſcit animus noſter, nihil vlterius ſpectans & quærens. Hebræi nihil tale docent ex ſuæ linguæ, vſu, ſed pulcherrima metaphora שבצ Scebats, id eſt, Saturari explicant, plenam illam animorum noſtrorum oble- B ctationem & εὐθυμίαν, quam ex Dei ipſius communicatione & intuitu percipiunt fideles, & beati quoque ipſi in cœlum recepti, quemadmodum apparet ex Pſalmo 16. verſic. 10. 17. verſic. 14. Sed & חועל Hoghil quoque dicunt *Frui.* Ipſam autem fruitionem נעמות Neghimoth, voluptates appellant ducta ſimilitudine à cibis nos ſatiantibus. Pſal. 141. Pſal. 63. verſic. 5. *Vti* verò dicunt non vno verbo ſed pluribus כלה & עמר couſumere, quòd ea, quibus vtimur, ipſo vſu conſumuntur & perduntur. Item אכל comedere, vti ex variis locis apparet. Græci χρῆσθαι, *vti* vſurpant de iis rebus, quas neceſſitas commoditáſque huius vitę poſtulat: vnde de cibis, armis, vino, reliquíſque huiuſmodi dicitur. 1. Thimoth. 5. verſic. 23. Ἀπολαύειν verò, id eſt, *Frui* appellant, quum voluptatis potius ac delectationis gratiâ, quàm neceſſitatis aliquid adhibemus: cuius multæ ſunt ſpecies, veluti ἡδύνεσθαι, εὐθυμεῖσθαι, τρυφᾶν, ἀρκεῖν. Quod verò ex epiſtola ad Philemonem, verſicul. 20. *Fruar.* conuertit vetus interpres, perperam C ab eo vis vocabuli expreſſa eſt, quum ſignificet *fructum percipiam.*, ὀναίμην, alluſione nimirum facta etiam ad nomen ipſum *Oneſimi,* pro quo ſcribebat Paulus. Qui tamen locus torſit Auguſtinum. Denique Latini ſcriptores aliò prorſus ſignificato vocabulis iſtis *Vti* & *Frui* vtuntur, quàm explicet Auguſtinus. Grammatici quidam ſic diſtinguunt, vt *Frui* de rebus tantùm bonis accipiatur: *Vti* de omnibus, id eſt, etiam malis. Alij *Frui* nos volūt iis rebus, quas magnopere quæſiuimus & concupiuimus quum illis potimur: ídque ex Næuij dicto probant, quod tum à Nonio Marcello: tum ab Aulo Gellio libro 13. Noct. Attic. capite ſecundo, profertur. Quidam diſcrimen nullum eſſe putant inter iſta vocabula. Varro libro quarto de lingua Latina, frui eſſe definit, fructus, quos fundus fert, percipere. Id quod etiam vti dicimus: quemadmodum ſcribit Ælius Donatus. Quod quum perperam intellexiſſet Iſidorus libro 5. Etymologiarum ſic ſcripſit, *Sed & ipſe fructus agrorum, quia eo vtimur, vſus vocatur.* Denique qui accuratè voces iſtas diſtinxerunt ex recepto linguæ Latinæ vſu Iuriſconſulti (homines nimirum verborum proprietatis obſeruantiſsimi) ſic dicunt,

A

dicunt, *Minus eſt iuris in vſu, quàm in vſufructu. Nam is qui fundi nudum habet vſum, nihil vlterius habere intelligitur, quàm vt oleribus, pomis, floribus, fœno, ſtramentis, & lignis ad vſum quotidianum vtatur. Nec vlli alij ius quod habet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere poteſt: quum is qui vſumfr. habet, poſſit hæc omnia facere. Eſt vſusfructus ius vtendi fruendi alienis rebus, ſalua rerum ſubſtantia.* Hæc illi, vti ex Inſtitution. Iuſtinian. lib. 2. Tit. de vſufructu & ſeq. apparet. Quæ quomodo cum Auguſtini ſententia conſentiant, videant docti. Quanquam tamen, vti cæteris artibus, ſic Theologiæ ſua quędam eſſe relinquenda ex communibus propria vocabula neque negauerim, neque ipſe improbarim. Quare frui Auguſtino eſt ſummo bono potiri. Vti reliquis rebus, quæ non ſunt ſummum bonum. De iis autem, quæ diximus, Lombardus ne cogitauit quidem.

B

DISTINCTIO II.

De Myſterio Trinitatis & Vnitatis.

CAP. I.

a Summa doctrinę de Trinitate.

HOC[a] quoque vera ac pia fide tenendum eſt, quod 1 Trinitas vnus ſit & ſolus verus Deus, vt ait Auguſtinus in 1. libro de Trinitate, ſcilicet Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: & hæc Trinitas vnius eiuſdémque ſubſtantiæ vel eſſentiæ dicitur, creditur, intelligitur, quæ eſt ſummum bonum, quod purgatiſſimis mentibus cernitur. Mentis[b] enim humanæ acies inualida in tam excellenti luce nō figitur, niſi per iuſtitiam fidei emundetur. Item in lib. 1. retract. cap. 4. Non approbo quod in oratione dixi, Deus qui nonniſi mundos verum ſcire voluiſti, reſponderi enim poteſt, multos etiam non mundos, multa ſcire vera. De hac[c] re ergo ſumma & excellentiſſima cum modeſtia & timore agendum eſt, & attentiſſimis auribus atque deuotis audiendum, vbi quæritur vnitas Trinitatis, Patris ſcilicet, & Filij, & Spiritus ſancti: quia nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs aliquid inuenitur. Proinde omnis qui audit & legit ea quæ de ineffabibi & inacceſſibili luce diuinitatis dicuntur, ſtudeat imitari atque ſeruare quod venerabilis doct. Auguſt. in 1. lib. de Trinitate de ſeipſo ait, Non pigebit[d] me, inquit, ſicubi hæſito quærere: nec pudebit ſicubi erro, diſcere. Quiſquis ergo audit hoc vel legit, vbi pariter certus eſt, pergat mecum: vbi pariter hæſitat, quærat mecum: vbi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me: vbi meum, reuocet me. Ita ingrediamur ſimul charitatis viam, tendentes ad eum, de quo dictum eſt, Quærite faciem eius ſemper.

b A quibus hæc doctrina percipi poſſit. Cap. 2. Aug. tom. 1. in li. 1. Soliloquio. c. 1. c Quomodo poſſit & debeat. Sumptum ex Aug li. 1. de Trin. c. 3. 1. Tit. 6. c. Cap. 2. Lib 1. de Trin. c. 3. d Difficultas huius argumēti. Pſal. 104.

CAP. II.

Quæ fuerit intentio ſcribentium de Trinitate.

OMNES autem Catholici tractatores, vt in eodem primo libro de Trinitate, cap. 4. Auguſt. ait, qui de Trinitate, quæ Deus eſt, ſcripſerunt, hoc intenderunt ſecundum Scripturas docere, quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus vnius ſint ſubſtantiæ, & inſeparabili æqualitate vnus ſint Deus: vt ſit vnitas in eſſentia, & pluralitas in perſonis: ideoque non ſunt tres dij, ſed vnus Deus, licèt Pater Filium genuerit, & ideo Filius non ſit qui Pater eſt: Filiúſque à Patre ſit genitus, & ideo Pater non ſit qui Filius eſt: & Spiritus ſanctus nec Pater ſit nec Filius, ſed tantùm Patris & Filij Spiritus, vtrique coæqualis, & ad Trinitatis pertinens vnitatem. Teneamus ergo Patrem & Filium & Spiritum ſanctum vnum eſſe naturaliter Deum, vt ait Auguſtinus in lib. de fide ad Petrum: neque tamen ipſum Patrem eſſe, qui Filius eſt nec Filium ipſum eſſe, qui Pater eſt: nec Spiritum ſanctum ipſum eſſe, qui Pater eſt aut Filius. Vna eſt enim Patris & Filij & Spiritus ſancti eſſentia, quam Græci οὐσίαν vocant: in qua non eſt aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus ſanctus, quamuis ſit perſonaliter alius Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus.

Aug. in li. rett. 1. c. 4. vbi dicit, de Patre & Filio, qui gignit & is quē gignit vnū eſt, dicēdū fuit vnum ſunt, ſicut ipſa veritas apertè loquitur. Ioan. 1. F. dicēs, Ego & Pater vnum ſumus. De cōſe. diſt. 3. c. 3. oēs. 1 Augu. De Fide ad Petr. ca. 1. circa medium.

B

CAP. III.

Quis ordo ſit ſeruandus quum de Trinitate agitur.

Ca 2.

CAETERVM vt in primo libro de Trinitate Auguſt. docet, primò ſecundum autoritates ſanctarum Scripturarum, vtrum fides ita ſe habeat demonſtrandum eſt. Deinde aduerſus garrulos ratiocinatores, elatiores magis quàm capaciores, rationibus Catholicis & ſimilitudinibus congruis ad defenſionem & aſſertionem fidei vtendum eſt: vt eorum inquiſitionibus ſatisfacientes, manſuetos pleniùs inſtruamus: & illi, ſi nequiuerint inuenire quod quærunt, de ſuis mentibus potiùs quàm de ipſa veritate, vel de noſtra aſſertione conquerantur.

Duplex huius myſterij explicandi ratio. 1. ſacra Scriptura. 2. Similitudines ex rebus naturalibus ductæ.

CAP. IIII.

Teſtimonia Sanctarum ſcripturarum de Trinitate.

PROPONAMVS ergo in medium Veteris ac Noui teſtamenti authoritates quibus diuinæ vnitatis atque Trinitatis veritas demonſtretur: ac primùm ipſa legis exordia occurrant, vbi Moſes ait, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Item, Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: non erunt tibi alij dij præter me. Ecce hîc ſignificauit vnitatem diuinæ naturæ: Deus enim, vt ait Ambroſius in primo libro de Trinitate nomen eſt naturæ: Dominus verò nomen eſt poteſtatis. Item alibi Deus loquens ad Moyſen ait. Ego ſum qui ſum: & ſi quæſierint nomen meum, vade & dic eis, Qui eſt, miſit me ad vos. Dicens enim, Ego ſum: non, Nos ſumus: &, Qui eſt: non, Qui ſumus, apertiſſimè declarauit vnum ſolum Deum eſſe. In Cantico etiam Exodi legitur, Dominus omnipotens nomen eius, non ait, Domini, vnitatem volens ſignificare. Perſonarum quoque pluralitatem & naturæ vnitatem ſimul oſtendit Dominus in Gen. dicens. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Dicens enim, faciamus ad noſtram, pluralitatem perſonarum oſtendit: dicens verò, imaginem, vnitatem eſſentiæ. Vt enim dicit Auguſtinus in lib. De Fide ad Petrum, Si in illa natura Patris & Filij & Spiritus ſancti vna eſſet

Primū ex veteri teſtamento teſtimonia affert de Trinitate. Deut. 6. a Exo. 20. a. De Fide ad Gratianū c. 1. 2. Exod. 3. Exod. 15.

Gen. 1. e

Ad finem ca. 1.

A tantùm perſona,non diceretur,Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Quum enim dicit, ad imaginem, oſtendit vnam naturam eſſe, ad cuius imaginem homo fieret: quum verò dicit, noſtram, oſtendit eundem Deum non vnam, ſed plures eſſe perſonas.

CAP. V.

Apertè 1 oſtendit quòd nec ſolitudo,nec diuerſitas,nec ſingularitas ibi [a] eſt, ſed ſimilitudo.

a In Trinitate. Circa finem. Superioris loci ex Geneſ. cap.1. explicatio luculẽtior ex Hilario per digreſſionem. Circa medium.

HILARIVS quoque in libro tertio de Trinit. dicit his verbis ſignificari quod in Trinitat. nec diuerſitas eſt, nec ſingularitas, vel ſolitudo: ſed [2]ſimilitudo,& pluralitas ſiue diſtinctio.ait enim ſic, Qui dicit, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:inuicem eſſe ſui ſimiles(in eo quod dicit,imaginem & ſimilitudinem noſtram) oſtendit. Imago enim ſola non eſt,& ſimilitudo ſibi non eſt: neque diuerſitatem duobus admiſceri alterius ad alterum ſimilitudo permittit. Item idem in iiij.lib. abſolutius voluit intelligi ſignificationem hanc non ad ſe eſſe referendam tantùm, B dicendo, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: profeſſio enim conſortij ſuſtulit intelligentiam ſingularitatis:quia conſortium aliquod nec poteſt eſſe ſibiipſi ſolitario, neque rurſum ſolitudo ſolitarij recipit,faciamus: neque quiſquam alieno à ſe loquitur,noſtram, Vterque ergo ſermo,ſcilicet, Faciamus & Noſtram, vt ſolitarium eundémque non patitur:ita neque diuerſum à ſe alienúmque ſignificat. Solitario conuenit, faciam, & meam: non ſolitario verò conuenit dicere,faciamus, &, noſtram, vterque ſermo vt non ſolitarium tantùm, ita neque differentem eſſe, vel diuerſum eſſe ſignificat. Nobis quoque nec ſolitarius nec diuerſus eſt confitendus.[3]ita ergo Deus ad communem ſibi cum Deo imaginem eandémque ſimilitudinem hominem reperitur operari: vt nec ſignificatio efficientis admittat intelligentiam ſolitudinis, nec operatio conſtituta ad eandem imaginem vel ſimilitudinem patiatur diuerſitatem Diuinitatis. In his verbis Hila.pluralitatem perſonarum voluit intelligi nomine conſortij:atque ſignificauit nomine conſortii vel pluralitatis non poni aliquid,ſed remoueri. Pluralitas enim C vel conſortium perſonarum quum dicitur,ſolitudo vel ſingularitas negatur: quum dicimus plures eſſe perſonas,ſignificamus quod non eſt vna ſola. Ideo Hilarius volens iſta ſubtiliter & ſanè intelligi,ait,Profeſſio conſortii ſubſtulit intelligentiam ſingularitatis. non dicit, poſuit aliquid: ita etiam quum dicimus tres perſonas, ſingularitatem & ſolitudinem tollimus:& quod Pater non eſt ſolus,nec Filius eſt ſolus, nec Spiritus ſanctus eſt ſolus,ſignificamus:& quod nec Pater tantùm eſt & Filius, nec Pater tantùm & Spiritus ſanctus, nec Filius tantùm & Spiritus ſanctus. De hoc autem in ſequenti plenius agetur,vbi etiam ſecundum quid ſimiles dicantur tres perſonæ,vt vtrum aliquo modo ſit, ſibi diuerſitas vel differentia oſtendetur.

Quid ex verbis Hilarij intelligi debeat.

Diſtin.videlicet 19. huius primi & 24. 31.ac 34.

CAP. VI.

Ad idem quod cœperat redit,vt alias authoritates ſupponat.

NVNC verò ad propoſitum redeamus, & ad oſtendendum perſonarum pluralitatem, atque eſſentiæ Diuinæ vnitatem alias ſanctorum authoritates inducamus. Moyſes dicit. In principio Deus creauit cælum & terram: per [a] Deum ſignificans Patrem: per principium, Filium. Et[b] pro eo quod apud nos Deus dicitur, Hebraica veritas habet Heloim: quod eſt plurale huius ſingularis,quod eſt Hel. Quod ergo non eſt dictum Hel,quod eſt Deus:ſed Heloim, quod interpretari poteſt Dij ſiue Iudices: ad pluralitatem perſonarum refertur. Ad quam etiam illud attinere videtur, quod diabolus per ſerpentem dixit. Eritis ſicut[c] dii. Pro quo in Hebraico habetur Heloim:ac ſi diceret: Eritis ſicut diuinæ perſonæ. Ille etiam maximus prophetarum & regum Dauid, qui ſuam cæteris præfert intelligentiam dicens,Super ſenes intellexi:vnitatem diuinæ naturæ oſtendens ait, Dominus [d] nomen eſt illi: non dicit Domini: Alibi etiam eiuſdem vnitatem & æternitatem ſimul oſtendens ait ex perſona Dei, Iſrael, [e] ſi me audieris,non erit in te Deus recens,neque adorabis Deũ alienum. Aliud horum:vt dicit Amb.in lib.1. * de Trinita. ſignificat æternitatem: aliud vnitatem ſubſtantiæ indifferentis vt neque poſteriorem Patre,neque alterius diuinitatis Filium, vel Spiritum ſanctum eſſe credamus:nam ſi Patre poſterior eſt Filius,vel Spiritus ſanctus recens eſt: & ſi vnius non eſt diuinitatis, alienus eſt:ſed nec poſterior eſt,quia recens non eſt: nec alienus, B quia ex Patre natus eſt Filius, ex Patre procedit Spiritus ſanctus. Alibi[f] quoque diſtinctionem perſonarum inſinuans ait,Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Alibi etiam[g] ait,Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus,& metuant eum omnes fines terræ. Trina enim confeſſio Dei Trinitatem exprimit perſonarum: vnitatem verò eſſentiæ aperit, quum ſingulariter ſubiungit, eum,Eſaias[h] quoque dicit ſe audiſſe Seraphin clamantia, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dòminus Deus. Per hoc quod dicit ter, Sanctus, Trinitatem ſignificat: per hoc quod ſubdit, Dominus Deus vnitatem eſſentiæ. Dauid quoque æternam Filii generationem apertè inſinuat ex perſona Filii,dicens: Dominus dixit ad me:Filius[i] meus es tu:ego hodie genui te. De hac generatione ineffabili Eſaias ait: [k] Generationem eius quis enarrabit? In lib.quoque Sap.æternitas Filii cum Patre monſtratur,vbi Sapientia ita loquitur,Dominus[l]poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam, quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata ſum, antequam terra C fieret:necdum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: necdum fontes,necdum montes,aut colles,& ego parturiebar:adhuc terram non fecerat,& cardines orbis terræ:quando præparabat cælos, aderam: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies ludens coram eo. Ecce apertum de æterna genitura teſtimonium: quo ipſa Sapientia perhibet ſe ante mundum conceptam eſſe & parturiri,id eſt,genitam,& apud Patrem æternaliter exiſtere. Ipſa etiam alibi ait: Ego ex[m]ore altiſſimi prodii,primogenita ante omnem creaturam. Micheas[n] quoque Propheta æternam verbi generationem. & temporalem ex Maria ſimul inſinuauit, dicens: Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda. ex te egredietur,qui ſit dominator in Iſrael: & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.

A Gene.1. a Pluralitatis perſonarum probatio. 1 b

Gene.3 b. 3 c Gene.3.b.

Singulariſſimeq; vnius eſſentiæ trium perſonarũ probatio. 1 d Pſal. 111. Pſal.6.7. Pſal.80. 2 e vel de Fide ad Gratianum ca 5.d

1 f Pluralitatis perſonarum, & vnius in illis eſſentiæ probatio. Pſal.30. Pſal.66. 2 g 3 h Eſaiæ 6.

Pſa.2. De Filij Deitate ſpecialia teſtimonia. Eſa. 53. Prouer. 8. 1 i 2 K 3 l

4 m Eccle. 24. Miche. 5. 5 n

CAP. VII.

Specialia teſtimonia de Spiritu ſancto.

DE Spiritu ſancto etiam expreſſa documenta, in Ve-

A *in Veteri Teſtamento habemus. In Gen. enim legitur:*
1a Gen.1.a [a]*Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Et Dauid*
2b Pſal.138. *dicit:*[b] *Quò ibo à Spiritu tuo? In lib. Sap. dicitur: Spiritus*[c]
3c Sap.1.b *ſanctus diſciplinæ effugiet fictum: benignus eſt*
4.d *enim Spiritus ſapientiæ. Eſaias quoque ait:* [d] *Spiritus*
Domini ſuper me.

Teſtimonia noui Teſtamẽti ex quibus vnitas diuinæ eſſentię in tribus perſonis probatur.

CAP. VIII.

De teſtimoniis Noui Teſtamenti.

NVNC verò poſt teſtimonia Veteris teſtamenti
Abac.3. *de fide ſanctæ Trinitatis & vnitatis, ad noui teſtamenti*
Eſe.6.c. *authoritates accedamus: vt in medio duum animalium,*
Mat. vlt. *id eſt, teſtamentorum cognoſcatur veritas:*
& forcipe de altari ſumatur calculus, quo tangantur
ora fidelium. Dominus itaque Chriſtus vnitatem Diuinæ
eſſentiæ ac perſonarum Trinitatem apertè inſinuat,
1a *dicens Apoſtolis: Ite,*[a] *baptizate omnes gentes*
in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. In nomine
vtique ait, vti Ambr. ait in lib. 1. *De Trinit. non*
B *in nominibus, vt vnitas eſſentiæ oſtendatur. Per nomina*
Cap.1. 2.b *tria quæ ſuppoſuit, tres eſſe perſonas declarauit. Ipſe*
Ioan.10.f. *etiam ait: Ego &* [b] *Pater vnum ſumus, vnum dixit,*
Ca eodẽ. *vt ait Ambroſius in eodem, ne fiat diſcretio poteſtatis*
naturæ: & addidit, ſumus, vt Patrem Filiúmque
cognoſcas: ſcilicet vt perfectus Pater Filium perfectum
genuiſſe credatur: & quòd Pater & Filius vnum
ſint, non confuſione perſonæ, ſed vnitate naturæ.
1.Ioan.5.b *Ioannes quoque in epiſtola canonica ait. Tres ſunt* [c]
3.c *qui teſtimonium perhibent in cælo, Pater, verbum, &*
Ioan. 1.a *Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt. Ipſe etiam in*
4.d *initio euangelij ſui ait: In* [d] *principio erat verbum, &*
verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, vbi
apertè oſtendit Filium ſemper & æternitaliter fuiſſe
Gal.4.a *apud Patrem, vt alium apud alium, Apoſtolus quoque*
Rom.8. b 5.e *apertè Trinitatem diſtinguit dicens. Miſit*[e] *Deus*
6 f *Spiritum Filij ſui in corda noſtra: & alibi, Si Spiritus*
eius qui ſuſcitauit[f] *Ieſum, habitat in nobis, &c. Item*
alibi Trinitatem atque Vnitatem euidentiſſimè commendat,
7.g Rom. 1.2. *dicens: Quoniam*[g] *ex ipſo, & per ipſum, & in*
Lib.1.c.6. *ipſo ſunt omnia ipſi gloria. Ex ipſo ait, vt Aug. in lib.*
C *ij. de Trini. ait, propter Patrem: per ipſum dicit, propter*
Filium: in ipſo, propter Spiritum ſanctum. Per
hoc verò quòd non ait, ex ipſis, per ipſos, & in ipſis: nec
ait, ipſis gloria, ſed ipſi: inſinuauit hanc Trinitatem
vnum Deum eſſe. Sed quia ſingulæ penè ſyllabæ Noui
teſtamenti hanc ineffabilis Vnitatis atque Trinitatis
veritatem concorditer inſinuant, inductioni teſtimoniorum
ſuper hac re ſuperſedeamus, & rationibus
congruiſque ſimilitudinibus ita eſſe, prout infirmitas
noſtra valet, oſtendamus.

DISTINCTIONIS II.

CAP. I.

Collatio.

1 *QVOD Trinitas.* hîc ex Auguſtino carptim delibat, quæ ad breuem huius argumenti προθεολομὸν, & commendationem faciunt. Verùm hæc oratio explicanda omnino videtur, *Trinitas eſt vnus & ſolus Deus*, id eſt, tres perſonæ ſunt vna, & eadẽ diuina eſſentia. Neque enim ipſa triũ cogitatio, ac ratio poteſt eſſe Vnitas, & ſolitariũ aliquid: ſed ipſa Deitatis ratio in tribus eſt vna. Ergo *Trinitas* ἀφαιρετικὸν ῥῆμα pro complexo, nempe pro perſonis tribus poſitum eſt: Deus autem pro ἀφαιρετικῶς, nẽpe pro diuina ipſa eſſentia, mira quidem in eadem propoſitione ac ſententię permutatione, ac ratione dicendi, ſed & vſitata, & pro re tam arcana etiam humili, vt & abſtracta pro concretis: & concreta pro abſtractis ponantur. Humanum enim in hoc myſterio explicando laborat eloquium, vt ait idem Auguſt. Ergo rectè Boeth. *Trinitas eſt numeroſitas, Subſtantia non Trinitas continet vnitatem, Relatio multiplicat Trinitatem.* Secundo loco eſt notandum quòd *Subſtantiæ, & Eſſentiæ* vocabulis, pro eodem vtantur Auguſtinus, & Boethius, & pro eo ipſo quod Græci οὐσίαν tantùm: non autem φύσιν dicũt: Quanquam ſubſtantia ab eſſentia differre videtur, quòd in ſubſtantia eſſentia continetur, & præter eſſentiam ipſam, quæcunque naturaliter inhærent eſſentiæ. Tertiùm pro eo, quod dixerat Auguſt. *niſi mens per fidei iuſtitiam nutrita vegetetur.* hic ſubſtituit *emundetur* magis Platonicè loquens, & ſola initia, non etiam incrementa iſtius cognitionis noſtræ fidei Deo tribuens, quæ tamen vtraque Auguſt. accepta fert Deo. B

CAP. IIII.

1 *SI in illa natura.* Eſt locus pulcherrimus, quem totum exſcribere libuit, vt poſſet cum iſto commodiùs conferri. *Quod nobis maximè in ipſo ſanctarum ſcripturarum initio demõſtratur, vbi Deus dicit,* Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. NB *Quum enim in ſingulari numero dicit,* Imaginem, *oſtendit vnam naturam eſſe, ad cuius imaginem homo fieret. Quum verò dicit pluraliter* Noſtram, *oſtendit eundem Deum ad cuius imaginem homo fiebat, non vnam eſſe perſonam, Si enim in illa natura vna Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vna eſſet perſona, non diceretur* ad imaginem noſtram: *nec dixiſſet,* faciamus, ſed faciam. Illud obiter annotare quoque libet illum De fide ad Petrum Diaconum libellum, non eſſe Auguſtini ſed Fulgentij Rupenſis Epiſcopi, qui, quemadmodum Iſidorus ſcribit, vixit ſub Anaſtaſio Imperatore Conſtantinopolitano, id eſt, totis ferè centum annis poſt Auguſtini exceſſum, vt ex eo ſatis intelligi poſſit pleráque aliena, & notha inſerta, atque etiam ſæpe impuriſſima ac peſſima quædam infarta eſſe doctis, & puris Auguſtini opuſculis, vt cum iudicio legantur. C

CAP. V.

1 *APERTE oſtendit* falſa eſt in hac Epigraphe horum verborum, *Solitudo, & Singularitas*, diſtinctio. Nam ſic diſcrimen conſtituitur inter ſingulare & ſolitarium in Trinitate: quum tamen poſtea in ipſo textu, & infra diſtinct. 23. cap.9. I. hoc ipſo libro, *Singularitas, vel Solitudo*, pro eodem ponatur. Quemadmodum re ipſa idem & vnum ſunt in hoc argumento, *Singulare, & Solitarium*: contráque. Ergo qui in Trinitate ſingularitatem conſtituunt, quales Sabelliani, ſiue Noetiani: iidem etiam in eadem Solitudinẽ, ſiue Solitarium inducunt, id eſt, volunt non eſſe perſonarum diuinarum pluralitatem. Etſi verò in lib. de Eccleſiaſti. Dogmatib. cap. 4. diſtingui-

A tur *Singularitas à Solitudine in Trinitate*, quoniam Sabellij error & Origenis (quorum hic ſingularitatem: ille verò confuſionem conſtituiſſe, id eſt, vnicam diuinam perſonam duntaxat finxiſſe dicitur) diuerſus fuiſſe traditur ab errore Praxeę, & Syluani, qui ſolitarium quiddam, & accumulatum in Trinitate fingunt, iſta tamen diſtinctio verborum tantùm eſt, non autem rerum ipſarũ, aut diuerſa ſententium hominum opinio. fuit enim Praxeana hæreſis, ſeu Pentapolitana Sabellianæ riuulus, ac renouatio tantùm: non autem ab ea alia, vel ſenſu diuerſa. Nam quòd Singularitatis in Trinitate error, & opinio tribuitur Origeni ab iſto Eccleſiaſticorum Dogmatum autore, fide hiſtoriæ prorſus caret, quum qui errores Origenis deſcripſerunt, nihil quicquam tale de eo tradant: neque eum in diuinarum perſonarum tollenda diſtinctione hæreticum fuiſſe narrent, quæ eſt propria huic loco iſtius vocabuli *Singularitas* ſignificatio, ſed Origenem notat velut Arianiſmi parentem, qui diuerſus eſt ab iſto error. Multò verò minùs etiam ex vtroque Hilarij loco à Lombardo citato iſta diuerſa ſignificatio B inter voces has *Singulare, & ſolitarium* (quoties ad tollendam, ac abrogandam perſonarum diuinarum diſtinctionem refertur) probari, vel confirmari poteſt. Immò ipſe Hilarius lib. 7. De Trinitate, hæc vocabula pro eodem vſurpat: etſi hoc ipſum non eſt à Lombardo obſeruatum poſtea Diſt. 23. Porrò & ipſius ἐπιγραφῆς, & libelli de Eccleſiaſt. Dogmatib. Error ex verbis Tertulliani natus eſt, Singularitatem, & Solitudinem, vt iſte vocat, id eſt, Solitarium, & Singulare, tanquã duo quædam abſurda, eáque diſtincta aduerſus Praxeæ ſententiam profert, ſed ſuo more, Tertullianus vnum & idem Rhetorica varietate diuerſis nominibus, & appellationibus amplificans nominauit: cum tamen reipſa ſit vnicum tantùm delirium Praxeæ, ἄτοπον enim ex Praxeana hæreſi conſequens eſt idem, atque Sabelliani erroris. Cæterùm in vnaquaque perſona diuina quiddam eſſe non ratione quidem eſſentiæ: ſed modo ὑπάρξεως, & aliorum operũ, ſingulare, ne ipſe quidem Lombardus diffiteri poteſt, vt apparet ex di- C ſtinct. 9. & 27. Inf. hoc ipſo libro. Nam ſingulare eſt Patri, quòd generet: Filio quòd genitus ſit: Spiritui ſancto quòd ex vtróque emanet. Quum autem de tribus erroribus, nempe Singularitate, Solitudine, & Diuerſitate epigraphe promiſſionem contineat: de duobus tamen duntaxat præſtationem habet nempe Solitudine & Diuerſitate. Neque poteſt quiſquam iſta Lombardi legens, vel animo concipere, qua in re Singularitas iſta à Solitudine in hac diſputatione differat.

2 *SED Similitudo, & Pluralitas* Locus hic, vt à Lombardo citatur obſcurus eſt & intricatus: quòd fieri minimè fuit neceſſe. Eſt enim Nocti noctem & tenebras addere: quoniam ipſa Hilarij oratio per ſe iam obſcura eſt. Itaque totum locum tranſcribo, vt & facilior ſit huius totius loci ſenſus: & *Similitudinis* vocem hic non eo modo accipi omnes intelligant, quo ab hereticis Homouſianis, & Anomoianis (quales Marcelliani, & Acatiani fuerunt) poſtea ſumpta eſt. Sed neque etiam tantùm pro qualitatum vel naturalium, vel poſtea accedentium paritate: ſed pro ipſa adeò οὐσίας ταυτότητα, quemadmodum poſt Hilarij ſeculũ apertiſſimè locuti ſunt Patres. Sic igitur Hilarius lib. 3. *Omnia enim alius accepit à Patre, & eſt Dei forma, & imago ſubſtantiæ eius. Eum enim qui eſt, ab eo qui eſt imago ſubſtantiæ, tantùm ad ſubſiſtendi ſidem, non etiam ad aliquam naturæ diſſimilitudinem intelligendam diſcernit. Patrem autem in Filio: & filium in Patre eſſe plenitudo Diuinitatis perfecta eſt. Non enim diminutio Patris eſt Filius: nec Filius imperfectus (id eſt, minùs quiddam quàm Pater) à Patre eſt. Imago ſola non eſt, & ſimilitudo non ſibi eſt. Deo autem ſimile eſſe, niſi quod ex ſe erit, non poteſt. Neque enim aliunde eſt, quod in omnibus ſimile eſt: neque diuerſitatem duobus admiſceri, alterius ad alterum ſimilitudo patitur, Néve quæ ſunt ſimilia, diſſimilia facias & diuerſa, ſimilia permutes, neque ſibi ex veritate indiſcreta diſungas. Quia, qui dixit:* Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, inuicem eſſe ſui ſimiles (in eo quòd ſimilitudinem noſtram dicit) oſtendit. 3. *Diuerſus eſt confitendus.* Apud Hilarium lib. 4. hæc verba adduntur, *cognita per id quod noſtram imaginem dicit, non etiam imagines noſtras, vnius in vtraque proprietate naturæ.* Vt tam eadem eſſentiæ ratio in tribus oſtendatur ex eodem toto: quàm perſonarum diſtinctio.

CAP. VI.

1 *IN libro quoque Sapientiæ.* Sapientiæ liber diſtinguitur ab omnibus Patribus, & ab hoc ipſo à libro Prouerbiorum Solomonis: tũ quòd Prouerbiorum liber certum autorem habet: tum etiam quòd proculdubiò inter Canonicos ἐνδιαθήκους S. Scripturæ libros cenſendus eſt. At Sapientiæ liber, neque certum autorem habet, vtcunque in ἐπιγραφῇ & titulo Solomonis nomen præferat, neque eſt Canonicus, neque etiam Hebraicè ſcriptus, vt mirum ſit quum tam latè hi Libri, & autoritate & nomine differant Prouerbiorum librum ab hoc cum libro Sapientiæ confundi. Nam quæ citantur hoc loco, ex Prouerb. cap. 8. deſumpta ſunt, & fortaſſis eſt iſtud hominis μνημονικὸν ἁμάρτημα.

CAP. VIII. C

1 *AMBROSIVS autem lib. 1. de Trin.* Locus eſt ſumptus ex lib. 1. de Fide ad Gratianum. cap. 1. non autem ex cap. quinto, quanquam & ſuperior Ambroſij locus, qui citatur hac ipſa Diſtinct. ſuprà cap. 6. ex quinto cap. tranſcriptus erat: & eſt annotatum hic in margine ab aliquo ſciolo, (qui ne Ambroſium quidem inſpexerat) *Capite eodem.* Cap. quinto: ſed falſò & imperitè. Ergo ſic habet cap. 1. libro 1. Ambroſius: *Si ergo vnus Deus, vnum nomen, vna poteſtas, vna eſt Trinitas. Denique ipſe dicit:* Ite, baptizate gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: *In nomine vtique, non in nominibus.* Hactenus Ambroſius. Ex quo apparet verba hæc. *per nomina tria, quæ ſupponit, & tres eſſe perſonas declarauit*, eſſe Lombardi & præter mentem Ambroſij interiecta, quum vnitatem totius eſſentiæ diuinæ ex vocabulo *Nomine*, illic ſingulari numero vſurpato colligant Patres. Reliqua verò quæ ſequuntur ſunt Ambroſij, nempe, *Ipſe etiam*, &c. quæ ſic apud Ambroſium extant, *Ipſe etiam dicit*, Ego & Pater vnum

A num ſumus. *Vnum dixit, ne fiat diſcretio poteſtatis: Sumus addidit,* vt *Patrem, Filiúmque cognoſcas,* &c. Addidit Lombardus vocem, *Naturæ.* Sic enim ipſe verba Ambroſij refert, *Ne fiat diſcretio poteſtatis naturæ.* Quæ vox quid ſibi velit obſcurum eſt: & mentem Ambroſij deprauat, Neque enim poteſtatem naturæ tantùm eſſe eandem in Patre & Filio vult Ambroſius (id quod etiam Semiariani fatebantur) ſed ipſam etiam οὐσίαν & naturam: Et vox, *Vnum,* qua Chriſtus vſus eſt, refertur ad vnitatem Naturæ, vt ipſemet Ambroſius loquitur, non tantùm Poteſtatis. Quid igitur ἄκαιρον, & intempeſtiuum vocabulum tam periculoſum addere fuit neceſſe?

2 *Vt Auguſtinus ait lib. de Trinitate.* Hallucinatur Lombardus, qui ἀποφαντικῶς ab Auguſtino dici putet, quæ ex lib. 1. de Trinit. cap. 6. hic refert & tranſcribit: quum manifeſtiſſimè ἀμφισϐητοῦντος, & in rem ipſam inquirentis tantùm, non affirmantis ſint verba. Sic enim Auguſtinus ait: *Quæro itaque de quo dicat alio loco,* Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen. *Si enim de Patre,* B *& Filio, & Spiritu ſancto, vt ſingulis perſonis ſingula tribuantur ex ipſo, id eſt, ex Patre: per ipſum, id eſt, per Filium, in ipſo, id eſt, in Spiritu ſancto: manifeſtum eſt, quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus vnus Deus eſt, (vbi vel ipſo Auguſtino autore & cenſore lib. 1. Retract. cap. 4. reponendum eſt, Deus ſunt) quando ſingulariter intulit ipſi gloria.* Deinde paulò poſt idem Auguſt. *Si autem hoc de Patre tantummodò intelligi volunt, &c.* Quod verò Aug. vti & Baſilius lib. de Spiritu ſancto, & veteres Patres tres illas ὑποστάσεις ad trium diuinarum perſonarum diſtinctionem alibi referunt, id ex aliis ipſius Auguſtini libris, veluti commentariis in Pſalm. 5. ſumendum fuit: non ex illo dubio, & in controuerſiam reuocato libri de Trinitate loco. Nam in Pſ. 5. initio apertè: *Quia & quum dixiſſet Apoſtolus.* Ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, *Trinitatem ipſam inſinuaſſe creditur,* &c. Nec ſemel tantùm locum iſtum de Trinitate, tanquam aſſeuerantis Auguſtini ſententiam citat Lombardus, ſed & poſtea quoque veluti infrà hoc ipſo libro Diſt. 36. cap. 5. E. Locus eſt ex Epiſtola Pauli ad C Rom. cap. 11. verſ. 36.

Cenſura in diſtinctionem ſecundam.

Pauca hic annotabimus, quò d alibi recurrent, quæ hoc loco caſtiganda ſunt. Quæ verò dicemus omnia ad caput 6. huius diſtinctionis præſertim pertinent. Primùm igitur ἀθεόλογον eſt, quod ipſum totius Chriſtianæ religionis caput, & fundamentum præcipuum (quod eſt de vna & eadem in tribus perſonis, Patre, Filio, & Spiritu ſancto eſſentia diuina) probaturus, improbati, & dubij inter Chriſtianos ipſos autoris nimirum Eccleſiaſtici teſtimonium affert, adeo vt ex eo ipſo mutatura & vacillatura in ipſo ingreſſu ſit noſtra fides, ſi tam incerto fulcimento nitatur. Eſt enim ex Apocryphis libris nõ ἐνδιαθήκους Eccleſiaſticus: in primis autem Cap. 24. vnde hic locus à P. Lombardo citatur, eſt & mancum, & lacerum, non modò in Latinis, ſed etiam in Gręcis exemplaribus, quia multa deſunt. Etſi verò ſumptus videri poteſt ex Prouerb. 8. tamen ex iſto Eccleſiaſtici loco tantùm Dei arcanum illuſtrare velle eſt, non ex fulgore lucem: ſed, quod ait ille, ineptè fieri, ex fulgore fumum dare. A Deinde iſta interpretatio capite 1. verſ. 1. Gen. *Creauit Deus in principio, id eſt, in Filio, cœlum & terram,* eſt non tantùm aliena (quanquam eam veteres quidem Patres alicubi ſequuti ſunt, veluti Ambroſius, & Auguſtinus) ſed etiam dubia. Meliùs enim omnino Baſilius ait, vt neque ἀτελεύτητος, neque ἄναρχος intelligeretur eſſe hic mundus, disertè dictum eſſe, *in principio creatum eſſe cœlum & terram:* non tantùm quemadmodum tamen exiſtimat Philo, vt vox *Principij* ſignificet ἀρχὴν κατ' ἀριθμὸν, id eſt, primam creationis diem. Ergo ex dubia iſta interpretatione & patrocinio præſtantiſſimam, & obſcuram tamen humanis mentibus doctrinam confirmare, eſt eam incertiorem, quàm dudum, reddere.

Tertium, quòd ex voce אלהי (quæ plurali numero ab Hebræis prolata, tamen cum verbo ſingulari כרא coniungitur. Gen. 1. verſiculo 1.) Quod item ex trina benedictione, quæ in Pſal. 67. verſ. 1. & 6. & 7. diuerſis locis repetitur, colligit Lombardus ad eiuſdem articuli tam vexati fidem faciendam, eſt ieiunum & exile, ne dicam B ἀπροσδιόνυσον, quum Hebræi, ex linguæ ſuæ vſu, in honorabilioribus perſonis deſignandis, alibi quoque pluralem numerum pro ſingulari vſurpare ſoleant, non quidem alicuius diuini myſterij ſignificandi gratiâ, ſed dignitatis tantùm illorum amplificandæ cauſa: & trina illa benedictio ſit duntaxat vehementis precationis indicium, & vbertas in eo Pſalmo: non vllius myſterij arcana ſignificatio, ac ſacramentum. Confer cum cap. 1. & 2. noſtræ ſynopſeωs infrá.

DISTINCTIO II.

De cognitione Dei per creaturas, in quibus trium Perſonarum veſtigium apparet.

C

CAP. I.

A Poſtolus nanque ait, quòd inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius, & diuinitas. Per 1 creaturam mundi intelligitur homo, propter excellentiam, quâ excellit inter alias creaturas: vel propter conuenientiam, quam habet cum omni creatura. Homo ergo inuiſibilia Dei intellectu mentis conſpicere potuit, vel etiam conſpexit, per ea quæ facta ſunt, id eſt, per creaturas ^{a} 2 viſibiles vel inuiſibiles. A ^{b} duobus enim iuuabatur, ſcilicet à natura, quæ rationalis erat: & ab operibus à Deo factis, vt manifeſtaretur homini veritas. Ideóque Apoſtolus dixit, 3 Quia Deus reuelauit illis, ſcilicet dum fecit opera: in quibus artificis aliquatenus relucet indicium.*

Rom. 1. Et vnum Deum, & Trinitatis arcanum ab homine ex rebus creatis aliquatenus intelligi poſſe.

a Duo eſſe creaturarũ genera ex quib' Deus intelligi poſſit.

b Duobus modis & viis Deũ intelligi ab homine poſſe.

Rom. 1. c

Primi modi explicatio.

Tomo 4. In cõmentario primi capitis epiſtolæ ad Rom. circa illud: Quod notũ eſt Dei.

CAP. II.

Prima ratio vel modus quo potuit cognoſci Deus.

NAM ſicut ait Ambroſius, Vt Deus, qui naturâ inuiſibilis eſt, etiam à viſibilibus poſſet ſciri, opus fecit, A quod opificem viſibilitate ſui manifeſtauit: vt per certum incertum poſſet ſciri, & ille Deus omnium eſſe crederetur, qui hoc fecit, quod ab homine impoſſibile eſt fieri. Potuerunt ergo cognoſcere, ſiue cognouerunt, vltra omnem creaturam eſſe illum qui ea fecit, quæ nulla creaturarum facere vel deſtruere valet. Accedat quacunqueuis creatura, & faciat tale cœlum & terram: & dicam quia Deus eſt. Sed quia nulla creatura talia facere valet, conſtat ſuper omnem creaturam eſſe illum qui ea fecit, ac per hoc illum eſſe Deum humana mens cognoſcere potuit.

CAP. III.

Secunda ratio.

Secundi modi explicatio, triplex. lib.8.ca.6. a Prima ab adiunctorũ ſeu attributorum Deo, & creaturis comparatione. Idem in eodem.

ALIO etiam modo Dei veritatem ductu rationis cognoſcere potuerunt, vel etiam cognouerunt: vt enim Auguſtinus ait in lib. de Ciuit. Dei, Viderunt [a] ſummi philoſophi nullum corpus eſſe Deum, & ideo cuncta corpora tranſcenderunt quærentes Deum. Viderunt 1 etiam quicquid mutabile eſt, non eſſe ſummum Deum, 2 omniúmque principium: & ideo omnem animam mutabiléſque Spiritus tranſcenderunt. 3 Deinde viderunt omne, quod mutabile eſt, non poſſe eſſe niſi ab illo, qui incommutabiliter & ſimpliciter eſt. B Intellexerunt ergo eũ & omnia iſta feciſſe, & à nullo fieri potuiſſe.

CAP. IIII.

Tertia ratio.

Secũda à diuerſorũ ſubſtãtiæ generum inter ſe collatione.

Conſiderauerunt etiam quicquid eſt in ſubſtantiis vel corpus eſſe, vel Spiritum: meliúſque aliquid Spiritum eſſe quàm corpus: ſed longè meliorem, qui Spiritum fecit & corpus.

CAP. V.

Quarta ratio.

Tertia à ratiocinatione ea quæ ab effectis ad cauſſas progreditur & conſcendit. Ex Aug. lib. de Ciui. 8. ca. 6.

Intellexerunt etiam corporis 1 ſpeciem eſſe ſenſibilem, & Spiritus ſpeciem intelligibilem: & intelligibilem ſpeciem ſenſibili prætulerunt. Senſibilia dicimus, quæ viſu tactúque corporis ſentiri queunt. Intelligibilia, quæ conſpectu mentis poſſunt intelligi. Quum ergo in eorum conſpectu & corpus & animus magis minúſque ſpecioſa eſſent (ſi autem omni ſpecie carere poſſent, omnino nulla eſſent) viderunt eſſe aliquid quo ſpecioſa facta C ſunt, vbi eſt prima & incommutabilis ſpecies, ideóque incomparabilis: & illud eſſe rerum principium rectiſſimè crediderunt, quod factum non eſſet, & ex quo cuncta facta eſſent. Ecce tot modis potuit cognoſci veritas Dei. Quum ergo Deus vna ſit & ſimplex eſſentia, quæ ex nulla diuerſitate partium vel accidentium conſiſtit, pluraliter [a] tamen dicit Apoſtolus, Inuiſibilia Dei, quia [b] pluribus modis cognoſcitur veritas Dei per ea quæ facta ſunt. Ex perpetuitate nanque creaturarum intelligitur conditor æternus: ex magnitudine creaturarum, omnipotens: ex ordine & diſpoſitione, ſapiens: ex gubernatione, bonus. Hæc autem omnia ad vnitatem Deitatis pertinent monſtrandam.

a Quęſtio. Rom. 1. b Solutio & loci Pauli breuis explicatio, ex qua vnitatẽ diuinę eſſentię ex rebus creatis intelligi putat.

CAP. VI.

Quomodo in creaturis appareat veſtigium Trinitatis.

Cap. 10.

NVNC reſtat oſtendere, vtrum per ea quæ facta ſunt, aliquod Trinitatis indicium vel exiguum haberi potuerit. De hoc Auguſt. lib. 6. de Trin. ait, Oportet vt creatorem per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpicientes, Trinitatem intelligamus. Huius enim Trinitatis veſtigium in creaturis apparet. Hæc enim quæ arte diuina facta ſunt, & vnitatem quandam in ſe oſtendunt, & ſpeciem, & ordinem. Nam quodque horum creatorum, & vnum aliquid eſt, ſicut ſunt naturæ corporum & ingenia animarum: & aliqua ſpecie formatur, ſicut ſunt figuræ vel qualitates corporum, ac doctrinæ vel artes animarum: & ordinem aliquem petit aut tenet, ſicut ſunt pondera vel collationes corporum, & amores vel delectationes animarum: & ita in creaturis prælucet veſtigium Trinitatis. In illa enim Trinitate ſumma origo eſt omnium rerum, & perfectiſſima pulchritudo, & beatiſſima delectatio, Summa autem origo, vt Auguſt. oſtendit in lib. De vera religione, intelligitur Deus Pater, à quo ſunt omnia: à quo Filius & Spiritus ſanctus. Perfectiſſima pulchritudo intelligitur Filius, ſcilicet veritas Patris, nulla ex parte ei diſſimilis: quem cum ipſo & in ipſo Patre veneramur: quæ forma eſt omnium quæ ab initio facta ſunt, & ad vnum referuntur: quæ tamen omnia nec fierent à Patre per Filium, neque ſuis finibus ſalua eſſent, niſi Deus ſummè bonus eſſet: qui & nulli naturæ, quæ ab illo bona eſſet, inuidit: & vt in bono ipſo maneret, alia quantùm B vellet: alia quantùm poſſet, dedit: quæ bonitas intelligitur Spiritus ſanctus, qui eſt donum Patris & Filij. Quare ipſum donum Dei cum Patre & Filio æquè incommutabili colere & tenere nos conuenit. Per conſiderationem itaque creaturarum vnius ſubſtantiæ Trinitatem intelligimus, ſcilicet vnum Deum Patrem, à quo ſumus: & Filium, per quem ſumus: & Spiritum ſanctum, in quo ſumus: ſcilicet principium ad quod recurrimus, & formam quam ſequimur, & gratiam qua reconciliamur: vnum ſcilicet, quo autore conditi ſumus: & ſimilitudinem eius, per quam ad vnitatem reformamur: & pacem, qua vnitati adhæremus: ſcilicet Deum qui dixit, Fiat lux: & verbum, per quod factum eſt omne quod ſubſtantialiter & naturaliter eſt, & donum benignitatis eius: qua placuit quod ab eo per verbum factum eſt, & reconciliatum eſt autori, vt non interiret. Ecce oſtenſum eſt qualiter in creaturis aliquatenus imago Trinitatis indicatur. C Non enim per creaturarum contemplationem ſufficiens notitia Trinitatis poteſt haberi, vel potuit ſine doctrina vel interioris inſpirationis reuelatione. Vnde illi antiqui philoſophi quaſi per vmbram & de longinquo viderunt veritatem deficientes in contuitu Trinitatis, vt Magi Pharaonis in tertio ſigno. Adiuuamur tamen in fide inuiſibilium, per ea quæ facta ſunt.

Ipſum etiam Trinitatis myſteriũ ex rebus iiſdẽ creatis intelligi quoq; quodãmodo poſſe. Ac primũ quidẽ obſcurius ex cuiuſuis creaturæ accurata contẽplatione.

In tom. 1. c. 7. ſed plenius. c. 43. & 55. circa fin.

Roma. 11. verſ. 36.

Gen. 1. a

Exod. 8. c

CAP. VII.

Quomodo in anima ſit imago Trinitatis.

Deinde illuſtrius. Idem de vnitate eſſentię, & Trinitatis diſtinctione arcanũ ex hominis anima, illiúſque facultatibus præcipuis cerni poſſe contendit. Cap. 8.

NVNC verò ad eam iam perueniamus diſputationem, vbi in mente humana quæ nouit Deum, vel poteſt noſſe, Trinitatis imaginem reperiamus. Vt enim ait Auguſt. in 14. lib. de Trinitate, Licet humana mens non ſit eius naturæ, cuius Deus eſt, imago tamen illius, quo nihil melius eſt, ibi quærenda & inuenienda eſt, quo natura noſtra nihil habet melius, id eſt, in mente. In ipſa etiam mente antequam ſit particeps Dei, eius imago reperitur: etſi enim amiſſa Dei participatione deformis ſit, imago Dei tamen permanet. Eo enim ipſo

imago

A *imago Dei eſt mens, quo capax eius eſt, eiúſque particeps eſſe poteſt. Iam ergo in ea Trinitatem, quæ Deus eſt, inquiramus. Ecce enim mens meminit ſui, intelligit ſe, diligit ſe, hoc ſi cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, ſed imaginem Dei, His enim quædam apparet Trinitas memoriæ, intelligentiæ, & amoris. Hæc ergo* 1 *tria potiſſimùm tractemus, memoriam, intelligentiam, voluntatem. Hæc ergo tria vt Auguſt. ait in lib. 10. de Trinitate, non ſunt tres vitæ, ſed vna vita: nec tres mentes, ſed vna mens, vna eſſentia. Memoria verò dicitur ad aliquid, & intelligentia & voluntas ſiue dilectio ſimiliter ad aliquid dicitur: vita verò dicitur ad ſeipſam & mens & eſſentia. Hæc ergo tria eo vnum ſunt, quo vna vita, vna mens, vna eſſentia, & quicquid aliud ad ſeipſa ſingula dicuntur etiam ſimul, non pluraliter, ſed ſingulariter dicuntur. Eo verò tria ſunt, quo ad ſe inuicem referuntur.*

Tria oſtē dit eſſe in anima quę & relatiue dicuntur & æqualia ſunt, ſcilicet memoriā, intelligentiam & dilectionē.

Aug. lib. 14. de Trinitate. ca. 7. & 8.

Cap. 11. Subtiliſſima & cōgrua ſimilitudo.

CAP. VIII.

B

Quomodo æqualia ſint, [a] quia capiuntur à ſingulis [b] omnia & tota.

a illa tria inter ſe.
b id eſt, ſingula.

AEQVALIA etiam ſunt non ſolùm ſingula ſingulis, ſed etiam ſingula omnibus: alioquin non ſe inuicem caperent: ſe autem inuicem capiunt. Capiuntur enim & à ſingulis ſingula, & à ſingulis omnia. Memini enim me habere memoriam, & intelligentiam, & voluntatem: & intelligo me intelligere, & velle, atque meminiſſe: & volo me velle, & meminiſſe, & intelligere.

Hic oſtendit quomodo omnia à ſingulis capiuntur. Ex eodē Aug. li. de Tri. c. 11.

CAP. IX.

Quomodo tota illa tria memoria capiat.

C

TOTAMQVE meam memoriam, & intelligentiam, & voluntatem ſimul memini. Quod enim memoria mea non memini, illud non eſt in memoria mea, nihil autem tam in memoria eſt, quàm ipſa memoria: totam ergo memini. Item quicquid intelligo, intelligere me ſcio: & ſcio me velle quicquid volo, quicquid autem ſcio memini. Totam ergo intelligentiam totámque voluntatem meam memini.

Exemplo quod de Animę facultatib' ſimilitudinem Trinitatis repręſentantibus dixit, illuſtrat, Primum.

CAP. X.

Quomodo illa tria tota capiat intelligentia.

SIMILITER quum hæc tria intelligo, tota ſimul intelligo, neque enim quicquam intelligibilium eſt quod non intelligam, niſi quod ignoro. Quod autem ignoro, nec memini, nec volo. Quicquid ergo intelligibilium non intelligo, conſequenter etiam nec memini, nec volo. Quicquid ergo intelligibilium memini & volo, conſequenter intelligo.

Secundū exemplū. Ex eodē Aug. lib. & c. citatis.

CAP. XI.

Quomodo illa tota capiat voluntas.

VOLVNTAS etiam mea totam intelligentiam totámque meam memoriam capit, dum vtor toto eo, quod intelligo & memini. Quum itaque inuicem à ſingulis & omnia & tota capiantur, æqualia ſunt tota ſingula totis ſingulis, & tota ſingula ſimul omnibus totis: & hæc tria vnum, vna vita, vna mens, vna eſſentia. Ecce illius ſummæ vnitatis atque Trinitatis, vbi vna eſt eſſentia & tres Perſonæ, imago eſt humana mens, licet impar. Mens autem hic pro animo ipſo accipitur, vbi eſt illa imago Trinitatis. Propriè verò mens dicitur, vt ait Auguſt. non ipſa anima, ſed quod in ea eſt excellentius, qualiter ſæpe accipitur. Illud etiam ſciendum eſt, quòd memoria non ſolùm eſt abſentium & præteritorum, ſed etiam præſentium, vt ait Auguſt. in 14. lib. de Trinit. alioquin non ſe caperet.

Tertium exemplū.

A

Lib. de Tri. 15. c. 7

CAP. XII.

Quo ſenſu illa tria dicantur eſſe vnum & vna eſſentia, quæritur.

B

HIC attendendum eſt diligenter, ex quo ſenſu accipiendum ſit quod ſuprà dixit, illa tria ſcilicet memoriam, intelligentiam, & voluntatem eſſe vnum, vnā mentem, vnam eſſentiam, quod vtique non videtur eſſe verum iuxta proprietatem ſermonis. Mens enim, id eſt, Spiritus rationalis, eſſentia [a] *eſt ſpiritualis & incorporea. Illa verò tria, naturales proprietates ſeu vires ſunt ipſius mentis, & à ſe inuicem differunt, quia memoria non eſt intelligentia, vel voluntas, nec intelligentia voluntas ſiue amor.*

Quæſtio, ex qua ſuperior cōparatio trinitatis cū animę humanæ facultatibus explicatur.
a 1. Ratio diſſimilitudinis cui poſtea reſpondetur.

CAP. XIII.

Quòd etiam ad ſe inuicem dicuntur relatiuè.

C

ET hæc tria etiam ad [a] *ſeipſa referuntur, vt ait Aug. in 9. lib. de Trin. Mens enim amare ſeipſam vel meminiſſe non poteſt, niſi etiam nouerit ſe. Nam quomodo amat vel meminit quod neſcit. Miro itaque modo tria iſta inſeparabilia ſunt à ſeipſis, & tamē eorum ſingulum, & ſimul omnia vna eſſentia eſt, cùm & relatiuè dicantur adinuicem.*

Ca. 2. & 3.
a 2 Ratio diſſimilitudinis, cui nō reſpōdetur, nempe quod notitia & amor ad ſeſe ipſa dicuntur. Perſona diuina ad ſeipſam nō dicitur Aug. li. de Tri. 9. c. 5.

CAP. XIIII.

Hic aperitur quod ſuprà quærebatur, ſcilicet, quomodo hæc tria dicantur vnum.

SED iam videndum eſt quomodo hæc tria dicantur vna ſubſtantia. Ideo quia ſcilicet in ipſa anima vel mente ſubſtantialiter exiſtunt, non ſicut accidentia in ſubiectis quæ poſſunt adeſſe vel abeſſe. vnde Auguſt. in lib. 9. de Trinita. ait, Admonemur, ſi vtcunque videre poſſumus, hæc in animo exiſtere ſubſtantialiter non tanquam in ſubiecto, vt color in corpore: quia etſi relatiuè dicuntur adinuicem, ſingula tamen ſubſtantialiter ſunt in ſubſtantia ſua. Ecce ex quo ſenſu illa tria dicantur eſſe vnum vel vna ſubſtantia. Quæ tria, vt Auguſt. ait in xv. lib. de Trinita. in mente naturaliter diuinitus inſtituta quiſquis viuaciter perſpicit, & quàm magnum ſit in ea, 1 *vnde poteſt etiam ſempiterna immutabiliſque natura recoli, conſpici, concupiſci. Reminiſcitur enim per memoriam, intuetur per negligentiam, amplectitur per dilectionem: profectò reperit illius ſummæ Trinitatis imaginem.*

Quæſtionis ſolutio vbi docetur quomodo illæ tres facultates animæ vna eſſe ſubſtantia dicantur. Cap. 4.

Cap. 20.

A

CAP. XV.

Quòd in illa ſimilitudine eſt diſſimilitudo.

Ex Aug. li. de Tri. 15.cap. 20. Admonitio. Conceſſio de diſſimilitudine comparationis.

Veruntamen caueat, ne hanc imaginem ab eadem Trinitate factam ita ei comparet, vt omnino exiſtimet ſimilem, ſed potiùs in qualicunque iſta ſimilitudine magnam quoque diſſimilitudinem cernat.

CAP. XVI.

Prima diſſimilitudo.

Ex eodē lib.ca. 22.

QVOD breuiter oſtendi poteſt. Homo vnus per iſta tria meminit, intelligit, diligit: qui nec memoria eſt, nec intelligentia, nec dilectio, ſed hæc habet. Vnus ergo homo eſt, qui habet hæc tria, non ipſe hæc tria. In illius verò ſumma ſimplicitate naturæ, quæ Deus eſt, quamuis vnus ſit Deus, tamen tres Perſonæ ſunt, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus & hæ tres Perſonæ ſunt vnus Deus. Aliud eſt itaque Trinitas res ipſa, aliud imago Trinitatis in re alia, propter quam imaginem etiam illud: in quo ſunt hæc tria, imago dicitur, ſcilicet homo. Sicut imago dicitur & tabula, & pictura quæ eſt in ea: ſed tabula nomine imaginis appellatur propter picturam, quæ eſt in ea.

Quòd propter illa tria homo dicitur imago.

B

CAP. XVII.

Altera diſſimilitudo.

Ex eodē lib.ca. 23.

RVRSVS iſta imago, quæ eſt homo, habens illa tria, vna Perſona eſt. Illa verò Trinitas non vna Perſona eſt, ſed tres Perſonæ, Pater Filij, & Filius Patris, & Spiritus Patris & Filij. Itaque in iſta imagine Trinitatis non hæc tria vnus homo, ſed vnius hominis ſunt. In illa verò ſumma Trinitate, cuius hæc imago eſt, non vnius Dei ſunt illa tria, ſed vnus Deus: & tres ſunt illæ Perſonæ, non vna Perſona. Illa enim tria non homo ſunt, ſed hominis ſunt, vel in homine ſunt. Sed [a] nunquid poſſumus dicere Trinitatem ſic eſſe in Deo, vt aliquid Dei ſit, nec ipſa ſit Deus? Abſit [b] vt hoc credamus. Dicamus ergo in mente noſtra imaginem Trinitatis, ſed exiguam, & qualemcunque eſſe: quæ ſummæ Trinitatis ita gerit ſimilitudinem, vt ex maxima parte ſit diſſimilis. Sciendum verò eſt quòd hæc Trinitas mentis, vt ait Aug. in xiiij. lib. de Trinita. non propterea tantùm imago Dei eſt, quia ſui meminerit mens, & intelligit, ac diligit ſe: ſed quia poteſt etiam meminiſſe, & intelligere, & amare illum à quo facta eſt.

Ibid. c. 7.

a Queſtio

b Solutio

C

Cap.12. Alia ratio cur anima hominis dicatur eſſe imago Trinitatis.

CAP. XVIII.

Alia aſſignatio Trinitatis in anima, ſcilicet mens, notitia, amor.

Cap.4. Alia Trinitatis imago quæſita eſt in anima hominis. Ibidem. Vt habetur lib. de Tri. 15. ca. 6. & 7.

POTEST etiam alio modo, aliiſque nominibus diſtingui Trinitas in anima, quæ eſt imago illius ſummæ & ineffabilis Trinitatis: vt enim ait Auguſt. in ix. lib. de Trinitate, 1 Mens. & notitia eius, & amor, tria quædam ſunt. Mens enim nouit ſe, & amat ſe: nec amare ſe poteſt, niſi etiam nouerit ſe. Duo quædam ſunt mens & notitia eius. Item duo quædam ſunt mens & amor eius. Cùm ergo ſe nouit mens, & amat ſe, manet Trinitas, ſcilicet mens, amor, & notitia. Mens autem hic accipiturnon pro anima, ſed pro eo quod in anima excellentius eſt.

Hæc autem tria cùm ſint diſtincta à ſe inuicem, dicuntur tamen eſſe vnum: quia in anima ſubſtantialiter exiſtunt.

A

Quomodo ea dicãtur eſſe vnum. Idem li. 9. 4. de Tri.

CAP. XIX.

Quod mens, vice Patris: notitia, Filij: amor, Spiritus ſancti accipitur.

Ex Aug. li. de Tri. 9. cap. 12. Explicatio iſtius ſimilitudinis vel imaginis.

ET eſt ipſa mens quaſi parens, & 1 notitia eius quaſi proles eius. Mens enim quum ſe cognoſcit, notitiam ſui gignit. & eſt ſola parens ſuæ notitiæ. Tertius eſt amor, qui de ipſa mente & notitia procedit, dum mens cognoſcit ſe & diligit ſe: non enim poſſet ſe diligere, niſi cognoſceret ſe. Amat etiam placitam prolem, id eſt, notitiam ſuam: & ita amor quidem complexus eſt parentis & prolis.

CAP. XX.

Quòd non eſt minor mente notitia, nec amor vtroque.

Ex eodē Aug. li. & loco citatis. Ex eodē lib. cap. 5.

NEC eſt minor proles parente, dum tantam ſe nouit mens, quanta eſt: nec minor eſt amor parente & prole, id eſt, mente & notitia, dum tantum ſe diligit mens, quantum ſe nouit, & quanta eſt.

B

CAP. XXI.

Quòd hæc tria in ſeipſis ſunt.

SVNT etiam hæc ſingula in ſeipſis: quia & mens amans in amore eſt, & amor in amantis notitia, & notitia in mente noſcente eſt. Ecce in his tribus qualecunque veſtigium Trinitatis apparet.

CAP. XXII.

Quomodo mens per iſta proficit ad intelligendum Deum.

C

Quomodo ex nobis ipſis, id eſt, inferiore Trinitate vel Trinitatis imagine ad ipſam incommutabilem Trinitatem agnoſcendã côſcendamus.

MENS itaque rationalis conſiderans hæc tria, & illam vnam eſſentiam in qua iſta ſunt, extendit ſe ad contemplationem creatoris: & videt Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate. Intelligit enim vnum Deum eſſe, vnam eſſentiam, vnum principium. Intelligit enim, quia ſi duo eſſent, vel vterque inſufficiens eſſet, vel alter ſuperflueret: quia ſi aliquid deeſſet vni quod haberet alter, non eſſet ibi ſumma perfectio. Si verò nihil vni deeſſet quod haberet alter, cùm in vno eſſent omnia, alter ſuperflueret. Intellexit ergo vnum eſſe Deum omnium autorem. & vidit quia abſque ſapientia non ſit, quaſi res fatua: & ideo intellexit eũ habere ſapientiã, quæ ab ipſo genita eſt: & quia ſapientiam ſuam intellexit etiam ibi eſſe amorem.

CAP. XXIII.

Hic de ſumma Trinitatis vnitate.

Cap.1.

Quapropter iuxta iſtam conſiderationem, vt ait Aug. in 9. lib. de Trinit. credamus Patrem & Filium & Spiritum ſanctum vnum eſſe Deum, vniuerſæ creaturæ conditorem & rectorem: nec Patrem eſſe Filium, nec Spiritum ſanctum vel Patrem eſſe, vel Filium: ſed Trinitatem relatarum adinuicem Perſonarum

Vt

A *Vt enim ait ipſe in libro De fide ad Petrum. Vna eſt natura ſiue eſſentia Patris & Filij & Spiritus ſancti, non vna Perſona. Si enim ſic eſſet vna Perſona, ſicut eſt vna ſubſtantia Patris & Filij & Spiritus ſancti, veraciter Trinitas non diceretur. Rurſus quidem Trinitas eſſet vera, ſed vnus Deus Trinitas ipſa non eſſet, ſi quemadmodum Pater & Filius & Spiritus ſanctus Perſonarum ſunt abinuicem proprietate diſtincti, ſic fuiſſent quoque naturarum diuerſitate diſcreti.* Fides *autem Patriarcharum, Prophetarum, atque Apoſtolorum vnum Deum prædicat Trinitatem eſſe. In illa ergo ſancta Trinitate vnus eſt Deus Pater, qui ſolus eſſentialiter de ſeipſo Filium vnum genuit: & vnus Filius eſt, qui de vno Patre ſolus eſſentialiter natus, & vnus Spiritus ſanctus, qui ſolus eſſentialiter à Patre Filióque procedit, Hoc autem totum non poteſt vna perſona, id eſt, gignere ſe, & naſci de ſe, & procedere de ſe. vt enim ait Auguſtinus in primo lib. de Trin. Nulla res eſt, quæ ſeipſam gignat vt ſit.*

Ca.1. Sed ſententia potius quã verbis ipſis.

Cap.1.

AD DISTINC. III.

B

CAP. I.

Collatio.

1 **Per creaturam.** Manifeſta primùm pulcherrimi loci deprauatio, quòd κτίσιν τῦ κόσμου, (qua phraſi ex Hebræorum idiotiſmo, Paulus vniuerſum hunc mundum complexus eſt) ad ſolum hominem hic reſtringit. Nam quod πᾶσα κτίσις, id eſt, ***omnis creatura***, apud Marcum cap. 16. v. 15. pro hominibus ſolùm ſumitur, idcirco fit quòd id requirit loci illius argumentum & tractatio. Agitur enim de prædicatione Euangelij, quæ non niſi hominibus & λογικαῖς κτίσεσιν, id eſt, ratione vtentibus creaturis fieri poteſt, ac debet. Hic autem Pauli locus aliò ſpectat, nempe reddi homines ipſos, qui Deum ignorãt, inexcuſabiles, quòd ex rebus conditis (veluti è cœlo, & pulcherrimis, quę in eo ſunt, ſyderibus, è terra, & vario terræ ornatu) Deus cognoſci potuit. Ergo κτίσις τῦ κόσμου perinde ſonat, atque mundus ipſe conditus: & de toto mundo, ac ſingulis illius partibus intelligitur, quæ ſunt nobis ἄψευστα τῦ εἶναι τὸν Θεὸν argumenta. C Deinde altera eſt eiuſdẽ loci labes, quòd κτίσεως τοῦ κόσμου apud Paulum paſſiuè ſumuntur pro rebus ipſis ſeu condito mundo, ex quo intelligitur aliquem eſſe Deum. Hic verò ſumit actiuè pro homine ipſo intelligente. Nam illud *Per* barbarè redditum *Pro* ἀπὸ non rem ipſam, quæ agit, ſignificat: ſed inſtrumẽtum potius, per quod agimus & percepimus, vti præclarè explicatur in eodem argumento Iob. 36. v. 25. Sap. 13. v. 1. & 5. Id quod etiam ex 2. M. Tullij lib. de Nat. deorum apparet, ex mundi nimirum huius conſpectu intelligere omnes homines, quantumuis verbi diuini ignaros, aliquem eſſe Deum. Ergo hic duplex error in citando Pauli loco admiſſus eſt: quem nos (quoniã obſcurus eſt, & in eũdem locum iſte ipſe hoc eodem capite bis impingit) recitamus. Sic igitur habet: τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου (τοῖς ποιήμασι νοούμενα) καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις, καὶ θειότης. εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. Id eſt, *Ipſius enim inuiſibilia, dum ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione mundi perſpiciuntur, æterna videlicet eius tum potẽtia, tũ diuinitas, ad hoc vt ipſi ſint inexcuſabiles.*

2 *Viſibiles & inuiſibiles.* Ineptè profectò ſiue A mentem, ſiue verba Pauli ſpectes addita eſt vox *Inuiſibiles* à Lombardo. Paulus habet duntaxat, ἐκ τῆς κτίσεως κόσμου, & ποιήμασι, id eſt, ἐκ τῶν βλεπομένων, vt interpretatur Apoſtolus ad Hebræos, cap. 11. verſic. tertio: nec addidit Paulus ἐκ τῶν ἀοράτων, aut ἐκ μὴ φαινομένων, id eſt, ex inuiſibilibus Dei operibus inuiſibilia Dei cognoſci. Sed & ab Ambroſio ipſo ſatis refutatur Lombardus, quem tamen ſequenti capite laudat. Habet enim Ambroſius: *Deus, qui naturâ eſt inuiſibilis, vt etiam à viſibilibus poſſet ſciri, opus fecit quod opificem viſibilitate ſua manifeſtauit.*

Ad ſenſum autem Apoſtoli quod attinet, omnino præter inſtitutum & ſenſum Pauli putat Lombardus homines intellexiſſe opera Dei inuiſibilia per alia inuiſibilia. Præterea fallitur iſte, qui per illa viſibilia Dei opera putat agnitam fuiſſe ab hominibus non renatis S. Trinitatem, aut illius veſtigium. Nec enim eò collimat mens Pauli Rom. 1. v. 21. ſed id tantùm docet, quod eſt Pſ. 19. ex Sole, Luna, aliíſque viſibilibus Dei creaturis ipſius potentiam & æternitatem fuiſſe, B etiam ab illis non renatis hominibus agnitam. *Dei verò* οὐσία, ait Baſilius, *ſine ipſius verbo cognoſci non poteſt.*

3 *Deus reuelauit illis.* Hoc *Reuelauit*, ineptè eſt conuerſum. Habet Paulus Rom. 1. v. 19. ἐφανέρωσε, & ſupra dixerat τὸ γνωστὸν Θεῦ φανερὸν ἐστιν ἐν αὐτοῖς, *Id quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum illis fecit Deus.* (Eſt autem aliud reuelatio: aliud manifeſta, & cuiuis homini expoſita cognitio, ac notitia. Reuelantur quæ obſcura & tecta erant: Manifeſtantur autem quæ ad intuendum omnibus proponuntur.) Etſi verò vetus interpres ἐφανέρωσε conuertit barbarè *Reuelauit*, tamen à mente Pauli noluit eſſe diſceſſum: quemadmodum apertè facit hoc loco Lombardus.

AD CAP. III.

C

1 *Viderunt etiam.* Illud *Etiam* additum eſt Auguſt. non ſine incommodo ſententiæ. Sic enim Auguſt. *Viderunt quicquid mutabile eſt, non eſſe ſummum Deum: & ideo omnem animam, mutabiléſque Spiritus tranſcenderunt, quærentes ſummum Deum.* Hunc eundem locum ſicut habemus in noſtris exempl. citat Beda in ſuis Collectaneis, ne quis vitio codicis deceptum Lombardum exiſtimet.

2 *Omniúmque principium.* Hoc quoque additũ eſt ad Aug. ſed nullo ſenſus diſpendio. Voluit enim Lombardus explicare quid ſummum Deum eſſe ſignificet.

3 *Deinde viderunt.* Eſt & hic quoque locus ex Aug. ſumptus, ſed miſerè truncatus, quem eũdem tamen veriùs ex autoris ſententia citat Beda in ſuis ad Rom. cap. 1. Collectaneis, Sic habet Auguſtinus. *Deinde viderunt* (iidem philoſophi nimirum) *omnem ſpeciem in re quacunque mutabili, qua eſt, quicquid illud eſt, quoquo modo, & qualiſcunque natura eſt, non eſſe poſſe, niſi ab illo, qui verè eſt, quia incommutabiliter eſt.* Lombardus confundit argumentum Auguſtini, & μέσον τῦ συλλογισμῦ tollit. Probat enim Auguſt. id quod mutabile eſt, ab eo eſſe, qui verè eſt, quia quod verè eſt, incommutabiliter eſt. Illud enim quod mu-

A

CAP. XV.

Quòd in illa ſimilitudine eſt diſſimilitudo.

Ex Aug. li. de Tri. 15. cap. 20. Admonitio. Conceſſio de diſſimilitudine comparationis.

Veruntamen caueat, ne hanc imaginem ab eadem Trinitate factam ita ei comparet, vt omnino exiſtimet ſimilem, ſed potiùs in qualicunque iſta ſimilitudine magnam quoque diſſimilitudinem cernat.

CAP. XVI.

Prima diſſimilitudo.

Ex eodẽ lib. ca. 22.

QVOD breuiter oſtendi poteſt. Homo vnus per iſta tria meminit, intelligit, diligit: qui nec memoria eſt, nec intelligentia, nec dilectio, ſed hac habet. Vnus ergo homo eſt, qui habet hac tria, non ipſe hac tria. In illius verò ſumma ſimplicitate natura, qua Deus eſt, quamuis vnus ſit Deus, tamen tres Perſona ſunt, Pa*ter, &* Filius*, & Spiritus ſanctus & ha tres Perſona ſunt vnus Deus. Aliud eſt itaque Trinitas res ipſa, aliud imago Trinitatis in re alia, propter quam imaginem etiam illud: in quo ſunt hac tria, imago dicitur, ſcilicet homo. Sicut imago dicitur & tabula, & pictura qua eſt in ea: ſed tabula nomine imaginis appellatur propter picturam, qua eſt in ea.*

Quòd propter illa tria homo dicitur imago.

B

CAP. XVII.

Altera diſſimilitudo.

Ex eodẽ lib. ca. 23.

RVRSVS iſta imago, qua eſt homo, habens illa tria, vna Perſona *eſt. Illa verò Trinitas non vna* Per*ſona eſt, ſed tres* Perſona, Pater Fily, *&* Filius Patris, *& Spiritus* Patris *&* Fily. *Itaque in iſta imagine Trinitatis non hac tria vnus homo, ſed vnius hominis ſunt. In illa verò ſumma Trinitate, cuius hac imago eſt, non vnius* Dei *ſunt illa tria, ſed vnus Deus: & tres ſunt illa* Perſona, *non vna* Perſona. *Illa enim tria non homo ſunt, ſed hominis ſunt, vel in homine ſunt. Sed* [a] *nunquid poſſumus dicere Trinitatem ſic eſſe in Deo, vt aliquid* Dei *ſit, nec ipſa ſit Deus? Abſit* [b] *vt hoc credamus. Dicamus ergo in mente noſtra imaginem Trinitatis, ſed exiguam, & qualemcunque eſſe: qua ſumma* Trinitatis *ita gerit ſimilitudinem, vt ex maxima parte ſit diſſimilis. Sciendum verò eſt quòd hac* Trinitas *mentis, vt ait Aug. in xiiij. lib. de Trinita. non propterea tantùm imago Dei eſt, quia ſui meminerit mens, & intelligit, ac diligit ſe: ſed quia poteſt etiam meminiſſe, & intelligere, & amare illum à quo facta eſt.*

Ibid. c. 7.

a Queſtio

b Solutio

C

Cap. 12. Alia ratio cur anima hominis dicatur eſſe imago Trinitatis.

CAP. XVIII.

Alia aſſignatio Trinitatis in anima, ſcilicet mens, notitia, amor.

POTEST *etiam alio modo, aliiſque nominibus diſtingui* Trinitas *in anima, qua eſt imago illius ſumma & ineffabilis Trinitatis: vt enim ait Auguſt. in ix. lib. de* Trinitate, [1] *Mens. & notitia eius, & amor, tria quadam ſunt. Mens enim nouit ſe, & amat ſe: nec amare ſe poteſt, niſi etiam nouerit ſe. Duo quadam ſunt mens & notitia eius. Item duo quadam ſunt mens & amor eius. Cùm ergo ſe nouit mens, & amat ſe, manet* Trini*tas, ſcilicet mens, amor, & notitia. Mens autem hic accipitur non pro anima, ſed pro eo quod in anima excellentius eſt.*

Cap. 4. Alia Trinitatis imago quę ſita eſt in anima hominis. Ibidem. Vt habetur lib. de Tri. 15. ca. 6. & 7.

A

Hac autem tria cùm ſint diſtincta à ſe inuicem, dicuntur tamen eſſe vnum: quia in anima ſubſtantialiter exiſtunt.

Quomodo ea dicatur eſſe vnum. Idem li. 9. 4. de Tri.

CAP. XIX.

Quod mens, vice Patris: notitia, Filij: amor, Spiritus ſancti accipitur.

Ex Aug. li. de Tri. 9. cap. 12. Explicatio iſtius ſimilitudinis vel imaginis.

ET eſt ipſa mens quaſi parens, & [1] *notitia eius quaſi proles eius. Mens enim quum ſe cognoſcit, notitiam ſui gignit. & eſt ſola parens ſua notitia.* T*ertius eſt amor, qui de ipſa mente & notitia procedit, dum mens cognoſcit ſe & diligit ſe: non enim poſſet ſe diligere, niſi cognoſceret ſe. Amat etiam placitam prolem, id eſt, notitiam ſuam: & ita amor quidem complexus eſt parentis & prolis.*

CAP. XX.

Quòd non eſt minor mente notitia, nec amor vtroque.

Ex eodẽ Aug. li. & loco citatis. Ex eodẽ lib. cap. 5.

NEC eſt minor proles parente, dum tantam ſe nouit mens, quanta eſt: nec minor eſt amor parente & prole, id eſt, mente & notitia, dum tantum ſe diligit mens, quantum ſe nouit, & quanta eſt.

B

CAP. XXI.

Quòd hæc tria in ſeipſis ſunt.

SVNT etiam hac ſingula in ſeipſis: quia & mens amans in amore eſt, & amor in amantis notitia, & notitia in mente noſcente eſt. Ecce in his tribus qualecunque veſtigium Trinitatis *apparet.*

CAP. XXII.

Quomodo mens per iſta proficit ad intelligendum Deum.

C

Quomodo ex nobis ipſis, id eſt, inferiore Trinitate vel Trinitatis imagine ad ipſam incommutabilem Trinitatem agnoſcendã cõſcendamus.

MENS itaque rationalis conſiderans hac tria, & illam vnam eſſentiam in qua iſta ſunt, extendit ſe ad contemplationem creatoris: & videt Vnitatem in Trinitate, *&* Trinitatem *in Vnitate. Intelligit enim vnum Deum eſſe, vnam eſſentiam, vnum principium. Intelligit enim, quia ſi duo eſſent, vel vterque inſufficiens eſſet, vel alter ſuperflueret: quia ſi aliquid deeſſet vni quod haberet alter, non eſſet ibi ſumma perfectio. Si verò nihil vni deeſſet quod haberet alter, cùm in vno eſſent omnia, alter ſuperflueret. Intellexit ergo vnum eſſe Deum omnium autorem. & vidit quia abſque ſapientia non ſit, quaſi res fatua: & ideo intellexit eũ habere ſapientiã, qua ab ipſo genita eſt: & quia ſapientiam ſuam intellexit etiam ibi eſſe amorem.*

CAP. XXIII.

Hic de ſumma Trinitatis vnitate.

Cap. 1.

Quapropter iuxta iſtam conſiderationem, vt ait Aug. in 9. lib. de Trinit. *credamus* Patrem *&* Filium *& Spiritum ſanctum vnum eſſe Deum, vniuerſa creatura conditorem & rectorem: nec Patrem eſſe* Filium, *nec Spiritum ſanctum vel* Patrem *eſſe, vel* Filium: *ſed* Trinitatem *relatarum adinuicem* Perſonarum

Vt

A *Vt enim ait ipſe in libro De fide ad Petrum. Vna eſt natura ſiue eſſentia Patris & Filij & Spiritus ſancti, non vna Perſona. Si enim ſic eſſet vna Perſona, ſicut eſt vna ſubſtantia Patris & Filij & Spiritus ſancti, veraciter Trinitas non diceretur. Rurſus quidem Trinitas eſſet vera, ſed vnus Deus Trinitas ipſa non eſſet, ſi quemadmodum Pater & Filius & Spiritus ſanctus Perſonarum ſunt abinuicem proprietate diſtincti, ſic fuiſſent quoque naturarum diuerſitate diſcreti. Fides autem Patriarcharum, Prophetarum, atque Apoſtolorum vnum Deum prædicat Trinitatem eſſe. In illa ergo ſancta Trinitate vnus eſt Deus Pater, qui ſolus eſſentialiter de ſeipſo Filium vnum genuit: & vnus Filius eſt, qui de vno Patre ſolus eſſentialiter natus, & vnus Spiritus ſanctus, qui ſolus eſſentialiter à Patre Filióque procedit, Hoc autem totum non poteſt vna perſona, id eſt, gignere ſe, & naſci de ſe, & procedere de ſe. vt enim ait Auguſtinus in primo lib. de Trin. Nulla res eſt, quæ ſeipſam gignat vt ſit.*

Ca.1. Sed ſententia potius quā verbis ipſis.

Cap.1.

AD DISTINC. III.

B

CAP. I.

Collatio.

1 ***Per creaturam.*** Manifeſta primùm pulcherrimi loci deprauatio, quòd κτίσεως τῦ κόσμου, (qua phraſi ex Hebræorum idiotiſmo, Paulus vniuerſum hunc mundum complexus eſt) ad ſolum hominem hic reſtringit. Nam quod πᾶσα κτίσις, id eſt, ***omnis creatura***, apud Marcum cap. 16. v. 15. pro hominibus ſolùm ſumitur, idcirco fit quòd id requirit loci illius argumentum & tractatio. Agitur enim de prædicatione Euangelij, quæ non niſi hominibus & λογικαῖς κτίσεσιν, id eſt, ratione vtentibus creaturis fieri poteſt, ac debet. Hic autem Pauli locus aliò ſpectat, nempe reddi homines ipſos, qui Deum ignorāt, inexcuſabiles, quòd ex rebus conditis (veluti è cœlo, & pulcherrimis, quę in eo ſunt, ſyderibus, è terra, & vario terræ ornatu) Deus cognoſci potuit. Ergo κτίσις τῦ κόσμου perinde ſonat, atque mundus ipſe conditus: & de toto mundo, ac ſingulis illius partibus intelligitur, quæ ſunt nobis ἄψευστα τῦ εἶναι τὸν Θεὸν argumenta. C Deinde altera eſt eiuſdē loci labes, quòd κτίσεως τοῦ κόσμου apud Paulum paſſiuè ſumuntur pro rebus ipſis ſeu condito mundo, ex quo intelligitur aliquem eſſe Deum. Hic verò ſumit actiuè pro homine ipſo intelligente. Nam illud *Per* barbarè redditum *Pro* ἀπὸ non rem ipſam, quæ agit, ſignificat: ſed inſtrumētum potius, per quod agimus & percepimus, vti præclarè explicatur in eodem argumento Iob. 36. v. 25. Sap. 13. v. 1. & 5. Id quod etiam ex 2. M. Tullij lib. de Nat. deorum apparet, ex mundi nimirum huius conſpectu intelligere omnes homines, quantumuis verbi diuini ignaros, aliquem eſſe Deum. Ergo hic duplex error in citando Pauli loco admiſſus eſt: quem nos (quoniā obſcurus eſt, & in eūdem locum iſte ipſe hoc eodem capite bis impingit) recitamus. Sic igitur habet: τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου (τοῖς ποιήμασι νοούμενα) καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις, καὶ θειότης. εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. Id eſt, *Ipſius enim inuiſibilia, dum ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione mundi perſpiciuntur, æterna videlicet eius tum potētia, tū diuinitas, ad hoc vt ipſi ſint inexcuſabiles.*

2 *Viſibiles & inuiſibiles.* Ineptè profectò ſiue mentem, ſiue verba Pauli ſpectes addita eſt vox *Inuiſibiles* à Lombardo. Paulus habet duntaxat, ἐκ τῆς κτίσεως κόσμου, & ποιήμασι, id eſt, ἐκ τῶν βλεπομένων, vt interpretatur Apoſtolus ad Hebræos, cap. 11. verſic. tertio: nec addidit Paulus ἐκ τῶν ἀοράτων, aut ἐκ μὴ φαινομένων, id eſt, ex inuiſibilibus Dei operibus inuiſibilia Dei cognoſci. Sed & ab Ambroſio ipſo ſatis refutatur Lombardus, quem tamen ſequenti capite laudat. Habet enim Ambroſius: *Deus, qui naturâ eſt inuiſibilis, vt etiam à viſibilibus poſſet ſciri, opus fecit quod opificem viſibilitate ſua manifeſtauit.*

Ad ſenſum autem Apoſtoli quod attinet, omnino præter inſtitutum & ſenſum Pauli putat Lombardus homines intellexiſſe opera Dei inuiſibilia per alia inuiſibilia. Præterea fallitur iſte, qui per illa viſibilia Dei opera putat agnitam fuiſſe ab hominibus non renatis S. Trinitatem, aut illius veſtigium. Nec enim eò collimat mens Pauli Rom. 1. v. 21. ſed id tantùm docet, quod eſt Pſ. 19. ex Sole, Luna, aliiſque viſibilibus Dei creaturis ipſius potentiam & æternitatem fuiſſe, B etiam ab illis non renatis hominibus agnitam. *Dei verò* οὐσία, ait Baſilius, *ſine ipſius verbo cognoſci non poteſt.*

3 *Deus reuelauit illis.* Hoc *Reuelauit*, ineptè eſt conuerſum. Habet Paulus Rom. 1. v. 19. ἐφανέρωσε, & ſupra dixerat τὸ γνωστὸν Θεῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς, *Id quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum illis fecit Deus.* (Eſt autem aliud reuelatio: aliud manifeſta, & cuiuis homini expoſita cognitio, ac notitia. Reuelantur quæ obſcura & tecta erant: Manifeſtantur autem quæ ad intuendum omnibus proponuntur.) Etſi verò vetus interpres ἐφανέρωσε conuertit barbarè *Reuelauit*, tamen à mente Pauli noluit eſſe diſceſſum: quemadmodum apertè facit hoc loco Lombardus.

AD CAP. III. C

1 *Viderunt etiam.* Illud *Etiam* additum eſt Auguſt. non ſine incommodo ſententiæ. Sic enim Auguſt. *Viderunt quicquid mutabile eſt, non eſſe ſummum Deum: & ideo omnem animam, mutabiléſque Spiritus tranſcenderunt, quærentes ſummum Deum.* Hunc eundem locum ſicut habemus in noſtris exempl. citat Beda in ſuis Collectaneis, ne quis vitio codicis deceptum Lombardum exiſtimet.

2 *Omniúmque principium.* Hoc quoque additū eſt ad Aug. ſed nullo ſenſus diſpendio. Voluit enim Lombardus explicare quid ſummum Deum eſſe ſignificet.

3 *Deinde viderunt.* Eſt & hic quoque locus ex Aug. ſumptus, ſed miſerè truncatus, quem eūdem tamen veriùs ex autoris ſententia citat Beda in ſuis ad Rom. cap. 1. Collectaneis, Sic habet Auguſtinus. *Deinde viderunt* (iidem philoſophi nimirum) *omnem ſpeciem in re quacunque mutabili, qua eſt, quicquid illud eſt, quoquo modo, & qualiſcunque natura eſt, non eſſe poſſe, niſi ab illo, qui verè eſt, quia incommutabiliter eſt.* Lombardus confundit argumentum Auguſtini, & μέσον τῦ συλλογισμῦ tollit. Probat enim Auguſt. id quod mutabile eſt, ab eo eſſe, qui verè eſt, quia quod verè eſt, incommutabiliter eſt. Illud enim quod mu-

A tatur,verè non eſt:ſed ab eo, quod eſt natura incommutabile,habet eſſe,tanquam à fonte. Lombardus igitur pro illis Auguſtinianis ſubſtituit hæc ſua. *Deinde viderunt omne quod mutabile eſt,nõ poſſe eſſe niſi ab illo,qui incommutabiliter & ſimpliciter eſt.* Dixit Auguſtinus, *Niſi ab illo qui verè eſt,quia incommutabiliter eſt.* Illud etiam *Simpliciter*, etſi ex eodem Auguſtini loco tranſcriptum eſt, tamen vim optimi argumenti,quo tertio loco iidem illi philoſophi vtebantur,elidit.

AD CAP. V.

1 *Corporis ſpeciem.* Obiter annotare libuit,vocabulum *Speciem* & hoc loco, & in diſputatione de Sacramentis apud Auguſt. & illius ſeculi eruditos Patres pro ipſa rei ſubſtantia, & οὐσιώδει forma ſumi: non autem pro externis rei accidentibus ſeu qualitatibus, qualis eſt,color,figura, &c. Nam Spiritibus tribuitur hoc loco ſpecies, qui colore,figura,& huiuſmodi accidentibus prorſus carent. Eodem ſignificato & Cyprianus in lib. de Cœna Domini: & Ambroſius in libris de Sacramentis,vocabulo *Species* vtuntur. B

AD CAP. VII.

Hæc ergo tria. Ex Auguſt. libr. 14. de Trinitat. cap.8. ſumptus locus, qui in alium ſenſum ab iſto detorquetur. Agit enim illic Auguſt. non in vniuerſum de trib. illis animæ humanæ facultatibus, quæ memoria,intelligentia,& amor,ſeu affectus, ſeu voluntas dicuntur,& quarum memoria,& amor ſunt communes homini cum brutis animantib. facultates:ſed in ea duntaxat animæ humanæ parte ſeu facultate veſtigia Trinitatis quærit Auguſt. quæ ἡγεμονικὸν & λογικὸν μέρος vocatur, Verba Auguſtini ſic habent, *Nunc verò ad eam iam peruenimus diſputationem,vbi principale mentis humanæ (quæ nouit Deum vel poteſt noſſe) conſiderandum ſuſcepimus,vt in eo reperiamus imaginem Dei,id eſt,Trinitatis.* C In qua ex variis ipſius actionibus inter ſe indiſſolubili nexu coniunctis,& tamen proprias, diſtinctáſque actionum & effectorum notas & definitiones retinentibus,aliqua Trinitatis imago apparet, nempe quòd mens illa ἡγεμονικὴ meminit ſui,intelligit ſe, diligit ſe. Hic quoque ca. 11. huius Diſtinctionis in verbis, *Propriè verò mens dicitur* tacitè agnoſcit mentem humanam à reliquis animarum generibus apud Auguſtinum, in primíſque in hoc ipſo argumento, de Trinitate,& libris 14. & 15. cap. 7. diſtinguendam, ne ſubtiliùs argumentari hoc loco fortaſſe cuiquam videar.

CAP. XIIII.

1 *VNDE poteſt.* Leuis immutatio verborum Auguſtini, non leuem huius autoris culpam arguit. Hic legendum eſt. *Inde.* Aliàs enim prorſus eſt hiulca huius loci oratio. Ergo iſte diſtraxit ſententiam Auguſtini,& quod ille per parentheſin intelligenter inſeruerat, hic propter diſpunctionem temerè immutatam,obſcurè refert. Sic enim Auguſtinus: *Quæ tria in ſua mente naturaliter diuinitus inſtituta quiſquis viuaciter perſpicit, & quàm magnum ſit in ea (vnde poteſt etiam ſempiterna immutabiliſque natura recoli, conſpici, concupiſci) reminiſcitur per memoriam,intuetur,*&c. A Primùm prętermiſit iſte vocem *Sua*, quæ eſt apud Auguſtinum: vt doceat quenque noſtram in ſeipſo habere illam Trinitatis imaginem: & vocis *Quiſquis* ſignificationem tollit. Deinde continuam Auguſtini orationem ſecat in duas. Lombardus enim ait, *Reminiſcitur enim*, Auguſtinus autem, *Quàm magnum ſit in ea reminiſcitur per memoriam.* Denique verba hæc. *Quàm magnum ſit in ea* Lombardus relinquit,hiulca prorſus oratione.

CAP. XVIII.

1 *MENS & notitia.* Plures ab Auguſtino ex mentis ſeu animæ humanæ facultatibus, earúmque actionibus ſimilitudines & imagines ad Trinitatis diuinæ explicationem afferuntur,quæ ſingulæ per ſeſe ſpectari & tractari debebant: nõ autem confundi,vt hic,veluti,in memoria, intelligentia,& voluntate, quæ in eadem hominis anima ineſt,inſinuat Trinitatem lib.10. & lib.14. cap.6. *Mens enim,*ait.*ſui cogitatione ſe quodammodo in ſuo conſpectu conſtituit. Gignit ergo mens de ſe ipſa* B *cogitans,intellectum hunc & recognitionem ſuam.* Sed ita ſibi mens nota eſt cogitãdo, quemadmodum notæ ſunt res, quæ memoria continentur. Ergo hæc mentis de ſeſe cogitatio eſt velut memoria quædam quæ gignit hanc ſeu conformationem, ſeu recognitionem, ſeu intelligentiam ſui. Hæc autem duo gignens & genitum, id eſt, Mens & Conformatio mentis in ipſa mente, dilectione tertia copulantur: quæ dilectio nihil aliud eſt, quàm voluntas. Ergo in memoria, intelligentia, & voluntate mentis humanæ ineſt quædam Trinitatis imago,ait Auguſt. Hæc prima eſt ſimilitudo. Secunda eſt quòd earundem facultatum actiones quoque Trinitatis imaginem referunt: (quas idem Auguſti. libro 15. cap. 7. Trinitat. ab ipſis facultatibus diſtinguit) qualis eſt *conceptio mentis* (quam tamen mentem ambiguè vocat Auguſtinus) *Notitia, Amor. Amor quippe ipſe, & notitia ſimul ſunt in mente, quæ ſe amat, &* C *nouit,*ait libro 9. de Trinit. cap.5. *Sicut autem duo quædam ſunt mens & amor eius, quum ſe amat: ita duo quædam ſunt mens & notitia eius, quum ſe nouit. Igitur ipſa mens,* id eſt, *conceptio & amor, & notitia eius tria quædam ſunt,& hæc tria vnum ſunt.* Voluit enim Auguſtinus, quemadmodum ipſe loquitur, id quod eſt in Trinitate *inuolutum*, his tot exemplis *euoluere* libro nono de Trinitate, capite quarto.

CAP. XIX.

1 *NOTITIA eius.* Prætermiſſa ab iſto quædam ex Auguſtino,alia verò tranſpoſita, totum hunc, aliàs pulcherrimum locum de Trinitate,obſcurant,tantum abeſt vt illuſtrent. Sic igitur reddimus his tenebris ſuam ex ipſo Auguſtino lucem lib.9. de Trinit. cap. 12. *Omnis res,*ait, *quancunque cognoſcimus,congenerat in nobis notitiam ſui. Ab vtroque enim notitia paritur à cognoſcente,& cognito. Itaque mens quum ſeipſam cognoſcit, ſola parens eſt notitia ſua. Cognitum enim & cognitor ipſa eſt. Quòd ergo cognoſcit ſe, parem ſui notitiam gignit, quia non minus ſe nouit, quàm eſt: nec alterius eſſentia*

A *eſſentiæ eſt notitia eius, non ſolùm quia ipſa nouit, ſed etiam quia ſeipſam. Quid igitur de amore dicendum eſt, cur non etiam, quum ſe amat, ipſum quoque amorem ſui genuiſſe videatur? Cur enim amando ſe, non genuiſſe dicatur amorem ſuum, ſicut cognoſcendo ſe, genuit notitiam ſuam? Ergo notitiam tanquam prolem naſcentem deputamus. Eſt igitur quædam imago Trinitatis ipſa mens & notitia eius, quæ eſt proles eius: & amor tertius: & hæc tria vnum atque vna ſubſtantia.* Hæc iam ex ipſo Auguſtino dilucida ſunt: quæ truncata, ſunt obſcuriſſima.

Cenſura in Diſtinctionem tertiam.

Tria imprimis in hac Diſtinctione videntur digna reprehenſione. Primùm quòd Pauli locus Romanorum 1. verſiculo 20. *Ipſius enim (Dei) inuiſibilia ex rebus conditis intelliguntur, &c.* peſſimè in alienum ſenſum detorquetur. Agit enim duntaxat de generali quadam de Deo notitia Paulus, ex qua cuncti mortales (qui non omnino mente capti & deſtituti ſunt) Deum aliquem eſſe intellexerunt, ideóque ſunt inexcuſabiles: iſte B autem ad ſpecialem illam de Deo cognitionem hunc locum refert, quæ tantùm verè fidelium hominum propria eſt & peculiaris, & ex ſolo ipſius verbo habetur: nimirum, vt cognoſcamus quis ſit verus ille Deus, & vt in vna & eadem eſſentia diuina ſit Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, id quod omnino & à mente Pauli, & ab ipſa rerum veritate proculdubiò eſt alieniſſimum. Diſtinguit enim Paulus τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ quod naturali quadam relicta nobis luce intelligitur ex aſpectu rerum viſibilium, Romanorum 1. verſu 19. ab ea Dei notitia, quam idem appellat σοφίαν Θεοῦ ἐν μυστηρίῳ 1. Corinthiorum 2. verſu 7. quæ ex ſola Dei reuelatione habetur, & cognoſcitur. Itaque Paulus quum illa ſcriberet, habebat in animo Pſalm. 19. & 104. & huiuſmodi quaſdam notitias communes & generales, quæ Sap. C cap. 13. explicantur: & ab Auguſtino recitantur libro 13. de Trinitate cap. 7. Denique & quas Marcus Tullius Cicero libro 2. de Natura deorum, homo nulla ſanctæ ſcripturæ luce inſtructus, tamen commemorat his verbis. *Itaque inter omnes omnium gentium ſententias conſtat. Omnibus enim innatum eſt: & in animo quaſi inſculptum, eſſe deos. Quales ſint, varium eſt: nemo eſſe negat. Cleanthes quidem noſter 4. de cauſis dixit in animis hominum informatas deorum eſſe notiones. Primam poſuit eam, quæ orta e;. præſentione rerum futurarum. Alteram, quam reperimus ex magnitudine commodorum, quæ percipiuntur & cœli temperatione, fæcunditate terrarum, aliarúmque commoditatum complurium copia. Tertiam, quæ terret animos fulminibus, tempeſtatibus, nimbis, niuibus, grandinibus, vaſtitate, peſtilentia terræmotibus, & ſæpe fremitibus, lapideiſque imbribus, &c. Quartam cauſam eſſe, eámque vel maximam æquabilitatem motus, conuerſionem cœli, Solis, Lunæ ſiderúmque diſtinctionem, varietatem, pulchritudinem, ordinem. Quarum rerum aſpectus ipſe ſatis indicaret, non eſſe fortuita.* Sic enim Chryſippus argumentabatur, *Si eſt aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod poteſtas humana efficere non poſſit, eſt certè id, quod illud efficit, homine melius, &c.* Idem Cicero Tuſc. 1. tradit eſſe nullam gentem, quæ non fateatur aliquem eſſe Deum: A Virgil. quoque idem teſtatur. *Nanque Deum ire per omnes terráſque, tractúſque maris, cœlúmque profundum.* Item, *Principio cœlum & terram, campóſque liquentes, Lucentémque globum Lunæ, Titaniáque aſtra Spiritus intus alit, &c.* Metamorphoſ. Sed & Metamorphoſ. li. 1. Ouidius Naſo.

Hanc Deus & melior litem Natura diremit.
Nam cœlo terras, & terris abſcidit vndas.

Et vt veniamus ad ſcriptores ipſos Eccleſiaſticos, & noſtros, Tertullianus in libello de Teſtimonio animæ: Iuſtinus Martyr. in lib. de Monarchia: Athenagoras in Apologia huiuſmodi varia ex poetis & philoſophis teſtimonia collegerunt (vt Euſebij libros de Præparatione Euangelica prætermittam) quibus efficitur, ex ipſius mundi, tanquam lucidiſſimi diuinæ maieſtatis & potentiæ ſpeculi, ſolo aſpectu & fabrica infideles etiam homines intellexiſſe, eſſe aliquem Deū. Quis autem is eſſet, aut vt ita dicam, Qualis, id eſt, trinuſ-ne an vnus, ne per inſomnium quidem ſuſpicati ſunt. Hæc enim tam arcana, ſalutaris, & diſtincta de Deo, eiúſque natura cognitio, ex ſola ſacræ ſcripturæ doctrina, & Spiritus ſancti lumine diſci atque haberi ab hominibus poteſt. B Adeò quidem vt Auguſtinus in Quæſt. Veter. & Noui teſtamenti, Quæſtione 87. ſcribat inter ipſa primordia Eccleſiæ perſpicuè Trinitatis arcanum traditum non fuiſſe. Thomas in prima ſecundæ Quæſt. 32. *Dupliciter fidei derogat,* ait, *qui Trinitatem Perſonarum naturali ratione probare nititur 1. quia fides eſt de inuiſibilibus, quæ rationem humanam ſuperant. 2. quia hac ratione exponit ludibrio ipſam fidem Chriſtianam:* Idem Quæſt. 39. artic. 7. negat proprietates diuinas ex creaturis cognoſci poſſe, Ergo etiam, teſte ipſo Thoma, nedum Auguſtino, ex rebus conditis Deus trinus intelligi, id eſt, hoc Dei inuiſibile & arcanum cognoſci nequaquam poteſt, quicquid Lombardus ex Auguſtino ſe protuliſſe exiſtimet. Nam illa etiam ἀόρατα Θεοῦ, quæ cerni dicit Paulus, non Dei eſſentia ſunt, ſed tantùm ἀρεταί, vt Petrus loquitur 1. Epiſtola 2. verſu 9. Neque obſtat quod Plato Epi- C ſtola 2. ad Dionem, & Triſmegiſtus in Pimandro, Sectione prima, quædam de tanto myſterio cogitaſſe creduntur. Nam eorum cogitationes de primo, ſecundo, & tertio principio ſeu Deo (vt Plato loquitur:) vel de mente, verbo, & Spiritu (quemadmodū Triſmegiſtus appellauit) ſunt planè à Theologicis iſtis diſſimiles: quoniam iſti tres deos ſeparatos conſtituunt, qualia ſunt tria eiuſdem ſpeciei indiuidua: non autem vt vnam numero & eandem Trium eſſentiam agnoſcant, quod fides Chriſtiana docet. Itaque quemadmodum præclarè tradit Cyrillus libro 1. contra Iulianum, ὑπόβασιν & ὕφεσιν in perſonis diuinis illi finxerunt: vnde & Manichæorum, & Arianorum hæreſes poſtea emanarunt. Deinde iſta ſic Plato & Triſmegiſtus de tribus illis ſuis deis meditabantur, vt ad hominum rationem & cogitationē referrent, exiſtimarúntque reuerâ meditatione quadam λόγον ſeu verbum à mente fuiſſe productum, vti ex noſtræ ipſorum mentis cogitatione vox progreditur: ſicque Filium Dei λόγον προφορικὸν, non autem ἐνδιάθετον eſſe intelligebant & docebant, qui fuit Arianorum & poſtea Seruetanorum furor. Denique hæc tota iſtorum oratio

A fuit idealis tantùm, & ex ſuperſtitioſa ternarij numeri commendatione nata. Etſi quidam cenſent hanc eorum ſententiam ex veteri Hebræorum traditione, & puræ religionis reliquiis extitiſſe.

Secundum autem quod in hac Diſtinctione reprehendendum puto, eſt in eo, quod Auguſtini Sanctiſſimi Patris, & de tanto myſterio verecundè ac reuerenter vbique loquentis mentem iſte nequaquam perſpexit, aut obſeruauit. Nam varias quidem Trinitatis imagines piis proponit Auguſtinus totis libris XV. de Trinitate, imprimíſque à libro 6. ad vltimum vſque: ſed tamē eas tantùm pingit iis, qui iam ex Dei verbo iſtam doctrinam didicerunt, vt à nobis adhuc in iſtis terris verſantibus, & ab animo nondum planè iuſto, ſed tamen iam iſta intelligente per charitatem, (ſic enim Auguſtinus loquitur libro 15. c. 3.) natura non tantùm incorporalis, ſed etiam incommutabilis & iuſta (quæ eſt Deus) quantùm fieri poteſt, intelligeretur. Iſtas igitur velut rudiores picturas piis propoſuit: quas tamen eſſe ab ipſa Trinitatis (cuius exprimendæ gratia afferuntur) natura diſſimillimas docet idem libro 15. B de Trinitate capite 7. Itaque capite 13. idem ſeſe excuſat diligenter, quòd fruſtrà quærat incomprehenſibilis rei imagines in rebus creatis. Eſt enim Deus tam immenſus, vt nulla humana meditatione exprimi poſſit capite 3. de Cognitio. veræ vitæ. Lombardus tamen ita aptas iudicat iſtas ſimilitudines, & ita eas vrget, vt capite 6. huius Diſtinctionis, etiam eas ipſas (quas ieiunas omnino, & duntaxat dicis cauſâ, attulit Auguſtinus) putet præclaram & perſpicuam tanti myſterij notitiam dare: etſi tamen non ſufficientem. Certè veteres & orthodoxi Patres Græci minimè tot ſimilitudinibus vſi ſunt, quibus Auguſtinus, quanquam in hoc argumento tum aduerſus Sabellianos, tum etiam Arianos defendendo eſſent exercitatiſſimi, ne quid curioſum nimirū in hoc tam auguſtum argumentum inducerent. Apud Baſilium & Nazianzenum extat tantùm quędam C explicatio non prorſus abiicienda illa quidem, cur vnigenitus Filius Dei λόγος à Ioanne capite 1. appelletur. quoniam illi Filium nominatum eſſe λόγον exiſtimabant ad ſermonis humani ſimilitudinem, tamen λόγος potius dictus videtur Meſſias exhibitus propter præcedentia Prophetarū omnium de eo vaticinia, quòd is eſſet, de quo nota iam eſſent oracula, & ad quem præcedentes omnes promiſſiones tanquam ad ſuum fundamētum ſpectarent. Apud Damaſcenum in lib. *Cur homo ad imaginem Dei, &c.* vbi hoc argumentum tractatur, nullæ huiuſmodi extāt Trinitatis imagines, quales depinxit Auguſtinus. Et certè nimio (vt verè dicam, quod ſentio) argutandi pruritu ſibi in eo indulſiſſe videtur, vir ille pius, ſumpta tamen occaſione ex vno quodam Hilarij dicto libro 2. de Trinitate, quemadmodum fatetur Auguſtinus ipſe, libro 6. cap. 6. Dixerat Hilarius, *Æternitas in Patre, ſpecies in imagine ſeu Filio: vſus ſeu efficacitas in munere ſeu Spiritu ſancto miſſo.* A Inde tanquam à carceribus emiſſus Auguſtinus primùm Trinitatis imaginem quæſiuit in rebus omnibus, id eſt, plantis, & arboribus, & brutis ipſis. Quid amplius? In Sermo. 1. de verbis Apoſtolicis in Sole, & igne quoque ipſo, quo vtimur: nimirum quod quæcunque à Deo creata ſunt, vnitatem quandam habeant membrorum, itē ſpeciem, & ordinem. Deinde eiuſdem inuiſibilis & incorporei myſterij imaginem quæſiuit in ipſis corporis ſenſibus, & præſertim in viſu, qui, vt fiat, interuenit obiectum ipſum, actio oculi, & animi intentio. Hanc ſimilitudinem prolixè & ad faſtidium vſque perſequitur toto penè libro 11. de Trinitate. Poſtea ad ipſam hominis animam in genere conſideratam accedit, & in ea Trinitatis imaginem variè, multíſque modis reperit, nēpe in his tribus, quæ ſunt in anima, Amās, Amor, Amatum. Deinde in ipſo λογικῷ μέρει animæ peculiariter idem perſcrutatur, & inquirit, veluti in mente, amore, & notitia, item in mente, intelligentia, & voluntate. Item in mente, notitia, & amore. Item in mente, verbo, & dilectione: quæ B & ſcrupuloſè pertractat Auguſtinus, & ita, vt ſępe multa abſurda (quod tanti viri pace dictum ſit) habeat, quale illud eſt, quod notitiam & amorem in mente hominis putat eſſe ſubſtantias, non autem δυνάμεις ac qualitates naturales & congenitas menti. Vnde ex eodem Auguſtino libro 12. Trinitatis capite 5. apparet tandem deuentum eſſe ad ineptiſſimas, & omnino tanta rei maieſtate indignas ſimilitudines, Veluti quum Trinitatis Perſonarum imaginem ponerent, & quærerent in coniugio, vbi eſt mas, fœmina & proles: & libro 9. capite 4. in tribus annulis ex eodem auro confectis, & inter ſeſe connexis. Quæ ſimilitudines ita poſtea diſplicuerunt, vt cùm hanc de Trinitate doctrinam aliquot poſt Auguſtinum ſeculis Anſelmus tractaret, eámque ex ſolis naturalibus rationibus veram eſſe colligeret, huiuſmodi tamen Auguſtinianis exemplis prorſus abſtineret, licet idem plenas & totas ex eodem paginas alibi deſcribere non vereretur. C Quod igitur in Auguſtino venia potius, quàm imitatione dignum fuit, Lombardus ſedulò ac ſtudioſè tanquam κυρίαν ſuæ Theologiæ δόξην etiam rem ipſam obſcurans propoſuit hac Sectione.

Tertiò reprehendo, quòd memoriam, intelligentiam, & voluntatem, earúmque facultatum actiones Lombardus ſcribit ſubſtantialiter ineſſe animæ, tanquam eas ad trium Perſonarum diuinarum ſimilitudinem tres quaſdam animæ οὐσίας diſtinctas conſtituat: quæ tamen ſunt tantùm δυνάμεις animæ, neque etiam illius μέρη ſi propriè loquimur, quicquid de ea re quidam litigioſè ſcribant. Sunt illæ quidem φυσικαὶ δυνάμεις, non accidentariæ. Itaque aut explicatam oportuit tam obſcuram ſententiam: aut Sabellianis venia danda videbitur, qui Trinitatem nō τρία ὑποστάσεις eſſe volunt, ſed τρῆς δυνάμεις eiuſdē rei & eſſentiæ.

DISTINC-

A

DISTINCTIO. IIII.

De Perſonarum diuinarum diſtinctione dicturus, quæ ex modo emanatiōis maximè explicatur, primùm ab ea, quæ eſt Filij ex Patre, orditur, vbi tres iſtas quæſtiones variè vexat. i. vtrum Deus genuerit. 2. vel potiùs vtrum Pater diuinam eſſentiam, 3. vel denique vtrum Pater Filium. Prima, hac Diſtinctione: poſteriores duæ, ſequenti traduntur.

CAP. VI.

HIC oritur quæſtio ſatis neceſſaria. Cōſtat enim, & irrefragabiliter verum eſt, quòd Deus Pater genuit Filium. Ideo quæritur vtrum concedēdum ſit, quòd Deus genuit Deū. Si enim Deus genuit Deum, videtur, quòd aut ſe Deum, aut alium Deū genuerit. B *Si verò alium Deū genuit nō eſt tantū vnus Deus. Si autem ſeipſum Deū genuit aliqua res ſeipſam genuit. Ad quod reſpōdētes dicimus, ſanè & Catholicè cōedi quòd vnus vnū genuit, quòd Deus Deū genuit quia Deus Pater Deum Filium genuit. In ſymbolo quoque ſcriptum eſt: Lumen de lumine, Deū verum de Deo vero. Quod verò additur, ergo genuit ſe Deum, vel alium Deum: neutrū cōcedendum eſſe dicimus. Quòd alium Deum non genuit, manifeſtum eſt: quia vnus tantum Deus eſt. Quòd autem ſeipſum non genuit, oſtendit Aug. in 1. lib. de Trinit. dicens, Qui putant eius potentiæ eſſe Deum vt ſeipſum ipſe genuerit, eò plus errant, quòd non ſolum Deus ita non eſt, ſed nec Spiritualis, neque corporalis creatura. Nulla 1 enim res eſt, quæ ſeipſam gignat vt ſit: & ideò non eſt credendum vel dicendum quòd Deus genuit ſe.*

CAP. II.

Alia quæſtio de eodem.

Sed adhuc opponunt garruli ratiocinatores dicentes: Si Deus Pater genuit Deum, aut genuit Deum, qui eſt Deus Pater aut Deum, qui non eſt Deus Pater. Si genuit Deum, qui non eſt Pater: ergo Deus eſt, qui non eſt Deus Pater: non ergo vnus tantùm Deus eſt. Si verò genuit Deum, qui eſt Deus Pater: ergo genuit ſeipſum. Ad quod reſpondemus determinantes iſtam propoſitionem, quæ ſic proponūt. Si Deus Pater genuit Deum aut, Deum qui eſt Pater Deus: aut Deum, qui non eſt Deus Pater. Hoc enim ſanè & prauè intelligi poteſt: & ideo reſpondendum eſt ita, Deus Pater genuit Deū, qui eſt ipſe Pater, Hoc dicimus eſſe falſum: & concedimus alterum ſcilicet genuit Deum, qui non eſt Pater nec tamen genuit alterum Deum, nec ille qui genitus eſt, eſt alius [a] Deus quàm Pater, ſed vnus Deus cū Patre. Si verò additur, genuit Deū, qui non eſt Deus Pater: hìc diſtinguimus, quia dupliciter poteſt intelligi: genuit Deum, qui non [b] eſt Deus Pater, ſcilicet Deum Filium: qui Filius, non eſt Pater, qui Deus eſt, hic ſenſus verus eſt. Si verò intelligatur ſic, genuit Deum, qui non eſt [c] Deus Pater, id eſt, qui non eſt Deus [d] qui Pater eſt, hic ſenſus falſus eſt, Vnus enim & idem Deus eſt, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: & è diuerſo, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus vnus eſt Deus.*

*Reſponſio.
a Quia Dei vocabulum eſſentię ſignificatio eſt, quę ſingulariſſima eſt, vna in tribus perſonis: Filij vero vox Perſonam deſignat, quæ alia eſt à Patris perſona, & tamē idem cum Patre Deus ratione eſſentię.
b Ratione Perſonę.
c Ratione eſſentię. & quum Dei vox extra Perſonarum rationem conſideratur.
d Idem ratione eſſentiæ.

C

CAP. III.

Opinio quorundam dicentium tres perſonas eſſe vnum Deum, vnam Subſtantiam: ſed non è conuerſo, ſcilicet vnum Deum vel vnam Subſtantiam eſſe tres perſonas.

QVIDAM tamen veritatis aduerſarij concedunt Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, ſiue tres Perſonas, eſſe vnum Deum, vnam ſubſtantiam: ſed tamen nolunt concedere, vnum Deum ſiue vnam ſubſtantiam eſſe tres perſonas, dicentes diuinam ſubſtantiam prædicari de tribus Perſonis, non tres Perſonas de ſubſtantia diuina. Fides autem Catholica tenet ac prædicat, & tres Perſonas eſſe vnum Deum, & vnam ſubſtantiam, ſiue eſſentiam ſiue naturam diuinam: & vnum Deum ſiue eſſentiam diuinam eſſe tres Perſonas: Vnde Aug. in 1. lib. de Trin. ita ait, Rectè ipſe Deus Trinitas intelligitur, beatus & ſolus potens. Ecce quàm expreſſè dixit, ipſe Deus Trinitas: vt oſtenderet & ipſum Deum eſſe Trinitatem, & Trinitatē ipſum Deum eſſe. Item in eodem, In verbis, inquit, illis Apoſtoli, quibus de aduentu Chriſti agens, dicit, Quem oſtendit Beatus & ſolus potens, rex regum, & dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, &c. nec Pater propriè nominatus eſt, nec Filius, nec Spiritus ſanctus: ſed beatus & ſolus 1 potens, id eſt, vnus & ſolus Deus verus, qui eſt ipſa Trinitas, Ecce & hîc apertè dicit vnum ſolum verum Deum eſſe ipſam Trinitatem. & ſi vnus Deus Trinitas eſt, ergo vnus Deus eſt tres Perſonæ. Item in libro 5. de Trin. 2. Non tres deos, ſed vnum Deum dicimus eſſe ipſam præſtantiſſimam Trinitatem. Item in lib. qui dicitur Enchiridion ad Laurentium, cap. 9. Satis eſt Chriſtiano rerum creatarum cauſam viſibilium ſiue inuiſibilium non niſi bonitatem credere creatoris, qui eſt Deus verus & vnus: nullámque eſſe naturam, quæ non aut ipſe ſit aut ab ipſo: eámque eſſe Trinitatem, Patrem ſcilicet, & Filium, & Spiritum ſanctum. Item Aug. in ſermone de Fide, Credimus vnum Deum vnam eſſe diuini nominis Trinitatem. Idem in 6. lib. de Trinit. 3 Dicimus Deum ſolum eſſe ipſam Trinitatem. Ecce & his & aliis pluribus autoritatibus euidenter oſtenditur, dicendum eſſe & credendum, quod vnus Deus eſt Trinitas, & vna ſubſtantia tres Perſonæ: ſicut è conuerſo Trinitas, dicitur eſſe vnus Deus, & tres Perſonæ dicuntur eſſe vna ſubſtantia.

Hypophora, ne præiudicio iā receptę interquoſdam diſtinctionis, ſuperior ſolutio grauaretur. Illi enim cenſebant, nō recurrere, .i. non conuerti inter ſe tres Perſonas diuinas, & vnicam illau eſſentiam: ſed hanc latius patere. Cap. 6. Auguſt de Trin lib. 1. cap. 6.
B
1. Tim. 6.
Cap. 9.
C
Sermone 129. feria 5. Cœna Domini. cap. 7.

CAP. IIII.

Redit ad præmiſſam quæſtionē, ſcilicet an Deus Pater ſe Deum, an alium Deum genuerit.

NVNC ad præmiſſam quæſtionem reuertamur: vbi quærebatur an Deus Pater genuerit ſe Deū an alium Deum. Ad quod dicimus, neutrum forè concedendū. Dicit tamen [e] Aug. in epiſtola ad Maximum, quòd Deus Pater ſe alterū genuit, his verbis, Pater vt haberet Filium de ſeipſo, non minuit ſeipſum. ſed ita genuit de ſe alterum ſe, vt totus maneret in ſe, & eſſet in Filio tantus, quantus & ſolus. Quod ita [f] intelligi poteſt, id eſt, de ſe alterum à ſe genuit: non vtique alterum Deum. ſed alteram, Perſonam: vel genuit ſe alterum, id eſt, genuit alterū, qui hoc eſt quod ipſe. Nam

Superioris ſolutionis cap. 2. allotę confirmatio.
e Obiectio. Epiſt. 66. Maximo
f Solutio.

A *etſi alius ſit Pater quàm Filius, non eſt tamen aliud quàm Filius, ſed vnum.*

DISTINCT. IIII.

CAP. I.

1 *Nulla enim res eſt.* Locus ex lib.1. de Trinitate cap.1. circa principium ſumptus, in quo tranſcribendo prætermiſit iſte vocem *Omnino*, quæ non eſt nihili apud Auguſtinum, præſertim, ad huius loci confirmationem, nempe, *Ne Deum quidem ipſum ſeſe genuiſſe*, quia omnino res nulla, id eſt, Res nullius generis, naturæ, aut ordinis ſeipſam gignit. Deus quidem etſi res quædam eſſe dicitur: tamen vt idem Auguſtinus docet lib. de Cognitione veræ vitæ capite 3. ab omni prædicamento excluditur. Itaque ab omni rerum genere: adeò vt, niſi particula & συγκατηγόρημα, *Omnino*, addatur hoc loco, non ſatis firma vis huius B Auguſtiniani argumenti videri poſsit. Damaſcenus lib.1. de orthodoxa Fide, cap.4. οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων ἐστὶ Θεός. οὐχ ὡς μὴ ὤν, ἀλλ' ὡς ὑπὲρ τὰ ὄντα, καὶ ὑπὲρ αὐτὸ τὸ εἶναι ὤν. Itaque τὸ ὑπὲρ οὐσίαν. ibidem, vt & à Baſilio & à Dionyſ. Eccleſ. Hierarch. cap.3. nominatur. facit ad noſtræ ſententiæ confirmationem quod idem Auguſt. in Enchiridio cap.1. & alibi hanc ſententiam, *Quòd nemo ſeipſum generet*, tantùm de ſolis hominibus vſurpauit. Hîc autem generaliſsimè, etiam de Deo ipſo. Ergo vox, *Omnino* erat neceſſaria. Cicero in oratione de prouinciis Conſularibus, *C. Cæſari*, ait, *ſupplicationes decreuiſtis, numero, vt nemini vllo ex bello: honore, vt omnino nemini.*

AD CAP. III.

1 *Solus potens, id eſt, vnus.* Sic Auguſtinus, & quidem perſpicuè, *In quibus verbis nec pater propriè nominatus eſt, nec Filius, nec Spiritus ſanctus: ſed beatus, & ſolus potens, Rex regum, & Dominus dominãtium: quòd eſt vnus ſolus & verus Deus ipſa Trinitas.* C Hic obſcurè, *id eſt, Vnus & ſolus verus Deus, qui eſt ipſa Trinitas.* Hic enim quum ait, *Qui vnus eſt Trinitas*, obſcurè docet, & barbarè loquitur: Auguſtinus apertè, *Quod eſt vnus Deus, &c.* quia vox iſta, *Quod*, ad rẽ ipſam ſeu οὐσίαν ſpectat, quæ cùm ſit vna, non in ea Trinitas, ſed in numero Perſonarum, & diſtinctione earum quærẽda eſt. Thomas in 1. Quæſt.31. art. primo, Ad 4. *Quum dicimus Trinitatem in vnitate, non ponimus numerum in Vnitate eſſentiæ, quaſi ſit ter vna: ſed Perſonas numeratas ponimus in vnitate naturæ.* De quo luculenter in noſtro contra Genebrardum Valentini Gentilis furores reuocantẽ libello ſcripſimus, vbi hominis impudentiſsimum os tandem occluſimus. Vt tamen gratificer ſcholaſticis, eorúmque doctrinæ ſtudioſis (quanquam, præter dira conuitia, nullum ab iis præmium me reportaturum video) monendus eſt lector, iſtam opinionem & ſententiam tam blaſphemam, quæ negat recurrere ac conuerti inter ſe tres Perſonas, & vnicam illam eſſentiam, quæque falſam eſſe hanc enuntiationem contendit, *Tres perſonæ ſunt vnica illa diuina eſſentia*, fuiſſe Gilberti Porretani, quòd crederet ille latiùs patere diuinã eſſentiam, quàm tres ipſas Perſonas. Vixit autem temporibus Bernardi Abbatis Clareuallenſis, & quemadmodũ A refert Bernardus ipſe Sermo.80. in Cantica Cãticorum dixit, *Diuinitate Deus eſt Deus: ſed Diuinitas non eſt Deus.* de quo vide Thomam in 1. quæſt. 39. articu.6.

1 *Non tres Deos.* Longè commodiùs ad refutãdum ſuperiorem errorem recitaret iſte, quæ idem Auguſtinus eodem libro 5. cap.9. I. ſequẽti habet, propterea quòd cap.8. eò propriè ſpectat, vt doceat quæ ſubſtantialiter de Deo dicuntur, æqualiter de ſingulis illis perſonis enuntiari id eſt Patre. Filio & Spiritu Sancto: non autem vt probet idem eſſe Deitatem totam, & tres Perſonas contráque: vel idem eſſe Deum & Deitatẽ ipſam: item bonitatem qua Deus eſt bonus, eſſe idem re cum Deitate, atque ex his vnum altero latiùs non patere. Quod hic docendum erat. Ergo in illo capite 9. hæc Auguſtini verba ſunt, eáque ad hoc argumentum aptiſsima. *In rebus*, ait, *quæ participatione magnitudinis magnæ ſunt, quibus aliud eſt eſſe, aliud magnas eſſe (ſicut magna domus,* B *& magnus mons, & magnus animus) In his ergo rebus aliud eſt magnitudo: aliud, quod ab ea magnitudine magnum eſt. Deus autem, quia non ea magnitudine magnus eſt, quæ non eſt, quod ipſe, vt quaſi particeps eius ſit Deus quum magnus eſt (alioquin illa erit maior magnitudo, quàm Deus. Deo autem non eſt aliquid maius) Ea igitur magnitudine magnus eſt, quia ipſe eſt eadem magnitudo, Hoc & de bonitate, & de æternitate, & de omnipotentia Dei dictum ſit, omnibúſque omnino prædicamentis, quæ de Deo poſſunt pronunciari, quòd ad ſeipſum dicitur.* Hæc infrà Diſt.22. diſcerpit iſte, & quidem intempeſtiuè. Baſil. lib.1. contra Eunominum refutat eos, qui communem illam trium Perſonarum eſſentiam cogitant tãquam materiam προϋπάρχουσαν, qua tres illæ Perſonæ conſtent. Nam diuiſionem hac ratione fingunt in bona illa diuina eſſentia, vel conſtituũt Trinitatem Deum aggregatum, præter reliqua abſurda quæ Bernardus Sermo.80. in Cant. Canticorum enumerat. Vide quæ annotauimus in Enchirid. Auguſtinianum, cap.9. C

3 *Dicimus Deum ſolum eſſe.* Planè detortus ab Auguſtini mente locus: id quod ex ipſis verbis verè repræſentatis perſpicuè apparebit, *Quia verò dicimus & Deum ſolum ipſam Trinitatem, quamuis ſemper ſit cum Spiritibus & animalibus ſanctis: ſed ſolam dicimus quod Deus eſt, quia non & illi cum illo Deus ſunt, &c.* Iſte verò ſic commutat Auguſtini & quæſtionem & verba, *Dicimus Deum eſſe ipſam Trinitatem*, tanquam Auguſtinus, quid Trinitas ſit, explicaret, qui tãtùm huius vſitatę inter orthodoxos phraſis *Deus ſolus eſt in cœlis*, vim & & notionem explanat.

Cenſura.

Hæ tot quæſtiones, quæ & hîc fiunt, & poſtea ſequuntur, vtrùm dicendum ſit, *Deus Deum genuit*: vel *Diuina eſſentia Deum*, vel *Diuina eſſentia diuinam eſſentiam*, vel *Pater Filium*, ſunt ex hoc vno ignorantiæ fonte omnes ortæ, quòd Theologi ſeu potiùs ſcholaſtici melioris literaturæ fuerunt ignari, atque adeò imperiti ipſius Latinæ linguæ, qua tamen omnia ſua dogmata tradiderunt. Ergo non animaduerterunt apud omnes, qui modò Latinè ſiue de rebus ſacris, ſiue de profanis loquuntur, ſcriptores concreta pro abſtractis,

A ſtractis, quemadmodum vocant, & abſtracta pro concretis nonnunquam vſurpari. Sic Chriſtus hominem geſtare dicitur ab Auguſtino, pro humanitatem, vel humanam naturam geſtare, lib. de Agône Chriſtia. *Actiones* quidem ſunt ſuppoſitorum, non ipſius naturæ in abſtracto conſideratæ (vt rectè hoc loco annotat Durandus) vnde fit, vt quicquid actionem, actioniſque modum ſignificat, ita efferri propriè debeat, vt per vocabulum ὑποκειμένου σημαντικὸν. i. per concretam & inhærentem in ipſo indiuiduo naturam enuncietur. Nam propriè dicendum eſt, *Homo diſputat*, non autem, *Homeitas*, vt ita loquar, *diſputat*: Homo gignit, non, Homeitas gignit: equus portat, nō equina natura vel equietas portat. Sed cùm de rebus, explicandæ noſtræ notionis gratiâ, diſtinctè loquimur, & quid in indiuiduo ſit ipſa indiuidui natura, vel illius accidens, ſpectamus, tunc οὐσίαν abſtractè & per ſe cogitamus, ſpoliatam omnibus accidentibus, atque etiam naturaliter inhærentibus proprietatibus.
B
Ex quo fit, vt multa ipſi eſſentiæ nudè, atque per ſe cogitatæ tribuantur, tanquam ipſius propria. Sic dicimus, Humanitas ſeu humana natura gignit humanam naturam vocabulo abſtracto vtentes. Sed quid in propoſita quæſtione verbis eſt opus? Siue enim dicatur, *Deus Deū genuit*, ſiue, *Eſſentia diuina diuinā eſſentiā*: ſiue *Deꝰ diuinā Eſſentiā genuit*, certè propter vnitatē diuinæ naturæ, quæ multiplicari nō poteſt, omnium iſtarum locutionum eadem mens eſt & ſententia, nempe hæc *Pater Filium genuit*. Itaque & Deus & Eſſentia tunc relatiuè ſiue perſonaliter ſumitur, pro ipſa duntaxat Patris perſona: non autem generaliter, & abſolutè, & eſſentialiter, licet aliter Richardus, Genebrardus, & alij ſimiles inſulſi homines ſophiſtæ ſentiant, ac rixoſè magnis voluminibus contendant. Velle enim & affirmare Filium eſſe ab οὐσίας ſimpliciter, non autem ab ὑποστάσεως Patris genitum, eſt hæreticum, vt docet Baſilius in exemplari Fidei, quod extat inter ipſius epiſtolas: & ſic quoque in Concilio Lateranenſi
C
habito ſub Innocentio 3. apertè definitum eſt, & in noſtra Synopſi tranſcriptum.

DISTINCTIO V.

Hic queritur, an Pater genuit diuinam eſſentiam, vel ipſa Filium: an eſſentia genuerit eſſentiam, vel ipſa nec genuit, nec genita eſt.

CAP. I.

De comparatione generationis ad terminum eſſentialē abſtractū, qui eſt eſſentia.
Ratio prima quare ita ſit, à vocis eſſentiæ ſignificatione.

POST hec queritur vtrum concedendum ſit, quòd Pater genuit diuinam eſſentiam, vel quòd diuina eſſentia genuit Filium, vel eſſentia genuit eſſentiam: an omnino non genuit, nec genita eſt diuina eſſentia, Ad quod Catholicis tractatoribus conſentientes dicimus, quòd nec Pater genuit diuinam Eſſentiam, nec diuina eſſentia genuit Filium, nec diuina eſſentia genuit diuinam eſſentiam. Hic autem nomine eſſentiā intelligimus diuinam naturam, qua communis eſt tribus Perſonis, & tota in ſingulis. Ideò non eſt dicendum quòd Pater genuit diuinam eſſentiam: quia ſi Pater diceretur genuiſſe diuinam eſſentiam, diuina eſſentia relatiuè diceretur ad Patrem, vel pro relatiuo poneretur. Si autem relatiuè diceretur, vel pro relatiuo poneretur, nō indicaret eſſentiā. Vt enim ait Auguſtinus in 5. lib. de Trinit. Quod relatiuè 1 dicitur non indicat ſubſtantiam.
A
Cap. 7. circa finem eiuſdem.

CAP. II.

Secunda ratio à repugnantibus veræ illi regulæ, Nihil ſeipſum gignit.

ITEM, cùm Deus Pater ſit diuina eſsentia, ſi eius eſset genitor, eſset vtique genitor eius rei quæ ipſe eſt: & ita eadem res ſeipſam genuiſset, quod Auguſt. negat, vt ſuprà oſtendimus.

1. lib. de Trin. ca. 1. Diſt. 4. lit. A.

CAP. III.

Tertia ratio & potior, ab abſurdo pugnante cum ipſo rerum gignendarum ordine.

B

ITEM. ſi Pater eſt 1 genitor eſſentiæ diuinæ, cùm ipſa eſſentia diuina ſit, & Deus ſit, eo quòd generat, & eſt, & Deus eſt. Ita ergo non illud quod generatur, eſt à Patre Deus: ſed Pater eo quòd generat, & eſt, & Deus eſt. & ſi ita eſt, non genito gignens, ſed gignenti genitus cauſa eſt, vt & ſit, & Deus ſit. Simili ratione probat Auguſt. in lib. vij. de Trinit. quòd Pater non eſt ſapiens ſapientia quam genuit, quia ſi ea ſapiens eſt, ea eſt, hoc enim eſt ſibi eſſe, quod ſapere. Quòd ſi hoc eſt ſibi eſſe quod ſapere, non per illam ſapientiam, quam genuit Pater, ſapiens eſt. Quid enim aliud dicimus, cùm dicimus, hoc illi eſt eſſe quod ſapere, niſi, eo eſt, quo ſapiens eſt? Ergo quæ cauſa illi eſt vt ſapiens ſit, etiam ipſa illi cauſa eſt vt ſit. Si ergo ſapientia, quā genuit, illi cauſa eſt vt ſapiens ſit, & cauſa illi eſt vt ſit. Sed cauſam Patri, quæ ſit, à Patre genitam nullo modo quiſquam dixerit ſapientiam, quid enim eſt inſanius? Ita ergo ſi Pater genuit eſſentiam, qua eſt: eſſentia quam genuit, cauſa eſt illi vt ſit. Non ergo ipſam, qua eſt, eſſentiam genuit. Nam in illa ſimplicitate, vt inquit Auguſt. quia non eſt aliud ſapere quàm eſſe, eadem eſt ibi ſapientia quæ eſſentia, ideóque quod de ſapientia, hoc de eſſentia dicimus. Sicut ergo non genuit ſapientiam, qua ſapiens eſt, ita nec eſſentiam, qua eſt. Vt enim ſapientia ſapiens eſt, & potentia potens, ita & eſſentia ipſe eſt. Eadémque ſapientia eſt & potentia, quæ eſſentia. Patet itaque ex prædictis, quia Pater eſſentiam diuinam non genuit.

Cap. 10.
C
Ibidem.

CAP. IIII.

Huic aduerſari videtur Aug.

HVIC autem videtur contrarium quod Aug. ait in lib. vnico de Fide & Symbolo cap. 3. Deus cum verbum genuit, id quod ipſe eſt genuit, nec de nihilo, nec de aliqua iam facta conditáque materia, ſed de ſeipſo id quod ipſe eſt. Item, Deus Pater qui veriſsimè ſe indicare animis cognituris & voluit & potuit, hoc ad ſeipſum indicandum genuit, quod eſt ipſe qui genuit. Ecce apertè dicit his verbis, Deum Patrem genuiſſe illud ipſe eſt. Illud autem quod ipſe eſt non niſi diuina eſſentia, videtur ergo 1 diuinam eſſentiam genuiſ-

Obiectio ex Aug.
Ibidem.
Solutio obiectionis. Vide inf. ca. 11.

A *ſe. Ad quod reſpondemus illa verba ſic intelligenda eſſe, dicentes, Pater de ſeipſo genuit illud quod ipſe eſt, id eſt, Filium, qui eſt illud quod Pater eſt. Nam quod Pater eſt, & Filius hoc eſt: ſed non qui Pater eſt, & Filius hic eſt.*

CAP. V.

Alias partes quæſtionis exequitur, ac primùm de hac phraſi *Diuina eſſentia genuit Filium.*

a Item de hac phraſi, Diuina eſſentia genuit Diuinam Eſſentiam

ITA etiam non eſt dicendum 1 quòd diuina eſſentia genuit Filium: quia cùm Filius *ſit diuina eſſentia, iam eſſet* Filius *res à qua generatur: & ita eadem res ſeipſam generaret, Ita etiã dicimus quòd*[a] *eſſentia diuina non genuit eſſentiam. Quum enim vna & ſumma quædam res ſit diuina eſſentia, ſi diuina eſſentia eſſentiam genuit, eadem res ſeipſam genuit, quod omnino eſſe non poteſt: ſed Pater ſolus genuit* Filium, *& à Patre &* Filio *procedit Spiritus ſanctus.* B

CAP. VI.

Quæ videantur eſſe contraria.

1 Obiectio ex Auguſtin.

Auguſt. de Trinit. lib 7. ca. 1. & 2.

PRAEDICTIS autem videtur contrarium eſſe, quod dicit Aug. in lib. 7. de Trin. Hoc, inquit, eſt Deo eſſe, quod ſapere. vnde Pater & filius ſimul ſunt vna Sapientia, quia vna eſſentia: & ſigillatim ſapientia de ſapientia, 1 ſicut eſſentia de eſſentia. Ecce his verbis apertè dicit Aug. ſapientiam de ſapientia, & eſſentiam de eſſentia. Vbi videtur ſignificare quòd ſapientia ſapientiam, & eſſentia generit eſſentiam. Idem in libro de Fide *ad Petrum ait, Sic Chriſtum Dei* Filium, *id eſt, vnam ex Trinitate Perſonam, Deum verum crede, vt diuinitatem eius de 2 natura Patris natam eſſe non dubites. Hîc videtur dicere quòd natura* Filij *ſit nata de natura Patris. Idem in lib. xv. de Trinit. ait,* Dicitur Filius *conſilium de conſilio, & voluntas de voluntate: ſicut 3 ſubſtantia de ſubſtantia, ſapientia de ſapientia. Et hîc videtur dicere quòd ſubſtantia ſit genita de ſubſtantia, & ſapientia de ſapientia. Sed hoc*[b] *ita determinamus. Sapiẽtia de ſapiẽtia, & ſubſtãtia de ſubſtãtia eſt, id eſt, Filius qui eſt ſapiẽtia, qui eſt ſubſtantia, eſt de Patre, qui eſt eadẽ ſubſtãtia & ſapiẽtia, &* Filius, *qui eſt diuinitas, natus eſt de Patre, qui eſt natura diuina. Et vt expreſſius dicamus, dicimus* Filium *ſapientiam eſſe de Patre ſapientia: & dicimus Filium ſubſtantiã eſſe genitum de Patre & à Patre ſubſtantia. Quòd*[c] *autem ita intelligi debeat. Aug. oſtendit in lib. vij. de Trin. dicens,* Pater *ipſe ſapienta eſt: & dicitur* Filius *ſapientia Patris, quomodo dicitur lumen* Patris, *i. ſicut lumen de lumine, & vterque vnum lumen: ſic intelligatur ſapientia de ſapientia: & vterque vna ſapientia & vna eſſentia. Item ideo Chriſtus dicitur virtus & ſapientia Dei, quia de* Patre, *virtute & ſapientia etiam ipſe virtus & ſapientia eſt: ſicut ipſe lumen de* Patre *lumine eſt, & ipſe fons vitæ eſt apud* Deum Patrem *fontem vitæ.* Filius *ergo ſapientia de* Patre *ſapientia eſt: ſicut* Filius *lumẽ de* Patre *lumine, &* Deus Filius *de Deo* Patre: *vt & ſingulus ſit lumen, & ſingulus* Deus, *& ſingulus ſapientia: & ſimul, vnum lumen, vnus Deus, vna ſapientia. Ecce manifeſtè his verbis aperit Aug. ex quo ſenſu accipienda ſint prædicta verba & his ſimilia, ſcilicet quum dicitur ſubſtantia de*[d] *ſubſtantia, vel ſubſtantia genuit*[e] *ſubſtantiã.* A

Cap. 2. circa mediũ.

C

Cap. 20.

b Solutio obiectionis.

c Solutionis confirmatio. Auguſt. de Trin. lib. 7. cap. 1. circa finem capitis. Eod. lib. c. 3. 1. Cor. 1.

d Id eſt, eſſentia. e Id eſt, eſſentiam

CAP. VII.

Quod videtur prædictæ expoſitioni contrarium.

Superioris ſolutionis euerſio ex Hilario. Non longè à principio libri.

Circa finem libri quinti.

HVIC verò etiam id contrarium videtur, quod Hilarius, ait in 4. lib. de Trinit. Nihil, inquit, niſi natum habet Filius: *& geniti honoris admiratio in honore generantis eſt. Quum ergo* Filius *eſſentiam habeat (tota enim in eo eſt diuina eſſentia) videtur quòd ipſa diuina eſſentia nata ſit. Item in quinto libro ait, Natiuitas* Dei *non poteſt eam, ex 1 qua prouecta eſt, non tenere naturam: nec enim aliud quàm Deus 1 ſubſiſtit, quod non aliunde quàm de Deo 2 ſubſiſtit. Ecce hîc dicit natiuitatem Dei prouectam ex natura: & ita videtur ex his verbis atque prædictis natura Dei & genita, & genuiſſe. Quod apertiùs dicit in lib. 9. de Trin. Nos, inquit, vnigenitum Deum in forma Dei manentem in natura hominis manſiſſe profitemur: nec vnitatem formæ ſeruilis in naturam diuinæ vnitatis refundimus: nec rurſum,* [f] *corporali inſinuatione* Patrem *in* Filio *prædicamus, ſed ex eo eiuſdem generis genitam naturã naturaliter in ſe gignentem habuiſſe naturam: quæ in forma naturæ ſe gignentis manens, formam naturæ & infirmitatis corporalis accepit. † Non enim defecerat Dei natura, ne eſſet: ſed in ſe humilitatem terrenæ natiuitatis manens ſibi Dei natura ſuſceperat, generis ſui poteſtatem in habitu aſſumptæ humanitatis exercens. Ecce hîc apertè dicit, & 3 naturam genuiſſe, & naturam 4 genitam, & naturam aſſumpſiſſe naturam: quod à pleriſque negatur. Item in eodem, Nunquid vnigenito Deo contumelia eſt, Patrem ſibi innaſcibilem Deum eſſe, cum ex innaſcibili Deo natiuitas vnigenita in naturam vnigenitam ſubſiſtat? Ecce & hîc dicit vnigenitam naturam.*

B

f Corporis aſſumptione.

Quòd natura Dei non eſt minuta in aſſumptione.

Paulo inferiùs. Circa medium eiuſdem quarti. Hilarij ſententiæ explicatio.

CAP. VIII.

Quomodo ſint intelligenda præmiſſa verba Hilarij.

C

Circa finem quinti.

SED quia hæc verba ſanè vult intelligi, ipſe idem dicit in iiij. lib. Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei ſermo ſubiectus eſt. Hæc ergo verba ita intelligi poſſunt, Nihil habet Filius niſi natum. i. Nihil habet ſecundum quod Deus eſt, niſi quod naſcendo accepit: & ipſe naſcendo Patris in ſe ſubſiſtẽtem naturã habuit, vnde Hilarius addit in quinto libro: Eandem naturam habet genitus, quam ille qui genuit: ita tamen, vt natus non ſit ille qui genuit. Nam[g] *quomodo erit pater ipſe, cùm genitus ſit? Sed in his ipſis ſubſiſtit ille qui genitus eſt, in quibus totus eſt ipſe qui genuit, quia non eſt aliunde qui genitus eſt: & ideo non refertur ad aliud quod in 1 vno ſubſiſtit, & ex vno. 2 Ac ſi in generatione Filij & naturam ſuam, vt ita dicam, ſequitur indemutabilis Deus indemutabilem Deum gignens, nec naturam ſuam deſerit ex indemutabili Deo indemutabilis Dei perfecta natiuitas. Subſtantem ergo in eo Dei naturam intelligamus, cum in Deo Deus inſit, nec præter eum qui Deus eſt, quiſquam Deus alius ſit: quia ipſe Deus alius ſit ipſe Deus & in eo Deus. Natura ergo Dei Patris veritas in Deo Filio eſſe docetur, cùm eo*[h] *Deus*[i] *intelligitur qui* Deus *eſt eſſe. Eſt enim vnus in vno, & vnus ab vno.*

g Explicationis cõfirmatio.

Ioan. 4. Ego in Patre, & Pater in me.

h Patre. i Filius.

CAP.

CAP. IX.

Quòd legitur Pater de ſua ſubſtantia genuiſſe Filium, & Filium ſubſtantiæ Patris.

2 Obiectio ex Auguſtino Cap.2. DICITVR quoque, & frequenter in Scriptura
legitur, Patrem de ſua ſubſtantia genuiſſe Filiũ, vnde
Aug. in lib. de Fide ad Petrum ait: Pater Deus de
nullo genitus Deo, ſemel de ſua natura ſine initio genuit
Filium Deum ſibi æqualem, & eadem qua ipſe
naturaliter æternus eſt, diuinitate coæternum. Ecce
hîc dicit Auguſtinus Filium genitum de natura Patris.
Eſt autem vna natura Patris: & Filij, & Spiritus
ſancti, Si ergo de natura Patris genitus eſt Filius,
genitus eſt de natura 1 Filij & Spiritus ſancti: imò
Cap.19. circa finẽ Colo.1.v.13. de natura trium Perſonarum. Idem quoque Auguſt.
in lib. xv. de Trinit. dicit Chriſtum eſſe Filium
ſubſtantiæ Patris, & de ſubſtantia Patris genitum,
tractans illud verbum Apoſtoli loquentis de Deo
B Patre ſic, Qui eruit nos de poteſtate tenebrarum, &
tranſtulit in regnum Filij charitatis ſuæ. Quod dictũ
eſt, inquit, filij Charitatis ſuæ, nihil aliud intelligitur,
quàm Filij ſui dilecti, quam Filij ſubſtantia ſuæ. Charitas
quippe Patris, quæ in natura eius eſt ineffabiliter
ſimplici, nihil eſt aliud, quàm ipſa natura atque
ſubſtantia, vt ſæpe diximus, & ſæpe iterare non piget:
ac per hoc Filius charitatis eius nullus alius eſt, quàm
qui de ſubſtantia eius eſt genitus. Ecce hîc apertè dicit
Aug. Filium eſſe genitum de ſubſtantia Patris, &
Tomo 6. cap.14. circa principium. Filium ſubſtantiæ Patris. Idem quoque Aug. in lib.
3 contra hæreticum Maximinũ, ſubſtantiam Dei genuiſſe
Filium, & Filium genitum de ſubſtantia Patris
aſſerit dicens, & Carnalibus cogitationibus pleni
ſubſtantiam Dei de ſeipſa gignere Filium non putatis,
niſi hoc patiatur quod ſubſtantia carnis patitur
Matt. 22. c. Contra Paulianos Contra Arium & Donatum quando gignit. Erratis non ſcientes Scripturas, neque
virtutem Dei. Nullo enim modo verum Dei Filium
cogitatis ſi eum natum eſſe de ſubſtantia Patris negatis.
Non enim iam erat hominis Filius, & Deo donante
C factus eſt Dei Filius, 2 ex Deo natus gratiâ non natura.
An fortè etſi non hominis Filius erat, tamen iam
aliqua erat qualiſcunque creatura, & in Dei Filium
Deo mutante conuerſa eſt? Sed nihil horum eſt: ergo
aut de nihilo, aut de aliqua ſubſtantia natus eſt. Sed
ne crederemus vos putare de nihilo eſſe Dei Filium,
affirmatis vos non dicere de nihilo eſſe Dei Filium.
De aliqua ergo ſubſtantia: & ſi non de ſubſtantia Patris,
de qua ſit dicite: ſed non inuenietis. Iam ergo vnigenitum
Dei Filium Ieſum Chriſtum de Patris eſſe
ſubſtantia, vos nobiſcum non pigeat confiteri. Idem
in eodem, Vtrique legimus vt ſimus in vero Filio eius
Ieſu Chriſto. Dicite ergo nobis, Vtrum iſte verus Dei
1. Ioan. 5. Paulò inferius in eod. ca. Filius, ab eis qui gratia Filij ſunt, quãquam proprietate
diſcretus, de nulla ſubſtantia ſit, an de aliqua?
Non dico, inquis, de nulla: 3 nec dicam de nihilo, ergo
de aliqua ſubſtantia eſt. Quæro, de qua? ſi non de Patris
ſubſtantia eſt, 4 etiam quære. Si aliam non inuenis,
5 Patris agnoſce ſubſtantiam, & Filium cum
Patre homouſion confitere. Idem in eodem, Confiteor
Deum Patrem omnino incorruptibiliter genuiſſe: ſed
Ex eodẽ cap. circa principiũ. quod eſt ipſe genuiſſe. Item, Dico quod ſæpe dicendum
eſt, Aut de aliqua ſubſtantia eſt natus Dei Filius,
aut de nulla. Si de nulla, ergo de nihilo, quod
vos iam non dicitis: ſi verò de aliqua, nec tamen de
Patris ſubſtantia, non eſt verus filius: ſi verò de Patris
ſubſtantia, vnius eiuſdémque ſubſtantiæ ſunt Pater & Filius. A
Vos autem nec Filium Dei de ſubſtãtia
Patris genitum vultis, & tamen eum nec ex nihilo,
nec ex aliqua materia ſed ex Patre eſſe conceditis: nec
videtis quã neceſſe ſit, vt qui non eſt ex nihilo: nec ex
aliqua alia re, ſed ex Deo, niſi ex Dei ſubſtantia eſſe
non poſſit, & hoc eſſe quod Deus eſt, de quo eſt, id eſt,
Deus de Deo 6 natus: quia non alius priùs fuit, ſed natura
coæterna de Deo eſt.

CAP. X.

Colligens ſummam prædictorum aperit ex quo ſenſu accipienda ſint.

HIS verbis præmiſſis innui videtur, quòd diuina 2 Contra ſolutionẽ obiectio.
ſubſtantia Filium genuerit, & quòd Filius ſit genitus
de ſubſtantia Patris, & quòd de Deo eſt natura
coæterna, & quòd Pater id quod ipſe eſt, genuit. Id autem
quod ipſe eſt, diuina eſſentia eſt: & ita putari poteſt B
diuinam eſſentiam genuiſſe. Vehementer mouẽt
nos hæc verba, quæ quomodo intelligenda ſint, mallem
ab aliis audire, quàm ipſe tradere. Vt tamen ſine præiudicio
atque temeritate loquar, ex hoc ſenſu dicta
poſſunt accipi: natura coæterna de Deo eſt, id eſt Filius
coæternus Patri de Patre eſt, ita quòd eadem cum Solutionis confirmatio.
eo natura, vel eiuſdem naturæ. Quem ſenſum confirmat
Aug. ibidem ſubiiciens, & quod dixerat quaſi Lib.3. contra Maximinũ cæ. 14. circa principiũ capitis.
explanans, dicto enim, natura coæterna eſt de Deo,
addit, non eſt aliud Filius quàm illud de quo eſt, id
eſt, vnius eiuſdémque ſubſtantiæ eſt, Deinde apertiùs
talem intellectum ex prædictis verbis fore habendum
aperit in eodem libro contra Maximinũ, dicens, Trinitas Eodẽ cap. Auguſt. Ibidem.
hæc vnius eiuſdémque ſubſtantiæ eſt: quia non
de aliqua materia, vel de nihilo eſt Filius: ſed de quo
eſt genitus. Item, Spiritus ſanctus non de aliqua materia,
vel de nihilo eſt: ſed inde eſt vnde procedit. His
vtique verbis apertè oſtendit ea ratione dici Filium
eſſe de ſubſtantia Patris, quia eſt de Patre genitus, ita
quod eſt eiuſdem ſubſtantiæ cum eo: & Spiritum ſanctum
eſſe de ſubſtantia Patris & Filij, quia ab vtroque
procedit, ita quòd eſt eiuſdem ſubſtantiæ. C

CAP. II.

Quòd nec Filius, nec Spiritus ſanctus eſt de nihilo: ſed de aliquo, non tamen de materia.

OSTENDITVR quoque ex illis verbis Filiũ & 2 Πόρισμα ſiue corollarium ex ſuperioribus Aug. verbis. Non lõgè à medio.
Spiritum ſanctum non eſſe de nihilo, ſed de aliquo:
nec tamen de aliqua materia. Vnde etiam Hilarius
in xij. lib. de Trinit. ait, Vnigenitus Deus cùm natus
ſit, Patrem teſtatur autorem: cùm ex manente natus
eſt, non eſt 1 natus ex nihilo: & cùm ante tempus natus
eſt, omnem ſenſum præuenit naſcendo. Hîc apertè
dicitur quòd Filius non eſt natus ex nihilo. Similiter
& Spiritus ſanctus non eſt dicendus eſſe vel procedere
ex nihilo: quia Filius de ſubſtantia Patris natus Verba hęc pater genuit quod ipſe eſt, quid ſignificent.
eſt, id eſt, à Patre eſt, cũ quo eiuſdem ſubſtãtia eſt, &
eadẽ ſubſtãtia. Ex quo ſenſu etiã accipiẽdũ eſt, illud
Pater genuit id quod ipſe eſt, id eſt, Filiũ, qui eſt hoc
quod Pater. Et hoc ita debere intelligi Aug. aperit dicẽs Ex cap.3. lib. de Fide. & ſymbolo paulò antè citato.
in 1. li. cõtra Maximinũ, hoc genuit Pater quod eſt:
alioquin nõ eſt verꝰ Filiꝰ, ſi quod eſt Pater nõ eſt Filiꝰ.
Itẽ ſubſtãtia Dei genuit Filiũ, id eſt Pater ſubſtãtia

A

Circa medium primi libri. Ex lib. 3. contra Maximinū. cap. 14. Lib. 3. c. 15

genuit Filium, qui eſt eadem ſubſtantia & eiuſdem ſubſtantiæ. Quod ſic eſſe intelligendum Aug. oſtendit dicens ad Maximinum, ſicut dicis, Spiritus Spiritum genuit: ita dic, Spiritus eiuſdem naturæ vel ſubſtantiæ Spiritum genuit. Item ſicut dicis, Deus Deum genuit: ita dic, Deus eiuſdem naturæ vel ſubſtantiæ, Deum genuit. Hoc ſi credideris & dixeris, nihil de hac re vlterius accuſaberis. His enim verbis aperuit quomodo prædicta debeant intelligi. Similiter Filius natus eſt de ſubſtantia Patris, vel Pater genuit Filiũ de ſua natura ſiue eſſentia, id eſt, de ſe natura & eſſentia genuit Filium eiuſdem ſubſtantiæ ac naturæ, & qui eſt eadem eſſentia ac natura. Similiter expone illud, Filius ſubſtantia Patris, & filius Patris ſubſtantiæ. i. qui eſt ſubſtantia, cùm quo & Filius eadem ſubſtantia eſt: quia conſubſtantialis eſt Patri Filius. Et hic ſenſus adiuuatur ex his verbis Aug. qui in lib. 7. de Trinit. ait, Tres Perſonas eiuſdem eſſentiæ, vel tres Perſonas ex eadem eſſentia non dicimus, quaſi aliud ibi ſit quod eſſentia eſt, aliud quod Perſona. His verbis oſtenditur non eſſe dicendum Perſonam eſſe ex eſſentia, niſi ex ſenſu prædicto. Qui ſenſus confirmatur etiam ex eo quod in lib. xv. de Trin. idem ait, Sicut noſtra ſcientia ſcientiæ Dei, ſic & noſtrum verbum, quod naſcitur de noſtra ſcientia, diſsimile eſt illi verbo Dei, quod natum eſt de Patris eſſentia, Tale eſt autem ac ſi dicerem, de Patris ſcientia, de Patris ſapientia: vel, quod eſt expreſſius, de Patre eſſentia, de Patre ſcientia, de Patre ſapientia. Ex hoc itaque intellectu, verbum Dei Patris vnigenitus Filius per omnia Patris ſimilis & æqualis rectè dicitur, Deus de Deo, lumen de lumine, ſapientia de ſapientia, eſſentia de eſſentia: quia hoc eſt omnino quod Pater, non tamen Pater, quia iſte Filius ille Pater.

Verba hęc Pater genuit Filium de ſua ſubſtantia, quid ſignificent. Cap. 6.

Cap. 13. & 14.

Ex cap. 14

Verba hęc, Deus de Deo quid notent.

CAP. XII.

Quare verbum Patris dicatur filius naturæ.

C

2 Πόρισμα ſiue corollarium.

INDE eſt quòd ſolum vnigenitus Dei dicitur naturâ Filius, quia eiuſdem naturæ eſt, & eadem natura eſt cum Patre, vnde Hilar. in lib. 1. de Trin. de Chriſto loquens ait, Natura Filius eſt, quia eandem naturam quam ille qui genuit, habet.

AD DISTINCT. V.

CAP. I.

1 *Quod relatiuè dicitur.* Auguſtinus habet lib. 5. de Trinitate cap. 7. ad finem, *Quod relatiuè pronunciatur.* Itaque ſubſtitutum eſt *Dicitur* pro *pronunciatur* fortaſſe incolumi ſenſu: ſed tamen, quum hæc eſſe Aug. verba dicantur, apparet ſolita iſtis hominibus fide ac audacia in mutandis Patrum ſcriptis, iſtud tranſcriptum eſſe, quod negligendum non putaui.

CAP. III.

1 *SI Pater eſt genitor.* Quanquam mihi religio eſt iſtius hominis argutiis inhærere, præſertim in hac quæſtione, vtrum Pater, qui eſt ἀγέννητος, à ſeipſo ſit, vel ab alio, de qua nunquam ab vllo hæretico diſceptatum eſſe ait lib. 1. contra Eunomium Baſilius: tamen quoniam locus Auguſtini hîc citatus, à germano ſenſu mirè detortus eſt, libuit quædam hic obiter annotare. Mutat enim iſte quæſtionem Auguſtini: id quod Arnoldus Veſalienſis huius operis abbreuiator etiam animaduerterit. Querit enim Auguſtinus, *Vtrùm quæque in Trinitate Perſona poſſit per ſeipſam (non cum cæteris duabus) dici Deus, aut Magnus, aut Sapiens, & ſi quid aliud dici de Deo poteſt: an verò non dicantur iſta niſi quum Trinitas tota intelligitur & commemoratur,* quemadmodum initio capitis primi de Trinitate libro 7. (Vnde hic totus locus tranſcriptus eſt) loquitur ipſemet Auguſtinus: & reſpondet, dici poſſe. Affert autem inter varias ſuæ reſponſionis rationes & hanc quoque, *Quod ſi Pater, qui genuit ſapientiam, ex ea fit ſapiens: neque hoc eſt illi eſſe quod ſapere,* Sequetur vel ſapientiam Patris eſſe in eo qualitatem tantùm quandam, non autem eſſentiam, proptereáque non eſſe in diuina natura ſummam ſimplicitatem: vel etiam ſequetur, Sapientiam eam, quam Pater genuit, id eſt, Filium ipſum Dei (eſſe enim hæc Sapientia: quam Pater genuit, Filius eius) eſſe quantitatem duntaxat. non prolẽ Patris. Quod vtrumque eſt blaſphemum ac abſurdum. Quare ait idem Auguſtinus, *Si hoc eſt ibi* (id eſt in diuina eſſentia) *eſſe quod ſapere, non per illam ſapientiam (quam genuit) ſapiens eſt Pater: alioquin non ipſe illam ſed illa eũ genuit.* Ergo hic fuit Auguſtini ſcopus, vt doceret nõ quicꝗd vel Pater, vel Fili⁹, vel Spiritus ſanctus eſt, relatiuè dici: ſed multa vnãquanq; diuinã perſonã dici ad ſeipſam, quia hoc eſt illi tale quiddã dici, quod eſſe. Itaq; & ſapiẽs dicitur Pater ad ſe, non ad Filium: nec ex ea ſapientia quam genuit, ſapiens eſt. Et Spiritus ſanctus dicitur ſapiens non ex Filio (qui dicitur Patris ſapientia) ſed ad ſeſe, quia Deus eſt Spiritus ſanctus, & Deo idem eſt ſapiẽtem eſſe, atq; Deum eſſe. Hæc inquam Auguſtini mens eſt. quam iſte detorquẽs ad eam quæſtionem transfert: *Vtrum dicendũ ſit, quod diuina eſſentia eſſentiã diuinam genuerit:* Vel quòd Pater diuinam eſſentiam genuit. De quo vtroque dubitari minimè poteſt, modò *Eſſentiæ* vox, quemadmodum in ſuperioris Diſtinctionis cenſura diximus, non conſideretur eſſentialiter & abſtractè extra Perſonas: ſed perſonaliter ſeu hypoſtaticè in perſona Patris. Nam diuina eſſentia. i. Pater genuit eſſentiam diuinam, Filium nempe, qui eſt nõ modò diuina eſſentia: ſed ταυτότητι οὐσίας, vt Græci loquuntur, omnino eadem eſſentia, quæ Pater. Itaque iſte multa in hac quæſtione longè ab Auguſtiniana diſsimili perturbat, & perperam ex illo primo capite lib. 7. de Trinitate hæc quę iam citat tranſcribit. Porrò longè commodiora & aptiora alia ad hoc argumentũ hoc ipſo libro Diſtinct. 18. capit. 6. & Diſtinct. 19. commemorantur: certè quid quantúmque abſurdi ex hac ſententia (per quam generaliter eſſentia diuina dicitur genuiſſe diuinam eſſentiam) conſequatur, longè meliùs vno verbo expreſsit Baſilius libro 1. contra Eunomium, quam iſte totis duodecim huius Diſtinctionis capitibus, nimirum, quòd hac ratione aliquid prius ſeipſo eſſe ſtatueretur & fingeretur. Quod eſt, ἐκ τῶν ἀδυνατωτάτων μέγιστον; & diuina eſſentia, quæ vna eſt ad numerum, vt ait Thomas in 1. part. Quęſt. 31. Artic.

A

B

C

A 31. Artic. 5. proculdubiò multiplicaretur, qui eſt peſsimus error.

CAP. IIII.

1 *VIDETVR ergo diuinam.* Duplex in hac conſecutione & collectione vitium à Lombardo admiſſum eſt. Primum quod perſpicuè à diſtributo ad non diſtributum argumentatur. Eſt enim quiddam diſtributum, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus in diuinis. Eſſentia vero eſt quiddam non diſtributum. Itaque quum ex his Auguſtini verbis, *Pater genuit illud quod ipſe eſt, id eſt, eſſentiam diuinam* ſic iſte efficit, *At Pater eſt eſſentia diuina. ergo eſſentia diuina genuit diuinā eſſentiā*, paralogiſmus eſt manifeſtiſsimus, vbi quod de perſona Patris propriè & verè enunciatur, perperam ad ipſam eſſentiam generaliter traducitur. Gignendi enim actio non in eſſentiam: ſed in ipſam Patris rationem & hypoſtāſin propriè cadit. B Quanquam enim Pater qui filium genuit, eſt eſſentia diuina: tamen propriè non gignit Pater quâ eſſentia: ſed qua Pater eſt. φανερὸν δὲ, ait Baſilius libro 2. contra Eunomium ὅτι καὶ ἐπὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ οὐχὶ οὐσίαν παρίστησι τὰ ὀνόματα. ἀλλὰ τῶν ἰδιωμάτων ἐστὶ δηλωτικά. *Apparet* Patris & *Filij vocabula non eſſentiam denotare. ſed* P*erſonarum proprietates.* Itaque, ait idē Baſilius, *etiam in eadem eſſentia diuerſitatem deſignant.* Damaſcenus lib. 3. cap. 11. Orthod. fidei, θεότης μὲν γὰρ τὴν φύσιν δηλοῖ: τὸ δὲ πατὴρ, τὴν ὑπόστασιν. i. *Deitas naturam, Patris vox Perſonam ſignificat.* Itaque contra ipſiſsimam Auguſtini & orationem & mentem concludit iſte ex Auguſtino eſſentiam diuinam extra Perſonarum relationem & notitiam conſideratam genuiſſe eſſentiam diuinam. Hoc vnum eſt iſtius loci vitium.

Alterum, quòd idem iſte falsò nagat concedi debere. *Quod Pater diuinam eſſentiam genuerit.* Nam in ſolutione huius ipſius obiectionis, quam ex Auguſtino profert, ſic Lombardus ipſe C loquitur, vt concedat *Patrem de ſeipſo genuiſſe, illud, quod ipſe eſt*: ergo eſſentiam diuinam. Verùm poſtea interpretatur *Illud quod eſt* Filij vocabulo, non autem *eſſentia diuina*, quod ſubterfugium tantùm eſt, nimirum ne fateretur Patrem genuiſſe diuinam eſſentiam. Quare verè conceditur & orthodoxè Patrem genuiſſe diuinam eſſentiam, ſed eandem, quæ eſt ipſe, non autem aliam, aut à ſua diuerſam. De quo libro 5. de Trinitate luculenter agit Auguſtinus. Neque enim verba hæc Auguſtini, *Pater genuit illud, quod ipſe eſt*, ſic ſunt intelligenda, quaſi Pater Patrem genuerit. Quod eſſet neceſſe tamen, niſi de οὐσίᾳ diuina quæ eſt in Filio eadem, quæ in Patre, Auguſtinum interpretaremur.

AD CAP. V.

1 *NON eſt dicendum.* Quicquid neget iſte rectè & concedi & dici poteſt, *Diuina eſſentia genuit Filium*, quoniam tunc vox *Filij* reſtringit generalem *eſſentia* ſignificationem ad perſonam Patris. Perinde igitur ſonat iſta locutio, *Diuina eſſentia genuit Filium*, atque hęc, *Pater genuit Filium.* Auguſtinus dixit duriùs, *Pater alterum ſe genuit.* Quænam igitur fuit iſtius locutionis repudiandæ, id eſt, ſine commoda interpretatione non admittendæ ratio? Nimirum duplex. 1. quòd A cùm actione ſint propriè ὑποστάσεων. i. ſuppoſitorum, non eſſentia ipſa propriè gignit Filium, ſed Pater. Hanc rationē affert, longè quidē iſto ſuo magiſtro peritior Thomas in prima parte Quęſt. 31. art. 5. 2. ratio eſt, quòd ex hoc dicendi genere *Eſſentia diuina genuit Filium* facilè quis in eum errorem induci poteſt, vt vel diſsimilem & aliam numero putet eſſe eſſentiam Filij in diuini ab eſſentia Patris, qualis eſt in rebus humanis diuerſa patrum & filiorum eſſentia ſaltem numero: vel vt Patrem & Filium communi quadam eſſentiam, velut materia, conſtare credat, ex qua vterque Filius & Pater conflatus atque compoſitus ſit. Quod ipſum refuta libr. 7. de Trinitate cap. 6. Auguſtinus, quaſi ſi quiddam aggregatum Deus.

AD CAP. VI.

1 *ESSENTIA de eſſentia.* Proculdubiò concedit Auguſtinus, quod iſte tamen tam ſolicitè & anxiè negat, nempe *Eſſentiam diuinam eſſe de eſſentia diuina*: Et tamen vtranque eſſe vnam eſſentiam, & eandem. Itaque diſtinguenda ſunt B commodè verba Auguſtini, quod non facit iſte. Eſt eſſentia diuina de eſſentia diuina nimirum ratione ὑποστάσεως & τρόπῳ ὑπάρξεως. 1. ratione Perſonarum. Eſt enim Filius à Patre: eſt tamen vna & eadem vtraque eſſentia Patris & Filij, nempe ταυτότητι καὶ ἁπλότητι οὐσίας, quia eadem ad numerum eſt eſſentia, quę in vtraq; illa Perſona Patre & Filio ineſt, vti & in Spiritu ſancto.

2 *De natura Patris.*

3 *Subſtantia de ſubſtantia.*

Hi duo loci & ſurculi (quorum prior ex ca. 2. libr. de Fide ad Petrum decerptus eſt, poſterior ex lib. 15. de Trinitate cap. 20.) ſi quis attendat ad ipſas ſtirpes & venas, ex quibus eruuntur, aliam mentem habēt, quàm quæ illis ab iſto affingitur. Nam vocabula hæc *Natura* & *Subſtantia* iſte ſic exaudit, vt pro eſſentia ſumantur, id eſt, pro ea re, quæ eſt extra ὑποστάσεως abſtracta forma. Ego C verò vtramque hanc vocem, quanquam ſuo loco, pro ipſa Perſona ſumi dico, ídque ſignificare, quod Græci φύσιν & ὑπόστασιν propriè appellāt, quę non eſt abſtracta quędam ab hypoſtaſi forma & eſſentia: ſed in ipſo ſuo ὑποκειμένῳ conſiderata, & caracteribus deſignata ac conſtans natura. Idque ipſum diligenter mecum obſeruat hunc Lombardi locum refutans Thomas in 1. part. Quæſt. 31. Artic. 5. §. ad 1. Sic enim ſcribit, *Vnde minus impropria eſt iſta* (locutio) *Natura de natura: ſapientia de ſapientia: quàm eſſentia de eſſentia.* Sed & hic ipſe Lombardus ſeipſum euertens poſtea ita explicat lib. 3. Diſtinct. 5. cap. 1. vti nos hoc loco facimus. Quare hæret in aqua. Quanquam enim ſæpe naturam & ſubſtantiam cum voce eſſentiæ Auguſtinus ipſe (vti & reliqui ſcriptores Latini) confundit: ſæpe tamen religioſè earum vocum diſcrimen obſeruat, quemadmodum faciendum quoque ipſe docet libr. 7. de Trinitate cap. 4. Ergo de natura Patris eſt Filius, & de ſubſtantia Patris eſt, & de perſona Patris eſt. Nam perſonæ Patris character dictus eſt Filius Heb. 1. verſ. 3. quia Pater eum genuit. Neque enim hæ phraſes apud Auguſtinum ſignificant, Eſſentia diuina diuinam eſſentiā genuit, ſed Perſona Perſonam.

A Atque hæc pauca verba longiſsimam huius Diſtinctionis congeriem euertunt.

AD CAP. VII.

1 *EX qua prouecta eſt.* Codex Hilarianus habet *Profecta*, quod & dilucidius eſt, & ad mentem Hilarij verbáque ipſa, quę in eo capite pręceſſerunt, aptius. Verbum enim *Prouehendi* neſcio quid Sabellianum ſapit: ſaltem eſt à recentiore, & paulò poſt Hilarij tēpora enata Marcellianorum hæreſi prolatum: qui perſonas diuinas dicebant vnius cuiuſdam materiæ extenſionem eſſe & prouectionem. Sic igitur Hilarius, *Non enim per deſectionem, aut protēſionem aut per deriuationem ex Deo Deus eſt: ſed ex virtute naturæ in naturam eandem natiuitate ſubſiſtit, natiuitas Dei non poteſt eam, ex qua profecta eſt, non tenere naturam.* Itaque malim ex ipſo prototypo reſtituere *Profecta.*

B 2 *Quàm de Deo ſubſiſtit.* Hilarius habet vocem, *Deus*, quæ hîc non eſt de nihilo. Sic igitur ille, *Neque enim aliud, quàm* D*eus ſubſiſtit. quod* Tam *non aliunde, quàm ex Deo Deus ſubſiſtit.* accurata enim vocis D*eus* inculcatio demonſtrat eam eſſe mentem Hilarij, cámque fuiſſe Arianorum (aduerſus quos diſputat) quęſtionem, vtrùm ex Patre Deo ſic natus eſſet Filius, vt eſſet idem cum Patre Deus. Deum enim eſſe, ſed gratia non natura: dignatione non eſſentia, illi quamuis blaſphemi & ſcelerati homines, tamen cōcedebant. Hilarius autem oſtendit non tantum natum eſſe ex Patre Deo Filium & non aliunde: ſed etiam eſſe Deum de Deo (quemadmodum etiam prima ſynodus Nicena loquuta fuerat). i. eiuſdem eſſentiæ. Quę verba retinere voluit cōſultò Hilarius: iſte perperam omiſit. Hanc enim eſſe illius loci mentem & ita explicandā apparet ex his eiuſdē Hilarij verbis quę ſequuntur, *Eandem autē naturam in* (ex Patre) *ita, non vt natus ſit ipſe, qui genuit* (*Nam quomodo erit ipſe*) id eſt, erit Pater (*cùm genitus ſit?*) *ſed vt in his ipſis ſubſiſtat ille, qui genitus eſt, in quibus totus eſt ipſe qui genuit.* C

3 *Naturam genuiſſe.*

4 *Naturam genitam.*

Cùm Hilarius Græcas voces γέννητος ϗ μονογενὴς ſuo more his vocabulis, *Naturam genitam, naturam vnigenitam, naturam naſcibilem, &* ſimilibus aliis proculdubiò exprimere voluerit, intelligunt pij & eruditi viri *Naturæ* nomen hîc Perſonam ipſam Filij: non autem eſſentiam duntaxat diuinam denotare. Itaque longiſsimè à ſcopo & mēte Hilarij hos locos detorqueri, & ab iſto proferri iam apparet ad huius controuerſiæ ſtatum, in quo quæritur, non vtrùm Perſona Perſonam: ſed vtrùm ipſa diuina eſſentia in ſeſe & extra Perſonas conſiderata diuinam eſſentiam gignat. Confirmant noſtram ſententiam verba ipſa Hilarij quæ ſequuntur ibidem, *Non enim ſuæ originis eſt Filius, neque natiuitatem ſibi non extans ipſe conquiſiuit ex nullo: ſed ex viuente natura viuens natura extans tenet in ſe naturæ poteſtatem, profeſſa autoritatem naturæ*, Verba enim iſta, *Filius ex nullo, autoritatem naturæ ex viuente natura viuens natura*, hoc loco de Perſona, non de ipſa eſſentia diuina per ſe, & in abſtracto conſiderata accipi debent, tum ob ſignificationem vocum *Filius* & *Nullus*, quę Perſonam propriè deſignant: tum ob abſurdum inde conſequens. Alioqui enim duas A eſſentias diuinas, eáſque diuerſas omnino fingeret Hilarius & eſſentiæ ipſi autoritatem tribueret, in diuinis, non Perſonæ. Itaque impares eſſentia Patrem & Filium cōſtitueret. qui fuit hoc noſtro ſeculo error Gentilis Valentini & G. Genebrardi. Quod tanto ſcriptori & pio nunquam certè in mentem venit. Hilarius idem lib. 5. de Trinitate, *Non alius* D*eus ad Chriſtum deputatur, vt* D*eus ſit: Deus eſt ex natura, ex natiuitate, ex Deo. Alius enim ad eum* (*Patrem*) *non deputatur, quia non eſt in eo alia præterquam quæ* D*ei eſt veritas. i. vera natura ſeu eſſentia.* Quanquam autem *Natura* pro eſſentia apud Hilarium ſæpe vſurpatur, videndum tamen eſt quomodo illa in quoque loco & argumento ſit ſumenda.

AD CAP. VIII.

1 *QVOD in vno ſubſiſtit.* Locus inſigniter à Lombardo corruptus: in quo & ſenſum & verba eadem fide commutauit, qua pleraque alia. B Sic habet Hilarius, *Et per hoc non refertur ad aliud, quod in vnum ſubſiſtit ex vno.* Lombardus, *& ideo non refertur ad aliud quòd in vno ſubſiſtit ex vno.* Primùm ex pronomine referente *Quod* facit coniunctionem Lombardus, omnino deprauato Hilarij ſenſu. Dicit enim Hilarius illud quod ex vno eſt, & in vnum, non ad aliud referri. i. non alia atque alia definitione aut ratione in Patre & Filio Deitatem eſſe aut appellari. Iſte aliter accipit. Hic Lombardi næuus eſt vnus. Alter, quòd mutauit etiam verba hæc *in vnum* in iſta *in vno*, quæ tamen non ſunt eiuſdem ſignificationis. In vnum ſubſiſtere dixit Hilarius, quæ vnam & eandem planè rationem ac definitionem habent, velut in vnum conſentire. Iſte ſubſiſtere in vno eſſentiam diuinam dixit, tanquam in vno ſubiecto aut ὑφισαμένῳ ſubſiſtere, quam tamen ſaltem in duobus, Patre nempe & Filio eſſe hoc ipſo loco fatetur. Aliâs vna tantùm perſona diuina ſtatuetur.

2 *Ac ſi in generatione.* Eſt & hic quoque locus, C ſed non pari vulnere, à Lombardo læſus. Quod enim affirmatiuè ſcripſit Hilarius, iſte ἀπορητικῶς tranſcripſit. Habet igitur ſic Hilarius, *Ac ſic in generatione Filij*, &c. Omnino verò καταφατικῶς legendum eſſe hunc locum propter voces has, *& naturam* apparet.

AD CAP. IX.

Multis vulneribus hoc caput à nobis confodiendum fuit, quæ alij iſtius hominis amici videant quomodo ſanare poſsint.

1 *DE natura Filij.* Hoc primum vulnus eſt quod vel ipſe Lombardus, dum ſuæ orationis filum nō cōſiderat, ſibi in inflixit: vel illi attulerūt librarij magna diſcipulorum incuria. Legendum eſt proculdubiò *de natura* Patris, *& Spiritus ſancti*, deturbandum autem eſt iſtud inſolens & abſurdum *de natura Filij.* Hoc ſuadent tres rationes. 1. Status quęſtionis & concluſio ipſa Lombardi, qui ex his locis colligit eſſe concedendum quòd Filius de natura Patris genitus dicatur, atque vt eſſentia eſſentiam in diuinis generet. Ergo ſubſtituendum eſt nomen Patris.

A 2. Ratio ἀπαιτούσης λέξεως. Quis enim vnquam vel fando audiuit, vel in vllo ſcriptore orthodoxo legit hæc verba, *Filius ex natura Filij genitus eſt:* Ergo legendum eſt, *Filius de natura Patris*, &c. 3. Ratio particulę *Imò* quæ ſequitur. Illa enim docet vocem Filij fuiſſe antea prætermiſſam. Qui mecum non ſentit alias ſuæ ſententiæ potioréſque cauſas afferat, quò me adſtipulatorē habeat. θρυλλουμένῳ enim iſto crepitaculo non commoueor, *Aliter Sorbona legit: alind Magiſtri noſtri in ſuis codicibus habent*, quorum plærique lippientes ne vllum quidem in iſto capite vulnus vnquam animaduerterunt, quæ tamen, vti iam apparebit, ſunt plurima.

2 *E X Deo natus eſt.* Diſcedit hic locus ab Auguſtini & ſenſu & verbis. Sic igitur Auguſtinus libro 3. contra Maxim. capite 4. infra princip. *Non enim iam erat hominis Filius, & Deo donante factus eſt Dei Filius: ex Deo quidem natus, ſed gratia nō natura.* Prętermiſit iſte *τὸ quidem*: In quo B nō tantū iſtius orationis venuſtas, ſed perſpicuitas poſita eſt. Vult enim Auguſtinus falſam eſſe etiā illā Arianorum & Seruetanorū ſententiam, qui contendebant Chriſtum reipſa priùs hominis quàm Dei Filium extitiſſe, ſed tamen, quum eſſet homo factus, hunc hominem poſtea factum quoque eſſe Dei Filium gratiâ, & ex Deo natum. Ergo huius vocis *Quidem* hæc ſententia eſt.

3 *Nec dicam.* Reſtitue ex ipſo Auguſtino, *Ne dicam.*

4 *Etiam quare.* Reſtitue ex ipſo Auguſtini codice, *Aliam quare.*

5 *Patris agnoſce.* Locus iſte propter prętermiſſa aliquot verba, mentem Auguſtini non repræſentat. Sic igitur ille, *Si non de Patris ſubſtantia aliam quare: Si aliam non inuenis, quia omnino non inuenis, Patris agnoſce, & Filium cum Patre, &c.* Hæc ſunt igitur perperam deſecta, *quia omnino non inuenis.*

6 *Deus de Deo natus.* Hîc ratio Auguſtini negligitur, quemadmodum & aliquot eiuſdem verba. C Sic igitur Auguſtinus. *Et hoc eſſe, quod Deus eſt de quo eſt, hoc eſt Deus de Deo. Quocirca Deus de Deo natus, quia non alius priùs fuit, ſed natura coæterna de Deo eſt.* Quia enim Filius Deus de Deo Patre eſt Deum de Deo natum eſſe colligit Auguſtinus: & quia Deus de Deo natus eſt, vnum ex his altero priorem eſſe negat, quia vtriuſque natura eſt coæterna, cùm vterque ſit Deus. Quæ connexio argumentorum hîc neglecta eſt. Ergo quàm bona fide verba illa aurea præſtantiſsimi authoris recitentur, omnes intelligunt.

AD CAP. XI.

1 *Non eſt natus ex nihilo.* Quod eſt πάρεργον & corollarium apud Hilarium, iſte facit ἔργον & caput diſputationis: ἔργον autem ipſum omnino prętermittit. Tria colligit illo loco Hilarius, quæ veterem Arianorum hæreſin prorſus euertunt. Illa verò, quia non ſunt ab hoc argumento aliena, breuiter explicabo. 1. Filium Dei eſſe ab æterterno & æternum. 2. Filium Dei eſſe natum de ipſo Patre qui fuit ſemper, idcircóque non eſſe Filium ex nihilo. 3. Filium Dei Patri coæternum eſſe, ergo Patrem non priùs fuiſſe Deum quàm Patrem. Hęc opponit Hilarius duplici illi notiſſimæ Arianorum blaſphemiæ, ἐκ μὴ ὄντων extitiſſe Filium, itémque ἦν ὅτε οὐκ ἦν. *Erat tempus, quando Filius nondum erat.* Quod autem illic dicitur, *Ergo Filium non eſſe ex nihilo*, eſt corollarium tantū. A Verba Hilarij ſunt iſta, *Quod igitur & per Moſem de Deo ſignificatum eſt, & per communem ſenſum nihil aliud nobis intelligendum permittitur, id ipſum vnigenito Filio eſſe proprium Euangeliſta teſtatur*, quum in principio erat verbum, & quum apud Deum hoc erat, & quum lumen verum, & quum vnigenitus Deus in ſinu Patris eſt, & quum Ieſus Chriſtus ſuper omnia Deus eſt. *Erat igitur atque eſt, quia ab eo eſt, qui quod eſt ſemper eſt. Ab eo autem eſſe, id eſt, ex Patre eſſe natiuitas eſt. Eſſe autem ſemper ab eo, qui eſt ſemper, æternitas eſt. Aeternitas verò non ex ſe, ſed ex æterno. Ex æterno autem nihil aliud quàm æternum. Quòd ſi non æternū, iam nec Pater, qui generationis eſt autor, æternus.* Hæc prima eſt Hilarij collectio: ſequitur ſecunda. *Nemini autem dubium eſt, quin generatio ſignificet natiuitatem* B *& natiuitatem manentem doceat, non etiam non manentem. Porro autem ambigi non poteſt, neminem, qui erat, naſci. Nam naſcendi ad eum non proficit cauſa, qui per ſe maneat æternus. Sed vnigenitus Deus* (Hęc iam tranſcripſit Lombardus omiſſa coniunctione *Sed*, ex qua intelligi poterat quod de nihilo dicitur eſſe, obiter tantùm allatum) *Qui & Dei ſapientia, & Dei virtus, & verbum eſt. quum natus ſit Patrem teſtatur autorem. Quum ex manente natus eſt, non eſt natus ex nihilo.* Iam tertia Hilarij collectio ſequitur. *Et quum ante tempora æterna natus omnem ſenſum neceſſe eſt naſcendo præueniat, nec reliquit in verbis, vt non fuerit, antequam naſceretur.* Et poſteà, *Aut enim non ſemper Pater, ſi non ſemper Filius: aut ſi ſemper Pater, ſemper & Filius, quia quantum Filio temporis, ne ſemper Filius fuerit, abnegatur, tantum patri deeſt, ne ſemper Pater ſit.* hæc ille. Quod autē ait Hilarius, *Filius Patrē teſtatur autorem*, dextrè intelligendum eſt. Nam vt docet Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. C Ariani hoc ipſum pro ſe dictum arripiebant, vti quòd Gręci vocant Patrem αἴτιον: Filium autem αἰτιατόν. *Si per nomen* autoris *minorem vis facere Filium Patrémque maiorem*, ait Auguſtinus, *nec eiuſdem ſubſtantia, cuius eſt Pater, deteſtabor, & reſpuam.* Sin ad Perſonæ originem referatur, concedit Auguſtinus Patrem eſſe autorem Filij. Hæc ad totius huius loci explicationem dicta ſint, ne eſſet ſine aliquo fructu hoc noſtrum annotamentum.

Cenſura.

Multa in tota hac diſtinctione quinta reprehendi poſſunt, nos tamen ex iis carptim tantùm quędam perſtringemus, quoniam ex ſuperioribus ſcholis noſtris reliqua facilè cognoſcentur. Primùm omnino & curioſa, & ex mera barbarie profecta eſt iſta quęſtio, *Vtrùm eſſentia diuina eſſentiam generet.* Nam iſtis hominibus, *diuina eſſentia & Deus*, res diuerſæ ſunt. Hęc diſputatio & controuerſia poſterioribus temporibꝰ cōfirmata eſt & aucta, anno Domini 1190. extátq; in actis Synodi Romanæ ſub Innocentio. 3. cap. 2. & in Antiquis (quæ Decretalia Gręgorij Noni dicuntur) repetita eſt cap. *Firmiter*, & cap. *Damnamus.* Tit. *de Trinitate.* Sic curioſitas iſta Lombardi

A hanc quæſtionem peperit: quemadmodum & alias quæſtiones perplexas, quæ ab eodem iſto Diſtinct. 18. cap. Et notandum, & cap. ſeq. tractantur. Thomas in prima parte Quæſt. 29. Artic. 5. Occan. lib. 1. Diſtinct. 5. Quæſt. 1. Hoc ipſo loco Ioannes Durandus, Ioannes Scotus, & reliqui ferè omnes ſcolaſtici idem vno ore definiunt, nimirum, *Diuinam eſſentiam neque generare, neque generari.* Sed Richardo de Villa-noua aliud viſum eſt, *Generare* nimirum, & *generari diuinam eſſentiam*, etiam quatenus per ſe & nudè ſpectatur, extráque ὑπόστασιν : ita nunquam error ſuo patrono caret. Ioachimus Abbas Florentinus ex profeſſo aduerſus hunc locum Lombardi ſcripſit: ſed Abbatem Innocent. 3. in Latera. Concil. damnauit. Baſilius libro primo contra Eunomium ſcribit eſſe, fuiſſéque omnium ætatum memoria indubitatum Theologiæ ἀξίωμα, τὸ τὸν Θεὸν μήτε παρ' ἑαυτοῦ. μήτε παρ' ἑτέρου [illegible], id eſt, *Deum neque à ſe, neque ab alio eſſe.* Itaque, vt loquitur idem Baſili- B us, ἀγέννητον eſſe. Quod de diuina eſſentia per ſe conſiderata proculdubiò intelligēdum eſt. Gregorius Nyſſenus Trinitatem, id eſt, Perſonas diuinas cauſâ & cauſato, αἰτίῳ & αἰτιατῷ primus diſtinxit, anno Domini 340, quod ipſum poſtea quoq; à Florentino Concilio probatū eſt, anno Domini 1440. Sed Perſonę, non ipſa eſſentia diuina (quæ vna eſt, & ſimpliciſsima) hac ratione diſcernebantur. Hæc eſt prima noſtra in hanc Diſtinctionem animaduerſio, nempe curioſitas periculoſa.

Secunda eſt, quòd perturbatiſsimè hæc eadem Diſtinctio ſcripta eſt. Nam quę hoc loco tradit, eadem poſtea huius ipſius libri Diſtinct. 18. & 19. & lib. 3. Diſtinct. 5. repetit (quaſi crambe denuo appoſita nō ſatis ipſa per ſe mors eſſet, niſi eadē & ter & quater regereretur.) Et quæ hoc loco tractat, ea ipſa confuſè ſcribit. Debuit enim obiectio ex Auguſtino alla. cap. 9. ſubiici cap. 4. eſſéque. cap. 5. huius Diſtinctionis: cui eidem ſubiicienda ac annectenda erant, quæ idem iſte cap. C 11. circa medium habet, quoniam illa ſunt maniſeſtiſsimè confirmatio eius ſolutionis, quæ ad illam obiectionem cap. 2. num. 2. affertur.

Tertiùm animaduertendum eſt iſtum habere perpetuū in interpretatione locorū, quos citat, paralogiſmū à diſtributo ad nō diſtributū. i. iſtū à Perſona ad eſſentiam argumentari. Nā quod à piis Patribus de Perſona, & ratione Perſonæ enuntiatū eſt, iſte ad eſſentiam traducit, ſic colligens, Pater genuit, ergo diuina eſſentia genuit.

Quartùm obſeruandum eſt Lombardū in tota hac Diſtinctione nuſquam intellexiſſe quomodo phraſes hę ſint orthodoxo ſenſu ſumendę, *Diuina eſſentia generat, diuina eſſentia genita eſt.* Itaque in ſuis ſolutionibus verba fundit ille quidē, nuſquam tamen hîc apertè docet vocem *Eſſentia* vtrobique pro Perſona ſumi. Quod tamen idem ſapientior poſtea factus agnoſcit, veluti lib. 3. huius operis, Diſtinct. 5. cuius hæc ſunt verba, *Vbi vehemēter moueri poſſimus, quod eam genitam æternaliter ex Patre dicit, niſi fortè naturam pro perſona hîc accipiatur.* Itaque & plus & melius imprudens dixit Lombardus, quàm benè meditatus, quod & Tiberio Cæſari contigiſſe legimus.

Quintùm, quum tractat quæſtionem hanc, *Quare Verbum dicatur Filius ſubſtantia, & Filius natura*, nō modò obſcurus & ieiunus eſt iſte, ſed A nullus. Primùm enim dubitari potuit, vtrū hæc locutio materiam quandam cōmunem deſignaret, ex qua Pater & Filius ſumerentur. Cui reſpōderi debet non deſignare. Deinde qua ratione Filius de ſubſtantia eſſe dicitur. Ratio verò huius quæſtionis & loquutionis eſt, ꝙ quum in rebus creatis, præſertim naturalibus, ſubſtātia eſſentia præexiſtat illi proprietati & actioni, per quam Pater eſt Pater, vel Filius eſt Filius, idem in diuinis ſentiendum videbatur, nimirum priùs eſſentiam Dei Patris eſſe & quaſi ſubſtratam illi actioni, per quā Filium generat. Nam vt in ſcholis loquuntur, μὴ ὄντος nullæ ſunt qualitates. Inde igitur natæ ſunt iſtæ loquutiones, latinæ quidem, ſed explicandæ, *Natura* Filius, *Filius de ſubſtantia, Filius de eſſentia patris.* Græcè verò ὑιὸς ἐκ τῆς οὐσίας, ὑιὸς ἐκ τῆς φύσεως & ſimiles, quę ex rebus naturalibus B ad Deum transferuntur pro captus noſtri ratione, & tantarum rerū intelligentia, noſtræ infirmitati acommodata. Sed longe diuerſa eſt ac ſeparata rerum creatarum & ipſius creatoris ratio atque natura. Ita que dextrè ſunt explicandæ hæ phraſes, & rerum diſsimilimarum naturæ non ſunt confundendæ. Id quod fit in iſtis omnibus obiectionibus & verbis Patrum perperam intellectis. Atque hæc ſunt ex plurimis pauca, quæ notanda in hanc Diſtinctionem exiſtimauimus. Confer autem eam cum ca. 8. noſtræ Synopſeos.

DISTINCTIO. VI.

Vtrum Pater voluntate genuit Filium, an neceſsitate: & an idem 1 Pater volens C
vel nolens ſit Deus.

CAP. I.

Generare in Patre eſſe ęternæ illius naturæ, non voluntatis superuenientis, non etiam neceſſitatis Deum cogentis.

PReterea quæri ſolet, vtrum Pater genuerit Filiū *volūtate, an neceſsitate. De hoc Oroſius ad Aug. ita ait, Voluntate genuit Pater* Filium *nec neceſſitate ſed nec voluntate nec neceſsitate: quia neceſsitas in Deo non eſt, præire voluntas ſapientiam non potuit. Quocirca, vt Aug. ait in xv. lib. de Trinit. ridenda eſt dialectica Eunomij, à quo Eunomiani hæretici orti ſunt: qui quum non potuiſſet intelligere, nec credere voluiſſet 2 vnigenitum* Dei Filium *verbum Dei eſſe naturâ, id eſt, ſubſtantia Patris genitum, non natura vel ſubſtantia dixit eſſe* Filium, *ſed* Filium *voluntatis Dei: volens aſſerere, accedentem* Deo *voluntatem, qua gigneret* Filium*: ſicut nos aliquando aliquid volumus, quod anteà non volebamus, propter quod mutabilis intelligitur noſtra natura, quod abſit vt in Deo eſſe credamus. Dicamus ergo verbum Dei eſſe* Filium *Dei naturâ, non voluntate, vt docet Auguſt. in xv. lib. de Trinit. vbi quendam Catholicum hæretico reſpondentem commendat, dicens, Acutè ſanè quidem reſpondit hæretico verſutiſsimè interroganti, vtrùm* Deus Filium *volēs vel nolens genuerit: vt ſi diceret, nolēs, abſurdiſsima Dei miſeria ſequeretur: ſi autē, volens, continuò quod intēdebat concluderet,* ſcilicet

De comparatione actus generandi ad potentiā ſeu modū.

In tomo 4 in dialogo 65. quęſt. 7. Cap. 20. pinio cuiuſdam hęretici.

Auguſt. de Trin. li 15. cap. 10. et in quęſtionibus ad Oroſiū.

A *ſcilicet non natura eſſe Filium, ſed voluntatis. At ille vigilantiſsimè viciſsim quæſiuit ab eo vtrùm Deus Pater volens an nolens ſit Deus: vt ſi reſponderet, nolens: ſequeretur grandis abſurditas & miſeria, quam de Deo credere magna eſt inſania: ſi autem diceret, volens, reſponderetur ei, ergo & ipſe voluntate ſua Deus eſt, nō natura. Quid ergo reſtabat, niſi vt obmuteſceret, ſua interrogatione obligatū indiſſulubili vinculo ſe videns? Ex prædictis docetur non eſſe concedēdum, quòd Deus volūtate vel neceſsitate, vel volens, vel nolens ſit Deus. Item, quòd voluntate vel neceſsitate, vel volens, vel nolens genuerit Filium.*

CAP. II.

Obiectio contra prædicta.

Reſpōſio

B *SED contra hoc opponitur ſic, Voluntas Dei eſt natura ſiue eſſentia Dei: quia nō eſt aliud Deo eſſe, aliud velle: & ideo ſicut vna eſt eſſentia trium Perſonarum, ita & vna voluntas. Si ergo Deus natura Deus eſt, & voluntate Deus eſt: & ſi verbum* Dei *natura Filius Dei eſt, & volūtate Filius* Dei *eſt. Hoc autem facilè eſt refellere: nam & præſcientia* Dei *ſiue ſcientia (qua ſcit vel præſcit bona & mala) diuina natura ſiue eſſentia eſt: & prædeſtinatio ſiue voluntas eius eadem diuina eſſentia eſt, nec eſt aliud Deo ſcire & velle, quàm eſſe, & cùm ſit vnum & idem ſcientia* Dei *voluntas, non tamen dicitur de voluntate quicquid dicitur de ſcientia, & è conuerſo. Nec omnia illa ſua voluntate Deus vult, quæ ſua ſcientia ſcit, quum ſua ſcientia nouerit tam bona quàm mala: voluntate autem non velit niſi bona. Scientia quippe Dei & præſcientia de bonis eſt & malis: voluntas verò & prædeſtinatio de bonis eſt tantùm: & tamen vnum & idem in Deo eſt ſcientia & voluntas, & præſcientia & prædeſtinatio. Ita quum vnum ſit natura Dei & voluntas, dicitur tamen Pater genuiſſe Filium natura non voluntate: & eſſe* Deus *natura, non voluntate.*

CAP. III.

C Qualiter intelligenda ſunt illa verba, Pater nec nolens nec volens Deus eſt, nec volens nec nolens genuit Filium.

*Explicatio propoſitæ quæſtionis. Hilarius in lib. de ſynodis, eos qui dicūt de nō extātibus eſſe Filiū Dei, ſimiliter qui dicunt quòd 1 neque cōſilio neq; voluntate Pater genuerit Filium anathematizat ſancta Eccleſia. Item ſi quis nolēte Patre dicat natum Filiū: anathema ſit. Non enim nolente Patre coa-

Prædicta tamen verba, quibus prudenter dictum eſt, quòd Deus *Pater nec volens nec nolens eſt* Deus *nec nolens nec volens genuit Filium, ſiue voluntate, ſiue neceſſitate, ex tali ſenſu mihi vidētur accipienda, vt voluntatem præcedentem vel accedentem intelligamus, qualiter Eunomius intelligebat. Non enim ipſe* Deus *eſt voluntate præcedenti vel efficienti: vel volens, priuſquam* Deus*: nec voluntate præcedenti vel accedens genuit* Filium*: nec prius volens, quàm generant genuit* F*ilium: nec prius generās quàm volens, genuit* Filium*. volens tamen genuit, ſicut potens genuit, & bonus genuit Filium, & ſapiens genuit, & huiuſmodi. Si enim* P*ater ſapiens & bonus dicitur genuiſſe Filium, cur non & volens? cùm ita ſit* Deo *idem eſſe volentem, quod eſt eſſe* Deum*: ſicut idem eſt eſſe ſapienttem, quod eſt eſſe* Deum. Dicamus *ergo quia Pater ſicut ſapiens, ita volens genuit Filium, ſed non voluntate præcedenti vel accedenti. Quem ſenſum aprrit Hier. & confirmat ita dicens ſuper epiſtola ad Epheſ. de Filio Dei, id eſt, Domino noſtro Ieſu Chriſto ſcriptum eſt, quia 2 cum* Patre *ſemper fuit, & nunquam enim vt eſſet, paterna voluntas præceſsit, & ille quidem natura Filius eſt.*

A ctus Pater vel naturali neceſsitate ductus. quum nollet genuit Filium: ſed mox vt voluit ſine tempore & impoſsibiliter ex ſe vnigenitū demonſtrauit Epheſ. & Eccleſ. 1.

AD DISTINCT. VI.

Inſcriptionem.

1 *Et an idem Pater.* Fecerunt verba Auguſtini, quæ & lib. 15. de Trinitate. cap. 20. & in libro 65. Quæſtion. 7. extant, habéntque diſertè (*Vtrùm Deus Pater volens, aut nolens ſit* Deus) vt dilucidioris orationis gratia hîc adderem hæc verba, *Idem Pater.* Id quod etiam ex fine cap. 1. & cap. 3. Inſcriptione, vbi hæc eadem repetuntur, ſatis intelligi poteſt, addenda fuiſſe. Aliàs enim & obſcurus eſt ſenſus, & indefinita propoſitio. Nā ad Filium quoque referri poterat, *Vtrùm volens an nolens ſit Deus*, quod tamē de Patre ſolo quærit, proponítque ex Aug. Lombardus. Ergo pertinet hæc quæſtio ad generationis (quæ in ſolo Patre ſpectatur) rationem explicandam, & confirmandā: etſi de Filio, & Spiritu ſancto idem (ſi per ſe & quatenus vnus Deus ſunt ſpectentur) B ſentiendum eſt, & reſpondendum, quod de Patre Deo reſpondet pius ille Pater, nempe neutrum nolentem eſſe Deum.

2 *Vnigenitum Dei.* Ex ipſo codice, vnde hæc tranſcripta ſunt, ſic eſt reſtituenda huius loci ſeries, & oratio, quemadmodum fecimus, *Vnigenitum Dei verbum,* Filium Dei *eſſe natura.* Quæ etſi in ſpeciem ſunt leuia tamen admonemus, nequis receptam iam lectionem, imò vel apicem quidē in iſto autore temerè à nobis immutatum fuiſſe calumnietur.

3 *Propter quod mutabilis.* Proculdubiò corrupta eſt vulgaris lectio, qualis in impreſsis Auguſtini codicibus extat, quæ ex hoc loco emendanda eſt: Nam huius loci argumento ſic eſt reponenda, *videlicet ideò, quia nos aliquid aliquando volumus, quod antea non volebamus, propter quod* (vel *propter quæ*) *iſta mutabilis intelligitur natura noſtra.* Vulgò legitur, ſed corruptiſsimè, *quæ, non propter iſta,* nullo ſenſu. C

CAP. III.

Ad verba in margine ipſius capitis annotata.

1 *Quod nec conſilio.* Quicunque iſta ex libro Hilarij tranſcripſit, audaciſsimè & pro Magiſtrali ſupercilio partim quædam temerè addidit, partim diuerſiſsimos locos confudit. Addidit enim hæc verba manifeſtiſsimè, *Neque conſilio*, quæ nuſquam leguntur apud Hilarium: & perperam hîc ex mente Hilarij coniunguntur, velut ſynonyma. Eſt enim aliud Hilario hoc loco *Voluntas*, aliud *Conſilium*: & alia quæſtio, *Vtrùm voluntate Pater Filium genuerit, an conſilio.* Anathematizat enim Synodus Sardica, & cùm ea Hilarius ipſe eos qui negant Patrem voluntate generaſſe Filiū, quæ eadem tamen Synodus, vnáque Hilarius pro hæreticis eos habent, qui contendunt *Filium natum eſſe conſilio Patris*, id eſt, ex ſuperueniente Patri noua quadam deliberatione. Eſt enim conſilium ſuperueniens voluntas ex deliberationē noua nouiſque cauſis nos commonentibus, concepta. Ergo in his primùm peccatum eſt hoc loco, quòd iſta vocabula, *Voluntas*, & *Conſilium*

A ſint confuſa. Deinde, quòd verba, *Eos qui dicunt de non extantibus eſſe Filium Dei*, ſunt prorſus in hoc argumento peregrina, & ἀπροσδιόνυσα, cum de hoc hæreſis capite nequaquam iam agatur, & ex alieniſſimo huic errore & loco in hunc traducta ſint. Qui enim ex non extantibus Filium Dei eſſe dicunt, ij ſunt Ariani ſiue Ariomanitæ, quēadmodum Epiphanius vocat. Qui verò Dei conſilio & ſuperueniente voluntate eundem Filium natum eſſe contendunt, ij ſunt Eunominiani à ſuperioribus diſſimiles & tempore & errore. Quanquam idem Hilarius lib. contra Conſtantium Auguſtum docet etiam ante Eunomium in Synodo Seleucia, Chriſtum appellatum fuiſſe *Filium voluntatis* Patris, potius quàm ipſius diuinitatis. Ergo locus ipſe apud Hilarium ſic ſcriptus apparet, vt diſtinctè duarum Synodorum, nempe Sardicæ, & Syrmienſis poſterioris diuerſa capita recitentur, quæ hic tamen nulla diſtinctione permiſcentur. Eſt quidem verum re-
B petita fuiſſe in illa Syrmienſi Synodo Sardicæ capita, & decreta: ſed alia quoque Syrmij addita ſunt. Ergo damnatio eorum, qui ex non extantibus Filium eſſe dicunt, & Sardicæ & Syrmienſis ſynodi eſt commune decretum. Item & illud, vt pro hęreticis habeantur, qui Filium negant Patris voluntate genitum. Sed propria eſt ſolius Syrmienſis Synodi huius rei, & orationis explicatio. Nam ambiguum eſt, ſi quis vel concedat, vel etiam neget, *Patrem genuiſſe Filium voluntate*: quia vtrunque ſic intelligi poteſt, vt vel hæreticum ſit, vel orthodoxum. Quamobrem ad totam huius orationis ἀμφιβολίαν tollendam, ſic ait ipſa Synodus cap. 24. *Si quis voluntate Dei, tanquam vnum aliquid de creatura factum dicat Filium, anathema ſit.* Ecce quo ſenſu negetur, & piè quidem, Filium voluntate Patris eſſe genitum. Sequitur poſtea in eadem Synodo cap. 26. *Si quis nolente Patre natum dicat Filium, anathema ſit. Non coactus Pater, &c. ſed mox, vt noluit ſine tempore & impaſſibiliter ex ſe vnigenitum*
C *demonſtrauit.* Ecce quo ſenſu à Patre volente genitum eſſe Filium concedant Synodus & Hilarius, qui idem hoc ipſos canonas poſtea exponit, quos marginalis annotatio huius capitis perperam confudit.

2 *Quia cum Patre ſemper.* Sumptus eſt hic locus ex commentariis Hieronym. in Epiſtolam Pauli ad Epheſ. cap. 1. v. 5. qui etſi argutiolam Hieronymi continet, tamen pulcherrimè cum toto iſto argumento conuenit: ſed quia mirè truncatus eſt, & obſcurè ab iſto redditus, duxi operæpretium totum apponere, *Differentiam*, ait Hieronymus, *Græci ſermonis* προορίσαι & ὁρισθέντος, *Latinus ſermo non explicat. Si prior quippe ſermo ad eos refertur, qui antea non fuerunt: & priuſquam fierent, de iis cogitatum eſt, & poſtea ſubſtiterunt. Inferior verò de eo, quem nulla cogitatio, nulla voluntas præceſſit, ſed ſemper fuit, & nunquam, vt eſſet, accepit exordium. Vnde rectè nunc de his, qui cum antè non eſſent poſtea ſubſtiterunt, dicitur* προορισθέντες. *De Filio verò, hoc eſt, de Domino noſtro Ieſu Chriſto in alio loco ſcriptum eſt* ὁρισθέντος, *quia ſemper cum Patre fuit: & nunquam eum, vt eſſet, voluntas Paterna præceſſit. Et quo colligitur ſemper Patrem, ſemper Filium fuiſſe: & in quibus æternitas coæqualis eſt, eādem eſſe naturam.* Hæc Hieronymus, quæ omittenda non fuerunt. A

Cenſura ad Diſtinctionem ſextam.

Hæc eſt concluſio totius huius diſputationis à Lombardo, capite primo facta. *Ex prædictis docetur, non eſſe concedendum, quòd Deus voluntate vel neceſſitate: vel volens vel nolens genuerit Filium.* Quam ipſe poſtea explicans capite tertio, ait ſe intelligere de *Voluntate præcedente, vel accedente, vel efficiente. Dicamus ergo*, ait, *Quia Pater ſicut ſapiens, ita volens genuit Filium: ſed non voluntate præcedenti vel accedenti.* Hæc ille Primùm verò neque rectè, neque etiam ex Patrum orthodoxorum ſententia iſta dicuntur vel explicantur. Et quidem non rectè, quia & *Voluntate præcedente, & accedente: ſed non noua, non in tempore: item neceſſitate*, ſed non coactione tamen *Pater Filium genuit*. Ac voluntate genuit, quoniam Sardicæ Synodi (quam probat meritò Hilarius) hæc verba ſunt, vti ſuprà docuimus, *quòd eos anathematizat ſancta & Catholica Eccleſia, qui negant quòd Pater Filium voluntate genuit.* Itaque Baſilius libro ſecundo contra Eu- B nomium, eum damnat, quòd vellet Patrem ἀπροαιρέτως & τῇ συναφείᾳ, ἤτοι τοῖς ἀνάγκης ὅροις ὑποζευγνύμενον id eſt, *Sine animi volūtate, vi conſequutionis ac neceſſitatis cogentis genuiſſe Filium.* Ergo rectè conceditur Patrem genuiſſe Filium voluntate. Neceſſitate etiam genuit Filium Pater, quia omnino neceſſe eſt Patrem genuiſſe, vel gignere Filium. Prætera omnia quæ ſunt in Deo, ſunt actus & neceſſitas, vt loquuntur in ſcholis. Sed tamen non coactione, non vi, non denique cogente neceſſitate genuit, id eſt, quum nollet Pater, vt explicat idem Hilarius: ſed genuit tamen ſecundum voluntatem, & ſecundum naturam. Quamobrem quod addit iſte tanquam ex Patrum mente eam voluntatem in generatione Filij excludi & remoueri, *quæ præcedens ſit vel accedens*, ad generationem Filij, omnino Patribus ipſis ignotum eſt, & per ſe falſum. Subſequentem enim, & ſuperuenientem Patri volunta- C tem potius excludunt orthodoxi Patres, quàm præcedentem noſtri intellectus ratione, aut etiam generationi ipſi accedentem & concurrentem, quam Thomas appellauit Concomitatem. Iſta enim in Deo tempore ſunt coæterna velle & generare. Ergo eo duntaxat ſenſu Filium voluntate genitum eſſe negarunt orthodoxi Patres, quo Eunomius dixerat, nempe quòd temporis diſcrimen poneret inter exiſtentiam Perſonæ Patris, & Perſonę Filij: & quo ſenſu velle aliquid dicimur, quod antea non volebamus, vt docet Auguſtinus libro 15. de Trinitate. capite 20. Denique voluntatem Patres excludunt, qua γεννήματα (vt impius Eunomius loquebatur) id eſt, creaturæ à Deo in tempore productę ſunt. Non autem omnino, & ἁπλῶς negant Patrem volentem generaſſe Filium λόγον, aut Patris voluntate Filium eſſe genitum. Quāquam enim ab æterno Deus ea quoque ipſa voluit, & decreuit, quæ ſex diebus poſtea, certóque tempore produxit, & creauit: tamen quia huiuſmodi voluntatis implementum, vt ait Baſilius, non fuit ab æterno, dicitur hæc voluntas eſſe (ſed executionis ratione) poſterior ipſo Deo. Illa verò, qua Filium genuit Pater, eſt æterna, & coæua ipſius

Patris

A Patris exiſtentiæ, naturæ, ac diuinæ eſſentiæ, & quoad volitionem Patris,& quoad executionem, & ipſam Filij emanationem. Nam ex ipſa Patris eſſentia Filius natus eſt:cætera non item. Nec potuit ille eſſe Deus,quin Pater eſſet: potuit tamen eſſe Deus,& non creator. Thomas in prima parte Quæſt. 41. artic. 2. diſtinguit aliter hanc Dei voluntatem,nempe in eam,quæ eſt concomitantia tantùm,& eam quæ eſt principium operationis. Sed hanc Thomæ diſtinctionem explodit, ita omnia ſunt apud iſtos incerta, Occan. Durandus ait Filium à Patre genitum per modum productionis & naturæ:non autem per modum meræ voluntatis:quia *voluntas ſe habet*, ait, *æqualiter ad oppoſita*. Melius omnino, & ad has quæſtiones tollendas aptius eſt, ſi dicamus, *Pater volens genuit Filium*, non autem, *Pater voluntate genuit Filium*. Et in Synodo *Voluntate* pro *Volēs* ponitur. Hinc igitur apparet, quàm longè & à ſenſu, & à verbis Patrum abfuerit iſte, vtque illi ipſi, quos pro ſe Lombardus citat, contra illius loci determinationem, diſertè faciant.

Secundò, in huius Diſtinctionis capite ſecundo eſt duplex paralogiſmus. Prior eſt ab ignoratione B Elenchi, quum iſte nimirum ſic argutatur, *Idem eſt Deo velle & eſſe*, quia ſimpliciſſima eſt Dei eſſentia, *Ergo ſi Deus natura genuit, & voluntate*. Quod enim de eſſentia propriè dicitur, transfert ad actionem, & voluntatem, id eſt, ad rem definitione & notione ab eſſentia diuerſam. Alter paralogiſmus eſt ab ambiguo, ſic, *Si voluntate Patris Filius eſt genitus, ergo eſt voluntatis Filius*. Quæ enim eſt iſta abſurditas? quum *Voluntas* non cauſam ipſam agentem, ſed προαίρεσιν in cauſſa agente deſignet? Ergo non eſt voluntatis Filius, ſed volentis Filius.

Tertio loco falſa eſt illa, vt ſuo loco docebitur diſtinctio inter ſcientiam Dei, & prædeſtinationem, vt *Prædeſtinatio ſit tantùm de bonis: Scientia de omnibus*. Vide Cyrillum Dialogo 2. de Trinitate. Colophonis verò loco addam C Eunomij verba, vt intelligatur ipſum (quem ſummum dialecticum fuiſſe teſtantur omnes, in primíſque poſt Baſilium Auguſtinus) non tam abſurdè collegiſſe, quàm Lombardus facit, *Filius eſt voluntate, ergo eſt voluntatis Filius*. Hæc igitur fuerunt illius verba non incolorata, ſed tamen fraudis & blaſphemiæ plena, quæ ex libro ſecundo Baſilij aduerſus Eunomium à me tranſcripta ſunt: Ἔστι δὲ ἡ οὐσία τοῦ υἱοῦ γεννηθεῖσα πρὸ πάντων γνώμη τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρός. τὴν οὐσίαν τοῦ υἱοῦ γεγεννῆσθαι μὲν οὐκ οὖσαν πρὸ τῆς ἰδίας συστάσεως, εἶναι δὲ γεννηθεῖσαν πρὸ πάντων γνώμη τοῦ Πατρός. *Eſt filij eſſentia genita ante omnia conſilio Dei & Patris. Eſſentiam Filij genitam quidem eſſe oportet, cùm non eſſet ante ſuam ipſius conſtitutionem, ſed eſſe genitam ante omnia conſilio (ſententia) Patris.* Ergo non vſus eſt voce θελήματος vel βουλήσεως Eunomius, ſed γνώμης vocabulo (quod voluntatem cum Hilario interpretatur Auguſtinus) quòd magis tectam fraudem habebat, & de nouo ſuperuenientis Patri voluntatis ſignificationem continebat. Vnde, niſi γνώμη Patris Filius natus eſſe concederetur, colligebat impius ille, Filium ἀπροαιρέτως eſſe ex Patre natum.

DISTINCTIO VII.

Hic quæritur an Pater potuerit vel voluerit gignere Filium.

CAP. I.

De cōparatione potentię generādi ad Perſonā, cui nē pe Perſonę illa cōpetat.

A *HIC ſolet quæri à quibuſdam, vtrùm Pater potuerit vel voluerit generare Filium. Si enim, inquiunt, potuit vel voluit generare Filium, ergo potuit aliquid & voluit, quod nec voluit nec potuit Filius: nam Filius nec potuit nec voluit generare Filium. Cui verſutiæ facilè reſpondemus dicentes, Poſſe vel velle generare Filium, non eſt aliquid poſſe vel velle ſubiectum potentiæ vel voluntati, Eſt tamen aliqua potentia vel voluntas, ſcilicet poſſe vel velle gignere Filium, & ideo diſtinguenda eſt intelligentia propoſiti verbi, poſſe vel velle gignere Filium, & poſſe vel velle aliquid. Neque enim generatio Filij, aliquid eorum eſt, quæ ſubiecta ſunt diuinæ potentiæ & voluntati: nec eſt aliquid inter omnia, vel de omnibus, ſed ſuper omnia & ante omnia. Non enim antè voluit vel potuit, quàm genuit: ſicut nec antè fuit, quàm genuit: quia ab* B *æterno fuit, & ab æterno genuit. Ex ſimili quoque hoc videre poſſumus. Pater enim poteſt eſſe Pater, & vult eſſe Pater: Filius autem non poteſt, nec vult eſſe Pater: ergo Pater poteſt vel vult eſſe aliquid, quod non poteſt vel vult eſſe Filius. Non ſequitur: quia eſſe Patrem non eſt eſſe aliquid, ſed poteſt eſſe ad aliquid, vt in ſequenti oſtendetur.*

Diſtin. 28. huius primi libri cap. 5. prẹterea 3. ſi, 12. c.

CAP. II.

Ponit quædam verba Auguſtinus, vnde poteſt moueri auditor.

C Obiectio ex Auguſtino, cuius ſolutio ca4. & 5. continetur.

SED vehementer nos mouet quod Auguſtinus ait in lib. contra Maximinum, qui aſſerebat Patrem potentiorem eſſe Filio, eo quòd Filium genuit Deum creatorem: Filius autem non: dicebátque Patrem potuiſſe gignere non Filium: & ideo potiorem eſſe Filio. Ad quod reſpondens Auguſtinus dicere videtur, quòd Filius etiam potuit gignere, volens oſtendere Patrem eſſe non potiorem Filio, his verbis, Abſit vt ideo potentior ſit Pater Filio, ſicut putas, quia creatorem genuit Pater Filius autem non genuit creatorem: neque enim non potuit, ſed non oportuit. Vide, & diligenter attende hæc verba, non enim non potuit, ſed non oportuit. Videtur enim dicere quòd Filius potuit gignere, ſed non oportuit. & ita potuit quod non oportuit. Quare autem non oportuit, ſubdit dicens, Immoderata enim eſſet diuina generatio, ſi genitus Filius nepotem gigneret Patri, quia & ipſe nepos niſi auo ſuo pronepotem gigneret, ſecundum veſtram mirabilem ſapientiam impotens diceretur. Similiter etiam ille ſi nepotem non gigneret auo ſuo, & pronepotem proauo ſuo, non à vobis appellaretur omnipotens, nec impleretur generationis ſeries, ſi ſemper alter ex altero naſceretur: nec eam perficeret vllus, ſi non ſufficeret vnus omnipotens. Itaque omnipotentem genuit Filium, Patris natura, non fecit.

NB

CAP. III.

Opponitur prædictis verbis Auguſtini.

2 Obiectio cuius ſolutio c. 7. quẹrenda eſt.

HOC autem videtur quibuſdam non poſſe ſtare, A *ſcilicet quòd* Filius *potuerit gignere. Si enim potuit Filius gignere, potuit eſſe* Pater, *& ſi potuit eſſe* Pater, *potuit ergo eſſe Pater vel ſui, vel* Patris, *vel Spiritus ſancti, vel alicuius alius: ſed alius non: quia nullus alius ſemper fuit. Nec* Patris: *quia* Pater *eſt ingenitus & inaſcibilis. Nec ſui: quia nulla res ſeipſam gignere poteſt. Nec Spiritus ſancti: quia naſci non potuit. Si enim naſci potuit, potuit eſſe Filius, & ita mutabilis eſſe potuit.*

Li.de Tri nit.c.1.

CAP. IIII.

Hic quæritur quomodo intelligenda ſint.

1 Obiectionis ſolutio.

QVOMODO ergo accipiatur quod ſuprà dictum eſt. Non enim non potuit gignere, ſed non oportuit. Non eſt nobis perſpicuum aperire quomodo ſit hoc verum, & ideo ſub ſilentio potiùs eſſet prætereundum, niſi B *me ſuper hoc aliquid loqui cogeret inſtantia quærentiũ.*

CAP. V.

Hic aperitur ex quo ſenſu accipienda ſint.

POTEST ergo ſic intelligi, Non enim non potuit, ſed non oportuit, id eſt, non ex impotentia ſui fuit quòd Filius *non genuit, ſed ei non conueniebat: ſicut Deus Filius non eſt Deus* Pater, *nec tamen hoc ex impotentia ſui eſt. Nam &* Pater *ſimiliter non eſt Filius, nec hoc eſt ex impotentia* Patris. *Sed quærit Maximinus Arianorum epiſcopus, Vnde ergo eſt quòd* Pater *non poteſt eſſe Filius, vel Filius Pater? non vtique ex impotentia: ſed Pater proprietate generationis Pater eſt, qua oportet eum non eſſe Filium: & Filius proprietate natiuitatis Filius eſt, qua oportet eum non eſſe Patrem. De quibus proprietatibus poſtea pleniùs tractabitur.*

Diſt. 26. huius primi.

CAP. VI.

C

Vtrùm Pater naturâ ſit potens gignere Filium, & an hoc ſit aliqua potentia, quæ ſit in Filio.

Principalis quęſtionis, quę primo capite propoſita eſt, ſolutio.

ITEM quæritur à quibuſdam, Si Pater *potens ſit naturâ gignere Filium, & an hoc ſit aliqua potentia quæ ſit in Filio. Ad quod dicimus, quia Pater non eſt potens niſi natura: eius enim potentia natura eſt, vel eſſentia. At, inquiunt illi, ſi potens eſt gignere, habet ergo potentiam gignendi.* Filius *autem non habet potentiam gignendi, ſi non poteſt gignere. Habet ergo aliquam potentiam Pater, quam non habet* Filius. *Non ſequitur. Eandem enim potentiam habet penitus Filius, quam &* Pater: *qua Pater potuit gignere, & Filius gigni potuit. Eadem enim potentia eſt in Filio, qua potuit gigni, quæ eſt in Patre, qua potuit gignere. Sed contra hoc opponitur* [a], *Aliud eſt poſſe gignere, aliud eſt poſſe gigni: quia aliud eſt gignere, & aliud gigni. Hic* [b] *diſtinguendum eſt. Si enim cùm dicitur, aliud eſt poſſe gignere, aliud poſſe gigni, aliam ſignificas potentiam, qua Pater potens eſt gignere, & aliam, qua Filius potens eſt gigni, falſus eſt intellectus. Si autem dicas,* Patrem *poſſe habere aliam proprietatem ſiue notionem qua genitor eſt, & Filium aliam, qua genitus eſt, verus eſt intellectus. Aliam enim habet Pater proprietatem, qua Pater eſt, aliam Filius, qua Filius eſt.* A

a obiectio ad ſolutionem.

b Solutio obiectionis.

CAP. VII.

Quomodo intelligendum ſit, Filius habet vel non habet potentiam generandi.

Eiuſdem principalis ſolutionis explicatio in eo quod quęritur an Pater potuerit.

ITA etiam cùm dicitur, Filius non habet potentiam generandi, quam Pater *habet, dupliciter intelligi poteſt. Si enim dicatur, Filius non habet poteſtatem generandi quam &* Pater, *ſcilicet qua potens ſit ad generandum, id eſt, vt genuerit, vel vt generet ſicut* Pater, *verum eſt. Si verò intelligatur ſic, non habet potentiam qua poſſit gigni vel genitus eſſe, qua eadem* Pater *potens eſt vt genuerit vel vt generet, falſum eſt. Sicut dicitur,* Pater *habet potentiam, qua poteſt eſſe* Pater: *Filius verò non habet potentiam, qua poſſit eſſe Pater: & econuersò filius habet potentiam, qua poteſt eſſe filius: habet ergo aliquam* Pater, *quam non habet Filius, & econuersò. Abſit: quia eadem eſt potentia* Patris, *qua poteſt eſſe* Pater: *& Filij, qua poteſt eſſe Filius. Ita etiam* [a] *eadem eſt voluntas, qua* Pater *vult eſſe* Pater, *non Filius: &* Filius *vult eſſe* Filius, *non* Pater: *& eadem eſt voluntas* Filij, *qua vult eſſe genitus &* Patrem *genuiſſe: &* Patris *qua vult eſſe genitor, &* Filium *genitum eſſe.*

In quo ipſo cõtinetur ſolutio 2. obiectionis, quę cap. 3. propoſita fuerat, altè in eo quod quęſitum eſt, An voluerit Pater gignere Filium.

B

AD DISTINC. VII.

CAP. I.

1 *SED poteſt eſſe ad aliquid.* Deleo verbum *Poteſt* vt ſua conſtet huic loco ſententia, quanquam & interpretum, & typographorum incuriâ (qui toties hunc locum contrectarunt) ac in omnibus exemplaribus, quotquot mihi videre licuit, vox iſta importuna *Poteſt* retenta eſt. Ergo igitur ſic lego. *Quia eſſe* Patrem *non eſt eſſe aliquid: ſed eſſe ad aliquid, vt in ſequenti oſtendetur.* Sic inf. hoc ipſo libro Diſtinct. 28. cap. 5. Præterea Baſilius lib. 1. contra Eunomium docet Ἀγεννησίαν non enuntiari de Deo in quæſtione τί ἐστι, Quid eſt Deus: ſed in quæſtione ὅπως ἐστι, id eſt, quomodo eſt & vbi Perſonarum relatio inter ſe explicatur. C

AD CAP. II.

1 P*ATRIS natura.* Naturam Patris hic interpretor Patris Perſonam, non eſſentiam in abſtracto. Sic Damaſc. lib. 1. cap. 8. de orthod. fide dixit de Patre loquens quatenus Perſona eſt à Filio diſtincta, Ἐξ αὐτοῦ γὰρ ἤγουν τῆς τοῦ πατρὸς φύσεως φαμὲν τὴν τοῦ υἱοῦ γέννησιν. Quæ ſignificatio non obſeruata miros iſti homini induit laqueos, dum potẽtiã generandi, quam vocat, non Perſonæ .i. Patris propriã ac peculiarem, ſiue, vt loquuntur Græci Theologici χαρακτηριστικὴν facit: ſed ipſius eſſentię diuinæ per ſe & in abſtracto conſideratæ velut eſſentialem & communem. Porrò iſta cogitatio multiplicis & longæ iſtius Dei ex Deo propagationis & ſeriei (in qua Pater, Filius, Nepos, Pronepos eſſe in diuinis poſſe fingitur) ex Valentinianorum fœdiſſimis lacunis hauſta eſt, qui octoadas deorum aliorum ex aliis naſcentiũ induxerunt, vt docent Irenæus, Epiphanius, & ex his

poſtea

A poſtea Auguſtinus,quas extinctas hæreſes,& feliciter iam ſepultas ex Orco reuocare nihil erat neceſſe.

Cenſura ad Diſt.7.

Vel vna hæc diſputatio Lombardi illud veriſſimum eſſe confirmat, *Scrutator maieſtatis ab eo opprimetur. Habitat enim Deus lucem inacceſſam,* quemadmodum ait Paulus 1.Timoth.6. Præſertim verò arcanum illud de generatione Filij Dei ex Patre tantum omnem humanum captum ſuperat: ſed & Angelicum. Quamobrem maturè monuerant Patres in huiuſmodi argumenti tractatione ſobriè ſapiendum,& à curioſis quæſtionibus abſtinendum eſſe, quum nulla ex rebus creatis comparatio ad illius tam auguſti myſterij,& ipſi Deo duntaxat noti rationem explicandam ſatis apta duci poſſit,minimé que ſit illud ad noſtras, vel vllas rerum creatarum leges B reuocandum,quod tamẽ Lombardus hic facit.& poſt eum,iſtius loci interpretes omnes. Hilarius lib. 12. de Trinitate, *Non enim per hæc quorum creationẽ mente concepimus, comprehendi generatio eius poteſt, qui anterior his omnibus eſt.* Auguſtinus de Agone Chriſt.cap. 16. *Quia reuera magnum eſt mente concipere generationem,quæ non ſit ex aliquo tempore: ſed æterna eſt,* &c. *Magnum & difficile eſt hæc mente concipere,etiam ſi pacata & tranquilla ſit.* Itaque idẽ Hilarius libro 7. breuiter quid in hoc arcano (quod ſacramentum vocat) tenendum eſſet docuerat his verbis. *Hæc eſt vera natiuitatis intelligentia,& fidei noſtræ,quæ ex natura diuinæ vnitate vnius indifferentíſque diuinitatis veritatem in Patre, & in Filio confitetur,abſolutiſſimum ſacramentum.* Iſte tamen ματαιολόγος inſaniens circa quęſtiones & λογομαχίας ingreditur Dædaleos labyrinthos, quos reſoluere, ac explicare non potuit. Quòd ſi illo C iam ſeculo erant huiuſmodi quæſtiones & vulnera quædam,quæ fierent veriſſimæ de Filij natiuitate fidei,ſic tamen, vti hoc loco facit, ea tractare non debuit, quia meliùs non tetigiſſe fuit. In ſumma quæſtio eſt, vtrùm *Potentia generandi, quæ Patri tribuitur, Filio tribuenda quoque ſit.* Reſpondet iſte capite 2. *Tribuendam, quoque eſſe. Et quòd non genuerit Filius, id minimè factum, quòd non potuerit, ſed quòd non oportuerit Filium gignere*, ne proſapiæ diuinæ ſeries in immenſum propagaretur. Quid obſecro abſurdius, & Valentinianorum erroribus eſſe poteſt magis conſentaneum? Itaque hæc Lombard.ipſe cap.4. nequaquam poſtea probauit. Cæterùm qui vel optimè iſtius autoris & reſponſionis mentem tenere ſibi videntur, ſic eam illuſtrant & exponunt, vt dicant, *Potentia generandi ſi ad proprietatem referatur, non competit Filio: ſi ad naturam, competit.* Hinc verò natæ ſunt diuerſarum opinionũ inter iſtius ſcholæ magiſtros myriades. Huius enim reſponſionis tam ineptæ, & certè falſiſſimæ cauſa quum reddenda eſſet, certatim eorum quiſque, pro ingenij ſui acumine & viuacitate,nouam ſtatim rationem conijcere conatus eſt:atque receptam oppugnare. Denique quum nihil firmi in ſuperiorum ſolutionibus poſteriores cernerent, quaſi re deplorata, eorum alij hanc quæſtionem omnino prætermiſerunt: alij magis etiam inuoluerunt. Dicis igitur cauſa varia iſtorum hominum figmenta potiùs, quàm certa fundamenta proferamus. A Primi igitur cenſent potentiam generandi quum ad naturam refertur, Filio quoque competere, quia tunc idem eſt *Poſſe generare, & poſſe generari.* Sic Lomb. ipſe cap.6. huius Diſt. Alij dicunt potentiam iſtam generandi eſſe relationem tantùm,non eſſentiam,quia Patrem eſſe alicuius eſt relatio. Tertij diſtinguunt inter principium communicationis, & principium productionis. Ergo potentiam generandi negant eſſe principium communicationis,id eſt,illud principium, quo Pater ſeſe, ſuámque eſſentiam totam Filio communicauit, Thom. in 1. parte Quæſt. 41. artic.5. diſertè ſic ſcribit & repetit, *Potentia generandi principaliter ſignificat diuinam potentiam.* Ergo ait idem Quæſt.43.artic. 6. *Habet Filius eandem potentiam quam Pater, ſed cum alia ratione, Pater vt dans: Filius vt accipiens.* Quæ ſententia quum ſit abſurdiſſima à Guilielmo Occan eſt hoc loco in B Quæſtione prima luculenter confutata.

Lombardus ipſe poſtea hoc ipſo lib. Diſt. 26. cap.2.& Diſtin.27.cap.2. & 3. ſentit generare eſſe operationem proprietatis Perſonarum diuinarum: non autem ipſius eſſentiæ, quæ communis eſt illis tribus. Quid ampliùs? eſſet infinitum omnes diuerſas ac ſibi ipſis etiam contrarias iſtorum ſententias de ſignificatione gerundiui *Generandi*, & de ſignificatione vocis *Potentia* perſequi. Rem igitur ipſam potius in ſtudioſorum gratiam explico. Tribus maximè de cauſis in hac quæſtione dico peccatum eſſe ab iſto. Primùm quòd potentiam aliquam in diuina eſſentia ſtatuit,non quidem docendi tantùm gratia:ſed potentiam meram,& reipſa, qualis eſt in rebus creatis, quæ aliquid ex potentia præcedente producunt,diſtinguitúrque verè,ab ipſa ἐνεργείᾳ.i.ab efficiente virtute. Rationem afferunt huius interpretes C ex Metaphyſic. Ariſtotelicorum li. 5. cap. 12. quòd potentia iſta eſt principium ipſiſſimum quo producitur aliquid. Itaque qui illa potentia careat,nihil producere poſſe. Verùm aliud tradit Cyrillus Dialogo 2. de Trinitate: docet enim Deum eſſe totum ἐνέργειαν,non autem δύναμιν illam philoſophicam aut Phyſicam. Nam illa regula Ariſtotelica ſumpta eſt ex rerum creatatum lege & infirma natura,cui Deitatem conferre,vel etiã ſubiicere,eſt creaturas, & creatorem pares inter ſe facere. Etſi verò non quicquid potuit, potéſtve Deus,ſtatim in lucem & actum producit, non idcirco tamen eſt aliud in diuina eſſentia potentia,aliud actus, & iſta differentia, rerum potiùs ipſarum,quas Deus producit, ratione ſpectatur, quàm ipſius Dei. Secundum concedi nequaquam debet Filium habere potentiam generandi. Ratio eſt quoniam ad Perſonarum diuinarum actiones internas,ſeu opera ad intra,quæ vocant, pertinet hæc actio, quæ ab iſtis vocatur, *Potentia.* Quanquam enim cõmunia & inſeparabilia ſunt totius Trinitatis opera ad extra propter eandem eſſentiæ ταυτότητι,virtutem,maieſtatem,κράτος,& gloriam: non ſunt tamen opera earundem Perſonarum ad intra communia, vt idem Patri quod Filio competat. Sunt enim illa ope ὑποστάσεων χαρακτηριστικά.i.Proprietates vt loquũtur Græci.Itaque quemadmodum ipſæ Perſonæ diuinæ non ſunt vna & eadem Perſona,nec communicat Pater Perſonam ſuam Filio: ita nec propriũ ſuæ

Perſonę

A Perſonæ characterem, proprietatem & attributũ quod eſt generare. Neque tamen propterea eſt Filius imbecillior Patre, quia Pater eſſe non poteſt: vt nec Pater impotentior eſt Filio, quia pater Filius eſſe non poteſt. Hæc eſt igitur breuis ſolutio totius huius quæſtionis.

Tertium perpetuo paralogiſmo iſte & fallit, & fallitur, dum ad ſenſum & mentem verborum, quibus Patres orthodoxi vtuntur, non attendit, ac ne quidem ipſorum vocabulorum ſignificatũ capit. Dicunt Patres, *Pater Deus de ſua natura genuit Filium* de Fide ad Petr. cap. 2. *Filius ſolus de Patre eſt eſſentialiter genitus*. cap. 1. *Filius de natura Patris natus eſt*. cap. 12. Damaſcenus lib. 1, cap. 8. de B Orthodoxa fide dicit, Generatio illa æterna Filij eſt ἔργον φύσεως, καὶ ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ προάγουσα, *eſt naturæ ipſius opus, & ex ipſa Patris eſſentia promanans*. Iam ex his ſic argumentatur iſte, Pater genuit, ergo ipſa eſſentia diuina per ſe conſiderata generat, habétque generãdi ἰσχύν. At illa eſſentia diuina in Filio & Spiritu ſancto eadem eſt, & æquè potẽs. Ergo Filius & Spiritus ſanctus generare poſſunt. Quid hac concluſione abſurdius? Cùm quæ de Perſona dicuntur, ad ipſam eſſentiam per ſe conſideratam referantur. Ergo non animaduertit Lombardus ſemper ſic Veteres loqui de generatione hac diuina, vt eam ad perſonalitatem, id eſt C Perſonam Patris: non ad eſſentiam ipſius referãt. Vnde dixit autor libelli de Fide ad Petrum has phraſes omnes tandem exponens, *Generare eſt opus Paternæ proprietatis*, Cur igitur ſic loquuntur Patres, *Pater Deus de ſua natura genuit*, Nimirum ne Filius ex nihilo genitus à Patre cenſeatur: ne ex ſola voluntate, vt cæteræ res creatæ: ne Filius alia eſſe eſſentia diuina, quàm pater credatur, dicunt diſertis verbis *de natura, de eſſentia, eſſentialiter, natus eſt Filius*. Generare quidem Filium verbum & Deum non potuit Pater, niſi eſſet Deus: non tamen, vti diximus, ipſa eſſentia diuina per ſe conſiderata idcirco generat. Itaque illa potentia generandi extra perſonam Patris nec eſt, nec eſſe poteſt in ipſa eſſentia diuina, quoniam eſt propriiſſimus ipſius Patris character. Denique quod iſte pro iuſto ſuæ reſponſionis fundamento affert ex Auguſtino lib. 3. cap. 12. ad verſ. Maximi. Arianum huiuſmodi eſt, vt deteſtationem potiùs tam ineptę & impiæ ſententiæ contineat, quàm veram iſtius quæſtionis explicationem ab Auguſtino factam, *Vtrum Filius generare poſſit*. Sed iſte non vidit ſe hac Auguſtini ſententia minimè iuuari.

DISTINCTIO VIII.

De veritate & proprietate & incommutabilitate & ſimplicitate eſſentiæ Dei.

CAP. I.

De eſſentialibus diuinæ naturæ attributis. Ac primùm de veritate diuinæ eſſentiæ.

De proprietatibus & conditionibus eſſentiali

NVNC de veritate ſiue proprietate ſiue incommutabilitate atque ſimplicitate diuinæ naturæ, ſiue ſubſtantiæ, ſiue eſſentiæ agendum eſt. Eſt itaque Deus, vt ait Auguſt. in 5. lib. de Trinit. *ſine dubitatione ſubſtantia, vel ſi meliùs hoc appellatur, eſſentia: quam Græci οὐσίαν vocant. Sicut enim ab eo quod eſt ſapere dicta eſt ſapientia, & ab eo quod eſt ſcire dicta eſt ſcientia: ita ab eo quod eſt eſſe, dicta eſt eſſentia. Et quis magis eſt, quàm ille qui dixit famulo ſuo, Ego ſum qui ſum & dices filiis Iſrael, Qui eſt, miſit me ad vos. Ipſe verè ac propriè dicitur eſſentia cuius eſſentia non nouit præteritum vel futurum. Vnde Hiero. ad Damaſum ſcribens ait, Deus*[1] *ſolus, qui exordium non habet veræ eſſentiæ nomen tenet: quia in*[2] *eius comparatione verè eſt, quia incommutabilis eſt: quaſi non ſint quæ mutabilia ſunt. De quo enim dicitur fuit, non eſt: & de quo dicitur erit, nondum eſt. Deus autem tantùm eſt, qui non nouit fuiſſe, vel futurum eſſe. Solus ergo Deus verè eſt: cuius eſſentiæ comparatum noſtrum eſſe, non eſt.*

A bus Trinitatis & Vnitatis cap. 2.

Exod. 2. d.

Hie. in epiſtola ad Marcellã de 10. nominib. attigit quidẽ nomẽ eſſentiæ Dei, ſimiliter in epiſtola ad Damaſum cuius initiũ. Quoniã vetuſto ſatis indicatur hęc ſentẽtia, ſed ad verbũ habetur in Iſido. li. 7. etym. c. 1. & in Rabano ſuper illud Exo. Qui eſt, miſit me ad vos

CAP. II.

Qualiter intelligenda ſint verba Hieronymi quærendum eſt.

HIC diligenter aduertendum eſt, quomodo intelligi debeant illa verba Hierony. ſcilicet Deus tantùm eſt, & non nouit fuiſſe vel futurum eſſe: tanquam non poſſit dici de Deo, fuit vel erit: ſed tantùm eſt, cùm de[a] *eo ſcriptum frequenter reperiamus, fuit ab æterno, fuit ſemper, & erit in ſecula, & huiuſmodi: vnde videtur, quia non eſt tantùm dicendum de Deo fuit, vel eſt, vel erit. Si enim diceretur tantùm, fuit: putaretur quòd deſierit eſſe: ſi diceretur tantùm, eſt: putaretur quod non ſemper fuerit, ſed eſſe cœperit, ſi tantùm diceretur, erit: putaretur non eſſe modò. Dicatur ergo quia ſemper fuit, eſt, & erit: vt intelligatur quia nec cœpit, nec deſiit, nec deſinet eſſe. De hoc Auguſtinus ſuper Ioannem ita ait, Cum de ſempiterna re propriè dicatur, eſt: ſecundũ nos bene dicitur, fuit, & erit: fuit, quia nunquam deſiit: erit, quia nunquam deerit: eſt, quia ſemper eſt: non præteriit, quaſi quod non maneat: non erit, quaſi quod non erat. Cùm ergo noſtra locutio per tempora varietur, de eo verè dicuntur verba cuiuſlibet temporis, qui nullo tempore defuit, vel deeſt, vel deerit: & ideo non*[2] *eſt mirum ſi de Spiritu veritatis veritas loquens dixit per futurum. Quæcunque audiet loquetur: audiet ſcilicet ab eo à quo procedit. Audire illius eſt ſcire, idem etiam eſſe. A quo ergo eſt illi eſſentia, ab illo audientia, id eſt, ſcientia: quæ non eſt aliud, quàm eſſentia. Audiet ergo dixit de eo quod audiuit, & audit, id eſt, quod ſemper ſciuit, ſcit, & ſciet. Ecce hic dicit Auguſt. verba cuiuſlibet temporis dici de eo, ſed tamen propriè, eſt. Illud*[b] *ergo quod Hieronymus dicit ita intelligendum eſt, Non nouit fuiſſe vel futurum eſſe, ſed tantùm eſſe, id eſt, cùm dicitur de Deo quòd fuit vel erit, non eſt intelligendum quòd præteriit vel futurus ſit, ſed quòd exiſtat ſimpliciter ſine aliquo temporali motu. Licet enim verba ſubſtantiua diuerſorum temporum de Deo dicantur (vt fuit, erit, eſt, erat) non tamen temporales motus eſſe diſtinguunt, ſcilicet præteritum, vel futurum, vel præteritum imperfectum, vel præteritum perfectum, vel præteritum pluſquam perfectum: ſed eſſentiam ſiue exiſtentiam ſuæ diuinitatis ſimpliciter inſinuant. Deus ergo ſolus propriè dicitur eſſentia vel eſſe. Vnde*[c] *Hilarius in vij. de* Trinit. *ait, eſſe*[1] *non eſt accidens Deo, ſed ſubſiſtens veritas, & manens cauſa, & naturalis generis proprietas.*

B

a obiectio ex receptis locutionibus.

In to. 9. in tracta. 99. ad 16. cap. Ioan. c.

C

Ioan. c. 1.

b Obiectionis ſolutio. Hic aperit quomodo ſint intelligenda Hieronymi verba.

a Solutionis confirmatio. Non lõgè à principio Lib. 7

CAP. III.

De incommutabilitate diuinæ eſſentiæ.

DEI etiam ſolius eſſentia incommutabilis dicitur

A Cap.2. 1.Tim.6.c Cap.1. Vera illa immortalitas, quę in ſolo creatore eſt. B Iacob.1.c Pſal. 101. Li.8.c.20.21.22.&26 Malac.3.6 L.3.c.12. Explicationis ſuperioris confirmatio. C 1.Ti.6.c. Cap.1. Cõcluſio.

tur propriè: quia nec mutatur, nec mutari poteſt. Vnde Aug. in 5. lib. de Trin. Aliæ inquit, eſſentiæ vel ſubſtantiæ capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna, vel quantacunque mutatio. Deo autem aliquid huiuſmodi accidere non poteſt: & ideo ſola ſubſtantia vel eſſentia, quæ eſt Deus, incommutabilis eſt: cui profectò maximè ac veriſſimæ competit eſſe. Quod enim mutatur, non ſeruat ipſum verum eſſe: & quod mutari poteſt, etiam ſi non mutetur, poteſt quod fuerat non eſſe. Ideóque illud ſolum quod non tantum non mutatur, verumetiam mutari omnino non poteſt, veriſſimè dicitur eſſe, id eſt, ſubſtantia Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. 2 Ideóque Apoſtolus loquens de Deo ait, Qui ſolus habet immortalitatem. Vt enim ait Auguſt. in lib. 1. de Trinit. Cùm anima quodammodo 3 immortalis eſſe dicatur: & ſit: non diceret Apoſtolus, ſolus Deus habet immortalitatem: niſi quia vera immortalitas incommutabilitas eſt, quam nulla poteſt habere creatura: quoniam ſolius creatoris eſt. Vnde Iacobus ait, Apud Deum non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Et Dauid, Mutabis ea, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es. Ideo Aug. ſuper Gen. dicit, quòd Deus nec per loca, nec per tempora mouetur: creatura verò per loca, & per tempora. Et per tempora moueri, eſt per affectiones commutari, Deus autem nec loco, nec affectione mutari poteſt, qui per Prophetam ait, Ego Deus & non mutor: qui eſt immutabilis ſolus. Vnde rectè ſolus dicitur habere immortalitatem. In omni enim mutabili natura, vt ait Aug. contra Maximinum, nonnulla mors eſt ipſa mutatio: quia facit aliquid in ea non eſſe quod erat. Vnde & ipſa anima humana, quæ ideo dicitur immortalis, quia 4 ſecundum modum ſuum nunquam deſinit viuere, habet tamen quandam mortem ſuam: quia ſi iuſtè viuebat & peccat, moritur iuſtitia: ſi peccatrix erat & iuſtificatur, moritur peccato: vt alias eius mutationes taceam, de quibus modò longum eſt diſputare. Et creaturarum natura cæleſtium mori potuit, quia peccare potuit. Nam & Angeli peccauerunt, & dæmones facti ſunt, quorum eſt diabolus princeps: & qui non peccauerunt peccare potuerunt, & cuicunque rationali creaturæ præſtatur vt peccare non poſſit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed Dei gratiæ. Et ideo ſolus Deus, vt ait Apoſtolus, habet immortalitatem: qui non cuiuſquam gratia, ſed natura ſua nec potuit, nec poteſt aliqua conuerſione mutari: nec potuit, nec poterit aliqua mutationi peccare. Proinde, vt ait Aug. in primo lib. de Trinita. Subſtantiam Dei ſine vlla ſui commutatione mutabilia facientem, & ſine vllo ſuo temporali motu temporalia creantem, intueri & noſſe, licet ſit difficilè, 5 oportet, Verè ergo ac propriè incommutabilis eſt ſola diuinitatis eſſentia: quæ ſine ſui mutatione cunctas condidit naturas.

CAP. IIII.

De ſimplicitate diuinæ eſſentiæ.

Quare creatura ſit multiplex & nõ ſimplex. Cap.6. A

EADEMQVE ſola propriè ac verè ſimplex eſt, vbi nec partium, nec accidentium, nec quarumlibet formarum vlla eſt diuerſitas, ſiue variatio, vel multitudo. Vt autem ſcias quomodo ſimplex ſit illa ſubſtantia, te docet Aug. in ſexto lib. de Trinitate. 1 Animaduerte primò, quare omnis creatura ſit multiplex, & nullo modo verè ſimplex: & primum de corporali, poſtea de ſpirituali creatura. Corporalis vtique creatura ex partibus conſtat, ita vt ſit ibi aliqua pars minor, alia maior, & maius ſit totum quàm quælibet pars: & in vnoquoque corpore aliud eſt magnitudo, aliud color, aliud eſt figura. Poteſt enim immutata magnitudine manere idem color, & eadem figura: & colore mutato manere eadem figura, & eadem magnitudo. Ac per hoc multiplex eſſe conuincitur natura corporis: ſimplex autem nullo modo.

AD CAP. V.

Hîc de ſpirituali creatura oſtendit quomodo ſit multiplex, & non ſimplex.

Idem de ſpirituali creatura. Ex eodẽ lib. 6. cap. eodem. B Ibid.ca.7. Quomodo Deus ſimplex eſt. C

CREATVRA quoque ſpiritualis, vt eſt anima, in comparatione quidem corporis eſt ſimplex: ſine comparatione verò corporis, eſt multiplex & non ſimplex. Quæ ideo 1 ſimplex dicitur reſpectu corporis, quia mole non diffunditur per ſpatium loci, ſed in vnoquoque corpore & in toto, tota eſt, & in qualibet eius parte tota eſt. Et ideo quum fit aliquid in quauis exigua particula corporis, quod ſentiat anima, quamuis non fiat in toto corpore, illa tamen tota ſentit, quia totam non latet. Sed tamen nec in ipſa tota anima vera ſimplicitas eſt. Quum enim aliud ſit artificioſum eſſe, aliud inertem, aliud acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud timor, aliud lætitia, aliud triſtitia: poſsíntque hæc & alia huiuſmodi innumerabilia in animæ inueniri natura, & alia ſine aliis, & alia magis, alia minùs, manifeſtum eſt animæ non ſimplicem, ſed multiplicem eſſe naturam. Nihil enim ſimplex mutabile eſt: omnis autem creatura mutabilis eſt: nulla ergo creatura verè ſimplex eſt. Deus verò etſi 2 multiplex dicatur, verè tamen & ſummè ſimplex eſt. Dicitur enim magnus, bonus, ſapiens, beatus, verus, & quicquid aliud non indignè dici videtur: ſed eadem magnitudo eius eſt quæ ſapientia. Non enim mole magnus eſt, ſed virtute, & eadem bonitas eius eſt, quæ ſapientia, & magnitudo, & veritas: & non eſt ibi aliud ipſum beatum eſſe: & aliud magnum, aut ſapientem, aut verum aut bonum eſſe, aut omnino eſſe.

CAP. VI.

Qualiter Deus, cùm ſit ſimplex, multiplex tamen dicatur.

Explicatio dicti Auguſt. Cap.4.

HIC diligenter notandum eſt cùm dicat Auguſtinus ſolum Deum verè ſimplicem eſſe: cur dicat eundem multipliciter dici. Sed hoc non propter diuerſitatem accidentium vel partium dicit: ſed propter diuerſitatem ac multitudinem nominum, quæ de Deo dicuntur: quæ licet multiplicia ſint, vnum tamen ſignificant, ſcilicet diuinam naturam, Hæc enim non ita accipiuntur, cùm de illa incommutabili æternáque ſubſtantia incomparabiliter ſimpliciore, quàm eſt humanus animus, dicuntur, quemadmodum quum de creaturis dicuntur. Vnde Aug. in 6. lib. de Trinitate, Deo, inquit, eſt hoc eſſe, quod eſt fortem eſſe, vel ſapientem eſſe, vel iuſtum eſſe, & ſi quid de illa ſimplici multiplicitate, vel multiplici ſimplicitate dixeris, quo ſubſtantia eius ſignificetur. Humano autem animo non eſt hoc eſſe, quod eſt fortem eſſe, aut prudentem, aut iuſtum: poteſt enim eſſe animus, & nullam iſtarum habere virtutum.

A

C A P. VII.

Tanta eſt Dei ſimplicitas, quòd nulli prædicamentorum ſubijcitur.

Cap. 1.

QVOD autem in natura diuina nulla ſit accidentium diuerſitas, nulláque penitus mutabilitas, ſed perfecta ſimplicitas, oſtendit Auguſt. in lib. v. de Trinit. dicens, Intelligamus[1] Deum quantum poſſumus, ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, [2]ſine indigentia creatorem, ſine ſitu præſidentem, ſine habitu omnia continentem, ſine loco vbique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine vlla ſui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem. quiſquis Deum ita cogitat, etſi nondum poteſt omnino inuenire quid ſit ipſe: piè tamen caueat quantum poteſt aliquid de illo ſentire, quod non ſit. Ecce ſi ſubtiliter intendas, ex his atque prædictis aperitur, illa prædicamenta artis dialecticæ Dei naturæ minimè conuenire, quæ nullis eſt ſubiecta accidentibus.

1 Corollarium.

B

C A P. VIII.

Quòd Deus non propriè, ſed abuſiuè dicitur ſubſtantia.

Cap. 4. & 5. Confirmatio corollarij.

VNDE nec propriè dicitur ſubſtantia, vt Aug. oſtendit in lib. vij. de Trinit. Sicut ab eo quod eſſe appellatur eſſentia, ita ab eo quod eſt ſubſiſtere ſubſtantiã dicimus, ſi tamē dignum eſt, vt Deus dicatur ſubſiſtere. Hoc enim de his rebus rectè intelligitur: in quibus, vt ſubiectis, ſunt ea quæ in aliquo ſubiecto eſſe dicuntur, ſicut in corpore color, aut forma. Corpus enim ſubſiſtit: & ideo ſubſtantia eſt. Res verò mutabiles neque ſimplices propriè dicuntur ſubſtantiæ. Deus autem ſi ſubſiſtit, vt ſubſtantia propriè dici poſſit, ineſt in eo aliquid tanquã in ſubiecto: & non eſt ſimplex. Nefas eſt autem dicere vt ſubſiſtat Deus, & ſubſit bonitati ſuæ: atque ita bonitas non ſubſtantia ſit, vel potius eſſentia, neque ipſe Deus ſit bonitas ſua, ſed in illo ſit tanquam in ſubiecto. Vnde manifeſtum eſt Deum abuſiuè ſubſtantiam vocari: vt nomine vſitatiore intelligatur eſſentia, quod verè ac propriè dicitur, ita vt fortaſſe ſolum Deum dici oporteat eſſentiam. Eſt enim verè ſolus, quia incommutabilis eſt.

C

C A P. IX.

Quòd non eſt aliquid in Deo, quod non ſit Deus.

2 Corollarium. Paulòpòſt medium. Libri 7. Confirmatio corollarij. Non longè à fine medij. Cap. 3. Cap. 9. circa finem eiuſdem.

HVIVS autem eſſentiæ ſimplicitas ac ſinceritas tanta eſt, quòd non eſt in ea aliquid, quod non ſit ipſa: ſed idem eſt habens, & quod habetur. Vnde Hilarius in ſeptimo libro de Trinitate ait, Non ex [1] compoſitis Deus, qui vita eſt, ſubſiſtit, neque qui virtus eſt, ex infirmis cõtinetur: neque qui lux eſt, ex obſcuris coaptatur: neque qui Spiritus eſt, ex diſparibus formalis eſt: totum quod in eo eſt, vnum eſt. Idem in octauo libro de Trinitate. 2 Non humano modo ex compoſitis Deus eſt, vt in eo aliud ſit quod ab eo habetur, & aliud ſit ipſe qui habeat: ſed totum vna eſt natura, ſcilicet perfecta & infinita, & non ex diſparibus conſtituta, ſed viuens per totum ipſa. De hoc eodem Boetius in primo libro de Trinitate, ait, Quocirca hoc verè vnum eſt, in quo nullus numerus, nullum in eo aliud præter id quod in eo eſt: neque enim ſubiectum fieri poteſt. Auguſt. quoque in lib. de Fide & Symbolo dicit, In Dei ſubſtantia non eſt aliquid quod ſit ſubſtantia: quaſi aliud ſit ibi ſubſtantia, aliud quod accidit ſubſtantiæ. Sed quicquid ibi intelligi poteſt, ſubſtantia eſt. Verùm hæc dici poſſunt facilè, & credi: videri autem niſi puro corde omnino non poſſunt. Item Aug. xv. lib. de Trinit. [3]Sic habetur in natura vniuſcuiuſque trium, quod qui habet, hoc ſit quod habet, ſicut immutabilis ſimpléxque ſubſtantia. vnde Iſidor. ait, Deus ſimplex dicitur: ſiue non amittendo quod habet, ſeu quod aliud non eſt ipſe, & aliud quod in ipſo eſt. Et cùm tantæ ſimplicitatis atque ſinceritatis ſit natura diuina, eſt tamē in ea Trinitas Perſonarum. Unde Aug. in lib. 11. de ciuitate Dei, Non propter hoc naturam ſummi boni ſimplicem dicimus, quia eſt Pater in ea ſolus, aut Filius in ea ſolus, aut Spiritus ſanctus in ea ſolus: aut quia eſt ſola iſta nominum Trinitas, 4 ſiue ſubſtantia Perſonarum, ſicut Sabelliani putauerunt. Sed ideo ſimplex dicitur, quia eſt hoc quod habet: excepto quòd relatiuè quæque Perſona ad alteram dicitur, 5 nec eſt ipſa. Nam vtique Pater habet Filium, ad quem relatiuè dicitur, nec tamen ipſe eſt Filius: & Filius habet Patrem, nec tamen ipſe eſt Pater. In quo verò ad ſemetipſum dicitur, non ad alterum, hoc eſt quod habet: ſicut ad ſemetipſum dicitur vnius 6 habendo vitam, & eadem vita eſt ipſe. Propter hoc itaque natura hæc dicitur ſimplex, quod non ſit aliud habens, & aliud id quod habet, ſicut in cæteris rebus eſt. Non enim habens liquorem, liquor eſt, nec corpus color, nec anima eſt ſapientia. Ecce quanta eſt identitas, quanta eſt vnitas, immutabilitas, ſimplicitas, puritas diuinæ ſubſtantiæ, iuxta infirmitatis noſtræ valetudinem aſſignauimus.

A

Cap. 17.

Lib. 1. de ſum. bo. c. 1. & lib. 7. etym. c. 1.

Cap. 10.

Explicatio corollarij.

B

Cõcluſio totius huius Diſtinctionis.

C

AD DISTINCT. VIII.

De Inſcriptione.

1 *De veritate ſiue proprietate.* Si qua eſſet mea inter iſtos homines autoritas, ſic & inſcriptionē huius Diſtinctionis, & parem iſti locum cap. 1. reſtituerem. *De proprietate,* id eſt, *De veritate, incommutabilitate, & ſimplicitate eſſentiæ Dei.* Hîc enim agitur de iis attributis, quæ ſunt diuinæ eſſentiæ omnino ratione & comparatione creaturarum propria, & de Deo eſſentialiter dicuntur, quæ Hilarius naturales proprietates vocat (vt ex fine cap. huius Diſtinctionis apparet) Annotatio verò marginalis ineptè omnino conditiones eſſentiales vocat. Nam poſtquam demonſtratum eſt in ſuperioribus Diſtinctionibus eſſe tres Perſonas in vnitate diuinæ eſſentiæ, nunc docetur, Quid ſit ipſa Eſſentia, & quid Perſona. Quid ſit igitur illa communis, imò vna numero, & eadem in tribus illis Perſonis diuinis eſſentia ex attributis illi propriis iam definit pro ingenij humani captu, docétque eam eſſe *Veram eſſentiam, incommutabilem, ac ſimpliciſſimam:* addit in fine cap. 9. & *Eandem,* & *Puram,* de quo poſtremo tamen nihil videtur hac tota ſectione dixiſſe.

AD CAP. I.

1 *Deus ſolus qui exordium.* In hac Hieronymi certè quidem pulcherrima ſententia recitanda planè ſe & falſarium, & maſtigiam oſtendit Lombardus. Ac falſarium, quòd ea tribuit Hieronymo, quæ nuſquam apud eum extant. Maſtigiã autem, quòd incomptam Iſidori Hiſpalenſis Epi-

ſcopi

A ſcopi commentationẽ ſplendidæ Hieronymi orationi aſſuens,eam tamen ipſam deprauat,& lacerat. Quod vt verum eſſe appareat,nóſque ipſos omni calumniæ crimine liberemus, primũ verba ipſa Hieron.proferamus,vt quid illis ſit additum omnes intelligant. Sic igitur Hierony.ad Damaſ. tom.2.epiſt. Quoniam vetuſto,*Vna eſt Dei & ſola natura,quæ verè eſt.Id enim quòd ſubſiſtit non habet aliunde:ſed ſuum eſt. Cætera, quæ creata ſunt , etiamſi videntur eſſe,non ſunt,quia aliquando non fuerunt: & poteſt rurſum non eſſe quod non fuit. Deus ſolus,qui æternus eſt,id eſt,qui exordium non habet, eſſentiæ nomẽ verè tenet.Idcirco & ad Moſen de rubo loquitur,Ego ſum qui ſum: & rurſum, Qui eſt me miſit.* Hactenus Hieronymus. Ergo quæ apud iſtum ſequuntur. *Quia in eius comparatione, &c.* vſque ad finem capitis,ſunt addita. Nam quod in margine B annotatum eſt de epiſtola eiuſdem Hieronymi ad Marcellũ(quæ eſt tom.3.Epiſtolarũ)nihil habet ſimile illa Lombardi verbis. Quare quod cap.2.huius Diſtinctionis verba hæc , *Deus tantùm eſt, & non nouit fuiſſe,vel futurum eſſe,* Hieronymi appellat,fallitur proculdubiò Lombardus. Sunt enim alterius,nimirum Iſidori Hiſpalẽſis,qui pluſquã 300 annis Hieronymũ ætate ſequutus eſt. Eſt quidẽ etiam apud eundem Hieronymum alter conſimilis huic locus, nempe in ipſius commentariis in epiſtolam Pauli ad Epheſ. ſed vbi iſta Lombardi verba nuſquam leguntur. Sic autem in cap.2.epiſtolæ habet,*Nomen eſſentiæ,quia cõmune erat omnibus,ſibi proprium vendicat* Deus,*quia non habet aliunde,quòd ſubſiſtat: alia verò,vt eſſe dicantur,habẽt Dei bonitate & beneficio donatum:quæ,ſi Deus voluerit,in nihilum reuertentur.* Hęc Hieronymus. Porrò illud potius fuit explicandũ , vt doceretur Deũ & verè,& ſolum eſſe ex Hieronymi ſententia , quod C obiici poteſt ex altera eiuſdem epiſtola ad Damaſum,*Subſtantia Dei eſt, omne quod viuimus,ſapimus, cogitamus,in verba prorumpimus.* Perinde enim homines videntur verè eſſe,atque Deus ipſe, ſi ſubſtantia eius eſt,quod ſunt & viuunt homines : id quod etiam Macedonianorum errorem redolere videtur. Reſpondeo igitur vocem *Subſtantia* illic munus & donum Dei , & illud quidem verũ ſignificare,quoniam eam ſubſtantiam , & animã nobis dedit Deus per quam viuimus,& ſapimus. Itaque alludit Hieronymus ad Pauli dictũ. Acto. 17.verſ.27. Vnde poſteà ſumpſit Bernardus, Sermo.4.in Cantica Canticor. iſtud ſuum. *Sanè eſſe omnium dixerim Deum,non quia illa ſunt, quod eſt ille:ſed quia ex ipſo, per ipſum , & in ipſo ſunt omnia.* Dionyſius de Diuinis nominibus , *Deus eſt omnia quæ ſunt:& nihil eorum quæ ſunt.* Rom.11. verſ.36. Subſtantia igitur Dei non eſt ſubſtantia ipſius Dei,ſed ſubſtantia data à Deo.

2 *Quia in eius comparatione.* Locus iſte iam ex Iſidoro ſumptus eſt,lib.7.Etymolog.cap.1.§.*Sextum nomen hærere,&c.* Vel ſi iſti verba hæc Hieronymi eſſe contendunt,à ſeipſis veteres Hieronymi codices corruptos fuiſſe fateantur neceſſe eſt. Id quod facilè apparet ex ipſius cõmentariis in Euangelia,& aliquot epiſtolas Pauli, quos Monachi apud ſe latentes , & tempore Gothicorum bellorum captiuos,magna opum ſuarũ parte ſpoliarunt,atque peſſimè multarunt. Sed in hoc quoque ipſo teſtimonio citando iniurius eſt Lõbardus,quoniam & verba abſcidit, & ſenſum abſtulit. Quã enim,obſecro, mentẽ habet hîc iſta Lõbardi A oratio ? *Deus veræ eſſentiæ nomen habet, quia in eius comparatione verè eſt,quia incommutabilis eſt.* Hæc igitur hiulca & inepta prorſus ſententia, vnius vocabuli *Qui* prętermiſſione reddita,quę apud ipſum Iſidorum clariſſimum ſenſum habet. Sic igitur Iſidorus, *Quærenti enim quòd eſſet nomen eius,qui eum pergere præcipiebat ad populum ex Ægypto liberandum,reſpondit,Ego ſum qui ſum,&c.tãquam in eius comparatione,qui verè eſt (quia incõmutabilis eſt)ea , quæ commutabilia facta ſunt, quaſi non ſint.* Hæc iam plana eſt Iſidori ſententia.

AD CAP. II.

1 *Quum de ſempiterna.* Lubenter totum hunc locum prætermiſiſſem , quanquam variè inuerſum,& in ſpeciem huic diſſentientem, niſi addidiſſet iſte diſertè,ea quæ recitauit,eſſe Auguſtini verba. Imo verò ſic Auguſt. *In eo quod ſempiternũ* B *eſt,ſine initio,& ſine fine,cuiuſlibet temporis verbum ponatur,ſiue præteriti,ſiue præſentis,ſiue futuri non mendaciter ponitur.* Hæc ſententia igitur repugnans videtur in ſpeciem Diſtinctioni,& his verbis Lombardi,*De ſempiterna re propriè dicitur,Eſt.* Ergo nõ *erit*,vel *fuit.* Atqui non mendaciter,*Eſt, Fuit,* & *Erit,*dici de Deo ſentit Aug. vt parum hic Auguſt. cum Lombardo conuenire videatur. Deinde quòd ſubiicit Lombardus *Secundum nos* tantùm, *Bene dici* de Deo , *Fuit & erit* , nuſquam eſt apud Auguſtinum,præſertim hoc loco. Certum eſt enim ea omnia tempora rectè dici de Deo,ſed nõ eo modo eſſe intelligenda , quo quum de rebus creatis & pręſertim fluxis enuntiantur,nempe vt certi temporis deſignationem,circunſcriptionẽ, ac finem habeant. Res enim humanæ ſic dicuntur,Fuiſſe,vt tunc amplius nõ ſint:ſic fore,vt nõdum C extiterint. Itaque iſta verba,tempus certum circunſcribunt rerum humanarum ὑπάρξεως : at in Deo nullum tempus limitant. Sic enim dicitur de Deo,Fuit vt & ſit,& Erit. Sic Erit,vt ſit & fuerit quoque ſimul. Sunt igitur hæc verba & tempora, humanarum loquutionum modi & temporum volumina ac mutationes, quum rebus fluxis applicantur , & creatis : ſed in Deo nulla habent volumina temporum:adeòvt rerũ potius ipſarũ, de quibus agitur,quàm ipſius Dei ratione illa pręteriti & futuri tẽporis verba dici & intelligi debere videantur. Augu.lib.1.contra Aduerſarium legis,cap.2.*Deus igitur,*ait,*nec cœpit eſſe,nec deſinet: ſed opera eius,*&c. Sequitur apud Auguſt. *Quamuis enim natura illa immutabilis & ineffabilis non recipiat,*Fuit,*& Erit:ſed tantùm Eſt(ipſa enim veraciter eſt,quia mutari non poteſt, & ideo illi tantùm conuenerat dicere,Ego ſum qui ſum, & dices filiis Iſrael, Qui eſt,miſit me ad vos)tamen propter mutabilitatem temporum,in quibus verſatur noſtra mortalitas, & noſtra mutabilitas,non mendaciter dicimus & fuit,& erit,& eſt,fuit in præteritis ſeculis,eſt in præſentibus,erit in futuris.* Fuit,*quia nunquam defuit : Erit, quia nunquam deerit: Eſt,quia ſemper eſt. Neque enim velut qui iam non ſit cum præteritis occidit : aut cum præſentibus, velut qui non maneat , labitur : aut cum futuris , velut qui non fuerat,orietur.* Proinde *quum ſecundum volumina temporum loquutio humana variatur , qui per nulla deeſſe potuit,aut poteſt, aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cuiuſlibet temporis verba.* Huc deniq; pertinet,quod de Aeternitate infra diſpu-

A tatur. Eſt enim illud æternum, quod omnia tempora ſimul habet, id eſt, præſens, præteritum, & futurum.

2 *Et ideò non eſt mirum.* Hic locus, ex Tractatu Auguſt. 92. in 16. caput Euangelij Ioannis deſumptus eſt, ſed à germano ſenſu detortus. Diſputat enim illic Auguſtinus, quum dicatur de Spiritu ſancto, *Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur*, à quo illa audiet, quæ loquetur, & vtrùm illi aliud ſit eſſentia, aliud ſapientia: vel, vtrùm illi aliud ſit ſcire ac audire, quàm eſſe. De temporis autē, (quod verbo *Loquetur aut audiet*, continetur) ratione, ne γρὺ quidem: imò ea ipſa, quę de verbi huius *Eſt, Erit, & Fuit*, variis temporibus ac mutationibus de Deo vſurpantur, ſunt παρεκβατικά. Ergo ſic habet Auguſtinus, *A quo illa audiet Spiritus ſanctus, non ergo loquetur à ſemetipſo, quia non eſt à ſemetipſo: ſed quæcunque audiet, loquetur, ab illo audiet à quo procedit.* Et paulò pòſt, *Ab* B *illo igitur audiuit, audit, & audiet, à quo eſt: ab illo eſt, à quo procedit.* Et ibidem, *Linguæ difficillimum eſt explicare, quantuſlibet ſit doctor: quantuſlibet ſit auditor*, iſte nimirum Spiritus ſanctus. Ad illam autē quæſtionem, Vtrùm Spiritui ſancto idem ſit ſcientia & eſſentia, vel, audire & eſſe, ſic idē Auguſtinus reſpondet, poſtquam noſtram naturam cum diuina quæ eſt ſimpliciſſima, comparauit. *Et ideo*, ait, *non eſt iſta ſubſtantia veriſſimè ſimplex, cui non hoc eſt eſſe, quod noſſe. Poteſt enim eſſe, nec noſſe. Atqui illa diuina non poteſt, quia id quod habet, eſt: ac per hoc non ſic habet ſcientiam, vt aliud ſit ſciētia, qua ſcit: & aliud eſſentia, qua eſt: ſed vtrumque vnum eſt.* Et poſtea, *Audire illi ſcire eſt: ſcire verò eſſe*: & deinde, *ſicut iam diximus, hoc eſt illi audire quod ſcire: & ſcire illi hoc eſt, quod eſſe.* Ergo ex tota iſta oratione Auguſtini nihil, quod ad hunc Lombardi locum faciat, colligi poteſt, præſertim dum ait Lombardus, *Ecce hic dicit Auguſtinus verba cuiuſlibet temporis dici de Deo: ſed tamen propriè, Eſt.*

C 3 *Eſſe non eſt accidens Deo.* Et hic quoque locus à Lombardo detortus eſt à vero Hilarij ſenſu. Nam pro *Ecce* aduerbio, vti vulgò habent codices omnes, in primíſque emendatiores, iſte ſubſtituit *Eſſe*, vt hoc Hilarij dictum ad ſuam hanc tractationem obtorto collo raperet ac inflecteret: niſi afferant, quod in margine librorum additum eſt *Aliàs eſſe*, quæ annotatio aliquo pacto hanc Lombardi culpam excuſat. Sed ſpectetur, quæ ſit Hilarij quæſtio. Quærit quid verba hæc Ioannis ſignificent. capite primo, *Et verbum erat Deus*, vel, vt Veteres legebant, *& Deus erat verbum.* Reſpondet Hilarius non tantùm ex iis intelligi Chriſtum eſſe verbum Domini: ſed eundem quoque eſſe Deum, & quidem verum, cùm Deus ab Euangeliſta diſertè nominetur: ſitque Deus, non aliud quàm Deus: & hic Dei vocabulum (quod ἁπλῶς λόγῳ tribuitur) ſit nō cuiuſdam Chriſto accidentis dignitatis ſignificatio, aut epitheton: ſed naturæ veræ & ſubſiſtentis & manentis & æternæ deſignatio, qualis eſt Dei natura. Ergo nihil de verbi *Eſſe*, vel *Fuiſſe, vel fore* ſignificato agitur apud Hilarium, ſed de vocis, *Deus*, propria vi & notione, ex qua Chriſtum verè Deum eſſe, & æqualem Patri, ſcriptor ille orthodoxus piè ex dicto Ioannis colligit. Verba igitur Hilarij hæc ſunt, *Deus igitur qui eſt, non eſt aliud, quā Deus. Nam quum audio, Et Deus erat verbum, non dictum* A *ſolum audio verbum (Domini:) ſed demonſtratum intelligo eſſe quod eſt, quia non ſicuti ſuperius in Moyſe Deo, & in cognominatis diis per appellationem nomen adiectum eſt. Hic autem res ſignificata à ſubſtantia eſt, quum dicitur* DEVS ERAT. *at eſſe. Ecce enim non eſt accidentis nomen ſed ſubſiſtens veritas, & manens cauſa, & naturalis generis proprietas.* Hanc ſuam interpretationem de voce Deus confirmat poſtea ſtatim Hilarius, & addit. *Et videamus an hanc Euangeliſtæ prædicationem Apoſtoli Thomæ confeſſio ſubſequatur, quum ait,* DOMINVS MEVS, ET DEVS MEVS. *Deus igitur ſuus eſt, quem Deum confitetur.* Ergo nihil hic locus ad mentem Lombardi.

AD CAP. III.

1 *Cui profectò maximè.* Duplex vulnus pulcherrimæ Auguſtini ſententiæ hic infligitur, quorum prius eſt, quòd non ſolùm à proprio ſenſu & loco luxata ſunt iſta Auguſtinianæ orationis membra: B ſed etiam verbis ampliſſimis ſpoliata. Oſtēdit Aug. cap. 2. lib. 7. de Trin. (vnde iſta tranſcripta ſunt) Deum eſſe veram illam eſſentiam, quæ puriſſimè & perfectiſſimè eſt, etſi à nobis vix etiam ſimilitudinibus adhibitis cogitari poteſt. Ergo ad ſuperiorem locum potiùs (vbi de veritate eſſentiæ diuinæ dictum eſt) referri debuit hęc Auguſtini ſententia, quàm ad hunc, qui eſt de incommutabilitate diuinæ eſſentiæ, quia vtrāque hanc diſputationem diſertè ſeparauit Lombardus. Quod enim ait hoc loco Auguſtinus, incommutabilem eſſe diuinam eſſentiam, id ἐκ προφάσεως duntaxat, & velut in argumentum ab eo affertur, vt inde veritas diuinæ eſſentiæ probaretur. Cæterùm alios pulcherrimos, & ad ſuū propoſitum maximè facientes ex iiſdem iſtis autoribus locos prætermittit, velut in hoc argumento de immutabilitate Dei, eum, qui eſt apud hunc ipſum Auguſtinum lib. 4. de Trinitate in Prooemio his verbis, *Omnino enim Dei eſſentia,* C *qua eſt, nihil mutabile habet, nec in æternitate, nec in veritate, nec in voluntate, quia æterna ibi eſt veritas, & æterna charitas, &c.* Porrò quod ad verborum inuerſionem, quanta facta ſit ex vtriuſque loci collatione apparet. Sic igitur habet Auguſtinus. *Deo autem aliquid eiuſmodi accidere non poteſt: & ideo ſola eſt incommutabilis ſubſtantia vel eſſentia, quæ Deus eſt.* Lombardus autem ſic, *Sola ſubſtantia, vel eſſentia, quæ* Deus *eſt, incommutabilis eſt:* vt Deus ſit prædicatum, quod apud Auguſt. eſt ſubiectum. Quòd denique ad huius ipſius loci ſpoliationem & hæc quoque videnda eſt. In ea enim eſt magnum momentum. Addit Auguſtinus, *Quæ Deus eſt, cui profectò ipſum eſſe (vnde eſſentia nominata eſt) maximè ac veriſſimè competit* Lombardus totam illam ſententiam *Ipſum eſſe, vnde eſſentia nominata eſt*, omittit. i. fundamentum Auguſtini neglexit. Atque ita miſerè Auguſtinum tractauit.

2 *Veriſſimè dicitur eſſe.* Aliud vulnus, ſed leui⁹, quod iſte eidem orationis Auguſtinianæ corpori infert. Auguſtinus ſic, *Ac per hoc illud ſolum, quod non tantùm non mutatur, verùm etiam mutari omnino non poteſt ſine ſcrupulo occurrit, quod veriſſimè dicatur eſſe.* Atque hic finit caput ipſum. Lombardus, *Veriſſimè dicitur eſſe, id eſt, ſubſtantia* Patris, *&*

A *Filij,& Spiritus ſancti:* gloſſa prorſus ἀπροσδιόνυσος & extra Auguſtini verba.

3 *Quodammodo immortalis.* Auguſtinus habet, *Quum & anima modo quodam immortalis eſſe dicatur.* Lombardus, *Quum anima quodammodo immortalis eſſe dicatur.* Neque verò idem eſt aliquid modo quodam tale eſſe, vel quodammodo tale eſſe. Nam πρόρρημα *Quodammodo,* ita minuit significationem ſententiæ & attributi, vt maximam detractionem faciat, & dubitationem iniiciat. Modificatio verò iſta, *Modo quodam* continet non ἀπόρησιν: ſed ἐξήγησιν ſuperioris ſententiæ. Sed quoniam tota hæc ex Auguſtino tranſcriptio obſcura eſt, quæ in ipſo Auguſtiniano fonte leniſſimè fluit, operęprctium duxi totum locum aſcribere. *Quæ verò propriè de Deo dicuntur*, ait Auguſtinus lib. 1. de Trinitate, cap. 1. *Quæque in nulla creatura inueniuntur, rarò ponit ſcriptura diuina, ſicut illud quod dictum eſt ad Moſem, Ego ſum qui ſum: & qui eſt miſit me ad vos. Quum enim eſſe aliquo modo dicatur & corpus, & anima, niſi proprio quodam modo vellet* B *intelligi, non id vtique diceret, Et illud quod ait Apoſtolus, Qui ſolus habet immortalitatem: cùm & anima modo quodam immortalis eſſe dicatur, & ſit: nō autem diceret, ſolus habet immortalitatem, niſi quia vera immortalitas incommutabilitas eſt, quam nulla poteſt habere creatura, quoniam ſolius eſt creatoris.* Ex quo etiam apparet & quid hic à Lombardo immutatum fuerit.

4 *Quia ſecundum modum.* Auguſtinus ſic habet, *Anima humana (quæ propterea dicitur immortalis, quoniam qualitercunque, ſecundum modum ſuum, nunquam deſinit viuere) habet tamen pro ipſo ſuo modo quandam mortem ſuam.* Prętermiſit Lombardus *qualitercunque, & pro ipſo ſuo modo,* habétque iſta in ſpeciem omnino inter ſe ἐναντία, *ſecundum modum ſuum nunquam viuere deſinit anima humana: habet tamen quandam mortem:* quod ἐναντιοφανὴς emollitur ac perſpicuè explicatur his adiectionibus tam accuratis, quæ apud Auguſtinum ſunt, nempe *pro ipſo ſuo modo habet quandam mortem ſuam:* itē, C *Qualitercunque ſecundum ſuum modum non deſinit viuere.* Ergo hæc verba diſtinguunt veram & propriam humanæ animæ vitam, ab ea, quæ qualiſcunque eiuſdem animæ vita appellatur: & mortem eam quæ eſt rei ipſius abolitio, & διάλυσις (quę nunquam in animam humanam cadere poteſt) ab ea morte, qua pro ſuo modo anima eadē humana dicitur mori. Hanc tam neceſſariam diſtinctionem hoc loco expunxit Lombardus, vel obſcuriſſimè explicauit.

5 *Oportet.* Additum eſt iſtud *Oportet* ad verba Auguſtini, quo carere poterat iſta ſententia, & tamen manere perſpicua.

AD CAP. IIII.

1 *Animaduerte primo.* Hæc citantur quaſi ſint ipſamet Auguſtini verba: ſic tamen habet Auguſtinus, *Animaduertenda eſt primò creatura, quare ſit multiplex, nullo autem modo ſimplex. Et prius corpus vniuerſum vtique partibus conſtat, ita vt ſit, &c.* Iſte pro Prætoria poteſtate mutat: & à ſe mutata in ipſa tamen Auguſtini verba tranſſubſtantiare ſe poſſe putat.

AD CAP. V.

1 *Quæ ideo ſimplex.* Sed neque hæc ſunt Auguſtini verba Auguſtinus habet, *Nam ideo ſimplicior eſt corpore anima.* A Mens Auguſt. hæc eſt, vt animam hominis non ſimplicem θετικῶς: ſed συμβλητικῶς tātùm corpore ſimpliciorem appellet. Hoc eodem enim capite negauit vllam creaturam verè eſſe, vel dici poſſe *ſimplicem*, ac ne animam quidem ipſam.

2 *Etſi multiplex dicatur.* Habet Aug. *Deus verò multipliciter quidem dicitur, magnus, bonus, &c.* Iſte habet, *Deus verò, etſi multiplex dicatur,* adeò ne in minimis quidem fidem præſtare, & tanti autoris verba bona fide repræſentare iſte potuit. Quin idem ipſe mox ſeſe corrigens cap. ſeq. ait Aug. dicere, *Deum multipliciter dici.* Dionyſ. li. de diuinis Nominibus ca. 2. ait Deum & multiplicē, & multipliciter dici propter varia & multiplicia ſua opera. Neque ſanè ad viuum iſta reſecātibus idem eſt aliquid *multiplex dici, & multipliciter dici.*

AD CAP. VII.

1 *Deum quantum poſſumus.* Duplex vulnus huic B Auguſtin. capiti Lombardus inflixit, hoc primū ſed leue ex horum verborum prætermiſſione, *Si poſſumus.* Sic enim Auguſtinus, *Quod ergo non inuenimus in meliore noſtro* (qualia ſunt lineamenta formarum, nitores colorum, partium diſtantia, molis diſtenſio, ſpatioſa granditas, quæ in noſtro intellectu non reperiuntur) *Non debemus in illo quærere, quod longè melius eſt meliore noſtro, vt ſic intelligamus Deum (ſi poſſumus) quantum poſſumus ſine qualitate bonum, &c.* Quòd igitur Lombardus ait Deum intelligi ἁπλῶς poſſe ſine qualitate bonū: Auguſtinus humanæ mentis infirmitatē intuens, addidit, neque fruſtrà, *Si poſſumus.*

2 *Sine indigentia creatorem.* Alterum vulnus. Habet enim Auguſtinianus codex, *Sine intelligentia creatorem.* Quod quia durum iſti viſum fuit, intelligentiam in indigentiam commutauit. Sic tamen ante Auguſtinum de Deo loquutus erat Dionyſius, vel notiſſimus iſti ſcriptor lib. de diuinis Nominibus cap. 1. quia Deus ſupra omnem C intelligentiam eſt: item quod intelligentiæ vocabulo id deſignat hoc loco Auguſtin. quod Græci ἰδέαν vel διάνοιαν vocant, nempe præmeditationem illam, & repræſentationem in animo, qualis à nobis fieri ſolet, earum rerum quas efficere cogitamus, quod ſit tam exigua ingenij noſtri acies, vt nonniſi ex antecœpta illa præmeditatione quicquam rectè operari poſſumus. At Deus huiuſmodi ratiocinatione & cogitatione nequaquā eget, eguítne, etiam in tanto hoc mundi opificio condendo? ne idealem quendam mundum in Dei [illegible]ente conſtituamus, de quo tamen Baſilium aliquid ſenſiſſe, ſed ex Platonicorum & Philonis potiùs, quàm Chriſtianorum dogmate non ignoro.

AD CAP. IX.

1 *Ex compoſitis Deus.* Aliquot verba cum ſententiæ ipſius diſpendio omiſſa: alia perperam ex bonis Hilarianis mala à Lōbardo facta. Primùm igitur deſcribā locum ipſum ex Hilario, *Non enim ex compoſitis, & inanimis, Deus, qui vita eſt, ſubſiſtit.* Omittit Lombardus *Inanimis*, in quo tamen tota ἀντίθεσις & vis illorum verborum, *Qui vita eſt,* ita eſt, vt aut illud addi, aut iſta omitti fuerit neceſſe, niſi ſuo more trūcatos ſēper locos afferret.

A Deinde vocem *Formabilis*, quæ eſt apud Hilariũ iſte in *Formalem*, atque etiam commutauit. Sic enim habet matrix ipſa, & Hilarius: *Neque qui Spiritus eſt, ex diſparibus formabilis eſt.* Iſte habet *Formalis*. Sic enim omnes codices Lombardi legunt, etiam à Ioanne Aleamne editi & correcti, niſi fortè iſti idem eſſe exiſtiment *Formabilis*, quæ vox δύναμιν ſignificat, & *Formalis*, quæ præterquã quòd barbara eſt, Latinis auribus, illa verò Hilarij elegans etiam ἐνέργειαν deſignat. Sic μορφωτικὸν & μορφωτὸν, αἰσθητικὸν & αἰσθητὸν, βουλητικὸν & βουλητὸν, accuratè diſtinguit lib. 3. de orthodox. Fide Damaſce. Denique pro *Infirmioribus* ſubſtituit hîc Lombardus *Infirmus*, vt quàm bona fide hic Hilarium referat, intelligamus.

2 *Non humano modo.* Locus eſt ſumptus, ex Hilar. 8. de Trinitate, non longè à fine medij. Sed hic locus eſt à germano ſitu luxatus, & à vero ſuóque ſenſu detortus, præterquam quòd multa etiã B in verbis immutata habet, vt ad ſuum propoſitũ, quacunque ratione, hanc Hilarij, autoritatem Lõbardus accommodaret. Diſputat Hilarius de eo, vtrùm eiuſdem ſit eſſentiæ Filius Deus cum Patre Deo, quia ex Patre natus eſt. Quærit iſte vtrũ quæ attributa de Deo enuntiantur, aliud quidpiã præter ipſam Dei eſſentiam ſignificent. Quid habent, obſecro, commune iſtæ quęſtiones tam diuerſæ, cùm agat Hilarius de Perſonis: Lombardus verò de ipſa attributorum Dei ratione. i. de ipſa Deitate? Sic igitur Hilarius, *Vna igitur fides eſt Patrem in Filio, & Filium in patre per inſeparabilis naturæ vnitatem confiteri non confuſam, ſed indiſcretam: neque permixtam, ſed indifferentem, &c.* Sed quoniam obiiciebant Ariani id fieri non poſſe, cùm ex Patre Filius natus eſſet (etiam teſtibus ipſis orthodoxis) Reſpondet, & quidem appoſitiſſimè ad id Hilarius, *Natiuitas eſt, non diuiſio: & Filius eſt, non adoptio: & Deus eſt, non creatio.* C *Neque alterius generis Deus eſt, ſed Pater & Filius vnum ſunt. Non enim innouata eſt natura naſcendo, vt ab originis ſuæ proprietate eſſet aliena.* Denique totum hunc locum tandem concludens Hilarius ſic habet (quæ peſſimè tamen, & nulla in tam religioſo de S. Trinitate argumento animi religione peruertit Lombardus) *Et in his omnibus profeſſus antè, ſe Filium patris, exæquauerat honore, poteſtate, natura. Dehinc dixerat vt patrem vitam in ſe habere, ita eum Filio vitam in ſe habendam dediſſe, in quo ſignificauerat naturæ eius per ſacramentum natiuitatis vnitatem. Per id enim quod habet Pater, ipſum illud ſignificat habendo: quia non humano modo ex compoſitis Deus eſt, vt in eo aliud ſit quod ab eo habetur, & aliud ſit ipſe qui habeat, ſed totum quod eſt, vita eſt.* Pro quo Lombardus ſubſtituit, *Sed totum vna eſt natura. ſ. perfecta, &c.* At Hilarius non ἐξήγησιν, ſed αἰτιολογίαν facit iſtam ſententiam *Natura. ſ. &c.* & à ſuperiori membro diſpunxit ſic. *Natura ſcilicet perfecta & abſoluta, & infinita, & non ex diſparibus conſtituta, ſed viuens ipſa per totum* (de eo enim quæſtio erat, Vtrùm eãdem vitam haberet Filius, quã Pater ipſe) *Quæ cum qualis habetur, talis & data eſt, etſi natiuitas eius intelligitur ſignificari, cui data eſt: non tamen diuerſitatem generis, affert, quum talis data eſt, qualis & habetur.* Potiùs verò ex libro nono Hilarij circa finem, ad argumenti. 1. de quo agit Lombardus, confirmationem, fuit tranſcribendus iſte locus. *Cæterùm natura Dei non eget compoſitis humani officij neceſſitatibus, linguæ motu, temperamento* A *oris, Spiritus nixu, aëris pulſu. Deus ſimplex eſt. i. Religione noſtra intelligendus eſt, pietate profitendus eſt, ſenſu verò non perſequendus eſt, ſed adorãdus. Non eſt itaque diuerſis compoſitæ diuinitatis partibus vt ſit in eo aut poſt ſtuporem voluntas: aut poſt ſilentium ſermo, &c. Non ſubiacet naturæ legibus, à quo legem omnis natura ſortitur*, Hæc diligenter ſunt obſeruanda.

3 *Sic habetur in natura.* Eſt & hic locus eâdem fide, qua ſuperior Hilarij, ab iſto prolatus. i. à vera Auguſtini mente diductus. Probat enim illic Auguſt. eandem eſſe, & ſimplicem eam eſſentiã, quæ in tribus Perſonis diuinis eſt, vt eandem memoriam, intelligentiam, & charitatem Perſonę *ſingulæ habeant* (.i. Pater, Filius & Spiritus ſanctꝰ) *in ſua quiſque natura.* Itaque ex iſto Auguſtini loco per συλλογιστικὴν Lombardi colligeret hęreticus B quia ſimplex natura omnino nihil ponit in diuinis pręter eſſentiam, ergo nulla eſt Perſonarum diſtinctio, ſed vt vna eſt in diuinis eſſentia, ſic vna quoque eſt Perſona, quia ſimplex natura nihil ponit pręter eſſentiam, Quod quàm ſit blaſphemum, & ab Auguſtini pietate ſeiunctum vident omnes, & tamen rectè ex Lõbardi methodo efficeretur. Tanti nimirum eſt extra oleas vagari, & locorum, quos citas, mentem non ſpectare.

4 *SIVE ſubſtantia.* Multa ſunt in hoc ex Auguſtini teſtimonio immutata ſiue errore librariorum, ſiue incuria ipſius Lombardi, atque etiã quędam non ἀκινδύνως, vti quod hoc loco primùm occurrit, Nam pro his verbis *Siue ſubſtantia*, Auguſtinus habet *ſine ſubſiſtentia*, & proculdubiò ſic eſt hoc loco reponendum.

5 *NEC, eſt ipſa.* Hęc verba ſunt addita.

6 *DICITVR vnius.* Auguſtinus *Dicitur Viuens.* C

Cenſura.

Videor mihi in ſuperiori Diſtinctione (pręter ea quę iam annotaui) reprehendere meritò multa poſſe, quę partim in iſtius autoris methodo: partim in re ipſa verſantur. Ac primùm, quod ad methodum quis laudet, quòd Lombardus ſuę de natura Dei explicatione confirmationem eam prętermittit, quę ex ſacra ſcriptura (ex qua vna quid ſit Deus intelligi verè poteſt) duci debet: vbi enim in toto hoc argumento vel locus vllus, ex Nouo teſtamento qualis eſt Rom. 1. verſ. 20. 1. Timoth. verſ. 17. vel ex veteri, qualis Exod. 34. verſic. 6. & Pſal. 143. profertur? Vbi hæc epitheta (quę pulcherrimè tamen, & ex ipſius Dei ore naturam diuinam explicant) ab iſto traduntur, nempe *Aeternus, immortalitatem ſolus habens, inuiſibilis, ſapiens, potens, fortis, zelotes, &c.* Auguſtinus in lib. de fide & Symb. ad Catech. & li. de ſpecul. cap. 33. recitat? ſed etiam quum ex patribus affert ſuę ſententię probationem Lombardus, ea vel detorta eſt, vti docuimus: vel manca & mutilata. Saltem ad veterum orthodoxorum patrum exemplum debuit homo iſte vel ex vocis *Iehouah* proprio ſignificato, accuratáque explicatione oſtendere, vnum duntaxat Deum verè eſſe: vel etiam ex aliis Dei nominibus (quę paſſim in Scriptura extant) Dei naturam, qualis ſit, exponere, quomodo & Hieron. fecit in epiſt. ad Marcellum, & Iſidorus li. 7. etymologiarũ: ſi Latinos ſequeretur: vt Baſilius

A ſilius ac Epiphanius,ſi Græcos. Denique in illis ipſis Patribus eos locos omittit Lombardus, vbi illi ſummatim varia Dei attributa ex profeſſo collegerunt,qualis eſt,Hilarij, vt cæteros Patres Latinos prętermittam,in lib.contra Conſtātium Auguſtum.1 *Cæterum eſſe eius in ſeſe eſt,non aliunde quod eſt ſumens.*2 *Infinitus,quia non ipſe in aliquo,ſed intra eum omnia.*3 *Semper extra locum, quia non continetur in loco.*4 *Semper autem æuum, quia tempus ab eo eſt. Intelligentiam communem,& totum mente complectens,nihil tenes.*5 *Deus & vbique eſt,& totus vbique eſt.*6 *Deus inuiſibilis,ineffabilis,infinitus,ad quem eloquendum ſermo ſileat: & ad inueſtigandum ſenſus habeat, & ad complectendum intelligentia coarctetur.* Qualis item ille eſt Damaſceni locus lib. 1. de fide Orthod. cap. fina. *Quòd ſit increatus* Deus *ſine initio,immortalis,ſine fine, æternus, immateriatus, bonus,opifex rerum omnium,iuſtus,illuminans,immutabilis,impotibilis,incircumſcriptus, neque capi loco poſſit, neque definiri,incorporeus,inuiſibilis ſit,mente compre-* B *hendi non poſſit,nullus egens, à ſe imperium & ius in omnia habens,omnipotens,infinitæ potentiæ,ſanctificās, communicans,omnia complectatur,& contineat,omnibus rebus proſpiciat,hæc omnia, & huiuſmodi alia habet natura* Deus,*non aliunde ſumpta eſt.* quæ ipſa Damaſcenus partim ex Baſilio: partim ex Dionyſ. lib.de diuinis Nominibus capit. 1. colligit. Sed Lombardo elementa Theologica ſcribenti, non fuit negligendum,vt,quæ attributa ſunt aliorum ratione cauſæ,priori loco exponeret,dicis cauſâ, Aeternitas Dei hæc omnia ex ſeſe neceſſariò producit,vt Deus verè ſit immortalis, immutabilis, ſimplex,inuiſibilis ſpiritus. Ergo omnem hanc methodum iſte omnino prætermiſit. Quòd ad rem autem, variè ab iſto peccatum quoque eſt. Primùm cap. 3. quum ait, *Per tempora moueri eſt per affectiones moueri.* Hoc neque Auguſtinus vſquam dixit (vnde tàmen ſua hæc deſcripſiſſe vi- C deri vult Lombardus) neque etiam verum eſt. Alia eſt enim ea κίνησις & mutatio quæ temporis ratiõe ſpectatur,quæque etiam cœlo conuenire poteſt:alia quæ ex affectionibus (ſiue iſte affect' vocet affectiones, ſiue quod generaliter Græci παθήματα dicunt)eſt æſtimanda, quæ cœlo tribui non poteſt. Hoc primum eſt huius loci vitium. Secundum,quod ait capite 6.varietatem ac multiplicitatem nominum (quæ de Deo dicuntur) vnum ſignificare nempe diuinam naturam quod partim ita obſcurum eſt, vt intelligi non poſſit: partim etiā eo modo, quo iſte intelligit, falſum. Præclarè enim Baſilius in epiſtola ad Euſtathiū medicum ſic ſcribit, ἡ θεία φύσις ἐν πᾶσι τοῖς ἐπινοουμένοις ὀνόμασιν καθό ἐστι μένει ἀσήμαντος, ὡς ἡμέτερος λόγος &c. id eſt, *Diuina natura,qualis eſt,non poteſt illis omnibus nominibus ſignificari, quæ de* Deo *intelliguntur: quemadmodum nec eam ſermo noſter explicare poteſt. Nam benefactorem eſſe,& iudicem, & bonum, & iuſtum,& quæ huiuſmodi alia de Deo didicimus,differentias tantùm diuinarum actionum nos docent, agentis autem* Dei *naturam nequaquam, Igitur aliud eſt eſſentia ipſa Dei,cuius nullus ſermo iudex reperiri poteſt:alia autem eſt iſtorum nominum ſignificatio, quæ propter aliquam Dei actionem aut dignitatem vſurpantur.* Hæc Baſilius. Ergo iſta nomina actiones varias Dei oſtendunt,ex ſimpliciſſima &vna eius eſſentia emanātes. Neque enim illa, vt docet Damaſce.lib.1.cap.12. quicquam reale,præter ipſam eſſentiam, in Deo conſtituunt. A Denique quemadmodum hoc loco rectè monet Occan. ſi ea omnia Dei nomina vnum quiddam, noſtræ intelligentiæ ratione, & omnino ſimplex deſignarēt, non poſſent ſignificata & conceptus eorum nominum eſſe in nobis diſtincti & diuerſi. Quamobrem vt hunc locum concludamus Dei actiones ſunt,ipſæ quidem diuerſæ:Vna tamen,& ſimpliciſſima, & omnino ἀσύνθετος eſt Dei eſſentia iſtas omnes efficiens,& in ſeſe ex vi proprietatéque ſua iſta omnia habens. Itaque ſecundum ſubſtantiam de Deo dicuntur,vt ait Auguſt.li.15. de Trinitate cap. 5. Quam definitionem neque hic habet Lombardus:neque ex ipſius verbis in quácunque partem verſis expiſcari poſſumus. Tertium,quod Lombardus cap. 8. vocem *Subſtantiæ* propriè rectè de Deo vſurpari negat erat exponendum. *Quod enim ſubſtantia non eſt*,ait Auguſtinus alibi,*nihil eſt.*& cap.5.lib.7. B de Trinitate nutat,titubátque in hac quęſtione oratio, & mens Auguſtini. Denique in concilio tum Sardicenſi, tum etiam Sirmienſi (quod vtrunque vti orthodoxum probat Hilarius in libro de Synodis)vſurpata eſt perpetua vox *Subſtantia* de Deo, quatenus nimirum ἀπὸ τοῦ εἶναι deducitur,atque id,quod reipſa eſt ac ſubſiſtit, ſignificat: non autem quà ὑποκείμενον aliquod deſignat quod accidentibus ſubſternitur. Ex quo fit,vt diſtinguenda ſit vocis *Subſtantiæ*.i. οὐσίας ſignificatio, & alia Theologica, alia Dialectica conſtituenda. Illi enim Theologi οὐσίαν definiunt eam quæ etiam citra vlla accidentia & eſt,& cogitari poteſt. Itaque propriè eſſentia Latinè dicitur. Dialectici verò rerum iſtarum creatarum naturam & ſtatum duntaxat intuentes,eam dicunt tantùm οὐσίαν, quæ accidentibus ſubſternitur, quæque iis veſtitur, quibus omnino deſtituta ſubſiſtere ipſa in rerū natura nō C poteſt,quę ſubſtātia cōmodiùs,quā eſſentia idcirco nominatur. Sed hæ duæ ſignificationes ſunt negligētiſſimè ab iſto vel confuſæ, vel ignoratæ.

DISTINCTIO IX.

De diſtinctione trium Perſonarum.

CAP. I.

NVNC ad diſtinctionem trium P*erſonarum accedamus.* T*eneamus ergo,vt docet Aug. in lib. de Fide ad Petrum, Patrem &* Filium *& Spiritum ſanctum vnum eſſe Deum naturaliter:nec tamen ipſum Patrem eſſe qui* Filius *eſt,nec* Filium *eſſe ipſum qui Pater eſt,nec Spiritum ſanctum eſſe ipſum, qui Pater eſt aut Filius.Vna enim eſt eſſentia Patris,& Filij,& Spiritus ſancti: in qua non eſt aliud Pater, aliud* Filius, *aliud Spiritus ſanctus: quamuis perſonaliter alius ſit Pater,alius Filius,alius Spiritus ſanctus.*

De proprietatibus & cōditionibus perſonalibus Trinitatis & Vnitatis. Cap.2. Summa doctrinæ de Trinitate.

CAP. II.

Hîc de coæternitate Filij cum Patre.

Genitus eſt enim à P*atre* Filius, *& ideo alius: nec tamen antè fuit Pater, quàm Filius: coæterna enim ſunt ſibi tres Perſonæ.*

Doctrinæ explicatio ac primū de Filio, poſtea Diſt.10.& ſequenti de Spiritu ſancto.

CAP. III.

Argumentatio Arianorum.

Sed contra hoc inquit hæreticus,vt refert Ambr. in

C1.5.circa medium eiuſdem. 1 Obiecto Arianorũ Cap.1.

A *li.1.de fide ad Gratianum: Omne quod natum eſt, principium habet, & ideo quia filius natus eſt, principium habet, & 1 eſſe cœpit: quod hæreticorum ore ſic dictum eſt. Nam ipſe Arius, vt meminit Aug. in 6. li. de* Trini. *dixiſſe fertur, Si filius eſt, natus eſt, ſi natus eſt, erat tempus quando non erat filius.*

CAP. IIII.

Reſponſio Auguſtini catholica.

Aug. ibi. 1 Solutio ex Auguſtino.

Qui hoc dicit, non intelligit etiam natum eſſe de Deo,[1]ſempiternum eſſe, vt ſit coæternus Patri *Filius: ſicut ſplendor, qui gignitur ab igne atque diffunditur, coæuus eſt illi, & eſſet coæternus, ſi ignis eſſet æternus.*

CAP. V.

Oppoſitio Auguſtini contra hæreticum.

Solutionis confirmatio. Lib.6. Cap.1. 1.Cor. 1. d

B

Item, Si Dei *filius, inquit Auguſt. virtus & ſapientia Dei eſt, nec vnquam fuit Deus ſine virtute & ſapientia, coæternus eſt ergo Deo* Patri *Filius. Dicit autem Apoſtolus Chriſtum eſſe Dei virtutem & Dei ſapientiam: Aut ergo non fuit quando non fuit* Filius, *aut aliquando Deus non habuit virtutem & ſapientiam: quod dementis eſt dicere: Conſtat enim quia ſemper habuit ſapientiam: ſemper ergo habuit* Filium.

CAP. VI.

Reſponſio Ambroſij ad idem, authoritate fulta.

2 Solutio ex Ambroſio. In 1. li. de fid. ad Gratianũ, circa mediũ & principiũ quinti capitis. Eſaiæ.43.

C

a Solutionis cõfirmatio. Ioan.13. d

EIDEM quoque Arianicæ quæſtioni Ambroſ. in hunc modum reſpondet, Ego *inquam,* Filium[1] *eſſe natum confiteor: quod reliquum eſt impietatis, horreſco. Scriptum 2 eſt enim in veteri Teſtamento (vt vel vnum è pluribus dicam. Ante me non fuit alius* Deus, *& poſt me non erit. Quis ergo hoc dicit?* Pater *an Filius? Si Filius: ante me, inquit, non fuit alius* Deus. *Si* Pater: *poſt me, inquit, non erit: hic priorem, & ille poſteriorem non habet. Inuicem enim in ſe, & Pater in* Filio, *&* Filius *in* Patre *non cognoſcitur. Cùm[a] enim Patrem dixeris, eius etiam Filium deſignaſti, quia nemo ipſe* Pater *eſt ſibi: cùm Filium nominas, etiam Patrem fateris, quia nemo ipſe ſibi Filius eſt. Itaque nec Filius ſine* Patre *nec Pater poteſt eſſe ſine Filio, ſemper ergo* Pater, *ſemper &* Filius *eſt.*

CAP. VII.

Inuectio Ambroſij contra hæreticum.

Item confirmat. Libro & ca. citatis.

ITEM dic, inquam, mihi hæretice, fuítne quando omnipotens Deus Pater non erat, & Deus *erat? Nam ſi* Pater *eſſe cœpit, Deus ergo primò erat & poſtea* Pater *factus eſt. Quomodo ergo immutabilis* Deus *eſt? Si enim antè Deus, poſtea* Pater *fuit, vtique generationis acceſſione mutatus eſt: ſed auertat* Deus *hãc amẽtiam.*

CAP. VIII.

Ineffabile eſt quomodo Filius ſit, & non habeat Patrem priorem: ſicut modus generationis intelligibilis & ineffabilis eſt.

2 Obiectio Arianorum. a Circa mediũ c. 3.

SED quæris à me, inquit, Ambroſ. quomodo ſi Filius ſit, non priorem habeat Patrem.[a] Quæro itẽ abs te, quando vel quomodo Filium putes eſſe generatum? Mihi enim impoſſibile eſt generationis ſcire ſecretum. Mens deficit, vox ſilet, non mea tantùm, ſed & Angelorum: ſupra poteſtates, & ſupra Angelos, & ſupra Cherubin, & ſupra Seraphin, & ſupra omnem ſenſum eſt, quia ſcriptum eſt, Pax Chriſti ſupra omnem ſenſum eſt. Et ſi pax[b] Chriſti ſupra omnẽ ſenſum eſt, quomodo non eſt ſupra omnem ſenſum tanta generatio? Tu ergo ori manum admoue: ſcrutari non licet ſuprema myſteria. Licet ſcire quòd natus ſit, non licet diſcutere quomodo natus ſit. Illud mihi negare non licet, hoc quærere metus eſt: ineffabilis enim eſt illa generatio. vnde Eſaias, Generationem eius quis enarrabit?

A

b Solutionis confirmatio. Phil.4.b

Eccl.5.d Iſ. 53 b Eſaiæ.53.b Tomo 7. cõmentario ad 3 c. Eccleſiaſt. circa illud, Quis ſcit ſi Spiritus.

CAP. IX.

Quidam præſumunt diſcutere generationis ſeriem.

1 Quæſtio Vtrũ Filii generatio explicari poſſit. c 1 Reſpõſio. c 2 Reſpõſio. Leo Papa & Dionyſius.

B

QVIDAM tamen de ingenio ſuo præſumentes, dicunt illam generationem poſſe intelligi, & alia huiuſmodi: inhærentes illi authoritati. Hieron. ſuper Eccleſiaſt. In ſacris ſcripturis, quis[1] ſæpiſſimè non pro impoſſibili, ſed pro difficili ponitur: vt ibi, Generationem eius qui enarrabit? Sed[c] hoc non dicit Hieron. Ideo quòd generatio Filij *æterna plenè intelligi vel explicari poſſit à quoquam mortalium: ſed quia de ea aliquid intelligi vel[d] dici poteſt: hoc accipiunt dictũ de temporali Chriſti generatione.*

CAP. X.

Vtrùm debeat dici, ſemper gignitur, vel ſemper genitus eſt Filius.

2 Quæſtio vtrũ Filius ſēper generetur. Li.29. Moralium. a Reſponſio.

Hic quæri poteſt cùm generatio Filij *à Patre nec principium habeat nec finem, quia æterna eſt, vtrùm debeat dici,* Filius *ſemper gignitur, vel ſemper genitus eſt, vel ſemper gignetur.* De hoc Greg.[a] *ſuper Iob. ait, Dominus Deus Ieſus in eo quòd virtus & ſapientia Dei eſt, de Patre ante tẽpora natus eſt: vel potiùs quia nec cœpit naſci, nec deſiit, dicamus verius ſemper natus: non autem poſſumus dicere ſemper naſcitur, ne imperfectus eſſe videatur. At verò, vt æternus deſignari valeat & perfectus,[1] & ſemper dicamus, & natus, quatenus & natus ad perfectionem pertineat, & ſemper ad æternitatem: 2 quanuis per hoc ipſum quod perfectum dicimus, multum ab illius veritatis expreſſione deuiamus: quod factum non eſt, non poteſt dici propriè perfectum: ſed 3 balbutiendo, vt poſſumus, excelſa Dei reſonemus. Et Dominus noſtræ infirmitatis verbis condeſcendens,* Eſtote, *inquit, perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Super illum locum etiam Pſal. Ego hodie genui te. De hac generatione* Filij *ita loquitur[b] Aug. Quanquam per hoc quod dicit hodie, poſſit intelligi dies ille, quo Chriſtus ſecundum hominem natus eſt: tamen quia hodie præſentiam ſignificat, atque in æternitate neque præteritum quicquam eſt quaſi eſſe deſierit: neque futurum, quaſi nondum ſit: ſed præſens tantùm: quia quicquid æternum eſt, ſemper eſt: diuinitùs 4 tamẽ accipitur de ſempiterna generatione ſapientiæ Dei. Ecce his verbis oſtendit Aug. quòd generatio Filij ſemper eſt, nec præterit, nec futura eſt, quia æterna eſt. Ideo dixit genui, ne nouum putaretur, ſcilicet ne videretur incœpiſſe: hodie dixit, ne præterita generatio videretur.* Ex *his ergo verbis Prophetæ, vt ait Ioannes Chryſ. nihil aliud manifeſtatur, niſi quia ex ipſa eſſentia Patris ſemper 5 genitus eſt Filius.*

C

Matt.5.

Pſal.2.

In tom.8. in expoſitione pſalmi ſecũdi b Reſponſionis cõfirmatio.

Chryſo. homil. 2. in epiſt. ad hebræos.

CAP. XI.

Origenes videtur dicere contrarium: ait enim quòd ſemper generatur Filius à Patre.

ORIGENES *verò ſuper Hieremiam dicit quòd*

A

Superioris ſententię Gregorij collatio cum Origene. Orig. tom. 2. homil. in Hiere. 6. Hier. 11. in fine Hō. Prouer. 8. ſecundū. 70.

quòd Filius ſemper generatur à Patre, his verbis, Saluator noſter eſt ſapientia Dei: Sapientia verò eſt ſplendor æternæ lucis. ſaluator ergo noſter ſplendor [1] eſt claritatis. Splendor autem non ſemel naſcitur, & deſinit: ſed quoties ortum fuerit lumen ex quo ſplendor oritur, toties oritur etiam ſplendor claritatis: ſic ergo ſaluator ſemper naſcitur. Vnde ait in lib. Sapi. Ante omnes colles generat me Dominus: non, vt quidam malè legunt, generauit. His verbis apertè oſtendit Origenes, ſanè dici poſſe & debere, Filius ſemper naſcitur. quod videtur contrarium illi verbo Gregorij præmiſſo, ſcilicet, non poſſumus dicere, ſemper naſcitur.

CAP. XII.

Exponit præmiſſa verba Gregorij, ne putetur inter Doctores eſſe contrarietas.

Sententię Gregorij explicatio.

SED ne tanti authores ſibi contradicere in re tanta videantur, illa verba Gregorij benignè interpretemur. Dominus, inquit, Ieſus ante tempora natus eſt de Patre: vel potiùs, quia nec cœpit naſci nec deſiit, dicamus veriùs, ſemper natus. Sed quomodo veriùs dicitur hoc ſcilicet quod Filius ſemper natus eſt, quàm illud, ſcilicet quod de Patre ante tempora natus eſt? Illud enim ſincera & catholica fides tenet ac prædicat, vt iſtud. Quare ergo, ait, dicamus veriùs, cùm vtrumque pariter ſit verum? niſi quia volebat intelligi hoc maiorē ad euidētiam & expreſſionem veritatis dici, quàm illud? His etenim verbis omnis calumniandi verſutis hæreticis obſtruitur aditus, quibus Chriſti ſecundum deitatem generatio ſine initio, & ſine fine eſſe, ac perfecta monſtratur. Non autem adeò apertè ſemper manifeſtatur veritas cùm dicitur, Filius ante tempora genitus eſt de Patre, vel Filius ſemper naſcitur de Patre. Et ideo dicit Gregorius, quòd non poſſumus dicere ſemper naſcitur. Non, inquam, ita conuenienter, non ita congruè ad explicationem veritatis: poteſt tamē dici, ſi ſanè intelligatur. Semper enim naſcitur Filium de Patre, vt ait Origen. nō quòd quotidie iteretur illa generatio, ſed quia ſemper eſt. Semper ergo naſcitur, id eſt, natiuitas eius ſempiterna eſt.

B

Queſtio de ipſis verbis Greg. hic ſoluit.

C

CAP. XIII.

Quòd Filius ſemper generatur, confirmatur ex dictis Hilarij.

Paulo poſt libr. medium Ioan. 6. f. Cōfirmat & Origenis ſentētiam, & ipſius expoſitionē. Ioan. 5. d Idem in eodem. paulo poſt.

HILARIVS quoque dicit Filium naſci ex Patre, in lib. 7. de Trinit. his verbis, Viuens Deus, & natura æterna viuentis poteſtas eſt: & quod cum ſacramento ſcientia ſua ex eo naſcitur. non potuit aliud eſſe quàm viuens. Nam cùm ait, Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: docuit vitam in ſe per viuentem Patrem ineſſe. Ecce hîc habes, quia Filius naſcitur ex Patre. Item in eodem, cùm dicit Chriſtus, ſicut Pater habet vitam in ſe, ſic & Filio dedit vitam habere in ſemetipſo, omnia viua ſua ex viuente teſtatus eſt. Quod autem ex viuo viuum natū eſt, habet natiuitatis profectū ſine nouitate naturæ, Non enim nouum eſt quod ex viuo generatur in viuum, quia nec ex nihilo eſt: & vita quæ natiuitatem ſumit ex vita: neceſſe eſt per naturæ vnitatem & perfectæ natiuitatis ſacramentum, & vt in viuente viuat, & in ſe habeat vitam viuentem. Ecce & hîc habes quia generatur ex viuo viuens Filius. Item in eodem, in Deo totum quod eſt viuit: Deus enim vita eſt, & ex vita non poteſt quicquam eſſe niſi viuum: neque ex deriuatione, ſed ex virtute natiuitas eſt. Ac ſic dum totū quod eſt viuit, & dum totum quod ex eo naſcitur virtus eſt, habet natiuitatem Filius, non demutationem. Et hîc dicit quia naſcitur. Item in lib. de Trinit. Donat Pater Filio tantum eſſe, quantum eſt ipſe: cui innaſcibilitatis eſſe imaginem ſacramento natiuitatis impartit, quem ex ſe [3] in ſua forma generat. Hic dicit quia generat Pater Filium.

Paucis interpoſitis

Pene in loco prius citato. Multo poſt libri medium.

A

CAP. XIIII.

Breuiter quid de hoc concedendum ſit.

Cōcluſio totius ſuperioris diſputationis. Hac Diſtinct. Itē 15. diſtin.

DICAMVS ergo Filium natum de Patre ante tempora, & ſemper naſci de Patre, ſed congruentiùs ſemper natum: & eundem fateamur ab æterno eſſe, & Patri coæternum, id eſt, autori. Pater enim generatione autor Filij eſt, vt in ſequenti oſtēdetur. Vt ergo Pater eſt æternus, ita & Filius æternus eſt: ſed Pater ſine autore, Filius verò nō: quia Pater innaſcibilis, Filius natus. Et, vt ait Hilarius in xij. lib. de Trinit. aliud eſt ſine autore ſemper eſſe æternum. [1] aliud Patri, id eſt, autori, eſſe coæternum. Vbi[2] autem Pater autor eſt, ibi & natiuitas eſt: [3]quia ſicut natiuitas ab autore eſt, ita & ab æterno autore æterna eſt natiuitas. Omne autem quod ſemper etiam eſt, etiam æternum eſt: ſed tamen non omne quod æternum eſt, etiam innatum eſt: quia quod ab æterno naſcitur, habet æternū eſſe quod natum eſt. Quod autem nō natum eſt, id cum æternitate non natum eſt: quod verò ex æterno natum eſt, id ſi non æternum natum eſt, iam non erit & Pater autor æternus. Si quid ergo ei, qui ab æterno Patre natus eſt, ex æternitate defuerit, idipſum [4] non eſt autori ambiguum defuiſſe: quia ſi gignenti eſt infinitum [5] gignere, & naſcenti etiam infinitum naſci eſt. Medium enim quid inter natiuitatē Dei Filij, & generationem Dei Patris, nec ſenſus nec ratio admittit: quia & in generatione natiuitas eſt, & in natiuitate generatio eſt: quia ſine vtroque neutrum eſt: [6] vtrunque ergo ſine interuallo ſui eſt.

B

Penè in medio libri.

CAP. XV.

Argumentatio hęretici.

C

3 Obiectio Arianorum. Reſpōſio Hilarii li. ſuprà dicto.

a Solutio.

SED inquiet hæreticus, Omne quod natum eſt non ſemper fuit: quia in id natum eſt vt eſſet. Nemo [a] ambigit quin ea, quæ in rebus humanis nata ſunt, aliquādo non fuerint. Sed aliud eſt ex eo naſci, quod ſemper non fuit: aliud eſt ex eo tātum eſſe, quod ſemper eſt. Ibi nec ſemper fuit, qui Pater eſt, [1] nec ſemper Pater eſt: & qui non ſemper Pater eſt, non ſemper genuit: vbi autem ſemper Pater eſt, ſemper Filius eſt. Quòd ſi ſemper Deo Patri proprium eſt quòd ſemper eſt Pater, neceſſe eſt Filio ſemper proprium eſſe quòd ſemper eſt Filius. Quomodo ergo cadet in intelligētiam noſtram, vt non fuerit ſemper, cui proprium eſt ſemper eſſe quod [2] natum eſt? Natum ergo vnigenitum Deum confitemur, ſed natum ante tempora, nec antè eſſe quàm natum, nec antè natum quàm eſſe, qui naſci quod erat iam, non naſci eſt, ſed ſeipſum demutare naſcēdo. Hoc autē humanum ſenſum & intelligentiam excedit mūdi, non hoc capit ratio humanæ intelligentiæ, ſed prudentiæ fidelis profeſſio eſt.

Quid ſit proprium Patri & Filio.

AD DISTINCT. IX.

CAP. I.

1 Spiritus ſancti, in qua. Sic habet Fulgentius, Vna enim eſt Patris, & Filij, & Spiritus ſancti eſſentia, quàm Græci ὐσίαν vocant, in qua, &c.

AD CAP. III.

1 *Et eſſe cœpit.* Ambroſius habet, *Et ex tempore eſſe cœpit.* Verba enim hęc *ex tempore* mentem Arianorum pulchrè explicant, quæ non fuerunt negligenda.

AD CAP. IIII.

1 *Sempiternum eſſe.* Locus iſte à Lombarbo ſine cauſa mutus eſt. Ergo ex ipſo Aug. lucē huic reſtituo. Sic habet, *Nam ipſe Arius dixiſſe, fertur, ſi Filius eſt, natus eſt : ſi natus eſt, erat tempus quando non erat* Filius, *non intelligens etiam natum eſſe Deo ſempiternum eſſe, vt ſit coæternus Patri* Filius, *&c.* Iſte legit, *natum eſſe de Deo ſempiternum eſſe.* Auguſtinus, *Natum eſſe Deo, ſempiternum eſſe.*

AD CAP. VI.

1 *Ego inquam* Filium. Verba hęc, *Ego autem Filium natum eſſe profiteor: quod reliquum eſt impietatis, horreſco,* ex medio capitis quinti tranſcripta ſunt: iſta verò *Scriptum eſt enim in veteri Teſtamento, &c.* ex eiuſdē capitis initio, licet in iis ipſis recitandis quædam (in diſpunctionib' præſertim) ab iſto ſint immutata. Sic in ſequenti capite, & teſtimonio ex eodem Ambroſio deſcripto ipſa Ambroſianę orationis ſeries nequaquam eſt retenta. Quod tamen quia citra ſententiæ diſpendium factum eſt, non annotauimus.

AD CAP. VIII.

1 *Vnde Iſaias.* Hæc verba de ſuo hic addit Lombardus. Neque enim habētur apud Ambroſium, & alium ſenſum habent, quàm eum, quem affert hîc Lombardus, ſed ab Auguſtino lib. 1. de Symbolo ad Catechum. eſt mutuatus.

AD CAP. IX.

1 *Qui ſæpiſſimè.* Hieronym. neque ex profeſſo illic, vnde ſumit iſte, locum Iſaiæ declarat: neque iſti Lombardi interpretationi fauet, imò eam euertit. Verba Hierony. ex commentario in ca. 3. Eccleſiaſtæ hæc ſunt circa finē. Sed verba ipſa Eccleſiaſtæ primū proponit Hieronymus, *Quis cognoſcit, Spiritus filiorum hominum ſi aſcendat ipſe ſurſum: & Spiritus iumenti ſi deſcēdat ipſe deorſum in terram.* Deinde ea exponit, *Non inter pecudes, & hominem ſecundum animæ dignitatem nihil intereſſe contendit: ſed adijcienda, Quis, difficultatem rei voluit demonſtrare. Pronomen enim Quis in ſcripturis Sanctis non pro impoſſibili, ſed pro difficili ſemper accipitur, vt ibi, generationem eius quis enarrabit: & in Pſalmo* 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, &c.* Ex quo apparet primùm vocem *Semper* à Lombardo in *Sæpiſſimè*, eſſe commutatam: deinde quam ex mente Hieronymi ſolutionem affert Lombardus, nempe *Generationem filij æternam à quoquam mortalium planè intelligi vel explicari non poſſe, ſed tantùm ex parte,* eam nō eſſe Hieronymi ſentētiam, imò ex vocabulo *Quis* docet Hieronymus eam enarrationem non impoſſibilem nobis, ſed tantùm difficilem eſſe.

AD CAP. X.

1 *Et ſemper dicamus. Et*, particula addita eſt, ſed rectè: & fortaſſe in ipſa prototypo incuria librorum deeſt.

2 *AEternitatem quanuis.* Hîc prætermiſſa aut potiùs de induſtria detracta eſt pulcherrima Gregorij ſententia vt ſeq. ſcholio apparebit.

3 *Sed balbutiendo, vt poſſumus, excelſa Dei reſonemus.* Addita & incerta eſt ad Gregorij teſtimonium tota hæc ſententia. Nam quæ ſequuntur, *Et Dominus, &c.* ſunt Gregorij. Itaque quoniam alibi quoque variè vulneratus eſt ab iſto hic locus, totum qualis natiuus eſt, repreſento, *Dominus Deus noſter*(hanc vocem omiſit Lombardus) *Ieſus Chriſtus*(& hanc quoque) *In eo quòd virtus & ſapientia Dei eſt, vel potiùs quia nec cœpit naſci, nec deſiit: dicamus veriùs, ſemper natus. Non autem poſſumus dicere, ſemper naſcitur, ne imperfect' videatur. At verò æternus deſignari valeat, & perfectus ſempe dicamus* lege *& ſemper natus: quatenus & natus ad perfectionem pertineat: & ſemper ad æternitatem, vt quocunque modo illa eſſentia ſine tempore temporali valeat deſignari ſermone.* Hoc totum eſt omiſſum à Lombardo. *quamuis hoc ipſo quòd perfectum dicimus, multùm ab illius veritatis expreſſione deuiamus, quia quod factum non eſt, non poteſt dici perfectum. Et tamen infirmitatis noſtræ verbis Dominus, &c.* Hæc iam confer cum Lombardicis.

4 *Diuinitus tamen.* Superiora quanquam aliquatenus immutata tamen tolerari poſſunt: ſed quod hoc loco accidit, non poteſt. Itaque ſuum Auguſtino nitorē reſtituo, *Diuiniùs accipitur ſecūdum id dictum, hodie genui te, quo ſempiternam generationem virtutis & ſapientiæ Dei, qui eſt vnigenitus Filius, fide ſynceriſſima & catholica prædicat.* Iſte quid cum illa Auguſtini oratione & vbertate, aut etiam fidei maieſtate & certitudine conſentaneū habet? Præterquam quòd barbarè omnino, & ineptè *diuiniùs* in *diuinitus* commutauit, quorum tamen vocabulorum longè diuerſa & diſsimilis ſignificatio eſt, neque etiam *diuinitus* ad mentem Auguſtini pertinere poteſt.

5 *Semper genitus eſt.* Et hîc quoque falſi tenetur Lombardus, qui non modò extra mentem, ſed etiam extra verba ipſa Chryſoſtomi *Semper* addidit, vt ad ſuum propoſitum locum iſtum intorqueret. Quærit Chryſoſt. quænam ſit huius Dauidis dicti ſententia, *Ego hodie genui te,* vtrùm ad Chriſtum Deum, an hominem potiùs pertineat: an ad vtrumque? De eo verò, de quo hoc loco diſputatur, *Vtrùm* Filius *ex Patre genitus,* vel, *potius ſemper gigni* dicendus ſit, ne γρὺ quidem illic Chryſoſtomus. Sed vt ad ſuum argumentum iſte hominem detorqueret, addidit intrepidè vocem *Semper.* Hęc ſunt ipſius Chryſoſtomi verba, *Cui enim aliquando Angelorum dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te, & ego ero illi in Patrem, &c. Hæc quidem dicta ſunt, & de carne, hoc eſt, ero ei in Patrem, & ipſe erit mihi in* Filium. *Quod verò dixit, Filius meus eſt tu, ego hodie genui te, nihil aliud manifeſtat niſi quia ex ipſa eſſentia Patris eſt genitus. Sicut enim eſſe dicitur ex præſenti tempore, (ſic quippe magis de Deo dici conuenit)ita quod dictum eſt, hodie, præſentis eſt temporis. Poteſt tamen & ſecundum carnem hoc accipi dictum.* Hęc Chryſoſtomus Homil. 2. in epiſtolam ad Hebræos : quæ quid ad Lombardi Rhombum?

AD CAP. XI.

1 *Saluator ergo noſter ſplendor eſt claritatis.* Sic Primùm habet Origenes in fine Homil. 6. in Hieremiam, *Omnis qui peccatum facit ex Zabulo*(Dia-

A bolum olim Zabulum vocauerunt linguæ blæſæ vitio Gothi) *natus eſt, toties ex Zabulo naſcimur quoties peccamus. Infelix ille qui generatur à Zabulo. Rurſúmque multum beatus, qui ſemper ex Deo naſcitur. Neq; enim ſemel dicā iuſtum ex Deo natū, ſed per ſingula virtutis opera ſemper iuſtus naſcitur ex Deo. Hoc autem vt plenius poſſit probari etiam de Saluatoris noſtri quotidiana natiuitate dicimus, liquidò id in iuſtis obtinentes, quod in* Domino *præceſſerit.* Ex his intelligitur cur de natiuitate Filij loquatur Origenes, nimirum vt doceat quotidiana Filiorum Dei in fide incrementa, eſſe opus Dei in illis, & quaſi quotidianam generationem. Poſtea ſequuntur ea verba, ex quibus ſua decerpſit Lombardus, quæ quàm ſint perturbata facilè quiuis pius etiam cognoſcet. Sic igitur Origenes, *Saluator noſter ſplendor eſt gloriæ. Splendor autem nō ſemel naſcitur, & deinceps deſinit naſci. Quotieſcunque ortum fuerit lumen, ex quo ſplendor oritur, toties oritur & ſplendor gloriæ. Saluator noſter* B *ſapientia eſt Dei. Sapientia verò eſt ſplendor lucis æternæ. Sic igitur Saluator ſemper naſcitur. Et idcirco dicit, ante omnes colles generat me: non (vt quidam malè legunt) generauit me. Si ſemper ex Patre naſcitur Dominus etiam tu in ſimilitudinem eius tantum adoptionis ſpiritum habens ſemper regeneraris à Deo per ſingulos intellectus, per ſingula opera, &c.* Quæ quam rectè fluant, nihilque, vt illa Lōbardi, hiulcum, aut horridum habeant, vident omnes eruditi. Et *claritatem* nimium dilutè cōuertit, quod dixit Apoſtolus Hebr. 1. verſ. 3. δόξαν.

AD CAP. XIII.

1 *Quia nec ex nihilo eſt.* Quædam ex Hilario hîc omittuntur, quæ ſic habent, *Quia nec ex nihilo natiuitatem ſumit ex vita*, quæ huius dicti Hilariani mētem meliùs exprimunt, docéntque illic non de eo quęri, quod hîc in cōtrouerſia verſatur, nimirum *Vtrùm potius* Filius *dicēdus ſit*, per verbum præſentis temporis *naſcitur ex Patre*: C quàm per verbum præteriti, *Natus eſt ex Patre*: ſed demonſtrari vnam, eandémque eſſe in Patre & Filio vitam, quemadmodum in vtroque eadē eſt & natura, & virtus, & æternitas. Ita vt huiuſmodi locos ad hoc argumentum traducere ſit, ſenſum optimorum autorum euertere.

2 *Non demutiationem.* Quę apud eundem Hilarium ſequuntur confirmāt ſuperiorem noſtram annotationem & cenſuram, nimirum de diſsimili prorſus ab hac quæſtione diſputatione. Sunt igitur hæc, *& impertit profectum, nec amittit naturam, dum & natiuitatem, quam dedit, per indiſcretæ naturæ ſimilitudinem ſequitur: & natiuitas eam, quæ viuens ex viuente eſt, naturam naſcendo non deſerit.*

3 *In ſua forma.* Hilarianus codex habet *in ſuam formā generat*. Malim *in formam* Generant enim Patres ad imaginem & formam ſuam liberos. Geneſ. 5. verſ. 3.

AD CAP. XIIII.

1 *Aliud Patri.* Hîc quoque anteſtari libet, neq; hunc Hilarij locum ad hoc argumentum Lombardi pertinere, neque ſanū etiam retineri: ſed pluſquam ſex illis à nobis annotatis vulneribus cōfundi, ex quibus quædam etiam ſunt grauiſsima. Mens Hilarij ea eſt, vt oſtendat, etiamſi Filius & Deus, & idem cum Patre (qui eſt ἀγέννητος) A Deus eſſe credatur, non ſequi tamen id quod Ætiani (qui fuerunt peſſima Arianorū ſoboles) abſurdiſsimum eſſe contēdebant, quemadmodum Epiphan. ſcribit, nimirum vt idem & natus, & non natus crederetur. Natus, quia Filius: non natus, quia vnus cum Patre innato Deus. Quod cū iſta quæſtione nullam prorſus habet cohærentiam, vbi de modo loquendi tantùm diſceptatur. Vt autem veram eſſe noſtram hanc inrerpretationem omnes intelligant, ipſummet Hilarium loquentem placidè audiamus. *Contundenda ſunt*, inquit, *ergo inſolentes aduerſus Deum diſputationes, & deſtruenda rationum fallacium munimenta, & eleuata ad impietatem ingenia conterenda. Hæc qualia ſint explicans paulo pòſt addit, ceſſet itaque ſolicitudo perfidiæ, neq; negare nos* (*quia ipſa nō intelligit*) *exiſtimet, quòd ſolum à nobis bene intelligitur & creditur. Nā ipſa ſermonū enuntiatione, quum natū confitemur, non tamen non natum prædicamus. Neque enim* B *id ipſum eſt non natum, atque naſci.* Hîc igitur eſt ſtatus quęſtionis Hilarianæ. Et ſuam ſententiam confirmaturus idem Hilarius ſubiicit. *Quia illud* (natum eſſe) *ab altero: hoc verò* (non natum eſſe) *à nemine eſt. Et aliud eſt ſine autore eſſe ſemper æternum: aliud quod Patri, id eſt, autori eſt coæternum.* Hîc primùm igitur immutata eſt Hilarij ſententia detracta voce *Quod*, ſed hoc leue vulnus eſt niſi mens autoris euerteretur.

2 *Vbi autem.* Hilarius. *Vbi enim.* Eſt enim αἰτιολογία.

3 *Natiuitas eſt, quia ſicut.* Omiſſa eſt integra ſententia, ex qua genuinus huius loci ſenſus deprehendi potuit, éſtque luculentiſsima ſuperioris dicti ratio à relatis ducta, quæ ſic habet, *At verò vbi autor æternus eſt, ibi & natiuitas æterna eſt.*

4 *Id ipſum non eſt autori.* Hilarius, *Idipſum autori non eſt ambiguum defuiſſe.* plano ſenſu, non intorta, vt hîc, conſtructione verborum.

5 *Si gignenti eſt infinitum gignere.* Tota hæc C clauſula ſic eſt apud Hilarium, *Quia quod gignenti eſt infinitum, infinitum eſt etiam naſcenti.*

6 *Vtrunque ergo.* Inuerſa eſt hoc loco Hilarij oratio, & mens, id eſt, argumentatio. Sic igitur ille, *Quod vtrunque ſine interuallo ſui eſt, quia ſine vtroque neutrum eſt.* Iſte contrà, *Quia ſine vtroque neutrum eſt, vtrumque ergo ſine interuallo ſui eſt.* Præterquàm quòd interdicta ſententia hîc omiſſa totū hunc locum efficit obſcurum. Sic igitur Hilarius. *Si quid ei qui ab æterno Patre natus eſt, ex æternitate defuerit id ipſum autori* (*qui Pater eſt*) *non eſt ambiguū defuiſſe, quia quod gignēti eſt infinitū, infinitū etiā naſcēti. Mediū enim quid* (Et hæc omiſit Lōbardus, vti illa ſuperiora corrupit) *inter natiuitatem Filij Dei, & generationem Dei Patris nec ratio, nec ſenſus admittit: quia & in generatione natiuitas eſt, & in natiuitate generatio eſt: quod vtrunque ſine interuallo ſui eſt, quia ſine vtroque neutrum eſt.* Vides igitur, beneuole lector, quot vnus hîc Hilarij locus à Lombardo vulnera acceperit.

AD CAP. XV.

1 *Nec ſemper Pater eſt.* Obſcurus locus. Id quod ex ipſorum Hilarij verborum recitatione perſpicuè apparebit, illa verò ſic habent, *Sed, inquiet quiſpiam diuini huius incapax ſacramēti omne quod*

A *natum eſt, non fuit: quia in id natum eſt, vt eſſet. Et quis igitur ambiget, quin quæ in rebus humanis nata ſunt, aliquando non fuerint? Sed aliud eſt ex eo naſci qui ſemper nõ fuit: aliud eſt ex eo naſci qui ſemper eſt. Infantia enim omnis, cùm antea non fuiſſet, cœpit ex tempore, quæ rurſum in pueritiam excreſcens, poſt etiam in adoleſcentiam, coegit in Patrem: & non ſemper Pater eſt, qui antè in adoleſcentiam per pueritiam, & in pueritiam per infantiam cœptam profecerit. Ergo qui non ſemper Pater eſt, non ſemper & genuit: vbi autem ſemper Pater eſt, ſemper & Filius.*

2 *Quòd natum eſt:* Hilarianus codex habet, *Quòd natus eſt*: & ita omnino hîc legendum puto. Nam *natus* refertur ad Filium. Vbique tamen in Lombardianis libris ita retinetur quòd *natum eſt*, quæ oratio habet σολοικοφανές.

Cenſura ad Diſtinctionem nonam.

Tria quoque ſunt quę in hac Diſtinctione animaduerſione digna iudico. Prima eſt ipſa curioſitas Lombardi, & totius iſtius hominum B generis, qui quum fateantur Filij generationem eſſe ἀνερμήνευτον, in eam tamẽ tam curioſè inquirant. Accedit quòd totam hanc generationis rationẽ magnã partẽ ad humanæ natiuitatis leges reuocant. *Licet ſcire*, inquit Ambroſius lib. 1. de Fide ad Gratianum, capite quinto. *Quòd natus ſit, non licet diſcutere quemadmodum natus ſit: ſi pax Chriſti ſupra omnem ſenſum, quemadmodum non eſt ſupra omnem ſenſum tanta generatio? Incomprehenſibiliter generatur Filius: impaſſibiliter generat Pater, & tamen ex ſe ſine ſexu altero generauit.* Baſilius in Sermo, de humana Chriſti generatione *Pater erat*, inquit, *& Filius generatus eſt. Ne dicas, Quando? ſed negas hanc quæſtionem. Ne quæras, quomodo? Eſt enim hæc impoſſibilis reſponſio. Nam quando tempus habet. Quomodo vero ad modos corporeos imaginationem quandam.* Felix igitur illa veteris Eccleſiæ ætas, in qua Arianis, & illis hæreticis, (prout illi naſcebantur) Patres orthodoxi reſpondiſſe contenti nihil huiuſmodi inuehebant in Eccleſiam, ex quo hæreſeωn noui fontes potiùs aperiuntur, C quàm ebullientes obturentur. Ac ne quis in eo me ſeueriorem fortaſſe, minúſque æquum de Lombardo iudicem exiſtimet, præterquam quod ſuprà luculenter demonſtratum eſt in hac quęſtione, *Vtrùm potius dicendum ſit, Filius natus eſt ex Patre, an naſcitur ex Patre*, ab iſto captata eſſe Hilarij verba, non recitata: illud ab omni calumnię ſuſpicione facilè me liberat, quòd hanc ipſam quæſtionem neque Thomas, neque Occan (diligenter alioquin iſtarum rerum perſcrutatores, & omnium Lombardi veſtigiorum venerabundi ſectatores) attigerunt, tanquam iam curioſam potiùs ſuo ſeculo iudicatam, quàm neceſſariam. Durandus eandem perſtringit. Thomas quidem in prima parte Quæſt. 13. Artic. 1. ad tertium ſic vno verbo totam hanc, (quæ tamen apud iſtum longiſsima eſt) rem conficit. *Verba*, ait, *& participia hæc ſignificantia tempus dicuntur de ipſo (Deo) quòd æternitas includit omne tempus. Sicut enim ſimplicia ſubſiſtentia non poſſumus apprehendere, & ſignificare niſi per modum compoſitorum: ita ſimplicem æternitatem non poſſumus intelligere, vel voce exprimere, niſi per modum temporalium rerum: & hoc propter connaturalitatem intellectus noſtri ad res compoſitas, & naturales.* Quid igitur tot verbis Lombardo opus fuit? Nam ſi tam auguſtum arcanũ ad noſtræ generationis leges phraſes & cõtra A Patrum omnium ſententiam, exigimus, infinita quædam alia quęſtionum moles ab iſto prętermiſſa videbitur, quales ſunt, dicis cauſa, tres iſtæ, aliàs grauiſsimę & difficilimæ. 1. Vtrùm in diuinis, ſicut in humanis, generatio ſit proceſſus de imperfecto ad perfectum. 2. Vtrùm verè dicatur, generatio non eſt ſubſtantiis ſeparatis à materia. 3. Vtrùm denique fieri poſsit, vt quod generari dicitur æternaliter, duret in eſſe, & cætera huiuſmodi, quæ omnino ſunt ἄτοπα & curioſa. Hæc vna eſt animaduerſio noſtra.

Altera, quòd ſaltem admonere debuit Lombardus, quem vſum hæc tam vexata à ſe quæſtio haberet, *Vtrùm dicendus ſit* potiùs *Filius naſci, vel natus*: & cuius hæreſeos lacunas obſtrueret. Eſt autem illa primùm ab Eunomio hæretico introducta, quemadmodum docet Cyrillus li. 1. Theſauri, capite ſexto, qui locus (quoniã eſt pulcherrimus, & breuiſsimè omnes has controuerſias à Lombardo obcurè deciſas explicat) videtur mihi hîc adſcribẽdus, B *Ad hæc* ait Cyrillus, *qui ab aliquo principio generationem* Filij *credunt cœpiſſe, vehementer errant, nihil plus* Filio Dei, *quàm homini tribuentes. Homo enim quoniam ex non eſſe incepit, neceſſariò etiam eius generatio incepit. Et quod eſt ex eo, ſeparatum à ſeipſo habet Filium ſuum. Sed ſicut Deus ipſe ſine principio, & ingenitus eſt: ſic quia ex ſubſtantia eius prodiit Filius, ſine principio, & non factus eſt. Sed inſuper à nobis, qui coæternum Patri* Filium *credimus, Eunomius quærit, an Pater ceſſauit iam generare? Nam ſi ceſſauit (vt ipſe opinatur) generandi ceſſatio principium eſt eſſendi* Filij. *Sed quoniam ſupra omne tempus, & omne principium, & omne ſpatium ſubſtantia Dei eſt: generatio quoque Dei ſupra omnia illa eſt. Nec priuabitur natura diuina poteſtate generandi, quoniam abſque tempore generat. Alius enim diuinæ generationis modus eſt, quàm humanæ. Simul enim eſſe Deum, & generare ipſum credimus, quamuis mente generatio poſtea intelligatur. Erat igitur in ipſo genitus* C *Filius. Nec præcedit generatio eius eſſe ipſius: ſed ſemper ſimul & eſt, & generatur. Quare qui auſus eſt dicere ceſſaſſe Patrem à generando, crimine impietatis non caret. Tres enim mutationes in diuinam induxit naturam, quia tria ſpatia in huiuſmodi generatione, quæ ceſſauit, neceſſariò dantur. Vnum, ante generationem: alterum, in ipſa, tertium poſt ipſam. Si ergo ſic Deus (Pater) genuit, vt & incœperit, & genuerit, & ceſſauerit, quomodo immutatus non eſt?* Hactenus Cyrillus, de quo vel obiter monendus erat lector, ne quis iſta tam operoſè fruſtrà diſputari iudicaret.

Tertia reprehenſio eſt, quòd huius quæſtionis, (quæ ex comparatis inter ſe Gregorij & Originis verbis naſcitur) ſolutionem & controuerſiæ deciſionem non affert Lombardus. Putat Gregorius potiùs ac verius dicendum eſſe, *Filius ſemper natus eſt de Patre*, per præteritum: contrà Origenes, vt iſte vult, potiùs ſic loquendum cenſet, *Filius ſemper naſcitur de Patre*, per verbum præſentis temporis. Hîc totius controuerſiæ ſtatus eſt, vtra phraſis ſit à nobis ſequenda, & alij pręferenda. Iam verò iſte (qui ſe honorarium arbitrum, & in tanta lite diſceptatorem interponit) quid pronuntiat, vt eos placet? Hæc nempe cap. 12. *Non adeò apertè* ait *ſemper manifeſtatur*

veritas

A *Non adeò aperte ait ſemper manifeſtetur veritas, cùm dicitur, Filius ante tempora genitus eſt de Patre, vel Filius ſemper naſcitur de Patre.* Quæ verba quid ſignificent, aut quàm ſolutionem afferant, explicet qui poteſt. Ego certè non video, & vt ingenuè fatear, non intelligo. Si ſic diceret. *Non adeò apertè manifeſtatur veritas, quum dicitur, Filius natus de patre quàm* (vel *vt*: ſic enim iſtis loqui licet) *Quum dicitur, Filius ſemper naſcitur de Patre*, hominis mentem intelligerem: & viderem ſententiam, ac loquutionem Origenis præferri Gregorij orationi & rationi. Sed hoc noluit iſte, imò cenſet in eo præferendum Gregorium Origeni, & ſuum pro hac phraſi, *Filius natus eſt de Patre*, calculum Gregorio lubenter addit. Atque ita ipſe poſtea ait eodem capite, *Neque tam conuenienter, neque congruè ad explanationem veritatis dicitur, Filius naſcitur*, quàm *Filius natus eſt*. Sic etiam hominis iſtius & verba & mentem intellexerunt mecum omnes huius loci & Distinctionis interpretes, in primiſque Durandus, & Lombardi abbreuiatores Arnoldus Veſalieſis, & Claudius B Spinæus. Ergo ad ſtatum propoſitę quæſtionis non reſpondet Lombardus, cùm in verbis controuerſiæ non perſtet: ſed deſideribus interrogatus de alga reſpondet. Deinde ipſa reſponſio Lanbardi, nempe congruentiùs, conuenientiùs, atque adeò ad explanationem manifeſtationémque veritatis veriùs dici, *Filius natus eſt*, quā *Filius naſcitur*, hæc, inquam, reſponſio falſa eſt. Primùm, quia quemadmodum apparet ex autoritatibus, quas ipſe profert, frequētiùs poſteriori locutione vſi ſunt Patres. Deinde quia æquè orthodoxa ac pia eſt vtraque phraſis, vt neutra neutri ſit præferenda, nec is ſcrupulus mentibus hominum fuit iniiciendus. Tertio loco Damaſcenus lib. I. de Orthod. fide, capite octauo, verbo præſentis temporis lubentiſsimè in huius generationis explicatione vtitur. Γεννᾷ, ait, ὁ ἀεὶ ὢν Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ λόγον. Et eodem libro, capite nono, καὶ ὥσπερ πῦρ τὸ φῶς ἐκ τοῦ πυρὸς ἀεὶ γεννώμενον ἀεὶ ἐν αὐτῷ ἐστὶ μηδαμῶς ἐξ αὐτοῦ χωριζόμενον· οὕτω καὶ ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς C γεννᾶται. Vbi ſtatim idem vocem ἐγεννήθη habet, vt hæ phraſes ſint & promiſcuæ, & perinde orthodoxæ. Itaque magiſtralem iſtam Lombardi cenſuram & ſententiam, vt nimis audacem, temperans Durandus ſic ait, *Aliquantulum magis propria loquutio eſt, Filius ſemper natus eſt.* Opera enim Deitatis ad intra, quale eſt generare, generari, emanare, ſunt & ęterna, & perpetua, & ſemper manentia, vti ipſa deitas ſui ſemper ſimilis eſt, & vna, & eadem. Itaque & verè & commodè dicitur, *Pater genuit Filium*: &, *Pater generat Filium*. Denique quod capite octauo verba hæc, *Generationem eius quis enarrabit*. Iſ. 53. verſic. 8. ab iſto de natiuitate Filij ęterna accipiuntur (quanquam veteres, vti monuimus, quoſdam aſtipulatores habet) tamen aliam prorſus mentem habent, & ad perpetuam Chriſti vitam ac durationem regni illius (quæ poſt reſurrectionem maximè cœpit) pertinent. Vox enim דור Dor, vt ex eodem Iſaia capite 38. verſic. 12. apparet, natiuitatem aut generationem minimè ſignificat. Atque iſta breuiter in Diſtinctionē hanc nonā dicta ſunto.

A

DISTINCTIO. X.

Hic de Spiritu ſancto agitur, & priùs, quòd ſit amor Patris & Filij dicitur.

CAP. I.

NVNC [a] *poſt Filij æternitatem de Spiritu ſancto, quantum, Deo donante, videre conceditur, diſſeramus. Spiritus ſanctus* [b] *amor eſt, ſiue charitas, ſiue dilectio Patris & Filij. Vnde Aug. in xv. libro de Trinit. ait, Spiritus ſanctus nec Patris eſt ſolius, nec Filij eſt ſolius, ſed amborum: & ideo communem, qua inuicem ſe diligunt Pater & Filius, nobis inſinuat charitatem.*

a Tranſitio. De ęterna proceſsione Spiritus ſancti quantum ad perſonam quę procedit.

b Propoſitio futurę diſputationis. Cap. 17.

CAP. II.

Quòd Spiritus ſanctus propriè dilectio dicatur: & tamen Trinitas ſit dilectio.

IOANNES autem in epiſtola Canonica ait, Deus charitas eſt: non dixit, Spiritus ſanctus charitas eſt. Quod ſi dixiſſet, abſolutior eſſet ſermo, & non parua pars quæſtionis deciſa: ſed quia dixit, Deus charitas eſt incertum eſt, & ideo [c] *quærendum eſt, vtrùm Deus Pater ſit charitas, an Filius, an Spiritus ſanctus: an Deus ipſa Trinitas, quia & ipſa non tres dij, ſed vnus eſt Deus, Ad hoc Auguſtinus in eodem libro ita dicit: Neſcio cur* [d] *ſicut ſapientia & Pater dicitur, & Spiritus ſanctus, & ſimul omnes non tres ſed vna ſapientia: non ita & charitas dicatur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, & ſimul omnes vna charitas. Non ideo tamē quiſquam nos inconuenienter æſtimet charitatem appellare Spiritum ſanctum: quia & Deus Pater, & Deus Filius poteſt charitas nuncupari: ſicut propriè verbum Dei etiam ſapientia Dei dicitur, cùm Pater & Spiritus ſanctus ſit ſapientia.*

1. Ioan. 4. a B

Aug. lib. & c. prędictis

c Obiectio.

d Solutio.

CAP. III.

Sicut Verbum Dei propriè dicitur ſapientia, & tamen tota Trinitas dicitur ſapientia: ita & Spiritus ſanctus propriè dicitur charitas, & tamen Pater & Filius & Spiritus ſanctus dicitur charitas.

C

SI [e] *ergo propriè aliquis horum trium charitas nūcupari debet, quis aptius quàm Spiritus ſanctus, vt ſcilicet in illa ſumma ſimplicique natura non ſit aliud ſubſtantia, & aliud charitas: ſed ſubſtantia ipſa ſit charitas, & charitas ipſa ſit ſubſtantia, ſiue in Patre, ſiue in Filio ſiue in Spiritu ſancto: & tamen Spiritus ſanctus propriè charitas nuncupetur. Ecce his verbis apertè dicit Aug. quòd in Trinitate charitas aliquādo refertur ad ſubſtantiam, quæ communis eſt trium Perſonarum & tota in ſingulis: aliquando ſpecialiter ad Perſonam Spiritus ſancti: ſicut ſapientia Dei aliquando pro ſubſtantia diuina, aliquando pro Filio propriè accipitur, & hoc in multis fieri reperitur.*

e Explicatio cur Spiritus S. charitas κατ' ἐξοχὴν appelletur. Ex eodem lib. ca. eodem, ſed paulò inferius.

CAP. IIII.

Exemplis firmat eadem nomina propriè vniuerſaliter accipi.

PLVRIBVS enim exemplis doceri poteſt, multa rerum vocabula & vniuerſaliter poni, & propriè quibuſdā rebus adiberi: ſicut Legis *nomine aliquādo*

Confirmatio explicatio ex Aug. Eiſdem li. & capite. Ioan. 1. b.

A ſimul omnia veteris Teſtamenti ſignificantur eloquia: aliquando autem propriè vocatur Lex, quæ data eſt per Moyſen. Multa alia ſuppetunt exempla, ſed in re aperta vitanda eſt longitudo ſermonis. Sicut ergo vnicum Dei verbum propriè vocamus nomine ſapientiæ cum ſit vniuerſaliter & Spiritus ſanctus & Pater ipſa ſapientia: ita Spiritus ſanctus proprio vocabulo charitas nuncupatur, cùm ſit Pater & Filius vniuerſaliter charitas.

CAP. V.

Autoritatem ponit, quòd Filius propriè dicitur ſapientia.

a Quæſtio vtrum Sp. S. dicatur in ſcriptura charitas.

De Spiritu ſancto teſtimonium quærit, & inuenit, vbi dicatur eſſe charitas. 1. Io. 4. b

b Reſpōſio.

SED Dei[a] verbum, id eſt, vnigenitus Dei Filius, apertè dictus eſt Dei ſapientia, ore Apoſtoli dicentis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Spiritus autem ſanctus vbi ſit dictus charitas, inuenimus:[b] ſi diligēter Ioannis Apoſtoli eloquium ſcrutemur: qui cùm dixiſſet, Diligamus inuicem, quia ex Deo eſt dilectio: adiunxit, Et omnis qui diligit, ex Deo natus B eſt: quia dilectio Deus eſt. Hîc manifeſtauit ſe dixiſſe eam dilectionem eſſe Deum, quam dixit ex Deo. Deus ergo ex Deo eſt dilectio: ſed quia & Filius ex Deo Patre natus eſt, & Spiritus ſanctus ex Deo Patre procedit, quē potiùs eorum hîc debeamus accipere dictum eſſe dilectionem, meritò quæritur. Pater enim ſolus ita Deus eſt, vt non ſit ex Deo: & ideo dilectio, quæ ita Deus eſt vt ex Deo ſit, non ipſe Pater eſt, ſed aut Filius, aut Spiritus S. Sed in conſequentibus cùm Dei dilectionem commemoraſſet Ioannes, qua dilexit nos, & hinc hortatus eſſet vt & nos inuicem diligamus, atque ita Deus in nobis in nobis meneat: quia vtique dilectionem Deum dixerat, ſtatim, volens de hac re apertiùs aliquid eloqui, inquit In hoc cognoſcimus, quia in ipſo maneamus, & ipſe in nobis: quia de ſuo Spiritu dedit nobis. Spirit⁹ itaq; ſanct⁹, de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere: & ipſum in nobis. Hoc autē facit dilectio, Ipſe ergo De⁹ eſt dilectio, De⁹ ergo Spirit⁹ ſanctus, qui procedit ex Deo ſignificatur vbi legitur, Deus dilectio, & dilectio ex Deo eſt. Ecce C his verbis apertè dicit Aug. Spiritum ſanctum eſſe charitatem Patris & Filij: & in tantum quoque ſermonem produxit, vt videatur dixiſſe Spiritū ſanctum non ſolum eſſe dilectionem Patris & Filij, qua ſe inuicem & nos diligunt: ſed etiam qua diligimus Deum. Sed vtrùm ipſe ſit charitas, qua nos diligamus Deum, in ſequenti explicatur.

In eo. ca.

CAP. VI.

Redit oſtēdere quod propoſuerat, ſcilicet quòd Spiritus ſanctus ſit amor, quo Pater à Filio, & Filius à Patre diligitur.

Diſt. 17. primi.

Quis amor ſit Spiritus ſanctus, & cuius reſpectu.

In tomo. 8 circa illud Diligam te Domine. In fi. 4. c

In principio cap. 5.

NVNC verò quod incipimus oſtendere, curemus, ſcilicet Spiritum ſanctum dilectionem eſſe, ſiue amorem Patris & Filij: quo ſcilicet Pater diligit Filium, & Filius Patrem. De hoc Hieron. ſuper 17. Pſal. ait, Spiritus ſanctus nec Pater eſt, nec Filius: ſed dilectio, quam habet Pater eſt in 1 Filium, & Filius in Patrem. Aug. quoque in 6. lib. de Trinit. ait. In 2 omnibus æqualis eſt Patri Filius, & eſt vnius eiuſdémque ſubſtantiæ. Quapropter etiam Spiritus ſanctus in eadem vnitate ſubſtantiæ, & æqualitate conſiſtit.

CAP. VII.

Quid ſit Spiritus ſanctus hîc aperitur.

1 SIVE enim ſit vnitas amborum, ſiue ſanctitas, ſiue charitas, manifeſtum eſt quòd nō aliquis duorum eſt, quo vterque coniungitur: quo genitus à gignente diligatur, genitorémque ſuum diligat, ſintque non participatione, ſed eſſentia ſua neque dono ſuperioris alicuius. ſed proprio ſuo ſeruantes vnitatem 1 Spiritus in vinculo pacis. Ecce hîc habes Spiritum ſanctum eſſe, quo Filius diligitur à Patre, & Pater à Filio, & quo illi duo ſeruant vnitatem pacis. Spiritus ergo ſanctus, vt ait Aug. eodem, commune eſt aliquid Patris & Filij, quicquid illud eſt. At ipſa communio conſubſtantialis, & coæterna eſt: quæ ſi amicitia conuenienter dici poteſt, dicatur. Sed aptiùs dicitur charitas, & hæc quoque ſubſtantia: quia Deus ſubſtantia eſt, & Deus charitas eſt. Tria ergo ſunt, & non ampliùs: vnus diligens eum qui de illo eſt, & vnus diligens eum de quo eſt, & ipſa dilectio, quæ ſi nihil eſt, quomodo Deus ſubſtantia eſt?

A

Hunc amorem eſſe ſubſtantiam non qualitatē.

Ad Eph. 4. a

Libr. 6. de Trin. ca. 5.

CAP. IX.

Quòd Spiritus ſanctus ſicut communis eſt Patri & Filio, ita commune nomen habet proprium.

D

HIC notandum eſt, quòd ſicut Spiritus ſanctus in Trinitate ſpecialiter dicitur charitas, quæ eſt Patris & Filij vnio: ita & nomen tenet propriè, quod Patri & Filio communiter quodam modo congruit. vnde Aug. in xv. lib. de Trin. Si charitas, inquit, qua Pater diligit Filium, & Patrem diligit Filius, ineffabilem communionem demonſtrat amborum, quid conuenientiùs, quàm vt ille propriè dicatur charitas, qui Spiritus eſt communis ambobus? Hoc enim ſanius creditur & intelligitur, vt non ſolum Spiritus Sanctus charitas ſit in illa Trinitate, ſed non fruſtrà propriè charitas nuncupetur: propter illa quæ dicta ſunt: ſi non ſolus in illa Trinitate vel Spiritus eſt vel ſanctus: quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus: & Pater ſanctus & Filius ſanctus: & tamen ipſe non fruſtrà dicitur Spiritus ſanctus. Qui enim eſt communis ambobus, id vocatur ipſe propriè, quod ambo communiter: Alioquin ſi in illa Trinitate ſolus Spiritus ſanctus eſt charitas, profectò & Filius non ſolius Patris, ſed etiam Spiritus ſancti Filius inuenitur. Ait enim Aopoſtol⁹ De Deo Patre, Tranſtulit 1 nos in regnum Filij charitatis ſuæ. Si ergo non eſt in iſta Trinitate charitas Dei niſi Spiritus ſanctus, Filius eſt etiam Spiritus ſancti. Sed quia hoc abſurdiſſimum eſt, reſtat vt non ſolus ibi ſit charitas Spiritus ſanctus, ſed propter illa, de quibus ſatis diſſerui, propriè ſic vocatur.

Concluſio ſuperioris diſputationis.

Ca. 19. circa finē ca.

C

Coloſſ. 1. b

AD DISTINCTIONEM X.

AD CAP. II.

1 *ET ideo quærendum eſt.* Dele *Eſt.* Nam & ſic in Auguſtino ipſo, & meliùs, eo exturbato (quod hîc importunè incubat) fluit ſic oratio, *incertum eſt, & ideo quærendum, Vtrùm* Deus Pater, *&c.* niſi fortaſſe quis malit in vtroque, & apud Auguſtinum, & hîc quoque eſſe gloſſema verba hæc, *Et ideo quærendum.*

2 *Simul omnes.* Auguſtinus *Et ſimul omnes vna charitas,* & meliùs.

AD CAP. VI.

1 P*ATER in Filium.* Hierony. habet *Pater in* Filio: *&* Filius *in* Patre. Res minimi momenti, niſi hoc ipſum minimum eſſet non leue vel inſcitiæ, vel audaciæ Lombardi in corrumpendis

Patrum

A Patrum dictis teſtimonium.

2 *In omnibus eſt æqualis.* Hîc habet locum vetus illud, ἐδὲν πρὸς ἔπος. Fruſtra enim, atque etiam præter ſenſum Auguſtini, hæc ipſius verba citantur. Iſte vtrùm ſit Spiritus ſanctus charitas illa mutua Patris & Filij, quærit: Auguſtinus, vtrùm quæ diuinam eſſentiam deſignãt, ęquè de Patre & Filio dicantur. charitas verò neque eſſentiæ diuinæ ſignificatio, neque nomen eſt.

AD CAP. VII.

1 *VNITATEM Spiritus in vinculo.* Locus ſumptus ex Auguſtini lib. 6. de Trin. capite. 5. vbi quædam addit idem Auguſtinus. Sic enim habet B *Seruantes vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Quod imitari per gratiam, & ad Deum ipſum, & ad nos ipſos iubemur.* Cæterùm verba hęc, *Seruantes vnitatem Spiritus in vinculo pacis,* ſunt ex epiſtola Pauli ad Epheſeos, capite 4. verſ. 3. Quæ ex Auguſtino Lombardus ad hoc inducit, vt Pater, & Filius inter ſe concordes eſſe intelligantur interuentu Spiritus ſancti: quemadmodum homines pij inter ſe vnitatem & concordiam veram colunt, ac retinẽt eiuſdẽ Spiritus ſancti vi & inſpiratione. Verumtamẽ non tantùm aliena eſt à mẽte Pauli hæc iſtius loci interpretatio: ſed etiam omninò periculoſam quoque eſſe, quum ad vnitatem eam, quę eſt inter Patrem & Filium, refertur, docet idem Auguſti. qui in ſermo de Blaſphem. Spirit. ſancti, germanum huius loci ſenſum afferens, ſic explicat, vt ad eam ſocietatem, C pertineat, quæ inter homines ipſos eſt, nõ autem inter perſonas diuinas, id eſt, quæ nobis cum vniuerſa primùm eccleſia eſſe debet: deinde quę mutua eſt ſingulorum inter nos. Vt enim in vno Spiritu omnes in vnum corpus baptizati ſumus, vt omnes vna potatione potati ſumus in vnum Spiritum: ita vnum inter nos eſſe debemus, fide, conſenſu, charitate, affectu, vt docet Paulus Philip. 2. & Coloſſ. 3. verſi. 14. Quæ conſenſio & animorum coniunctio vt inter nos conſeruetur, pacem quoque inter nos retinere oportet, quoniam pax eſt iſtius tantę concordiæ vinculum. Quia verò huiuſmodi animarum vnitas ac conſenſus à Spiritu Sancto in nobis efficitur, dicitur *Vnitas Spiritus,* idiotiſmo Hebraico, quia huius amoris cauſa & fons eſt ipſe Spiritus Dei. Quãquam alij vocem *Spiritus* apud Paulum pro animo ſimpliciter accipiũt, vt *Vnitas Spiritus* perinde ſonet atque *Vnitas ſeu coniunctio animorum.* Hũc igitur ex Epheſ. epiſtola locum ad hominum piorũ inter ſe concordiam: non autem ad Patris & Filii pacem referẽdum eſſe etiam in eo ipſo capite 5. lib. 6. de Trinitate, admonuit diſertè Auguſti. quum addidit, *Quod imitari iubemur.* Neque confirmat hanc Lombardi interpretationẽ, quod ait Chriſtus Ioan. 17. verſic. 21. *Nos ſic inter nos vnum eſſe debere, quemadmodum ipſe & Pater vnum ſunt.* Aliò enim ſpectat ille Ioannis locus, quàm vt ſic, eodémque modo conſenſionem inter Patrem & Filium ipſum effici exiſtimemus, quo inter nos pios gignitur. Nullo enim interueniente, nullo conciliante, nullo alio pacificante: ſed ob vnitatem identitatémque eſſentiæ Pater & Filius ſunt ἕν, σύμφρονες, σύμψυχοι, ὁμοθυμοὶ, denique vna eſt vtriuſque voluntas. Hinc igitur apparet, quàm ab erret à mente Pauli hæc interpretatio. Porrò, A quàm ſit eadem periculoſa quoque ex eo colligitur. quòd ſic diſpeſcitur, diuiditúrque vnica illa & ſimpliciſsima diuina eſſentia. Nam ſi Pater dicatur diligere Filium, & Filius Patrem per Spiritum ſanctum: ſi inter ſe pacem ſeruare credantur per vnitatem & conſenſum, quem conciliat inter eos Spiritus ſanctus, quónam modo Pater & Filius à ſeſe & animo & loco non ſeparantur, vti nos pij alius ab alio diuerſi ſumus? Atque ſic multiplicatur diuina eſſentia in plures deos. Denique poſtquam ſex huius ſententiæ non tantùm diuerſas, ſed contrarias explicationes commemorauit Thomas in 1. part. quæſt. 37. artic. 2. eò tandem delabitur, vt potiùs obſuret & inuoluat hanc quam ipſe vocat difficultatem, quàm euoluat & enodet. Sed homo iſte receptas ſuo ſeculo & vexatas iam quæſtiones augere, id eſt, oleum camino addere, glorioſum exiſtimauit, neque quid rectè, quid non: quid accommodatè, quid perperam diceretur, pili fecit. id quod etiã apparet infr. cap. 9. hac ipſa ſectione. B

2 *Quæ ſi nihil eſt.* Locus ex perſpicuo obſcurus à Lõbardo redditur ex ſentẽtiæ verborúmque Auguſtini mutilatione. Ecquæ enim eſt iſta conſecutio, *Si dilectio nihil eſt, quomodo Deus ſubſtantia eſt?* Nam & dilectio in homine eſt, nec tamen ſequitur, vt homo non ſit ſubſtantia ſi dilectio nihil eſt. Eſt ergo iſtud ἀπὸ τῦ συμβεβηκότος πρὸς τὴν ὐσίαν παραλογίσασθαι. Sic autem & quidem dilucida concluſione habet Auguſtinus: *Quæ* (dilectio) *ſi nihil eſt, quomodo Deus dilectio eſt? ſi non eſt ſubſtantia, quomodo Deus ſubſtantia eſt?* Nam Deus dicitur eſſe dilectio.

AD CAP. IX.

1 *TRANSTVLIT in regnum.* Omnino addendum id erat, quod apud eundem Auguſti. (vnde hic locus exſcriptus eſt) extat. *Quod autem dictum eſt, Filij charitas ſuæ* (Colo. 1. verſic. 13.) *nihil aliud intelligatur, quàm Filij ſui dilecti.* Quis enim ferat iſtam interpretationem, *Chriſtus eſt Filius charitatis. i. Filius Spiritus ſancti.* Et certè tantus támque fœdus nęuus relinquendus, aut affingendus non fuit Auguſtino, vt ita explicaſſe illum Pauli locum extra feruorem cõtentionémque ſemel ſuſceptæ argutationis crederetur. Sed iſte, dum Patrum dicta truncata, ſuo more refert, eos potiùs flagellat & deturpat, quàm cohoneſtet. C

Cenſura.

Quid aliud dicam, quàm totam hanc diſputationem eſſe planè & curioſam, & falſam? Ac curioſam quidem, quoniam hîc certè, ſi vſquam alibi, homo iſte inſanit circa quæſtiones, & vocabuli *charitas* pugnas. Idquod fieri à vero Theologo vetat Paulus 1. Timoth. 6. verſic. 4. Atque adeò tota hęc tam longa & tam intricata diſceptatio ex eo nata eſt, quòd genus ipſum loquendi (quo Spiritus Dei vtitur) arguti iſti & ſubtiles diſputatores nequaquã intellexerunt. Figuratum enim dicendi genus eſt, & planè metonymicum iſtud ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐστί. 1. Ioan. 4. verſic. 8. propterea quòd cauſa pro effecto ſumitur. Eſt enim Deus charitas quoniam omnis verę charitatis cauſa, & fons eſt: imò verò nemo Deum verè nouit, eúmque geſtat in pectore (geſtant autem omnes

A verè pij & fideles, Ioan.4.verſ. 23.) quin idem & Deum ipſum amet & proximum. Item Deus eſt charitas, quia nos, id eſt, ſuam eccleſiam immenſè diligit. Cùm igitur ſit tantus Dei erga nos affectus, támq; infinitus, ad vim magnitudinémque iſtius diuini erga nos amoris ἐμφατικωτέρως exprimendam, dixit Ioannes non tantùm, *Deus diligit nos*, ſed, *Deus eſt charitas.* Eſt igitur hæc Charitas attributum Dei, quemadmodum & ſapientia, & miſericordia, & cætera huiuſmodi, quæ ab humano loquendi & cogitandi more Deo tribuuntur. Id docuerunt viri noſtræ ætatis doctiſsimi, clariſsimiq; Theologi. Porrò Charitas, vti & fortitudo, & ſapientia, & conſolatio, &c. tribuitur Spiritui ſancto κατ᾽ ἐξοχὴν, quòd iſtas virtutes Spiritus ſanctus præcipuè in nobis efficiat, ac creet. Quanquam enim omnia Trinitatis opera (quæ dicuntur ad extra) ſint indiuiſa: eſt tamen in illis ipſis operibus propria & tanquam peculiaris quædam cuiuſque perſonæ diuinæ actio B quemadmodum docet Petrus 1. Epiſt. 1. verſ.2. Apparet igitur vt ex inconcinna & inepta phraſis iſtius interpretatione magna curioſæ diſputationum moles erecta ſit à Lombardo ingenioſo in huiuſmodi λογοδαιδαλίαις & λογομαχίαις artifice. Atque hanc ipſam tam alienam quæſtionem omnino prætermiſerunt qui huius Diſtinctionis vel doctiores, vel accuratiores cæteris habentur interpretes, Durandus, & Occanus. Thomas in 1. parte quæſt.37. quædam agitat, ſed in quibus argutatur prorſus, ac tandem eò redit, vt quum Spiritus ſanctus dicitur amor & charitas, propter vocabulorum inopiam fieri fateatur. Præclarè enim Auguſtinus in Ioan. Euangelio, tract.13. *Omnia poſſunt dici de Deo, & nihil dignè dicitur de Deo: Nihil latius hac inopia.* Baſilius lib. de Spiritu ſancto ad Amphil. capite 19. & li.5. contra Eunomium, cęteriq; Græci Theologi nullam huiuſmodi quæſtionem habent, quanquam tum ex Iſ.61. tum ex Ioã.14. varia Spiritus ſancti epitheta recenſet. Primus hanc de voce *Charitatis & amoris* controuerſiam mouit homo malè feriatus C Dionyſius lib. de Diuinis Nominibus par.1. cap. 4. qui Chriſtianã Theologiam ad Platonicorum dogmata reuocans, Deũ etiam ἔρωτα vocari debere contendit: quanquam tamen eum honeſtiore vocabulo ἀγάπην appellari idem fatetur. Hãc litẽ breuiter ante Lombardũ decidiſſe videbatur Anſelmus in Monolog. ca.48. his verbis, *Nulla res amatur ſine eius memoria, & intelligentia: & multa tenentur memoria, & intelliguntur, quæ non amantur. Patet igitur amorem ſummi* Spiritus *ex eo procedere, quia ſui memor eſt, & ſe intelligit. Quòd ſi in memoria ſummi Spiritus intelligitur Pater, in intelligentia* Filius, *manifeſtum eſt, quia à Patre pariter & à Filio ſummi Spiritus amor procedit.* Vbi etiam ratio redditur, quamobrẽ Spiritus ſanctus amor vel charitas appelletur. Auxit tamen eandẽ quæſtionem poſt Lombardum Thomas Aquinas, dum amorem, non vt Dei attributum: ſed velut eſſentiam ipſam diuinam, & Perſonam Spiritus ſancti conſiderandam eſſe contendit, *Amoris enim nomen & eſſentialiter & perſonaliter in diuinis ſumi, ait.* Sed quis ferat iſtos homines tam otioſè de ſacroſancta illa eſſentia diuina, & vanè nugãtes? & ex his, quæ iam dicta ſunt, quis non videat, totum hoc certamen de verbis eſſe, & ἀδολεσχίαν potiùs, quàm ἱερὰν θεολογίαν nominandam? A

Porrò falſam eſſe hanc ipſam interpretationẽ, nempe charitatem hanc eſſe ſubſtantiam, ſatis apparet, ex eo quòd Diſt. 17. infrà hic idem diſputat (cuius ſententia communi totius ſcholæ calculo repudiatur) & ex iis quæ diximus ſuprà in ca. 7. N.1. Item quod iſte de Spiritu S. ſcribit eũ charitatem peculiariter appellari, quomodo verum eſſe probat, quum vel in vno S. ſcripturæ loco reperiendo laboret, vnde aliquid huiuſmodi apertè demõſtrare poſsit? Quòd ſi quis excipiat, Auguſtinum idem ſenſiſſe, Reſpondemus ita legendum ac ſequendum eſſe Auguſtinum ipſum, vt non quid dicat, ſed quid ex Dei verbo probet, B ſpectemus. Deinde rationem quoque aliam affert idem Auguſtinus, cur Spiritus ſanctus nominetur charitas, nempe, quòd poſtquàm homini datus eſt, *Accedit in eo dilectionem* Dei, *& proximi*, cap.17. lib.15. de Trinitate. *Nam non habet homo vnde diligat Deum, niſi à Deo. Dilectio enim Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Rom. 5. quod ipſum Auguſtinus idem cap.18. in fine ſequitur. Illa verò ratio, dici Spiritum ſanctũ charitatem, *Quòd Pater Filium, contráque Filius Patrem per Spiritum ſanctum diligat*, Ab eodem Auguſtino planè refeRatur li. 2. de Trinitate, his verbis. *Quis audet dicere Patrem nec ſe, nec* Filium, *nec Spiritum ſanctum diligere, niſi per Spiritum ſanctum?* Quamobrem erant hæ tam variæ eiuſdem Auguſtini ſententiæ inter ſe conferendæ ac diiudicandæ, non autem ἁπλῶς & ἀδιακρίτως vna quædam illius ſententia obtrudenda piis, quam etiam ab ipſomet Auguſtino fuiſſe retractatam ex paribus locis alij antè me, & rectè quidem, collegerunt, quemadmodum tradit Thomas 1. parte quæſtionis 37. articulo 1. C

DISTINCTIO. XI.

Quòd Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio.

CAP. I.

Hic dicendum eſt Spiritum ſanctum à Patre eſſe & Filio, *& procedere à Patre & Filio, quod multi hæretici negauerunt. Quòd autem de vtroque procedat, multis diuinorum eloquiorum teſtimoniis comprobatur. Dicit enim Apoſtolus, Miſit* Deus *Spiritum Filij ſui in corda noſtra. Ecce hîc dicitur Spiritus Filij. Et alibi, qui autem* Spiritum *Chriſti non habet, hic non eſt eius. Ipſe etiam Filius de Spiritu ſancto dicit in Euangelio Quem ego mittam vobis à Patre. Patris autem* Spiritus *dictus eſt, vbi legitur, ſi* Spiritus *eius qui ſuſcitauit* Chriſtum *à mortuis, habitat in vobis. Et ipſe Chriſtus dicit non enim vos eſtis qui loquimini. ſed* Spiritus *patris veſtri qui loquitur. Et in alio loco, Quem mittet Pater in nomine meo: Et alibi ipſe Filius de Spiritu ſancto ait, De Patre procedit. His & aliis autoritatibus pluribus oſtenditur, quòd* Spiritus *ſanctus à Patre &* Filio *procedit.*

Summa doctrinæ. Au.lib.15. de Trinit. 26. has ſcripturas ad idem adducit. Gala.4.a Roma.8.b Ioan. 18.d Matt.10.c Ioan.14.d Ioan.15.

CAP. II.

Quòd Græci non concedunt Spiritum ſanctum procedere à Filio.

Obiectio Gręcorũ.

Græci tamen dicunt Spiritum ſanctum procedere tan-

Obiectio Grȩcorũ

Quare dicantur Grȩci Spiritus ſanctus.

a Prima cauſa. Ioã. 15 d

b Secunda cauſa.

Niceno, Epheſino, Calcedonenſi & Conſtantinopolitano.

c Tertia cauſa.

A *tantùm à Patre, & non à Filio. Quòd* [a] *ideo dicunt, quia veritas in Euangelio fidem integram continente, de proceſsione Spiritus loquens, ſolum Patrem commemorat, dicens, Spiritus qui à patre procedit. Et* [b] *etiam ideo quia in principalibus conciliis, quæ apud eos celebrata ſunt, ita ſymbola eorum ſubiunctis anathematibus ſancita ſunt, vt nulli de Trinitatis fide aliud docere, vel aliter prædicare, quàm ibi cõtinetur, liceat. In quibus quidem ſymbolis cùm Spiritus ſanctus commemoretur procedere à Patre, & non à Filio. Quicunque, inquiunt, à Filio eum procedere addunt, anathema incurrunt, vnde & nos arguunt anathematis reos.* [c] *Addunt etiam ad aſſertionem ſuæ opinionis, & in teſtimonium noſtræ damnationis, de ſymbolo fidei, quod ſecundum traditionem prædictorum cõciliorum Leo III. Romæ tranſcriptum in tabula argentea poſt altare beati Pauli poſita poſteris reliquit pro amore (vt ipſe ait) & cautela fidei orthodoxæ. In quo quidem ſymbolo, in proceſsione Spiritus ſolus commemoratur Pater, his verbis: Et in Spiritum ſanctum, dominum, & viuificatorem, ex Patre procedẽtem, cum Patre & Filio coadorandum & glorificandum, &c.* B *Illud eſt ſymbolũ quod in miſſa cantatur, editũ in Niceno concilio: in fine cuius ſubiunctum eſt, Qui aliud docuerit, vel aliter prædicauerit, anathema ſit. Ideóq; Græci nos anathematizatos dicunt, quia dicimus Spiritum ſanctum à Filio procedere, quod ibi non continetur. Quod enim ſecundum nos ibi dicitur, Qui à Patre Filióque procedit: alterum à Latinis eſt additum, ſcilicet, Filióque.*

CAP. III.

Reſponſio Latinorum.

Reſponſio, vbi determinantur prædicta.

d Confirmatio reſpõſionis. Galat. 1. b

1. Theſ. 3. c

e Reſponſio Latinorum.

Cõfirmatio 2. reſpõſionis, quæ ſumitur ab explicatione ſententiæ Grȩcorum.

NOS autem illa verba ita determinamus, Qui aliud docuerit, vel aliter prædicauerit, id eſt, cõtrarium docuerit, vel contrario modo præiudicauerit, anathema ſit. Aliud ergo poſuit pro oppoſito, qualiter & [d] *Apoſtolus in epiſtola ad Galat. Si quis aliud euangelizauerit, id eſt, contrarium, anathema ſit. Non dicit, ſi quis addiderit. Nã ſi illud diceret, ſibiipſi, vt ait Aug. præiudicaret, qui cupiebat venire ad quoſdam, quibus* C *ſcribebat, ſicut ad Theſſal. vt* 1 *ſuppleret quæ illorum fidei deerant. Sed qui ſupplet quod minus erat, addit: non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur fidei regulam, nõ incedit in via, ſed recedit à via. Ad illud* [e] *autem quod de Euangelio opponunt, reſpondemus ita: quia cũ dicat in eo veritas Spiritũ ſanctum à Patre procedere, non addit ſolo, & ideo etiam à ſe procedere non negat: ſed ideo Patrem tantũ nominat, quia ad eũ ſolet referre etiam quod ipſius eſt, quia ab illo habet.*

CAP. IIII.

Quòd Græci in ſenſu nobiſcum conueniant, etſi verbis differant.

Galat. 4. Ioan. 16. c

SCIENDVM eſt tamen, quòd Græci confitentur Spiritũ ſanctum eſſe Filij, ſicut & Patris: quia & Apoſtolus dicit, Spiritum Filij. Et veritas in Euangelio, Spiritum veritatis, ſed cùm nõ ſit aliud Spiritum ſanctum eſſe Patris vel Filij, quàm eſſe à Patre & Filio: etiam in hoc in eandem nobiſcum fidei ſententiam conuenire videntur: licet in verbis diſſentiant.

CAP. V.

Autoritatibus Grȩcorum oſtendit Spiritum ſanctum etiam procedere à Filio.

Inſtantia quæ ex iis ipſis Grȩcis affertur.

A

Poſt mediũ libri Ioan. 16. c.

Dydimus lib. 2. vltra mediũ.

Infrà eodẽ libro.

Chryſoſt. Homil. 1. in Symbolum Apoſtolo.

1. Corint. 12. b

B

Homilia 2. in idem Symbolũ.

1. Cor. 15. d

f Concluſio.

VNDE etiam quidam eorum catholici doctores intelligentes vnam eandémque fore ſententiam prædictorum verborum, quibus dicitur Spiritus ſanctus procedere à Filio, & eſſe Filij, profeſsi ſunt Spiritum ſanctum etiam procedere à Filio. Vnde Athanaſius in Symbolo fidei, Spiritus ſanctus à Patre & filio, non factus, nec creatus, nec genitus: ſed procedens. Ecce Spiritum ſanctum apertè dixit procedere à Patre & Filio. Dydimus etiam eorum maximus doctor in lib. ij. de Spiritu ſancto, Spiritum ſanctum à Filio procedere dicit. Saluator, inquit, qui eſt veritas, non enim loquetur à ſemetipſo, hoc eſt, non ſine me & ſine meo & Patris arbitrio: 1 *inſeparabiliter eſt à me & à Patris voluntate: quia ex ſe non eſt, ſed ex Patre & me eſt. Hoc enim ipſum quod ſubſiſtit & loquitur, à Patre & à me illi eſt. Item, Spiritus ſanctus, qui eſt Spiritus veritatis, Spiritúſque ſapientiæ, non poteſt audire à Filio loquẽte quæ neſcit, cùm hoc ipſum ſit quod profertur à Filio, id eſt, procedens Deus de Deo, Spiritus veritatis procedens à veritate, conſolator manans ex* 2 *conſolatione. Nam Cyrillus Epiſcopus in epiſtola Neſtorio directa, ait: Spiritus intelligitur per ſe ſecundum quòd Spiritus eſt, & non Filius: ſed tamen non eſt alienus ab eo. Spiritus enim veritatis nominatur: & profluit ab eo ſicut ex Deo Patre. Ioãnes quoq; Chryſ. in homilia quadam de expoſitione Symboli, ſic ait, Iſte eſt Spiritus procedens de Patre & Filio, qui diuidit dona propria prout vult. Idem in alia homilia. Credendum eſt Spiritum ſanctum Patris eſſe & Filij. Iſtum Spiritum ſanctum dicimus Patri & Filio coæqualem, & procedentem de Patre & Filio. Hoc credite, ne colloquia mala corrumpant bonos mores. Ecce à doctoribus Græcorum aperta habemus teſtimonia, quibus Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedere oſtenditur.* [f] *Omnis ergo lingua confitetur Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio.*

AD DISTINCT. XI.

CAP. III.

1 *Vt ſuppleret quæ.* Totus hic locus ſumptus eſt ex Aug. Tractat. 96. in Euangel. Ioannis: quo abutuntur ij, qui putant aliquid ad ſacram Scripturam addi poſſe, in quo fidei noſtræ pars, aut articulus vllus poſitus ſit, cùm ſuprà cap. 2. dixerit Lombardus, *in Euangelio fidem integram contineri.* Nam quod ait Paulus ad Theſſalonicẽſes, epiſt. 1. cap. 3. verſ. 10. ſe velle ſupplere ὑστερήματα quæ deſunt fidei eorum, non de ipſa doctrina intelligitur, quaſi eam imperfectam Eccleſiis tradiderit Paulus, ſed de conſtantia, conſolatione & incremento, ſiue maiori fiducia concipienda exemplo ſuo, vt idem Paulus explicat Coloſſ. 1. verſic. 24.

AD CAP. V.

1 *Inſeparabiliter eſt à me.* Hieronymus conuertit, *Inſeparabilis eſt à me, &c.*

2 *Ex conſolatione.* Hieronymus vertit, *Manans de conſolatore*, quod eſt longè aptius, & magis perſpicuum. C Iam verò quæ apud ipſum Didymum Hieronymi præceptorem ſequuntur, non erant prætermittenda: nam ne nimis dilutum videretur argumentum, quod ex iſtis phraſibus ducitur, *De meo accipiet, non à ſemetipſo loquetur*, oſtendit idem Didymus, Chriſtum ipſum hac eadem loquendi forma vſum eſſe, quũ ſuã ex Patre emanationem demõſtrare vellet, D*enique*, ait Didymus, *Ne quis eum à Patris & Filij voluntate, &*

A *ſocietate diſcerneret, ſcriptum eſt, non enim à ſemetipſo loquetur, ſed ſicut audiet. Cui etiam ſimile de ſeipſo Saluator ait, ſicut audio, & iudico: & alibi, Non poteſt* Filius *facere quicquam, niſi quod viderit* Pa*trem facientem.* Ioan.5.& 8.

Cenſura ad diſtinctionem vndecimam.

Præter illa,quæ ſuperiùs annotata ſunt in hāc Diſtinctionem,hęc duo mihi videntur obſeruāda.Primùm imperitè ab iſto confundi in hoc argumento Theologorum Græcorum ætates,dum ait capite ſecundo. Græcos docere , Spiritum ſanctum procedere tantùm à Patre, & non à Filio:& tamen affert ipſe capite 5.ex iiſdem Gręcis varias aduerſus illam ipſam doctrinam autoritates & ſententias. Facit igitur diuerſi temporis confuſa ab iſto ratio,vt tota hæc quæſtio , & deciſio ſit ad intelligendum obſcuriſsima.

Secundo loco monſtro , ne ipſorum quidem Græcorum(aduerſus quos agit)ſententiam ab iſto fuiſſe perceptam cap. 4. huius Diſtinctionis.

B Quod ad perturbationem igitur ætatum , vetus eſt illud,*Diſtingue tempora , & intelliges ſcripturas,* quod,vt quanti ſit hoc loco momenti,intelligatur,rem ipſam explico.Eſt Theologorum Græcorum in hac Quęſtione definienda & diiudicanda,triplex ætas conſtituenda: Prima , Media, & Poſtrema.Prima ætas à Chriſto paſſo & Euangelio à Græcis recepto, durat vſque ad Baſilij tempora.Qui illo igitur toto primo ſeculo vixerunt Theologi Græci in hoc articulo à Latinis minimè diſſenſerunt.Media ętas à Baſilij ſeculo(quod poſt annum trecenteſimum à Chriſto nato incidit)vſque ad annum milleſimum peruenit. Tertia ætas eſt omnis reliqua. Proximè autem mediam ætatem cœpit de Deitate Spiritus ſancti diſputari à quibuſdam malè feriatis Græcis,quāquam eæ quæſtiones raræ erant. Earum tamen cōtrouerſiarum(quæ poſtea ſequutæ ſunt grauiſſimæ) Quędam velitationes ac ſemina fuerunt. Itaq; in Niceno concilio 1. de eo non eſt actum, quòd nondum vllus de S.Sp.error inualuiſſet, vt C ait Baſil.in epiſtolis. Macedonius primus apertè pertinaciter.illius θειότητα negare auſus eſt aliquot poſt Nicenum concilium annis. Hic error eò rem deduxit,vt quidam poſtea docerent.Sp.S.eſſe & κτῆμα & κτίσμα Dei. Alij eſſe Miniſtrum & Diaconum Filij.Itaque eſſe creaturā illam quidē præſtantiſsimam , ſed tamen nequaquam ὁμούσιον vel Patri,vel Filio.Aduerſus quas hæreſes cū Baſil.acerrimè ageret , & ex eo θειότητα & ὁμοουσιότητα Sp.S.cum Patre & Filio doceret,ꝙ ex vtroq; ꝓcederet,vſus tamē eſt quibuſdam locutionibus, quæ incōmodum ſenſum prę ſe ferūt:&, quemadmodū aliquot pòſt ætatibus in Florentina Synodo ſub Eugenio quarto,ſeſſ.vltima,diligenter obſeruatū eſt,ſequentem ætatē in errorem induxerunt. Sæpe enim ait Baſilius, Πνεῦμα εἶναι ἐκ Θεοῦ (πατρὸς) δι' υἱοῦ. i. Sp.S. *Eſſe ex* Patre *per Filiū*. Quū enim ex Syrmienſi Synodo,can.18.19. 20. vellet Baſilius docere nō procedere Spiritū ſanctum à Patre & Filio tanquam à diuerſis principiis , ſed tanquam ab vno principio,& ab eadē eſſentia,vt poſtea loquuta eſt Synodus Florentina , Seſsio. 23.& 24.& tamen Patrē pręcipuam illius emanationis cauſam eſſe vellet, (Nam , vt ait Auguſtinus lib. 15. de Trinitate *A quo habet Filius vt ſit Deus,ab eodem habet vt de illo procedat* Spiritus)dixit Baſilius eum eſſe *ex* Patre *per* F*ilium.*Sed illud A *Per* neque inſtrumentum , neque locum , neque tempus ſignificat, quemadmodum etiam ipſi poſtremi Græci ex diſputationibus Beſſarionis in concilio Florentino,Seſſ.25.conſenſerunt, tamen noxia iam fuerat iſta Baſilij loquutio.Nam Theodoritus Cyri epiſcopus , qui Baſilium ſequutus eſt , dicitur inde arrepta occaſione primus negaſſe Spiritum ſanctum procedere ex Filio,cuius propterea ſentētia Seſſ.23. Concil.Florent. damnata eſt. Nedum tamen Theodoriti ſeculo obſtinatè defendebatur,etiam inter Gręcos ipſos.Nam & Cyrillus poſterior Baſilio lib. 1.contra Iulian.ſic loquitur vti Baſilius,quia cenſebatur hæc phraſis eſſe indifferens,*Spiritus Sanctus eſt de Patre &* Filio*, &* Spiritus *Sanctus eſt de Patre per Filium.* Quomodo etiam antea loquutus erat Hilarius Pictauienſ. libr.12. de Trinitate.Itaque in huius mediæ ętatis Gręcis Theologis hæ loquutiones paſsim occurrunt.Sequuta porrò eſt poſtrema eorum ætas,quę prorſus negauit Spiritum ſanctum procedere ex Filio, vel per Filium. Nam quum Bulgari ad fidem Chri- B ſtianam recens cōuerſi Symbolum quoddam fidei orthodoxæ à Nicolao primo Roma. Pontifice poſtulaſſent, viderétque ille de hoc quæſtionem iam anxiè moueri inter Græcos, *Vtrùm Spiritus ſanctus procederet à Filio,* in ſuis ad Bulgaros reſponſis disertè expreſsit Spiritum ſanctū procedere & à Patre,& à Filio , idque orthodoxam fidem credere. Quare offenſus Conſtantinopolit.epiſcopus , (quòd à ſe Symbolum iſtud petendum potiùs,quàm à Roma.epiſcopo fuiſſe diceret)apertè in hoc articulo à Latina Eccleſia primus ſeceſsionem fecit. Inde qui ſequuti ſunt Theologi Græci,vt Theophylactus , pedibus in eorum ſententiam iuêre , qui negant Spiritum ſanctum à Filio procedere. Hæc tempora & diuerſa ſcripta confudit tamen Lombardus , & ex primæ & ſecundæ ętatis Theologis aduerſus poſtremam affert cap. 5.ἔνστασιν,quæ minimè admittetur. Eſt enim hæc argumētationis ratio,ignoratio Elenchi. C

Secundo verò loco notandum eſt , iſtum ex eadem confuſione peſsimè cap. 4. interpretari poſtremæ illius ætatis (aduerſus quam duntaxat agit)ſententiam,nempe,Græcos confiteri Spiritum ſanctum eſſe Filij , ſicut & Patris, quoniam admittant hoc Pauli dictum,Πνεῦμα τοῦ υἱοῦ.Galat. 4.verſic. 6. quod de Spiritu ſancto proculdubio ſumendum eſt,vt apparet Roma.8.ver.15.16. Nā quemadmodum docet Anſelmus in lib.*De proceſſione Spiritus ſancti,*cap.2. falſa eſt iſta conſequutio,propterea quòd ait idem , *Etſi Græci negant Spiritum ſanctum de Filio procedere,concedunt tamē eum eſſe Spiritum Filij;*quoniam , vt illi ex Baſilio interpretabātur,(ſed præter ipſius Baſili mentē) πνεῦμα ἅγιον ἐστὶ μετάδοσις ἐξ υἱοῦ.i.*Sp.S. eſt donum, quod nobis per* Filium *, & à* Filio *communicatur à Patre.* Hæ ſunt igitur huius Diſtinctionis labes, quæ docent,etſi verā ſententiam iſte tuetur, peſsimè tamen eum argumentari.Quòd ſi ipſorū ſcholaſticorum Latinorum diuerſæ ac variæ ſententiæ (quę ex hac Lombardi ſcriptione promanarunt) ſpectentur longè incertior apud Latinos ipſos, quàm apud Græcos videbitur iſtius quæſtionis definitio? Adeò,vt queādmodū hic ipſe inf. ꝓx.

Diſt.

A Diſt.cap.2.fatetur, ſint potiùs iſtæ quæſtiones laborioſæ, quàm fructuoſæ: quia curioſi homines in ipſam Dei maieſtatem penetrare tentant. Alij igitur ex Latinis negant ex pluralitate productionum ſufficiẽter probari dualitatem productorũ, id eſt Filium & Spiritum Sanctum eſſe duo quædam ὑφιστάμενα diuerſa, ſic Occan. Alij volunt Spiritum Sanctum referri ad Patrem per Filium, & ita minorem vim Filio, quàm Patri in ea proceſſione tribuunt Thomas. Idem ait Spiritum Sanctum, vti Filium, eſſe imaginem Patris, quanquã non vocatur Patris imago. Alij volunt Spiritum Sanctum produci de Patre & Filio per modum voluntatis, ſic Durãdus: Filium verò de Patre per modum naturæ. Alij productionem cuiuſlibet Perſonæ fieri per medium intellectus quoque & volũtatis, & ſic Spiritũ Sanctũ produci de Patre, & de Filio. Alij Spiritũ Sanctum dicunt produci liberè, non naturaliter. Quæ omnia, quid aliud obſecro, demonſtrãt, quàm vanos iſtos ματαιολόγους B potiùs quàm θεολόγους eſſe, & in re tã ſeria ludere? neque cum reuerentia tantum myſterium, ac inſcrutabile adorare, ſed fidem Chriſtianam fundatiſſimam in dubium reuocare, atque tandem euertere.

DISTINCTIO XII.

Vtrùm Spiritus ſanctus priùs vel plenius procedat à Patre quàm à Filio.

CAP. I.

Argumentatio hęretici.
a Prima quęſtio.

ITEM quæritur cùm Spiritus ſanctus à Patre procedat & à Filio, vtrùm[a] priùs vel magis proceſſerit à Patre quàm à Filio: quod nititur hæreticus oſtendere ita dicens, Si proceſſit Spiritus ſanctus à Patre, proceſſit vtique aut nato iam Filio, aut non nato Filio. Si verò iam nato Filio proceſſit, antè natus eſt C *Filius quàm proceſſerit Spiritus ſanctus, præceſſit ergo natiuitas Filij proceſſionem Spiritus ſancti. Si autem proceſſit à Patre non genito Filio, antè proceſſit, quàm Filius genitus fuerit.*

CAP. II.

Reſponſio Auguſtini ad id quòd primò quærebatur, ſcilicet an priùs à Patre quàm à Filio proceſſerit.

Reſponſio cap.26.

Ibidem.

HIS & huiuſmodi quæſtionibus magis laborioſis quàm fructuoſis reſpondet Aug. in xv. li. de Trin. dicens. In[1] illa ſumma Trinitate, quæ Deus eſt, interualla temporum nulla ſunt, per quæ poſſet oſtendi aut ſaltem requiri, vtrùm priùs de Patre natus ſit Filius, & poſtea de ambobus proceſſerit Spiritus ſanctus. Nunquid ergo poſſumus quærere vtrùm iam proceſſerat de Patre Spiritus ſanctus, quando natus eſt Filius: an nondum proceſſerat, & illo nato de vtroque proceſſit? Non poſſunt prorſus ibi iſta quæri, vbi nihil ex tempore inchoatur: vt[2] ex conſequenti perficiatur in tempore. Ideo qui poteſt intelligere ſine tempore generationem Filij de Patre, intelligat ſine tempore proceſſionem Spiritus ſancti de vtroque. Ecce his verbis abſoluta eſt quæſtio illa quæ quærebatur, vtrùm priùs proceſſerit Spiritus ſanctus à Patre, quàm à Filio.

CAP. III. A

Hîc agitur de eo quod ſecundò quærebatur, ſcilicet an pleniùs vel magis proceſſerit à Patre quàm à Filio.

a Quęſtio
b Reſponſio.
Cap. 17.
c Obiectio ex Auguſtino.
Quo ſenſu dixerit principaliter procedere à Patre.
d Solutio.

NVNC tractandum eſt quod ſecundò quærebatur, ſcilicet an pleniùs aut magis procedat Spiritus ſanctus à Patre quàm à Filio. Ad[b] quod dicimus, quia ſicut non antè procedit à Patre, quàm à Filio ita non pleniùs vel magis procedit à Patre quàm à Filio. Auguſtinus tamen[c] in xv. de Trinitate, dicens, quòd Spiritus ſanctus principaliter procedit de Patre: Non fruſtrà, inquit, in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei niſi Filius: nec donum Dei, niſi Spiritus ſanctus: nec de quo genitum eſt Verbum, & [1] de quo procedit Spiritus ſanctus principaliter, niſi Deus Pater. Ecce audiſtis, quia Spiritus ſanctus principaliter procedit à Patre. Sed ne de te hoc turbaret, ipſe cõtinuò ex quo ſenſu hoc dixerit, aperit, dicens: Ideo[d] addidi principaliter, quia & de Filio Spiritus ſanctus procedere reperitur: ſed hoc quoque illi Pater dedit non iam exiſtenti, & nondum habenti Sed quicquid vnigenito verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, vt etiam de illo donum commune procederet, & Spiritus ſanctus Spiritus eſſet amborum. Ecce, expoſuit ipſemet quomodo Spiritus principaliter procedat à Patre: non quia priùs vel magis procedat à Patre, quàm à Filio: ſed quia cùm procedat à Filio, hoc ipſum habet Filius à Patre. B

CAP. IIII.

Ex eodem ſenſu etiam dicitur Spiritus ſanctus propriè procedere à Patre.

1 Corollarium, in quo hęc phraſis Hieronymi Sp. S. propriè procedit à Patre explicatur.
Tom. 4. ad Cyril- C lum ſcribens, in epiſt. cuius initium eſt, Credimus in vnum Deũ Patrem.

EX eodem ſenſu etiam dicitur procedere propriè de Patre. vnde Hieronymus in expoſitione catholicæ fidei, Nicenique ſymboli ait. Credimus in Spiritum ſanctum, qui de Patre procedit propriè. Item. Spiritum ſanctum verum Deum inuenimus in ſcriptura, & de Patre eſſe propriè. Et item, De Patre Filius, & Spiritus ſanctus propriè & verè de Patre procedit. Ecce apertè dicit Spiritum ſanctum propriè eſſe de Patre, & propriè procedere à Patre. Quod non eſt ita intelligendum, tanquam priùs vel pleniùs à Patre procedat quàm à Filio: ſed quia hoc habet Pater à ſe, non ab alio, vt de ipſo ſit & procedat Spiritus ſanctus. Filius autem non à ſe, ſed à Patre hoc habet, vt de ipſo ſit & procedat Spiritus ſanctus.

CAP. V.

Ex eodem ſenſu dicitur Spiritus ſanctus eſſe, & mitti à patre per Filium.

2 Corollarium, in quo hę phraſes explicantur Spirit. S. mittitur per Filiũ, item à Patre eſt per Filium. In fine duodecimi libri.
Ibidem.

FORTE etiam iuxta hanc intelligentiam dicitur Spiritus ſanctus mitti per Filium, & à Patre eſſe per Filium. vnde Hilarius ad Deum Patrem de Spiritu ſancto & Filio loquens in xij. lib. de Trin. ait, [1] In Spiritu ſancto tuo ex te profecto, & per eum miſſo. Item, Ante tempora vnigenitus tuus ex te natus manet, ita quòd ex te per eum Spiritus ſanctus tuus eſt: quod etſi ſenſu non percipiam, tamen teneo conſcientia. In ſpiritualibus enim rebus tuis hebes ſum. Itẽ in eodem, Conſerua hanc oro fidei meæ religionem, vt quod in regenerationis meæ profeſſus ſum, ſemper obtineam: te Patrem ſcilicet, & Filium tuum vnà tecum adorem: Spiritum ſanctũ tuũ, qui ex te per vnigenitũ

A *tuum eſt, promerear. Ecce, apertè dicit Spiritum ſanctum à Patre per Filium & mitti, & eſſe: quod non eſt intelligendum quaſi à Patre per Filium minorem mittatur vel ſit: ſed quia ex Patre & Filio eſt, & mittitur ab vtroque: ſed hoc ipſum habet Filius à Patre, vt ab ipſo ſit & mittatur Spiritus ſanctus. Hoc ergo voluit ſignificare Hilarius diſtinctionem faciens in loquutione, vt oſtenderet in Patre eſſe autoritatem. Inde eſt etiam, quòd* [a] *veritas oſtendens Patrem eſſe autorem proceſsionis, qua procedit Spiritus à Filio, dixit in Euãgelio, de Patre procedit, cùm & de Patre & Filio procedat Spirit' ſanctus. Vnde Aug. in xv. li. de Trinit. quærit, Si de Patre & Filio procedit Spiritus ſanctus, cur Filius dixit, de Patre procedit? Cur putas, niſi quia ſolet ad eum referre etiam quod ipſius eſt,* 2 *ſicut & de quo ipſe eſt: ſicut ait, Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me? Si ergo hîc intelligitur eius doctrina, quã tamen nõ dixit ſuam, ſed Patris, quantò magis illic intelligendus eſt Spiritus ſanctus de ipſo procedere, vbi ſic ait, de Patre procedit: vt non diceret, de me non procedit. A quo autem habet Filius vt* B *ſit Deus (eſt enim Deus de Deo) ab illo vtiq; habet vt etiã de illo procedat Spiritus ſanctus. Et ideo Spiritus ſanctus vt etiam* 3 *de Filio procedat, ſicut procedit de Patre, ab ipſo habet Patre. Quapropter qui poteſt intelligere in eo quod ait Filius, ſicut habet Pater vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo: non ſine vita exiſtenti iam Filio vitam Patrem dediſſe, ſed ita eum ſine tempore genuiſſe, vt vita (quã Pater Filio gignẽdo dedit) coæterna ſit vitæ Patris qui dedit. Intelligat etiam, ſicut habet Pater in ſeipſo, vt de illo procedat Spiritus ſanctus: ſic dediſſe Filio, vt etiam de iſto* 4 *procedat idem Spiritus ſanctus, & vtrũque ſine tempore. Ita ergo dictum eſt Spiritũ ſanctum de Patre procedere, vt intelligatur quòd etiam procedit de Filio, de Patre eſſe & Filio. Si enim quicquid habet, de Patre habet Filius, de Patre habet vtique vt de illo procedat Spiritus ſanctus: ſed nulla ibi tempora cogitentur, quæ habeant prius & poſterius: quia ibi omnino nulla ſunt.*

[a] 3 Corollarium, vbi explicatur hoc dictum Chriſti, De Patre procedit.

Cap. 27.

Ioan. 7. b

Ioan. 5.

Aug. li. de Trinitate. 15. cap. 26.

Cõcluſio.

C

AD DISTINCT. XII.

AD CAP. II.

1 *In illa ſumma. Trinitate* Non ſunt, quę ſequũtur, verba Auguſtini, quanquam iſte addit, *dicens in illa, &c.* & *requiri* pro *quæri* ab iſto barbarè poſitum ſatis oſtendebat: ſed ſuo more, ſic bonos autores iſte repræſentat. Verba quidem hæc, *In illa ſumma Trinitate, quæ Deus eſt*, ſunt ex cap. 27. tranſcripta: deinde iſta, *Interualla temporũ nulla ſunt*, ex cap. 26. ſed mutata: reliqua ſunt Lombardi, quæ inſuauem hominis barbari ſtylum, planè ipſa per ſe redolent, vt nemo admoneat.

2 *Vt ex conſequenti.* Auguſtinus lib. 15. de Trinitate, cap. 26. ſic habet, *Vt conſequenti perficiatur in tempore*, id eſt, quemadmodũ in trium illarum perſonarum operibus ad intrà nihil tempore cœpit: ſic in iiſdem, nihil conſequenti tempore abſoluitur. Iſte putat ab Auguſtino notari locum argumentationis, qui eſt à conſequenti.

AD CAP. III.

1 *Et de quo.* Auguſtinus lib. 15. de Trinitate, cap. 17. habet, *Nec de quo, &c.* & ita proculdubio hîc eſt reponendum, vt Filius à Spiritu ſancto diſtinguatur.

AD CAP. V.

A

1 *In Spiritu ſancto.* Quædam ſunt omiſſa, ſed quia citra ipſius ſentẽtiæ lecturam, non annoto.

2 *Sicut & de quo ipſe.* Vnius vocis immutatio facta, omiſſio alterius, nempe *Et Sicut*, totũ hunc locum reddunt obſcurum, docéntque non fuiſſe perceptam à Lombardo Auguſt. mentem. Sic igitur Auguſtinus, *Cur Filius dixit de Patre procedit? Cur putas, niſi quemadmodum ſolet ad eum referre & quod ipſius eſt, de quo & ipſe eſt?* Putat igitur Lombardus iſtud *quemadmodum* comparationis notã eſſe inter hæc duo *quod ipſius eſt*, & *de quo eſt*. Sed fruſtrà: reuocat enim nos Auguſtinus ad ſimiles locos cum hoc conferendos, vbi Chriſtus ea, quę ad ſe quoque (quâ Deus eſt) pertinent, tribuit Patri, quòd in Perſonarum comparatione ſit principium relationis Pater, & totius noſtræ de Trinitate cognitionis velut fundamentum. Ergo, ait Auguſtinus, cùm ſit de Patre Chriſtus, nempe quia eſt λόγος Θεοῦ, ad Patrem referre ſolet, quæ ſibi quoque, vtpote ὁμουσίῳ, conueniunt, Philip. 2. verſ. 6. Huius rei exemplum affert Auguſtinus, hoc Chricti dictum, Ioan. 7. verſ. 16. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me, Patris.* Quia igitur ab illo, id eſt, à Patre, eſt Chriſtus, ad eum refert quæ ſua ipſius ſunt. Hæc plana ſunt & perſpicua. Quid iſte? *Quemadmodum ſolet referre Filius ad Patrem, quod ipſius eſt*, ait, *ſicut & de quo ipſe eſt.* Quorſum iſtud, *ſicut*? Quæ denique mens eſt iſtius orationis & rationis? Videant qui poſſunt, ego certè non video.

B

3 *De Filio procedit.* Sunt & hîc quoque quædam à Lombardo immutata, quæ mentem Auguſtini non mutant.

4 *Vt de iſto.* Lege *illo.*

Cenſura ad Diſtinctionem duodecimam.

Tria quædam in hac Diſtinctione poteſt quilibet veritatis ſtudioſus obſeruare. Primùm, ſummam huius hominis curioſitatem, ac certè damnandam. Retinendum enim nobis illud eſt & vetus, & à Spiritu ipſo dictatum, *Scrutator Maieſtatis diuinæ ab ea opprimetur.* Superior diſputatio tolerabilior erat propter recentem Græcorum hominum errorem, quem confutare oportuit. Sed quò iam iſtius ματαιολογία? Quò curioſitas? Quò denique furor tẽdit, vt in adyta ſoli ipſi Trinitati nota tam audacter, tanquam Betſamitæ illi in ſacram Domini arcam, oculos inferat? Hæ quæſtiones omnes (quæ ſunt ἀπέραντοι. i. infinitæ, vt ait Paulus, ſúntq; propterea à veris Theologis omnino præcidendæ, nedum alendę vel augendæ) hæ quæſtiones, inquã, omnes ex eo adeò ſunt ortæ, quòd ad captum humani ingenij ineffabilis & inenarrabilis illa emanatio diuinarum Perſonarum reuocata eſt: & quæ à piis patribus obiter illuſtrandæ duntaxat tantæ obſcuritatis gratia dicta fuerant, ſunt ſeueriùs à ſequenti ætate, & longiùs pertracta. Dixerũt Græci πίει πατήρ. Dixit ante Lombardum Anſelmus in Monolog. capite 55. P*atrem itaque nullus facit, ſiue creat, ſiue gignit: Filium verò* Pater *ſolus gignit, ſed non facit: Pater autem pariter &* Filius *non faciunt, neque gignunt: ſed quodammodo, ſi ſic dici poteſt, ſpirant ſuũ amorem. Quanuis enim non noſtro more ſpiret ſummè incommutabilis eſſentia: tamen ipſum amorem à ſe ineffabiliter præcedentem non diſcedendo*

C

ab illa

A *ab illa,ſed exiſtendo ex illa, forſitan non alio modo videtur poſſe dici aptiùs ex ſe emittere, quàm ſpirando.* Hinc iam Myriades quæſtionum apud Occan. ortæ,1.Vtrùm dicendum ſit, Pater & Filius ſunt vnum principium ſpirans. 2. Vtrùm potius ſunt Vnus ſpirator. 3. Vtrùm ſunt Vnum ſpirans. 4. Vtrùm melius dicatur, Pater per Filiũ ſpirat,an Pater & Filius ſpirant vel ſpirat. 5. De ſignificatione προθέσεως *Per*, & quot ſint eius ſignificata in caſuali & in recto. 6. Vtrùm vis ſpiratiua habeat eſſe per generationem , an in Filio tantùm. 7. Vtrùm generatio ſit prior ſpiratione. 8. Vtrùm per modum voluntatis ſit vis ſpiratiua. 9. Vtrùm Spiritus ſanctus fluat, an procedat à Patre, vt loquutus eſt Thomas prima parte Quæſt.36.Artic.2.Denique quis tandem finis? Et ſunt hæ quæſtiones omnes præter Dei verbũ: in quibus hic ait, ille negat. Quanquam enim Thomæ concedimus diuinas Perſonas inter ſe ſolis relationibus diſtingui, & Filium ac Spiri- B tum ſanctum(quorum vterque à Patre procedit) diuerſo modo procedere : imò etiam noſtri ratione eſſe ordinem aliquem intelligendæ originis iſtius, quis tamen iſtis hominibus hæc inſcrutabilia Dei arcana reuelauit , quorum ne Angeli quidem beati ſunt capaces? Iſta igitur curioſitas, & non animaduerſa Patrum ſobrietas ab iſto,tãtorum poſtea labyrinthorum fons & cauſſa , in iſto à nobis meritò reprehenditur.

Secundum quòd ſeipſum euertit Lombardus. Nam cùm ſuperiore Diſtinctione cap. 3. & hac ipſa,cap.3.& 4.docuerit procedere æqualiter Sp. S.à Patre & Filio:tamen cap. 5. huius ipſius Diſt. probat eorum ſententiam , qui volunt in Patre eſſe autoritatem proceſſionis , imò Patrem ipſum appellat autorem proceſſionis. Hilarius quidem libro ſecundo à Patre & Filio autoribus procedere Spiritum ſanctum ait,ſed ne inæqua- C liter ab vtroque procedere videatur. Ergo fuit diſtinguendum in hoc argumento,quid de Patre& Filio dicatur , vti diuerſis hypoſtaſibus inter ſe collatis:vel de vtroque, tanquam vno principio à quo procedit Spiritus ſanctus. Non enim ex eo procedit Spiritus ſanctus,in quo plures Perſonæ ſunt,Pater & Filius:ſed ex eo,in quo ſunt vnum. Pręterea verò etſi Filius, quâ Filius eſt, ex Patre eſt:tamen vt ſit Deus,non habet à Patre. Atque hoc ipſum eſt,quod dixit Auguſtinus libro 15. de Trinit.cap.17. & ab iſto citatum minimè tamen intellectum eſt, *Pater dedit Filio vt de illo procederet Spiritus ſanctus :ſed dedit non tanquam non iam habenti,* Id eſt,etſi Filius,quâ Deus, habet vt de ipſo procedat Spiritus ſanctus : qua tamen Filius eſt,hoc habet à Patre. Eodem modo intelligendum quod ait capite 26.eiuſdem operis , *Spiritus ſanctus principaliter de Patre procedit.* Quare quæ Thomas huius capit.quinti errore impulſus ſenſit,nimirum autoritatem iſtius proceſſionis eſſe penes Patrem 1.Par.36.quæſt. artic.2.quæ Durandus item duriſſimè ſcripſit, Spiritum ſanctum principaliùs & potiùs eſſe à Patre,iſta omnia inæqualitatem in diuinis Perſonis inducunt , & ea deſtruunt,quæ iſte ędificare vult : confuſam denique falſámque oſtendunt eſſe huius loci , ex quo illi ſua ſumpſerunt, mentem. Qui error etiam in Florentino concilio à Latinis Theologis,qui iam ex Lombardo , & ipſius interpretibus Alexandro,Thoma, & aliis, toti pendere A didicerant, & ſapere, eſt ſanè retentus. Denique & tertio loco ſententiam Hieronymi non capit, quam tamen,velut pro ſe faciat,citat capite quarto. Nam quod ait Hieronymus, *de Patre propriè eſſe Spiritum ſanctum* ad diſcrimen ſtatuendum pertinet , quo ex Deo eſſe dicuntur res reliquæ , & quo Spiritus ſanctus. Nam Spiritus ſanctus ex ipſa Patris eſſentia eſt,itaque propriè eſſe de Patre dicitur:res reliquę ſunt à Patre,non de Patre, quia non ſunt de ipſa Patris eſſentia , ſed extra eam,& ſunt res ab eo creatæ, non emanatę. Itaque propriè *de Patre eſſe* eſt non potiſſimùm aut potiùs de Patre eſſe : ſed eſſe de ipſa Patris οὐσίᾳ. Ergo cum illa ſcribebat, ſpectabat Hieronymus quæſtiones & hęreſes πνευματομάχων iam exortas, qui de Patris eſſentia Spiritum ſanctum eſſe negabant: ſed eum in ordinem reliquarum creaturarum cogebant. Atque hęc in 12. hanc Diſtinctionem dicta ſunto. B

DISTINCTIO XIII.

Quare Spiritus ſanctus cùm ſit de ſubſtantia Patris,non dicatur genitus vel Filius , ſed tantùm procedens.

CAP. I.

POST hæc conſiderandum eſt,quantum à talibus quales nos ſumus intelligi poteſt,cùm Spiritus ſanctus procedat de Patre, & ſit de ſubſtantia Patris, cur non dicatur eſſe natus,ſed potiùs procedere : & cur dicatur Filius. Quare autem Spiritus ſanctus non dicatur,vel ſit natus,& ideo non ſit Filius, *Aug. oſtendit in xv.lib.de* Trinit.*dicens, Si Spiritus ſanctus Filius diceretur,amborum vtique* Filius *diceretur: quod abſurdiſſimum eſt.* *Filius quippe nullus eſt duorum,niſi Patris & Matris. Abſit autem vt inter Deum* Patrem *& Deum Filium tale aliquid ſuſpicemur.*[1] *Abſurdiſſimè ergo* Filius *diceretur amborum, id eſt, Patris & Filij. Amborum enim Filius diceretur , ſi eum ambo & genuiſſent : quod abhorret omnium ſanorum ſenſus. Non ergo ab vtroque eſt genitus,ſed procedit ab vtroque amborum Spiritus. His verbis oſtenditur,cur Spiritus ſanctus , cùm ſit de Patre, non tamen dicatur genitus vel Filius.*

C
Cap.27.
1 Quęſtio, Spir.S.cur non dicatur natus, vel Filius
a Reſponſio.
Cap.26.

CAP. II.

Cùm Spiritus ſanctus non dicatur genitus,cur Filius dicatur procedere.

CVM autem Spiritus ſanctus non dicatur genitus, ſed tantùm procedens , quæri ſolet cur Filius non dicitur tantùm genitus,ſed & procedens.Sicut ipſe in Euangelio Ioannis ait, Ego ex Deo proceſſi vel exiui, & veni in mundum. Non ergo tantùm Spiritus ſanctus procedit à Patre.ſed etiam Filius. Ad quod [a] *dicimus quòd cùm vterque procedat à Patre, diſſimiliter tamẽ. Nam Spiritus ſanctus , vt ait Auguſt. in 5. libro de Trinit.procedit à* Patre,*non quomodo natus, ſed quomodo* [1] *datus vel donum.Filius autem proceſſit naſcendo,exiit vt genitus. Ac per hoc illud eluceſcit,vt po-*

2 Quęſtio: Filius cur dicatur procedẽs ex Patre. Ioan. 16.g
a Reſponſio.
Cap.14.

A *t ſt, ſcilicet cur Spiritus ſanctus etiam non ſit Filius, cum & ipſe à Patre exeat. Ideo Spiritus non dicitur Filius, quia neque natus eſt ſicut vnigenitus: neque factus, vt per Dei gratiam in adoptionem naſceretur, ſicut nos.*

CAP. III.

Quòd non poteſt diſtingui à nobis inter generationem Filij & proceſſionem Spiritus ſancti.

Confirmatio. Quæſtio Maximini To. 6. li. contra Maxi. 3. cap. 14. Reſpõſio. Pater eſt autor proceſsionis Spiritus ſacti etiã in Filio. Ioan. 15. d Ioan. 20. f

Inter generationem verò Filij & proceſſionem Spiritus ſancti, dum hic viuimus, diſtinguere non ſufficimus. Vnde Auguſt. Maximino præmiſſam quæſtionem refricanti, ſcilicet quærenti cur Spiritus ſanctus non diceretur Filius, cùm de Patris eſſet ſubſtantia: reſpondens, ſic ait, Quæris à me ſi de ſubſtantia Patris eſt Filius, de ſubſtantia Patris eſt etiam Spiritus ſanctus: cur vnus Filius ſit, & alius non ſit Filius. Ecce, reſpondeo, ſiue capias, ſiue nõ capias. De Patre eſt Filius, de Patre eſt Spiritus ſanctus: ſed ille genitus eſt: iſte procedens. Ideo ille Filius eſt Patris, de quo eſt genitus: iſte autem Spiritus eſt vtriuſque, quoniam de vtroque procedit. B *Sed ideo cùm de illo loqueretur ait: De Patre procedit, quoniam Pater proceſſionis eius autor eſt, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit, vt etiam de ipſo procederet Spiritus ſanctus. Nam niſi procederet etiam de ipſo, non diceret diſcipulis, Accipite Spiritum ſanctum, eúmque inſufflando daret, vt à ſe quoque procedere ſignificans, apertè oſtenderet flando, quod ſpirando dabat occultè. Quia ergo ſi naſceretur non tantùm de Patre, nec tantùm de Filio, ſed de ambobus vtique naſceretur, ſine dubio Filius diceretur amborum. Ac per hoc, quia Filius amborum nullo modo eſſet, non oportuit naſci eum de ambobus. Amborum eſt ergo Spiritus ſanctus, procedendo de ambobus.*

C

CAP. IIII.

Hic dicit quòd non valet inter illa duo diſtinguere.

Ex eodẽ Aug. aduerſus Maximinũ, li. & ca. citatis.

Eſaiæ 53. c

De hac quæſtione nõ eſt curioſius agendum.

Quid autem inter naſci & procedere interſit, de illa excellentiſſima natura loquens, explicare quis poteſt? Non omne quod procedit, naſcitur: quamuis omne procedat, quod naſcitur. Sicut non omne quod bipes eſt, homo eſt, quamuis bipes ſit omnis, qui homo eſt. Hoc ſcio, diſtinguere autem inter illam generationem, & hanc proceſſionem neſcio, non valeo, non ſufficio. Ac per hoc quia & illa & iſta eſt ineffabilis: ſicut propheta de Filio loquens ait, generationem eius quis enarrabit? Ita de Spiritu ſancto veriſſimè dicitur, Proceſſionem eius quis enarrabit? Satis ſic ergo nobis quia non eſt à ſeipſo Filius, ſed ab illo de quo natus eſt: non eſt à ſeipſo Spiritus ſanctus, ſed ab illo de quo procedit, Et quia de vtroque procedit, ſicut iam oſtendimus. De Spiritu ſancto quomodo ipſe de Deo ſit, nec tamen ipſe Filius ſit, quoniam procedendo, nõ naſcendo, legitur eſſe de Deo: iam ſuperiùs, quantùm viſum eſt, diſputauimus.

CAP. V.

An Spiritus ſanctus debeat dici ingenitus.

Nunc conſiderandum eſt, cùm Spiritus ſanctus non ſit genitus, vtrùm debeat dici ingenitus. A *Ad* [a] *quod dicimus Spiritum ſanctum nec genitum, nec ingenitum debere dici: Vnde Aug. ad Oroſium, ait, Spiritum ſanctum nec genitum, nec ingenitum fides certa declarat: quia ſi dixerimus ingenitum, duos Patres videbimur affirmare: ſi autem genitum, duos credere Filios culpamur. Sicut enim ſolus Filius dicitur genitus, ita & ſolus Pater dicitur ingenitus, eo quòd ab alio non ſit. Vnde Auguſti. in 15. libr. de Trinitate, Pater, inquit, ſolus non eſt de alio. Ideo ſolus appellatur ingenitus, non quidem in ſcripturis, ſed in conſuetudine diſputantium, & de re tanta ſermonem qualem valuerint, proferentium. Filius autem de Patre natus eſt: & Spiritus ſanctus de Patre principaliter, & communiter de vtroque procedit. Ideóque cum Spiritum ſanctum genitum non dicamus, dicere tamen ingenitum non audemus: ne in hoc vocabulo vel duos Patres in illa Trinitate, vel duos qui non ſunt de alio, quiſquam ſuſpicetur. Ecce, his verbis apertè oſtendit Spiritum ſanctum nec genitum, nec ingenitum debere dici.*

[a] Quæſtio vtrum Spiritus ſanctus dici debeat ingenitus. Tom. 4. in dialogo quæſt. 2. a Reſponſio.

Cap 26.

CAP. VI.

Quòd Hieronymus dicit Spiritum ſanctum ingenitum, quod videtur prædictis aduerſari.

B

Obiectio

Hieronymus tamen in regulis definitionum contra hæreticos, dicit Spiritum ſanctum ingenitum eſſe, his verbis, Spiritus ſanctus Pater non eſt, ſed ingenitus atque infactus. Pater non eſt, quia Patris eſt, & in Patre eſt, proceſſionem habet ex Patre, & non natiuitatem. Filius autem non eſt, quia genitus non eſt. Ecce, his verbis dicitur Spiritus ſanctus eſſe ingenitus: quod videtur aduerſari præmiſſis verbis Auguſtini.

CAP. VII.

Determinatio, ſecundum diuerſas acceptiones dicit eos locutos.

C

Solutio Lib. 5. de Tri. c. 7.

Sed vt iſtam, quæ videtur, repugnantiam de medio abigamus, dicimus quòd Hieron. aliter accepit nomen ingeniti, & aliter Aug. Accepit enim Aug. ingenitum, qui vel quod de alio non eſt: & ſecundum hoc de ſolo Patre dicitur. Hieronymus verò ingenitum dicit, non genitum: & ſecundum hoc de Spiritu ſancto poteſt dici, cum Spiritus ſanctus non ſit genitus.

CAP. VIII.

Ex verbis Hieronymi oſtenditur ex quo ſenſu dixit, Spiritum ſanctum ingenitum.

Cõfirmatio ſolutionis ex eodẽ Hieronymo.

Diuiſio hæc notãda eſt diligenter.

Quòd autem Hieronymus ita acceperit, oſtenditur ex verbis eius, quibus in eodem tractatu vtitur, faciens talem diuiſionem: Omne quod eſt, aut ingenitum eſt, aut genitum, aut factum. Eſt ergo quod nec natum eſt, nec factum: & eſt quod natum eſt, & factum non eſt: & eſt quod nec natum eſt, nec factum eſt: & eſt quod factum eſt, & natum non eſt: & eſt quod factum eſt, & natum eſt, & renatum eſt: & eſt quod factum eſt, & natum eſt, & renatum non eſt. Nunc præpoſitorum ſingulis rebus ſubſiſtentiam deſtinemus. Quod ergo nec natum nec factum eſt, Pater eſt: non enim ab alio aliquo eſt. Quod autem natum eſt & factum non eſt, Filius eſt,

qui à

A *qui à Patre genitus eſt, non factus. Quod iterum nec factum,nec natum eſt,Spiritus ſanctus eſt, qui à Patre procedit. Quod etiam factum eſt & natum non eſt, cælum & terra,cæteráque quæ inſenſibilia ſunt. Quod autem factum,& natum, & renatum eſt,homò eſt. Quod verò factum eſt,& natum eſt, & renatum non eſt, animalia ſunt. Ecce,his verbis oſtendit Hierony.ſe ingenitum accipere,non genitum. Aliter enim non eſſet præmiſſa diuiſio vera. ſ. omne quod eſt, aut ingenitum eſt, aut genitũ,aut factũ. Atq; in diuiſionis huius perſecutione,in aſsignatione ingeniti,vbique ponit non natum.*

B

AD DISTINCTIONEM XIII.

AD CAP. I.

1 *Abſurdiſsimè ergo.* Ex diuerſis eiuſdem libri 15. de Trinitate capitibus tranſcripta ſunt, quæ hic tanquam ex eodem coniunguntur. Nam quæ verba à principio huius capitis ad hunc vſque locum continentur ex cap.27.quæ ſequuntur ex fine cap.26.ſumpta ſunt:ſed & illa ipſa variè truncata,& quædam etiam immutata , velut hæc Auguſtini, *Diceretur autẽ Filius Patris & Filij.ſi, quod abhorret ab omnium ſanorum ſenſibus, eum ambo genuiſſent.* Iſte,ſic. *Amborum enim Filius diceretur, ſi enim ambo genuiſſent,quod abhorret omnium ſanorum* C *ſenſus.* tamen quia ſine ipſius autoris & ſenſus detrimento fiunt,admonendi tantùm , non reprehendendi gratiâ nobis commemorantur. Ordinis verò huius loci ratio,hæc eſt.Poſtquam de Filio & Spiritu ſancto ſeorſum,& per ſe conſideratis,tractauit Lombardus ſuperioribus ſectionibus:hic collationem inter eos inſtituit , vt qui animi ſcrupuli naſci poſſunt,eximantur. Tres autem quæſtiones,quemadmodum in artificio annotauimus,affert, ex quibus quid vterque inter ſe, vel commune vel differens habeat, intelligi poſsit.

AD CAP. II.

1 *Datus vel donum.* Locus ex cap. 14. lib.5. de Trinitate. Additur autem à Lombardo vox *Donum*:ſed tamen non præter mentem Auguſtini,quum hanc ipſam de Spiritu ſancto loquens addat ca.15.eiuſdem libri: & hæc ſit ſolutio Auguſti. Filium à Patre procedere tãquam id quod ex Patre naſcitur: Spiritum autem ſanctũ ex eodem Patre emanare, ſeu procedere, tanquam id, quod à Patre nobis datur. Vtrùm verò hæc Auguſtini diſtinctio ſatis & firma ſit, & tuta, videant alij:ego certè non probo,quoniam Filius etiam à Patre datus dicitur Iſ.9.ver.6.Epheſ.2.verſ.22.1. Ioan.4.ver.9.& 10. & iſta differentia inter Filij, & Spiritus ſancti proceſsionem, noſtri ratione potiſsimum,ſtatuitur, vt aliquo pacto res tanta à nobis intelligatur.

AD CAP. III.

1 *VNO modo eſſet.* Duplex error: Alter operarum,qui pro *Nullo* ſcripſerunt *Vno.* At proculdubio *Nullo* reſtituendum eſt, vti ex ipſo cap.14.li. 3.initio capitis apparet. Alter error ipſius autoris,qui tempore verbi immutato,totam hanc Auguſtini facillimam aliàs ſententiam, obſcuram reddidit. Ait Auguſtinus, *Ac per hoc quia Filius amborum nullo modo eſt,nõ oportuit eum naſci de ambobus.* A Iſte autem ſic, *Ac per hoc quia Filius amborũ nullo modo eſſet,* &c. adeò nihil tutum eſt, in quod iſti ſemel vngues iniecerint.

Cenſura.

Quanquam ex veterum Patrum ſcriptis apparet iampridem agitatam fuiſſe hanc quęſtionem, Quęnam ſit differẽtia inter γεννᾶσθαι & ἐκπορεύεσθαι id eſt, *Naſci & Procedere:* eadem tamen ſobrietas & lux erat ab iſto adhibenda, quæ ab illis ſolet. Ac ſobrietas quidem,ne in immenſum creſcerẽt diſputationes:lux autem & perſpicuitas , ne quæ res iam ipſa per ſe admodum obſcura eſt , magis adhuc inuolueretur , quod huius loci occaſione accidit. Damaſcenus lib.1.de Orthodoxa fide ca. 9.hęc verba γεννητῶς,& ἐκπορευτῶς,γέννησιν & ἐκπόρευσιν,γεννώμενον & ἐκπορευόμενον præciſè vrget: vt priora de Filio tantũ:poſteriora de Spiritu ſancto ſem- B per intelligantur. Sed res ipſa & vſus linguæ Græcæ probat vocem ἐκπορευόμενον etiam de aliis rebus vſurpari,quàm quæ ita emanant ex Deo vel ex aliis rebus,quemadmodum Spiritus ſanctus de Patre & Filio. Id quod apparet ex Matth. 15. ver.11. 1.Petr.3.ver.19. Adeò vt Scholaſtici communi & recepta in ipſis ſcholis phraſi dicant , *Filium quoque ex Patre procedere,* vti apparet ex Thoma in 1. parte. Quæſtio.27. Nam qui loci ab iis citantur (qualis eſt Ioan.7.verſ. 29.8.verſ. 42.16.ver.28.& 30.)etſi non habent ipſum vocabulum Græcum ἐκπορεύεσθαι:habent tamen ἐξελθεῖν,quod perinde ſonat,&(vt Grammatici docent)replet tẽpora verbi ἐκπορεύομαι defectiui. Ergo magna quędam vis C in vocabulis *Naſcendi , procedendi , & emanandi:* aut religioſa quædam obſeruatio non eſt ſtatuenda.:ſed in re ipſa potiùs,& modo emanationis,qui diuerſus eſt in Patre ex Filio emanante,& Spiritu ſancto ex Patre & Filio emanãte quoq;. Quanquam enim non videntur in Deo differre intellectus,& voluntas:& illa proceſsio Filij vt aiunt,ex Patre ſit per modum intellectus, qui rei intellectæ ſimilitudinem refert: Proceſsio verò Spiritus ſancti per modum voluntatis,quæ rem intellectam amat,& amplectitur:tamen proceſsiones ac emanationes, quæ ſunt in Deo ſecundum vtriuſque modum,& differunt,& ordinem quendam inter ſe habent. Verùm illæ proceſsiones ſunt ignotæ nobis,quia ſunt opera ad intra, non ad extra:neque fiunt vt in rebus corporalibus & nobis perſpectis, ex imperfecto ad perfectũ: vel motu quodam locali , vel productione alicuius effectus exterioris:ſed,vt Græci loquuntur, τρόπῳ πάντως ἀῤῥήτῳ καὶ ἀκαταλήπτῳ. Denique plures non ſunt hæ emanationes,quàm duæ,quoniã,vt aiunt in ſcholis,omnis intellectus actio interna (qualis hæc conſideratur) in ipſa voluntate terminatur. Quieſcit enim intellectus , vbi voluntas acceſsit, in qua ille acquieſcit. Hæc igitur erant explicanda. Denique ita ſobriè poſt Athanaſium Dialog. 1.de Trinitate. Baſilius lib. 3. contra Eunomium agendum docet , vt intelligentes Spiritum ſanctum non eſſe vt Patrem ἀγέννητον, non vt Filium μονογενῆ, πνεῦμα ἅγιον, πνεῦμα Θεοῦ, πνεῦμα ἀληθείας, ἀποστελλόμενον παρὰ Θεοῦ, οὐ δοῦλον, ἀλλ' ἅγιον ἀγαθὸν ἡγεμονικὸν, πνεῦμα ζωοποιοῦν, vocemus,neque Filij nomẽ,neque generationis appellationem Spiritui ſancto tribuamus,vt idẽ Baſilius Homil.1.de Sancto Baptiſmo præclarè monet. Cæterùm quum & de Filio,&

A de Spiritu ſancto ſcriptura ſacra vſurpat voces *Procedit, exiuit, venit,* ad beneficium illud, quo vterque nobis donatus eſt à Patre potiùs, quàm ad arcanam illam proceſſionis ineffabilis rationem explicandam pertinet. Quod iſte non vidit.

DISTINCTIO XIIII.

Quod gemina eſt proceſſio Spiritus ſancti, ęterna & temporalis.

CAP. I.

B

Cap. 27.

De ęterna proceſſione Spiritus ſancti

PRæterea diligenter adnotandum eſt, quòd gemina eſt proceſſio Spiritus ſancti: æterna videlicet, quæ ineffabilis eſt, qua à Patre & Filio æternaliter & ſine tempore proceſſit: & temporalis, qua à Patre & Filio ad ſanctificandum creaturam procedit. Et ſicut ab æterno communiter ac ſimul procedit à Patre & Filio: ita & in tempore communiter & ſimul ab vtroque procedit ad creaturam, non diuiſim à Patre in Filium, & à Filio ad creaturam. Vnde Aug. in xv. lib. de Trin. ait, Spiritus ſanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad ſanctificandam creaturam: ſed ſimul de vtroque procedit, quamuis hoc Filio Pater dederit, vt ſicut de ſe, ita etiam de illo procedat.

CAP. II.

De temporali proceſſione Spiritus ſancti ſpecialiter agitur.

De tēporali. Libro Homiliarũ 2. Homilia. 21.

C

Cap. 26.

Ioan. 20.

Luc. 6. c

Ioan. 20. f

Acto. 2. a

a Qua de cauſa mittatur Spiritus ſanctus.

DE temporali autem proceſſione, Beda in Homilia Dominicæ primæ poſt Aſcenſionem ita loquitur, Cũ gratia Spiritus ſancti datur hominibus, profectò mittitur Spiritus à Patre, mittitur & à Filio, procedit à Patre, procedit & à Filio: quia & eius miſſio eſt ipſa proceſſio. His verbis apertè oſtendit, donationem gratiæ Spiritus ſancti dici proceſſionem vel miſſionem eiuſdem. Sed cùm donatio vel datio non ſit niſi temporalis, conſtat, quia & hæc proceſſio ſiue miſſio temporalis eſt, hāc quoque temporalem Spiritus ſancti proceſſionem Aug. in xv. lib. de Trin. inſinuat[1] dicens, Spiritus ſanctus proceſſit à Chriſto, quando poſt reſurrectionem inſufflauit in diſcipulos, his verbis, Cùm reſurrexiſſet Chriſtus à mortuis, & apparuiſſet diſcipulis, inſufflauit, & ait, accipite Spiritum ſanctum: vt etiam eum de ſe procedere oſtenderet: & ipſe eſt virtus, quæ de illo exibat (vt legitur in Euangelio) & ſanabat omnes. Et vt oſtenderet hanc proceſſionem Spiritus ſancti non eſſe aliud quā donationem vel dationem ipſius Spiritus ſancti, addidit. Poſt reſurrectionem Dominus Ieſus bis dedit Spiritum ſanctum: ſemel[a] in terra propter dilectionem proximi: & iterum de cælo propter dilectionem Dei: quia per ipſum donum diffunditur charitas in cordibus noſtris, qua diligimus Deum & proximum.

CAP. III.

Quòd aliqui dicunt ipſum Spiritum ſanctum non dari, ſed dona eius.

Explicatio eius ſententię qua dicitur dari Spiritus ſanctus. Quòd ipſe Spirit' ſanctus, qui Deus eſt, datur & mittitur

A

c. 26. g

Mat 28. d

Acto. 2. a

Tomo 2. cap. 4.

Pſal. 103.

Acto. 9. c.

B

Lib. 1. de Spiritu ſancto ca. 5.

Ad Ro. 5 a

Eiſdē lib. & cap.

1. Co. 12. b

Cap. 5.

C

Sermone 43. in te. 10. ad Ro. 5.

Ca. vlt circa finem.

SVNT autem aliqui, qui dicunt Spiritum ſanctum ipſum Deũ non dari, ſed dona eius, quæ non ſunt ipſe Spiritus, & vt aiunt, Spiritus ſanctus dicitur dari cum gratia eius, quæ tamen non eſt ipſe qui datur[1] hominibus. Et hoc dicunt Bedam ſenſiſſe in ſuperioribus verbis, quibus dicit Spiritum ſanctum procedere, cùm ipſis gratia datur hominibus: tanquam non ipſe detur, ſed gratia eius. Sed quòd ipſe Spiritus ſanctus, qui De' eſt, & tertia in Trinitate Perſona, detur, apertè dicit Aug. in xv. lib. de Tri. ita dicens,[2] Eundem Spiritum ſanctum datum cùm inſufflaſſet Ieſus de quo mox ait, Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ambigere non debemus. Ipſe eſt ergo, qui etiam de cælo datus eſt die Pentecoſtes.[3] Quomodo ergo Deus non eſt, qui dat Spiritum ſanctum? imò quantus eſt Deus, qui dat Deum? Ecce his verbis apertè dicit Spiritum ſanctum ipſum, ſcilicet Deum dari hominibus à Patre, & à Filio. Et quòd ipſe Spiritus ſanctus, qui Deus eſt ac tertia in Trinitate Perſona, nobis detur, noſtríſque infundatur atque illabatur mentibus, apertè oſtendit Amb. in 1. lib. de Spiritu ſancto dicens. Licet[4] multi dicantur Spiritus: qui[1] legitur. Qui facit Angelos ſuos Spiritus: vnus eſt tamen Dei Spiritus. Ipſum ergo vnum Spiritum & Apoſtoli, & Prophetæ ſunt conſecuti: ſicut etiam vas electionis dicit, Quia vnum Spiritum potauimus: quaſi eum qui non queat ſcindi, ſed infundatur animis, & ſenſibus illabatur, vt ſecularis ſitis reſtinguat ardorem, qui Spiritus ſanctus non eſt de ſubſtantia rerum corporalium, nec de ſubſtantia inuiſibilium creaturarum. His verbis apertè dicit Spiritum ſanctum ipſum, qui creatura non eſt, infundi mentibus noſtris. Item in eodem, omnis creatura mutabilis eſt, ſed non mutabilis Spiritus ſanctus. Quid autem dicere dubitem, quia datus eſt, & Spiritus ſanctus? cùm ſcriptum ſit, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritũ ſanctum, qui datus eſt nobis, qui cùm ſit inacceſſibilis natura, receptibilis tamen propter bonitatem ſuam nobis eſt, complectens virtute omnia: ſed qui ſolis participetur iuſtis, ſimplex ſubſtantia, opulens virtutibus, vnicuique præſens, diuidens de ſuo ſingulis, & vbique totus, incircumſcriptus[5] ergo & infinitus eſt Spiritus ſanctus: qui diſcipulorum ſenſus ſeparatorum infudit, quem nihil poteſt fallere. Angeli ad paucos mittebantur, Spiritus ſanctus autem populis infundebatur. Quis ergo dubitet quin diuinũ ſit quod infunditur ſimul pluribus, nec videtur? Vnus eſt ergo Spiritus ſanctus, qui datus eſt omnibus, licet ſeparatis Apoſtolis. Et hic apertè dicit Ambr. quòd Spiritus ſanctus, qui eſt ſubſtantia ſimplex, cùm ſit vnus, datur pluribus. Alia quoque autoritate hoc idem aſtruitur, ſcilicet quòd Spiritus ſanctus, qui eſt æqualis Filio, hominibus detur. Ait enim Aug. de verbis[6] Domini ſic, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. A quo datur? Ab illo qui dedit dona hominibus. Quæ dona? Spiritum ſanctum: qui tale donum dat, qualis eſt ipſe. Magna eſt miſericordia eius: donum dat ſibi æquale, quia donum eius Spiritus ſanctus eſt. Præmiſſis his & aliis pluribus authoritatibus, apertè monſtratur quòd Spiritus ſanctus æqualis Patri & Filio nobis datur: nec ideo tamen minor eſt Patre & Filio. Vnde in 4. lib. de Trin. ait, Non Deo, inquit, minorem Spiritum ſanctum, quia & Pater miſit & Filius, arbitrandum eſt.

CAP. IIII.

An viri ſancti & Eccleſiæ prælati dent, vel dare poſſint Spiritum ſanctum? Quòd non dant hic oſtendit.

Quæſtio Qui dare poſſint S. ſanctum.

HIC quæritur, vtrùm & viri ſancti dent vel poſſint dare aliis Spiritum ſanctum. Quem ſi aliis dent, cùm eius donatio ſuprà ſit dicta proceſſio, videtur ab eis procedere Spiritus ſanctus vel mitti: ſed creator à

creatura

A *creatura non mittitur vel procedit. Reſtat[a] ergo vt Spiritum ſanctū ipſi non dent, nec poſſint dare. Vnde Aug.* a Reſponſio. Cap 26. *in xv. lib. de Trinit. Non aliquis diſcipulorum Chriſti dedit Spiritum ſanctum. Orabant quippe vt veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant.* Acto.8. *Quem morem in ſuis præpoſitis etiam nunc ſeruat Eccleſia. Denique & Simon Magus offerens Apoſtolis pecuniam non ait, Date mihi & hanc poteſtatem, vt dem Spiritum ſanctum: ſed cuicunque, inquit, impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum: quia nec Scriptura ſuperius dixerat, Videns autem Simon quia Apoſtoli darent Spiritum ſanctum: ſed dixerat, Videns autem Simon quia per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus. Ecce his verbis oſtendit Aug. nec Apoſtolos, nec alios Eccleſiæ prælatos dediſſe vel dare Spiritum ſanctum.*

B

CAP. V.

Quòd non poſſunt dare Spiritum ſanctum hîc docet.

Confirmatio. Ca. eodē. Ioan.1. & Iohelis 3. *ET QVOD plus eſt, non poſſe etiam dare dicit in eodem lib. ſubdens, De Chriſto ſcriptum eſt quòd acceperit à patre promiſſionem Spiritus ſancti, & effuderit: in quo vtraque natura monſtrata eſt, humana ſcilicet & diuina. Accepit quippe vt homo, effudit vt Deus. Nos autem accipere quidem hoc donum poſſumus pro modulo noſtro. Effundere verò ſuper alios non vtiq; poſſumus, ſed vt hoc fiat, Deum ſuper eos, à quo id efficitur, inuocamus. His verbis expreſſè dicit, nos Spiritum ſanctum nō poſſe ſuper alios effundere, id eſt, aliis dare.*

CAP. VI.

Quod videtur contrarium.

C

Obiectio Cap.3.a *SED huic videtur contrarium, quod Apoſtolus ad Gal. de ſe loquens, ait, Qui tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis. Ecce euidenter dicit ſe tribuiſſe Spiritum. Sed[b] intelligendum eſt hoc dixiſſe Apoſtolum, non quia haberet poteſtatem & autoritatem dandi Spiritum ſanctum, ſed quia miniſterium habuerit, in quo dabatur à Deo Spiritus ſanctus. vt enim ait Aug.[c] ſuper eundem locum, exponens illud Apoſtoli verbum, Ab Apoſtolo prædicata eſt eis fides: in qua prædicatione aduentum & præſentiam Spiritus ſancti ſenſerant, ſicut illo tempore in nouitate inuitationis ad fidem, etiā ſenſibilibus miraculis præſentia Spiritus ſancti apparebat, vt in Actibus Apoſtolorum legitur. Apertè hic oſtendit quomodo illis Spiritum ſanctum Apoſtolus tribuerit: non vtique ipſum mittendo in eos, ſed prædicando eis fidem Chriſti: quam illis recipientibus, quòd Spiritus ſanctus in eis eſſet, aliquibus ſignis viſibilibus mōſtrabatur. Non[d] ergo homines quantumcunque ſancti dare poſſunt Spiritum ſanctum.*

b Solutio. Tom.4. in explanatione tertij ad Gal.

c Confirmatio. Act.2.8.9. 10. & 11.

d Concluſio.

AD DISTINCT. XIIII.

CAP. II.

1 *Inſinuat, dicens.* Locus iſte prorſus eſt detortus ab Auguſtini mente. Cùm enim de æterna Sp.S. ex Patre & Filio proceſſione agat: ita tamē hic citatur, tanquam ad proceſſionem pertineat temporalem. Sed contra Veterum omnium interpretationē quoque inducitur, qui locum illū Ioannis 20. & factum Chriſti inſufflantis in Apoſtolos ſic explicarunt, vt ex eo colligerent Spiritū ſanctum æquè à Filio atque à Patre emanare, & ſpirari proceſſione illa æterna, qua ipſe eſt tertia in diuina Trinitate Perſona. Verba autem Auguſtini, quæ eodem capite iſta præcedunt, noſtram ſententiam planè confirmant, Lombardum autē oppugnant. *Et multis aliis, ait Auguſtinus, diuinorum eloquiorum teſtimoniis comprobatur* Patris & *Filij eſſe Spiritum, qui propriè dicitur in* Trinitate *Spiritus ſanctus, &c.* A

AD CAP. III.

1 *Qui datur hominibus.* Hiulca oratio, vel ipſius Lombardi. (Nam ſic ſcriptum reperi in variis & vetuſtioribus & recentioribus ipſius exemplaribus à me collatis) culpâ: vel liberariorū diuturna negligentia, quæ ſeſe tamen pro germana lectione confirmauit. Aut enim referens vocabulum, *Qui*, delendum eſt: aut verbum, *Datur*, geminandum, nempe, vt ſic legamus. *Et, vt aiunt, Spiritus ſanctus dicitur dari, quum gratia eius, quæ tamē non eſt ipſe, datur hominibus*: vel ſic, *quum gratia, quæ non eſt ipſe qui datur datur hominibus.* Eligat quam quiſque magis probauerit lectionem. Nam mēdum in omnibus vulgaribus codicibus hic ineſſe vel lippi ipſi vident. B

2 *Eundem Spiritum.* Et hic quoque Lombardus ab Auguſtini mente prorſus diſcedit. Neque enim illic quęrit Auguſtinus, vtrùm, quum datur nobis Spiritus ſanctus, ipſamet Spiritus ſancti Perſona: an eius tantùm dona dentur: ſed vtrùm vnus & idem ille ſit Spiritus, qui à Chriſto bis datus eſt, & à Patre ſemel in die Pentecoſtes, ne in Trinitate diuina plures quàm vnus Spiritus ſanctus eſſe credantur: aut ne alius Spiritus dicatur à Filio procedere, alius à Patre: atque ita falſum ſit quòd à Patre & Filio dicitur procedere vnus & idem Spiritus ſanctus. Ergo eundem eſſe docet Auguſtinus, iſte ne inſpecto quidem loco, & vocis, *Eundem Spiritum*, ſpecioſa quadam ambiguitate cupidè ac pueriliter abuſus, ad alienam quæſtionem illam hoc loco transfert. C

3 *Et quomodo ergo.* Iſta prætermitti debuerūt. obſcurant enim prorſus ipſius Lombardi ſententiam, nedum vt eam iuuent, aut illuſtrent.

4 *Licet multi.* Sed neque hic Ambroſij locus, qui ex lib.1. De S. ſpiritu. cap.4: neque ſequēs, qui ſumptus eſt ex ca.5. quicquam ad mentē quęſtionémq; huius loci ſpectant. Quærit enim Ambroſius ca.4. Vtrū vnus & idē ſit Spiritus, qui & Dei Spiritus, & S.Sp. in Scriptura nominatur. Reſpōdet autem eſſe, quia hic κατ' ἐξοχὴν dicitur & Dei Spiritus, & ſanctus: non quidem vt Angeli appellantur Spiritus Dei. In ca.5. diſputatur, docetúrque Sp.S. eodem modo dici & ſanctum & bonū, quo Pater, & Filius ſanctus eſt & bonus. Deniq; eſſe immutabilem, & nos tamen ſanctificantem. Quid igitur iſta ad propoſitū argumentū Lōbardi, ipſam Spiritus ſancti Perſonam in nos delabi, quum eum accipimus, non autem eius dona.

5 *Incircunſcriptus ergo.* Locus hic ſumptus eſt ex eodem quidem Ambroſij libro: ſed ex cap.7. qui mirè ab iſto deprauatus eſt. Primùm dum verba ipſa mutat: deinde dū ſenſum & mentem. Mēs Ambroſij eò ſpectat, vt doceat Sp. S. vnū & eundem omnia tamē replere, vbique diffundi, &

A hominibus longo interuallo diſſitis ſeſe tamen communicare. Ergo Deum eſſe, quia vbique ſit, quod ſolius Dei proprium eſt. Quid hoc verò ad fidem quæſtionis à Lombardo hic propoſitæ faciendam facit, nimirum quum Sp.S. dari dicitur, ipſam illius Perſonam dari: non autem illius dona tantùm. Verba verò Ambroſij bis ab iſto mutilata ſunt, tum detractione: tum ex Latina in barbaram orationem commutatione. Nam verba hæc Lombardi, *Quij diſcipulorum ſenſius ſeparatorum infudit*, planè ſunt longobardica: & vox *Separatorum* omnino eſt hoc loco obſcura. Verba igitur Ambroſij germana ſic habẽt, ſúntq; perſpicua. *Incircunſcriptus igitur, & infinitus Spiritus ſanctus, qui ſe diſciplorũ ſenſibus per ſeparatarũ diuortia diſcreta regionũ, remotóſq; fines totius orbis infudit, quẽ nihil poteſt præterire vel fallere.* Ex quibus cur ſeparatos diſcipulos dixerit Ambroſius intelligitur. Quid autem non liceat probare, ſi huiuſmodi & tam aliena teſtimonia proferre fas eſt?

B 6 *De verbis Apoſtoli.* Reſtitue de verbis *Domini*. Eſt enim hic locus ſumptus ex ſermone 43. de verbis Domini ſecundum Ioannem, *Si ego teſtimonium perhibeo de me*: quemadmodum etiam Beda in ſuis ex Auguſtino Collectaneis, in epiſtolam Pauli ad Rom. cap.5. citat. Diſtincti autem ſemper fuerunt Auguſtini ſermones, *De verbis Domini*: & *de verbis Apoſtoli.* Itaque hoc eſt Lombardi μνημονικὸν ἁμάρτημα. Iſtud verò ὀνικὸν, & longè grauius, quòd quæ nihil ad rem faciunt affert: & loci Auguſtiniani mentem prorſus euertit. Hyperbolicῶs enim amplificans Auguſtinus dona Chriſti data hominibus, poſt illius aſcenſionem in cœlum, ait Chriſtum dediſſe donum hominibus ſibi æquale, nempe Spiritum ſanctũ, qui eſt Deus Filio. i. Chriſto æqualis, quum tamẽ alibi idem doceat Spiritum ſanctũ, qui datur per Chriſtum hominibus, eſſe Spiritus ſancti gratiã C tantùm: non autem ipſam Spiritus ſancti Perſonam, Auguſtinus Sermo 61. eiuſdem operis.

AD CAP. VI.

1 *Qui tribuit vobis.* Abſurda planè obiectio, & ex magna linguæ Græcæ (qua ſcripſit Paulus) ignoratione profecta. Sic enim verba ipſa habẽt ὁ οὖν ἐπιχορηγῶν ὑμῖν τὸ πνεῦμα, Galat.3.v.5, καὶ ἐνεργῶν δυνάμεις ἐν ὑμῖν, ἐξ ἔργων νόμου ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως. i. *Qui igitur ſumminiſtrat vobis Spiritum, & efficit virtutes in vobis, ex operibus Legis, an ex fide per auditũ percepta ſumminiſtrat?* Ex quibus ipſis ſatis intelligitur, ſi quis ea ad Paulum & Apoſtolos referat, de miniſterio tantùm, non etiam de ipſa dandi autoritate agi, quæ penes vnum Deum eſt. Sed quis eam Pauli ſententiam de Paulo ipſo interpretetur, & non de Deo, quum ἐπιχορηγῶν hoc loco vberrimũ fontem oſtendat, & ratio ſeriéſque ipſius orationis Pauli id poſtulet? Denique Ambroſius, Hieronymus, Theophylactus & alij, de Deo ita iam olim locum illum explicarant. Neque poteſt ali' huius loci ſenſus, ex ipſis Auguſtini verbis erui, quàm à Deo, non ab Apoſtolis datum eſſe Spiritum ſanctum, quum primùm prædicatum eſt Euangelium. Hunc tamẽ locum Pauli iſte ad ſuum commentum ineptè detorquet.

Cenſura ad Diſtinctionem decimamquartam.

Vel ipſis doctrinæ Lombardicæ patronis teſtibus, totus hic locus partim falſus eſt: partim etiã A ματαιολογίας & λογομαχίας plenus. Ac Logomachiã quidem eſſe apertè Occan his verbis teſtatur, *Difficultas*, ait, *iſtius* Diſtinctionis, *& duarum ſequentium videtur mihi magis logicalis eſſe, propter ſignificata vocabulorum (quæ ſunt ad placitum) quàm realis.* Eſſe autem falſam Lombardi definitionem, vtpotè qui duas Spiritus ſancti proceſſiones eſſe ſentiat, vnam nimirum æternam, alteram verò temporalem, omnes huius loci interpretes manifeſtè pronuntiant. Itaque idem Occan *Non debet concedi*, ait, *quòd Spiritus ſancti ſit duplex proceſſio.* Rationem addunt alij, *Ne duæ Spiritus ſancti proceſſiones eſſe ſtatuantur, vti ſunt duæ Filij generationes, vna æterna ex Patre: altera temporalis ex Filio.* Ergo etiam, me tacente, ſatis à ſuis, iuſtis huius erroris cẽſoribus, flagellatur magiſter iſte. Dicam nihilo ſecius in piorum, qui Diſtinctionem iſtã fortaſſe legent, gratiam etiam & ipſe, quæ tria animaduerſione digna hoc loco cenſeo.

Primùm malè ab iſto intelligi eos ſacræ ſcripturę locos, quos in ſuam ſententiam profert, vti iam ex parte docuimus: in primíſque omnes eos, B qui de dono Spiritus ſancti in Eccleſiam Dei loquuntur, quod *Mittere Spiritum ſanctum* dixit Chriſtus, Ioan.4.verſ.26.15.ver.26.

Secundùm, Lombardus magnam aliis, qui ſe ſequuti ſunt, errandi occaſionem præbuit: imprimíſque in magnas anguſtias Thomam in 1. parte tota Quæſt.43. (quæ conſtat 7. quæſtionibus vel articulis diuerſis) coniecit, nedum alios leuiores Scholaſticos, quibus crucem fixit, dum Perſonã ipſam Spiritus ſancti mitti è cœlo in eos, quibus datur Spiritus ſanctus, iſte ſentit, & ſentiendum docet. Inde eſt nata inepta illa diſtinctio inter *Mitti* & *Dari Spiritum ſanctum*, apud Thomam ar C tic.3. Quæſt.3. in prima parte. Inde etiam illa operoſa & vexata quæſtio apud eundem art.7. *Vtrùm Spiritus ſanctus viſibiliter mittatur*, & aliæ aliquot ſimiles, & implicatæ.

Tertiò, falſa eſt illa ipſa Lombardi ſententia, *Mitti ad nos ipſam Sp.S. Perſonam, quum nobis dari dicitur.* Paulus enim hãnc miſſionem ad φανέρωσιν τοῦ πνεύματος refert, docétque fieri, quum ſua ipſe in nos tantùm dona confert, 1. Corinth.12.ver.7. Itaque idem Paulus verſ.4. eiuſdem capitis, diſertè dona ipſa Spiritus ſancti ab ipſa Sp. Perſona diſtinguit. Nam ſi quum datur nobis Sp.S. ipſam illam Perſonam Trinitatis tertiam & eſſentiam diuinam è cœlo ad nos venientem & delabentem ſuſciperemus, vel eam hypoſtatica vnione haberemus cum noſtra natura coaleſcentem, (quomodo Filius ſolus de cœlo deſcendiſſe dicitur,) vel haberemus eam quemadmodum continens habet contentum, & vas capit liquorem infuſum: quorum neutrum verum eſt. Quamobrem quod dicitur ad nos venire, nobis dari, & mitti Spir.S. eodem modo & ſignificato eſt intelligendum, quo dixit Chriſtus ipſe, *Se & Patrem ad nos eſſe venturum*, Ioan.14.verſ.23. quod minimè de Perſonarum ipſarum in nos illapſu: ſed ἐνεργῶν peculiari quodam & extraordinario effecto atque ſigno præſentiæ eius, proculdubiò eſt intelligendum. Auguſtinus ipſe lib.2. de Trinitate, capite 5. in fine, ſic ait, *Facta eſt quadam creaturæ ſpecies ex tempore, in qua viſibiliter oſtenderetur Spiritus ſanctus, ſiue quũ in ipſum Dominum corporali ſpecie ve-*

lut

A *lut columba deſcendit: ſiue quum die Pentecoſtes factus eſt ſubitò de cœlo ſonus. Hæc operatio viſibiliter expreſſa, & oculis oblata mortalibus miſſio Spiritus ſancti dicta eſt: non ita vt appareret ipſa eius ſubſtantia, qua & ipſe inuiſibilis eſt: ſed vt exterioribus viſis hominum corda à temporali manifeſtatione venientis ad occultam æternitatem ſemper præſentis conuerterentur.* Idem libro quarto, cap. 20. Nec moueor eo, quòd falſò Thomas ait, eſſe nimirum errorem, ſi quis non ipſam Perſonam Spiritus ſancti, ſed dona tãtùm illius dari dicat. Nam & ipſe in eo errore eſt, quẽ damnat, quum ſuam ſententiam explicans, ait, *Perſona diuina mittitur ſecundum inhabitationem gratiæ*, art. 4. B item, *Spiritus ſanctus viſibiliter dicitur miſſus, in quantum fuit monſtratus in quibuſdam creaturis, ſicuti in ſignis ad hoc ſpecialiter factis*, artic. 7. Arnoldus Veſalienſ. in Epitome huius Sectionis, ſic ait, *Hæc miſſio eſt gratiæ Spiritus ſancti collatio.* Ergo ſic à ſe & à ſuis diſcipulis deſeritur bonus iſte magiſter Thomas. Quum Occan illam Thomæ ſententiam veram eſſe defendit, ipſe ſe in perplexos laqueos induit, & firmiora contra ſe, quàm pro ſe argumenta profert. Denique mitti Spiritum ſanctum eſt nouo & ſpeciali præſentiæ ac energiæ modo eum efficacem ſentire, atque habere. Auguſtinus libro 4. de Trinitate, cap. 20. Ambroſius libro ſeptimo, cap. 7. *Is qui habet Spiritũ ſanctum,* C *Dei repletus eſt voluntate.* Item, *Non poſſumus capere plenitudinem Spiritus ſancti, ſed tantum capimus, quantum de ſuo arbiter noſtri pro ſua voluntate diuiſerit.* Auguſtinus in libello de Inquiſition. Trinit. *Videri poteſt Deus ſecundum ſua donum gratia.* ergo & mitti. Ex quibus omnibus refutatur apertiſſimè Lombardi interpretatio & ſententia.

DISTINCTIO XV.

Vtrùm Spiritus ſanctus à ſeipſo detur.

CAP. I.

HIC conſiderandum eſt, cùm Spiritus ſanctus detur hominibus à Patre *& Filio, quod eſt ipſum temporaliter procedere ab vtroque vel mitti,* [a] *vtrùm etiam à ſeipſo detur. Si datur à ſe, & procedit vel mittitur à ſe. Ad quod* [b] *dicimus, quia Spiritus ſanctus & Deus eſt, & donum ſiue datum: & ideo dat, & datur. Dat quidem, in quantum Deus: & datur, in quantum donum ſiue datum. Cũ autem donatio ſiue datio Spiritus ſancti ſit operatio* Dei, *& communis ſit & indiuiſa operatio trium Perſonarum: datur itaque Spiritus ſanctus non tantùm à* Patre *&* Filio, *ſed etiam à ſeipſo. Vnde* [c] *Aug. in xv. lib. de Trinit. dicit quòd ſeipſum dat. Sicut, inquit, corpus carnis nihil eſt aliud quàm caro: ſic donum Spiritus ſancti nihil eſt quàm Spiritus ſanctus. In tantum ergo donum Dei eſt, in quantũ datur eis quibus datur. Apud ſe autem Deus eſt, etſi nemini datur: quia Deus erat* Patri *&* Filio *coæternus antè quàm cuiquam daretur. Nec* [d] *quia illi dant & ipſe datur, ideo minor eſt illis. Ita enim datur, ſicut Dei donum, vt etiam ſeipſum det, ſicut Deus. Non enim dici poteſt non eſſe ſuæ poteſtatis, de quo dictum eſt, Spiritus vbi vult ſpirat. Ecce apertè dicit quòd Spiritus ſanctus ſeipſum dat. Si enim* [e] *Spiritus ſanctus ſeipſum dare non poteſt, & eum* Pater *dare poteſt, &* Filius: *poteſt vtique Pater dare aliquid & Filius, quod non poteſt Spiritus ſanctus. Item, Si* [a] Pater *& Filius dãt Spiritum ſanctum, nec ipſe dat: aliquid ergo* Pater *operatur & Filius, quod non operatur Spiritus ſanctus: dat ergo Spiritus ſanctus ſeipſum. Si* [b] *autem ſeipſum dat, tunc à ſeipſo procedit & mittitur, quod vtique verum eſt. Nam proceſſio temporalis Spiritus ſancti vel miſſio, ipſius eſt donatio, & ipſa Dei operatio.* Procedit *ergo Spiritus ſanctus temporaliter à ſe, & mittitur à ſe: quia datur à ſe.*

a Quæſtio de Spiritu ſancto.
b Reſponſio ex diſtinctiõe.
Cap. 19.
c Confirmatio.
d Occupatio qua occurritur obiectioni.
Ioann. 3.
e Confirmatio.
A
a 3 Cõfirmatio.
b Corollarium, à ſeipſo mittitur Sp. S.

CAP. II.

Non eſt mirum, ſi Spiritus ſanctus dicatur mitti vel procedere à ſe, quum etiam Filius dicatur mitti à ſe.

NE autem mireris quòd Spiritus ſanctus dicitur mitti vel procedere à ſe. Nam & de Filio *dicit Aug. in ij. lib. de Trinit. quòd non tantùm à Patre miſſus eſt, ſed etiam à ſeipſo & à Spiritu ſancto: quærens quomodo* Filius *vel Spiritus ſanctus ſit miſſus, cùm vterque ſit vbique tanquam Deus. Nam vterque, inquit Aug. legitur miſſus. De Spiritu ſancto enim legitur, Quem mittet Pater in nomine meo. Et iterum, Si abiero, mittam eum ad vos. Et Filius de ſe dicit, Exiui à Patre, & veni in mundum. Et Apoſtolus dicit: Miſit Deus Filium ſuum. In Propheta autem ſcriptum eſt ex perſona Dei, Cælum & terram ego impleo. Itaque ſi vbique* Deus *eſt, vbique ergo eſt Filius, vbique etiam eſt Spiritus ſanctus. Illuc ergo miſſus eſt Filius & Sp. ſanctus, vbi erat.*

Obiectioni reſpondet à ſimili.
Cap. 5.
B
Ioan. 14. d
Ioan. 16. b
Ibidem. f
Gala. 4. a
Hier. 23. d

CAP. III.

Quomodo intelligenda ſit miſſio vtriuſque.

C

Quocirca quærendum eſt, quomodo intelligatur miſſio Filij vel Spiritus ſancti. Pater enim ſolus, inquit Aug. in eodem, nuſquam legitur miſſus, ſed Filius, & Spiritus ſanctus. Et de Filio *primò videamus quomodo miſſum eum Apoſtolus dicat, Miſit Deus Filium ſuũ, factum ex muliere. vbi ſatis oſtendit eo ipſo miſſum Filium, quo factum ex muliere. Proinde mitti à Patre ſine Spiritu ſancto non potuit, quia Pater intelligitur miſiſſe eum, quum fecit ex fœmina: quod vtique non fecit ſine* [1] *Spiritu ſancto. Ecce hîc dicit Filium miſſum à Patre & Spiritu ſancto.*

Explicatio ſuperioris ſententię.
Cap. 5.
Prius de miſſione Filij.
Galat. 4. a

CAP. IIII.

Quòd à Spiritu ſancto Filius ſit miſſus, autoritatibus confirmatur.

ET quòd à Spiritu ſancto Filius ſit miſſus, vt ait Aug. in eodem, autoritatibus cõfirmatur. Ipſe Chriſtus dicit per Eſaiam, [1] *Nunc miſit me Dominus, & Spiritus eius. De hoc Ambr. in lib. 3 de Spiritu ſancto ita ait, Quis eſt qui dicit, Me miſit Dominus & Spiritus eiꝰ: niſi qui venit à Patre, vt ſaluos faceret peccatores, id eſt,* Chriſtus? *ergo & Pater Filium miſit, & Spiritus ſanctus. Idem in eodem, Datus eſt à Patre, vt Eſaias dicit,* Puer *natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis. Datus eſt, audeo dicere, & à Spiritu,* [2] *quia & à Spiritu ſancto miſſus eſt.* [3] *Dicit enim Filius* Dei, *Spiritus* Domini *ſuper me, propter quod vnxit me: euãgelizare pauperibus miſit me, prædicare captiuis remiſſionẽ, &c.*

Explicationis confirmatio.
Lib. & ca. eiſdem.
Eſaię. 48. c
Ca. 1.
Cap. 2.

Eſaię 9.a
Eſaię 61.a
Ambr. in prologo libri 3.
Luc. 4.d

Quod cùm de lib. Eſa. legeret, ait in Euangelio, Hodie completa eſt hæc Scriptura auribus veſtris, vt de ſe dictum eſſe ſignaret. Bene autem dixit, ſuper me: quia quaſi Filius hominis & vnctus eſt, & miſſus ad prædicandum. Nam ſecundum diuinitatem non ſuper Chriſtum eſt Spiritus, ſed in Chriſto. Ecce his verbis oſtendit Ambroſius Filium eſſe miſſum & datum nobis, non tantùm à Patre, ſed etiam à Spiritu ſancto.

CAP. V.

Quòd Filius ſit datus etiam à ſeipſo.

Cap. 2. Filius à ſeipſo datus eſt.

DEINDE oſtendit eſſe datum etiam à ſeipſo ita dicens in eodem lib. Quum enim non definitum fuerit per prophetiam à quo datus eſt Filius, oſtenditur datus gratia Trinitatis, vt [1] etiam ipſe Filius ſe dederit. Ecce hic dicit, quòd Filius ſe dedit, quia Trinitas eum dedit. Si autem Filius à ſe datus eſt, à ſe ergo miſſus eſt, & à ſe proceſſit. Et hoc vtique verum eſt, & concedi oportet, quum eius miſſio ſit diuina operatio.

B

CAP. VI.

Quòd filius ſit miſſus à ſe.

Cap. 5. Filius à ſeipſo eſt miſſus.

QVOD autem à ſe mittatur Aug. aſtruit in lib. ij. de Trin. dicens, Fortè aliquis cogat vt dicamus etiam à ſeipſo miſſum eſſe Filium: quia & Mariæ conceptus, & partus operatio Trinitatis eſt. Sed, inquit aliquis, quomodo Pater eum miſit, ſi ipſe ſe miſit: cui reſpondeo quærens vt dicat, quomodo eum Pater ſanctificauit, ſi & ipſe ſe ſanctificauit? Vtrunque enim Dominus ait.

Ioan. 10.g
Ioan. 17. c

Quem Pater, inquit, ſanctificauit, & miſit in hunc mundum. Et alibi, Ego pro eis ſanctifico meipſum. Itē quæro, quomodo Pater eum tradidit, ſi ipſe ſe tradidit: vtrunque enim legitur. Credo, reſpondebit, ſi probè ſapit, quia vna voluntas eſt Patris & Filij, & inſeparabilis

Libr. 2. de Trin. ca 5.
G

operatio. Sic igitur intelligat, illam incarnationem & ex virgine natiuitatem, in qua Filius intelligitur miſſus, vna eadémque operatione Patris & Filij inſeparabiliter eſſe factam, non inde ſeparato Spiritu ſancto. Ergo à Patre & Filio miſſus eſt idem Filius, quia à Patre & verbo eius factum eſt vt mitteretur, id eſt, incarnatus hominibus appareret. Non enim miſſus eſt mutando locum, quia in mundo erat. Quapropter Pater inuiſibilis vnà cum Filio ſecum inuiſibili eundem Filium viſibilem faciendo, miſiſſe eum dictus eſt, qui ſi ita viſibilis fieret, vt cum Patre inuiſibilis eſſe deſiſteret, id eſt, ſi in ſubſtantia inuiſibilis Verbi in creaturam viſibilem mutata & tranſiens verteretur: ita miſſus à Patre intelligeretur Filius, vt tantùm miſſus, non etiam mittens cum Patre inueniretur. Cùm verò ſic eſt accepta forma

Ad Phil. 3.

ſerui, vt maneret incommutabilis forma Dei: manifeſtum eſt quòd à Patre & Filio non apparentibus factū ſit quod appareret in Filio, id eſt, ab inuiſibili Patre cū inuiſibili Filio, idem ipſe Filius viſibilis mitteretur.

CAP. VII.

Summatim colligit quæ ex prædictis aſtruuntur.

EX prædictis apertè monſtratur, quòd Filius miſſus eſt à Patre & Spiritu ſancto, & à ſeipſo: & quæ ſit ipſa miſſio, ſ. incarnatio. i. quod factus eſt homo, per quod viſibilis apparuit: quod eſt opus commune Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

A

CAP. VIII.

Quæſtio cur dicit, A meipſo non veni.

Obiectio.
Ioan. 8.e
Cap. prius citato.
a Solutio.

SED ad hoc opponitur, Si Filius à ſeipſo miſſus eſt, cur ergo ait, A meipſo non veni. Ad hoc Aug. reſpondet [a] in ij. libro de Trinitate, dicens, Hoc dictum eſſe ſecundum formam ſerui, ſecundum quam non fecit vt mitteretur, id eſt, non operatus eſt incarnationem, ſed ſecundum formam Dei.

CAP. IX.

Vtrùm ſemel tantùm miſſus ſit Filius, an ſæpe.

2 Quæſtio de Filio.

HIC quæritur, vtrùm ſemel tantùm miſſus ſit Filius, an ſæpe mittatur: ſi enim miſſio Filij ipſius tantùm incarnatio eſt, cùm ſemel tantùm incarnatus ſit, & ſemel tantùm videtur miſſus. At ſi ſæpe mittitur, eſt & alia eius miſſio, quàm incarnatio. Sed quæ eſt illa? Nunquid æterna genitura miſſio eius dicenda eſt, an etiam alia miſſio quærenda eſt?

B

CAP. X.

Quòd duobus modis dicitur Filius mitti.

Reſpōſio.

AD quod dicimus, quòd duobus modis dicitur Filius mitti præter illam æternam geniturам, quæ ineffabilis eſt: ſecūdum quam etiam miſſus poſſet dici, vt videtur quibuſdam. ſed melius ac verius ſecundum eam dicitur genitus. Præter eam ergo duobus modis dicitur mitti, ſcilicet, vel cùm viſibiliter mundo apparuit carne indutus, vel cùm ſe in animas pias ſic transfert, vt ab eis percipiatur ac cognoſcatur. Hos duos miſſionis modos apertè Auguſtinus diſtinguit in quarto libro de Trinitate, dicens, Non eo ipſo quòd de Patre natus eſt, miſſus dicitur Filius: ſed eo quòd apparuit huic mundo Verbum caro factum, (Vnde dicit, A Patre exiui, & veni in mundum) vel eo quòd ex tempore cuiuſquā mente percipitur (ſicut dictum eſt de Sapientia, Emitte illam de cælis Sanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit & mecum laboret, id eſt, doceat me laborare.) Et tunc vnicuique mittitur, cùm à quoquam cognoſcitur atque percipitur, quantùm cognoſci & percipi poteſt, pro captu vel proficientis in Deum, vel perfectæ in Deo animæ rationalis.

Sapien. 7.
Cap. 20.
Ioan. 16.g
Sapiē. 7.b
C

CAP. XI.

Quòd ſecundum alterum ſemel, ſecundum alterum ſæpe ſit miſſus: & ſecundum alterum vt ſit homo, & ſecundum alterum vt ſit cum homine.

Explicatio ſuperioris ſententiæ.

ECCE diſtincti ſunt duo modi miſſionis Filij: & ſecundum alterum ſemel tantùm miſſus eſt Dei Filius, ſecundum alterum ſæpe miſſus eſt, & mittitur quotidie. Nam ſecundum alterum miſſus eſt, vt ſit homo, quod ſemel tantùm factum eſt: [b] ſecundum alterum verò mittitur, vt ſit cum homine, quando quotidie mittitur ad ſanctos, & miſſus eſt etiam ante incarnationem, & ad omnes Sanctos qui antè fuerunt, & etiam ad Angelos. Vnde Aug. de Filio, id eſt, de ſapientia Patris loquēs 4. lib. de Trin. ait, Aliter mittitur Sapientia, vt ſit cū homine: aliter miſſa eſt, vt ſit homo. In animas ſanctas ſe transfert,

b Vtriuſq; miſſionis modi interſe comparatio.
Cap. 20.
Sapient.
Cap. 7. d

A *transfert, & amicos Dei & Prophetas conſtituit, ſicut implet etiam ſanctos Angelos. Sed quum venit plenitudo temporis, miſſa eſt, non vt impleret Angelos, nec vt eſſet Angelus, nec vt eſſet cum hominibus vel in hominibus,*[1] *vt antea in Patribus erat & in Prophetis, ſed vt ipſum Verbum fieret caro, id eſt, homo.*

CAP. XII.

Quòd ſecundum alterum modum dicitur miſſus in mundum: ſecundum alterum, non.

Secunda comparatio.

PRÆTEREA notandum eſt, quòd quum his duobus modis mittatur Filius, ſecundum alterum dicitur miſſus in mundum, ſecundum alterum verò non. Eo enim modo miſſus dicitur in mundum, quo viſibilis mundo apparuit. Vnde Aug in eodem lib. ait, Cum ex tempore cuiuſquam mēte percipitur, mitti quidem dicitur, ſed non in hunc mundum. Non enim ſenſibiliter apparet, id eſt, corporeis ſenſibus præſto eſt. Nam & nos, ſecundum quod mente aliquid æternum capimus, non in B *hoc mundo ſumus: & omnium iuſtorum Spiritus etiam in carne viuentium, inquantum diuina ſapiunt, non ſunt in hoc mundo. Ex prædictis liquet, quod præter ineffabilem genituram, duobus modis mittitur Filius ſcilicet quum viſibiliter apparuit, vel inuiſibiliter percipitur mente.*

Ca. 20. Vbi ſuprà

CAP. XIII.

Cur Pater non dicitur miſſus, quum ab aliquo cognoſcitur, vt Filius.

3 Queſtio de Patre. C
a Reſponſio.
b Confirmatio.
Li. & cap. citatis.
Cap. 21. in fi. libri 4.
Aug. li. 2. de Tri c. 5

HIC quæritur, cur Pater non dicitur miſſus, cùm ex tempore à quoquam cognoſcitur, ſicut Filius. Ad[a] *quod dicimus, quia in eo eſt principij autoritas, quæ non habet de quo ſit, à quo Filius & Spiritus ſanctus. Pater enim*[b] *eſt, vt ait Aug. in eodem lib. principium totius diuinitatis, vel, ſi melius dicitur, deitatis: quia principiū eſt Filij, & Spiritus ſancti. Nam, vt ait Auguſtinus in eodem, Si voluiſſet etiam Deus Pater, per ſubiectam creaturam viſibiliter appareret: abſurdiſſimè tamen aut à Filio quem genuit, aut à Spiritu ſancto qui de illo procedit miſſus diceretur. Congruenter*[1] *autem ille miſſus dicitur, qui in carne apparuit: miſiſſe autem ille, qui in ea non apparuit.*

CAP. XIIII.

Putauerunt quidam Filium & Spiritum ſanctum minores fuiſſe Patre, quia miſſi dicuntur.

Obiectioni reſpondet.
Cap. 21. in fine libri.

IDEOQVE putauerunt quidam hæretici, quum Pater non ſit miſſus, ſed Filius & Spiritus ſanctus, Patrem eſſe maiorem, ac Filium minorem eſſe & Spiritū ſanctum, atque Patrem, quaſi maiorem, miſiſſe vtrunque quaſi minorem. Quod Auguſt. improbat in quarto libro de Trinitate, illis contradicens. Non ideo, inquit, arbitrandum eſt minorem eſſe Filium quòd miſſus eſt à Patre, nec ideo minorem Spiritum ſanctum, quod & Pater eum miſit & Filius: ſiue enim propter viſibilem creaturam, ſiue potiùs propter principij autoritatē vel commendationem, non propter inæqualitatem vel imparilitatem vel diſſimilitudinem ſubſtantiæ, in Scripturis hæc poſita intelliguntur. Non ergo ideo dicitur Pater miſiſſe Filium vel Spiritum ſanctum, quòd ille eſſet maior, & illi minores: ſed maximè propter autoritatem principij commendandam: & quia in viſibili creatura non, ſicut ille, apparuit. Ecce oſtenſum eſt quæ ſit miſſio, & quibus modis mittatur. A Cōcluſio.

AD DISTINCT. XV.

AD CAP. III.

1 *Non fecit ſine Spiritu ſancto.* Quemadmodum in tota hac Diſtinctione multa perturbat Lombardus, ita hoc loco grauiſſimam Auguſtini rationem magna negligentia prætermittit, per quā ex ipſo Dei verbo intelligeremus Filium, nempe Chriſtum, nō ſine Spiritu ſancto à Patre miſſum eſſe, & hominem factum: cùm tamen leuiores rationes, & probationes huius ſententiæ iſte cōſectetur hoc, & ſequenti capite. Verba igitur & Scripturæ ipſius, & Auguſtini hæc ſunt, lib. 2. de Trin. cap. 5. *Proinde Filius mitti à Patre ſine Spiritu* B *ſancto non potuit, non ſolum quia intelligitur Pater, quum eum miſit, id eſt, fecit ex fœmina, non vtique ſine Spiritu ſuo feciſſe: verumetiam quòd manifeſtiſſimè, atque apertiſſimè in Euangelio dicitur Mariæ Virgini quærēti de Angelo, Quomodo fiet iſtud?* Lucæ primo, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi: & Matthæus dicit, Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.* Matth. 1. Hęc tam certò ſaltem, quàm Ambroſij autoritas, demōſtrant incarnationem Chriſti, proptereáque ipſius miſſionem eſſe opus Patri cum Sp. S. commune.

AD CAP. IIII.

1 *Nunc miſit me.* Auguſtinus in ſuperioris ſententiæ confirmationem hoc Iſaiæ teſtimonium, tanquam tertium argumentum eodem libro ſecundo de Trinit. capite 1. affert. Ergo ſuperioribus adiunxit. C *Quanquam & apud Iſaiam Prophetā ipſe Chriſtus intelligitur de aduentu ſuo futuro dicere, & nunc Dominus miſit me.* Hæc verba Auguſtini, vt planè eius ſententia & ratio repræſentaretur, prætermittenda non fuerunt.

2 *Quia & à Spiritu.* Ambroſius habet cap. 2. li. 3. de Spiritu ſancto *Qui,* iſte verò *Quia: datus eſt autem, audeo dicere & ab Spiritu, qui miſſus ab Spiritu eſt.* Hæc leuis eſt immutatio: iſta iam grauior, quòd hic pulcherrimus Ambroſij locus à vera ipſius mente detorquetur lōgiſſimè. Quod enim docet, *Filium & à* Patre *& à Spiritu ſancto datum eſſe,* id cur diſputet, breuiſſimè his verbis explicat Ambroſius ipſe. *Si ſubiectum in eo putāt fuiſſe* Filium, *quia miſſus eſt, gratia eſſe negare non poſſunt quod datus eſt.* Et poſtea, *Ergo nō potuit diuinæ ſubiectionis eſſe, quod datus eſt:* Nō ergo vt in has quęſtiones intricatas nos cōiiceremus hæc diſputat pius ille doctor, ſed vt intelligeremus miſſionem ſiue incarnationē Chriſti eſſe donum Dei immēſum. Deinde vt hæreticorum Arianorum deliriis occurreret, qui voculam illam, *Miſſus*, captantes, ex ea Filium eſſe minorē Patre colligebant, quā eorum ſententiā idem Ambroſius eiuſdem operis c. 1. refutat & 2. Ac primo quidem capite his verbis, *Si ergo ſe inuicem* Filius *& Spiritus mittunt, ſicut* Pater *miſit: non ſubiectionis iniuria, ſed communitas poteſtatis eſt.* Secundo autem capite. *Cum ergo &* Filius *& miſſus, & datus ſit, Spiritus quoque miſſus & datus ſit, habent vtique vnitatem diuinitatis qui*

A *habent operis vnitatē.* Hæc Ambroſius, quæ vt nihil cōmune cum iſto loco habeant vidēt omnes.

3 *Dicit enim Filius Dei.* Iſta iam ex lib. quidem eodem Ambroſij, ſed capite 1. ſunt deſcripta, ne quis in ſecundo capite illa fruſtra quærat, ex quo tamen ſuperiora erant tranſcripta.

AD CAP. V.

1 *VT etiam ipſe Filius.* Et hîc quoque à mente Ambroſij diſceſſum eſt, cuius hęc eſt tum oratio, tum etiam concluſio: *Cùm enim non finierit à quo datus ſit Filius, oſtendit datum gratia Trinitatis: cùm autem ipſe ſe Filius dederit, vtique non potuit ipſe ſibi ſecundum diuinitatem eſſe ſubiectus. Ergo non potuit diuinæ ſubiectionis eſſe quòd datus eſt.* Ex quo apparet alium prorſus eſſe Ambroſij ſcopum, quàm hic ſit Lombardi, & illius verba ab hoc circum- B ſcribi, quanquam verum eſt tamen Filium à ſeipſo (quatenus & ipſe vnus eſt cum Patre Deus) & mitti, & dari.

AD CAP. XI.

1 *Vt antea in Patribus.* Aliquid hic à Lombardo in verbis Auguſtini immutatum eſt: ſed nulla ſenſus iacturâ. Sic enim Auguſt. *Hoc enim & antea in Patribus & Prophetis erat.* Hoc enim ſibi vult, alio modo & præſtantiore poſtremis temporibus miſſum eſſe Filium Dei, qui eſt ipſa Patris ſapientia, quàm olim: quia tunc tantùm ἐνεργείᾳ, nunc ὑποστάσει: tunc Spiritu ſuo agens, nunc o- C re ſuo loquens apparuit. Quod cōfirmatur Hebr. cap. 1. verſ. 1. 2. 3.

AD CAP. XIII.

1 *Congruenter autem.* Inflexa & detorta eſt à germano Auguſtini ſenſu hæc particula, vt ex ipſa verborum recitatione perſpicuè apparet, quæ ſic habent lib. 2. Trin. cap. 5. *Cùm itaque hoc à Patre & Filio factum eſſet, vt in carne Filius appareret, congruenter dictus eſt miſſus ille qui in ea carne apparuit: miſiſſe autem ille, qui in ea non apparuit.* Quod enim de ſolo Patre & Filio ὑποθετικῶς dixit Auguſt. hic θετικῶς & generaliter profert, quaſi ad homines quoque pertineat, quod eſſet falſum.

Cenſura.

Tam eſt implicata Magiſtri ſententia & conceptio animi hoc loco, vt ne ſummi quidē & acutiſſimi ipſius diſcipuli aſſequi eam potuerint. Occan præterquàm quod ait hic tantùm agi de vocabulis, non de re vlla, etiam apertè pronūtiat ſentire Magiſtrum, *Mitti & mittere eſſe commune tribus Perſonis diuinis,* nimirum quaſi mittere, & mitti conueniat etiam Patri, & ſit attributum eſſentiale Deitatis, id quod eſt falſiſſimum. Alij dicunt, *Mitti,* ſignificare & attribuere aliquid eſſentiale Perſonæ illi quæ mittitur, ſic Durandus. Alij id negant, imò ne reſpectum quidem vllum rationis denotari per *Miſſionem* putant. Quæ vtraque ſentētia certè quidem eſt quoque falſiſſima. Alij quærunt, vtrùm, originis duntaxat ratione, vna Perſona diuina ab alia mitti dicatur, an ratione & vi imperij, Thomas in 1. parte Quęſt. 43. ar. 1. Sic ſuos diſcipulos incertos & miſeros dimittit iſte, dum nihil vel ordine, vel commodè explicat: ſed curioſas tantùm quæſtiones conſectans ambitioni ſuæ miſerè ſtudet, non autem Eccleſiæ ędificationi, & veræ Dei gloriæ illuſtrandæ. A

Hoc primùm igitur in hac Diſtinctione meritò reprehendendum eſt, præſertim cùm ſe dogmata fidei tradere Lombardus profiteatur.

Secundùm, quòd ex optimo autore Auguſtino quædam colligens, leuiora tantùm decerpit, prętermittit autem vtiliora & magis ardua, atque etiam magis neceſſaria, & ſcitu digna. Docet igitur ex Auguſtino iſte hoc loco,

1 Filium à Patre eſſe miſſum:

2 A ſeipſo quoque eſſe miſſum:

Quis verò iſta ignorabat?

3 Filium à Spiritu ſancto eſſe miſſum.

4 Patrem à nemine mitti, id eſt, neque Filio, neque Spiritu ſancto. Hæc eſt breuis ἀνάλυσις totius huius Diſtinctionis. At quærit Aug. iiſdem in libris & capitibus alia quædam maioris ad re- B futandas hæreſes, quæ ex iſtis definitionibus naſcuntur, momenti.

1 Vtrùm minor ſit quę mittitur Perſona mittente. Iſte per tranſennam tam arduam & difficilem, atque omni ſeculo agitatam ab Arianis quęſtionem leui cubito tranſigit.

2 Quum dicitur Perſona vna, aliam mittere, vtrùm qui mittit, iubeat, vel roget eum qui mittitur vt eat, quod Thomas olfecit quidem, ſed non decidit.

3 Vtrùm Perſona quæ mittitur aliò mittatur, quàm vbi iam erat, cùm qui mittitur ſit Deus, Deus autem ſit vbique: in qua poſtrema quęſtione vera ratio definitióque iſtius miſſionis eſt ex- C plicanda, ex qua nouum tantum modum manifeſtationis Spiritus ſancti & efficacitatis illius ſignificari voce *Miſſionis* intelligitur, quemadmodum etiam Auguſt. ipſe lib. 4. Trini. cap. 20. exponit. Hæ tā graues quęſtiones ſunt ab iſto prætermiſſæ, aliæ tamen leuioris momēti perturbatè inuectæ & tractatę. Atque hoc eſt ſecundū huius Diſtinctionis vitium, quęſtionum neceſſariarum prętermiſſio. Tertium autem, tam longa digreſſio, qualem iſte in hâc Diſtinctionem iniecit. Cū enim iſti propoſitum eſſet dicere de Spiritu ſancto, vtrùm à ſeipſo mittatur, hac quæſtione prorſus omiſſa (quā propterea infra Diſt. 16. repetit) excurrit in extraneas alias diſputationes, de Patre, & Filio, in quibus etiam ipſis non explicat, vtrùm idem ſit modus per quē Filius, & per quē Spiritus ſanctus mittuntur etiam inuiſibiliter, an diuerſus? De quo ipſo Durandus, & rectè quidē, ait diuerſum eſſe miſſionis ſeu dationis modum, ſed tamen nobis inexplicabilem, niſi quòd huius rei aliquo pacto declarandæ cauſâ, idem ille vult miſſionem Filij perficere in nobis intellectum. Miſſionem autem Spiritus ſancti afficere & pertinere ad noſtram voluntatem: nam potiùs in eo diuerſus eſt modus, quòd mittitur vel datur nobis Filius inuiſibiliter, quatenus ille, carne aſſumpta, factus eſt materia noſtræ ſalutis & renouationis, tum in intelligentia, tum etiam in voluntate. Mittitur autem vel datur inuiſibiliter Spiritus ſanctus, quatenus nobis Chriſtum applicat, & fidei in nobis parens eſt & creator. Sed neque hæc ipſa ſatis aptè & verè dicuntur.

Denique quis in hac Diſtinctione non reprehendat & damnet, quòd prętermittit iſte ex Auguſtino

A guſtino eam probationem,quę ex ipſa adeò miſſione ducitur,vt oſtẽdatur (licèt Filius mittatur, Pater autem mittat)non eſſe tamẽ propterea minorem Patre Filium vel poteſtate, vel Deitate? Qui locus quoniam eſt pulcherrimus,hic eum aſcribam ex lib.Trin. 4.cap.20. *Quid ergo mirum, ſi mittitur, non quia inæqualis eſt Patri, ſed quia eſt manatio quædam charitatis omnipotentis Dei ſyncera. Ibi autem quod manat, & de quo manat, vnius eiuſdémque ſubſtantiæ eſt.Neque enim ſicut aqua de foramine terræ, aut lapidis manat: ſed ſicut lux de luce. Nam quod dictum eſt,Candor eſt lucis æternæ,Sap.7. quid aliud dictum eſt, quàm lux eſt lucis æternæ, &c. Maluit dicere candor lucis,quàm lux lucis, ne obſcurior putaretur iſta quæ manat,quàm illa de qua manat,* B *&c.Neque mouere debet,quia dicta eſt manatio quædam charitatis omnipotentis Dei ſyncera,tanquam ipſa non ſit omnipotens,ſed omnipotentis manatio. Mox enim de illa dicitur,& cùm ſit vna,omnia poteſt. Quis autem omnipotens, niſi qui omnia poteſt?* Ex quibus intelligitur quàm vtilis locus ſit ab iſto prætermiſſus.Item Auguſt.tract.21.in Ioan.Euangelio. *Miſſionem audio, non ſeparationem. Sed hic, inquit, videmus in rebus humanis, quia maior eſt qui mittit, quàm ille qui mittitur. Sed res humanæ fallunt hominem,res diuinæ purgant. Noli attendere ad res humanas, nam & ipſæ res humanæ dicunt contra teſtimoniũ. Verbi gratia,ſi quis vxorem vellet petere, & per ſe nõ poſſet,amicum maiorem mittit,qui ei petat,*&c.Viden- C dus eſt totus ille locus, vt intelligamus quã perfunctoriè Lombardus tam grauem quæſtionem tractauerit,etſi eidem plura capita attribuit.

DISTINCTIO XVI.

De miſſione Spiritus ſancti,quæ fit duobus modis,viſibiliter, & inuiſibiliter.

CAP. I.

Propoſitio.

Reſpõſio.

NVnc de Spiritu ſancto videndum eſt, præter illam ineffabilem & æternam proceſſionem qua procedit à Patre & Filio, & non à ſeipſo, quæ ſit eius temporalis proceſſio,quæ dicitur miſſio ſiue datio. Ad quod dicimus, quia ſicut Filius duobus modis dicitur mitti:vno,quo viſibiliter apparuit: altero,quo inuiſibiliter à caſtis mentibus percipitur:ita & Spiritus ſanctus à Patre & Filio ac à ſeipſo duobus modis procedere, ſiue mitti,ſiue dari dicitur:vno viſibiliter, altero inuiſibiliter. Datus eſt enim viſibilis creaturæ demonſtratione,ſicut in die Pentecoſtes, aliiſque vicibus: & datur quotidie inuiſibiliter,illabendo mentibus fidelium.

CAP. II.

Priùs de illo modo miſſionis,qui fit viſibiliter,agit.

Cap.5. Explicatio ac probatio reſpõſionis.

ET primò agamus de illo miſſionis modo,qui fit viſibili ſpecie. De hoc Aug.in 2.lib.de Trin.ait.In promptu eſt intelligere de Spiritu ſancto, cur miſſus & ipſe dicatur. Facta eſt enim quædam creaturæ ſpecies ex tempore, in qua viſibiliter oſtenderetur Spiritus ſanctus:ſiue cùm in ipſum Dominum corporali ſpecie columba deſcendit,ſiue cùm in die Pentecoſtes factus eſt A *ſubitò de cælo ſonus,quaſi ferretur flatus vehemens, & viſæ ſunt illis linguæ diuiſæ ſicut ignis, qui & inſedit ſuper vnumquenque eorum. Hæc operatio viſibiliter expreſſa,& oculis oblata mortalibus, miſſio*[a] *Spiritus ſancti dicta eſt: non vt appareret eis ipſa ſubſtantia, qua & ipſe inuiſibilis & incommutabilis eſt,ſicut Pater & Filius,ſed vt exterioribus viſis corda hominum cõmota à temporali manifeſtatione venientis, ad occultã æternitatem ſemper præſentis conuerterentur. Ecce his verbis aperit Aug.illum modum miſſionis, qui viſibiliter exhibetur, cùm tamen ipſe Spiritus in ſui natura non videatur: qui nec in illis creaturis magis erat,quã in aliis,ſed ad aliud.In illis enim erat,vt per eas ad homines veniens, oſtenderetur eſſe in illis, ad quos illæ creaturæ veniebant.Non enim Spiritus ſanctus temporali motu tunc venit,vel in homines deſcendit, ſed per temporalem motum creaturæ ſignificata eſt Spiritualis* B *& inuiſibilis Spiritus ſancti infuſio.Et,vt apertius dicam,per illum modum miſſionis Spiritus ſancti corporaliter exhibitum, monſtrata eſt Spiritualis & interior miſſio ſancti Spiritus,ſiue donatio de qua agendum eſt.*

a Miſſio viſibilis S. ſancti quid ſit.

CAP. III.

Cùm Filius ſit minor Patre ſecundum formam creatam,in qua apparuit,cur non & Spiritus ſanctus ſimiliter.

C Quæſtionum Sp. ſanctus quia miſſus,ſit minor Patre

SED priùs quærendum eſt,cùm Filius dicatur minor Patre ſecũdum miſſionem, qua in forma creata apparuit, cur & Spiritus ſanctus non dicatur ſimiliter minor Patre,cùm in forma creata apparuit. Nam de Filio quod minor ſit Patre ſecundum formã qua miſſus apparuit, apertè oſtendit Aug. in 4.lib. de Trin. dicens, Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege:vſque adeò paruum,vt factum: eo itaque miſſum,quo factum. Fateamur ergo factum, minorem:& intantum minorem inquantum factum: & intantum factum, inquantum miſſum. Ecce habes quia Filius inquantum eſt miſſus i factus, minor eſt Patre. Cur ergo Spiritus ſanctus non dicatur Patre minor, cum ipſe creaturam aſſumpſerit,in qua apparuit? quia[a] *aliter Spiritus aſſumpſit creaturam in qua apparuit, aliter Filius. Nam Filius accepit per vnionem perſonæ, Spiritus verò non. Filius enim accepit hominem, ita vt fieret homo,Spiritus verò ſanctus nõ ita accepit columbam, vt fieret columba. De hoc Auguſt.in 2.lib.de Trin.ait,Ideò nuſquam ſcriptum eſt, quòd Deus Pater maior ſit Spiritu ſancto, vel Spiritus ſanctus minor Patre:quia non ſic eſt aſſumpta creatura,in qua appareret Spiritus ſanctus,ſicut aſſumptus eſt Filius hominis:in qua forma ipſius Dei,verbi perſona præſentaretur,non vt haberet verbum Dei,ſicut alij ſancti ſapientes 2,ſed quod ipſum verbum erat: Aliud eſt enim verbum in carne,aliud verbum caro, id eſt, aliud verbum in homine, aliud verbum homo. Caro enim pro homine poſita eſt in eo quod ait: Verbum caro factum eſt. Non ergo ſic aſſumpta eſt creatura, in qua apparuit Spiritus ſanctus: ſicut aſſumpta eſt caro illa & humana forma ex virgine Maria. Non enim columbam,vel illum flatum, vel illum ignem beatificauit, ſibique in vnitatem perſonæ coniunxit in æternum. Ex prædictis apertè oſtenſum eſt,ſecundum quid Filius dicatur minor Patre,& quare Filius dicatur minor Patre,& non Spiritus ſanctus.*

Cap.19.

Gal.4.a

a Reſponſio.

Cap. 6.

Ioan.1.b

A

CAP. IIII.

Quòd Filius ſecundum quod homo factus eſt, non modò Patre, ſed Spiritu ſancto, & etiam ſeipſo minor eſt.

Corollarium. *Notandum autem quòd Filius ſecundum quod homo factus eſt, non tantum Patre, ſed Spiritu ſancto, & etiam ſeipſo minor dicitur. Et quòd etiam ſeipſo minor* Cap. 7. 8. & 11. *dicitur ſecundum formam ſerui, Auguſt. oſtendit in primo lib. de Trinit. dicens, Errauerunt homines, ea quæ de Chriſto ſecundum hominem dicta ſunt, ad eius ſubſtantiam, quæ ſempiterna eſt, transferentes: ſicut illud* Ioan. 14. d *quod ipſe Dominus ait, Pater maior me eſt, quod propter formam ſerui veritas dicit: ſecundum quem modum etiam ſeipſo minor eſt Filius. Quomodo enim non* Phil. 2. a *etiam ſeipſo minor factus eſt, qui ſeipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens? Non enim ſic accepit formam ſerui, vt amitteret formam Dei, in qua erat æqualis Patri. In forma ergo Dei vnigenitus Patris æqualis eſt* B *Patri. In forma ſerui etiam ſeipſo minor eſt. Non ergo immeritò Scriptura dicit vtrunque, ſcilicet & æqualem Patri Filium, & Patrem maiorem Filio. Illud enim propter Dei formam, hoc autem propter formam ſerui intelligitur. De hoc eodem in 2. lib. de Trinit. Aug. ait,* Cap. 1. & ſimiliter de verbis Domini ſermone. 58. Tom. 2. Epi. 66. ad Maximinum medicum. Cap. 7. *Dei Filius eſt æqualis Patri ſecundum Dei formam, in qua eſt: & minor Patre ſecundum formam ſerui, quam accepit: in qua non modò Patre, ſed etiam Spiritu ſancto: nec hoc tantùm, ſed etiam ſeipſo minor inuentus eſt. Propter quod vt idem in lib. epiſt. contra Maximinum ait non tantū Patre, ſed etiam ſeipſo, & Spiritu ſancto minor factus eſt, & etiam minoratus paulominus ab Angelis. Eſt ergo Dei Filius, vt ipſe ait in primo libro de Trinitate Deo Patri in natura æqualis, habitu minor, id eſt, in forma ſerui quam accepit. His autoritatibus oſtenditur apertè Filius ſecundum formam ſerui minor Patre, & ſeipſo, & Spiritu ſancto.*

C

CAP. V.

Hilarius aliter dicit, ſcilicet quòd Pater ſit maior, nec Filius tamen minor.

Obiectio aduerſ. Auguſtini ſententiam ex Hilario. *Hilarius autem dicere videtur, quòd Pater maior ſit Filio, nec tamen Filius minor Patre. Pater*[a] *enim dicitur maior propter autoritatem, quia in eo eſt autoritas generationis, ſecundum quam dicit, Pater maior me eſt. Et Apoſtolus, Donauit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen. Quum ergo ait, Pater maior me eſt, hoc eſt, ac* [a]Solutio 1 Ioan. 14. Phil. 2. c *ſi diceret*[a] *donauit mihi nomen. Si ergo inquit Hilarius, in 9. lib. de Trinitat. donantis autoritate Pater maior eſt, nunquid per doni cōfeſſionem Filius minor eſt? Ma*Poſt libri medium.*ior itaque donans eſt, ſed minor iam non eſt cui vnum eſſe donatur. ait enim: Ego & Pater vnum ſumus. Si non hoc donatur Ieſu, vt confitendus ſit in gloria Dei* * *Patris, minor Patre eſt: ſi autem in ea gloria ei donatur eſſe qua Pater eſt, habes & in donatis autoritate, quia* Ioan. 1. f Hilarius ibidem. *maior eſt, & in donati confeſſione, quia vnum ſunt. Maior itaque Pater Filio eſt, & planè maior: cui tantum donat eſſe, quantus eſt ipſe: cui innaſcibilitatis eſſe imaginem ſacramento natiuitatis impartit, quem ex ſe in forma ſua generat. Audiſti lector*[b] *quid ſuper hoc dicat* [b]Solutio 2 *Hilarius, cuius verba vbicunque occurrerint diligenter nota, piéque intellige.*

AD DISTINCT. XVI.

AD CAP. II.

1 *Sicut ignis.* Aug. codex habet *tāquā ignis* Hoc leue quidem, ſed tamen immutatum. Qua fide?

AD CAP. III.

A

1 *Fateamur ergo.* Facta eſt hoc loco & ſenſus, & verborum Auguſtini mutatio non leuis lib. 4. Trinit. cap. 19. Sic enim ille, *Si ergo maior mittit minorem, fatemur & nos factum minorem: & intantum minorē inquantū factum eſt,* &c. Ergo eſt ὑποθετικὸν Auguſtini argumentū, quod hoc loco tanquā purum, & κατηγορικὸν propoſitum eſt à Lombardo. Sed qua hoc fide? Nam aut iſte ex ſe loquatur: aut ſua Auguſtino relinquat, quæ ipſe nō interpolet.

2 *Sapientes, ſed quod ipſum.* Verba quædam Auguſtini truncata pulcherrimam huius loci ſententiam obſcurant. Sic igitur nos illa reddidimus ex lib. 2. Trinit. cap. 6. *Non vt haberet* (Chriſtus) *Verbum* Dei, *ſicut alij ſapientes ſancti, ſed præ participibus ſuis. Non vtique quòd amplius habebat Verbum Dei, vt eſſet excellentior, quàm cæteri, ſapientia: ſed quòd ipſum verbum erat. Aliud enim eſt Verbum in carne, aliud verbum caro.* Quæ verba nouam quandam hypoſtaticæ vnionis definitionem recenter* B excuſam planè iugulant. Dicitur enim ab iſtis vnio deitatis & humanitatis in Chriſto hypoſtatica eſſe, quòd in Chriſto deitas omnes ſuas proprietates in humanitatem effuderit, in cæteris autem ſanctis duntaxat quaſdam. Quam definitionem aut potiùs grauiſſimū errorem refutat quoque Hieronymus in explanatione Symboli ad Damaſum. Aug. ipſe in Agone Chriſtian. ſic ſcribit. *Deus hunc hominem Chriſtum non regebat, vt alios Sanctos, ſed gerebat.*

AD CAP. IIII.

1 *Homines ea quæ.* Quædam in hoc toto loco recitādo omiſſa ſunt, quædam etiam immutata, ſed nulla de autoris mente iacturâ facta. Idē quoque ab iſto fit in fine huius capitis, in poſtremo C Auguſtini dicto tranſcribendo, quod ex cap. 7. lib. 1. de Trinitate, proculdubiò ſumptum eſt.

Cenſura ad Diſtinctionem decimamſextam.

Et hîc quoque multa perturbatè ſcribuntur, vti in ſuperiori Diſtinctione decimaquinta. Primùm enim à ſuo titulo & ſcopo longiſſimè diſcedit, vtpotè qui de Spiritu ſancto pollicitus acturum ſe, de Filio tamen potius, quàm de Sp. S. diſſerit: quod eſt vitioſiſſimum. Monet enim præclarè Plinius lib. 1. Hiſtor. Natural. titulum operis ſæpe eſſe ab ipſo autore relegēdū, ne quid à propoſito alienū afferat: ſed iſte de tam bonorū ſcriptorū numero minimè cenſendus eſt. Pluribus porrò verbis tractata eſt hæc quæſtio, *Cur Filius dicatur minor Patre,* quæ vno tamen expediri potuit, nimirum ratione οἰκονομίας & carnis humanæ à Filio aſſumptæ, & in vnicæ Perſonæ coalitionem vnitæ ſic appellari. Quum ſit enim ea natura aſſumpta res creata, deitate minor eſt. Itaq; & Patre ipſo, & Spiritu ſancto, ac denique ſeipſo Deo minor eſt Filius, quâ homo eſt. Cæterùm quod quidam citant ex Epiſtola ad Hebræos capite ſecundo, verſiculo 7. ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους. id eſt, *Feciſti eum pauliſper inferiorē Angelis,* aliò pertinet, quàm ad hanc quæſtionem, quum non tantùm illic dicatur, *Filius minor Patre, ſed minor ipſis Angelis.* Itaq; de illo ſtatu Chriſti intelligendus eſt epiſtolæ ad Hebræos locus, in quo tunc fuit, quum grauiſſimas iræ Dei pœnas

A nas pro nobis pateretur, & quum exclamaret, *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquiſti?* Denique quum *per coarctationem, & iudicium* (quemadmodum loquitur Iſaias 53. v.8.) de mundo tolleretur. Aliàs enim naturam à Chriſto aſſumptam, quanuis verè humanam, eſſe tamen ſupra Angelos ipſos dignitate euectam præclarè docet Auguſtinus libro 3.contra Maximin. cap.25. Sed ad Lombardum redeamus. Is enim neceſſariis iſtis quæſtionibus prætermiſsis πάρεργα & ἀσθενῆ quædam perturbatè hîc tractat.

Secundum porrò Lombardi vitium eſt, quòd hîc quoque ſuos diſcipulos dimittit hiantes, cùm nondum explicet, quòd illi contẽtioſè quærunt, 1.*Vtrùm apparitio diuinæ Perſonæ idem ſit, atque miſſio.* 2.*Vtrùm ſola ea Perſona quæ originem ab alia habet, vel mitti, vel apparere poſsit.* 3. *Vtrùm Pater qui nunquã dicitur miſſus, tamẽ apparuerit aliquãdo.* 4 *Vtrùm apparitio vel miſsio (quũ ſit ſignificatio & oſtenſio ſpiritualis & inuiſibilis illius Perſonæ* B *actionis, incarnationem Chriſti excipio) Vtrùm,* inquam, *hæc miſsio differat à ſacramento, & ſi differt, quomodo differat.* 5 *Denique cur non ſit miſſus Spiritus ſanctus viſibiliter Patribus ſub veteri Teſtamento, quemadmodum Apoſtolis ſub nouo.* Hæc & alia quę dum huiuſmodi quærunt iſtius magiſtri diſcipuli, ex quibus 4.& 5. omnino ſcitu digniſsimum eſt, & tamen prorſus ab iſto ex profeſſo iſta tradente prætermiſſum. Quamobrẽ hoc quoque in hac Diſtinctione damnamus, quod cùm iſte vellet eſſe harum controuerſiarum βραβευτὴς, ſeque talem profiteretur: litigandi vias potius, quàm iuris.i.contentionum fontes potius, quàm deciſionum in hoc argumento apparuit, quod eſt in Theologo maximè reprehendendum.

Tertio loco habet Lombardus quędam in hac Diſtĩctione partim ἄκυρα à ſe dicta: partim à ſe nõ intellecta in aliis. Ἄκυρον eſt, quod ait ipſe cap.2. *Sp.S. eſſe in creaturis, etiam brutis, & inanimis, & per eas ad homines venire.*

Primùm enim facit huiuſmodi ſigna & ſym- C bola Sp.S.tanquam vehicula, per quę ipſe ad homines deferatur, quum ait, *Et per eas ad homines veniens.* Atqui huiuſmodi res omnes ſunt duntaxat ſigna actionis & energię ipſius Spiritus inuiſibiliter in hominibus agentis: non autem ipſius virtutis Sp.S. velut arculæ, canales, aut geſtationes. Hoc Primum eſt ἀκυρόλογον.

Secundùm autem, quum ait Sp.S. eſſe in huiuſmodi rebus, qualis ignis & columba. Quanquam enim Scriptura docet Deum vbique eſſe, ſitque Spiritus ſanctus Deus, & per cõſequens vbique, hoc tamen ipſum ſic nudè effatum, *Spiritus ſanctus in illis creaturis eſt,* prę ſe fert, atque animis noſtris ingerit alienam quodammodo ab ipſa Spiritus ſancti appellatione notionem. Appellatur enim propriè & ἰδίως *Spiritus ſanctus,* & in iis ineſſe dicitur, quum, & in quibus virtutem illam ſuam ſanctificantem exerit. Quamobrem quę res iſtius ſanctificationis nequaquam ſunt capaces: vt columba & ignis, in iis quoque non tam dicitur, niſi ſacramentaliter, ineſſe vocabulo ipſo, & nomine Spiritus ſancti, quàm Dei. Hanc ipſam interpretationem noſtram, & ſui refutationem agnoſcit eſſe veriſsimam ipſemet Lombardus, infrà Diſtinct.17.cap.9. his verbis, *Non enim omnes habent Spiritum ſanctum, in quibus eſt: alioquin* A *& irrationabiles creaturæ haberẽt Spiritum ſanctum. quòd fidei pietas non admittit.* Ergo interpretatio huius ſuę locutionis fuit à Lõbardo addẽda. Porrò minimè intellecta à ſe habet, quale eſt illud quod de Hilario affert, cap.5. huius tractationis. Sic enim Hilarij mentem proponit, tanquam euerteret Aug. cum tamen illi optimè cum Aug. in ſolutione conueniat. Sed duplici reſpectu & modo Patrem Filio maiorem dici docet Hilarius lib.9. Trinitatis, ex recepta ſui ſeculi ſententia & interpretatione aduerſus Arianos & Sabellianos. Primo modo, quia Filius homo eſt factus, cuius naturæ ratione dicitur Filius minor Patre. Hãc igitur ſolutionem affert Auguſtinus: hanc quoque eandem ſuo ſuffragio comprobat Hilarius his verbis, *Pater maior eſt, dum gloriam aſſumpto homini rogatur, vt reddat.* item, *Nam & Pater, dum & Pater eſt, & glorificat nunc Filium hominis, maior eſt.* B item, *Patrem maiorem in glorificandi autoritate cognoſcimus.* Ioan.12. v. 28. Secundo modo etiam qua Filius Deus eſt ex Deo Patre, docet Hilar. Filium quoque dici minorem Patre, vtpote à quo Filius habet εἶναι, qua ratione Filius eſt: non autem qua ratione eſt Deus. Sic enim vetus Eccleſia contra Arianos diſputans conceſsit Patri quoddam ἀξίωμα. &, vt κατὰ τὴν τῆς αἰτίας τιμὴν, καὶ λόγον, μείζων appellaretur, quemadmodum apertè ſcribit Baſilius ſub finem lib. 1.contra Eunomium. Ἐπειδὴ γὰρ ait, ἀπὸ τοῦ πατρὸς ἡ ἀρχὴ τῷ υἱῷ, κατὰ τοῦτο μείζων ὁ πατὴρ, ὡς αἴτιος καὶ ἀρχή. Neque tamẽ proptereà vel ἀνόμοιον, vel ἄνισον, vel non eiuſdem omnino cum Patre & vnius eſſentiæ Filium concedebant: ſed, vt ait Cyrillus in Ioan.lib.2.cap.140. *Non eſt Filius minor eo qui obtulit, etiamſi quod à ſe Filius habet, id honoris ergô ſe accepiſſe à Patre dicit.* Hæc duo ſunt, quæ in ſcriptis Hilarij perperam cõfudit Lombardus: neque diſtinxit. Itaque Hilarium cum Aug. fruſtrà committit, & pro ſolutione iſtius ἐναντιοφανοῖς (quod & ipſiſmet verbis Hilarij apparet, vt nempe dicatur, *Pater maior, nec tamen Filius minor*: & in verbis ſententiáque Auguſt. & Hilarij inter ſe collatis) hoc C duntaxat affert Lombardus, *Verba Hilarij vbicũque ocurrerint, diligenter nota, piéque intellige,* quaſi non eſſent totius piæ, orthodoxæ, & veteris Eccleſiæ, verba: & non vnius Hilarij diuerſa reſponſa.

DISTINCTIO XVII.

De miſsione Spiritus ſancti, qua inuiſibiliter mittitur.

CAP. I.

IAM nunc accedamus ad aſsignandam miſſionem Spiritus ſancti, qua inuiſibiliter mittitur in corda fidelium. Nam ipſe [a] Spiritus *ſanctus, qui* Deus *eſt, ac tertia in* Trinitate *Perſona, vt ſuprà oſtenſum eſt, à Patre & Filio ac ſemetipſo temporaliter procedit, id eſt, mittitur ac donatur fidelibus. Sed quæ ſit iſta miſsio ſiue donatio, vel quomodo fiat conſiderandum eſt.*

[a] Lombardi κυριαδόξα & definitio.

A

CAP. II.

Præmittuntur quædam ad hanc oſtenſionem neceſſaria, ſcilicet quòd Spiritus ſanctus eſt charitas, qua diligimus Deum & proximum.

Probatio ſuperioris definitionis. Hic magiſter communiter non tenetur, vt videre eſt in erroribus ſelectis

a 1 Poſtulatum Lōbardi.

b 2 Poſtulatum.

1. Ioā. 4. c

c 3 Poſtulatum.

B

d 4 Poſtulatum.

HOC autem vt intelligibiliùs doceri, ac pleniùs perſpici valeat, præmittendum eſt quiddam ad hoc valde neceſſarium. Dictum quidem eſt ſuprà, & ſacris autoritatibus oſtenſum, quòd Spiritus *ſanctus amor*[a] *eſt Patris & Filij, quo ſe inuicem amant & nos. His autem addendum eſt, quòd ipſe idem Spiritus ſanctus eſt amor*[b] *ſiue charitas, qua nos diligimus Deum & proximum: quæ charitas quum ita eſt in nobis, vt nos faciat diligere* Deum *& proximum, tunc Sp. S. dicitur,* [c] *mitti vel dari nobis: & qui diligit* [d] *ipſam dilectionem qua diligit proximum, in eo ipſo Deum diligit :* [1] *quia ipſa dilectio Deus eſt, id eſt, Spiritus ſanctus.*

CAP. III.

Autoritatibus ita eſſe confirmat.

Quarti poſtulati cōfirmatio. Cap. 7. circa mediū.

1. Ioan. 4.

Aug. lib. prędicto cap. 7. & 8.

C

NE autem in re tanta aliquid de noſtro influere videamur, ſacris autoritatibus quod dictum eſt corroboremus. De hoc Auguſt. in 8. *lib. de Trinit. ait.* [1] *Qui proximum diligit, conſequēs eſt vt ipſam præcipuè dilectionem diligat. Deus autem dilectio eſt, conſequens ergo eſt, vt præcipuè* Deum *diligat. Item in eodem, Deus dilectio eſt, vt ait Ioannes Apoſtolus : Vt quid ergo imus & currimus in ſublimia cælorum & ima terrarum, quærentes eum qui eſt apud nos, ſi nos apud eū eſſe velimus? Nemo dicat, nō noui quid diligā, diligat fratrem & diligat eandem dilectionem. Magis enim nouit dilectionem qua diligit, quàm fratrem quem diligit. Ecce iam potes notiorem Deum habere quàm fratrem. Planè notiorem, quia præſentiorem, quia interiorem, quia certiorem. Amplectere dilectionem* Deum, *& dilectione amplectere Deum. Ipſa eſt dilectio, quæ omnes bonos Angelos, & omnes Dei ſeruos conſociat vinculo ſanctitatis. Quantò ergo ſaniores ſumus à tumore ſuperbiæ, tātò ſumus dilectione pleniores : & quo niſi Deo plenus eſt, qui plenus eſt dilectione? His verbis ſatis oſtendit Aug. quòd dilectio ipſa, qua diligimus* Deum *vel proximum , Deus eſt. Sed adhuc apertiùs in eodem libro ſubdit dicens.* [2] Di*lectionem quantum commendat Ioannes Apoſtolus attendamus. Qui diligit, inquit, fratrem , in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt. Manifeſtum eſt quòd iuſtitiæ perfectionem in fratris dilectione poſuerit. Nam in quo ſcandalum non eſt , vtique perfectus eſt. Et tamen videtur dilectionem Dei tacuiſſe : quod nunquam faceret, niſi quia in ipſa fraterna dilectione vult intelligi Deum. Apertiſsimè enim in eadem epiſtola paulò pòſt ait ita, Dilectiſsimi diligamus inuicem, quia dilectio ex* Deo *eſt: & omnis qui diligit, & quo natus eſt, & cognouit Deum. Qui non diligit, non cognouit Deum, quia* Deus *dilectio eſt. Iſta contextio ſatis apertè declarat, eādem ipſam fraternā dilectionem (nam fraterna dilectio eſt, qua diligimus inuicē) non ſolùm ex Deo, ſed etiam* Deum *eſſe, tanta autoritate prædicari, ſcilicet* [3] *Ioannis. Quum ergo de dilectione diligimus fratrem, de Deo diligimus fratrem, nec fieri poteſt vt eandem dilectionem non præcipuè diligamus, qua fratrem diligimus, quoniam Deus dilectio eſt. Item. Qui non diligit fratrem, non eſt in dilectione: & qui non eſt in dilectione, non eſt in* Deo, *quia* Deus *dilectio eſt. Ecce apertè dicit, fraternam dilectionem Deum eſſe.*

1. Ioan. 1. b Libro & cap. eiſdē.

1. Ioan. 4. b

A

Paulò inferius. in c. 2.

CAP. IIII.

Quòd fraterna dilectio cùm ſit Deus, non eſt Pater vel Filius, ſed tantùm Spiritus ſanctus.

Corollarium, et quo poſtremam quarti ſui poſtulati partē confirmat Lombardus, & primum itē ſuum poſtulatum.

B

Cap. 19. circa finē. Aug. lib. de Trin. eodē. cap. 17.

1. Ioā. 4. b

Eodem c.

a Concluſio.

QVVM autem fraterna dilectio ſit Deus, *aec Pater eſt, nec Filius, ſed tantū Spiritus ſanctus, qui propriè in Trin. dilectio vel charitas dicitur. Vnde Aug. in xv. lib. de Tri. Si in donis Dei nihil eſt maius charitate, & nullum eſt maius donum* Dei *quàm Spiri- ſanctus, quid conſequentius eſt, quàm vt ipſe ſit charitas , quæ dicitur &* Deus *& ex* Deo. *Ita enim ait Ioan.* Dilectio *ex* Deo *eſt.* [1] *Et paulo poſt,* Deus *dilectio eſt. vbi manifeſtat eam ſe dilectionem dixiſſe Deum, quam dixit ex Deo, Deus ergo ex Deo eſt dilectio. Item in eodem , Ioannes volens de hac re apertiùs loqui, In hoc inquit , cognoſcimus quia in ipſo manemus, & ipſe in nobis, quia de Spiritu ſuo dedit nobis. Spiritus itaque ſanctus , de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere, & ipſum in nobis, hoc autem facit dilectio. Ipſe eſt ergo Deus dilectio. Ipſe igitur* [d] *ſignificatur vbi legitur,* D*eus dilectio eſt. Ex his ergo apparet quòd* [2] *Sp. S. charitas eſt.*

CAP. V.

Quòd non eſt dictum per cauſam illud, Deus charitas eſt: ſicut illud, Tu es patientia mea, & ſpes mea.

Hypophora. quia cōtrarię ſententię occurrit.

C

Cap. 17.

Pſal. 70.

Pſal. 61.

Pſal. 58. & 90.

1. Ioan. 4. c

Ioan. 4. c

SED ne fortè aliquis dicat illud eſſe dictum per expreſsionem cauſæ , D*eus charitas eſt , eo ſcilicet quòd charitas ſit ex* Deo, *& non ſit ipſe* Deus: *ſicut dicitur,* Deus *noſtra patientia eſt, & ſpes: & non quòd ipſe ſit iſta , ſed quia iſta ex* Deo *ſunt: occurrit Aug. oſtendens hoc nō eſſe dictū per cauſam, ſicut illa, in xv. lib. de Trin. dicens,* [1] *Non dicturi ſumus charitatem non propterea eſſe dictam* Deum, *quòd ipſa charitas ſit nulla ſubſtantia, quæ* Dei *digna ſit nomine , ſed quòd donum ſit* Dei: *ſicut dictum eſt de* Deo, *Tu es patientia mea, Non vtique ideo dictum eſt , Tu es patientia mea, quòd* Dei *ſubſtantia eſt noſtra patientia, ſed quia ab ipſo nobis eſt. Vnde alibi. Ab ipſo eſt patientia mea. Hunc enim ſenſum facilè refellit Scripturarum ipſa locutio. Tale eſt enim, tu es patientia mea: quale eſt, Domine ſpes mea , &* Deus *meus , miſericordia mea : & multa ſimilia. Non eſt autē dictum,* D*omine charitas mea , aut tu es charitas mea , aut Deus charitas mea: ſed ita dictum eſt, Deus charitas eſt , ſicut dictū eſt, Deus Spiritꝰ eſt. Hoc qui nō diſcernit, intellectū à Domino, non expoſitionem quærat à nobis. Non enim apertiùs quicquam poſſumus dicere, Deus ergo charitas eſt. Ex prædictis clareſcit , quòd Spiritus ſanctus charitas eſt, qua diligimus* Deum *& proximum: vnde faciliùs eſt nobis oſtēdere quomodo Sp. S. mittatur ſiue detur nobis.*

CAP. VI.

Quomodo Spiritus ſanctus mittatur vel detur nobis.

TVNC enim mitti vel dari dicitur, cùm ita in nobis

A nobis eſt, vt faciat nos diligere Deum & proximum: per quod manemus in Deo, & Deus in nobis. Vnde Aug. hunc miſſionis modum inſinuans in xv. lib. de Trin. ait, Deus Spiritus ſanctus, qui procedit ex Deo: quum datus fuerit homini, accendit eum ad diligendum Deum & proximum, & ipſe dilectio eſt. Non enim habet homo vnde diligat Deum, niſi ex Deo. Ecce quomodo datur vel mittitur nobis Spiritus ſanctus, ſecundum quod dicitur datum, ſiue donum. Quod donum commendat Aug. explanans apertiùs quomodo detur, in eodem libro. Dilectio, inquit, Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, vt ait Apoſtolus, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Nullum eſt iſto dono Dei excellentius. Solum eſt quod diuidit inter filios regni, & filios perditionis. Dantur & alia per Spiritum munera, ſed ſine charitate nihil proſunt. Niſi ergo tantum impartiatur cuiquam Sp. S. vt eum Dei & proximi faciat amatorem, à ſiniſtra non transfertur ad dexteram. Neque Sp. S. propriè dicitur donum, niſi propter dilectionem: quam qui non habuerit, & ſi ¹ loquatur omnibus linguis, & habuerit Prophetiam, & omnem ſcientiam, & omnem fidem, & diſtribuerit omnẽ ſubſtantiam ſuam, & tradiderit corpus ſuum ita vt ardeat, non ei prodeſt. Quantum ergo bonum eſt, ſine quo ad æternam vitam neminem tanta bona producunt? Ipſa verò dilectio vel charitas (nam vnius rei nomen eſt vtrunque) perducit ad regnum. Dilectio ergo, quæ Deus eſt, & propriè ex Deo eſt, Spir. S. eſt, per quem diffunditur in cordibus noſtris Deus charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas.² Quocirca rectiſſimè Sp. S. quum ſit Deus, vocatur etiam donum Dei. Quod donum propriè quid niſi charitas intelligendum eſt, quæ perducit ad Deum: & ſine qua quodlibet aliud Dei donum non perducit ad Deum? Ecce hîc aperitur quod ſuprà dictum erat, ſcilicet quòd charitas ſit Spiritus ſanctus, & donum excellentius: & quomodo hoc donum, id eſt, Spiritus ſanctus detur nobis, ſcilicet cum ita impartitur alicui, id eſt, ita habet eſſe in aliquo, vt eum faciat Dei & proximi amatorẽ. Quod quum facit, tunc dari dicitur ſiue mitti alicui: C & tunc ille dicitur propriè habere Spiritum ſanctum.

Tertij poſtulati confirmatio. Sap. 17.

Idem vbi ſuprà, cap. 17. & 18. Rom. 5. a

Mat. 25. c. Quomodo Sp. ſanctus detur hic notatur.

B

1. Cor. 13. a

Eodẽ lib.

CAP. VII.

Vtrùm concedendum ſit, quòd Spiritus ſanctus augeatur in homine, vel magis vel minùs habeatur vel detur.

HIC quæritur, ſi charitas ᵃ Spiritus ſanctus eſt, quum ipſa augeatur & minuatur in homine, & magis & minùs per diuerſa tempora habeatur, vtrùm concedendum ſit quòd Spiritus ſanctus augeatur vel minuatur in homine, vel magis & minùs habeatur. Si enim in homine augetur, & magis vel minus datur & habetur, mutabilis eſſe videtur, Deus autẽ omnino immutabilis eſt. Videtur ergo quòd vel Spir. ſanctus nõ ſit charitas, vel charitas nõ augeatur vel minuatur in homine. Item. ᵇ charitas & non habenti datur vt habeat, & habenti vt plenius habeat. Si ergo Spiritus ſanctus charitas eſt, & non habenti datur vt habeat, & habenti vt plenius habeat. Sed quomodo datur non habenti, quum ipſe vt Deus ſit vbique, & in omnibus creaturis totus? & quomodo plenius datur vel habetur ſine ſui mutatione?

a 1. Quæſtio.

b Secũda quæſtio.

Lucæ 19. d

CAP. VIII.

A

Reſponſio ad primam quæſtionem.

HIS itaque reſpondemus, dicentes quòd Spiritus ſanctus ſiue charitas penitus immutabilis eſt, nec in ſe augetur vel minuitur, nec in ſe recipit magis vel minus: ſed in homine vel potius homini augetur & minuitur, & magis vel minùs datur vel habetur. Sicut Deus dicitur magnificari & exaltari in nobis, qui tamen in ſe nec magnificatur nec exaltatur. Vnde Propheta, Accedat homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Super quem locum ait autoritas, Deus non in ſe ſed in corde hominis grandeſcit. Si ergo Spiritus ſanctus homini datur, & datus amplius datur, id eſt, augetur, & magis & minùs habetur: & tamen immutabilis exiſtit.

Solutio primæ quæſtionis

Pſal. 63. In antiquo habetur. Caſſiodori.

CAP. IX.

B

Reſponſio ad ſecundam.

CVNQVE vbique ſit & in omni creatura totus, ſunt tamen multi qui eum non habent. Non enim omnes Spiritum ſanctum habent, in quibus eſt: alioquin & irrationabiles creaturæ haberẽt Spiritum ſanctum, quod fidei pietas non admittit.

Solutio ſecundæ.

CAP. X.

Autoritate confirmat vtranque reſponſionem.

VT autem certius fiat quod diximus, autoritate confirmemus, quòd Spiritus ſanctus magis ac minùs percipiatur & homini augeatur, & non habenti detur, & habenti vt plus habeatur. Auguſtinus oſtendit ſuper Ioannem dicens, Sine Spiritu ſancto conſtat nos Chriſtum non diligere, & eius mandata ſeruare non poſſe: & id nos poſſe atque agere tanto minùs quantò illum percipimus minùs: tantò verò ampliùs, quantò illum percipimus ampliùs. Ideóque non ſolùm non habenti, verumetiam habenti non incaſſum promittitur. Non habenti quidem, vt habeatur: habenti autem, vt ampliùs habeatur. Nam ſi ab alio minùs, & ab alio ampliùs non haberetur, ſanctus Heliſæus ſancto Heliæ non diceret, Spiritus qui eſt in te, duplo ſit in me. ¹Chriſto autem qui eſt Dei Filius, non ad menſuram datus eſt Spiritus. Neq; enim ſine gratia Spiritus ſancti eſt mediator Dei & hominũ homo Chriſtus: quòd enim eſt vnigenitus Dei Filius æqualis Patri, non eſt gratiæ, ſed naturæ. Quòd autem in vnitatem Perſonæ vnigeniti aſſumptus eſt homo gratiæ eſt, non naturæ. Cæteris autem ad menſurã datur, & datus additur, donec vnicuique pro modo ſuæ perfectionis propria mẽſura compleatur. Ecce expreſſè habes quòd Spiritus ſanctus magis & minùs datur vel accipitur, & homini datus augeatur, & habenti & non habenti datur, quia Spiritus ſanctus eſt charitas, quæ non habenti datur, & in habente augetur & proficit. Imò, vt verius & magis propriè loquar, homo in ea proficit & deficit aliquãdo: & tũc ipſa dicitur proficere vel deficere: quæ tamẽ nec proficit nec deficit in ſe, quia Deꝰ eſt: vnde Auguſtinus in Homilia 9. ſuper epiſtolã Ioãnis ait, Probet ſe quiſq; quantũ in illo proficerit charitas, vel potiùs quantum ipſe in charitate proficerit. Nam

Confirmatio primæ ſolutionis Tomo 9. Tract. 74. ſuper illo, Si diligitis me, &c.

C

4. Reg. 2. b Ioan 3. d 1. ad Tim. 2. b

Tomo 9. Tracta. 9. In principio eiuſdem.

A *ſi charitas Deus eſt, nec deficit, nec proficit. Sic ergo in te proficere dicitur charitas, quia tu in ea proficis. Ecce quomodo intelligendum ſit quum dicitur Spiritus ſanctus augeri in nobis, quia nos in eo ſcilicet proficimus: ſic & alia huiuſmodi.*

CAP. XI.

Quòd aliqui dicunt Spiritum ſanctum non eſſe charitatem, qua diligimus Deum & proximum.

Secundi poſtulati confirmatio.
Hac Diſt. Cap. 2.
Rom. 5. a

SVPRA dictum eſt, quòd Spiritus Sanctus charitas eſt Patris & Filij, qua ſe inuicem diligunt & nos: & ipſe idē eſt charitas quæ diffūditur in cordibus noſtris, ad diligendum Deum & proximum. Horum alterum omnes catholici concedunt, ſcilicet quòd Spiritus ſanctus ſit charitas Patris & Filij. Quòd autem ipſe idem ſit charitas, qua diligimus Deum & proximum, à pleriſque negatur. Dicunt [a] *enim, ſi Spiritus ſanctus charitas eſt Patris & Filij & noſtra, eadem ergo charitas eſt, qua Deus diligit nos, & qua nos diligimus eum. Hoc autem Sanctorum autoritates negare videntur. Dicit enim Aug. in lib. de Spiritu & Litera, Vnde eſt dilectio, niſi vnde & ipſa fides, id eſt, à Spiritu ſancto? Non eſſet enim in nobis, niſi diffunderetur in cordibus noſtris per Spiritum. Charitas autem Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua nos ipſe diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos. Sicut iuſtitia Dei dicitur, qua nos iuſti eius munere efficimur: & Domini ſalus, qua nos ſaluat: & fides Chriſti, qua nos fideles facit. His verbis videtur monſtrari diſtinctio inter charitatem, qua nos Deus diligit, & qua nos diligimus. Et ſicut iuſtitia noſtra dicitur Dei, non quòd ipſe ſit ea iuſtus, ſed quia ea nos iuſtos facit, ſimiliter & fides, & ſalus: ſic videtur dicta Dei charitas, quæ eſt in nobis, non quòd ipſe ea diligat, ſed quia ea nos diligere facit. De hoc etiam idem Aug. in libro xv. de Trinitate ait, Quum Ioannes commemoraſſet Dei dilectionem, non qua nos eum ſed qua ipſe dilexit nos, & miſit Filium ſuum liberatorem pro peccatis noſtris. Ecce & hîc videtur manifeſtè diuidere dilectionem, qua nos diligimus Deum, ab ea qua ipſe diligit nos. Si ergo, inquiunt, Spiritus ſanctus dilectio eſt qua Deus diligit, & qua nos diligimus, duplex dilectio eſt, imò duo diuerſa eſt, quod abſurdum & à veritate longè eſt. Non eſt ergo dilectio qua diligimus, ſed qua Deus tantùm diligit nos.*

a Prima aliter ſentientium obiectio.
B
Tomo 3. cap. 32. in fine cap.
Cap. 17.
1. Ioan. 4.
C

CAP. XII.

Reſponſio ad prædicta, determinans autoritates.

Obiectionis ſolutio.
De Spiritu & Litera. Cap. 32.

HIS reſpondemus prædictarum autoritatum verba determinantes hoc modo, Charitas Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua ipſe nos diligit, ſed qua nos diligere facit, &c. His verbis non diuiditur nec diuerſa oſtenditur charitas, qua Deus nos diligit, ab ea qua nos diligimus: ſed potius cùm ſit vna & eadem charitas, & dicatur ipſa Dei charitas, & diuerſis de cauſis & rationibus Dei charitas appellari in Scriptura oſtenditur. Dicitur enim Dei charitas, vel quia Deus ea diligit nos, vel quia nos ea ſuos dilectores facit.

CAP. XIII.

Determinatio primæ autoritatis.

CVM ergo ab Apoſtolo dicitur charitas Dei diffundi in cordibus noſtris, non eſt dicta charitas Dei qua diligit nos, ſed qua facit nos diligere, id eſt non ibi appellatur charitas Dei, eo quòd Deus nos ea diligit, ſed eo quòd nos ea ſui dilectores facit. Et quòd ea ratione poſſit dici charitas Dei, quia nos ea diligere facit, ex ſimili genere loquutionis oſtenditur: ſicut dicitur iuſtitia Dei, qua nos iuſtificat: & Domini ſalus qua nos ſaluat: & fides Chriſti, qua nos fideles facit.

A
Confirmationis ſuperioris.
Rom. 5. a
Pſ. 1. 11.
Pſal. 31.
Galat. 2.

CAP. XIIII.

Determinatio ſecundæ.

SIMILITER & aliam exponimus autoritatem, vbi ait dilectionem Dei commemorari, non qua nos eum, ſed qua ipſe dilexit nos: ac ſi diceret, commemorat dilectionem Dei, non ſecundum quod ea nos diligimus Deum, ſed ſecundum quod ipſe ea diligit nos.

Ex lib. 15. de Trinit. cap. 17.

CAP. XV.

Aliud obiiciunt.

B

SED aliud eſt, inquiunt, quod magis vrget: dixit enim ſuprà Aug. quòd dilectio eſt à Spiritu ſancto, à quo fides. Si ergo fides non eſt Spiritus ſanctus à quo eſt, ita nec charitas. Quomodo ergo Spiritus ſanctus eſt, ſi ab ipſo eſt? Nam ſi ab ipſo eſt, & ipſe eſt, ergo Spiritus ſanctus à ſeipſo eſt. Ad quod [b] *dicimus, Spiritus ſanctus quidem à ſeipſo nō eſt, ſed tamen à ſeipſo datur nobis, vt ſupra dictum eſt. Dat enim ſeipſum nobis Spiritus ſanctus. Et ex hoc ſenſu dictum eſt, quòd charitas ab ipſo eſt in nobis, & tamen ipſa Spiritus ſanctus eſt. Fides autem eſt à Spiritu ſancto, & non eſt Spiritus ſanctus: quia donum vel datum ſolummodò eſt, non Deus dans.*

Secunda aliter ſentientium obiectio.
Li. de Sp. & lib. cap. 32. in tomo tertio
Reſpōſio.
b Solutio.
Diſtin. 15. litera A.

CAP. XVI.

Quòd alias inducunt rationes & autoritates ad idem probandum.

C

ALIAS quoque inducunt rationes ad idem oſtēdendum, ſcilicet quòd charitas non ſit Spiritus ſanctus, quia charitas affectio mentis eſt & motus animi: Spiritus ſanctus verò non eſt affectio animi vel motus mentis, quia Spiritus ſanctus immutabilis eſt & increatus: non eſt ergo charitas.

Tertia aliter ſentientium obiectio.

CAP. XVII.

Quòd charitas eſt motus vel affectio animi.

QVOD autem charitas ſit affectio animi, & motus mentis, autoritatibus confirmant. Dicit enim Aug. in iij. lib. de Doct. Chriſtiana, Charitatem voco motum animi ad fruendū Deo propter ipſum, & ſe ac proximo propter Deum. Idem in lib. de moribus Eccleſiæ Catholicæ, tractās illud verbum Apoſtoli, Nec mors nec vita poterit nos ſeparare à charitate Dei. Charitas Dei, inquit, hîc dicta eſt virtus quæ animi noſtri rectiſſima affectio eſt, quæ coniungit nos Deo, qua eū diligimꝰ. Ecce his verbis exprimitur ꝙ charitas eſt affectio & motꝰ animi: ac per hoc nō videtur eſſe

Tomo 3. Cap. 10.
Tom. 1. Cap. 11.
Rom. 8.

Spiritus

A *Spiritus ſanctus.*

CAP. XVIII.

Reſponſio determinans autoritates.

Tertiæ obiectionis ſolutio.

AD quod dicimus hoc ita dictum eſſe ſicut dicitur Deus eſt ſpes noſtra, & patientia noſtra, quia facit nos ſperare & pati. Ita charitas dicitur eſſe motus ſiue affectio animi, quia per eam mouetur & afficitur animus ad diligendum Deum. *Non autem mireris ſi charitas, quũ ſit Spiritus ſanctus, dicatur motus mentis: cùm etiam in lib. Sap. dicatur de* Spiritu *ſapientia,* Confirmatio à ſimili. Sap. 8. *Qui attingit à fine vſque ad finem, qui eſt actus mobilis, certus, incoinquinatus. Quod non ideo dicitur, quod* Sapientia *ſit mobile aliquid vel actus aliquis: ſed quia ſui immobilitate omnia attingit, non locali motu, ſed vt vbique ſemper ſit, & nuſquam incluſa teneatur.* B *Sic ergo charitas dicitur motus animi, non quòd ipſa ſit motus, vel affectio, vel virtus animi: ſed quia per eam quaſi eſſet virtus, afficitur mens & mouetur. Sed ſi* [a] *charitas* Spiritus *ſanctus eſt, qui operatur in ſingulis prout vult, cùm per eum mens hominis afficiatur & moueatur ad credendum vel ſperandum, & huiuſmodi, ſicut ad diligendum: quare non ſic dicitur charitas motus vel affectio mentis ad credendum vel ſperandum, ſicut ad diligendum?* Cor. 12. b a Quarta obiectio aliter ſentientium *Ad quod ſanè dici poteſt,* [b] *quia alios actus atque motus virtutum operatur charitas, id eſt, Spiritus mediãtibus virtutibus, quarum actus ſunt, vtpote actum fidei, id eſt, credere fide media: vt actum ſpei, id eſt, ſperare media ſpe (Per fidem enim & ſpem prædictos operatur actus.)* Diligendi *verò actum per ſe tantùm ſine alicuius virtutis medio operatur, id eſt, diligere. Aliter ergo hũc actum operatur quàm alios virtutum actus.* b Solutio. *Ideóque differenter de hoc & de aliis loquitur* Scriptura, *qua iſtum ſpecialiter charitati tribuit. Eſt ergo charitas verè Spiritus ſanctus. Vnde Auguſtinus præmiſſum verbum Apoſtoli tractans in eodem libro charitatem dicit eſſe bonum, quo nil melius:* [1] *& per hoc, ipſam eſſe Deum ſignificat dicens, Si nulla res ab eius charitate nos ſeparat, quid eſſe non ſolùm melius, ſed etiam certius hoc bono poteſt? Ecce dicit, quia charitate nihil melius eſt, charitas ergo Spiritus ſanctus eſt qui Deus eſt, & donum Dei ſiue datum: qui diuidit ſingulis fidelibus dona, nec ipſe diuiditur, ſed indiuiſus ſingulis datur.* [2] *Vnde Aug. vbi Ioannes dicit non ad menſuram Chriſto dari Spiritum ait. Cæteris verò diuiditur, non quidem ipſe Spiritus: ſed dona eius.* De morib' Eccleſiæ. Cap. 11. Roma. 8. 1. Cor. 12. Tomo 9. Trac. 74. C circa expoſitionẽ illius, Non enim ad mẽſuram dat Deus Spiritum.

CAP. XIX.

An concedendum ſit quòd per donum dentur dona.

Quinta aliter ſentientium obiectio.

HIC quæritur, cùm Spiritus *ſanctus, per quem diuiduntur dona, ipſe ſit donum, vtrùm concedendum ſit quòd per donum diuidantur ac dentur dona? Ad quod dicimus,* [c] *quia per donum quod eſt Spiritus ſanctus, ſingulis propria diuiduntur, & ipſum communiter omnes boni habent. vnde Auguſtinus in xv. lib. de Trinitate ait,* [1] *Per donum quod eſt Spiritus ſanctus, in commune omnibus membris Chriſti multa dona, quæ ſunt quibuſque propria, diuiduntur. Non enim ſinguli quique habẽt omnia, ſed hi illa, alij alia. Quãuis ipſum donum, à quo cuique propria diuiduntur, omnes habeant, id eſt, Spiritum ſanctum. Ecce apertè dicit, per donum dona donari.* c Solutio. Cap. 19.

A

AD DISTINCT. XVII.

AD CAP. II.

1 *Ipſa dilectio* Deus *eſt, id eſt,* Spiritus *ſanctus.* Alludit Lombardus ad locum, qui eſt 1. Ioan. 4. ver. 8. ὁ μὴ ἀγαπῶν, ὐκ ἔγνω τὸν Θεὸν, ὅτι ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐστίν. *Qui non diligit* (proximum) *Deum non nouit: nam Deus eſt charitas.* Sed hunc locum mirè ipſe deprauat. Primùm, quòd eſſentiam ipſam Dei ſignificari putat voce ἀγάπης, quum tamen donum, effectum, vel attributum Dei tantùm oſtendatur, vti quum appellatur Deus iuſtitia, & miſericordia. Quoniam igitur Deus eſt perennis ille charitatis noſtræ fons, & ipſe incredibili quodam affectu nos dilexit, dicitur eſſe non duntaxat cauſa charitatis: ſed, vt eſſet ἐμφατικωτέρα oratio, *ipſa charitas.* Deinde peccat in eo Lombardus, quòd hoc ipſum de ſolo Spiritu ſancto docet eſſe intelligendum, quum tamen de tota Trinitate dictum appareat, id eſt, de tribus Perſonis diuinis, quoniam vna & eadem eſſentia, & natura conſtant. Itaque & Filius ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, dicitur à Paulo, *Filius dilectionis*, Coloſſ. 1. verſi. 13: & in Diſtinctione illa accurata attributorum atque operum, quę ſingulis Perſonis diuinis tribuuntur, Paulus ἀγάπην ad Patrem retulit: quemadmodum χάριν ad Filium: & κοινωνίαν ad Spiritũ ſanctum. 2. Corinth. 13. verſ. 13. Deniq; Ioannes ipſe hoc eodem loco illam ſuam ſententiam, *Deus eſt charitas*, duplici modo exponit. Primùm id dici, quia Deus ſummè dilexit, vtpote qui miſerit Filium ſuum vnigenitum in mundum pro nobis. Ioan. 4. verſi. 9. quod ad Patrem proculdubiò pertinet. Secundùm, quòd charitas, qua & Deum ipſum, & proximum diligimus, eſt à Deo. *Ergo quiſquis diligit proximum, is ex Deo natus eſt*, Ioan. 4. verſ. 7. Nec Auguſtinus ipſe aliud ſenſit lib. 15. de Trinitate, cap. 17. *Deus Pater*, ait, & D*eus Filius poteſt charitas nuncupari.* Et quæ ab iſto affertur infrà cap. 5. ratio, enũciationem iſtam, D*eus eſt charitas*, eſſe eandem, atque hæc eſt, D*eus eſt Spiritus*, idcircóque eſſe ipſius diuinæ eſſentiæ σημειωτικὴν, planè inepta ratio atque etiam falſa eſt. Oſtendit enim hæc enuntiatio attributum & opus Dei: non autem ipſius οὐσίας diuinæ ὅρον, notionem, & σύστασιν.

B

C

AD CAP. III.

1 *Qui proximum diligit.* Inſignis iam Lombardi vel temeritas, vel impudentia: temeritas ſi locum Aug. non attendit: impudentia, ſi ſciens corrupit. Hæc iſtius hominis obſtinata ſentẽtia eſt, Spiritum ſanctũ eſſe ipſam dilectionẽ, id eſt, eſſe qualitatem & eum ipſum affectum, quo & Deum, & proximos diligimus. Ergo qui ipſum ſuũ affectum cordis motum diligit, is Deũ ipſum diligit, quoniam ille animi noſtri motus qualitas & affectus (quam διάθεσιν Græci vocant) ſit Deus. Hac ſententia, vt ſuo loco demonſtrabitur, nihil poteſt dici tum abſurdius, tum etiam magis falſum: ad ſui tamẽ huius erroris confirmationẽ

præclaros Auguſtini locos detorquet,audaciſsimè,ac peſsima fide. Inter quos, hic primus eſt, qui iam ab iſto citatur ex lib. 8. Trinitat. cap. 7. Auguſtini mens eſt toto eo capite,vt doceat veram dilectionem eſſe eam, qua & proximum , & Deum ipſum diligimus: non autem improbitatem, aut res turpes. Adeò quidem , vt nunquam ſit vera proximi dilectio, quin cum eadem coniuncta ſit dilectio Dei,quia ille fons eſt dilectionis proximi. Hoc ipſum oſtendunt verba ipſa Auguſtini ab iſto tranſcripta. *Qui proximum diligit,conſequens eſt,vt ipſam dilectionem diligat*, Id eſt,ipſum dilectionis fontem.Is autem eſt Deus, ergo conſequens eſt, vt qui proximum diligit, Deum etiam diligat.Hæc eſt & tota, & vera Auguſtini ratiocinatio & collectio. Iſte verò ex ea efficit(aliò planè mentem Auguſtini traducens) ergo Spiritum ſanctum eſſe ipſammet dilectionem,id eſt,ipſummet affectum in nobis à Spiritu ſancto creatum quo proximum diligimus,vel Deum. Atque vt maiorem fraudem hominibus ipſos fontes,id eſt,ipſum autorem Auguſtinum non adeuntibus faceret,ſubticuit, ſuppreſsítque magno dolo expreſsiſsima verba,quę totum hũc locum flagitioſè detorqueri demonſtrabunt.Sic igitur Auguſt. *Et pleráque alia reperimus in literis ſanctis,in quibus ſola dilectio proximi ad perfectionem præcipi videtur,& taceri de dilectione Dei,cùm in vtroque lex pendeat,& Propheta.Sed & hoc ideo, quia & qui proximum diligit , conſequens eſt , vt ipſam præcipuè dilectionem diligat,id eſt,Deum.* Prętereà eo ipſo loco citat Auguſt. illud Pauli dictũ ex Roman.5.verſic.5. *Quoniam charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Ex quo perſpicuè intelligitur Spiritum ſanctum eſſe non ipſam illam charitatem, ſed illius in nobis autorem , creatorem ac patrem.Confundit ergo Lombardus manifeſtiſsimè charitatem illam quæ in nobis eſt, & eſt qualitas creata, cum ipſo creatore illius Spiritu ſancto qui eſt Deus , id eſt , peſsimè, neque abſque blaſphemia effectum cum ſua cauſa,Deum cũ ſuo dono, eóque creato ineptus iſte magiſter miſcet.

2 *Dilectionem quantùm.* Nõ magis iſta, quàm ſuperior ſententia, Lõbardum iuuat:in qua recitanda robuſta fraude vſus eſt , & ſcopum ipſum Auguſtini (qui inter præciſas ab iſto ſententias medius iacet) aſtutè diſsimulat.Sic igitur Auguſt. *Cùm ergo de dilectione diligimus fratrem , de Deo diligimus fratrem. Nec fieri poteſt , vt eandem dilectionem non præcipuè diligamus, qua fratrem diligimus.Vnde colligitur*(& hoc iam ſciẽs prudénſque prætermiſit Lombard. ſed qua fide?)*duo illa præcepta non poſſe eſſe ſine inuicem , quoniam quippe Deus dilectio eſt.Deum certè diligit, qui diligit dilectionem. Dilectionem autem neceſſe eſt diligat , qui diligit fratrem.* Ex quibus intelligitur aliò prorſus pertinere hęc Auguſtini,quàm doceat Deum eſſe ipſum affectum noſtrum,quo diligimus.i.eſſe rem creatam.Et quod ait Auguſt.dilectionem non tantùm ex Deo eſſe , ſed etiam Deum eſſe, eò pertinet vt indiſſolubilem eſſe doceat nexum veræ charitatis & Dei, quemadmodum non poteſt auelli ſplendor à Sole. Ergo non tantùm efficit in nobis charitatem & dilectionem Deus velut vitam , motum,ſenſum,alióſve animi noſtri affectus & facultates , à quibus abeſſe poteſt, quia cum eo non ſunt ἀδιαλύτως coniuncti:ſed ita efficit & creat & veram dilectionem in nobis Deus,vt cum ea,tanquam fons cum riuo ſuo,neceſſariò atque indiuulſè coniunctus connexuſque maneat. Hæc igitur Auguſtini phraſis tam elegans miſerum iſtum magiſtrum peſsimè fefellit, ac in iſtum errorem induxit vt dilectionem quæ in nobis eſt , & qua proximum diligimus, exiſtimaret eſſe ipſummet Spiritum ſanctum. Itaque corda noſtra Deum ipſum faceret. Vtrùm hanc ſuam phraſim idem Auguſt. in Ioan. Euãg. tract.65. explicaret, ſi modò iſte attendiſſet ad eum locum, *In hoc cognoſcẽt, ait, omnes quia mei eſtis diſcipuli ſi dilectionem habueritis adinuicem tanquam diceret, Alia munera mea habent vobiſcum etiam non mei , non ſolùm naturam,vitam,ſenſus,rationem: verùm etiam linguas , ſacramenta , prophetiam:ſed quoniam charitatem non habent,vt cymbala concrepant,nihil ſunt,&c.*

3 *Scilicet Ioannis.* Puto eſſe gloſſema,& ex margine in contextum irrepſiſſe,quanquam tamen & in veteribus omnibus , & recentioribus codicibus conſtanter reperi.

AD CAP. IIII.

1 *Et paulo pòſt.* Ioannes nimirum,non autem Auguſtinus.Hæc enim duo , nempe quòd *Dilectio ex Deo ſit*, & quòd *Dilectio ſit Deus* , ſunt ex Ioanne. Extant autem in priore ipſius epiſt.cap. 4.verſic.7. & 8.ſed hîc ita confuſè & perturbatè recitantur atque miſcentur,vt neſcias,ſíntne verba Auguſtini,an Ioannis.

2 *Quòd Spiritus ſanctus ſit charitas.* Eodem nimirum ſignificato,quo ſuprà diximus, id eſt,Spiritus ſanctus eſt fons , & cauſa ſanctiſsimi illius affectus , quo & Deum & proximos verè , & vt Chriſtianos decet diligimus. Illam autem Auguſtini ſententiam:quæ eſt lib.15. Trinit.cap.17. *In illa Trinitatis ſimplici , ſummáque natura non eſt aliud ſubſtantia aliud charitas : ſed ſubſtantia ipſa eſt charitas,& charitas eſt ſubſtantia,ſiue in Patre,ſiue in Filio , ſiue in Spiritu ſancto* veram eſſe agnoſcimus,quatenus de charitate illa,quæ in Dei eſſentia eſt loquimur : non autem quatenus charitas & affectus qui in nobis eſt , diceretur eſſe ipſa trium Perſonarum eſſentia. Ex hac autem ipſa ſententia apparet charitatem communiter tribui ab Auguſtino vt eſſentiale attributum Patri,& Filio,& Spiritui ſancto, adeò vt hæc nihil Lombardum ſuſtentet , qui ex huiuſmodi ſententiis efficit *charitatis* voce in ſancta ſcriptura ſolùm Spiritum ſanctum intelligi.

Cæterùm concluſio vel Auguſtini vel Lombardi, quæ hoc modo nectitur, *Si in donis Dei nihil eſt maius charitate,& nullum donum maius Spiritu ſancto,ergo Spiritus ſanctus eſt charitas* eſt elumbis prorſus. Nam & Filius ipſe dicitur donum Dei Ioan.4.verſ.10.& eo nihil maius eſſe poteſt. Ergo & Filius eſt charitas , vti & Spiritus ſanctus.Itaque perperam ſcribit Auguſt.lib.15. Trinitat.cap.17.non niſi Spiritum ſanctum in Trinitate Donum Dei appellari. Id quod ante me in huiuſmodi quodam argumento & ſcripſit & ſenſit Baſil.lib.de Spiritu ſancto ad Amphiloch. cap.24. οὐχὶ καὶ τὸν υἱὸν ἐχαρίσατο τοῖς ἀνθρώποις, ὅς γε φησὶ τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτόν. Rom.8.

A Rom.8. verſic.32. Præterea perſpicuè vitioſa eſt eſt hæc Lombardi collectio.

Nullum Dei donum maius eſt charitate.
Nullum Dei donum maius eſt Spiritu ſancto.
Ergo Spiritus ſanctus eſt charitas.

Nam ex duabus propoſitionibus omnino negantibus efficit affirmantẽ cõcluſionem. Quod Dialecticorum regulis planè repugnat, & eſt ἀσυλλόγιστον.

AD CAP. V.

1 *Non dicturi ſumus.* Arguta ſolutio, in qua vt errorem Lombardus ſuum tueretur, vim etiã verbis affert. In eo enim totus eſt, vt doceat charitatem eſſe ipſam Dei eſſentiam, non autem attributum, vel donum illius, quemadmodum ſapientia, miſericordia, iuſtitia, & reliqua huiuſmodi quæ concedit eſſe Dei attributa, vel dona. Huius tam alienæ à veritate ſententiæ fundamen- B tum totum ex certarum quarundam ſyllabarum captatione petitum eſt, nempe quod non dicitur *Deus charitas eſt noſtra* quemadmodum dicitur *& Spes, & miſericordia, & ſapientia noſtra*, &c. Hęc autem vt perſpicuè confutemus, Primùm Lombardum Lombardo, ſiue Auguſtinum Auguſtino (quoniam ex Auguſtino iſta ſumpſit Lombardus) opponimus. Nam hic cap.2. huius Sectionis, & Auguſtinus lib. de Lit. & Spir. cap.32. has Scripturæ phraſes, vt planè inter ſe conſentientes conferunt, *Charitas Deï, iuſtitia Dei, ſalus Dei*, & ſimiles, ex quibus omnia hæc eſſe Dei dona intelligitur. Ergo quod in Deo eſt iuſtitia, ſalus, miſericordia, idem quoque eſt charitas, nempe Dei attributum, vel donum: non autem οὐσία. Deinde cap.17. huius Diſtinct. & libr. 3. de doct. Chriſtian. cap.10. charitas definitur eſſe motus animi noſtri ad fruendum Deo. Ergo charitas quę in nobis eſt, eſt effectum diuinæ naturæ in nobis non autem ipſa Dei οὐσία. C Tertiò quis vnquam fando audiuit aliam eſſe harum locutionum, *Deus eſt ſpes, vel ſapientia mea: Et Deus eſt dilectio, & amor meus*, explicandarum legem atque rationem? Vti enim dicitur, Deus ſpes noſtra, tum quòd illius obiectum ſit, tum etiam efficiens cauſſa: ſic & idem Deus eſt dilectio ſeu charitas noſtra. i. & cauſa noſtræ charitatis, & illius finis atque etiam obiectum. Neque verò Deus ſpes noſtra eſſe poteſt, quin idem eodémque modo ſit charitas noſtra, propterea quòd diligimus ea, quæ ſperamus, & dilectio à ſpe diuelli nullo modo poteſt, vt docet ipſe Auguſt. in Enchirid. cap.3. & 4. Denique cur nõ poſſit Deus ex Pſ.16. verſ.11. dici charitas noſtra, vti ſpes & ſalus noſtra, non video. Quare captiuncula eſt tota hæc tam arguta Lombardi ſolutio atque diſtinctio.

AD CAP. VI.

1 *Et ſi loquatur.* Quædam ſunt hoc loco ab iſto prætermiſſa, quædam immutata ex Auguſtino, verùm ſine ipſius autoris ſententiæ detrimento.

2 *Quocirca rectiſſimè Spir. ſanct.* Hinc prima totius huius erroris origo, & occaſio, quòd non fuerit animaduerſa varia ſignificatio huius vocis *Spiritus*, quæ ex Hebræorũ idiotiſmo modò pro A ipſo autore donorũ Spiritualium, modò pro donis ipſis ſpiritualibus accipitur. Quod tamẽ pręclarè diſtinxerat, docuerátque Paulus 1. Cor. 12. verſic. 4. 5. 6. *Diſcrimen autem ſunt donorum, ait, ſed idem* Spiritus, *& diſcrimina miniſteriorum ſunt ſed idem Spiritus: & diſcrimina facultatum ſunt, ſed idem Spiritus efficiens eas omnes in quibuſuis.* Iſte verò putat vnum quiddam idem δώρημα eſſe & autorem ipſum charitatis noſtræ: & ipſummet donum creatum in nobis, id eſt, charitatẽ ipſam qua diligimus Deum vel proximum. Sic peccatum dicitur & *Pœna peccati* ſiue multa: *& ipſe reatus* ſiue culpa 2. Cor.5.

AD CAP. X.

1 *Chriſto autem.* Quædam hîc ſunt prætermiſſa non ſine diſpendio ſenſus. Itaque ea huic loco ex B ipſo Auguſtino reddam *Quando autem ait Ioannes Baptiſta, non enim ad menſuram dat Deus Spiritum, de ipſo* Dei *Filio loquebatur, cui non eſt datus Spiritus ad menſuram, quia in eo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. Neque enim ſine gratia &c.* Hoc tam neceſſarium non fuit abſcindendum.

AD CAP. XI.

1 *Vnde dilectio eſt.* Locus ἀπροσδιόνυσος, ex quo illud tãtùm colligi poteſt *Charitatem* Dei de qua Paulus Galat.5. verſ.6. & Rom.5. verſ.5. eſſe eam, qua nos Deum diligimus, quæ & ipſa quoque à Deo eſt, ſiue à Spiritu ſancto, non autem à nobis. Verba Auguſtini hæc ſunt, *Poſtremò hac eſt fides, quæ per dilectionem operatur, non per timorem: non formidando pœnam, ſed amando iuſtitiam. Vnde ergo iſta dilectio, id eſt, charitas, per quam fides operatur,* C *niſi vnde illa fides*, &c. Ergo de eo nõ agit Auguſt. vtrùm eadem ſit vel numero, vel ſpecie ea charitas qua nos Deum diligimus, & nos ipſos Deus: neque quicquam habet cum iſto Lombardi argumento affine. Cæterùm etſi Auguſt. non hîc tantùm, ſed & Serm. 44. De verb. Euangeliſtæ: itémque alij, vti Ambroſius, Proſper, Anſelmus, & ſimiles locum illum Pauli Rom.5. verſ.5. de ea charitate interpretantur, qua Deum diligimus: tamen & ſeries ipſius contextus apud Paulum, & verba ipſa Pauli eodem cap. verſ.8. oſtendunt de ea charitate potiùs eſſe ſumẽdum, qua Deus nos in Chriſto diligit, atque complexus eſt. Id quod etiam ex eodem Paulo confirmatur Rom.8. verſ. 39. & 1. Ioan.4. verſ.9.

AD CAP. XVII.

1 *Charitas* Dei. Primùm quod per διαπορίαν καὶ ὑπόθεσιν effatur Auguſtinus, iſte per κατάφασιν. Itaque immutat genus ipſum loquendi, quo vtitur Auguſt. lib. De Morib. Eccle. cap.11. Ait enim ille. *Sin virtus illa dicta eſt, quæ ipſius animi noſtri rectiſſima affectio eſt.* Iſte habet *Hîc dicta eſt virtus*, &c. Deinde addit iſte hęc verba. *Quæ coniungit nos* Deo, *qua eum diligimus*, quę non ſunt apud Auguſtinum. Deinde omiſſæ ſunt voces Pauli, *Neque principatus, neque virtutes*, ex Roman. 8. verſ.38. quas explicat Auguſtinus, non autem charitatem Dei, vt tamen iſte putat. Ergo quod

A de qualibet virtute in genere dixit Auguſtinus explicans, vti dixi, vocem illam Paulinam δυνάμεις (quæ commodius *Poteſtates* verti debuit: ſed Veteres *Virtutes* conuertebant) iſte ad vnam charitatem refert, quaſi diceret Paulus, *Neque virtus nos ſeparabit à charitate Dei, id eſt*, neque charitas à charitate nos ſeparabit, quod eſt abſurdiſsimum. Itaque & ſibi ipſi & Auguſtino in patrocinium à ſe tamen aduocato eſt iſte contrarius.

AD CAP. XVIII.

1 *Et per hocipſam eſſe.* Breuis ſententia, in qua tamen grauiſsimè peccatum eſt, idque dupliciter: primùm quidem, quemadmodum in cap. 4. huius ipſius Diſtinctionis N. 2. antea obſeruauimus, in ipſa argumētandi forma. Neque enim ſequitur, vt ſi nihil charitate eſt melius, ergo ſit illa Spiritus ſanctus potiùs, quàm Pater, vel Filius: B ſed vt charitas concedatur eſſe Deus, non rectè tamen inde concluditur illam eſſe Spiritū Sanctum, & non Patrem, vel Filium: quoniam Dei appellatio trium Perſonarum diuinarum æquè communis, vel potiùs propria. Sed neque hoc ipſum quod putat Lombardus eſſe argumentum, verum eſt, & firmum, nimirum, quia nihil ſit in homine charitate melius, ergo charitatem ipſam eſſe verè Deum. i. ipſam Deitatis eſſentiam. Nam omnia attributa Dei, qualis eſt charitas, vti antea docuimus, ab ipſa θεότητι ſeu οὐσίᾳ diuina diſtinguuntur. Dicitur enim Deus eſſe ſapientia, iuſtitia, miſericordia, &c. propterea tamen nemo Orthodoxus iuſtitiam, & ſapientiam ab ipſa Dei eſſentia non diſtinxerit, quemadmodum præclarè docet Baſil. libr. 1. contra Eunomiū. Deinde quod de charitate dicitur cōparatè & κατά τι duntaxat *Nihil eſt melius charitate*, quum videlicet confertur & comparatur cùm ſui generis rebus, id eſt, cum reliquis Dei donis, ſumitur ab iſto, vt ἁπλῶς & abſolutè dictum. Sic C Paulus 1. Corinth. 13. verſic. 13. dixit μείζων τούτων ἡ ἀγάπη, *Maxima harum eſt charitas*: Nec propterea tamen charitas erit Deus, vt vult iſte: quia & ipſa charitate (quæ eſt optimum donorum Dei) Deus ipſe, illius autor melior eſt: & charitas iſta tantum donum, creata tamen eſt in nobis qualitas, qualis certè Deus eſſe nequaquam poteſt. Hoc primum eſt in hac ſententia Lombardi inſigne peccatum. Alterum eſt, quod non tantùm intorquet Auguſtini mentem, ſed etiam prorſus euertit. Quod enim de Deo ipſo charitatis autore & cauſa ſcripſit apertè Auguſtin. iſte magna vel incuria, vel impudentia ad ipſam charitatem, i. ad effectum ipſum donum Dei traducit. Quod vt vel lippis ipſis ſit notum, en ipſamet Auguſt. verba ex lib. de Morib. Eccl. cap. 11. *Si igitur diligentibus Deum omnia procedunt in bonum, & ſummum bonum (quod etiam optimum dicitur) non modò diligendum eſſe nemo ambigit: ſed ita diligendum, vt nihil amplius diligere debeamus, idq; ſignificatur & expimitur eo quod dictum eſt, ex tota anima, & ex toto corde, & ex tota mente. Quis, quæſo, dubitauerit his omnibus conſtitutis, & firmiſsimè creditis, nihil nobis aliud eſſe optimum, ad quod adipiſcēdum, poſtpoſitis cæteris feſtinare oporteat, quàm Deum, Item ſi nulla res ab eius charitate nos ſeparat, quid eſſe non ſolùm melius, ſed etiam certius hoc bono.* (nēpe Deo) A *poteſt?* Ita Auguſtinus: iſte verò & hæc verba *Item ſi* tollit, & dilucidam illam Auguſtini mentem confundit, & ad charitatem noſtram, id eſt, qua Deum diligimus transfert.

2 *Vnde Auguſtinus.* Maluit iſte Auguſtini, quàm diui Pauli & Spiritus ſancti teſtimonio vti, quo tamen vtitur ſuámque ſententiam confirmat Auguſt. ex 1. Corinth. 12.

AD CAP. XIX.

1 *Per donum quod eſt.* Quanquam quod immutatum eſt ab iſto in Auguſtini verbis leuem iacturam videtur afferre, tamen duo quædam ab Auguſtino diſſentanea ex hoc Lombardi loco colligi poſſunt, ex quibus hoc vnum eſt, quòd Auguſt. explicans locum Pauli Epheſ. 4. & Pſal. 68. *Dedit Chriſtus dona vel donum hominibus* oſtēdit B *Doni* nomine ſingulari numero prolato intelligi Spiritum ſanctum, qui datus eſt Apoſtolis: nomine verò *Dona* plurali numero ſignificari ipſius Spiritus ſancti dona. Alterum eſt quòd idem Auguſtinus eleganti quadam alluſione & arguta (quemadmodum ſolet) dixit, *Per donum dona data eſſe hominibus*. i. per Spiritum ſanctum data eſſe dona hominibus. Hęc Auguſt. Iſte contrà ex iſta argutula phraſi hoc quod ſemel ab Auguſtino dictum eſt, velut perpetuum locutionis genus in vſu eſſe oportere putat: Deinde hic per donum illud tanquam per mediam quandam & ſubſeruientem cauſam illa dona reliqua hominibus dari innuit: tanquam non ſit Spiritus ſanctus autor ipſe, & αἴτιον ἡγεμονικὸν iſtorum donorun, quę donat hominibus. Quod ab Euſebianorum errore non procul abeſt, qui Spiritum ſanctum δοῦλον Filij eſſe contendebant. C

Cenſura.

Multa ſunt quæ tum in ipſo Lombardo, tum eius interpretibus in hac diſtinctione meritò reprehendero. Ac quidem in Lombardo, tum ordinis in hac quæſtione perturbationē: tum dogmatum ac ſententiarum, quas hoc loco, ſi quo in alio, pertinaciter tuetur, falſitatem.

Ordinis igitur perturbatio in eo apparet, quod cùm cap. 2. quatuor quædam αἰτήματα ſeu poſtulata propoſuerit, eáque poſtea probare aliquot rationibus connixus ſit, neque quo illa primùm propoſuit ordine, poſtea perſecutus eſt: neque etiam quo alia ex aliis pendent. Nam quartū poſtulatum ex ſecundo pēdet, cui proximè connectendum erat. Quamobrem interpretes cum tantam in tam longa diſtinctione ordinis σύγχυσιν, quæ nihil aliud quàm Cymmerias tenebras pareret, animaduerterent, ipſi totam in duo quædam alia capita aliterque diſtinxerunt. Et hæc quidem de methodo Lombardi hoc loco.

Dogmatum verò ψεῦδος nullo modo negari poteſt, quum ab ipſis Lombardi ſtudioſiſsimis interpretibus doctrina huius loci manifeſtè damnetur, quemadmodum in calce huius operis (vbi Articuli in Magiſtro ſententiarū condānati receſentur) apparet. Vnus modò. Occan Quęſtio. 3. hoc loco tētauit abſurdiſsimę & faciliſsimę illi

Lombar-

A Lombardi ſententiæ, *Quod qua in nobis eſt charitas, eſt ſubſtantialiter Spiritus ſanctus*, mitigationem atque excuſationem quandam inuenire, quam tamen cæteri omnes ſcholaſtici ἀπαραίτητον, & inexcuſabilem eſſe iampridem iudicarunt: ſed, quemadmodum ait Quintilianus, nullus eſt tam abſurdus error, qui non ſuum autorem, & patronum tandem reperiat: Et certè poterat vel Lombardus ipſe (niſi prorſus cæcutiiſſet falſa illa ſua, & iam præiudicata ſententia abreptus) per ſe animaduertere, quam ἄτοπα hoc loco tueretur, cùm tam multa ſibi aduerſari, & aduerſus ſuam illam ſententiam obiici obſeruaret, quæ per tota nouem capita perſequitur. Neque tamen omnia ſui illius erroris incommoda vidit, vt mox dicam: & quæ vidit eludit potius, quàm diſſoluit. In ſumma rectè ſcribit Irenæus libro quarto, capite ſexageſimotertio, eam demum eſſe veram & orthodoxam interpretationem Scripturæ, quæ neque abſurdum & repugnans quicquam B cum Dei verbo habeat, neq; etiam blaſphemum. Quod nobis de omni Chriſtiano dogmate ſentiendum eſt. Cur verò tam turpiter falleretur Lombardus hæc cauſſa eſt, quòd quę in S. ſcriptura dicuntur τροπικῶς & metonymicè (qualis eſt illa locutio, vbi cauſſa pro effecto ponitur: item quum abſtractum pro concreto, & cætera huiuſmodi) primæua, abſoluta & natiua ſignificatione dici exiſtimauit, quale illud, *Deus eſt charitas*, 1. Ioan. 4. Deinde quòd hyperbolicas quaſdam Auguſtini phraſes (quibus vir ille pius commouet homines ad charitatem) iſte tanquam ſimpliciter & purè enunciatas accepit. Quæ res & ignorantia magnam fraudem & huic, & aliis multis ſcriptis Veterum ſæpe fecit. Denique ſeipſum ſæpe in hac Diſtinctione refutat Lombardus, vt ex cap. 5. & 2. collatione facilè quiuis intelliget.

Porrò cur tantopere damnandus ſit error ille, quem Lombardus ex falſis poſtulatis ſuis (ſunt enim illa quatuor, ſed falſiſsima) tam pertinaciter tamen aſtruit, ratio eſt, eáque multiplex. Sed C primùm quæ ſit ſententia Lombardi, dicamus. Eſt autem hęc, *Charitatē, qua in nobis eſt, & qua tum Deū, tum proximū diligimus, eſſe ſubſtātialiter ipſum Sp. S. non autem quendam affectum à Dei Spiritu in nobis creatum & nos commouētem*. Qua quid, obſecro, magis abſurdum eſſe poteſt? Primùm enim repugnat S. Scripturæ, quæ docet ἀγάπην, quæ in nobis eſt, eſſe καρπὸν πνεύματος. i. eſſe fructum Sp. S. non autem ipſummet πνεῦμα. i. Sp. S. Galat. 5. ver. 22. Et eadem Scriptura vbique diſtinguit virtutem & dona Sp. S. ab ipſo Spiritu. Actor. 1. ver. 8. 1. Corinth. 12. Spiritum quidem ipſum ſanctum habent pij, in ſe inhabitantem. Roma. 8. ver. 16. 1. Cor. 2. verſic. 12. quoniam in illis ſuam præſentiam peculiari ἐνεργείᾳ & ſanctificatione demōſtrat & teſtatur: effecta tamen & dona ipſius propterea non ſunt cum ipſo Spiritu confundenda, quod iſte facit. Deinde pugnat hic idem error cum Patrum apertiſsimis ſententiis, quas, ne longiores ſimus, hîc omittemus, cùm vel ex huius Diſtinctionis cap. 16. 17. 18. ſatis cognoſci poſsint. Sic enim ſcribunt omnes Ἀγάπην. i. Charitatem eſſe motum animi in nobis à Dei Spiritu creatum & inſitum. Itaque Maximus ille ſcriptor Græcus prima Centuria ſententiarum ex Chriſtianis ſcriptoribus collectarum ſic eam definit, Ἀγάπη μέν ἐστι διάθεσις ψυχῆς ἀγαθὴ, καθ᾽ ἣν οὐδὲν τῶν ὄντων τῆς τοῦ Θεοῦ γνώσεως προτιμᾷ. itē, ἀγάπην μὲν τίκτει ἀπάθεια. A *Charitas eſt animi affectus bonus, qua animus noſter nihil quicquam Dei cognitioni præfert*. item *Charitatem parit in nobis animus omni perturbatione vacuus*. Damaſce. in Hiſtor. *Spiritus habitat in nobis baptizatis*, ait, *nos illuminando, & ad Dei imaginem ac ſimilitudinem renouādo*. Denique vel duo hæc abſurda, quæ ex hoc errore Lombardi conſequuntur, ſatis eum deteſtandū eſſe demonſtrant. Primùm quòd facit Sp. S. motum tantùm quendam, eúmq; creatum, qualis eſt charitas ea quę eſt in nobis. Secundū quòd cùm charitas in nobis inerit, minimè in nobiſmetipſis immutabimur, ſed erimus tantū vaſa & domicilliū ἀναίσθητον habitantis in nobis Spir. S. veluti quum in dolium infunditur aqua, nulla dolij fit mutatio. Quam etiam quęſtionē tractat Occan in hac Sectione. Denique ꝙ tantopere vrget B iſte Sp. S. eſſe donum Dei, vt alio nullo penè nomine, eum ornet, videat quo ſenſu id ſcribat, vt ne Pneutomachorū ſeu Macedonianorū hæreticorū deliria in ſinu fouere cenſeatur. Sp. quidem ſanctus dicitur Dei donū, quia gratis & à Patre & à Filio & à ſeipſo datur nobis: ſed, vt ait Baſil. lib. de Sp. S. cap. 24. huiuſmodi donum eſt, quod ἴσαις τιμαῖς τῷ δεδωκότι πατρὶ σεμνύεται, δῶρον ζωῆς, δῶρον δυνάμεως, & qui ipſe eſt cauſſa ſuorum effectorum & donorū. Et tot quidem vel errores aperti, vel næui in hac Lombardi doctrina deprehendūtur.

In ipſis verò eius interpretibus. i. Scholaſticis non pauciora meritò reprehenduntur hoc loco, è quibus ſunt hæc nonnulla, quæ, dicis tantùm cauſſa, à nobis proponuntur.

Primum quòd omnes hunc Magiſtrum ſententiarum. i. κυρίων Theologiæ ſuæ δοξῶν vno conſenſu vocant, quem tamē & hîc, & alibi turpiſsimè lapſum eſſe ipſi & agnoſcunt, & confitentur.

Secundum quòd vnum tantùm huius errorem in hac Diſtinct. obſeruant, quum tamē ſint quāplurimi, vti docuimus. C Quot ſunt enim hoc loco αἰτήματα, tot ſunt ψεύσματα.

Tertium, quòd hunc ipſum errorem nempe *Sp. S. eſſe ſubſtantiliter charitatem, qua in nobis ineſt, & qua Deum vel proximum diligimus*, magiſtrali duntaxat ſupercilio, & prætoria autoritate damnant, nullis cōdemnationis ſententiæque ſuæ rationibus prolatis, quum tamen hîc diſcipuli in ſuum magiſtrum agant.

Quartum, ꝙ prætermiſſo præcipuo huius Diſtin. argumento, quod erat de Sp. S. in extraneas quaſdā quęſtiones excurrūt, & pręter cauſam intempeſtiuè fugiunt, nēpe vt diſputēt hoc loco de charitate, Vtrū meritoria ſit: qua ratione meritoria; vtrùm quanquam eſt meriti (vt iſti impiè ſētiunt) apud Deū noſtri cauſſa, poſsit tamen Deus ſine charitate nos charos & gratos habere: & ſi nos gratos habet, vtrum de poteſtate abſoluta, an ordinaria id faciat. Hæ ſunt hoc loco interpretum Lombardi nugæ. Denique ne non ſatis materiæ, etiam neglecto Lombardi argumento, ad inſanas illas quæſtiones congerendas ipſi ex ſeſe habere viderentur, accerſunt in hunc locum pueriles prorſus ματαιολογίας, quales ſunt iſtę, vbi quęrunt de incremento noſtræ charitatis.

1 Vtrùm charitas quoad ſubſtantiam & habitū an, tantū quoad effectū augeatur, quaſi cha-

A ritas aliud ſit, quàm animi affectus, & qualitas.

2 Vtrùm homo mutetur, quum in eo charitas augetur. Mutari non putant.

3 Vtrùm quum charitas augetur, aliquid ipſi charitati addatur? Quis verò dubitat niſi bardus quiſpiam ſcholaſticus? Negant tamen.

4 Vtrùm quod additur ſit eiuſdem ſpeciei cũ charitate iam inhærente, an alterius? Hanc difficillimam eſſe quæſtionem per pluſquam ſex paginas oſtendit Occan. Nugæ verò ſunt iſta.

5 Vtrùm charitas in hac vita ad ſummũ gradum in nobis eſſe poſſit. Poſſe putant, falſum. Itaque ex iſtis omnibus apparet verum eſſe quod ait Pſalmiſta, *Abyſſus abyſſum vocat*: quódque habet prouerbium vetus, *Similes habent labra lactucas*. Et tamen in iſtis nugis poſita eſt, ſi Deo placet, iſtorum hominum Theologia.

B

DISTINCTIO XVIII.

Vtrùm eadem ratione Spiritus ſanctus dicatur donum & datum ſiue donatum.

CAP. I.

Propoſitio.

PRAETEREA diligẽter conſiderandum eſt, cùm Spiritus ſanctus dicatur donum & datum, vtrùm & eadem ratione vtrumque nomen ei conueniat: quod vtique videri poteſt.

CAP. II.

Quare ita eſſe videtur.

Ratio propoſitionis

QVVM enim idem ſit Spiritum ſanctum dari & Spiritum *ſanctum donari, ex eadem ratione videtur* Spiritus *ſanctus dici datum & donum. Hoc etiam videtur Auguſtinus ſignificare in xv. lib. de Trinitate,* Cap. 19. *quum ait, Spiritus ſanctus intantum donum Dei eſt,* C *inquantum datur eis quibus datur: apud ſe autem* Deus *eſt, etſi nemini datur. Ecce apertè dicit Spiritũ ſanctum donum appellari, quia datur. Si autem ex eo tantùm appellatur donum, quia datur, non ab æterno fuit donum, quia non datur niſi ex tempore.*

CAP. III.

Reſponſio quare datum ſiue donatum dicatur Spiritus ſanctus.

Diſtinguit inter Donũ & Datum.

AD quod dicimus, quia Spiritus ſanctus & donum dicitur & datum ſiue donatum: ſed datum ſiue donatum ex eo tantùm dicitur, quia datur vel donatur, quod habet tantùm ex tempore.

CAP. IIII.

Hîc quare donum.

Cõfirmatio Diſtinctionis ſuperioris.

DONVM verò dicitur non ex eo tantùm quòd donetur, ſed ex proprietate quam habuit ab æterno, vnde & ab æterno fuit donũ. Sempiternè enim donum fuit, non quia daretur, ſed quia proceſſit à Patre & Filio. *Vnde Auguſt. in 4. de Trinitate, ait,* Cap. 20. *Sicut natum eſſe eſt Filio à* Patre *eſſe: ita Spiritui*[1] A *ſancto donum* Dei *eſſe, eſt à Patre & à Filio procedere. Hîc apertè oſtenditur quòd Spiritus ſanctus eo donum eſt, quòd procedit à Patre & à Filio: ſicut* Filius *eo eſt à Patre, quòd natus eſt ab eo. Non enim idem eſt Filio eſſe à Patre, & Spiritui ſancto, id eſt, non ea proprietate Filius dicitur eſſe à Patre, qua Spiritus ſanctus. Nam Filius dicitur eſſe à Patre, quia genitus eſt ab eo. Spiritus ſanctus verò dicitur eſſe à Patre & à Filio, quia Spiritus ſanctus eſt donum Patris & Filij, id eſt, quia procedit ab vtroque. Eo enim dicitur Spiritus, quo donum: & eo donum, quo procedens. Vnde Auguſt. in v. libro de Trinitate, ait,*[2] Cap. 11. *Spiritus ſanctus qui non eſt Trinitas, ſed in Trinitate intelligitur, in eo quòd propriè dicitur Spiritus ſanctus, relatiuè dicitur, quum & ad Patrem & Filium refertur: quia Spiritus ſanctus & Patris & Filij* Spiritus *eſt: ſed ipſa relatio non apparet in hoc nomine. Apparet autem quum dicitur donum Dei: donum eſt* Lib. & ca. eiſdem. *enim Patris & Filij: quia & à Patre procedit, & à* B *Filio. Ecce his verbis apertè oſtenditur, eadem relatione dici Spiritum ſanctum, & donum.* Donum *autem, quia procedit à* Patre *& Filio. Proprietas ergo qua dicitur Spiritus ſanctus vel donum proceſſio ipſa eſt, de qua pòſt plenius agemus cum aliis.* Hic Diſtin. litera G. & ſequentibus & Diſtin. 26. & 29. *Quum ergo ab æterno proceſſerit ab vtroque, & ab æterno donũ fuit: non ergo Spiritus ſanctus eo tantùm dicitur donum, quia donatur: nam & antè fuit donum quàm donaretur. Vnde Aug. in v. lib. de Trinitate.*[3] Cap. 15. Semper *Spiritus ſanctus procedit, & non ex tempore, ſed ab æternitate procedit. Sed quia ſic procedebat, vt eſſet donabile, iam donum erat antequam eſſet cui donaretur. Aliter enim intelligitur, quum dicitur donum, aliter quum dicitur donatum: nam donum poteſt eſſe etiam antequam detur: donatum autem, niſi datum fuerit, nullo modo dici poteſt. Sempiternè ergo Spiritus ſanctus eſt donum, temporaliter autem donatum. His verbis apertè oſtenditur, quòd ſicut Spiritus ſanctus* Concluſio *ab æterno procedit: ita ab æterno donum eſt: non quia donaretur à Patre Filio, vel à Filio Patri, ſed quia ab* C *æterno proceſſit donabilis.*

CAP. V.

Quæritur cui donabilis.

SED quæritur cui donabilis: vtrùm Patri &[1] Queſtio. Filio *an tantùm nobis, qui nondum eramus? Si autem non erat donabilis Patri & Filio: ſed tantum nobis, & ex eo donum erat, quia ſic donabilis procedebat, videtur quòd Filius ſemper eadem ratione donum fuerit: quia ab æterno proceſſit à* Eſaix 9. b *Patre donabilis nobis in tempore, nam & de* Filio *legitur quòd datus eſt nobis. Ad*[a] a Reſponſio. *quod dicimus, quia Spiritus ſanctus nobis tantùm, non Patri vel Filio donabilis proceſſit ſicut & nobis tantùm datus eſt. Et Filius verè datus eſt nobis, & ab æterno proceſſit à Patre, non vt donabilis tantùm, ſed vt genitus qui & donari poſſet. Proceſſit ergo vt genitus & donabilis: ſed* Spiritus *ſanctus non procedit vt genitus, ſed tantùm vt donum.* Donum *autem ſemper fuit, non ſolùm quia donabilis: ſed quia ab vtroque proceſſit, & donabilis fuit. Vnde*[a] aCõfirmatio reſpõſionis. Cap. 14. circa finẽ. *Auguſtinus in quinto lib. de Trinit. ait. Et ipſo quòd daturus erat eum Deus, iam donũ erat, etiam antequã daretur, & ideo donabilis eſt: ſed aliter donabilis*

quàm

A *quàm Pilius. nam & aliter datur, & aliter proceſſit quàm Filius. Filij enim proceſſio genitura eſt, vel natiuitas: Spiritus ſancti verò proceſſio, natiuitas non eſt: vtraque verò ineffabilis eſt.*

CAP. VI.

Quòd ſicut Filius naſcendo accepit non tantùm vt eſſet Filius: ſed etiam eſſentiam: ita & Spiritus ſanctus procedendo accepit non tantùm vt eſſet donum, ſed etiam vt eſſet eſſentia.

1 Corollarium de quo tamē poſtea fuſius hoc ipſo capite

ET notandum, quòd ſicut Filius naſcendo accepit non tantùm vt Filius ſit, ſed omnino vt ſit, & vt ipſa ſubſtantia ſit: ita & Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedendo, accepit nō tantùm vt Spiritus ſanctus ſit, vel donum: ſed etiam vt omnino ſit, & vt ſubſtantia ſit, quod vtique non accepit ex eo quòd datur. nā quū B *non detur niſi ex tempore, ſi hoc haberet ex eo quòd datur, accepiſſet ergo ex tempore vt eſſet. Vnde Auguſtinus in quinto libro de Trinita. Filius non hoc tantùm habet naſcendo, vt ſit Filius, ſed omnino vt ſit.* [a] *Quæritur ergo vtrū Spiritus ſanctus eo quòd datur, habeat non tantùm vt donum ſit, ſed omnino vt ſit? Quòd ſi nonniſi quia datur, id eſt, ſi non habet eſſe niſi eo quòd datur ſicut Filius naſcendo habet non tantùm vt ſit Filius (quod relatiuè dicitur) ſed omnino vt ſit ipſa ſubſtantia: quomodo iam Spiritus ſanctus erat ipſa ſubſtantia: quum non prius daretur, quàm eſſet cui daretur? Non* [b] *ergo eo quod datur, ſed procedendo habet vt ſit donum, & vt ſit eſſentia: ſicut Filius non eo quod datus eſt, ſed naſcēdo accepit non tantùm vt ſit Filius, ſed vt eſſentia. Vnde* [c] *Aug. in xv. lib. de Trinitate ait. Sicut Filio præſtat eſſentiam ſine initio temporis, ſine mutabilitate naturæ de Patre generatio: ita Spiritui ſancto præſtat eſſentiam ſine vllo initio temporis, ſine vlla mutabilitate naturæ de vtraqne proceſſio.*

Cap. 15. a 2 Quæſtio. ex qua cōfirmat cōcluſionem in cap. 4.

b Reſpōſio.

c Confirmatio. Cap. 26.

C

CAP. VII.

Quòd ex prædictis videtur, quòd Filius non tantùm ſit Filius natiuitate, ſed etiam de ſimili eſſentia, & Spiritus ſanctus proceſſione.

3. Quæſtio

HIC oritur quæſtio: Si Filius naſcendo habet non tantū vt ſit Filius, ſed vt ſit eſſentia: & Spiritus ſanctus procedendo non tantū vt ſit donum, ſed vt ſit eſſentia: ergo & Filius natiuitate eſſentia eſt, & Spiritus ſanctus proceſſione eſt eſſentia: cùm alibi dicatur, quòd nec Pater eo Pater eſt quo Deꝰ, nec Filius eo Filiꝰ quo Deus, nec Spiritus ſanctus eo donū quo Deus: quia vt ait Aug. in vij. lib. de Trin. His nominibus relatiua eorum oſtenduntur, non eſſentia. Vnde pòſt pleniùs agemus. Ad [d] *quod breuiter reſpondentes dicimus, quia nec Filius natiuitate eſſentia eſt, ſed tantùm Filius: nec Spiritus ſanctus proceſſione eſſentia eſt, ſed donum tantū: & tamen vterque, & ille naſcendo, & iſte procedendo accepit vt eſſet eſſentia. Non enim,* [e] *vt ait Hilarius in v. libr. de Trin. per* [1] *defectionem, aut protenſionem, aut deriuationem ex Deo Deus eſt, ſed ex virtute naturæ in naturam eandem natiuitate ſubſiſtit Filius: & ex virtute naturæ in naturam eandem proceſſionem ſubſiſtit Spiritus ſanctus.*

Cap. 2. Diſt. 26. 27 & 9.

d Reſponſio.

1 Confirmatio. Penè in calce libri

A

CAP. VIII.

Exponit verba Hilarij.

QVOD ita intelligi poteſt, ex Patre qui eſt virtus ingenita, naturam quam habet eandem Filius, natiuitate, id eſt, naſcendo: & Spiritus ſanctus proceſſione, id eſt, procedendo habet. Vnde ipſe idem apertiùs eloquens, quod dixerat aperit dicens, Natiuitas, inquit, Dei non poteſt non eam de qua profecta eſt, tenere naturam. Non enim aliud quàm Deus ſubſiſtit, quod non aliunde quàm de Deo ſubſiſtit. Ecce his verbis aperitur, quomodo intelligendum ſit illud, De Patre generatio præſtat eſſentiam Filio: & de vtroque proceſſio præſtat eſſentiam Spiritui ſancto. Non quia ille eſſentia ſit Filius, & iſte eſſentia ſit Spiritus ſanctus, imò proprietate Perſonali: ſed quia & ille naſcendo, & iſte procedendo eſſentiam habet eandem, & totam quæ in Patre eſt.

Expoſitio dicti Hilarii.

Ibidē paulo inferiꝰ.

Ex Aug. 15. lib de Trinit. Cap. 26.

B

CAP. IX.

Quòd Spiritus ſanctus dicitur donum, & donatum ſecundum duos prædictos modos proceſſionis.

EX prædictis patet quòd Spiritus ſanctus ſempiternè donum eſt, & temporaliter datum vel donatum. Ex quo apparet illa Diſtinctio geminæ proceſſionis, de qua ſuprà egimus. Nam ſecundum alteram proceſſionem dicitur donatum vel datum: ſecundum alteram verò dicitur donum.

Epilogus ſuperiorū omnium.

Diſtin. 14.

CAP. X.

Secundum hoc quod donum eſt, refertur ad Patrem & Filium: ſecundum quod datum, ad eum qui dedit, & ad eos quibus datum eſt.

C

2 Corollarium.

ET ſecundum hoc quod ſempiternè donum eſt, refertur ad Patrem & Filium: ſecūdum hoc verò quòd dicitur datum vel donatum, & ad eum qui dedit refertur, & ad eos quibus datur: & eius dicitur eſſe qui dat, & illorum quibus datur. Vnde Aug. in v. lib. de Trinitate ait. Quod datum eſt, & ad eum qui dedit refertur, & ad eos quibus dedit. Itaq; Spiritus ſanctꝰ non tantùm Patris & Filij qui dederunt, ſed etiam noſter dicitur qui accepimus. Spiritus ergo & Dei eſt qui dedit, & noſter qui accepimus (non ille Spiritus noſter, quo ſumus, quia ipſe eſt Spiritus hominis qui in ipſo eſt: quamuis & illum Spiritum, qui hominis dicitur, vtique accepimus) ſed aliter iſte, aliter ille noſter dicitur. Aliud eſt enim quod accepimus vt eſſemus, aliud quod accepimus vt ſancti eſſemus. Quod autem Spiritus ſanctus noſter dicatur, Scriptura oſtēdit. Scriptum eſt enim de Ioanne, quòd in Spiritu Heliæ veniret. Ecce dictus eſt Heliæ Spiritus, quem accepit Helias, ſcilicet Spiritus ſanctus. Et Moyſi ait Dominus, Tollam de Spiritu ſancto, quem iam dedi tibi. Ecce & hîc dictus eſt Spiritus Moyſi. Patet igitur, quia Spiritus ſanctus noſter dicitur Spiritus: ſed quia nobis datus, & datus vtique ad hoc vt ſancti eſſemus. Spiritus verò creatus ad hoc eſt datus, vt eſſemus.

Cap. 14.

Quod aliter Spiritus ſanctus dicitur noſter, aliter naturalis.

1 ad Cor. 1. b

Lucæ 1. q

Num. 11. d

A *CAP. XI.*

An Filius quum ſit nobis datus poſſet dici noſter vt Spiritus Sanctus.

HIC quæritur, vtrùm & Filius quum ſit nobis da
4 Quęſtio *tus, dicatur vel poſsit dici noſter? Ad* [a] *quod dicimus,*
a Reſponſio. *quia Filius dicitur noſter panis, noſter redemptor, &*
huiuſmodi: ſed non dicitur noſter Filius, quia Filius
dicitur tantùm relatiuè ad eum qui genuit. Et ideo
Quòdnon dicitur Sp. S. noſter, ſed Spiritus noſter. Proximo paragrapho. *noſter Filius non poteſt dici, ſed Patris tantùm. In eo*
autem quòd dicitur datus, & ad eum qui dedit, & ad
eos quibus datus eſt refertur. Vt & Spiritus ſanctus,
qui etiam cùm in Scriptura, vt ſuprà dictum eſt, di-
catur Spiritus *noſter, vel Spiritus tuus, vel illius, vt*
de Moyſe & Helia dictum eſt, nuſquam tamen in
Scriptura occurrit ita dici, Spiritus ſanctus noſter,
vel tuus, vel illius, ſed Spiritus noſter, vel tuus, vel
illius, quia Spiritus *ſanctus eo dicitur quo donum: &*
vtrunque relatiuè dicitur ad Patrē & Filium, *& hoc*
B *ſempiterna relatione. Si tamen aliquando dicitur*
donum noſtrum, accipitur donum pro donato vel da-
Annotatio. *to. Quum verò donum accipitur eo modo, quo Spiri-*
tus ſanctus, donum Patris & Filij dicitur, non homi-
nis, ita & Filius ſub hac appellatione non poteſt dici
noſter, vt dicatur Filius *noſter: ſicut nec dicitur* Spi-
ritus ſanctus noſter: & tamen de Filio *dicitur, panis*
noſter: & de Spiritu, *Spiritus noſter. Ille noſter panis,*
quia nos reficit nobis datus: iſte noſter Spiritus, quia no
bis inſpiratur à Patre & Filio, *& in nobis ſpirat ſicut*
Confirmatio. *vult. Vnde Auguſtin. in v. libro de Trinitat. ait,*
Cap. 14. *Quod de Patre natum eſt, ad Patrem ſolum refer-*
tur quum dicitur Filius. *Et ideo Filius* Patris *eſt,*
Mat. 6. b & Lu. 11. a *& non noſter.* Dicimus *tamen & panem noſtrum da*
nobis, ſicut dicimus Spiritum noſtrum.

CAP. XII.

Vtrùm Spiritus ſanctus ad ſeipſum referatur.

C *POST hac quæritur, vtrùm Spiritus ſanctus ad*
5 Quęſtio para. K. Diſtin. 15. parag. A. *ſeipſum referatur: hoc enim videtur ex prædictis poſſe*
probari. Si enim quod datur refertur ad eum qui dat,
& ad eum cui datur: & Spiritus *ſanctus datur à ſe-*
ipſo, vt prædictum eſt, ergo refertur ad ſeipſum. Huius
quæſtionis determinationem in poſterum differimus,
donec tractemus de his quæ relatiuè dicuntur de
Diſtin. 30. parag. C. *Deo ex tempore: in quibus datum & donatum con-*
tinentur.

AD DISTINCT. XVIII.

AD CAP. IIII.

1 *Ita Spiritui ſancto,* Mens Auguſtini eò ſpectat, vt doceat voce ipſa *Spiritus ſanctus*, nullam propriè ac intelligenter relationem ſignificari, qua ex Patre & Filio tertia illa diuina Perſona emanare deſignetur. Nam & *Spiritus* & *ſanctus* vocabula etiam Patri & Filio ſeorſim conueniunt. Itaque aliud nomen ipſe Auguſtinus ſubſtituit, illuſtrādæ tantùm rei tam neceſſariæ cauſſa, ex quo iſta emanatio tertiæ Perſonæ, ac relatio ad alias dilucidè intelligi poſsit. Ergo Spiritum ſanctum vocat *Donum*, quæ vox proculdubiò eſt ἐκ τῶν πρός τι, & ab alio eſſe id ſignificat, quod donum appellatur. Iſte verò nodum in ſcirpo quęrens, ea, quæ ἐξηγήσεως, id eſt, explanationis duntaxat gratia ab Auguſtino dicta ſunt tāquam διδαχῆς δόγματα, & ipſiſsimos fidei Chriſtianæ articulos argutè ac ſeuerè interpretatur. Vult enim eadem ratione & eadem ęternitate tertiam illam diuinam Perſonam Spiritum ſanctū: & Donum dici. In quo grauiſsimè iſte quidem fallitur. A

2 *Spiritus ſanctus qui non eſt.* Eodem pertinet hîc quoque Auguſtini locus, vt ex ipſis verbis apparet.

3 *Semper Spiritus ſanctus procedit.* Locus eſt ſumptus ex libro quinto de Trinitate, capite decimoquinto, qui Lombardum nimis oſcitanter iſta legentem, pueriliter fefellit. Nam eo ipſo in capite ſatis oſtenditur, non eſſe nimium illud vrgēdum, quod Spiritus ſanctus dicitur *Donum*, tanquam veriſsima & æterna ipſius ex Patre & Filio emanatio commodè hoc vocabulo denotetur, cum, cùm ἄτοπα quædam oriantur, ſi quis B nimis præfractè & ſeuerè iſtam appellationem interpretetur. Sequetur enim, vt, quemadmodum Filius naſcendo ex Patre habet & vt ſit, & vt ſit Filius: ſic Spiritus ſanctus ex eo quòd datur, habeat & vt ſit, & donum ſit. Quod eſt omnino abſurdum, & ἀδεκτίον.

AD CAP. VI.

1 *Non tantùm vt ſit* Filius, *ſed vt eſſentia.* Videant qui in ipſius Lombardi verba vel pertinaciſsimè iurarunt, qua ratione hanc ἐναντίωσιν manifeſtiſsimam ex eo defendent, *Filius naſcendo accepit vt eſſet eſſentia*, quod hoc capite dicitur, & *Filius natiuitate eſſentia non eſt*, quod proximè ſequenti capite affirmatur. Sic ſeipſam euertit curioſitas, & ſcrutator nimius maieſtatis Dei (qualem ſe iſte in hoc toto argumento oſtendit.) ab ipſa illius gloria opprimetur, Prouerb. 25. & Bernard. Sermo 31. in Cant. Canticorum. C

AD CAP. VII.

1 *Per defectionem.* Lege *per deſectionem.* id eſt, ἀποτομήν. Nam & hunc modum recenſet Epipha. in Ἀγκυρωτῷ inter eos, quos hęretici afferebant, vt ęternam generationem Filij ex Patre Deo calumniarentur, & oppugnarent. Sic autem apud ipſum Hilarium conſtantiſsimè legitur, quemadmodum repoſuimus, quanquam in omnibus Lombardi, & recentioribus & vetuſtioribus codicibus pertinaciter retentū eſt *defectionem*, quæ vox eſt nihili. Vide Thomam in 1. parte, Quæſt. 42. Art. 2. qui ſic quoque emendat.

Cenſura.

Quemadmodum ſuperiori Diſtinctione in Theologiam & rem ipſam peccatum eſt: ſic in hac in duas præſtantiſsimas artes nimirum Grāmaticam ac Logicam, quam appellant. Diſtinguit enim iſte inter *donū, & datum ſiue donatum*, ſed non eo modo, quo Logici ſolent ἐν τοῖς παρωνύμοις, vt donum & donatū (quæ ſunt παρώνυμα, quēadmodum Iuſtitia & Iuſtū, Fortitudo & Fortè, Pater & Paternum) eam inter ſe comparationem habeāt, quòd *donum* eſt denominans, id eſt,

ipſum

A ipſum *παρωνυμίας* fundamentum. D*onatum* verò eſt ipſum denominatum vocabulum. Non etiam ſic iſte diſtinguit, quemadmodum Grammatici faciunt, qui *Donum* primarium nomen appellant: D*onatum* verò ſecundarium ac deriuatum. Non denique, vt periti linguæ Latinæ interpretes, qui *donum* à *munere* & *præmio* ex diligenti ſcriptorum obſeruatione ſeparant (quam differẽtiam verborum & Cornelius Fronto, & Donatus, & Agrætius, & Seruius Honoratus eleganter annotarũt.) Sed mira prorſus eſt iſta Lombardi definitio, vt donum dicatur ſempiternè, id eſt, quod eſt ab æterno: donatum verò temporaliter, id eſt, quod certo quodam tempore cœpit eſſe datum. Hæc Lombarb. cap. 4. huius Diſtinctionis. Ergo nos primùm verba iſta eorúmque proprietatem examinemus, quatenus ad Grammaticos pertinet: deinde quatenus ad Theologos, vt quàm longè ab vtrorumque ſcopo diſcedat omnes intelligãt.

B Aliquam eſſe inter *donabile* (*δωρητικὸν* Græci vocãt) & *donatum* (*δωρητὸν* ſiue *δεδωρημένον* iidem illi nominant) huiuſmodi differentiam facilè conceſſerim, quæ eſt inter id quod *δυνάμει* & *ἐνεργείᾳ* Phyſici dicunt. Eſt enim donabile quod nondum actu donatum eſt: ſed tantùm potentiâ. Donatum verò eſt, quod non *δυνάμει* & potentia duntaxat, ſed reipſa iam datum eſt. Sed eandem differentiam eſſe inter *donum* & *donatum* ſiue *datum* nunquam equidem conceſſerim. Eſt enim id donum quod actu iam donum eſt, ſiue qua res iam data eſt. Ergo Ouidius rectè,

Placatur donis Iuppiter ipſe datis.

Quod autem inter *Datum* & *Donatum* Lombardus diſtinguit, eſt planè abſurdum. Confun- C dunt enim iſta doctiſſimi Grammatici, & Iuriſconſulti proprietatis verborum homines obſeruantiſſimi. *Donamus*, inquit Agrætius, *illud quod damus*. Denique & Auguſt. ipſe (quem vnum ſuæ iſtius Diſtinctionis autorem laudare voluit Lõbardus) alibi ſeipſum refutat. Qui enim tam religioſè lib. 5. de Trin. cap. 15. ſeparat *Datum* & *Donatum*, idem eodem lib. cap. 14. his verbis cõfundit. *Exiit enim Spiritus ſanctus non quomodo natus, ſed quomodo datus*, adeò vt etiam ad ęternam emanationem Sp. S. vocabulo *Datus* illic vtatur Aug. Ergo iampridem apud ipſum Aug. iſtam ſpinoſam inter *Donum* & *Donatum* argutiolam inculcantem, hæc rectè in margine annotata fuerant, *Quomodò in Spiritu ſancto etiam antequam daretur, poſſit* Doni *nomen intelligi, vt ei ſemper non aliud fuerit donum eſſe, quàm ipſum eſſe?* Hæc iampridem iſtam Lombardi Grammaticam damnabant.

Quod autem ad Theologicam pertinet, vult Lombardus *Eadem proprietate & ratione Sp. S. dici & Sp. S. & donum, qua procedit ex Patre & Filio.* Hæc cap. 4. quæ quàm ſint falſa primùm docent ipſius interpretes Durandus, & Occan. Nã Occan negat *eſſe donum* proprietatem eſſe Sp. S. & meritò quidem. Durandus ait, *donabilitatem & donum* addere notionem tantùm, non eſſe rem vllam in diuinis. Ergo Sp. S. eſſet tãtùm notio quędam animi, ſi qua ratione donum eſt, eadem eſſet Spiritus ſanctus. Deinde ſi donum eſt quod potentia tantùm donabile eſt, nondum autem eſt donatum, vt iſte ſcribit: & Spiritus ſanctus qua donum eſt, etiam procedens eſt à Patre & Filio, ſequetur Spiritum ſanctum procedere de Patre A & Filio potentia tantùm, non actu, quod eſt blaſphemum: præterquàm quòd ſic potentia diſtinguetur ab actu in diuinis, quod eſt & falſiſſimũ, & ab ipſiſmet Scholaſticis refutatum. Denique ſi *Donum eſſe* vel dari (quidam enim ex iſtis hominibus hæc diſtinguunt, quidam verò confundunt) eſt proprietas, vt ipſi vocant, Characteriſtica & cõſtitutiua Sp. S. ergo proprietates plures, quàm Tres in diuinis reperientur, nempe *Innaſcibilitas, Filiatio, Proceſſio, Donatio.* Atque ita iam non tres tantùm, ſed quatuor Perſonæ diuinæ conſtituentur à Lombardo. Illud verò etiã addet quis, Cur magis Sp. S. donum, quàm promiſſum ab æterno dicatur, quum *Promiſſum Dei* à Chriſto nominetur Act. 1. verſ. 4. vti *& donum.* Quod denique negat Lombardus Filium dici noſtrum & nobis datum, apertè repugnat verbo Dei, vbi datus nobis dicitur, Iſ. 9. verſ. 6. ſuauiſſimámque nobis conſolationem eripit, quum Chriſtum noſtrum eſſe negat. B Omitto *ἀταξίαν*, quę eſt in hac tota Diſtinctione: & curioſas extraneáſque quæſtiones inuectas, quales capite 7. & 8. continentur, quas hic ipſe alibi, & ſuis poſtea locis repetere cogitur, vt Diſt. 29. huius ipſius libri. Et hæc quidem breuiter in hanc Diſtinctionem XVIII. dicta ſint.

DISTINCTIO XIX.

Hic de qualitate trium Perſonarum.

CAP. I.

C NVNC *poſtquàm coæternitatem trium Perſonarum pro modulo facultatis noſtræ inſinuauimus, iam de earundem æqualitate aliquid eloqui ſupereſt. Fides enim Catholica ſicut coæternas, ita & coæquales tres Perſonas aſſerit. Æqualis eſt enim in omnibus Patri Filius, & Patri & Filio Spiritus ſanctus. Quia (vt Auguſtinus in lib. de Fide ad* Petrum, *breuiter aperiens quomodo intelligatur æqualitas, docet) nullus horum alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut ſuperat poteſtate: quia nec* Filio, *nec Spiritui ſancto, quantùm ad naturæ diuinæ vnitatem pertinet, aut anterior, aut maior eſt Pater:*[1] *nec* Filius *Spiritu ſancto. Æternum quippe & ſine initio eſt, quod Filius de natura* Patris *extitit: & æternum ac ſine initio eſt, quod Spiritus ſanctus de natura Patris* Filiíque *procedit. Ob hoc ergo tres vnum rectè credimus, & dicimus Deum: quia vna prorſus æternitas, vna immenſitas, vna naturaliter eſt trium* P*erſonarum diuinitas. Ecce breuiter, aſſignauit Auguſtin. in quo trium* P*erſonarum conſiſtat æqualitas, ſcilicet quia alia aliam non excellit aut æternitate, aut magnitudine, aut poteſtate.*

De proprietatibus & cõditionibus quodãmodo eſſentialibus, & quodãmodo perſonalibus Trinitatis. Cap. I.

CAP. II.

Quòd æternitas & magnitudo, & poteſtas in Deo ſunt vnum, licet donantur quaſi diuerſa.

Cúmque enumerentur iſta quaſi diuerſa, in Deo tamen vnum & idem ſunt, ſcilicet eſſentia diuina ſimplex & incommutabilis. Vnde Aug. in lib. 7. de Trini. Non alio[1] *magnus, alio Deus eſt: ſed eo magnus, quo*

Ἀξίωμα Theologię tria hęc Aeternum, Magnũ, Potẽs in Deo, notionibus, nõ re diſtingui.

A

Cap. 1. Quod magnitudo eſt Dei eſſentia. Quod potentia Dei Deus eſt. Cap. 4. Pſal. 101. Quod æternitas Dei, Deus eſt

Deus: quia non eſt illi aliud magnum eſſe aliud Deum eſſe. Eadem [2] quippe eius magnitudo eſt, quæ virtus & eadem eſſentia, quæ magnitudo. Pater ergo & Filius ſimul vna eſſentia, & vna magnitudo. Ita etiam & potentia Dei, eſſentia diuina eſt. Vnde Auguſt. in 7. lib. Confeſ. Voluntas & potentia Dei[3] vnus eſt. Æternitas quoque Dei eſſentia diuina eſt. Quod Auguſt. oſtendit ſuper illum locum Pſal. In generatione & generationem anni tui. Eſt generatio generationum quæ non tranſit, collecta de omnibus generationibus,[4] id eſt, Sanctis. In illa erunt anni Dei qui non tranſeunt, id eſt, æternitas Dei, Non enim ſunt aliud anni Dei, aliud ipſe: ſed anni Dei, æternitas Dei eſt. Æternitas verò ipſa Dei ſubſtantia eſt, nihil habens mutabile. Inconcuſſe ergo teneamus quod vnum & idem eſt, ſcilicet eſſentia diuina, Dei æternitas, potentia, magnitudo: & tamen conſueuit Scriptura hæc & his ſimilia quaſi diſtinctè ponere. In his ergo verbis trium Perſonarum æqualitatem breuiter complexus eſt Aug. Quia alius alium nec æternitate, nec magnitudine, nec potentia ſuperat. Quod autem[a] æternitate aliqua trium Perſonarum alium non excedat, ſuprà oſtenſum eſt, vbi coæternitas trium Perſonarum inſinuata eſt.

Vide inf. ca. 13. N.

Suprà egit de æternitate Diſt. 9. & 11.

a Quid ſuperius explicatum, quid reſtet explicandum.

CAP. III.

B

Hic de magnitudine, quòd ea aliqua Perſonarum aliam non excedit.

Propoſitio futurę diſputationis. Ac primũ de eo quod magnus dicit Deus

Nunc igitur supereſt oſtendere, quòd magnitudine vel potentia alius alium non excedat: & priùs de magnitudine videamus.

CAP. IIII.

Quòd non eſt maior vna perſona alia, nec maius aliquid duæ quàm vna, nec tres vel duæ quàm vna.

C

Propoſitionis explicatio. Libr. 6. de ri. ca. vlt.

Sciendum eſt ergo quia Pater non eſt maior Filio: nec Pater vel Filius maior Spiritu ſancto: nec maius aliquid duæ Perſonæ ſimul ſunt, quàm vna: nec tres ſimul maius aliquid quàm duæ: nec maior eſt eſſentia in tribus, quàm in duabus, nec in duabus quàm in vna, quia tota eſt in ſingulis. Vnde Ioan. Damaſc. ait,[a] Confitemur deitatis naturam omnem perfectè eſſe in ſingula ſuarum hypoſtaſeωn, id eſt, Perſonarum: omnem in Patre, omnem in Filio, omnem in Spiritu ſancto. Ideóque perfectus Deus Pater, perfectus Deus Filius, perfectus Deus Spiritus ſanctus.

a 1 Confirmatio ab autoritate. Libr. 2. de orthodoxa fide. c. 6.

CAP. V.

Quomodo dicitur eſſe Deus Pater in Filio, & Filius in Patre, & Spiritus ſanctus in vtroque, & ſingulus in ſingulis.

Corollarium. Ca. 1. b Corollarii confirmatio.

Et inde eſt quod Pater dicitur eſſe in Filio, & Filius in Patre, & Spiritus ſanctus in vtroque, & ſingulus in ſingulis. Vnde Aug. in lib. de Fide ad Petrum,[b] Propter vnitatem naturalem totus Pater in Filio & Spiritu ſancto eſt, totus quoque Spiritus ſanctus in Patre & Filio eſt. Nullus horum extra quemlibet ipſorum eſt, propter diuinæ naturæ[1] vnitatem. Ecce hic aperit aliquatenus: non enim plenè poteſt tantum ab homine reſerari arcanum, ex qua intelligentia dicatur ſingula Perſonarum tota eſſe in aliis. Vnde etiã Hilarius iſta interius perquirens in li. 3. de Trinit. ait, Affert pleriſque obſcuritatem ſermo Domini cùm dicit, Ego in Patre, & Pater in me eſt: nec immeritò. Natura enim intelligentiæ humanæ rationem dicti huius non capit: nec exemplum aliquod rebus diuinis comparatio humana præſtabit. Sed quod non[3] intelligibile eſt homini, Deo poſſibile eſt. Cognoſcendum itaque atque intelligendum eſt quid ſit illud, Ego in Patre, & Pater in me eſt: ſi tamen comprehendere hoc ita, vt eſt, valebimus: vt quod natura rerum pati non poſſe æſtimatur, id diuinæ veritatis ratio conſequatur. Patrem ergo in Filio, & Filium in Patre eſſe plenitudo[4] in vtroque diuinitatis perfecta eſt, quia plenitudo diuinitatis eſt in Filio, quod in Patre eſt, hoc & in Filio eſt: quod in ingenito eſt, hoc in genito: alter ab altero, & vterque vnum. Is[5] ſcilicet qui eſt nihil habens, quod non ſit etiam in eo à quo eſt, non duo vnus, ſed alius in alio, quia non aliud in vtroque: vt vnum ſint in fide noſtra: vterque non vnus, nec eundem[6] vtrunque. Nec aliud confitemur, quia Deum ex Deo natum, nec eundem natiuitas, nec aliud eſſe permittit. Eandem ergo in vtroque & virtutis ſimilitudinem, & deitatis plenitudinem confitemur: quia veritas dicit, Ego in Patre, & Pater in me eſt. Omnia enim Filius accepit, à Patre: nam ſi partem eiuſdem qui genuit accepit, neuter ergo perfectus eſt: deeſſet enim ei vnde deceſſit: nec plenitudo in eo erit, qui ex portione conſtituerit. Neuter ergo perfectus eſt, ſi plenitudinem ſuam & qui genuit amittit nec qui natus eſt, conſequitur. Fateamur ergo quòd Pater eſt in Filio, & Filius in Patre, & Deus in Deo, vt idem Hilarius ait in ſeptimo lib. de Trinitate non per duplicem conuenientium generum coniunctionem, nec per inſitam capacioris ſubſtantiæ naturam: ſed per naturæ vnitam ſimilitudinem, per natiuitatem viuentis ex viuente natura, dum res non differt, dum naturam Dei non degenerat natiuitas, dum non aliud aliquid ex Deo quàm Deus naſcitur: dum nihil in his nouum eſt, nihil alienum, nihil ſeparabile. Ecce his verbis, prout humana permittit infirmitas aperitur, ex quo ſenſu Chriſtus dixerit ſe eſſe in Patre, & Patrem in ſe. Ex eodem etiam ſenſu intelligitur Spiritus ſanctus eſſe in vtroque, & ſingula Perſonarum in ſingulis: quia ſcilicet in ſingulis eſt eadem plenitudo diuinitatis, & vnita ſimilitudo naturæ: quia non eſt maior diuina natura in aliqua harum perſonarum, ſed vnius & indifferentis naturæ ſunt hæ tres Perſonæ. Ideóque altera in altera eſſe dicitur, vt prædictum eſt. Vnde Ambroſ. prædictorum verborum ſententiam nobis aperiens ſuper epiſtolam 2. ad Corint. 5. ait, Per hoc intelligitur Pater eſſe in Filio, & Filius in Patre, quia vna eſt eorum ſubſtantia. Ibi enim eſt vnitas, vbi nulla diuerſitas. Ecce tribus illuſtrium virorum teſtimoniis, ſcilicet Auguſtini, Hilarij, atque Ambroſij in eodem concurrentibus reuelatione Spiritus ſancti in eis loquẽtis, piè credere volentibus oſtenditur, tamen quia per ſpeculum & in ænigmate, qualiter accipiendum ſit, cùm dicitur Pater in Filio eſſe, vel Filius in Patre, vel Spiritus ſanctus in vtroque.

A

In exordio libri. Ioan. 14. b

Paulo inferius.

B

Parum poſt medium lib.

Ioan. Hę verba diligẽter attende.

Nõ longè à fine lib.

C

Tomo 4. explanatione ad 5 Ca. 2. ad Cor. circa finẽ cõmẽtarii illius ca. vbi explanat illud, Deus erat in Chriſto, &c.

CAP. VI.

Ad id quod cœperat redit, ſcilicet vt oſtendat quòd magnitudine alius alium non ſuperat.

2 Confirmatio quę ducitur partim à definitione ęqualis magnitudinis.

SED *iam nunc ad propoſitum redeamus, cœptóque inſiſtamus, oſtendentes quòd magnitudine nulla trium Perſo-*

A Perſonarum aliam ſuperat: quia nulla maior aliis: nec maius aliquid ſunt duæ quàm vna: nec tres quàm duæ: nec maior Deus quàm ſinguli horum, quia ſingulus horum perfectus eſt, nec eſt quo creſcat illa perfectio.

CAP. VII.

Quòd nulla Perſonarum pars eſt in Trinitate.

Partim à conſequẽti.

Cor.10. Cõfirmatio huius conſ.quẽtis.

Ibidẽ multis interpoſitis.

Ibidẽ paucis interpoſitis.

Mat. 19.b

Iſaiæ 7.b

Argumentatio Au. contra hæreticum, qua oſtendit Patrẽ & Filium & Spiritũ ſanctum non eſſe partes Trinitatis.

NEC eſt aliqua trium Perſonarum pars Dei vel diuinæ eſſentiæ: quia ſingula harum verus & plenus Deus eſt, & tota & plena diuina eſſentia eſt, & ideo nulla iſtarum in Trinitate pars eſt. Vnde Aug. in lib. 3. contra Maximinum hæreticum ſic ait, Putas Deum Patrem cum Filio & Spiritu ſancto vnum Deum eſſe non poſſe. Times enim ne Pater ſit pars vnius Dei qui conſtet ex tribus. Noli hoc timere: nulla enim fit partium in deitatis vnitate diuiſio: vnus eſt Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, id eſt, ipſa Trinitas vnus B eſt Deus. Ergo, inquis, Deus Pater eſt pars Dei: abſit. Tres enim Perſonæ ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: & hi tres quia vnius ſubſtantiæ ſunt, vnum ſunt, & ſummè vnum ſunt, vbi nulla naturarum, nulla eſt diuerſitas voluntatum. Si enim natura vnum eſſent, & conſenſione vnum non eſſent, non ſummè vnum eſſent. Si verò natura diſpares eſſent, non ſummè vnum eſſent. Hi ergo tres, quia vnum ſunt propter ineffabilẽ coniunctionem Deitatis, qua ineffabiliter copulantur, vnus Deus eſt. Pars ergo Trinitatis eſſe non poteſt, quicunque vnus eſt in tribus. In Trinitate ergo quæ Deus eſt, & Pater Deus eſt, & Filius Deus eſt, & Spiritus ſanctus Deus eſt: ſimul hi tres, vnus Deus. Nec huius Trinitatis tertia pars eſt vnus, nec maius aliquid duo quàm vnus eſt ibi: nec maius aliquid ſunt omnes quàm ſinguli: quia ſpiritualis, non corporalis eſt magnitudo. C Qui poteſt capere capiat: qui autem non poteſt, credat, & oret, vt, quod credit, intelligat. Verum eſt enim quod per Prophetam dicitur, niſi credideritis, non intelligetis. His verbis apertè oſtendit indifferentem magnitudinem trium Perſonarum. Item in eodem cap. Tu nempe dixiſti, vnum Deum non ex partibus eſſe compoſitum, & hoc de Patre tantùm vis intelligi. Ille, inquis, virtus eſt ingenita, ſimplex: & tamen in hac ſimplici virtute multa videris cõmemorare quum dicis, Deus Deũ genuit, bonus bonum genuit, ſapiens ſapientem, clemens clementem, potens potentem. Nunquid ergo bonitas, & ſapientia, & clementia, & potentia tres partes ſunt vnius virtutis, quam ſimplicem eſſe dixiſti? Si dixeris, partes ſunt, ſimplex ergo virtus ex partibus conſtat. Et ſimplex iſta virtus, te definiente, vnus eſt Deus: ergo Deum ex partibus compoſitum eſſe dicis. Non dico, inquis, non ſunt partes. Si ergo in vna perſona Patris, & illa inuenis quæ plura videntur, & partes non inueneris, quia vna virtus ſimplex eſt: quantò magis Pater & Filius & Spiritus ſanctus, & propter indiuiduam deitatem vnus Deus eſt, & propter vniuſcuiuſque proprietatem tres Perſonæ ſunt, & propter ſingulorum perfectionem partes vnius Dei non ſunt? Virtus eſt Pater, virtus eſt Filius, virtus eſt Spiritus ſanctus. Hoc verum dicis: ſed quòd virtutem de virtute genitam, & virtutem de virtute procedentem non vis eandem habere naturam, hoc falſum dicis, hoc contra fidem rectam & catholicam dicis. His verbis apertè docetur, quòd tres Perſonæ illæ non ſunt partes Dei, vel diuinæ eſſentiæ. A Nullàque illarum Trinitatis pars dicenda eſt, nec vna aliàs vlla maior aliis.

CAP. VIII.

Cùm dicimus tres Perſonas eſſe vnam eſſentiam, nec vt genus de ſpeciebus, nec vt ſpeciem de indiuiduis prædicamus: quia non eſt eſſentia genus, & Perſona ſpecies, vel eſſentia ſpecies, & Perſona indiuiduum.

1 Corollarium.

Prius probat quod non illud dicitur, vt genus de ſpeciebus Cap. 6.

HIC adiiciendum eſt, quod tanta eſt æqualitas trium Perſonarum atque indifferens magnitudo, quòd cùm dicamus tres Perſonas vnam eſſentiam vel ſubſtantiam, neque vt genus de ſpeciebus neque vt ſpeciẽ de indiuiduis prædicamus. Non enim eſſentia diuina genus eſt, & tres Perſonæ ſpecies, vel eſſentia diuina ſpecies, & tres Perſonæ indiuidua. B Quod Auguſt. rationibus probabilibus atque irrefragabilibus apertè demonſtrat in lib. 7. de Trini. dicens. Si eſſentia genus eſt, ſpecies autem Perſona (vt nonnulli ſentiunt) oportet appellari tres ſubſtantias, vt appellantur tres Perſonæ. Sicut cùm ſit animal genus, & equus ſpecies, appellantur tres equi, idémque tria animalia. Non enim ibi ſpecies pluraliter dicitur, & genus ſingulariter: vt ſi diceretur, tres equi ſunt vnum animal: ſed ſicut tres equi ſpeciali nomine, ita tria animalia nomine generali dicuntur. Cùm ergo tres Perſonas vnam fateamur eſſe eſſentiam, non tres eſſe eſſentias, cùm tres equi tria animalia dicantur, non vnum: patet nomine eſſentiæ non ſignificari genus, nec nomine Perſonæ ſpeciem.

CAP. IX.

Hic probat quòd non dicitur vt ſpecies de induiduis.

2 Corollarium. Lib. & ca. eiuſdem.

C SI verò dicuntur nomine Perſonæ non ſpeciem ſignificari, ſed aliquid ſingulare atque indiuiduum & nomine eſſentiæ ſpeciem intelligi: vt Perſona non dicatur ſicut homo, ſed quomodo dicitur hic homo: velut Abraham, Iſaac, Iacob, vel quis alius, qui etiam digito præſens demonſtrari poſſit: ſic quoque illos eadem ratio confutabit. Sicut enim dicuntur Abraham, Iſaac, Iacob tria indiuidua: ita tres homines & tria animalia. Cur ergo Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ſi ſecundum genus, & ſpeciem, & indiuiduum iſta diſſerimus, non ita dicuntur tres eſſentiæ, vt tres Perſonæ?

CAP. X.

Alio modo probat idem.

Lib. & ca. eiuſdem. Vtriuſque corollarij confirmatio.

ALIO quoque modo idem probat Aug. ſcilicet quod eſſentia diuina non eſt genus, nec Perſonæ ſpecies, vel eſſentia non eſt ſpecies, nec Perſonæ, indiuidua. Vna, inquit, eſſentia non habet ſpecies, ſicut vnum animal non habet ſpecies. Pater, ergo & Filius, & Spiritus ſanctus non ſunt tres ſpecies vnius eſſentiæ. diuina ergo eſſentia genus non eſt. Sed nec ſpecies eſt eſſentia diuina, & Perſonæ indiuidua: ſicut homo ſpecies eſt, indiuidua autem Abraham, Iſaac, & Iacob. Si enim eſſentia ſpecies eſt, vt homo: ſicut non dicitur vnus homo eſſe Abraham, Iſaac, & Iacob: ita non dicitur vna eſſentia eſſe tres Perſonæ. Non itaque ſecundum genus & ſpecies iſta dicimus.

A

CAP. XI.

Nec ſecundum materialem cauſam dicuntur tres Perſonæ vna eſſentia.

3 Corollarium. Idem. Ca.6.

NOTANDVM etiam quòd eſſentia diuina non eſt materia trium Perſonarum, vt Aug. in eodem libro docet, tanquam ſecundum communem eandémque materiam tres Perſonæ dicantur eſſe vna eſſentia: ſicut ex eodem auro ſi fierent tres ſtatuæ, diceremus tres ſtatuas vnum aurum. Non autem ſic Trinitatem, id eſt, tres Perſonas dicemus vnam eſſentiam, & Deum vnũ, tanquam ex vna materia tria quædam ſubſiſtant. In ſtatuis enim æqualibus, plus auri eſt tres ſimul, quam ſingulæ: & minus auri eſt vna, quàm duæ. In illa verò eſſentia Trinitatis nullo modo eſt ita. Non ergo ſecundum B *materialem cauſam tres Perſonas vnam dicimus eſſe ſubſtantiam vel eſſentiam, nec tres ſtatuæ dicuntur vnum aurum.*

CAP. XII.

Nec dicuntur tres perſonæ vna eſſentia, vt tres homines vna natura, vel vnius naturæ.

4 Corollarium. Lib. & ca. eiſdem.

HIS quoque addendum eſt, quod tres Perſonas nõ ita dicimus eſſe vnam eſſentiam, vt Aug. in eodem ait, vel vnius eſſentiæ, ſicut dicimus aliquos tres homines eiuſdem ſexus, & eiuſdem temperationis corporis, eiuſdémque animi, vnam eſſe naturam vel vnius naturæ[a]. *Nam in his rebus non tantùm eſt vnus homo, quãtum tres homines ſimul: & plus aliquid ſunt homines duo, quam vnus homo, ſicut in ſtatuis eſſe diximus: at in Deo non eſt ita. Non enim maior eſſentia eſt Pater & Filius* C *ſimul, quàm ſolus Pater vel ſolus Filius: ſed tres ſimul illæ Perſonæ æquales ſunt ſingulis. Ex præmiſſis patet quod tres Perſonæ dicuntur diuina eſſentia, nec ſecundum materialem cauſam, vt tres ſtatuæ vnum aurum: non ſecundum complexionis ſimilitudinem, vt tres homines vnius naturæ: nec vt genus prædicatur de ſpeciebus, vel vt ſpecies de indiuiduis, id eſt continens de contentis, maius de minoribus.*

[a] Id eſt, vnius & eiuſdẽ qualitatis etiam inſeparabilis participes.

CAP. XIII.

Quæ videntur aduerſari prædictis.

Obiectio.

HIS autem videntur aduerſari, quæ quidam ſacræ ſcripturæ tractatores catholici in ſuis ſcriptis tradiderunt. In quibus ſignificari videatur, quòd eſſentia diuina ſit quiddam commune & vniuerſale, velut ſpecies: tres verò Perſonæ ſint tria particularia, tria indiuidua numero differentia. Vnde Ioan. Damaſc inter doctores Græcorum maximus, in libro quem de Trinitate ſcripſit, quem & Papa[1] *Eugenius transferri fecit, ait: Communia & vniuerſalia prædicantur de ſubiectis ſibiipſis particularibus. Commune ergo ſubſtãtia eſt, particulare verò hypoſtaſis, id eſt, perſona. Particulare autem dicitur, non quod partem naturæ habet: ſed particulare numero, ut atomus .i. indiuiduum. Numero enim nõ natura differre videntur hypoſtaſes. Item in eodem, Subſtantia ſignificat cõmunem & circũplectiuam ſpeciem homoideon, id eſt ſimiliũ ſpecie hypoſtaſeon, id eſt Perſonarum, vtputa Deus, homo: hypoſtaſis autem indiuiduum demonſtrat, id eſt, Patrem, Filium & Spiritũ ſanctum, Petrum, Paulum, & huiuſmodi. Ecce apertè dicit ſubſtantiam eſſe vniuerſale, hypoſtaſim verò particulare: & quòd Deus eſt ſpecies vt homo: & quòd Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt indiuidua, ſicut Petrus & Paulus, eo quòd numero differunt: quæ præmiſſæ ſententiæ Aug. penitus contradicere videntur.* A *Quid ergo dicimus ad hæc? Hoc vtique dicere poſſumus atque debemus, quòd ea quæ Aug. tradidit ſuperius, ſine omni hæſitatione tenenda ſunt.*

Lib. 3. de Orthodoxa fi. c. 6. in prin. c.

[1] 3 li. ca. 4.

Verba Auguſtini tenẽda dicit litera b.

CAP. XIIII.

Quòd ſanè poſſunt intelligi quæ Ioannes dicit, & quomodo, oſtendit.

HÆC autem quæ hîc dicuntur, licèt in ſermonis ſuperficie aliquid à fide alienum reſonare videantur, ſanè tamen intelligi queunt, piúmque lectorem atque intellectorem plurimùm efflagitant. In quorum explanatione mallem ſilens alios audire, quàm loquendo maleuolis detrahendi occaſionem præſtare. B *Videtur tamen mihi ita poſſe accipi, cùm*[a] *ait, Subſtantia eſt commune, & hypoſtaſis eſt particulare. Non ita hæc accipit cùm de Deo dicantur, vt accipiuntur in philoſophica diſciplina. Sed per ſimilitudinem eorum, quæ à philoſophis dicuntur, locutus eſt: vt ſicut ibi commune vel vniuerſale dicitur, quod prædicatur de pluribus: particulare verò vel indiuiduũ, quod de vno ſolo, ita hæc eſſentia diuina dicta eſt vniuerſale, quia de omnibus Perſonis ſimul, & de ſingulis ſeparatim dicitur. Particulare verò ſingula quælibet Perſonarum: quia nec de aliis communiter, nec de aliqua aliarum ſingulariter prædicatur. Propter ſimilitudinem ergo prædicationis, ſubſtantiam Dei dixit vniuerſale: & Perſonas particularia vel indiuidua. Propter hoc idem eandem diuinam eſſentiam dixit eſſe ſpeciem communem, & circumplectiuam ſimilium ſpecie Perſonarum:* C *quia ſicut hæc ſpecies homo de ſuis prædicatur indiuiduis, velut de Petro & Paulo & aliis: nec iſta ſpecie differunt, ſed conueniunt per omnia: ita Deus de tribus prædicatur Perſonis, quæ in diuinitate non differunt, ſed per omnia cõueniunt. Hãc ergo ſimilitudinem inter res ſempiternas & res temporales perpendens Ioannes, vniuerſalitatis & particularitatis nomina, quæ rebus temporalibus propriè conueniunt, ad res æternas tranſtulit: Aug. verò maiorem videns diſſimilitudinem quàm ſimilitudinem inter res prædictas, ab excellentia Trinitatis prædicta nomina remouit.*

Ex quo intellectu dixerit, quod ſubſtãtia Dei ſit ſpecies vel vniuerſale, & Perſonę indiuidua.

[a] Solutio.

CAP. XV.

Ex quo ſenſu dixerit Perſonas differre numero.

Explicatio eiuſdẽ Ioannis Damaſc. ſententię.

QVOD autem Ioannes dicit hypoſtaſes differre numero, non natura in eo quòd non differre natura ait, veriſſimè & ſine ſcrupulo loquitur. Quòd verò dicit differre numero, cauendum eſt quomodo intelligatur. Diuerſis enim modis dicuntur aliqua differre numero.

CAP. XVI.

Quibus modis dicantur differre numero, & ſecundum quem modum poſſit conuenire Perſonis.

Quot modis numero differre aliquid poteſt.

DICVNTVR enim aliqua differre numero, quando ita differũt, vt hoc nõ ſit illud, nec aliquid quod illud eſt, vel in ipſo eſt: qualiter differunt Socrates, &

Plato,

A *Plato, & huiuſmodi, quæ apud Philoſophos dicuntur indiuidua vel particularia. iuxta quem modum non poſſunt dici tres Perſonæ differre numero. Dicuntur quoque differre numero, quæ in enumeratione ſiue computatione non ſibi adiunguntur, ſed à ſe inuicem diſcernuntur: vt quum de aliquibus rebus loquentes dicimus, vna, duæ, tres, & ſecundum hunc modum fortè dixit Ioannes hypoſtaſes, id eſt, Perſonas differre numero. Poſſumus enim dicere, Pater eſt vnus, & Pater eſt Filius ſunt duo, & Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt tres. Et item, Hæc Perſona eſt vna, & hæc & illa ſunt duæ, & hæc & illa & alia ſunt tres. Conuenientiùs tamen tres illæ Perſonæ proprietatibus tantùm diſtingui dicuntur: de quarum diſtinctione ſecundum proprietates in ſequenti tractabitur. Nunc verò ad incœptum redeamus, quæ dicta ſunt repetentes, vt ſæpius verſando familiariùs innoteſcant.*

Diſt. 26. parag. A.

CAP. XVII.

Quòd vna Perſona non eſt maior alia, nec tres ſimul quàm vna: & hoc ratione oſtendit Catholica.

B

Cõcluſio totius huius argumenti, & diſputationis. In prologo.

Cap. I.

SCIENDVM eſt ergo tantam æqualitatem eſſe in Trinitate, vt ait Aug. in vij lib. de Trinit. vt nõ ſolùm Pater non ſit maior quàm Filius, ſed nec Pater & Filius ſimul maius aliquid ſunt quàm Spiritus ſanctus, aut quælibet Perſona minus aliquid ſit quàm ipſa Trinitas. Quòd autem ita ſit, aliquo modo ſi fieri poteſt, demonſtrandum eſt. Quantùm ergo creator ipſe adiuuat, attendamus. Inquit Aug. in eodem, quomodo in hac Trinitate duæ vel tres Perſonæ non ſunt maius aliquid quàm vna earum.

CAP. XVIII.

Ratione vtitur ſubtiliſſima ad oſtendendum quòd ita ſit.

C

Li. & cap. eiſdem. Cõcluſionis cõfirmatio.

QVOD ibi magnum dicitur, aliunde magnum non eſt, quàm eo quo verè eſt: quia ibi magnitudo ipſa veritas eſt, & veritas eſſentia: non ergo ibi maius eſt, quod verius non eſt. Non autem verius eſt Pater & Filius ſimul, quàm Pater ſolus vel Filius. Non ergo maius eſt aliquid vterque ſimul, quàm ſingulus eorum. Et quia æquè verè eſt etiam Spiritus ſanctus: ideo Pater & Filius ſimul non ſunt aliquid maius quàm ipſe: quia nec verius ſunt. Item in eſſentia veritatis, hoc eſt verum eſſe, quod eſt eſſe: & hoc eſt eſſe, quod eſt magnum eſſe. Hoc eſt ergo magnum eſſe, quod verum eſſe. Quod igitur ibi æquè verum eſt, & æquè magnum eſt. Quod ergo ibi plus veritatis non habet, non plus habet magnitudinis. Plus autem veritatis non habet, quod verius non eſt. Non eſt autem verius vna perſona quàm alia: vel duæ quàm vna: vel tres ſimul quàm ſingula. Non ergo plus veritatis habet vna quàm alia, vel duæ quàm vna, vel tres ſimul quàm ſingula. Sic ergo & ipſa Trinitas non eſt maius aliquid, quàm vnaquæque ibi Perſona, ſed tam magnum quàm ſingula. Non enim ibi maior eſt quæ verior non eſt, vbi ipſa veritas eſt magnitudo. Ecce modo conuenienti & ratione Catholica oſtenſum eſt, quomodo indifferens ſit magnitudo trium Perſonarum: quia nec vna maior eſt alia: nec duæ maius aliquid quàm vna: nec tres ſimul maius aliquid quàm ſingula.

CAP. XIX.

Quòd Deus non eſt dicendus triplex, ſed Trinus.

A

Admonitio vtilis de forma loquendi. Cap. 7. Cap. 8. eiuſdem.

PRÆTEREA cùm Deus dicatur Trinus, non tamen debet dici triplex: ibi enim non eſt triplicitas, vbi ſumma eſt vnitas & indifferens æqualitas. Vnde Auguſt. in lib. 6. de Trinit. ait, Non quoniam Deus Trinitas eſt, ideo triplex putandus eſt: alioquin minor eſſet Pater ſolus, vel Filius ſolus, quàm ſimul Pater & Filius. Quum itaque tantus eſt Pater ſolus, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus ſanctus, quantus eſt ſimul Pater & Filius & Spiritus ſanctus, nullo modo triplex dicendus eſt Deus. Non enim Pater cum Filio & Spiritu ſancto maior Deus eſt, quàm ſinguli eorum: quia nõ eſt quo creſcat illa perfectio. Perfectus autem eſt & Pater & Filius & Spiritus ſanctus, & perfectus dicitur Deus ſingulus eorum. Et ideo Trinitas potius quàm triplex dici debet. B

CAP. XX.

Quòd non eſt ita in rebus corporeis, vt in Trinitate.

Cap. 10. eiuſdẽ lib. Hypophora, qua ſuperior admonitio cõfirmatur.

IN rebus corporeis non tantum eſt vna, quantum tres ſimul, & plus ſunt duæ, quàm vna res. In Trinitate verò ſumma tantum eſt vna Perſona, quantũ tres ſimul: & tantum ſunt duæ, quantum vna: & in ſe infinitæ ſunt, quia nõ eſt finis magnitudinis earũ. Ac per hoc aperitur quòd ſuperiùs dictũ eſt, quomodo ſingula ſunt in ſingulis, & omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & vnum in omnibus eſt, & vnũ omnia. Ecce iã oſtendimus ſufficienter, qualiter in Trinitate aliqua Perſona aliam non ſuperet magnitudine.

AD DISTINCT. XIX.

AD CAP. I.

C

1 *Nec Filius Spiritu ſancto.* Quædam ſunt hoc loco & detruncata, & prætermiſſa, ſed quia non magna ſenſus ipſius autoris iniuria factum eſt, libenter hoc cõdonamus. Vt autem quod dicimus verum eſſe omnes intelligant, verba ipſa, ſeu Fulgentij, ſeu mauis Auguſtini bona fide tranſcripſimus integra, non autem immutata. *Per hanc vnitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu ſancto eſt: totus quoque Spiritus ſanctus eſt in Patre & Filio. Nullus horum extra quemlibet ipſorum eſt, quia nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut ſuperat poteſtate: quia nec Filio, nec Spiritu ſancto, quantum ad naturæ diuinæ vnitatem pertinet, aut anterior, aut maior Pater eſt: nec Filij æternitas, atque immẽſitas velut anterior aut maior Spiritus ſancti immenſitatem, æternitatémque aut præcedere, aut excedere naturaliter poteſt. Sicut ergo nec Filius poſterior, aut minor eſt Patre: ita nec Spiritus ſanctus poſterior, aut minor eſt Filio. Æternum quippe & ſine initio eſt, quòd de Patris natura natus exiſtit: & æternũ ac ſine initio eſt, quòd Spiritus S. &c.* Ex his igitur quilibet per ſe videt quid omiſſum, mutatum, aut truncatum iſte Lombardi locus habeat.

AD CAP. II.

1 *Non alio magnus, alio Deus eſt.* Iã verò neque

A tolerari,neque condonari poteſt iſtius Auguſtini loci à vera mente detortio. Nam iſta dicuntur ab Auguſtino in quęſtione, Vtrùm Pater ſine Filio ſapiens eſſe intelligi poſſit,quaſi ſit alia Patris ſapientia,quàm Filius. Iſte ad eam quæſtionem transfert, Vtrùm æternitas, magnitudo & potentia ſint tantùm notiones, an res diuerſæ in Deo? Quanquam enim veriſſimum eſt,quod hoc loco iſte efficere conatur, nempe tres illas diuinas Perſonas inter ſe nec æternitate, nec magnitudine, nec potentia differre: ſed omnino inter ſe æquales eſſe: tamen ex commodiore, & minus diſcrepante aliquo Scripturæ,vel Auguſtini loco id probari demõſtraríque oportuit. Ac quidem ex Scriptura ſacra,veluti ex Ioan.10.*Ego & Pater vnum ſumus*,Phil.2.*Qui quum eſſet in forma Dei, nõ rapinam duxit parem eſſe cum Deo*,Ioan.5.*Vt omnes honorent* Filium,*prout honorant Patrem*. Ex Auguſtino verò(vt infinitos alios orthodoxos Patres prętermittam)innumerabiles propè loci, & hi quidem aptiſſimi,adduci poterant,quorum hæc pauca B ſint exempla. Auguſtinus Sermo. 38. de Tempore,*Planè ergo & abſque omni dubitatione credendum eſt Patrem,& Filium, & Spiritum ſanctum vnũ eſſe Deum omnipotentem, æternum, incommutabilem, & ſingulus horum Deus, & ſimul omnes vnus, & ſingulus quiſque horum plena,& perfecta æterna ſubſtantia. Quia quicquid eſt Pater,quo Deus eſt, quo ſubſtantia eſt,quo æternitas eſt:hoc Filius, hoc Spiritus ſanctus eſt.* Et paulo pòſt,*Vna ergo in tribus diuinitas, vna eſſentia,vna omnipotentia, & quicquid ſubſtantialiter poteſt dici de* Deo. Item Sermo. 129. *Si quis non dixerit* Patris,*& Filij,& Spiritus ſancti vnam diuinitatem,* C *parem maieſtatem,potentiam, vnam gloriam, dominationem,vnum regnum, atque vnam voluntatem. anathema ſit.* Itaque non Soli tenebras offundere, id eſt,perſpicuo argumento ineptas & ἀμφιβόλοις probationes ſubiicere iſte debuit: ſed veræ ſententiæ certa veráque fundamenta ſubſternere, ne fides noſtra dubiis & contortis argumentis niti in tam neceſſario capite à quopiam Epicureo cenſeatur.

2 *Eadem quippe.* Iſta ſunt Lombardi ipſius verba,non autem Auguſtini, necui videatur iſta eſſe Lombardi interpretatio,& iſta ad argumentum ſuſceptum eſſe rectè accommodata.

3 *Vnus eſt.*Planè aliter habet Auguſtinus, lib. 7.Confeſſio.cap.4.ſic nempe, *Non cogeris inuitus ad aliquid, quia voluntas tua non eſt maior potentia tua.Eſſet autem maior,ſi teipſo tu ipſe maior eſſes.Voluntas enim & potentia Dei, Deus ipſe eſt.* Pro quo habet iſte *Vnus eſt.* Primùm igitur immutatio perſpicuè facta eſt:deinde ea quoque vel falſa,vel ſaltem barbara.Falſa quidem,quòd *Vnus* de Perſonis, non de re dicitur aut attributis. Non ſunt autem *Potentia* & *Voluntas* Dei Perſonæ: vel in Perſonalitatis diuinæ rationem cadentes animi notiones.Barbara verò,quod pro *vnum ſunt*, iſte ineptè prorſus ſubſtituit *vnus eſt*: vt non melior Grammaticus appareat, quàm Theologus. Noſtram ſententiam cõfirmat Auguſtinus (vt Græcos omnes prætermittam illum Ioan.locum,*Ego & Pater vnum ſumus* cap.10. explicantes) qui lib. 3.contra Maximin.Arianorum epiſcopum docet ſic differre vnus & vnum,vt *vnus* de Perſona: *vnũ* de eſſentia dicatur.

4 *De omnibus generationibus.* Id eſt,hic additio facta eſt ad verba Auguſtini,tanquam *generationem* A *generationum* exponeret ætatem quandam & durationem temporis,ex omnibus Sanctorum generationibus collectam, quam iſte non trãſire ait.Contra Auguſt.ſentit annos Dei.i. æternitatem ſeu potius perpetuitatem communicatum iri generationi generationum.i. illi præſtantiſſimæ generationi & cœtui Sanctorum, qui ex omnibus mundi ætatibus in cœlo collectus eſt & erit. Vt in illo Pſal.101. voce & forma dicẽdi Hebraica *generatio generationum* ſignificetur quędam præſtantiſſima generatio: ſed non ætas Dei.i. æternitas deſcribatur:ſed illi potiùs, quibus duratio illa ſempiterna communicanda eſt quocũque tandem mundi tempore vixerint. Hæc eſt veriſſima Auguſtini mens,à qua iſte diſceſſit.Sic enim ille, *Quare non ait, Anni tui in ſecula ſeculorum,ſic* B *enim magis ſolet æternitas ſignificari in Sanctis ſcripturis: ſed ait in generatione generationum anni tui?* Poſtea ſic reſpondet Auguſtinus, *De tot generationibus colliges omnes ſanctas proles omnium generationum,& facies inde vnam generationem.In iſta generatione generationum anni tui, id eſt, æternitas illa in illa generatione erit,quæ de omnibus generationibus colligitur, & in vnam redigitur:ipſa particeps erit æternitatis tuæ.*Hęc Auguſtinus à cuius ſenſu interpretem iſtum tam procul aberrare non oportuit. Quanquam tamen,vt verum fatear,neque Auguſtinus, qui de vita electorum futura æterna illa quidem hunc locum interpretatur: neque Lombardus, qui generationes iſtas ad ſolos pios reſtringit,veram Pſalmi illius & Scripturæ mentẽ C aſſequuti ſunt, quum ibi ex vſitato ſtylo æternitas Dei ex comparatione rerum humanarum, etiam maximè diuturnarum, illa phraſi dicendi deſcribatur. Id quod omnes linguæ Hebraicæ periti ſatis intelligunt.

AD CAP. V.

1 *Diuinæ naturæ vnitatem.* Quidpiam eſt hoc loco à Lombardo immutatum, ſed citra ſententiæ iacturam. Itaque iſtam decurtationem æqui boníque conſulimus.

2 *Nec exemplum aliquod.* Quædam prætermiſſa ſunt ex Hilario, quæ cur hoc arcanum & tantum ſit,& nobis incomprehenſibile, docent. Eſt autem ratio duplex, Prima,quòd nihil vnum & idem numero in rebus humanis poteſt eſſe ſimul & in altero,& extra alterum. Secunda, quòd nihil aliud ſit,quod quidpiam intra ſe habeat,& idem tamen ſit illi ipſi rei intra ſe contentæ interius. Quæ tamen duo tam mira Deitas habet. Sed hæc ex ipſis Hilarij verbis, quàm ex meis intelligi malo.*Videtur nánque*,ait Hilarius, *non poſſe effici,vt quod in altero ſit,æquè idipſum extra alterum ſit:& quum neceſſe ſit ea,de quibus agitur,non ſolitaria ſibi eſſe,numerum tamen ſuum, in quo ſunt, conſeruantia,non poſſe ſe inuicem continere, vt qui aliquid aliud intra ſe habeat,atque ita maneat, manénſque ſemper exterior ei,viciſſim quem intra ſe habeat,maneat æquè ſemper interior. Hæc quidem ſenſus hominum non conſequitur.*Hæc tot verba inter duo illa à Lombardo diſſecta orationis Hilarianæ membra intercedunt, quæ ſunt magni momenti, & lucem huic diſputationi magnam & neceſſariam afferunt.

A 3 *Non intelligibile.* Hilarius habet, inintelligibile phraſi Græca ἄγνωστον vel ἀνοητικόν.

4 *Eſſe plenitudo in vtroque diuinitatis.* Et verba, & mens huius loci ab Hilario procul diſſidet. Quod enim concluſio eſt apud Hilarium, hic eſt αἰτιολογία, & rei tanquam controuerſę ratio. Quod apertè dictum eſt apud Hilarium, hîc obſcurè. Quod varia partium enumeratione explicatur ab Hilario, hîc confunditur. Denique cauſſa iſtius inceſſionis perſonarum ab iſto ſtatuitur plenitudo deitatis, quæ in illis tribus perſonis, id eſt, Patre, & Filio, & Spiritu ſancto eſt: ab Hilario autem eius cauſſa ſtatuitur potiùs vnitas deitatis, lib. 9. de Trin. Nam quod *plenitudo deitatis dicitur* ab Hilario *eſſe in Filio*, idcirco dicitur, ne putetur eſſe Filius in Patre, vti pars Patris, vel deitatis: & non plenam deitatem habere ipſe quoque Filius λόγος πατρός. Verba igitur ipſa lib. 3. de Tri. audiamus. Ex *iis ergo, ait, quæ in* Patre *ſunt, ea* B (ſunt) *in quibus eſt* Filius, *id eſt, ex toto Patre totus Filius natus eſt: non aliunde, quia nihil antequã* (eſſet) *Filius: non ex nihilo, quia ex Deo Filius: non in* Patre, *quia plenitudo deitatis in* Filio: *neque in aliquib᾿, quia in omnibus: ſed vt voluit, qui potuit: vt ſcit, qui genuit, quod in* Patre *eſt, hoc & in* Filio *eſt: quod in ingenito, hoc in vnigenito, &c.* Quibus quid præclarius aut dilucidius dici potuit? Obiter autẽ illud eſt annotandum, duo vocabula hîc à Lombardo, pro ſua in citandis autoribus fide, & mutata & corrupta, *deitatis* in *diuinitatis*, & *vnigenito* in *genito*, ex dictatoria nimirum magiſtralique audacia. Verba autem iſta Pa*trem in Filio, &* F*ilium in Patre eſſe, plenitudo in vtroque diuinitatis perfecta eſt*, ſumpta ſunt ex eodem quidem Hilarij libro 3. circa fol. 12. pag. 2. col. 2. in fin. columnæ, vbi non de inceſſione perſonarum agit Hilarius, ſed cur, & quomodo Filius dicatur *imago ſubſtantiæ Patris*, quas quæſtiones, earúmque rationes iſte temerè confundit, & permiſcet.

C 5 *Is ſcilicet qui eſt.* Multa hic perturbatè & confuſè ſunt ex Hilario tranſcripta: & ex diuerſis locis, qui ſi à nobis iterum tranſcriberentur, nauſeã lectori afferrent. Repetat locos ipſos apud Hilarium diligens lector.

6 *Nec eundem vtrunque.* Proculdubiò & locus, & ratio Grammatices poſtulat, vt pro *eundẽ*, legamus, *idem* maſculino genere, id eſt, eadẽ perſona: & pro *vtrunque* legamus *vterque*. Ergo vterque non eſt idem. i. eadem perſona. Quod cũ nõ animaduerterent Magiſtri noſtri, in primis autem poſtremus ſui præceptoris cenſor Ioan. Aleamne Pariſienſis, magno omnibus ludibrio eſſe ſuum hunc Coryphæum patiuntur. Nam in omnibus codicibus & vetuſtioribus, & recentioribus iſte ſolœciſſimus apparet incorrectus, qui etiam ſic imperitè in ipſis eorum ſcholis quotidie decantatur, nec animaduertitur. Sed quia ſunt Magiſtri noſtri non curant de verbis, modò comburant hæreticos.

AD CAP. VII.

1 *Noli hoc timere.* Quædam ſunt à Lombardo immutata, ſed quia ſenſum loci non euertunt, nõ viſum eſt annotare, ne me ἀκριβοδικαιότερον, eſſe homines iſti cenſeant, quum par ſit.

AD CAP. VIII.

A 1 *Papa Eugenius.* Tertium nomine intelligit, qui Bernardi diſcipulus fuit, & tempora Lombardi paulò præceſſit. Quale tamen tunc fuerit Eccleſiæ occidentalis de Damaſceno iudicium, apparet ex Anſelmi (qui non toto ſeculo Lombardum anteceſſit) ſcripſit, ac præſertim ex opere, quòd Elucidarium inſcribitur.

Cenſura.

His ita explicatis ad cenſuram iſtius Diſtinctionis accedo, quæ præterquàm quòd & prolixa eſt, & confuſa, vtpote quæ in vnam miſceat tractationem, quæ in duas diſtingui debuerãt: (alius enim erat de æqualitate perſonarum diuinarum, alius autem de earundem circuminſeſſione, vel, vt alij ſcribere malunt, immeatione, aut circuminceſſione locus) eſt etiam obſcura. Sed hæc orationis vitia, quanquam maxima, in iſto tamẽ ſcriptore trita ſunt, & penè iam longa hominum indulgẽtia tolerabilia. Alia igitur iam obſeruemus B & videamus. Illa verò ſunt duorum hoc loco generum. Nam primùm vtiliſſimas quæſtiones curioſas omnino vel ineptas reddit. Secundùm autem, quædam etiam falſa in hac Diſtinctione ſcripſit Lombardus.

Ac quidem quum neque vſum harum quæſtionum de æqualitate diuinarum perſonarum, & de earum circuminceſſione (quam Græci περιχώρησιν vocant) neque originem tradat, videtur potiùs tota hæc tractatio aut curioſa, aut ſuperuacanea, quàm homini Chriſtiano vtilis & neceſſaria, pręſertim quum hactenus demõſtratum ſit, vnicam eſſe & ſimpliciſſimam diuinam eſſentiam, ſuprà Diſt. 8. Præterea eandem hanc quæſtionẽ poſtea repetit, vt hic ſuperfluè inculcata videatur: & breuiſſimè eãdem tractat, vt fruſtrà hîc ſéque, & ſuos in labyrinthos ac laqueos indueri: & difficiles, & ipſi inextricabiles. Et certè hoc obſcurum iam per ſe argumentum nouis quæſtionibus non erat C inuoluendum: neque etiam de tam auguſta natura curioſè diſputandum fuit. Denique ita rem totam Lombardus tradit, vt non Scripturæ ipſius ſacræ autoritate (quæ ſola nobis in tam ardua & cœleſti quæſtione perſpicienda prælucere debet) ſed tantùm hominum ſententiis nitatur: nec iis etiam ab ipſo Lombardo rectè perpenſis ac intellectis: ſed alienis, contortis, & inflexis, quum tamen illi liceret ex Athanaſio, Baſilio, Auguſtino perſpicuè totum hoc argumentum explicare: adeò vt mihi quidem hic in mentem veniat illud quod ſcribit Occan, noſtrorum Scholaſticorum delitię, *Quamuis concluſio ſit vera, tamen ille modus explicandi accipit aliqua falſa.* Vt autem quis vſus ſit iſtius quęſtionis, quæve origo intelligatur, ſciendum eſt, ex Arianorum & Eunomianorum hęreticorum (qui ſunt Arianorum ſoboles) diſputationibus primùm eſſe profectam, quorum illi quidem negarunt Filium & Patrem eſſe ὁμοουσίους, iſti verò eſſe ὁμοτίμους, & ἴσους, quemadmodum & Athanaſius, & Baſilius docent. Athanaſius vbique. Baſilius libro ſecundo contra Eunomium. A quibus quum didiciſſet Thomas, ita ſcripſit in prima parte Quęſtio. 42. Articu. 1. *Non ſolùm dicimus Filium eſſe*

A *ſimilem Patri, vt excludatur error Eunomij: ſed etiam dicimus æqualem, vt excludatur error Arij.* Et hæc de origine iſtarum quæſtionum. Cæterùm de iis Lombardus hoc ordine agit, quòd poſtquam de perſonarum diuinarum diſtinctione actum eſt, ſequebatur vt de earundem inter ſe comparatione diſputaretur: quò iſtis grauiſſimis erroribus, & qui penè per ſingulas ætates repullulaſcunt, obuiam iretur. Negât igitur Eunomiani Filium eſſe vel ὅμοιον, vel ἴσον Patri, quòd & qualitate, & quantitate careret Deus: non intelligentes nimirum & æquales, & ſimiles dici inter ſe perſonas diuinas propter naturæ vnius & ſimplicis (qua conſtant) vnitatem, ac perfectionem, quam totam ſingulæ perſonæ in ſeſe habent, quemadmodum Gregorius Nazianzenus explicat in oratione de Seceſſu, & Fide Baſilij. Quæ verò ex Ariſtotelis Metaphyſicis afferuntur, ad explicationem harum vocum, *æqualis, ſimilis*, &c. planè aliena ſunt.

Atque hæc quidem Lombardi vitia quanquam B magna, ſunt tamen leuiora in hac Diſtinctione peccata. Quæ reſtant ſunt ſanè ἀπαραίτητα, & nequaquam veniâ digna. ψεῦδος enim in re ipſa & doctrina continent. Quod eſt ſecundum noſtræ in hunc locum cenſuræ caput.

Primum autem ψεῦδος eſt in ipſa Diſtinctionis inſcriptione, quæ non tantùm in indice generali, præfixo huic lib. 1. fit: ſed hic etiam repetitur, *De qualitate trium perſonarum*. Diuinæ enim eſſentiæ qualitatem tribuit, cõtra quàm veteres Theologi omnes doceant aut loquantur: in primíſque ille ipſe Damaſcenus, quem inter Græcorũ Doctores maximum iſte vocat. Sic enim Damaſcenus libro primo, capite 18. de orthodoxa Fide. οὐ χρὴ γὰρ λέγειν ἐπὶ Θεοῦ ποιότητα, ἵνα μὴ σύνθετον εἴπωμεν αὐτὸν ἐξ οὐσίας καὶ ποιότητος. Id eſt, *Non oportet enim ſtatuere aliquam eſſe in* Deo *qualitatem, ne* Deum *quiddam ex eſſentia & qualitate compoſitum dicamus.* Nazianzenus, ποιότητος δὲ τὸ Θεῖον ἐλεύθερον, ταὐτότητα δὲ τῆς φύσεως C ὁμολογοῦντες, καὶ τὸ ὁμοούσιον ἐνδεχόμεθα, καὶ τὸ σύνθετον φεύγομεν. Quod ipſum ex Athanaſio, Baſilio, & prioribus Græcis Theologis didicerant, & Damaſcenus, & Auguſtinus libro quinto de Trinitate, capite 16. *Nihil Dei naturæ accidit. Nihil* Deus *dicitur eſſe ſecundum accidẽs.* Ergo nec qualitas in Deo & diuinis perſonis eſſe poteſt. Præſertim verò hic error eſt grauiſſimus, cùm illas qualitates triũ Perſonarum explicans Lombardus æternitatem, potentiam, circumínceſſionem, magnitudinem, eas Deitatis perfectionem appellet, ipſam nimirum Dei eſſentiam, ac eſſentialia ipſius attributa commutans in accidens. Quod in rebus quidem creatis minimè tolerandum eſſet peccatum, nedum in diuina illa ſimpliciſſimáque eſſentia, & creante tolerandum. Attributorum nomine vtimur, vt ea, quæ inſunt Deitati, ſeparentur à qualitatibus, & earum definitione.

Secundum ψεῦδος, eſt quod cauſam circumínceſſionis perſonarum iſte ſtatuit in plenitudine ac vnitione naturæ diuinæ, non autem in vnitate diuinæ eſſentiæ. Quod fortaſſe iſte ex Anſelmi Monologio capite 57. didicerat, ſed perperam: Anſelmus enim cauſam iſtius inhabitationis refert ad æqualitatem, quæ eſt in illis tribus perſonis. Sic igitur ſcribẽs iſte capite quinto ait. *Ex eodem etiam ſenſu intelligitur Spiritus ſanctus eſſe in vtroque, & ſingula perſonarum eſſe in ſingulis, quia ſcilicet in ſingulis eſt eadem plenitudo diuinitatis, & vnita ſimilitudo naturæ.* A Ergo colligitur ex iſtius hominis ratiocinatione, & verbis, vnitam potius eſſe diuinam naturam, quàm vnam: atque ita Deum aggregatiuum quiddam eſſe. Differunt autẽ plurimùm inter ſe *vnitas, & vnio ſiue vnitio*: item ſi quis dicat *vnitam eſſe diuinam eſſentiam in tribus, vnitam ſimilitudinem naturæ*, aut *vnam*. Refutatur denique ipſe ab iiſdem illis autoribus & locis, quos citat, quum omnes ſtatuant cauſam iſtius ſiue immeationis perſonarum, ſiue inceſſionis, ſiue inſeſſionis, ſiue permeationis, ſiue immanentiæ, ſiue inexiſtentiæ, ſiue inhabitationis, (tot enim vocabulis Latini Theologi reddunt, & exprimunt, quòd Græci dicunt περιχόρησιν & ἴχιαξ, præterquàm quòd quidam, etiam, ſed imperitiſſimè, circuitionem eam conuertunt) veram, inquam, immeationis ſiue inceſſionis perſonarum diuinarum cauſam omnes eſſe agnoſcant, vnitatem illam diuinæ eſſentiæ, non vnitionem. Nam quod docent iſti, velut Thomas in prima parte quæſtio. 42. Artic. 5. ratione tum eſſentiæ, tũ relationis, tum etiam originis eſſe Filium in Patre, contráque Patrem in Filio, &c. atque inde iſtam B oriri circumínceſſionem, obſcurum eſt & confuſas cauſas continet.

Cæterùm Auguſtinus ab iſto citatus nobiſcũ facit, hunc refutat, & conſtituit vnitatem eſſentiæ, non autem relationem perſonarum cauſſam iſtius immeationis, *Nullus horum*, ait, *extra quemlibet ipſorum eſt, propter diuinæ naturæ vnitatem.* Ambroſius, *Per hoc intelligitur Pater eſſe in Filio, & Filius in Patre, quia vna eſt eorum ſubſtantia.* Hilarius libro nono de Trinitate, *Credendus eſt Pater in Filio, & Filius in Patre per naturæ vnitatem, per virtutis poteſtatem, per honoris æqualitatem, per natiuitatis generationem:* quę omnia noſtram ſententiam confirmant. Dionyſius de Diuinis Nominibus, capite ſecundo, primæ partis idem docet. Damaſce- C nus idem libro primo de Orthodox. Fide, capite 11. & 19.

Quid ſit autem iſta circumínceſſio, ſiue circumínſeſſio, longa quæſtio eſt, quam breuiter in ſtudioſorum gratiam explicamus. Iſta ſiue περιχώρησις (quę propriè circumínceſſio eſt & permeatio) ſiue μονὴ & ἵδρυσις (quę immanentia & circumínſeſſio verti poteſt) primùm à Dionyſio lib. de Diuinis Nominibus capite ſecundo primę partis inducta eſt: licèt veteres quidam Scriptores & Dionyſio anteriores concederẽt Patrẽ eſſe in Filio: & Filium in Patre, Io. 14. v. 10. idémque de Sp. S. veluti Athanaſ. Baſilius, Hilarius, (nam & Hilario poſterior eſt Dionyſius iſte) verumtamen vocabulum nullum huic inexiſtendi modo & generi dabant. Eſt enim hîc exiſtendi modus, prorſus à rebus omnibus naturalibus diuerſus: itaque neque ab Ariſtotele lib. 4. Metaphyſ. commemoratus, vbi modos (per quos res aliqua in alia ineſt) exponit, neque in categoriis. Vocabulum primus iſti ἐννοίᾳ animi noſtri, & inexiſtentię perſonarum Dionyſius dediſſe videtur. Auguſtinus libro 6. de Trinitate, capite ſeptimo, dixit *Perſonas eſſe in inuicem.* Anſelmus in Monologio capite 57. *Eſſe in ſe inuicem.* Damaſcenus libro 1. capite nono, Dionyſiũ ſequutus illã περιχώρησιν etiã definiuit. ἡ ἐν ἀλλήλαις τῶν ὑποστάσεων μονήτι

A νή τε καὶ ἵδρυσις, ait, ἀδιάστατοι γὰρ αὗται, καὶ ἀνεκφοίτητοι ἀλλήλαις εἰσίν, ἀσύγχυτον ἔχουσαι τὴν ἐν ἀλλήλαις περιχώρησιν, οὐχ ὥστε συναλείφεσθαι ἢ συγχεῖσθαι, ἀλλ' ὥστε ἔχεσθαι ἀλλήλων. υἱὸς γὰρ ἐν Πατρὶ καὶ πνεύματι, &c. *Perſonæ intra ſe mutuo manent & conſiſtunt. Neque enim ſeparari vna ab alia, vel vna extra aliam egredi poteſt, habent tamen mutuam illam inceſſionem citra confuſionem, non quaſi vna ab alia comprehendatur, aut cum alia confundatur: ſed quòd vna ab alia habeatur. Filius enim eſt in Patre & Sp. ſancto.* veluti ſi tres ſoles, ait idem Damaſcenus capite 11. coniungantur, vnum fit lumen: vel, vt ait Dionyſius, ſi tres faces & lucernæ lumen ſuum vniant. Occan verò iſtam recens ſcriptor ſic explicat circumince ſſionem, vt ſit intima Perſonarum ſibiipſis præſentia cum ſubſtantialitate. Et hæc obiter de hac circumince ſſione dicta ſunt, quoniam eſt obſcura.

Tertius Lombardi error eſt, quòd capite 16. non admittit, *Perſonas inter ſe numero differre:* ſed tantùm proprietatibus diſtingui. Imò verò numero differunt, & quidem propriè, ſi proprietatibus differunt, & eo ſe peſſimum Dialecticum B oſtendit: quoniam ea, vel ipſo Ariſtotele teſte, libro 1. Topicorum, differunt numero, in quibus deſignandis pluribus vnitatibus opus eſt. Ea verò ſunt quæ, præter communem aut eandem eſſentiam, habent proprietates quaſdam ſuas, & ab aliis diſtinctas. Aliàs enim Sabellianorum errorē fouere videremur. Et certè tria ſunt ὑφιστάμενα, & verè diſtincta numero tria illa πρόσωπα, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Itaque Baſilius libro primo, contra Eunomium ait ἀριθμοῦ διαφορὰν in tribus illis Perſonis ineſſe. Neque tamen termini illi numerales aliquod reale diuerſum, vt loquuntur in ſcholis, ponūt in ſingulis perſonis diuinis, de quo quia Thomas in prima parte Quæſtio. 30. Articu. 31. copioſè agit, prætermittam. Et hæc quidem in Diſtinctionem decimamnonam. Cōfer cum capite 5. noſtræ Synopſeos.

C

DISTINCTIO XX.

Oſtenſo quòd aliqua Perſonarum aliam non ſuperat magnitudine: nunc oſtendit, quòd alia non excellit aliam potentia.

CAP. I.

Tranſitio. De trium Perſonarum æqualitate quantū ad poteſtatem.
a Propoſitio.

NVNC oſtendere reſtat, quomodo aliqua harum Perſonarum aliam non excellat potentia: vt ſicut vna & indifferens eſt magnitudo trium, ita vna & indifferens monſtretur potentia trium. Sciendum[a] *eſt ergo, quia non eſt potentior Pater Filio, nec Filius vel Pater Spiritu ſancto: nec maiorem potentiam habent duo vel tres ſimul, quàm ſingulus eorum: quia nec plus poteſt Pater & Filius ſimul, quàm ſolus Spiritus ſanctus. Nec hi tres ſimul plus poſſunt, quàm ſingulus eorum: quia omnipotentiam quam habet Pater, & Filius accepit naſcendo, & Spiritus ſanctus procedendo, quod Auguſtin. rationibus & autoritatibus probabiliter aſtruit in libro 3. contra Maximinum, qui dicebat Patrem meliorem ac potentiorem Filio.*

Cap. 14.

CAP. III.

Quòd non poteſt minùs Filius quàm Pater.

1 Confirmatio ab autoritate Chriſti.
Li. 3. c. 12.

NIHIL, inquit, Patre minus habet ille qui dicit, omnia quæ habet Pater, mea ſunt. Nam ſi minus habet in poteſtate aliquid quàm Pater, non ſunt eius omnia quæ habet Pater. Sed eius ſunt omnia, quæ habet Pater: tantam ergo habet poteſtatem Filius, quantam Pater, æqualis ergo eſt Patri. Non enim poteſt qui accepit, inæqualis eſſe ei qui dedit. Tu autem hoc de potentia ſapis quòd potens ſit Filius, ſed potentior Pater: vt[1] *ſecundum doctrinam veſtram potens potentem potuerit generare vel gignere, & non omnipotens omnipotētem. Habet ergo Pater omnipotentiam, quam non habet Filius: & ſi hoc eſt, falſum eſt, quod ait Filius. Omnia quæ habet Pater, mea ſunt.*

Cap. 12. eiuſdē lib.
Ioan. 16. d

CAP. III.

B

Hoc verum fatebatur hæreticus, ex quo progrediebatur ad falſa.

a Obiectio.
Li. & cap. eiuſdem.

SED, inquis, Pater potentiam à nemine accepit, Filius autem à Patre. Fatemur & nos Filium accepiſſe potentiam ab illo, de quo natus eſt potens: Patri verò potentiam nullus dedit, quia nullus eum genuit. Gignendo enim dedit Pater potentiam Filio, ſicut omnia quæ habet in ſubſtantia ſua, gignendo dedit ei quem genuit de ſubſtantia.

CAP. IIII.

Quæſtio Auguſtini, qua arctat hæreticum.

Ibidem.
Solutio.

SED quæritur, vtrùm[1] *ei tantam, quanta ipſi eſt, potentiam Pater Filio dederit, an minorem. Si tantam non ſolùm potentem, ſed etiam omnipotentem genuiſſe omnipotens intelligitur: ſi verò minorem, quomodo omnia quæ habet Pater, Filij ſunt? Si Patris omnipotentia* C *Filij non eſt, non omnia proculdubiò quæ habet Pater, Filij ſunt. At omnia quæ habet Pater, Filij ſunt: omnipotentia ergo Patris etiam eſt Filij, non eſt ergo Pater potentior Filio.*

CAP. V.

Aliter probat Filium æqualem Patri.

Li. 3. ca. 7. & in lib. 83. q. 50.
2 Confirmatio ab abſurdo.

ITEM alio modo probat Filium æqualem Patri contra Maximinum, ita dicens: Tu dicis[1] *quòd Pater genuit Filium minorem ſeipſo, in quo & Patri derogas: qui ſi Filium vnicum*[2] *minorem genuit, aut non potuit, aut non voluit gignere æqualem. Si dicis quia non voluit, eum inuidum eſſe dixiſti: ſi autem non potuit, vbi eſt omnipotentia Dei Patris? Prorſus ad hunc articulum res colligitur, vt Deus Pater æqualem ſibi gignere Filium, aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit, infirmus: ſi noluit, inuidus inuenitur. Sed vtrunque hoc falſum eſt: Patri ergo Filius verus æqualis eſt. Genuit ergo Pater ſibi æqualem Filium, & ab vtroque procedit vtrique æqualis Spiritus ſanctus. Si enim formam ſuam (vt ait Auguſtinus contra eundem) Pater in vnico filio plenam gignere potuit: nec tamen plenam genuit, ſed minorem, cogimini Patrem inuidum dicere. Plenum ergo Deum & æqualem ſibi genuit Filium.*

Li. 3. c. 15.

A

CAP. VI.

Per ſimile oſtendit quòd minorem Pater Filium genuit.

3 Confirmatio à ſimili. Li. 3. c. 18. *HOC autem per ſimilitudinem humanam ita eſſe demonſtrat, inquiens, Homo Pater ſi potuiſſet, æqualem filium genuiſſet. Quis ergo*[1] *audeat dicere, quòd hoc omnipotens non potuit? Addo etiam, ſi poſſet homo, maiorem melioremque ſeipſo gigneret Filium. Sed maius vel melius Deo quicquam eſſe non poteſt. Deus ergo* Cap. 15. *cur non æqualem (vt ais) Filium genuit: cui nec anni neceſſarij fuerunt, per quos adimpleretur æqualitas, nec omnipotentia defuit? An fortè noluit? ergo (quod abſit) inuidit. Sed non inuidit: æqualem ergo genuit Filium. Credamus ergo Filium ei eſſe æqualem.*

CAP. II.

Opinionem hæretici ponit, vt deſtruat.

2 Obiectio. a Solutio. Ex codẽ lib. 3. c. 18. *SED fortè dicis, eo ipſo Pater eſt maior Filio, quia de nullo genitus, genuit tamen æqualem. Ad quod citò reſpondebo: imò ideò non eſt Pater maior Filio, quia æqualem ſibi genuit. Originis enim quæſtio iſta eſt, quis de quo ſit, æqualitatis autem, qualis aut quantus ſit,* B *quod eſt dicere ad originem pertinet quæſtio qua quæritur, quis de quo ſit: ad æqualitatem verò illa, qua quæritur, qualis aut quantus quis ſit. Nec cùm dicitur Filius à Patre genitus, oſtenditur inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ non quo alter prior eſſet altero: ſed quo alter eſt ex altero. Non ergo ſecundum hoc quòd Pater genuit, & Filius genitus eſt*[2] *vel Spiritus ſanctus ab vtroque procedit, æqualitas vel inæqualitas ibi exiſtit: quia non ſecundum hoc alia perſona alij æqualis vel inæqualis dicitur. Ecce æqualitas Trinitatis & vna eadémque ſubſtantia, quantùm breuiter potuimus, demonſtrata eſt in ſuperioribus: qualiter ſcilicet aliqua trium perſonarum quanlibet aliam nec æternitate, nec* C *magnitudine, nec potentia excellat.* Ad Diſt. 26. hucuſque.

AD DISTINCT. XX.

AD CAP. II.

1 *Vt ſecundum doctrinam.* Quædam hîc ſunt immutata vocabula: ſed tamen res ſalua manet.

AD CAP. IIII.

2 *VTRVM ei tantùm.* Alterutrum παρέλκει vel *Ei,* vel poſtea *Filio.* Satis eſt enim ex iis alterum, quod malueris. Sed iſtius hominis tum barbaries, tum negligentia optimum & elegantiſſimum Auguſtini locum corrupit. Sic igitur habet Auguſtinus, *Sed quæritur vtrùm tantam, quanta ipſi eſt, potentiam Pater Filio dederit, an minorem?* Quędam & hic etiam ſunt immutata autoritate Lombardica & magiſtrali, id eſt, ſine ratione.

AD CAP. V.

3 *Tu dicis quòd.* Duplici modo in hoc capite vulneratus eſt Auguſtinus, in verbis nimirũ tanquam corpore: & in mente ac ſenſu, tanquam animo. Ac in verbis, quòd & quędam mutata ſunt, & in ſummam barbariem diſerta Auguſtini oratio ab iſto fuit traducta, Verba enim hæc, *Tu dicis quod Pater.* &c. planè barbara ſunt, pro quibus ita habet, & quidem eleganter Auguſtinus. *Sed dicis, Dominus Dominum genuit, Deus Deum genuit, Rex Regem genuit,* &c. Nec enim iſte animaduertit verba hæc. *Dominus Dominum genuit,* eſſe ipſiſſimam Maximini orationem, quam diſertè, non obliquè refert Auguſtinus, vt ſyncerè cũ eo agere intelligatur, iam verò vulnus Auguſtini in ipſa mente ſequitur. A

2 *VNICVM minorem genuit.* Quę περὶ αὐτότητος οὐσίας. i. identitate eſſentiæ Patris, & Filij generaliter diſputat docétque Auguſtinus, iſte nõ obſeruato loci tam præclari ſcopo, ad vnam de æquali potentia Patris & Filij quæſtionem reſtringit, id eſt, locum à genuino ſenſu detorquet. Sic enim ex tota ſua aduerſus Maximinum diſputatione tandem colligit in illo ipſo cap. 7. Auguſtinus. *Si autem hoc genuit Pater quod eſt ipſe, vnam Patris & Filij eſſe ſubſtantiam negare nolitote.* Sed fallitur iſte, quia vocabulo *Minor* vſus eſt hic Auguſt. quaſi ad ſolam potentiæ ſignificationẽ vox hæc pertineat: cùm & ad eſſentiam, & æternitatem referat Auguſt. vt ipſius contextus lectio ſatis docere quemlibet poteſt. B

AD CAP. VI.

1 *QVIS ergo audeat.* Multa hîc & confuſa ſunt, & interiecta, quæ non habent Auguſtiniani codices eodem capite. Verba enim iſta priora vſque ad hanc ſententiam, *Deus ergo cur* &c. ſumpta ſunt ex cap. 18. Reliqua verò ex ca. 15. eiuſdem operis, id eſt, libri 3. contra Maximinum.

Cenſura.

Præter ea, quæ in hac Diſtinctione xx. ſuperiùs à nobis ſunt annotata, de verborum immutatione, ac locorum perturbatione, hęc quoque animaduerſione digna viſa ſunt.

Primùm quidem prætermiſſum eſſe verum C iſtius quæſtionis, *Vtrùm diuinæ Perſonæ inter ſe poteſtate ſint æquales,* ſcopum, & vſum. Quanquam enim hoc ipſum à Patribus diſputatum eſt, alio tamen fine, quàm vel vt curioſas in hoc tam auguſtum & ſacroſanctum atque adorandum argumentum quæſtiones inueherent: vel vt de eo inter ſe digladiarentur, *Vtrùm Filius generare poſſit, quemadmodum & Pater, quia Filius Patri potentia æqualis eſt.* Qui tamen ſunt præcipui, & futiles tamen, huius ſcholaſticæ & Lombardicæ diſputationis fines hodie, vero iſtius diſputationis vſu nimirum neglecto. Quamobrem non dubitauit Occan liberè hoc loco pronuntiare, longè diuerſam eſſe rationem, propter quam olim hæc quęſtio à Sanctis Patribus traderetur: & nunc à poſterioribus Lõbardi diſcipulis tractetur. Patres igitur, vt Arianos refutarent, & Filiũ verè & φύσει Deum eſſe, vti & Patrem ipſum, demonſtrarent, eum ęqualem potentia Patri eſſe docuerunt. Iſti verò crucis tantùm animis hominum figendę gratia, hoc totum ad curioſitatem & ambitionẽ animi ſui detorquent. Nam potentia diſſimilem Patri Filium eſſe arreptis quibuſdam Sanctę ſcripturæ locis contendebant Ariani, veluti quod dicit Filius ipſe, Ioan. 5. *Dediſſe Patrem, vt vitam in ſe haberet, mortuos viuificaret,* &c. Vocem enim

Dandi,

A *Dandi*, illi vrgebant, quemadmodum ex Cyrilli Theſauro li.4.cap.2.lib. 10. cap. 1. & 2. itémque Dialog.5.aduerſus Hermium apparet. Iſti verò ſcholaſtici, vti dixi, ab illorum ſanctorum Patrũ veſtigiis aberrantes, totum huius quæſtionis vſum eò traducunt & referunt, vt magnum hominum Chriſtianorum animis ac conſcientiis de præcipuo fidei articulo ſcrupulum iniiciãt, dum docent Filium generare non poſſe, & idcirco dubium relinquunt, Vtrùm ſit Filius Patri potentiâ æqualis.i. idem cum Patre Deus. In quo ipſo cõtrariæ quoque ſunt iſtorum hominum inter ſe de eo temerè iurgantium rixæ & ſententiæ, quẽadmodum docet Paulus eas ex huiuſmodi curioſis philoſophationibus euenire 1.Timoth.6. Alij enim vt hanc crucem tollant, quam ſibi fixerunt, volunt eandem eſſe potentiam, qua quis generatur, & generat. Sic Thomas in 1.part. Quæſt. 42. art. 6. Alij negant potentiam generandi eſſe potentiam: ſed volunt eam eſſe ipſammet diuinam eſſentiam. Alij diſtingunt inter actus eſſentiales B ſiue ad extra: & notionales ſiue ad intra. In actionibus tantùm ad extra eſſe æquè omnipotentes tres Perſonas illas diuinas ſtatuunt: non etiam in iis, quæ ſunt ad intra. Denique non perplexæ dũtaxat, ſed infinitæ propemodum ſunt iſtorum hominum ſententiæ, omnes tamen nullo ſcripturæ ſacræ fundamento ſubnixæ. Ergo Occan ſentit potiùs de vocibus, quam de re hic à ſcholaſticis iurgari. Atque hæc ex prætermiſſo huius diſputationis vſu incommoda nata ſunt. Breuiter autem in ſtudioſorum gratiam dixerim, quum quæritur, vtrùm tres illæ diuinæ Perſonæ poteſtate ſunt inter ſe æquales, de ea poteſtate agi, quæ ſe ad opera externa. i. extra ipſam deitatem emanantia exerit. Nam quæ ab vna Perſona fiũt, eadem & quo ad numerum, & quo ad operis ipſius perfectionem ab alia fiunt, nec plus ibi Pater poteſt, quàm Filius: nec plus vna Perſona poteſt, quàm duæ vel tres ſimul: etſi quæ in vno & eodẽ C illo opere propria Patris actio eſt, eadem non ſit propria vel Filij, vel Spiritus ſancti actio. In ſumma hæc potentię æqualitas ex effectis ipſis & obiectis factibilibus ad extra, vt loquuntur, eſt æſtimanda, in iiſque verſatur: nõ in eo, vt ſi vna Perſona Pater eſt, altera ſit quoque Pater, quoniam hæc non deitatis & eſſentiæ potentia eſt: ſed ipſa potiùs Perſonarum relatio, & exiſtendi modus. Videant lectores quò tandem irrupit iſtorũ hominum audacia, quę ea ſcrutatur, qui ne Vnigenitus quidem ille, qui eſt in ſinu Patris, narrare nobis voluit. Præclarè enim Hieronymus, *Vnigenitus ille qui vidit, & narrat, non quantus eſt ille, qui viſus eſt: nec quantum nouit ille qui narrat: ſed quantum poteſt mortalium ſenſus accipere*. Qua certè menſura homines iſti contenti eſſe debebant.

Secundùm, in eo maximè reprehendendus eſt iſte, quòd præter leges compendij (quod tamen ſe ſcribere fatetur) eadem omnino repetit, quæ ſuprà tradita ſunt. Quid enim aliud tota ſuperiori Diſtinctione egit, quàm hac ipſa: cum ex quibus cauſis probatur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus coæterni, & æquales magnitudine: ex iiſdem quoque oſtendantur potentia inter ſe eſſe æquales? Nimirum ex eo quod vna & eadem numero eſt trium illarum Perſonarũ eſſentia, quẽadmodum docet præclarè Damaſcenus libro 1. Orthod.fid.cap.11. Ex eadem enim illa cauſa fit, A vt, quod idem addit, ſit earundem Perſonarum μία ἀγαθότης, μία θέλησις, μία ἐνέργεια, μία ἐξουσία, μία καὶ ἡ αὐτή, οὐ τρεῖς ὅμοιαι ἀλλήλαις: ἀλλὰ μία καὶ αὐτὴ κίνησις τῶν τριῶν ὑποστάσεων. i. *Vna bonitas, vna voluntas, vna operatio, vna dignitas, Vna, inquam, & eadem: non autem ſimiles inter ſe: ſed vna & eadem motio trium illarum Perſonarum.*

Deinde & tertio loco, ſi quæ, propter identitatem eſſentiæ, eadem ſunt in tribus illis Perſonis, ſunt ſingulis diſtinctionibus explicanda, quemadmodum iſte fecit, ecquis tandem erit huius tractationis finis, cùm penè ſint ea infinita, veluti quòd vbique ſint, & ſimul tres illæ Perſonæ, quod creatrices ſunt, incorporeæ, bonitatis fons, ſimplices, inacceſſibiles, &c. huiuſmodi, quę Damaſcenus tum cap. 8. tum etiam 12. libr. 1. de Orthodox. fide perſequitur.

Denique & illud quoque, quod maximi tamẽ eſt momenti, ab iſto prætermiſſum eſt, & quod tamen omnia ſuperiora euertere videtur poſſe, nempe quòd à ſanctis Patribus etiam Pater dicitur *Maior* Filio: non quâ tantùm diſpenſatio & οἰκονομία humanitatis in Chriſto ſpectatur: ſed B qua etiam ipſa θεολογία & diuina natura, vt loquitur Nazianz. Quod explicans Damaſc. lib. 1. cap. 9. reſpondet, Εἰ δὲ λέγομεν τὸν πατέρα ἀρχὴν εἶναι τοῦ υἱοῦ, καὶ μείζονα, οὐ προτερεύειν αὐτὸν τοῦ υἱοῦ χρόνῳ ἢ φύσει ὑποφαίνομεν (δι' αὐτοῦ γὰρ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν) οὐδ' ἕτερόν τι, εἰ μὴ κατὰ τὸ αἰτιατὸν, τουτέστιν, ὅτι υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς ἐγεννήθη, καὶ οὐχ ὁ πατὴρ ἐκ τοῦ υἱοῦ, *Quum autem dicimus Patrem eſſe principiũ, aut maiorem* Filio, *non affirmamus eum eſſe vel tempore, vel natura potiorem Filio (per eum enim fecit ſecula) neque aliud quidpiam, quàm quòd Pater cauſa eſt Filij, hoc eſt, Filius eſt à Patre: non autem Pater à Filio.* Quæ ſunt cum Auguſtino capite 18. libro 3. cõtra Maximin. conferenda. Nec enim iſtud *Maior* ad eſſentiæ rationem pertinet, ſed ad Perſonarum tantùm relationem, & Patris ſolùm ἀξίωμα, quod vocat Baſilius. Atque hęc ſunt pauca è multis, quę C in hanc Diſtinctionem xx. dicenda habuimus.

DISTINCTIO XXI.

Quæritur quomodo poſſit dici ſolus Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus ſanctus, cùm ſint inſeparabiles.

CAP. I.

HIC oritur quæſtio trahens originem ex prædictis. *Dictum eſt enim ſuprà, quòd tantus eſt ſolus Pater, vel ſolus* Filius, *vel ſolus Spiritus ſanctus, quantùm ſimul illæ tres: & quòd duæ vel tres Perſonæ ſimul non ſunt maius aliquid, quàm vna Perſona ſola. Ideo*[a] *quærit Aug. in 6. lib. de Trin. quomodo hæc ſanè dici poſſint, cùm nec Pater ſit ſolus, nec Filius, nec Spiritus ſanctus: ſed ſemper & inſeparabiliter, & Filius cũ Patre, & Pater cum* Filio, *& Spiritus ſanctus cũ vtroque. Inſeparabiles enim ſunt hæ tres Perſonæ. Ad*[b] *quod ita reſpondet Auguſt. in eodem, Solum*[1] Deum *Patrem dicimus, non quia ſeparatur à Filio, vel à Spiritu ſancto: ſed hoc dicentes ſignificamus, quia illi ſimul cum eo non ſunt Pater: Solus*[2] *enim Pater eſt. Quod nõ dicitur quia ipſe ſit ſolus, id eſt, ſine Filio vel Spiritu ſancto:*

Ratio ordinis. Diſt. 19. ſigno S. & diſt. 20. ſigno A.

Qualiter dictiones excluſiuæ capiantur in diuinis Cap. 7.

a Propoſitio.

b Reſponſio.

1 Quęſtio.

2 Quęſtio.

A *ſed per hoc Filius vel Spiritus ſanctus à paternitatis cõſortio excludũtur. Ita & cũ dicitur, ſolus Filius Filiꝰ eſt, vel ſolus Spiritus ſanctus eſt Spiritus ſanctus, non diuiditur Filius à Patre, vel Spiritus ſanctus ab vtroque: ſed à conſortio filialis proprietatis excluduntur Pater & Spiritus ſanctus: & à conſortio proceſſibilis proprietatis Pater & Filius. Cùm ergo dicitur, tantus eſt ſolus Pater quantum ſimul illi tres, per hoc quòd dicitur ſolus, non ſeparatur Pater ab alijs: ſed hic eſt ſenſus,* B *Solus Pater, id eſt, Pater qui ita eſt, quòd nec Filius nec Spiritus ſanctus, tantus eſt, &c. Similiter intellige cùm dicitur, ſolus eſt Filius, vel ſolus eſt Spiritus ſanctus. Solus ergo Pater dicitur, vt ait Aug. in eodẽ, quia non niſi ipſe ibi Pater eſt: & ſolus Filius, quia non niſi ipſe ibi Filius eſt, & ſolus Spiritus ſanctus, quia nõ niſi ipſe ibi Spiritus ſanctus eſt.*

Li. 6. c. 9.

CAP. II.

Vtrum poſſit dici ſolus Pater eſt Deus, ſolus Filius eſt Deus, vel ſolus Spiritus ſanctus eſt Deus, vel Pater eſt ſolus Deus, vel Spiritus ſanctus eſt ſolus Deus.

2 Quæſt 1. ad Tim. 6.d Cap. 9. Quod nõ dicitur ſolus Pater Deus. a Reſponſio.

POST hæc quæritur vtrum ſicut dicitur ſolus Pater eſt Pater, vel ſolus Filius eſt Filius, ita poſſit dici, ſolus Pater eſt Deus, vel ſolus Filius eſt Deus, ita & de Spiritu ſancto. Aut Pater eſt ſolus Deus, Filius eſt ſolus Deus. Ad[a] *quod dicimus, quia Pater &* C *Filius & Spiritus ſanctus dicitur, & eſt vnus Deus, & hæc Trinitas ſimul propriè dicitur eſſe ſolus Deus, ſicut ſolus ſapiens, ſolus potens. Sed non videtur debere dici à nobis, verbis noſtris vtentibus, ita, niſi vbi ſermo autoritatis occurrit, ſolus Pater eſt Deus, vel Pater eſt ſolus Deus: ita de Filio & Spiritu ſancto dicimus: vnde Auguſt.*[1] *in 6. lib. de Trin. ait, Quoniam oſtendimus quomodo poſſet dici ſolus Pater, vel ſolus Filius, conſideranda eſt illa ſententia qua dicitur, Non eſſe ſolùm Patrem Deum verum ſolum, ſed Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Ecce habes, quia non ſolus Pater dicendus eſt eſſe verus Deus.* Cõfirmatio. *Item in eodem, Si quis interrogat vtrum Pater ſolus ſit Deus, quomodo reſpondebimus, non eſſe: niſi fortè dicamus ita eſſe quidem Patrem Deum, ſed non eum eſſe ſolum Deum. Eſſe autem ſolũ Deum dicamus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Ecce & hic habes, quia Pater non debet dici ſolus Deus, atque hic ſolum in parte ſubiecti tantùm accipere quidam volunt: in parte verò prædicati ſi ſit, concedunt quòd Pater eſt ſolus Deus. Sed ex verbis Aug. videtur oſtendi, quod propriè ſolus Deus dici debeat tota Trinitas. Et hæc Trinit. vt ait Aug. contra Maximinum, intelligitur cum Apoſtolus dicit. Beatus & ſolus potens: & ibi, Soli ſapienti Deo: & ibi, inuiſibili ſoli Deo. Non enim de ſolo Patre hæc accipienda ſunt vt contendebat Maximinus, & alij hæretici: ſed de Trin. Sicut & illud, Solus habet immortalitatem: quia ſecundum rectam fidem ipſa Trinitas eſt vnus ſolus Deus, beatus, potens, ſapiens, inuiſibilis. Vnde Aug. in eodem, Cũ vnus Deus ſit Trinitas,*[b] *hæc ſit nobis ſolutio quæſtionis, vt intelligamus ſolum Deum ſapientem, ſolum potentem, Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum, qui eſt vnus & ſolus Deus.*

Quòd Pater nõ eſt ſolus Deꝰ ſed Trinitas. lib. 3. contra Maxi. ca. 9. c. 11. 12. & 13. 1. Ti. 6. d Rom. 16. 1. Tim 1. d 1. Tim 6. c Cap. 13. & lib. 1. de Trin. ca. 6

b Cõcluſio proximè ſuperioris quæſtionis.

CAP. III.

Quomodo dicitur Trinitas ſolus Deus, cùm ipſa ſit cum Spiritibus, & animabus ſanctis.

3 Quæſtio.

SED iterùm quæritur, quomodo ipſam Trinitatem dicimus ſolum Deum: cùm ſit cum Spiritibus & animabus ſanctis. Ad quod[a] *reſpondet Auguſt. 6. lib. de Trin. dicens, Trinitatẽ dicimus Deum ſolum, quamuis ſemper ſit cum ſpiritibus & animabus ſanctis: ſed ſolũ dicimus, quia non aliud, quàm ipſa Trinitas, Deus eſt. Non enim illi cum illa Deus ſunt, vel aliqua alia: ſed ipſa Trinitas tantùm, non illi vel alia Deus eſt.*

A Cap. 7. a Reſponſio.

CAP. IIII.

Etſi de Patre ſolo prædicta dicerentur: non tamen excluderetur Filius & Spiritus Sanctus.

B Corollarium. 1. Ioan. 5. b li. 3. cõtra Max. c. 13. Apo. 19. c Mat. 11. d Luc. 10. d Ioan. 17. a

VERVNTAMEN, vt ait Aug. etſi de ſolo Patre prædicta dicerentur, non tamen excluderetur Filius vel Spiritus ſanctus: quia hi tres vnum ſunt: ſicut in Apocalypſi de Filio legitur, quòd habet nomen ſcriptum, quod nemo ſcit niſi ipſe: non enim inde ſeparatur Pater vel Spiritus ſanctus. Et cum dicitur, Nemo nouit Patrem niſi Filius, non inde ſeparatur Pater vel Spiritus ſanctus, quia inſeparabiles ſunt: aliquando etiam nominantur Pater & Filius, & tacetur Spiritus ſanctus: vt veritas ad Patrem loquens ait, Vt cognoſcant te & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, eſſe vnum verum Deum. Cur ergo (inquit Aug.) tacuit de Spiritu ſancto? quia conſequens eſt vt vbicunque nominatur vnus, ſicut Pater & Filius, tanta[1] *pace vni adhærens intelligatur etiam ipſa pax, quamuis non commemoretur, vno*[b] *ergo iſtorum nominato, etiam reliqui intelliguntur: quod in pluribus Scripturæ locis occurrit.*

lib. 6. de Trin. c. 9. b Concluſio ſuperioris quæſtionis.

AD DISTINCT. XXI.

C

AD CAP. I.

1 *Solum Deum Patrem.* Pauca ex Auguſtino ſunt tranſcripta, vnica nempe hæc ſententia, *Solum Patrem dicimus Patrem, non quia ſeparatur à Filio, ſed quia non ſimul ambo Pater ſunt.* Quam ſentẽtiam iſte tamen neque ſanam, neque ſynceram referre (pro more ſuo) potuit. Itaq; & addidit quædam, velut *ſed hoc dicentes ſignificamus*: (quæ eſſe Auguſtini ipſius putauit Thomas in prima parte quæſt. 31. Artic. 4. ab iſto deceptus) & alia corrupit, veluti quum ſic ſcribit, *Solum Deum Patrem dicimus.* Neque enim hoc dicit Auguſtinus *ſolum Deum dici Patrem*, quoniam nec de eo quæſtio erat. Atque etiam apertè Thomas in prima quæſt. 31. Artic. 3. docet hanc enuntiationem, *Solus Deus eſt Pater*, eſſe falſam, cùm homines etiam Patres rectè appellari poſſint. Hebr. 12. Sed diſceptabatur de eo, quomodo dicatur *Pater ſolus*, vel *ſolus Pater*. Aliud autem eſt dicere *ſolum Deum eſſe Patrem*: & *Patrem eſſe ſolum Patrem.* Quamobrem etiam hic ipſe has velut diuerſas & diſſimiles prorſus quæſtiones facit infrà capite ſequenti. Sed propter additam illam de ſuo vocem *Deum*, hic confundit.

2 *Solus enim Pater.* Proculdubiò manca eſt oratio, vtcunque eam negligenter prætermittant omnes iſtius operis emendatores tum noui, tum veteres, quæ ſic ex ipſo Auguſtino ſupplenda eſt, vt ſit & plana & integra. *Solus enim Pater, Pater eſt.*

AD CAP. II.

1 *Auguſtinus in libro vij.* Reſtitue lib. 6. de Trinitate.

A nitate. Nam quæ hîc refert Lombardus, extant eo libro ſexto, capite nono in principio capitis.

AD CAP. IIII.

1 *Tanta pace vni adhærens.* Aliter apud Auguſtinum, vbi vis huius argumenti, quod latet in voce *pacis*, explicatur: quæ hîc à Lombardo, tanquã pręcipuꝰ totius huius ratiocinationis neruꝰ, inciditur. Sic igitur Auguſtinus. *Et ordo verborum eſt, vt te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, cognoſcant vnum verum Deum* (Ioann. 17. verſ. 3.) *Cur verò tacuit de Spiritu ſancto? An quoniam conſequẽs eſt, vt vbicunque nominatur vnum tanta pace vni adhærens (vt per hanc vtrunque vnum ſit) iam ex hoc intelligatur etiam ipſa pax, quamuis non commemoretur?* Pacis autem nomine ταυτότητα οὐσίας & ἑνότητα intelligit Auguſtinus, quę facit vt vnus ſine alterius incurrente notione & intelligentia intelligi non poſsit, quemadmodum hunc ipſum locum B explicans Baſil. libro 5. contra Eunomium declarat, οὐκ ἀφορίζων τὸ πνεῦμα τῆς δυάδος, ὡς οὗτοι, δύο ὀνομάζει, ἀλλὰ τοὐναντίον ἑνῶν καὶ δηλῶν ἐν πατρὶ καὶ υἱῷ τὸ πνεῦμα τὸ ἀχώριστον. i. *Non ſeparans Spiritum ſanctum ab aliis duobus, vt iſti faciunt, duos nominat: ſed contrà vniens eum, & declarans in Patre, & Filio Spiritum ſanctum ab illis ſeparari non poſſe.* Deinde illud quoque obſeruandum eſt in ipſo Ioanne non eſſe *vnum Deum*, ἕνα Θεὸν, ſed *ſolum Deum*, μόνον Θεὸν, quam tamen lectionem in ſua interpretatione non retinet Auguſtinus. Verior igitur illius Ioannis, ſeu Chriſti potius ſententię ſenſus eſt ex voce ἀληθινὸν (quæ ſtatim ſequitur) vt intelligamus illic opponi eum qui ſolus verè Deus eſt, falſis diis, vti 1. Corinth. 8. verſi. 6. & oſtendi eam vnicam & veram noſtræ ſalutis rationem eſſe, ſi in Chriſto (qui eſt ſolus noſter Mediator) eum cognoſcamus. Hæc ratio ſalutis opponitur omnibus modis, quos ſibi homines fingũt, vt 1. Cor. 2. v. 2. Act. 26. verſi. 18. Atque hanc interpretationem confirmat Cyrillus lib. 10. Theſauri, cap. 6. C Sed ad Lombardum, quo cùm ſint prætermiſſa hæc omnia (*vt per hanc vtrumque vnum ſit*) apparet Auguſtini locum immutatum fuiſſe, & fortiſsimum argumentum elumbe redditum.

Cenſura.

Quanquam iam ſępius dictum à nobis id videri poteſt, quia tamen in tam ſancta (qualis eſt ſacra Theologia) venerandáque ſcientia nihil fruſtra, vel ἀχρήστως tractari debeat, eſt tamen repetẽdum. Ergo in hac Diſtinctione vſum finémque harum tot támque multiplicium quæſtionum à Lombardo explicandum fuiſſe contẽdo, quo prętermiſſo, quis non videt hic iam nõ εὐσέβειαν, ſed λογομαχίαν & pugnam de verbis & vocabulis tantùm tradi? Adeò vt ne quidem huius loci ſummi interpretes, quæ ſit vtilitas harum diſputationũ ipſi norint. Alij enim exiſtimant, cùm ſuprà dictum ſit *ſolus Pater, vel ſolus Filius tantus eſt, quantùm ſimul tres illæ Perſonæ*, fuiſſe neceſſe hoc velut corollarium addi, vt dictio hæc S*olus* explicaretur. Sic & Lombardus ipſe ſcripſit, & poſt eum alij plerique, veluti Claudius Spinæus, & Arnoldus Veſſalienſis, horum librorum abbreuiatores. Sic Durandus quoque. Alij ſentiunt ex ipſis A Auguſtini fontibus deductas eſſe has quæſtiones, cuius cùm doctrinam penè perpertuã ſequi velle videatur Lombardus, fuiſſe quoque ei neceſſe, quemadmodum hæ phraſes explicantur apud Auguſt. 6. Trinit. cap. 75. ita ab iſto tradi. Tertij denique volunt in genere locutiones eas, in quibus excluſiua dictio quępiam vſurpatur de eſſentia vel Perſonis diuinis, qualis eſt ſolus, tantùm, vnicus, duntaxat, ſingularis, hîc exponi: quam ſententiam ſequitur Thomas in 1. parte Quæſt. 31. Artic. 3. & 4. Occan cenſet ex tribus iſtis quæſtionibus, vnam tantùm eſſe neceſſariam & vtilem ſcitu, nempe: quomodo hæc enuntiatio ſit intelligenda, *ſolus Pater eſt Deus:* Duas verò reliquas, quæ tamen hîc adduntur, eſſe ſuperuacaneas, qualis eſt hæc, quomodo dicatur *ſolus Pater*, vel *ſolus Filius*, vel *ſolus Spiritus ſanctus*. itẽ & hæc, quo ſenſu hoc verum ſit, *Trinitatem ſolum eſſe Deum*. Ergo cum ab huius diſputationis B ſcopo aberrarit maximè Lombardus ipſe, & quo veram ipſius ſcripti explicationem exſpectemus? Certè ex Græcis potius, quàm Latinis ſcriptoribus vſum harum quæſtionum maximum vberrimúmque eſſe cognoſcet, qui diligenter illos euoluerit. Arreptæ ſunt igitur ab Arianis hæ Scripturæ ſacræ ſententię, *ſolus Deus habet immortalitatem*. 1. Timoth. 6. verſic. 16. *Vt cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Ioann. 17. verſic. 3. *Nobis vnus Deus eſt Pater*. 1. Corinth. 8. verſicu. 6. & ſimiles aliæ. Adeò vt inde ſolum Patrem Deum eſſe colligerent: Filio autem & Spiritui ſancto Deitatem impiè detraherent. Arianis ſucceſſerunt hac noſtra ætate Valentiniani, Seruetani, & alij Antitrinitarij, qui ſolum Patrem αὐτόθεον & αὐτοζωὴν, & αὐτοδικαιοσύνην eſſe contenderunt: Filium autem & Spiritũ ſanctum his epithetis ſpoliarunt, quibus eum appellari poſſe blaſphemè negant. Ergo aduerſus C hos omnes valet harum quęſtionum ſyncera, atque vtilis explicatio, ex ipſo Dei verbo confirmata, qualem Græci & orthodoxi Patres attulerunt. Non enim oſtentationis, inaníſque tantùm ſpeculationis gratia, vt iſte facit: ſed iugulandarum peſsimarum hęreſeωn cauſſa tractandę ſunt traditęque nobis hę quęſtiones à veteribus. Hoc igitur primùm omnium hoc loco reprehendendum cenſeo.

Secundùm, quòd faciles omnino (ſi modo cõmodè doceantur) quęſtiones iſte ſic inuoluit & obſcuritate verborum, & nulla perſpicua diſtinctione ad ſoluendum adhibita, vt infinitę propè ſententię ad earum explicationem poſtea ſint ab interpretibus excogitatæ, quia vera caruerunt, nec ab iſto ſuo pręceptore ſunt adiuti. Alij enim ſic diſtinguunt, hanc phraſim *ſolus Pater eſt Deus*, vt de virtute quidem ſermonis, id eſt, ex proprio germanóque ſenſu & ſignificato verborum eſſe falſam concedant: de benigna tamen interpretatione velint eſſe veram. Quod quid aliud eſt, quàm nos poſſe ex falſo verum efficere, & noſtris commentis mendacium in veritatem tandem commutare? Alij dicunt, ſi vocabulum, *Solus*, categorematicè ſumatur, falſam eſſe hanc enunciationem, *Solus Pater eſt Deus*. Sin autem ſyncategorematicè, eſſe veram: ſed & hi eódem, verbis tantùm immutatis, recidunt, quò priores illi. Nos autem pro αἰτήματι Theologico ſuma-

A mus, quod ſcribit Aug. in lib. de Inquiſit. Trinitatis, *Nullatenus ad ſolam Patris Perſonam pertinet, dũ dicitur ſolus Deus, ſiue in nouo, ſiue in veteri Teſtamento.* ὥστε ἡ σύμπασα θεότης δῆλός σοι ποτὲ μὲν ἐν πατρί, ποτὲ δὲ ἐν υἱῷ, καὶ πνεύματι προσηγορίᾳ γίνεται. i. *Nam tota Deitas tibi nonnunquam nomine* Patris: *nonnunquã nomine* Filij *& Spiritus ſancti declaratur*, vt ait Baſil. libro 5. contra Eunomium. Ergo ſic locus Pauli 1. Tim. 6. Sic locus Ioannis capite 17. & alij ſimiles ſunt explicandi, non anfractuoſè, vt iſte facit. Et quòd ad vocem *Solus*, μόνος Græcè: ſæpe pro Solitario accipitur (inquit Nazianzenus in epiſtolis Baſilij) ſæpe pro toto vel vniuerſo. Ergo ambiguitate vocis luditur in his omnibus propoſitionibus exagitãdis, *Solus Pater eſt Deus. Trinitas eſt ſolus Deus*: quum vna tantùm Perſona intelligitur. Hoc erat à Lõbardo afferẽdũ ad breuem harum quæſtionum dilucidámq; ſolutionẽ.

Tertiùm, debuit iſte afferre alicuius orthodoxi Patris teſtimonium, capite 2. huius Diſtin- B ctionis, vt probaret, quod ait, occurrere in autoribus has phraſes. *Solus Pater eſt Deus, vel ſolus Filius eſt Deus.* Quum enim eas veras eſſe apertè neget Auguſtinus, qua fronte iſte eas occurrere in probatorum ſcriptorum libris ait? Sed hæc hactenus.

DISTINCTIO XXII.

De nominum differentia, quibus vtimur loquentes de Deo.

CAP. I.

a Trãſitio. De Trinitate & vnitate ſecundum quod credita & intellecta rationabiliter & Catholicè exprimitur. b Propoſitio. c Diuiſio trimembris.

POST prædicta nobis diſſerendum [a] *videtur de nominum diuerſitate, quibus, loquentes de vnitate ac Trinitate ineffabili, vtimur. Deinde demonſtrandum eſt, quibus modis de ea aliquid dicatur.* C *Illud ergo* [b] *præcipuè teneamus, quædam eſſe nomina diſtinctè ad ſingulas perſonas pertinẽtia, vt ait* 1 *Auguſtinus in octauo libro de Trinitate, quæ de ſingulis tantùm dicuntur* Perſonis. *Quædam verò vnitatem eſſentiæ ſignificantia ſunt, quæ & de ſingulis ſigillatim, & de omnibus communiter dicuntur. Alia verò ſunt quæ tranſlatiuè ac per ſimilitudinẽ de Deo dicuntur. Vnde Ambroſius* 2 *in ſecundo libro de Trinit. ait, Quò puriùs niteat fides, tripartita videtur deriuanda diſtinctio. Sunt enim nomina quædam, quæ euidenter proprietatem perſonámque* Deitatis *oſtendunt. Et ſunt quædam, quæ perſpicuam diuinæ maieſtatis exprimunt veritatem. Alia verò ſunt, quæ tranſlatiuè & per ſimilitudinem de Deo dicuntur.* Proprietatis *itaque indicia ſunt, generatio,* Filius, *verbum, & huiuſmodi. Vnitatis verò æternæ ſapiẽtia, virtus, & veritas, & huiuſmodi: ſimilitudinis verò, ſplendor, character, ſpeculum, & huiuſmodi.*

In princi. prologi. In prologo. Heb. 1. Sapien. 7.

CAP. II.

Præmiſsis addit quædam eſſe nomina, quæ temporaliter Deo conueniunt, & relatiuè dicuntur.

HIS adiiciendum eſt, quædam eſſe nomina, vt Auguſtinus ait in quinto libro de Trinitate, quæ ex A *tempore* Deo *conueniunt, & relatiuè ad creaturam dicuntur: quorum quædam de omnibus dicuntur* Per*ſonis vt Dominus, creator, refugium: quædam autem non de omnibus, vt donatus, datus, miſſus.*

A Superiori diuiſioni quartum membrũ additur. Cap. 16.

CAP. III.

De hoc nomine, Trinitas, addit.

PRAETEREA eſt vnum nomen, quod de nulla P*erſona ſigillatim dicitur, ſed de omnibus ſimul, id eſt, Trinitas. quod non dicitur ſecundum ſubſtantiam, ſed quaſi collectiuum pluralitatem deſignat* Per*ſonarum.*

etiam Quintum

CAP. IIII.

De aliis nominibus, quæ temporaliter Deo congruunt, & non relatiuè dicuntur.

B

SVNT etiam quædam nomina, quæ ex tempore Deo conueniunt, nec relatiuè dicuntur, vt humanatus, incarnatus, & huiuſmodi. Ecce ſex nominum differentias aſſignauimus, quibus vtimur loquentes de Deo: de quibus ſingulis agendum eſt.

etiam Sextum mẽbrum.

CAP. V.

Quòd nomina, quæ ad ſingulas pertinent Perſonas, propriè relatiuè dicuntur: ea verò quæ vnitatem eſſentiæ ſignificant, ad ſe dicuntur, & de ſingulis, & de omnibus communiter dicuntur Perſonis, & ſingulariter non pluraliter in ſumma accipiuntur.

SCIENDVM [c] *eſt ergo, quòd illa quæ propriè ad ſingulas Perſonas pertinent, relatiuè ad inuicem dicuntur: ſicut Pater & Filius, & vtriuſque donum Spiritus ſanctus. Ea* [d] *verò, quæ vnitatem eſſentiæ ſignificant ad ſe dicuntur: &* [e] *ea quæ ad ſe dicuntur,* [f] *ſubſtantialiter vtique dicuntur, & de omnibus communiter, & de ſingulis ſigillatim dicuntur Perſonis: &* [g] *ſingulariter non pluraliter accipiuntur in ſumma, vt Deus bonus, potens, magnus, & huiuſmodi.* [h] *Quæ autem relatiuè dicuntur, ſubſtantialiter nõ dicuntur. vnde Auguſtinus in v. libro de Trinitate, ait.* [i] *Quicquid ad ſe dicitur, præſtantiſsima illa & diuina ſublimitas ſubſtantialiter dicitur. Quod autem ad aliquid dicitur, non ſubſtantialiter dicitur, ſed relatiuè,* 1 *Tantáque eſt vis eiuſdem ſubſtantiæ in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, vt quicquid de ſingulis ad ſeipſos dicitur, non pluraliter in ſumma, ſed ſingulariter accipiatur.* 2 *Dicimus enim Pater eſt Deus, & Filius eſt Deus, & Spiritus ſanctus eſt Deus: quod ſecundum ſubſtantiam dici nemo dubitat. Non tamen dicimus hanc Trinitatem eſſe tres Deos, ſed vnum Deum: ita dicitur Pater magnus, Filius magnus, & Spiritus ſanctus magnus: non tamen tres magni, ſed vnus magnus. Ita etiam omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus: non tamen tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens. Quicquid ergo ad ſeipſum dicitur Deus, & de ſingulis Perſonis ſimiliter dicitur, & ſimul de ipſa Trinitate, non pluraliter, ſed ſingulariter dicitur, Et quoniam non* [k] *eſt aliud Deo eſſe, & aliud*

c Prima regula.
d Secunda regula. C
e Tertia regula.
f Quarta regula.
g Quinta regula.
h Sexta regula. Cap. 6. & 8.
i Quartę, quintę & ſextę regulę confirmatio.
Lib. 6. de Tri. cap 8. K Corollarium.

A *aliud magnum eſſe: ſed idem eſt illi eſſe quod eſt magnum eſſe: propterea ſicut non dicimus tres eſſentias. ſic non dicimus tres magnitudines: ſed vnam eſſentiam, & vnam magnitudinem.*

CAP. VI.

Quòd Deus magnus eſt ea magnitudine qua Deus eſt, ſic de bonitate, & de omnibus quæ ſeundum ſubſtantiam dicuntur.

Corollarij confirmatio naturæ Dei, in quo quæ abſolute inſunt, eſſentia ipſius ſunt. libro 5. de Trin. cap. 10.

DEVS enim nõ magnus ea magnitudine, quæ nõ eſt quod ipſe, vt quaſi particeps eius ſit: alioquin maior eſſet illa magnitudo quã Deus. Deo autẽ nõ eſt aliquid maius: ea ergo magnitudine magnus eſt, qua ipſe eſt. Ideóque nec tres magnitudines dicimus, ſed vnam magnitudinem: nec tres magnos ſed vnum magnum: quia nõ participatione magnitudinis De⁹ magnus eſt: ſed ſeipſo magno magnus eſt quia ipſe eſt ſua magnitudo. Ita [a] *& de bonitate, & æternitate, & omnipotẽtia* B *Dei dicendũ eſt, & omnib. omnino quæ de Deo poſſunt pronunciari ſubſtantialiter: quibus ad ſeipſum dicitur, non tranſlatiuè ac per ſimilitudinem, ſed propriè ſi tamen de illo propriè aliquid ore hominis dici poteſt. Ecce apertè docuit, quod nomina vnitatem diuinæ maieſtatis ſignificantia, & ad ſe dicuntur de Deo, id eſt, ſine relatione, & de omnibus perſonis communiter, & de ſingulis diuiſim dicuntur: nec pluraliter, ſed ſingulariter in ſumma accipiuntur. Illa verò nomina, quę propriè ad ſingulas pertinẽt perſonas, relatiuè, non ſubſtantialiter dicuntur. Quod enim propriè ſingula in Trinitate perſona dicitur, vt ait Auguſtinus in eodẽ, nullo modo ad ſeipſum, ſed ad aliam inuicem, vel ad creaturam dicitur. Et ideo relatiuè, non ſubſtantialiter dici manifeſtum eſt.*

a Corollarij extenſio, & amplificatio ad alia Dei attributa.

Cap. 11.

AD DISTINCT. XXII.

AD CAP. I.

C 1 *Vt ait Auguſt. lib.* 8. Diluta eſt omnino iſta probatio, quia valde obiter tantum attinguntur, quæ copioſè Auguſtinus li. 5. eiuſdem operis de Trinitate, capi. 8. & 11. perſequitur. Præterea nec hoc ipſum dicit libro 8. Auguſtinus, quæ iſte: ſed aliud. Verba Auguſtini hæc ſunt, *Diximus alibi ea dici propriè in illa Trinitate diſtinctè ad ſingulas perſonas pertinentia, quæ relatiuè dicuntur ad inuicem, ſicut Pater & Filius*, &c. Iſte verò commutatis Auguſtini verbis aliud omnino ex iis colligit, nempe ſcribere Auguſtinum ea nomina pertinere ad ſingulas perſonas, quæ de ſingulis perſonis tantùm dicuntur: quòd & ταυτολογία eſt, & ab Auguſtini mente alienum. Ait enim ea quę relatiuè dicuntur pertinere ad perſonas, nõ autem ea quæ de perſonis dicuntur pertinere ad perſonas. Verùm iſte ne inſpecto quidem (qui iſtorum magiſtrorum noſtrorum mos eſt, propter dictatoriam poteſtatem quam ſibi arrogant) libro ſcribebat, ſecurus quid de ſuis ſcriptis poſteritas ſentiret.

2 *Ambroſius libr. ij. de Trin.* Vulgò inſcribuntur hi Ambroſij libri de Fide ad Gratianum imperatorem, ne quem fortaſſe titulus fallat. Hîc etiam mutauit Lombardus *indicia* in *nomina*, ſed non infeliciter. Itaque neque propterea à nobis reprehenditur. Sed nec ordinem ab Ambroſio propoſitum hîc eſt ſequutus. A

AD CAP. V.

1 *Tantáque eſt vis.* Auguſtinianus Codex habet, *Tantámque vim eſſe eiuſdem ſubſtãtiæ, &c.* Cõtinuat enim orationem ſuam Auguſtinus: iſte verò diuidit: ſed nullo ſenſus damno, niſi quòd ius ſibi ſumit iſte, *in aliena ſcripta, eáque deteriora facit.*

2 *Dicimus enim Pater.* Auguſtinus aliter, & quoad verba, & quoad ſenſum. Sic enim habet. *Quemadmodum enim Pater Deus eſt, & Filius Deus eſt, & Spiritus ſanctus Deus eſt (quod ſecũdum ſubſtantiam dici nemo dubitat) non tamen tres Deos, ſed vnum Deum dicimus eandem ipſam præſtantiſſimam Trinitatem: ita magnus Pater, magnus Filius, &c.* Comparationem igitur illam Lombardus omiſit, atque permutauit verba, deletis *præſtantiſſimam, eam ipſam.* Denique lucem illam, vnde dubitatio apertè oriri cernebatur, obſcurauit, dum in Auguſtini & verba & mentem temerè irruit. B

Cenſura.

Si quid eſt in vlla huius libri Diſtinctione peccatum, & in hac maximè: quando & quoad ordinem, & quoad rem ipſam inſignes multi huius autoris errores hîc animaduertuntur, quos iſtius interpretes minimè tamen obſeruarunt. Ac primùm omnium ordo ipſe, ſeriéſque huius diſputationis cum ſuperiori non rectè Lombardo connectitur. Ait enim iſte capite primo hîc *agi de nominum diuerſitate, quibus vtimur loquentes de vnitate ac Trinitate diuina.* Ex quo factum eſt, vt interpretes in ipſis vocabulis quærendis ac inueſtigandis laborarent, quibus Diuina illa eſſentia propriè & verè ſignificaretur. Eorum autem alij ſtatuerunt huiuſmodi quædam reperiri poſſe: alij negarunt. Verùm aliud omnino cogitat, agítque Lombardus. Non enim de ipſis Deitatem ſignificantibus vocabulis quærendis ſolicitus eſt: ſed de modo tantùm eorum enunciandorum. C Quamobrem Occan in eo totus eſt hoc loco, vtrùm viatores, id eſt, nos in his terris degẽtes aliquod vocabulũ habeamus, quo ꝓpriè & diſtinctè diuinam eſſentiam ſignificemus. Quàm incerta igitur ſit huius loci diſputatio & tractatio, ex illa propoſita à Lombardo ſcopi ſui ratione iam omnes vident. Debuit autem hoc ſibi Lombardus examinandum proponere, quum ſint quædam voces quæ de Deo, id eſt, diuina eſſentia dicantur, vtrùm illæ ſiugulari, an plurali numero enuntiari de perſonis diuinis debeant. Atque inde erat connexio huius Diſtinctionis cum ſuperioribus petenda. Nam poſtquam de re ipſa, (.i. Vnitate eſſentiæ diuinæ & perſonarum Trinitate) qualis ipſa in ſeſe eſt, & à nobis credenda, fuerat diſputatum, ſequebatur, vt quomodo ea ipſa fides & cognitio noſtra verbis ſit exprimenda exponeret, quòd multi errores ex incogitantia ſermonis, multíque ſcopuli ex impropria locutione in hoc tam arcano, & à rebus nobis cognitis remoto argumento exoriri poſſint. *Nuſquã enim*, inquit Aug. *periculoſius erratur.* Id quod à Thoma in 1. par. quęſt. 13. videtur eſſe

A animaduerſum. Hoc igitur eſt primum huius auctoris in hac diſtinctione vitium. Alterum eſt quòd confuſè omnino totam illam de vario nominum ſeu vocum, quæ de Deo dicuntur, genere Diſtinctionem tradit. Quo faſcino decepti poſtea ipſi quoque huius interpretes meliorem huius tam confuſæ enumerationis euoluendæ, & in ſua membra explicandæ rationem inuenire non potuerunt. Primùm enim Lombardus triplicem tantùm facit horum vocabulorum Diſtinctionem capite 1. poſtea verò cap. 4. Sextuplicem: quam in ſuos quidem articulos reſtituere conatus eſt ſolus Durandus: verùm in tam luxato membrorum ſitu, quod voluit efficere Durandus, certè non potuit. Nos igitur in ſtudioſorum gratiam ſic hanc Diſtinctionem reſtituamus. Vocabulorum, quæ de Deo enuntiantur,

B

- Quædam dicuntur de eo.
  - Semper: & ea quidem vel
    - Propriè, nempe vel de
      - Eſſentia ipſa diuina
      - Perſonis
        - Singulis, vt Paternitas, Filiatio, Proceſſio
        - Earum numero, vt Trinitas.
    - Tranſlatitiè, vt Lux, Splendor, character, &c.
  - Ex tempore, quę cõpetant vel
    - Omnibus Perſonis, vt Creator, Dominus.
    - Quibuſdam tantùm, vt Miſſum eſſe. Incarnatum eſſe, &c.

Hæc eſt breuis & dilucida omnium illorum vocabulorum, de quibus iſte tractat, diuiſio, quã tamen proponere, ac ne cogitare quidem potuit. Thomas autem in 1. parte Quęſt. 32. Art. 2. aliter diſtinguit, nempe vt vocabulorum, quę de Deo enunciantur, alia ſignificent, vt quid: alia, vt quis: alia, vt quo. Nam *eſſentia*, vt quid, enunciatur & ſignificat: perſona, vt quis: proprietas autem, vt quo. Sed iſta Thomæ partitio longè obſcurior C eſt, quàm noſtra. Cæterùm quod hoc loco tam anxiè diſputatur, ex Athanaſij ſymbolo videtur ortum, in quo Pater ille orthodoxus ſic, & quidem piè, ſcripſit, ὁμοίως παντοδυνάμος ὁ πατὴρ: παντοδυνάμος καὶ ὁ υἱός: παντοδυνάμον καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον: πλὴν οὐ τρεῖς παντοδύναμοι, ἀλλ' εἷς παντοδύναμος. i. *Similiter omnipotens* Pater: *omnipotens* Filius: *omnipotens & Spiritus ſanctus: non tamen tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens. Ita Deus* Pater: Deus *Filius: & Deus Spiritus ſanctus: & tamen non tres Dij, ſed vnus eſt Deus, &c.* Quod ille & verè dixit: & alij poſtea Patres orthodoxi ſunt amplexi: in primíſque Baſil. οὐδὲ, inquit ille li. 5. contra Eunomium, τρεῖς Θεοῖς, οὐδὲ τρεῖς κυρίοις, οὐδὲ τρία πνεύματα δία τοῦτο ποιητέον: ἀλλὰ τῆς τριάδος ἕνωσιν ἐν τῇ κοινωνίᾳ τῶν ὀνομάτων ἐπιγνωστέον. Itaque Baſilius idem in epiſtola ad Euſtathium medicum negat illa vocabula πληθυντικῶς enunciari, ſed duntaxat μοναδικῶς, id eſt, ſingulari numero, non autem plurali: cuius hãc rationem affert, quòd quicquid his nominibus, & vocabulis dixeris, vnum quiddam duntaxat ſignificas, nempe deſignas eſſentiam diuinam, vt ait Auguſt. libro 7. Trin. quæ in tribus Perſonis vna eſt & eadem. Atque hęc quidem de errore Lombardi, qui in ipſa ſerie & connexione huius diſputationis, itémque illius diſtributione demonſtranda ab eo admiſſus eſt, dicta ſunto.

A Nũc errores alios, qui in reipſa verſantur, oſtẽdemus, è quibus hic primus eſt, *Verbum* de filio naturaliter dici. i. Filium Dei æternum ſine tranſlatione Verbum appellari, cap. 1. Hoc enim falſum eſſe docet Nazianzen. Cõcio. 2. περὶ υἱοῦ. Aug. quoque de Fide & Symbolo cap. 3. Baſil. in Euangelij Ioannis initium Homil. vnica, vt Hilarium & alios omittam. Tranſlatè enim dicitur Filius ille Dei æternus *Verbum*. Quicquid Thomas in 1. parte Quæſt. 34. Art. 2. errorem ſui huius præceptoris ſequens diſputet. Item error eſt, quod Trinitatis nomen excipit Lombardus cap. 3. à ſua diuiſione, cùm tamen ad illud membrum referatur, in quo Perſonarum numerus ſimul explicatur, vt docet Boethius in libro de Trinit. ad Ioan. Diacon. Atque vel Ariſtotele ipſo lib. 1. de Cœlo & Mundo teſte, per trinarium numerum omnes populi glorificarunt Deum. Ex hoc autem ſecundo errore nata eſt diſputatio ſequens B Diſtinct. 23. ſic abyſſus abyſſum vocat, vt ait Pſal. 42.

Tertius denique error eſt, quod incarnatum eſſe ait de Filio extra relationem dici cap. 4. Quo quid magis abſurdum cogitari poteſt? Etſi enim caro ipſa & res, quam Filius aſſumpſit, ſit οὐσία & in prædicamento ſubſtantiæ, quam vocant: hoc tamen ipſum, nempe quod Filius dicitur incarnatus, extra relationem, non ad Patrem quidem, ſed ad carnem aſſumptam ne cogitari quidem animo poteſt, nedum eſſe, & idcirco à Græcis οἰκονομία vocatur, quod vocabulum eſt relationis: cùm ante carnem aſſumptam ſubſiſteret Filius, non tantùm vt Ens, ſed vt Perſona à Patre diſtincta. Denique quæ οἰκονομίαν in Filio ſignificant, ſine relatione intelligi non poſſunt. Thomas in 1. parte Quæſt. 13. Arti. 7. inter quæ hoc in primis eſt, quòd incarnatus eſt. Et hæc quidem in Diſtinct. XXII.

DISTINCTIO XXIII. C

De hoc nomine, quod eſt Perſona, quod cùm ſecundum ſubſtantiam dicatur: tamen pluraliter non ſingulariter in ſumma accipitur.

CAP. I.

PRædictis adijciendum eſt, quòd cùm omnia nomina quæ ſecundum ſubſtantiam de Deo dicuntur, ſingulariter & non pluraliter de omnibus in ſumma dicantur Perſonis, vt ſuprà oſtenſum eſt: eſt [a] *tamen vnum nomen, ſcilicet Perſona, quod ſecundum ſubſtantiam dicitur de ſingulis perſonis, & pluraliter nõ ſingulariter in ſumma accipitur. Dicimus enim Pater eſt perſona, Filius eſt perſona, Spiritus ſanctus eſt perſona, & hoc ſecundum ſubſtantiam dicitur. Nec tamen dicitur, Pater & Filius & Spirit. S. ſunt vna perſona, ſed tres perſonæ. Hoc ergo nomen excipitur à prædicta regula nominum, quæ ſecundum ſubſtãtiam de Deo dicuntur: quia cùm hoc ad ſe dicatur, & ſecundum ſubſtantiam, pluraliter tamen, non ſingulariter in ſumma accipitur.*

Exceptio ad quintã regulam ſupra Diſtin. cap. 5. traditam. De ſubſtãtialibus nominib. diuinis in ſpeciali

a Propoſitio bimẽbris.

Diſt. præcedenti parag. E & F.

CAP.

A

CAP. II.

Autoritas quòd perſona ad ſe dicatur & ſecundum ſubſtantiam.

Primi mẽbri probatio. Cap.6.

Quòd Pater non eo eſt Pater quo eſt.

QVOD autem perſona ſecundum ſubſtantiam dicatur, Auguſt. oſtendit in vij. libr. de Trin. dicens. Non eſt aliud Deum eſſe, aliud perſonam eſſe, ſed omnino idem. Item in hac Trinitate cùm dicimus perſonam Patris, non aliud dicimus quàm ſubſtantiam Patris. Quocirca vt ſubſtantia Patris ipſe Pater eſt, non quo Pater eſt, ſed quo eſt: ita & perſona Patris, non aliud quam ipſe Pater *eſt. Ad ſe quippe dicitur perſona non ad* Filium *vel* Spiritum *ſanctum: ſicut ad ſe Deus dicitur & magnus, & bonus, & iuſtus, & huiuſmodi. Et quemadmodum hoc illi eſt eſſe, quod* D*eum eſſe, quod magnum eſſe, quod bonum eſſe, ita hoc illi eſſe, quod perſonam eſſe. Ecce expreſſe habes, quòd perſona ſecundum ſubſtantiam dicitur: vt cùm dicitur, Pater eſt perſona, hîc ſit ſenſus, Pater eſt diuina eſſentia. Similiter cùm dicitur, Filius eſt perſona: Spiritus ſanctus eſt perſona, id eſt, eſſentia diuina.*

B

CAP. III.

Cur Pater & Filius & Spiritus ſanctus non dicantur vna Perſona, vt vna ſubſtantia, & vnus Deus.

Secundi membri propoſitionis probatio per indirectũ, nẽpe per quæſtionem. Cap.6.

IDEO oritur hîc quæſtio difficilis quidem, ſed non inutilis, quæ quæritur, Cur non dicantur hi tres vna perſona, ſicut vna eſſentia, & vnꝰ Deus? quã quæſtionem Auguſt. diligenter tractat, atque congruè explicat in ſeptimo libro de Trinit. ita dicens, Cur non hæc tria ſimul vnam perſonam dicimus, ſicut, vnam eſſentiam, & vnum Deum, ſed dicimus tres perſonas: cùm tamen tres deos, aut tres eſſentias non dicamus? Quia [a] *volumus vel vnum aliquod vocabulum* 1 *ſeruare huic ſignificationi qua intelligitur Trinitas, ne omnino taceamus interrogati quid tres eſſent, cùm tres eſſe fateamur. Cùm ergo quæritur quid tres, vt ait Aug. in v. lib. de Trinit. magna prorſus inopia humanum laborat eloquium: dictum eſt tamen tres perſonæ non vt illud diceretur, ſed ne taceretur omnino. Non enim rei ineffabilis eminentia hoc vocabulo explicari valet. Ecce oſtendit qua neceſſitate dicatur pluraliter perſonæ: videlicet vt hoc vno nomine quærentibus de tribus reſpondeamus.*

C

a Reſponſio.

Cap. 9.

CAP. IIII.

Qua neceſsitate dictum ſit, tres perſonæ, à Latinis, & à Græcis, tres hypoſtaſes vel ſubſtantiæ.

Idem cõfirmat ex ſermonis etiã Græcitatione. Cap. 4. li.7. ca.4.

QVA neceſſitate non ſolùm Latinus ſermo, ſed etiam Græcus eadem penè ſuper hac re laborans nominum penuriâ coartatur. Vnde Aug. quid à Græcis vel Latinis neceſſitate de ineffabili Trinitate dictum ſit, aperiens, in xij. libro de T*rinit. ait,* L*oquendi cauſa de ineffabilibus,* [1] *vt fari aliquo modo poſſemus, dictum eſt à Græcis: vna eſſentia, tres ſubſtantiæ, id eſt, vna vſia, tres hypoſtaſes. Aliter enim Græci accipiunt ſubſtantiam quàm Latini. A Latinis autem dictum eſt, vna eſſentia, vel ſubſtantia, tres perſonæ: quia non aliter in ſermone noſtro, id eſt, Latino eſſentia quàm ſubſtantia ſolet intelligi. Et vt intelligatur ſaltem in ænigmate, placuit ita dici, vt quum quæreretur quid tria ſint, aliquid diceretur: quæ tria, tria eſſe fides vera pronunciat, cùm & Patrem non dicit eſſe Filium, & Spiritum ſanctum (ſcilicet donum Dei) nec Patrem dicit eſſe nec Filium. Cùm ergo quæritur quid tria vel quid tres, conferimus nos ad inueniendum aliquod nomen, quo complectamur hæc tria.] Neque occurrit animo: quia ſupereminentia diuinitatis vſitati eloquij facultatem excedit. Veriùs enim cogitatur Deus, quàm dicitur: & verius eſt, quàm cogitatur.*

A

Quòd Deus verius cogitatur quã dicatur: & verius eſt. quã cogitatur. Ibidem.

CAP. V.

Quid hoc nomine *Tres* ſignificetur.

1 Corollarium, huius vocis Tres ambiguitas explicatur.

PATER ergo & Filius & Spiritus ſanctus, quoniam tres ſunt, quid tres ſint quæramus, quid commune habeant. Non enim poſſunt dici tres Patres, quia tantùm Pater ibi Pater eſt: tres Filij, cùm nec Pater ibi ſit Filius, nec Spiritus ſanctus: nec tres Spiritus ſancti, quia S*piritus ſanctus propria ſignificatione, qua donum Dei dicitur, nec Pater eſt, nec Filius. Quid ergo tres? Si tres perſonæ eſſe dicuntur, commune eſt eis id quod perſona eſt. Certè enim quia Pater eſt perſona, & Filius eſt perſona, &* S*piritus ſanctus eſt Perſona, ideo tres perſonæ dicuntur. Propterea ergo dicimus tres perſonas, quia commune eſt eis id quod perſona eſt. Ex prædictis apertè intelligi poteſt, qua neceſſitate dictum ſit à Latinis, tres perſonæ, cùm perſona ſecundum ſubſtantiam dicatur. Vnde & tribus commune eſt id quod perſona eſt, id eſt, hoc nomen perſona.*

B

CAP. VI.

Quare non dicimus tres Deos eſſe, patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, vt dicimus tres perſonas, cùm id quod Deus eſt, ſit eis commune: quia pater eſt Deus, & Filius eſt Deus, & Spiritus ſanctus eſt Deus.

C

Quæſtio Ibid. Aug.

SED quæritur hîc, cùm dicamus Patrem & Filium & Spiritum ſanctum eſſe tres Perſonas, quia cõmune eſt eis quod Perſona eſt, id eſt, quia pater eſt Perſona, & Filius eſt Perſona, & Spiritus ſanctus eſt Perſona: cur non dicamus ſimiliter tres deos, cùm & Pater ſit Deus, & Filius ſit Deus, & Spiritus ſanctus ſit Deus. [a] *Quia ſcilicet illud Scriptura contra dicit: hoc tamen, & ſi non dicit, non tamen contradicit. vnde Aug. hanc mouens quæſtionem atque definiens in lib.7. de Trin. ait. Si ideo dicimus* P*atrem & Filium & Spiritum ſanctum eſſe tres Perſonas, quia commune eſt eis id quod Perſona eſt: cur non etiam tres deos dicimus? Certè, vt prædictum eſt, quia* P*ater eſt Perſona, & Filius eſt Perſona, & Spiritus ſanctus eſt perſona, ideo tres perſonæ dicuntur. Quia ergo Pater eſt Deus, & Filius eſt Deus, & Spiritus ſanctus Deus, cur non dicuntur tres dij? Ecce propoſuit hanc quæſtionem: attende quid reſpondeat ſubdens, An ideo non dicuntur tres dij, quia Scriptura non dicit tres deos? Sed nec tres perſonas alicubi Scriptura textus commemorat. An ideo licuit loquendi & diſputandi neceſſitate tres perſonas dicere, non quia Scriptura dicit,*

a Reſponſio.

Cap. 4. Confirmatio ſolutionis.

A

Deut. 6. a

ſed quia Scriptura non contradicit? Si autem diceremus tres deos, contradiceret Scriptura dicens, Audi Iſrael, Deus tuus Deus vnus eſt. Ecce abſolutio quæſtionis, quare potiùs dicamus tres perſonas quàm tres deos: quia ſcilicet illud non contradicit Scriptura.

CAP. VII.

Alia quęſtio, cur non dicimus tres eſſentias vt tres perſonas, cùm Scriptura non contradicat.

2 Quæſtio Lib. & c. eiſdem.

a 3 Quæſtio.

B

b Solutio vtriuſque quæſtionis.

VERVM & hîc alia emergit quæſtio, quam Aug. conſequenter annectit dicens, Cur, inquit, & tres eſſentias non licet dicere: quòd ſimiliter Scriptura ſicut non dicit, ita non contradicit? At ſi dicis quòd propter vnitatem Trinitatis non dicuntur tres eſſentiæ, ſed vna eſſentia: quæro, [a] cur non propter eandem vnitatem Trinitatis dicantur vna perſona, & nõ tres perſonæ. Vt enim eſt illis commune nomen eſſentiæ, ita vt ſingulus quiſque dicatur eſſentia: ſic illis commune eſt perſonæ vocabulum [1]. Quid igitur [b] reſtat, niſi vt fateamur loquendi neceſſitate à Græcis [2] & Latinis parta hæc vocabula aduerſus inſidias vel errores hæreticorum? Cúmque [3] conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominũ ſenſus, quod in ſecretario mentis de Deo tenet, ſiue per piam fidem, ſiue per qualemcunque intelligentiam, timuit dicere tres eſſentias, ne intelligeretur in illa ſumma æqualitate vlla diuerſitas. Rurſum non poterat dicere, non eſſe tria quædam, quod quia dixit Sabellius in hæreſim lapſus eſt. Quæſiuit ergo quid tria diceret, & dixit tres perſonas, ſiue tres ſubſtantias [4] ſecundum Græcos.

Ibidem.

CAP. VIII.

Sicut nos dicimus tres perſonas, ita Græci tres ſubſtantias, quas dicunt hypoſtaſes. aliter accipientes ſubſtantiam quàm nos.

C

Cap. 6.

1 Corollarium, vbi Græcorũ locutio & phraſis cũ Latina cõfertur.

QVOD enim de perſonis ſecundum noſtram, hoc de ſubſtantiis ſecundum conſuetudinem Græcorum oportet intelligi. Sic enim illi dicunt tres ſubſtantias vnam eſſentiam, id eſt, tres hypoſtaſes vnam vſiam, quemadmodum nos dicimus tres perſonas vnam eſſentiam vel ſubſtantiam. Quanquam & illi ſi vellent, ſicut dicunt tres ſubſtantias hypoſtaſes, poſſent dicere tres perſonas tria πρόσωπα*. Illud autem maluerunt dicere: quia fortaſſe ſecundum linguæ ſuæ conſuetudinem aptiùs dicitur.*

CAP. IX.

Quòd in Trinitate non eſt diuerſitas, nec ſingularitas, vel ſolitudo: ſed vnitas, & Trinitas, & diſtinctio, & identitas.

3 Corollarium vbi explicatur qua ratione hîc numerus perſonarum vnitatem eſſentię non euertat.

a Corollarij confirmatio.

Cap. 4.

A

Non longe a fine libr. 7.

Ioan. 14. b

Paulo poſt præcedentia

B

Tomo. 4. Queſt. 122. li. 5. c. primo circa finem capitis.

IAM ſufficienter, vt puto, oſtenſum eſt, qua neceſſitate dicamus tres perſonas: & quare non ſimiliter tres deos vel eſſentias: quia ſcilicet in altero obuiat ſcriptura, in altero diuerſitatis intelligẽtia: quia ibi nulla penitus eſt diuerſitas, ſicut nec ſingularitas vel ſolitudo, ſed vnitas & Trinitas. Vnde [a] Aug. in lib. 7. de Trinit. ait, Humana inopia quærens quid diceret tria, dixit tres perſonas vel ſubſtantias. Quibus nominibus non diuerſitatẽ voluit intelligi, ſed ſingularitatẽ noluit: vt nõ ſolùm ibi vnitas intelligatur ex eo quòd dicitur vna eſſẽtia: ſed Trinitas ex eo quòd dicuntur tres perſonæ. Hilarius quoque in lib. 7. de Trinit. ait: Dominus dicit, Qui me videt, videt & Patrem. Cum hoc dicitur, excluditur ſingularitas, atque vnici id eſt, ſolitarij intelligentia. Nam nec ſolitarium ſermo ſignificat, & indifferentem tamen naturam profeſſio docet. Viſus eſt enim in Filio Pater per naturæ vnitã ſimilitudinẽ. Vnũ ſunt. n. natus & generãs: vnum [2] ſunt neq; vnus. Non itaque ſolitarius Filius eſt, nec ſingularis, nec diſpar. Item in eodem ſicut in Patre, & Filio credere duos deos impium eſt: ita Patrem & Filium ſingularem Deum prædicare, ſacrilegum eſt. Nihil in his nouum nihil diuerſum, nihil alienum, nihil ſeparabile eſt. De hoc etiam Aug. in libro quæſtionum veteris ac nouæ legis ait, Vnus [3] eſt Deus, ſed non ſingularis. Itẽ. Ambr. in lib. de fide ait: Quod [4] vnius eſt ſubſtantiæ, ſeparari non poteſt: & ſi non ſit ſingularitatis: ſed vnitatis. Deus [5] vnus cùm diciter, nequaquam deitatis Trinitatem excludit: & ideo non quod ſingularitatis, ſed quod vnitatis eſt prædicatur. Ecce ex prædictis oſtenditur, quia nec ſingularis, nec diuerſus, nec vnicus vel ſolitarius confitendus eſt Deus: quia ſingularitas vel ſolitudo Perſonarum pluralitatem excludit, & diuerſitas vnitatem eſſentiæ tollit. Diuerſitas inducit ſeparationem diuinitatis, ſingularitas adimit diſtinctionem Trinitatis. Ideo Ambr. in 2. libr. de Fide ait, Non eſt diuerſa nec ſingularis æqualitas, nec iuxta Sabellianos, Patrem Filiúmque confundens: nec iuxta Arianos, Patrem Filiúmque ſecernens. Pater enim & Filius diſtinctionem habent, ſeparationem verò non habent, Item in eodem, Pater & Filius diuinitate ſunt vnum. nec eſt [6] ibi ſubſtãtiæ differentia, nec vlla diuerſitas: alioquin quomodo vnum Deum dicimus? diuerſitas enim plures facit. Conſtat ergo ex prædictis, quia in Trinitate nulla eſt diuerſitas: ſi tamen aliquando in Scriptura inuenitur dictum, tres diuerſæ perſonæ, & huiuſmodi, diuerſas dicit diſtinctas.

Cap. 2.

lib. 1. ca. 2.

Diuerſę dicuntur aliquando perſonę. i. diſtinctę.

C

CAP. X.

Quòd non debet dici Deus multiplex.

4 Corollarium vbi oſtenditur propter numerũ perſonarum Deũ non eſſe multiplicem.

Cap. 2.

ET ſicut in Trinitate non eſt diuerſitas, ita nec multiplicitas: & ideo nõ dicendus Deus multiplex, ſed trinus & ſimplex. Vnde Ambroſ. in 1. lib. de Fide ait, Eſt in [1] Patre & Filio non diſcrepans, ſed vna diuinitas: nec confuſum quod vnum eſt: nec multiplex eſſe poteſt quod indifferens eſt. Multiplex itaque Deus non eſt.

AD DISTINCT. XXIII.

AD CAP. III.

1 *SERVARE huic ſignificationi.* Auguſtinus, *Seruire huic ſignificationi.* Rententus eſt tamẽ ſenſus, niſi quòd, quæ ſumma modeſtia ἀπορητικῶς dixit Auguſtinus, iſte, ſublatis aliquot Auguſtini verbis, καταφατικῶς & aſſeueranter affirmat hac oratione. *Quia volumus* &c. Auguſt. autem ſic.

A ſic. *Cur ergo* &c. *niſi quia volumus?* Sed iſta leuia ſunt, & tamen hominis frontem oſtendunt.

CAP. IIII.

1 *VT fari aliquo modo*, Variè mutilatus locus, quem ex ipſo Auguſtino in ſuos articulos bona fide reſtituo. Sunt enim hîc quædam à Lombardo prætermiſſa, neceſſaria tamen: quædam autem adiecta ſuperflua. *Itaque*, ait Auguſt. libro 7. capit. 4. Trinitate, *Loquendi cauſâ de ineffabilibus (vt fari aliquo modo poſſemus, quod effari nullo modo poſſumus) dictum eſt à noſtris Græcis, vna eſſentia tres ſubſtātiæ: à Latinis autē vna eſſentia vel ſubſtātia tres Perſonæ: quia ſicut iā diximus non aliter in ſermone noſtro, id eſt, Latino eſſentia, quàm ſubſtantia ſolet intelligi. Et dum intelligatur ſaltem in ænigmate quod dicitur, placuit ita dici, vt diceretur aliquid, cùm quæreretur quid tria ſint, quæ tria eſſe fides vera pronuntiat, cum & Patrem non dicit eſſe Fi-* B *lium: & Spiritum ſanctum (quod eſt donum Dei) nec Patrem dicit eſſe, nec Filium*, &c. In his paucis verbis iſta ſunt à Lombardo addita. Primum ex margine quidem codicis verba hæc, *Vna vſia, tres hypoſtaſes*: deinde ab ipſo Lombardo ex ſuo tota hæc ſentētia. *Aliter enim Græci accipiunt ſubſtantiam, quàm Latini*, ſed ineptè. Nec enim Græci vtuntur ipſa voce *Subſtantia*, quæ prorſus Latina eſt. Deinde nō vſquequaq; verum eſt & hoc ipſum. Nam οὐσία Græcis Theologis in hoc argumento aliud eſt, quàm φύσις & ὑφιστάμενον: quemadmodum & Latinis ipſis aliud eſt eſſentia, quæ reſpondet οὐσίᾳ, quàm ſubſtantia, quæ reſpondet Græco vocabulo φύσις vel ὑφιστάμενον, præſertim in in hac diſputatione. Tertiò ineptè & ſuperuacaneè addidit Lombardus, *Quæ tria, tria eſſe fides*, &c. Detraxit autem hoc totum, *Quod effari nullo modo poſſumus*, in quo tamen ſuperioris ſententię, *Vt fari aliquo modo poſſemus*, lux & ratio poſita eſt. Quàm enim horum verborum inanis eſt, obſecro, repetitio, *Loquendi cauſâ de ineffabilibus,* C *vt fari aliquo modo poſſemus*, quia nempe iſta ſequentia verba adiunguntur, *Quod effari nullo*, &c. Deinde delet *Noſtris* vbi de Græcis agit Auguſt. Noſtrorum autem nomine non tantum baptizatos, qui infideles & ethnici eſſe deſierant, intelligit Auguſt. ſed orthodoxos, qui Arianos oppugnabant. Denique mutat *Dum* in *vt* pro magiſtrali ſupercilio, & fide.

AD CAP. VII.

1 *Vocabulum. Quid igitur.* Quædam prætermiſſa hoc loco à Lombardo, ſed quæ tamen Auguſtini mentem non violant.

2 *A Græcis & Latinis.* Adduntur à Lombardo hæc duo vocabula: ſed *Græcis*, temerè: cùm nuſquam verba ipſa Græcorum afferat vel Auguſtin. vel Lombard. *Subſtantia* enim Latinorum eſt, non Græcorum: μία οὐσία, dicunt Græci, τρεῖς ὑποστάσεις, vbi nulla eſt huiuſmodi ambiguitas, qualem hîc tradit Lombardus.

3 *Cùmque conaretur.* Auguſt. *Cum enim conatur*, &c. & meliùs & dilucidiùs.

4 *SIVE tres ſubſtantias.* Verba hæc *Secundum Græcos* addita ſunt, hîc quoque à Lombardo: prætermiſſa verò quæ maximi momenti a- A pud Auguſtinum ſequuntur *Quibus nominibus*, ait, *non diuerſitatem intelligi voluit, ſed ſingularitatem: vt non ſolùm ibi vnitas intelligatur ex eo quod dicitur vna eſſentia: ſed & Trinitas, ex eo quod dicuntur tres ſubſtantiæ, vel perſonæ.* Sic iſte dicenda tacet, & tacenda dicit. Quanquam & hæc ipſa poſtea, ſed alieno loco, nempe cap. 9. affert, planè corrupta, quemadmodum oſtendimus.

AD CAP. IX.

1 *Singularitatem noluit.* Locus ex Auguſt. lib. 7. Trinita. cap. 4. ſub finem, qui mirè ab iſto fuit immutatus: atque etiam in quibuſdam deprauatus. Nam verba hæc, *Humana inopia & iſta, Tres perſonas vel ſubſtantias* immutata ſunt: ſed quia paruo ſenſus ipſius autoris detrimēto id factum eſt, nos eam Magiſtro licentiam facilè condonamus. Quod verò ſequitur, *Singularitatem noluit*, condonari nequaquam poteſt. Peruertit B enim planè mentem Auguſtini, prꝍterquā quòd adiectionem habet. Vult enim Auguſt. disertè his ipſis nominibus ſingularitatem, non autem diuerſitatem intelligi: Iſte contrarium omnino ſenſum Auguſtino affinxit, nempe eum nolle, vt his nominibus ſingularitas intelligatur. Legatur ipſe Auguſt. cuius ſup. capite. N. 4. verba iam adduximus. Vocem autem *Noluit* non incuria typographorum vel ſcribarum irrepſiſſe in hunc Lombardi locum apparet, quòd in omnibus & V. & Recentioribus codicibus etiam emendatiſſimis ita legitur, *Noluit*.

2 *Vnum ſunt, neque vnus.* multa ſunt hîc quoque tranſpoſita, quæ apud Hilarium leguntur alia verborum ſerie collata: ſed quia fit minima ſenſus iactura (quanquam & aliqua tamen) nos tolerabimus. Illud tātùm addemus, quod eſt eodem in loco, & minimè ab iſto debuit prætermitti, vt ex hoc Chriſti dicto, *Qui me videt,* C *videt & Patrem* Ioan. 14. facillimè intelligetur excludi ſingularitas & ſolitudo, quam vocant, in perſonis diuinis. *Etenim cùm dicitur*, ait Hilarius, *Et Patrem, excluditur ſingularis atque vnici intelligentia. Non itaque ipſe ſolitarius, nunc ſibi Filius, nūc ſe ſibi profitetur Patrem, nec naturæ nomina infert, ceſſante natura. Alia hîc verborum ſimplicitas. Nam & Pater Pater eſt: & Filius Filius eſt*, &c.

3 *Vnus eſt Deus*, Verba Auguſtin. alia ſunt quæſt. 122. vnde hic locus ſumptus eſt. Sunt autem hæc, vbi loquitur de Chriſto Auguſtinus, *Nunc autem aperta voce dicit* (Scriptura) *eum* (Chriſtū nempe) *Eſſe Deum, & ſemper fuiſſe apud Deum, ſacramentum patefaciens Dei, ne Deus omnino ſolitarius putaretur, declarauit non proptereà vnum dici Deum, vt ſolitarius æſtimaretur.* Sic Auguſt. quæ omnino iſte immutauit.

4 *Quod vnius eſt ſubſtantiæ.* Verba quidem hæc ſunt Ambroſij, ſed quoniam ea obſcura fore perceperat ipſemet Ambroſius, explicarat. Hāc explicationem omittens. i. huius loci lucem extinguens iſte, ſua pro ea commenta ſubſtituit, *Deus vnus cùm dicitur nequaquam Deitatis Trinitatem excludit*, &c. Ergo obſcurum eſt, quod dicitur, *Quod vnius ſubſtantiæ eſt, ſeparari non poteſt, etiamſi non ſit ſingularitatis, ſed vnitatis* quod explicans Ambroſius ſubiicit, *Singularitatē hanc dico*

A *qua Gracè μονότης dicitur, Singularitas ad perſonam pertinet: vnitas ad naturam.* Hæc poſtrema verba ſunt pretermiſſa. Ergo hoc ſibi vult Ambroſ.etiam quæ eſſentia vnum ſunt, poſſe tamen plura eſſe ratione Perſonarum.

5 D*eus vnus cum dicitur.* Sunt hęc ipſius Lombardi, non Ambroſ. verba;, & quidem abſurda, dum ait, *Deitatis Trinitatem non excludi.* Imò verò nuſquam Deitatis aut multiplicatio admittenda eſt, aut trinitas: ſed tantùm Perſonarum. Nec ſequitur, ſi ſunt tres Perſonæ diuinæ, eſſe quoque Trinitatem deitatis. Nam tres illæ perſonæ ſunt vna, non multiplex Deitas. Sic bono illi Ambroſij loco peſsimum hoc aſſumentum ſuum adiecit Lombardus Quod ſi iſtius patroni exceperint eſſe apud Ambroſ.lib.2.de fide cap. 1. ſic. *Deus autem vnus nequaquam deitatem Trinitatis exclůdit*, & alibi *diuinitatem Trinitatis* idem Ambroſius 'vocat. Reſpondemus alius eſſe, ſi quis dicat *Deitatem, vel Diuinitatem Trinitatis* B quæ certè verè conceditur: aliud ſi dicat *Trinitatem deitatis*, quæ minimè ab vllo Chriſtiano concedenda eſt. Illis enim verbis ſtatuuntur tres perſonæ vnius Deitatis & eſſentiæ, quod orthodoxum eſt. Hic autem Deitas triplex, quod eſt impium. Aut igitur impius eſt Lombardus: aut in citando Ambroſio manifeſtè falſarius.

6 *Nec eſt ibi ſubſtantia.* Iſte ſuo more verba Ambroſij peruertit. Sic enim ille, *Quanto magis Pater & Filius in diuinitate vnum ſunt, vbi, nec ſubſtantia, nec voluntatis vlla eſt differentia? Námque aliter quomodo, &c.*

DA CAP. X.

1 *Eſt in Patre & Filio.* Sic Ambroſ. *Eſt enim plenitudo diuinitatis in Patre: eſt plenitudo diuinitatis in Filio: ſed non diſcrepans, ſed vna diuinitas. Nec confuſum*, &c. Ergo duo docet Ambroſ. & plenitudinem deitatis eſſe in ſingulis Perſonis diuinis: & eiuſdem etiam deitatis, non diuerſæ, C aut diſsimilis, vt pleniſsimè Arianis ſatisfiat. Iſte truncans ſententiam huius loci prius membrum prorſus incidit.

Cenſura.

Quò longius in huius ſcriptoris lectione progredimur, eò plura & grauiora peccata deprehendimus, in quibus notandis interpretes magna animi vel ignorantia, vel malignitate cæcutierunt. Nos tamen cum bona piorum omnium, quemadmodum arbitramur, & φιλαληθῶν venia (ne in poſterum cuiquã noceant) illa redarguimus & accuſamus. In hac igitur Diſtinctione quatuor hæc vitia maximè ineſſe dicimus, quæ procul à ſcriptore Theologo ſemper abeſſe debent. Primum, perplexitas orationis, & curioſitas. Nec enim alia de cauſa inſtituta eſt ab iſto tam longa hæc de voce *Perſona* diſputatio, quàm quòd λογομαχίαις delectaretur, quibus iam addicta erat toto illius ſeculi, Schola. Itaque quæ ex vſu ſunt non diſtinguit ab iis, quæ prætermitti omnino & poſſunt & debent. Hinc natæ interpretum quoque hoc loco infinitę quęſtiones, & ipſæ quoque curioſæ, quales hæ, Vtrùm *Perſona ſit nomen primæ intentionis, an ſecundæ*, Vtrùm *Perſona & ſuppoſitum differant re, an ratione*, & ſimiles aliæ, quæ paſsim ab iſtis tractantur pro A ſolida & cõſcientias ædificante doctina ſcilicet.

Secundum huius diſputationis vitium eſt, inanis eiuſdem rei repetitio. Quod enim hoc loco tam verboſè diſputat Lombardus, poſtea tamen integris diſtinctionibus duabus, nempe vigeſima quinta & vigeſima ſexta manifeſtè iterum repetit. Id quod cùm in omni ſcripti genere, tum verò in compendio (quale ſe inſtituere profitetur iſte) eſt maximè vitioſum ac ineptum.

Tertium vitium eſt, rerum prætermiſsio neceſſariarũ, id quod omnibus curioſis euenit, vt dum ἀκροβαλῶσι, & inania ſectantur, amittant neceſſaria. Dum enim præter caſam fugiunt, quod eſt in caſa ædibúſque propriis inquirendum negligunt. Sunt igitur hæ vtiles tres quęſtiones ab Auguſtino tractatæ, ſed ab iſto prætermiſſæ, cùm tamen alias nequaquam vtiles congeſſerit Lombardus, explendi animi aut libri ſui gratia, Nempe,

1 Vtrùm Perſona de Patre, Filio, vel Spiritu ſancto dicatur relatiuè, quemadmodum Amicus & vicinus de Petro, & Paulo. B

2 Vtrùm Perſona de Patre & Filio & Spiritu ſancto enuntietur tanquam ſpecies de Indiuiduis, pręſertim cum velit ſignificari propriè eſſentiam nomine Perſonę.

3 Vtrùm perſona de Patre & Filio & Spiritu ſancto, vti genus de ſpeciebus dicatur. Hęc Aug. libro 7. Trinitat. cap. 4. vnde ſua ferè omnia iſte tranſcripſit. Denique nec illam etiam quæſtionẽ ſoluit hoc loco, quam maximè oportuit tamen eſſe explicatam, Quomodo, quod hìc ab eo dicitur conſentiat cum quarta & quinta regula ſuperiore Diſtinctione cap. 5. tradita, nempe *Nomina eſſentialia in diuinis de perſonis ſingulariter duntaxat enuntiari: non pluraliter*, cùm tamen *perſonam* ad eſſentiam pertinere putet, & pluraliter de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, dicatur. Si quis excipiat Lombardum velle in voce *perſona*, ſuarum regularum exceptionem eſſe: huius vnicæ, & tã nouę exceptionis ratio fuit certè quidẽ C afferenda. Rercurrere enim ad ſolam Latini ſermonis conſuetudinem, & velle vt ea præualeat, ineptum eſt, quùm quid contra noſtrę fidei analogiam profertur. Itaque non ex ſola Latini ſermonis ratione, ſed ex ipſa rei (quæ P*erſona* voce ſignificatur) explicatione, ſolutio tantæ controuerſiæ, & tã robuſtæ obiectionis quęrenda fuit. Hic tamẽ in ſola latinitate, cuius tamen eſt malus interpres, ſolutionem quærit.

Quartũ denique iſtius ſcriptoris in hac Diſtinctione vitium eſt ipſum doctrinæ, quã hoc loco tradit, ψεῦδος & mendacium. Primùm enim ſi ad viuum recẽſetur, hoc omnino falſum eſt, *Nõ eſt aliud Deum eſſe, aliud Perſonam eſſe.* Hoc enim quanquã ab Aug. effatũ fuit, erat tamen ab iſto interpretandum. Nam vt in noſtra Synopſi cap. 6. ex Cõſtant. Cõc. 6. docuimus, & in noſtra ad G. Genebrardum nebulonem maledicenti reſpõſione, in diuinis alia eſt ratio perſonalitatis, alia eſſentiæ. Nec ideo excuſatur quiſpiã, quod poſt Aug. vel veterẽ aliquẽ doctorẽ hac vel illa phraſi vtatur, licet obſcura, vel ambigua, vel etiã falſa ſit. Virtutes.n. nõ autẽ nęui Patrũ ſunt nobis imitandi. Deinde falſum omnino & ſine excuſatione vlla

damnan-

A damnandum eſt, quod hoc quoque loco ait iſte, *Omnino idem eſſe perſonam, & eſſentiam* ca.2. Non ſunt enim omnino idem, ſed aliqua ratione idē: aliqua, diuerſum quiddam. Quare falſa eſt quoque hæc iſtius interpretatio, *Pater eſt perſona, id eſt, Pater eſt diuina eſſentia*, capite I. Perſona enim potius ὕπαρξιν in οὐσίᾳ vel ὑπάρξεως τρόπον, quàm οὐσίαν ipſam denotat. Falſum denique & hoc ipſum eſt *Perſonam eſſentiæ ipſius ſignificandæ gratia etiam in diuinis perſonis propriè vſurpari.* Vt enim omittam, quod viri docti diligenter obſeruarūt ex A. Gellio libro 5. capite 7. adeóque Boethius ipſe libro de Duabus Naturis, & quod etiam annotauit Thomas in prima parte quæſtio. 29. Articul. 3. *Perſonam proprie dictam eſſe à perſonando*, & ſignificare oris integumentum & laruam (A qua ſignificatione vox hæc primùm deducta ad varias animi notiones notandas poſtea accommodata eſt) certum eſt tamen in hoc etiam de tribus diuinis perſonis argumento, vocem ipſam, *perſona*
B aliud propriè quàm eſſentiam denotare, & aliquid ad eſſentiam addere, non quidem aliquid rei ſed aliquid rationis & ſpecialis ἐννοίας. Damaſcenus in Dialectica capite 66. ἴδιον, ait ὡς ἐστι τῆς ἁγίας τριάδος ὑπόστασις ἐστιν ὁ ἄναρχος τρόπος τῆς ἑκάστου ἀϊδίου ὑπάρξεως. ἡ γὰρ ὑπόστασις ἡ καθ' αὐτό ἐστιν ὕπαρξις. i. *Sciendum eſt Hypoſtaſin* (ſeu perſonam) *in ſancta Trinitate ſignificare modum, qui quidem initio caret, quo vnuſquiſque æternus exiſtit. eſt enim Hypoſtaſis res quæ ipſa per ſe exiſtit.* Vnde idem in libro De duabus Chriſti voluntatibus ait ὑποστατικὸν δ' ἰδίωμα τὸ χωρίζον ὑπόστασιν ἀπὸ τῆς ἄλλης ὑποστάσεως. & li. 3. De orthod. Fide, cap. 9. ἐν ὑποστάσεσιν καὶ, ait προσώποις ἡ οὐσία, καὶ ἡ φύσις θεωρεῖται. i. *In Hypoſtaſibus & perſonis & eſſentia & illius propria quadam natura ſpectatur.* Thomas in I. parte Quæſt. 39. Art. 3. ad 4. apertè tradit, Perſonæ nomen ſignificare *proprietatem exiſtendi in eſſentia ſeu natura quapiam generali.* Vnde perſonæ vocabulum relationem denotare idem concedit: Quæſtio. 29. Art. 4. Aliud enim eſt eſſe, aliud ſubſiſtere aut exiſtere: aliud eſt igitur
C eſſentia ſeu natura, aliud perſona. Nam D. noſter Ieſus Chriſtus humanam naturam aſſumpſit, nō autem humanam perſonam. Et vulgatum eſt in ſcholis Phyſicorum, Principium ὑποστάσεως ac ὑπάρξεως eſt à materia, quemadmodum principium οὐσίας καὶ φύσεως eſt à forma. Quare falſò traditum eſt ab iſto *eſſe idem omnino perſonam & eſſentiam*, cum eſſentia commune quiddam: perſona verò ſingulare aliquid declaret in ea communi natura ſubſiſtens, ac peculiarem, indiuiduam, ſibíque vni propriam exiſtendi rationem habeat. Porrò quòd autoritate Auguſtini (à quo Lombardus hæc accepit) ſuum hunc præceptorem (tanquam Teucrum Aiacis clypeo) obtegere, & tueri hîc conabuntur boni fortaſſe diſcipuli, fruſtrà in eo æſtuabunt. Nam Auguſt. ſeſe inuoluit ſub finem capitis, vnde hæc Lombardus tranſcripſit, ſatíſque oſtendit non modò ſe perplexum aliquid ſentire, dum ſic loquitur: ſed etiam à veritate diſſentaneum. Sic igitur capit. 4. ſub finem ait Auguſtin. ipſe libro 7. Trinitat. *Nam ſi hoc eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtere* (Id eſt, ſi idem eſt eſſentia, quod perſona) *Ita non erant dicendæ tres ſubſtantiæ, vt non dicuntur tres eſſentiæ.* Et libro 5. Trinit. cap. 9. idem confirmat, ſe in hac ſua ſententia & perplexum & obſcurum eſſe. Sed idem Auguſtinus in libris illis de Trinitate, alia quædam A habet & arguta, & non ſatis commodè dicta, quemadmodum ante nos quoque obſeruarunt viri docti, in primíſque D. Eraſmus Roterodamus: imò verò Richardus de S. Victore libros de trinitate ſcripſit, in quibus ex profeſſo multa de libris Auguſtin. de Trinitate reprehendit ac improbauit, magno totius ipſius ſcolaſticæ Theologiæ conſenſu. Denique non magis ſunt Auguſtini, quàm alterius cuiuſquam næui imitandi. Nec enim Theologicis accommodari illud poteſt, quod de ſuo Platone dixit Tullius, ſe malle cum Platone errare, quàm cum aliis verum ſentire. Hoc enim eſt profani hominis dictum, cui contrà nos obiicimus illud Chriſti, *Ego ſum veritas.* Ergo à quocunque illa prolata, quantumuis obſcuro viro, præferenda eſt falſo, etiam à clariſsimis ſcriptoribus probato, & defenſo. Et hæc in Diſtinctionem XXIII. annotata ſint. Confer cum capitulo quinto noſtræ Synopſeωs. B

DISTINCTIO XXIIII.

Quid ſignificetur his nominibus vnus vel vna, duo vel duæ, tres vel tria, trinus vel Trinitas, plures vel pluralitas, diſtinctio vel diſtinctæ, cùm his vtimur de Deo loquentes.

CAP. I.

HIC diligenter inquiri oportet, cum in Trinitate non ſit diuerſitas vel ſingularitas, nec multiplicitas vel ſolitudo, quid ſignificetur his nominibus, ſcilicet vnus vel vna, duo vel duæ, tres vel tria, trinus vel Trinitas, *plures vel pluralitas, diſtincta vel diſtinctio: cùm dicitur vnus* Deus, *duæ perſonæ, vel tres perſonæ plures perſonæ, diſtinctæ ſunt perſonæ. Vel cùm dicitur, diſtinctio perſonarum, pluralitas perſonarum, Trinitas perſonarum, & huiuſmodi. Videmur*[a] *enim hoc dicentes, numerorum quantitates, & rerum multitudinem vel multiplicitatem in Deo ponere. Quid ergo iſta ibi ſignificent, ipſo, de quo loquimur aperiente, inſinuare curemus.*

Propoſitio Quid ſignificetur per nomē numerale cum loquimur de diuinis

C

a Ratio propoſitionis.

CAP. II.

Magis illa dicuntur ad excludendum ea quæ non ſunt in Deo, quàm ad ponendum aliqua.

SI diligenter præmiſſis autoritatum verbis intendimus, vt dictorum intelligentiam capiamus, magis videtur horum verborum vſus introductus ratione remouendi atque excludendi à ſimplicitate Deitatis, quæ ibi non ſunt, quàm ponendi aliqua.

CAP. III.

Quid per vnum ſignificetur, cùm dicitur, vnus Deus.

CVM enim dicitur, vnus Deus multitudo deo-

A

1 Explicatio propoſitionis in hac phraſi Vnus Deus. Confirmatio.

Lib. 1. c. 2. & lib. 3. de Sp. ſancto cap. 14.

rum excluditur, nec numeri quantitas in diuinitate ponitur: tanquã diceretur, Deus eſt, nec multi ſunt vel plures dij, vnde Ambroſius in libro de Fide ait,[1] Cùm vnum dicimus Deum, vnitas excludit numerum deorum: nec quantitatem in Deo ponit, quia nec numerus nec quantitas ibi eſt.

CAP. IIII.

Quo ſenſu dicitur vnus eſt Pater, vel vnus eſt Filius.

Similiter cùm dicitur, vnus eſt Pater, vel vnus eſt Filius, & huiuſmodi: ratio dicti hæc eſt, quòd non ſunt multi Patres, vel multi Filij, ita & de ſimilibus.

a 2 Eiuſdẽ propoſitionis explicatio in hac phraſi, ſunt plures Perſonæ.

B

In medio quarti.

b Confirmatio.

Gene. 1. c.

Item [a] cùm dicimus plures eſſe perſonas, ſingularitatem atque ſolitudinem excludimus: nec diuerſitatem nec multiplicitatem ibi ponimus, quaſi diceretur, Sine ſolitudine ac ſingularitate Perſonas confitemur. Vnde[b] Hilarius in quarto libro de Trinitate ſic ait,[1] Dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Quæro nunc, an ſolum Deum ſibi loquutum exiſtimes, an hunc ſermonem eius intelligas ad alterum extitiſſe. Si ſolum fuiſſe dicis, ipſius voce argueris, dicentis, Faciamus, & Noſtram. Suſtulit enim ſingularitatis ac ſolicitudinis intelligentiam profeſſio conſortij: quia aliquod conſortium eſſe non poteſt ipſi ſolitario: neque ſolitudo ſolitarij recipit, Faciamus: nec alieno à ſe diceret, Noſtram. Attẽde lector his verbis, & vide quia nomine conſortij pluralitatem ſignificauit: profeſſio ergo conſortij, & profeſſio pluralitatis (quam profeſſus eſt dicens, Faciamus, &, Noſtram, pluraliter enim vtrunque dicitur.) Sed hac profeſſione pluralitatis non diuerſitatem vel multitudinem poſuit, ſed ſolitudinem & ſingularitatem negauit. Sic ergo cùm dicimus plures Perſonas, vel pluralitatem perſonarum, ſingularitatis & ſolitudinis intelligentiam excludimus.

CAP. V.

C

Idem repetit.

Quid per Ternarium ſignficetur cùm dicitur, tres perſonæ.

ITA etiam quum dicimus tres perſonas, nomine Ternarij non quantitatem numeri in Deo ponimus, vel aliquam diuerſitatem: ſed intelligentiam nõ ad alium niſi ad Patrem & Filium & Spiritum ſanctum dirigendam ſignificamus, vt ſit huius dicti intelligentia, tres perſonæ ſunt, vel tres ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, id eſt, nec tantùm Pater, nec tantùm Filius, nec tantùm Pater & Filius in Deitate ſunt: ſed etiam Spiritus ſanctus, & non alius ab his. Similiter non tantùm eſt ibi hæc perſona, vel illa, vel hæc & illa, ſed hæc & illa, & illa & nõ alia. Et hoc fore ita intelligendum Aug. ſatis oſtendit, vbi dicit,[1] quòd illo nomine non diuerſitatem intelligi voluit, ſed ſingularitatem noluit.

Libro 7. de Trin. cap. 4.

CAP. VI.

3 Explicatio propoſitionis in hac phraſi, Duo ſũt vel Duę Perſonę.

Quid per duo, cùm dicitur, duæ perſonæ, vel Pater & Filius duo ſunt.

SIMILITER cùm dicitur, duo ſunt Pater & Filius non dualitatis quantitatem ibi ponimus ſed hoc ſignificamus, quòd non eſt tantum Pater, nec tantùm Filius, ſed Pater & Filius, & hic non eſt ille: ita & de aliis huiuſmodi. Ita etiã cùm dicimus, Pater & Filius ſunt duæ perſonæ, hoc ſignificamus, quòd nõ tantùm Pater eſt perſona, nec tãtùm Filius eſt perſona: ſed Pater eſt perſona, & Filius eſt perſona, & hæc non eſt illa.

A

CAP. VII.

Ex quo ſenſu dicitur in Perſonis diſtinctio, vel perſonæ diſtinctæ.

4 Explicatio in hac phraſi Diſtinctę ſũt Perſonę: vel differentes.

CVM autem dicimus, diſtinctæ Perſonæ, vel diſtinctio eſt in perſonis, confuſionem atque permixtionem excludimus, & hanc eſſe illam ſignificamus. Cùmque addimus, diſtinctæ ſunt perſonæ proprietatibus ſiue differentes proprietatibus, aliam eſſe hanc perſonam & aliam illam ſuis proprietatibus ſignificamus. Et cũ dicimus, aliam & aliam, non diuerſitatem vel alienationem ibi ponimus. ſed confuſionem Sabellianam excludimus.

B

CAP. VIII.

Quomodo ibi accipiatur diſcretio.

Diſcretæ ſunt Perſonæ.

Ita & cùm dicuntur diſcretæ Perſonæ, vel cùm dicitur diſcretio in Perſonis eſſe, eandem intelligentiam facimus. Eodem enim modo ibi accipitur diſtinctio, quo diſcretio. Et congruè dicitur ibi eſſe diſcretio vel diſtinctio, non diuerſitas vel diuiſio ſiue ſeparatio. Vnde Ambroſ. in primo lib. de Trinitate.[1] Non eſt ipſe Pater qui Filius, ſed inter Patrem & Filium expreſſa diſtinctio eſt.

Cap. 2.

CAP. IX.

Quomodo Trinitas ibi accipiatur.

C

Trinitas.

CVM verò dicitur, Trinitas, id ſignificari videtur quòd ſignificatur, cùm dicitur, tres perſonæ: vt ſicut non poteſt dici Pater eſt tres perſonæ, vel Filius eſt tres perſonæ: ita non debet dici Pater eſt Trinitas, vel Filius eſt Trinitas.

CAP. X.

Hoc videtur contrarium eſſe prędictis.

Diſtinc. 23 Parag. 1. & in princip huius diſtinctionis.

Obiectio.

In lib. 7. etymologiarum. cap. 4.

a Solutio.

HIC non eſt prætermittendum, quòd cùm ſuprà dictum ſit, Deum nec ſingularem, nec multiplicem eſſe confitendum, idque Sanctorum autoritatibus ſit confirmatum, in contrariũ videtur[1] ſentire Iſidor. dicens, Diſtinguendum eſt inter Trinitatẽ & vnitatem. Eſt enim vnitas ſimplex & ſingularis, Trinitas verò multiplex & numerabilis: quia Trinitas eſt trium vnitas. Ecce vnitatem dicit eſſe ſingularem: & Trinitatẽ multiplicẽ & numerabilẽ. Sed ad hoc dicimus,[a] quia ſingularem accepit, ſicut & alij accipiunt, vnum: multiplicem verò & numerabilem, ſicut dicunt Trinum.

AD DISTINCT. XXIIII.

AD CAP. III.

1 Cùm vnum dicimus. Nuſquam iſta ſic apud Am-

A Ambroſium leguntur, vel quoad verba vel quoad mentem. Ergo vtrobique falſarius deprehéditur Lombardus. Quoad verba ſic habet Ambroſ.libr.1.de Fide ad Gratian. cap.2. *Vnum ergo Deum,non duos , aut tres Deos dicimus. Non enim diuiditur vnitas, nec ſcinditur. Diuerſitas plures facit, vnitas poteſtatis excludit numeri quantitatem, quia vnitas numerus non eſt , ſed hæc omnium ipſa principium eſt.* Et libr. 3.de Spiritu ſancto cap.14. idem Ambroſ. *Sicut vnum Deum dicimus, & Patrem verum Deitatis nomine confitentes , nec Filium denegantes : ita etiam Spiritum ſanctum à Deitatis non excludimus vnitate, & tres Deos non aſſerimus, ſed negamus:quia pluralitatem non vnitas facit, ſed diuiſio poteſtatis. Quomodo enim pluralitatem recipit vnitas diuinitatis,cùm pluralitas numeri ſit, numerum autem non recipiat diuina natura?* Hæc ſunt Ambroſij verba,quæ iſte pro prætoria, quam vbique vſurpat, autoritate immutauit. Sed leue iſtud peccatum,ſi modò autoris ipſius ſenſus retineretur. B Quid enim Ambroſius ſimile Lombardo habet? Probat Ambroſ.ex vnitate eſſentię & poteſtatis,quæ eſt in Patre, & Filio , & Spiritu ſancto , tres illas perſonas eſſe vnum Deum: non multiplicem , non differentem , non diuerſum,vt ipſe loquitur libr.1. cap.2.de Fide.Hoc idem perſequitur lib.3.ca.6.& 7. eiuſdem operis. Contendit iſte ex iis Ambroſij verbis vocabula *Vnus,Vnicus*,& ſimilia non θετικῶς,& alicuius rei in Deo ponendæ : ſed ἀποφατικῶς & detrahendæ tantùm gratia enũciari. Atqui hoc etiam ipſum, vel teſtibus ipſis Lombardi diſcipulis, eſt falſiſſimum. Ergo de re agit Ambroſius, hic de vocibus : Ex iis verbis aliquid θετικῶς de Deo dici vult Ambroſius: iſte negat , ſed duntaxat στερήσεως vel ἀποφατικῷ τρόπῳ. Hæc inter ſe conciliet qui poteſt,& Ambroſij mentem cum Lombardo pulchrè conuenire doceat , & nos eum non liripipio,ſed lauru coronabimus.

CAP. IIII.

C

1 *Dixit Deus.* Hîc quoque & à mente, & à verbis Hilarij longiſsimè diſceſſum eſt. Et quidem à verbis, quia ſic habet Hilarius, *Quæro nunc,ſolúmne ſibi Deũ*(iſte habet , *an ſolum Deum ſibi.*) Deinde Hilarius, *Suſtulit ſingularis intelligentiam profeſsione conſortij. Conſortium autem eſſe aliquod ſolitario ipſe ſibi non poteſt.* Iſte habet *Suſtulit enim ſingularis ac ſolitudinis intelligentiam profeſsio conſortij, quia aliquod conſortium eſſe non poteſt ipſi ſolitario.* Sed quis Lombardo tantum iuris in autores iſtos tribuit ? Quoad ſenſum autem,ab eo recedit idem longiſsimè:nec enim de vocum harum, *Tres*,vel *Plures* : ſed de huius ſententiæ diuinæ, *Faciamus hominem*,&c. vera mente diſputat Hilarius. Neque docet vocabulum *Plures* vel *Tres* στέρησιν duntaxat ſignificare, quum de diuinis vſurpatur. Quod tamen iſte vult, & quidem falſò.

CAP. V.

1 *Quod illo nomine.* Niſi miſerè truncaſſet hunc locum Lombardus, ſatis poterat ex ipſis Auguſtini verbis intelligere hanc phraſin , *Tres perſonæ diuinæ* , θετικὸν & ἴδιον aliquid & καταφατικῶς enunciare de Deo : non autem στερητικῶς tantùm intelligendam eſſe. A Addit enim eodem loco Auguſtinus , *Vt non ſolùm ibi vnitas intelligatur ex eo quòd dicitur vna eſſentia : ſed & Trinitas ex eo quòd dicuntur tres ſubſtantiæ vel perſonæ.* Itaque venit in mentem illud puerile & tamen Papiſticũ iſti obiicere, *Verte folium, & inuenies Allelaiah.*

AD CAP. VIII.

1 *Non eſt ipſe Pater.* Ambroſius libro primo de Fide ad Gratianum , cap. 2. ſic. *Non enim Pater ipſe qui Filius : ſed inter Patrẽ & Filium generationis expreſſa diſtinctio eſt, vt ex Deo Deus, ex manente manens, plenus è pleno ſit.* Hæc ex Hilarij libris de Trinitate ſumpſit Ambroſius, vti & alia multa,quem tamen nuſquam citat. Vox *generationis* detracta eſt à Lombardo hoc loco,quæ tamen illam diſtinctionis rationem & notionem B explicat,quam vrget Ambroſius.

AD CAP. X.

1 *Sentire Iſidorus dicens.* Sic omnes & V. & recentiores Lombardi codices habent , *Iſidorus.* Additum autem eſt in margine libri 1. Etymolog.cap.4. Multa ſunt autem,quæ me hîc ſuſpenſum tenent. Primùm , ne Iſidorus pro Boethio hic citetur à Lombardo , ex quo potius illa ſunt (quanquam non iiſdem omnino verbis, more Lombardico)tranſcripta,quàm ex Iſidoro. Deinde quòd ſi ex Iſidori etymologicon libro primo iſta ſunt, & librorum illorum ordinem , & verba ipſa mirum in modum mutata fuiſſe oportet.Nam neque ſimile quicquam habet Iſidorus: neque ea,quæ habet , libro primo , ſed libro ſeptimo etymolog.extant, longè etiam iſtis, quæ hîc citantur , deteriora. Sunt enim hæc Iſidori verba libro ſeptimo , Etymolog. capite quarto, *Trinitas appellatur , quod fiat totum vnum ex quibuſdã tribus,quaſi Trinitas,vt, Memoria, Intelligentia,* C *& Voluntas, in quibus mens habet in ſe quandã imaginem diuinæ Trinitatis. Nã dum tria ſunt, vnũ ſunt: quia & ſingula in ſe manent, & omnia in omnibus.* Quanquam idem ſeipſum poſtea exponens ait, *Proinde Trinitas in relatiuis perſonarum nominibus eſt,* (nempe Patris, Filij, & Spiritus ſancti) *Deitas non triplicatur, ſed in ſingularitate eſt : quia ſi triplicatur, deorum inducimus pluralitatem.* Hæc ille,quæ longè à toto iſto Lombardi loco diſſident,cùm neque de *Trino*, neque de *Numerabili Deo* agat. Boethius autem in libro ad Symmachum ſic , *Trinitas in perſonarum pluralitate : Vnitas in ſubſtantia ſimplicitate conſiſtit. Trinitas eſt numeroſitas. Relatio multiplicat Trinitatem. Subſtantia,non Trinitas , continet vnitatem*, quæ ex Boethio ſiue Iſidorus : ſiue hîc ipſe ſumpſerit, melius cùm hoc loco certè conueniunt, quàm quæ eſſe Iſidori ad hunc vſque diem ſunt credita.

Cenſura ad diſtinctionem XXIIII.

Leuis futurus erat in hac Lombardi Diſtin-

A ctione caſtiganda labor noſter, niſi quorundam iſtius hominis patronorum obſtaret peruicacitas, quę ne ſui quidem ordinis ſanioribus hominibus cedere poteſt. Apertè & palàm tum in articulis iſtius ſcriptoris damnatis hîc recenſetur in fine huius voluminis (vtpote qui defendi aut excuſari nullo modo poſsit) tum etiam hoc mirifico & noto in hanc Diſtinctionem verſu ab ipſis Scholaſticis ſcripto,

Ponere nil, imò tantùm remouere Magiſtro
Nomina, quæ numeros in Deitate notant.
Sed res iſta parum deinceps laudata Magiſtris
A noſtris, hodie nullius eſt precij.

Itaque Thomas in prima parte Quęſtione 30. Articulo tertio, in fine, intrepidè magnóque omnium conſenſu de hac Magiſtri, id eſt, Lombardi ſententia ita ſcripſerat, vt ipſas autoritates (quas pro ſe citat iſte) nihil probare, próque Lõ-
B bardo facere liberè pronunciaret. Hæc igitur fuit totius rectè antea ſentientis iſtorum ſcholæ in hunc locum cenſura, prorſus nimirum à vero aberrare hoc loco Magiſtrum, dum ſcribit, *Nomina & vocabula numeralia nihil ponere, quum de Deo diuiniſque Perſonis vſurpantur: ſed duntaxat contrariam ſibi ſignificationem remouere.* Verùm perinaces quidam nodum in ſcirpo quærentes poſtea reperti ſunt, qui hanc ipſam Lombardi falſitatem tueri vellent, & ſententiam non tantùm emollire: verùm etiam, velut ſanam, obtrudere conarentur, addita nimirum illi ea interpretatione, de qua iſte ne cogitauit quidẽ vnquam, quemadmodum in 2. Quæſtione G. Occani in hanc Diſtinctionem apparet.

Nos igitur ſtrenuè (quando iſti verum obtinere non patiuntur) veterum illorum Scholaſticorum, & certè quidem meliorum, ſententiam defendamus, & in hanc Diſtinctionem ſeuerè animaduertamus.

Primùm autem iſtius tam ineptæ Lombardi
C interpretationis (quę & Sacroſanctam verbi Dei veritatem, & perpetuum vocabulorum numeralium vſum oppugnat) occaſio annotanda eſt, cur in aqua hæſerit, facillimè intelligatur.

Quæſitum eſt, quum Deus dicitur *Vnus*: aut perſonæ diuinæ *duæ* vel *tres*, vtrùm aliquid reale Deo, præter ipſam diuinam eſſentiam, addatur: quaſi vel Deum ipſum, vel ſingulas perſonas quippiam σύνθετον, id eſt, ex eſſentia & accidente (tanquam duabus quidem diuerſis rebus & entibus) compoſitum ſtatuamus? Reſponſ. Minimè verò. Cur igitur, aiunt, vocabula iſta, *Vnus, Tres, &c.* De Deo vſurpamus? Reſpondet Lombardus, vt contrarias iſtis vocibus ſignificationes à Deo ſecludamus duntaxat: non autem vt de eo quicquam affirmemus, aut aſſeramus.

Hæc iſtius ſcripti ſumma eſt & occaſio. In quo rectè illud à ſtudioſis obſeruari debet, cùm varia ſint vocabula, quibus in vnitate & ſimplicitate diuinæ eſſentiæ ſignificanda vtimur: itémq; in perſonarum diuinarum diſtinctione vera illa quidem explicanda & demonſtranda, à quibuſdam tamen eſſe nobis abſtinẽdum. Nam loquentes de Deo, nec *Confuſus*, neç *Compoſitus*, nec *Aggregatus*, nec *Solitarius* dicendus eſt.

A De perſonis autem agentes, *Diſpares*, *Diuiſæ*, *Separatæ*, *Diſcrepantes*, *Alienæ*, minimè ſunt item à nobis dicendæ.

Singularis autem & *vnicus* Deus, vtrùm dicendus ſit, quæſtio eſt: alij aiunt, alij negant. Ego *Vnicum* pro *Vno Deum* dici poſſe ſentio: *Singularẽ* autem appellare nolim, niſi dixero ſingularem eſſentiam.

Perſonæ autem diuinæ, & *Duæ*, & *Tres*, & *Multæ*, & *Differentes* & *Diſtinctæ*, & *Diuerſæ* dici orthodoxè à nobis poſſunt: ſed non ἁπλῶς tamen, imò addita hac determinatione & explicatione *numero*, quum *Differentes* & *Diuerſæ* appellantur. *Diſcretas* quoque hîc dici poſſe, putat, de quo poſtea.

Sed explicata iſtius quęſtionis origine & cauſſa (quæ tamen hîc prætermiſſa eſt) ad reliquam huius Diſtinctionis cenſuram accedamus.

Falſa certè eſt, miniméque ſibiipſi conſentiens hæc Lombardi ſententia, nempe per vocabula numeralia à Deo remoueri tantùm contrariam illis numeris notionem: nihil autem poni, aut ſtatui. Ac minimè ſibi ipſa conſentanea eſt, quoniam iſte idem capite quinto hac phraſin interpretans, *Tres ſunt perſonæ diuinæ*, ait, *huius dicti hæc eſt intelligentia tres perſonæ ſunt, vel tres ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.* Quibus verbis oſtendit aliquid poni, non tantùm remoueri per vocabula numeralia.

Falſa eſt hæc eadem ſententia multis de cauſis. Primùm enim refutatur perpetuo omnium linguarum vſu. Quum enim tres homines, tres aues, tria animalia alicubi eſſe dicimus, non tantùm remoueri quidpiam, ſed ſtatui & eſſe ibidem tria ὑπόςατα, & tria ὄντα volumus, vt mens noſtra non tam de ἀποστερήσει, quàm de θέσει tunc cogitet. Itaque preclarè Baſilius (vt Platonem & Ariſtotelem, & alios probatos autores omittam) libro de Spiritu ſancto ad Amphiloch. capite decimoſeptimo, ἀριθμὸς, ait, σημεῖον γνωριστικὸν τοῦ πλήθους τῶν ὑποκειμένων παρ' ἡμῶν ἐφαρμόζεται. *Numerus rerum exi-* C
ſtentium multitudinis explicandæ gratiâ à nobis accomodatur. Ergo non naturæ diuerſæ tantùm remouendæ gratia numerus vſurpatur, quemadmodum voluerunt Sabelliani, qui ex numero Perſonarum diuinarum dicebant induci πολυθέαν: Ariani autem induci naturæ & eſſentiæ inter Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum diſsimilitudinem: quod vtrumque præclarè idem Baſil. refutat eodem libro, capite decimooctauo: & numeralium vocabulorum vſum in diuinis oſtendit, hunc nimirum, vt tres perſonæ reipſa, non tantùm animi cogitatione eſſe in Deitate intelligantur, eadem eſſentia & Deitate, non multiplici, vt etiam dixit Ambr. aut diuerſa exiſtente.

Deinde Patrum omnium orthodoxorum argumentum euertit iſta Lombardi interpretatio. Illi enim vt θετικῶς oſtenderent tria eſſe ἐνυπόστατα in diuinis, *Tres perſonas* appellarunt, non tantùm vt στέρησιν quandam ſignificarent. Atque vt notos iſti ſcriptori autores proferam, Boethius his vocibus, *Trinitas*, vel *Tres ad Symmachum ait deſignari numeroſitatem.* Anſelmus in Monolog. capite ſexto, *pluralitatem*: alij aiunt tria

ὑφι-

A ὑφιςάμϑμα, vt nemo dubitarit vnquam ſic loqui vel ſcribere.

Tertiò, in multa abſurda abducit nos hac ratione Lombardus. Eodem enim modo, quum dicimus *Deum, Æternum, Sapientem, Bonum, Miſericordem, &c.* aliquid à Deo duntaxat remoueri: non etiam vlli quicquam attribui interpretabuntur homines ἐμπαῖκται & athei. Itaque nihil tandem erit Deus, niſi ſola negatio, & ἀφαίρεσις, ſeu ἀπόφανσις & ςέρησις, & per conſequens nullus tandē Deus ſtatuetur, ex tam bella & acuta iſtius hominis interpretatione. Præclarè igitur Thomas, *Albedinis nomine excluditur nigredo: non tamen ſola nigredinis excluſio nomine albedinis excluditur.* Nam quod ait Auguſtinus in Pſalmo 85. *Deus ineffabilis eſt, facilius dicimus quid non ſit quàm quid ſit. Terram cogitas? Non eſt hoc Deus. Mare cogitas? Non eſt hoc Deus, &c.* Non eò valet, vt propterea nihil quicquam θετικῶς affirmari de Deo poſſe pro captu humani ingenij dicamus. Nam & ipſe ſe *Iuſtum, Bonum, Miſericordem*, &c. vocat, vt quis & qualis ſit: B non tantùm vt quis non ſit, intelligatur à nobis. Exod. 20. Deutero. 5. Pſalmo centeſimo decimoſeptimo, Matthæi 19.

Denique quod Lombardus *Perſonas diſcretas, & perſonarum diſcretionem*, pro diſtinctione rectè dici docet, barbarum eſt. Diſcernendi enim verbum de rebus corporeis & confuſis ferè vſurpatur.

DISTINCTIO XXV.

Quid ſignificatur cùm dicitur pluraliter, tres Perſonæ, vel duæ Perſonæ.

CAP. I.

C

Tranſitio. Diſt 23. paрag. B. Quid ſignificetur hoc nomine perſona. a Propoſitio bimēbris. b Ratio quæſtiōis proponendæ.

PRaterea conſiderandum eſt, cùm hoc nomen perſona (vt pradictum eſt) ſecundum ſubſtantiam dicatur, qua ſit intelligentia dicti cùm[a] *pluraliter profertur, tres perſona vel dua perſona: & cùm dicitur, Alia eſt perſona Patris, alia eſt perſona Filij, alia eſt perſona Spiritus ſancti. Sicut*[b] *enim in his loquutionibus perſona vocabulum eſſentia intelligentiam facit, plures eſſentias confiteri videmur, & ita plures deos. Si verò eſſentia ſignificationem ibi non tenet, alia eſt huius nominis ratio, cùm dicitur Pater eſt perſona, vel Filius eſt perſona: & alia cùm dicitur, Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt tres perſona: & cùm dicitur, Alia eſt perſona Patris, alia Filij, & huiuſmodi.*

CAP. II.

Diſt. 23. paragr. B. Primi mēbri propoſitionis prima explicatio, nēpe quid hęc phraſis ſignificet, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tres perſonę.

Quòd videtur ſecundum eſſentiam dici, alia eſt perſona Patris, alia Filij, ſiue tres perſonæ, vt cùm dicitur, Pater eſt perſona, Filius eſt perſona.

PERSONA enim, vt ſuprà ait Auguſt. ad ſe dicitur, & idem eſt Deo eſſe perſonam quod eſſe: ſicut idem eſt ei eſſe, quod Deum eſſe. Vnde manifeſtè colligitur quòd eſſentiam diuinam pradicamus, dicentes, Pater eſt perſona, Filius eſt perſona, Spiritus ſanctus eſt perſona, id eſt, eſſentia diuina: & omnino vnum & A *idem ſignificatur nomine perſona id eſt, eſſentia diuina, cùm dicitur, Pater eſt perſona, & Filius eſt perſona, quod ſignificatur nomine Dei, cùm dicitur Pater eſt Deus, Filius eſt Deus. Ita etiam idem ſignificatur cùm dicitur,*[1] *Deus eſt Deus, & Deus eſt perſona. Vtroque enim nomine eſſentia diuina intelligitur, quia*[2] *vtrunque ſecundum ſubſtantiam dicitur. Cùm verò dicitur, Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt tres perſona, quid nomine perſona ſignificamus? an eſſentiam? hoc enim videtur, ſi ſuprà poſita verba Auguſtin. diligenter ſcrutemur. Suprà enim dixit, quòd ideo tres perſonas dicimus, quia id, quod perſona eſt, commune eſt tribus. Et item, quia Pater eſt perſona, & Filius eſt perſona, & Spiritus ſanctus eſt perſona, ideo tres perſona dicuntur. Videtur ergo eandem tenere ſignificationem hoc nomen perſona, cùm dicitur, tres perſona, quam habet cùm dicitur, Pater eſt perſona, Filius eſt perſona, Spiritus ſanctus eſt perſona.*[3] *Quia, vt oſtendit Auguſtin. hoc dicitur (id eſt, tres perſona) propter illud, quia id quod perſona eſt, commune eſt eis. Id ergo quod com-* B *mune eſt eis, id eſt, Patri & Filio & Spiritui ſancto videtur ſignificari nomine perſona, cùm dicitur, tres perſona.*

Quòd nomine perſonę id ſignificatur cum dicitur, Pater eſt perſona, quod ſignificatur nomine Dei cum dicitur, Pater eſt Deus.

CAP. III.

Aliter etiam videtur poſſe oſtendi, quòd ſecundum eſſentiam dicatur etiam cùm pluraliter profertur.

Eiuſdem phraſis ſecunda explicatio. Diſt. 23. paragr. C.

ALITER etiam videtur poſſe oſtendi, quòd ibi nomine perſona ſignificetur eſſentia, cùm dicitur, tres perſona. Vt enim ſuprà dixit Auguſt. ea neceſſitate dicimus tres perſonas, vt reſponderemus quarentibus quid tres, vel quid tria. Cùm ergo quaritur quid tres vel quid tria, conuenienter reſpondetur, cùm dicitur, tres perſona. At cùm quaritur quid tres vel quid tria? per quid de eſſentia quaritur. Non enim inuenitur quid illi tres ſint niſi eſſentia.[1] *Si ergo quaſtioni rectè reſpondemus, oportet vt reſpondendo eſſentiam ſignificemus: alioquin non oſtendemus quid tres ſint. Si verò reſpondentes eſſentiam ſignificamus, ipſam eſſentiam perſona* C *nomine intelligimus, quum dicitur tres perſona.*

CAP. IIII.

Opinio quorundam, qui putant eſſentiam ſignificari nomine perſonæ, cùm dicimus tres perſonas.

Refutatio ſecundæ explicationis. Lib. 7. de Trin. c. 4.

QVIBVSDAM videtur, quòd nomine perſona ſignificetur eſſentia quum dicitur, tres perſona, propterea quia Auguſt. dicit ideo dici tres perſonas quia commune eſt eis id quod eſt perſona: vt ſit talis intelligentia, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tres perſona, id eſt, ſunt tres id habentes commune quod eſt perſona, id eſt tres ſunt, quorum quiſque eſt perſona, id eſt, eſſentia. Sed quomodo iuxta hanc intelligentiam dicetur, alia eſt perſona Patris, alia Filij? Et hoc etiam ita volunt intelligere, ſcilicet, alius eſt Pater, & alius eſt Filius, id tamen commune habentes quod eſt perſona. Et hoc confirmant[a] *autoritate Auguſt. qui in vij. lib. de Trinit. ait. Tres perſonas eiuſdem eſſentia, vel tres Perſonas vnam eſſentiam dicimus. Tres autē Perſonas ex eadem eſſentia non dicimus: quaſi aliud ibi ſit quod eſſentia eſt, aliud quod perſona eſt. Hac autoritate &*

Cap. 6. a Ratio ſecunde explicationis.

In hac Diſtinctiōe.

A *præmiſſis conantur aſſerere, in prædictis locutionibus nomen perſonæ eſſentiam ſignificare. Sed* [a] *quid reſpondebunt ad id quod ipſe Auguſtin. in lib. de Fide ad Petrum dicit, ſcilicet quòd alius eſt Pater in perſona ſiue* 1 *perſonaliter, alius perſonaliter Filius, alius perſonaliter Spiritus ſanctus? Quomodo enim alius perſonaliter Pater, alius perſonaliter* Filius: *alius perſonaliter Spiritus ſanctus, ſi in eſſe perſonam omnino conueniunt, id eſt, ſi perſona eſſentiæ tantùm intelligentiam facit? Ideo nobis videtur aliter hoc poſſe dici congruentiùs iuxta catholicorum doctorum autoritates.*

a Confutatio rationis. Cap. 1.

CAP. V.

Quòd hoc nomen, perſona, tripliciter in Trinitate accipitur, & hæc eſt vtilis & catholica doctrina de perſona & perſonis.

B

Digreſſio in varias huius vocis perſona ſignificationes. In medio libri.

b Prima perſonæ ſignificatio pro eſſentia.

Diſt. 5. in ſigno H.

In di. 23. huius in ſigno D.

Ibi. id eſt, libri 7. de Trin. c. 4.

a Secũda Perſonæ ſignificatio pro ſubſiſtentia.

Sciendum eſt igitur, quod hoc nomen perſona multiplicem intelligentiam facit, non vnam tantùm. Et *vt Hilarius ait in lib. 4. de Trin. Intelligentia doctorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei ſermo ſubiectus eſt. Diſcernentes ergo dicendi cauſas huius nominis, ſcilicet perſona, ſignificationem diſtinguimus dicentes, quòd hoc nomen, ſcilicet* [b] *Perſona, propriè ſecundum ſubſtantiam dicitur, & eſſentiam ſignificat, ſicut ſuprà oſtendit Aug. cùm dicitur* Deus *eſt perſona, Pater eſt perſona. Quadam tamen neceſſitate (vt ſuprà dixit Aug.) tranſlatum eſt hoc nomen, vt pluraliter diceretur tres perſonæ, cùm quæreretur, quid tres, vel quid tria: vbi non ſignificat eſſentiam, id eſt, naturam diuinam, quæ communis eſt tribus perſonis, ſed* [a] *ſubſiſtentias vel hypoſtaſes ſecundum Græcos. Græci quippe (vt ſuprà dicit Augu.) aliter accipiunt ſubſtantiam id eſt, hypoſtaſim; aliter nos. Nos enim ſubſtantiam dicimus eſſentiam ſiue naturam.* P*erſonas au-* C *tem dicimus ſicut illi dicunt ſubſtantias, id eſt, hypoſtaſes. Sic ergo nos ita accipimus perſonas, vt illi accipiũt ſubſtantias, vel hypoſtaſes. At illi aliter accipiunt hypoſtaſes, quàm nos ſubſtantiam: aliter ergo nos accipimus perſonas, quàm ſubſtantiam. Cùm ergo dicimus tres perſonas, nõ ibi perſonæ nomine eſſentiam ſignificamus. Quid ergo dicimus? Dicimus, quia tres perſonæ ſunt, id eſt, tres* 2 *ſubſtantiæ, ſcilicet tres entes: pro quo Græci dicunt tres hypoſtaſes.*

CAP. VI.

Oſtendit verba Auguſtini conuenire huic ſententiæ.

Hac Diſtinctione in ſigno D

a Confirmatio variæ huius vocabuli perſona acceptionis.

ET hic ſenſus adiuuatur ex verbis Auguſtin. præmiſſis, ſi interiùs intelligantur. Quia enim P*ater eſt perſona, id eſt, eſſentia, &* F*ilius Perſona, & Spiritus ſanctus perſona: ideo dicuntur tres perſonæ, tres ſubſiſtentiæ, tres entes. Non enim poſſunt dici tres ſubſtantiæ vel entes, niſi ſingulus eorum eſſet perſona, id eſt, eſſentia. Quia ergo iis commune eſt id quod eſt perſona, id eſt, eſſentia: ideò rectè dicuntur tres perſonæ, id eſt, ſubſiſtentiæ vel ſubſiſtentes: vt ſicut eſſentia quæ eſt eis cõmunis, verè ac propriè eſt: ita illi tres verè ac propriè ſubſiſtentiæ vel entes intelligantur. Ideóque Auguſt. cauſas dictorum diſcernens, dicit tres perſonas eſſe vnam eſſentiam vel eiuſdem eſſentiæ, non ex eadem eſſentia, ne aliud intelligatur ibi eſſe perſona, aliud eſſentia (tres enim perſonæ, id eſt, ſubſiſtentiæ vna ſunt eſſentia & vnius eſſentiæ) non autem ſunt vna perſona vel vnius perſonæ: licèt perſona ſecundum ſubſtantiam dicatur aliquando. Nam ſi hoc diceretur, confuſio fieret in perſonis.* A

Ibidem.

CAP. VII.

Obiectioni illorum hic reſpondet, qua nituntur probare perſonas ſecundum eſſentiam accipi: quia reſpondemus quærentibus quid tres, vel quid tria.

Repetit obiectionẽ allatã ſup. cap. 3.

a 1 Obiectio.

b Solutio.

Ioan. 10.f

Ad hoc autem quod illi dicunt, cum quæritur, quid tres, vel tria, de eſſentia quæritur, quia non inuenitur quid illi tres ſint, niſi eſſentia, per hoc volentes nos inducere vt nomine perſonæ eſſentiam intelligamus, cùm reſpondemus tres perſonas. Ita[b] *dicimus indubitabiliter verum eſt, quia non inuenitur vnum aliquid, quod illi tres ſint, niſi eſſentia. Vnum enim ſunt illi tres, id eſt, eſſentia diuina. vnde veritas ait. Ego & Pater vnum ſumus. Verumtamen cum quæritur, quid tres vel quid tria, non de eſſentia quæritur, nec ibi quid ad eſſentiam refertur. Sed quum fides Catholica tres eſſe profiteretur,* B *ſicut Ioannes in epiſtola canonica ait tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cælo: quærebatur quid illi tres eſſent, id eſt, an eſſent tres res, & quæ tres res, & quo nomine illæ tres res ſignificarentur. Et ideo loquendi neceſſitate inuentum eſt hoc nomen (perſona) ad reſpondendum, & dictum eſt, tres perſonæ.*

1. Ioan. 5.

CAP. VIII.

Quid tres res, & quid vna res hic dicitur.

C

Rei vocabulũ quid hic ſignificet.

Ca. 3. & 5. In 3. tom.

NON autem te moueat quòd dicimus tres res. Non enim hoc dicentes diuerſarum rerum numerum ponimus in Trinitate, ſed ita tres res dicimus, vt eaſdem eſſe vnam quandam ſummam rem confiteamur. Vnde Auguſtin. in 1. lib. de Doctrina Chriſtiana ſic ait, Res quibus fruendum eſt, nos beatos faciunt. Res ergo quibus fruendum eſt ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Eadémque Trinitas vna quadam ſumma res eſt, communiſque fruentibus ea, ſi tamen res & non rerum omnium 1 *cauſa ſit. Non enim facilè poteſt inueniri nomen, quod tantæ excellentiæ conueniat: niſi quòd melius dicitur, Trinitas hæc vnus* Deus. *Sicut ergo tres res dicuntur, & hæ ſunt vna res: ita tres ſubſiſtentiæ dicuntur, & hæ ſunt vna eſſentia. Ecce oſtenſum eſt quæ ſit intelligentia huius nominis, perſona, cum dicimus tres perſonas.*

CAP. IX.

Ex quo ſenſu dicatur, alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti.

Prima ſecũdi mẽbri propoſitionis explicatio, nẽpe quid hæc verba ſibi velint: Alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spi. S.

Nunc inſpiciamus, vtrum ſecundum eandem rationem & cauſam dicatur, alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti. Quod vtique ſanè intelligi poteſt, vt ſit ſenſus talis, Alia eſt ſubſiſtentia vel hypoſtaſis Patris, alia ſubſiſtentia Filij, alia ſubſiſtentia Spiritus ſancti. Et alia ſubſiſtentia Pater, alia Filius, alia Spiritus ſanctus.

CAP.

A

CAP. X.

Quomodo hæc intelligantur, alius in perſona Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus.

Corollarium, de hac phraſi Alius eſt Pater à Filio in Perſona, &c. Quod aliter hic accipitur. Perſona quã ſuprà, hic pro proprietate accipitur.

Deinde quæritur, vtrùm ſecundum eandem rationem accipiatur cùm dicitur, Alius eſt Pater in perſona, alius in perſona Filius, alius in perſona Spiritus ſanctus, ſiue alius perſonaliter Pater, alius perſonaliter Fi*lius, alius perſonaliter* Spiritus *ſanctus. Ad quod dicimus, quia etſi poſſit eodem modo accipi: congruentiùs tamen ex ratione dicti alia variatur intelligentia, vt hic perſonæ nomine proprietas perſonæ intelligatur: vt ſit ſenſus talis, Alius eſt in perſona vel perſonaliter* Pater*, id eſt, proprietate ſua Pater, alius eſt quam Filius, &* Filius *proprietate ſua alius quàm* Pater*. Paternali enim proprietate diſtinguitur hypoſtaſis Patris ab hypoſtaſi Filij, & hypoſtaſis* Filij *filiali proprietate diſcernitur à* Patre*, & Spiritus ſanctus ab vtroque proceſſibili proprietate diſtinguitur.*

CAP. XI.

B

Quomodo ſecundum hunc modum etiam in prædictis locutionibus poteſt accipi.

Secunda huius orationis, Alia eſt Perſona Patris, &c. explicatio Summã dictorũ colligit Diſtin. 23. ſigno. B & ſigno. B Eadẽ Diſt. in ſigno. K [a]Cõcluſio vbi tres Perſonę ſignificationes recitantur.

HOC etiam modo ſanè poteſt accipi perſona in præmiſſis locutionibus cùm dicitur, alia eſt perſona Pa*tris alia* Filij*, id eſt, alia eſt proprietas, qua Pater eſt Pater: alia, qua Filius eſt Filius: alia, qua* Spiritus *ſanctus eſt* Spiritus *ſanctus. Ita etiam nomine perſonæ quidam proprietates intelligere volunt, cùm dicuntur tres perſonæ: ſed melius eſt vt ſubſiſtentias vel hypoſtaſes intelligamus, cùm dicimus tres perſonas ex prædictis colligitur*[a]*, quòd nomen perſonæ in* Trinitate *ſimplicem tenet rationem.* E*ſt enim vbi facit intelligentiam eſſentiæ, & eſt vbi facit intelligentiam hypoſtaſis, & eſt vbi facit intelligentiam proprietatis.*

CAP. XII.

C

Autoritatibus Sanctorum oſtendit quod dixit.

Diſtin 23. ſigno. B & in præſẽti Confirmatio cõcluſionis. In tom. 4. in ſymboli explanatione.

Quòd autem ſecundum ſubſtantiam dicatur, & eſſentiam aliquando ſignificet ſupra ex dictis Aug. apertè oſtendimus. Quòd verò pro hypoſtaſi atque proprietate accipiatur, ex autoritatibus Sanctorum oſtendi oportet, ne coniecturis noſtris aliquid auſi dicere videamur. De hoc Hieron. in expoſitione fidei catholicæ ad Damaſum ita ait. Non eſt prorſus aliquis in Trinitate gradus. nihílque quòd inferius ſuperiúſve dici poſſit: ſed tota diuinitas ſui perfectione æqualis eſt, vt, exceptis vocabulis, quæ proprietatem indicant perſonarũ, quicquid de vna perſona dicitur, de tribus poſſit digniſſimè intelligi. Atque vt confutantes Arium, vnam eandémque Trinitatis dicimus eſſe eſſentiam vel ſubſtantiam, & Deum vnum in tribus perſonis fatemur: ita etiam impietatem Sabellij declinantes, tres perſonas expreſſas ſub proprietate diſtinguimus: non ipſum ſibi Patrem, ipſum ſibi Filium, ipſum ſibi Spiritum *ſanctum eſſe dicentes, ſed aliam Patris, aliam Filij, aliam* Spiri*tus ſancti eſſe perſonam. Non enim nomina tantummodò, ſed etiam nominum proprietates, id eſt, perſonas, vel, vt Græci exprimunt, hypoſtaſes, id eſt ſubſiſtentias confitemur. Nec* Pater Filij*, vel Spiritus ſancti perſonã aliquando excludit: nec Filius, vel Spiritus ſanctus Patris nomen perſonámque recipit: ſed Pater ſemper Pater, &* Filius *ſemper* Filius*, & Spiritus ſanctus ſemper* Spiritus *ſanctus. Itaque ſubſtantia vnum ſunt, ſed perſonis ac nominibus diſtinguuntur. Ecce hîc apertè dicit Hieronym. proprietatem eſſe perſonas, & perſonas eſſe* [1] *ſubſtantias. Vnde manifiſtum fit quod diximus, ſcilicet perſonæ nomine ſignificari & hypoſtaſim & proprietatem. Ioannes etiam Dam. perſonas dicit eſſe hypoſtaſes, & eas dicit entes ita inquiens, In deitate vnam naturam confitemur, & tres hypoſtaſes ſecundum veritatem*[2] *entes, id eſt, perſonas.*

A

Lib. 3. de Orthod. fide cap. 5.

AD DISTINCT. XXV.

AD CAP. II.

Deus eſt Deus*, & Deus eſt perſona.* Puerilis eſt hallucinatio, quod hoc loco ſcribit Lombardus, ſed flagris tamen propter rei, de qua hic agit maieſtatem, digna, idem ſignificare has locutiones nimirum *Deus eſt Deus, & Deus eſt perſona.* Illa enim D*eus eſt* D*eus* eſt identica prædicatio, & aſſeueratio maior, ac ἐξηγητικὴ dũtaxat. Idem enim de ſeipſo enunciatur, ſed certiùs. Hæc autem D*eus eſt perſona* non eſt identica enuntiatio, ſed diuinæ naturæ tribuit, vt perſonæ rationem, & ὑπάρξεως ἴδιον καὶ χαρακτηριστικὸν τρόπον admittat & ſuſcipiat. Ex quo fit, vt illa prior enuntiatio de tota diuina eſſentia in vniuerſum vera ſit, & intelligatur, Hæc autem poſterior de Patre, vel Filio, vel Spiritu ſancto ſigillatim: non autem de tota ipſa eſſentia diuina, quaſi ſit vnica perſona. Ergo vox *Deus* in priori enuntiatione eſt quiddam non diſtributum, in poſteriori verò eſt diſtributum, vt ſit ſenſus Pater, vel *Filius*, vel *Spiritus ſanctus*, qui *Deus eſt, eſt perſona:* non autem ipſa Trinitas aut deitas eſt vna perſona. Quòd ſi vera eſſet Lombardi ſententia & interpretatio, ſequeretur proculdubiò, vt, quemadmodum hæc propoſitio vera eſt, *Deꝰ eſt vnus tantùm, non plures:* ſic iſta quoque vera eſſet, *Deus eſt vna tantùm perſona, non plures.* Quod Sabellianorum hæreticorum delirium fuit. Ergo non idem ſignificant *Eſſentia & perſona* ratio etiam in diuinis, etſi nihil reale addit Perſonæ notio ad diuinam eſſentiam, ſed vt ait Baſil. δήλωσιν ὑπάρξεως tantùm deſignat in ſingulis perſonis diuerſam.

B

C

2 *Vtrunque ſecundum ſubſtantiam.* Aequè falſum & iſtud, atque ſuperius. Siue enim *Subſtantiã* pro eſſentia ſumas: ſiue pro perſona, conſtare non poteſt cum veræ Chriſtianæque fidei ἀναλογίᾳ, vt eſſentia & perſona ſecundum idem formaliter dicantur. Nam vel plures eſſent eſſentię diuinæ, & ita fieret multiplicatio deitatis, vti ſunt plures perſonę: vel vnica tantùm eſſet perſona, quemadmodum eſt vna trium eſſentia. Ergo ſecundum aliud eſſentia diuina de Patre dicitur: ſecundum aliud perſona, id eſt, alia eſt eſſentię, alia perſonę etiam in diuinis formalis definitio. Prętерea falſum eſt *Perſonam* de Patre vel Filio dici ſecundum ſubſtantiam, cùm inter omnes conſtet eam enuntiari propriè in relatione & diſtinctione ὑφισταμένων explicanda: eſſentiam autem ſiue ſubſtantiam dici de Filio, vel Patre in vnitate naturę

A trium demonſtranda. Quamobrem hæc ſcribens ſtertebat, nequid grauiùs dicam, Lombardus.

3 *Vt oſtendit Auguſtinus.* Locus Auguſtin. eſt libro 7. Trinitat. capite 4. quem hic ipſe ſuprà Diſtinct. 23. cap. 6. F. citauit quique prorſus ad rē nihil facit. Oſtendit verò Auguſtinus alio modo Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum dici *Perſonas*, alio modo *Deum*. Velle autem aliquid tribus illis perſonis commune eſſe propter eſſentiā, ineptiſſimum eſt. Quod tamen hic ſentit & ſcribit. Perſonæ enim appellatio communis quidem eſt tribus: ſed tantùm vocabuli ipſius *Perſona* ratione, non quòd character ipſe & modus ὑπάρξεως vnus & idem ſit tribus illis communis & vnus. Eſſent enim tres perſonæ vna perſona.

AD CAP. III.

1 *SI ergo Quæſtioni.* Iſtud quàm parum vel nihil abſit ab ipſiſſima πολυθεΐας hæreſi, quæ omniū eſt impiiſſima, vident omnes. At verò quum vult B Lombardus perſonæ vocabulo eſſentiam ſignificari, nonne in hunc ipſum ſcopulum impingit? Nam Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum tres perſonas eſſe & reipſā diſtinctas dicentes, tres quoque diſtinctas eſſe eſſentias diuinas ex iſtius hominis ſententia, pronuntiabimus. Itaque & Lombardum, & ſe à manifeſta impietatis nota liberent, qui veram eſſe huius Lombardi interpretationem capite ſecundo, huius Diſtinctionis defendunt.

AD CAP. IIII.

1 *IN perſona ſiue perſonaliter.* Suo more Lombardus optimam Fulgentij de Fide ad Petrum, & diſertiſſimam orationem corrumpit, dum voces has nihili, nempe *In Perſona*, illi addit. Verba ipſa natiua hæc ſunt, *Vna eſt enim Patris, & Filij, & Spiritus ſancti eſſentia, quam Græci* οὐσίαν *vocant, in qua non eſt aliud* Pater, *aliud Filius, aliud Spiritus* C *ſanctus, quamuis perſonaliter ſit alius Pater, alius Filius, alius* Spiritus *ſanctus.* Et in fine eiuſdem capitis nempe ſic habent, *Quia igitur aliud eſt genuiſſe, quàm natum eſſe: aliúdque eſt procedere, quàm genuiſſe, vel natum eſſe, manifeſtum eſt, quoniam alius eſt Pater, alius* Filius, *alius Spiritus ſanctus.* Sed quid dico nihili eſſe iſtas voces? cum & abſurdam orationem faciant (quid eſt enim ineptiùs, quàm dicere quippiam eſſe in *perſona perſonaliter*) & peregrinum ſenſum optimo ſcriptori affingant, quaſi diceret Fulgentius eodem modo *In perſona alium eſſe Patrem*, quo *in eſſentia eſt cum Filio vnus Pater* Sic enim ſtatueret perſonam eſſe quippiam reale in Patre, vel Filio præter eſſentiam additum: vti eſſentia ipſa, in qua ſunt tres illi vnum, eſt quidpiam reale. Nemo verò Patrum orthodoxorum vnquam ſic eſt locutus, *Alius eſt* Pater *in perſona à Filio*: ſed ſic, *Alius eſt perſona vel perſonæ ratione Pater, alius Filius.* Ergo in iſta additione non leuis momenti res poſita eſt, quia vera fides periclitatur. Quod non tam religioſè annotaſſem, niſi iſte infrà capite 10. in eūdem ſcopulum iterum impegiſſet.

AD CAP. V.

1 *Tripliciter in Trinitate.* Falſus eſt titulus. Neque enim Lombardus fidem liberat, vel præſtat A promiſſum, cum de tribus illis perſonæ ſignificationibus propoſitis duas tantùm afferat, nempe, vt, vel pro eſſentia, vel pro hypoſtaſi perſona ſumatur. Quam autem tertiam volunt eſſe ſignificationem eiuſdem vocabuli, *perſona*, nimirum, vt pro proprietate ipſa vſurpetur, ea hic omnino prætermiſſa eſt, illiúſque probatio in tota hac Diſtinctione fortiter neglecta eſt, niſi quòd capit. vndecimo ſub finem, ídque etiam obiter admodum, commemorata eſt. Ita ſui memor iſte eſt. Hæc de Lombardi in repræſentando promiſſo fide. Sed & prima ſignificatio falſa eſt, & tertia. Neque enim propriè, vti iam abundè docuimus, *perſona* pro eſſentia ſumitur: neque pro ipſa proprietate, quam τρόπον & χαρακτηρισμὸν τῆς ὑποστάσεως Græci vocant. Nam proprietas eſt modus ipſe, per quem reipſa perſona fit, veluti Pater à Filio diſtinguitur. Itaque nequaquam perſona appellatur ipſa proprietas, ſed ſuo proprióque vocabulo, veluti in Patre, vt ait Baſilius ἀγεννησία: in Filio B γεννητὸν εἶναι vel γεννησία: in Spiritu ſancto ἐκπόρευσις: vel quemadmodum docet Ioan. Damaſc. lib. 1. de Orth. fide li. c. 10. πατρότης, υἱότης, καὶ ἐκπόρευσις. Ergo proprietates (quas etiam ἰδιότητας Græci Theologi vocant) differunt ab ipſis perſonis, & eo quidē modo, quo cauſa ab effecto, υἱότης enim nō eſt perſona Filij, ſed ipſius perſonationis vel perſonalitatis cauſſa. Deinde nemo vnquā dixit ἀγεννησίαν, vel πατρότητα eſſe perſonam vel hypoſtaſin, ſiue Græcorum, ſiue Latinorum Patrum orthodoxorum ſcripta obſerues: ſed dixerunt eſſe modum & differentiam, qua Pater à Filio reuerà & ὑποστατικῶς diſtinguitur. vnde fit vt ἀγεννησία vel Paternitas non enuntietur in quæſtione, quid eſt Pater: ſed in quæſtione, Quomodo eſt Pater: *Perſona* verò vox quemadmodum etiam vbique in tota hac Diſtinctione docet iſte, in quæſtione Quid eſt de Patre reſpondetur. Baſilius iſta pulchrè explicat lib. 1. aduerſus Eunomium circa libri calcem. De quo ipſe poſtea eundem errorem retinens C inf. Diſt. 33. agit quoque Lombard.

2 *Tres ſubſtantia.* Sic in omnibus & recentioribus, & vetuſtis codicibus: ſed proculdubiò reſtituendum eſt, *Subſiſtentia.* Subſiſtentiam enim Latinis id ſignificare interpretatur, quod Græcis vox ὑπόστασις. Ergo tres ὑποστάσεις Græcorum à Latinis *Tres entes*, vel *tres ſubſiſtentia*, non tres ſubſtantię conuertuntur, vt iſte cenſet. Sic inf. cap. 6. loquitur vt hic emendamus, *Ideò rectè dicuntur tres perſona, id eſt, ſubſiſtentia.*

AD CAP. VIII.

2 *Omnium cauſa ſit.* Additum eſt ab Auguſtino *Si tamen & cauſa*: quod huic loco minimè detractum eſſe oportuit. Nam tūc meliùs ſequitur. *Non enim facilè poteſt inueniri nomen, &c.* In ſequentibus verbis quædam quoque ſunt immutata, ſed citra iacturam mentis autoris.

AD CAP. XII.

1 *Perſonas eſſe ſubſtantias.* Meo quidem iudicio pro *Subſtantias* hic quoque legēdum eſt *Subſiſtentias*, ſed ex abreuiaturis iſtæ labes irrepſerūt, dum quod addito titulo ſic ſcriptum erat, *Subſtantias*

Aſtantias ſine abbreuiationis nota tranſcriptum poſtea fuit. Confirmat meam coniecturam, tū quod Hieronymus ipſe (cuius autoritate hîc nititur Lōbardus) ſic loquitur, *Perſonas, vel, vt Græci exprimunt, hypoſtaſes, id eſt, ſubſiſtentias:* tum quòd hæc ipſa locutio profertur, vt appareat vocabulum, *Perſona*, pro hypoſtaſi ſumi, quam ſubſiſtentiam, & non ſubſtantiam ex Auguſtino conuertit Lōbardus, & hac, & ſuperiori Diſtinctione. Porrò quod ad rem ipſam attinet, falſum eſt, quemadmodum ſuprà docui, perſonam pro ipſa proprietate perſonam diſtinguente ſumi. Quod tamen falſum iſte idem poſtea magna animi pertinacia tuetur, infrà Diſtinc. 33. & ei alium quoque errorem addit, nempe ipſas proprietates eſſe diuinā ipſam eſſentiam. Ergo aliud eſt proprietas ipſa, veluti Filiatio: aliud Perſona, veluti Filius. Illa abſtractum quiddam eſt, hæc concretū: illa cauſſa, hæc effectum perſonationis: illa denique Actionis vel Paſſionis nomine & prædicamento continetur, hæc ad ipſam τῶν πρόςτι cathegoriam potius pertinet, nempe Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, etſi in iis ipſis vocabulis ſubſtantiæ notio neceſſariò incurrit. Denique ipſa Hieronymi verba noſtram ſententiam adiuuant, qui diſertè hîc ait *Perſonas ex proprietatibus diſtingui*, nempe vt aliud eſſe doceat ipſas proprietates, aliud autē ipſas perſonas. Ipſi quoque ſic ſcribunt noſtram hanc animaduerſionem in Lombardum ſuo calculo comprobantes, *Proprietates ſunt relationes quædam, quibus perſonæ adinuicem diſtinguuntur, & paternitas, filiatio, & proceſſio dicuntur: à quibus & perſonarum nomina ſ. Pater, Filius, Spir. S. ſumuntur.* Sed homo iſte ſúſque déque omnia habens parū etiam ad ea ipſa, quæ citat, attendit, & ſeipſum poſtea Diſt. 26. cap. 2. apertè refutat.

Quem, vt magis falſi & ignorantiæ reum faciam, en Damaſceni verba libro tertio, de Fide orthodoxæ, quæ planè pro nobis faciunt. Τὴν δὲ διαφορὰν τῶν ὑποστάσεων ἐν μοναῖς ταῖς τρισὶν ἰδιότησι, τῇ ἀναιτήτῳ καὶ πατρικῇ, καὶ αἰτιατῇ καὶ υἱικῇ, καὶ αἰτιατῇ καὶ ἐκπορεύσει ἐπιγινώσκομεν. Denique ipſam ἰδιότητα, id eſt, proprietatem definit eſſe τῆς ὑπάρξεως τρόπον, ex quo fit hypoſtaſis.

2 *Secundum veritatem entes.* Damaſceni verba ita habent libro tertio, cap. 5. de orthodoxa fide, ὥσπερ δ᾽ ἐπὶ τῆς θεότητος μίαν μὲν φύσιν ὁμολογοῦμεν, τρεῖς δ᾽ ὑποστάσεις κατ᾽ ἀλήθειαν οὔσας φαμέν. id eſt, *Quemadmodum verò in* Deitate *vnam naturam confitemur: ſic tres perſonas reipſa eſſe dicimus.* Sed quia ſuprà cap. 5. in fin. Perſonas ipſas vocarat *Entes*: hoc ipſum rectè à ſe dictum fuiſſe iam ex barbara illa Damaſceni interpretatione probat. Verùm iſtud *tres entes* reſpondet illi Græcorum phraſi, qua tres perſonas, τρία ἐνυπόστατα nominant. Non autem (quod quidem me legiſſe meminerim) τρία ὄντα, ne diuidere ſingulariſſimam illam deitatis eſſentiā cenſerentur.

Cenſura.

Eò breuior in perſtringendis huius Diſtinctionis manifeſtiſſimis erroribus ſum futurus, quòd iam magnam partem eos in ſuperioribus demonſtraui.

Tria autem hæc vitia obſeruare quilibet, quantumuis etiam Lombardi ſtudioſus, in iſta Diſtinctione poteſt.

Primùm, quòd quicquid hoc loco traditur, ex Diſtinctionis 23. cap. 7. & 3. repetitum eſt. Vnde interpretes (ne ex iſta crambe tam importunè repetita nauſeam, vel mortem ipſam afferrent) in alienas prorſus ab hoc argumento quæſtiones digrediuntur, veluti *vtrùm perſona dicatur vniuocè de Deo, & de creaturis: vtrùm perſona ſecundum ſubſtantiam an relationem dicatur*, quæ non magis ad Lombardum faciunt, tractationémque huius argumenti, quàm ſcapha ad ligonem. Quæritur enim hoc loco, vtrùm eadem ſit vocis huius, *perſona*, ſignificatio in his omnibus propoſitionibus, *Pater eſt perſona, Pater & Filius ſunt duæ perſonæ, Pater eſt alia perſona quàm Filius: Pater eſt alius perſona à Filio: Pater perſonaliter eſt alius à Filio.* Quòd non putat iſte, cùm alibi velit deſignari *perſonæ* nomine eſſentiam: alibi quidpiam tribus perſonis commune præter eſſentiam: alibi hypoſtaſin, id eſt, ſubſiſtentiam: alibi proprietatem & in eo probando miſellus iſte æſtuat, nec à ſuis diſcipulis tam anxiè laborans adiuuatur tamen.

Secundum vitium eſt, quòd tota hæc Diſtinctio eſt perplexa, perturbata, obſcura, & confuſa, cùm nec ſe, nec alios expediat, doceátve apertè quid velit. Inuoluit multa, nihil clarè definit, & ſæpe ſeipſum in vſu harum vocum *Subſtantia, & Subſiſtentia, Hypoſtaſis, & perſona, perſona & proprietas* confundit, ac intricat.

Tertium denique hîc vitium eſt ipſius doctrinæ falſitas manifeſta. Nam ſi vera eſſet iſtius interpretatio & ſententia (quæ tamen alios multos fefellit) vt perſona eſſentiam denotaret, quum dicitur, *Pater eſt perſona. Pater & Filius ſunt ſinguli perſona vel duæ perſonæ.* Certè vt illi plures perſonæ ſunt: ita eſſent plures eſſentiæ: atque ita deitatis multiplicatio, & πολυθεΐα perſpicuè ſtatueretur. Quod eſt omnino nefas. De quo ſatis iam diximus. Sed vt hunc ipſum ſuo, ſuorúmque gladio iugulem, affero primùm, quod huius Diſtinctionis cap. 4. ait his verbis, *Quomodo enim alius perſonaliter* Pater, *alius perſonaliter Filius, ſi perſona eſſentiæ tantum intelligentiam facit?* Negat igitur perſonæ voce ſolam eſſentiam ſignificari, id quod totam ipſiuſmet interpretationem euertit. Thomas in prima parte Quæ. 39. Ar. 3. ad 4. ait apertè, *Forma ſignificata per hoc nomen perſona non eſt eſſentia, vel natura: ſed perſonalitas.* Cuius rei rationem addit Occan hoc loco, *quia natura vel eſſentia vox non includit eſſentialiter principia indiuiduantia:* quæ tamen vox & ſignificatio perſonæ includit. Quid igitur? Nimirum vnum hoc vexauit Lombardū, quòd in quæſtione, quid eſt Pater, vel quid eſt Filius, ſæpe reſpondetur, eſt perſona. Porro in quæſtione vbi petitur, quid eſt id, quod eſt rei eſſentia, reſponderi ſolet. Inde perſonæ voce rei eſſentiam ſignificari Lombardus exiſtimauit. Hoc eſt Achilleum argumentum, vel faſcinum potiùs, quo de veritate miſer deiectus in errores tā multos, quos hîc ſeuit, incidit. Reſpondeo verò hunc ſyllogiſmum eſſe παραλογισμὸν à non conſequente. Fatendum quidem eſt, res eas, quæ perſonę ſunt, eſſe οὐσίας & eſſentias quaſdam. Non tamen ſequitur perſonæ vocem ſignificare eſſentiam. Nam perſonæ appellatione atque ambitu ſæpe ipſam quoque rei eſſentiam comprehendimus: ſed in vno quodam ὑφισταμένῳ ſuo ſpecialíque modo & ra-

A

tione exiſtentem. Ergo relationem perſona propriè ſignificat, non rei, quæ perſona eſt, eſſentiã. Præterea quum in quæſtione, quid eſt Pater aut Filius, reſpondetur eſt perſona, Relatio potius, quàm eſſentia, qua Pater conſtat vel Filius, ſignificatur voce perſonæ. Petitur enim hac interrogatione quid eſt Relationis, non quid eſt Rei. Quas tamen duas quæſtiones confundunt, qui vnam & eandem eſſe putant, & ex huiuſmodi reſponſione colligunt voce perſonæ eſſentiam rei denotari. Et hæc in Diſtinctionem xxv. dicta ſint.

DISTINCTIO XXVI.

De proprietatibus perſonarum, ſed prius de hoc nomine, hypoſtaſis.

B

CAP. I.

Poſtquã de voce ipſa perſona actum eſt, de ipſo perſonarũ diuinarũ fundamento diſputat.

De his quæ propriè & ęternaliter dicũtur de Deo ſecũdũ relationem, ſiue proprietatem perſonalem.

a Trãſitio cui eſt cõiũcta propoſitio ſequẽtis diſputationis.

NVNC de proprietatibus perſonarum, quas frequenter in hoc tractatu commemorauimus, aliquid loqui nos oportet. Sed primùm audiamus quid de hoc nomine hypoſtaſis Hieronymus dicit: ait enim ſub hoc nomine venenum latere: ſed hoc dicit ſecundum quòd hæretici eo vtebantur, vt ſimplices ſeducerent, ſcilicet pro perſona & pro eſſentia. vt ſiue diceretur vna tantùm hypoſtaſis, ſiue tres minùs peritos ad inconueniens deducerent: cùm non erat hoc nomen ita apud Catholicos vulgatum, nec ita eius ſignificatio determinata vt modò. Et ideo Hieronymus dicit hoc nomine non vtendum fore ſine diſtinctione vel expoſitione, tunc ſcilicet quando cum hæreticis contendebatur, ita ſcribens de fide Catholica ad Damaſum Papam,[1] Ab Arianorum præſule hypoſtaſion nouellum nomen à me homine Romano exigitur. Interrogamus, quid tres hypoſtaſes arbitrentur intelligi: tres perſonas ſubſiſtentes aiunt. Reſpondemus nos ita credere. Non ſufficit eis ſenſus: ipſum nomen efflagitant: quia neſcio quid veneni in ſyllabis latet. Clamamus, Si quis tres[2] hypoſtaſes, id eſt, tres ſubſiſtentes perſonas nõ cõfitetur, anathema ſit. Si quis autem hypoſtaſim vſiam intelligens, non tribus perſonis vnam hypoſtaſim indicit, alienus à Chriſto eſt:[3] qui ſcilicet tres hypoſtaſes dicens, ſub nomine pietatis tres naturas conatur aſſerere. Sufficiat nobis dicere vnam ſubſtantiam & tres perſonas perfectas æquales:[4] taceamus tres hypoſtaſes, ſi placet. Nomen hoc non bonæ ſuſpicionis eſt, cùm in eodem verbo ſenſus diſſentiunt. Aut ſi rectum putatis, tres hypoſtaſes cum interpretationibus ſuis debere nos dicere, non negamus. Sed mihi credite, venenum ſub melle latet. Transfigurat enim ſe Angelus Satanæ in Angelum lucis. His verbis non negat vtendum eſſe nomine hypoſtaſis, ſed hæreticos eo prauè vſos oſtendit: contra quos cautela opus erat in diſtinctione ſignificationis: alioquin ſibi contradiceret, qui ſuprà tres hypoſtaſes confitetur.

C

To.2. epiſtol. ad Damaſum cuius initiũ eſt: quoniã vetuſto.

Cor.2. 11.

CAP. II.

De proprietatibus perſonarum, & de nominibus earum relatiuis.

A

a Primũ, tria fũdamenta diſtinctiõis perſonarũ eſſe docet Ca. 1. & 2.

IAM de proprietatibus perſonarum videamus, quæ etiam notiones ſiue relationes in Scripturâ plerunque dicuntur, in illa ſancta Trinitate: quæ ideo à nobis repetitur, vt cordi noſtro tenacius inſigatur. Ait[a] Auguſtinus in libro De fide ad Petrum, Aliud eſt genuiſſe, quàm natum eſſe, aliud eſt procedere, quàm genuiſſe vel natum eſſe. Vnde manifeſtum eſt, quod alius eſt Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus. Et eſt proprium ſolius Patris, non[1] quia non eſt natus ipſe, ſed quia vnũ Filium genuerit: propriúmque ſolius Filij, non quia ipſe non genuit: ſed quia de Patris eſſentia natus eſt. Proprium verò Spiritus ſancti eſt, non quia nec natus eſt ipſe nec genuit, ſed quia ſolus de Patre Filióque procedit. Ecce breuiter aſſignauit tres proprietates trium perſonarum: quarum vna non eſt alia. Hoc enim ſignificauit cùm dixit, Aliud eſt genuiſſe quàm natum eſſe: aliúdque procedere, id eſt, alia proprietas ſiue notio eſt[b] generatio, & alia natiuitas, alia proceſſio, quæ aliis nominibus dicuntur paternitas, filiatio. Has proprietates deſignant nomina perſonarum,[c] ſcilicet Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: quæ relatiua ſunt, & ad ſe inuicem dicuntur, quia notant relationes, quæ non ſunt Deo accidentales, ſed in ipſis Perſonis ab æterno ſunt immutabiliter: vt non modò appellationes ſint relatiuæ, ſed etiam relationes ſiue notiones in rebus ipſis, ſcilicet in Perſonis ſint.

Hic de nominib' relatiuis, quę notãt ipſas relationes.

B

b Secũdũ nomina ipſa relationes & fundamẽtũ cuiuſq; perſonę ſignificãtia enumerat

c Tertium perſonarũ ipſarũ vocabula ſeu nomina addit.

CAP. III.

Quòd non omnia quæ de Deo dicuntur, ſecundum ſubſtantiam dicuntur: quædam enim ſecundum relationem dicuntur, nihil tamen ſecundum accidens.

Occupatio eſt, ne inepte dixiſſe videatur quędã de Deo dici ſecũdũ relationem.

C

a Prima confirmatio.

QVOCIRCA ſciendum eſt, non omne quod dicitur de Deo, dici ſecundum ſubſtantiam: quia quædam dicuntur ſecundum relationem, quæ non eſt accidens, quia non eſt mutabilis, vnde Auguſtinus in quinto libro de Trinitate ait: Nihil in Deo ſecundum accidens dicitur, quia nihil ei accidit.[a] Nec tamen omne quod dicitur, ſecundum ſubſtantiam de Deo dicitur. In rebus creatis atque mutabilibus quod non ſecundũ ſubſtantiam dicitur, reſtat, vt ſecundum accidens dicatur. In Deo autem nihil quidem ſecundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile eſt[1] aut amiſſibile: nec tamen omne quod dicitur de Deo, ſecundum ſubſtantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, ſicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, quod non eſt accidens: quia & ille ſemper eſt Pater, & ille ſemper eſt Filius, & ita ſemper: quia ſemper natus eſt Filius, nec cœpit vnquam eſſe Filius, quòd ſi aliquando eſſe cœpiſſet, aut aliquando deſineret eſſe Filius, ſecundum accidens diceretur. Et quia Pater non dicitur Pater, niſi ex eo quòd eſt ei Filius: & Filius non dicitur Filius, niſi ex eo quòd habet Patrem: non ſecundum ſubſtantiam hæc dicuntur, ſed adinuicem iſta dicuntur: neque tamen ſecundum accidens, quia & quòd dicitur Pater, & quòd dicitur Filius, & æternum atque incommutabile eſt eis. Ecce apertè his verbis oſtenditur, quædam dici de Deo ſecundum ſubſtantiam, quædam ſecundum relationem, nihil tamen ſecundum accidens. Oſtenditur etiam proprietas Patris eſſe, quòd habet Filium: & proprietas Filij, quòd habet Patrem. Ideóque cùm dixerit æternum & incommutabile eſſe quòd Pater dicitur, & quòd Filius dicitur: ita intelligi voluit, id eſt, proprietas, qua Pater eſt Pater: & proprietas, qua Filius eſt Filius,

æterna

A

b Secũda confirmatio. In medio libri.

Paulò ante mediũ.

æterna eſt & incommutabilis: quia & Pater ſemper Pater, & Filius ſemper Filius.[b] *Vnde & Hilarius proprietates perſonarum aſſignans in xij. lib. de Tri. ait. Si ſemper Patri proprium eſt quòd ſemper eſt Pater, neceſſe eſt ſemper Filio proprium eſſe quòd ſemper eſt Filius. Vbi enim ſemper Pater eſt, ſemper & Filius eſt: ergo qui non ſemper Pater eſt, non ſemper genuit. Item in eodem, Nato[3] Deo manifeſtum eſt proprium eſſe quòd Filius eſt.*

CAP. IIII.

Quare dicatur eſſe proprium vnigeniti, quòd eſt Filius Dei, cùm etiam homines ſint Filij Dei.

Quæſtio.

Pſal. 81.

Exod. 4. f

B

a Reſponſio.

Non longè à principio libri

Ad Ephe. 2. a

HIC quæritur, quomodo dicatur proprium nato Deo quòd eſt Dei Filius vel genitus ex Deo: cum etiã homines Filij Dei dicantur, & ſint ſecundum illud,[1] Filij excelſi omnes. Et ad Moyſen de populo Iſrael Dominus ait,[2] Filius meus primogenitus Iſrael, ſed magna[a] eſt diſtantia. Homines enim Filij Dei ſunt factura, non natiuitatis proprietate: Deus autem Filius originis, proprietate Filius eſt, & veritate natiuitatis, non factura vel adoptione: & Filij quidem antè ſunt quàm Filij Dei ſunt. Fiunt enim Filij, non naſcuntur Filij Dei. Vnde Hilarius ſolum Deum natum originis proprietate Dei Filium oſtendens, inter ipſum & homines filios Dei euidentiſſimè diſtinguit in xij. libro de Trinitate, ita dicens, Vero Patri ſolus qui ex eo naſcitur verè Filius eſt: & nos quidem filij Dei ſumus, ſed per facturam. Fuimus enim aliquando Filij iracundiæ, ſed Filij Dei per adoptionẽ effecti ſumus potius quã naſcimur: & quia omne quod fit, antequam fiat, non fuit, nos cùm Filij non fuiſſemus, efficimur.[3] Antè enim filij non eramus, ſed per gratiam facti ſumus, non nati, neque generati, ſed acquiſiti. Acquiſiuit enim nos Deus ſibi, & per hoc dicitur nos genuiſſe. Genuiſſe enim Deũ filios nunquam cum proprietatis ſignificatione cognoſcimus dici. Ex adoptione enim homo factus Filius Dei,

C

non ex generatione: neque ei proprietas eſt, ſed nuncupatio: ac per id non verè Filius eſt: quia nec propriè natus dicitur, nec ſemper fuit Filius. Vnigenitus autem Deus nec fuit aliquando non Filius, nec fuit aliquid antequam Filius, nec quicquam ipſe niſi Filius. Atque ita qui ſemper eſt Filius, naſcibilitatis proprietate ac veritate: Filius eſt eius ſolius qui genuit: & ille tantùm qui genuit, Pater ipſius eſt: quia ſicut ille Filius origine, ita ille Pater generatione.

CAP. V.

Quòd homo dicitur Filius Trinitatis, & Trinitas poteſt dici Pater hominum.

Corollarium, ex quo etiã idẽ illud diſcrimẽ oſtẽditur inter nos & Chriſtum, quẽ dicitur Filius Dei.

Cap. 11.

Deut. 6. e

Paulò poſt initium.

HOMO verò qui Filius Dei eſt, factura non tantùm Patris, ſed Filij, & Spiritus ſancti Filius eſt, id eſt, totius Trinitatis: & Trinitas ipſa Pater eius dici poteſt. vnde Auguſtinus in quinto libro de Trinitate dicit,[1] Non poteſt dici Trinitas Pater, niſi fortè tranſlatiuè ad creaturam, propter adoptionem filiorũ. Quod enim ſcriptum eſt, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt, non vtique excepto Filio aut Spiritu ſancto oportet intelligi: quem vnum Dominum Deum noſtrum rectè dicimus etiam Patrem noſtrum, per gratiam ſuam nos regenerantem. De hoc etiam Hilarius in ſexto libro de Trinitate ait,[2] Omnibus per fidẽ Deꝰ Pater eſt, quibus eſt Pater per eam fidem, qua Ieſum Chriſtum Dei Filium confitemur. Ecce oſtenſum eſt quare proprium dicatur eſſe Dei nati, quod Filius eſt: quia ſcilicet ipſe ſolus natus propriè dicitur. Vnde Hilarius in lib. ij. de Trinitate, ait, Dominus dicens, clarifica filium tuum, non ſolo nomine conteſtatus eſt ſe eſſe Filium, ſed &[3] proprietate. Nos filij Dei ſumus, ſed non talis hic Filius. Hic enim verus & proprius eſt Filius origine, non adoptione: veritate, non nuncupatione: natiuitate, non creatione.

A

Non lõgè à principio.

Ioan. 17. a

CAP. VI.

Quòd Spiritus ſanctus dicitur propriè donum Dei, quia proprietate eſt donum, vt Filius natiuitate: & vtroque modo dicitur relatiuè, & ſecundum eandem relationem.

B

Amplificatio. De Spiritu ſancto idem docet, quod in Filio ſuprà dixit.

Cap. 11. Quid ſit Spir. S.

ITA etiam de Spiritu ſancto dicendum eſt, qui propriè dicitur donum Dei, cum tamen & alia plura ſint dona Dei. Sed Spiritus ſanctus in proprietate immutabili & æterna donum eſt, ſicut Filius proprietate eſt Filius. Eo enim dicitur donum, quo Spiritus ſanctus, & vtroque vtique nomine relatiuè dicitur: eadémque relatione dicitur Spiritus ſanctus & donum: licet ipſa relatio non ita appareat in hoc nomine Spiritus ſanctus, ſicut in hoc nomine, donum. Vnde Auguſt. in v. libro de Trinitate ait Spiritus ſanctus, qui non eſt Trinitas, ſed in Trinitate intelligitur, in eo quòd propriè dicitur Spiritus ſanctus, relatiuè dicitur, cùm ad Patrem & Filium refertur, quia Spiritus ſanctus, & Patris, & Filij, & Spiritus eſt. Sed ipſa relatio non apparet in hoc nomine: apparet autem cùm dicitur donum Dei. Donum enim eſt Patris & Filij, quia à Patre procedit & à Filio: ergo Spiritus ſanctus ineffabilis quædam Patris Filiíque communio eſt. Et ideo fortaſſe ſic appellatur,[1] vt iam diximus, nec iterare piget: quia Patri & Filio poteſt eadem appellatio conuenire. Nam hoc ipſe propriè dicitur, quod illi communiter: quia etiam Pater Spiritus, & Filius Spiritus: & Pater ſanctus, & Filius ſanctus. Vt ergo ex nomine quod vtrique conuenit, vtriuſque communio ſignificetur, vocatur donum amborum Spiritus ſanctus.[a] *Ecce habes quare Spiritus ſanctus propriè dicatur donum, & quòd relatiuè dicitur, ſiue donum, ſiue Spiritus ſanctus: & quòd nomen ſibi proprium tenet, quod communiter Patri & Filio conuenit, ſed diuiſim. Et eſt ſciendum, quòd, cùm Pater vel Filius dicitur Spiritus ſiue ſanctus, neutrum relatiuè dicitur, ſed ſecundum ſubſtantiam.*

C

a Concluſio huius capitis.

CAP. VII.

An Pater, vel Filius, vel Trinitas ipſa poſſit dici Spiritus ſanctus.

a Quæſtio ex poſtrema cõcluſiõe orta. Cap. 11.

Ioan 4.

b Reſponſio.

[a] *HIC quæri poteſt, vtrùm Pater vel Filius vel etiam ipſa Trinitas poſſit dici Spiritus ſanctus. ſicut diſiunctim dicitur & Spiritus ſanctus. De hoc Auguſt. in v. lib. de Trinitate ſic ait, Trinitas nullo modo poteſt dici Filius: Spiritus verò ſanctus poteſt quidem vniuerſaliter dici, ſecundum id quod ſcriptum eſt. Quoniam Deus Spiritus eſt.*[b] *Itaque Pater & Filius & Spiritus S. quoniam vnus Deus eſt, & vtique Deus ſanctus eſt, & Deus Spiritus eſt, poteſt appellari Trinitas*

A *& Spiritus ſanctus. Sed tamen tunc Spiritus ſanctus relatiuè non dicitur, ſed ſecundum eſſentiam: quia propriè Spiritus ſanctus, (qui non eſt Trinitas, ſed in Trinitate) dicitur relatiuè.*

CAP. VIII.

Quidam putant Spiritum ſanctum non dici relatiuè ad Patrem & Filium: quia non viciſſim reſpondent ſibi vocabula, ſed falſò.

Obiectio.

QVIDAM tamen putant Spiritum ſanctum vel donum, non dici relatiuè ad Patrem vel ad Filium. Si enim, inquiunt, hæc relatiuè ad ſe dicuntur, ſuis inuicem B *ſibi reſpondent vocabulis: vt ſicut dicitur* Pater *Filij Pater, & Filius Patris Filius: ita dicatur Pater Spiritus ſancti vel doni Pater: & Spiritus ſanctus vel donum* Patris Spiritus *vel donum.* [c] Sed *non ita eſt in omnibus relatiuis. Non enim omnia quæ relatiuè dicuntur, ſuis ad ſe inuicem reſpondent vocabulis. Vnde Auguſt. horum elidens opinionem in quinto libro de* Trin. *Non te moueat, inquit, quoniam diximus Spiritum ſanctum non ipſam* Trinitatem, *ſed eum, qui eſt in* Trinitate, *relatiuè dici, licèt non reſpondeat ei viciſſim vocabulum eius ad quem refertur.* Dicimus *enim Spiritum ſanctum Patris, ſed non viciſſim dicimus Patrem Spiritus ſancti: ne Filius eius intelligatur Spiritus ſanctus. Item dicimus* Spiritum *ſanctum Filij, ſed non dicimus Filium Spiritus ſancti: ne Pater eius intelligatur Spiritus ſanctus. In multis enim relatiuis hoc contingit, vt non inueniatur vocabulum quo ſibi viciſſim reſpondeant. Cùm ergo dicimus donum Patris & Filij, non quidem poſſumus dicere Patrem doni aut Filium doni: ſed vt hæc viciſſim reſpondeant, dicimus donum donatoris, & donatorem doni: quia hic potuit* C *inueniri vſitatum vocabulum, illic non potuit.* Donum *ergo donatoris, & donator doni cùm dicimus, relatiuè vtrunque adinuicem dicimus: donator tamen non fuit* Deus, *niſi ex tempore, cùm*[d] *Spiritus ſanctus ſit donum, & ab æterno.*

c Solutio.

Cap.12.

d Cùm, id eſt, licet. Vide ſup. Diſt.18. ca.9. & 10.

AD DISTINCT. XXVI.

AD CAP. I.

1 *Ab Arianorum præſule.* Quædam ſunt prætermiſſa in hac Hieronymi ſententia deſcribenda. Nos autem quę maioris tantùm momenti eſſe videbuntur annotabimus.

2 Si *quis tres hypoſtaſes.* Id eſt, Hieronymus habet, *Clamamus, ſi quis tres hypoſtaſes, aut tria enhypoſtata, hoc eſt, tres ſubſiſtentes perſonas, &c.* Detraxit igitur Lombardus hęc verba, *aut tria enhypoſtata*, quæ ſunt magni momenti. Primum quòd illa ſint ipſa Græcorum Theologorum orthodoxorum vocabula, quibus in tribus diuinis perſonis contra Sabellianos diſtinguendis vtebantur. Itaque hac ratione oſtendebat Hieronymus, ſe, qui confiteretur tria enhypoſtata diuina, cum pia & vetere orthodoxa Eccleſia conſentire. Deinde quòd minus ambiguitatis ineſſe in voce hac enhypoſtaton, quàm in vocabulo hypoſtaſeos cernebat ex vſu ſui ſeculi. Enhypoſtaton enim concretum eſt & deriuatum à voce Hypoſtaſis, quo vocabulo ipſæ perſonæ ſignificantiùs declarari cenſebantur. Itaque Hieronymus poſtea tria enhypoſtata potiùs vſurpat, quàm tres hypoſtaſes. A

2 *Qui ſcilicet tres.* Locus & planè obſcurus, & fœdè mutilatus propter detractionem à Lombardo factam. Primùm igitur obſcurus eſt, quoniam rationem dubitationis (quam habuit Hieronym. quæque totius huius loci lux eſt) iſte prętermiſit. Hæc autem eſt, *Tota ſecularium literarum ſchola nihil aliud hypoſtaſin, niſi vſiam nouit. Ecquis, rogo, ore ſacrilego tres ſubſtãtias prædicabit?* Ergo recuſabat Hieronymus tres Hypoſtaſes diuinas cõfiteri, ne tres diuerſas eſſentias in Deitate conſtitueret. Quod Ariani illi aſtutè in voce Hypoſtaſeos quærebant. Eſt etiam mutilatus idem hic locus, adeò vt quid ſibi verba iſta Lombardi velint, nemo ſatis intelligere queat. Sic autem habet Hieronymus ipſe. *Sed quia ille* (Deus) *ſola natura eſt perfecta, & in tribus perſonis* Deitas *vna ſubſiſtit, quæ verè eſt, & vna natura eſt: quiſquis tria eſſe, hoc eſt, tres eſſe hypoſtaſes, id eſt, vſias dicit ſub nomine pietatis tres naturas conatur aſſerere.*

4 *Taceamus.* Hieronymi verba immutat, & B truncat. Sic igitur ille, *Taceantur tres hypoſtaſes: ſi placet, & vna* (hypoſtaſis ſcilicet, id eſt, vſia) *teneatur.* Et poſtea omnino verba commutauit Lombardus, *Nomen hoc non bonæ ſuſpicionis eſt, cùm in eodem verbo ſenſus diſſentiunt.* Hieronymus habet, *Cùm in eodem ſenſu verba diſſentiunt.*

AD CAP. II.

2 *Non quia non eſt natus ipſe.* Fœdè & quoad verba, & quoad ſenſum corruptus locus, adeò quidem vt me pudeat ipſorum Lombardi interpretum, aut potius miſereat, qui toties hunc locum à ſe nequaquam intellectum, Antabatarum more, cæcis oculis prætererint: vel, quum ita corruptum viderent, non reſtituerint, aut ſaltem leuiter annotarint. Sed quid ipſos interpretes hæc Auguſtini non intellexiſſe conquerar, quæ ne ipſemet quidem Lombardus, ea tamen citans, vnquam aſſequutus eſt? C Fœdè verò, quoad verba, mutilatum apparet fuiſſe hunc locum, quia ſic habet, & quidem negans Auguſtinus, *Quia non eſt natus*: iſte verò duplici negatione adiuncta affirmat, quæ Auguſtinus negauit, *Non quia non eſt natus.* Duplex enim negatio æquipollet affirmationi. Ergo ex Lombardi ſententia, *Pater dicitur Pater, non quia non eſt natus*, quæ mera eſt contradictio & blaſphemia. Nec iſtius patroni & defenſores nobis obiiciant hunc eſſe ſcribarum, aut typographi errorem. Sic enim legitur in omnibus & vetuſtioribus & recentioribus exemplaribus, atque adeò in iis ipſis, quæ poſtrema à Ioanne Aleaume emendata ſunt. Sed iſta excuſentur, ſi quid ſibi Auguſtinus voluit, iſte ſaltem intellexerit. Auguſtinus enim vel Fulgentius lib. de Fide ad Petrum, capite ſecundo, initio capitis docet ſolum Filium dici natum, & ſecundum diuinitatem: & ſecundum carnem. *Neque enim in illa* Trinitate, addit Auguſtinus, *Proprium eſſet ſolius Patris*, (nempe non natum eſſe) *quia non eſt natus ipſe, ſed vnum* Filium *genuit, ſi ſecundum carnem tamen ipſe Pater naſceretur ex Virgine.* Hæc eſt illorum verborum *non natus* ſententia & lux, quæ homini iſti tenebricoſo prorſus mera nox fuerunt.

AD CAP. III.

1 *Aut amiſſibile.* Addita eſt vox à Lombardo *Amiſſibile*, ſicut poſtea addit *eſt, quia & ille ſemper eſt Pater: & ille ſemper eſt Filius.* Auguſtinus pleniori oratione dixit nullo *eſt* addito, *quia & ille ſemper Pater* (i. Eſt, Fuit, & erit) *& ille ſemper Filius.*

1 *Et ita ſemper.* Contrario hic iam vitio laborat, quàm in ſuperiori capite. Illic enim addiderat *Non*: hîc detrahit: atque etiam ipſam Auguſtini mentem minimè genuinum intelligens. Docet Auguſtinus Patrem nõ dici ſemper Patrem ex quodam certo tempore, nempe vel antecedenti duntaxat, vel futuro: ſed dici Patrem ab æterno nulla temporis vel cœpti: vel futuri ratione. Sic habet Auguſtinus ipſe, *quia & ille ſemper Pater: & ille ſemper Filius: & non ita ſemper quaſi ex quo natus eſt Filius, vt ex eo quòd nunquam deſinat eſſe Filius, Pater non deſinat eſſe Pater: ſed ex eo quòd ſemper natus eſt Filius, nec cœpit vnquam eſſe Filius.* Huic conſentit hæc Hilarij ſententia libro 12. de Trinitate, *Natum autem ſemper eſſe, hoc eſt ſenſum temporum naſcendo præcurrere, neque intelligẽtia patere aliquãdo fuiſſe non natum.*

3 *Nato* Deo. Hilar. *Nato vero vnigenito Deo manifeſtum eſt, &c. Vnigenito* non eſt ſuperfluè additum ab Hilario. Idem poſtea, *Vnigeuitus autem Deus neque fuit aliquando non Filius, neque fuit aliquid antequam Filius, neque quicquam aliud ipſe, niſi Filius.* Vt de illo Filio vnigenito, & non de quouis Filio, non de quauis perſona diuina id à ſe dici doceret Hilarius, quod ſcripſerat, *Nato Deo, &c.*

AD CAP. IIII.

1 *Filij excelſi omnes.* Locus eſt è Pſal. octuageſimo ſecundo, verſiculo ſexto, qui parum appoſitè citatur, cùm hominum inter ſe comparatione iſti *Filij Dei* dicantur, quòd maiorem præ cæteris dignitatem, Deíque beneficium inter homines excellentius conſequuti ſint Magiſtratus: idcircóque Filij excelſi nominentur. Ergo *Filius* illîc dicetur per metalepſin is, qui beneficio ſingulari à Deo affectus eſt.

2 *Filius meus primogenitus.* Sumpta ſunt iſta ex capite quarto, verſiculo 22. quæ magis iam conueniunt, veluti quod in Dominica oratione iubemur à Chriſto appellare Deum Patrem noſtrũ: & illa verba eiuſdem Chriſti, Matthæi quinto, verſiculo 45. *Vt ſitis Filij Patris veſtri, qui eſt in cælis.* Item illud Ioan. 20. verſiculo 17. *Aſcendo ad Patrem meum, &* P*atrem veſtrum: Deum meum, & Deum veſtrum:* quæ certè videntur maximè vrgere. Sed quæ affertur ex Hilario ſolutio, illa ſatiſfacit. Illud prætermiſit hoc loco Lombardus (quod tamen maximè explicatum eſſe oportuit) cur Iſrael dicatur *Filius Dei primogenitus*, cùm tam auguſtum epitheton, *Vni Chriſto Filio Dei naturali* tribuendum videatur, vt docet Paulus Coloſſ. 1. verſiculo 15. Cuius ſolutio eſt, Iſraeliticum populum dici primogenitum non Chriſti, ſed reliquorum tantùm populorum reſpectu, ac ratione, quòd ante reliquos, id eſt, ante ipſas gentes à Deo fuerit in peculium populúmque Dei adoptatus. Id quod maximè Hilariũ quoque ipſum libro 12. de Trinitate torſit. *Nam licet*, ait, *primogenitus meus de eo* (Iſraele) *ſcriptum ſit, longè tamen, multúmque differt, &c.*

3 *Ante eum filij.* Multa partim ex Hilario detracta, partim addita, quæ quoniam autoris mentem non euertunt, tolerari poſſunt.

AD CAP. V.

1 *Non poteſt.* Auguſtinus habet, *Non ſic poteſt Trinitas dici Pater, &c.* Ergo detriuit iſte *Sic*, quod magni momenti eſſe intelligent omnes, qui ipſum Auguſtini locum conſulent.

2 *Omnibus per fidem.* Iſte immutatis Hilarij verbis planiſſimis totam hanc ſententiam obſcuram reddidit. Sic igitur Hilarius, *Omnibus, quibus per fidem Deus Pater eſt, per eam fidem Pater eſt, qua Ieſum Chriſtum Dei Filium confitemur. Confiteri autẽ Filium ſecundum generale Sanctorum nomen, quid habet fidei, vt dicamus, vnus ex Filiis eſt?*

3 *Sed & proprietate.* Iam diſſimulari non poteſt; quod optimo autori detraxit hoc loco Lombardus: & vt vim omnem argumenti, expoſitioníſque Hilarianæ elidat, dum totam hanc orationem aufert, *Qua dicitur tuum.* Sic igitur Hilarius, *Dominus dixerat, clarifica* Filium *tuum: non ſolum nomine conteſtatus eſt eſſe ſe Filium: ſed & proprietate qua dicitur, tuum.* Rationem igitur appellationis iſtius in Chriſto oſtendit Hilarius ex ipſis verbis Chriſti: & diſcrimen iſtud inter nos & Chriſtum, quum Filij Dei vocamur, confirmat: quod iſte, quanquam ſuo huic propoſito maximè conſentaneum, detruncauit.

AD CAP. VI.

1 *Vt iam diximus, nec iterare piget.* Iſta ſunt Lõbardica: non Auguſtiniana, quorum pars vna παρέλκει, ingratiſſimúmque pleonaſmum habet.

Cenſura ad Diſtinctionem XXVI.

Præter ea, quæ ſunt à nobis in ſingulis capitibus obſeruata, nemo certè diffitebitur in vniuerſam hanc Diſtinctionem iſta dici poſſe.

Primùm, quòd & perturbata & inanis repetitio eſt eorum, quæ ſuprà Diſtinct. 23. fuerunt iam explicata.

Secundùm, nullum non ferè Patrum locum hic citari, qui nõ fuerit in hac Diſtinctione fœdiſſimè corruptus.

Tertiùm, curioſam, neque ſatis firmam eſſe de appellationis Spiritus ſancti ratione explicationem, qnum eam cenſet relatiuè dici, etſi proprio relationis vocabulo caret, quoniam idem pleriſque etiam aliis relatiuis accidere docet Ariſtoteles in categoria περὶ τῶν πρός τι. Dicitur (quicquid conetur hic efficere Lombardus) potius *Spiritus ſanctus* noſtri, quàm diuinarum perſonarum, id eſt, Patris, & Filij ratione, quoniam non carnalis, ſed ſpiritualis, mira, nobíſque incomprehenſibilis ſentitur illius ἐνέργεια, & quidem nos præcipuè ſanctificans. *Spiritum* enim appellant Hebræi vim naturámque omnem vel eſſentiam, quæ interna eſt, inconſpicua, & efficax.

Denique quid magis intempeſtiuum eſt, & ἀπροσδιόνυσον ad Titulum huius Diſtinctionis, *De perſona*, quã quod de Spiritu ſancto additur hoc

A loco? Nam τὸ ἔργον prætermittens, (nempe exponere, cur tempore Hieronymi ambigua eſſet vox *Hypoſtaſis*) τὰ πάρεργα ſtudioſè perſequitur. Meliùs certè, quàm Lombardus ipſe, interpretes hoc loco, quæ ad ſignificationem *Perſonæ* pertinent, attigerunt: imprimiſque Thomas in prima parte quæſt. 29. Artic. 4. Cùm perſona non poſſit eſſe ſine ſubſtantia quadam indiuidua, (perſona enim ſignificat id, quod eſt diſtinctum in natura ſeu ſpecie quapiam) idcirco perſonæ vocabulo eſſentiam ipſam: non indiuiduationem ſignificari ſenſerunt nonnulli: ſed peſſimè illi quidem. Damaſcenus in Dialectica ſic ait *Perſona eſt quæ per proprias operationes, & proprietates dilucidam, & deſi-* B *nitam ab iis, quæ ſunt eiuſdem naturæ ſeu ſpeciei, apparentiam & demonſtrationem nobis exhibet, vt Gabriel, perſona fuit Mariam alloquens.* Quod ad Hypoſtaſin, idem Damaſcenus eodem opere docet varias eſſe illius vocis ſignificationes apud Græcos, & ſæpe οὐσίαν. i. ſæpe etiam πρόσωπον ſiue ἄτομον ἐνυπόστατον deſignare. In diuinis autem tantùm denotare perſonam, non autem eſſentiam communem tribus illis ὑφισταμένοις.

Ergo cùm iſti propoſitum eſſet de perſonarũ diuinarum proprietatibus tractationem ingredi, atque ſuperiùs nempe Diſtinctione 23. explicaſſet, quid ſit perſona in diuinis, ordine ſequebatur dicere, Quot ſunt iſtiuſmodi proprietatum genera. Duo verò conſtituuntur: vnum earum proprietatum, quæ perſonarum propriꝫ ſunt, proptereáque propriè perſonales dicuntur: Alterum earum, quæ tribuuntur quidem perſonis, quanquàm tamen propriè non ſunt perſonales: ſed communes, veluti æqualitas, coæternitas, ſimili- C tudo, &c. de quibus inf. Diſtinct. 31. Hæc poſteriora nominantur ab iſtis Appropriata potius, quàm proprietates.

Proprietates igitur perſonales ſunt tres, nempe:

Gignere, quæ eſt Patris proprietas potiùs, quã innatum eſſe.

Gigni, quæ eſt Filij proprietas potiùs, quàm non gignere.

Procedere, quæ eſt Spiritus ſancti proprietas.

Hæ proprietates, de ſua quęque perſona, enunciantur.

Non eſſentialiter, ſed relatiuè:

Non accidentaliter, ſed naturaliter:

Non à tempore aliquo, ſed ab ęterno.

Etſi verò hę relationes duobus diuerſis modis enuntiantur de ſua quęque perſona, vel per originis verba, qualis eſt Paternitas: vel per actionis vocabula, qualis eſt gignens vel Pater, Filius vel genitus, &c. perinde tamen eſt per vtrauis vocabula enuntientur, ac explicentur. Neque tamen propterea probamus Occan ſententiam in Diſt. 28. quęſt. 1. vbi ait *Pater, & Paternitas nullo modo diſtinguuntur nec realiter nec formaliter.* Denique per has relationes diſtinguuntur perſonę diuinę: nõ autem per abſolutum aut reale aliquid ipſi eſſentię diuinę additum: & tamen perſonę ipſę, quę ſic per iſtas relationes diſtinguuntur, ſunt tria diuerſa ἐνυπόστατα & ſuppoſita reipſâ ſubſiſtentia, & à ſeipſis diſtincta: non autem tres tantùm diuerſę eiuſdem rei notiones, quemadmodum impiiſſimè Sabelliani contenderunt. Atque hęc ſunt, quę in huius tractationis de Proprietatibus per- A ſonalibus ingreſſu à Lombardo tradenda fuerãt, ſi ſuo titulo & promiſſioni ſatisfacere vellet. Sed nõ eſt homo iſte tam religioſus, vt fidẽ exoluat, qui ne in optimorum quidem ſcriptorum ſententia, tanquam pecunia aliena nobis repręſentanda, fidelis eſt. Hęc igitur ſunt, quę in hac Diſtinctione viſa ſunt animaduerſione digna: quam confer- to cum capite ſexto noſtrę Synopſeos.

DISTINCTIO XXVII.

An eaſdem proprietates aſſignent Auguſtinus & Hilarius: & an iſta ſint quę dicuntur paternitas, filiatio, & proceſſio.

CAP. I.

HIC queri poteſt, vtrùm[a] proprietates, quas Hilarius ſuprà aſſignauit, ſcilicet, quòd Pater ſemper eſt Pater, & Filius ſemper eſt Filius, ſint illæ eædem proprietates, quas Auguſtinus ſuperiùs diſtinxit, dicens: proprium eſſe Patris quòd genuit Filium, & proprium Filij quòd genitus eſt à Patre, & Spiritus ſancti, quòd ab vtroque procedit. Ac deinde vtrùm & iſtæ ſunt illæ quæ dicuntur paternitas, filiatio, proceſſio. Videtur[b] B quòd non ſint eædem proprietates, quas ponit Hilarius, & illæ, quas ponit Auguſtin. Si enim eædem ſunt, idem eſt ergo Patri eſſe Patrem, & genuiſſe Filium: quod vtique quidam concedunt. Si autem hoc eſt, cui ergo conuenit vt ſit Pater, ei conuenit genuiſſe Filium. Natura ergo diuina ſi Pater eſt, genuit Filium: ſi verò non genuit, Pater non eſt. Sed quis audeat dicere, aut quòd ipſa genuit Filium, aut quòd ipſa Pater non ſit. Si autem ipſa Pater eſt, nec Filium genuit, non eſt ergo idem dicere aliquid eſſe Patrem, & gignere Filium. Et ita non videbitur vna eadémque eſſe proprietas.

Diſt. prę cedẽte in ſigno C. Examen eorũ, quæ ſuperiori Diſtinctione ex Hilario & Aug. allata ſunt. De proprietatibus perſonarũ, ſecũdũ quod diuerſis nominibus exprimuntur per vocabula magis vſitata

a Quęſtio

b Ratio dubitationis.

Diſt. 26. ſigno B.

C

CAP. II.

Reſponſio, vbi oſtendit eaſdem eſſe proprietates.

AD quod ſine præiudicio aliorum dicimus, quòd eaſdem proprietates notauit vterque, licet diuerſis verbis. Quòd enim Hilarius ait, ita intelligi debet. Proprium Patris 1 eſt quòd ſemper Pater eſt, id eſt, proprietas Patris eſt, qua ſemper Pater eſt, ſemper verò Pater eſt, quia ſemper genuit Filium. *Ita & pròprium Filij eſt, quòd ſemper* Filius *eſt, id eſt, proprietas Filij eſt qua ſemper* Filius *eſt. Filius verò ſemper eſt, quia ſemper genitus eſt ergo proprietas qua Pater Pater eſt, eſt quia ſemper genuit, & hæc eadem dicitur paternitas, vel generatio. Et proprietas, qua Filius ſemper eſt Filius, eſt quia ſemper genitus eſt à Patre: & hæc eadem dicitur filiatio, vel genitura, vel natiuitas, vel origo, vel naſcibilitas.* Sic *& proprietas, qua* Spiritus *ſanctus eſt* Spiritus *ſanctus vel donum, eſt quia procedit ab vtroque: & hæc eadem dicitur proceſſio. In præmiſſis ergo locutionibus eædem ſignificatæ ſunt proprietates.*

Reſpõſio, Quomodo ſint intelligẽda prędicta verba Hilarij.

CAP.

A

CAP. III.

Quomodo non eſt omnino idem dicere, eſſe Patrem, & genuiſſe vel habere Filium, ita & de aliis.

Hypophoram ne quis harum vocũ Pater, & genuit, &c. ſimilitudine aut confuſa ſignificatione fallatur. Hęc nomina Pater & Filii & Spir. S. non tãtũ relatiões, ſed etiam hypoſtaſes ſignificant.

NEC tamen videtur nobis omnino eſſe idem dicere aliquid eſſe Patrem, & genuiſſe Filium: vel aliquid eſſe Filium, & habere Patrem: vel eſſe Spiritum ſanctum, & procedere ab vtroque: alioquin Pater non eſſet nomen hypoſtaſis, id eſt, perſonæ, ſed proprietatis tantum: ſimiliter Filius, & Spiritus ſanctus: & ita non per tria nomina ſignificarentur tres perſonæ. Ideóque [a] dicimus, quia Patris nomen non tantùm relationem notat, ſed etiam hypoſtaſin, id eſt, ſubſiſtentiam ſignificat: ita & Filius, & Spiritus ſanctus. Relationum verò vocabula, ſcilicet paternitas, filiatio, proceſſio, vel gignere, gigni, procedere ipſas tantùm relationes, non hypoſtaſes ſignificant, ſiue habere Filium & habere Patrem: vt [b] verbigratia, cùm dicimus Deus eſt Pater, nomine Patris & relationem notamus, & diuinam hypoſtaſin ſignificamus: vt ſit intelligentia talis, Deus vel; diuina eſſentia, id eſt, Pater, id eſt, ille qui genuit, id eſt, hypoſtaſis quæ habet Filium. Similiter, Deus eſt Filius, id eſt, hypoſtaſis genita vel habens Patrem. Ita etiam Deus eſt Spiritus ſanctus, id eſt, hypoſtaſis procedens ab vtroque ſiue ille qui procedit. Cùm verò nomina relationum ponimus in prædicatis, notiones ipſas tantùm ſignificamus, non hypoſtaſes: vt cùm dicimus, Deus genuit, id eſt, habet Filium, & Deus genitus eſt, id eſt habet Patrem, tunc oportet intelligi in ſubiectis hypoſtaſes tantùm non eſſentiam, quæ illis proprietatibus [2] determinantur.

B

a Diſtinguit vocabula iſta. Relationum verò vocabula ſunt paternitas, filiatio, proceſſio.

b Simili cõfirmat, ex quo obſcurã etiã phraſim obiter explicat.

Quid intelligatur cũ dicitur ſ. Deus eſt Pater, & Deus eſt Spi. S.

CAP. IIII.

Quòd proprietates determinant hypoſtaſes, non ſubſtantiam, id eſt naturam.

C

Quid intelligatur cũ dicitur Deus genuit, & Deus genitus eſt. Idem confirmat autoritate.

ILLÆ enim proprietates ſingulæ ſingulis propriè conueniunt perſonis, & per eas perſonæ determinantur, & à ſe inuicem differunt, ſed à ſe non ſecedunt. Vnde Ioannes Dam. Non differunt ab inuicem hypoſtaſes ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum [1] characteriſtica idiomata, id eſt, determinatiuas proprietates. Characteriſtica verò, id eſt, determinatiua ſunt hypoſtaſeon, & non naturæ: etenim hypoſtaſes determinant. Item eſſe [2] quidem intemporaliter & æternaliter dicimus diuinam verbi hypoſtaſin, ſimplicem, omnia habentem, quæ habet Pater, vt eius homouſion, id eſt, conſubſtantialem, natiuitatis modo & habitudine à paternali hypoſtaſi differentem, nunquam verò à paternali hypoſtaſi ſecedentem. Idem apertiùs exprimens perſonales proprietates, in eodem ait. Differentiam [3] hypoſtaſeon, id eſt, perſonarum in tribus proprietatibus, id eſt, paternali, & filiali, & proceſſibili recognoſcimus. Inceſſibiles autem ipſas hypoſtaſes & indiſtabiles inuicem, & vnitas quidem inconfuſibiliter (tres enim ſunt, etſi vnitæ) diuiſas autem indiſtanter, Etenim ſingula perfecta eſt hypoſtaſis, & propriam proprietatem, ſcilicet exiſtentiæ modum proprium poſſidet: ſed vnitæ ſunt ſubſtantia, & non diſtant: neque ſecedunt à paternali hypoſtaſi. Ecce hic habes diſtinctas tres illas proprietates, quæ ſuprà diuerſis ſignificatæ ſunt modis.

Li. 3. de orthodoxa fide. ca. 7.

Ca. 6. eiuſdem.

Vbi loco eſſe in vero exẽplari legitur præcedente.

Lib. 3. c. 5.

Diſt. 26.

A

CAP. V.

Quòd ſunt alia nomina perſonarum eaſdem proprietates notantia, ſcilicet genitus, genitor, Verbum, imago.

De aliis quibuſdã vocabulis quæ in diuinis Relationes ſignificant.

Hic non eſt prætermittendum, quòd ſicut Pater & Filius & Spiritus ſanctus nomina perſonarum ſunt, & proprietates perſonales deſignant: ita etiam ſunt & alia nomina perſonarum, id eſt, quæ ipſas perſonas ſignificant, & earum proprietates denotant, & eaſdem, quas & nomina prædicta: vnde & relatiuè dicuntur, ſcilicet genitor, genitus, verbum, imago. Vnde Auguſt. in 5. lib. de Trin. ait, Videndum eſt, inquit, hoc ſignificari cùm dicitur [a] genitus, quod ſignificatur cùm dicitur Filius. Ideo enim Filius, quia genitus: & quia Filius, vtique genitus. Sicut autem Filius ad Patrem, ſic genitus ad genitorem [b] refertur: & ſicut Pater ad Filium, ita genitor ad genitum. Idem in 6. lib. de Trinit. Verbum quidem ſolus Filius accipitur, non ſimul Pater & Filius, tanquam ambo ſint vnum verbum. Sic enim [c] verbum dicitur quomodo [d] imago, non autem Pater & Filius ſimul ambo imago, ſed Filius ſolus eſt imago Patris, quemadmodum Filius. Idem in 7. libr. de Trinit. Verbum, [1] ſecundum quod ſapientia eſt & eſſentia, hoc eſt quod Pater: ſecundum quod verbum, non eſt hoc quod Pater: quia verbum non eſt Pater, & verbum relatiuè dicitur, ſicut filius. Item in eodem, Sicut Filius ad Patrem refertur, ita & verbum ad eum, cuius eſt verbum, refertur, cùm dicitur Verbum. Et propterea non eo verbum, quo ſapientia dicitur: quia verbum non ad ſe dicitur, ſed tantùm relatiuè dicitur ad eum, cuius eſt verbum, ſicut Filius [e] ad Patrem. Eo quippe eſt Filius, quo verbum, & eo eſt verbum, quo Filius: ſapientia verò, quo eſſentia: & ideo quia Pater & Filius ſunt vna eſſentia & vna ſapientia. Item in eodem, Non eſt Pater ipſe Verbum, ſicut nec Filius, nec imago. Quid autem abſurdius, quàm imaginem ad ſe dici? Idem in 5. Dicitur relatiuè Filius, relatiuè dicitur verbum, & imago: & in omnibus hic vocabulis ad Patrem refertur, nihil autem horum Pater dicitur.

Cap. 7.

a Genitus.

b Genitor.

Cap. 2.

c Verbũ.

d Imago.

Cap. 3.

B

lib. 7. de Trin. ca 2.

e Filius.

lib. 7. c. 1.

Cap. 1.

C

CAP. VI.

Breuiter ſummam colligit intelligentiæ prædictorum.

Anacephaleoſis.

APERTE oſtenſum eſt, quòd ſicut Filius vel genitus relatiuè dicitur ad Patrem, ita verbum & imago: & quòd eo dicitur verbum ſiue imago quo Filius, id eſt, eadem proprietate ſiue notione dicitur verbum & imago, qua Filius: ſed non eo, quo verbum, dicitur ſapientia vel eſſentia: quia non notione qua dicitur verbum, dicitur ſapientia. Nam ſapientia dicitur ſecundum eſſentiam, non ſecundum relationem.

CAP. VII.

Generalis regula eorum, quæ ad ſe: & eorum, quæ relatiuè dicuntur: Quicquid enim ad ſe, ſimul ambo dicuntur: ſed non ita in prædictis relatiuis.

Canon de vocabulis eſſentiam vel relationẽ ſignificantibus.

ET eſt hic aduertenda quædam generalis regula eorum quæ ad ſe, & eorum quæ relatiuè dicuntur de Patre & Filio. Quicquid enim ad ſe dicuntur, vt ait

A *Aug.in 6.lib.de Trin.non dicitur alter ſine altero, id eſt, quicquid dicuntur quod ſubſtantiam eorum oſtendat, ambo ſimul dicuntur. Ergo nec Pater eſt Deus ſine Filio, nec Filius ſine Patre, ſed ambo ſimul Deus: ſed non ambo ſimul Pater, non ambo ſimul Filius, vel verbum vel imago.*

CAP. VIII.

An ſecundum ſubſtantiam dicatur Deus de Deo, & huiuſmodi.

Quæſtio ex ſuperiori canone emergens. Reſpõſio, vbi nomina ſubſtãtiç dicuntur aliquãdo poni pro Perſonis. a Reſponſio.

HIC quæritur cùm dicitur Deus de Deo, lumen de lumine, & huiuſmodi, vtrum dicantur ſecundum ſubſtantiam, nam ſecundum relationem conſtat iſta nõ dici. Si verò ſecundum ſubſtantiam dicuntur ſimul ambo, ſcilicet Pater & Filius, poſſunt dici Deus de Deo, lumẽ de lumine, ſecundum prædictam regulam. [a] *Ad quod dicimus, quia licet Deus ſecundum ſubſtantiam dicatur & lumen & ſapientia, & huiuſmodi, & nunquam relatiuè accipiantur: aliquando tamen pro relatiuis, id eſt, pro perſonis, ſed non relatiuè, accipiantur: vt cùm dicitur, Deus genuit Deum, alterum pro Patre, alterum* B *pro Filio ponimus: ſimiliter cùm dicitur, Deus de Deo, lumen de lumine. In aliis quoque locutionibus ſæpe reperiuntur nomina eſſentiæ ad ſignificationem perſonarum deducta, vt cùm dicitur. Deus natus, Deus mortuus, Deus paſſus, vbi Filius tantùm ſignificatur. Ita & de ſolo Filio intelligitur, cùm dicitur Deus de Deo, & huiuſmodi. Vnde Auguſtinus quærens quomodo huiuſmodi dicantur, in 6. lib. de Trinit. ait.* [b] *Quomodo Deus de Deo, lumen de lumine dicitur? non enim ſimul ambo Deus de Deo, ſed ſolus Filius de Deo, ſcilicet Patre: nec ambo ſimul lumen de lumine, ſed ſolus Filius de lumine Patre.*

Li.6.ca.2. b Cõfirmatio ſolutionis.

CAP. IX.

Quòd tantùm ſecundum nomen ſubſtantiæ dicitur illud de illo, non ſecundum nomina perſonarum.

C

Annotatio de hac phraſi in diuinis, Illud de illo. a Confirmat ſuam annotationem.

ET eſt ſciendum, quòd ſecundum nomina ſubſtantiæ tantùm dicitur illud de illo, licèt ibi illa nomina ſubſtantiam non ſignificent. Secundum verò eadem nomina perſonarum nunquam dicitur illud de illo, ſicut verbum de verbo, vel Filius de Filio: quia huiuſmodi nomina diuerſis perſonis conuenire non poſſent. Quod [a] *Auguſtinus licèt obſcurè, in eodem Lib. ita dicit. Hoc ſolùm de eis dici non poteſt illud de illo, quod ſimul ambo non ſunt, id eſt, illo ſolo nomine non poſſumus vti ad oſtendendum vnum de vno, quod ſimul ambobus non conuenit: ſicut verbum de verbo dici non poteſt, quia nõ ſimul ambo verbum: nec imago de imagine, nec Filius de Filio, quia non ſimul ambo Filius vel imago. Et ſicut nomina ſubſtantiæ aliquando intelligentiam Perſonarum diſtinctè faciunt: ita etiam interdum totius Trinitatis ſimul. Vnde Aug. in eodem libro ait, In Patris nomine, ipſe Pater per ſe pronuntiatur: in Dei verò nomine, & ipſe Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: vt cùm dicitur, Nemo bonus, niſi ſolus Deus: quia Trinitas eſt vnus ſolus Deus.*

Lib. 6. de Trin. c.2. Quod nomina ſubſtantiæ aliquando Trinitatis intelligentiam ſignificant.

Li.5.ca.8.

Luc. 18. d

AD DISTINCTIONEM XXVII.

AD CAP. II.

1 *Proprium Patris eſt.* Hallucinatur Lombardus, dum ſcribit Hilarium, & Auguſtinum eodem ſpectaſſe. A Nam Hilarius Arianos refutat, qui, vt Filij æternitatem negarent, negabant perſonam eam, quæ Pater nominatur, ab æterno Patrem fuiſſe. Itaque, ait Hilarius, *Pater ſemper eſt Pater.* Auguſtinus verò Sabellianos iugulans, docet ex incommunicabilibus proprietatibus diſtinctas eſſe perſonas in Trinitate. *Proprium enim eſſe Patris, quòd genuit Filium: Filij, quòd genitus ſit,* &c. Ergo diuerſas iſtas tum hæreſes, tum quæſtiones confundens Lombardus, idem ab vtroque dici putat, nequaquam ad ea, quæ ipſe legebat, attendens.

AD CAP. III.

1 *Deus vel diuina eſſentia.* Quod maximum in docendo vitium eſſe ſolet, admittit hoc loco Lõbardus, nimirum vt obſcurum quod eſt doceat, & probet per aliud obſcurius. Hoc contendit *Patris nomine & hypoſtaſin & relationem ſignificari.* B Quod vt demonſtret, profert hanc phraſim *Deus eſt Pater,* in qua Patris vocabulum, ait, & relationem, & hypoſtaſin deſignat. Hæc phraſis iſtius interpretatio controuerſa eſt, cùm nonnulli eam eſſe impropriam putent, ſi dicamus Patris nomen, velut attributum, de Deo prædicari in hac enuntiatione *Deus eſt Pater.* Nimiam enim Arianis & Photinianis errandi cauſam tunc præbet, qui ex hac eadem interpretatione ſolum Patrem Deum & eſſe, & propriè dici cenſebant. Ergo qui verè & orthodoxè hæc verba exponunt, *Deus eſt Pater,* pro eo ſumi ſcribíque aiunt, *Pater eſt Deus,* vt *Deus* ſit attributum, non autem *Pater.* Sic apud Ioannem cap. 1. ſcriptum eſt, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. Quod vulgò conuertunt *Et Deus erat verbum,* pro eo quod verè transferri oportet, & *Sermo ille erat Deus.* Et apud eundem Ioannem capite quarto, verſu 24. πνεῦμα ὁ Θεὸς quod ad verbum vertunt, *Et Spiritus eſt* Deus, ſed ad mentem Ioannis eſt interpretandum, *Et Deus eſt Spiritus.* C Hinc in iſtorum etiam ſcholis in hac ipſa phraſi *Deus* dicitur accipi perſonaliter, non autem eſſentialiter. Denique ex toties hic repetitis verbis, *id eſt,* apparet quantum in ſe, ſuáque ſententia exponenda æſtuet Lombardus. Ex his igitur colligent omnes, quàm obſcuram ſuæ ſententiæ confirmationem quærat Lombardus, vitioſáque ſit tota iſtius capitis diſputatio.

2 *Determinatur.* Alij codices habent, *Determinantur,* vt referatur ad hypoſtaſes. Ego verò malim vt ad proximum *Eſſentiam* pertineat, & ſingulari numero legatur, vt hîc eſt.

AD CAP. IIII.

1 *Secundum characteriſtica.* Hic vero manifeſti ſuppreſſarum tabularũ criminis reus deprehenditur Lombardus, qui & pulcherrimam Damaſceni orationem truncat: & ſuam ipſe ignorantiam prodit. Eis autem iſte peccat hoc loco, primùm detractis his verbis ἀλλὰ τὰ συμβεβηκότα: Deinde etiã iſtis, οὐσίαν μετὰ συμβεβηκότων, quæ dilucidã vocis huius ὑπόστασις ſignificationẽ cõtinent. Sic igitur habet Damaſcenus. Διὸ οὐδὲ διαφέρουσιν ἀλλήλων αἱ

ὑπο-

A ὑποστάσεις κατ' οὐσίαν, ἀλλὰ κατὰ τὰ συμβεβηκότα, ἅτινά εἰσι τὰ χαρακτηριστικὰ ἰδιώματα, χαρακτηριστικὰ δὲ ὑποστάσεως, καὶ οὐ φύσεως. καὶ γὰρ τὴν ὑπόστασιν ὁρίζονται οὐσίαν μετὰ συμβεβηκότων. Hæc Damaſcenus, *Quamobrem non differunt inter ſe hypoſtaſes eſſentia ſed accidentibus, quæ ſunt proprietates characteriſticæ: characteriſticæ verò perſonæ, non naturæ: nam hypoſtaſin ſiue perſonā definiunt nimirum eſſentiam cum accidentibus.* Accidentis autem vocem iſte exhorruit quòd generaliter vocem συμβεβηκότος à Damaſceno accipi, hoc loco non intelligeret, pro eo omni quod non eſt ipſa eſſentia: ſed aliquid ab eſſentia vel cogitatione diuerſum. itaque quod non intellexit iſte audacter ſuſtulit, cenſorio nimirum magiſtralíque ſupercilio. Hic locus ſumptus eſt ex Damaſceni lib.3. De fide orthodox. cap.6.

2 *Item eſſe quidem intemporaliter.* Duplex hîc error, & in ipſo contextu, & in margine. Nam in margine pro *Concedere*, pone *Præcedere*. Sic enim in veteri Damaſceni verſione legitur, & reB ſpondet voci προεῖναι, qua vtitur Damaſcenus. In ipſo verò Lombardi textu multa ſunt omiſſa, quæ nonniſi ex ipſis Damaſceni verbis reſtitui queunt. Sic igitur ille, προεῖναι μὲν οὖν ἀχρόνως καὶ ἀϊδίως φαμὲν τὴν θείαν τοῦ Θεοῦ λόγου ὑπόστασιν, ἁπλῆν καὶ ἀσύνθετον, ἄκτιστον, ἀσώματον, ἀόρατον, ἀναφῆ, ἀπερίγραπτον, πάντ' ἔχουσαν, ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ ὡς αὐτῷ ὁμοούσιον: τῷ τῆς γεννήσεως τρόπῳ καὶ σχέσει τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως διαφέρουσαν, τελείως ἔχουσαν, οὐδέποτε τῆς πατρικῆς ἐκφοιτῶσαν ὑποστάσεως. *Dicimus igitur diuinam Dei verbi hypoſtaſin præextitiſſe ante omne tempus, & ab æterno. ſimplicem, miniméque cōpoſitam, increatam, incorpoream, inuiſibilem, intactilem, incircunſcriptam, omnia habentem quæ Pater, vtpote illi coeſſentialem: generationis ratione & relatione à Patris hypoſtaſi differentem, perfectam tamen, & à Patris perſona nunquam vſquam excurrentem.* Hęc Damaſcenus, quæ pulcherrimam Filij perſonæ deſcriptionem continent, quæque minimè truncanda, mutilandáque fuerant. Hæc ex libro tertio de Orthodoxa fide, capitu.7. tranſcripta ſunt.

C 3 *Differentiam hypoſtaſeon.* Et hîc quoque multa ſunt prætermiſſa, quæ nos ex ipſo Damaſceno lib.3. cap.5. ſic reponimus. *Agnoſcimus differētiam perſonarum ex ſolis tribus proprietatibus, nempe cauſſam & Patrem eſſe: ex cauſſa eſſe & Filium eſſe: ex cauſſa eſſe & procedere. Ipſas autem perſonas ſcimus eſſe huiuſmodi, vt vna ab alia non ſecedat, & ſeparetur: ſed vt vnitæ ſint, & inter ſe ſine confuſione immeent. Vnitæ quidem ſine confuſione, quia tres perſonæ ſunt, etſi vniuntur: diſtinctæ autem ſine ſeparatione. Nam vnaquæque per ſeipſa ſubſiſtit. ſiue perfecta eſt hypoſtaſis, ac peculiarem proprietatem, ſiue exiſtendi modum ab alia differentem poſſidet. Vniūtur tamen eſſentia & naturalibus proprietatibus, & quòd non abſcedant, aut ſint extra perſonam* Patris, *& vnus Deus ſunt, ac dicūtur.* Hæc Damaſce. quæ quomodo iſte vulnerauerit, vident omnes.

CAP. V.

1 *Verbum ſecundum quod.* Quædam ſunt hîc à Lombardo immutata, quæ quoniam nullum autoris ipſius ſententiæ præiudicium faciunt, condonabuntur.

Cenſura.

Cùm ſit res maximi momenti in hoc de perſonarum diuinarum proprietatibus argumento, diſputatio de notionibus perſonalibus, in iiſque, vti docet Thomas in 1. par. quæſt.32. Art.4. nunquam non ſine graui periculo erretur, meritò primo loco in hac Diſtinctione eſt iſte reprehendendus, quòd tam ieiunè & tenuiter tam locuples argumentum tractet, in quo tot, támq; vtiles quæſtiones de numero notionum perſonalium, id eſt, eorum modorum, per quos Perſonæ inter ſe diſtinguuntur: item de ipſarum nuncupatione varia: & de vocabulorum quoque ipſorum, quibus deſignantur, ſignificatione, ſunt ab iſto prætermiſſæ. Peregrinas autem de quibuſdam vocabulis, & ab hoc argumento remotas, ſupráque Diſtinct. 22. etiam explicatas arceſsit, & repetit, quales ſunt, quas capite 7. huius Diſtinctionis habet. Fuit igitur primo loco docendum, quot eſſent eæ notiones, & modi, per quos perſonæ diuinæ cōſtituuntur propriè, & verè, atque inter ſe diſtinguuntur. Sunt autem hi tres, Paternitas, Filiatio, Proceſsio. Etſi enim quinque voces notari poſſunt, quibus tres illæ B proprietates ſæpe deſignantur, nempe, *Innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, Cōmunis ſpiratio, Proceſsio.* tamen voces *Innaſcibilitas & Cōmunis ſpiratio* ſenſum eūdem retinent, & idem ſignificāt quod aliæ proprietates Perſonales, id eſt, quæ perſonarum ipſarum diſtinctionem conſtituunt. Eſt quidē *Innaſcibilitas* proprietas Patris, ſed potiùs quatenus ex ſeſe & ꝑ ſe ſe ſpectatur, q̃ ad Filium refertur. Paternitas autem eſt ea proprietas Patris, quæ & relationem ſignificat, & ipſius perſonæ Patris χαρακτηριστικὸν & τελεστικὸν ἰδίωμα. *Communis ſpiratio* non eſt vnius dumtaxat perſonæ proprietas, ſed communis Patri & Filio, Itaque quod dixit Gulielmus Occan, *In diuinis nulla eſt relatio realis, niſi Paternitas, Spiratio, Actio, Filiatio, Spiratio, Paſsio* periculoſum eſt. Cùm igitur in re tanti momenti tam ſit facile, & tamen periculoſum errare, debuit iſte (præſertim qui ſe aliorum Magiſtrum profitebatur) omnia hæc & accuratiùs, & diligentiùs perſequi. Hoc igitur primum eſt C iſtius Diſtinctionis vitium, rerum neceſſariarum prætermiſsio.

Secundum, rerum & quæſtionum propoſitarum aut nulla, aut valde perfunctoria explicatio veluti horum verborum, *Imago, Filius, Verbum* & ſimilium, quæ iſte commemorauit potius, quàm expoſuit cap.5. Atque vt hoc ipſum, dicis cauſſā, illuſtrem, vel vnum hoc vocabulum, *Verbum,* quàm obſcuras & difficiles habet quæſtiones in ipſis huius Magiſtri interpretibus? Nam de verbo hîc diſputant primùm Creato, deinde Increato. De creato, vtrùm ſit actus intellectus, an potiùs forma quædam realis exiſtens & producta, quū tamen vno verbo dici potuerit, Verbum humanum eſſe tantùm ſignum & σύμβολον mentis noſtræ: quemadmodum docet Ariſtoteles in libro περὶ ἑρμηνείας, & Auguſtinus libro 15. Trinitatis, cap. 9. *Verbum quod foris ſonat, ſignum eſt verbi, quod intus latet.* Ergo verba humana ſunt actus intellectus, inuentáque mentis, quæ phantaſmata alieno intellectui imprimunt earum notionum, quas animo ipſi concepimus: non ſunt autem verba & voces res vllæ ſubſiſtentes.

De verbo increato item quærunt, vtrùm Filius Dei appelletur Verbum ratione perſonæ, vel eſſentiæ: itémque vtrùm ſolus Filius ſit Verbum in diuinis. Et quia ſolus Filius Verbum in diuinis & eſt, & dicitur, quemadmodum docet Aug. proculdubiò *Verbum* eſt nomen perſonale, non autem eſſentiale, quod præclarè tradit Thomas in 1. parte quæſt. 34. Art. 1. quicquid alij ſic ſenſiſſe videantur, nempe vocabulum hoc *Verbũ* ſignificare aliquid in Deo eſſentiale, non Perſonale, ignorantes nimirum Filium Dei methaphoricè dici verbum à Latinis: à Græcis autem λόγον, quemadmodum explicat eruditiſsimè Nazianzenus. Sed quid mirum hîc eos hallucinari, & Durandum in primis, qui & in voce *Imago*, quoque fallitur, cum tribuatur propriè Filio? Putat enim ille etiam Spiritum ſanctum dici poſſe Imaginem Patris, id quod Thomas in 1. parte Quęſt. 30. Art. 2. & Quæſt. 35. Art. 2. pulcherrimè refutat. Verùm Lombardus hæc omnia perfunctoriè tractans (qui tamen in ipſis etiam περιέργοις nauſeam mouere ſolet propter prolixitatem) hos errores induxit, aut ſaltem eorum anſam ſuis diſcipulis præbuit.

Tertiùm, non ſatis animaduertit Lombardus, quæ ſolutio ſit afferenda ad illam obiectionem, quam ipſe affert cap. 1. his verbis. *Si Pater genuit, ergo natura genuit, id eſt, eſſentia diuina.* Vitium enim iſtius cõcluſionis eſt à Non diſtributo ad diſtributum, vel à Non conſequenti & accidente quemadmodũ loquitur Damaſcenus li. 3. ca. 6. quòd nimirum quæ perſonæ, ac per conſequens relationis ratione de Patre enuntiantur & concedũtur, illa ad eſſentiam Patris transferuntur. De quo vitio iam diximus. Quid verò, an non & iſta Lombardi verba capite 8. *Nunquam accipiuntur relatiuè, & tamen ponuntur pro relatiuis,* manifeſtã inter ſeſe contradictionem ſonant, & iſtius hominis oſcitantiam declarant? cùm dicere debuerit, *Etſi propriè & per ſe relationem non ſignificant, tamen pro relatiuis ponuntur.* Quid? quod rem magni momenti à ſe tractatã & affirmatam, capite nono, nempe, *Eſſentiam ſignificari*, quum in diuinis aliud eſſe *de alio dicitur*, minimè ex ipſo Dei verbo confirmat. Quæ iſta, obſecro, vel proteruia eſt, vel magiſtralitas? Atqui vel ex vno Ioannis loco probari illud poterat ex Euangelio cap. 6. v. 46. *Non quòd Patrem viderit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo, hic vidit Patrem.* Vbi ſic Cyrillus, *Quomodo ſi omnia ſint ex Deo, vt ait Paulus, nec quicquam præter* Filium *Patrem videat, non erit ipſe quodam alio modo ex Deo, quàm creaturæ, id eſt, ex ſubſtantia ipſius Patris? Si enim ita non eſt, quamnam ob rem (quum omnia ſint ex Deo) ipſe ſolus idcirco, quia ex Deo eſt, Patrem videt*, &c. Ergo *Filium eſſe ex patre*, eſt eſſe ex Patris eſſentia: & idcirco huiuſmodi phraſes de ſubſtantia intelliguntur quibuſcunque vocabulis vſurpētur. Hoc itaque eſt tertium huius Diſtinctionis vitium, ſupina nimirum iſtius ſcriptoris oſcitantia, ac negligentia.

Denique illud quoque minimè eſt prętereundum in hac phraſi, *Deus de Deo, Lumen de lumine* explicanda, præcipuum huius ſententiæ, (niſi dextrè intelligatur) incommodum ab iſto nequaquam fuiſſe perceptum, nempe quòd huiuſmodi loquutionibus aut Deitas multiplicari videtur, aut vera, principalis, eſſentialiſque Deitas in ſolo Patre conſtituitur: in Filio autem tantùm precaria, & minor quàm in ipſo Patre. Quo argumento Arianorum quidam impridem vſi ſunt, ex his Niceni concilij verbis ſumpto: & hoc ipſum hac noſtra ætate Geuebrardus impij Serueti diſcipulus renouauit, Patrem Deum eſſentiatorem conſtituit. Deinde veram explicationem huius loquutionis, eiúſque ſenſum, & vſurpandæ occaſionem prætermiſit, quam tamen affert Auguſtinus eo ipſo loco, nempe, libro 6. ca. 2. quem iſte citat: ſed, ſuo more turpiter hîc detruncat, *Niſi fortè*, ait Auguſtinus, *ad inſinuãdum, & breuiſsimè inculcãdum quod coæternus eſt Patri Filius, ita dictum eſt, Deus de Deo, & lumen de lumine*, &c. Id quod vel didicerat, vel ſaltem didiciſſe potuerat ex Baſilio Auguſtin. in epiſtola ad ſuos Monachos, *Vt quod eſt* Pater *ſecundum eſſentiam, ait Baſilius, hoc quoque intelligeretur eſſe Filius, dixit ſancta illa & Deo dilecta Synodus, lumen de lumine, Deus de Deo.* Item in exemplari Fidei à Baſilio ad Euſtathium miſſæ ſic ſcribit idem Baſilius, καθά καὶ αὐτοὶ σαφῶς ἐκδεδώκασιν. Αὐτάρκως γὰρ καὶ σαφῶς ἐκδιδάκαντο εἰπόντες φῶς ἐκ φωτός. ὅτι ἕτερον μὲν τὸ γεννῆσαν φῶς, ἕτερον δὲ τὸ γεννηθέν. φῶς μέν τι καὶ φῶς. ὥστ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν τῆς οὐσίας λόγον. *Quemadmodum & ipſi perſpicuè tradiderunt. Abunde enim & ſapienter declararunt dicentes lumen ex lumine, quia aliud eſt lumen generans, aliud lumen genitum. Lumen igitur eſt lumen: & ita vna & eadem in vtroque eſſentiæ ratio.* Hæc Baſilius, ſed iſte tam bonos autores non ſequitur. Idem tamen Aug. lib. 4. cap. 19. & 20. de Trinitate, ait *Idcirco Filium dici Deum de Deo, quia eſt deradiatio*, id eſt, ſplendor paternæ gloriæ. Sed hæc hactenus. Ergo ad Diſtinctionem XXVIII. accedamus.

DISTINCTIO XXVIII.

Quod non tantùm tres prædictæ proprietates ſunt in perſonis, ſed etiam alię, quæ aliis ſignificantur nominibus, vt ingenitus.

CAP. I.

PRAETEREA *conſiderare oportet, quòd nõ tantum tres prædictæ proprietates ſiue notiones in perſonis ſunt, verumetiam aliæ, quæ aliis notantur nominibus. Nam etiam hoc nomen* [a] *ingenitus, relatiuè dicitur de Patre tantùm, & aliam deſignat notionem quàm* Pater *vel genitor. Non eſt enim idem eſſe* Patrem *& eſſe ingenitum, id eſt, non ea notione* Pater *dicitur, qua ingenitus. Pater enim (vt prædictum eſt) dicitur ſecundum proprietatem generationis: ingenitus autem ſecundum proprietatem innaſcibilitatis. Differt ergo Pater à Filio autoritate generationis: differt etiam proprietate innaſcibilitatis, id eſt, quia ingenitus.* [b] *Vnde Auguſtin. diſtinguens inter proprietatem qua Pater dicitur, & illam qua dicitur ingenitus in quinto libro de Trinitat. ſic ait,* 1 *Non eſt hoc dicere ingenitum, quod eſt Patrem dicere: quia etſi Filium non genuiſſet, nihil prohiberet dicere eum ingenitum. Et ſi gignat quiſque Filium, non ex eo ipſe eſt ingenitus: quia geniti homines gignunt alios. Non ergo ideo dicitur Pater, quia ingenitus. Ideo cum de Deo Patre vtrunque dicitur, alia notio eſt qua intelligitur genitor, alia qua ingenitus. Genitor enim*

Trãſlatio ad alia vocabula proprietatem perſonarum potius, quã relationẽ denotantia.

De his quæ propriè & æternaliter dicuntur de Deo ſecũdum relationẽ ſeu proprietatem non perſonalẽ quę eſt innaſcibilitas.

Cap. 6.

[a] Probat. De ingenito plana aſsignatio. ſc. quod relatiuè dicitur. & alia eſt notio qua dicitur Ingenitus, alia qua Pater.

[b] Id eſt, quiſpiam.

A *enim dicitur ad genitum.i.Filium. Cùm verò ingenitus dicitur, non quid ſit, ſed quid non ſit oſtenditur. Hoc exemplis planum faciendum eſt. Quòd dicitur ingenitus, hîc oſtenditur quòd non ſit* Filius*: ſed genitus & ingenitus commodè dicitur, Filius autem Latinè dicitur: ſed vt dicatur, Infilius, non admittit loquendi conſuetudo: nihil tamen intellectui demitur ſi dicatur, non Filius, quemadmodum etiam ſi dicatur non genitus pro eo quòd dicitur ingenitus, nihil aliud dicitur. Ideo non eſt in rebus conſiderandum quid vel ſinat vel non ſinat dici vſus ſermonis noſtri, ſed quis rerum ipſarum intellectus eluceat. Non ergo iam tantùm dicamus ingenitum, ſed etiam non genitum, quod tantùm valet. 2 Nunquid ergo aliud dicimus, quàm non Filium? Negatiua porrò particula non id efficit, vt quod ſine illa relatiuè dicitur, eadem propoſita ſubſtantialiter dicatur: ſed id tantùm negatur quod ſine illa aiebatur: ſicut in aliis prædicamentis cùm dicimus homo eſt, ſubſtantiam deſignamus. Qui ergo dicit, non homo eſt, non aliud genus prædicamenti enuntiat, ſed tantùm illud negat. Sicut ergo ſecundum ſubſtantiam aio, homo eſt: ſic ſecundum ſubſtantiam nego, cum dico, non homo eſt. At ſi tantùm valet quod dicitur genitus, quantum valet quod dicitur Filius: tantundem ergo valet quod dicitur non genitus, quantum valet quod dicitur non Filius. 3 Relatiuè autem negamus dicendo, non genitus. Ingenitus porrò quid eſt, niſi non genitus? Non ergo receditur à relatiuo prædicamẽto, cùm ingenitus dicitur. Sicut enim genitus nõ ad ſe dicitur, ſed quòd ex genitore ſit: ita cum dicitur ingenitus, non ad ſe dicitur, ſed quòd ex genitore non ſit, oſtenditur: vtrumque tamen relatiuè dicitur. Quod autem relatiuè pronuntiatur, non indicat ſubſtantiã. Quamuis ergo diuerſum ſit, genitus & ingenitus, non tamen indicat diuerſam ſubſtantiam: quia ſicut Filius ad Patrem, & non Filius ad non* Patrem *refertur: ita genitus ad genitorem, & non genitus ad nõ genitorem, referatur neceſſe eſt. Ecce euidenter oſtendit quòd ingenitus relatiuè dicitur, & de ſolo Patre accipitur. Alia notio eſt qua dicitur ingenitus, alia qua* Pater*. Atque tantum valet cùm dicitur ingenitus, quantùm non genitus, vel non Filius.*

Lib.5.ca.7

Quod tantum valet non genitus quãtũ ingenit', & tãtũdẽ nõ Filius. Lib.& cap eiſdem.

B

lib.& cap. eiſdem.

C

CAP. II.

An ſicut ſolus Pater dicitur ingenitus, dici debeat non genitus vel non Filius.

IDEO ſolet quæri, vtrùm ſicut ſolus Pater dicitur ingenitus, ita ipſe ſolus debeat dici non genitus, vel non Filius: vt [a] nec etiam Spiritus ſanctus poſſit dici non Filius, vel non genitus. Quibuſdam videtur quòd Pater ſolus debeat dici non genitus vel non Filius: Spiritus verò ſanctus ſicut non dicitur ingenitus, ita, inquiunt, non eſt dicendus non genitus vel vel non Filius. Debet quidem dici & credi Spiritus ſanctus non eſſe genitus vel non eſſe Filius: ſed non debet dici eſſe non genitus vel non Filius. Aliis autem videtur, quòd cùm Spiritus ſanctus non poſſit dici ingenitus, poteſt tamen dici non genitus vel non Filius*. Quòd autem Auguſtinus ſupra ait, tantùm valere cùm dicitur, ingenitus, quantùm cùm dicitur non genitus vel non* Filius*, etymologiam nominis oſtendendo eum hoc dixiſſe dicunt, non ratione prædicationis.*

1 Quæſtio.

2 Ratio quæſtionis.

Opinio quorũdã.

Aliorum opinio.

A

CAP. III.

Quæ ſit proprietas ſecundum quam dicitur Pater ingenitus.

SI autem vis ſcire quæ ſit proprietas, ſecundum quam dicitur Pater ingenitus, audi Hilarium ipſam vocantem innaſcibilitatem, in iiij. libro de Trinitate ita aientem, 1 Eſt vnus ab vno, ſcilicet ab ingenito genitus, proprietate videlicet in vnoquoque & originis & innaſcibilitatis. 2 Significata ergo in ſcripturis perſonarum intelligentia, & diſtincto innaſcibilitatis, natiuitatiſque ſenſu, ſolitarius Deus non eſt opinandus. Diſcretio ergo vel diſtinctio perſonarum in ſcripturis poſita eſt, in nullo autem naturæ diſtinctio.

Reſpõſio. Ingeniti nomẽ propriè ad Patrẽ pertinere.

Non longè à fine libri.

CAP. IIII.

Ariani nitebantur probare alterius ſubſtantiæ Patrem, alterius Filium, quia ille ingenitus, iſte genitus: quibus reſpondens Ambroſius dixit ſe hoc nomẽ in Scripturis non legiſſe diuinis.

B

ILLVD etiam taceri non oportet, quòd Ariani ex eo probare nitebantur alterius ſubſtantiæ eſſe Patrem, alterius Filium*: quia ille ingenitus, & iſte genitus dicitur: cùm diuerſum ſit eſſe ingenitum, & eſſe genitum. Vnde Ambroſius eorum quæſtioni reſpondens, dicit ſe in diuinis Scripturis hoc nomen, ſcilicet ingenitus, non legiſſe, ita inquiens in libro de incarnationis Dominicæ ſacramento. Cùm dudum audierint quidam dicentibus nobis Filium* Dei *qui generatus eſt, Patri qui generauit, inæqualem eſſe non poſſe, quamuis ille generatus ſit, iſte generauit: 1 quia eſſentia vel generatio eſt naturæ: aduerſus quidem illam quæſtionem vocem ſibi arbitrantur occluſam: ſed tergiuerſatione damnabili in eodem loco veſtigium vertunt, vt putẽt mutationem fieri quæſtionis mutatione ſermonis, dicentes, [a] Quomodo poſſunt eſſe ingenitus & genitus vnius naturæ atque ſubſtantiæ? Ergo vt reſpondeam mihi propoſitæ quæſtioni, [b] Primò omnium in diuinis Scripturis ingenitus nuſquam inuenio, non legi, non audiui. Cuius ergo mutabilitatis ſunt homines huiuſmodi, vt nos dicant ea vſurpare quæ nõ ſunt ſcripta, cùm ea quæ ſunt ſcripta dicamus, & ipſi obiiciant quod ſcriptum non ſit? Nónne ipſi ſibi aduerſantur, & autoritatem calumnia ſua derogant? Attende lector, quoniam hoc nomine ingenitus volebat vti Ambroſius propter hæreticos. Ita & nos ſubiicere quædam oportet propter calumniantium inſidias, quæ Catholicis ac piis lectoribus ſecurè credi poſſunt. Sunt etenim quædã, quæ non tantæ ſunt religionis & autoritatis, 2 vt eis non oporteat ſemper confitendo ac recipiendo inſeruire, verùm ſilẽtio aliquãdo præteriri queunt: nec illius tamẽ ſunt peruerſitatis, quin (cùm opportunum fuerit) eis vti liberum habeamus.*

Ἔλεγχος ſiue confutatio Arianorum

Cap. 8. In tom. 2.

C

a Obiectio.

b Solutio per inficiationem.

CAP. V.

An diuerſum ſit eſſe Patrem & eſſe Filium.

PRETEREA quæri ſolet, cùm ſuprà dictum

2 Quæſtio.

A

Paragra.1. huiusdiſt. Aug.lib.5. de Tri.c.6

ſit, quia aliud eſt dicere ingenitum, aliud Patrem, & quòd diuerſum ſit genitus & ingenitus: vtrùm ſimiliter diuerſum ſit eſſe Patrem & eſſe Filium, an idem. Ad quod dicimus quia ex eodē ſenſu, quo dicitur diuerſum genitus, & ingenit⁹ & quo dicitur non eſſe idē dicere genitū & ingenitū, poteſt dici non eſſe idem, ſed diuerſum, eſſe Patrem, & eſſe Filium, vel eſſe Spiritum ſanctum: quia non ea notione Pater eſt Pater, qua Filius eſt Filius, vel qua Spiritus ſanctus eſt Spiritus ſanctus. [a] *Ideóque ex hoc ſenſu concedimus, quòd aliud eſt eſſe Patrem: & aliud eſt, eſſe Filium: quia alia notio eſt, qua Pater eſt Pater, alia qua Filius eſt Filius. Sed ſi transſponas, vt dicas, aliud eſt Patrem eſſe, aliud Filium eſſe variatur intelligentia: & ideo non conceditur. Eſt enim ſenſus talis, acſi dicatur, aliud eſt quo Pater eſt, non quidem Pater ſed eſt aliud quo Filius eſt, nō quidē Filius, ſed eſt: quod penitus falſum eſt. Eo enim Pater eſt, quo Pater Deus eſt, id eſt, per eſſentiam vel naturam: at Filius eo Deus eſt, quo Pater Deus eſt. Eo ergo Filius eſt, quo Pater eſt, & ita idem eſt Patrem eſſe quod Filium eſſe: ſed non eſt idem eſſe Patrem & eſſe Filium. Vnde Aug. in quinto libro de Trinitate ait, Quamuis diuerſum ſit eſſe Patrem & eſſe Filium, non eſt tamen diuerſa ſubſtantia: quia*[1] *non hoc ſecundum ſubſtantiam dicitur, ſed ſecundum relatiuum: quod tamen relatiuum non eſt accidens, quia non eſt mutabile. Ecce diuerſum eſſe dicit, eſſe Patrem & eſſe Filium, quod iuxta rationem prædictam accipi oportet: quia ſcilicet alia notio eſt, qua eſt Pater: alia, qua eſt Filius. Non.n. ſecundum eſſentiam Pater dicitur Pater vel Filius, Filius: ſed ſecundum relationem.*

a Reſpōſio per diſtinctionē

B

Cap.5.

CAP. VI.

Quomodo dicatur ſapientia genita vel nata, an ſecundum relationem, ad ſubſtantiam.

C

De vocabulis. Verbum 2 Imago 3 Sapientia nata.4

b 3 Quæſtio. Cap.2.

SCIENDVM quoque eſt, quòd ſicut ſolus Filius dicitur verbum vel imago, ita etiam ipſe ſolus dicitur Sapientia nata vel genita. Et ideo [b] *quæritur, vtrùm hoc relatiuè dicatur: & ſi relatiuè dicitur, an ſecundum eādem relationem, qua dicitur verbum & imago. De hoc Aug. in vij. libr. de Trinit ita ait, Id dici accipiamus cùm dicitur verbum, ac ſi dicatur nata ſapientia, vt ſit Filius & imago. Et hæc duo cùm dicuntur, id eſt, nata ſapientia in vno eorum, (quod eſt nata) & verbum & imago & Filius intelligitur. Et in his omnibus nominibus non oſtendatur eſſentia, quia relatiuè dicūtur. At in altero (quod eſt ſapientia) etiam eſſentia demonſtretur, quoniam & ad ſe dicitur: ſeipſa enim eſt ſapiens, & hoc eſt eius eſſe, quod ſapere: vnde Pater & Filius ſimul vna ſapientia, quia vna eſſentia. Caue lector qualiter hoc intelligas, quod hîc dicit Aug. Videtur enim dicere, quòd cùm dicitur nata ſapientia, ibi ſapientia eſſentiam ſignificet, & nata relationē notet. Quod ſi ita eſt, cogimur dicere eſſentiam diuinam eſſe natam: quod ſuperioribus repugnat.* [c] *Sed ad hoc dicimus, quòd in altero, id eſt, in eo quòd nata eſt, eadem notio intelligatur, quæ notatur cùm dicitur verbum & imago. In altero verò, ſcilicet ſapientia, demonſtratur quòd Filius ſit eſſentia, quia ſapientia ſecundum eſſentiam dicitur. Et ideo cùm dicitur nata ſapientia, intelligitur quòd ipſe qui natus eſt, eſſentia eſt: ibi tamē ſapientia nō pro eſſentia, ſed pro hypoſtaſi facit intelligentiam: vt ſicut quando dicitur verbum vel Filius, intelligitur hypoſtaſis cum ſua proprietate. Item cùm dicitur nata ſapientia, idem intelligitur, id eſt, genita hypoſtaſis. Ideo vigilanter ait idem eſſe intelligendum: cùm dicitur verbum, & cùm dicitur nata ſapientia, id eſt, eadem relatio, eadémque hypoſtaſis, cui ineſt illa proprietas. Et ex hoc adiuuatur illud quod ſuperiùs diximus, ſcilicet cum dicitur Pater, vel Filius, vel Spiritus ſanctus, non tantùm illæ proprietates ſignificantur: vt cùm dicitur Paternitas, Filiatio: ſed etiam hypoſtaſis cum ſuis proprietatibus.*

Qualiter intelligēda ſint præmiſſa verba Auguſt diſt. 5.

c Reſpon'

Quomodo dicatur ſapientia genita vel nata, & an ſecūdum relationē, an ſecundum ſubſtantiam. Diſt.27. litera C.

A

CAP VII.

Quòd imago aliquando dicitur ſecundum eſſentiam.

B

ILLVD etiam ſciri oportet, quia cùm ſuprà dictum ſit imaginē relatiuè dici de Filio, ſicut verbum vel Filius, interdum tamen reperitur ſecundum ſubſtantiam dici. vnde Auguſt. in libr. de Fide ad Petrum dicit, quòd vna eſt ſanctæ Trinitatis eſſentialiter diuinitas & imago, ad quam factus eſt homo. Hilarius etiam in v. libro de Trinit. ait: Homo fit ad communem imaginem, nomen non diſcrepat, natura non differt. Vna eſt enim, ad quam homo creatus eſt, 1 *ſpecies. Ex his verbis oſtenditur, quòd imago aliquādo eſſentia intelligentiam facit: & tunc ad ſe dicitur, & non relatiuè.*

Diſt.27. Corollarium de voce Imago. Cap.1.

Non lōgè à principio libri.

AD DISTINCT. XXVIII.

AD CAP. I.

1 *Non eſt hoc dicere.* Manifeſta fraus. Verba enim hæc non ſunt ipſius Auguſtini, ſed Arianorum, & Eunomianorum hæreticorum, qui *Ingeniti* vocabulum ſecundum eſſentiam dici de Patre contendebant, ideóque Patrem à Filio eſſentia diuerſum eſſe, quoniam Ingenitus de Filio nequaquam enuntiaretur. Hoc idem Eunomianorum argumentum refert hîc ipſe infrà cap. 4. & Baſil. lib. 1. contra Eunomium, penè initio libri, vbi tandem ſic concludit; ἐγὼ δὲ τὴν μὲν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ ἀγέννητον εἶναι, ϗ αὐτὸς ἂν φαίην: οὐ μὴν τὸ ἀγέννητον τὴν οὐσίαν. Verba ipſa Auguſtini fideliter recitata Lombardi fraudem oſtendunt, & quòd eos irrideat, & cęcos appellet Aug. qui genitum nonniſi *ad aliquid dici poſſe non vident*. Item quod pro Ingenito non genitum ſubſtituit ipſe. Verba igitur Auguſtini ſic habent cap. 6. lib. 5. Trinitat. *Si autem huic ſic putant reſiſtendum eſſe ſermoni, quòd Pater quidem ad Filium, & Filius ad Patrem: Ingenitus tamen & genitus ad ſeipſos dicuntur, non ad alterutrū (Non enim hoc eſt dicere Ingenitum, quod eſt Patrem dicere, quia etſi Filium non genuiſſet, nihil prohiberet eum dicere Ingenitum. & ſi gignat quiſque (.i. quiſpiam Filium) non ex eo ipſe eſt Ingenitus, quia geniti homines ex aliis hominibus gignūt & ipſi alios) Inquiunt ergo, Pater ad Filium dicitur, &c.* Deinde Aug. eam ipſam diſtinct. reprehendens, ſubiicit. *Hoc ſi dicunt, non intelligunt de Ingenito ſe aliquid, &c.* Hæc Aug. quæ noſtræ in hunc Lombardi locum notę fidem faciunt.

C

2 *Nunquid ergo aliud dicimus.* Auguſtinus lib. 5.

A lib.5.cap.7.Trinitatis,ſic habet,*Non ergo aliud dicimus*(per vocem, Non genitum nimirum)*quàm non Filium* , Hic affirmantem Auguſtini orationem perperam mutat in eam,quę interrogat, & ſcrupulum animis relinquit.

3 *Relatiuè autem negamus.* Et verba mutat, &
neruos orationis Auguſtinianæ incidit iſte,quo-
niam vim argumentationis , dum prætermittit
alterum membrum,ſuſtulit.Sic igitur Auguſt.&
perſpicuè , & ex notiori ad ignotius nos dedu-
cens,nempe ex ſignificatione vocis , *Non Filius*,
ad vocem *Non genitus* , de qua tota erat contro-
uerſia. Poſt enim hæc verba , *At ſi tantùm valet
quod dicitur genitus,quantum valet quod dicitur Fi
lius:tantundem ergo valet quod dicitur non genitus,
quantũ valet quod dicitur nõ Filius.* Subiicit mino
rem propoſitionem & concluſionem ſtatim his
verbis, *Relatiuè autem negamus dicendo non Filius:
Relatiuè igitur negamus dicendo non genitus.* Iſte to
B tum prius membrum iſtius poſtremæ Auguſtini
orationis prętermiſit.Sic idem iſte poſtea mutat
ita in *ergo* , etſi exiguo ſenſus diſpendio. Itaque
non annotauimus.

AD CAP. III.

1 *Eſt vnus ab vno.* Multa hîc à Lombardo ne-
ceſſaria,& cum hac Hilarij concluſione coniun-
cta,ſunt prætermiſſa,quæ perſpicuam Hilarij mẽ
tem hîc obſcurant. Quamobrem totum hunc lo
cum ſuo nitori reſtituimus. Ait igitur Hilarius
lib.4.ante finem , *Eſt enim vnigenitus* D*eus neque
conſortem vnigeniti nomen admittit:ſicut non recipit
Innaſcibilis(in eo tantùm, quòd eſt Innaſcibilis)par-
ticipem.Eſt ergo vnus ab vno. Neque præter innaſci-
bilem* D*eum Deus innaſcibilis alius eſt. Neque præ-
ter vnigenitum Deum vnigenitus Deus quiſquam
eſt.Vterque itaq; vnus eſt & ſolus,proprietate videli-*
C *cet in vnoquoq; & innaſcibilitatis,& originis.* Quid
igitur,quantúmque ſit hîc omiſſum vident om-
nes, & tamen quàm neceſſarium , præterquam
quod de voce *Ingenito*,ne γρῦ quidem hîc ab Hila-
rio dicitur, de qua tamen tota eſt hic Lombardi
quæſtio,& à qua voce quidam Patres,vt ex Am-
broſio apparet,abſtinuerunt.Pręterea verba hęc
ſcilicet ab ingenito genitus,ſunt Hilario addita , vt
eum locum ad vocabulum *Ingenitus* explicãdum
iſte detorqueret. Quod non animaduerſum tur-
piſsimè ipſum etiam Thomam fefellit , 1. parte
Quæſt.33.Art.4.in reſponſ. Nam hæc verba pu-
tauit eſſe Hilarij,Cod.non conſulto.

2 *Significata ergo in ſcripturis* , Α᾽προσδιόνυσος locus ad explicãdam vocabuli *Ingenitus*,(de quo vno hîc igitur)ſignificationem ſiue de Patre,ſiue de Filio dicatur. Agit enim Hilarius de illo Angelo,qui Moſi in rubo apparuit,quem docet fuiſſe Chriſtum , etſi Angelus appellabatur. Hæc ſunt igitur ipſiſsima Hilarij verba, *Qui de rubo apparuit Dei Angelus* D*eus , & quæ ei complacita ſunt,Ioſeph cùm benediceretur, optantur. Non ideo non Deus,quia Angelus Dei eſt : neque rurſum Angelus Dei non idcirco , quia Deus eſt:ſed ſignificata perſonarum intelligentia , & diſtincto innaſcibilitatis natiuitatíſque ſenſu,ac manifeſtata ſacramentorum cœleſtium diſpenſatione , non ſolitarium Deum docuit opinandum , cum Angelum &* Filium *Dei Deum Dei Angeli &* F*ilij adorabunt.* Verba quoque hæc,*Diſcretio ergo vel diſtinctio* , *&c.* ſunt i- A
pſius Lombardi, non autem Hilarij , vbi etiam pro *natura diſtinctio* dicendum erat *Eſſentiæ diſtinctio.*

AD CAP. IIII.

1 *Quia eſſentia vel generatio.* Quædam ſunt
hîc & addita & prætermiſſa , contrario prorſus
vitio. Verba enim hæc *eſſentia* & *vel*,addita ſunt.
Omiſſa verò iſta *non poteſtatis eſt*.Sic enim Amb.
quia generatio non poteſtatis eſt, ſed naturæ. Quod i-
pſum eò ſtudioſius fuit à Lombardo retinẽdum,
quod ipſe Ambroſ.eiuſdem oper.de Sacram.In-
carnat.cap.9.hæc ipſa verba quaſi magni momẽ-
ti repetit:Lombardus autem obſcura hæc expli-
care conatus generationem pro eſſentia accepit:
poteſtatis vocem ſuſtulit.Senſus verus Ambro-
ſij hîc eſt,Generationem,quæ Patri tribuitur,nõ
ſpectare ad poteſtatis , ſed ad naturæ emana- B
tionem,vt ex eo quod Pater generauit,illud tan-
tùm colligi poſsit , cum ſimilem ſibi naturam
ex ſeſe effudiſſe ab æterno. Cæterũ quod in hoc
capite negat lectum eſſe in ſacra ſcriptura hoc
vocabulum *Ingenitus*,vt Ariano reſepondeat, i-
dem Ambroſius eodem opere cap.9. alio modo
iiſdẽ reſpondet , quæ reſponſio non negligenda,
propterea quòd Lombardus ex iſtis Ambroſij
verbis ſibi & aliis ſcrupulum iniicit , quaſi voce
Ingeniti vti ſit periculoſum , Α᾽γεννήτου Græcè.Pa-
tres tamen & orthodoxi Scriptores , vt Patrem
à Filio diſtinguant, hoc vocabulo ferè omnes v-
tuntur. Præterea vocabulum *Generans* , ipſemet
Ambr.paſsim vſurpat.Sic igitur cap.9. Ambro-
ſius.*Ergo ὢν, quod ſemper ſit Deus, ſignificat. Inge-
niti autẽ, vt tu vis, vel geniti appellatio, quid ſit , de-
clarat : hoc eſt, quòd non ex alio ſit Pater, nec ex ſe* Fi-
lius. Species hîc videtur eſſe diuerſa. Species v- C
tique diſtincta.ſed indiſtincta Diuinitas. Hæc Am-
broſ. quæ veram ad priorem illam Arianorum
obiectionẽ reſponſionẽ ſolutionémq; continẽt.

2 *Non oporteat.* Meo quidem iudicio negans particula *Non* delenda eſt , etſi eam omnes Codices habent,lego igitur vt oporteat,&c.

AD CAP. V.

1 *Quia non hoc.* Aug.habet,*quia hæc non ſecundum ſubſtantiam dicuntur*,quæ iſte pro more cõmutauit, elegantiam , ſplendorémque orationis Auguſtinianæ ferre nequiens , ſed σκότους ſuáſque tenebras præferens.

AD CAP. VI.

1 *Eò quod eſt nata.* Deleo & hîc & apud Auguſtinum vocem *eò*,quæ eſt & nihili,& obſcura: vti in ſequenti membro & in his verbis, *in altero(quod eſt ſapientia)* vox *eò* non eſt addita , & rectè. Cæterùm & in hoc quoque Auguſtini teſtimonio recitando,quædam,pro Magiſtrali autoritate,immutauit Lombardus,quæ quoniam autoris mentem non lædunt,non annotabo.

AD CAP. VII.

1 *Species.* Hilarius habet,*Imaginis ſpecies*, ſic,

A *Vna eſt enim imaginis, ad quam homo creatus eſt, ſpecies.* Id eſt forma, quæ nimirum in aliis perſonis vel indiuiduis, etiam eiuſdem naturæ, diuerſa tamen eſſe ſolet.

Cenſura.

Multa ſunt in hac Diſtinctione XXVIII. graui reprehenſione dignisſima, è quibus pauca tãtùm quædam (nam omnia perſequi velle eſſet infinitum) attingemus, vt omnes intelligant nos cum iſto non ſummo iure agere, ſed benigne, multaque illi condonare.

Primùm igitur inanis, aut ſaltem confuſa eiuſdem rei repetitio hoc loco reprehendenda eſt. Ac inanis, quòd quæ hîc aguntur, ſuprà hoc ipſo libro Diſtin. 5. ſunt acta, ſi cum cap. 5 & 6. huius Diſtinctionis illa quinta conferatur. Item cum cap. 5. & 6. Diſtin. 13. Confuſa verò repetitio eſt, quòd ſi quippiam diuerſum de iiſdem rebus & vocabulis hîc tradi dicatur, Lombardus demonſtrare illud debuit, diſtinctionémque afferre, ex qua intelligetur quid diuerſum hîc traderetur: & B cur iam acta ageret, atque retexeret. Agit enim de Ingenito, atqui de eodem vocabulo *Diſtinctione decimatertia antea diſputarat.* Quid igitur hîc aliud molitur, aut docet, quàm antea, præſertim cùm de nominibus perſonalibus S. Trinitatis antea tractauerit? Ergo etiam ex ipſis ſcholaſticis perpauci, quid hic locus à ſuperiori differat, vident, putántque hîc eiuſdem rei eſſe tantùm repetitionem. Sed illi mihi videntur melius, diſtinctiúſq; loqui, qui vocabula pſonis diuinis attributa (de quibus nunc agitur) à ſuperioribus diſcrepare putant, quòd ſuperioribus epithetis & nominibus eæ proprietates ſignificantur, quæ ſunt conſtitutiuæ ipſarum perſonarum diuinarum: His autem vocabulis, quæ nunc traduntur, velut *Ingenitus* vel *innaſcibilitas* proprietates quidem Perſonarum deſignantur, ſed quæ non ſunt conſtitutiuæ ipſius perſonalitatis, etſi tamen habent in toto ſuæ ſignificationis ambitu quãdam relationem ad alias perſonas. Sic Thomas, ſic Durandus, ſic Occan, ſic alij. Nam quod diſtin- C guit Auguſtinus lib. 5. Trinitat. cap. 6. & 7. inter hæc duo *Ingenitum* & *non genitum*, quaſi ſint diuerſi ſignificati, & notionis vocabula, eſt argutiola potiùs, quàm ſolida & vera doctrina. Nec Græci Theologi inter ἀγέννητον & μὴ γεννητὸν vſquam diſtinxerunt, aliàs in hoc argumento exercitatisſimi, & variè ab Eunomianis & Ætianis hæreticis vexati, maximè propter vnicam hanc Ἀγεννήτου vocem, quemadmodum ex Epiphanio, & Baſilio apparet. Hæc igitur prætermisſio in hac Diſtinctione reprehendenda eſt, cum eſſet tam neceſſaria.

Secundum huius ipſius loci vitium, eſt duplex alia rerum neceſſariarum omisſio. Ac prima quidem generalis: ſecunda verò ſpecialis.

Generalis nẽpe, quod reliqua omnia vocabula, quib. Pater, & Filius, & Sp. S. velut quibuſdam peculiaribus cuiq; perſonæ attributis, deſignari ſolent, iſte prætermiſit: erant tamen addenda, vt plenus eſſet huius loci tractatus. Sed pro eo Lombardus peregrinas quęſtiones arceſsit.

Specialis omisſio eſt, ꝙ cùm ex profeſſo de *Ingenito* agat (quod Patri propriè tribuitur) neq; varia eius vocis ſignificata diſtinguit: neq; explicat, vtrùm illud idẽ ſit, quod quidã Scriptores eccleſiaſtici Latini, veluti Hilarius, conuertunt *Innaſcibilis*. A Thomas.n. in 1. parte Quęſt. 33. Art. 4. oſtẽdit *Ingenitum* dici & priuatiuè & negatiuè, & rectè quidẽ, & ea ex Baſilio habet li. 1. contra Eunomium. Sed tamen cùm de Patre dicitur (nã & de Filio, & de Sp. S. ingenitus dicitur quodã ſignificato ſuo, nẽpe pro *Principio* cætera omnia præcedente) cũ, inquã, de Patre dicitur *Ingenitus*, nõ tantũ eã enuntiationẽ excludit, quæ fit inter perſonas diuinas per modũ generationis: ſed etiam eam, quæ fit per modum proceſsionis, quã quam tamen aliter ſcribit Thomas. Ergo in Patre in vniuerſum oſtẽdit vox iſta Patrẽ à nullo vllo modo eſſe: quo iam ſignificato neq; Filio, neq; Sp. S. *Ingenitus* cõpetit. Damaſcenus diſtinguit inter Ἀγέννητον per duplex νν: & Ἀγένητον per ſimplex ν. lib. 1. De Orthodoxa Fide cap. 9. ꝙ Ἀγένητος omnem emanationis cogitationẽ ſiue diuinarũ, ſiue creatarum rerũ reſpectu excludit, & ita propriè Patri conuenit. Ἀγέννητος verò tantùm ſemouet eam emanationis cogitationẽ, quæ rerũ creatarũ rõne B ac cõparatione fit, & trib. illis diuinis perſonis tribuitur. Cũ igitur πηγαία, vt ait Dion. vel, vt loqtur Thomas, Fõtalis deitas ſignificatur *Ingeniti* voce, Ἀγεννήτου, Patri dũtaxat cõcedi & tribui debet.

Cęterùm vertũt, vti diximus *Innaſcibilis* quidã Patres potiùs, q̃ *Ingenitus*, quia cùm Gręci Patres propter hanc vocẽ variè vexarentur, exiſtimarũt Latini poſſe ex iis moleſtiis & vexationibus ſeipſos redimere, ſi Ἀγέννητον, non *Ingenitum*, ſed *innaſcibilem* Latinè redderent. Itaq; & Baſilius li. 1. contra Euno. & Ambr. in loco hîc à Lõbardo citato vocem *Ingeniti* & Ἀγεννήτου retinendã nõ putant: & eadem raro Hilarius ipſe vtitur. Sed fruſtrà, nam par vexatio ex voce *Innaſcibilis* orietur: & res ipſa modò dextrè explicetur, ſine periculo vox ipſa *Ingenitus* retineri & debet & poteſt, licet nõ extet in Scripturis, quemadmodum neq; voces hæ οὐσία, τριάς. i. *Eſſentia* & *Trinitas*. In ſumma Ἀγέννητος & Ἀγεννησία eſſentiam deitatis nõ ſignificãt, vt falſò Ariani interpretabantur. Et hęc quidem in voce *Ingeniti* ſunt hîc ab iſto pręter miſſa: C valde tamẽ, vt oẽs vidẽt, neceſſaria & ſcitu digna.

In vocabulis autẽ, quę Filio tribuũtur, præter illud nomẽ perſonale, *Filius*, multa quoq; iſte neglexit, quæ nos ex Baſilio breuiter oſtẽdemus, vt huius dãni incõmoditas aliquo beneficio noſtro ſtudioſis cõpẽſetur. Ait igitur Baſi. li. 1. cõtra Eu.

Μονογενὴς ille & Æternus Dei Filius, υἱὸς, non autem τέκνον nominatur, ꝙ τέκνον habeat nimis abiectam & exilem de Filij Dei natiuitate ęterna cogitationem.

Γέννημα nõ dicitur, ꝙ vox iſta etiã tribuitur rebus brutis, vt vinũ dicitur γέννημα vitis Math. 26. verſu 29. ποίημα nõ dicitur, quòd eſt rerũ creatarũ proprium, nõ itẽ κτίσις. Dicitur autem Filius *Imago Patris*, *Angelus Dei*, *Character perſonæ* Patris, *Seruus*. Porrò autẽ ex eo, ꝙ Εἰκὼν. i. *Imago* Patris dicitur Filius, quidam perperam colligere conati ſunt nihil eſſe ἀνυπόστατον Filium: ſed perperam colligunt. *Imago*. n. & *Angelus* & *Seruus* dicitur Filius, quâ carnem aſſumpſit, & homo factus eſt, & eſt Deus in carne manifeſtatus. 1. Timoth. 3. verſi. 6. Ioã. 1. ver. 14. & hæc quidem tot. ſunt hîc omiſſa.

Tertium vitiũ huius Diſtinctionis eſt ꝙ probationes ad hoc tam auguſtũ argumentum tractandũ ſumit prorſus ineptas & ἀπροσδιονύσους, pręſertim

A ſertim ex Hilario, cui addit vocem *Ingenitus* & *genitus*, vt ad ſuum argumentum hominem intorqueat. Atqui Thomas preclarè in 1. part. Quæſt. 32. *Derogatur fidei Chriſtianæ, quum aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ nõ ſunt cogentes. Cedit enim in irriſionem infidelium.*

Quartum denique vitium eſt argutiola illa inter has phraſes, *Eſt Pater & Pater eſt*, quanquam ex Auguſtini λιπτολογίᾳ ſumpta eſt. Sed ab iſto, qui magiſtrũ ſe ꝓfitetur, iudiciũ ꝓculdubiò fuit, & hic, & in aliis rebus adhibẽdũ. Et hęc hacten⁹.

DISTINCTIO XXIX.

De principio, quod relatiuè dicitur, & multiplicem notat relationem.

CAP. I.

B

Vide ſup. Diſt 8. ca. 6. & 7. & 8. De vocabulo principium vt de ſingulis Perſonis diuinis dicatur, atque etiam de tota ipſa Trinitate.

EST præterea alíud nomen multiplicem notans relationem, ſcilicet principium: dicitur enim principium ſemper ad aliquid: & dicitur Pater principium, & Filius principium, & Spiritus ſanctus principium, ſed differenter: nam Pater *dicitur principium ad* Filium, *& ad Sp. S. Vnde Aug. in 4. lib. de Trin. ait, Pater*[1] *eſt principiũ totius diuinitatis, vel ſi melius dicitur, deitatis: quia ipſe à nullo eſt. Non*[2] *enim habet de quo ſit, vel de quo procedat: ſed ab eo & Filius eſt genitus, & Sp. S. procedit. Non ergo dicitur principium totius deitatis, quòd vel ſui, vel diuinæ eſſentiæ principium ſit: ſed quia principium eſt* Filij, *& Spir. S. in quibus ſingulis tota diuinitas eſt. Filius ad Spiritũ ſanctum dicitur principium. Spiritus verò ſanctus non dicitur principium, niſi ad creaturas, ad quas Pater etiam dicitur principium, &* Filius, *& Trinitas ipſa ſimul, & ſingula perſonarum principium dicitur creaturarum. Pater ergo principium eſt ſine principio: Filius principium de principio: Spiritus ſanctus principium de vtroque, id eſt, de Patre & Filio.*

CAP. II.

Quòd ab æterno Pater eſt principiũ, & Filius, & Spiritus ſanctus non, imò cœpit eſſe principium.

C

ET Pater ab æterno principium eſt Filij & Pater *& Filius principium Spir. S. quia* Filius *eſt à Patre, & Spiritus ſanctus ab vtroque. Spiritus verò ſanctus nõ ab æterno principium eſt, ſed eſſe cœpit: quia non dicitur principium niſi ad creaturas. Cum ergo creaturæ eſſe cœperunt, & Spiritus ſanctus eſſe cœpit principium earum. Ita*[a] *etiam Pater & Filius eſſe cœpit cum Spiritu ſancto vnum principium creaturarum: quia creaturæ eſſe cœperunt à* Patre, *& Filio, & Spiritu ſancto: & dicuntur hi tres nõ tria, ſed vnum principium omnium creaturarum: quia vno eodémque modo principium rerum ſunt. Non enim aliter ſunt res à* Patre, *& aliter à Filio, ſed penitus eodem modo. Ideo Apoſtolus intelligens hãc Trinitatem eſſe vnum principium rerum ait, Ex ipſo,*[1] *per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Cum*[b] *verò audimus omnia eſſe ex Deo, vt ait Aug. de Natura boni, omnes vtique naturas intelligere debemus, & omnia quæ*[2] *naturalia ſunt. Non enim ex ipſo ſunt peccata, quæ naturã non ſeruant, ſed vitiant, quæ ex voluntate peccantium naſcuntur. Omnium ergo quæ naturaliter ſunt vnum principium eſt* Pater, *cum Filio & Spiritu ſancto: & hoc eſſe t cœpit. Ab æterno*[c] *autem* Pater *principium eſt Filij generatione, & Pater & Filius vnum principium Spiritus ſancti. Vnde Aug. in 5. libro de Trinitate ait. Dicitur*[3] *relatiuè Pater, ideq; relatiuè dicitur principiũ. Sed* Pater *ad* Filiũ *dicitur, principiũ verò ad omnia quæ ab ipſo ſunt. Et principium dicitur Filius. Cùm enim diceretur ei, Tu qui es? Reſpondit, principium, qui & loquor vobis. Sed nunquid Patris principium eſt? imò creatorem ſe voluit oſtendere, cùm ſe dixit eſſe principium: ſicut & Pater principium eſt creaturæ, quia ab illo ſunt omnia. Cùm verò*[d] *dicimus &* Patrem *principium, & Filium, principium, non duo principia creaturæ dicimus: quia* Pater, *&* Filius *ſimul ad creaturam vnum principium eſt, ſicut vnus creator. Si autẽ quicquid in ſe manet & gignit vel operatur aliquid, principium eſt eius rei, quam gignit, vel eius quam operatur: nõ poſſumus negare etiam Spiritum ſanctum rectè dici principium quia non eum ſeparamus ab appellatione creatoris: quia ſcriptum eſt de illo, quod operetur: & vtique in ſe manens operatur. Non enim in aliquid eorum quæ operatur ipſe mutatur & vertitur. Vnum*[4] *ergo principium ad creaturam cum* Patre *& Filio eſt Spiritus ſanctus non duo vel tria principia. Ecce apertè oſtendit Aug.* Patrem *& Filium & Spiritum ſanctum eſſe vnum principium rerum creatarum, id eſt, vno eodémq; modo eſſe principium: & illum modum ſatis aperit: quia ſcilicet operantur omnia, & quia ſimiliter operantur hi tres, ideo vnum principium eſſe dicuntur.*

1 Eiuſdẽ quæſtionis explicatio in altero membro vbi, vox principii de tota Trinitate dicitur.

Rom. 11. a Tom. 6. c. :8.

b 1 Corollarium. Quomodo accipiẽdũ ſit omnia eſſe ex Deo.

c 1 Corollarium. Cap. 19. Quod Pater ab æter

A no eſt principium filii: & Filius Spiritus ſancti Ioan. 8. c.

d 3 Corollarium.

B

1. Cor. 12. b Lib. & ca. eiſdem.

CAP. III.

Hic oſtendit quomodo Pater ſit principium Filij, & ipſe & Filius principium Spiritus ſancti.

1 explicatio primi membri quęſtionis propoſitæ de voce Principium.

C

Deinde in eodem libro continuè oſtendit quomodo Pater dicatur principium ad Filium, *& ad Spiritum ſanctum ipſe & Filius, dicens ideo eſſe* Patrem *principium Filij, quia genuit eum, &* Patrem *& Filium eſſe principium* Spiritus *ſancti: quia Spiritus ſanctus procedit vel datur ab vtroque. Ait enim ita, Si gignens ad id quod gignitur principium eſt,* Pater *ad* Filium *principium eſt, quia genuit eum. Vtrum autem & ad* Spiritum *ſanctum principium ſit* Pater, *quia dictum eſt, de Patre procedit, non parua quæſtio eſt. Quòd ſi ita eſt, non iam principium eius tantùm erit rei quam gignit vel facit ſed & eius quam dat, & quæ procedit ab ipſo. Si ergo*[1] *quod datur vel quod procedit, principium habet à quo datur vel procedit,*[e] *fatendum eſt Patrem vel* Filium *vnum principium eſſe Spiritus ſancti, non duo principia. Sed ſicut Pater &* Filius *ad creaturam relatiuè vnus creator & vnus* Dominus *dicitur, ſic relatiuè ad Spiritum ſanctum vnum principium. Ad creaturam verò Pater & Filius & Spiritus ſanctus vnũ principium ſunt, ſicut vnus creator & vnus Dominus. Ecce habes, quòd* Pater *principium* Filij *dicitur quia genuit eum. Quâ*[f] *ergo notione eſt Pater ea principium* Filij *dicitur, id eſt, generatione: ſecundum quam etiam dicitur author* Filij. *Vnde*[g] *Hilarius in 4. lib. de Trinit. ita ait, Ipſo*[2] *quo Pater dicitur, eius quem genuit author oſtenditur: id nomen habens, quòd neque ex alio profectum intelligatur, & ex quo is, qui genitus eſt, ſubſtitiſſe doceatur. Nouit*[3] *Eccleſia vnum innaſcibilem Deum: nouit vnigenitum* Dei Filium. *Confitetur Patrem ab origine liberum: confitetur &* Filij *originem ab initio, non ipſum ab initio, ſed ab initiabili: non per ſeipſum,*

Aug. 1. 5. de Trin. Cap. 14.

e Quartũ corollariũ ex his colligitur quòd Pater eo eſt principiũ Filii, quo Pater, generatione ſcilicet, & eodẽ etiã author Filij.

f Concluſio.

g Confirmatio. Non longè à lib. principio

A *ſed ab eo qui à nemine eſt: natum ab æterno, natiuitatem ſcilicet ex paterna æternitate ſumentem. Edita eſt hîc fidei profeſsio, ſed profeſsionis ratio nondum expoſita eſt, & ideo quærenda, ſcilicet quomodo intelligendum ſit quod ait, Filij originem eſſe ab initio, & non ipſum eſſe ab initio, ſed ab initiabili. Hoc vtique ſubdens determinauit quomodo acceperit initium, inquiens originem* Filij *eſſe ab initio: ac ſi diceret, Non ita intelligas originẽ Filij eſſe ab initio, quaſi ipſe Filius habeat initium: ſed quia ipſe eſt ab initiabili, id eſt, à* Patre, *à quo ſunt omnia. Nam licet Filius ſit principium de principio, non eſt tamen concedendum quòd Filius habeat principium. Cúmque Filius ſit principium de principio, &* Pater *principium non de principio, non eſt principium de principio, principium ſine principio: ſicut* Filius *non eſt* Pater: *neque tamen duo principia, ſed vnum: ſicut* Pater *& Filius, non duo creatores, ſed vnus creator.*

B

CAP. III.

Cùm Pater & Filius ſint vnum principium Spiritus ſancti, quæritur an eâdem notione.

VNVM autem principium ſunt Pater *& Filius, non tantùm creaturarum, vt dictum eſt ſuprà: ſed etiam Spiritus ſancti, ideo quæri ſolet, vtrùm eâdem notione* Pater *ſit principium Spiritus ſancti, &* Filius: *an ſit alia notio, qua* Pater *dicatur principium Spiritus ſancti: & alia, qua* Filius. *Ad quod dicimus, cùm* Pater *dicatur principium Spiritus ſancti, & Filius, quia Spiritus ſanctus procedit vel datur ab vtroque: nec aliter procedit vel datur à* Patre *quàm à Filio: ſanè intelligi poteſt* Patrem *& Filium eadem relatione vel notione principium dici Spiritus ſancti. Si verò quæritur quæ ſit illa notio, quam ibi notat principium. Nomen eius non habemus: ſed non eſt ipſa paternitas vel filiatio: imò notio quædam, quæ* Patris *eſt, &* Filij *quia ab æterno* Pater *&* Filius *vnum principium eſt Spiritus ſancti. Donator autem (vt prædictum eſt) dicitur* Pater *vel* Filius *ex tempore, ſicut Spiritus ſanctus datum vel donatum.*

Queritur quę ſit notio qua Pater & Filius dicitur principium Spiritus ſancti Diſtin. 26.

AD DISTINCT. XXIX.

AD CAP. I.

1 P*ater eſt principium.* Etſi alia eſt Auguſtini mens, quàm iſtius loci: tamen quoniam aliquatenus tolerari poteſt huius ſententiæ ad hoc argumentum accommodatio, ipſe id fieri patiar. Verba autem iſta, *Quia ipſe à nullo eſt*, ſunt quidem ex eodem capite, ſed alio ex loco, nimirum vbi docet Auguſtinus Spiritum ſanctum eſſe à Patre: Patrem autem nequaquam à Spiritu ſancto.

2 *Non enim habet.* Hæc quæ ſequuntur iam non ſunt Auguſtini, ſed ipſius Lombardi,

AD CAP. II.

1 *Ex ipſo.* Ex Epiſtola ad Romanos capite 11. verſu. 36. Quę verba ſic Patres quidam, imprimis autem Baſilius in libro de Spiritu ſancto ad Amphiloch. & Hilarius libro 4. Trinitat. interpretantur, vt per has voces, *Ex ipſo*, Patrem deſignari velint: per has, P*er ipſum*, Filium: per poſtremas, *In ipſo*, Spiritum ſanctum. Atque ita tota Trinitas comprehendetur.

2 *Quæ naturalia ſunt.* Auguſtinus habet, *Quæ naturaliter ſunt*: & poſtea pro *Naſcuntur*, Auguſtinus habet, *eſſe*, præterquam quod ratio ab Auguſtino allata prætermiſſa eſt, quæ tamen eſt magni momenti. Sumpta ſunt iſta ex libro de Natura Boni. capitulo 28. ſententia verò iſta, *Omnium ergo*, &c. eſt ipſius Lombardi, non autem Auguſtini.

3 *Dicitur relatiue* P*ater.* Multa in hoc teſtimonio ſunt & immutata & prætermiſſa, quæ ex ipſorum Auguſtini verborum recitatione facile quiuis deprehendet: tamen ad ſubleuandum aliorum laborem nos ea maiuſculis literis deſcripſimus. Hæc ſunt igitur ipſiſsima Auguſtini verba lib. S. Trinitat. cap. 13. *Dicitur* ERGO *relatiuè* P*ater, idémque relatiuè dicitur principium*, ET SI QVID FORTE ALIVD: *ſed* P*ater ad* F*ilium dicitur: principium verò ad omnia, quæ ab ipſo ſunt* ITEM RELATIVE DICITVR FILIVS, RELATIVE DICITVR ET VERBVM ET IMAGO, ET IN OMNIBVS HIS VOCABVLIS AD PATREM REFERTVR. NIHIL AVTEM HORVM PATER DICITVR. *Et principium dicitur* F*ilius. Cum enim diceretur ei, tu quis es? Reſpondit, principium, qui & loquor vobis, Sed nunquid* P*atris principium eſt?* CREATOREM SE QVIPPE *oſtendere voluit, cùm ſe dixit eſſe principum, ſicut &* P*ater principium eſt creaturæ* EO QVOD *ab ipſo ſunt omnia.* NAM ET CREATOR DICITVR AD CREATVRAM, SIC VT DOMINVS AD SERVVM. ET IDEO *cùm dicimus &* P*atrem principium, &* F*ilium principium, non duo principia creaturæ dicimus, quia &* P*ater, &* F*ilius ſimul ad creaturam vnum principium eſt, ſicut vnus creator*, SICVT VNVS DEVS, &c. vbi quàm bona fide hic locus à Lombardo citetur, vident omnes.

4 *Vnum ergo.* Iam inſignis quoque mutatio verborum Auguſtini, qui ſic habet, *vnum ergo principium ad creaturam dicitur, Deus, non duo, vel tria principia.* Quod enim ex eſſentię ratione colligit Auguſtinus, iſte ex perſonarum ratione effici putat, & ita diuerſa confundit in vnum, & ſeipſum fallit.

AD CAP. III.

1 *Si ergo quod datur.* Auguſtinus aliter: ſed res eſt minimi momenti.

2 *Ipſo quo* P*ater.* Hæc ſumpta eſt ex lib. 4. Hilarij, quæ poſteriora ſunt apud ipſum autorem, quàm illa quæ ſequuntur, *Nouit* E*ccleſia.*

3 *Nouit Eccleſia.* Hæc poſteriora apud Lombardum, priora ſunt apud Hilarium. Cæterùm quod torquetur Lombardus in explicandis his verbis Hilarij, F*ilij originem eſſe ab initio, & non ipſum eſſe ab initio*, monſtrum ſibi fingit iſte, quod nullum eſt apud ipſum autorem. Itaque mirè fœdatus ac corruptus eſt à Lombardo iſte Hilarij locus, qui ſic in ipſo prototypo habet, & eſt perſpicuus *Nouit* (Eccleſia) *vnum innaſcibilem Deum: nouit & vnum vnigenitum* D*ei* F*ilium. Confitetur* P*atrem æternum, & ab origine liberum: confitetur &* F*ilij originẽ ab æterno. Nõ ipſum initiabilẽ, ſed ab*

A *ſed ab initiabili. Non per ſeipſum, ſed ab eo, quià nemine ſemper eſt, natũ ab æterno.* Hęc Hilarius, pro quibus iſte ſubſtituit, *Confitentur & Filij originem ab initio, & non ipſum ab initio, ſed ab initiabili* quæ ἀντίθεσιν manifeſtam habet, nimirum *alicuius originem confiteri eſſe ab initio*, & eam tamen *negare eſſe ab initio.* Itaque ipſe Lombardus in illo grypho à ſe conficto ſoluendo laborat, & alios iſta legentes vexat, qui omni iſta moleſtia carere potuit, ſi ipſum Hilarij codicem vel imis tantùm oculis inſpexiſſet.

Cenſura.

Præter ea, quæ in ſuperioribus capitibus annotauimus, occurrunt multa, quæ in hac Diſtinctione graui cenſura & animaduerſione digna ſunt, è quibus pauca tantùm perſtringemus.

Primùm quidem quòd hæc tota nihil aliud eſt, quàm eorum repetitio faſtidioſa, quæ partim Diſtinctio.13. capite ſecundo, partim etiam Di-
B ſtinct.18. capite 6.7.& 8. iam tractata ſunt, ſi modò rectè intelligantur. Itaque aut iſta nõ ſuo loco hîc ponuntur: aut quæ ſuprà tradita ſunt ab iſtis abſcinduntur, reddúntque illa priora manca & obſcura. Hîc agitur de origine Filij & Spiritus ſancti à Patre: & illic quoque. Hîc principium vnum dicitur eſſe Spiritus ſancti Pater & Filius, & illic. Hic denique de relatione Patris ad Filium, & Spiritum ſanctum, & illic, & in toto hoc libro penè millies.

Secundùm, obſcura eſt tota huius Diſtinctionis diſputatio, ac quidem ita, vt quorſum, aut quid hîc de vocabulo P*rincipium* dicere Lombardus inſtituerit, ignorent iſtius autoris interpretes etiam perſpicaciſsimi, Angeliciſsimi, & Seraphiniciſsimi. Itaque marginales annotationes, quæ ab illis additæ ſunt, ad rationem huius loci cum ſuperioribus còniungẽdi explicandam, falſæ ſunt. Hic enim ſimpliciter agit de voce hac *Principium*, quæ cùm Patri tribui ſoleat, ambiguum eſt quo ſignificato. (Dicitur enim & per-
C ſonarum ipſarum diuinarum ratione, & creaturarum quoque reſpectu, Pater principium) Item, vtrùm ſoli Patri tribuatur. Vnde Occan in hac vna re totam doctrinam huius Diſtinctionis poſitam eſſe putat, vt explicetur vtrùm vniuocè, an verò æquiuocè Pater appelletur principium, quum reliquarum diuinarum perſonarũ, & creatarum rerum ratione principium dicitur. Alij de variis P*rincipij* ſignificatis agi malunt: ita nimirũ obſcura eſt huius autoris mens. Id quod vel ex eo quoque maximè apparet, quod cùm eſſet hoc vnum Lombardo propoſitum (quemadmodum & ex Indice capitum initio libri diſcriptorum, & ex ἐπιγραφῇ huius Diſtinctionis colligitur) vt de vocabulo *Principium* ageret, varia tamen illius ſignificata prætermiſit: & ea præſertim, quæ ad huius argumenti explicationem omnino commemorari oportebat.

Primùm enim, vt docet Baſilius in Homil. ad primum caput Euangelij Ioannis, & Damaſcenus in Dialogo contra Manichæos, & Thomas in prima parte Quæſt.33. Artic.1. Quæſtio.42. Articul.3. in Reſponſione, *principij* Latinè: ἀρχῆς Græcè ſignificatio varia eſt, & multiplex. Nam & de loco, & de tempore, & de via, & de re, & de cauſa dicitur Principij vox.

Deinde confundunt Græci Theologi in hac A
diſputatione αἴτιον καὶ ἀρχὴν, id eſt, *Cauſſam*, & *Principium*, Latini verò etiam ad ſcrupulum vſque diſtinguunt. Græci dicunt Filium eſſe αἰτιατὸν: Patrem αἴτιον. Filium ἔναρχον, Patrem ἄναρχον. Latini nunquam ſine quodam honore Filium à Patre *Cauſſatum*, & *Initiatum* dixerant, ne viderentur aliquid in diuinis perſonis ſtatuere tempore prius & poſterius: vel etiã eſſentia diuerſum. Deniq; ἀγέννητον ita interpretantur Græci Patres, & quidem orthodoxi, vt Baſilius libro 2. contra Eunomium, vt & αἰτίαν & ἀρχὴν excludat: γεννητὸν autem ſic, vt quod genitum eſt, & αἰτίαν & ἀρχὴν ab alio habeat. Sed ſcrupuloſiores Latini fuerũt, dum quod Græci τὸν αἰτιατὸν vocant in ſuam linguam vertere recuſant, *Cauſſatum & Initiatum*, eodem nimirum ſenſu, quo Filium à Patre eſſe concedunt, non temporis, non creationis, non poteſtatis inferioris ratione: ſed comparationis, B
relationis, & ὑπάρξεως reſpectu, modo, & ratione tantùm. Ergo perſonaliter, non eſſentialiter Filius eſt à Patre, & Spiritus ſanctus ab vtroque. Hæc tamen omnia hic negligentiſsimè prętermiſſa ſunt, vnde Cimmeriæ tenebrę in hanc Diſtinctionem incubuerunt. Sed & hæc ipſa tam bona fortaſſe ignorauit ipſemet Lombardus.

Tertiùm, habet hæc eadem Diſtinctio quædam falſa, qualia hæc ſunt.

Primùm quod dicitur capit. 4. hanc notionem, qua *Pater & Filius dicuntur vnum principium Spiritus ſancti* non habere nomen impoſitum. Imò habet. Appellatur enim Communis ſpiratio. Deinde quod nullo modo probat *Patrem & Filium dici duo principia*, ſiue creaturarum, ſiue Spiritus ſancti rationem habeas & diſcrimen cõſtituas. Spiritus ſancti ratione Pater & Filius poſ- C
ſunt dici duo ſpirantes, propter diſtincta ὑφιστάμενα. Non autem propter modum actionémque vtriuſque in producendo Spiritu ſancto diuerſam. In rebus creatis, poſſunt Pater & Filius, dici duo principia non ἑτερόζυγα, non imparia, non διαιρετά: ſed tamen & perſonæ, & actionis, quę cuiuſque perſonæ eſt propria, ratione duo. Vnde tertium illud falſum huius Diſtinctionis emergit, quod eſt capite ſecundo, *Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, eſſe vnum principium rerum creatarum, id eſt, vno eodémque modo eſſe principium.* Vti enim in opere redemptionis noſtrę, ſic in opere creationis Mundi diſtinctę ſunt cuiuſque perſonæ diuinæ propriæ actiones, etſi opera totius Trinitatis ſunt, vt præclarè docet Auguſtinus, inſeparabilia, & indiuidua: & vna operante, altera quoque operetur. Ergo præclarè Thomas in prima parte Quæſtione trigeſimaſexta, Articulo quarto, reiicit eorum ſententiam, qui volunt Creaturas procedere à Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, non quatenus ſunt diſtinctæ perſonæ: ſed vt ſunt vnum in eſſentiâ. Etſi enim, quâ Deus vnus ſunt, cauſſa rerum omnium creatrix & conſeruatrix: tamen, vt docet Moſes ipſe, Geneſis capite primo, diuerſum eſt & diſtinctum cuiuſque perſonæ opus in creatione. Et hæc quidem in hanc Diſtinctionem dicta ſunto.

A

DISTINCTIO XXX.

De his, quæ temporaliter de Deo dicuntur, & relatiue ſecundum accidens, quod non de Deo, ſed creaturis accidit.

CAP. I.

De alio quodam vocabulorũ genere, quæ Deo ex tẽpore conueniunt.

SVNT enim quædam quæ ex tempore de Deo dicuntur, eique temporaliter cõueniunt ſine ſui mutatione: & relatiuè dicuntur ſecundum accidens, non quod accidit Deo, ſed quòd accidit creaturis: vt creator, Dominus, refugium, datum, vel donatum, & huiuſmodi. De his Auguſtinus in quinto libro de Trinitate, Cap. 13. Cap. 16. a Creator relatiuè dicitur ad creaturam, ſicut Dominus ad ſeruum. Item, Non aliquẽ moueat, quòd B Spiritus ſanctus cùm ſit coæternus Patri & Filio, dicitur tamen aliquid ex tempore: veluti hoc ipſum quod donatum diximus. Nam ſempiternè Spiritus ſanctus eſt donum, temporaliter autem donatum. Etſi Dominus non dicitur, niſi cùm habere incipit ſeruum etiam iſta appellatio relatiua ex tempore eſt Deo. Ibidem. Non enim ſempiterna creatura eſt, cuius ille Dominus eſt: ergo Dominum eſſe non ſempiternum habet, ne cogamur etiam creaturam ſempiternam dicere: quia ille ſempiternè non dominaretur, niſi etiam iſta ſempiternè famularetur. Sicut autem non poteſt eſſe ſeruus, qui non habet Dominum: ſic nec Dominus, qui non habet ſeruum.

CAP. II.

Oppoſitio quòd non ex tempore ſit Dominus, quia eſt Dominus temporis, quod non eſt ex tempore.

C

Obiectio. SED hîc aliquis dicet, quòd non ex tempore competit Deo hæc appellatio qua dicitur Dominus, quia non eſt tantùm Dominus rerum quæ ex tempore cœperunt, ſed etiam illius rei quæ non cœpit ex tempore, id eſt, ipſius temporis, quod non cœpit ex tempore, quia non erat ante tempus quàm inciperet: & ideo non cœpit eſſe Dominus ex tempore.

a Solutio. Ad [a] quod dici poteſt, quia licèt non cœperit ex tempore Dominus eſſe temporis, cœpit tamen eſſe Dominus temporis: quia non ſemper fuit tempus: & ipſius hominis ex tempore cœpit eſſe Dominus. De hoc Auguſtinus in eodem libro, cap. continuè ita ait, Quiſquis extiterit qui æternum Deum ſolum dicat, tempora verò non eſſe æterna propter varietatem & mutabilitatem: ſed tamen ipſa tempora non in tempore eſſe cœpiſſe (quia non erat tempus antequam tempora inciperent: & ideo non in tempore accidere Deo vt Dominus eſſet, quia ipſorum temporum Dominus erat, quæ vtique non in tempore eſſe cœperunt) quid reſpondebit de homine qui in tempore factus eſt? cuius vtique Dominus non erat antequam eſſet? Certè vt Dominus hominis eſſet, ex tempore accidit Deo: & vt omnis amoueatur controuerſia, certè vt tuus Dominus eſſet vel meus, qui modò eſſe cœpimus, ex tempore habuit.

b Explicatio totius quæſtionis propoſitæ. [b] Quomodo ergo obtinebimus nihil ſecundum accidens dici de Deo, niſi quia ipſius naturæ nihil accidit quo mutetur? vt ea ſint accidentia relatiua, quæ cum aliqua mutatione rerum de quibus dicuntur, accidunt: ſicut amicus relatiuè dicitur. Non enim amicus eſſe incipit, niſi cùm amare cœperit. Fit ergo aliqua mutatio voluntatis, vt amicus dicatur. Nummus verò cùm dicitur pretium, relatiuè dicitur, nec tamen mutatus eſt cùm eſſe cœperit pretium, nec cùm dicitur pignus & huiuſmodi. Si ergo nummus poteſt nulla ſui mutatione toties dici relatiuè, vt neque cùm incipit dici, neque cùm deſinit, aliquid in eius natura vel forma, qua nummus eſt, mutationis fiat: quantò faciliùs de illa incommutabili Dei ſubſtantia debemus accipere, quòd ita dicatur relatiuè aliquid ad creaturam, vt quamuis temporaliter incipiat dici, non tamen ipſi ſubſtantiæ Dei accidiſſe aliquid intelligatur ſed illi creaturæ ad quam dicitur? Pſal. 9. b Quod Deus dicitur refugium relatiue, & ex tempore ſine ſui mutatiõe. Qualiter, etiam refugium noſtrum dicitur. Refugium enim noſtrum dicitur Deus relatiuè: ad nos enim refertur: & tunc refugium noſtrum fit cùm ad eum refugimus. Nunquid tunc fit aliquid in eius natura, quod antequam refugeremus ad eum, non erat? In nobis ergo fit aliqua mutatio, qui ad eum refugiendo efficimur meliores: in illo autem nulla. Quod Pater dicitur relatiuè. Ioan. 1. b. B Sic & Pater noſter eſſe incipit, cùm per eius gratiam regeneramur, qui dedit nobis poteſtatem Filios Dei fieri. Subſtantia ergo noſtra mutatur in melius, cùm Filij eius efficimur. Similiter & ille Pater noſter eſſe incipit, ſed nulla ſuæ commutatione ſubſtantiæ.

c Summatim prædictorum intelligẽtiã perſtringit. c Quod ergo temporaliter dici incipit Deus, quod anteà non dicebatur, manifeſtum eſt relatiuè dici: non tamen ſecundum accidens Dei, quòd aliquid ei acciderit: ſed planè ſecundum accidens eius, ad quod dici aliquid Deus incipit relatiuè. Ex his apertè oſtenditur, quòd quædam de Deo temporaliter dicuntur relatiuè ad creaturas ſine mutatione Deitatis, ſed non ſine mutatione creaturæ, & ita accidens eſt in creatura, non in creatore: & appellatio, qua creatura dicitur relatiuè ad creatorem relatiua eſt, & relationem notat quæ eſt in ipſa creatura. C Appellatio verò illa, qua creator relatiuè dicitur ad creaturam, relatiua quidem eſt, ſed nullã notat relationem, quæ ſit in creatore.

CAP. III.

Hîc ſoluitur quæſtio, qua quærebatur, vtrùm Spiritus ſanctus dicatur datum relatiuè ad ſe, cùm ipſe det ſe.

Quæſtio. HIC poteſt ſolui quæſtio ſuperiùs propoſita, vbi quærebatur, cùm Spiritus ſanctus datum dicatur vel donatum (quod autẽ datur refertur & ad eum qui dat, & ad illũ cui datur) & cùm Spiritus ſanctus det ſeipſum, vtrùm ad ſeipſum relatiuè dicatur, cùm dicitur dari vel donari. Diſtin 18. ſi. L. & M.

d Reſponſio. d Cui quæſtioni reſpondentes, dicimus Spiritum ſanctum dici datum vel donatum relatiuè & ad dantem, & ad illum cui datur. Dans autem ſiue donator, eſt Pater cum Filio & Spiritu ſancto. Nec tamen dicimus Spiritum ſanctum referri ad ſe, ſed appellatio dati vel donati refertur & ad dantem & ad recipientem: quia non poteſt aliquid dici datum, niſi ab aliquo & alicui detur. Cùm autẽ Spiritus ſanct' dari à ſe vel datus à ſe dicitur, relatiuè quidem dicitur ad illum cui datus, & eſt appellatio relatiua: & in illo cui datur mutatio fit non in dante.

A

AD DISTINCT. XXX.

AD CAP. I.

1 *Ergo.* Auguſtinus habet, *Ecce*, ſed non mutat ſententiam loci vocabulum à Lombardo ſuppoſitum.

AD CAP. II.

1.2. *Quia non erat tempus.* In hoc Auguſtini dicto multa ſunt à Lombardo pro ſua in bonos omnes autores Eccleſiaſticos tyrannide auſa: quædam leuis, quædam verò grauis momenti.

Leuis momenti, vt hîc pro *Non enim* iſte ſubſtituit, *Quia:* pro *ergo* habet *enim*. Grauis, vt pro *auferri videatur* ſupponit *amoueatur.* pro *Simul* ſubiicit *Similiter*.

3 *Qualiter etiam.* Vulneratus eſt hoc loco à B Lombardo Auguſtinus, & malè acceptus. Truncat enim iſte eam ſacræ Scripturæ autoritatem, quam Auguſt. ex Pſ.90. affert his verbis, *Domine, inquit, refugium factus es nobis.* Deinde obſcurat iſte dilucidam Auguſtini orationem. Subiicit enim Auguſt. *Refugium ergo noſtrum Deus relatiuè dicitur. Ad nos enim refertur, &c.* Diſpunctionem etiam illius loci Lombardici omnes Codices peruertunt, & *Relatiuè* ſeparant à verbo *dicitur.* Ita bonum illum & ſenem & Patrem Auguſtinum miſerè tractat Lombardus.

Cenſura.

Et hæc quidem in iſtam Diſtinctionem ſatis eſſe poterant: ſed tamen, quia in tam breui diſputatione ingentes quæſtionum moles ab iſtius autoris interpretibus cōguntur, videndum eſt, quid & vnde iſtæ naſcantur. Ex eo autem vno oriuntur omnes, quod neque ſatis ſeipſum explicauit hoc loco Lombardus: neque ſuſceptum argumentum: itaque tres quæſtiones in illius explicationem affert Durādus: G. autem Occan quinque: alij etiam plures. In primis igitur hæc vitia in iſto tractatu Lombardico, *Vtrum Deo aliquid ex tempore conueniat, vel ex tempore de eo dicatur* obſeruari à quolibet poſſunt. C

Primùm, crambe repetita, quæ, vt dici ſolet, mors eſt. Quæ enim hîc tradūtur, ſuprà Diſt.18. cap.11. & 12. magnam partem expedita tractatáque fuerant: vel ſaltem cum illis erant coniungenda. Ex quo fit, vt præter repetitionem etiam perturbatio ordinis inſit in hac Diſtinctione.

Secundùm, quòd quæ generaliter de nominibus iis, quę Deo ex tempore tribuuntur, dici debuerunt, iſte penè ad vnam tantùm aut alteram *Domini, Patris, & Refugij* appellationem reſtringit. Atqui & *Saluator* & *Creator*, & *Deus meus* vel *tuus* dicitur ex tempore: & infinita ſunt huiuſmodi attributa, quæ nonniſi ex tempore Deo competunt, omnia nempe quæ certum aliquod in creaturis ipſis exiſtentibus opus, aut in eas, beneficium Dei ſignificant.

Tertiùm, quòd non ſatis diſtinxit, aut expoſuit iſte cap.2. dictum illud Auguſtini, *Subſtantiam noſtram mutari cùm ex malis fimus boni.* Dubitatur enim, & meritò quidem, quid iſta vox *Subſtantia*, in hac ſententia ſignificet. A

Quartùm, quòd non ſoluit difficillimam illam quæſtionem, quæ affertur aduerſus ſententiam Auguſtini, licèt veriſſimam, *Quædam ex tempore tantùm Deo conuenire, & de eo dici.* Ergo obiiciũt, qui contrà contendunt, illa ipſa, quæ ex tempore Deo conueniunt, cùm ſecundùm rationem de Deo dicantur, non ſecundum rem, id eſt realiter competere Deo. Itaque Deus non dicit realiter creator Petri Apoſtoli: realiter ſaluator Pauli, & ſic de cęteris. Quod certè ne ſentiri quidem poſſe videtur ſine graui blaſphemia. Hoc argumentum non diſſoluit Lombardus: quod vt enodaret quinque longiſsimas & verboſiſsimas, ſuo more, quæſtiones proponit Occan. Reſpōſio verò facilis eſt, quòd quanquam ea ratione & mutatione, quæ ipſis creaturis duntaxat accidit, iſta Deo conueniunt, tamen non ſequitur realiter, id eſt, verè non competere Deo. Exempli gratiâ, vt columna ſit alicui dextra aut ſiniſtra, vt Sol ſit tibi ſupra zenith aut non: B vt ego morte Patris deſinam appellari Filius, nulla ſit in columna, in Sole, in me Filio mutatio: ſed in homine ad columnam ſeſe conuertente: in te peregrinante vltra Æquatorem: in Patre meo moriente: & tamen reipſâ dicitur columna dextra aut ſiniſtra: Sol reipſa ſupra zenith, aut non: ego Filius dici deſino poſt mortem Patris. Quòd idem Deo fatendum eſt, etſi nulla in eo mutatio cōtingat. Illa verò ſententia, quorundam, qui exiſtimant, quæ de Deo ex tempore dicuntur, ſecundum eſſentiam ei competere, falſa eſt. Nam quæ ſecundum eſſentiam Deo competunt, illa ab æterno eidem conueniunt. Itaque in iis veriſsima eſt iſta Damaſceni oratio libro 1. de orthodoxa fide, cap. 18. Ἐπ' αὐτοῦ γὰρ οὐδὲν γίνεται, καὶ ἀπογίνεται. Ἀναλλοίωτος γάρ ἐστι, καὶ ἄτρεπτος, καὶ οὐ χρὴ συμβεβηκὸς ἐπὶ αὐτοῦ λέγειν. Sed huiuſmodi vocabula & attributa, de quib. hîc agimus, & quæ ex tempore conueniunt Deo, actiones Dei denotant ad extra, quarum etſi decretum eſt ab æterno in Deo: executio tamen earum realis à Deo facta eſt in tempore, idcircóq; ab ea Deus C ex tempore talis, aut talis denominatur. Et hæc quidem hactenus.

DISTINCTIO XXXI.

Quomodo dicatur Filius æqualis Patri, an ſecundum ſubſtantiam, an ſecundum relationem: ita & ſimilis.

CAP. I.

PRAETEREA *conſiderari oportet, cùm tres perſonæ coæquales ſibi ſint, vtrùm* [a] *relatiuè hoc dicatur, an ſecundum ſubſtantiam: & ſi relatiuè, vtrùm ſecundum relationem, an ſecundum eſſentiam conſideranda ſit æqualitas: deinde quid ſit ipſa æqualitas. Ad* [b] *quod dicimus, quia ſicut ſimile nihil ſibi eſt, i. ſimilitudo. n. (vt ait Hilarius) ſibiipſi nō eſt: ita & æquale aliquid ſibi non dicitur: ac per hoc ſicut ſimile, ita & æquale relatiuè dicitur. Dicitur ergo relatiuè Filius æqualis Patri, & vtrique Spiritus ſanctus. Eſt tamen æqualis Patri Filius, & vtrique*

Tranſitio. De ſignificatione relatiuorũ, quæ communiter & æternaliter de Deo dicũtur, vt ſimilis & æqualis.

a Propoſitio bimēbris.

b Reſponſio ad primum mēbrum propoſitionis

A

Lib. 3. non longè à fine lib. ca. 6.

Ca. 4. & 5.

Quid ſit æqualitas.

a Reſponſio ad ſecũdum mẽbrum propoſitionis

Spiritus ſanctus, propter ſummam ſimplicitatem eſſentiæ & vnitatem. Æqualis eſt ergo Filius Patri ſecundum eſſentiam, non ſecundum relationem. Vnde Auguſt. v. liu. de Trinit. ait, [2] Quærimus ſecundum quid æqualis ſit Patri Filius, non ſecundum hoc quòd ad Patrem dicitur Filius, æqualis eſt Patri. Reſtat ergo, vt ſecundum id æqualis ſit, quod ad ſe dicitur. Quicquid autem ad ſe dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur: reſtat ergo & ſecundum ſubſtantiam ſit æqualis. Eadem ergo eſt vtriuſque ſubſtantia. Item in ſexto libro, Satis eſt videre nullo modo Filium æqualem eſſe Patri, ſi in aliquo, ſcilicet quod pertineat ad ſignificandam eius ſubſtantiam, [3] inæqualis inuenitur. In omnibus ergo æqualis eſt Patri Filius, & eſt eiuſdem ſubſtantiæ. Æqualis eſt etiam Spiritus ſanctus Patri & Filio, & in omnibus æqualis propter ſummã ſimplicitatem [4] illius ſubſtantiæ. Ex his [a] perſpicuum ſit, quod ſecundum ſubſtantiam Filius eſt æqualis Patri, & vtrique Spiritus ſanctus, & appellatio tantùm relatiua eſt. Æqualitas ergo Patris & Filij non eſt relatio vel notio, ſed naturalis vnitas & identitas.

B

CAP. II.

Hic quomodo dicatur ſimilis, & quid ſit ſimilitudo.

2 Propoſitio de voce Similis. Quibuſdã videtur quòd nomine æqualitatis vel ſimilitudinis ponitur aliquid ſed remouetur.

b Reſponſio.

c 1 Corollarium.

Hoc idem etiam dicimus de ſimili & ſimilitudine. Cùm enim dicitur Filius ſimilis Patri, relatiuè quidem dicitur: ſed ſimilis eſt Patri, propter vnitatem eſſentiæ. [b] Eſt ergo appellatio tantùm relatiua, ſimilitudo verò indifferens eſſentia. Vnde quibuſdam non indoctè videtur nomine æqualitatis [c] vel ſimilitudinis non aliquid poni, ſed remoueri: vt ea ratione dicatur Filius æqualis Patri, quia nec maior eſt eo, nec minor, & hoc propter vnitatem eſſentiæ. Ita & ſimilis dicitur, quia nec diuerſus, nec alienus, nec in aliquo diſſimilis: & hoc propter eſſentiæ ſimplicitatem. Non ergo ſecundum quòd Filius eſt genitus à Patre, æqualis vel inæqualis eſt Patri, nec ſimilis vel diſſimilis: ſed æqualis & ſimilis ſecundum ſubſtantiam.

C

CAP. III.

De ſententia ſancti Hilarij, qua in Trinitate Perſonarum propria oſtendit.

2 Corollariũ in quo dictũ Hilarij explicatur. Hilarius lib. 2. de Trin.

Cap. 10. Ex Aug. li. de Tri. cap 15.

Cap. 3. Hilarius lib. de Synodis non longè à principio. Imago eius, ad quem imaginatur Species, indifferẽs

NON eſt igitur hîc prætermittendum, quòd vir illuſtris Hilarius proprietates perſonarũ aſſignãs, dicit in [1] Patre eſſe æternitatẽ, ſpeciẽ in imagine, vſum in munere: quæ tãta difficultatis ſunt verba, vt in eorum intelligentia, atque explanatione vehementer laborauerit Auguſt. vt ipſe oſtendit in ſexto libro de Trin. ita dicens, Quidam cùm vellet breuiſſimè ſingularium in Trinitate Perſonarum inſinuare propria: Æternitas eſt, inquit, in Patre, ſpecies in imagine, vſus in munere. Et quia non mediocris autoritatis in tractatione Scripturarum & aſſertione fidei vir extitit, (hæc enim Hilarius in libris ſuis poſuit) horum verborum, id eſt, Patris, & imaginis, & muneris, æternitatis, ſpeciei, & vſus, abditam ſcrutatus intelligentiam, quantum valeo, non eum ſequutum arbitror in æternitatis vocabulo: niſi quòd Pater non habet Patrem de quo ſit: Filius autem de Patre eſt vt ſit, atque vt illi coæternus ſit. [a] Imago enim, ſi perfectè implet illud, cuius imago eſt, ipſa coæquatur ei, non illud imagini ſuæ: in qua imagine ſpeciem nominauit. Credo propter pulchritudinem, vbi tanta eſt congruentia & prima æqualitas, & prima ſimilitudo nulla in re diſſidens, & nullo modo inæqualis, & nulla ex parte diſſimilis: ſed ad identitatem reſpondens ei cuius imago eſt. Vbi eſt prima & ſumma vita, cui non aliud viuere, & aliud eſſe: ſed idem & primus ac ſummus intellectus, cui non eſt aliud viuere & aliud intelligere: [3] ſed idem hoc vnum tanquam verbum perfectum, cui non deſit aliquid: & ars quædam omnipotentis & ſapientis Dei plena omnium rationum viuentium incommutabilium: & omnes vnum in ea, ſicut ipſa vnum de vno cũ quo vnum: ibi nouit omnia Deus quæ fecit per ipſam.

A

eſt. Neq; enim ipſe ſibi quiſque imago eſt, ſed eum cuius imago eſt, neceſſe eſt vt imago demonſtret.

CAP. IIII.

Hic de Spiritu ſancto quare vſus dicatur.

B

Continuatio expoſitionis eiuſdem Hilarij ſententiæ.

[1] EST autem ineffabilis quidam complexus Patris & imaginis, qui non eſt ſine perfruitione, ſine charitate, ſine gaudio. Illa ergo dilectio, delectatio, fœlicitas, vel beatitudo (ſi tamen aliqua humana voce dignè dicitur) vſus ab illo appellata eſt breuiter, & eſt in Trinitate Spiritus ſanctus non genitus, ſed genitoris genitique ſuauitas, ingenti largitate atque vbertate perfundens omnes creaturas [2] pro captu earum. Itaque illa tria & à ſe inuicem determinari videntur, & in ſe infinita ſunt. Qui videt hoc vel ex parte, vel per ſpeculum in ænigmate, gaudeat cognoſcens Deum, & gratias agat. Qui verò non videt, tendat per pietatem fidei ad videndum, non per cæcitatem ad calumniandum: quoniam vnus eſt Deus, ſed tamen Trinitas. Ecce habes qualiter verba Hilarij præmiſſa accipienda ſint, licet tantæ ſint profunditatis, vt etiam adhibita expoſitione vix aliquatenus ea intelligere valeat humanus ſenſus: cùm & ipſa eorum explanatio, quam hîc Auguſtinus edidit, plurimùm in ſe habeat difficultatis & ambiguitatis.

C

CAP. V.

Quòd ſecundum hanc expoſitionem non diſtinguuntur ibi proprietates Perſonarum tres.

3 Corollarium, vbi quid verba Hilarij in Perſonis diuinis deſignẽt, oſtẽditur. Diſtinct. 26. 27. & 28.

b Explicata verba Auguſtini Aug. ibi.

NON enim ſecundum præmiſſam expoſitionem diſtinguuntur hîc tres illæ proprietates ſuperius aſſignatæ, ſed ipſæ hypoſtaſes diſtinctæ ab inuicem monſtrantur: æternitatis tamen nomine eadem videtur deſignata proprietas, quam notat hoc nomen, ingenitus. Sed [b] videamus quid ſit quod ait, Imago ſi perfectè implet, cuius imago eſt, ipſa coæquatur ei, non illud ſuæ imagini. Videtur enim dicere, quòd Filius qui eſt imago Patris, Patri coæquatur, non Pater Filio: cùm & Filius dicatur æqualis Patri in Scriptura, & Pater Filio: ſed Filius hoc habet à Patre vt ſit æqualis: Pater autem non habet à Filio: & tamen Filius plenè ac perfectè æqualis eſt Patri, id eſt, imago ei, cuius eſt imago.

CAP. VI.

Quare dicatur Hilarius propria perſonarum aſſignaſſe in verbis prædictis, cùm ibi non ſint expreſſæ proprietates.

Cõcluſio. Hilarius in lib de ſynodis, Propoſitione 26.

PROPRIA ergo perſonarum in prædictis verbis

A verbis aſſignaſſe dicitur Hilarius, quia relatiua nomina perſonarum poſuit ſcilicet,imaginis, & muneris: quæ relatiuè dicuntur de perſonis, & proprietates notat,quibus diſtinguuntur perſonæ.Ita enim dicitur Spiritus ſanctus munus relatiuè,ſicut donum. Verumtamen ipſas proprietates aliis tribus nominibus non ſignificauit,iuxta prædictam Auguſtini expoſitionem: niſi ſolo nomine æternitatis, quo non ipſam paternitatem, ſed eam voluit intelligi notionem,qua dicitur ingenitus.

CAP. VII.

Quòd earundem perſonarum diſtinctionem notat Auguſtinus aliis verbis ſine expreſſione trium perſonarum.

B

4 Corollarium vbi Auguſtini ſententia cum Hilario cōparatur. Aug. li.1. cap.5.

ILLVD etiam ſciri oportet, quòd earundem triū perſonarum diſtinctionem Auguſt. oſtendere volens ſine expreſſione illarum trium proprietatum ſuperius commemoratarum,in primo lib. de Doctrina Chriſt.ſic ait,[1] In Patre eſt vnitas,in Filio æqualitas, in Spiritu ſancto vnitatis æqualitatíſque concordia: & hæc tria vnum,omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium,connexa omnia propter Spiritum ſanctum.Itaque Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, & ſingulus quiſque horum Deus eſt, & ſimul omnes vnus Deus: & ſingulus quiſque horum plena ſubſtantia eſt,& ſimul omnes vna ſubſtantia. Pater nec Filius eſt,nec Spiritus ſanctus:& Filius,nec Pater eſt nec Spiritus S.Spiritus ſanctus nec Pater eſt,nec Filius: ſed Pater tantùm Pater,& Filius tantùm Filius,& Spiritus ſanctus tantùm Spir.S.Eadem tribus æternitas, eadem incommutabilitas,eadem maieſtas,eadem poteſtas. In his verbis apertè inſinuatur perſonarum trium diſtinctio.

CAP. VIII.

Quare Patri attribuatur vnitas,& Filio æqualitas.

C

1 Quæſtio de Patre.

SED plurimos mouet, quòd Patri attribuit vnitatem,Filio æqualitatem.Cùm enim vnitas dicatur ſecundum ſubſtantiam,non tantùm in Patre eſt, ſed etiam in Filio & in Spiritu ſancto: & æqualitas vna eſt Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Cur ergo Patri attribuitur vnitas,& Filio æqualitas?[a] Fortè eadem ratione attribuitur Patri vnitas ſecundum Aug. qua ſuprà eidem æternitas ſecundum Hilarium: quia videlicet Pater ita eſt,vt ab alio non ſit, & quia Filium genuit vnum ſecum Deum, & Spiritus ſanctus ab eo procedit vnus cum eo Deus. Vnitas ergo in Patre eſſe dicitur, quia nec eſt aliquid aliud à quo ſit (non enim ab alio eſt) Nec ab eo aliquis,vel aliquid eſt ab æterno,quod vnum cum eo non ſit: Filius enim & Spiritus ſanctus vnum ſunt cum Patre.Vnde veritas ait, Ego & Pater vnum ſumus. Ioan. 10.

2 Reſponſio.

CAP. IX.

Quare Pater, & Filius dicantur eſſe vnum vel vnus Deus,ſed non vnus: quia res eiuſdem naturæ rectè poſſunt dici vnum ſimpliciter eſſe, & cum adiectione: res verò diuerſæ naturæ non poſſunt dici vnum, niſi dicatur quid vnum.

1 Propoſitio de voce Vnum,

HIC dici oportet,quòd Pater & Filius & Spiritus ſanctus rectè dicuntur eſſe vnum & vnus Deus,ſed non vnus. Res enim duæ vel plures rectè poſſunt dici vnum eſſe,ſi ſint vnius eſſentiæ, & earum vna ſit natura.Vnus autem,vel vna non poteſt dici de diuerſis rebus,niſi addatur quid vnus vel vna: quo addito, rectè poteſt dici de rebus & vnius & diuerſæ ſubſtantiæ.Vnde Aug.in 6.lib.de Trin.ſic ait,Neſcio vtrùm inueniatur in Scripturis dictum,vnum ſunt,quorum eſt diuerſa natura. Si autem & aliqua plura ſunt eiuſdem naturæ, & diuerſa ſentiant, non ſunt vnum inquantum diuerſa ſentiunt. Cùm ergo ſic dicitur vnum, vt non addatur quid vnum, & plura vnum dicuntur, eadem natura atque eſſentia, non diſſidens neque diſſentiens ſignificatur. Vnde Paulus & Apollo (qui[1] & ambo homines erant & idem ſentiebant) vnum eſſe dicuntur, cùm dicitur. Et qui plantat, & qui rigat vnum ſunt. Cùm verò additur quid vnum,poteſt ſignificari aliquid ex pluribus vnum factum,quamuis diuerſa natura: ſicut anima & corpus non poſſunt vtique dici vnum. Quid enim tam diuerſum? niſi addatur vel ſubintelligatur quid vnum,ſcilicet vnus homo.vnde Apoſtolus, Qui adhæret,inquit Domino,Spiritus vnus eſt. Non dixit vnus eſt,vel vnum ſunt,ſed addidit,Spiritus. Diuerſi ſunt[2] enim natura Spiritus hominis & Spiritus Dei,ſed inhærendo fit Spiritus hominis, vnus Spiritus cum Deo, quia particeps fit veritatis & beatitudinis illius.Si ergo de his, quæ diuerſæ ſubſtantiæ ſunt rectè dicitur quòd ſint vnus Spiritus: quantò magis qui vnius ſubſtantiæ ſunt,rectè dicuntur vnus Deus eſſe? Pater ergo & Filius vnum ſunt, vtique ſecundum vnitatem eſſentiæ,& vnus Deus.In quo & Ariana hæreſis damnatur,quæ Patrem,& Filium,& Spiritum ſanctum,vt ait Auguſtinus in libro de hæreſibus non vult eſſe vnius eiuſdémque ſubſtantiæ atque naturæ, vel, vt expreſſius dicatur,eſſentiæ:quæ Græcè dicitur vſia:ſed Filium eſſe creaturam. Necnon & Sabelliana,quæ, vt ait Auguſt.in eodem lib. dicebat Chriſtum eundem ipſum & Patrem & Spiritum ſanctum eſſe:vt eſſet Trinitas nominum, ſine ſubſiſtentia perſonarum. Vtranque peſtem,ut ait Auguſt.ſuper Ioannem,elidit veritas dicēs, Ego & Pater vnum ſumus. Vtrunque audi & aduerte, & vnum, & ſumus: & à Charybdi & à Scylla liberaberis. Quòd enim dixit vnum,liberat te ab Ario:quòd dixit ſumus,liberat à Sabellio. Si vnum, ergo non diuerſum: ſi ſumus,ergo Pater & Filius. Sumus enim non diceret de vno, nec vnum de diuerſo. Erubeſcant ergo Sabelliani, qui dicunt ipſum eſſe Patrem, qui eſt Filius, confundentes perſonas, qui & dicti ſunt Patripaſſiani,qui dicunt Patrem fuiſſe paſſum. Ariani verò dicunt aliud Patrem eſſe,aliud Filium: non vnam ſubſtantiam,ſed duas: Patrem maiorem, Filium minorem. Noli hoc dicere tu Catholice. In medio ergo nauiga,vtrunque periculoſum latus deuita: & dic,Pater Pater eſt,& Filius Filius eſt: alius Pater, alius Filius: ſed non aliud: imò hoc ipſum,quia vnus Deus. Ecce oſtenſum eſt quare vnitas in Patre eſſe dicatur, cùm tres illi vnum ſint.

A

quæ proximè ſuperioris reſpōſiōis explicatio eſt. Cap.3.

B

1.Cor.3. b

Tomo 6. Art.49.

Eodem tomo, Art. 41.

Tom. 9. Tract. 36.

C

CAP. X.

Quare dicatur eſſe æqualitas in Filio, cùm ſit vna æqualitas trium.

2 Quæſtio de Filio.

a Reſponſio.

NVNC videamus quare æqualitas dicatur eſſe in Filio,cùm vna & ſumma æqualitas ſit trium. Hoc [a]ideo fortè dictum eſt: quia Filius genitus eſt à Patre æqualis gignenti,& dono quod ab vtroque procedit: &

A *ideo illa tria dicuntur eſſe æqualia propter Filium. Filius enim habet à Patre, vt ſit ei æqualis, & Spiritui ſancto: & Spiritus ſanctus ab vtroque habet, vt ſit æqualis vtrique. Hoc autem ſine aſſertionis ſupercilio, & maioris intelligentiæ præiudicio dicimus, malentes in apertione tam clauſorum ſermonũ peritiores audire, quàm aliquid aliis influere.*

CAP. XI.

Quare in Spiritu ſancto dicitur eſſe vtriuſque concordia, vel connexio.

3 Quęſtio de Spir. S. *Quòd autem in Spiritu ſancto dicitur eſſe vtriuſque concordia, & per eum omnia connexa, facilior eſt intelligentia nobis præmiſſa ad mentem reuocantibus.* [a] *Suprà enim ſecundum authoritates Sanctorum dictum eſt,* a Reſponſio. Diſt. 10. *quod Spiritus ſanctus, amor eſt, quo Pater diligit Filium, & Filius Patrem. Rectè ergo Spiritus ſanctus dicitur connexio vel concordia Patris & Filij, & per eũ omnia connexa. Vnde Aug. in 5. lib. de Trini.* Cap. 11. *Communio quædam conſubſtantialis Patris & Filij eſt ambo-* B *rum Spiritus ſanctus. Idem in 6. libr. de Trin.* Cap. 3. *Spiritus ſanctus eſt ſumma charitas vtrunque coniungens, nóſque ſubiungens.*

AD DISTINCTIONEM XXXI.

AD CAP. I.

1 *Similitudo enim.* Plenior eſt Hilarij oratio. Diſputat enim tum aduerſus Arianos, qui ex *Imaginis & ſimilis* vocabulis Filij à Patre diminutionem & inęqualitatem colligebant, tum etiam aduerſus Sabellianos, qui ex deitatis in vtroque, Patre, inquam, & Filio, plenitudine vnam tantùm eſ- C ſe Perſonam diuinam arguebant. Vtroſque igitur confutans Hilarius, ſic ait. *Omnia enim Filius accepit à Patre, & eſt Dei forma, & imago ſubſtantiæ eius. Eum enim, qui eſt, ab eo qui eſt imago ſubſtantiæ, tantùm ad ſubſiſtendi fidem, non etiam ad aliquam naturæ diſſimilitudinem intelligendam diſcernit. Patrem autem in Filio, & Filium in Patre eſſe, plenitudo in vtroque diuinitatis perfecta eſt. Non enim diminutio Patris eſt Filius, nec Filius à Patre imperfectus eſt. Imago ſola non eſt, &* SIMILITVDO NON SIBI EST. *Deo autem ſimile aliquid eſſe, niſi quod ex ſe erit, non poteſt. Neque enim aliunde eſt, quod in omnibus ſimile eſt, neque diuerſitatem duobus admiſceri alterius ad alterum ſimilitudo permittit. Ne ſimilia permutes, neque ſibi ex veritate indiſcreta diſiungas.* Hactenus Hilarius, quæ longè verius & vim iſtius vocis *Simile* de Filio vſurpatæ declarant, & huius diſputationis ſcopum, ídque breuiſſimè, quàm quæ iſte longa oratione hîc tractat & habet. Addidit autem vocem, *Ipſi*, quæ non eſt apud Hilarium, retenta mente autoris, non tamen ſyncera fide tranſcriptoris.

2 *Quærimus ſecundum quid.* Primum iſtud, *Quærimus*, ad Auguſtinum additum eſt: vti poſtea vox *Ergo* immutata. Deinde luxata eſt tota hæc Auguſtini ſententia à germano & natiuo ſenſu, ac loco. Diſputat ille de voce *Ingenito*, ex qua aliquid plus ineſſe Patri Deo, quã Filio blaſphemi Ariani vitioſè argutabantur, & colligebant. Excipit Auguſtinus, ſi id verè diceretur, quomodo Filius eſſet æqualis Patri? Ergo pro αἰτήματι & A conceſſo ſumit Auguſtinus illud ipſum, de quo iſte quęri ait. Deinde docet eam æqualitatem nõ ex relatione perſonarum, ſed ex ſingulariſſima illa eſſentia (quæ in vtroque eadem eſt) æſtimandam & definiendam. Denique non propriè, cur æqualis Filius Patri dicatur, quærit Auguſtinus: ſed cur Pater Ingenitus, Filius genitus appelletur.

3 *Inæquales inuenitur.* Omiſit totius & Auguſtini concluſionis, quæ ſequitur his verbis, *In omnibus ergo*, &c. & huius argumenti confirmationis fundamentum iſte, dum ſuo more bonos autores mutilat. Addit igitur Auguſtinus, quod & continuatum eſt, & maximè ad rem totam facit, poſt hæc verba, videlicet *Inæqualis inuenitur, Apoſtolus autem dixit æqualem. In omnibus ergo æqualis eſt.* Sic enim Paulus, Philip. 2. verſ. 6. οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο το ἐιναι ἴσοι Θεῷ, id eſt, *non duxit rapinam parem eſſe cum Deo.* Hoc autem tam luculentum & neceſſarium totius huius ſententiæ, & diſputationis argumentum prætermitti certè non debuit, B cui pares alij loci pauci, totidémque verbis ſcripti reperientur.

4 *Illius ſubſtantiæ.* Auguſtinus habet, *quæ in illa ſubſtantia eſt*, quę retinenda erant, vt bona fides præſtaretur in citando Auguſtino.

AD CAP. III.

1 *In Patre eſſe æternitatem.* Hilarius pro *æternitatem* habet *Infinitatem.* Hæc enim ſunt ipſius verba, *Nec deeſſe quicquam conſummationi tantæ reperietur, intra quam ſit* (Lego autem *pro intra quàm ſit, extra quàm ſit*) *in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, Infinitas in æterno: ſpecies in imagine, vſus in munere.* Infinitatem autem quid vocet, idem explicat poſtea his verbis, *Pater eſt, ex quo omne quod eſt conſiſtit: ipſe in Chriſto, & per Chriſtum origo omnium. Cæterùm is in ſeſe eſt, non aliunde quod eſt ſumens: ſed id quod eſt, ex ſe, atque in ſe, continens. Infinitus, quia non* C *ipſe in aliquo, ſed intra eum omnia.* Ex quo apparet non eſſe fideliter Hilarij verba recitata. Neque verò quiſquam mihi obiiciat eadem illa ſic ab ipſo Auguſtino, & quidem non ſemel, ſed tum lib. 6. cap. 10. tum lib. 15. cap. 3. Trinitatis citari, à quo Lombardus ſumpſit: debuit enim Codicem ipſum Hilarianum ſaltem conſulere, ne fortaſſe ἁμαρτήματι μνημονικῷ deceptus eſſet Auguſtinus. Quod certè contigit. Sed præter iſtam alienæ culpæ imitationem, ſuam, & quidem peculiarẽ, admittit hoc loco Lombardus, quòd extra mentem Hilarij totum hoc dictum transfert. Pertinet enim iſta Hilarij ſententia ad perſonarum diuinarum diſtinctionem: iſte ad earum vnitatem, & æqualitatem hîc transfert. Quid igitur cum hoc argumento conſentaneum, aut ſimile habet Hilarius?

2 *Imago enim.* Hilarij dictum eſt in margine annotatum. Sumitur autem ex libro eiuſdem de Synodis, vbi de perſonarum ὑποστάσει vera agit cõtra Sabellianos primùm: poſtea verò etiam contra Arianos, qui Syrmium conuenerant, & blaſphemam in Chriſtum Vnigenitum Dei Filium fidei confeſſionem conſcripſerant, ac ediderant, *Volentium*, ait, *nominibus tantùm* Patrem, *& Filium prædicare, cum Imago omnis, eius, ad quem imaginetur,*

ſpecies

A *ſpecies indifferens ſit. Neque enim ipſe ſibi quiſquam imago eſt, ſed eum, cuius imago eſt, neceſſe eſt, vt imago demonſtret. Imago itaque eſt rei ad rem coæquādæ imaginata, & indiſcreta ſimilitudo,* &c. Sed neque hoc ipſum ad huius Diſtinctionis titulum, vel latiſſimo interuallo, pertinere poteſt.

3 *Sed idem hoc vnum.* Locus hic Auguſtini manifeſtè à Lombardo dupliciter deprauatus eſt. Sic enim ille, *cui non eſt aliud viuere, & aliud intelligere, ſed id quod eſt intelligere, hoc viuere, hoc eſſe eſt, Vnum omnia.* Deinde ſequitur aliud membrum. *Tāquam Verbum perfectum,* &c. Ergo & detrahendo quædam, & diſpunctionem, ſeu comma tollendo corrupit & locum, & ſenſum Auguſtini Lombardus. Pro eo enim quod ille dixit. *Vnum omnia in Deo eſſe*: iſte ſic copulauit, *Sed idem hoc vnum tanquam verbum,* quod cum Auguſtini mente nihil habet commune.

B

AD CAP. IIII.

1 *Eſt autem ineffabili.* Totum hoc caput ex Auguſtini libr. 6. de Trinitat. cap. 10. tranſcriptum eſt, quod variè ab iſto, quemadmodum iam docebimus, eſt mutilatum, tum addēdo, tum etiam detrahendo.

2 *Pro captu earum.* Hìc omiſſa ſunt quędam valde neceſſaria, ex quibus intelligitur quomodo res omnes ingenti illa ſuauitate à Spiritu ſancto perfuſæ ſint, & quid inde conſequatur, nempe vt ſicut ſtatim addit ibidem ſubiicitque Auguſtinus, *Ordinem ſuum teneant, & locis ſuis acquieſcant.* Hoc igitur prætermiſſum eſt ac detruncatum. Denique paulò poſt omiſſa eſt pulcherrima illa totius huius Hilarij interpretationis concluſio, C & ἀνακεφαλαίωσις ab ipſo Auguſtino breuiter comprehenſa his verbis, *In illa enim Trinitate ſumma origo eſt rerum omnium, & perfectiſſima pulchritudo, beatiſſima delectatio. Itaque illa tria,* &c. ex quibus vox *Origo* ad Patris æternitatem: *Pulchritudo*, ad Filij ſpeciem: & *Delectatio* ad Spiritus ſancti vſum explicandum proculdubiò pertinet.

3 *Per pietatem fidei.* Alij Lombardici Codices habent *Per proprietatem fidei*: alij *per pietatem fidei,* quemadmodum etiam ſcribendum eſt. Sed vox *Fidei* ad Auguſtinum addita eſt prætoria Lombardi autoritate, & ſolita fide ac ſynceritate.

AD CAP. V.

1 *In Patre eſt vnitas.* Iſta ex libr. 1. doctrinæ Chriſtianæ cap. 5. tranſcripta ſunt, ſed ſeries atque oratio ipſa Auguſtini variè contorta, atque prorſus immutata eſt: quæ potuit tamen retineri, atque eo modo futura erat dilucidior.

AD CAP. IX.

1 *Qui & ambo.* Auguſtinus habet, *Quia & ambo.* Hoc αἰζολογικὸν eſt: iſtud ἐξηγητικὸν, ſed ipſa Auguſtini verba erant ſanè retinenda.

2 *Diuerſi ſunt enim.* Auguſtinus, *Diuerſum enim eſt natura ſpiritus hominis, & Spiritus Dei.* Deinde hæc verba Lombardi, *Sed inhærendo fit ſpiritus hominis vnus ſpiritus cum Deo, quia particeps fit veritatis, & beatitudinis illius,* non modò ſunt ſuppoſititia, ſed etiam periculoſa. Et quidem ſuppoſititia, quoniam habet Auguſtinus planè alia, hæc nempe, A *Sed inhærēdo fit vnus Spiritus ex diuerſis duobus, ita vt ſine humano ſpiritu beatus ſit Dei Spiritus, atque perfectus: beatus autem ſpiritus hominis non niſi cum Deo.* Periculoſa verò, quoniam periculoſè omnino dicitur ita inconditè, *Spiritus hominis fit vnus Spiritus cum Deo*, ne quod de conſenſu dixit Paulus (quo *qui agglutinatur* D*omino*, *vnus cum eo ſpiritus eſt*, 1. Corin. 6. ver. 17.) de eſſentiarum Spiritus ſancti, & ſpiritus humani confuſione accipiendum eſſe ex verbis Lombardi intelligatur, quod pulcherrimè refutat Bernardus.

Cenſura.

Quæ in hac Diſtinctione ſunt digna animaduerſione penè ſunt infinita, præter ea quæ iam ſuperiùs annotauimus: Nos tamen pauca è multis obſeruabimus. Reliqua prudens & attentus le- B ctor per ſeſe inueniet.

Primum igitur hoc vtiliſſimum argumentum de ſimilitudine, æqualitate, identitate & vnitate, quæ tribus perſonis diuinis tribuitur perturbatè admodum tractatur. Nam & vocabula ipſa (de quibus dicere propoſuerat) erant primùm proponenda, & ordine perſequenda: & quæ ex quoque quæſtiones oriebantur, ſubiiciendæ. Contrà verò, quàm omnia hic confuſè traduntur, & multa etiam non ſuo loco. Quin etiam, cùm quatuor capita diſputationis initiò propoſuiſſet Lombardus. 1 Tres perſonas coæquales dici. 2 Vtrùm relatiuè. 3 Vtrùm in ipſa eſſentia eſſet huiuſmodi relatio. 4 Quid ſit ipſa æqualitas, nihil eorum ordine tradit, imò etiam quædam prorſus omittit, velut 3 & 4 caput, ita nimirum iſte memor eſt ſui. C

Secundùm, in hac Diſtinctione illud euenit, quod damnat prouerbium vetus, ἔργον nēpe πάρεργον, & πάρεργον facit ἔργον. Nam explicatio dicti Hilariani erat parergon ad propoſitam de Aequalitate diſputationem, etiam ipſo Lombardo teſte (qui cap. 6. reſpondet Hilarij ſententiam pertinere ad perſonarum diſtinctionem explicādam, non autem ad eam vnitatem, de qua hoc loco agitur) & tamen hoc πάρεργον continet præcipuam totius huius Diſtinctionis partem, adeò vt cap. 3. 4. 5. 6. 7. 8. in iſto Hilarij loco exponendo verſentur. Atqui omnia illa capita dementur, ſi quę πάρεργα hìc ſunt, tollere velis.

Tertiùm, obſcurè tota hęc Diſtinctio traditur à Lombardo: imprimis autem quid eſt ineptius iſta locutione cap. 1. *Et ſi relatiuè, vtrùm ſecundum relationem.* Potéſtne aliquid dici relatiuè ſine relatione? Sed voluit iſte dicere, vtrùm ſecundum eam relationem, quæ conſtituit perſonas in Trinitate. Item cap. 9. in diſputatione de his vocabulis *Vnum* & *vnus*, quid obſcurius his verbis, *Vnus vel vna non poteſt dici de diuerſis rebus, niſi addatur quid vnus, vel vna*? Hac enim ratione efficitur, vt quia Pater & Filius non ſunt res diuerſæ, ſine adiectione vlla dici poſſint ex Lombardi regula *Vnus.* Quod eſt falſiſſimum. Vnum quidem dici poſſunt, quia *Vnum* ad eſſentiæ ταυτότητα pertinet. Vnus autem dici non poſſunt, quoniam *Vnus* ad perſonarum diſtinctionem refertur. Nō ſunt autem vna perſona Pater & Filius.

Quartùm, locos S. ſcripturæ prætermittit iſte, A ex quibus occaſio iſtarum diſputationum orta eſt de *Simili, æquali vno*, &c. qualis eſt ille locus Pauli Philipp. 3. ver. 6. Ioann. 10. verſ. 30. & alij ſimiles.

Quintùm, falſa eſt iſtius ſcriptoris de Aequalitatis & Similitudinis definitione ſententia cap. 2. atque adeò etiam ab ipſis eius interpretibus ſcholaſticis damnata. His *vocabulis enim æqualitatis & ſimilitudinis aliquid poni negat: ſed tantũ remoueri.* Id quod falſum eſſe omnes iſtius ſcholæ magiſtri conſtanter docent, quemadmodum in catalogo errorum Lombardi in fi. huius operis adiuncto, ſcriptum extat.

Sextùm denique, infinita quædam prætermittit, quæ & lucem huic loco & argumento afferebant, erántque ex iis quædam etiam omnino neceſſaria. Primùm dicendum erat, cur de his vocibus ageretur. Cuius quæſtionis reſponſio eſt e-B tiam ex ipſo Thom. in 1. part. Quæſt. 42. art. 12. ad arg. *Dicimus Filium ſimilem Patri, vt excludatur error Eunomij: ſed etiam dicimus æqualem, vt excludatur error Arij.* Id quod Baſilius lib. 1. contra Eunomium fuſiùs docet. Fuit enim hæc quæſtio vexatiſſima florente Arianiſmo, vtrùm Filius eſſet appellandus ὅμοιος vel ἀνόμοιος Patri: vtrùm ὁμοιοούσιος, an ὁμοούσιος: Vnde & heretici quidam dicti ſunt Ἀνόμοιοι: alij etiam Semiariani, qui licet Filium dicerent ſimilem eſſe Patri, tamen propterea ὁμότιμον, & æqualem negarent. Itaque pro vnius iſtius vocis ὅμοιος explicatione 7. Synodi collectæ ſunt diuerſis temporibus, vt docet Baſil. in epiſtola ad Patrophylum Epiſcopum, videlicet Synodus Ancyrana, Seleuciana, Cõſtantinopolitana, Lampſacena, Nicena Thracenſis, Cyzicena, Nicena Bithynenſis prima.

Deinde diſtinguendæ erant voces iſtę ὅμοιος: ἴσος, εἷς quod facit Baſil. vt μήτε κατὰ μορφὴν, μήτε σχῆμα, μήτε ποσὸν, μήτε ποιὸν, μήτε εἶδον: ſed κατ' οὐσίαν huiuſmo-C di tum æqualitas, tum ſimilitudo de tribus illis perſonis ſumi intelligeretur.

Tertiò exponendum erat, quid eſſet, & quibus in rebus poſita eſſet iſta ſimilitudo, & æqualitas, nempe in ea comparatione, quæ propriè fit ad opera ad extra: quarum ratione dicuntur tres illæ perſonæ diuinæ eſſe æquales, & ſimiles. Præterea iſta æqualitas & ſimilitudo eſt non tantùm in potentia, & magnitudine, quemadmodum tamen videtur in tota Quæſtione 42. in parte prima ſenſiſſe Thomas: ſed etiam, quemadmodum docet Baſilius, in dignitate, & eſſentia. Ergo quod quidam ſcholaſticorum definiunt iſtam æqualitatem eſſe identitatem virtutis: alij qualitatem virtutis & operationis, quę attenditur ſecundum perfectionem naturæ: alij eſſe vnitatem eſſentiæ, etſi quiddam dicunt, non tamen omnia. Nam vera eius definitio eſt ex comparatione potentiæ, dignitatis, adorationis, & reliquorum attributorum ad res creatas, quæ ex vnitate eſſentiæ, (quæ in tribus ineſt) oritur. Hæc omnia prætermiſit iſte, extra oleas interim vagatus: confer autem hanc & duas ſequentes Diſtinctiones cum capite 3. noſtræ Synopſeos.

DISTINCTIO XXXII. A

Vtrùm Pater, vel Filius, vel Spiritus ſanctus diligat, cum diligere idem Deo ſit quod eſſe.

CAP. I.

HIC oritur quæſtio ex prædictis deducta. Dictum eſt enim ſuprà, atque Sanctorum authoritatibus oſtenſum, quod Spiritus ſanctus eſt communio Patris & Filij, & amor quo Pater & Filius ſeinuicem diligunt. Ideo[a] quæritur, vtrum Pater vel Filius per Spiritum ſanctum diligat. Quod vtique videtur oportere dici ſecundum autoritates ſuprà poſitas: quibus oſtenditur Spiritum ſanctum eſſe, quo genitus à gignente diligatur, genitorémque ſuum diligat. Sed contrà, ſi Pater vel Filius dicatur diligere per Spiritum ſanctum, videtur eſſe per Spiritum ſanctum: quia non eſt aliud Deo eſſe, & aliud diligere: ſed idem: quia, vt ait Auguſt. in 15. lib. de Trinitat. Quicquid[1] ſecundum qualitates in illa ſimplici natura dici videtur, ſecundum eſſentiam eſt intelligendum, vt bonus, magnus, immortalis, ſapiens, diligens, & huiuſmodi. Ideóque ſi Pater vel Filius diligit per Spiritum ſanctum, per ipſum Spiritum eſſe videtur, neque tantùm eſſentia ſua diligit, ſed etiam dono.

Tranſitio Mouet & ſoluit dubitationẽ ortam ex appropriatione, qua Spiritui ſancto appropriatur cõcordia in fine præcedentis Diſt. ibi.

Quod antè in Spir. S. cap. 5.

a Quæſtio cui addita ſit cauſa dubitãdi. B

CAP. II.

Hæc quæſtio inſolubilis eſt, humanum ſuperans ſenſum: in qua authoritates ſibi occurrunt.

HVIC quæſtioni, cum altitudinem nimiæ profunditatis contineat, id ſolùm reſpondemus, quod Aug. ſignificare videtur: ſcilicet quod Pater, & Filius ſe diligant, & vnitatem ſeruent non ſolum eſſentia ſua, ſed ſuo dono proprio: quod licet ſuprà poſitum ſit, iterare tamen non piget, quia ſic expedit. Ait ergo Aug. in 6. lib. de Trinitate: Manifeſtum eſt quòd non aliquis duorum eſt, quo vterque coniungitur, quo genitus à gignente diligatur, genitorémque ſuum diligat, ſintque nõ participatione, ſed eſſentia ſua, neque dono ſuperioris alicuius, ſed ſuo proprio ſeruantes vnitatem[1] pacis. Ecce hic dicit quòd eſſentia ſua & dono ſuo ſeruant vnitatem. Item in 15. lib. de Trinita. ait, In illa Trinitate quis audeat dicere, Patrem nec ſe, nec Filium, nec Spiritum ſanctum diligere, niſi per Spiritum ſanctum. Hic apertè oſtendit Patrem, non tantùm per Spiritum ſanctum diligere: non autem ſimpliciter dicit Patrem non diligere per Spiritum ſanctum.

Reſpõſio cuius explicatio ex c. 8 & 9 inf. quærẽda eſt. C

Cap. 5.

Cap. 7.

CAP. III.

Vtrùm Pater ſit ſapiens ſapientia quam genuit, ſicut diligit amore qui ab ipſo procedit.

Præterea diligenter inueſtigari oportet, vtrùm Pater ſapiens ſit ſapientia quam genuit, qua tantùm Filius

2 Quæſtio. Cap. 1.

1.Cor.1. d

Aug in li. 83. q.23. q. tomo 4.

Cū ſapiēs Deus dicitur, & ſapientia ſapiens dicitur, ſine qua vel fuiſſe aliquādo vel eſſe poſſe nefas eſt credere: nō participatione ſapientiæ ſapiēs dicitur: ſicut animaque & eſſe & nō eſſe ſapiēs pōt: ſed quod ipſa eā genuerit, quę ſapiēs dicitur ſapientia.

A lius eſt. Quod videtur à ſimili poſſe probari. Si enim Pater diligit amore qui ab ipſo procedit, cur non & ſapientia, vel intelligentia, quam ipſe genuit, ſapit, vel intelligit? Hanc quæſtionem vrgere videtur, vt ait Auguſtin. in 6. libro de Trinitat. quod ſcripſit Apoſtolus, dicens Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Vbi quæritur, vtrùm ita ſit Pater ſapientiæ & virtutis ſuæ, vt hac ſapientia ſapiens ſit, quam genuit: & hac virtute potens, quam genuit. Sed [a] abſit vt ita ſit: quia ſi hoc eſt ibi eſſe quod ſapere, non per illam ſapientiam, quam genuit, ſapiens dicitur Pater: alioquin non ipſa ab illo, ſed ille ab ipſa eſt. Si enim ſapientia quam genuit, cauſa eſt illi vt ſapiens ſit, etiam vt ſit ipſa illi cauſa eſt, quod fieri non poteſt, niſi gignendo eum, aut faciendo: ſed nec genitricem, nec conditricem Patris vllo modo quiſquam dixerit ſapientiam. Quid enim eſt inſanius? Ergo Pater ipſa ſapientia eſt, qua ſapiens eſt. Filius verò dicitur ſapientia Patris, & virtus Patris: non quia Pater per eum ſit ſapiens vel potens, ſed quia Filius ſapientia & virtus eſt de Patre, ſapientia & virtute. Ex his ergo patet quòd Pater non eſt ſapiens ſapientia genita, ſed ſeipſo ſapientia ingenita.

B

a Reſponſio

C A P. IIII.

Vtrùm Filius ſit ſapiens ſapientia genita, vel ingenita.

a Quæſtio

POST hæc quæri ſolet à quibuſdam, vtrùm Filius ſit ſapiens ſapientia genita, vel ingenita. Si enim non eſt ſapiens ſapientia genita, nec ſeipſo ſapiens eſt: ſi verò ſapientia genita ſapiens eſt, non videtur ſapiens eſſe ſapientia ingenita: & ita non videtur eſſe ſapiens à Patre, cùm à Patre habeat omnia. Ad quod[b] dicimus, quòd vna eſt ſapientia Patris & Filij & Spiritus ſancti, ſicut vna eſſentia: quia ſapientia in illius naturæ ſimplicitate eſt eſſentia: & tamen Filius tantùm eſt ſapientia genita, & Pater tantùm eſt ſapientia ingenita, & ſapientia genita eſt de ſapientia ingenita, vel à ſapientia ingenita. Et cùm idem ſit ibi eſſe quòd ſapientem eſſe, relinquitur vt ſapientia genita ſit ſapiens de ſapientia ingenita. Non ergo Filius dicitur ſapientia Dei, tanquam ipſe ſolus intelligens ſit vel ſapiens ſibi & Patri & Spiritui ſancto: quia vt ait Auguſtinus in xv libro de Trinitate, capite ſeptimo. Si ſolus ibi Filius intelligit & ſibi, & Patri, & Spiritui ſancto, ad illam reditur abſurditatem, vt Pater non ſit ſapiens de ſeipſo, ſed de Filio: nec ſapientia ſapientiam genuerit, ſed ea ſapientia Pater dicatur ſapiens eſſe quam genuit. Vbi enim non eſt intelligentia, nec ſapientia poteſt eſſe. Ideóque ſi Pater non intelligit ipſe ſibi, ſed Filius intelligit Patri, profectò Filius Patrem ſapientem facit. Et ſi hoc eſt Deo eſſe quod ſapere, & ea illi eſt eſſentia quæ ſapientia, non Filius à Patre, quod verum eſt, ſed à Filio potius Pater habet eſſentiam, quod abſurdiſſimum atque falſiſſimum eſt. Eſt ergo Deus Pater ſapiens ea,[1] quæ ipſe eſt, ſua ſapientia: & Filius ſapientia Patris, eſt ſapiens de ſapientia quæ eſt Pater, de quo eſt genitus Filius. Ita & Pater eſt intelligens ea, quæ ipſe eſt ſua intelligentia. Non enim eſſet ſapiens, qui non eſſet intelligens. Filius autem intelligentia Patris, de intelligentia genitus eſt, quæ eſt Pater:[2] de qua & intelligens eſt. Proinde Pater eſt ſapientia, & Filius ſapientia, & vterque vna eſt ſapientia: & tamen ſolus Pater eſt ingenita ſapientia, & Filius ſolus genita ſapientia: nec tamen alia ſapientia Pater, alia ſapientia Filius, ſed vna eadémque eſt: ſicut Pater eſt Deus ingenitus, & Filius eſt Deus genitus, neque Deus genitus, eſt Deus ingenitus: non ideo tamen alius Deus eſt Pater, alius Deus Filius: ſed vnus Deus vterque, non autem vnus. Alius eſt enim genitus, alius ingenitus, ſed non alius Deus: imò vterque vnum, ſiue vnus Deus. Ita non eſt ſapientia genita, ſapientia ingenita: ſed alia eſt ſapientia genita, alia ingenita: non tamen eſt alia ſapientia ſed vna eadémque ſapientia.

b Reſponſio.

Animaduerte lector, Patrē dici ſapiētē genita ſapientia, quod aliis obuiat teſtimoniis.

C

Verū hoc Aug. corrigit in li. 1. retrac. ca. 26. inquiēs Dixi in li. 83. q. 26. quę eſt, de Patre, quod eam genuit, qua ſapiēs dicitur, ſapientiam. Sed meliꝰ iſtam quæſtionē in lib. poſt à de Trin. tractaui. li. 6. cap. 1. & 2. & li. 7. cap. 3. & 15. cap. 7.

A

C A P. V.

An Filius ſit ſapiens ſeipſo, vel per ſeipſum.

Cōcluſiō.

a Quæſtio

b Reſponſio prima.

EX prædictis conſtat, quòd Filius non eſt ſapiens à ſe, neque de ſe: ſed de Patre, & à Patre.[a] Quæri autem ſolet, vtrùm Filius ſit ſapiēs ſeipſo, vel per ſeipſum.[b] Quidam dicunt multiplicem hic fieri intelligentiam, & ideo diſtinguendum fore: ita vt cùm dicis Filium eſſe ſapientem ſeipſo vel per ſeipſum, ſi ſui natura & eſſentia ſapientem intelligas, verus ſit intellectus: ſi verò à ſeipſo vel de ſeipſo ſapientem eſſe intelligas, falſitati ſubiectam habeas intelligentiam. Alij[c] verò ſimpliciter & abſque determinatione concedunt huiuſmodi locutiones, Filius eſt ſapiens per ſe, ſed non à ſe vel de ſe: & Filius eſt Deus per ſe, & eſt per ſe, ſed non à ſe, vel de ſe. Hoc confirmantes verbis Hilarij, qui Filium non à ſe, ſed per ſe agere, in libro nono de Trinitate ait. Naturæ, inquit, cui contradicis hæretice, hæc vnitas eſt, vt ita per ſe agat Filius, ne à ſe agat, & ita non à ſe agat, vt per ſe agat. Intellige Filium agentem, & per eum Patrem agentem. Non à ſe agit, cùm Pater in eo manere monſtratur. Per ſe agit, cùm ſecundum natiuitatem Filij agit ipſe quæ placita ſunt. Infirmus ſit non à ſe agendo, niſi à Deo ipſe agit: non ſit verò in vnitate naturæ, ſi quæ agit & in quibus placet non per ſe agit. Sicut ergo: inquiunt, Filius per ſe agit, ſed non à ſe, ita & Filius debet dici ſapiens per ſe, ſed non à ſe. Sic & ipſe per ſe Deus eſt, vel eſſe dicendus eſt (vt aiunt) ſed non à ſe vel de ſe.

B

c Reſponſio ſecunda.

Aliorum determinatio.

Poſt me diū libri

C

CAP. VI.

An vna tantùm ſit ſapientia Patris.

POST hæc à quibuſdam ſolet quæri, vtrùm vna tantùm ſit ſapientia Patris. Quod non eſſe nituntur probare hoc modo: Filius, inquiunt, eſt ſapientia Patris genita, qua Pater ſapiens non eſt. Eſt igitur aliqua ſapientia Patris, qua ſapiens non eſt. Eſt autem & ſapientia Patris ingenita, & ea Pater ſapiens eſt. Eſt ergo quædam ſapientia Patris: qua ſapiens eſt: & ipſa non eſt illa ſapientia Patris, qua Pater ſapiens non eſt: non eſt ergo vna tantum ſapientia Patris. Item ſapientia ingenita eſt ſapientia Patris: & ſapientia genita eſt ſapientia Patris: non eſt autem ſapientia ingenita ſapientia genita: non eſt igitur vna tantum Patris ſapientia. Hæc & his ſimilia, tanquam ſophiſtica & à veritate longinqua, cunctiſque in Theologia peritis patētia abiicimus, reſponſa indigna aduertentes, id tamen adiicientes, quia vna tantum ſapientia Patris, ſed non vno modo dicitur. Nam ſapientia Patris dicitur illa quam genuit: & ſapiētia Patris dicitur ea, qua ſapiēs eſt. Diuerſa eſt ergo ratio dicti. Illa enim dicitur Patris, quia eam

A ex quibus occaſio iſtarum diſputationum orta eſt de *Simili, æquali vno*, &c. qualis eſt ille locus Pauli Philipp.3.ver.6. Ioann.10.verſ.30. & alij ſimiles.

Quintùm, falſa eſt iſtius ſcriptoris de Aequalitatis & Similitudinis definitione ſententia cap. 2. atque adeò etiam ab ipſis eius interpretibus ſcholaſticis damnata. His *vocabulis enim æqualitatis & ſimilitudinis aliquid poni negat: ſed tantũ remoueri.* Id quod falſum eſſe omnes iſtius ſcholæ magiſtri conſtanter docent, quemadmodum in catalogo errorum Lombardi in fi. huius operis adiuncto, ſcriptum extat.

Sextùm denique, infinita quædam prætermittit, quæ & lucem huic loco & argumento afferebant, erántque ex iis quædam etiam omnino neceſſaria. Primùm dicendum erat, cur de his vocibus ageretur. Cuius quæſtionis reſponſio eſt e-
B tiam ex ipſo Thom. in 1. part. Quæſt. 42. art. 12. ad arg. *Dicimus Filium ſimilem Patri, vt excludatur error Eunomij: ſed etiam dicimus æqualem, vt excludatur error Arij.* Id quod Baſilius lib. 1. contra Eunomium fuſiùs docet. Fuit enim hæc quæſtio vexatiſſima florente Arianiſmo, vtrùm Filius eſſet appellandus ὅμοιος vel ἀνόμοιος Patri: vtrùm ὁμοιοούσιος, an ὁμοούσιος: Vnde & heretici quidam dicti ſunt Ἀνόμοιοι: alij etiam Semiariani, qui licet Filium dicerent ſimilem eſſe Patri, tamen propterea ὁμότιμον, & æqualem negarent. Itaque pro vnius iſtius vocis ὅμοιος explicatione 7. Synodi collectæ ſunt diuerſis temporibus, vt docet Baſil. in epiſtola ad Patrophylum Epiſcopum, videlicet Synodus Ancyrana, Seleuciana, Cõſtantinopolitana, Lampſacena, Nicena Thracenſis, Cyzicena, Nicena Bithynenſis prima.

Deinde diſtinguendæ erant voces iſtę ὅμοιος: ἴσος, ἓις quod facit Baſil. vt μήτε κατὰ μορφὴν, μήτε σχῆμα, μήτε ποσὸν, μήτε ποιὸν, μήτε εἶδον: ſed κατ' οὐσίαν huiuſmo-
C di tum æqualitas, tum ſimilitudo de tribus illis perſonis ſumi intelligeretur.

Tertiò exponendum erat, quid eſſet, & quibus in rebus poſita eſſet iſta ſimilitudo, & æqualitas, nempe in ea comparatione, quæ propriè fit ad opera ad extra: quarum ratione dicuntur tres illæ perſonæ diuinæ eſſe æquales, & ſimiles. Præterea iſta æqualitas & ſimilitudo eſt non tantùm in potentia, & magnitudine, quemadmodum tamen videtur in tota Quæſtione 42. in parte prima ſenſiſſe Thomas: ſed etiam, quemadmodum docet Baſilius, in dignitate, & eſſentia. Ergo quod quidam ſcholaſticorum definiunt iſtam æqualitatem eſſe identitatem virtutis: alij qualitatem virtutis & operationis, quę attenditur ſecundum perfectionem naturæ: alij eſſe vnitatem eſſentiæ, etſi quiddam dicunt, non tamen omnia. Nam vera eius definitio eſt ex comparatione potentiæ, dignitatis, adorationis, & reliquorum attributorum ad res creatas, quæ ex vnitate eſſentiæ, (quæ in tribus ineſt) oritur. Hæc omnia prætermiſit iſte, extra oleas interim vagatus: confer autem hanc & duas ſequentes Diſtinctiones cum capite 3. noſtræ Synopſeos.

A

DISTINCTIO XXXII.

Vtrùm Pater, vel Filius, vel Spiritus ſanctus diligat, cum diligere idem Deo ſit quod eſſe.

CAP. I.

Transitio. Mouet & ſoluit dubitationē ortam ex appropriatione, qua Spiritui Sancto appropriatur concordia in fine præcedentis Dist. ibi. Quod autē in Spir. S. cap. 5.

HIC oritur quæſtio ex prædictis deducta. Dictum eſt enim ſuprà, atque Sanctorum authoritatibus oſtenſum, quod Spiritus ſanctus eſt communio Patris & Filij, & amor quo Pater & Filius ſeinuicem diligunt. Ideo [a] *quæritur, vtrum Pater vel Filius per Spiritum ſanctum diligat. Quod vtique videtur oportere dici ſecundum autoritates ſuprà poſitas: quibus oſtenditur Spiritum ſanctum eſſe, quo genitus à gignente diligatur, genitorémque ſuum diligat. Sed contrà, ſi Pater vel Filius dicatur diligere per Spiritum ſanctum, videtur eſſe per Spiritum ſanctum: quia non eſt aliud Deo eſſe, & aliud diligere: ſed idem: quia, vt ait Auguſt. in 15. lib. de Trinitat. Quicquid* [1] *ſecundum qualitates in illa ſimplici natura dici videtur, ſecundum eſſentiam eſt intelligendum, vt bonus, magnus, immortalis, ſapiens, diligens, & huiuſmodi. Ideóque ſi Pater vel Filius diligit per Spiritum ſanctum, per ipſum Spiritum eſſe videtur, neque tantùm eſſentia ſua diligit, ſed etiam dono.*

a Quæſtio cui addita ſit cauſa dubitādi.

B

CAP. II.

Hæc quæſtio inſolubilis eſt, humanum ſuperans ſenſum: in qua authoritates ſibi occurrunt.

Reſpōſio cuius explicatio ex c. 8 & 9 inf. quærēda eſt.

C

HVIC quæſtioni, cum altitudinem nimiæ profunditatis contineat, id ſolùm reſpondemus, quod Aug. ſignificare videtur: ſcilicet quod Pater, & Filius ſe diligant, & vnitatem ſeruent non ſolum eſſentia ſua, ſed ſuo dono proprio: quod licet ſuprà poſitum ſit, iterare tamen non piget, quia ſic expedit. Ait ergo Aug. in 6. lib. de Trinitate: Manifeſtum eſt quòd non aliquis duorum eſt, quo vterque coniungitur, quo genitus à gignente diligatur, genitorémque ſuum diligat, ſintque nõ participatione, ſed eſſentia ſua, neque dono ſuperioris alicuius, ſed ſuo proprio ſeruantes vnitatem [1] *pacis.* Cap. 5. Ecce hic dicit quòd eſſentia ſua & dono ſuo ſeruant vnitatem. *Item in 15. lib. de Trinita. ait, In illa Trinitate quis audeat dicere, Patrem nec ſe, nec Filium, nec Spiritum ſanctum diligere, niſi per Spiritum ſanctum. Hic apertè oſtendit Patrem, non tantùm per Spiritum ſanctum diligere: non autem ſimpliciter dicit Patrem non diligere per Spiritum ſanctum.* Cap. 7.

CAP. III.

Vtrùm Pater ſit ſapiens ſapientia quam genuit, ſicut diligit amore qui ab ipſo procedit.

2 Quæſtio. Cap. 1.

Præterea diligenter inueſtigari oportet, vtrùm Pater ſapiens ſit ſapientia quam genuit, quæ tantùm Filius

A *lius eſt. Quod videtur à ſimili poſſe probari. Si enim Pater diligit amore qui ab ipſo procedit, cur non & ſapientia, vel intelligentia, quam ipſe genuit, ſapit, vel intelligit? Hanc quæſtionem vrgere videtur, vt ait Auguſtin. in 6. libro de Trinitat. quod ſcripſit Apoſtolus, dicens Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Vbi quæritur, vtrùm ita ſit Pater ſapientiæ & virtutis ſuæ, vt hac ſapientia ſapiens ſit, quam genuit: & hac virtute potens, quam genuit. Sed [a] abſit vt ita ſit: quia ſi hoc eſt ibi eſſe quod ſapere, non per illam ſapientiam, quam genuit, ſapiens dicitur Pater: alioquin non ipſa ab illo, ſed ille ab ipſa eſt. Si enim ſapientia quam genuit, cauſa eſt illi vt ſapiens ſit, etiam vt ſit ipſa illi cauſa eſt, quod fieri non poteſt, niſi gignendo eum, aut faciendo: ſed nec genitricem, nec conditricem Patris vllo modo quiſquam dixerit ſapientiam. Quid enim eſt inſanius? Ergo Pater ipſa ſapientia eſt, qua ſapiens eſt. Filius verò dicitur ſapientia Patris, & virtus Patris: non quia Pater per eum ſit ſapiens vel potens, ſed quia Filius ſapientia & virtus eſt de Patre, ſapientia & virtute. Ex his ergo patet quòd Pater non eſt ſapiens ſapientia genita, ſed ſeipſo ſapientia ingenita.*

1.Cor.1. d Aug in li. 83. q. 23. q. tomo 4. Cũ ſapiẽs Deus dicitur, & ſapientia ſapiens dicitur, ſine qua ãvel fuiſſe aliquãdo vel eſſe poſſe nefas eſt credere: nõ participatione ſapientiæ ſapiẽs dicitur: ſicut animaquę & eſſe & nõ eſſe ſapiẽs põt: ſed quod ipſe eã genuerit. quę ſapiẽs dicitur ſapientia.

B

a Reſponſio

C A P. IIII.

Vtrùm Filius ſit ſapiens ſapientia genita, vel ingenita.

3 Quæſtio

POST hæc quæri ſolet à quibuſdam, vtrùm Filius ſit ſapiens ſapientia genita, vel ingenita. Si enim non eſt ſapiens ſapientia genita, nec ſeipſo ſapiens eſt: ſi verò ſapientia genita ſapiens eſt, non videtur ſapiens eſſe ſapientia ingenita: & ita non videtur eſſe ſapiens à Patre, cùm à Patre habeat omnia. Ad quod[b] dicimus, quòd vna eſt ſapientia Patris & Filij & Spiritus ſancti, ſicut vna eſſentia: quia ſapientia in illius naturæ ſimplicitate eſt eſſentia: & tamen Filius tantùm eſt ſapientia genita, & Pater tantùm eſt ſapientia ingenita, & ſapientia genita eſt de ſapientia ingenita, vel à ſapientia ingenita. Et cùm idem ſit ibi eſſe quòd ſapientem eſſe, relinquitur vt ſapientia genita ſit ſapiens de ſapientia ingenita. Non ergo Filius dicitur ſapientia Dei, tanquam ipſe ſolus intelligens ſit vel ſapiens ſibi & Patri & Spiritui ſancto: quia vt ait Auguſtinus in xv libro de Trinitate, capite ſeptimo. Si ſolus ibi Filius intelligit & ſibi, & Patri, & Spiritui ſancto, ad illam reditur abſurditatem, vt Pater non ſit ſapiens de ſeipſo, ſed de Filio: nec ſapientia ſapientiam genuerit, ſed ea ſapientia Pater dicatur ſapiens eſſe quam genuit. Vbi enim non eſt intelligentia, nec ſapientia poteſt eſſe. Ideóque ſi Pater non intelligit ipſe ſibi, ſed Filius intelligit Patri, profectò Filius Patrem ſapientem facit. Et ſi hoc eſt Deo eſſe quod ſapere, & ea illi eſt eſſentia quæ ſapientia, non Filius à Patre, quod verum eſt, ſed à Filio potius Pater habet eſſentiam, quod abſurdiſſimum atque falſiſſimum eſt. Eſt ergo Deus Pater ſapiens ea,[1] quæ ipſe eſt, ſua ſapientia: & Filius ſapientia Patris, eſt ſapiens de ſapientia quæ eſt Pater, de quo eſt genitus Filius. Ita & Pater eſt intelligens ea, quæ ipſe eſt ſua intelligentia. Non enim eſſet ſapiens, qui non eſſet intelligens. Filius autem intelligentia Patris, de intelligentia genitus eſt, quæ eſt Pater:[2] de qua & intelligens eſt. Proinde Pater eſt ſapientia, & Filius ſapientia, & vterque vna eſt ſapientia: & tamen ſolus Pater eſt ingenita ſapientia, & Filius ſolus genita ſapientia: nec tamen alia ſapientia Pater, alia ſapientia Filius, ſed vna eadémque eſt: ſicut Pater eſt Deus ingenitus, & Filius eſt Deus genitus, neque Deus genitus, eſt Deus ingenitus: non ideo tamen alius Deus eſt Pater, alius Deus Filius: ſed vnus Deus vterque, non autem vnus. Alius eſt enim genitus, alius ingenitus, ſed non alius Deus: imò vterque vnum, ſiue vnus Deus. Ita non eſt ſapientia genita, ſapientia ingenita: ſed alia eſt ſapientia genita, alia ingenita: non tamen eſt alia ſapientia ſed vna eadémque ſapientia.

b Reſponſio.

Animaduerte lector, Patrẽ dici ſapiẽtẽ genita ſapientia, quod aliis obuiat teſtimoniis.

C

Verũ hoc Aug. corrigit in li. 1. retrac. ca. 26. inquiẽs Dixi in li. 83. q. 26. quę eſt, de Patre, quod eam genuit, qua ſapiẽs dicitur, ſapientiam. Sed meli' iſtam quæſtionẽ in lib. poſt: à de Trin. tractaui. li. 6. cap. 1. & 2. & li. 7. cap. 3. & 15. cap. 7.

A

C A P. V.

An Filius ſit ſapiens ſeipſo, vel per ſeipſum.

EX prædictis conſtat, quòd Filius non eſt ſapiens à ſe, neque de ſe: ſed de Patre, & à Patre.[a] Quæri autem ſolet, vtrùm Filius ſit ſapiẽs ſeipſo, vel per ſeipſum.[b] Quidam dicunt multiplicem hic fieri intelligentiam, & ideo diſtinguendum fore: ita vt cùm dicis Filium eſſe ſapientem ſeipſo vel per ſeipſum, ſi ſui natura & eſſentia ſapientem intelligas, verus ſit intellectus: ſi verò à ſeipſo vel de ſeipſo ſapientem eſſe intelligas, falſitati ſubiectam habeas intelligentiam. Alij [c] verò ſimpliciter & abſque determinatione concedunt huiuſmodi locutiones, Filius eſt ſapiens per ſe, ſed non à ſe vel de ſe: & Filius eſt Deus per ſe, & eſt per ſe, ſed non à ſe, vel de ſe. Hoc confirmantes verbis Hilarij, qui Filium non à ſe, ſed per ſe agere, in libro nono de Trinitate ait. Naturæ, inquit, cui contradicis hæretice, hæc vnitas eſt, vt ita per ſe agat Filius, ne à ſe agat: & ita non à ſe agat, vt per ſe agat. Intellige Filium agentem, & per eum Patrem agentem. Non à ſe agit, cùm Pater in eo manere monſtratur. Per ſe agit, cùm ſecundum natiuitatem Filij agit ipſe quæ placita ſunt. Infirmus ſit non à ſe agendo, niſi à Deo ipſe agit: non ſit verò in vnitate naturæ, ſi quæ agit & in quibus placet non per ſe agit. Sicut ergo: inquiunt, Filius per ſe agit, ſed non à ſe, ita & Filius debet dici ſapiens per ſe, ſed non à ſe. Sic & ipſe per ſe Deus eſt, vel eſſe dicendus eſt (vt aiunt) ſed non à ſe vel de ſe.

Cõcluſio. a Quæſtio b Reſponſio prima.

B

c Reſponſio ſecunda. Aliorum determinatio.

Poſt me diũ libri

C

CAP. VI.

An vna tantùm ſit ſapientia Patris.

POST hæc à quibuſdam ſolet quæri, vtrùm vna tantùm ſit ſapientia Patris. Quod non eſſe nituntur probare hoc modo: Filius, inquiunt, eſt ſapientia Patris genita, qua Pater ſapiens non eſt. Eſt igitur aliqua ſapientia Patris, qua ſapiens non eſt. Eſt autem & ſapientia Patris ingenita, & ea Pater ſapiens eſt. Eſt ergo quædam ſapientia Patris: qua ſapiens eſt: & ipſa non eſt illa ſapientia Patris, qua Pater ſapiens non eſt: non eſt ergo vna tantum ſapientia Patris. Item ſapientia ingenita eſt ſapientia Patris: & ſapientia genita eſt ſapientia Patris: non eſt autem ſapientia ingenita ſapientia genita: non eſt igitur vna tantum Patris ſapientia. Hæc & his ſimilia, tanquam ſophiſtica & à veritate longinqua, cunctiſque in Theologia peritis patẽtia abiicimus, reſponſa indigna aduertentes, id tamen adiicientes, quia vna tantum ſapientia Patris, ſed non vno modo dicitur. Nam ſapientia Patris dicitur illa quam genuit: & ſapiẽtia Patris dicitur ea, qua ſapiẽs eſt. Diuerſa eſt ergo ratio dicti. Illa enim dicitur Patris, quia eam

A *genuit: & ea dicitur ſapientia Patris, quia ea ſapit. Vna eſt tamen ſapientia Patris, quia ſapientia genita eſt eadem ſapientia, & ea qua ſapiens eſt: ſiue ea qua ſapiens eſt intelligatur perſona Patris, ſiue eſſentia Patris: quia perſona Patris quæ intelligitur cum dicitur ſapientia ingenita, & perſona Filij quæ ſignificatur cum dicitur ſapientia genita, vna eadémque ſapientia eſt: quæ eſſentia diuina intelligitur communis tribus perſouis.*

CAP. VII.

Quòd in Trinitate eſt dilectio, quæ eſt Trinitas: & tamen Spiritus ſanctus eſt dilectio, quæ non eſt Trinitas: nec ideo duæ ſunt dilectiones: ita & de ſapientia.

B

A ſimili ſeu comparatis ſuperiorem reſponſionē confirmat.

ET ſicut in Trinitate dilectio eſt, quæ eſt Pater, Filius & Spiritus ſanctus, quæ eſt ipſa eſſentia Deitatis: & tamen Spiritus ſanctus dilectio eſt, quæ non eſt Pater vel Filius: nec ideo duæ dilectiones ſunt in Trinitate: quia dilectio, quæ propriè Spiritus ſanctus eſt, eſt dilectio quæ Trinitas eſt, non tamen ipſa Trinitas eſt: ſicut Spiritus ſanctus eſt eſſentia quæ Trinitas eſt, non tamē ipſa Trinitas eſt: ita in Trinitate ſapientia eſt, quæ eſt Pater, & Filius & Spiritus ſanctus, quæ eſt eſſentia diuina: & tamen Filius eſt ſapientia, quæ non eſt Pater, vel Spiritus ſanctus. Nec ideo duæ ſapientiæ ibi ſunt: quia ſapientia, quæ propriè eſt Filius, eſt ſapientia, quæ eſt Trinitas: ipſa tamen non eſt Trinitas: ſicut Filius eſt eſſentia quæ eſt Trinitas, ipſe tamen non eſt Trinitas.

CAP. VIII.

C Qua ratione Pater non dicitur ſapiens ea ſapientia quam genuit, eadem videtur debere dici quòd non ſit diligens Pater vel Filius dilectione, quæ ab vtroque procedit.

Explicatio reſpōſionis ad primā huius Diſtinctionis quęſtionē

PRÆTEREA diligenter notandum eſt, quòd ea ratione qua Pater non dicitur ſapiens ea ſapientia, quam genuit, videtur fore dicendum, quòd Pater non diligat Filium, vel Filius Patrem ea dilectione quæ ab vtroque procedit, ſcilicet quæ propriè Spiritus ſanctus eſt. Sicut enim idem eſt Deo ſapere quod eſſe: ita eſt ei idem diligere quod eſſe. Ideóque ſicut negatur Pater eſſe ſapiens ſapientia quam genuit: qui ſi ea diceretur ſapiens, non ipſa ab eo: ſed ipſe ab ea intelligeretur eſſe: ita videtur non debere concedi, quòd Pater vel Filius diligat dilectione, quæ tantum Spiritus ſanctus eſt: quia ſi diligit Pater vel Filius, non Spiritus ſanctus videtur eſſe à patre & Filio, ſed Pater & Filius à Spiritu ſancto: quia idem eſt ibi diligere quod eſſe. At ſuprà dictum eſt, atque autoritate Auguſt. ſancitum, quòd in Trinitate tria ſunt, vnus diligens eum qui de illo eſt, & vnus diligens eum de quo eſt, & ipſa dilectio: & non eſt aliquis duorum quo genitus à gignente diligitur, & genitorem ſuum diligit. Quibus verbis apertè ſignificatur Patrem Filium, & Filium Patrem diligere, ea ſcilicet dilectione, quæ non eſt aliquis eorum, ſed tantum Spiritus ſanctus. Cùm idem ergo ſit ibi diligere quod eſſe, quomodo dicitur Pater vel Filius non eſſe ea dilectione, qua alter alterum diligit? cùm ideo Pater negetur ſapere ſapientia quam gennit, ne ea eſſe intelligatur.

Diſtin. 10. Aug. li. 6. de Tri. c. 5

A

CAP. IX.

Quòd & hæc quæſtio inexplicabilis eſt quæ excellit infirmitatem hominis.

Excuſat ſe ab huius quęſtionis perſpicua ſolutione.

In medio libri.

Difficilem mihi fateor hanc quæſtionem, præcipuè cum ex prædictis oriatur, quæ ſimilem videntur habere rationem: quod meæ intelligentiæ attendens infirmitas turbatur, cupiens magis ex dictis Sanctorum referre, quàm afferre. Optimus enim lector eſt, inquit Hilarius, in 1. lib. de Trin. qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potiùs, quàm imponat: & retulerit magis quàm attulerit: neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum.

B

Cùm ergo de rebus Dei ſermo eſt, concedamus Deo ſui cognitionem, dictíſque eius pia veneratione famulemur. Inueſtiget ergo diligenter pius lector rationem dictorum, ſi fortè dictorum aliquam valeat reperire cauſam: qua nota, ipſa præmiſſa quæſtio aliquatenus explicari valeat. Ego autem hanc quæſtionem non abſoluēs, ſed errorem excludens, profiteor non eſſe dictum Patrē diligere Filium, vel Filium Patrem ea dilectione, quæ ab vtroque procedit, quæ non eſt aliquis eorum, ſed tantùm Sp. S. tanquam ea dilectione Pater ſit vel Filius. Sed ſi ea Pater diligit Filium, & Filius Patrem: vt etiam Pater per ſe ea, quæ ipſe eſt, dilectione diligat, ſic & Filius: non autem ſic, vt Pater per ſe non diligat, & Filius, ſed per eam tantùm. Quis hæc in illa Trinitate (inquit Auguſt.) opinari vel affirmare præſumat? Eam tamen quæſtionem lectorum diligentiæ plenius diiudicandam atque abſoluendam relinquimus, ad hoc minus ſufficientes.

Lib. 15. de Trin. ca. 7.

C

AD DISTINCTIONEM XXXII.

AD CAP. I.

1 *Quicquid ſecundum.* Primùm detorquet verba Auguſtini. Loquitur enim Auguſtinus, de ipſis attributis in ſe conſideratis, non autem quatenus ea in rebus ſingulis ſpectantur & applicantur, veluti non eſt idem Deo eſſe, & hunc hominem diligere. Deinde quæſtio Auguſtini, atque adeò verba ipſa pertinent ad ſimplicitatem diuinæ eſſentiæ probandam: iſta Lombardica ad perſonarum diſtinctionem, quæ prorſus alia quęſtio eſt. Denique etiam quædam addit, vti hoc *Diligens*, nimirum vt ſuo propoſito inſeruiat, & meliùs Auguſtinum intorqueat: quædam detrahit vt *Spiritus* & *Subſtantiam*, quę magis videbantur huic quęſtioni tamen quadrare. Locus eſt Trini. 15. cap. 5. quem pius ac diligens lector cum iſto conferet. Verba autem hęc, *Ideóque ſi Pater, &c.* ſunt Lombardi, non Auguſtini.

AD CAP. II.

1 *Vnitatem pacis.* Auguſtinus habet, *Seruantes vnitatem Spiritus in vinculo pacis,* quę verba ſumpta ſunt ex Paulo in epiſtola ad Epheſ. cap. 4. verſ. 3. ſed iſte truncauit ſuo more: vti in poſteriore etiam ſententia ex eodem Auguſtino tranſcripta quędam detracta ſunt.

AD

A
AD CAP. IIII.

1 *Sapiens ea, quæ eſt ipſe Pater.* Sic & hic, & infrà conſtanter non tantùm in recentioribus, ſed & vetuſtioribus Lombardi codicibus legitur, *quæ*: habet tamen Auguſtinus *qua*, his verbis, *Eſt ergo Deus Pater ſapiens ea, qua ipſe ſua eſt ſapientia: & Filius ſapientia Patris de ſapientia, quod eſt Pater, de quo genitus eſt Filius.* Sic & alibi pro *quæ* Lōbardico, habet Auguſtinus *qua.* Nec verò res iſta, quanquam ex vocabuli ratione videtur exigua, ſenſu tamen exilis eſt. Nam vocabulum *Quæ*, Perſonam cum cauſa confundit. Vox autem *qua*, diſtinctè cauſam denotat, & non propriè perſonam. Ergo qui ſic ait, *Pater eſt ſapiens ſapientia, quæ ipſe eſt*, & barbarè, & obſcurè, & circulatoria phraſi loquitur. Qui verò ſic ait, *Pater eſt ſapiens ea, qua ipſe ſua eſt ſapientia*, Perſonam diſtinguit à cauſa & circulatoriam illam, id eſt, obſcuram orationem effugit.

B 2 *De qua & intelligens eſt.* Verba hæc, *De qua & intelligens eſt*, ſunt addita. Sic enim habet Auguſtinus libro decimoquinto Trinitatis, capite ſeptimo. *Quocirca conſequenter eſt & intelligens Pater eâ, qua ipſe ſua eſt intelligentia: neque enim eſſet ſapiens, qui non eſſet intelligens. Filius autem intelligentia Patris de intelligentia genitus, quod eſt Pater.* Hactenus ille, Lombardus addidit *de qua & intelligens eſt* (Filius nempe.) Primùm, peſſima fide in autoribus recitandis: deinde obſcuro ſenſu, & nulla ſimili occurrente in Scriptura phraſi.

Cenſura ad Diſtinctionem
XXXII.

Vel ipſius Lombardi apertum teſtimonium oſtendit, totam hanc Diſtinctionem eſſe partim inanem eorum, quæ ſuprà Diſtinctione decima dicta ſunt, repetitionem: partim etiam argutas & inextricabiles quaſdam quæſtiones continere. C Nam capit. tum ſecundo, tum octauo huius ſectionis repetitionem agnoſcit: capite verò nono inexplicabilem quæſtionem eſſe fatetur, quam hic proponit. Quàm igitur & conſideratè & vtiliter hæc ſcripta ſint, ex ipſamet confeſſione Lōbardi apparet.

Adduntur autem duobus ſuperioribus vitiis alia duo, primùm confuſio perturbatióque huius argumēti & tractationis. Nam quæ cap. I. proponitur quæſtio, ea ſtatim totis ſeptem capitibus interiectis abrūpitur, deinde repetitur, vt ex ipſo Diſtinctionis artificio à nobis addito facilè quiuis intelliget. Secūdum autem vitium ex duobus poſterioribus in eo eſt, quod à capite ſexto ad finem vſque Diſtinctionis, id eſt, per tria capita integra (vbi difficillima illa quęſtio tractatur) neque S. Scripturæ autoritate vtitur, quod iſtius ſcriptoris perpetuum vitium eſt: neque vllius Patris ſententiam affert, ex qua obſcuræ illius quæſtionis illuſtratio aliqua fiat. Quare quàm ſit vitioſa tota hæc Diſtinctio apparet. Neque verò hunc excuſare poteſt, quòd Auguſtini veſtigia in his quæſtionibus repetendis ſecutus videtur. Cū enim Auguſtinus ipſe fateatur, & quidem ingenuè, has quæſtiones eſſe inextricabiles, lib. 7. & lib. 15. capit. ſeptimo Trinitatis, aut omnino prętermittendæ erant: aut aliquo modo explicandę. A Eò certè valere debuit Auguſtini admonitio, vt iis abſtinendum eſſe ſaltem intelligeret Lombardus. Hæc eſt illa difficilis quæſtio, leui tamen cubito ab iſto tractata, vtrùm attributa propria Deitatis diſtinguantur Perſonalibus differentiis, veluti, vtrùm dicatur ſapientia quædam vel omnipotentia ingenita: quædam ingenita in diuinis quædam procedens, de qua mox dicturi ſumus. Hinc etiam ortæ ſunt interpretum, non modò inter ſe contentiones, ſed etiam erroneę ſententię, qualis eſt illa quum aiunt, concedi poſſe *Filium eſſe ſapientem ſapientia ingenita*: ſed negandum *Patrem eſſe ſapientem ſapientia genita.* Nam etſi ait Occan ſapientiā qua omnes illæ perſonæ ſunt ſapiētes, eſſe ingenitā: & ingenitā ſapientiā hic diſtinguit & ingenitā accipit pro eſſentia diuina: tamen in hoc argumento tam ineptum eſt dicere *Filiū eſſe ſapientem ſapientia Patris*, id eſt, *Sapientia ingenita*: quàm velle *Patrem eſſe ſapientem ſapientia* Filij, B id eſt, *ſapientia genita.* Geniti enim & ingeniti voces hic ad perſonas referūtur, neque in diuinis eſſentiā ſignificāt. Ergo Pater ſeipſo ſapiēs eſt. Filius ſeipſo ſapiēs eſt, quia & Deus eſt. Ac omnino verius dici ſic oportuit, Patrē eſſe ſapientiam ingenitā, quàm ſapiētē ſapiētia ingenita: itē Filiū eſſe ſapientiam genitam, quàm ſapientem ſapientia genita, ne ſapientiam vel Patri, vel Filio, tanquam qualitatem quandam eius eſſentiæ, vel perſonæ accidentem, non autem eſſentialem, vtrique tribuere videamur. Quare ſic à nobis tota hæc quæſtio de verbis eſt definiēda, vt dicamus, quia qua ratione Filius eſſentia eſt, eadem quoque eſt & ſapientia, & potentia, & imago, &c. quemadmodū Filius verè & orthodoxè dicitur eſſentia genita: Sp. S. eſſentia procedens: ſic rectè & orthodoxè nominari Filium ſapientiam genitam, potentiā genitam, imaginem genitam: & Spiritum ſanctum ſapientiam procedentem, potentiam procedentem, &c. Sic enim Aug. lib. 7. & 15. Tri. cap. 7. Sic Baſil. lib. 2. contra Eunomium, appellat Filium εἰκόνα γεννητὴν, & ait Damaſcen. lib. I. de Or- C thodoxa fide, capite 13. ὁ ὑιὸς, ὑιὸς, λόγος, σοφία, δύναμις, εἰκὼν, ἀπαύγασμα, χαρακτὴρ τοῦ πατρὸς, καὶ ἐκ τοῦ πατρός. Ergo ex Patre ſapientia eſt Filius, quare eſt genita ſapientia, &c. Quòd autem Filius Patris ſapientia dicitur, ita nominatur noſtri ratione, quia nobis Patrem manifeſtauit, non quòd Patrem ſapientem faciat. Scripſit, quidem libro primo Orthodox. fidei capite 15. Damaſcen. Deum καὶ σοφίαν καὶ σοφὸν dici poſſe (quod tribus perſonis æquè conuenit) ſed in alio argumento, nempe vt intelligatur eſſe autor omnis ſapientiæ: & illius quadam participatione & efficacitate reliqua, quæ ſapiunt, eſſe ſapientia prædita. Sed quid diutius hîc immoramur?

De nominibus ſubſtantialibus & proprietatibus in cōparatiōe, ſecūdum conueniētiā & differentiā, ad eſſentiā & perſonas.

DISTINCTIO XXXIII.

Vtrùm proprietates perſonarum ſint ipſæ perſonæ, vel Deus, id eſt, Diuina eſſentia.

CAP. I.

POST ſuprà dicta interius conſiderari atque ſubtiliter inquiri oportet, Vtrùm proprietates Per-

A ſonarum, quibus ipſæ perſonæ determinantur, ſint ipſæ perſonæ, & ſint Deus, id eſt, diuina eſſentia: an ita ſint in perſonis, vt non ſint perſonæ, ac per hoc nec diuina eſſentia. Quòd enim in perſonis ſint proprietates, nemo inficiari audet, cùm apertè clamet autoritas, quod in perſonis eſt proprietas, & in eſſentia vnitas apertiùs quoque multis Sanctorum teſtimonijs aſtruximus, perſonas per proprietates diſtingui atque determinari: ipſáſque proprietates, tres ſcilicet, proprijs expreſſimus vocabulis. Cùm ergo proprietates ipſæ ab æterno fuerint, quibus ipſæ perſonæ determinantur & differunt: quomodo eſſent ſi in eis non eſſent: & quomodo in eis eſſent, & ipſæ perſonæ non eſſent, quin ibi eſſet multiplicitas? Quocirca ſicut proprietates eſſe in perſonis, ita & eas perſonas eſſe confitemur ſicut ſuprà autoritate [1] Hieronymi (vt non pigeat reuocare ad mentem) proteſtati ſumus, in expoſitione fidei ita dicentis, B Sabellij hæreſim declinantes, tres perſonas expreſſas ſub proprietate diſtinguimus. Non enim nomina tantummodo, ſed etiam nominum proprietates, id eſt, perſonas, vel vt Græci exprimunt, hypoſtaſes, hoc eſt, ſubſiſtentias confitemur. Ecce apertè dicit perſonas proprietatibus diſtingui, & ipſas proprietates eſſe perſonas: cuius hic verba perſtringimus, quia ſuprà latiùs poſuimus.

Diſt.26.ſigno A. & 27.ſigno D.

Diſt.25.ſigno N. To. 4. in explanatione ſymboli ad Damaſ. Diſt.25.ſigno M. Diſt. 8. ſigno I.

CAP. II.

Quòd proprietates ſint diuina eſſentia.

CVMQVE de ſimplicitate Deitatis ſuprà diſſereremus, autoritatibus Sanctorum, ſcilicet Auguſtini Hiral. Iſidor. necnon & Boetij, euidenter monſtrauimus Deum hoc eſſe omnino quod in ſe habet: excepto quòd Pater habet Filium, nec eſt Filius: & Filius habet Patrem, nec eſt Pater: & ſic eſſe in natura trium, vt qui habet, hoc ſit quod habet: & totum quod ibi eſt, C vnum eſſe, vnam vitam eſſe: quæ modo non iteramus, ne faſtidium lectori ingeramus. Si ergo proprietates ibi ſunt, ſingula earum eſt id in quo eſt, & vnum eadémque vita ſingulæ ſunt. Fateamur ergo & proprietates eſſe in tribus perſonis, & ipſas eſſe perſonas atque diuinam eſſentiam.

CAP. III.

Autoritate aſtruit, quòd proprietas ſit natura.

QVOD enim proprietas etiam diuina natura ſit, oſtendit Hilarius, dicens natiuitatem Filij eſſe naturam. Vnde in ſeptimo libro de Trinitate ait, Vtriuſque natura non differt: vnum ſunt Pater & Filius.[1] Habet ergo hoc ſacramenti natiuitas, vt complectatur in ſe & nomen & naturam & poteſtatem: quia natiuitas[2] non poteſt eſſe ea natura, vnde naſcatur Filius. Idem in ſexto.[3] Natiuitas proprietas eſt, veritas eſt. Idem in ſeptimo dicit, quòd naturæ natiuitas ſit intelligenda eſſe in natura Dei. Suprà enim dixit, quòd proprium Patris eſt quòd ſemper Pater eſt, & proprium Filij eſt, quòd ſemper Filius eſt: ſignificans, quòd proprietas Patris eſt Pater, & proprietas Filij eſt Filius. His, aliíſque pluribus autoritatibus apertè ſignificari videtur, quod proprietas Fily Filius ſit, ſic & Deus: ita & proprietas Patris & proprietas Spiritus ſancti. A

In medio libri.

CAP. IIII.

Quidam negant ſcilicet proprietates eſſe perſonas & diuinam naturam, & quare.

HOC autem aliqui negant, dicentes quidem proprietates in perſonis eſſe, ſed non eſſe perſonas ipſas: quia ita dicunt eſſe in perſonis, vel eſſentia diuina, vt non ſint interiùs, ſicut ea ſunt quæ ſecundum ſubſtantiam dicuntur de Deo, vt bonitas, iuſtitia, ſed extrinſecus affixæ ſunt: atque ita eſſe rationibus probare contendunt. Si enim, inquiunt, proprietates ſunt perſonæ, non eis perſonæ determinantur. Contra quod dicimus, quia etiam ſeipſis perſonæ differunt, ſicut ſuprà Hieron. loquens de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto dicit: Subſtantia vnum ſunt, ſed [1] perſonis ac nominibus diſtinguuntur. Sed iterum addunt, Si proprietates ipſæ diuina eſſentia ſunt, cùm eſſentia non differant tres perſonæ, nec proprietatibus differunt. Quomodo enim differt Pater à Filio, eo quòd diuina eſſentia eſt, cùm in eſſentia vnum ſunt? B

Diſt.25.ſigno M.

CAP. V.

Reſponſio ad præmiſſa autoritate nitens.

HORVM doctrinis nouis & humanis commentis verbo Hilarij reſpondeo. Immenſum eſt quod exigitur & [1] incomprehenſibile: extra ſignificantiam eſt ſermonis, extra ſenſus intentionem: non enuntiatur, non attingitur, non tenetur: verborum ſignificantiam rei ipſius natura conſumit: ſenſus contemplationem imperſpicabile[2] lumen obcæcat, intelligentiæ capacitatẽ, quod fine nullo continetur, excedit. [3] Mihi ergo in ſenſu labes eſt, in intelligentia ſtupor eſt: in ſermone verò non iã infirmitatem, ſed ſilentium confitebor: periculoſum nimis eſt de rebus tantis ac tam reconditis aliquid vltra præſcriptum cœleſte proferre, vt vltra præfinitionem Dei ſermo de Deo ſit. Forma fidei certa eſt. Non ergo aliquid addendum eſt, ſed modus conſtituendus audaciæ, quicquid vltrà quæritur, non intelligitur. C

Lib.2.de Tr. ſtatim poſt principiũ lib.

Eccleſ.43.

CAP. VI.

Quomodo improbi hæretici inſiſtant alia addentes.

CÆTERVM hæreticorum improbitas inſtinctu diabolicæ fraudulentiæ excitata, nondum quieſcit: ſed in tanta rerum quæſtione addit, Si paternitas & filiatio in Deo ſiue in diuina eſſentia ſunt, eadem ergo res ſibi Pater & Filius. Nam in quo paternitas eſt, Pater eſt: & in quo filiatio eſt, Filius eſt. Si ergo vna eadémque res habet in ſe paternitatem & filiationem, ipſa generat & generatur: quod dicentes in Sabellianam hæreſim pertrahuntur, extendentes Patrem in Filium, cùm ipſum ſibi Filium proponant & Patrem. Si verò negauerint in vna Dei eſſentia paternitatem eſſe & filiationem, quomodo ergo dicunt eſſe Deum? His atque alijs argumentorum aculeis vtuntur in ſuæ opinionis aſſertionem, vt veritatis formam diſſecent.

CAP.

A

CAP. VII.

Reſponſio contra hanc eorum oppoſitionem, vbi traditur proprietates non penitus ita eſſe in Dei eſſentia, ſicut in hypoſtaſibus dicuntur.

QVORVM audaciæ reſiſtentes atque ignorantiæ prouidentes, audebimus aliquid ſuper hoc loqui. Libro de Orthodoxa fide 3. c. 6. ſupra Diſt. 27. ſigno D. *Paternitas & filiatio non ita eſſe omnino in diuina ſubſtantia dicuntur, ſicut in ipſis hypoſtaſibus: in quibus ita ſunt, quòd eas determinant, vt ait Ioan. Damaſ. Characteriſtica idiomata ſunt, id eſt, determinatiuæ proprietates hypoſtaſeos, & non naturæ: etenim hypoſtaſim determinant & non naturam. Ideóque licet paternitas & filiatio ſint in diuina eſſentia, cùm eam non determinẽt, non ideo poteſt dici, quòd diuina eſſentia & generet & generetur: vel quòd eadem res ſit ſibi Pater & Filius. Ita enim proprietas determinat perſonam, vt hac proprietate hypoſtaſis ſit generans, & illa alia hypoſtaſis ſit genita: & ita non idem generat & generatur, ſed alter alterum.*

B

CAP. VIII.

Quæritur quomodo proprietates poſſunt eſſe in natura, vt tamen eam non determinent.

SED fortè quæres, cùm hæ proprietates non poſſunt eſſe in perſonis quin eas determinent, quomodo in diuina eſſentia eſſe poſſint, ita vt non eam determinent? Reſpondeo tibi & hic cum Hilario. Ego neſcio, non requiro, Li. de Tri. 2. nõ lõge à princip. *ſed conſolabor me tamen: Archangeli neſciunt, Angeli non audierunt, ſecula non tenent Propheta non ſenſit, Apoſtolus non interrogauit, Filius ipſe non edidit. Ceſſet ergo dolor querelarum: non putet homo ſua intelligentia generationis Sacramentum poſſe conſequi.* [1] *Abſolutè tamen intelligendus eſt Pater, & Filius & Spiritus ſanctus. Stat in hoc fine intelligentia verborum.* [2] *Eſt Filius à Patre, qui eſt vnigenitus ab ingenito,* C *progenies à parente,* [3] *vnus ab vno: non natura Deitatis alia & alia, quia ambo vnum Hoc credendo incipe,* In originali vitius à viuo. *percurre, perſiſte: etſi non peruenturum ſciam, tamen gratulabor profecturum. Qui enim piè infinita proſequitur, etſi non contingat aliquando, tamen proficiet prodeundo.* Ioan. 10. f [4] *Sed ne te inſeras in illud ſecretum & arcanum inopinabilis natiuitatis, ne te immergas, ſummam intelligentiæ comprehendere præſumens: ſed intellige* Prou. 25. d *incomprehenſibilia eſſe. His, aliiſque multis euidenter oſtenditur nobis nullatenus licere maieſtatem perſcrutari, ius ponere poteſtati, modum circunſcribere infinito.*

CAP. IX.

Quibus autoritatibus opinionem ſuam, ſcilicet quòd proprietas Patris vel Filij non ſit Deus, muniant.

Veruntamen nondum deſiſtunt impatientiæ Spiritu agitati, ſed opinionem ſuam etiam Sanctorum autoritatibus munire conantur: quibus oſtendere volunt proprietatem qua Pater eſt Pater, & proprietatem qua Filius eſt Filius, non eſſe Deum. Pſal. 68. ſermo 1. *Ad hoc inducentes verba Aug. ſuper illum locum Pſal. Et non eſt ſubſtantia, ita dicentis, Deus enim quadam ſubſtantia eſt. Vnde etiam in fide Catholica ſic ædificamur, vt dicamus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum vnius eſſe ſubſtantiæ.* A *Quid eſt vnius ſubſtantiæ? Quicquid eſt Pater quod Deus eſt, hoc eſt Filius, hoc eſt Spiritus ſanctus. Cùm autem Pater eſt, non illud eſt quod vel quo eſt. Pater enim non ad ſe, ſed ad Filium dicitur: ad ſe autem Deus dicitur. Eo igitur quod vel quo Deus eſt, ſubſtantia eſt. Et quia eiuſdem ſubſtantiæ eſt Filius, proculdubiò Filius eſt Deus. At verò quòd Pater eſt, quia non ſubſtantiæ eſt: ſed refertur ad Filium, non ſic dicimus Filium Patrem eſſe, ſicut dicimus Filium Deũ eſſe. Ex his verbis ſignificari dicunt, quòd proprietas Patris, vel proprietas Filij non ſit Deus vel eſſentia diuina. Cùm enim dicit, eo, quòd Deus eſt, ſubſtantia eſt: ſed quòd Pater eſt, ſubſtantia non eſt: apertè inquiũt oſtendi id eſſe ſubſtantiam, quo Deus eſt: id verò quo Pater eſt, non eſſe ſubſtantiam. Item cùm ait, Pater non illud eſt quod eſt, oſtendit eum non eſſe Patrem, eo quòd ſubſtantia eſt. Non enim ſimpliciter dixit Pater non eſt illud quod eſt: ſed ait, cùm Pater eſt, non eſt illud quod eſt, ſignificans quo Pater eſt non eſſe illud quo eſt, id eſt, eſſentiam.* B *Hæc illi ita exponentes, ſua commenta ſimplicibus & incautis vera videri faciunt. Nos autem aliter fore iſta intelligenda dicimus. Dicens enim, eo quod Deus eſt, ſubſtantia eſt: ſed quod Pater eſt, ſubſtantia non eſt. Hoc intelligi voluit, quia eſſentia Deus eſt, & Deitate ſubſtantia eſt. Eo enim ſubſtantia eſt, quo Deus eſt: & è conuerſo, cuius ea eſt Deitas quæ eſt ſubſtantia, & ſubſtantia quæ Deitas: ſed quod Pater eo non eſt ſubſtantia, id eſt, non quo Pater eſt, eo ſubſtantia eſt, quia proprietate generationis Pater eſt, quæ ſubſtantia non eſt. Ipſam tamen proprietatem ſubſtantiam eſſe non negauit. Ita etiam illud intelligendum eſt quod ait, Cùm Pater eſt, non illud eſt quod eſt, id eſt, non illo Pater eſt, quod vel quo ipſe eſt, eſſentia, ſed notione.*

CAP. X.

Aliis etiam verbis Auguſtini vtuntur vt aſſerant quod dicunt, ſcilicet proprietates perſonarum non eſſe Dei ſubſtantiam.

C

ITEM illis verbis Auguſtini vehementer inſiſtunt ſuperiùs poſitis, Diſt. 27. ſigno E. *ſcilicet quòd verbum ſecundum quod ſapientia eſt & eſſentia, hoc eſt quod Pater: ſecundum quòd verbum, non hoc eſt quod Pater. Si, inquiũt, verbum non eſt hoc quod Pater, ſecundum hoc quod eſt verbum: id ergo quo verbum eſt, non eſt illud quod Pater eſt. Proprietas ergo, quæ verbum eſt, non eſt quod Pater eſt: non eſt igitur diuina eſſentia. Ad quod dicimus, quia licèt ſecundum quòd Verbum, non ſit hoc quod Pater eſt, ea tamen proprietas qua Verbum eſt, eſt id, quod Pater eſt, id eſt, diuina eſſentia, ſed non eſt hypoſtaſis Patris.*

AD DISTINCTIONEM XXXIII.

AD CAP. I.

1 *Suprà autoritate Hieronymi.* Citatur hic locus Hieronymi ab iſto ſupra Diſtinctione 25. capite duodecimo, vel, vt illi vocant, in ſigno M. qui nihil ad rhombum facit, quemadmodũ illic annotauimus: & ipſamet Hieronymi verba oſtẽdunt. Imò contrarium prorſus euincunt, pro-

A prietatibus nimirum diſtingui perſonas:non autem eſſe proprietates ipſas perſonas diuinas. Quod enim addit Hieronymus ibidem, *Non tantummodò nomina,ſed nominum proprietates, id eſt,perſonas confitemur*, oſtendit ſe à Noetij, vel Sabellij errore abeſſe, qui nomina ſeu vocabula illa proprietates deſignantia dicebat eſſe diuerſas duntaxat eiuſdem rei,& ὑφισταμένου notiones, qualitates,& reſpectus: non autem diuerſa ἐνυπόστατα, vel ὑποστάσεις. Quod delirium à ſe damnari teſtatur Hieronymus.

AD CAP. III.

1 *Habet ergo hic natiuitas.* Si vſquam alibi,certè hîc ſuam ignorantiam, & audaciam prodit Lombardus:audaciam, qui ſic pulcherrimum Hilarij locum à ſuo germanóque ſenſu detorqueat: B ignorantiam,qui quæ facillima ſunt, non potuerit aſſequi. Eſt autem vt ex verbis ipſis apparet, & præſertim ex voce, *Ergo* (pro qua tamen Hilarius habet *Igitur*) locus hic apud Hilarium concluſio. Quæ enim fusè ſuperiùs tradiderat, compendio orationis comprimit,ac colligit. Diſputabat autem tum aduerſus Sabellianos, tum etiam Arianos,quorum illi perſonam Patris cum Filio confundunt:hi Filio deitatem,quâ ſæpe ſe Patre minorem conſtituit, adimunt. Aduerſus vtroſque argumentatur Hilarius ex propria natiuitatis lege,definitione, ac vi, cùm Sabelliani quidẽ, Filij vocem admitterent, natiuitatem autem æternam ex Patre nullam eſſe concederent,ſed tantùm Filium dici,quòd ex Maria natus eſſet ea perſona,quæ Pater eſt:Ariani verò natiuitatem Filij ex Patre non negarẽt, ſed Filiũ propterea ὁμοούσιον Patri eſſe nollent. Sic igitur agit Hilarius. Hunc autem locum raptim duntaxat deſcribam,ne ſim vlli iſta legenti moleſtus. *Non confunditur itaque* C *aut aboletur natura*(id eſt,perſona)*ne ſit Filius: nec tamen rurſum adimitur natura* (eſſentia)*ne Deus ſit. Nec diſcernuntur diuerſitate, ne vnum ſint: neque quòd vnum ſunt, id poteſt præſtare, ne vterque ſit. Et primùm Filium cognoſce,cùm dicitur,* NON POTEST FILIVS A SE FACERE,&c. *Habes natiuitatem Filij,qua ab ſe nihil poteſt facere,niſi videat. Ab ſe enim non poteſt poſſe natiuitas. Quod autem* VIDET, *conſcientia in ſe natura ſignificatur agnitio: & in eo nunc veram* Dei *cognoſce naturam. Quæcunque enim ille facit,eadem & Filius facit ſimiliter. Per natura virtutem,natura indiſſimilis intellige vnitatem.* Poſtea addit idem Hilarius. *Concluſa ſunt omnia aduerſus hæretici furoris ingenia: Filius eſt, quia à ſe nihil poteſt: Deus eſt, quia quæcunque Pater facit, & ipſe eadem facit: Vnum ſunt,quia ex æquatur in honore, & eadem facit,non alia: Non eſt Pater ipſe,quia miſſus eſt. Habet igitur hoc ſacramenti ſola natiuitas, vt complectatur in ſe & nomen,& naturam,& poteſtatem, & profeſſionem; quia vniuerſa natiuitas non poteſt non in ea eſſe natura,vnde naſcitur.* Hactenus ille. Quæ quid hic ad rhombum Lombardi? Non eſt igitur natiuitas ipſa eſſentia diuina, etſi quod natum eſt, Deus eſt: ſed eſt natiuitas modus ipſe, per quem Filio à Patre tota ſua deitas communicata eſt & effuſa. Eſtque hæc natiuitas ſolius Filij propria: non etiam Patris, cui tamen eadem ineſt eſſentia diuina,atque ipſi Filio. Sic miſerè & detortus, & corruptus eſt à Lombardo Hilarij locus.

2 *Non poteſt eſſe.* Reſtitue ex Hilario ipſo *Non poteſt non eſſe*:aliàs enim ſibi ipſe contradiceret Lombardus,ſi negaret natiuitatem,id eſt,Filium eſſe poſſe,eandem naturam cum eo, ex quo naſcitur. Deinde apertè ipſi Hilario repugnaret, qui ait natum Filium, & Patrem, vnde naſcitur, eſſe neceſſariò eiuſdem naturæ. Sed tamen neque in vulgaribus & recentioribus editionibus: neque in vetuſtis codicibus ab iſtius autoris interpretibus medicæ manus tanto, & tam periculoſo vulneri allatæ ſunt, vt mihi ab illis vel hanc gratiam habendam putem,vtcunque infeſtiſſimi futuri ſint,quod multa ex iſto autore menda ſuſtulerim. Sed iam inexpiabilis culpa eſt, quòd malè pro eo quod dixerat Hilarius *In ea eſt natura*, iſte vt locum hunc ad ſuum propoſitum detorqueret, & tamen falſò, ſcripſit ſubſtituítque *ea eſt natura.* Aliud autem eſt dicere, *in ea eſt natura*, B aliud,*ea eſt natura*, quemadmodum æqui omnes iſtius diſceptationis iudices vident. Sed ſic ſolet iſte ſua falſa falſis ſuppoſititiiſque teſtimoniis probare. Itaque in tertio dicto poſtea agnoſcit ipſe germanam lectionem Hilarij, quam vitiauerat tamen.

3 *Natiuitas proprietas eſt.* Peſſimè quoque atque falciſſimè citatus,mutilatúſque à Lombardo Hilarij locus,qui ne γρῦ quidem de eo habet, vtrũ proprietas Filij ſit eſſentia diuina, de quo tamen tota iam eſt Lombardi diſputatio. Primùm autem iſte miſcet diuerſiſſimas ſententias, & ſeparatis locis ſcriptas: Verba enim hæc *veritas eſt*, præcedunt, iſta ſequuntur, *Proprietas, & natura.* Scopus hic eſt Hilario propoſitus, vt doceat ex eo, quòd Chriſtus propriè dicitur Filius, eum quoque ex Patre Deo propriè natum eſſe, & diſſimiliratione à cæteris, qui Filij Dei vocantur. Hi enim per adoptionem Filij ſunt:Ille per naturam. Vnde concludit Hilarius, *Habes igitur pro-* C *prietatem cognitionis de proprietate generationis: & quod ab eo* (Patre) *eſt non creatura in eo virtutem* (id eſt conditionem) *(Nam omnia à Deo per virtutem creationis exiſtunt) ſed natiuitatis veritatem habes.* Dixerat enim ſuperiùs Hilarius, *Nõ eſt per Deum Patrem Filij nomen in Chriſto ex adoptione bonitatis neque ſanctitate meruit hoc nomen, ſicut plures poſt confeſſionem fidei*, Dei *Filij ſunt. Proprietatis enim in his ſignificatio nulla eſt,nomine tantùm indulta dignatio eſt.* Quod vt idem Hilarius confirmet,citat Patris ipſius de Chriſto verba, *Hic eſt,hic meus eſt, hunc audite* Matt.3.& 17. In his verbis ait Hilarius *Veritas eſt,natura eſt,fides eſt*, vt intelligamus Chriſtum dici propriè Filium Dei, & verè naturalitérque ex Patre Deo natum eſſe. Sed quid hoc ad quæſtionem Lombardi, & ſententiam probandam, *Natiuitatem eſſe ipſam diuinam eſſentiam?* Illud tamen obiter ex hoc loco Hilarij annotauerim, vocabulum *Mereri* apud priſcos & orthodoxos Patres ſignificare indultam à Deo dignationem habere, & conſequi per gratiam, quod mereri dicimur.

AD CAP. IIII.

1 *Perſonis ac nominibus diſtinguuntur.* Si nominibus iſtis, quæ proprietates ſignificant, Filius

A à Patre diſtinguitur, ergo proprietates non ſunt eſſentia diuina. Nam eſſentia Filius & Pater ſunt vnum: nec inter ſe diſtinguuntur. Quamobrem ab ipſo Hieronymo Lombardus oppugnatur, quem elegit tamen aduocatum.

AD CAP. V.

1 *Incomprehenſibile.* Locus eſt ſumptus ex ſecundo libro Hilarij de Trinitate. Detraxit autem magna audacia quædam hîc Lombardus: quędam commutauit: quædam etiam addidit. Detraxit, quia habet Hilarius, *Incomprehenſibile eſt, quod audetur, vt vltra præfinitionem Dei ſermo de Deo ſit.* Itē poſtea detraxit vocem *Excedit.*

2 *Imperſpicabile lumen.* Hic ſenſum commutat Lombardus ex diſpunctione perperam adhibita. Sic igitur Hilarius, *Verborum ſignificantiam rei ipſius natura conſumit, ſenſus contemplationem im-* B *perſpicabile lumen obcæcat: intelligentiæ capacitatem, quidquid ſine nullo extenditur, excedit.*

3 *Mihi verò.* Addit iſta Lombardus vſque ad verba, *Vt vltra præfinitionem Dei,* &c. Sic quàm crudeliter mutilatus ſit hic locus apparet. Dionyſius libro primo de Diuinis Nominibus, & capite ſecūdo de Cœleſti Hierarch. hunc Hilarij locum eſt imitatus. Fuit enim Dionyſius ætate poſterior Hilario, & Damaſcenus quæſtione libro primo de Orthodoxa fide cap. 1.

AD CAP. VIII.

1 *Abſolutè tamen.* Totus hic Hilarij locus ab iſto velut σοφὸν tantùm φάρμακον, & κρησφυγετὸν affertur, cùm neque in pari argumento verſetur Hilarius: neque obiectionem aduerſus ſuam illam ſententiam, *Proprietates ſunt eſſentia diuina,* iſte diluere poſſit, quoniam iſta obiectio vera eſt, ſententia verò Lombardi falſa prorſus. Sed & hic locus variè ab eodem iſto vulneratus eſt, quibuſdam additis, aliis detractis, aliis & in verbis, & in ſerie C ipſa trāſpoſitis, aut commutatis: ſed ne calumniari videamur, hæc ſingulatim annotabimus. Primùm igitur hoc totum eſt ad Hilarium additum, *Abſolutè autem intelligendus eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.* In quo vel falſò, vel barbariſſimè iſte loquitur, qui dicat Patrem abſolutè intelligendum & Filium, &c. cum contra ſit ἐκ τῶν πρός τι, & infrà cap. 9. ex Auguſt. ipſe afferat, *Pater non ad ſe, ſed ad Filium dicitur.* Ergo Pater & Filius non abſolutè, ſed ex relatione intelliguuntur ac dicūtur. Saltem igitur barbarè iſte, & periculoſè *Intelligere* pro *Credere* hic poſuit.

2 *Eſt Filius à Patre.* Commutatum hoc eſt. Sic enim habet Hilarius, *Eſt Filius ab eo, qui Pater eſt: vnigenitus ab vnigenito,* &c. Ex quo ipſo ſatis iſtius ſuperior ſententia refutatur, vbi dixit Patrē vel Filium abſolutè intelligendum.

3 *Vnum ab vno,* Hilarius habet, *Viuus à viuo. Vt enim Pater vitam in ſemetipſo, ita &* Filio *data eſt vita in ſemetipſo.* Etſi enim habet Hilarius poſt hæc verba, *Vnus ab vno,* tamen & multis interiectis habet, & ad aliam quæſtionem. Sic enim Hilarius multis inſertis, *Alius ab alio: quia Pater & Filius, non natura diuinitatis alia & alia, quia ambo vnum:* Deus *à Deo: ab vno ingenito Deo vnus vnigenitus Deus. Non dij duo: ſed vnus ab vno,* &c. Ex quo ipſo apparet hic multum perturbatam fuiſſe collocationis ſeriem, vti in his verbis, *Incipe, percurre,* &c. *Qui enim piè,* &c. Et iſta ſuperiora apud Hilarium præcedunt, hic autem ſequuntur, & hæc ſententia. A

4 *Sed ne te inſeras.* Eſt oratio commutata. Habet enim Hilarius, ſed per ironiam, *Et inſere te in hoc ſecretum,* &c. atque etiam præcedunt apud Hilarium iſta verba, *Incipe, percurre,* etſi tamen hic ſequuntur. Multa etiam hic detraxit idem Lombardus.

Cenſura.

Penè ſunt infinita, quæ hic quoque deſidero, aut potius quæ in hac Diſtinctione annotanda ſunt vitia: ſed nos è multis captim pauca ſelegimus, ne nimium defatigaremus lectorem. B

Primùm igitur tres continuæ Diſtinctiones iſtæ, nimirum 32. 33. & quæ ſequitur 34. ſunt inextricabilitatum, vel inextricabilium quæſtionum (vt iſte & vocat, & fatetur cap. 5. & 8.) tractatus inutiliſſimi, ac (velut animorū potius cruces, quā conſcientiarum pabulum) omnino prætermittēdi. Quid enim de Deo inutiliter dici debet, & quod non ad ædificationē Eccleſiæ pertineat? Verùm quæ iſte proponit, nec explicari, nec intelligi poſſe ipſemet confitetur. Τῆς δὲ ψυχῆς νόσημά ἐστι, ait Baſilius, τὸ κακῶς καὶ περιέργως ζητεῖν περὶ Θεοῦ.

Cur igitur hæc Lombardus affert, quæ ſcit neque à ſe exponi, neque ab aliis intelligi poſſe? Hęc igitur eſt παραδιατριβὴ, quam Paulus condemnat 1. Tim. 6. ver. 5. Itaque hic meritò locum habet illud. Hieronymi *quæ eum ratio compellebat inde inter populos diſputare, vnde nemo quærebat.*

Secundum, quæ hic tractat Lombardus, tędioſa ac moleſta tantùm repetitio eſt eorum, quę ſuperioribus Diſt. 8. 25. 26. & 27. millies ferè iam dicta ſunt, quemadmodum tum ex ipſa collatione Diſtinctionum intelligi poteſt: tum etiā ex iſtius Diſt. cap. 1. & 2. & ex marginalibus annotationibus colligi. i. κράμβη δὲ δὶς παρατεθειμένη, θάνατος. C

Tertiū, pernitioſum omnino eſt ei, qui tradit dogmata fidei Chriſtianę, præſertímque κυρίας δόξας (quales hic iſtas ſuas ſententias videri vult) in hoc argumento Academico more ſic agere, & in vtramque partem diſputare quemadmodum Antonius Sadeel in præfatione loci communis de *Verbo Dei* nuper oſtēdit. Fit enim hac ratione, vt lector fidei ſuæ prorſus incertus maneat, neque in negotio religionis Chriſtianę, quicquā cenſeatur magis firmum eſſe, aut ratum, quàm in Academicis Ciceronis, aut Platonis, aut Sexti philoſophi Sceptici. Itaque hanc Academicam rationē tribus libris refutauit Auguſtinus.

Quartum, obſcuras, aut potius barbaras ac ineptas phraſes hæc Diſtinct. plures, quàm ſuperiores Diſtinct. omnes continet, qualis eſt hęc ca. 1. *Interiùs conſiderati* item cap. 6. *Cùm ipſum ſibi Filiū proponant & Patrem:* item cap. 8. *Abſolutè intelligendus eſt Pater,* & aliæ, alibi quas ne Delius quidem natator aut vates intellexerit.

Quintum huius Diſtinc. vitium eſt, quòd contraria ſuæ ſententiæ argumenta, eáque robuſtiſſima, non ſoluit: ac ne ſoluere quidem tentat: ſed

A eludit duntaxat,contentus tenebras offundere lectoribus ex malè intellecto Hilarij loco,& ex incomprehenſibili Dei maieſtate, quam nobis hîc fruſtrà obiicit in re facili,& peruia. Itaque cũ obiectiones 4.5.6.ſint veriſſimæ, Lombardique ſententiam prorſus ac manifeſtè oppugnent, ille tamen in iis tantùm ſubterfugia quæſiuit.

Sextum denique vitium eſt,quòd falſum in hac Diſt.continetur, atque illud quidem multiplex.

Primùm enim, falſum eſt omnino, quod iſte tuetur tamen,nempe *Proprietates perſonarum eſſe ipſam eſſentiam diuinam*.cap.1.

Secundum, falſum quoque & illud eſt æquè *Proprietates perſonarum eſſe idem atque ipſas perſonas diuinas* cap.2.& tota hac Diſtinctione.

Tertium falſum eſt, quòd ait idem capit. 10. in fine, *Ea tamen proprietas, qua verbum eſt, eſt id, quod Pater eſt.* Denique in errorem iſtius ſentẽtia B multos poſtea adduxit,cũ facilè tamen quę tractãtur hoc loco, omnia breui explicatione huius Quæſt.(quã in ſtudioſorũ gratiã ſubiecimus) intelligi poſſint.Cõparare voluerunt Theologi *Eſſentiã,perſonas,& earũ proprietates* inter ſe. Itaque quæſierũt, vtrũ illa tria inter ſe eſſent idem. Hæc quæſt.varios vſus habet,tũ aduerſus Sabellianos, tũ etiã aduerſus Eunomianos. Atque illo etiã ſeculo,quo hæc ſcribebat Lõbardus aduerſus Gilbertũ Porretanũ,(de quo Bernardus Clareuallẽſis ſermo 80.)cuius tunc recẽs erat hęreſis.Ille enim attributa deitatis ab ipſa deitate ſeparabat, velut accidens à ſubiecto: alij autẽ proprietates, per quas perſonæ diuinæ diſtinguuntur,& conſtituũtur,ſeparabant ab ipſis eſſentia, velut aliquid reale adderet proprietas iſta ad eſſentiam perſonæ,quę eſt eſſentia diuina,atque ita perſona quęque diuina ex iſtorũ ſentẽtia duobus cõſtabat realibus,eſſentia nimirũ & proprietate,vti Socrates C cõſtat naturâ humana,& qualitate aduentitia,aut extrinſeca ad eſſentiã ſeu naturam humanã illius indiuidui conſtituendã.Hæc autẽ vtraque ſententia falſa eſt.Etſi enim verè dixit Aug.7.Trin. *Omnis res, quæ relatiuè dicitur, eſt etiã aliquid excepto relato:* tamen propterea effici non poteſt,proprietatẽ,qua efficitur diuina perſona, eſſe aliquid reale,quod ſecundum & alterũ rerum genus, præter ipſam eſſentiam,addat,& ipſi eſſentiæ ad σύνθεσιν, καὶ συμπῆξιν perſonæ accedat, vt duo realia fiant vna perſona diuina. Etſi enim reipſa, & non tantùm notione animi diſtinguũtur inter ſe perſonæ diuinæ, alia ab alia: tamen proprietas diſtinguens eas non eſt quippiã reale additũ ſiue extrinſecus ſiue intrinſecus ad eſſentiã ipſam:nõ eſt accidẽs,non eſt aduẽtitium quiddam,non extra ipſam eſſentiam ſubſiſtentia quędã aut realitas,ſed (vt ait rectè poſt Baſilium Damaſcenus)eſt τρόπος ὑπάρξεως, declarans quomodo diuerſa ratione & modo vna & eadem numero eſſentia diuina ſit in ſingulis illis perſonis.Hæc igitur vera ſunt, tamẽ propterea non ſequitur idem eſſe eſſentiam,ac ipſum modum, per quẽ eſſentia perſonæ diuinæ ineſt.Eſt enim proprietas fundamentum perſonæ conſtituendæ,quę licet eam conſtituat, eſt & diffinitione,& intellectu alia,quàm eſſentia.Itaque ait Durandus *Non eſt adæquatè, & conuertibiliter idem proprietas,& Eſſentia*:Occan ait.Non eſt omnino idem:Thomas in 1.parte quæſtionis 28. ſecundum intelligentię rationem non eſt idem: etſi non aliud reale,vti diximus. Hæc totam Lõbardi perplexitatem explicant. Confer hanc Diſtin.cum cap.6.noſtrę Synopſεως.

DISTINCTIO XXXIIII.

Opinio quorundam non idem eſſe perſonam & eſſentiam vel naturam dicentium, & eandem eſſentiam non poſſe eſſe Patrem, & Filium,& Spiritum ſanctum.

CAP. I.

PRædictis autem adyciendum eſt, quòd quidam peruerſi ſenſus homines in tantam proſilierunt inſaniam, vt dicerent nõ idem eſſe naturam Dei & perſonam ſiue hypoſtaſim: dicentes eandem eſſentiam non poſſe eſſe Patrem,& Filium, ſine perſonarum confuſione. Si enim,inquiunt, ea eſſentia, quæ Pater eſt,eſt Filius, idem ſibi Pater eſt & Filius. Si hanc rem dicis eſſe Patrem,aliam quære quam dicas eſſe Filiũ. Si verò aliam non quæſieris,ſed eandem dixeris,idem genuit & B *genitus eſt. Propter hæc & huiuſmodi inter naturam & perſonam diuidunt, ita vt non recipiant vnam deitatis naturam & ſimplicem eſſe tres perſonas. Idque teſtimonio Hilarij defendere nituntur: qui in vij.lib. de Trin. quærens,vtrùm Apoſtolus Spiritum Dei nominans,& Spiritum Chriſti,idem ſignificauerit vtroque verbo,inquit ita, Gentium prædicator volens naturæ vnitatem in Patre & Filio docere ait,Spiritus Dei in vobis eſt,ſi quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Si autem Spiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum, & cætera. Spirituales omnes ſumus, ſi in nobis eſt dei Spiritus: ſed & hic Spiritus Dei eſt & Spiritus Chriſti. Et cùm Chriſti Spiritus in nobis eſt, eius Spiritus in nobis eſt qui ſuſcitauit Chriſtum. Et cùm eius qui ſuſcitauit Chriſtum in nobis eſt Spiritus, & Spiritus in nobis eſt* C *Chriſti,nec tamen non Dei eſt Spiritus,qui in nobis eſt. Diſcerne ergo ô hæretice, Spiritum Chriſti à Spiritu Dei: & excitati à mortuis Spiritum Chriſti à Spiritu Dei Chriſtum à mortuis excitantis: Cùm qui habitat in nobis Spiritus Chriſti, Spiritus Dei ſit: & Spiritus Chriſti à mortuis excitati Spiritus Dei tãtùm ſit Chriſtum a mortuis excitantis. Et quæro nunc, in Spiritu Dei vtrùm naturam, an rem naturæ ſignificatam exiſtimes. Non eſt enim idẽ natura quod res naturæ: ſicut non idem eſt homo & quòd hominis eſt, nec idem eſt ignis & quod ipſius ignis eſt: & ſecundum hoc non eſt idẽ Deus, & quod Dei eſt. Huius dicti occaſione præfati hæretici dogmatizauerunt non idem eſſe perſonam & naturã Dei,aſſerentes naturã Dei non eſſe tres perſonas, intelligentes in his præmiſſis verbis Hilarij per rem naturæ perſonã,& nomine naturæ diuinam naturam. Et ideo dicunt Hilarium interrogaſſe hæreticum, vtrùm per Spiritũ Dei putaret ſignificatam eſſe naturam,an rem naturæ: vt ſic oſtenderet diſtinguendũ eſſe inter naturam,& rem naturæ,id eſt,perſonam.*

De cõparatione perſonæ ſiue rei naturæ ad naturam, vel de cõparatione perſonarũ ad eſſentiam.

Ante medium.

Rom.8.b

Queſtio Hilarij vtrũ in Spiritu Dei natura, vel res naturæ ſignificata ſit. Ibidem.

Quod nõ eſt idẽ natura quod res naturę

Oſtendit quẽ ſenſũ trahãt ex illis verbis.

CAP. II.

Hîc docet quomodo eis obuiat ipſius Scripturæ circunſtantia, & qualiter prędicta intelligi debeant: & quòd Spiritus ſanctus eſt res vnius naturę Patris & Filij,& eſt ipſa natura.

HOC quidem dicunt,non intelligẽtes pia diligentia

Paulò inferius.

A *tiâ Scripturæ circunſtantiam: qua conſiderata percipi poteſt quomodo præmiſſa dixerit Hilarius. Subſequenter enim in eadem ſerie oſtendit in Spiritu Dei aliquando ſignificari, Patrem: vt cùm dicitur, Spiritus*[1] Eſa.61 a *Domini ſuper me. Aliquando ſignificari Filium:* Mat. 12. c *vt cùm dicitur, In Spiritu Dei eiicio dæmonia, naturæ* Iohel.2.g *ſuæ poteſtate ſe dæmones eiicere demonſtrans.* Act.2.a *Aliquando Spiritum Sanctum: vt ibi, Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem. Quod dicit conſummatum fuiſſe, cùm Apoſtoli Spiritu ſancto miſſo omnibus linguis locuti ſunt. Deinde quare hanc Diſtinctionem fecerit, & quod in ſuperioribus per verba Apoſtoli idem Spiritus ſanctus ſignificatus ſit, & quod ipſe ſit res vnius naturæ Patris & Filij, apertè oſtendit inquiens ita, Hæc idcirco ſunt demonſtrata, vt quacunque parte hæretica falſitas ſe contuliſſet,* Epheſ.3. d *finibus veritatis concluderetur. Habitat enim in nobis* 1.Cor.3. c *Chriſtus, quo habitante habitat Deus. & cùm habitat in nobis Spiritus Chriſti, non aliud habitat quàm Spiritus Dei. Quòd ſi per Spiritum ſanctum* B *Chriſtus in nobis intelligitur eſſe, hûc tamen ita Spiritum Dei, vt Spiritum Chriſti, eſſe noſcendum eſt: & cùm per naturam Dei natura ipſa habitat in nobis, indifferens natura Filij creditur eſſe à Patre, cùm Spiritus ſanctus, qui eſt Spiritus Chriſti & Spiritus Dei,* Hilarius Paulo inferius. *res naturæ demonſtretur vnius. Quæro nunc ergo, quomodo non ex natura vnum ſunt? A Patre procedit Spiritus veritatis, à Filio mittitur, & à Filio accipit. Sed omnia quæ habet Pater, Filij ſunt. Idcirco qui ab eo accipit, Dei Spiritus eſt, & idem Spiritus Chriſti eſt. Res naturæ Filij eſt, ſed & eadem res & natura Patris eſt, & Dei excitantis Chriſtũ à mortuis Spiritus eſt: & idem Spiritus, Chriſti eſt à mortuis excitati. In aliquo differt Chriſti & Dei natura, ne eadem ſit, ſi præſtari poteſt vt Spiritus qui Dei eſt, non ſit etiam Chriſti. Eſt ergo in nobis Spiritus Dei, & eſt in nobis Spiritus Chriſti: & cùm Spiritus Chriſti ineſt, ineſt Spiritus Dei. Ita cùm quod Dei eſt, & Chriſti eſt, &, quod Chriſti eſt, Dei eſt: non poteſt* C *quid aliud diuerſum Chriſtus eſſe quàm Deus eſt.* Ioan. 10.f *Deus igitur Chriſtus eſt vnus cum Deo Spiritus, ſecundum illud, Ego & Pater vnum ſumus. In quo docet veritas vnitatem eſſe naturæ, non ſolitudinem vnionis. Ecce ſi hæc verba diligenter attendas, inuenis Sp.S. rem naturæ dici Patris & Filij: & eundem dici eſſe naturam Dei, vbi dicitur per naturam Dei natura ipſa habitat in nobis, ſi per Spiritum ſanctum Chriſtus eſt in nobis. Itaque in Trinitate non ita diſtinguendum eſt inter naturam, & rem naturæ, ſicut in rebus creatis: quia, vt*[3] *ait Hilar. comparatio terrenorum ad Deum nulla eſt: & ſi qua comparationum exempla interdum afferuntur, nemo ea exiſtimet abſolutæ in ſe rationis perfectionem continere. Non enim humano ſenſu de Deo loquendum eſt.*

CAP. III.

Quòd propter res creatas illud dixerit, non idem eſt natura, & res naturæ.

AD naturam ergo rerum creatarum reſpiciens inquit, Non idem eſt natura quod res naturæ, ſubiiciẽs exempla de ipſis creaturis. Inde oſtendens erroris eſſe ſub menſura creaturarum metiri creatorem, addidit, Et ſecundum hæc non idem eſt Deus, & quod Dei eſt: A *ac ſi diceret, Si ad inſtar creaturarũ de creatore ſentis, cogeris fateri quia non idem eſt Deus & quod Dei eſt: quod dicere impium eſt, cùm Spiritus Dei Deus ſit, & Dei Filius ſit Deus.*

CAP. IIII.

Quòd non aliud eſt Deus & quæ ſua ſunt, Ita vt inſint: alia enim ſunt quæ inſunt, alia quæ non inſunt.

NON ergo ſecundum corporales modos (vt in eadem ſubdit ſerie) recipienda ſunt hæc quæ de Deo dicuntur: vbi euacuans opinionem eorum, qui ita putant, aliud Deum eſſe, & aliud quod Dei eſt, aliúdque naturam Dei & rem naturæ, vt eſt in creaturis, B *apertè docet non aliud eſſe Deum, & aliud quod Dei eſt: aliúdque naturam Dei, & quæ ſua ſunt, ita vt inſint illi, ſic dicens,* [1] *Homo aut aliquid ei ſimile cùm alicubi erit, alibi non erit: quia id quod eſt, illic continetur vbi fuerit infirma ad id natura eius vt vbique ſit, qui inſiſtens alicubi ſit. Deus autem immenſæ virtutis, viuens poteſtas, quæ nuſquam non abſit, nec deſit vſquam: ſe omnem per ſua edocet, & ſua non aliud, quàm ſe eſſe ſignificat: vt vbi ſua inſint, ipſe eſſe per ſua intelligatur.* [2] *Non autem corporali modo cùm alicubi ſit, non etiam vbique eſſe credatur, cùm per ſua in omnibus eſſe non deſinat. Non autem aliud ſunt quàm quòd ipſe eſt, quæ ſua ſunt. Et hæc propter naturæ intelligentiam dicta ſunt. His verbis apertè ſignificatur, ſi tamen intelligis hæretice, quia diuina natura non aliud eſt ab his quæ ſua ſunt, ita vt inſint: & per illa in omnibus ſuis eſt, quæ non inſunt. Sua enim ſunt etiam quæ non inſunt, id eſt, omnes creaturæ: &* C *ſua ſunt quæ inſunt, vt tres Perſonæ, quæ ſunt eiuſdem naturæ & eadem natura: ſicut ſupra Auguſtini teſtimonio firmauimus dicentis, tres Perſonas eſſe eiuſdem eſſentiæ, vel eandem eſſentiam, ſed non ex eadem eſſentia: ne aliud intelligatur eſſentia, aliud perſona. Non tamen diffitemur aliquam diſtinctionem habendam fore ſecundum intelligentiæ rationem, cùm dicitur hypoſtaſis, & cùm dicitur eſſentia: quia ibi ſignificatur quod eſt commune tribus, hîc verò non. Eſt tamen hypoſtaſis eſſentia, & è conuerſo. Fateamur ergo vnum atque idem eſſe tres perſonas ſecundum eſſentiam, differentes autem proprietatibus. Vnde Auguſt. ſuper locum prætaxatum Pſalmi ait, Quæris quid ſit Pater? Reſpondetur, Deus. Quæris quid ſit Filius? Reſpondetur, Deus. Quæris quid ſit Pater & Filius? Reſpondetur, Deus. De ſingulis interrogatus, Deum reſponde. De vtroque interrogatus, non deos, ſed Deum reſponde. Non ſic in hominibus. Tanta enim eſt ibi ſubſtantiæ vnitas vt æqualitatem admittat, pluralitatem non admittat. Si ergo tibi dictum fuerit, cùm dicis Filium Dei eſſe quod Pater eſt, profectò Filius Pater eſt. Reſponde, ſecũdum ſubſtantiam tibi dixi hoc eſſe Filium quod Pater eſt, non ſecundum id quod ad aliud dicitur. Ad ſe enim dicitur Deus, ad Patrem dicitur Filius. Rurſúmque Pater ad ſe dicitur Deus, ad Filium* [3] *Deus Pater dicitur: quod dicitur ad Filium Pater, non eſt Filius: quod dicitur Filius ad Patrem, non eſt Pater: quod dicitur Pater ad ſe, & Filius ad ſe, hoc eſt Pater & Filius, id eſt, Deus.*

Diſt.5. lit. L & Diſt. 25. litera F. Quod aliqua eſt in ratione intelligẽtiæ diſtinctio, cùm dicitur hypoſtaſis, & cũ dicitur eſſentia. Tomo 8. in explanatione 68. Pſal. ſuper illo, & non eſt ſubſtantia.

A

CAP. V.

Vtrùm ita poſsit dici vnus Deus trium perſonarum, vel tres perſonæ vnius Dei, vt dicitur vna eſſentia trium perſonarum, & tres perſonæ vnius eſſentię.

Queſtio ex ſuperiore diſputatione naſcẽs.

HIC conſiderandum eſt, cùm Deus ſit diuina eſſentia, & ita dicatur vnus Deus eſſe tres Perſonæ, ſicut vna eſſentia dicitur tres perſonæ: vtrùm ita valeat ſanè dici, vnus Deus trium perſonarum, & tres perſonæ vnius Dei: ſicut dicitur vna eſſentia trium perſonarum, & tres perſonæ vnius eſſentiæ. In his locutionibus [a] Scripturæ vſus nobis æmulandus videtur, vbi frequenter reperitur ita dictum. Vna eſt eſſentia trium perſonarum, & tres ſunt perſonæ vnius eſſentiæ: nuſquam autem occurrit legiſſe, vnum Deum trium perſonarum, vel tres Perſonæ vnius Dei. Quod [b] ideo puto Sanctos doctores vitaſſe, ne ita fortè acciperetur in diuinis perſonis, vt accipitur cum de creaturis ſimile quid dicitur. Dicitur enim Deus Abraham, Iſaac, & Iacob: & Deus omnis creaturæ. Quod vtique dicitur propter principium creationis, vel gratiæ priuilegium, & creaturæ ſubiectionem vel ſeruitutem. Cùm ergo in Trinitate nihil ſit creatum vel ſeruiens vel ſubiectum, non admiſit fides in Trinitate talem locutionis modum. Ita [c] etiam è conuerſo non dicitur de Dei eſſentia, quòd ipſa ſit eſſentia Abraham, Iſaac, & Iacob, vel alicuius creaturæ: ne [d] creatoris & creaturæ naturam confundere videamur.

a Solutio.
b Ratio.
B
c Corollarium.
d Ratio. Exo.3.d

CAP. VI.

Quòd licet potentia, ſapientia, bonitas de Deo ſecundum ſubſtantiam dicantur in Scriptura: tamen ſolent hæc nomina diſtinctè ad perſonas interdum referri.

C

1 Regula de attributis Dei. Diſt.22.litera E. & 23.lite. B. & 27.li.G.

EX prædictis conſtat, [e] quòd ſicut eſſentia, ita potentia, ſapientia, bonitas de Deo dicuntur ſecundum ſubſtantiam. Quæ autem ſecundum ſubſtantiam de Deo dicuntur, tribus perſonis pariter conueniunt. Vna eſt ergo potentia, ſapientia, bonitas Patris & Filij, & Spiritus ſancti: & hi tres eadem potentia, eadem ſapientia, eadem bonitas. Vnde aperitur in Trinitate ſumma eſſe perfectio. Si enim ibi deeſſet potentia, vel ſapientia, vel bonitas, non eſſet ſummum bonum. Sed quia ibi eſt perfecta potentia, infinita ſapientia, incomprehenſibilis bonitas, rectè dicitur & creditur ſummũ bonum. Cúmque vnum & idem penitus ſit in Deo potentia, ſapientia, bonitas: in ſacra [f] tamen Scriptura frequenter ſolent hæc nomina diſtinctè ad perſonas referri, vt Patri potentia, Filio ſapientia, Spiritui ſancto bonitas attribuatur, quòd quare fiat, non eſt otioſum inquirere.

f Secunda regula.

CAP. VII.

Quare id fiat ſcilicet, quòd Patri potentia, Filio ſapientia attribuatur.

Secundæ regulæ ratio, quę hoc & ſequenti capite continetur.

ID ergo ſacri eloquij prudentia facere curauit, ne Dei immenſitatem ſimilitudine creaturæ metiremur. Dixerat enim Scriptura ſacra, quia Deus Pater eſt, & quod Deus Filius eſt: & audiuit hoc homo qui hominem Patrem viderat, Deum Patrẽ non viderat: cogitare cœpit ita eſſe in creatore vt viderat eſſe in creaturis, à quibus hæc nomina tranſlata ſunt ad creatorem: in quibus Pater eſt prior Filio, Filius eſt poſterior Patre: & ex antiquitate in Patre defectus ex poſteritate in Filio imperfectio ſenſus ſolet notari. Ideo occurrit Scriptura dicens Patrem potentem, ne videatur prior Filio, & ideo minus potens: & Filium ſapientem, ne videatur poſterior Patre, & ideò minus ſapiens.

A

CAP. VIII.

Quare Spiritui ſancto bonitas attribuatur.

DICTVS eſt, etiam Spiritus ſanctus Deus, & dictus eſt habere Spiritum Deus, & videbatur hoc quaſi nomen inflationis & tumoris. Vnde humana conſcientia ad Deum pro rigore & crudelitate accedere metuit. Ideóque Scriptura temperauit ſermonem ſuum: Spiritum bonum nominans, ne crudelis putaretur qui mitis erat: non quòd Pater ſolus ſit potens vel magis potens, & Filius ſolus ſapiens vel magis ſapiens, & Spititus ſanctus ſolus bonus vel magis bonus. Vna eſt ergo potentia, ſapientia, bonitas trium, ſicut vna eſſentia. Ideóque ſicut dicitur Filius homouſios, id eſt, conſubſtantialis Patri, ita & coomnipotens.

Pſal.142. & Lu.11.b
B

CAP. IX.

De hoc nomine homouſion, vbi in autoritatem receptum ſit & quid ſignificet.

Tertia regula de Homouſio. Cap.14.

° HIC non eſt prætermittendum quod Auguſtinus in libro tertio contra Maximinũ dicit de hoc nomine homouſion, quo Latini tractatores frequenter vtuntur. Pater, inquit, & Filius vnius ſunt eiuſdémque ſubſtantiæ. Hoc eſt illud homouſion, quod in concilio Niceno aduerſus hæreticos Arianos à Catholicis patribus veritatis autoritate firmatum eſt. Quod poſteà in concilio Ariminenſi, propter nouitatem verbi minus quàm oportuit intellectam (quam tamen fides antiqua pepererat) multis paucorum fraude deceptis, hæretica impietas ſub hæretico [1] imperatore Conſtantino labefactare tentauit. Sed poſt non longum tempus libertate fidei Catholicæ præualente, poſtquàm vis verbi, ſicut debuit, intellecta eſt, homouſion illud Catholicæ fidei ſanitate longè latéque diſtẽſum eſt & diffuſum. Quid enim eſt homouſion, niſi vnius eiuſdémque ſubſtantiæ? Quid eſt, inquam, homouſion, niſi ego & Pater vnum ſmmus? Non ergo inter prophanas vocum nouitates hoc vitandum eſt.

C
Ioan.10.f

CAP. X.

De nominibus quæ tranſlatiuè, & per ſimilitudinem de Deo dicuntur.

4 Regula quædã de Deo tranſlatè dici.

PRAETEREA ſciendum eſt, quod in aſſignatione diſtinctionis nominũ, inter alia, quæ ſuprà diligenter executi ſumus quædã diximus tranſlatiuè & per ſimilitudinẽ de Deo dici: vt ſpeculum, ſplẽdor, character, A *racter, figura, & huiuſmodi: de quibus pio lectori breuiter trado quod ſentio, vt ſcilicet ratione ſimilitudinis conſiderata ex cauſis dicendi, dictorum intelligentiam aſſumat, ſed Catholicam.*

CAP. XI.

Nihil dignum excellentia ineffabilis Trinitatis ſe tradidiſſe dicit, ad alia tranſiturus.

DE Sacramento vnitatis atque Trinitatis ſummæ & ineffabilis multa iam diximus. Nihil tamen eius ineffabilitate dignum tradidiſſe profitemur, ſed potius ex nobis mirificatam eius ſcientiam, nec potuiſſe nos ad illam.

AD DISTINCT. XXXIIII.

AD CAP. I.

B

1 *Spiritus Domini.* Hæc carptim ex Hilario citat Lombardus, in quibus etſi quædam commutat, quoad verborum ſeriem, atque etiam detrahit, nihil tamen de ſenſu ipſius autoris. Itaque non annotamus.

2 *Hæc idcirco.* Quædam hîc ſunt & commutata, & omiſſa non pari momento. Nam in hac prima ſententia, *Finibus veritatis concluderetur*, ita habet Hilarius ipſe, *Finibus tamen atque præſcripto veritatis Euangelicæ concluderetur*, quia ſuprà dixerat ſe *non tantum ex Prophetica, ſed etiam ex Euangelica veritate monſtraturum*, quę vera eſſe contendebat. Itaque vt promiſſum bona fide repræſentaſſe intelligatur, magíſque ſe iſtis probationibus conſtringi ipſimet hæretici ſentiant, addiderat Hilarius, *Euangelicæ veritatis*, quæ verba tamen iſte dictatoria poteſtate omiſit & detruncauit. Deinde poſtea, *quo habitante habitat Deus*, Hilarius, habet, *& habitante Chriſto habitat Deus*. Præterea magna lacuna ab iſto in verbis Hi-
C larij, fit, quæ neceſſariò à nobis replenda eſt. Sic igitur habet Hilarius, *Habitat enim in nobis Chriſtus, & habitante Chriſto habitat Deus: & cùm habitat in nobis Spiritus ſanctus, habitat tunc in nobis Spiritus Chriſti, non alius tamen Spiritus habitat, quàm Spiritus Dei.* Iſte verò primùm ſciens prudénſq; omiſit, *& cùm habitat in nobis Spiritus ſanctus*, deinde verba hæc *non alius tamen* mutat in hæc, *non aliud.* Alius pertinet ad eandem Spiritus perſonam deſignandam, ſiue Chriſti ſiue Dei dicatur Spiritus, quod eſt magni momenti, & à quibuſdam hæreticis eſt negatum, eſſe eundem Spiritum, qui à Patre, & Filio procederet. Aliud, quod ſubſtituit Lombardus, eam hæreſim non iugulat. Eandem enim eſſentiam tantùm eſſe, oſtendit eius Spiritus qui Chriſti, & qui Dei diceretur, non autem eandem perſonam, aut ὑφιστάμενον.

Deinde prætermiſit Lombardus modum illum, per quem habitat in nobis Sp. Chriſti, nempe, quum habitat in nobis ipſe Spiritus ſanctus, id quod addidit Hilarius. Sic igitur totum hunc pulcherrimum Hilarij locum iſte corrupit. Vti infrà mutat tempora, & pro *habitat*, Hilarius ait, *habitet*: pro *demonſtretur*, Hilarius, *demonſtratur.* pro *& quod Chriſti eſt, Dei eſt*, Hilarius, *& cũ quod Chriſti eſt, Dei ſit, &c.* quę ſigillatim perſequi eſſet infinitum. A

2 *Comparatio terrenorum.* Locus Hilarij pulcherrimus ſic habet, *Comparatio enim terrenorum ad Deum nulla eſt: ſed infirmitas noſtræ intelligentiæ coegit ſpecies quaſdam ex inferioribus, tanquam ſuperiorum indices, quærere, vt rerum familiarium conſuetudine admonente, ex ſenſus noſtri conſcientia ad inſoliti ſenſus opinionem edoceremur. Omnis igitur comparatio homini vtilis potius habeatur, quàm Deo apta: quia intelligentiam magis ſignificet, quàm expleat, &c.*

AD CAP. IIII.

1 *Homo aut ſimile.* Multa quoque ſunt hîc à Lombardo commutata, ſed exigui momenti itaque condonentur.

2 *Non autem corporali modo.* Falſa diſpunctio reddit totum hunc locum obſcurum, quæ tamen in omnibus Lombardi codicibus conſtanter retenta eſt, & ab Hilariana tamen diuerſa. Ergo B pro puncto virgulam ſubſtitue ſic, *vt vbi ſua inſint, ipſe eſſe intelligatur: non autem* (id eſt, non tamen) *corporali modo, ne cùm alicubi ſit, non & vbique eſſe credatur.*

3 *Ad Filium Deus Pater dicitur.* Auguſtinus, vnde iſte ſumpſit, habet Pſal. 68. *Ruſúſque Pater ad ſe Deus dicitur, ad Filium Pater dicitur:* iſte addidit *Deus*, vti ex omnibus Lombardi exemplaribus apparet.

AD CAP. IX.

1 *Conſtantino.* Sic habent & veteres & recentiores omnes Lombardi codices, etiam qui cenſentur emendatiſsimi, *Conſtantino*, magno errore, C & cum inſigni in optimos principes Conſtantinos Patrem & Filium iniuria. Ergo reſtituendum eſt *Conſtantio hæretico imperatore.* Conſtantinus enim imperator fuit Orthodoxus, & Nicenæ fidei defenſor accerrimus, vt ex tota hiſtoria Eccleſiaſtica apparet. Pater Conſtantinus Conſtantinum filium habuit, & ipſum quoque Niceni concilij patronum, etiam Patre mortuo. Sed Conſtantius Conſtantini illius maioris & primi Filius, & Cõſtantini ſecundi, ac Conſtantis frater, fuit hæreticus & ab Arianis ſeductus, aduerſus quem etiam Hilarius noſter pro veræ fidei defenſione ſcripſit, vt ex ipſius opuſculis apparet. Vide Socratem lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 24.

Cenſura ad Diſtinctionem XXXIIII.

Habet & hæc quoque Diſtinctio multa vitia. Primum enim inſeruntur quædam prorſus à ſcopo, & ſuſcepto argumento aliena, veluti capite 6. diſputatio de *Summo bono*, cùm hoc vnũ agatur, *Vtrum Perſona & eſſentia in diuinis ſint reipſa idem*, quemadmodum teſtantur omnes huius loci interpretes.

Secundùm, habet quoque multa ex ſuperioribus Diſtinctionibus repetita, quemadmodum ex cap. 6. huius Diſtnctionis colligitur, ſi cum Diſt. 22. capite 5. Diſt. 23. capite 2. Diſt. 27. cap. 7. conferatur: idem ex capite decimo huius Diſtinctionis collato, cum Diſtinc. 22. & 28. ſtatim apparebit.

A Tertio loco, frigidè ac imperitè admodum ſoluit obiectiones cõtrarias: in primis autem quod affertur ex Hilario capite primo, non eſſe idem naturam, & rem naturæ. Quod etiam in Deo ex mente Hilarij verum eſt, quicquid iſte reſpondeat. Sed *Naturam* appellat Hilarius ipſam eſſentiam diuinam in perſona Patris, vel Filij conſideratam, à qua differt illud quod eſt ab eadem natura, id eſt, eſſentia diuina perſonata emanans, veluti non eſt idem Pater Deus, & Filius. Pater Deus ab Hilario appellatur *Natura*: Filius autem *Res naturæ*. Non eſt idem Filius, & Spiritus ſanctus. Filius eſt natura, Spiritus ſanctus res naturæ. Ita enim vnitatem eſſentiæ in Patre, & Filio aſtruit Hilarius, vt tamen ſolitudinem cum Sabellianis non inducat.

Præterea iſta ſolutio, quam Lombardus affert, cur non rectè dicatur, *vnus Deus trium perſonarum*, eſt omnino etiam ieiuna. Illa verior, quòd hæc phraſis conſtituit Deum, aut potius Deitatem velut ſpeciem, vel materiam trium B perſonarum. Quorum vtrunque eſt & euitandum, & falſum. Denique in eo quod ſcribit de voce, *Homouſion*, leuiter perſtringit difficillimam tamen quæſtionem, & diu vexatam, quæ fuſiùs tractari debuit, cùm ſit fueritne tanti in Eccleſia momenti, atque adeò parum commodè iu concilio Toletano XI. explicata. Neque etiam ſatis docet Lombardus, quid vox hæc ipſa in tribus illis diuinis perſonis ſignificet. Nam priùs oſtendendũ erat, quid ὁμοιούσιον ab ὁμοουσίῳ, vel ὁμουσίῳ differret, in quo Euſebius Verſellenſis pius Epiſcopus (qui tempore Hilarij vixit) turpiſsimè à Græcis Epiſcopis Arianis deceptus eſt, quemadmodum ex ipſo Hilario in libro de Synodis, & Socrate libro ſecundo Hiſtor. capite 36. colligitur. Et ex confuſa harum vocum ſignificatione Anomoiani hæretici orti ſunt.

Hæc pauca ex multis in iſtam Diſtinctionem poſſunt annotari. Plura verò vitia, atque etiam grauiora, facilè quiuis ſtudioſus & diligens lector per ſeſe obſeruabit.

C

DISTINCTIO XXXV.

De quibuſdam quæ ſecundum ſubſtantiam de Deo dicuntur, quę ſpecialem efflagitant tractatum, ſcilicet de ſcientia, & de præſcientia, & prouidentia, & diſpoſitione, prædeſtinatione, voluntate, & potentia.

CAP. I.

CVMQVE ſuprà diſſeruerimus, ac plura dixerimus de his quæ communiter ſecundum ſubſtantiam de Deo dicuntur, eorum tamen quædam ſpeciale efflagitant tractatum, de quibus modò tractandum eſt, id eſt, de ſcientia, præſcientia, prouidentia, diſpoſitione, prædeſtinatione, voluntate, & potentia. Sciendum eſt ergo quòd Sapientia vel Scientia Dei, cùm ſit vna & ſimplex, tamen propter varios rerum ſtatus & diuerſos effectus, plura ac diuerſa ſortitur nomina. Dicitur enim non tantùm ſcientia, ſed etiam præſcientia vel prouidentia. Et eſt ſcientia ſine prouidentia non de futuris tantùm, ſed de omnibus: de bonis, ſcilicet & de malis. A DISPOSITIO *verò de faciendis.* PRAEDESTINATIO, *de omnibus ſaluandis, & de omnibus bonis: qui & hîc liberantur, & in futuro coronabuntur. Prædeſtinauit enim Deus ab æterno homines, ad bona eligendo: & prædeſtinauit, eis bona præparando. Quòd homines prædeſtinauit Apoſtolus oſtendit dicens, Prædeſtinauit quos præſciuit fieri conformes imaginis Filij ſui: & alibi: Elegit nos ante mundi conſtitutionẽ, vt eſſemus ſancti & immaculati. Quòd autem bona eis præparauerit, propheta Eſaias oſtendit dicens, Oculus non vidit Deus abs te, quæ præparaſti diligentibus vel expectantibus te. Ergo ab æterno prædeſtinauit quoſdam futuros bonos & beatos, id eſt, elegit, vt eſſent boni &: beati & bona eis prædeſtinauit, id eſt, præparauit.* PROVIDENTIA *autem eſt gubernandorum, quæ vtique eodem modo videtur accipi, quo diſpoſitio. Interdum tamen prouidentia accipitur pro præſcientia.* SAPIENTIA *verò vel* SCIENTIA *de omnibus eſt, ſcilicet bonis* B *& malis, & de præſentibus, præteritis & futuris: & non tantùm de temporalibus, ſed etiam de æternis, Non enim ita ſcit Deus iſta temporalia, vt ſeipſum neſciat: ſed ipſe ſolus ſeipſum perfectè nouit: cuius ſcientiæ comparatione omnis creaturæ ſcientia imperfecta eſt.*

Roma. 8. verſ. 29.
Epheſ. 1. verſ. 4.
Iſ. 46.

CAP. II.

Vtrùm ſcientia, vel præſcientia, vel diſpoſitio, vel prædeſtinatio, potuerit eſſe in Deo, ſi nulla fuiſſent futura.

HIC conſiderari oportet, Vtrùm ſcientia, vel præſcientia, vel diſpoſitio, vel prædeſtinatio potuerit eſſe in Deo, ſi nulla fuiſſent futura. Cùm enim præſcientia ſit futurorum, & diſpoſitio faciendorum, & prædeſtinatio ſaluandorum: ſi nulla eſſent futura, ſi nihil eſſet facturus Deus, vel aliquos ſaluaturus, non videtur potuiſſe in Deo eſſe præſcientia, vel diſpoſitio, vel prædeſtinatio: potuit autem Deus nulla præſcire futura: potuit non creare aliquid, vt non ſaluaret aliquos: potuit ergo in Deo *non eſſe præſcientia, vel diſpoſitio, vel præ-* C *deſtinatio. Ad hoc autem ita à quibuſdam opponitur, Si, inquiunt, potuit præſcientia Dei non eſſe in Deo ab æterno, & potuit nõ eſſe: ſi verò potuit non eſſe, cùm præſcientia Dei ſit eius ſcientia, & ſcientia ſit eius eſſentia: potuit ergo non eſſe ab æterno, id quod eſt eius diuina eſſentia. Ita & de diſpoſitione & prædeſtinatione, quæ eſt diuina eſſentia, obiiciunt. Addunt quoque & alia, ita loquentes, Si potuit Deus non præſcire aliqua, cùm idem ſit Deo præſcire quod ſcire, & ſcire quod eſſe: potuit ergo non eſſe. Item, cùm idem ſit* Deum *præſcium eſſe, &* Deum *eſſe, ſi potuit non eſſe præſcius, potuit non eſſe* Deus. *Potuit autem non eſſe præſcius, ſi potuit nulla præſcire. At potuit nulla præſcire, quia potuit nulla facere.*

CAP. III.

Reſponſio quòd præſcientia, & diſpoſitio, & prædeſtinatio quaſi relatiuè dicuntur ad futuras res vel ad faciendas.

AD hoc iuxta modulum noſtræ intelligentiæ ita dicimus

A *dicimus, Præſcientia vel diſpoſitio vel prædeſtinatio ad aliquid dici videntur. Sicut enim creator ad creaturam relatiuè dicitur, ita præſcientia vel præſcius ad futura referri videtur, & diſpoſitio ad faciēda, ac prædeſtinatio ad ſaluanda. Veruntamen creator ita relatiuè dicitur, vt eſſentiam non ſignificet. Præſcientia verò vel præſcius & in reſpectu futurorum dicitur, & eſſentiam deſignat: ita etiam diſpoſitio, & prædeſtinatio. Ideóque cùm dicitur, Si nulla eſſent futura, non eſſet in Deo præſcientia, vel non eſſet Deus præſcius: quia varia eſt ibi cauſa dicendi, diſtingui oportet rationem dicti. Cùm ergo dicis, Si nulla eſſent futura: nō eſſet in Deo præſcientia, vel non eſſet præſcius: ſi in dicendo hanc cauſam attendis, ſcilicet quia nulla eſſent ſubiecta eius præſcientiæ, vnde ipſa poſsit dici præſcientia, vel ipſe præſcius, quod vtrunque dicitur propter futura: verus eſt intellectus. Sin autem ea ratione id dicis. Quòd non ſit in eo ſcientia qua præſcit futura, vel quòd ipſe non ſit Deus, qui eſt futurorum præſcius, falſa eſt intelligentia. Similiter & illæ locutiones de-* B *terminandæ ſunt, Potuit non eſſe præſcientia Dei, vel potuit non eſſe præſcius, & potuit Deus non præſcire aliqua, id eſt, potuit eſſe quòd nulla futura ſubiecta eſſent eius ſcientiæ, & ita non poſſet dici præſcius vel præſcire, vel ſcientia eius vel præſcientia: non tamen eo minùs ipſe eſſet, vel eius ſcientia. Sed non poſſet dici præſcius, vel præſcire, vel præſcientia, ſi eius ſcientiæ futura nulla forent ſubiecta. Similiter de diſpoſitione & prædeſtinatione, vel prouidentia. Hæc enim, vt dictum eſt, ad temporale referuntur, & de temporalibus tantùm ſunt.*

C A P. IIII.

Quòd ſcientia Dei non tantùm eſt de temporalibus, ſed etiam de æternis.

Explicatio peculiaris ſciētię Dei.

SCIENTIA verò vel ſapientia, non tantùm de temporalibus, ſed etiam de æternis eſt. Ideóque etſi nulla fuiſſent futura, eſſet tamen in Deo ſcientia ea- C *dem quæ modo eſt: nec minor eſſet quàm modò, nec maior eſt quàm eſſet. Sicut ergo Deus ab æterno æternum, & omne quod futurum erat, & ſciuit immutabiliter. Scit quoque non minùs præterita & futura quàm præſentia, & ſua æterna ſapientia, & immutabili ſcit ipſe omnia quæ ſciuntur. Omnis enim ratio ſupernæ & æternæ ſapientiæ, vt ait Ambroſius, in eo eſt, quia omnem ſapientiam & eſſentiam capit ſua immenſa ſcientia.*

Lib. 5. de fi. & ca. 8.

C A P. V.

Quare omnia dicantur eſſe in Deo, & quod factum eſt habet vitam in eo.

1 Corollarium vbi explicat, omnia vitam eſſe in Deo. Tomo 3. li. 5. de Geneſi ad litteram, Cap. 18.

Propterea omnia dicuntur eſſe in Deo & fuiſſe ab æterno. Vnde Aug. ſuper Gene.[1] *Hæc viſibilia, inquit, antequam fierent, non erant: quomodo ergo nota Deo erant, quæ non erant? Et rurſus, Quomodo ea faceret quæ ſibi nota non erant: non enim quicquam fecit ignorans. Nota ergo fecit, non facta cognouit. Proinde antequàm fierent, & erant, & non erant. Erant in Dei ſcientia, non erant in ſui natura. Ipſi*[1] *autem Deo non audeo dicere alio modo innotuiſſe*[2] *cùm ea feciſſet, quàm illo quo ea nouerat vt faceret: apud quem non* A *eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio. Ecce hîc habes quòd hæc viſibilia antequàm fierent, in Dei ſcientia erant. Ex hoc ergo ſenſu omnia dicuntur eſſe in Deo, & omne quod factum eſt dicitur vita eſſe in ipſo: non ideo quòd creatura ſit creator, vel quia iſta temporalia eſſentialiter ſint in Deo: ſed quia in eius ſcientia ſemper ſunt, quæ vita eſt.*

Iacobi 1. c

Ioan. 1 a

C A P. VI.

Quòd eadem ratione dicuntur omnia ei præſentia.

2 Corollarium. Omnia eſſe Deo pręſentia.

INDE eſt etiam quòd omnia dicuntur ei præſentia eſſe, non ſolùm ea quæ ſunt, ſed etiam ea quæ præterierunt, & ea quæ futura ſunt, ſecundum illud, Qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Quia, vt ait Ambroſ. in lib. de Trinit. ita cognoſcit ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt. Et hac ratione omnia dicuntur eſſe in eo, vel apud eum, ſiue ei præſentia. Vnde Aug. ſuper illum locum Pſal. Et pulchritudo agri mecum eſt,[1] *Ideo, inquit, mecum eſt, quia apud Deum nihil præterijt, nihil futurum eſt. Cum illo ſunt*[2] *omnia futura, & ei non detrahuntur iam præterita: cum illo ſunt omnia cognitione quadam*[3] *ineffabili ſapientiæ Dei. Ecce hîc aperit Aug. ex qua intelligētia accipienda ſint huiuſmodi verba, omnia ſunt Deo præſentia, in Deo ſunt omnia, vel cum Deo, vel apud Deum, vel in eo vita: quia ineffabilis omnium cognitio in eo eſt.*

Rom. 4. c

Lib. 5. ca. 8

B

Tomo 8. Pſal. 49.

AD DISTINCT. XXXV.

AD CAP. V.

1 *Hæc viſibilia.* Addit hoc loco Lombardus vocem, *Viſibilia*, ad Auguſtini verba, præter, imò contra ipſius Auguſtini mentem, cùm de inuiſibilibus loquatur Auguſtinus. Sic enim habet, *Huius vniuerſæ Dei cratura multa non nouimus, ſiue quæ in cœlis ſunt altiùs quàm vt noſter ſenſus eò poſsit pertingere; ſiue quæ in regionibus terrarum fortaſsis inhabitabilibus: ſiue quæ deorſum latent, vel in profundo abyſsi, vel in occultis finibus terræ. Hæc igitur antequam fierent, &c.* Ita ſcilicet bona fide pulcherrimum Auguſtini locū repræſentat Lombardus. Atque id fortaſſe vitio librarij videretur factum, niſi ipſemet Lombardus hoc ipſo capite ſic concluderet, *Ecce hîc habes, quod hæc viſibilia, &c.* Vbi hanc ipſam vocem quaſi ex Auguſtino repetit. C

2 *Ipſi autem Deo.* Quædam interiecta prætermiſit iſte: ſed potuit. Itaque non reprehendo.

AD CAP. VI.

1 *Ideo, inquit, mecum.* Hæc omnia. *Ideo, inquit, mecum eſt, quia apud* Deum *nihil præteriit, nihil futurum eſt*, quanquam ſunt vera, ſunt tamen ad Auguſtinum addita. Sic enim habet ille. ET SPECIES AGRI MECVM EST. *Pulchritudo agri, vbertas omnium in terra gignentium, mecum eſt, inquit. Quomodo cum illo? Vtrùm & antequam fierent? Cum illo enim erant, &c.* adeo vt tota hæc ſententia ſit ad hunc locum & ſcopum tralatitia.

2 *Futura & ei.* Magna tum detractio, tum hu-

A ius loci labes à Lombardo facta eſt. Ac quidem detractio, quòd quædam omnino neceſſaria ex Auguſtino prætermiſit. Labes autem, quia mutauit vocem *Vt* in *Et*, magna ſenſus iniuria. Sic igitur habet Auguſtinus ipſe, *Cum illo* (Deo) *enim erant omnia futura, & cum illo ſunt omnia præterita: futura ita, vt non ei detrahantur omnia præterita.* Ergo & præterita & futura in Deo eſſe docet Auguſtinus, ac quidem ita, vt licet in eo futura ſint, prȩterita tamen eſſe, in eodem non deſinant: & ita præterita ſunt in eo, vt etiam ſint in eo, quòd abſurdum eſſe videbatur, in eodem pectore eſſe omnia, id eſt, & præterita & futura, id eſt, futuræ res quoque in eo ſint, vt & præteritæ. Non tamen propterea præterita & futura illic confundit Auguſtinus, quemadmodum putat Lombardus.

3 *Ineffabili.* Auguſtinus, *Ineffabilis ſapientiæ Dei.*

Cenſura ad Diſtinctionem
XXXV.

B

Expectat fortaſſe lector, vt in toto ſequenti tractatu (qui ſuperioris velut appendix quædam tantùm eſt) maiori, quã antea, diligentia, & fide verſetur Lõbardus. Fruſtrabitur, ſeq; deceptum tãdem comperiet. Nam ſui perpetuò ſimilis eſt, & antiquum obtinet, eadémq; vitia poſtea quoque admittit, quæ ſuprà, vt in noſtris in ſingulas ſequentes diſtinctiones animaduerſionibus apparebit. Vtrùm in hoc difficili, arduo, & venerando certè de Sancta & ineffabili Trinitate diuino argumento minimè ex hoc Flacci Horatij dicto excuſetur Lombardus, *Opere in magno fas eſt obrepere ſomnum,* quoniam in qualibet huius diſputationis parte negligentia dolo malo æquiparatur. Cuius noſtræ & nimiùm quidem veræ accuſationis fidem faciet vel vna hæc Diſtinctio, ne calumniari hunc ſcriptorem videamur.

Multa ſunt igitur, quȩ in hac ſunt graui reprehenſione digniſsima, è quibus hæc tantùm ſelegimus, quæ proponeremus. C

Primùm, quòd, etſi ſeriem rationémque connexionis totius ſequentis argumenti cum toto antecedente reddere videatur: tamen non reddit. Vno tantùm verbulo iſte ait ſe iam quædam tradere, quæ ſpecialem tractatum efflagitant. Iam enim ſe ea quæ generaliter & communiter ad diuinam eſſentiam pertinent explicaſſe. Atqui & hæc ipſa, quȩ ſequuntur, ad eſſentiam diuinam pertinent, atque etiam trium illarum Perſonarum diuinarum ſunt communia, quòd vel ex ipſo primo huius Diſt. capite facilè quiuis intelliget. Eſt igitur alia ordinis ratio, hæc nempe, Quòd cùm ſuprà de ipſa diuina eſſentia, tum per ſeſe, tum ex eius comparatione ad ipſas Perſonas, quibus ſingulis ineſt tota, dictum ſit: conſequens erat, vt de eiuſdẽ eſſentialibus atributis diſſereretur: per quæ omnium creaturarum cauſa Deus eſſe cognoſcitur. Sed & hæc ipſa atributa diuinam naturam explicant clariùs nobis: & ad creaturas ita comparant, vt ineffabili modo eam eminentiorem, imo toto genere à creaturis diuerſam ac diſsimilem eſſe veriſsimè demonſtrent. Hoc igitur tam neceſſarium connexum in ipſo ingreſſu operis prætermiſſum, & ſcriptoris vitium eſt, & meritò reprehendendum.

Secundum, quòd iterum in ipſo limine impingit. A Itaque indignus eſt nauta, cùm in ipſo portu bis naufragium faciat, & oram ſoluens ſtatim aberret. Cùm enim tria tantùm ſint velut fundamenta totius futuræ diſputationis, nempe vt explicetur.

Quæ ſit Dei { Scientia, Potentia, & Voluntas, quemadmodum etiam in prima parte Primæ luculenter Thomas Aquinas tradit: iſte tamen ſeptem fundamenta proponit, cauſam nimirum cum effectis confundens: fundamenta cum reliquis partibus, & ita omnia permiſcens. Nam quod iſte ait cap. 1. omnia ex vna Dei ſcientia pendere, falſum eſt: idque apparet ex eo, quod peræquè ad Dei vel voluntatem, vel potentiam illa ſeptem referri poſſunt, atque ad ſcientiam, niſi diſtinctè ſingula atributa illa explicemus, ſuíſque definitionibus circumſcribamus, & non generaliter conſideremus, vti facit ipſe.

Tertium vitium eſt, quòd breuem illam attributorum à ſe propoſitorum definitionem prætermittit in quibuſdam. B Non omittit & *Præſcientiæ, & voluntatis, & potentiæ* definitiones, quas tamen, vt reliquorum, afferre debuit.

Quartũ, quòd curioſam quæſtionem inuehit, quam Academico more vexat, ac tandem peſsimè ſoluit & obſcuriſsimè, vnius vocis *Nunc* omiſsione factâ ca. 3. Sic enim ſcribendum fuit, vt perſpicuè obiectionem ſolueret, *Sin autem ea ratione id dicis, quod non ſit in eo ſcientia, qua nũc præſcit futura vel quòd ipſe non ſit Deus, qui nũc eſt futurorum præſcius, falſa eſt intelligentia* vox *Nunc* vtrobique omiſſa inexplicatam relinquit quæſtionem à Lombardo propoſitã: ſed iſte perinde ſecurus eſt, quaſi pecudibus & truncis ſcriberet, non hominibus.

Quintum vitium eſt, quòd falſa multa continet hæc Diſtinctio. Primum confundit *Diſpoſitionem* (quæ eſt ordinis & collocationis decretũ) *cùm prouidentia*, quȩ eſt ipſius rei & finis eiuſdem, conſtitutio & decretum. C 2 Confundit ca. 1. præſcientiam, & prouidentiam. 3 Prouidentiam non conſtituit in rebus omnibus, ſed tãtùm in iis, quæ Deus ipſe regit. Itaque in eo diuerſam à ſcientia Dei facit, quòd ſcientia ſit de omnibus. 4 Prouidentiam tantùm in temporalibus conſtituit: ſcientiam etiam in æternis.

Infinita penè alia prætermitto ne moleſtus ſim. Hoc tamen vnum diſsimulare non poſſum, perperam ab iſto locum Ioannis *Omne quod factum eſt, in eo vita erat* cap. 1. Ioan. explicari cap. 5. huius Diſtinctionis. Primùm quoniam iſte refert generaliter ad diuinam eſſentiam, quod Ioãnes de vna λόγου & Filij Dei perſona dixit. Secundò, quòd iſte tribuit eandem vitam Deo ipſi, quã Ioannes rebus, id eſt, hominibus à Deo creatis ineſſe, & à Filio Dei fluere ait. Tertiò quòd iſte metitur rationem & fundamentum iſtius vitæ, quam eſſe datam ait Ioannes, ex eo quòd illæ res in Dei ſcientia eſſent. Ioannes autem docet eam vitam ineſſe in rebus à Deo, quoniam extra Deum ipſum & ſint, & ſubſiſtant. Quòd autem hîc interpretes addunt de *Ideis*, & vtrùm illæ ſint in Deo, non modò remotum eſt ab hoc argumento: ſed etiam à Deo prorſus, vt in Enchiridio

A dio Auguſtinus, alienum. Illud modò teneamus, & Deum ſcire, & decreto ſuo regere ſingula & vniuerſa: & cùm ſcire ſingula dicitur, illa ſcire diſtinctè, non autem cõfuſè. Hîc breuior ſum, quia hæc eadem ſæpiùs recurrent.

DISTINCTIO XXXVI.

Vtrùm concedendum ſit, omnia eſſe in Dei eſſentia, vel in eo per eſſentiam: vt omnia dicuntur eſſe in Dei cognitione vel præſentia.

CAP. I.

SOLET hîc quæri, cùm omnia dicãtur eſſe in Dei cognitione ſeu præſentia, vel in Deo per cognitionem, & eius cognitio, vel præſentia ſit diuina eſſentia: vtrùm concedendum ſit, omnia eſſe in diuina eſſentia, B *vel in Deo per eſſentiam. Ad quod dicimus, quia Dei cognitio eius vtique eſſentia eſt: & eius præſentia, in qua ſunt omnia ipſius cognitio eſt: nec tamen omnia, quæ ſunt in eius præſentia vel cognitione, in eius eſſentia eſſe dici debent. Si enim hoc diceretur intelligerentur eſſe eiuſdem cum Deo eſſentiæ. In Deo enim dicitur eſſe per eſſentiam, quod eſt diuina eſſentia, quod eſt Deus. Habet ergo Deus apud ſe in præſentia ſua, quæ non habet in ſui natura. Vnde Aug. de verbis Apoſtoli ait, Elegit nos ante mundi conſtitutionem. Quis ſufficit hoc explicare? Elegũtur qui non ſunt: nec errat qui elegit, nec vanè elegit. Elegit tamẽ, & habet electos quos creaturus eſt eligendos: quos habuit apud ſemetipſum non in natura ſua, ſed in præſentia ſua. Nondũ erant quibus promittebatur: ſed & ipſi promiſſi ſunt, quibus promittebatur. Ecce hîc apertè dicit Deum apud ſemetipſum habere electos ante mundi conſtitutionem, non in natura ſua, ſed in præſcientia ſua: cùm tamen eius præſcientia non aliud ſit quàm eius natura, quia ipſius præſentia eius eſt notitia. Poteſt tamen ad* C *electos referri cùm ait, in natura ſua, id eſt, illorum. Illos quippe habuit ab æterno apud ſe, non in natura ſui, id eſt, illorum, qui nondum erant: ſed in ſua præſcientia, quia eos ita nouit, acſi eſſent.*

Tomo 10.
Sermo. 11.
Eph. 1. a

CAP. II.

Vtrùm mala debeant dici eſſe in Deo, vbi ſunt omnia bona, cùm vtraque ſint in eius cognitione & præſentia: omnia enim cognoſcit.

Poſt prædicta quæritur, cùm omnia dicantur eſſe in Deo non per eſſentiam naturæ, ſed per cognitionẽ ſcientiæ, & Deus ſciat bona & mala, vtrùm concedendum ſit ſimpliciter mala eſſe in Deo, ſiue eſſe in Deo per cognitionem. Scit enim Deus & ſciuit ſemper omnia, tã bona quàm mala, etiam antequàm fierent, & præſciuit ab æterno ea futura. Ideóq; cùm omnia bona diximus eſſe in Deo propter præſentiam cognitionis, eadem ratione videtur dicendum omnia mala eſſe in eo, cùm ea ſemper nouerit, & per cognitionẽ ei præſentia fuerint. Præcognouit enim Deus ab æterno quoſdam futuros malos, & eorum malitiam, vt ait Aug. præſciuit, ſed non præparauit. Cùm ergo peccata omnium ſciat, nunquid intelligendum eſt ea includi in illa generalitate locutionis, qua dixit Apoſtolus, omnia eſſe in Deo? Ex ipſo inquit, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Sed A *quis, niſi inſanus, dixerit mala eſſe in Deo? Illa enim eſſe in Deo intelligũtur, quæ ex ipſo, & per ipſum ſunt: ea verò per ipſum ſunt & ex ipſo, quorũ autor eſt: ſed non eſt author niſi bonorũ. Non ergo ex ipſo, & per ipſum ſunt, niſi bona: ita ergo non in ipſo ſunt niſi bona. Non ergo mala in Deo ſunt: quia licet ea noſcat, non tamen ita omnino noſcit, vt bona. Mala ergo quaſi de longè cognoſcit, vt ait propheta, Et alta à longè cognoſcit, id eſt, ſuperbiam. Et alibi ad Deum loquens de malis ait, De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum, Quod exponens Aug. Abſcondita, inquit, peccata ſunt, quæ à lumine tuæ veritatis abſcõduntur. Sed quomodo peccata à lumine veritatis diuinæ abſcondũtur, cùm à Deo ſciãtur: Si enim non ſciret, quomodo de illis iudicaret, & pro illis malos dãnaret? Alibi propheta, quia, neq; ab oriente neq; ab occidente deeſt. Quod exponens Caſſiodorus, inquit, neq; à bonis neque à malis deeſt Deus: ſed omnibus præſens & cognitor eſt. Cognoſcit ergo Deus & bona, & mala per ſcientiam: ſed bona cognoſcit etiam per approbationem, & per beneplacitum: mala verò non. Vnde Caſſiod. ſuper Pſal. dicit, Peccata abſcondita Deo ſunt, quia non nouit, id eſt, non approbat. Et ex eo ſenſu Aug. dixit ea abſcõdita à lumine Dei. Qui etiam in lib. ad Heluidiũ inſinuat cognitionem Dei variis modis accipiẽdam, inquiens. Si ad ſcientiam referas, non ignorat Deus aliquos vel aliqua: qui tamẽ in iudicio quibuſdam dicet, Non noui vos, ſed eorum improbatio hoc verbo inſinuata eſt. Ecce nõ cognoſcere dicitur Deus: quæ nõ approbat, quæ ei non placẽt. Apparet itaque verũ eſſe quod diximus, ſcilicet quia quodã modo cognoſcit Deus bona, quo nõ cognoſcit mala: Pariter quidẽ vtraq; eodẽ modo noſcit quãtũ ad notitiã: ſed bona etiã approbatiõe & beneplacito cognoſcit.*

Libr. 1. de prædeſtinat. Sanctorum. Cap. 10.
Rom. 11. d

Pſal. 14.
Pſal. 147.
Pſalmi 16.
Pſal. 4.
Tom. 8. in explanatione.
Caſsio. ſuper Pſal. 16. circa illum verſum, de abſconditis tuis &c.
B
Epiſt. 102.
Mat. 7. d

CAP. III.

Hic aperit quare bona tantùm dicantur eſſe in Deo, non mala.

C

ET inde eſt, quòd bona tantũ dicũtur eſſe in Deo, non mala, & illa propè, hæc longè: quia licet in Deo aliqua dicantur eſſe propter cognitionis præſentiam, & Deus bona & mala cognoſcat: mala tamen non cognoſcit niſi per notitiam: bona verò nõ ſolùm per ſciẽtiam, ſed etiam per approbationem & beneplacitũ. Et ob talẽ cognitionẽ aliqua dicuntur eſſe in Deo, ſcilicet quia ita ea ſcit, vt etiã approbet & placeant, id eſt; ita ſcit, vt eorum ſit author.

CAP. IIII.

Quòd idem eſt omnia eſſe ex Deo, & per ipſum, & in ipſo.

Proinde ſi diligenter inſpiciamus, idẽ videtur eſſe, omnia eſſe ex Deo, & per ipſum, & in ipſo. Vnde Ambro. in 2. libr. de Spiritu ſancto. Hæc tria ex ipſo, & per ipſum, & in ipſa ſunt, omnia vnũ, eſſe ſuprà diximus. Cùm dicit per ipſum eſſe omnia, nõ negauit in ipſo eſſe omnia. Eandem vim habẽt omnia hæc, ſcilicet cum ipſo, & in ipſo, & per ipſum: & vnum in his atque cõſimile, non contrarium intelligitur. Ecce habes quia ex eadem intelligentia Scriptura dicit eſſe omnia in ipſo, & per ipſum, & ex ipſo, & cum ipſo. Cùm ergo ex eadem ratione omnia dicantur eſſe ex Deo,

Cap. 10.
Rom. 11.

A *vel per ipſum, non ſolùm quia ſcit, ſed etiam quia eorum author eſt: conſequitur vt eadem ratione ea eſſe in Deo dicantur: ſcilicet quia ſcit, & eorum author eſſe dicitur: quia in illo viuimus, & mouemur, & ſumus, quia eo authore ſumus, mouemur, & viuimus. Cùm ergo non ſit author niſi bonorum, meritò ſola bona in eo eſſe dicuntur, ſicut ex ipſo, & per ipſum. Cùm ergo in eius cognitione vel præſentia ſint omnia, ſcilicet bona & mala, in eo tamē non dicũtur eſſe, niſi bona, quorum author eſt. Vnde Auguſt. in lib. de Natura boni, Cùm audimus, inquit: ex Deo, & per ipſum, & in ipſo eſſe omnia, omnes, vtique naturas intelligere debemus, & omnia quæ naturaliter ſunt. Neque enim ex ipſo ſunt peccata, quæ naturam nō ſeruant, ſed vitiant, quæ ex voluntate peccantium naſcuntur omnia. Hîc apertè dicitur, quod in illa generalitate locutionis bona tantùm continentur.*

Act. 15. f

Tomo. 6. Cap. 28.

CAP. V.

B Quòd omnia ex Patre, & per Patrem, & in Patre ſunt, ita & de Filio, & de Spiritu ſancto eſt dicendum, licet propter perſonas fiat diſtinctio.

Præterea ſciendum eſt, quòd licet ibi indicetur diſtinctio perſonarum cùm dicitur, ex ipſo, & per ipſum & in ipſo: omnia tamen ex Patre, *& per Patrem, & in Patre ſunt.* Similiter *de* Filio, *& de Spiritu ſancto accipiendum eſt. Vnde Auguſt. in* 1. *lib. de Trinitate. Non confusè, inquit, accipiendum eſt quod ait Apoſtolus, ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo. Ex ipſo dicens propter Patrem: per ipſum propter Filium: in ipſo, propter* Spir. *ſanctum. Vigilanter autem attende, ne quia Patrem volens intelligi dixit ex ipſo, ſic intelligas omnia eſſe à Patre, vt neges omnia eſſe ex* Filio, *vel ex Spiritu ſancto: cùm ex* Patre, *& per Patrem, & in Patre omnia eſſe ſanè dici poſſunt: ſimiliter & de Filio, & de Spiritu ſancto dicendum eſt.*

Li. 1. ca. 6. lib. 6. c. 19.

CAP. VI.

C Quod non omnia, quæ ex Deo ſunt, etiam de ipſo ſunt: ſed è conuerſo.

Illud etiam hîc annectendum eſt, quod non omnia quæ dicuntur eſſe ex Deo, etiam de ipſo eſſe dici debeant. Quia, vt ait Auguſtinus in lib. de Natura boni, Non hoc ſignificat penitus ex ipſo, quod de ipſo. Quod enim de ipſo eſt, poteſt dici eſſe ex ipſo: ſed non omne quod ex ipſo eſt, poteſt dici eſſe de ipſo, quia non eſt de ſua ſubſtantia. Et ex ipſo enim ſunt cælum & terra, quia ipſe fecit ea: non autem de ipſo, quia non de ſubſtantia ſua. Sicut aliquis homo ſi generat Filium, *& faciat domum, & ex ipſo eſt Filius, ex ipſo eſt domus: ſed Filius de ipſo, domus verò de terra & ligno, non de ipſo.*

Cap. 27.

CAP. VII.

Quæ dicta ſunt ſummatim colligit.

EX præmiſſis apertum eſt, quòd in Dei cognitione ſiue præſentia ſunt omnia, ſcilicet bona & mala, ſed non omni modo ſunt ibi mala, quo bona: & quòd in Deo bona tantũ ſunt, ſicut ex ipſo, & per ipſum: nō mala. Et ex quo ſenſu hæc accipiēda ſint aſsignatũ eſt. Et quòd de ipſo nō dicitur eſſe propriè, quòd aliud eſt ab ipſo. Ex ipſo autē eſſe dicũtur oīa, quæ eo authore ſunt.

AD DISTINCT. XXXVI. A

AD CAP. I.

1 *Nondum erant.* Hæc tota ſententia addita eſt ad Auguſtinum: à cuius tamen ſenſu non diſcrepat. Sic autem hîc refertur, quaſi eſſet ipſius.

AD CAP. IIII.

1 *Omnia vnum eſſe.* Peſsimè & truculentiſsimè tractatus eſt à Lombardo hoc quidem loco Ambroſius, & quoad verba ipſa: & quoad mentē. Sumptus eſt autem ex lib. ſecundo de Spiritu ſancto ad Gratianum Auguſtum cap. 11. Et quidem quoad verba, nihil minus quàm de iſtis verbis, *Ex Deo, per ipſum, & in ipſo* intelligi debet hæc ſententia, *Omnia vnum eſſe ſuprà diximus:* ſed de his, *In Spiritu, & cum Spiritu* de quibus antea luculenter egerat Ambroſius. B Non igitur cum iis, de quibus nunc iſte diſſerit, congruit Ambroſij locus. *Sunt enim*, ait Ambroſius, *qui hinc putent faciendam eſſe diſtantiam quod dicant non in Spiritu Deum, ſed cum Spiritu prædicandum: & ex vna ſyllaba, vel vſu quodam diuinitatis æſtimandum putent eſſe momentum.* Aduerſus hos igitur poſtquam copioſè & accuratè diſputaſſet Ambroſius, ſic tandem concludit. *Nam iſtæ ſyllabæ, ſicut illæ, de quibus ſuperius diximus, ſe inuicem ſignant.* Ergo apparet Ambroſij verba eſſe ab iſto commutata. Mentem autem & ſcopum præſtantiſsimi illius ſcriptoris, iſte quoque peruertit. Eò enim ſpectat Ambroſij de his vocibus, *Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo* differentis oratio', vt ex his ipſis doceat eſſe æqualem Patris, Filij, & Spiritus ſancti poteſtatem ac maieſtatem, cùm perequè ſingulis à Scriptura iſta tribuantur.

Ex illis enim πνευματομάχοι hæretici & ſeparabilem, & inæqualem eſſe Patris, Filij, & Spiritus ſancti eſſentiam colligebant. Id quod & ex ipſomet Ambroſio, & apertiùs ex Baſilio lib. de Spiritu Sancto ad Amphilochiũ ca. 7. & ca. 25. & 26. C (Vnde proculdubiò ſua penè etiam ad verbum ſumpſit Ambroſius) colligi poteſt. Quod autem de ſcopo Ambroſij dicimus, id ex ipſius verbis, quæ huc tranſcripſimus, clariſsimè apparebit. Sunt autem hæc, *Non enim ita dixit Apoſtolus ex Deo omnia, & per Filium omnia, vt ſeparabilem ſubſtantiam Patris,* Filijque *ſignaret: ſed vt inconfuſibili diſtinctione, quòd alius ſit Pater, alius Filius, edoceret. Non igitur tanquam compugnantes ſyllabæ iſtæ, ſed tanquam ſociæ, atque concordes ſunt, vt etiam vni ſæpe conueniant, ſicut ſcriptum eſt,* QVIA EX IPSO, ET PER IPSVM, ET IN IPSO OMNIA. *Quod ſi verè conſideres, vnde tractatum ſit, de Filio dictum eſſe non ambiges.* Quid autem iſta ad quæſtionem, & ſolutionem Lombardi, ex Ambroſio confirmare conantis idem ſignificare has phraſes: *Ex ipſo, per ipſum, in ipſo? & tamen ſola bona eſſe ex ipſo?* Non magis certè ſuam ſententiam ex hoc Ambroſij dicto probauerit iſte, quàm ex cacabo ligonem effecerit. Imò verò etiam, apertiſsimâ Ambroſij ibidem ſententiâ refutatur Lombardus, quia hæc diſtinguit ſignificatu Ambroſius, *Ex ipſo, per ipſum, in ipſo.* Sic enim ille poſtea ſubiicit. *Quid eſt ex ipſo? Quod ex ipſius voluntate natura ſit omnium:*

& ipſe

A *& ipſe ſit author omnium, quæ eſſe cœperũt. Per ipſum quid eſt? Quia per ipſum conſtitutio, & perſeuerantia omnibus impertita videatur. In ipſo quid eſt? Quia omnia admirabili quodam deſiderio, & inenarrabili amore autorem vitæ & miniſtratorem gratiæ ſuæ, ac muneris intuentur, ſecundum quod ſcriptum eſt,* OCVLI *omnium in te ſperant.* Hactenus Ambroſius, qui quã crudeliter ab iſto vulneratus fuerit, iam apparet. Sed nos, vt ſperamus, tantis vulneribus pharmacum ſalutare attulimus.

AD CAP. V.

1 *Auguſtinus in primo libro de Trinitate.* Ita conſtanter omnes codices habent *Libro primo* de Trinitate, cùm tamen cuiuis, (qui ad ipſum Auguſtini codicẽ recurret) facilè conſtare poſsint iſta, quæ citat Lombardus, ex libro ſexto capite 10. in fi. libri tranſcribi. Ex libro primo de Trinitate capite ſexto explicatio duntaxat, quæ hîc affertur, deſcripta eſt, Auguſtinus autem, & B Patres Latini ex Græcis, præſertim autem ex Baſilio lib. de Sp. ſancto capi. 5. 6. & 7. & ex illis duobus Pauli locis Rom. 11. ver. 36. & 1. Corinth. 8. ver. 6. harum vocum ſignificationes diſtinxerũt.

AD CAP. VI.

1 *Significat penitus.* Addidit iſte ſuo more, *penitus*, quod non eſt apud Auguſtinum: & quædam etiam hîc perturbat.

Cenſura ad diſtinctionem
XXXVI.

Cumulat Lombardus, quò longiùs progreditur, maiores quoque errores, magna ignorantia, & quadam futilitate, qua ſcriptor iſte tam curioſas quæſtiones, vtilibus omiſsis, ſectatur: tum etiam in hoc tam graui & diuino argumento, pueriliter ludit. Deniq; ſe & in aqua hærere, & tamen C nonnunquam in plano ſalebras quærere oſtendit, tam eſt ſui diſsimilis. Huius ergo tam alienæ à vera Theologia tradenda methodi, vel vna hęc Diſtinctio locupletiſsimum argumentum nobis eſſe poteſt. In hac enim hoc ſolum quæritur, *Quomodo res creatæ in Deo eſſe dicantur,* iſte tamen nodum in ſcirpo laborioſè & inaniter quærit, ac in plana & facili huius quæſtionis ſolutione, & ſe, & alios inuoluit. Cùm enim vno verbo reſpõderi debuiſſet (quod eum ſequuti alij eiuſdem ſcholæ Magiſtri, & in primis Gulielmus Occan docent) quæſtionem hanc eſſe tantùm de Verbis, non de Re: iſte manifeſtiſsima deprauatione huius ſentẽtiæ, *omnia ſunt in* Deo, diuidit connexum huius orationis, quaſi hæc illius mens eſſet, *Omnia exiſtunt ſeu ſunt: & ſunt ſeu ſubſiſtunt in ipſo Deo, ſeu in diuina eſſentia.* Itaque paralogiſmum committit à compoſito ſenſu ad diuiſum, quemadmodum in ſcholis loquuntur. Ergo ita, & rectè quidem, Occan. *In prædicta quæſtione non eſt difficultas niſi propter modum loquendi. Nam Sancti dicunt omnia eſſe in* Deo, *& accipiunt ab Apoſtolo. Eſſe autẽ In videtur importare aliud eſſe in alio, tanquam ibi realiter exiſtens: & ita quod creaturæ & perfectiones creaturarum fuerũt in Deo, tanquam aliqua ibi verè exiſtentia. Sed iſto modo eſſendi In non vtuntur Sancti, qui dicũt omnia eſſe in Deo. Sed eſſe In apud eos in tali* A *propoſitione ſignificat idem quod cognoſci: vel idẽ quod produci, & poſſe produci.* Hæc diſcipulus iſte, qui longè meliùs ſuo præceptore hanc totam quæſtionem vidit: & breuiter, non autem exaggeratis quæſtionibus, vt iſte, ſoluit. Nimirum à Thoma didicerat, qui prima parte quæſtio 14. ſic ſcribit, *Omnia ſunt in Deo per modum intelligibilem. Omne enim quod eſt in altero, in eo eſt ſecũdum modum eius, in quo eſt.* Res autem creatæ in Dei eſſentia ſubſiſtere nõ poſſunt. Ergo *omnia eſſe in Deo,* non eſt res ipſas ſubſiſtere aut ſubſtitiſſe formaliter in Deo, ne confuſionem Anaxagoricam inducamus. Vnde Durandus ait, Per *eſſe virtuale* ſunt res creatæ, & creandæ in Deo, quemadmodum effecta ſunt in ſuis cauſſis: non autem per eſſe *formale.* Ex quo fit, vt illæ res non ſubſtiterint ab æterno in ipſo Deo, etſi ab æterno Deus ſua præſcientia futuras eſſe nouit, & ſic erant in Deo. Hęc igitur & intricatio, & falſa interpretatio huius ſententiæ, *Omnia ſunt in Deo*, eſt primum huius Diſtinctionis vitium.

Ex hoc autem Lombardi ſcopulo, plurima poſtea B naufragia ſunt conſecuta, quoniam quidam eum euitare, aut animaduertere non potuerunt. Et ne omnia illa (quoniam eſſet infinitum) perſequamur, tria tantùm commemorabimus. Vnum quod à quibuſdam factum eſt, qui cõtendebant, res creatas veriùs ſubſiſtere in Deo, quàm in ſeipſis. Quamobrem quum dicuntur eſſe in Deo, intelligunt eas exiſtere formaliter in ipſa Dei eſſentia. Hoc meritò & Durandus, & Occan refutant: quanquam Auguſtinus tract. 37. in Ioannis Euangel. ait, domum, quam ędificat ſtructor, prius eſſe & melius eſſe in arte ſine vetuſtate, ſine ruina: ſed tamen huic ſententiæ non fauens.

Secundum naufragium eſt eorum, qui reipſa conſtituunt Ideas in Deo exiſtentes: quod & ſenſit, & ſcripſit Plato, vtut alij aliter eum interpretentur variis in locis. Hi vt tuerentur, atque explicarent illam ſuam interpretationem, *Res ſunt in Deo*, id eſt, *Res ipſæ exiſtunt in ipſo* Deo, Ideas in C Deo fingunt. Huius erroris ne Durandus quidem ipſe videtur fuiſſe immunis.

Tertium naufragium, quod ad Lombardi ſaxa & ſcopulum accidit, ab ipſo Thoma factum eſt in prima parte, quæſt. 14. Artic. 4. vbi ait, *Ipſum intelligere, intellectum, rem intellectam, & Speciem intelligibilem eſſe vnum omnino & idem in* Deo, *& eius eſſentiam.* Vt omittam illum teterrimum errorem (quem tamen ex hoc Lombardi loco tueri volunt) & quem ex Anſelmo ſic referunt, *Creatura in Deo non eſt, niſi creatrix eſſentia.* Ergo quot & quanti ex vno iſto Lombardi tetro fonte riui fœtidi profluxerint, apparet.

Secundum Lombardi vitium, in hac Diſtinct. eſt alia intricatio inuolutióque ſuæ ſententiæ, cùm negat, *Mala eſſe in Deo.* Diſtinguendum enim fuit vocabulum vtrunque, *Eſſe in.* Nam *Eſſe in* ſi pro præſciri accipiantur, ſunt in Deo mala: quia à Deo *Mala* præſciuntur. Si pro effici, & operari, & emanare ſumuntur, non ſunt *Mala in Deo,* quoniam à mala hominum aut Diabolorum agentium voluntate eſt malum, non autẽ à Deo quanquam actum ipſum etiam Deus (ſed non ſub ratione mali) vult. Nos enim de malo culpæ, non de malo pœnæ nunc agimus.

A Tertium Lombardi vitium,& hic quoque,eſt inepta locorum S. Scripturæ ad ſuum ſcopum accommodatio , aut potius eorũ deprauatio, quod certè in Magiſtro Theologiæ peccatum eſt minimè ferendum.Quod dicimus,apparet eſſe verum ex Pſal.16. 74.& 137.ab iſto citatis cap.2. ſed mirum in modum detortis,& à ſuo ſenſu eluxatis.

Quarta animaduerſio noſtra in eo eſt , quod pulcherrimam & planiſsimam Aug. ſententiam, iſte falſa ſua gloſſa cap.1.corrumpit, dum hæc illius verba, *Natura ſua*,torquet.

Quinta denique, ac vltima eſt, quod iſte ſeipſum imprudens cap. 2. euertit. Nam vt probet peccata non eſſe in Deo , affert illud ex Actis Apoſt.cap.17. *In ipſo viuimus.* Hoc verò docet omnes homines ſiue bonos, ſiue malos à Deo eſſe & viuere,ex eóque potius oſtenderetur malos,&eorum peccata à Deo eſſe(quod vel cogitare eſt nefas)quã nõ eſſe.Sed iſte quid ſcribat,nõ attendit.

B

DISTINCTIO XXXVII.

Quibus modis dicatur Deus eſſe in rebus.

CAP. I.

ET quoniam demonſtratum eſt ex parte, quomodo omnia dicantur eſſe in Deo, addendum videtur hîc, quibus modis dicatur Deus eſſe in rebus: ſi tamen id humana mens vel ex parte dignè valeat cogitare, vel lingua ſufficiat eloqui. Sciendum ergo eſt , quòd Deus *incommutabiliter ſemper in ſe exiſtens, præſentialiter, potentialiter , eſſentialiter eſt in omni natura ſiue eſſentia ſine ſui definitione, & in omni loco ſine circunſcriptione, & in omni tempore ſine mutabilitate. Et præterea in Sanctis ſpiritibus & animabus eſt excellentiùs, ſcilicet per gratiam inhabitans : & in Homine Chriſto excellentiſsimè , in quo plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat, vt ait Apoſtolus.* Coloſ.2.b C *In eo enim* Deus *habitauit, non per gratiam adoptionis, ſed per gratiam vnionis. Ne autem iſta (quia capacitatem humanæ intelligentiæ excedunt) falſitatis arguere aliqui præſumant, Sanctorum autoritatibus muniẽda mihi videntur. Beatus * Gregorius ſuper Cantica Cantic. inquit, Licet Deus communi modo omnibus rebus inſit præſentia, potentia, ſubſtantia: tamen familiariori modo per gratiam dicitur eſſe in illis, qui mirificentiam operum Dei acutiùs & fideliùs conſiderant. De hoc enim eodem Auguſtinus ad* Dardanum *in libro de Præſentia* Dei *ait,* [1] *Cùm Deus ſit natura incorporea & incommutabiliter viua, æterna ſtabilitate in ſeipſo manens, totus adeſt rebus omnib. & ſingulis totus: ſed in quib. habitat, habent eũ pro ſua capacitatis diuerſitate , alÿ ampliùs , alÿ minus , quos ipſe ſibi dilectiſsimum templum gratia ſuæ bonitatis ædificat. Hilarius quoque in lib. octauo de Trin. apertiſſimè docet* Deũ *vbiq; eſſe. Deus, inquit, immenſæ virtutis viuens poteſtas, quæ nuſquã non adſit , non deſit vſquam, ſe omnem per ſua edocet, vt* [3] *vbi ſua ſint , ipſe eſſe intelligatur. Non autem corporali modo cùm alicubi ſit, non etiam vbique eſſe credatur , cùm & in omnibus eſſe non deſinat. Ambroſius in primo libro de Spiritu ſancto ,* Spiritum *ſanctum probat non eſſe creaturam, quia vbique eſt, quod eſt proprium diuinitatis : ita dicens,* [4] *Cùm omnis creatura certis naturæ ſuæ ſit circunſcripta limitibus, quomodo quis audeat* A *creaturam appellare Spiritum ſanctum, qui non habet circunſcriptam determinatámque virtutem, quæ & in omnibus, & vbique ſemper eſt: quod vtique diuinitatis & dominationis eſt proprium? Idem in eodem, Domini eſt omnia complere, qui dicit,* Cœlum *& terram ego compleo. Si ergo Dominus eſt qui cœlum complet & terram , quis ergo poteſt Spiritum ſanctũ iudicare dominationis & diuinæ poteſtatis exortẽ, qui repleuit orbem?* [5] *& quod plus eſt, repleuit & Ieſum, totius mũdi redemptorem? Ex his aliiſq; pluribus autoritatibus apertè monſtratur, quòd* Deus *vbiq; in omni creatura eſſentialiter, præſentialiter, & potentialiter eſt.*

* Non inuenitur ſuper cantica, ſed ad ſenſum per Eze. Hom.8. circa medium.

Tomo 2. Epiſt.57. Cap. 7. in principio & Aug. Li.3. contra Maximinum. cap.21. Libr.& cap.eiſdẽ. Non longè à medio lib.

Hier. 23.d
Sap. 1.b
Eſa.11.a

CAP. II.

Quòd in Sanctis non modò eſt, ſed etiam habitat, qui non vbicunque eſt, habitat.

IN Sanctis verò etiam habitat , in quibus eſt per gratiam. Non enim vbicunque eſt, ibi habitat: vbi verò habitat, ibi eſt. In ſolis bonis habitat, qui ſunt templum eius, & ſedes eius. Vnde per Eſaiam dominus ait, B *Cælum mihi ſedes eſt , terra autem ſcabellum pedum meorum: quia in electis, qui ſunt cælum, habitat* Deus *& regnat, qui eius voluntati deuoti obtemperant : malos verò qui ſunt terra, iudicÿ diſtrictione calcat. Vnde in lib. Sap. dicitur Thronus ſapientiæ anima iuſti, quia in iuſtis ſpecialiùs eſt quàm in aliis rebus : in quibus tamen omnibus totus eſt. quemadmodum anima, ait Auguſtinus , in epiſtola ad Hieronymum de Origine animæ , per omnes particulas corporis tota adeſt ſimul, nec minor in minoribus , nec maior in maioribus: ſed tamen*[1] *in aliis intentiùs, & in aliis remiſſiùs operatur, cùm in ſingulis particulis corporis eſſentialiter tota ſit. Ita & Deus cùm ſit in omnibus eſſentialiter ac totus, in illis tamen pleniùs eſſe dicitur quos inhabitat, id eſt, in quibus ita eſt, vt faciat eos templũ ſuum: & hi tales cum eo ſunt iam ex parte, ſed in beatitudine perfectè. Mali verò, etſi ibi ſint, vbi ipſe eſt (qui nuſquam deeſt) non tamen ſunt cum eo. Vnde* C *Auguſt. ſuper Ioan.* [2] *Non ſatis fuit dicere, Vbi ego ſum, & illi ſint: ſed addidit, mecum: quia & ibi miſeri poſſunt eſſe, vbi & ille eſt, qui nuſquam deeſt. Sed beati ſunt cum illo, quia non ſunt beati, niſi ex eo quòd cum illo ſunt , qui fruuntur eo , & vident illum ſicut eſt. Mali verò non ſunt cum illo , vt cæci in luce non ſunt cum luce: nec boni ita nunc ſunt cũ eo vt videant per ſpeciẽ, etſi ſunt aliquo modo cum eo per fidẽ. Quomodo autẽ Deus habitet in bonis, ex illis aliquatenus intelligere valebis, quæ ſuprà dicta ſunt, cum de Spiritus ſancti proceſſione temporali ageretur: vbi, licet ex parte, exponitur(ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus) quomodo Spiritus ſanctus habitet in nobis, qui nõ ſine Patre & Filio inhabitat.*

Eſa.66 a

Sap.7.d. & 9.a

Tomo 2. Epiſt.28.

Ioan.17.d Tomo.9. Tract.3.

Diſt.14.

1.Cor.13.c

CAP. III.

Vbi erat vel habitabat Deus, antequam eſſet creatura.

SI autem quæris, vbi habitabat Deus *, antequam Sancti eſſent. Dicimus quia in ſe habitabat. Vnde Aug. in lib. iÿ. contra Maximinũ: In templo, inquit, ſuo habitat Deus, ſcilicet in Sanctis , qui ſunt tẽplum* Dei*, modò*[1] *ſecundum fidem ambulantes: & templum* Dei *erũt aliquãdo ſecundũ ſpeciem, qualiter etiã nũc templum* Dei *ſunt Angeli. Sed dicet aliquis, Antequam*

Cap.21.& li.2.ca.11.

A quam faceret Deus cælum & terram, antequam faceret Sãctos, vbi habitabat? In ſe habitabat Deus: apud te habitat, & apud ſe eſt. Nõ ergo Sancti ſic ſunt domus Dei, vt ea ſubtracta cedat Deus. Imò ſic habitat Deus in Sanctis, vt ſi ipſe diſceſſerit, cadant.

CAP. IIII.

Multa hîc breuiter docet, quæ confirmant prædicta.

Sciendum eſt etiam, quia vt ait Auguſtinus in li. ad Dardanum, dici niſi ſtultiſſimè nequit, Spiritum Tomo 2. Epiſt. 57. ſanctum non habere locum in noſtro corpore, quod totum anima noſtra impleuerit. Stultiùs dicitur etiam anguſtiis alicubi impediri Trinitatem, vt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, alicubi ſimul eſſe non poſ- B ſint. Verùm illud eſt multò mirabilius, quòd cũ Deus vbique ſit totus, non tamen in omnibus habitat. Quis porrò audeat opinari, niſi inſeparabilitatem Trinitatis penitus ignoret, quòd in aliquo poſſit habitare Pater & Filius, in quo non habitet Spiritus ſanctus? aut in aliquo Spiritus ſanctus, in quo nõ habitet Pater, & Filius? Fatendũ eſt ergo vbique eſſe Deum per diuinitatis præſentiam: ſed non vbique per inhabitationis gratiam. Propter hanc enim inhabitationem gratiæ non dicimus, Pater noſter qui es vbique, cùm & Lucæ 11. a Mat. 6. b hoc verum ſit: ſed qui es in [1] cælis, id eſt, in Sanctis: in quibus eſt quodam excellentiori modo.

AD CAP. V.

Quod Deus inhabitator eſt quorundam nondum cognoſcentium Deum, & non quorundam cognoſcentium.

ILLVD quoque mirabile eſt, quia, vt ait Auguſti- C nus in eodem, Deus eſt inhabitator quorundam nondum cognoſcentium Deum, & non [1] quorundam cognoſcentium Deum. Illi enim ad templum Dei non pertinent, qui cognoſcentes Deũ non ſicut Deum glorificant. Ad templum Dei pertinent paruuli ſanctificati ſacramento Chriſti, & regenerati Spiritu ſancto, Rom. 1. e qui nondum valent cognoſcere Deum. Ergo quem potuerunt illi noſſe nec habere, iſti potuerunt habere antequam noſſe. Beatiſſimi autem ſunt illi, quibus eſt Deum habere, quod noſſe. Hîc aliquatenus aperit Auguſtinus, quomodo Deus habitet in aliquo, id eſt, habeatur: cùm videlicet ita eſt in aliquo, ab eo cognoſcatur & diligatur.

CAP. VI.

Quomodo Deus totus vbique ſit per eſſentiam, non poteſt intelligi ab humano ſenſu

EX prædictis patet, quòd Deus vbique totus eſt per eſſentiam, & in ſanctis habitat per gratiam. Cúmque ſuperiùs, licet tenuiter, oſtenſum ſit qua ratione dicatur habitare in quibuſdam, nunc afflagitaret ordinis ratio id etiam aſſignari, quomodo vtique per eſſentiam & totus ſit: niſi huius conſiderationis ſublimitas atque immenſitas humanæ mẽtis ſenſum omnino excederet. [1] Vt enim ait Chryſ. ſuper epiſtolam ad Hebr. Homil. 2. Sicut multa de Deo intelligimus, quæ loqui penitus non valemus: ita multa loquimur, quæ intelligere non ſumus idonei. Verbi gratia: quòd vbique Deus eſt ſcimus & dicimus: quomodo autem vbique ſit, intellectu non capimus. Item, quòd eſt incorporea quædam A virtus, quæ eſt omnium cauſa bonorum ſcimus, quomodo autem vel quæ iſta ſit penitus ignoramus.

CAP. VII.

Quorundam opinio, qui præſumunt oſtendere quomodo Deus vbique ſit per eſſentiam, potentiam, præſentiam.

QVIDAM tamen immenſa ingenio ſuo metiri præſumentes, hoc ita fore intelligendum tradiderunt, quòd Deus vbique per eſſentiam eſſe dicitur: non quòd Dei eſſentia proprie ſit in omni loco, & in omni creatura: ſed quia omnis natura, atque omne quod naturaliter eſt, in quocunque loco ſit, per eum habet eſſe: & omnis locus, in quo illud eſt. Iidem etiam dicunt ideo Deũ vbiq; dici eſſe per præſentiã vel per potentiam, quia cũcta loca ſunt ei præſentia, & quæ in eis ſũt, nec in eis aliquid operari ceſſat. Nã & ipſa loca, & quicquid in eis eſt, niſi ipſe conſeruet, manere non poſſunt. In eis ergo per ſubſtantiã Deꝰ eſſe dicitur, vt aiunt, quia per virtutem propriæ ſubſtantiæ ſua facit vt etiam lo- B ca ſint, & omnia quæ in eis ſunt. Sed licet hæc vera ſint, quæ aſſerunt in explanandis intelligentiis prædictorum: in illis tamen verbis, quibus dicitur Deus vbique eſſe per eſſentiam, plus contineri credendum eſt, quod homo viuens capere non valet.

CAP. VIII.

Quòd Deus cùm ſit in omnibus rebus, non tamen ſordibus rerum inquinatur.

SOLET etiam ab eiſdem quæri, quomodo Deus ſubſtantialiter inſit omnibus rebus, & corporalium ſordium inquinationibus non contingatur: quod tam friuolum eſt, vt nec reſponſione ſit dignum, cùm etiam Spiritus creatus ſordibus corporeis etiam leproſi vel quantumcunque polluti inquinari non poſſit. Sol C quoque radios ſuos ſine ſui pollutione effundit ſuper loca & corpora non ſolùm munda, ſed etiam immũda ac ſordibus fœtentia, quorum contactu homines & aliæ quædã res inficiũtur: Solis verò radij impolluti & incontaminati ea contingentes exiſtunt. Non eſt ergo mirandum ſi eſſentia diuina omnino ſimplex & incommutabilis omnia replet loca, & omnibus creaturis eſſentialiter ineſt, nec tamen cuiuſquam rei ſordibus contamnatur vel contingitur. Vnde Auguſt. in lib. Tom. 6. Cap. 29. de Natura boni, Cùm in Deo, inquit, ſint omnia quæ Sap. 8. a condidit, non tamen inquinant eum illi qui peccant. De cuius etiam ſapientia, quæ attingit à fine vſque Aug. li de agone Chriſtiano. cap. prius citate. ad finem fortiter, dicitur, Attingit omnia, propter ſuã munditiam, & nihil inquinatum in eam incurrit. Timent quidam, quod fieri non poteſt, ſcilicet ne humana carne veritas & ſubſtantia Dei inquinetur, & tamen prædicant iſtum viſibilem Solem radios ſuos per omnes feces & ſordes ſpargere, & eos mundos & ſynceros ſeruari. Si ergo viſibilia munda à viſibilibus immundis contingi poſſunt, & non inquinari: quantò magis inuiſibilis & incõmutabilis veritas? Poſtremò reſpondeant quid potiùs de Deo reſpondendum exiſtiment: vel quòd nuſquam per eſſentiam ſit, vel

A Tertium Lombardi vitium, & hic quoque, eſt inepta locorum S. Scripturæ ad ſuum ſcopum accommodatio, aut potius eorũ deprauatio, quod certè in Magiſtro Theologiæ peccatum eſt minimè ferendum. Quod dicimus, apparet eſſe verum ex Pſal. 16. 74. & 137. ab iſto citatis cap. 2. ſed mirum in modum detortis, & à ſuo ſenſu eluxatis.

Quarta animaduerſio noſtra in eo eſt, quod pulcherrimam & planiſsimam Aug. ſententiam, iſte falſa ſua gloſſa cap. 1. corrumpit, dum hæc illius verba, *Natura ſua*, torquet.

Quinta denique, ac vltima eſt, quod iſte ſeipſum imprudens cap. 2. euertit. Nam vt probet peccata non eſſe in Deo, affert illud ex Actis Apoſt. cap. 17. *In ipſo viuimus.* Hoc verò docet omnes homines ſiue bonos, ſiue malos à Deo eſſe & viuere, ex eóque potius oſtenderetur malos, & eorum peccata à Deo eſſe (quod vel cogitare eſt nefas) quã nõ eſſe. Sed iſte quid ſcribat, nõ attendit.

B

DISTINCTIO XXXVII.

Quibus modis dicatur Deus eſſe in rebus.

CAP. I.

ET quoniam demonſtratum eſt ex parte, quomodo omnia dicantur eſſe in Deo, addendum videtur hîc, quibus modis dicatur Deus eſſe in rebus: ſi tamen id humana mens vel ex parte dignè valeat cogitare, vel lingua ſufficiat eloqui. Sciendum ergo eſt, quòd Deus *incommutabiliter ſemper in ſe exiſtens, præſentialiter, potentialiter, eſſentialiter eſt in omni natura ſiue eſſentia ſine ſui definitione, & in omni loco ſine circunſcriptione, & in omni tempore ſine mutabilitate. Et præterea in Sanctis ſpiritibus & animabus eſt excellentiùs, ſcilicet per gratiam inhabitans: & in Homine Chriſto excellentiſsimè, in quo plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat, vt ait Apoſtolus.* Coloſ. 2. b C *In eo enim* Deus *habitauit, non per gratiam adoptionis, ſed per gratiam vnionis. Ne autem iſta (quia capacitatem humanæ intelligentiæ excedunt) falſitatis arguere aliqui præſumant, Sanctorum autoritatibus muniẽda mihi videntur. Beatus * Gregorius ſuper Cantica Cantic. inquit, Licet Deus communi modo omnibus rebus inſit præſentia, potentia, ſubſtantia: tamen familiariori modo per gratiam dicitur eſſe in illis, qui mirificentiam operum Dei acutiùs & fideliùs conſiderant. De hoc enim eodem Auguſtinus ad* Dardanum *in libro de Præſentia* Dei *ait,* [1] *Cùm Deus ſit natura incorporea & incommutabiliter viua, æterna ſtabilitate in ſeipſo manens, totus adeſt rebus omnib. & ſingulis totus: ſed in quib. habitat, habent eũ pro ſua capacitatis diuerſitate, alij ampliùs, alij minus, quos ipſe ſibi dilectiſsimum templum gratia ſuæ bonitatis ædificat. Hilarius quoque in lib. octauo de Trin. apertiſſimè docet* Deũ *vbiq; eſſe. Deus, inquit, immenſæ virtutis viuens poteſtas, quæ nuſquã non adſit, non deſit vſquam, ſe omnem per ſua edocet, vt* [3] *vbi ſua ſint, ipſe eſſe intelligatur. Non autem corporali modo cùm alicubi ſit, non etiam vbique eſſe credatur, cùm & in omnibus eſſe non deſinat. Ambroſius in primo libro de Spiritu ſancto,* Spiritum *ſanctum probat non eſſe creaturam, quia vbique eſt, quod eſt proprium diuinitatis: ita dicens,* [4] *Cùm omnis creatura certis naturæ ſuæ ſit circunſcripta limitibus, quomodo quis audeat* A *creaturam appellare Spiritum ſanctum, qui non habet circunſcriptam determinatámque virtutem, quæ & in omnibus, & vbique ſemper eſt: quod vtique diuinitatis & dominationis eſt proprium? Idem in eodem, Domini eſt omnia complere, qui dicit,* Cœlum *& terram ego compleo. Si ergo Dominus eſt qui cœlum complet & terram, quis ergo poteſt Spiritum ſanctũ iudicare dominationis & diuinæ poteſtatis exortẽ, qui repleuit orbem?* [5] *& quod plus eſt, repleuit & Ieſum, totius mũdi redemptorem? Ex his aliiſq; pluribus autoritatibus apertè monſtratur, quòd* Deus *vbiq; in omni creatura eſſentialiter, præſentialiter, & potentialiter eſt.*

* Non inuenitur ſuper cantica, ſed ad ſenſum per Eze. Hom. 8. circa medium.
Tomo 2. Epiſt. 57. Cap. 7. in principio & Aug. Li. 3. contra Maximinum. cap. 21.
Libr. & cap. eiſdẽ.
Non longè à medio lib.

Hier. 23. d
Sap. 1. b
Eſa. 11. a

CAP. II.

Quòd in Sanctis non modò eſt, ſed etiam habitat, qui non vbicunque eſt, habitat.

IN Sanctis verò etiam habitat, in quibus eſt per gratiam. Non enim vbicunque eſt, ibi habitat: vbi verò habitat, ibi eſt. B *In ſolis bonis habitat, qui ſunt templum eius, & ſedes eius. Vnde per Eſaiam dominus ait, Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum:* Eſa. 66 a *quia in electis, qui ſunt cælum, habitat* Deus *& regnat, qui eius voluntati deuoti obtemperant: malos verò qui ſunt terra, iudicij diſtrictione calcat. Vnde in lib. Sap. dicitur Thronus ſapientiæ anima iuſti,* Sap. 7. d. & 9. a *quia in iuſtis ſpecialiùs eſt quàm in aliis rebus: in quibus tamen omnibus totus eſt. quemadmodum anima, ait Auguſtinus, in epiſtola ad Hieronymum de Origine animæ,* Tomo 2. Epiſt. 28. *per omnes particulas corporis tota adeſt ſimul, nec minor in minoribus, nec maior in maioribus: ſed tamen* [1] *in aliis intentiùs, & in aliis remiſſiùs operatur, cùm in ſingulis particulis corporis eſſentialiter tota ſit. Ita & Deus cùm ſit in omnibus eſſentialiter ac totus, in illis tamen pleniùs eſſe dicitur quos inhabitat, id eſt, in quibus ita eſt, vt faciat eos templũ ſuum: & hi tales cum eo ſunt iam ex parte, ſed in beatitudine perfectè. Mali verò, etſi ibi ſint, vbi ipſe eſt (qui nuſquam deeſt) non tamen ſunt cum eo.* C *Vnde Auguſt. ſuper Ioan.* [2] Ioan. 17. d Tomo. 9. Tract. 3. *Non ſatis fuit dicere, Vbi ego ſum, & illi ſint: ſed addidit, mecum: quia & ibi miſeri poſſunt eſſe, vbi & ille eſt, qui nuſquam deeſt. Sed beati ſunt cum illo, quia non ſunt beati, niſi ex eo quòd cum illo ſunt, qui fruuntur eo, & vident illum ſicut eſt. Mali verò non ſunt cum illo, vt cæci in luce non ſunt cum luce: nec boni ita nunc ſunt cũ eo vt videant per ſpeciẽ, etſi ſunt aliquo modo cum eo per fidẽ. Quomodo autẽ Deus habitet in bonis, ex illis aliquatenus intelligere valebis, quæ ſuprà dicta ſunt,* Diſt. 14. *cum de Spiritus ſancti proceſſione temporali ageretur: vbi, licet ex parte, exponitur (ex parte enim cognoſcimus,* 1. Cor. 13. c *& ex parte prophetamus) quomodo Spiritus ſanctus habitet in nobis, qui nõ ſine Patre & Filio inhabitat.*

CAP. III.

Vbi erat vel habitabat Deus, antequam eſſet creatura.

SI autem quæris, vbi habitabat Deus*, antequam Sancti eſſent. Dicimus quia in ſe habitabat. Vnde Aug. in lib. iij. contra Maximinũ:* Cap. 21. & li. 2. ca. 11. *In templo, inquit, ſuo habitat Deus, ſcilicet in Sanctis, qui ſunt tẽplum* Dei, *modò* [1] *ſecundum fidem ambulantes: & templum* Dei *erũt aliquãdo ſecundũ ſpeciem, qualiter etiã nũc templum* Dei *ſunt Angeli. Sed dicet aliquis, Antequam*

A quam faceret Deus cælum & terram, antequam faceret Sãctos, vbi habitabat? In ſe habitabat Deus: apud te habitat, & apud ſe eſt. Nõ ergo Sancti ſic ſunt domus Dei, vt ea ſubtracta cedat Deus. Imò ſic habitat Deus in Sanctis, vt ſi ipſe diſceſſerit, cadant.

CAP. IIII.

Multa hîc breuiter docet, quæ confirmant prædicta.

Sciendum eſt etiam, quia vt ait Auguſtinus in li. Tomo 2. Epiſt. 57. ad Dardanum, dici niſi ſtultiſſimè nequit, Spiritum ſanctum non habere locum in noſtro corpore, quod totum anima noſtra impleuerit. Stultiùs dicitur etiam anguſtiis alicubi impediri Trinitatem, vt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, alicubi ſimul eſſe non poſ- B ſint. Verùm illud eſt multò mirabilius, quòd cũ Deus vbique ſit totus, non tamen in omnibus habitat. Quis porrò audeat opinari, niſi inſeparabilitatem Trinitatis penitus ignoret, quòd in aliquo poſſit habitare Pater & Filius, in quo non habitet Spiritus ſanctus? aut in aliquo Spiritus ſanctus, in quo nõ habitet Pater, & Filius? Fatendũ eſt ergo vbique eſſe Deum per diuinitatis præſentiam: ſed non vbique per inhabitationis gratiam. Propter hanc enim inhabitationem gratiæ non dicimus, Pater noſter qui es vbique, cùm & Lucæ 11. a Mat. 6. b hoc verum ſit: ſed qui es in [1] cælis, id eſt, in Sanctis: in quibus eſt quodam excellentiori modo.

AD CAP. V.

Quod Deus inhabitator eſt quorundam nondum cognoſcentium Deum, & non quorundam cognoſcentium.

ILLVD quoque mirabile eſt, quia, vt ait Auguſti- C nus in eodem, Deus eſt inhabitator quorundam nondum cognoſcentium Deum, & non [1] quorundam cognoſcentium Deum. Illi enim ad templum Dei non pertinent, qui cognoſcentes Deũ non ſicut Deum glorificant. Ad templum Dei pertinent paruuli ſanctifi- Rom. 1. e cati ſacramento Chriſti, & regenerati Spiritu ſancto, qui nondum valent cognoſcere Deum. Ergo quem potuerunt illi noſſe nec habere, iſti potuerunt habere antequam noſſe. Beatiſſimi autem ſunt illi, quibus eſt Deum habere, quod noſſe. Hîc aliquatenus aperit Auguſtinus, quomodo Deus habitet in aliquo, id eſt, habeatur: cùm videlicet ita eſt in aliquo, ab eo cognoſcatur & diligatur.

CAP. VI.

Quomodo Deus totus vbique ſit per eſſentiam, non poteſt intelligi ab humano ſenſu

EX prædictis patet, quòd Deus vbique totus eſt per eſſentiam, & in ſanctis habitat per gratiam. Cúmque ſuperiùs, licet tenuiter, oſtenſum ſit qua ratione dicatur habitare in quibuſdam, nunc afflagitaret ordinis ratio id etiam aſſignari, quomodo vtique per eſſentiam & totus ſit: niſi huius conſiderationis ſublimitas atque immenſitas humanæ mẽtis ſenſum omnino ex- Homil. 2. cederet. [1]Vt enim ait Chryſ. ſuper epiſtolam ad Hebr. Sicut multa de Deo intelligimus, quæ loqui penitus non valemus: ita multa loquimur, quæ intelligere non ſumus idonei. Verbi gratia: quòd vbique Deus eſt ſci- A mus & dicimus: quomodo autem vbique ſit, intellectu non capimus. Item, quòd eſt incorporea quædam virtus, quæ eſt omnium cauſa bonorum ſcimus, quomodo autem vel quæ iſta ſit penitus ignoramus.

CAP. VII.

Quorundam opinio, qui præſumunt oſtendere quomodo Deus vbique ſit per eſſentiam, potentiam, præſentiam.

QVIDAM tamen immenſa ingenio ſuo metiri præſumentes, hoc ita fore intelligendum tradiderunt, quòd Deus vbique per eſſentiam eſſe dicitur: non quòd Dei eſſentia proprie ſit in omni loco, & in omni creatura: ſed quia omnis natura, atque omne quod naturaliter eſt, in quocunque loco ſit, per eum habet eſſe: & omnis locus, in quo illud eſt. Iidem etiam dicunt ideo Deũ vbiq; dici eſſe per præſentiã vel per potentiam, quia cũcta loca ſunt ei præſentia, & quæ in eis ſũt, nec in eis aliquid operari ceſſat. Nã & ipſa loca, & quicquid in eis eſt, niſi ipſe conſeruet, manere non poſſunt. In eis ergo per ſubſtantiã Deꝰ eſſe dicitur, vt aiunt, quia per virtutem propriæ ſubſtantiæ ſuæ facit vt etiam lo- B ca ſint, & omnia quæ in eis ſunt. Sed licet hæc vera ſint, quæ aſſerunt in explanandis intelligentiis prædictorum: in illis tamen verbis, quibus dicitur Deus vbique eſſe per eſſentiam, plus contineri credendum eſt, quod homo viuens capere non valet.

CAP. VIII.

Quòd Deus cùm ſit in omnibus rebus, non tamen ſordibus rerum inquinatur.

SOLET etiam ab eiſdem quæri, quomodo Deus ſubſtantialiter inſit omnibus rebus, & corporalium ſordium inquinationibus non contingatur: quod tam friuolum eſt, vt nec reſponſione ſit dignum, cùm etiam Spiritus creatus ſordibus corporeis etiam leproſi vel quantumcunque polluti inquinari non poſſit. Sol C quoque radios ſuos ſine ſui pollutione effundit ſuper loca & corpora non ſolùm munda, ſed etiam immũda ac ſordibus fœtentia, quorum contactu homines & aliæ quædã res inficiũtur: Solis verò radij impolluti & incontaminati ea contingentes exiſtunt. Non eſt ergo mirandum ſi eſſentia diuina omnino ſimplex & incommutabilis omnia replet loca, & omnibus creaturis eſſentialiter ineſt, nec tamen cuiuſquam rei ſordibus contamnatur vel contingitur. Tom. 6. Cap. 29. Vnde Auguſt. in lib. de Natura boni, Cùm in Deo, inquit, ſint omnia quæ Sap. 8. a condidit, non tamen inquinant eum illi qui peccant. De cuius etiam ſapientia, quæ attingit à fine vſque Aug. li de agone Chriſtiano. cap. prius citate. ad finem fortiter, dicitur, Attingit omnia, propter ſuã munditiam, & nihil inquinatum in eam incurrit. Timent quidam, quod fieri non poteſt, ſcilicet ne humana carne veritas & ſubſtantia Dei inquinetur, & tamen prædicant iſtum viſibilem Solem radios ſuos per omnes feces & ſordes ſpargere, & eos mundos & ſynceros ſeruari. Si ergo viſibilia munda à viſibilibus immundis contingi poſſunt, & non inquinari: quantò magis inuiſibilis & incõmutabilis veritas? Poſtremò reſpondeant quid potiùs de Deo reſpondendum exiſtiment: vel quòd nuſquam per eſſentiam ſit, vel

A *quòd vbique, vel quòd alicubi, ita quòd non vbique? Sed quis audeat dicere, quòd nuſquam diuina eſſentia ſit, vel quòd alicubi, & non vbique ſit? Si enim eſt ita alicubi, quòd non vbique, ergo localis eſt. Eſt ergo vbique tota quæ continet totũ: & penetrat totum, quæ nec pro ſui ſimplicitate diuidi, nec pro ſui puritate maculari, nec pro ſui immenſitate vllo modo comprehendi poteſt. Vnde Auguſtinus, Deus vbique eſt, cui non locis, ſed [1] actionibus propinquamus.*

Libro de doct. Chriſtiana, 5. cap. 10

CAP. IX.

Quòd Deus vbique ſit, & in omni tempore, non tamen localis eſt, non circunſcriptibilis, nec loco nec tempore mouetur.

CVMQVE diuina natura veraciter & eſſentialiter ſit in omni loco & in omni tempore, non tamen mouetur per loca vel per tempora, nec localis nec temporalis eſt. Localis non eſt, quia penitus non circunſcribitur loco: quia nec ita eſt in vno loco, quòd non ſit B *in alio. Neq; dimenſionem habet, ſicut corpus, cui ſecundum locũ aſſignatur principium, medium, & finis, & antè & retrò, dextrum & ſiniſtrum, ſurſum & deorſum: quod ſui interpoſitione facit diſtantiam circunſtantium.* D*uobus nánque his modis dicitur in Scriptura aliquid locale, ſiue circumſcriptibile, & è conuerſo: ſcilicet, vel quia dimenſionem capiens longitudinis, altitudinis, & latitudinis, diſtantiam facit in loco, vt corpus: vel quia loco definitur ac determinatur, quoniam cũ ſit alicubi, nõ vbique inuenitur: quod non ſolùm corpori, ſed etiam omni creato Spiritui congruit. Omne ergo corpus omni modo locale eſt. Spiritus verò creatus quodammodo eſt localis, & quodammodo non eſt localis. Localis quidem dicitur, quia definitione loci terminatur: quoniam cùm alicubi præſens ſit totus, alibi non inuenitur. Non autem ita localis eſt, vt dimenſionem capiens diſtantiam in loco faciat. Diuina ergo ſola eſſentia omnino illocalis & incircumſcriptibilis eſt: quæ nec locis mouetur aliquo modo, ſcili-* C *cet vel determinatione finita vel dimenſione ſuſcepta: nec temporibus, ſed affectu & cognitione mouetur. His enim duobus modis, ſcilicet loco vel tempore, fit mutatio creaturæ, quæ longè eſt à creatore. Vnde Auguſtinus ſuper Gene.* D*eus, inquit, omnipotens incommutabili æternitate, voluntate, veritate ſemper idem mouet per tempus creaturam ſpiritualem: mouet etiam per tempus & locum creaturam corporalem, vt eo motu naturas, [1] quas condidit, adminiſtret. Cùm ergo tale aliquid agit, non debemus opinari eius ſubſtantiam, quæ* D*eus eſt, temporibus locíſque mutabilem, ſiue per tempora & loca mobilem, cùm ſit ipſe & interior omni re, quia in ipſo ſunt omnia: & exterior omni re, quia ipſe eſt ſuper omnia: & antiquior omnibus, quia ipſe eſt ante omnia: & nouior omnibus, quia ipſe idem poſt omnia, ſcilicet poſt omnium initia. Ecce hîc apertè oſtenditur, quòd nec locis, nec temporibus mutatur vel mouetur* D*eus. Spiritualis autẽ creatura per tempus mouetur, corporalis verò etiam per tempus & locum.*

Lib. 8. cap. 16. in Tomo 3.

CAP. X.

Quid ſit mutari ſecundum tempus.

MVTARI autem per tempus eſt variari ſecundum qualitates interiores vel exteriores, quæ ſunt in ipſa re quæ mutatur: vt quando ſuſcipit viciſsitu- A *dinem gaudij, doloris ſcientiæ, obliuionis: vel variationem formæ, ſiue alicuius qualitatis exterioris. Hæc enim mutatio, quæ fit ſecundum tempus, variatio eſt qualitatem, quæ fit in corporali vel ſpirituali creatura: & ideo vocatur tempus.*

CAP. XI.

Opinio quorundam, qui dicunt Spiritus creatos non moueri loco, nec eſſe locales.

D*E mutatione verò loci magna inter conquirentes diſceptatio verſatur. Sunt enim qui dicunt nullum Spiritum aliquo modo poſſe mutari loco, ab omni Spiritu locum vniuerſaliter remouere volentes: quoniam ſecundum dimenſionem tantùm & circumſcriptionem locum conſtare aſſerunt, atque id ſolum eſſe locale, vel in loco eſſe dicunt, quod dimenſionem recipit, & diſtantiam in loco facit. Et hoc dicunt Auguſtinum ſenſiſſe mutationem temporis tantùm ſpirituali* B *creaturæ tribuentem: loci verò & temporis, corporeæ.*

CAP. XII.

Hîc reſpondetur eis.

SED, vt ſuprà diximus, dupliciter dicitur eſſe res localis vel circumſcriptibilis: ſcilicet vel quia dimenſionem recipit & diſtantiam facit, vel quia loci termino definitur: quorum vtrumque conuenit corporeæ creaturæ, alterum verò tantùm ſpirituali. Nam vt ſuprà diximus, corporalis creatura ita eſt localis vel circũſcriptibilis, quòd determinatur definitione loci, & quòd dimenſionem recipiens diſtantiam facit: Spiritualis verò tantùm definitione loci concluditur, cùm ita ſit alicubi, quòd non alibi, ſed nec dimenſionem recipit, nec diſtantiam in loco facit, quia ſi multi eſſent Spiritus hîc, non eo coanguſtarent locum, quo minus de corporibus contineret. Ideóque Auguſti- C *nus attribuit mutationem loci corpori, non Spiritui: quia licet* Spiritus *tranſeat de loco ad locum, non tamen ita, vt dimenſionibus circumſcriptus, interpoſitione ſui faciat diſtantiam circumſtantiam, ſicut corpus.*

CAP. XIII.

Concluſio ex prædictis, quòd Spiritus creati ſunt locales & circumſcriptibiles quodammodo: Spiritus verò Dei omnino incircumſcriptibilis.

SVNT ergo Spiritus creati in loco & tranſeunt de loco ad locum, & quodammodo locales & circunſcriptibiles, ſed non omni eo modo quo creaturæ corporeæ. Spir. autem increatus qui D*eus eſt, in loco quidem eſt, & in omni loco, ſed omnino illocalis eſt & incircunſcriptibilis. Vnde Beda ſuper Lucam ait: Cùm ad nos Angeli veniunt, ſic exterius implent miniſterium, vt tamen ante Deum interiùs per contemplationem aſsiſtant: quia etſi Angelus eſt Spiritus circunſcriptus, ſummus tamen Spiritus qui Deus eſt, incircunſcriptus eſt, intra quẽ currit Angelus quocunq; mittatur. Ecce hîc dicitur quia ſpiritus Angelicus circunſcriptus eſt: Spiritus autẽ, qui* D*eus eſt, incircũſcriptus. Alibi etiam Ambroſius diſtantiã oſtendens inter*

Eſaiç 6. b

Commentariorum li. 1. ad ca. 1. circa illud, ego ſum Gabriel qui aſto ante Deum, & Greg. Hom. 34. ſuper Lucæ. 15. cap.

A *inter Spiritum increatum, & Spiritum creatum, dicit Seraphin de loco ad locum tranſire, inquiens ita in libro de Trinitate. Dixit Eſaias, quia miſſus eſt ad me vnus de Seraphin. Et Spiritus quidem ſanctus dicitur miſſus, ſed Seraphin ad vnum, Spiritus verò ad omnes. Seraphin mittitur in miniſterio, Spiritus operatur miniſterium. Seraphin de loco ad locum tranſit: non enim complet omnia, ſed ipſe repletur à Spiritu. Hic apertè oſtenditur, quòd Angeli quodammodo locales ſunt.*

Li de Spi. S. 1. c. 9. & 10.
Eſaiæ 6. c

CAP. XIIII.

Cùm repetitione ſuperiorum confirmat autoritatibus, Deum eſſe vbique ſine locali motu.

Sap. 8. g
B

FATEAMVR itaque diuinam naturam pro immenſitate ſui nuſquam deeſſe, eámque ſolam omnino illocalem, & omnino incircunſcriptibilem nullo concludi loco, ſed à fine vſque ad finem attingere, non tamen ſpatioſa magnitudine, nec locali motu, ſed immenſitate atque immobilitate ſuæ eſſentiæ. Vnde Auguſtinus ad Dardanum ait, Non quaſi ſpatioſa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, ſicut fumus, aut lux iſta diffunditur: ſed potiùs ſicut in duobus ſapientibus (quorum alter altero corpore grandior eſt, ſed ſapientior non eſt) vna ſapientia eſt, nec eſt in maiore maior, nec in minore minor, nec minor in vno quàm in duobus:[1] *ita Deus ſine labore regens & continens mundum, in cælo totus eſt, in terra totus, & in vtroque totus, & nullo contentus loco, ſed in ſeipſo vbique totus. Idem quoque ſuper Pſal. ait, Ad verbum Dei pertinet non eſſe in parte, ſed vbique eſſe per ſeipſum. Hæc enim eſt ſapientia* Dei, *quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter, non tamen motu locali, ſed*[2] *immobilitate ſui: veluti ſi moles aliqua ſaxea impleat aliquem locum, dicitur quod attingit à fine illius loci vſque ad finem, cùm tamen alterum non deſerat alterum occupando. Non ergo habet motum localem verbum illud, & ſapientia illa, ſolida eſt & vbique. Ex prædictis innoteſcit, quod Deus eſt ita vbique per eſſentiam, quod nec ſpatioſa magnitudine diffunditur, nec vno deſerto loco alium occupat, quia localem motum non habet. Ideóque Auguſtinus volens præſcindere à Dei puritate omnem localem motum & localem circunſcriptionẽ, potius dicit omnia eſſe in illo, quàm ipſum eſſe alicubi, nec tamen ipſum eſſe locum, qui non eſt in loco, in lib. 83. q. ita inquiẽs: Deus non alicubi eſt. Quod alicubi eſt continetur loco: quod continetur loco corpus eſt:* Deus *autem non eſt corpus: non ergo alicubi eſt. Et tamen quia eſt, & in loco non eſt: in illo ſunt potius omnia*[3] *quàm ille alicubi: nec tamen ita in illo, vt ipſe ſit locus. Locus enim in ſpatio eſt, quòd longitudine & latitudine & altitudine corporis occupatur, nec Deus tale aliquid eſt: & omnia ergo in ipſo ſunt: & locus non eſt, nec in loco eſt: locus tamen Dei, ſed impropriè, dicitur templum Dei, non quòd eo contineatur. Id autem nihil meliùs quàm anima munda intelligitur. Ecce hic dicit Deum non eſſe in loco, ſed intelligendum eſt eum non eſſe in looo localiter, ſcilicet quia nec circunſcriptionem, nec localem motum habet.*

Tomo 2. Epiſt 57.
In tom. 8. in Pſalmũ 147 ſuper illud, velocitet currit.
C
In tom. 4. Qu. 20.

CAP. XV.

Oppoſitio, qua videtur probari quòd Deus mutetur loco.

AD hoc autem ſolet opponi ſic, quotidie fiunt creaturæ quæ antè non erant, & in eis Deus eſt, cùm antè non eſſet in eis: eſt ergo vbi antè non erat, ideóque mutabilis eſſe videtur. Sed licèt quotidie incipiat eſſe in creaturis, in quibus antè non erat, quia illæ non erant: hoc tamen fit ſine ſui mutatione, qualiter in mundo cœpit eſſe quem fecit, tamen ſine ſui mutabilitate, & ſimiliter deſinit eſſe in quibus antè erat ſine ſui mutatione: nec tamen ipſe deſerit locum, ſed locus deſinit eſſe.

CAP. XVI.

Epilogus, vbi exponitur quare in prædictam venerit diſceptationem.

A Diſt. 35. Epilogus.
B

IAM ſufficienter demonſtratum eſſe videtur, quomodo omnia dicantur eſſe in Deo, & Deus in omnibus, quam diſceptationem quaſi incidenter ſuſcepimus: quia id videbatur poſtulare res, circa quam noſter verſabatur ſermo. Diſſerebamus enim de ſcientia ſiue ſapientia Dei: *& cùm diceremus Deũ ſcire omnia, quæſitum eſt vtrùm propter cognitionem quam de omnibus habet, dicerentur omnia eſſe in Deo, an alia ratione hoc diceret Scriptura. Huius ergo quæſtionis occaſio in præmiſſam nos deduxit diſputationem.*

AD DISTINCTIONEM XXXVII.

AD CAP. I.

1 *Beatus Gregorius.* Rectè annotatum eſt in margine, nuſquam inueniri iſtum Gregorij locum. Itaque eſt ἀμάρτημα μνημονικὸν, vti quod ſuprà Diſtinct. 35. hoc ipſo libro capite ſexto, ex Ambroſio citabatur: & alibi ex incerto autore, Diſt. 17. ca. 8. cùm ſit Caſſiodori. Quo fœdior eſt Thomæ in 1. parte Quæſt. 8. Art. 3. & Durandi hoc loco, negligentia, & certè ſupina, qui hunc velut ex Gregorio locum citant, Lombardo fidentes: ipſum autem Gregorij Codicem minimè interim conſulentes. Et quod eſt annotatum in Homil. 67. ad verba cap. 5. verſ. 17. *Quò abiit dilectus meus, &c.* iſtam Gregorij ſententiam reperiri, eſt falſiſſimum, & ab iis dictum, qui ne ipſum quidem Gregorij nomen fortaſſe vnquam audiuerant.

C

2 *Cùm Deus ſit.* Multa hîc ſunt commutata, ne dicam contaminata: quædam etiam prætermiſſa pro dictatoria iſtius ſcriptoris autoritate. Itaque in ſuos articulos hunc locum reſtituere volumus. Sic igitur Auguſtinus, poſteaquam docuit ſonum, qui æquè omnibus, & non variè per ſe, id eſt, non magis minúſve per ſeſe inſonat, tamen non ęqualiter ab omnibus eum audientibus capi, ſubiicit, *Quanto excellentiùs* D*eus natura incorporea, & immutabiliter viua, (qui non ſicut ſonus per moras temporum tendi & diuidi poteſt: nec ſpatio aereo tanquam loco ſuo indiget, vbi præſentibus præſto ſit) totus adeſſe rebus omnibus poteſt, & ſingulis totus, &c.* Ergo tota parentheſis omiſſa eſt: & *adeſſe poteſt* in *adeſt*, commutatum, atque ita tota vis argumenti Auguſtiani exufflata.

3 *Vt vbi ſua ſint.* Obſcurus locus propter detruncationem à Lombardo factam. Quomodo enim intelligi poteſt, D*eum eſſe, vbi ſua ſunt.* Huiꝰ rationem addidit Hilarius, quam iſte prætermiſit truncata ſerie orationis, nempe, *quia* D*eus ſua*

A *non aliud quàm ſe eſſe ſignificat.* Ex quo iam perſpicua fit tota hæc oratio. Poſtea verò eandem lucē idem iſte abſtulit Hilario dicēti *Deum in omnibus per ſua eſſe non deſinere*, quoniam ſubiicit ſtatim ibidem Hilarius, *Non aliud ſint quàm quod eſt ipſe, quæ ſua ſunt.* Atque ſic Lombardus hîc Hilarium tractauit.

4 *Cùm omnis creatura.* Sic Ambroſius, *Cùm igitur omnis creatura certis naturæ ſuæ ſit circunſcripta limitibus, (ſiquidem & illa inuiſibilia opera, quæ non queunt locis & finibus comprehendi ſubſtantiæ ſuæ tamen proprietate clauduntur) quomodo quis audeat creaturam appellare Spiritum ſanctum, qui non habeat circūſcriptam, determinatámque virtutem? Quia & in omnibus, & vbique ſemper eſt?* Lombardus B igitur hîc bis peccat. Primùm omittens pulcherrimam & verè auream illam Ambroſij ſententiam, quæ parentheſi clauditur, quæque & latiniſſimè & breuiſſimè explicat, quomodo Angeli & animæ hominum ſint in loco, nempe *proprietate ſuæ ſubſtantiæ*: quod iſte explicare poſtea non potuit, quātumuis laboraret: Id diſcipuli barbarè dicūt, *Spiritus eſſe in loco definitiuè*, Ambroſius autem *proprietate ſubſtantiæ* elegantiſſimè dixerat. Sed non faciebat ad Lombardi palatum tam bonus latinitatis ſuccus. Deinde peccat idem iſte, quòd *Quia* Ambroſianum commutauit in *Quæ*, vel elidens Ambroſij argumentum, vel reſtringuens præſen C tiam Spiritus ſancti in rebus, in quibus ineſt, ad ſolam potentiam & efficacitatem, cùm tamen Pater & Filius *Euter, præſenter, & potenter vbique eſſe* dicantur, etiam hoc ipſo Lombardo teſte initio huius capitis.

Porrò iſta Ambroſij ex Baſilio & Didymo grę cis autoribus, qui de Spiritu ſancto ſcripſerunt, ſumpta ſunt, quæ poſtea imitatus eſt Auguſtinus variis in locis: ſed imprimis libro tertio contra Maximianum Arianum capite 21.

5 *Et quod plus eſt.* Ambroſius ſic, *Qui repleuit orbem: &, (quod vltra totum orbē eſt) repleuit Ieſum mundi totius redemptorem. Scriptum eſt enim Ieſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane.* Qua fide verò iſte ſua pro Ambroſianis ſubſtituit?

AD CAP. II.

1 *Sed tamen in aliis* Quædam immutat. Pro *in aliis* habet Auguſtinus *alicubi*. Deinde addit iſte vocem *operatur*, quæ non eſt apud Auguſtinum, quanquam fortaſſe non extra mentem Auguſtini, Quid ſit autem animam alicubi eſſe, remiſſiùs explicatur & frigidiùs, hoc operandi vocabulo, quàm Auguſtiniana phraſi.

2 *Non ſatis fuit dicere*, Itā miſerè eluxatus eſt, & vulneratus hic locus, vt pro Auguſtiniano agnoſci penè iam non poſſit. Et ne ſigillatim omnia perſequamur quæ ſunt à Lombardo immutata, locum hunc vti apud autorem ipſum extat, fideliter tranſcribemus. Sic autem habet, *Propterea nimirum non ei ſatis fuit dicere, volo, vt ibi ego ſum, & illi ſint: ſed addidit, Mecum. Eſſe enim cum illo magnum bonum eſt.* (Hoc autem à Lombardo prętermiſſum eſt.) *Nam & miſeri eſſe poſſunt, vbi eſt ille, quoniam quicunque vbicunque fuerint, eſt & ille,* (Hæc immutata & pro iis alia ſubſtituta.) *Sed beati ſoli ſunt cum illo, quia beati eſſe non poſſunt, niſi ex illo.* Deinde quod ad ſequentem ſententiam, *Mali verò non ſunt,* &c. ſic habet Auguſtinus. *Ac per hoc,* A *vt de re viſibili, quamuis longè diſſimili qualecunque ſumamus exemplum, ſicut cæcus etiam ſi ibi ſit, vbi lux eſt, non eſt tamen ipſe cum luce, ſed abſens eſt à præſente: ita infidelis atque impius: aut etiam ſi fidelis, aut pius, nondum tamen ad intuendum lumen ſapientiæ idoneus, ſi etiam nuſquam eſſe poſſit, vbi non ſit Chriſtus, non eſt tamen ipſe cum Chriſto, duntaxat per ſpeciem. Nam hominem piè fidelem non eſt dubitandum cum Chriſto eſſe per fidem,* &c. Hæc ſunt ex quibus ſua ſumpſit Lombardus: quæ pro germanis vix iam poſſunt haberi.

AD CAP. III.

1 *Modo ſecundum fidem.* Hæc quæ ſequuntur non ſunt Auguſtini, tamē ab illius mēte non diſſident, præterquàm quod nuſquam ſiue lib. 3. ca. 21. ſiue lib. 2. cap. 11. contra Maximinum (vnde iſta ſumpta ſunt) meminit Auguſtinus Angelorum. Atque etiam addendum hic erat à Lombardo B *beati*, vt de quibus Angelis intelligeret, explicaret, quoniam ſunt & diaboli Angeli, & tamen nequaquam vel nunc, vel in poſterum templū Dei futuri, niſi iſte in Origenis caſtra tranſeat.

AD CAP. IIII.

1 *In cœlis, id eſt, in Sanctis,* In hoc Auguſtini dicto quædam ſunt immutata, ſed quæ condonari poterant, veluti quòd pro eo quod habet Auguſtinus *Illis* (aut *Vllis*) *anguſtiis*, iſte ſubſtituit *alicubi anguſtiis*: item pro his verbis Auguſtini *habitationem, vbi proculdubio gratia dilectionis eius agnoſcitur*, iſte habet *Habitationem gratiæ*. Iſtud verò poſtremum non poteſt tolerari, quod iſte *In cœlis* C interpretatur *In Sanctis*. Habet quidem Auguſt. *eſſe Deum in cœlis vt in ſuo templo*, & nos ipſos eſſe Dei templum, ſiue nunc, ſiue in cœlo ſpectemur: vocem tamen *cœlorum* ad ſolas Sanctorum perſonas Auguſtinus non reſtringit, quod tamen iſte & hic, & in ſequentibus facit.

AD CAP. V.

1 *Et non quorundam,* Μετάθεσις huius voculæ *Non*, quæ à Lombardo facta eſt, reddidit totum hunc locum obſcurum, qui tamen apud Auguſtinum eſt planus. Sic enim habet, *Et ideo multùm mirabilis res eſt, quemadmodum quorundam nondum cognoſcentium Deum ſit inhabitator Deus: & quorundam cognoſcentium non ſit,* &c.

AD CAP. VII.

1 *Vt enim ait Chryſoſtomus.* Quæ ſcripſit Chryſoſtomus περὶ ἀῤῥήτων καὶ ἀγνώστων Θεοῦ eadem quoque habet Damaſcenus lib. 1. cap. 2. de Orthodoxa fide, vt hoc breuiter annotemus.

AD CAP. VIII.

1 *Sed actionibus.* In ſuperiori teſtimonio Auguſtini, quod ex Agone Chriſtia. ſumptum eſt, quædam in ſerie commutata ab iſto fuerant. Sed hic omiſſa ſunt, quæ non debuerant prætermitti. Nā non habet Auguſtinus, vt iſte: ſed ſic, *Non*

enim

A *enim ad eum, qui vbique præſens eſt, locis mouemur: ſed bono ſtudio, boniſque moribus.* Ergo receſſit & à verbis & à mente Auguſtini Lombardus. A verbis, vt apertè apparet: A mente, quia non actionibus quibuſuis: ſed bonis tantùm ad eum accedimus. Hoc eſt quod ait Bernard. *Fide, non pede acceditur ad Deum.*

AD CAP. IX.

1 *Condidit.* Auguſt. habet *ſubſtituit*, niſi ſit mendoſus codex. Nullo autē ſenſus detrimento iſtud verbum Auguſtini Lombardus immutauit.

AD CAP. XIIII.

B

1 *Ita Deus ſine labore.* Hic locus, vti & ſuperior, ex eadem Auguſtini epiſtola ſumptus eſt, nempe ad Dardanum, quæ eſt 57. ſed ex diuerſis tamen illius partibus & locis. Itaque multa, quæ interiecta ſunt, hîc prætermittuntur: quædam etiam mutantur, ſed nullo ſententiæ Auguſtini incommodo: Quædam corriguntur, vt quòd hic legitur *Fumus*, & rectè, apud Auguſtinum corruptè habetur *Humus*, quia ſtatim ſequitur *Humor & aer.* Veterem lectionem qui ſequuntur, in eo falluntur, quòd ſic Auguſt. interpretantur, quaſi quatuor elementa illic enumeret Auguſtinus, & non potiùs rem ſimilitudine illuſtret.

C

2 *Sed immobilitate.* Variè mutilatus locus, & quod ad verba: & quoad ſenſum. Quod ad verba pro eo quod habet *vbi eſt* interrogatiuè Auguſtinus, iſte habet affirmatiuè, *vbique eſt*: pro eo quod *Motum* ſimpliciter habet ille, iſte addit vbique *localem.* Denique verba ipſa pro dictatoria ſua poteſtate iſte & peruertit, & mutat. Quod ad ſenſum autem. Negat apertè Auguſtinus ſic Deum eſſe vbique quadam immobilitate, vti ſaxea moles implet locum aliquem: Iſte contrà ſic eſſe vbique affirmat. Præterea iſte detraxit hæc verba Auguſtini de Verbo Dei vbique exiſtente loquentis, *Nondum aſſumpta carne*, quæ & pulcherrimam explicationem continent, & facillimam ſolutionem ad varias obiectiones. Vt autem iuſtior eſſe intelligatur noſtra reprehenſio, en verba ipſa Auguſtini ex commentario in Pſal. 147. repræſentata, *Velocitas ipſa, quid eſt fratres? Vbique eſt, non eſt in parte. Hoc pertinet ad verbum* Dei *non eſſe in parte: vbique eſſe per ſeipſum Verbum, (ex quo* Dei *virtus & ſapientia eſt) nondum aſſumpta carne. Si cogitemus Verbum* (aliàs Deum) *in forma Dei, Verbum æquale Patri, ipſa eſt ſapientia Dei, de qua dictum eſt, Attingit à fine vſque ad finem fortiter. Sed fortè immobilitate attingit. Si immobilitate tanquam moles aliqua ſaxea impleat locum aliquē, dicitur quòd attingit eiuſdem loci à fine vſque ad finem, non tamen motu. Quid ergo dicimus? Non habet motum Verbum illud, & ſapientia iſta ſolida eſt? Et vbi eſt, quod dicitur de Sapientiæ Spiritu? Cùm multa dicerentur, Acutus, inquit, Sap. 7. mobilis, certus, incoinquinatus, Sic vtique ſapientia Dei mobilis. Si ergo mobilis, quando hoc attingit, illud non tangit? Aut hoc tangit, illud deſerit? Et vbi velocitas? Hoc facit velocitas, vt & vbiq; ſemper ſit, nuſquam & incluſa teneatur. Sed cogitare iſta non poſſumus, pigri ſumus.* Hactenus Auguſtinus, qui quid cum Lombardo commune aut conſentiens habeat, iudicent omnes nullo præiudicio iam pręoccupati lectores. A

3 *Quàm ille.* Leuia hæc, ſed tamen quæ iſtius hominis audaciam, & in bonis authoribus contrectandis tyrannidem oſtendunt, quòd hîc quędam immutat. Nam pro *ipſe* ſubſtituit *ille* infrà pro *abuſiuè*, ſubſtituit *impropriè*: præterquā quòd omittit hæc verba, *ſed quod præſens ei* (templo nimirum ſuo) *eſt, in templo ſuo eſſe dicitur* Deus, quæ non debuerunt prætermitti.

Cenſura.

Quanquam ea, quæ ſuperius in hanc Diſtinctionem ſunt à nobis obſeruata, ſatis oſtendunt quot illa vitiis ſcateat, quia tamen habet etiam alia multa ἀπαραίτητα ἁμαρτήματα, ex iis quædam in B veræ Chriſtianæque Theologiæ candidatorum gratiam delibabimus & annotabimus. Neque enim viris ingenuis ſatis eſt, vt ait Plato, aliena reprehendere, niſi ſua quoque explicent.

Primùm autem, vel ipſo Lombardo teſte cap. 1. cap. 16. & cap. 1. ſequentis Diſtinctio. tota hæc Diſtinctio omnium longiſſima, eſt tamen mera digreſſio, & aberratio: adeò vt hic verè illud Græcorum vſurpare liceat πάρεργον ὡς ἔργον: καὶ ἔργον ὡς πάρεργον ποιούμεθα. Longior enim & prolixior eſt iſta diuagatio, quàm ſuperiores, aut ſequentes Diſtinctiones tres: quæ tamen argumentum ſuſceptum tractant. Sed & in hac ipſa digreſſione: alia quoque digreſſio ineſt, eáque tria capita integra complectens, nempe 11. 12. & 13. vt ex ipſis capitibus apparet. Itaque in diuerticulo ipſo diuerticulum ineſt. i. tenebræ tenebris ſunt additę.

Secundùm, habet confuſionem aliunde quoque, & magnam argumenti ſuſcepti perturbationem, quòd diſtinctè non propoſuerit Lombar- C dus quid ipſe ſibi velit. Præclarè enim Durandus docet, niſi omnia confundantur hoc loco, duo quædam totius huius diſputationis capita eſſe conſtituenda. Primùm quidem in quo doceatur, *Quo modo, & quo ſenſu Deus dicatur eſſe in rebus à ſe creatis, enter, præſenter, & potenter.* Alterum autem vbi oſtendatur, *Quomodo in eo ipſo Deus differat à creatura tum Spiritali, tum etiam corporali.* Quæ duo & confuſè iſte tractat, & nulla capitum, quæ ad vtrumque membrum pertinēt, Diſtinctione, tam bona, ſcilicet eſt iſtius ſcriptoris methodus.

Tertiùm, Prętermiſſus eſt huius tam prolixæ diſputationis vſus à Lombardo, quod minimè fieri oportet, & prȩſertim in tam longa diſputatione Theologica, quoniam, vt ait, Paulus *omnia ad* οἰκοδομὴν, id eſt, *ædificationem* in hac arte ſunt referenda: ne Theologia matæologia quędam eſſe videatur. Et certè quidem Plato libro 6. de Repub. rectiſſimè ait, *Nonne qui inutilia tradit in iiſque laborat, cogetur tandem & ſeipſum odiſſe, & ſuum illum laborem?* Omnia, quę prębent potiùs quęſtiones, quàm ędificationem in fide ſunt à Chriſtiano Theologo prętermittenda 1. Timoth. 1. verſ. 4. Vnde hanc in pręceptore ſuo negligentiam ac culpā ſentiēs Thomas, huius Diſtinctionis vſum explicuit ipſe quidem in parte 1. quęſtio 8. Art. 3. necnō cum quadā ſui pręceptoris nota. Ex hac igitur diſputatione rectè demonſtrata ait argui erroris Manichęos hęreticos, item Ariſtotelicos, & Platonicos philoſophos. Manichęos, qui negāt omnes eſſentias eſſe à Deo: Ariſtotelicos, qui negant Dei potentiam vbique eſſe prȩſentem:

A Platonicos, qui docent quædam ab Angelis, non à Dei potentia eſſe condita. Adeſt enim rebus omnibus Dei eſſentia, vt illis ſingulis det eſſe: potentia, vt vires tribuat: præſentia, vt operationē. Adeò vt hæc oratio vulgata *Deus eſt vbique*, ſit omnino intelligenda de eo ineſſendi modo, per quem cauſſa ſuis effectis ineſt, & adeſt ἐνεργείᾳ.

Quartum vitium eſt genus probationis, quo vtitur Lombardus, nempe allegoricum. Nam allegoricè vocem *Cœlorum* in Iſ.66. & 3. in oratione Dominica pro *iuſtis* accipit capite 2. & 3. Eâdem verò facilitate ſenſus iſte allegoricus negari poteſt, qua profertur, vt reſpondet Hieronymus. Atque in his tractationibus nihil, niſi firmum & ſolidum, afferri debet.

Quintum denique vitium eſt ipſum ψεῦδος. Falſum enim eſt quod iſte capite 9. ait, *Diuinam eſſentiā, quæ illocalis eſt, & incircūſcriptibilis, affectu & cognitione moueri.* Hoc enim ſi verū eſt, ergo diuina eſſentia (quod vel cogitare piaculum eſt) per tempus mutabitur, vel hoc ipſo teſte, qui cap.10. definit ea mutari per tempus, quæ *Variantur ſecundum qualitates interiores, vel exteriores,* quales certè ſunt affectus. Itaque viderit, quomodo & ſibi ipſe conſtet, & cum veritate conſentiat. Falſum quoque eſt, quod ait iſte cap.10. *Ea mutari per tempus, quæ variantur ſecundum qualitates interiores, velut per gaudium & triſtitiam.* Angeli enim beati, & animus humanus variè gaudio & triſtitia afficiūtur, Luc.15. verſ.10. neque tamen in tempore mutantur: quia nihil incommodi ex temporis lapſu & diuturnitate in ipſa ſua natura, aut ὑπάρξει ſentiūt. Mutantur quidem affectibus, ſed non tempore: quæ duo mutationum genera inter ſe diuerſiſſima ac diſſimillima magno errore hîc ab iſto confunduntur. *Quidquid enim, & à meliore in deterius, & deteriori in melius tranſit, mutatur,* ait Auguſtinus tractat.23. in Ioan. Euangel. quanquam ſæpe multa, quæ ſic mutantur, à tempore nullam iniuriam, nullúmque detrimentum ſentiunt. Denique falſum & periculoſum eſt, quod ex iſto colligitur, & neceſſario quidem, *Deum eſſe etiam in diabolis ipſis* id quod vnus iſtius diſcipulus in hunc C locum ſic etiam repetit,

Solus vbique Deus, *nullo diſcrimine rerum.*

Verùm magiſtrum hunc ſuum corrigens Thomas in 1. parte quęſtion.8. articul.1. ſic ait *Non eſt abſolutè concedendum, quod Deus ſit in dæmonibus,* naturam quidem eorum (quæ eſt Angelica οὐσία) ſubſtētat Deus, prout οὐσία eſt: non autem eorum vitium, vel operatur, vel fouet, vel probat. Dei ergo eſſentia eſt vbique ἀμιγῶς id eſt, *non cum ipſis rebus, quibus* ineſt, *confuſa:* ſed tamen propterea non eſt dicendus Deus eſſe in diabolis. Nec enim hæc loquendi formula in S.Scriptura de generali Dei præſentia, ſed de piis dicitur, quibus ſic eſt Deus præſens, vt eos quoque Sancto ſuo Spiritu gubernet. Et quod ex Act. 17. obiicitur, homines etiā impios per eum viuere, & moueri, eſt hoc quidem verum: tamen propterea in ſceleratis Deus eſſe dici non poteſt, multóque minus in diabolis. Quare nuſquam S. Scriptura ſic loquitur, D*eus eſt in impiis, vel in diabolis.* Hæc enim locutio iniicit ſtatim notionem à Dei puritate, natura, & ſanctitate prorſus alienam, tanquam aliquod cum ſcelere & malo aut ſceleratis conſortium habeat, contra quàm Pſ.5. verſ.4. 5. dicitur.

Atque hæc ſunt, quæ nos in iſtam Diſtin. obſeruauimus: niſi quis etiam fortaſſe addat, quòd ait A Occan hoc loco, & ab iſto ne præuiſum quidem eſt, quanquam hic prolixiſſimo, nimirum quoſdā non modò diſtinguere, ſed etiam ſeparare, *Eſſe vbique per potentiam:* & *eſſe vbique per eſſentiam.* Deum enim vbique per potentiam eſſe facilè cōcedunt: per eſſentiam autem eſſe vbique omnino negant. Atque reuerà eget explicatione iſta locutio, *Deus vbique eſt per eſſentiam*, ne vel confuſa cū rebus creatis diuina eſſentia putetur, vel cùm iis hypoſtaticè vnita, quorum vtrunque falſum eſt.

DISTINCTIO XXXVIII.

Hic redit ad propoſitum repetens ſuperius dicta, vt addat alia. B

CAP. I.

De modis diuinæ ſcientiæ vel cognitionis. Vtrū Deꝰ cognoſcat mutabiliter, vel immutabiliter & quo modo.

NVNC ergo ad propoſitum reuertentes cœpto inſiſtamus. Suprà dictum eſt, quòd præſcientia Dei futurorum tantùm eſt, ſed omnium tam bonorum quàm malorum. Scientia verò vel ſapientia non modò de futuris, ſed etiam de præſentibus & futuris: nec tantùm de temporalibus, ſed etiam de æternis, quia ſeipſum nouit Deus. Hîc oritur, quæſtio non diſſimulanda, vtrùm ſcilicet ſcientia vel præſcientia ſit cauſa rerum: an res ſint cauſæ ſcientiæ vel præſcientiæ Dei. Videtur enim præſcientia Dei cauſa eſſe eorum quæ ei ſubſunt, ac neceſſitatem eueniendi eis facere: quia nec aliqua futura fuiſſent niſi Deus ea præſciſſet, nec poſſunt non euenire, cùm Deus ea præſciuerit. Si autem impoſſibile eſt ea non euenire, quia præſcita ſunt: videtur ergo ipſa præſcientia qua præſcita ſunt, eis eſſe cauſa eueniendi. Impoſſibile eſt autem non euenire: cùm præſcita ſint: quia ſi non euenirent, cùm præſcita ſint, falleretur Dei *præſcientia. At* Dei *præſcientia falli non poteſt. Impoſſibile eſt ergo ea non euenire, cùm præſcita ſint. Sic ergo præſciētia cauſa* C *eorum eſſe videtur, quæ præſcita ſunt.* Cap.11. *Hoc idem & de ſcientia dicitur, ſcilicet quòd quia* Deus *aliqua nouerit, ideo ſint. Cui ſententiæ Aug. atteſtari videtur in 15. lib. de* Trin. *dicens. Non iſta* [1] *ex aliquo tempore cognouit* Eodē cap. *Deus, ſed futura omnia temporalia: atque in eis etiam quid, & quando ab illo petituri fueramus, & quos, & de quibus rebus, vel exauditurus, vel non exauditurus eſſet, ſine initio antè præſciuit. Vniuerſas autem creaturas & ſpirituales, & corporales, non quia ſunt ideo nouit, ſed ideo ſunt quia nouit. Non enim neſciuit quæ fuerat creaturus. Quia ergo ſciuit, creauit, non quia creauit, ſciuit: nec aliter ſciuit creata, quam creanda: non enim eius ſapientiæ aliquid acceſſit ex eis: ſed illis exiſtentibus ſicut oportebat, & quando oportebat, illa manſit vt erat. Vnde in Eccl. Antequam crearentur, omnia nota ſunt illi: ſic &* [2] *poſtquàm conſummata ſunt.* Cap. 23. *Ecce his verbis videtur Aug. innuere ſcientiam vel præſcientiam* Dei *cauſam eſſe eorum quæ fiunt, cùm dicit ideo ea eſſe, quia* Deus *nouit. Item quoque in 6. lib. di-* Cap.10. *cere videtur. Quum inquit, diſcedant & ſuccedant tempora, non decedit aliquid vel ſuccedit ſcientiæ* Dei, *in qua nouit omnia quæ fecit per ipſam. Non enim hæc quæ creata ſunt ideo ſcientur à* Deo *quia facta ſunt, ſed potius ideo facta ſunt, quia immutabiliter ab eo ſciuntur. Et hîc etiam ſignificare videtur* Dei *ſcientiam cauſam*

A *ſam eorum eſſe quæ fiunt,dicens non ideo* Deum *ea nouiſſe quia facta ſunt:ſed ideo facta,quia nouit ea* Deus. *Ideoque videtur* Dei*ſcientia vel præſcientia cauſa eſſe eorum quæ nouit.*

CAP. II.

Inconuenientia oſtendit quæ ſequerentur, ſi diceretur ſcientia vel præſcientia cauſa omnium rerum,quæ ei ſubſunt.

QVOD ſi ita eſt, eſt ergo cauſa omnium malorum, cùm omnia mala ſciantur & præſciantur à Deo: quod longè eſt à veritate. Si enim Dei ſcientia vel præſcientia cauſa eſſet malorum, eſſet vtique Deus *autor malorũ, quod penitus falſum eſt. Non ergo ſcientia vel præſcientia* Dei *cauſa eſt omnium quæ ei ſubſunt.*

CAP. III.

Quòd res futuræ non ſunt cauſa ſcientiæ vel præſcientiæ Dei.

NEQVE etiam res futuræ cauſa ſunt Dei præ-
B *ſcientiæ,licet enim non eſſent futuræ, niſi præſcirentur à* Deo:*non tamen ideo præſciuntur, quia futuræ ſunt. Si enim hoc eſſet,tunc eius quod æternum eſt, aliquid exiſteret cauſa,ab eo alienum,ab eo diuerſum: & ex creaturis dependeret ſcientia creatoris, & creatum cauſa eſſet increati.Origenes tamen ſuper epiſtolam ad Rom. ait,*[1] *Non propterea aliquid erit,quia id ſcit* Deus *futurum:ſed quia futurum eſt,ideo ſcitur à* Deo *antequam fiat. Hoc videtur præmiſſis verbis Auguſt. obuiare. Hîc enim ſignificari videtur, quòd res futuræ cauſa ſint præſcientiæ:ibi verò quòd præſcientia cauſa ſit rerum futurarum.*

In tom. 4. explanatiõe ad 8. c. ad Ro. in lib. 7.

CAP. IIII.

Quid ex prędictis tenendum ſit,cum determinatione autoritatum.

HANC igitur, quæ videtur, repugnantiam de medio tollere cupientes,dicimus res futuras nullatenus cauſam eſſe præſcientiæ vel ſcientiæ Dei, nec ideo præſciri vel ſciri,quia futuræ vel factæ ſunt:ita exponentes quod ait Origen. quia futurum eſt,ideò ſcitur à Deo antequam fiat,id eſt,quod futurum eſt ſcitur à Deo *ante-*
C *quam fiat.Neque ſciretur niſi futurum eſſet:vt non notetur ibi cauſa,niſi ſine qua non fieret. Ita etiam dicimus ſcientiam vel præſcientiam* Dei *non eſſe cauſam eorum quæ fiunt:niſi talem,ſine qua non fiunt: ſi tamen ſcientiam ad notitiam tantùm referamus. Si verò nomine ſcientiæ includitur etiam beneplacitum atque diſpoſitio, tunc rectè poteſt dici cauſa eorum, quæ Deus facit. His enim duobus modis, vt ſuperiùs prætaxatum eſt,accipitur cognitio vel ſcientia Dei, ſcilicet pro notitia ſola,vel pro notitia ſimul & beneplacito. Hoc modo fortè accepit. Aug. dicens, Ideo ſunt quia nouit, id eſt, quia ſcienti placuit,& quia ſciens diſpoſuit. Hic ſenſus ex eo adiuuatur,quia de bonis ibi tantùm ait Aug. ſcilicet de creaturis, & de his quæ Deus facit: quæ omnia nouit non ſolùm ſcientia,ſed etiam beneplacito ac diſpoſitione.Sic ergo ibi accipitur* Dei *cognitio, vt non modò notitiam, ſed etiam beneplacitum Dei ſignificet. Mala verò ſcit Deus & præſcit antequam fiant, ſed ſola notitia,non beneplacito. Præſcit enim Deus & prædicit etiam quæ non eſt ipſe facturus, ſicut præſciuit & prædixit infidelitatem Iudæorum.ſed non fecit:nec ideo quia præſciuit,ad peccatum infidelitatis eos coegit: nec præſciſſet vel prædixiſſet eorum mala,niſi eſſent ea habituri.vnde Aug. ſuper Ioan.*[1] Deus,*inquit, futurorum præſcius per Prophetam prædixit infidelitatem Iudæorum:ſed non fecit: neque præſciſſet mala eorum, niſi ea haberent. Non enim ideo quicquam ad peccandum cogit,quia futura hominum peccata prænouit: illorum enim præſciuit peccata,non ſua. Ideóque ſi ea quæ ille præſciuit,ipſorum non ſunt,non vera ille præſciuit. Sed quia illius præſcientia falli non poteſt,ſine dubio non alius,ſed ipſi peccant quos Deus peccatores eſſe præſciuit:& ideo ſi non malum, ſed bonum facere voluiſſent, non malum facturi præuiderentur ab eo,qui nouit quid ſit quiſque facturus. His verbis apertè oſtenditur,ſi diligenter attendamus,præſcientiam* Dei *non eſſe cauſam malorum quæ præſcit:quia non ea præſcit tanquam facturus,nec tanquam ſua,ſed illorum,qui ſunt ea facturi vel habituri. Præſciuit ergo illa ſola notitia,ſed non beneplacito autoritatis.Vnde datur intelligi, quòd Deus è conuerſo præſcit bona tanquam ſua,tanquam ea quæ facturus eſt,vt illa præſciendo ſimul fuerit ipſius notitia,& autoritatis beneplacitum.*

Lib. 15. de Trin. c. 13.

Trac. 53. in Euangelii Ioannis, To. 9.

A

CAP. V.

Contra hoc quod dictum eſt præſcientiam Dei non poſſe falli,oppoſitio.

B

AD hoc autem quod ſuprà dictum eſt, ſcilicet præſcientiam Dei falli non poſſe,ſolet à quibuſdam ita opponi,Deus præſciuit hunc lecturum vel aliquid huiuſmodi:ſed poteſt eſſe vt iſte non legat, ergo poteſt aliter eſſe quàm Deus præſciuit:ergo poteſt falli Dei *præſcientia,quod omnino falſum eſt. Poteſt equidem non fieri aliquid,& illud tamen præſcitum eſt fieri, non ideo tamen poteſt falli Dei præſcientia:quia ſi illud non fieret, nec à Deo præſcitum eſſet fieri.Sed adhuc vrgent quæſtionem dicentes, Aut aliter poteſt fieri quàm Deus præſciuit,aut non aliter:ſed non aliter, ergo neceſſariò cuncta eueniunt:ſi verò aliter, poteſt ergo Dei præſcientia falli vel mutari.Sed poteſt aliter fieri, quia poteſt aliter fieri quàm fiat:ita autem fit vt præſcitum eſt: aliter ergo poteſt fieri quàm præſcitum eſt. Ad quod dicimus illam locutionem multiplicem facere intelligentiam,ſcilicet, Aliter poteſt fieri, quàm Deus præſciuit, & huiuſmodi: vt, Poteſt non eſſe quod* Deus *præſciuit: &, Impoſſibile eſt non eſſe quod* Deus *præſciuit:&, Impoſſibile eſt non eſſe præſcita omnia quæ fiunt, & huiuſmodi.*
C *Poſſunt enim hæc coniunctim intelligi, vt conditio ſit implicita:& diſiunctim.Si enim ita intelligas, Non poteſt aliter fieri quàm* Deus *præſciuit.i.non poteſt vtrunque ſimul eſſe,ſcilicet quòd* Deus *ita præſciuerit fieri, & aliter fiat,verum intelligis. Si autem per diſiunctionem intelligas,at dicas hoc aliter non poſſe euenire quã euenit,& quomodo futurum* Deus *præſciuit,falſum eſt. Hoc.n.aliter poteſt euenire quã euenit,& tamen* Deus *hoc modo futurum præſciuit.Similiter & alia determinatio,ſcilicet,Impoſſibile eſt illud nõ euenire quod* De⁹ *præſciuit:vel cùm* Deus *præſcierit,ſi coniunctim intelligas,verum dicis:ſi diſiũctim falſum.Ita etiam & illud, Impoſſibile eſt non eſſe præſcitum omne quod fit. i. non poteſt eſſe vtrunque.ſ. vt fiat & non ſit præſcitum, hic ſenſus verus eſt. Si verò dicis,* Deum *non potuiſſe non præſcire omne quod fit,falſum eſt.Potuit enim facere vt non fieret,& ita non eſſe præſcitum.*

Vide inf. dist. 40. c. 2. B

AD DISTINCTIONEM XXXVIII.

AD CAP. I.

1 *Non iſta ex aliquo.* Quædam hîc ſunt prætermiſſa,ſed nullo ſententiæ damno, veluti verba hæc, *vt noſſet.Cognouit,* ait Auguſtinus, *vt noſſet:*

A iſte neglexit. Vox autem, *iſta*, hîc obſcurior eſt, ſed ex his Auguſtini verbis, quæ præcedunt, explicari debet, *Nouit enim (ait Verbum eius) Pater veſter quid vobis neceſſarium ſit priuſquam petatis ab eo. Nec iſta ex aliquo tempore cognouit, vt noſſet: ſed futura omnia, &c.*

2 *Sic & poſtquam.* Prætermittit Lombardus, quæ & magnum momentũ habent, & totũ huius ſententiæ Auguſtini κελνόρθρον confirmant. Sũt autẽ hæc, *Sic, inquit, non aliter: & antequã crearẽtur: & poſtquam conſummata ſunt, ſic ei nota ſunt.* Argumentatur enim ex vocabulo *Sic.* Recens autem verſio ex Græco & verior ſic habet, *Cui antequam hæc omnia crearentur, nota erant: ſimilitérque poſtquam conſummata ſunt, peruidet omnia.* Sed veterem & ſui temporis verſionem ſecutus eſt Auguſtinus.

3 *Cùm, inquit, decedant.* Quædam in initio iſtius ſententiæ ſunt immutata: ſic enim habet Auguſt. *Ibi nouit omnia Deus, quæ fecit per ipſam & ideo cùm decedant, &c.* Illa verò priora omnia ad finem B iſte reiecit, ſed leui diſpendio. Hoc grauius eſt, quòd quędam ſubſtraxit. Sic igitur Auguſt. *Sed potius facta ſunt vel mutabilia, quia immutabiliter à Deo ſciuntur.* Illud enim, *Vel mutabilia* non minimi eſt momenti ad hoc, quod iam tractatur, argumentum. Atque etiam difficilem quæſtionem tollit, vtrùm ſit in rebus humanis contingentia.

AD CAP. III.

1 *Non propterea.* Locus eſt apud Origenẽ lib. 7. Commentariorum, in epiſtolam Pauli ad Ro. cap. 8. ad verba, *Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit,* circa finem illius ſectionis, vbi Origenes idem ait, ſed falſò, *Nam etſi (verbi gratia) fingimus Deum non prænoſſe aliquid, futurum ſine dubio erat.* Qui totus locus perturbatus eſt, & magnam vocis προγνώσεως Θεοῦ ignorationem (ἀπὸ τῆς προνοίας enim diſtinguitur) oſtendit.

AD CAP. IIII.

1 *Deus inquit futurorum.* Grauiter luxatus lo- C cus, qui ex Auguſtini tract. 53. in Euangelium Ioãnis ſumptus eſt, vbi multa immutata: multa prætermiſſa: multa tranſuerſa ſunt. Totum igitur locum fideliter reſtituimus & ſubiicimus. *Quid fecerunt Iudæi, vel quæ culpa eorum fuit, ſi neceſſe fuit, vt ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit,* Domi*ne quis credidit auditui noſtro, & brachium* Domini, *cui reuelatum eſt? Quibus reſpondemus, Deum præſciũ futurorum, per Prophetam prædixiſſe infidelitatem Iudæorum, prædixiſſe tamen, non feciſſe. Non enim propterea quenquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam norit: ipſorum enim præſciuit peccata, non ſua, non cuiuſquam alterius, ſed ipſorum. Quapropter ſi ea quæ ille præſciuit ipſorum, non ſunt ipſorum, non verè ille præſciuit: ſed quid illius præſcientia falli non poteſt, ſine dubio non alij, ſed ipſi peccant, quos Deus peccaturos eſſe præſciuit. Fecerunt ergo peccatum Iudæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet: ſed facturos eſſe prædixit, quem nihil latet. Et ideo ſi non malum, ſed bonum facere voluiſſent, non prohiberentur, & hoc facturi præuiderentur ab eo qui nouit quid ſit quiſque facturus, & quid ei ſit pro eius opere redditurus.* Ex horum autem cũ Lombardicis comparatione, quantum vterque locus inter ſe diſtet, apparet euidentiſſimè.

Cenſura ad Diſtinctionem XXXVIII.

Vt quàm parciſſimè vitia huius Diſtinctionis attingam, iſta tamen ſex prętermitti nullo modo A poſſunt. Volo enim benignè & clementer, imò beneuolè & amicè Lombardum tractare.

Primum igitur huius Diſtinctionis vitiũ eſt, confuſio: quæ in eo eſt quòd neque ſingulas quęſtiones, quæ hic principaliter tractantur, perſpicuè proponit: neque ad eas obiectiones, quæ ex ſingulis quæſtionibus oriuntur, diſtinctè reſpondet. Itaque alij ex interpretibus exiſtimant hic vnam tantùm quæſtionem proponi: alij duas: alij tres: alij quatuor: eſt & non nemo, qui plures etiam hic tradi putet: cùm tamen duæ duntaxat hic proponantur.

Alterum vitium eſt, neglecta ſeriei, ac ordinis huius loci ratio. Cùm enim in ſeq. Diſtinctione itidem de ſcientia Dei agatur, quemadmodũ & in hac, oſtendendum erat, in quo vtriuſque tractationis argumentum differret: ne hæc inanis eſſe repetitio videatur. Nam quod in margine eſt annotatum, *Hîc agi vtrùm Deus cognoſcat immutabiliter,* B confirmat noſtrã reprehenſionẽ: quoniam idem in ſequenti etiam Diſtinctione agitur. Durandus cenſet, cùm de ſciẽtia Dei antea ſit actũ, qualis in ſe conſiderari poteſt, de eádem iam cõparatè ad res ſcitas diſputationem inſtitui.

Tertium vitium eſt, quòd omnium harum quęſtionum, quas hic tractat, vſum, verámque probationem prætermiſit. Ac vſum quidẽ, quia quorſum & quantum iſta ad Dei gloriam, & Eccleſiæ ſalutem pertineant, ne vidit quidem Lõbardus, nedum vt explicuerit. Probationem autem, quoniã nihil ex Dei verbo affert homo Theologus, vnde ſuam ſententiam confirmet, cùm tamen & Hebr. 4. verſ. 13. & Pſal. 33. verſ. 13. & Ro. 2. verſ. 6. extent apertiſſima de hoc argumẽto teſtimonia. Quoad vſum autẽ huius argumenti, hic eſt, vt in genere quidem intelligamus nihil Dei Optimi Maximi oculos illos effugere, malorũ quidẽ vindices: bonorum verò fautores. Ergo Dei Eccleſiã C tutiſſimo præſidio niti, cùm quæcunque illi impendent mala, Deus ea nouerit. Peculiariter autẽ hæc prima quæſtio, *Vtrùm Dei præſcientia ſit rerum cauſſa, veluti peccatorum,* Manichæos refutat. Illa autem ſecunda, *Vtrùm in rebus humanis contingenter eueniunt,* Stoicorum fatum euertit: itémque eos, qui propter præſcientiam Dei media neceſſaria, & à Deo præſcripta negligunt.

Quartum vitium eſt, quòd annotandum ac explicandum erat, Qua ratione Deus præſciat, vtrũ ex Ideis quibuſdam, quas ſibi repræſentet, an res omnes tãquã ante ſe poſitas verè intueatur & cernat: vtrùm potius diſcurſu quodam ac ratiocinatione ſimili noſtrę, vel Angelica, (quemadmodũ quidam ſenſerunt, vti hoc loco ſcribit Occan) an vno intuitu, & ſemel & ab ęterno, non ſucceſſiuè, aut connexè res alias ex aliis intelligens & colligens, neque ex noto ad ignotum procedens, vti rectè docet Thomas in prima parte Quæſtio. 14. Articulo ſeptimo. Quę explicatio tota eſt à Lombardo prętermiſſa.

Quintum, capite tertio ſibiipſi videtur contradicere his verbis, *Licet enim non eſſent futuræ, niſi præſcirentur à* Deo: *non tamen ideo præſciuntur, quia futuræ ſunt.* Hęc enim ἐναντιοφανῆς cõtinent, nõ pręſciri futura, quia futura ſunt: item videntur cõſtituere Dei pręſcientiam cauſſam rerum, cùm ait, Non eſſent futura, niſi pręſcirentur: vel ſeipſum

non

A non eſt aſſecutus Lombardus. Itaque ſic ſcribendum fuit, *Licet enim ſi non eſſent futuræ, non præſcirentur à Deo, ideò tamen non ſunt futuræ, quia præſciuntur.* Tunc enim aperta Lombardi mens foret, & ſibiipſi conſentiens.

Sextum denique. Quòd ſuam Diſtinctionē inter Dei Scientiam quū pro ſola notitia ſumitur, & quum beneplacitum habet adiunctum nullo S.Scripturę loco probauit. Inde enim factum eſt, vt etſi eſt veriſsima, à diſcipulis tamen ipſius poſtea contemneretur, & magnas ambages, grauéſque contentiones inter eos pareret. Nam Thomas 8. citatæ iam à nobis quæſtionis diſertè ſcribit, *Scientiam Dei cauſam eſſe rerum*, quod tamē hîc negat Lombardus, quoniam, vt Durādus ait, ſciētia Dei eſt ipſius eſſentia, quæ proculdubiò eſt rerum cauſſa. Et quod Thomas ſeipſum explicare conatus adiecit, *Dei ſcientiam, quatenus in Deo eſt, non eſſe cauſam rerum: ſed quatenus ad res ipſas inclinationem & volitionem ſimul adiunctā habet*, ab Occano eluditur, qui in toto hoc argumento nūquā B volitionem illam à Dei ſcientia ſeparat. *Itaque*, ait, *Deus ſcit certitudinaliter, & euidenter etiam futura contingentia.* Id quod veriſsimum eſt. Nec enim res ſunt contingentes, quatenus ſunt in Dei præſcientia: ſed quatenus ad ſuas cauſas, eáſque volūtarias comparantur. Cæterùm quod diximus veram eſſe Lombardi explicationem in duplici illa *Præſcientiæ Dei* ſignificatione tradenda, confirmatur apertiſſimis S. Scripturæ locis: πρόγνωσις enim ſæpe à προορισμῷ diſtinguitur: ſæpe cum ea coniungitur. Diſtinguitur vti Heb.4.v.33. Coniungitur veluti Ro.8.v.21.1.Pet.1.v.2.Act.2.v.23. & aliis ſimilibus locis. Damaſc.li.2.Orth.Fid.ca.30. vtranque ſignificationē animaduertit, atque diſtinxit, χρὴ γινώσκειν, ὡς πάντα μὲν προγινώσκει Θεὸς, οὐ πάντα δὲ προορίζει, &c. Itaque præſcientia Dei pro ſola & nuda ipſius Dei notitia non eſt cauſſa rerum: pro προορισμῷ verò & προνοίᾳ eſt rerum cauſſa, quia βουλὴν Θεοῦ habet ſimul adiunctā. Sed quam me gratiā ab iſtis propter hæc emendata reportaturum putē? C Certè nullam. Nam, vt ait Hieronymus, *operam & impenſas perdit, qui bouem ducit ad ceroma.*

DISTINCTIO XXXIX.

Vtrùm ſcientia Dei poſſit augeri, vel minui, vel aliquo modo mutari: vtrunque enim videtur poſſe probari.

CAP. I.

De immutabilitate vel perfectiõe diuinę ſciētię, vel cognitione.

PRÆTEREA quæri ſolet, vtrùm ſcientia Dei *poſſit augeri vel minui. vtrunque enim videtur poſſe probari. Quòd enim diuina ſcientia poſſit augeri vel mutari, hoc modo probatur: quia poteſt* Deus *ſcire quod nunquam ſcit. Eſt enim aliquis qui non eſt lecturus hodie, & tamen poteſt eſſe, vt legat hodie, poteſt enim hodie legere. Nihil autem poteſt fieri, quod non poſſit à Deo ſciri. Poteſt ergo* Deus *ſcire hunc lecturum hodie: poteſt ergo aliquid ſcire quod non ſcit: ergo poteſt eius ſcientia augeri vel mutari. Eadémque videtur poſſe minui. Eſt enim aliquis hodie lecturus, quem Deus ſcit lecturum. At poteſt eſſe, vt non legat: ergo poteſt* Deus *nō ſcire hunc lecturum: poteſt ergo non ſcire aliquid quod ſcit: ergo poteſt minui eius ſciētia vel mutari. Ad quod dicimus, quia* Dei *ſcientia omnino immutabilis eſt, nec augeri poteſt vel minui. Nam, vt ait Aug. in xv. lib. de Trinitate, Scientia* Dei *eſt ipſa ſapientia, & ſapientia eſt ipſa eſſentia ſiue ſubſtantia Dei: quia in illius naturæ ſimplicitate mirabili non eſt aliud ſapere, & aliud eſſe, ſed quod eſt ſapere, hoc eſt & eſſe. Ideóque nouit omnia Verbum, quæ nouit Pater: ſed ei noſſe de Patre eſt, ſicut eſſe: noſſe enim & eſſe ibi vnum eſt. Et ideo Patri ſicut eſſe non eſt à Filio, ita nec noſſe. Proinde tanquam ſeipſum dicens, Pater genuit Verbum ſibi coæquale per omnia. Non enim ſeipſum integrè perfectéque dixiſſet, ſi aliquid minus aut amplius eſſet in eius verbo, quàm in ſeipſo.*[1] *Hoc eſt ergo omnino Verbum quod Pater, non tamen eſt Pater: quia iſte Filius, ille Pater. Sciunt ergo inuicem Pater & Filius, ſed ille gignendo, iſte naſcendo. Et omnia quæ ſunt in eorum ſcientia, in eorum ſapientia, in eorum eſſentia, vnuſquiſque eorum ſimul videt, non particulatim aut ſigillatim, velut alternante conſpectu hinc, illinc, & inde huc, & rurſum inde, vel inde in aliud atque aliud: vt aliqua videre nō poſſit, niſi non videns alia: ſed omnia ſimul videt, quorum nullum eſt quod non ſemper videat,*[2] *& ſciat. Eius*[3] *itaque ſcientia inamiſſibilis & inuariabilis eſt. Noſtra verò ſcientia & amiſſibilis, & variabilis, &*[4] *receptibilis eſt: quia non hoc eſt nobis eſſe quod ſapere vel ſcire. Propter hoc ſicut noſtra ſcientia illi ſcientiæ* Dei *diſſimilis eſt, ſic & noſtrum verbum quod naſcitur de ſciētia noſtra, diſſimile eſt illi verbo quod natum eſt de Patre ſcientia. Ex hac autoritate clarè oſtenditur ſcientiam* Dei *omnino inuariabilem eſſe, ſicut ipſa eſſentia* Dei *omnino inuariabilis eſt: & quòd Pater & Filius cum Spiritu ſancto, ſimul omnia ſciunt & vident. Sicut ergo non poteſt augeri vel minui diuina eſſentia, ita nec diuina ſcientia: & tamen conceditur poſſe ſcire quod non ſcit, & poſſe non ſcire quod ſcit: quia poſſet aliquid eſſe ſubiectum eius ſcientiæ, quod non eſt: & poſſet non eſſe ſubiectum aliquid, quod eſt, ſine permutatione ipſius ſcientiæ.*

A Cap.13. Eodē lib cap.14.

Eodē lib. & cap.14.

Eodem li. cap.13. B

CAP. II.

Oppoſitio, an Deus poſſit nouiter, vel ex tempore ſcire, vel præſcire aliquid.

C *HIC opponitur à quibuſdam ita, Si* Deus *poteſt aliquid ſcire, vel præſcire quod nunquam ſciuit vel præſciuit, poteſt ergo ex tempore aliquid ſcire vel præſcire. Ad quod dicimus, Poteſt quidem Deus ſcire vel præſcire omne quod poteſt facere, & poteſt facere quod nūquam fiet. Poteſt ergo ſcire vel præſcire quod nunquam fiet, nec eſt, nec fuit: nec illud ſcit vel ſciuit, neque præſcit vel præſciuit: quia ſcientia eius non eſt, niſi de his quæ ſunt vel fuerunt vel erunt,*[1] *præſcientia non eſt niſi de futuris. Et licet poſſit ſcire vel præſcire quod nunquam eſt, vel erit: non tamen poteſt aliquid ſcire vel præſcire ex tempore. Poteſt vtique ſcire vel præſcire quod nunquam eſt nec erit, nec illud ſcitum vel præſcitum eſt ab æterno: nec tamen poteſt incipere ſcire vel præſcire illud, ſed ita poteſt modò ſcire vel præſcire, ſicut poteſt ſciſſe vel præſciſſe ab æterno. Si enim dicatur eum modò poſſe ſcire vel præſcire, quod ab æterno non ſciuit vel præſciuit, id eſt, ita, quòd ab æterno non ſciuerit vel præſciuerit, quaſi vtrunque ſimul eſſe poſſit, falſum eſt. Si verò dicas eum poſſe modò ſcire vel præſcire quod ab æterno non ſciuit vel præſciuit, id eſt, habere potentiam ſciēdi vel præſciendi ab æterno & modò aliquid, nec tamē illud*[2] *præſcitum eſt vel futurum, verum eſt. Non poteſt ergo nouiter vel ex tempore ſcire vel præſcire aliquid: ſicut non poteſt nouiter vel ex tempore velle aliquid, & tamen poteſt velle quod nunquam voluit.*

A

CAP. III.

Vtrùm Deus poſſit ſcire plura quàm ſcit.

ITEM à quibuſdam dicitur Deus poſſe plura ſcire quàm ſciat, quia poteſt omnia ſcire quæ ſcit, & poteſt aliqua facere quæ nunquam erunt, & illa poteſt ſcire, non enim aliqua incognita facere poteſt. Si verò omnia eſſent quæ modò ſunt, & alia quædam faceret, quæ non ſunt nec erunt, & illa omnia ſciret pro certo, plura ſciret quàm modò ſciat: nec tamen eius ſcientia augeri poteſt, quia hoc totum fieri poſſet ſine mutabilitate ſcientiæ. Conſtat ergo Dei *ſcientiam omnino eſſe immutabilem, nec augeri poſſe vel minui: ſed ei ſubiecta.*

CAP. IIII.

Quòd videtur aduerſum illi ſententiæ qua ſuprà dictum eſt, Deum ſemper & ſimul ſcire omnia.

EI verò quod prædictum eſt, ſcilicet, quòd Deus omnia ſemper videt & ſimul, videtur obuiare quod ait Hier. in expoſitione Abachuc. Abſurdum eſt, inquit, ad hoc deducere Dei maieſtatem, vt ſciat per momenta ſingula quot culices naſcantur, quótve moriãtur,[1] *quota pulicum & muſcarum ſit multitudo, quótve piſces natent in aquis, & ſimilia. Non ſimus tam fatui adulatores Dei, vt dum prouidentiam eius etiam ad ima retrudimus, in noſipſos iniurioſi ſimus, eandem irrationabilium & rationabilium prouidentiam eſſe dicentes. Hîc videtur dicere Hieron. quòd Deus illorum minimorũ ſcientiam ſiue prouidentiam non habeat: quòd ſi hoc eſt, tunc non omnia ſimul ſcit & ſemper. Ex tali itaque ſenſu illud dictum eſſe nouerimus, vt Deum illa alternatim vel particulatim ſcire neget, nec per diuerſa temporum momenta ſic illa cognouit, ſicut per varia momenta illorum quædam deficiunt, quædam incipiunt. Neque illis, aliíſque irrationabilibus ita prouidet, quemadmodum rationabilibus: nunquid enim, vt ait Apoſtolus, cura eſt Deo de bobus? & ſicut non eſt cura Deo de bobus, ita nec de aliis irrationabilibus. Dicit tamen Scriptura, quia ipſi eſt cura de omnibus. Prouidentiam ergo & curam vniuerſaliter de cunctis, quæ condidit, habet, vt habeat vnumquodque quod ſibi debetur & conuenit. Sed ſpecialem prouidentiam atque curam habet de rationabilibus, quibus præcepta tradidit, eíſque rectè viuendi legem præſcripſit, ac præmia promiſit. Hanc prouidentiam & curã de irrationabilibus non habet. Ideo dicit Apoſtolus, quia non eſt cura Deo de bobus, prouidet tamen omnibus, & curat, id eſt, gubernat omnia, qui omnibus Solem ſuum facit oriri, & pluuiam dat. Scit itaque* Deus *quanta ſit multitudo pulicum, culicum, & muſcarum, & piſcium: & quot naſcantur quótve moriantur: ſed non ſcit hoc per momenta ſingula: imò ſimul & ſemel omnia. Neque ita ſcit, vt eandem habeat prouidentiam irrationabilium & rationabiliũ, id eſt, vt eodem modo penitus prouideat irrationabilibus & rationabilibus. Rationabilibus enim & præcepta dedit, & Angelos ad cuſtodiam delegauit.*

Tom. 6. in explanatione capitis. 1. Abachuc.

B

1. Cor. 9. a

Sap. 12. b

C

1. Cor. 9.

CAP. V.

Breuis ſumma prædictorum, cum additione quorundam.

SICVT itaque & immutabiliter ſcit Deus omnia quæ fuerunt, & ſunt, & erunt, tam bona quàm mala: præſcit quoque omnia futura, tam bona quàm mala.

AD DISTINCT. XXXIX.

AD CAP. I.

1 *Hoc eſt ergo.* Hæc ſententia tranſpoſita eſt. Nam apud Auguſtinum præcedũt hæc verba, *Ideóque nouit, &c.* Sic igitur legitur *Eſt* (verbum) *hoc omnino quod Pater, non tamen Pater, quia iſte Filius, ille Pater. Ac per hoc nouit omnia quæ nouit Pater: ſed ei noſſe de Patre eſt, ſicut eſſe. Noſſe enim & eſſe illi vnum eſt.* Pro *Illi* iſte legit *ibi.* Sumptus eſt locus ex libro decimoquinto de Trinitate, capite decimoquarto. Qui ad hoc argumentum vel nihil, vel parum admodum facit.

2 *Semper videat & ſciat.* hic habet Auguſtinus, *Sed, vt dixi, ſimul omnia videt, quorum nullum eſt, quod non ſemper videt.* Iſte mutauit & verbi modum, pro *Videt,* ſubſtituens *videat:* & vt ſuo argumento inſeruiret addidit perſpicuè, *Sciat,* quia de ſcientia Dei hîc quæſtio eſt, quam tamen vocem non habet Auguſtinus.

3 *Eius itaque ſcientia.* Quanquã quod iſte ſcribit, ex verbis Auguſtini colligi poteſt: tamen nuſquam apud ipſum Auguſtinum hæc verba extãt, *Eius itaque ſcientia inamiſſibilis eſt, & inuariabilis:* ſed vt videretur apertiſſimam ſuæ ſententiæ confirmationem duxiſſe ex Auguſtino, ad illius verba addidit hæc omnia Lombardus. Quod quemadmodum excuſari poſſit, non video, præſertim cùm iſta recitet quaſi vno contextu cum Auguſtinianis cohæreant, pendeántque ex ſuperioribus. Locus autem à Lombardo laudatus extat libro decimoquinto de Trinitate, capite decimotertio, qui prorſus etiam à germano ſenſu detorquetur. Probat enim Auguſtinus, ideo Filium eſſe Patri ὁμοούσιον, quia eſt ipſius ſapientia: ſapientia autem Patris, & eſſentia vnum ſunt. Itaque ait Auguſtinus capite decimoquarto, *Quicquid ineſt in ea ſcientia* (Patre) *de qua genitum eſt Verbum, & in ipſo verbo ineſt.* Hoc aduerſus Arianos valet. Iſte eò detorquet, vt immutabilem eſſe doceat Dei ſcientiam, licèt quotidie multa naſcantur, & intereant: id quod valet, non contra Arianos, ſed contra Ἀθέοις homines, & Dei prouidentiam, vel omnino negantes, vel impiè arrodentes. Quid hoc igitur illi ſimile eſt?

4 *Receptibilis.* Augu. *Acceptibilis,* id eſt, quæ & acquiri & comparari ſtudio poſſit, *Quia,* addit Auguſt. *Non hoc eſt nobis eſſe, quod ſcire vel ſapere:* deinde pulcherrimam rationem ſubiicit Auguſt. quam tamen iſte totum hoc dictum obſcurans prætermiſit, cùm alia in hoc capite ſuperflua tamẽ adderet, *quoniam,* ait Auguſtinus, *eſſe poſſumus, etiamſi neſciamus, neque ſapiamus ea, quæ aliunde didicimus. Propter hoc ſicut noſtra ſcientia, &c.*

A

B

C

AD CAP. II.

1 *Præſcientia non eſt niſi de futuris.* Ne quis exiſtimet me malignè legere hunc ſcriptorem, ſtudeo, quantum equidem poſſum, illi medicas manus afferre, & in ſuum nitorem illum reſtituere, quẽ vel ipſius ſtudioſiſſimi diſcipuli neglexerunt, vel deturparunt. Quemadmodum hoc loco gloſſema, meo quidem iudicio, ex margine in textum irrepſit, quod & Lombardi ſententiam obſcurat, & inconcinnum eſt huic loco. Eſt autem in his verbis, *Præſcientia non eſt niſi de futuris,* quæ videntur à ſciolo quodam Monacho, ſed intempeſtiuè addita, velut explicatio & gloſſema huius ſuperioris ſententiæ, *Scientia eius non eſt niſi de his, quæ ſunt, vel fuerunt,* nempe vt diſtingueret Scien-

A Scientiam à præſcientia ex Diſtinctione 35.ſuprà capite ſecundo: & ne hîc à Lombardo confundi viderentur: quaſi paſsim apud alios autores, imò verò etiam in Scriptura ipſa, *Scire & præſcire*, promiſcuè non ſumantur. Gen.18.ver.decimonono. Ioan.6.verſ.6.& 64.itē 13.verſ.18. Quod ille Monachus nondum obſeruarat.

2 *Illud præſcitum eſt.* Malim, *illud præſcitum eſſe vel futurum, verum eſt.* Sic enim & fluit oratio, & ratio ſyntaxeos legi poſtulat. Nec tamen iſtius diſcipuli vel animaduertunt, vel corrigunt.

AD CAP. IIII.

1 *Quota pulicum.* Locus eſt ex Hieronymi cõmentariis in librum Habachuc Prophetæ, cap.1. ad verba, *mundi ſunt oculi tui*, ſub finem annotamenti. Hîc autem quædam immutauit Lombardus, vti *pulicum* pro *cimicum*: *prouidentiam* pro *potentiam*, B illa quidem imperitè: hæc autem quæ ſequuntur, malitioſè *his ſimilia*, pro *& qui de minoribus maiorum prædæ cedere debeant*: *retrudimus* pro *detrahimus*. Vnde quàm variè Hieronymus vulneratus fuerit, apparet.

Cenſura ad Diſtinctionem XXXIX.

Cùm ſit hic locus de comparatione præſcientiæ Dei cum rebus ipſis, & earum euentu difficillimus, multóſque tum Philoſophos, tum etiã Patres vel fefellerit malè intellectus, vel inuoluerit non diſtinctè traditus (quemadmodum ſtatim docebimus) nemo me ſeueriorem Lombardi cenſorem, vt opinor, iudicabit, quòd hæc tria in huius argumenti tractatione ab eo requiram.

Primùm, quòd obſcurum per obſcurius probat, in primis capite ſecundo, in fine, his verbis, *Non poteſt Deus ergo nouiter, vel ex tempore ſcire, vel præſcire aliquid: ſicut non poteſt nouiter, vel ex tempore velle aliquid: & tamen poteſt velle, quod nunquam voluit.* Nónne eſt enim tam nobis obſcurum, vtrũ Deus aliquid de nouo velle poſſit, atque, vtrũ idẽ C de nouo ſcire aliquid poſſit? Item, nónne peræquè dubium eſt, vtrùm, quum Deus aliquid vult quod nunquam voluerit, de nouo velit aliquid: atque, Vtrùm quum Deus ſcit aliquid, quod antea non ſciuerit, de nouo & ex tempore aliquid ſciat?

Eadem igitur manet obſcuritas in medio argumentationis aſſumpto, quæ in ipſa quæſtione propoſita fuerat. Id quod τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖν Dialectici vocant: éſtque probationis genus, non tantùm obſcurum, ſed etiam vitioſum, incertum, & perplexum. Ergo ad totum hunc locum tum explicandum, tum etiam illuſtrandum, *Vtrùm* Dei *ſcientia varietur ac mutetur, quum res ipſæ, quas* Deus *ſcit, mutantur, ac variantur*, aptiſsima eſt illa ſimilitudo, quæ de ſpeculo ſolet afferri. Sicut enim quædam in eo cernuntur, quæ poſtea non apparent, non ipſius ſpeculi variatione: ſed rerum ipſarum acceſſu vel receſſu, quæ in ſpeculo cernebantur. Sic neque voluntas, neque ſcientia Dei mutatur, etſi res ipſæ, quas voluit, quáſque ſciuit, varient, vel naſcantur vel intereant: quoniam eas ita fore, vel variari & voluit & præſciuit Deus, omníſque iſta mutatio ineſt in rebus ipſis, non in ipſius Dei ſcientia vel voluntate.

Secundum eſt, quòd hic idem Lombardus hoc loco probationes profert ex locis à ſe deflexis atque detortis à vero ſenſu, qualis ille fuit ex Auguſtini lib.15. Trini. cap.13. item ex Hierony. commentario in Abachuc Prophetam, vbi apertiſſimè Hieronymus ex veteri Philoſophorum profanorum errore (quo proculdubiò non caruit) negat Deum ſingularum rerum & minimarũ curam habere. A Idem quoque ſenſit, ſed perperam, Thomas poſtea, vt apparet ex parte Quæſt. 7. in Reſpon. his verbis, *Unde licet* Deus *ſciat numerum omnium indiuiduorum, non tamen numerus vel boum vel culicum, vel aliquorum eiuſmodi eſt per ſe præordinatus à Deo.* Sic igitur ſentiebant de Deo Peripatetici, vt particularem Dei prouidentiam negarent, quemadmodum eorum ſententia in lib. *De Mundo ad Alexandr.* extat. Hanc ſecutus ſine tergiuerſatione videtur Hierony. qui ſanè tanti viri error fuit, vti alij multi. Ergo refutatur diſertis verbis à Chriſto D.N. Matth.10.v.20. *Nonne duo paſſerculi aſſario væneunt, & vnus ex eis non cadet humi ſine Patre veſtro?* item ex eo quod Deus teſtatur in lege ſua, ſe curam boum habere Deut.25.v.4.1.Cor.9.v.4.1.Tim.5.v.18. Laudandus quidem B eſt eatenus Lombardi conatus, quatenus pudenda Patris Hieronymi tegere vult: ſed tamen etſi amicus Plato, magis tamen amica veritas eſſe, pręſertim homini Theologo, debebat.

Tertio loco dignum eſt notâ, quod Lombardus cap.4. plus aſſumit in concluſione, quàm poſuerat in præmiſſis, quas ſuperioribus capitibus explicauerat. Cùm enim illud duntaxat probaſſet, quod *Deus omnia videt*, colligens ſummam ſuę diſputationis ſic ait, *Ei verò quod prædictum eſt, ſcilicet, quòd Deus omnia ſemper videt &* SIMVL Ergo illud *Simul* addidit, quod non eſt minimi momenti. Etſi enim vera eſt illa ſententia *Deum & ſimul & ſemper omnia intueri*, ſcire non nuda notitia, ſed ſcientia viſionis, quam vocant: ex ſuperioribus tamẽ argumentis & probationibus nequaquã id efficitur. Plus autem colligere, quàm aſſumpſeris, eſt, vel ipſis ſcholaſticis teſtib. vitioſiſſimũ. C

Quartum illud huius Diſtinctionis vitiũ addere quiſpiã poteſt, quod hic quoque reprehẽdat, nimirum quòd in loci ex Paulo 1.Cor.9.v.9. explicatione vel obſcurus eſt, vel fallitur Lombardus. Fallitur, ſi negat particularem Dei prouidentiam, quod ex ipſius verbis effici videtur. Obſcurus eſt, quoniam quæ ſentit planè non explicat. Et in tota hac quæſtione ita ſcribit ambiguè, vt prouidentiam à præſcientia non diſtinguat. Porrò quod ad Pauli locum, *Nunquid cura eſt Deo de bobus?* 1.Cor.9.v.9. ſic accipiẽdus eſt, vt nõ ἁπλῶς, ſed κατάπ tantùm & comparatè dictum intelligamus, *Num boues curæ ſunt Deo?* Nam & boues, & minutiſſima quæque complectitur Dei prouidentia, vt apparet Pſ.36.v.6.1.Tim.5.v.18. Math.10.v.20. Atque etiam quemadmodũ dicitur Prouerb.12.v.10. *Vir iuſtus cognoſcit* (ſiue curat) *animã iumenti ſui.* Sed iſta erga boues clementia nobis à verbo Dei præcepta debet nobis eſſe exercitatio ad excitandam fouendámque eò ardentius inter nos ipſos homines humanitatem, & benignitatẽ. Eò igitur pertinet illa Pauli oratio, quemadmodum etiam docet Theophilactus his verbis, *Et ſanè*, ait, *cura Deo de bobus, nec tamen adeò, vt de eis tulerit propriè legem, ſed aliud quiddã prætendit ex hac in beſtias indulgentia, vt Iudæos ſcilicet aſſuefaceret exercerétque, vt & ipſi magiſtrorum curã ſuſciperent.* quod idem teſtatur & ſcribit Chryſoſtomus.

A Cæterùm quod de huius argumenti quæſtione illa ardua monuimus, nimirum difficilē ſemper viſam eſſe præſcientiæ Dei rationē, atque illius concordiam cum rebus iis,quæ contingenter euenire dicuntur: item cùm iis,quæ naſcũtur,vel intereunt,ex eo verum eſſe apparet, quòd Stoici philoſophi nunquam demonſtrare potuerũt,illã futurorum præſcientiam quæ eſt in Deo,cum libertate voluntatis humanæ conſentire,etſi tamē pulcherrimè cum ea conſentit. Itaque M. T. Cicero in libello de Fato præſcientiam illam Dei de futuris planè negauit eſſe vllam,vt ſuam homini libertatem relinqueret. Sed vt ait lib.5. ca.9. de Ciui. Dei Aug. *Dum ille vult facere liberos homines, facit ſacrilegos.* Ariſtoteles ipſe in lib. de Interpretatione eodem errore ductus ſcribit. *Futurorum contingentium enuntiationes, nec veras ante euentum eſſe,nec falſas.* Verùm & iſte quoque fallitur. Sunt enim vel verę,vel falſæ: ſed nobis quidem ignota eſt earum veritas,quandiu pendet earum euẽtus: Deo verò ipſi nota eſt & certa. Quanquam enim B futura contingentia quoad ſe,ſunt indeterminata: tamen quoad diuinam ſcientiam ſunt determinata,quemadmodum docet Durandus. Scriptores eccleſiaſtici,imprimis autem Græci,Philoſophorum argumẽtis vexati penè in hac Quęſtione ſuccubuerunt. Itaque præſcientiam Dei toto rerum in quibus verſarentur,genere à prouidentia diuerſam conſtituerunt. Vnde hoc argumentum accuratè & dilucidè tractandum erat, quod minimè fecit Lombardus.

DISTINCTIO XL.

Quid ſit prædeſtinatio,& in quo differat à præſcientia.

CAP. I.

PRædeſtinatio verò, de bonis ſalutaribus eſt, & de hominibus ſaluandis,vt enim ait Aug. in libro de C *prædeſtinatione Sanctorum, prædeſtinatio* [1] *eſt gratiæ* Cap.10. *præparatio,quæ ſine præſcientia eſſe non poteſt, poteſt* In To. 7. *autem ſine prædeſtinatione eſſe præſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſciuit,quæ fuerat ipſe facturus: ſed præſciuit Deus etiam quæ non eſſet ipſe facturus,id eſt,omnia mala. Prædeſtinauit eos quos elegit: reliquos verò reprobauit,id eſt,ad mortem æternam præſciuit peccaturos.*

CAP. II.

An aliquis prædeſtinatorum poſſit damnari, vel reproborum ſaluari.

Cap.13. *Prædeſtinatorum nullus videtur poſſe damnari, nec* In To. 7. *reproborum aliquis poſſe ſaluari. Vnde Aug. in libro de* Apoc. 3.d *correctione & gratia. In Apocalypſi,inquit,dicitur,* Tene quod habes,ne alius accipiat coronam tuam. *Si alius non eſt accepturus niſi iſte perdiderit,certus eſt Electorum numerus,id eſt,non poteſt augeri vel minui. Ad hoc autem obiiciunt quidam,nitentes probare numerũ electorum poſſe augeri & minui,ſic. Poſſet* Deus *non apponere gratiã quibus apponit,& poſſet ſubtrahere quibus non ſubtrahit: quod ſi faceret, vtique damnarētur: poſſent ergo damnari iſti qui tamen ſaluabuntur: poſſet itaque minui electorum numerus: ita etiam poſſet augeri, quia poſſet apponi gratia quibus non apponitur, per quam ſaluarentur. Poſſent ergo ſaluari habita gratia, qui tamen ſine ea damnabuntur: poſſet itaque augeri numerus electorum.*

Quibus reſpondemus ex ea ratione dictum eſſe, & A *verum eſſe, numerum Electorum non poſſe augeri vel minui: quia non poteſt vtrunque ſimul eſſe,ſcilicet vt aliquis ſaluetur,& non ſit prædeſtinatus: vel vt aliquis prædeſtinatus ſit & damnetur. Intelligentia enim conditionis implicitæ veritatem facit in dicto,& impoſſibilitatem in vero. Si verò ſimpliciter intelligatur,impoſſibilitas non admittitur: vt cùm dicitur, prædeſtinatus poteſt vel non poteſt damnari,& reprobus poteſt ſaluari. In his enim & huiuſmodi locutionibus, ex ratione dicti diiudicanda eſt ſententia dictionis. Alia nanque fit intelligentia,ſi per coniunctionem hæc accipiantur dicta, atque ſi per diſiunctionem: vt ſuprà cùm de præſcientia agebatur,prætaxatum eſt. Si enim cùm dicis,prædeſti-* Sup.Diſt. 38.cap.1.c *natus non poteſt damnari,intelligas ita,id eſt, non poteſt eſſe vt prædeſtinatus ſit,& damnetur, verum dicis, quia coniunctim intelligis: falſum autem, ſi diſiunctim, vt ſi intelligas iſtum non poſſe damnari quem dico prædeſtinatum. Potuit enim non eſſe prædeſtinatus, & ita* B *damnaretur.*

CAP. III.

Quomodo adhuc inſtant quæſtioni.

Verumtamen adhuc inſtant, & ſecundum coniunctionem argumentando ita procedunt. Non enim inquiunt,poteſt eſſe vt aliquis prædeſtinatus ſit & damnetur. Vtrunque iſtorum ſimul eſſe non poteſt,ſed alterum horum non poteſt non eſſe, ſcilicet quin iſte ſit prædeſtinatus (ab æterno enim prædeſtinatus eſt) & non poteſt modò eſſe prædeſtinatus. Cùm ergo impoſſibile ſit ſimul vtrunque eſſe, & impoſſibile ſit alterum non eſſe, videtur non poſſe alterum eſſe, ſcilicet vt damnetur. Quod ſi eſt,ergo non poteſt eſſe vt non ſaluetur. In huius Quæſtionis ſolutione mallem alios audire quàm docere. Dicimus tamen de præſcientia ſimilē poſſe moueri quæſtionem. C *Ideóque tam hîc quàm ibi vnam facimus reſponſionem,dicentes determinandum fore illud cui innititur tota hæc quæſtio,ſcilicet impoſſibile eſt alterum iſtorum non eſſe,ſcilicet quin iſte modò ſit prædeſtinatus: ab æterno enim iſte prædeſtinatus eſt. Diſtinguendum enim eſt cùm ait, Iſte non poteſt modò non eſſe prædeſtinatus: vel non poteſt eo modo eſſe, quin ſit prædeſtinatus: hoc enim coniunctim vel diſiunctim intelligi poteſt. Non enim poteſt eſſe vt ab æterno ſit prædeſtinatus, & modò non ſit prædeſtinatus: nec poteſt eſſe ſimul, vt ſit prædeſtinatus,& non ſit prædeſtinatus: ſed tamen* [2] *potuit eſſe ab æterno,quòd non eſſet prædeſtinatus & potuit ab æterno non eſſe prædeſtinatus. Et ſicut ab æterno* Deus *potuit eum non prædeſtinare, ita conceditur à quibuſdam,quòd & modò poteſt* Deus *eum non prædeſtinaſſe. Ab æterno ergo poteſt* Deus *non prædeſtinaſſe eum: ergo poteſt iſte non fuiſſe prædeſtinatus, ſi verò nõ fuiſſet prædeſtinatus,nec modò eſſet prædeſtinatus: ergo modò poteſt non eſſe prædeſtinatus: ita & de præſcientia,& de præſcitis dicunt: quod* [4] *in actionibus vel in operationibus* Dei *& hominum nullatenus concedunt. Ex quo enim aliquid factum eſt vel dictum,non concedunt quod poſſit non eſſe vel non fuiſſe: imò impoſſibile eſt non eſſe vel non fuiſſe,quod factum eſt vel dictum,referentes poſſibilitatem vel impoſſibilitatem ad naturam rei exiſtentis. Cùm verò de præſcientia vel prædeſtinatione* Dei *agitur,poſſibilitas vel impoſſibilitas ad potentiam* Dei *refertur, quæ ſemper eadem fuit & eſt: quia prædeſtinatio,præſcientia,potentia,vnum in* Deo *eſt.*

CAP. IIII.

Quid ſit reprobatio Dei,& in quibus conſideretur,& quid ſit prædeſtinationis effectus.

CUMQVE

A *CVM QVE prædeſtinatio ſit gratiæ præparatio,*
id eſt, diuina electio, qua elegit quos voluit ante mundi
Ephe. 1. a *conſtitutionem, vt ait Apoſtolus: Reprobatio è conuer*
ſo intelligenda eſt præſcientia iniquitatis quorundam,
& præparatio damnationis eorundem. Sicut enim præ-
deſtinationis effectus illa gratia eſt, qua in præſenti iu-
ſtificamur, atque ad rectè viuendum, & in bono perſe-
uerandum adiuuamur, & illa, qua in futuro beatifica-
mur: ita reprobatio Dei, *qua ab æterno non eligendo*
quoſdam reprobauit, ſecundum duo conſideratur, quo-
rum alterum præſcit, & non præparat, id eſt, iniquita-
tem: alterum præſcit & præparat, ſcilicet æternam pœ-
Hoc habetur in gloſſa ordinaria ad 8. c. *nam. Vnde Aug. ad Proſperum & Hilarium: Hæc:*
inquit, 1 *regula inconcuſſe tenenda eſt, peccatores in*
peccatis præſcitos eſſe, non præparatos. pœnam autem
eſſe præparatam. Præparauit enim Deus, *vt ait Aug.*
Ad Ro. Cap. 17. in Tom. 7. *in lib. de Bono perſeuerantiæ, in præſcientia ſua, quibus*
voluit bona ſua: & quibuſcunque donat, proculdubiò
Fulgēt. li. 1. ad Monim. *ſe donaturum eſſe præſciuit. Præparauit* 2 *etiam* Deus,
vt 3 *ait Fulgentius, malis ignem æternum: illis vtique,*
B *quos iuſtè præparauit ad luenda ſupplicia, nec tamen*
præparauit ad facienda peccata. Præparauit enim Deꝰ
quod diuina æquitas redderet, non quod humana ini-
quitas admitteret. Non enim, ſicut præparauit Sanctos
Aug. lib. De Bono perſeuerant. c. 14. *ad iuſtitiam percipiendam, ſic præparauit iniquos ad*
iuſtitiam amittendam: quia prauitatis præparator nun
quam fuit. Sicut ergo prædeſtinatio Dei *propriè eſt præ-*
ſcientia & præparatio beneficiorum Dei, *quibus certiſ*
ſimè liberantur quicunque liberantur: ita reprobatio
Dei *eſt præſcientia malitiæ in quibuſdam non definien-*
dæ, & præparatio pœnæ non terminandæ. Et ſicut præ-
deſtinationis effectus eſt gratiæ appoſitio, ita reprobatio-
nis æternæ quodammodo effectus eſſe videtur obdura-
Epiſt. 105. *tio. Nec obdurat Deus, vt ait Aug. ad Sixtum, impar-*
tiendo malitiam, ſed non impartiendo gratiam, ſicut
nec digni ſunt. Quibus enim non impartitur, nec digni
ſunt, nec merentur: potius vt non impartiatur, hoc digni
Rom. 9. c *ſunt, hoc merentur. Vnde Apoſtol. ait, Cuius vult, mi-*
ſeretur Deus, *& quem vult indurat: miſericordiam ap*
pellans prædeſtinationem: & præcipuè prædeſtinationis
C *effectum, id eſt, gratiæ appoſitionem: obdurationem verò*
Lib. 1. to. 4. *gratiæ priuationem. Non* 5 *enim vt ait Aug. ad Simpli*
cianum, intelligendum eſt quòd Deus ita induret, quaſi
quenquam peccare cogat: ſed tamen quibuſdam pecca
toribus miſericordiam iuſtificationis ſuæ non largitur,
& ob hoc eos indurare dicitur, quia non eorum miſere-
tur, non quia impellit vt peccent. Eorum autem non mi
ſeretur, quibus gratiam non præbendam eſſe æquitate
occultiſſima, & ab humanis ſenſibus remotiſſima iudi-
cat: quam non aperit, ſed miratur Apoſtolus dicens, O
altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.

AD DISTINCT. XL.

AD CAP. I.

1 *Prædeſtinatio eſt.* Quædam ſunt hoc loco prætermiſſa, vt iſta ſimul coniungerentur, quæ de prædeſtinatione, & præſcientia habet illic Auguſtinus. Sed illa prætermiſſio nullum ſcopo Auguſtini detrimentum affert. Illa tantùm nollem eſſe neglecta, quæ de gratia ibidem habentur, quoniã & totum hunc locum illuſtrant, & mentem Auguſtini explicant. Confert enim illic Auguſtinus hæc tria inter ſe, præſcientiam, prædeſtinationē, & gratiam. Præſcientia eſt omnium: prædeſtinatio tantùm eſt electorum ad ſalutem, ait Auguſtinus. Gratia verò eſt ipſa donatio, & prædeſtinationis effectum. Hęc ille quę ad huius loci explicationem plurimùm faciunt. A

AD CAP. II.

1 *S I alius non eſt.* Locus hic ab Auguſtini mēte planè detortus eſt per Lombardum, vt ex iſtis facilè colligi poteſt. Duplex eſt apud Auguſtinū de eo, *Vtrùm ſit certus prædeſtinatorum numerus* quęſtio, & vtraque diſſimilis. Prima eſt, Vtrùm ratione numeri tantùm certus ſit, quoniam ſi qui ex iam prędeſtinatis excidant, alij in eorum numerum à Deo ſubrogentur, veluti in locum Iudę Iſcariotę Mathias: in locum electorum Angelorū, qui ceciderunt, homines ſufficiūtur, vti putat Auguſtinus ipſę in Enchirid. cap. 29. Pro hac quęſtione affertur illud Auguſtini, quod iſte iam citat, *Potens eſt enim* ait Auguſtinus, *Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahami: vt oſtendat ſic iſtos eſſe amputandos, ſi non fecerint fructum, vt non deſit numerus, qui promiſſus eſt Abrahæ: tamen apertiùs in Apocalypſi (capit. 3. dicitur) tene quod habes ne alter accipiat coronam tuam. Si enim alius non eſt accepturus, niſi iſte perdiderit, certus eſt numerus.* Ergo ſic definit Aug. certum eſſe prędeſtinatorum numerū, vt certitudo iſta nō in perſonis ipſis prædeſtinatis ſit: ſed in ipſa electorum (vt ita cum eodem in Enchirid. loquar) numeroſitate, & quantitate. Quare, ſi ter mille homines electi ac prędeſtinati ſunt à Deo, vt cœlum poſſideant, ſemper futurum eſt vt ille numerus compleatur, licet perſonę ipſę ſemel prædeſtinatæ à gratia ſibi collata & prædeſtinatione excidere poſſint, aut reipſa excidant. Hæc eſt prima quæſtio: altera eſt, vtrū certus ſit prædeſtinatorum numerus, ratione ipſarum perſonarum electarū, quod nemo ex prædeſtinatis cadere à ſua illa prædeſtinatione poſſit. Hanc poſtremam tractat. hîc Lombardus, nō ſuperiorem illam. Ait enim, *Prædeſtinatorum nullus videtur poſſe damnari,* Porro ad quæſtionē Lombardi non pertinent ſuperiora Auguſtini verba, C
ſed illa quæ ſequuntur eodem libro, & capite, *Numerus ergo Sanctorum per gratiam* Dei *regno prædeſtinatus, donata ſibi etiam perſeuerantia, illuc integer perducetur, & illic integerrimus iam ſine fide beatiſſimus ſeruabitur, adhærēte ſibi miſericordia ſeruatoris ſui, ſiue quum conuertuntur: ſiue quum præliantur: ſiue quum coronantur.* Item quod ait idem Auguſtinus in Euangelio Ioannis trac. 46. ita certus eſt prædeſtinatorum ad regnū Dei numerus, vt nec addatur eis quiſquã, nec minuatur ex eis, quia nouit Deus qui ſui ſint. Ex quibus apparet & perperã citari locum Aug. à Lombardo ad quæſtionē à ſe propoſitam, certè quidem vexatam: & diuerſas quæſtiones nullo hîc iudicio confundi.

AD CAP. III.

1 *Et non poteſt modò eſſe prædeſtinatus.* Quanquam in iſtorum hominum ſcholis nihil frequētius, quàm autor iſte teratur, & iam tanto tēpore, nihilque ſit inter iſtos eo triuialius: tamen mirari ſuccurrit, qua de cauſa fiat, vt grauiſſima huius capitis menda nulli ſcholaſticorū antea vel viderint, vel emēdarint. Ac ne quidē ille Ioannes Aleaume homo ineptiſſimus, qui ſe poſtremum ipſius cenſorē eſſe glorietur. Ergo ſingula huius

A loci & capitis vulnera non tantùm monſtrabo: ſed etiam Deo dãte,ſanabo, vt omnes intelligãt, me in hoc autore legendo beneuolè verſari, ac bona fide, quandoquidem illius vulneribus medeor,quantum quidem in me ſitũ eſt.Ergo quanuis iſtorum caterua pro honorario tanti laboris me fortaſſe Samaritanum appellabit, ſum tamen magis iſtius vulnerati proximus,& miſertus, quã ipſi illi,qui ſe & Sacerdotes,& Leuitas,& diſcipulos huius vocitant Luc.10.verſ.30. 31. Quamobrẽ omiſſis eorum conuitiis,amici officium Lombardo præſto,atque hunc locum reſtituo. Dico igitur addendam eſſe negationem, & ſic legendum, *Et non poteſt modò non eſſe prædeſtinatus.*Confirmat meam emendationem quod poſtea hoc ipſo capite ſequitur,& eſt huius dicti repetitio, *Diſtinguendum enim eſt quum ait*, ISTE NON POTEST MODO NON ESSE PRAEDESTINATVS. Denique alioqui pugnaret Lombardi ipſa ſecum oratio, & ſententia. Hoc primum igitur vulnus ſano.

B 2 *Sed tamen potuit eſſe.* Alterum iam hic verſatur.Hæc enim verba, *Potuit eſſe ab æterno, quòd non eſſet prædeſtinatus*, vel gloſſema ſunt alicuius nouitij monachi,& nondum *Baccalaurei vel intrantis formati:* vel ipſummet Lombardum euertunt. Nã docent aliquem eſſe poſſe prædeſtinatum, qui tamen non ſit ab æterno prædeſtinatus. Id quod non modò falſum eſt,ſed ab ipſomet Lombardo infrà refutatur cap.4. ex definitione prædeſtinationis, quam ex Auguſtino & affert, & probat Lombardus. Ergo ſic totus hic locus legendus eſt, *Non enim poteſt eſſe vt ab æterno ſit prædeſtinatus, & modò non ſit prædeſtinatus: nec poteſt eſſe ſimul, vt ſit prædeſtinatus, & non ſit prædeſtinatus: ſed tamen potuit ab æterno non eſſe prædeſtinatus*, deturbato inſulſo, & falſo illo gloſſemate, quod hic interſeritur in omnibus codicibus impreſſis.

3 *Si verò non fuiſſet prædeſtinatus.* Adde,aut ſub C intellige, *ab æterno.* Si enim ab æterno non fuiſſet prædeſtinatus, nec modò eſſet prædeſtinatus, quia non ſurrepunt Dei cogitationi noua iſta conſilia, de aliquo iam prædeſtinando ad ſalutem,de quo ab ęterno non cogitarat Deus:quicquid contraria ſententia proximè hîc commemorata contendat. Hæc enim,vel eo ipſo ſatis refutat Lombardus,quòd docet eam ſtatuere & velle aliquem à Deo modò prædeſtinari,qui nõ fuerit ab æterno prædeſtinatus. Quod eſt ineptiſſimum & blaſphemum.

4 *Quod in actionibus.* Intellige *præteritis.* In actionibus Dei vel hominum præteritis idem nõ conceditur quod in futuris, ait Lombardus, id eſt,nulla eſt earum iam incertitudo, contingentia,mutatio, vel ſuſpenſio veritatis concedenda, vti adhuc futurarũ. Præclarè enim Ariſtoteles, *Quod eſt,quando eſt,neceſſe eſt eſſe:* Sic, *Quod fuit,poſtquam fuit,neceſſe eſt fuiſſe.* Ergo præteritæ iam operationes non pendent à contingentia futura. Atque ita & ſanatum & explicatum, & in ſuos articulos reſtitutum eſſe à nobis hoc Lombardi caput, boni omnes vident, quod tandiu luxatum & vulneratum diſcipulorummet negligentiâ,& inſcitia permanſerat. Experiemur autem quàm bonam gratiam iſti propterea nobis rependent.

AD CAP. IIII.

1 *Hæc, inquit regula.* Variè me torſit in quærendo locus iſte, A atque alius diligentior fortaſſe inueniet, quod ego non potui. Citatur igitur à Lombardo ex epiſtola Auguſtini ad Proſperum & Hilarium: extant quidem Proſperi & Hilarij epiſtolæ de hoc argumento ad Auguſtinum ſcriptæ,Tomo ſeptimo, ante librum de *Prædeſtinat. Sanctorum:* ſed nulla Auguſt.epiſtola ad vtrunque extat,etſi duplex eſt ad Hilarium in Tomo ſecundo,epiſtola nimirum 89.& 94. Denique liber ipſe de *Prædeſtinat.Sanctorum*, qui ad Proſperi & Hilarij quæſtiones reſponſionem continet, hęc verba,quæ citat Lombardus, non habet: ac ne ſequens quidem liber, qui eſt de *Bono perſeuerantiæ.* Vt omnino negari non poſſit,quin ſit hoc ipſum ἁμάρτημα μνημονικὸν iſtius ſcriptoris, quicquid de gloſſa ordinar.in cap.8.ad Rom.hîc ſit in margine annotatum.

2 *Præparauit enim Deus.* Verba hæc Auguſtini extant in libro De *bono perſeuerantiæ*, capit. 17. B ſed ab iſto immutata.Sic enim capitis penè initio habet Auguſtinus, *Iſta igitur ſua dona quibuſcunque Deus donat, proculdubio donaturum ſe eſſe præſciuit, & in ſua præſcientia præparauit.* Deinde detorquet à mente, quoniam ſcopus Auguſtini iſte eſt, vt doceat propter Prędeſtinationem non reddi ſegniores homines ad precandum Deum, vt dona illa ſua ſalutaria nobis prædeſtinatis largiatur. Etſi enim quos prędeſtinauit, eoſdem vocauit, atque illis iiſdem dona illa prępatauit,tamen illa à Deo petenda ſunt. Facit igitur τὸ ζητούμενον Lombardus illud quod eſt apud Auguſt. κελυόμενον,& cõtrà. Quod ipſũ vitiat,variátq; ſententiã autoris.

3 *Vt ait Fulgentius.* Sed neque verba hęc apud Fulgentium reperi. Huius argumenti tractatio extat apud eum libro primo, ad Monimum, ex cuius libri cap.22. hęc excerpta ſunt, *In his autem qui putantur prædeſtinati non ad luenda ſupplicia,ſed ad perpetranda peccata, cum cauſſa Prædeſtinationis* C *quæritur,non inuenio quid reſpondere poſſet, quiſquis hanc aſſerere meditatur.* Deinde paulò poſt ſubiicit, *Abſit hoc à nobis,atque ab omnibus Chriſtianis,vt cauſſam cuiuſlibet peccati quiſquam deputare diuinæ audeat æquitati.* Et capite 27. *Non ergo iniqui prædeſtinati ſunt ad mortem animæ primam*: (id eſt,peccatum) *ſed prædeſtinati ſunt ad ſecundam id eſt,ad ſtagnum ignis & ſulphuris:* & eodẽ capite poſtea, *Peccata itaque hominum cuncta quidem* Deus *in peccatoribus præſciuit futura.* Et *quia ipſe non ea prædeſtinauit facienda,iuſtè prædeſtinauit iudicio punienda.* Hactenus ille. Ex quibus quàm bona fidę agat in citando Fulgentio Lombardus apparet.

4 *Sicut ergo.* Hęc iam ſunt extrita ex libr. Aug. de Bono perſeuerantię,ca. 14. vſque ad verba, *ita reprobatio,&c.* Addidit igitur Lombardus vocem comparationis *Sicut*, quæ non eſt apud Augu.vt redditio,id eſt,alterum membrum huius ſententię(quod continetur his verbis, *Ita reprobatio* Dei *eſt præſcientia &c.*) eiuſdem quoque Auguſtini eſſe crederetur. Atque ita ementito teſtimonio vera eſſe videretur ipſius Lõbardi ſententia, longè tamen ab Auguſtini mente in hoc argumẽto diſſimilis ac diuerſa. Atque hic locus perſpicuè Lõbardum arguit ac conuincit falſitatis.

5 *Nõ enim ait Auguſtinus.* Et à verbis,& à mẽte Auguſtini diſceſſum eſt. Ac quidem à mente,

quoniam

A quoniam hic eſt ſtatus quæſtionis,& cõtrouerſiæ apud Auguſtinum, *A quibus exigendum,& quibus donandum,ſit ſuperbè iudicant debitores*,id eſt, homines ipſi. *Quemadmodum conducti ad illam vineam iniuſtè indignati ſunt, quia tantundem aliis donaretur, quantũ illis redderetur*.Hîc autẽ docere voluit,quod poſtremo loco poſuerat,*obdurationem eſſe quodãmodo effectũ æternæ reprobationis* , quoniã obduratio eſt in reprobis gratiæ priuatio. Ita quòd eſt apud Auguſtinum δεδόμενον medium argumentationis, nempe Deum non impellere peccatores vt peccent:in hac quæſtione eſt ζητούμενον,& illud ipſum quod controuerſum eſt.Ergo cõfundit,mutátque quæſtionem & argumentũ Auguſtini.Quòd vt clariùs appareat, ſubiicio ipſa B Auguſtini verba, per quæ huiuſmodi hominum de Dei decreto quęritantium, & iudicãtium ſuperbiæ reſpondet.Subiicit igitur Auguſtinus,*Itaque huius impudẽtiam quæſtionis ita retundit Apoſtolus, Homo tu quis es,qui reſpõdeas Deo? Sic enim reſpondet Deo,quũ ei hoc diſplicet,quod de peccatoribus conqueritur Deus:quaſi quenquam Deus peccare cogat,ſi tantummodo quibuſdam peccantibus miſericordiam iuſtificationis ſuæ non largiatur, & ob hoc dicatur obdurare peccantes quoſdam, quia non eorum miſeretur:non quia impellit, vt peccent. Eorum autem non miſeretur,&c.*In verbis autẽ receſſum eſſe facilè ex eo,quod iã citauimus,apparet.Tota enim hęc ſententia addita eſt, *Non enim intelligendũ eſt, quod Deus ita induret*. Et hæc quidẽ tot vitia in hac breuiſsima Diſtinctione,vel negligẽter vel malitioſè ſunt admiſſa. Quod ſi negligentiâ malint à Lõbardo peccatũ eſſe iſtius Patroni & defẽſores, certè quod negligentiâ peccatur, eſt peccatum: & certè huiuſmodi negligentia,qualis hîc deprehenditur, nõ caret latiſsima culpa,ne dicã,dolo malo,rem tãtam nimirũ & tam auguſtam(qualis eſt Prædeſtinatio Dei, cauſſa ſalutis noſtræ præcipua)tam perfunctoriè aut negligẽter tractare.

Cenſura ad diſtinctionem XL.

C Quanquam multa ſuperiùs in hac ipſa Diſtinctione ſunt à nobis obſeruata,quæ ſupinam ſcriptoris iſtius negligentiam in tam auguſto argumento,& quidem neceſſario, arguant: tamen etiam alia quædam breuiter annotabimus,ex quibus quot,quantáque ſint in hoc tractatu vitia,poterit quilibet æquus lector facilè iudicare.

Primum autem illud vitium eſt, quod neque ordinem à ſe propoſitum, ſupra Diſtinctione 35. cap.1.ſeruat:neque eum, quem ipſa rerum natura poſtulabat. Cùm enim de Dei præſciẽtia proximè egerit, erat conſequens, vt de prouidentia Dei iam diſputaret. Hoc enim ipſe rerum ordo efflagitat.Itaque euenit,vt propter confuſionem iſtam iſtius interpretes Dei præſcientiam cum prouidentia ipſi quoque confunderent,& quæſtiones de vtraque miſcerent,quę ſunt tamen diuerſe, & diſsimiles. Nullum alium enim locum in toto hoc libro reperiebant,vbi de Dei prouidentia ageretur. Quod verò dicimus apparet ex iis quæſtionibus,quas illi tum in ſuperiori, tum in hac ipſa Diſtinctione tractant. Deinde etiam ex eo,quòd cùm prædeſtinatio,de qua hîc agitur ſit ſpecies prouidentiæ Dei(vt cum Thoma Aquinate loquuntur omnes Scholaſtici)neceſſe omnino erat, vt priùs de ipſo genere, nempe de prouidentia, quàm de eius ſpeciebus, nimirum A de prædeſtinatione & reprobatione tractaretur. Quæ tamen Lombardus perturbauit.

Alterum vitium eſt,quòd cùm eſſet difficillimam hanc quęſtionem de prædeſtinatione explicaturus,debuit ab ipſo fonte rem totam arceſſere, vt & verè & dilucidè explanaret.Itaque ab ipſa Dei εὐδοκίᾳ ſeu προθέσει, quemadmodum loquitur Paulus Epheſ.1.ver.5.& 11.erat ordiendum. Propoſitum enim illud Dei,quod fuit ab æterno,eſt prima cauſſa:tum Electionis,tũ Reprobationis hominũ. Electio verò eſt cauſſa prędeſtinationis. Ergo de effecto ipſo agit,prętermiſsis illis prioribus cauſsis duabus, Electione nempe, & Dei Propoſito.

Tertium vitium eſt, quòd non rectè contra diuidit prędeſtinationem reprobationi. Nec enim prædeſtinatio reprobationi, ſed electio reprobationi opponitur, & contra diuiditur,vt aiunt.Decretum enim illud ęternum Dei quoſdã elegit,quoſdam reprobauit.i.omnes non electos reiecit. Prædeſtinatio verò vtriſque communis eſt.Nam cùm illa ſit hominis ad ſuum finem,& ad ea omnia media,per quæ ad eum finem perueniendum eſt ordinatio:certè vt ſuus eſt reprobatis finis, ſuáque media: ſic etiam ſua reprobatis B prædeſtinatio eſt. Sed & ſic Apoſtoli quoque loquuti ſunt,Reprobatos enim appellat Iudas προγεγραμμένοις.Iud.epiſt.verſic.4. & Paulus τεθέντας & κατηρτισμένοις. Roma.9. verſ. 22. & Patres etiam,vt autor libri de vocatione gentium *prædeſtinatos*. adeóque ſæpe Aug.ipſe,qui tamen poſtea *prædeſtinationis* vocem ad ſolos electos reſtrinxit. Vnde factum eſt vt poſtea reprobati appellarentur *Præſciti*,non prædeſtinati. Sic in Concil.Baſil. & Conſtantienſi.Sed,quòd iſti metuunt, ne, ſi reprobati dicantur quoque prædeſtinati,Deus autor eorum culpæ eſſe cenſeatur:vel ipſi iniuſtè à Deo damnari videantur, facilè diſſoluitur tum ab Auguſtino:tum ab ipſo etiam Durando. Ab Auguſtino igitur ſoluitur,quia,vt ait ille, *in Artic.ſibi falsò impoſit.alia eſt cauſſa naſcendi,alia pereundi*.Et li.1.ad Simplicia. *Et quod ex numero impiorum,quos non iuſtificat,facit vaſa in cõtumeliam,* C *non hoc in eis odit,quod facit:quippe in quantum impii ſunt,execrabiles ſunt:inquãtum autem vaſa fiũt, ad aliquem vſum fiunt. Non itaque odit Deus, nec inquantum homines ſunt,nec in quantũ vaſa ſunt,id eſt,nec quod in eis fecit creando:nec quod in eis fecit ordinando.* Hæc Auguſtinus. Ergo non idcirco damnantur reprobi,quoniam ad ea prædeſtinati ſunt, per quæ in iis ipſis Dei decretum implendum eſt.Sed damnantur propter ſua ipſorũ peccata, & opera,quæ ipſi, & quidem libera voluntate,committunt:non coacta faciunt,contra ſibi patefactam Dei voluntatem. Cùm enim damnatio ſit pœna,nemo ex eo pœnam patitur, quod Deus de illo fieri decreuit. Pœna enim,ſceleris pœna eſt,quod nunquam in Dei decreto de nobis,ſed in noſtro duntaxat opere ſpectari poteſt. *Nec eſt Deus prius vltor, quàm aliquis ſit peccator.* Aug.li 2.de Ge.'Ergo quod hoc loco Durandus ſcribit,etiã peccata reproborũ ipſorum Deus iuſtè ordinat,nõ quâ peccata,ſed qua ſunt opus iuſtitiæ Dei,& in pœna ipſorum Dei iuſtitia elucet,veriſsimum eſt.Nam *reprobati*, ait, *ſunt ſua & pœnæ,& condemnationis vera,proxima, & ipſiſsima*

A *cauſſa.* Ex quo fit, vt Thomas in 1. par. Quæſt. 23. ad Articul. 3. cùm rectè ſic ſcripſiſſet, *prædeſtinatio eſt cauſſa & eius quod expectatur à prædeſtinatis in futura vita, ſcilicet gloriæ : & eius quod percipitur in præſenti, ſcilicet gratiæ: reprobatio verò nō eſt cauſſa eius quod eſt in præſenti, ſcilicet culpæ,* tamen poſteà peſſimè addat, & ſcribat, *Eſt tamen cauſſa* (reprobatio) *eius, quod redditur in futuro, ſcilicet pœna æterna.* Sic igitur & ſe & ſuos decepit Lombardus, & hiantes reliquit, dum ex parte tantùm, ac obſcurè, tam arduam quæſtionem iſtam tractat.

Quartò, ex falſis & ementitis autoritatibus probationem, in hac Diſtinctione quærit, vt apparet ex primo dicto Auguſt. & ex dicto Fulgentij cap. 4.

Quintò, non tantùm ſe curioſum, ſed ineptum oſtendit, qui eas quæſtiones proponat, quas ſe B diſſoluere non poſſe præuiderat: id quod ex ca. 3. apparet. Ecquis enim eum cogebat, vt ſe in tantas anguſtias coniiceret? Et ſanè præſtat in Theologicis nullum omnino animis ſcrupulum iniicere, quàm iniectum non tollere, ne hominum fides nutet, & prorſus incerta reddatur: aut conſcientiæ non habeant, in quo tandem acquieſcant. Nam etiam hic ipſe ſequenti Diſtinctione cap. 4. pręclarè ſcribit, *Melior eſt fidelis ignorantia, quàm temeraria ſcientia.*

Sextò, ſibiipſi aduerſatur Lombardus, ſéque ipſum refutat perſpicuè in cap. 4. in his verbis: *ita reprobationis æternæ quodammodo effectus eſſe videtur obduratio.* Nam teſtimonia, quæ ſtatim ad id confirmandum iſte profert, id ipſum refutant, docéntque nos ipſos cauſſam nobis eſſe noſtræ obdurationis, non Deum, aut reprobationē quæ à Deo fit. Ergo aut alia teſtimonia prolata oportuit, aut hæc tacita.

Septimò denique, quæ de reprobatione docet, vel falſa ſunt, vel manca. Manca, quoniam non ſatis explicant ſenſum huius locutionis, *Dominus indurauit cor Pharaonis, & ſimilium.* Id enim effici C ſcribit iſte ſolâ Dei ἀνεργασίᾳ, id eſt, ceſſatione, permiſsione, & ſubſtractione ſuę gratiæ: nō etiā iuſta Dei peccatum per peccatum punientis actione, decreto, & efficacitate, quod tamē oſtendit, & quidem rectè, Durandus.

Falſa verò ſunt quæ tradit, id eſt, Reprobationem eſſe præſcientiam iniquitatis reproborum. 2 Reprobari eſſe deſeri in ſuo vitio. 3 Reprobationem eſſe præparationem ad pœnam æternam. Nam etſi Paulus vocat Reprobatos, *Vaſa iræ Dei, & coagmentata ad interitum*: tamen non aliud Paulus ſignificat his verbis, quàm quod Irenęus dixit lib. 4. cap. 24. eſſe eos exceptoria iræ Dei: & illud ipſum præparatos, vt in iis Deus ſuę iuſtitiæ æquitatem demonſtraret: non quòd ipſa eorum reprobatio à Deo facta ſit cauſſa pœnę ipſorum. Neque enim illic de cauſſis exitij Reproborum, ſed de fine creationis eorum agit Paulus. Alia autem eſt cauſſa naſcendi, alia pereundi. Et hæc quidem hactenus.

DISTINCTIO XLI.

Vtrùm aliquod ſit meritum obdurationis & miſericordiæ.

CAP. I

A

SI autem quærimus meritum obdurationis & miſericordiæ. Obdurationis meritum inuenimus, miſericordiæ autem meritum non inuenimus: quia nullum eſt miſericordiæ meritum, ne gratia euacuetur, ſi non gratis donetur ſed meritis redditur. Miſeretur itaque ſecundum gratiam, quæ gratis datur, obdurat autem ſecundum iudicium, quod meritis redditur. Vnde datur intelligi, vt ſicut reprobatio Dei eſt nolle miſereri: ita obduratio Dei ſit non miſereri: vt non ab illo irrogetur aliquid quo ſit homo deterior: ſed tātùm quo ſit melior non erogetur. Ex his apertè oſtenditur quid miſericordiam, quid obdurationem intellexerit Apoſtolus: & quia miſericordia nullum aduocat meritum, obduratio verò non eſt ſine merito. Et miſericordiæ verbo, hîc accipitur prædeſtinatio, & præcipuè prædeſtinationis effectus: obdurationis verò non ipſa Dei æterna reprobatio (quia eius nullum eſt meritum) ſed gratiæ priuatio ſiue ſubtractio, quæ quodam modo B *eſt reprobationis effectus. Accipitur tamen aliquando reprobatio pro obduratione, ſicut & prædeſtinatio pro ſuo effectu, cui eſt gratia appoſita. Gratia enim quæ apponitur, effectus eſt prædeſtinationis. Cùm ergo gratiæ, quæ apponitur homini ad iuſtificationem, nulla ſint merita: multò minus & ipſius prædeſtinationis, qua ab æterno elegit Deus quos voluit, aliqua poſſunt exiſtere merita. Ita nec reprobationis, qua ab æterno quoſdam præſciuit futuros malos & damnandos, ſicut elegit Iacob & reprobauit Eſau: quod non fuit pro meritis eorum quæ tunc habebant, quia nulla habebant, quoniam nec ipſi exiſtebāt: nec propter futura merita quæ præuideret, vel illum elegit, vel illum reprobauit.*

Ex Aug. in tomo 4. Li. ad Simplicianum 1.

Rom. 9. c

Malac. 1. a

CAP. II.

Opinio quorundam, in qua fuit aliquando Auguſtinus, ſed poſteà retractauit.

*OPINATI ſunt tamen quidam Deum, ideò elegiſſe Iacob, quia talē futurum præſciuit, qui in eum cre*C*deret, & ei ſeruiret: quod aliquādo Auguſtinus ſe ſenſiſſe dicit in lib. Retractat. vbi apertè oſtendit, quòd ſi propter futura merita electus eſſet, iam non ex gratia eſſet electio. Non ergo ideo electus eſt à Deo, quia talis futurus erat, ſed ex tali electione talis eſt factus: ita dicens. Diſputans ergò quid elegerit Deus in nondum nato, cui dixit ſeruiturum eſſe maiorem, & quid in eodem maiore ſimiliter nondum nato reprobauerit: ad hoc perduxi ratiocinationem, vt dicerem, Non ergo elegit Deus opera cuiuſquam in præſcientia, quæ ipſe daturus eſt, ſed fidem elegit in præſcientia: & quem ſibi crediturum eſſe præſciuit, ipſum elegit cui Sp. S. daret, vt bona operando etiam æternā vitam conſequeretur. Ecce hîc apertè dicit nō propter opera eum elegiſſe, ſed propter fidem qua eum præuidit crediturum. Sed quia & in fide meritum eſt, ſicuti & in operibus, hoc retractauit dicens, Nondum diligentiùs quæſiueram, nec adhuc inueneram qualis ſit electio gratiæ, de qua dicit Apoſtolus, Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ fient: quæ vtique non eſt ex gratia, ſi ex meritis procedit: vt iam quod datur non ſecundum gratiam ſed ſecundum debitum reddatur potius meritis quàm donetur: perinde quod continuè dixi. Dicit enim idem Apoſtolus, Idem Deus qui operatur omnia in omnibus: nunquam autem dictum eſt, Deus credit omnia in omnibus. Ac deinde ſubiunxi, Quod ergo credimus,*

noſtrum

Li. Retractionū 1 cap. 23.

Id etiam habetur in tomo 4 Li. ad Simplicianum 1. Et in tomo 7 lib. de prædeſtinatione Sanctorū. Cap. 3.

Rom. 11. a

1. Cor. 12. d

A *noſtrum eſt: quod verò bonum operamur, illius eſt qui credentibus (dat Spir. S.) ſed hoc profectò nõ dicerem, ſi ſcirem etiam ipſam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu. Vtrunque ergo noſtrũ eſt propter arbitrium voluntatis, & vtrunque datum eſt per Spiritum fidei & charitatis. Et quod paulo pòſt dixi, Noſtrum enim eſt credere & velle, illis autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi Per Spiritum ſanctum, per quem charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, verũ eſt quidem ſed eadẽ regula eſt. Et vtrunque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem: & vtrunque noſtrum, quia non fit niſi volentibus nobis, ergo & meritum fidei de miſericordia Dei venit. Non ergo propter fidem vel aliqua merita elegit Deus aliquos ab æterno, vel appoſuit gratiã iuſtificationis in tempore, ſed gratuita bonitate ſua elegit, vt boni eſſent. Vnde Auguſtinus in libr. de prædeſtinatiõe Sanct. z Non quia futuros nos tales eſſe præſciuit, ideò elegit: ſed vt eſſem⁹ tales per ipſã electionẽ gratiæ ſuæ, qua gratificauit nos in dilecto Filio ſuo.*

Ad Ro. 5. a

Cap. 18. in tomo. 7.

B

CAP. III.

His videtur contrarium quod alibi ait Auguſtinus.

HIS tamen aduerſari videtur quod dicit Aug. li. 83 Quæſtionum, Cui vult, inquit, miſeretur Deus & quem vult indurat: ſed hæc voluntas Dei iniuſta eſſe nõ poteſt. Venit enim de occultiſſimis meritis: quia & ipſi peccatores quum propter generale peccatum vnam maſſam fecerunt, tamen nonnulla inter eos eſt diuerſitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quanuis nondum ſint iuſtificati, digni efficiantur iuſtificatione. Et item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni ſunt obtuſione. Ecce hîc videtur Auguſt. dicere, quòd & ipſa Dei voluntas, qua alios eligit, alios reprobat, ex meritis proueniat, ſed occultiſſimis, id eſt, quòd pro meritis alios voluerit eligere, alios reprobare: & quod pro meritis aliis apponitur gratia iuſtificationis, aliis non, vnde obtunduntur. Sed quid intelligere voluerit, ignoratur: niſi fortè hoc dicatur intellexiſſe, quod ſuprà diximus eum retractaſſe. Nam ibidem quædam alia continuè ſubdit, quæ in lib. 1. Retract. apertè tractat: quod vtrunque legenti patebit. Vnde veriſimile eſt in præmiſſis etiam hoc retractaſſe. Quidam tamen ex eo ſenſu accipiunt fore dictum, non quia aliquis prædeſtinetur pro meritis, vel iuſtificationis gratiam mereatur: ſed quia aliqui non adeò mali ſunt, vt mereantur ſibi gratiam non impartiri. Nullus enim Dei gratiam mereri poteſt, per quam iuſtificatur: poteſt tamen mereri vt non apponatur, vt penitus abiiciatur. Et quidem aliqui in tantùm profundum iniquitatis deuenerunt, vt hoc mereantur, vt hoc digni ſint: alij verò ita viuunt, vt etſi non mereantur gratiam iuſtificationis, non tamen merentur omnino repelli, & gratiam ſibi ſubtrahi. Ideóque dixit in quibuſdam peccatoribus præcedere quo digni ſint iuſtificatione, & in aliis quo digni ſint obtuſione: ſed hoc friuolum eſt.

Queſt. 98. in tom. 4.

C

Lib. 1 Retractat. cap. 23.

CAP. IIII.

Opinio quorundam falſa, de occultis Dei differentium carnaliter.

MVLTI verò de iſto profundo quærentes reddere rationem, atque ſecundum coniecturas cordis ſui inſcrutabilem altitudinem iudiciorum Dei cogitare conantes, in fabulas vanitatis abierunt: dicentes, quòd animæ ſurſum in cælo peccant, & ſecundũ peccata ſua ad corpora pro meritis diriguntur, & dignis ſibi quaſi carceribus includuntur. Ierunt hi tales poſt cogitationes ſuas, & volentes diſputare de Dei profundo, verſi ſunt in profundum: dicentes animas in cælo antè conuerſatas, & ibi aliquid boni vel mali egiſſe, & pro meritis ad corpora terrena detruſas eſſe. Hoc autem reſpuit Catholica fides propter euidentem Apoſtoli ſententiam qua ait, cùm nondum nati eſſent, aut aliquid boni vel mali egiſſent, &c. Melior eſt ergo fidelis ignorantia, quàm temeraria ſcientia. Elegit ergo eos quos voluit gratuita miſericordia, non quia fideles futuri erant, ſed vt fideles eſſent: eíſque gratiam dedit, non quia fideles erant, ſed vt fierent. Ait enim Apoſtolus, miſericordiam conſecutus ſum, vt fidelis eſſem non ait, quia fidelis eram. Datur quidem & fideli, ſed data eſt etiam priùs vt eſſet fidelis. Ita etiam reprobauit quos voluit, non propter futura merita quæ præuideret, veritate tamẽ rectiſſima, & à noſtris ſenſib. remota.

A

Auguſt. de verbis Apoſtoli. Sermo 7. Tomo 10.

Roma 9.

1. Cor. 7. Aug. lib. Retract. 1. Cap. 23.

B

CAP. V.

Quæſtio.

SED quæritur. Vtrùm ſicut dicitur elegiſſe quoſdã vt boni fierent & fideles, ita etiam concedi debeat reprobaſſe quoſdam vt mali eſſent & infideles, & obdurare vt peccent? quod nullatenus concedi oportet. Non enim reprobatio ita eſt cauſa mali ſicut prædeſtinatio eſt cauſa boni: neque obduratio ita facit hominem malum, quemadmodum miſericordia facit bonum.

CAP. VI.

An ea quæ ſemel ſcit Deus vel præſcit, ſemper ſciat & præſciat, & ſemper ſcierit vel pręſcierit.

PRAETEREA conſiderari oportet, vtrùm ea omnia quæ ſemel ſcit vel præſcit Deus, ſemper ſcit & ſcierit, ac præſciat, & præſcierit: an olim ſcierit vel præſcierit, quod modo non ſcit vel præſcit. De præſcientia primò reſpondemus, dicentes multa eum præſciſſe quæ modò non præſcit. Cùm enim eius præſcientia non ſit niſi de futuris, ex quo illa quæ futura erant præſentia fiunt vel prætereunt, ſub Dei præſcientia eſſe deſinũt, ſub ſcientia verò ſemper ſunt. Præſciuit ergo Deus omnia ab æterno quæ futura erant, neque præſcire deſinit, niſi cùm futura eſſe deſinũt. Neq; cùm præſcire deſinit aliqua quæ antè præſciebat, minus ea noſcit quã antè cognoſcebat. Non enim dicitur ex defectu ſcientiæ Dei quòd aliqua præſcierit aliquãdo quæ modò nõ præſciet, ſed ex ratione verbi, quod eſt præſcientia. Præſcire enim eſt antè ſcire aliquid, quàm fiat. Ideóque non poteſt dici Deus præſcire, niſi ea quæ futura ſunt. C

CAP. VII.

Hîc de ſcientia, dicens Deum ſemper ſcire quæ ſemel ſcit.

DE ſcientia autem aliter dicimus. Scit enim Deus ſemper omnia quæ aliquando ſcit: omnem enim ſcientiam quam aliquando habet, ſemper habuit, & habet, & habebit. Ad hoc autem opponitur ita: Olim ſciuit hunc hominem naſciturum, qui natus eſt, A *modò non ſcit eum naſciturum. Sciuit ergo aliquid quòd modò non ſcit. Item. ſciuit mundum eſſe creandum, modò non ſcit eum eſſe creandum. Aliquid ergo ſciuit quod modo non ſcit: & alia huiuſmodi infinita dici poſſunt. Sed ad hoc dicimus quòd idem de natiuitate huius hominis & mundi creatione, nunc etiam ſcit: quod ſciebat antequam fierent, licet tunc & nunc hanc ſcientiam eius diuerſis exprimi verbis oportet. Nam quod tunc futurum erat, nunc præteritum eſt. Ideóque verba commutanda ſunt ad ipſum deſignandum. Sicut diuerſis temporibus loquentes, eandē diem modo per hoc aduerbium cras deſignamus, dum adhuc futura eſt: modo per hodie dum præſens eſt: modo per heri, dum præterita eſt. Itaque antequàm crearetur mundus, ſciebat Deus hunc creandum: poſtquàm creatus eſt, ſcit eum creatum, nec eſt hoc ſcire diuerſa, ſed omnino idē de creatione mundi. Sicut antiqui Patres crediderunt Chriſtum naſciturum & moriturum: nos autem credimus eum natum & mortuum: nec tamen diuerſa credimus nos & illi, ſed eadem. Tempora enim,* B *vt ait Auguſtinus variata ſunt, & ideo verba ſunt mutata, non fides. Indubitanter ergo teneamus Deum ſemper omnia ſcire, quæ aliquando ſcit.*

AD DISTINCT. XLI.

AD CAP. I.

1 *Obdurationis meritum.* In margine librorū annotatum eſt iſta ex libro primo Aug. ad Simplicianū eſſe decerpta, quod ad ipſam doctrinæ huius loci ſummā potius, quā ad verba & ſeriem diſputationis referēdum eſt. Hæc autem eſt perpetua Aug. ſentētia, neque electionis noſtræ neque gratiæ, quia illius eſt effectum, vllum eſſe meritum noſtrum. Id quod in primo illo ad Simplicianum libro fuſè copioſéque tractat. Bona denique opera noſtra non præcedunt noſtram electionem, aut iuſtificationem: ſed eam ſequuntur. Atque quo totum hunc Lombardi locum C illuſtrem, pauca hæc ex eo libro proferam. *Ad frangendam, atque deiiciendam ſuperbiam hominum, ingratorum gratia Dei, & audentium gloriari de meritis ſuis iſta* (Roman. 9) *commemorantur. Cùm enim nondum nati fuiſſent, neque aliquid egiſſent bonum, aut malum, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei,* QVIA MAIOR SERVIET MINORI. *Vocantis eſt, ergo gratia: percipientis verò gratiam conſequenter ſunt bona opera, non quæ gratiam pariant, ſed quæ gratiâ pariantur. Non enim vt ferueat, calefacit ignis: ſed quia feruet, calefacit. Nec ideò benè currit rota, vt rotunda ſit: ſed quia rotunda eſt, currit. Sic nemo propterea benè operatur, vt accipiat gratiam: ſed quia accepit* (operatur.) *Quomodo enim poteſt iuſtè viuere, qui non fuerit iuſtificatus? Quomodo ſanctè viuere, qui non fuerit ſanctificatus? Vel, omnino viuere, qui non fuerit viuificatus? Iuſtificat autem gratia, vt iuſtificatus poſſit iuſtè viuere. Prima eſt igitur gratia: ſecunda, bona opera, &c.* Hæc Auguſtinus, quæ locum iſtum plurimum iuuant, atque annotationem marginalem.

AD CAP. II.

1 *Sed hoc.* Multa hîc ex lib. 1. Retractationum reſtituimus, velut parentheſin, quę incipit à verbis, *Dicit enim*, & finit ad hæc, *ſed hoc.* Deinde *ſubiunxit*, in *ſubiunxi* mutandum fuit. Denique hæc A quoque ipſa verba, *Sec hoc*, delenda ſunt, cùm in ipſo Auguſtini prototypo deſint, meliúſque iis exturbatis fluat oratio.

2 *Non quia.* Diſceſſum eſt à verborum ſerie, & à verbis ipſis: ſed nulla ſenſus iniuria.

AD CAP. III.

1 *Ignoratur, niſi fortè.* Vera eſt hæc ſolutio. Retractauit enim Auguſtinus lib. 1. Retractat. cap. 23. non vnum duntaxat, aut alterum ſuorum opuſculorum locum, vbi de cauſsis noſtrę electionis malè ſenſerat: ſed ipſam in vniuerſum priorem doctrinam ſuam. Liber autem 83. Quęſt. etſi ab Auguſtino lib. 1. Retractatio. cap. 26. agnoſcitur, tamen conſcriptus eſt ante ipſius cum Pelagianis certamina, vt ex ordine & temporis, & librorum ipſius Auguſtini apparet. Itaque priuſquā ſatis, quid nobis de Electione noſtra, illiúſq; cauſſis ex Dei verbo ſequendum, & ſtatuendum ſit, didiciſſet. Quare mirum non eſt ſi in illis prioribus opuſculis quędam extant, quæ idem poſtea B reprobauit ingenuè.

Cenſura ad diſtinctionem XLI.

Pauca ſunt quæ hîc annotare libuit, cùm idem ſit huius atque ſuperioris Diſtinctionis argumētum & ſcopus. Nam quæ hîc deſunt, ex antecedente Cenſura repeti poterunt. Illud porrò non omittendum eſt, Lombardum in hac tota tractatione longè meliùs, & veriùs quàm quę ſequuta eſt aliquot pòſt ætatibus Scholaſtica ſenſiſſe, & ſcripſiſſe, quemadmodum ex vtrorumq; ſcriptorum collatione facilè apparebit. Sed Lombardum ipſum primum expediamus.

Primum autem illud eſt nota dignum, quòd quæſtiones de Scientia, de Præſcientia Dei generales cum hac de Reprobatione, & Electione hominum, quæ ſpecialis eſt, apertè miſcet, & confundit, C cùm tamen ſingularem de Dei Scientia & Præſcientia diſputationem ſuprà Diſtinctione trigeſimaoctaua, & trigeſimanona promiſerit. Ergo in eas reiectam eſſe oportuit totam, capitis ſexti & ſeptimi huius Diſtinctionis diſceptationem: maximè verò ad cap. 2. Diſtinctione 39. pertinebat.

Secundum hîc animaduerſione dignum eſt, quòd ait iſte, *ſic diſtingui præſcientiam Dei ab eiuſdem ſcientia, & vtranque ſic inter ſe differre*, quòd Dei præſcientia minui poſsit: Scientia verò non poſsit. Id quod falſum eſſe, vel ex hoc ipſo facillimè intelligi poteſt, capite primo, Diſtinctione 39. ſuprà: & ex eo teſtimonio, quod ex Auguſtino iſte profert. Cùm enim dixiſſet Lombardus, & obieciſſet ex aduerſariorum mente, *Eſt aliquis hodie lecturus, quem Deus ſcit,* (id eſt, præſcit: agitur enim de lecturo, id eſt, de re futura) *Ergo poteſt minui eius ſcientia*, Id eſt Dei præſcientia. Reſpondet ipſe ex Auguſtino *Dei ſcientia nec augeri poteſt, nec minui.* Et id quidem poſtremum veriſsimum eſt, ac ſolum ſequendum. Nam res ipſæ vel quæ ſciuntur, vel præſciuntur à Deo augeri, & minui, oriri ac interire poſſunt: ipſa verò Dei vel ſcientia, vel præſcientia non poteſt, quoniam quæ ſcit, vel præſcit, Deus ab æterno & ſcit & præſcit: & licet ea ipſa vel nondum in rerum natura exiſtant, vel iam eſſe deſierint, A deſerint, in Dei tamen ipſius mēte ſemper ſunt præſentia, *Vocat enim ea quæ non ſunt*, ait S. Scriptura Rom. 4 .ver.17.Ergo aliā differētiam quęrat iſte inter Dei præſcientiam & ſcientiam.

Tertium obſeruo ac noto genus ipſum docendi,quo vtitur in hoc tam arduo & cōtrouerſo argumento Lombardus. Multi igitur oppugnant id quod veritas ipſa docet,videlicet,Nullam eſſe noſtræ,vel electionis vel reprobationis cauſſam præter vnius Dei voluntatem.Nam præcedentia animarū noſtrarū in cœlo exiſtētium antequam in noſtra corpora demitteretur, merita quidam cōmemorant,qui dicti ſunt Origeniſtæ:alij pręſentia,qui fuit error Pelagianorum.Alij denique futura & præuiſa à Deo opera noſtra cauſam noſtræ electionis,aut reprobationis faciunt:qui eſt error Papiſtarum,id eſt,ipſorum eccleſiaſticorū, qui certè vtrūq; illum ſuperiorem errorem coniungunt. Quæ enim à Deo præuiſa ſunt merita, perinde ſunt apud eum atque ſi iam facta eſſent, B vel ſi iam exiſterent. In hac igitur à tot hæreticorum cateruis oppugnata quidem, ſed nunquam expugnata (quia Dei verbo fundatur) veritate tuenda, Dei verbum erat afferendum, quale eſt Rom.9.verſi.10.11.12.Tit.3.verſi.5.2. Timoth.1. ver.9.Exod.33.ver.19.& ſimilibus aliis S.Scripturæ locis. Iſte tamen nimium ſecurus, & quaſi de re leuis momenti ageretur,omne probationis genus neglexit, adeò vt ne Auguſtinum quidem citet,niſi commemorandæ veteris illius opinionis gratia. Ex Dei igitur verbo hîc nihil omnino profert,vbi tamen maximè oportuit.

Atque in Lombardo quidem obſeruari iſta poſſunt:in ipſius autem interpretibus & commentatoribus, longè fœdiora omnia deprehenduntur. Primùm enim ex annotatione marginali cap.1. apparet,eos confundere quæſtionem *Vtrùm aliquod ſit meritum Obdurationis, cum hac vtrùm ſit aliquod meritum Reprobationis.* Eſſe enim aliquod obdurationis meritum poteſt:& reprobationis non poteſt. Has igitur quæſtiones tam C diuerſas rectè diſtinxit Lōbardus:iſti cōfundunt.

Deinde quum Lombardus generaliter ex Auguſtino neget, & quidem veriſsimè, vllum eſſe noſtrum meritum vel electionis,vel gratiæ Dei, poſt electionem in nos collatæ,vt tota ſalutis noſtræ gloria in ſolidū vni Deo vindicetur, quēadmodū par eſt, atq; accepta feratur: iſti tamē nouas fraudes machinati ſunt, atq; hāc Diſtinctionem addiderunt, nempe nullam eſſe cauſam noſtræ prædeſtinationis quoad æternam Dei electionem, vel quoad temporalem ipſius gratiæ collationem, *Ex parte quidem actus volentis*.i.prędeſtinātis Dei: *ex parte tamen volitorum, & ipſius prædeſtinati, poſſe eſſe*.Diſtinguunt quoq; inter particulares effectus prædeſtinationis, & prædeſtinationem in communi *Aiunt enim nos mereri illos effectus particulares poſſe.Nam Deus*, addunt, *dat primam gratiam, & per quam mereamur ſecundam. Primam autem gratiam non meremur.*Sed totā prędeſtinationem,& totos eius effectus in communi, *Impoſsibile eſt mereri.* Nam ait Thomas in 1. par.Quęſt.23.Art.5.*Impoſsibile eſt vt totus effectus prædeſtinationis in cōmuni habeat cauſſam aliquam ex parte noſtra, quia quicquid eſt in ordine ordinans hominem in ſalutem,totum comprehenditur ſub effectu prædeſtinationis, etiam ipſa prima præparatio ad gratiam. Neque enim eſt hæc niſi per diuinum auxilium.* A Et hoc verum eſt.Sed offenſus Occanus ꝙ ille tantùm tribueret Dei gratiæ,vt ipſam etiam præparationem noſtrā ad gratiam à Deo eſſe diceret, commutauit verba illa Thomæ proſtrema, & pro iis *Etiam ipſa prima præparatio ad gratiam*,ſuppoſuit Occā,*ipſa prima præparatio ad gloriam*, interpolata mente Thomæ, & euerſa planè ipſius Lombardi ſententia:rectè hoc loco ſentientis, & omnem à cauſis & effectis electionis, & prædeſtinationis noſtræ, cogitationē meriti noſtri,ſecludentis.Inde ab iſtis fabricata eſt prędeſtinatio electorum duplex, vna, quam *Propter rationem* fieri aiunt,eſtque velut ordinaria. Altera,quæ *ſine ratione à Deo fieri*,& eſſe ab iiſdem dicitur, quaſi ſine ratione Deus ſapientiſsimus ac iuſtiſsimus quicquam agat & decernat, etſi illa ratio eſt nobis ignota.Et hæc quidem illi de prędeſtinatione ac electione Dei affirmant.

Quod ad reprobationem, etiam peius omnino ſentiunt,& tandem à ſuo pręceptore prorſus diſcedunt: ſtatuunt enim *Reprobationis hominum* B *cauſſam eſſe ipſa eorū mala opera præuiſa à Deo.* Qui error à media ætate Scholaſticę habet originem, Tunc enim primùm dici cœpit, *Dari poſſe aliquā cauſſam reprobationis*, accipiēdo *cauſſam* ſecundo modo,id eſt, pro quadam prioritate, ſic Occan: ſed poſtea proſtrema ætate ſectæ iſtius ſcholaſticæ confirmatus & auctus ſic eſt, vt apertè dicant iſti, Mala reproborum opera à Deo præuiſa eſſe veriſsimam cauſſam hominum reprobationis, quæ à Deo ſit:ne Deum, aiunt, peccati autorem facere videantur.Quaſi qui hanc eorum ſententiam refutant vbiq; Paulus & Auguſtinus,Deum peccati autorem cōſtituant, aut cum Manichæis conſentiant.Ita nimirum iſti poſtremi ſcholaſtici ab ipſa Dei veritate ſunt alieni,& in hūc ſuum præceptorem Lombardum, dum eum non ſequuntur contumelioſi,ac ingrati diſcipuli.

C

DISTINCTIO XLI.

De omnipotentia Dei,vbi prius conſideratur, quare dicatur omnipotens.

CAP. I.

NVNC de omnipotentia Dei agendum eſt, vbi prima cōſideratio occurrit, quomodo verè Deus dicatur omnipotēs:an quia omnia poſsit,an tātū quia ea poſsit quæ vult. Quòd enim Deus omnia poſsit pluribus authoritatibus comprobatur. Ait enim Aug.in lib.quæſt.veteris ac nouæ legis.Omnia [1] *quidem poteſt Deus.ſed non facit niſi quod conuenit veritati eius & iuſtitiæ.Idem in eodem.Potuit Deus cuncta facere ſimul,ſed ratio prohibuit, id eſt, voluntas. Rationem nempe ibi voluntatem Dei appellauit, quia Dei voluntas rationabilis eſt & æquiſsima. Fatendum eſt ergo Deum omnia poſſe.*

[1] Quę quęſt. mixtim dicuntur cap.6. in Tomo.4.

CAP. II.

Quomodo dicatur Deus omnia poſſe, cùm nos multa poſsimus quę ipſe non poteſt.

SED quæritur,quomodo omnia poſſe dicatur,cùm nos quædam poſsimus quæ ipſe non poteſt. Non poteſt

A *enim ambulare, loqui, & huiuſmodi, quæ à natura diuinitatis ſunt penitus aliena, cùm horum inſtrumenta nullatenus habere queat incorporea & ſimplex ſubſtantia. Quibus id reſpondendum arbitror, quòd huiuſmodi actiones, ambulatio ſcilicet & locutio & huiuſmodi, à Dei potentia aliena non ſunt, ſed ad ipſam pertinent. Licet enim huiuſmodi actiones in ſe Deus habere non poſsit (nõ enim poteſt ambulare, vel loqui, & huiuſmodi) eas tamen in creaturis poteſt operari, facit enim vt homo ambulet, & loquatur, & huiuſmodi. Non ergo per iſtas actiones diuinæ potentiæ detrahitur aliquid, quia & hoc poteſt facere omnipotens.*

CAP. III.

De aliis obiicitur.

SED ſunt alia quædã quæ Deus *nullatenus facere poteſt, vt peccata. non enim poteſt mentiri, non poteſt peccare.* Sed *non ideo omnipotentiæ* Dei *in aliquo detrahitur, vel derogatur, ſi peccare nõ poſſe dicitur: quia* B *non eſſet hoc potentiæ, ſed infirmitatis. Si enim hoc poſſet, omnipotens non eſſet. Non ergo impotentiæ, ſed potentiæ imputandum eſt, quòd iſta non poteſt. vnde Aug. in 15. lib. de Trin. Magna, inquit, Dei potentia eſt non poſſe mentiri. Sunt enim*[1] *quædam quæ in aliis rebus potentiæ deputanda ſunt, in aliis verò minimè: & quæ in aliis laudabilia ſunt, in aliis verò reprehenſibilia ſunt. Non ergo ideo Deus minùs potens eſt, quia peccare non poteſt, cùm omnipotens nullatenus poſſit eſſe qui hoc poteſt.*

Cap. 15. Tomo 3.

CAP. IIII.

Item de aliis opponit.

SVNT etiam & alia quædam quæ Deus non poteſt, vnde videtur non omnia poſſe: nõ enim poteſt mori vel falli: vnde Aug. in lib. de ſymbolo. Deus omnipotens non poteſt mori, non poteſt falli, non[1] *poteſt miſer fieri, nec poteſt vinci. Hæc*[2] *vtiq; & huiuſmodi abſit vt poſsit omnipotens. Si enim huiuſmodi paſsionibus atque defectibus ſubiici poſſet, omnipotens minime foret. Et ideò mõſtratur omnipotens, quia ei hæc propinquare non valent: poteſt tamen hæc in aliis operari.* C

In li. 1. de ſymbolo fidei ad cathecumenos. Cap. 1. in Tomo.

CAP. V.

Quòd omnipotentia Dei ſecundum duo conſideratur.

HIC ergo diligenter conſiderantibus, omnipotentia eius ſecundum duo apparet, ſcilicet quòd omnia facit quæ vult, & nihil omnino patitur: ſecundum vtrunque Deus omnipotens veriſsimè prædicatur, quia nec aliquid eſt, quod ei ad patiendum corruptionem inferre valeat, nec aliquid ad faciendum impedimentum afferre. Manifeſtum eſt itaque Deum omnino nihil poſſe pati, & omnia facere poſſe, præter ea ſola, quib. eius dignitas læderetur, eiúſque excellentiæ derogaretur, in quo tamen non eſt, minùs omnipotens. Hoc enim poſſe, non eſſet poſſe, ſed non poſſe. Nemo ergo Deum impotẽtem in aliquo dicere præſumat, quia omnia poteſt, quæ poſſe potentiæ eſt: & inde verè dicitur omnipotẽs.

AD CAP. VI.

Quibuſdam authoritatibus traditur, quòd ideo dicitur omnipotens, quia poteſt quicquid vult.

EX quibuſdam tamen autoritatibus traditur ideo verè dici omnipotens, quia quicquid vult poteſt. A *Vnde Aug. in Enchirid. Non ob aliud veraciter vocatur omnipotens, niſi quoniam quicquid vult poteſt: nec voluntate cuiuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus. Idem in lib. de* Spiritu[1] *& litera, Non poteſt* Deus *facere iniuſta, quia ipſe eſt ſumma iuſtitia & bonitas. Omnipotens verò eſt, non quòd poſsit omnia facere: ſed quia poteſt efficere quicquid vult, ita vt nihil valeat eius voluntati reſiſtere, quin compleatur, aut aliquo modo impedire eandem. Ioannes* C*hryſoſtom. in homil. quadam de expoſitione ſymboli aiti, Omnipotens dicitur Deus, quia poſſe illius non poteſt inueniri non poſſe: dicente propheta, Omnia quæcunque voluit fecit. Ipſe eſt ergo omnipotens, vt totum quod vult poſsit.* V*nde Apoſtolus, eius, inquit, voluntati quis reſiſtit. His authoritatibus videtur oſtendi, quòd* De*us ex eo tantùm dicatur omnipotens, quòd omnia poteſt quæ vult, non quia omnia poſſit.*

Cap. 96. In Tom. 3. Cap. 5. 31. & vltimo ſententia liter.

Chryſoſt. hom. 1. in ſymb. Apoſt.

Pſal. 113. Rom. 9. c

CAP. VII.

Determinatio præmiſſarum authoritatum.

SED ad hoc poteſt dici, quòd Aug. vbi dicit, omnipotens non dicitur quòd omnia poſsit, &c. tam amplè & generaliter accepit omnia, vt etiam mala includeret, quæ Deus non poteſt, nec vult: non ergo negauit eum poſſe omnia quæ conuenit ei poſſe. Similiter cùm dicit: Non ob aliud veraciter dicitur omnipotens, niſi quoniam quicquid vult poteſt: non negat eum poſſe etiam ea quæ non vult, ſed aduerſus illos qui dicebant Deum multa velle quæ nõ poterat, affirmat eum poſſe quicquid vult, & ex eo vere dici omnipotentem, nõ ob aliud, quàm quia poteſt quicquid vult. Sed caue C *quomodo intelligas. Poteſt quicquid vult ſe poſſe, an quicquid vult facere, an quicquid vult fieri? Si enim dicas ideò omnipotentem vocari, quia poteſt quicquid vult ſe poſſe: ergo & Petrus ſimiliter omnipotens dici poteſt, vel quilibet Sanctorum beatorum, quia poteſt quicquid vult ſe poſſe, & poteſt facere quicquid vult facere. Non. n. vult facere niſi quod facit, nec poſſe niſi quod poteſt: ſed non poteſt facere quicquid vult fieri. Vult enim ſaluos fieri qui ſaluandi ſunt, veruntamen eos ſaluare non valet. Deus autem quicquid vult fieri, poteſt facere. Si enim vult aliquid fieri per ſe, poteſt illud facere per ſe, & per ſe facit, ſicut cælũ & terram per ſe fecit, quia voluit. Si autem vult fieri per creatuturam, & per eam operatur: ſicut per homines facit domus & huiuſmodi artificia. Et Deus quidem ex ſe, & per ſe poteſt: homo autem vel Angelus, quantumcunque beatus eſt, non eſt potens ex ſe vel per ſe.*

CAP. VIII.

Oppoſitio.

SED fortè dices, nec Dei Filius poteſt à ſe, nec Sp. S. *ſed ſolus Pater. Ille enim poteſt à ſe, qui eſt à ſe: Filius autem quia non eſt à ſe, ſed à Patre: non poteſt à ſe, ſed à Patre: & Spir. S. ab vtroque. Ad quod dicimus, quia licet Filius non poſsit à ſe, nec operetur à ſe, poteſt tamen, & operatur per ſe: ſic & Spir. S. Vnde Hilarius in li. 9. de Trin. Naturæ, inquit, cui contradicis hæretice, hæc vnitas eſt, vt ita per ſe agat* Filius, *ne à ſe agat: & ita nõ à ſe agit, vt per ſe agat. Per ſe*[1] *autem dicitur agere & potens eſſe, quia naturalem habet potentiam eandem quam & Pater, qui potens eſt & operatur: ſed quia illam habet à Patre, non à ſe, ideo à Patre non à ſe dicitur poſſe agere. Homo autem vel Angelus gratutiam habet potentiam, qua potens eſt.*

A *Ideo ergo verè ac propriè Deus Trin. omnipotens dicitur: quia per ſe, id eſt, naturali potẽtiâ poteſt quicquid vult fieri, & quicquid vult ſe poſſe. Nihil enim vult fieri quod non poſsit facere per ſe, vel per creaturas: & nihil vult ſe poſſe, quod non poſsit, & omne quod vult fieri, vult ſe poſſe, ſed non omne quod vult ſe poſſe, vult* Rom. 1.c *fieri, ſi enim vellet, fieret, quia voluntati eius nihil reſiſtere poſsit.*

AD DISTINCT. XLII.

AD CAP. I.

1 *OMNIA quidem.* Non eſt nobis magnopere laborandum de huius ſententiæ loco. Nam etſi vera ſunt quæ hic dicuntur: liber tamen ille mixtarũm Quæſtionũ veteris & Noui teſtamenti non eſt Auguſtini, quemadmodum & ſtylus arguit, & eruditiſsimorum virorum, Deſiderij Eraſmi, & Iacobi Hæmeri teſtimonia oſtendunt. Deniq; quod in margine notatum eſt, iſta ex ca. 6. aut potius 106. decerpta eſſe, fide caret, cùm ne B verbum quidem vllum in toto eo cap. extet, quale hic citatur. Nec mirum eſt, quũ ex Victoriano Codice appareat infinitis locis & variare iſtum librum, & immutatum eſſe, quamobrem nos totam huius loci collationẽ prætermiſimus.

AD CAP. III.

1 *Sunt enim.* Non ſunt iſta Auguſtini, ſed Lõbardi, quæ tamen iſta permiſcentur, quaſi eiuſdẽ pectoris ac Sp. vox ſit. Hãc igitur rationẽ ſuæ illius enũciationis affert Aug. *Quia non poteſt eſſe illic:* EST & NON*: ſed* EST, EST: Non, *non* Quam ex 2. Cor. 1. deſumpſit, & ex Math. 5. verſ. 37. éſtq; certiſsima, & facillima. Pro qua ipſe ſuam ſubſtituit & obſcurã, & quæ explicatione probationéque eget. Ergo χάλκεια ſua χρυσέοις Aug. permutat Lombardus, magna temeritate vel audacia.

AD CAP. IIII.

C

1 *Non poteſt miſer fieri.* Hæc ad Auguſtinum addita ſunt: quę quanquam vera ſunt: adiici tamẽ hoc aſſumentum alieno panno non oportuit, vt bona fide teſtis Auguſtinus produceretur.

2 *Hæc vtique & huiuſmodi.* Hæc quoq; & quo ad verba, & quoad ſenſum, & quoad elegantiam ipſam dictionis immutata ſunt. Nã bona Auguſtiniana facit iſte teterrima genere dicẽdi. Verba ipſa Auguſtini recitemus, quę ſunt huiuſmodi. *Credo in* Deum *Patrem omnipotentem. Deus omnipotens eſt, &, cùm ſit omnipotens, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt, & quod ait Apoſtolus, ſeipſum negare non poteſt. Quã multa non poteſt, & omnipotens eſt. Et ideo omnipotens eſt, quia iſta non poteſt: nam ſi mori poſſet, non eſſet omnipotens: ſi mentiri, ſi falli, ſi fallere, ſi iniquè agere, non eſſet omnipotens: quia ſi hoc in eo eſſet, nõ fuiſſet dignus, qui eſſet omnipotens. Prorſus omnipotens Pater noſter peccare non poteſt. Facit quicquid vult, ipſa eſt omnipotentia.* Hæc Auguſtinus, à quibus qnantum iſte receſſerit, vident omnes. Quod autem addidit Lombardus *Non poteſt miſer eſſe,* voluit explicare dictum Pauli, *Seipſum negare non poteſt*, ſed à vero eius ſenſu toto cœlo aberrat. Significat enim Paulus illud ipſum, quod poſtea ſubiicit Auguſtinus. *Non poteſt mentiri, non poteſt iniquè agere.* Porro quod hoc loco citatur ex Auguſtino iiſdẽ penè verbis extat A apud Ioannem Chryſoſtomum Homilia priore in ſymbolum Apoſtolorum, & idem longè prius dixerat Baſilius, repetiit poſtea Damaſcenus.

AD CAP. VI.

1 *DE litera & Spiritu.* Eſt hic locus ἁμάρτημα Lombardi non tam μνημονικὸν, quàm fortaſſe ὑπνικὸν eſt, quandoquidem nihil huiuſmodi extat apud Auguſtinum. Quod enim iſti pro ſuo Magiſtro excuſando citant cap. 5. & 31. & vltim. ſententialiter, id eſt, quorum locorum ſententia cum hoc Lombardi conuenit, legat eos locos qui volet, & videbit quantum ſit eorum, cum hoc diſsidium. Præterea nos hîc non de ſententia, ſed de verbis ipſis Auguſtini quęrimus. Sed dicent fortaſſe illud Flacci, *Verùm opere in magno fas eſt obrepere ſomnum:* quibus aliud eiuſdem Flacci reſpondeo, *Mecum ipſe indignor quandoque,* (id eſt) ſi quãdo bonus *dormitat Homerus.* Veruntamen hoc iſti condonetur. B

CAP. VIII.

1 *Per ſe autem.* Neq; verba, neq; ſententiam Hilarij retinet Lombardus. Sic enim explicat Hilarius cur Filius non à ſe agat, & per ſe tamen agat. *Non ab ſe agit, quum Pater in eo manere monſtratur. Per ſe agit, quum ſecundum Filij natiuitatem agit ipſe, quæ placita ſunt.* Sumit enim rationem ex iis Chriſti verbis. *Et qui me miſit, mecum eſt.* Ioan. 8.

Cenſura.

Locus hic de omnipotentia Dei eſt tum vberrimus, tum etiam vtiliſsimus, qui & methodo accurata tractari debuit, & ad tollẽdas infinitas illas (quæ fiunt in hoc argumento) quęſtiones clara & perſpicua oratione tradi. Quorũ tamen neutrum hîc à Lombardo præſtitũ eſt. Nam & confuſa eſt iſta diſputatio, & obſcura. Quod vtrunq; vitium in elementis cuiuſuis artis tradendis valde reprehẽdẽdum eſt: in primis autẽ in pręcipuis veræ fidei fundamentis & articulis conſcribendis, C qualem ſe operam præſtare Lombardus initio operis profeſſus eſt. Cur autem confuſa dicatur iſta tractatio hæ ſunt cauſſæ.

Prima, quòd ratio nulla, cur iam de Dei omnipotẽtia diſputetur, affertur. Aliquid autem inconcinnum ac ἐξωτικὸν in hanc tam latam & auguſtam de Deo, & ſancta Trinitate diſceptationem inuehere, aut aſſuere, planè eſt non tantùm inſipidum, ſed etiam ἀπειρόκαλον, & curioſum. Auget confuſionem, & abruptũ Lombardi in hãc quæſtionem ingreſſum, quòd ſuprà Diſt. 35. ca. 1. cum ea quæ de Deo ſibi tractanda proponeret, enumeraret, (qualis eſt Scientia, Prouidẽtia, Prædeſtinatio, &c) de Dei omnipotentia ne γρῦ quidem pollicebatur, quaſi vel ea prorſus omittenda à ſe eſſet, vel ad hunc locum nequaquam pertineret. Hanc præceptoris culpam vel negligentiam animaduertentes poſtea diſcipuli, eam emendare ſunt conati. Quamobrem rationem, propter quam de Dei omnipotentia tractetur, in hoc argumento ſubiecerunt.

Secundã cõfuſionis cauſſa eſt, quòd ne ſuo quidem loco de Dei omnipotentia nũc agit. Prius enim de hac diſputat, quam de Dei voluntate. At præclarè Thomas in prima parte Quæſtio. 25. de

A Voluntate priùs, quàm de Potentia diuina tractandum eſſe docet. Naturâ enim prius eſt vt velis, quàm vt efficias. Potētia verò eſt principium exequens illud, quod voluntas imperat, & ſcientia dirigit. Eſt ergo ſcientia, vel intellectus Dei dirigens: voluntas imperans: potentia diuina eſt exequens. Ex quo colligitur poſteriori loco de ea, quàm de voluntate Dei agendum fuiſſe, qui tamen ordo hîc à Lombardo euerſus eſt. Et iſta quidem cõfuſum eſſe à Lombardo tam neceſſarium hunc locum perſpicuè demonſtrant.

Obſcurè quoque expoſitum ac traditum fuiſſe hæc iam argumenta probabunt.

Primum, quòd nullum è ſacra ſcriptura locum profert Theologus iſte, vnde Deum omnipotentē appellari probet. Atqui fidei noſtrę fundamētum eſt ſacra Scriptura: inqua extant quamplurimi de omnipotentia Dei tum in Veteri, tum in Nouo Teſtamento loci, veluti Gen. 17. ver. 1. 43. ver. 14. Luc. 1. ver. 17. ὅτι οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ B πᾶν ῥῆμα, id eſt, *Apud Deum non erit impoſsibile vllum verbum*. & Apocalyp. 16. ver. 7. Παντοκράτωρ appellatur. Hi igitur & his ſimiles alij loci omnes ſunt prætermiſſi. Neq; verò iſtorum quiſquam excipiat, inter homines, præſertim Chriſtianos, hoc eſſe θεολογικὸν non tantùm αἴτημα, ſed ἀξίωμα, *Deum eſſe omnipotentem*. Etſi enim hoc verū eſt, tamen quia ſcribuntur iſta docendi gratiâ, vt ſint velut certiſsima & indubitata Chriſtianę fidei elementa & κυρίας δόξας, ex illa ipſa ſcriptura Sacra & erui, & confirmari hoc tam neceſſarium doctrinæ Chriſtianæ caput oportebat.

Secundum, quia docendum erat, quo modo & ſenſu potētiam Deo tribuamus, cùm Deus nihil, niſi puriſſimus actus, dici poſſit. Præterea eā etiam ab ipſius volūtate diuerſam faciamus, cùm ſit Dei natura ſimpliciſſima. Ego reſpōdeo, iſta tria, *Scientiam, voluntatem*, *& Potentiam Dei*, ratione noſtri, non ipſius Dei, ſic inter ſe diſtingui, quoniam tam ὑπερούσιον καὶ ὑπερουράνιον φύσιν explicare, aut intelligere, non niſi noſtris verbis, & C pro noſtri captus ratione poſſumus. Ex quo fit, vt iſta noſtro modo tractantes, Dei voluntatem à Potentia diſtinguamus, & in Deo potentiam quandam ſtatuamus ab ipſo actu & ἐνεργείᾳ diuerſam. Verùm præclarè Thomas, tria iſta non ſecūdum rem differre ait, ſed ſecūdum rationem, vel ἐπίνοιαν, vt loquitur Baſilius.

Tertium, quòd non ſatis explicat, cur, & quo pacto Deus & ſit, & dicatur *Omnipotens*. Quod tamē quidā hoc verſu breuiſſimo declarauit, *Quicquid enim eſſe poteſt, hoc facere ipſe poteſt*. Ergo Deus facere poteſt quædam, quæ non facit. Factibilia enim omnia, vt ita loquar, & poſſibilia nō vni tātū creaturæ: ſed poſſibilia abſolutè, quæ poſſunt habere rationem Entis, Deus efficere poteſt.

Sunt autem factabilia omnia, quæ non implicant contradictionem. Nam contradicentia tum Dei ſapientiæ, veritatíque repugnant: tum etiam ſeipſa deſtruunt. Ergo quæ ſunt huiuſmodi, illa potius fieri non poſſe dicantur, quàm Deus ea efficere non poſſe. De quo tamen ipſo eſt anxia diſputatio. Occan in Quæſt. 2. ad Diſt. 43. huius libri. Quamobrem Deus eſt omnipotens, quia omnia δυνατὰ poteſt: quia quæcunque vult, poteſt: quia per ſe poteſt: quia nihil ſic ei obſtare poteſt, vt effectum operis ac voluntatis Dei impediat: quia cogi ab alio non poteſt: quia denique ab A alio nihil pati poteſt. Quæ penè omnia p̄termiſit Lõbardus in explicatione de omnipotentia Dei.

Quarta obſcuritas in eo eſt, quòd duplicem illam obiectionem non diſtinxit, quæ fit aduerſus Dei omnipotentiam. Verùm quàm ſit vtraq; diuerſa ex vero vtriuſque ſcopo cognoſci debet. Prior enim eò pertinet, vt doceatur, Deum quędam in ſe quidem ipſo non poſſe, quæ tamen in nobis vel aliis creaturis efficere poteſt, velut edere, ambulare, &c. Poſterior autē acriùs vrget, monſtrátque Deum nec in ipſo, nec in nobis aliiſve rebus vllis quæpiam poſſe, quale eſt peccare. Propter quæ tamen nullo modo Deus eſt non omnipotens cenſendus. Atque iſta habuimus, quæ in hanc Diſtinctionē breuiter ſcriberemus.

DISTINCTIO XLIII.

Opinio quorundam dicentium Deum nihil poſſe, niſi quod facit. B

CAP. I.

QVIDAM tamen de ſuo ſenſu gloriantes Dei potentiam ſub menſura coartare conati ſunt. Cū enim dicunt, hucúſque poteſt Deus, *& non amplius, quid hoc eſt aliud quàm eius potentiam, quæ infinita eſt, concludere & reſtringere ad menſuram? Aiunt enim, non poteſt* Deus *aliud facere quàm facit nec melius facere id quod facit, nec aliquid præmittere de his quæ facit. Iſtámque primā ſuam opinionem veriſimilibus argumentis, cauſiſque cōmentitiis, necnō & ſacrarum autoritatū teſtimoniis munire conantur dicentes, Non poteſt Deus facere niſi quod bonū & iuſtū eſt fieri: non eſt autē iuſtum & bonum fieri ab eo, niſi quod facit. Si enim aliud iuſtū eſt & bonum eum facere quā facit: non ergo facit omne quod iuſtum eſt & bonum eum facere: ſed quis audeat hoc dicere?*

CAP. II.

Secunda ratio. C

ADDVNT etiam, non poteſt facere, niſi quod iuſtitia eius exigit: ſed non exigit eius iuſtitia, vt faciat niſi quod facit: non ergo poteſt facere, niſi quod facit. Eadémque iuſtitia exigit, vt id non faciat quod non facit. Non autem poteſt facere contra iuſtitiam ſuam, non ergo poteſt aliquid eorum facere quæ mittit.

CAP. III.

Reſponſio ad prius dictum.

HIS autem reſpondemus, duplicem, verborū intelligentiam aperientes, & ab eis inuoluta euoluētes ſic: Nō poteſt Deus facere niſi quod bonum eſt & iuſtum, id eſt, non poteſt facere niſi illud, quod ſi faceret, bonum & iuſtum eſſet, verum eſt: ſed multa poteſt facere, quæ non bona ſunt, nec iuſta, quia nec ſunt, nec erunt, nec bene fiunt, nec fient, quia nunquam fient. Itē quod ſecundò oppoſitum fuit, Non poteſt facere niſi quod iuſtitia ſua exigit: &, Non poteſt id facere quod iuſtitia ſua exigit vt non fiat: Dicimus: quia exactionis verbum de Deo congruè non dicitur, nec propriè accipitur, & in illis locutionibus duplex eſt ſenſus. Si enim intelligas, non poteſt facere niſi quod ſua iuſtitia exigit, id eſt, niſi quod voluntas ſua iuſta vult, falſum dicis. Iuſtitia enim ipſius Dei æquiſsima voluntas accipitur: qualiter accipit Aug. illa verba D. in Geneſ. loquentis.

A loquentis ad Loth, Non poſſunt quicquam facere, donec illò introeas, Gen.19.c exponens: non poſſe, inquit, ſe dixit, quod ſine dubio poterat per potentiam, ſed non poterat per iuſtitiam:[1]quod poterat quidem, ſed non volebat, Cap.22. Tomo.7. & illa voluntas iuſta erat. Si verò per hæc verba intelligis eum non poſſe facere, niſi illud quod ſi fieret, iuſtitiæ eius conueniret, verum dicis. Similiter diſtingue illud, Non poteſt facere quod ſua iuſtitia exigit vt non faciat, id eſt, non poteſt facere id quod ipſe, qui eſt ſumma iuſtitia, non vult facere, falſum eſt. Si autem his verbis intelligas eum non poſſe facere id, quod iuſtitiæ eius conuenire non poteſt, verum dicis.

CAP. IIII.

Tertia illorum ratio.

ADDVNT quoque & alia dicentes, Non poteſt Deus facere niſi quod debet: non autē debet facere niſi quod facit: ſi enim debet alia facere, non ergo facit omne quod debet. ſi verò facit omne quod debet, nec poteſt facere niſi quod debet, non ergo poteſt facere niſi quod B facit. Item, Aut debet dimittere quod dimittit ne faciat, aut non debet, Si non debet, non rectè dimittit: ſi verò debet dimittere, ergo non debet facere. Si autem non debet nec decet, non oportet eum facere: & ſi non decet nec oportet eum facere, ergo non poteſt facere: non ergo poteſt facere, ni quod facit: nec poteſt illud dimittere quod facit, quin faciat, quia debet illud facere: & quod debet facere, non poteſt illud dimittere. Sed vt mihi videtur hoc verbum debet, venenū habet. Multiplicem enim & inuolutam continet intelligentiam: nec Deo propriè competit, qui non eſt debitor nobis, niſi fortè ex promiſſo, nos verò ei debitores ſumus ex commiſſo. Vt autem venenum euacuetur, diſtingue verbi ſenſum: Non poteſt Deus facere niſi quod debet, id eſt, niſi quod vult, falſum eſt: ſic enim poteſt dici debere aliquid, quia vult illud. Si autē dicatur, nō poteſt niſi quod debet, id eſt, non poteſt niſi illud, quod ſi faceret, ei bene conueniret, verum eſt. Addunt quoque illi dicentes, nihil facit aut dimittit, niſi optima & rationabili cauſa, licet nobis occulta ſit, ſecundum quam oporC tet eum facere ac dimittere, quæ facit vel dimittit. Ratio enim penes eum eſt, quia illa facit & illa dimittit: quæ ratio æterna eſt, & ſemper manens, præter quā non poteſt aliquid facere vel dimittere. Illa ergo manente non poteſt quod facit dimittere, nec quod dimittit facere: & ita non poteſt facere, niſi quod facit. Et ad hoc reſpondemus, ambiguitatem locutionis determinantes. Cùm enim dicitur ratio vel cauſa optima penes Deum eſt, qua facit cuncta quæ facit, & dimittit ea quæ dimittit, verum quidem eſt: quia in eo voluntas eſt æquiſſima & rectiſsima, qua facit & dimittit quæ vult, contra quam facere nō poteſt, nec præter eam facere poteſt. Nec vtique contra eam faceret, nec præter eam, ſi ea quæ facit dimitteret, vel quæ dimittit faceret: ſed eadem manente ratione & cauſa, alia potuit facere, & iſta dimittere. Licet ergo ratio ſit penes eum, qua alia facit & dimittit, poteſt tamen ſecundum eandem rationem & dimittere quæ facit, & facere quæ dimittit. Ipſi etiam addunt, Ratio eſt eum facere quæ facit, & non alia: non poteſt facere niſi quod ratio eſt eum facere & ita nō poteſt facere niſi quod facit. Item, Ratio eſt eū dimittere quæ dimittit, & non poteſt non dimittere quod ratio eſt eum dimittere, & ita non poteſt non dimittere quod dimittit. Et ad hoc dicimus locutiones ambiguas eſſe, & ideò determinandas. Si enim cùm dicitur, non poteſt facere niſi quod ratio eſt eum facere, intelligas eum non poſſe facere niſi ea quæ A rationabilia ſunt, & ea quæ ſi fierēt rationabilia eſſent, verus eſt ſenſus. Si autem intelligas eum non poſſe facere alia rationabilia & bona, niſi ea quæ vult & facit, falſus eſt intellectus. Item aliud adiungunt dicētes, Si poteſt Deus aliud facere quàm facit, poteſt ergo facere quod non præſciuit: & ſi poteſt facere quod nō præſciuit, poteſt ſine præſciētia operari: quia omne quod facturū ſe præſciuit facit, nec facit aliquid quod nō præſciuit. Quòd ſi præter præſciētiā eius aliquid fieri impoſſibile eſt, omne ergo quod præſcitum eſt, fieri neceſſe eſt: ergo aliud fieri quàm fit nulla ratione poſsibile eſt: ergo non poteſt à Deo fieri niſi quod fit. Hæc autem quæſtiò de præſcientia facilè determinari poteſt per ea quæ ſuperiùs dicta ſunt, cùm de præſcientia ageretur.

CAP. V.

B

Autoritatibus vtuntur in aſſertionem ſuæ opinionis.

HIS autē illi ſcrutatores, qui defecerunt ſcrutātes ſcrutinia, Sanctorum annectunt teſtimonia. Diſt. 38. & 39. Dicit enim Aug. in lib. de Symbolo, [1] Hoc ſolùm non poteſt Deus quod non vult, In To.7. lib.1.ca.1. per quod videtur non poſſe facere aliquid niſi quod vult: ſed non vult niſi quod facit, & ita videtur non poſſe niſi quod facit. Illud autem ita intelligendum eſt, Id ſolùm non poteſt Deus quòd non vult, ſcilicet ſe poſſe. Idē in 7. lib. confeſ. ad Deum loquens, ait, Nec cogeris inuitus ad aliquid, quia voluntas tua non eſt maior quā potētia: Cap 4. in Tomo.1. eſſet autem maior, ſi teipſo tuipſe maior eſſes. Et ex hoc videtur quòd Deus non poſsit plura quā vult, ſicut non vult plura quā poteſt. Sicut enim voluntas non eſt maior potentia, ita nec potentia maior eſt voluntate. Ideóque ſicut plura non vult quàm poteſt, ita eum nō plura poſſe quā velle dicunt. Sed ad hoc dicimus, quia nec voluntas potētia, nec potētia volūtate maior eſt, quia vna & eadē res eſt potentia & voluntas, ſcilicet ipſe Deus: qui eſſet maior ſeipſo, ſi volūtas maior eſſet potentia, vel potētia voluntate. Nec hac autoritate negatur Deum plura poſſe quàm velle, quia plura ſunt ſubiecta eius potentiæ, quàm voluntati. C Fateamur itaque Deum plura poſſe facere[2]quæ non vult, & poſſe dimittere quæ facit. Quod vt certius firmiùſque teneatur, Scripturæ teſtimoniis aſſeramus, Deū plura poſſe facere quàm facit. Matt.26.f ver.53. Veritas ipſa ſecundum Matth. ait, An putas quia nō poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorū? Ex quibus verbis patenter innuitur, quia & Filius poterat rogare quod non rogabat, & Pater exhibere quod non exhibebat. Vterque ergo poterat facere quod non faciebat. Aug. etiā in Ench. ait, [3]Omnipotentis volūtas multa poteſt facere quæ nō vult, nec facit: Cap.95 in Tomo.3. potuit enim facere vt duodecim legiones Angelorum pugnarent contra illos, qui Chriſtum ceperunt. Item in eodem, Mat.11.c Cur apud quoſdam non factæ ſunt virtutes, quæ ſi factæ fuiſſent, egiſſent illi homines pœnitentiam: & factæ ſunt apud eos qui non erant credituri? tunc non latebit quod nunc latet. Nec vtique iniuſtè Deus noluit ſaluos fieri, cùm poſſent ſalui eſſe ſi vellet. Tunc in clariſſima ſapientiæ luce videbitur, quod nunc piorū fides habet, antequam manifeſta cognitione videatur, quā certa & immutabilis & efficaciſsima ſit voluntas Dei: quæ multa poſsit & non velit, nihil autem quod non poſsit, velit. Cap.7. Tomo 7. Idem in lib. De natura & gratia, Dominus Lazarum ſuſcitauit in corpore. Ioan.1.f Nunquid

A *dicendum eſt, non potuit Iudam ſuſcitare in mente? Potuit quidem, ſed noluit. His autoritatibus aliiſque multis apertè docetur, quòd Deus multa poſsit facere quæ non vult: quod ratione probari poteſt. Non enim vult Deus omnes homines iuſtificare, & tamen quis dubitat eum poſſe? Poteſt ergo Deus aliud facere quã facit: & tamen ſi aliud faceret, alius ipſe non eſſet. Et poteſt aliud velle quàm vult: & tamen eius voluntas nec alia, nec noua, nec mutabilis aliquo modo poteſt eſſe. Quod etſi poſsit velle quod nunquã voluit, nõ tamẽ nouiter, nec noua voluntate, ſed ſempiterna tantùm voluntate velle poteſt. Poteſt enim velle quod ab æterno poteſt voluiſſe: habet enim potentiam volendi & nunc & ab æterno, quod tamen nec modò vult, nec ab æterno voluit.*

AD DISTINCT. XLIII.

AD CAP. III.

B 1 *Quod poterat quidem.* Iſta verba non ſunt Auguſtini, ſed ipſius Lombardi, nec tam quidem addita, vt ſuperiorem ſententiam explicarent, quàm vt prorſus euerterent. Quod enim dixit Auguſtinus, *Non poterat,* iſte contrà ait, *Poterat, ſed nolebat.* Illud etiam annotaſſe fuerit operæpretium, totum illum Auguſtini locum non magis probare Deum plura poſſe, quàm velit aut efficiat: quàm Iobum, & Galatas homines fuiſſe. Sic enim ibidẽ Aug. ſcribit, *Poteſtas vtiq; aderat, ſed iuſtitia non deſerebat. Secundum hoc enim dicit,* ATQVE VTINAM *poſſem me occidere: aut rogare alium, vt faceret mihi. Hoc negauit ſe poſſe, quod per iuſtitiam fieri non poterat. Eo loquendi modo & Apoſtolus ad Galatas dicit, Teſtimonium vobis perhibeo, quia ſi fieri poſſet, oculos effodiſſetis, &c.* Ergo alius quiſpiam locus ſingularis quęrẽdus erat, vbi de omnipotẽtia Dei, & de diſcrimine eius volũtatis à poteſtate ageret Auguſtinus, qualis ille eſt, qui extat lib. de Spiritu & Litera cap. primo.

C *AD CAP. V.*

1 *Hoc ſolùm.* Prorſus aberrat & à verbis & à mente Auguſtini Lombardus. A mente quidem, quoniam nõ cenſet hanc ſolùm eſſe omnipotentiam Dei vt poſsit quod velit: à verbis autẽ, quoniam planè ab Auguſtinianis iſta Lõbardica recedunt. Sic igitur Auguſtinus lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos cap. 1. *Prorſus omnipotens* Pater *noſter peccare non poteſt.* Facit *quicquid vult, ipſa eſt omnipotentia: facit quicquid bene vult, quicquid iuſtè vult. Nemo reſiſtit omnipotẽti, vt non, quod vult, faciat.* Hęc quid cum Lombardicis commune habent. Fortaſſe memoria lapſus eſt, & ad cap. 6. Enchiridij, reſpiciebat potius Lombardus, qui tamen locus vocem *Solùm,* non habet.

2 *Quæ non vult.* Locus obſcurus, quem ſic vel reſtituendum, vel explanandum puto. F*ateamur itaq; Deum plura poſſe facere, quàm quæ vult: & poſſe dimittere quæ facit.* Verba autem, *poſſe facere quæ non vult,* ſúntque in omnibus exemplaribus, requirunt ſaltem correlatiuam particulam, *quàm* vel falſam habent ſententiam. Nec enim facit quicquam Deus, quod nolit facere. Neque iſta tam diligenter annotaſſem, niſi viderem verba hæc ipſa tam corrupta tamen retineri ab omnibus, qui ἐπιτομὴν huius libri ſcripſerunt.

3 *Omnipotentis voluntas.* Tota hæc ſententia, A *Omnipotentis voluntas multa poteſt facere, quæ non vult, nec facit,* nuſquam ita extat in Enchiridio Aug. quanquam ex cap. 100. & 102. & ſeq. Itémq; ex cap. 95. & 96. videtur collecta: ſed aliud eſt verba ipſa orationémq; Auguſtini polliceri, quod iſte facit: aliud autem ſenſum & mentem duntaxat proferre velle. Addidit igitur totam hanc orationem Lombardus, tanquam ex Auguſtino, vt ſuo propoſito meliùs inſeruiret, videretúrque apertiſsimè niti tanti viri & verbis & autoritate. Quod tamen falſi genus eſſe nemo diffitebitur.

Cenſura ad diſtinctionem XLIIII.

Quoniam iam in ſuperiori Cenſura multa in totum hoc argumentum diximus, illáque Lombardi vitia notauimus, quæ in methodica tãti arcani tractatione ſunt admiſſa, erimus hoc loco breuiores. Duo igitur duntaxat animaduertimus hîc in Lombardo reprehendenda.

Primum, quòd huius quæſtionis, V*trùm Deus plura efficere poſsit, quã faciat, aut iam effecerit,* B ſcopum ac vſum omnino prætermittit: quam tamen ita verboſè tractat, vt nulla alia quæſtio vna tot verbis vſquã ſit ab iſto tradita. Ne igitur tota hęc tam longa diſputatio vel ματαιολογία quędã eſſe videretur, vel oſtentationis tantùm cauſa inuehi, vtilitas illius fuit certè explicanda. Eſt autem duplex. Prima, ne in magnis periculis, & rebus omnino κατ' ἀνθρώπους deſperatis, ſpẽ tamẽ fiduciámque diuini auxilij abiiciamus. Quanquam enim is eſt ſæpe ſtatus Eccleſiæ, vt ne, ſi vel ſalus ipſa vellet, ſeruare, & eripere tamen nos poſſe videatur, nullúmq; in toto rerum naturalium genere opus extet, cui ſimile ſit pro nobis efficiẽdum, quò in tuto collocemur: tamẽ infinitam illam Dei omnipotentiam tunc ſeriò meditari debemus, quæ longè plura efficere poteſt, quã quæ ab ea videmus iam effecta. Modò igitur Dei promiſsionibus & verbo innitamur, ſecuri ſimus, & aduerſus C omne carnis aut Philoſophiæ profanæ iudicium & ἀξιώματα pugnemus: atque in ſpem cõtra ſpem, Abrahami illius Patris noſtri exẽplo, ſperemus. Sic articulus de Reſurrectione, de corporum noſtrorũ immutatione, de liberatione, de creatione rerum mundi, de rerum omnium inſtauratione futura defenditur aduerſus profanas argutias, quæ eo ſolo validæ cenſentur, quaſi Deus non poſsit plura facere aut alia, quàm quæ iam fecit, aut quæ quotidie facit.

Secundus huius quęſtionis vſus eſt in refutandis hæreticis, quorum alij infinitam illam Dei omnipotentiam aſtringunt legibus huius naturæ iam creatæ. Alij ordini ipſi cauſſarum inferiorũ à Deo conſtitutarum eam alligant, adeò vt nihil iam agere poſſe Deum velint, niſi quod & ex legibus harũ rerum creatarum, & ex ordinis naturalis ratione fieri cernimus. Quare illi omnia Dei miracula negẽt neceſſe eſt: aut inania quædã oculorũ ſpectra & illuſiones fuiſſe putent: nõ autem vera quædam Dei omnipotẽtię opera & effecta. Vnde fit, vt eorum quidã etiam manifeſtè dicãt, Deum quidem eſſe cauſam rerum, ſed naturalem: quo nihil magis blaſphemũ ſingi poteſt. Alij autẽ, vt omnes iſtorũ tot errorum pręcipitia effugerent, Dei potentiam duplicem conſtituerunt.

Aliam

A

Aliam nempe { Ordinariam,& notam
Extraordinariam, & abſolutã.

Hac Deum poſſe, quæ nondum tamen effecerit. Illa ordinaria nihil poſſe, quod non iam fecerit. Quaſi verò in Deo ſit duplex eſſentia ſapientia, natura, &c. Vna ordinaria, altera extraordinaria. Id quod ſequi neceſſe eſt, ſi duplex in eo potentia ſtatuatur, cùm potentia & eſſentia & ſapiẽtia Dei ſit ipſe Deus. Opus quidem ipſum à Deo effectum extraordinarium ſæpe dici poteſt, vti Miraculum: ipſa verò Dei illud operãtis potentia in eo eſt ea ipſa, per quam opera illa quæ vocantur, ordinaria efficit. Denique quid ad illum Hieronymi locum in lib. de Cuſtodia Vrginitatis reſpondebunt, *Cùm omnia poſsit Deus, ſuſcitare Virginem non poteſt, poſt ruinam.* Atque hunc duplicem huius quæſtionis fructum omiſit Lombardus, vt nos miſeris obiectionibus vexaret.

Secundum verò huius Diſtinctionis vitium eſt, quòd vel obſcurè, vel falsò loquitur, dum ait, B *Deum plura poſſe, quã velit*, Obſcura enim eſt hęc phraſis, quod Dei volũtatem (quæ duplex, docendi gratiâ, ſtatuitur, vna nempe ſigni: altera ἄῤῥητος ἀνεκλάλητος, & beneplaciti) non diſtinguit Lombardus. Falſa verò erit hæc ſentẽtia, ſi ſentit, *Deũ plura poſſe, quàm illa ἀῤῥήτῳ voluntate velit, & decreuerit.* In eo enim vtraque, omnipotẽtia nimirum & illa voluntas eſt æqualis. Sed quum dicimus, *Deum plura poſſe, quàm velit*, de patefacta ejus voluntate loquimur ac intelligimus: non de altera & tota illa voluntate Dei, quę nobis omníq; creaturæ ignota eſt, quanquam tamen eadem eſt iuſtiſsima. Et hæc in 43. Diſtinctionem obſeruatione digni viſa ſunt.

DISTINCTIO XLIIII.

C

An Deus poſsit facere aliquid melius quàm facit.

CAP. I.

NVNC illud reſtat diſcutiendum, vtrùm melius aliquid poſsit facere quàm facit. Solent enim illi ſcrutatores dicere, quòd ea quæ facit Deus, non poteſt meliora facere: quia ſi poſſet facere & non faceret, inuidus eſſet, & non ſummè bonus. Et hoc ex ſimili aſtruere conantur: ait enim Aug. in lib. 83. Quæſt. Deus quem genuit, quoniam meliorem rem ſe generare non potuit (nihil enim Deo melius) debuit generare æqualem. Si enim voluit & non potuit, infirmus eſt. Si potuit & noluit, inuidus. Ex quo confirmatur æqualem genuiſſe Filium. *A ſimili volunt dicere, quòd ſi poteſt Deus rẽ meliorem facere quàm facit, inuidus eſt. Sed non valet huius ſimilitudinis inductio, quia Filium genuit de ſubſtantia ſua. Ideóque ſi poſſet gignere æqualem & non gigneret, inuidus eſſet: alia verò quæ non de ſubſtantia ſua facit, meliora facere poteſt.*

Quęſt. 50. Tomo 4. & li 3. cõtra Maximinum. To 6. c 18.

Tomo. 4.

CAP. II.

Quæſtio qua illi artantur.

VERVM hìc ab eis reſponderi depoſco, cur dicunt rem aliquam ſiue etiam rerum vniuerſitatem (in qua maior conſummatio expreſſa eſt) non poſſe eſſe meliorem quàm eſt: ſiue ideo, quia ſummè bona eſt, ita vt nulla omnino boni perfectio ei deſit: ſiue ideo, quia maius bonum quod ei deeſt, capere ipſa nõ valeat. Sed ſi ita ſummè bonum dicitur, vt nulla ei perfectio boni deſit, iam creatura creatori æquatur. Si verò ideo non poteſt melior eſſe, quia bonum amplius quod ei deeſt, capere ipſa non valeat, iam hoc ipſum non poſſe defectionis eſt, non conſummationis, & poteſt eſſe melior, ſi fiat capax melioris boni, quod ipſe poteſt qui eam fecit. Poteſt ergo Deus meliorẽ rem facere quã facit. Vnde Aug. ſuper Gen. Talem potuit Deus hominem feciſſe, qui nec peccare poſſet, nec vellet: & ſi talem feciſſet, quis dubitat eum meliorẽ fuiſſe? Ex prædictis conſtat quòd poteſt Deus *& alia facere quàm facit, & quæ facit, meliora ea facere quàm facit.*

A

Aug. ſuper Gen. ad libr. 4. c. 16.

Lib 11. de Gen. ad literam. c. 7 in Tomo 2.

CAP. III.

Vtrùm alio vel meliori modo poſsit facere, quàm facit.

POST hæc conſiderandum eſt, vtrùm alio modò vel meliori quã facit, poſsit ea facere quæ facit. Si modus operationis ad ſapientiam opificis referatur, nec alius, nec melior modus eſſe poteſt. Non enim poteſt facere aliquid aliter vel melius quã facit, id eſt, aliâ ſapientiâ, vel maiori ſapientia: nihil enim ſapientius poteſt facere, quàm facit. Si verò referatur modus ad rẽ ipſam quam facit Deus, dicimus quia & alius, & melior poteſt eſſe modus. Et ſecundum hoc concedi poteſt, quia ea quæ facit, poteſt facere melius, & aliter quàm facit: quia poteſt quibuſdam meliorem modũ exiſtendi præſtare, & quibuſdam alium. Vnde Auguſtinus in 13. libro de Trinitate dicit, quòd fuit & alius modus noſtræ liberationis poſsibilis Deo *qui omnia poteſt: ſed nullus alius noſtræ miſeriæ ſanandæ fuit cõuenietior. Poteſt ergo Deus eorum, quæ facit, quædã alio modo meliori, quædam alio modo æquè bono, quædam etiam minus bono facere quàm facit: vt tamen modus referatur ad qualitatem operis, id eſt, creaturæ, non ad ſapientiam creatoris.*

B

Cap. 10.

CAP. IIII.

Vtrùm Deus ſemper poſsit omne quod olim potuit.

C

PRAETEREA quæri ſolet, Vtrùm Deus ſemper poſſit omne quod olim potuit. Quod quibuſdã videtur dicentibus, potuit Deus incarnari, & potuit mori, & reſurgere, & alia huiuſmodi, quæ modò non poteſt. Potuit ergo quæ modò non poteſt, & ita habuit potentiam, quam modo non habet: vnde videtur potentia eius imminuta. Ad quod dicimus, quia ſicut omnia ſemper ſcit quæ aliquãdo ſciuit, & ſemper vult quæ aliquando voluit, nec vnquam aliquam ſcientiã amittit, nec voluntatem mutat quam habuit: ita omnia ſemper poteſt quæ aliquando potuit, nec vnquam aliqua potentia ſua priuatur. Non eſt ergo priuatus potentia incarnandi vel reſurgendi, licet non poſsit modò incarnari vel reſurgere. Sicut enim potuit olim incarnari, ita & poteſt modo incarnatus eſſe: in quo einſdem rei potentia monſtratur. Vt enim olim ſciuit ſe reſurrecturum & modo ſcit ſe reſurrexiſſe. Nec eſt alia ſcientia illud olim ſciuiſſe, & hoc modo ſcire, ſed eadem omnino. Et ſicut voluit olim reſurgere, & modo reſurrexiſſe: in quo vnius rei voluntas exprimitur. Ita potuit olim naſci & reſurgere, & modo ipſe poteſt natus fuiſſe & reſurrexiſſe: & eſt einſdem rei potentia: Si enim poſſet modo naſci & reſurgere, non eſſet idem poſſe. Verba enim diuerſorum temporum diuerſis prolata temporibus, & diuerſis adiuncta aduerbiis eundem faciunt ſenſum: vt modo loquentes dicimus, A *iſte poteſt legere hodie:cras autem dicemus,iſte poteſt legiſſe,vel potuit legere heri:vbique vnius rei mõſtratur potentia. Si autem diuerſis temporibus loquentes, eiuſdem temporis verbis & aduerbiis vtamur, dicentes hodie,iſte poteſt legere hodie, & dicentes cras, iſte poteſt hodie legere:non idem,ſed diuerſa dicimus eum poſſe. Fateamur ergo Deũ ſemper poſſe quicquid ſemel potuit,id eſt,habere omnẽ illã potentiã quam ſemel habuit,& illius omnis rei potentiã cuius ſemel habuit:ſed non ſemper poſſe facere omne illud quod aliquãdo potuit facere. Poteſt quidem facere aut feciſſe quod aliquando potuit. Similiter quicquid voluit & vult, id eſt,omnem quam habuit voluntatem,& modò habet: & cuiuſcunque rei voluntatem habuit, & modo habet:non tamen vult eſſe vel fieri omne quod aliquando voluit eſſe vel fieri, ſed vult fuiſſe vel factum eſſe. Ita & de ſcientia Dei dicendum eſt.*

AD DISTINCT. XLIIII.

B *Cenſura.*

Quanquam & in ſecundũ, & in tertium caput huius Diſtinctionis quædam obſeruare licuit, in quibus à verbis Auguſtini recedit Lõbardus:tamẽ breuitatis gratiã & ne in iſtum acerbiores,ac iniquiores videremur, illa benignè condonauimus. Quæ verò negligi à nobis non poterant, vt homines ſcriptoris iſtius ſtudioſi proficerẽt, hîc à nobis carptim annotabuntur.

Tria quædam ſunt igitur, quæ hîc animaduerti debent.

Primùm,prætermiſſum eſſe hîc quoque huius Diſtinctionis,& Quęſtionis,quę in ea tractatur, vſum.Ex quo factum eſt, vt ad quaſdam μικρολογίας delaberẽtur iſtius loci interpretes,velut Thomas,in prima parte,Quęſt.25. Art.5.& Occanus. Quærunt enim ſolicitè ***Vtrũ Deus vel alium Mũdum iſto meliorem***, vel ***Hunc ipſe eo ſtatu,in quo primùm conditus fuerat præſtantiorem creare potuerit:*** Et potuiſſe reſpondent,quanquam tamen & omnia, C & ſingula,quę in eo ſunt,valde bona,id eſt,optima à Deo condita fuiſſe pronuntiet ipſe Dei Sp. S. Quaſi nimirum ad inanes huiuſmodi cogitationes cõparata aut inducta ab vllis veris Theologis fuerit iſta quęſt. Quod ex eo eueniſſe apparet, quia verus huius quæſtionis ſcopus eſt ab iſto negligentiſsimè prætermiſſus. Eſt porrò, vt iſtis gratificemur, finis duplex, vnus quidem ne rebus iſtis creatis alligetur Dei omnipotentia,illáque inter ſe duo adæquentur. Alter autem, vt ἐμπαίκταις & Atheis hominibus reſpondeatur,qui Deum accuſant.cur mundũ hunc meliorem(quũ potuiſſe dicatur)non effecerit. Cui tamen quęſtioni à ſe propoſitæ non ſatisfacit Lombardus. Ergo verò pro eo reſpondeo,quod etſi Dei potentia per ſe eſt infinita, tamen neq; debuerunt, neque potuerunt conuenientiùs fieri ea , quæ à Deo condita ſunt, quàm & quę, & quomodo ab eo primùm facta ſunt & creata, vt præclarè reſpondet Aug.li.13. Trinitatis c.10. Hoc igitur eſt primum huius Diſtinctionis vitium.

Secundum, quòd cùm duas cauſſas popoſuiſſet eorum,qui contrà ſentiunt,vni tamen earũ duntaxat reſpõdit:alteram autem,quæ eſt longè fortior intactam omiſit,vt ex ipſo artificio, à nobis in margine annotato apparet. Nempe igitur non ſoluit,quòd illi ſic nobis obiiciunt, A ***Deum eſſe inuidum,ſi quæ condidit,nõ effecit eo, quo potuit optimo modo.*** Hoc telum vt declinaret Thomas diſtinguit inter rerum bonitatem eſſentialem , & bonitatem accidentalem:illam meliorem fieri potuiſſe negat , hanc autem eſſe potuiſſe meliorem concedit. Occanus diſtinguit inter mundum, quũ pro ipſa rerum vniuerſitate & tota coagmentatione ſumitur:& pro ſingulis ipſius vniuerſitatis partibus. Mundũ igitur vniuerſum negat Occan meliorẽ fieri potuiſſe:ſingulas autẽ illius partes fatetur potuiſſe meliùs fieri. Id quod merá in Deum blaſphemiam continet. Fecit enim Deus ſingula, quocunque modo ſpectentur,valde bona:ergo quæ neque meliora,neq; meliùs fieri potuerunt. Ad illam autẽ obiectionem ſuperiorem à nobis ſuprà reſponſio eſt allata ex Aug. lib.13. Trin.ca.10. Quanquam Hieronym.libr.3.contra Pelagia.hanc quæſtionem his verbis irridet, ***Scilicet nunc mihi puerilibus declamatiunculis ludendum eſt, & à culice atque formice vſque ad Cheru-*** B ***bim & Seraphim veniam, cur non ſingula in meliori ſtatu condita ſunt. Quare Deus ſolus deus eſt, & non omnia Deos fecerit.***

Sed & illud quoq; ad hunc locum reprehenſionis pertinet,ꝗ ca.2.plus aſſumit in concluſione, quã ca.1.in quęſt.poſuerat,& quàm probauit. Cũ enim quæſtio tãtũ eſſet , ***Vtrũ meliùs facere Deus aliquid poſſet***:Concludit, & alia facere potuiſſe:& hæc ipſa,quę fecit,meliora facere poſſe. Ergo illud ***alia*** præter quæſtionem in concluſione contra logicorum regulas, ſed non contra Sophiſtarum technas poſitum eſt.

Tertium deniq; huius quæſtionis vitium eſt, ipſius ψεῦδος,id eſt,falſum. Falſò enim iſte ſcribit ca.4.huius Diſt. ***Deũ ſemper velle quicquid aliquãdo voluit.*** Chriſtus enim ſeu Filius Dei, qui eſt Deus,non vult incarnari nunc,etſi aliquando voluit,non vult crucifigi nunc,etſi aliquãdo voluit: non vult pati nunc, &c. Hoc ergo falſum in ſuo illo magiſtro etiam ſcholaſtici ipſi annotarũt, & C meritò reprehendũt. Sed & illud quoque falſum eſſe ipſi volunt, quod idem ibidem ait Lombardus, ***Deũ ſemper poſſe, quicquid aliquando potuit.*** Verùm ipſi falluntur. Rectè Lombardus ſenſit. Hæc enim ſentẽtia eſt veriſsima,quãquã de Dei voluntate idem dici non poteſt. In qua Diſtinctione grauiſsimè hallucinãtur iſti, quia putant omnino & formaliter, vt loquuntur,in Deo idem eſſe Velle & Poſſe:& ideo eadem de vtroq; & negari, & affirmari ſemper oportere. falſum hoc. Velle enim Dei importat eſſe rei , Poſſe verò Dei nequaquam. Nã etiam iſti facilè concedent: ***A poſſe ad eſſe*** nullã eſſe conſecutionem neceſſariam. Ergo non eadem de voluntate & potẽtia Dei ſemper dici poſſunt,cùm & ipſi diuerſos de vtraque tractatus ſcribant , tanquam de diuerſis inter ſe ratione,ae definitione rebus,id quòd etiam Tertullianus libro contra Praxæam docuit. Et hæc ad Diſtinctionem 44.dicta ſunto.

DISTINCTIO XLV.

De voluntate Dei,quæ eſſentia Dei eſt vna & æterna,& de ſignis eius.

CAP.

A

CAP. I.

IAM de voluntate Dei aliquid pro ſenſus noſtri imbecillitate dicendum eſt. Sciendum eſt ergo, quia voluntas ſiue volens de Deo ſecundum eſſentiam dicitur.Non eſt enim ei aliud velle,& aliud eſſe,ſed omnino idem. Et ſicut idem eſt ei eſſe bonũ quod eſſe Deum, ita idem eſt ei eſſe volentem,quod eſſe Deum. Nam voluntas,qua ſemper volens eſt, nõ affectus vel motus eſt, qui in Deum cadere non valet,ſed diuina vſia qua volens eſt Deus,& huiuſmodi.

CAP. II.

Quòd licet idem ſit Deo velle quod eſſe,non tamen poteſt dici Deus eſſe omnia quæ vult.

ET licet idem ſit Deo velle quod eſſe,non tamen dicendum eſt Deum eſſe omnia quæ vult: quod quidam de Dei voluntate non rectè ſentientes, nobis obiiciunt dicentes,Si idem eſt Deo velle quod eſſe,ergo cùm dicimus B *Deum velle omnia quæ facit,dicimus eum eſſe omnia quæ facit: alioquin non ibi illo verbo idem ſignificatur,quod ſignificatur hoc verbo eſſe, cùm de Deo dicitur. Et ſi ita eſt,non ſemper dicitur de Deo velle ſecundum eſſentiam.Si verò ſecundum eſſentiam non dicitur aliquando,quomodo ergo dicitur de Deo? relatiuè enim nunquam dicitur. Ad quod dicimus, quia licet idem penitus ſit Deo velle quod eſſe, non poteſt dici omnia quæ vult: ſicut idem eſt Deo eſſe quod ſcire, nec tamen ſicut dicitur ſcire omnia, ita quoque poteſt dici eſſe omnia.*

CAP. III.

Quis ſit ſenſus horum verborum, Deus ſcit vel Deus vult.Item Deus ſcit omnia,vel vult aliquid:& quid de Deo in his prædicetur.

ET vbicũque Deus dicitur ſcire vel ſciens,vel velle,vel volens, hæc de eo ſecundum eſſentiam dicuntur. C *Cùm enim dicitur, Deus ſcit,vel Deus vult, ſiue Deus eſt ſciens vel volens,eſſentia diuina prædicatur,& Deus eſſe enuntiatur. Cùm autem additur omnia, vel aliquid,vel aliqua, & dicitur Deus ſcit omnia, vel vult aliquid,vel aliqua:eſſentia quidem diuina prædicatur non ſimpliciter & abſolutè,ſed ita vt ſcientiæ, quæ ipſa eſt,omnia ſubiecta monſtrentur, & voluntati, quæ ipſa eadem eſt, aliquid vel aliqua ſubiecta eſſe dicantur: vt talis fiat ſenſus,Deus ſcit omnia, id eſt, Deus eſt, cuius ſcientiæ,quæ ipſius eſſentia eſt,omnia ſubiecta ſunt.Similiter Deus vult hæc,vel illa, id eſt, Deus eſt cuius voluntati quæ ipſe eſt, hæc ſiue illa ſubiecta ſunt. Volens ergo ſiue velle dicitur Deus ſecundum eſſentiam, cuius voluntas eſſentia eſt ſempiterna & immutabilis (licet ea varientur & tranſeant, quæ ei ſubiecta ſunt) quæ non poteſt eſſe iniuſta vel mala quia Deus eſt.*

CAP. IIII.

Quòd Dei voluntas ſummè bona, cauſa eſt omnium quæ naturaliter ſunt: cuius cauſa non eſt quærenda,quia nullam habet,cùm ſit æterna.

HÆC itaque ſummè bona voluntas, cauſa eſt omnium quæ naturaliter fiunt,vel facta ſiue futura ſunt: quæ nulla peruenta eſt cauſa, quia æterna eſt, Ideóque cauſa ipſius quærenda non eſt. Qui enim eius cauſam quærit,aliquid maius ea quærit, cùm nihil ea maius ſit. A *Vnde Aug.in li.83.q. Qui quærit quare voluerit Deus mundum facere,cauſam quærit voluntatis Dei.Omnis*[1] *autem cauſa efficiens maior eſt eo quod efficitur. Nihil autem maius eſt voluntate Dei. Non ergo eius cauſa quærenda eſt.Idem in libro contra Manichæos.Si qui dixerint,quid placuit Deo facere cœlum & terram? Reſpondendum eſt eis, qui voluntatem Dei noſſe deſiderãt,cauſas*[2] *& voluntatem Dei ſcire quærunt,quòd voluntas Dei omnium,quæ ſunt,ipſa ſit cauſa.Si enim habet cauſam voluntas,eſt aliquid quod antecedat voluntatem Dei:quod nefas eſt credere. Qui ergo dicit,quare fecit Deus cœlum & terram? Reſpondendum eſt illi, quia vult:voluntas enim Dei cauſa eſt cæli & terræ:& ideo maior eſt voluntas Dei,quàm cælum & terra. Qui autem dicit,quare voluit facere cælum & terram? maius aliquid quærit quàm eſt voluntas Dei, nihil autem maius inueniri poteſt.Compeſcat ſe ergo humana temeritas,& id quod non eſt non quærat, ne id quod eſt non* B *inueniat. Ecce his authoritatibus apertè inſinuatur, quòd voluntatis Dei cauſa nulla eſt,& ideo quærenda non eſt.*

Queſt. 28.
In tom. 4.
Li. 1.ca. 2.
Tomo 1.

CAP. V.

Quòd voluntas Dei prima & ſumma cauſa eſt omnium.

VOLVNTAS ergo Dei,vt ait Aug.in 3. lib. de Trin.prima & ſumma cauſa eſt omnium[1] *ſpecierum atque motionum. Nihil enim fit, quod non de interiori atque intelligibili aula ſummi imperatoris egrediatur ſecundum ineffabilem iuſtitiam.Vbi enim non operatur quod vult Dei omnipotentis ſapientia, quæ pertingit à fine vſque ad finem fortiter,& diſponit omnia ſuauiter?*[2] *& non ſolùm facit ea, quæ perſeuerantia conſuetudinis admirationem non admittunt:ſed etiam ea,quæ propter raritatem & inſolitum euentum mira videntur: vt ſunt defectus luminarium, & terræmotus, monſtroſi animantium partus,& his ſimilia:quorum nihil fit ſine voluntate Dei,ſed pleriſque non apparet. Ideóque pla-* C *cuit vanitati philoſophorum etiam cauſis aliis ea attribuere,cùm omnino videre non poſſent ſuperiorem cæteris omnibus cauſam,id eſt,voluntatem Dei.*[3] *Itaque nõ niſi Dei voluntas cauſa prima eſt ſanitatis,ægritudinis, præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum. Hæc ergo ſola eſt,vnde ortum eſt quicquid eſt,& ipſa non eſt orta,ſed æterna.*

Cap. 4.

Idem c. 12
eiuſdẽ &
in principio 2. cap.
Sap. 8. a

CAP. VI.

Quibus modis accipitur Dei voluntas.

Hîc non eſt prætereundum nobis, quòd ſacra ſcriptura de voluntate Dei variis modis loqui conſueuit: & tamen non eſt Dei voluntas diuerſa, ſed locutio diuerſa eſt de voluntate,quia nomine voluntatis diuerſa accipit. Nam voluntas Dei verè ac propriè dicitur quæ in ipſo eſt,& ipſius eſſentia eſt:& hæc vna eſt, nec multiplicitatem recipit,nec mutabilitatem, quæ inexpleta eſſe non poteſt:de qua Propheta ait,Omnia quæcunque voluit Dominus fecit.Et Apoſtolus, voluntati eius quis reſiſtit? & alibi, vt probetis[1] *quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. Et hæc voluntas rectè appellatur Beneplacitum Dei,ſiue diſpoſitio.*

Idem li. 2.

Pſal. 111.
Rom. 9. c
Rom. 12. a

CAP. VII.

Quòd ſecundum figuram dicitur voluntas Dei præceptio,prohibitio,conſilium,permiſſio, operatio,& ideo pluraliter dicit Scriptura voluntates.

A *ALIQVANDO verò ſecundum quandam figuram dicendi voluntas Dei vocatur,quod ſecundum proprietatem non eſt voluntas eius:vt præceptio,prohibitio,conſilium,necnon permiſſio, & operatio. Ideóque* Pſal. 110. *pluraliter aliquando Scriptura voluntates Dei pronuntiat.Vnde Propheta, magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius:cùm non ſit niſi vna voluntas Dei quæ ipſe eſt,pluraliter tamen dicit volũtates: quia voluntas Dei variis modis, ac pro diuerſis accipitur, vt dictum eſt.Ita etiam idem Propheta propter multos* Pſal. 88. Pſal. 18. *effectus miſericordiæ & iuſtitiæ pluraliter dicit Miſericordias domini in æternum cantabo. Et alibi, Iuſtitiæ domini rectè,lætificantes corda:cùm tamen in* Deo *vna ſit miſericordia,vna iuſtitia & vna, eadémque ſit miſericordia quæ iuſtitia,ſcilicet diuina vſia.*

CAP. VIII.

Quare pręceptio & prohibitio & conſilium dicantur Dei voluntas.

*IDEO autem præceptio & prohibitio atque conſi*B*lium cùm ſint tria, dicitur tamen vnumquodque eorum* Dei *voluntas, quia iſta ſunt ſigna diuinæ voluntatis: quemadmodum & ſigna iræ dicuntur ira: & dilectionis ſigna,dilectio appellantur: & dicitur iratus Deus, & tamen non eſt ira in eo aliqua,ſed ſigna tantùm quæ foris fiunt,quibus iratus oſtenditur ira ipſius nominantur.Et eſt figura dicendi, ſecundum quam non eſt falſum quod dicitur:ſed verum quod dicitur ſub tropi nubilo obumbratur.Et ſecundum hos tropos diuerſæ voluntates Dei dicuntur, quia diuerſa ſunt illa quæ per tropum voluntas Dei dicuntur.*

CAP. IX.

Vbi voluntas Dei pro præcepto & conſilio accipiatur.

PRO præcepto Dei *atque conſilio poteſt accipi vo-* Mat.6.b Matt.12.d *luntas:vt ibi,Fiat*[1] *voluntas tua ſicut in cælo,& in terra. Et alibi.Qui facit voluntatem Patris mei qui in cæ-* Cap.33. in Tomo 3. C *lis eſt,ipſe frater meus,& ſoror,& mater eſt. Et contra hanc voluntatem multa fiunt.Vnde Aug.in lib.de Spiritu & litera.Infideles, inquit, contra voluntatem* Dei *faciunt,cùm eius euangelio non credunt.*

CAP. X.

Quòd Deus non vult ab hominibus fieri omnia quæ præcipit,vel non fieri quæ prohibet.

ETſi illa tria dicuntur Dei *voluntas,ideo quia ſigna ſunt diuinæ voluntatis: non eſt tamen intelligendũ Deum omne illud fieri velle quodcunque præcepit : vel* Gen.22. a *non fieri quod prohibuit. Præcepit enim Abrahæ immolare filium,nec tamen voluit,nec ideo præcepit vt id fieret,ſed vt Abrahæ probaretur fides. Et in Euangelio* Mar.1.d *præcepit ſanato ne cui diceret:ille autem prædicauit vbique,intelligens Deum non ideo prohibuiſſe, quin vellet opus ſuum prædicari :ſed vt daret formam homini laudem humanam declinandi.*

CAP. XI.

De permiſſione & operatione,vbi dicantur Dei voluntas.

PERMISSIO quoque Dei & operatio voluntas Dei *appellantur,qualiter accipit Aug.in Ench.dicens,Non fit aliquid niſi omnipotens fieri velit : vel ſi-* Cap.95 & Cap 96. *nendo vt fiat, vel ipſe faciendo. Nec dubitandum eſt Deum facere bene,etiam ſinendo fieri quæcunque fiunt malè:non enim hæc niſi iuſto iudicio Dei ſinit,& profectò bonum eſt omne, quod iuſtum eſt. Ecce hic manifeſtè* A *habemus Dei voluntatem appellari ipſius operationem vel permiſſionem,cùm dicit non fieri aliquid,niſi omnipotens fieri velit: vbi includit & bona & mala omnia quæ fiunt. Ideóque apertè diſtinguit quomodo Deum velle dixerit,ne eadem ratione intelligeretur velle bona & mala,ſubdens vel ſinendo vt fiat, hoc quantum ad mala dicit:vel ipſe ea faciendo,hoc quantum ad bona. Mala enim ſinit fieri,ſed non facit : bona verò ipſe facit.Ideóque dixit eum velle: quia & nolens mala ſinit,& volens bona operatur:& ob hoc permiſſio & operatio voluntas Dei dicuntur.*

CAP. XII.

Quinque ſuprà ſunt propoſita, quæ dicuntur ſecundum tropum,& ideo diſtinguat lector vbique pro quo eorum accipiatur voluntas. B

QVINQVE ergo ſuprà poſita ſunt, quæ dicuntur ſecundum tropum Dei *voluntas:quia ſigna ſunt diuinæ voluntatis, quæ vna eſt & immutabilis, ſcilicet Dei beneplacitum. Ideóque diligenter diſtinguat lector,vbi de voluntate* Dei *ſcriptura commemorat, iuxta quem modum accipi oporteat,vtrum pro beneplacito* Dei,*an pro aliquo ſignorum eius. Magna enim eſt adhibenda diſcretio in cognitione diuinæ voluntatis:quia & beneplacitum Dei eſt voluntas eius,& ſignum beneplaciti eius dicitur voluntas eius. Sed beneplacitum eius æternum eſt,ſignum verò beneplaciti eius non: & conſonat rerum effectibus beneplacitum ipſius,& ipſi effectus rerum ab illo non diſcordant.*Fit *enim omne quod beneplacito vult fieri:& omne quod non vult fieri, nequaquam fit. Non ita autem eſt de ſignis, quia præcepit* C *Deus multis ea quæ non faciunt : & prohibet quæ non* Matt.11. c *cauent,& conſulit quæ non implent.*

AD DISTINCT. XLV.

AD CAP. IIII.

1 *Omnis autem cauſſa.* Quędam ſunt immutata, quædam prætermiſſa : Id quod ex collatione verborum ipſius Aug.facilè quiuis intelliget.Illa verò ſic habent. *Qui quærit, quare voluerit Deus mundum facere,cauſſam quærit voluntatis Dei.Sed omnis cauſa efficiens eſt.*(Hoc pręteriniſſum eſt à Lõbardo,quodverò ſequitur eſt immutatum)*Omne autem efficiens maius eſt,quàm id quod efficitur. Nihil autem maius eſt voluntate Dei. Non ergo eius cauſa quærenda eſt.*Incidit igitur iſte mediũ illius ſchalaris argumentationis gradum pulcherrimũ, imò potiùs fundamentum illius ſuſtulit. Vndę tota argumentatio vel corruit, vel obſcura fit. Præclarè nánque Cæcinna ad Ciceronem, *Quemadmodum ſchalarum gradus,ſi alios tollas, alios incidas, nonnullos malè hærentes relinquas, ruinæ periculum ſtruas, nõ aſcenſum pares.*Sic igitur per gradationem arguit Aug.Omnis ea cauſſa,propter quam Deusvult aliquid,eſt cauſſa voluntatis Dei efficiens.Omnis cauſſa efficiens eſt quidpiam maius ipſo ſuo effecto.Nihil autem Dei voluntate maius eſt. Ergo nulla Dei voluntatis efficiens cauſſa eſt,ergo nec quærenda. Baſin autem ipſam,cui innititur tota iſta ſchala Auguſtini,abſcidit Lombardus magna temeritate.

2 *Noſſe deſiderant.* Et hic quoque ſecundus ex Auguſtini libro 1.contra Manichæos.capite 2. Tomo 1.locus corruptus eſt,tum ſentẽtię detractione,

A ctione, tum immutatione verborum. Sic igitur Auguſtinus. *Si ergo iſti dixerint, quid placuit* Deo *facere cœlum, & terram? Reſpondendum eſt eis, vt prius diſcant vim voluntatis humanæ, qui voluntatem* Dei *noſſe deſiderant.* Primum igitur ſunt omiſſa iſta comparationis verba *Vim voluntatis humanæ, & voluntatis Dei,* quæ magni ſunt momenti. Deinde ſequitur *Cauſſas enim voluntatis* Dei *ſcire quærunt, cùm voluntas* Dei *omniũ, quæ ſunt, ipſa ſit cauſſa.* Hæc Auguſtini oratio & plana & perſpicua eſt, pro qua & barbarè, & obſcurè ſubſtituit iſte, pro prętoria nẽpe, & Magiſtrali poteſtate ſua, hæc, *Cauſſas, & voluntatem* Dei *ſcire quærunt, quòd voluntas* Dei *omnium, quæ ſunt, ipſa ſit cauſſa.* Quid ineptius? *quærunt quòd voluntas, &c.* Ergo aut ſublata illa nõ oportuit, aut hæc meliùs inter ſe connexa & cohærentia eſſe debuerunt: Poſtea hic idem mutat, *Voluit,* in *vult,* eadẽ fide, qua ſuperiora corrupit.

B

AD CAP. V.

1 *Cauſſa eſt omnium.* Fœdè laceratus hoc loco Auguſtinus, vt ex noſtris in hoc caput notis & ſcholiis apparebit.

Primùm enim nuſquam hîc bona fide refert ipſa Auguſtini verba. Deinde coniuncta diſiungit & diſcerpit, veluti verba hæc, *Itaque non niſi* Dei *voluntas, &c.* connectuntur apud Auguſtinũ cum hac ſententia *cauſſa eſt, &c.* & ſunt ex capite quarto, à quo tamen per iſtum auelluntur. Præterea quædam detrahit, & immutat magno ſenſus ipſius autoris detrimento. Ac primũ hoc loco expungit, *Corporalium*, & poſtea *viſibiliter & ſenſibiliter,* ne fraus ſua perciperetur ac ſentiretur. Diſputat enim Auguſtinus de motu corporum, cuius cauſſam primam ſtatuit eſſe Deum ipſum, contra Philoſophos. Sic enim ille, S*ed quemadmodum corpora craſſiora & inferiora per ſubtiliora & potentiora quodã ordine reguntur: ita omnia corpora per* C Sp.*vitæ, &* Sp.*vitæ irrationalis per* Sp.*vitæ rationalẽ: & Sp.vitæ rationalis deſertor atque peccator per Sp.vitæ rationalẽ pium & iuſtũ, & ille per* Deum *ipſum: ac per hoc voluntas* Dei *eſt prima & ſumma cauſſa omniũ corporalium ſpecierum atque motionum. Nihil enim fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de interiore & inuiſibili, atque intelligibili aula ſummi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum atque retributionum, in iſta totius creaturæ ampliſſima Republ.* Denique huius loci concluſio eſt illa, quam habet c. 1. huius libri his verbis, *Peruenit ſapientia voluntatis* Dei *per creaturam Spiritalem vſque ad effectus viſibiles, atque ſenſibiles creaturæ corporalis.* Aut igitur Auguſtinum omittat, aut legitimam ex ipſius & mente, & verbis probationem afferat. Cæterùm, quod, vt ſeriem illam ſuam cauſſarum à Deo (quę eſt ſumma & prima cauſſa) ad hæc inferiora corpora vſque deductarum cõnecteret Auguſtinus, ſcribit, *Spiritus vitæ rationalis deſertores,* id eſt, *dæmonas à bonis ſpiritibus moueri aut regi,* neque verum eſt, neque, vt ex 1. Reg. 22. v. 19. apparet, admittendum: ſed ex Platonicorũ duntaxat ſchola & placitis in hunc locum, & Chriſtianam Philoſophiam tralatitium, quod non oportuit.

2 *Et non ſolùm facit.* Locus eſt ſumptus ex ca. 2. lib. 3. de Trinitate, in quo recedit Lombardus, & à mente Auguſtini, & à verbis. Nam quod dixit Auguſtinus, *minus vſitata,* iſte dicit *mira.* A Deinde cùm de iis tantùm rebus agat Auguſtinus, quę naturali ordine fiũt, quales ſunt defectus ſeu eclipſes luminarium, terræmotus, &c. iſte videtur etiam miracula (quæ planè, vel præter, vel contra ordinem naturalem fiunt) complexus eſſe vocabulo *Mira,* quo vſus eſt, vt ſuum illud, *Diſponit omnia,* explicaret. Et ne fallere videar, aut Lombardi ſententiam detorquere, ſic Arnoldus epitomiſta Lombardi hanc vocem interpretatur, vt complexus ſit Lombardus & quæ naturaliter, & quæ mirabiliter fiunt. Ex quo apparet hunc ab Auguſtini mente procul abeſſe, quod ex cap. 5. eiuſdem lib. 3. de Trin. quoque meliùs oſtenditur.

3 *Itaque non niſi.* Hæc iam ex cap. 4. diuulſa repetuntur, in quibus à verbis Auguſtini Lombardus diſcedit, & voces has *Sanitatis & ægritudinis* addit. Verba verò Auguſtini ſuprà citauimus in 1. huius capitis. Hæc verò quamuis à ſcopo Auguſtini non diſſident, bonam tamen Lombardi in alienis referendis fidem requirunt. B

AD CAP. VI.

1 *Vt probetis quæ ſit.* Perperam inde denominarunt Scholaſtici voluntatem illam Dei, quę nobis ignota eſt, *Voluntatem beneplaciti,* cùm contrà Paulus illîc appellet θέλημα εὐάρεστον & τέλειον illã voluntatem Dei, quæ nobis in ipſius verbo patefacta eſt, & ad quam vnam in omnibus actionibus noſtris collimare iubet. Eſt igitur hæc voluntas, de qua Paulus, & quam conuertit iſte *Beneplacẽs,* alij autem *accepta,* nobis nota. Nam ad eius ἐπίγνωσιν nos peruenire iubet Paulus, & hic, & Coloſſ. 1. ver. 9. Ex ea enim eſt omnium operum noſtrorum ἀρέσκεια coram Deo, vt idem loquitur ver. 10. nedum vt ignota nobis eſſe debeat, quemadmodum de voluntate Beneplaciti iſti philoſophantur. Locus autẽ hic citatus eſt ex epiſtola ad Ro. 12. verſiculo ſecundo. C

AD CAP. VII.

1 *Exquiſita in omnes voluntates eius.* Super malo fundamento ſtruit malam molem iſte. Perperam enim ille Pſal. 111. verſ. 2. locus cõuertitur *exquiſita in oẽs volũtates eius,* cũ ex volũtate Hebraica ſit vertẽdus, *Magna opera Iehouæ, expoſita omnibus qui delectantur illis.* Ergo quod iſti ex hoc loco colligunt, plures eſſe Dei voluntatis (quam voluntatem Signi vocant) ſpecies, quoniam in Pſalmo illo numero plurali *Voluntates* leguntur, inane eſt, & falſum fundamentum. Et tamen hoc eſt vnicum & huius, & Thomæ in 1. parte Quæſt. 19. Art. 11. argumentum. Vna igitur eſt voluntas Signi, ſed illius proponendæ multæ tamen ſunt formæ, phraſes, ac rationes. Atque eæ etiam duntaxat, noſtri ratione, externæ, & ad ipſam Dei voluntatem accidentales. Quare quũ iſti ex iis accidentibus varia genera vel εἴδη voluntatis Dei colligunt, peccant proculdubiò eo vitij genere, quod dicitur *ab Accidente*, & eo quoque quod *à figura Dictionis* appellatur. Accidens enim pro ſubſtãtia (ex qua ſolum diuerſæ ſpecies rerum conſtituendæ ſunt) ſubſtituunt, ſicque ſeipſos & alios nimiis ſuis argutiis decipiunt. Hoc tamen condonetur vitio temporum, & illius ſeculi tum barbariei,

A cum ignorantiæ, quòd locum illum Pſalmi 111. non intellexerunt.

AD CAP. IX.

1 *Fiat voluntas tua.* Diſputari poteſt, Vtrùm hæc precatio de ſola Signi voluntate ſit accipienda, an etiam ad voluntatem Beneplaciti extendenda, contra quàm tamē iſte interpretatur. Occan tamen Quæſt.1.in Diſt.46.huius libri ſic ait, *Pro præcepto, & pro conſilio Dei accipi poteſt volūtas, Vt fiat voluntas tua ſicut in cælo.*

Cenſura.

Infinita penè ſunt, quæ in hac Diſtinctione reprehendi poſſunt, quoniam tamen ædificationis potius, quàm odij, aut in iſtum hominem vllius malignitatis animo ad ſcribendum, & Scholaſticam iſtam doctrinam examinandū adductus ſum, ea tantùm breuiter perſequar, quæ ſine piaculo, & magno piorū incōmodo prætermitti nō poſſunt. Illa verò ad tria duntaxat capita reuoco, B nimirum ordinem huius Diſtinctionis, Methodum, & rei ipſius, quæ hîc continetur veritatem.

Ergo quod ad ordinem, quemadmodum ſuprà Diſtinct. 42. ex Thoma docui, hoc loco ordo prorſus inuerſus eſt. Debuit enim diſputatio de voluntate Dei præcedere eam, quæ eſt de eiuſdē omnipotentia. Quod tamen à Lombardo temerè immutatum eſt.

Quod ad methodum autem, hoc primum vitium eſt, quòd cū omnis, quę rectè inſtituitur diſputatio, debeat (etiā ex ipſius Ariſtotelis præceptis) à vocis ambiguę explicatione, tū definitione proficiſci: hîc lex iſta manifeſtè violata eſt.

De voluntate enim Dei diſputaturum iſtum oportuit ab horum vocabulorum, *Voluntas Dei*, & diſtinctione & explicatione ordiri, non à theſiū ſanctione. Ergo caput ſextum huius Diſtinctionis debuit eſſe ordine primum, vt omnis ambiguitas futuræ tractationis tolleretur.

C Secundum vitium eſt, quòd quinque illa voluntatis ſigni ſignificata diuulſit à ſeſe, quæ eodem capite ſimul proponi primum oportuit, deinde diſtinctè tradi.

Tertium, quòd quinque illa ſignificata *Voluntatis ſigni* (quam appellant) nequaquam ſingulatim probat vel ex Dei verbo, vel ex Patribus Lombardus: in primis autem id probandū erat, quod Cōſilium Dei aliud & diuerſum facit ab eiuſdē Præceptione. Itaque iſtius diſcipulus primarius Thomas Aquinas in prima parte Quæſt.19.Art.12. æſtuat in hac quinque ſignificatorum diuiſione cōfirmanda. Iſti fortaſſe ſuæ huius ſententiæ fundamentum ſumunt ex his Hieronymi verbis de Virginitate ſeruanda ad Demetriadem, aut aliis Patrum ſcriptis ſimilibus, *Si vis, inquit Chriſtus, perfectus eſſe, non cogo, non impero: ſed propono palmam, oſtendo præmia: tuum eſt eligere, ſi volueris in agone & certamine coronari:* quaſi verò non iubeat & diſertè præcipiat Dominus, quod Conſilium iſti vocant, vt ad palmam illam, & brauium ſinguli Chriſtiani perueniamus. 1. Cor. 9. verſ. 24. Eſt itaque præceptio, quod iſti tamen Conſilium nudum vocant. Sed & refutantur ex Epiſt. ad Hebr. cap. 6. v. 17. vbi βουλὴ Θεοῦ, id eſt, *Conſilium Dei* vocatur ipſa promiſſio vitæ æternæ, ad quam nos Deus contendere iubet.

Quartum μέθοδον iſtius loci vitium eſt, quod in diſtinguenda & denominanda illa voluntate Beneplaciti & Signi partim falſis, partim malè locatis & contortis fundamentis vtitur, vti ex Pſ. 111. & Rom. 12. apparet. A

Quod ad ipſam argumenti, rerúmque hic traditarum ἀλήθειαν, iam ſe immenſum rerum pelagus aperit, vt hæc diſtinctio non voluntatum aut veritatum Dei: ſed falſitatum Lombardi congeries dici debeat. Nos tamen inſigniores errores duntaxat recenſebimus, (prætermittimus autem iſtā barbariem, quòd patefactam Dei voluntatē iſti *voluntatem ſigni vocant*, & *voluntatem metaphoricam.*) Ergo error primus Lombardi eſt ca.1. vbi ait, *Voluntatem Dei dici ſecundū eſſentiam, neq; aliud eſſe in Deo eſſe, & velle, ſed omnino idem.* Aut enim iſta ſunt omnino falſa, aut illud *omnino idem* tollendum eſt. Nam neque formaliter, neque eſſentialiter ſunt idem in Deo, *eſſe, & velle*: etſi realiter idem ſunt. Thomas ipſe in 1. parte Quæſt.19. Art. 2. ait, *Licet diuinum velle ſit diuinum eſſe ſecundū rē: tamen differt ratione.* Quæ verò eſſe dicuntur *omnino idem* formaliter, & non tātùm eſſentialiter, aut realiter idem ſunt. Præclarè verò Baſil. lib. 1. contra Eunomiū, quę realitate & ſubiecto ſunt vnū ait, ſæpe definitione tamen, ratione, & ἐπινοίᾳ inter ſe differunt. οὐ γὰρ πάντα τὰ ὀνόματα, ait, εἰς ταὐτὴν ἀλλήλοις φέρει. Ergo ἓν ὢν κατὰ τὸ ὑποκείμενον, καὶ μία οὐσία καὶ ἁπλῆ, καὶ ἀσύνθετος, Θεός, ἄλλοτ' ἄλλως ἑαυτὸν ὀνομάζει ταῖς ἐπινοίαις διαφερούσαις ἀλλήλων προσηγορίας μεθαρμοζόμενος. Quare *Eſſe & velle Dei* non ſunt omnino idem. Quod tamen ita fefellit Occanum, vt diceret, *Omni modo identitatis idem eſſe eſſentiam Dei, & voluntatem.* B

Alter huius Diſtinctionis Lombardi error eſt cap.3. vbi has phraſes, *Deus eſt ſciens, Deus eſt volens*, *Deus ſcit*, *Deus vult*, ſic interpretatur, quaſi *Deus eſſe prædicetur, & ſciens*: Deus eſſe prædicetur, & velle: *Deus ſcit omnia*, id eſt, ait iſte cap. 10. *Deus eſt, cuius ſcientiæ ſubiiciuntur omnia.* Paralogiſmum enim manifeſtū continet hæc explicatio, qui vocatur *à coniunctione ad disiunctionem*, ſiue *à non diſtributo ad diſtributum*, vt vocant, qualis hęc, Socrates eſt mortuus: Ergo Socrates eſt, & mortuus. Neque enim dubitari poteſt, quin in hiſce locutionibus ſignificatio verbi, *Eſt*, relata ſit, & ſeruilis, vt aiunt: non autē abſolutè, & per ſe conſideranda. C

Tertius error eſt, cap.7. vbi *Præceptionem & Prohibitionem* vult eſſe duas in Deo voluntates Signi. Imò vnica eſt, quæ diuerſis loquendi modis duntaxat explicatur. Nam ne in homine quidem, aut legibus politicis præceptio vnius rei, & prohibitio contraria ſunt duo præcepta, vel duę ſanctiones vel voluntates: ſed vnica duntaxat. Sed dum quid ſub forma præceptionis iubetur, tunc directè & planè res ipſa exponitur: dum ſub forma prohibitionis idem interdicitur, hominum natura ad vitium propenſior arctiùs conſtringitur. Præclarè enim Hieronymus ad Letantiam, *Vt enim mala prohibentur, ita præcipiuntur bona ibi otium operatur, hîc ſtudium. Ibi coercetur animus, hîc incitatur. Hîc feciſſe, illic non feciſſe* culpabile. Vnde Occan Quæſt.3. in Diſt.46. huius libri, ait, has Diſtinctiones voluntatis Dei eſſe diſtinctionem nominum & dictionum, non autem rerum inter ſe differentium, & hic cap.6.

Iam in capit. 10. abſurda & falſa multa inſunt. Veluti dum ait, *Deum multa præcipere quæ nolit,*

vti

A vti *quum iuſſit hominem Marc.* 1. *à ſe ſanatum ſilere: dum iubet Gen.*22. *Abrahamum offerre filium.* Iſte putat Deum id fieri noluiſſe, imò Lombarde, Deus voluit, vt & taceret iſte ſanatus: & Abrahamus Filium offerret, voluntate, animo, ac deſtinatione in holocauſtum. Sic enim eius fidem, ac ad obſequendum præceptis ſuis promptitudinem Deus explorabat: non autem vt reipſa Filium ſuũ Iſaacum Abrahamus mactaret, iugularet, trucidaret, etſi vox offerendi ſic intellecta fuerat ab Abrahamo. Hoc ipſum ſatis declarat Dominus, quũ ait, Gen.22. verſ. 12. *Nunc enim expertus ſum timentem Dei eſſe te, cùm non ſubtraxeris Filium tuum, vnicum tuum, à me.*

Quintum ψεῦδος extat capite vndecimo, dum ſic ait, *Nolens Deus mala ſunt*, quod non modò perperam colligit ex Auguſtino, qui Deum mala velle, ſinendo ea fieri, diſertè dicit, quibus tamen bene vtatur: ſed etiam falſò. Nihil enim, nolente Deo, fieri poteſt. Thomas, *in iis ipſis malis, ſe* B *habet Deus ad modum volentis*, ait. Ergo hæc ipſa, quæ malè faciunt homines, Deus decernit fieri, non quatenus ſunt mala: ſed quatenus ipſius iuſtitiæ illuſtrandæ ſubſeruiunt. Et verum eſt Deum illa fieri decernere, non vt approbet, ſed vt caſtiget. Nam etiam Scholaſtici ipſi Scientiam approbationis in Deo diſtingunt à generali illius Præſcientia ſuprà Diſtinctione 39. & Damaſcenus libro ſecundo fidei Orthod. capite vigeſimonono idem confirmat.

Denique & iſtud quoque addi poteſt, ab iſto malè intelligi, quo ſenſu dixerit Auguſtinus, Deũ quædam permittere. i. decernere, non vt approbet. Sic enim exaudit iſte vocem *Permittere*, quaſi nulla ſit decreti Dei in illis rebus interuẽtus, nulla efficientia, vt vocant: ſed ſola patientia, & non prohibitio. Sed quia de eo copioſè in noſtris in eum Enchiridij locum cap.95. & 96. commentariis diximus, ad eos remittimus lectorem. Et hæc C in Diſtinctione 45. dicta ſunto.

DISTINCTIO XLVI.

Illi ſententiæ qua dictum eſt, Dei voluntatem non poſſe caſſari, quæ ipſe eſt, quædam videntur obuiare.

CAP. I.

HIC oritur quæſtio. Dictum *eſt enim in ſuperioribus, & autoritatibus communium, quòd voluntas* Dei, *quæ ipſe eſt, quæ beneplacitum eius vocatur, caſſari non poteſt: quia illa voluntate fecit quæcunque voluit in cœlo & in terra: cui, teſte Apoſtolo, nihil reſiſtit. Quæritur ergo quomodo accipiendum ſit quòd Apoſtolus de domino ait, Qui vult omnes homines ſaluos fieri. Cùm enim non omnes ſalui fiant, ſed plures damnẽtur, videtur vtique non fieri quòd Deus vult fieri, humana ſcilicet voluntate impediente voluntatem Dei. Dominus quoque in Euangelio impiam ciuitatem cõpellans. Quoties, inquit, volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ita etiam hæc dicuntur tanquam Dei voluntas ſuperata ſit hominum voluntate: & infirmiſſimis nolendo impedientibus non potuerit facere potentiſſimus quod volebat. Vbi eſt* A *ergo illa omnipotentia, qua in cælo, & in terra, ſecundũ Prophetam, omnia quæcunque voluit, fecit? & quomodo voluntati eius ſecundum Apoſtolum nihil reſiſtit, ſi colligere filios Hieruſalem voluit, & non fecit? Hæc enim prædictis plurimum obuiare videntur.*

Diſt. præcedente parag. F
Pſal. 113.
Rom. 7. d
1. Tim. 2. b
Mat. 23. d
Ex Augu. in Enchirid. c. 97.
Pſal. 113.
Rom. 9. d

CAP. II.

Solutio, quomodo intelligendum ſit illud, Volui congregare, & noluiſti.

SED [1] *audiamus ſolutionem: ac primùm quomodo accipiendum ſit illud quod Dominus ait, videamus. Non enim ex eo ſenſu illud dictum eſt, vt ait Auguſtinus in Enchir. prædictam quæſtionem ſoluens, quaſi Dominus voluerit congregare filios Hieruſalem: & non ſit factum quod voluit, quia ipſa noluerit, ſed potiùs ipſa quidem filios ſuos ab ipſo colligi noluit, qua tamen nolente filios eius collegit ipſe omnes quos voluit: quia in cælo & in terra non quædam voluit & fecit, quædam verò voluit & non fecit, ſed omnia quæcunque voluit, fecit: vt ſit ſenſus,* B *Quoties volui congregare filios tuos & noluiſti? id eſt, quotquot congregaui mea voluntate ſemper efficaci, te nolente feci. Ecce in euidenti poſitum eſt, quòd illa Domini verba ſuperioribus non repugnant.*

Cap. 97.
Pſal. 113.

CAP. III.

Quomodo intelligendum ſit illud, Qui vult omnes homines ſaluos fieri.

NVNC videre reſtat, quomodo etiam præmiſſa verba Apoſtoli prædictis non contradicant: qui de Deo loquens ait: Vult omnes homines ſaluos fieri. Quorum occaſione verborum multi à veritate deuiauerunt, dicentes Deum *multa velle fieri quæ non fiunt. Sed nõ eſt intelligendum ea ratione illud eſſe dictum, quaſi Deus velit aliquos ſaluari & non ſaluentur. Quis enim tam impiè deſipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, & quando voluerit, & vbi voluerit, in bonum non poſſe conuertere? Non eſt vtique verũ* C *quod in Pſal. dicitur, quæcunque voluit fecit, ſi aliqua voluit & non fecit: &, quod eſt indignius, ideo nõ fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit. Ideóq; cùm audimus, & in Sacris literis legimus, quòd velit omnes homines ſaluos fieri, quamuis certum ſit nobis non omnes homines ſaluos fieri: non tamen ideo debemus omnipotentiſſimæ* Dei *voluntati aliquid derogare, ſed ita intelligere quod ſcriptum eſt. Vult omnes homines ſaluos fieri, tanquam diceretur,* [1] *nullum hominem fieri ſaluum, niſi quem ſaluũ fieri ipſe voluerit: non quòd nullus ſit hominũ niſi quem ſaluum fieri velit, ſed quod nullus fiat ſaluus niſi quem velit ſaluari: & ideo rogandus eſt, vt velit: quod neceſſe eſt fieri, ſi voluerit. Non eſt enim credendus omnipotens aliquid voluiſſe fieri quod factũ non ſit.* Sic *etiam intelligitur illud:* [2] *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: non quia nullus hominum eſt qui non illuminetur, ſed quia niſi ab ipſo nullus illuminatur. Poteſt & alio modo illud intelligi, dum tamen credere non cogamur omnipotentem aliquid fieri voluiſſe, factúmq; non eſſe: qui ſine vllis ambiguitatibus ſiue in cælo & in terra, ſicut veritas cantat, omnia quæcũq; voluit fecit: profectò facere nõ voluit quæcũq; nõ fecit. Ex his apertè oſtẽditur quod Deus ea volũtate, quæ ipſe eſt, nõ vult aliquid fieri quod nõ fiat, neq; nõ fieri quod fiat.*

1. ad Ti. 2. b
Diſt. præcedenti parag. F
Ex Aug. in Enchi. Cap. 68.
Pſal. 123.
Ioan. 1. a

CAP. IIII.

Vtrùm mala Dei voluntate fiant, an eo nolente.

A IDEOQVE cùm conſtet omnia bona quæ fiunt, eius fieri voluntate,quæ ſi fieri nollet,nullatenus fierent, rectè quæri ſolet, Vtrùm & mala omnia quæ fiunt, id eſt,peccata, Dei fiant voluntate:an nolente eo fiant. Super hoc diuerſi varia ſentientes ſibi contradicere inueniuntur. Alij enim dicunt quòd Deus vult mala eſſe vel fieri,non tamen vult mala. Alij verò quòd nec vult mala eſſe nec fieri. In hoc tamen conueniunt & hi & illi,quòd vtrique fatentur Deum mala non velle, vtrique verò rationibus & autoritatibus innituntur ad muniendam ſuam aſſertionem.

CAP. V.

Quare dicunt quidam Deum velle mala eſſe vel fieri.

QVI enim dicunt Deum mala velle eſſe vel fieri, ſuam his modis muniunt intentionem:Si enim,inquiũt. Mala non eſſe vel non fieri vellet,nullo modo eſſent vel fierent:quia ſi vult ea non eſſe vel non fieri, & non poteſt id efficere (ſcilicet vt non ſint vel non fiant) B voluntati eius & potentiæ aliquid reſiſtit, & non eſt omnipotens,quia non poteſt quod vult: ſed impotens eſt ſicuti & nos ſumus,qui quod volumus quandoque non valemus. Sed quia omnipotens eſt, & in nullo impotens,certum eſt nõ poſſe fieri mala vel eſſe niſi eo volente. Rom. 9. c Quomodo enim inuito eo & nolente poſſet ab aliquo malũ fieri,cùm ſcriptum ſit,Voluntati eius quis reſiſtit? Suprà etiam dicit Auguſtinus, quia neceſſe eſt fieri ſi voluerit. Sed vult mala fieri aut non fieri. Si vult non fieri, non fiunt:fiunt autem,vult ergo fieri. Item bonum eſt mala eſſe vel fieri,alioquin ſummè bonus non permitteret ea fieri. Vnde Auguſtinus in Enchir. Cap. 96. Tomo 3. Quamuis ea,inquit,quæ mala ſunt, in quantum mala ſunt, non ſunt bona:tamen vt non ſolum bona, ſed etiam ſint & mala,bonum eſt. Nã niſi eſſet hoc bonum vt eſſent & mala,nullo modo eſſe ſinerentur ab omnipotenti bono: cui proculdubiò quàm facilè eſt quod vult facere,tam C facilè eſt quod non vult eſſe non ſinere: Hæc niſi credamus, periclitatur [1] noſtra confeſſio,quia nos in Patrem omnipotentem credere confitemur. Ecce hîc apertè habes, quòd bonum eſt mala eſſe: omnis autem boni Deus autor eſt,qui vult omne bonum eſſe quod eſt. Cùm ergo bonum ſit mala fieri vel eſſe, ergo & mala vult fieri vel eſſe. His atq; aliis huiuſmodi rationibus & autoritatibus vtuntur,qui dicunt Deũ velle mala eſſe vel fieri.

CAP. VI.

Hic ponit rationes illorum qui dicunt Dei voluntate non fieri mala vel non eſſe.

ILLI verò qui dicunt Dei voluntate mala non fieri vel non eſſe, inductionibus præmiſſis ita reſpondent: dicentes, Deum nec velle mala fieri nec velle non fieri vel nolle fieri, ſed tantùm non velle fieri. Si enim vellet ea fieri vel eſſe,faceret vtique ea fieri vel eſſe:& ita eſſet autor malorum. Non eſt autem autor malorum, vt Sanctorum proteſtantur autoritates, non ergo eius voluntate fiunt mala. Item ſi nollet mala fieri, vel vellet non fieri,& tamen fierent,omnipotens nõ eſſet: cùm eius voluntas humanæ voluntatis effectu impediretur. Ideóque non concedunt Deum velle mala fieri,ne malorum autor intelligatur: nec concedunt eum velle mala non fieri vel nolle fieri,ne impotens eſſe videatur,ſed tantùm dicunt eum non velle mala fieri, vt non autor, ſed permiſſor malorum monſtretur. Vnde & Euangeliſta vbi oſtendit Deum autorem eſſe omnium bonorum dicens, omnia per ipſum facta ſunt:conſequenter malorum autorem eſſe negat dicens:Et ſine ipſo factum eſt [1] nihil, id A Ioan. 1. a eſt,peccatum. Non dixit per eum factum eſſe,vel eo nolente & inuito,ſed tantùm ſine eo,id eſt, ſine eius voluntate, quia non eius voluntate fit peccatum. Non ergo Deo volente vel nolente,ſed non volente fiũt mala:quia non ſubeſt Dei voluntati,vt malum fiat vel non fiat:ſed vt fieri ſinat,quia bonum eſt ſinere mala fieri:& vtique volens ſinit non volens mala, ſed volens ſinere, ſinit vt ipſa fiant:quia nec mala ſunt bona, nec ea fieri vel eſſe bonum eſt.

CAP. VII.

Quomodo intelligendum ſit illud Auguſtini mala fieri bonum eſt.

QVOD verò Auguſtinus ait, Mala fieri bonum eſt, nec ſinerentur mala ab omnipotenti bono fieri niſi hoc eſſet bonum,vt ea eſſent, ea ratione dictum eſſe aſſerunt,quia ex malis:quæ fiunt, Deus bona elicit:nec B ipſe permitteret ea fieri, niſi de eis boni aliquid faceret. Vnde Auguſtinus in eodem lib. Enchir. apertè indicans prædictorum verborum eſſe talem intelligentiam ait, Deus [1] omnipotens,cui rerum eſt ſumma poteſtas, cùm ſummè bonus ſit,nullo modo ſineret aliquid mali eſſe in operibus ſuis,niſi vſque adeò eſſet omnipotens & bonus,vt benefaceret etiam de malo. Item in eodem, Melius indicauit Deus de malis bona facere, quàm mala Cap. 11. in Tom. 3. circa princ. nulla permittere. Ex hoc itaque ſenſu dictum eſt ac verum eſt,bonum eſt mala fieri:quia ex malis, quæ fiunt, bonis(qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti) acCap. 27. Rom. 8. f cidit bonitas,id eſt,vtilitas. Talibus enim (vt ait Apoſtolus)in bonum cooperantur omnia etiam mala, quia eis proſunt,quæ aliis facientibus obſunt. Vnde etiam aliquando in Scriptura legitur malum appellari bonum, vt Hieronymus ſuper Marcum, [2] Malum, inquit, Iudæ bonum fuit:ſcilicet nobis:nec ſi bonum eſt illi vel illi, C inde ſequitur quòd ſimpliciter bonum ſit: propriè enim ac ſimpliciter bonum eſt,quod in ſe & facienti bonũ eſt. Commentario ad ca. 14. In To.

CAP. VIII.

Quadripartita boni acceptio.

EST enim aliquid quod in ſe bonum eſt, & cui ſit: ſed non eſt bonum facienti,vt cùm ſubuenitur pauperi, ſed non propter Deum:& eſt aliquid bonum in ſe & facienti,ſed non ei,cui ſit,vt cùm veritas propter Deum alicui non obedienti prædicatur:& eſt aliquid in ſe & facienti & ei cui ſit bonum,vt cùm veritas prædicatur propter Deum credenti. Vnde Apoſtolus, Bonus odor 2. Cor. 2. d ſumus Deo,aliis odor vitæ,aliis odor mortis. Eſt autem aliud,quod nec in ſe bonum eſt & facienti nocet, & damnat,niſi pœniteat, vt malum: valet tamen ad aliquid. Vt enim ait Auguſtinus in Ench. Cap. 10. & 11. Tom. 3. A ſummè & æqualiter & immutabiliter Trinitate bona creata ſunt omnia:nec ſummè,nec æqualiter, nec immutabiliter bona,ſed tamen bona etiam ſingula. Simul verò vniuerſa valde bona:quia ex omnibus conſiſtit vniuerſitatis admirabilis pulchritudo. In qua etiam illud quod malum dicitur,bene ordinatum,& loco ſuo poſitum,eminentiùs commendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora ſint,dum comparantur malis.

CAP. IX.

Quòd mala vniuerſitati valent,& facientibus ſua propria,vel patientibus aliena proſunt,electis tamen.

Epilogaria conclu- HINC patet quòd ex malis quæ fiunt, aliquod prouenit bonum,dum bona magis placent, & laudabiliora exiſtunt.

A *exiſtunt. Ipſis etiam facientibus, ex malis, quæ faciunt, interdum bona proueniunt, ſi ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti. Talibus enim, vt ait Auguſtinus, in lib.* De *correctione & gratia,*[1] *vſque adeo Deus omnia cooperatur in bonum, vt ſi qui horum deuiant & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum: quia humiliores redeunt, atque doctiores, vt Petrus.*[2] *Illa etiam mala, quæ ab iniquis fideles piè perferunt, vt ait Aug. in lib. de Trin. ipſis vtique proſunt: vel ad delenda peccata: vel ad exercendā probandámq; iuſtitiam: vel ad demonſtrandam huius vitæ miſeria. Ideóque & Iob* Dei *manum, & Apoſtolus Satanæ ſtimulum ſenſit: & vterque bene profecit: quia malum bene portauit.*

ſionis ſuperioris. Ad Ro. 8. Cap. 9. Tomo 7. Luc. 22. g Aug. 13. li. cap. 16. Iob. 19. a 2. Co. 12. c

CAP. X.

Ex prædictis concludit oſtendens eſſe bonum fieri mala multis modis.

SI quis igitur diligenter attendat quæ ſcripta ſunt, B *facilè eſt ei percipere ex malis bona prouenire: & ex ea ratione dictum eſſe, quòd bonum eſt mala fieri vel eſſe, non quia malum ſit bonum, vel quia bonum ſit malum fieri. Non eſt enim bonum malum fieri ab aliquo, quia non eſt bonum, vt aliquis faciat malum. Si enim hoc eſſet bonum, profectò huius Deus autor eſſet, qui eſt autor omnis boni. Quòd ſi huius Deus autor eſt, eo ergo autore homo agit mala, & ita eo autore homo fit deterior. Et ſi eo autore homo fit deterior, tunc eo volente homo fit deterior. Idem eſt enim dicere aliquid fieri Deo autore, quod* Deo *volente: Deo autem autore homo non fit deterior, ergo non Deo volente, vt Auguſtinus in libro lxxxiij. Quæſt. apertè aſtruit à minori, dicens ita. Nullo ſapiente homine autore fit homo deterior, tanta enim eſt iſta culpa quæ in ſapientem hominē cadere nequit, Eſt autem Deus omni homine ſapiente præſtantior: multo minus ergo Deo autore fit homo deterior. Multò enim eſt præſtantior Dei voluntas, quàm hominis ſapiētia. Illo autem autore cùm dicitur, illo volente dicitur: ergo eſt vitium voluntatis humanæ, quo eſt homo deterior: quod vitium ſi longè abeſt à* Dei *voluntate, vt ratio docet, à quo ſit quærendum eſt. Ecce apertè dicit Auguſtinus* Deo *autore vel volente hominem non fieri deteriorem, ſed vitio voluntatis ſuæ.* C *Non eſt ergo* Deo *autore quòd malum fit ab aliquo: & ita Deo volente mala non fiunt.*

Quæſt. 3. Tom. 4.

CAP. XI.

Quòd in Deo non eſt cauſa vt ſit homo deterior.

DEINDE idem Auguſtinus quærens quæ ſit cauſa vt homo ſit deterior, in Deo *eam non eſſe aſſerit, in eodem lib. dicens, Vt ſit homo deterior, aut in ipſo eſt, aut in alio, aut in nihilo. Si in nihilo, nulla cauſa eſt: Si in alio, aut in Deo, aut in alio quolibet homine, aut in eo qui neque Deus neque homo ſit: ſed non in Deo (bonorum enim Deus tantùm cauſa eſt) ergo in homine eſt, aut in eo quod neque Deus, neque homo*[1] *aut in nihilo. Et ex his apertè oſtenditur, quòd non eſt bonum vt ſit homo deterior: quia non eſt Deus eius rei cauſa, qui tantùm cauſa bonorum eſt. Et ſi non eſt bonum vt homo fiat deterior, non eſt ergo bonum vt ab eo fiat malum: non ergo vult Deus vt ab eo fiat malum.*

Quæſt. 4.

CAP. XII.

Aliter probat quòd Deo autore non fiunt mala.

ITEM aliter etiam oſtenditur, quòd Deo autore, id eſt, volente non fiunt mala: quia ipſe non eſt cauſa tendendi ad non eſſe. Tendere enim ad non eſſe malum eſt. Ipſe autem autor mali non eſt: tendit verò ad non eſſe qui operatur malum: non ergo Deo *autore eſt, quòd aliquis operatur malum. Non eſt ergo bonum, quòd aliquis operetur malum, quia tātum boni Deus autor eſt. Hoc autem Aug. in eod. lib. apertè explicat ita dicens, Qui omnium quæ ſunt autor eſt, & ad cuius bonitatem id pertinet vt ſit omne quod eſt,*[1] *boni tantummodò cauſa eſt. Quocirca mali autor non eſt, & ideo ipſe ſummū bonum eſt: à quo in nullo deficere bonum eſt, & malum eſt deficere. Non eſt ergo cauſa deficiendi, id eſt, tendendi ad non eſſe, qui, vt ita dicam, eſſendi cauſa eſt: quia omnium, quæ ſunt, autor eſt: quæ inquantum ſunt, bona ſunt. Ecce apertè habes quòd deficere à Deo, qui ſummum eſt bonum, malum eſt: mala ergo facere malum: non ergo* Deo *autore vel volente mala fiunt.*

A Quæſt. 21. in princi. & fine.

CAP. XIII.

Obiectio quorundam ſophiſtica, quâ probare nituntur ex Deo eſſe quòd mala fiant. B

IAM ſufficienter oſtenſum eſt, quòd Deo *autore nō fiunt mala. Quidā tamen ſophiſticè incedentes, & ideo Deo odibiles, probare conatur ex* Deo *autore eſſe quòd mala fiunt, hoc modo. Quòd mala fiūt, verum eſt: omne autem verum quod eſt, à veritate eſt, quæ Deus eſt: à Deo ergo eſt quòd mala fiunt. Quòd autem omne verū à Deo ſit, confirmant autoritate Auguſt. in lib. lxxxiij. ita dicentis, Omne verum à veritate verum eſt: eſt autē veritas Deus: Deum ergo habet autorem omne verum. Eſt autem verum quòd mala fiunt vel ſunt,* Deo *ergo autore eſt, quòd ſunt vel fiunt mala.*

Quæſt. 1. Ioan. 14.

CAP. XIIII.

Reſponſio, vbi concedit omne verum eſſe à Deo, & ſophiſma aperit.

QVIBVS facilè eſt nobis reſpondere, ſed indignū reſponſione videtur quod dicunt: Omne nanque verum à Deo eſt, vt ait Aug. cui conſonat Amb. qui tractans illud verbum Apoſtoli, Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in Spiritu ſancto: dicit[1] *quòd cùm verum à quocunque dicitur, à Spiritu ſancto eſt. Cùm itaque verum ſit quòd mala fiunt, hoc verum quod dicitur illa locutione, ſcilicet mala fiunt, à Deo eſt: ſed non inde ſequitur quòd à Deo ſit vt mala fiant.* C *Si enim hoc diceretur, autor malorum Deus eſſe intelligeretur: quod ex ſimili manifeſtè falſum oſtenditur: Deus prohibet furtum fieri: ſed furtum fieri verum eſt, ergo prohibet verum: non ſequitur.*

Tomo 4. explanatione. 1. Co. 12. a

CAP. XV.

Partem quæſtionis approbat illorum, qui dicunt Deum non velle mala fieri.

HÆC igitur & alia huiuſmodi inania relinquentes præmiſſæ quæſtionis parti ſaniori fauentès, quæ Sanctorum teſtimoniis pleniùs approbatur: dicamus Deum non velle mala fieri: nec tamen velle non fieri, neque nolle fieri. Omne ergo, quod vult fieri, fit: & omne quod vult non fieri, non fit. Fiunt autem multa quæ non vult fieri, vt omnia mala.

AD DISTINCT. XLVI.

AD CAP. II.

1 *Sed audiamus ſolutionē.* In hac tū obiectione tum ſolutione peccatur, quod vox, *volui*, arcanum Dei conſilium, & voluntatē Beneplaciti nō deſignat: ſed voluntatem Dei patefactam, quæ ab iſtis Signi volūtas appellatur, quæque externo

Prophetarum miniſterio declarata eſt, denique per quam Deus populum Iudæorum ad ſe inuitabat, ille autem reluctabatur. Sic quotidie Deus idem Mundum per Euangelij prædicationẽ externam vocat ad reſipiſcentiam, & Mundus Dei beneficium aſpernatur. Hæc igitur Dei voluntas, quæ per externum ſuorum miniſterium pateſacit, eſt inuitatio Dei homines benignè ad ſe vocantis, quæ, & ſæpe, & à multis contemnitur. Ergo ea voluntas non ſemper fit, quia Deo vocanti homines non ſemper reſpondent. Illa autem Dei volũtas arcana & Beneplaciti ſemper fit, quia Spiritu ſuo ſancto Deus in iis agit, quos illa voluntate vocat. Atque ita locus hic ſoluendus erat.

AD CAP. III.

1 *Nullum hominem fieri.* Hæc quidem eſt ſolu- B tio Auguſtini: ſed illa verior vocem πάντας hîc ſignificare indefinitè *quoſuis*, non autem vniuerſaliter *omnes*. Ergo complectitur & demonſtrat *genera ſingulorum*, vt loquuntur in ſcholis: *non autem ſingulos generum*. Sic dicitur Chriſtus Matth. 9. v. 35. ſanaſſe πᾶσαν νόσον, id eſt, quemuis morbum, nõ autem ſingulos ægrotos, qui erant in tota Iudæorum regione ac gente. De quo nos diximus in 1. Timoth. 2. verſ. 4. & in ipſum Enchiridion Auguſtini.

2 *Illuminat omnem hominem.* Locus eſt Ioan. 1. ver. 9. qui perperam explicatur à Lombardo. Omnes enim & ſingulos homines non tantùm, vt ſuprà, quoſuis illuminat Chriſtus, quoniam hæc illuminatio eſt, vt ait Aug. lib. 4. Trin. cap. 2. participatio illius vitæ, & naturæ, per quam homo quilibet homo eſt. i. conditus eſt ad Dei imaginem, quanuis non renatus. Quatenus enim habemus imaginem Dei à brutis animantibus differimus, & ſumus ζῶον λογικὸν, quod Philoſophi vocãt. Ergo inepta eſt iſta confirmatio & ratio, quæ à diſſimillima vocis huius, *omnes*, ſignificatione ducitur, tanquam eadem vtrobique eſſet.

C

AD CAP. V.

1 *Periclitatur noſtra confeſſio.* Auguſtinus habet *Periclitatur ipſum fidei noſtræ confeſſionis initium*, quæ ſententia & dilucidior eſt, & germana oratio Auguſtini. Cur igitur alia ſuppoſita eſt?

AD CAP. VI.

1 *Factum eſt nihil, id eſt, peccatũ.* Locus eſt ſumptus ex Ioannis Euangelio cap. 1. ver. 3. qui tum ex falſa diſpunctione, tum etiam inepta interpretatione corrumpitur à Lombardo. Falſa diſpunctio in eo eſt, quòd vocem *Nihil* ſeparat hic à reliqua ſequente ſententia per interiectam virgulã, quam vocant, cùm tamen illi indiuulſè cohæreat. Sic enim habent verba Ioannis πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν, id eſt, *Omnia per hunc ſermonem facta ſunt, & abſque eo factum eſt nihil quod factum eſt*, id eſt. Abſque λόγῳ illo Θεοῦ æterno nihil quicquam factum eſt earum rerum, quæ factæ ſunt, hanc autem diuulſionem iampridem Auguſtinus hic verbis damnarat Tract. 1. in Ioan. Euangel. ſi modò ad eum Lombardus attendiſſet, *Et ſine ipſo factum eſt nihil*, &c. Auguſtinus *Videte ne ſic cogitetis, quia* NIHIL *aliquid eſt. Solent enim multi malè intelligentes* SINE IPSO FACTUM EST NIHIL, *putare aliquid eſſe nihil.* Id A quod ex iſta diſtractione vnius ſententiæ euenit. Porrò hæc quoque interpretatio prorſus & falſa, & inepta, vt *Nihil* hîc accipiatur pro peccato. Quanquam enim ibidem addit Auguſtinus. *Peccatum quidem non per ipſum (Verbum) factum eſt, & manifeſtum eſt, quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines, quum peccant:* tamen ex eo non magis intelligi poteſt ex Auguſtino *Nihil* pro peccato ſumi, quàm pro idolo, *quia & nihil eſt idolum*, ait Paulus 1. Corint. 8. & ſubiicit ſtatim Auguſtinus. *Et idolum non per verbum factum eſt.* Quid igitur? Idem Auguſtinus veram totius illius loci mentem exponit his verbis. *Quæcunque naturaliter facta ſunt, quæcunque facta ſunt in creaturis, omnia omnino quæ fixa ſunt in cœlo, quæ fulgent deſuper, quæ volitant ſub cœlo, & quæ mouentur in vniuerſa natura rerum, omnis omnino creatura*, per verbum facta eſt. B *Dicam planiùs, dicam, fratres, vt intelligatis, ab Angelo vſque ad vermiculum. Quid præclarius Angelo in creaturis? quid extremius vermiculo in creaturis? Per quem factus eſt Angelus, per ipſum factus eſt, & vermiculus*, & poſtea. *Vniuerſa enim creatura per ipſum facta eſt, maior, minor: per ipſum facta ſunt Supera, infera: Spiritalis, Corporalis*, &c. Id quod cùm ex priori membro eiuſdem ſententiæ, *Omnia per ipſum facta ſunt*: tum ex hoc Pauli loco ſatis intelligi poterat, qui eſt in epiſtola ad Coloſſ. cap. 1. verſ. 16. *Nam per eum condita ſunt omnia, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra, viſibilia & inuiſibilia*, &c. Ergo quã ex malo fundamento adſtruat ſua Lombardus apparet. Cæterùm Malum non eſſe à Deo tam verum eſt, vt, vel hac Platonis ſententia libro ſecundo de Republica, refutari Manichæi hæretici, qui Deum mali autorem faciebant, potuerint: ὁ δὲ (Θεὸς) μηδὲν κακὸν ποιεῖ, οὐδ' ἄν τινος εἴη κακοῦ αἴτιον. Itẽ οὐκ ἄρα πάντων γε αἴτιον τὸ ἀγαθὸν, ἀλλὰ τῶν μὲν εὖ ἐχόντων αἴτιον, τῶν δὲ κακῶν ἀναίτιον. Hæc Plato, ne detorta ad huius Axiomatis probationem ſcripturæ ſacræ teſtimonia cum Lombardo quæramus. C

AD CAP. VII.

1 *Omnipotens, cui rerum.* Quædam hîc omiſſa ſunt, quædam mutata. Sic enim Auguſtinus capite vndecimo Enchirid. habet. *Neque enim Deus omnipotens (quod etiam infideles fatentur, Rerum cui ſumma poteſtas) cùm ſummè bonus ſit, vllo modo ſineret*, &c. Ergo prætermiſſum eſt infidelium teſtimonium, quod habet Auguſtinus, ipſorum tamẽ verba proferuntur, *Rerum cui ſumma poteſtas.* Eſt enim hemiſtichium ex decimo Aeneidos, quod ipſum quoque à Lombardo immutatũ eſt. Nec enim ſenſit eſſe particulam verſus eruditiſſimi poetæ. Aut igitur iſtam ſententiam omitti oportuit. Quid enim ineptius iſta repetitione, *Omnipotens, cui rerum eſt* ſumma poteſtas? aut ſubiicienda ratio erat, cur adderetur: quanquam etiam quidam additum ad Auguſtinum putant, vt in noſtris ad eum Auguſtini locum commentariis diximus.

2 *Malum, inquit, Iuda.* Annotatio marginis habet iſta ex commentariis Hieron. in Mar. cap. 14. eſſe tranſcripta. Sed vel illi ipſi vnà cum ſuo magiſtro fallũtur: vel fateatur neceſſe eſt id quod res ipſa clamat, luculentiſſimos & doctiſſimos illos in Matthæum, Marcum, & aliquot Pauli epiſtolas

A ſtolas commentarios Hieronymi fuiſſe ab iſtis, & eorum harpyis Monachis fœdiſsimè & crudeliſsimè mulctatos,trūcatos,& mutilatos.Id quod iampridem etiam ſenſerunt, atque obſeruarunt omnes docti.Pro his autem omnibus, quæ hîc citat Lombardus,ſic ad verſ.22.cap.14. Marci ſcriptum reperimus in commentariis Hieronym. *Multi bonum,vt Iudas, faciunt: ſed omnino illis non proficit.*Ex quo apparet quantum dirarum ſit iſtis Monachis imprecandum,qui tam bonos autores nobis corruperunt,aut mutilarunt.

AD CAP. IX.

1 *Vſque adeo bonus eſt.* Memoriæ Lombardi hîc quoque lapſus eſt, vti in ſuperiore Hieronymi teſtimonio.

2 *Illa etiam mala.*Perperam hîc confunduntur mala culpæ,ad quæ & Pauli locus Rom. 8. pertinet.& dictum Auguſtini,cū malis Pœnæ, ad quæ B ſola poteſt hæc ſententia referri. Ergo à diſsimilimis iſtis malorum generibus argumentari,quod iſte facit,eſt omnia ſuſque déque habere, & confundere.

AD CAP. XI.

1 *Aut in nihilo.* Multa ſunt hic prætermiſſa: hæc autem,*Aut in nihilo* præter Auguſtini concluſionem etiam addita.Sic enim à partium enumeratione de origine Mali diſputat Auguſtinus, vt probet ab homine eſſe.Aut enim eſt ex nihilo Malum ait ille,aut ex aliquo. Non ex nihilo.Hoc confecit & probauit iam ex Auguſtino Lombardus.*Nulla enim eſſet illius cauſſa.* Quamobrem hoc membrum non erat amplius repetendum. Si autem ex alio eſt Malum,Aut ex Deo eſt, aut ex Homine ipſo, aut ex eo qui neque Deus eſt , neque homo.Non ex Deo eſt.Nullius enim mali cauſſa eſt Deus.Non ex alio homine malum ineſt in eo qui peccat.Nam is vel vi,vel ſuaſione peccantem impelleret.Si vi, non eſt peccatum,quod quiſpiā coactus fecit. Non ſuaſione. Nā tunc qui peccat, volēs peccat,& propria,non aliena voluntate malum agit. Non item ineſt in nobis peccatū ab eo C qui neque Deus eſt,neque homo,qualis eſt Angelus ſiue bonus ſiue malus. Ergo à nobis ipſis eſt malū in nobis. Nam vel vi , vel ſuaſione nos impelleret is Angelus.Hic enim idem dilemma repetit Auguſtinus,quod de homine prius dixerat. Ergo ab homine ipſo eſt malum. Hęc pulcherrima & cohærentia diſcerpſit miſerè Lombardus.

AD CAP. XII.

1 *Boni tantummodo.*Et hic quoque magna immutatio facta eſt verborum Aug. ſed mēs eſt incolumis.Quare non annotamus.

AD CAP. XIIII.

1 *Dicit quod cùm.* Quid magis hac oratione barbarum, quid autem Ambroſiana phraſi diſertius?Ergo iſte ſuis & Lombardicis verbis efferre maluit,quàm mellitis & Ambroſianis , quod ex Ambroſio proferebat.Sic igitur Ambroſius in 1. Corinth.12.verſ.3. *Quicquid enim verum à quocunque dicitur,à ſancto Spiritu dicitur.* Sed cur & Ambroſium potius,quàm ipſum Dei verbum, *Omne bonum eſt ſupernè à Patre luminum.*Iac.1.ver.17.citat Lombardus,

Cenſura.

Primùm omniū in hac Diſtinctione eſt annotandum,cùm totus hic locus ex Auguſtino ſit trāſcriptus,debuiſſe Lombardum ad eandem diſputationē hunc referre, ad quē Auguſtinus ipſe in A Enchiridio accōmodauit, nimirū ad locū & tractationē de prædeſtinatione & reprobatione, ad quē propriè pertinet.Sic enim & huius argumēti vtilitas intelligitur, & neceſsitas : contrà verò hic tā diſerto loco & alieno traditur, vt nihil niſi planè curioſam diſputationē redolere videatur. Ergo ad Diſtinct.40.referri debuit,& cum ea cōiūgi:non autem hic importunè inſeri. Ἀμεθοδία igitur eſt primum huius Diſt.vitium.

Alterum,obſcuritas,vel falſitas. Nam cùm duplex ſit concluſio,quæ ex hac Diſtinct.tota colligitur,vtraque eſt obſcuriſsimè & concepta verbis,& effecta rationibus. Atqui præclarè ſcripſit in Apolog.Hier.*Duplex ſcribendi genus eſt* γυμναστικὸν *&* δογματικόν*:illud vagam diſputationē habet. Hoc dògmaticum*(quale hoc ſuum eſſe profitetur Lombardus)*apertā frontem,& ingenuitatē* quæ tamen ab B iſto ſcriptore omnino abeſt,vt vbique apparet.

Prima eſt cap.6. vbi *Negat* D*eum velle non fieri mala,aut nolle fieri mala:*concedit tamen *eundē non velle fieri mala :* quòd quum ſic dicitur *Deus non vult fieri mala*, permiſſio potius ; quàm voluntas aut voluntas repugnans,vt putat iſte,ſignificetur: Hoc vel omnino eſt obſcurum , vel falſum. Nam quid aliud,obſecro,ſignificamus quum dicimus *Deum non velle fieri mala* , quàm quum dicimus *Deum nolle fieri mala.* Nam *Non velle* eſt *nolle*, neque id quiſquam vel Grammaticus negauerit.Ergo Deus vult ea quæ mala ſunt, nec tantùm mala pœnæ,ſed & culpæ,ſed non quatenus mala ſunt culpæ ſeu peccata:ſed quatenus illa ſunt actus ſeu opera iuſtitiæ ſuæ.Præclarè ergo Thom. in 1.parte quæſt.19.Art.6.*Peccator,qui,quantum in ſe eſt,recedit à diuina voluntate peccando, incidit in ordinem diuinæ voluntatis,dum per eius iuſtitiam punitur.*Subtilis verò iſta inter *non velle*, & *nolle* diſtinctio & differentia prorſus eſt inanis,ac falſa:vel,vti dixi, C obſcura. Item diſtinctio inter has phraſes *Deus vult non fieri,& Deus non vult fieri,*eſt etiam inanis hoc loco & inepta: quanquam aliud infinitū prædicatum appellāt in ſcholis,nempe *non fieri:* aliud autem negans enuntiatum *nolle fieri.*

Secunda concluſio comprehenditur capite 15. quæ ſic intricata eſt,vt ne intelligi quidē poſsit.

Tertia obſcuritas eſt in cap.7. vbi vox *Bonitas* interpretatur ab iſto *Vtilitas.* Vtile enim ipſum eſt & multiplex & ambiguum.

Vitium quoque & iſtud eſt huius Diſtinctionis,quòd hic in principe & primaria Theologiæ quæſtione diſcipuli cum ſuo magiſtro non benè conſentiunt,*Vtrùm* nempe D*ei voluntas ſemper impleatur.*Iſte diſtinguit inter voluntatem Beneplaci,& Signi:Hanc non ſemper impleri concedit: illam autem negat non ſemper impleri. Nec diſtinguit,vtrùm de Antecedente,an de conſequēte voluntate ſit hoc ſuum ἀξίωμα ſumendum. Occan tamen hic vtranque illam antecedentem & ſequentem voluntatem ſeparat: dicitque prætereà nunquam de vlla Dei voluntate eſſe concedendum ex virtute ſermonis hoc enuntiatum,D*iuina voluntas impeditur,* ſiue de voluntate Beneplaciti, ſiue Signi intelligas. Thomas in 1.parte quęſtio. xix.Artic.6. diſertè contra Lombardum ſentit, nimirum *Nihil quicquam effici extra ordinem cauſſæ vniuerſalis,id eſt,Dei voluntatis,* vt ipſe interpretatur. Neque diſtinguit inter voluntatem Bene-

A placiti,& Signi. Quòd ſi Dei voluntas ſemper eſt cauſſa eius quod fit & euenit, nunquam non igitur ea impletur ex iſtius diſcipuli ſententia. Primùm igitur inter ſeſe conſentiant, vt quod tuentur, & verum eſſe, & à ſe intelligi doceant. Cæterùm hoc nos dicimus, Dei voluntatem quidem ſemper impleri: ſed occultam & Beneplaciti, quã vocant, abſolutè, ἁπλῶς, ϗ ἐν πᾶσι, ϗ ὑπὸ πάντων. Voluntatem autem patefactam ſeu Signi καθ' ὑπόθεσιν ſeu κατά τι, id eſt, in iis tantum, & ab iis, etſi nõ plenè tamen, quos Dominus ipſe prædeſtinauit: non fit autem in omnibus, qui eam tamen audiunt & ſciunt, quíque ex officio illi parere debuerunt, quales ſunt homines, Dei creaturæ.

B

DISTINCTIO XLVII.

Quòd voluntas Dei ſemper impletur de homine quocunque ſe vertat.

CAP. I.

Aug. in Ench. cap. 100. & 6. ſequẽtib' Ca. 107. in fine.

VOluntas quippe Dei *ſemper efficax eſt vt fiat omne quod velit, & nihil fiat quod nolit: quæ de homine ſemper impletur quocunque ſe vertat. Nihil*[1] *enim (vt ait Aug. in lib. de arbitrio) conſtitutum ſuperat voluntatem Dei, & ſi faciat*[2] *contra eius voluntatem, tamen contra eius voluntatem, quæ ipſe eſt, nihil putandum eſt ita fieri tanquam velit fieri, & non fiat, vel nolit fieri, & fiat. Illa enim voluntas (vt ait Aug. in Enchir.) ſemper impletur aut*[3] *de nobis, aut à nobis. De nobis impletur: ſed tamen non implemus eam quando peccamus. A nobis impletur quando bonum facimus: ideo enim facimus, quia ſcimus placere Deo. Ita & de homine ſemper* D*eus implet ſuam voluntatem, quia nihil facit homo, de quo Deus non operetur quod vult. Non enim vult Deus vt peccet homo quilibet. Si autẽ* C *peccauerit, pœnitenti vult parcere vt viuat, in peccatis verò perſeuerantem punire, vt iuſtitiæ potentiam contumax nõ euadat. Sicut alios ab æterno præparauit ad pœnam, ita hos præparauit ad gloriam: & hæc ſunt*[4] *magna opera Domini, exquiſita, vt quum angelica & humana creatura peccaſſet, id eſt, non quod ille, ſed quod voluit ipſa, feciſſet, etiam per eandem creaturæ voluntatem qua factum eſt, quod creator non voluit, impleret ipſe quod voluit: bene vtens etiam malis tanquam ſummè bonus ad eorum damnationem, quos iuſtè prædeſtinauit ad pœnam: & ad eorũ ſalutem quos benignè prædeſtinauit ad gratiam. Quantum enim ad ipſos attinet, quod Deus noluit, fecerunt: quantùm verò ad omnipotentiam* Dei, *nullo modo id facere valuerunt. Hoc quippe ipſo quòd contra eius voluntatem fecerunt, de ipſis facta eſt voluntas eius. Propterea nanque magna opera Domini ſunt exquiſita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatẽ, quod etiam fit contra eius voluntatem: quia non fieret ſi non ſineret, nec vtique nolens ſinit, ſed volens, nec ſineret bonus fieri malè, niſi omnipotens etiam de malo poſſet facere bonum bene. His verbis euidenter monſtratur quòd voluntas Dei æterna ſemper impletur de homine, etiam ſi faciat homo contra* Dei *voluntatem. Sed attendendum eſt diligenter quomodo in ſuperioribus dicitur fieri aliquid contra Dei voluntatem, quod tamẽ non fit præter eam: & qualiter intelligendum ſit illud, quantum ad ſe, fecerunt quod Deus noluit: quantum verò ad omnipotentiam* Dei, *nullo modo id facere valuerunt. Videntur enim iſta ſuperioribus obuiare, vbi di*ctum eſt voluntati eius nihil reſiſtere.* A

Pſal. 110. Aug. in Enchiridio Cap. 100. per totum.

Pſal. 100.

Rom. 9. d

CAP. XII.

Hîc aperit diuerſis modis ſuprà accipi Dei voluntatem.

VERVM, vt ſuprà diximus, voluntas Dei *diuerſis modis accipitur: quæ diuerſitas in prædictis verbis ſi diligenter notetur, nihil ibi contradictionis reperitur. Vbi enim dicit non fieri præter eius voluntatem, etiam quod fit contra eius voluntatem, diſſimiliter accepit voluntatem: & non ipſam voluntatem, quæ Deus eſt, & ſempiterna eſt: ſed eius ſigna prædictis verbis intelligi voluit, id eſt, prohibitionem ſiue præceptionem & permiſſionem. Multa enim fiunt cõtra Dei præceptum vel prohibitionem, quæ tamen non fiunt præter eius permiſſionem. Ipſius nanque permiſſione omnia fiũt mala: quæ tamen præter eius voluntatem ſempiternam fiunt. Sicut Auguſtinus dicit ſuper illum locum Pſalm. Vt non loquatur os meum opera hominum.*[1] *Opera enim hominũ dicit ea quæ mala ſunt, quæ præter* Dei *voluntatẽ fiũt, quæ ipſe eſt: ſed non præter eius permiſſionem, quæ ipſe non eſt. Appellatur tamen ipſa* Dei *voluntas, quia De' volens ſinit mala fieri. Fiunt & contra eius præceptionem vel prohibitionem, ſed non contra eius voluntatem quæ ipſe eſt: niſi dicantur contra eam fieri, quia præter eam fiunt. Contra eam quippe nihil ita fit, vt velit fieri quod non fiat, vel nolit fieri & fiat: quod euidenter ibi Auguſtinus notauit, vbi ait, Quantũ ad ipſos attinet, quod* D*eus noluit, fecerunt: quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id facere valuerunt. Ac ſi diceret, fecerunt contra* Dei *præceptum, quod appellatur voluntas: ſed non fecerũt contra Dei volũtatem omnipotentem, quia hoc non valuerunt, illud valuerunt: & ita per hoc quod fecerunt contra* Dei *volũtatem id eſt, præceptum, de ipſis facta eſt voluntas eius, id eſt, impleta eſt voluntas eius ſempiterna, qua eos damnari volebat. Vnde*[2] *Greg. ſuper Geneſ. Multi volũtatem Dei peragunt, vnde mutare contendunt, & conſilio eius reſiſtentès obſequuntur: quia hoc eius diſpoſitioni militat, quæ per humanum ſtudium reſultat. Hîc apertè oſtenditur, quia dum mali conſilio ac præcepto Dei reſiſtunt, quod voluntas Dei appellatur, ea faciunt vnde volũtas eius, quæ ipſe eſt, impletur: quæ diſpoſitio vel beneplacitum vocatur. Nam vt ait Auguſtinus in Enchir quantalibet ſint voluntates Angelorum & hominum bonorum vel malorum, vel illud quod Deus, vel aliud volentiũ quàm Deus, omnipotentis voluntas ſemper inuicta eſt: quæ mala eſſe nunquam poteſt, quæ etiam dum mala irrogat, iuſta eſt: & profectò quæ iuſta eſt, mala non eſt. Deus ergo omnipotens ſiue per miſericordiam cuius vult miſeretur, ſiue per iudicium quem vult obdurat: nec iniquè aliquid facit, nec niſi volens quicquam facit, & omnia quæcunque vult, facit.*

In Tom. 8. enarratione ad Pſalm. 16. B

C

Cap. 10. Tomo 3.

CAP. III.

Summatim perſtringit ſententiam prædictorũ, addens, quare Deus præcepit omnibus bona facere & mala vitare, cùm non velit hoc ab omnibus impleri.

EX prædictis liquet quòd voluntas Dei *quæ ipſe eſt, ſemper inuicta eſt, nec in aliquo quaſſatur, ſed per omnia impletur. Conſilium verò eius & præceptio ſiue prohibitio non ab omnibus implentur, quibus propoſita & data ſunt. Neque ideo præcepit omnibus bona, vel prohibuit mala, vel conſuluit optima, quòd vellet ab omnib' bona quæ præcepit fieri, vel mala quæ prohibuit vitari, (Si enim vellet, vtique & fierent, quia in nullo poteſt ab homine ſuperari vel impediri eius voluntas) ſed vt iuſtitiam ſuam hominibus oſtenderet, & mali*

eſſent

A *eſſent inexcuſabiles. Denique vt boni ex obedientia gloriam,mali ex inobedientia pœnam ſortirentur, ſicut vtriſque ab æterno præparauit. Ea ergo quæ omnibus præcepit vel prohibuit, à quibuſdam voluit fieri vel vitari,ſed non ab omnibus: & quædam perſonaliter præcepit & in veteri & in noua lege, quæ ab eis, quibus* Gen. 22.a *præcepit,fieri noluit: vt Abrahæ de immolatione Filij:* Matt. 1.d *& in Euangelio quibuſdam curatis, quibus præcepit ne cui dicerent.*

AD DISTINCT. XLVII.

AD CAP. I.

1 *Nihil enim.* Locus hic à Lombardo annotatur,velut exſcriptus ex libro de Arbitrio. In quo certè vel lapſus eſt memoria, vel error eſt librariorum. Libri de libero Arbitrio Auguſtini ſunt tres,in quorum nullo hæc ſententia extat. Videtur autem non quoad verba, ſed quoad mentem ſumpta ex libro vnico Auguſtini de Gratia & B libero Arbitrio,vbi cap. 21. par huic ſententia extat:niſi quis fortaſsis ad libr. 14. de Ciuitate Dei cap.27.hunc locum referre malit. Legerim autẽ ipſe hoc loco ſic *(vt ait Auguſtinus in Enchiridio.)* Nam ſententia hæc quæ ſequitur, *Etſi faciat contra eius voluntatem,tamen contra eius voluntatem,&c.* ex capite 100.Enchiridij tranſcripta eſt. Mihi aſſentitur epitomiſta Lõbardi Arnoldus Veſaliẽſis

2 *Et ſi faciat contra eius voluntatem.* Locus eſt ex Enchirid.Auguſtini cap.100. ſed ab iſto (tam eſt malæ fidei deſcriptor) immutatus. Nam pro *præter* ſubſtituit *cõtra*,magnámque ſentẽtię huic, alioquin pulcherrimæ,parit obſcuritatem. Ergo ſic ait Auguſtinus agens de peccatis hominum, *Propterea nánque opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius,vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem,quod etiam contra eius fit voluntatem:quia non fieret,ſi non fineret,&c.* Fortaſſe ad illud Pauli alludens.Rom.4.ver.18. *Credidit Abra-* C *ham in ſpe contra ſpem.*

3 *Aut de nobis,aut à nobis.* Tota hæc ex Auguſtini rapſodia mirum in modum ab iſto confuſè collecta eſt,quòd neque capitum ſeriem,ex quibus ſua carpebat, obſeruauit: neque verba ipſa Auguſtini retinuit.

Primum igitur hæc verba,quæ hic notauimus, ex cap.107. Enchiridij ſumpta ſunt.Sic enim Auguſtinus,*Vtrumlibet horum elegiſſet Adam,Dei voluntas fieret,aut etiam ab illo:aut certè de illo.* Quæ verò ſequuntur,*De nobis impletur,*&c. ſunt Lombardi,non autem Auguſtini.

4 *Et hæc ſunt magna.* Iam hæc ex cap. 100. Enchirid.ſumpta ſunt.

AD CAP. II.

1 *Opera hominum.* Diſcedit à mente Auguſtini.Nec quæ ſequuntur,*quæ ipſe eſt,&c.* ſunt Auguſtini,ſed Lombardi. Quæ tamen ſic iſte coniungit,quaſi hæc interpretatio ſit ipſius quoque Auguſt.vt ſuam illam de Permiſsione Dei doctrinã ex Patribus probare videatur.

1 *Gregorius ſuper Geneſin.* Non extat iam hoc Gregorij opus, vti ex Trittehemio colligitur. Nã quæ in quinque libros Moſis ſcripſerat Gregorius æmuli eius homines improbiſsimi poſt ipſius mortẽ extinguere conati ſunt,& quotquot repererunt exẽplaria,cremarũt:de quo ipſo Ioannes Diaconus in illius vita conqueritur. Sed ex A hoc loco falſum apparet,quod idẽ Trittehemius ſcripſit, huiuſmodi Gregorij opus nunquã extitiſſe. Quomodo enim iſta ex eo citaret Lombardus,qui totis 400. annis Gregorij ætatẽ ſecutus eſt. Voces autẽ hæ,*Vnde mutare cõtendunt,* vel ſunt corruptę,vel omnino obſcurę. Deinde quod ibidem additur,& *Conſilio eius reſiſtentes obſequuntur* prorſus falſum eſt. Nec enim obſequitur Deo,qui Dei voluntati vel conſilio reſiſtit. Et planè aliud eſt Dei voluntatem in malis fieri, aliud à malis fieri. Fit igitur in malis,dum Deo reſiſtunt: Non fit autem ab iis. Itaque Deo nequaquam obſequuntur. Eſt enim obſequium voluntatis noſtræ ad alterius iuſſum cõformatio,& inclinatio.

Cenſura ad Diſtinctionem XLVII.

Hìc omnino breuior iam ero, quoniam ſuprà dictũ eſt de diuerſis Scholaſticorum in hac quæſtione ſententiis. Duo ergo tantùm annotabo, vnum,hanc Diſtinctionem eſſe rapſodiã ex bonis B Auguſtini ſentẽtiis: ſed peſsimè, quemadmodũ demonſtrauimus,conſutam & conſarcinatam.

Alterum, pugnare Lombardum ipſum ſecum cap.2. dum explicans hęc verba Auguſtini, *Præter* aut *contra voluntatem Dei*, modò pro permiſſione illam voluntatem Dei accipit, modò pro omnipotenti voluntate. Nec enim eadem voluntas eſt,quæ in Deo dicitur Permittens,& Omnipotens,propterea quòd hæc Omnipotens ęterna eſt,& cauſſa rerum efficiens:illa verò Permittens non item. Sed hęc hactenus. Ad finem enim huius libri propero.

DISTINCTIO XLVIII.

Quòd aliquando homo bona voluntate aliud vult quàm Deus:& aliquando mala id quod Deus bona voluntate vult. C

CAP. I.

S*CIENDVM quoque eſt,quòd aliquando mala eſt voluntas hominis idem volentis quod* Deus *vult fieri:& aliquando bona eſt voluntas hominis aliud volentis quàm* Deus. *Vt enim bona ſit hominis voluntas,oportet attendere,quid congruat ei velle, & quo fine. Tantum enim intereſt inter voluntatem Dei, & voluntatem hominis, vt in quibuſdã aliud congruat* Deo *velle,alius homini. Vnde Aug. in Ench. Aliquando* Cap. 101. Tomo 3. *bona voluntate homo vult aliquid quod Deus nõ vult: bona multò ampliùs multóque certiùs voluntate. Nam illius mala voluntas eſſe nunquam poteſt,tanquã ſi bonus* Filius *Patrem velit viuere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rurſus fieri poteſt,vt hoc velit homo voluntate mala,quod* Deus *vult bona: velut ſi malus Filius velit mori Patrem,velit etiam hoc* Deus. *Nẽpe ille vult quod non vult Deus: iſte verò id vult quod vult & Deus: & tamen bonæ Dei voluntati pietas illius potiùs conſonat,quamuis aliud volentis,quàm huius idem volentis impietas. Multum enim intereſt quid velle homini,quid velle* Deo *congruat: & ad quem finem ſuam quiſque referat voluntatem, vt approbetur vel improbetur. Poteſt enim velle bonum quod non congruat ei velle: & poteſt velle bonum quod congruit,ſed non refert ad finem rectum, & ideo non eſt bona voluntas.*

A

CAP. II.

Quòd bona Dei volũtas, mala hominum voluntate impletur: vt in paſſione Chriſti contigit, vbi quiddam factum eſt quod Deus bona, & Iudæi mala voluntate voluerant: voluerunt tamen & aliquid quod Deus non voluit.

ILLVD quoque non eſt prætermittendum, quòd aliquando Dei voluntas bona per malam hominis voluntatem impletur: vt in crucifixione Chriſti factũ eſt, quem Deus bona voluntate mori voluit, Iudæi verò impia voluntate eum crucifixerunt. Et volebant Iudæi mala voluntate quiddam quod Deus bona voluntate volebat, ſcilicet vt Chriſtus pateretur, & moreretur: ſed volebant & aliquid aliud quod Deus nolebat, ſcilicet occidere Chriſtum: quod fuit mala actio & peccatum. Actum quippe Iudæorum non voluit Deus, paſſionem verò Chriſti voluit, ſicut & in ipſo Pſalm. Chri- Pſal.138. *ſtus ad Patrem ait, Tu cognouiſti ſeſſionem meam, id* B *eſt, voluiſti* [1] *& approbaſti paſſionem meam, tibi enim placuit. Voluit itaque tota Trinitas vt Chriſtus pateretur, nec tamen voluit vt Iudæi occiderent: quia voluit pœnam Chriſti, ſed non voluit culpam Iudæorum: nec tamen noluit, ſi enim noluiſſet nec fuiſſet.*

CAP. III.

Oppoſitio.

SED ad hoc opponitur ſic: Si voluit Deus vt Chriſtus pateretur, voluit vtique vt pateretur à Iudæis, vel non. Si voluit vt non pateretur à Iudæis, cùm paſſus ſit, factum eſt itaque quod voluit Deus non fieri. Si autem voluit eum pati à Iudæis: ergo voluit eum occidi à Iudæis: voluit itaque vt Iudæi occiderent eum. Ad quod reſpondentes dicimus, ſimpliciter concedendũ eſſe, quòd Deus voluit Chriſtum pati & mori: quia eius paſſio bonum fuit, & cauſa noſtræ ſalutis. Cùm autem dicitur, volebat eum pati, vel occidi à Iudæis: hîc diſtinguendũ eſt. Si enim intelligitur ſic, volebat eum ſuſtinere paſſionem ſiue crucifixionem à Iudæis illatam, verus eſt ſen- C *ſus: Si verò intelligitur ſic, volebat vt Iudæi occiderent eum, falſum eſt. Non enim volebat Deus actionem Iudæorum: quæ mala erat, ſed volebat paſſionem bonam: & hæc voluntas per malas Iudæorum voluntates im-* Cap. 101. Tomo. 3. *pleta eſt. Vnde Auguſtinus in Enchiridio, Deus quaſdam voluntates ſuas vtique bonas implet per malorum hominum voluntates malas: ſicut per maleuolos Iudæos bona voluntate Patris Chriſtus pro nobis occiſus eſt: quod tantum bonum fuit, vt Apoſtolus Petrus, quan-* Matt.16.d *do id fieri nolebat, Satanas ab ipſo* [1] *qui occiſus eſt, diceretur. Ecce manifeſtè habes magnum bonum fuiſſe quòd Chriſtus occiſus eſt: & hoc bonum quia Petrus nolebat, ideo redarguutus eſt.*

CAP. IIII.

Vtrùm placuerit viris bonis, quòd Chriſtus pateretur & moreretur: placuit quidem intuitu noſtræ redemptionis, ſed non ipſius cruciatus.

EX quo ſoluitur quæſtio quæ quæri ſolet, vtrùm viris ſanctis placere debuerit quòd Chriſtus pateretur, vel occideretur. Debuit enim eis placere intuitu noſtræ redemptionis, ſed non intuitu ipſius cruciatus. Voluerunt ergo ac vehementer cupierunt Chriſtum mori propter liberationem hominis, & impletionem diuinæ voluntatis: ſed non voluerunt delectatione ipſius afflictionis. De eodem ergo lætabantur & triſtabantur: ſed ob aliud gaudebant & propter aliud dolebant. Volebant ergo Chriſtum mori pro hominis redemptione: & tamen de morte ipſius diuerſis de cauſis corda eorum variè mouebantur.

CAP. V.

A Quomodo ſentiendum ſit de paſſionibus Sanctorum, an velle an nolle debeamus.

SI verò quæritur vtrùm eodem modo ſentiendum ſit de paſſionibus & martyriis Sanctorum: Dicimus aliquam eſſe differentiam inter paſſionem capitis & membrorum. Chriſti nanque paſſio cauſa eſt noſtræ ſalutis: quod non eſt paſſio alicuius Sancti. Nullius enim paſſione redempti ſumus, niſi Chriſti. Profuerunt quidem non modò eis qui paſſi ſunt, verùm etiam aliis fidelibus ipſorum paſſiones, veruntamen noſtra redemptio non ſunt: hoc enim paſſio illius ſola potuit, qui Deus eſt, & homo. Illius ergo paſſionem credentium piæ mentes voluerunt, & optauerunt fieri ſicut futurum credebant: paſſiones verò Sanctorum poſſumus velle & nolle: & vtrunque bona voluntate, ſi rectos nobis proponamus fines. Cui enim placuit Pauli paſſio, eo fine, quia præmiũ eius per hoc auctum & paratum cernebat, bonam videtur habuiſſe voluntatem, quæ voluntati eius congruebat, quia cupiebat diſſolui & eſſe cum Chriſto. Qui au- B *tem voluit eum declinare paſſionem & effugere manus iniquorum compaſſione pietatis, & ille habuit bonam voluntatem. Vnde Aug. in Enchir. Bonæ apparebant* Cap. 101. Actu,23. *voluntates piorum fidelium, qui nolebant Apoſtolum Paulum Hieruſalem pergere, ne ibi pateretur mala, quæ Agabus Propheta prædixerat: & tamen hoc illum Deus pati volebat pro annuntianda fide Chriſti, exercens martyrem Chriſti: neque ipſe bonam voluntatem ſuam impleuit per Chriſtianorum voluntates bonas, ſed per Iudæorum malas: & ad eum potiùs pertinebãt, qui nolebant quod volebat, quàm illi per quos volentes factum eſt quod volebat:* [1] *quia idipſum mala voluntate fecerunt, quod Deus bona voluntate voluit. Ita & in paſſione Chriſti factum eſt: quod enim Deus voluit, hoc idem Iudæi & diabolus: ſed illi mala voluntate, Deus* C *verò bona voluntate, ſcilicet vt Chriſtus moreretur. Veruntamen illi actum voluerunt, quem Deus non voluit.*

AD DISTINCT. XLVIII.

AD CAP. II.

1 *Voluiſti & approbaſti.* Videtur hæc, quanquã aliena interpretatio, ſumpta tamen ex Commentariis Auguſtini in Pſalm. 138. vbi ſic ſcripſit, *Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. Quid hîc ſeſſio? Quid hîc reſurrectio? Qui ſedet, humiliat ſe. Sedit ergo Dominus in paſſione, reſurrexit in reſurrectione. Tu, inquit, hoc cognouiſti, tu voluiſti, tu approbaſti ſecundum voluntatem tuam factum eſt.* Hactenus Auguſtinus, in animo habens proculdubiò locum ex Actis 4. verſ. 28. *Vt facerent Iudæi quæcunque manus tua, & conſilium tuum priùs definierat facienda.* Hebræa verò ſic ad verbum habent, *Tu cognoſcis ſedere meum & ſurgere meum, intelligis cogitationem meã è longinquo,* id eſt, totus tibi ſum perſpectus, ſiue ſedeam, ſiue ſurgam: quicquid animo voluo & cogito, iampridem tibi notum eſt. Ergo de Dei prouidentia loquitur Dauid, quâ Deus omnia in nobis ſingulis potenter ἐνεργῇ, vt loquitur Paulus Epheſ. 1. verſ. 23. Non autem agit Pſalmus peculiariter de morte Chriſti.

AD CAP. III.

1 *Qui occiſus eſt.* Auguſtinus habet, *qui occidi venerat.* Nec enim occiſus iam Chriſtus dixit Petro, *Abi retro Sathana.* Matth. 16. ver. 23.

AD

A
AD CAP. V.

1 *Quia idipſum quidem.* Iſte, dum quædam Auguſtino detrahit, pulcherrimum locum obſcurat, & totam huius tam difficilis argumenti ſolutionem eneruat.

Primùm autem omiſit vocem, *Quàm.* Ait enim Auguſtinus, *Quàm bona, &c.* vt ſit maior iſtius ἀντιθέτου vis & lux. Sed hoc minimi eſt momenti. Iſtud iam maioris, quod hîc ſic habet Auguſtinus in Enchirid. cap. 101. *Quia idipſum quidem, ſed ipſe per eos bona, illi autem mala voluntate fecerunt.* Ergo docet Auguſtinus per vocem *id ipſum*, rem ſeu actum quidem ipſum, quem vocãt, ex Dei voluntate eueniſſe. Actum enim ipſum, non autem finem improborum vult Deus. Voluntates igitur Dei, & Iudæorum fuiſſe ratione non quidem ipſius *Actus*, ſed *finis* ab vtriſque ſpectati, diſsimillimas, & contrarias. Qui vocabulũ igitur tanti momenti tollit, vim & lucem totius iſtius ſententiæ demit.

Quod tamen facit Lombardus. Verba autem B quæ ſequuntur, *Ita & in Paſsione* &c. ſunt Lombardi, non Auguſtini.

Cenſura.

Primum in hac diſtinctione vitium illud eſt, quòd in tam dificili, perplexo, & paradoxo tractatu, pulcherrimum illum S. Scripturæ locum ex act. cap. 4. verſ. 27. & 28. prætermiſit, qui totũ hunc locum illuſtrare ac confirmare potuit. Sic autem habet, *Coacti ſunt verè aduerſus ſanctum Filium tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſrael: vt facerent quæcunque manus tua, & conſilium tuum priùs definierat facienda.* Item ex Iobi cap. 1. fuit probandum. Sathan enim & Chaldæi faciunt idipſum, quod Deus fieri vult: non tamen propterea bene agunt, nec vt Deo pareant: eorúmque propterea eſt iniuſta voluntas: Dei verò iuſta.

Secundum vitium eſt in cap. 3. vbi iſte negat C admittendum eſſe, D*eum voluiſſe vt Iudæi occiderent Chriſtum, negat denique Deum voluiſſe culpam Iudæorum, quam tamen poſtea idem non audet dicere Deum noluiſſe.* Ergo primùm intricata eſt, & ipſa ſibi repugnans Lombardi oratio. Perinde enim ſonat, atque ſi diceret, Voluit eam Deus & noluit. Deinde falſa eſt iſta ſolutio. Deus enim hoc ipſum quod à Iudæis factum eſt, fieri voluit, & malè à Iudæis fieri. Nec tamen propterea iniuſta aut mala eſt Dei voluntas. Hoc enim Iudęorum peccatum Deus voluit, velut pœnam iuſtiſsimam aliorum eiuſdem gentis peccatorum.

Atque hanc noſtram ſolutionem planè confirmat Auguſtinus ipſe lib. De gratia & libero arbitrio, capite vigeſimo, *Inuenimus*, inquit, *aliqua peccata etiam pœnas eſſe aliorum peccatorum.* Et paulo pòſt de Semei maledico in Dauidem agens, de quo dixerat Dauid, *Sinite eum, quoniam dixit illi Deus, &c.* ait Auguſtinus, *Non iubendo dixit, vbi obediẽtia laudaretur: ſed quòd eius* (Semei videlicet) *volũtatem proprio ſuo vitio malam in hoc peccatum, iudicio ſuo iuſto & occulto, inclinauit, ideo dictum eſt,* DIXIT EI DOMINVS. Quod autem ait Damaſcenus libro ſecundo de fide Orthodox. capite A vigeſimoprimo huiuſmodi actiones eſſe Dei opera, οὐ μὴν κατ' εὐδοκίαν, ἀλλὰ δὲ κατὰ συγχώρησιν, ſuprà diximus, quomodo ſit intelligendum, ne quis nudam Dei permiſsionem hîc cogitet.

Tertio autem loco eſt obſeruandum, ex eo quod Magiſter iſte quędam paradoxa tractat, diſcipulos in immẽſum poſtea iſtas παραδιατριβὰς, & ἀτόποις ſententias cõtra Pauli præceptum auxiſſe. Nam alij quodlibetarias Quęſtiones proponũt, vt Thomas: alij Centilogia, quemadmodum Occan, alij aliud ſcriptorum genus, velut infinitum quoddam ineptarum diſputationum & ſępe blaſphemarium pelagus, quarum neque ad gloriam Dei, neque ad ædificationem Eccleſiæ, neque ad priuatam Chriſtiani cuiuſquam inſtitutionẽ vllus eſt vſus. Quòd autem huic loco quidam addunt quæſtionem iſtam. Vtrùm oporteat Chriſtianos homines conformare ſuam voluntatem ad diuinam, ita eſt certũ, vt de eo nemo Chriſtianus dubitare poſsit, aut debeat: tam anxiè tamen & variè iſtam quæſtionem iſti exagitant & vexant, vt quid in ea ſequendum ac ſtatuendum ſit, B ex horum ſcriptis definiri non poſsit. Quod ſi mihi verbis Hieronymi totam hanc commentationem meam finire liceat, certè illa vſurpabo, quæ poſteriore Apologia aduerſus Ruffinum habet Hieronymus, *Nouit conſcientia tua*, Petre Lombarde, *quæ addideris, quæ ſubtraxeris, quæ in vtranque partem, vt tibi viſum fuerit, immutaris. Atque vtinam præcidiſſes mala: & non in aſſertionem malorum, tua multa poſuiſſes.* Sed laus Deo optimo Maximo, qui dedit, vt ex his tot ſcopulis aliquando, magna ipſius miſericordia, enataremus: ac in tutum Verbi ipſius portum appellaremus. Deum autem precamur, per Vnigenitum Filium ſuum Ieſum Chriſtum, vt ſuam veritatem contra iſtorum mendacia tueatur, & huic noſtro labori benedicat.

ISTI SVNT ARTICVLI IN quibus Magiſter ſententiarum non tenetur communiter ab omnibus: & primò. C

PRIMI LIBRI.

Primò, quod charitas qua diligimus Deum & proximum, eſt Spiritus ſanctus. Diſt. 1.7. ca. 2. vel quòd charitas quæ eſt amor Dei & proximi, non eſt aliquid creatum.

Secundò, quòd nomina numeralia dicta de Deo dicuntur ſolùm relatiuè diſtin. 24. capit. Et ſi diligenter. Vel hæc nomina numeralia trinus & trinitas non dicunt poſitionem, ſed priuationem tantùm.

Tertiò, quòd ſimile & æquale ſimiliter dicuntur de Deo priuatiuè. Diſt. 31. c. & hoc idem.

Quartò, quòd Deus ſemper poteſt quicquid aliquando potuit: & vult quicquid voluit: & ſcit quicquid ſciuit. Diſtinct. 44. c. Præterea quæri ſolet.

A

SYNOPSIS SANÆ ET VETERIS DOCTRINÆ DE S. TRINITATE, EX ORTHODOXIS SYMBOLIS,

& veteribus Synodis collecta, atque primo Sententiarum P.LOMBARDI libro oppoſita.

A

C A P. I.

Commendatio orthodoxæ fidei de S. Trinitate.

Confer cum Diſtinct. 2. lib. 1. Sententiarum P.Lombardi.

Ex Athanaſij ſymbolo.

Procemiū commendationem orthodoxę fidei de S. Trinitate cõtinēs

QVicunque vult eſſe ſaluus, ante omnia opus eſt vt teneat Catholicam fidem: quam niſi quiſque integram inuiolatámq; ſeruauerit, abſque dubio in æternum peribit.

B

Toletano VI.

Confitendum ore, quod piè corde creditur.

QVamobrem ex abūdantia noſtri cordis fit confeſsio vocis, vt fidem, quàm omnium mens intrinſecus geſtat, in confeſsione interpres lingua foris effundat.

C A P. II.

Summa orthodoxæ fidei de S. Trinitate.

Confer cum Diſtinct. 2. lib. 1. Sententiarum Petri Lombardi.

Ex Athanaſij ſym.

Summa fidei orthodoxę de S. Trinitate. vnū eſſe Deum in tribus perſonis.

FIdes autem Catholica hæc eſt, vt vnū Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur: neque confundētes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparātes. Alia eſt enim perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti.

C

Ex Tolet. con. IIII.

De vnitate diuinæ eſſentię in tribus perſonis.

Secundum enim diuinas Scripturas, & doctrinam, quam à ſanctis patribus accepimus, Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum, vnius deitatis, atque ſubſtantiæ confitemur.

In Perſonarum diuerſitate Trinitatem credentes, in diuinitate vnitatem prędicantes: nec perſonas confundimus, nec ſubſtantiam ſeparamus.

Ex conc. Tol. XI.

Tres perſonę ſunt vna eſſentia diuina

Confitemur, & credimus, ſanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum, vnum Deum naturaliter eſſe, vnius ſubſtantiæ, vnius naturæ, vnius quoque maieſtatis, atque virtutis.

C A P. III.

Explicatio ſuperioris orthodoxa fidei ſummæ, cuius prius membrum eſt, vnam numero eſſe trium illarum diuinarum perſonarum eſſentiam, eiúſque eſſentiæ attributa propria ſeu eſſentialia eſſe in ſingulis perſonis vna quoque numero & eadem.

Confer cum Diſtinct. 31 32. & 33. lib. 1. Sententiarum Petri Lombardi

Ex con. Toleta. XI.

Verba hęc eſt Deus, eſſentiam Diuinam ſignificāt.

ITem cùm dicimus, Deus, non ad aliquid dicitur, ſicut Pater ad Filium, vel Filius ad Patrē, vel Spiritus ſanctus ad patrem & Filium: ſed ad ſe ſpecialiter Deus dicitur. Nam ſi de ſingulis perſonis interrogemus, Deum neceſſe eſt fateamur. Deus ergo Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus ſingulariter dicitur: nec tamen tres dij ſed vnus eſt Deus.

Athan. Symbo.

Itaq; Deitatē eādē & vnam numero.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, & tamen non tres dij, ſed vnus eſt Deus.

Tol. con. VI.

Vna ad numerum eſt eſſentia diuina, & eadem. Item eadē ſunt triū illarū perſonarum eſſentialia attributa.

Itaque credimus, & profitemur, ſacratiſsimam & omnipotentiſsimam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, vnum Deum ſolum, non ſolitarium: vnius eſſentię, virtutis, poteſtatis, maieſtatis vniúſque naturę: diſcretam inſeparabiliter perſonis, indiſcretā eſſentialiter ſubſtantiâ Deitatis, creatricem omnium creaturarū.

Tol. con. XI.

B

Filius Deus habet totam eſſentiam & eādem quam Pater Deus. Vnaquæque perſona deitatem, ratione eſſentiæ, habet totam.

Nec enim eundem Filium Dei, pro eo quod de Patre ſit genitus, defectæ naturæ portiunculam nominamus: ſed perfectum Patrem, perfectū Filium, ſine imminutione, ſine defectione genuiſſe aſſerimus: quia ſolius diuinitatis eſt, inæqualem Filium non habere. Nec minoratur in ſingulis, nec augetur in tribus: quia nec minus aliquid habet, cùm vnaquæque perſona Deus ſingulariter dicitur: nec amplius, cùm totæ tres perſonæ vnus Deus enunciantur.

Conſtan. OEcume. VI.

Vnaquæque perſona diuina deitatem, eſſentiæ ratione, poſsidet perfectā.

Propterea perfectus Deus eſt Pater, perfectus Deus eſt Filius, perfectus Deus eſt Spiritus ſanctus, idcirco quòd vnam eandēque ſingula quęque perſona inſeparabilem, indiminutam, atque perfectam habet deitatem. Nam Deitas diuiſionem non ſuſtinet, & in tribus ipſis perſonis plenificè, atque perfectè non partibiliter, ſiue ex parte eaſdem implens perſonas, ſed in vnaquaq; exiſtens pleniſsima, & vna permanēs, licèt in tribus perſonis monſtretur, ad deorum multitudinem non excurrens, licèt in tribus ſit ſubſiſtentiis, vt non corporalem quandam ſuſtineat ſectionem, quæ certè eſt impartibilis & incorporea, & pati neſciens, quæ omnia creaturę ſunt propria.

C

Toletan. VI.

Vnum eſſe Deum, & perſonas inter ſe eſſe æquales.

In hac autē Trinitate tāta eſt vnitas ſubſtātiæ, vt pluralitate careat, & æqualitatē teneat. Nec minor in ſingulis, quàm in omnibus: nec maior in omnibus, quàm in ſingulis perſonis manet. Ex his igitur tribus Diuinitatis perſonis, ſolū Filium fatemur ad redēptione humani generis propter culparū debita, quę per inobedientiam Adæ originaliter, & noſtro libero arbitrio contraximus, reſoluenda, à ſecreto Patris arcanóque prodiſſe, & humanitatem ſine peccato de ſancta ſemper virgine Maria aſſumpſiſſe: vt idem Filius Dei Patris, eſſet Filius hominis, Deus perfectus, & homo perfectus: vt homo & Deus eſſet vnus Chriſtus, naturis in duabus vna perſona, ne quaternitas Trinitati accederet, ſi in Chriſto geminata perſona eſſet.

Athan. Symbo.

Sed Patris & Filij & Spiritus Sancti vna eſt diuinitas: æqualis gloria, coæterna maieſtas: qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus.

Braccar. I.

Singulariter ergo vnaquæq; perſona vnus Deus confitetur, & creditur vna illis, & indiuiſa atque

æqualia

Aæqualis deitas, maieſtas ſiue poteſtas.

Athan. Symbo.

Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius[a] aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæquales ſibi ſunt & coæternæ. Ita vt per omnia (ſicut iam ſuprà dictum eſt) & Vnitas in Trinitate, & Trinitas in Vnitate veneranda ſit. Qui vult ergo ſaluus eſſe, ita de Trinitate ſentiat.

a In S. Trinitate nihil eſt inæquale, id eſt, Nihil prius vel poſterius tempore.

b Maius vel Minus dignitate vel poteſtate.

c Attributa Deitatis eſſentialia & tribus perſonis, & vnicuique æquè competũt

Conſtan. OEcume. VI.

Nos enim[b] vnum principium vnius nouimus Deitatis, vnum imperium, vnam poteſtatem, vnam virtutem, vnam operationem, vnum conſilium, vnam voluntatem, vnam dominationem, vnum motum, vnam tam omnium, quę poſt eam ſunt, creatricem, quàm prouidam & ſtabilientem, atque conſeruatricem, vnam dominationẽ, vnam ſempiternitatem (quæque ſunt talia ſingularia, & incompoſita vnius eſſentiæ atque naturæ) in tribus eſt perſonalibus ſubſiſtentiis: neque ſubſiſtentias confundentes, & in vnam eas ſubſiſtentiam deducentes: neque vnam eandémque eſſentiam partientes, & in tres eam eſſentias diſcerpentes, & vnam ex hoc diuidentes Deitatem: ſed eſt vnus Deus, vna Deitas in tribus ſubſiſtentiis fulgens, & tres ſubſiſtentiæ & perſonæ in Deitate vna cognoſcuntur. Similiter & Deitatis Trinitatem conſubſtantialem cohonorandámque, atque coaſſeſſorem, connaturalem, & cognatam, atque contribulem, in vnam correcapitulandam Deitatem, atque in vnam copulandam communem dominationem, abſque perſonali confuſione, & abſque ſubſtantiali diuiſione. Trinitatem itaque in Vnitate credimus, & in Vnitate Trinitatem glorificamus.

B

Nam tres perſonæ ſunt vna & eadem numero eſſentia diuina.

Quemadmodum igitur vnum Deum didicimus ſapere, ita & vnam Deitatem confiteri percepimus: & ſicut ſubſiſtentias tres orare didicimus, ita & tres glorificare perſonas inſtruimur, non alium vnum Deum præter tres cognoſcentes perſonas, neque tres conſubſtantiales perſonas Trinitatis, quæ ſunt Pater, & Filius & Spiritus ſanctus, alteras pręter vnum Deum agnóſcimus.

Tres illæ perſonę ſunt ęqualiter adorandę.

Athan. Symbo.

C

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus ſanctus. Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus: æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus. Et tamen nõ tres æterni, ſed vnus æternus, ſicut nec tres increati, nec tres immenſi, ſed vnus increatus, & vnus immenſus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus. Et tamen non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens.

Eſſe per ſe vnum & idẽ eſt in ſingulis diuinis perſonis. Immenſitas eadem & vna. Æternitas eadẽ & vna. Omnipotentia eadem & vna.

Toletan. XI.

Item & Pater omnipotens, & Filius omnipotens, & Spiritus ſanctus omnipotens ſingulariter dicitur: nec tamen tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens: ſicut & vnum lumen, vnúmque principium prædicatur.

Principij ratio ad creaturas eadem.

Athan. Simb.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus, & tamen non tres Domini, ſed vnus eſt Dominus. Quia ſicut ſigillatim vnãquanque perſonam Deum ac Dominum confiteri veritate Chriſtiana cõpellimur: ita tres Deos, aut Dominos dicere Catholica religione prohibemur.

Et dominatio, eadem & vna in res omnes creatas.

C A P. IIII.

Tria ex ſuperiorum doctrina corollaria.

A

1 *Vnum igitur tantùm eſſe Deum, non plures.*

2 *Nullam ex trib. perſonis eſſe alia vel magis Deum, vel priorem.*

3 *Vnitatis vox in diuinis referri ad eſſentiam.*

Conſt. OEcume. VI.

ABſit, ſicut viſum fuit Arianis, & ſicut nouæ tritheiæ, id eſt, ter Deitatis latratores, docent eſſentias tres, & naturas tres, & dominationes, & tres ſimiliter vaniloquamur deitates: ſed ſubſiſtentiis, & proprietatib. intellectualib.[d] perfectis, diſtinctim ſubſiſtentibus, numero diuiſibilibus, & non diuidendis deitate. Diuiditur itaque indiuiſè ſancta Trinitas, & indiuiſè rurſus coniungitur. Neque[e] enim creatum quid, aut ſeruile eſt in Trinitate, neq; ſuper introductitium, tanquam quod prius quidem non extiterit, poſtremò verò introgreſſum ſit. Neque igitur defuit Patri Filius, neque Filio Spiritus ſanctus, ſed inconuertibilis & incommutabilis eadem Trinitas ſemper eſt. Et de ſancta quidem ac cõſubſtantiali, ſempiternáque, & principali, omniúmque opifice, & regina Trinitate qualiter ſentiã, atque glorificem & venerer (vt breuiter dicere ſuppetit) manifeſtè vobis ipſe vnumquodque digeſsi. Neque enim amplius quid fari permittit harum ſynodicarum ſyllabarum cõpendium. Vnitas[f] enim ſingularis & incomputabilis, omnem refugit ſecundum eſſentiam numerum. Vnus enim Deus à nobis enixius creditur, quoniam & Deitas vna flagrãter prædicatur, licèt in Trinitate perſonarum agnoſcatur: & vnus Deus à nobis adnuncietur, quoniam & dominatio vna firmiter agnoſcitur, licèt in tribus ſubſiſtentiis demonſtretur.

1 Corollarium. dij non plures.

d Opponitur corporali naturę.

e 2 Corollarium Tres perſonas eſſe inter ſe æquales.

B

f 3 Corol. Trinitatis vox ad quid in hoc arcano referat.

C A P. V.

Poſterioris membri ſummæ orthodoxæ fidei de S. Trinitate ſuperiùs poſitæ explicatio, quod in eo poſitum eſt, vt doceamur tres illas perſonas diuinas Patrem nimirum, & Filium, & Spiritum ſanctum ſubſiſtere per ſeſe, & à ſeipſis eſſe diſtinctas, ac tria reipſa ὑφιστάμενα.

Confer cum Diſtinct. 2. lib. 1. Sententiarum Petri Lombardi.

Braccar. I.

C

SI quis Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum non confitetur tres perſonas vnius ſubſtantiæ, & virtutis, ac poteſtatis, ſicut Catholica, & Apoſtolica Eccleſia docet: ſed vnam tantùm, ac ſolitariam dicit eſſe perſonam, ita vt ipſe ſit Pater, qui filius, ipſe etiam ſit paracletus Spiritus, ſicut Sabellius, & Priſcillian⁹ dixerũt, anathema ſit.

Toletan. VI.

Nec quia tres has perſonas eſſe diximus vnum Deum, eundem eſſe Patrem, quẽ Filium: vel eum eſſe Filium, qui eſt Pater: aut eum qui eſt Spiritus ſanctus, vel Patrem & Filium dicere poterimus. Non enim ipſe eſt Pater, qui Filius: nec ipſe Filius, qui Spiritus ſanctus: nec Spiritus ſanctus ipſe qui eſt vel Pater, vel Filius: cùm tamẽ ipſum ſit Pater, quod Filius: ipſum Filius, quòd Pater: ipſum Pater & Filius, quod & Spiritus ſanctus, id eſt naturâ vnus Deus. Cùm enim dicimus, non ipſum eſſe Patrem quem Filium, ad perſonarum diſtinctionem refertur: cùm autem dicimus, ipſum eſſe Patrem quod Filium, & ipſum Filium quod Patrem, ipſum Spiritum ſanctum, quod Patrem & Filium, ad naturam, qua Deus eſt, vel ſubſtantiam pertinere monſtramus, quia ſubſtantiâ vnũ ſunt. Perſonas enim diſtinguimus, non Deitatem ſeparamus. Trinitatem igitur in perſonarum diſtinctione agnoſcimus, vnitatem propter naturam vel ſubſtantiam profitemur. Tria ergo iſta, vnum ſunt naturâ ſcilicet, non perſona.

Vna perſona nõ eſt alia. i. Nõ vna dũtaxat eſt in diuinis perſona. Sabelliani & Priſcillianiſtæ hęretici dãnati.

Eſſe tres perſonas ſubſiſtentes & verè ac reipſa inter ſe diſtinctas: vnã tamẽ in iis eſſe eſſentiam

Conſtantinop. VI.

In diuinis illis trib' perſonis & Trinitas eſt, & Vnitas.

Et ideo à Deiloquis ſancitũ eſt, vnitatem quidem nos ſapere vna & ſingulari Deitate, & idẽtitate eſſentialis atque naturalis dominationis. Trinitatem autem tribus in confuſis ſubſiſtentiis, & diuerſitatem numerandæ perſonalis alteritatis, quatenus nec ipſum vnum Sabellianum remaneat, qui vnum vbique conſpiciens, omnem ſubſiſtentialem multitudinem abiecit: neque eadem tria præferat Arius, ſi tria intelliguntur per omnia omnem vnitatis vocem repellentia Deitatis eſſentiæ atque naturæ.

Athanaſij ſym.

Tres duntaxat eſſe perſonas, nõ autem plures, nõ etiam pauciores.

Vnus ergo Pater, non tres Patres: vnus Filius, non tres Filij: vnus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti.

Braccar. I.

Trinitas nõ eſt vox eſſentiam ſignificãs, ſed perſonarum numerum. Tota diuina eſſentia eſt tres illę perſonę, cõtráque.

Si quis extra ſanctam Trinitatem, alia (neſcio quæ) Diuinitatis nomina introducit, dicẽs, quòd ipſa Diuinitas ſit Trinitas, ſicut Gnoſtici, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

Conſtantinop. OEcu. VI.

Et idcirco vnum hęc tria, in quibus eſt Deitas, prædicamus, & tria vnum, quorum eſt Deitas, annunciamus, ſiue (quod eſt accuratiùs ac manifeſtiùs dicere) quæ Deus eſt, atque agnoſcitur: hoc ipſum quippe & vnum eſt, & tria creditur, & tria prędicatur, & vnum veraciter annunciatur. Et neque vnum quod vnum eſt, tria recipit: neque tria, ſecundum quod tria ſunt, vnum admittunt: quod eſt mirabile, & omni certè plenum ſtupore.

Concil. Latera. ſub Innoc. xxx.

Non eſſe in diuinis præter Patrẽ, Filiũ, & Spiritũ ſanctum quiddam quartum, vel cogitandum.

Nos autem ſacro, & vniuerſali concilio approbante, credimus & confitemur cum Petro, quòd vna quædam res eſt, incomprehenſibilis quidem & inæſtimabilis (quæ veraciter eſt) Pater & Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ, ac ſingulatim quælibet earundem, & ideo in Deo Trinitas eſt ſolummodò, non quaternitas: quia quælibet trium perſonarum eſt illa res videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſiue natura diuina, quæ ſola eſt vniuerſorum principium, præter quam aliud inueniri non poteſt.

CAP. VI.

De trium illarum perſonarum diſtinctione. Illa verò partim ex relationibus earum inter ſe: partim ex incommunicabilibus earum proprietatibus ſumitur atque agnoſcitur.

Confer cum Diſtinct. 26 & 23. lib. I. Sententiarum Petri Lombardi.

Toleta. XI.

Tres perſonæ diuinæ non ſunt tres eſſentiæ diuinæ, aut tres dij.

IN relationis verò perſonarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrẽ, Spiritus ſanctus ad vtroſque refertur, quæ cùm relatiuè tres perſonæ dicantur, vna tamen naturalis ſubſtantia creditur. Nec ſicut tres perſonas, ita tres ſubſtantias prædicamus: ſed vnam ſubſtantiam, tres autẽ perſonas. Quòd enim Pater eſt non ad ſe, ſed ad Filium eſt: & quod Filius eſt, non ad ſe, ſed ad Patrẽ eſt. Similiter & Spiritus ſanctus non ad ſe, ſed ad Patrem & Filium relatiuè refertur, in eo quod Spiritus Patris, & Filij prædicatur.

Conſtan. Conc. VI.

a In Perſonis diuinis prętер ipſam eſſentiam quę eadẽ in illis tribus, eſt relatio & ὑπάρξεως modus, qui perſonas diſtinguit, & re ipſa ea eſſe tria ὑφιςάμενα demõſtrat.

Eſt[a] igitur cum hoc quod Deus, Pater ipſe Pater, & neque Filius, neque Spiritus ſanctus: ſed quod Filius eſt ſecundum ſubſtantiam, & quod naturaliter Spiritus ſanctus exiſtit, & eſt cum hoc quod Deus eſt, Filius, ipſe Filius, & neque Pater, neque Spiritus ſanctus: ſed quod eſt ſecundum ſubſtantiam, & quod naturaliter Spiritus ſanctus exiſtit, & eſt cum hoc quod Deus eſt, Spiritus ſanctus eſt ipſe Spiritus ſanctus, & neque Pater eſſe cernitur, neque Filius eſſe ſuſpicitur: ſed quod Pater ſecundum eſſentiam creditur, & quod Filius ſecundum naturam adnunciatur: hoc quidẽ propter naturam & identitatem ſubſtantiæ & cognationem eſſentiæ, illud verò propter alterificas horum trium proprietates, proptérque diſsimilitudinem proprietatũ, quæ inconfusè vnamquamque[a] figurant perſonã. Sicut ergo eſſe Deum vnaquęque inconuertibiliter poſsidet, ita & proprietatem (per quam ipſa perſona figuratur) immutabilem, & immobilem obtinet, quæ eidem ſoli eſt inſita, & ab ipſis aliis perſonis eam diſcernit, & conſitam, atque cohonorificandam conſubſtantialem quoque & [b] cõſeſsiuam Trinitatem abſq; confuſione conſeruat. Trinitas igitur eſt, non ſolum vna Deitatis perfectione perfecta, ſed ſuperperfecta, & vltra Deitatem gloriâ, ac ſempiternitate, & imperio non diſpertita neque alienata.

i. Diſtinctam illi dant hypoſtaſin.

i. Simul ſedẽtem & patris maieſtatis eſſe.

Athan. Symbo.

De relationibus perſonarũ diuinarũ inter ſe Patris ad Filium. a Filij ad Patrem. b Spiritus ſancti ad Patrem & Filium.

Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus: [a] Filius à Patre ſolo eſt, nõ factus, nec creatus, ſed genitus: Spiritus [b] ſanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

Concil. Nicen. I.

Credo in vnum Deum Patrem omnipotẽtem creatorem cœli & terrę, viſibilium omnium & inuiſibilium.

Filius Patri conſubſtantialis.

Et in vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum, ex Patre natum ante omnia ſecula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factũ: conſubſtantialem Patri, per quẽ omnia facta ſunt.

Tolet. IIII.

Patrem à nullo factum vel genitum dicimus: Filium à Patre non factum, ſed genitũ aſſerimus: Spiritum verò ſanctum, nec creatum, nec genitũ, ſed procedentem ex Patre & Filio profitemur.

Toletan. VI.

Explicatio Patris. Filij. Spiritus ſancti.

Patrem ingenitum, increatũ, Fontem & originem totius Diuinitatis: Filium à Patre intẽporaliter ante omnẽ creaturam ſine initio genitũ nõ creatum: nam nec Pater vnquam ſine Filio, nec Filius extitit ſine Patre: ſed tamẽ Filius Deus de Patre Deo, nõ Pater Deus de Filio Deo. Ille autẽ Filius Patris, & Deus de Patre, per omnia coęqualis Patri, Deus verus de Deo vero: Spiritum verò ſanctum neque genitum, neque creatum, ſed de Patre, Filióque procedentem, vtriuſque eſſe Spiritum (ac per hoc ſubſtantialiter vnum ſunt) qui & vnus ab vtroque procedit.

Toletan. XI.

a Filius neque voluntate ſuperueniẽte, neque neceſsitate genitus à Patre. b Spiritus ſancti relatio ad patrem & Filium.

[a] Hinc etiam Filius Dei, naturâ eſt Filius, non adoptione, quẽ Deus Pater nec volũtate, nec neceſsitate genuiſſe credendus eſt: quia nec vlla in Deo neceſsitas cadit, nec voluntas ſapientiã pręuenit. [b] Spir. quoq; ſanctũ, qui eſt tertia in Trinitate perſona, vnum atque æqualem cum Deo Patre & Filio credimus, eſſe Deum, vnius ſubſtantię, vnius quoque eſſe naturæ: nõ tamen genitum vel creatum, ſed ab vtriſq; procedentẽ, amborũ eſſe Spiritum. Hic etiam Spiritus ſanctus, nec ingenitus, nec genitus creditur: ne aut ſi genitum, dixerimus, duos Patres dicamus: aut ſi genitum, duos Filios prædicare monſtremur: qui tamẽ nec Patris tantùm, nec Filij tantùm, ſed ſimul Patris & Filij Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad ſanctificandam

candam creaturam:ſed ſimul ab vtriſque proceſſiſſe monſtratur,quia charitas, ſiue ſanctitas amborum eſſe agnoſcitur.

Conſtan.Synodo 1.

Et in Spiritum ſanctum,Dominum,viuificantem,qui ex Patre & Filio procedit : qui cum Patre & Filio ſimul adoratur,& conglorificatur.

Toletan.X I.

Hic ergo Spiritus ſanctus miſſus ab vtroque creditur,ſed minor Patre & Filio non habetur:ſicut Filius propter aſſumptam carnem minorem ſe Patre dicit.

Et Patrē quidē non genitum,non creatum,ſed ingenitum profitemur.Ipſe enim à nullo originē ducit,ex quo & Filius natiuitatē, & Spiritus ſanctus proceſſionem accepit,Fōs ergo & origo totius diuinitatis,ipſe eſt. Ipſe quoque Pater eſſentia quidem ineffabilis,ſubſtantiæ ſuæ Filium ineffabiliter genuit;nec tamen aliud,quam quod ipſe eſt,genuit,Deus Deum,lux lucem. Ab ipſo ergo eſt omnis paternitas in cœlo & in terra. Filium quoque de ſubſtantia Patris ſine initio ante ſecula natum, nec tamē factum eſſe fatemur:quia nec Pater ſine Filio , nec Filius ſine Patre aliquando extitit.Et tamen non vt Filius de Patre, ita Pater de Filio:quia non Pater à Filio, ſed Filius à Patre generationem accepit.

Tolet.X I.

Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus ſed nō de Filio. Ille autē Filius Patris & Deus de Patre:æqualis tamen per omnia Filius Deo Patri, quia nec naſci cœpit aliquādo , nec deſiit. Hic etiam vnius cum patre ſubſtātię creditur propter quod& ὁμούσιος Patri dicitur,hoc eſt,eiuſdem cum Patre ſubſtantię.οὐσία enim Gręcè vnum,ὁμῶς verò ſubſtantia dicitur:quod vtrunque coniunctū ſonat vna ſubſtantia.Nec enim de nihilo, neque de alia aliqua ſubſtantia,ſed de Patris vtero,i.de ſubſtantia eius idem Filius genitus vel natus eſſe credendus eſt.

Toletan. VI.

De Chriſto Deo & homine..

Ergo à Patre,&Spir.S.ſeparabilis creditur perſona,ab hoīe autē aſſumpto,natura,idem cum eodem hoīe, vnus extat perſona:cū Patre & Spir.S. natura : ac(ſicut diximus) ex duab.naturis, & vna perſona,vnus eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus, in forma diuinitatis æqualis Patri,in forma ſerui minor Patre.Hęc eſt.n.vox eius in Pſalmo De vētre matris meæ Deus meus es tu. Natus itaque à Deo ſine matre,natus à virgine ſine Patre,ſolum verbū caro factū eſt,&habitauit in nobis.Et cùm tota cooperata ſit Trinitas formatione ſuſcepti hominis:(quoniam inſeparabilia ſunt opera Trinitatis)ſolus tamen Filius ſuſcepit humanitatē in ſingularitate perſonæ,nō in vnitate diuinę naturę,i.in eo quod proprium eſt Filij,nō quod commune eſt Trinitati. Nam niſi vnam nati hominis Dei confeciſſet perſonam , tota Trinitas corpus aſſumpſiſſet:quoniam cōſtat vnam naturam Trinitatis eſſe,non tantùm perſonam.

Conſtantinop.V I.

Proprietates diuinatum perſonarū ſunt incommunicabiles.

Credo igitur beatè(ſecundū quod à principio credidi)in vnū Deum Patrē omnipotentem,ſine principio penitus,& ſempiternū, oīum viſibiliū, atq; inuiſibiliū factorē.Et in vnū Dominū Ieſum Chriſtū, Filiū Dei vnigenitū, qui ſempiternè, & intēporaliter ex ipſo natus eſt Deo,& Patre. Et nō aliud principium,quā Patrē cognoſcentē, ſed nec aliunde quā ex Patre ipſam ſubſtātiam habet, lumen de lumine conſubſtantiale,Deum verū de Deo vero,cōſempiternū. Et in vnum Spir.S.qui ſempiternè à Deo Patre procedit, lumen & Deū ipſum agnoſcendum,verè Patri & Filio conſempiternum, conſubſtantialē, atque contribulem, eiuſdémque eſſentiæ,atque naturæ.

Toletan. XI.

Cùm ergo hæc tria ſint vnū,& vnum tria , eſt tamen vnicuiq; perſonæ nimirū ſua proprietas. Pater enim æternitatē habet ſine natiuitate:Spiritus verò ſanctus proceſſionem ſine natiuitate.

Later.conc.ſub Innoc. III.

[a] Filius nō eſt pars eſſentiæ Patris in diuinis, ſed eſt tota eſſentia Patris, & in Patre manens,& Filio à Patre communicata ab æterno.

Pater [a] enim ab æterno Filium generādo ſuam ſubſtantiam ei dedit,iuxta quod ipſe teſtatur,*Pater quod dedit mihi maius eſt omnibus* , ac dici non poteſt,quòd partem ſuæ ſubſtantiæ illi dederit, & partē retinuerit ipſe ſibi , cùm ſubſtātia Patris indiuiſibilis ſit , vt pote ſimplex omnino. Sed nō dici poteſt,ꝙ Pater in Filium trāſtulit ſuam ſubſtantiam generando, quaſi ſic dederit eam Filio, quòd non retinuerit ipſam ſibi , alioquin deſeruiſſet eſſe ſubſtātia.Patet ergo ꝙ ſine vlla diminutione Filius naſcendo ſubſtātiam Patris accepit,&ita Pater,&Filius habent eandē ſubſtātiam, & ſic eadē res eſt Pater & Filius, & Spir. S. ab vtroq; procedens.Cùm ergo veritas pro fidelibus ſuis ad Patrē orat,Volo,inquiens,vt ipſi ſint vnū in nobis, ſicut & nos vnū ſumus:Hoc nomen,***vnum***,pro fidelibus quidem accipitur,vt intelligatur vnio charitatis in gratia : pro perſonis verò diuinis, vt attēdatur identitatis in natura vnitas, quēadmodum veritas alibi ait:Eſtote perfecti,ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt,pfectione naturæ,vtroq; videlicet ſuo modo : quia inter creatorē,& creaturā nō pōt tāta ſimilitudo notari,quin inter eas maior ſit diſſimilitudo notāda.

Sine vlla diminutione Filium ab æterno gerauit Pater.

Locus Ioānis ca. 17. explicatur.

Ex Nicen.concil. I.

Eos autem qui dicunt. *Erat aliquando, quando non erat,& quia ex nullis ſubſiſtentibus fact⁹ eſt,aut ex alia ſubſiſtētia,aut ſubſtātia*,& dicunt eſſe τρεπτὸν & conuertibilē vel mutabilem Filium Dei, anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

CAP. VII.

Vtrùm in diuinis eſſentia generet eſſentiam.

Confer cum Diſtinct. 5. lib. 1. Sententiarum Petri Lombardi.

ET illa res nō eſt generās,neq; genita,nec procedēs:ſed eſt Pater qui generat,Filius qui gignitur,& Spirit.S.qui procedit, vt diſtinctiones ſint in perſonis,&vnitas in natura.Licèt igitur alius ſit Pater,alius Filius,alius Spir. S.non tamen aliud,ſed id quod eſt Pater,eſt & Filius, & Sp.S. id eſt, omnino vt ſecundum orthodoxam & Catholicā fidē conſubſtātiales eſſe credātur.Si quis igitur ſententiam ſiue doctrinā præfati Ioachim in hac parte defendere,vel approbare pręſumpſerit,tanquā hæreticus ab omnib.cōfutetur. In nullo tamē per hoc Florentino monaſterio,cuius ipſe Ioachim extitit inſtitutor , volum⁹ derogari.

In Trinitate non aliud , ſed alius eſt.

Ioachimi abbatis error damnatus.

Toleta. XI.

Sempiternus quoq; eſt & Filius:quoniā ſi Pater ſemꝑ fuit,ſemꝑ habuit Filiū,cui⁹ Pater eſſet , & ob hoc Filiū de Patre natū ſine initio cōfitemur.

Filius, vt Pater,ęternus.

CAP. VIII.

Corollaria quinque ex ſuperiori doctrina.

Toletan. XI.

1 Corollarium. Trinitatis rationem in perſonarum numero eſſe, non in ipſa eſſentia diuina.

HÆc ergo ſancta Trinitas,quæ vnus & verus eſt Deus,nec recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim perſonarū numerus cernitur:in diuinitatis verò ſubſtantia, quid enu-

A

meratũ ſit nõ cõprehẽditur.Ergo hoc ſolo numerũ inſinuãt,ꝙ adinuicẽ ſunt:& in hoc,numero carent,ꝙ in ſe ſunt.Nã ita ſanctæ huic Trinitati vnũ naturale conuenit nomẽ,vt tribus perſonis nõ poſsit eſſe plurale. Ob hoc ergo credimus illud in ſacris literis dictum:*Magnus Dominus noſter,& magna virtus eius,& ſapientiæ eius non eſt numerus.*

Conſtantinop. VI.

Trinitatẽ quidẽ pro tribus ſubſiſtẽtiis, Vnitatẽ autẽ propter ſingularitatẽ Deitatis. Seu igitur ſancta Trinitas numerabilis perſonalib. facta eſt ſubſiſtẽtiis,ſiue ſancta Vnitas extra omnẽ numerum eſt,& hæc quidẽ indiuiſibilẽ habet diuiſionem, & inconfuſam gerit coniunctionem. Cùm diuiditur nanque numeralibus ſubſiſtentiis, numeratur perſonalib. alteritatibus, identitate eſſentiæ, atque naturę coniungitur, & omnimodam partitionem non recipit.

Conſtantinop. VI.

Deus & numerabilis, & non numerabilis.

Hoc ipſum nanq; & numerabile eſt,& refugit numerũ.Numerabile quidem trib.ſuis ſubſiſtentis,refugit autẽ numerum ſingularitate Deitatis. Vnitas quippe eius eſſentię,atq; naturę numerari penitus nõ admittit,vt nõ & differẽtiam Deitatis introducat,& ex hoc eſſentiæ,& naturæ, & deorum multitudinem vnum principium faciat. Omnis itaque numerus cõtubernalem habet differentiam, & omnis differentia atque diſcretio numerum ſuperinducit,vt inſitum. Numeretur ergo beata Trinitas nõ eſſentiis, nec naturis:nec diuerſis deitatibus,æterníſve dominationibus.

B

Toletan. XI.

Hæc eſt ſanctæ Trinitatis relata narratio,quę non triplex, ſed Trinitas & dici, & credi debet. Nec[a] rectè dici poteſt,vt in vno Deo ſit Trinitas, ſed vnus Deus Trinitas.

[a] Non in Deo ipſo eſt Trinitas.

Toletan. X I.

Perſonas diuinas à ſe ipſis neque æternitatis neque operationis ratione poſſe ſeparari.

Nec tamen iſtæ tres perſonæ æſtimandæ ſunt ſeparabiles,quũ nulla ante aliã,nulla poſt aliã,nulla ſine alia vel extitiſſe,vel quippiã operata eſſe aliquãdo creditur.Inſeparabiles.n. inueniũtur,& in eo quod ſunt,& in eo quod faciunt:quia inter generantẽ Patrẽ,& generatũ, Filium, vel procedentẽ Sp. S. nullũ fuiſſe credimus tẽporis interuallũ,quo aut genitor genitum aliquando præcederet,aut genitus genitori deeſſet,aut procedens Spiritus.Patre vel Filio poſterior appareret.Ob hoc ergo inſeparabilis,& inçonfuſa hæc Trinitas à nobis & creditur, & prædicatur. Tres igitur perſonæ iſtę dicũtur, iuxta quod maiores definiũt,vt agnoſcãtur. Nã ſi attendamus illud quod ſcriptura ſancta dicit de Sapiẽtia, ſplẽdor eſt lucis æternæ:ſicut ſplendorẽ luci videmus inſeparabiliter inhærere,ſic cõfitemur Filiũ à Patre ſeparari nõ poſſe.Tres ergo illas vnius,atq; inſeparabilis naturæ pſonas,ſicut nõ confundimus, ita ſeparabiles nullatenꝰ p̃dicamus:quãdoquidẽ hoc nobis dignata eſt ipſa Trinitas euidẽter oſtẽdere,vt etiã in omnibꝰ,quib. voluit ſingulatim pſonas agnoſci, vnã ſine altera nõ pmittat intelligi. Nec enim Pater abſque Filio cognoſcitur nec ſine Patre Filius inuenitur. Relatio quippe ipſa vocabuli perſonalis, pſonas ſeparari vetat. Quæ etiam non ſimul nominat, ſimul inſinuat. Nemo.n.audire poteſt vnumquodq; iſtorum nominum,in quo non intelligere cogatur & alterum.

C

Tres perſonas diuinas non eſſe Deũ ex multis cõfuſum,aut aggregatũ aut compoſitum.

Tolet. XI.

In perſonis nanq; diuiſionẽ habẽs,indiuiſa permanet & inſeparabilis per eſſentiam, & naturã. Similiter & Deitas. Et idcirco nequaquam tres deos dicimus,neq; tres naturas in ſancta Trinitate glorificamꝰ,neq; tres eſſẽtias ĩ ea p̃dicamꝰ,neq; tres cõfitemur deitates, nõ incõſubſtantiales,nõ alterius ſubſtãtiæ,nõ eiuſdem originis,neq; alterius originis:neque quæ ſingulariter in ea prędicantur,in multitudinem deducere permittimus. Nec quenquã eius vnitatẽ diuidere ſinimus,neq; tres quoſdã deos eſſe cognoſcimus,aut tres quaſdã naturas, vel tres quaſdã eſſentias Deitatis nouimus,nõ vnigenas,aut alienigenas,non eiuſdem ſapientiæ aut alterius ſapientiæ, ſed nec penitus deos,aut naturas vel eſſentias, aut deitates agnouimus,vel cognoſcẽtes ſcimus.Sed & cũ qui recipit vel ſapit,aut nouit,anathematib.percellimus.

A

Conſtan.V I.

Et iuxta quod Deus quidem eſt, ipſum exiſtit vnumquodque, dum ſeorſum conſideratur (ipſa intelligentia,quod non eſt ſeparabile,ſeparante) vt Pater,tamen & Filius & Spir.S.aliud,& aliud, & aliud non dicãtur.Et idcirco hæc Dei capacib. prædicamus,Deus,& Deus, & Deus:ſed vnus eſt hæc tria Deus.Non.n.alius Deus Pater,nec alius Deus Filius,neq; alius iterũ Deus Spi.S.quia nec alia natura eſt Pater,nec alia natura eſt Filius,neque alia iterũ natura eſt Spir.S. Hoc.n.ẽt multos atq; diuerſos deos proponit,multáſq; & varias generat deitates:ſed Deus quidẽ eſt Pater,Deus verò eſt Filius,ſimiliter Deus eſt & Spir.S.eò quòd indiuisè indiuiduatæ eędem tres perſonæ vna impleãtur Deitate,& in vnaquaq; earũ fũditꝰ tota ſit.

B

Conſtan.VI.

[a]Neque ſecundum quod vnus eſt Deus,& vna eſt Deitas:& Deitas eſt diuiſibilis,& in tres deos partibilis,vel in tres deitates producẽda:neq; ſecundum quod vnus eſt Dominus,vnus Dominus diſtãs eſt, & in tres Dominos expãdendus eſt, ac in tres dominationes dilatãdus eſt, (Arianorum hæc eſt impietas,quæ in inæquales deos cõſcidit Deum,& in diſsimiles deitates vnã partitur Deitatem,& in alterigenas tres dominationes,vnam diſtinguit dominationẽ.) Neque ſecũdum quod Trinitas vnus Deus eſt,& agnoſcitur, & ſubſiſtẽtię tres pronũciantur,& tres obſecrãtur perſonę, Pater,& Filius,& Spir.S.dicitur coarctatus, ſiue cõpoſitus,vel cõfuſus, & in vnã ſeipſum colligẽs ſubſiſtẽtiam,in vnãq; coercens nõ numerandam perſonam.Sabellianorũ iſta eſt prauitas,in vnam ſubſiſtẽtiam tres cõfundere ſubſiſtẽtias,& in vnã perſonã eaſdẽ tres conſpergere perſonas.Vbi.n. eſt Trinitas,ô impiiſsime,ſi in vnã perſonam,ſecundũ vos,Trinitas ipſa colligitur, & in vnĩ concurrat confuſibilẽ ſubſtantiã? vel vbi Vnitas,ô furioſiſsime, ſi in tres eſſentias ipſa Vnitas efferetur,& in tres naturas dilatabitur,& in tres deitates multiplicabitur? impiũ quippe eſt orthodoxis vtrunq;,& à veritate prorſus proiectũ eſt,tã ſingularitas ſecũdũ ſubſiſtẽtiam, quàm ternalitas in naturis.Illud.n.ſtatim ad Iudaiſmũ deducitur, & à ſeſe dicentem ſimul abducit:hoc verò ad Paganiſmum deuoluitur,& in ſeſe aſſerentem conuoluit. Et aut omnino Paganus eſt, qui hoc furiosè cum Ario perhibet:aut Iudæus eſt, qui illud impietatis cum Sabellio ſuſcipit.

[a] Nec Trinitas perſonarum vnitatem eſſentiæ tollit: nec Vnitas eſſentię Trinitatẽ perſonarum abolet.

C

L. D.

AD NOVAS GVLIELMI GENEBRARDI DOCTORIS PARISIENSIS CALVMNIAS, QVIBVS TVM ORTHODOXAM Euangelicorum omnium de S. Trinitate doctrinam traducit: tum etiam horrendum Valentini Gentilis errorem tuetur, ac renouat,

LAMBERTI DANAEI RESPONSIO.

Addita eſt tabula vniuerſas penè in hoc argumento hæreſes complectens.

AMPLISSIMIS AC MAGNIFICENTISSIMIS DOMINIS, DOMINIS INCLYTAE CIVITATIS BERNAE Conſulibus, ac Senatoribus, Dominis ſuis plurimùm obſeruandis.

VEtus & verum eſt illud (clariſſimi Conſules, Senatoréſque ſapientiſſimi) Ipſa ſibi virtus ſemper pulcherrima merces. *Nam tanta eſt hominum peruerſitas, nec eorum modò, qui ſe apertè improbos ingratóſque profitentur: ſed plerumque etiam eorum, qui cordatiores atque candidiores cenſeri volunt, vt quos propter ingentia in vniuerſum genus humanum beneficia laudare, celebrare atque admirari debebant, eos ipſos atrociſſimis modis excipiant, conuitiis proſcindant, atque etiam tanquam publica quadam clarigatione & prætoria poteſtate è mũdo ipſo proſcribant. Itaque ſi ij, quos Deus ad benefaciendũ aliis ſumma ſua in mundum hunc pereuntem clemẽtia ſuſcitauit, cogitarẽt quàm infelix, quámque iniquum ſuæ operæ præmium ab hominibus ſæpiſſimè reportant, certè omnis benè merendi de genere humano promptitudo, voluntáſque ſtatim concideret. Sed dum ad illud reſpiciunt* ἑαυτῆς τιμὴ ἡ ἀρετὴ, *vel potius Chriſtiana fide præclaram illam &* ἀψευστον *Dei omnipotentis promiſſionem meditantur,* Abraham ego ſum merces tua magna valde, *& animum ad regnum Dei ſtrenuè promouendum excitant: & omni iſti belluinæ hominum ingratitudini mentis corporíſque oculos præcludunt. Atque iſtud tam atrox hominum ſcelus non tantùm ſuperioribus ſeculis graſſatum eſt: ſed hoc maximè peſſiméque regnat, cùm in cæteros probos homines, tum præſertim in pios magiſtratus: atque cùm in alios pleroſque, tum in vos, viri Optimi, atque Senatores ampliſſimi. Nam cùm ſummo labore ante plus minus quinquaginta annos puram illam Euangelij Domini noſtri Ieſu Chriſti lucem, veſtræ ditioni, quæ quidem ampliſſima eſt, reſtituiſſetis: cùm ex omni terrarum orbe profugos pro Chriſti nomine fideles & pios homines incredibili humanitate excepiſſetis: cùm ante vndecim annos monſtrum illud horrendum, Valentinum, & re & nomine Gentilem, Chriſtianæ Eccleſiæ peſtem, Deitatis Filij Dei oppugnatorem pertinaciſſimum, totiúſque teterrimi Arianiſmi, imo ipſius Pauli Samoſateni execrandæ blaſphemiæ exitioſum patronum & recoctorem iuſtiſſima ſententia damnauiſſetis, & è mundo, tanquam totius humani generis (cuius autorem Deum eſſe negabat)* ἀλάστορα *ſuſtuliſſetis: pro eo quod ſummæ ſecundum Deum Opt. Max. gratiæ à ſingulis Chriſtianum nomen profeſſis hominibus gratiæ laudéſque debebantur: Ecce è Pariſienſi ſchola Genebrardus quidam cum tota fraterculorum & ſodalium ſuorum confratria, vobis calumnias, accuſationes, conuitia rependit. Atque iſti ſunt tamen, qui, ſi Deo placet, non tantum Chriſtianos ſe dici volunt, ſed etiam Chriſtianorum Doctores & Magiſtros, à quibus pro tot veſtris in Dei Eccleſiam ampliſſimis officijs, hæc tam triſtis & acerba merces reponitur. Ita verò contentiosè Valentini Gentilis à vobis meritiſſimè pro deteſtabili ingentique ſua in Deum blaſphemia cæſi cauſam agit Genebrardus (primum tribus libris de S. Trinitate à ſe inſcriptis: poſtea verò aliquot etiam alijs ſuis opuſculis in nos & D. Schegk, editis) vt ei ob eam cauſam mortuo aram ponat, eum inter ſuos martyres recenſeat, atque etiam velut diuum quendam ſuum adoret. Eſt enim hic Genebrardus ex eorum numero qui* πάντα λίθον λιπαρὸν *(vt eſt in prouerbio)* *περσκιευοῦσι. denique ſi hoc quoque audeat, ad illius Ariani imitationem, qui, quemadmodum Sozomenus lib. 2. ſcribit, locum, vbi impudens Arius viſcera ſua effuderat in templum conſecrauit: ſic iſte locum, vbi poſt iuſtam ſcelerum ſuorum pœnam oſſa Valentini iacent, pro quodam ſacerrimo fano habendum atque dedicandum eſſe pronuntiarit. Sed benè eſt viri ampliſs. quòd qui iſta veſtra facta reprehendit, apertè veræ Chriſti deitatis inimicum ſe profitetur. Ego verò cum pro muneris mei ratione, tum verò ſingulari quadam mea in vos obſeruantia, & ſumma incredibilis pietatis virtutiſque veſtræ admiratione tantam vobis iniuriam fieri non ſum paſſus. Itaque etſi inter eruditiſsimos illos Paſtores, Doctoréſque veſtros non deeſſe videbam, qui iſtum impium errorem potentiſsimè refutarent, veſtri iudicij in Valentinum prolati æquitatem verè defenderent, veſtrámque in iſto Tragici clamoris ſtrepitu ſpernendo conſtantiam meritò laudarent, tamen nō potui non & ipſe meum de excellenti illo veſtro in Deum zelo, de ſumma perſeuerantia, de pluſquam heroico in fide Chriſtiana defendenda pectore, præconium proferre, vobíſque quantum pro tanti ſceleris expiatione, & hoc veſtro in Eccleſiam vniuerſam beneficio, omnes pij debeant teſtari. Ergo & ipſe quoque pro virili cupio aliquid vobis rependere, hanc nimirum meam gratiarum actionem. Hoc autem, id eſt, meum ad illas Genebrardi in vos calumnias reſponſum iampridem accepiſſetis, niſi & mea in Galliam profectio, & noſtra de legatorum veſtrorum in hanc ciuitatem acceſſu exſpectatio paratam huius libelli editionem per aliquot menſes retardaſſet. Veſtras autem ampliſs. & excellentiſsimas Dominationes oro, vt tam grato animo hoc meum munuſculū, meúmque officium accipiant & interpretentur, quàm à deditiſsimo vobis animo profectum eſt, veſtriſque D. à me dedicatur. Deus ille Pater miſericordiarum vos veſtrúmque ſtatum perpetuo ſuo fauore proſequatur, & in ſuo metu in dies magis magíſque confirmet, Spiritum ſapientiæ, & fortitudinis in vobis ſingulis & vniuerſis per Vnigenitum Filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cumulans. Valete viri ampliſsimi. Geneuæ. Cal. Auguſti, anno temporis vltimi* CIↃIↃ LXXVIII.

V. Exc. deditiſſimus
Lamb. Danæus.

◆

AD NOVAS GVLIELMI GENEBRARDI DOCTORIS PARISIENSIS CALVMNIAS, QVIBVS TVM ORTHODOXAM Euangelicorum omnium de S. Trinitate doctrinam traducit: tum etiam horrendum Valentini Gentilis errorem tuetur, ac renouat,

LAMBERTI DANAEI RESPONSIO.

Dei inuocatio ad tā ti tāmque difficilis argumēti tractationem.

B

Lib. 1. de Trinitate cap. 3.

Ratio ſuſcepti operis.

Ibid.

C

Li. ad Symmachum.

Rom. 10. ver. 14.

Huius argumenti vtilitas.

Fines diſputationis ſuſceptę.

DE ſacroſancta & adoranda Trinitate, & diuina Eſſentia ſcripturus, primùm Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum (qui ſunt illa Trinitas& illa diuina Eſſentia) ſummis animi votis precor, vt, quia ipſa ſibi tantùm omnino nota eſt, largiri mihi miſerrimo peccatori dignetur, quid, quantúmque eſt in ſuſcepto argumento de ſeſe &ad intelligendum, & ad ſcribendum neceſſarium. Verendum enim eſt, ne, ſi in vlla tāti myſterij parte(quod prorſus captum humanum ſuperat)ex hominum vel opinionibus, vel ſcriptis ſapere velimus, in varios errores inducamur: eáque ſentiamus, quæ nullū in Dei verbo habeant fundamētum. Quæ ſanè res, & temeritas effecit, vt, quanquam hoc vnū ex omnibus Chriſtianæ fidei capitibus, periculoſiſsimè(quemadmodū ſcribit Auguſt.) tractetur, de nullo tamen plures, magíſque diuerſæ ſententiæ hominum, vel potius hæreſes vnquā extiterint: neque etiam maiores, grauioréſque inter pios ipſos, & aliàs minimè nouitati ſtudentes homines, exortę ſint controuerſię. Quanquam verò de hoc argumento extant varia, &ſanè erudita veterum, & recentiorum ſcriptorū monumenta: vt hic noſter labor ſuperuacaneus videri poſsit: quia tamē quæ antea ſcitè rectéque tradita fuerāt, & omniū orthodoxorum calculo cōprobata, vel malitioſè, vel imperitè à quibuſdam nunc arroduntur: & quia(vt idem Auguſtinus ait) nihil poteſt in Eccleſia Dei doceri hac quæſtione fructuoſius: vtile eſt plures à pluribus, etiam in hac ipſa quęſtione, fieri diuerſo ſtylo, non diuerſa fide, tractatus: vt quod ab aliis fortaſſe obſcurius dictum erit, ab aliis dilucidius explicetur: & quod piè & orthodoxè à ſanctiſsimis patribus, cōſentientéque Dei verbo iā eſt acceptū, firmū, fixúmq; retineatur. Præclarè nanque Boethius, *Quantò difficilior eſt hac quæſtio, tātò & diſputādo, & ſcribendo facilior fieri debet ad ſalutem.* Nam primum &præcipuum veræ Dei inuocationis caput, &fundamētū ab ipſius Dei vera cognitione pendere omnes cōfitētur: Dei autem vera& ſalutaris cognitio; maximè hac diſputatione comprehenſa eſt. Ergo, his præſertim tēporibꝰ; valde neceſſarium videri poteſt hoc argumētū: quibus reſtitutā mundo Euāgelij lucē Satan non ferens, partim teterrimas quaſq; ex infernali cloaca hæreſes, & in ſāctā Trinitatē blaſphemias apertè reuocauit: partim etiā multos ſpecioſo quodam orthodoxæ cōfeſsionis de Trinitate defendendæ colore deceptos induxit, qui illius certè ſunt oppugnatores potius, quàm propugnatores. Neque verò hoc loco nobis propoſitū eſt, vniuerſam de Trinitate defēſionē perſequi, vel omnes, qui inde nati ſunt, errores refutare:(eſſet enim hæc res immēſi penè laboris, & in multis nihil niſi repetitum, & pene iam millies ab aliis dictum ipſi diceremus)ſed id tantùm agimus, &ſuſcipimus, vt quoniā quæ iampridē à nobis expoſita eſt de ea fides & orthodoxa confeſsio à quodam nuper oppugnata eſt, nos eā ab omni errore & calumnia vindicemus.

B

Baſil. in Homilia contra Sabel. Generalis diſtributio omniū hereſeon de S. Trinitate

C

Diſputatio de S. Trinitate inuoluta curioſis recentiorū quæſtionibus.

Veteres quidē ferè omnes hęreſes, quę in hoc argumēto oriuntur, Sabellianorū & Arianorum appellatione cōprehēdi ſolēt, quòd earū virus latius ſerpſerit, diutiúſq; perſtiterit, quàm cęterarū: & quoniā omnis, qui in hac diſputatione cōmitti poteſt, erroris ſit hic fons duplex, nempe quòd vel Eſſentia diuina (quę ſimpliciſsima eſt) diuidatur: vel perſonæ, (quæ ſunt tria diſtincta ὑφιστάμενα) cōfundantur, &nomine tenus diſtingui cēſeantur. Itaque tetro Sabellianorū nomine omnes eos ſignificāt, qui perſonas tollunt, & Trinitatē quiddā fictitiū vel imaginariū eſſe cōſtituūt: Infami verò Arianorū voce, omnes eos, qui vnā illā & ſimpliciſsimā naturā, in plures diuerſáſq; eſſentias diuellūt, & diſcerpunt. Quamobrem, vt hæc omnia tā pericoloſa naufragia prudēter effugerent, viri pii& orthodoxi, non Cynoſurā illam Græcorum veterū, & profanorū nautarū: ſed certiſsimū verbi cœleſtis Pharon & lucē intuiti ſūt, vt per medios omnes ſcopulos tuti ſecuríque nauigarent. Certos enim fines, certáque vocabula, veluti certiſsima tutę vię indicia, notar Eſſ enhīc in Sabellianorū charybdim, dū vnitatē ēūt, ne tiæ demōſtrant, abriperētur: aut illinc in Scyllam Arianorū, dū perſonarū diſtinctionē retinent, ſubmergerētur. Itaque feliciſsimè à veteribus, & primis huius nauigationis naucleris, οὐσίας, & ὑποστάσεως vocabula reperta ſunt, & cæteris demōſtrata, per quæ tutò in portum ſeſe ex omnibus hæreticorū tēpeſtatibus & erroribus ſemper reciperēt: & rē ipſā nihilominꝰ perſpicuè traderēt. Vti enī οὐσίας vox Arianorū impudētiā detexit: ita ὑποστάσεως nomen Sabellianorū errorē & imperitiā iugulauit. Porrò addiderunt poſtea alij diſputationes alias, veluti de permeatione, ſiue circumince ſsione perſonarū, (quā Gręci περιχώρησιν appellāt)& de modo tū generationis filij, tū proceſsionis Spiritus ſācti: quæ res planè ſunt non modò inexplicabiles ſed quę rē per ſe iā obſcurā, magis adhuc inuoluere vidētur. Ergo ad primos & veteres redeamus, quibus duo illi tanquam ſecuræ nauigationis phari, ſatis erant. Sed iis tamen, quanquam veris bonis, & veræ pietatis, doctrinæque or-

A thodoxæ conſeruandæ cupidis, accidit quod hominibus ſolet, vt dũ erroris vtriuſque, ſed in primis Arianorum (à quibus diutius vexati ſunt) refutandi ardore & ſtudio ferũtur, quædam nonnũquam imprudentibus exciderent, quæ tunc rectè & ſanè intellecta & exaudita, poſteris tamen ſeculis, peruerſiſque hominibus poſtea non tantùm diſputandi, ſed etiam errandi occaſionẽ pręberent. Itaque vt patrum illorum, & quidem venerandorũ, memoria, & nomen inter nos, prout debet, ſanctũ & honeſtum ſemper eſſet atque retineretur (quid enim inter mortales parẽtis nomine ſanctius eſſe debet?) Præceptores noſtri viri doctiſsimi, & illius orthodoxæ doctrinæ, veri hęredes, atq; Dei beneficio, ſucceſſores, quę ambiguè, quæ obſcurè, quæ denique durè ab iis dicta videbantur, ac etiam in ſuam perniciem hæretici homines trahebãt: iſta pręceptores, inquã, noſtri perſpicuè, dilucidè, clarè explicare, & interpretatione ęquiſsima mollire, laudabili certe quidem & pio propoſito, conati ſunt. B Quis enim multa, vel etiam prudentiſsimis quibuſque (tanquam animis alibi occupatis) humanitus excidere poſſe non fateatur, qui & Auguſtini præſtãtiſsimi illius doctoris duos Retractationum libros legerit, & Cyrilli Theodoretíque acerbas, & diuturnas inter ſe de re grauiſsima propter paucula quædam verba duriora cõtentiones nouerit: qui denique in Patrum orthodoxorũ ſcriptis verſatus erit? Offendet enim multa ſæpe incommodè dicta: imprimis autẽ in hoc tanto Trinitatis myſterio, quod, quemadmodum ait Cyrillus, & poſt Cyrillum Socrates, *Potius ſilẽtio adorari debet quã verbis explicari poſſit.* Sic enim ait (& præclarè quidem) *Anſelmus, Eſt ſumma eſſentia ſupra & extra omnem aliam naturam, vt ſi quando de illa aliquid dicitur verbis, quæ communia ſint alijs naturis, ſenſus tamen nullatenus ſit communis: quoniam in creaturis his, quæ generationem habent & corruptionẽ, nihil exactè & propriè elaboratum eſt, ad claram effigiem ſummæ naturæ, & gloriæ:* quod idẽ ait etiã idem Cyrillus. Quo maiore venia & illi ſanctiſsimi Patres digni C ſunt: & nos ipſorum fautores, & diſcipuli eò magis probandi, quòd illorũ mentẽ, & famam ſartã tectã inter homines conſeruare, & explicare ſtudemus. Sed id à nobis ita fieri non patiuntur inuidi quidam, maléque feriati homines, qui cùm nõ habeant aduerſus quos pugnent, & ſtylum ſuum ſtringãt, mõſtra ſibi furfuracea in noſtris ſcriptis malũt fingere, quàm nõ videri magni quidã religionis Romanę propugnatores, & Hercules fictitij. Inter quos vnus quidã nuper exortus eſt nomine G. Genebrardus linguæ Hebraicæ profeſſor, homo virulentus, qui ſcholæ ſuæ tenebris, & arrogãtia monachali cõfirmatus, in hoc maledicẽtiæ aduerſũ nos ſuæ tyrociniũ facere, linguæq; ſuę virus exerere maluit, quàm omnino tacere, & verã nobiſcũ ſentẽtiã cõplecti: quàm deniq; non aliquid (falſo tamen & ambitioſè) in Rom. Eccleſ. laudem euulgare. Qui quantas ipſe ſibi laudes arroget, ſéque omni ſcientiarũ choro munitũ falſò perſuadeat, cùm ne vmbrã quidẽ ſuã metiri poſſit, appatet ex ipſi⁹ ſcriptis in *Schegk.* Atqui modeſtũ erat aliorũ potius de nobis iudiciũ expectare, quàm nos ipſos de nobis aliquid pronũtiare: pręſertim falſa nobis tribuẽtes. Atq; etiã hoc ipſũ quicquid eſt, ꝙ iſte vt ſuũ oſtẽtat, & ex Rozerij libro didicit: & ex Gallico Claudij Sanctij ſcripto ad Carolũ 9. ſed Rozerius (quod omnes ſciũt) ipſe vltrò ad nos rediẽs, calũniã in nos ſuã agnouit. A

Duriores locutiones ſæpe exciderũt Patrib⁹ in diſputatione de S. Trinitate.

Cyr. Dialogo 3. Socrat. lib 3. hiſtor. Eccleſiaſt. Anſelmus in Monologio cap. 61.

Cyril. Dialog. 5 de Trinitate

G. Genebrardus affingit orthodoxis & Euangelicis nouos errores.

In reſpon. o Contra Schegk. fol. 17.

Rozerius.

Doceri quidẽ nos & argui, ſiquidẽ erraſſem⁹ (exẽplo optimi illius Patris Aug.) præſertim in re tã obſcura moleſtè nõ ferremus: ſed quis ferat eos, qui primi tãta pro ſacroſancta perſonarũ Trinitate, & Eſſentiæ vnitate aduerſus Seruetanos, Valentinianos, Blandratiſtas, Nearianos in Polonia quoſdã, támq; dura certamina, Scholaſticis iſtis ſtertẽtibus, vel quoſdã etiã ex iſtis hæreticis in ſinu ſuo fouẽtibus (quẽadmodũ adhuc ſuũ illũ Poſtellũ in deliciis habẽt) quis ferat, inquã optimos illos heroas, ſui ſæculi lumina, præceptores noſtros, fortiſsimè pro tuẽda Dei maieſtate, & orthodoxa fide, toto vitæ tẽpore, præliatos, ab iſtis nouis hominibus impudẽtiſsimis nunc cõuiciis proſcindi? Nam ante noſtrorũ de ſancta Trinitate ſcripta, vox quidem ipſa *Trinitatis* audiebatur: quid autẽ rei eſſet, ne ab illis quidem ipſis, qui ſe magiſtros in Iſrael tũc appellabant, quotidiéq; de ea ipſa in ſuis ſcholis diſceptabãt, intelligebatur. B

Lib. 3. de Trinitate in Prœm.

Euãgelici doctores ſoli cõtra Arianos noſtri temporis fidẽ de S. Trinitate defenderunt.

Exſtitiſti tamen tu, Genebrarde, qui doctrinę operęq; à noſtris in te erudiendo collocatæ infœliciſsimã mercedẽ referres, & inter plures ἀχαρίστους ἀχαριστότατον demonſtrares: qui etiã eos hæreticos nouo nomine Autotheanos, Sabellianos, στασιώδεις, στρηνώδεις, ſeditioſos, impios, ſtupidos, canes, peſtes Chriſtianæ religionis dedecora, & infinita quædam huiuſmodi ornamenta, deniq; quid non? pro tua nẽpe modeſtia appellares. Et ne nõ ſatis impoſitis nobis & fictis abs te criminib⁹ oneraremur, aliena etiam calumnioſè aſcriberes. Nam à Caſtellione (quem à nobis eiectũ eſſe minimè dubitas) factam Iehouæ in Iouem paranomaſiam, nobis etiã falſò tribuis. Nimirũ qui noſtris non poſſum⁹, alienis peccatis traducendi tibi videbamur. Epiſcopatum enim, ſed eum Papiſticum, id eſt opes, & pingue ſacerdotium, mi homo, ambis & expetis. Sed nos Genebrarde, tecum conuitiis certare nec poſſumus (nam ea niſi à te tuiq; ſimilibus nõ diſcimus:) nec etiam ſi poſſemus, volumus, quia ſumus Chriſtiani. C Itaq; rẽ ipſam poti⁹ aggrediar, te prętermittã, niſi ſicubi fortaſſe eris mihi fraternè monendus, vt ęquior modeſtiórq; in poſterũ fias: & minus de te arroganter & ſentire, & ſcribere audeas: ſi tamen iſta animi virtus, quę Chriſtiana humilitas vocatur, poteſt in te, veſtriq; generis gigantib⁹, & nõ iã μονάχοις: imo poti⁹ θεομάχοις hominib⁹ locũ ſibi aliquem reperire. Ergo hic futuræ diſputationis ſtat⁹ eſto, atq; ſũma.

Geneb. li. 1. de S. Trinitate pa. 12. 49. 52. 59. & lib. 2. pag. 96. & paſsim vbique.

Gene. epiſcopatum pontificiũ captat.

GEnebrardus Ioanni Caluino P. M. viro, noſtríſque omnib⁹ Eccleſiis Gallicis (quib⁹ ſolis nõ contẽtus cõuitiari, Bernenſes & Tigurinas etiã addidit) quatuor in diſputatione de S. Trinitate obiicit in tribus illis libris quos de S. Trinitate nuper edidit, in quibus grauiter à nobis errari, impiiſsimámque Sabellianorũ hęreſim renouari clamoſè dicit.

Capita 4. futuræ diſputationis cũ Genebrardo.

Primũ, quòd aduerſ⁹ Valẽtinũ, nomine Gentilẽ agens Caluin⁹ negauerit, Patrẽ eſſe, dicíque debere Filij, & Spiritus ſancti *eſſentiatorem*. I.

Secundum, quòd hanc dicendi phraſin, qua tamen Patres in primo illo Niceno Cõcilio vſi ſũt *Deus de Deo*, duriorẽ eſſe Caluinus dixerit. II.

Tertium, quòd hãc quoque alterã veterum Patrum locutionẽ, *Sancta Trinitas vnus Deus*, quã-

quam

tamen quandam rédolere idem ſcripſerit.

IIII. Quartum denique & vltimum, quòd ineptè, imò Sabellianicè, vt loqueris, dicamus, *tres perſonas in vna & eadem diuina Eſſentia eſſe ac ſubſiſtere*: cùm potius vnam diuinam Eſſentiam in tribus perſonis ſubſiſtere ſit ex te dicendum.

Hæc ſunt igitur que tu in noſtrorũ, poſtquam omnia diligenter euoluiſti, & perquiſiuiſti, ſcriptis notas, & tuæ de Sabellianiſmo noſtro accuſationis capita. Quæ ſi refuta uero, tibi iam Chriſtiani, & orthodoxi, in eo ſaltem præcipuo fidei Chriſtianæ articulo, videamur neceſſe eſt.

I. Ac primùm ſi περὶ λόγου, καὶ ὀνομάτων, vt loquitur Lucas tantùm hoc loco inter nos quæreretur, nullã autem in ipſarum vocum ſenſu (qualem in Valentini ſcriptis reprehendimus) periculum ineſſet, & facilè & lubenter totum hoc certamen omitteremus. Fatetur enim is ipſe Caluinus, quem vnum maximè Genebrardus ſuis telis configere tentat, penè ſuum & peculiarẽ fuiſſe cuiq; de re tanta loquendi modum: & res ipſa docet B ſæpe reperiri pugnantes in ſpeciem Patrum de hac ipſa re locutiones. Quoniam enim quę realiter ſubſiſtit in illa vna diuina Natura perſonarũ, id eſt, Patris & Filij, & Spiritus ſancti diſtinctio, eſt cognitu difficilis, & ingeniis quibuſdam plurimum negotij faceſsit, & moleſtiæ: fit vt homines ab ea obſcuritate expedire ſe cupientes, his vel illis verbis ſæpe (citra tamen vllam ipſius veritatis iacturam) liberiùs vtantur, quæ ad tantum rei myſterium explicandũ putant eſſe magis accõmodata. Neq; enim nos verbis, ſed verba nobis ſubiici & inſeruire oportet: ne Theologiam λογοδαιδαλίαν tantũ quandam, & inanem λογομαχίαν cõtra Pauli præceptum faciamus. In quo tamen ipſo ſanũ hoc, & certè Chriſtianum eiuſdẽ Caluini conſilium omnes pij lubenter, vt quidẽ exiſtimo, amplectentur & probabunt, nempe, vt ab omnibus formulis loquendi vel nimiùm aſperis, vel à ſcripturæ ſenſu remotis, in hoc argumento ſemper, quantum poſſumus, abſtineamus. Nam C indocti & vani homines promiſcuè arripiunt quęcunque vidẽtur à recepto vſu paulùm remota eſſe, dũ quælibet ſui erroris patrocinia vndiq; conquirunt. Sed nòn de literis & ſyllabis, vt opinor Genebrarde, nõ de ſono harũ vocũ, *Pater eſt eſſentiator Filij*: ſed de rè, & notione totius huius ſentẽtiæ, quæſtio verſatùr inter nos, quando abs te hæreſeos, & quidẽ grauiſſimę, propterea damnamur. Pręclarè enim Hilarius, *De intelligentia eſt hæreſis, non de ſcriptura: & ſenſus, nõ ſermo fit crimen. In ſenſu enim, non in verbis eſt hæreſis*, vt Hilario conſentiens dixit Hieronymus.

Act. 13. v.15.

1.Tim 6. ver.4.

Calu. in Epiſt. ad Polonos.

lib.2. de Trinit.

In Galat. cap.5.

C A P. I.

Diſputationis huius primum caput eſt De vocibus Eſſentiator, αὐτόθεος & αὐτοούσιος, quæ Filio Verbo Dei æterno tribuuntur.

QVamobrem vt ſingula illa, quæ in noſtrorum ſcriptis capita à Genebrardo reprehenduntur, ordine perſequar & examinem, incipiam à primo. Eſt autem de voce *Eſſentiator*: cuius controuerſiæ à Caluino motæ cauſa & origo inde fuit, aduerſus Valentinum Gẽtilem A pro vnitate, & identitate Eſſentiæ diuinæ diſputans Caluinus homini aſtuto, & nouis verborũ inuolucris impiiſsimã ſuam ſententiam tegenti, negauit piè & verè ab eo dici Patrem eſſe *Filij & Spiritus ſancti eſſentiatorem*, Filium enim, quia Deus eſt, αὐτόθεον eſſe & rectè dici Caluinus defendit ac contendit, ídque ſine vlla, quæ Deo Patri fiat, iniuria. Quod omne vt perſpicue à me tradatur, primùm noſtrorum pręceptorum ſententiam cõfirmabo, deinde Genebrardi argumenta refutabo, quæcunq; erunt alicuius momenti. Vt autẽ id quod primùm pollicitus ſum primo loco exequar, ab eo potiſsimũ ordiar, vt exponã quid *eſſentiationis* & *Dei eſſentiatoris*, & *eſſentiati* vocib. Valẽtinus iſte, & re & nomine Gentilis, intellexerit. Eſt enim hic totius rei cardo, & controuerſiæ ſtatus, ex quo cognoſcetur, quid Caluinus in Valentini theſibus & Diſputatione reprehenderit. Nam hęc tota reprehẽſio, & Vocabuli *Eſſentiator* B condẽnatio eſt ex iſtius cauſæ ſtatu, & ex hypotheſi diiudicanda: non autẽ ex quolibet ſignificato, quòd huic vocabulo à Genebrardo, vel alio quopiam affingi poteſt. Eſſentiatoris & eſſentiationis voce Gentilis aduerſus noſtros diſputans non tantũ relationem quandã, aut diſtinctionis notam, aut principij ſignificationem deſignabat: ſed diuerſas ipſius Eſſentiæ diuinæ in tribus perſonis vires, & rationem, per quam vera plenáque Deitas ita Patri tribuebatur, vt & Filio & Spiritui ſancto denegaretur. Quod ipſum, vt ex illius ſcriptis intelligatur quid ille ſenſerit, explico, & ex quo fonte verè hic riuus fluxerit. Ergo ſic res habet. Cùm pluſquam blaſphema Michaelis Serueti (qui proprio, & Hiſpanico cognomine Reuetus dicebatur) hæreſis illius morte, & ſupplicio, anno Dominini M.D.LIII. cõpreſſa, aliquandiu ſiluiſſet: Satana tam facilè ſe victum dolente, non magno tempore interiecto, noua quædam illius interpretatio, & defenſio ab aſtutis quibuſdam hominib. Italis, Seruetanóque veneno faſcinatis ſuſcepta atque excogitata eſt. Inter eos autẽ pręcipuus extitit anno Domini M.D.L.VIII. id eſt, C quinquẽnio vix toto poſt mortẽ Serueti elapſo, Valentinus Gentilis, qui paucis verbis maximas in S. Trinitatẽ blaſphemias euomuit. Illas tamen quale Valentini ingenium fuit, callidè, & nouis (vt ſe non intelligi fingere poſſet) & ambiguis verbis, (quæ iſtorum hominum fraus eſt) tegere tentabat.

Summa tamen iſtius doctrinæ, (vt ex ipſius Protheſibus, quæ editæ ſunt, & aliis eiuſdem ſcriptis manifeſtè apparet) hæc tandem fuit.

Patrem eſſe Filij eſſentiatorẽ, quoniam ſolus Pater eſt vnica illa Eſſentia diuina, quæ vnus verus & ſolus Deus eſt, & Deus Iſrael nominatur: qui Pater non eſt perſona, vel hypoſtaſis in Deitate, ſed ſola & tota diuina Eſſentia. Itaque hæc fuerunt illius blaſphemi hominis verba, Patrem *& Eſſentiam diuinam inter ſe inuicem ſupponi, id eſt, capi ſemper reciprocè, vt quicumque ſit Deus, idem ille ſemper ſit Pater, nõ* Filius, *non Spiritus ſanctus, nullúſque alius ſit verè Deus, niſi ille ipſe qui Pater in ſcripturis appellatur: perſonam enim Patris, aut Filij in illa vna & eadem diuina Eſſentia conſtituere, merè Sophiſticum eſſe cõmentũ clamabat, imò Diabolicũ: quia tota eſſentialis Dei-*

Valentini Gentilis ſententia blaſphema de S. Trinitate.

A *tas ſit in vnico Patre.* Γέννητον *enim &* ἀγέννητον*, quo*
Pater & Filius diſtinguntur, ſignificare diuerſas
Deitates & naturas, non diuerſas proprietates aut
relationes: minus etiam diuerſas & diſtinctas perſonas,
quæ nullæ eſſent. Itaque inter Patrem, Filium, *&*
Spiritum ſanctum eſſe verè Eſſentialem, non perſonalem
tantùm differentiam, atque diſtinctionem. *Qui*
Prothe. 9. *enim vnum Deum in tres perſonas diſtinguit, eum ſibi*
Proth. 20. *facere præſtigias, quia genitor à genito, ſubſtantiali,*
Vox Eſſentiator à Gentili tribuitur Patri, vt Filij vera & perfecta Deitas tollatur. *id eſt, eſſentiali (ſic enim ſubſtantiam vſurpabat ille)*
numero differt. Itaque cùm ſit ſolus Pater vnicus ille
verus Deus, eum quoque totum eſſe αὐτούσιον, *&* αὐτόθεον.
Filium autem eſſe quidem à Patre, ſed eſſentiatum,
& Deificatum, & alterum quandam ab eo eſſentiam,
Proth. 37. *quæ ſuo tantùm modulo Deitatis plenitudinē*
Proth. 3. *caperet: quia gradu Deitatis, non tantùm ordinis aut*
diſtinctionis ratione Filius à Patre differret. Eſſe enim
Filium quiddam abſtractum à Deitate Patris, illiúſq;
portionem: à quo, non ſine imminutione ipſius Patris
Proth. 14. *ſubſtantiæ, Filius genitus eſſet. Itaque Filium eſſe ſecundū*
quendā Deum: *& depēdenter, nō per ſe Deum,*
B *non* αὐτούσιον, *non* αὐτόθεον: *ſed alio quodā modo* Deum
Proth. 22. *quàm* Patrem. *Plures enim immenſæ ſubſtantiæ eſſe*
non poſſe. Denique quid pluribus iſta recoquere,
quæ ex editis iampridem illius ſcriptis ſumi poſſunt,
neceſſe eſt? In ſumma eò tendebat infelicis
iſtius hominis & blaſphemum Serueti errorem
interpolantis ſententia, vt pro tribus perſonis,
triplicē diuinam Eſſentiam poneret, id eſt, multiplicationem
diuinæ Eſſentię (vti in indiuiduis
eiuſdē ſpeciei) induceret: & diuerſas eſſe numero
Patris, Filij, & Spiritus ſancti Eſſentias ſtatueret:
atque aliud & aliud in Deitate, nō tantùm alium
atque alium, in perſonarum diſtinctione eſſe contēderet.
Hic fuit igitur Valētini error, hoc etiam
artificiū, & hæc techna, cur præclaras illas & quidem
veneratione dignas voces αὐτούσιον, & αὐτόθεον
vni duntaxat Patri tribuendas eſſe cenſeret. Filio
autem & Spiritui ſancto detrahendas atque denegandas
diceret. Nō certè vt Patri eminentiam
quādam ordinis & proceſsionis relationíſq; mutuę
C ratione vindicaret: non vt ſuam Patri ἀξίωσιν,
vel ἀξίωμα) vt loquitur Baſilius) piè aſſereret:
ſed vt Filium, & Spiritum ſanctum vera Deitate,
veráque natura impiè ſpoliaret. Cùm igitur iſtius
hominis aſtutiam & fraudē ſagacisſimè Caluinus
primùm olfeciſſet, poſteáq; detexiſſet hoc
ſenſu Filium αὐτούσιον & αὐτόθεον appellatione priuandum
eſſe ſemper pernegauit. Piè quidem &
orthodoxè, vt cum Caluino omnes quoque eximij,
atque orthodoxi doctores & Theologi, ſiue
Germani, ſiue Heluetij, ſiue Angli, ſiue Galli, ſiue
Itali, qui & tunc viuebant, & poſtea vixerunt,
viuúntque adhuc hodie, ſenſerunt: quemadmodum
ex eorum ſcriptis ſatis intelligitur. Quid enim
eo Gentilis errore tetrius, aut magis in vnigeniti
Filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti Deitatem
blaſphemum, & contumelioſum dici, aut
excogitari potuit? Quid fœdius, quid cōtra apertam
Scripturæ Diuinæ vocē & veritatem, contra
fidē Eccleſię fundatisſimā magis falſò potuit affirmari?
Imò verò hac ipſa ratione inductus Durandus
Durand. li. 1. Sent. diſtinct. 9. quæſt. 1. N 5. randus negat has voces *Vnicus & ſingularis Deus,*
rectè, ꝓpriè & cōmodè in hac diſputatione de S.
Trin. vſurpari poſſe, ne cōmunicabilitas naturę,
ait ille, tollatur, & in vna tantùm perſona Deitas
eſſe credatur. In hoc errore cùm per multos annos A
idem Gentilis perſeueraſſet, eámque impiiſſimè
per Poloniam, & varias orbis regiones ſparſiſſet,
tandem ſumma Dei prouidentia, à manificentisſimo
Senatu Bernēſi (nam ſuos confirmaturus Gentilis Bernæ capite truncatus.
ex Polonia in Heluetiā excurrerat) captus
anno Domini M. D. LXVI. die nono Septembris
in ipſa Bernenſi ciuitate capite truncatus
eſt.

Conquieuerat igitur poſt mortem autoris Valentini
hic error, niſi ante paucos annos fuiſſet
miſerè renouatus, ac laudatus. Nam Genebrardus
D. Pariſienſis ſcripto publicè edito, immeritò
ſublatum fuiſſe Valentinū grauisſimè cōqueſtus
eſt, & viros fortisſimos Bernenſes, benéque
de Rep. Chriſt. meritos, ipſius adeo Regis Franciæ
amicos & confœderatos, Brutos homines &
aggreſtes, quòd tantū è mundo nefas ſuſtulerunt,
vocat, atque etiam propterea impudens Monachus
ſummis conuiciis afficit. Quam tu maledi- Reſp. in Schegk fol. 101. pag. 2.
cendi principibus licentiam neque ex Dei verbo
dicidiſti, Genebrarde, quoniā te Theologum
eſſe in ipſa inſcriptione tui libri profiteris: neq;
fortaſſe impunè à rege ipſo Francorum, qui tantam B
veteribus ſociis cōtumeliam fieri non ſinet,
feres. Sed vt ad rem redeam, quot errores hæc vna
Gentilis, & eſſentiatoris Dei ſententia inducat,
videamus.

Primùm enim Filium portionem Deitatis, & *I.* Iuſtin. cōtra Tryph. Baſil. li. 2. contra Eunom. Epiphā. in Anchorat.
ἀποτομήν quandā (contra ipſam verbi Dei veritatē,
contráq; omniū Græcorum & Latinorū Patrum
veriſsimam ſententiam) facit. Deinde non totam
Deitatem, & eandem quam Pater habet, Filio
tribuit. Præterea Filium eſſe quēdam deificatum *II.*
Deum, non autem Deum per ſe ex Arianorum *III.*
ſententia, fingit. Patrem ipſum informatorē Fi- Hiſt. Eccl. Socr. li. 1. cap. 8.
lij & Spiritus ſancti tanquam indiuiduorum conſtituit,
vt quemadmodum ſpecies indiuidua ſub *IIII.*
ſe cōprehenſa informat, ſic Pater vel Patris Deitas
Filium & Spiritum ſanctum, velut duas Deitates
diuerſas formet, & faciat, Patrem in Trinitate *V.*
non eſſe perſonam, ſed vnicam illam Deitatem,
per & propter quam Filius, & Spiritus C
ſanctus dij ſunt, fingit. Patrem denique à Filio, *VI.*
& Spiritu ſancto non diſtingui perſonali differentia:
nimirum quòd ſit Pater alius, quàm Filius:
ſed ſubſtantiali (vt ipſe loquitur) id eſt eſſentiali,
quòd diuerſam ab vtroque & differentem,
modo perfecti & imperfecti, Deitatem *VII.*
poſsideant. Trinitatem quoque, id eſt, trium
perſonarum veram, realémque in vna, & eadem
illa diuina eſſentia diſtinctionem, & dinumerationem
eſſe merè ſophiſticum & diabolicum
commentum affirmat. Itaque Patrem, Filium & *VIII.*
Spir. ſanctum non συνωνύμως, ſed tantùm ὁμωνύμως
Vnum Deum appellari. Trinitatis enim, id *IX.*
eſt, trium perſonarum, conſtitutionem eſſe diuerſos
tantùm gradus ipſius Deitatis, non autem Tertull. aduer. Praxeam.
diuerſas (vt loquitur Tertullianus) diſpoſitiones
inter eos, qui vna omnino ſunt diuina Eſſentia. *X.*
Vnitatem denique Eſſentiæ (quam dicimus)
eſſe vnius perſonæ Patris in plures eſſentias (tanquam
vnius corporis indiuulſa membra) diſtractionem,
& diſcerptionē. Nā illos tres non poſ- *XI.*
ſe eſſe vnā & eandē ſpiritualē infinitámq; Eſſen- *XII.* Valent. Proth. 4.
tiam. Itaq; cū dicitur, Vnus eſſe De⁹, id ad ſingu-
laritatem

A laritatem Eſſentiæ denotandam non pertinere, ſed tantùm ad originis rationem deſignandam: quia Filius & Spiritus ſanctus à Patre,qui eſt tota & vnica illa Eſſentia diuina,eſſentiantur,& eſſe ſuum diuinum emendicantur. Hoc igitur ſenſu ſolum Patrem eſſe & αὐτούσιον, & αὐτόθεον, dicebat Gentilis. Nam cùm Filij & Spiritus ſancti eſſentia ſit ex illius dogmate, *à Patre diuerſa*, & alia: tres eſſe in S.Trinitate non tantùm perſonas: ſed etiã tres re ipſa, numeróq. diuiſibiles, & ſeparandas Deitates. In Trinitate enim non tantùm conſtituebat alium & alium ratione perſonarum: ſed etiam aliud & aliud ratione ipſius eſſentiæ ac Deitatis. Nam quemadmodum in multis hominibus indiuiduis, Petro, Paulo, Ioanne, ſunt tres re ipſa humanitates, eæque diuerſæ inter ſeſe: eodẽ modo in Patre, Filio, & Spiritu ſancto, eſſe plures, multiplicatáſq. Deitates, & οὐσίας. Ex quo apparet ſceleratum Gentilem renouaſſe veterem illam B Triouſianorum hæreſim, cuius iam olim meminit grauis author Fulgentius. Hoc igitur profano (quid enim eſt πολυθεΐαν inducere, niſi hoc eſt?) ſenſu Patrem eſſentiatorem, & ſolum αὐτόθεον, & αὐτούσιον dici poſſe conſtanter & orthodoxè ſemper negauit Caluinus. Tu contrà, Genebrarde, ſentis: & Valentino hæretico in hac parte doctrinæ prorſus aſſentiris: atque ita quidem, vt eũ propterea à piiſſimo & conſtantiſſimo Bernẽſi Senatu capite truncatum, flebiliter etiã nunc, queadmodum dixi, lugeas. Ex quibus iam intelligitur Gentilẽ ſic vocabulũ Eſſentiatoris Patri tribuiſſe, vt Filio & Spiritui ſancto veram, æternã, plenámque deitatem detraheret. Quã illius ſententiam Genebrardus probat & tuetur. Quæ Eſſentiatoris ſignificatio cũ ſit à nobis expoſita, atque demonſtratũ quot abſurda cõtineat, iam noſtrã ſententiã, quemadmodũ ſumus polliciti, confirmemus. Dicimus igitur hoc ſenſu impiiſſimè Deum Patrem Filij & Spiritus ſancti eſſentiatorem appellari, quia A ſeipſo eſſe, vel ab alio in diuinis nõ ratione eſſentiæ, ſed perſonę: nõ deitatis diſſimilis cõſtituendæ gratia, ſed diuerſi ſubſiſtẽ C di modi explicãdi cauſſa vſurpãtur. Nã cũ in ſola ipſius deitatis & eſſentiæ, tãquã à perſonis abſtractæ cogitatione & explicatione, verſamur & inhæremus, deitatẽ non aliã, non diuerſam, non inferiorem, non imbecilliorem, non aliter numerabilem eſſe in Filio, quàm in Patre infiniti Scripturæ loci confirmant. Sed hic vnus ſit nobis pro omnibus, *Ego & Pater* (inquit Chriſtus) *vnũ ſumus.* Arianos (inquit Auguſt.) feriens, & Sabellianos. Arianos quidem, quòd *vnum* dixit: Sabellianos autem, quòd addidit *Sumus.* In illo enim vnitas eſſentiæ: in hoc verò pluralitas perſonarum, manifeſtè demonſtrata eſt: quod etiam Baſil. & Cyrill. orthodoxi Patres docent. Ergo negatur Filius à Patre eſſentiatus, tanquam ſit ille portio quædã Patris: tanquam ſit diuerſa Filij & Patris eſſentia: tanquam deitas & ſimpliciſſima illa natura ſit multiplicata: tanquam precariò & dependenter, non per ſe vique ſua & propria ſubſiſtat deitas Filij. D~~enique quaten~~us eſſentia illa, quę in Tribus eſt, abſtractè à nobis conſideratur, & ſine perſonarum relatione, eam vnam, & quidem etiã numero (vt loquuntur ſcholæ) eandem eſſe in Patre, Filio & Spiritu ſancto, dicimus: quatenus autem in perſonis ipſis eſt, atque re ipſa ſubſiſtit, reláteque conſideratur: eam in Patre quidem à ſe eſſe: in Filio autem à Patre, nunquam certè Caluinus negauit, neq; nos etiã vnquã negauimus. Sed tamẽ ita, vt in Filio ipſe per ſe, ſuáque propria vi, non precariò, neque alieno beneficio eadẽ ſubſiſtat, ſitque vera & omnipotẽs deitas. Diuerſo igitur modo eam vnam in Patre, & Filio & Spiritu S. exiſtere: Sed id perſonæ, non eſſentiæ ipſius diuinæ ratione fieri & antea contendimus & nunc quoque. Neque verò, vt poſtea docebimus, eſſentiæ & perſonæ ratio in diuinis confundi debet: Neq; etiã quę perſonę reſpectu dicũtur ad eſſentiã ſunt referenda, ne infinita quædã abſurda conſequãtur. Perſonæ igitur ratione dicitur Filius eſſe à Patre, per quam nulla eſſentiæ diuinæ diuerſitas inducitur: eſſentiæ verò ipſius reſpectu dici nõ poteſt Filius eſſe à Patre, ne deitatis & eſſentiæ illius ſimplicis multiplicatio ſtatuatur. Itaque cùm ait Calui. Filius ex ſeipſo, reſpectu deitatis, eſt: ſic idẽ explicat, *Non eſt alia Filij, quã Patris eſſentia,* quia ſuum eſſe habet non pendens ab B alio: ſed in ſe ipſo, & per ſeipſum. Sic Calu. lib. 1. Inſt. c. 13. ſect. 23. & rectè quidẽ, *Nam perſonaliter* (inquit ſiue Aug. ſiue Fulgẽt.) *alius eſt Pater à Filio, non eſſentialiter.* Tertul. quoque, Aliũ à Patre Filiũ profitemur, *perſonæ, non ſubſtantiæ nomine.* Hila. li. 4. Quod in ingenito eſt, hoc eſt in genito, alter ab altero, & vterque vnũ. Hier. ad Alypiũ & Aug. Tota diuinitas ſui perfectione æqualis eſt, exceptis vocabulis, quę proprietatẽ inducũt perſonarũ. Nã ſi ingenita & genita extra perſonas ſtatuitur diuina eſſentia, effugi Triouſianorum delíriũ non poteſt, quin diuerſæ & multiplices diuinæ eſſentiæ neceſſariò ponantur. Quomodo enim, inquit Bernardus, vnitas, vbi numerus naturarũ? Etſi enim perſona Filij non eſt ſine eſſentia, tamen non ipſius eſſentiæ in abſtracto conſideratæ, ſed ĩ Filio (id eſt in perſona à Patre diſtincta) exiſtẽtis ratione dicitur quædã eſſentia diuina eſſe à Patre. neq. enim (vt inquit præclarè Boethiꝰ) ex Deo aliud gigni potuit, quàm Deus: & Deus à Deo nihil differt. Non enim quemadmodũ plu C res homines ſunt plures humanitates: plures Angeli, ſunt plures Angelicę naturę, & re & numeris à ſeipſis ſeparatę, diuerſæ, & diſcretæ: ſic Pater & Filius ſunt plures deitates. Nam indiuidua quę vni cuipiã etiam infimę ſpeciei ſubiacent (veluti, Paulus, Petrus, Ioannes, ſub hominis ſpecie) toto genere ab his tribus diuinis perſonis diſtant, etſi ὑποστάσεις diuinæ πρόσωπα ὑφιστάμενα dicuntur, vti Indiuidua illa, quæ ſubſternuntur ſub ſpecie Hominis πρόσωπα quoq. nominantur. Sed in hac appellatione ſumptum eſt & tranſlatum à perſonis hominum ad res diuinas, & planè incomprehenſibiles vocabulum, quia de tanto myſterio nonniſi noſtris verbis loqui poſſumus. Ratio verò diuerſitatis huius eſt, quòd ea humanitas, quæ in ſingulis indiuiduis ſubſiſtit, eſt in illis reipſa ſeparata, & diuerſarũ viriũ, locorum, temporum, effectorũ, proprietatũ inhęrentia & cõcomitatione informata, terminis conſcripta, multitudine variata. Vnde quæ eſſentia & humanitas certa quadam definitione, quæ omnium indiuiduorum cõmunis eſt explicari poteſt, ea eſt duntaxat, quam animo tantùm, non autem reipſa ab iſtis omnibus propriè & naturaliter ſibi inhærentibus abſtraxerit. Quæ autẽ reipſa in ſingulis indiuiduis ſub-

Fulgent. contra Arianos.

Ioan. 10. v. 30. Baſil. in Homi cõtra Sabel. Cyrill. in Ioan. li. 1.

De fid. ad Petr. ca. 1.

Aduerſ. Praxeam. Hila lib. 4. de Tri.

Serm. 71. in Cantic. Cant.

Ad Symmachum.

ſiſtit humanitas,& quæ eſt aliquid in rerũ natura verè exiſtens,atque in ſingulis indiuiduis viuens, diuerſas omnino vires diuerſáſq.eſſentiales & cõſtitutiuas ſuæ ſubſtantiæ & conſiſtentiæ proprietates habet,quę eam ab alterius indiuidui,(id eſt, ab alterius hominis)humanitate etiam ſeparat,& non tantùm diſtinguit.Atque hoc ipſum præclarè & Baſilius & Damaſcenus & Anſelmus verum eſſe docent.nam indiuiduum eſt natura non abſtracta,non vniuerſaliter(vt animo fingitur) ſubſiſtens:ſed in ſuis omnibus adiunctis,& propriis inſeparabiliter,indiuulſè,& contemporaneè exiſtens.Quicquid enim indiuidui(veluti Petri)proprium eſt,ſimul cum ipſa Petri humanitate exiſtit,& ipſius indiuidui definitionis &naturę pars eſt.Vnde indiuidua ſub vnaquaq; ſpecie ſunt tot res diuerſę,& tot eſſentię diuerſis numeris numerabiles quot numero ſunt ipſa indiuidua. Tota igitur humanitas in Petro aut Paulo non eſt:imò nec eadem numero in vtroque , cùm tamen vna & eadẽ deitas ſit verè in Patre,& Filio, & Spiritu ſancto:&tota in ſingulis,id eſt in qualibet earum perſonarum,& tota in tribus.Quare nec tuá ſententiam,Genebrarde,tueri ipſe potes,qui,vt aliquid contra nos probabiliter dicere videreris , iſtam indiuiduorum eiuſdem ſpeciei cum tribus diuinis perſonis comparationem nimium certè quidẽ vrges,& hæc te diſſimilis ſimilitudo fefellit,vt poſtea in varios errores incideres. Neque etiã hæc eadẽ ſimilitudo, & cõparatio indiuiduorũ eiuſdẽ ſpeciei cũ perſonis illis tribus diuinis, Viguierij,recẽtioris & ſummi inter veſtros ſcholaſtici,deliriũ defendet atq.tuebitur: qui deitatẽ habere rationẽ nominis collectiui ſcripſit. Facit enim hæc tua,& illius Viguierij ſententia Trinitatẽ Deũ aggregatiuum,ac ſi Trinitas plebs quędã dicatur eſſe vel collegiũ:quia nomen collectiuum nihil aliud eſt,quàm tres perſonæ,vel res ſimul aggregatę.Nõne verò hac ratione vetus Ioachimi Abbatis Florẽtini hæreſis ab inferis proculdubio abs te reuocatur ? Hæc igitur ratio eſt cur piæ memoriæ Caluinus Patrem Filij eſſentiatorẽ.i.Deificatorẽ eſſe, Valentino conſtãter negarit. Videamus autẽ quomodo idẽ aliis in libris ſuis ſe,ſuámque mentẽ explicarit perſpicuè. Etſi enim,qua fuit ſemper in Deũ pietate,&modeſtia erga Patres,rectè cũ Auguſtino ſenſit, eã eſſe deitatis eminentiã,quę nõ ſolũ vſitati eloquij,ſed etiã intelligentiæ humanæ facultatẽ excederet: tamen hæc Patrũ dicta,& ſententias lubẽter amplexus eſt.Pater eſt principiũ deitatis:Pater eſt fons vitę:Patri κατ' ὑπεροχὴν Dei nomen cõuenit.Patri καθ' ἐξοχὴν nomen Dei aſcribitur:Pater gradũ ſuũ obtinet:Filius eſt emergens ex Deo Patre ſapientia.Pater eſt principiũ agendi. Quæ tibi, Genebrarde,quanquã homini faſtidioſo,ſatis eſſe poterant,& debebant abundè & Caluini &noſtram mentem explicaſſe: nos nimirum neque Patri ſuã eminentiam,& (vt ita loquamur) prærogatiuam eripere,vel ἀξίωσιν denegare: neque filium innatũ facere:neque perſonas confundere: aut eas meras ἐνεργείας & animi figmenta in vna eſſentia (in quo tu nos apertè calumniaris) conſtituere velle: ſed & vnitatem οὐσίας,& diſtinctionem ὑποστάσεων retinere.Quanquã enim negat apertè Damaſcenus ἀγεννησίαν in Patre eſſe aut denotare ἀξίωμα:quanquam ita exclamat Bernardus,Vbi eſt primatus Patris? quanquam denique &verè quidẽ,Ignatius,Patrẽ, Filiũ,&Spiritum ſanctum ὁμοτίμοις appellat:tamẽ ἀξίωσιν id eſt(vt Latini quidem Patres interpretati ſunt)eminentiã in Patre eſſe ordinis,& relationis ratione,Baſilio,& veteribus, & tibi quoq; facilè concedimus.Nõ quidem eo ſenſu,quo tu vis ac fingis, quaſi Deitatis ipſius prærogatiuã Patri tribuamus,& aliquod in ipſa Patris & Filij οὐσίᾳ & θεότητι diſcrimen cõſtituamus:ſed quòd Patris perſonam,nomen,relationem,&ordinem cum Filio cõparantes,Patrem primum & pręcipuũ fontem deitatis cũ tota pia & erudita vetuſtate dicimus. Audi enim quid de Patre & Filio canat ex ſui ſæculi receptiſſima fide,Prudẽti⁹.de Filio enim ſic,

Viſibilis de fonte Deus,non ipſe Dei fons.

De Patre ſic,

Qui Pater eſt,gignendo Pater,tum Filius,ex hoc
Filius autore vt genitus quod ſit Patre ſummo.

Sed ſi neque illa tibi (nam piis hominibus ſatisfacient)Genebrarde ſatis adhuc mentem Calu.exponũt(es enim vt ex ſcriptis tuis intelligo in Caluinũ malignus)Audi,inquã, quid ipſe ſua manu in epiſtola ad fratres Lauſannenſes ſcripſit: *Cum perſona notantur,verè dici fateor Verbum ſeu Filium Dei à Patre eſſe,etiam ſecundum æternam ſuam eſſentiam.* Igitur Orthodoxus Caluinus etiam iam te ipſo teſte,quòd eſſentiam Filij (quatenus non abſtractè,ſed in ipſa Filij perſona cõſideratur) à Patre eſſe dixit:ſed eandem tamen & vnã cũ Patris eſſentia ſemper ſenſit,&piè docuit.Atq.idipſum quod Caluinus dixit , Fulgentius quoque ſenſit, his verbis:*Filius Propriam ſumpſit ex genitore perſonam,vnã tenuit cum Deo Patre naturam.Nulla enim eſt,ait idem,diuiſio illius vnitatis,nulla diuerſitas illius æqualitatis.*Ergo non negamus Filium Deum eſſe à Deo Patre: non negamus etiam re ipſa & hypoſtaſi alium eſſe.Quid igitur? Aliud eſſe pernegamus. Nã vna eſt dũtaxat eſſentia & Deitas trium illarum perſonarum.Nõ negamus deniq; quatenus perſonę diſtinguuntur & ſpectantur,eſſentiã Filij eſſe à Patre:Patris autem à nullo: ſed quatenus illa,quę in tribus perſonis vnica eſt etiã numeri ratione , extra perſonas à nobis cogitatur, negamus eã admittere vllã alteritatem,vllum diſcrimen,vllã differentiã,vllam realem, ac ne notionalem quidem diuerſitatem quia vna eſt, & ſimpliciſſima quædã res illa eſſentia & Deitas, q̃ in tribus perſonis Patre,Filio,& Spir.S.ſubſiſtit. Ergo cum ſit illa ſimpliciſſima natura & res,cum ſit vna,cũ ſit eadem:nõ eſt genita & ingenita, nõ eſt A ſe,& nõ à ſe:eſſentians & eſſentiata , ne multiplex, ne diuerſa , ne gemina eſſe res vna & ſimplex πολυειδεστάτως dicatur & ſentiatur ? Id eſt, ne Deus nõ iam vnus, ſed multi Dij inter Chriſtianos ſint. Quã blaſphemiã nulli pij nullíq.verè Catholici ſequũtur.Rectè.n. Sozo. *Ii ſunt Catholicæ Eccleſiæ*(inquit)*qui Triadẽ pari honore colũt:*&verè quoque Boethius *Deitas eſt vnum , in quo nullus eſt numerus,nullũ aliud.In quo enim Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus Deus ſunt , ſubſtantialiter indiuiduã tenẽt ſemper vnitatẽ.* Atq. hoc ipſum rectè explicant & cõfirmant Anſelmus, & Damaſcenus his verbis, ἐν τῶν γὰρ ὑπάρξεως τρόπων διαφορὰν συνορῶμεν, οὐκ ἐν τῆς οὐσίας. Quid verò Auguſtin. citem, aut potius quid illius tum contra Maxim. Arian. tum de Trinitate libros totos hîc deſcribam ? Quid tibi igitur homini acuto veniebat in mentem , vt hãc noſtro-

Baſil.li. 1. cõtra Eunom. Damaſc.li. 3. de Orth. fide. Anſ. lib.de incarnati. Verbi c.5.

B

Genebr. libr.2. De Trini.

Vig.in Inſt. trac. de Trini.

C

Aug.de vera Innocent.c.61.

Caluin.in Admon. ad fra. Polo.in Ioã. 6. ver. 37.

Ad Prot. 10. lib. 1. Inſt.13. Sect.23. Et N.18.

Damaſc. li.1.de orthod.fide. cap.9.

B. Sermo. 76.in Cãt.

A

Ignat. ad Philipp. Baſ.lib. 2. contra Eunom. G.lib.1. Pag.22.

Prud. in Apoth.

B

lib.3.ad Traſim.

lib.2.ad Monim.

C

Soz.lib.7. cap.4.

Ad Symmachum.

Anſelm. in Mono. cap.17.

li. 1. de orthod. fide c.11. &12.

A noſtrorũ præceptorũ ſentẽtiam tam orthodoxã reprehẽderes? Quis te οἶστρος, Genebrarde, in eam dementiam concitabat? Nempe maledicendi ſtudiũ: adeò quidẽ, vt ne tuorum apertiſſima ſcripta dãnare te videres: neque ipſius Dei tui, id eſt, Põtificis Roma. (à quo huius tui laboris mercedem tamen expectas) doctrinam, tanquam hęreticam, te traducere ſentires. Eſſentiam ab eſſentia in diuinis, citra incurrẽtem perſonarum cogitationẽ, generari & produci affirmas. Tu es doctor (vt magno hiatu tutemet fumoſos tuos titulos prædicãs clamas) inter Phariſæos, & in veſtro Iſrael. A quo quæſo hoc tã falſum dogma didiciſti? A Richardo fortaſſe tuo? quẽ vnum habes in deliciis, quoniã putat non eſſe dicendum, Patrem eſſe à ſe: ſed ſe ipſo potius. Quod ſi id tanti eſt, vt propterea ſit vnus Richardus omnibus anteferendus, idipſum B ante Richardos omnes ſcripſerat Anſelmus Anglus. Certè à quocunque te id, quod contra nos profiteris, didiciſſe clamites, Ecce tibi magiſtrũ ipſum omniũ veſtrum P. Lombardũ profero, qui quod tã diſertis verbis affirmas (nimirũ eſſentiã diuinã ab eſſentia generari) ipſe apertioribus verũ eſſe negat. Ecce Durandum puriorem multis Scolaſticis, *Eſſentia* ait *nõ eſt illud, quod generat*. Ecce Franc. Claudiũ Spinæum Lombardi abbreuiatorẽ: *Nõ eſt concedendũ quod Pater genuit diuinam eſſentiã*. Ecce denique te ipſum: nã tua ſcripta fortaſſe ipſe probabis, qui, cùm Deus de Deo genitus dicitur, id perſonaliter, nõ eſſentialiter debere intelligi apertè ſcribis, quia in diuinis eſſentia dici non poteſt extra perſonarũ relationem eſſentiam gignere. Ecce iterũ te ipſum, qui eſſentiatorem, & eſſentiatũ parum aptè pro tanto myſterio eſſe excogitata vocabula fateris. Sed fortaſſe nec tuo ſcripto, nec aliorum magiſtrorum tuorũ perpetuo C conſenſu obſtrictum eſſe te putas. Ecce igitur illũ ipſum Deum tuũ Pontificẽ Rom. ipſiúſque ſcripta contra te profero, Genebrarde, quem quomodo poſtea placare poſſis ipſe videris. Illius enim doctrinam vt impiã, vt Autotheanorũ hæreticorum fontẽ, vt Sabellianam non ſemel apertè condẽnaſti in nobis. Ille igitur in Cap. Dãnamus. Ext. de ſumma Trinitate, cõtra te ſtat, pro nobis facit: nec ille vnus, ſed omnes potius qui in illius ſynodi Lateranenſis cõſeſſu amplius rectiúſque aliquid vidiſſe iudicantur. Quod vt melius intelligas ipſa Innocẽtij verba tibi recitabo, *Nos,* ait, *ſacro approbante cõcilio credimus & cõfitemur cũ Petro, quòd vna quædã res eſt incõprehenſibilis quidẽ, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius & Spiritus ſanctus*: & paulo pòſt, *Qualibet triũ perſonarũ eſt illa res, Videlicet ſubſtãtia & eſſentia ſeu natura diuina*. & paulo pòſt, *Et illa res nõ eſt generãs, neque genita, neque procedẽs: ſed eſt Pater qui generat, Filiꝰ qui gignitur, Spiritus ſãctus qui procedit, vt diſtinctio ſit in perſonis, vnitas in natura*. Audíſne iam apertã, nõ obſcurã: claram non ſimulatã, tuã à tui Dei doctrina diſceſſionẽ, & defectionẽ? cũ tu obſtinatè eſſentiam diuinam ab eſſentia diuina generari cõtẽdis? Vidéſne te teneri? Sed excipis, id propter Ioachimi Abbatis Florẽtini errorẽ eſſe dictũ, qui (quemadmodũ tu iam facis, dum negas verè dici in vna & eadem eſſentia diuina, eſſe hypoſtaſes) Deum collectiuũ quiddam & aggregatiuũ ex tribus rebus, & perſonis eſſe ſomniabat. Eſto, propterea dixerit Conciliũ: illud tamẽ dixit, quod & verum eſt, & nos noſtrámq; ſententiam verã eſſe A aduerſus te oſtendit. Quacunq; enim de cauſa cõciliũ dixerit, nihil ad me, qui te ipſius concilij tui verbis & ſententia damnatũ teneo. Neque enim nõ aperta eſt concilij iſtius ſentẽtia: quæ te, vt verè hæreticũ, ferit, quoniam αὐτουσίαν ipſi Dei Filio & vero Deo, blaſphemè cum Valentino Gentili adimis. ergo iam quale ſit hoc tuũ, & quàm ſacrilegũ in Dei Filiũ conuitiũ fortaſſe vides. Sed poſtquam noſtram ſentẽtiam abundè, quemadmodũ arbitramur, probauimus, ad Genebrardi Argumẽta deſcẽdamus, eáq; perpendamus, vt qualia cõtra tam piam doctrinam obiiciãtur, vel potius quàm inania illa ſint, omnes perſpiciant.

Richardũ ſequitur Genebrardus.

Monolog. cap. 17.

5 Rat. Ab ipſorum Scholaſticorum doctorum autoritate, imo ipſius etiã Genebrardi ſcriptis

Lom. lib. 1 diſt. 4. & 5 Durãd. lib. 1. diſt. 5 quęſt. 1. N. 11. Franc. Cl. Spinęus in Epitom. G. l. 1. p. 38. lib. 1. pag. 51. Lib. 1. pa. 56.

Eſſentia in diuinis gignere eſſentiam dici non poteſt, niſi perſonarum, non ipſius eſſentię ratione.

6 Ratio A Lateranenſis cõcilij, & ipſius Pontificis Romani autoritate. Cap. firmiter & cap dãnamus. Ext. de S. Trinitate.

Genebrardi effugiũ inane.

Primùm igitur Magiſtrali authoritate Genebrardus agit, &, pro ſcholæ ſuę more, quicquid ipſi diſplicet, vt impiũ & hæreticum ſine ratione proſcribit & dãnat. Negat enim in ſumma (ne ſingula ipſius dicta cogar trãſcribere) rectè dici, aut piè credi, Filium illũ Dei æternũ, & verè Deũ per omnia Patri ſimilẽ eſſe, itémq; αὐτούσιον & αὐτόθεον, atq; à ſe habere Eſſentiam, cùm extra perſonarũ relationem de eius Eſſentia agimus. Atqui ſi hæc B quæ dicis Genebrarde, vera ſunt, iam per te, atq; ex tuo dogmate, ſolus Pater erit ſolus verus Deus. Filius verus Deus nõ erit: Spiritꝰ itẽ ſanctus verꝰ Deus nõ erit: ſed illi erunt dij quidã fictitij, emẽdicati, deificati, precariò, ac mutuatiuè dij, neque à ſe ipſis Deitatem, neque omnipotentiã, neq; omniſcientiã habebunt: deniq; quęcunq; ſunt Eſſentiæ diuinæ propria, illa nõ verè, nec pleno iure, vt Pater, nec per ſe, nec à ſe iam obtinebunt. Qualis autem, obſecro, eſt iſte Deus, qui omnia, quæ habet, alieno beneficio, non ſuo iure: aliena cõceſſione, nõ ſua virtute: emẽdicatione, non ſua potentia habet? & qui nõ à ſe, ſed ab alio habet, vt ſit Deus, Deus nõ futurus, niſi aliꝰ hoc ei gratuitò donaſſet? Talis certe quidem fuit ex Arianorum ſentẽtia Deitas, quã illi Filio tribuebant. Ex quo cõſequitur, vt qui Filium αὐτόθεον eſſe cum Valẽtino Gẽtili negat, queadmodum aperte facit Genebrardus, is Arianiſmum nobis manifeſtiſſime recoquat, ac reponat. Pręterea ex eadẽ Genebrardi ſentẽtia 3 neceſſariò ſequitur, vt in Deitate, quæ ſimpliciſſima eſt, ſit tamẽ eſſentia & eſſentia, etiã quãdo rationem relationémq; omnem perſonarũ ſecludimus, & Eſſentiã diuinam per ſeſe, & velut in abſtracto cogitamꝰ. Quomodo igitur iam ſimpliciſſima quædam res eſt Deitas? Quomodo illud Baſilij, quod omnes admittunt, verum erit? Οὐ γὰρ ἄλλην ἐν Πατρὶ θεωροῦμεν θεότητα, καὶ ἄλλην ἐν υἱῷ. Quarto loco ex eodem errore efficitur omnino, vt in diuina Eſſentia, id eſt, in vna & eadem re ſimpliſſima & vna, aliquid ſit tamen ex ſeſe ſubſiſtens: aliquid etiam nõ ex ſeſe ſubſiſtens. Quomodo igitur vnitas eſt, & æqualitas eſſentiæ in Patre, & Filio & ſpiritu ſancto? & quomodo vere tres illi tres ὁμότιμοι dicentur, quemadmodum vere ſunt? Viſne autẽ aut ſentiſne, Genebrarde, vt hæc te quinta ratio proſternat, ſic Eſſentiã Filij eſſe Deitatis Patris filiam, quemadmodum Filius Deus eſt Patris Dei Filius? Quomodo igitur diſcrimen inter tres homines: id eſt, inter tria humanitatis indiuidua, & inter tria illa diuina ὑφιστάμενα, id eſt, inter tres illas in eadem numero Eſſentia perſonas, iam conſtitues? Certe nullum conſtituetur amplius, ſed te in iſtum errorem miſere coniicis,

Confutatio argumentorũ Genebrardi.

Quid ſentiat in ſũma Genebrardus.

Quid ex iſta ſentẽtia in ſumma conſequatur. 1. Solus Pater erit Deus.

2. Abſurd. Arianiſmus renouatur.

3. Abſurd. Multiplex deitas inducitur.

Baſil. contra Sabel.

4. Abſur. Idem erit à ſe & nõ à ſe.

5. Abſurd. Eſſentia Filij erit eſſentię Patris filia.

Geneb. lib 1. de S. Trinitate.

6. Abſur. Genitũ & ingenitũ diuerſas eſſentias cõſtituẽt in diuinis.

A quòd imperite Eſſentiæ & perſonæ rationem & cogitationem confundis. Verùm hoc ſextum incommodum ex eodem fonte cõſequetur, quod geniti & ingeniti appellationes (quæ relationem in Trinitate, non Eſſentiam ſignificant) conſtituentur tamen eſſe, dicique reſpectu ipſius Eſſentiæ, & Deitatis: non autem duntaxat ratione perſonæ & τρόπου ὑπάρξεως. Ergo Genebrarde, quanquam Patres omnes vno conſenſu ſcripſerunt, per te tamen perperam, & falsò, γεννήτου καὶ ἀγεννήτου λέξεις μὴ οὐσίαν, ἀλλὰ τρόπον ὑπάρξεως σημαίνουσι. Denique ne te pluribus argumentis obruam aut onerem (nam vel vnum totam tuam ſententiam ſatis refellit) hoc ſeptimo loco addam, nos abs te peſsimè doceri, vt credamus Filium illum Dei vnigenitum & Verbum illud æternum, ὁμώνυμον, à tota ſcriptura Iehouah falsò & B mendaciter nominari. Nam ſi à ſe Deus nõ eſt, quomodo Deus erit? Quam abſurdum eſt eum, qui omnium rerum Creator eſt, qui rebus aliis omnibus eſſe dat, ipſum tamen negare à ſe, & per ſe eſſe & ſubſiſtere. Quàm impium eſt ſi ſentiamus ipſum Eſſentiam ſuam non ex ſe habere, ſed aliunde mutuari & accipere: ac, quatenus vnus eſt cum Patre Deus, ex alieno tamen fonte haurire? Quod ſine inexpiabili quadam blaſphemia neque credi, neque dici à quoquã certè quidem poteſt, nedum vt nos verè Chriſtiani & orthodoxi, qui tandiu contra Arianos veram Filij Deitatem tuemur, hoc pronuntiemus, atque ſentiamus. Ex quibus omnibus ſatis intelligitur, quanta & quot abſurda ex Genebrardi ſententia conſequantur.

7. Abſurdum Filij falsò appellaturin ſcriptura Iehouah.

1 Argum. Geneb.

Affert autem varia pro ſuæ ſententiæ defenſione argumẽta, ex quibus illud primũ eſt, quod ex Patrum ſcriptis adducit. Nam in eorũ libris, C veluti in Ignatij epiſtolis, legimus nonnũquam οὐσίαν υἱοῦ dici γεννητὴν, id eſt, *eſſentiam Filij appellari genitam*, item apud Dionyſium πηγαίαν θεότητα, id eſt, *fontanam Patris Deitatem nominari*: & quod dictum eſt ab Auguſtino *Patrem eſſe* ὢν *à ſe, Filiũ* ὢν *ab altero*, pro Genebrardo facere videtur. Denique quod ab Hilario ſcriptum eſt, *Nihil niſi natum habet Filius*. Sed illud Auguſtini robuſtiſſimum quidem pro ſe argumentũ prætermiſit Genebrardus (quod prætermiſſum in nos telũ, tamen à nobis illi benignè ſuppeditabitur (Ait enim Auguſt. *Filius nouit omnia quæ Pater nouit: ſed ei noſſe de Patre eſt, ſicut & eſſe*. Hæ tot profectò Patrum ſententiæ Genebrardũ perturbarũt, adeò vt cùm poſtea Richardũ, delicias ſuas legeret magiſtraliter pronunciantẽ, *Eſſentiam diuinam gignere, & gigni*, ſecurè in illius ſententiam pedibus iret: neque tam pia optimorum Patrũ dicta quo ſenſu accipienda eſſent, diligẽtius perquireret, aut ſcire laboraret. Itaque peſsimè primum à Richardo deceptus, poſtea ſuũ errorem auxit. Sed facilis eſt ad iſta omnia reſpõſio. Primùm dico quòd Genebrardus in hoc ſibi ipſe non conſtat: neque etiam iam illi cũ Richardo ſatis conuenit. Nam cùm nos Genebrardus dãnat, quoniam Filium à ſe Eſſentiam habere dicimus & αὐτόθεον apellamus: ipſi autẽ id ſolius Patris deitati tribuendum velit, ſaltẽ concedit Patrem à ſe habere Eſſentiã. Atqui hoc ipſum propriè dici poſſe, ille Richardus ſemper negauit: adeò vt ex Genebrardi & Richardi dogmate iã neque Pater ipſe, neque Filius Deus à ſe eſſentiam habere dici poſsint. Cui igitur è tribus illis diuinis perſonis illud reſtabit, vt eſſentiã à ſe A ipſa habeat? fortaſſe Spiritui ſancto. Multò certè minus, quàm Filio hoc iſti concedent: cùm non modò à Patre, ſed etiam à Filio ſit Spiritus ſanctus. Atque ita iã de Deo dici per iſtos, Genebrardum dico, & Richardum, non poterit, *A ſe eſt, vel à ſe ipſo eſſentiam habet*. Vidẽt igitur omnes in quàm magnas ſe anguſtias propter iſtã ſententiam iſte coniiciat. Sed hanc animi tui intricatam propter ſuperiores Patrum authoritates notionem, facile, ſi modò nos præceptoréſque noſtros lubenter & diſcendi ſtudio audis, extricabimus. Certe Richardum iſtum non ita probatum, aut notum hominẽ, valere ſinamus, eúmque ſibi ſuas res, ſuáſq; phraſes habere permittamus. Quid enim hoc imperito homini, & malo ſcriptori tantum tribueremus, vt nos illius ſordes pl⁹, quàm ipſa veritas delectaret? Ad ſapiẽtiores igitur tum Græcos, tũ Latinos præceptores, Genebrarde, te deduco vt quid ſibi voluerint autores ij & ſcriptores, quorum autoritate B commotus videris, iam intelligas. Nam ad Rabinos, ad quos toties ipſe prouocas, & nos reuocas, minime eũdum in huius litis diſceptatione & iudicio cenſemus, qui (vt Scribit Baſilius) in toto hoc argumento peſſime, atque grauiſſime ſemper errauerunt. Ergo nos concedimus & priores quidem, id eſt, ante te diximus vna cum tota pia & erudita vetuſtate, *Perſona ratione eſſe genitam in Filio eſſentiam*: in Patre verò ingenitã dicimus cum Auguſtino, *Perſonaliter alius Pater à Filio, ſed non eſſentialiter*. Eſſentialiter autẽ illa differunt, in quibus diuerſa eſt eſſentia, neq; vna eadem cum altera, ex quo fit, vt illa eſſentiæ multiplicationẽ, & diſſimilitudinẽ habeant. Quorum neutrum in diuinam Eſſentiam, quæ ſimpliſſima quædam res eſt, cadit. Perſonaliter verò illa differunt, in quibus etſi eadem eſſentia ineſt, ſubſiſtendi tamen & eam habendi modo diſtinguuntur, & diſcrepant, id quod diuinæ Eſſentiæ rectè quadrat quatenus in pluribus perſonis ſpectatur. Hæc igitur vera eſt interpretatio ſententiarũ earum, quę Genebrardum vexãt vt de perſona, non de eſſentia, dicta Patrum intelligantur. Atque hoc ipſum perpetuò & diximus & ſcripſimus, cùm Valentinũ Gentilem hominem in Filij deitatem contumelioſiſsimũ dãnaremus. Genebrardus verò, qui iſtius monſtri ſententiam nobis recoquit, hanc veterũ interpretationem obſtinatè negat. Quid igitur? Nos certè Bernardũ ſuperiores Patrũ ſententias perſpicuè ſic explicantem habemus & ſequimur & laudam⁹, idoneũ vt opinor, & iuſtũ interpretem C neque reiiciendum. *Quòd alter ex altero* (ait Bernardus) *& alter ad alterũ eſt, & veraciſsimè dicitur, perſonarũ certè deſignatio eſt, nõ vnitatis diuiſio.* Hęc eſt Bernardi interpretatio perſonam ab eſſentia diſtinguentis: ex qua quomodo & Ignatij, & Dionyſij tui & noſtri Auguſtini & Hilarij verba ſint accipienda, atq; exponenda vident omnes, nimirum vt deitatem & eſſentiam quidem genitam dicamus perſonarum ratione, id eſt quatenus non abſtractè, ſed in ipſis diuinis perſonis illa conſideratur à nobis: quatenus autem extra iſtam perſonalitatis & inhærentiæ rationem Eſſentia diuina à nobis ſpectatur, eſſentiã ab eſſentia in diuinis perſonis genitã eſſe, & ali-

Aug. lib. 15. de Trinitate. ca. 14. Item cap. 26. & 27.

Reſponſio 1.

Richardi opinio nõ debet præualere veritati.

Baſil. epiſt. ad Neocæ. Rabini & Iudæi mali interpretes articuli de S. Trinitate.

Reſpõſio ad 1. argumẽtũ Genebrardi.

De fide ad Pet. cap. 1. cõtra Felici. cap. 1.

Bernard. lib. 5. de Cõſidera.

A & aliquid differens aut diſsimile habere negamus. Imò vnam eandémque eſſentiam eſſe affirmamus. Neque verò Patres illi , quos Genebrardus pro ſe laudat, voluerunt diuinam Eſſentiam per ſe vel eſſe, vel dici genitã & ingenitam: ne Eſſentiam diuinam, quæ vna eſt & ſimpliſsima, multiplicarent in plures. Genebrardus tamen aliter ſentit, & vult apertè eſſentialiter, & non tantùm perſonaliter (.i. Ratione deitatis per ſe & abſolutè conſideratæ, non tantùm ex hypoſtaſεως cogitatione) Filium à Patre diuerſum & diſsimilem eſſe. Vtri verò melius ſentiant, iam iudicet orthodoxorum Eccleſia. Neque enim nos Genebrardi conuicia terrent: vel timidiores facit illius audacia & arrogantia immanis, neque etiam quod ſe ſcribit velle vrere Schegkium. Nam non veremur, vt iſta diſputantes, hæretici vnquam ab vllis orthodoxis iudicemur, aut damnemur. Tu potius Genebrarde, qui Valentinum deploras, quia planè cum eo blaſphema contra Chriſti veriſsimam deitatem ſentis, talis es, vt cremari pro illa tua impietate debeas. Sed hæc ad quæ nos tua conuicia inuitos pertrahunt, age, & quidem lubens omittto. Igitur quos pro nobis noſtráque tuenda ſententia authores habeamus, adhuc proferamus.

Cõfirmatio 2. Reſpõſionis noſtræ ab autoritate Patrum.

Quanquam enim apertè quę Auguſtini, B quæ Bernardi, quæ multorum eſſet ſententia de diuina Filij eſſentia docuimus: tamen ne non etiam tibi homini faſtidioſo ſatisfaciamus (volumus enim te emendatum) alia quoque Patrum orthodoxorum dicta placuit iſtis ſuperioribus addere. Atque, vt quò omnia pertineant, facilius intelligatur, quid Caluinus & noſtri præceptores antea ſcripſerint, atque nunc etiam doceant, diſtinctè exponemus, vt ab illis dicuntur. Tria hæc dixerunt, Primùm, Chriſtum eſſe αὐτοούσιον: ſecundò eundem eſſe αὐτόζωον: tertiò eundem à ſe (ſe poſita nimirum perſonarum diſtinctione, ac relatione) eſſentiam, ſiue eſſe ſuum habere. Hęc tria verè dici probemus, & vicerimus.

Chriſt' eſt αὐτόζωος αὐτοούσιος & eſſentiam habet.

C

Primum quidem Cyrillus nobiſcum & facit & ſentit, cuius varias ſententias hic tibi, Genebrarde, breuiter collegi, ne margines iſtius libelli, eiuſdem authoris nomine ſæpius, tuo more, repetito onerarẽ. Hęc igitur quæ iam adduco, ex variis Cyrilli opuſculis ſunt ad noſtræ ſententiæ confirmationem fideliſsimè collecta & tranſcripta.

Cyr. lib 1. In Ioan. Theſaur. li. 1. & 2. Dialog. 3. & 5. Cyrillus dicit Filium à ſe habere, quæ habet.

Verſabatur in eadem quæſtione Cyrillus aduerſus Arianos [illegible] tu hodie moues aduerſus nos: quia Filium, quâ Deus eſt, & æternum illud Verbum, à Patre & eſſentiam & vitam & imperium habere, non à ſeſe illi contendebant. Quicquid enim haberet Filius , illud non eſſentialiter habere, id eſt à ſe: ſed à Patre acceptum & velut donatiuum accepiſſe aduerſus orthodoxos aſſerebant. Quid igitur reſpondet ad ea Cyrillus? Non mentitur veritas, ait Cyrillus, dicens, *Ego ſum in Patre, & Pater in me eſt:* & rurſus , *Ego ſum Veritas & vita.* Cùm enim Pater vita ſit, dedit ſeipſum Filio, non vt corpus corpori: non vt propriam Hypoſtaſin Filio conceſſerit: (hæc enim abſurda ſunt) ſed quòd per identitatem naturæ, generans, & Verbum genitum, ineffabiliter vnum ſunt. Quando igitur dicitur, quòd *Pater habet vitam in ſe ipſo*, Filium in ſe ipſo habere ſignificatur. Poſtremò, quia vita ſecundum naturam Filius eſt, accipere vitam à Patre dicitur, non in quantum verbum & imago Patris. (Sic enim ipſe quoq; naturaliter vita eſt) A ſed in quantum homo factus eſt. Nam cùm non compoſita, ſed ſimpliciſsima quædam natura Deitas ſit, nunquam in plures perſonas diſtingueretur, niſi quædam inueniretur differentia, non ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum relationem, & quaſi extrinſecus intellecta. Vitæ indigus eſt filius, ſi ab alio vitam participat. Quomodo autem erit vitæ ſuppeditator, qui non ſit ipſe vita, & qui vitam habet participatiuè: num Filium factum eſſe à Patre vitam ſuſpicamur? Vita non eſt, quod ab alio ad vitam adductum eſt. Cõuenit enim vitæ ſemper eſſe, & exiſtentiam habere principio carentem. Patris autem conſubſtantialis eſt Filius, quia omnes naturales Patris proprietates habet, etſi alterum principium eſt, alterum à principio. Ergo vt Pater eſt vita, ſic & Filius vita eſt non minus quàm Pater: quia ſubſtantialis, id eſt; eſſentialis eſt Filio immortalitas. *Vitam non aliter poſſidet Filius, quàm ſi eſſet Pater.* Vterque enim coronatur perfectè, & æqualiter naturalibus proprietatibus: non viuificatur ab alio vita, vti neque lux ab alio illuſtratur. Iam enim non eſſet vita: eſt autem Filius vita. Ait enim, *Ego ſum vita: & inſita eſt immortalitas & vita in Filio, non vt aduentitium bonum.* B Nec dixit Veritas, *Viuificor à Patre*, ſed dixit, *Viuo propter Patrem.* Poſſe deniq; viuificare, refertur ad Filium, quaſi naturalis efficacia, & non alterius gratia. Ergo vides, Genebrarde, ex tot & tam perſpicuis eruditiſsimi Cyrilli ſententiis, quòd qua ratione Deus Pater eſſentiam, & vitam & poteſtatem habet: eadem quoque ratione & Filius Deus ea omnia habet, quia ſit non tantùm ſimilis, aut eiuſdem eſſentiæ & naturæ: ſed quia ſit identitas (vt Pater ille pientiſsimè ſemper, & te iugulans, loquitur) eſſentiæ in tribus illis perſonis. Et quod differentia quędam inter perſonas ponitur, eam non ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum relationem inueniri vides. Nec verò eſt, quod excipias, Cyrillum de vita, nõ de eſſentia Filij loqui. Quaſi aliud ſit in Verbo illo ęterno, & Deo, eſſentia, quàm vita: qui quicquid habet, extra perſonę cogitationem, vt eſſentiam habet, non vt qualitatem: aut quaſi ſi Filium à Patre eſſentiam habere poſueris, eadem conſecutione ſtatim non efficiatur, vitam quoque Filij eſſe à Patre. Nec enim eſſentia Dei aliud eſſe poteſt intelligi à nobis, quã vita illa ęterna & immortalis, per quam ipſe eſt, C & vitam aliis communicat. Tolle igitur perſonarum relationem, & Deum nomina, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum dixeris, quia vna eſt numero Eſſentia diuina, tota, eadem & omnino ęqualis & in illis tribus, & vnoquoque eorum, id eſt (vt veteres loquũtur) in ſingulo eorum. Relationem autem & diſtinctionem perſonarum adhibe, diuerſas in ſingulis rationes effeceris, quę non ex eſſentia, ſed ex perſona ſumuntur. Nam ſi diuina Eſſentia per ſe, citráque perſonarum interuentum conſiderata conſtituatur alia generans, & alia genita, proculdubio in plures, eáſque diuerſas & differentes deitates multiplicatur, quia vna ex iis aliquid erit, quod altera eſſe non poteſt. Atque ita manifeſtiſsimè profana, & gentilis, impiáque illa πολυθεΐα inducitur & reuocatur. Sed quod alia genita, alia verò generãs à veteribus nonnunquam appella-

Geneb. & Gentilis ſententia inducit πολυθεΐαν

A tur, diuina Eſſentia, id ad perſonarum relationem & differentiam, non ad ipſius eſſentiæ per ſe ſpectatæ naturam & rationem referendum eſſe iidem illi docent. Denique vt Chriſtum αὐτόθεον eſſe intelligas, cogitatione (nec enim re ipſa iſtud fieri poteſt, ne fortè dictum noſtrum calumnieris) diuinam illam Eſſentiam exue perſonalitate, iam in tribus perſonis vnum quiddam omnino dixeris & cogitaueris: indue & veſti eandem eſſentiam perſonis, tres iam res verè diſtinctas & ſubſiſtentes poſueris, & magnas tunc diuerſitates perſonarum propter huiuſmodi diſtinctionem obſeruare poteris. Hoc tamen eſt, quod olim quidem Valentinus ille Gentilis: & tu nunc cauſam eius ſententiámque patrocinio, ac ſcriptis tuis tutans, negas: hoc eſt quod nos veriſsimum, & piiſsimum, atque orthodoxiſsimum eſſe defendimus. Sed nondum fortaſſe tibi planè in eo ſatisfactum eſt. Audi igitur aliquid amplius. Diximus Filium quatenus verus Deus eſt, & vnus, ac idem cum Patre Deus, non autem quatenus eſt diuerſa à Patre perſona, diximus, inquam, Filium eſſentiã à ſe habere. Grauiſsimè nos accuſas & voce à Georgio illo Dauide homine ſceleratiſsimo primum ficta nos Autotheanos, & hæreticos vocas. Quare verò? Quia Filium Dei Deum verum & æternum, Patri ὁμοούσιον, ὁμότιμον, συναΐδιον, συμπαντοδύναμον, eſſentiam à ſe habere diximus. Quod Genebrardus dictu auditúque nefas eſſe putat, & idcirco nos nullo non conuitiorum & ſputorum genere proſcindit & fœdat. Audiat Cyrillum, *Primum quidem* (ait) *quòd vitam & immortalitatem poſſidet, & à ſe* (notet has voces Genebrardus) *hoc non habẽs, mortale erit omnino & aliunde ſumit vitam, quaſi ab alio datam.*

Dialog. 3. Cyrill' dicit Filiũ à ſe habere vitam, & per conſequẽs eſſẽtiam.

Ergo à ſe habeat vitam Filius, ex Cyrilli ſententia neceſſe eſt. quia eſt verus Deus Filius, & ne idem ſit Mortalis & Deus. Iam ſi vitam à ſe habet Filius, habet quoque eſſentiam, quia idem eſt Deo vita & eſſentia, viuere & eſſe. Audiat Damaſcenum, qui de Spiritu ſancto agẽs eum eſſe ait δύναμιν οὐσιώδη αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς, id eſt, Virtutem eſſentialẽ, quæ à ſeipſa ſit. Audiat Baſiliũ, πῶς οὖν εἰς τὸ εἶναι παρὰ τοῦ πατρὸς παρήχθη; Quod ſi τὸ εἶναι non habet à Patre Filius, qua Deus eſt: nec οὐσίαν quoque habet, qua nimirum Deus vnus eſt, cum Patre, id eſt eiuſdem Eſſentiæ, Potentiæ Aeternitatis, & vitæ, nullóque prorſus modo ab eo diſſimilis & inferioris.

Damaſc. ait Spiritũ S. eſſe à ſe ipſo. lib. 1. De orthodoxa fide cap. 7. Baſil. lib. 2. contra Eunom.

C

Hanc igitur æqualita- ſub nomine eſſentiatoris Dei (quem Patrem appellabat) negabat Valentinus, negat quoque Genebardus. Iam verò quid aliud (quæſo) ſignificãt apud Paulum hæc verba? *Qui cum in forma Dei eſſet* οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα θεῷ *rapinam non duxit parem eſſe* Deo. Quid eſt, parem eſſe Deo? An non id ipſum habere, quod verus Deus habet: & eodem modo habere, ex eodémque fonte & cauſa, ex qua verus Deus habet? Vidéſne igitur quid rectiſſimè, veriſſiméque ex verbis Pauli Apoſtoli Chriſti efficiatur? Cuius potius, quàm Richardi tui, quàm Gabrielis Bielis ſententiæ eſt certè quidẽ acquieſcendum.

D. Paulus idẽ, Phil. 2. verſ. 6.

Quid verba hæc Chriſti ipſius ſibi quoque volũt? *Ego ſum reſurrectio & vita:* item hęc, *Philippe qui me videt, videt & Patrẽ.* itẽ hęc quoque, *Et mea omnia tua ſunt, & tua mea.* Nec enim expreſſius, ait Bernardus, ſubſtantiæ (id eſt eſſentię) vnitas commẽdari potuit. Quod ſi in tuo errore adhuc tamen perſtas Genebrarde, dixerim per te eadem ratione effici (ſublata nimirum hypoſtaſeωs ratione) vt ſi Filius Deus à Patre & vitam & eſſentiam habet: Pater à Filio quoque & vitam & eſſentiam habeat, quia tam dixit Veritas, *Omnia tua mea ſunt*, quàm, *Omnia mea ſunt tua*: ex quibus omnino par de vtroque, Patre (inquam) & Filio, concluſio ſequitur.

Chriſtus ipſe idem Ioan. 11. v. 25. 14. verſ. 9. 17. ver. 10. B. In Sermo. de Viſio. Iſaiæ.

A

Quã meę argumentationis conſequutionem, vt verã eſſe firmámque intelligas, remitto te ad Anſelmum, qui eodem modo contra te argumentatur & colligit: vt ſim breuior. Quid Ioannes, qui ex Euangeliſtis optimè Chriſti Verbi Dei deitatẽ propoſuit? *Hic eſt verus Deus*, ait, *& vita æterna*: Atqui Deus non eſt, *qui ab alio eſſentiam & vitam ſuam mutuatur*, vt tu, Genebrarde cum Gentili ſentis.

Anſ. Monologii cap. 44. 1. Ioan. verſ. 20.

Quod ſi deitas quæ eſt in Patre à ſe eſt, Chriſti verò ab alio: ſi Patris Eſſẽtia diuina eſt, & ſubſiſtit à ſe ipſa & per ſe ipſam: Filij verò deitas & eſſentia à Patre, & per Patrem eſt, & non à ſeipſa. Si Pater Deus eſt originaliter, & primariò, Filius autem participatiuè, dependenter, & ſecundariò, quomodo verè dixit Chriſtus, *Ego & Pater vnum ſumus*? Quomodo Ioannes rectè, λόγος *erat Deus ille*. item, *erat apud Patrem?* & cur non dixit, erat à Patre? Cur non dixit, *factus eſt Deus*, cùm non eſſet: ſed dixit, Erat Deus? nec enim idem ſignificat Filium fuiſſe Deum à principio, & factum eſſe Deum: Filium fuiſſe Deum apud Patrem, & fuiſſe Deum à Patre Deo.

Ioan. 10. verſ. 30.

B

Ioã. 1. v. 1.

Priora tu negas vera, quę veriſſima tamen eſſe docet Ioannes: poſteriora tantùm vera eſſe concedis, quo modo tamen non eſt loquutus Ioannes, maximus ille & veriſſimus deitatis Filij Dei pręco. Quomodo denique Filius & Pater verè erunt vnus Deus, vna Eſſentia, & (vt loquitur vbique Cyrillus) ταυτότης οὐσίας: ſi Pater à ſe eſt Deus, Filius autem à Patre Deus? Ergo ex ſuperioribus omnibus id, quod res eſt, concludamus, dicamúſque cum Spiritu ſancto, cum tota pia vetuſtate, quòd Pater & Filius perſonis & hypoſtaſi ſua differunt, quod relatione, & ſecundum relatiuum differre, dixit Aug. Natura verò, eſſentia, & deitate inter ſe nullo prorſus modo diſcrepant, neque diſcrimen habent, id eſt, nulla diſtinctione (vt apud Cyrillum interpretes loquuntur) notam aut differentiam diſtinctionis & differentiæ habent.

Concluſio omniũ ſuperiorum autoritatum.

C

A. lib. 5. de Trinit. c. 6. lib. 6. c. 3

Itaque vt à ſe & per ſe viuit Pater, quâ Deus eſt: ita & Filius quia idem eſt verus quoque Deus & tam verus & tam potens quàm Pater, & eadem omnino numero eſſentia cum Patre, & à ſe & per ſe viuit, & Deus eſt. Quando verò Pater & Filius inter ſe propter diſtinctas re ipſa eorum hypoſtaſes conferuntur: Filius eſt à Patre, Pater à nullo. Et hoc ipſum eſt, quod ſibi vult Aug. cùm ait, *Non ideo non à ſe operari Filium quia non eſt à ſe:* nempe ſpectans perſonarum diſcrimen, non autem eſſentiæ, & deitatis eorũ, proprietates & vnitatẽ. Idem enim in eodẽ opere ſe ipſum explicãs ait, *Quicquid à ſe dicitur præſtantiſsima illa & diuina ſublimitas, & de tribus, & ſingulis æqualiter, pariter & ſubſtantialiter dicitur.*

A. lib. 2. de Trinit. cap. 1.

Lib. 5. ca. 8

Denique Anſelmum quoque audiamus, qui ſummam omnium naturarum naturam & ſubſtantiam *A ſe* (audi Genebrarde) *ſine alterius naturæ auxilio eſſe quicquid eſt*, verè affirmat. Aliàs enim Deitas Patris & Filij

Anſel. ait Filiũ à ſe naturã habere. in Monolog. c. 25.

A Filij, latiſsimè diſtẽt neceſſe eſt. Nã *quicquid* (ſubiicit idẽ Anſelm.) *ex aliquo vel per aliquid incipit eſſe, non eſt omnino idem illi, ex quo & per quod incipit eſſe.* Ergo ſi illa eſſentia diuina eſt in Patre à ſe, in Filio autẽ ab alio: alia atque alia ſit illa eſſentia neceſſe eſt. Atque ita iã multiplex erit Deitas, non vna vel ſimplex. Quod tecum & facilè & lubẽter concedit Gentilis. Hoc igitur ſit noſtrũ ad varias illas Patrũ ſententias abs te prolatas, ſed non intellectas reſponſum, vt illi ratione perſonæ, non autem ratione eſſentiæ Patris eſſentiã fontanã, Filij verò eſſentiã genitã, & ſimilia quędã dixiſſe intelligantur. Cæterùm ad alia tua argumẽta quę reipſa pauca ſunt, etſi multas paginas imples, accedamus. Affers igitur ~~ſecundum argumentum~~ (paucis enim longiſſimam illam tuam orationẽ cõplector) ab ea authoritate, quæ maximè pro te facere videatur, ſumptũ: Nimirũ Euſebiũ Cæſarienſem nobis obiicis, qui Filiũ οὐσιωμένον dixit, id eſt, vt tu vertis eſſentiatũ. Hoc eſt robuſtiſſimũ tuũ aduerſus nos telũ. Quod vt depellam non eſt

Anſel. ca. 17.

B mihi lõga oratione magnóque pręſidio opꝰ. Etſi enim excipere poſſum, cum ipſum à nõnullis aliquo pacto Arianizantem cenſeri: tamen meliora de tanto ſcriptore ſentire placet, quẽ etiã aiũt ſe ipſum poſtea emendaſſe. Quid igitur? nec hoc ipſum intelligis, Genebrarde, cur ſic ab iſto ſcriptore dictũ ſit. Prudẽter enim, & piè ſic ſcripſit Euſebius, non vt Valentini Gentilis, aut Triouſianorũ errori faueret (quem tu ſpargis & ſuſtentas) non vt mutuatitiam in Filio Deo deitatem cõſtitueret: non vt inter Patrẽ & Filiũ diſcrimen eſſentiæ ratione poneret (quod tu cũ Valentino cõtendis:) ~~ſed vt veram~~ eſſe Filij perſonã, ~~id~~ eſt, verè aliquid & οὐσιῶδες & ὑφιστηκὸς, non autem rem quandã fictitiã & imaginariam indicaret. Ergo Euſebius hac voce docet Filiũ verè & eſſentialiter ſubſiſtere, neq;, vt Sabelliani cenſebant, nomine tenus & ſola cogitatione à Patre diſtingui. Itaque οὐσιωμένον Filium ille dixit, tum æternitatem Filij, tũ etiam ὕπαρξιν veram declarans: nõ autem vllã eſſentiæ ratione in Patre, & Filio differentiã.

C Diximus & nos quoque, & cõcedimus hoc ſenſu rectè & piè, & orthodoxè Filiũ dici οὐσιωμένον, ne hypoſtaſin Filij cõmentũ tãtùm quoddã animi: nõ autem eſſentialem hypoſtaſin. & verã ſubſtantiam ac ſubſiſtentem dicere cenſeamur. Habet enim veram naturam perſona Filij, & quanquam diſtinctã hypoſtaſin à Patre, verè tamen realiter & eſſentialiter ſubſiſtentem. Sed propterea non efficitur Filium, quâ cõſideratur vt vnus cũ Patre Deus: vt vna & eadem cũ Patre eſſentia: vt nihil minus, nihil infirmius, nihil ingloriosiꝰ, nihil imbecillius, nihil poſterius, nihil egentius, quàm Pater ipſe, habens, vt denique nõ participatiuè, nõ precariò: ſed totaliter, integrè natura propria & ſua Deus eſt, à ſe eſſentiam non habere. Auguſt. *Quicquid eſt Pater, quò Deus eſt,* ait, *quò ſubſtantia eſt: hoc Filius, hoc Spir. S. & quicquid ſubſtantialiter dici poteſt de* Deo, *æquè de Tribus dicitur.* Itaq; hanc ipſam eſſentiæ in Patre, & Filio vnitatem vt melius demonſtraremus, & ſignificaremus, diximꝰ contra Valentinum, & omnes vnitatem illam diuinæ eſſentiæ diſcerpentes & diſtrahentes hæreticos, Filium eſſe & αὐτοούσιον & αὐτόθεον. Tu reprehendis, & cum Valentino miſero homine ſentis. Hoc eſt igitur, quod ad locũ Euſebij abs te adductum reſpõdemus. ~~Tertio verò loco co~~ntra nos A argumentũ à vocis αὐτος ſignificatione ductũ profers. Vis enim eam in indiuiduis tollere perſonarum relationem, adeò vt ſi dicatur Filius aut Spiritus ſanctus αὐτόθεος, ex tua interpretatione de voce αὐτὸς adiecta, iam omnis relatio, & diſcrimen perſonarum diuinarum ſublatũ ſit omnino, aut cõfuſum: neq; intelligi iam poſſit, quis ſit Filius, quis Pater. Hæc tuę argumentationis vis eſt: vt perſpicuè orationem tuam in pauca cõferam. Mi Genebrarde optarem, vt in hoc tam auguſto, & Theologico argumento, de Theologia potiꝰ, quàm de Grammatica eſſet mihi tecũ certamen. Sed quia vt errores tuos grauiſſimos cõfirmes, etiam verba captas, de iis quoq; mihi eſt ex lege diſputationis breuiter reſpõdendum. Dico igitur, atq. ſic dico, vt te tam parũ profeciſſe vehementer doleam, vetulum iam hominem, & cuius nomen in Bleſenſi conuentu nuper habito, tanquam hominis epiſcopatu amplo digniſſimi, relatum ſit, te ipſo id ambiente (vt ſcis) minimè omniũ quæ propria ſit huius vocis Αὐτὸς notio, B adhuc intelligere. Nã ea vſurpari & ſolet, & debet ex perpetuo linguæ Græcæ vſu nõ tantùm cũ proprias & naturaliter inſitas vires ab accidentariis diſtinguimus: ſed etiã cùm eas ipſas nõ beneficio alieno, vel participatione alterius, ipſiuſmet rei propria virtute ineſſe ſignificamus. Itaq; primùm omnium iſta vox excludit ea, quæ ἔξωθεν nobis adueniunt, & ſiue κατ' ἄλλο, ſiue ἀπ' ἄλλου, ſiue κοινωνίᾳ tantum quadam nobis, quanquã etiã naturaliter, inſunt. Deinde aliquid etiã amplius deſignat, quàm τὸ καθ' αὐτὸ. Nam καθ' αὐτὸ id tantùm denotat, quod nõ accidentariò nobis ineſt: ſed nõ omnem alieni beneficij in nos memoriã & cõmunicationem ſecludit, veluti, Vita eſt in hominis anima καθ' αὐτὸ quidem, nõ tamen ſic, vt eã alieno beneficio nõ habeat. Nã habet eam à Deo. C At quod eſt Αὐτοζῶον, & Αὐτοζωὴ, qualis eſt Deus, vitã habet nõ tantùm καθ' αὐτὸ, ac minimè ἔξωθεν, vel κατ' ἄλλο, vel ἀπ' ἄλλου: ſed etiã à ſeſe ipſo, ſua ipſius potẽtia, & natiua vi ac facultate. Itaque quæ hoc nomẽ habent, veriſſimè talia ſunt, qualia nominãtur. Ergo vocabulum αὐτὸς adiectũ apud oẽs probatos authores ſignificat nõ tantũ nõ aduẽtitias proprietates, aut vires: nõ extraneas: ſed etiã quas à ſe ipſa ea res habet, nõ autẽ aliundè: nõ cõmunicatione ſibi ab altero facta: ſed ſua vi ꝓpriáque poteſtate: denique quas πρῶτον & domi natas, nõ autẽ foris illatas & datas poſsidet qualitates: ſed eſſentiales & rei à ſeipſa inhęrentes. Quod vt doceã, cuiꝰ generis authores vis ꝓferã? Vis ꝓfanos? Platonem dico, & Platonicos, qui huiꝰ vocabuli αὐτὸς interpretationem accuratè ſunt ꝓſecuti, ſi qui alij. Irrideres fortaſſe, quia etſi diſertiſſimi ſcriptores ſunt, ſunt tamen profani. Ergo ad pios ſcriptores te reuoco, nõ ad Richardũ bardũ ſcriptorem, & tamen tibi, vt video, familiariſſimũ: ſed ad ſui ſęculi lumen, Iuſtinũ illũ Martyrẽ, & ꝓ Chriſti noĩe mortẽ paſſum. Audi igitur Iuſtinum, ꝗ huiꝰ vocis proprietatem ſic breuiter tradit, ἡ γὰρ αὐτὸς ἀντωνυμία τὸν ὄντως ὄντα σημαίνει θεὸν, id eſt, pronomen αὐτὸς eum ſignificat, qui verè Deus eſt. Quare ſi Chriſtum αὐτόθεον eſſe adhuc negas, non vis eum verè eſſe Deum. Ergo iã Arianizas. Dic mihi tu idem, nónne eſt Chriſtus αὐτοδίκαιος (vt paſſim patres oẽs orthodoxi, & Gre

A ci diſertiſsimi ſcriptores loquuntur) αὐτάγαθος, αὐτοκράτωρ, αὐτοσύστατος? In quibus omnibus vox Αὐτὸς proprias, naturaliterq; & à ſeipſa inſitas proprietates, vires, & (ſi ita dicendũ eſt) qualitates ab accidentariis & aliundè influentibus ſecernit. Perſonarum autem relationem vox Αὐτὸς in diuinis nec tollit (vt tu tamen putas) nec attingit, vt ex iis exemplis vides. Nam tam Patres omnes perſonarum diſcrimẽ tollerent cùm Filium αὐτοδίκαιον, αὐτοσύστατον, αὐτοάγαθον appellant, quàm nos cùm αὐτόθεον vocamus. Quod tu crimen orthodoxis illis Patribus fortaſſe nõ audebis impingere. Iam verò quæro cur rectè & vere Filius ille æternus Αὐτοδίκαιος, Αὐτοσύστατος, &c. nominatur? Certè quia idem ille eſt αὐτόθεος, & iſta non alieno beneficio, ſed ſuo iure: non aduentitiè, ſed à ſeſe, & naturaliter habet, nempe iuſtitiam, exiſtentiam, bonitatem. Neque enim alius αὐτοσύστατος, aut αὐτοδίκαιος, aut αὐτάγαθος eſſe poteſt quàm qui ſit idẽ αὐτόθεος, & cui vox ipſa ipſa αὐτὸς meritò tribui, & poſsit B & debeat. Ex quo apparet quàm ipſe, aliorum tam acerbus cenſor, & virulentus calumniator, fallaris, qui cùm αὐτόθεον interpreteris eum eſſe, qui καθ' ἑαυτὸν ſit Deus: neges tamen Filium rectè & piè αὐτόθεον nominari: quaſi verò οὐ καθ' ἑαυτὸν ἀλλὰ καθ' ἄλλο, καὶ κατὰ συμβεβηκὸς ſolùm Filius Dei æternus ſit Deus. lib.1.57. Quò quid magis impium dici, aut, niſi te Iudæum profitearis, cogitari poteſt? Sed quid tecum diutius contendo? qui Athanaſium, Epiphanium, Baſilium Magnũ, fautores meę ſententiæ habeam, tibi autem aduerſarios. Illi enim Chriſtum αὐτόθεον, αὐτοτέλειον, αὐτοδεδοξασμένον appellare, nunquam, vt tu, dubitarunt. Qui denique te ipſum tuo ipſius teſtimonio, (tanta vis eſt veritatis) tanquam gladio iugulatum, & refutatum teneam: dum, ſi hac voce æqualitas θεότητος ſignificetur, eam orthodoxè vſurpari de Filio tãdem cõcedis. lib.1.pag. 73. At non modò æqualitatem, ſed (quod, quia Arianizas, dicere non audes) identitatem deitatis, & eſſentiæ in Patre & Filio & Spiritu ſancto, hac voce ſignificari volumus, & cum Cyrillo cõſtanter affirmamus. Filium igitur hoc modo lo- C quendi non tantùm Patri συνούσιον (vt tu frigidè de lib.1.pa.9. Chriſti deitate ſentiens, loqueris) non tantùm ἰσόθεον, & ὁμότιμον: ſed, vt pij & orthodoxi Patres ſemper apertè dixerunt, Patri omnino ὁμοούσιον eſſe clamamus, affirmamus, demonſtramus. Itaque eſſe αὐτόθεον. Quid autem hac noſtra cõfeſsione magis eſt ab omni vel Sabellianiſmi, vel Arianiſmi ſuſpicione remotum? Itaque vel malitioſè peccas Genebrarde, qui cùm noris pium & ſanum eſſe noſtrum ſenſum, ex verbis quibuſdam perperam abs te detortis, errorem nobis affingis: vel inciuiliter facis, (ne quid in te grauius dicam) qui, non tota ſententia noſtra perfecta, temerè de nobis pronuntias. Cæterùm ex eodem erroris tui fonte proficitur, quod nos accuſas, quoniam eũdem Dei Filium & λόγον illum Æternum αὐτούσιον diximus. In quo quid eſt, obſecro, quod nouè nobis effatum calumniari debeas? Quid eſt, quod non & cum veritate conſentienter, & cum tota erudita vetuſtate laudabiliter ſit à nobis ſcriptum? Sed tuo ſcilicet palato nõ arridebat vox iſta, tam auguſtè & perſpicuè Chriſti maieſtatem, & deitatem eandem cum Patre explicans. Quid tamen eſt, in quo nobiſcum planè non ſentiat, & loquatur Baſilius ille Magnus, Eunomiani dogmatis. i. A teterrimi Arianiſmi expugnator? Quid enim differt Chriſtum αὐτούσιον: vel αὐτούσιαν ζωήν, αὐτοζωήν, aut αὐτοάγαθον appellare? Baſil.li.1. 2. & cõtra Euno. quod facit ſępiſsimè Baſilius. Quid quòd idẽ Baſi. in Homilia de Fide ſic ait, ἔχοντος υἱοῦ τὸ πατρικῆς θεότητος ἀξίωμα? Quid expreſſius dici potuit? Ergo hæc eſto noſtra ad ſuperius tuum argumentum reſponſio, ex qua facilè iam intelligere potes, quid vox Αὐτὸς ſignificet, & cur Filio, qui verus eſt Deus, & Patri ὁμότιμος, à nobis tribuatur. Atque vt ex ea perſonarum diſcrimen, atque diſtinctio nullo modo tollatur, vel etiam confundatur. Quæ cùm ad tertium tuum argumentum dicta ſint, accedo ad quartum. Ais Filium vocari à Damaſceno, & à Dionyſio αἰτιατόν. Ex quo tu colligis, ac infers, Ergo non poſſe dici αὐτόθεον & αὐτούσιον. Sed reſpondemus, neque hoc ipſum qua ratione de Filio dicatur abs te quoque intelligi. Putas igitur Filium ſic ab illis appellari, vt alteram Filio quàm Patri eſſentiã tribuant: & deitatis multiplicationem inducant: Falleris totò cœlo. Nam ne numeri quidem ratione alteram Filij, & Patris deitatem eſſe ſcriptores illi quos producis, vnquã ſenſerunt. B Quid igitur? Ad perſonarum veram ac realem diſtinctionem duntaxat demonſtrandam illi ſic Filiũ vocant, nempe αἰτιατόν: Patrem verò αἴτιον. Itaque non ad οὐσίας. i. eſſentiæ diuinæ differentiam vllam ſignificandam, ſed ad ipſum tantùm ὑπάρξεως modum diuerſum explicandum vox iſta ab iis ipſis vſurpatur, vt ex ipſius Damaſceni libr. 1. c. 9. de orthodoxa fide ſatis intelligitur. Fortaſſe mihi non credis: ac ne ipſi quidem Damaſceno, ſe & Dionyſium ſic interpretantem, Audi igitur Baſilium tibi reſpondentem, & phraſes iſtas non à Damaſceno, nec à Dionyſio primùm: ſed à vetuſtioribus Patribus vſitatas exponentem. Sic igitur Baſilius ille Magnus, αἰτίαν ὑπάρξεως ἐκ πατρὸς ἔχει ὁ υἱός. lib.2. contra Eune. Ecce igitur cur αἰτιατὸς Filius appelletur nempe ſolius ὑπάρξεως ratione: non autem οὐσίας. lib.4. contra Euno. Alibi idem Baſil. Γέννητος γὰρ ὁ υἱός, οὐ καθ' ὃ οὐσία ἀλλὰ καθ' ὃ ἐγεννήθη. Damaſcenus ipſe, quem pro te teſtem citas, εἰ δὲ λέγομεν, ait, τὸν πατέρα ἀρχὴν εἶναι τοῦ υἱοῦ, καὶ μείζονα, οὐ προτερεύειν αὐτὸν τοῦ υἱοῦ χρόνῳ, ἢ φύσει ὑποφαίνομεν C (δι' αὐτοῦ γὰρ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν) οὐδ' ἐν ἑτέρῳ τινὶ, εἰ μὴ κατὰ τὸ αἴτιον, τοῦτ' ἐστιν, ὅτι ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς ἐγεννήθη, καὶ οὐχ ὁ πατὴρ ἐκ τοῦ υἱοῦ. Vides igitur quomodo ſuum illud αἰτιατὸν exponat aduerſus te Damaſcenus, vtque ex eo nullam diuinæ eſſentiæ multiplicationem inducat, quod & Gentilis & tu facitis: ſed tantùm veram eſſe trium illarum perſonarum diſtinctionem, inconfuſáſque earum proprietates oſtendat & probet. Ex quibus omnibus demonſtratum & concluſum eſſe arbitramur, quàm & piè, & verè, & orthodoxè Filium, qui verus eſt Deus, ratione vnius & eiuſdem cum Patre deitatis per ſe conſideratæ, & à ſe eſſe dicamus & eundem αὐτόθεον & αὐτούσιον appellemus. Quamobrem calumnioſè, immeritóque abs te traducimur, & pro hæreticis damnamur. Sed ne quid à nobis prætermiſſum iſte conqueratur, quod ſit ab eo ad noſtræ euerſionem ſententiæ millies repetitum: reliqua quæ aduerſus nos adducit argumẽta, breuiter perſequamur. Ait igitur, Si Filiꝰ habet αὐτουσίαν, omnino dura erit Niceni cõcilij oratio: ĩ qua apertè Deũ, de Deo eſſe Patres dixerunt.

xerunt.Quomodo enim Filius de Patre eſſe verè dicetur, & Deus de Deo, ſi ipſe quoque Filius & per ſe & à ſe Deus eſt,vt Pater?Hoc eſt quintum iſtius cōtra noſtram ſententiam argumentū.Cui ſanè vt ſatisfaciamus,illud breuiter reſpōdemus, quod eſt veriſsimū,in hac conſequutione Genebrardum perperam tanquā ab abſurdo aduerſus nos argumentari.Petit enim,quod aiunt, principium,& τὸ ἐν ἀρχῇ.Nam duram,& non ſatis commodam eſſe eam Niceni concilij phraſin, præſertim poſt Valentini & iſtius nouas interpretationes illi additas fatemur:&,ſi modò nos patienter audire voluerit, certè poſtea docebimus. Ergo quod affert & obiicit nobis Genebrardus tanquā nefas & ſcelus, ꝙ incommodam eſſe iſtam Patrū phraſin dicamus,& id ex noſtra ſententia colligi poſsit,nos ſanè facilè diluemus, & nos tanta inuidia,quam nobis conflare ſtudet,piè liberabimus. Cæterùm hæc quoque noſtra eſt ad hoc iſtius argumentum reſponſio:quòd cum dicitur, *Deus de* B *Deo*, tunc vox hæc Deus vtrobique perſonaliter accipiatur, non autem eſſentialiter, vt in ſcholis loquuntur.Id eſt,ſic interpretanda eſt hęc Patrū ſententia, non tanquam Deus alium Deum genuerit,vel tanquam Deitas aliam Deitatem produxerit:(nec enim iſta propagata Deitas verè eſſet Deitas)ſed quòd Pater,qui Deus eſt,genuerit Filium qui& ipſe quoque verus eſt Deus & Patri per omnia æqualis.De qua re, quia pluribus poſtea dicturi ſumus,~~ad ſextum ipſius~~ argumentum progredimur. Si Filius, ait Genebrardus, eſt αὐτόθεος, & αὐτοούσιος vti Pater, ergo erunt duo vel tres ἀγέννητοι.Id quod cōſequi,& ex noſtra ſententia effici docent (vt ait iſte) Tertull.& Hilarius: vel erunt duo ſaltem Patres,vel duo dij.Atque ita nos impij, qui vel plures deos, vel plures Patres C conſtituamus. Reſpondemus verò ad hanc tam inuidioſam calumniam, minimè tale quicquam ex noſtra ſententia ſequi poſſe,vt duos deos, vel duos Patres faciamus. Primùm enim non efficitur,etſi duos vel plures αὐτοουσίοις & αὐτοθέοις eſſe dicimus,vt plures quoque ἀγέννητοι eſſe dicātur:quia planè aliud eſt dicere aliquid eſſe ἀγέννητον, & aliquid αὐτόθεον vel αὐτούσιον.Nam non quicquid αὐτόθεον eſt, idem quoque eſt ἀγέννητον,etſi quicquid ἀγέννητον eſt, idem illud αὐτόθεον ſit oporteat.Ergo & Patrem,& Filium, & Spiritum ſanctum αὐτοθέοις & αὐτουσίοις eſſe rectè & piè profitemur, quos omnes tamen negamus dici poſſe ἀγεννήτοις.Nam αὐτόθεος & αὐτούσιος eſſentiam declarant,quæ vna eſt in tribus.ἀγέννητος ὑπόστασιν & ὑπάρξεως modum,qui in vnaquaque perſona diſſimilis eſt.Ergo ἀγέννητον & γέννητον,cum Baſilio,cum Epiphanio,cum Damaſceno,non eſſentiæ:ſed hypoſtaſeos ſiue ſubſiſtentiæ tantùm differentias,& diſcrimen eſſe, in Patre & Filio defendimus atque contendimus.Quā obrem cum ex ἀγεννήτου, & γεννήτου vocabulis plures eſſentiæ, duóque dij colligūtur(quemadmodum hic apertè cum ſcelerato illo Valentino facit Genebrardus)toto certè cœlo aberratur:& qualitas, vt ita dicam, cum eſſentia confunditur, magnáq; rerum ignoratione res diſsimillimę inter ſe miſcentur.Vnde fit,vt cùm id faciat Genebrardus,& ſe & alios in labyrinthos iſtos & laqueos inextricabiles miſerè induat. At qui ex αὐτοουσίου vel αὐτοθέου & ἀπαλλουσίου vel ἀπαλλοθέου vocibus plures eſſentias pluréſque deos eſſe colligunt, illi certè rectè argumentantur.At verò tu is es, A Genebrarde,qui αὐτοούσιον & ἀπαλλοούσιον in diuinis conſtituis. itaque ex tua ſententia plures diuinæ eſſentiæ,pluréſque dij ſtatuuntur. Nos certè de Filij οὐσία per ſe & extra perſonam Filij conſiderata idem,quod de οὐσίᾳ Patris dicimus: quia vtriuſque vna eſt deitas & eſſentia, illam eſſe nimirum αὐτοούσιον.Propterea tamen γέννητον aut ἀγέννητον tolli à nobis in perſonis diuinis: aut duos Patres,& duos ἀγεννήτους conſtitui negamus. Nos enim de eſſentia agimus:vocabula verò illa perſonas ſpectant,& velut qualitates quaſdam, certè proprietates,aſſignant perſonis. Negamus præterea idē eſſe cùm dicimus Filium eſſe αὐτοούσιον & ἀγέννητον: nam illud rectè dici & orthodoxè poteſt, quia cùm de Filio agamus(in quo vocabulo perſonæ quoque ratio comprehenſa eſt) non poteſt Filius ἀγέννητος dici vel cogitari: deſineret enim eſſe Filius:& aliud eſt de Filio loqui:aliud de Eſſentia diuina. Quod ſi quia Filium αὐτοούσιον dicimus, negaremus eſſe γέννητον,rectè concluderet ex Tertul.Genebrardus,nos facere & inducere in Trinitatem duos ἀγεννήτους: ſed cùm vtrunque rectè inter ſe cōſentiat,& à nobis quoque concedatur, nihil eſt qđ nos talis appellationis vi, vrgeri quis putet.Dicimus igitur Filium αὐτούσιον:negamus tamen propterea eſſe ἀγέννητον. Αὐτούσιον dicimus quatenus Deitatis vnitatē in tribus perſonis ſpectamus:negamus eſſe ἀγέννητον,quatenus perſonarum realem diſtinctionem & ὑπάρξεως modum conſideramus.Iam verò quòd duos Patres ex eo,quòd Filium quoque αὐτόθεον appellamus,immitti à nobis in Trinitatem colligis,erras.nam αὐτόθεον vocem ad originem perſonarum tollendam perperā referri antea docuimus,quæ teſte Iuſtino Martyre linguæ Græcæ, & Chriſtianæ Theologiæ peritiſſimo,ad ipſius eſſentiæ genus, & diſcrimē ab aliis rebus (quibus Dei nomen communicatur) deſignandum adhibetur.Cùm igitur relationem,ordinem,& perſonas ex hac voce tollis,ipſe C propria huius vocabuli ſignificatione abuteris, αὐτόθεον pro ingenito ſumens imperitè, atque in nos calumnioſè. Αὐτόθεος igitur eſſentiæ ipſius genus,& naturam declarat:ἀγέννητος autem ſubſiſtendi modum,& diuerſam ὑπάρξεως conſtitutionem, atque rationem. Nec eſt quod putida (ne dicam impudenti)calumnia toties nobis obiicias, perſonas in Trinitate à nobis fingi, & conſtitui tanquam diuerſas tantùm qualitates, & phantaſticas animi notiones, Sabellianorum & Aetianorū more:falleris & hîc quoque.Perſonas enim reipſa ſubſiſtentes eſſe dicimus, & tria ἐνυπόστατα: quorum vnus,nempe Pater,neque ſit,neque etiā eſſe poſſit alter,id eſt Filius:itidem nec Filius,Pater:& neuter Spiritus ſanctus.Itaque tria, & numerabilia quidem(quia verè & diuerſa hypoſtaſi ſunt diſtincta)ponimus:&ita diuerſa,vt ſint etiā propriæ & incōmunicabiles quędā cuiuſque perſonæ actiones:exempli gratia,in eodem ſalutis noſtræ opere ſpectatur in Patre, Beneplacitū:in Filio ipſa Incarnatio:in Spiritu ſancto,Virginis obumbratio.Ergo in Trinitate aliū atq; aliū inducimus:aliud autem atque aliud (quod tu cum Valentino Gētili,facis)tollimus, id eſt,tres perſonas, & vnam eſſentiam τρισυπόστατον confitemur. Quid tu verò Genebrarde, quid contrà profers,& ſentis?Hoc certè, quod iam ſequitur,

Li.1. pag. 48.

quódque quàm piè, vel potius quàm impiè abs te dictum ſit, ipſe fortaſſe iam agnoſcis, *Quod in hominibus habetur conſanguinitas*, ais, *id propemodum communē eſſentiam, ſeu conſubſtantialitatem in* Deo *appellamus.* Verba tua, vt opinor, agnoſcis: verba (inquam) ex quibus per te paria blaſphemo Valentino ſentientem, emanatio perſonarum planè iam erit deitatis προβολὴ, & propagatio: ac tandem ex tuis verbis, vt in pluribus ex vno ſanguine ortis conſanguineis, ſic in tribus illis perſonis, non eſſentiæ vnitas, ſed veriſſima deitatis multiplicatio ſtatuetur. Itaque nos Chriſtiani, cùm Patrē, Filium, & Spiritum ſanctum adorabimus, plures deos per te adorabimus, & erit Chriſtiana religio Ephe. 3. v. 15. profana πολυθεΐας confirmatio. Vides igitur quò tandem nos deducat blaſphema tua & ſententia & oratio. Quod verò à Paulo dictum eſſe fortaſſe tunc cogitabas, ac in animo habebas, totam videlicet, quæ in cœlo & in terris eſt, familiam & πατριὰν à Deo eſſe: B aliò, id eſt, ad totius Eccleſiæ conſociationem explicandam planè pertinet. Quem locum tu niſi ex doctorum noſtrorū ſcriptis nunquam certè intelliges, ad quæ breuitatis cauſa, & ne quid alienum ab hac diſputatione inſeramus, remittemus. Atque hęc ſit ad ſextū tuum argumentum noſtra reſponſio. 7. argumē tū Geneb. lib. 1. p. 43. 44. 45. Septimo loco ſubiicis, atque obiicis, nos fruſtra diſtinctionē iſtam afferre, vt Filium ratione perſonæ à Patre eſſe dicamus: ratione verò deitatis, & eiuſdem numero cum Patre eſſentiæ, à ſeſe habere quod eſt. *Neque enim in Deo aliud eſt*, ais, *eſſe Deum, aliud perſonam eſſe.* Itaque cùm iſta diſtinguimꝰ, infers nos fingere Filium Dei ex duobus compoſitum, quorum vnum ſit innatum, nempe eſſentia: alterum natum, nempe perſona. Abſurdum autem eſſe, ſi vnum & eundem hominem (qui tamen ex duplici natura componitur) veluti Abelem, ratione perſonę ex Adamo procreatum dixerimus: ratione verò eſſentiæ ἀγέννητον, & nō ab Adamo eſſe. C Id quod multo minùs de Deo, id eſt, vel de Patre, vel Filio, vel Spiritu ſancto dicendum eſt, cùm ſit ex his tribus perſonis vnaquæq; res quædam ſimpliciſſima, minimèque compoſita. Hæc eſt tuæ argumentationis vis tota, quam pluribus paginis, & verbis es perſecutus vt librum tuum impleres. Sed quid facilius ſolui, & breuius explicari poteſt? Primùm igitur & fatemur & agnoſcimus, Deitatem eſſe quiddam ſimpliciſſimum, quale neque ingenij humani acies vlla ſatis capere poteſt, neque etiam ipſa Angelica intelligentia & natura. Perſonarum tamen, quæ in ea ſimpliciſſima natura ſubſiſtunt, rationem ab eſſentiæ definitione, ac cogitatione diuerſam diſtinguendámque nihilominus eſſe contendimus, vbi de propria cuiuſque perſonæ ratione, & definitione quęſtio eſt. Aug. li. 7 c. 1. de Tr. Præclarè enim Auguſtinus, *Omnis eſſentia quæ relatiuè dicitur, eſt etiam aliquid excepto relatiuo.* Et Sophronius Patriarcha Hieroſolymit. in aurea illa epiſtola ad Sergium Conſtantino. quæ citatur Actione XI. concilij VI. OEcumen. *Eſt igitur cum hoc quod Deus, Pater ipſe, Pater: & neque Filius neque Spiritus ſanctus.* Et paulo pòſt, *Cum hoc quod Deus eſt Filius, ipſe Filius, & neque Pater, neque Spiritus ſanctus.* Item poſtea, *Cū hoc quod Deus eſt Spiritus ſanctus, ipſe Spiritus ſanctus, & neq; Pater, neque Filius: ſed id quod Pater eſt, ſecundum eſſentiā creditur Spiritus ſanctus, & quod Filius eſt ſecundum naturam itidem annuntiatur: hoc quidem propter natu-* A *ram, & identitatem ſubſtantiæ & cognationem eſſentiæ. Illud verò propter alterificas horum trium proprietates, propterque diſſimilitudinem proprietatum, quæ inconfuſe vnamquamque formant perſonam.* Et hæc quidem Sophronius, vt perſonæ diuinæ rationem à cogitatione eſſentiæ diſtinguendam intelligamus. Ergo in Filij perſona (vt pro noſtræ, id eſt, humanæ capacitatis, modulo de ea diſputemus) eſt eſſentia: eſt etiam ipſa hypoſtaſis: & eſt vtraque in eodem diuino ὑφισταμένῳ, quemadmodum diximus diſtinguenda. Nam illa nempe eſſentia Filij, nihil à Patris eſſentia & deitate differt, ac ne numeri quidem ratione: hæc nimirum perſona Filij à Patris perſona & numero & ſubſiſtendi etiam modo re ipſa differt, atque diuerſa eſt. Sed tu vtranque hanc diuerſiſſimam cogitationem & rationem certè diſtinctam, confundēdam eſſe vis. Et hoc ipſum eſt quod planè ſentis, cùm ais non eſſe aliud in Filio eſſentiam, aliud perſonam: quaſi non ſit in vna & eadem anima hominis aliud memoria, aliud voluntas: & in ipſa adeò voluntate aliud eſſentia, qua eiuſdem eſt naturæ cum memoria: aliud ea ratio, qua voluntas, voluntas eſt, & à memoria differt, atque diſtinguitur. Hac enim facultatum animæ ſimilitudine vtuntur Patres ad Trinitatis myſterium explicādum. Hæc igitur, quemadmodum vides, primo loco ſunt tibi diſtinguenda, & alia eſſentialitatis: alia verò perſonalitatis ratio & cauſſa tibi conſtituenda eſt, etiam in vnoquoq. diuino ὑφισταμένῳ, niſi omnia perturbare, ac impiè tandem confundere cogites. Neque tamē cū hęc diſtinguimus, propterea in Filio vel Patre, duo quædā diſiuncta, aut realia (vt vocant) vel ſupponentia conſtituimus (id quod tamen peruerſe ex noſtra ſententia colligis) vt ſit quiddam ex duobus conflatum Filius vel Pater, vel Spiritus ſanctus: ſed eandem Filij perſonam duplici modo C conſideramus, vno quidem quo Filius Deus eſt, & idem cum Patre Deus, id eſt eiuſdem cum Patre eſſentiæ: altero verò, quo Filius Filius eſt, & ad Patrem relationem, ordinem & comparationem habet, qua ratione Filius nunquam Pater eſſe poteſt, nec eadem de Filio dicuntur, quę de Patre. Quanquam enim perſonæ diuinæ, neque extra ſimpliciſſimam illam eſſentiam ſubſiſtunt, neque cogitandæ nobis ſunt: eſt tamē in vnaquaque diuina perſona alia ipſius eſſentialitatis (vt id iterū dicā) alia ipſius perſonalitatis, ratio, cōſtitutio, fundamētū atq; cauſa: adeo vt neq; qua ratione eſſentia eſt, ſit perſona: neque qua ratione perſona eſt ab alia diſtincta, ſit quoque propriè eſſentia: quāuis, quēadmodū diximus, in vnoquoque eorū perſona & eſſentia nō re, ſed ratione diſtinguātur. Perſonę enim ratio & cōſtitutio in diuinis nō addit nouā aliquā eſſentiā, vel etiā aliud quicquā reale ad ſimpliciſſimā illā deitatē quam ſingulæ perſonæ habēt: ſed modū tātū diuerſámque rationē oſtēdit per quā ſingulæ illę vnā tamē illā deitatē in ſeſe habēt. Vnde rectè dicitur Patris nomē, & Filij nomē, nō eſſe eſſentiæ vocabula, & nomina, qualia hęc ſunt Deus, Aeternus, Iehouah, &c. quēadmodū tradit etiā Damaſc. Quo fit vt multa verè, & orthodoxè de Patris, vel Filij, vel Spir. ſancti eſſentia (id eſt, multa de Patre eſſentiæ ratiōe) dicātur, quæ de perſona, id eſt perſonæ

A ſonæ ratione,non poſſunt eadem enuntiari.Exẽpla earum rerum ſunt penè infinita,veluti, Filius eſt coæternus Patri,coomnipotẽs, coimmortalis: hæc eſſentię ratione veriſſimè dicuntur,atque tribus illis æquè cõpetunt: Pater tamen non eſt coincarnatus,nec concrucifixus, nec coexcitatus cum Filio.Nam iſtud perſonæ ratione, ſoli Filio cõuenit.Atque noſtram confirmant ſententiã omnia Patrũ ſcripta,& dicta:quę volũt *Ea quæ ſubſtantialiter*(id eſt,de Eſſentia diuina ſiue de Deitate)*enunciantur: eadem de ſingulis perſonis enunciari:* quia tres illæ perſonæ ſunt vna Deitas: *Quę verò perſonaliter dicuntur,ad vnam tantùm perſonam, non ad tres referri,& pertinere poſſe.* Quamobrem falſiſſimè abs te tollitur diſcrimen,reſpectúſque iſte, quo in eadem perſona (veluti Filio) illius eſſentia,& Deitas,à perſonæ ratione diſtinguitur: atque propter quem Filius diuerſas admittit proprietates, Li.i. pag. 45. attributa,& enũtiationes.Id autẽ,quod nunc dicimus, etiam à te ipſo poſtea verum eſſe agnoſcitur,adeò vt te ipſum ſanior factus refutes. B Nec verò,vt iam ad exemplum abs te propoſitũ accedam,quicquam abſurdi ſequitur,ſi multa Abeli tribuamus ab Adamo diuerſa,ratione perſonæ:multa item eidem ratione humanitatis & eſſentiæ,cum Adamo communia: exempli gratia, Vterq.homo fuit ad Dei imaginem factus, vterque creatura Dei,vterque ζῶον λογικὸν, & mortale: alter tamen duntaxat à Caino cæſus fuit,Abel nimirum,non Adamus: alter tantùm Dei manibus formatus,Adamus nẽpe,non Abel. denique quid ſingulas iſtas differẽtias perſequi neceſſe eſt? Hoc tamen Abelis.& Adami exemplum,à Patre & Filio diuinis perſonis eò differt, quòd Abelis humanitas ab Adami humanitate vel ab Adamo patre genita rectè & dici,& ſentiri poteſt,quia ſunt duæ humanitates diuerſæ non tantùm exiſtendi modo:verùm etiam numero, viribus, tempore, C & loco ſeparatæ: denique ipſius humanæ eſſentiæ diuerſa participatione differentes. At quæ in Patre Deo deitas eſt,eadẽ & ſingularis eſt (eſſentiæ ratione)atque in Filio,& Spiritu ſancto:adeò vt non magis illa in Filio(ſublata perſonæ ratione,ac conſideratione)ab alio eſſe dici poſſit, quã in ipſo Patre.Nam rectè Boethius: *Relatio non facit alteritatem in perſonarum eſſentia:* vt Baſilium,& Auguſtinum,& Damaſcenum,& Cyrillum, tam ſæpe à me iam citatos, breuitatis cauſa, nunc omittam.In diuerſis enim,& numero pluribus hominibus,rectè dici poteſt: Hanc humanitatem illius filiam eſſe:at de vna & eadem numero deitate,Patris,& Filij, impiè affirmatur deitatẽ hanc illius filiam eſſe:ne res eadem & vna numero,cõſtituatur à nobis multiplex,nempe ſui ipſius mater & filia:Id quod eſt prorſus (vt totis libris de Trinitate docet Auguſt.) Lib.i.cap. 48. ἀδύνατον,& ἀσύστατον. Cæterùm quæ ex Ioanne,à nobis allata refutare tentas,illa te magis ac magis conſtringunt. Aeſtuas tu quidem & ſudas,ſed quis vnquã aduerſus Dei veritatem fuit fœlix hominis conatus? Diximus igitur & adduximus ex Ioannis Euangelio ad noſtræ ſententiæ confirmationem hæc verba, Ioan.10. v.30.14.v.9.17.v.10.1.v.1. *Ego & Pater vnum ſumus, Philippe qui me vidit, vidit Patrem, Omnia mea tua ſunt,& omnia tua mea. In principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deum, erátque Sermo ille Deus. Glorifica me tu Pater apud temetipſum ea gloria quã habui apud te, priuſquam hic Mundus exiſteret.* Quos locos obſeruans diligẽter Cyrillus annotat,Scripturam dicere, *Apud te, & apud Deum*, πρὸς τὸν Θεὸν, ϗ παρὰ τῷ Θεῷ: non autem dicere, ἀπὸ τοῦ Θεοῦ,(vt tu vis) vel ἐκ τοῦ Θεοῦ, vt alibi de aliis rebus agens eadem ſcriptura loquitur, 1.Cor.8.v.6. Coloſſ. 1. v.16. ne inſititiam,vel aduentitiam,precariam, vel participatam,aut donatam à Patre deitatem,in Filio eſſe cenſeremus:quod tu tamen contra tam manifeſta ſacræ Scripturæ verba vis, & cum Gentili blaſphemo defendis. Eodem etiã pertinet quod idem Ioannes,agens de Chriſto,ait, Ioã.5.v.20 *Hic eſt verus Deus,& vita æterna.* Eódem denique Cyrillus refert, Theſau.li.3. Ioan. 6. v.57. quod ait Chriſtus ipſe κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα. *Et ego viuo propter Patrem*: quanquam alij aliter,orthodoxè tamen,explicant. Cùm enim vnum eſſe Deum,natura,& ſcriptura clamet: hac gloria & honore Filiũ exueremus,niſi οὐσίας identitas, nullomodo varians,in eodem ſit:ait Cyrillus. Dialog. 3. Sed cũ nos tot Ioannis Euangeliſtæ,Filij tonitrui,voces (id eſt,cùm tot verbi Dei fulmina) aduerſus omnes hæreſes,quæ Chriſti θεότητα, B vel(quemadmodum facis)arrodunt,vel imminuunt, vel omnino tollunt, proferimus:tu in his partim eleuandis, partim corrumpendis laboras, ſed fruſtra. Vincere quidem in ſententia & cauſa quantumuis impia,quam agis,tibi omnino quo iure,quáve iniuria,propoſitum eſt,ſed nunquam poteris. Vincit, Genebrarde,veritas,quã nos ex ſacroſancto Dei Verbo(vt crepent Gentiliani, & Ariani omnes) tuemur. Sed octauo loco obiicis, nos ex Manichæorum errore duo principia conſtituere, 8. argum. Genebr. li.1. p. 49. ſi Filium eſſe αὐτόθεον affirmamus quemadmodum Patrem. Quod de nobis veniſſe vnquam in mentem tibi potuiſſe,miramur. Qui enim fieri poteſt, vt duo principia ponamus, Reſpõ. 1. qui tam diſertè vnicam,& ſingulariſſimam deitatem eſſe confitemur, & contra te,omnéſque Gentilianos hæreticos contendimus:quoniam eam cum Valentino Gentili præceptore tuo apertè multiplicas? Denique (vt nihil quod à te ſit nobis obiectum,intactum relinquã)falleris,cũ idcircò putas in Filio nos face- C re aliud eſſentiam,& aliud perſonam: lib.1.p.45. quia perſonæ definitionem, & conſtitutionem diuerſam eſſe ab eſſentiæ ratione, & definitione demonſtramus.Nam neque Filium duo ὑφιστάμενα, neque in vna Filij ὑποστάσει duo Realia,& ἐνυπόστατα, vt antea docuimus,facimus: cùm id quod perſonam à perſona in diuinis conſtituit & diuerſam facit, ſit tantùm modus τοῦ ἔχειν,& participandi eandem eſſentiam diuinam: non ſit autem ſecunda quædam & altera res vel eſſentia, quæ cum diuina eſſentia in quaque perſona coaleſcat, & quiddam ex duabus naturis compoſitum efficiat. Sed hæc crambe toties à te recocta & appoſita,vt eſt inveteri prouerbio, mors eſt, & planè lectoribus faſtidium parit. In vnoquoque igitur S. Trinitate ὑφισταμένῳ,id eſt in quoque ſingulo Trinitatis, vt Patres loquuntur,per ſe cõſiderato, neque aliud, neque alium ſtatuimus, quaſi ipſas hypoſtaſes diuinas quiddam cõpoſitum, vel ex pluribus ſubſiſtentibus rebus, eſſentiis vel naturis conflatum, vel ex pluribus partibus cõſtãs eſſe dicam*. li.5.de Trinit. Aſſentimur enim Auguſtino dicẽti, *ibi*(id eſt, in quoq; ſingulo Trinitatis)*non ad aliud relato, non eſt aliud eſſentia, aliud perſona.* Sed tamẽ in quaq; hypoſtaſi (etſi verè ſimpliciſſima quædã res eſt) Dei verbo edocti,patrúmque optimorũ & orthodoxorũ

A veſtigia & verba ſecuti, rationem, definitionem, ac, ſi velis, formalitatem eſſentiæ, à deſignatione, & conſtitutione perſonę ſemper diſtinguimus, atque diſtinguendū eſſe docemus, vt eadē numero perſona, diuerſa tamen ratione eſſentia diuina dici intelligatur, diuerſa verò perſona diuina nominari. Nā etiā à tuis dicitur perſona eſſe aliquid conſtitutum ex eſſentia, & proprietate relatiua, ex qua proculdubio perſonalitatis ratio ſumenda eſt. Ex quo fit, vt de Patre aliquid ratione deitatis prædicetur, quod de eodem ratione perſonalitatis & relationis dici non poteſt: ne perſonas phantaſmata, & commenta quædā animi nuda, cum Sabellianis eſſe fingamus. Quale eſt iſtud, quòd Pater primum recenſetur: quòd Genitor appellatur: quod per Verbum omnia creaſſe narratur. Eodémque modo alia de Filio, qua Deus eſt, enuntiantur: alia qua eſt ipſe diuerſa à Patre perſona, reuera diſtincta, & ſubſiſtens: quale eſt quòd Filius Verbum Patris appellatur: B quòd ſecūdus in enumeratione & ordine locus illi datur: quòd ab ęterno glorificatus apud Patrē dicitur: quod genitus eſt. Demum (vt vno verbo dicam) alia ſunt in eodem diuino ὑφισταμένῳ ſiue προσώπῳ diuinæ eſſentię attributa, & propria: alia verò perſonæ ipſius, & hypoſtaſεως. Vnde illud quoque eſt tuorum (vt te per tuos præceptores conuincam) Perſona, ratione relationis, differt ab eſſentia. Etſi fundamentum & cauſa quæ perſonam in diuinis conſtituit, nō eſt quiddam reale vel eſſentiale, illa tamen diſtinguit & diuerſam facit vnam perſonam ab altera, atque docet eſſe reipſa exiſtentem ex modo eiuſdem eſſentię participandę diuerſo ab altera perſona & incommunicabili, ne perſonæ hę figmenta tantùm eſſe credātur.

C

HANC PHRASIN NICENÆ Synodi primæ, Deus de Deo, eſſe duriorem, & quidem poſt Triouſianorum & Serueti errores exortos maximè periculoſam, niſi dextrè explicetur.

CAP. II.

Et hæc quidem de prima tua in nos calumnia dicta ſint, Genebrarde, nunc ad reliquas accedo. In quibus idcircò breuior iam ero, quòd ex ſuperiore defenſione pendet reliquarum accuſationum depulſio: & labis, notarúmque, quibus calumnioſè abs te aſpergebamur, abſterſio. Quam igitur ſecundam calumniandi nos anſam arripis, hæc eſt nimirum, quòd hanc Synodi Nicenæ (cuius doctrinam tamen, in hoc de Trinitate argumento & fidem prorſus amplectimur) Phraſin diximus eſſe duriorē, *Deus de Deo*. Neque id quidem (ita nos Deus bene amet) animo de tātorum Patrum vel authoritate, vel eruditione detrahendi, ſcripſerunt præceptores noſtri, ſed quòd recens orti hæretici illa verba ad ſceleratæ ſuæ opinionis defenſionem inducere, non ſine quodam colore, ſemper conati ſunt. Vt igitur næuum iſtum, & labem, (quæ piis illis patribus, non ſine quodam probabili fuco, inurebatur) elueremus, diximus id quod res eſt, vitium iſtius orationis in verbis tantum ac lingua Patrum, non autem in mente, aut animo eorum inhæſiſſe. Eſſe quidē loquendi genus durum & ſubobſcurum, quod ſana interpretatione egeat: ſenſum autem & ſententiam Patrum ſemper orthodoxam fuiſſe. Hęc diximus aduerſus repullulaſcentes hæreticos Arianos, Seruetanos, Gentilem, & teipſum, Genebrarde & alios. Quid mitius, & æquius pro Patribus dici potuit? Genebrardus tamen offenditur, quia certè ex eorum numero eſt, quos his verſibus ſalſè irriſit Horatius Flaccus, Lib. 1 Epiſt. 1. qui ſua qualiacunque, etiam peſſima, tueri malunt quàm emendare, quíque ſibi applaudentes aiunt,

Prætulerim ſcriptor delirus, inérſque videri,
Dum mea delectent mala me, vel denique fallant,
Quàm ſapere & ringi.

Et quæ ſequuntur. Neque. n. iſta quæ pueri diſcebamus, longiùs commemorare velim: quanquam tu nos in tota hac grauiſſima de S. Trinitate diſputatio, ad puerilem quandam Grammaticam reuocas: & θεολογίαν καὶ εὐσέβειαν in λογομαχίαν atque λογοδαιδαλίαν conuertis. B Totum enim huius incōprehenſibilis rei myſterium, vim, & notionem in iſtis Grammaticorū particulis In, A, Ex, Per, ſitā eſſe, non in ipſarum rerū dilucida explicatione, & verbo Dei conſentanea traditione putas: In Reſp. Schecgk. pa. 40. & nos verbis, non verba nobis, ſubiicere conaris & cogitas. Atqui longè ille quamuis Ethnicus, melius & rectius, Nam mihi res, non me rebus ſummittere conor: Hora lib. 1. Epiſt. 1. nedum vt verbis ſeruire velit. Sed & hoc ipſo Ethnico homine lōgè etiam melius, Pater Hilarius iampridem ſcripſit: *Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, quia non ſermoni res, ſed ſermo rei ſubiectus eſt.* libr. 4. de Trinit. Sed age veram eſſe noſtram in hoc Patrum dicto, *Deus de Deo*, interpretationem, & ſententiam demonſtremus. Primùm autē mirū tibi Genebrarde, fortaſſe videtur, quod diximus Patres nonnunquā durius in hoc præſertim tā ineffabili argumēto, (in quo humanum, quemadmodum inquit Aug. laborat eloquium) eſſe loquutos. Quid igitur ad infinitos Tertulliani, Hilarij, atque etiam ipſius Auguſtini locos reſpondebis? vbi pius quidem eſt eorum ſenſus, verba tamen ſunt, etiam ſummo illo tuo C præceptore Petro Lombardo & teſte, & cenſore duriora, & periculoſa? Atque huius rei pauca hęc ſint è multis exempla, ne contra præceptum diuinæ Legis, Leuit. 18. verſ. 7. detegam turpitudinē Patrum: quod nonniſi inuitus facio, tua, & aliorum hæreticorū tibi ſimilium importunitate & conuitiorum acerbitate pertractus, atque vt ſacroſanctam Dei veritatem aduerſus veſtras calumnias defendam. Durè loquitur Auguſt. (pace tanti viri dixerim,) cùm ait, Deus cùm Verbum genuit, id quod ipſe eſt, genuit. lib. de Fide & Symbolo ca. 3. Hoc enim & ad perſonam, & ad eſſentiam referri à te & verborum captatore & hæretico poteſt: & videtur vel tollere perſonas, vel eas confundere. lib. 1. diſt. 5. ca. Hinc autē videtur. Mecum ſentit Lombardus tuus, Genebrarde, ſi fortaſſe negas. Durè etiam loquutus eſt, idē Auguſtinus cùm ait, Chriſtus eſt Filiꝰ ſubſtantiæ Patris: Filius eſt conſilium de cōſilio: lib. 5. Trinit. ca. 10. ca. 13. li. 7. Sapiētia de Sapientia: Voluntas de volūtate: Subſtantia de Subſtantia: quia plures eſſentias, ſapientias, voluntates, &c. in vna deitate conſtituere hæc loquendi ratio videtur. Quàm orationis phraſin tractans Lombardus, tandem ait, li. 1 diſt. 5. cap. His verbis. *Vehementer nos mouent iſta verba, quæ quomodo intelligenda ſint, mallem ab aliis audire, quàm ipſe tradere.* Quid quod Tertul. ait. Aduerſ. Prax. *Pater eſt tota ſubſtantia,*

Filius

A *Filius verò deriuatio totius & portio*:nónne durè dictum eſſe ipſe quoque fateberis? Lombardus ipſe hanc Hilarij phraſin vt duriorem annotauit, Li.1. diſt. 5.cap. Sed quia. Hil. li. 4. *Nihil habet Filius,niſi natum*:Quid reliqua perſequar?longè Grçci theologi ſcriptores orthodoxi circunſpectiores,&(vt in hoc argumento magis exercitati) prudentiores, in loquendo ſunt: quanquam tamẽ & ipſi nonnunquã durè loquuntur,vt cum dicunt διαιρεῖν πρόσωπα.i.diuidere quod cum Nazianzeno dixit Baſil. Attamen illa duriora Latinorum,& Græcorum Patrum dicta,facilem(ex eorum ſenſu & mẽte)atque Chriſtianam interpretationem, niſi quis ea (quemadmodum tu & Gentilis)cauilletur,recipiunt.Propterea tamen de eorum verbis, & oratione illud durum, quod dicimus,negari ſanè non poteſt.Itaq; quanquam ſunt illi nobis amici,magis tamen eſt amica veritas:& Chriſtiani hominis eſt ingenuè veritatem Dei profiteri,& aduerſus omnes cauillationes, & diuerticula fortiter aſſerere, & tueri. Quid igitur? Cũ hæretici Neariani,ex huiuſmodi locutione Patrum, Chriſtum non naturâ, ſed gratiâ tantùm, alienóq; beneficio Deum eſſe ar- B gutarentur,& cõfirmare vellent, ꝙ in Nicena ſynodo nõ tantũ Filius de Patre eſſe diceretur, ſed Deus de Deo,quaſi diuerſa ab illa ſynodo conſtitueretur Patris & Filij eſſentia:& quaſi illa,(nempe Patris) ſola eſſet vera deitas, hæc autem Filij participatiuè tantùm:Reſponderũt prçceptores noſtri vocẽ *Deus* impropriè pro ſola Patris perſona illic poſitã eſſe.Dei enim nomen non perſonæ,ſed eſſentiæ ſignificatio eſt, vt omnes ſciunt. Itaque eſt perſonaliter, non eſſentialiter in hac oratione vocabulum θεὸς.i.Deus,accipiendum.Ex quo iam apertè concluditur,à vera,propriáque& natiua vocabuli ſignificatione in iſta Synodi Nicenę locutione proculdubiò diſceſſum eſſe.Nam ſignificare Patres iſta phraſi illud voluerũt quod de perſonis veriùs quàm de eſſentia ipſa diuina intelligitur. Quare iis vocabulis vtendum illis fuerat quibus perſonæ diuerſæ, ſcilicet generans & genita,diſtinguuntur,& ſignificantur:non autem quibus vna,& eadem numero eſſentia deno- C tatur& multiplicari videtur,qualis eſt vox Deus, & hæc phraſis Deus de Deo.Deus igitur de Deo eſt,id eſt,Fili⁹ de Patre eſt:ſed ne propter diſcrimen & diuerſitatem ſiue numerum perſonarum Patris,& Filij diuerſa,diſsimilis,atque multiplex ſtatui vna& eadẽ illa Patris & Filij eſſentia cenſe- Caluin.in Epiſt. ad fratres Polonos. retur,hanc rationem dicẽdi vſurparunt. Id quod & Athanaſij,qui Nicenę Synodo interfuit,interpretatio probat:& dictum Cyrilli, & Auguſtini, Cyr.lib.2. Theſ.ca.3. lib.2.de Trin. ca. 1.Fulg.cõtra Aria. lib.1.diſt. 4.c.1. & Fulgentij li.2.ad Thraſi. *Ex Deo natus,eſt Deus, quia in Deo Patre nihil poteſt eſſe mutabile*: & alibi quoque idem. Sed & Baſilius apertiſsimè in epiſtola ad Maximum philoſophum his verbis, ὥσπερ καὶ τοῖς ἐν Νικαίᾳ φήσαντας φῶς ἐκ φωτὸς, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, καὶ τὰ τοιαῦτα μονογενοῦς προσειπόντας ἐπαγαγεῖν ἀκολούθως τὸ ὁμοούσιον: itémque in epiſt. ad Monachos ſuos, καὶ ὁμοουσιαστὰς ἡμᾶς ἀποκαλοῦσι, διὰ τὸ ἐν ἐκείνῃ τῇ πίστει τὸν Μονογενῆ υἱὸν τῷ θεῷ καὶ Πατρὶ ὁμοούσιον ὁμολογεῖσθαι: οὐχ ὡς μιᾶς οὐσίας μερισθείσης εἰς δύο. Ἀδελφοὶ μὴ γένοιτο. Οὐ γὰρ τοῦτο ἐνόησεν ἡ ἁγία ἐκείνη, καὶ θεοφιλὴς σύνοδος, ἀλλ᾽ ὡς ὅπερ ἐστὶ κατὰ τὴν οὐσίαν ὁ Πατήρ, τοῦτο ὀφείλοντας νοεῖσθαι καὶ τὸν υἱόν. οὕτως γὰρ ἡμῖν αὐτοὶ ἐκεῖνοι ἡρμήνευσαν εἰπόντες, φῶς ἐκ φωτός. Hæc Baſilius ille Magnus,obſcuram & duram eſſe iſtam Nicenæ Synodi phraſin iam tum etiam ſentiens.Sed & Lombardus tuus quoque, deniq; A & tu ipſe, hanc noſtram ſententiam tandem ſecutus es,ídque veritate cogente, adeò vt à te ipſo apertè diſſentires. Sed dixit Athanaſius, ais, propriè dici,Deus de Deo.Nimirum, vt eadem Lb.1.p.38. numero Patris,& Filij deitas eſſe intelligatur:né ve putetur Filius,eſsentiæ ratione,minus verè & naturaliter,& ſubſtantialiter eſſe Deus,quàm Pater:id quod Ariani tunc negabant,& poſtea Gentilis renouauit,&tu nũc defendis qui eum in hoc erroris capite & argumento probas.Mentem igitur Concilij Niceni defendit Athanaſius magis quàm verba,vel locutionis iſtius proprietatem. Atque hæc eſt noſtra ad ſecundam tuam calumniam reſponſio,& breuis,& tamen veriſsima.

HANC QVOQVE PHRASIN, S. Trinitas vnus Deus, periculoſam eſſe & incommodam, quia per eam perſonæ confundi videtur. B

CAP. III.

TErtia verò Genebrardi in nos calumnia, quemadmodum initio huius diſputationis oſtendimus,hæc eſt,Quòd nos accuſat,quaſi impiè dixerimus hoc θρυλλούμενον, & paſsim vſurpa- lib. 1.p.72. tum:*S.Trinitas vnus Deus*, ſapere barbariem. Tu excandeſcis,&nos nullo non conuitiorum genere, homo in iſta eloquentiæ parte exercita- C tiſsimus, proſcindis. Qua verò te iniuria, Genebrarde, laceſsiuimus, vt nobis tã repente inimicus eſſes?An iraſceris, quia veritatẽ dicimus? Quòd hęreſib. obuiã maturè im⁹? Quod te,tuóſq; illud docemus,quod toties (Antabatarum more) cæcis oculis legentes, præterieratis, & nunquam animaduerteratis? Certè niſi noſtros præceptores diſputationes hæreticorum (quos veluti Euãgelij monſtra,feliciſsimè debellarunt)vobis ſtertentibus, exercuiſſent, nunquam huiuſmodi locutionum latẽtia pericula animaduertiſſent. Scis quid ſcribat Augu. ſe Pelagianorum diſputationibus excitatum,& exercitatum,longè meliùs de Dei gratia ſentire,& cogitare cœpiſſe, quàm ante illa certamina ſenſiſſet. Atque nos orthodoxi hanc vtilitatem ex vobis,aliiſque hæreticis (tanquam noſtris, Chriſtianæq; veritatis,hoſtibus) percipimus,quòd in legendis ſcripturis, patrúmque ſententiis examinandis diligentiores reddimur.Ergo hæretici ex iſta loquendi ratione, *S. Trinitas vnus Deus,miſerere nobis*:colligebãt quaternitatem in diuinis.Nam etſi ita loquentes Patres rectum ſcopum habuerũt,conſultúmque eſſe Eccleſiæ aduerſus Arianos voluerunt: alia tamen ex parte fecerunt inconſultum. Verum autem illud eſt,quod ait Comicus,Nam bene conſultum incõſultum ſi ſit,inimicis vſu eſſe poteſt. Itaque fuit Eccleſia de eo admonenda.Sed tu nouus Palæphatus ſtomacharis, quòd iſta laus tibi prærepta ſit,vt alius quiſquam plus in iſto argumento, quàm tu viderit. Et viros illos de omni poſteritate,de Chriſtiana Eccleſia, de toto orbe terrarum optimè meritos: ſui ſæculi Lumina, & ſelecta Dei organa:Philippum dico, Caluinum, Bulingerũ,Alexandrũ Alexiũ,Bezam,Simlerum, A Zanchum, Aretium, tu lutea proles, tu χλωαλώπηξ, tu inquam Monache, calumniari audes, & conuiciis proſcindere? Tu ampliſsimum illum Bernenſem Senatum, tu optimos principes, & in toto terrarum orbe celeberrimos, puræ Euãgelij doctrinæ patronos, qui tot pro Chriſti regno propagando labores conſtantiſsimè ferre non dubitarunt, tu ſceleratè brutos appellare etiam audes? Tu ſanctiſsimam ampliſsimi eorum Senatus ſententiam (qua Gentilis, ob impietatem illã ſuam in ipſam Dei maieſtatem manifeſtiſsimam meritiſsimè punierunt: qua falſum à Gentili commiſſum, & læſæ Maieſtatis crimen in ipſum Gaij oppidi præfectũ, à Gentili perpetratũ, vlti ſunt) tu inquam vnus ex omnibus mortalibus auſus es improbare? Nam æquiſsimũ ſapientiſsimi illius Senatus Bernenſis de ſcelesto Gentili & plane Ariano iudiciũ, omnib. viris bonis & piis, Germanis, Gallis, Anglis, Scotis, Italis, Hiſpanis deniq; placuiſſe publicę omnium gratulationes teſtantur. Sed quid imperito iſti facias, qui niſi B quod ipſe facit, nil rectũ putat. Tu igitur iſtas Eccleſiæ peſtes, Seruetanos, Gẽtilianos, Arianos, Sabellianos, nõ modò viuere, ſed etiam de Chriſto triũphare velles Genebrarde: quas quia ampliſsimus & manificentiſsimus ille Bernẽſis Senatus ſuſtulit, tu in eũ virulẽtiſsimè inueheris? Sed maledicere à tuis didiciſti, & hoc tuum eſt. Noſtrum autem eſt (quia Chriſtiani ſumus) iſta veſtra ſuperba, & tanquam falſa ſpernere, & pro nomine Chriſti opprobria in nos iactata patienter ferre, & tecũ de re tantũ certare. Itaq; ſic dicimus, neq; ſatis aptè, neq; omnino ſine quadam obſcuritate, & impropria dicendi ratione, ita dici, *Trinitas eſt vnus Deus*, pro eo, *Tres illæ perſonæ ſunt vnus Deus*, Prçclarè enim Leo primus epiſt. 90. ca. 1. *Vnitatem in Trinitate non eadẽ perſona, ſed eadem implet eſſentia*, Et in epiſtola Iuſtiniani ad Ioannem 2. *Tria vnus Deus ſimul intelliguntur propter eandem virtutem eandémque naturam*, Atq; huius noſtræ ſententiæ de hac Phraſi rationes ſunt plures: quarum aliquot tantùm ſubiicimus. Diximus C igitur illam eſſe minimè commodam. Primùm ne ipſa diuinarum ὑποστάσεων, & perſonarum eſſentia putetur appellari Trinitas: quaſi triplicẽ Dei eſſentiam conſtituant, qui ſic loquuntur. Quod ipſum tu cum Gentili tuo iam vis, & ſentis. Deinde ne præter diuinam illam eſſentiam, quæ vna eſt, quiddam præterea aliud, ac ſecundum, in tribus perſonis eſſentiale, ſtatuere Chriſtiani videantur, quod Trinitatem appellent: & ſic Trinitas ſit ſecunda quædam eſſentia, præter illam deitatem, quæ trium perſonarum communis eſt. Nihil enim Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, præter ſimpliciſsimam illam deitatem, eſſentialiter commune habent. Præterea quòd manifeſto barbariſmo, & periculoſa obſcuritate non carent eę locutiones, in quibus abſtracta pro concretis apertè vſurpantur: veluti barbarè dicitur humanitas ſedet pro homo ſedet: Albedo currit, pro albus homo currit: deitas in Chriſto paſſa, pro qui Deus paſſus. Sic igitur Blandrata: ſic rancidam illam aduerſus orthodoxos hæreſeon farraginẽ nomine Miniſtrorũ in Sarmatia & Tranſſiluania conſentientiũ collegerunt, & ediderunt ex hac locutione, *Trinitatẽ eſſe triũ in diuinis eſſentiarũ vnitatem*, impiiſsimè concludunt. Quod ſi Iſidorũ tuum, in huius orationis interpretatione A hærentem, ſequeremur (qui hîc Trinitatẽ, trium vnitatem, eſſe definiuit) certè verum ſenſiſſet blaſphemus Blandrata. Sed Iſidorum (& meritò quidem) tu ipſe quoque, noſtrorum tandem præceptorum ſentẽtiam ſecutus, poſtea damnas: quanquam tamen, ſi verba alibi abs te poſita ſpectentur, non meliùs poſtea loqueris, cũ ais *tres perſonæ ſunt Trinitas*. Nam Trinitas, eſt in ipſo trium perſonarum numero, & deſignatione, non in ipſa earũ eſſentia: aut quòd tres aggregentur in vnum corpus. Ac longè differt, ſi quis abſtractum pro concreto: ſi numerũ ipſum, pro re numerata accipiat, quod iſta phraſis facit, & tu in iſta tua ſuperiori phraſi ſequeris. Sed hoc nos tibi, quia mentem tuam nouimus, condonamus. Illud verò tibi iam ſine manifeſta in Deum ipſum blaſphemia condonare non poſſumus, quod ais, *natura diuina eſt trinitas*: Imo verò, Genebrarde, tres ſunt reipſa & verè diſtinctæ perſonæ, ipſa tamen natura & deitas nõ eſt triplex. Ergo nõ eſt diuina natura, vt impiè ſcripſiſti, Trinitas. Quàm melius & B diceres, & ſentires, ſi cum Iuſtiniano, id eſt, cũ tota Gręca eccleſia, ſic loqueris, *Ipſa tria eſt deitas, Deus Pater, Deus Filius, Deus Sp. ſanctus*, id eſt, ipſæ tres perſonæ ſunt Deitas illa, quæ eſt Deus Pater &c. non tamen propterea eſt natura diuina triplex, vel Trinitas ipſa. Quomodo enim de eo quod vnũ eſt, ſic loqueris? Nã & ipſe Laurentium Vallam damnas, qui Trinitatẽ vnam trium diuinitatem dixerat. Rectè enim Boethius (lõge Iſidoro & doctior, & Latinæ linguæ autor certior:) Rectè, in quã Boethius. *Trinitas*, ait, *eſt numeroſitas. Subſtantia*, id eſt, eſſentia, vel οὐσία, (ſic enim loquitur Boeth.) *non Trinitas, continet vnitatem. Relatio multiplicat* *Trinitatem*: ergo qui Trinitatẽ vnũ Deum appellat, perinde loquitur atq; ſi ipſam perſonarũ relationem, eſſentiam illã diuinam eſſe diceret: vel certè eum cũ eſſentia perſonarum confunderet. In eſſentia quidẽ, & de eſſentia fieri relationẽ fatemur: non eſt tamen Trinitas vocabulũ ipſius eſſentiæ: & quanuis propter eſſentiam, ſunt illi tres vnus Deus: non eſt tamen, vti dixi, triplex deitas, neq. eſt vocabulum Trinitas ipſius eſſentiæ diuinæ ſignificatio, vel ſignificatiua vox. Itaque hęc Boethij vera ſunt. *Trinitas de Deo ſubſtantialiter* (id eſt, eſſentialiter) *non prædicatur: Trinitas in perſonarum pluralitate: Vnitas in ſubſtantia* (οὐσίας, ſic enim & Aug. ipſe loquitur, à quo didicerat Boethius) *ſimplicitate conſiſtit*. Theodoritus contra Sebellium, *Porrò ſecundum quod non vna perſona, ſed tres, Trinitas verè eſt vnitas: Trinitas perſonis, & nõ eſſentia, & vnitas eſſentia, nõ perſonis. Secũdũ verò aliud Trinitas Trinitas eſt:* C *& ſecundũ aliud Vnitas, vnitas eſt. Alius.n. & alius, & alius. Tres.n. ſubſiſtẽtiæ: non autẽ aliud, & aliud & aliud. Vna enim natura atque ſubſtantia eſt*: Hæc Theodoritus. Trinitas igitur nõ pertinet ad ſubſtantiam: & tamen qui ſic loquuntur, *Trinitas vnus Deus*, ſubſtantiam & deitatem ipſam deſignare volunt. Nam vt alibi ait idem Boeth. perinde hæc phraſis vſurpatur, atque ſi tunc ab illis diceretur, *vna eſt ſubſtantia*. i. *eſſentia trium*. Diuina certè, & vna illa οὐσία triplicata, vel triplex eſſe minimè eſt ſomnianda, quæ poſtea in vnum aceruum confuſa, vel in corpus aliquod vnũ collecta compingi credatur. Quare cùm tot incõmoda ex illa phraſi

lib. 1. pag. 101.

Ad Sym.

lib. 5. de Trinitate, cap. 1.

Ad Ioan. Rom Eccleſ. Diac.

A phraſi *S. Trinitas vnus Deus* conſequantur, dicamus verba iſta Patrum,nō vſquequaq; ad viuum reſecāda:ſed ſubolere neſcio quā verborum improprietatem:quanquā tamen illi ſanum aliquid affirmare voluerunt. Non eſt enim verus Deus quiddam collectiuū , aggregatiuum , confuſum, vel compoſitum,ex pluribus eſſentiis coaleſcens: ſed eſt vna numero ſimpliciſsimáq; eſſentia in tribus perſonis diſtinctè,verè, ὑποστατικῶς,ſed tamen eadem ſubſiſtens. Non diffiteor tamen Auguſt. cùm hanc Patrum locutionem attenderet,dixiſſe *Trinitatem eſſe nomen collectiuum* , ſed addit idem, pluralitatem deſignans perſonarum , non eſſentiarum. Longè igitur melius idem Auguſtin. ſic loquitur. *Hi tres ſunt vnus Deus.* Longè rectius Illyrichana ſynodus, Trinitas eſt coeſſentialis , vt Theodoritus refert. Et ne amplius de noſtra ſententia quiſquam dubitet , audiatur cum aliis Patribus adhuc idem Auguſt. Nam is vtpote plurimum Arianorum cauillationibus exercitatus,ſenſit,latere nō modò ancipitem, ſed etiam pericu-B loſam ſententiam in hac locutione,qnam tractamus. Itaque ſic ait, *Nec quoniam Trinitas eſt , ideo triplex putandus eſt Deus*:& alibi , *Nec ſic ergo Trinitatē dicimus tres perſonas, vel ſubſtātias vnā eſſentiam & vnū Deum, tanquam ex vna materia , tria quadā ſubſiſtāt : etiamſi quicquid illud eſt, in his tribus explicatum eſt* , & alibi in eodē opere implicitam eſſe huius orationis , *Trinitas vnus Deus* , notionem ſatis docet. Quid Fulgentius, Auguſtinianæ doctrinæ hæres & verus interpres? Sic hanc eandem Phraſin reſoluit, vt Trinitas perinde ſonet, atque tres perſonæ,& ita propriè dicendū docet. Tres perſonæ ſunt vnus Deus. *Principaliter*,ait,*illud admoneo,teneas: S.Trinitatē*,id eſt, *Patrem, Filium,& Spir.S. naturaliter verum eſſe Deum*& pòſt, *Cum Trinitatem audis, Patrem,& Filiū & Spiritum ſanctum , tres perſonas vnius ſummæ illius diuinitatis intellige*,&c. Quid autē iſta pluribus perſequi neceſſe eſt? Sed fortaſſe expectas vt hìc iuueniliter exultem,tuo more,& eadem in te dicam, quæ tu C in Schegkium euomuiſti?non faciam. Conuitiis enim abs te vinci malo,quàm vincere:quanquam fraternè moneo , vt tandem maledicere deſinas, & re ipſa placidè,ſi quid habes,diſputes. Hoc enim piorum eſt hominum : illud autem improborum & maledicorum. Certè fratrem Claudium Sanctium,præceptorem, vt ais,tuū (Quidni enim aſinus ab aſino rudere diſcat?)& Bartholomęum Fayum,(hominem quanquàm ambitioſiſsimum,tamen & nomine & ſtylo prorſus obſcurum) admirandum,(nempe Monachus curiæ Præſidē) propoſuiſti,vt nobis malediceres:quorum alter opulentum per has artes Epiſcopatum iam adeptus eſt:(cui tu bolo iam pridē inhias)alter in foro Rabulario & Pariſiēſi propterea nunc regnat. Nos verò,ſi Deo placet , ad frat. Claudij craſſum volumen(quod ille apertiſsimè Repetitiones inſcripſit)etiam remittis: mirū ni nos etiam ad Energumenicum & Alexicacū iſtius inſulſi,quem dixi,Faij,& verè dementis reuoces,& amandes,vt Diaboli.i.patris mendacij , quem ipſe Fayus vidit,teſtimonio damnatos nos eſſe intelligamus. Quod ad frat. Claudium, habet ille iam,in quo & ſe,& teipſum,& tuos omnes exerceat,erudititſsimum,nēpe,& luculētiſsimum clariſſ.viri Th.Bezæ præceptoris mei,magni huius ætatis luminis,reſponſum ad primā de reb. Eu- A charistiæ repetitionem: breui ad cæteras ineptas quidē,ſed tamen,quia à veſtris leguntur , repetitiones,integrū ſcriptū accepturus. Et quod eundem Monachum Sanctiū laudas, quòd magnis adulationibus,& fictis in noſtros calūniis Ebroicenſem Epiſcopatū tandem arripuerit:non ſatis tu ipſe,Monache,quid veſtra regula ferat, attendis. Nā Monachus , vt Bernardus magnus vitæ monaſticæ pręco,ex Hieronymo monet, *Non habet docentis,ſed plangentis officium : quippe cui oppidum carcer eſſe debet,& ſolitudo paradiſus.* Hic verò tuus à contrariis & ſolitudinē pro carcere,& oppidū habet pro deliciis,ac paradiſo. Quid, quod Humbertus ille, tantoperè à Bernardo laudatus Monachus,conqueritur,ꝙ præbendarius cœnobij factus eſſet? Tuus verò epiſcopatū affectauit, & captauit? Sed quam vera ſit illa de Monacho, (qualis tu,tuúſq; ille præceptor,tuus fraterculus) Anſelmi ſententia.

lib.4.contra Maximi.ca.10. Theodor. lib.4 hiſt. c.8.& 9.

li.6 de Trini c.7.lib. 7.c.4.

li.1.de Trinitate c.2. lib.5.ca.11

Si vult ditari,varios ſi quærit honores,
Induit occultum pellis ouina lupum. B

Res ipſa manifeſtè oſtendit. Quod autē ad Bartholomæū Fayum,omnino nobis ille ſpernēdus eſt,quippe qui helleboro potius , quā reſponſo egeat,modò videat ille, quomodo ſe à manifeſta impietate purget , qui & Cornelij Agripæ magiam probat,& hæc in præclaro illo ſuo Energumenico totidem verbis ſcripſit, *Mihi quidem Henrichus Cornelius Agrippa, primū quoddam alligandis aut exterminandis ſpiritibus vinculum, nō temerè conſtituere viſus eſt : cùm id ipſum per herbas, flores , animantia,& alias res naturales iis vel cognatas, vel aduerſas, confici cenſuit.* Apage tam tetram hæreſim & impiam cabalam, Faj , & te verbo Dei inſtrui ſinas,vt hac omni ſuperſtitione libereris, & tandem cur,& quomodo hæ incantationes Dei voluntate,non vi herbarum:pactione cum Satana, à miſeris hominibus inita , non vi vllius cantus fiant,intelligas.

Rectè & piè dici, Tres *illas perſonas in vna diuina eſſentia ſubſiſtere.*

CAP. IIII.

SED propero ad alia , & quartam atque vltimam Genebrardi in nos calumniam diluo,vt C tota hæc diſputatio tandem concludi poſsit. Primùm autem & hic quoque Grammaticus iſte laureolā in muſtaceo quærit,& nobis de verbis tantum, & ſyllabis , ſophiſtarum more, controuerſiam mouet:cùm de mente noſtra,de ſenſu,de orthodoxa fide, non huic modò , ſed toti terrarum orbi,tum ex confeſsionibus noſtris ſępius editis: tum ex certaminibus variis pro ea re contra hæreticos ſuſceptis,abundè conſtet. De eo enim fit nobis quarta calumnia à Genebrardo, quòd tres illas Perſonas in diuina eſſentia ſubſiſtere diximus. In quo illud à noſtro præceptore D.Caluino verum eſſe didicimus: *Quicunque de verbis pertinacius litigant,eos fouere occultum virus, & aliquid monſtri alere.* Quid enim in iſta τεχνολογία (vt loquitur Baſil.) & captatione certorum verborum aliud quæritur , quàm vt impia tandem doctrina conſtruatur? Itaque lubenter aliquid aliud ageremus , niſi iſtius ſophiſtæ , ſimplicibus

Baſil. de Spi.S.c.4.

A hominibus imponentis,importunitas nos cogeret.Sic tamen ,vti initio iſtius refutationis fecimus,& nunc quoque conteſtari libet nos , nulla ſatis auguſta,apta,digna,& ſignificãtia verba reperire,quibus pro animi noſtri voto & pro rei ipſius dignitate, ſanctiſsimum illud Trinitatis myſterium explicemus.Nam quæ è populari dicendi ratione ſumuntur, res potius nobis notas creatáſque explicant,quàm hoc tantum, & longè res omnes creatas ſuperãs creãtis eſſentię arcanũ. Itaq; ſępe(vt ex hæreticorũ diſputationibus nimium apparuit) periculoſè à rebus his terrenis, ad hoc pluſquam cœleſte myſteriũ verba traducuntur.Noua verò &inuſitata,vel inaudita prorſus vocabula, fingere iſtorũ nugatorũ ſophiſtarum more nec audemus,nec volumus:quia cupimus intelligi, non autẽ auribus hominum bombum tantùm aliquem & ſonum inſonare,ne grũnire,velut iſti,tantùm videamur. Quid igitur?In hoc tam difficili,& ſanè lubrico loco conſtituti, primùm quibuſdam, exemplo Patrum, phraſi- B bus abſtinendum iudicamus, quæ ſine periculo non vidẽtur vſurpari poſſe.Quamobrem,ex Auguſtini conſilio,tres perſonas ex eodem eſſentia non dicimus,ne tres deos ex deitate, tãquam ex quadã materia,cõflatos facere,(velut Triformiani hæretici)cẽſeamur.Nec dicimus tres perſonas eſſe vnius Dei, ne ſimus Sabelliani : ſed dicimus cũ Patribus tres illas perſonas eſſe vnum Deum, id eſt,vnam,& eandẽ ſingulariſsimam deitatem: quoniam,etſi tres perſonæ reipſa ſuis hypoſtaſibus ſunt à ſeſe diſtinctę , vna tamen eſt in tribus illis,eáq.ſingulariſsima deitas , & tota in tribus, & tota in ſingulis. Non habet ipſa eſſentia diuina vel aliquid vel aliud,propter quod diuerſo numero deſignari,& multiplicari abſtractè & extra perſonarum rationẽ conſiderata poſsit.Nã quod in Trinitate eſt ſingulus quiſque,ratione eſſentię, hoc eſt tota Trinitas:vt pręclarè dixit Anſelmus, & ante Anſelmum Auguſt. Sophronius Archiepiſcopus Hieroſolym.in epiſtola quę citatur Actio.XI.Concilij VI. OEcumenici, ſic ait , *Sed eſt* C *vnus Deus,vna deitas in tribus ſubſiſtentiis fulgens, & tres ſubſiſtentiæ, & perſonæ in deitate vna cognoſcuntur.Propterea perfectus Deus eſt Pater:perfectus Deus eſt Filius:perfectus Deus eſt Spir.ſanctus,idcirco quòd vnam eandémque ſingula quæque perſona inſeparabilem imminutam , atque perfectã habeant deitatem.*Nec Pater & Filius ſimul,ratione eſſentię, ſunt aliquid maius , quàm Spiritus ſanctus , vel quàm vnus ſingulus ex ipſis:id eſt, Pater& Filius ſimul,nõ ſunt aliquid maius, quã ſolus Pater,vel ſolus Filius. Quod certè in nullo alio rerũ genere,verè & omnino ſimile obſeruari poteſt:quanquam quædam ſimilitudines de fonte,de luce, de facultatibus animi λογικοῖς ad huius tantæ ſapientiæ illuſtrationẽ afferuntur.Quo fit,vt quemadmodũ res ipſa,id eſt S.Trinitas,toto genere à rerum creatarum natura diuerſa eſt,ſic noſtri pręceptores viri orthodoxi diuerſam quoque phraſim,& orationem ad vim huius arctiſsimę,atque intimę non tam vnionis,quã vnitatis, ac eſſentiæ identitatis declarandam vſurparint.Malè.n.quidã(in quibus eſt Genebrardus iſte)putãt tres,perſonas diuinas,eſſe veluti tria eiuſdẽ ſpeciei indiuidua:& has illis penè omninò ſimiles faciũt, à qb. ſunt diſsimillimę.Quãquã enim re ipſa ſubſiſtũt tres perſonæ,& ſunt vna ab alia diuerſæ, diſtinctæque ὑποστάσεις : A quanquam etiam eæ πρόσωπα & ὑποστάσεις , id eſt , perſonæ à Baſilio , Damaſceno, Auguſtino,&reliquis,ad humanorum indiuiduorum ſimilitudinem , vocantur : quanquam denique ἄτομα,per me licet,appellentur:tamen (vt iidem Patres docent) longiſsimè ab indiuiduis eiuſdem ſpeciei,& perſonis noſtris, hæc tria ἐνυπόστατα & ὑφιστάμενα diuina differunt. Id quod nec ipſi ſcholaſtici negant,& extant eorum ſententiæ ac diſputationes in lib.1.Senten.diſt.25.adeò vt nos homines ſæpe ſic aut ſic de Trinitate loquamur, nõ quia Scriptura his verbis idem dicat , ſed quia non contradicat,vt ſcribit Auguſt. Quare quomodo iſtud tuum,quod iam dicturus ſum, inculcare,& vt vetus cõmendare auſus ſis , non video, niſi quia ſuſceptum ſemel cũ Gentili tuo de multiplicatione diuinæ eſſentiæ errorem , tueri obſtinatè vis.Probas igitur omnino eos, qui quantum ad rationem prædicandi, vt Philoſophi loquuntur , *Dei eſſentiam* & *hypoſtaſeis non differre à ſpecie infima & indiuiduis ſub ea contentis* dixerũt. Hæc enim ſunt ipſiſſima tua verba.Latiſſimè verò, mi Genebrarde, iſta differunt , quæ tamen tu B nullo modo differre putas:& alia,diſſimilíque ratione eſſentia diuina,ſiue deitas,de tribus perſonis diuinis enuntiatur:alia verò ratione humanitas de tribus hominibus , & perſonis humanis pręedicatur : vti alio modo ineſt deitas in tribus illis ὑποστάσεσι,alio vero modo in tribus hominibus,ineſt humanitas.Sed cùm non haberent homines magis affinem prædicationem , hanc illi quodammodo , ϗ κατά τι compararunt : quam tu ἁπλῶς conuenire ſentis, & quidem abſurdiſſimè. Audi igitur Auguſtinum, qui hanc comprehenſionem trium perſonarum in vna deitate ſingulariſſimam eſſe,ac ſingulari phraſi & oratione egere ſcribit.*Natura diuerſitas facit, vt lautus, & myrtus & olea:aut equus, & bos, & aſinus non dicantur ſpeciali nomine iſta tres lauri:aut illa tres boues : ſed generali,vt iſta tres arbores , & illa tria animalia.* C *Hîc verò*(de tribus perſonis diuinis loquẽs) *vbi nulla eſt diuerſitas eſſentiæ, oportet vt ſpeciale nomen habeant hæc tria,quod tamen non inuenitur.Nã Perſona generale nomen eſt,in tantũ, vt etiam homo poſſit hoc dici:cùm tantum interſit inter Deum & hominem.Deinde in ipſo generali vocabulo ſi propterea dicimus tres perſonas,quia commune eſt eis id quod perſona eſt.(Alioqui nullo modo poſſunt ita dici , quemadmodum cùm dicuntur tres filij, quia non commune eſt eis id quod eſt Filius)cur non etiam tres deos dicimus? Certè enim quia Pater perſona, & Filius perſona , & Spiritus ſanctus perſona , ideo tres perſonæ. Quia ergo Pater Deus, & Filius Deus , & Spiritus ſanctus Deus , cur non tres dij ? aut quomodo propter ineffabilem coniunctionẽ hæc tria ſimul vnus Deus?* Vides igitur iſtam perſonarum diuinarum, & humanarum comparationem eſſe diſſimilem,vt alibi idem quoque docet Auguſtinus. Quorſum verò iſta?nempe vt duas Genebrardi calumnias refellamus.Primum, quaſi hæreticè & erroneè loquamur,cùm dicimus *tres perſonas in vna , & eadẽ numero deitate eſſe,ac ſubſiſtere* : cùm ille contra dicendum affirmet,&(vt ipſe loquitur)clamet : vnam eſſentiam in tribus perſonis eſſe,vel ſubſiſtere.Hoc igitur primum eſt. Secundum autem (in quo tanquam Sabelliani ab iſto grauiſſimè , ſed falſiſſi-

Trinitatis myſterium verbis vix explicari poteſt.

Non

In perſolog.cap.23.

lib.8.de Trinit. in Prooemi.

lib.1.p.39.

Baſil. lib.2. contra Eunom. Aug.lib.5.de Trin. cap.9. Damaſ.li.3.de orth. fide cap.6. Anſel. li. de incarnatione verbi cap.5. lib.7.de Trinitat. Aug.c.4.

In Reſp. contra Schegk. fo.146 p.1.

lib.7.de Trin.c.4.

lib.5.de Trini.c.9.

Geneb.in hoc argumento duplici nomine nos reprehendit.

A falſiſsimè, accuſamur) quòd Calu. dixerit, perſonam diuinam eſſe ſubſiſtentiam in Dei eſſentia, quæ ad alios relata proprietate incommunicabili diſtinguitur. Vtrunq; hoc autem quale ſit, videamus. Ac primùm quidem de primo, Cur tres perſonas in vna & eadem deitate ſubſiſtere potius, quàm vnam & eandem deitatem eſſe, vel diſtingui in tribus perſonis, dicamus, multiplex ratio eſt. Prima, quia hæc noſtra loquendi ratio longè melius & dilucidius vnam & eandem etiam numerãdi ratione eſſe trium perſonarum deitatem oſtendit, quàm illa altera, quam ſolam probãdam eſſe contendis, & quidem quo ſenſu nunc explicatur & inducitur abs te verè iam periculoſa, ne tres illas diuinas perſonas cõſtituamus eſſe tria quædã ſeparata indiuidua ſub vna deitatis ſpecie contenta. Secunda, vt diſcrimen illud, quod eſt inter indiuidua eiuſdẽ ſpeciei, & tres illas diuinas perſonas, melius intelligatur: vel ſaltem ex eo, quod diuerſa loquendi ratione vtimur in diuinarũ perſonarum vna eſſentia efferẽda & explicanda, quã vtamur quando de communi illa natura & ſpecie

B pluribus ſuis indiuiduis communicata loquimur & agimus. Tantùm enim iſta inter ſe differunt, quantùm τὸ μοναδικὸν, τῶν συνημμένων, καὶ πληθυσμὸν ἐχόντων διαφέρει, vt ait Baſi. Nec enim verè aut propriè diceremus, tres perſonas humanas ſubſiſtere in vna, & eadem humanitate: quanquam tamẽ rectè & intelligenter dicimus in tribus hominibus eſſe vnam humanitatem. Ergo cùm ſit diuerſa ratio, per quam Deitas illa vna & ſingularis cõmunicatur tribus diuinis perſonis: & per quam ſpecies communicat ſeſe ſuis indiuiduis: ita diuerſam & differentem quoque phraſin in vtriuſque communicationis ratione denotanda eſſe oportet. Tertiò vt diuerſa illa ratio per quam, vt diximus, deitas eſt in diuinis perſonis, & humanitas ſiue ſpecies quælibet in ſuis indiuiduis quodã modo dilucidè explicaretur. Deitas enim ita ineſt

C in ſingulis illis perſonis, vt non tantùm vna perſona alij ſimilis ſit, & ὁμοιούσιος (vt Semiariani & Acatiani priores ſenſerunt: quorum tu impiiſsimum errorem ab inferis reuocas, & in ſinu foues) ſed pluſquam ſimilis, vt Durandus etiam tuus dixit: &, vt veteres ſunt maximè propriè loquuti ὁμοούσιος. At humanitas ſic eſt in ſingulis, vel pluribus hominibus, vt ſit homo homini ὁμοιούσιος tantùm, non ὁμοούσιος, quia pluralitas ſuppoſitorum (vt loquuntur in ſcholis) ſine pluralitate naturæ, in rebus creatis eſſe non poteſt. In rebus enim naturalibus materia formam indiuiduat. Ratio autem huius differentiæ eſt, quia non habent ſinguli homines totam humanitatem: vt ſingulæ diuinæ perſonæ habent & poſsident totam deitatem. Vnde Anſel. *Non enim putandæ ſunt tres* (diuinæ) *perſonæ, quia omnes plures perſonæ ſic ſubſiſtũt ſeparatim ab inuicem, vt tot neceſſe ſit eſſe ſubſtantias, quot ſunt perſonæ: quod in pluribus hominibus qui quot perſonæ, tot indiuidua ſunt ſubſtãtiæ, cognoſcitur.* Atque hę ſunt cauſæ cur de tam remoto à rebus phyſicis, & communibus arcano ſic loquamur. i. remoto quoque à communi aliarum rerum inhęrendi, & prædicandi modo. Quidautem tu contrà aſfers, vt nos refutes? Nempe & ridiculè obiicis, quod tanquam tres modos in eodem funiculo ſic tres illas in vna deitate perſonas diuinas fingamus atque faciamus. Homo profane, & impudens Monache, (qui ne ab ipſa quidem Monachorum tuorum ſodalitate, propter ſuperbiam tolerari potes) etiámne in Deum ipſum viuum debacchaberis? & roſtrum illud tuum maledicum, in S. Trinitatem inferes? Etiámne tribus eiuſdem funiculi nodis ſanctiſsimas perſonas, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, per cõtemptum comparabis? vt Deum quid aggregatiuum, & velut monſtruoſum illum Geryona, nobis pingas? Dicemus tamen, Genebrarde, cum Baſilio, triplicẽ illum funiculum rumpi non poſſe, ſed nodos tuos reiicimus. Nec diuinam illam maieſtatem vnquam metues, in cuius manus, vt ait ſcriptura, incidere eſt horrendum? Nũquámne diſcere poteris, Tres eſſe perſonas reipſa ἐν ὑποστάσεσι, vnam tantùm eſſentiam: nõ quidem ſicut tres homines ſunt vna ſpecie humanitas: nec ſicut tres beati Angeli, ſunt vna ſpecie angelitas, (ſi ita loqui fas eſt,) id eſt angelica natura? Hîc enim multiplicantur eſſentiæ, B

in hominibus dico & Angelis: illic autem in diuinis nempe perſonis, vna tantum eſt deitas, & ſingularis, & vt loquũtur in ſcholis, numero eadem. ~~Obiicis verò~~ nobis ſecundo loco, Patres dixiſſe potius vnam eſſe eſſentiam in tribus perſonis quàm tres perſonas in vna eſſentia diuina. Reſpondemus verò, quia tunc ſine periculo id facere potuerunt. Neque verò ſequitur eos improbaſſe quicquid ipſi non dixerunt. Neque hãc rationem loquendi Patrum ipſi improbamus, modò ſanè & ex eorum mente intelligatur: non autem vt tu vis eámq; explicas, qui tres diuinas perſonas tria eiuſdem ſpeciei indiuidua facis: atque ita vnam & ſimpliciſsimam illam diuinam eſſentiam impiè multiplicas. Neque enim nos de iſtis formulis cõtenderemus niſi tu latens virus tuum per eas fereres. Quid igitur in noſtra loquendi ratione te of- C

fendit, cùm dicimus tres perſonas eſſe & ſubſiſtere in vna & eadem eſſentia diuina? Quid in hac noſtra, & verbis caſtiſsima, & ſenſu ſanctiſsima, oratione reprehendis, aut negas? Negáſne perſonas diuinas ſubſiſtere, id eſt, eſſe aliquid ἐν ὑποστάτον, & (vt loquitur Baſilius) ἰδιάζον: & propriam atque à ſeſe diſtinctam ſingulas ὕπαρξιν & hypoſtaſin habere? Hoc ſi negas, Sabellianus es. Negáſne vnam & eandem eſſe trium illarum perſonarum eſſentiam, æqualem, indiuiſibilem, impartibilem, numero eandem, id eſt, negáſne eſſe eandem eſſentiæ identitatem? Hoc ſi nõ concedis, Arianus es. Quid igitur in nobis improbas? Nimirum quòd dicamus, τρεῖς ὑποστάσεις εἶναι ἐν μιᾷ θεότητι, & quod particula iſta *In* vtamur. Certè iam nobis multoties Grammaticam pro Theologia iſte ſubſtituit. Quid igitur? fuítne bonus Grammaticus Spiritus ille Sanctus, qui per os Pauli ſic eſt de Chriſto loquutus, ὃς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων? Ergo apertè Paulus ait, Filium, id eſt, perſonam diuinam eſſe in μορφῇ θεοῦ, id eſt ἐν θεότητι. Si rectè de Filio dicitur eſt ἐν μορφῇ θεοῦ, idem de Patre & idem de Spiritu S. quoque rectè dicatur neceſſe eſt. Itaque cùm ſint tres illæ perſonæ, rectè dicitur tres illas perſonas eſſe ἐν μορφῇ θεοῦ, ſiue ἐν θεότητι, quod perinde eſt. Nam μορφῇ illa θεοῦ eſt ipſa θεότης & diuina eſſentia. Ex quo fit vt rectè ſecundum Grammaticam Spiritus ſancti, (ſed non Genebrardi) dicatur Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, eſt, ὑπάρχει ἐν μορφῇ θεοῦ, Pater, Filius & Spiritus ſanctus, ſunt & ſubſiſtunt in vna & eadem deitate ſiue diuina

Lib. 1. inſt. Chriſt. ca. 13. N. 5. 6.

Baſil. de Spiritu ſancto.

Durand. in li. 1. ſen. diſt. 18. q. 1. N. 6.

In Monolog. ca. 16.

Baſil. li. 5. contra Eunom.

Heb. 10. v. 31.

Baſil. de Sp. S. ad Amphi.

D. Paulus Phi. 2. v. 6.

A

Ieſus Chriſtus. Ioan. 14. v.10.

natura. Quæ certe noſtra & propoſitio, & oratio eſt. Ecce tibi alium magiſtrum, & fortaſſe tuo iudicio bonum Grammaticum, dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, qui ſic ait, πιστεύετέ μοι, ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρί, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί. *Credite mihi me eſſe in Patre & Patrẽ in me.* Idne à Chriſto dicitur, Genebrarde, tanquam fiat confuſio perſonarum, an propter diuinam eſſentiam, quæ in tribus eadem eſt, & vna? Si ad perſonas refers, id eſt, ſi ratione coalitionis & cõfuſionis perſonarum hoc dici putas, vel de numero Metengiſmonitarũ hæreticorum es: vel ipſas perſonas tollis: vel ſaltem confundis. Ergo propter vnam trium perſonarũ eſſentiam hoc Chriſti dictum verum eſt. Et rectè: Id quod iam te docuit Bernardus. Nolo enim Damaſcenum producere teſtem pro me locupletiſsimum. Quod ſi in Patre eſt Filius, & Pater in Filio, & Spiritus ſanctus in Patre & Filio, & cõtrà, idque, quia vna eſt trium eſſentia: rectè ex regulis Chriſtianæ Grammatices, & prædicationis Patrem &

B

Filium & Spir. S. id eſt tres perſonas, eſſe in vna & eadem forma Dei, id eſt in eadem vna diuina eſſentia: & quidem melius quàm vnam & eãdem eſſentiam eſſe in trib. illis perſonis, ſi totidẽ verba ex ipſa ſcriptura tu λογομάχε, requiras. Quid autem, aut quomodo illa περιχώρησις, à Græcis, & circuminceſsio perſonarum à tuis dicta, à te tam ſępe decantata, locũ habere poteſt, ſi hanc noſtram locutionem & phraſin damnas? Nam illa ex hac noſtra procudubiò facillimè & explicatur, & intelligitur, cùm dicimus tres eſſe perſonas in vna & eadẽ eſſentia: ex tua autẽ locutione aut obſcuratur, aut tollitur, cũ ais vnã eſſentiã eſſe in trib. perſonis vt ſpecies in ſuis indiuiduis. Itaq. miſelle, tibi nõ conſtas, & quæ te iuuẽt non vides: ita te ſtudiũ cõtradicẽdi trãſuerſum agit. Quid? éſtne abſurdius quod dicimus, quã ſi diceremus, τριὰς σεβάσμιός ἐστιν ἐν μιᾷ, καὶ ἀϊδίῳ δόξῃ Atqui ſic loquitur Baſil. quẽ locũ deſcribã, quia planè cũ noſtrã ſentẽtiã confirmat, tum totum hunc locum maximè illu-

Li.5. contra Euno.

C

ſtrat. Κἂν διαρρήγνυνται οἱ αἱρετικοὶ οὐ διαρρήγνυνται ἡ τριάς, καὶ σεβάσμιός ἐστιν ἐν μιᾷ καὶ ἀϊδίῳ δόξῃ, τὴν αὐτὴν καὶ μίαν θεότητα πανταχοῦ περιφέρουσα, ἄρρηκτος, ἄσχιστος, ἀδιαίρετος, πάντα πληροῦσα πάντα περιέχουσα ἐν πᾶσιν οὖσα, δημιουργοῦσα, κυβερνῶσα, ἁγιάζουσα, ζωοποιοῦσα. Αὕτη ἡ θεία, καὶ θαυμασιωτάτη πλοκὴ οὐ διαρρήγνυται, καὶ τὸ γεγραμμένον, ὅτι τὸ τρίπλοκον σπαρτίον οὐ διαρραγήσεται. Vides igitur, vt & rectè, & Chriſtianè & orthodoxe, (ſi modò Diuus Paulus eſt orthodoxus) dicatur, Tres eſſe perſonas in vna & eadẽ diuina eſſentia, eáſq. ſubſiſtentes. Deniq. vt teipſum p teipſum iugulẽ, cũ probas illas ſimilitudines de memoria, intelligentia, & voluntate cum tribus diuinis perſonis, nónne didiciſti ſic homines loqui, vt rectius Memoriam, Intelligentiam, & voluntatem eſſe in animo humano dicant, quàm animum humanum eſſe in memoria, intelligentia, & voluntate? Atque, vt pro colophone aliquid etiam de tuis habeas, lege penè ſimilem huic noſtræ phraſin in tuo Lõbardo. Ergo habes quod requiris: & cur vera ſit & orthodoxa noſtra ſentẽtia & locutio, dũ dicimus tres perſonas eſſe, & ſubſiſtere in vna & eadẽ diuina eſſentia. Sed hoc vnũ reſtat quod te offẽdit, nẽpe quod P.M. Ioan. Caluin. diuinã Trinitatẽ explicans dixit, Perſonam eſſe ſubſiſtentiam in deitate. Cur verò iſta definitio malè te habet? fortaſſe vulgarem illam Boetij definitionem mallebas. Perſona eſt ſubſtãtia intelligẽs &c. ſed nec eã ipſe probas, nec retines, qui vt eſſentiã diuinã apertè multiplices, definis perſonam in hoc argumento eſſe eſſentiam in indiuiduo contractam. Sed nos reſpondemus & piam eſſe & veram Caluini definitionem, ſi modò ex ipſius mente, non ex tua calumnia intelligatur. Nã cum illi perpetuum certamen cum Serueto & Seruetanis eſſet (te nondum fortaſſe barbato, aut certe ſilente: & tuis omnibus magiſtris noſtris Chriſtianos puriores acerbe perſequentibus, hîc verò ſtertentibus) cũ inquam Caluino tunc cum Seruetanis, eſſet negotium & res, qui perſonas in Trinitate externas tãtùm ideas eſſe dicebant, quíque verè eas ſubſiſtere negabant. Denique qui Triadem eſſe imaginarium tantùm, atque diabolicum commentũ vociferabantur: perſonæ diuinæ definitionem (quæ illorum deliria facile cõuelleret,) attulit Caluinus, conſentientem Dei verbo, & toti piæ & ęruditæ

lib.1.diſt. 9.cap.1.in verbis, qua non eſt &c.

lib.1.Inſt. cap.13. N. ſect.6.

A

lib.2.f.96.

B

vetuſtati conſentaneam. Ea verò eſt, quã tu vnus improbas. In ea verò iis verbis vſus eſt Caluinus, quæ neque obſcurè diſtinctionẽ perſonarum & tamen earum in eſſentia diuina vnitatem ſignificent: neque imaginariam idealémque eſſe perſonarum pluralitatem doceant, ſed realem, atq. verè ſubſiſtentem. Subſiſtentiæ enim vocem Caluinus adhibuit & vſurpauit, qua Patres & ſcriptores Latini vetuſtiores ferè vti in hoc argumento maluerunt. οὐσίαν enim ſubſtantiam: ὑπόστασιν verò ſubſiſtentiam vertere ſolebant vt ex Tertulliani, Hilarij, & Auguſtini aliquot locis facilè poteſt intelligi. Hoc ipſum eſt quod vocabulo τοῦ εἶναι Chriſtus, τοῦ ὑπάρχειν Paulus, τοῦ ὑφιστάναι alij: Nazianzenus etiam magis audenter, τὸ διαιρεῖν dixit, nempe perſonas illas verè, ſubiectiuè, realiter & non nuda animi fictione, commento, & cogitatione: non deniq. ratione diuerſorũ tantũ effectorũ, nõ notionaliter tantũ diſtingui, capi, ſubſiſtere in vna deitatis eſſentia. Quid autẽ ſibi aliud vult Tertul. cùm perſonam in Trinitate ſcribit eſſe diſpoſitionem in Deo, id eſt, in diuina eſſentia. Itaque Caluini aperta mens eſt & oratio non inepta, non inuſitata, nõ inconcinna: ex qua vera & realis & tamen diſtincta ὑπόστασις Patris, Filij, & Spiritus ſancti, voce *Subſiſtentia* ſignificatur: & vnitas tamen eſſentiæ, ex reliquis eiuſdem definitionis verbis, perſpicue docetur. Quo quid ſanctius, & verius dici de S. Triade potuit? Et quia te noua quædam monſtra parturire tum in nos tum in D. Zãchum ſcribis, poſtquam quid in noſtris reprehendas, verbáne ipſa an rem potius, clarius demõſtraueris, tibi reſpondebimus, cæteráſq; labes omnes, quas in noſtra doctrina putas inhærere, abſtergemus. Hîc autem finem ſcribendi faciam. Vale, Genebrarde. Dominus Deus: qui eſſentiæ ratione vnus eſt, & perſonarum numero trinus, meliorem tibi in poſterum mentem, atque ſapientiores cogitationes donet: addo etiam, vt mera ſua gratia tibi largiatur cætera omnia, quæ animo & corpori tuo ſalutaria fore cognoſcit. Sed imprimis bonus ille, & cœleſtis Pater det tibi, vt Phariſęus aliquãdo eſſe deſinas, cor tuum immutet, & diuina ſua luce in veram ſui agnitionem illuſtert. Iterum Vale, 8. Id. Iulij Anno temporis vltimi, cIↄ Iↄ LXXVIII.

Ioan.14. v.10.

Phil.2.v.6.

Ser. de Sacto Ba.

In Praxeam.

C

Ne ali-

Ne aliquæ paginæ vacarent, præcipuas hęreſes, quæ in hoc negotio à Veteribus commemorantur, breuiter cōplecti hac tabula in ſtudioſorum gratiam voluimus.

- ominum alij ſunt
  - ἄθεοι planè. hi nullum eſſe Deum dicunt. 1
  - Deum quidem eſſe aliquē concedunt, Sed in illius explicatione grauiter errant. Eorum enim alij Perſonas & hypoſtaſes in diuinis
    - Tollunt, ídque vel
      - Verbis ipſis & apertè quales
        - Iudæi 2
        - Monarchitæ 3
        - Deitæ. 4
      - Reipſa & effectu, vt qui hypoſtaſes nihil aliud eſſe volunt quàm nudam animi noſtri cogitationem, id eſt vel
        - Nomina & appellationes nudas, eiuſdem & vnius perſonæ, ſed ſonis diuerſas, vt Simoniani 5
        - Diuerſos vnius & eiuſdem rei ſtatus, actiones, vel ἐνεργείας, diuerſáque officiorum vnius & eiuſdem perſonæ vocabula, vt Sabelliani 6
        - Qualitates rei eidem inhærentes, quæ non ſubiecto & ὑπάρξει inter ſe diſtinguuntur, ſed velut in eodem homine candor & proceritas corporis inſunt, vt Aëtiani 7
    - Relinquunt, ſed eorū alij
      - Quaternitatem conſtituunt, id eſt, præter tres illas hypoſtaſes quartam quandam eſſentiam inducūt, cuius participes ſint illæ tres, & quæ ſit & alia, & aliud quàm ipſæ perſonæ: quales fuerunt
        - Marciotæ
        - Apollinariſtæ
        - Tetratheitæ 8
      - Alij Trinitatem quidem retinent, ſed in ea diſtinguenda peccant
        - Peccant inquam in ſanctæ Trinitatis natura docenda, Nam ij vel
          - In vniuerſum ipſius diſtinctionis & emanationis perſonarum rationem perperam tradunt: & inducūt. Eorum enim alij
            - Vnitatem quidem eſſentię retinere conantur, ſed in ea hypoſtaſes cōfundūt, id eſt, perſonarum realem diſtinctionē non conſtituūt, Hi trinitatē eſſe volunt vel
              - Extenſionem vnius rei velut ceræ. vt Marcelliani 9
              - Diſgregationem vnius luminis in plura. vt Hierarchitæ 10
              - Implicationem & comprehenſionem mutuam, tanquam vaſorum & pilarum intra ſe implicatarum & contentarum. vt Metangiſmonitæ 11
              - Tres perſonas eſſe tres formas, in vna eadémque materia vt cera inſculptas. vt Triformiani 12
            - Trinitatē quidē perſonarum, & realem earū diſtinctionem retinere ſtudent, ſed eſſentiæ vnitatem tollunt. Eorum enim alij contendunt tres perſonas eſſe
              - Tres Deos reipſa diuerſos. vt Tritheitæ 13
              - Tres eiuſdem totius & compoſiti integrales partes. vt Seruetani 14
              - Tria vera eiuſdem ſpeciei indiuidua, & tres ſeparatas eſſentias, ſeorſim à ſeſe ſubſiſtentes. vt Triouſiani 15
              - Tres ſic eſſe Deos vt penes vnum ſit tota deitas, & per ſe: in aliis autem gratia, & dono tantùm inſit, & creata. vt Ariani, Seuetani 16
              - Tres ſic eſſe vnum Deum, vt Pater ſit reliquorū duorum eſſentiator, id eſt ſecundæ cuiuſdam & alterius eſſentiæ à ſua diuerſę factor. vt Valentinus Gētilis 17
          - Certarum tantùm perſonarum ratione, & diſtinctione conſtituenda peccant. Nam eorum alij perperam diſtinguunt inter ſe vel
            - Patrem & Filium. Et horū quidem alij Filium creaturā eſſe dicunt, qui ſit tamē Patri vel
              - ὅμοιος Idque vel
                - Eſſentia & volūtate ſimul, vt Acatiani ſiue Semiariani priores 18
                - Voluntate tantùm nō eſſentia. vt Acatiani poſteriores
              - ἀνόμοιος vt
                - Eunomiani
                - Aëtiani
                - Anomœi 20
              - Seruus, vt
                - Eudoxiani
                - Duliani 21
            - Filium, & Spiritum ſanctū. Negat enim Spiritū ſanctū eſſe à Filio vti eſt à Patre, vt
              - Græci 22
            - Patrem & Spiritū ſanctū, vt qui vel
              - Spiritum ſanctum negant verè Deum ſad tantùm Patris vim effuſam in creaturas. vt
                - Macedoniani
                - Seruetani 23
              - Miniſtrum & Patris & Filij faciunt, Angelis præſtantiorem.
                - Euſebiani 24

A

DEMONSTRATIO ANTITHESIS, SEV REPVGNANTIÆ THESIVM REPETITIONIS ET DOCTRINÆ IACOBI Andreæ, de perſona Chriſti, ex ipſiſmet illius theſibus collecta.

Ad Lectorem.

B *Eneuole Lector, Liber Iacobi Andreæ Sueui, cui nunc hoc breui ſcripto reſpondemus, titulum ſed falſiſſimum, hunc habet,* Repetitio ſanæ doctrinæ Reuerendiſ. in Chriſto Patris D.D. Martini Lutheri De perſona Chriſti, *&c. Neque.n. iſtius repetitionis theſes ex Martini Lutheri, ſed ex Martini Kemnitij Brunſuicenſis Paſtoris (qui etiamnum viuit) Lib.* De duab. naturis in Chriſto, *&c. decerptæ ſunt & ad verbum deſcriptæ, quemadmodum ex vtriuſque ſcripti collatione facilè cuiuis apparebit. Quamobrem fucus eſt & præſtigiæ, quas Iacobus iſte glande Saxonica ſaburratus facit ſimplicioribus, dum ſpecioſam nominis Lutheri appellationem ſuis alieniſque Libris præfigit: & tota hæc ſcriptio verè ab eodem* Repetitio *nominata eſt, quæ nihil niſi* ὑπόξυλον *habet. Nos autem, qui, pro noſtro in Dei eccleſiam ſtudio, hominem iſtum ex Solomonis præcepto Prouerb. 27. verſ. 17. acuere, & in poſterum prudentiorem in ſcribendo reddere volumus, trecentas ipſius theſes ſeu repetitiones, in has quinque claſſes breuiter diuiſimus, nimirum in theſes obſcuras, falſas,* ἀσυστάτους, ἀντιλόγους *& ineptas, quas tibi proponimus. Tu verò æqui bonique candide Lector, hanc operam noſtram conſule, & ſine præiudicio vllo hæc lege. Vale.*

PRIMA CLASSIS THESIVM SEV REPETITIONVM IACOBI ANDREÆ.

C

Obſcuræ Theſes à Iacobo Andreæ Magiſtro in Iſrael propoſitæ, ad inuoluẽdam veræ doctrinæ de duabus in Chriſto naturis lucem.

Theſis 4.

EST autem fides recta, vt credamus & confiteamur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, *Dei fili[illegible] Deus & Homo eſt.*

DAN. N[illegible] fili[illegible]eus & homo eſt: ſed idem, qui Dei filiu[illegible]o eſt.

11. Nam *ſic[illegible]tionalis, & caro, vnus eſt homo*: ita Deus[illegible]vnus eſt Chriſtus.

DAN. Τὸ *Sic[illegible]*u[illegible]um eſt, ne Apolliniſtarum errori fauiſſe videatur Iacobus. Itaq; fuit explicandum.

12. *Vnigenitum in duabus naturis.*

DAN. Planè obſcurum genus dicendi. Nec enim Chriſtus in duabus naturis eſt vnigenitus: imò qua vnigenitus eſt Chriſtus, eſt duntaxat Deus: ſed qui eſt vnigenitus, aſſumpta humana natura eſt nobis manifeſtatus Ioan. 1. verſu 14. Eſt enim Chriſtus Deus in carne manifeſtatus. 1. Timoth. 3. verſ. 16. Ergo fuit explicandum quid iſte ſibi vellet his verbis *Vnigenitum in duabus naturis*, præſertim quum expreſsè diſpunctionem ſeu comma voci *naturis* addiderit.

C

44. Rectius ergo ſancti patres & Eccleſiæ primitiuæ ac purioris Doctores, qui vnionem hanc admirandam Naturarum in Chriſto, quæ vnum ὑφιστάμενον conſtituat, vocabulo κοινωνίας ſeu communicationis *explicarunt, qua Diuinitas dare,* & *Humanitas accipere dicantur*, quorum vtrumque ad conſtitutionem vnionis perſonalis per ſe, requiritur.

DAN. Effectum pro cauſſa perperam eſt hic poſitum. Eſt enim hæc κοινωνία, per quam aliquid datur à natura diuina & ab humana accipitur, hypoſtaticè naturarum in Chriſto vnionis effectum, non cauſſa, vel forma. Nec eam vſquam pro definitione iſtius vnionis poſuerunt patres, vel his ipſis teſtibus, quos in margine citat

A Iacobus,ſed pro conſequente tantum huius vnionis ſeu pro effecto. Id quod ipſe inf. Theſ. 71. manifeſtiſsimè agnoſcit & Theſ. 89. ſibi aduerſatur.

45. Eam quiſquis negauerit, teſte Theodoro Presbytero & Suida, cum Samoſateno hæreſeos damnatur,qui contendit τὰς δυὸ φύσεις πρὸς ἑαυτὰς παντάπασιν ἀκοινωνήτους εἶναι, hoc eſt, *naturas omnimodo incommunicabiles eſſe*.

DAN. Vertendum fuit, vt mens Samoſateni explicaretur, *naturas omnimodo inunibiles eſſe*.

50. Hac autem nihil obſtante differentia. *Vera & realis miniméque verbalis,ficta aut imaginaria,* in hac vnione fit naturarum communicatio.

DAN. Si verbalem communicationem opponit fictæ, nobiſcum ſentit. Quemadmodum enim non eſt ficta vnio naturarum in vna illa Chriſti B perſona:ſic non eſt ficta aut imaginaria communicatio vel prædicatio. Qualis enim eſt vnio, talis eſt prædicatio Sed quemadmodum per iſtam vnionem non eſt Deitas Chriſti facta ipſa humanitas: ita neque eſſentialia Deitatis re ipſa ſunt communicata humanitati,vel ab ea participantur.

79. Quando igitur idiomata ſeu propria Diuinæ naturæ, *de filio hominis* prædicantur, & è contra propria humanæ naturæ,*de filio Dei* dicuntur,id per κοινωνίαν ἰδιωμάτων, hoc eſt, per communicationem idiomatum fieri. S. patres & Eccleſiæ purioris Doctores dixerunt.

DAN. Vel obſcura eſt, vel falſa hæc theſis Iacobæa. Nam ſi per hæc verba: *Filium hominis*, vel *filium Dei* intelligit perſonam Chriſti (id quod fieri ſolet falſum eſt omnino quod hîc ait, *Naturæ vnius propria prædicari* de perſona per κοινωνίαν ἰδιωμάτων. Sin per eaſdem illas voces de *Filio Dei*, & de *Filio hominis* naturas ipſas videlicet Diuinam & humanam ſignificat, fuit iſti Theologo aliter loquendum & ſcribendum, ſic C nimirum: *Quando vnius naturæ propria de altera natura per verba concreta prædicantur,veluti propria naturæ Diuinæ Chriſti, de natura humana ab eo aſſumpta.* Sed iſtius farinæ homines, vt rem ipſam facilius poſtea confundant, omniáque in hac diſputatione ſuſque deque habeant, vocabula ipſa (quæ prudenter & diſtinxerunt & obſeruarunt orthodoxi patres) primùm confundunt & perturbant.

SECVNDA CLASSIS

Theſium Iacobi Andreæ ex libro *Repetitio doctrinæ*.

Theſes falſæ ex iiſdem Iacobi Andreæ theſibus ad verbum deſumptæ.

Theſis 9.

VNVS autem non conuerſione Diuinitatis in carnē: *ſed aſſumptione humanitatis in Deū.*

16. Cum enim dicitur:quod Ieſus Chriſtus Dei & Mariæ filius,ſit verus Deus & verus homo, duabus A naturis Diuina & humana conſtans: non ſic accipiendum eſt,quod *Natura Naturam aſſumpſerit,aliàs enim tota Trinitas incarnata diceretur.*

DAN. Hoc à Scholaſticis ſumptum non intelligit Iacobus,licet vulgare tamen & tritũ in Scholis. Falſa eſt enim iſta conſecutio. Sed idcirco docent & quidem rectè, Scholaſtici, non à natura naturam in Chriſto aſſumptam fuiſſe, ne natura illa aſſumens tum demum perſona eſſe intelligatur, poſtquam humanam naturam ſibi vniuit. Itaque ipſemet inf. Theſ.62. vt non intellectum repetit.

38. Et nequaquam redigeretur in nihilum humana Chriſti natura, ſi à λόγῳ *non hoc modo vel geſtaretur*, vel ſuſtentaretur.

39. Quemadmodum enim nulla coactione,ſed liberrima voluntate & mera miſericordia ὁ λόγος Naturam humanam in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumpſit:ita eandem quoque,*ſi vellet deponere poſſet* (quod tamen in æternum non eſt facturus, ſiquidem naturam quam ſemel aſſumpſit,nũquam amplius deſerit) at non propterea ſtatim *in nihilum redigeretur*, ſed excepto peccato nobis ſimilis eſſet. Qua ratione autem Saluator humani generis eſſe non potuiſſet:ſed quemadmodum Lutherus inquit,ipſe ſaluatione indigeret.

46. Hinc adeo factum eſt,vt Eccleſiaſtici ſcriptores,ante ſynodum Chalcedonenſem,vocabulis κοινωνίας καὶ ἑνώσεως, *Vnionis & communicationis, pro eiiſdem in hoc myſterio vſi ſint.* Ideoque diligenter ab illis ſeductoribus cauendum,qui in explicatione vnionis perſonalis, vocabulis combinationis & conglutinationis (*verknopffung vnd verbindũg*) ita vſi ſunt,vt ſimul realem naturarum & proprietatum communicationem negarent.

56. Siquidem ex anima & corpore,*quædam tertia eſſentia*, quaſi ex duabus partibus, compoſita eſt,quæ ſe inuicem perficiunt.

DAN. Aut ieiunus iſte & minutus philoſophus in Mahumetiſtarum Arabúmq. Peripateticorum Auerrois & ſimilium ſententiam pedibus it: aut falſò ſcribit hominem eſſe tertiam quandam eſſentiam ex corpore &anima compoſitam. Deinde quod ait partes has ſe inuicem perficere, oſtendit animam humanam ex iſtius hominis C ſententia perfici à corpore, imaginem Dei perfici à luto.

80. Ea verò non eſt nominum tantùm & appellationum permutatio,quemadmodum ſacramentarij verbis Theodoreti loquuntur quòd vnio tantùm nomina communia faciat: Sed vera eſt cõmunicatio & realis, quapropter Naturarũ communicationem in vnione perſonali factam, non *titulo tenus*, aut verbotenus, ſed verè alteri *naturæ in concreto*,hoc eſt,*in perſona τοῦ λόγου, per vocabula concreta*, alterius *naturæ* propria tribuuntur & communicantur.

DAN. Falſa eſt & tamen implicata huius theſis ſententia. Hoc enim vult Iacobus. Quæ propria & eſſentialia ſunt vnius naturæ idiomata realiter communicari alteri ſi modo per verba concreta fiat iſta enuntiatio,veluti ſi dicatur Filius Dei paſſus,reipſa naturã diuinã eſſe paſſam. Quo quid magis impium affirmari poteſt? Atqui id & ipſe ſentit tamen,& poſtea euertit theſi 82.

A vbi idem ait propria *vnius natura eam non egredi*. Quid igitur? Hæc vera ſunt nimirū quæ propria ſunt vnius Chriſti naturę, perſonæ quidē realiter cōmunicari, ſed non vtrique tamē illi naturæ, qua cōſtat Chriſti perſona. Nā quæ Deitatis Chriſti propria ſunt, nunquā realiter humanæ ſeu aſſumptæ ab eo naturæ realiter cōpetunt aut cōmunicantur, ſiue per verba concreta, ſiue per abſtracta fiat prædicatio.

94. Quod igitur ad proprietatum diuinitatis communicationem attinet, expreſſa ſcripturæ ſacræ extant teſtimonia. Coloſ.1. In ipſo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Vbi nomine plenitudinis diuinitatis, omnia intelliguntur, quæ de Deo dici poſſunt. Vocabulum autem (*corporaliter*) magno conſenſu ſcriptores Eccleſiaſtici interpretātur *de humana aſſumpta natura*, de carne, de corpore & anima Chriſti, tanquam templo diuinitatis proprio, in quo omnis plenitudo diuinitatis inhabitet.

B **Dan.** Falsò colligitur ex illo Pauli loco Col. 1. eſſentiales Deitatis Chriſti proprietates, realiter humanę ſeu aſſumptæ ab eo naturæ eſſe cōmunicatas: ſed tantùm eum hominem, qui Chriſtus eſt, verè quoque & οὐσιωδῶς ſeu ὑποστατικῶς eſſe quoque Deum.

96. Extat etiam regula, vnanimi conſenſu Doctorum prioris primitiuę Eccleſiæ, approbata: Quæcunque Chriſto data ſunt in tempore, ſecundum humanam naturam data eſſe.

Dan. Falſò quoque ex hac patrum ſententia concludit Iacobus eſſentialia Deitatis Chriſti diomata haberi & participari re ipſa ab humana eiuſdem natura: ſed tantùm efficietur, Nihil de Deo Chriſto verè dici ſeu enunciari ab æterno, quod idem de eodem homine poſt humanæ naturæ aſſumptionem non prædicetur, quoniam homo ille eſt idem & Deus quoq; ęternus. Nam poſt incarnationem vna & eadem illa perſona fuit & manet verus & æternus Deus: & item verus & in tempore factus homo.

C 102. Nam propter naturarum communicationem eſſentialem, anima ſuas potētias ſeu proprietates, earúmque actiones, corpori ita communicat, vt anima quādiu eſt in corpore nihil ſine corpore faciat, ſed *omnia cum corpore & per corpus*. Quod in intellectu, ſenſu, & motu, aliiſque omnibus animæ potentiis perſpicuum eſt.

Dan. Falſum eſt: quod anima humana etiam corpori humano ſuo vnire faciat omnia per corpus.

112. Quando igitur ſecundū ſcripturas perſonā Chriſti cōſiderauerimus, humanæ naturę à λόγῳ, per vnionem perſonalem, quatuor realiter communicata eſſe deprehendemus.

113. Primùm quidem Diuinitatem ipſam, per naturarum communicationem, quæ in vnione perſonali facta eſt: iuxta illud Ioannis: Verbum caro factum eſt. Et Baſil. Humana Dei caro particeps facta eſt Deitatis. Vnde *homo Deus dicitur, & re vera eſt*. Quomodo enim homo Deus dici poſſet, ſi humanitas, anima & corpus aſſumptæ Naturę nihil cum Diuinitate commune haberet? aut *Diuinitatis particeps facta non eſſet*?

116. Deinde, propter hanc naturarum vnionem & realem communionem, humanæ naturæ aſſumptæ à λόγῳ, perſona filij Dei realiter com- A municata eſt.

Dan. Falſa diſtributio. Quæ ſunt enim idem diuerſa facit. Sunt enim idem perſonam Filij Dei, & Deitatem filij eſſe communicatam aſſumptę ab eo naturæ per, & propter hypoſtaticam naturarum vnionem: alias enim ſi perſonalitas eſſet communicata naturæ à λόγῳ aſſumptæ propter vnionem, proculdubio fieret eſſétq; in Chriſto humana natura perſona. Ergo eadem ſunt communicatam eſſe Deitatem λόγου ſeu perſonam naturæ aſſumptæ: Iſte tamen [hęc] velut duo diuerſa facit. Tertium membrum à Iacobo additum, de induſtria prætereo.

127. Poſtremò: Actiones quoque ſuas diuinitatis proprias, humanę naturæ aſſumptę communicauit λόγος, vt caro ſit verè & realiter viuifica. Vt idem Cyrillus confirmat, dicens Propter ſeipſum Spiritus viuificat, *Ad cuius virtutem per coniunctionem caro conſcendit*.

128. Caro autem Chriſti verè & realiter viuifica eſt, non propterea tātùm, quòd paſsione ſua in carne Chriſtus nobis vitam reſtituerit: de qua B ſola communicatione Sacramentarij concionantur: ſed quòd Chriſtus nunc etiam ratione humanę naturæ, ad dexteram omnipotentis virtutis & maieſtatis Dei ſedens, *qui iuxta diuinam naturam ipſa dextera Dei eſt, in ea, cum ea, & per eam viuificet*, ſine qua etiam viuificationis opus nuſquam, aut vnquam ſed vbique & ſemper in ea, & cum ea, & per eam perficiat.

Dan. Falſum eſt vim ipſam ζωοποιητικὴν ad vitam æternam eſſe in ipſa carne Chriſti: Fuiſſet enim immortalis caro Chriſti: ſed illa eſt à Deitate Chriſti, à qua per carnem, velut per canalem, in nos fide Chriſti carni copulatos traiicitur. Ioan.6. Epheſ.5. 1. Corinth.12. Pſal.13.

135. Planè autem impiam eam aſſerimus, & ipſiſsimam Alcorani de Chriſto ſententiam: qua Ieſuitæ Chriſto ſecundum humanam naturam propter vnionem perſonalem tribuunt, quæ inter diuinam illam altitudinem ſeu excellentiam (quam omnipotentiam vocamus) & eam dignitatem, quæ communi hominum generi obtingere ſolet, *ſingularem quandam mediam potentiam* C *ſeu eminentiam tribuunt*, & ab omnipotentiæ Dei ſeu participatione ſeu communicatione excludunt.

Dan. Imo verò Eutychianus eſt qui eam omnipotentiam, quæ Chriſto, qua homo eſt, data fuit, confundit cum ea omnipotētia, quam idem Chriſtus, qua Deus eſt, habet. Hæc enim eſt eſſentialis, æterna, & ἁπλῶς: Illa verò eſt accidentaria humanitati Chriſti, ex tempore & κατά τι, ratione nempe cæterarum creaturarum omnium. Denique vera eſt illa Hilarij, Auguſtini & Cyrilli ſententia, *Chriſtus ſeipſo maior eſt*. Quare Iacobus iſte Alcoranum didicerit, quantum volet: nos, Dei gratia, ex ipſo Dei verbo ſapere didicimus. Et falſum eſt Alcorani verba ab iſto citata probare, nos nimirum nihil plus quàm Alcoranus, ac Mahumetiſtæ ſolent Chriſto tribuere. Verùm conuitia & contumeliæ ſunt iſti hominum generi in promptu, & præcipua diſertę iſtorum eloquentię pars.

130. Ex his conſtat, Humanæ Naturæ in Chri-

A Chriſto, Diuinam Maieſtatem, *actionis Diuinitatis proprias communicatas eſſe.*

151. Quando enim actiones *ſeparatæ ſunt, naturas* quoque ſeparatas eſſe neceſſe eſſe.

152. Stultè verò ratiocinantur: Si quæ diuinæ naturæ propria ſunt humanæ in Chriſto naturæ communicentur, non amplius propria fore: ſiquidem id, quod quis cum altero commune habet, non amplius proprium, ſed commune ſit.

DAN. Hæc theſes omnes ſunt falſæ, ex eo falſiſſimo fundamento ſumptæ, quod ſi nõ vbique eſt aut agit humana ſeu aſſumpta à Chriſto natura, vbi eſt aut agit diuina eiuſdem natura, ſequatur ſeparatio diuulſióque perſonæ Chriſti. Nec enim vnio perſonalis extenſionem naturarum inter ſe perſonaliter vnitarum inducit, aut cooperationem indiuulſam, vt vbicunque vna ſit, & altera, & quotieſcunque vna agit, & altera. Pes manui in viui hominis corpore vnitus eſt, neque tamen vbi eſt pes illic eſt manus: aut quoties pes ambulat, manus ſcribit, vel iuuat eam B ambulationem, illíque cooperatur.

269. Etſi enim Neſtorius *nequaquam contendit duas in Chriſto perſonas eſſe*: Sed verbis conſtanter affirmauit, vnam in Chriſto perſonam eſſe, & filium Dei, eſſe quoque hominis filium, neque alium hominis & alium Dei filium: Tamen quia communicationem idiomatum realem in perſona Chriſti negauit: vnde naturarum ſeparatio & perſonæ ſolutio ſequitur: iure à concilio Epheſino eius erroris damnatus eſt.

DAN. Ignorat homo iſte quæ fuerit Neſtorianorum hæreſis.

TERTIA CLASSIS
earundem Iacobi Andreæ Theſium.

C

Theſes ἀσύστατοι, id eſt, ſeipſas euertẽtes. Quod verò vel ſeipſum euertit, vel aliud verum, illud falſum ſit neceſſe eſt.

Theſis 47.

COmmunicatio autem hæc naturarum, non ea eſt intelligenda, quam ſomniāt ſacramentarij, & noſtris improbè & contra teſtimonium propriæ cõſcientiæ ad tegendum ſuum errorem, imputant, qua humanæ naturæ ita diuinitas communicetur, *vt ſeipsâ ſit Deus*, adeóque in diuinitatem mutata, & hoc ſolum à Natura Diuina differat, quod diuinitatem non ex ſeſe habere, ſed aliunde, videlicet à λόγῳ, accepiſſe dicatur.

DAN. Verba hæc: *Seipsâ ſit Deus*, euertunt ſequentia, *non ex ſeſe habere, ſed aliunde*. Nec enim poteſt quiſquam ſeipſo Deus eſſe, & aliunde eam diuinitatem habere.

125. Etſi enim humana natura ab æterno non fuerit, cùm vnio facta ſit in tempore, poteſtas tamen, quæ illi communicata eſt, ab æterno eſt.

DAN. Imo eſt ἀσύστατον hæc theſis. Nam ſi æterna potentia realiter eſt communicata carni A ſeu aſſumptæ naturæ in Chriſto & in tempore factæ: ergo ab æterno eſt illi realiter communicata. Quæcunque enim potentia naturæ creatæ & in tempore factę communicatur, ea proculdubio ex tempore communicatur, & proinde ęterna eſſe non poteſt. Quare aut non æterna potentia carni Chriſti eſt communicata: aut ſi æterna illi communicata eſt, ergo ab æterno. Neque enim alia eſt ęterna potentia, quàm quæ eſt ab æterno: ipſe quoque hoc fatetur inf. theſ. 169. & 170.

167. Etſi enim natura diuina *τοῦ λόγου paſſiones non ita recipit, ſicut humanitas maieſtatem*: tamen cùm humanitas τοῦ λόγου per vnionem propria facta ſit, cui λόγος etiam ſeſe totum communicauit, nec alius ſit filius Dei, & alius filius hominis, non verbali communicatione, ſed verè & realiter, *etiam λόγου paſſio* in ſymbolo Apoſtolorū & apertis ſcripturæ teſtimoniis tribuitur. B

183. Quam Maieſtatem Chriſtus ſecundum diuinitatem nunquam depoſuit, ſed etiam in ipſa incarnatione vbique & ſemper exercuit, ſic vt ſcriptum eſt: Pater meus ad hoc vſque temporis operatur, & ego operor. Et iterum: Quæcunque ille fecerit, hæc itidem & Filius facit.

DAN. Nemo dubitat quin hæ theſes ſeipſas euertunt.

175. Nec verò, ſi idiomata diuinitatis aſſumptæ naturæ omnia, quæ nomine omnis plenitudinis Deitatis veniunt, communicata ſunt, διττότης, hoc eſt, pluralitas Deorum, vel naturarum ταυτότης, ſeu identitas, ſequitur: ſic vt inflati quidam, & opinione eruditionis turgentes (minimè Theologi) Neophyti ſtultè argumentantur, qui heri & nudiuſtertius ad Eccleſiæ gubernacula acceſſerunt.

DAN. Proculdubio eſt ἀσύστατος iſta theſis. Nam ſi eadem numero Deitas potentia, &c. tribuitur carni Chriſti aſſumptæ, & naturę ipſius Diuinæ, caro Chriſti erit ipſa Deitas Chriſti.

--- C

QVARTA CLASSIS THEſium Iacobi Andreæ.

Theſes antitheſes, id eſt, alias euertentes.

Theſis 6.

PErfectus Deus, *perfectus homo*, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens.

Illius explicatio.

12. *Per omnia nobis ſimilem dempto peccato.*

DAN. Explicatio hæc verè oſtendit quid ſit Chriſtum perfectè hominẽ eſſe. Cõtra quam ſententiam ſi quis ſenſerit, anathema poſtea pronuntiatur ab ipſomet Iacobo.

13. Hæc noſtra noſtrarumque Eccleſiarum doctrina, confeſsio, & fides indubitata eſt, de duabus naturis in Chriſto & eiuſdem perſonæ vnitate, quam Lutherus in hac ſchola piè & ſanctè profeſſus eſt, & contra omnis generis hæreſes conſtanter defendit. Et quiſquis con-

A trarium ſenſerit, Anathema ſit.

49. Etenim naturarum nulla fit confuſio, ſed earum differentia etiam in ipſa vnione ſeruatur.

55. Etſi, vt Iuſtinus rectè loquitur, non per omnia declarando huic myſterio, ſed ex parte tantùm ſeruit. *Vnio enim duarum naturarũ in Chriſto ita explicanda eſt, ne aut Diuinitati derogetur quicquam, aut humanæ naturæ affingatur aliquid*, quod eius ſubſtantiam deſtruat, aut naturas & earum proprietates confundat.

57 *Hanc realem communicationem.*

DAN. Communicationem hic pro vnione accipit, vt fallat æquiuocatione ſeu cõfuſione vocũ.

Quas theſes euertant iſtæ priores,

Nimirum

Theſ. 232.

Neque enim *Chriſtus ſimpliciter homo eſt*, ſicut Petrus, Paulus: ſed talis homo eſt, qui Deus eſt in vnitate perſonæ τοῦ λόγου.

234. Et ſicut Deus præſens eſt, proprietate eſſentiæ ſuę, omnibus creaturis, non localiter: ſic etiam propter vnionem perſonalem totus Chriſtus, adeóque ſua aſſumpta humanitate, non localiter, non proprietate eſſentiæ: ſed ſuo quodam diuino modo, qui rationi humanę incomprehenſibilis eſt, *tam verè & realiter* præſens eſt, quàm verè & realiter à λόγῳ in vnitatem ſuę perſonæ homo aſſumptus eſt.

239. Neque verò hîc nos impediat, quod de duplici actu corporis dicitur. Corporis enim Chriſti actus primus, non tantum æſtimandus eſt exemplo aliorum corporum humanorũ naturaliter: ſed perſonali etiam vnione, qua ratione ſupra naturam, (quatenus corpus τοῦ λόγου proprium) adeóque ſupra omnia omnium corporum actum primum collocatur, & infinitè exaltatur eique tribuitur, quod nullis corporibus conuenit, nec cum illis commune habet.

C 240. Vnde actus ſecundi in nos promanant, de quibus dictum Ioannis accipiendum eſt: Et de plenitudine eius accepimus omnes.

250. Neque ita Chriſtus Spiritus ſancti præſentiam *promiſit*, vt *vicaria* eſſet, loco *omnimodo abſentis* Chriſti: ſed vt eos conſolaretur, ne propter viſibilem diſceſſum perturbarentur, qui nihilominus ſuam quoq; præſentiam eis promiſit: Ego ſum vobiſcum ſemper. Matth. 28.

272. Similiter quoque Eutychetis delirium refutatur, Chriſtum in gloria, humanã naturam cum omnibus ſuis proprietatibus non retinuiſſe, ſed humanam in diuinam naturam abſorptam eſſe.

274. Monotheletarum quoque error damnatur, qui in Chriſto vnam tantum voluntatem fuiſſe contendebant, ex Eutychetis ſchola prognati, quod humanam naturam in diuinam abſorptam eſſe falſò arbitrarentur.

Et in tractatu de Cœna. 150.

Theſis. De vnione & communicatione, quòd ſint eædem.

44. Rectius ergo ſancti patres & Eccleſiæ primitiuæ ac purioris Doctores, qui vnionem hanc admirandam Naturarũ in Chriſto, quæ vnum ὑφιστάμενον conſtituat, vocabulo κοινωνίας ſeu communicationis explicarunt, qua Diuinitas dare, & Humanitas accipere dicantur, quorum vtrunque ad conſtitutionem *vnionis perſonalis* per ſe requiritur.

Euertitur à theſi

71. *Ex vnione enim & communicatione* Naturarum perſonali, quam realem eſſe demonſtrauimus, communicatio idiomatum & proprietatum Naturarum, quã ſic vocant Eccleſiaſtici ſcriptores, ſecuta eſt, per quam humana Natura à λόγῳ aſſumpta, ad ſummam Maieſtatem euecta eſt.

73. Quæ κοινωνία ſeu communicatio, cum præſertim in aſſumpta humana Natura ſit magis conſpicua, quàm vnio ipſa: tanquam, ipſa vnione ſeu communicatione Naturarum, quiddam ratione *ordinis poſterius*, etſi cum ipſa vnione ſit tempore ſimul: Prophetę & Apoſtoli per eam nos, in admirandę & ineffabilis vnionis conſiderationem, deduxerunt.

90. Quod autem Ieſuitæ & Sacramentarij hinc occaſionem ſumunt diſputandi ac declamandi, quod vnio perſonalis non ſit *communicatio idiomatum*, non *doctrinam noſtram*, ſed proprium ſuum commentum confutant.

91. Cùm enim reum differentias ſpecificas ſæpenumero ignoremus: per accidentia res interdum definimus, quæ tamen rerum eſſentiæ non ſunt.

92. Sic cum nos per communicationem idiomatum aliquo modo in cognitionem vnionis perſonalis perueniamus, hac eam definiendam, hoc eſt, ita diſcribẽdam diximus, vt cognoſcatur toto genere ab aliis gradibus præſentiæ Dei differre.

De communicatione idiomatum & quòd vnius naturæ propria & eſſentialia alteri naturæ reipſa communicata ſunt, propter vnionem hypoſtaticam.

Theſis

72. Quemadmodum autem naturarum communicatio in vnione, ſine Naturarũ confuſione facta eſt, ſic & communicatio idiomatum ſeruata vtriuſque Naturæ proprietate, eam ſecuta eſt.

78. Propria perſonæ ſunt, quæ Chriſto tribuuntur, quatenus Chriſtus, quod nomen (Chriſtus) non alterutram naturam, ſed perſonam ſignificat: vt, quòd dicitur: Immanuel, Redemptor, Iuſtificator, Sacerdos, Rex, Gubernator, quæ omnia Chriſto ſecundum vtramque naturam adſcribuntur.

99. Ex quo conſtat non modò perſonæ Chriſti diuinitatis propria tribui, ſed etiam *Humanæ naturæ*: non quidem naturaliter, ſed propter vnionem perſonalem.

115. Quemadmodum enim non propterea duæ Animæ in homine conſtituuntur, quod

Anima & Corpus eſſentialiter & perſonaliter vnita,ſiue inuicem realiter communicata ſunt,ſed vna eſt anima in corpore, cuius ratio tamen eſt diuerſa,ſi in ſeſe pro ſua natura & eſſentia, & pariter quoque reſpectu corporis conſideretur : Sic vna eſt quoque Diuinitas, eſſentialis illa & æterna,quæ ineffabili modo ita *naturæ humanæ communicata eſt*,per vnionem cum λόγῳ, vt vnam cum eo perſonam Chriſti conſtituat.

Superior doctrina euertitur à theſi.

82. Ideo enim propria ſunt & dicũtur,quòd ſubiectum ſuum non egrediuntur.

83. Propria enim diuinitatis ſolius Diuinæ naturæ propria ſunt & permanent, & ne quidem in ipſa vnione ſuum ſubiectum egrediuntur, neque in æternum proprietates aſſumptæ humanitatis fiunt,& econtra. B

85. Sicut enim Omnipotentia Dei (qua appellatione omnes naturæ diuinæ proprietates complectimur) tanquam accidens humanæ naturæ ineſſe non poteſt, quoniam ipſa, ſicut alia diuinitatis propria, accidens non eſt : Ita Diuinæ naturæ proprietates humanæ naturæ accidere nõ poſſunt. Siquidem in Naturam Dei non cadit accidens,quæ in ſeipſa immutabilis eſt & permanet ſemper.

88. Sed cùm talis ſit ἰδιομάτων communicatio, qualis eſt vnio,quam perſonalem eſſe diximus & quæ κοινωνίας ἰδιομάτων fundamentũ eſt, & ipſa quoque,ſicut vnio naturarum,à poſteriori , hoc eſt,à conſequenti declaratur per ſanctos Eccleſiæ Doctores,quòd videlicet,iuxta celebre illud Leonis dictum,vtraque forma agat cum alterius communione quod proprium eſt nimirum: Verbo operante , quod verbi eſt , & carne exequente quod carnis eſt.

123. Tertiò,ſic quoque maieſtatem,quę τ͂ λόγου propria eſt, verè & realiter aſſumptæ naturæ, C ſine omni naturarum aut proprietatum confuſione,communicauit Filius Dei. Id quod Articulus Symboli Apoſtolici: ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, & ſcripturæ ſacræ aperta teſtimonia confirmant.Hebr.1.Conſedit in dextera maieſtatis in excelſis. Epheſ. 1. Sedere fecit eum ad dexteram ſuam in cœleſtibus ,ſupra omnem principatum,ac poteſtatem, & virtutem,& dominium , & omne nomen ,quod nominatur, non ſolum in ſeculo hoc , verumetiam in futuro, & omnia ſubiecit pedibus eius.Phil.2. Dedit illi nomen ſuper omne nomen.Dan.7.Et ecce in nubibus cœli,quaſi filius hominis , veniebat , & ad antiquum dierum peruenit , & dedit ei poteſtatem,& honorem,& regnum,poteſtas eius,poteſtas æterna,quæ non auferetur.

Quòd ea communicatio propriè & cõmodè explicetur ſimilitudine animæ & corporis vniti ad vnum hominis ὑφιστάμενον conſtituendum.

Theſis.

54. Maximè verò accommodata ſimilitudo Animæ rationalis & corporis viſa eſt , quæ non A modò perſonaliter, ſed etiam eſſentialiter vnita, hominem conſtituunt.

101. Hæc autem idiomatum communicatio , non alia *ſimilitudine* magis accommodata, quàm corporis & animæ rationalis,ſicut ſymbolum Sancti Athanaſij habet, conſideranda proponitur.

Euertitur à theſi

55. Etſi, vt Iuſtinus rectè loquitur , non per omnia declarando huic myſterio , ſed ex parte tantùm ſeruit. Vnio enim duarum naturarum in Chriſto ita explicanda eſt , ne aut diuinitati derogetur quidquam , aut humanæ naturæ affingatur aliquid , quod eius ſubſtantiam deſtruat , aut naturas & earum proprietates confundat.

56. Siquidem ex anima rationali & corpore, quædam tertia eſſentia , quaſi ex duabus partibus compoſita eſt,quæ ſe inuicem perficiunt. B

Quòd eſſentialis & æterna diuinitas, potentia , ſit realiter communicata naturæ humanæ, non tantum perſonæ Chriſti.

Theſis.

115. Quemadmodum enim non propterea duæ Animæ in homine conſtituuntur, quod anima & corpus eſſentialiter & perſonaliter vnita, ſiue inuicem realiter communicata ſunt , ſed vna eſt anima in corpore, cuius ratio tamen eſt diuerſa ſi in ſeſe pro ſua natura & eſſentia , & pariter quoque reſpectu corporis conſideretur : ſic vna quoque eſt Diuinitas , eſſentialis illa & æterna, quæ ineffabili modo ita *naturæ humanæ communicata eſt*,per vnionem cum λόγῳ , vt vnam cum eo perſonam Chriſti conſtituat.

145. Ex quo manifeſtum eſt , non modò C quàm turpiter hallucinentur . ſed etiam quàm enormiter & intolerabiliter impij & blaſphemi ſint,qui,quod in ipſis eſt Chriſtum à dextera virtutis & maieſtatis Dei deponentes affirmant: λόγον aſſumptæ naturæ humanæ,per vnionem perſonalem,neque naturam diuinam, neque ſuam perſonam,neque maieſtatem,neque actiones diuinitatis proprias *verè & realiter communicaſſe*.

Euertitur à theſi

176. Cum enim ſeipſa,ac proprietate eſſentiæ diuinitas ſit omnes ſuæ proprietates , quas Apoſtolus nomine plenitudinis omnis deitatis complexus eſt : Humana autem natura aſſumpta in perſona Chriſti nihil horum ſit , aut in æternum fiat, ſed in ſe habitantem hanc plenitudinẽ, habeat ſibi realiter cõmunicatam , & τῷ ἔχειν hoc eſt,habendo ſit.

114. Non autem hinc ſequitur,duas in Chriſto ſeparatas eſſe Diuinitates , quorum altera ſit Diuinitatis propria,æterna & infinita Dei eſſentia:altera verò creata:ſicut ſacramentarij petulanter & malitioſè aduerſus nos garriunt.

122. In verbis, *Verba Cyrilli ſubiiciemus* : Natura *carnis ipſa per ſe viuificare non poteſt.* Quid enim maius Natura diuinitatis haberet ? Quæ

A nec ſola eſſe in Chriſto intelligitur: ſed habet filium ſibi communicatum, qui ſubſtantialiter vita eſt.

Quod actiones Deitatis propriæ ſint realiter communicatæ carni Chriſti.

Theſis

127. Poſtremò: Actiones quoque ſuas, diuinitatis proprias, humanæ aſſumptæ naturæ communicauit λόγος, vt caro ſit verè & realiter viuifica, vt idem Cyrillus confirmat dicens: Propter ſeipſum Spiritus viuificat. Ad cuius virtutem per coniunctionem caro conſcendit.

Euertitur à theſi

122. Ac ne nos vel propter phraſin alicuius nouitatis accuſare poſſint, quibus ſemper in ore B eſt erudita vetuſtas, & orthodoxa antiquitas (à qua tamen nos Lutherus piè & ſanctè ita vindicauit, ne humana authoritate, ſed verbo Dei fides noſtra nitatur) verba Cyrilli ſubiiciemus: Natura carnis *ipſa per ſe viuificare non poteſt.* Quid enim maius Natura diuinitatis haberet? Quæ nec ſola eſſe in Chriſto intelligitur: ſed habet filium ſibi communicatum, qui ſubſtantialiter vita eſt.

129. In verbis: *Si quis non confitetur carnem* Domini *eſſe viuificam, propterea quod propria facta eſt verbi, quod omnia viuificat, anathema ſit.*

DAN. Non dixit Cyrillus, *qua caro viuificat*, ſed ait *quod verbum* viuificat, ſicut dixerat prius theſ. 122. ipſam Deitatem in Chriſto non autem carnem viuificare.

C Quòd Diuina Chriſti natura non fuerit in morte Chriſti immunis à paſſione & dolore.

Theſis

155. Quemadmodum autem à reali communicatione Maieſtatis diuinæ, quæ ſolius Dei propria eſt, humanam naturam prorſus excludunt, eíque nihil præter nomen commune faciunt: ſic quoque contra apertum articulum ſymboli Apoſtolici & ſcripturæ ſacræ apertiſſima teſtimonia, in paſſione diuinitatem ab *eadem ſeparant*, & per impiam ἀλλοίωσιν *ſoli carni, cuius proprium eſt pati,* perperam adſcribunt.

159. Sin verò propterea diuinitas à morte paſſionis Chriſti excluditur, quod immortalis ſit, Anima quoque Chriſti in paſsione mortis, *nobis nihil profuiſſet, adeóque mortis Chriſti virtus neque diuinitati,* neque animæ, ſed ſoli corpori ſeu carni eius adſcribenda eſſet.

160. Eò Cingliana ἀλλοιωσίς homines deducit, quæ omnia ſcripturæ dicta de paſſione & morte Chriſti ad ſolam humanitatem eius refert, cuius proprium eſt pati, vt λόγος cum *ea nihil*, ſed tantùm nomen & appellationem commune habeat.

Euertitur à theſi

166. Cum igitur vnio perſonalis duarum naturarum in Chriſto ita facta ſit vt per eam λόγος aſſumptæ naturæ daret, ipſe verò ab ea nihil reciperet vel *perfectionis vel imbecillitatis*: luce meridiana clarius eſt, ingens diſcrimen inter communicationem eſſe, qua maieſtas diuinitatis propria realiter aſſumptæ naturæ humanæ communicata eſt, & qua λόγῳ eiuſdem naturæ paſsio adſcribitur.

161. In verbis. *Sed quia* caro *eius hæc omnia non ſolum pertulit, ſed & ſenſit & ceſſit, meritò ac iure dicimus, dominum his omnibus paſſionum conditionibus ſenſibiliter affectum in carne ſua, ſine ſenſu vel mutatione diuinitatis, &c.*

164. Huc referendæ ſunt ſententiæ Baſilij: Domini caro particeps ipſa facta eſt Deitatis, non ſuam propriam tradidit deitati imbecillitatem. Et Auguſtini: Iniuria corporis affectam eſſe fateor non deitatem: ſicut maieſtate deitatis nouimus carnem.

165. Et hoc eſt quod D. Petrus inquit, Chriſtus paſſus eſt carne, cuius proprium eſt pati, & B filio Dei etiam propter naturarum communicationem & vnitatem perſonæ tribuitur.

185. Ideóque quæ de exinanitione Chriſti in ſcripturis dicuntur, nequaquam de diuinitate intelligi poſſunt, niſi in caſtra Arianorum nos recipere velimus: Sicut Leo & Flauianus teſtatur.

186. Sed omnia de Chriſto ſecundum humanam naturam omnium orthodoxorum conſenſu intelligenda ſunt & explicanda.

187. Ea enim Natura & humiliari & exaltari realiter poteſt.

Quòd ſi non vna & eadem numero ſed duplex actio, potentia, & proprietas C Deitati eſſentialis tribuitur carni & Deitati Chriſti, non ſtatuitur διττότης Deitatis in Chriſto.

Theſis

175. Nec verò ſi idiomata diuinitatis aſſumptæ naturæ omnia, quæ nomine omnis plenitudinis Deitatis veniunt, communicata ſunt, διττότης, hoc eſt, pluralitas Deorum, vel naturarum ταυτότης, ſeu identitas, ſequitur: ſic vt inflati quidam, & opinione eruditionis turgentes (minimè Theologi) Neophyti ſtultè argumentantur, qui heri & nudiuſtertius ad Eccleſiæ gubernacula acceſſerunt.

177. Qua ratione ſtultè & per ignorantiam excogitata διττότης & ταυτότης exploſa eſt.

178. Sic quoque quam ex effuſione totius ἐνεργείας diuinitatis, peruerſè intellecta & ſtudioſè deprauata, confuſionem graduum præſentiæ diuinitatis colligunt, qua Chriſtum gradibus donorum tantùm à reliquis ſanctis differre nobis falsò & malitioſè imputant, nihil niſi petulantia & ſatanica calumnia eſt.

Euertitur à theſi

295. Vnde etiam diſcrimen conſpicuum, quòd alia ratione λόγος, alia ratione propter λόγον in perſona Chriſti homo omnipotens dicatur: quamuis *vna eadémque ſit vtriuſque omnipotentia.*

A 296. Nam λόγος ſeipſo & proprietate ſuæ naturæ omnipotens eſt & dicitur, cuius potentiæ humana natura nihil addidit. Humana autem natura Chriſti proprietate ſuæ eſſentiæ non eſt, non fuit, neque vnquam erit omnipotens, ſed κατ' ἄλλο, id eſt, aliunde habet: videlicet, quòd perſonaliter ſibi habet communicatam omnipotentem λόγον: quod nulli Angelorum aut hominum contigit. Breuius dicam: λόγος τῷ εἶναι, *humanitas τῷ ἔχειν eſt omnipotens*, idque verè & realiter, quod Athanaſius paucis verbis eleganter complexus eſt: ſicut anima in corpore, ita Deus verbum vnitus humanitati, edit prodigia, non ſeparatus à natura aſſumpta: ſed placuit ei per ipſam, in ipſa, & cum ipſa potentiam ſuam exercere.

297. Ideo rectè de Chriſto dicitur, quod manus, quam impoſuit ægrotis, *omnipotens manus ſit*: & vox, qua Lazarum à mortuis ſuſcitauit, omnipotens vox ſit, quòd opes omnipotentię ſuæ B λόγος, per hanc manum & vocem, exercuerit.

Euectionem humanæ ſeu aſſumptæ à Chriſto naturæ in ſummam gloriam factam eſſe, quum ea cum λόγῳ Dei in vtero Mariæ perſonaliter vnita eſt.

Theſis

188. Summo autem & altiſsimo gradu exaltata eſt, quo altiore collocari aut exaltari non potuit, cum *in vtero Virginis cum λόγῳ perſonaliter vnita eſt*.

189. Cum enim filius Dei altiſsimus ſit, cum C quo vna perſona effecta eſt, altius exaltari non potuit, niſi fortè ipſo altiſsimo aliquid altius cogitari poſsit.

Euertitur à theſi

195. Sic non ſimulauit, ſe ignorare diem iudicij, ſed reuera ſecundum humanam naturam tum ignorabat: ſiquidem humiliatio eius non ſimulatio fuit, ſed realis abdicatio vſus diuinæ Maieſtatis.

196. Sic non ſimulauit ſe eſurire aut ſitire, (quod ſi voluiſſet, potuiſſet, neque eſurire, neque ſitire) ſed reuera eſuriit & ſitiuit.

200. Poſtquam verò formam ſerui penitus depoſuit (quæ iam in commemorato dicto D. Pauli nequaquam humanam naturam, vt veteres quidam ſcriptores interpretati ſunt: ſed ſeruilem formam ſignificat, vt Lutherus cum Ambroſio demonſtrat. De qua Chriſtus inquit: Non venit filius hominis vt ſibi miniſtraretur, ſed vt ipſe miniſtraret. Et iterum. Vos appellatis me magiſtrum & dominum, & bene dicitis, ſum enim. Ego in medio veſtrum, vt qui miniſtrat) realiter exaltatus eſt.

201. Sicut enim in aſſumpta natura realiter exinanitus fuit in forma ſerui: ita, poſtquam hāc formam ſerui realiter depoſuit (Humanam naturam in æternum nunquam deponens) glorię Maieſtas *ei ſic reſtituta eſt*, vt qui prius *ſola diuinitate* omnia gubernaret, nunc etiam ſua humanitate, ad dexteram virtutis & maieſtatis Dei collocata, omnia in cœlo & in terra, vbique & ſemper gubernet. Sicut ſcriptum eſt: Quapropter Deus exaltauit eum, & dedit ei nomen ſupra omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Et iterum: Sciat ergo tota domus Iſrael, quod Dominum & Chriſtum, fecerit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis. Athanaſius: Scriptura non intelligit ſubſtantiam verbi exaltatam, ſed ad Humanitatē eius hoc ſpectat, propter carnē exaltari dicitur. Cum enim ipſius ſit corpus, merito ipſe vt homo, ratione corporis, humanitus exaltari & accipere memoratur, eo quod corpꝰ illa recipit. Quę verbum ſemper poſsidebat, ſecundum ſuam ex patre Deitatem & perfectionem. Dicit igitur, ſe poteſtatem accepiſſe vt hominem, quam ſemper habebat vt Deus. Dicitq;: Glorifica me, qui alios glorificas: Vt oſtendat, carnem ſe habere iſtarum B rerum indigam. Ac proinde carne ſuæ humanitatis hanc glorificationem accipiente, ita loquitur, quaſi ipſe accepiſſet. Illud enim vbique animaduertendum (Notate regulam, Ieſuitæ & Sacramentarij veſtræ contrariam) nihil eorum quę dicit ſe accepiſſe, in tempore ſcilicet, ita ſe accepiſſe, quaſi non habuiſſet. Habebat enim illa, vtpote ſemper vt Deus & verbum. Nunc autem dicit: Humanitus ſe accepiſſe, vt carne eius in ipſo accipiente, in poſterum ea ex carne illius in nos firmiter poſſidenda traderentur. Idem: Verbum eius ſemper erat Dominus, neque poſt crucem primùm factus eſt Dominus: ſed Humanitatem eius, Diuinitas fecit Dominum & Chriſtum.

208. Etſi verò ante reſurrectionē Dominus C quoque erat, non tamen vbique cum Deo regnabat. Sed hac Maieſtate regnandi tantiſper quaſi *exutum & euacuatum* (vt Paulus loquitur) eſſe oportebat, donec per paſsionem (quæ ab exordio natiuitatis eius ſemper vſque ad mortem durabat) genus humanum redimeret.

Carnem Chriſti eſſe incircumſcriptā, & tamen veram, id eſt, verè humanam carnem.

Theſis

202. Quando autem Patres & ſcriptores Eccleſiaſtici proprietates humanæ naturæ, imprimis autem circumſcriptionē corporis Chriſti, aduerſus Marcionitas & Eutychianos vrgent, nequaquam hanc communicatam, in aſſumpta humana natura, maieſtatem negant aut oppugnant.

203. Aliud enim eſt de veritate naturæ humanæ, eiúſque eſſentia dicere, quid per ſe, & in ſe ſit proprietate naturæ ſuæ: & aliud, quid per vnionem perſonalem à λόγῳ communicatum acceperit. Qua ratione ſententiæ patrum in ſpecie pugnantes facilè conciliari poſſunt.

Euertitur à theſi

227. Neque verò nos dicimus, Chriſti humanam naturam, *per ſe perſonaliter, cum ſeipſa perſona non ſit, neque naturaliter*, hoc eſt proprietatę

A naturæ ſuæ, quæ circumſcripta & finita eſt, omnia implere. Sed ideo tantùm, quòd in vnitatem perſonæ à λόγῳ aſſumpta ſit, & nuſquam ſit λόγος, vbi non ſit homo.

228. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, eos toto cælo errare, qui à proprio humani corporis, ſeu ab humana noſtra natura ad corpus Chriſti ſimpliciter argumentantur, & impiè negant, *nouam corporis Chriſti ponendam definitionem*, quæ corpori Chriſti peculiariter applicetur.

232. Neque enim *Chriſtus ſimpliciter homo eſt*, ſicut Petrus, Paulus: ſed talis homo eſt, qui Deus eſt in vnitate perſonæ τοῦ λόγου.

235. Hanc de loco cogitationem ſi ſuſtuleris & remoueris ab hoc myſterio, omni quæſtione, labore & diſputatione te expediuiſti, tribuens gloriam corpori Chriſti propter vnionem, quæ ſolius huius corporis propria eſt, & quam cum nullo *ſanctorum communem* habet, nec interim veritatem humanæ naturæ, earúmque proprieta- B tum negabis.

236. Nec vlla hîc contradictionis implicatio eſt, *cum vni & eidem corpori Chriſti oppoſita*, non eodem, ſed diuerſo reſpectu, adſcribantur.

237. Quod enim corpus Chriſti finitum, & circumſcriptum, & in loco dicitur, id ei propter naturæ proprietatem rectè tribuitur. Quæ ſi ei adimatur, veritas naturæ negari & eidem adimi verè dicetur.

238. Quod autem eidem corpori etiam tribuuntur, quæ infinita ſunt, & nullo loco circumſcripta, qua ratione & ipſa non in loco aut circumſcripta dicitur: id ei propter vnionem cum perſona τοῦ λόγου, & infinitæ naturæ κοινωνίαν, ac communicationem, verè & iuxta ſcripturas tribuitur.

C

Non poſſe ſciri, Quid ſit maieſtas Chriſti & dextera Dei.

Theſis

212. Quemadmodum autem ſupra de vnionis myſterio diximus, rectius nos, quid non ſit, quàm quid ſit, exponere poſſe: ſic etiam de Maieſtate filij hominis, eiúſque præſentiæ modo, rectius quid non ſit, quàm quid ſit, affirmare poſſumus. Quæ *vt vno verbo dicamus, non intelligitur*, neque ſenſibus aut ratione humana comprehenditur.

Euertitur à theſi vbi eam definit.

214. Dextera igitur Dei, *cum ſedes ſit* Humanitatis Chriſti glorificatæ, quid ea ſit videndum eſt.

215. Ea verò nihil aliud ſignificat, quàm, vt vno verbo exprimamus, *omnipotentiam Dei*, quæ neque locus eſt, neque in loco, ſed cœlum & terram implet. Ier. 23.

Carnem Chriſti ſedere ad dexteram Dei, eſt Chriſtum hominem regnare.

216. In hac ſede cum Humanitas Chriſti collocata ſit, nuſquam dextera Dei demonſtrari poterit, vbi humanitas eius *non ſedeat*, hoc eſt, *regnet &* gubernet. Id enim in hoc ſymboli articulo ſedere ſignificat.

261. Primus modus vniuerſalis eſt, quo humanitas Chriſti, cum diuinitate τοῦ λόγου, in gubernatione omnibus creaturis adeſt. Id enim eſt ſedere ad dexteram Dei, hoc eſt, *pari omnipotentia cum Deo*, omnia in cœlo & terra gubernare, ſicut Catecheſis noſtra docet, ad quam maieſtatem humana natura verè & realiter euecta eſt. Sicut ſcriptum eſt: Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius: & conſtituiſti eum ſupra omnia opera manuum tuarum.

Euertitur à theſi

224. Non enim hic de ſcripturæ impletione, ſed de locis ſuperis & inferis diſſeritur: Quemadmodum contextus verborum Apoſtoli apertè docet: videlicet de inferioribus terræ: (quæ vte- B rum D. Virginis ſignificant, ſicut Pſal. 129. etiam loquitur, Nõ eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto & ſubſtantia mea in inferioribus terræ:) & de cælis. Et apertè dicitur: quòd qui in inferiora terræ deſcenderit, idem quoque ſupra omnes cælos aſcẽderit, vt omnia impleret.

264. Alter præſentiæ modus eſt, quo Eccleſię ſuę peculiari gratia adeſt: iuxta promiſſiones: vbi duo aut tres *congregati* ſunt in nomine meo, ſum in medio ipſorum. Sum inquit, non (ero.) Perſonali enim præſentia nunquam recedit, qui gratia ad electos ſubinde magis magiſque accedit.

C

Vbiquitatem negat.

Theſis

251. Quemadmodum autem monſtroſam vbiquitatem nunquam credidimus, nunquam docuimus, quam ſacramentarij apud ſuos auditores nobis falsò, & contra teſtimonium ſuæ ipſorum conſcientiæ imputant. Id enim figmentum, tanquam portentum deteſtamur, quo fingitur humanitas Chriſti diuinitati coextenſa, cum nec ipſa diuinitas extendatur.

Probat articulo

5. De cæna Domini,

QVINTA ET VLTIMA CLASSIS THESIVM IACOBI ANDREAE EX LIBRO

Repetitio doctrinæ.

Theſes ineptæ.

Theſis 28.

ET huc pertinet quoque doctrina de gradibus præſentiæ Dei. Quorum primus eſt de præſentia Dei vniuerſali, quæ eſt præſentia conſeruationis, qua ratione Deus, quo ad ſe æqualiter omnibus creaturis adeſt, vbique totus & totum, non magis hic quàm illic. Secundus gradus, quo adeſt beatis angelis & hominibus, quos *eſ-*

ſentia

A *ſentia ſua præſens*,non modò conſeruat, ſed etiam viuificat vita æterna. Tertius, quo adeſt renatis in hac vita, & efficit in illis nouos motus: de quibus præſentiæ modis nulla controuerſia eſt.

DAN. Inepta, quoniam vel confundit ſecundum & tertium modum, quo Deus in beatis ineſt:vel qui tertius ac poſterior eſt (veluti vita æterna viuificare) priorem conſtituit ſecundo gradu,quo nimirũ nouos motus in electis Deus efficit.

74. Ea verò non eſt prædicatio tantùm, aut phraſis,ſeu modus loquendi, *ſed res verè exiſtens*, quæ hac phraſi,prædicatione,ſeu modo loquendi exprimitur:Videlicet non ipſa Naturarum vnio vel communicatio, ſed proprietatum communicatio,quæ ipſam vnionem perſonalem ſequitur.

DAN. Ineptum.Quis enim ignorat, quum ea, B quæ naturæ diuinæ propria ſunt,de humana: cõtráque naturæ humanæ propria de natura diuina enuntiantur, rem verè exiſtentem exprimi? De quo nulla quæſtio eſt:ſed vtrum ea res,veluti paſſio, quum Deus paſſus dicitur, reipſa tribuatur Deitati Chriſti, vt ipſa paſſa ſit. Ergo non de re, ſed de ipſo attributionis modo diſputatum hic fuit, quem illi eſſe realem volunt, id eſt, reipſa tribuere alteri naturæ, quod alterius eſt proprium, nos autem ex verbo Dei verbalem ſeu dialecticum eſſe demonſtramus.

75. Non autem eſt idiomatum ſeu propriorum in perſona Chriſti eadem ratio. Quędam enim ſingularum naturarum propria ſunt: quædã perſonæ propriè tribuuntur.

DAN. Ineptè,quæ toti perſonæ Chriſti competunt,ad eam communicationis ſpeciem hic re- C feruntur,quæ communicatio idiomatum nominatur. Nam in iis tantum eſt,quę vni tantum naturę Chriſti ſunt propria,non autem in iis, quæ vtrique naturę. Cuiuſmodi ſunt tamen quę toti perſonę Chriſti tribuuntur,velut redemptorem noſtrũ eſſe. Itaque ipſemet inf.theſ. 79. noſtram ſententiam confirmat,ſuam euertit.

84. Quapropter nequaquam hęc proprietatum communicatio phyſica dicenda eſt, qua alterutra natura, *per ſe, & in ſe conſiderata*, *ſubiectum* proprietatum alterius naturæ conſtituitur.

87. Quia verò vnio duarum naturarum, in perſona *τοῦ λόγου non eſt eſſentialis*, aut accidentalis, ſeu phyſica,ſed perſonalis, quam vniuerſa philoſophia ignorat:ideoque Mathematicis, Phyſicis aut Metaphyſicis regulis minimè ſubiecta: Ideo communicatio quoque idiomatum ſeu proprietatum non eſt phyſica, vt vnius naturę propria, altera natura per ſe vel accidens habere dicatur: qua ratione,in natura humana Eutychianiſmus: in perſona autem Chriſti, Neſtorianiſmus aſſereretur.

DAN. Inepta eſt tota iſta collectio Iacobi. Nam ſi eſſentialia diuinę Chriſti naturę idiomata realiter inſunt humanę ſeu aſſumptę naturæ, quemadmodum vult ipſe,vel vt accidens, vel vt eſſentia illi inſint oportet. Nil enim iſtam diuiſionem effugit. Atqui non inſunt humanæ naturæ vt accidens theſis octuageſimæquartæ, non item vt eſſentia diuinæ naturæ theſis nonageſimænonæ. Ergo eſſentialia diuinæ Chriſti naturæ idiomata nullo modo inſunt humanę eiuſdem naturæ. Et quoniam nullo modo inſunt, nec inſunt. Quod enim addit Iacobus, de natura,cui vult illa realiter communicari, *per ſe & in ſe conſiderata* ſunt meræ præſtigiæ. Nec verba hæc. *Natura per ſe, & in ſe conſiderata*, ſignificant naturam,quum extra perſonam ſeu vnionem cõſideratur:aut naturam,cui alterius eſſentialia idiomata realiter communicantur, quas ex ſuis propriis naturalibúſque tantùm viribus æſtimatur. Verùm ſiue in vnione:ſiue extra vnionem:ſiue ex ſeſe,& in ſeſe,ſiue ex donis à Deo ſupernaturaliter acceptis conſideretur æſtimetúrve humana Chriſti natura,nunquam illa eſſentialium Deitatis Chriſti proprietatum realiter fiet particeps, ne fiat & ipſa Deus, id eſt, ne caro ſeu humana B natura eſſe deſinat. Quicquid enim quocunque modo οὐσιωδῶν θεότητος ἰδιωμάτων eſt realiter particeps:illud idem ipſam οὐσίαν θεότητος quoque realiter habet, ac participat: atque ita fit Deus, ac proinde erit quidam factitius Deus, qui tamen verus Deus erit, licet idem non ſit natura Deus, contra quam Paulus & Dei Spiritus per Paulum loquens Gal.4. verſ.8.affirmat & doceat. Et quis tandem iſtarum,Iacobe, ineptiarum tuarum erit finis?

103. Quæ cauſa eſt, vt duplex, ab Ariſtotele ipſius animæ definitio tradatur: quarum altera, ipſius animæ *eſſentiam per ſuas potentias* ſeu proprietates definit:qua homo dicitur viuere, ſentire,moueri,& intelligere. Altera verò,communicationem ipſius cum corpore explicat, qua dicitur ἐντελέχεια corporis phyſici organici,vitam habentis in potentia.

DAN. Inepta concluſio Iacobi & falſiſſima. Inepta quidem,quum ſic colligit, Dixit Ariſtoteles animã eſſe ἐντελέχειαν corporis organici, ergo anima hominis omnia facit per corpus. Nam idem Ariſtoteles hanc conſecutionem negat apertiſſimè, qui quamuis eã animæ definitionem attulerit,tamen manifeſtè pronuntiat eſſe quaſdam humanę animæ actiones, in quibus non egeat corpore. Hæc verò eadem concluſio Iacobi eſt falſiſſima. Oſtendit enim animam hominis eſſe mortalem, ſi nulla ſit illi etiam in corpore exiſtens ſeparata tamen à corpore actio.

108. Et diligenter notãdum eſt,quod in ſcriptura ſæpe repetitum legimus. Non dedit tibi Dominus cor intelligens. Item, Dedi tibi cor ſapiens & intelligens. 1. Reg. 3. Quod nobis *interpretentur Ieſuitæ* & ſacramentarij, adeóque omnes Philoſophi: cùm *cor pars corporis ſit*, non animę potentia: nec Dominus dicat, dedi tibi animam ſapientem aut intelligentem,ſed cor ſapiens & intelligens.

DAN. Inepta collectio, quum metalepſin & metonymiam (grammaticam & pueris etiam notam phraſin)ignorare ſe monſtret magiſter Iacobus. Quum enim dicit Dominus,dedi tibi *cor intelligens*, id eſt, intelligentiam in corde, vt non inteſtinum ipſum & membrum carneum intelligat Deus: ſed vt ſapientia ipſa ſeu anima ſapiens à Deo data intelligatur in iſto membro ſeu oculo hominis inſidens. Quanquam quid iam idem ſuo Ariſtoteli miſer faciet, (quem ſupra aliquot theſibus tam ſtudioſè in ſuum auxilium contra theſes tamen 67. & 68. aduocauit) quum affirmet Ariſtoteles animam, quæ in cerebro eſt, intelligere? ſi verò ſcriptura doceat eam, quæ in corde potius ſedet, id facere.

110. Neque neceſſe eſt, vt nobis dicant Ieſuitæ aut ſacramentarij corporis proprietatem non eſſe intellectum. Sed reſpondeant: An Spiritus ſanctus impropriè loquatur, aut in ſchola Eutychiana verſetur, cum per vocabulum *abſtractum* loquitur, cor hominis non hominem appellans? Et num præter nomen & appellationem ſapientiæ nihil cor communicet?

DAN. Planè iam inſulſum ſe declarat iſte Philoſophus: ſed quũ ſit vbiquitatis defenſor, nimirũ ſibi vbiq; eſſe putat licere, & temerè in omnium artiũ, etiã quas non intelligit, fines inuolare. Itaque iã contra ſua ſuperiora ſcripta ex Theologo Peripateticus ſeu Ariſtotelęus philoſophus factus ſic cõcludit. *Organis corporis læſis, & perturbatis nihil rationis in homine conſpicitur*, ergo hominis ratio eſt in ipſis corporis membris velut in ipſo oculo, aure, & medulla ſeu neruis cerebri. Quid ineptius dici, ſcribíue à Philoſopho, nedum Theologo potuit? Exempli gratia. Abſciſſa homini lingua & manu, ars ſcientiáque orandi vel ſcribendi nulla apparet in homine. Ergo ars & ſcientia orandi ſcribendíue in ipſa lingua inſidet ac poſita eſt. Hoc quàm ſtolidè & Sophiſticè colligatur, norunt Dialectici omnes, non modò philoſophi peritiores. Verùm philoſophum iſtum, vt, quæ dicit, intelligat quàm ſint inepta, remittamus ad libros Galeni De Placitis Platonis & Hippocratis.

EXAMEN LIBRI DE DVABVS IN CHRISTO NATVRIS, DE EARVM HYPOSTATICA VNIOne,& varia,quæ ex illa vnione ſequitur, communicatione,à Martino Kemnitio conſcripti:

Per Lambertum Danæum.

HVIVS AVTEM EXAMINIS HIC EST VSVS,
QVOD PRÆCIPVIS DOCTRINÆ BERGENSIS, DE MAieſtate hominis Chriſti,nuper in Germania titulò *Formula Concor-*
B *diæ* editæ argumentis reſpondetur, & Patrum autoritates in eadem *Formula* prolatæ explicantur. B

PROTESTATIO LAMB. DANÆI, AD LECTOREM.

TESTOR, candide lector,me non calumniandi ſtudio,aut euertendi ea,quæ rectè dicta ſunt,& nullas inſidias habent, accedere ad ſcribendum: adeò vt illa Kemnitij ſententia, qua pag. 265. ſuo dogmati aduerſantes prægrauare voluit, nequaquam ad me pertineat: nimirum, quoſdam eſſe, quos tenet inſanabile calumniandi cacoethes, qui rectè, vel ſaltem mediocriter, ac tolerabiliter dicta, maledicendo exagitare, ac cauillando peruertere ſtudent: de quibus equidem idem, quod Kemnitius ipſe,ſtatuo,eos nimirum nec audiendos,nec curandos.

PRÆFATIO IN EXAMEN LIBRI, DE DVABVS IN CHRISTO NATVRIS, DE EARVM HYPOSTATICA VNIONE, ET VARIA, QVAE EX ILLA VNIONE SEQVItur, Communicatione, à Martino Kemnitio conſcripti, vbi origo harum controuerſiarum, & ἀνάλυσις futuræ diſputationis proponitur, per Lambertum Danæum.

C *FActurum me operæpretium exiſtimaui, ſi in arduo, & difficili argumento verſaturus, vbi agitur De duabus, quæ in vnica illa D.N.Ieſu Chriſti perſona inſunt, naturis: de earum vnione hypoſtatica: de varia, quæ ex vnione illa ſequitur, earum Naturarum inter ſe communicatione, & de aliis quamplurimus obſcuris, quæ in hāc diſputationem incidunt, quæſtionibus: breuiter priùs oſtenderem, quæ cauſa, quiſve ſcopus has controuerſias tam fœliciter antea ſopitas, imò etiam totis generalibus Synodis iam definitas, tamen in hac noſtra ætate renouarit. Nā quum homines pios, & veritatis Dei amantes deceat iis, quæ rectè ex Dei verbo ſemel deciſa ſunt, acquieſcere: & veræ Eccleſiæ filios minimè oporteat tot publicis veterum, ac orthodoxorum Patrum decretis refragari: præterea quum certamina & aſſidua, & grauiſſima nobis omnibus (qui ſumma Dei miſericordia, reſtitutam Euangelij lucem amplexi ſumus) aliunde, nimirum à Pontificiis, & præſertim Ieſuitis, aliíſve hæreticis, pro D.N.Ieſu Chriſti gloria, & ipſius Doctrinæ Euangelicæ patrocinio, incumbant: certè his tam duris litibus fuit nobis abſtinendum. Verùm enimuerò huius tanti mali duplex in vniuerſum cauſſa mihi multa diſquirenti videri ſolet. Primùm peccata ipſa noſtra, & ſummi in nos beneficij Chriſti contemptio, qui neque ſic reuerenter, vti debuimus, tantam ſalutaris veritatis lucem ab eo nobis oblatam ſuſcepimus, ac dileximus: neque Dei verbo tum in ſapiendo, tum & in viuendo ſumus ſatis obſequentes, atque morige-* C

ri.Itaque Dominus,iuſtiſſimo ſuo iudicio,hunc noſtrum nominis , & beneficii ſui contemptum vlciſcitur, A
1.Cor 11. *quemadmodum & Corinthios ipſos (qui Sacra Domini Cœna,id eſt, ſalutaribus ipſius gratiis,*
abutebantur) acerbè puniuit. Hæc igitur eſt vna infœliciſſimarum controuerſiarum noſtrarum
cauſſa. Altera verò, Diaboli ipſius inuidentia. Nam quum ſit Satan inimicus ille Dei, & noſter,
veram Dominici agri culturam, & tantum hominibus bonum à Deo datum eſſe , ferre non potuit:
Matth.13. *ſed ſanctum illud Dei verbi ſemen ſuis Zizaniis , & erroribus ſtatim , atque à Domino plantari,*
atque irrigari cœptum eſt,corrupit. Atque hæ ſunt duæ noſtrorum diſſidiorum grauiſſimæ cauſſæ.
Quibus autem modis illa fuerint primùm excitata , & poſtea aucta , nunc dicendum quoque mihi
videtur. Sic autem ſe res habet. Quum Dominus Deus Pater miſericordiarum,infinita ſua in genus
humanum , & poſtremam hanc mundi ſeneſcentis ætatem clementia , D.Martinum Lutherum ad
ſuæ veritatis lucem , ac puritatem reſtituendam in Germania excitaſſet , ita primùm in S.Domini
Cœna verſatus eſt Lutherus , vt in vnis Pontificiis confutandis , eorúmque fœdiſſimo errore , de
tranſſubſtantiatione Panis in ipſum corpus Chriſti , & vini in ipſummet ſanguinem Chriſti, conuellendo
totus eſſet,ab eâque ſententia (quam nos hodie de S.Cœna tuemur) vel nihil omnino,vel
Luth Sermo. de Matrimo. Item de nouo Teſtam. itẽ de miſſa priuata abroganna: & de captiuitate Babylonica. In cõfeſ. magna, & lib. Quod verba Chriſti adhuc firma manent. In ſermone contra Schuuermeros.
*parum admodum ille primùm abeſſet. Nam de ſignis Cœnæ loquens,vocabulis,*Significandi,Repræſentandi,
Signi externi,*& cæteris ſimilibus libenter nobiſcum vtebatur: adeò vt etiam ſcripſerit* ,
In Sacramento Euchariſtiæ nihil amplius inueniri, quàm promiſſionem,& fidem:
quæ certè realem , ſeu eſſentialem corporis Chriſti præſentiam non requirit , imò illi contraria eſt.
Et ita quidem vir ille ante ſuſceptum cum Carloſtadio de Cœna Domini certamen, & ſentiebat, &
ſcribebat. Verùm ab eo certaminis ſuſcepti tempore (quod incidit in annum Domini 1524) Lutherus
ſententiam immutare cœpit, paulatímque eò delabi , vt diceret, Chriſtum ſe corporali præſentia B
ad panem alligaſſe : *&*,corpus Chriſti in hoc pane Cœnæ realiter,ac corporali præſentia
exiſtere,ſeu contineri. *Tandem verò,incaleſcente contentione,verba quoque ipſa diſputantium*
incaluerunt , ac indies deteriora ſunt effecta. Nam eò Lutherus deuenit , vt ſcriberet,
Corpus Chriſti inuadere in panem , occultare ſe ſub pane , *& appellaret panem ipſum Cœnæ*
*S.*panem carneum. *Hæc verò Lutheri verba,& his ſimilia,ſuſceptum illud certamen de verbis*
Cœnæ non modò fouerunt, ſed etiam auxerunt,& alias quæſtiones, ac contentiones quoque pepererunt.
Tandem verò,vt hæ grauiſſimæ,& certè quidem renaſcenti Chriſti Euangelio funeſtiſſimæ,
controuerſiæ placarentur, à bonis viris tentatum eſt : primùm quidem ab Illuſtriſſimo Principe
Philippo,Haſſiæ Lantgrauio deinde à Martino Bucero. Ac Lantgrauius quidem Lutherum,Zuinglium
vnà cum Oecolampadio (qui duo quum propter duras illas Lutheri non modò aduerſus Carloſtadium,
ſed omnes alios,loquutiones, eum in parem, aut etiam deteriorem Papiſtis errorem relabi
Anno Domini 1529. *crederent , à Luthero diſſidebant) Marpurgum accerſitos non tantùm inter ſe animis conciliare,*
ſed etiam in ipſa de Cœna Domini doctrina concordes efficere vehementer ſtuduit, & conatus
eſt. Et quidem ex eo colloquio ita diſceſſum eſt,vt ſi quædam vocabula mitigata fuiſſent, de tota
re inter eos facilè conuenire potuerit. Vterque tamen ſuis phraſibus delectatus eas retinere maluit.
Itaque hoc vulnus non ſatis tunc coaluit,imò etiam poſtea ſtatim recruduit: quæ plaga Eccleſiæ renouata,
quum multos viros bonos, & pios vehementer vlceraret, concordia à P.M.viro M.Bucero
inter partes denuo tentata eſt , nimirum inter Lutherum, & Heluiticas Eccleſias (mortuo iam vtroque
in Domino,Zuinglio dico,& Oecolampadio.) Qui Buceri labor benedictus à Domino fœliciter C
adeò ceſſit,vt concordia inter partes iniretur,& ſæpius poſtea confirmaretur. Ergo quieſcebat,
operâ M. Buceri, Chriſtianus orbis , fruebantúrque Dei Eccleſiæ pace : donec inuidia Satanæ, &
quorundam malè feriatorum hominum ambitione , vulnus iſtud miſerrima digladiatione iterum
apertum eſt : verùm illud poſtea ſanari , aut coaleſcere (noſtris omnium peccatis ſic merentibus, &
Satana myſterium illud iniquitatis à ſe iam ſemel inchoatum,totis viribus vrgente) non potuit: imò
Anno Domini 1544. *indies periculoſius,& acerbius fieri cœptum eſt. Nam à Mart. Luthero,poſtrema illa confeſſio paucis*
ipſius ante mortem annis edita eſt (vbi tota lis iſta penè iam iudicata retexi cœpta eſt) & qui
ſuam,non autem Chriſti gloriam, ſub nomine Lutheri,captabant,hanc nouam incendiorum facem
oblatam ſibi eſſe gaudebant , eámque adeo pice , & materia vndique admotâ aluerunt : donec ea
flamma tandem exarſit, quæ iam miſerando ſpectaculo, & certiſſimo iræ Dei in nos iudicio,omnes
Euangelicas Eccleſias penè conſumit. Et certè væ illi , per quem hæc ſcandala vel primùm nata
ſunt , vel poſtea renata , & per quem nunc fouentur. Sic igitur tertiò repetita Sacramentaria hæc
controuerſia , paulatim in hoc immenſum (quod nunc cernimus) certaminum pelagus excreuit.
Quemadmodum enim omnia flumina ſuas aquas in mare deducunt, ita qui gloriam, vel lucrum
ſuum ex hoc Eccleſiæ detrimento comparare ſtuduerunt , in huius Sacramentariæ controuerſiæ alueum,
& cumulum ſuas, nouáſque rationes,& argumenta, tanquam ſymbolum quiſque ſuum, afferunt.
Ex quo effectum eſt,vt quæ lis & controuerſia, de reali Carnis Chriſti præſentia in S.Cœna

minuto

A minuto quodam, & exiguo iure niti antea videbatur, poſt tot noua à variis hominibus collata ar-
gumenta, magno iure, & fundamento fulciri, ac fundari iam cenſeatur: atque inde obstinatio in
ea defendenda creſcat. Primùm autem Petrus de Aliaco, Cardinalis Cameracenſis (qui Synodo Ba-
ſilienſi interfuit) vir habitus ſua ætate non indoctus, quum Tranſſubstantiationem ſignorum Eu-
charistiæ, fœdiſſimum Satanæ commentum eſſe animaduertiſſet: Conſubstantiationem induxit, id
eſt, eam corporis Christi præſentiam, per quam illud realiter adeſſet cum ipſis S. Cœnæ ſignis, ſeu
cum Pane illo, & vino illo. Thomas quidem Aquinas quædam ante Petrum de Aliaco de Con-
ſubſtantiatione ſemina ſparſerat, ſed illa propter receptam, & ſtabilitam in Scholis de Tranſſubſtan-
tiatione opinionem, ſtatim extincta fuerant. Sententiam verò Petri de Aliaco in S. Cœna postea
Lutherus eſt amplexus, neque idipſum certè diſſimulauit. Itaque, vt eam confirmaret, docuit ver-
bis hiſce Chriſti, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, hoc eſt ſanguis meus, &c.
eſſe inhærendum, ex eáque vna phraſi (quam Metonymicam, & figuratam eſſe negabat) totum
ſuæ ſententiæ fundamentum ædificauit. Synecdochen eſſe nonnunquam ille quidem admittit, veluti
quum Cantharus appellatur & poculum ipſum, & vinum, quo cantharus impletur: tamen ne ad-
uerſariis ſuis fauere videretur, maluit tandem prorſus negare in illis Christi verbis vllum ineſſe
tropum, & affirmare vnum modo horum verborum τὸ ῥητὸν eſſe vrgendum, ac retinendum. Vbi-
quitatem quidem præſentiæ corporis Chriſti non conceſſit Lutherus, imò ab hac quæstione de præ-
ſentia reali corporis Chriſti in Sacra Cœna, remotam eſſe, nihilque ad eam pertinere & ipſe dixit, &
qui Lutherum proximè ſequuti ſunt diſcipuli. Neque enim extra inſtitutæ Cœnæ ritum, & vſum
corpus Chriſti adeſſe in his terris, aut in pane & in vino illo concedebant. Quod tamen pro hæreti-
B ca ſententia inter eos, qui ſe vnius Lutheri diſcipulos profiteri volunt, nunc habetur. Et ita quidem
Lutherus, ac primi ipſius diſcipuli (qui illius mentem penè ex ipſo eiuſdem pectore biberant) ſenſe-
runt, & ſcripſerunt. Hac Lutheri ſententia, & ratione contentus poſtea fuit etiam Flaccius Illyri-
cus, magnus conſubſtantiationis iſtius patronus, ac vehemens: atque is vbiquitatis ſemen, & vo-
cabulum quoque ipſum, oderat. Verùm ſuperiori ſententia nequaquam ſe fuiſſe contentum oſten-
dit aliquot poſt mortem Lutheri annis, Iohannes Brentius. Ipſe igitur vbiquepræſentiæ Chriſti illa
fundamenta, quæ nunc tantopere vrgentur, primus iecit. Nam realem Carnis Chriſti in, ſub, &
cum ſignis, in S. Cœna præſentiam (quam tamen in Syngrammate Sueuico priùs damnauerat) non
ex ipſis Chriſti verbis probandam, ſed ex vnione duarum in Chriſto naturarum hypostatica, &
effuſione omnium Deitatis eſſentialium proprietatum in humanam naturam aſſumptam, ducen-
dam eſſe contendit. Adeò vt Brentiana carnis Chriſti præſentia in S. Cœna ſit, non ex verbis Chri-
ſti, id eſt, ex fundamento à Luthero collocato: ſed ex iſta effuſione eſſentialium Dei Idiomatum in
naturam humanam aſſumptam per, & propter vnionem hypostaticam. Verùm enimuerò, quemad-
modum Lutheri fundamentum fuit Papiſticum, ita hoc Brentij apertè fuit Eutychianum. Vnde
quum Brentio authori ſuo ſuſpectum eſſet, viuo illo Germaniæ lumine, Philippo Melanchthone, il-
lud apertè proferre non eſt auſus: imò illius Brentium ipſum tantiſper puduit. Mortuo autem Phi-
lippo, erupit latens illud Vbiquitatis venenum. Sed hoc virus à Brentio commentatum, poſtea Iaco-
bus Smidelinus Andreæ filius, Brentij diſcipulus, & fouit, & auxit, & quibuſcunque potuit, ven-
ditauit, nouo etiam argumento illud confirmans, id eſt, nouo illud pigmento fucans, ne ipſe homo
exigui ingenij videretur, ſi ſui præceptoris ſectam amplificare non poſſet. Ergo ad Brentianam il-
C lam omnium eſſentialium Deitatis λόγου proprietatum in humanam naturam aſſumptam effuſio-
nem addidit ipſe Iacobus Maieſtaticum corpus Chriſti, id eſt, tertium quoddam corporis genus,
quod neque naturale ſit, neque glorioſum, vt ait ipſe: ſed vbique diffuſum, & vbique cum ipſa
Deitate λόγου realiter præſens, id quod naturam humanam diuinæ planè exæquat. Verùm quia hoc
corpus Maiestaticum eſt abſurdiſſimum, & Eutychianum, ac Monophyſiticum, refutatúrque ma-
nifeſtè ex illo Apoſtolici Symboli articulo, vbi dicitur Chriſtus aſcendiſſe ad cælos: Iacobo An-
dreæ ſuccenturiatus eſt in graui isto periculo Andreas Muſculus, qui aſcenſionem Christi in cæ-
lum dixit eſſe diſparentiam, & euaneſcentiam duntaxat carnis Chriſti in his nubibus, vbi adhuc
ſit, & verſetur, ſed non viſibili modo, formâ, & eo conuerſationis genere, quo ante aſcenſionem, &
mortem conuerſatus eſt cum ſuis Apoſtolis. Andream verò Muſculum ſequutus eſt Martinus Kem-
nitius. Hic enim, qui plurima legit, quum illam Brentianam effuſionem planè blaſphemam eſſe
cerneret, certè candidè, & ſine circuitione eam, velut hæreticam, damnauit: ipſe verò illius effu-
ſionis loco realem communicationem eſſentialium Deitatis λόγου proprietatum in humanam natu-
ram aſſumptam ſubstituit, adeò vt vnâ, eadémque vitâ, quæ eſſentialis λόγου eſt, & Deitas, & caro
Chriſti ſit viuifica, eâdem potentiâ potens, quam communicationem ἀδιαχώριστον dici poſſe exiſtimauit.
Quæ ſententia, quia plauſibilior eſt, & in ſpeciem apertiori patrum authoritate niti videtur, eam
hodie certatim omnes Vbiquitarij amplectuntur, & in ea acquieſcunt, adeo vt illi non iam Luthe-

Matth. 26.

Luther. in ſermone contra Schuuermeros.

rani,ſed Kemnitiani (ſi quis eos vero nomine appellare vellet) ſint nominandi. Hæc autem Kemnitij A *ſententia in hoc volumine explicata eſt,quod nos examinandum ſuſcepimus. (Nam aliis libris de Cœna Domini egit idem Kemnitius) quæ,vt vno verbo dicam quod res eſt,ipſiſsimum Monothelitarum errorem, illum quidem fœdiſsimum , & Sexta Oecumenica Synodo damnatum apertiſsimè ab inferis excitat.Id quod nos ſuo loco demonſtrabimus. Interim vt aliqua lux ſequenti diſputationi adferatur , & ſcopus ipſius Kemnitij in toto hoc quàm longiſsimo opere cernatur, ex ipſomet Kemnitio,quis ille ſcopus ſit,explicemus. Nam, quemadmodum qui obuagulantur,longis ſemitis,& exquiſitis diuerticulis ad locum, quò tendunt, perueniunt : ſic Kemnitius longo circuitu verborum, longo circunductu capitum , & multis præmunitionibus longiſsimis priùs extructis, in ſumma huc redit,& nos deducere eôdem ſtudet,quò antea Brentius,quò Iacobus Andreæ,quò Muſculus,Carnem Chriſti nimirum adeſſe reali,& eſſentiali præſentiæ modo In,Sub,Cum ſignis S.Cœnæ,quoniam περιχωρήσει,vt ipſe loquitur,id eſt,eodem interprete,* immanentia, & *immeatione inter ſe realiter communicat Deitas λόγου naturæ humanæ aſſumptæ omnia eſſentialia ſua Idiomata, ac operationes,ab eáque natura humana illa eſſentialia Deitatis Idiomata realiter participantur.Hoc verò quid aliud eſt,quàm Brentij ſententiam interpolare, & eam aliquantulum imminutam recoquere ? Nam Kemnitius quidem ait ,* Chriſti carnem illo modo realis præſentiæ præſentem eſſe,non quidem *vbique, (quemadmodum tamen Brentius, & Iacobus loquuntur) ſed vbicunque,quandocunque vult Chriſtus,quam quidam* Multiuolipræſentiam *appellant.Hæc igitur eſt ſententia Kemnitij, & hic totius huius voluminis veriſsimus ſcopus, etſi aliò tendere videtur. Hoc autem verum eſſe, ex ipſomet demonſtremus : imprimíſque ex huius voluminis cap.30. vbi iſtius ſcriptionis mens eſt expreſſa,præſertim pag.479.lin.16.* Illic enim contendit primùm generaliter B Chriſtum etiam poſt aſcenſionem , & ante iudicium corpore ſuo adeſſe, & præſentiam corporis ſui exhibere poſſe in terris , quandocunque , vbicunque , & quomodocunque vult , etiam in viſibili forma. *Deinde pag.481.ait :* Quòd Chriſtus in actione Cœnæ ſuæ , quæ in conuentu Eccleſiæ in his terris iuxta inſtitutionem celebratur , velit corpore ſuo, & ſanguine ſuo adeſſe , *nempe In, Sub, Cum ſignis Cœnæ, eſſentiali & reali corporis,& ſanguinis ſui præſentiâ, ſine tropo,vt ipſe ſubiicit,non autem fidei tantùm præſentia,id eſt, Sacramentali. Quia verò ait idem pag.481.* Magna , acris, & vehemens eſt de hac quæſtione controuerſia, quatuor rationes præcipuas, quæ ex hypoſtatica vnione ſumuntur, ordine recenſet *à pag.487,& deinceps,vt ſuam illam ſententiam de reali corporis,& ſanguinis Chriſti præſentia in his terris, & in S.Cœna fulciat ,ſi poſsit. Quæ rationes quoniam intelligi non poterant, niſi priùs explicata Hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum vnione,ac tradito communicationis earum vario genere (quæ huius vnionis effectum eſt) idcirco & de vnione duarum in Chriſto naturarum Hypoſtatica,& de communicationis iſtius variis generibus agit,prolixiſsimè quidem omnia, ſed non verè omnia : imò pleraque falſiſsimè & ſcribens, & ſentiens, quemadmodum, Deo concedente,oſtendetur. Cur autem tam longè ſuæ iſtius opinionis, de eſſentiali præſentia Carnis Chriſti cum ſignis & in his terris,fundamenta quærat,& ab ouo,vt vulgò dicitur, rem iſtam repetat, nimirum ab vnione hypoſtatica,imò ab ipſa vocabulorum* eſſentiæ, perſonæ , abſtracti, concreti, idiomatis *explicatione,ratio eſt : quòd quum ſentiret ipſe, (& quidem verè)* quòd humani corporis *(quale eſt corpus Chriſti etiam glorificatum)* veritas,ac proprietas non admittat, aut ferat, vt vnum corpus pluribus in locis ſimul, ac ſemel ſubſtantia ſua adeſſe poſſit , *vidit ille* C Pag.481. *quidem in ipſo limine ſe ,ſuámque ſententiam ex eſſentiali illa veri corporis proprietate perſpicuè refutari. Modum igitur, & rationem nodi iſtius,certè plus quàm Gordiani, non ſoluendi, ſed diſſecandi iam tandem reperit , nempe quòd propter communicationem ipſius eſſentialis Deitatis λόγου Maieſtatis factam humanæ naturæ aſſumptæ,vt cenſet,per hypoſtaticam vnionem duarum in Chriſto naturarum, non obſtet illa eſſentialis veri corporis proprietas , quominus corpus Chriſti (quod verum corpus eſſe etiam nunc concedit) adſit ſubſtantia ſua ſimul pluribus in locis.Hoc quidem vel ſtatim ἀσύστατον eſſe apparet , quoniam vel verum corpus ſtatuit , quod priuatum ſit ſua , id eſt,veri corporis eſſentiali proprietate:vel contradicentia dicit,nempe vnum,atque idem corpus verum,eſſe poſſe vno duntaxat in loco,& ſimul pluribus in locis. Hoc, inquam, procul dubio eſt ἀσύστατον , ſed tamen à Kemnitio toto hoc volumine defenſum. Atque vt hoc tueretur,in eadem planè vitia incurrit,in quæ & Iacobus,Andreæ filius,& Andreas Muſculus,& ij omnes Vbiquitarij,quorum &* Pag.473. *errorem damnat ipſe Kemnitius,& nomen fugit. Nam primùm omnium ſummam Doctrinæ eandem habet,quam illi,nimirum vt iuxta modum viſibilis conuerſationis,& iuxta illam circumſcriptam,& localem formam præſentiæ ſui corporis,iuxta conditiones, & rationem viuendi huius ſeculi,Chriſtus carne ſua non adſit præſens in his terris: iuxta verò modum Maieſtatis ipſi à Deitate λόγου communicatæ,iuxta inuiſibilem formam,& ſupra phyſicas conditiones, adſit Chriſtus reali,&*

ſubſtantiali

A ſubſtantiali ſui corporis præſentia in his terris, & in, ſub, cum ſignis S. Cœnæ. Præterea itidem hic, A
quemadmodum & illi, Triplex corpus Chriſto tribuit: Naturale, Glorioſum, Maieſtaticam. Nam Pag. 477.
tertium hoc corporis genus Chriſto Oeconomias, ſeu hypoſtaticæ vnionis ratione affingit. Æſtus & 497.
animi eoſdem, & eadem ἄτοπα ſuæ ſententiæ, quæ alij Vbiquitarij Brentiani, & Flacciani, & Muſculani,
videt Kemnitius, nec tamen ea diluit, nimirum de Multiplicatione, Replicatione, diffuſione, Pag. 481.
expanſione, extenſione, ac immenſitate corporis, & ſanguinis Chriſti. Rationes denique neque meliores, & 482.
neque potiores, ſed prorſus eaſdem affert, quas cæteri vbiquitarij, duntaxat vocabulo, ſeu fuco
communicationis palliat ac interpolat, quod alij effuſionem dicunt. Sunt autem quatuor rationes
præcipuæ quibus ipſe nititur. 1. Quòd hæc Chriſti verba, Hoc eſt corpus meum, ſunt verba Pag. 483.
Teſtamenti, ergo non figurata. 2. Quòd τὸ ῥητὸν in his verbis expreſſe ſit vrgendum, nullus
autem ſit in illis, quanuis Sacramenti verbis, loquendi tropus. 3. Quòd quum dicitur Chriſti corpus Pag. 485.
(quod eſt verum corpus) pluribus in locis ſimul eſſe non poſſe, ad Phyſicas, id eſt, ad veras veri Pag. 518.
corporis & eſſentialis notas, & proprietates recurritur. 4. Quòd maieſtaticum Chriſti corpus eſſe Pag. 498.
poteſt vbicunque vult: nec loco, aut dimenſione ſit circumſcriptum, locale, aut comprehenſum.
Quanquam tamen ipſe pag. 512. lin. 13. aliud apertè ſcribit. Quæ certè ſunt eadem, quæ alij Vbiquitarij
habent, argumenta. Denique eodem modo, quo cæteri, articulos fidei pugnantes cum hoc
ſuo errore deprauat. Nam Chriſti aſcenſionem ſupra hos omnes viſibiles cælos interpretatur tandem
cum Andrea Muſculo (quicquid ipſe excuſare cap. 30. velit) eſſe Chriſti in his terris præſentiam
ſecundum humanam etiam naturam, ſed nequaquam viſibiliter, nec eodem modo conuerſationis, B
B quo nos inter nos hìc viuimus, & ſumus. Cælum negat eſſe certum mundi locum, ſed vult eſſe Pag. 510.
diuinam virtutem pag. 510. lin. 6. à fine. Itaque ait carnem Chriſti eſſe in cælo, vti Deus ipſe dicitur & 511.
eſſe in cælo. Quid amplius? Infinitum eſſet ſingula hìc perſequi, quæ ſuis quæque locis à nobis Pag. 510.
explicabuntur. Nam deguſtandi tantùm iſtius hominis, & ſcripti gratiâ hæc περιεργήματα breuiter
nunc collegimus. Sed illa à nobis prætermitti non poſſunt, quæ ponit Kemnitius velut quatuor præcipua
ſui dogmatis fundamenta, ſúntque apud hunc tanquam Myſteria, id eſt, aliis incognita arcana,
illa verùm falſa, ſed quæ tamen ad faciliorem totius futuræ diſputationis lucem, ſunt paucis
explicanda. Illæ vero ſunt 1. Quid ſit in abſtracto naturas Chriſti cogitare. 2. Quid ſit vnam
naturam cum alterius communicatione quod ſuum, & proprium eſt, agere. 3. Quid
ſit naturarum in Chriſto περιχώρησις. 4. Quomodo dicantur Chriſti actiones θεανδρικαὶ. Quæ
quatuor, ſi, quid propriè ſignificent, expoſuerimus, næ omnium Kemnitij argumentorum ſolutio
iam erit nobis facillima. At verò quod ad primum, putat ille voces has, natura in abſtracto conſideratur,
à nobis vſurpari pro, Natura extra vnionem perſonæ cogitatur, quod quum ille dicit,
certè vel noſtram ſententiam non aſſequitur, vel in ea manifeſte præuaricatur. Nos enim apertè,
perſpicuéque & dicimus, & ſcribimus, Naturas in Chriſto in abſtracto conſiderari, eſſe eas
in ipſa vnione perſonæ manentes, cogitari ex ſeſe, & in ſeſe, & ex ſuis eſſentialibus proprietatibus,
quæ neque illis adimi, neque mutari, vel impediri vllo modo poſſunt. Secundum autem illud, nempe,
Naturam vnam cum alterius communicatione agere, quod ſuum eſt, ac proprium, ſic
C interpretatur Kemnitius, quaſi ſignificet, Naturam vnam in Chriſto alteri naturæ realiter tribuere C
& communicare eſſentiales ſuas proprietates & operationes, veluti quòd natura Chriſti humana
aſſumpta, ſit reipſa per vnionem cum Deitate λόγου facta particeps ipſiuſmet eſſentialis virtutis,
potentiæ & operationis, quæ Deitati λόγου eſſentialis eſt, adeò vt iam vna eadémque potentiâ
vtraque illa natura agat, ſeu operetur, quæ ſua ſunt. Quòd ſi verum eſt, neque iam vnius naturæ
Chriſti propria operatio manet illius propria, quum ſit communis: neque iam duæ operationes ſunt
in Chriſto, ſed vna duntaxat, eáque compoſita, id eſt, ex vtraque, diuina nempe, & humana operatione
conflata, quæ certè fuit ipſiſſima Monothelitarum hæreſis, eáque iampridem toto Oecumenico
concilio VI. refutata. Sed & Patres ipſi, qui has phraſes vſurpant, oſtendunt ſe κοινωνίαν ἀντὶ ἑνώσεως,
id eſt, communicationem pro vnione in hoc dicendi genere ſumere. Nam ex Patrum mente, quum
vna natura in Chriſto dicitur agere, quæ ſua ſunt, cum communicatione alterius, id ſignificat vnam
naturam agere cum vnione alterius, ſeu vnitam cum altera eiuſdem Chriſti natura, non ſeorſim
ſubſiſtentem, ne propter diuerſitatem propriarum operationum, diuerſitas quoque colligeretur
ſuppoſitorum, quod nuper collegit, ſed ineptiſſimè, Laonicus quidam Tubingenſis. Sic Athanaſius ad
Epictetum vocat κοινωνίαν illam ἕνωσιν verbi ad carnem. Cyrillus in Epiſtola Synodali ad Neſtorium
negat ſic vnum Chriſtum eſſe Deum, & hominem, vt coniunctione, & participatione vnius dignitatis,
& authoritatis duo dicuntur vnum, quæ tamen eſt explicatio Kemnitij. Fulgentius ad
Traſimundum libro 3. Diuinitas particeps paſſionum carnis non fuit, licèt ſuſceptæ carni,
nec in paſſione defuerit. Idem ad Donatum, Nunquam homo à Deo gratiam ſalutis acciperet,
ſi in vna perſona Chriſti diuinæ humanæque naturæ communio, (id eſt, vnio) non

maneret. *Idem:* In vna perſona Chriſti eſt diuinæ, humanæque naturæ communio. A *Damaſcenus libro 4. cap. 19. vocat* κοινωνίαν ἑνώσει *naturarum. Caſsianus libro primo de incarnatione Filij Dei,* Humanitati diuina communicantur, id eſt, vniuntur: *addit enim* manente in ſua perfectione naturaliter vtraque ſubſtantia. *Sic in Chalcedonenſi concilio dictum eſt,* vtraque natura agit cum communione alterius, *id eſt, manens vnita alteri, non autem participans eſſentiales eius proprietates. Lutherus in Iſa. cap. 53.* Ipſa communio vnit iſtas naturas in vnam perſonam. *Idem in Dan. cap. 7.* Hic homo Mariæ filius eſt, & vocatur omnipotens, æternus, Deus, creator, & conſeruator omnium; per communicationem Idiomatum, quia cum diuina natura vna perſona, adeóque verus Deus eſt. *Denique Kemnitius ipſe ſic tandem explicat eas phraſes, quibus tribuuntur humanæ Chriſti naturæ ea, quæ ſunt diuinæ propria, vt* κατ' ἄλλο *ſumendum illud exiſtimet, & in eo rectè ille quidem ſentit. Ergo, vel ipſo Kemnitio teſte,* Pag. 108. & 409. *communio illa eſt vnio, & phraſis iſta,* vna natura in Chriſto agit, quæ ſua ſunt, cum communione alterius, *ſignificat, manens cum vnione, ſeu manens vnita alteri naturæ in eadem perſona: non autem participans, ſeu poſsidens, ſeu habens eſſentialem alterius proprietatem, quoniam vna natura participans alterius eſſentialem proprietatem, participat quoque eiuſdem eſſentiam. Quod de duabus illis Chriſti naturis ſentire eſt abſurdiſsimum. Tertio loco interpretatur Kemnitius in hoc argumento* περιχώρησιν, *permeationem ſeu penetrationem vnius naturæ in alteram. Quid autem hoc dogmate, & fundamento pernitioſius, & magis falſum? Eſt enim* περιχώρησις, *reciprocatio prædicationis, quum ea, quæ ſunt propria vnius naturæ, de altera in concreto dicuntur: & in ſumma hæc* περιχώρησις *eſt,* κοινωνία ἰδιωμάτων. *Damaſcenus enim appellat eam* ἀντίδοσιν, *alij* ἀλλοίωσιν, *non quòd natura diuina, vel illius eſſentialis proprietas, in humanam: aut humana in diuinam immeet, &* B *penetret, & peruadat, quod tamen ipſe ſentit, ſed de eo nos copioſè ſuo loco. Denique actiones Chriſti, quæ dicuntur* θεανδρικαὶ *à Dionyſio, propter perſonam ipſius, quæ diuina, & humana natura conſtat: non autem propter communem vtriuſque naturæ in propria alterius operatione,* ἐνέργειαν, *& cooperationem nominantur, niſi potius ad* ἀποτελέσματα *referas, quæ ſunt vtriuſque naturæ communia, in quibus tamen efficiendis propria eſt cuiuſque Chriſti naturæ operatio. Ergo hîc quoque fallitur Kemnitius. Sentit enim ex eo vocabulo effici, vt communis ſit vtriuſque naturæ operatio, quæ vnius tantùm propria eſt, Cyri, & Theodoſii Alexandrinorum, Theodori, Sergij, & Pyrrhi grauiſſimos errores iampridem in Oecumenica Synodo manifeſtè damnatos renouans. Ex quo fit, vt ille ponat in ipſa carne Chriſti, illique communicet virtutem ipſam viuificantem, id eſt, eam ipſam,* Pag. 310. & 318. *quæ eſt Deitati* λόγου *eſſentialis. Nam vult carnem Chriſti viuificare nos eadem illa virtute, vitâ, & potentiâ, quâ verbum ipſum carni vnitum nos viuificat, id eſt, ea ipſa vitâ, & potentiâ, quæ* Pag. 284. *ipſius Deitatis* λόγου *eſt eſſentialis. Quod eſſe* ἀφόρητον *vident omnes. Et certè vel ipſomet Kemnitio teſte, & Patres laudante, natura Chriſti humana, etiam glorificata, minimè capax eſt eſſentialium Deitatis* λόγου *idiomatum. Athanaſius:* Natura (*inquit*) creaticia neutiquam capax eſſe poteſt eorum. *Hilarius libro 7.* Non exæquatur, & ſimilis eſt Deo creatura. Si aliquid reperiri poteſt virtutis eiuſdem, erit eiuſdem ſubſtantiæ. *In ſexta Synodo:* Non poteſt vna poteſtas, & operatio eſſe, vbi diuerſa eſt ſubſtantia. *Item,* Diuerſas eſſe operatrices Naturas ex diuerſitate operationum animaduertimus. *Cyrillus libro 2. in Ioannem. cap. 141.* Omnia ſurſum deorſum euertuntur, ſi Deitatis natura ad creaturam deducitur, & creaturarum C ſubſtantia per inſaniam ad ſupremæ metæ locum (*eſt autem is ſtatus Maieſtatis* λόγου) ſcandere creditur. *Item libro 11. cap. 21.* Nulla res quæ propria Dei ſunt, facere poteſt, niſi ſubſtantialiter ſit Deus. Quorum operatio, & virtus indifferenter vna ſunt, his neceſſe eſt ſpeciei vnitatem dari. *Quare rectè dictum eſt à Iuſtino,* Diuina potentia in aſſumpta natura Chriſti operatur ea, quæ ſunt ſupra naturam. *Cyrillus,* Natura carnis, vt caro eſt, viuificare nequit, ſed facit hoc, quia totam verbi operationem (*nempe quoniam illi vnitus eſt* Hierony. in explicat. Symboli ad Damaſum. λόγος) ſuſcepit. *Denique tam vera eſſe hæc omnia cenſet Kemnitius, vt ex Hieronymi ſententia etiam Iacobum Andreæ filium* (*licèt eum diſertè non nominet, vt ipſius pudori parcat*) *manifeſtè damnarit pag. 284.* Qui nouo ſenſu aſſerere conatur à tempore ſuſceptæ carnis, omnia, quæ erant Deitatis, in hominem demigraſſe, *ſeu effuſa eſſe, quod perinde eſt. Et hæc quidem piis, moderatiſque ingeniis ſufficient, vt qualis à nobis, & quàm iuſtè ſuſcepta ſit veritatis contra errorem Kemnitij defenſio, omnes videant. Vnum ſupereſt, de quo lectorem admoneamus, ne miretur fortaſſe quiſpiam, quid cauſſæ fuerit, quamobrem hoc ad Kemnitij librum reſponſum tandiu diſtulerimus. Huius igitur noſtri & facti, & conſilij hæc ratio eſt. Quòd quum & à Theodoro Beza, (cuius etiam ſcriptum ex alio ipſius opere in hunc locum tranſtulimus) fuiſſet Kemnitio breuiter antea reſponſum, & poſtea à Benedicto Talmanno Tigurino, duobus vtiliſsimis libellis (etſi Kemnitius diſertè non nominatur) denique ab eruditiſsimo illo ſcriptore, qui* Conſenſum

A ſenſum Orthodoxum aduerſus Dipnoſophiſtas *nuper conſcripſit (quibus omnibus iſtorum nemo adhuc reſpondit) non putabam eſſe cuiquam neceſſe , vt iſtam Kemnitij camarinam moueret. Verùm quum pij aliquot , iique Germani viri , à nobis obnixè peterent , ac per ſacra omnia nos obteſtarentur , & obſecrarent , vt ſigillatim ſingulos huius libri errores oſtenderemus, & fontes errorum , qui ſunt in nouo illo Bergenſis doctrinæ corpore nuper in Germania edito de Maieſtate hominis Chriſti , indicaremus : Morem tam piis amicorum hominum , & Dei veritatis ſtudioſorum precibus gerendum exiſtimauimus, vt & qui aberrare cæperint , in viam veritatis reuertantur, & qui rectè adhuc de S.Cœna Domini ſentiunt , in fide confirmentur. Denique vt nouum illud nouæ, Bergenſiſque doctrina corpus , quæ* Formula concordiæ *ab iſtis vocata eſt , facilimè refutaretur. Ex hoc enim vno Kemnitij libro, velut fonte , deriuati ſunt omnes iſtius corporis naui, & errores , errorúmque probationes, adeò vt hoc libro refutato , facilè illæ diſſoluantur, & euaneſcant. Quod ne Kemnitium quidem ipſum (quem veritatis amantem eſſe equidem arbitror) ægrè laturum ſpero , quum ſine vllo meo in eum conuitio tota hæc controuerſia à me diſceptetur: quemadmodum pij omnes, qui & noſtra, & illorum ſcripta legent, mecum fatebuntur, atque intelligent.*

EX THEODORI BEZAE VEZELII PRÆFATIONE IN LIBRVM, QVI INSCRIBITVR REFVTATIO DOGMATIS *de ſictitia carnis Chriſti omnipotentia, &c.*

AD D. Kemnitiũ venio, cuius de duabus naturis libellus, quum veram & quidem luculenter ac vtiliter explicatam de duabus diſtinctis in Chriſto naturis, & hypoſtatica vnione doctrinam contineat, &, quamuis non ita expreſſè vti oportuit, tamen perſpicuè ſatis aboleat iſtius omnipræſentiæ Brentianæ ſiue Andreanæ commentum, hoc nomine plurimùm illi homini debere omnes Chriſtianas Eccleſias ſtatuo. Illud enim pag. 106. rectè prorſus ſtatuit: Neſtorianum dogma fuiſſe *quòd in illo aſſumpto homine Verbum inhabitarit eo modo quo in ſanctis, eo excepto, quòd in illum aſſumptum hominem dona numero plura & gradi-* B *bus maiora contulerit.* Quid autem Brentius? quid Andreas prioribus illis ſuis ſcriptis inculcant? an non, VNVM, VNVM, inquam, hoc eſſe habitationis Dei in Petro & Chriſto diſcrimen, quòd in Petrum dimenſa, in Chriſtum immenſa dona effuderit? an non diſertè ſcripſit Andreas vna Deitatis ἐνεργείᾳ Deum eſſe & dici Ieſum Nazarenum? Teſtimonia iſtorum diſertis verbis deſcripta paulo antè citaui. Itaque etſi Brentio, quantum licuit, in mea reſponſione peperci, quòd vix ac ne vix quidem mihi perſuadere poſſem eouſque illum deſipuiſſe: & poſtea expergefactus Andreas illa nonnihil ſtuduit mitigare: dixi tamen, quod res erat, neque me propterea vt calumniatorem redarguere vel Seckius debuit, vel Kemnitius iure potuit. Et tamen ſi hac ſaltem in parte reſipuiſſet ille cum ſuis, paratus eram ego hanc etiam iniuriã non tam mihi, quàm miniſterio meo inuſtam, diſſimulare.

Sed & illud rectè Kemnitius aduerſus realem communicationem Brentianam in ipſis naturis, diſertè multis locis docet, *Quæ propria ſunt diuinæ naturæ & contrà, prædicari de Filio hominis, vt perſona in concreto, quæ tamen propria ſunt & manent ſolius* C *alterius naturæ.* Citans etiam appoſitè illud Damaſ. lib. 3. cap. 4. *Idiomata diuinitatis non prædicantur de carne, nec viciſſim.* Quid fiet igitur Andreæ, diſertis verbis teſtanti, Chriſtum vbique eſſe, non tantùm ſecundum diuinitatem, verùm etiam ſecundum carnem? Multò ſanè verecundior eſt Kemnitius, aſſerens tutius eſſe, vt *vbicunque vult potiùs*, quàm *vbique eſſe* Chriſtum dicamus ſecundum carnem, à quo tamen potiùs apertè & ingenuè craſſam illam & planè Eutychianam omnipræſentiam redargui oportuerat. Cuiuſmodi verò illud etiam eiuſdem Andreæ dictum fuerit pag. ſuæ expoſitionis 112. *Filius hominis*, inquit, *in cælo eſſe dicitur, & reuera etiam fuit non modò ſecundum diuinitatem, verùm etiam ſecundum humanitatem, quando cum Nicodemo loquitur.* Cuiuſmodi autem eſt etiam illud, pag. 116. *Malè ergo Neſtorius, ſed multò peius & peſſimè Beza, qui non niſi verbali communicatione Deum paſſum & crucifixum affirmat.* Sed hoc nihil mirum eſt eum dicere qui paſſionem quoque teſtetur neſcio quo inenarrabili myſterio in ipſam quoque diuinitatem abſque vlla ἀλλοιώσεως redundaſſe.

Verùm in ipſa κοινωνίας ἰδιωμάτων deſcriptione ſunt non pauca, de quibus Kemnitium operæpretium eſt attentiùs cogitare. Primùm enim vix, opinor, comperiet ἀποτελέσματα illa, quæ officij, ſiue vtriuſque ſimul naturæ ratione Chriſto tribuuntur, quas actiones θεανδρικὰς vocauit Dionyſius (vt eſt redemptio, interceſſio, cum cæteris eiuſmodi) ac multò etiam minus illam donorum Deitatis in aſſumptam carnem realem effuſionem, nomine κοινωνίας ἰδιωμάτων comprehendi, cuius tamen ipſe triplex genus conſtituit. Ratio autem manifeſta eſt, cur in iſtis non ſit communicatio proprietatum, quoniam videlicet in illis quidem verè perſonalibus effectis diſtinctæ ſunt & manent ipſæ B naturarum actiones, ſolum autem effectũ ipſum, ſicut commune eſt, communi quoque nomine reipſa perſonæ tribuitur: quam ob cauſam non κοινωνία ἰδιωμάτων: ſed κοινοποιία vocatur: veluti quum Chriſtus dicitur redemiſſe Eccleſiam ſuam. In his verò neque proprietates ipſæ diuinæ, neque earum actiones tribuuntur humanæ naturæ, ſed dona duntaxat diuinitus effuſa ei naturæ meritò tribuuntur, in quam ſunt collata, vt ſi Hic homo aſſumptus dicatur eſſe primogenitus inter multos fratres. Itaque ſpero Kemnitium mihi aſſenſurum, nullam eſſe apud Patres κοινωνίαν ἰδιωμάτων, niſi eam, quam primo loco recenſet, & quam veteres etiam ἀντίδοσιν, ἀλλοίωσιν, ἐναλλαγὴν, καὶ ἐπίζευξιν ὀνομάτων vocarunt, vt ipſemet diligenter obſeruauit. Veruntamen ne in iſtius quidem generis diſtributione (quod ipſe primum vocat, ego vnicum eſſe ſtatuo) poſſum illi per omnia aſſentiri. Conſtituit enim has illius ſpecies.

Vide Damaſc. lib. 4. cap. 4.

Primam, quãdo concretum vnius naturæ, prædicatur de concreto alterius naturæ, vt Deus eſt homo. Atqui nec Dei, nec hominis nomen eſt ἰδιώματος, ſed οὐσίας σημαντικόν. Itaque nulla prorſus C hîc eſt ἰδιωμάτων κοινωνία, quum ne idioma quidem vllum nominetur.

Secundam, quando proprietas diuinæ naturæ tribuitur diuinæ naturæ, vt Chriſtus Deus creauit omnia.

Tertiam, quando humanæ naturæ proprietas concreto humanæ naturæ tribuitur, vt Filius hominis crucifigitur. Obſecro verò quænam in hac, vel illa ſpecie eſſe poſſit κοινωνία ἰδιωμάτων, quum *ſua cuique proprietas tribuatur*, illam verò Chemnicius ipſe definierit eam eſſe, qua, quod vnius naturæ proprium eſt, tribuitur perſonæ in concreto? ab altera videlicet natura denominatæ.

Quartam & quintam, quando diuinæ naturæ proprietas tribuitur concreto humanæ naturæ, vt Filius hominis aſcendit vbi erat priùs, vel contrà, vt Dominus gloriæ crucifixus eſt. Et hæc quidem demum rectè Chemnicius.

Sextam, quando quæ vtriuſque naturæ propria ſunt, tribuuntur concreto vel diuinæ naturæ, vt

homo

A homo Chriſtus mediator Dei & hominum: vel humanæ, vt Deus redemit Eccleſiam. Imò verò nulla hîc communicatio proprietatum, ſed συνεκδοχικῶς totum ὑφιστάμενον duntaxat ſignificatur vnius naturæ nomine.

Septimam, quando proprietas vtrique naturæ conueniens prædicatur de concreto vtriuſque naturæ, vt Chriſtus eſt Redemptor. Hîc verò nulla prorſus eſt κοινωνία ἰδιωμάτων, ſed κοινοποίησις, quod & ipſe Chemnicius fatetur.

Octauam, quando concreto vtriuſque naturæ tribuitur proprietas vnius naturæ, vel diuinæ, vt Chriſtus eſt ab æterno: vel humanæ, vt Chriſtus paſſus eſt. Imò ne hîc quidem eſt κοινωνία ἰδιωμάτων, ſed maximè propria locutio, quamuis ſecundum alteram tantùm naturã perſonæ tribuatur, vt ſi dicam. Homo eſt intelligens, vel homo eſt mortalis.

Hæc igitur velim illum attentiùs conſiderare, vt & illud quòd in capite de particulis diſtinguentibus pauciſſima profert exempla, in quibus vera ſit κοινωνία ἰδιωμάτων. In capite verò in quo περὶ κοινοποιίας diſſerit, ſi nos intelligit, quum eos reprehen- B dit qui diuinam naturam dicunt ſiue in opere redemptionis, ſiue in mediatoris officio prorſus fuiſſe otioſam, nobis certè iniuriam facit: quod tamen quater, aut etiam quinquies inculcat, pagina præſertim 231. Sed & illud miror, in quos tandem totum illud caput torſerit, in quo de tertio illo commentitio κοινωνίας ἰδιωμάτων genere diſſerit, tam multis id probare contendens, de quo neminem vnquam arbitror dubitaſſe. Quis enim vnquam inficiatus eſt inenarrabilibus donis, & quidem abſque menſura, aſſumptã illam carnem, non modò per vnionis gratiam, (quam perperam Chemnicius ad tertium iſtud genus applicat pag. 329.) verum etiam in ſeipſa eſſe exornatam? quis, inquam, negare vnquam auſus eſt omnia, excepto eo qui omnia ipſi ſubiecit, eſſe Chriſto etiam ſecundum carnem ſubiecta? Itaque Chemnicius de re minimè controuerſa multum, vt video, laborauit. Quod enim in ſecunda quæſtione præfatur, ſi in nos dictum voluit, iniuriam certè nobis facit. Illud autem, vt ſpero, per ſeipſum facilè animaduertet, pleraque videlicet ab eo citata tum ex Dei C verbo, tum ex Patribus, quum ad ipſam naturarũ vnionem pertineant, perperam ad illius effecta torqueri, etiam ſi poſtea id excuſare ſtuduerit. Sed iſtud cuiuſmodi tandem eſt? *Cogitetur*, inquit, *quale ſit argumentum quo Sacramentarij & ſe & alios ſeducunt.* (At ipſi potius Chemnitio cogitandum erat, quid, qua de re, & in quos ſcriberet, ne & ſe & nobis indigna ſcripſiſſe deprehenderetur) *Chriſtus ſecundum humanam naturam eſt ſimilis fratribus per omnia, excepto peccato* (an verò vel ipſe hoc negabit, vel adeò nos ineptire cenſet Chemnicius, vt inter ſimilem & parem diſtinguere neſciamus?) *vel hypoſtatica vnio duarum naturarum in Chriſto facta eſt, ſaluis naturæ proprietatibus.* (Hoc ſanè, fateor, fundamentum ponimus, quo Vbiquitas tota ſubuertitur.) *Ergo Eutychianus eſt, tollens & negans veritatem naturæ humanæ in Chriſto, qui aliquid ei, etiam Scriptura tradente tribuat.* (Hoc verò duplici ratione calumnioſiſſimè in nos dicitur, quum, Dei gratiâ, plura non poſſint tribui ſacro ipſius Verbo quàm nos tribuamus, & ſanè non niſi ineptè dici poſſit Scripturam, quę illud affirmet, quod de ſeruatis proprietatibus ipſemet Chemnicius rectè fatetur, aliquid tradere ſibiipſi repugnans) A *quod conditionibus & facultatibus humanæ naturæ per ſe conſideratæ non conuenit, aut quod ſit vltra, præter, aut contra naturales proprietates humanæ naturæ per ſe conſideratæ.* Mallem in ſe dixiſſet. Verùm alia rurſus in iſtis calumnia manifeſtè patet. Debuit enim naturales proprietates nobiſcum diſtinguere, quarum aliæ ſunt eſſentiales, aliæ verò accidentales: & harum rurſus aliæ ab ipſo Deo creatore conditæ, aliæ per peccatum inuectæ. Eſſentiales & verè characteriſticas tolli non poſſe, ſaluis ipſis eſſentiis, affirmamus, inter quas numeramus Finitum eſſe, Circumſcriptum eſſe, ac proinde Non ampliùs quàm vno loco ſemel eſſe poſſe: accidentales autem pro bona Dei voluntate vel penitus deſtrui, vel ad tempus mutari, vel quaſi ſuſpendi poſſe, ac etiam per peccatum inuectas prorſus in gloria abolendas eſſe, ſalua ipſa natura & eſſentia, cõcedimus. Tu quippiam hîc reprehende (Chemnici) ſi potes, vel calumniari deſine: deſine, inquam, putida iſta toties inculcare: cogitationibus humanis à nobis definiri quid & quantum dignitatis cor- B pori illi aſſumpto acceſſerit. In hoc potiùs labora, vt quum tibi vltrò concedamus multa & ὑπερφυσικὰ & παραφυσικὰ, in carnem Chriſti virtute inhabitantis Verbi collata, oſtendas aliquid inter illa inueniri, quod eſſentialem corporis proprietatem tollat: poſſe aliquid ſublata eſſentiali proprietate, id eſſe quod erat, id eſt, ſimul tale & nõ tale eſſe: non eſſe proprietatem veri corporis eſſentialem, tribus dimenſionibus circumſcribi: non eſſe denique incommunicabile deitatis idioma vbique eſſe. Quòd ſi nihil iſtorum præſtare poſſis, en aliam conditionem offero, Corpus Chriſti alibi quàm in cælis fuiſſe, ex quo non (vt tu malè coniectas) cælum cepit, ſed cælo eſt receptum, vel futurum ad vltimum vſque diem demonſtra, & manus dabimus. Veſtra enim illa monoſyllaba In, Sub vel Cum ſiue naturali, ſiue monſtruoſo illo modo accepta, iam pridem κατηργήθησαν, quum alioquin illa, ſi ex Sacramentorum natura exponantur, minimè repudiemus. Alia ſunt, Chemnici, contradicentia, quàm ὑπερφυσικὰ, vel παραφυσικά. Hæc concedimus præeunte Dei verbo, in cuius poteſtate ſci- C mus eſſe naturæ totius non modò mutationem, verùm etiam deſtructionem. Contradicentia verò Deum velle vel poſſe (cuiuſmodi illud eſſe dicimus, quod in Chriſti corpore imaginaris) nunquam arbitrabimur, non quòd dubitemus de Dei omnipotentia, ſed quia ſcimus mendacem eſſe Deum non poſſe: mentiri autem poſſe non eſt potentis, ſed impotentis naturæ. Certè περιχώρησις illa naturarum εἰς ἀλλήλας nihil te iuuat, nec περιχωρεῖν idem eſt atque τὸ διήκειν, ſicut ex Damaſceni loco perperam intellecto ſcripſiſti. Imò nec ambulatio ſuper aquas, nec parietum penetratio, nec aſina Balaami loquens, nec aquæ maris aut Iordanis parietum inſtar ſtantes, nec ferrum in aqua natãs, nec ignis non vrens, nec viſio illa Pauli in via, tuũ iſtud de reali corporis Chriſti in terris præſentia ex hypoſtatica vnione ſtabilienda, confirmabunt: vel vllius impietatis D. Petrum Martyrem, ſanctæ memoriæ virum, cui mortuo maledicis, aut noſtrorum quenquam conuincent: ſicut planiſſimè demonſtraturum me, fauente Deo, polliceor.

EXAMEN LIBRI DE DVABVS IN CHRISTO NATVRIS

A MARTINO KEMNITIO CONSCRIPTI,

PER LAMBERTVM DANÆVM.

Ad Cap. I.

Vbi voces hæ, *Eſſentia, Perſona, Abſtractum, Concretum,* & *Idioma explicantur.*

QVANDOQVIDEM huiuſmodi eſt hoc M. Kemnitij ſcriptum, vt, B quod de Ægyptiorū ſolo dixit Homerus, habeat φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά, ne lectorem inani rerum (de quibus inter nos planè conuenit) repetitione oneremus, ea duntaxat proponere, atque, Deo dante, examinare nobis conſtitutum eſt, de quibus vel propter obſcuram ipſius Kemnitij orationem, vel propter doctrinæ ab eo traditæ ψεῦδος, & peruerſitatem, reſtat aliqua inter nos controuerſia. Vt autem in ſingulis capitibus ipſe velut litis noſtrę ſtatus dilucidè perſpicuéque intelligatur, certis aliquot theſibus, iíſque & pauciſſimis & breuiſſimis, quas ex ipſiſmet Kemnitij verbis deſumpſimus (ne quam ſibi fraudem à nobis factam eſſe meritò conqueratur) ſingulas diſputationes ſumus complexi. Nam quæ longa verboſáque ſæpe declamatione potiùs, quàm neruoſo ſermone idem repetit, prætermittenda viſa ſunt (niſi loci illius refutatio ea repetenda eſſe moneat) cùm nullum afferant Kemnitij ſententię detrimentum. Ergo nobis cum M. Kemnitio in hoc primo capite hactenus conuenit, vt Chriſti neque naturas confundendas, neque perſonam ſeparandam, aut diuidendam eſſe fateamur: & aliam eſſe *Eſſentiæ*, aliam autem *Perſo-* C *næ* definitionem agnoſcamus. Cæterùm quantùm in cæteris diſſentiamus, ex his, quæ ſequuntur, iam apparebit. Ac primùm hoc ipſum in *Eſſentiæ* explicatione, & pręſtructis ab eo munimentis oſtendamus.

Kemnitius pag. 7. linea 10.

De Eſſentiæ & perſonæ definitione.

Theſ. 1.

Synonyma igitur ex veteris Eccleſiæ vſu eſſe, ac pro eodem vſurpari Damaſcenus tradit οὐσίαν, φύσιν, καὶ μορφὴν, *id eſt, Eſſentiam, ſeu ſubſtantiam, naturam & formam.*

Danæus.

Damaſceni verba ſunt hæc li. Εἰσαγωγὴ δογμάτων, Cap. 1. οὐσία, καὶ φύσις, καὶ μορφὴ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας ταὐτόν ἐστι. *Eſſentia, Natura, Forma, ſecundum ſanctos Patres idem ſunt.* Id autem eſt, idem ſignificant. Cùm enim, vt idem in Dialectica explicat cap. 30. philoſophi profani diſcrimen inter has voces ſuperſtitioſè conſtituiſſent, prætermiſſis iſtis rixis, Chriſtiani ſcriptores pro re eadem hæc tria vocabula vſurparunt. Propterea tamen Synonyma B (niſi ex recepto vulgi errore) nominari non debent: ſed potiùs, vel ipſomet Damaſceno teſte lib. Dialect. cap. 33. Polyonyma, quemadmodum enſis, machæra, gladius, quæ etſi rem eandem, id eſt, idem reale, quemadmodum loquuntur in ſcholis, denotant, vocabulis tamen ipſis & ſono literarum inter ſe differunt. Quam loquendi rationem ſecutus eſt quoque Baſilius. Baſil. lib 1. contra Eunomiū. Sunt autem Synonyma, inquit Damaſcenus cap. 32. quæ & voce, & definitione inter ſe conueniunt. Quare in ipſo ſtatim limine impingit Kemnitius, præſertim quum Damaſcenum (velut ſuæ ſententiæ auctorem) citet, à quo ipſe, vt docui, manifeſtè refutatur. Hunc tamen communem illi cum quibuſdam aliis iſta non tam religioſè obſeruántibus errorem condonamus, de quo tamen pios auditores admoneri fuit neceſſe, vt quàm reliquæ auhoritates à Kemnitio, ſiue ex Damaſcen. ſiue ex aliis Patribus prolatæ, ſuſpectæ & dubiæ nobis eſſe debeant, ex ipſamet præfatioue intelligamus. Cæterùm quod οὐσίαν vertit *Eſſentiam ſeu Subſtantiam*, etſi ex quorundam ſcriptorum Eccleſiaſticorum imitatione feciſſe videri poteſt: tamen res ipſa & perplexæ hæreticorum diſputationes oſtendunt, οὐσίαν, propriè C *Eſſentiam*, conuerti debere: atque adeò voces has Latinas *Eſſentiam & Subſtantiam* in hoc, quod tractare iam inſtituit, argumento differre. Et hæc quidem de verbis breuiter, ne λογομαχεῖν videamur. De re autem ipſa iam audiat Kemnitius quid ſentiamus. Hæc tria, οὐσίαν, φύσιν, μορφὴν, *Eſſentiam, Naturam, & Formam,* etſi pro re eadem à ſanctis Patribus ſæpe vſurpantur, inter ſe tamen differre nemo, qui ad ipſius Sacræ Scripturæ verba diligenter attenderit, profectò negabit. οὐσίας quidem vox in ipſa Sacra Scriptura nequaquam extat, ſed cùm fuiſſet ex mente Sacræ Scripturæ à Patribus orthodoxis in Nicena Synodo vſurpata, ſic in Chalcedonenſi poſtea explicata eſt, vt φύσις aliquid magis (vt ita loquar) compoſitum, quàm οὐσία denotaret, id eſt, eſſentiam ſuis proprietatibus iam veſtitam.

Eſt

A Eſt enim eſſentia, rei cuiuſque ſimplex & omnibus ſuis proprietatibus atque accidentibus ſpoliata conſtitutio. Natura verò ſeu φύσις eſt eſſentia iam ſuis illis proprietatibus veſtita & coniuncta. Itaque dixerunt Patres, in vna Chriſti perſona eſſe non modò ipſas ſimplices οὐσίας, diuinam nimirum & humanam: ſed etiam eſſe φύσεις, id eſt, ipſas eſſentias, vnà cum ſuis veris proprietatibus coniunctas, eáſque in eadem Chriſti perſona manere ſaluas, & incolumes, miniméque cōfuſas. Id quod Monothelitarum, & Monophyſitarum errorem, qui poſtea ſecutus eſt, iugulabat. Ergo, ſi res iſtæ ad viuum reſecentur, alia eſt (vt in Scholis loquuntur) formalis definitio *Eſſentiæ*: alia verò Naturæ. Damaſcenus lib.3. Orthod. fidei, cap.9 ait, Ἐν ὑποστάσει γὰρ καὶ προσώποις ἥτε οὐσία, καὶ ἡ φύσις θεωρεῖται. Atque adeò Kemnitius ipſe poſtea nec vult, nec agnoſcit omnia idiomata, quæ φυσικὰ ſunt, naturámve ſequuntur, eſſe quoque οὐσιώδη, & eſſentialia. Porrò autem cur fiat, vt, cùm *Eſſentia, & Natura* inter ſe propria definitione diſcrepent, pro re tamen eadem ſumantur, atque etiam inter ſe ſæpe conuer- B tantur, ratio eſt, quòd, cùm natura ſit principium intrinſecum, vt loquuntur, & formale, & per iſtud principium eſſentia cuiuſque rei compleatur, & perficiatur, factum eſt, vt vox *natura* pro *eſſentia*, contráque *eſſentia* pro *natura* vſurparetur. Quòd ſi quis roget, quamobrem igitur initio huius diſputationis iſta ſynonyma Kemnitius nominarit, & planè eandem eſſe vtriuſque definitionem velit, (Neque enim aliter ſynonyma dici poſſunt) hæc cauſſa eſt, nempe vt hoc pro ętemate, ſibi à nobis conceſſo, abutens, poſtea concludat, ſi humana natura Chriſti quędam idiomata Deitatis φυσικὰ habet, vti incorruptibilitatem: eandem quoque naturam idiomata eiuſdem Diuinæ naturæ eſſentialia participare, qualis eſt omnipræſentia, omnipotentia &c. quoniam natura, & eſſentia idem planè eſſe (velut ſynonyma) conceduntur. Id quod proculdubiò magnas huic diſputationi tenebras offundit. Hæc eſt igitur iſtius ſententiæ tecta quidem fraus, ſed tamen fraus Quod autem ad *Naturam* non ignoras, Kemniti, eam non tantùm in S. Scriptura dici eam, quæ propriè eſſentia eſt, nul- C líque omnino rei alterius generis communicabilis, vt in illo Pauli loco, *Seruiebatis iis, qui naturâ non ſunt dij*: ſed etiam naturam pro alicuius eſſentię proprietatibus alicui rei communicabilibus, ſumi, vti apud Petrum, *Vt per hæc efficeremini diuinæ conſortes naturæ*, θείας φύσεως, ait Petrus: denique pro ipſa etiam naſcendi, aut generis noſtri conditione, & ſtatu, & differentia, qua à cæteris rebus diſtinguimur. Sic Paulus iſta inter ſe opponit. *Naturâ Iudæum eſſe, & è gentibus peccatorem.* Quas omnes *Naturæ* ſignificationss nequaquā, ſi bene te recognoui, vel *eſſentiæ* competere, vel cùm ea ſynonymas eſſe dixeris, vt ex eo poſtea generaliter efficias ſi quod tamen vis) vt, ſi quid vnius rei naturale idioma ab altera genere diuerſa participari poſsit eſſentia, quoque & eſſentialia idiomata ab eadem poſsit, & debeat participari. Exempli gratiâ, non ſequitur, vt ſi viuificādi vis & Deo, & verbo ipſius prædicato, & carni Chriſti competat, (quod eſt Deo naturale) æternum tamen eſſe, & infinitum, & Vbique eſſe carni Chriſti conueniat, quod eſt Deo eſſentiale. De vocabulo verò μορφὴ, quo Paulus vtitur Philipp.2. verſu 6. & 7. dicendum erit, quum ad illius Pauli loci explicationem A peruenerimus. Interim ſic habeto, Μορφὴ, nomen à rebus artificialibus ad res naturales, & creatas, & ab his ipſis ad diuinas traductum, non tātùm οὐσίαν & proprietates eius eſſentiales deſignat, ſed alia quoque adiuncta, quæ veram rei naturam conſequi ſolent. Vnde Chriſtus *formam ſerui* accepiſſe dicitur, quòd (vno tantum peccato excepto) etiam cæteras inhærentes nsturæ noſtræ infirmitates ac qualitates naturales habuerit, non tantùm οὐσίαν humanam, & eſſentiales illius proprietates. Sed de eo poſtea. Quæ autem diximus, eò pertinent omnia, vt quàm aſtutè & leuiter ſui erroris munimenta extruat Kemnitius, de reali eſſentialium Deitatis λόγου proprietatum facta humanæ naturæ ab eo aſſumptæ communicatione, omnes intelligant, atque tun ſermonis eius ambiguitate, tum ab iſta callidita maturè ſibi caueant.

Galat.4. ver.8.

2.Petr.1. ver.4.

Gal.2.v. 15.

Kemnitius pag.7. linea 13.

Et eſſe (eſſentiam nimirum ſeu ſubſtantiam, naturam & formam) *illud, quod ex ſe multis indiuiduis eiuſdem ſpeciei commune eſt, quódque totam ſingulorum eſſentialem perfectionem complectitur.* B

2.Theſis.

Danæus.

Hanc eſſentiæ definitionem facilè Kemnitio concedimus, ſi duo quędam addiderit. Vnum, quā hîc tradit eſſentiæ explicationem, propriè in rebus creatis locum habere, non autem in diuinis. Nam tres Perſonæ Diuinæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus Diuinam eſſentiam habent, neque tamen propterea ſunt eiuſdem ſpeciei indiuidua, cùm Deitas de illis, neque vt genus de ſpecie, neque vt ſpecies de indiuiduis enuntietur, neque vt pars de toto. Id quod ex Auguſtino docent etiam Scholaſtici: alterum, quoniam hanc ſuam definitionem ad tres illas Perſonas Diuinas accommodat, poſtea lectores admoneat, voces iſtas à rebus creatis, ad Deitatem propter ingenij humani imbecillitatem traductas, nequaquam omnino, & ſatis Deitatis in his perſonis exiſtentis rationē ex- C plicare. De quo ipſo in Cōcione de Vocibus οὐσίας & ὑποστάσεως Eccleſiā monuit iampridem Baſilius. Porro, quod ait Kemnitius, communem illam eſſentiam, *ex ſe*, multis indiuiduis ineſſe, vel obſcurum eſt, vel falſum. Ac quidem obſcurum, quòd illud *ex ſe*, ſi pro Per ſe ſcripſit, (quod καθ' αὑτὸ Græci dicunt) impropriè ſcripſit, quoniam Græcis & Latinis hominibus alia eſt τοῦ καθ' αὑτὸ καὶ τοῦ ἀφ' ἑαυτοῦ, *per ſe*, & *ex ſe*, vera propriáque ſignificatio. Chriſtus per ſeipſum non per alium loquebatur: per ſeipſum venerat, neque tamen à ſeipſo loquebatur, neque venerat à ſeipſo. Ineſt igitur eſſentia illa communis indiuiduis ſuis per ſe quidem, non autem ex ſe, quia neque ipſa ſe in indiuidua infudit, (cùm extra res ſingulas minimè ſubſiſtat, vt idem ipſe Kemnitius agnoſcit) neque res ex ſe ipſæ exiſtant: ſed à Deo ſolo οὐσιῶν καὶ φύσεων creatore καὶ τὸ εἶναι, καὶ τὸ ὑπάρχειν proculdubiò habeant. Falſum autem hoc ipſum eſt, *Multis eiuſdem ſpeciei indiuiduis eſſentiam ineſſe*, niſi impropriè *Multis*, pro omnibus, vel potiùs αὐτὰ τὰ καθ' ἕκαστα, id eſt, ſingulis indiuiduis (nullo pror-

Auguſt. li.3.Trin. c.6.Lōb. lib.1.diſt. 19.

Ioan.7.v. 17.18.& 28.

Actor.17. ver.28. Plato in Phil.& li. 6.de Rep.

A ſus excepto) συμπληρωματικῶς accipit Kemnitius. Nã ſi διαιρετικῶς pro quibuſdam, (neque enim qui multos dicit, omnes dicit) accipit, fallitur. Omnibus enim & ſingulis eiuſdem ſpeciei indiuiduis, non tantùm multis, aut quibuſdam ineſt communis illa eſſentiæ ratio. Vnde vulgò in Scholis dicitur, *Indiuidua eiuſdem ſpeciei non differunt in quidditate, vel natura communi.* Et Damaſcenus lib. 3. Orthod. fid. cap. 6. Πᾶσα γὰρ οὐσία κοινὴ ἐστὶ τῶν ὑπ' αὐτῆς περιεχομένων ὑποστάσεων. Quamobrem aut voces iſtæ *eiuſdem ſpeciei* delendæ ſunt, aut τὸ *Multis* Kemnitianum in *omnibus*, vel *ſingulis* commutandum. Sed hoc ipſum quoque fortaſſis eadem calliditate factũ eſt, quam ſuperius annotauimus, vt exiſtiment homines, etiam quædam eiuſdem ſpeciei indiuidua poſſe carere communi illa & eſſentiali aliorum eiuſdem ſpeciei indiuiduorum natura, veluti corpus Chriſti ſua περιγραφῇ, & τῷ ποῦ, ſeu localitate. Quæ mea coniectura (ſi mens totius huius ſcripti ſpectetur) non caret veriſſima ratione. Illud autem obnixè à Kemnitio petimus, vt vel omni ſophiſtica, veteratoriáque arte prætermiſſa, cãdidè & apertè in hoc B tam ſerio de duabus Chriſti (qui eſt ipſius Dei veritas) naturis, argumento agat: vel maiori diligentia, de re tanta, & accuratiùs loquatur. Nam in toto hoc opere vel planè Sophiſtam olet, vel hominem in ſcribendo negligentem ſe Kemnitius prodit.

Kemnitius pag. 7. linea 16.

Theſ. 3.

Ita in Eccleſiæ ſermone nunc (Rixas enim, quæ olim de his vocibus fuerunt, hoc loco non repetam) Synonyma ſunt ὑφιστάμενον, ὑπόστασις, & πρόσωπον καὶ ἄτομον, Subſiſtens, ſubſiſtentia, perſona, & Indiuiduum.

Danæus.

Damaſce. lib. Iſago. cap. 1. & 2

Et hîc quoque Kemnitius à Damaſceno diſcedit: atque etiam Synonyma pro Polyonymis ſumit. Sed ne rixas verborum (modò ne fraus vlla propterea nobis fiat, aut ſerpens vllus hîc lateat) quærere videamur, age & hoc illi quoque benignè largiamur, iſta tria appellari Synonyma poſſe. Quod ad rem autem ipſam, & propriam horum vocabulorum ſignificationem attinet, dicimus, etiã apud ipſos orthodoxos Patres, Nequaquam C ſemper hæc tria promiſcuè accipi, aut inter ſe confundi, *Subſiſtens, Perſona, & Indiuiduum.* Nam Damaſcenus varia τοῦ Ἀτόμου ſignificata eſſe docet, quæ neque ὑποστάσει, neque ὑφισταμένῳ conueniant, veluti quum indiuiduum vocatur illud, quod in partes ſecari non poteſt. Id enim neque perſonæ competit, neque ὑφισταμένῳ propriè. Propterea nuſquam apud veteres Eccleſiaſticos ſcriptores, ſaltem orthodoxos, legas, quod meminerim, tres illas Diuinas perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſſe tria ἄτομα, quas tamen, & πρόσωπα τρία, & τρία ὑφιστάμενα paſſim appellant. Imò neque Angeli ipſi (etſi ſinguli ab Auguſtino perſonæ dicuntur) ἄτομα tamen vſquam à Patribus nominãtur. Quid igitur? Præclarè ſanè, etſi, quod ad verba quidem, barbarè, quod ad rem tamen Chriſtianè Durandus, *Omnis perſona eſt ſuppoſitum* (ſeu ſubſiſtentia) *& omne ſuppoſitum eſt indiuiduum: ſed non omne indiuiduum eſt ſuppoſitum: nec ſuppoſitum perſona.* Cur id verò? Quoniam, ait idem, *qualibet natura ſingularis, in quocunque genere ſit, poteſt dici Indiuidua: Suppoſitum autem non dicitur niſi natura ſingularis in prædicamento ſubſtantiæ: nec quæcunque talis: ſed ſolùm completa, perſona dicitur, illud idem in natura intellectuali ſolùm,* velut in diuinis, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: in Angelica natura, Michael, Gabriel, & Raphael: in humana, Petrus, Paulus, Iohannes. Quamobrem ἄλογα ζῶα, ſingula, velut Bucephalus, Pyrois & Aethon, equi, ἄτομα καὶ ὑφιστάμενα dici poſſunt: πρόσωπα verò non poſſunt. Ex quo intelligitur quod ad formalem (vt vocant) verámque earum vocum definitionem, verè ſine vlla λογομαχίᾳ affirmari, diſcrimen inter eas ſtatui oportere. Sed modò nullæ tenebræ inde veritati offundantur, hoc, quod ait hoc loco Kemnitius, benignè, ſi nullas nobis inde ſtruit inſidias, largimur. A

Auguſt. in Enchirid. cap. 58.

Durãd. in lib. 2. Sentent Diſt. 3. quæſt. 2. & lib. 3. diſt. 1. quæſt. 1. N. 17.

Kemnitius pag. 7 linea 19.

Theſ. 4.

Et eſt (Subſiſtens nimirum, Subſiſtentia, Perſona & Indiuiduum) *quiddam ſingulare, quod totam quidem & perfectam eiuſdem ſpeciei ſubſtantiam habet, ſed characteriſtica quadam, & perſonali proprietate (Scholaſtici vocant principia indiuiduantia) determinatum, ſeu limitatum: atque ita à reliquis eiuſdem naturæ indiuiduis, non eſſentia, ſed numero diſcretum ſeu diſtinctum per ſe ſubſiſtit.* B

Danæus.

Hæc quoque perſonæ definitio à nobis concedi Kemnitio potuit, niſi eam ad diuinas perſonas, Patrem dico, Filium, & Spiritum ſanctum applicaret. Quæ enim non ſunt eiuſdem ſpeciei indiuidua, verè ex hac Kemnitij definitione, perſonæ dici non poterunt. Sed ex eo naſcitur hic error, quòd nullum omnino eſſe inter Perſonam & Indiuiduum diſcrimen exiſtimauit, vti in ipſius ſuperiori theſi à nobis refutata legitur. Verùm patres orthodoxi, qui omnia in hoc S. argumento præcipitia prudenter præuiderunt, (in quæ Kemnitius hîc incurrat neceſſe eſt) aliam, cámque veram ac formalem, vt loquuntur, Perſonæ definitionem excuderunt cõſentienter Dei verbo. Perſonam enim eſſe dicũnt, *Subſtantiam indiuiduam, intelligentem, incommunicabilem,* quæ nec in altero ſuſtentatur, nec ad aliud dependentiam habet: quam definitionem poſtea Kemnitius addidit, neque tamen vtra magis propria eſſet, aut veriùs diuinis perſonis conueniret, explicauit. Atqui non eſt res iſta de nihilo. C

Boethius li. de duabus Nat. Lombar. li. 1. Sent. Diſt. 25. & 25.

Thom. in 1. parte quæſt. 29. art. 1. & 3.

Kemnitius pag. 8. linea 2.

Theſis 5.

Ita ergo eſſentiæ, ſeu naturarum nomina ſunt Θεότης, Ἀνθρωπότης, *Deitas, Humanitas, Diuina natura, humana natura, eſſentia diuina, ſubſtantia humana.*

Danæus.

Pag. 9.

Deitas abſolutè conſiderata nomen eſt eſſentiæ, ſeu naturæ: relatè verò in perſona Patris, vel Filij, vel Spiritus ſancti ſpectata, eſt, vel ipſo Kemnitio teſte, nomen perſonæ. Quid enim eſt aliud Deitas relatè conſiderata, quàm diuina hypoſtaſis? Itaque quum de Chriſti Deitate agitur, quemadmodum in hac diſputatione, vbi de hypoſtatica vnione duarum in Chriſto naturarum quæritur, A quæritur, vocabulum *Deitas*, *ſeu diuina natura*, non naturam tantùm, ſed etiam perſonam ipſam τοῦ λόγου ſimul complectitur, in qua humanitas Chriſti ſuſtentatur, &, vt loquitur Damaſcenus, eſt ἐνυπόστατος. Quod monere idcirco fuit neceſſe, ne vel poſtea hallucinentur, lectores, & putēt eſſe generalia Trinitatis, quæ ſunt Chriſti perſonalia, id eſt, ſecundæ Trinitatis perſonæ propria tantùm. Nā rectè dicimus, *Filius Dei eſt genitus*, neque tamen rectè diceretur, *natura diuina eſt genita*. Vel ne Kemnitius ipſe nobis hinc inſidias ſtruat, quo eſt in toto hoc ſcripto ſuo animi candore. Quod autem hîc quoque *ſubſtantia humana* pro *eſſentia humana* dixit, vt nō ſint idē, & quem errorem contineat, ſuperius à nobis demonſtratum eſt, vt repetere nihil ſit hoc loco neceſſe.

Kemnitius pag. 8.
linea 5.

B Theſis 6. *Perſonæ appellationes ſunt Deus, homo, λόγος, ſecunda perſona Trinitatis, Filius* Dei, *Filius hominis, Chriſtus, &c.*

Danæus.

Voces hæ, *Deus, homo*, pace Kemnitij dixerim, ſunt nonnunquam nomina naturarum, non autem ſemper perſonarum: velut quum dicitur, Chriſtus induit hominem. Item quum ait, Paulus 2. Cor. Deus erat in Chriſto, Mundum reconcilians ſibi, licèt tunc ipſa loquendi forma ſit concretiua, non abſtractiua. *Deus* enim, diuinam: *homo*, humanam naturam ſignificant. Itaque vulgò in ſcholis dicitur, *Deus eſt ſua Deitas*. Nam qui Deum dicit, naturam, non autem perſonā vllam certam propriè deſignat. Sæpe quidem Deus perſonaliter, non eſſentialiter ſumitur velut in hac Chriſti ſententia. *Ita enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitū dederit*: in hac quoque Nicenæ ſynodi locutione, *Deus de Deo*: in hac Patrum, *Deus Deum genuit*, & ſimilibus: tamen ſi verum huius vocis *Deus*, ſignificatum quęrimus, eſſentiam, non ipſas perſonas demonſtrat. C Sed quoniam de Deo non niſi noſtro, id eſt, humano, & à rebus creatis ſumpto more loquimur, idcirco & Deitatis & Dei vocabulis vtimur, rem tamen eandem deſignantes: Deitatis quidem nomine vtimur, quum ipſam illam infinitam eſſentiam per ſe: Dei verò vocabulum vſurpamus, quum eandem aliquid operantem, largientem, punientem &c. cogitamus, quoniam actiones non naturis per ſe, ſed ſuppoſitis, id eſt naturis in concreto, ſeu hypoſtaſi exiſtentibus, tribuūtur. Neque enim vſitatè dicitur, *Deitas punit, humanitas currit*: ſed Deus punit, homo currit. Eodem modo vox iſta *homo*. Etſi enim rectè dicitur, *Qui homo eſt habet in ſe aliquam ὕπαρξιν, quā non habet humanitas, & idcirco non eſt totaliter idem homo & humanitas* (Nam rei exiſtentiam ſimul cum eſſentia complectitur vox hæc *Homo*) tamen niſi ad hunc vel illum, nomen hoc, Homo, animo, vel digito referas ac deſtines, nihil planè aliud quàm naturam humanam illo vocabulo ſignificas, non autem perſonam. Quamobrem, quum has voces, *Deus & homo*, vniuerſaliter hoc loco ſumat Kemnitius, non ſingulariter A perperā ab eo perſonarum appellationes eſſe dicuntur. Præterea, cùm hæc ipſa vocabula poſtea de Domino noſtro Ieſu Chriſto vſurpet, certè vel errat ipſe, vel ſciens nos decipit, ſi voces has *Deus & Homo*, in Chriſto non propriè naturas, ſed perſonas ſignificare contendit. Hac enim ratione duas in Chriſto perſonas conſtituet. Naturas ergo hæc vocabula in Chriſto ſignificāt, *Deus* diuinam: *homo* humanam: ſed concreto vocabulo comprehenſas, quæ forma loquendi incurrētem perſonæ notionem habet neceſſariò. Ergo quum dicitur, *Chriſtus homo mortuus eſt pro nobis*, nō hoc dicitur, perſonam quandam, quæ in Chriſto homo ſit, eſſe mortuam (quid enim hoc aliud eſt, quam totum Neſtorianiſmum impiiſsimè renouare?) ſed dicitur, naturam tantùm illam Chriſti humanam, quæ tunc non per ſe, & in ſeparata hypoſtaſi, ſed in ipſa vna Chriſti perſona conſideratur, mortuam eſſe. Item quum dicitur, *Dominus vel Deus gloriæ crucifixus*, non id volumus, perſonam quandam, quæ in Chriſto Deus ſit, fuiſſe crucifixam, imò ne naturam quidem ipſam illius B Diuinam: ſed fatemur Chriſtum (qui Deus eſt gloriæ, & cui gloria omnis debetur) fuiſſe in natura illa ſua humana, quæ illius perſonæ velut pars eſt, crucifixum. Itaque per κοινωνίαν ἰδιωμάτων, vel ἀντίδοσιν, vt Damaſcenus loquitur, tantùm vera eſt hæc enuntiatio, quemadmodum poſtea docebimus: non quòd vox Deus, in Chriſto (Nam Chriſtus & Deus & homo dicitur) perſonam diuinam: & homo, perſonam humanam ſignificent. Id quod, quamuis impiiſsimum, tamen ex hac Kemnitij tam ambigua phraſi, & tā obſcura theſi omnino ſequeretur, ſiquidē ſemper verum eſt, *Deus & Homo, ſunt appellationes perſonarum*. Porrò ꝙ ad vocabula iſta, λόγος, & *Filius Dei, & filius hominis, ſpectat*, ſunt certè illa diſtinguenda, quāquam ea cōfundit hoc loco Kemnitius. Nam antequam λόγος naturam noſtram aſſumeret, voces hæ, *Filius Dei*, λόγος, in eo fuerunt totius perſonæ appellationes: nunc autem, poſtquam ſibi eam vniuit, ſunt interdum vnius tantùm in Chriſto naturæ ſignificatio, veluti quum dicimus, λόγος eſt ab æterno, C Chriſtus Filius Dei eſt ὁμοούσιος patri: interdum etiam perſonæ, in qua ipſa humana Chriſti natura ſubſiſtit, & ſuſtentatur. Filius autem hominis nunquam perſonam in Chriſto propriè ſignificat, cùm homo non ſit in Chriſto perſona, ſed natura tantùm in ipſa filij Dei perſonalitate ſubſiſtens. Ergo voce, *filius hominis*, vera humanitas in indiuiduo illo Chriſto aſſumpta ſignificatur per vocabulum concretum, & concretiuâ loquendi formâ. Ex quibus omnibus, quàm multæ in paucis illis Kemnitij verbis, vel obſcuræ fraudes, vel manifeſti errores lateant, apparet. Quæ vitia, ſi in ipſo operis ingreſſu (qui ſpecioſiſsimus, velut illex quędam, pręfigitur) occurrunt, quanta in reliquis einſdem operis partibus futura credimus? Id quod eſſe veriſsimum, res ipſa poſtea demonſtrabit. Itaque pergamus.

Thomas in 1. parte q.3. art.3.

Io.3. verſi. 16.

Ruf. lib.2. c. vlt. Lombard. l.1. Sent. diſtin.5.]

De *Abſtracto & Concreto*, & prima harum vocum ſignificatione, qualem quidem Kemnitius ſtatuit.

Kemnitius pag. 10. linea 11.

Theſis 1. *Porrò de vocabulis Abſtracti & Concreti, quæ-*

A *dam etiam hoc loco breuiter notanda ſunt. Non enim ſimpliciter, & in eadē ſignificatione ſemper, & ab omnibus illa vſurpantur, ſed primus eorum vſus eſt ſcholaſticus.*

Danæus.

Quū diuerſa duo *Abſtracti*& *Concreti* ſignificata cudere vellet Kemnitius, appellauit vnū ex iis, diſtinctionis gratiâ, Scholaſticum ſeu Theologicum:alterum autem Grammaticum ſeu Etymologicum. Pag.12. Quæ tamen, ſi rectè ex ipſius ſententia & definitione perpendantur, hoc quidem poſterius Theologicum potiùs: illud verò prius Grammaticum & Etymologicum dici veriùs debuit:cùm prius in vocis ratione duntaxat verſetur: in poſteriore verò vnionis naturarum in Chriſto duſputatio ex Kemnitio ſpectanda ſit: quæ res eſt non modò Theologica, ſed totius Theologiæ veriſsimus apex, arcanum & ſumma. B Age tamen, ſua Kemnitio vocabula reliquamus, impropria illa quidem ſed tamen(quia ſic ille loqui voluit, & λογομαχία omnis vitanda eſt) toleranda, ſi modò ipſe horum vocabulorum prætextu errores nullos parturiat: aut nos nequiter facere(quemadmodum pag.13.loquitur) aut doctrinæ deprauationem (quoniam nouis inuſitatíſque ipſius locutionibus obſiſtimus) inuehere falſò non calumnietur, quod hominem Theologum nobis obiicere certè non decuit.

Kemnitius pag.10.l.20.
& pag.11.l.4.

Theſ.2. *Vocabula igitur quæ ipſas naturas in Chriſto notant, vocant Abſtracta vocabula. Et quando in oratione ſeu propoſitione aliqua vtuntur vocabulis ſignificantibus ipſas naturas in perſona Chriſti vnitas, hoc Scholaſtici appellāt, in abſtracto dici, vel per vocabula Abſtracta loqui.* Et paulo poſt. *Concreta verò vocabula appellant, quæ perſonam Chriſti ſubſiſtentem in* C *duabus naturis, ſeu conſtantem duabus naturis ſignificant & denotant. Ita in cōcreto aliquid dici, Scholaſticis eſt, quando ipſi perſonæ per vocabula perſonalia aliquid tribuitur.* Et paulo poſt, *Abſtracta vocabula diuinæ naturæ vocant, Deitatē, Diuinitatē, diuinam eſſentiā,* &c. *Humanæ naturæ abſtracta vocabula vocāt, Humanitatem, ſubſtantiam ſeu naturam humanam, carnem, ſanguinem. Concreta vocabula diuinæ naturæ dicunt eſſe, Deum, λόγον, Filium Dei,* &c. *Humanæ naturæ concreta dicunt eſſe, Hominē, filium hominis, filium Mariæ,* &c. *Vtriuſque naturæ concreta, Chriſtum, Immanuelem,* &c.

Danæus.

Magnum eſſe horum vocabulorum, *Abſtractum* & *Concretum*, vſum, non in hac tantùm de duabus Chriſti naturis diſputatione, ſed in omni rerum cognitione, norunt omnes. Itaque erant illa generaliter explicanda, non autem ad vnam hanc duntaxat quæſtionem reſtringenda. Nam & phyſici & Dialectici, & cæteræ artes penè omnes, Abſtracta à Concretis diſtinguunt. Cur igitur ad hoc vnum argumentum tam latè patentem quæſtionem contraxit Kemnitius? Nimirum, ne ſi eam ex aliis artibus etiam diſci poſſe cōcederet, ex iis ipſis definitiones eæ, quas hîc A affert, facilè refutarentur. Quod valdè cauet, cùm hîc vnum quoddam potiſsimum fundamentum totius iſtius erroris, de eſſentialium Deitatis proprietatum in naturam humanam communicatione, ſtatuatur. Huius autem tam latè patētis & neceſſariæ diſtinctionis ratio eſt, quòd cùm ipſas rerum formas per ſe, & extra res ſingulas reipſa intueri nequeamus, (neque enim illæ ipſæ extra res ſingulas ſubſiſtunt) & ſit tamen ſæpe ipſa forma à ſubiecto, cui ineſt, mente & animo ſecernenda, duplex vocabulorū genus neceſſariò repertū eſt, quorum vnum formam ipſam rei per ſe conſideratam ſignificat, atque menti noſtræ repreſentat, velut Deitas, humanitas, albedo, iuſtitia, fortitudo, ſcientia, &c. Alterum eandem, ſed in ipſis rebus ſingulis ſubſiſtentem, vel inhærentem, veluti Deus, Homo, album, iuſtum, forte, ſciens, &c. vnde fit, vt *Concretum directè ſupponat pro habente formam*, vt loquuntur. *Nam licèt realiter hic non differant, quòd habet, & quod habetur: tamen differen-* B *ter ſignificatur forma per vocabulum Concretum, & per vocabulum Abſtractum.* Ergo Concretum, velut Iuſtum, Sapiens, Album, Homo, &c. formas quidem ipſas, (quib. deſignandis impoſitum eſt) ſignificat:ſed in re quapiam ſingulari ſubſiſtente, quæ, quia ſubſiſtit, ſuppoſitum ſeu perſona vocatur. Eſt enim Album res, ſeu ſuppoſitum quoddam, vnum & ſingulare, quod habet albedinem: Homo perſona, quæ habet humanitatē:Deus perſona, quæ habet Deitatem:Sapiens, perſona quæ habet ſapientiam. Vnde factum eſt vt in Scholis diceretur, *Cōcreta ſupponunt pro perſona, Abſtracta pro natura*: quod eſt intelligendum de vſitatiore loquendi modo:quod perperam Kemnitius perpetuum eſſe contendit. Nam exēpli gratia, quum dicitur album currit, Sapiēs nauigat, fortis ludit, C hæc eſt iſtarum locutionum vis, vt perſona ipſa, quæ vel alba vel ſapiēs, &c. eſt, iſta agere dicatur, non autem forma illis vocabulis comprehenſa agere, currere, ludere, nauigare. Quamobrē quum itidem hîc dicitur, Quæ ſunt vnius Chriſti naturæ propria, poſſe etiam de alia natura dici per verba cōcreta, quemadmodum, *Deus paſſus pro nobis*, ſic eſt omnino intelligendum, vt de ipſa perſona propriè dicatur, non autē de alia illa natura. Nam de altera natura enunciari non poteſt, quod eſt alterius proprium. Neque enim Deitas ipſa paſſa eſt, ſed perſona, quæ etiam Deus eſt. Hoc autem admonere eſt operæpretium, quoniam Kemnitius vim harum enunciationum aut peruertens, aut non intelligens ſtatim peſsimè concludit, fieri reipſa communicationem proprietatum, vnius naturæ eſſentialium cum alia, ne ſit falſa nimirū huiuſmodi concretiua enunciatio. Sic enim ait ipſe, has phraſes vſurpari, *Caro Chriſti λόγῳ vnita viuificat, ſanctificat, &c. vt indicetur non tantùm perſonæ ſecundum diuinam naturam, ſed ipſi etiam aſ-* Pag.11. *ſumptæ naturæ propter hypoſtaticam cum diuinitate vnionem, vel perſonæ ſecundum humanam etiam naturam: hæc tribui.* Id quod eſt falſiſſimum. Cæterū vt tota de naturis & perſona Chriſti, vocabulíſque ad vtramque pertinentibus, ratio faciliùs explicaretur, fuit non duplex, ſed triplex nominum & diuiſio & definitio afferenda, quorum alia Abſtracta dicerentur, quæ ſignificant naturas:alia cōcreta, quæ plerumque, at non ſemper perſonam ex vna duntaxat natura denominatam denotant:

denotant:tertia,quæ ipſam Chriſti perſonam totam,id eſt,vtraque illa ſuâ naturâ conſtantē A propriè ſignificant, vt Ieſus Chriſtus, Emanuel, &c. Quod autem ait Kemnitius,ſingulas has voces,*filius Dei,filius Mariæ*, perſonam ſignificare, periculoſum eſt, & ex cœno Neſtorianorum deprōptum, quæ tamen vt ſint explicanda, ſupra diximus,ita nimirum , vt non duæ perſonæ in Chriſto ſtatuantur:ſed vt duæ naturæ tantùm,per verba illa concreta ſignificentur.

Kemnitius pag.12.l.1.

De poſteriore Abſtracti & Concreti ſignificatione.

Theſ.3. *Deinde verò alia horum vocabulorum ſignificatio,& alius vſus eſt,iuxta Grammaticam ſeu Etymologicam rationem , quando in ipſas propoſitiones inſeruntur,vt vel ſubiectum,vel prædicatum determinēt, vt quando dico, Naturam aliquam Chriſti in abſtracto conſiderari:* & poſtea,*Carnem Chriſti in abſtracto* B *viuificare, vel adorandam eſſe in abſtracto. Tunc enim intelligitur Natura qualis ſit,& quid habeat,ſi per ſe,ſecundum ſe, & in ſeſe ſeorſim conſideretur, vel in naturali ſua conſtitutione : vel quid ſpiritualium donorum, præter Phyſicas conditiones formaliter, habitualiter aut ſubiectiuè inhærens in ſe , & ſecundum ſe acceperit & habeat.*

Danæus.

Verè iam illud Platonis de Kemnitio vſurpauerim , δοκεῖ σοφίζεσθαι περὶ τὸ ὄνομα. Quid enim aliud hoc ſuo nouo,& quidem adhuc inaudito, *Abſtracti & Concreti* ſignificato molitur ? Sed quale ſit, primùm videamus. Ait naturam in Chriſto abſtractam dici, quum à nobis extra perſonæ vnionem conſideratur: Concretam autem,quum in ipſa vnione:quaſi cōcretum ſignificet eſſe vnitum: Abſtractum autem eſſe diſiunctum ac ſeparatum C ab illa vnione.Ecquis verò Phyſicus,ecquis Dialecticus,ecquis alius(qui tamen Concreti,& Abſtracti vocabulis ſæpe vtitur) hanc *Abſtracti* & *Concreti* ſignificationem adhuc nouit?Cur autem & quorſum nouum hoc de Abſtracti & Concreti ſignificatione commētum? Nimirum magnorum ſophiſmatum & tenebrarū ſemina ſparguntur,quibus poſtea veritas ipſa cœleſtis obruatur. Nam ex hac poſtrema ſignificatione ſua concludet vbique Kemnitius, nos , quum negamus humanæ Chriſti naturæ competere omnipotentiā, omnipræſentiam,omnimaieſtatem,in abſtracto vocabulo, nos, inquam, tunc ſeparare humanam naturam ab vnione,ſeu perſona Chriſti, quia voce *Abſtracti* vtamur.Itaque cōſequitur ex hac diſtinctione , à nobis duas illas naturas à ſeſe & ab vnione diuelli,& extra eam conſiderari,quod eſt falſiſsimum.Ratio huius querelæ tam calumnioſæ eſt , quòd Abſtracti vocabulum Kemnitio ſignificat Naturam extra perſonæ ſuæ vnionem ſeparatam & conſideratam. Quo ſignificato nulli omnino(qui tamen has voces vſurpant) vtuntur, præter hūc vnum Kemnitium.Atque hanc ipſam ſignificationem ipſemet poſtea c.13.pag.174. his verbis refutat.*Olim in ſcholis diſtincta ſunt vocabula Grammaticis,& Dialecticis appellationibus.Vocabula enim,quæ naturas vnitas quidem,ſed tamen diſtinctas denotant,vocant Abſtracta.Cōcreta verò vocant,quibus perſona ſignificatur.* A Sed hanc ſignificationem ad hoc argumentum callidè contraxit,vti diximus, ne quam ſui refutandi viam & rationem nobis relinqueret. Ecquæ eſt verò iſta Theologia & calliditas? Selnec.fo. 9 Pag.2. Quamobrē Selneccerus in pręfatione ad Electorem Saxonię ex Kemnitij (cuius omnes intimos ſenſus ꝑſpexit. Nā ſe eius amiciſſimum profitetur) ſic inquam Kemnitij ſententià explicauit. *Humanā Chriſti naturam nec eſſe nec dici poſſe capacem omnipotentiæ , & diuinarum proprietatum, quatenus creatura eſt,& in abſtracto,*id eſt,extra vnionem conſideratur. *In concreto,id eſt,quatenus Deo hypoſtaticè vnita eſt , ibi certè Chriſtum in vtraque natura ſua ſicut adorandum,ita quoque omnipotentem & vbique eſſe.* Quare tanquam iam à prima & Scholaſtica (quam vocauit Kemnitius) Abſtracti & Concreti ſignificatione Pag.13. recedamus,neque in vero & Theologico Abſtracti ſignificato permaneamus,conqueritur nos in B harum vocū ambiguitate ludere,& *nequiter facere,& doctrinæ deprauationem,prætextu horum vocabulorum, Eccleſiæ obtrudere* , quaſi quum naturam Chriſti in abſtracto conſiderandā eſſe dicimus, doceamus eſſe conſiderandam extra perſonæ vnionem,ſeu ex propria vi.Denique Neſtorianos nos eſſe calumniatur, quaſi in Abſtracto , id eſt, extra vnionem perſonæ humanam Chriſti naturam & eſſe & cogitari velimus,ac doceamus. Hę ſunt igitur fraudes , quas hîc Kemnitius nectit, vel potius hæ ſunt latebræ & hęc κρησφύγετα, in quę confugiat,quum à nobis premetur. Sed quid nos ad iſta? Illas eſſe patiemur, tanquam extructas ad obſidendam Dei veritatem turres? Minimè certè. Quamobrē quæ noſtra ſit ad hoc ſuum ſecundum *Abſtracti* & *concreti* ſignificatum reſponſio, iam audiat Kemnitius. Primùm igitur huius ſecundæ ſignificationis *Abſtracti* & *Concreti* , exempla,atque probationem (vt *Abſtractum* ſignificet eſſe extra vnionem perſonæ , & in ſeparata C hypoſtaſi) ex autoribus Eccleſiaſticis, à Kemnitio petimus & poſtulamus, præſertim in hoc argumento. Negamus enim orthodorum Patrem vllum ſic vnquam vocem *Abſtractum* accepiſſe: vel quum de humanitate Chriſti in Abſtracto loqueretur,ſic vnquam pro *extra vnionem, & ſeparatam eſſe ab hypoſtaſi*, ſumpſiſſe , vti neque nos quoque vnquam accepimus. Aliud enim eſt conſiderare naturas abſtractas , id eſt , per ſe , & in ſua natura,quod fit dum de iis loquimur per voces *Deitatis* & *humanitatis* : aliud autem eas extra perſonæ vnionem ſtatuere , & eas ſibi derelinquere , & ex natura vel nihil omnino , vel aliam hypoſtaſim fingere. Sic aliud eſt in S. Trinitate perſonas diſtinguere,aliud eas ſeparare : aliud in ipſo Chriſto quoque naturas diſtinguere , aliud autem eaſdem ſeparare & diuellere. Nam qui naturas extra vnionem conſiderat , Chriſti perſonam diuidit & ſeparat : qui verò eas in ipſa Chriſti perſona vnitas , in Abſtracto tamen, id eſt,per vocabula abſtracta diſtinguit, ille & perſonæ vnitatem ſeruat, & quid earum vnaquæque ſit in ſeſe oſtendit. Loquentes igitur in abſtracto de naturis illis Chriſti vnitis,Kemniti, eas diſtinguimus,non autē ſeparamus,nec extra perſo-

A nam eſſe, aut ſibiipſis relinqui fingimus. De iiſdem autem quum in concreto agimus, tum per voces has *Deus, Homo, &c. de perſona* potius ipſa, quàm de illis ſeorſum noſtram orationem intelligendam eſſe ſignificamus, *quia tunc Concreta ſupponunt pro perſona*, vt dicitur in Scholis. Præterea faſſus eſt antea Kemnitius ipſe, per vocabula Abſtracta *naturas ipſas in perſona Chriſti vnitas ſignificari*:& *Abſtractiuas propoſitiones eas eſſe, quæ ſignificant ipſas naturas in Chriſto.* Pag.10. Quomodo igitur tam contrariam Abſtracto ſignificationem iam affingit, vt abſtractiua locutio, ſit locutio de natura, non iam in perſonæ Chriſti vnione, non iam in Chriſto, ſed extra Chriſtum, & extra vnionẽ perſonæ cogitata? Denique, qui hoc poſtremum *Abſtracti* & *Concreti* ſignificatum admittit, ille diuerſiſſimas veterum phraſes, & maximè in hoc argumento tamen ſeparatas & diuerſas confundit, nẽpe aliquid κεχωρισμένως, & καθ' αὑτὸ νοεῖσθαι. Nam quæ natura Chriſti extra vnionem conſideratur, illa κεχωρισμένως ἢ διακρίτως: quæ autẽ καθ' αὑτὸ conſideratur, illa in abſtracto duntaxat, & in ſeſe: non autẽ extra vnionem perſonæ, qualis ſit, explicatur. B Neque verò ſunt iſtæ ἰσχναὶ, vel ψευδεῖς ἐπίνοιαι: ſed in hoc tam auguſto fidei articulo omnino vtiles, veræ, & ab ipſa Scriptura, & Patrib. vſurpatę phraſes, quemadmodum lib. 1. contra Eunomium docet Baſilius, & Damaſcenus lib. 1. Ortho. fid. c. 11. Quare quum Kemnitius nullã ſuę ſententiæ confirmationem proferat, non S. Scripturam, non veteres Patres, non vllum denique aliud argumentum, nos illi hanc ſuam ſecundã *Abſtracti* & *Concreti* ſignificationem meritò denegamus. Quòd ſi ipſe & eius ſocij, quum per ſe, & Abſtractis vocabulis de naturis Chriſti loquuntur, eas ab vnione diuellunt, nos tamen nequaquam id vel facimus, vel faciendum eſſe cõcedimus. Quamobrẽ aduerſus ſuos, non autem aduerſus nos, de ſua illa *Abſtracti* ſignificatione triumphet Kemnitius.

Kemnitius pag.13.linea 22.

C De voce idioma, & idiomatum vario genere.

Theſ.1. *Synonima autem habentur* ἰδιότης καὶ ἰδίωμα *proprietas*, διαφορὰ, *differentia, Idioma* χαρακτηριστικὸν, ἰδιάζον, *proprietas Characteriſtica, quæ, tanquam ſigno & nota, ſingulare aliquid conſtituit & notat. Sæpe etiam* ποιότητος *vocabulum ita vſurpatur.*

Danæus.

Hinc iam verò totius futurę diſputationis noſtrę ſtatus pendet. Itaque potuit Kemnitius ſuperioribus omnibus omiſſis, ab hoc primùm loco, ſi breuitati ſtuderet, ordiri. Et certè antiquũ ſuum hîc quoque obtinet, vt polyonyma Synonyma vocet. In quo neque cum doctis Dialecticis, neque cum Damaſceno ipſo, neque cum Scolaſticis (quorum ſupra ſententiam probabat) ſed ex communi errore loquitur. Ac fortaſſis ille verum putat illud Iuriſconſultorum, *Communis error facit Ius.* Hæc autem omnia, quæ ſequuntur, magnam partem ex Damaſceni libro, qui *Iſagoge* dicitur, ſumpta ſunt, in primis ex cap. 3. & 4. vbi nequaquam appellat iſta Synonyma Damaſcenus.

Kemnitius pag.13.l.28.

Generalis definitio Idiomatis.

A *Quia naturarum in vna perſona Chriſti vnitarum non eſt* ταυτότης ἢ ἰσότης, *identitas vel æqualitas, ſed diuerſitas, & differentia: res illa (ſiue ſit eſſentialis, ſiue accidentalis) qua vna natura differt ab alia, & hæc perſona ab aliis eiuſdem naturæ hypoſtaſibus differt, vocatur proprietas & differentia.* Theſ.2.

Danæus.

Damaſcenus Iſagog.cap.3. Ἐκεῖνο τοίνυν, ait, πρᾶγμα, ἐν ᾧ διαφέρει οὐσία οὐσίας, καὶ εἶδος εἴδους, καὶ ὑπόστασις ὑποστάσεως, λέγεται διαφορὰ, καὶ ποιότης, ἢ καὶ ἰδίωμα. *Res igitur illa, qua differt eſſentia ab eſſentia, ſpecies à ſpecie, perſona à perſona, dicitur differentia, & qualitas, & Idioma*, ſeu proprietas. Nec multum ab his diſcrepantia habet idem libro 1. orthod. fid. cap. 11. Ergo concedimus, quicquid diſcrimen inter res aliquas eiuſdem naturæ & ſpeciei conſtituit, eſſe & differentiam & proprietatem. Differentiam quidem, quatenus facit, vt res à re differat. B Proprietatem autem, quatenus illud vni rei ſic ineſt, vt alteri eodem modo inſit. Atque hæc eſt generalis & lata vocabuli *Proprietatis ſeu Idiomatis* ſignificatio. Cæterùm ex hoc Kemnitij antecedente (*quoniam in Chriſto naturæ ſunt diuerſæ*) quàm rectè ac cohærenter efficiatur iſtud conſequens, *Ergo id, quo vna natura ab alia differt, eſt proprietas & differentia*, viderit ipſe, quum neque ex ſingulari vniuerſale rectè concludatur, quemadmodum tamen hic facit Kemnitius: neque etiam hæc noſtra de communicatione Idiomatum controuerſia, ſit de accidentalibus, ſed de eſſentialibus duntaxat naturarũ Chriſti proprietatibus, vt ab hoc velut ouo rem totam repetere nihil certè fuerit neceſſe, niſi quia hoc ſuum volumen efficere craſſum ipſe voluit.

Kemnitius pag.13.l.31.

Theſ.3. C *Et quia proprietates non egrediuntur ſua ſubiecta ideo in Chriſto vnius naturæ phyſica ſeu eſſentialis proprietas nec eſt, nec poteſt fieri alterius naturæ eſſentialis vel phyſica proprietas. Fieret enim naturarum confuſio, quæ per idiomata differunt & diſcernuntur.*

Danæus.

Iam verò iſte eſt cothurnus, quo fallimur. Sic enim hic loquitur, quaſi prorſus nobiſcum conſentiat: ſic autem poſtea ſeipſum interpretatur, vt à nobis tam, quàm qui maximè, diſſentiat. Videamus igitur quid dicat. Duo quædam effatur: vnum, *Proprietates non egredi ſua ſubiecta*: alterũ, *In Chriſto vnius naturæ Phyſicas & eſſentiales proprietates non poſſe fieri alterius naturæ itidem phyſicas & eſſentiales proprietates.* Quid his verius? Præſertim ſi eaſdem eſſe phyſicas & eſſentiales proprietates hic intelligat Kemnitius, non autem eas (vt poſtea facit) diſtinguat. Deinde ſi ex ipſomet Kẽnitio hęc duo axiomata explicemus, vera quoque reperientur. Primùm quidem ex pag. 11. quum ait, Pag.11. *Vnius naturæ propria, alteri per formalem inhæſionem tribui non poſſe.* Id quod, eodem ipſo poſtea Kemnitio interprete, ſignificat, *Vnius Chriſti naturæ proprietates*, velut omnipræſentiam, alteri naturæ, velut *humanæ*, nequaquam *ineſſe*

A *ineſſe formaliter, habitualiter, aut ſubiectiuè inhærentes*: ſed tantùm fieri hanc attributionem (ſi quando fit) *per œconomiam vnionis*. Rationē autem huius ſuæ ſententiæ ſubiicit Kemnitius, & verbo Dei, & toti piæ vetuſtati conſentientem, hanc nimirum, *fieret alioquin*, ait, *Naturarum ipſarum in Chriſto confuſio*. Et hæc quidem rectè Kemnitius. Pag. 11. Ex quibus apparet realem proprietatem vnius Naturæ communicationem alteri fieri non poſſe. Præclarè enim, (quod ex Patribus didicerat) Lutherus *Tollēs proprietates*, ait, *tollit naturas*. Et ipſemet Kemnitius infr. pag. 23. nulla circuitione vſus, ait, *Eſſentialia diuinitatis idiomata nihil diſcrepāt ab eſſentia diuinitatis: ſed cum ipſamet eſſentia connectuntur*, (Sic enim, quicquid eſt vbique, certè eſt Deus) *cùm vnum & idem ſint, hoc eſt, ſimpliciter ſunt ipſa abſoluta Dei eſſentia*. Iſtis nihil meliùs dici poteſt: tanta nimirum vis eſt veritatis, ſi modò vel non hæc ipſa poſtea Kemnitius retractaret: vel falſa ſophiſticáue quadam interpretatione ſubuerteret. Ergo hæc ſuperiora omnia vera B eſſe credimus, ſi verè intelligantur. Nam cum ea toties à nobis inculcata regula conueniunt, *Ea quæ ſunt diuinæ Chriſti naturæ propria, ſunt in humana tantùm per gratiam vnionis* (quam Kemnitius maluit appellare œconomiam) *non autem per gratiam habitualem, quam eandem vocat formalem inhæſionem*. Sed faceſſat λογομαχία, modò de re ipſa inter nos conſtet. Hæc igitur vna Kemnitij ſententia potuit totam hanc de Vbiquitate ſeu Vbiquepræſentia veræ carnis Chriſti tollere cōtrouerſiam, (ſi ab eodem poſtea candidè vel retineretur, vel exponeretur) Quid igitur addit?

Kemnitius pag. 14. l. 8.

Theſ. 4. *Proprietas igitur eſſentialis diuinæ naturæ, in æternum non fit eſſentialis proprietas humanæ naturæ, & è contra. Quomodo verò nihilominus fiat vera communicatio idiomatum in vnione, ſicut Anima potentias & operationes ſuas vitales & animales corpori* C *ſuo animato communicat &c. poſtea explicabitur*: Et poſtea. *Diuina igitur eſſentia potens & ſapiens eſt, nō potentia aut ſapientiâ, quæ aliquid diſtinctum ſit, tāquam qualitas ab eſſentia, ſed eſt ipſa omnipotentia, ſapientia, bonitas, &c.*

Danæus.

Supra nobiſcum conſenſerat Kemnitius, iam verò longiſſimè diſſentit. Huius enim (quā nunc profert) interpretationis & quidem ſuperioribus ipſius verbis planè contrariæ hæc ſumma eſt, vnius naturæ Chriſti (veluti diuinæ) proprietates & idiomata eſſentialia alteri naturæ (veluti humanæ) verè & realiter communicari, verè tribui, verè & realiter ineſſe, ac eo quidem modo, quo vitales animæ potentiæ & facultates corpori animato inſunt, & ignis ferro ignito communicatur. Quid autem ſuperiori ipſius ſententię magis contrarium, vbi negabat vnius naturæ idiomata ineſſe alteri ſubiectiuè & inhærenter? quaſi verò ignis non inſit in ferro ſubiectiuè & inhærēter. Sed quomodo hac ἐναντιότητι excuſat Kemnitius? Quòd proprietates vnius naturæ non fiant alteri eſſentiales, ſed tantùm communicatæ. Quamobrē ait idem, *Omnis poteſtas, quæ Chriſto in tempore ſecundum humanam naturam data eſt, vniuerſum dominium ſuper omnia, virtus viuificandi, qua caro* A *Chriſti eſt viuifica, non poteſt rectè, propriè ac commodè idioma naturæ humanæ appellari. Eſt enim & manet eſſentialis proprietas diuinæ naturæ λόγου: ſed οἰκονομίᾳ τῆς ἑνώσεως humanæ naturæ Chriſti, ſicut virtus lucendi: & vrendi ferro ignito communicatur: non formaliter, non habitualiter, nec ſubiectiuè*. Ergo, Kemniti, per te fiet, vt, quæcunque eſſentialia idiomata habet in Chriſto natura diuina: eadem quoq; (ſed non vt eſſentialia, ſed vt communicata) verè tamen & realiter habeat natura eius humana. Nā habere aliquid vt *verè & realiter communicatum*, dicis eſſe, *habere non formaliter, non habitualiter, nō ſubiectiuè*: neque vis corpus ipſum animatum habere potentias animæ ſubiectiuè, & in ſe habitualiter, & formaliter, quoniam eas habet communicatas, non eſſentiales. Hęc, inquam, dicis, Kemniti. Quot autem in his paucis inſunt vitia, age iam perpendamus. Primùm certè ipſe tibi contradicis. Deinde falſa doces. In eo tibi contradicis, ꝙ eſſentialia idiomata, quę priùs ſua ſubiecta egredi negaſti, iam affirmas egredi ſua ſubiecta, & aliis rebus re ipſa communicari. Nónne enim il- B lud omnino conſequi neceſſe eſt, vt ſi proprietates diuinæ naturæ eſſentiales, verè ipſi naturæ Chriſti humanæ inſint, ſiue vt eſſentiales, ſiue vt communicatę, (Nec enim iſta σοφὰ φάρμακα vulneri tuæ ἀντιλογίας medētur) proprietates eſſentiales ſua ſubiecta egrediantur? Quid enim aliud eſt, aliquid *Verè ineſſe, & communicari realiter alteri*? Vel quid aliud illa, quam fieri ais, *vera communicatio*, quàm inhęrentia in alio ſubiecto? Quod enim verè alteri communicatur, illud realiter illi inſit oportet, cui communicatur & tribuitur: aut certè non illi communicatur verè. Quod ſi realiter alteri iam ineſt; ergo ſuum illud ſubiectum priùs egrediatur neceſſe eſt, ideſt, alij quoque rei inſit vltra illam, cuius eſſentialis eſt proprietas. Itaque teipſum euertis, Kemniti, & hæc tua theſis quarta tertiam illam tam bonam planè perturbat. Sed ſit leuis hic error ἀντιλογίας Kemnitianæ, ſi modò vera ſunt, quæ tanquam de ſuggeſto C effata, & axiomata Theologica, hoc loco pronūtiat. Primùm vult eſſentialis diuinę Chriſti naturæ idiomata, veluti omniſapientiam, omnipotentiam, omnipræſentiam, (quanquam ipſe pudore ſuffuſus, omnipræſentiā nominare nō auſus fuit) humanæ quoque naturæ verè, & realiter communicari. Hoc ſi verum eſt, ergo & Æternitatem, & Infinitatem, & Increatum eſſe eidem carni Chriſti verè quoque cōmunicari neceſſe erit, cùm hęc ex eſſentialium Deitatis λόγου proprietatū genere quoque ſint: neque etiā minus illa priora, quàm hæc poſteriora, ſint deitatis Chriſti propria idiomata, atq; aliis rebus ἀκοινώνητα. Quod ſi exceperit Kemnitius, inter Sapiētiam, & æternitatem Diuinitatis, magnū aliquod eſſe diſcrimen, quum Sapientia rebus creatis communicetur: æternitas verò non item: Reſpondemus, Non magis Sapientiam, quæ Deitati eſt eſſentialis, vlli rei communicari, quàm eiuſdem Deitatis æternitatem, ſed effecta & qualitates creatas quorundam idiomatum, veluti creatam ſapientiam, creatam immortalitatem in quibuſdam rebus creatis apparere, veluti in Angelis, hominum animis, qui ſunt intelligentiâ præditi, & immortalitate donati. Nam ſapientia, vel ęternitas eſſentialis Dei-

A tati, nulli omnino vel Angelo, vel homini communicari poteſt. Quanquam tamen inter ipſa eſſentialia Deitatis idiomata hæc differentia poteſt obſeruari, quòd ea quibus verum & totum, vt ita loquar, diſcrimen ipſius à rebus creatis à nobis agnoſcitur, velut ęternitas, infinitas, & per conſequens, Vbique prę̨ſentia, & cætera ſimilia, ne ſua quidem nomina, vel effecta rebus creatis communicant, ne tollatur Deitatis differentia à rebus creatis: reliqua verò idiomata Deitatis etiam eſſentialia, quemadmodum ſua effecta, ita & nomina rebus creatis, ſi non omnibus, certè quibuſdam, communicant, vt Potentia, Sapiētia, duratio, ideóq; res creatę ab iis quoq; poſſunt nominari. Sed quia de eo ipſo poſtea fuſiùs agēdum erit, nunc breuiùs iſta declaramus. Hoc igitur vnum eſt ἀτοπώτατον, imò maximæ blaſphemiæ plenum conſequens, quod ex ſuperiore Kemnitij ſententia colligitur, Æternitatem, nimirum, infinitatem, & ἄκτιστον εἶναι, humanæ Chriſti naturæ
B verè quoque, & realiter communicari. Alterum, quòd prorſus ἀσύστατα, & inaudita in omnis ætatis Eccleſia dicit Kemnitius. Quæ enim attributa vult communicari, ac ineſſe verè & realiter alicui rei: illa tamen negat vel formaliter, vel habitualiter, vel ſubiectiuè in ea ineſſe. Quomodo verò iam inerunt, obſecro, ſi neque vt ſubſtantia, neque vt accidens (Hæc enim, vt opinor, verba iſta Kemnitij *Formaliter*, & *ſubiectiuè* id ſignificāt) illi rei inſunt? Et quoniā homines iſti ſtomachantur, quum ad ipſum naturæ, id eſt, ad veriſſimum ſapientiæ & potentiæ Dei in rebus conditis patefactæ teſtimonium prouocamus, & reuocātur: doceant ipſi ecquódnam illud ſit tertium verum, & reale inexiſtentiæ genus, vt, quod alteri ineſt, neque vt Subſtantia, neque vt accidens inſit: & quod alij verè communicatur, tamen neque formaliter, neque ſubiectiuè, que habitualiter ei inſit, cui communicatur. Nam neque Baſilius, neq;
C Auguſtinus, neque Damaſcenus, aliíve Patres orthodoxi, ſcriptoréſque Eccleſiaſtici, alios rerum communicationis ſeu inexiſtentiæ, præter hos duos modos, nouerunt, quā vt aliud alij cōmunicetur, vel, vt ſubſtantia, vel, vt accidens. Et ſimilitudines ipſæ, à Kemnitio toties in hoc argumento laudatę, de ferro ignito, de animæ potentia in corpore animato, de luce & Sole, tertiū iſtud inexiſtētię genus (quod neq; ad ſubſtātiam neq; ad accidēs pertineat, & à Kemnitio recens excogitatū eſt) non confirmant, imò prorſus euertūt. Ergo, quum ea quæ naturæ Chriſti humanę tribui, ac verè ineſſe dicit Kemnitius, illi neque *formaliter*, neque *ſubiectiuè* ineſſe velit, hoc ait, ea, quę naturæ illi humanæ verè inſunt, verè tamen non ineſſe: & quæ illi verè communicata eſſe dicit, communicata tamen verè non eſſe. Quo quid magis ἀσύστατον eſſe poteſt? quale certè quid nemo vnquam vel fando audiuit. Nam illud *formaliter*, aut idem ſignificat, quod *realiter*: aut idem quod *verè*: aut denique idem, quod tanquam forma rei. Si concedit Kemnitius à ſe hoc loco τὸ *formaliter* pro *realiter* vel *verè* ſumi, fit, vt quum eſſentialia Deitatis attributa neget humanæ Chriſti naturæ *formaliter* ineſſe & communicari, neget *realiter* & *verè* communicari, & ineſſe. Itaq; ipſomet Kemnitio teſte, vera iam erit noſtra ſententia, qui negamus huiuſmodi Deitatis λόγου idiomata Chriſti humanitati aliter, quàm Dialectica prædicatione conuenire, aut aliter enuntiari A poſſe. Sin verò illud ſuum *formaliter*, accipit pro forma rei, quis noſtrum vnquam hoc ſenſit, aut ſcripſit, Omnipræſentiam, & Vbiquitatem ab iſtis carni Chriſti, velut ipſius carnis formam, tribui? Quamobrem iſta tam ſolicita horū modorum & vocum, *formaliter, habitualiter, ſubiectiuè* repetitio, perplexum quidem, & æſtuantem Kemnitij, vt pote, qui Dei veritatem oppugnet, animum arguit: cum tamen à manifeſta contradictionis abſurditate nequaquam excuſat. Hoc eſt alterum iſtius Kemnitij theſis ἀπαραίτητον, ac ineuitabile abſurdum. Iam ſequitur tertium, quòd Eſſentiale, & Communicatum ita inter ſe committit, quaſi nihil eſſe poſſit vtrumque. Verùm quis negabit vitam eſſe animæ humanæ à Deo communicatam: & tamen eam eſſe animę eſſentialem? Quis negat ipſam Diuinam eſſen-
B tiam eſſe à Patre Filio communicatam, & tamen Filio eſſentialem? Quamobrem, aut aliud iſtius concluſionis μέσον quærendum eſt, *Omnipræſentia. Omnipotentia, &c. ſunt à Deitate* λόγου *humanitati aſſumptæ communicata, ergo nō ſunt humanitati eſſentialia*: aut certè fatendum eſt, putre manifeſtéque falſum fundamentum huic toti aſſertioni à Kemnitio eiúſque ſociis ſubſterni. Poſſunt enim eadem eſſe & communicata alteri rei, & eidem eſſentialia. Quarto autem loco iſtud quoque ſuperiorem Kemnitij theſim prorſus euertit, quòd hæc regula (quicquid dicat Kemnitius) eſt immota, nimirum, nullum Diuinæ in Chriſto naturæ eſſentiale idioma, humanę verè communicari poſſe. Quînam enim illud humanæ naturæ, citra naturarum confuſionem tribueretur, & verè communicaretur, quum (vel teſte Kemnitio) idem ſit eſſentiale idioma Pag. 11.
C Deitatis, atque ipſa naturæ, in qua ineſt, eſſentia, id eſt, Infinitas, æternitas, omnipotentia omnipræſentia idem ſint atque ipſa Deitas? Ergo ſi vel iſta omnia, vel horum aliquid carni Chriſti realiter, & verè communicatur, ipſa quoque Deitatis eſſentia eidem carni verè tribuatur neceſſe eſt. Itaque caro Chriſti erit Deitas. Denique erit à Diuinitate abſorpta, vel in eius naturam conuerſa. Iam igitur ex orco reuiuiſcat & Eutyches ille ſceleratiſſimus, & tota blaſphemorum Monophyſitarū & Monothelitarum caterua, *Quomodo verò manere*, vt ait Damaſcenus, *poterit illa proprietas eſſentialis, ſi ex vno ſubiecto in aliud dimoueatur*: vt interpretatur ipſemet Kemnitius, id eſt, ſi poteſt alij quoque vlli rei, quàm ei, cuius eſt eſſentialis proprietas, verè ineſſe, & communicari? Quicquid enim eſt propriè οὐσιῶδες, illud idem quoque eſt prorſus ἀκοινώνητον. Hoc eſt Achilleum argumentum noſtrum, hæc eſt machina ſubruens omnia iſtius Kemnitianæ ſubſtructionis fundamenta: hæc denique eſt inuicta, & immota in æternum veritas. Et hæc quidem de iſtius theſis, & cum ſuperioribus Kemnitij verbis conſenſione, & veritate dicta ſunto. Cæterum, quoniam ſimilitudines, quæ à Kemnitio afferuntur de anima, communicante ſuas facultates corpori animato: & de igne ferro ignito vim vrendi, & lucendi tribuente (in quibus proram, & puppim iſtius diſputationis ille ſitam eſſe putat) poſtea ſumus

latiùs

Baſil. li. 1. contra Eun. Aug. & Damaſ. in Dialect.

A latiùs explicaturi, hoc leuiter tantùm, velitandi gratiâ, nunc dicemus, falſiſsimè à Kemnitio affirmari, ac toties repeti, facultates animæ non ineſſe corpori animato *formaliter*. Item, Vim vrendi nõ ineſſe ferro ignito *ſubiectiuè*, ſed per οἰκονομίαν ἑνώσεως tantùm, quemadmodum proprietates Diuinæ Chriſti naturæ ipſius carni communicantur. Quid enim? Vúltne Kemnitius calorem ignis cũ ferro iſto ignito hypoſtaticè vniri, quemadmodum in Chriſto natura Diuina cum humana hypoſtaticè coniuncta eſt? Quod ſi dixerit, nę calorem fecerit iſtius ferri, aut iſtius indiuidui igniti οὐσίαν, vel partem οὐσιώδη, & per conſequens ſubſtantiam. Quæcunque enim inter ſe hypoſtaticè vniũtur, ea ſunt ſuæ hypoſtaſis eſſentia, vel eſſentiales partes, vt corpus, & anima in eodem homine: Caro, & Deitas in eodem Chriſto, quemadmodum & Nazianzenus, & Damaſcenus docent. Quod ſi calorem ferro ita vnitum eſſe neget, quæ iã, quæſo, in hoc argumento vis erit, vel lux iſtius tã diſ- B ſimilis ſimilitudinis? Deinde quis Kemnitium docuit ſic ineptire, vt ſentiat, vim lucendi & vrendi non ineſſe in ferro ignito vt in ſubiecto, & idcirco non ineſſe *ſubiectiuè*? A quo tandem etiam didicit, animæ facultates non ineſſe animato corpori *formaliter*, & *habitualiter*? Quis vnquã alius ſcripſit, operationes animæ, velut ſentire, in corporis αἰσθητηρίοις, & membris non ineſſe *ſubiectiuè*? Sed hæc poſtea latiùs dicentur.

Kemnitius pag. 14. linea 7.

Theſis. 5. *Sunt autem idiomata, vel eſſentialia, vel accidentalia, vel perſonalia. Et eſſentialium quædam ſunt* ἰδιώματα συστατικὰ τῶν φύσεων, *quæ ipſas naturas conſtituunt, ſiue quæ ad conſtitutionem eſſentiæ pertinent, vt in Diuina natura omnia idiomata ſunt eſſentialia, quæ non* C *ſunt aliquid diſtinctum, aut diuerſum ab ipſa eſſentia Dei.* Et paulo pòſt. *De illis proprietatibus, quæ ſunt* συστατικαὶ τῶν φύσεων, *rectè dicit Damaſcenus, quòd ſine illis natura, eſſentia, & ſpecies illa conſiſtere nullo modo poſſit.*

Danæus.

Quoniam omnis noſtra diſputatio de proprietatibus, ſeu Idiomatibus eſſentialibus futura eſt, fruſtra hîc in aliis idiomatum generibus examinandis laboramus. Meminerit modò Kemnitius eorum, quę de hoc proprietatum genere tam diſertè, & ſuprà, & hoc ipſo loco affirmat, nimirũ Pag. 13. *eſſentiales proprietates non egredi ſua ſubiecta: nihil diſcrepare ab ipſa eſſentia: cum ea conuerti:* Pag. 23. *denique ſine illis rei illius naturam & eſſentiam conſiſtere non poſ-* Pag. 14. *ſe, cuius ſunt proprietates.* Quanquam autem quidã ea, quæ ſunt alicui rei accidentia, verè & propriè Damaſc. in Iſagog. cap. 3. ἰδιώματα dici negant, quoniam tamẽ & hîc Kemnitius, & Damaſcenus vocabulum iſtud ἰδίωμα, generaliſsimè ſumit pro omni eo, quod aliud ab alio quocunque modo ſeparat, vel diſtinguit, de vocabulo iſto ἰδιώματος minimè hic pugnabimus. Illud magis aliquis mirabitur, quòd eſſentialia idiomata non putet Kemnitius aliquid eſſe diſtinctum ab ipſa eſſentia. Quamuis enim cum ea conuertantur: quamuis ſine illis ipſa rei eſſentia non conſiſtat: quamuis eſſentiam, ſuúmque illud ſubiectum non egrediantur: quamuis denique ab eſſentiæ realitate nullò modo differant, præſertim in diuina natura: tamen ea nullo modo definitione eſſe ab eſſentia diſtincta nequaquam dixerimus. Exempli gratia, δημιουργικὸν, ἄκτιστον, ἄτρεπτον, ἀΐδιον εἶναι nemo, quemadmodum opinor, negauerit eſſe idiomata eſſentialia Deitatis, & tamen hæc ab ipſa θεότητος οὐσία, non rei quidẽ vllius, aut ſubiecti diuerſitate: ſed veriſſima tamen mentis cogitatione, &, vt loquitur Baſilius, ἐπιλογισμῷ, quis diſtingui negauerit? Itaque illa vocantur ἰδιώματα, hæc autem οὐσία: illa ſunt οὐσίας neceſſaria effecta, vel conſequentia, ipſa verò οὐσία eſt illorum cauſſa, radix, & fundamentum. Noſtram autem hanc ſententiam planè confirmat Baſilius his verbis, Πῶς οὖν οὐ καταγέλαστον τὸ δημιουργικὸν, οὐσίαν εἶναι λέγειν, ἢ τὸ προνοητικὸν, πάλιν οὐσίαν, ἢ τὸ προγνωστικὸν πάλιν ὡσαύτως, καὶ ἁπαξαπλῶς, πᾶσαν ἐνέργειαν, οὐσίαν τιθέναι. Exempli gratia, Nemo dixerit vnquam eandem eſſe definitionem, & rationem eſſentialis Dei iuſtitiæ, & miſericordiæ eidem Deo eſſentialis: item Potentiæ, & Sapientiæ Dei eſſentialis, & ſic de cæteris ipſius idiomatis: quamuis tamen realitate inter ſe non differant eſſentia Diuina, Miſericordia, Iuſtitia, Sapientia, Potentia, &c. Sunt enim iſta Dei attributa, noſtri ratione, diſtinguenda λόγῳ & forma, non re aut eſſentia, tum à Deitate ipſa, tum inter ſe, ne idem dicere videamur, quũ Dei miſericordiam nominamus, atque quum ipſius Iuſtitiam: quum eſſentiam Diuinam, atque quum ipſius Potentiam. Quã tamen ἐπίνοιαν prorſus hic tollit, & confundit Kemnitius. Quamobrem, vt vno verbo concludam, etſi fateor iſta minimè re inter ſe differre, dico tamen λόγῳ diſtinguenda, nec omnino. i. omni modo eadem eſſe dicenda, & cenſenda. Cur igitur has tenebras nobis offundere conatur Kemnitius? Nimirum vt doceat *circunſcribi loco* neque eſſe idioma eſſentiale veri corporis, quoniam non eſt ipſamet corporis eſſentia: neque itidem *vbique eſſe*, eſſe eſſentialem proprietatem Deitatis, quoniã non eſt ipſa Deitatis definitio ac οὐσία. In quo dupliciter peccat. Primùm quòd nullum omnino diſcrimen ſtatuit inter eſſentialia idiomata rerum creatarum, & Deitatis, quæ eſt increata. Alterum, quòd non intelligit, quum Deus aut Diuina natura dicitur infinita, (quam eſſe proprietatem eius eſſentialẽ nemo certè negauerit) idẽ ſignificari, atque ſi omnipræſens, & vbique eſſe diceretur. Quare *omnipræſens & vbique eſſe* ſunt polyonyma, & quæ neceſſariò conſequuntur infinitatem, & voce, nõ re inter ſe, Kemniti, differunt. Quod autem attinet ad eſſentialia Dei, & rerum creatarum idiomata, ea non tantùm re ipſa inter ſe diuerſa ſunt (Alia enim ſunt Dei, alia verò rerum creatarum eſſentialia) ſed etiam modo ipſo rationéque inhærendi, ſeu inexiſtendi in ſuis ſubiectis. Quum enim diuina natura ſit ſimpliciſsima, & omnis compoſitionis expers, certè quicquid eſt illi eſſentiale idioma, idem quoque in ea eſt, vt eſſentia. Verùm in rebus creatis, & præſertim materialibus, & compoſitis (quale eſt corpus) aliud eſt eſſentia ipſa, aliud eſſentialis proprietas. Nec enim ipſa proprietas eſt ipſa rei eſſentia, ſed, quẽadmodũ præclarè docet Thomas, eſt quoddã ex principiis eſsẽtialibus ſpeciei neceſsariò emanãs. Ergo licèt cõcedam⁹ aliã eſſe *corporis*, aliã autẽ *Circunſcriptionis localis* definitionem: negamus tamen id

A

Iacob. 1. v. 17. 1. Tim. 6. ver. 16.

Baſil li. 1. contra Eunomium.

B

Kemnitius pag. 15.

C

Thom. in 1. part. q. 77. Art. 1.

A propterea effici, quod vult Kemnitius, nempe vt *circunſcribi loco*, non ſit veri corporis proprietas eſſentialis. Eſt enim, & quidem verè, eſſentialis proprietas, quanuis non ſit ipſa corporis eſſentia, veluti λογικὸν εἶναι eſt eius animæ humanæ partis, quæ νοῦς dicitur, eſſentialis proprietas.

Kemnitius pag.14.linea.28.

Humana verò naturæ idiomata συστατικὰ *ſunt, quod conſtãt anima & corpore: quod anima eſt ſpiritus creatus, rationalis, immortalis, pars eſſentialis humanæ naturæ: quod corpus eſt creatum, conſtans carne, ſanguine, cute, oſſibus, neruis, certa membrorum* συμμετρίᾳ *diſpoſitum.*

Danæus.

Magna quædam fraus, Kemniti, in his tuis & verbis, & exemplis ſubeſt. Vis enim ea tantùm eſſentialia in rebus creatis (velut in humana natura) idiomata dici, quæ coincidunt in partes cuiuſ-B que rei eſſentiales, & non alia, vti conſtare anima, & corpore, ſunt tibi eſſentialia humanæ naturæ idiomata. Sed hoc falſum eſſe ſuprà demõſtrauimus. Aliud enim eſt ipſa rei eſſentia, aut pars eſſentialis, aliud autē idioma ipſum rei eſſentiale. Siccam eſſe, eſt eſſentialis terræ proprietas, non eſt tamen ipſa terrę οὐσία: calidum eſſe, eſt eſſentialis ignis proprietas, non eſt tamen ipſa ignis οὐσία. Et quoniam de humana natura diſputas, itidem finitum eſſe, dimenſum eſſe, certo loco circūſcriptum eſſe, eſt idioma omni corpori verè eſſentiale, non eſt tamen ipſa corporis οὐσία. Quamobrē in eo primùm falleris, quòd idioma eſſentiale, & rei eſſentiam, ſeu eſſentiales partes confundis. Deinde quòd ais, aut ſigillatim, aut coniunctim C eſſe *ſpiritum creatum*, eſſe duntaxat proprietatem animæ humanæ eſſentialem, non autē ſentis hoc ipſum eſſe ipſam animæ humanæ eſſentiam. Si ſigillatim, falleris. Nam hoc ipſum eſt ipſa animę noſtræ οὐσία, non tantùm ἰδίωμα: ſi coniunctim omnia, quæ addidiſti, eſſe vis idioma, vnicū tantū idioma eſſentiale ſingulis rebus tribues. Sed ita cenſes, quoniam non animaduertis, illud eſſe proprietatem eſſentialē in reb⁹ creatis, quod ex eſſentialibus rei principiis neceſſariò, inhærenter, & indiuiſè cõſequitur: nõ autem quod eſt ipſa οὐσία. Tertiò denique in iſta ſua eſſentialiū humanæ naturæ proprietatū enumeratione Kēnitius magno aſtu localem circunſcriptionē ſemper prætermittit, quę tamē eſt præcipua ex eſſentialibus **humani** corporis proprietatibus, quatenus eſt corpus. Sed mauult eam eſſe tantùm ex earum proprietatum genere, quas παρεπομένας τῇ φύσει. i. duntaxat naturales, non autem eſſentiales συστατικὰς, & οὐσιώδεις appellat. In quo hallucinatur. Quòd ſi vim in verbo συστατικὰς (quo ipſe Damaſcenus vtitur) facit Kemnitius, & proprietates συστατικὰς ſic putat eſſe, & conſtituere partem eſſentiæ, quemadmodum differentiæ, quæ εἰδοποιητικαὶ ἤγουν συστατικαὶ à Dialecticis nominãtur, formam rei eſſentialē cum genere cõponunt, in eo quoque ipſo decipitur Kemnitius. Nã ἰδίωμα οὐσιῶδες, vti diximus, eſt huiuſmodi διαφορᾶς συστατικῆς conſequens duntaxat, quamuis neceſſarium & indiuulſum: non autem eſt propriè ipſamet rei οὐσία, vel illius pars. Itaque huiuſmodi idioma συστατικὸν quidem, ſed ſemel tantùm, appellauit Damaſcenus, vel quòd ex eſſentialibus, & rem ipſam conſtituentibus partibus hoc idioma neceſſariò naſcatur: vel quòd illîc latiùs & διαφορᾶς, & συστατικῆς voces Damaſcenus vſurpauit. Quod non animaduerſum hoc loco Kemnitium fefellit. A

Damaſ. in Iſagog. cap. 4.

Kemnitius pag.14.linea vlt.

Alia verò Idiomata eſſentialia ſeu naturalia Damaſcenus lib.1.cap.4. & 12. vocat τὰ περὶ τὴν φύσιν, *quæ ſunt circa naturam: vel* παρεπόμενα τῇ φύσει, *quæ naturæ conſtitutionem, vel eſſentiam conſtitutam ſequuntur, vt in humana natura, quòd naturali ratione ſit viſibilis, palpabilis, Phyſica locatione vno loco circunſcripta.*

Theſis. 7.

Eph

Danæus.

Totus hic locus ex Damaſceno ſumptus eſt. B Damaſceni ſcopus eſt in vtroque loco à Kemnitio hîc citato, oſtendere, maximè proprium Dei nomen eſſe ὁ ὢν, *Qui eſt*: cætera, quæ Deo tribuuntur, vocabula, & Epitheta, potiùs vel quid non ſit Deus, vel aliquam eius habitudinē ad creaturas, vel in illis actionem, quàm quid ſit Deus, deſignare. Quid non ſit Deus, deſignatur, velut quum *ſine principio* eſſe dicitur, & *Incorporeus*, & *Incompoſitus*, &c. Habitudinem autem & relationem Dei ad res à ſe creatas ſignificamus, quum appellatur *Creator, Dominus, Rex, Gubernator*, &c. Operationem verò ſeu actionem Dei demonſtramus, vt quum nominatur *Bonus, Iuſtus, Miſericors, Omnipotens*, &c. Nihil tamen horum omnium præter vnum ὁ ὢν, τί κατ' οὐσίαν ἐστὶ Θεός. i. eſſentiam Dei declarat, ait Damaſcenus: ſed Dei tantùm attributa τῇ φύσει παρεπόμενα, naturam diuinam conſequentia, quanquam neceſſariò. Quorſum verò iſtud Damaſcenus? vt doceat naturam illam diuinam ἀκατάληπτον καὶ ὑπερούσιον, καὶ ὑπερουράνιον, incomprehenſi- C bilem, ſupercœleſtem, & quę ſupra rerum omniū eſſentiam eſt, neque ſatis, neque eſſentialiter definiri his vocabulis & nominibus à nobis poſſe: quibus etiam à piis hominibus ſolet deſcribi ac explicari. Et hoc quidem de diuina natura Damaſcenus ſcripſit: non autē de humana natura Chriſti, quæ eſt res creata: vti neque de cæteris rebus itidem creatis dixit ille, eas explicari aut definiri non poſſe. Quare quum de carnis, ſeu naturæ humanæ, non de Deitatis proprietatibus agat hoc loco Kemnitius, fruſtra hanc cum diuina natura confert, à qua toto rerum genere diuerſa eſt. Sed ad rem. Concedimus igitur, ſiquidem vocabulū Idiomatis latiſsimè ſumere placet, Idiomatū quædam eſſe eſſentialia, quædam autem minimè. Eſſentialia vocamus ea, quæ ex eſſentialibus rei ipſius principiis, veluti materia & forma, non tantùm neceſſariò, ſed inſeparabiliter quoque oriuntur. Itaque ea indiuulſè perpetuóque toti ſpeciei, & rei ipſi ſunt eſſentialia idiomata, & ſemper inſunt: qualia ſunt in diuina Chriſti natura, Aeternum eſſe, Infinitum, Immutabilem, Vbique eſſe &c. huiuſmodi. In carne verò, quatenus eſt creatura corporea, *creatam* eſſe, finitam, circumſcriptam certis dimenſionibus, & per conſequens, habere ſuum vbi, & ſitum certo in loco. Idiomata verò non eſſentialia ſunt ea, quæ, ſiue rem hanc ſemper comitentur, ſiue non, tamen neceſſariò & inſeparabiliter, neque omni tempore toti ipſi ſpeciei non inſunt, qualia ſunt in humana natura peccatum,

Matt. v.17. Tim.

Dama Orth. c.4. &

A peccatum, in Coruo animali, & in homine Mauro, nigredo, cæcitas, & morbus etiam is, qui dicitur naturalis, quoniam, etſi hæc à natiuitate ipſa homini cuipiam inſunt, (imo quædam etiam ab ipſo conceptionis momento) atque etiam diuelli toto vitæ tempore nequeunt: tamen vel non ex ipſis eſſentialibus rei ſeu ſpeciei principiis, vel nō neceſſariò ſeu inſeparabiliter oriuntur, quod vtrunque poni neceſſe eſt, vt aliquid ſit idioma eſſentiale. Ex his autem non eſſentialibus idiomatibus, appellet quis, ſi velit, alia Naturalia, qualis hodie mortalitas, infirmitas, peccatum &c. in nobis (quoniam, vt ait Paulus, natura filij iræ Dei, & Eph.2 v.1. peccatores naſcuntur) alia verò Accidentalia: huiuſmodi ſunt Sanctificatio, reſurrectio, glorificatio carnis noſtræ &c. Ex quibus iam apparet vt Kemnitius perperam intelligat, quænam ſint humanæ naturæ eſſentialia, & quæ naturalia idiomata. Primùm enim naturalia ab eſſentialibus ex eo diſtinguit, quòd eſſentialia ipſam rem conſtituant: itaque ſint vel ipſius rei eſſentia tota, vel eſ B ſentiæ pars, id eſt, ſint id, quod ingreditur rei definitionem ſiue vt genus, ſiue vt differentia: quod eſſe falſiſſimum, & ex magna rerū ignorãtia profectum ſupra docuimus. Nam effectum pro cauſſa, & conſequens pro Antecedente hæc ſententia ſtatuit. Eſt enim rei eſſentia idiomatum eſſentialium fons, origo, fundamentum, & cauſſa: tamen ipſa idiomata non ſunt rei οὐσία, ſed ſunt ex ea neceſſarium quiddã conſequens inſeparabile, quod etiam nonnunquam παρεπόμενον τῇ φύσει Damaſcenus propterea vocauit, veluti quum verè *Bonum* Matt. 19. v.17. *eſſe*, verè *Iuſtum eſſe, Sapientem eſſe* in Deo vocat τὰ Tim.1.17. περὶ τὴν φύσιν, quæ tamen nemo dubitat eſſe vera, propria, & eſſentialia Deitatis attributa ſeu idiomata, & tamen παρεπόμενα τῇ φύσει vocauit illic Damaſcenus. Quem locum Damaſceni non aſſequi- Damaſ. l. 1.orth.fid. c.4. & 12. tur Kemnitius. Meam autem ſententiam ſic pro- C bo. Ait Damaſcenus lib.1.cap. 4. ὅσα λέγομεν περὶ Θεοῦ καταφατικῶς, δηλοῖ τὰ περὶ τὴν φύσιν, *Quæ de Deo enuntiamus affirmatiuè, ſignificant ea, quæ ſunt circa naturam*, veluti ait idem, Iuſtum eſſe, Sapientem, Bonum, &c. At idem Damaſcenus eodem lib.cap.12. hæc eadem vocat παρεπόμενα τῇ φύσει. Quare ἀγαθὸν ex Damaſceno eſt παρεπόμενον τῇ φύσει Θεοῦ. Atque illud idem ἀγαθὸν eſt primarium & eſſentialis Dei idiomatis nomen, & Damaſceno, & Dionyſio teſte eodem cap. 12. Quare apparet, Damaſcenum eo loco vocare τὰ παρεπόμενα τῇ φύσει ea, quæ ſunt eſſentialia Dei idiomata: quod Kemnitium ita fefellit, quemadmodum monui, vt ad diſtinguenda quæ dicuntur παρεπόμενα τῇ φύσει, ab eſſentialibus idiomatibus, velit & ſtatuat, eſſentialia idiomata eſſe partem ipſius rei eſſentiæ: ſed magno errore, vti dixi, errat Kemnitius, quòd neceſſariò & inſeparabiliter ex eſſentialibus rei principiis naſcentia idiomata, id eſt, (vt loquitur Damaſcenus) παρεπόμενα τῇ φύσει, alia eſſe idiomata putat, quàm verè eſſentialia, quanquam tamen ea in Deo ipſam Deitatis οὐσίαν demonſtrant, quemadmodum loco ab ipſo Kemnitio citato docet Damaſcenus. Secundus eiuſdem Kemnitij error eſt, quòd *palpabile eſſe, viſibile, loco circunſcriptum*, &c. putat eſſe naturalia duntaxat, ac non eſſentialia quoque humanę naturæ (quatenus vero corpore conſtat) idiomata. Nónne verò illud eſt eſſentiale idioma, quod ex ipſa rei definitione, id eſt, ex eſſentialibus prin A cipiis, neceſſariò, ſemper, & inſeparabiliter conſequitur? Quid autem, obſecro, corpus aliud eſt, quàm eſſentia tribus dimenſionibus, longitudine nimirum, latitudine, & profunditate comprehenſa? Quod autem iis dimenſionibus eſt limitatum ac comprehenſum, idem finitum ſit oportet: & certo *vbi*, ſeu loco circunſcriptum, & dimenſum, & ita vno in loco ſitum, vt partes diſtinctè collocatas habeat, & alibi eodem tempore verè, & realiter eſſe non poſſit. Ex quo fit, vt *Circunſcribi loco. Habere certum ac finitum vbi & locum*, ſit non tantùm naturale (vt naturale ab eſſentiali diſtinguit Kemnitius) ſed verè eſſentiale cuiuſuis corporis idioma, ac propterea hoc ipſum ſit omnis corporeæ naturæ (ſiue illa ſit humana, ſiue alterius generis) eſſentialis proprietas. Quod enim Kemnitius addidit, *Naturali ratione* viſibile eſſe, & *Phyſica locatione* vno loco circumſcribi, eſſe humanæ naturæ proprietates, quaſi propter vnionē hypoſtaticam illis proprietatibus eſſentialibus B caro Chriſti glorificata iam carere poſſit, nihil eum iuuat. Nam quanquam multa præter Phyſicas proprietates conſecuta eſt per vnionem hypoſtaticam illa Chriſti caro: quãquam etiam miraculosè Deitas per eam operata eſt plurima, quanquam hodie glorificata eſt, & ſupra omnes cælos euecta: tamen naturam illi ſuam, id eſt, humanam, aut illius eſſentiales proprietates vnio illa hypoſtatica non ademit, nec abſorpſit. Denique nulla gloria & dos in carnem Chriſti à Deo collata eſt, quæ eius naturam aboleuerit. Præclarè enim Auguſtinus, Chriſtus (inquit) humanæ ſuæ naturæ gloriam dedit, naturam non abſtulit. Hyperphyſica igitur in Chriſti carne plurima agnoſcimus: Antiphyſica verò nulla in ea eſſe cōcedimus, quoniam illius naturam, aut eſſentiales eius proprietates euerterēt illa ἀντιφυσικά. Quam- C obrem manet caro Chriſti & circunſcripta loco, & in certo Vbi locata, & ibi viſibilis. Quod autem Kemnitius negat id fieri *Phyſica ratione*, & iuxta propriam definitionem loci, quam Ariſtoteles affert in Phyſicis, & nos quoque lubenter hoc illi concedimus. Nec enim Ariſtoteli locus vllus eſt ſupra cælos iſtos viſibiles, quia neque aerem, neque corpus vllum, (vtpote homo Ethnicus, & veri Dei, ac ſtatus beatorum planè ignarus) ſenſit eſſe ſupra hos cælos viſibiles. Neque etiam nos hæc noſtra ex Ariſtotele: ſed ex Dei verbo, & orthodoxis patribus didicimus. Sed quum illud dici rectè poſſit *Phyſicum*, quod propriam rei cuiuſque naturam neceſſariò conſequitur, dicimus, carnem Chriſti, *etiam Phyſica*, (ſi ita loqui libet) ratione, id eſt, (quia vera caro eſt) & ex naturæ ſuæ vera definitione ac proprietate, etiam in cælo ipſo (quod ſupra cælos iſtos viſibiles eſt, & in quod tranſlata eſt) eſſe circunſcriptã, ne in poſterum ludat in huius voculę cauillo & ambigua ſignificatione Kemnitius. Nã ipſe Phyſicum reſtringit ad hunc viſibilem mundum: nos *Phyſica* appellamus, quę rebus propriè conueniũt ex ipſarum naturæ ratione, etiamſi illæ ſint extra huius viſibilis mundi terminos, & fines.

Kemnitius pag.15.linea 6.

Accidentalia Idiomata vocantur, & infirmitates

A *propter peccatum humanæ naturæ impoſitæ, quas Chriſtus in ſtatu exinanitionis, non naturæ neceſſitate: ſed, vt victima pro nobis fieret, volens, abſque peccato, aſſumpſit.*

Danæus.

Rectè additum eſt *non naturæ neceſſitate*. Quæ enim *naturæ neceſſitate* inſunt idiomata, illa non ſunt accidentalia. Sed, vti diximus, vel naturalia, vel eſſentialia. Eſſentialia, ſi nullo tempore deponi vel amitti, vel non ineſſe non poſſunt, quia eſſentia rei à re abeſſe nullo modo poteſt. Circunſcribi autem loco de naturæ neceſſitate, omni vero corpori proculdubio ineſt, & idcirco humanę quoque Chriſti carni, quoniam eſt corporea. Quamobrem hęc conditio abeſſe à carne Chriſti nunquam poteſt, vt ſit loco, ſiue certo vbi circunſcripta.

B Kemnitius pag. 15. linea 10.

Et ſcholaſtica ratione Accidentalia appellantur reliqua dona creata, ac qualitates ſiue præternaturales vires quibus natura humana in Chriſto formaliter, habitualiter, & ſubiectiuè ornata eſt. Nam etiam ſine illis ſpeciem ſuam humana natura habere, & retinere poteſt. Et habet illa non ex naturali ſui conſtitutione, ſed aliunde.

Danæus.

Hoc quidem & dicunt Scholaſtici, & verè dicunt, ſi modò vera eſt illa diſtinctio, quæ ſeruanda eſt inter rei eſſentiam, & Accidens ex ipſius Dei (ſicut res conſtituit ac diſtinxit) ordinatione, & lęge. Hinc autem fit, vt etiam quædam ſint idiomata accidentalia ipſi carni Chriſti (velut ſupra Angelos euectam eſſe) ſint tamen alteri C Chriſti naturæ naturalia & propria, minimèque accidentalia, ideóque toti perſonæ Chriſti diuerſa ratione tribuantur. Quod idcirco moneo, ne poſtea Kemnitius, aut alij id, quod de humana Chriſti natura in abſtracto docemus & dicimus, ad concretum & vocabula perſonam ſignificantia, ſecũdum eundem modum, traducat: atque ſeipſum & alios decipiens inde concludat, Nos igitur tribuere eas dotes & vires ſupranaturales vnicuique naturæ Chriſti, velut Accidens. Aliud enim eſt, tribuere aliquid perſonæ, aliud autem vni ipſius naturæ, velut carni in abſtracto, & per ſeſe conſideratæ. De qua carne hanc ſuam ſententiam intelligunt Scholaſtici. Eſt etiam hic nobis obſeruandum, vocabula hæc *formaliter, habitualiter, & ſubiectiuè*, hic à Kemnitio, tãquam prorſus polyonyma, vel, vt ipſe loquitur, ſynonyma, contra vſum Scholaſticorum, confundi. Gratiam vnionis vocant Scholaſtici eam, quæ non in ipſa quidem humana natura ineſt, ſed in Chriſto, quatenus perſonaliter, id eſt, vt totum quiddam, non ſigillatim in ſuis naturis, conſideratur: quale eſt, ſi dicatur caro Chriſti omnipotens, omniſciens, &c. Hæc igitur gratia nec formaliter, nec ſubiectiuè in carne Chriſti ineſt, ſed in ipſa tantùm Chriſti perſona, id eſt, quatenus hic homo eſt Deus, nempe λόγῳ vnitus. Gratiam habitualem appellant iidem eam, quæ re ipſa inhæret & inſidet humanæ Chriſti A naturæ propter vnionem hypoſtaticam, veluti Sanctam eſſe, ἀναμάρτητον, fuiſſe item victimam, & expiationem noſtram prorſus obedientem Patri, & nunc glorioſam, quas gratias in Chriſti carne, velut in ſubiecto & ſubiectiuè ineſſe dicunt, ſiquidem qualitas in ſubſtantia non niſi in ſubiecto & ſubiectiuè ineſt. Eaſdem tamen formaliter ineſſe, aut formales carnis gratias non nominant, ne res diuerſiſsimas, nimirum habitum & eſſentialem rei formam confundant. Quomodo igitur verba Scholaſticorum referat, vel eorum mẽtem ſuis verbis exprimat, viderit Kemnitius, qui ab iis hæc duo confundi putet, *ſubiectiuè* ineſſe, & *formaliter* ineſſe.

Kemnitius pag. 16. linea 1.

Omnis poteſtas, quæ Chriſto in tempore ſecundum humanam naturam data eſt: vniuerſale dominium ſuper omnia: virtus viuificandi qua caro Chriſti viuifica B *eſt, non poteſt rectè & propriè, aut commodè idioma humanæ naturæ appellari. Eſt enim, & manet eſſentialis proprietas diuinæ naturæ* τοῦ λόγου, *ſed* οἰκονομίᾳ τῆς ἑνώσεως, *humanæ naturæ Chriſti, ſicut virtus lucendi & vrendi ferro ignito communicatur, non formaliter, non habitualiter, nec ſubiectiuè ſicut poſtea explicabimus.*

Danæus.

Non de voce idiomatis, ſed de re ipſa quæſtio eſt inter nos, vtrùm illud attributum, quod proprium ac eſſentiale Deitatis λόγου idioma eſt, humanæ Chriſti naturæ, imò vlli rei creatæ reipſa communicetur. Reipſa communicari poſſe humanæ naturæ Chriſti putat Kemnitius, ſed propterea nequaquam eſſe humanæ naturæ eſſentiale idioma. Nos autem illud idioma reipſa vlli cuiquam creaturæ communicari poſſe pernegamus. Idcirco enim eſſentiale idioma vocatur, quòd extra ſuum ſubiectum, C id eſt, extra ipſammet diuinam eſſentiam eſſe, vel ſubſiſtere, vel egredi non poſſit: quod verum eſſe antea conceſsit Kemnitius. Quare aut ipſa eſſentia diuina quoque carni Chriſti reipſa communicetur neceſſe eſt, atque ita fiat caro Chriſti Deitas: aut, ſi caro Chriſti Deitas eſſe non poteſt, nec poterit eadem vllum proprium ac eſſentiale Deitatis λόγου idioma habere ſibi re ipſa communicatũ, quicquid vel tergiuerſandi, vel elabendi ex iſtis anguſtiis ſtudio addatur, nimirum non communicari, vel non ineſſe carni Chriſti *formaliter, habitualiter, aut ſubiectiuè*? Quomodo enim his omnibus modis ſublatis & excluſis, (nimirum, vt in Chriſti carne proprietas illa communicata, neque vt *ſubſtantia, neque vt Accidens inſit*) ineſſe poterit? Sed quia prolixiorem atque accuratiorem de eo diſputationẽ pollicetur Kemnitius, nos quoque noſtram reſponſionem in eum locum differemus. Ex his autem omnibus hæc apparent: primùm, Kemnitiũ perperam confundere rerum ipſarum eſſentiam cum idiomatibus & proprietatibus earum eſſentialibus: ſecundò, eundem non intelligere, quæ propriè eſſentialia, quæ autem naturalia tantùm ſint rei alicuius idiomata: tertiò ſeipſum euertere, quum ſublatis omnibus veræ communicationis

A nis modis, aliquid tamen reipſa & verè communicari poſſe putat: quartò, neque ex Damaſceni, neque ex Scholaſticorum verbis & mente proferre, quæ tamen ex ipſis citat Kemnitius. Tam malo autem futuri ædificij collato fundamẽto, quid rectè aut tutò ſuperſtrui poſſit, vident omnes: & nos in ſequentibus oſtendemus. Itaque ad reliqua pergamus.

AD CAPVT SECVNDVM.

De diuina Natura in Chriſto incarnato.

DE hoc capite nobis cum Kemnitio planè conuenit, hoc tamen excepto, quod pag. 23. ſcribit, *Eſſentialia diuinitatis idiomata nihil diſcrepare ab eſſentia diuinitatis.* Nam ipſam eſſentiam ab eſſentialibus idiomatis diſtingui, non quidem B re, ſed ratione tantùm, ſuprà docuimus. Quod ſi ille (quoniam nullum reale diuerſum in diuina natura conſtituunt eſſentia, & illius idioma eſſentiale) illa omnino nihil diſcrepare cenſet, fallitur. Nec enim quæcunque ſunt realiter inter ſe idem, ſunt omni modo idem: ſed vel formaliter differre inter ſe poſſunt, quemadmodum perſona in diuinis, id eſt, in Patre, Filio, & Spiritu ſancto ab eſſentia non realiter differt, ſed formaliter. Quãobrem vel obſcurè loquitur Kemnitius, dum illa duo, nempe eſſentiam, & illius idioma eſſentiale, nihil diſcrepare dicit: vel falſò. Cætera verò, quæ hoc capite ſecundo continentur, facilè & prolixè concedimus. Nam Chriſtum illum vnigenitum Dei Patris Filium eſſe λόγον τοῦ Θεοῦ, diſtinctam à Patre, & Spiritu ſancto perſonam, & eſſe verè Deum, & vnum cũ Patre & Spiritu ſancto Deũ, & ab æterno Deum, toto pectore, & vera fide cõfitemur, & credimus: & contra omnes omnium C Ebionitarum, Paulianorum, Arrianorum, Photinianorum, Eunomianorum, Seruetanorum, & Tritheitarum veteres, & renouatos furores defendimus, ac tuemur. Porrò autem quod pag. 21. ſcribit, à quibuſdam (quos contumelioſè Sciolos appellat) diſputari, & dici cœptum eſſe, nõ *ipſam naturam* τοῦ λόγου, ſed ſolam filij *hypoſtaſim vnitam eſſe aſſumpta humana natura*, commentitium eſt, & veræ eorum (quos iſte arguit) ſententię repugnãs, quoniam realem communicationem eſſentialiũ Deitatis idiomatum, quæ à Kemnitio dicitur fieri humanæ naturæ, apertè & prorſus euertit. Itaque, vt omnes videant quæ nebulæ, aut potiùs tenebræ, hîc à Kemnitio hominum oculis offundãtur, ipſa illorũ argumẽta bona fide, & iis ipſis verbis repetam, quibus ab ipſis proponi ſolent, quæ nullo modo ſoluere potuit Kemnitius, contra ſuũ ipſius figmentũ diſertus & pugnax. Sic igitur argumentantur illi, quos iſte Sciolos vocat.

Primum argumentum.

Idiomata aut ſunt perſonalia, aut eſſentialia. Sed perſonalia idiomata Filij Dei *non communicantur naturæ aſſumptæ in ſeſe. Sic enim eſſent duo filij* Dei, *& introduceretur quaternitas perſonarum in diuinitate.* Deinde *nec eſſentialia idiomata (quæ* συστατικὰ τῆς φύσεως *dicuntur) realiter communicantur naturæ creatæ. Sic enim* διττότης *diuinitatis introduceretur, hoc eſt, duplex* A *diuinitas efficeretur, altera æterna, altera creata, quæ cœperit in tempore æqualis eſſe* Deo. Ergo *nulla idiomata (idiomata inquam* Deitatis *) naturæ humanæ Chriſti realiter communicantur ſeu in eam transfuſa ſunt.*

Alterum argumentum.

Quicquid commune eſt toti Trinitati, id non conſtituit differentiam ſpecificam vnionis hypoſtaticæ duarũ naturarum in Chriſto*: omnipræſentia, omnipotentia, & alia eiuſmodi idiomata ſunt communia toti Trinitati, quatenus talia ſunt. Ergo, etiamſi ponatur horum idiomatum realis communicatio, quæ facta ſit in humana natura* Chriſti*, tamen hæc ipſa non conſtituunt ſpecificam differentiam vnionis hypoſtaticæ: nec oſtendi poterit, cur magis Filius, quàm Pater aut Spiritus ſanctus fuerit incarnatus.* Ex his autem nihil huiuſmodi apparet, quale fingit Kemnitius, nimirum, vt negent illi ipſam diuinam naturam τοῦ λόγου eſſe vnitam naturæ humanæ aſſumptæ. Sed tantùm oſtendũt B fieri omnino non poſſe, vt ipſius deitatis eſſentialia idiomata realiter communicentur naturæ à λόγῳ aſſumptæ, id eſt, naturæ & finitæ, & creatæ. Quod nec Hunnius quoque Marpurgenſis, licet in his diſſoluendis diu ſudauerit, tamen explicare & diſſoluere potuit. Kemnitius autem hic eludere tantùm voluit, vti inf. cap. 23. pag. 328. & ſequenti inuoluere conatus eſt, quod tamen non præſtitit.

AD CAPVT TERTIVM.

De humana Natura in Chriſto incarnato.

TANTI momenti eſt hoc caput, vt tota noſtræ controuerſiæ diiudicatio fieri ex eo debeat. Denique ſi ſibi poſtea Kemnitius ipſe conſtaret, videri poterat nobiſcum, id eſt, cum veritate planè conſentire. C Sed neque tam conſtãs aut ſui memor fuit: neque præuaricandi animũ, quẽ habet, poſtea diſſimulauit, quum in fine huius capitis addit, Quæ de humana Chriſti natura à ſe tradita ſunt, intelligi debere, *quatenus illa natura per ſe, ſeu in ſola ſua naturali proprietate, extra vnionem, non autem in vnione perſonali cum diuinitate, conſideratur.* Pag. 5 Quod eſt falſiſſimum. Hic enim agitur de humana Chriſti natura, quatenus eſt in ipſa perſona Chriſti vnita: & in tota hac diſputatione ſic eſt à nobis & ſemper conſiderata, & conſideranda. Cæterùm quod inſtat, agamus, nimirũ vt oſtendamus, quã verè hic ſcripſerit de ipſa Chriſti carne, quatenus in perſonali vnione cum λόγῳ à nobis ſpectatur & conſideratur. Quoniam verò hoc caput eſt longiſſimum, ad tria quædam axiomata ſeu theſes totum reuocabimus, quas ex ipſomet Kemnitio demonſtrabimus eſſe veriſſimas.

1. Theſis docet ex Kemnitio ipſo.

Filium Dei λόγον, æternum Deum, vniuiſſe ſibi naturam humanam integram, veram, ac noſtræ omnino (excepto peccato) ſimilem, & ὁμοούσιον.

A Kemnitius pag.30.linea 3.

Eſt autem vera Scripturæ ſententia, Filium Dei *aſſumpſiſſe humanam naturam veram, integram ſeu totam, conſubſtantialem nobis, habentem omnes conditiones, vires, & appetitiones naturæ proprias & ordinatas: non vitioſam, ſed ſine peccato, incorruptam & ſanctam: in quo tamen infirmitates (quæ, vt pœnæ, propter peccatum, in naturam noſtram ingreſſæ ſunt) volens, ſine vitio aſſumpſit, propter nos, vt fieret victima pro nobis.*

Idem pag.36.l.21.

Firmum igitur & immotum maneat hoc fidei fundamentum, Filium *Dei in incarnatione aſſumpſiſſe nō phantaſma, non ſpectrum ſeu putatiuam ſpeciem, ſed veram humanam carnem.*

Idem pag.38.l.8.à fi.

Non autem diuerſæ ſubſtantiæ, aut alterius generis carnem habuit (Chriſtus) quàm noſtra eſt.

Idem pag.39.l.19.

B *Noſtram igitur carnem, nobis conſubſtantialem (ſicut tota antiquitas loquitur) & per omnia nobis ſimilem, excepto peccato,* Filius *Dei aſſumpſit in vtero Virginis Mariæ.*

Danæus.

Hæc orthodoxè Kemnitius. Primùm enim ex ipſo Dei verbo cōfirmantur. Nam, vt ait hic idē, Pag.51. Ipſe Saluator noſter diſertè Matth. 14. Marci 6. Ioan.6.& Luc.24. refutat delirium illud, quo putabatur eſſe phantaſma ſeu ſpectrum, tanquā externis tantùm ſenſibus in ſpecie humani corporis appareret: in rei autem veritate talis non ſubſiſteret. Deinde verò ex ipſis orthodoxis Patribus idem probatur, Hilario, Auguſtino, Leone, quorum teſtimonia hic citat Kemnitius, vt nihil repetere ſit neceſſe. Denique ratione ipſa (quæ planè cum cauſſa noſtræ ſalutis conſentit) idem adſtruitur. Nam quæ de humana natura non ſunt C à Chriſto aſſumpta, ea quoque non ſaluata ſeu ſeruata ſunt. Quamobrem valet hæc Theſis ad omnes Docetarum hæreticorum ſpecies & phantaſias de corpore Chriſti, ſeu vetuſtas, ſeu recentes excogitatas, confutandas, nimirum aduerſus Simonianos, Valentinianos, Cerdonianos, Marcionitas, Manichæos, Anabaptiſtas, & Schuencfeldianos. Quare veram ac integram naturam humanam, noſtræque omnino, præter peccatum, ſimilem à Filio Dei in perſonæ ſuæ vnitatem aſſumptam eſſe, nobiſcum ex hac theſi fatetur Kemnitius, & ita quoque à nobis in hac diſputatione conſiderandam: non autem, vt ipſe vult & loquitur, in ſola ſua naturali proprietate, & extra vnionem.

2.Theſis.

Non tantùm ipſam humanæ naturæ ſubſtantiā, corpus videlicet & animam à λόγῳ Dei filio in vnitatem perſonę ſuæ fuiſſe aſſumptam per incarnationem: ſed etiam omnia eſſentialia & naturalia idiomata humanæ naturæ, id eſt, Corporis noſtri, & Animæ noſtræ.

Kemnitius pag.36.linea 12.à fi.

Quum incarnationem Chriſti Satan non poſſet ſuis præſtigiis in phantaſma transformare, alia via euacuationem eius aggreſſus eſt. Valentiniani enim, & multi alij, imò noſtra etiam tempeſtate Anabaptiſtæ commenti ſunt, A *veram quidem carnem fuiſſe, quàm* Filius *Dei aſſumpſit, & geſtauit, ſed illam non fuiſſe* ὁμοούσιον, *eiuſdē ſubſtantiæ cum noſtra carne. Idem pag. 41. refutat eos, qui conceſſerunt in Chriſto ſubſtantiam humanæ naturæ, corpus ſcilicet, & animam: ſed negarunt eſſentialia, ſeu naturalia idiomata humanæ naturæ.* Idem pag.43. lin.23. *Porrò quòd ad illam humanæ naturæ in Chriſto integritatem pertineant conditiones, quæ humanæ naturæ propriæ, & ordinatæ ſunt, teſtatur dictum illud* Hebræor.2. *Ita ſemen Abrahæ aſſumpſit, vt per omnia (excepto peccato) ſimilis factus ſit fratribus.* Idē pag. 44.lin.10. *Aſſumpſit igitur Filius Dei totam noſtram naturam cum omnibus conditionibus ſeu proprietatibus, quæ naturæ propriæ, & ordinatæ ſunt, vt certum haberemus pignus de reparatione totius corruptæ naturæ.*

Danæus.

Et hoc quoque rectè Kemnitius, quod vtinam B poſtea vel non euerteret, vel non diſſimularet. Diſſimulat enim, quæ ſint illa eſſentialia humanę naturæ idiomata à Chriſto aſſumpta, quum inf. pag.50.l.19. ſic ea interpretatur, vt appareat eum iſta de Animæ duntaxat, non etiam de Corporis humani proprietatibus intellexiſſe, qualis eſt *appetitio, vires,* & reliquæ facultates: item animi affectus, velut περιλυπεῖσθαι, ἐκθαμβεῖσθαι, ἀδημονεῖν, qui in anima potiùs, quàm in corpore verſantur. Ergo de circunſcriptione corporis, de eiuſdem finitione, & ſitu vno tantùm in loco eodem tempore, nihil hic commemorat Kemnitius, quum de eſſen- Pag.47. tialibus humanæ naturæ, & illius partium idio- Lu. 22.44 matibus agit & diſputat: licèt tamen hæ ſint cor- Matt. 26. v.37. poris humani vel maximè eſſentiales proprieta- Ioã.11.27. tes, & πάθη φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα, quemadmodum loquitur Damaſcenus: ideóque aſſumpta à Chriſto in corpore, vti pati anima. Nec enim hæc conditio corporis humani, vt nimirum circūſcriptum C ſit certo loco & vbi, eſt pœna, quæ propter peccatum in naturam humanam poſtea ſit ingreſſa: ſed ex ipſa naturę corporeę definitione, primęua ratione, ac conſtitutione in corpore nata & indita eſt. Quare & in ipſo Adamo quoque fuit & ante peccatum, & poſt peccatum permanſit, quoniā hęc proprietas circunſcriptionis & localitatis à corpore nullo modo ſeparari poteſt. Solus enim Deus eſt infinitus: reliqua verò ſunt finita vel proprietate eſſentię, quemadmodum Ambroſius loquitur, veluti Spiritus omnes creati: vel circunſcriptione & deſignatione partium, & loci, qualia omnia & corpora, & corporea. Chriſtus ergo hanc quoque conditionem, quę eſt eſſentiale corporis humani idioma, aſſumpſit, Kemniti: aut nō verum, ſed fictitium ſolùm humani σχῆμα corpo- Philip. 2. verſ.8. ris habuerit, quod refutat Paulus. Neque etiam Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem, vel glorificationem hanc corporis humani proprietatem amiſit, niſi verum quoque corpus, & naturam nobis ὁμοούσιον eum depoſuiſſe dixerimus, ac per gloriam illam natura ipſius humana à diuina abſorpta fuiſſe cēſeatur, quod ſentire eſt impiiſſimum, ac ſalutis noſtrę beneficium euacuat. Denique hoc ipſius quoque Kemnitij ſententiæ, quę mox ſequitur, prorſus repugnat. Sed hic quoque *eſſentialia & Naturalia* idiomata confundit Kemnitius.

A tius, vt ſæpe in toto hoc argumento, quod tamen faciendum minimè fuit.

3. Theſis.

Illam ipſam naturam humanam totam ac integram, id eſt quod ad eſſentiam, & quod ad eſſentiales proprietates, in Chriſto manſiſſe nõ tantùm toto exinanitionis & conuerſationis Chriſti in his terris tempore: verùm etiã poſt glorioſam ipſius reſurrectionem, & aſcenſionem in cœlum.

Kemnitius pag.49.linea13.à fin.

Scriptura tradit, Chriſtum poſt vnionem habuiſſe & retinuiſſe veram humanam naturam, & in illa ipſa humanæ naturæ ſubſtantia reſurrexiſſe, quam à Spiritu Sancto conceptam, & ex Maria aſſumptam ante reſurrectionem geſtarat. Inquit enim Lucæ Cap.24. Ego ipſe ſum habens manus, pedes, latus, carnem, oſſa &c. In B *illo verò corpore aſcendit in cælum, & ad iudicium rediturus eſt, Ita, ſicut viſus fuit aſcendere Actor.1. Et tunc corpus illud videbunt, quod in paſſione compunxerunt Ioan.19.*

Danæus.

Si hanc tertiam theſin ex ſuis ipſius verbis fideliter collectam Kemnitius conſtanter retinet, acta, tranſactáque ſunt inter nos omnia, & Vbiquepræſentia corporis Chriſti ſeu glorioſi, ſeu Maieſtatici (vt quidam illud vocant) ſeu ad dexteram Dei Patris ſedentis, erit omnino ſublata & confutata. Cæterùm ex ſuperioribus apparet, quum Chriſtus tempore ſuæ exinanitionis corpus habuerit paſſioni, morti, & reliquis peccati pœnis & πάθεσιν ἀδιαβλήτοις obnoxium: & animam quæ περιλυπεῖσθαι, & ἐν ἀγωνίᾳ γενέσθαι potuerit: perſpicuè eos refutari, qui ſentiunt, carnem Chriſti ſtatim à momento ſuæ vnionis habuiſſe illam gloriam C ac maieſtatem ſibi communicatam. In quo à Kemnitio Kẽnitius euertitur. Sed & efficitur illud, contra quod tamen pugnant Kemnitius eiúſque ſocij: nempe propter humanæ naturæ cum diuina in vna Chriſti perſona vnionem hypoſtaticam, humanam naturam neque diuinæ exæquari, neque illi coextendi, quod ex eorum ſententia ſequitur, quantumuis hanc coextenſionem inficientur: neque eam omnia, quæ deitatis ſunt propria, reipſa communicata habere. Nam humana Chriſti natura in illa vnione non poteſt ſimul eſſentiales ſuas proprietates retinere, & proprietates eſſentiales Deitatis participare, quum iſta inter ſe manifeſtè pugnent. Atqui hoc ipſum tamẽ eſt præcipuum Kemnitianæ huius diſputationis & ſententiæ fundamentum: ſed quemadmodum diximus, vel ipſomet Kemnitio teſte, falſum. Et in his quidem tribus theſibus optimè hactenus inter nos, & Kemnitium conuenit. In eo verò, quod iam ſequitur, non item.

Confer. Pag.49.& Pag.53.

Kemnitius pag.37.l.10.à fin.

Omnino certum eſt, totum beneficium redemptionis pertinere ad illam naturam, quæ aſſumpta eſt.

Danæus.

Hoc vel obſcurum eſt, vel falſum. Obſcurum eſt, ſi vult naturam humanam non potuiſſe redimere, niſi eſſet à Filio Dei aſſumpta. Clariùs enim loqui debuit, ſi id dicere voluit. Falſum eſt, ſi ſentit Kemnitius, totum noſtræ redemptionis beneficium eſſe naturæ à Chriſto aſſumptæ, id eſt naturæ Chriſti humanæ acceptum ferendum. Præclarè enim Auguſtinus, *Humanitas ſine Diuinitate non eſt mediatrix: ſed inter Diuinitatem ſolam, & humanitatem ſolam mediatrix eſt humana Diuinitas, & Diuina humanitas Chriſti,* in eo conſentiens, cum Apoſtolo ad Hebræos cap.9. verſ. 14. Ergo quid ipſe ſibi velit, exponat Kemnitius.

AD CAPVT QVARTVM.

De hypoſtatica, ſeu perſonali duarum naturarũ, diuinæ, & humanæ, in Chriſto Vnione, Quòd ſit, & Quid ſit. B

QVoniam ab initio mihi conſtitutum fuit nihil eorum, de quibus noſtris hominibus cum Kemnitio planè & prorſus conuenit, repetere, primam huius capitis quæſtionem omittã, nempe, Quod Vnio duarum in Chriſto naturarum, Diuinæ nimirum & humanæ, ſit perſonalis. Nam de eo nullum eſt, Dei gratiâ, inter nos, & illum certamen. Ergo, quamuis nonnulli hanc duarum in vna Chriſti perſona naturarum vnionem ab hypoſtatica (qualis eſt corporis & animæ in vno & eodem homine) diſtinguant: & eam tertium quoddam Vnitionis genus faciant, nos tamen patrum orthodoxorum, & piæ, eruditæque vetuſtatis verba & veſtigia ſequentes, lubenter admittimus, Hanc duarum naturarum Vnionem in Chriſto eſſe hypoſtaticam, quoniam vtraque vnam duntaxat hypoſtaſim habet, ac efficit: & in vnica illa Perſona Filij Dei (quæ ẽt ante aſſumptã carnem, imò ab æterno exiſtebat à Patre, & Spiritu ſancto diſtincta) ſubſiſtit. Quare, quum aſſumpta à λόγῳ natura ſit in coalitionem & conſociationem perſonæ Diuinæ naturę iam vnita, nec diuerſum ab ea ὑποκείμενον conſtituat, hæc Vnio meritò hypoſtatica nominata eſt. C Veruntamen obiter hoc obſeruandum eſſe dicimus, Non omnia, quæ de anima & corpore humano ꝑpter vnionẽ hypoſtaticã dicũtur, de Diuina quoq;, & humana Chriſti natura vnita ſemper verè affirmari poſſe. Nec enim, ſicut corpus & anima hominis in eodem hyphiſtameno ſunt finitæ naturæ: ita Deitas in Chriſti perſona poſt Vnionem finita eſſe cœpit, ſed manſit (qualis ante hanc Vnionẽ erat) infinita. Manſerunt enim in ea coniunctione, & coalitione naturæ inconfuſæ. Deinde, non quemadmodum anima corpori vnita continetur corpore, ſic Deitas humanæ naturæ in Chriſto vnita continetur illius humanitate: infinita enim eſt Deitas λόγου, etſi nuſquam à carne ſeparatur. Denique nõ facit hæc vnio naturarum in Chriſto hypoſtatica, vt quod in Chriſto ex Deo Patre natum eſt, illud ipſum ex Maria Virgine natum eſſe cẽſeatur. Ergo quamuis filius Mariæ propter hanc perſonæ Chriſti vnitatem dicatur, & quidẽ verè, Filius Altiſſimi, Fili⁹ Dei, Iehoua, Immanuel, &c. tamen eſt diſtinguẽda illa natura, quæ nata eſt ex Maria

A Virgine, ab ea quæ nata eſt ex Deo Patre, & quæ Deus eſt & Iehouah. Ipſe quidem qui natus eſt ex æterno Patre, natus eſt quoque ex Maria Virgine (nec enim Chriſtus alius eſt, & alius) illud tamen, quod eſt natum ab æterno ex Deo Patre, non eſt illud ipſum quod natum eſt ex tempore ex Virgine Maria matre. Quid igitur? De ipſa nimirum Chriſti perſona igitur intelligendum eſt, Quòd dicitur, Filius Mariæ eſt Filius Dei: non autem de ea natura, cuius ratione Chriſtus dicitur Mariæ Filius. Pręclarè enim veteres, vti diximus, *In Chriſto non eſt alius atque alius: ſed eſt aliud atque aliud.* Quod maturè monuiſſe oportuit, ne quis propter Vnionis hypoſtaticæ (qua illæ duæ in vna Chriſti perſona naturæ coniunguntur) cũ ea, qua corpus & anima connectuntur, ſimilitudinẽ ac rationem, quis poſtea fallatur. Veniamus igitur ad ſecundam huius capitis quæſtionem, quæ in eo eſt, Quid ſit hæc vnio hypoſtatica.

B

Kemnitius pag.57. linea 6. à fin.

Quid ſit hæc Vnio hypoſtatica.

1. Theſis.

Vnio hypoſtatica, ſiue incarnatio (Filij Dei) eſt totius Trinitatis operatio, qua diuina natura in ſolius Filij Perſona, ex Maria Virgine veram humanam naturam, ſine tranſmutatione aut confuſione, inſeparabili copulatione, ad conſtituendum vnum ex illis, & in illis duabus naturis in Chriſto incarnato ὑφιστάμενον, in quo aſſumpta natura ſubſiſtat, & ſuſtentetur, aſſumpſit.

Danæus.

Huius ſecundæ quæſtionis duplex eſt ſcopus Kemnitio propoſitus. Vnus, vt ipſam vnionem hypoſtaticam definiat: alter, vt quid ex ea aſſumptæ naturæ, id eſt, quid humanæ naturæ à natura C Diuina aſſumente communicatum ſit, doceat. Vtilis ſanè tractatio, ſi modò rectè & verè tradatur. Nam ex hac omnium controuerſiarum noſtrarum deciſio petenda eſt. Continet verò hæc prima theſis eam, quæ Kemnitio maximè probatur, huius duarum in Chriſto naturarum vnionis hypoſtaticę definitionem. Aliorum enim definitiones vel vt minùs plenas, vel vt falſas reiicit. Suam autem illam, vt veram, vt plenam, vt denique ἀκίνητον, & omnibus ſuis numeris completam, & abſolutam ipſe approbat: ſed quàm verè, mox videbimus. Hoc tantùm præfamur, quòd in hac tam ardua quidem, ſed tamen omnino nobis ad veram ſalutis noſtræ agnitionem neceſſaria quæſtione, infinitis penè modis & diuerticulis ab hominibus ſuas potiùs tenebras, & commenta, quã S. ſcripturæ lucem ſequentibus erratum eſt. Alij enim, velut Neſtorius, dixerũt illã duarũ in Chriſto naturarũ vnionẽ eſſe humanæ naturæ aſſumptæ, cum Diuina aſſumente, tanquam duorũ hominum cohabitationem, ac contubernium iam perpetuum factum. Alij, vt Eutyches, eſſe ipſius humanæ naturæ abolitionem, & abſorptionem à Diuina maieſtate eam aſſumente factam. Alij, vt Monophyſitæ, eſſe vtriuſque naturæ, Diuinæ, & humanæ, ad tertium quiddam ex vtraque (ſed ab vtraque tamen diuerſum) cõſtituendum, coalitionem & commixtionem. Alij, vt Monothelitæ, eſſe duarum quidem naturarum, quæ manſerint, copulationem: ſed actionum ſeu ἐνεργειῶν, quæ vtriuſque naturę proprię ſunt, abolitionem: adeò, vt in Chriſto & Deo, & homine iam poſt, & per vnionem hanc hypoſtaticam manſerit, ex eorum ſententia, vnica voluntas, ſcientia, potẽtia, operatio, &c. Ex quo fit vt non modò ipſum naturarum Chriſti ἀποτέλεσμα faciant vnicum, ſed etiam vnicam *ſingularum naturarum* propriam actionem, operationem, ſeu ἐνέργειαν. Alij, vt Accephali, dicunt hanc vnionem hypoſtaticam eſſe cã copulationem, in qua naturæ quidem ipſæ, Diuina nimirum & humana, in Chriſto manent: earũ tamen proprietates, & eſſentialia idiomata ſunt confuſa, ſed hic eſt Monothelitarum ſurculus. Alij, vt idem Neſtorius, eſſe vtriuſque naturæ exæquationem ſeu ὁμοτιμίαν, vt loquitur Damaſcenus. Alij, vt Brentiani, eſſe omnium eſſentialium Deitatis aſſumentis proprietatum realem in humanam aſſumptam naturam effuſionem, & communicationem, quem Brentij, & Iacobi Andreæ, B quamuis ſuorum ſociorum, velut maximum errorem in toto hoc opere condemnat, & quidem meritò, Kemnitius. Inter tot igitur ſcopulos, & aliorum naufragia, quis nauigans non timeat, aut ſit ſolicitus de recto curſu tenendo: & non aliquẽ tutiſſimum ex ſacro Dei verbo portum requirat? Hunc autem à ſe iam monſtrari ait Kemnitius. Sed quàm verè perpendendum eſt. Nec enim, vt ait Scriptura, cuilibet Spiritui eſt credendũ. Certè ad inuidiam nobis cõflandam, quaſi minùs honorificè de humana Chriſti natura ſentiamus, & vt Bezæ ac Simleri definitiones optimas ac veriſſimas expungeret, nouam hanc ipſe excogitauit. Verùm, his omiſſis, de re. Primùm in hac tota Vnionis Hypoſtaticæ definitione fallitur Kemnitius, quoniam non animaduertit, Vnionem hypoſtaticam non vno tantùm modo, ſed variis fieri, quemadmodum docet Damaſcenus. Vno, quum ex differentibus naturis, velut anima, & corpore, aliquod ὑφιστάμενον incipit fieri & exiſtere, quod C priùs non erat, nec ſubſiſtebat. Altero, quum ex pluribus rebus in vna perſona iam exiſtentibus aliquid conflatum cernitur, vt ex variis partibus corpus vnum hominis viuentis componitur hypoſtaticè. Tertiò, quum hypoſtaſi iam per ſe exiſtenti, alia natura accedit, & copulatur, quæ nullũ aliud diuerſum ὑφιστάμενον conſtituit, vt in Chriſto natura humana acceſſit ad perſonam Diuinam. Hanc μονότροπον, & ἐξαίρετον appellant Iuſtinus, & Epiphanius. Quoniam igitur Kemnitius omnino ſimilem eſſe putat Vnionem duarum in vna Chriſti perſona naturarum cum vnione corporis, & animæ, quæ fit in vnoquoque homine. (Id enim ille vehementer contendit, vt inde poſtea omniũ comparationum ſuarum, id eſt, errorum ſuorum fontes deriuet) idcirco illos varios vnionis hypoſtaticę modos confudit, ac multa in hac ſua definitione perperam miſcuit. Ex his autem illud primùm eſt reprehendendum, quòd ait, *Diuinam naturam, quæ in ſolius Filij* Dei *perſona eſt, aſſumpſiſſe humanam.* Certè quicquid & cap. 2. ſuprà, & hìc cenſeat Kemnitius, ſi propriè loqui voluit (id quod in definitione maximè conari nos oportet) dicendum, ſcribendúmque potiùs erat, perſonam Filij, non autem naturam diuinam Filij aſſumpſiſſe ſibi noſtrã naturã, queadmodũ id verè demõſtrant Scholaſtici, in eo rectè, & orthodoxè ſen-

Pag.53. & 54.

Caſsianus li.1. contra Neſtoriũ.

Damaſcenus in Dialect.c.64.

Beza in Reſp. ad Brentii argu. Simler in libr. de præſentia carnis chriſti in his terris. Damaſ. li. de Dialec. c.64.

Pag.22.

A ſentientes. Præclarè enim Toletanum concilium Lõbard. lib. 3. Sẽt. & ibi interp. Diſt. 5. 6. *Solus Filius accepit hominem in ſingularitatem perſonæ, non in vnitatem Diuinæ naturæ.* Quanquam autem in Diuinis eſſentia, & perſona re ſunt idem, idcircóque promiſcuè his phraſibus vtuntur Patres, *Natura diuina, vel perſona Filij* aſſumpſit humanam naturam: tamen, quum ſic disertè loquatur Ioannes, Ioan. 1. v. 14. ϗ ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο, *Et ſermo ille caro factus eſt*, & Apoſtolus ad Hebræos, αὐτὸς μετέσχε τῶν αὐτῶν, Heb. 2. v. 14. & 16. *Ipſe* (Filius Dei) *factus eſt particeps eorundem* (carnis videlicet, & ſanguinis) item dicat, *Aſſumpſit ſemen Abrahæ*, de perſona Filij, potiùs, meliùs, & veriùs, quàm de natura diuina (quę in Filio eſt) dixerimus, quòd illa noſtram naturam, id eſt, humanam aſſumpſit. Diuina enim illa natura, quæ eſt in Filio, eſt eadem etiam numero cum ea, quę eſt in Patre, qui tamen noſtram naturam aſſumpſiſſe nequaquam dici poteſt, vel Kemnitio ipſo teſte in toto hoc opere. At perſona Filij non eſt B eadem cum perſona Patris, vt ad euitandum Sabellianorum errorem tutiſsima ſit hæc phraſis, ὁ λόγος ſeu perſona Filij noſtram naturam aſſumpſit. Illa verò periculoſa, Diuina natura Filij, ſeu quæ eſt in Filio, naturam noſtram aſſumpſit. Præterea non natura naturam, ſed perſona naturam humanam in ſuæ ὑπάρξεως, & ſuſtentationis vnitatem aſciuit atque copulauit. Hæc igitur eſt prima Kemnitianę huius definitionis obſcuritas, ſi errorem dicere nolimus. Alter eſt, & quidem manifeſtus, error, quum ait, naturam humanam à Diuina fuiſſe aſſumptam, *ad conſtituendum vnum ex illis & in illis duabus naturis in Chriſto incarnato* ὑφιστάμενον. Quid enim aliud hæc verba ſonant, quã aliud eſſe in Chriſto ὑφιστάμενον, quàm ipſum Chriſtum: deinde tunc demum Filium Dei cœpiſſe eſſe, ſeu conſtitui ὑφιστάμενον, quum nimirum naturã illam humanam aſſumpſit? Quod quantum Samo C ſatenianis, & Arrianis faueat, videt ipſe Kemnitius. Neque mihi hoc regerat, quod hoc ipſo capite Pag. 56. prolixè ipſe diſputat, *Hypoſtaſim Filij* Dei *fuiſſe ab æterno*. Non enim quęro quid ipſe ſentiat: ſed quid in hac definitione verba Kemnitij ſonent, perpendo; præſertim quum ipſe noſtras definitiones longè hac ſua & veriores, & dilucidiores faſtidioſè repudiet. Ergo quid ex ipſius definitione manifeſtè colligatur, hîc demonſtro. Nã in hac ſua definitione ex his verbis apertè confundit Kemnitius, primùm, hypoſtaticæ vnionis modum à Damaſceno conſtitutum, cum tertio, id eſt, miſcet, & confundit eam vnionem hypoſtaticam (qua anima & corpus in ſingulis hominibus vniuntur) cum ea vnione item hypoſtatica, qua Diuina & humana natura in Chriſto copulantur. Anima enim & corpus in ſingulis hominibus coaleſcunt, vt vnum ὑφιστάμενον conſtituant, id eſt, vt vnum ex his duabus diuerſis naturis ὑφιστάμενον exiſtere incipiat. Sed in Chriſto accurrit, quemadmodum loquitur Damaſcenus, humana natura ad hypoſtaſim verbi, quæ iam erat, & per ſe plena, perfectáque ſubſiſtebat. Quòd ſi hic exceperit Kemnitius, ſe, quum hanc vnionem hypoſtaticam definit, non conſiderare Chriſtum, & eam perſonam, vti duntaxat λόγου Θεοῦ, ſed iam, vt hominem quoque. Ideóque rectè ad huius ὑποστάσεως plenam conſtitutionem & rationem, adiunctã à ſe fuiſſe humanæ ſeu aſſumptæ naturæ mentionem: Reſpondeo in Cyrillo, perperam, & dici, & doceri, rationem, cur Chriſtus etiam incarnatus ſit perſona, quęrendam, aut conſtituendam A in iſta aſſumptione, aut vnione naturæ humanæ, quæ à Diuina facta eſt: quum & ante illam aſſumptam eſſet perſona Chriſtus, & ipſa humana natura aſſumpta tota in perſona λόγου vegetetur ac ſuſtentetur: nullum autem momentum aut fundamentum τῷ ὑφιστάναι conferat natura Chriſti humana, id eſt nullam rationem & cauſſam habeat, & contineat, cur Chriſtus ſit, ſeu ſubſiſtat, vt perſona. Ergo in illa Vnione natura tantùm ad perſonam iam exiſtentem, & per ſe plenè ſubſiſtentẽ fuit adiuncta; non autem eſt conſtitutum (vt verba Kemnitij ſonant) tum demum vnum ὑφιστάμενον. Sed & tertius quoq; error in hac definitione Kemnitiana apparet, quum ait, *Naturam aſſumptam in Chriſto incarnato ſuſtentari.* Sic autem, non im- B prudẽs, ſed de induſtria ſcribit Kemnitius, quòd Chriſtum diſſolui re ipſa putat, niſi realiter caro Chriſti eſſe, & ſiſti dicatur, vbicunque reipſa eſt eiuſdem Deitas. Nã in toto Chriſto, non in perſona λόγου, illa ſuſtentatur, ait. Verùm fallitur Kemnitius. Nam non in toto Chriſto, ſed in perſona diuina λόγου ſuſtentatur natura aſſumpta, ne vel perſonæ Chriſti initium in iſta aſſumptione ſtatuamus: vel naturam aſſumptam conſtituamus ex parte cauſſam, cur Chriſtus ſit perſona: vel, ſi natura aſſumpta non ſit vbicũque eſt Deitas, Chriſtum diſſolui, & non ſuſiſtere credamus. Eſt quidem hæc aſſumpta natura, nimirum humana, perſonæ Filij adiuncta, eſt illius ὑφισταμένου veluti pars, eſt illi inſeparabili copulatione vnita, in ea ſola ſubſiſtit: nulla tamen, cur illa perſona ſit perſona, aut ſubſiſtat, cauſſa dici poteſt, quum ipſa omnino in alia, non in ſua, id eſt, in Filij Dei hypoſtaſi & exiſtentia ſuſtentetur, & feratur: nec Chriſtus eſſe inſeparabilis deſinet, & vnitus; licèt natura C hæc aſſumpta cum Deitate non ſemper ſiſtatur, & locetur. Atque hæ ſunt tot definitionis hypoſtaticę à Kemnitio excuſſæ fraudes, quum tamen definitiones & maximè perſpicuas, & maximè veras eſſe oporteat.

Kemnitius pag. 55. linea pen.

De Effectis huius Vnionis Hypoſtaticę.

Hæc Vnio adeò arcta, indiuidua, inſeparabilis, & indiſſolubilis eſt, vt Diuina natura τοῦ λόγου *nec velit,* Theſis 4. *nec poſſit, nec debeat extra hanc cũ carne vnionẽ, ſed in arctiſſima illa vnione cogitari, quæri & apprehendi.*

Danæus.

Quòd paginarum ordinem inuertere videmur, nullius eſt momẽti. Quum enim tota huius capitis tractatio ſit apud Kemnitium perturbata, & multa iiſdem etiam verbis habeat repetita, (quod ex pag. 57. & 58. cum pag. 55. & 56. collatione apparebit) neceſſe nobis fuit, non tam paginarũ, quàm rerũ ordinem hoc loco ſequi. Ergo conſtituta huius vnionis hypoſtaticæ definitione, quænã ex ea conſequantur, cõmemorando cẽſuit Kẽnitius. Multa verò huius vnionis effecta recenſet, in quibus partim conſentimus, partim diſſentimus. Hic autem poſtea ca. 12. præcipuum, & primarium effectum eſſe oſtendet, κοινωνίαν, cuius varias ſpecies conſtituit. Nunc autem aliud meditatus, illud huius vnionis effectum primarium &

A princeps proponit,quod ex hac vnione naſcatur, naturarum in vna illa Chriſti perſona vnitarum inſeparabilis copulatio. De hoc autem cum Kemnitio nobis planè conuenit, ſi modò, quid ſit διάλυσις,ſeu ſeparatio naturarum, verè & rectè ab eo explicetur. Nam neque humana Chriſti natura extra λόγου perſonam, neque diuina abſque humanæ adiunctione poſt incarnationem , vel eſt, vel ſubſiſtere fingi poteſt. Sic enim à diuina eſt aſſumpta natura humana, vt, quemadmodum diuina nunquam humanam deſerit , ſic humana & aſſumpta natura ἰδίᾳ, ἀνὰ μέρος, ἰδιαιρέτως ϗ ἀποτετμημένος, quemadmodum loquitur Damaſcenus,nunquam ſubſiſtit,id eſt,ſigillatim ſeparatur,ſeorſim & per ſe,ſuum eſſe habeat. Aliàs enim impiiſſimus ille Neſtorij error (quem toto pectore execramur, & damnamus) renouatur,qui pro duabus naturis duas perſonas , vtramque per ſe vel ſeorſim exiſtentem ſubſtituit : & vnicum illum Mediatorem noſtrum, verè Immanuelem , Deū & hominē,in duos Chriſtos & Mediatores crudeliſſimè diſcerpſit. Denique illud Pauli verum eſſe negauit Neſtorius , *Magnum ſine controuerſia pietatis myſterium,* Deus *conſpicuus factus eſt in carne.* Quicunque igitur negant Chriſtum in carnem veniſſe,vt inquit Ioannes, (pro quo patres legebant, *quicunque Chriſtum diſſoluit*) ij certè nō ſunt à Deo,quod ij faciunt,qui naturas Chriſti ſeorſim & ſeparatim ſubſiſtere contendunt. Ergo diuinā B λόγου naturam à natura humana aſſumpta, & viciſſim humanam naturam aſſumptam à diuina natura inſeparabilem & indiſſolubilem eſſe concedimus. Nec enim vſquam eſt homo iſte, quin ſit Deus:nec Deus iſte vſquam eſſe poteſt , quin idē quoque ſimul ſit homo. Nam perſona hæc diuelli non poteſt, vt quæ eſt Chriſtus , id eſt Deus & homo. Diſtingui tamen etiam poſt hanc vnionē vtranque illam Chriſti naturam & poſſe, & debere, contendimus. Sic enim vnitæ hæ naturæ in Chriſto ſunt,vt inconfuſæ maneant , & vt diuina operetur ea quæ diuinæ ſunt naturæ: humana verò quę ſunt humanæ:denique,vt vnaquęque ſuas & eſſentiales proprietates cōſeruet,quēadmodū C prę clarè loquitur Chalcedonēſe cōciliū. Quāobrem,licèt,exempli gratia , quotidiana humanarū animarum creatio ſit verè diuinæ Chriſti naturæ (vti Patris & Spiritus ſancti)operatio,tamen nequaquam id operatur aut facit ſeparata ab humanitate,id eſt,ita vt propterea deſinat diuina natura habere adiunctam, quamuis non cooperātem, humanam naturam aſſumptam , quoniā ſine hac ne iam quidem diuina λόγου perſona aut natura ſubſiſtit. Neque tamen eò valet iſta copulatio tā arcta,támque inſeparabilis duarum Chriſti naturarum,vt propterea, quemcunque in locum diuina λόγου natura diffunditur , eò quoque humana & aſſumpta natura coextendatur. In quo iam errat Kemnitius. Quum ſit enim diuina natura infinita,humana verò finita:certè coextendi,& diffundi æqualiter nequeunt,vt vbicunque illa diuina erit, ibidem quoque re ipſa ſit humana, quoniam eſt finita:ne vel humanam naturam à Chriſto aſſumptam infinitam faciamus,vel eam in infinitas quaſdam humanitates multiplicemus. Prętera cùm hæc natura aſſumpta , id eſt, humana, nec æqualis,nec coextenſa, nec eadem cum diuina natura aſſumente per incarnationem facta ſit: ſed illi tantùm ſecundum hypoſtaſin vnita fuerit, A ex hac vnione non efficitur,vt,vbicunque & quocunque in loco reipſa eſt λόγου diuinitas , ibidem quoque adſit reipſa eiuſdem humanitas. Nec enim rerum vnitarum coextenſio, eſt vnionis hypoſtaticæ effectum. In corpore humano viuente pes capiti hypoſtaticè vnitus eſt , nec tamen vel caput æquè diſtenditur atque pes, nec vbicunque pes illius corporis eſt,ſitúmque habet, eodem ipſo in loco caput eiuſdem corporis ſitum quoque habeat neceſſe eſt. Nam vnio ſecundum Hypoſtaſim eſt ea,quemadmodum inquit Damaſcenus,per quam fit vnica rei compoſitæ ſuſtentatio ac exiſtentia. Quare grauiſſimè hallucinatur coextenſionem cum inſeparabilitate confundens hoc loco Kemnitius. Nos enim inſeparabiles nūc eſſe naturas Chriſti facilè concedimus: propterea tamen coextenſas, aut æquè patentes ac diffuſas negamus. Quod tamen ex ſua illa ſuperiore definitione concludi poſſe Kemnitius exiſtimauit.

Damaſc. li. de Dial. cap. 64 & de duab. Chriſti voluntatib.

1. Timo. v. 16.

1. Io. 4. v. 3.

Socrates Hiſt. Eccl. lib. 7. c. 32.

Caſſianus lib. 5. de Incarnatione vnigeniti.

Damaſcenus lib. 3. ca. 2. & 3. & ſeq tī in Diale. cap. 64.

Theodoret. Dial. 2.

Kemnitius pag. 56. l. 27. & pag. 58.

Theſ. 3.

Ex hac vnione conſequitur quædam inter vnitas naturas,& inter earum idiomata communio & partici- B *patio:non communio confuſionis,tranſmutationis,aut exæquationis: ſed qua vnioni vera & reali correſpondet,qualis eſt anima cum corpore , & ignis cum ferro ignito.*

Danæus.

Secundum huius vnionis hypoſtaticæ effectū eſt communio quędam naturarum. Hîc verò iam ſe aperit immenſum diſputationum mare , atque hæc eſt omnium errorum(quos Kemnitius in toto hoc opere ſparſit) ſcaturigo. Ea enim dona per & propter hanc vnionem hypoſtaticam re ipſa data & communicata humanæ naturæ aſſumptæ putat,vt illa ſit omnium diuinæ naturę actionum συνεργὸς,& particeps. Hæc enim eſt communio,quam vocat,id eſt,coniuncta ſemper & communis humanæ naturæ cum diuina cooperatio, etiam in iis actionibus , quę Deitatis ſunt propriæ. Eò enim vſque naturam aſſumptam cenſet C euectam à diuina , vt non modò ineffabilibus& incomprehenſibilibus (creatis tamen & finitis, quemadmodum etiam ipſe loquitur) donis formaliter ornata ſit,quod ſanè concedimus : ſed etiā vt plenitudo Deitatis λόγου non tantū ἀποτελέσματα & effecta ipſa per illam humanam naturam exerceat & perficiat, in quo etiam conſentimus: ſed etiā omnes ſuas operationes,& ἐνεργείας(quod pernegamus) exerceat per participationē ipſius actionis diuinæ factam ab humana natura. Quod quid aliud eſt,quàm vt humana Chriſti natura effecta ſit iam omnipotens,quum cooperetur cum ipſa Deitate λόγου in merè diuinis actionibus , & quæ vires omnes creatas ſuperant, hoc tantùm diſcrimine inter vtranque naturam in eadem actione cooperantem ſeruato,quòd omnipotentia illa non ineſt in humana natura ſubiectiuè,quemadmodum eſt in diuina:nec ipſa humanitas eā omnipotētiā à ſe habet,ſed à Deitate eā ſibi cōmunicatā accepit ? In ſumma communis Maieſtas, communis omnipotentia, cōmunis efficacitas & virtus erit in humana & diuina Chriſti natura,

Pag. 57. l. 7. & 58. l. 14.

propter

A propter hanc vnionem hypoſtaticam: ſed tum habendi, tum etiam inhærendi ratione & modo tantùm different. Nam quæ diuina natura & à ſe, & velut proprium ſubiectum habet, ea habebit humana natura non à ſe, ſed à Deitate, & non vt proprium eorum ſubiectum. Quod etiam confirmat illa ſimilitudo de ferro candenti à Kemnitio toties allata. Nam vim vrendi & lucendi habet ferrum ignitum non à ſe, ſed à calore. In eo tamē diſcrepat iſta ſimilitudo, quod calor quidem eſt in ferro ignito, vt in ſubiecto. Kemnitius verò non vult illam omnipotentiam propriam λόγου eſſe in humana Chriſti natura, vt in ſubiecto, licèt illi re ipſâ, & de facto communicetur, vti ſentit. Hæc autem qui ſentit, quid aliud, obſecro, ſentit, quàm humanam Chriſti naturam eſſe iam per illam vnionem hypoſtaticam, & communicationem (quam à Deitate accepit) non tantùm diuinam, ſed Deum ipſum effectam? Nam ſi eadem Maieſtas, & omnipotentia, ſi eadem operatio & B virtus diuina eſt, & lucet in vtraque natura, vtraque certè iam non diuerſa aut duæ, ſed vna tātùm natura erunt. Præclarè enim Patres, Quarum rerum eſt eadem ἐνέργεια, earundem quoque vnā eſſe οὐσίαν, id eſt, eſſentiam neceſſariò demonſtrarūt. Nec iſtam blaſphemiam excuſat, quòd illa plenitudo Deitatis, illæque diuinæ virtutes & operationes ſtatuuntur à Kemnitio in humana Chriſti natura, vt communicatæ. Nam in diuinis orthodoxè dicimus, Filium ſeu λόγον, habere eſſentiam diuinam à Patre, ſiue à Patre ſibi communicatā, nec propterea tamen minùs eſt Filius ſeu λόγος Deus, quàm Pater. Quare, etiamſi concederemus Kemnitio, humanam naturam aſſumptam non habere plenitudinem deitatis, niſi per communicationem: tamen ex eo non conſequetur illam nō eſſe verè & realiter Deum, niſi malit ex Scylla in Charybdin incidere, id eſt, duplicem Deitatem veram conſtituere, vnam videlicet, quæ ſit ex ſeſe: alteram verò creatam, & per conſequens vnam veram, & alteram falſam. Et quò tandem delabe-C mur? Cuicunque enim rei Deus, id eſt, ſeu Pater, ſeu Filius, ſeu Spiritus ſanctus (ſunt enim tres illæ perſonæ vnus Deus) diuinam illam, & ſuam propriam, ac eſſentialem omnipotētiam communicauerit re ipſa, eidem quoque hoc ipſum dederint, quod ipſi ſunt, nimirum vt ea res ſit verè, nō tantùm nomine tenus Deus, licèt non ab æterno, vt ipſi, ſed tantùm à tempore huius communicationis illi rei factæ, illa res ſit Deus. Nec etiam quicquam ſecunda iſta exceptio iuuat Kemnitiū, quòd ait, nimirum illam omnipotentiam (quam vult reipſa in humana Chriſti natura eſſe) tamen in ea necvt in ſubiecto ineſſe, nec transfuſam, nec Phyſica aut eſſentiali inhæſione communicatam. Nam iſta quidem verbis dicuntur, ſed ſeſe, vt ſæpe diximus, euertunt: & animi cruciatum, quem ſentit ex ſuo illo errore Kemnitius, oſtendunt: ſed nullum tamen eidem laboranti remedium afferunt. Perinde enim ſonat hæc iſtius hominis oratio, atque ſi idem diceret ineſſe aliquid, & non ineſſe. Quod enim in humana Chriſti natura ineſſe affirmauit, ſtatim tamen negat eidem ineſſe. Atque ita ſe ſibi contrarium, & animi incertum prorſus declarat. Quid enim poteſt alij reipſa ineſſe, quod in eo tamen, neque vt in ſubiecto inſit, neque vt eſſentia inſit, id eſt, quod in eo (cui reipſa communicatum eſt) nec vt ſubſtantia, nec vt accidens dicatur? Iſtæ ſunt gerræ hominum otioſorum, & nugæ, quæ ſeipſas penitus confutāt, quicquid ſudet, & quantumuis iſta repetat & inculcet Kemnitius in tam contraria ſibi ipſi ſententia defendenda. Sed quid tamen poſtea dicat, videamus. Ait, propter illam vnionem hypoſtaticam, *eſſe factam inter vnitas illas naturas, & earum idiomata communionem & participationem.* Hoc ipſum videtur Kemnitius explicaſſe, *vt in hac vnione vna natura non ſeorſim agat, quod proprium eſt. Item, vt quæ propria ſunt naturarum, propter hanc vnionem communia fiant perſonæ.* Et certè, ſi ita ſentiret, quæ ab vna Chriſti natura fiunt, alteri quoque perſonaliter, id eſt, quatenus Chriſtus, vt totum quiddam, conſideratur, non ſecundum ſuas naturas diſtinctas, tribui & communicari, non quidem reali, ſed dialectica duntaxat prædicatione: ſi diceret ἀποτελέσματα ipſa, & effecta Chriſti Mediatoris eſſe communia vtriuſque naturæ, B vnaquaque tamē natura in eo opere agente quod ſuum eſt & proprium: denique ſi diceret, hanc à ſe communionem idcirco defendi, ne, (quandoquidem manēt etiam poſt hanc vnionem propriæ & inconfuſæ ſingularum naturarum actiones) perſona ipſa Chriſti diſſolui cenſeatur (quemadmodum aduerſus Theodoretum Cyri Epiſcopum, ſententiam & verba Cyrilli captantem, rectè reſpondit Cyrillus) ſi, inquam, iſta diceret Kemnitius, & verum diceret, & toti piæ ac eruditæ vetuſtati aſſentiretur, & nos illi facilè ſubſcriberemus. Sed aliud planè ſentit. Vult enim vnam naturam, ne id quidem, quod ſibi proprium eſt, agere poſſe ſine communione alterius, id eſt, ſine altera ad eā operationem aſcita & adhibita, adeò vt ne diuina quidem iam quicquam niſi per humanam agat, id eſt ea ſibi vt collega & συνεργῷ, etiam in merè diuina actione, & omnes creatas vires ſuperante, aduocata & aſſumpta. Hoc verò quid aliud eſt, quàm ex vtraque Chriſti natura vnam quandam tertiam ex vtraque compoſitam fingere? vt ait C Damaſcenus. Nam ſi operationes, quæ ſunt ſingularum naturarum in Chriſto, iam non ſunt aut manent propriẹ & diſtinctæ, ſed effectæ ſunt cōmunes: certè communis quoque in Chriſto natura eſt ex vtraque compoſita. Qualis eſt enim ἐνέργεια, talis quoque οὐσία, quoniam ex οὐσία pendēt & producuntur ἐνέργειαι. Quid igitur? Patres quidem, ne ex Neſtorianorum errore videretur diſſolui vnica illa Chriſti perſona, quum ſingulis Chriſti naturis ſuẹ incōfuſẹ, & propriẹ operationes, etiā poſt vnionē, tribuūtur, & alia dicitur eſſe Dei, alia hominis Chriſti volūtas, alia Chriſti vt Dei miracula edentis, alia eiuſdē vt hominis ſanādos tangētis, excitandos inclamātis actio, dixerūt vnā naturā μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας operari. Quod ipſum quid ſignificet, explicans Damaſc. docet, nō aliā eſſe huius orationis mentē, quā vt intelligatur, etiam poſt vnionem, manere diſtinctas in Chriſto naturas, & in illa diſtinctione tamen manere vnitas: aliam eſſe propriam cuiuſque naturæ actionem, miniméque alteri communicatam: ſed vnius perſonæ tamen eſſe vtraſque illas actiones. Adeò vt ratione perſonæ, non cauſſæ agentis, has etiam actiones θεανδρικὰς appellarint, quaſi non

Kemnit. 278. Baſil. l. 4. cōtra Eunomium. Chryſoſt. in Ioann. Euang. c. 10.

Pag. 58. l. 10.

Pag. 36. l. 5. à fi.

Damaſ. l. 3. de orth. fide c. 14.

A à ſolo Deo vel homine: ſed ab eo, qui idẽ & Deus & Homo eſſet, effectas: non autem θεανδρικῶς, quaſi & ab humana, & diuina natura ſimul illa actio, quæ merè diuina eſt, ſit effecta. Quare ſic quoque ſcribit eodem in loco Damaſcenus, Nec ἀνθρωπίνως agebat etiam humana opera Chriſtus, nec diuina θείως. Nam non ſolùm homo, ſed & Deus erat, quum agebat: non quod in ipſa diuinę naturæ actione diuina natura ſociam & aſcitam admoueret humanæ Chriſti naturæ manum: ſed quòd perſona ipſa agens etiam per & ſecundum vnam ſuam naturam, erat tamen homo & Deus. Vnde & ſalutares & viuificæ dicuntur ipſius paſſiones, & actiones. Quamobrem ad vnius illius ὑφισταμένου inſeparabilem vnionem deſignandam, non autem ad ipſarum naturarum in vnam actionem vnius tantùm naturæ propriam conſociationem & cooperationem ſic loquuti ſunt, *Vna natura operatur cũ communione alterius*, id eſt, οὐκ ἰδιαιρίτως καὶ ἀνὰ μέρος, ſed ἑνιαίως) vt loquitur idem Damaſcenus) non ſeparatim & ſeorſim, & per ſe exiſtẽs & diſiuncta ab altera operatur, nẽpe hoc ad perſonæ tantùm vnitatem, non autem ad naturarum ipſarum, vel propriarum vtriuſque actionum cõmunicationem ſeu cooperationem hanc communionem referentes. Bernardus, *Nimirum in quo* (Chriſto) *habitat omnis plenitudo* Deitatis, *non vmbraticè, ſed corporaliter, in quo Deus eſt reconcilians mundum ſibi, non figuratiuè, ſed ſubſtantialiter, qui denique plenus eſt gratiæ, & veritatis, non cooperatiuè, ſed perſonaliter.* Α᾽ποτελέσματα igitur Chriſti ſunt vtriuſque naturæ communia (qualis eſt noſtra expiatio ſeu redemptio, regeneratio, iuſtificatio, ſalus, glorificatio, &c.) ſed in ipſis ἀποτελέσμασι, neque confuſæ, neque communes, neque communicatæ, vel etiam communicabiles ſunt illarum naturarum, videlicet diuinæ & humanæ, operationes, etſi cõiunctim tamen, & eodem tempore vtraque ſæpe operatur. Ergo velle communem eſſe aliquam, & velut compoſitam ex vtraque Chriſti natura operationem (id quod ſuæ naturarum communionis C nomine intelligit Kemnitius) eſt planè & Monophyſitarum, & Monothelitarum grauiſſimum errorem ab inferis reuocare. *Impoſſibile enim eſt*, ait Damaſcenus, *quidpiam compoſitum eſſe ex duabus voluntatibus*, eodémque modo ex duabus operationibus, *hunc in morem, quo duabus ex naturis compoſitam dicimus hypoſtaſim. Primò quia compoſitio eſt eorum, quæ in hypoſtaſi ſunt* (id eſt, quæ ſunt partes hypoſtaſeos) *non autem eorum, quæ illi alia ratione inſunt, & non vt propriè efficientia hypoſtaſim conſiderantur. Deinde ſi voluntatem, & actionum aliquam cõpoſitionem* (Hanc Kemnitius vocat communionẽ idiomatum & naturarum) *eſſe dixerimus, & aliorũ quoque Phyſicorum idiomatum compoſitionem eſſe fateri cogemur, & rei creatæ & increatæ, viſibilis & inuiſibilis, & ſimilium. Et quomodo ex voluntatibus* (Eodémque modo ex operationibus) *compoſita voluntas* (itémque actio) *nuncupabitur? Impoſſibile enim eſt, compoſitum eorum, vnde componitur, appellationem accipere: alioqui compoſitum ex naturis, naturã appellabimus, & non hypoſtaſim. Cæterùm ſi vnã compoſitam voluntatem* (vel actionem ſeu operationẽ) *in Chriſto dixerimus, à voluntate* (& actione) *Patris eum ſeparabimus. Nam non eſt compoſita Patris voluntas* (nec actio.) *Relinquitur igitur, vt dicamus ſolã hypoſtaſim Chriſti compoſitam, & communem hunc in modum naturis, quemadmodum & naturalibus proprietatibus eius.* Ex quibus iam intelligitur quàm falſa ſit hæc Kemnitij ſententia, qui ex duarum illarum naturarum hypoſtatica in Chriſto vnione colligit, & naturas ipſas, & earum idiomata in eã communionem coaluiſſe, vt omnes actiones ſic communes iam habeant, vt vna ſine alterius communione, (non quidem in perſonę ipſius vnitate, ſed in ipſa operationis efficacitate, virtute, & effectione) operari non poſſit, ne id quidem, quod ſibi proprium eſt. Ergo per hanc vnionem hypoſtaticam humana natura effecta iam erit perpetua & indiuidua diuinæ συνεργὸς, & omnium illius actionum κοινωνὸς, & particeps. Certè quicquid proprias ipſius Deitatis actiones edit, vel ad eas efficiendas perpetuò & ſemper cum Deitate cooperatur, & aſſumitur, Deus ſit neceſſe eſt.

Bernard. Sermo 4. de Fer. hebdomadę Pœnoſæ.

Damaſ. l. 3. de orth. fide c. 14.

Kemnitius pag. 57. linea 5.

B *Ex illa vnione cum λόγῳ accepit (aſſumpta natura) non tantùm incomprehenſibilia & ineffabilia dona, & ornamenta creata & finita, formaliter ipſi inhærentia: ſed quia tota plenitudo Deitatis Filij Dei perſonaliter in aſſumpta natura habitat, plenitudo illa lucet in ea tota, ita vt caro illa hoc quaſi lumine accenſa, ipſa etiã luceat, atque ita ditata ſit diuinis virtutibus, & operationibus, non per Phyſicam effuſionem, aut eſſentialem inhæſionem, ſed per œconomiam vnionis, vt λόγος omnipotentiæ ſuæ opera in illa, cum illa, & per illam aſſumptam naturam pro beneplacito ſuo exerceat, & perficiat ſicut anima corpori, & ignis ferro ignito potentias & operationes ſuas communicant, ſicut poſtea explicabitur.*

Theſ. 4.

Danæus.

C Tertium huius vnionis effectum conſtituit Kemnitius in communicatione gratiarũ ſeu donorum, quæ aſſumpta natura, id eſt, humana præter Phyſicas ſuas proprietates à diuinitate λόγου propter eam vnionem accepit. Et quidem hæc communicatio, ſeu acceſſio gratiarum de humana Chriſti natura debet diſertè intelligi: propterea quòd diuina nullum ab humana donum, nullámve gratiam aut ornamentum accepit, imò per incarnationem facta eſt diuinæ naturæ quędam κατάβασις, & μείωσις potiùs, id eſt, deiectio, & diminutio quodammodo, quàm ἀνάβασις, & δόξα, id eſt, *aſcenſio & decoratio*, quemadmodum patres orthodoxi loquuntur. Quo ſenſu intelligenda ſunt illa quoque Chriſti ipſius verba de ſe homine facto loquentis, *Filius hominis, qui deſcendit de cælo.* Leo Epiſt. 22. *Auxit Chriſtus humana diuinis.* Quare de eo nobis cum Kemnitio conuenit, humanam naturam nihil ornamenti in diuinã contuliſſe: ſed omnia ſua ab illa accepiſſe: & quæ propter hanc vnionem hypoſtaticam facta eſt donorum & dotium collatio, omnẽ in humanã, id eſt, aſſumptã duntaxat naturam effuſam redundaſſe. Porrò gratiarũ iſtarũ ĩ aſſumptã naturã à deitate λόγου collatarũ duplex genus conſtituit hoc loco Kemnitius. Vnũ eorũ, quæ formaliter ipſi humanæ Chriſti naturę inhærent, quę vocat finita, & creata dona, qualis vera perfectáq; puritas, ſanctitas, incorruptio, & gloria in cælis immẽſa. Alterũ earum, quæ reipſa quidẽ eadẽ humana Chriſti

Ioan. 3. 13.

natura

A natura propter hanc vnionem habeat, ſed tamen nec formaliter, nec Phyſica effuſione, nec eſſentiali inhæſione: ſed per œconomiam vnionis. Huius poſtremi generis exemplum eſt, plenitudo Deitatis, quam in carne Chriſti lucere ait Kemnitius: item omnipotentiæ diuinæ opera, quæ communiter & cooperatiuè cum ipſa Deitate ſemper iam efficit humanitas Chriſti: denique reliqua eiuſdem generis, velut vbiquepræſentia, omniſcientia, &c. de quo ipſe prolixam ad tędium vſque repetitionem reponet. Sed grauiſsimè fallitur Kemnitius, qui plenitudinem Deitatis eſſe gratiam, & qualitatem putet, quũ eam ait in Carne lucere, non ipſam diuinam eſſentiam. Scholaſtici, quemadmodum antea demonſtratũ eſt, homines in iſtis diſputationib. exercitatiſſimi, duplicem in carne Chriſti gratiam veriſsimè diſtinguunt: vnam, quam habitualem: alteram quam gratiam tantùm vnionis vocant.

Domaſce. lib.3.c.22. de ortho. fide κατὰ χάριν.

Habitualis gratia eſt, quæ propter hanc naturarum vnionem B re ipsâ, & formaliter ipſi carni Chriſti inhæret, eámque ornat & ditat gloriâ, etiam Angelis ipſis beatis incomprehẽſibili: quam habitualem gratiam neque Phyſica effuſione, neque vllo naturali modo carni Chriſti communicatam eſſe, ſed planè μεταφυσικῶς, id eſt, *ſupranaturali modo*, ijdem conſentiunt.

Durand. in lib.3. Sentent. Diſt 4. Quæſt 3. Thom. in 3 quæſt.7

Talis eſt illa beatitudo, & gloria, & potentia, quæ homini Chriſto ad dextram Patris ſedenti data eſt. Gratia vnionis eſt ea, quæ non efficit vt aliquid carni Chriſti inſit re ipſâ: ſed quæ facit, vt Deus, & eſſentialia eius idiomata, de vnita ſibi natura humana hypoſtaticè dicantur, veluti quum Chriſtus Homo, qui & Deus, mundi & animarum noſtrarum creator, miraculorum operator, rerum ſuſtentator & cætera huiuſmodi nominatur. Hæ, quia ſunt veræ & propriæ Deitatis ἐνέργειαι, nec re ipſa carni Chriſti inſunt, nec ei realiter communicari poſſunt: propter vnionem tamen hypoſtaticam κατ' ἄλλο de humana Chriſti natura in concreto nonnunquam dicuntur. Nec enim ea gratia eſt intra Chriſti carnem. Hęc eſt Scholaſticorum C ſententia, cui ſi Kemnitius (idem enim videtur velle) ſubſcribit, res tranſacta eſt, & tollenda eſt omnis iſta controuerſia, quoniam inter nos conuenerit. Sed aliud planè ſentit. Nam cum eo pulchrè in hoc gratiarum genere conſentimus, quas ipſe creata & finita dona vocat, quáſque Chriſti carni formaliter (etſi, quemadmodum ipſe quoque concedet, *non naturaliter*, id eſt communi naturæ humanæ ordine, ſed ſupranaturaliter) inhærere conſentit. Eaſdem enim cum patribus in humana Chriſti natura ineſſe, & à Deitate λόγου, & propter vnionẽ hypoſtaticam agnoſcimus: quas & tot & tantas eſſe fatemur, quot & quantas nulla alia creatura capere poteſt. Itaque propter earum gratiarum eminentiam & plenitudinem patres carnẽ Chriſti θεῶσθαι, quemadmodum ſcribit Damaſcenus, dixerunt, id eſt, *Diuinam, non autem Deum, factum eſſe.*

Damaſce. l.3. ortho. fid. cap 17.

Neque enim propterea in illa Chriſti carne, vel mutationem naturę illiúſque proprietatum eſſentialium vel verſionem, vel confuſionẽ, vel ἀλλοίωσιν factam eſſe patres volunt. Nam eodem in loco idem Damaſcenus ſubiicit, μεμενήκασιν γὰρ καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν αἵ τε φύσεις ἀσύμφυρτοι, καὶ αἱ τούτων ἰδιότητες ἀλώβητοι. *Manſerunt enim etiam poſt hanc vnionem tum natura impermixtæ: tum etiam earum proprietates illæſæ*: ſed A ideo duntaxat θεωθεῖσαν carnem Chriſti nominabant, quòd illi vnitum eſſet Dei verbum. Itaque de iis, quas iſte formaliter in carne Chriſti inhærere ait: Scholaſtici verò gratias humanæ Chriſti naturæ habituales vocant, & quas eaſdem naturales eſſe rectè negant, nulla nobis cum Kemnitio reſtat controuerſia. Has enim & ipſi agnoſcimus, & nobis incõprehenſibiles ac ineffabiles eſſe confitemur. De quo igitur manet iam inter nos diſceptatio? De illo nimirum altero gratiarum genere, quod Kemnitius conſtituit. Affirmat enim Deitatis plenitudinem in ipſa carne Chriſti (nec enim iam de perſona Chriſti, ſed de aſſumpta natura, id eſt, humana per ſe, licèt vnita, conſiderata disertè loquitur) re ipſa ineſſe, eiq; re ipſa communicari, ſiue id eſſentiali, ſiue Phyſico, ſiue nec eſſentiali, nec Phyſico inhæſionis aut infuſionis modo fiat: nec enim diſtinctiones iſtas B moramur. Vult præterea Deitatem λόγου omnipotentię ſuæ opera ſemper per humanitatem perficere & exequi, eámque Deitatis facit perpetuam σύνδρομον συνεργὸν, & cooperatricem. Hoc verò, quid aliud eſt, obſecro, quàm humanam Chriſti naturam, non iam diuinam, ſed Deum efficere? Nam qui Deo ſiue Patri, ſiue Filio in omnibus ipſius operib. non tantùm comes perpetuus, ſed etiam indiuiduus cooperator eſt, is certè Deus ſit, neceſſe eſt, quoniam erunt indiuiſæ huius cooperatoris cum Deitate operationes. Quorum autem ſunt eædem ſeu indiuiſæ ἐνέργειαι, eorundem quoque ſunt eædem οὐσίαι. Chriſtus ipſe, quum ſe parem Deo, & Deum eſſe domonſtrare vellet, hoc potiſſimùm ab operationis conſociatione & coniunctione ducto argumento apud Ioannem confirmat, *Pater meus*, ait, *vſque operatur, & ego operor.*

Ioan.5.17.

Item. *Non poteſt Filius à ſemetipſo operari, niſi viderit Patrem operantem. Quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit.* C Adeò, vt quemadmodũ ex eo, quod ait Chriſtus, *Ego & Pater vnũ ſumus*, ipſum verè Deum eſſe, rectè ſemper concluſit orthodoxa Eccleſia: ſic ex hoc quoque, quod inquit idem, *Pater vſque operatur* & *ego operor*, eadem rectè quoque Chriſtum Deum eſſe euicerit.

Ioã.10.30.

Ex eadem hac quoque perpetua regula natum eſt illud Chriſtianum ἀξίωμα, S. Trinitatis opera eſſe indiuiſa, quoniam vna eſt Sanctæ illius Trinitatis eſſentia: & viciſſim vnam eſſe S. Trinitatis eſſentiam, quia indiuiſa ſunt trium illarum perſonarũ opera. Ergo & Filium eſſe Deum, vti & Patrem: & S. ſanctum vt & Patrem & Filium, quoniam vbicunque, & quandocunque operatur Pater, operatur & Filius, & S. ſanctus, quanquam eſt alia Patris, alia Filij, alia S. ſancti in ea ſocietate operis ratio propria, vt rectè colligũt Patres. Ex quo fit, vt, ſi vbicũque Deitas λόγου agat, ibidem etiam, & quidem ſemper, humana Chriſti natura ſimul non modò operetur (quod verum ſemper eſſe negamus) ſed etiam Deitati cooperetur (quemadmodum falsò vult Kemnitius. Nam à Deitate λόγου omnipotentiæ ſuæ opera per aſſumptam naturam iam perpetuò & effici & perfici ſcribit) certè humana Chriſti natura ex ea indiuiſa in operãdo ſocietate, cõſociatione, & coaſſumptione De eſſe à nobis meritò cõcludatur. Hæc igitur oĩa tã abſurda refutãt iſtã Kemnitij ſentẽtiam, de communicatione reali plenitudinis Deitatis, & ſecun

A di generis gratiarum facta carni Chriſti: quantumuis eam falſitatem eo commento tegat, quòd hæc realis communicatio non fiat inhærenter, ſiue ſubiectiuè. Sed & illud quoque eandem Kemnitij ſententiam ſubuertit, quòd neque plenitudo ipſa Deitatis vlli omnino rei realiter communicari, præterquam ei, qui natura Deus eſt, poteſt. Neque omnipotentiæ Dei opera ſunt reipſa vlli rei κοινωνητὰ, aut per aliud quicquã, quàm per ipſam omnipotentiam, fieri poſſunt. Quid enim, obſecro, plenitudinis Dei præter Deum ipſum, capax eſſe poteſt? Quid item omnipotentiæ Dei opus, præter Deum ipſum, poteſt cooperari? Nã ſi omnipotentia, ſi omniſcientia, ſi omnipræſentia, ſi infinitum eſſe, ſi ſummum eſſe, ſunt propria Dei ipſius (qua ab omnibus reb. creatis, quantumuis excellẽtibus, ſecernitur (gloria, certè nec hæc ipſa attributa, nec eorum opera & effecta alij, quã Deo realiter conuenire aut tribui, aut tota, vel ex parte communicari poſſunt. Scientiam quidem, B & potentiam, & præſentiam, & gradum quendam ſuperiorem quibuſdam rebus à ſe creatis, magnâ ſua miſericordiâ confert & donat Deus (nec, ſi nihil quicquam extra ſe communicaret, nihil omnino eſſet) ſúntque huiuſmodi donorum Dei magna & egregia quædam in hominibus opera ſeu effecta: ſed omnipotentiam, omnipræſentiam, omniſcientiam ſuam nec in totum, nec ex parte vlli cuiquam rei communicat. *Gloriam enim meam*, inquit ipſe, *alij non dabo.* Itaque illa ſcientia, potentia, &c. toto genere ab illa Dei differt, & earum etiam opera ab huius operibus. Denique nihil quicquam, quod Deitatis ipſius proprium & eſſentiale eſt, vlli omnino rei creatæ (qualis eſt humana & aſſumpta à Chriſto natura) realiter communicari poteſt, niſi Deum quendam nouum naſci & fieri poſſe concedamus. Nec verò Kemnitiũ excuſat, quod carnẽ Chriſti organum tantùm Deitatis facit, non autem cauſſam vnâ cum Deitate efficientem. Nam quum idem addat, hoc organum *eſſe, & perpetuum & inſeparabile à Deitatis operatione*: certè συνεργὸν illi planè facit, C id eſt, ſine qua Deitas operari iam non poſsit quaſi cui partem ſuæ efficacitatis Deitas reſignarit, vel communicarit. Sed neque illud excuſat quoque Kemnitiani erroris ἐναντιότητα, quòd hanc plenitudinem Deitatis nec *eſſentiali inhæſione*, nec *Phyſica infuſione*, in carne Chriſti lucere, & realiter ineſſe ſentit. Nam quum idem apertè fateatur, eam ſic Chriſti carni propter vnionem hypoſtaticam communicari, vti ab anima vires & operationes corpori inſunt: & ab igne calor ferro ignito transfunditur, quis non videt hanc communicationem & phyſica effuſione fieri, & deitatis plenitudinem in carne Chriſti, tanquam in ſubiecto, ex hac ſententia, inhærere? Quomodo enim alia quàm Phyſica & naturali effuſione, vires ab anima corpori communicantur? Aut quomodo calor ignis in ferro ignito, niſi tanquam accidens in ſubiecto inhærenter ineſſe dici poteſt? Niſi fortaſſe putet Kemnitius caloris iſtius in ignito & candenti ferro exiſtentis, aliud ſubiectum eſſe quàm ipſum ferrum, & poſſe alium calorem eſſe illius caloris (qui eſt in ferro) ſubiectum, id eſt, poſſe accidens eſſe accidentis ſubiectum ac ὑποκείμενον. Quo quid abſurdiùs cogitari poteſt? Ergo nulla hîc inter eos modos (quib. aliud in alio realiter ineſſe ac inhærere poteſt) diſtinctione opus eſt, Kemniti, quia nullo A prorſus modo plenitudo Deitatis ipſi Chriſti carni realiter communicari, illíque reipſa ineſſe poteſt: nec Dei omnipotentiæ opera ab alia quàm à ſeipſa, fiunt & perficiuntur. Alioqui iam non eſſet illa omnipotentia, quę vel alio quodam à ſe diſsimili & diuerſo cooperario perpetuò egeret, vt tu ſtatuis: vel hac ſe lege conſtrinxiſſet, vt ſuis viribus ſolis nihil iam efficere, &, quemadmodum etiam addis, perficere poſſet. Sed duo quædam Kemnitium in iſtum errorem adduxerunt. Vnum, quòd in vniuerſum cenſet, naturarum vnitarum operationes omnes, propter vnionem hypoſtaticam, inter ſe communicari: alterum, quod propter locum Pauli Coloſſ. 2. perperam à ſe intellectum in hac vnione naturarum Chriſti fallitur. Ergo quod ad primum ex iſtis duobus, fundamentum, illud omnino falſum eſt: & tale eſſe quis non videt? Anima enim & corpus in ſingulis nobis hypoſtaticè vniuntur, quis B tamen dixerit propterea omnes animæ operationes corpori communicari? Meditatio, quæ fit ſola animi agitatione: Ratiocinatio, qua ſoli & taciti apud nos aliquid efficimus, deliberatio, electio, denique omnes θεωρητικοῦ animi noſtri μέρους ſeu intellectus actiones corporíne noſtro animato ab anima, quęſo, communicantur? Ne id quidem dixerit Kemnitius. Meditans quidem & ratiocinans, & deliberans animus noſter non eſt (quandiu manet vnio in his terris) extra vnionem corporis, aut ſeorſim, nec per ſe tunc ὑπόστασιν ſuam habet, vt ſeparatim ſubſiſtat: tamen has actiones ſuas nequaquam, propter illam ſui cum corpore hypoſtaticã vnionem, corpori communicat animus, aut eas per corpus ipſum perficit, imò vt plurimùm plus impedimenti, quàm adiumenti corpus his animi actionibus affert. Ergóne Deitas Chriſti quę poſt aſſumptam carnem, & ante paſsionem ſuam etiam mundum C cum Patre regebat, omnia in omnibus operabatur, cœlos mouebat, Reges & Regna dabat, animas hominum creabat, hæc per illam carnem ſuam aſſumptam operabatur, & perficiebat? Illa quidem non efficiebat alius, quam qui ſimul homo verus, & verus Deus erat, neque Deitas λόγου ſuã hypoſtaſim ἰδιαιρέτως & ſeparatim ab aſſumpta humanitate tunc habebat: ſed aliud eſt, tunc, vti & nunc, coniunctam fuiſſe in vnione hypoſtatica Deitatem λόγου cum aſſumpta natura: aliud autem per eam omnia opera ſua impleuiſſe vel implere. Quamobrem rectè quidem dici poteſt, Deitatem λόγου ſine humana natura propter vnionis permanentiam, ac conſeruationem illa opera verè Diuina, & ſua non præſtare, aut efficere. Manet enim illi indiuulſè vnita: Rectè tamen & verè nequaquam dici credíve poteſt, Deitatem λόγου per illam ſuã carnẽ aſſumptam omnia illa & nũc perficere, & tunc perfeciſſe. Quæ, quoniam Athanaſij, Leonis primi, Theodoreti, Cyrilli, Damaſceni infinitis penè locis, iíſque notiſsimis, confirmãtur, ſuperuacaneum iudicaui, vel illos tranſcribere, vel hîc diutiùs inhærere, quamobrem ad alterum illud Kemnitij fundamentum accedamus. Eſt autem hic Pauli locus, *Nam in eo* (Chriſto: Verba enim hæc præcedunt. *Secundum Chriſtum*) *omnis plenitudo Deitatis inhabitat corporaliter.* Quod

Coloſſ. 2. v. 9.

A *ter.* Quod ipſum explicans Kemnitius ait in corpore illo aſſumpto Deitatem λόγου *habitare perſonaliter.* Itaque *Mariæ Filium dici Filium Altiſsimi:* Pag.52. & poſtea, *Totam Deitatis plenitudinem in natura humana fuiſſe perſonaliter depoſitam.* Pag.67. Et quidem rectè, ſi poſtea tam bonam interpretationem nō deprauaret ipſemet. Nam illum σωματικῶς, *corporaliter*, apud Paulum eam notionem ac ſignificationem habet quam & ὑποστατικῶς, id eſt, *perſonaliter*, vel οὐσιωδῶς, id eſt, *eſſentialiter*, quemadmodum illius Pauli loci interpretes omnes Græci veriſsimè explicarūt. Ex quo fit, vt primū τὸ σωματικῶς, diſtinguat, imò potiùs toto genere ſeparet cū Deitatis inhabitationis modū, quo Deitas in hoc homine Chriſto ineſt, abeo, quo eadē Deitas in reliquis hominib' piis habitat. In his enim ἐνεργητικῶς tantū, nec velut pars quædam perſonæ ſingulorū: verū in hoc homine Chriſto ὑποστατικῶς, & οὐσιωδῶς, &, vt pars ipſius perſonæ, ineſt. Deinde illud idē τὸ σωματικῶς oſtēdit, ad ipſam vnionē, & per cōſequens B ad perſonam potiùs, quàm ad humanam, & aſſumptam tantùm naturam referendum eſſe, quod à Paulo dicitur. Nam, ſi carnem ipſam Chriſti per ſe etiam in ipſa vnione cogites, plenitudo Deitatis in ea nequaquam contineri poteſt. Quo modo enim caro Chriſti (quę & creatura, & finita eſt) Diuinam, ac infinitam eſſentiam, qualis eſt plenitudo Deitatis, comprehenderet depoſitam ac concluſam haberet? Ergo propriè in perſona Chriſti, non in ipſa carne Chriſti, eſt iſta Deitatis plenitudo: ſed quia hæc caro in illa perſona ſubſiſtit, eíque hypoſtaticè eſt vnita, in ea quoque carne eſſe, & habitare corporaliter Deitatis plenitudo dicitur. Neque verò ſentiendum eſt Deitatem λόγου ſic per hanc vnionem in aſſumpta carne comprehenſam eſſe, quemadmodum vel vinum in dolio, olim Arca illa fœderis (quę præſentiæ Dei ſignum Iudæis erat) in Tabernaculo ſeu Templo concludebatur (etſi corpus Chriſti Ioan.2.v.19. appellatur, veriſsimum illius Deitatis & Templum & velum propter ſingularem illum inhabi- Heb.10.v.20. tationis modum) vel quemadmodum anima noſtra in noſtro corpore continetur, quanquam illa Deitas illi carni hypoſtaticè copulatur. Longè ſanè diuerſa eſt iſtarum rerū ratio & comprehenſio, vel ex eo præcipuè, quòd duæ illæ, nimirum Arca fœderis, & anima hominis, ſunt finitę & καταληπτοί: Deitas λόγου prorſus eſt ἀκατάληπτος ac infinita. Vnde colligitur tum Kemnitium, tum alios, qui hanc vnionem hypoſtaticam in vna Chriſti perſona factam, illi, quę eſt animę, & corporis humani, per omnia comparant, hallucinari grauiſsimè, cùm multæ inter vtranque Vnionem diſsimilitudines obſeruentur, de quibus poſtea ſuo loco dicemus. Et quod illū Pauli locū exponēs Damaſcenus ait, ἐν σαρκί, id eſt, *in ipſa carne* habitare plenitudinē Deitatis, eo penitus modo intelligendū eſt, nempe de vnione, vt ad perſonā, nō ad ipſam Deitatis in carne aſſumpta circunſcriptionem & inhæſionem pertineat, aut ſignificet. Sed quemadmodum plenitudo Deitatis λόγου non fuit per & propter hanc vnionem in aſſumpta carne concluſa: ſic neq; in eam diffuſa, nec illi realiter cōmunicata: nec ipſa humana natura in ſocietatem, effectionem, & cooperationē operationum merè diuinarum cooptata, & aſcita. Manſit enim illius aſſumptæ naturę tum eſſentia, A tum proprietas in hac vnione inconfuſa: manſit illa & virtute, & capacitate finita: manſit denique & humana, & creata natura: non autem ipſa quidam Deus aſcititius & recèns per vnionem cum Deitate effecta eſt. Atque hoc ipſum eſt, in quo priorem ſuam de hoc Pauli loco, *Plenitudo Deitatis in Chriſto inhabitat corporaliter*, interpretationem peſsimè Kemnitius deprauat. Sic enim putat, plenitudinem illam Deitatis λόγου fuiſſe per hanc Vnionem realiter cōmunicatam carni Chriſti, vt Deitas in iſta carne ſic luceat, ſicque aſſumpta natura *ſit diuinis virtutibus, & operationibus, id eſt, Dei eſſentialibus proprietatibus ditata, vt λόγος omnia ſuæ omnipotentiæ opera per illam aſſumptam naturam efficiat, & perficiat.* In quo iam oſtendit ſe vel nolle hoc ratione vnionis à Paulo dictum eſſe: vel quid ſit ratione vnionis, vel *perſonaliter*, aliquid carni Chriſti tribui, non intelligere. Ipſam enim Deitatis λόγου plenitudinem vult realiter effuſam: vel communicatam (idem enim eſt) in ipſam aſſumptam naturam. Vult omnipotentiæ diuinæ, id eſt, ipſius Diuinæ eſſentiæ partem (quid B enim aliud eſt omnipotentia λόγου, quàm ipſamet illius eſſentia?) eſſe realiter huic carni communicatam: vult denique hanc carnem eſſe diuinæ naturæ operationibus, ac virtutibus, & ipſis eſſentialibus Deitatis proprietatibus propter hanc vnionem ditatam. At negat id fieri Phyſica effuſione, nempe vt Iacobum Andræam refutaret, qui iſta per effuſionem fieri putat. Nam noſtrorum nemo vnquam vel dixit, vel credidit, quas dotes accepit aſſumpta caro à Deitate λόγου, eas Phyſico modo & ratione accepiſſe vel habere: ſed planè, vt ſunt illa ſupranaturalia dona, ita ſupranaturali modo ea habet caro Chriſti. Negat etiam Kemnitius id fieri eſſentiali inhæſione. Nimirum quaſi poſsit plenitudo Deitatis eſſe accidens, & in aliquo ineſſe accidentali inhæſione, quę quidem eſt ipſa non modò οὐσία, ſed omnium οὐσιῶν cauſſa. Imò vero nuſquam, ac nulla omnino in re poteſt ineſſe, vel realiter, & verè communicari plenitudo Deitatis, quin eidem vt eſſentia inſit, & per con- C ſequens eſſentiali modo inhæreat. At negat Kemnitius plenitudinem illam à Deitate λόγου effundi, vt poſtea illa careat ipſa Deitas, ſitque ſua illa plenitudine ſpoliata. Quis etiam noſtrum hoc vnquam dixit, vel illis affinxit, vel ex Kemnitij, collegarúmque verbis collegit? Cōmunicatam enim non tranſlatam: effuſam, non tranſfuſam illā Deitatis λόγου, plenitudinem in aſſumptam naturam iſti dicunt. Neque ſanè nos aliter ex ipſorum verbis intelligimus. Neque enim neceſſe eſt, vt ſi plenitudo Deitatis realiter alij communicata & ſit, & dicatur, vt illa detrahatur Deitati, à qua datur ſeu communicatur: ſed omnino neceſſe eſt, vt illud, cui plenitudo Deitatis realiter communicatur, ſit verus Deus. Exēpli gratiâ, plenitudo Deitatis à Patre communicata eſt Filio, adeò vt ὑπόστασις Patris tota luceat, vt in proprio, viuo, & natiuo charactere, in perſona Filij: propterea tamen eam Deitatis plenitudinem Patri nequaquam ademptam dixerimus. Pater & Filius plenitudinē Deitatis ſuæ Spiritui ſancto communicarunt, ſua tamen illa, & eadem Deitatis, plenitudine ſeſe nequaquam propterea ſpoliarunt. Neque quiſquam noſtrum vnquam ita ſenſit, vel in illo de S.Trinitate argumento, vel in hoc de rea-

A li communicatione idiomatum Deitatis eſſentialium in carnem Chriſti, quod nunc tractamus. Sed illud tantùm, quod ſecūdo loco diximus, (& in quo totum noſtrę refutationis aduerſus Kemnitium momentum poſitum eſt) quódque Kemnitius ipſe minimè negauerit omnino neceſſarium eſſe, vt nimirum & Filius & Spiritus ſanctus ſint verè Deus, quoniam cuicunque plenitudo Deitatis realiter communicata eſt, ſiue Phyſico, ſiue hyperphyſico modo (nihil enim iſta ad rem) illud verè quoque Deus ſit neceſse eſt. Hæc pluribus ſum perſequutus, quoniam ex iis rectè perceptis perſpicua iam omnium Kemnitij errorum refutatio futura eſt, cùm illorum hoc ſit vnicum fundamentum, nimirum, propter hanc vnionem hypoſtaticam, naturam à λόγου Deitate aſſumptā. i. naturā humanā eſſe omnium & virtutum & operationum Deitatis realiter participem, συνεργὸν, κοινωνὸν, & ſociam. Quod quā & falſum, & blaſphemum, & ineptum ſit, abundè,
B quemadmodum exiſtimamus, oſtendimus.

Kemnitius pag. 57. linea 17.

5. Theſis. *Quam maieſtatem in ipſo primo momento Vnionis, quando tota plenitudo Deitatis in Chriſto habitare cœpit corporaliter, humana natura accepit ac habuit: ſed ratione exinanitionis, tempore humiliationis illam non ſemper exercuit, & vſurpauit: depoſita autem in reſurrectione & aſcenſione ſerui formâ in plenariam ac manifeſtam eius poſſeſſionem & vſurpationem per ſeſſionem ad dexteram maieſtatis & virtutis Dei, collocata, & exaltata eſt.*

Danæus.

Quartum huius Vnionis effectum recenſet Kemnitius, ſed non veriùs, quàm illud, de quo proximè diximus. Eſt autem hoc, humanam naturam λόγου Deitate aſſumptam, propter hanc vnionem ab ipſo conceptionis ſuæ momento in his
C terris realiter prędítam fuiſſe ea ipſa gloria & maieſtate, quā nunc habet in cœlis poſt ſuam glorificationem. Quamobrem eam realiter habeb, per Kemnitium, etiam ipſo illo tempore, quo in his terris verſabatur, & quo eſt exinanitus, & paſſus, & crucifixus pro nobis Chriſtus, ſed illam gloriam, & maieſtatem ſemper vſurpare ac exercere nolebat. Quid nos ad hæc? De hoc facilè cum Kemnitio conſentimus in ipſo primo vnionis, incarnationis, ac conceptionis momento, plenitudinem Deitatis corporaliter in aſſumpta ſeu humana natura habitare cœpiſſe, ex eóque tempore ſemper in ea habitaſſe, & nūc quoque habitare, ac denique in æternum poſtea propter hanc vnionem habitaturam eſſe. Quod autem ille inde cōſequi & effici putat, pernegamus, nimirum, vt propterea ab hoc eodem Vnionis, ſeu incarnationis momento humana Chriſti natura eam gloriam, & maieſtatem habuerit, quam nunc habet, & quā per reſurrectionem, aſcenſionē, & ſeſſionem ad dextrā Patris, quaſi quibuſdā gradibus accepit. Quis enim magna Docetarum hæreticorum (quos ſupra Kēnitius ipſe dānauit) Cap. 3. erroribus fundamenta hac ratione nō videt ſubſterni, ſi eandē gloriā carni Chriſti in cruce ꝓ nobis patienti, & laceratæ adfuiſſe dixerimus, quam & poſt reſurrectionem verſans in terris etiam ipſis, & poſt aſcenſionem in cœlis nunc habet? A Nónne enim hæc eſt illius gloriæ, quam poſt reſurrectionem caro Chriſti accepit, pars, vt ſit impaſſibilis, inuulnerabilis, immortalis: item, vt dolores nullos, ac defatigationes nullas, & cætera huiuſmodi nulla ſentiat aut perferat? Quam conditionem & qualitatem ſi in ipſa morte Chriſti carni ac humanæ ipſius naturę realiter adfuiſſe dixeris, in Valentinianorum, Marcionitarū, & Manichæorum teterrimorum hæreticorum caſtra tranſeas iam licet, Kemniti, & quos antea toto cap. 3. improbaſti, probes iam neceſſe eſt. Quomodo enim illius hæreſeos crimen vel tu, vel alij tuæ ſententiæ homines effugere poſsitis, nō video. Nam externum tantum illius miſeræ noſtræ carnis σχῆμα, & ſpeciem habuerit tempore ſuæ exinanitionis Chriſtus, non autem verum ipſum σχῆμα, & verè miſeriam noſtram induerit & portauerit. Si diceres eandem illam carnem, quæ pro nobis exinanita eſt, poſtea in ſummam, (quanta vlli creaturæ B tribui poteſt) gloriam ac maieſtatem fuiſſe euectam, faterer, ſi diceres illam carnem ab æterno ad illam gloriam fuiſſe deſtinatam: ſi velles eam ab ipſo primo Vnionis, ſeu incarnationis momē to fuiſſe tota ſanctitate, iuſtitia, & donis aliis, quæ ad Mediatoris ſatisfacientis munus implendum pertinebant, ornatam, quæ poſtea tamen ſe per temporum momenta exeruerunt, (Proficiebat enim Ieſus, *Sapientia & ſtatura, & gratia apud Deum & homines*, quemadmodum Lucas ſcripſit) hæc facilè concederem: Luc. 2. v. 52. ſed vis eam carnem omni illa gloria, maieſtate, gratia, & donis omnibus ab ipſo conceptionis momento præditam fuiſſe, & eadem illa reipſa habuiſſe in his terris, quę nūc poſt reſurrectionem, poſt aſcēſionem, poſt ſeſſionem ſuam ad dexteram Patris habet glorificata in cœlis. Hoc tantùm diſcrimen à te conſtituitur, quòd nunc quidem ſemper *plenariè*, & perpetuò eam gloriam, maieſtatem, & dotes retinet, demōſtrat, vſurpat, & exercet: tempore verò exinanitionis, C & conuerſationis ipſius in his terris non ſemper, ſed pro re nata, non perpetuò, ſed pro beneplacito ipſius, ex parte, non plenariè exercebat ac exerebat. Quæ tua ſententia, ſi vera eſt, quomodo verum erit Apoſtoli dictum, quod ex Pſalmis ſumptum eſt, *Feciſti eum* (Chriſtum nempe) *pauliſper inferiorem Angelis*? Heb. 2. v. 7. Pſal. 8. v. 6. Quomodo enim minor Angelis fuiſſe verè dicetur, qui eadē illa gloria etiam tunc, quatenus homo, re vera præditus erat, quam nūc in cœlis habet? Nam de carne, non Deitate Chriſti, locum illum accipiendum eſſe, mecum, vt opinor, fateberis. Itaque Apoſtolus ipſe ſuum dictū explicans ait, *propter mortis perpeſſionem* factum eſſe Chriſtum hominem inferiorem Angelis, qui nunc in eadem illa natura eſt gloria & honore coronatus, ſupra Angelos omnes à Patre. Ergo adimit Apoſtolus Chriſto ante mortem, & paſſionem eam ipſam gloriam & honorem, quo iam eum vndique cinctum, coronatum, veſtitum, & ornatum agnoſcit. Ex quo fit vt eam gloriam in humana Chriſti natura fuiſſe ab ipſo conceptionis momento, nequaquam Apoſtolus agnoſcat, quam eandem nunc habet, niſi fortaſſe velis Chriſtum nō re ipſa tūc inferiorē, qua homo, Angelis fuiſſe: ſed visū ita putatū dūtaxat eſſe. Porrò ſi verū dicis, Kēniti, Xp̄s ſerui formā verè nō aſſūpſerit

contra

A contra Pauli ſententiam tamen, ſed vmbratilem Philip. 2. v.7.8. tantùm & fictam, & imaginariam ſerui formam, & habitum, quod certè ſentis, & ſcribis, idque apertiſsimè pag. 473. vbi ais, *Chriſtum habitu, ſeu conditione externæ, viſibilis, &c. conuerſationis in ſimilitudinem reliquorum hominum factum eſſe.* Se ipſum enim ſuæqúe carnis gloriam duntaxat celauerit, vt pote quæ iam impaſsibilitatis conditionem realiter habebat: ſed nõ oſtendebat; quæ Docetarum vetus eſt hæreſis. Itaque veram exinanitionem Chriſtus non induerit. Quæ enim inter Docetas hæreticos, & Patres orthodoxos differentia eſt, niſi quòd Docetæ cenſent, Chriſtum ita hominem effectu ὐσίᾳ vt tamen (quia λόγος erat) eſſet impaſsibilis, & ὁμοίωμα hominis, ſimilitudinem, nõ infirmitatem humanæ carnis aſſumpſiſſet. Orthodoxi verò Patres cõſentienter Dei verbo defendunt, Chriſtum non tantùm induiſſe ipſam humanæ naturæ ὐσίαν (quàm Paulus δουλομορφὴν vocat) ſed etiam illius infirmę & inglo- B Rom. 8. v.3. riæ propter peccatum effectæ proprietates, conditionem, ſtatum ac qualitates omnes (quas Paulus & σχῆμα, & ὁμοίωμα ἀνθρώπου nominat (excepto tantùm ipſo peccato. Quare illa ipſa carnis humanæ, & peccatricis infirmitas ipſi Chriſti carni ante ipſius mortem tota, ſemper, perpetuò, & plenarie, non ad tẽpus, nõ ex diſpenſatione, non ad certas tãtùm actiones inhærebat, illíſque quemadmodum noſtræ, velut in ſubiecto, inerat, adeò vt omnis contraria qualitas) qualis eſt imprimis illa maieſtas & gloria, quæ ea impaſsibilem facit, & quã poſtea accepit) à carne Chriſti tunc prorſus abeſſet. Aliâs enim neque ὁμοούσιος nobis, (qualem tamen nobis fuiſſe Kemnitius fatetur) neque verus homo, neque verè frater noſter fuiſſet, ſed diſpenſatione tãtùm, id eſt, ad quædã temporis, & vitæ ſuę momenta, & ad quaſdã tantùm actiones homo iſte nobis ſimilis fuiſſet: ſed re ipſa iam glorioſus, iam ab hac ſerui forma & habitu, cui in his terris propter peccatum obnoxij ſumus, prorſus diſsimilis, ac immunis, & exemptus. Ecquod igitur fuit exinanitionis carnis Chriſti tem- C pus, ſi ab ipſo conceptionis momẽto eadem gloriâ realiter veſtita, & prædita fuit humana Chriſti natura, quam nũc habet in cœlis? Niſi & nunc quoque carnem Chriſti diſpenſatione exinanitam dici poſſe iſte velit, quoniam non maiorem gloriam nunc, quàm tunc, tempore ſuę inter nos conuerſationis, & exinanitionis habeat, licèt eam ſemper indutam, & lucentem iam teneat, quàm tunc ad certa temporis momenta tantum, & ad quaſdam actiones obeundas tegebat & comprimebat. Quid hoc ipſum eſt denique, quàm velle ὐσίαν quidem humanam, & naturæ peccatricis eſſentiam fuiſſe quidem à Deitate λόγου aſſumptam: illius autem σχῆμα, id eſt, miſeriam, οὐδένειαν, pœnas (excepto peccato) & proprietates, & ſortem illi neceſſariò inhærentes, non fuiſſe niſi per temporum quædã interualla, & ad certas tantùm actiones aſumptã? Verũ huius Kemnitiani erroris duplex eſt fundamentũ. Vnum quidẽ, quòd vt in ſuperiore theſi vidimus, ſentit vir iſte, plenitudinem Deitatis λόγου fuiſſe naturę aſſumptę reipſâ cõmunicatam per hãc vnionẽ hypoſtaticam. Sed hoc falſum eſſe ſupra docuimus vt quidem Pag. 36. Ioan. 8. v. 19. 9. v. 6. ipſe intelligit. Alterũ, quòd legerit Chriſtũ in his terris, & in hac carne exinanita & infirma verſãtem tamen edidiſſe pleraque miracula verè Diuina, A velut ambulaſſe ſuper aquas, ſanaſſe tactu ægros, & huiuſmodi infinita penè alia. Sed quis propterea collegerit plenitudinem Deitatis aſſumptæ carni fuiſſe tunc realiter communicatam, aut carnem cum Chriſti ipſius Deitate perpetuò cooperatricem finxerit, cùm iſta miracula non humana natura Chriſti, ſed Diuina ediderit? Chriſtus enim idcirco viuificat, & ſanat, &c. quia, vt in- Athanaſ. li. 5. cõtra Arrianos. quit Athanaſius, *Deus ſermo accepta ſerui forma vocatus eſt Chriſtus*, & ad ea efficienda non plus caro Chriſti, quàm ad edita ab Apoſtolis miracula caro Apoſtolorum contulit, aut virga Moſis ad edẽda miracula Moſi profuit. Adhibitum igitur non nunquam eſt, fateor, à Chriſto carnis à ſe aſſumptæ miniſterium, dum edidit miracula, non tamen ſemper, ne caro hęc cẽſeretur eſſe perpetua Dei- Pag. 74. tatis ipſius συνεργὸς: (quod vult tamen Kemnitius) neque eſt adhibita, velut cauſſa efficiens, vel vt cauſſa ſine qua non, & velut organon illius perpetuum & inſeparabile (vt iſte vult) illius miraculoſi & omnes humanæ naturæ vires ſuperãtis ope- B ris: ſed vt nudum duntaxat inſtrumentum, quæ, quid Deitas illa λόγου efficeret, auribus vel oculis hominum demonſtrabat. Sic Lazarum excitaturus Chriſtus clamauit voce magna *Lazare adeſdum.* Putátne igitur Kemnitius ſonitum ipſum, & aerem ex ore Chriſti expulſum reddidiſſe mortuo Lazaro vitam? Id apertè dicit ipſe quidem, in quo certè grauiter errat. Nam ſonus ille & vox il- Pag. 73. la Chriſti contentiſsima fuit excellentiſsimi operis (quod ſola Chriſti Deitas efficiebat) index, nõ cauſſa vel συνεργὸς ad vitam Lazaro reddendam. Leonem illum primum in Epiſtola ad Chalcedonenſe concilium: Cyrillum in Dialogis de Trinitate: Athanaſ. Dialog. 2. contra Arrianos: & Damaſcenum lib. 3. de fide orthodoxa cap. 3. in hunc locum tranſcripſiſſem, ſed in re per ſe manifeſtiſſima, & ex Dei verbo certiſſima, quid Patrum autoritate opus eſt? Ergo ad quintum huius libri caput tranſeamus.

AD CAP. V.

Quomodo ex Scripturæ teſtimoniis ſuperiora confirmet Kemnitius.

C

VEL Caput hoc omnino prætermiſſum, vel alio quodam loco collocatum eſſe oportuit. Sed prætermitti meritò debuit, quum nihil niſi tum inanem ſuperioris capitis iiſdem non modò ſententiis, ſed & verbis repetitionem, eamque adeò ſæpenumero factam, manifeſtè contineat: tum eorum ipſorum, quæ poſtea bis, ter, quaterue, imò toto hoc ſatis craſſo volumine eadem dicturus eſt, anticipationem, quemadmodum præmonuit ipſemet Kemnitius. Quod, quàm mole- Pag 69. & 72. & 74. & 75. ſtum & ἀπροσδιόνυσον ſit, in tanta præſertim, & tam frequenti, quæ fit ab iſtis huius argumenti, tanquam eiuſdem cantilenæ, recitatione, vident omnes, & Kẽnitium ipſum ſatis vetus prouerbium docere potuit δὶς κράμβη θάνατος. Verùm vt nos immeritò, à quibus nulla vnquam iniuria laceſsitus eſt, flagellaret, quaſi non ſatis vel piè, vel potiùs pro ipſius guſtu & arbitratu vnionem hypoſtati- Pag. 62. cam definiremus, illi placuit fruſtra tot paginas

A implere, & librum hunc ſuum, atque nos lectores huius capitis inutili mole onerare, vti aliis plurimis. Nos autem, qui & breuitate & perſpicuitate delectamur, & lectorum otio abuti nequaquam volumus, hoc caput in duas partes diuidemus, quarũ prior quid nobis hîc cũ Kẽnitio cõueniat: poſterior, quid diſcrepet, breuiter continebit. Hæc ſunt igitur, de quib. nullũ nobis cum eo certamen eſt, quoniam nec in iis ipſe cũ ſacratiſſimo Dei verbo pugnat, & illa ipſa ex noſtrorum ſcriptis, ſæpe nec verbis quidem immutatis, tranſcripſit. 1. *Incarnationem Chriſti, inquantum eſt opus ad extra, eſſe totius Trinitatis* ἀποτέλεσμα, *ſeu opus, pro quo impropriè dixit operationem* Kemnitius, id eſt, ἐνέργειαν, & ἐνέργημα confundit. 2. *Duas illas naturas in Chriſto non per ſe & ſeorſim ſingulas ſubſiſtere, vt ſint duæ perſonæ: ſed vnicam tãtùm Chriſti perſonam efficere.* 3. *Illas autem ſic eſſe vnitas, vt non ad partem Deitatis* λόγου, *pars humanitatis aſſumptæ ſit copulata: ſed vt & tota humana natura aſſumpta,* B *& ſingulæ ipſius partes à tota Deitate, & ſimul, & indiuulsè ſuſtententur. Itaque extra eam vnionem neque ſeparatim hypoſtaſim habent, neque in alia re & perſona ſubſiſtunt: neque parti pars, ſed tota natura aſſumens toti aſſumptæ in qualibet ſui parte copulata eſt, eámque tota ſuſtentat.* 4. *Sic tamen in vna illa Chriſti perſona has naturas ſubſiſtere, vt nec ſint inter ſe confuſæ, nec permixtæ, nec abolitæ, nec æquatæ vel ipſæ naturarum eſſentiæ, vel earum eſſentiales proprietates: neque etiã naturam quandã tertiã ex vtraque, diuina nimirum & humana, aſſumpta coaleſcentem & conflatam efficiant, vt ex aqua & melle permixtis fit tertium quiddam diuerſi generis compoſitum, quod neque verè aqua eſt, neque mel, ſed eſt mulſum. Itaque vnus hic & idem Chriſtus eſt & verus Deus, & verus homo: non autem quiddam tertium ex Deo & homine permixtum.* Id quod iam ſuprà capitulo tertio conceſſimus. Hinc verò ſequitur, nullam quoque in Chriſto eſſe mixtam ex vtriuſque vnitæ naturæ confuſis, aut communibus viribus operationem: ſed manere etiam in hac vnione C ſuam cuique propriam ἐνέργειαν & actionem, quæ minimè alteri naturæ communicabilis ſit, adeo vt in ἀποτελέσμασι ipſis, quæ vtriuſque naturæ communia ſunt, (quale eſt noſtræ redemptionis opus) diuina natura ſuas & diuinas, humana verò ſuas quoque & humanas actiones diſtinctè operetur. Ratio autem huius eſt, quod quum ἐνέργειαι ab eſſentia proficiſcantur, ſicut eſſentiæ ipſæ poſt vnionem diſtinctę, miniméque communicabiles inter ſe manent (nec enim humanitas Chriſti facta eſt Deitas λόγου) ita manent quoque propriæ earundem eſſentiarum ἐνέργειαι diſtinctæ, miniméque communicabiles, quemadmodum in hominibus ipſa ratiocinatio (quæ eſt propria noſtræ mentis actio) nequaquam ab anima corpori (cui tamẽ eſt vnita) cõmunicatur. 5. *Chriſtũ igitur in vnica illa perſona, per Deitatem eſſe Patri Deo: per humanam autem naturam aſſumptam eſſe nobis hominibus* ὁμοούσιον. 6. *Nec enim Deum ſeu diuinã naturam ſic eſſe in Chriſto, quemadmodum vel generaliter eſt in aliis rebus omnibus, vel quemadmodum per inhabitationis gratiã peculiariter habitat in aliis ſanctis, vel etiã quemadmodũ noua quadã ratione in vita futura erit Deus omnia in omnibus: vel deniq; ſic vt citra perſonæ coalitionem Pater dicitur eſſe in Filio, vel Pater & filius in Spiritu ſancto, ſed per hypoſtaticam vnionem plenitudinem Deitatis in illo homine corporaliter habitare, non autem per ſolam attingentiam aut aſſiſtentiam vni alteram coniungi aut conglutinari.* 7. *Ergo hanc vnionem à Deitatis eiuſdem* λόγου *inhabitatione & exiſtentia in cæteris rebus non tantùm ſecundum magis & minus, ſed toto genere differre. De vno enim duntaxat Chriſto dictum eſt, dicíue poteſt, Hic homo* λόγος *eſt: de Deitate autem* λόγου *in* Petro, *Paulo, &c. inhabitante non item, Petrus* λόγος *factus eſt.* Hoc ἀξίωμα veriſſimum à Kemnitio conceſſum Iacobi Andreæ ſententiam, velut blaſphemam, prorſúſque Eutychianam damnat & euertit. 8. *Hæc igitur duarum in Chriſto naturarum copulatio ſic facta eſt, vt* ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, καὶ ἀδιαστάτως, i. *indiuulsè, inſeparabiliter, & indiuisè iam vnitæ, non tamen coextenſæ, aut exæquatæ maneant. Itaque neutra illa natura per ſe ſeorſim aut ſeparatim iam ſubſiſtit. Quòd enim* λόγος *aſſumpſit, nunquam deſerit. Nec aſſumpta à* λόγῳ *natura per ſe exiſtere, & in propria hypoſtaſi ſuſtentari poteſt.* 9. *Eſt verò hæc vnio* μονότροπος καὶ ἐξαίρετος, i. *ſingularis & præ reliquis vnionum modis omnibus eximia, arcana, incomprehenſibilis & ineffabilis.* Et hæc quidẽ de hypoſtatica naturarum in Chriſto vnione, & illius definitione inter nos rata & immota permanento. Quod autem ad eiuſdem effecta, quæ in ſuperiori capite tradere voluit Kemnitius, in hiſquoque, quę ſequuntur, nos cum eo conſentimus: nempe, 1. *Propter hanc vnionem hypoſtaticam vnam naturam non prædicari de alia: ſed concretum de concreto. Nec enim verè dici poteſt, Deitas eſt humanitas, vel humanitas eſt Deitas: ſed Deus eſt homo, & homo hic eſt Deus.* 2. *Item per hanc vnionem dona eſſe à Deitate* λόγου *humanæ naturæ à ſe aſſumptæ, collata & communicata, eáque ſupranaturalia & immẽſa, non dimenſa, quæ illi formaliter inſint & inhæreant.* Plenitudinem autem Deitatis (quoniam eſt non tantùm quiddam ſupranaturale, ſed quod aſſumptam naturam, id eſt, humanam vel prorſus abolet, vel Deitati exæquat) à λόγῳ carni ſuæ collatam, vt ei re ipſa inſit, & fiat eſſentialium ipſius idiomatum verè particeps, & antea, & nunc quoque Kemnitio (qui grauiſſimus eſt illius error) pernegamus. Concedimus verò etiam quod ſequitur. 3. *Carnem Chriſti, nec* C *extra, nec aliunde: ſed ab ipſa* λόγου *Deitate, cui hypoſtaticè vnita eſt, eam gloriam, & maieſtatem,* i. eas dotes ſibi inſitas, *accepiſſe, quam etiam poſt depoſitam ſerui formam habuit.* Hæc ſunt igitur, de quib. hoc capite, tum in huius vnionis hypoſtaticæ explicatione, tum etiam in illius effectis, nobis cum Kemnitio conuenit, quæ prior eſt huius capitis pars à nobis propoſita. Iam ad alteram veniamus, in qua quibus in rebus ab eodem diſſentiamus, eſt dicendum. Ac primùm in ipſa duarum in Chriſto naturarum vnitione & coalitione tradenda.

Pag. 61. 62.

Pag. 63. & ſeq.

Kemnitius pag. 63. l. 10.

Natura diuina τοῦ λόγου, *ſeu Deus* λόγος, *ſeu perſona Filij Dei ſubſiſtens ab æterno in diuina natura aſſumpſit in plenitudine temporis certam maſſam humanæ naturæ: vt ita ſit in Chriſto, ſcilicet diuina, & natura aſſumpta, ſcilicet humana. Ioan.* 1. *Verbum caro factum eſt.*

Th. f. 1.

A

Danæus.

Quoniam ſupra ſatis ſuperque explicatum eſt, quomodo non natura propriè, ſed perſona diuina aſſumpſerit humanam:& tamen vt phraſis iſta, Natura diuina aſſumpſit humanam,ſit intelligenda,nihil neceſſe eſt nunc repetere.

Kemnitius pag.63.l. 4.à fi.

Theſ.2.

Sicut anima Petri habet proprium & peculiare ſuum corpus,cuius etiam propria eſt anima , & cum quo conſtituit ſubſtantiam indiuiduam & incommunicabilem, quæ eſt perſona Petri. Atque hoc modo Scriptura expreſſè loquitur , de vnione duarum naturarum in Chriſto, Heb. 2. Sicut pueri communicarunt carni & ſanguini) ſimiliter & Filius Dei particeps factus eſt illorum.

B

Danæus.

Beza in Reſponſ. ad argum. Brentij. Et Simler. in lib. de vera Chriſti præſentia in his terris.

Heb.2.14.

Quanquam ex noſtrorum ſcriptis ſatis intelligi poteſt,quomodo tum ille locus Heb.2. tum etiam illa comparatio vnionis Corporis & Animę (quæ fit in ſingulis hominibus) cum illa duarum naturarum copulatione,quæ in Chriſto facta eſt, explicanda ſit,& vt voces illæ ſimilitudinis ὁμοίως, ὥσπερ, *Sicut, Quemadmodũ*, vel παραπλησίως, *Similiter*, tum in ipſa S.ſcriptura,tum apud Patres orthodoxos ſumendæ)denique de hoc ipſo latior diſputatio poſtea futura ſit:tamen, ne quod nobis ex iſto loco,tanquam ὁμολογουμένως conceſſo , præiudicium fiat,maturè pium lectorem admonemus , multas eſſe in iſta ſimilitudine diſſimilitudines , ſi quis ad viuum duas iſtas vniones reſecet, & eadem omnino ex vtraque colligi,vel poſſe vel debere putet.Eſt enim hæc vnio θαυμασία καὶ ὑπὲρ φύσιν , id eſt, *excellens & ſupra naturæ ordinem* , quemadmodum Theodorus Rhætenſis loquitur. Illa verò animæ cum corpore eſt naturalis.Ergo quum in hoc admirabiliſſimo myſterio (quo verbum æternum vnitum eſt humanæ naturæ) res omnibus modis diſſimiles & inæquales vnitæ ſint , & humana natura(quãuis eouſque propter perſonalem vnionem euecta,vt cum verbo,à quo ſumpta eſt,vnum conſtituat ὑφιστάμενον)non ſit tamen in diuinã mutata:mirum non eſt,non ſolui compoſitum, etiãſi vbicunque eſt diuina natura , ibi non ſit humana. Diſtat enim,inquit Theodoretus,etiam in hac vnione tantùm Deitas ab humana natura,*quantum quod recens eſt,ab æterno:& quod factum eſt,ab eo qui fecit.* At in corpore & anima humana vnitis,quum ſint finitæ naturæ,conſtante hac vnione, vbicunque eſt animatum hoc corpus,ibi eſt etiam anima. Quamobrem iſtam ſimilitudiuem admittimus, quatenus ex ea oſtenditur quòd, ſicut ex vno corpore,& anima vna fit vnum ὑφιστάμενον hominis:ita ex maſſa humana aſſumpta & λόγῳ fit perſona Chriſti : non oſtendit autem hæc ſimilitudo eas comparationes omnino inter ſe conuenire. Nam μετασχὼν αἵματος, καὶ σαρκὸς Χριστὸς, τουτέστιν ἀνθρωπότητος, quemadmodũ ait Athanaſius. *Propterea tamen non eſt duntaxat homo Chriſtus, ſed eſt Deus & homo.* At nosmeri homines ſumus.Itaq; non poſſunt omni ex parte iſtæ vniones inter ſe conferri ſeu comparari:quemadmodum ipſe quoque Kemnitius ingenuè poſtea fatetur & agnoſcit.

Theodor. Rhætenſis in li. adu. hæreſes.

C

Theodoretus Dialo. 3.

Athanaſius Dialog.5.in anianos.

Inf.c.6.

Kemnitius pag.65 linea 8.

Theſ.3.

Duæ illæ naturæ copulantur & vniuntur ad conſtituendum vnum in Chriſto incarnato ὑφιστάμενον.

Danæus.

Quomodo & hoc ipſum ſit intelligendum ſupra docuimus,atque vt hæc loquendi formula vel obſcurum,vel falſum quiddam habeat. Quum enim λόγος ſeu natura aſſumens eſſet,etiam ante aſſumptam carnẽ,perfecta plenáque hypoſtaſis ſeu perſona,loquitur obſcurè qui pro eo quod dicere debuit,vel *duas illas naturas non duo ſed vnum duntaxat ὑφιστάμενον conſtituere* , *vel aſſumptam naturam in naturæ aſſumentis perſonam coaluiſſe*, ſcribit, *duas illas naturas copulari ad conſtituendum vnum in Chriſto incarnato ὑφιστάμενον*,quaſi videlicet Chriſtus ante incarnationem ὑφιστάμενον non fuerit. Quod omnino,vel cogitare blaſphemum eſt, nedum verbis toties repetere & ſonare. Quod & ipſe Kemnitius poſtea animaduertit.

B

Kemnitius pag.66.l.23.

Theſ.4.

Nam ratio ſeu forma hypoſtaticæ vnionis non in eo tantum conſiſtit,quòd aſſumpta natura in perſona λόγου ſuſtentetur,geſtetur, & foueatur:ſed quòd non particula aliqua,ſed tota plenitudo Deitatis λόγου vnita eſt aſſumptæ naturæ,non ſicut in ſanctis tota eſt , ſed perſonaliter & ad vnum ὑφιστάμενον.

Danæus.

Quos hîc perſtringat Kemnitius,non eſt obſcurum. In nos enim hæc ſua tela contorquere voluit,qubd vnionem hypoſtaticam à coextenſione & diffuſione locali ſeparamus,quam vtranque ipſe & ſocij ipſius etſi verbo negant,re tamen manifeſtè confundunt.Deinde quum dicit, *Totam Deitatẽ eſſe in ſanctis*, dupliciter peccat.Primùm,quòd totam Deitatem , quæ eſt ipſa Trinitas , non diſcernit â Filij perſona,quæ ſola perſonaliter eſt in Chriſto.Secundò,quòd eſſe in ſanctis , quaſi ſanctorum proprium ponit , quum tamen tota Deitas ſit vbique:in ſanctis autem peculiariter dicatur non ſimpliciter eſſe,ſed habitare.Nos igitur cum Auguſtino & alijs Patribus loquentes,vt inhabitationem Deitatis λόγου,quæ eſt in aliis ſanctis,ab ea vnione,quæ eſt cum humana Chriſti natura, toto genere ſeparemus,non autem,vt iſti,ſecundũ plus & minus tantùm , diximus , naturam humanam, quam Chriſtus aſſumpſit,*à Deo non ſolùm regi , vt in aliis ſanctis , ſed etiam geri & ſubiri* , vt loquitur Theodorus Rhætenſis,& *geſtari*, vt loquitur Gerſon,quem inf.cap.6.& laudat & probat Kemnitius.Hoc *gerendi* ſiue *geſtandi* verbum Kemnitio, tanquam parum ſuæ reali communicationi fauens & congruens,diſplicuit.At placuit Auguſtino,cuius apud pios omnes longè maior erit,quàm Kemnitij,auctoritas.Diximus eandẽ humanæ naturę maſſam à λόγῳ aſſumptã , & in ipſius perſona & ab ipſius perſona ſuſtentari.Hoc quoque vocabulum , velut parum ad ſuam realem communicationem duarum naturarum concludendam commodum , Kemnitius reiicit . Atqui Patres omnes ſic locuti ſunt, & notio huius verbi vim perſonalis vnionis commodiſſimè exprimit niſi quis cauilletur , & nodum in ſcirpo quęrat.

C

Auguſt. tũlib.2.de Trinitate tum in Agone Chriſtiano.

A Sed neque Kemnitio gratum eſt *fouendi* verbum. Quod ipſum neque nobis quoque ſatis hanc arctiſſimam vnitionem, & admirabile vinculum videtur explicare, niſi aliquid, quo latiſſima illius fouendi ſignificatio reſtringatur, additum fuerit, veluti *perſonaliter fouetur.* Quid igitur Kemnitius? Non vult aliquā duntaxat Deitatis λόγου particulā vnitā eſſe aſſumptę naturę. Certè neq; id noſtrûm quiſquam vnquā aut ſenſit aut ſcripſit. Quis enim Deitatem λόγου impartibilem partiri voluit? Et in huius ipſius capitis prima parte de eo cum Kemnitio prius conſenſimus. Sed aliud quidpiam à nobis exigit, nimirum contendit, vt concedamus ſimul eodem loco exiſtere humanam naturam cum diuina, cui hypoſtaticè eſt vnita. Sic enim ipſe poſtea hoc ipſo capite, *Vnio enim non abſentiam alterius naturæ ſeorſim alicubi poſitæ ſignificat: ſed vtriuſque inter ſe præſentiſſimam vnionem, & vnitiſſimā præſentiam.* B Tunc enim gratè, plauſibiliter, & ad Kemnitij palatum, id eſt, falsò & contra ipſum Dei verbum vnionem hypoſtaticam duarū Chriſti naturarum definierimus, id eſt, in caſtra Eutychianorum tranſierimus, Monophyſitarum grauiſſimum errorem confirmauerimus, & carnem Chriſti vbique præſentem effecerimus. Qua blaſphemia ecquæ maior eſſe poteſt? Quod ſi Kemnitius his verbis, *ſeorſim poſitæ,* Neſtorij errorem, qui duas in Chriſto perſonas conſtituebat, excludit, & nos quoque facilè in eo illi aſſentimur. Verùm, ſi, quoniam alteram ab altera eſſe poſſe abſentem negat, vult has duas naturas ſic eſſe in Chriſto, vt propter earum vnionem vbicunque vna fuerit, nempe diuina, ibi etiam ſit altera, nimirum humana, conſequitur abruptam fuiſſe in Morte Chriſti perſonalem illam vnionem, quoniam non vbicunque erat corpus Chriſti, illic erat eiuſdem anima: quod tamen nefas eſt credere. Tunc enim anima fuit à corpore Chriſti per ipſam mortem ad tempus abrupta, id quod ne Kēnitius quidem negauerit, niſi Chriſtum verè mortuum fuiſſe neget. Iacebat igitur tunc Chriſti corC pus in ſepulchro, neque ipſius anima cum corpore tunc erat. Et tamen erat etiam tunc & anima & corpus Chriſti cum diuinitate λόγου inſeparabiliter vnita. Quare quæ perſonaliter vnita ſunt in Chriſto, nequaquam ita ſemper ſunt ſimul, vt vbicunque vnum ſit, ſit & alterum. Conſequeretur enim, vt ſi diuinitas λόγου tunc cum anima Chriſti præſens erat, tunc quoque corpus Chriſti cum eadem Deitate vnitum cum anima præſens fuerit. Hæc ἄτοπα diluat Kemnitius, & nos idem eſſe vnionem hypoſtaticam, & coextenſionem concedemus.

pag.67.

Kemnitius pag.67.l.27.

Theſ. 5.

Ex præcedentibus ſequitur (quod & ipſum ad hypoſtaticæ vnionis rationem pertinet) quòd iam poſt incarnationem, perſona λόγου extra aſſumptam naturam, & ſine ea ſeorſim & ſeparatim nec piè, nec rectè, vel cogitari, vel credi poteſt, aut debet, nec viciſſim caro aſſumpta extra λόγον, aut ſine verbo.

Danæus.

Hactenus quid nobis in vnione hypoſtatica explicanda cum Kemnitio conueniat, quidve diſcrepet oſtendimus: A nunc in effectis, quæ ex hac vnione colligit, idem præſtandum eſt. Et quoniam hoc ipſo capite, in quibus, quòd ad effecta conſentiamus, iam diximus: reſtat vt in quib. à Kemnitio vel propter verborum ipſius obſcuritatem, vel ſententiæ falſitatem, eorundem effectorum ratione diſſentiamus, breuiter annotemus. Ait igitur, ex hac vnione hypoſtatica primùm conſequi, vt nec perſona λόγου, ſine aſſumpta natura, nec aſſumpta natura ſine λόγῳ ſeorſim & ſeparatim credi vel cogitari poſſit. Hoc quidem in ſpeciem ſcitè, & planè dictum, multas tamen fraudes habet, & certè quidem totum hoc Kemnitij ſcriptum eſt technis & araneis huiuſmodi plenum, quæ licèt prima frōte videantur apertiſſimæ, magnarum tamen fallaciarū ſemina & inuolucra, niſi euoluātur, cōtinet. Ergo vt appoſitè & apertè loqueretur, dicere debuit, *nec perſona λόγου, ſine aſſumpta natura,* piè cogitari poteſt. Nec.n. in perſona Chriſti iā poſt incarnationem eſt idem perſona & ſola Deitas λόγου, B quoniam Deitas nomen eſt abſtractum & vnicam tantùm naturam ſignificat. Perſona verò totius compoſiti & concreti notatio. Deitas item & aſſumpta natura cogitari diſtinctè poſſunt: at perſona ipſa iam non poteſt, quod non animaduertit Kemnitius. Ergo perſona λόγου ſine aſſūpta natura nūc nō poteſt aptè conſiderari, at Deitas, & humana natura poteſt: ac etiam aduerſus Eutycheten debet. Cæterùm peſſimè particulam *Extra,* & particulam *Sine* pro vno & eodem accipit. Deinde, debuit idem dicere, *aſſumpta natura aut λόγος ſeorſim & ſeparatim exiſtere, ſeu ſubſiſtere non poteſt,* vt nimirum non quamlibet animi cogitationem excluderet, vti impiam, quæ fieri vel de Deitate λόγου, vel de aſſumpta natura poteſt ſeorſim & diſtinctè, id eſt χωρὶς, & (vt Græci loquuntur) διακριτικῶς: ſed eam duntaxat cogitationem & intelligentiam animi damnaret, quæ alterutram ex his duabus Chriſti naturis διασπαστῶς, διαπεριορίστως, ἀνὰ μέρος ſeparatim, per partes, & diuulsè ſubſiſtere & hypoſtaſim habere aut fingit, aut credit, aut cogitat. Nam licèt in vnica Chriſti perſona duæ illæ naturæ arctiſſimè copulatę vnitæque ſint, diſtinctè tamen in eaC dem manent, quam diſtinctionem Græci vocant διάκρισιν, & ſæpe διαίρεσιν. Ergo non facit hæc vnio, vt omnino non poſſint piè hæ naturæ diſtinctæ cogitari: imò impius eſt & hæreticus qui eas in Chriſti perſona confundit, aut συγχύτως cogitat. Præclarè enim Theodorus presbyter Rhœtenſis, de Eccleſia ſeu orthodoxè loquens, ait, ὅτι μὴ ἀνὰ μέρος ἓν τῶν ὁποτέρων ποιεῖται, ἢ τὴν διαίρεσιν χωρὶς τῆς ἑνώσεως ἢ τὴν ἕνωσιν χωρὶς τῆς διαιρέσεως, ἀλλὰ ἅμα καὶ μετ' ἀλλήλων, ἡνωμένως γὰρ διαιρεῖ μίαν μὲν ὑπόστασιν λέγων: φύσεις δὲ δύο, καὶ διακεκριμένως συνάπτει, δύο μὲν φύσεις λέγων, ἔμπαλιν τῆς ἀθεολογίας. *Quoniam (Eccleſia aut quicunque rectè ſentit) neutrumuis ſigillatim,* id eſt, *neque diſtinctionem abſque vnitione, neque vnitionem abſque, diſtinctione facit: ſed vtrumque ſimul, & mutuò coniunctim. Qui enim vnicam quidem hypoſtaſin, duas autem naturas dicit, ſic diſtinguit, vt vniat: & qui ordine conuerſo, duas naturas vnicam autem hypoſtaſim dicit, contraria prorſus ratione loquitur, quàm impiè de Deo ſentientes.* Quare, quum quamlibet ἐπίνοιαν & cogitationem, quæ fit diſtinctè de aſſumpta, aut aſſumente natura,

Theodor. Presbyter in lib. aduerſus hæreſ. cap. Eccleſ. definitio.

ra, damnat hoc loco Kemnitius velut impiam & A hęreticam,oſtendit ſe poſt hanc vnionem nec velle,nec credere vnam naturam diſtingui ab altera vllo modo poſſe:& eam animi cogitationem,qua naturas in vno ὑφισταμένῳ vnitas, & in ipſamet vnitione inconfusè manentes diſtinguimus,cũ illius ὑφισταμένου, ſeu perſonæ ſeparatione ac diuulſione imperitè confundere:denique ſe fallaciam captare,nimirum vt quia iſtę naturæ in Chriſto iam neque ſeorſim ſeponi, neque in duas hypoſtaſes diſtrahi poſſunt vel debent , pronuntiet hæreticam omnem noſtram intelligentiam , cogitationem, & animi actionem qua ſeorſim & diſtinctè quæque natura ex ſua eſſentia , ac veris proprietatibus à nobis cogitatur vel explicatur. Quod quum facit Kemnitius,quid aliud agit,quàm quòd ex Eutychianorum errore naturam aſſumptam , id eſt, humanam,aſſumenti,id eſt , diuinæ planè exæquat,vel eandem facit:& ſic vtranque naturã poſt hãc vnitionẽ in Chriſto cõfundit? Denique in eo quod ait hic idem: *Deitatem λόγου extra & ſine humana natura aſſumpta piè credi nec poſſe nec debere,* dupliciter peccat, Primùm , quòd has particulas B *extra* & *ſine* idem ſignificare putat. *Ergo*,inquit , *ſi Deitas λόγου extra naturam aſſumptam cogitetur aut credatur,etiam ſine ea cogitatur.* Nequaquam verò, Kemniti, ſed & te vocum iſtarum ambiguitas hîc fallit,& alibi multos tuos. Nam τὸ Extra locum rei denotat vel ſitum, vt alibi quoque eſſe poſſit, quàm ſit res,cum qua vel coniuncta eſt, vel non, vt brachium eſt extra thoracem: non tamen propterea à thorace ſeparatur, niſi amputetur : quod idem de naturis Chriſti dici poteſt,vnã extra alteram locari poſſe. *Sine* verò aliquo eſſe , ſignificat, eſſe ab aliquo,re ipſa ſeparatum : & Sine aliquo non eſſe ſignificat vnius rei cum alia vinculum indiſſolubile & connexionem & conſociationem, non locum . Quod poſterius de naturis Chriſti poſt vnionem dici non poteſt,quia illa conſociatio diſrumpi nullo modo poteſt. Et certè quæ inter ſe hypoſtaticè ſunt vnitiſſima,ſic tamen copulata ſunt,vt vnum extra aliud locum habere,& ſitum eſſe poſſit:verùm ſic coniuncta vinculo compoſitionis tenẽtur,vt alterum ſine alio ſubſiſtere non poſſit.Exempli gratiâ, pes vnitur hypoſtaticè C capiti in eodem corpore humano & viuente, & tamen pes eſt extra caput,id eſt, pes iſtius corporis poſitus eſt extra eum locum,in quo eiuſdem corporis caput collocatum eſt. Sine capite tamen ſuo pes iſte non eſt,vel ſubſiſtit , vt ſit huius corporis pes: alioquin enim fieret eiuſdem corporis diuulſio,nec iam iſte pes eſt vel pes,vel huius corporis pes,ſed vel cadauer , vel cadaueris tantùm pars quædam. Atqui hic tamen eſt fortiſſimus ad nos,vt putant,conſtringendos, iſtorum laqueus, vt ſi dixerimus & conceſſerimus Deitatem λόγου iam *ſine humana natura aſſumpta* eſſe non poſſe (id quod certè & dicimus & concedimus) ſtatim iſti concludant,Ergo Deitatem λόγου extra naturam illam aſſumptam eſſe non poſſe,id eſt , neque latius iam diffundi,neque pluribus in locis vnam, quàm alteram eſſe poſſe. Ex quo volunt conſequi, vtramque illam naturam in Chriſto poſt vnionem æqualiter diffundi & patere ,& loci ratione ſemper coexiſtere ſimul. Quod, vti docuimus,eſt & falſiſſimum, & ineptiſſimum . In quo alterum quoque huius Kemnitij ſententiæ vitium A apparet manifeſtè.Nam finitum infinito exęquat hominem Deo,& creaturam creatori,quod eſt vnicum horribilis blaſphemiæ exemplum. Nam etiam ſi reſpondeat Kemnitius non exæquari naturas,quanuis omnipotens & omnipræſens ſtatuatur quoque humanitas Chriſti, quoniam Deitas illam à ſe:Humanitas autem à Deitate accipiat inane eſt iſtud effugium , quum Filij & Spiritus ſancti perſonæ ſint Patri coæquales , quanuis ille quidem à Patre : hic autem à Patre & Filio ſit, quicquid eſt.

Kemnitius pag.68.linea 2.

Theſ.

In Chriſti enim carne habitat tota plenitudo Dei filij,& Pater eſt in Filio.

Danæus.

Tota plenitudo Deitatis λόγου in carne Chriſti propter vnionem illius cum illa carne aſſumpta B hypoſtaticè,habitat quidem : eadem tamen in ea carne aſſumpta non concluditur , velut carcere, vt & alibi quoque non ſit,& extra eam non ſe extendat,quod hîc putat Kemnitius:denique , vt illic ſit veluti anima noſtra in noſtro corpore , loco comprehenſa,quod tamem ſentit Kemnitius. Veruntamen ſuo ipſius exemplo refellitur. Nam Pater , quem hîc in Filio , id eſt , in Chriſto eſſe fatetur , non eſt ſic in Chriſto homine etiam glorificato , vt Patris Deitas extra carnem & naturam à Filio aſſumptam non ſit. Porrò,ſi non minus latè patet Deitas λόγου(quæ ſola hanc carnem ſibi hypoſtaticè copulauit) quàm & Patris , & S. ſancti Deitas,certè vti Pater , & S.ſanctus etiam extra carnem Chriſti ſunt , ita & deitas ipſa λόγου extra ipſius carnem , etiam ſibi hypoſtaticè vnitam,erit,aut ipſam in ea,velut in ergaſtulo concluſam eſſe,fateatur Kemnitius neceſſe eſt.

Kemnitius pag.68.l.6.

C

Theſ.7.

Chriſtus tradit ſe vitam habere à Patre , & illam vitã ſe perſonaliter depoſuiſſe in carnem aſſumptam vt plenitudinem illam , ex qua nobis omnia accipienda ſunt,non alibi,quàm in aſſumpta noſtra natura in Chriſto quæreremus.

Danæus.

Primùm omnium viderit Kemnitius,vnde ſumpſerit illud *deponendi* vocabulum. Sed ad rẽ ipſam veniamus. Alterum hoc eſt huius vnionis hypoſtaticæ effectum,ſuperiori quoque capite à Kemnitio,ſed perperam traditum,nimirum,Deitatem λόγου depoſuiſſe totam ſuam plenitudinẽ in ipſam carnem aſſumptam.Id autem,ipſum eſt,quod antea contendit,nos autem illi,& quidem verè , negauimus,Totam nimirũ plenitudinẽ deitatis λόγου fuiſſe reipſa ipſi carni Chriſti communicatã, adeò vt hæc caro iam ſit illius Deitatis, & omnipotentiæ,omníſq; virtutis illius eſſentialis indiuiduũ,& perpetuũ in omnib. operationibus,etiam iis(quæ

A merè diuinæ ſunt) edendis, inſtrumentum ϗ συνεργὸς. Verùm quid hoc, obſecro, aliud eſt, quàm quòd ipſe Kemnitius Iacobum Andreæ fraterculum ſuum manifeſtè iugulans damnauit? nempe realiter effuſas, ſeu reipſa communicatas eſſe carni omnes diuinas operationes, & virtutes Deitatis, & per conſequens eſſe effuſas omnes Deitatis proprietates eſſentiales in aſſumptam naturam. At addit Kemnius *Perſonaliter*: ita & Brentius, & Iacobus Andreæ dixerunt quoque, *per, & propter vnionem perſonæ ſeu hypoſtaticam fieri*, quod ipſum idem eſt, atque illud *Perſonaliter*. Verùm & iſti & Kenitius, offundendarum tantùm tenebrarum gratiâ, hoc adduxit. Neque enim τὸ *perſonaliter* retinent, vt hoc effectum perſonæ tantùm tribuamus: ſed vt caro ipſa aſſumpta (quæ per copulationem acceſſit ad perſonam λόγου) ſit effecta potens eâ ipſa omnipotentia, qua ipſa λόγου deitas eſt potens. Quare non mutat, ſed tantùm interpolat: non ſanat, ſed celat: non minuit, ſed auget antea damnatum à ſe Iacobi Andreæ errorem, quo-

Brentius in lib. recognitio. Iacobus Andreę in Theſibus Tubingenſibus.

B niam nimiis anguſtiis eum ſic apertè loquentem premi ſenſerat, aſtutior iſto Iacobo Kemnitius, & tamen in ſumma eôdem res redit, & idem hic ſentit, quod ille, ſed verſutè, veteratoriéque magis, coloratiúſque diſſimulat Kemnitius, quàm Iacobus: vult enim vterque ipſammet Chriſti carnem velut cauſſam efficientem nos viuificare in vitam æternam, non quidem vi, ſeu vita, quã à ſe illa caro habeat, ſed quam per vnionem hypoſtaticam à Deitate λόγου ſibi re ipſa communicatam habeat: vt partim iam ex ipſamet aſſumpta carne Chriſti, velut Deitatis in diuinis etiam actionibus omnibus cooperatrice, omnia nobis accipienda ſint: partim autem à Deitate. Obſecro, ſi hoc verũ eſt, nonne in ipſum Deitatis Thronum & gradum euehitur humana illa Chriſti natura, & caro, vtpote quę det ipſam vitam æternam, vel ſaltem ipſi Deitati exæquatur, fitque illius ſocia, & ὁμόθρονος, nempe ſocia creatura Creatoris. Ergo iã in illa vnione naturarum, & in perſona Chriſti non facit Diuina natura, quæ Deitatis ſunt: nec humana, quæ humanitatis: ſed ſola humana facit quæ ſunt & Deitatis, velut vitam æternam nobis infundere, &

C humanitatis, quale eſt ſuæ obedientiæ merito nos Deo reconciliaſſe, & peccatorum noſtrorum expiationem ſanguinis ſui effuſione impetraſſe, ac noſtram coram Deo iuſtitiam, ac redemptionem propterea eſſe. Hæc igitur Kemnitius. Sed quid Chriſtus ille certè verus, ac ſolus doctor noſter, ſapientia Dei, de vita æterna adipiſcenda concionans? Hoc ipſum pulcherrima quadam (quæ tamẽ ab iſtis nunquam eſt animaduerſa) diſtinctione proponit. *Spiritus* ait, *eſt, qui viuificat. Caro non prodeſt quicquam: verba, quæ loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Quomodo verò caro non prodeſt quicquam, quum idem Chriſtus in eâdem concione ſupra dixerit, *Amen, amen dico vobis, niſi ederitis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam* (*nempe æternam*) *in vobis* Sanè nec vita, nec iuſtitia, nec ſanctificatio Chriſti nobis imputari, noſtráque fieri verè poteſt, niſi ipſamet illa caro, in qua, & à qua ſola noſtræ iuſtitiæ, & ſanctificationis opus impletum eſt, priùs nobis re vera communicetur, fiátque per fidem verè quoque noſtra. Quare qui carnem Chriſti ab opere, & implemento ſuæ iuſtificationis, ſanctificationis, redemptionis, & reconciliationis coram Deo, ac per conſequens, ſuæ ſalutis, glorificationis & vitæ æter-

Ioan.6. v. 63.

ver.53.

A næ adipiſcendæ ratione ſeparat, aut excludit, ille certè nec quid ſit ſalus, & vita æterna, vnquam nouit: nec quæ illius ſint cauſſæ didicit. Neque tam is fidelis, & Chriſtianus à nobis, quàm prophanus, & Ethnicus dicẽdus eſt. Quomodo igitur caro Chriſti nobis viuifica eſt, & non viuifica: ex ea iuſtificatio, & ſalus, & glorificatio noſtra petenda eſt, & nõ petẽda? Certè ex ea diſtinctione quæ in illis, quæ iam citauimus, Chriſti verbis comprehenſa eſt: primùm vt carnem (id eſt naturã aſſumptam) à Spiritu, id eſt, Deitate ipſa diſtinguamus. Neque enim, vt opinor, quiſquam Spiritus nomen hîc accipiendum pro vel natura ipſa Diuina, vel illius efficacitate negauerit, qui Romanorum cap.1. ver.4. & 2. Cor.13. ver.4. & 1. Pet.3. ver.18. Pet.4. v.1. diligenter cum hoc Chriſti dicto, ac loco contulerit. Deinde, vt ne hæc noſtræ redemptionis, & ſalutis ἀποτελέσματα ſoli carni, vel ſoli ſpiritui tribuamus. Sic enim nec caro prodeſſet quicquam, nec ipſe adeò ſpiritus, quoniam, vt præclarè ait Au-

B guſtinus, nec Deitas ſine humanitate, nec humanitas ſine Deitate eſt mediatrix. Denique, vt in iſtis ἀποτελέσμασι, ſeu operibus, ecqua ſit propria carnis, ecqua verè Spiritus, & Deitatis operatio, diſtinguamus, ne, (quod facit hîc Kemnitius) vel carni virtutes, & operationẽ Deitatis, vel Deitati propria carnis, quale eſt pati, & crucifigi, tribuamus, quod tamen in recentiſſimis ſuis Theſibus Vvitembergæ affixis fecit nuper Iacobus Andreæ. Quanquam enim vnitæ ſunt *illæ naturæ, tamen neutra extra ſuos limites eſt egreſſa: nec hominis naturam* (*quum eam aſſumeret*) *Deitas immutauit, & extra id, quod fert naturalis, & eſſentialis ipſius definitio.* Quomodo igitur caro Chriſti viuificat nos in vitam æternam? Nempe, quoniam Spiritus ille, id eſt, Diuina illa natura (cui hypoſtaticè caro hęc vnita eſt) viuificat: ergo Chriſtus κυρίως viuificat, quatenus Deus eſt: caro verò Chriſti viuificat, quatenus per eam nobis ὁμοούσιον, & homogeneã naturam, illa efficacitas Diuinæ Chriſti naturæ in nos transfunditur & influit, & inſpiratur, tanquam per ſanctiſſimum, ſelectiſſimúmque à Deo canalem per quem

Damaſ. lib.3. orthodoxæ fidei ca.3.

Vide locũ Theodori Rhœtenſis.

Athanaſ. Dial.5. cõtra Arrianos.

C ad nos dimanat viuificus ille ex Deitate ſuccus. Sic per ſuam carnem edidit quædam, non omnia tamen, miracula Chriſtus, quoniam efficacitas ipſa Diuinæ naturæ per eam, in illos, quos ſanabat ſeſe exerebat, & trãs fundebat. Quãobrem non propriè caro ipſa vel aſſumpta natura Chriſti viuificat, ſed Deitas λόγου, quæ illi vnita eſt. Sed quoniam non emanat ab alia hypoſtaſi (quàm in qua hæc ipſa caro ſubſiſtit) virtus illa, & ſuccus viuificus: ac per eã, velut per vnicum gratiarum nobis ſalutarium canalem à Deo deſtinatum, ac pręparatum, idem ille ſuccus vitæ æternæ in nos fide pręparatos à Deitatis efficacia traiicitur: idcirco hæc ipſa caro viuifica appellata eſt. Sortitur enim communionem honoris, & nominis, quoniam à Deitate adhibetur, eſtque primarium medium talis operis, ac effectionis, non tamẽ vniuerſaliter cuiuſlibet alterius Deitatis operationis. Sed hæc confundit Kemnitius & ipſammet virtutẽ Deitatis eſſentialẽ viuificantem, putat eſſe carni ipſi, & quidem realiter, à Deitate cõmunicatã, in ea ipſa carne depoſitã, nec eam totam à Deitate iam deriuat, ſed partim à carne Chriſti, partim à Deitate, licèt, quã illius virtu-

tis

A tis eſſentialis Deitati , & viuificantis partem caro habet,vt nos viuificet,eam à Deitate traditam, & carni reſignatam eſſe velit. Verùm totus iſte viuificus ſuccus,& à Deitate,& Deitatis eſt,& in ea manet,& illi ſoli inhæret,ἀκοινωνήτως quidem(quãtum ad ἐνέργειαν ipſam,ac efficacitatem) communi tamen honore & effecto cum carne,quantum ad totius ipſius viuificationis , ſeu ἀποτελέσματος complexum,rationem,effectionem,ac productionem. Et quoniam hæc diſtinctio infinitorum , qui poſtea perperam ab iſto proferuntur,locorum,& dubitationum explicationem continet,eſt certè quidem à nobis confirmanda . Primùm quidem ex verbo Dei:poſtea ratione neceſſaria : tertiò Patrũ ipſorum authoritate. Ac verbum quidem Dei eſt, primùm illud,quod nos ex ipſis Chriſti verbis manifeſtis iam attulimus,*Spiritus eſt qui viuificat.* Deinde hoc , Ioan. 6.v.13. *Gloriam meam* (eſt autem vnius Dei tantùm proprium dare vitam æternam) *alteri non dabo*,inquit Dominus. Iſa.48.v.11. Præterea ſolus Deus dicitur Luc.5.v.21 Deus *viuus,vel viuens*.1.Timot.5. Act.8.v.22 *Solus eſt Iehouah.* Mat.19.v.26. Exo.15.*Solus eſt qui viuificat Spiritum hominis,& ſolus eſt pater animorum* , Rõ.6.v.25 ergo & vitæ æternæ dator, B *ſolus cuſtos*,Heb.12.1.Pet.2.ver.25.& cap. 4. in fine, 1.Samuel.2. & cæteri ſimiles loci,ex quibus & Spiritum, & ſpiritualis vitæ ſolum datorem eſſe Deum agnoſcimus.Ratione verò idem probatur. Nam ſi ſolus Deus κυρίως dat temporalem hanc vitam , multo magis idem ſolus vitam illam æternam dare poteſt.Longè enim maioris virtutis,& omnipotentiæ effectum eſt vita æterna , quàm vita hæc temporalis,& caduca.Præterea quis illud vulgare neſcit, *Quod quis non habet,id alij dare non poteſt.* 6.Timot.v.16. *Solus autem Deus habet immortalitatem* (vt ait Scriptura) Quare ſolus eam dare poteſt . Tertia verò ratio hæc eſt, nempe illud Quod non eſt αὐτοζωὴ,vitam in ſe non habet:ſolus Deus eſt αὐτοζωή: ergo ſolus Deus in ſe vitam habet,ac propterea eam alteri dare poteſt: carnem vero Chriſti quis Deum eſſe, & vitam ex ſe dare poſſe dixerit? Baſ.lib.2.contra Eunomium & lib.4. Porrò eſt & illa quoque quarta ratio omnino neceſſaria (qua Patres,vti veriſſima regula,ſemper vſi ſunt)Quarum rerum ſunt eędem ἐνέργειαι,earundem quoque ſunt eædem οὐσίαι. C Quamobrem ſi caro Chriſti vitam æternam confert,eâdem,vel communi operatione cum ipſa Deitate , ergo caro Chriſti eiuſdem eſt atque ipſa Deitas eſſentiæ,ac οὐσίας, & per conſequens,reipſa Deus eſt.Denique ſic vrgeo, vita (quæ in ipſamet Chriſti carne eſt, quáque ipſa etiã caro Chriſti glorificata, & in cęlum recepta,in cælis in æternũ viuit)vel eſt vita eſſentialis ipſius λόγου Deitatis:vel vita à Deitate λόγου creata , & carni infuſa. Si reſponderit Kemnitius,eam, qua Chriſti caro,etiam glorificata,viuit,vitam eſſe ipſammet,& eandem numero cum eſſentiali ipſius λόγου Deitatis vita:ergo æterna fuerit,& ab æterno ſubſtiterit iſta caro , non autem in tempore facta ſit oportet.Quod eſt hæreticiſſimum. Sin autem dixerit eam carnis Chriſti vitam, eſſe vitam creatam(id quod certè & verum eſt, & neceſſe) iam contendo nullam vitam creatam ab ea re,cui infuſa eſt,in aliam ſeſe transfundere , & extra illud ſubiectum,& ὑφιστάμενον , in quo à Deo collocata eſt,ſubſiſtere poſſe.Quæ ratio eſt , vt ſinguli Angeli, ſinguli homines,etiam ex hominibus nati, tamen ſuâ,non autem Patrum,& vita,& anima viuant,& ſeorſim:non autem cum patribus ſuis moriãtur,quoniam nulla vita creata in alium , vt ipſe ea viuat , transfundi poteſt. A Neque his obſtat, quod dici poteſt,corpus animæ vnitum viuere vitâ animæ , ergo aliena.Reſpondero enim : ſi verè rem ſpectemus , propriè non viuere vita numero eâdem corpus , quâ viuit ipſa anima, cui vnitum eſt , ſed alia , quæ ab anima in eo excitatur , & fit : ergo hominis corpore moriente, non moritur tamen illius anima. Nec obſtat , quòd dicimur omnes ex Chriſti plenitudine accepiſſe , quod paſſus pro nobis , & reſurrexiſſe dicitur,& vitam nobis dare , quòd ipſe denique eſt noſtra lux,ſapientia,iuſtitia,& ſanctitas , & quæcunque habemus, ex eo tanquam gratiarum fonte vberrimo , haurimus. Ioh.1. Col.2. Nec enim iſta aliter ex Chriſto haurimus,niſi quòd idem Deus eſt , qui & homo:itaque ſeſe,& ſua interueniente, non tamen vt cauſſa efficiente, ſed vt canali per ὁμουσίαν nobis natura communicat. Non quòd tamen eadem illa ipſa numero dona habeamus,quæ Chriſtus homo. B Sunt enim alia numero ea,quæ in Chriſto,& ea quæ in nobis inſunt,dona:ſed poſtquam per fidem illius carni inſiti ſumus,egregia Dei dona in nos transfundit,quâ Deus eſt , non quâ homo propriè , licèt tamen non niſi per noſtram cum ipſius humanitate,ſeu carne communicationem,velut canalem,illa ipſa dona in nos transfundi , & traiici poſſunt.De quo quia poſtea quoque nobis agendum erit,hîc breuiores erimus , quanquam & hæc ipſa cordatis viris,moderatíſque ingeniis ſatis eſſe poſſunt. Reſtat igitur tertia eiuſdem noſtræ ſententiæ confirmatio,quæ ab autoritate Patrum ducta eſt.Ea verò , quoniã ex infinitis eorum locis duci poteſt,quod ſi fieret,creſceret in immenſum hæc diſputatio , fatigareturque hominum memoria,non ſubleuaretur , duobus omnino probatiſſimis ſcriptoribus ęrimus contenti:è quibus vnus erit Athanaſius,alter verò Damaſcenus,quoniam his duobus præſertim etiam Kemnitium in hoc argumento delectari obſeruauimus. Athan. Dial.5.cõtra Arianos. Ac Athanaſius quidem his verbis,*Apoll. Præterea verò vel ipſe prodigia edebat, aut non edebat.Si edebat,non erat homo:ſin non edebat,quomodo dicit ſe edere? & quînam iſte idem eſſe poteſt , atque is qui edebat?* C ORTH. *Sicut pars rationatrix ſua ipſius opera ſic edit in animali,vt non ſit ſeparatum quicquam ab animali,ita Deus ſermo vnicus homini edit prodigia minimè ſegregatus à natura humana , quòd ei pro ſua bonitate placuerit vim ſuam Diuinam per eam , & in ea,& cum ea exerere. Et veluti ſi quis cogitatione conceſſerit Solem,magnum iſtud ſydus,per lucernã,& in lucerna ſuã lucẽ emittere(rurſum enim idẽ ex alia comparatione audias velim) non ſunt duæ luces.nec enim lucerna vt altera lux ſoli oppoſita ſplendet, ſed ſplendet ſole in ipſa , & per ipſam ſplendente, & ipſi lucernæ dominante,eámque,vt ſibi propriam vindicante , adeò vt Sol etiam accipiat ipſius lucernæ nomen : ita Deus Sermo vim ſuam in eo,quod eſt rationis particeps,& per animal ratione præditum exercens facit pro ſua voluntate animal ſupra quã ferat propria animaliũ natura, perfectũ:neq; tamẽ prohibet,quominus ſit animal ratione præditũ*,ex qua explicatione apparet,hac formula dicẽdi *per ea*, Damaſc. lib.3.orthodoxæ fidei ca.3. non ſtatui humanam naturam Chriſti pro cauſſa cooperatrice,& vllo modo coefficiente:ſed tantùm vt canalem , ſicut toties repetij. *Item Damaſcenus : Subſtantialem enim dicimus Vnionem,hoc eſt veram,non ſecundum Phantaſiam,apparẽ-*

tiámque fallacem: Subſtantialem autem, non quòd ex duabus naturis vna perficiatur natura, ſed quòd vnitæ ſint ad inuicem ſecundum veritatem, in vnam compoſitam Filij Dei hypoſtaſin. Et earum ſubſtantialem differentiam aſtruimus ſaluari: nam creatum manſit creatũ: & increatum, increatum: & mortale, manebat mortale, & immortale, immortale: & circunſcriptum, circunſcriptum: & incircunſcriptum: incircunſcriptum: viſibile, viſibile, & inuiſibile, inuiſibile. Hoc autem miraculis claret, illud iniuriis ſubiacet. Et quæ humana ſunt verbum ſibi attribuit, peculiariáque facit. Nam ipſius ſunt ea, quæ ſanctæ ipſius carnis ſunt, & tradit carni ſua ſecundum alternæ tributionis modum, propter naturarũ in ſe inuicem acceſſionem, ac reciprocationem, & ſecundum vnam hypoſtaſis vnitionem: & quod vnus erat, & idem, qui Diuina, & humana operabatur in vtraque forma, cum alterutrius communione. Quare & Dominus gloriæ crucifixus dicitur, (etſi Diuina ipſius non patiente natura) Et Filius hominis ante paſſionem in cœlo eſſe confeſſus eſt, vt ipſe Dominus dixit. Vnus enim erat, & idem Dominus gloriæ, qui naturæ veritate filius hominis, id eſt homo factus eſt. Eius miracula, & paſſiones cognoſcimus, etſi ſecundum aliud miracula operabatur, & ſecundum aliud paſſiones ſufferebat. Scimus enim, quemadmodum vnam eandémque hypoſtaſin, ſic & naturarum ſubſtantialem differentiam ſaluari. At quomodo ſaluabitur differentia non ſaluatis iis, quæ ad inuicem differentiam habent? nam differentia differentium eſt differentia. Hæc autem Damaſceni, quis dubitat eſſe ex laudatiſſima illa Leonis primi Romani Epiſcopi Epiſtola ad Calcedonenſe concilium, deſumpta, vbi ita Leo ipſe, Sicut Deus non mutatur miſeratione, ita homo non confunditur dignitate. *Agit enim vtraque forma* (*id eſt*) *natura cum alterius communicatione* (*id eſt vnione*) *quod proprium eſt, verbo ſcilicet operante, quod eſt verbi, & carne exequente, quod eſt carnis*, &c. quæ, quum ſint toties à noſtris citata, nihil neceſſe hoc loco commemorare longius. Ergo iam intelligit Kemnitius quomodo caro Chriſti dicatur viuifica, nimirum, quoniam per eam ipſa diuina Chriſti natura ſuam, id eſt, in ſe ſola inhærentem, non autẽ in ipſa carne depoſitam, neq; illi reipſa communicatam eſſentialem ſuam viuificandi virtutem, ac efficacitatem in nos tranſmittit, traiicit, ac transfundit, vt virtute, & operatione ſolius, licèt carni hypoſtaticè vnitæ, Deitatis λόγου vitam illam æternam, per carnem Chriſti nobis fide communicatam, habeamus, & ſentiamus: nihil, quod efficientis aut cooperatricis cauſæ rationem habeat, ad ipſam Deitatis ἐνέργειαν conferente humana natura, ſeu carne à Chriſto aſſumpta, cuius in nos transfundendæ eſt duntaxat canalis, non autem vlla illius vel ἐνεργητικὴ, vel συνεργὸς cauſſa, quũ vitę æternæ ſuccus & vigor ſit propria ſolius Deitatis operatio, ſiue effectum: & hæc quidem hactenus. Quas autem probationes ſuæ ſententiæ ipſe Kemnitius proferat, iam perpendamus.

Leo 1. Epiſt.10.ca. 4.

Kemnitius pag.68. linea 10.& ſeq.

1. Theſis.

*Ita Ioan.*14.*dicit de aſſumpta viſibili natura, Qui videt me, videt & Patrem meum: Pater enim in me eſt. &* 1. *Ioan.* 1. *Quod vidimus, quod contractauimus eſt verbum vitæ, nobis ita manifeſtatum. Ita Filius Dei oſtenſurus ſe Stephano Act.* 7. *Paulo, Actor.*23. *formam aſſumptæ carnis eis oſtendit, ſicut & Ioanni in Apocalypſi in forma hominis, & agni λόγος oſtenditur, & Thomas in carne, quam videt, & tangit, agnoſcit, & apprehendit Dominum, & Deum ſuum, Mat.*27.*in trãſfiguratione, radij Diuinæ gloriæ reſplendent ex corpore Chriſti. Luc.*5.6.*&* 8.*Virtus diuina exibat ab ipſo.* Et pag.69.l.3..à fi. *Samoſatenus finxit naturas in Chriſto* παντάπασι ἀκοινονήτους πρὸς ἑαυτὰς *nullam prorſus inter ſe habere communionem: ſed Scriptura, & ex Scriptura vetus orthodoxa Eccleſia tradit, tam arctam eſſe hypoſtaticam hanc vnionem, vt inde in perſona Chriſti oriatur, & ſequatur vera* κοινωνία, *communio ſeu communicatio: non autem communicatio vel confuſionis, vel effuſionis, vel exæquationis, ſiue inter naturas, ſiue inter earum idiomata: ſed qualis eſt communio animæ cum corpore animato, & ignis in ferro ignito.* Et pag.73.l.2. & ſeq. *Chriſtus contactu Leproſos, ſurdos, mutos, hydropicos ſanat, apprehenſione manus mortuos ſuſcitat, verbo vocali formato corporeis organis ſanat, flatu corporali dat Spiritum ſanctum. Ergo ex hac vnione natura humana in Chriſto, ſicut totam plenitudinem Deitatis habet in ſe perſonaliter habitantem, ita ſimul iuxta Scripturam accepit datam & communicatam ſibi Diuinam maieſtatem, poteſtatem, ſapientiam, vitam*, &c.

Danæus.

Hæc ſunt præcipua ſuperioris Kemnitij ſententiæ argumenta, quæ ſimul colligere voluimus, tum quòd eorum vna ſit & eadem ſolutio: tum etiam quòd lectorum tædium minuendum eſſe iudicauimus. Status quæſtionis eſt, vtrùm plenitudo Deitatis, & ea ipſa poteſtas, maieſtas, & vita, quæ eſt in Deitate λόγου eſſentialis, ſit per vnionem hypoſtaticã realiter, id eſt, ita communicata, vt à carne & maſſa humanæ naturæ aſſumptæ participetur. Realiter ita communicatam eſſe contendit Kemnitius: nos negamus. Ratio & manifeſta eſt, & ſæpe à nobis repetita, ne humana natura à Chriſto aſſumpta ipſius Deitati exæquatur. Quod ex Kemnitij ſententia fieri, & omnino conſequi neceſſe eſt. At excipit Kemnitius, ſe nolle propterea humanam illam naturam à Chriſto aſſumptam ipſius Deitati exæquatam eſſe, neque etiam eſſentialia Deitatis idiomata in carnem Chriſti eſſe effuſa, vel confuſa, & formaliter vel phyſico modo eidem carni inhærentia. Audio, quid dicat, ſed non video, quomodo iſta, quæ dico, ex ſuperioribus ab ipſo poſitis non ſequantur neceſſariò. Reſpondeo enim hac ſua exceptione Kemnitium oſtendere ſe quidem multa ſuæ ſententiæ incommoda, blaſphema & cum ipſa S. ſcriptura pugnantia præſentire & præuidere, atque etiam ad illa effugium quærere: ſed tamen nihilominus conſtrictum teneri, neque poſſe illa abſurda euitare. Æſtuat igitur, & ſecum colluctatur, ſed nihil proficit. Denique ſecum ipſe pugnat. Nam qui fiet vt ſi plenitudinem Deitatis λόγου, & maieſtatem, vitam, & potentiam ipſius eſſentialem caro Chriſti realiter participat, caro Chriſti exęquata nõ ſit ipſius Deitati ſiue phyſico ſiue hyperphyſico modo fiat iſta participatio realis? quũ eo ipſo Deitas à creatis reb. omnib. differat. Ergo omnia illa, quæ dãnat ipſemet, ex hac ſẽtentia tamen ipſius emergunt neceſſariò. Nam quod reipſâ fit plenitudinis Deitatis particeps, illud Deus fiat neceſſe eſt. Sed quàm falſis ad eam ſuam ſententiam confirmandam argumentis vtatur,

tur, videamus. Sunt autem hîc quatuor ſyllogiſmi, qui rem totam conficiunt, è quibus iſte eſt vnus, *Per quod Chriſtus ſe, vt Deum & æqualem patri cernẽdum probet, illud habet reipſa communicatam ſibi plenitudinem Deitatis, & maieſtatem, potentiam, vitam illius eſſentialem: At per carnem ſuam Chriſtus ſe, vt Deum & æqualem patri cernẽdum nobis præbet,* Ioan. 14.1. Ioã.1. Actor.7. & 23. *Ergo caro Chriſti habet realiter ſibi cõmunicatam plenitudinem Deitatis & maieſtatem, poteſtatem, vitam Deitati λόγου eſſentialem.* Quid porrò nos ad hæc? Concedimus quidẽ propoſitionem. Nec enim Chriſtus vt Deus, & Patri æqualis cerni poteſt, niſi per aliquod effectum vni Deitati conueniens. Nam ipſius eſſentia & potentia infinita comprehendi, niſi ex propriis ipſius effectis, non poteſt. Sed nego aſſumptionẽ. Cur id autem? Quia, quum dicitur Pater in Chri-

Ioh. 14. 1 Ioan. 1. 1. Timot. 3 & 16. Heb. v. 3. Ioann. 5. verſ. 19.

ſto cerni, quum illud, quod palparunt Apoſtoli dicunt fuiſſe verbum vitæ, quum ſcribit Paulus, in Chriſto Deum in carne fuiſſe manifeſtatũ, quum Chriſtus mũdo exhibitus appellatur viuus character perſonæ Patris, quum ait ipſe ſe opera Patris, & quæ à Patre didicerat, facere, & cætera huiuſmodi, quæ ſunt huius ſyllogiſmi μίσα & fundamenta, illa certè nequaquam volunt & probant ipſa eſſentialia Deitatis λόγȣ idiomata participari ab ipſa Chriſti carne, ſeu natura aſſumpta, etiã in vnione conſiderata: ſed demonſtrant in illa perſona (quæ Chriſtus dicitur) fuiſſe reipſa, & quidẽ vnione hypoſtatica, ipſam λόγȣ Deitatem, quę in illo homine ſe plenè patefecit, ac exeruit tum per miracula: tum per doctrinã ipſam: tum etiam per immenſam ipſius charitatem, bonitatem, & aliarũ virtutum, quantum ab hominibus omni modo cerni atque videri poteſt, effecta. Ipſa igitur Deitas λόγȣ, non autem natura aſſumpta illi vnita, erat illud ipſum, quod edebat ea in carne, vnde Chriſtus, ſeu homo iſte, poterat & Deus & Patri ęqualis agnoſci, & ex qua illa plena deitatis efficacitas elucebat in carne, id eſt à qua illa ipſa fiebant, vnde Deus in carne manifeſtatꝰ apparebat. Sic quẽpiã ratiocinantẽ aut meditãtẽ ex corporis motu, vel vultu vel verbis & ſermone cernẽtes aut audiẽtes, animam in eo eſſe intelligimus: ipſa tamẽ ratiocinandi aut meditandi virtus & operatio, ſeu ἐνέργεια neque corpori, neque vultui, neque verbis ipſis ab eo prolatis poteſt tribui, aut illis eſt vel tota, vel ex parte realiter communicata: ſed penes ſolam hominis animam tota manet. Ergo animæ effecta per corpus, vultum, & verba ſeſe nobis produnt: virtus autem ipſa & ἐνέργεια, eſt duntaxat ab anima & in anima. Similitudo igitur illa operum Deitatis Chriſti, & operum Patris: non autem ſimilitudo carnis ipſius, ſeu naturæ à Chriſto aſſumptę (Nec enim in ea ſimilis eſt Patri Chriſtus) faciebat, vt qui Chriſtum videret & Patrem, quoniam videret & doctrinã, & miracula, & virtutes ſeu attributa eadem, quæ ſunt Dei Patris. Quamobrem, vt iam apparet ex iſtis locis, falſiſſimè concludit Kemnitius, operationem ac gloriã & virtutem eſſentialem Deitatis, & plenitudinem quoq; ipſam Deitatis λόγȣ eſſe vel fuiſſe illius carni reipſa communicatam, vt eam participaret aſſumpta natura, id eſt, vt, quemadmodum ferrum ignitum habet calorem, ſic eam Deitatis plenitudinem participet aſſumpta, niſi fortè habere apud ipſum idem valeat, atque hypoſtaticè vniri. Quod à nobis concederetur: ſed hanc non eſſe Kemnitij mentem, tota diſputatio coarguit. Verũenimverò noſtram interpretationem ipſi iam confirmemus, quod eſt ſanè facillimum. Nam idẽ ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus illam ſuam ſentẽtiam, *Qui me videt, videt & Patrem*, exponit: quod vt intelligatur, totum ipſum locum recitemus, qui ſic habet, *Dicit ei Philippus, Domine oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis. Dicit ei Ieſus, Tantum tempus vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui videt me, videt Patrem: quomodo igitur tu dicis, oſtende nobis Patrem? Non credis me in Patre, & Patrem in me eſſe? Verba, quæ loquor vobis, à me ipſo non loquor: ſed Pater, qui in me* (id autem de carne Chriſti & natura aſſumpta intelligi, niſi à Sabelliano, non poteſt, quaſi Pater fuerit in carne Chriſti) *manet, ipſe facit opera. Credite mihi me in Patre, & Patrem in me eſſe: ſin minus, propter ipſa facta credite mihi.* Ergo non ad carnem ſuam ſeu aſſumptam naturam nos reuocat Chriſtus, cui nihil ſimile habet Pater: ſed ad doctrinam, & miracula ſua, id eſt, ad ipſam diuinam naturam, cuius illa fuerunt opera & effecta, vt ſe nimirum & Deũ & Patri æqualem cernamus, & Patrem in ipſo, non autem in carne ipſius habitantem eſſe intelligamus, & quidem aliter, quàm in reliquis omnibus nobis & ſanctis.

Ioan. 14. 9 & ſeq.

Itaque in Actis Apoſtolorum ex beneficiis Chriſti & eiuſdem miraculis (quæ in his terris degens edidit) à Petro dicitur, agnitũ *Deum cum eo fuiſſe*. Quod Heb. 2. quoque cõfirmatur. Cyrillus in hunc ipſum Ioannis locũ ſcribens, ſic ait, *Quomodo in re conſpiciemus? Quomodo in eo, qui aliquando non fuit* (velut aſſumpta natura) *eũ, qui ſemper eſt,* (velut Patrem) *ſpeculabimur?* & poſtea, *demõſtret,* ait, *qua ratione, ſi natura Deus non eſt, vt ipſi dicunt, veri Dei opera poteſt facere?* Itaque hanc ſentẽtiam Chriſti perſpicuè interpretans addit. *Nunc exquiſitiſſimam Patris imaginem à perfectionibus eius* (Chriſti) *conſideremus. Bonus ſecundum naturã Deus Pater eſt: Quid filius? nónne ſummè bonus, qui venit in mundum, vt peccatores ſaluaret, qui ſe humiliauit, & animam ſuam pro peccatoribus poſuit? Potens Pater eſt, Filius quoque ſimiliter, qui elementis imperabat, elata maria deprimens, & ventorum flatus, qui naturam penitus vicit. Leproſum etiam curauit imperio, & ſumma poteſtate cæcos videre iuſſit. Vita naturaliter Pater eſt? Filius quoque ſimiliter vita eſt. Mortis enim vires euertit, quum multos à morte ſuſcitauit. Iure igitur ad Philippum ait, Qui videt me, videt & Patrem.* Denique Bernardus (quem pro ſe Kemnitius profert) *nõ potuit,* ait, *expreſsius ſubſtantiæ vnitas commendari.* Ex quibus omnib. efficitur illud, ex quo Chriſtus homo, verè Deus eſſe apparuit, neque fuiſſe ipſius carnem (ſiue corpus, ſiue animam, ſiue vtrumque intelligas) neque carnis ipſius per ſe ἐνέργειαν & operationem, neque denique aliud quippiam, quã ipſius Deitatem, quæ ſe propriis ſuis operibus, nẽpe doctrina, miraculis, & efficacitate Spiritus ſui exeruit in illa carne vnita, adeóque ea ipſa carne nonnunquam, veluti nudo duntaxat inſtrumento, non autem ἐνεργήτως ac efficacitatis ſuæ συνέργῳ vtens ſe patefecit & demonſtrauit. Vnde efficitur plenitudinem Deitatis huic carni aſſumptæ in ſe minimè competere propter hãc vnionem hypoſtaticam, miniméque realiter illi communicatam vel eſſe vel fuiſſe. Quod tamen fuit ὑποκείμενον Kẽnitij, & huius Syllogiſmi: ſed (quoniam fit ex falſis

Act. 10. 38

Heb. 2. 4. Cyril. lib. 9. in Ioa. Euang. c. 37.

Bernard. ſerm. 5. de viſiõe Iſaiæ.

A aſſumptis) manifeſtè, vt videmus, falſum. Cęterùm pro eo reponam ipſe Kemnitio, ſi modò ferre poteſt, veriſſimum Syllogiſmum.

Illud omne, per quod Chriſtus & Deus & Deo Patri æqualis cernitur, eſt æquale & ὁμόσιον Deo & Deus. Ex Kemnitij ſententia per carnẽ & aſſumptam naturam Chriſtus & Deus & Deo Patri æqualis cernitur. Ergo caro & aſſumpta natura eſt æqualis, etiãſi verbo neget, & ὁμοούσιος Deo & Deus. Quam conſecutionem quomodo poſsit euitare, videat ipſe. Veniamus igitur ad alterum Syllogiſmum, qui ex locis omnibus ab eo in hoc capite citatis, & hac theſi à nobis breuiter cõprehenſis, efficitur. Eſt autem huiuſmodi.

Per quod Chriſtus facit & fecit miracula, illud habet plenitudinem Deitatis & Maieſtatem, & potentiam, & vitam Deitatis eſſentialem realiter ſibi communicatam. Per carnem & naturam aſſumptam Chriſtus facit & fecit miracula. Ergo caro & aſſumpta natu- B *ra habet plenitudinem Deitatis, & Maieſtatem, & potentiam, & vitam Deitatis eſſentialem ſibi realiter cõmunicatam.* Sanè huius Syllogiſmi eadem eſt ſolutio, quæ & ſuperioris, ne multum Lector fatigetur. Negamus enim ipſam vel ἐνέργειαν vel ἐνέργησιν, id eſt, vel operationem vel efficacitatem (qua miracula illa à Chriſto ſunt edita) fuiſſe vel totam, vel ex parte carni & aſſumptæ naturæ realiter cõmunicatam, vel in ipſa carne fuiſſe: ſed totam in Diuina ipſius natura & ſubſtitiſſe, & ab ea ſola, licèt vnita, per carnis canalem emanaſſe cõtendimus. Nam qui Chriſtum putat aut ſcribit ipſa ſoni & verbi vocalis virtute Lazarum, vel alios vllos è ſepulchro excitaſſe: ipſum flatum oris Chriſti dediſſe Spiritum ſanctum: ipſum manus contactum ægrotos ſanaſſe, is certè & dicat, & ſcribat neceſſe eſt, reliqua etiam omnia, quibus idẽ Chri- Ioan. 9.6. ſtus in miraculis edendis vſus eſt, veluti lutum & ſputum, oculos cæci ſanaſſe, & illa miracula ex parte edidiſſe, ac eandem Deitatis Chriſti plenitudinem & potentiam Deitatis λόγου eſſentialem participaſſe. Quod eſt falſiſſimum. Quare nõ caro ipſa, licet Deitati vnita: ſed Deitas in Chriſto C coruſcabat miraculis, eáque miracula operabatur. Nõ enim virtus vlla in carne ſiue modo phyſico, ſiue hyperphyſico (Hæ ſunt enim Kemnitij inſidiæ, & κρησφυγετὰ ſeu σοφὰ quidem φάρμακα, ſed tamen inania) inerat, quæ ipſa illa opera ederet & efficeret. Nam facere miracula, eſt ſolius Deitatis opus, & quidem creaturis ἀκοινώνητον. Hoc igitur primum eſt huius ſecundi argumenti vitium par priori. Secundum autem, quòd habet idẽ Syllogiſmus primam propoſitionem falſiſsimã. Neque enim verum eſt, illi rei communicari realiter Deitatis plenitudinem, per quam Deus vel Chriſtus miracula edit & operatur. Nam per Moſem, per Prophetas, per Apoſtolos, etiam ſæpe per Diabolos vel hypocritas Chriſtus edidit miracula: quis tamen propterea eos dixerit habuiſſe illã ipſam poteſtatem Deitati eſſentialem vel ex parte, vel in totum ſibi realiter communicatam, quæ miracula edit? Atque huius noſtræ reſponſionis teſtes audiamus ipſoſmet Apoſtolos, miracula edentes, *Quum teneret autem, qui ſanatus erat claudus* Act. 3. 12. *Petrum & Ioannem, cucurrit totus populus ad eos in porticum, quæ appellatur Solomonis, expauefactus. Quo viſo Petrus reſpondit populo: Viri Iſraelitæ, quid miramini ſuper hoc, aut quid intentos oculos in nos habetis, quaſi noſtra vi aut poteſtate effecerimus vt hic ambularet?* Paulus eximium illud Dei organon, ac doctrina, & miraculis edendis inſigne, quid ait? A 2.Cor.5. 10. *Sed gratiâ Dei ſum id quod ſum: & gratia eius erga me non fuit inanis, ſed amplius, quàm illi omnes, laboraui: non ego tamen, ſed gratia Dei, quæ mecum eſt.* Denique de eo ipſo audiamus Auguſtinum hæc Chriſti verba interpretantem, *Maiora, quæ ego facio.* Aug. in Euang. Ioa. tract. 71. *Maiora, quã ipſe fecit, dicit eos eſſe facturos: ſed in eis & per eos, ſe faciente, nõ ipſi tanquã ex ſeipſis. Ei quippe cantatur in Pſal. Diligam te virtus mea. Sed quæ ſunt tandem iſta maiora: An fortè quod ægros ipſis tranſeuntibus, etiã eorum vmbra ſanabat? Maius eſt enim vt ſanet vmbra, quàm fimbria. Illud per ſe fecit, hoc per eos: ſed tamen vtrunque ipſe.* Ex quibus videt Kemnitius quàm falſum habeat aſſumptum illud ſuum maius. Pro eo verò nos illi reponemus veriſſimũ, ſic arguentes.

Illud quod edit miracula, id eſt, propriũ Dei opus, eſt Deus, Ipſa caro Chriſti edit miracula ex Kemnitij ſentẽtia. Ergo ipſa caro Chriſti eſt Deus. B Quis dubitet, quin hoc ex illo Kemnitij ſequatur?

Iã verò tertiã Kemnitij ratiocinationẽ examinemus. Eſt autẽ hęc: *Illud quod Diuinæ gloriæ radios emittit, habet plenitudinem Deitatis, & gloriæ, ac potentiã Dei eſſentialẽ ſibi realiter communicatã, ipſamque eam verè participat. Caro Chriſti in transfiguratione emiſit radios diuinæ gloriæ.* Matth. 17 *Ergo caro Chriſti habet plenitudinẽ Deitatis, & gloriæ ac potẽtiæ eius eſſentialem ſibi realiter cõmunicatam, quam ipſa capit & participat.* Quid nos ad hæc? Reſpondeo ſanè, Maiorẽ propoſitionẽ huius ſyllogiſmi eſſe quoq; falſam. Nam Angeli beati, quum hominibus apparuerũt, emiſerũt radios Diuinæ gloriæ. Matthæus loquẽs de Angelo, qui deuoluit lapidẽ ab oſtio monumenti Chriſti, *Erat autem*, ait, *viſus eius, vt fulgur,* Mat. 28. 3 *veſtimentum eius album, ſicut nix.* Quæ ſunt eadem penè verba, quibus illa lux (quæ in Chriſti transfiguratione apparuit) deſcribitur. *Transformatus eſt* (Chriſtus) ait Matthæus, *coram eis, & ſplenduit facies eius vt Sol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba,* Mat. 17. 2. *ſicut nix.* Quid ille Angelus, coram quo, præ metu procidit Dauid ipſe? C Ille, quem Ioannes adorare voluit, nónne inſignes Diuinæ gloriæ & maieſtatis radios illi emiſerunt, 1. Chron. 21.16. ex quibus terrerẽtur homines, etiam Dei ſerui, dum in eos intuerentur? Apoc. 19. 10. & 22.8. Certè id nemo diffiteri vel negare poteſt. Nam in S. ſcriptura propterea etiam *Elohim* appellantur Pſalm 8. & *virtutes*, & ἐξουσίαι, & alijs huiuſmodi præclaris epithetis ornantur. Col. 1. 16 Quid igitur, Kemniti, dicemúſne plenitudinem Deitatis & eſſentialẽ eius potentiam fuiſſe tunc temporis illis realiter cõmunicatã, id eſt, ab ijs participatam? Id ſi dixeris, eos certè veros quoque Deos tunc fuiſſe affirmaueris: ac illi te longè iuſtius, quàm Ioãnem, condẽnabunt, nec tantam in Deum ipſum ſuum blaſphemiam tuam approbabunt. Verùm quid Angelos ipſos beatos & cæleſtes profero, en tibi manifeſtum de mero homine, nempe Stephano illo protomartyre Act. 6. 15. teſtimonium, ex ipſa S. ſcriptura depromptum? cuius quum in concilio phariſæorum ſtantis, *facies erat quaſi facies Angeli*, ait Lucas. Quid eſt autem facies Angeli, niſi quæ diuinæ gloriæ radios emittit? Ergo per te realiter quoque fuerit communicata Stephano plenitudo Deitatis, & eſſentialis Dei potentia. Sed quum de ipſo quoque veſtimento dicat Mat-

A thæus, auguſtos illos radios emicuiſſe certè & ipſi etiam veſtimento communicata ſit Deitatis plenitudo neceſſe eſt, ſi vera eſt Kemnitij regula. Quo quid magis blaſphemū dici poteſt? Deniq;, quum fuerit illa lux & ſplendor quiddam extraordinarium, quod etiam ſtatim euanuerit, neque perpetuò carni Chriſti adhæſerit, apparet, quàm falsò Kemnitius argumentetur, huiuſmodi gloriam etiā ab initio incarnationis Chriſti fuiſſe ipſi carni realiter communicatā, eámque perpetuò, ſempérque in Chriſti carne realiter fuiſſe. Nos igitur pro tam falſa Kemnitij cōcluſione veram ſubſtituamus.

Quod in carne Chriſti ſemel & extraordinariè extitit, non fuit perpetua eius conditio, & ſtatus ac inſeparabile vnionis hypoſtaticę effectum. Diuinæ gloriæ radii, qui in ea transfiguratione apparuerunt, ſemel & extraordinariè extiterunt in carne Chriſti verſāte in his terris. Ergo illi Diuinę gloriæ radij non erant perpetua carnis Chriſti in his terris verſantis conditio & ſtatus, ac inſeparabile vniònis hypoſtaticæ carnis cū λόγῳ effectum. B Hæc iam quilibet intelligere per ſe poteſt, nedum Kemnitius, vir quidē eruditus, & qui, niſi ſibi præiudicio quodam oculos excæcaſſet, verum nobiſcum videre poterat.

Reſtat autem quarta illius ratio ſeu ſyllogiſmus, qui, vt breuitati ſtudeam, eſt eiuſmodi.

Qui docet omnino ἀκοινωνήτους eſſe naturas in Chriſto, eſt hæreticus Samoſatenianus. Qui negant plenitudinem Deitatis λόγου carni & aſſumpta ab ea natura eſſe realiter communicatam, illi docent naturas in Chriſto eſſe omnino ἀκοινωνήτους. Ergo illi ſunt hæretici Samoſateniani.

R. Vera eſt huius argumenti propoſitio, quo quidem ſenſu & Samoſatenus dixit naturas eſſe ἀκοινωνήτους, & Patres verba Samoſateni intellexerunt. Is enim eſt teterrimus hæreticus, & noſtræ ſalutis planè hoſtis, qui negat humanam naturam cum Deitate λόγου in vnius & eiuſdē perſonę vnitionē copulari, & coaleſcere in Chriſto potuiſſe. Hæc enim dixit ſceleratus ille Samoſatenus, pręcipuum Satanæ organum, & Arrianiſmi primus fons ac parens. Quod omnes ex Theodoro Rhœtenſi, C vnde hæc ſua quoque ſumpſit Kemnitius, diſcere malim, quàm ex me: *Dominum*, ait Theodorus, *impiè dixit nudum fuiſſe hominem, in quo Deus verbum, ſicut in ſingulis Prophetis, habitarit: ac proinde duas nataras* διῃρημένως ἐχούσας, καὶ ἀκοινωνήτους πρὸς ἑαυτὰς παντάπασιν εἶναι ἐν τῷ χριστῷ, ὡς ἄλλου ὄντος αὐτοῦ τοῦ χριστοῦ, καὶ ἄλλου τοῦ ἐν αὐτῷ κατοικοῦντος Θεοῦ λόγου, id eſt, *Ac proinde duas naturas ſeparatas, & citra vllam prorſus inter ſe communionem in Chriſto eſſe, quaſi alius ſit Chriſtus, alius Deus verbum in ipſo inhabitans.* Verùm Aſſumptio huius ſyllogiſmi eſt falſiſſima. Nam & confundit Chriſti naturas in vnam, & damnat vniuerſam orthodoxam Eccleſiam, qui proprietates naturarum (inter quas præcipua eſt plenitudo Deitatis) manere diſtinctas, & incommunicatas docuit: neque magis communem quādam ex vtraque natura conflatam ἐνέργειαν eſſe voluit, quàm vnam ex vtraque tertiam quandā naturam compoſitam. Α'ποτελέσματα quidem ipſa & effecta, quemadmodum toties antea diximus, ſunt vtriuſque naturæ communia, ídque dixerunt Patres. Ipſas autem ἐνεργείας κοινὰς aut κοινωνητοὺς eſſe iidem pernegarunt. Nam quòd operationes Chriſti θεανδρικὰς appellarunt, ſic ipſius perſonæ ratione illi loquebantur, quòd, qui eas operabatur, verus Deus eſſet, & homo verus, non autem quòd alteri communicaret vna natura ſuas, ſibíque proprias, actiones aut proprietates. Ergo à Samoſateni blaſphemia, Dei gratiâ, procul abſumus, Kēniti, qui neque vnitionem earum naturarum in vna Chriſti perſona negemus, neque eam diſſoluamus. Nec enim ſimpliciter dicimus duas naturas eſſe in Chriſto, ſed eaſdem naturas in vna Chriſti perſona eſſe perſonaliter vnitas, quæ eadem fuit ſemper orthodoxæ Eccleſiæ ſententia, quemadmodum idem Theodorus tradit, & Concilij Chalcedonenſis mens fuit, quum ait, *Vtranque naturam agere cum communicatione alterius*, ne diſſoluatur nimirum Chriſti perſona: nō vt propria vnius actio ſit alteri communis, vt tu vis & ſentis. Ergo pro Kemnitiano ſyllogiſmo verum iam proponamus. A

Theodo. Rhętenſis in lib. aduerſus hæreſes

Damaſc. l.3. de ortho. fid. cap.3.4. & 5.

Qui docet exæquatam eſſe Deitati naturam à λόγῳ aſſumptam (quod re ipſa facit Kemnitius, quamuis verbo neget) tuetur dogma ex Eutychianiſmo & Neſtorianiſmo cōflatum. Qui vult plenitudinem Deitatis, & eſſentialem illius eſſentiā B eſſe carni, & naturæ à λόγῳ aſſumptæ realiter cōmunicatam, illam Deitati exæquat. Ergo hæreticus eſt, ex miro quodā monſtro, Eutychiano nimirum & Neſtoriano cœno, cōflatus. Ex his autem omnibus habet Kemnitius perſpicuum ad omnia ſua fulcimenta (debilia illa quidem, ſed tamen adamata) reſponſum. Nam quod pagina 72. ait, *aſſumptam naturam à Deitate λόγου eſſe perpetuū & inſeparabile organon*, quo diuina natura verbi ad operationes ſuas vtitur: ſatis à nobis ſupra refutatum eſt, etſi hoc ipſum ab eo millies, vti alia multa, recoquitur & reponitur. Vnum modò reſtat in toto hoc capite perpendendum, quod eſt huiuſmodi.

Pag.27. L 3.à fi. & pa.73.l. 7. à fin.

Kemnitius pag.70.lin.fi.

Theſ.9.

Quidam diſputarunt, quando dico, Deus eſt Homo, non intelligendum eſſe, quòd Deus ſit homo, actu primo, ſicut ipſi loquuntur: ſed quòd, actu ſecundo, aſſumptum hominem habeat, gerat, ſuſtentet, foueat, quod Lutherus pronuntiat hæreticiſſimè eſſe dictum. C

Danæus.

Sceckium & Tubingēſes Philoſophos, qui ſunt illi aſſenſi, imò ipſoſmet Theologos, qui primū illius diſtinctionem probarunt, ſuauiter hîc deridet, ex vnius Lutheri, tāquam Pythagoræ ſupercillioſi irrefragabili ſententiâ, Kemnitius, imò ſeipſum quoq;, qui infra pagina 329. capite 23. hāc ipſam *Actus primi* & *Actus ſecundi* diſtinctionem magnopere probat & commendat. Ergo ille Philoſophus Tubingenſis à Scholaſticis illam ſumēs hac *Actus primi* & *Actus ſecundi* diſtinctione vſus eſt, & quidem rectè, ſi modò illa vel hîc à Kemnitio intelligeretur, vel ex mente ipſius Sceckij ab alijs vſurparetur. Neque enim rectè intellecta vllo modo cum hoc Lutheri, tāquam Magiſtri ſententiarum, decreto pugnat. Quid ſit *Actus primus* & *Actus ſecundus*, & quàm varia illarum vocum ſignificatio tum ex Scholaſticis apparet, tum ex alijs ſcriptoribus, & nihil eſt hoc loco repetere neceſſe. Illa in hac diſputatione dicuntur eſſe actu

Durand. in lib.2. Sentent. Diſt. 3. quæſt. 8. Thomas 1. quæſt.18

A primo, quæ, qualia nuncupantur, talia ſunt per ſe, id eſt, re ipſa, naturâ, & propriâ definitione. Illa verò dicuntur eſſe actu ſecundo, quæ naturâ & per ſe talia non ſunt, qualia nominantur, ſed κατ' ἄλλο, quam phraſim etiam admittit capite 23. Kemnitius. Ex quo fit, vt homo iſte, nēpe Chriſtus, actu ptimo, non autem ſecundo, dicatur eſſe Deus: & Deus iſte, homo. Nam iſta perſona velut quiddā, vt Patres loquuntur, compoſitum, habet duas has naturas in ſe οὐσιωδῶς ἡνωμένας, vt cum Theodoro loquar, id eſt, *eſſentialiter vnitas*, nempe quòd eſſentiæ duæ ſint in illa perſona vnitæ, non autē quòd vnam eſſentiam conſtituant. Et idcirco hæc naturarum vnio in Chriſto vocatur à Damaſceno ἕνωσις οὐσιώδης, à Bernardo *naturalis*, à Cyrillo κατὰ φύσιν. Quæ autem ex ſua tota eſſentia, vel ex ſuæ eſſentiæ parte talia ſunt, & nominantur, Actu primo talia ſunt, qualia nominātur. Quare rectè ſenſit Lutherus hæreticiſſimè dici, hominem iſtum & iſtam perſonam eſſe Deum: & iſtū Deum eſſe hominem Actu ſecundo: quum hæc perſona ſit eſſentialiter, & actu primo per ſe Deus verus, & homo verus. Verùm quum diſputatur de B corporali præſentia carnis Chriſti in S. Cœna, dū dicitur corpus & humanitas Chriſti vbique eſſe, dixit & rectè, & piè D. Seeckius, id tribui humanitati Chriſti *Actu tantùm Secundo*, non autem *Primo*, quia neque per ſe, neque realiter, neq; naturaliter illa caro ſit vbique (eſt enim illud proprium vnius Deitatis.(Ergo κατ' ἄλλο, & δευτέρᾳ ἐννοίᾳ de Chriſti humanitate enuntiatur, vt vbique ſit, quatenus videlicet hanc omnipræſentiam habet ipſa Deitas Verbi, cui perſonaliter hæc humanitas eſt vnita. Et quoniam iſta in capite VI. *Ortodoxi conſenſus* copioſè explicata ſunt, nec dum ab vllo iſtorum refutata, nos Kemnitium ad illū locum, breuitatis gratiâ, remittimus.

Conſen. orthod. c. 6.

AD CAPVT SEXTVM.

Vbi ex ſimilitudine vnionis lucis & Solis: ignis & ferri: animæ & corporis, conatur Kemnitius oſtendere, plenitudinē Deitatis λόγου, & eſſentialem Deitatis gloriam, potentiam, &c, fuiſſe realiter communicatam Naturæ à λόγῳ aſſumptæ, & ab ea participari, illíque ineſſe. Præterea de vocis huius περιχώρησις explicatione in hoc de duarum in Chriſto naturarū vnitione argumento.

C

ET hîc quoque, quemadmodum in ſuperioribus capitibus, quid nobis cū Kemnitio cōmune: quid diſſentiens ſit, exponamus, vt tādem aliquándo, ſepoſitis omnibus contentionibus, & præiudiciis, Domino miſerante, nobiſcum de veritate conſentire poſsit. Ergo in his facilè illi aſſentimur.

Pag. 75.

1. *Non eò trahendas eſſe ſimilitudines, vt ex illis de hoc myſterio aliquid conſtituatur, de quo non extent firma & perſpicua Scripturæ teſtimonia: ſed hunc eſſe vſum ſimilitudinum, vt ea, quæ in Scriptura de hoc myſterio tradita ſunt, rectiùs, faciliùs, & planiùs ex familiaritate ſimilitudinum, quæ nobis notiores ſunt conſiderari, cognoſci, & intelligi poſſint.* Id quod & Iuſtinus, & Damaſcenus, quorū teſtimonia citat poſtea Kēnitius, apertiſsimè docent. Nam in tota rerū natura, nullum (vt antea diximus, & concedit ipſe) extat exemplum tam auguſtæ, imò eiuſdem generis vnionis, qualis eſt in perſona Chriſti. Itaque θαυμασία & ὑπερφυής à Theodoro Rhœtenſi vocatur.

Pap. 80.

A Pag. 75.

Pag. 76.

2. Damnamus cū Kemnitio, mininéq; admittimus ſimilitudines illas à Scholaſticis ad hanc vnionis hypoſtaticæ rationem ac vim explicādam allatas, *de ſubiecto & accidēte: de ſtipite ſeu trunco, & ramo illi inſito*, & quas *de marito & vxore* quoq; proponunt, quòd illæ vel omnino ſint abſurdæ, vel longè ab hoc argumento remotæ. De vocis autē ὑποστάσεως ſeu ὑφισαμένης ſignificatione, quoniam ſupra. c. 1. & 2. abundè diximus, & quæ hîc Kemnitius habet, ea ſunt ex c. 2. ad faſtidium vſq; repetita, iudicauimus eſſe hoc loco prętermittēda. Reliqua igitur, de quibus nullum eſt inter nos hoc cap. certamen, addamus, quoniam lucem ſequenti diſputationi afferent, vbi de rebus in hoc ca. inter nos controuerſis agemus. Conſentimus

Pag. 81.

3. *Corpora Sanctorum eſſe domicilium & animæ & Spiritus ſancti. In obſeſſis ſimul & animam inhabitare & Diabolum. Et tamen quum Spiritus ſanctus in credentibus, & Diabolus in obſeſsis eſſentiâ, &* B *efficacia inhabitent, ſolam tamen animæ in ſuo corpore inhabitationem facere hypoſtaticam ſeu perſonalē vnionem, propterea quia anima & corpus pertinent ad ipſam hominis ſubſtantiam.* Ex hoc autem obſeſſorum exemplo (quod & à Luthero probatum eſt, & hîc à Kemnitio commemoratum) apparet duarum rerum coexiſtentiam eſſe poſſe, vbi tamen nulla ſit vel fiat hypoſtatica earum vnio. Quamobrem efficitur neceſſariò, neque ex coexiſtentia rerum vnitarum hypoſtaticam vnionem eſſe definiendam, neque coexiſtentiam eſſe eſſentiale, aut etiam proprium quarto modo vnionis hypoſtaticæ idioma. In quo ipſe fallitur, & quidem perpetuò, contra prolatum hîc à ſeipſo de obſeſſis exemplum Kemnitius. Nam ex ſola coexiſtentia in eodem loco metitur duarum in Chriſto naturarum hypoſtaticam vnionem, quam diſſolui putat, ſi naturæ in Chriſto vnitæ vbique realiter nō coexiſtant.

4. *Sicut Anima non eſt totus homo: ita totus* C *Chriſtus incarnatus iam non eſt tantùm diuina natura, ſed diuina & humana perſonaliter vnita, vt totus Chriſtus iam ſubſiſtat ex vtraque, & in vtraque natura, ſicut veteres loquuntur.*

5. *In Chriſto duæ naturæ ad vnum quidem ὑφιστάμενον conſtituendum vniuntur: non autem ad conſtituendam vnam compoſitam naturā verbi incarnati, id quod Eutychem fefellit. Ideò veteres accuratè loquuntur, vt Iuſtinus inquit, Chriſtus nō eſt alius præter diuinā & humanā naturā: ſed & Deus & homo ἑκάτερα vtrunque exiſtit.* Quemadmodum autem & Eutychianos, & Monophyſitas fefellit, quòd ex diuina & humana natura tertiam quandam in Chriſto ex vtraque compoſitam effecerunt: ſic Monothelitas, nō minùs & ipſos blaſphemos hæreticos, decepit, quòd naturis, earúmq; eſſentialibus proprietatibus ſaluis, (vt ipſi loquebantur) manentibus, ſtatuerent tamen actiones ipſas in Chriſto eſſe ex vtriuſque naturæ vi in vnum coaleſcente compoſitas & cōmixtas. Id quod tum ἀδύνατον, tum etiam magnum eorum ἀπαιδευσίας argumentum fuit: ἀδύνατον quidem, quoniam, ſi naturæ ipſæ in hac vnione hypoſtatica ſaluæ & diſtinctæ manent, nec inter ſe miſcentur,

ſcentur, nec vna quædam ſit ex vtraque compoſita, actiones certè earum neq; miſceri poſſunt, neque vna fiunt actio ex vtriuſque naturæ efficacitate compoſita, ſed actiones earum manent ſaluæ & diſtinctæ & non communes. Ex quo fit, vt vnius in Chriſto naturæ actio ſeu operatio alij naturæ ἀκοινώνητος, id eſt, ab altera neque ſit participabilis, neque illi communicabilis, ſed maneat propria vnius naturæ actio ab alterius actione propria in æternum diſtincta. Quæ enim naturæ ſeu eſſentiæ ſunt ἀκοινώνητοι, earundem & proprietates & proprię actiones, operationes ſeu ἐνέργειαι ſunt & ipſę quoque ἀκοινώνητοι. Nā quum ex eſſentia actio dependeat, qualis manet eſſentia, talis & ipſa quoque actio illius eſſentiæ, propria ſit & maneat neceſſe eſt. Id quod præclarè lib. 3. docet Damaſcenus cap. 3. & cap. 15. Damaſc. lib. 3. cap. 15. *Seruata naturarum differentia, ait, ſeruātur etiā earū propriæ actiones.* ἀπαιδευσίας autem Monophyſitarū hoc idem certiſſimū quoque argumētum fuit, quòd illi ἐνέργειαν cum ἀποτελέσματι id eſt, operationē cum opere, & cauſam cū ipſo B vtriuſque operationis effecto perſonali, quod inde reſultat, imperitè confundebant Nam ſalutem, & regenerationem vtriuſque naturæ cōmunia Ἀποτελέσματα eſſe concedimus: ipſas tamen in nobis vel ſaluandis vel regenerandis proprias naturarū Chriſti actiones ſeu operationes eſſe ſic diſtinctas defendimus, vt quæ vnius propria eſt operatio, alteri naturæ minimè communicetur. Exēpli gratiâ, In noſtra regeneratione, eſt hæc diuinæ Chriſti naturæ propria operatio nimirum natiuæ vitioſitatis noſtrę mortificatio, Nouę vitæ & ſpitualis infuſio. Humanæ verò naturæ propriū eſt, quòd ipſa interuenit, & per eius interuentū Deitas in nobis illa ſuperiora efficit, Ephe. 4. & Heb. 2. Dico ergo, has operationes neque vnquā confundi, neque commeare, aut ab altera alteri communicari. Quamobrē, quum Monothelitas apertè damnet Kemnitius, ſuam quoque ſentētiam mutet neceſſe eſt, quæ ſtatuit eſſe in Chriſto poſt vnionem naturarū hypoſtaticam operationes cō- C municatas, id eſt, vnam tantùm ex vtriuſque naturæ vi ac efficacitate commixtā ac cōpoſitam operationem. Quæ eadem fuit Monothelitarū dānata hæreſis ac ſententia. Hoc igitur in Kemnitio quoque reprehēdimus. Sed in eo aſſentimur quod Pag. 94. ſequitur, quum ait, *Tota perſona Chriſti iam conſtat ex diuina & humana natura. Hæc ſumma dignitas eſt exaltatæ humanæ naturæ.* Ex quo efficitur nō cōſiſtere in eo dignitatē carnis Chriſti, vt ſemper cū illius deitate coexiſtat: ſed quòd facta ſit propria vnigeniti Filij Dei, vt etiam loquitur Cyrillus, Pag. 86. *Illa maſſa humanæ naturæ, quæ operatione Spiritus in conceptione, ab hypoſtaſi Mariæ virginis ſeparata eſt, nullo vnquam vel momento temporis, per ſe, aut in ſeſe, ante, & extra hypoſtaticam cum verbo vnionem, vel* Pag. 96. *extitit, vel ſubſiſtit.* 8. *Eſſentia diuinæ naturæ, vt quæ ſimpliciſſima & perfectiſſima ſit, ex illa aſſumptione nihil vel acceſſit, vel deceſſit: Humana verò natura multis prærogatiuis, excellentiis, & præeminentiis ex illa Vnione, vltra omne nomen à Diuini-* Pag. 87. *tate aſſumēte aucta & exaltata eſt.* 9. *Non eſt in Chriſto incarnato ita intelligenda ſalua duarum naturarum differentia, quaſi tantùm ſuperficie tenus ſe attingant, vt, ſi minutus lapillus immenſæ petræ adhæreat: vel ſi duæ diuerſæ laminæ, puta auri, & ferri, conglutinentur, inter quas nulla ſit, aut intercedit communio: ſed hypoſtatica vnio ſit per περιχώρησιν.* A Hęc igitur omnia Kemnitio concedimus, modò ipſe patiatur à nobis explicari, quid ex mente Patrum περιχώρησις, in hoc argumento ſignificet: de quo, quia poſtea latiùs dicturi ſumus, illud tantùm hoc loco admonebimus, περιχώρησιν illam (quæ in hac naturarum Chriſti vnione ſtatuitur) non ſignificare aliud quā ea, quę vnius in Chriſto naturę propria ſunt, de alia in concreto perſonæ, ſeu per vocabula concretiua prædicari, & enuntiari, veluti, quum *Deus dicitur paſſus,* & *homo iſte in cælo fuiſſe, quādo cum Nicodemo in terris loquebatur.* Naturarum autem ipſarum in ſeſe, ſeu in abſtracto commeationem, aut vnius de altera prædicationem minimè denotat hæc περιχώρησις. Sed neque eſſentialium vnius naturæ proprietatū realiter factam alteri (quod rectè fieri non poteſt) communicationem quomodo hîc interpretatur Kemnitius: neque deniq; naturarū in Chriſto coextenſionē, vel coexiſtentiā, vel vnius in alteram immeationem, quemadmodum tamen, quum de tribus diuinis perſonis agi- B mus, accipitur. Nam ita inter ſeſe περιχωροῦσι, vt vna perſona Diuina coexiſtat ſemper cum alia, Pater ſit in Filio, & Filius in Patre, & Spiritus ſanctus in Patre, & Filio, quod idem in hoc argumēto de naturis Chriſti, & earum περιχωρήσει dici non poteſt. Et tamē tam diuerſum huius vocabuli περιχώρησις in diuerſa & diſſimili diſputatione ſignificatum peſſimè, quemadmodum videbimus, hoc loco fefellit Kemnitium. Atque hæc ſunt in quibus rectè intellectis nobis cum illo cōuenit. Rogandus autem eſt à nobis, vt in his ipſe conſtāter perſeueret. Nam hæc eum errorem, quem ipſe ſub ſtruere vult, *De plenitudine Deitatis λόγου in aſſumptam naturam realiter communicata*, prorſus euertūt. Iam verò veniamus ad ea, in quibus ab eo diſſentimus.

Summa futuræ Kemnitianæ diſputationis eſt, vt perſuadeat nobis, ſi poteſt, Ipſam plenitudinē Deitatis λόγου, illiúſque eſſentialia idiomata in carnem & maſſam humanæ naturæ ab ea aſſumptæ, realiter eſſe communicata: ideóque eandē Chriſti carnē in ἐνεργήσει & ἐνεργείᾳ ſeu efficacitate & o- C peratione, etiam propriarum ipſius Diuinæ naturæ virtutum, ac operationum eādem cum Diuina natura, vittutem & potentiam reipſa participare, denique illi συνεργὸν eſſe, velut perpetuum & inſeparabile, etiam in ijs ipſis actionibus diuinis efficiendis, illius inſtrumentum. Hunc autem quæſtionis ſtatum ſcire & ſæpe repetere neceſſe eſt, vt, quas ad eam probandam rationes affert Kemnitius, faciliùs examinentur, & quàm ſit abſurda hæc ſentētia, cuiuis ſtatim appareat. Ecquis enim vel fando vnquam, niſi manifeſtè hæreticus, audiuit, vel dixit, humanam naturam à Chriſto aſſumptam fuiſſe aſcitam in ſocietatem & participationem vel ἐνεργήσεως vel ἐνεργείας, effectionis, & operationis operum merè diuinorum: vel illi ſociam indiuiduā & συνεργὸν iam eſſe adiūctā? Ne tamen (quia ſunt diuina & humana natura res toto genere inter ſe diuerſæ) malè ipſius ſententiam interpretari videamur, en quam ipſe ſui dicti explicationem, tum hoc ipſo capite, tum paſſim in Pag. 79. toto hoc libro affert, recito. Ait igitur, Pag. 88. *Carnem haurire totam virtutem verbi, Aſſumptam naturam capere totum λόγον, depoſitam fuiſſe realiter in naturam* Paſsim. *aſſumptam totam plenitudinem Deitatis tanquam the-*

A *ſaurum, vt ex ea iam gratia, veritas, vita, & ſalus ſit nobis deriuanda, & accipienda. Denique, vt ferrum ignitum calorem ſibi infuſum, & inhærentem habet, ita humanam naturam habere plenitudinem Deitatis, cum qua operatur inſeparabiliter.* Ex quibus omnibus quid aliud efficitur, quàm quod Iacobus Andreæ voluit (quem tamen Kemnitius manifeſtè, & meritò quidem, vbique tanquam Eutychianum, id eſt, peſsimum hæreticum damnat) re ipſa nimirum effundi in naturam aſſumptam omnes Deitatis proprietates? Sed vocabulū *effundendi*, tanquam nimis iam inuidioſum, & ab omnibus exploſum, vitat Kemnitius: vocem autem *realis communicationis* & περιχωρήσεως aſtutè ſubſtituit, qua illam à ſeipſo iam damnatam Iacobi hęreſim interpolat: tamen & hic & ille in ſumma humanitatem Chriſti in terris eſſe vult, ac proinde in immenſum eam extendit: gratiā habitualē cum gratia vnionis confundit, & omnia Diuinæ λόγου naturæ propria & eſſentialia idiomata realiter aſſumptæ naturæ cōmunicat, atq; ita humanā naturam Deū facit. Deniq; etſi verborū ſono B inter ſe diſcrepare videntur Kemnitius & Iacobus Andreę, in re tamen ipſa & doctrinæ ſumma planè conſentiunt, adeò vt in Nouo illo Doctrinæ Bergēſis corpore, pulchrè iſti Iacobo cum noſtro Kēnitio cōuenerit, & vterque idem in hoc capite ſe ſentire publicè ſit teſtatus. Sed ad Kemnitium redeamus. Hominem autē iſtum, aliàs eruditum, pauca certè quidē, eáque etiam omnino leuia argumenta, fefellerunt, & à recta veritatis via abduxerunt. Primū formulę quædam loquendi. Deinde tres illæ, quas ſæpius cōmemorat, ſimilitudines. Pag.87. Ac quidē formulę & phraſes iſtę, quòd *maſſam ferri ignitā ſæpè dicimus, totā igne effectā eſſe*. Colligit enim ex eo Kēnitius, ipſammet ferri maſſam, quum dicatur eſſe ignis, vrere, non autē manere vim ac ἐνέργειαν vrendi ipſius dūtaxat ignis ſeu caloris per maſſam illam diffuſi propriam & peculiarem: nec animaduertit, quum ferrum ignitum dicitur fieri ignis, hyperbolicam eſſe loquendi rationem, & ſummè calidam maſſam ſignificare, vti quum ſapientem hominem factum eſſe ſapiē- C tiam dicimus: & Dauid ipſe Pſal.73.ver.22.ait, *Iumentum eram apud te*. Verùm in ipſa ferrea maſſa ignita manet diſtincta & alia ferri, alia ignis eſſentia ac natura, ita diuerſa quoque eſt vtriuſq; propria operatio. Quemadmodum igitur eſt ὑπερβολή, quum ferrum fieri dicitur ignis: ſic eſt vel συνεκδοχή, vel μετάληψις, quum ipſa illa maſſa ferrea vrere dicitur, quoniam ſic loquentes, vel ſubiectum pro ſua qualitate, ſeu accidente ponitur: vel vſitato more loquendi, vno vocabulo plura ſimul coniuncta breuiter complectimur, nempe materiam, & qualitatem ſimul. Quanquam autem ipſe quoque Pag.91. nobis aſſentiri videtur, ſic ſcribens: *Ferrum ignitum lucet, & vrit non propria aliqua eſſentiali virtute, nec aduentitia aliqua qualitate formaliter in ferro inhærente: ſed virtute ignis vniti lucet, & vrit, quæ virtus eſſentialis, & propria eſt, & manet ipſius ignis*: tamen, quum idem ſtatim addat, *propter Vnionem cum ferro, iam non ignis tantùm in ferro ea virtute vtitur, ſed & ferrum ignitum, ratione vnionis, virtute illa vtitur, vt ea luceat, & vrat*, oſtēdit, ſe non penes ſolum ignē, aut in ſolo igne per totam illam maſſam diffuſo, vim illam vrendi realiter ponere & ſtatuere: ſed in ipſa quoque ferri maſſa, vt ἐνέργεια & efficacitas ipſa vrens ſit, & emanet propter vnionem iſtam, etiam ex ipſa ferri materia, cui realiter ſit communicata, licèt illius maſſæ nec ſit propria, nec naturalis, A vt ait, nec eſſentialis, nec accidentaria: quod eſt planè ἀσύστατον. Itaque illud Kemnitio pernegamus. Hæc igitur tum hyperbolica, tum Synecdochica vulgi phraſis Kemnitium fefellit. Sed & illæ Pag.91. quoque, quòd, *dum corpus laceratur, anima dicitur pati*: item, *quòd oculus dicatur videre, auris audire, lingua loqui*: denique quòd eadem *anima cum vnito corpore ſuas proprietates communicare dicatur*. Putat enim hunc eſſe iſtarum locutionum, & aliarum ſimilium ſenſum, vt, quæ propria eſt animæ actio & operatio, ipſi quoque corporeæ moli, & carni, in ipſa ἐνεργείᾳ, & quod ad efficacitatem, propter huiuſmodi Vnionem, reuerâ communicetur. Ergo poſt Vnionem non ſola anima proprias ſibi actiones præſtat, vel efficit, ſed caro & anima ſimul, quod idem iſte quoque inf.cap.23.tuetur, nec diſtinguit, quomodo faber & ſerra dicantur ſecare: item, vt oculus & anima videre pa.306.tam pueriliter in his phraſibus explicandis deceptus eſt. Nā quis non tropum vulgarem agnoſcit, quando *oculus videre, auris audire, lingua guſtare* dicitur, quòd B nēpe quæ animæ, id eſt, ipſius cauſſæ agentis propria actio eſt, & operatio, hoc genere dicendi organis tribuitur? veluti quum prædicatio verbi nos ſeruare, & gladius hominem occidiſſe dicitur, quoniam fuit illa ſeruandi, hic occidendi hominis inſtrumentum. Neque enim, opinor, politiorum hominum quiſquam tam hebes eſt, vt non fateatur penes ipſam duntaxat animam vim ἐνεργητικὴν ipſius ὄψεως, ſeu diſcretionis colorū eſſe & remanere, etiam poſt illius vnionem cū corpore: non autē, vel ex parte, vel in totū in ipſis oculi neruis, mēbranis, & humoribꝰ ineſſe ſiue formaliter, ſiue nō formaliter, ſiue phyſica effuſione, vel inhæſione, ſiue non Phyſica, aut quicūque alius tandem modus afferatur, vel ab iſtis excogitetur. Nam in cadaueris recentis oculo manent & nerui, & mēbranæ, & illi quatuor humores iidem, qui in hoc C ipſo corpore antea vnito erant: nec tamen videt oculus iſte. Nam vis iſta ἐνεργητικὴ viſus ab eo abeſt, quoniam anima, in qua ſola inhæret, abeſt ab eo. Sed & in nobis viuentibus ſæpe accidit, vt aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris etiā oculis & auribus, tamen neque videamus, neque audiamus. Quare fallitur Kemnitius, & quidem penè, vt ita dicam, pueriliter, dum figuratum hoc dicendi genus non obſeruat. Sed idem quoque figuratum dicendi genus eſt, licèt obſcurius, quum corpus animatum dicitur pati, & dolere, & lætari, vti Pſ.16.v.9. Neq; enim propriè ſentit ipſa corporis compago & moles, ſed eſt inſtrumentum animæ ad ſentiendum. Quæ quia Nyſſenus in lib. de hominis creatio. & Nemiſ. & Dama. li. 2. Orthodox. fidei partim ex Ariſtotelis libris de anima, partim ex Nyſſeni, Nemeſii, itēque Damaſceni Chriſtianorū, ac orthodoxorū ſcriptorum libris didiciſſe omnes potuerūt, nedū Kēnitius, in his fuſiùs tractādis non immorabor. Ergo, his ita conſtitutis, ad examen trium illarum ſimilitudinum, quas pro vniuerſo ſuæ ſententiæ fundamento ponit Kemnitius, accedo. In quo facilioris ac magis perſpicuæ explicationis gratiâ, primùm in vniuerſum demōſtro, quàm hæ cōparationes omnes ſint rerum inter ſe diſsimilium ac ἑτερογενῶν. Deinde, quomodo quæque ſimilitudo nihil prorſus Kemnitii ſentētiam iuuet, breuiter oſtendam. Quod quum præſtitero, penè toti huic longiſſimo volumini (quod

nihil

A nihil aliud eſt, quàm rerum earundem inanis repetitio, ac crambe ad faſtidium vſque etiam viris patientiſsimis repoſita) mihi videbor reſpondiſſe. Vt autem, quod primo loco ſum pollicitus, aggrediar, doceo, quàm ſint omnia, quæ nunc afferuntur, ἑτερογενῆ, & à propoſito argumento diſſentanea. Hæc igitur quinque à Kẽnitio peto, primùm, an lucem cum ſole, & ignem cum ferro hy- ag.77. poſtaticè vniri putet. Nam apertè reſpondet, vniri: ſed non addit, quo vnionis genere, vel modo iſta inter ſe vniantur. Secundùm interrogo, an, ſi vniantur hypoſtaticè, eadem ſit iſta hypoſtaticę Vnionis copulatio, atque animæ humanæ cũ ſuo corpore. Fortaſſe, vt verum dicat, reſpondebit, eſſe diſsimilem. Reſpõdeat tamen. Tertiùm peto, eodem ne, an diuerſo Hypoſtaticæ Vnionis modo hæc ſingula rerum paria inter ſe coaleſcant, & eadẽne ſit, an diuerſa ratio, & ſpecies earũ vnionũ, cum Vnione hypoſtatica Diuinę & humanę natu- ag.61. ræ in Chriſto. Reſpondit ipſe hanc naturarum in B Chriſto vnionẽ eſſe μονότροπον, ſed in quo ſingularis illa ratio & diſsimilitudo poſita ſit, nõ explicat. Quartò ſciſcitor, an eſſentiales illæ Deitatis proprietates, nedum ipſa Deitatis plenitudo, vlli rei creatæ realiter, vel vt accidens, vel vt ſubſtantia (hi enim ſunt ſoli realis communicationis, ſiue in Diuinis, ſiue in humanis modi) cõmunicentur. Dicet ſe neque Phyſica, neque formali, vel inhæſione, vel infuſione factã cõmunicationẽ intelligere, ídque plus quã millies inculcaſſe. Sed iſta reſpõſio implicat rẽ poti⁹ quã explicat. Nec enim modum cõmunicationis, de quo quæro, perſpicuè docet, ex quo ὁμογενῶς iſtarũ rerum comparatio, & prorſus ad hanc ſuã ſententiã defendendã cõſentanea, demonſtrari poſsit. Reſpondeat igitur, vtrũ velut ſubſtantia, an velut accidens carni Chriſti eſſentialis Dei proprietas communicetur realiter. Deniq;, ſi cõmunicetur, vtrũ ſic, quemadmodũ & lux ſoli, & calor ferro. Nam iſta & ferro cõmunicãtur, & inſunt, velut accidẽtia in ſuo ſubiecto. Quod tamen cõmunicationis genus in hac C reali idiomatũ Diuinæ naturæ in humanã aſſum- ag.91. ptã κοινωνίᾳ locũ habere negat. Certè, licèt ad ſuperiora omnia videri voluerit reſpõdiſſe, ex iis tamẽ, quę ex ipſo attulimus, nihil cum perſpicuè dixiſſe apparet, ſed totã hãc diſputationẽ, per ſe difficilẽ, maioribus tamẽ tenebris tãtùm inuoluiſſe. Nã ex his quinque quę prępoſuimus (nec ipſe expoſuit) omnis illa ſimilitudinũ, quas affert, apta, an inepta, ſimilis, an diſsimilis ſit, comparatio & collatio colligitur. Sed maluit Kẽnitius aſtuto artificio, quę contra ſe manifeſtiſsimè faciebant, prætermittere, ſed fulgore tantùm & terrore, & Patrũ nominibus, oculos noſtros perſtringere, quòd ijs comparationibus, ſed tamen in diſsimili argumẽto, ſint vſi. Nos igitur vices Kemnitij ſupplentes ad quinque illa poſtulata perſpicuè reſpõdeamus, vt hoc totum ἑτερογενῶς eſſe appareat.

1 Dico ergo ad primũ, neque lucẽ cum ſole, neq; ignem ſeu calorẽ cum maſſa ferri ignita hypoſtaticè vniri, ſed hoc dico, tantùm inter ſe coniungi. Ratio eſt, vt infinitas omittã, quòd quę copulatio, ſeu κοινωνία eſt inter lucẽ & Solẽ: ignẽ ſeu calorem & ferrũ candens, illa eſt craſis, non autem ἕνωσις, qualis eſt nimirũ accidẽtis in ſubiecto ſuo, vel determinato, vel cõmuni inhæſio, vel ſubſtãtiæ cum ſubſtantia mixtio. Accidentia verò ſunt ſubſtantijs, & ſuis ſubiectis naturâ συμμικτὰ & κοινωνητὰ & in illis inhærẽtia, quod idẽ de duabus eſſentijs hypoſtatice vnitis, vel earum proprietatibus dici non poteſt. Accidens enim eſt cum ſuo ſubiecto permixtibile: at neque natura cum alia (cui hypoſtaticè eſt vnita) neq; earũ naturarum proprietates ſunt inter ſe permixtibiles, ſed incõfuſæ, & impermixtæ in ipſa vnione manent. Ex quo iã ſit manifeſtũ, quemadmodum cohæſionẽ lucis cum Sole, & caloris cum ferro cõparans Kẽnitius cum vnione illa duarũ Chriſti naturarũ hypoſtatica, id eſt, contendens eſſe pares & ſimiles accidẽtis in ſubiecto, & duarum naturarũ inter ſe hypoſtaticè vnitarũ cõparationes, fallatur, & res omnino ἑτερογενῶς atque ἀλλοτρίως inter ſe conferat & componat, prẹſertim quum ipſe ſupra, & quidẽ meritò, Scholaſticos dãnarit, quòd hãc naturarum Chriſti vnionẽ ſimilem eſſe dixerint illi copulationi, & inhærentiæ, qua accidẽs eſt in ſuo ſubiecto. Quãobrẽ ex illis ſimilitudinibus nequaquam vel colligitur, vel probatur, vel illuſtratur B illa κοινωνία & cõmunicatio, qua propria, & eſſentialia Deitatis idiomata dicũtur participari ab humana natura illi hypoſtaticè, id eſt, diuerſo prorſus à communionis lucis cum Sole, & caloris cum ferro genere, vnita.

2 Veniamus ad ſecundã interrogationẽ noſtrã, ad quã facilis apparet ex ſuperiorib. reſpõſio. Nã vnio corporis cũ anima humana eſt hypoſtatica: ſed cohærẽtia Lucis cũ Sole, & caloris cũ ferro eſt accidentis cum ſuo ſubiecto σύμμιξις & cõpoſitio, quẽadmodũ diximus. Quomodo igitur tã diuerſos, imò tam cõtrarios inhærentiæ modos miſcet hîc inter ſe Kẽnitius, & ex his, tanquã ſimillimis & vnius generis vnitionibus, vnum & idem colligit?

3 Ad tertium autem, quod quærebamus, etiã facilè reſpõderi à quouis poteſt, nimirum, licèt vnio Lucis cum Sole, & ignis ſeu caloris cum ferro ignito concederetur eſſe hypoſtatica (qualis eſt C animæ humanæ cum corpore) ex eo tamen minimè ſequeretur iſtam ipſam vnionẽ lucis cum ſole, & caloris cum ferro eſſe huic (qua duæ in Chriſto naturæ in vnam perſonam copulantur) ὁμοειδῆ, & ſimilem. Nam hanc duarum naturarũ in Chriſto eſſe & ἐξαίρετον, & μονότροπον, & ἀσυμφυῆ ſupra docuimus, etiam Kemnitio ipſo comprobante. Quid igitur in comparatione tam diuerſa, & quæ ſuam peculiarémque rationem ab iſtis ipſis Vnionum hypoſtaticarum generibus diſsimilem habet, totum ſuæ ſententiæ fundamentum nunc collocat, & proram ac puppim huius ſuæ probationis facit Kemnitius? Nam ille ipſe, qui has ſimilitudines non nimiũ vrgendas monet, ita tamen vrget, vt ex illis ſanguinem eliciat, & nihil vbique niſi verba hæc, *Sicut ignis communicat ignito ferro ſuas operationes, & ſicut anima communicat corpori vnito*, nobis ad faſtidium vſque occinat & inſonet.

Ad quartam autem quæſtionem à nobis propoſitam quod attinet, reſpõdeo, Quum neq; idioma Deitatis λόγου eſſentiale, neque ipſa plenitudo Deitatis per Kemnitium communicetur aſſumptæ naturæ, vel vt ſubſtantia, vel vt accidens: ergo nullo modo communicatur realiter. Vt eſſentiale quiddam negat naturæ humanæ cõmunicari Kemnitius: Pag 91 vt autem accidentariam aliquam qualitatem eidem communicari non admittit. Quare

A nullo modo plenitudo Deitatis, aut eſſentiale illius idioma communicatur naturæ humanæ aſſumptæ.

Ad quintam autem & vltimam interrogatiotionem noſtram, ex qua diſsimilitudo harũ cõparationum cum re, de qua nunc quęritur, intelliligi poteſt, reſpondeo. Quanuis ſeſe & lux Soli, & calor ferro inſinuet, nõ effici tamen, vt ſe Deitatis λόγου plenitudo quoque in carnem aſſumptã inſerat, immittat, & realiter cõmunicet, quum neque Deitas, neque Deitatis plenitudo accidẽs eſſe vllo modo poſsit, vt eſt & Lux & calor: neque ſit Deitas, aut illius eſſentiale idioma cuiquã rei creatæ communicabile. Nam plenitudo Deitatis, eſt ipſa Deitas: Deitas autem vera alij, quàm ei, qui naturâ Deus eſt, tribui, dari, aut communicari realiter non poteſt. Eſa.42.v.48. 2.Cor.8.5.& 6. Gal.4. v.8. *Gloriam meam alij nõ dabo*, ait Dominus, *Nã etſi ſint, qui dicuntur Dij, & in cœlo & in terra* ait Paulus, *vnus tamen eſt Deus Pater*, &c. *Seruiebatis, qui naturâ Dij nõ ſunt*. Ergo Deitas nulli alij rei, quàm Deo, re ipſâ tribui poteſt. B Nam vti Deitas à nemine alio eſt, quàm à ſeipſa: ita à nemine, quàm ab ea re, quæ naturâ Deus eſt, participabilis ac cõmunicabilis eſt, nedũ, vt poſsit realiter cõmunicari, dari, aut ineſſe, vel ex parte, vel in totũ rei creatæ, qualis eſt caro Chriſti, ſiue id fieri dicatur modo phyſico, ſiue hyperphyſico, ſiue effuſione, ſiue cohæſione, ſiue denique inhærentia formali, ſiue περιχωρήσει, ſiue quopiã alio modo, vt nimirũ Deitas rei creatæ realiter tribuatur. Ex quibus omnibus apparet, quũ neque hę ſimilitudines genus idem vnionis habeant cũ duarum naturarũ in Chriſto copulatione, neque Deitas ſit alij rei, quàm Deo naturali, communicabilis, etſi rerũ creatarum qualitates ſunt communicabiles, & hæc vnio toto genere ab iſtis rebus differat, quas affert Kẽnitius: eſſe diſſentaneas & ἑτερογενεῖς prorſus rerũ inter ſe cõparationes iſtas, ideóque prorſus ineptas. Sed iam quid de ſingulis Kemnitius ſcribat, ſigillatim excutiamus.

Kemnitius pag.78 l. 5.

C *Sicut τὸ φῶς ἀρχέγονον lux illa promogenia, vnione illa, & ſe & totã ſuam vim, & operationem cõmunicauit corpori Solari, non Phyſica cõmunicatione confuſionis, effuſionis, aut exæquationis, hoc eſt, non ita, vt iam duo ſint in ſole lumina, alterum primariæ lucis eſſentialiter proprium: alterum, ex luce illa in corpus ſolare ſeorſim effuſum priori æquale, formaliter in corpore Solis inhærens. Sed vnicũ eſt lumen Solis, quod eſſentiale & propriũ eſt ac manet primariæ lucis, ac nequaquã fit proprietas, vel eſſentialis, vel accidẽtalis corporis Solaris. Sed quia Solis corpus ratione Vnionis eſt δεκτικόν, primariæ lucis ſicut Iuſtinus loquitur: per illam igitur vnionẽ talis fit cõmunicatio, quòd virtus & ἐνέργεια lucis propria in corpore ſolis & per illud ſe exerit & diffundit. Ac corpus Solis illo, quod lucis proprium eſt, lumine, ex vnione quaſi accenſum lucet, ſplendet, ac lucis radios emittit virtute & operatione primariæ lucis, quæ corpori Solari per περιχώρησιν vnita eſt. Aer enim eſt lucidus participatione & ſuſceptione ſplendoris aduentitij, vt Luna, quæ habeat naturale lumẽ in Eclipſi oſtendit. Aliud verò præterea lumẽ habet Luna, ex participatiõe, & ex radijs ſplẽdoris Solaris. Sol verò eſt lucidus nõ tali & participatione ab extra vt Luna, ſed quia intrinſecus poſſidet ipſum fontem luminis, vnitum ſibi per περιχώρησιν inſeparabiliter. Ita in Chriſto non duplex eſt vita viuificans, nõ duplex diuina potẽtia, maieſtas ſapiẽtia, &c.* A *ſed vnica, quæ eſſentialis & propria eſt, & manet ſolius diuinæ naturæ, Per vnionẽ verò cõmunicata eſt aſſumptæ naturæ, nõ Phyſica confuſione, effuſione, aut exæquatione, ſed œconomia vnitionis, quòd ſcilicet, diuina illa idiomata, facultates, & operationes ſuas exerunt & exercent in aſſumptam, cũ aſſumpta, & per aſſumptam naturam: ac caro viuificat, non ſua aliqua formali virtute ſed virtute τοῦ λόγου per vnionem perſonaliter in carne illa habitantis. Ita verò vnio non eſt abſque tali communicatione, per quam nullam fieri, &c.*

Danæus.

Quiſpiam fortaſsis exiſtimauerit propter hæc Kemnitij verba *ſed virtute τοῦ λόγου per vnionem perſonaliter in carne illa habitantis*, eam tantùm ab eo intelligi idiomatum Deitatis eſſentialium carni Chriſti factam communicationem, quæ à Scholaſticis gratia vnionis, ſeu verbalis & Dialectica B prædicatio appellatur, quæ eſt, quum de natura humana à λόγῳ aſſumpta dicuntur & enuntiantur in concreto ea, quæ ſunt propriæ ipſius Deitatis operationes, veluti quum dicitur hic homo creaſſe mundum, dare vitam æternam, excitare nos à mortuis, &c. Et in eo quidem rectè ſentiret Kẽnitius, atque nobiſcum planè faceret. Sed quoniã, vti ſuperius docuimus, illam gratiam, quæ ſimpliciter dicitur gratia vnionis, explodit, aliam ipſius ſententiæ interpretationẽ quæramus neceſſe eſt, eam nempe, quam ſupra ſatis ſuperque ex ipſiuſmet verbis demonſtrauimus, vt ipſa operationum & merè diuinarum ἐνέργησις ſit modo quidem ineffabili: ſed tamen realiter, ipſi carni aſſumptæ propter vnionem hypoſtaticam ex parte iam cõmunicata, & cõmunis. Quod vt confirmet, primam hanc ex luce cum corpore Solis vnita ſimilitudinẽ ex Iuſtino affert. Primùm igitur quid dicat Iuſtinus ipſe, demum quàm extra ipſam Iuſtini mentem locus iſte detorqueatur, denique quot ſint in hac ſimilitudinis explicatione Kemnitij peccata, videamus. Primùm igitur ſic in libro de Expoſitione fidei Iuſtinus, Iuſti in l. expo. fid. Poſtquam enim illam, quæ ex animæ & corporis vnione affertur, comparationem cum vnione hypoſtatica duarum in Chriſto C naturarum, non penitus aptam & cõſentientem eſſe docuit, adiicit, *Quapropter hominis exemplum aliquatenus recipiendum eſt, quadantenus autẽ fugiendum. Nos ſanè etiam antehac veritatis huius dilucidũ profeſsi ſumus intellectũ nos intelligentia non aſſequi: ac in præſentia nihilominus bona fide ſimpliciter agamus in medium producentes, pro modulo nobis conceſſo cognitionem noſtram: & quoad eius facere poſſumus, ac manifeſtiorem veræ pietatis rationem, exemplum propoſitum referre ſtudemus, atque vnionem iſtam inſuper conferre, nõ cum exigua quapiam & tenui, ſed ingenti & ea quæ ex parte natiuitatem deceat, ſimilitudine in animo habemus. Quia enim verbum ipſum lumen in mundum venit, quod è lumine, cuius cauſa alia non extat, eluxit, lumen quoque exemplum vnionis iſtius eſſe volo. Conſideret igitur ſua mente ratio, originariam eſſe lucẽ, quam prima voce Deus per verbum ipſum creauit. Corpus autem Solis, corpus humanum, cui ratione inenarrabili verbum ſit vnitum.* Et poſt pauca, *Vnum eſt igitur originarium lumen. Sol autem corpus ipſi effectum eſt, in quo lumen contractum vbique prorſus locorum, iam inde ab initio diffuſum feratur.* Et paulo poſt, *ita vt verum planè ſit, aliud eſſe lumen, & aliud quod*

A *lumen ipſum cõplectitur, nimirum corpus ſolare. Atque quum ad hunc modum lumen ſeſe ad corpus Solis habeat, accuratius iam deinceps voſmet hanc ipſam rationem inſpicite. Nã ſicut poſt vnionẽ primogeniæ lucis cũ corpore ſolari haudquaquã ea quiſquam à ſeſe inuicem ſecernat: neque hoc ſeorſum Solem, neque illud ſeparatim lucem vocet, ſed vnum ſolem, lucem ipſam vocet: ita in vera luce, & ſanctiſsimo corpore nemo poſt vnionem ſingillatim hunc quidem filium, diuinum videlicet verbum: illum autem itidem filium, hominem nimirum, dicet. Sed vtrumque vnum atque eundem intelliget, ſicut lumen vnum, & ſolem vnum, tum lumen contractũ, tum, quòd lumen ipſum complexus eſt corpus. Itaque quemadmodum vnum quidem lumen, & vnus ſol: naturæ vero duæ, altera luminis, altera corporis ſolaris: haud ſecus hic quoque vnus quidem Filius, & Dominus, & Chriſtus, & vnigenitus: naturæ autem duæ, altera quæ ſupra nos eſt, altera noſtra.* Et rurſus: *vt in lumine lumen eſt ipſo actu ſiue agendi efficacia (ἐνεργείᾳ) quòd lumen diſiungere ab eo, quod illud ſit complexum, corpore nequeas: ratione autem ſi ſepares, naturam, cuius peculiariter ea efficacia ſiue actus ſit, cognoſcas: ſic in vno* B *Dei Filio, omnem quidem operandi vim ab eo ipſo vno, & eodem filio, ſiue vna eadémque filialitate ſeiungere non eſt: rationis tamen intelligentia, naturam, cuius id propriè eſt, quod ſit, conſequi licet. Huiuſmodi nos exemplo diuinæ iſtius vnionis propoſito, tanquam ad aliquam veræ pietatis notionem confugerimus: & ſi ad ipſam veritatem non pertigimus ſimilitudinem tamen piæ quæſtioni ſatisfacientem collegimus.*

Hactenus Iuſtinus ille Martyr. Iam verò quænam ſit totius huius loci ſententia, ex ipſis illius verbis perpendamus. Eſt autem hæc in ſumma, vt ineffabilem illam duarum in vna Chriſti perſona naturarum vnionem difficilem illuſtret. Illa autem, quum hæc quatuor difficilia habeat, primum, quòd ſint in Chriſto duæ diuerſæ οὐσίαι ac naturæ: deinde, quòd in vnum ὑφιστάμενον coierint: tertium, quòd neutra earum ſeparatim, & abſque alia iam exiſtat: quartum, quòd inconfuſæ tamen maneant, & ſuas quæque proprietates retineat: hæc totidem quatuor in hac lucis cum corpore C ſolari coniunctione reperiri docet Iuſtinus. Ac primùm quidem, Lucem eſſe diuerſam naturam ab ipſo ſolari corpore, tradit his verbis, *ita vt verum planè ſit, aliud eſſe lumen, & aliud, quod lumen ipſum complectitur, nimirum corpus ſolare.* Secundum etiam, nimirum vtranque hanc naturam in vno quodam hoc indiuiduo (quod eſt Solis corpus luminoſum) exiſtere copulatam, oſtendit his verbis, *Conſideret originariam lucem eſſe in ſolari corpore contractam, & illi vnitam.* Tertium verò, videlicet, quòd vtraque hæc natura poſt vnionem ſeorſim & per ſe non exiſtat, id eſt, neque lux hæc primæua iam ſubſiſtat abſque ſolari corpore: neque corpus ſolis abſque iſta luce ὕπαρξιν habeat, declarat his verbis. *poſt vnionem primigeniæ lucis cũ corpore ſolari haudquaquam ea quis à ſe inuicem ſecernat.* Quartum denique, nempe quòd in hac lucis cum ſolari corpore vnione maneant naturæ illæ, & propriæ earum actiones ſeu operationes incõfuſæ, addit his verbis, *in lumine*, id eſt, in luminoſo iſto Solis corpore, *lumen ſeu lux eſt ipſo actu ſeu agendi efficacia,* id eſt, lumen eſt illud, quod habet penes & apud ſe illuminandi ἐνέργειαν & virtutem: corpus autem Solis eſt illa materies, quæ lumen illud ſuſcepit, ac habet, vt proprium. A Itaque & definitione, & re ipſa, & ἐνεργείᾳ, id eſt, operationis propriæ ratione lux eſt à corpore ſolis diuerſa & diſtincta, ideóque ſecernenda, nõ cum eo miſcenda. Nam ipſum corpus Solis etiam poſt iſtam vnionem non lucet ſeu illuminat, ſed lux ſeu lumen, quòd eſt in iſto corpore, eſt illud ipſum, quod illuminat & propriè lucet. Ex quo fit, vt quanquam non niſi aliquot poſtea ſeculis, vel Neſtorius, vel Eutyches, vel Monothelitæ extitiſſent, iam tamen fœdiſſimorum errorum, quos iſti poſtea euomuerunt, confutationem nobis ſubminiſtrarit Dei Spiritus iſta piis Patribus dictans. Præcipuus certè quidẽ patrum his ſimilitudinibus vtentium ſcopus hic tunc erat, vt aduerſus Simonianos, Cerinthianos, Ebionitas, qui iam extabãt, & Arrianiſmi, & Neſtorianiſmi, & Eutychianiſmi horrenda ſemina ſpargebant, & alios ſimiles hæreticos oſtenderẽt, & fieri per rerum naturam, & mente quoque cogitari poſſe, exiſtere aliquam duarum naturarum toto genere diuerſarum, & tamen vnum ἄτομον ſeu ὑφιστάμενον B efficientium copulationem, abſque earum tamen confuſione. Veruntamen etiam aduerſus Neſtorianos & Eutychianos Monothelitas (quorum errorem prorſus renouat Kemnitius) aptiſſimè iſta Patrum tela poſtea ab Eccleſia contorta ſunt, & nunc vibrantur. Fuerunt igitur hæ vetuſtiſſimæ hæreſes, & ab ipſis penè Eccleſiæ Chriſtianæ incunabulis natæ, quæ dicerent vel Chriſtum in carnem non veniſſe: vel eum non conſtare vtrâque illa natura, nempè diuina & humana, quæ in vna perſona inconfuſa permanſiſſet, quemadmodum ex 1. Ioan. 4. verſ. 2. & 3. & eiuſdem Euangelio 1. v. 14, item Socrat. lib. 7. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 32. facilè colligi poteſt. Quarum hæreſeon prior Euangelij, fideique noſtræ fundamentum prorſus tollit: poſterior, ipſius ſalutis noſtræ implendæ rationem, id eſt, Chriſti perſonam & officium deſtruit. Hanc igitur vtranque hæreſin vt iugularent Patres, his exemplis vſi ſunt, quæ à luce & C Sole: calore & ferro candente: anima humana cum corpore ſuo vnita: denique à domo variis partibus conſtructa ducuntur. Id quod poſtea quoque latiùs à nobis explicabitur. Cæterùm vt hæc ſimilitudo vnionis & lucis primæuæ cum ſolari corpore aliquo pacto, ſicut docuimus, illuſtrat arduum ac difficile illud hypoſtaticæ duarum in Chriſto naturarum vnionis myſterium, éſtque quadantenus illi ſimilis: ita, niſi rectè dextréque diſtinguatur, eam admodum obſcurat, reperietúrque ab ea valde diſcrepans & diſſimilis. Quod vt oſtendam, paucas tantùm è multis diſſimilitudines iſtius ſimilitudinis proferam. Primùm, quod in hac coniunctione lucis primæuæ cum corpore ſolari, ſiue illa ſit ſubſtantia, ſiue accidens tantùm, copulatio fit, nec illa ſit vnio hypoſtatica, qualis eſt tamen vnio naturarum in Chriſto. Secundùm, quòd res finita cum finita coniungitur, itaque res illæ exæquari, & coextendi inter ſe potuerunt, licèt tamen non coextendantur. Nec enim vbicunque eſt ipſa primæua lux, ibidem quoque eſt ipſum corpus. Nam & in aerem iſtum, & in Lunam primæua illa lux diffunditur, vbi tamen corpus ſolis eſſe nemo

A ſanus vnquam dixerit. Sed de duabus Chriſti naturis vnitis nemo rectè ſenſerit , naturam humanam cum diuina vel exæquari , vel coextendi. Tertium, quòd lux illa primæua eſt in vnum corpus Solis , vt ait Iuſtinus , contracta & concluſa. At Deitas λόγου in aſſumpta natura cohiberi, conſtringi , & contrahi non poteſt. Quartum, quòd corpus ipſum Solis poſt vnionem factum eſt ipſum ὑπάρξεως, id eſt, ſubſtātiæ lucis in ea ſubſiſtentis, ſiue illi adiunctæ, fundamentum (ſubſiſtit enim iam Lux in ipſo corpore Solis, nō autem corpus Solis in illa primæua Luce) At natura humana, (cui corpus ſolare comparant) non eſt ὑποστάσεως aut ὑπάρξεως Deitatis λόγου fundamētum: imò ipſa natura humana aſſumpta in hypoſtaſi Filij Dei exiſtit & ſuſtentatur. Hæc igitur & his ſimilia demonſtrant , quàm ſint multa in hac ſimilitudine cum vnione hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum diſsimilia. Verùmenimuerò quid hæc ſiue ſimilitudo, ſine diſsimilitudo ad Rhombum , & Vrceum Kemnitij ? Conatur enim ille ex ea confirmare, fieri realem communicationem, & participationem ipſius plenitudinis Deitatis λόγου, ac omnium illius B eſſentialium idiomatum & operationum à natura humana ab ea λόγου Deitate aſſumpta, id eſt, à carne Chriſti, quæ creatura eſt, & quæ ex ſemine Mariæ virginis genita fuit: adeò vt iam ex Kemnitij ſententia, non tantùm Chriſtus homo (quod propter gratiam vnionis, & per perſonalem prædicationem facilè concederemus) ſed ipſa Chriſti humanitas re ipſa ſit ita particeps omnium eſſentialium Deitatis λόγου idiomatum , vt ſit perpetua, quod ad ἐνέργειαν actionum ipſius λόγου Deitatis propriarum, συνεργὸς , indiuidua cooperatrix, & illius adiutrix, & comes in ipſa illius ἐνεργείᾳ, non tantùm in communi apoteleſmate. Quomodo verò iſta vel ex verbis , vel ex mente Iuſtini, vel ex vi & ſcopo iſtius ſimilitudinis colligit Kemnitius ? Probat Iuſtinus ex ſua ſimilitudine duas naturas diuerſas poſſe coire & coaleſcere in vnum inconfuſas. Kemnitius contrà, naturas in Chriſto etſi non verbo , reipſa C tamen confundit. Sic enim applicat hanc ſimilitudinem ad hanc diſputationem , vt eſſentialia idiomata vnius naturæ (videlicet diuinæ) non ipſi perſonæ & toti tantùm Chriſto : ſed ipſi naturæ alteri, & diuerſæ, re ipſâ communicari & dari contendat : quod eſt planè naturas, & earum proprietates poſt coalitionem, & vnionem confuſas eſſe velle. Cui enim eſſentialia alicuius rei idiomata realiter communicantur : eidem ipſa quoque eiuſdem rei eſſentia tribuatur & realiter communicetur neceſſe eſt. Probat Iuſtinus ex hac vnione lucis cum Sole proprias cuiuſque naturæ operationes manere ſic proprias, vt ex ijs natura ipſa , cuius illæ ſunt , ſecerni , id eſt, diſtingui debeat ac poſsit, nempe lumen à corpore Solis. Kemnitius contrà vult ex iſta ſimilitudine effici, propriam vnius naturæ operationem eſſe alteri naturæ vnitæ ita realiter communicatam, vt illa iam ab vna tantùm natura non efficiatur, ſed ſemper ſit communis vtriuſquè naturæ vnitæ. Itaque poſt illam vnionem naturarū in Chriſto, ex Kemnitij ſententia, manet ſemper in ambiguo cuius naturæ hæc vel illa operatio ſit A vel fuerit, nec ampliùs ex propria ſua operatione, vna natura ab altera diſtingui certò poterit. Quarum enim rerum ſemper ſunt communes & indiuiduæ operationes, earum eſt eadem οὐσία. Itaque iam diuina natura neque ex οὐσίᾳ, neque ex propria ſibíque peculiari, & alij rei ἀκοινωνήτῳ operatione in Chriſto diſtingui poterit ab humana natura. Quæ omnia ſunt merè blaſphema. Imò verò Patres, vt oſtendant lucem ſiue in Solis corpore, ſiue in lucerna , in qua ineſt(nam & hac ſimilitudine quoque vtuntur, veluti Athanaſius Dialogo 5. contra Apollinarium) retinere illam lucendi & illuſtrandi actionem ſibi & peculiarem & propriam, nec lucernæ, cui ineſt, κοινωνητὸν, ſic loquuntur, non lucernam, ſed Solem ipſum in lucerna, ſplendere: & eam (quam lucerna habet) lucem eſſe non ipſius lucernæ, ſed Solis aut luminis (quod eſt in lucerna) lucem , adeo vt propterea Sol, vel lumen illud , in aliqua lucerna comprehenſum accipiat propterea nomen lucernæ: non autem accipit lucerna nomen ipſius Solis. Nam poteſt lucerna illa dici lux: ſed nemo dixerit lucernam eſſe Solem : etiamſi eum concluſum haberet. Quamobrem ex iſta B ſimilitudine , etiam Patribus ipſis interpretibus , contra Kemnitium efficitur , proprias Diuinæ naturæ (quæ iſti luci comparatur) operationes , humanæ naturæ , quæ lucernæ reſpondet, minimè realiter communicari , ſed manere Deitatis proprias , eáſque à ſola , quamuis hypoſtaticè vnita, Deitate, etiam in ipſa humana natura (per quam nobis apparent , & lucent) effici. Quamobrem minimè ſunt actiones illæ Deitatis cum humanitate communes. Quid enim ? Putátne Kemnitius ferrum aut cornu illius lucernæ , in qua lumen vel candela ineſt, recipere in ſe eam lucem , qua viatores noctu deducuntur, & vident , ac non potiùs manare & eſſe ab ipſomet lumine , ſeu candela? verùm vt concedamus cornu illud lucernæ, aut ferrum, in ſe ſuſcipere aliquam radiationem, & illuſtrationem , qua iuuentur in tenebris viatores (quia lux illa comprehenſa per illa corpora radiat)propterea tamen nequaquam concederemus plenitu- C dinem Deitatis (quæ neque eſt accidens , neque communicabilis) vlli rei creatæ communicari realiter poſſe. Ex quibus , quantum illum Iuſtini locum , & vim, ac ſcopum iſtius ſimilitudinis à vero & natiuo ſenſu , atque etiam à mente Patrum Kemnitius detorqueat , omnes iam, quemadmodum ſpero , facilè vident. Et quia de eo diximus , reſtat vt quot peccata committat Kemnitius in hac ipſa ſimilitudine exponenda, percurramus , vt totum hoc erroris Kemnitij fundamentum omni ex parte ſubrutum iaceat. Peccat igitur quum ait , *in ſolari corpore ſplendente , & primæua illa luce accenſo , non eſſe duo lumina , ſed vnicum , quod proprium ſit & maneat primæua lucis : ſic in Chriſto non eſſe duplicem vitam, potentiam, maieſtatem , ſapientiam , & cætera, ſed vnicam, quæ eſſentialis quidem ac propria ſit, & maneat ſolius Deitatis , tamen ipſi carni ſeu naturæ humanæ aſſumptæ realiter communicatur , ab eáque participatur , & quæ dicatur eſſe vita viuificans , tam ex carne Chriſti, quàm ex ipſius Deitate propter vnionem profluens.* Dupliciter autem hîc peccat.

Atha. dial. 5. in Arrianos.

Pag. 78.

Primùm

A Primùm quum ſentit lumen illud, quod à luce primæua efficitur, & accenditur in corpore Solis, vel in cornu lucernæ, & quo lumine radiat & ſplendet ipſa lucernæ materia, non eſſe diuerſum ab ipſa primæua luce, quæ in Sole, vel lucerna comprehenditur. Eadem enim ratione illud lumen, quod, exorto Sole, in aere cernimus, & quod ex ſplendore incidente in leuia corpora, velut aenea, ferrea, cuprea, reliquáque huiuſmodi polita, efficitur, eáque radiantia & ſplendentia facit, non differret à primæua mundi luce, ſed eſſet ea ipſa lux, quę prima die à Deo creata eſt, id eſt, eſſet vnum & idem numero lumē illud, quod eſt accenſum in rebus iſtis inferioribus, & lumen illud, accendens quod exiſtit in cœlo cum corpore Solis coniunctum. Id quod certè quidem eſt abſurdiſſimum. Præclarè enim Phyſici, lucem à lumine, φῶς ἀπὸ τοῦ φωτισμοῦ differre docent. Lucem enim (quam φῶς appellant) eſſe illam primæuam, quæ primo die à Deo pro- B ducta, omnes res, & in quibus ineſt (vt in corpore Solis) & in quas incidit, (quales hæ res inferiores) illuſtrat, & illuminat. Lumen autem (quem φωτισμὸν vocant) eſſe ſplendorem, & fulgorem, qui fit ex lucis in denſum aliquod corpus incidentis reflexione. Itaque docent lucem eſſe cauſſam: lumen autem eſſe illius lucis effectum. Ex quo, non eſſe ea numeo eadem, iam intelligit Kemnitius. Vnde fit, vt quum ſcribit, illa duo eſſe vnicum duntaxat lumen, & rem eandem ac numero vnicam, ſe in eo hallucinatum fuiſſe apertiſſimè videat. Atque hoc vnum eſt iſtius ſententiæ Kemnitij vitiū. Alterum autem in eo poſitū eſt, quòd quum in Chriſto vnicam tantùm propriam & eſſentialem Deitatis λόγου potentiam, vitam viuificantem, maieſtatem, ſapientiam rectè conſtituat, malè tamen eam poſtea humanæ Chriſti naturæ realiter communicet. Hæc enim ſeiſpa euertunt, & ſunt planè contradicentia ſeu ἀσύστατα. Quomodo enim poteſt, quæ Deitatis propria & eſſentialis eſt, vita, potētia, actio & virtus, ipſi carni & rei creatæ realiter cōmunicari, ab eáque participari? Aut enim abſ- C que ipſa diuina illa ſua eſſentia, eſſentialis Deitatis vita, potentia, virtus & maieſtas carni Chriſti communicatur: aut cum ipſa quoq; eſſentia diuina carni aſſumptæ datur. Si abſque eſſentia diuina poteſt eſſentialis Deitatis vita & virtus cōmunicari realiter carni Chriſti, vel alij rei: ergo nō erat illa vita, potētia, & virtus eſſentialis Deitatis. Nam, vel teſte ipſo Kemnitio, eſſentialia idiomata extra ſua ſubiecta non ſubſiſtunt. Sin cum ipſa quoque eſſentia diuina carni communicatur, ergo fit caro ipſa Chriſti Deus, vt pote quæ reipſa capiat & participet diuinam ipſam eſſentiā. Et quis tandem erit iſtarum blaſphemiarum modus? Prętere quis neſcit ex numero agentium ſeu operantium multiplicari quoque ipſas actiones ſeu operationes, etiam quæ ſunt eiuſdem generis, & ad vnum, & eundem ſcopum tendunt? Exempli gratiâ, In vna & eâdem hominis aliquid apprehendentis manu ſunt quinque digiti, ergo & diuerſæ quoque ſingulorum illius manus digitorum idem corpus apprehendentiū actiones, nēpe tot numero, quot ſunt ipſi digiti. Nam quanuis ipſa apprehenſio ſit totius manus ἀποτέλεσμα ſeu opus: nō ſunt tamen ipſæ ſingulorum digitorum, etiam in eadem eiuſdem hominis manu, & ab eadem etiam animæ virtute vegetatorum actiones ſeu operationes, vnica numero operatio ſeu actio: ſed ſūt diuerſæ, pro numero digitorum. A Quantò magis igitur diuinæ & humanæ Chriſti naturæ, etiāſi circa idem opus ſeu ἀποτέλεσμα verſentur & operētur, actiones ſeu operationes erunt & differentes & diuerſæ, & non vnica actio ſeu operatio cenſenda? Natura enim diuina nihil, quod ſuum ſibi & eſſentiale eſt, poteſt in carnem vel rem creatam vllam transferre. Nec iuuat Kemnitium, quòd carnem Chriſti adhibet tantùm, velut organum Deitatis. Nam etiam vbi organa adhibētur, eſt alia tamen organi, alia verò cauſſæ ipſius organum mouentis, & virtus, & actio, & operatio, veluti alia eſt propriè hominis gladiū mouentis, alia verò ipſius gladij moti in ſcindendo operatio, licet ab vtroque idem ἀποτέλεσμα tandem efficiatur, nempe ipſa alicuius rei diſſectio. Quanto verò magis illud inſtrumentum, quod B ſic mouetur ab alio, vt non tantùm ſit παθητικὸν, ſed etiam ἐνεργητικὸν, (cuiuſmodi eſt Chriſti ipſius anima à Deitate mota) propriam & peculiarem habet actionem? Et quum Spiritus ſanctus piorum: Diabolus autem impiorum animos impellat, nulla fuerint neque piorum, bona: neque malorum, mala opera ipſis imputanda, ſi duntaxat aguntur, & non agunt. Denique quis non videt hanc Kemnitij ſententiam de vnica Diuinæ & humanæ naturæ poſt vnionem in Chriſto operatione, & potentia, & maieſtate, ſapientia, &c. eſſe grauiſſimi Monothelitarum erroris, quemadmodum antea diximus, interpolationem? Cōſequetur enim animam Chriſti nulla ſapientiæ, fortitudinis, cognitionis qualitate creata fuiſſe pręditam. Quod dogma ineptius etiam eſt, quàm illud Apollinaris. Quorſum enim animam humanam illis qualitatibus nullis prędıtam? Quare ſua cuique naturæ eſſentialis operatio, propria, & alteri ἀκοινώνητος eſt & ſtatuenda, & credenda. Nec enim ipſæ naturæ communicant ſibi proprias & eſſentiales ſuas operationes. Et hæc quidem tot ſunt vitia, quæ in prima iſtius ſimilitudinis explicatione committit Kemni- C tius. Prætermitto verò, quòd ipſam omnipotentiam, ipſam omnimaieſtatem, ipſam omniſcientiam diuinam Deitatis λόγου communicari Chriſti carni manifeſtè cenſet, quod tamen ipſius ſocij, & imprimis Hunnius in reſponſione ad quinque Paſtorum Anhaltinarum Eccleſiarum argumeuta fieri poſſe, & rectè quidem, negauit. Videamus quid & quantum in reliqua expoſitione peccet. Peccat igitur, dum ſcribit quoque ipſum corpus Solis emittere radios. Quis enim Pag.78. eos à luce ipſa propriè emitti potiùs non dixerit? Itaque quum ſic loquimur, *Sol emittit radios*, procul dubio figurata loquendi ratio eſt, qua continens pro luce ipſa, quæ in corpore Solis continetur, vſurpamus, veluti quum dicimus, Hic luculentus focus me calefacit, Petrus ſe calefaciebat ad prunas, & cætera huiuſmodi. Sed vt ſuum de communicatione propriarum operationum errorem tueretur Kemnitius, etiam populares ipſas loquendi phraſes, & cuiuis notas, ſua explicatione corrupit. Eâdem enim ratione ſentiendum eſſet, non ipſam lucem (quæ in Sole eſt) propriè, ſed ipſum corpus Solis potiùs aerem iſtum, dum fit dies, illuminare: quod eſt abſurdiſsimum. Ex eodem etiam Kemnitiani erroris fonte & illud eſt, quod ait, *Corpus Solis ratione ſua eſſentiæ alio modo participare illã lucem primæuam,* quàm eam participet, vel aer, vel ipſum adeò Lunæ corpus. Imò verò lux illa primæua prorſus extra ipſam etiã & ſolaris, & lunaris, & aerei huius corporis eſſentiam eſt, illíque aduenit: ſed in eo tantùm diſcrimen eſt, quòd lux illa, quæ corpori Solis affixa eſt, ab eo reipſa iam eſt inſeparabilis: à Luna verò & iſto aere nonnunquam re ipſa ſeparatur. Eſt enim (exempli gratiâ) vti iam peccatum in homine, ſic lux illa in Sole: videlicet toto genere ab ipſius ſolaris corporis eſſentia diuerſa, & tamen illi perpetuò adiuncta, & comes indiuidua. Quod ſi eſſentiæ lucis illius, & huius corporis Solaris ſunt diuerſæ, ergo & operationes earum. Quamobrem, vt illa primæua lux non eſt ipſum corpus Solis, ſic neque propria & eſſentialis illius lucis operatio eſt actio ſeu operatio corporis ſolaris. Lux enim illa illuſtrat: corpus autem Solis tantùm illius vehiculum eſt, & veluti currus. Quòd ſi de luce & Sole etiam vnitis id rectè cõcluditur, & verè, multò magis de naturis Chriſti vnitis idẽ, & quod ad οὐσίαν, & quod ad ἐνέργειαν, dicendum eſt, eas manere diſtinctas, & eſſe extra ſua ſubiecta ἀκοινωνήτους, vt diuina natura tantùm operetur, quemadmodũ ait Magnus ille Leo, diuina: humana verò natura, ea, quæ ſunt humana: neutra verò ſua idiomata, vel eſſentiales actiones alteri cõmunicet. Quod tamen vult Kemnitius.

Kemnitius pag. 79 l. 8.

Theſ. 2.

Altera veteris Eccleſiæ ſimilitudo eſt maſſæ ignitæ, ſicut Origenes eam proponit: Athanaſius in dialogis ponit lignum ignitum, & cauterium ignitum: Baſilius, ferrum ignitum: Cyrillus, carbonem ignitum: Damaſcenus, Macharam ignitam. Et paulò poſt, Ac ſimilitudo illa aptiſſimè aliquo modo oſtendit modum nimirum illum arctiſsimæ vnionis, quem Damaſcenus nominat περιχώρησιν, quomodo ſcilicet plenitudo Diuinitatis in Chriſto inhabitet corporaliter, quomodo vtraque natura agat cũ communicatione alterius, & quomodo caro Chriſti totam virtutem verbi hauriat, atque viuifica reddatur. Item pag. 89. l. 17. Cauterium enim ignitum imprimendo vrit, & vrendo facit impreſsionem. Machæra ignita vrendo incidit, & incidendo vrit, quod neutra natura ſine altera facere poteſt. Item pag. 91. l. 5. Qua ratione nec confuſio, nec abolitio, nec tranſmutatio, nec exæquatio fit vel ſubſtantiarum, vel proprietatum eſſentialium ferri & ignis, ſicut apparet, quando ignis à ferro rurſus ſeparatur, & nullam hac ratione fieri vel phyſicam effuſionem, vel exæquationem inde manifeſtum eſt. Ingens enim diſcrimen eſt, quando ignis lucet & vrit in ferro, & quando ferrum ignitum lucet, & vrit. Nam ignis in ferro lucet, & vrit non propria aliqua eſſentiali ſua virtute, nec aduentitia aliqua qualitate formaliter in ferro inhærente, ſed virtute ignis vniti lucet, & vrit: quæ virtus eſſentialis & propria eſt, & manet ipſius ignis. Sed propter vnionem cum ferro iam non ignis tantùm in ferro ea virtute vtitur, ſed & ferrum ignitum ratione vnionis, virtute illa vtitur, vt ea luceat, & vrat.

Danæus.

Hæc eſt ſecunda, & velut palmaria Kemnitij ſimilitudo, in qua ſe propter ſuam ſimplicitatem acquieſcere ſcribit cap. 23. pagina 308. Et certè in ea totam victoriæ ſuæ ſpem iampridem & ipſe, & ante eum Lutherus, & poſt Lutherum Brentius, & nunc ipſius ſocij collocarunt. In qua quantum tamen aberrent, hoc loco, Domino Chriſto duce, ac donante, docebimus. Nam primùm omnium, quemadmodum in ſuperioris ſimilitudinis examine demonſtrauimus, iſte res ἑτερογενεῖς, & non ſolùm ἑτεροειδεῖς, ac proinde diſsimilimas, inter ſe confert, hanc nimirum ignis & ferri vnionẽ, quæ eſt duntaxat coniunctio ſiue duarum ſubſtantiarum, ſiue, vt alij volunt, accidentis & ſubiecti cum vnione duarum illarum in vna Chriſti perſona naturarum, quæ prorſus hypoſtatica eſt, imò etiã inter cæteras hypoſtaticæ vnionis ſpecies auguſtiſsima. Quare accidens cum ſubſtantia comparat Kẽnitius: & Craſim, ſeu Mixtionẽ, vnioni hypoſtaticæ similẽ eſſe vult, & cenſet, & ex tam diſsimilium comparatione idem colligit. Nam quod de calore in ferro velut in ſubiecto formaliter exiſtẽte, dicitur, idẽ de ipſa Deitate λόγου & operatione propria Deitatis in aſſumpta natura ſtatuendum eſſe vult: quanuis idem Kemnitius nolit eam Deitatis plenitudinẽ, & eſſentiales illius proprietates in humana natura aſſũpta ineſſe, velut in ſubiecto: atque ita ſeipſum ſtatim, ipſóque iſtius comparationis in limine pulchrè refutat. Nam, ipſo teſte, erunt ἑτερογενῆ inhæſio caloris in ferro ignito, & vnitio duarum naturarum in Chriſto. Atqui ἑτερογενῶν rerum comparatio ſit ἑτερογενὴς neceſſe eſt, & contraria, quum non eadem de contrariis ſint affirmanda. Verùm exceperit fortaſſe Kemnitius, Patres hac ſimilitudine iampridem vſos eſſe. Iſtud equidem non negauerim, ſed in diſſimili prorſus ab eo, quod ipſe tractat, argumento: imò verò vt eam ipſam ſententiam, quam Kemnitius maximè ſtabilitam eſſe vult, euerteret. Fuit igitur hæc omnis ſuperioris vetuſtatis (quæ hac ſimilitudine delectata eſt) mens, & hic ſcopus, quemadmodum ſuprà docuimus, vt Cerinthianos, Ebionitas, & alios (qui Chriſtum ex duabus tam diuerſis naturis, qualis eſt Diuina, & humana, vnum conſtare poſſe negabant) ex ipſis adeò naturalibus exemplis refutarent, ac oſtenderent hominibus, quãtumuis rudibus, etiam id fieri poſſe, & ſolere, vt diuerſiſsimæ naturæ in vnicũ indiuiduum coaleſcere, & coniungi poſſent, atque etiam in eodem ὑφισαμένῳ inconfuſæ, quod ad οὐσίαν, & quod ad operationem, permanerent: id quod in illa duarum in vna Chriſti perſona naturarum vnione fit. Itaque, quum illi hæretici has duas Chriſti naturas ἀκοινωνήτους, & inconiungibiles eſſe in vnius hypoſtaſis σύστασιν contenderent, ſunt à Patribus hoc exemplo manifeſtiſſimè confutati.

Damaſcenus in lib. de duab. Chriſti voluntatibus.

Hanc autem eſſe totius piæ vetuſtatis hac ſimilitudine vtentis mentem, ex vno, & altero, & eo quidem vetuſto, ac orthodoxo Patre, audiamus. Omnes enim proferre nihil neceſſe eſt, quum vnius vox, ſit omnium, ſeu totius Eccleſiæ Orthodoxæ vox, & ſit breuitati ſtudendum. Quòd enim hic Kemnitius immoratur in commemoranda rerum (quibus Patres ad vnam & eandem hanc ſimilitudinem explicandam vſi ſunt) varietate, & inde iuueniliter exultat, eſt tũ curioſum, & inane, tum etiam oſtẽtationis plenũ, à qua (ita me Deus bene amet) ego ſemper abhorrui. Nec verò, quum lignum ignitum appellat Athanaſius, aliud ſenſit, quã alij, qui itidẽ ferrum, vel maſſam, vel carbonem

A nem,vel machæram, vel gladium ignitum dixerunt. Eſt enim vnus,& idem omnium horum exẽplorum ſcopus,nempe vt doceant diuerſas naturas copulari, & conuenire in vnum indiuiduum poſſe:in quo etiam inconfuſæ , & ſuam quæque proprietatem retinentes maneant. Audiamus igitur ex veteribus Athanaſium: *Hic* (inquit) *ſermo qui nunc propter illam œconomiam dictus eſt Ieſus,is eſt, per quem omnia: & quemadmodum Cauterium animaduerto ignem ſimul,& ferrum eſſe , ita etiam Ieſum intelligo eſſe Deũ ſermonẽ*(*vt ita loquar*) *inhumanatũ.* Ergo videt Kemnitius huius ſimilitudinis ſcopũ eſſe , vt Diuina & humana natura in Chriſto,non duæ perſonæ,ſed vnicum duntaxat ὑφιστάμενον eſſe demonſtrentur. Videamus autem quomodo idem Athanaſius,etiam dum Chriſti operationes ex huiuſmodi ſimilitudine explicat,velit,ac demonſtret eam,quæ propria eſt vnius naturæ,non poſſe alteri realiter communicari(qui tamen vnus , ac ſolus B eſt Kemnitii in his exemplis vrgendis ſcopus) ſed contra doceat Athanaſius ſic vnamquamque naturam proprias operationes in vna eâ perſona edere,& retinere,vt Chriſtus propterea tamen in duos Chriſtos neque diſſoluatur, neque diſcerpatur,ſed maneat vnicum ὑφιστάμενον. *Chriſtus porrò*,ait, *quæ in tenebris latent , in lucem profert,quòd ſit ipſe Deus,& homo , quemadmodum ignis in materia lucem præbet iis,qui ad lucem accedunt , ita vt neque à materia ſegregetur, quicũ vnitus eſt:neque materia conſumatur, ſicut nec rubus ille, cuius fit apud Moſem mentio.* Quod tamen ipſum(nempe materiam ab igne lucente non conſumi)perpetuò verum non eſt , ſed peculiariter de igne (qui Moſi in rubo apparuit) intelligitur ab Athanaſio.Et hæc quidem ille.Damaſcenus autem variis locis eodem planè ſenſu,& modo hanc eandem ſimilitudinem exponit; & quidem diſertè aduerſus eos,quorum hic errorem omnino renouat Kemnitius, nempe Monothelitas,qui nimirum proprias ſingulorum Chriſti naturarum operationes propter Vnionem perſonalem realiter inter ſe communicari defendebant. Hos enim ex hac ipſa ſimilitudine refutat , atque ſic ait: *Sancti Patres concorditer dixerunt , quæ eiuſdem ſunt eſſentiæ,eiuſdem eſſe operationis. Præterea, ſi vnà cum actione perſona ſtatuitur,qui neque vnam,ne-* C *que duas Chriſti operationes dicere ex Dei verbo ſuſtinuerint,ii neque vnam,neque duas Chriſti perſonas conſtituent. Atqui in ignito gladio,quemadmodum duæ naturæ ſaluæ manent,ignis nimirum, & ferri : ita & duæ operationes ſaluæ manent, & earum effecta . Habet ſiquidem ferrum vim illam,quæ ſecat : Ignis autem vim quæ vrit. Et ſectio quidem eſt effectum actionis ferri:aduſtio verò,effectum actionis ignis. Et horum diſtinctio , ac differentia ſalua manet, dum quid & ſecando aduritur, & adurendo ſecatur,quanquam neque ſectio poſt vnionem fit abſque aduſtione,neque aduſtio abſque ſectione. Neque propter duarum illarum naturarum actiones, dicimus hunc gladium ignitum,eſſe duos gladios : neque quia hic gladius ignitus eſt vnicus,confuſionem eſſentialis eorum diſtinctionis inducimus. Sic neque in Chriſto. Nam Deitatis ipſius operatio Diuina eſt,& omnipotens: humanitatis autem operatio eſt ſimilis noſtræ.* Idem eodem opere,& libro: *Manent etiam poſt vnionem , & naturæ incommixtæ,& earum proprietates illæſæ. Caro autem Chriſti diuinis actionibus ditata eſt propter puriſſimam ad verbum vnionem,ſiue per hypoſtaſim,* (hoc autem quid aliud eſt,quàm ipſi perſonæ, non naturæ tribuere,vnius naturę proprias actiones) A *nullo autem modo naturæ à proprietatibus naturalibus exciderunt. Nec enim caro propria actione, ſed propter vnitum illi verbum*(operari dicitur) *diuina opera , dũ nimirũ verbum per carnem propriam ſibi actionem oſtendit. Vrit quidem ferrum ignitum , nec habet tamen naturali ratione vim,& operationem illam vrentem,ſed ex vnione cum igne hoc poſſidens. Sic igitur* (caro Chriſti)*erat per ſe immortalis,ſed propter hypoſtaticam cum verbo vnionem,viuificans.* Ac ne quis putet propter illa verba, *ferrum ignitum vrit,vim & operationem vrentem ex vnione cum igne poſſidens*,confirmari hunc de communicatione eſſentialium idiomatum errorem,& participari reipſâ vim ipſam vrendi ab ipſo ferro(quod effici putat Kemnitius) & ex eo colligat communicari igitur operationem,& efficaciam,quæ Deitatis λόγου propria eſt , ipſi aſſumptæ naturæ,ſeu carni,hunc ſcopulum præſentiens Damaſcenus,ſeque ipſũ ſtatim interpretans eodẽ capite ſubiicit, *Quẽadmodũ enim*,ait,*ferri igniti non mutat igniti ferri naturam in naturã ignis,ſed tunc etiã* (id eſt in ipſa vnione) *declarat aliud eſſe quod ignitum eſt,* B *aliud quod ignitum facit, neque ignitio eſt vnius*(*naturæ, & operationis*)*ſed duarum ſignificatio, ſic deificatio carnis Chriſti non efficit vnam Chriſti naturam ex duabus compoſitam,ſed duas eſſe oſtendit, & vnionem hypoſtaticam.* Vnde apparet etiam ex Damaſceni mente, & huius ſimilitudinis ſcopo , quòd, vti naturæ,& operationes in ferro ignito manent ſaluæ,& inconfuſæ, & immutatæ, eáque ratione ἀκοινώνητοι (nec enim ferrum ipſum fit ignis , quicquid ſuprà ſcripſerit Kemnitius , nec ipſe ignis fit ferrũ,nec ipſa actio ferri,in ferro ignito fit ignis actio,nec actio ignis,fit operatio ferri)ita in Chriſto poſt incarnationem manſerunt & naturæ , & operationes ſaluæ,inconfuſæ, & hoc ſenſu ἀκοινώνητοι:ex quo fit vt ſuam,eſſentialémque vitam, potentiam,operationem , & vim λόγου , Deitas non communicet reipſa carni,& naturæ creatæ,à ſe aſſumptæ , vt eam humanitas eiuſque eſſentialia idiomata participet:quod vt veriſſimum eſſe (etiam ipſo eodem Damaſceno teſte)cognoſcamus eum alibi audiamus ſic ſcribentem:*vt enim gladius* C *ignitus vnus eſt etiam poſt ignitionem*,(id eſt,*poſt ignem receptum*)*ſic Chriſtus vnus eſt,& vna perſona,etiã poſt incarnationẽ. Et quemadmodũ formidamus attingere gladiũ ignitũ,nõ propter ferri naturam,ſed propter naturã ignis illi vnitã:ſic Filiũ Dei verbũ cũ carne adoro*, &c. Quod ſi ex eodem Damaſceno τὸ διάφορον naturarum σώζεται,id eſt, diuerſitas naturarum vnitarũ manet,etiam poſt vnitionem,ſi ignitio ipſa duas naturas,& operationes,vnam ferri, alteram ignis eſſe oſtendit,ſi ferri natura non eſt id,quod in ferro ignito vrit,& formidatur , ſed ignis illi adiunctus ipſe vrit,& timetur,ſatis ex Damaſceno colligitur,etiam ex hac ipſa ferri igniti ſimilitudine eos refutari,qui poſt vnionem, vel ferri cum igne in ferro ignito:vel diuinæ naturæ cum humana in Chriſto,ſentiunt fieri operationum vnius naturæ propriarum,& eſſentialium realem alteri naturæ communicationem. Calor certè nihil pręter calorem habet(vt ait Thomas) & ignitum eſt aliud, quàm ignis,ait Lombardus . Atque hæc omnia Kemnitium apertiſſimè refutant. Mulò enim minus Diuina illa,& increata λόγου natura ſe , ſuámq; coeſſentialem vitam,potentiam,operationes,carni,& rei creatæ,& prorſus ὑπεροχῇ, & non tantùm

Lib. 5.

Exod. 3.

Damaſ. l. 3. orthod. dei c. 15.

Damaſc. lib. 3. c. 16.

Damaſ. in lib. de duabus Chriſti voluntatib.

Thomas 1. parte quæſt. 3. art. 4. 5.

Damaſc. de dialec. c 37.

A ἑτεροειδῆ, vt loquitur Damaſcenus, communicare reipſa poteſt, quàm ignis iſte creatus, ſuas ferro creato, & ὁμογενῆ operationes. Præterea pro nobis facere dicimus omnes Patrum authoritates, quas inf.cap.23. Kemnitius profert, id quod ex ſuperioribus ſatis apparet. Et hæc quidem ſatis erant, verùm auctarij loco nonnulla tantùm, (nam omnia nihil neceſſe eſt) inter vtrãque hanc vnionem nimirum hypoſtaticam, quæ facta eſt duarum naturarum in Chriſto: & illam inhæſionem, quæ fit ignis cum ferro, diſcrimina paucis oſtendamus, ne quid à nobis ad harum ſimilitudinum facilem intelligentiam eſſe prætermiſſum Kemnitius conqueratur. Primũ igitur, vti ſuprà demonſtrauimus, non eſt hæc ignis cum ferro vnio hypoſtatica, quemadmodum etiam agnoſcit Damaſcenus ipſe: ſed ſolius accidentis cum ſubiecto copulatio, ac inhęrentia, quæ communicationem operationum patitur, & admittit, quum tamen eam copulatio, quæ eſt, hypoſtatica, non admittat. Ratio eſt, quòd in hac vnione hypoſtatica nunquam naturæ copulatæ, & vnitæ confunduntur, neque coextenduntur: at in illa craſi & mixtione accidentis cum ſub- B ſtantia, accidẽs cum ſuo ſubiecto & miſceri, & coextendi facilè poteſt: quemadmodum nigror in Æthiope, & coruo, & candor in Cygno, & calor in corpore hominis febricitantis, vel alio modo caleſcentis accidentia, & reliqua huiuſmodi. Quãobrem peſſimè ex ea, quæ accidenti competere poteſt cum ſuo ſubiecto, confuſione, & coextenſione colligit Kemnitius, cõmunicationem operationum in naturis hypoſtaticè vnitis, quum hæc ſit ab illa vnitio diuerſa, & hæc communicatio, quã ſtatuit Kemnitius, ne in iſta quidem commixtione locum habeat, tantum abeſt, vt in naturis hypoſtaticè vnitis eſſe, & defendi poſſit, quum neq; earum naturarum per vnionem hypoſtaticam fiat confuſio neque coextenſio. Ergo quum in hac vnione ignis cum ferro ſit propria ignis actio & diſtincta, & diuerſa à ferri actione, illique ἀκοινώνητος, quanto magis Deitatis λόγου eſſentialis operatio à carnis aſſumptæ operatione, diſtincta erit illíque minimè κοινωνητός? Itaque ne deinceps iſtâ homonymiâ decipiatur, etiam atque etiã moneo, ne quis ſic ignem cum ferro vniri putet, quemadmodum vel in nobis anima humana cum corpore, vel in Chriſto natura humana cũ diuina, vel in C aliis reb. ſubſtãtia cũ ſubſtãtia vnitur: ſed quẽadmodũ candor colũbæ vnitur, calor ligno, frigus aeri, ſanitas, & morbus corpori, &c. ſic calor ferro ignito: ferrum enim ignitium habet ignem, id eſt, calorem, quemadmodum habemus qualitatem, ait ex Ariſtotele Damaſcenus: non autem, vel vt corpus habet animam, vel vt annulus digitum. Variis enim modis res vna cum alia coniungitur, eíque ineſſe, & ab ea haberi poteſt. Hoc ipſum igitur eſt vnum iſtarum naturæ Diuinæ cum humana in Chriſto, & ferri cum calore in maſſa ignita vnionum diſcrimen. Alterum eſt, Quòd ignis, ſeu calor formaliter, ſeu ſubiectiuè, & Phyſica effuſione ineſt in ferro ignito, adeo vt etiamſi in ignis cum ferro coniunctione concederetur fieri operationũ communicatio, tamen eadem communicatio (etiam Athanaſio, & Damaſceno teſtibus) in naturis Chriſti aliter vnitis nulla tamen fiat. Nam propria Deitatis λόγου operatio (vel millies id fatente nobis Kemnitio) neque *Phyſica effuſione*, neque *ſubiectiuè*, neque *formaliter* in humana Chriſti natura aſſumpta ineſſe poteſt. Quamobrem neque Deitatis λόγου propria operatio carni Chriſti reipſa communicari, ex hac ſimilitudine tam diuerſa colligi poterit. Tertium iſtarum vnionum diſcrimen in eo poſitum eſt, quòd ipſum ferrum, id eſt, ſubiectum iſtius caloris, ſeu qualitatis neceſſariò eſt admouendum, & circumferendum, vt calor ipſe alij cuipiam rei vel admoueatur, vel adiungatur. Quum enim calor iſte ſit accidens, ſine ſuo ſubiecto ipſum exiſtere, vel alij rei communicari, vel adhiberi, vel transferri non poteſt, quoniam hæc eſt accidentium natura, vt in alio, & per aliud, nō autem per ſe, & in ſe exiſtant: vnde fit, vt neceſſario vbicunque eſt calor iſte, ibidem quoque ſit iſtud ferrum: quæ neceſſitas omnino à Deitate λόγου (cum qua ignis, ſeu calor ab iſtis comparatur) abeſt.) Quamquam enim ea iam non eſt non vnita cum aſſumpta à ſe natura humana, non propterea tamen Deitas λόγου in ipſa carne, ſeu in natura aſſumpta conſtringitur, & coercetur, vt alibi eſſe nequeat: neque per naturam aſſumptam, aut in ea λόγος ſubſiſtit, vt ignis in ferro, ſed contra natu- B ra humana aſſumpta ſubſiſtit in perſona λόγου. Et tamen non facit hæc ipſa quoque ferri admouendi neceſſitas, vt hic calor propriam operationem non habeat, & vt communicetur vrendi vis, & efficacitas ferro, id eſt, ipſi ferreæ materiæ, ſed tota penes ipſum calorem reſidet, ac manet, etiam in ferro ignito, ſicuti Patres docent. Ergo multò minus, vbi nulla huiuſmodi coexiſtentiæ, & coextenſionis neceſſitas requiritur (vt in duabus Chriſti naturis, Diuina nempe & humana) fit iſta operationis, quæ vnius naturæ eſſentialis eſt, alteri naturæ realis communicatio. Quòd autem ferrum ignitum dicitur omni ſui parte vrere, ideo fit, quòd vehemens ille calor in omnes, & ſingulas iſtius ferreæ materiæ partes ſit diffuſus. Itaque nulla illius pars admoueri poteſt, quin ſimul & ignis ipſe applicetur: quanuis tamen ſæpe vnâ ſui parte vehementius, altera minùs vrat, prout ipſe calor in his vel illis ferri partibus maior, vel minor eſt: ex quo ipſo etiam apparet, quàm pueriliter hac homonymia deceptus fuerit Kemnitius, qui, dum i- C gnis in ferro ignito vrit, putat ipſum quoque ferrum, id eſt, materiam vrere, etiam eadem illa actione, & eadem illa efficacitate, & vi, qua calor ipſe vrit. Quid? quòd iſtius hominum generis quidam ſcribunt ignem accipere vim vrendi ab ipſa materia, (id quod apertè dixit Laonicus Tubingenſis) Atqui ferrum ignitum dicitur vrere per Metalepſin, quia nimirũ ſubiectum pro ipſo accidente, ſeu qualitate ſua tunc ſumitur, ſi caloris qualitatem duntaxat ferro ineſſe dicamus. Ergo quando calor ipſe, qui in iſto ferro eſt, vrit, ferrũ iſtud vrere dicitur, non quod vel ipſa ferrea materia per ſe vrat, vt præclarè docet Damaſcenus, vel iſtius vſtionis vim & efficaciam ſibi reipſa communicatam ab igne habeat, quæ tota ignis eſt. Quod tamen, ſed perperam & falſò, ſcribit Kemnitius.

Dama. in Dialect. ca.62. Ariſtot in Poſtrategoriis & li. 4.ca. 3.de auditione Phyſica.

pag. 91.

Kemnitius pag.79.linea 26.

Theſ. 3.

Tertia veteris Eccleſiæ ſimilitudo eſt, anima vnita ſuo corpori, quam Iuſtinus tradit, vetuſtati ante ſuam etiam ætatem, vſitatam fuiſſe. Hanc Athanaſius ita explicat. Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo: ita

A *ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus. Et Cyrillus in Epiſtola Synodica inquit,Verbum in aſſumpta natura talem ſibi habitationem fecit,qualem, & anima hominis habere creditur ad proprium corpus. De hac ſimilitudine Auguſtinus ait,licèt non per omnia reſpondeat,eſt tamen ſimilitudo magna,elegans,& ad rem intellectu difficilem ſed cognitu neceſſariam, explicandam percommoda nobis & familiariſſima.Et ex hac ſimilitudine appellationes eſſentiæ,naturæ,ὑποστάσεων ὑφισαμένων,& perſonæ mutuamur,& ad Chriſti incarnationem accommodamus.*Et pag.89.linea 20.*Anima humana ſeparata habet ſuas actiones, & poteſt illas ſola per ſe exercere, ſed quando vnita eſt corpori,vtitur ad actiones ſuas organis corporis,neque tantùm in motibus,& ſenſibus exterioribus,verùm etiam in iis, quæ propria ſunt animæ rationalis.* Et paulò poſt, *Et hæc eſt dulciſſima imago, quòd, & quomodo in Chriſto incarnato vtraque natura* B *agat cum communicatione alterius.Diuina ſiquidem natura in Chriſto poſſet omnes ſuas actiones exercere,& expedire ſine aſſumpta humana natura. Sed ideo in ſanationibus,& in ipſo opere redemptionis adhibuit vel membra,vel vocem humanæ ſuæ naturæ, vt oſtenderet talem factam eſſe vnionem,quòd præcipuè & principaliter in opere redemptionis,reparationis, & ſaluationis generis humani Diuina natura non ſola per ſe, ſed in aſſumpta humana natura,cum humana natura & per humanam naturam illas ſuas operationes exercere & perficere velit.*Et pag.93. li.12.*Inde fit talis communicatio,* 1. *Quòd organa corporis ab anima diſponuntur,& informantur, vt idonea ſint, quibus anima ad ſuas operationes vtatur* 2. *Quòd anima non ſola per ſe, ſed per certa organa corporis potentias & operationes ſuas exerit & exercet:quódque organa corporis illis animæ potentiis vtuntur,vt nutriant,ſentiant,viuant.*

Danæus.

Breuior in hac ſimilitudinis collatione futurus ſum, tum quòd & à Iuſtino, & ab Auguſtino ipſo repudiata eſt,quantumuis vetuſta,(Apol- C linariſtarum enim erroris videtur fuiſſe fundamētum)tum quòd ſuprà ſunt à nobis magnam partē expoſita, quæ in hac ſimilitudine ſunt diſſimilia. Et quidem hęc animæ humanę cum corpore vnio propiùs,quàm ſuperiores duæ, ad illam vnionem duarum in Chriſto naturarū hypoſtaticam accedit,quum ſit & ipſa hypoſtatica:tamen de hac ipſa poſtquam eam diligenter & accuratè perpendit, Iuſtinus in expoſi. fidei. ſic pronuntiat Iuſtinus, *Quapropter hominis exemplum aliquatenus recipiendum eſt,quadamtenus autem fugiendum.*Huius autem ſimilitudinis,vti ſuperiorum duarum hic ſcopus eſt,vt aduerſus Cerinthianos & omnes Hæreticos,quos Chriſtolytas vocat Damaſcē. in li.Eccl. Hereſi. Damaſcenus, docerēt Patres vnum ὑφισάμενον duabus diuerſiſſimis naturis ſeu eſſentiis,iiſque etiam manentibus inconfuſis,conſtare poſſe:non autem vt inde propriam vnius naturę vnitę operationem alteri communicari poſſe demōſtrarent.Id quod Kemnitij errorem prorſus oppugnat.Sic igitur idem Iuſtinus,quem poſtea & Athanaſius, & Baſilius & alij ſecuti ſunt,*Nonnulli vnionem eam, veluti Animæ cum corpore,mente complexi ita prodiderunt. Et congruens eſt exemplum,tametſi non ex omni parte, aliquatenus tamen. Quemadmodum enim vnus eſt homo,& naturas inter ſe differentes duas in ſe obtinet: ac per alteram quidem ratiocinatur : per alteram verò id, quod ratione concepit, efficit:(Animo ſiquidem, ſi fors ita ferat,nauigij compagem complexus,ſtructuram in animo conceptam manibus ad finem perducit.) ita Filius quum vnus ſit,& duæ naturæ, altera diuina edit miracula,altera humilia excipit.* A Nullam autem idiomatum vnius naturæ eſſentialium κοινωνίαν,& participationem realem ab altera natura vnita fieri poſſe, ex hac ipſa ſimilitudine, & illius interpretatione, à Iuſtino docemur. Nam vel vna hac maximè de cauſſa eam ipſe reiicit, quòd anima cum corpore ſuo ſæpe compatiatur,& κοινωνεῖ,vt ipſe ait: in ipſo autem Chriſto naturæ vnitæ non item. Pag.92. Quod ipſum poſtea videtur agnouiſſe quidem,velut reliquam veritatis ſcintillam,Kemnitius,ſed non conſeruaſſe,imò ſuffocaſſe.Ait enim, *Anima potentias illas ſuas vegetandi & ſentiendi in organis corporis ad hoc miniſterium ordinatis & diſpoſitis, & per ea exercet,& exerit in homine,*& ita per vnionem *dicuntur illæ potentiæ corpori communicari.* Sed dum poſtea cōtendit Animam humanam ratiocinari per corpus(quod tamen plurimùm ipſi ratiocinationi noſtræ obeſſe nimium ſæpe experimur)Item, Animam Pag.89. non tantùm in motu & ſenſu, ſed etiam in iis operationibus,quę facultatis rationalis proprię B ſunt,organis corporis vti:item organa, ſeu membra corporis,vti potentiis Animæ,vt nutriant, vt ſentiant,vt viuant, certè quòd priùs rectè & verè ſenſerat & dixerat,euertit.Nam ipſam vitæ,ſenſus & motus ἐνέργειαν collocat in mole, compage & materia corporis ac membrorum, quibus anima ad vitæ ſenſus & motus effecta ſeu ἀποτελέσματα producenda vtitur,id eſt, quibus exercet & facit, exempli gratiâ, viſionem ipſam. Ergo non tantùm ἀποτέλεσμα & effectum ipſius facultatis videndi commune facit Kemnitius : ſed ipſam quoque videndi,& obiecta oculorum diſcernendi & diiudicandi virtutem ipſi inſtrumento, id eſt,compagini oculorum & animę communem eſſe ſtatuit.Quod ſi verum eſt,quomodo iam ergo conſtare illud ipſum,quod ſcribis, Kemniti, Pag.93. poteſt?Organa,id eſt,membra oculorum, compaginem aurium,linguæ,manuum ,pedum,ventriculi, hepatis, cordis etiam formatam & abſolutam à Deo,neque habere ipſam virtutem viuendi,neque ipſam facultatem audiendi,loquendi,guſtandi, adeò vt,quando anima ſeparata eſt à corpore(vt in morte fit)villi quidem & ſint & maneant in ven- C triculo,membranæ in oculo,tympana in aure:ſed tamen iſta membra propterea non habeant proprietatem ſeu virtutem vel digerendi,vel videndi, vel audiendi? Sed deceptus eſt ex eo Kemnitius, quòd oculus ipſe videre dicitur, auris probare & Iob.34.3. audire,lingua guſtare,&c. Verùm ſuprà,quomodo hæ phraſes eſſent metonymicos explicandæ, demonſtrauimus,nimirum,quòd,quæ ſunt efficiētis cauſſæ propria,inſtrumento tribuūtur,vti Paulus ſcribens ad Timotheum dicit,*Hæc ſi feceris, tē & alios ſeruabis,*de Timotheo agens:& de externa Euangelij prædicatione,ait idem,*non me pudet Euangelij:eſt enim potentia Dei ad ſalutem omni credenti,* 1.Tim.4.16 Rō.1.16. non quòd virtus & gratia, & poteſtas σωτήριος ac ſaluans homines,ſit Deo cum paſtoribus Eccleſię, vel cum eorum actione(quantumuis ſacra) communis(id enim ſine aperta in Deum blaſphemia neque dici,neque ſentiri poteſt) ſed hæ ſunt metonymicæ locutiones, per quas nudis Dei inſtrumentis ea tribuimus, quæ ſunt ipſius Dei & Spiritus ſancti propria, & prorſus aliis rebus omnibus

A ἀκοινώνητα. Hæc eſt igitur prima harũ locutionum interpretatio,& rationum Kemnitij ſolutio. Altera, quod *Sentiendi, Videndi, Audiendi, Guſtandi*, & ſic in reliquis ſenſibus, vocabulum duplicem habet ſignificationem. Nonnunquam enim pro toto ipſo ἀποτελίσματι, opere, & effecto corporei ſenſus accipitur, ſicut Sacramenti vox ſæpe pro tota ſacra & myſtica actione ſumitur. Atq; ſicuti Sacramentum ſimul complectitur tunc & ſignum & rem ſignatam, & ipſam actionem: ſic ſentiendi, audiendi, videndi, &c. vocabulum, & inſtrumenti obiecta apprehendentis: & virtutis animæ obiecta diſcernẽtis actionem ſimul deſignat & comprehendit. Itaque talis actio, id eſt, talis viſus, auditus, guſtus, &c. ſenſus eſt ἀποτέλεσμα quoddã ex propria vtriuſque, nempe inſtrumenti ipſius, vt puta auris vel oculi & animæ ἐνεργείᾳ conflatum: ſed tamen in quo opere, ſeu ἀποτελέσματι ſit alia ἐνέργεια ipſius oculi & auris propria, nempe obiecta viſibilia & audibilia externa apprehendere: B alia verò ipſius animæ videntis ſeu audientis ac obiecta διακρίσεως, nimirũ obiecta illa apprehenſa diiudicare & diſcernere, & hæc alba, illa nigra dicere: hos ſonos graues, illos acutos diſtinguere: quæ propria ſingulorum, id eſt, inſtrumenti & animæ operationes neque confundi, neque magis inter ſe communicari poſſunt, quàm vel ipſe corporis oculus fieri anima, vel anima fieri ipſe oculus poteſt. Quod tamen Kemnitius videre, &, quanuis ſit facillimum, diſtinguere nequiuit. Quare virtus ipſa τοῦ ὁρᾶν, id eſt, videns & diſcernens colores, eſt animæ propria, & ipſi oculo & inſtrumento ἀκοινώνητος. Fieret enim ipſe tunc oculus anima: vti oculi propria actio eſt etiam animæ ἀκοινώνητος, nẽpe vt per ſe obiecta apprehendat. Eſt enim oculus ipſius obiecti apprehendẽdi duntaxat inſtrumentum. Sic τοῦ ἀκούειν vis, id eſt, virtus audiens & ſonos diſtinguens, eſt animæ propria & ipſi auri, quæ eſt carnea, etiam poſt vnionem, ἀκοινώνητος. Ipſa autem auris eſt τοῦ ἀκούειν, id eſt, audiendi tantùm inſtrumentum. Id quod ipſe Kemnitius poſtea ſanior, vt puto, factus ſcribit infra pagina 314. qui cum hac noſtra inter- C pretatione eſt certè conferendus, & pag. 475. ait, *Anima enim per organa corporis* αἰσθητήρια *ſentit*. Ergo non organon ſentit. Hoc idem de Deitatis λόγου propriis & eſſentialibus operationibus ſentiendum eſt, eas nullo modo humanæ naturæ aſſumptæ re ipſâ cõmunicari poſſe, vt ab ea realiter participentur, etſi de tota perſona Chriſti rectè illa idiomata tamen dicuntur. Quòd ſi illa propter vnionem illam arctiſſimam nonnunquam de carne aſſumpta dicuntur, vt ſi nominetur homo iſte creator rerum, æternæ vitæ dator, id & κατ' ἄλλο, & prædicatione tantùm Dialectica fieri intelligendum eſt, quoniam creatrici naturæ, nempe λόγῳ hypoſtaticè hic homo ſeu natura humana vnita eſt. Sic caro Chriſti dicitur viuifica, quatenus per fidẽ (nec enim alio modo noſtra cum ipſa, & vera eſſentiali carne Chriſti coniunctio fieri poteſt) ei Chriſti carni communicantes, Spiritum Deitatis λόγου participamus, qui nos viuificat, etſi neque eadem menſurâ, neque eodem modo, quo carnem ſuam (vtpote qui illi λόγῳ hypoſtatycè vniti nõ ſumus, vti illa caro aſſumpta eſt illi vnita) ſed tamen nos ad vitam æternam viuificat, quemadmodum & illam ſibi hypoſtaticè vnitam carnem, ſeu humanam naturam viuificat. Quum ſit igitur illa humana natura, ſeu caro aſſumpta canalis ille vnicus, A per quem propter ὁμουσιότητι cum nobis, & propter opera noſtræ reconciliationis in ea carne impleta, Spiritus à Deitate λόγου in nos defluit, dicitur illa caro viuifica, quoniam eſt Deitatis λόγου ad æternam vitam in nos transfundendam primarium quidem medium & canalis, non autem cauſſa illius vitæ ἐνεργητικὴ vel efficiens. Nam virtus illa, & potentia viuificans nos in æternum, tota eſt & reſidet penes ipſum λόγον, neque aſſumptæ carni communicatur re ipſa, ne λόγος, qui Deus eſt, parem vel æqualem ſibi feciſſe creaturam cenſeatur, & ita nouum Deum produxiſſe, quod vel ſentire eſt nefas. Hoc enim velle eſt & Monothelitarum errores fœdiſſimos reponere, & naturas Chriſti confundere, & Deum recentem inducere. Cæterùm opera redemptionis & noſtræ cum Deo reconciliationis (quæ ſunt vtriuſque naturæ Chriſti ἀποτελίσματα) planè concedimus eſſe commune vtriuſque Chriſti naturæ opus, in quo tamen ſua quoque natura operata eſt, non vt inſtrumentum, ſed vt cauſſa. B Nam caro Chriſti, ſeu natura aſſumpta ipſa nata eſt, ipſa ſanctè vixit, ipſa paſſa eſt, mortua eſt, reſurrexit, aſcendit in cœlum, non vt quoddam tantùm inſtrumentum, quo alius naſcebatur, patiebatur, moriebatur, ſanctè viuebat: ſed velut res ipſa & materia patiens, moriens & viuens ſanctè, & reſurgens, & veriſſima denique iſtarum actionum pro nobis impletarum cauſſa cooperans: virtus autem illa, quæ totam iram Dei patiendo perferre & exhaurire potuit, quæ ſanctam illam & immaculatam prorſus vitam illi carni aſſumptæ infudit, quæ mortuam illã carnem excitauit, non fuit à carne, ſed à Deitate, etſi fuit carnis propria actio vnitæ cum Deitate. Ex quo fit, vt neque venerandam Chriſti carnem priuemus ſuis in noſtrę redemptionis opere operationibus & gloria: neq; alibi, quàm in Chriſto, totam ſalutis noſtrę materiam quæramus: neque tamen propter hanc ἀποτελίσματος communionem proprias naturæ cuiuſq; operationes confundamus. Sic in vita illa æterna nobis danda fatemur hãc eſſe carnis à λόγῳ aſſum- C ptæ propriam operationem, quòd per eam nobis fide communicatam coniungimur cum λόγῳ Dei, non quidem hypoſtaticè, vt ipſa Chriſti caro coniungitur: ſed, vt docet Paulus ſub ſimilitudine mariti & vxoris, myſticè. Ipſius autem λόγου, ſeu Deitatis aſſumentis hæc propria & ἀκοινώνητος operatio eſt, quòd per eam in vitam ęternam viuificamur & ſuſtentamur, id eſt, ab ipſa Deitate λόγου ſuccum illum viuificum per ipſius carnem haurimus, & accipimus. Quòd ſi hæc Kemnitio non ſatisfaciunt certè fruatur ipſe errore ſuo, quandiu voluerit: nos tamen piis omnibus ſatisfactum iam in hac ſimilitudine explicanda arbitramur. Vnum duntaxat addam, quod ipſe ex Athanaſio tranſcriptum, vel non intellexit, vel diſſimulauit, nempe quum ait, *vt anima corpori humano vnita, cum corpore, in corpore, & per corpus operatur*: ſic diuinam naturam operari in carne aſſumpta, cum carne, & per carnem. Nec enim ſenſit Athanaſius vel animam humanam omnes ſuas operationes per corpus operari, quum per corpus nequaquam anima ratiocinetur: vel animam communicare re ipſa virtututem illam ſibi propriam vel ex parte, vel in totum ipſi corpori, de quo nobis cum Kemnitio tota controuerſia eſt: ſed poſt vnionem cum corpore, quanuis ipſa ani-

Theſ.

Epheſ. 5.

Athanaſ. Dialog. 5. de ſanct. Trinit.

A anima proprias actiones edat & habeat, eas tamen non ſeorſim & ſeparatim à corpore,&ab illa perſona animata ſubſiſtens exercere (κεχωρισμένως ait Athanaſius.)Nec enim ſeorſim ſuam ὕπαρξιν habet anima vnita corpori.Id quod nos verum eſſe concedimus,idque ipſum & aduerſus Chriſtolytas, & Neſtorianos meritò contorquemus. Neque verò vnquam ipſi ſenſimus poſt incarnationem λόγου, vel eum,vel naturam aſſumptam habere ſeorſim & ſeparatim ſuam hypoſtaſim.Ex quo tamen non efficitur, vt vbicunque Deitas eſt præſens , ipſam quoque Chriſti carnem adeſſe oporteat,quum neque caro natura aſſumpta Deitati aſſumenti exæquetur,neque cum ea coextendatur. Eſt enim illa finita , & ex corporum omnium eſſentialis proprietatis legibus caro Chriſti eſt circũſcripta: hęc autem Deitas eſt infinita,& nullo locorum ſpatio B concluſa & circunſcripta,ſed vbique exiſtens. Nã quòd Kemnitius hoc conſequens neceſſarium pręſentiens quidem,ſed ἀδιάλυτον relinquens addit pa. 87.ſub fi.in Chriſto inter finitam,& infinitam naturam,factam eſſe talem per vnionem hypoſtaticam proportionem,vt vnum inde conſtituatur ὑφιστάμενον,*ac duæ illæ naturæ inter ſe intima ac præſentiſſima copulatione vnitæ ſint* ἀδιαιρέτως & ἀδιαστάτως, verum quidem eſt:ſed naturam finitam eſſe vbique quemadmodum eſt vbique infinita , non probat: quum aliud ſit aſſumptam naturam ſeu finitã ſubſiſtere extra λόγον aſſumentem,quod non dicimus: aliud autem cum ea coextendi,&ęquè latè patere. Quod non concedimus.

Kemnitius pag.86.l.17.

C

Theſ.4. *Ille etiam modus hypoſtaticæ vnionis diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto, quem Damaſcenus vocat* περιχώρησιν *pulchrè illuſtratur ex hiſce ſimilitudinibus vnionis, lucis, & corporis Solaris,ignis & ferri, corporis & animæ. Ac de ſimilitudine lucis & corporis Solaris paulò antè dictum eſt. Lux enim vnitum ſibi corpus Solare ita replet, penetrat,& circumplectitur,vt corpus Solare vnita illa ſibi luce lucidum ſit,ac radios vnitæ illius lucis, ex ſe emittat pag.87.lin.14. Ex hac conſideratione aliquomodo intelligi poteſt, quid ſit,quando Paulus hypoſtaticam vnionem in Chriſto ita deſcribit Coloſ.2. Tota plenitudo Diuinitatis in ipſo habitat* σωματικῶς. *Quam habitationem Damaſcenus vocat* περιχώρησιν: *& illam declarat exemplo vnionis animæ cum corpore, & ignis cum ferro. Non igitur in Chriſto incarnato illa intelligenda eſt ſalua naturarum differentia, quaſi tantùm ſuperficie tenus ſe attingant,vt ſi minutus lapillus immenſæ petræ adhæreat vel ſi duæ diuerſæ laminæ, puta auri & ferri,conglutinentur,inter quas nulla ſit aut intercedat communio.Sed hypoſtatica vnio fit per* περιχώρησιν.

Danæus.

Iam ad ipſam Kemnitiani præſidij arcem peruenimus,in quam ille omnes huius ſuæ diſputationis opes,arma & munimenta contulit. Ex ea verò ſi deiicitur, (quod ſanè fieri nullo negocio poteſt) ſe omni ſpe victoriæ pro vbiquitario regno obtinendæ excidiſſe fateatur neceſſe eſt. Eſt autem hæc arx, nempe naturarum in vna Chriſti perſona vnitarum περιχώρησις,quam Kemnitius modò *Immanentiam*, modò *circumplexum* conuertit: A alij *permeationem*,alij *immeationem* , alij *circuminceſſionem*,quemadmodum vbique Scholaſtici appellant.Hoc quidem præſidium ipſe Kemnitius ſe à Damaſceno ſumere ſcribit:à cuius tamen & mente & ſcopo aberrat toto cælo , & tàm , quàm qui longiſſimè.Primum igitur quid ſit hæc περιχώρησις & quo ſenſu à Damaſceno in hoc argumento de hypoſtatica duarum Chriſti naturarum vnione vſurpetur,explicandum eſt:poſtea verò,quot,quantáque peccata in hac περιχωρήσει deſcribenda ab ipſo Kemnitio committantur,erit dicendum. Περιχώρησιν à Dionyſio illo(qui de diuinis nominibus ſcripſit)primùm ad rerum diuinarum tractationem accommodatam fuiſſe,plerique ferè omnes exiſtimant.Quum enim ille admirabilem, imò ineffabilem illam trium diuinarum perſonarum in vna numero eſſentia vnitatem illuſtrare vellet , tũ hac ipſa voce ἱδρύσεως & περιχωρήσεως,tum quoque ea ſimilitudine vſus eſt,quæ ex tribus,vel pluribus luminibus in vnum lumen coeuntibus, & confluentibus ſumitur. B Ab hoc igitur Dionyſio,in diſſimili tamen argumento,hanc vocem περιχωρήσεως,vti & alia multa,ſumpſit Damaſcenus (quod ex vtriuſq; ſcriptoris comparatione facilè omnes deprehendent)ſed explicationem ipſe tamen addidit , ne, quum ea ad alienum prorſus ſignificatum , quàm Dionyſius, vteretur,vel præuaricatus fuiſſe videretur,vel veterum Patrum in huius vocis ſignificatione mentem ignoraſſe meritò iudicari poſſet. Eâdem hac voce ex Damaſceni ſententia , in iſta de vnione duarum Chriſti naturarum diſputatione poſtea vſus eſt quoque Theodorus Rhœtenſis. His autem exceptis,pauci alij ſiue Græci , ſiue Latini Patres Orthodoxi,ſic loquuntur. Videamus ergo quid in diuina trinitate περιχώρησιν vocet ex Patrum mente Damaſcenus:quid item in hoc argumento ipſe,quadam huius vocis inflexione à veteri ſignificato facta.περιχώρησιν in diſputatione de Sancta Trinitate definit Damaſcenus(vt Scholaſticos omittamus)arctiſſimam illam cohęſionem, & coniunctionem trium illarum perſonarum,quę fit propter vnam & eandem numero eſſentiam, quæ in illis tribus perſonis ineſt, adeò vt vbicunque reipſa perſonarum vna eſt , ibidem quoque adſit reipſa & altera.Per,ac propter hanc eandem coniunctionem fit,vt Pater ſit in Filio,& Filius in Patre,& Pater & Filius in Spiritu ſancto , contráque. C Quanquam enim diuinæ illæ tres hypoſtaſes ſunt & vere diſtinctæ,& inconfuſę:ea tamen eſſentiæ diuinæ vnitas, quam totam ſingulæ illæ perſonæ poſſident,facit,vt nullo non in loco , nullo nõ in ſpacio,nulla non in re ipſæ ſimul ſint, & in ſeipſis ſemper quæque. Quarum tamen perſonarũ nulla fit inter ipſas hypoſtatica vnio:nam ſi id fieri propter hãc περιχώρησιν dixerimꝰ,tres illas perſonas vnã dũtaxat eſſe perſonã ex fœdiſſima Sabellianorũ hæreſi ſtatuemus.Quamobrẽ Patribus de ineffabili illo Diuinæ trinitatis argumento differentibus ἵδρυσις,quæ æquipollet περιχωρήσει , eſt (vel ipſo Damaſceno teſte)trium illarum perſonarum diuinarum in ſeſe inuicẽ μονὴ,ſedes,& manſio , coextenſio,& coexiſtentia,atque æquè patens ſingularum perſonarum diffuſio, & collocatio , quod in vna numero eſſentia eſſe,& fieri poteſt,qualis eſt Deitas illa,quæ in illis trib.perſonis diuinis ineſt: & hæc quidem citra controuerſiam.In hoc autem de vnione naturarum argumento,hęc eadem vox

Dionyſ. de diuinis Nominibus ca. 2. part.1.

Theodo. Rhętenſis in e explicat defini.

Thomas & Duran. Occan,& alij in li. 8. Sententia.diſt.19

Damaſc. l 1. de orth.fid. ca. 19. & 11.

Dionyſius de Diuinis nominib. cap.2.par. primæ.

longè diuerſo ſignificato, & notione ſumitur à Damaſceno,& ab aliis eum ſequutis, nempè pro ea tantùm attributione,ſeu prædicatione proprietatum vnius Chriſti naturæ,quæ de altera quoque illi vnita ſit in concreto per ἰδιωμάτων κοινωνίαν, nec realis communicationis ratione (quemadmodum tamen ex huius vocabuli vſu, id vnum contendit Kemnitius)ſed propter perſonæ vnitatem,& naturarum vnionem. Ergo Dialectica tantùm (vt vocant)enuntiatio eſt, quæ (vt ipſemet Damaſcenus loquitur)per ἀντίδοσιν vel ἀλλοίωσιν, ἐναλλαγὴν, καὶ ἐπίζευξιν ὀνομάτων fit:quoniam hæc natura coniunctè conſideratur,& vnita eſt cum alia illa,cuius hoc idioma proprium eſt.Ergo perſonæ ipſi,Kemniti,non autem naturæ, idioma hoc extraneum,id eſt,alterius naturæ eſſentiale reali communicatione tribuitur. Quis enim vel increatum eſſe de creatura: vel infinitum eſſe,de finito: vel eſſe incircunſcriptum de corpore verè & realiter dici poſſe exiſtimet? Ergo de ipſo Chriſto homine,id eſt,perſona ipſa Chriſti,& rectè,& verè dici iſta poſſunt (quoniam vtranque illam naturam in ſeſe hypoſtaticè vnitam habet)de ipſa verò humana Chriſti natura certè non poſſunt. Cæterùm quod dicimus, ex ipſo Damaſceno probemus. Ille igitur ſic: Οἰκειοῦται γὰρ τὰ ἀνθρώπινα ὁ λόγος. Αὐτοῦ γάρ ἐστι, τὰ τῆς ἁγίας αὐτοῦ σαρκὸς ὄντα, καὶ μεταδίδωσι τῇ σαρκὶ τῶν ἰδίων κατὰ τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον, διὰ τὴν εἰς ἄλληλα τῶν μερῶν περιχώρησιν, καὶ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν, καὶ ὅτι εἷς ἦν καὶ ὁ αὐτὸς ὁ καὶ τὰ θεῖα καὶ τὰ ἀνθρώπινα ἐνεργῶν ἐν ἑκατέρᾳ μορφῇ μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας. Διὸ δὴ καὶ ὁ Κύριος τῆς δόξης ἐσταυρῶσθαι λέγεται, καίτοι τῆς θείας αὐτοῦ μὴ παθούσης φύσεως. *Verbum facit ea quæ ſunt hominis, ſibi propria. Nam ipſius ſunt ea,quæ ſunt propria ſanctæ ipſius carnis: & per modum mutuæ recurrentiæ viciſſim communicat illi ſua,propter harum*(*perſonæ*) *partium perichoreſin*(*id eſt in vna perſona recurrentiam,ſeu comprehenſionem*)*& vnionem,quæ in perſona facta eſt*(*quoniam vnus & idem eſt,qui & diuina,& humana illa operatur in vtraque forma,ſeu natura*)*manens cum iſta vtriuſque communicatione. Quare & Dominus gloriæ crucifixus dicitur,licèt natura illius Diuina nihil ſit paſſa.* Ergo iſta naturarum recurrentia,ſeu περιχώρησις,etiã definiente Damaſceno,nihil aliud eſt,quã Idiomatum vnius Chriſti naturæ eſſentialium de altera Natura prædicatio κατ' ἀντίδοσιν facta. Quid ſit autem hæc ἀντίδοσις,ex eodem Damaſceno perpendamus. Eſt autem(vt & ipſe definitione breuiſſima alibi explicat,& fatetur Kemnitius)ἀλλοίωσις, καὶ ἐναλλαγὴ non πραγμάτων,aut φύσεων,ſed ὀνομάτων,id eſt,non vlla rerum, aut naturarum iſtarum alteratio,& mutatio ſed vocabulorum tantùm permutatio,vt & Theodoretus quoque iampridem explicauerat,& Sacramentorum exemplo docuerat, vbi panis corpus Chriſti appellatur.Itaque Damaſcenus ipſe περιχώρησιν vocat ἐπίζευξιν ὀνομάτων, id eſt, attributionem, ſeu adiectionem vocabulorum,non autem realem eſſentiæ,aut idiomatum vnius naturæ in in alterã, communicationem,& conſociationem. Ergo libro 3.orthod.fidei capite 4. ἀντίδοσιν ex profeſſo definiens Damaſcenus ait: *Atque hic eſt modus ἀντιδόσεως*,id eſt,*mutua recurrentia, quòd vtraque natura alteri,quæ ſua ſunt,mutuò tribuit, propter identitatem perſonæ,& earum in ſeſe mutuum complexum.* Complexum autem iſtum quis aliter intelligere poteſt, quàm vnionem, quum natura humana aſſumpta diuinam aſſumentem non complectatur? Sed ſubiicit Damaſcenus, *Qua ratione fit,vt de Chriſto dicere poſſimus,hic Deus noſter in terris viſus eſt,& cum hominibus conuerſatus,& hic homo increatus eſt, & impaſſibilis,& incircunſcriptus.* Ex quibus verbis hæc duo colliguntur: primùm,realem attributionem propriorum vnius naturæ Idiomatum fieri perſonæ, non ipſi naturæ,per ἀντίδοσιν,& περιχώρησιν. Non enim dixit Damaſcenus: *Hæc natura humana eſt increata,impaſſibilis,*&c.ſed dixit, *hic homo*: nec item dixit, *Hæc natura diuina eſt viſa in terris*, ſed, *Hic Deus eſt viſus*.hoc vnum eſt. Alterum,non commiſceri,aut contribui inter ſe operationes proprias naturarum in Chriſto (quod facit tamen Kemnitius)ſed retineri quamque naturam quod ad eſſentiam,& quod ad operationes diſtinctam,& inconfuſam. Ait enim Damaſcenus, *licèt diuina natura nihil ſit paſſa.* Itaque hanc prædicationem in naturis ipſis vult Damaſcenus eſſe & fieri vocabulorũ duntaxat ratione,non autem rei ipſius,aut veræ,& realis participationis reſpectu,contràquàm tamen Damaſcenum interpretatur hoc loco Kemnitius. Quod vt ex eodem ipſo Damaſceno confirmem, en ipſius verba ex eodem libro profero,vbi in hac naturarũ Chriſti περιχωρήσει inconfuſas, & incommunicatas eſſe proprias naturarum operationes oſtendit. *Quemadmodum enim naturas vnitas* (ait) *cognoſcimus habere inter ſe perichoreſin,mutuam recurrentiam*(*prædicationis*)*& earum differentiam propterea non negamus,ſed & eas diuerſis numeris recenſemus, & tamen indiuiſas eſſe agnoſcimus: ſic & voluntatum, & operationum*(*Chriſti*)*cohærentiam agnoſcimus,& diſcrimen quoque confitemur,& eas numeramus,*(*vt res diuerſas*) *& propterea earum diuiſionem non inducimus. Nam qua ratione caro* (*Chriſti*) *diuina facta eſt, & propria natura mutationem non eſt paſſa:eadem ratione quoque voluntas*(*Chriſti*)*& operatio diuina facta ſunt, & proprios tamen naturarum ſuarum fines non egrediuntur. Vnus enim*(*Chriſtus*)*hoc, & illud eſt, & hæc, & illa,id eſt,diuina,& humana vult,& operatur. Quare neceſſe eſt vt in Chriſto duas operationes eſſe dicamus propter duplicem ipſius naturam. Quorum enim diuerſa eſt natura,eorundem eſt diuerſa operatio, & quorum eſt diuerſa operatio,eorundem quoque diuerſa eſt natura: contràque,quorum eſt eadem natura,eorundem quoque eadem eſt operatio, & Quorum eſt vna operatio,eorundem quoque vna natura, ex ſententia diuinorum Patrum.* Quid apertiùs dici potuit,vt intelligeremus iſtam,quam fabricatus eſt Kemnitius,operationis vnius naturæ eſſentialis in alteram communicationem realem ex iſta περιχωρήσει prorſus euerti,nedum ſtabiliri,aut iuuari? Si enim & naturæ & earum propriæ actiones inconfuſæ manent, etiam in illa περιχωρήσει:ergo,vnius,velut diuinæ naturæ operatio,alterius,nempe humanæ naturæ,operatio dici non poteſt. Quod ſi dicatur, certè κατ' ἄλλο, & tantùm per gratiam vnionis id fit,quia de perſona tantùm ipſa Chriſti, in qua conſideratur illa natura, non autem de ipſamet natura, cui iſta operatio eſſentialis non eſt,intelligenda erit iſta prædicatio,& enuntiatio. Iterum igitur Damaſcenum audiat Kemnitius alio capite eiuſdem libri, ſic & ſeipſum, & περιχώρησιν ſuam explicantem. *Sciendum autem*,ait,*carnem Chriſti dici effectam diuinam, non mutatione naturæ, aut conuerſione, aut alteratione,aut confuſione,& dici Deum, & ſimul cum*

A

B

Damaſ.li. 3.orthod. fidei ca.3.

C

Damaſ.li. 3.orthod. fid.c.4.

A

B

Damaſ.li. 3.orthod. fid.c.15.

C

Damaſ.c. 17.li.3.

A *cum Deo, quemadmodum loquitur Gregorius is, qui Theologus nominatur. Quarum naturarum altera Deum fecit, nempe diuina: altera Deus facta eſt, nimirum humana, & audeo dicere homotheos, ſimul cum Deo. Dico etiam & hominem eſſe qui vngit: & Deum qui vngitur. Hoc enim non ex mutatione naturæ, ſed per œconomiam dicuntur, dico propter earum hypoſtaticam vnionem (per quam caro inſeparabiliter cum verbo Dei vnita eſt) & per mutuam inter ſe naturarũ* περιχώρησιν, id eſt, *recurrentiam. Quemadmodum dicimus & ferrum eſſe ignitũ. Quemadmodum enim confitemur, incarnationem ſine mutatione, & conuerſione diuinæ naturæ: ita ſentimus carnis deificationem factam.* Et ſtatim: *Manent enim etiam poſt vnionem* (item & poſt perichoreſim) *tum naturæ ipſæ incommixtæ: tum earum proprietates illabefactæ.* Ex iis igitur apparet, primùm in ferro ignito, ex Damaſceni ſententia, etiam iſtam περιχώρησιν ferri, & ignis, ſeu caloris inter ſe, vti in B ipſa Chriſti naturarum vnione, nec tamen ignem, ſeu calorem id operari, vti ſupra docuimus, quod ferrum: nec ferrum idem, quod calorem. Quamobrem eodem modo colligimus, etiam propter iſtam περιχώρησιν naturarum Chriſti, propriam Deitatis λόγου operationem ac eſſentialem illius virtutem nullo modo realiter communicari ipſius aſſumptæ carni. Deinde ex eodem Damaſceno euincimus hanc περιχώρησιν naturarum eſſe tantùm eam idiomatum vnius naturæ de altera prædicationem, quæ κατ' ἀντίδοσιν fieri dicitur, & quæ tantùm eſt ἐναλλαγὴ ὀνομάτων, non autem κοινωνία πραγμάτων: ac proinde eſt ea prædicatio, quæ Dialectica tantùm prædicatio meritò nominatur. Denique ex ſuperioribus apparet, per iſtam περιχώρησιν, non tantùm Diuinas operationes de humana natura, vti viuificare ad vitam æternam: ſed etiam humanas de diuina (vti paſſum eſſe) dici, quod tamen realiter in ipſa diuina natura locum habuiſſe, & ei tribuendum eſſe nunquam, vt opinor, fatebitur Kemnitius, quicquid Iacobus Andreæ C filius impiè in Theſ. an. 1580 editis Vuittembergæ, ſcripſerit. Quare quàm malè ex illa Damaſcena περιχωρήσει tueatur ſuam idiomatum deitatis eſſentialium in humanam naturam aſſumptam communicationem realem, apertè iam demonſtratum eſt. Quæ fuit prima huius arcis Kemnitianæ ſubruendæ noſtra machina: ſecundam etiam admoueamus, quia ſumus polliciti, nimirum vt quot alia peccata à Kemnitio hîc committantur, breuiter oſtendamus. Primùm igitur in eo fallitur, quòd hanc naturarũ in Chriſto περιχώρησιν ſic interpretetur, velut διήξιν ſignificet, aut, quemadmodum Damaſcenus ipſe alibi loquitur, ἀντεμβολὴν & ἀντέμβασιν, id eſt, *mutuam vnius naturæ in alteram penetrationem, inſinuationem & ingreſſum*, qualis in iis rebus fit, quæ mutuo quodam contemperamento coaleſcunt, vt ex vtroque ſic coeunte tertia quædam vel natura, vel actio ex vtriſque mixta naſcatur, velut in humoribus confuſis. Hîc enim procul dubio περιχωρεῖν pro διήκειν, id eſt, immeare ſumit Kemnitius, quicquid æſtuans, aut manifeſta ſententiæ ſuæ abſurda euitare cupiens fingat, diſſimulet, ac diſtinguat. A

Damaſ. de Dialectica cap. 65.

Nam qui propter περιχώρησιν ſtatuit naſci, & fieri in Chriſto quandam operationem, & ἐνέργειαν, (ἐνέργειαν inquam, non autem ἐνέργημα, vel ἀποτέλεσμα, quod nos concedimus) diuinæ naturæ, & humanæ communem, is certè ex vtraque illa natura vnita contemperamentum facit, & pro nominum ἀντιδόσει, ſeu περιχωρήσει Damaſcena (quæ duo vnum & idem apud illum in hoc argumento ſignificant) ipſarum naturarum, vel eſſentialium idiomatum realem ἀντέμβασιν conſtituit. Quod manifeſtè facit Kemnitius, etſi hanc commixtionem non ἀντέμβασιν, vt apertam Μονοθελητῶν hæreſim declinet, & interpolet, ſed leniori vocabulo κοινωνίαν aſtutè, & diſſimulanter appellat. Hoc igitur quoque eſt iſtius hominis vitium. Alterum, quòd, ſi hoc à ſe dici neget, certè quum περιχώρησιν ipſe *immanentiam* interpretetur, fateatur neceſſe eſt, B ſe eodem ſignificato περιχώρησιν in hoc argumento ſumere, quo in diſputatione de Sancta Trinitate accipi ſolet, quum in tribus perſonis coexiſtentia, & exæquatio, nomine περιχωρήσεως ſignificatur. Itaque alij trium perſonarum diuinarum περιχώρησιν, vocant ἵδρυσιν, alij ἐμμονὴν nominant, quòd reipſa in quocunque loco Pater ſit, ibi & Filius quoque ſit, & Spiritus Sanctus, & hi tres vbique, & ſemper coexiſtant, & omnino æquales ſint poteſtate, & Maieſtate. Itaque naturarum in vna Chriſti perſona vnitarum, id eſt diuinæ, & humanæ, inter ſe exæquatio ex iſta Kemnitij interpretatione neceſſariò ſequatur, neceſſe erit. Quam vel ipſe ſummam eſſe blaſphemiam non negauerit, quum eam in Iacobo Andreæ damnet manifeſtè. Tertium Kemnitij peccatum eſt, quòd ſibi non conſtat. Quum enim ſemper antea transfuſionem, & effuſionem propriorum, & eſſentialium Diuinæ naturæ idiomatum in humanã & aſſumptam naturam damnauerit, C tanquam veriſſimam, & Eutychianam hæreſim (ſicuti eſt, licèt à Iacobo Andreę tamen renouatur) quum etiam Diuinæ naturæ eſſentiales proprietates realiter à ſe humanæ naturę communicatas, & datas, tamen noluerit in ea humana natura ſubiectiuè, vel eſſentialiter ineſſe, iã vtrumque hoc ſuum effatum ipſe conuellit. Nam effuſionem idiomatum Deitatis λόγου in carne aſſumpta conſtituit eandem, quam Iacobus Andreæ. pag. 97. Quod ex ipſis Kemnitij verbis apparet, *In illa verò tota humana Chriſti natura*, ait, *ipſe ignis Diuinus ſubſtantialiter requieuiſſe credendus eſt, ex quo ad cæteros calor aliquis veniret.* Hanc enim Origenis ſententiam, vt veram, & orthodoxam probat, per quam effuſio idiomatum Deitatis, non tantùm in animam ipſam Chriſti, ſed & in corpus quoque ipſum proculdubiò inducitur, vt poſtea demonſtrabimus, & verba ipſa Origenis id ſonant. Non quidem, vt Idiomata λόγου in carnẽ aſſumptam ſic defluant, vt ex ipſo λόγῳ effluant: ſic carni communi-

A centur vt in λόγῳ eſſe deſinant, ac etiam eſſentialia Deitati non permaneant: ſed quòd, vt iſte putat, ſic carnem ſuam ornauerit Deitas λόγου, vt eam in ἐνεργείας ſuarum operationum ſocietatem, participationem, ac communionem reipſa aſciuerit, illíque ſuam eſſentialem, ac ſibi propriam virtutem, potentiam, &c. Deitas illa λόγου realiter communicarit. Quæ & ipſa quoque eſt Kemnitij ſententia. Pag.89. Nam quòd toties ipſe addit, etiamſi fiat iſta realis Idiomatum communicatio, Pag.87. *non eſſe timendam naturarum confuſionem*, &, *eam communicationem fieri in perſona*, euertunt ipſam illam, quam maximè ſtabilitam eſſe vult, realem idiomatum Deitatis eſſentialium cõmunicationem. Si enim perſonæ ipſi fit iſta communicatio, ergo naturis in abſtracto, & per ſe conſideratis non fit. At per Kemnitium fit perſonæ. Conſtet ergo ſibi. Deinde fruſtrà Kemnitius negat conſequens, quod ex ſua ſententia ne- B ceſſariò ſequitur: nempe naturarum confuſionem, cuius tamen neceſſariam cauſſam, & antecedens (quæ eſt iſta realis proprietatũ eſſentialium vnius naturæ facta alteri communicatio) ponit, & obſtinatè defendit. Nam ſi Deitas λόγου eſſentialẽ ſuam virtutem, id eſt, eſſentialem ipſam ſuam vitam, eſſentialem ſapientiam, eſſentialem iuſtitiam ſuam, &c. realiter communicat carni aſſumptæ, & à carne in ſe participatur: ergo fit earum naturarum cõfuſio, vel exæquatio, vel proprietatum eſſentialium effuſio: non quidem, vt illæ proprietates in Deitate λόγου eſſe deſinant, quod nec Kemnitius quoque vult: ſed vt eædem, id eſt, eſſentialis Dei vita, iuſtitia ſapientia, etiam carni communicẽtur, quod Kemnitio in æternum negamus. Hoc enim conſequens tam neceſſarium eſt, vt negari ab eo non poſſit, qui antecedens verum eſſe conceſſerit. Pag.91.& 92. Vnde & quartus Kemnitij error eſt, qui exiſtimat eandem eſſe vitam, & potentiam, & ſapientiam, &c. qua Chriſtus (vt λόγος æternus) viuit, poteſt, & ſapiens eſt, & qua idem Chriſtus (vt homo) viuit, poteſt, & ſapiens eſt: vti in homine, ait Kemnitius, vna eſt potentia rationalis, vitalis, animalis, qua & anima, & corpus ſentire, viuere, ac ratiocinari di- C citur. Sed primùm falſa eſt ſimilitudo iſta, vt docuimus. Nam neque Deitas alij rei communicari poteſt vt vita animæ poteſt: neque etiam verum eſt, corpus ſentire, niſi ſentire, & viuere accipias eſſe organum vitæ, & ſenſus. Deinde eadem erit per Kemnitium eſſentialis, ſeu æterna, & creata vita, ſapientia, & iuſtitia, &c. id eſt, eadem erit vita, qua Chriſtus viuit, & iuſtus eſt, ac ſapiens, vt Deus: & qua idem Chriſtus, vt homo, viuit, ſapit, & iuſtus eſt. Ergo idem erit, & cauſſa, & effectum: increatum, & creatum: eſſentiale Deo, & creaturæ datum, ac communicatum. Quod omnino blaſphemum eſt. Thom. in 3. queſt. 21. ad art. 1. Lyranus in Euang. Ioannis cap. 7. ver. 16. Præclarè enim Thomas, & Lyranus negant eam omnipotentiam, omniſapientiam, & iuſtitiam, &c. quę eſſentialis eſt, & propria λόγου Dei, eius humanitati communicari, ac tribui poſſe. Nã omnipotentia hominis Chriſti, ſapientia, iuſtitia, ſanctitas, &c. non ſunt ipſa eſſentialis Dei potentia, iuſtitia, ſapientia, & ſanctitas, &c. ſed ſunt eorum tantùm eſſentialium Dei attributorum effecta, dona gratiæ, & creatæ in natura aſſumpta qualitates: non extrinſecus quidem, ei communicatæ, ſed ab ea Deitate cui hypoſtaticè coniuncta eſt hæc humanitas: vti nec corpus animæ vnitum extrinſecus, vires habet, ſed ab ea anima, cui coniun- A ctum ac copulatum eſt. Quas duas potentias, ſapiẽtias, iuſtitias, &c. quum vnam faciat Kemnitius, & in Chriſto confundat, certè naturas quoq; cõfundat, & Monothelitarum errorem probet neceſſe eſt. Denique & hoc quoque eſt quintum Kemnitij peccatum, quod ſcribit corpus ſolare emittere radios. Item organa ipſa corporis noſtri vti poten- Pag.93. tiis animæ ad videndum, audiendum, & ſentiendum. Quis enim hunc metonymiâ illa vulgari falli non videt, quum id nempe, quod eſt propriũ ſubiecti ipſius lucis ſeu qualitatis, & ea, quæ eſt cauſæ efficiẽtis propria operatio, organo tribuitur, quẽadmodum quum dicimus, Hoc lignum me calefecit, ciathus iſte ſitim meam expleuit. &c. Nec enim corpus Solis, ſed lux ipſa, quæ eſt in corpore ſolis, radios emittit. Nec organa corporis vtuntur potentiis animæ: ſed potentiæ animæ ſeu anima ipſa vtitur organis corporis, quibus vim quidem ad agendum infundit, eáque mouet, & excitat, ſed B alia tamen eſt vis, ſeu virtus & operatio animæ, alia corporis ipſius, etiam ab anima moti & viuificati. Quis autem dixerit corpus vti anima, & non potius animam vti corpore? Corporis ſeruitio, animi imperio vtimur, inquit ille: & ſunt quinque illi Saluſtius in Catilina. corporis ſenſus ſatellites animæ, non autem anima ſatelles corporis. Sed quum vires & facultates ſuas in ipſam corporis molem & compagem quo- Auguſt. l. 7. de Gen. cap. 20. que ab anima realiter communicari ſentiat Kemnitius, nimirum ſi errorem errori accumulans, ipſam quoque corporis compagem, & quæ in ea ſunt organa, ſcribat vti anima, ipſiúſque facultatibus, tanquam quæ eas facultates in ſeſe propter vnionem hypoſtaticam, vt anima ipſa, habeant & contineant. Id quod eſt & dictu, & cogitatu abſurdiſſimum.

C

Kemnitius pag.86.l. 24.

Alia ratione Moſis facies ſplendet participatione Exod.24, alia ratione Chriſti facies ſplendet Matt. Theſis.5. 17.

Danæus.

Hæc prima eſt Kemnitij ratio, quam ad confirmandam ſuam ſententiam de reali idiomatum Deitatis eſſentialium in naturam aſſumptam communicatione, ac ſua de περιχωρήσει, ſeu naturarum intra ſeſe immanentia interpretatione iam profert. Ducta eſt autem à differentia illius lucis ſeu ſplendoris, qui in facie Moſis, & qui in facie Chriſti apparuit. Illum enim Moſis ſplendorem facilè concedit Kemnitius

fuiſſe

A fuiſſe participatum, ſeu qualitatem tantùm creatam. Splendorem autem, qui in facie Chriſti eluxit, negat fuiſſe participatum, ſeu fuiſſe qualitatem in facie Chriſti creatam. Ego verò ſic vrgeo: fuit iſte ſplendor (qui in Chriſti transfigurati facie fulſit) Kemniti, vel participatus, id eſt, ad ipſam carnem & faciem Chriſti, præter eius eſſentiam, aduentitius, vel illi eſſentialis. Per Kemnitium non fuit participata qualitas, id eſt aduentitia præter ipſam eſſentiam. Ergo fuit illi eſſentialis. Ex quo fit, vt quando quidem is ſplendor non ſemper in facie, & carne Chriſti fuit, caro ſeu facies Chriſti non ſemper ſuam eſſentiam retinuerit. Quod eſſe ἐκ τῶν ἀδυνάτων maximum omnes mecum vident. Sed quis negauerit eum ſplendorem fuiſſe in ipſa Chriſti facie & carne aduentitium, fuiſſéq; gratiã ſuperuenientem, extra ipſius carnis humanæ noB ſtræ ſimilis à Chriſto aſſumptæ eſſentiam, quemadmodum lux illa ſeu candor, qui in eiuſdem veſtimentis eodem tempore, & propter eandem trãsfigurationem quoque apparuit: & fulgur quod in Angelorum ad ſepulchrum Domini aſſidentium vultu radiauit: & maieſtas illa, quæ in facie Stephani coram Scribarum concilio Chriſtum cõfitentis coruſcauit. Atque vt ne de hac noſtra ſententia quiſquam ambigere poſſit, faciunt expreſſiſſima Petri, transfigurationis teſtis oculati, & optimi interpretis verba, qui ſcribit, *eã realẽ maieſtatẽ*, quæ tũc præſentiũ Apoſt. oculis obuerſata eſt, ***fuiſſe gloriã & honorẽ Chriſto datũ à Patre*** in Monte. Ergo nõ vbiq; neq; ſemper. Ergo fuit donũ & qualitas ad ipſam Chriſti carnem ſeu faciem proculdubiò præter eius eſſentiam, aduentitia. Quæ igitur, dicet quiſpiam, differentia ſtatui poteſt inter eum ſplendorem, qui in Chriſti, & eum, qui in Moſis facie refulſit? Non hæc quidem, quam putat Kemnitius, quòd ille ſplendor nempe inhæſerit in ipſa carnis Chriſti compage, in Moſe autem non item, ſed fuerit tantùm in ſuperficie carnis: in Chriſto fuerit ille ſplendor ipſius eſſentialis Dei lucis pars vera, carni Chriſti realiter communicata: in Mo- C ſe verò non item, ſed creatus tantùm ſplendor, & qualitas ad humanam eius naturam aduentitia (Hæc enim omnia ſunt partim falſa, partim etiam blaſphema) ſed quòd ille faciei ſplendor in homine Chriſto ab ea natura extiterit, quæ ipſius perſonæ Chriſti pars eſt, itaque ἔσωθεν. At in Moſis facie idem ſplendor fuit ab extranea prorſus cauſſa, id eſt, à Deitate, quæ ipſius perſonæ Moſis nequaquam pars erat, itaque ἔξωθεν. Quamobrem, etſi ipſi Chriſti carni, vti & Moſis, fuit hoc donũ ſplendoris, pręter illi⁹ naturã, aduentitiũ, nõ tamẽ à cauſa extranea. i. à cauſſa extra perſonæ Chriſti rationem exiſtente in Chriſto fuit. Nam ab ipſius Deitate in aſſumptam carnem, velut accidens in ſubiectum, tunc creatus & effuſus fuit iſte ſplendor & gloria: quæ duæ naturæ vnam in Chriſto, non item in Moſe, perſonam efficiunt. Quare neque in cauſſa ipſa (quæ eſt λόγου Deitas) neque in modo inhærendi (qui eſt per modum accidentis in ſubiecto) neque etiam ſpecie differt Splendor lucens in facie Chriſti, & ſplendor lucens in facie Moſis: ſed in eo duntaxat, quòd cauſſa illa vtriuſque ſplendoris, nempe Deitas λόγου fuit in Chriſto pars perſonæ, & intrinſeca: in Moſe autem non fuit perſonæ ipſius pars, ſed prorſus extrinſeca.

Mat. 17. v. 3. Mat. 28. v. 3. Act. 6. v. 15.

2. Pet. 1. v. 16. & 17.

Kemnitius pag. 86. linea 27.

A *Idem verò etiam patet in vnione animæ, & corporis in homine. Neque enim anima ita vnitur corpori per aſſiſtentiã vel attingentiã, ſicut quãdo duo ſolida corpora cõiunguntur, vt fiat vel cõtiguũ, vel cõtinuũ, vbi inter cõiuncta illa corpora nulla ſit, aut intercedit communio. Sed anima ſui vnione totum corpus vndique permeat, vt ſicut Auguſtinus inquit, tota ſit in toto corpore, & in ſingulis membris tota ſit: ac corpus in illa vnione animæ ſuam habeat immanentiam, ita vt hoc modo anima potentias, vires & facultates ſuas ſingulis membris conuenientes communicet, hoc eſt, in illis, & per illas operetur, & efficax ſit.*

Theſ. 6.

Danæus.

B Altera Kemnitij ratio, vt ſuam de περιχωρήσει, id eſt, naturarum intra ſe immeatione in Chriſti perſona, & reali idiomatum eſſentialium communicatione interpretationem tueatur. Eſt autem ab ipſa animæ cum corpore vnitæ ſimilitudine ducta, de qua quoniam antea ſatis ſupérque diximus & quantum illa ſimilitudo huic diſputationi conueniat, aut ab ea diſcrepet, oſtendimus, ea tantũ nunc paucis perſtringemus, quæ ſunt huius loci propria. Primùm igitur omnium non diſſimulat hîc Kemnitius, quo ſenſu περιχώρησιν iſtam ſuam in duabus illis Chriſti naturis hypoſtaticè vnitis accipiat, nempe pro earum coexiſtentia, & vt vna ſit in altera, atque æqualiter diffundãtur, quemadmodum in argumento de S. Trinitate περιχώρησιν interpretamur ἐν ἀλλήλαις εἶναι, vt loquitur Damaſcenus. Ergo Kemnitius hîc exponit περιχώρησιν naturarum permeationem, quemadmodũ Pater ſemper eſt in Filio, & cum eo vbique coexiſtit: & Filius in Patre, & cũ eo vbique coexiſtit: ita aſſumpta caro propter iſtam περιχώρησιν Kemnitianã ſemper C in Deitate λόγου, & cum ea vbique coexiſtet. Ex quo fit, vt corpus quoque immeet in animam, & anima in corpus, quoniam iſta animæ cum corpore ſuo vnitio ſimilem περιχώρησιν efficit. Quæ quàm ſint abſurda, iam Kemnitius ipſe per ſe, vt opinor, videt. Hoc eſt igitur vnum iſtius rationis abſurdum. Alterum eſt, quòd hęc ratio eſt prorſus ἀπροσδιόνυσος, ἀνεπιτήδειος, atque ἀσυλλόγιστος. Nam, vt quiſpiam illud verum eſſe concedat, quod ex Auguſtino ſcribit, humanam animam eſſe totam in toto corpore ſibi vnito, & in qualibet eiuſdem corporis parte, verbi gratiâ, in auribus totam, totam in ſingulis oculis, quis tamen propterea fateatur, effici, vt propriæ & eſſentiales ipſius animæ operationes (qualis eſt ratiocinari, vigorem & calorem membris infundere, audita, guſtata, odorata diſcernere, iraſci, cupere, cibos concoquere, &c. huiuſmodi) in oculo, & auribus inſint, ac illi reipſa communicentur? Tantùm autem abeſt, vt iſtiuſmodi omnes operationes (quæ ſunt animę proprię) oculo communicentur (quemadmodum mecum, vt opinor, videt & agnoſcit Kemnitius) vt ne ea quidem virtus & operatio, quæ colores obiectos & apprehẽſos diſcernit, & diiudicat, & quæ (ſi qua alia) maximè oculo cõmunicari poſſe videtur, ei tamẽ, niſi per prædicationẽ dialecticã. i. κατ' ἄλλο, cõmunicetur, vt oculus videlicet colores diſcernere dicatur, quia nimirũ ocul⁹ eſt animę, ſeu ſenſus cõmuniſco

Damaſ. in li. de duabus Chriſti voluntatibus.

A lores oculi miniſterio apprehenſos diſcernentis duntaxat inſtrumentum. Oculus igitur colores ad ſenſum communem defert, non eſt autem ipſius διακρίσεως κοινωνὸς, id eſt, diſcretionis iſtius ſocius particeps, & coniudex, quod tamen vnum Kemnitius vrget, atque conatur per ſuam περιχώρησιν efficere ac ſtabilire. Verùm quis in eo vel Auguſtino, vel Kemnitio lubens aſſentietur: animam humanam totam eſſe, & in toto ipſo corpore, & in ſingulis eius membris? quum iampridem huic ſententiæ, & quidem meritò, contradicatur: & res ipſa demonſtret, propriam animæ humanæ ſedem eſſe in hominis corde, quoniam ex omnibus hominis membris & viſceribus cor eſt & primum viuens, & poſtremum moriens. Sed de eo aliâs, quoniam exclamat garrulus Selneccerus Kemnitij patronus & ὑβριστὴς, ſi quid politioris literaturæ in his diſputationibus admiſceatur: imò etiã ſi firmo & cõſtanti humanæ rationis iudicio, id eſt, ſi argumento ab ipſa Dei potentia & ſapientia ducto veritatem Dei illuſtremus, & comprobemus, quaſi omnia perturbemus. Putat enim ille non licere nobis confirmare noſtram fidem rationibus iis, quæ

Auguſ. li. de cognitione veræ vitæ, c. 34. de Spiritu & anima ca. 18. & in li. de Tri.

B ex Dei ſapientia, in huius naturæ ſtatu patefacta ducuntur, etſi id facimus exemplo & Chriſti, & Pauli, & cæterorum tum Apoſtolorum, tum Prophetarum. Hoc certè quum fit, cum Deo ipſo (qui has ipſas naturæ leges fixit) non pugnamus. Nam & hîc quoque Kemnitius ipſe manifeſtè vtitur argumentis à rerum natura, ſed perperam à ſe cognita & perpẽſa ſumptis. Porrò tertium huius rationis Kemnitij vitium eſt, quòd vnã & eandem virtutem, potentiam, ſapientiam, &c. eſſe putat eam quæ in Deitate λόγῳ & eam, quæ in aſſumpta carne ſeu natura operatur. Quod eſſe falſiſſimum ſupra demonſtrauimus. Nam illa potentia, qua agit Deitas λόγου, eſt increata, æterna, Deo eſſentialis, ſimplex, & abſoluta: illa verò potentia, qua agit caro aſſumpta, eſt creata & infuſa qualitas, & κατά τι ratione eſſentialis illius potentiæ potens dicenda, non autem æqualis illi cenſenda. Itaque rectè ſcribit Auguſtinus, *Chriſtum ſeipſo & maiorem, & minorem eſſe*: maiorem, quia Deus eſt, ſe homine: minorem, quia homo eſt, ſe ipſo Deo. Sed & in eo quoque peccat Kemnitius, quòd ſtatuit in homine eſ-

Auguſt. de Trini. li.1.c.7.& tractat in Io. Euan. 78.

C ſe vnicam ſolum virtutem, & per conſequens operationem vnicam, tam eam, quæ eſt in ipſa anima, quàm quæ eſt in animæ organo, velut oculo, auribus, manu, lingua, palato, &c. Eſt quidem ipſum ἀποτέλεσμα, (quod vtriuſque & animæ, & corporis operationem communiter complectitur) vnum, & vtrique organo, & animæ commune (qualis eſt ipſa tota viſio ſeu ὄψις) ſed in eo ἀποτελέσματι tamen ſunt duæ & diuerſæ operationes, vna nẽpe Animę propria: altera corporis ſeu organi: & quidẽ ita, vt neq; propria animæ actio corpori, ſeu ipſi organo re ipſa cõmunicetur: neq; propria actio organi dici poſſit animæ actio. Hoc quidem concedimus, nẽpe vires eas, quas habet corpus, & ſingula corporis membra, eſſe ab anima, & ab ea infundi corpori: eandem tamen numero eſſe virtutem & vim animæ, & corporis etiam vniti, certè pernegamus. Quare, quod ait Kemnitius, *Conuenientes vires ab anima ſingulis membris communicari*, ſi ſic intelligit, dari ab anima eas ſingulis membris vires, per quas illa membra operentur vt organa, & nudum miniſterium animæ pręſtent ad obiecta apprehendenda, non autem vt ipſam animæ eſſentialem operationem ac virtutem participent, velut in ἐγέρσεως ſocietatem aſſumpta, rectè ſentit, & mecum facit. Tunc enim ſalua manere ſua cuique naturę propria operatio intelligitur. Sin autem *conuenientes ſingulis membris facultates vocat*, (quemadmodum re ipſa vocat) ipſam illam animæ propriam ac eſſentialem virtutem & operationem, quæ cuique membro corporis vel tota, vel per partes diſtribuitur, & quam pro cuiuſque membri mole, viribus, magnitudine, & capabilitate quadrare putat, certè erat, & veritatem oppugnat. Tunc enim proprietates confundit, & quod eſt proprium naturæ vnius, alteri realiter communicat, atque eodem modo naturas ipſas vnitas, & in ſingulis hominibus, & in Chriſto incarnato, vel miſcet, vel tollit. A

pag.86.

Kemnitius pag. 87. linea 1.

Theſ. v.

Origenes lib. 2. περὶ ἀρχῶν *illam* περιχώρησιν *pulchrè explicat ſimilitudine ferri igniti, vt ſi maſſa aliqua ferri ſemper in igne ſit poſita, omnibus ſuis poris omnibúſque venis ignem recipiens, & tota ignis eſſentia, ſi neque ignis ab ea ceſſet aliquando, neque ipſa ab igne ſeparetur, totam ignem effectam dicimus, ſicut in fornacibus ſæpe fieri videmus, quoniam nec aliud in ea niſi ignis cernitur: ſed & ſi quis contingere atque tractare tentauerit non ferri ſed ignis vim ſentiet. Et ad reliquos quidem ſanctos calor aliquis verbi Dei putandus eſt perueniſſe: in illa verò anima (imò in tota humana Chriſti natura) ipſe ignis diuinus ſubſtantialiter requieuiſſe credendus eſt, ex quo ad cæteros calor aliquis veniret. Hæc Origenes.* B

Danæus.

Iam ſequitur tertia Kemnitij ratio ducta ab autoritate Origenis, cuius hanc eſſe ſententiam arbitratur, vt Deitas λόγου ſuas proprietates realiter cõmunicet aſſumptæ carni. Verùm quis non potiùs ex his Origenis verbis (*non ferri igniti, ſed ignis vim*) collegerit, manere & in ignito ferro, & in incarnato Chriſto inconfuſas & ἀκοινωνήτους ipſas cuiuſque naturæ proprias operationes, quum diſertè ſentiat Origenes non ferrum ipſum, ſed calorem ſeu ignẽ in ferro ignito vrere? Quod idẽ Origenes eodẽ libro manifeſtè docet, quũ ait, *Nam & filius Dei mortuus eſſe dicitur, pro ea natura, quæ mortem recipere poterat, & filius hominis appellatur, qui venturus in Dei patris gloria cum ſanctis Angelis prædicatur.* Hoc igitur non animaduertit Kemnitius, quod ipſum tamen planè refutat. Deinde nec illud, quod iam obſeruauimus, & ipſam Kemnitij ſententiam iugulat quoque, nempe Origenem velle, ſi qua fiat caloris in ferrum ignitum traiectio & eius operationis quæ Deitatis λόγου propria eſt in carnem aſſumptã realis communicatio, velle quoque, vt & calor ille in ipſo ferro, & illa operatio & virtus communicata in ipſa carne *Subſtantialiter requieſcat*, tanquam nimirum in proprio & ſuo ſubiecto. Ergo communicata illa Deitatis proprietas, ex Origenis ſententia, in carne Chriſti ineſt, vt in ſubiecto, traiectione C

A iectione,& effuſione(ſiue Phyſica,ſiue hyperphyſica nominetur:neque enim diuerſitas iſta Kemnitium excuſare poteſt) denique inhærenter & ſubiectiuè.Sic enim ibidem Origenes, *Iſta autem anima*(Chriſti)*vaſculum vnigeniti ipſius fuit, ex cuius fragrantia participantes digni quique Prophetæ fiebant & Apoſtoli.*Quod tamen verum & admittendum eſſe perpetuo in hoc volumine negat Kemnitius. Vnde fit,vt cum Origenis locum manifeſtè proferat Kemnitius,vel à quo ipſe euertitur:vel quem ipſe improbet neceſſe eſt. Verùm enimverò quis neſcit Origenem in eo, quemadmodum in aliis pleriſque fidei capitibus,grauiſſimè hallucinatum eſſe,quòd carnem à λόγῳ aſſumptam exiſtimauerit propter illam vnionem fuiſſe prorſus à noſtra diſſimilem & diuerſam,omni gloria ſemper decoratam,denique ceſſiſſe in verbum Dei, & deitati exæquatam?Quid de hac Origenis ſententia dixerit Kemnitius? Quod autem de Origene, licèt vetuſto ſcriptore,dico,illud omnes ex ipſius ſummo præcone Hieronymo potiùs, quā ex me ipſo, malo cognoſcere. Sic igitur Origenis & ſententiam,& verba de carne Chriſti exprimit Hieronymus,*Nec vos,ô ſimplices,reſurrectio Domini decipiat, quòd latus & manus monſtrauerit,in littore ſteterit, in itinere cum Cleopha ambulauerit,& carnes & oſſa habere ſe dixerit.Illud corpus aliis pollet priuilegiis, quod de viri ſemine & carnis voluptate non eſt natum.*Sed & ipſemet Origenes perperam illud Pauli, *Non iam nouimus Chriſtum ſecundum carnem*,intelligens, putat in Chriſto iam nullam propriè carnem eſſe. Quidni verò tantam gloriam ſanctiſſimæ illi carni tribueret ille, qui noſtram etiam carnem verè peccatricem tamen omnino Deificat, id eſt (vt Hieronymi verbis vtar)eâdem,qua viuit Deus,cōditione victuram poſt reſurrectionem putat?Cæterùm,vt omnes intelligant, quàm ex fœtida omnium Origenis errorum lacuna,nempe ex libris περὶ Ἀρχῶν ſui quoque erroris confirmationem Kēnitius petat(vt habeant ſimiles labra lactucas) breuiter oſtendam aliquot ex eodem opere alios errores,præter hunc ipſum(quem tamen velut orthodoxam & lucidam gemmam Kemnitius colligit & amplectitur) quos manifeſtè habet Origenes. Primùm aſſerit, *Animam Chriſti ab initio creatam fuiſſe,& extitiſſe,antequam λόγῳ Dei inſeparabiliter, & indiſſociabiliter vniretur.* 2. *Eandem Chriſti animam ceſſiſſe, id eſt, tranſiiſſe in ipſum verbum Dei, factámque eſſe vnum Spiritum cum ipſo λόγῳ*.3. *Eandem animam capere totum λόγον & totam ac eſſentialem eius ſapientiam, iuſtitiam, & Deitatis plenitudinem*. Quo quid horribilius, & tamen hoc ipſum in hoc libro ſuo renouat Kemnitius.4.*Verbum cum carne vnum eſſe,vti maritus eſt vnum cum vxore.*Quæ ſententia vnionem naturarum hypoſtaticam ſoluit.5.*Animam Chriſti virtutum ſuarum merito vnitam eſſe λόγῳ*.Ergo fuit antequam à λόγῳ aſſumeretur. 6. *Animā Chriſti dilectione, & longi vſus aſſuefactione atque affectu aſſecutam fuiſſe illam plenam,quam habuit iuſtitiam.*Ergo falſum eſt illud Gabrielis Angeli ad Mariam Virginem, *Quod ex te naſcetur Sanctum.*Si enim ex aſſuefactione Sanctus extitit homo Chriſtus:Ergo non à natiuitate, ſanctus eſt. 7.*Humanam Chriſti naturam, velut metallum frigoris & caloris capax eſt,ſic ab initio fuiſſe, vti naturam noſtram, contrariæ boni qualitatis capacem.* Quod,quàm vel cogitatu blaſphemum ſit,vident omnes, ne dum vir doctus Kemnitius. Et tamen hoc cœnum eſt, & hæ ſordes, ex quibus ille ſuæ ſententiæ confirmationem petit : inter quas & ea vel maxima eſt, quòd carnem Chriſti eius lucis, ſplendoris,& iuſtitię (quæ Deitati λόγου eſſentialis eſt)capacem exiſtimauit. Quam tamen eius ſententiam hîc Kemnitius manibus pedibúſque obnixè tuetur,verùm aberrans.

B

Hierony. aduerſ. er ror. Ioan. Hieroſol.

2.Cor.5. v.16. Origenes lib.2. περὶ ἀρχῶν ca.6. inſi.

Hiero. in Epiſtola ad Anitū & in alia ad Pammachium & Ocean.

C

Origenes lib.2.peri Archon. c.6 per totum.

Luc.1.v. 35.

A

Kemnitius pag.88.l. 9.

Porrò ad hanc περιχώρησιν pertinet etiam illud , quod Patres ſæpe repetunt, Aſſumptam humanam naturam Chriſti λόγον capere, non quaſi diuinitas concludatur, vt in vaſe ſicut inquit Nyſſenus apud Theodoretum pag.44.ſed per περιχώρησιν. Ita Iuſtinus dicit, aſſumptum templum ſplendorem totius luminis ſolis iuſtitiæ capere.Irenæus lib.3.cap.18.dicit, Hominem χωρῆσαι,capere & totum λόγον compleri.Origenes lib.4.cap.6. Anima Chriſti tota,totum λόγον recipit.Et lib. 4.inquit, Filius Dei plenè capax eſt. Auguſtinus Epiſt.57.Deus vbicunque eſt,in ſe ipſo totus eſt,ſed illi,in quibus habitat,eum non ex toto capiunt,ſed ab aliis plus,ab aliis minus capitur.

Theſis.8.

B

Danæus.

Hæc quarta Kemnitij ratio eſt , quæ nimirum iam ab aliorum Patrum,ſed orthodoxorum , auctoritate ducitur,in quorum tamen chorum impurum illum Origenem,tanquam in ſanctiſſimarū matronarum gynęcium mœchum Clodium temere induxit.Ex Patrum igitur Orthodoxorū phraſi, qua natura aſſumpta totum λόγον capere dicitur, argumentatur Kemnitius, verùm peſſimè. Nam quod ab illis de Chriſto,perſonæ ratione,rectè dictum eſt,iſte ad naturas ipſas transfert. Quod proculdubio eſt præuaricari.Rectè quidem & verè iſtud dicitur,Natura humana aſſumpta totum λόγον capit,quoniam λόγος qui eſt Deus,impartibilis eſt: & ipſe totus,non autem illius pars quædam duntaxat,carnem noſtram aſſumpſit.Quoniam igitur toti λόγῳ caro noſtra in vna perſona vnita eſt, in qua tota Deitatis λόγου plenitudo ineſt, idcirco propter iſtam perſonæ vnitatem dicitur natura aſſumpta totum λόγον cepiſſe,id eſt,illi vnita eſſe.Neque enim caro Deitatem,id eſt, natura finita infinitam,creata ſuum creatorem comprehendere poteſt : ſed quum caro fuerit vnita & adiuncta λόγῳ in vnitatem perſonæ,propter vnionem fit, vt iam ſit vna duntaxat Chriſti perſona,& natura humana dicatur cepiſſe totum λόγον. Certè quum negatur ab iiſdem Patribus diuinitas in carne aſſumpta concludi,non ſolùm negatur carnem eſſe ſatis amplum & capacem huius tantæ,& vbique exiſtentis rei(qualis eſt Deitas) continendæ locum: ſed etiā ab iiſdem negatur carnem ipſam Chriſti, quia creatura eſt,ipſius Deitatis eſſe capabilem,vt loquitur Bernhardus. *Deitatis.n.*(ait ille)*nulla res, niſi ipſe Deus,capax eſt & capabilis*,propterea quòd ſi quid Deitatis eſt capax,illud tam auguſtū támque magnum ſit oportet,quàm eſt ipſa Deitas,ilíque adeò æquale. Itaque Deus eſt.Et tamen Origenes(quem in hoc argumento probat, & cū hoc

C

Origenes l.2.περὶ ἀρχῶν ca.6.

A piorum patrum cœtu miſcet Kemnitius) Origenes, inquam, vult Chriſti carnem eſſe eſſentialis λόγου Deitatis ἀγγεῖον & receptaculum. Quod eſt certè falſiſſimum. Quamobrem quum aiunt Patres totum λόγον à carne ſeu natura aſſumpta capi, id intelligunt, totum λόγον eſſe carni aſſumptę hypoſtaticè vnitum. Et hæc quidem generaliter de Patribus à Kemnitio citatis, & vera eorum mente dicta ſunto. Cæterùm quòd ad Irenæi & Auguſtini locos, illi prorſus ab hoc argumento de reali communicatione idiomatum Deitatis facta carni aſſumptæ, ſunt alieni. Nec habet Irenæus vel Auguſtinus verbum χωρῆσαι (quod tamen, tanquam vnicum ſuæ ſententiæ firmamentum illi diſertè affingit, atque adeò hîc vrget Kemnitius.) Verùm vt totum hoc caput concludamus, ſiue ferri igniti, & ignis, ſiue lucis & Solis: ſiue animæ & corporis: ſiue mariti & vxoris: ſiue templi, & Dei in eo inhabitantis: ſiue ſigni & rei ſignatæ: ſiue denique ædificij, & variarum, quibus conſtruitur, rerum ſeu materiarum ſimilitudine (tot enim exemplis vna B & eadem res obſcuriſſima illuſtratur) vtantur Patres, id duntaxat oſtendunt contra veteres hæreticos χριστολύτας, naturam diuinam & humanam in vnum ὑφιστάμενον conuenire & coaleſcere poſſe. De proprietatum autem diuinę naturę in aſſumptam, id eſt, humanam reali communicatione (qui totus & vnus eſt tamen hîc Kemnitij ſcopus) nihil ex iis ſimilitudinibus vel dicunt vel colligunt. *Qui enim*, inquit Damaſcenus, *duas in Chriſto naturas ponunt, quónam pacto in eo vnam voluntatem* (addo ego, & operationē) *ineſſe dicunt?* Id quod, quoniā totius huius diſputationis lux eſt, & Kemnitij erroris fundamentum euertit, malo pios omnes ex eodem Damaſceno, quàm ex me, aut vllo alio, cui tantùm fortaſſe non tribueret Kemnitius, id intelligere. *Perfectus quidem Deus Chriſtus eſt, perfectus etiam homo, & certè poſt naturarum coniunctionem & vnionem tum in diuinitate perfectus, tum in humanitate. Diuinitas autē & humanitas, ſúntne vna natura an duæ? Duæ ſunt reuera. Alia enim diuinitatis natura, alia humanitatis. Ergo duæ ſunt in Chriſto naturæ, & Chriſtus in duabus naturis cernitur, ſiquidem Deus eſt perfectus, & homo perfectus. Rurſus Chriſtúmne ex duabus omnino naturis conſtare profitemur? Prorſus. Cur ex duabus?* C *Quia ex diuinitate conſtat, & humanitate. Quid enim diuinitatis & humanitatis verba declarant? duas ne naturas indicant? prorſus. Neque enim vna eſt diuinitatis humanitatíſque natura. Deinde Chriſtúmne in diuinitate & humanitate poſt naturarum coniunctionem conſiſtere concedemus? Certè. Si ergo poſt, vt ita dicam, vnionem in diuinitate eum, & in humanitate conſiſtere profitemur: Diuinitas autem & humanitas non vna natura ſunt, ſed duæ: profectò in duabus eum naturis conſiſtere concedimus, Rurſus ſi habet Chriſtus Patris naturam etiam poſt coniunctionem perfectam, & eiuſmodi, cui nihil deſit, immutabilem, & confuſionis omnis expertem, Dei & patris natura, & ſanctæ virginis ſúntne vna an duæ? Prorſus duæ. Sunt igitur duæ in Chriſto naturæ poſt coniunctionem. Neque enim in Chriſto ante vnionem duæ erant naturæ, ſed vna Patris. At fieri non poteſt, vt vna eadémque natura creata ſit, & non creata, principium habuerit & non habuerit, patiatur & non patiatur. Si enim habuit principium, non caret principio, & ſi increata eſt, non fuit creata. Ita Chriſtus non vna natura eſt, ſed vna perſona duabus prædita naturis. Quarum vna eſt increata, creata altera: vna ſine principio, altera principium habuit. Iam verò ſi ex naturis diuerſis natura conſtat, neutra earum eiuſdem eſt eſſentiæ.* A Et paulo poſt. *Demonſtratum eſt igitur duas naturas Chriſti eſſe, vnāque perſonam. Quod ſi duabus naturis continetur, certè duarum naturarum naturales proprietates in eo perfectè & completè ineſſe confiteamur neceſſe eſt, ſiquidem eum & Deum perfectum, & hominem perfectum cognoſcimus. Atque à diuina quidem paternáque natura habet quòd non eſt creatus, quòd eſt ſine tempore, ſine principio: neque enim cœpit eſſe quū prius non eſſet, verùm generatus fuit ex omni æternitate. Hoc etiam ab ea habet, quòd Deus eſt, quòd vult, quòd agit, quòd rerum omnium eſt præpotens, quòd interminatæ immenſæque poteſtatis, quòd effector eſt, & rerum omnium effector, quòd infinitus immenſúſque eſt, quòd circumſcribi comprehendíque non poteſt, neque veſtigari, quòd immortalis, quòd omnia tenet & continet, quòd eſt bonus, ſapiens, iuſtus, conſeruator, ſimplex, non concretus, & cōpoſitus, quòd immutablíis, contumationíſque omnis expers, quòd omnia ſcrutatur, res futuras prouidet,* B *quòd omnia complexu ſuo continet & comprehendit, quòd cōmunionis omnis expers eſt, actionis autem non naturæ ſuæ participes alias naturas facit, quòd liber eſt, quòd beneficia & munera confert, quòd illuminat, quòd ſub aſpectum, & tactum non cadit, quòd Deo eſt eſſentia ſuperior.* Et paulo poſt, *Quòd ſi diuinæ Chriſti naturæ proprietates, quas à Patre accepit, expoſuimus, humanæ etiam eius naturæ naturales proprietates, quas à noſtræ naturæ ſusceptione habuit, exponamus. Si enim quum Deus eſſet perfectus noſtri generis homo perfectus, cauſa noſtra factus eſt, profectò omnes habet naturæ diuinæ proprietates, quódque Deus perfectus eſt omnéſque humanæ proprietates habet, i d eſt, omnes naturales vires naturæ humanæ, & quæ ad agendum, & quæ ad patiendum pertinent, vt homo omnibus ſuis partibus expleatur. Si quam enim naturalem proprietatem non accepit, non perfectus eſſet homo ſed aliquid ei deeſſet. Hoc autem antepoſitum ſit, nos omnis actionis, functionis & perpeſſionis vim naturalem, ab effectore horum omnium accepiſſe, atque naturæ eſſe hæc omnia. Fieri enim non poteſt vt natura quælibet vel munere fungatur, vel quid agat, vel patiatur, cuius vim à natura non acceperit,* C *Velut terra non poteſt ex ſe germen edere, niſi natura ab effectore & parente vim germinandi acceperit, nec aqua piſces edere aut terræ fœcunditas ad editionem perduci, niſi eiuſmodi vim largitus eſſet creator.* Et Paulò poſt. *Duæ autem ſunt eius voluntates, eæque aliæ atque aliæ, pro naturarū differentia. Diuina enim omnia complectitur, (voluntas enim diuina rerum omniū eſt præpotens) humana autem non omnia poteſt, ſed imbecilla eſt, & ad patiendum accommodata. Eſt enim infirma, & ad patiendum idonea humana in Deo voluntas. Aliúdque & aliud à natura ſubiectum eſt vtriuſque voluntati. Neque enim, quæ ſub humanam voluntatem cadunt, ea diuinæ ſunt voluntatis. Nam quum à primo ortu natura humana & eſculentorum & poculentorum, & ſomni, cæterorúmque eiuſdem generis cupiditate ducatur, hæc tamen diuina natura non deſiderat. Neque enim hæc appetit, etiam ſi naturam humanam hæc velit naturaliter deſiderare, & quemadmodum, & quando præſcribit.* Item, *Si ij qui naturam vnam in Chriſto concretam & compoſitam concedunt, duas negant, & naturarum diſtinctionem approbant, quo tandem modo, quum duas naturas in Chriſto ponant, vnam tamen dicunt in eo ineſſe voluntatem? ſed aiunt, non ad naturam, ſed ad perſonam voluntatem pertinere. Quo ergo in genere voluntatis*

Damaſ de Duabus Chriſti voluntatib.

Damaſ. in lib. de duabus Chriſti voluntatib.

A

Damaſ.li. 3. orthod. fid.c.15.

luntatis ponetis vim qua volumus? In quo actionē, qua ſimpliciter & omnino volumus? in quo id, quod ſub volũtatem naturaliter cadit, & vſum ipſum voluntatis, id eſt, velle? in quo denique id, quod ſub cuiuſque voluntatem pro animi libidine cadit? Nam ſi vim volendi & omnino velle ad perſonam accommodatis, non verè dicitis. Item, *Si autem ex miraculis eiuſdem exiſtentem ſubſtantiæ cum patre Chriſtum cognouimus, Actio verò Dei ſint miracula, profectò poſt incarnationem eiuſdē actionis eſt cum patre. Si autem vna actio diuinitatis eius & carnis, eius compoſita erit, & erit altera actio ab ea quæ patris, aut & pater compoſitæ actionis erit. Si verò compoſitæ actionis, igitur & naturæ. At verò ſi quis dicat quòd cum actione perſona inducitur, reſpondebimus, ſi cum actione perſona inducitur, rationabiliter recurrit, vt cum perſona actio inducatur, & erunt, quemadmodum tres perſonæ, id eſt, hypoſtaſes ſanctæ Trinitatis. ſic & tres actiones, aut, quemadmodum vna actio, ſic & vna perſona, & vna hypoſtaſis. Sancti autē patres concorditer dixerunt, quæ eiuſdem ſunt ſuſtantiæ, & eiuſdem eſſe actionis. Præterea ſi actioni perſona coinducitur, qui neque vnam, neque duas Chriſti actiones dicendum autumant, neque vnam perſonam eius dicendā, neque duas ſtatuerunt. Et in ignito quidem gladio, quēadmodum natura ſaluatur ignis & ferri: ſic & duæ actiones & perfectiones eorum. Habet enim ferrum incidendi virtutem, & ignis vrendi, & inciſio, actionis ferri perpeſſio, abſolutióque operis, combuſtio verò, ignis. & ſaluatur horum differentia, in cōbuſta inciſione, & in inciſa combuſtione, tamen ſi neque combuſtio ſine inciſione fiat poſt vnionem, neque inciſio ſine combuſtione. Et neque propter duplicitatem naturalis actionis, duos ignitos gladios dicimus, neque propter ſingularitatem igniti gladij, confuſionem ſubſtantialis eorum differentiæ inducimus. Sic & in Chriſto diuinitatis eius diuina & omnipotens actio, humanitatis autem eius quæ ſecundũ nos. Abſolutio autem humanitatis, quòd tenuit puellam manu & erexit, Diuinitatis viuificatio. Aliud enim hoc, & illud aliud: etſi abinuicem inſeparabiles ſunt in Diuina actione. Inſuper ſi propter vnam eſſe Chriſti hypoſtaſin, vna erit actio propter vnam hypoſtaſin, vna erit & ſubſtantia. Et rurſus, ſi vnam actionem in domino dicamus, aut diuinam eius dicemus, aut humanam aut neutram. Atqui ſi diuinam, Deum ſolum ipſum nudum ea, quæ ſecundum nos, humanitate dicemus: ſi autem humanam, nudum ipſum eſſe hominem blaſphemabimus. Si autem neque diuinam, neque humanam, neque Deum, neque hominem, neque Patri, neque vobis conſubſtantialem. Ex vnione quidem, ſecundum hypoſtaſin identitas facta eſt, non tamen differentia naturarum ſublata. Differentia verò naturarum ſaluata, ſaluantur videlicet & ipſarum actiones, nam non eſt natura ineffieax, actioniſque exſors. Si vna dominatoris Chriſti actio aut creata erit, aut increata, media enim harum non eſt actio, quemadmodum neque natura. Si igitur fuerit creata, creatam ſolum oſtendet naturā. Sin increata, increatam ſolum deſignabit ſubſtantiam. Oportet enim omnino alterna & commeantia eſſe naturis naturalia. Nam impoſſibile eſt defectuoſæ naturæ exiſtentiam comperire.*

B

C

Et quoniam ſemel hoc labore defungi volumus, ſi cui illa priuata Damaſceni Confeſsio & ſententia (quanquam ea velut ex totius Eccleſiæ, quæ tunc erat, ore emiſſa cenſenda eſt) fortaſſe non ſatisfacit: ipſa Conciliorum, id eſt, totius Eccleſiæ per ſeſe loquentis verba iam audiat.

Ex Cōci. Conſtāt. 5. Oecum Cano 7.

Si quis in duabus naturis dicens, non vt in Deitate, & Humanitate vnum Dominum N. Ieſum Chriſtum cognoſci confitetur, vt per hoc ſignificet differentiā naturarum, ex quibus inconfuſa & ineffabilis vnitas facta eſt, neque verbo in naturam carnis transfigurato: neque carne ad verbi naturam tranſlata: (Manet enim vtrumque, quod eſt ſecundum naturam, & poſt factam vnitatem ſubſtantialiter) ſed in diuiſione per partem ſuſcipit vocem huiuſmodi in myſterio Chriſti: aut numerum naturarum confitens in vno eodémque D. N. Ieſu Chriſto, Deo Verbo incarnato, & non tantummodo cōtemplatione (id eſt, διανοίᾳ) differentiam eorum accipit, ex quibus Chriſtus compoſitus eſt, non interempta proprietate propter vnitatem (Vnus enim ex vtriſque, & per vnũ vtraque) ſed propterea numero vtitur, tanquam diuiſas, & propriæ hypoſtaſis conſiſtentes naturas ſignificas, talis anathema ſit.

A

Cano. 8.

Si quis ex duabus naturis, deitate, & humanitate, confitens vnitionem factam fuiſſe, vel vnam naturam Dei verbi incarnatam dicens, & non ſic has voces intelligit, ſicut ſancti Patres docuerunt, qui ex diuina natura, & humana, vnitione ſecundum * ſubſiſtentia facta, vnus Chriſtus factus eſt, ſed ex huiuſmodi vocibus vnam naturam, ſiue ſubſtantiam Deitatis, & carnis Chriſti introducere conatur, talis anathema ſit. Secundùm ſubſtantiam enim dicentes carni vnigenitum verbum vnitum eſſe, non confuſionem quandam ad vices naturarum factam fuiſſe dicimus, magis autem manenente vtraque hoc quod eſt, vnitum eſſe carni intelligimus, verbum. Propter quod & vnus eſt Chriſtus, idem Deus, & homo, conſubſtantialis patri ſecundum Deitatem, & conſubſtantialis nobis idem ſecundũ humanitatem. Similiter enim & eos, qui per partes diuidunt, vel incîdunt, & confundunt Diſpenſationis myſterium Chriſti, auerſatur, & anathematizat catholica Dei Eccleſia.*

B

Caput 9.

*Si quis adorari in duabus naturis dicit Chriſtum, ex quo duæ adorationes introducuntur, ſemotim Deo verbo, & ſemotim homini: aut ſi quis ad peremptionem carnis, aut in confuſionem Deitatis, & humanitatis, vnam naturam ſiue eſſentiam conuenientium portentuosè * dicit, ſic adorat Chriſtum ſed non vna adoratione Deum verbum incarnatũ cum eius carne adorat, iuxta quod ſanctæ Dei Eccleſiæ ab initio traditum eſt, talis anathema ſit.*

C

Ex Concilio Martini. Cano 6.

Si quis non confitetur ſecundum ſanctos Patres, propriè & verè ex duabus, naturis deitate & humanitate, ſecundum ſubſiſtentiam, vnitis inconfuſè, & indiuiſè, eundem & vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſſe, ſit condemnatus.

Ex concilio Mart. Cano. 7.

Si quis nō confitetur ſecundũ ſanctos Patres, propriè, & verè ſubſtantialem differentiā naturarũ poſt ineffabilem vnitionē, ex quibus vnus, & ſolus exiſtit Chriſtus, inconfuſè, & indiuiſè in eo ſaluatam, ſit condemnatus.

Cano 8.

Si quis non confitetur ſecundum ſanctos Patres, propriè, & verè ſecūdum compoſitionem, id eſt ſecundum ſubſiſtentiam naturarum vnitionem, ex quibus vnus, & ſolus exiſtit Chriſtus, inconfuſè, & indiuiſè in eo cognitam, ſit condemnatus.

9.

Si quis non confitetur ſecundum ſanctos Patres, propriè, & verè naturales proprietates deitatis Chriſti, & humanitatis, indiminutè in eo, & ſine defectiōe ſaluatas, in affirmationem veracem, eundem ipſum, Deum perfectum, & hominem perfectum, ſecundum naturam exiſtere, ſit condemnatus.

10.

Si quis non confitetur ſecundum ſanctos Patres, propriè, & verè duas eiuſdem & vnius Chriſti Dei voluntates cohærenter vnitas, diuinam, & humanam, ex hóc-

que in vtraque eius natura voluntarium ſecundum naturam eundem exiſtere noſtræ ſalutis, ſit condemnatus.

11. _Si quis non confitetur ſecundum ſanctos Patres, propriè, & verè duas eiuſdem, & vnius Chriſti Dei operatione cohærenter vnitas, diuinam, & humanam, ex hócque in vtraque eius natura efficacem ſecundum naturā eundem exiſtere noſtræ ſalutis, ſit condemnatus._

12. _Si quis confitetur ſecundum ſceleratos hæreticos, deitatis & humanitatis Chriſti, vnam naturam, aut vnam voluntatē, aut vnam operationem, in peremptionem quidem ſanctorum patrum confeſſionis, abnegationem autem eiuſdem ſaluatoris noſtri deſpenſationis, ſit condemnatus._

13. _Si quis ſecundum ſceleratos hæreticos, in Chriſto Deo vnitis ſubſtantialiter, ſaluatis, & à ſanctis patribus noſtris piè prædicatis, duabus volūtatibus, & duabus operationibus, diuinā & humanam ſubterfugit ſimul confiteri, aſſerens contra ſanctorum doctrinam, & vnam voluntatem, & vnam operationem, ſit condemnatus._

14. _Si quis ſecundum ſceleratos hæreticos, cum vna volūtate, & vna operatione, quæ ab eiſdem hæreticis in Chriſto Deo impiè cōfunduntur, & duas voluntates, & duas operationes, diuinam, & humanam, quæ in ipſo Chriſto Deo ſecundum vnitionē naturaliter ſaluatas, & à ſanctis Patribus orthodoxè, in ipſis prædicatas, ſimul abnegat, & ſimul reſpuit, ſit condemnatus._

15. _Si quis ſecundum ſceleratos hæreticos, Dei virilem operationem (quod Græci dicunt θεανδρικὴν) vnam inſipienter ſuſcipit, & non duplicem eam confitetur, ſecūdum ſanctos Patres, hoc eſt, diuinam, & humanam: aut ipſam nouæ dictionis virtutem, vnius eſſe deſignatiuam operationis, & non vtriuſque glorioſæ, & præ natura vnitionis demonſtratiuam, ſit condemnatus._

16. _Si quis ſecūdum ſceleratos hæreticos,_ * _in peremptionem in Chriſto Deo ſecundum vnitionem ſaluatis eſſentialiter, & à ſanctis Patribus piè prædicatis, duabus voluntatibus, & duabus operationibus, diuina & humana, diſſenſiones, & diuiſiones inſipientes in myſterio diſpenſationis eius innectit, & propterea euangelicas, & apoſtolicas de eodem ſaluatore voces, non vni, & eidē perſonæ eſſentialiter tribuit, id eſt, ipſo domino noſtro & Deo Ieſu Chriſto, ſecundum beatum Cyrillum, ad confirmationem Deum eſſe natura, & hominem verè eundem, ſit condemnatus._

Ex Cōci. Conſtāti nopolita. Oecum.6 Actio.2.

Et accipiens Antiochus religioſus lector, & notarius ſanctiſſimi Patriarchæ Conſtantinopoleos primum librū eiuſdem ſanctæ Synodi Chalcedonenſis relegit. Et relegente eo epiſtolā, quæ in eis continetur, S. memoriæ Papæ Leonis, Magnæ ciuitatis Romanæ, & veniente ad textum, in quo ſcriptum eſt, (Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod propriū habuit: Verbo quidem operante, quod Verbi eſt: carne verò exequēte, quod carnis eſt. Et horum vnum coruſcat miraculis, aliud verò ſuccumbit iniurijs) exſurgentes qui ex parte Apoſtolicæ ſedis erant antiquæ Romæ, exclamauerunt, Ecce benigniſſime Domine, manifeſte duas naturales operationes inconfusè & indiuisè in D.N. Ieſu Chriſto præſens ſanctiſſimus prædicat Pater, cuius præſentem ſermonem, ſancta quarta Synodus (id eſt Chalcedonenſis) firmamentum Orthodoxæ fidei conſcripſit.

Actio 3.

Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit, Subſequēter & ſecundi libri geſtorum eiuſdem ſanctæ quintæ Synodi lectio proueniat. Et accipiens Petrus religioſus Diaconus & notarius ſanctiſſimi Patriarchæ Conſtantinopoleos librum relegit: & paulo poſt: _Sancta Synodus, & glorioſiſſimi Iudices dixerunt, Ex lectione ſanctorum Conciliorum, ſicut noſtis piiſſimi, non inuenimus in incarnationis diſpenſatione vnius S. Trinitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti vnam voluntatem & vnam operationem._ Atque tamen eum errorem Vigilio Romano Epiſcopo, & Conſtātinopolitanæ Synodo falſarius ille Macarius impingebat, ita vt ex ipſis Actis Synodi illius authenticis, quæ tūc prolata ſunt, palàm eum falſi conuinci oportuerit.

Actio. 4.

Si ergo ſecundum aliam operationem vna eſt Patris, & Filij, & Spiritus ſancti operatio: ſecundum aliā nulla ratione Pater & Spiritus ſanctus eidem, naturali ratione, communicant: duæ procul dubio operationes in vno, eodémque D.N. Ieſu Chriſto vero Deo & perfecto, vero homine & perfecto dicendæ ſunt. Et quum oſtendit Doctor magnus Ambroſius non poſſe diuerſæ poteſtatis vnam operationem exiſtere, nec minorem poſſe operari quod magna (poteſt) _nec vbi diuerſa ſubſtantia eſt, vnā poſſe operationem intelligi: demonſtrat manifeſtis indicis, quòd non poſſit vnam naturalem operationem habere diuinitas & humanitas Chriſti, licèt vnius perſonæ eſſe noſcantur, & cū alterutrius Communione operari cernātur._ Ex quo intelligit Kemnitius, quid ſit vnā naturā cum alterius cōmunione operari. Eſt autē eſſe manentem in vnius perſona cum illa altera copulatione, vnione & coniunctione: nō autē alteram ad συνέργειαν & conſortium ſuæ operationis aſſumere & aſciſcere, Itaque eadem Actione quarta paulo poſt additur.

Si itaque in duabus, & poſt inſeparabilem vnitionē, naturis eſſe cognoſcitur (vbi dualitas naturarum inconfuſa permanſit) nec earum potuerunt operationes cōfundi, ſed de vno, eodémque D. N. Ieſu Chriſto ſuis naturis congruenter procedebant. Nō deſunt autem & aliorum venerabilium Patrū probatiſſima teſtimonia, duas manifeſtè dicentium naturales operationes in Chriſto, vt ſilentio tranſeamus S. Cyrillum Hieroſolymitanum. S. Ioannem Conſtantinopolitanum, vel quicunque poſtmodum pro rectitudine venerabilis concilij Chalcedonenſis, & tomo S. Leonis ſatiſfaciendo, laborioſos cōflictus aduerſus hæreſes eorum, qui eas confundebant, pertulerunt. In eadem actione quarta recitatur Theodoſii hæretici Alexandriæ hæc de tomo ab eodem ſcripto Theodorę Auguſtæ ſententia, RELIQVVM EST vt vna ſit oparatio ex vtriſque (naturis) Deifica. Vnam eſſe, eandemque vnius D. N. Ieſu Chriſti, & digno dignam ſapientiā, ſciētiámque omnium, & cogitationem ſecundum vtramque, id eſt, ſecundum eius humanitatem, & ſecundum eius diuinitatem, quia & vnam operationem cōfitebatur idem Theodoſius Hæreticus: cuius hæc verba, quæ tota Synodo Conſtantinopolitana ſexta damnantur, recitantur. _Deo digna operatione vna exiſtente, neceſſe eſt, & inſeparatam eā eſſe, atque indiuiſam._ Rationes autem eaſdem afferebat ille tunc, quas nunc Kemnitius, nimirum tū vnionem illam hypoſtaticam indiſſolubilem: tū etiam quòd per carnem ſuas operationes faceret diuina λόγου natura. Ergo ſic impius ille dicebat, _Proprias ſibi faciens natura diuina_ (operationes) _quæ ſunt carnis: faciénſque in ea ſuæ naturæ operationem, facere verò in ea quid eſt, niſi locupletari_ (Kemnitius dicit ditari & communicari) _per vnitionem verbi operatione eius Deo digna, quæ inconfusè atque incommunicabiliter vnitam ei, animatamque carnem demonſtrat._ Ergo poſt varia certamina in eodem concilio Conſtantinopolitano tandem hæc ſit concluſio.

Actio. 6. in fi.

Præ manibus igitur habentes Codicem continentem plurima teſtimonia ſanctorum ac probabilium Patrum clarè oſtendentia duas naturales voluntates, & duas naturales operationes inconfuſè atque indiuiſè in Incarnationis diſpēſatione Domini Noſtri Ieſu Chriſti, veri Dei noſtri. In Actione octaua Anathematizantur ij qui dicunt vnam in Chriſto eſſe & voluntatem & operationem. Et poſtea, *Idem ipſe vnus manens Chriſtus, & Filius, & vnigenitus, inſeparatus in vtriſque naturis conſpicitur, & quæ ſunt vtriuſque eſſentiæ naturaliter operabatur, ſecundum inſitam vnicuique eſſentialem qualitatem, ſiue naturalem proprietatē.* Et paulo poſt, *Verum Emanuel, dū vnus eſt, & in eo ipſe vtraq;, id eſt, Deus & Homo, quæ naturæ vtriuſque ſunt naturaliter geſſit, ſecundum aliud, quæ geſta ſunt, operans. Secundum quod Deus quidem eſt, idem ipſe, quæ diuina ſunt (operatur:) ſecundum quod homo idem ipſe eſt, quæ humana ſunt: ſeipſum volens omnibus oſtendere, quod Deus idem ipſe, & Homo ſit, & ideo idem ipſe tam quæ diuina ſunt, agit, quàm quæ humana ſimiliter & dicit, & loquitur. Non alius quidem miraculo operatus eſt, alius autem perpetrauit humana, paſſionéſque ſuſtinuit, ſicut Neſtorius vult:* (Hîc animaduertat Kēnitius cur dixerint Patres, non agit vna in Chriſto natura ſine communicatione alterius, id eſt, ſepoſita extra vnionem cum altera) *ſed vnus quidem, idémque & Chriſtus, & Filius, qui & diuina geſſit, & humana: ſecundum aliud verò & aliud, ſicut diuinus proteſtatus eſt Cyrillus, quia in vtriſque poteſtatem habuit poteſtatem inconfuſam, necnon & impartibilem.* Et paulo poſt, *Sicut ergo in Chriſto vtraque natura in diuinitate proprietatem ſuā cuſtodit, ita & operatur vtraque forma cum alterius communione, quod proprium habuit, verbo operante quod verbi eſt cum communione ſcilicet corporis: & carne exequente, quod carnis, communicante ei videlicet verbo,* vt paulò pòſt explicatur. *Neque enim diuiſè operabantur propria, vt diuiſionem earum ſuſpicemur* (naturarum) *Duas formas, quæ communiter* (id eſt, in vnione manentes) *operatur, edocemur, vnamquanque ſecundum ſuam naturalem proprietatem: ſed vnum eundémque Filium, & Chriſtum, qui & ſublimia, & humilia naturaliter operatur, ſecundum vniuſcuiuſque duarum eius naturarum naturalem & eſſentialem proprietatem aſſerimus. Vnaquæque natura cum alterius communione agebat quod proprium habuit, & diuiſionem refugiens, & conuerſionem ignorans, & differentiam ad alteram ſeruans, communionémque & cōpoſitionem inſolubilem, atque indiſruptam perſaluans.* Deniq; paulò pòſt *huius* (Chriſti) *adſerimus eſſe virtutem etiam illam, quæ dicitur noua & Dei virtus* (θεανδρικὴ) *operatio, nō vnam exiſtentem, ſed diuerſi generis ac differentem vniuſcuiuſque ſubſtantiæ atque naturæ vnamquanque perfectè ſignificantem operationem.* Aut hoc teſtium ſatis eſt, aut neſcio quid ſit ſatis. Ergo ad reliqua libri Kemnitiani capita veniamus.

AD CAPVT SEPTIMVM.

De diuerſis rerum inter ſe vnitarum ſeu coniunctarum generibus.

IN hoc capite planè cum Kemnitio conſentimus. Hanc enim ſacram diuinæ & humanæ naturæ vnionem hypoſtaticam in Chriſto fatemur differre nō tantùm à variis illis vnionum & copulationum etiam hypoſtaticarum generibus, quæ Kemnitius enarrauit: verùm etiam à conglutinatione, ferruminatione, cohæſione, & conſabricatione (quanquam tamē eo verbo vtitur Tertullianus) infermentatione, & omnis artificialis coniunctionis ſpecie, quas Kemnitius prætermiſit. Duo modò reſtant, quæ Kēnitio nequaquam ſine diſtinctione conceſſerimus. Primùm quod ait pa.101. *Spiritum Sanctum, in hac vita poſſe à nobis electis amitti.* Nam ſi amiſſionem illam Spiritus S. intelligit ratione donorum Spiritus S. ac effectorum, quòd ea non ſemper eodémq; tenore in nobis apparent, vel operantur, id illi facilè concedimus. Sin autem de ipſo Spiritus S. ſignaculo in nobis accipit, quod eſt noſtræ electionis indiuiduum pignus, ac perpetuum effectū, id verò pernegamus, ídque conſentienter Dei verbo. Ait enim Paulus, *Solidum tamen fundamentum Dei ſtat. Nouit Deus qui ſui ſunt.* Tam enim in nobis ſemper manet, & inhæret illud ſignaculum firmum, quàm ipſum Dei de nobis propoſitum, & electio firma eſt ac immota. Sed de hoc iam non eſt diſputandi locus.

2.Timot. 2.ve.19. Ezech. 9.

Alterum eſt, quod pag.103. idem errorem illum ſuum perpetuò retinens ſcribit, *Verbum Dei operari omnia ſua potentiæ, & bonitatis opera per aſſumptam à ſe humanitatem.* Cum aſſumpta quidem humanitate ſemper Verbum, ſeu ὁ λόγος iam operatur, quoniam, etſi manent operationes naturarum diſtinctæ, & inconfuſæ: perſona tamen illa Chriſti nunquam diſſoluitur. Per humanitatem autem ſuam omnia nec exercet, nec exequitur ὁ λόγος, quoniam quædam ſunt ita Deitatis λόγου propriæ operationes, vt earum nihil, præterquam Deus ipſe, ſit capax, aut ſocius, aut συνεργὸς, de quo iam plura diximus. Ergo toties errat Kemnitius, quoties illud *Omnia* addit in hoc argumento ac volumine.

AD CAPVT OCTAVVM.

De Neſtorio, Eutychete, & Monothelitis.

SED & hoc caput quoque nequaquam eſt inter nos controuerſum. Pulchrè enim cū Kēnitio & Neſtorium, & Eutychetem, & Monothelitas, Eutychetis infelicem ſobolem, & Monophyſitas eiuſdem quoque propaginem damnamus. Quod autem addit ex Cyrillo pag.106. lin. 8. Neſtorium negaſſe carnem Chriſti vnitam verbo eſſe viuificatricem, & hoc quoque teterrimum Neſtoriani erroris caput, vt reliqua omnia, deteſtamur. Propterea tamē minimè conſtituimus, carnem Chriſti in communionem & ſocietatem earum operationum, quæ ſunt Deitatis λόγου eſſentiales, aſcitam. Sed, quemadmodum antea docuimus, caro Chriſti eſt viuifica & viuificatrix, quoniam illa eſt primum, primariū, ac immediatum organum, canalis, & medium, per quod fide coniunctum & applicatum Deitas λόγου transfundit in nos vitalem illum ſuccum, vigorem & Spiritum vitæ æternæ. Itaque rectè Auguſtinus, *Chriſtus per operationem propriæ Deitatis cuncta viuificat.* Quid, quòd Ambroſius lib.4. de fide capite 5. ait, *ipſam carnem humanam in Filio à Patre viuificari,* vt hoc opus proprium eſſe Deitatis, atque ἀκοινώνητον

A intelligamus. Quoniã igitur tã eſt excellẽs, primariũ, ac neceſſariũ vitæ ęternę illius in nos traiiciẽdæ, & creandæ medium, & quidem ipſa verbi Dei prædicatione, ipſis Sacramentis, ipſa denique fide noſtra præſtantius (Nam hæc tria ſunt illius Chriſti carnis attingendæ, & nobis per Spiritum Sanctum applicandæ organa, diuinitus inſtituta) idcirco longè quoque potiori ratione caro Chriſti viuificatrix & eſt, & dicitur, quàm & ipſum Dei verbum. 1. Pet. 1. v. 23. Jacob. 1. v. 18. Ioan, 6. v. 68. & ipſa fides, qua viuere, & viuificari tamen dicimur. Hab. 2. Rom. 1. v. 16. Sed vocabulum viuificatrix Kemnitio, quum de carne Chriſti dicitur, ſignificat habere illam virtutem viuificantem in ſe, etſi non à ſe, ſed à Deitate ſibi distributam, & in illius operationis ἐνέργειαν coniunctim cum ipſa Deitate λόγου cauſam, & ſociam eſſe, quoniam ille partem eſſentialis Deitatis λόγου virtutis & operationis, non autem totam ipſam λόγου virtutem, in carnem aſſumptam & creaturam effundit & communicat. κοινωνεῖν enim interpreta- B tur ***aliquid inter multos diſtribuere***, vel ***aliquem ſibi in cõſortium & ſocietatem accipere*** pag. 109. Ergo iam ea operatio nõ manet tota penes Deitatem λόγου, nec illius propria erit, ſed illi communis cum humana natura eſt effecta. Quæ certè eſt veriſſima Monothelitarum hæreſeos interpretatio, manifeſtiſſimúſque riuus.

AD CAPVT NONVM.

De vocabulis, quibus tum Scriptura ſacra, tum Patres ipſi orthodoxi ſunt vſi ad hanc duarum naturarum vnionem hypoſtaticam notandam ac deſcribendam.

QVanquam Sacra Theologia non eſt λογοδαιδαλία, vel Magia quædam ſyllabis, characteribus, aut vocabulis certis aſtricta, ſed liberè voces ipſas ſibi ſubiiciat, quibus homines vtũtur: tamen quoniam in rebus diuinis, quas illa tradit, & diſcendis, & eloquendis infantes planè ſu- C mus, niſi à Dei Spiritu edoceamur, operępretium eſt (quemadmodum etiam Athanaſius & Baſilius monent) in diſputationibus de rebus ſacris & diuinis, phraſes ipſi Spiritui ſancto vſitatas retinere (eę verò in S. Scriptura extant) vel à Patribus ad varias hæreſes euitandas commodè repertas & cogitatas vſurpare. Quas quum hîc recitet Kemnitius, non eſt futurum nobis cum eo certamen. Phraſes enim S. Scripturæ, & à noſtris ſæpe antea collectas, & à Kemnitio hîc repetitas lubenter agnoſcimus. Ergo de hac vnione duarum in Chriſto naturarum hypoſtatica loquentes cum S. Scriptura, dicimus Chriſtum eſſe vnicum verè Emanuelem noſtrum Iſa. 7. v. 14. id eſt, nobiſcum, & in noſtra natura, ſeu humana, tanquam in proprio, atque à ſe aſſumpto templo, inhabitantem Deum, Matth. 1. verſu 23. Sic enim illud Matthæi. μεθ' ἡμῶν ὁ Θεὸς, ***nobiſcum Deus*** interpretandum eſſe docet Ioãnes 2. v. 19. Apoſtolus ad Heb. 10. v. 20. & Luc. Act. 10. v. 38. Dicimus cum Ioan. 1. v. 14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. ***Sermo ille caro factus eſt***. Dicimus cum Spiritu S. Heb. 2. v. 16. Sermo ſeu Filius Dei ἐπιλαμβάνεται σπέρματος Ἀβραάμ, ***Aſſumpſit ſemen Abrahæ***, & λόγος Θεοῦ κοινωνεῖ ϗ μετέχει σαρκὸς ϗ αἵματος, ***Filius Dei communicat, ſeu particeps eſt carnis & ſanguinis*** Heb. 2. v. 14. A Denique dicimus cum Paulo πλήρωμα τῆς θεότητος κατοικεῖ ἐν αὐτῷ σωματικῶς. ***Plenitudo Deitatis habitat in eo corporaliter*** Coloſ. 2. ver. 9. Planéque Kemnitio ipſi gratulamur, qui tandem illud ***corporaliter*** apud Paulum concedit, ac intelligit, eſſe interpretandum, ***perſonaliter***: vt plenitudo illa Deitatis in perſona ipſa Chriſti, nõ autẽ in ipſo corpore ſeu carne aſſumpta, aut illius naturę aut eſſentię capacitate aut maieſtate ſit (etiã ipſo teſte & interprete Kemnitio) nobis quærenda. Nec enim corpus illud aſſumptum qualitate omnimaieſtatis Deo eſſentialis eſt ornatũ. Quod tamen ipſe poſtea ſuo illo de vna Deitatis & carnis in Chriſto, potentia, ſapientia, maieſtate, &c. errore faſcinatus euertit. Sed veritatem in Kemnitio ſequamur, non ipſius errorem. Reliqua vocabula, quæ ex patribus orthodoxis colligit, etiã concedimus. Quale eſt, quum dicitur verbũ Dei σεσωματωμένον, vel σεσαρκωμένον, corporatum, & incarnatum, & ipſa vnio hypoſtatica ab Ignatio vocatur ἐνσωμάτωσις, ἐνανθρώπησις, οἰκονομία: in quo vocabulo explicando cogor animi candorem à Kemni- B tio requirere. Nam quum illam ſuam οἰκονομίας interpretationem ex ipſis penè Theodori Bezæ verbis deſcripſerit, eum tamen, à quo iſta didicit, ne quidem nominare dignatus eſt, cuius tamen nomen alibi, & quidem conuitians, non reticet. Sed & quòd à Iuſtino eadem carnis cum λόγῳ indiuidua & inſeparabilis copulatio appellatur ἕνωσις & σωματοποίησις: ab Irenæo σάρκωσις & ἐνσάρκωσις, à nobis admittitur. Veruntamen in illis vocabulis modus adhibendus fuit, & planè moleſta earundem rerum repetitio, erat Kemnitio fugienda, niſi vel paginas implere (quod non puto) vel eruditionẽ ſuam oſtentare ipſe voluerit. De περιχωρήσει quod repetit, quomodo ſit exponendum, copioſè ſatis antea demõſtrauimus. De clauo rotæ affixo quod affert, nihil nos ferit, aut vulnerat. Nec enim hypoſtaticam duarum naturarum vnionem in Chriſto partialem facimus, vt pars Deitatis parti humanitatis ſit vnita, ſed totũ verbũ, totã carnẽ aſſumpſit: neque etiam Deitatẽ ποσόν τι, & aliquid, C quod quãtitatem, partes, & dilatationem habeat, conſtituimus, vt in illius vna quadam parte humanitas ab eo aſſumpta, velut clauus rotæ affigatur, atque adhæreat. Quanquam tamen quæ hypoſtaticè vnita ſunt & coniuncta, omnia non æqualiter diſtendi, & patere dicimus, vti ſolis corpus ſuo orbi inhærens ac hypoſtaticè coniunctum, tamen non totum ipſum ſuum orbẽ occupat & implet. Itaque ex alio, quàm ex tam auguſto argumento, & hac comparatione, qua vtimur, σαρκασμὸν quærere debuit Kemnitius, ſi ſe oblectare voluit: non autem nobis, qui ipſius amici ſumus, inuidiam ex re iſta conflare oportuit.

Pag. 111. & 112.

Pag. 113.

Beza ad alteram Brentian. libri partem. Pag. 583.

Pag. 119.

AD CAPVT DECIMVM.

Comprehendi à nobis non poſſe hoc tantum vnionis in Chriſto hypoſtaticæ Myſterium.

HOc & nos quoque priores diximus: & Kẽnitio in eo nobiſcum nullum eſt certamen. Modò hîc Origenem (cuius περὶ ἀρχῶν libris, ab ab Eccleſia vniuerſa damnatis, maximè tamen ipſe delectatur) ſuum emendet: aliàs enim videbitur facere Deitatem λόγου finitam & circumſcriptam. Conceditne verò ex iſto Origene Kemnitius, *Dei verbum,potentiam,ſapientiam,in qua creata ſunt omnia, intra circumſcriptionem eius hominis, qui in Iudæa apparuit,credendam eſſe, & Dei ſapientiam ingreſſam eſſe vuluam fœminæ*? Quid tu, Kemniti, hos neuos ex fœtido cœno Origenis nobis reponis & recoquis? Concedimus quidem quum Chriſtus ex Virgine Maria natus eſt, λόγον, in cuius perſona humana natura ex virgine naſcens ſuſtentabatur, & ſubſiſtebat, ex eadem natum, non propterea tamen in Virginis Mariæ vtero fuiſſe concluſum & circunſcriptum, cum iſto Origene ſentimus. Cæterùm quod & hîc, & ſequenti capite prolixè Kemnitius perſequitur, meræ ſunt repetitiones. Nos verò tam obliuioſi non ſumus, vt toties idem nobis ſit reponendum.

B

AD CAPVT VNDECIMVM.

De vſu ſuperioris Doctrinæ.

VSum ſuperioris doctrinæ non tantùm eum eſſe concedimus, qui ex Patribus explicatur hoc capite, nimirum vt intelligamus, eã duarum in vna Chriſti perſona naturarum vnionem fuiſſe optimam, ſapientiſsimam, iuſtiſsimã, ac veriſsimam noſtræ ſalutis implẽdæ rationem. Quanquam enim duæ illæ naturæ ſunt diſsimillimæ, tamen in vnam perſonam Chriſti Filij Dei conuenerunt, vt cæleſtia terrenis coniungerentur, & Deus nobis placaretur, vita æterna nobis cõmunicaretur: verùm etiam tantum eſſe hoc Dei 1.Timot. 3.v.16. beneficium, & tantum eſſe hoc arcanum, cũ Paulo fatemur: tantas eſſe ex huius doctrinæ meditatione conſolationes, agnoſcimus, & prædicamus, Ephes.3. v.18. vt verè cum eodem Paulo exclamemus, neque lõgitudinem, neque latitudinem, neq; altitudinem, C neque profunditatem huius immenſæ Dei gratiæ & charitatis erga nos, à nobis tamen capi vnquã poſſe. Quare de hoc capite cum Kemnitio planè conſentimus.

AD CAPVT DVODECIMVM.

De iis, quæ ex hypoſtatica duarum naturarum in vna perſona Chriſti Vnione oriuntur, in quos gradus diſtribuantur, & quibus appellationibus illi gradus diſtinguantur.

HActenus ea fundamenta perſtrinxit Kemnitius, iiſdémque fundamentis ea munimenta coniunxit, quibus errores, quos apertè poſtea defendit, pulchrè inniti poſſe iudicabat. Itaque iam ſua, aut potiùs Monothelitarũ arcana prodere nõ veretur, quum quę ad hũc vſque locũ dixit ſcripſitque, omnia vera eſſe ipſe crediderit, vel aliis ſe perſuaſiſſe ſperarit. Verùm enimuerò, quum ex illis fundamentis ea, quibus hæreſin illam de vna Deitatis λόγου, & carnis aſſumptæ in vna Chriſti perſona per & propter vnionem hypoſtaticam, A potentia, ſapientia, maieſtate, gloria, operatione, voluntate, &c. ſuperſtruere conatus eſt, falſa, & ruinoſa, imò nulla eſſe luculenter oſtẽderimus, intelligũt moderata ingenia, & nullo animi, aut partium præiudicio præoccupata, eâdẽ opera & labore, quæ ſuper hiſce fundamentis ędificantur ac imponuntur, omnia quoque eſſe falſa, atque adeò per ſe collabi. Tamen vt amicis(qui id à nobis efflagitarunt) morem geramus ac gratificemur, (quis enim amicis veritatis Dei confirmationem, hereſeónque confutationem poſtulantibus quicquam denegãdum eſſe putet?) iſtorum quoque Kemnitii arcanorum dilucidam ἀνασκευὴν iam addamus: quãquam illa, quæ ſuperiùs explicata ſunt, ſatis eſſe poterant. Iſta enim Kẽnitii *arcana prodidiſſe ac indicaſſe*, eſt, vt cùm Hieronymo loquar, *refutaſſe*. Quod fortaſſe ille non exiſtimauit. Nobis enim velut iam victis inſultat, & quum antea placidè & moderatè diſputaſſet, hoc & ſequentibus capitibus bilem in nos ſuam effundit. Quod igitur in nos licèt immerentes, odium bene celauerat, iam apertiſſimis conuitiis B indicat & profitetur. Nos enim velut Neſtorianis conſentientes obſcurè quidem pag.154. ſed tamẽ ſtomachosè(ipſe miſerè deceptus) appellat pag. 159. Nos quoque, & quidem manifeſtè, vocat Sacramentarios contumelioſo nimirum inter iſtos homines vocabulo. Quòd ſi Sacramentarios pro iis, qui vera Sacramenta negant & tollunt, Kemnitius accipiat (quemadmodum Antitrinitarij vocantur, qui ſacroſanctam illam diuinarum perſonarum Trinitatẽ oppugnant & negant)certè iſto κατ' ἀντίφρασιν ſignificato nequaquam nos vel re, vel verbo Sacramentarios eſſe quiſquam meritò dixerit. Sin autem ab iſtó Sacramentarij dicuntur ij, qui ſuam Sacramentis à Deo inſtitutis vim & ſignificationem (qualem à Deo habent)relinquunt, tum lubentiſſimè & rem, & nomẽ hoc Sacramentariorum verè de nobis dici & fatemur & cognoſcimus. Sed in ea, quam falſo tamen animo concipit victoriæ ſpe, cõtinere ſe Kemnitius non potuit, quin nobis iam conuitiaretur, C nimirum ne eſſet ſociorum diſsimilis. Cæterũ immeritò conqueritur, quæſtionẽ de vocabulis eſſe ſibi à noſtris motam. Nam quidni fieret? quum fateatur toto hoc capite à ſe inſtituto agẽdũ eſſe, ad faciliorem ſequentis diſputationis explicationem, de vocabulis, & quorundam cõmunicationis graduum appellationibus. Verùm inſtitutam à nobis agendi rationem perſequentes, quid nobis in hoc capite cum Kẽnitio conueniat, quid diſcrepet, age explicemus.

Primum igitur hoc inter nos & eum conuenit, Pag.155. *quum vera vnio hypoſtatica nulla ſit, vbi nulla prorſus vel ſit, vel eſt, vel intercedit inter naturas vnitas, & inter earum idiomata communio vel communicatio*, eſſe neceſſe, vt in hoc argumento non tantùm exponatur quid ſit hypoſtatica duarum in vna Chriſti perſona naturarum vnio: ſed etiam quæ & qualis ſit ea communicatio, quæ ex hac vnione velut effectum ex ſua cauſſa neceſſariò conſequitur.

Deinde & in eo conſentimus, Pag.155. eam duntaxat communicationẽ eſſe & fieri ex hac vnione, quæ differentiæ naturarum & vnitati perſonæ ſit correſpondens, & conſentanea.

Tertium & illud quoque cum Kemnitio nobis cõuenit, (quod certè Neſtorianos oppugnat)na-

A turas in Chriſto non ſingulas ſeorſim ſolas per ſe ſubſiſtere, & agere, quæ cuiuſque naturæ propria ſunt: ſed perſonam ſubſiſtere in illis duabus naturis, & agere omnia iuxta cuiuſque naturæ proprietatem.

Pag.163. Quartum, *ſortitam eſſe naturam humanam à λόγῳ aſſumptam per & propter hanc vnionem hypoſtaticam innumerabilia παραφυσικὰ & ὑπερφυσικὰ dona, quæ realiter & habitualiter habeat.* Ἀντιφυσικὸν autem quicquã propter hanc vnionem accepiſſe eadem Chriſti caro non poteſt, ideſt, huiuſmodi quiddã, quod ipſius carnis naturam deſtruat. Quare & ab ipſo Kemnitio ἀντιφυσικὰ ſunt hîc omiſſa, & quidem prudenter & rectè (ſi modò ſibi poſtea conſentiret) & præclara eſt illa Damaſceni ſententia, ἀδύνατον ἐν μιᾷ φύσει ἅμα τὰ ἐναντία φυσικὰ γενέσθαι. Nam qui ἀντιφυσικὰ carni Chriſti reipſa tribuit, is planè ex Monophyſitarum hæreſi prodeat neceſſe eſt, qui vnam naturam ex duabus in Chriſto conflatam conſtituebant. Damaſ. li.4. orthod. fid. c.19.

B Quintum, *Carnem à λόγῳ Dei filio aſſumptam, in officijs* (dicere voluit Kemnitius in operibus quæ ἀποτελέσματα Græci dicunt) Regni & ſacerdotij, (imò etiam Prophetiæ, quod omiſit Kemnitius & tamen vnum eſt ex tribus illis præcipuis Chriſti mediatoris muneribus ſeu officijs) *carnem inquam Chriſti cũ Deitate λόγου eſſe in operibus Mediationis & recõciliationis noſtræ cooperatã, & cooperari etiã nũc, ac ſuã habere efficaciã, non tantùm ſecundũ eſſentialia ſua idiomata, ſed præcipuè ſecundum illa dona, præeminentias, excellentias etiam habituales, quas ex vnione hypoſtatica accepit.*

Sextum denique in hoc quoque cum Kemnitio conſentimus, *Nequaquam talem fieri, eſſe, & ſequi ex hac hypoſtatica diuinæ naturæ cum humana in vna Chriſti perſona vnione communicationem, quaſi quod proprium eſt vnius naturæ, fiat, & ſit alterius naturæ propriũ, vt quod vna natura in Chriſto eſt, & habet eſſentialiter in ſeſe, & ſecundum ſeſe. Talis.n. communicatio eſſet confuſio, vel tranſmutatio, vel exæquatio naturarũ, quarum tamen differentiam ſaluam eſſe & manere in hac vnione demonſtratum eſt.* Pag.155. 156.

Atque hæc ſunt, & tot quidem, in quibus cum Kemnitio, quia iſta verè ſcribit, conſentimus, vt ex iſtis pax certa & facilis concordia inter nos iã iniri poſſe videatur. In quo igitur diſſidemus? Penè in vno duntaxat capite, ex quo tamen poſtea multa conſequuntur, quæ Kemnitius habet abſurda & blaſphema. Hoc autem ſi à nobis confutabitur, iam vbi ſubſidium ſui erroris quærat, amplius non habebit. Eſt autem hoc caput, in quo diſſentimus, in eo poſitum, quòd vocem *communionis* ſeu cõmunicationis, Grecè κοινωνίας, in hoc argumento ſemper pro reali non tantùm operis & effecti, ſed ipſius operationis & virtutis agentis efficaciã, participatione & diſtributione accipi debere contendit, adeò vt fiat ex hac interpretatione caro Chriſti omniũ Deitatis ipſius operationũ ſocia, cooperatrix, συνεργὸς, & virtutis diuinæ reipſa κοινωνὸς & particeps. Nos autem dicimus primũ quidẽ, nequaquã cõcurrere carnẽ Chriſti, etiã glorificatã, ad oẽs Deitatis λόγου operationes, veluti ad animarũ (quæ ſingulis diebus in hominibus naſcentibus creãtur) productionem, regnorum adminiſtrationem, Regum deiectionem, miraculorum (quæ nunc fiunt) effectionem, & cætera ſimilia: id quod ſatis ſuperiùs demonſtrauimus. Pag. 109.

A Deinde in quibus concurrit cum λόγου Deitate caro ipſa aſſumpta, veluti in omnibus Mediatoris & noſtræ cum Deo reconciliationis operibus, dicuntur & ex ipſo Dei verbo, & ex patribus, ἀποτελέσματα quidem, id eſt, ipſa opera ſeu effecta eſſe vtriuſque Chriſti naturæ communia: ἐνέργειαι tamen ipſæ, quæ, velut cauſæ, huiuſmodi ἀποτελέσματα producunt, ſunt & manent cuiuſque naturæ Chriſti propriæ, & alteri ἀκοινώνητοι, id eſt, incommunicabiles & imparticipabiles. Quod vt verum eſſe oſtendam, primùm hoc in genere demõſtro, Quarum rerum & cauſarum ἀποτελέσματα ſunt cõmunia, earundem tamẽ operationes eſſe proprias & minimè communicatas. Deinde doceo, κοινωνίας vocabulum apud Græcos, *communionis*, ſeu *cõmunicationis* apud Latinos, eſſe variæ & multiplicis ſignificationis. Quod tamen Kemnitius non obſeruauit.

Tertio loco, hæc omnia ad propoſitum & argumentum inſtitutum accommodo. Ex quibus tribus apparebit, in quo à Kemnitio in hoc capite diſcrepemus. Vt autem ad primum eorum, quæ B propoſui, veniam, dico in omni rerũ genere hoc eſſe veriſſimum, Quarum rerum ἀποτελέσματα ſunt communia, earundem ἐνεργείας tamen & operationes in eo ἀποτελέσματι manere imparticipabiles, proprias, & incommunicabiles. Ἀποτελέσματα dicunt Græci effecta ipſa, quæ ex actionibus reſultant & proueniunt, ſiue vocabulum iſtud ex fabrorum & architectorum artificiis: ſiue etiam, vt quidam malunt (quibus ipſe tamen nõ aſſentior) ex Aſtrologorum ψηφίσμασι & ſcriptis ſumptum ſit, & ad res diuerſas traductum. Iuriſconſulti ἀποτελέσματα diſtinguunt ἀπὸ τῶν ἔργων, vt Paulus I. C. li. 2. ad edictum ſcribit. Ἀποτελέσματα enim illi vocant corpora, quæ poſt operam nauatam perfecta reſtant, qualis eſt domus extructa: eſt enim architecti ἀποτέλεσμα. Ἔργον autem eſt ipſe labor, & opera architecti domũ illam conſtruentis & ædificãtis. Philoſophi diſtinguunt inter πρᾶξιν & ποίησιν. πρᾶξιν appellant eum laborem & operam, ex C qua nullum opus editur, quod finitæ actioni ſuperſit, qualis eſt tibicinum ſonus: Perit enim ſtatim, atque illi tubâ canere deſierint, nec vllum opus relinquitur, quod reſtet, cantu, & pulſatione illa finitâ. ποίησιν vocant, quum quid ex illa actione reſtat, quod cerni aut tangi poſsit. Ergo quod Iuriſconſulti ἀποτέλεσμα nominant, philoſophi vocant ποίησιν ſeu ποίημα: quod illi ἔργον, hi πρᾶξιν. Veteres ſcriptores Mundum hunc Dei ἔργον ἀποτέλεστον appellarunt. Sed varia iſta definitio, præſertim in hoc περὶ κοινωνίας naturarum in vna Chriſti perſona argumento à nobis eſt prætermittenda, & quę huius loci propria eſt duntaxat explicãda. In vniuerſum igitur ἀποτέλεσμα hîc vocamus cõſequens & effectum duarum vel plurium rerum ſimul eodem tempore circa vnum & idem ſubiectum agentium, ſiue illæ opus aliquod poſt ſuam operationem ſeu actionem edant ac relinquant, ſiue non relinquant. Nam Patres ἀποτελέσματα Chriſti generaliter appellant tum ea, quæ opus aliquod & effectum relinquunt, qualis eſt noſtra regeneratio, quæ eſt ſancta quædam animi qualitas & habitudo creata, & in nobis manens ac hærens: tum etiam ea, quæ nullum, qualis fuit ipſius Chriſti prædicatio, quæ in ipſa illius actione tota cõſumpta eſt. Quibus explicatis, iam doceamus, A Earum rerũ, quarum ἀποτελέσματα ſunt communia, actiones tamen ſeu operationes eſſe & manere etiam in iſto apoteleſmate proprias & incommunicabiles. Primùm in ipſa ſancta & diuina Trinitate id facilè perſpicitur. Nam opera Trinitatis (quæ ad extra dicuntur) ſunt ἀποτελέσματα communia, in quibus tamen vniuſcuiuſque diuinæ perſonæ operationes ad ea efficienda concurrẽtes ſunt propriæ & incommunicabiles. Exempli gratiâ, Creatio huius mũdi fuit totius ſanctæ Trinitatis opus ſeu apoteleſma cõmune, & tamẽ in eo cõdẽdo alia fuit Patris, alia Filij, alia S. ſancti operatio, & quidem alteri prorſus incommunicabilis. Nam qui in S. Trinitate perſonarũ operationes vel confundit, vel communes facit, idem ille ipſas quoq; perſonas diuinas & confundit & tollit. Quis enim tam impius reperietur, qui illud inter omnes Orthodoxos Patres axioma ſeu effatum certiſsimũ neget eſſe verum, *Perſonas diuinas inter ſe diſtingui relationibus & proprietatibus, ſeu operationibus incommunicabilibus*? Ergo in creatione mundi, & effe-B ctione communis iſtius ἀποτελέσματος Pater eſt cauſa προκαταρκτικὴ, ſeu iubens: Filius δημιουργικὴ, ſeu efficiens: Spiritus τελειωτικὴ vires iniiciens, vt loquitur Baſilius. Incarnatio etiam Filij Dei ex Maria virgine fuit communis totius ſanctę Trinitatis opus & ἀποτέλεσμα, in quo tamen alia fuit Patris actio, nempe vt mitteret: alia Filij, nempe vt carnem ſuſciperet & ſibi vniret: alia S. ſancti, nimirũ vt Mariæ ſuperueniret, & eam inumbraret, ac ex Luc. 1. ea corpus conderet, quod λόγῳ adaptaret. Pſal. 40. Secundo autem loco in miraculis ab ipſo Chriſto hîc cõuerſante editis idem apparet. Exẽpli gratiâ, Hominis illius (qui à natiuitate cæcus erat) ſanatio Ioan. 9. fuit duarum Chriſti naturarum opus & ἀποτέλεσμα commune, in eodem tamen vtriuſq; naturę actio, ſeu operatio fuit propria & ἀκοινώνητος, id eſt, imparticipabilis alteri. Nam natura Chriſti diuina ſola nouam videndi facultatem ac virtutẽ in illius cęci oculos infudit: eiuſdem autem Chriſti natura humana ſeu corpus & ſputum in terram excreauit, & lutum ex ea confecit, & oculis applicauit. C Ioan. 11. Sic etiam Lazari excitatio à mortuis fuit vtriuſq; Chriſti naturæ opus. Nam humana natura Chriſti vocem illam emittit, qua Lazarus vocatur: diuina verò vitam illam nouam in corpus iam per quadriduum in ſepulchro iacens immittit. Sic vnici Luc. 7. illius Filij mortui in vrbe Naim excitatio fuit commune opus: operatio verò cuiuſque naturæ manſit in eo opere edendo propria. Tangit enim loculum ipſa manus Chriſti: excitat verò mortuũ diuina eiuſdem virtus & natura. Nec enim ipſa manus Chriſti vim viuificantẽ ſiue à ſe, ſiue à λόγῳ (cui vnita erat) acceptam habuiſſe dici poteſt, quę cadauer excitarit, quod tamen putat Kemnitus, quum hæc ipſa Chriſti manus poſtea vnà cum reliquo Chriſti corpore & mortua ſit, & ſepulta. Sed neque vox ipſa Chriſti (qui eſt ſonus quidam in aere, lingua, labiis, pulmonibus, & dentibus effectus) Lazarum excitaſſe dici poteſt, ſed virtus ipſa diuina λόγου, quum non quicquid vox Luc. 13. Chriſti eâdem linguâ, labiis, & dentibus iiſdem emiſſa, tunc eſt allocuta, vti Hieruſalem illam rebellem, illud viuificarit. Ergo etiam in miraculis Chriſti ſunt opera & ἀποτελέσματα communia duarum ipſius naturarum, quarum tamen ſin- A gularum agentium operationes propriæ & incõmunicabiles ſeu imparticipabiles manent. Quid autem in rebus naturalibus, nónne idem cernitur? Certè. Neque id negari poteſt. Exempli gratiâ. Apprehenſio ligni vel lapidis (quæ tota manu fit) eſt omnium manus digitorum opus & ἀποτέλεσμα commune: ſingulorum tamen illius manus digitorum operatio manet in eo opere propria: nec enim pollex apprehendit aut facit, quod digitus index vel auricularis. Locutio ſeu oratio hominis eſt commune animæ & corporis opus, alia tamen eſt animæ in eo opere actio, alia corporis. Anima, res & materiam orationi noſtræ ſuppeditat: corporis autem noſtri membra ipſam vocem & ſonum, qui auditur, formant. Denique in rebus ipſis artificialibus idem contemplari planè licet. Exempli gratiâ, Scriptura eſt vtriuſque hominis ſcribentis naturæ opus & ἀποτέλεσμα, in ea tamen alia eſt animæ operatio, nempe ipſa directio manus, & characterum imaginatio: alia verò ipſius manus ſcribentis, nempe calami apprehẽſio, & linearũ ductio, & atramenti illitio. B In fabro ferrario enſem cudente, enſis eſt & ingenij ſeu animi, & corporis ipſius fabri commune opus: in eo tamen ſic eſt propria actio ingenij, vt corpori communicari non poſsit, vel contra. Nã fabri ingenium formam enſis fingit & præſcribit: manus autem malleum & ferrum tractat, & ferrũ extendit, & incudem ferit. Hoc autem idem poteſt obſeruari in rebus cæteris. Ex quo fit, vt veriſsimum illud eſſe appareat, quod diximus. Quarum rerum & cauſarum ſimul & circa idem ſubiectum agentium ἀποτελέσματα ſunt communia, earundem tamen actiones ſeu operationes eſſe & manere proprias, & alteri nequaquam cõmunicatas, imò incommunicabiles. Quod primum à me propoſitum quum verum eſſe docuerim, venio ad ſecundum, nempe vt oſtendam κοινωνίας apud Græcos: *cõmunionis ſeu communicationis* apud Latinos vocabulum eſſe diuerſæ ac multiplicis ſignificationis. In quo ne longior ſim, dico, Quan- C quam κοινωνίας vocabulum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ (quod ſæpe pollutum ſignificat) deductũ ſit, in tota tamẽ hac diſputatione nequaquam in eo ſignificato ſumi, Tit. 1. v. 15 quo κοινὸν aliquid pollutum notat, & Act. 10. v. 15. Mat. 15. 10 καθαρῷ opponitur. Sed ab hac quoque diſputatione remouemus illam κοινοῦ notiſſimam inter Iuriſconſultos (qui ſunt verborum proprietatis obſeruantiſſimi) ſignificationem, qua *communionem à ſocietate* differre ſtatuunt. Ergo κοινὸν (vnde κοινωνία L. 31. & 32. D. pro Socio. eſt appellata) generaliter ſignificat in hoc tractationis argumento illud, quod cum alio quocunque modo coniunctum, atque copulatum eſt, ita vt κοινὸν διαιρετῷ ἰδιάζοντι, καὶ ἀπεσχισμένῳ (teſte Baſil. Homil. 8. in Hexam. ipſo Baſilio Græcanitatis obſeruantiſsimo ſcriptore) opponatur. Optabile quidem erat, vt Plato in Cratylo. ait Plato, res per ſe ipſas, non ex iſta ſcrupuloſa vocabulorum diſtinctione intelligere, quoniam tamen (ait idem) vocabula ſunt inſtrumenta ad res docendas, & διακριτικὰ τῆς οὐσίας, idcirco vocabulorum explicatio ac diuerſa ſignificatio à viris etiam Theologis diligenter eſt obſeruanda, præſertim quũ ex ſolo iſtius diligentiæ cõtemptu Kẽnitius hic erret grauiſſimè, & perpetuo Aequiuocationis, id eſt, cõfuſæ huius vocabuli ſignificationis paralogiſmo & fallatur & fallat, vt ex ſe-

A De κοινωνίας ſignificatione. quentibus apparebit. Κοινωνίας igitur ſunt imprimis
ſignificationes duæ : vna, vt ita loquar, tranſitiua
ſeu actiua: altera verò paſsiua. Actiua ſignificatio
eſt, quum hoc vocabulo ipſe rerum inter
ſe coniungendarum, coadunandarum, & communicandarum
actus denotatur quæ (diſtinctionis
gratiâ) Græcè κοινώνησις, Latinè autem *vnitio* nominatur.
2.Cor. 13. 13. Sic κοινωνία S. ſancti à Paulo vocatur ea
actio, qua ſe nobis communicat Spiritus ſanctus
ἐνεργητικῶς. Sic interpretor S. Domini Cœnam eſſe
κοινωνίαν corporis Chriſti, id eſt, actionem, in
qua ipſum Chriſti verum ac eſſentiale corpus nobis
cum fide ad Cœnam Domini accedentibus 1.Cor.10
communicatur. Vti enim κοινωνεῖν, ait Iulius Pollux, Iul. Pollux lib. 8.
μίξασθαι & συναθροίσασθαι ſignificat, ita κοινωνία pro
ipſo συναθροισμῷ, id eſt, copulandi actu ſæpe ſumitur.
Sed breuitatis cauſâ ſatis fuerit hæc annotaſſe:
ſtudioſus lector plures Scripturæ locos per ſe
obſeruare poterit. Paſsiua huius ſignificatio eſt
duplex. Nam vel pro ipſarum rerum diuerſarum
B coniunctione iam facta ſumitur, vel pro huius cõiunctionis
& copulationis effecto ſeu fructu, quo
ſolo ſignificato vocabulum κοινωνίας vbique accipi
putat Kemnitius. Verùm, quemadmodũ vox
δικαιοσύνη, *Iuſtitia* ſæpe pro cauſa ipſa iuſtitiam in
nos qualitatémque infundente (qualis eſt eſſentialis
illa Dei iuſtitia) ſumitur: ſæpe pro animi habitu
creato, ipſáque qualitate in nobis inhærente:
ſæpe pro ipſo iuſto opere, id eſt, illius animi
noſtri habitus effecto: ſæpe denique pro largitione,
& boni beneficiíque alicuius communicatione
ſeu collatione accipitur. Sic & κοινωνία varias
illas, quas obſeruauimus, ſignificationes habet. 2.Cor.9.9
Sic vox quoque *Spiritus* ſæpe pro ipſo ſancto
Spiritu omnium bonorum in nobis auctore: ſæpe
pro dono ſeu qualitate ab eo in nobis creata:
ſæpe pro ipſius doni & qualitatis opere & fructu
vſurpatur. Sic & κοινωνία varia ſignificata obtinet.
Ergo & pro ipſo copulationis actu, & pro copulatione
iam facta, & pro fructu iſtius copulationis
C ſumitur, quæ diſtinguendi cauſâ ſic appellentur,
vt ipſe actus coniungens dicatur ἕνωσις, *vnitio*: ipſa
coniunctio facta κοινωνία, *communio*: ipſe fructus
μετοχὴ & μέθεξις, Latinè *communicatio*, ſeu *participatio*
appelletur. Sed & liberalitas ſeu largitio
Gal.6. 16. beneficij quoq; κοινωνία vocatur, & liberalis κοινωνητὸς.
Heb.13.16 Item, pro dono ipſo ſeu re & beneficio collato
Rõ.15. 26. κοινωνία in Scriptura nonnunquam accipitur,
Phili.4. 15 tã videlicet varia eſt huius vocis ſignificatio. Sed
2.Cor.9.5 6. nos ad noſtram redeamus. Illud igitur donum &
effectũ (vt omnes κοινωνίας notationes huius argumenti
proprias explicemus) quod ex communione
& vnione rerum oritur, eſt in vniuerſum duplex.
Propter iſtam enim communionem fit vel
rei, vel nominis inter res coniunctas aliqua communicatio.
At rei cõmunicationem, ſeu reale effectum
& donum nomino, quum qualitas aliqua
ex vna re in alterã ſibi cõiunctam & vnitã defluit
& inhæret, veluti quum vigor ex anima in corpus
ipſi vnitum defluit. Nominis verò donum dico,
quum nomen duntaxat & appellatio (quæ vnius
rei propria eſt) alteri ſibi coniunctæ propter eam
vnionem tribuitur, & explicatur, veluti quum vxor
viri Conſularis aut Senatorij vocatur fœmina
conſularis & Senatoria, quæ tamen nullo ſenatoris
aut conſulis munere, aut illius parte fungitur.

Sic Baſilius in Homil. de 40. martyribus ſcribit, A
eos, etſi diuerſis regionibus orti eſſent, tamẽ propter
communem paſsionem (quam propter Chriſtum
ſemel pertulerant) communes ſibi mutuò
feciſſe & patres & matres, quæ eos tulerant. Honoris
nimirum communicatione, vbi vtitur verbo
ἀντιδόναι Baſilius. Primã autem illam κοινωνίας,
id eſt, communicationis ſpeciem, quæ eſt rei participatio,
nominemus μετοχὴν ſeu μέθεξιν, quẽadmodum
antea diximus, diſtinctionis gratiâ, quia
tunc qualitas aliqua rei coniunctæ ab altera datur.
Illam autem alteram (quæ eſt honoris & nominis
tantùm) vocemus Græcè μετάδοσιν, ἁρμογὴν &
ſimilibus vocabulis, Latine commendationem,
communicationem, appropriationem appellationis
appellemus: quæ ſi reciprocetur, ἀντίδοσις, περιχώρησις,
ἐναλλαγὴ ὀνομάτων, κοινωνία ἰδιωμάτων, καὶ τὸ ἀνάπαλιν,
vt loquitur Damaſcenus, Græcè dicatur: Damaſ.li. 4. ortho. fid c. 9.
Latinè verò ***reciproca attributio*, *alternatio*, *permutatio nominum*, *communicatio idiomatum ſeu proprietatum*, *& reciprocatio*.** Quanto autem arctius eſt B
rerum coniunctarum ac vnitarum inter ſe vinculum
& complexio, tantò etiam plura ſibi hoc κοινωνίας
genere res illæ communicant, & veriùs
tribuunt, non tamen realiter, ſi res ipſæ ſingulæ
& per ſe ſpectentur, ſed in ipſo compoſito, &
vnito duntaxat, id eſt, per vocabulum compoſiti
notionem ſignificans fit illa communicationis
enuntiatio. Sic quũ maior ſit animæ cum ſuo corpore
coniunctio, quàm viri cum vxore, ideo &
veriùs & plura hoc cõmunicationis (quæ ἁρμογὴ &
μετάδοσις à nobis vocata eſt) genere, anima tribuit
ſuo corpori, quàm vir vxori ſuę. Ergo totus
homo, qui corpore & anima conſtat, & prudens
& immortalis & ratiocinans hac communicationis
ratione dicitur, quoniam anima, cui vnitum
eſt corpus hominis, tale eſt, id eſt; ratiocinans,
prudens, immortalis. Vxor verò Senatorii
vel Conſularis viri prudentis, vel militaris, ipſa
tamen propterea neque militaris, neque prudens
fœmina dici poteſt, quoniam horum, quàm illorum C
complexio, nexus, coniunctio, & copulatio
inter ſe eſt arctior. Sic quũ caro à λόγῳ Filio Dei
inſeparabiliter iam aſſumpta dicitur adoranda,
mundi creatrix, excitaſſe mortuos, etſi impropriè
id dicitur de humana natura Chriſti per abſtractiua
vocabula, tamen eſt intelligendum eam ita
vocari κατ' ἄλλο, & hoc genere κοινωνίας, in quo non
eſt alicuius qualitatis attributio, confuſio, aut diſtributio
realis: ſed appellationis tantùm, ſeu honoris
verbalis communicatio, propter indiſſolubilem
illam vnitarum naturarum nexum. Niſi forte
quis exiſtimet aut corpus noſtrum eſſe λογικὸν
& ratiocinari, aut vti prudẽtia, aut ante reſurrectionem
noſtram eſſe immortale: aut niſi idem
etiam putet carnem à λόγῳ aſſumptam non eſſe
verè creaturam, & certo tempore, vt ait Paulus,
conditam, aut ſe ipſam è tumulo poſt illud triduum
ſe excitaſſe. Ergo eius communicationis Gal.4.4.
ratio & phraſis longè & meliùs & tutiùs fit per
verba concreta, perſonam ſignificantia, quàm per
abſtracta, quę naturas deſignant. Meliùs enim de
Chriſto dicitur, & citra omne Eutychianiſmi
periculum, homo hic creator eſt mundi, quàm
hæc humanitas eſt creatrix mundi : id quod
Patres etiam monuerunt, & nos ſentimus.

Nam

A Nam quum iſta de carne Chriſti in abſtractis vocabulis enuntiantur, ſouentur grauiſſima Eutychetis erroris deliria. Ergo quod Gregorius Magnus Epiſtola ducenteſima prima: *Quicquid ego de vobis boni audio,hoc mihi imputo. Bonum proximi etiam otioſo commune eſt,* de hoc communicationis honoris genere accipiendum eſt. Quare quid ſit, & quotuplex κοινωνία, & quæ diuerſa ſignificatio, iam apparet. Ad tertium igitur caput accedamus, nempe vt hæc ad propoſitum & præſens argumētum accōmodemus, vt quanta hîc apud Kemnitium lateant ſophiſmata, omnes nunc intelligant.

Primùm igitur κοινωνίαν ipſam explicat: deinde illius varios,vt ipſe explicat, gradus & effectus, quos ego malim cōmunicationis ſpecies nominare. In quibus duobus quid & quantum ab eo diſſentiamus, eſt iam videndum.

Kemnitius pag. 158. linea 5.

Theſ. 1. *Quia verò vnio non eſt verbalis,ſed vera (non enim nuncupatione tantùm, vel verbaliter coniunctæ ſunt duæ naturæ in Chriſto,ſed verè,re ipſa,reuera, quod vſitatè vocamus realiter) & ab eo, ſi res quæ enunciatur, vel eſt,vel non eſt,oratio dicitur vera vel falſa: ideo cōmunicatio vocatur non verbalis,ſed realis,vt hoc vocabulo diſtinguatur à fictitia,commentitia,imaginaria, ſeu putatiua communicatione.*

Danæus.

Concedimus Vnionem naturarum in Chriſto eſſe realem, non autem verbalem: propterea tamen negamus effici quod vult Kemnitius,vt omnis κοινωνία, quæ ex ea vnione naſcitur,ſit realis. Quum enim illa κοινωνία ſeu communicatio ſit multiplex, vti diximus, quædam ſit ab vna Chriſti natura,alterius,appellatione & verbo tenus, vt ſi dicatur, Deus eſt paſſus, quia Chriſtus homo, qui & Deus eſt, paſſus eſt: & ſi homo Chriſtus dicatur ſe ipſum excitaſſe ex ſepulchro, quia Deitas λόγου (cui vnita eſt humana natura) illam excitauit. Ergo vnius duntaxat naturæ idiomata eſſentialia de toto quidem vnito, id eſt, de perſona Chriſti propter illam vnionem realiter prædicantur: de altera verò eius natura (cuius non eſt idioma) enuntiatur duntaxat per ἐναλλαγὴν ὀνομάτων, ſeu κοινωνίαν ἰδιωμάτων, quæ eſt communicatio appellationis dum naturæ per ſe & in ſeſe à nobis conſiderantur, licèt in ipſa copulatione & vnione maneant, non autem extra eam ſubſiſtere cogitentur. Nam quòd ſubterfugium iſtud quærit Kemnitius, nimirum etiam ſi idioma eſſentiale vnius Chriſti naturæ, vt pote Deitatis, re ipſa tribuatur alteri, id eſt, humanæ, non fieri propterea tamen illud proprium idioma naturæ humanæ, eſt gryphus. Neque enim poteſt illud idioma (quod naturæ humanæ communicatur)& eſſe & dici proprium & eſſentiale diuinæ naturæ, ſi alteri quoque rei communicatur, niſi idem appelletur proprium & commune. Quod enim alteri realiter communicatur, eſt commune. Quod ſi commune eſt, deſiit eſſe proprium. Deinde quemadmodum diximus, nullum eſſentiale idioma λόγου eſt rei vlli creatæ realiter κοινωνητὸν, id eſt, communicabile, & participabile, niſi eſſentiam quoque ipſam diuinam eſſe re ipſa communicabilem & participabilem à carne aſſumpta blaſphemè dixerimus.

Kemnitius eadem pagina linea 16.

Theſ. 2. *Quando enim de perſonali naturarum communione loquor, certè Deus non verbaliter, ſed realiter eſt homo. Sed tamen diuina natura non eſt realiter humana natura,ita enim confuſio naturarum fieret. Similiter quando Filius Dei dicitur mortuus,certè non verbaliter,ſed realiter eſt mortuus. Mors tamē realiter tribuitur non ipſi diuinæ naturæ in ſeſe:ſed perſonæ realiter tribuitur.*

Danæus.

Verum eſt, *Deum quidē gloriæ eſſe pro nobis mortuum: filium Mariæ fuiſſe in cœlis etiam quum loqueretur in terris cum Nicodemo*, & cætera huiuſmodi, propter perſonalem naturarum vnionem. Sed hæ ſententiæ ita ſunt explicandæ & intelligēdæ, vt de perſona quidem ipſa, ſeu de toto vnito realiter dicantur: de toto tamen vniti, aut ſingulis illius perſonæ naturis verbaliter tantùm & per ἐναλλαγὴν ὀνομάτων, aut ἀντίδοσιν, aut κοινωνίαν ἰδιωμάτων enuntientur, etiam per verba concretiua, & perſonam denotantia. Omnibus enim hiſce vocabulis Patres hanc verbalem prædicationem ſeu appellationis communicationem vocant. Ergo hæc propoſitio, *Hic Deus eſt Homo*, perſonæ quidem ipſius ratione realis eſt: ipſius autem naturæ diuinæ ratione non poteſt eſſe realis prædicatio, quia Chriſti Deitas non eſt humanitas: neque è contrario humanitas Chriſti eſt Deitas. Item hæc, Deus eſt mortuus, de perſonæ ſeu toto vnito eſt realis: de toto autem vniti, aut de ſingulis naturis perſonæ Chriſti non poteſt eſſe realis. Ratio eſt, Quoniam quum vnius naturæ idiomata de tota perſona realiter dicantur, eíque competant, realis quoque ſit huiuſmodi prædicatio in perſona neceſſe eſt. Sed quum eadem idiomata alteri naturæ realiter non competant(neque enim mors competit realiter diuinæ Chriſti naturæ) de ea quoque realiter prædicari non poſſunt. Quòd ſi non prædicantur realiter, non eſt realis igitur huiuſmodi prædicatio, ſed verbalis tantùm ſeu dialectica, ſicuti vocant. Vera eſt enim illa regula, *Talia ſunt prædicata, qualia ea eſſe ſubiecta patiuntur.*

Quare eſt paralogiſmus à compoſitione ad diuiſionem, quum ſic argumentatur Kemnitius, Filius Dei realiter dicitur & prædicatur mortuus: ergo de vtraque natura Filij Dei mors illa dicitur & enuntiatur. Filius Dei eſt realter homo. Ergo natura diuina eſt & dicitur realiter humana. Hoc quàm falſum & impium ſit, vidit ipſe Kemnitius: nec ſe ſuo ſubterfugio & latebra illa, *Quòd non ſit proprium alterius naturæ idioma*, ſatis tutum fore ſenſit: itaque eam hîc deſerit, & apertè ineptam eſſe illam ſuam conſecutionem fatetur.

Kemnitius eadem pag.l. 22.

Theſ. 3. *Quando verò Epheſinus canon ex Scriptura contra Neſtorium pronuntiat, Carnem Chriſti eſſe viuificam, ibi certè nō perſonæ tantùm, ſed ipſi etiam aſſumptæ naturæ in perſona, vel perſonæ ſecundum aſſumptam etiā naturam hoc tribuitur. Et diuinæ quidem naturæ tribuitur hoc eſſentialiter: aſſumptæ verò naturæ tribuitur, non communicatione phyſica &c. ſed tamen reuera, ſeu realiter per diſpenſationem vnionis.*

Danæus.

Caro Chriſti dicitur *viuifica vel viuificatrix*, & Deitas Chriſti itidem dicitur *viuifica* & *viuificatrix*. Sed vtraque longè diſsimili & diuerſa ratione. Hanc diuerſam rationem in eo duntaxat putat poſitam Kemnitius, quòd caro Chriſti non habet à ſe illum (quo in vitam æternam ab ea viuificamur) ſuccum, ſed habet ſibi cōmunicatum: Deitas autem eiuſdem Chriſti habet illum eundem ſuccum viuificū proprium à ſe eſſentialiter, & in ſeſe. Ergo alibi ait hic ipſe, *Carnem Chriſti* (Pag. 106.) *non habere eſſentialiter in ſeſe aut ſecūdum ſeſe ea, quæ natura diuina habet eſſentialia.* Vt quæ differentia eſt inter id, quod nobis eſt cōmunicatū, & quod propriè ſeu noſtrum eſt, & illud, quod eſt in nobis ab alio, & illud, quod ineſt in nobis ipſis, eam quoque duntaxat differentiam ſtatuat inter eam viuificandi virtutem, quam habet natura Chriſti humana, & eam quam habet eiuſdem Chriſti natura Diuina. Vult enim Kemnitius eandem omnino & numero manere virtutē, & potentiam viuificandi in vitam æternam, in vtraque Chriſti natura ineſſe, & quidem etiam realiter: ſed in natura quidem Chriſti diuina eſſentialiter & ſecundum ſeſe: in humana verò ſeu aſſumpta, communicatione, & nō ſecundum ſeſe aut à ſeſe, ſed à diuina. Quod quid aliud eſt, quàm profus Monothelitam eſſe? Verùm nos longè aliter eam differentiam exponamus, quæ eſt inter Deitatē & carnem Chriſti, tum ex comparatione carnis Chriſti ad ipſius Deitatē, tum ex eiuſdē carnis collatione cū noſtra, quū vtraque viuifica ſeu viuificatrix appellatur. Primùm enim inter iſta duo differentia hæc eſt, quòd caro à λόγῳ aſſumpta, etiam glorificata, & qualis nunc eſt in cælo, eſt organum (vti Kemnitius vocat) tantùm, etſi primarium: non tamen vitæ æternæ, & viuificationis iſtius noſtræ ſeu ſucci vitæ æternæ efficiens cauſſa. Deitas verò λόγου eſt non ὄργανον ſed κύριον, & vnicum αἴτιον per interuenientē Chriſti carnē ceu canalem eum ſuccum in nos diffundens & inſtillans. Altera differētia eſt, quòd caro à λόγῳ aſſumpta non eandem, neque vnicam habet operationē cum λόγου Deitate in noſtra hac viuificatione. Nā caro Chriſti viuificat, quatenus tum plenæ ſuę pro nobis ſatisfactionis, tum etiam obedientiæ merito, & opere nobis per fidem imputato nos iuſtos & abſolutos, coram Deo ſiſtit, & idcirco dicitur nos viuificare, quoniam eius obedientia & iuſtitia nobis per fidem ad vitam æternem imputatur. Deitas autem λόγου præterea in nos illi carni ſpiritualiter inſitos vitæ illius æternæ in ſe vnica reſidentis ſuccum & vigorem transfundit. Tertia differentia eſt, quòd caro Chriſti ne ſuam quidem illam vitam æternam à ſe ipſa, ſed à λόγῳ ſibi vnito ſumit velut à fonte ſibi annexo. Vnde Proſper in Sententiis 147. *Non eſt à carne, ſed ſupra carnem quod eam facit viuere.* Ergo eam habet caro Chriſti, velut donum, & quidem creatum, licet ἔσωθεν datam, non ἔξωθεν receptam. Illud (inquam) donum habet caro Chriſti eſſentialiter, vt loquitur Cyrillus lib. 9. in Ioannem, nō accidentaliter, id eſt ex ſuę ipſius perſonæ συστάσει, & illius ſubſtātialibus partibus, non autem ex alio quodam extra ſe poſito fonte, quemadmodum nos eandem vitam æternam ab eodem λόγῳ, ſed ἔξωθεν, accipimus. Ergo Deitas Chriſti ſeu λόγος per ſe carnem ſuam, & nos per eam ſibi vnitos viuificat. Quarta differentia eſt, quòd caro Chriſti viuit eodem vitæ, quo & reliqui fideles, genere viuificata: λόγου autem Deitas alio prorſus, & diuerſo vitæ genere viuit viuificans. Nam genus ipſum vitæ (qua & caro Chriſti, & nos eius interuentu viuificati viuimus) eſt vnum & idem, nimirum creatum, effuſum, donatum: gradus autem donorum, & iſtius vitæ æternæ in humanam naturam Chriſti, & noſtram collatæ eſt valde diſpar. Eſt enim in Chriſto perfectiſsimus, ipſáque vitæ plenitudo: in nobis autem certus, & ad eam menſuram, quam Deo placuit admetiri nobis, dimenſus. Sed vita qua viuit λόγος, vt Deus, eſt toto ipſo genere à noſtra, & carnis Chriſti vita æterna diuerſa & diſparata. Itaque Chriſtus duplici vita viuere, & duplici gloria non perſonæ, ſed duarū naturarum diſtinctè conſideratarum ratione, ornatus eſſe verè dicitur, vt duplici natura conſtat. Quare quantum diſcrimen ſit inter carnem, & Deitatem Chriſti nos viuificantem, videt iam Kēnitius, ne poſtea ὁνονυμίᾳ vocis iſtius, *viuifica*, vel *viuificatrix*, vel verbi *viuificare*, quū carni Chriſti, vel Deitati tribuitur, vel fallatur ipſe, vel quenquā fallat. Ergo ipſum viuificationis noſtræ ἀποτέλεσμα eſt commune carnis & Deitatis Chriſti opus: ipſæ autē operationes earum naturarum in eo opere ſeu vita æterna nobis communicanda, ſunt diſtinctæ, numero duæ, diuerſæ, incommunicabiles, vel imparticipabiles ab vna natura in alteram. Sed κοινωνίαν ἀποτελέσματος cum κοινωνίᾳ ἐνεργειῶν confundit vir iſte. Itaque rectè, vel ipſomet Kemnitio teſte, Cyrillus, *Caro Chriſti eſt viuifica, non* καθ' ἑαυτὴν, ſed καθ' ἄλλο, δι' ἄλλο, καὶ καθ' ἕνωσιν. Pag. 184.

Kemnitius pag. 160 l. 14.

Theſ. 4. *Paucis igitur ex re ipſa oſtendemus, non ſimilia & eiuſdem prorſus rationis eſſe omnia ea, quæ ex hypoſtatica vnione oriuntur, & ſequuntur: nec poſſe ea ad vnū caput, vel genus, vel gradum, vel claſſem, vel quomodocunque quis appellare velit (de vocabulis enim non litigo) omnia commodè referri: ſed alia & plura eſſe, vel capita, vel genera, vel gradus.*

Danæus.

Concedimus plurimos eſſe & diuerſos fructus & effecta, quæ ex hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum vnione naſcuntur, vt ipſi ſuprà oſtendimus. Etſi enim totum iſtud in genere nominatur κοινωνία: tamen alia eſt communicatio, ſeu gratia habitualis, quæ eſt, quum aliquam quālitatem confert & transfundit vna natura in aliam: alia verò gratia ſeu κοινωνία vnionis tantùm

tùm,quæ eſt nominum tantùm communicatio,vt diximus,in concreto: licèt de ipſa perſona realis ſit & fiat huiuſmodi prædicatio. Cæterum ſpecies aut genera, non autem gradus nominauerim has diuerſas κοινωνίας,quum gradus ſint vnius eiuſdémque ſpeciei qualitatis intenſio,vel remiſſio:itaque quæ gradu differunt inter ſe, nec genere,nec ſpecie,nec eſſentiali definitione differunt. Hi verò κοινωνίας modi procul dubio inter ſe ſpecie differũt, nec poteſt eorum eſſe vna & eadem eſſentialis definitio, veluti eius κοινωνίας, quæ idiomatum communicatio appellatur,& eſt tantùm appellationum ἀντίδοσις, ἐναλλαγὴ, τὸ ἀνάπαλιν, *nominum mutatio, reciprocatio, alternatio*, vt loquũtur patres: & eius κοινωνίας, quæ eſt alicuius qualitatis, & doni in alteram naturam ab altera realiter facta diſtributio, communicatio, effuſio, quæ πλουτισμὸς, dotatio & ἰδιοποίησις vocatur. Quòd autem hìc obſcurè noſtros perſtringit Kemnitius, quaſi dicãt vnum tantùm eſſe eius κοινωνίας, quæ ex vnione hypoſtatica ſit, genus,non agit ſincerè. Neque enim in vniuerſum vnũ eſſe κοινωνίας,quæ ex vnione hypoſtatica oritur, genus diximus: ſed eius tantũ κοινωνίας,quæ eſt dicta communicatio ἰδιωμάτων, genus eſſe vnum, quod nunquam refutabit Kemnitius,quicquid moliatur.

Kemnitius pag. 161. li. 6.

Theſ. 5. *Idiomata igitur naturarum in Chriſto, non tantùm illi naturæ tribuuntur, cuius propria ſunt: nec ita diſtribuuntur, vt cum Neſtorio alia Chriſto Deo, alia Chriſto homini, tanquam duabus perſonis, tribuantur. Sed ſicut ſit ipſarum naturarum vnio hypoſtatica, vt vna ſit vtriuſque naturæ hypoſtaſis ſeu perſona: ita etiam propter illam vnionem ſit mutua quædam idiomatum alternatio, ſeu cammunicatio in perſona.*

Danæus.

Si ſit illa communicatio per verba concreta ſiue ratione perſonæ,verum eſt quod hîc ait Kemnitius,veluti quando Deus dicitur paſſus pro nobis. Ergo ſuprà pag. 113. & infinitis aliis locis falsò tribuuntur iſta idiomata vnius naturæ realiter alteri naturæ. Nam tunc perſona cum natura confunditur, quaſi velit Kemnitius idem eſſe aliquid dici de perſona, & de natura: tribui perſonæ, & naturæ,licèt ad ſeipſum rediens Kemnitius hæc nonnunquam diſtinguat. Verùm etſi Chriſti perſonã vnam & eandem duabus illis naturis, Diuina & humana indiſſolubiliter conſtare veriſſimum eſt, tamen alia eſſe Diuinæ,alia item humanæ Chriſti naturæ idiomata,veriſſimum quoque eſt, niſi naturæ in illa vnione confuſæ fuiſſe ſtatuantur. Ex quo ſequitur,omnia vnius naturæ eſſentialia idiomata,illi tantùm naturæ realiter tribui, ineſſe, & competere, non item alteri, quod tamen negat Kemnitius. Quare quũ vnius naturæ idioma proprium illi tantùm realiter tribuitur, Chriſti perſona non diſſoluitur,quemadmodum non diſſoluitur hominis perſona,quum aliud animæ ipſius,aliud corporis illi animæ vniti opus & idioma eſſe demonſtratur,& defenditur.

Kemnitius eadem pag. li. 21.

Theſ. 6. *Sicut Lutherus rectè inquit, hypoſtatica vnio duarum naturarum in vnam perſonã Chriſti non admittit talem diuiſionem, vt propriè loquendo dicere poſſim, Hæc agit diuina natura Chriſti, illa facit humana natura Chriſti.*

Danæus.

Diuiſionem naturarum aut ſeparationem non admittit vnio hypoſtatica,ſed diſtinctionem tantùm. Itaque ſi dictum Lutheri de perſona intelligi poſſet, aſſentiremur. Nam verè & orthodoxè dici non poteſt,Diuina perſona Chriſti hæc agit, humana verò eiuſdem Chriſti perſona agit alia, quemadmodum dicebat Neſtorius, hæc idiomata,nempe diuina Deo Chriſto tribui,illa verò humana homini Chriſto ſeparatim. Tunc enim duæ perſonæ in Chriſto conſtituerentur,quia Deus & homo ſunt vocabula perſonam ſignificantia. Sin de ipſa natura vel Lutherus ipſe, vel Kemnitius hoc volũt intelligi, & quemadmodum verba ipſa ſonant,quaſi in vna Chriſti perſona Diuina natura diſtinctè non agat,quæ merè Diuina ſunt,& humana viciſſim,quæ merè humana ſunt, planè falſiſſimum eſt hoc dictum. Nam hac ratione & Deitas in Chriſto paſſa eſſet,& humanitas in cælo dũ Chriſtus cum Nicodemo in his terris loquebatur,fuiſſet, & infinita blaſphema ſequerentur.

Kemnitius pag. 164. linea 23.

Si enim caro Chriſti ex vnione non aliter eſſet viuifica in tertio gradu, quàm ſicut in primo gradu Filius Mariæ dicitur ex patre ante ſecula genitus, & Filius Dei in tempore ex Maria natus, tunc ipſi humanæ naturæ in Chriſto nulla realis acceſſiſſet communicatio. Theſ. 7.

Danæus.

Certum eſt communicationem, qua dona realiter in humanam naturam aſſumptam effunduntur à λόγῳ diuerſam eſſe ſpecie ab ea, qua per κοινωνίαν tãtùm ἰδιωμάτων illud,quod vnius naturæ proprium eſt, alteri tribuitur per vocabulum concretum perſonam notans: neque nos id vnquam negauimus. Quid igitur? Diximus, quod veriſſimũ eſt, eam ſolam κοινωνίαν appellari κοινωνίαν ἰδιωμάτων, vbi non res vllæ, vel qualitates, vel dona ab vna natura in alteram realiter dantur, vel communicãtur: ſed tantùm appellationes & nomina, & quidem in voce concreata, veluti quum hic homo (qui eſt Chriſtus) dicitur ex Patre ab æterno natus. Verùm Kemnitius dupliciter peccat. Primũ, quia ſcribit,& ſentit illam quoque κοινωνίαν (qua realiter dona in naturam aſſumptam à λόγῳ communicãtur) dici κοινωνίαν ἰδιωμάτων,quod in æternũ non probabit. Deinde,quoniam in illa ſpecie κοινωνίας (qua nomina quædam communicantur in concreto ab vna natura in alteram,& quæ appellatur κοινωνία ἰδιωμάτων) contendit fieri ipſorum vnius naturæ eſſentialium idiomatum realem cum altera communicationem, quum eam tamen Patres (vel ipſo Kẽnitio teſte) vocent ἐναλλαγὴν ὀνομάτων, ἀλλοίωσιν, ἀντίδοσιν, συνεκδοχὴν, & ſimilibus vocabulis, non autem κοινωνίαν πραγμάτων, vel χαρίτων, vel πλουτισμὸν, quibus vocabulis realis communicatio ſignificatur.

Cæterùm quòd nobis inuidiam conſtare co-

A natur Kemnitius, quaſi ex eo negemus Chriſti carnem eſſe viuificam, quia negamus in illo κοινωνίας genere (quod communicatio idiomatum appellatur) eſſentialia vnius naturę idiomata alteri realiter tribui, malè concludit & fruſtrà laborat. Neque enim caro Chriſti per κοινωνίαν ἰδιωμάτων *viuifica* dicitur: ſed quia eſt medium, & canalis ille vnicus Deitatis λόγου, ipſique λόγῳ adeo vnitus, vt citra noſtram cum illa carne per fidem communicationem non viuificemur in vitam æternam. Nã ſi fides noſtra, ſi Euangelij prædicatio, ſi veri paſtores Eccleſiæ, ſi Sacramenta à Deo inſtituta nos viuificant, quia ſunt illius viuificationis nobis communicandæ, inſtrumenta, quanto magis ipſa Sancta Domini noſtri Ieſu Chriſti caro viuifica dicenda eſt, cui applicandæ & nobis coniungendæ illa priora inſtrumenta omnia ſubſeruiũt? Eſt enim caro Chriſti longè excellentiori gradu & modo eiuſdẽ viuificationis à λόγῳ in nos effundendæ medium, nempe ἀμέσως ipſi λόγῳ vnitum. Ergo ſuas partes, eáſque præſtantiſsimas, obtinet in nobis viuificandis caro Chriſti. Nam ratione B ipſius ἀποτελέσματος vitæ æternæ in nos infuſæ (quæ effectio etiam viuificatio dicitur) eſt hæc noſtra viuificatio commune carnis & λόγου opus: ratione autem ἐνεργειῶν, ſua cuique illi naturæ eſt operatio propria, vna carnis, altera Deitatis λόγου, quę neque confunduntur, neq; miſcentur, neque realiter inter ſe communicantur, niſi communicare quis acceperit pro in vna & eadem Chriſti perſona vniri, & ſubſiſtere, vel niſi quis ipſas etiã Chriſti naturas in illa vna perſona vnitas putet propter illam vnionem fuiſſe confuſas, mixtas, aut communicatas. Vtrum igitur ex his malit, eligat Kemnitius. Sed hoc poſtremum non eliget. Eſt enim hæreticorum Monophyſitarum: illud autem prius communicationis ſignificatum, pro in vna perſona ſubſiſtere, non admittet, quoniam cenſet fieri realem communicationem & diſtributionem ipſius ἐνεργείας & potentiæ, & virtutis, & maieſtatis (quæ naturæ diuinæ λόγου propria & eſſentialis eſt) in naturam humanam aſſumptam, quod fieri non poteſt. Quamobrem, etſi conceda C mus primum communicationis gradum (quem Kemnitius cum veteribus appellat κοινωνίαν ἰδιωμάτων) eſſe diuerſum à tertio gradu (quem idẽ Kemnitius conſtituit & appellat πλουτισμὸν) negamus tamen propterea vel ἐνεργειῶν, & proprietatum eſſentialium vnius naturæ communicationem realem fieri alteri, vel viuificam D. N. Ieſu Chriſti carnem in ipſa viuificatione noſtra eſſe virtutis, & operationis λόγου propriæ participem, cooperatricem, ac ſociam: quod tamen, etſi falſiſsimum, contendit Kemnitius. Sed id ex eo euenit, quòd perpetuò ἀποτελέσματα cum operationibus confundit: & idem eſſe putat habere cõmune ἀποτέλεσμα, vt communem ἐνέργειαν: quæ duo tamen eſſe diuerſiſsima, ſuprà demonſtrauimus. Minimè enim efficitur, vt quarum rerum & cauſarum ſimul agentium commune eſt ἀποτέλεσμα & opus, earum quoque operationes ſint vel communes, vel etiam communicabiles. Verùm quia de iſto κοινωνίας, quæ ex vnione hypoſtatica naſcitur, genere in vniuerſum diximus: videamus quot iſtius communicationis diuerſos gradus Kemnitius conſtituat, quos nos potiùs ſpecies diuerſas appellauerimus.

A Conſtituit autem tres, nempe κοινωνίαν
{ ἰδιωμάτων,
ἀποτελεσμάτων
δώρων, ſeu χαρίτων.

κοινωνία ἰδιωμάτων, quam ſtatuit eſſe primum gradũ generalis illius communicationis, quæ ex vnione hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum naſcitur, eſt communicatio ἰδιωμάτων ſeu proprietatum, quum vnius naturæ idioma eſſentiale, aut operatio, aut proprietas alteri naturæ in Chriſto tribuitur. Quòd ſi per verba concreta, id eſt, ſignificantia totum compoſitum ſeu perſonã, fiat, eſt prædicatio realis: ſin autem per verba abſtracta, id eſt, naturas ſignificantia fiat, tunc eſt prædicatio verbalis. Exempli gratiâ, Quum dicitur Filius Dei eſſe paſſus eſt κοινωνία ἰδιωμάτων. Paſsio enim ſolius naturæ à Filio Dei aſſumptæ, propria eſt, quæ tamen in hoc dicendi genere Filio Dei tribuitur. Sed quia voces hæ, *Filius Dei*, totum vnitum, id eſt, perſonam ipſam totam duabus naturis, Diuina & humana, conſtantem ſignificant, ideo hæc prædicatio eſt in ipſa quidem perſona B realis propter vnionem (fit enim per verba concretiua, éſtque tunc propria locutio.) Sin verò intelligatur de Deitate λόγου, eſt verbalis tantùm, quia Deitas ipſa λόγου omnino non eſt paſſa, ſed ipſa duntaxat natura humana, quæ ab ipſo λόγῳ in perſonæ vnionem eſt aſſumpta, paſſa eſt. Eodem prorſus modo ſi dicatur de Chriſto, Hic homo eſt æternus, creator animarum, ὁμοούσιος Patri Deo, id realiter de ipſa quidem humana Chriſti natura dici non poteſt, ſed de Diuina tantùm, ac proinde de humana natura intellectum, eſt κοινωνία ἰδιωμάτων. Hæc eſt prima illius κοινωνίας generalis ſpecies, quæ idioma vel operationem vnius naturæ propriam, non communicat alteri naturæ realiter, ſed tantùm perſonæ communem facit, in quo tamen perículoſo ſcopulo, perpetuum naufragium iſti faciunt. Volunt enim idiomata & operationes vnius naturæ proprias & eſſentiales, alteri quoque communicari, & ab ea participari reipſa per & propter illam vnionem hypoſtaticam. Cæterum noſtram ſententiam & interpretationem hoc quoque adiuuat, C quòd hæc ſpecies communicationis appellatur à Patribus ἐναλλαγὴ ὀνομάτων, non autem πραγμάτων, ἐπίζευξις ὀνομάτων, ἀλλοίωσις, ἀντίδοσις, τὸ ἀνάπαλιν, συνεκδοχὴ, περίφρασις, ex qua ſequitur illa περιχώρησις Damaſceni, quæ eſt dũtaxat reciprocatio, alternatióque nominum, non autẽ immeatio, aut penetratio ipſarum naturarũ alterius in alteram: aut proprietatum vnius naturæ in alteram realis communicatio. Præclarè enim Auguſtinus contra Sermon. Arrianor. cap. 8. *Talis eſt vnitas perſonæ conſtans ex vtraque natura, vt quibuſlibet earum vocabulũ etiam altera impertiat*, & hæc de κοινωνίᾳ ἰδιωμάτων. Κοινωνία verò ἀποτελεσμάτων (quam conſtituit ſecundum gradum generalis κοινωνίας) eſt, quum opus ipſum & effectum eſt vtriuſque naturę commune, licet ſingularum naturarũ operatio in eo ipſo opere producendo fuerit, manſerítque propria & incommunicabilis, vti de viuificatione noſtra diximus, quatenus viuificationem pro ſalute noſtra & felicis æternæque vitæ ſtatu accipimus: quod etiam de redemptione, ſanctificatione, & omnibus aliis mediatoris operibus dicendum eſt. Hæc dicitur à Patribus κοινοποίησις (non autem κοινωνία ἰδιωμάτων) & κοινοποΐα, non quidem ratione ipſarũ

A ἐνεργειῶν ſeu operationum, quoniam eæ tunc quoque propriæ manent vniuſcuiuſque naturæ: ſed tantum ratione ἀποτελέσματος & effecti ex iis actionibus communiter enaſcentis & emergentis ſeu reſultantis. Κοινωνία denique τῶν δώρων & χαρίτων (quam Kemnitius facit tertium generalis κοινωνίας, ſeu communicationis ex vnione hypoſtatica oriẽtis gradum) eſt realis & habitualis, id eſt, ipſi humanæ naturæ, vt ſubiecto, inſidens creatorum donorum, & gratiarum facta à diuina λόγου natura in naturam aſſumptam communicatio: qua in re diuina natura λόγου non communicat proprietates ſuas, neque eſſentialia ſibi idiomata, carni à ſe aſſumptæ, ſed tantùm qualitates in illa creat, præſtantiſſimas illas quidem, & quantas maximas vlla natura creata capere poteſt. Quamobrem hæc ſpecies non κοινωνία ἰδιωμάτων, ſed ὑπερύψωσις, ἰδιοποίησις, vel ἰδιοποιΐα & πλουτισμὸς à veteribus Patribus appellatur. Sed vt hæc ſingula κοινωνίας genera explicet Kemnitius, videamus.

B

AD CAPVT DECIMVM tertium.

De primo gradu, ſeu genere communicationis Idiomatum, quæ ex Hypoſtatica vnione in perſona Chriſti conſequitur.

SVperiore capite Kemnitius diſtinxit variis & gradibus, & appellationibus varias communicationis (quæ ex vnione hypoſtatica in vna Chriſti perſona naſcuntur) ſpecies. Primam autem vocauerat communicationem Idiomatum, ex vſitato loquendi more. Iam verò hanc ipſam ſuam diſtinctionem conuellit, & omnia perturbat. Nam appellationem eam, *communicationis Idiomatum*, quam deſtinarat primò huic vni tantùm ſeu ſpeciei, ſeu gradui, generalis illius communi- C cationis (quæ ex vnione hypoſtatica ſequitur) nunc toti ipſi generi tribuit, quum ſic nimirum loquitur, de *Primo gradu ſeu genere communicationis idiomatum, quæ ex hypoſtatica vnione &c.* conſequitur. Dicere enim debuit, *de primo gradu, ſeu genere generalis communicationis (quæ ex vnione hypoſtatica conſequitur)* & *quæ communicatio idiomatũ appellatur*, agendum eſt, &c. Tunc enim & genus cum ſpecie nõ confudiſſet, & ſuam ipſe diſtinctionem, id eſt, terminos à ſe ſuprà poſitos non mouiſſet. Cur verò Kemnitius communicationem idiomatum cõſtituit genus omnium graduũ illius communicationis generalis, quæ ex hypoſtatica vnione naſcitur: id eſt, κοινωνίας ἰδιωμάτων, quæ propriè vocatur, & ἀποτελεσμάτων, quam diximus à communione ἰδιωμάτων diſtingui, & κοινωνίας χαρίτων, quæ ab vtraque duplici ſpecie ſecernitur? Nimirum duplici errore. Primùm, vt contra veterum omnium phraſes & ſententiam loquatur, & omnes communicationũ ſpecies (quæ ex illa vnione hypoſtatica fiunt) appellet κοινωνίαν ἰδιωμάτων, atque ita perturbet, quę à patribus orthodoxis rectè ſunt & poſita, & diſtincta. Deinde, vt ex eo, tanquam ſibi conceſſo principio, poſtea colligat, Ergo in hoc quoque primo A communicationis gradu (qui *Communicatio Idiomatum* propriè vocatur) fieri realem ipſorum idiomatum & operationum vnius Chriſti naturæ, nempe diuinæ, in alteram, nimirum humanam, cõtributionem & communicationem, vt in ſecundo quoque & tertio gradu fieri contendit, quem vtrumque etiam κοινωνίαν ἰδιωμάτων appellat. Hic eſt igitur ſcopus Kemnitij, aſtutus ille quidem, ſed vanus. Atqui eam eſſe huius nominum perturbationis ab iſto factæ, quanquam aliquot ante annis ea de re à Beza monito, fraudem, apparet ex fine huius capitis, vbi pagina 179. ita Kemnitius ſcribit, *Quidam hanc doctrinam de primo gradu, qui dicitur communicatio idiomatum, loquens, quòd eſſentialia Idiomata vnius naturæ communicentur perſonæ, non autem communia fiant alteri naturæ, vt eius etiam propria ſint, ſiniſtrè ita accipiunt, & vrgent, quaſi humanitas Chriſti tantùm naturalia ſua idiomata habeat, &* B *ex vnione illa nihil acceperit.* Ergo vult Kemnitius etiam in hoc primo gradu communicationis, qui, ipſo quoque teſte, à Patribus dicitur propriè *Communicatio Idiomatum*, fieri realem eſſentialium idiomatum vnius naturæ in alteram communicationem, propter hypoſtaticam duarum in Chriſto naturarum vnionem. Id autem eſſe falſiſſimum, iſtis rationibus demonſtro. Primùm, quòd ipſemet Kemnitius pag. 175. & 179. fatetur, eam communicationem, per quam humana Chriſti natura realiter accipit dona aliqua ὑπερφυσικὰ (id eſt, per quam reipſa aliquid à natura diuina illi communicatur) pertinere non ad hunc primum gradum communicationis, qui communicatio idiomatum vocatur: ſed ad ſequentes, nempe tertium qui dicitur κοινωνία χαρίτων. Deinde, quòd ſi in omni communicationis, quæ ex hypoſtatica vnione naturarum Chriſti naſcitur, gradu & genere fit realis iſta attributio & communicatio alicuius doni, gratiæ, virtutis in naturam humanam aſſumptam, iam omnes illi, etiam ab ipſomet Kemnitio antea diſtincti, gradus, erunt vnus duntaxat communicationis gradus, non autem plures. Erit enim generalis κοινωνία δώρων ſeu χαρίτων. Quare non erunt ſtatuẽdi plures communicationis ex vnione naturarum in Chriſto naſcentis, gradus, ſed hic vnus tantùm C qui à Kemnitio tertius appellatur, in quo caro Chriſti, præter idiomata naturalia, realiter à Deitate λόγου dona ſupranaturalia recipit. Ex quo fit, vt hac ſua ſententia euertat Kemnitius primum hunc communicationis idiomatum gradum, quẽ Patres tamẽ defendũt, & ipſe quoq; maximè vult eſſe confirmatum. Denique loci ab ipſomet Kemnitio, & hoc, & ſequenti capite citati, Kemnitium ipſum confutant. Nam in hoc capite pag. 170. laudat iſtam ex concilio Chalcedonenſi depromptã ſententiam, *Non ſublata differentia naturarũ propter vnionem, ſed ſalua magis vtriuſque naturæ proprietate, & in vnã coeunte perſonam*: ex Cyrillo item, *Vtraque natura manſit in ſua proprietate*: item, *impoſſibile eſt aliquid poſſe cognoſci alterius proprietatibus: & non putare eſſe illud ipſum, quod illud ſecundum naturam eſt, cuius proprietatibus agnoſcitur.* & ſequenti capite, quod totum pro nobis adduxit, maximè ſeipſum euertit. Docent enim vno conſenſu Patres omnes in hoc communicationis genere (quod idiomatum κοινωνία dicitur) nullam fieri eſſentialium idio

A matum alterius Chriſti naturæ realem communicationem in alteram: imò neque per vllum alium communicationis gradum, etiam à Kemnitio ſtabilitum, eam fieri poſſe, quicquid contendat Kemnitius, quoniam manet illa regula in æternum firma & immota, *Nunquam fuit aut fiet creator, creatura: neque creatura, creator*: ergo nunquam propria idiomata creatoris poſſunt tribui realiter creaturæ: neque propria idiomata creaturæ communicari realiter poſſunt creatori. Neque nos latet, prius quidem illud à Kemnitio concedi, poſterius verò non item, quoniam humanitatem quidem à Deitate accepiſſe vult idiomata: non autem Deitatem ab humanitate. Et fatemur quidem hoc veriſſimũ eſſe, quum de tertia ſpecie κοινωνίας, id eſt, χαείτων agitur: ſed de primo genere, nempe de Communicatione idiomatum, Conſtat reciprocam illam eſſe. Tam enim dicitur apud Ioannem Filius hominis fuiſſe in cęlis, quum eſſet in terris (in quo dicendi genere diuinum idioma de homine dicitur non de humanitate) quàm Deus gloriæ crucifixus B qua formula humanum idioma tribuitur Deo, non Deitati. Porrò quòd ſe de Vocabulis negat eſſe ſollicitum Kemnitius, illud viri & Theologi, & amici conſilium probaremus, niſi in iſtis vocabulis (quæ perturbantur) immutatis verſaretur magna fraus, & error, & doctrinę Chriſtianæ momẽtum & labes: tunc demum verò, quemadmodum monet Hilarius, *non ſimus ſolliciti de verbo, vbi ſenſus eſt in tuto*. Ergo aut cum vetuſtate communicationẽ idiomatum vocet & intelligat Kemnitius, aut ea vocabula fingat, quæ nullam technam pariant, nullam hæreſim foueant, nullum denique incommodum incautis in Eccleſia creent. Quod ſi exceperit Kemnitius, à Patribus ipſis idcirco dici hunc primum gradum Communicationẽ idiomatum, quòd vnius naturæ eſſentialia idiomata alteri realiter communicentur, vehementer fallitur. Idcirco enim dicitur à Patribus κοινωνία ἰδιωμάτων, C quòd perſonæ toti commune fiat (etſi non ſecundum vtramque naturam) illud, quod vnius tantùm naturæ, id eſt, vni tantũ illius vniti parti re ipſâ cõpetit & tribui poteſt, ídque ad demonſtrandam perſonæ vnitatem. Sed iam, vt opinor, iſta (quibus vel ſententia, vel oratio Kemnitij fallere quempiam poterat) ſunt in hoc capite perſpicuè ex his, quæ diximus, expoſita. Quę n. de Samoſateno, Neſtorio, Apollinari, Eutychete, Monothelitis (quorum tamen errorem renouat) millies ſunt ab hoc homine repetita, illa omnia verè eſſe damnanda, ſemper conceſſimus & concedemus. Porrò quòd ſeptem quoque ſpecies conſtituit huius primi cõmunicationis gradus, ſeu generis, audiat quid iam pridem illi Theodorus Beza reſpõderit (nam Bezæ prorſus aſſentior) & quid ille refutare non potuerit. Hæc ſunt igitur Bezæ verba. *Veruntamen nec in iſtius quidem generis diſtributione (quod Kemnitius primum vocat, ego vnicum eſſe ſtatuo) poſſum illi per omnia aſſentiri. Conſtituit enim has illius ſpecies. Primã, quando concretum vnius naturæ prædicatur de concreto alterius naturæ, vt Deus eſt homo. Atqui nec Dei, nec hominis nomen eſt* ἰδιώματος, *ſed* οὐσίας σημαντικόν. *Itaque nulla prorſus hic eſt* ἰδιωμάτων κοινωνία, *quum hic idioma nullum nominetur. Secundam, quando proprietas diuinæ naturæ tribuitur diuinæ naturæ, vt Chriſtus Deus creauit omnia. Tertiam, quando humanæ naturæ proprietas concreto humanæ naturæ tribuitur, vt Filius hominis crucifigitur.* A *Obſecro verò, quænam in hac vel illa ſpecie eſſe poſſit* κοινωνία ἰδιωμάτων, *quum ſua cuique proprietas tribuatur, illam verò Chemnitius ipſe definierit eam eſſe, qua quod vnius naturæ proprium eſt, tribuitur perſonæ in concreto, ab altera videlicet natura denominatæ? Quartam & quintam, quando diuinæ naturæ proprietas tribuitur concreto humanæ naturæ, vt Filius hominis aſcendit, vbi erat priùs: vel contrà, vt Dominus gloriæ crcifixus eſt. Et hæc quidem demum rectè Chemnitius. Sextam, quando quæ vtriuſque naturæ propria ſunt, tribuuntur concreto, vel diuinæ naturæ, vt homo Chriſtus mediator Dei & hominum: vel humanæ, vt Deus redemit Eccleſiam. Imo verò nulla hic communicatio proprietatum. Sed* συνεκδοχικῶς *totum* ὑφιστάμενον *ſignificatur duntaxat vnius naturæ nomine. Septimam, quando proprietas vtrique naturæ conueniens prædicatur de concreto vtriuſque naturæ, vt Chriſtus eſt redemptor. Hic verò nulla prorſus eſt* κοινωνία ἰδιωμάτων, *ſed* κοινωποίησις, *quod & ipſe Chemnitius fatetur.* B

Beza in refutatione dogmatis, de fictitia carnis Chriſti omnipręſentia.

AD CAPVT DECIMVM quartum.

Vbi κοινωνία ἰδιωμάτων ex Patrum Orthodoxorum ſcriptis confirmatur.

IN hoc Capite de Patrum Orthodoxorum ſcriptis nulla nobis cum Chemnitio fuerit diſcrepatio. Omnia enim teſtimonia ex iis prolata nobiſcum faciunt. Quæ verò ex Scholaſticis proferuntur nouem regulæ, hîc ſunt obſcuriſſimæ, nec ab iis ipſis Scholaſticis tam ſpinoſè traduntur, tamen & illæ quoque non repudiantur à noſtris. Quod autem de Luthero Kemnitius affert, illud habet quiddam ambiguum, & in quo videri poſſit Lutherus à priore ſua ſententia diſceſſiſſe, propter in felices illas de S. Cœna Domini concertationes: quòd ſi tamen commodè ex ſuperiorum Patrum (quos Kemnitius citat) dictis Lutheri mẽs C exponatur, poteſt id à nobis tolerari. Quod autem ad Patres vetuſtiores hîc commemoratos, omnia ex iis à Chemnitio tranſcripta, facilè admittimus.

AD CAPVT DECIMVM quintum.

De particulis diſtinctiuis.

pag. 21 & 214

INfinitum eſſet ſingula, quibus vel ipſa S. Scriptura, vel Patres orthodoxi rectè ſunt vſi, vocabula, vel phraſes colligere, vt hoc diſcrimen naturarum in vna D. N. Ieſu Chriſti perſona demonſtrarent, & tum diuiſionis perſonæ Chriſti cum Neſtorio, tum confuſionis naturarum cum Eutychete errorem à ſe depellerent. Itaque modò commodè, intelligenter, & perſpicuè illa differentia naturarum in Chriſti perſona copulatarum oſtenda-

A ſtendatur, perinde eſt quib. vocabulis quis vtatur. Neque .n. vera Chriſtianáque Theologia eſt λογοδαιδαλία quędã, quę certis ſyllabis aut vocabulis ſit aſtricta: ſed nos Chriſtiani res, ac multo magis verba ipſa nobis ad Dei gloriam ſubiicimus. Tamen, ne qua inter nos & Kemnitium propter iſta vocabula λογομαχία, & diſſenſio eſſe cenſeatur, admittimus has omnes & phraſes & voces ſequentes, & ſi quæ etiam aliæ ſunt iis ſimiles, minimèque erroribus iam natis fauentes, Græcè quidem, ἐν, ἐκ, διὰ, κατὰ, ὅτι, τῇ μὲν, τῇ δὲ, διὰ, περὶ, πρὸς, καθὸ, ἐν μορφῇ, φύσει, ἀνθρωπίνως, θεϊκῶς, κατ' οἰκονομίαν, καθ' ὅσον: Latinè verò, *in, ex, per, ſecundum, quia, qua, quatenus, de, ad, in quantum, in forma, in natura, humanitus, diuinitus, ſecundum diſpenſationem, pro vt*, &c. Item in diſtinctione naturæ diuinæ à natura humana aſſumpta explicanda concedimus, vt dicatur, *Verbum, Deus, deitas, forma Dei, diuina natura, in ſuo diuinum*: in humana etiam natura exprimenda à diuina aſſumente ſecernenda, admittimus quòd appelletur, *homo, caro, corpus, forma ſerui, natura humana, humanitas, hu-* B *meitas, in noſtro*, &c. Ergo, quemadmodum ait Vigilius, *Quum ſenſibus incolumes ſumus, cur vocabulis inſanimus?* Quod autem quaſdam Patrum ante natum Neſtorianiſmum loquutiones Kemnitius pag. 207. obſeruauit, quæ iam ſunt incommodæ, veluti quum illi dicunt *ex perſona hominis*, pro *ex natura hominis*, ac his ſimilia, & nos quoque has phraſes periculoſas eſſe concedimus. Vt autem in hoc argumento concreta pro abſtractis vſurparentur, veluti *homo pro humanitate*, & *Deitas pro Deo*, quando propria humanitatis tribuuntur homini, vt quum dicitur, Homo eſt paſſus: vel propria Deitatis Deo, vt quum dicitur, Deus eſt vbique. (At non quoties propria humanitatis, Deitati: aut Deitatis, humanitati tribuuntur. Tunc enim nunquam abſtractis pro concretis locus eſt) id & vſitatum ſemper fuit, & latini ſermonis ratio fieri patitur, & minimè etiam obſcuram habet mentem: quanquam tamen Scholaſticorum recẽtiores hoc loquendi genus vehementer improbant. Ergo ſi dicam, *Chriſtus, qua homo, paſſus eſt*, id eſt, qua naturam humanam habet, orthodoxè loquor. Nã tunc vox *Homo* naturam, non perſonam humanam (vſitato inter Latinos loquendi genere) ſignificat. C Verùm neque nobis de eo cum Kemnitio certamen eſt, modò ex Patrum mente has Phraſes intelligat.

AD CAPVT DECIMVM ſextum.

Quis ſit vſus ſuperioris Doctrinæ.

pag. 213. & 214.

ET in hoc quoque capite cum Kemnitio conſentimus, modò ipſe has phraſes ſuas, *Nec relatione tantùm paſſio Chriſti tribuitur Deo*, item, *Simul igitur erant diuinitas & humanitas, quando Chriſtus patiebatur in carne*, commodè & orthodoxè interpretetur, vel à nobis intelligi patiatur: nempe, vt nullo modo ipſa λόγου Deitas (carne eius patiente) ſit paſſa, quemadmodum & Auguſtinus, & Leo, & Damaſcenus pulcherrimè docent: ſed vt A quoniam in paſſione manſit vnio hypoſtatica naturarum indiſſoluta) idcirco paſſio Chriſti Deo tribuatur per ſolam ἰδιωμάτων κοινωνίαν, non per realem participationem ipſius paſſionis in Deitate, etſi tunc diuinitas & humanitas Chriſti ſimul & in vna perſona ſubſtitiſſe intelligatur: neque relatione duntaxat, ſed verè Chriſtus erat Deus, quum in carne patiebatur: paſſione tamen ipſa Chriſti, non niſi Dialectica prædicatione Deo (quatenus diuinam eius naturam hæc vox *Deus* ſignificat) attributã, abſque vlla reali communicatione, quoniam Deitas in Chriſto patiente, non patiebatur. Quod moneo, ne quis iſtis Kemnitij loquutionibus fallatur.

AD CAPVT DECIMVM ſeptimum.

B

De ſecundo genere communicationis, quæ ex vnione hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum oritur. Eſt autem Κοινωνία ἀποτελεσμάτων.

QVanquam ex iis, quæ antea diximus, ſatis & intelligi, & refutari poſſunt, quæ perperam habet in reliqua ſui huius ſcripti parte Kemnitius, tamen ne conqueratur, aliquid à nobis prætermiſſum, in quo momentum aliquod ipſius ſententiæ inſit, etiam illa, quæ ſequuntur, breuiter examinabimus. Tot enim repetita habet & quidem iiſdem verbis repetita, vt vel eum craſſitudine ſui iſtius operis delectatum fuiſſe, vel nos ab hoc ſuo ſcripto legendo arcere, moleſta iſta rerum earundem repetitione, voluiſſe videri poſſit. Ergo hîc quoque, vti & in ſuperioribus, primũ in quibus nobis cum Kemnitio conueniat, explicabimus, deinde in quo diſcrepemus, vt quæ concordiæ ratio iniri poſſit, omnes diſpiciant. Agitur ergo iſto, & ſequente capite, de ſecundo genere communicationis, quę ex hypoſtatica vnione duarum in Chriſto naturarum oritur, appellatúrque κοινωνία ἀποτελεσμάτων, ἢ ἐνεργημάτων, non autem C ἐνεργειῶν, id eſt, communicatio operis, ſeu effecti, quod totius perſonæ mediatoris eſt officium ſeu munus, non autem ipſius operationum: quod κοινωνίας genus appellatum eſt à veteribus κοινοποίησις & κοινοποιΐα, ne (quod fieri nequaquam oportere antea quoque docuimus) idem eſſe exſtimemus ἀποτέλεσμα, & ἐνέργειαν. Itaque rerum hypoſtaticè vnitarum quidem commune eſt ἀποτέλεσμα ſiue ἐνέργημα, ſed earundem tamen non eſt vna & communis ἐνέργεια ſeu operatio, quoniam in eo communi apoteleſmate efficiendo vnaquæque natura habet ſuã, ſibíque propriam operationem, quam alteri naturæ ſibi vnitæ nequaquam tamen communicat, niſi *communicare* appellemus vniri cum alio, & cum eo agere aliquid ab alio diſtinctum & diuerſum, ſed eodem tempore, & ad eundem finem, & effectum producendum. Deſinet enim eſſe vnius naturæ propria actio: ſi fiat vtriuſque communis, quoniã proprium & commune inter ſe opponuntur, vt prorſus ἐναντία. Inde fit, vt obſcurè ſcribat in inſcriptione huius capitis Kemnitius hunc ſecundum

A gradum κοινωνίας eſſe illud communicationis genus, in quo agit vtraque natura in Chriſto cũ communione alterius, quod cuiuſque proprium eſt. Duplex enim eſſe poteſt horum verborum ſenſus: vnus, vt velit Kemnitius vtranque naturam coniunctis viribus, & vnica communi ἐνεργείᾳ id agere, quod tamen cuiuſque proprium eſt, quoniam altera propter vnionem hypoſtaticam communicat realiter alteri eam ipſam virtutem, & operationem, quæ ſibi propria eſt, & ea agit, quæ ſibi propria ſunt. Qui ſenſus Chemnitio, vti poſtea ex ipſius verbis apparebit, arridet, ſed eſt prorſus illa teterrima Monothelitarum hæreſis. Alter eorundem verborum ſenſus eſt, vt vtraque in Chriſto natura agat, quod ſibi proprium eſt, ſed cum communicatione alterius ἡνωμένως & ἑνιαίως, vt loquitur Damaſcenus, id eſt, manens vnita cum altera, ne perſonę vnio tunc ſolui cẽſeatur. Cęterũ quod ad hoc ſecundum communicationis genus attinet, dico, omnia officia, & opera mediatoris, quoniam ſunt vtriuſque naturæ communia, eſſe huiuſmodi, vt verè in B illis *vtraque natura, quod ſuum eſt, & proprium, agat cum communicatione alterius*, id eſt, in communi perſona manens eodem tempore, & ad eiuſdem ſeu communis operis, ſeu apoteleſmatis effectionem ſeu productionem operans: non autem cum communione alterius, quaſi ad ἐνεργείας ſeu operationis ſibi propriæ conſortium & participationem natura diuina aſſumat humanam, veluti ſibi ſociam & cooperatricem, ac συναίτιον, quemadmodũ antea diximus, & fuſius poſtea quoque docebimus. Nam quòd Patres appellant alteram naturam alterius cooperatricem, id dixerunt partim ratione ipſius apoteleſmatis, non autem operationis: partim ratione vnionis, quę manet ſemper indiſſoluta. His autem intelligitur, in quibus cum Kemnitio in hoc ſecundo κοινωνίας genere & capite nobis conueniat, breuiter ex ipſius verbis deſcribamus.

C *Conſideranda eſt* (inquit) *differentia inter propoſitiones, ſeu prædicationes, quæ loquuntur de naturalibus ſiue* pag. 218. *eſſentialibus ſingularum naturarum proprietatibus, & quæ loquuntur de officiis, & beneficiis Chriſti mediatoris, & ſeruatoris. Singulæ enim naturæ in Chriſto habent per ſeſe naturalia ſeu eſſentialia ſua idiomata.* Et pag. 219. paulo poſt, *Quia naturæ illæ in vnam perſonam vnitæ ſunt in Chriſto, ideo eſſentialia idiomata toti perſo-* pag. 220. *næ tribuuntur. Præcipuè verò huc pertinent merita, officia, & beneficia Chriſti ſaluatoris in eccleſia, vt quod eſt Redemptor noſter, Propitiator, Mediator, Iuſtificator, Saluator, Rex, Sacerdos, Paſtor, Epiſcopus, Doctor, caput, dux vitæ, cognoſcens, viuificator, reſuſcitator mortuorum, Iudex, &c. Illa enim officia & beneficia pertinent ad perſonam Chriſti, non ſecundum vnam tantum eius naturam, ſiue diuinam ſiue humanã: ſed ſecundum vtranque. Scripturæ enim teſtimonia manifeſtè oſtendunt, idio factam vnionem duarum naturarum in Chriſto, vt officium Redemptionis, Propitiationis, Saluationis, &c. in vtraque, cum vtraque, & per vtraq; Chri-* pag. 227. *ſti naturam perficeretur. Propter differentiam naturarum, differentes ſunt voluntates, & operationes naturarum in Chriſto: ſed propter hypoſtaticam earum vnionẽ, non ſeorſim, aut ſeparatim, qualibet ſua agit, ἡνωμένως, cum tali communione alterius, ſicut iam dictum eſt, abſ-* pag. 230. *que confuſione. Sicut ergo peccant, qui ab officio redemptionis diuinam naturam excludunt: ita & illi peccant, qui poſt conſummatum opus redemptionis humanam naturam in Chriſto ab officio Regni, Sacerdotij, Iuſtificationis, Viuificationis, Saluationis, &c. ſimpliciter excludũt & fingunt eam in cœlo, quo ad hæc officia, otioſam, ſua tantum gloria perfrui.* A

Et hæc quidem præcipua ſunt capita totius huius loci, in quibus certè cum Kemnitio conſentimus, quoniam & ille cum ipſa veritate in his concordat.

Quod autem ſcribit hoc loco de carne, ſeu humana Chriſti natura ab ipſius Deitate ſuſtentata, & corroborata in paſſione, & in inenarrabilibus illis & corporis & animi cruciatib. pro plena peccatorum noſtrorum expiatione toleratis, eſt quidem veriſſimum, & ad animorum noſtrorum conſolationem aptiſſimum: ſed tamen hîc alieno loco videtur inſertum, quum potiùs pertineat ad caput *de Exinanitione Chriſti*, quod in hoc opere poſtremum eſt. Quemadmodum & illa diſputatio quo- B modo Deus paſſus dicatur, quoniam aſſumpta à λόγῳ humana natura paſſa eſt, hic deſerto planè loco, & non ſuo ponitur, quum ad ſuperius communicationis genus (quæ eſt communicatio idiomatum) illa quæſtio perſpicuè referenda ſit. Reliqua igitur, quæ in hoc capite vel obſcura ſunt, vel non admittenda, breuiter percurramus. Primùm o- pag. 217. mniũ in eo errore hîc quoque perſtat Kemnitius, quod & hoc genus communicationis, quę propriè κοινοποίησις, ſeu κοινωνία ἀποτελεσμάτων dicitur, putet & contendat appellari à Patribus κοινωνίαν ἰδιωμάτων. Sed locum de eo vel vnum proferat, & nos ei ſubſcribemus. Nullum autem potuit ille quidem apertè, ſed argumentatur à coniugatis vt ipſe quidem vult: vt autem omnes vident, committit paralogiſmum tum à diuiſione ad compoſitionem, tum ab ambigua vocum ἰδίου & κοινωνίας ſignificatione. Dicunt Patres (inquit) id eſt, Chalcedonenſis Synodus, Cyrillus, & Nazianzenus, hoc ſecundum communicationis genus eſſe, vbi vtraque natura agit τὸ ἴδιον, & tamen cum alterius κοινωνίᾳ. Ergo hoc quoque communicationis genus, eſt ἰδιωμάτων κοινωνία. Reſpondeo, primùm Kemnitium perinde arguere, atque ſi ſic diceret, Campus Martius Romæ fuit res, & publica: Ergo campus Martius fuit Romana Reſpublica. Quid hoc colligendi genere vitioſius eſſe poteſt? Eſt autem Sophiſtice C παρὰ τὴν διαίρεσιν. Deinde verò Patres non conſtituère in hoc cõmunicationis genere, & hac phraſi, qua vtitur, κοινωνίαν in ipſis ἰδίοις ſeu idiomatibus naturarum, vt in ſuperiori genere (quam communicationem Idiomatum vocant) ſed in Apoteleſmatis, ſeu operis tantùm effectione: & in vnionis illius hypoſtaticæ perpetua connexione, quæ facit vt, licèt vtraque natura ſuum opus proprium, & ab altera natura diuerſum peragat, maneat tamen indiſſolubilis perſona Chriſti, id quod abundè docet Damaſcenus lib. 3. c. 15. & 18. ortho. fidei. Quare fallitur & hîc quoque homonymia vocis κοινωνίας Kemnitius, quum eam pro idiomatũ communicatione ſumat, quam Patres perſonæ vnionem & operis, non autem idiomatum communionem vocant. Sed nos ſatis de hoc ipſo antea diximus: reliqua videamus. Addit poſtea Kemnitius in pag. 218. hoc ſecundo communicationis genere vnam naturam Chriſti ſic agere, vt *altera tamen non ſit otioſa, & vel nihil, vel aliud agat.* Quod ipſum, ne ſemel dictum ſatis eſſet, repetitur ſtatim pag. 226. & cap.

A 30.& infinitis locis.Reſpondeo,ſi vocem *aliud* refert ad apoteleſma,ſeu effectum opus,rectè illum ſentire. Vtraque enim Chriſti natura in hoc communicationis genere,id quod ſuum eſt,agit, non conuocata in ſuam propriam ἐνέργησιν,neque aſcita altera natura,& tamen vnum & idem cum altera effectum ſpectat & producit.Sin autem τὸ *aliud* de ipſa ἐνεργείᾳ ſeu operatione intelligit Kemnitius,perperam iudicat.Vna enim Chriſti natura, etiam in ipſa vnione manens,& ad idem cum altera ἀποτέλεσμα tendens,aliud tamen agit, & quidem propriè quàm altera.Ergo tunc otioſa quidē non eſt,velut in opere noſtræ cum Deo reconciliationis,humana natura Chriſti aliud, quā eiuſdē Chriſti diuinitas agit,& agebat.Quare in vocabulo *aliud* magna fraus,& deceptio quoq; ſubeſt,niſi rectè diſtinguatur.Nam quod ait Kemnitius, ſaluas manere naturarū in Chriſto differentias, veriſſimum eſt,& eius ſententiam euertit, quum propriam vnius naturæ actionem, ſeu operationem B alteri quoque naturæ communicat, id eſt, quum propriam operationem facit communem. Inter vtramque enim Chriſti naturam partitur,& diſtribuit quod tamen vnius duntaxat naturæ propriū eſſe agnoſcit.Quod eſt & ſeipſum euertere, & naturarum differentias confundere.

Kemnitius pag.219.li.20.

Ita λόγος humanam naturam aſſumpſit, vt iam ſit μέρος ſicut Damaſcenus loquitur,ſuæ perſonæ,hoc eſt pertinens ad integritatem perſonæ verbi incarnati.Vnde ſine ea opera diuinæ potentiæ ſuæ,poſſet quidem,ſed propter hypoſtaticam vnionem, non vult efficere: ſicut anima,quandiu eſt in corpore,potentias ſuas non exercet ſine corpore.

Danæus.

Quoniam omnia Deitatis λόγου opera iam poſt vnionem fieri,& impleri per humanam & aſſumptam ab eo naturam & hîc, & alibi vult Kemnitius:non autem ea tantùm opera, quæ ſunt opera C & officia Mediatoris,& capitis Eccleſiæ, propterea non obſcuram & ambiguam ſolùm eſſe iſtam Kemnitij orationem dicimus, ſed etiam falſam. Oſtendit autem vel ipſum Animæ exemplum à Kemnitio probatum, nos iſtam Kemnitij ſententiam meritò repudiare.Nam anima humana (de ea enim propriè agere Kemnitium ex ſuperiorib. capitibus apparet) etiam quandiu eſt in corpore ſibi vnito,non agit tamen omnes ſuas actiones (velut ratiocinationem)per corpus, etſi non ſine ſuo corpore id ipſum agit,ſed quaſdam agit abſque concurſu & συνεργείᾳ corporis, non tamen extra vnionem cum corpore ſubſiſtens. Itaque voces hæ Kemnitij *non exercet ſine corpore*, hîc accipiendæ ſunt,non exercet ſuas actiones anima corpori vnita ſeorſum extra illam vnionem poſita, & ſubſiſtens,quandiu ipſius vnitio cum corpore manet.Propterea tamen non fit vel corpus συνεργὸν omnium operationum animæ:vel humana Chriſti natura συνεργὸς omnium diuinæ λόγου potentiæ actionum,atque adeo apoteleſmatum,quamuis λόγος non ſubſiſtit ſeorſim, & abſque aſſumpta carne.Denique ne in ipſis quidem Mediatoris officiis,& operibus (ad quæ vtraq; Chriſti natura A neceſſariò concurrit)vna natura facit quod altera,id quod Kemnitius ipſe ex Damaſceno fatetur pag. 224.Atque eodem ſenſu eſt intelligendum, quod hic idem pag.220. ſcribit, *Perſona in illis officiis* (Mediatoris)*habet actiones ſeu operationes,non in vna tantùm natura,ſed in vtraque.* Nam vnius naturæ propria actio,non eſt in eo ipſo opere & officio alteri communis, ſed ſua cuique naturæ operatio manet propria,manente tamē ſemper in illa Chriſti vnica perſona, naturarum iſtarum vnione hypoſtatica.

Kemnitius pag.223. li. 1.

Theſis .2.

Sicut in miraculis vna natura agit cum communicatione alterius, Et paulo poſt, *viciſſim corporalis ille contactus, flatus, vox(Chriſti)participant, ſicut ſcholaſtici loquuntur, virtutem diuinitatis, vt poſſint ſanare, viuificare,&c. Hoc enim humanæ carnis contactus per ſe non habet.* Idem paulo poſt, *Diuina Chriſti potentia per vocem illam humanitus formatam ſuſcitat Lazarum. Et vox illa virtute Diuinæ potentiæ ſuſcitat Lazarum,* B *vt ita vna natura non abſque alia ſua agat,ſed vtraque cum communicatione alterius ſuſcitationem Lazari conficiat.* Et pag. 224. *Atque ita Diuina actio non eſt expers humanæ, nec humana Diuinæ, ſed Diuina Chriſti potentia vtitur vnione, coniunctione, communione & cooperatione humanæ Chriſti operationis ad exercenda, implenda, abſoluenda,& perficienda Diuina ſua,in officiis Seruatoris,opera.* Et pag.227. *& qui talem communionem inter vnitas naturas ,& earum idiomata vel negat vel tollit, is ſanè ſciens, ſiue imprudens ipſam hypoſtaticam vnionem ſoluit.*

Danæus.

Primùm hæc exempla, & miracula, de quibus nunc agit Kemnitius,non ad hunc ſecundum communicationis gradum,& genus pertinent, ſed ad tertium,quoniam communicationem gratiæ ὑπερφυσικῆς reipſa in humanam naturam aſſumptā collatæ oſtendunt & confirmant,ſi vera eſt Kemnitij interpretatio,id eſt ſi Diuinæ, & extraordinariæ C λόγου potentiæ facta eſt verè particeps in his miraculis edendis caro Chriſti:id quod tertium communicationis naturarum in Chriſto genus,nō hoc ſecundum efficit. Itaque quantum ipſe hos ſuos gradus hîc perturbet,videt Kemnitius.Deinde vel magna imprudentia ,vel aperta vafritie, & aſtutia hic quoque Kemnitius confundit opera, & operationes:ſiue ἀποτελέσματα,& ἐνεργείας,vt qui ſic ſcribit apertè, *Diuina Chriſti potentia vtitur vnione, & cooperatione humanæ Chriſti operationis ad exercenda diuina ſua opera in officio ſeruatoris.* Dicere enim debuit *ad exercendas Diuinas ſuas operationes in officio Seruatoris*, vt quod ſentit,& vult nobis eſſe perſuaſum,apertè ſignificaret:ſed opera,pro operatione ſcripſit.Atqui hoc falſum eſt. Nam hæc phraſis confundit ἀποτέλεσμα (quod in officio mediatoris commune eſſe vtriuſque naturæ, & θεανδρικὸν ἔργον eſſe fatemur) cum ſingularum Chriſti naturarum operatione, & ἐνεργείᾳ, quæ manet vniuſcuiuſque naturæ ſic propria,vt alteri etiam ipſi vnitæ, non ſit in operatione communis. Ergo diuina Chriſti potentia (quæ eſt λόγου,ſeu Diuinæ naturæ propria)nō vtitur cooperatione humanæ ope-

A rationis ad ſuas, id eſt, ad merè Diuinas ipſas τοῦ λόγου operationes peragendas, ne in ipſo quidem mediatoris officio, ſed eas agit ipſa, & quidem ſola, non tamen ſeorſim, id eſt, διῃρημένως, imò in vnione perſonę manens, & ἡνωμένως. Quare euertit hîc Kemnitius, quod ſuprà pagina 218. ex Damaſceno, vti veriſſimum ſtabilitum eſſe voluerat, *Eſſe nimirum commune inter naturas Chriſti vnitas ipſum ἀποτέλεσμα non ipſas naturarum operationes.* Præterea huiuſmodi communicatio operationum cuiuſque naturæ propriarum cum altera ſibi vnita inducit confuſionem eſſentiarum. Nam ſi naturæ ſibi viciſſim actiones proprias reipſa communicant per & propter vnionem hypoſtaticam: eædem quoque naturæ ſuas eſſentias inter ſe viciſſim reipſa communicant & ſiet natura humana Deus, ſeu eſſentiæ Diuinæ verè, & realiter particeps. Quod eſt Monophyſitam eſſe. Denique, quòd putat Kēnitius, ipſam Chriſti vocem virtute ſibi a λόγῳ infuſa, vel reipſa communicata Lazarum excitaſſe, puerilis eſt error, & ſtabilit errorem verbi operatorij à Scholaſticis defenſum, B & ab ipſo Kemnitio in Examine Tridentini concilij euerſum, ac meritò damnatum. Quid igitur? Audiat ipſum Athanaſium, quem pag. 231. laudat: *Vt homo tetigit, vt Deus ſanauit*, ait Athanaſius. Audiat Damaſcenum lib. 3. cap. 15. & intelliget virtutem illam ſanantem, excitantem, dantem S. Sanctum, non fuiſſe in ſaliua, voce & flatu Chriſti, vel in reliquis partibus, aut operationibus humanæ naturæ à Chriſto aſſumptæ. Quòd autem Scholaſticos tanquam ſuæ ſententiæ aſtipulatores producit, quòd humanam naturam dicant eſſe cooperatricem modo organi cū diuina, (pag. 236.) audiat ipſe Thomam Aquinatem, eorum coryphæum, qui ſic perſpicuè hanc realem communicationem eius operationis, quæ vnius Chriſti naturæ propria eſt, in alteram tanquam cooperatricem damnat, vt nihil expreſſiùs dici potuerit. Quanquam eo, quod Scholaſtici addunt, *modo organi*, ſatis ſeſe explicant & oſtendunt quid C velint.

Thom. in 3. quæſt. 16. Art. 5.

Thomas igitur ſic ait, *Ea quæ ſunt Diuinæ naturæ, dicuntur de humana, non ſecundum quod eſſentialiter competunt Diuinæ naturæ, ſed ſecundum quod participatione deriuantur ad humanam naturam. Vnde ea, quæ participari non poſſunt à natura humana, ſicut eſſe increatum, aut omnipotentē, nullo modo de humana natura dicuntur.* Et alibi: *Vbicunq; mouēs, & motū habēt diuerſas formas, ſeu virtutes operatiuas, ibi oportet quòd ſit alia operatio mouētis:, alia operatio propria moti: licèt motū participet operationē mouentis, & mouēs vtatur operatione moti, & ſic vtrunque agit cum communione alterius. Sic igitur in Chriſto humana natura habet propriam formam & virtutem, per quam operatur, & ſimiliter Diuina: Vnde & humana natura habet propriam operationem diſtinctam ab operatione Diuina, & è conuerſo. Et tamen diuina natura vtitur operatione naturæ humanæ, ſicut operatione ſui inſtrumenti, &c.* & ibidē. *Concurrunt ambæ operationes ad vnum operatum, operatum proprium Diuinæ operationis eſt ſanatio leproſi: operatum autem proprium humanæ naturæ eſt eius contactus, &c.*

Thom. 3. quæſt. 19. art. 1.

Ex eo igitur toto loco apparet, Scholaſticos vel maximè execrari realem iſtam communicationem operationis, quæ propria eſt vnius naturæ in alteram, quam tamen hîc & vbique ſtatuit ex fœtidis Monothelitarum lacunis Kemnitius. A

Cæterùm quòd Chriſtus in miraculis nonnunquam, non autem ſemper, adhibuit & membra ſui corporis, vel aliud quippiam, velut ſaliuā, puluerem, flatum, &c. non id fecit, quòd externa illa ad opus miraculoſum aliquid conferrent, vti neque veſtis ipſius Chriſti, ex cuius tamen contactu eſt ſanata hæmorroiſſa. Neque virga Moſis habebat vllam vim miraculorum operatricem: ſed quòd eo modò oſtēderet Chriſtus vel quid ageret, vt quum dicit, *Lazare veni foras*: vel in quam partē beneficium ſuum conferret, vt quum oculos tangebat: vel ſuam in genus humanum συμπάθειαν & commiſerationem demonſtraret, veluti quum lacrymabatur: vel vt ſuorum beneficiorum naturam his ſymbolis explicaret, veluti quum per flatum daret Sp. ſanctum: vel denique vt ſeſe extra naturæ ordinem hæc operari probaret, vt quum ſputū curandis, ac ſanandis cæci oculis admouebat: quæ rationes ex diuerſis cuiuſque loci circunſtantiis B ſunt explicandæ, & conſiderandæ. Itaque habet Kemnitius vnde ſuarum omnium dubitationum ſolutionem promere, & ſuæ ſententiæ infirmitatem agnoſcere iam poſſit.

AD CAPVT DECIMVM octauum.

De errore Monothelitarum.

Dupliciter in huius capitis argumento peccat Kemnitius, vt breuiſſimè dicam: in cæteris cum eo facilè conſentimus. Primùm omnium, quòd errorem Monothelitarum appellat ipſe vocabulo leniſſimo, Controuerſiam, tanquā res quædam potius dubia quàm verè blaſphema fuerit Monothelitarum iſtorum ſententia: quæ tamen, quemadmodum & libri Conciliorum demonſtrant, & ipſe Kemnitius ſæpe fatetur, totis ſynodis legitimis ac Oecumenicis, veluti ſexta: quę Conſtantinopoli habita eſt, & aliis, tanquam hæreſis teterrima damnata eſt. Deinde vel oſtendit C Kemnitius ſeſe, quæ fuerit iſtorum hæreticorum ſententia, ignorare: vel (quod ex ſuperioribus huius operis partibus colligere licet) aſtutè veritatem diſſimulat.

Celat certè Kemnitius illum Capharæum ſcopulum, ad quem in toto hoc argumento triſtiſſimum naufragium facit, quum apertè Monothelitarum errorem ipſe renouet. (pag. 237.) Vult igitur Kemnitius hunc fuiſſe Monothelitarum hæreticorum errorem, quòd, vt ipſe loquitur, finxerunt propter vnionem hypoſtaticam duarum in Chriſto naturarum propria vnius naturæ idiomata facta eſſe alterius naturæ (pag. 240.) *eſſentialiter & formaliter propria, vt eadem ſit naturalis ſeu eſſentialis ſapientia, voluntas & operatio humanæ naturæ in Chriſto, quæ eſt diuina.* Itaque ſi ſimpliciter ſenſiſſent Monothelitæ, eſſentialem, & propriam Diuinæ Chriſti naturæ ſapientiam, voluntatem & operationem fuiſſe propter vnionem hypoſtaticam reipſa & verè communicatam humanæ Chriſti naturæ, iudicaret ex eo Kemnitius non erraſſe eos: ſed rectè & orthodoxè ſenſiſſe. Verùm quia modum illum & differentiam addiderunt, nempe quòd naturaliter ſeu eſſentialiter

A ſentialiter facta ſit humanæ naturæ propria, vult Kemnitius in eo vno Monothelitas à vero aberraſſe. Cur id verò? Nimirum quòd ipſe quoque ſentiat, & contendat, eſſentialia Deitatis λόγου idiomata & operationes eſſe quidem reipſa, & verè, propter vnionem hypoſtaticam, communicatas naturæ humanę aſſumptæ, ſed ita, vt eædem tamen ſint, & maneant huius humanæ Chriſti naturæ propriæ, & eſſentiales. Humana igitur Chriſti natura, ex Kemnitij ſententia, habet verè, & reipſa, idiomata Deitatis λόγου eſſentialia, *per modum communicata & participata*, vt ipſe loquitur, pag. 242. *actionis & virtutis*: nequaquã aũt per modũ eſſentialis ſeu naturalis idiomatis: quod poſterius, ſi Kẽnitio credimus, eſt Monothelitarum, & hæreticorum: prius autem, non item, ſed orthodoxum. Et hoc quidem eſt σοφὸν φάρμακον, quod ſuo errori tegendo reperit Kemnitius, & κρησφυγετὸν, in quod à nobis preſſus refugit, ne Monothelita ſtatim deprehendatur. Sed quàm totum iſtiud artificium nullius ſit momenti, videamus. B

Primùm enim fruſtra & perperã Monothelitis affingitur iſta additio, & limitatio, quaſi illi voluerint, in Chriſto, propter vnionem hypoſtaticam, *eſſentialia ſeu naturalia vnius naturæ idiomata fuiſſe quoque facta propria, & eſſentialia alterius naturæ*. Simpliciter enim illi, & in vniuerſum dixerunt ita communicari naturarum (quas in vna Chriſti perſona retinebant, & manſiſſe fatebantur) operationes, vt vna ſit operatio, & ἐνέργεια (non tantùm vnũ ἀποτέλεσμα, & opus) vtriuſque naturæ, Diuinæ nempe, & humanæ.

Leo. Epiſt 10. cap. 3.

Neque diſceptabant, vtrùm natura Chriſti humana haberet illam eſſentialem Diuinę Chriſti naturæ ſapientiam, operationem, & virtutem, per modum eſſentialis idiomatis: an duntaxat vt participatam ſeu communicatam, & aliunde ſibi datam: & hoc in vniuerſum volebant tolli, quod Leo ille primus, nunquam propterea ſatis laudatus, in Tomo ad Chalcedonenſe Concilium ſcripſerat his verbis. *Agit vtraque forma cum alterius communicatione (id eſt, Vnione) quod proprium eſt: verbo ſcilicet operante quod eſt verbi: & carne exequente quod eſt carnis.* Quod etiam in refutatione Monothelitarum in Sexta ſynodo Oecumenica expreſſis verbis eſt centies prolatum & repetitum.

C

Sexta ſynod. vniuerſal.

Dama. in li. de duabus Chriſti voluntatib.

Dixerunt autem patres contra in illa Sexta ſynodo, eſſe in Chriſto poſt vnionem δύο θελήματα φυσικὰ, ἤγουν θελήσεις, καὶ δύο φυσικὰς ἐνεργείας.. Quia (quemadmodum ait Damaſcenus) ἀδύνατον δὲ εἶναι φύσιν ἐκτὸς τῶν φυσικῶν ἰδιωμάτων, id eſt, *fieri non poteſt vt natura maneat abſque naturalibus proprietatibus*. Sed quid mirum eſt, Kemnitium tam turpiter in explicanda Monothelitarum ſententia hallucinari, qui in Agnoetarum quoque hæreticorum, ex eodem, atque Monothelitæ, Eutychianiſmi cœnoſo fonte ſcatentium errore deſcribendo, ipſe errat? Nec id quidem tam imprudens, quàm ſciens, vt ſua de reali eſſentialium Deitatis Chriſti idiomatum in naturam humanam aſſumptam, facta communicatione deliria tueatur: & nobis (qui humanam Chriſti naturam cum Diuina eiuſdem natura omniſciam fuiſſe, ex Dei verbo Mar. 13. & Act. 1. negamus) Agnoetarum hæreſin, & crimen affingat, atque ita nos calumnietur. Scribit enim Kemnitius, Agnoetas idcirco damnatos, quòd humanam Chriſti naturam negarent fuiſſe omniſciam, ſed dicerent, etiam poſt vnionem quædam ignoraſſe, veluti horam extremi Iudicij, & reliqua, quæ pater poſuit in ſua vnius poteſtate. A Hoc autem quis vnquam velut impiam, hæreticámque ſententiam damnauit, quum ipſiſſima ipſius Chriſti verba id ſonent & doceant? Fuit igitur hic Agnoetarum error, Kemniti, quòd illi (vt lib. 8. Etymologικῶν ſcribit diſertè Iſidorus) dicerent, Diuinitatem Chriſti poſt hypoſtaticam ipſius cum humana natura aſſumpta vnionem quædam ignoraſſe, veluti horã illam Iudicij. Nam quum, ex Eutychetis, & Monophyſitarum blaſphemia, ſtatuerent in Chriſto vnicam tantùm naturam, quæ per vnionem illam hypoſtaticam ex vtraque natura coaluiſſet: quemadmodum in lib. de hæreſib. tradit Damaſcenus: ita vnicam tantum in Chriſto ſcientiam agnoſcebãt, quæ multa ignoraſſet. Quum autem Patres orthodoxi obiicerent, Chriſtum, etiam poſt aſſumptam naturam humanam, manſiſſe tamen Deum: excipiebant illi, Diuinitatem Chriſti eadem ignoraſſe, quæ & humanitas ipſius neſciuiſſet.

Phil. 2. B

Itaque Chriſtum, etiam qua Deus eſt, Patre inferiorem, & minorem eſſe contendebant: & idcirco dicũtur communibus cũ Arrianis argumentis vſi. Huius erroris primus autor videtur fuiſſe Eupſychius quidam, Eunomij hæretici diſcipulus, vt Nicephorus lib. 12. cap. 30. tradit: quem Sozomenus li. 7. ca. 17. Eutychium vocat. Et quod fortaſſe ex verbis Nicephori li. 18. ca. 50. deceptus eſt Kemnitius, oſtendit quàm negligenter eum ipſe legerit, quum à ſeipſo illic refutetur Nicephorus. Sed ad illam Synodum ſextam redeamus. Nuſquam Synodus illa (vt dixi) ex profeſſo Monothelitarum errorem explicãs ſic refutat: neq; hoc addit, eos voluiſſe & vrſiſſe, vt vnius naturę Chriſti, nẽpe Diuinæ eſſentialia idiomata fierẽt alterius naturę, videlicet humanę, eſſẽtialia ac naturalia, potiùs quã cõmunicata: ſed in vniuerſũ teſtatur eos contẽdiſſe (quod hîc tuetur Kẽnitius) nimirum, vt crederetur natura Diuina aſciuiſſe humanam naturam aſſumptam in cõſortiũ, participationem, & cooperationem ſuæ actionis, id eſt, eius operationis, quæ propriè, & eſſentialiter eſt Diuina.

C

Et hæc quidem veriſſimè docent, quo aſtu Kemnitius Monothelitarum errorẽ nũc diſſimularit. Verùm in ſuæ ſententiæ confirmationem citat Damaſcenum lib. 3. de fide Orthod. c. 14. Legat locũ, qui volet, certè nihil tale reperiet de Monothelitis à Damaſceno traditum, quale hîc ſcribit Kemnitius: ſed, quemadmodum diximus, generaliter eorum ſententiam à Damaſceno explicatam, hanc fuiſſe, vt vna eſſet voluntas & operatio vtriuſque in Chriſto naturæ propter vnionem hypoſtaticam, quod ipſum Kemnitius aſſerit propriis, vt ita loquar, terminis & diſertis verbis, quantumuis, ſæpe inculcet verba illa Cyrilli, & ſynodi Chalcedonenſis, *Vtraque natura agit, quod proprium eſt*, ſed, à ſe non intellecta. Nam illa ſignificant, ſi Kemnitio credimus, Diuinam in Chriſto naturam in ἐνεργείαις, & operationibus merè Diuinis agere præcipuè, primamariè, & à ſe, ſed non totam tamen illam ἐνέργειαν eſſe merè Diuinam. Naturam enim humanã aſſumptam eſſe illi ſociã, & cooperatricẽ, etiã in ipſa illa Diuinę naturę eſſẽtiali ſapiẽtia, virtute, & operatione, nõ pręcipuè, aut primariè, aut à ſe ſed cũ illa agẽte tamẽ. Quare per Kẽnitiũ primariè, & à ſe aliquid in Diuinis Chriſti operationib. agere, erit proprium Diuinę naturæ

A in merè Diuinis operationibus, cooperariè autem & aliunde accepta eadem virtute aliquid idem agere, erit humanæ Chriſti naturæ proprium, & pars in merè Diuinis Chriſti operationibus. Et hoc quidem eſt dogma, in quo ſe differre vult Chemnitius à Monothelicis, quos tamen hoc ipſum ſenſiſſe, non autem illud, quod Chemnitius illis attribuit, liquet ex Damaſceno, vbi propiè ipſorum errorem confutat, nihil de illis commemorans, qualeChemnitius refert, quod eorum ſententiam ad iſtum modum, & limitationē reſtringat, vt vellent *eſſentialia vnius Chriſti naturæ idiomata, fieri alterius quoque naturæ eſſentialia*, id eſt, eiuſdem Chriſti naturæ, per modum eſſentialis quoque idiomatis. Sed quid alios authores quærimus, quum, vti dixi, ſexta Synodus tota aduerſus eos ex profeſſo collecta, nullam huiuſmodi reſtrictionem in Monothelitarum errore explicando afferat? Verùm ita diſtinguere Chemnitium opus erat, ne, ſi hoc effugium non inueniſſet, nihil ab illis diſcrepare videretur. Sed ſuo ipſius iudi-B cio proditur, velut ſorex. Vtut enim hæc diſtinctio, & limitatio Kemnitij in Monothelitarum errore fucando recipiatur, eadem tamen inde blaſphema conſequuntur: quoniam, ſi ipſum eſſentiale Diuinæ Chriſti naturæ idioma per vnionem communicatur reipſa, & verè, humanæ eiuſdem naturæ ſiue vt eius eſſentiale, ſiue vt non eſſentiale, fit naturarum confuſio, & vtraque natura, vna quædam aut Diuina, aut tertij generis ex Diuina & humana conflata, compoſitáque natura: & quę cap. illo 14. lib. 3. colligit Damaſcenus, & quæcunque antea prolixè ſunt à nobis explicata, blaſphema omnia reponuntur. Quoniam autem iſte Kemnitius citatis autoritatibus hoc ipſo capite pag. 240. 241. & ſeq. ſeipſum refutat, plura non addemus. Satis enim iam ipſius latebras detectas arbitramur. Regulę verò, quas in fine huius capitis addit, ex Damaſceno, pertinent potiùs ad primum genus communicationis, quæ eſt idiomatum κοινωνία, quàm ad iſtud, quod eſt ἐνεργημάτων, ſiue ἀποτελεσμάτων κοινωνία, quæ κοινοποίησις propriè vocatur, non autem κοινωνία ἰδιωμάτων.

Li. de duabus Chriſti voluntatib. itē de hæreſibus.

C

AD CAPVT DECIMVM nonum.

In quo de tertio κοινωνίας (quæ ex hypoſtatica vnione duarum in Chriſto naturarum naſcitur) genere agitur. Eſt autem, per quod Deitas λόγου in naturam humanam aſſumptam, pręter & vltra eſſentiales proprietates, innumera ὑπερφυσικὰ & παραφυσικὰ dona contulit. Et quotuplex ſit hoc tertium κοινωνίας genus.

IAm pedetentim ad præcipua certamina propiùs accedimus. Finis autem, quem ſibi in hoc certamine proponit Kemnitius, hic eſt, vt doceat, carnem Chriſti in S. Cœna realiter, & ſua ſubſtantiâ præſentem eſſe, quoniam hoc donum, quod ipſe vocat ὑπερφυσικὸν (eſt autem ἀντιφυσικὸν) acceperit caro Chriſti à Deitate λόγου (cui fuit, & manet hypoſtaticè vnita) vt vbicunque vult, etiā pluribus in locis ſimul eſſe poſſit. Hoc eſt totius huius operis & voluminis arcanum, variè quidem tectum, & longiſſimè petitum: ſed quod tandem ex hoc loco manifeſtum eſſe incipit. Nec verò dubiū A eſt, quin vbique nos hîc perſtringere voluerit Kēnitius, qui tamen in pleriſque, quæ hîc habet, planè cum eo conſentimus, ſi modò poſtea ſecum ipſe conſentiret, & quæ ſtabilire nititur, non euerteret. Ergo quid illi in hoc capite concedamus, Pag. 249. quid negemus, à nobis placidè audiat. Ac primùm quidem quid concedamus. *Fatemur igitur, & concedimus primo loco, diuinam naturam Chriſti, præterquam quòd Homo acceſſit Deo, vt loquitur Auguſtinus, ex hypoſtatica cum carne vnione, in ſeſe, ſeu in ſua eſſentia nihil vel amiſiſſe, vel noui aliquid, ſiue maius, ſiue amplius, quàm ab æterno habuit, accepiſſe: ſed totam hanc exornationem & collationem gratiarum à natura* λόγου *diuina in humanam ab eo aſſumptam emanaſſe.* pag. 246. 249. Deinde fatemur & concedimus, *hac vnione hypoſtatica, humanam naturam in Chriſto exaltatam eſſe non tantùm ſupra omnes conſortes, beatos ſcilicet homines, atque adeò ſupra ipſos etiam Angelos beatos.* Nā quod B hæc Pauli verba, *ſupra omne nomen*, ſic Kemnitius accipit, vt ſupra Angelos beatos aliquid extra Chriſtum conſtituat præter Deitatem ipſam, inanis eſt pag. 248. chimæra, quam imaginariæ omni maieſtatis nomine exornat. Quamobrem cum Kemnitio damnamus eos, qui *in humana Chriſti natura eſſentialia tantùm, & phyſica idiomata agnoſci volunt, & intra hoſce terminos totam hanc κοινωνίας tertiam ſpeciem coercent, & coarctant.*

pag. 250. Tertio loco cum Kemnitio dicimus, *Humanam Chriſti naturam ex vlla vnione hypoſtatica cum diuina in ſeſe accepiſſe Præter, Vltra, & Supra ſaluas ac manentes ſuas proprietates innumera, quæ ſunt ſupra omne nomen.* Atque vnitam in hac ſua ſententia Kemnitius poſtea conſtanter perſtaret.

pag. 252. Denique & hoc quoque quartum verum eſſe fatemur & concedimus, *hæc hyperphyſica dona ipſi aſſumptæ Chriſti eſſe donata, vel communicata*, quoniā natura humana habet ea dona in ſeſe, quamuis nō à ſeſe habeat. Atque hactenus nobis in hoc capite de tertio κοινωνίας genere cum Kemnitio pulchrè conuenit. In iis autem, quæ ſequuntur, planè diſſentimus, quæ ſunt horrendarum blaſphemiarū principia. At primùm quidem in eo, quod ait, *per & propter vnionem hypoſtaticam aliquid in humana Chriſti natura ineſſe contra naturales conditiones, ſeu* συστατικὰ *principia humanæ naturæ, ídque & ſcriptura diſertè tradi, & credi debere.* C Reſpondeo, ſiquidem Scriptura ſacra id tradit, omnino & credi, & recipi à nobis oportere: ſed in æternum neque Kemnitium, neque vllum alium probaturum, vllas per vnionem hypoſtaticam ineſſe humanæ Chriſti naturæ contranaturales ſimul & συστατικὰς humanæ naturæ conditiones ac proprietates. Cuius ſuæ ſententiæ confirmationem quum ad cap. 21. & ſeq. referat Kemnitius, nos quoque noſtrum ad ipſius argumenta reſponſum differemus. Interim tamen etiam ex ipſo Kemnitio hanc ipſam eius ſententiam refutamus, vt qui hoc ipſo capite poſtea pag. 250. lin. 14. à fine, & diſertè & verè affirmet, naturam Chriſti humanam ita ὑπερφυσικὰ καὶ παραφυσικὰ à diuina ex vnione hypoſtatica accepiſſe, *vt tamen ſaluæ manſerint eſſentiales humanæ naturæ proprietates.* Quid ſunt autem iſtæ συστατικαὶ conditiones ac proprietates aliud, quàm eſſentiales proprietates? Quare ſi eſſentiales proprietates, ex Kemnitio Orthodoxo, & rectè ſentiente, manent in humana Chriſti natura ſaluę, etiam poſt ipſius hypoſtaticam cū

A natura diuina vnionem: certè ab iſto Kemnitio refutatur ille Kemnitius, qui priùs aſſeuerabat quædam ineſſe, & communicata credi oportere à diuina natura λόγου in humanam aſſumptam, contra συστατικὰς, & per conſequens, contra eſſentiales humanæ naturæ conditiones. Quìnam enim, obſecro, ſaluæ manebunt eſſentiales iſtæ humanæ Chriſti naturæ proprietates, & conditiones, ſi ea accepit, aut accipit humana Chriſti natura, quæ his ipſis proprietatibus repugnant, id eſt, quę eas ipſas eſſentiales proprietates euertant & aboleāt? Quicquid enim eſt naturæ alicui contrarium, ſeu ἀντιφυσικὸν, illud eam euertit, ac deſtruit. Itaque Kemnitius verecundia ductus, quòd cerneret ſeſe cōtradictoria, ſimul vera affirmare, ſi & quædam ἀντιφυσικὰ humanæ Chriſti naturæ tribueret, & ipſi tamē eſſentiales proprietates ſaluas relinqueret, voce græca ἀντιφυσικοῦ aſtutè abſtinuit, niſi quòd pag. 440. ſemel aut iterum duntaxat hanc vocem vſurpauit, ex eo deceptus, quòd Hieronymus, & Auguſtinus quædam in corpore Chriſti fieri contra naturam, B id eſt, *vltra naturam* dixerunt. Nam per hæc verba, *contra naturā*, intelligit cōtraria naturę, quū tamen ipſe Hieronymus teſtetur iis non mutaſſe corporis Chriſti naturam. Kemnitius igitur ὑπερφυσικὸν & παραφυσικὸν ſæpe nominauit, quòd in illo vocabulo ἀντιφυσικοῦ, manifeſta ἀντίρρησις & contradictio inſit, in his autem ὑπερφυσικοῦ, vel παραφυσικοῦ nulla, ſed tantùm immenſæ humanæ Chriſti naturæ maieſtatis, & gloriæ ſignificatio. Itaque nos ὑπερφυσικὰ & παραφυσικὰ concedimus: ἀντιφυσικὰ verò vlla aſſumptæ à λόγῳ naturæ communicata eſſe pernegamus. Præclarè enim Damaſcenus, quem etiam Kemnitius ipſe laudat pag. 420. negat vllam naturarū eſſe δεκτικὴν, & ſuſceptionem cōtrariarum ſibi differentiarū. (Damaſ. li. 3. orthod. fidei ca. 3.) In hoc igitur in primis hîc, & vbique à Kemnitio, & quidem, vt vident omnes, meritò diſſentimus, in quo etiam à ſe ipſo diſſentit, ac refellitur. Alterum eſt, quòd ait, in ſecundo communicationis gradu (quem ſuperiùs expoſuimus) *eſſe communionem actionum earum, quæ vnius naturæ propriæ & naturales ſunt.* (pag. 253.) Nam ἀποτελεσμάτων, & ipſius operis tantùm, non autem ipſorum actionum, quæ ſunt cuiuſque naturæ propriæ, fit communicatio in illo ſecundo communicationis genere, ſicuti luculenter C demonſtrauimus: niſi Communicationis voce Kemnitius intelligat hypoſtaticę vnionis durationem, & eiuſdem temporis (quo vtraque natura ſua agit) momentum: quo ſanè ſignificato nequaquam illam intelligit Kemnitius, ſed pro συνεργείᾳ, cooperatione, & participatione eiuſdem potentiæ, virtutis, & operationis (quæ vnius naturæ propria eſt) ſicuti antea docuimus, quum hîc vocem Cooperationis ipſe diſertè addat & inculcet.

Tertiò ab eo diſſentimus, quòd ſcribat, quum per ſecundum genus communionis humana Chriſti natura agit in opere Mediatoris, quæ ſua ſunt, eam agere, *naturalibus tantùm ſuis viribus.* (pag. 255.) Quomodo verò, Kemniti, in eo tibi aſſentiremur? Hoc enim eſt, vel teipſo teſte, falſiſſimum, vt pote qui ſupra cap. 17. prolixè docueris, (pag. 228. & 229.) humanam Chriſti naturam, dum pro plena noſtrorum peccatorum expiatione pateretur, à diuina (cui erat hypoſtaticè vnita) extraordinariè ſuſtentatam fuiſſe. Itaque vires illi immenſas, id eſt, ſupranaturalem humanę naturæ conditionem, & ſortem, ad hoc tantum A Dei iudicium perferendum, & exhauriendum validas fateris ei fuiſſe à λόγῳ collatas: quod etiā docet Apoſtolus ad Hebræos, quum ait, *Chriſtum ſe obtuliſſe morti per Spiritum æternum.* (Heb. 9. 14.) Ergo, vt natura Chriſti humana hoc, quod ſuum erat, in opere mediatoris perageret, id eſt, vt totas omnium peccatorum noſtrorum pœnas & in corpore & in animo ſuo ſuſtineret, habuit non tantùm naturales & ſuas, ſed hyperphyſicas à λόγῳ vires, & operationes. Et certè illud ſtatuendum eſt, atque in Chriſtiana Eccleſia retinendum, contra iſtam Kemnitij ſententiam, in operibus & ἀποτελέσμασι Mediationis, & noſtræ cum Deo reconciliationis, humanam Chriſti naturam illud quidem duntaxat, quod ſuū erat, operatam eſſe, non autē illud, quod erat proprium diuinæ naturæ: nec tamen eam naturalibus tantùm viribus, ſed hyperphyſicis (quas ad hoc ipſum præſtandum à λόγῳ acceperat) illas ſuas proprias operationes peregiſſe, quod non probans Kemnitius, ſibi nō cohæret, neque cum ſuis ſociis B conſentit, quum illi paſſim ſcribant, & velint dona illa ὑπερφυσικὰ, & maieſtatem, & gloriam in humanam Chriſti naturam iam à tempore conceptionis, ſeu incarnationis Chriſti fuiſſe collatam, & tamen in paſſione vires ſupranaturales illi adimat. Sed age vel ſeipſum audiat Kemnitius ſic ca. ſeq. pag. 250. ſcribentem, *quando Deus habitat in ſanctis, donat illis efficacitate ſua dona ſupranaturalia, nec relinquit eos in puris, ſeu meris naturalibus.* Ergo aut Deus in officiis Mediatoris implendis cum Chriſto non habitauerit, aut Chriſtus tunc vires etiam ſupranaturales habuerit. Denique ſe ipſum quoque pag. 261. refutat manifeſtè ſicut accidit plerumque in iſtorum hominum erroribus: vt vnus alterum gignat, & poſterior error priorem euertat. Itaq; verum diſcrimen huius tertij communicationis generis, quo differt à ſecundo, de quo antea diximus, non conſiſtit in eo, quòd in illo ſecūdo gradu natura Chriſti humana nihil agat, niſi ex naturalibus tantùm viribus: in hoc autem tertio gradu eadem agat ex hyperphyſicis, vt tu tamē, Kemniti, iudicas: ſed in eo poſita eſt tota horum duorum generum communicationis differentia, C quòd in ſecundo genere communicationis naturarum in Chriſto demonſtrantur ἀποτελέσματα communia vtriuſque naturæ, quibuſcunque tandem viribus illa effecta ſint, & impleta: in hoc autem tertio genere communicationis explicatur, quid quātúmque humana Chriſti natura à diuina cui vnita eſt reipſa, & habitualiter (vt in ſcholis loquuntur) acceperit, vt Chriſtus opus illud Mediatoris, & ſaluatoris tum antea impleret per ſeſe, tum in nobis quotidie perficiat, & demonſtret. Ex quo apparet ne Kemnitium quidem ipſum intellexiſſe tres illos communicationis gradus, & eorum inter ſe diſcrimen.

Hæc ſunt, in quibus à Kemnitio diſſentimus in hoc definiendo tertio genere communicationis naturarum in Chriſto. Videamus porrò quo modo tertium hoc genus ipſe partiatur. Diuidit illud in duas ſpecies, vnam, quæ ὑπερφυσικὰ & παραφυσικὰ dona illa complectitur, quæ *ſubiectiuè & formaliter* in ipſa humana Chriſti natura inſunt: alteram quæ, vt ipſe vult, continet ea dona ὑπερφυσικὰ, & παραφυσικὰ, quæ etſi humanæ Chriſti naturæ tribuuntur, illi

A tamen neque formaliter,neque ſubiectiuè inſunt. Hæc ille.Nos autem in hac tertij huius generis diuiſione meritò rurſum ab eo diſſidemus, vt qui falſum aſſirmet,& ſibi etiam ipſi cõtradicat. Quicquid enim continetur in hoc tertio communicationis naturarum in Chriſto genere, dicimus ineſſe in ipſa humana Chriſti natura inhærenter & ſubiectiuè.Nam quæ humanæ Chriſti naturæ tribuuntur propter illius vnionem hypoſtaticam,neque tamen ipſi inſunt, ad primum communicationis genus,quæ idiomatum communicatio nominatur,non autem ad hoc tertium communicationis genus pertinere affirmamus. Quũ ſit enim hoc tertium κοινωνίας genus illud quod χαρίτων ἢ δώρων κοινωνία à nobis appellatum eſt, à patribus autem ἰδιοποίησις,& quod dona omnia ὑπερφυσικὰ & παραφυσικὰ in humanam Chriſti naturam à λόγῳ collata complectitur: ea certè tantùm dona contineat oportet,quæ in humana Chriſti natura inhærenter,& ſubiectiuè inſunt: non autem ea, quæ per ἀντίδοσιν, B aut κοινωνίαν ἰδιωμάτων,aut περιχώρησιν alteri ſiue diuinæ, ſiue humanæ Chriſti naturæ tribuuntur. Ergo in hoc tertij communicationis generis mẽbro,quod ſecundum conſtituit Kemnitius, confundit planè primum κοινωνίας naturarum in Chriſto genus cum hoc tertio,atque ita ſibi ipſi manifeſtè repugnat & planè mirum eſt, ipſum hoc loco ſcribere potuiſſe ad hoc communicationis genus referri ea quoque dona, & attributa humanæ naturæ,quæ tamen ipſi *inhærenter & ſubiectiuè & formaliter* nequaquam inſunt, qui tamen apertè ſuprà ſcripſerit in hoc tertio communicationis genere tradi,& contineri dona,quæ natura humana habet *in ſeſe*,ex vnione hypoſtatica,præter,vltra,& ſupra eſſentiales ſuas proprietates.Etenim ſi hoc tertium κοινωνίας genus ea dona complectitur, quæ natura humana habet in ſeſe,certè illa complectitur,quæ naturæ humanæ vel ſubiectiuè,vel formaliter inſunt.Id quod perſpicuè totam iſtam tertij gradus communicationis diuiſionem,hîc à Kemnitio excogitatam,euertit.

AD CAPVT VICESIMVM.

C De donis hyperphyſicis,& prçternaturalibus,quæ inhærenter,formaliter,& ſubiectiuè in humana Chriſti natura inſunt,propter hypoſtaticam ipſius cum Diuina vnionem.

PLanè de ſumma eius doctrinæ,quæ hoc capite continetur, conuenit nobis cum Kemnitio:id quod ipſe quoque pag.255.& 264. agnoſcit,vt,vel eo teſte,iam grauiſſimo crimine liberemur ,cuius tamen accuſamur ab Vbiquitariis, quaſi humanam Chriſti naturam ſuis donis ſeu dotibus ſpoliemus:atque ita ſimus impij,& in Chriſtũ ipſum hominem iniurij.Sed bene eſt,quòd hoc Kemnitij teſtimonium pro nobis aduerſus eos extat locupletiſſimum.Quædam ſunt tamen,quç vel à Kemnitio perſpicuè explicata , vel prætermiſſa vellemus:quædam etiam,quæ,niſi ipſe ex Dei verbo probauerit,falſa eſſe pronuntiamus.Prætermiſſum certè vellemus,quod pag.260.ex contentioſis ſcholaſticorum diſputationibus denuò regerit, Vtrùm Spiritus ſanctus in credentibus, & humana ipſa Chriſti natura effecerit actus virtutum,mediantibus donis,ſeu habitib.creatis.Quis enim de eo dubitat, niſi contentioſus quiſpiam λογόμαχος ſcholaſticus? A Et iſta inutilium quæſtionum congeries,ac refricatio auget certamina in Eccleſia Dei quæ tamen minui vult Kemnitius. Prætermiſſas quoque ab eo vellemus tot,& tam multiplices,atque à ſe ipſis etiam diſſentientes de hoc Lucæ dicto interpretationes cap.2, *Puer creſcebat & confortabatur ſpiritu*,&c.pag.256.Nam nec ipſe ſuam ſententiam addidit,ſed omnes in incerto , tanquam veras, reliquit,vt incertiores , quàm dudum omnes,qui iſta Kemnitij legerint,ſint futuri. Nec verò dubium eſt,quum Chriſtus & naturam humanã,& omnes noſtras infirmitates,excepto peccato,aſſumpſerit,quin idem verè,quod ad ἐνέργειαν ſenſim,ſecundum humanam naturam creuerit, & profecerit etiam in iis donis,& virtutibus omnibus creatis,quas à ſe ipſo,veluti Deo,ſummas , ac perfectiſſimo, & cumulatiſſimo in gradu, δυνάμει ab ipſo creationis ſuæ momento anima Chriſti habuit.Hoc enim ſignificat vox σχῆμα, quod Chriſtum pro nobis aſſumpſiſſe ſcribit Paulus. Phil. 2. Quæ verò falſa pronuntiabimus,niſi,quod pollicetur, ex B Dei verbo poſtea confirmauerit,hæc ſunt. Primũ quòd ait pag.255.Dona illa hyperphyſica,quæ accepit Chriſti humanitas, non eſſe illam maieſtatem,& potentiam,per quam caro Chriſti eſt,&dicitur viuifica.Hoc certè quidem eſt falſiſſimum. Quum enim caro Chriſti dicatur viuifica, quoniã eſt primarium λόγου medium ad nos æterna vita viuificandos:& illa dona hyperphyſica & paraphyſica data ſint à λόγου Deitate,naturç aſſumptç,vt ipſa pag 261. illa eſſe poſſet Deitatis organon,vt vocat Kemnitius, id eſt,tale medium,*ſufficienter & idoneè diſpoſitum*, per quod,& in quo Deitas verbi operationes ſuas(qualis eſt procul dubio noſtra hæc viuificatio)perficeret:ſequitur illa dona ſupranaturalia in humanam Chriſti naturam collata eſſe,& eam potentiam,& maieſtatem,gloriam,&c. per quam caro Chriſti dicitur,& eſt viuifica . Sed & falſum quoque illud eſt,quod ex Origene lib. 4.de principiis affert,vti antea demonſtrauimus, & poſtea pag.263. & 264. quoque dicetur , *Omnes voluntates verbi per humanam,& aſſumptam ab eo naturam impleri,& exerceri.* C Denique& illud etiam falſum eſt,quod cõtra Durandum ait Gerſon,Carnem Chriſti,tanquã cauſam ſecundam principaliſſimam,in omnib. Chriſti miraculis interueniſſe,& communicaſſe.Sed vt fundamenta ſequentis erroris poneret Kemnitius, & animis ſcrupulum aliquem iniiceret,his deliriis animos lectorum illini,& præoccupari vult,quaſi quod dicturus ſit,fuerit veterum ſententia, vel cõtrouerſa iam pridem quæſtio,nec ita certa,deciſa, vel conſtituta,quàm omnes pij exiſtimant.

AD CAPVT VICESIMVM primum.

De communicatione reali Maieſtatis diuinæ in Chriſto naturæ facta humanæ:ſiue quòd præter dona habitualia natura Chriſti humena , propter vnionem hypoſtaticam habet re ipſâ ſibi communicata,propria ac eſſentialia diuinæ verbi naturæ attributa,eáque participat.

QVum ad finem capitis vigeſimi perueniſſem eáque perlegiſſem , quæ in hoc Kemnitij opere,vſque ad libri calcem ſequũtur,exclamaui, A *Sed iam tempus equûm fumantia ſoluere colla.* Quid enim, obſecro, ſunt aliud, quæ nunc adduntur, niſi ſuperiorum omnium repetitio moleſtiſſima, adeò vt hìc pleraque ne verbis quidem à ſuperioribus diſcrepent. Quid igitur voluit hoc ſuo cumulo Kemnitius? Illud nimirum, quod de Vincentio Pelagiano, Orthodoxos criminante, ſcribit Proſper Aquitanicus, *Numerum criminationis in nos augere voluit quia ſenſum variare non potuit.* In quibus autẽ apparet quædam orationis diuerſitas, certè vera illa eſt nobis repoſita Chalcidenſis hoſpitis cœna. Veruntamen ne quid à nobis prætermittatur, ea, quæ ſequuntur, breuiter rurſum examinemus: quã quam ſi ipſe ſibi perpetuò conſtaret, res inter nos propemodum eſſet tranſacta. Sic enim ipſe communicationem iſtam maieſtatis pag. 291. definit, vt ſit, *quod ſupra & præter manentes eſſentiales humanitatis proprietates diuina potentia λόγου operatur cum aſſumpta humanitate.* Hoc autem quis negat? Sed quoniam idem vnã & eandem potentiam eſſe vult in energiis duarum naturarum, non duas, pag. 281. quod rectè ſtatuerat euertit. Nos autem hoc poſterius refutaturi, duo in primis præfabimur. Vnũ, nos neque ex iis eſſe, quos calumniandi cacoëthes teneat: neque ex iis, qui diſſentiendi, aut oſtentandi ingenij libidinem, aut contradicendi petulantiam afferant, à quibus ſibi metuendum ſcribit Kemnitius. Alterum, Nos lubenter admittere quatuor illas propoſitas à Kemnitio conditiones, quas illi etiam ipſi offerimus. 1. vt mentem veritatis cupidam, animum humilem, cor timens Dei vtrique habeamus. 2. vt in tantis Dei arcanis (qualis eſt hęc tractatio) vtrique ingenuè ingenij noſtri imbecillitatem ac tenuitatem agnoſcamus. 3. vt à λογομαχίαις, captandiſque vocabilis vtrique abſtineamus. 4. vt vtrique lingua S. ſancti, optimi illius pręceptoris, & phraſi à veterib. & orthodoxis patribus in hoc argumento vſitata loquamur, & doceamus. Quibus inter nos, tanquam fœderibus ſancitis, exponamus breuiter, quænam ſit huius communicationis generis & doctrinæ ſumma, quam ad hunc vſq; diem inauditam (quo quidem modo nũc explicatur) inuehit Kemnitius. In ſumma C vult ex hoc ſecundo κοινωνίας δώρων & χαρίτων membro & genere per vnionẽ hypoſtaticam eſſe tributa & communicata re ipſa humanę Chriſti naturę aſſumptæ propria & eſſentialia ipſius Deitatis λόγου idiomata, etſi non *ſubiectiuè formaliter, ſiue inhærenter.* Primũ autem, vti docuimus, ſe ipſam euertit iſta communicatio, quæ quod alij reipſa tribuit, tamen nec vt accidens, nec vt eſſentiam ei ineſſe velit. Quod verbis iſtis *ſubiectiuè, formaliter, inhærenter* ſignificauit. Deinde manifeſtè implicat contradictionem iſta oratio, nempe vt aliquid ſit proprium vnius naturæ, & tamen alteri rei reipſa communicetur, id eſt, vt idem ſit proprium & cõmune. Denique hoc modo Kemnitius ἀντιφυσικὰ, id eſt, huiuſmodi dona, quæ naturam ipſius carnis Chriſti deſtruant, illi communicata eſſe iam cõtendit & ab ea participari, non contentus eã gloriam carni Chriſti tribuiſſe, quam & S. ſcriptura & orthodoxi patres ab ea participatam eſſe tradunt, nimirum vt donis παραφυσικοῖς & ὑπερφυσικοῖς, iiſque immenſis, ſit exornata. Atqui, Kemniti, minimè fuit iſtud, ne propter Dei quidem ipſius gloriam cõminiſcendum, Paulo illos reprehendente, qui ſeſe in ea ingerunt, quæ non viderunt: quod proculdubio facis, dum de cæleſti illa carne Chriſti, & pro conficta, præter Dei verbum, à vobis illius maieſtate hæc noua inaudita, atque etiam ψευστὰ commẽtaris. Ait Caſſianus, *non minoris eſt erroris Domino Ieſu Chriſto impropria addere, quàm propria derogare.* Ait Gerſon, *Gloria humanitatem non tollit, ſed extollit, non interficit ſed perficit.* Ait Aug. *Chriſtus carni ſuæ gloriã dedit, naturã non abſtulit.* Addi igitur & παραφυσικὰ & ὑπερφυσικὰ carni Chriſti tum propter vnionem illius cum λόγῳ hypoſtaticam, tum propter eiuſdem glorificationem concedimus: antiphyſica verò nequaquam. Ἀντιφυσικὰ .v. ſunt, quæ attribui naturæ humanæ nõ poſſunt, quin eã aboleant: quòd nemo illa ἀντιφυσικὰ habere, & verus homo ſimul eſſe poſſit, niſi ſi album eſſe poſſe nigrum dixerimus, lucem tenebras, calidum eſſe frigidum. Huiuſmodi ſunt increatum eſſe, æternum, infinitum, vbique præſens, &c. in quibus quum vera & ſola Dei præ creaturis extet prærogatiua & eminẽtia nullo modo carni Chriſti re ipſa tribui & communicari poſſunt, ſiue phyſico, ſiue ὑπερφυσικῷ, ſiue B alio quouis modo, quemadmodum tamẽ hìc vult Kemnitius, vel in carnem effundi, vt mauult Iacobus Andreæ: vel illi reipſa ineſſe, quocunque illa modo ineſſe fingantur. Præclarè enim Cyrillus, *Nunquam creatura* (qualis eſt caro Chriſti, etiam nũc poſt glorificationem ſuam) *ea, quæ ſunt infinitæ poteſtatis, ſuſcipiet:* Præclarè Damaſcenus, *fieri non poteſt, vt natura aliqua conſiſtat abſque ſuis proprietatibus eſſentialibus,* quas ἀντιφυσικὰ tamen iſta euertũt & abolent. Præclarè denique Proſper Aquitanicus, *Naturarum conditor Deus nihil in miraculis contra naturam facit.* Eſſe autem de natura verorũ corporum (quale adhuc eſt corpus Chriſti etiam glorificatum) vt non ſint vbique, docet his verbis Cyrillus, vt breuitatis gratiâ, infinitos alios eiuſdem locos prætermittam, *Quod menſura aut termino circumſcribitur, quum dimenſiones ſuſcipere neceſſariò intelligatur, id prima & vltima, & locum & quantitatem & figuram habeat neceſſe eſt. Quæ omnia corporũ propria ſunt.* Neque iſtud quenquam moueat, quòd hoc ſecundum donorum genus non vocat Kemnitius ἀντιφυσικὸν, qua voce ferè nunquam vtitur, C quemadmodum diximus. Aſtutus enim homo vidit, ſuam hanc ſententiam à ſe ipſa, vel hoc vno ἀντιφυσικοῦ vocabulo, euerti. Itaque à vocabulo quidem ipſo abſtinet: rem tamen & ſenſum & ſententiam ἀντιφυσικοῦ retinet, atque ſtabilire conatur. Cæterùm hæc duo meminerint lectores, vnum quidẽ, nos concedere quæcunque Chriſto Deo ab æterno inſunt, eadem Chriſto homini competere ex tempore, non quòd Deitas λόγου ea, quæ ſunt ſibi eſſentialia, ipſi carni aſſũptæ tribuerit, ſed quòd illa λόγου perſona illam humanæ naturæ maſſam ſibi in tempore, hypoſtaticè vniuerit. Itaque hæc patrum ſententia minimè confirmat realem hanc communicationem proprietatum eſſentialium Deitatis in naturam humanam: ſed tantùm docet vnam eſſe Chriſti perſonam, ex vtaque natura cõſtantẽ. In quo tamen Patrũ dicto explicando deceptus eſt perpetuò Kemnitius, inter concretum & abſtractum non diſtinguens. Alterum quoque iſtud concedimus: nempe quæ vnius duntaxat naturæ Chriſti propria ſunt ac eſſentialia, de tota quidem Chriſti perſona realiter ac verè enũti-

Iob. 13. 7.
Ioan. 14. 2.
Col. 2. 18.

Cyril. l. 9. in Ioan. c. 41.

Damaſ. in lib. de duabus Chriſti volũtatibus.

Proſper ſent. 281.

Cyril. l. 9. in Ioan. c. 40.

ari, de altera verò eiuſdem perſonæ natura prædicari, ſed κατ' ἄλλο. Quibus omnibus & explicatis, & conceſſis, quæ ad ſecundum κοινωνίας δώρων genus ſtabiliendum à Kemnito argumenta proferantur, perpendamus.

Kemnitius pag. 266 l. 7. à fi.

Sententię Kemnitij totũ fundamentũ ſeu firmamentum.

Carni Chriſti, aut Chriſto ſecundum carnem propter hypoſtaticam cum diuinitate vnionem ea rectè tribui poſſunt, ac neceſſariò tribui debent, quæ Scriptura (ſacra nempe) ipſi tribuit, ac data ſeu donata prædicat. Sed S. Scriptura, vt exprimat excellentiam & præeminentiam & maieſtatem carnis Chriſti, illi non tantùm tribuit illa donata creata, finita ſpiritualia, quæ ſunt ὑπερφυσικὰ & παραφυσικὰ, verùm etiam idiomata ſeu attributa ipſius diuinæ naturæ λόγου propria, id eſt, increata. Ergo idiomata & attributa ipſius diuinæ naturæ λόγου propria, id eſt increata carni Chriſti, aut Chriſto ſecundum carnem rectè tribui poſſunt, ac neceſſariò tribui debent: ſicuti vis lucendi & vrendi, quæ eſſentialis proprietas ignis eſt, communicatur ferro ignito. Et hæc quidem ille, quãuis ſuo more, redundanter.

Danæus.

In hoc Syllogiſmo (qui quidẽ in toto de increatis, ſeu diuinæ λόγου naturæ proprietatibus, humanæ Chriſti naturæ communicatis primarius eſt, multa inſunt vitia. Primùm enim propoſitio ſeu maior ludit vocum harum *tribui poſſunt*, æquiuocatione. Quum enim aliquid alicui rei tribui duobus modis poſſit, vel verbo, & ſola prædicatione dialectica, ſeu gratia vnionis, quæ licèt non ſit realis, eſt tamen vera: vel re & inhærentia, ſeu gratia habituali, Kemnitius non diſtinguit, neque explicat, quo ſenſu voces iſtas, quib. tamen vtitur intelligat. Atqui hoc ipſum poſtea Kemnitius animaduertens conatus eſt in concluſione eam ambiguitatem tollere, atque exponere ex ſimilitudine ignis tribuentis vim vrendi & lucendi ferro ignito, his verbis, *Sicut vis lucendi & vrendi*, &c. in quo ipſum alterum eſt vitium huius argumentationis. Plus enim ponit in concluſione, ſicut vulgò loquuntur in ſcholis, quàm ſumpſerat in præmiſſis. Debuit enim, vt eſſet legitima huius ſyllogiſmi cõcluſio, ſic propoſitio concipi. *Quæcunque S. ſcriptura carni Chriſti, aut Chriſto ſecundum carnem tribuit, ea illi tribuenda ſunt, ac neceſſariò inſunt, vti vis lucendi, & vrendi ineſt in ferro ignito.* Eſt enim longa differentia inter has duas propoſitiones, *Quæcunque S. ſcriptura tribuit carni Chriſti, illa ſunt ei neceſſario tribuenda*: vel, *Quæcunque S. ſcriptura tribuit carni Chriſti, illa ſunt ipſi neceſſario tribuenda, vt inſint ſicut vis vrendi & lucendi ineſt in ferro ignito.* Prior enim ex his duabus propoſitionibus veriſſima eſt: poſterior verò falſiſſima. Vis enim vrendi & lucendi tribuitur ab igne ferro ignito, veluti aliquid reipſa, verè, & omnino ab eo ferro χωριστὸν & ſeparabile: quoniam à ferro vis illa vrendi abeſſe poteſt: citra vllum ipſius ferri, ſeu ſubiecti interitum, damnum, ſeu imminutionem. At nulla dona, & gratiæ (quas quidem S. ſcriptura tribuit realiter carni Chriſti, vel Chriſto ſecundum carnem vt illi inſint) ſunt iam reipſa ab eo χωριστά. Quare propoſitio ſeu Maior huius ſyllogiſmi ad efficiendã Kemnitii connexionem & concluſionem neceſſaria, falſa eſt, & inepta. Ex quo vitium huius Kemnitij argumentationis apparet. Sed & aſſumptio quoque ſeu Minor huius ſyllogiſmi propoſitio falſa eſt, nimirum, *Dona increata, ſeu propria ipſius diuinæ λόγου naturæ idiomata realiter tribui Chriſto ſecundum carnem aut carni Chriſti*, quod ſuprà refutauimus. Ex quibus efficitur quoniam ex falſis falſa per ſeſe ſequuntur, falſam eſſe Kemnitij collectionem. Quia tamen ille aſſumptionem ſyllogiſmi ſui tueri conatur, aliquot argumentis illa quoque perpendemus ordine, prolixè benignéque hoc illi largientes, nimirum quæ Chriſto donata dicuntur, ea reſpectu humanæ ipſius Chriſti naturæ, aut ſecundum humanam naturam dici donata Chriſto: in quo tamen probando, ille diu multúmque (quum eſſet minimè opus) ſeſe fatigauit. Quemadmodum autem probet, dona non creata, ſed eſſentialia ipſius diuinitatis λόγου, reipſa tribui, communicari & competere carni Chriſti, ſeu Chriſto ſecundum humanam naturam, ab eáque participari, iam audiamus.

pag. 267. & ſeq.

Kemnitius pag. 262. l. 6. à fi.

1. Kemnitii argumentum.

Dicit Scriptura, Chriſto datam eſſe omnem poteſtatem in cælo & in terra Matth. 28. omnibus potenter eum dominari. Heb. 2. Hæc potentia eſt increata Deitatis eſſentialis, ac proprium illius attributum. Ergo dona increata, ſeu propria & eſſentialia Deitatis attributa, reipſa humanæ Chriſti naturæ competunt, & communicantur, ab eáque participantur.

Danæus.

Suppleui ex aliis Kemnitij ſententiis totum Syllogiſmum, quò facilius intelligeretur, cui ſic breuiter. Quid autem? reſpondeo, Veram eſſe Propoſitionem ſeu Maiorem huius ſyllogiſmi, nẽpe *Chriſto ſecundum humanam naturam datam eſſe omnẽ poteſtatem in cælo & in terra.* Negamus autem huius ſyllogiſmi aſſumptionem, nimirum, *eam potentiam, quæ data eſt homini Chriſto, eſſe & increatam, & ipſum diuinæ λόγου naturæ eſſentialem potentiam, ſeu hoc ipſum attributum, quod eſt, vt loquitur Kemnitius, Diuinitatis proprium.* Huius autem noſtræ ſententiæ ratio eſt multiplex. Vna, quòd hæc ipſa ſeſe deſtruit oratio, eſſe nempe hanc omnipotentiam (de qua nunc agimus) Deitatis propriam, & tamen alij rei (quæ Deus non ſit) reipſa communicari. Propria enim Dei ſunt ἀκοινώνητα præterquam ipſi diuinæ naturæ: niſi velit Kemnitius, proprium nõ deſinere eſſe proprium, etiamſi reipſa alteri communicetur. Altera ratio noſtra eſt, quòd quæ omnipotentia eſt λόγου Deitatis eſſentialis & propria, illa non eſt ſubiecta Patri, aut minor omnipotentia patris. Eſt .n. vti trium diuinarum perſonarum eſſentia vnica numero abſolutè conſiderata: ſin verò relatè in perſonis ſpectetur, coæqualis, ita etiam omnipotentia, quemadmodum in Symbolo Athanaſij ab vniuerſa orthodoxa Eccleſia iam pridem approbato, diſertè explicatum eſt. Ex quo fit vt in Chriſto duæ ſint potentiæ, & duæ ſapientiæ, duæ voluntates, &c. vna nimirum creata, quę ſola humanæ naturæ competere poteſt: altera increata, quæ ſolius λόγου eſſentialis eſt, ac propria. Ac propterea verè à Baſilio, Ambroſio, & Auguſtino, & aliis Patribus dictum eſt, *Chriſtum ſeipſo & maiorem, & minorem eſſe.* Quæ verò potentia homini Chriſto, ſecundum

A cundum humanam naturam, data eſt, ea eſt ſubiecta Patri vt docet Paulus 1. Corinth.15.verſ. 27. Pag. 269. ideóque eſt minor potentia Patris. Tertia ratio eſt, quòd quum humana Chriſti natura, ſeu caro, ſit creatura (vt & Auguſtinus ſcribit, & ex Cyrillo agnoſcit ipſemet Kemnitius) non eſt certè capax increatæ potentiæ, aut vllius alterius eſſentialis Deitatis proprietatis. Denique quum hæc Chriſti hominis potentia ſit cœli & terræ nominibus, velut certis limitibus definita, non eſt illi Diuinæ omnipotentiæ æqualis, quæ ſupra, & præter, & vltra cœlum & terram ſe extendit, & omni modo ac cogitatione immenſa eſt. Nam hæc potentia, quæ data eſt homini Chriſto, reſpicit certum duntaxat, & tamen liberrimum mundi reparationis, & Eccleſiæ inſtaurationis, vt loquitur Paulus Rom. 8. decretum. Ergo non eſt ſic ἁπλῶς, & vt ipſa Deitatis eſſentialis omnipotentia infinita. Quanquam enim S. Scriptura ſeſe ad noſtrum captum attemperans, ex his *cœli, & terræ vocabulis* immenſam ipſius Deitatis omnipotentiam nobis ſæpę deſcribit: tamen tota Diuinitatis omnipotentia non eſt ex his duobus tantùm B Dei operibus, vel ex hoc toto mundo æſtimãda, aut circumſcribenda, quaſi nihil plus poſsit, potuerítve efficere Deus, quã quæ in cœlo, & in terra effecta & producta, effici, vel produci videmus, licèt illa ſint per ſe maxima, & omni creaturæ (quantumuis cœleſti, capaci, & egregiæ) nedum humanæ, incomprehenſibilia. Hæc eſt igitur noſtra ad hoc primum Kemnitij argumentum breuis reſponſio, vt alias ſolutiones prætermittã, de quibus poſtea.

Kemnitius pag.268. linea 19.

2.Argum. Kẽnitij.

Eodem modo ſcriptura dicit Chriſto eſſe datam vitã viuificantem, & poteſtatem faciendi iudicium, Ioan. 5. *& 6. Certum eſt autem, vitam, quæ alios viuificat, non eſſe qualitatem creatam, ſed attributum ſolius diuinitatis proprium: ita & iudicium vniuerſorum. Ergo Chriſto ſecundum humanam naturam propria Diuinitatis attri-* C *buta competunt, & tribuuntur.*

Danæus.

Vt de loci Ioanis cap. 5. verſ. 26. interpretatione nõ contendam, nego huius Syllogiſmi aſſumptionem, id eſt, nego omnem vitam (quæ aliud viuificare poteſt) eſſe proprium Diuinitatis attributum, & ipſam eſſentialem Deitatis vitã, quod tamen aſſumit Kemnitius. Habet enim anima humana eam vitam, qua non ipſa tantùm in ſeſe viuit, ſed etiam viuificat corpus, & tamen non dixerit Kemnitius, iſtam animæ humanæ vitam eſſe proprium & eſſentiale ipſius Deitatis attributum. Sed & fallax hæc eadem Kemnitij oratio eſt, quia Viuificandi ſignificatio duplex eſt. Vnus enim Deus aliud viuificat, vt κύριον αἴτιον vitæ: quædam autem viuificant velut inſtrumenta, quorum rurſus non vnum genus eſt. Caro Chriſti viuificat, vt medium, non vt ipſe fons, & cauſa vitæ æternæ efficiens, quas ſignificationes Kemnitius confundit Itaque ponit quatuor terminos in concluſione, quum tamen tres duntaxat habuerit in pręmiſsis. Quod autem de iudicio, id eſt, res omnes A creatas gubernandi poteſtate, citat Kemnitius, quum ſit ſubordinatum viuificandi poteſtati, ex ſuperioribus ſatis per ſe refellitur.

Kemnitius pag. 269. li. 5.

3. Argum. Kemnitij

Ioan. 17. inquit Chriſtus, glorifica me Pater apud te ipſum ea gloria, quam habui apud te priuſquam mundus fieret. Illam autem gloriam non eſſe creatam, certum eſt. Ergo humanæ Chriſti naturæ competit gloria increata & æterna.

Danæus.

Quid, & quomodo hîc ſcriberet, non ſatis, vt quidem apparet, perpendit Kemnitius. Primùm enim omnium non vtitur hîc S. ſcriptura verbis *dandi, & donandi*, ex quibus tamen ſolis Kemnitius argumentatur, & probat id, de quo agitur, referendum eſſe ad Chriſtum, ſecundum humanã ipſius naturam. Itaque ſuo ipſius fundamento, & ſuæ collectionis firmamento deſtituitur. Dein- B de quomodo, quæſo, de ea gloria, quæ ad humanam Chriſti naturam pertineat, poteſt hoc dictũ Chriſti intelligi, quum eam gloriam hîc deſignet Chriſtus ipſe, quæ eſt ἀΐδιος. Ioan.17. v. 5. Petit enim tantùm reſtitutionem fieri illius, quam prius, & ab æterno habuit, gloriæ, naturæ nimirũ illius ſuæ (quæ fuit ab æterno apud Deum Patrem) gloriam intelligens, non autem illam humanæ naturæ ſeu carnis gloriam, neque eam, quæ participari poſsit, Gal.4.v.4 Epheſ.1. v.10. quum hæc Chriſti caro, vt ait Paulus, demùm poſt impletum tempus, & plus quàm ter mille annos à condito mundo in rerum natura exiſtere cœpit. Cuius igitur naturæ gloriam commemorat Chriſtus? Diuinæ videlicet. Cur id verò? Quoniam, quemadmodum docet Paulus, ea Chriſti forma, in qua ipſe Deo patri eſt ęqualis, fuerat quodammodo per formam ſerui à ſe aſſumptam, Philip. 2. v.6.7. & per ſtatum ſuæ exinanitionis, & mortis in his terris euacuata, & quodammodo in nihilum redacta. Quare hunc exinanitionis ſtatũ conſiderans Paulus ait, Chriſtum fuiſſe poſtea exaltatum in æternam illã gloriam, quia per ipſius, nempe reſurre- C ctionẽ, aſcenſionẽ in cælũ, ſeſsionẽ à dextris, prędicationẽ Euangelij, vt idẽ quoque alibi ſcribit, Ver.9. fuit patefacta, & reuelata Diuina Chriſti natura, 1. Timot. 3.v.16. vt iam in tota perſona mediatoris eluceat illa gloria æterna Filij Dei: diuerſa tamen ratione in ipſis naturis diſtinctè conſideratis, id eſt, in natura quidem Diuina Chriſti natura ſplendeat æterna, & increata ipſius gloria, quæ perpetuò in eo fuit: in natura verò eiuſdem humana inſit, & eluceat immenſa quidem ratione aliarum creaturarũ, ſed tamen creata tantùm, non autem increata gloria & maieſtas. Sed Kemnitius vult eam ipſam æternam & increatam Diuinæ λόγου naturæ gloriã fuiſſe aſſumptæ carni reipſa tributam, & communicatam: quod eſſe falſiſsimum ſatis ſupérque probauimus. Ergo glorificandi verbo apud Ioannem intelligitur patefactio eius gloriæ, quæ ab æterno illi, vt Filio Dei æterno, inerat, quæ iſta incarnationis & exinanitionis Chriſti nebula velut adumbrata, & carnis aſſumptæ, velut velo tecta & obſcurata per aliquod tempus fuerat. Sic dixit Chriſtus apud eundem Ioãnem, A Io.12.v.18. *Pater glorifica nomen tuum*, non vt nouam gloriam nomini ſuo daret Pater, quam antea non haberet, ſed vt eam, quæ ipſi æterna eſt, illuſtraret. Sic docemur à Chriſto ipſo precari, & poſtulare à Deo Mat.6.v.9 quotidie, *Vt ſanctificetur, ſeu glorificetur nomen Dei.* Sic denique nobiſcum hunc locum interpretatur Cyrillus lib.9.in Ioan.c.20. & Auguſtinus Tract. 63. quos à ſtudioſis legi malo, quàm hîc deſcribi, ne in immenſum creſcat hęc noſtra reſponſio. Sed ponamus hîc agi de hac ipſa communicatione, quam vrget Kemnitius. Certè quum eam Chriſtus peteret, eam nōdum habebat (cur enim quod iam habebat peteret? Atqui triginta quatuor circiter antè annis cœperat hypoſtatica vnio. Ruit ergo totum Kemnitii fundamentum, qui communicationem iſtam certè fictitiam ab hypoſtatica vnione, tanquam cauſſa, deducit. Quod ſi ſuperiorem meam reſponſionem in meipſum regerens dicat Kemnitius, non petiiſſe Chriſtum illam cōmunicationem, ſed eius tantùm patefactionem præſenti infirmitate carnis obſcuratam, quæro vt ráne fuerit, an imaginaria illa infirmitas: ſi imaB ginariam fuiſſe vult, Marcionita eſt: ſin veram, ſicuti ſanè fuit, quid abſurdius eſt, quàm eodem momento carnem reipſa tum glorificatam, tum infirmam ſtatuere?

Kemnitius pag.269.linea 12.

4.Argu. Kemnitij *Mūdare ſeu delere peccata Dei proprium eſt. Eſa. 43. Sed illud non tantùm perſonæ Chriſti incarnati iuxta Diuinitatem: ſed diſertè etiam ſanguini ipſius, hoc eſt, ſecundum humanitatem etiam ipſam ſcriptura tribuit, nec ſola meriti ratione, ſed efficacia & applicatione. Ergo Chriſto ſecundum humanitatem propria Diuinæ λόγου naturæ idiomata, ſeu æterna competunt.*

Danæus.

AEquiuocatio eſt in toto hoc ſyllogiſmo eáque multiplex. Nam & paralogiſmus eſt, & plures terminos habet, quàm ferat legitima collectionis C ratio. Primùm verò æquiuocatio ineſt in propoſitione ipſius Syllogiſmi, quum dicitur, *Remittere* Iſa.43.v.12. *& delere peccata eſſe proprium Dei.* Nam contrà di- Mat.9.v.3 cit Chriſtus, & à Deo remitti peccata, & à nobis Mat.9.v.12. hominibus quoque. Exempli gratiâ, quæ in oratione Dominica ὀφειλήματα ſeu debita dixit Matthæus, ea interpretatur Lucas ἁμαρτίας ſeu peccata, Luc.11.v.4. At illa ὀφειλήματα remittere iubemur. Ergo etiam nos homines peccata remittimus. Col.3.v.13 Paulus ait, χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, καθὼς καὶ ὁ χριστὸς ἐχαρίσατο, id eſt, condonantes vobis mutuò (peccata) ſicut & Chriſtus condonauit vobis. Ergo & à Deo, & ab hominibus remiſſio ſeu condonatio peccati fieri poteſt: ſed diuerſa tamen ex cauſſa, & diuerſa ratione ac modo. Deus enim remittit peccatum, quatenus peccatum eſt ἀνομία, & verè peccati definitionem meretur, ídque ſolus Deus poteſt. Homines autem remittunt peccata, quatenus ſunt iniuriæ, ſiue damna, ſiue dolores ſibi præter Dei mandatum facti, & illati. Quare diſtinguenda fuit iſta ambiguitas, ne exiſtimetur vel eſſe Deus, vel proprium ac eſſentiale Dei idioma, quicunque quocunque modo & ſenſu peccata condonat. In aſſumptione quoque huius ſyllogiſmi eſt ambiguitas. A Nam etſi concedo, quum dicitur *Sanguis Chriſti nos emundare à peccatis*, tunc peccati vocem pro ἀνομίᾳ propriè, & pro actu, vt vocant, Deum ipſum, non autem hominem reſpiciente, ſumi: contendo tamen in eo ipſo diuerſas eſſe has duas rationes, vnam, qua ſanguis Chriſti, & alteram, qua Deus ipſe dicitur emundare, ſeu remittere, ſeu delere peccata noſtra. Paſtores Eccleſiæ remittunt, emundant, & delent peccata noſtra, propriè ſumpto peccati vocabulo Scriptum eſt enim, *quorum remiſeritis peccata in terra, erunt remiſſa, & in cælis.* Ioa.20.v.28. Euangelium remittit vera peccata, quæ ſunt verè ἀνομίαι, Deum ipſum lædentes, & eius legem violantes. Annuntiatur enim Euangelium hominibus in remiſſionem peccatorum: Luc.24. fides quoque delet peccata, & purgat corda noſtra. Act.15. Quid igitur Kēniti? num dixeris, & homines, & paſtores prædicatione Euangelii, & virtute illa ſeu qualitate in nobis creata, quę fides appellatur, habere eſſentiale Diuinitatis idioma re ipſa ſibi communicatum? Deus certè remittit, vt ipſe condonans ea, vt ipſum eorum reatum delens, & obliterans, Paſtores autem Euangelici ea delent, velut iſtius tanti B Dei beneficii miniſtri ſolùm & præcones: ſanguis Chriſti delet ea velut materia, & illud ipſum in cuius effuſione poſita eſt expiatio ipſa peccati, & pœna Deo perſoluta. Nam mors illa Chriſti violentiſſima, & ignominioſiſſima (quæ à Paulo Phil.2.v.8. mors crucis appellatur) fuit iuſtum pretium noſtræ inobedientiæ: quæ mors, quoniam acerbiſſimam pretioſi illius ſanguinis Chriſti effuſionem cum ſummis, tum animi, tum corporis cruciatibus coniunctā habuit, dicitur figuratè & ſanguis Chriſti & ſanguis crucis, quo dicūtur peccata noſtra deleri. Ideo Paulus hāc ſententiā explicās do- Coloſſ.1.v.20. cet, idcirco ſanguinem Chriſti dici expiare peccata noſtra, quia placamentum peccatorum noſtro- Rom.3.v.25. rum eſt in ipſius ſanguine, id eſt, pretium & ἀντίλυτρον, ſeu pœna ſatisfaciens corā Dei iuſtitia pro peccatis noſtris fuit ipſius Chriſti mors illa, vt di- 1.Tim.2.v.6. ximus, acerbiſſima, quæ vnius ſanguinis voce in S.ſcriptura συνεκδοχικῶς (nempe ex parte totū) ſignificatur. Eſt igitur hic ſanguis Chriſti emundatio peccatorum, quæ facta eſt per Chriſtum me- C diatorem: at ipſe ſanguis Chriſti, non condonat nobis peccata, ſed quod propriū ac eſſentiale eſt Dei idioma, nobis illius ſanguinis effuſione obtingit: neque cenſendum eſt, inſtrumento propriè tribui ea, quæ ſunt ipſius cauſæ agentis propria.

Kemnitius pag.270.li.5.

Colo.2. Paulus dicit, in Chriſto habitare omnem plenitudinem Diuinitatis corporaliter. Certum eſt autem omnem illam plenitudinem Deitatis non eſſe qualitatē aliquam creatam, aut donum infinitum, nec dici poteſt, omnem plenitudinem Diuinitatis inhabitare in Diuina natura Chriſti. Ergo de corpore, ſiue de humana ipſius natura hoc intelligitur. 5.Argum. Kemnitij

Danæus.

Hæc eſt ſumma quinti iſtius argumenti à Kemnitio propoſiti. Dixit Paulus, *plenitudinem Deitatis habitare in Chriſto*. Ergo dixit plenitudinem Dei-

A tatis habitare in ipſa carne. Nego ſequi. Aliud enim eſt loqui de Chriſto (qua voce à Paulo perſona ſignificatur) aliud autem de natura vna, id eſt, Diuina, vel humana. Ergo paralogiſmus hic eſt duplex, vnus à ſenſu non diſtributo ad ſenſum diſtributum(quod vocant in Scholis à compoſitione ad diuiſionem) alter à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid: quæ duo ſunt grauiſsima in diſputando vitia. Nam quod de Chriſti perſona dixit, & ſcripſit Paulus, reſtringit Kemnitius ad naturam Chriſti humanam. Ratione igitur vnionis dictum eſt, in illa perſona inhabitare plenitudinē Deitatis σωματικῶς: non autem dicitur à Paulo, *plenitudinem Deitatis eſſe realiter communicatam carni*, ſiue ab ea verè in ſeſe participari. Nec aliud ſibi vult Auguſtinus in Epiſtola 57. quàm hîc citat Kemnitius. Sic enim ille, *Corporaliter: nō ideo corporaliter, quia corporeus eſt Deus, ſed aut verbo tranſlato vſus eſt, tanquam in templo manufacto non corporaliter, ſed vmbratiliter habitauerit, aut certè corporaliter dictum eſt, quia & in Chriſti corpore, quod aſſumpſit ex virgine, tanquam in templo habitat Deus.* B At templum non participat, nec habet reipſa ſibi communicatam plenitudinem Dei in ſe habitantis, adeò vt Kemnitius ipſe ex hac Auguſtini à ſe prolati interpretatione refutetur. Præterea ſi ſic inhabitat plenitudo Deitatis in ipſa carne Chriſti, quomodo hîc contendit Kemnitius, quòd nimirum ea plenitudo Deitatis non ineſt in Chriſti carne, *ſubiectiuè, formaliter, realiter*, &c. quomodo in ea ineſſe poterit? Sed quia de interpretatione huius loci ſatis ſupérque antea diximus, non eſt in eo iam immorandum.

Kemnitius pag. eadem li. 3. à. fi.

6 Argum Kemnitij. *Athanaſius ait, Deus non eſt mutatus in humanā carnem, vel ſubſtantiam, ſed in ſe ipſo, quam aſſumpſit, glorificabat naturam, vt humana, infirma, & mortalis caro atque natura Diuinam profecerit in gloriam, ita vt omnem poteſtatem in cælo, & in terra habeat, quā antequam à verbo aſſumeretur, non habebat.*

C

Danæus.

Nuſquam Athanaſius Pater orthodoxus confudit inter ſe duas illas naturas in vna Chriſti perſona vnitas, vti vel ex quarto illius Dialogo aduerſus Arrianos apparet. Ergo nuſquam carnem Chriſti propria & eſſentiali Deitatis gloria veſtit, aut veſtitam agnouit. Quid igitur? Docet Athanaſius quantum ſupra omnem omnium rerum conditionem caro ſeu humana natura in Chriſto fuerit euecta: eò namque prouectam eſſe docet, vt omnem poteſtatē in cælo & in terra habeat. Matt. 28. Heb. 2. v. 7. Quā carnis Chriſti gloriam & maieſtatem appellat Athanaſius Diuinam, non quòd illa gloria ſit ipſa eſſentialis Deitatis gloria, quemadmodum putat hoc loco Kemnitius, aut illi etiam par & æqualis, ſed quòd ea carnis Chriſti gloria ſit ſumma, & excellentiſsima, & ſupra omnium rerum conditarū naturam, ſortē, ac conditionem (quantumuis felicem & beatam) emineat. Ergo in Diuinam profeciſſe gloriam non eſt ipſius eſſentialis Deitatis maieſtatis verè participem eſſe: ſed eſt ſummam gloriam, eámque creatā habere, quam caro Chriſti adepta eſt. A Diuina enim appellantur omnia, quæ humanis præcellunt: Præclarè enim Auguſtinus. *Nollem habere locū Angeli, ſi poſſem obtinere locum debitum homini*, de Chriſto homine intelligēs. Sed quia docuimus, illam poteſtatem, quæ homini Chriſto data eſt in cælū, & in terram, Heb. 2. v. 7. ſiue per quam ſuper omnia manuū Dei opera Rex, & dominus conſtitutus eſt (quæ propul dubiò eſt Diuina illa gloria, ad quam vſque profeciſſe ſeu prouectam eſſe carnē Chriſti intelligit Athanaſius) differre toto genere ab eſſentiali Deitatis λόγου gloria & maieſtate, & hanc eſſe increatam, illam autem creatā: pluribus iſta perſequi nihil hîc quoque neceſſe eſt, ne hominum otio abutamur, & actum agamus.

Kemnitius pag. 271. l. 2.

7. Argum. Kemnitij *Auguſtinus contra Felicianū cap. 10. Maieſtate Diuinitatis glorificatam nouimus carnem Chriſti.*

B

Danæus.

Quanquam Auguſtinus in loco à Kemnitio citato non habet vocem *Diuinitatis*, in quo tamen totum huius diſputationis firmamentum eſt collocatum, ſed tantùm his verbis vtitur, *glorificata eſt caro maieſtate, dum maieſtas humiliata docetur in carne*: tamen benignè largiamur Kemnitio verbū *Diuinitatis*. Concedimus igitur dictum Auguſtini, & veriſsimum id eſſe agnoſcimus, eo quidem ſenſu, quo Auguſtinus id dixit: nō autē quo ſenſu ſumit & concipit Kemnitius. Ratione igitur Vnionis hypoſtaticæ hæc Auguſtini ſententia vera eſt, quod intellexit Auguſtinus: ratione autē realis idiomatum Deitatis Chriſti eſſentialiū in humanā ipſius naturā cōmunicatiōis & participationis falſiſsima eſt, quomodo illam interpretatur Kēnitius. Noſtram autem ſententiam eodem illo capite docet his verbis Auguſtinus. *Quibus* (naturis) *in vnam naturam incomprehenſibilis mediatoris diſpenſatione coniunctis, ſeruauit ſingulis propria.* Hoc autem ab Auguſtino dictum eſſe duntaxat C propter vnionem naturarum, id eſt, quoniam vtraque natura facta ſit vna Chriſti perſona, apparet ex his eiuſdem Auguſtini verbis: *Sed coniunxit propriis aliena, ſeruauit propria, dum non amiſit immenſitatem deitatis, & infirmitatem non reſpuit carnis. Coniunxit propriis aliena, dum idem atque inſeparabilis Chriſtus, & proprio carnis occiditur, & proprio Deitatis apud inferos non tenetur.* Et poſtea concludens Auguſtinus, *ſed vtrunque non de duobus Chriſtis, vt tu putas, ſed de vno atque eodem ipſo, quem poſt partum virginis Deum & hominem nouimus, certum eſt nos prædicare.* Ex quibus apparet, neque ex Athanaſio, neque ex Auguſtino, neque ex aliis etiam vllis patribus (hi enim ex omnibus hoc loco productis maximè Kemnitij ſententiam confirmare poſſe videbantur, reliqui vero Patrum loci ne longa quidem manu hoc argumentum attingunt) realem illā idiomatum deitatis, eſſentialium communicationem carni à λόγῳ aſſumptæ factam eſſe, quam nullis argumentis probet Kemnitius. Nam iſtud quod affert ex Cyrilli lib. 4. in Ioan. cap. 23. *Caro Chriſti totam verbi operationem, ſuſcepit. Item Saluatoris caro tota eſt effecta viuifica*, monſtratum eſt antea, pro-

A pter perſonæ vnionem, non propter idiomatum participationem à Cyrillo dici, quum vel teſte ipſomet Kemnitio inſ. pag. 274. ipſa viuificatio ſit λόγου, non autem carnis actio. Ait enim Cyrill', *Diuina potentia λόγυ per carnem ſuam vitam largitur mortalibus.* Fons autem omnis iſtius erroris hic eſt, quòd non putat Kemnitius, eam maieſtatem, quæ data eſt carni Chriſti, per & propter vnionē illius cum Deitate λόγυ hypoſtaticam, ſatis exprimi, & illius prærogatiuam ſatis explicari, niſi eſſentialia & propria diuinæ naturæ attributa realiter carni communicentur, & ab illa participentur. Illud autem eſt falſiſsimum. Tota enim Maieſtas & eminentia carnis Chriſti ſatis exprimitur tum vnionis hypoſtaticæ gratia, qua idem eſt verè Deus & homo: tū donis ὑπερφυσικοῖς & παραφυσικοῖς in carnem aſſumptam incomprehenſibili nobis copia, effuſis. Quod denique Kemnitius hîc diſputat, vtrum ex ſententia Scholaſticorum medij quidam habitus creentur in nobis, vt ex donis à Deo in nos collatis operemur, curioſa eſt diſputatio, vt ſuprà monuimus, ad quam etiam vno verbo reſponderi poteſt, ſi habitum vocat Kemnitius B animi motum, qualitatem, & διάθεσιν creatam, nunquam Spiritum ſanctum aliqua efficere per hominis animam, quum animus ipſe ſeipſum moueat. Aliâs enim veluti trunci & ſtipites operaremur, atque eſſemus merè in huiuſmodi actionibus παθητικὰ duntaxat ὄργανα: eſſent denique Dei dona in nobis vt liquores inſunt in vtre, & vinum in dolio. Deniq; quod pag. 274. lin. 14. ſcribit Kēnitius *in ferro ignito intermediam qualitatē nō requiri, vt ignis per ferrum luceat & vrat*, eſt tam falſum & puerile, vt ne refutatione quidē egeat. Quis enim ignorat, priùs calorem inſeri ferro, ac ferrum calefieri, quàm vrat & caleat? Sin vocet habitum Kemn. quandam permanentem, & ægrè propter aſsiduitatem agendi debilem animi noſtri qualitatem (quam Philoſophi ἕξιν nominant) dicimus non ſemper ex Dei donis in nos collatis, tales, & tam conſtantes motus in nobis gigni & creari, ex quibus operemur. Sed quid hæc diſputatio ad rhombum, quum ſiue diſpoſitiones, ſiue habitus vocemus eas qualitates, quæ in nobis creantur ac gignuntur, propter dona Dei in nos collata, ex C eo non efficiatur, carnem Chriſti eſſentialiū Deitatis idiomatum participē eſſe, qui perpetuus eſt Kemnitij in tota hac tractatione ſcopus?

AD CAPVT VIGESIMVM SEcundum.

Vbi Kemnitius remouere conatur à communicatione Maieſtatis, confuſionem, exæquationē, & abolitionem naturarum in Chriſto.

QVandoquidem ea, quæ ad finem vſque huius libri ſequuntur, ſunt moleſtiſſimæ eorū, quæ iam millies inculcata ſunt, repetitiones, idcirco in illis examinandis breuior ero. Hoc quidem caput oſtendit perſpicuè, quo animi æſtu in illo ſuo de eſſentialibus Deitatis proprietatibus aſſumptæ à λόγῳ naturæ re ipſa communicatis, errore tuendo vexetur Kemnitius: ſic tamen vt nodum non expediat, neque ſe ex iis difficultatibus, vel potius blaſphemiis euoluat, quas ex A ſua illa ſententia neceſſariò ſequi & colligi præuidet. Imò præter caſam, quod dicitur, fugiens, ea, quibus maximè premitur, ἀδιάλυτα relinquit. Itaque verbo quidem teſtatur, ſe nolle per hâc realem idiomatum Deitatis λόγου eſſentialium participationem, ab humana Chriſti natura factam, & à ſe repertam, inducere vel confuſionem, vel cōuerſionem, vel abolitionem, vel exæquationem naturarum in Chriſto, & rectè quidem. Quid enim his ſententiarum monſtris magis blaſphemum, & veræ fidei noſtræ contrarium, totíque S. ſcripturæ, & piæ vetuſtati repugnans? Veruntamen, quod ille ſe efficere verbo nolle ait, efficit re ipſa, & quod euertendum eſſe teſtatur, ſtabilit: quod improbat, probat. Nobis certè quid verbis iſtis ſuis atteſtetur, ſpectandum non eſt, ſed quid ex ea ſentētia, quā mordicus tuetur, neceſſariò conſequatur, eſt perpendendum. Vulgatū enim eſt illud & veriſsimum, *Proteſtatio ipſi facto contraria, nullius eſt momenti*, vt ipſemet fatetur & ſcribit pagina 305. Sic qui Deum quidem verbis Tit. 1. confitentur, ſed factis negant, Deum non conB fitentur. Sed ad rem. Tuetur, & contendit Kemnitius humanam Chriſti carnem eſſe re ipſa participem ipſius eſſentialis λόγου omnipotentiæ, nō autem duntaxat potentiæ creatæ, & ab eſſentiali illa omnipotentia effectæ. Idem de ſcientia, de virtute, de operatione ipſius λόγου Deitatis propria & eſſentiali affirmat. Ecquis igitur non videt hac ratione & aſſeueratione naturas à Kemnitio in Chriſto vel æquari, vel confundi? Planum enim eſt, ipſomet Kemnitio & laudante, & probante iſtud Athanaſij dictum, *Natura creatitia neutiquam capax eſt eorum, quæ propria ſunt Dei.* Quare, vt illum verbis Proſperi vrgeam, quoquouerſum ſe conferat, à ſemetipſo & vincitur & vincîtur. Nam aut negandum eſt, humanam Chriſti naturam eſſe creatam, vt pote quam capacem faciat ipſius plenitudinis Deitatis: aut ſi vult eam eſſe capacem propriorum Dei attributorum, fatendum ipſi eſt, eam quoque eſſe ipſi Deitati æqualem. Nam eſſentialis ac proprij Deitatis attributi nihil, niſi quod & ipſum ſit Deus, capax eſt. Neque obſtat quòd illa propria Deitatis attributa, non ſic tribuit humanæ Chriſti naturæ Kem- C nitius, vt ſint illi propria & eſſentialia. Nam iſta exceptione tantùm nobis os oblinit & tenebras offundit, quoniam illud immotum manet, nullam omnino creaturam poſſe vllo quouis pacto ſeu modo eſſe eſſentialium & propriorū Dei attributorum re ipſa participem, ſiue vt illa habeat tanquam eſſentialia & propria, ſiue tanquam aduentitia & accidentia: ſiue item eſſentiali, ſiue Phyſica, ſiue alia quacunque ratione illi ineſſe dicantur. Nullo enim modo, nulláque ratione res creata capax vel particeps eſt eſſentialis creatoris ſui proprietatis: res finita, infinitæ potentiæ: res, quæ initium exiſtendi habuit, æternæ operationis & virtutis. Quamobrem in eo fuit laborandum Kemnitio, vt doceret, quanuis huiuſmodi communicatio tribuatur humanæ Chriſti carni, non ſequi tamen, vt propterea naturæ exæquentur: quod neque refutat, neque diluit, ſed tantùm verbis teſtatur, ſe nolle, vt id conſequatur. Multa, (inquā) ille præter rem, ſed de hac neceſſaria con-

A ſecutione, quæ remouenda fuit, vel nihil, vel pauca agit, in eo totus, vt demonſtret, ſi quis vel cõfundat, vel aboleat, vel exæquet Chriſti naturas, vel conuerti vnam in alteram dicat, eſſe hominẽ blaſphemum. Quare nos feriò damnamus, non autem verbo duntaxat, ſicuti Kemnitius in multis, Neſtorium, Euthychetem, Antitrinitarios, Anabaptiſtas, Schuuencfeldium, item eos, qui dicunt reipſa competere vtrique naturæ, quæcunque de Chriſto dicuntur: qui omnipotentiã creatam Deitati Chriſti tribuunt: aut hanc omnipotentiam eſſentialem Deitatis carni Chriſti vlla ratione communicant. Sed propterea tamen ab hæreſi Monophyſitarum, & Monothelitarũ, qui naturas in Chriſto condebant, & Neſtorianorum, qui naturas exæquabant, vel Schuẽcfeldianorum, qui naturam humanam abolent, Kemnitium non abſoluimus. Quomodo tamen hoc ipſe crimẽ à ſe depellere conetur, agedum videamus, præſertim quum fateatur vix capi aut intelligi poſſe, quomodo hæc realis & à ſe inducta communicatio fiat abſque confuſione, & exæquatione naturarum in Chriſto.

B

Kemnitius pag.277.linea 26.

Pag303.

1. Depulſio erroris de exæquatione naturarũ in Chriſto, qua ſe conatur purgare Kẽnitius.

Scriptura ipſa, quæ nullo modo docet confuſionem, tradit, Chriſto datam vitam viuificantem, & poteſtatem faciendi iudicium quatenus eſt Filius hominis, Ioan. 5. Epheſinum concilium definit carnem Chriſti eſſe viuificatricem. Sanguinem ipſius emundare conſcientias à peccato dicit epiſtola ad Hebræos cap. 9. Quæ ſanè ſunt attributa diuinitatis propria. Ergo non ſequitur naturarum in Chriſto confuſio, aut exæquatio, ſi Deitatis λόγου *propria attributa re ipſa carni ſeu humanæ Chriſti naturæ tribuantur, & ab ea participentur.*

Danæus.

Hæc prima depulſio erroris de naturarum in Chriſto confuſione, & exæquatione, quam proponit Kemnitius, tota eſt ludus quidam, & fallacia ex æquiuocatione harum vocum, *Viuifica, Viuificare, Mundare*, quæ quum tribuuntur vel à S. ſcriptura, vel à Patribus carni & ſanguini Chriſti, neque eodem modo, neque eodem ſignificato ſumi debent, quo quum tribuuntur ipſi λόγου Deitati. Carni enim & ſanguini tribuuntur, veluti interuenientibus mediis, ſiue, vt loquitur ipſe Kemnitius, inſtrumentis: Deitati verò λόγου velut ipſi vnicæ veræ cauſæ agenti. Quemadmodum igitur inſtrumenta ipſa etiam λογικὰ, & θελητικὰ (quales ſunt homines, quibus vtitur Dominus ad opus ſuum, verbi gratiã, ad docendos & conuertendos alios homines) ipſam eſſentialem virtutem, & propriam Dei actionem, ſeu operationem non participant: (vnica enim Deitas & cor aperit intus, & per aures audita cordibus infigit) ſed duntaxat creatam habet ſcientiam, cæteráque dona, toto genere ab illa eſſentiali Dei virtute & operatione diuerſa: ſic (in ſuo tamen ſummo gradu, & à cæteris inſtrumentis diuerſa ratione) ſacratiſſima illa caro: & ſanguis Domini N. Ieſu Chriſti, etſi primaria ſunt vitæ æternæ ex Deitate λόγου in nos propagandæ media, & canalis, ipſam tamẽ virtutem λόγȣ eſſentialem, quæ nos in vitam æternam viuificat, aut ipſam illius operationẽ in illa noſtra viuificatione propriam ipſius deitatis λόγȣ, nequaquam reipſà participant, neque communẽ cum ipſa Deitate habent: quod tamen putat Kẽnitius. Quare quum non tribuat S. Scriptura, vel Patrum concilia carni vel ſanguini Chriſti ipſa propria, & eſſentialia Dei attributa, nullam illi confuſionem, & exæquationem naturarum in Chriſto inducunt. Quum autem Kemnitius vnà cum ſuis ipſam eſſentialem Dei operationem carni Chriſti re ipſà communicet, naturas cõfundit, & exæquat: neque ſe exemplo vel S. Scripturæ, vel Patrum tueri, vel abſoluere ab errore ſuo poteſt, vt qui contra mentem S. Scripturę, & Patrum, propria Dei faciat re ipſa creaturæ communia, & ab ea participata.

Kemnitius pag.278.li.6.

2. depulſio erroris.

Nam & pueris in ſcholis notum eſt, non valere argumentum à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter Nam, ſicut Nazianzenus loquitur, aliud eſt πῆ, *aliud* ἁπλῶς. *Non fit hoc modo, ergo nullo modo fieri poteſt: vt quum quidam ita argumentatur, Attributa diuinæ naturæ propria non communicantur aſſumptæ naturæ per confuſionem, conuerſionem, aut exæquationem ſiue naturarum, ſiue idiomatum eſſentialium: ergo nullo modo ei communicantur.*

Danæus.

Huius ſecundæ depulſionis hæc ſumma eſt, eos vitioſiſſimè argumẽtari, & paralogiſmum à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter nectere, qui negant propria & eſſentialia diuinæ Chriſti naturæ attributa poſſe reipſa (quam voculam aſtutè hîc prætermiſit Kemnitius) communicari Naturæ eius humanæ, niſi fiat, aut ſequatur naturarum in eodem Chriſto confuſio, vel exquatio: quoniã (excipit Kemnitius) alio modo communicari re ipſa carni Chriſti poſſunt illa eſſentialia Deitatis idiomata, quo nulla naturarum fiat confuſio, aut exæquatio. Hunc autem modum ipſe explicat, nimirum vt, *ſicut calor ſeu ignis communicat ferro ignito vim lucendi, & vrendi, & anima communicat corpori animato ſuas facultates, ſic natura diuina communicet ſuas eſſentiales proprietates humanæ naturæ aſſumptæ.* Quaſi verò, ſicut illa vis vrendi & lucendi (quę in ferro mera qualitas eſt, & accidẽs) alij rei communicari poteſt, ſic & diuina, ac eſſentialia Deitatis λόγου idiomata ſeu attributa, quæ (vt ipſemet Kemnitius fatetur) ſunt ipſamet eſſentia diuina, aliis rebus communicari quoque poſſunt. Ex eo enim ſequetur, vel deitatem ipſam, vel eſſentialia eius idiomata eſſe qualitates quaſdam, & accidentia. Anima verò ſuas ipſius proprias facultates, & operationes non tribuit corpori, ſed in eo, tanquam inſtrumento duntaxat, vires idoneas inſerit à ſuis diuerſas (vis enim res obiectas cernendi ab anima in oculis fluit, ipſæ verò tunicæ, & nerui oculorum res viſas non diſcernunt: ſed vnius animæ propria eſt rerum diſcernendarum ἐνέργεια.) Itaque Deitas λόγου ſuas ipſius operationes, & propriam, ac eſſentialem ſibi virtutem non tribuit humanæ ſeu aſſumptæ naturæ: ſed alias vires & actiones in ea creat, & inſerit à ſuis diuerſas, & tamen ipſius naturæ diuinę operationi adaptatas, A & analogas. Suprà verò iam aliquoties copioſè demonſtrauimus, quàm ineptæ ſint in hoc argumento ſimilitudines iſtæ, quas affert Kemnitius, & præter Patrum (qui ſunt iis vſi) mentem detortæ. Sed age, propius etiam congreſsi depulſionẽ ipſam Kemnitij depellamus. Negamus igitur nos vitioſè argumentari, quum ſic ex Kemnitij ſentẽtia colligimus, Attributa, ſeu idiomata diuinæ Chriſti naturæ propria, ac eſſentialia per iſtos homines humanæ naturæ reipſa communicantur, vt ab ea verè participentur. Ergo per iſtos homines confuſio & exæquatio naturarum in Chriſto inducitur. Ratio eſt, quoniã vnaquęque res ſuis idiomatibus eſſentialibus, à cæteris eſſentiis diſcernitur. Ex quo efficitur, Deitatẽ fore neceſſariò, quicquid eſsẽtiale vllũ idioma Deitatis participaret: ꝙ quũ fieri nullo modo poſsit, (Factitia enim Deitas, Deitas non eſt) conſequitur, idiomata Deitatis eſſentialia (cuiuſmodi ſunt omnipotentia, &c.) eſſe ἀπλῶς, & omni modo realiter ἀκοινώνητα, neque communicari re ipſa poſſe, quin res creata Deitati exæquetur. Ergo nos modum, & reſtrictionem illam (quam vocat dictum ſecundum B quid Kemnitius) non addimus, ſed ipſemet Kẽnitius eam habet, quum ait, *Re ipſa natura humana communicari hæc idiomata Deitatis eſſentialia.* Verba enim Kemnitii diſertè eum modũ exprimunt, qui modus confuſionem vel exæquationẽ illam naturarum inducit. Quòd ſi generaliter ipſe ſic loqueretur, *Idiomata diuinæ naturæ propria & eſſentialia communicantur humanæ Chriſti naturæ*, nos diſtingueremus, ídque per gratiam vnionis (quam vocant Scholaſtici) ſeu per prædicationẽ Dialecticam, (vt loquuntur Neoterici) ſiue κατ' ἄλλο fieri, ac veriſſimum eſſe facilè cõcederemus. Sed modum ipſum exprimit, adiicítque Kemnitius, quo fit iſta communicatio, nempe ita vt eſſentialia iſta idiomata Deitatis re ipſa participentur, ſeu communicentur naturæ humanæ. Quare neque verbis Kemnitij quicquam addimus, neq; vitioſè ratiocinamur, neque Paralogiſmum committimus: ſed quod omnino, & neceſſariò ex illa ſententia conſequitur, oſtendimus, & Kemnitium ipſum per Kemnitium confutamus.

C

Kemnitius pag.279. li.13.à.fi.

3.depulſio.

Attributa diuinitatis propria nequaquam communicata ſunt aſſumptæ naturæ, vt eſſentialiter, ſeu per eſſentiam, ἐν ἑαυτῇ, καὶ καθ' ἑαυτὴν, in ſe & ſecundum ſe illa habeat, formaliter ſubiectiuè aut habitualiter inhærentia, vt ita communia ſint diuinæ, & humanæ naturæ, & ſicut propria ſunt diuinæ naturæ: ita propria facta ſint per cõmunicationẽ etiã aſſumptæ naturæ. Sequeretur enim ὁμουσία & exæquatio naturarum in Chriſto, quod pugnat contra fidei analogiam.

Danæus.

Hæ ſunt perpetuæ Kemnitij aſtutiæ prorſus inanes, dum eſſentialia Deitatis idiomata, licèt reipſa communicata naturæ humanæ, negat propterea fieri diuinæ, & humanæ naturæ communia, quoniam humanæ naturæ, *ſubiectiuè, formaliter*, ſiue *habitualiter*, non inhæreant. Quid igitur? Vúltne per prædicationem Dialecticam duntaxat illi communicari? Nequaquam. Hanc enim prædicationem titularem tantùm, & mõſtroſam eſſe A cenſet. Quid ergo ſibi vult iſtius hominis oratio, qui ait hæc idiomata Deitatis eſſentialia reuerâ communicari humanæ Chriſti naturæ, & tamen negat illi ineſſe *formaliter, ſubiectiuè ſeu habitualiter?* nimirum, vt vno verbo dicam, negat hoc ipſum Kẽnitius, quod affirmat. Nam certè ſi carni Chriſti aliquo illorum modorum non inſunt, quum neque vt accidens, neque vt ſubſtantia, illi inſint, præter quos duos reipſa inexiſtendi modos alij ſunt nulli, nullo certè modo reipſa humanæ naturæ inſunt. Quòd autem putat Kemnitius, ſe poſſe ſuæ ſententiæ blaſphemiam, & fidei analogiæ, vt ipſe fatetur, pugnantem conſecutionem de confuſione, & exæquatione naturarum effugere, quòd neget idiomata Diuina fieri per hanc communicatonẽ realem, eſſentialia ipſi naturæ humanæ, cui tribuuntur: nullum in eo præſidium, vel perfugium habere poteſt. Nam ſi eſſentialia ipſi non ſunt, ergo accidentalia: ac proinde, vt in ſubiecto inhærentia. Quocunque autem modo eſſentialia Deitatis attributa ſtatuantur illi carni Chriſti verè & realiter ineſſe, ſiue vt facta ipſius carnis eſſentialia, ſiue vt ſolùm illi accidentia: ſequitur B ſemper iſta vel confuſio, vel exæquatio naturarũ, quoniã quicquid verè participat ipſummet eſſentiale Deitatis idioma, aut illius capax eſt, (quod à carne Chriſti fieri contendit Kemnitius) Deus ſit neceſſe eſt, vt infinitis locis antea demonſtratum eſt. Denique ſuprà dixit Kemnitius, hæc idiomata non ineſſe carni Chriſti vt accidentia: nũc negat ineſſe, vt ipſius carnis οὐσίαν. Ergo nullo modo inſunt, etiam ipſomet Kemnitio teſte. Fieret enim hac ratione Patri ὁμοούσιος vtraque natura in Chriſto, id eſt, tota fides Chriſtiana, Euangeliíq; D. N. Ieſu Chriſti veritas euerteretur.

Kemnitius pag.292. li.fin.

Vltimam conſecutionis, quæ à nobis ex ipſius ſententia fit, depulſionem continet iſte locus à nobis annotatus, qui vno verbo concludi poteſt. Ait ille. *niſi propria & eſſentialia diuinæ naturæ attributa re ipſa inſint humanæ Chriſti naturæ, tribui duntaxat titulum, non rem ipſam, carni Chriſti, atque ita inanem eſſe totam hanc prædicationem.* Sed breuiter huic obiectioni nos ſic reſpondemus.

4.depulſio.

C Talia ſunt prædicata, qualia ea eſſe patiuntur ſubiecta. Præclarè enim Nazianzenus. *Qualis eſt vnio, talis eſt communio. Et talis eſt prædicatio, qualis eſt communicatio.* Ergo quum in Chriſto per vnionem hypoſtaticam, natura diuina non ſit facta humana, nec humana, diuina, imò manſerint & ipſæ inconfuſæ, ac earum eſſentialia, ac propria idiomata quoque inconfuſa, & diſtincta, neque ſua ſubiecta (vt fatetur Kemnitius) egrediantur: conſequitur neceſſariò, neque eſſentiam, neq; eſſentialia alterutrius naturæ de altera ſine impietate & manifeſta blaſphemia dici poſſe, & quoties propria Deitatis idiomata tribuuntur, in concreto, homini Chriſto, aut propria humanitatis, Deo Chriſto (vtrumque enim id fieri ex Dei verbo cõſtat) id fieri ratione tantùm perſonæ: non autem ratione ipſius carnis, aut Deitatis, nimirum vt illa prędicatio vera ſit de perſona Chriſti, in concreto ab alterutra natura denominati: nõ autem de humana, ſiue diuina ipſius natura in abſtracto

Nazianzenus apud Theodor. item dial. 1.

A ſtracto talis ſit, qualis ipſa eſt communio, id eſt ratione ipſius perſonæ Chriſti realis: ratione verò carnis κατὰ λέξιν tantùm, ſeu Dialectica: nec tamē inani, quum minimè ſit inanis vnio, nec imaginaria, ſed veriſsima, adeò quidē, vt eius veritas ſola faciat, vt diuina homini, humana Deo verè tribuantur: humanitati verò diuina, vel Deitati humana nequaquam, vt videlicet per vnionem hypoſtaticam Deum quidē factum eſſe hominē, contra Neſtorium: naturas verò prorſus diſtinctas manſiſſe, contra Eutychen intelligamus. Sed quia huic obiectioni millies penè iam & à nobis antea reſponſum eſt, & eſt res hæc tota per ſe perſpicua, non puto diutius eſſe in ea nobis confutanda immorandum.

AD CAPVT VICESIMVM tertium.

B Vbi contendit Kemnitius, proprîa Deitatis λόγου attributa, ſeu eſſentialia Dei idiomata, ſic ineſſe carni aſſumptæ, quemadmodū vis vrendi, & lucendi ineſt in ferro ignito.

NVllus certè vel ſcribendi, vel diſputandi finis vnquam fuerit, ſi quæ ſemel demonſtrata, & acta ſunt, repetere, iterūque agere placuerit, quemadmodum hoc toto, & ſequētibus capitibus, imò toto iſto, cui reſpondemus, volumine factum eſt à Kemnitio, ſiue quòd ſuapte quadam natura βαττολογίαις delectetur, ſiue vt nos à ſui ſcripti lectione, & veritatis defenſione abſterreret. Ego verò, qui neque meo, neque aliorum otio abuti, tam intemperanter velim, quæ ſunt à me antea iam refutata, & ſatis ſupérque explicata, nequaquam inculcabo. Quæ ſit igitur & qualis iſta ferri igniti ſimilitudo, ſuprà oſtendimus, vt ab hoc argumento prorſus diſſentanea, vt denique à patribus ſit in eum duntaxat finem adducta, vt contra Samoſatenianos docerēt, res, etiam genere prorſus diſſimiles, vniri in vnū C hyphiſtamenon poſſe: non autē quòd eis in mentem vnquam venerit, vt docerent, eſſentialia vnius naturæ ſic vnitæ idiomata, re ipſa communicari alteri poſſe, quod hic contendit Kemnitius: imò ex ea ipſa ſimilitudine demonſtrare voluiſſe, manere in tali vnione inconfuſas, & incommunicatas proprias cuiuſque rei ſic vnitæ operationes, & vires. Ex quo apparet, in contrariam prorſus ſententiam fuiſſe à Kemnitio iſtas ſimilitudines detortas, quæ omnia nihil iam eſt repetere neceſſe, quum ad totum hoc caput longiſſimum ſuprà capite ſexto huius libri luculenter à nobis ſit reſponſum. Certè quæcunque Patrum ſentētiæ à Kemnitio pagina trecenteſima decima, & aliquot ſeqūentibus afferuntur, oſtendunt, non alia dona eſſe re ipſa communicata ſanctiſsimæ Chriſti carni, quàm finita, & creata, quæ illi carni non φανταστικῶς, & κατ' ὄναρ (quod ſibi volunt illa Kemnitij verba, *non eſſentialiter, non formaliter, non habitualiter, non ſubiectiuè, &c.*) ſed verè & habitualiter inhæreant: quam tot eminentium ſupra reliquas creaturas omnes donorum realem, A & habitualem poſſeſsionem vocant iidem Patres carnis Chriſti ἀποθέωσιν, ſeu *Deificationem, Maieſtatem hominis Chriſti, & plenam carnis Chriſti gloriam*: quibus iiſdem donis facta ſit eadem caro Chriſti, beatiſſima caro: &, ratione quidem ipſius Dei, inſtrumentum primarium, & immediatum noſtræ Salutis, Sapientiæ, Viuificationis, Sanctificationis, Redemptionis: ratione verò noſtri, canalis earundem Dei in nos gratiarum. Ex quo fit, vt caro, & ſanguis Chriſti nos alere paſcere, viuificare, mundare, ſaluare, redimere, ſanctificare dicatur: non quòd eſſentialia ipſius Deitatis λόγου, cui vnita eſt, idiomata re ipſâ habeat ſibi communicata, aut quòd iis ipſis effectis & ἀποτελέσμασι, vnica ſit τοῦ λόγου & carnis aſſumptæ energia, quod tamen vult Kemnitius. Neque enim aliam carnis Chriſti maieſtatē ac gloriam ille cogitare poteſt, vel eſſe contendit, quā quæ ſit ipſius Deitatis eſſentialibus idiomatibus, tanquam ſpoliis re ipſâ veſtita & particeps, neque gratia vnionis, neque creatis in humana aſſumpta B donis contentus, ſed commentitiam quandam mediam realem communicationem & cooperationem imaginatus. Mera autem eſt calumnia, quod pagina trecenteſima vigeſima tertia ſcribit, nempe quòd Diuinitatem duplicem, duplicem Diuinam Maieſtatem, Potentiam, Sapientiam, Gloriam conſtituamus. Nam duplex quidem in Chriſto (qui idem & verus Deus, & verus homo eſt) Maieſtas, Potentia, Sapientia, Gloria, &c. & ex Dei verbo, & ex Patrum omnium orthodoxorum ſententia conſtituitur: ſed non duplex eſſentialis Deitatis Maieſtas, aut Potentia, &c. vt tamen ille nobis affingit. Nam vna tantùm eſſentialis Deitatis Maieſtas, gloria, potentia &c. Chriſto, vt Deo, tribuitur à nobis. Quæ verò eidem Chriſto, vt homini, à nobis. tribuuntur, Maieſtas, gloria, potentia, &c. ea nequaquam Deitatis eſſentialis eſt, ſed eſt creata, & donata, & finita. Quid verò Kemnitius? Ipſe ex Monothelitarum errore vnam duntaxat potentiam, Maieſtatem, ſapientiam, gloriam, operationem &c. (quæ Deitatis eſſentialis eſt) tribuit diuinæ, & humanæ Chriſti naturæ. Sic enim ille ſentit perſpicuè, meritò tamen damnans eos, qui tertium quoddam genus operationis θεανδρικῆς C, id eſt, ex vtriuſque naturæ actione miſtæ & compoſitæ inducunt, quod certè genus actionis confundit & miſcet in Chriſto naturas. Denique quod pag. 325. & ſequentibus conatur reſpondere tribus illis doctiſsimorum Anhaltinorum Theologorum fortiſsimis & ἀδιαλύτοις argumentis, de quibus nos ſupra cap. 3. diximus, inanis prorſus apparet in ea re Kemnitij conatus. Primū enim ita ſe ſuiſmet ipſe verbis inuoluit, vt ne à ſeipſo quidem intelligi, nedū à nobis poſſe videatur. Deinde etiamſi dilucidè loqueretur, eáſque reſponſiones, quas conatus eſt afferre, perſpicuè ſcriberet, ſicut facere ſtuduit Hunnius, nequaquā tamen illa Kemnitium ab errore Monothelitarum liberauerint, quum vel totam Trinitatē incarnatam eſſe ex ipſius ſententia ſequatur, vel hypoſtaticam vnionem ab inexiſtentia Deitatis λόγου in nobis, non toto genere ſed ſecundum plus, aut minus, differre. Denique, quid tibi venit

A in mentem, Kemniti, vt hæc argumenta ſoluere laborares, quum aduerſus effuſionem omnium diuinorum idiomatum in humanam naturam (quã eſſe hypoſtaticam in Chriſto naturarum vnionẽ Iacobus Andreæ definierat) prolata ſint, & tu eã effuſionem in hoc toto libro millies, vt hæreticã, & quidem meritò, condemnes? Sed quoniam hæc propria eſt eruditiſſimorum illorum Theologorum Anhaltinorum aduerſus vos concertatio, ad eos te remitto, qui facilè vno verbo has tuas prolixas reſponſiones exſufflabunt, ac ineptas eſſe demonſtrabunt. Itaque ad reliqua tui libri capita venio.

AD CAPVT VICESIMVM quartum.

B Vbi quædam teſtimonia ex S. Scriptura conatur proferre Kemnitius, ad ſuperioris erroris ſui confirmationem.

Pag.342.
Pag.365.

EXclamare & hîc libet, *Manũ de tabula tollere vir iſte nõ poteſt.* Verùm enimuerò breuis & facilis eſt ad ea omnia, quæ affert hoc loco ex Sacra Scriptura Kẽnitius, reſpõſio. Nã vt prætermittam illam ſplendidam bilem, qua quoſdã iam vocat Satanas, & Chriſtum dicit à nobis ſtatui velut κωφὸν πρόσωπον, & nos vbique per contumeliam Sacramentarios, venio ad illa vndecim argumenta, quæ ex ſuperioribus repetit. Ex ijs autẽ quum argumentatur, & effici putat, eſſentialia Deitatis idiomata reipſa tribui & communicari carni, ſeu humanæ naturæ aſſumptæ, fallitur perpetuo errore, ac in vniuerſum operationem ſeu ἐνέργειαν confundit cum ipſo actionis effecto, ſeu apoteleſmate. Tribuit enim S. Scriptura Diuinæ naturæ, & carni, ſeu ſanguini Chriſti, viuificationem noſtram, purgationem noſtrorum peccatorũ, redemptionem noſtram, ſalutem, illuminationem, tanquam ἀποτέλεσμα, ſeu opus & effectum vtriuſque Chriſti naturæ commune, non autem C tanquam ἐνέργιαν aliquam vnicam vtriuſque illius naturæ communem. Imò ſic tribuit iſta apoteleſmata vtrique naturæ S. Scriptura, vt in iis eſſe cuiuſque naturæ propriam diſtinctámque actionem velit, quæ alteri naturæ minimè communicetur. Exempli gratia, ſanguis Chriſti eſt redẽptio noſtra, quoniam eſt ἀντίλυτρον, ſeu iuſtum pretium pro peccatis noſtris expiandis, à Chriſto perſolutum. Sic enim Paulus explicat in eadẽ Epiſtola, & eodem capite Coloſſ. 1. v. 14. & 20. & 1. Timoth. 2. v. 6. Diuina Chriſti natura nos redemit, quoniam Diuina illius virtus & omnipotẽtia nos ad ſe conuertit, atque ita nos à poteſtate tenebrarum liberauit, & tranſtulit in regnum lucis, ait idem Paulus, & nos idoneos fecit ad participandam ſortem ſanctorum Coloſ. 1. ver. 12. & 13. Eodẽ modo Sanguis Chriſti delet peccata noſtra 1. Ioan. 1. quoniam eſt eorum delendorũ & tollendorum pretium, ac placamentum, Rom. 3. verſ. 25. Natura Chriſti Diuina delet eadem peccata noſtra propriè, vt pote quæ ipſa à nobis offenſa fuerit, & quæ ea nobis remittat & condonet. Idem de noſtra purgatione, ſanctificatione, viuificatione, cæteríſque illis ἀποτελέσμασι dicendum eſt, in A quibus, quanquam opus ipſum ſeu effectum vtriuſque Chriſti naturæ cõmune eſt: ἐνέργειαι tamẽ ſunt in illis operibus cuiuſque naturæ propriæ, atque viciſſim reipſa imparticipabiles, niſi eſſentiale Deitatis idioma abſque eſſentia ipſa, id eſt, proprium Deitatis abſque ſuo ſubiecto alij rei reipſa communicari poſſe, impiè dixerimus, de quo ipſo iam antea diximus. Sed quoniam iſta millies inculcat Kemnitius, liceat nobis quoque ſæpius ea repetere, vt ille faciliùs intelligat, nos in ea ſolutione & perſtare, & acquieſcere, vtpote veriſſima. Hic enim eſt perpetuus à compoſitione ad diuiſionem, ſeu à diſtributiuo ad non diſtributum Kemnitij paralogiſmus, qui in hoc capite, ac ſingulis iis argumẽtationibus, quas concinnat ex vndecim illis locis ab ipſo prolatis, magno ſemper errore, committitur. Itaque vel hæc vnica reſponſio ſatis eſſe ad totius huius capitis vitium detegendum poterat. Veruntamẽ vt bonis & pijs viris gratificemur, qui à nobis id fieri poſtulant, ad illa etiam ſigillatim reſpondebimus, quæ in B hoc capite dubitationem inijcere animis Lectorum poſſunt, ſic tamen vt eos ad illa remittamus, quæ copioſè ſunt à nobis in hoc examine antea demonſtrata.

Pag.33.

August.in Epiſt.57.

Primùm igitur, quod ad Pauli locum, *Omnis plenitudo Deitatis habitat in eo corporaliter.* Col. 2. v. 9. ſatis eſt ille ſuprà explicatus, probatúmque, illud *Corporaliter*, ſignificare ὑποστατικῶς, & perſonaliter: non autem aliquid eſſentiale communicatum ex vna Chriſti natura in alteram. Niſi quis ex mente Auguſtini velit τὸ Corporaliter opponi illi modo inhabitationis, quo olim per vmbras in Solomonico templo Deus habitauit. Dicitur enim Chriſtus corpus vmbrarum legis Coloſſ. 2. v. 17. Ergo habitat plenitudo Deitatis in hac perſona Chriſti, ídque perſonaliter. Nam illa plenitudo Deitatis conſtituit partem illius perſonæ, quæ Chriſtus eſt, ὑποστατικῶς, ϗ οὐσιωδῶς, vt ait Oecumenicus, non autem ἐνεργητικῶς, ϗ κτ᾽ συμβεβηκὸς duntaxat, vt in aliis piis & ſanctis viris, in quibus non tantùm ineſt, ſed etiam inhabitat. Non habitat autem plenitudo Deitatis in carne Chriſti σωματικῶς, id eſt, in ipſa carne, ſeu reipſa ita participata, vt ipſam eſſentiam Diuinam, vel illius eſſentialia idiomata habeat C caro Chriſti, vt vnam cum eo omnipotentiam, virtutem, ac operationem teneat, quoniam iſtud eſt confundere in Chriſto naturas, vel abolere eſſentiales earum proprietates, quod vtrunque eſt hæreticum: quod tamen ex illa Pauli ſententia malè colligit Kemnitius.

Quòd autem dicitur Chriſti ſanguis nos purgare, ſeruare, &c. id ſanguini Chriſti tribuitur, vt ipſi materiæ noſtræ purgationis, & primario Dei ad illud ſuum beneficium in nos conferendũ μέσῳ & canali. Canalis verò, & carnis Chriſti, velut inſtrumenti operatio, ab ipſius cauſſæ efficientis operatione, toto genere diuerſa eſt, ne idem ſtatuamus eſſe cauſſam ipſam propriè efficientem, & ipſum inſtrumentum: id quod etiam Paulus idem de ſuo miniſterio teſtatur Rom. 11. Tim. 3. 1. Cor. 3. vel ipſo adeò Kemnitio teſte pag. 340. & 362. qui Paulus tamen ſe vnam cum ipſo Deo operationem habere, neque ſenſit, neque voluit, id eſt, qui nunquam ſe Deo parem, & ὁμόθρονον fecit.

Quod

Quod ad dictum Chriſti Math.28. *Omnis poteſtas data eſt mihi in cœlum & terram*, illud poteſtatem æqualem ipſi eſſentiali Deitatis omnipotentiæ nequaquā deſignat: ſed poteſtatē illa lōgè inferiorē,id eſt, & illius eſſentialis Dei omnipotētiæ ratione finitā, & per ſe creatam, non æternā, quum & cælum,& terra initium habuerint,in quę datum eſt illud imperium , & natura quoque ipſa humana Chriſti,cui hoc imperium datum eſt, certo tempore exiſtere cœperit. Cæterùm quod ait pag.338.Kemnitius,hanc ſententiam à Chriſto pronuntiatam in monte Galilææ, quum illic plus quàm 500. fratres adeſſent,voluit quidem ille hāc Chriſti ſententiam ab ipſis circunſtantiis nobis commendare , quaſi non ſatis vera vel commendata ſit piis omnibus eo ſolo nomine, quòd Chriſti Domini noſtri , & Filij Dei ſententia eſt, & Euangelij pars.Sed quis Kemnitio ius iſtud diuinandi dedit, quum hoc ſit tritiſsimum, *Nihil in Theologicis eſſe præſupponendum*? Sacra verò Scriptura nihil huiuſmodi tradit, quale hîc habet Kēnitius,& temporis circunſtantia euincit, in monte Oliuarum, qui Hieroſolymis vicinus erat,non in vllo monte Galilææ habitam eſſe à Chriſto cōcionem iſtam , quum mox eſſet in cœlum recipiendus.

A Pag.338.
B Act.1.

Quòd ad Danielis dictum attinet cap. 7. v. 14. *Fore æternam Chriſti hominis poteſtatem*, quis ignorat, & ex linguæ illius vſu, golam,& ex ipſo Prophetæ ſenſu, *æternam* illic pro perpetua & ſemper duratura ſcribi non pro ea , quæ nullum initium habeat?Nec enim Chriſti hominis , ſeu illius naturæ poteſtas poteſt dici, cenſeríue æterna, & abſque temporis principio fuiſſe, qualis eſt eſſentialis ipſius λόγου , ſeu Deitatis poteſtas, quum ipſamet Chriſti humana natura certo temporis momento exiſtere cœperit quemadmodum S. Scriptura tradit. Sed diſertè noſtram hanc interpretationem confirmat: quòd eodem capite poſtea v.27.& eadē voce *golam*, regnum electorum Dei dicitur æternum. Eſt enim æquiſsimum , vt quale ipſius capitis noſtri,nimirū hominis Chriſti,tale etiam membrorum ſit regnum. Quod tamen ἀΐδιον & æternum , vt Deus eſt æternus,fuiſſe, nemo vnquam dixerit.Denique noſtram hanc ſententiam confirmat ipſe Lutherus, De vltimis verbis Dauidis,cuius verba ipſe Kemnitius pag. 4.28. probat, & aſcribit, vt nihil huc tranſcribere ſit neceſſe. Eandem quoque confirmat Auguſtinus.Quare peſsimè, & magna vocabuli huius *æterna*,fraude (quam ipſe nobis nectit)fallit Kemnitius,qui potentiam,homini Chriſto datam,putet eſſe ipſam eſſentialem Deitatis λόγου potentiā, quoniam æterna vocatur,id eſt,perpetuò duratura dicitur. Eo modo & Angeli ipſi,& hominū animæ dicuntur æternæ.Sic enim ſunt à Deo creatæ,vt futuræ ſint immortales & perpetuæ. Sed de vocum ἀΐδιȣ, & αἰωνίȣ differentia legat Baſilium Kēnitius,& Auguſtinū cōtra Priſcillia.cap.5.&.6.

Gal.4.v.4. Epheſ.1.v.10.
C August.in Euangel. tract.78

Quod ad eam autem attinet poteſtatem , qua Chriſtus efficaciter olim egit in miniſterio Apoſtolorum, & nunc quoque agit in miniſterio Eccleſiaſtico , ſeu ordinariè, ſeu extraordinariè, veluti quum homines ad Euangelium conuertuntur,& credunt veritati,& reſipiſcunt, illa procul dubiò eſt Diuina , id eſt, Chriſti Deitatis nō humanitatis, quamuis Dei & hominis potentia. Spiritu enim ſuo Chriſtus,& Diuina illa ſua efficacitate corda hominum conuertit, ídque efficit, quod narrat Kemnitius : vnde qui & credunt , & reſipiſcunt, & ad Deum conuertuntur , dicuntur θεοδίδακτοι. Deus enim eſt , qui dat nobis arrhabonem ſpiritus,qui dat fidem, qui conuertit corda noſtra: quanquam quòd donamur illo ſpiritu, & fide à Deo , eſt beneficium totius Chriſti Dei & hominis,qui nos morte ſua redemit, & Deum nobis ſua obedientia reconciliauit. Quamobrem perperam colligit Kemnitius ex ea efficacitate, quæ Deitatis Chriſti propria eſt,Carnem Chriſti factam eſſe reipſa Deitatis operationum participē,quū ea nō iſtudoperetur,ſed ipſa λόγου Deitas.

A Ioan.6. 2.Co 5. Epheſ.2. Theſſ.2.

Quod ad locum attinet ex Ioan.5.v.27.*authoritatem dedit ei iudicium exercendi, quatenus eſt filius hominis*, quem locum vehementer vrget pag. 358. Kemnitius, nihil planè locus ille Kemnitium ipſum iuuat. Loquitur enim Chriſtus de toto viuificationis effecto,in quo (vt toties inculcamus) alia eſt actio , ſeu operatio propria Diuinæ naturæ , alia humanæ , non autem vna & eadem vtriuſque communis. Illud quidem veriſſimum eſſe concedimus, niſi Chriſtus factus eſſet homo, eámque naturam , quæ nobis eſt ὁμοούσιος, aſſumpſiſſet , nunquam earum gratiarum,quæ ex ipſius Deitate profluunt,& in nos iam dimanant, fieremus participes: ſed virtus illa nos in æternum viuificans, propterea neque carni Chriſti ab ipſius Deitate implantata , neque contributa, neque re ipſa communicata eſt,vt ſit illius ſucci viuifici fons, & cauſſa efficiens , & συνεργὸς,ſeu cooperatrix, ſed eſt tantùm illius in nos deriuandi ex Deitate canalis,ſeu primarium μέσον, quod inſtrumentum vocat Kemnitius.

B

Sed Chriſtus eſt (inquit Kemnitius) *caput Eccleſiæ*, qua voce ſupra res omnes creatas & verè Diuina poteſtas ſignificatur. Fateor. Sed certè nemo eſt in Theologia tā rudis , vt neſciat Chriſtum non fuiſſe futurum caput Eccleſiæ , (in qua ipſi etiam beati Angeli comprehenduntur) niſi Deus etiam eſſet.Sola enim humana Chriſti natura aſſumpta nō eſt caput Eccleſiæ , ſed tota Chriſti, Dei & hominis, perſona, in qua etiam, huius dignitatis,diſtinctè in duabus naturis, nō in perſona , conſideratæ, ratione , alia eſt ipſius Deitatis Chriſti,alia ipſius humanitatis & diuerſa virtus , operatio,maieſtas,& gloria.

C

Progreditur inde Kemnitius ad *Seſſionem Chriſti ad dexteram Patris*, quam confundit cum Dextera Dei pag. 346. Sed illud eſt milies à noſtris eruditè explicatum. Itaque iſtud actum agere nihil neceſſe eſt. Vnum modò ſubit mirari,vbinam in noſtrorum ſcriptis legerit, quod hîc nobis affingit pag.350.dici à nobis ipſam Dei Patris dextram,ſeu potētiam eſſe creatam. Nequaquā enim id dicimus,Kemniti:ſed hoc dicimus, illā potentiam,cuius ratione Chriſtus,quatenus homo , dicitur ſedere ad dextrā patris,eſſe in Chriſto homine potentiā illi & datam, vt homini,& creatam, & quæ initium temporis habuerit, nō autem eſſe ipſammet eſſentialem Dei potentiam. Nam poteſt quis rege aliquo inferior, & tempore longè poſterior, tamen conſtitui illius vicarius , atque ita ſedere ad illius regis dexteram. Sic Chriſtus, quâ homo,& quâ creatura,Patre & minor, & poſterior,ſedet tamen ad eam Patris dextrā,quæ nec creata, nec creatura eſt. Ex quo etiam apparet inſulſiſsimum iſtorum argumentum, qui putant effici, ſi Chriſtus homo ſedet ad dextram Patris, Ergo Chriſtũ hominem eſſe ipſammet Patris dextram, vt poſtea doceant, humanã Chriſti carnem eſſe realiter participẽ eſſentialium Deitatis idiomatum, quod perinde eſt, atque ſi quis ita colligeret, qui eſt Rex Romanorum duntaxat, vt nunc loquuntur, in imperio Romano, ſeu Germanico electus ſeu creatus, eſt ipſius Auguſti ac Imperatoris vicarius generalis, ergo qui eſt Cæſar duntaxat creatus, eſt ipſe Auguſtus & Imperator. Quod quàm ſit abſurdum, nemo Germanici imperij ſubditus ignorat Kemniti.

Denique quod pag. 356. affert Kemnitius, dici Chriſtum hominem πληρούμενον Luc. 2. v. 40. & ex eo vocabulo colligit, humanam ipſius naturã factam eſſe reipſa participem ipſius eſſentialis Deitatis omnipotentiæ, omniſcientiæ, omniuirtutis & diuinitatis, quàm pueriliter ex non intellecta huius phraſis ſententia fallatur, ex ſuperioribus fortaſsis animaduertit. Quis enim hoc idem, & de Stephano Protomartyre Act. 6. v. 8. 7. v. 55. & de ipſa adeò Elizabetha muliere Luc. 1. v. 41. dici neſcit, quos propterea capaces ipſius eſſentialis Dei omnipotentiæ, vti & Chriſtum ipſum hominem, num, quæſo, dixerimus? Sed alius eſt iſtarũ S. Scripturæ ſententiarum ſcopus: nimirum, vt ex eo intelligamus, illos quidem (Stephanum dico, Elizabetam, & alios ſanctos) cõparatè ad cæteros (qui tunc temporis erant electi Dei) dici ornatos & ditatos ſpiritus ſancti donis: in Chriſto autem ſupra & vltra omnem hominum captum ſignificari immenſum donorum Spiritus ſancti cumulum, non tamen ipſam eſſentialem Deitatis gloriã illius carni datam eſſe participandam. Atque ex his omnibus ſatis eſt refutatum hoc Kemnitij caput.

AD CAPVT VICESIMVM quintum.

Vbi aliquot ex Patribus teſtimonia pro eodem errore tuendo citantur.

TOti huic longiſsimo capiti reſpondere vno verbo licet, nimirum quòd ex nullo patrum teſtimonio, quantumuis ea laborioſè tranſcripſerit Kemnitius, probet, eſſentiales Deitatis λόγου proprietates ab humana ſeu aſſumpta natura reipſa participari, illíque communicari, qui tamen eſt præcipuus in hoc capite Kẽnitij ſcopus. Et certè illud erat, in quo ipſi ſudandum fuit, & quod ἔδει δεῖξαι. Hoc quidem igitur oſtendit per idiomatũ κοινωνίαν (quæ ab hoc tertio κοινωνίας genere omnibus modis, etiã ipſomet Kemnitio teſte, differt) ea, quæ deitatis ſunt propria, tribui homini Chriſto, & contrà. Sed quis hęc negat: aut quid iſta ad rhombum Kemnitij, , qui non de idiomatum κοινωνία, quæ appellatur: ſed de μετοχῇ, & vera ac reali participatione idiomatũ Deitatis eſſentialium, ab humana Chriſti natura facta, nũc agit ac diſſerit? Itaque ab ipſo Luthero (quẽ tamen citat pa. 429. apertè refutatur, vtpote qui dicat, quum *Filius Mariæ eſt, & vocatur omnipotens, æternus Deus, habere æternam potentiam, creator, & conſeruator omniũ, id fieri & dici per communicationem idiomatum*: quam ab iſto communicationis modo, quam hîc vrget Kemnitius, eſſe diſſimillimam fatetur. Idem Lutherus alibi reprehẽdit, & quidem verè damnans eos, qui *Chriſtum omnipotentem ex ſe ipſo faciunt, & duas in eo naturas & earum opera confundunt. Nam* (inquit) *humanitas Chriſti, ſicut & alij ſancti naturales homines, non ſemper omnia cogitauit, vidit, audiuit, & cætera: ſed ideo omnia audiuiſſe, ſciuiſſe, vidiſſe & ſenſiſſe dicitur, quia Deitas, quæ ſola omnia videt, ac ſcit, perſonaliter in ipſo habitauit, ac præſens fuit.* Sed vt ad ſingulorum captum magis accõmodetur noſtra ſolutio, dico, tribus maximè modis hic à Kemnitio peccari, & patrum authoritates corrũpi. Primũ, quòd κοινωνίαν, quæ à Patribus pro ἑνώσει ſumitur) hîc interpretetur & accipiat pro μετοχῇ, & reali participatione rei ipſius, quæ communicari dicitur. Longè verò aliud eſt vnio, ſiue vnitio, quę ad perſonam pertinet, quàm realis participatio, ſeu communicatio, quæ rem & virtutem quampiam ex vna Chriſti natura in alteram quoque cõfert, & diſtribuit. De perſona igitur locuti ſunt patres, quæ de reali participatione intelligit Kẽnitius. In ſexta Synodo ſic dicitur, *Sublatum, id eſt, exaltatum eſſe ineffabiliter oſtendit hominem, propter vnionem altiſsimi, & communionem* (id eſt vnionem) *naturæ ex veritate.* Nam alia Synodus, nẽpe ſeptima ex Cyrillo iſtud depromens, *Caro Chriſti* (ait) *non intelligitur in naturam Deitatis tranſmigraſſe*: quod tamen ex iſta reali eſſentialiũ Deitatis idiomatum participatione à carne Chriſti facta (vt toties demonſtrauimus) conſequi neceſſe eſt. Sed & rectè Damaſcenus, *Nulla* (inquit) *natura eſt δεκτικὴ, ſeu ſuſceptibilis contrariarũ ſibi differentiarum, quoniam eam euertunt.* Itaque neque caro Chriſti, quæ eſt creatura, increatæ potentiæ, reipſa particeps, aut capax eſſe poteſt. Et hoc quidem primum eſt Kemnitij, in proferẽdis hoc loco pro ſe, próque ſua reali communicatione Patrum teſtimonijs, magnum vitium, quod vocabuli κοινωνίας variam ſignificationem nõ animaduertit.

Lutherus de vltimis verbis Dauidis.

Luther. in Epiſt. ad Heb. ca. 1.

Damaſc. li. 3 Cap. 3.

Alterum eſt, quòd in iis ipſis teſtimoniis non videt, Patres diſtinguere ἀποτελέσματα naturarum ab earundem ἐνεργείαις, & concedere quidem, ἀποτελέσματα noſtræ ſalutis eſſe naturis communia: ſed non ipſas naturarum in eo apoteleſmate ἐνεργείας, ſeu operationes. At contra Kemnitius ἀποτέλεσμα cum ἐνεργείᾳ, in hoc toto communicationis à ſe confictæ genere confundit. Patres autem ſicuti docent, proprias cuiuſque naturæ operationes manere: ſic oſtendunt, diuerſas eſſe vires, virtutes, gloriam, & maieſtatem naturarum Chriſti, nempe Diuinæ & humanæ, nec vnam & eandem potentiam eſſe eam, quæ Deitatis λόγου eſſentialis eſt, & qua agit, atque eam, quæ carni ab eo aſſumptæ donata eſt, & per quam caro operatur. Quãobrem ait Leo epiſtola 10. *Verbum faciebat id, quod erat verbi: caro autem id, quod erat carnis. Manent enim naturarum proprietates, neque confunduntur*, & Sermo. *Nec alterius naturæ erat caro Chriſti, quàm noſtræ*: & Epiſt. 11. *Excellit non diuerſitate generis, ſed ſublimitate gradus virtutis.* Itaq; quod attinet ad corpora noſtra, inquit Paulus, *reddet ipſe Chriſtus noſtra corpora ſuo corpori glorioſo cõformia*, & Theodoretus Dial. 2. ait, *in qualitate, nõ in quãtitate erũt noſtra corpora*

Philip. 3. v. 2.

A *pora corpori Chriſti conformia.* Quod ad animã autẽ, & gloriam, ait idem Leo, *Quemadmodum geſtauimus imaginem terreni Adami, geſtabimus etiam imaginem cœleſtis. Erimus enim ei ſimiles*, ait Spiritus ſanctus, *& quum patefactus fuerit, nos cum eo quoque patefiemus glorioſi: faciet enim nos ſedere ſecum in cæleſtibus.* Quare gradu, non genere honoris, differet carnis noſtrę gloria ſeu maieſtas, à carnis Chriſti ſeu à λόγῳ aſſumptæ maieſtate ſeu gloria. Quod ſi ex eo, quòd caro Chriſti eſt huius maieſtatis & gloriæ particeps, efficitur eandem eſſe eſſentialium Deitatis idiomatum reipſa participem & conſortem: idem certè de noſtra, id eſt, electorum omnium carne erit concludendum, eã quoque videlicet fieri eorundem Deitatis idiomatũ reipſa, quamuis impari gradu, participem. Itaque nos omnes verè dij fiemus, id eſt, diuinam eſſentiam habentes, & ipſa Deitatis idiomata. Denique fiet vt eſſentia, quoque ipſa diuina, non ſemper perfecta, integra, ſed magis & minus à nobis & à Chriſto, ac per partes participetur. Ex eo etiam diuina eſſentia erit qualitas non ὀυσία. Nam ὀυσία neque magis, neque minus admittit in iis, à quibus participatur: ſed id quod ἄνεσιν καὶ ἐπίτασιν (.i. B magis aut minus) in ſui communicatione ſuſcipit, qualitas eſt. Quæ omnia quàm ſint & abſurda, & blaſphema, vident Chriſtiani omnes, nedũ, pro ſua eruditione, Kemnitius. Itaque rectè Lutherus in Ioan. Euang. cap. I. docet *Deum ipſum ſeu Deitatem in Chriſto eſſe vitam ac lucem noſtram,* Item, *Ioannes (ait) vitam tribuit Chriſto, vt æterno Deo, non vt homini,* Item, *in λόγῳ eſt vita, quæ in aſſumpta carne perſonaliter inhabitat.* Item, *Humanitas nihil prodeſſet, ſi non in ea diuinitas perſonaliter ineſſet. Nec enim*, ait idem in Pſal. 110. annot. 18. *Chriſtus ſecundum humanitatem eſt æqualis Deo, ſed ſub Deo, quanquam omnium Dominus.* Ergo *ad diuinam naturam*, ait ſexta Synodus, *referenda ſunt, quæcunque vltra humanam naturam ſunt effecta*, nec iſtæ operationes, vt facit Kemnitius, ſunt confundendæ. Nam quod ait, carnẽ Chriſti dici viuificam, id quoque concedimus rectè intellectum, vt ſæpe iam antea & expoſuimus: & ita vt ſignificet (interprete Ambroſio de fide contra Arrianos cap. 8.) *Eum eſſe tramitem, vt ad nos lux Sancti Spiritus, & æterna vita gra*C*tia redundet.* Sed à quo fonte redundat? Nempe à Deitate λόγου. *Sicut enim non eſt proprium carnis*, etiam aſſumptæ & vnitæ λόγῳ, *vt ſuper fremẽtes aquas ſiccis pedibus ambulet*, ait Auguſtinus: *ita nec illius proprium eſt, vt vitam æternam cuiquam donet, quam ipſam à Deitate, cui vnita eſt, accipit, atque habet.* Cyrillus in Ioan. lib. 4. cap. 15. *Viuifica eſt hæc caro, quoniam habet verbum Dei, quod naturaliter vita eſt.* Idem ad Theodoſium, *Viuificat igitur nos Chriſtus, vt Deus, quæ vita vt in nos transfundatur, dat carnem ſuam nobis manducandam. Otioſam confitebimur terrenam carnem ad viuificandum, quomodo igitur viuificat? Secundum vnionem cum viuente verbo*, κατ' ἄλλο, *non autem* καθ' ἑαυτήν. Sed infinita ſunt his paria Patrum dicta. Hoc igitur ſecundum eſt (vt hũc locum concludamus) Kemnitij vitium, in teſtimoniis Patrum citandis, quòd ἀποτελέσματα & ἐνεργείας naturarum, à Patribus diſtinctas, ipſe confundit, vt ſuam illam Maieſtaticam Chriſti carnẽ fictam tueatur.

1.Cor. 15. v. 49.
1.Ioan. 3. 2.
Col. 3. v. 4
Epheſ. 2. 6.

Tertium eſt, quòd illa ipſa opera, quæ & Deitatis λόγου propria ſunt, & ad eam diſertè referũtur à Patribus, ipſe carni aſſumptæ communicat, A id eſt, carni communia facit in ipſa operatione, veluti, quòd Chriſtus poſt reſurrectionem clauſis ianuis eſt ingreſſus corpore in conclaue, vbi erant Apoſtoli. Atqui diſertè dicit Auguſtinus Sermo. 160, *Illud eſſe magnum miraculum, ſed mirari deſines*, addit idem, *ſi Deum cogitaueris.* Sermo. 159. *Ille hæc facit, cui nihil eſt impoſſibile.* Eſt autem ille Deus. Luc. I. Idem Auguſtinus Epiſt. 3. *Virtus diuina per inuiolatæ matris virginea viſcera membra infantis eduxit, quæ poſtea per clauſa oſtia iuuenis membra introduxit:* & poſtea, *& tamen*, ait, *quidam hæretici peruerſè mirando, laudandóque eius virtutem, naturã humanam in eo prorſus agnoſcere noluerunt.* Idem ſentit Chryſoſtomus de Reſurrectione, cuius Kemnitius pag. 402. verba tranſcripſit. Hieronymus ad Pammachium, hoc & cætera miracula tribuit *virtuti Dei*, non carni: & in Epitaphio Paulæ, *Dei omnipotentiæ.* Denique quòd de poteſtate data homini Chriſto ſcribunt iidem Patres (& in qua palmarium huius ſuæ de reali cõmunicatione & par-B ticipatione eſſentialis Dei Maieſtatis ab humana natura facta opinionis argumentum eſſe ſitum, Kemnitius putat) in eo non animaduertit, eam ipſam omnem poteſtatem, quæ data eſt homini Chriſto in cælum & in terram, omnino differre ab eſſentiali Dei omnipotentia, ídque à Patribus ipſis apertè ſignificari, quum eam illa eſſentiali omnipotentia Dei vocant & faciunt inferiorem. Chryſoſto. Epheſ. I. *In cæleſtibus omni creata natura ſuperiorem (Chriſti carnem) fecit.* Theodoret. Pſa. 2. *Vt homo accepit vniuerſorum imperium*, ſed, ait idẽ, *increata natura ab ea ſubiectione, per quam omnia Chriſto homini ſubiiciuntur, libera eſt.* Pſ. 8. Primaſius ad Hebr. cap. I. oſtendit, illum hominem ſupra omnem naturam *Angelicam & humanam* exaltatã. Nec ab hac ſententia & interpretatione diſſidet ipſe Lutherus in Poſtilla Eccle. ad Heb. cap. I. Ex quibus omnibus apparet, quãtũ Patrũ ſentẽtias à vera ipſorum mente deflectat Kemnitius, atque vt ab illis nullo modo iuuetur vel cõfirmetur Maieſtatica iſta carnis Chriſti gloria, Deo æqualis, hîc introducta: imò verò vt ab illis iiſdem Patri-C bus orthodoxis omnino ſubuertatur.

AD CAPVT VICESIMVM ſextum.

De quibuſdam vocabulis ſeu appellationibus, quibus gloria, Chriſto homini data, ſolet à Patribus vocari.

FAcilè inter nos de vocabulis, & appellationibus conſtaret, ſi de re priùs & doctrina conſentiremus. Itaque modò Patrum phraſes dextrè, & ex eorum ipſorum mente intelligãtur, concedimus, illam humanæ Chriſti naturæ gloriam, quam propter vnionem illã cum diuina λόγου natura, conſecuta eſt, rectè dici à Græcis ſcriptoribus & Orthodoxis patribus θέωσιν, θεοποίησιν, θεολόγωσιν, ἀποθέωσιν, συναποθέωσιν, ὑπερύψωσιν, ἔνθεον καὶ ἐπίκτητον, μετάληψιν, μετοχὴν θείας ἀξίας, μετάδοσιν, καύχημα τῶν θείων, χορηγίαν, δόξαν, φανέρωσιν, ἀξίωσιν, προσθήκην, πλήρωσιν, βελτίωσιν, δυνάμωσιν, ἀνάβασιν, κοινωνίαν

A Negamus autem vel περιχώρησιν, vel μεταποίησιν, ſeu μεταποιΐαν rectè nominari poſſe. Latinè verò eadem gloria, & ſtatus carnis Chriſti glorioſus rectè vocatur *Donatio, Communicatio, Exaltatio, Glorificatio, Participatio, Euectio, Suſceptio, Admiſſio, Acquiſitio, Reſidentia, Receptio diuini ſplendoris, Diuinæ gratiæ, Gloriæ, Maieſtatis, Operationis, Prouectio, Profectus humanæ naturæ in diuinam, Impletio, Singularis vnctio, Deriuatio Largitatis gratiæ, Ditatio, Impertitio, Priuilegium,* &c. Sed quum inter nos de re ipſa controuerſia maneat, fruſtrà de verbis duntaxat laboramus: nam ea diuerſo ſenſu & ſignificato vtrique vſurpamus.

AD CAPVT VICESIMVM ſeptimum.

Quòd λόγος cum propria ſua carne ſit ſecunda perſona Trinitatis.

B DE hoc Capite nulla nobis cum Kemnitio eſt controuerſia, & certamen.

AD CAPVT VICESIMVM octauum.

De ſeſſione ad dextram Dei.

DVO quædam probare conatur hoc capite Kemnitius. Vnum, nimirum, Chriſtum ſedere ad dextrã Dei Patris, quatenus eſt homo. Id quod & nos agnoſcimus eſſe verum, & antea ſæpe conceſſimus, atque adeò antequam penè Kemnitius natus eſſet, noſtri ſcripſerunt, & demonſtrarunt. Alterum, quod idem Kemnitius efficere tentat hoc capite, eſt, vt quia ſedet Chriſtus, quatenus homo, ad dextram Dei, idcirco cen-
C ſeatur humana Chriſti natura eſſe re ipſa particeps, cõſors, & capabilis eſſentialium ipſius Deitatis idiomatum, ac operationum. Quod poſtremum, id eſt, quam conſecutionem, nos prolixè Kemnitio pernegamus. Nec enim ſequitur, vt Legatus ſeu Vicarius Regis, quia ſedet ad ipſius Regis dextram, ſit ipſe Rex: nec item ſequitur, vt qui delegatum ab Imperatore, & ſummo Magiſtratu imperium habet, ius ipſum ſummum Imperij penes ſe habeat, ſitque illius conſors, vti erant in Imperio Romano duo Auguſti, conſortes eiuſdem Imperij. Longè enim diuerſa eſt etiam dignitas perpetui, & vniuerſalis alicuius Regis Vicarij (quales erant, exempli gratiâ, præfecti prętorio) atque ipſius Regis. Imò qui Vicarius ſeu Legatus eſt, ius ipſum regni, vel regnandi penes ſe non habet, quod ius tamen is habet, qui Rex ipſe eſt. Sic licèt humana Chriſti natura ad dextram Dei ſedeat, id eſt, habeat hanc vicariam in omnes res creatas Dei Patris poteſtatem, ipſam tamen eſſentialem Dei poteſtatem (in qua eſt ius ipſum omnis poteſtatis) nequaquam habet, quod tamen ex ſeſſione Chriſti ad dextram Patris effici putat Kemnitius. Sed quoniam ſunt luculenta noſtrorum de ſeſſione Chriſti ad dextram Patris ſcripta, eáque quibuslibet notiſſima, nos ad ea & A Kemnitium & alios remittimus, ne cuipiam tædium afferamus, aut eruditorum memoriæ diſſidere videamur.

AD CAPVT VICESIMVM nonum.

Vbi contendit Kemnitius, dum Chriſtus adoratur, vel inuocatur, ipſam carnem Chriſti, ſeu naturam humanam aſſumptam, & creatam, eſſe quoque verum obiectum huius adorationis, & inuocationis, neque eas dirigi, aut intueri in ipſam Deitatem, ſaluâ nihilominus manente duarum naturarum in vna perſona Chriſti vnione.

B HOc iam poſtremum eſt Kemnitij argumentum, vt quartum illud realis ſuæ κοινωνίας, & diſtributionis eſſentialiũ Deitatis proprietatum in humanam Chriſti naturam genus à ſe confictum confirmet: in quo tamen non plus habet præſidij, quàm in ſuperioribus, quæ iam refutauimus. Imò verò peiore iã eſſe loco res illius videntur, quòd ad ſuperiorem Monothelitarum hæreſim, quam hactenus tutatus eſt, etiã idololatriæ manifeſtum crimen nunc addit. Vult autem Kemnitius ex eo probari, carnem Chriſti eſſe reipſa eſſentialis Dei gloriæ, & Maieſtatis, & operationis participem, quòd, vt ipſe (ſed falſò) putat, cum ipſa Deitate propriè, & per ſe à veris Chriſtianis adoretur, ac inuocetur. Hoc verò quid aliud eſt, quàm ex falſo fundamento falſum colligere, & extruere? Primùm igitur noſtra ſententia eſt breuibus explicanda, iſta nimirum, Totum quidem Chriſtum à nobis adorari, & inuocari, ne perſonam Chriſti (quæ vnica eſt ex vtraque natura conſtans) diuidamus, ſeu ſeparemus: non autem in totum Chriſti adorationem, & in-
C uocationem propriè dirigi, ne naturas, quæ in ea vnione inconfuſæ manent, confundamus: aut humanam diuinæ exæquemus. Noſtra enim illa & adoratio, & inuocatio propriè, & per ſe neque fertur, neque dirigitur in ipſam Chriſti carnem, ſeu naturam humanam: ſed in ipſam Chriſti Deitatem, non quidem quæ ſubſiſtat ſeorſim & ſeparatim extra naturam humanam aſſumptã (quod ſenſit Neſtorius, & Cyrillus in Anathematiſmis refutauit) ſed quæ cum eadem aſſumpta natura in vna perſona ſemper coniuncta, & copulata maneat. Quemadmodum enim laudantes quempiam, (exempli gratia, Apollo illum Pauli Apoſtoli συνεργὸν) vt ἐλλόγιον, & maxima ratiocinandi, intelligendíque facultate præditum, totum quidẽ ipſum hominem, qui animo & corpore conſtat, laudamus, nominamus, ac prædicamus: ratiocinationis tamen iſtius, ac intelligentiæ laus, & prædicatio ad illius duntaxat animum pertinet, & reſpicit, qui non ſeparatim & per ſe, ſed vnà cum ſuo corpore manet nihilominus coniunctus. Sic totum quidem Chriſtum (qui & Deus, & homo eſt) adorantes & inuocantes

A tes, tamen propriè & per ſe illam laudem, inuocationem,& adorationem non ad totum Chriſti,ſed ad ipſius Deitatem referimus,& intuemur: quanquam non κατὰ μέρος ſubſiſtentem, id eſt,non extra humanam naturam hypoſtaſim ſeorſim ſuā habentem. In ſumma igitur, dum Chriſtum adoramus, & inuocamus(Hîc autem de religioſo cultu,id eſt,religioſa,non autem ciuili, adoratione, & inuocatione agimus,de quo nobiſcum cōnſentit Kemnitius)ad ipſam Chriſti carnem, etiam in illa vnione perſonæ manentem,propriè & per ſe non dirigitur,aut ſpectat noſtra illa inuocatio & adoratio. Atque huius noſtræ ſententiæ hæ ſunt è multis aliquot rationes.

1. *Maledictus*(ait,ex ipſa Dei perſona loquēs, Propheta) *vir ille qui fiduciam habet in homine,& ſtatuit carnem brachium ſuum.* Hiere.17.5. Caro autem Chriſti eſt vera caro,& homo Chriſtus,verus homo. Qui autem religioſo cultu quempiam hominem adorat,aut inuocat,ille fiduciam ſuam in eo habet, quem ita inuocat & adorat. Quare qui ad ipſam Chriſti carnem ſuam adorationem aut inuocationem dirigit,is,ex ipſius Dei ore, eſt ma-B ledictus.

2. Ii ſunt veri idololatræ,*qui ſeruiunt*,id eſt,adorant,*ſeu inuocant eos,qui natura non ſunt dij.* Gal. 4.8. At caro Chriſti non eſt natura Deus,quanuis ſit vero Deo hypoſtaticè vnita. Ergo qui ad eam propriè dirigunt ſuā inuocationē, ſunt veri idololatræ. Hæc autem vox *natura*,tanti eſt in hoc Pauli loco momenti,vt etiamſi verum eſſet Kemnitij de reali communicatione eſſentialium Deitatis in naturam humanam aſſumptam commentum, tamen propterea Carnem Chriſti eſſe obiectum adorationis,non efficeretur,quia gratia,non natura,eſſet Deus.

3. *Qui conſeruos ſuos,& qui ſunt ex fratribus,religioſo cultu adorant vel inuocant,ij ab ipſo Spiritu ſancto per Angelum reprehenduntur, & damnantur.* Apocalyp.19.verſu 20.22.verſu 8. At Chriſtus, quâ homo,eſt conſeruus,& vnus ex fratribus noſtris, licèt primogenitus. Ergo quâ homo non eſt adorandus vel inuocandus Chriſtus.

C 4. Solus Deus eſt adorandus. Apocalyp. 19. verſu 10. Carò verò Chriſti non eſt Deus. Ergo,&c.

5. Qui creaturam inuocat,aut adorat cultu religioſo,eſt in Deum blaſphemus. Deuteron. 4. 6. 10.17. Matth.4.verſu 10. Caro Chriſti etiam glorificata,& in vnione perſonæ Chriſti manens, eſt creatura. Auguſtinus in Ioan.Sermo 58. Ergo qui ad eam ſuam adorationem dirigit, Deum blaſphemat.

6. Paulus quum Chriſtum ait eſſe adorandum, explicat,cuius naturæ ratione id illi ſit tribuendum, appellans eum Deum. Romano. 9. 5. Ergo Chriſtus, quâ Deus, non quâ homo, eſt adorandus.

7. Ait Dominus Iſa. 43. *Gloriam meam alteri non dabo.* Caro Chriſti non eſt Deus, Ergo gloria Dei non eſt illi danda. Eſt autem hæc gloria, adoratio religioſa.

8. Hic olim fuit Neſtorij error, vt Chriſtum qua homo eſt, vnà cum verbo doceret eſſe adorandum. Ergo Neſtorianus eſt,qui idem hodie docet, & vrget.

9. Patres Orthodoxi omnes docent, noſtram inuocationem & adorationem non in ipſam carnem Chriſti,etiam in hypoſtaſi Filij Dei manentem,dirigendam eſſe,ſed in ipſam Filij Deitatem. A Ergo Patribus Orthodoxis,& piæ,eruditæque vetuſtati, ac Eccleſiæ contradicit, qui vult & ſentit, & dicit,quum Chriſtus adoratur aut inuocatur, ipſam Chriſti carnem eſſe quoque huiuſmodi adorationis, & inuocationis obiectum. Athanaſius Dialog.5.in Arrianos, *Deus* (inquit) *adorandus eſt* τῷ τῆς θειότητος λόγῳ, *Deitatis ratione,ſeu reſpectu.* Ibidem idem, θεὸς ἐνανθρωπήσας προσκυνεῖται, *Deus,qui humanam naturam aſſumpſit, adoratur.* Auguſtinus in Ioan.Sermo.58.idem docet. Cyrillus ad Theodoſ. *Num adoramus Emanuelem,tanquam hominem? Abſit. Deliramentum enim hoc eſſet, & deceptio, & error: In hoc enim nihil differremus ab iis,qui creaturam colunt,vltra conditorem, & factorem.* Idem ibidem. *Diuinitas in Chriſto eſt natura adorabilis:humanitas eſt natura adorans.* Damaſcenus libro tertio,capite 8. Orthodoxæ fidei,& de duabus Chriſti voluntatibus hoc ipſum inculcat. Ex quibus omnibus apparet veriſſimam eſſe,& tum ipſi Dei verbo,tum etiam toti Orthodoxæ Eccleſię conſentientem noſtram B ſententiam.

Contrà verò quæ ſit Kemnitij ſententia, & quā falſa,videamus. Ait igitur, idque apertè pagina 460. *Adorari & inuocari Chriſtum non tantum reſpectu diuina natura,qua Deus,& creator:verùm etiam reſpectu aſſumptæ humanæ naturæ,qua homo,ſeu agnus occiſus eſt.* Et tamen(quod eſt ἀδύνατον,& ab ipſo quoque in probatione huius ſuæ ſententiæ omnino prætermiſſum)vult idem ſaluas manere naturarum in Chriſto differentias. Quî verò id fieri, obſecro, poteſt,vt ſi humana Chriſti natura religioſo cultu velut & Diuina colatur, ac adoretur, non ſit ipſa quoque Diuina,ſeu Deus,& per conſequēs,vt iā ſalua maneat earū naturarū differētia? Planè igitur ſecum pugnantia dicit Kemnitius, aut quid ex ſua ſententia ſit neceſſariò conſequens, non animaduertit:imòverò id præſenſit(nec enim tam hebes eſt)& eò pertinent ipſius verba hæc, *Salua manente naturarum differentia*,in ipſa capitis epigraphe,ab eo disertè addita: atque adeò illud ipſum effugere vult, ſed nō poteſt:ſiquidem confuſio naturarum, ex illo, quòd caro Chriſti adoranda ſit, C ſicut Deitas, neceſſariò conſequitur. Conſtrictū igitur ſe videt,& luctatur ille quidem, ſed elabi non poteſt,quin abſurdiſſima,& ſibi ipſi contraria ſcribere,& ſentire deprehendatur. Verùm ad illius rationes examinandas, agedum accedamus.

Primùm omnium laborat partim in ſolidiſſimo,& inuicto illo fundamento diſſoluendo,quo dicitur, *Nullam Creaturam eſſe adorandam*, partim in illa veriſſima,& aptiſſima de Diademate, quo rex ornatur,quódque cum ipſo rege ſalutatur, ſimilitudine eludenda. Ait igitur pagina 455. non eſſe adorandam carnem Chriſti extra vnionem. Sed quis hoc vnquam dixit,aut ſenſit? Imò Patres ipſi,quorum teſtimonia protuli,ad carnem Chriſti,etiam in ipſa vnione manentem, negant dirigendam eſſe adorationem noſtram,idque apertè. Petit igitur principium Kemnitius,& Patres peruertit,dum vult eorum ſententias in ſuam ſententiam contorquere,qui tam perſpicuè docent, ne vnitam quidem λόγῳ carnem in Chriſto, eſſe obiectum noſtræ illius adorationis. Ratio eſt, quo-

A niam caro Chriſti, etiam in vnione, vera caro eſt, & verè creatura, ideóque nunquam religioſo cultu adoranda. Quod autem ad ſimilitudinem illam regij veſtimenti, & Diadematis, quæ tunc ciuiliter adorantur, & honorantur, quũ Rex iis indutus eſt: ſin autem ſeorſim iaceant, nequaquam: reſpondet Kemnitius, eam ſimilitudinem eſſe Scholaſticorum. Imò verò eſt & Auguſtini, & Chryſoſtomi, & Cyrilli, & Damaſceni, à quibus eam Scholaſtici ſumpſerunt. Sed vt à Scholaſticis repertam fuiſſe demus, proptereáne ſpernenda eſt, quoniam Scholaſtica eſt? Certè non quicquid eſt Scholaſticum, idcirco repudiandum eſt, quia Scholaſticum, ſi nullo alio vitio ſcateat. Illud quidem verum eſt, quòd quemadmodum alia eſt coniunctio carnis aſſumptæ cum λόγῳ aſſumente, quàm hominis Regis cum ſua purpura, & Diademate: ſic alia eſt communicatio iſtius adorationis, & cultus (qui exhibetur λόγῳ) cum carne aſſumpta, quàm eius honoris qui fit Regi ipſi, communicatio cum ipſius Diademate. Nam adoratur Chriſtus carne indutus vt B parte ipſius perſonæ, ſiue propter perſonalem vnionem. Honos autem exhibetur Regi pupurato, non quòd purpura ſit pars perſonæ ipſius regis ſed vt illius indumentum, & per accidens. Sed hęc diſtinctio nequaquam facit, vt adoratio, vel inuocatio religioſa propriè in ipſam Chriſti carnem, licèt Deitati λόγου perſonaliter vnitam, feratur, ac intueatur. Quod tamen omninò conſequens eſſe putat Kemnitius. Illius autem ſententiæ tam falſę, quænam argumenta, quæſo, eſſe potuerint, perpendamus.

Kemnitius pag.457.li.7.20.& 27.

1. Argum. Kemnitij.

Fides intuetur & apprehendit Chriſtum, quo ad officia & beneficia ipſius, Redemptorem, Saluatorem, Regem, Pontificem æternum, & caput Eccleſiæ: officia verò Redemptionis, & Saluationis cõpetunt, & conueniunt Chriſto, non ſecundùm diuinam tantùm naturam, ſed & ſecundum aſſumptam naturam. Ergo certa & manifeſta conſecutione concluditur, obiectum, quod fides & adora- C *tio, & inuocatio in perſona Chriſti intuetur, & apprehendit, eſſe non tantùm diuinam eius naturam, ſed & aſſumptam eius naturam humanam.*

Danæus.

Rom. 10. 14. 1. Ioan. 5. 14.

Reſpondeo, quanquam fides eſt veræ inuocationis tum regula, tum etiam fundamentum, (quatenus nihil à Deo petere, niſi quod ipſe promiſit, quódque ex ipſius voluntate ſit poſtulandum debemus) tamen fidem in inuocatione & adoratione neque naturas in Chriſto confundere, neque creaturam, id eſt, carnem aſſumptam, creatrici naturæ, nempe λόγῳ, exæquare. Fides igitur agnoſcit, atque apprehendit Chriſtum & Deum, & Hominem, quatenus eum Redemptorem noſtrum intuetur: propterea tamẽ neque Deitatis operationẽ in opere iſtius Redemptionis & ſaluationis, neque gloriam; neque honorem confundit cum operatione, gloria, & honore humanitatis Chriſti: vt parem vtrique naturæ honorem fides vera, & Chriſtiana tribuat. Sed relinquit Deitati quæ ſunt ipſi propria: quale eſt, vt adoretur, & inuocetur: & carni Chriſti, quæ ſunt carnis & creaturæ, vt minor A ſit, imò adorans eam Deitatem, cui in perſona vnitur. Eas tamen naturas, & earum glorias diuerſas confundi à fide, putat hoc loco Kemnitius.

Kemnitius pag.457.l.3.à fi.

2. Argum. Kemnitij

Sicut officia ſeu ἀποτελέσματα Redemptionis, Propitiationis, Saluationis, Iuſtificationis, Regni, Sacerdotij, Capitis, nulli puræ creaturæ conueniunt, ita & honor, ſeu cultus, ille fidei, adorationis, ſeu inuocationis nulli meræ creaturæ tribuendus eſt, niſi tantùm huic perſonæ, quæ Deus & Homo eſt. Et tamen cultus illi non ſecundum Diuinam tantùm naturam, ſed ſecundum vtramque Chriſto tribuitur.

Danæus.

Magna certè in his verbis vel fraus ineſt, vel ignorantia. Fraus, ſi prudens Kemnitius, ignorantia, ſi imprudens confundit ἀποτέλεσμα cum cultu religioſo, ſeu adoratione, & inuocatione. Nam ἀποτέλεσμα naturarum Chriſti in noſtra redemptione neque eſt cultus, id eſt, neque eſt adoratio, neque inuocatio, ſed eſt opus ad nos redundans ab vtraque Chriſti natura: neque etiam in illo apotelesmate confunduntur vel naturæ Chriſti, vel earum proprię operationes, ſed diſtinctè conſiderantur, vt ſua cuique propria & operatio, & gloria, & maieſtas ab alia diuerſa maneat. Ex quo ſequitur, vt quum in opere ſeu officio Redemptionis, Propitiationis, Saluationis, &c. alia ſit diuinę Chriſti naturæ, alia verò humanæ eiuſdem naturæ virtus & operatio: alia quoque propriè ſit laus, & gloria, quæ debetur diuinæ Chriſti naturæ: alia autem quæ humanæ. Diuinæ naturæ debetur propriè, & per ſe cultus ille religioſus, nimirum adoratio, & inuocatio: humanæ verò, non item. Itaque noſtra illa adoratio & inuocatio non ad humanam, ſed ad diuinam Chriſti naturam reſpicit, etſi totus Chriſtus, id eſt, Chriſtus in ipſa vnitate, & compoſitione perſonæ ſuæ adoratur, & inuocatur. Quare C falſum apparet, quod colligit Kemnitius, cultum diuinum Chriſto ſecundùm vtranque naturam tribui, quoniam officia & ἀποτελέσματα Redemptionis, ſunt vtrique naturæ Chriſti communia.

Kemnitius pag.458.li.12.

3. Argum. Kemnitij

Humana natura in Chriſto per hypoſtaticam vnionem, & exaltationem ſeu glorificationem euecta eſt ſuper omne nomen, ita vt imperio & dominio ſuo omnes res creatas ſub pedibus habeat, accepta omni poteſtate in cælo & in terra. Ergo Inuocatio, & adoratio intuetur humanam etiam naturam in Chriſto, id eſt, ergo humana Chriſti natura eſt obiectum noſtræ adorationis, & inuocationis.

Danæus.

Nego conſecutionem. Nec enim per eam potentiam, quæ data eſt humanæ Chriſti naturæ in terram, & in cœlum, illa natura eſt effecta Deitas. Ergo ad eam Chriſti naturam, id eſt, humanam aſſumptam neque adoratio, neque inuocatio religioſa

A gioſa eſt dirigenda. Scriptum eſt enim, *Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*, Matth.4.verſ.10. & Apocalyp.19. *Deũ adora.* Neque etiam verum eſt iſtud, quòd tamen eſt antecedens huius Kemnitij argumẽti, quod *quicquid ſummũ habet in res aliquas imperium id ab his rebus adorari, & inuocari cultu religioſo debeat.* Imperator in toto Imperio: Rex Scotiæ in ſuo regno ſummum habet imperium, neuter tamen à ſuis ſubditis religioſa adoratione vel inuocatione coli debet, imò neque etiã, citra meram, fœdámque idololatriam, poteſt. Quòd ſi exceperit Kemnitius, non eſſe parem Regum terrenorum, & Chriſti Regis rationem, quoniã Chriſtus & in omnes res creatas, & à ſe quoque, quâ Deus eſt, habet hoc imperium: Reges verò terreni in res tantum quaſdam, nec à ſe imperium illud habent, ſed à Deo. Reſpondeo, Non hîc à B Kemnitio agi de Chriſto adorando, quâ Deus eſt, ſed qua homo. Nam qua Deus eſt: proculdubio fatemur, noſtram adorationem in eum dirigi, & referri. Deinde non obſtat ſubditorum raritas, quo minùs æquè in exiguo, atque in magno regno, idẽ honos à ſubditis Regi ſuo ſummo exhiberi debeat, ſi ſit par, & æquè ſummũ vtriuſque Regis, id eſt huius latè dominantis, & illius exiguos regni fines habentis in ſuos ſubditos paucos, vel multos ius ac imperium. Denique hæc ipſa, quæ humanæ Chriſti naturæ data eſt poteſtas eſt vicaria poteſtas, quum eam à patre homo Chriſtus acceperit, & ab ea Deus ipſe excipiatur, quẽadmodum ait Paulus 1. Corint. 15. Quare quàm falſo ex poteſtatis conceſſione, homini Chriſto facta, adorationem humanæ ipſius naturæ colligat, videt (opinor) Kemnitius.

Kemnitius pag. 459. linea 3.

. Argũ. Kemnitij C

Præcipuè per cognatam nobis naturam, id eſt, humanam aditum ad ipſam Deitatem habemus. Ergo noſtra adoratio ad eam dirigenda eſt.

Danæus.

Paralogiſmus eſt παρὰ τὸ ἑπόμενον. Non ſequitur enim, vt ſi eſt caro Chriſti noſtræ reconciliationis ex parte cauſſa (neq; enim ſola humana natura potuit eſſe noſtra Mediatrix, vt ait Auguſtinus) idcirco ſit adoranda. Ratio eſt quoniam priùs ſtatuendum fuerat, eam Deum eſſe, quandoquidem ſoli Deitati adoratio, & inuocatio religioſa debetur. Per Moſem habuit populus aditum ad Deum, adeóque Moſes appellatur Μεσίτης: Ergo Moſes erat religioſo cultu adorãdus. Hoccine concederet Kẽnitius? nos certè ſemper negauerimus.

Gal.3.v. 20.

Kemnitius pag. 259. l. 8.

Argum. Kemnitij

Idem confirmat etiam illud, quod in Paulo ſequitur, Omnes ſiſtemur coram tribunali Chriſti 2. Corinth. 5. Deinde Ioan. 5. Pater dedit Filio poteſtatem faciendi iudicium, quia filius hominis eſt. Et hoc eſt, quod Philip. 2. Paulus dicit, Chriſtum reſpectu humanæ naturæ in tempore accepiſſe nomen ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Genu flexio autem externum ſymbolum eſt adorationis.

Danæus.

A De huius quinti argumenti priore parte ſuprà diximus non vno loco. Ad genuflexionem autem religioſam, quod attinet, paralogiſmus eſt in eo, quod exiſtimat, rectam ac legitimam eſſe hanc cõſequutionem, Chriſtus quatenus homo, eſt iudex vniuerſorum à patre delegatus & conſtitutus, ergo Chriſtus quatenus homo, eſt adorandus, quaſi nimirum delegata ſeu data iudicandi poteſtas, adorationẽ religioſam, velut cõſequens neceſſariũ adiunctam ſecum habeat. Quis verò hæc admiſerit? Siſtuntur coram regis ſui tribunali omnes ſubditi: genu coram eo flectunt, ergo eundem adorare religioſo cultu debebunt. Quis Kemnitium ſic arguentem feret? Audi, Kemniti, Deo ſoli adoratio religioſa debetur, non hominibus, licèt iudicibus, & regibus vt Dominis, quibus tamen alius honos eſt à nobis tribuendus, de quo ſupra in argumento tertiò copioſè diximus. B

Kemnitius pag. 461. li. 19. à. fi.

6. Argũ. Kemnitij

Cyrillus mota Neſtorij controuerſia, diligentius hæc explicauit, vt in epiſtola 10. dicit, non alter ſimul cum altero adoratur: ſed vnus Chriſtus Ieſus vna adoratione propria cum carne adoratur: & anathematiſmo, 8. & pag. 464, lib. de recta fide ad reginas, Si quis dicat ἀπροσκύνητον inadorabilem D. N. carnem, vt hominis, & non adorandam, vt hominis, vt & Dei carnem, anathematizat ſancta & Catholica Eccleſia.

Danæus.

Horum locorum, illíſque ſimilium omnium, vna eſt, eáque perfacilis, ſolutio, nimirum in perſona Chriſti adorari carnem ſeu naturam aſſumptam, quoniam verbo (ad quod propriè & per ſe dirigitur noſtra adoratio) inſeparabiliter, & hypoſtaticè vnita eſt. Nam ſi, dum ex purpura indutus adoratur, vnâ cum ipſo rege etiam purpura adoratur, inquit Auguſtinus, quanto ęquiùs adoratur Chriſti caro, dum Diuina eiuſdem natura adoratur, quoniam illi hypoſtaticè coniuncta & vnita C eſt? Itaque præclarè Athanaſius, *Adoraturi non ſeponimus λόγον à carne: ſcimus enim verbum, caro factum eſt. Quis ergo dixerit (verbo) Abſiſte à carne, vt adorem te?* Et vt ex ipſomet Cyrillo harum ſententiarum veram mentem habeamus, cum ipſum audiamus in libro de incarnatione Vnigeniti, capite viceſimo ſexto ſic ſcribentem. *Adorauit Chriſtus nobiſcum. Vos enim,* inquit, *adoratis, quod neſcitis: nos adoramus, quod ſcimus. Adeſt etiam adorandus. flectitur enim ipſi omne genu. Hoc quoque ſecundum aliud & aliud. Adorat enim, quia naturam aſſumpſit, quæ debeat adorare: adoratur autem porrò idem, quaſi maior, adorante natura id, quod intelligitur Deus. Adoratione verò non eſt diuidendus in hominem ſeorſim, & in Deum. Nec verò tanquam Deus coniunctim æqualiter dignatus ſit, diuiſis ſubſtantiis, cum ipſo adorari dicimus hominem (id enim extremæ impietatis pleniſſimum eſt) ſed vnum adorandum hominem factum, & incarnatũ Dei verbum.* Ex quibus apparet, carnem Chriſti non adorari in ſe & per ſe, vel quòd illa ſit obiectum noſtræ adorationis, (quod tamen Kemnitius hîc contendit) ſed ne Chriſtus, ex Neſtorianorum er-

Athan. oratio 5. cõtra. Arriã.

A rore, duabus perſonis componi videatur, Deo, & homine, ſeorſim ſuam hypoſtaſin habente, & cenſeatur in eo homo, Deo æquatus, vt cum eo meritò adoretur: Et hæc quidem ſatis Kemnitium, & totum hoc caput refutant.

AD CAPVT TRIGESIMVM.

Vbi contendit Kemnitius, Chriſtum, ſecundum vtramque naturam, præſentem eſſe in Eccleſia, & Sacra Cœna.

REctè monebat Pythagoras, ille Philoſophorum primus, cauendum nobis eſſe ἀπὸ τῶν μελανούρων, id eſt, ab iis, *quæ nigram caudam habent*, propterea quòd vt plurimum ἐν οὐρᾷ ἰὸν geſtant, vt eſt in prouerbio. Sic in poſtrema huius libri parte, quæ de vbiquitate carnis Chriſti grauiſ- B ſimo errore concoquebat, tandem expromit, & expectorat Kemnitius: vt ecquis fuerit totius ſuperioris, & quidē longiſſimæ de hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum vnione: de idiomatum Deitatis λόγου eſſentialium facta carni, ſeu humanæ naturæ aſſumptæ reali communicatione: de maieſtate hominis Chriſti, & eiuſmodi aliis rebus diſputationis ſcopus ac finis, hinc perſpicuè iam appareat. Sic igitur de generali corporis & ſanguinis Chriſti in his terris præſentia primùm ſcribit Kemnitius.

Sententia Kemnitij de generali præſentia carnis Chriſti in his terris, pag. 522. lin. penult.

Quum in Eccleſia Chriſtus vtraque natura adſit, & in ſingulis membris inhabitet, ac corpus eius ſit in Cœna: an ita etiam corpus Chriſti ſit in lignis, & lapidibus, & pomis, & auibus cœli, & pecoribus campi, & piſcibus maris, an ibi quæri, & in- C *ueniri velit: & quum de huiuſmodi quæſtionibus non habeamus certum verbum, nec expreſſam promiſſionem, quòd ibi velit quæri, & inueniri, ſimpliciſſimum ac tutiſſimum eſt, tales diſputationes à noſtris argumentationibus, & conſequentiis retrahere.*

Danæus.

Lutherus in maiore cõfeſſione de Cœna Domini.

Rectè Kemnitius, de præſentia carnis Chriſti in his terris nihil extra certum & expreſſum Dei verbum putat affirmandum. Nam ipſe quoque Lutherus (quem citat pag. 524. apertè docet, Vbiquitatem illam carnis Chriſti nihil ad hoc de ſubſtantiali, ſeu corporali præſentia carnis Chriſti in S. Cœna argumentum pertinere. Meritò igitur cādidè nunc loquens Kemnitius condemnat omnes ſuos, qui volunt & affirmant Chriſtum eſſe præſentem vbique, etiam ſecundum naturā ſuā humanā, & vbicunq; eſt ipſius Deitas (eſt autem vbiq;, & in ſingulis rebus exiſtentibus) ibidem quoque, & quidem realiter, eſſe volunt eiuſdem Chriſti carnem ſeu corpus & ſanguinem, adeò vt nulla ſint in tota Germania arborum folia, & nulli hypocauſtorum anguli, in quibus realiter non adſit caro illa ſacratiſſima D. N. Ieſu Chriſti: qua ſententia, A vel quo potiùs errore inſano quid inſanius? Nimirum igitur hîc illud pulcherrimum, & Chriſtiano pectore digniſſimum in animo habuit Kemnitius, *Amicus Plato, amicus Socrates, magis tamen amica veritas*, vt quamuis ſocios ſuos diligat, eos tamen veritati poſtponeret, & eorum offenſas aſpernatus, libertate Chriſtiana delectatus, diceret id quod res eſt, nempe S. Scripturam nuſquam docere, Chriſti carnem eſſe vbique, quamuis eiuſdem Deitas ſit vbique. Ergo, vel ipſo iam teſte Kemnitio, illi intelligant, non diſſolui hypoſtaticam vnionem naturarum in Chriſto, licèt vna ipſius natura in eo loco ſtatuatur, vbi tamen non ſit altera præſens, niſi malint alij in Kemnitium ſanè acutiſſimum defenſorem inſurgere.

Kemnitius pag. 518. l. 15.

Sententia Kemnitij de reali & ſubſtantiali præſentia carnis Chriſti peculiariter in Sacra Cœna.

Chriſtus pro liberrima ſua voluntate, & potentia, B *poteſt corpore ſuo adeſſe vbicunque, quandocunque, & quomodocunque vult.*

Danæus.

Et hoc quoque nos credimus: modò enim de Chriſti voluntate conſtet, non dubitamus, quin vbicunque eſſe poſſit, vbi vult, adeò vt reſtet inter nos, & Kemnitium certamen, non de potentia, ſed de voluntate Chriſti. Itaque idem ait, *Eſſe in hac diſputatione hæc tria coniungenda, velle, poſſe, fieri, ſeu eſſe.*

Kemnitius pag. 480. li. 14. à fi.

In actione Cœnæ ſuæ, quæ in conuentu Eccleſiæ in his terris, iuxta inſtitutionem celebratur, vult corpore, & ſanguine ſuo adeſſe Chriſtus. C

Danæus.

Tota hæc Kemnitij oratio, & ſententia tam eſt ambigua & incerta, vt quid de peculiari carnis Chriſti in S. Cœna, præſentia ſentiat, nemo ſatis intelligere poſſit: ſocios ſuos fortaſſe veritus, quorum vbiquitatem, & quidem meritò, ſuprà damnauit. Nemo tamen dubitat, quin Kemnitius eorum ſententiam amplectatur, & tueri velit, qui docent, ipſam Chriſti carnem ſecundum ſuam οὐσίαν, ſeu præſentia reali, & ſubſtantiali adeſſe præſentem in, ſub, vel cum pane: damnata eorum ſententia, qui volunt, ipſam Chriſti carnem in Cœna ſacra præſenrem eſſe, ſed præſentia ſacramentali, & pactionali, ad ſpiritualem noſtram cum ea participationem, quæ ſpiritualiter fit, & fide. Sed nihil planè hîc dicit, vt perſpicuè ſuam ſententiam explicet. Nam & quæ ſcribit, eadem illa ij fatentur eſſe vera, qui ſacramentalem tantùm carnis Chriſti præſentiam in ſacra Cœna vrgent & admittũt. Nos enim, qui (& quidem verè) negamus hanc carnis Chriſti præſentiam ſubſtantialem ac realem In, Sub, vel Cum pane, & ſecundum ipſius οὐσίαν, ac

A corporalem præſentiæ modum (quo vno adeſſe ſubſtantiale Chriſti corpus,vbicunque adeſt,dicimus)hoc totum cōcedimus,& fatemur,Chriſtum corpore & ſanguine ſuo adeſſe in Actione Cœnę vbicunque ritè celebratur.Itaque planè iam conuenimus,& iam Kemnitius noſter eſt,non Lutheranus,qualem tamen ſe Selneccerus appellat,idem faciens,quod illi,qui dicebant,Ego ſum Pauli,Ego ſum Cephæ,quíque à Spiritu ſancto damnantur 1.Corinth.1 Age tamen quod hoc loco Kemnitius planè exprimere noluit,& tamen(niſi à Luthero diſſentit)intelligi voluit,expendamus, Nos dicimus,in omni loco,vbi Sacra Cœna ritè celebratur,omnibus ad Cœnam Domini accedentibus,& ſymbola ſumentibus adeſſe corpus,& ſanguinem Chriſti præbitionis ratione, quatenus videlicet ipſa Chriſti inſtitutio,& generalis promiſſio his verbis,*Hoc eſt corpus meum*,&c.comprehenſa ſpectatur:nec propterea tamen ab omnibus(qui ſignis illis S.Cœnæ veſcuntur)carnem Chriſti participari & edi,cōcedimus. B Solos enim fideles verũ illud corpus Chriſti,& ſanguinem, & quidem ſpiritualiter,fide,non ore accipere : & quoties à Patribus dicuntur indigni corpus Chriſti recipere, Corporis vocabulum metonymicè pro corporis ſigno & ſymbolo,ſacro videlicet pane, intelligi. Kemnitius autem cum ſuis vult,omnes,qui ad ſacram Cœnã accedunt,& ſignis veſcuntur, etiam infideles, hypocritas & impuros,tamen ipſum illud eſſentiale Domini corpus & ſanguinem, ore ipſo corporis ſumere,non ipſa tantùm ſigna.Nos dicimus,etſi ipſiuſmet verè carnis Chriſti,pro nobis crucifixæ,ſpiritualiter,per fidem verè participes ſimus in S.Cœna,carnem tamen,ſitu ipſo, tã abeſſe ab ipſis ſignis,quàm cœli,in quos aſcendit, à terris abſunt,in quibus verſamur,quòd credentiũ animis,non corporibus,adſit modo ſpirituali, per fidẽ efficaciſſimè percipiẽda.Kẽnitius verò cũ ſuis vult,ipſum Chriſti corpus, ac ſanguinem adeſſe cum ſignis,ſub ſignis, in ſignis Cœnæ: adeſſe (inquam)apud ſigna,realis οὐσίας,ſeu corporalis pręſentiæ modo.Hic igitur eſt noſtræ controuerſiæ C ſtatus,non quidem,vtrũ Chriſtus corpore & ſanguine ſuo adſit in ſua Cœna,quod non negamus: ſed,vtrùm adſit eo ipſo loco,in quo conſiſtimus, caro Chriſti,id eſt,verum illud & eſſentiale corpus & ſanguis Chriſti, corporalis, ac eſſentialis præſentiæ modo. Hoc enim poſtremum ſentit Kemnitius,nos autem prius. Et vt illud ſuum confirmaret,totum hoc certè craſſum volumen conſcripſit.Nō quòd vbique Chriſtus corpus eſſe velit,ſicut ij,qui planè ſunt vbiquitarij:ſed quod pluribus in locis tantùm,& vbicunque velit,id eſt,voluiſſe eum fingit Kemnitius.Vnde factum, vt qui error Kemnitij ab vbiquitate diſtingueretur appellaretur à quibuſdam Multiuolipræſentia. Quare quum hoc ſtatuerit probare hoc loco Kemnitius,quomodo,quibúſue argumentis id efficere conetur, perpendamus.Videntur autẽ nobis prętermitenda,quæ multis iſte verbis, & ſuperuacaneo (quod ad huius loci quæſtionem)labore , de generali præſentia Dei diſputat,pluribus paginis. Nam vel vnus ille tritiſſimus verſiculus , toties à Philippo Melanchthone , Kemnitii præceptore, repetitus , ſatis docet , quomodo Deus generaliter ſit rebus omnibus præſens.

Enter,præſenter Deus eſt,& vbique potenter. A

Quod ad ſpecialem autem Dei præſentiam , qualis eſt ea habitatio,qua in ſuis electis peculiariter non tantùm adeſt, vt cæteris rebus,ſed eos etiam ſancto illo ſpiritu ſuo gubernat, eam præſentiam nos quoque agnoſcimus. Sed quorſum iſta hoc loco?Nec enim de Dei,ſed de carnis Chriſti Dei præſentia nũc inter nos quęritur. Peculiaris item illa Deitatis λόγου cum carne,ſeu humana natura aſſumpta præſentia,veriſſima quidem eſt : ſed quid ad carnis præſentiam *In,Sub,Cum ipſis ſignis Cœnæ* ſit,probandam facit?Itaque illa omnia,vt ſuperuacanea,& non ſuo loco dicta , imò infinitis penè paginis ab hoc ipſo repetita, prætermittimus.Nã illa potiùs erat pręſentiæ carnis Chriſti ſpecies explicanda,qua verè fidelibus,vti Mediator præſens adeſt Chriſtus.Sed illa profectò non ſunt à nobis omittenda,quibus ipſemet ſuam illam ſententiã (de qua diximus , nempe carnem Chriſti eſſe in Cœna Domini ſubſtantialis præſentiæ modò,nō B Sacramẽtali duntaxat,&Spirituali)planè deſtruit. Sic igitur ſcribit contra ſeipſum Kemnitius hoc pag.472. lin.10. capite.*Hoc modo hiſtoria aſcenſionis Chriſti deſcribitur,quòd non fuit repentina diſparitio:ſed quod viſibili* Luc.24.v. 51. *motu in altum ſit eleuatus,& ſurſum ſubductus. Lucas* Act.1.v.9 & 10. *enim ait διέστη ἀπ' αὐτῶν. Hæc igitur accipiantur & intelligantur ſimpliciter,ſicut litera verborum in propria ſignificatione ſonat.*Ex his verbis Kemnitij ſequitur, quoniam aſcenſio carnis eſt , ſicut ipſa verba ſonant , intelligenda : refutari manifeſtè iſtum ſitum,ſeu poſitum carnis Chriſti in ſignis Cœnę,& in his terris,& in pluribus iis locis,vbi Sacra Domini Cœna celebratur, quum ſigna & homines pariter ſint in terris,ac proinde ſi ab ipſis hominibus διέστη,etiam à ſignis diſtet,niſi fortè iam tum pag. 486. illum è cœlis rediiſſe probet Kemnitius. *Item certum eſt*,ait,*(quod à nobis etiam conceditur) veritatem ſubſtantiæ in Chriſto, & in vnione & in gloria abſque conuerſione manere ac retinendam eſſe : nec faciendam, aut admittendam abolitionem eſſentialium idiomatum humanæ naturæ in Chriſto.*Addit & mox, *Et verò hu* C *mani corporis veritas, & proprietas(quum certa ac finita multorum ſymmetria conſtet)naturaliter non admittit, aut fert, vt* VNVM CORPVS IN PLVRIBVS LOCIS SIMVL AC SEMEL *ſubſtantia ſua adeſſe* pag.481. *poſſit.*Item,*ſciebant etiam diſcipuli,poſt abitum ex hoc mũdo,carnem Chriſti e proprietate naturæ finitam eſſe circunſcriptione locali,& viſibili.* Ergo proprietates eſſentiales ac naturales amittat , vel ipſo Kemnitio iam iudice ſedente,caro Chriſti etiam glorificata,neceſſe eſt,ſi ſimul & eodem tempore pluribus in locis ſtatuatur.Idẽ Kẽnitius. *Corpora noſtra* pag. 477. *conformia futura ſunt corpori glorioſo ſaluatoris noſtri Domini Ieſu Chriſti. Philippenſium capite 3. Gloria igitur corporis Chriſti,ratione generalis glorificationis(excepta prærogatiua hypoſtaticæ vnionis,ſecundũ quam Diuina gloria vnigeniti ornatum eſt) eiuſdem generis eſt cum reliquorum ſanctorum glorificatorum gloria , κατὰ τὸ ποῖον:licèt ineffabiliter maiori gloria excellat κατὰ τὸ ποσὸν,ſicut Theodoretus inquit.*Ex quibus colligimus, etiam Kemnitio id nobis concedente, aut futura corpora noſtra glorioſa pluribus ſimul in locis(id quod veritas corporis nequaquam patitur,teſte Kemnitio)aut corpus Chriſti glorioſum vtpote quod differt à noſtris non genere gloriæ, ſed duntaxat gradu , propter hypoſtaticam illam

A vnionem(quia vnigeniti corpus eſt)nō poſſe eſſe plurib.ſimul in locis,contrà quā tamen contēdit Kemnitius, qui corpus illud reali ſuæ ſubſtantiæ præſentia ſtatuit,vbicunque eodem tempore cœna Domini,ex ipſius inſtitutione, adminiſtratur. Denique eundem Kemnitium audiamus,qui, ne propter dona illa ὑπερφυσικὰ(quæ caro Chriſti per, & propter vnionem ſui cum Deitate λόγου accepit)audeamus quiduis de ea carne ſentire,& contraria quæpiam veræ, & eſſentiali corporis naturæ illi tribuere,ſic prudenter monet. pag.488. *Nec verò noſtris argumentationibus aut conſequentiis, ſine expreſſis ſcripturæ teſtimoniis,quiduis de corpore Chriſti prædicemus,ſub hoc prætextu,quòd ex vnione multa ὑπερφυσικὰ acceperit:ſed ſimpliciſſima, rectiſſima, & tutiſſima regula eſt, Neminem melius,& certius,quàm Chriſtum ipſum,ſcire,quid aſſumptæ ſuæ natura ex vnione hypoſtatica acceſſerit. Et quantum de illa exaltatione in hac vita nos ſcire vtile,& neceſſarium iudicauit, illud in verbo ſuo manifeſtè nobis patefecit.* Ex quibus apparet,quemadmodum pulchrè à Kemnitio hæc orthodoxè B ſcribente refutetur ille Kemnitius, qui carnem Chriſti(quæ & vera eſt, & proprietates corporis eſſentiales,etiam in gloria, retinet illibatas)pluribus ſimul in locis contendit, vt verum corpus & ſanguinem Chriſti,*in,ſub , & cum ſignis S.Cœnæ ſubſtantiali corporis* præſentia ſtatuat. Verum enimuerò non contenti hac ſolùm generali Kemnitij,ex ipſiuſmet verbis,refutatione, ſingulas illius rationes pro tuenda carnis Chriſti corporali & ſubſtantiali ſimul in pluribus locis præſentia allatas,ſigillatim audiamus, atque excutiamus.Illud autem primùm omnium obſeruandū nobis eſt,quòd,quum intelligeret Kemnitius, illam veriſſimam regulam ſuam de eſſentialibus veri corporis proprietatibus(inter quas ipſe enumerar,vno duntaxat loco eodem tempore eſſe,& circumſcribi pag.485.) mirè ſibi ſuæque ſententiæ obſtare,maximè,ſtuduiſſe huic vulneri mederi,& eam regulam,licèt veriſſimam,& à ſe conceſſam, tandem variis,exceptionibus,limitationibus , & fallentiis,quas vocant,circumſcribere,confundere, C & reſtringere,vt prorſus eam tolleret, & inutilem nobis redderet,atque ita quod affirmauit,ipſemet ſtatim negaret.Addit igitur tres huius veriſſimæ de eſſentialibus veri corporis proprietatibus regulæ exceptiones Kemnitius.Primā,quòd pag.473. hæc regula,nempe *Vnum,& idem corpus verum non poſſe eſſe eodem tempore,& ſimul pluribus in locis*, tantùm ſit intelligenda de corpore conſiderato *ſecundum naturales corporis proprietates.Nam ſecundum ſupranaturales dotes , alicui corpori à Deo datas poſſe aliquod verum corpus pluribus in locis ſimul eſſe.* Ego enim (inquit Kemnitius) *non auderem,aut vellem negare de aliquo merè humano corpore (ſi in Scriptura tale verbum Dei haberem)per Dei potentiā fieri poſſe,vt,ſalua veritate humani corporis,ſaluis etiam eſſentialibus eius proprietatibus , alio , quàm naturali modo,illud adeſſe poſſit,vbi illud Deus adeſſe vellet ſimul in pluribus diuerſis locis.* Hæc ille. Verùm ſumit ἀδύνατον pro conceſſo vir iſte,nimirum Deum velle dare alicui corpori eas dotes, quibus veram corporis naturam deſtruat,ſic tamen vt ipſum verum corpus maneat.Quis,obſecro,iſta ἀσύστατα eſſe non videt,& manifeſtam contradictionem,vt vocant,implicantia,nimirum vt idem ſit verum corpus, A retineátque eſſentiales veri corporis proprietates ſaluas , & tamen vt re ipſa habeat aliquid, quod eas eſſentiales proprietates euertat, ac deſtruat? Iſta certè ſimul vera eſſe velle , eſt hominū ægrotantium ſomnium,& non ſatis perpendentium , quid dicant , aut non dicant . Imò quum Deus mentiri non poſſit,& contradictorium alterum,omni etiam Theologica conſecutione neceſſaria,ſit falſum,vtrunque Deo tribuere,quid aliud eſt,quàm Deo mendacium attribuere ? Sed addit Kemnitius,ſe iſta tunc eſſe admiſſurum, *ſi Scriptura tale Dei verbum haberet.* Ego quoque ſanè idem admitterem, ſi verbum Dei de eo haberemus vllum:ſed dico,aſſeuerare fieri poſſe,vt tale Dei verbum habeamus,eſſe planè Dei ſapientiam ac voluntatem cum ipſius omnipotentia, & conſtantia , tanquam contraria inter ſe quædam, committere ac Manichæanas in Deitate pugnas inducere.Poteſt igitur Deus,quū, & quandocunque,& quomodocunque vult , corpora omnia euertere(quis enim noſtrûm de Dei potentia vnquam dubitauit?)& pro iis alia creare & ſubſtituere,aut illud rerum à ſe creatarum genus , ſi velit, B tollere.Sed nemo vnquam dixerit,Deum (qui ſibi ſemper ſapientiſſimè conſtat)velle,vt quod verum corpus eſſe & ſemper manere iubet , quale Chriſti corpus,hoc Deus nolit ſemper eſſe & manere verum corpus. Quanta enim,& quàm horrenda eſt iſta blaſphemia , quæ Deum de vna & eadem re eodem tempore ſic ſecum ipſum pugnantem , & diſſidentem fingit, aut credit ? Verùm quum Deus dicitur iſtud facere non poſſe nihil propterea ipſius omnipotentiæ detrahitur, vt iſti clamitant:ſed ſua Deo conſtantia,& ſapientia(quam illi ipſi adimunt)conſeruatur ſarta tecta vt ſæpe ex Baſilio, Auguſtino & Damaſceno , aliiſque Patribus à noſtris demonſtratum eſt.Quare iſta prima exceptio,ſeu fallētia iſtius generalis regulæ,à Kemnitio conceſſæ,hîc ab eodem excogitata,falſiſſima eſt,vtpote quæ cōtradictionē implicet,id eſt,ſeipſam euertat. Ex quo fit,vt verū & immotū illud maneat,etiā teſte Kēnitio ,Vnū & idē verū corpus,ſaluis manentibus eſſentialibus, C veri corporis proprietatib. ſimul.i.eodē momēto duobus aut pluribus in locis eſſe non poſſe , quātūuis dotes ſupranaturales, & egregias,à Deo acceperit. Nam illud,quod Deus verum corpus manere vult(quale eſt Chriſti corpus etiam glorificatum)non deſtruit Deus dotibus vllis, in id collatis:ne in Deo ſit de eodem Velle & nolle , quod reprehendit etiam in conſtantibus viris Paulus. 2.Cor.1.17.

Altera eiuſdem & noſtræ, & Kemnitij regulæ veriſſimæ exceptio ab eodem Kemnitio ficta eſt, pag. 473. & aliis locis,nempe regulam illam eſſe de corpore Chriſti,pro tempore , & ſtatu ipſius exinanitionis,duntaxat intelligendam.Nec enim Chriſti corpus(quod nunc eſt in ſtatu gloriæ)eſſe huic regulæ obnoxium,vel ex eo æſtimādum. pag.47 Atqui ſi hæc exceptio vera eſt,Kemniti,Chriſti corpus in ſtatu gloriæ non eſt amplius verum corpus. Nec enim illud eſt verum corpus , quod eſſentiales veri corporis proprietates vel amiſit, vel amplius non retinet:vel ſtatuetur à te,aliquid eſſe verum corpus,quod tamen eſſentialibus veri corporis proprietatibus ſit ſpoliatum, ac priuatū. Quo, quid magis abſurdum eſſe poteſt? Imò verò iam

A ro iam ſeipſum audiat Kēnitius, rectè alibi ſic de corpore Chriſti,etiam glorificato.id eſt,quale nūc eſt in ſtatu gloriæ, ſcribentem.*Corpus*(ait) *Chriſti,* pag.472. *quum proprietate naturæ ſit finitum, eſſentialiter,ſeu naturaliter,hoc eſt,iuxta naturales ſuas proprietates, quas habet,& retinet,etiam in ipſa vnione Localiter,& Circumſcriptiuè certum locum occupat.* Quid ſupereſt igitur,Kemniti,niſi vt aduerſus teipſum agnoſcas, ne in ſtatu quidem gloriæ, poſſe corpus Chriſti, vtpote quod verum ſit corpus,ſimul eſſe pluribus in locis?Imò etiam,ſi concederetur illud Kemnitio,quorſum iſtud de corporis Chriſti glorificati prærogatiua,quum Cœna ſit exinanitionis tempore inſtituta?Itaque rurſum regula illa, à Kemnitio ipſo poſita,vera & immota etiam ipſomet teſte,adhuc manet.

Tertia exceptio eſt,generalem illam veri corporis regulam non eſſe intelligendam de corpore Chriſti,ſi iuxta habitum & conditionem inuiſibi- B lem,in qua nunc eſt,à nobis conſideretur, ſed tantùm ſi ſpectetur ſecundum conditionem huius ſeculi viſibilem,qualis fuit, quum inter ſuos diſcipulos & reliquos homines,in primo ſuo aduentu in his terris conuerſabatur.*Nam corpus Chriſti*(ait) pag.472. *verſatur nunc in Eccleſia ſua modo,& habitu inuiſibili, & longè diuerſo ab eo,quo,quum erat ſuis Diſcipulis familiaris.Hoc igitur inuiſibili modo* , ait Kemnitius, *Corpus Chriſti pluribus in locis ſimul eſſe poteſt:illo verò viſibili,& aſpectabili modo,vno tantum in loco eſſe eodem tempore poſſe concedit.* Σοφὸν certè φάρμακον,ſed inutile,quia petit principium.Nec enim quæritur inter nos,quandoquidem verum corpus Chriſti ſit in his terris,quo modo ſit &verſetur:ſed quęritur, Num realiter hîc , id eſt , in his terris adſit nunc Chriſti corpus. Adeſſe reſpondet Kemnitius , atque ita τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖ,additque modum, quo Chriſti corpus adſit in his terris præſens,nempe ſubſtantialis præſentiæ modo,præſertim tempore S. Cœnæ.Tunc enim omnibus locis , in quibus illa adminiſtratur,eo modo, ſed inuiſibiliter Chriſti carnem adeſſe putat. Itaque de modo tantùm ipſius conuerſationis agit,& eſt ſolicitus Kemnitius, quem definit eſſe inuiſibilem.Nos autem ex Dei verbo & ſuprà docuimus,& nunc quoque reſpondemus,Corpus Chriſti in his terris, & in S. Cœna ſitu loci(eſt autē(inquit Auguſtinus)ipſum C quoque glorificatum Chriſti corpus,corpus,& idcirco in loco,vbicunque eſt)abeſſe. Itaque de modo non erat nobis reſpondendum,ſed primùm erat hoc demonſtrandum, Chriſtum ſubſtantiali corporis ſui præſentia adeſſe in his terris,& in S. Cœna,dum illa celebratur:quod non probas,nec vnquam probabis,Kemniti. Hoc enim verum eſſe non poteſt,& vt ſimul Chriſti aſcenſio ſit, quemadmodum verba ſonant,à nobis intelligenda,id quod tamen antea conceſſiſti:Chriſti verò corpus eſſe in cœlis,non in terris : imò euectum eſſe pag.472. ſupra omnes hos viſibiles cœlos,vt docet Scriptura & tamen in Eccleſia,& in S. Cœna adeſſe Sacramentali ratione, & efficacitatis peculiaris reſpectu ita vt ipſius,licèt in cœlo per eſſentiam illam ſuam manentis,re ipſa tamen per fidem, ac ſpiritualiter participes fiamus,dona ſalutaria ex eodē percipientes & haurientes,iſta,inquam, contradictionem non implicant,&cum omnibus fidei articulis conſentiunt.At è contrario,quum hęc tertia Kemnitij exceptio euertat plures articulos fidei noſtræ,nempe de Aſcenſione corporis Chriſti in cœlum,de eiuſdem in cœlis illis vſque ad extremum iudicij diem manſione,& comprehenſione:de ipſa denique humanæ Chriſti naturæ aſſumptæ veritate,certè falſa ſit neceſſe eſt.Quicquid enim verbum Dei oppugnat,vel vero repugnat,illud omne falſum eſt.Quamobrem quum falſa ſit hæc tertia quoque Kemnitij exceptio, certè vera, & immota manet illa noſtra,&Kēnitij regula,*Verū corpus pluribus in locis ſimul eſſe non poſſe* : ac proinde,quum Chriſti corpus , etiam glorificatum, verum ſit corpus,ſimul pluribus in locis præſentia corporali adeſſe, etiam quando Domini Cœna celebratur,non poteſt. Quod ita conſtitutum & confirmatum,omnia,quæ ſequuntur,Kemnitij argumenta prorſus deiicit.Nam quòd,vt ſuum illum errorem tueatur,ex veteribus Brentij,& Iacobi Andreæ ſomniis,ſeu næniis,tria corporis genera Chriſto tribuit,*Naturale,Glorioſum, & Maieſtaticum*) pag. 477. etſi ipſis Iacobi verbis non vtitur, ne ab eo didiciſſe aliquid videatur) tam eſt verum , quàm B ſomnium. His autem ſic à nobis poſitis , iam ad ſingulas illas quatuor Kemnitij rationes,quas ex hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum vnione ſe expiſcari,& eruſcare poſſe putat,vt corporalem corporis Chriſti præſentiam in his terris probet accedamus.

Kemnitius pag.487. li.12.à.fi.

1. Ratio Kemnitij

In aſſumpta, ac vnita humana natura Chriſti, non ſunt duntaxat phyſica,ſeu eſſentialia idiomata cognoſcenda, quaſi præter, & ſupra naturales ſeu eſſentiales proprietates nihil, quod ex hypoſtatica cum diuinitate vnione acceperit,in ea agnoſcendum & credendum ſit: aut quaſi Chriſtus,in ſeu cum humana natura , & per humanam ſuam naturam,nihil aliud aut amplius,quàm tantum iuxta eſſentiales ſeu naturales eius proprietates & facultates agere velit,& poſſit.

Danæus.

Primùm monendus eſt lector, hîc à Kemnitio confundi magno errore eſſentiale , & naturale idioma,quæ ſunt diſtinguenda,quū naturalia quædamſint nō tamen eſſentialia,vt antea docuimus, ſed id fit à Kemnitio de induſtria , vt apparebit. Cæterùm hoc totum verum eſſe agnoſcimus , & tamen quod inde conſequens facit Kemnitius, effici pernegamus.Hæc enim eſt collectio iſtius En C thymematis, *Humana Chriſti natura aſſumpta,per, & propter vnionem hypoſtaticam cum diuina,hyperphyſica dona collata ſunt,Ergo & illud,vt ſimul pluribus in locis Chriſti corpus eſſe poſſit*. Falſa eſt conſecutio. Primùm quoniam eſt Paralogiſmus à dicto ſimpliciter,ad dictum ſecundum quid,ſeu à genere ad ſpeciem affirmatiuè, ac ſi quis dicat Data ſunt Chriſto dona,ergo hoc donum datum eſt.Deinde hic idem Syllogiſmus eſt ignoratio Elenchi. Nam dona toto genere diuerſa hîc confundit Kēnitius nimirū dona ὑπερφυσικὰ & αὐτοφυσικὰ : quod nullo pacto fieri debet.Concedimus igitur dona omnia ὑπερφυσικὰ,quę commemorat Kemnitius collata eſſe in humanam Chriſti naturam , quanta in vllam creaturam, vel etiam in omnes ſimul , & ſupra omnes dari poſſunt,*quibus nullam eſſe maiorem,& quibus nullam eſſe prorſus æqualem gloriã* ſcribit Auguſt.in Ioan.Euang.tract.82. Sed αὐτοφυσικὰ illi attributa negamus.Nã αὐτοφυσικὰ non poſſunt dici dona naturæ,vel collata in naturam,quum na

A turam ipſam deſtruant. Ergo quod de Hyperphyſitis propoſuerat Kēnitius, concludit de Antiphyſicis, in quo manifeſta fraus eſt. Quòd autem quædam contra naturam carni Chriſti data eſſe dicunt Patres, illud *Contra*, certè non ad eſſentialia idiomata refertur, ſed tantùm ad cohærentia, & quæ vocat Damaſcenus παρεπόμενα τῇ φύσει, quę ſolus Deus creator, non abolitâ eſſentia, tollit, vel cohibet, quoties illi placuit, vt planè hæc ipſa ſint quę ordinario illorum accidentium reſpectu ὑπερφυσικὰ dicuntur. Nihilominus tamen, vt ἀντιφυσικὰ dari, & ineſſe alicui rei poſſe probet, manēte quoque illius ſalua eſſentia, & proprietate eſſentiali, Exod.3. pag.489. affert Kemnitius exemplum de igne, quem in rubo Moſes vidit, & quo rubus tamen non adurebatur: itē, quòd ferrum natauit, Sol ſtetit, vmbra regreſſa eſt, Aſina loquuta. Reſpondeo primùm, in vniuerſum perperam afferri miracula ad ipſorū Sacramentorum confirmationem. Nam Sacramenta, ſicut rectè docet Auguſtinus, non ſunt miracula. Ex quo iam, quàm malè iſta inter ſe comparentur, animaduerti poteſt. Deinde dico nihil horum omnium, quæ recenſet, & recenſere poteſt Kem- B nitius, eſſe ἀντιφυσικὸν, id eſt, aduerſus eſſentiales earum rerum, de quibus agitur, proprietates. Loquitur Aſina: præter ordinariam quidem animalium brutorum naturam, non tamen propterea deſtruitur ipſa Aſinæ eſſentialis natura, quæ non eſt in eo poſita, vt articulata voce loqui, vel non loqui poſſit: ſed quòd, vt in cæteris eiuſdem ſpeciei animalibus fieri ſolet, ſono tantùm confuſo (Dialectici ψόφον vocant) & inarticulata voce, nimirum vt ſuos affectus (quos in illis parit ſenſus corporis) ſignificent, illa Aſina Balaami, voce articulata id eſt, φωνῇ, expreſſit. Nam humano quoque artificio, pſittaci, & picæ, citra miraculum, voce articulata loquuntur diſertè, nec propterea tamen animalia bruta eſſe deſinunt. Sed & in eo, quòd Sol ſtetit, ferrum natauit, vmbra regreſſa eſt, nihil contra naturam Solis, ferri, vmbræ factum eſt. Nam hæc non eſt eſſentialis Solis proprietas, vt ſemper currat, aut in hanc potiùs, quàm in illam mundi partem feratur. Ergo, ſi curſus ille Solis ſiſtatur, C aut in contrariam, quàm ſolet, mūdi partem conuertatur à Deo, quemadmodum factum eſt, quum vmbra Solaris eſt regreſſa, Sol tamē propterea nō amiſit eſſentialem ſuæ naturæ proprietam, vti amittit corpus Chriſti proprietas & eſſentiales veri corporis proprietates, ſi ſimul in pluribus locis 2.Reg.13. reipſa & verè ſtatuatur. Itaque ille curſus Solis perpetuus, eſt quidem Soli naturalis, ſed non eſſentialis. Ferrum ſupernatauit aquæ, pręter grauis corporis naturam, quoniam Dominus tunc miraculoſo opere, & diuina virtute aquam ita conſolidauit vt illud ferrum geſtare, & attollere ſurſum poſſet. Sic igitur à Deo denſata, & conſolidata aqua, non ceſſit ferro ſibi imminenti, quanquam graui, vt in aqua potiùs denſata miraculum illud fuerit, quàm Plin.l.36. Natu. hi. ca.17. in ferro, aquæ illi innatanti. Quanquam & illam ferri ponderoſitatem Dominus minuere potuerit, vt tūc leuius eſſet ferrum, quàm illa aquæ pars, cui innatabat. Ligna quædam naturaliter ſtatim in aquis ſidunt, & lapides quidam innatant aquis vt Phyſici ſcribunt. Ergo nihil in ferro tum fuit, quod illi eſſet ἀντιφυσικὸν, illiúſque eſſentiales proprietates deſtrueret: ſed quicquid in eo cernitur, eſt tantùm ὑπερφυσικὸν. Ex quo fit, vt ex his, & aliis huiuſmodi exemplis nequaquam probet Kemnitius, A ἀντιφυσικὰ (quale iſtud eſt tamen, quod corpori Chriſti affingit) vlli rei à Deo dari. Quod autē de igne ſcribit, rubum tamen, & iniecta corpora Dan.3.22. non comburente, ipſius ſententiam nihil iuuat. Nec enim dicuntur ignes illi non habuiſſe vim καυστικὴν, & adurendi, imò dicitur ille ignis Danielis, eodem illo momento, cremaſſe regis ſatellites Homil. 4 ad pop. Antioch. qui ad ignem acceſſerant. Diſertè quoque Chryſoſtomus ait, *Deum non extinxiſſe hunc ignem, & illius vim.* Quid igitur? nempe ignis vim tunc, quod ad Danielis ſocios, & rubum attinet, extraordinaria ſua potentia cohibuit. Vim autem vrendi naturalem quidem eſſe in igne, nec tamen eſſentiam eius conſtituere, ordinaria quoq; ratione probatur. Nam neque aurum adurit ignis, neque linteū madefactū, in ignem proiectum, ſtatim abſumit, nec lignum aluminoſa aqua permixtum, nec lapides, aut corpora alia duriſſima & compactiſſima. Sic, licèt extraordinaria ratione, neque rubū B illum, neque pilos & braccas ſociorum Danielis aduſſit iſte ignis: quoniam, vti dixi, vel vis ipſius ignis fuit intra ſe cohibita, vel ea vis data tunc à Deo & rubo, & pilis & illorum braccis, quæ calori ignis, quantumuis ardenti, reſiſteret, & ſe ab eo immunem & inuiolabilem redderet. Quod certè non erat contra eſſentialem earum rerum proprietatem, quæ tunc non comburebantur, ſed tantùm ſupra communem earum naturam. Denique, vt iam monui, quorſum, niſi vt fucum faciat, miracula ad præſentiam corporis Chriſti in pluribus ſimul locis probandam, in Sacramentorū adminiſtratione, profert Kemnitius, quum ipſa Sacramēta non ſint miracula? pag.491. Sic enim à rebus toto genere diuerſis argumentatur. Quod autem ille idem excipit, Nos hac ratione ſubiicere Deum Phyſicis legibus, huic calumniæ breuiter reſpōdemus, nos potiùs eas immotas eſſe velle, quas ipſe Deus ad rerum eſſentias conſtituendas voluit eſſe perpetuas & immutabiles: ac proinde Deum conſtantem & ſapientem ſic facimus, quod Vbiquitarij C non faciunt. Quod autem affertur de ingreſſu cor pag.493. poris Chriſti in conclaue clauſis ianuis, ſuprà ca. 25. abundè eſt à nobis explicatum. Pręterea, *Deum eſſe omnipotentem*: Ergo Chriſti corpus eſſe poſſe ſimul pluribus in locis. Nos verò Dei omnipotentiam minimè negamus: ſed ſuprà hoc ipſo capite conuenit inter nos, hîc de voluntate Dei propriè, non de omnipotentia generaliter quærendū eſſe: Num videlicet velit Deus, Chriſti corpus ſimul eſſe pluribus locis, quod nunquam magis pag.494. probabit Kemnitius, quàm Deum mentiri poſſe. Cęterùm quemadmodū ipſe ſtolidos pronuntiat eos, qui carnis Chriſti dimenſionem conantur facere præter Scripturas: ita inſanos eos eſſe dicimus, qui corporis Chriſti præſentiā, extenſionem, aut multiplicationem conantur inducere, præter Scripturas, præſertim quum nobis in ea re aſſentiatur Kemnitius, non quiduis nobis de corpore Chriſti fingēdum eſſe, eo prætextu, quòd ex vnione hypoſtatica multa ὑπερφυσικὰ corpus illud acceperit. Et hoc quidem ad primam Kemnitij rationem, quam ex hypoſtatica vnione ducit, reſponſum noſtrum eſto. Sequitur ſecunda ipſius Kemnitij ratio.

Kemnitius pag. 494. linea 5.

2. Ratio. *Quòd Filio Dei non tantùm poſſibile ſed,* 2. Ratio Kemnitij

A *ſed & facile ſit, quum ſimplici, propria ac natiua ſententia verborum teſtamenti ſui, præſentiam corporis ſui in Cœna promiſerit, eam efficere ac præſtare, ſalua ſubſtantiæ corporis ſui veritate, ſumitur ex ipſa hypoſtatica vnione duarum naturarum in Chriſto. Suprà .n. de deſcriptione hypoſtaticæ vnionis oſtendimus, humanaam Chriſti naturam non ſeorſim per ſe, aut in ſe, ſed in infinita* τοῦ λόγου *hypoſtaſi ſubſiſtere perſonaliter, ita vt cum* λόγῳ *vnum iam conſtituat* ὑφιστάμενον, *à quo in æternum non ſeparabitur.*

Danæus.

Ad hanc ſecundam rationem facilis eſt quoque reſponſio. Primùm enim eam Kemnitius ipſe eadem pag. lin. 22. refutat, quum diſertè, & verè ſcribit, hanc vnionem hypoſtaticam duarum in Chriſto naturarum ſic eſſe intelligendam, *vt & naturarum differentia, & eſſentialium cuiuſque idiomatum ſalua maneat, quoniam humanitas non eſt per vnionem conuerſa in infinitam ſubſtantiam, & immenſam, ſed proprietate naturæ manet finita & circunſcripta.* Itaque
B vt humanitas Chriſti ſit ſubſtantiali, & reali præſentiæ modo, vt hîc ait Kemnitius, pluribus in locis ſimul, vel in immenſum extendatur, vel multiplicetur oportet: quod tamen propter vnionem hypoſtaticam nequaquam faciendum eſſe, reſpondet Kemnitius. Præterea ſeipſum quoque poſtea pag. 495. idem iſte refutat, quum orthodoxis patribus (qui docent hypoſtaſin τοῦ λόγου eſſe ſupra, & extra omnem locum) aſſentiens, quid ex eo conſequatur, non videt. Humanitas enim Chriſti iam erit hac ratione non tantùm multis ſimul locis in Cœna Domini: ſed etiam ſupra & extra omnem locum, propter hoc vnionis hypoſtaticæ effectum & cõſequens, quod hîc repetit Kemnitius, ſiquidem propter hanc vnionẽ vtraq; Chriſti natura ſimul ſit vbiq; cũ Deitate. Vnde efficietur humanitatẽ Chriſti eſſe infinitã. Qualẽ tamen eam eſſe poſſe rectè ipſemet Kemnitius negat. Quamobrem ipſe ſecum conſentiat priùs: deinde nos oppugnet.
C Tertiò, reſpondemus perperam dici perſonam Chriſti diſſolui, ſi humanæ naturæ à λόγῳ aſſumptæ ſua, eſſentialiſque proprietas ſeruetur: qua fit, vt illius corpus (quoniam eſt verum corpus) vno tantùm in loco ſit eodem tempore, ídque circumſcriptiuè: non autem vbique vllo modo aut pluribus ſimul locis. Ergo licèt humanitas Chriſti ſit in cælo tantùm, Deitas autem eius vbique: proptere a tamen Chriſti perſona non diſtrahitur. Vbicunque enim eſt humanitas Chriſti, illa in perſona vnigeniti ſubſiſtit, non in ſe: & vbicunque eſt Deitas λόγου, non eſt abſque vnione ad humanam naturam à ſe ſemel aſſumptam, quam nunquam pag. 496. deſerit. Cæterùm quod addit Kemnitius. *Naturas hypoſtaticè vnitas non poſſe eſſe abſentes, & ſeorſim poſitas*, ſi *abſentem* vocat carnem, quòd habeat ſeparatam hypoſtaſim, nos id quoque verum eſſe concedimus: ſin *abſentem* vocet, quæ non adſit realiter cum Deitate eodem in loco: Reſpondeo, falſiſſimum eſſe, quod Kemnitius concludit. Nam pes capiti ſuo in eodem homine viuo, vt pars totius eſſentialis vnitus eſt, nec tamen pes eſt in eodem loco vel corporis, vel aeris, in quo caput. Denique hęc quoque ſentẽtia Kemnitij à Damaſceno, quem ipſe citat, manifeſtè refutatur. Negat enim Damaſcenus, de Chriſti naturis loquens, hy- pag. 496. l. 20. & 21. poſtaticè vnita συμπαρεκτείνεσθαι, id eſt, *inter ſe coextendi*: quod tamen eſſet neceſſe, ſi vbicunq; & quocunque in loco eſt vna natura vnita, ibidem quoque alteram ſitã, & poſitã eſſe oporteret. Sed obiicit Kemnitius, *Chriſtum & à Paulo in caſtris, Act. cap. 23. ver. 11. & à Stephano Act. 7. viſum fuiſſe.* Ex quo colligit, Ergo corpus Chriſti, ſubſtantialis, ac corporalis præſentiæ modo adeſſe in his terris, & maximè in S. Cœna. Reſpõdeo, nõ quotieſcũq; & vbicũq; Chriſtus dicitur apparuiſſe, vel apparere, requiri præſentiã carnis aſſumptæ, ſeu corporis vel vt ibi eſſentialiter illa caro ſiſtatur. Dico etiã, Chriſtum ante incarnationem ſæpe apparuiſſe patribus, ergo non in carne poſtea aſſumpta, quia tum nondum erat. Sed & poſt incarnationem Act. 16. v. 9. 27. v. 23. Chriſtus manet Deus, qui ſine corpore variis modis apparere nobis poteſt. Stephano, certè, fateor, apparuit Chriſtus etiam homo, ſed in cælis, & ſtans ad Dexteram patris, ergo non in his terris. Act. 22. v. 10. & 17. 2. Cor. 12. Apparuit idem Chriſtus Paulo proficiſcenti Damaſcum, & oranti in Templo, & cogitanti de B propagando Euangelio, nuſquam tamen dicitur corpus Chriſti fuiſſe in his terris, ſed dicitur Paulus raptus in tertiũ cœlũ, adeo vt ex his S. Scripturæ locis, & exemplis fuerit potiùs colligendũ, eos qui Chriſtum hominem vident, in cælum rapi, quàm Chriſtum ipſum, ſecundum humanitatem, in his terris præſentem eſſe, aut ſe ſiſtere, aut verſari. Sed quum fuerint, atque ſint hæ Chriſti apparitiones extraordinariæ, peculiares, & miraculoſæ Dei agentis ἐνεργείᾳ, quid iſtas cum Sacramentis (quæ neque ſunt miraculoſę, neque extraordinariæ actiones) comparat Kemnitius?

Kemnitius pag. 500. l. 10. à fi.

3. Ratio. *Quòd filius Dei aſſumpta ſua natura, ſeu corpore, & ſanguine ſuo adeſſe poſſit, vbi præſentiam ſuam certo verbo tradidit, & promiſit, ſumitur à ſeſſione ad Dexteram Dei. Quando enim contra promiſſam illam* C *corporis, & ſanguinis præſentiam, prætenduntur, & obiiciuntur eſſentiales, ſeu Phyſicæ proprietates corporis finiti &c. rectè ex hoc articulo reſpondemus, humanam naturam in Chriſto non tantùm ſola eſſentialia, & naturalia ſua idiomata habere &c. ſed ipſam aſſumptam illam ſuam humanitatem, ſalua eius ſubſtantia, & veritate exaltatam, & collocatam ad dexteram maieſtatis, & virtutis Dei.*

Danæus.

Dupliciter peccat hoc quoque loco Kemnitius. Primùm, Petitione principij, quod eſt vitioſiſſimum concludendi genus. Nam ſumit pro conceſſo, quod inter nos, & ipſum manet vel maximè controuerſum. Nempe verba illa Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, in S. Cœna prolata, continere promiſſionem corporalem & ſubſtantialem corporis ipſius præſentiam, & eſſe ſine tropo ſumendã. Quod nos non concedimus, neque ipſi etiam vnquam probarunt. Deinde, quod per aſcenſionem & ſeſſionem Chriſti ad Dexteram Patris, putat Kemnitius data eſſe humanitati Chriſti dona ἀντιφυσικὰ, quæ naturam eius deſtruant, ac eſſentiales veri corporis proprietates, ac proinde, ipſam hypoſtaticæ vnionis definitionem à Kem-

A nitio conceſſam,id eſt, ipſum huius conſecutionis fundamentum aboleant.Nam certè,ſi iſtud verum eſſe conceditur,fit,vt per ſeſſionem ad Dexteram Dei,verum corpus Chriſti deſierit eſſe verum corpus,& nobis ὁμοούσιον,atq; ita deſierit Chriſtus in cœlis ſedens ad Dexteram Patris, eſſe noſter frater,Mediator,& interceſſor: propter quæ tamen beneficia,in nos quotidie,&perpetuò pręſtanda,aſcendit in Cœlum Chriſtus, & ſedet ad dexteram Patris.Ergo vniuerſum ſalutis noſtræ fundamentum tollit,& euertit iam Kemnitius,dū 1.Tim.2. v.5. Heb.7.25 & 26. Maieſtaticum illud,& inauditum corporis genus Chriſti,præter ipſius verbum,affingit, & corpus ipſius glorificatum eſſe huiuſmodi vult, vt eſſentiales veri corporis proprietates (quicquid contra teſtetur, præſentiens ſuæ ſententiæ abſurda Kemnitius) non ſemper habeat,conſeruet ac retineat.

pag. 501. lin.16. 4. Ratio. *Quando contra præſentiam corporis* B *Chriſti in Cœna obiiciuntur localitates,diſtantiæ, intercapedines, & interualla locorum,rectè opponimus· & hoc, Quum Chriſti pedibus etiam ſecundum aſſumptam humanam naturam,ſubiecta ſint omnia, &c. quomodo poſſimus illæſa conſcientia, dicere, locorum interualla obſtare, aut impedire,quominus Filius Dei ſicut verba teſtamenti ipſius ſonant,corpore ſuo adeſſe poſſit?*

Danæus.

Quoniam neque verba teſtamenti ſonant, Filium Dei velle in ſacra Cœna corpore ſuo adeſſe eo præſentiæ modo,quem fingit Kemnitius,nempe σωματικῇ παρουσίᾳ quæ vna circunſcripti corporis reali in loco præſentiæ conuenit:neque valet conſecutio à poteſtate, ſeu imperio ad ſitum corporis,ſeu imperantis,vt vbicunque ius, & imperium quis habet,ibidem etiam corpore ſit præſens.Idcirco,illæſâ conſcientiâ negamus,Kemniti, corpus Chriſti(quod eſt verum corpus) in S. Cœna ſubſtantialis tuæ,& corporalis præſentiæ modo adeſſe,quo modo tu, & quidem contra manifeſtiſſimum Dei verbum illud adeſſe vis, & ſentis. C Communicatio enim ipſius eſſentialis carnis, & ſanguinis Chriſti,eáque vera,fit à nobis, omnibúſque Dèi electis,in Sacra Cœna, ſpiritualiter, non dente,ſed mente,per fidem,etiamſi corporalis præſentiæ modo illa caro abſit à ſignis, & ab his terris.Nam quod affertur ex Matth.28. *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi*,& Matt. 18.*vbi duo,aut tres ſint congregati in nomine meo, ego* Auguſtin. Tract.50. in Eu.Io. pag. 350. & 504. *ero in medio eorum*,tam ſæpe demonſtratum eſt ex Auguſtino ad diuinam Chriſti virtutem referendum eſſe,non ad humanitatis, ſeu corporis ipſius præſentiam in his terris,vt mirer,Kemnitium hęc ad iſtam ſuam corporis Chriſti pręſentiam in his terris probandam nunc regerere, & toties recoquere.Vrget vocem *Ego*,quam ad totam perſonā pertinere contendit,vt ſecundum vtramque naturam adeſſe in terris cenſeatur Chriſtus. Quod ſi verum eſt, in omni certè fidelium cœtu aderit ſubſtantialiter Chriſti corpus, non in ſacra illa ſynaxi duntaxat:neque ex Cœnę inſtitutione petendum erit ipſius in Cœna præſentiæ fundamentum. Ioā.8.v.58 Dixit autem idem Chriſtus, *Antequam Abraham fieret,ego ſum*,quod tamē ad totā Chriſti perſonā,& ad vtrāq;,Chriſti naturā nō poteſt referri niſi Kemnitius velit, carnem Chriſti fuiſſe,& extitiſſe,antequam à λόγῳ aſſumeretur in vtero virginis Mariæ.Quod vel ſentire eſt maximè blaſphemum. A Dixit Chriſtus,ſe non adfuiſſe morienti Lazaro,nempe viſibiliter,ſi Kemnitio creditur, non autem Maieſtaticè.Dicit Paulus, nos in corpore poſitos abeſſe peregrè à Domino,& optat migrare,& eſſe cum Chriſto,quîcum tamen erat, ſcilicèt omnimaieſtaticè.At nos ab Omnimaieſtaticæ carnis reali ſomno ad Cēturionis fidem Kemnitium,& eius aſſeclas reuocatos cupimus.In ſumma igitur,vbique totus Chriſtus eſt,at nō totum Chriſti,id eſt Chriſtus,quatenus totum quiddam eſt,ſiue perſonaliter,at non ſigillatim,ſiue ſecundum naturas diſtinctè conſideratas: quæ ſanè diſtinctio,nimirum inter *Totum Chriſtum,& totum Chriſti*,veriſſima eſt,& ex Auguſtino ſumpta,licèt Kemnitio, & ipſius ſociis vehementer diſpliceat, propterea quòd infinitos eorum errores, ac latebras detegit,& refutat.Cęterùm quod affert quoque Kemnitius ex Paulo Philip.2.*In nomine Chriſti omne genu flecti*,ſuprà expoſitum eſt, & demon- B ſtratum,à poteſtate ad ſitum perſonæ, vel corporis,nullam valere conſequutionem. Hac enim ratione Chriſti corpus eſſet hodie in inferno (propterea quòd non tantùm cœleſtia, & terreſtria, ſed etiam inferna, flectunt genua ſua in nomine Chriſti) ſi verum eſſet, quòd vbicunque genua Chriſto flectuntur, illic quoque ipſum eſſe illius corpus,quod etiam ſomnium Kemnitium,&vbiquitatis ſocios mirum eſt nolle.Neque verò propterea fides noſtra erit Phantaſia, vt timet Kemnitius,etiamſi non ſtatuamus corpus Chriſti præſens,corporalis,& ſubſtantialis præſentiæ modo, in S. Cœna,aut vbicunque aliquid in ipſius nomine agitur. Nam neque Sacramenta (qualis eſt S. Cœna)neque virtus Diuina Chriſti(per quam eſt & Deitatis,& humanitatis ſuæ reſpectu in nobis etiam efficaciſſimus)deſiderat, aut requirit corporis ipſius ſitum,aut præſentiam in iis locis, in quibus agit tamen & efficaciſſimè, & potentiſſimè:niſi dixerimus,Chriſtum nihil ibi poſſe, vbi eſt abſens corpore:quod quia Centurio ille abſurdum eſſe credidit,idcirco fides eius à Chriſto tantopere,vt nihil ſuprà,commendatur. C Et ſcilicet, quum Chriſtus ſuis diſcipulis diceret,expedire,vt ab illis ad patrem abiret,carnis ſuæ inuiſibilitatē illis,& nobis pollicebatur.Denique habitat in nobis Ioan.14. Chriſtus non corporali aſſiſtentiâ ſuæ carnis, ſed Spiritus ſui ἐνεργείᾳ: & illa habitatio Chriſti Dei hominis in nobis,ac manſio,eſt ἐνεργητικὴ,non autem σωματική: cuius Cœna ipſa Sybolum eſt & σφραγίς.Quamobrem nos etiam verba illa Pauli toto 1.Cor. 10 pectore,& vera fide credimus, & admittimus quæ Kemnitius recenſet)Sacram Cœnam eſſe κοινωνίαν pag.196 non tantùm Spiritus,ſed etiam ipſius eſſentialis corporis,& ſanguinis Chriſti.Sed hanc noſtram cum vera Chriſti carne in Cœna κοινωνίαν fieri ſpiritualiter per fidē,nō orali māducatione: fieri reali,nō corporali Chriſti ſitu:ſed myſtica illa noſtri cum Chriſto coniunctione,quæ Sp.Sancti eſt opus :fieri nō per ſubſtantiarum, nimirum carnis Chriſti,& noſtræ,confuſionē:ſed ex veriſſima,&Spirituali alimonia,quę ex Chriſto mediatore.i.Deo,&homine,nobis ſpiritualiter cōiūcto, ad nos defluit.Hęc igitur eſt noſtra de verbis Pauli interpretatio,verbo Dei,& articulis fidei cōſentiēs.Quòd verò negat Kēniti⁹,poſſe Chriſtū,vtpote caputnoſtrū,à nobis(qui ſum⁹ in Eccl.&Chriſti pag.507.

A ipſius membra)eſſe auulſum, eſt quidem veriſſimum: ſed iſta noſtri cum Chriſto capite noſtro Ephes. 5. coniunctio eſt myſtica(vt docet Paulus) ac ſpiri- v.32. tualis,quæ neque præſentiam corporis Chriſti in 1.Cor. 12. his terris requirit,neque ſitum:ſed quæ tota eſt S. v.3. Sancti(vc diximus)opus per fidem. Cętera,quę in hoc capite continẽtur,ſatis à nobis confutata putamus. Auctarij tamen vice,ne quid à me prætermiſſum videatur,recitabo aliquot ipſius ad eundem finem,ſed abſurdiſſima profectò argumenta. *Hac Chriſti verba*(inquit ille)*hoc eſt corpus meum ſunt teſtamentaria promiſſio. Ergo ſecundum literam,* pag.480. *ſine tropo,ſunt interpretanda. R.* Hæc verba,*Nemo docebit fratrem ſuum*, ſunt teſtamentaria promiſſio: Ergo ſecundum litteram,&,vt ſonant,ſunt interpretanda. Quare in Anabaptiſtarum (qui omne Euangelicum Miniſterium tollunt)caſtra tranſea- Gen. 49. Deut. 32. mus,licebit per Kemnitium. Ecquid verò notius eſt,quàm teſtamenta Patrum,& Dei prophetarũ, à Dei ſpiritu dictata,& figuris, & tropis , quibus B non res obſcurentur,ſed potiùs illuſtrentur,abundare, ac proinde aliter, quàm verba ſonant, eſſe accipienda? De quo quoniam in noſtra ad N.Selneccerum , pro exegeſi Saxonica,reſponſione pluribus dixi,eò lectorem remitto. Alterum Kemnitij argumentum eſt,*Chriſtus nominat corpus ſuum illud quod porrigit in cœna ſua.* Reſp. Metonymicè ſic Chriſtus appellat Panem illum , & Vinum illud. Eſt enim Cœna Domini Sacramentum,& in Sacramentis loquutiones ſunt Sacramentales,id eſt, ſigna,nomine rerum ipſarum,quas ſignificant,donantur. Ergo ſunt illæ Sacramentaliter intelligendæ. Tertium argumentum Kemnitij eſt huiuſmodi,*In his Chriſti verbis nullus eſt tropus,ſed eſt ſimplex loquutio.* Reſp. aliud omnino ſentit , & reſpondet Auguſtinus lib.3.de doctrina Chriſtiana. A Eſt quidem illa locutio Chriſti propria,quoniã ad argumentum ſuſceptum, nempe ad Sacramentum inſtituendum eſt apta & accommodata: Tropo tamen eam propterea carere negamus . Sunt enim Sacramenta tropicæ loquutiones,idcirco accommodatiſſimæ,vt à rebus corporeis ad res ſpirituales,in ſignis cogitandas,& fide amplectendas, animus accedentium traducatur . De quo,quoniam Theod.Beza in ſecunda parte quæſtionũ Chriſtianarum copioſè ſcripſit , plura nunc non adſcribam. Denique quod iſti clamitant,Chriſtum velle adeſſe ſubſtantiali,ſeu corporali præſentię modo in ſua Cœna,propter hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*,falſiſſimũ eſt. Præclarè enim Proſper, *Quod Deus fieri vult,non aliter fieri debet , quàm vult.* At Chriſtum his verbis,quæ citant,voluiſſe ſic in S. ſua Cœna adeſſe , quemadmodrm iſti imaginantur , eſt ipſi Chriſti voluntati planè contrarium, qui & ſe ſtatim moriturum eſſe prædicit , & alibi B ſui corporis in cœlum ipſum Aſcenſionẽ, de hoc ipſo agens,prædixit. Atque ita abſoluitur noſtrũ de hoc ipſius libro examen. Nam caput 31. quod ſequitur,& eſt inſcriptum *De conſolationibus , quæ ex ſuperiori doctrina ipſius percipiuntur* , planè hoc vno verbo refutatur,quòd ex falſa doctrina(qualis eſt iſta Kemnitij verè hîc à nobis oppugnata) nulla vera & ſolida conſolatio conſcientiis noſtris afferri poteſt. Eſt enim conſolatio iucundus, & Dei verbo conſentiens conſcientiæ noſtrę ſenſus. Atque vt hæc omnia Kemnitius, piíque omnes,æqui boníque conſulant,eos precor. Vnico enim tuendæ veritatis,non contendendi ſtudio, hæc à me ſcripta eſſe,Deus ipſe nouit, & coram Eccleſia teſtor.

L. D.

C

C APOLOGIA SEV VERA ET ORTHODOXA ORTHODOXAE PATRVM SENTENTIÆ DEFENSIO AC INTERPRETATIO, DE Adoratione carnis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Aduerſus

BLASPHEMAM, ET VERE IDOLOLATRICAM IACOBI Smidelini Andreæ filij hæreſin, & ſententiam, in libro qui inſcribitur SOLIDA ADMONITIO AD IOANNEM STVRMIVM, nuper edito.

Auguſtin. ſerm. 145. de tempore.

Nemo credat de Chriſto, niſi quod de ſe credi voluit Chriſtus.

SCHOLASTICAE declamationis, aut potius Tribunitiæ concionis tuę parti illi reſponſurus , Iacobe Smideline, in qua quoniam me nominis mei inuidia non poteras, alieni,id eſt, Sturmij adiunctione odioſum reddere ſtuduiſti , candidius ſinceriuſque tecum agam, quàm tu vel mecum egeris , vel etiam cum tuis ipſius ſociis(ex quorum ſcriptis tota tua compilas, ac ſuppreſſo eorum nomine pro tuis manifeſtiſſimè plagiarius venditas) ſoleas verſari. Quum enim me calumniari , & hæreſeos , ſed falſo, accuſare velles, ſic tuas illas inſidias & διαβολὰς inſtruxiſti, vt vernaculo duntaxat tuo, id eſt, mihi (qui gente, & genere Francus ſum) pere-

A grino ſermone id faceres, & cõtra Dei omnipotentis præceptum. Leuit.19.ver.14.mihi in tua lingua ſurdo maledicceres; tu inquam id faceres, qui te tamen Doctorem,& aliorum Magiſtrũ, immò etiam Dominum,ac Venerabilem Superintendẽtem,id eſt,Germanorum Epiſcoporum Epiſcopũ,Antichriſti illius Romani exẽplo vocitas. Sed nimirum mihi ſecurè, ac,vt putabas, impunè maledicere voluiſti. Ego verò tuis illis inſidioſis ac falſis criminationibus ea lingua reſpondebo, quæ & abs te & à quouis homine,qui modò latinè didicerit,facilè intelligi poſſit. Quemadmodũ enim ineptiſſimum fuerit, Smidline, ſi quũ quis tibi in Italia certamen offert,eum in Africa magna vociferatione ad pugnam quęras & poſtules, vt illic te victorem poſtea prædices:ſic ignaui eſt hominis,& de ſua cauſſa planè diffidentis,non audere eo modo,eo loco, ea lingua , eáque ratione conſiſtere,& ſuæ doctrinæ defenſionẽ ſuſcipere, quæ aduerſariis nota ſit,& perſpecta. Hoc .n. eſt ſubterfugia &latebras,nõ autem lucẽ quærere,vel apertè ſophiſtam agere, quod iam non modò tu B ſed etiã,vt audio,Nicolaus Selneccerus homo tenebrio aduerſus me facit. Loquere igitur Smideline,vt te videam:En Rhodus,en Saltus. Pro Vbiquitatis tuę,id eſt,pro Helenæ & Philęnij tibi tã dilectæ ſalute,ac incolumitate,in arenam mecum prodi,ac ſi potes,bona fide(nam etiam eſt cũ hoſtibus iure manu conſerendum,& illud profanum eſt, *Dolus an virtus quis in hoſte requirat*?) decerta. Vulgari , familiaríque doctis omnibus idiomate impugnatus , eodem ſermone certamen ne detractato,ne noto mulieribus duntaxat veſtratibus ſermone certans, te inter eas victorẽ proclames. Potui equidem tuo illi contumelioſo ſcripto ipſe Gallicè reſpondere,cuius linguæ fortaſſis nõ magis apicẽ & ſyllabam intelligis,quàm ego tuę: ſed quis ad eccleſiam inde fructus,quæ ędificatio, quæ cauſſarum inter ſe collatio,conflictióque rationum futura erat,ex qua veritas,cuius cauſſa diſcepto,emergit? Et certè niſi me amici quidã C Germani monuiſſent de iſtius hominis fraude,qui inſtar latronum illorum,qui,vt ait Pſalmus 10. *ſedẽt in inſidiis,in latebris occidunt innocentem, inſidiantur in abſcondito*,in me graſſatus eſt,oppreſſa iaceret in capite à me propoſito,& ab iſto temerè denegato,Domini noſtri Ieſu Chriſti doctrina. Sed & illis quidem gratias ago immortales, tum publico eccleſiæ,tum priuato meo nomine,qui aſtus iſtos Andreæ mihi detexerunt:& Andreæ iſti, homini Noctuæ & Lucifugæ,apud pios omnes,qui bona conſcientia atque palàm Chriſti veritatem tueri ſolent,dicam dico teterrimæ præuaricationis , ac crimẽ petitę per inſidias veritatis impingo. Quod ſi ille ſe ſuis Germanis cauere voluiſſe exceperit, quandoquidem mea ſcripta erant latina, nulli in Germania ipſa ea legere potuerunt,niſi qui ſcirẽt latinè:nec iidem illi ſtatuere , vtrius eſſet verior ſententia,meáne an illius, niſi ille mecum apertè & iuſto certamine contẽderet. Sed quo id conſilio fecerit,viderit ipſe:certè boni omnes inſidioſiſſimè ad opprimendam, ſi fieri poſſet,fidem, ab eo factum eſſe facilè indicabunt. Cæterùm verſipellis Vlyſſes iſte,tanquam ex arce Troiana hoc Palladium,per ſolius noctis tenebras auferre,nobis dormientibus,poſſe ſperabat,ſed Deo fauente,non faciet. Verùm de re ipſa,quæ vna omnium A eſt maximi momenti potius, quàm de veteratorio hominis iſtius ingenio agamus. Quum anno Domini CIↃ. IↃ. LXXXI. amicorum precibus impulſus, librum Martini Kemnitij de duabus in Chriſto naturis examinandum ſuſcepiſſem , multa quidem in eo peſſimè ſcripta eſſe demonſtraui, imprimíſque fœdiſſimam Monothelitarum hæreſim per Kemnitium planè ab inferis reuocatam ſic oſtẽdi,vt nec illius amici,ac ne ille quidẽ ipſe id negare poſſit. De eo quoque cum Kemnitio c. 29.diſputaui, *Quomodo ſanctiſſima ac beatiſſima Domini noſtri Ieſu Chriſti caro & glorificata,& in vnione diuinæ filij Dei perſonæ manens, nunc à nobis adorari dicatur.* Nam vt Kemnitius tueretur aſtutius realem idiomatum Deitatis eſſentialium communicationem in naturam humanam à filio Dei aſſumptã,id eſt,vt ipſiſſimum Eutychianiſmum, à Iacobo quidem Andrea antea,ſed per vocem *Effuſionis* nimium apertè & ruſticè ex Eutychianorum hæreticorum fæcibus ac verbis defenſum reponeret B Kemnitius:ſententia Iacobi Andreæ à ſe,abſque circuitione & tergiuerſatione , tanquam hæretica prius damnata (in quo Simidelini veteris amici pudori non pepercit,illi iam iratus Kemnitius)ipſe nouum cuiuſdam περιχωρήσεως,& inuſitatę in hoc argumento vocis,inuentam , & clypeum, tanquam Gorgonem,nobis obiecit. Ergo ſic ſcribit Kemnitius,vt manifeſtè conſequatur humanã Chriſti naturam eſſe ipſius Deitati,propter vnionem perſonalem,exæquatam,tam ſunt iſtius ſectę homines miri artifices,vt diuerſiſſima illa monſtra miſceant,videlicet Neſtorianiſmum de exæquatione naturarum,cum Eutychianiſmo & Monophyſitiſmo,de reali eſſentialium Chriſti deitatis idiomatum participatione ab ipſius humana natura facta:itẽ de vna & eadẽ Deitatis & humanitatis Chriſti operatione,voluntate,omnipotentia,in ipſis vtriuſq; naturæ apoteleſmatis. Ex quo fit,vt Kemnitius putet,dum adoramus Chriſtum, etiam humanam Chriſti naturam ſeu carnẽ eſſe C propriè & per ſe illius adorationis noſtræ obiectum. Deniq; cultũ religioſum eſſe tribuendum Chriſto,non ſecundũ diuinã tantùm naturã, ſed etiã propriè ſecundum vtramq;.i.ſecundũ etiã humanã naturã. Verùm quid ni ille hæc diceret , & ſcriberet,& naturarũ in vna Chriſti perſona proprietates confunderet , qui in eodẽ libro ſentiat, Deitatem Chriſti vnâ cum carne aſſumpta fuiſſe in ipſius morte,reipſa quoq; crucifixam , paſſam? ac proinde dicamus iã licet, (quando hoc ex illo conſequitur)Deitatem Chriſti fuiſſe mortuã? Atqui in vtroq; certè quidẽ manifeſtiſſimè ſacrę ſcripturæ aduerſatur Kẽnitius:ac quidẽ in poſteriori, 1. Pet.4. Petro,qui docet Chriſtum *carne* , nõ aũt *Deitate* paſſum eſſe. In priore aũt repugnat & Ieremię, Iere.17. qui ſic ,tanquã ex Dei ipſius ore,pronuntiat, 2.Cor. 13. 4. *Maledictus,qui confidit in homine*:& Paulo,qui infirmitatem (quæ res certè quidẽ à Deo alieniſſima eſt, ac proinde ab eo quẽ vnũ,ex Chriſti præcepto,adorare debemus)tribuit ſoli *carni* Chriſti. Mat.4.16. In Examine ca.29. Pag.415. Quamobrem huic tã manifeſtè pugnãti cũ ipſo Dei verbo,Kẽnitij ſentẽtiæ,cõtradixi, ſcripſique , *totum quidem Chriſtũ à nobis religioſo cultu adorari & inuocari, ne perſonam Chriſti(quæ vnica eſt ex vtraque natura conſtans)diuidamus ſeu ſeparemus : non autem in totum*

Chriſti

A *Chriſti adorationem, & inuocationē illā noſtrā propriè dirigi, ne naturas, quæ in ea vnione inconfuſæ manent, confundamus, aut humanam diuinæ exæquemus.* Hoc verò tanquam Arrianum, Turcicum, Epicureũ, Diabolicum, denique quid non? in illa ſua Germanica, id eſt, mihi quidem muta declamatione exagitat Iacobus Smidelinus, iſte furioſus, qui tamen ne illum, vt Kemnitium, confutarem, nō eſt aliquo noto mihi ſermone vel mutire auſus. Verũ hîc pedē, Iacobe, figamus, & vter veriùs ſentiat, perpēdamus. In quo, eodem ordine, quo ipſe me calumniaris, reſpondebo, tecúmq; agam, vt illius, meæ ſententiæ nēpe, rationes prius repetam: deinde quæ obijcis, ſi quid tamen dicis, confutem. Cæterùm hoc loco ſubit mihi mirari, Smideline, quanta ſit tua tum ſuperbia, tum etiam impudentia. Ac quidem ſuperbia, qui hac tua reſpondēdi feſtinatione, ne dicā præcipitatione, palmā Kemnitio præripere volueris, ad quē propriè hęc cauſſa ſpectat: ſed id facis, quoniam beneficiorum ipſius immemor, homo omniũ hominũ ingratiſſimus, eũ odiſſe iam cœpiſti: & pro immani B animi tui faſtu, hāc etiam, quēadmodum quācunque aliam, laudis occaſionē in te transferre cogitaſti. In quo tamen ipſo, parum prudentem, vel fidum (vt hoc fraternè moneam) Kemnitij aduocatum te præſtas. Quum enim multa hæreſeos, & manifeſtę in Deũ blaſphemiæ capita in meo examine obiecerim Kemnitio: tu vnum tantùm in eo purgari poſſe putas, & reliquis mihi tuo ſilentio conceſsis, hoc vnum duntaxat (quod de carne Chriſti dixi) carpis, & conaris conturbare. Scis autē illud Hieronymi: Qui multis criminibus obiectis, vnũ tantùm refutat aut diluit, eum cætera fateri, & agnoſcere, tanquā vera. Sed fortaſſe Kemnitio beneficium rependere voluiſti (qua ſcilicet es bona fide) ne omnino ingratus aduerſus eum videreris: nimirum, vt quemadmodum dum ille vbiquitatis, filiolæ tuæ, cauſſam defendit, te prodit, vtpote qui damnet tuam illā proprietatum Deitatis eſſentialium in naturam humanam ab eo aſſumptā effuſionem: ſic tu nunc beneficium & factum hoc C retalias, & illius, amici tui, apologiam præuenis, vt omnia, quę illi obieci blaſphema, verè talia eſſe agnoſcas, vno duntaxat hoc excepto, quod de carnis Chriſti adoratione ſcripſi. Quod ne à te quidem ipſo defendi nunc poteſt. Itaq; hoc tuũ fuit in Kemnitio defendendo cōſilium: vel, quemadmodum dixi, in hanc te præuaricationem impulit improba ſuperbiæ & ſacra alienę glorię, (ſi qua tamen in falſo tuendo gloria eſſe poteſt, intercipiēdæ auiditas, tam es nimirũ in rębus omnibus primatũ affectās, ac Diotrephes, Smideline. Verùm non minor hîc fuit tua impudentia, quàm arrogātia: Nam quid magis effrons eſſe poteſt, quàm vt auſus ſis, recēs illud meum ſcriptum, & adhuc in hominum non modò manibus, ſed mentibus hęrens, tamen corrumpere, & in deſcribendo deprauare? Id quod ex tuis, meíſq; verbis recitatis poſtea, ſole ipſo meridiano clarius, apparebit. Sed quoniam pro ipſa Domini noſtri Ieſu Chriſti doctrina tuēda aduerſus tuum Eutychianiſmũ tota hæc oratio mihi eſt inſtituta, nō vt te, tuóſq; improbos mores (qui te ſatis vlciſcentur) omnibus iam notiſsimos narrē, ad rem ipſam accedo. Primùm igitur videamus, quomodo meæ ſententiæ ratiōes recites. In quo ipſo ne tui diſsimilis eſſes, &, vt tuo animo morem gereres, hac in me præfatione A contumelioſa vti voluiſti.

IACOBVS ANDREAE IN Libro, cui Titulus eſt, *Solida admonitio ad Iohannem Sturmium*, impreſſo Tubingæ Anno 1581.

Socius inſidelitatis & blaſphemiarum ipſius (Sturmij videlicet) Danæus, qui item & ipſe vbiquitati ſe oppoſuit tādem eo progeſſus eſt, vt horribilibus & blaſphemis verbis alicubi ſcripſerit, Quicunque Chriſtianus orationem ſuam ardenter ad Chriſtum, etiā quatenus homo eſt dirigat, nō obſtante eo, quòd humanitas ipſius cum filio Dei perſonaliter ſit vnita, hunc eſſe maledictum, impium, & damnatum. Nam ſolius diuinitatis hic honor eſt, quæ inuocari & adorari debeat. Humanæ verò Chriſti naturæ, neutiquam competere hunc honorem: ſed ab illa potius debere inuocari diuinitatē, B *cum qua perſonaliter ſit vnita.*

Pag. 43. 44. & deinceps.

Danæus.

In Examine libri Martini Kemnitij hęc totidē verbis ſcripſi, Totum quidem Chriſtum à nobis adorari & inuocari, ne perſonā Chriſti diuidam⁹: non autem in totum Chriſti adorationem & inuocationem proprie dirigi, ne naturas, quæ in ea vnione inconfuſę manent, cōfundamus: aut humanam diuinæ exæquemus. Et vt intelligatur, quid ſit *propriè, non dirigi noſtram adorationem in carnem Chriſti*, addidi ſtatim, accipiendum eſſe de carne per ſe, ſeu in ſeſe (quod idem eſt) conſiderata, etiā in ipſa vnione perſonæ Filij Dei. Quinetiā exemplo illuſtraui, vt quemadmodum, dum quempiam propter ſummam intelligēdi vim laudamus, (velut Apollo illum, de quo eſt in Actis Apoſtolorum ca. 19.) etſi totũ quidem Apollo λόγιον dicimus, propriè tamē, & per ſe, illa laus in ipſius Apollo C animo, mente, ſeu ingenio tanquam proprio ſubiecto, ſubſiſtit, non autem in eiuſdem Apollos corpore: ſic proprium & verũ adorationis noſtræ, quæ in totũ Chriſtũ fertur, obiectum eſt ipſius Deitas ſeu diuina natura. Nec tamē (addidi) *Deitatem illam adoramus ſubſiſtentem ſeorſim, ſeparatim, ἀνὰ μέρος, & extra naturam humanam aſſumptam*, ſed cum ea hypoſtaticè vnitam, vt totus quidem Chriſtus propterea adoretur, ſed tamen ſola Deitatis illi cum Patre æqualis (nō autē illius Brentianæ, aut Iacobeanæ, quæ in Chriſti carne fingitur recēs creata, in tēpore nata illíq; cōmunicata) ratione & intuitu ac cogitatione. Immo verò, Smideline, hoc dico & affirmo, eſſe idē attributionis genus, quum caro Chriſti in vna illa Chriſti perſona dicitur adorari, atq; quũ eiuſdem Chriſti Deitas in eadē perſona dicitur pati ac mori, id eſt, hoc totũ prædicationis genus fieri intelligiue per ſolam ἰδιωμάτων (quæ vocatur) κοινωνίαν, in quo enuntiationis genere, nulla fit, vt ſciunt omnes, alteri Chriſti naturæ realis communicatio eius rei, quæ alterius naturæ Chriſti propria ac eſſentialis eſt, ſed tantũ propter vnionem illam hypoſtaticā ac indiſſolubilem, illud quod vnius naturę propriũ

pag. 415. & deinceps.

A eſt, alteri per ἀντίδοσιν tribuitur, vt loquitur Damaſcenus. Itaque nihil eſt, quum hoc dico, vnde mihi potius quàm toti piæ eruditæque vetuſtati crimen impietatis & blaſphemiæ affingas. Cæterùm aut te ipſum, aut me intellige, Smideline, quando ais à me ſcribi, *in Chriſtum, etiam quatenus homo eſt, adorationem dirigi*. Nam ſi vocem, *homo*, pro tota perſona ponis, fateor id ego quidem & ſcribo: ſin, tuo more, vocabula abſtracta cum concretis, contráque concreta cum abſtractis imperitè confundens, (contra quàm tamen tuus ille Kēnitius, cuius labores tam manifeſtè ſuffuraris, docere potuit) *homo* pro humana natura, dicis, id ego pernego: immo tu, mi homo, in hoc principium, vt aiunt, ſumis. Denique quod ad inuidiam mihi, quantam maximam potes, conflandam, addidiſti, velle me *neutiquam competere carni Chriſti hunc adorationis honorem*, eſt falſiſsimū. Dico enim cōpetere, ſed ratione vnionis ſeu gratiæ duntaxat, non autem, vt tu vis & ſentis, habitualiter, ideſt, B quoniam caro illa Chriſti eſt diuinæ ipſius naturę (quæ verè, & ſola eſt adorabilis) hypoſtaticè vnita, & ab ea in æternum inſeparabilis. Itaque tam facilè, támque verè illam locutionem admitto, & piam eſſe contendo. *Homo Chriſtus à nobis adoratur*, quàm hęc eſt per κοινωνίαν duntaxat ἰδιωμάτων, *Chriſtus Deus gloriæ, pro nobis crucifixus eſt, paſſus, & mortuus*. Et hæc quidem oſtendunt quàm mala fide mea corrumpas. Quid vero? Tu ne, Smideline, negas, quod affirmo ego, ſolius nimirū Deitatis eſſe proprium hunc honorem, vt religioſo cultu à nobis adoretur? Audi igitur Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum, *Dominum Deum tuū adorabis, & illi ſoli, ſoli, ſoli, ſoli ſeruies*. Nam vt tuum illud, *ſolam*, ter abs te repetitum, etiam maiore, vt iubet Heſiodus, menſura tibi rependam, en quater *ſoli* dico, quæ quater quoque in ſacra ſcriptura eadem ſententia extat, Deut. 6. verſ. 13. 10. verſ. 20. Matth. 4. verſ. 10. Luc. 4. verſ. 8. Verùm pergamus.

Iacobus And.

C *Ne verò Chriſtianus lector exiſtimet tam horrendū & blaſphemum dogma, per me Caluinianis affingi, ipſa Danæi hoſpitis Sturmij verba apponam, quæ ita Germanicè ſonant.*

Danæus.

Quod meam ſententiam S. diuinæque ſcripturę conſentientem, Smidelinus filius Andreæ vocat dogma blaſphemū & horrendū, viderit ipſe, quo modo in die illo ſit ipſi Deo, (à quo eam didici) huius ſuæ in eum contumeliæ rationem redditurus: Verùm tamen Deus ipſi condonet. Quod nos vocat Caluinianos, certè in Chriſti verba & nomē iurauimus: non in Caluini & Zuinglij, licet duorum hac noſtra ætate præſtantiſſimorum ac fideliſsimorum Dei ſeruorum. In Chriſtū nō in Caluinum, aut Zuinglium, vti loquitur Paulus, baptizati ſumus. Verū nos iſte putat ſui ſimiles, vtpote qui iā de ſolis hominibus glorietur, & de vno M. Luthero, tanquā altero quodā ſuo Chriſto, (contra Pauli præceptum tamen) à quo ſe Lutheranū, Lutheranū, Lutheranū vbique inſonat, ac appellat: immo ipſum etiam Lutherum, non autem tantùm carnem Chriſti, iam Deū & Diuum proclamet. A In quo certè idololatriam nobis priori ac pōtificia longè peiorem fabricat, atque (tanquam alter Antichriſtus Romanus) ſeſe, quos velit, ſuis bullis ἀποθεοῦν poſſe oſtentat. Sed audi Auguſtinū, Smideline, tractatu 13. in Iohannem Euang. *Aliquem hominem amare pro Chriſto adulterium eſt*. Deniq; cur me contumeliæ loco hoſpitē viri Cl. D. Sturmij nominet, non video, niſi fortaſſe, vt illi, (quem nominare poſſum) quique anno Domini 1581. Argentinæ primarius Conſul ſiue Bourgemaiſter fuit perpetuā inſignis illius in me admiſſæ inhumanitatis ac inhoſpitalitatis labē inurat, qua iſte eſt maledicentia in omnes? Et quidē illi Conſuli (quanquam ab iſtius ſectæ nouæ vbiquitariæ hominibus mihi infeſtis incitatus fuerit, tamen merito debetur iſta nota. Nam quum Geneua in Hollandiam ad profeſsionē theologicā, hoc ipſo anno 1581. vocatus venirem, vnáque mecum haberem familiam, id eſt, vxorem & tres liberos tenellos, puellos, (quorum maior natu ne ſeptimum quidem ætatis annum adhuc attigerat) B Argentinam ciuitatem, (quæ ſemper antea libera & humana credita fuerat) acceſsi, quoniā ſic ferebat ratio itineris, mihiq; ſecundo Rheno nauigāti erat omnino illac tranſeundum. Nec verò veniebat in mentem paſtores illius eccleſię & vrbis, qui quamdiu veram Chriſti doctrinam, ex D. Buceri ore acceptam, ſyncere retinebant, humaniſsimi ſemper fuerant habiti: nuper quorundam factionibus, in meros Cyclopas & dētibus ac ore Chriſticarniphagos homines, transformatos fuiſſe. Itaque non ſatis illius recentis metamorphoſeos memor, Argentinam venio, media hyeme, cælo valde pluuio, & ſub ipſum ſolis occaſum, vnà cū liberis, comitibus, & ſarcinis, vt in tam lōgo itinere ferè fit. Sed iā maturè ab vbiquitariis paſtoribus aduerſum me fuerant prouiſa omnia. Nā aduentus noſtri rumor ab amicis fuerat ante triduū ſparſus, quorum nemo erat, qui de tā robuſta vllius paſtoris eccleſiæ fraude futura vnquā vel cogitaret. Ergo primùm omnium hoſpitiū illud publicum, in quod quicunque ex Heluetia Argentinam aduentant ſeſe recipere ſolent, habétque bouis inſigne, C diuertenti mihi præter ſpem omnium occluditur, ac præter omnem hoſpitiorum legē, ac morem, etiam in medijs ipſis Afris ac Barbaris, oblatata pecunia denegatur: tamen vt recipiar, vnà cum comitibus rogo ſupplex. Vxorē & tenellos illos liberos frigore, & pluuia diffluētes, ac pene enecatos oſtendo: erant ſurdæ aures, ſanè triſte ſpectaculum, immo lugubre iſta ſpectantibus. Oculi tamen hoſpitis erant immiſericordes. Iam enim nomen meum ab excubiis, quæ in porta ciuitatis ſedent, erat exceptum: nec ad Conſulem modò, ſed etiā ad iſtius vbiquitariæ farinę homines, eccleſiæ paſtores & doctores, fuerat delatum. Illi, illi, inquam, nō hoſpes ipſe, (eſt enim ſatis omnibus notū hoſpitum iſtorum hoc eſſe votū, vt quàm plurimos omnis generis conuiuas apud ſe habeant) excludebant. Itaq; nō accuſo hoſpitem, qui id faciebat inuitus, ſed paſtores illos vbiquitarios, ſic enim iuſſerant, ſic maturè proſpexerāt, ſic deniq; decreuerant. Interim nox, pluuia, & frigus nos opprimebat, & ille puerorum humanam opem fidémq; implorantium luctus, & fletus in vicis audiebatur. Quid vero, mihi patri, animi tūc

fuiſſe

1. Cor. 1.
Mat. 28.

A fuiſſe,& quē ſenſum habuiſſe putas, Iacobe Smideline,qui Sturmio,hoſpitalitatē & humanitatem velut crimē obiicis,iſtius inhumanitatis & inhoſpitalitatis tuis ipſe tu author videlicet & magiſter? Verùm alia aliquot hoſpitia vicina tētamus, ibi quoque omnia inueniuntur ſine miſeratione, licèt paratā pecuniā hoſpiti offerremus.Omnibus fuerat interdictum, ne nos reciperent. Credo iſti paſtores Vbiquitarij,(quoniā in tempus veſpertinum,& in cœnam,non in prandium aduētus ad eos noſter inciderat) metuerunt ne ſe, ſuámque carnem,in cœna noſtra ſic nos voraremus,vt ipſi carnem Domini noſtri Ieſu Chriſti etiam impuro ore ſuo ſe mādṽcare & ſcribunt,& putant. Sed ab iſtis Cyclopum & Papiſtarum,& Vbiquitariorum antris iampridem Dei gratia fugimus, & ἀνθρωποφάγους omnes odimus.Interim amici quidam mei, etiam mihi ignoti,de tanta crudelitate,apud primarium illum vrbis Argentinæ Conſulem cōqueruntur,quanta eccleſiæ,quanta vrbi, quanta ipſi denique humanitati & iuri gentiū iniuria fiat, oſtendunt: Ille verò reſpondet, ſe iamdudum B reſciuiſſe me in vrbe cum familia eſſe,& qui ſim intellexiſſe. De conſtituendo autē hoſpitio,quanquam vehementer rogaretur, ne gry quidē. Tunc enim obſtabat dictatorium paſtorū vbiquitariorum edictum. Verùm Deus ille Pater miſericordiarum,qui ſuis ſemper, & quidem in tēpore adeſt mihi iam in mediis viis pernoctare vnâ cum familia deliberanti, & tectum aliquod ad meos liberos (inter quos erat filiola recens è cunis ſublata) reponendos proſpectanti, ὡς ἀπὸ μηχανῆς ſuccurrit,& quorundam ſtudioſorum, ac verè nobilium Germanorum, (qui Argentinæ perpetuum cum vbiquitariis bellum gerebant) opera tandē in hoſpitium recipior, ad quod Paſtorum iſtorū edictum ac imperium nondum peruenerat: ab iiſdem illis optimis, & nullo quidem meo in ſe merito (quo me in perpetuum ſibi deuinctiorem illi habebunt)mei ſtudioſiſsimis adoleſcentibus hoſpiti commendor,cuſtodior,aduerſus vim,donec benè mane ſubmonens vir amiciſsimus quidam in aurem inſtillauit,

L.Oſiāder ſic ſcribit in epiſtola ad Gallicas & Belgicas eccleſias.

Heu fuge nate Dea,téque iſtis eripe flammis,
C *Hoſtis habet muros.*

Interim tamen,quum tot viris bonis (qui Argentinæ tunc adhuc reſtabant)mihi ſemper cariſſimis, imprimíſque illo iam vnico Germaniæ lumine reliquo D.Ioann.Sturmio, inſalutato nollē diſcedere:& illis ipſis, qui in me tam humani fuerant,vellē agere gratias,ſubſiſtere cogebar ad aliquot horas. Sturmium itaque illic tunc vidi,columen & lumen vrbis,& totius Academiæ Argētinenſis antea de facie mihi ignotum, illi in prādio adfui,vbi humaniſsimè & amiciſsimè ab eo ſum exceptus. Verùm iam nouæ mihi inſidiæ interea loci & temporis parabantur. Nam dum ad amicos ita diluculo viſendos diſcedo, lictor conſulis idem qui ſontes & ſceleris accuſatos vocare ſolet,mihi abſenti horam ad Conſulem condicit bene mane. Tātū enim Vbiquitarij paſtores iſti, vel per ſe,quia Vbiquitarij ſunt:vel per ſuos emiſſarios effecerāt,vt ſcirent in quem locum & hoſpitium diuertiſſem. Quamobrem à Sturmio ad meos rediens,lictorem iſtum denuò citantem me ad conſulem video,ſequor, Comitantur me boni aliquot ſtudioſi, rem prorſus nouam in nos ſtatui quiritantes. In Veſtam vrbis ſeu publicam domū A deducor,illic & ignarus linguę & de itinere familiáque attonita ſollicitus ſto, expectās vſquequo ad conſulem vocer.Me adeſſe, & quidem peregrinum,& in procinctu itineris,ſignificatur conſuli. Tempus ab eo protelatur,reſponſum mox à conſule dandum nunciatur. Interim tres horæ integræ fluunt.Familia attonita, quid mihi fiat expectat, & ipſe ſatis pro peregrino ex ipſo habitu agnoſcor,& agnitus moneor à viris bonis mihi fore cum conſule,qui Cereri & Baccho non tātùm litarit illo die,ſed qui illis plenè ſe ingurgitarit, negotium:hominem,præterea eſſe ſuopte ingenio iracundum. Itaque ne quid illi reſponderē. Hac admonitione cautior factus intromittor, video hominem(verum enim dicam,quia hiſtoriam , vt eſt, tibi narrari poſtulas Smideline) video inquā hominem illum benè potum,cui vel reſpōſio vna mea(quāuis me per duas horas , totas detinuerit) ſatis fuit. Pluſquam ſexagies me interrogauit an non Danæus vocarer, cuias eſſem , & quò proficiſcerer. Et quia ad eā rem cogebar vti interprete, ille in meum interpretem virum proculdubio C primarium,abſque vlla cauſſa tamen , ſic acerbè inuectus eſt,& excanduit,vt manus etiam violētas ipſi adferre contra omnem iuris æquitatem omnémq; Magiſtratus moderationem conſul iſte velle videretur:ac niſi lictores iſto conſule longè ſapientiores obſtitiſſent,in eum irruiturùs fuerit. Tandem quum præſentibus & audientibus pluſquam xxx. nobiliſs. adoleſcentibus ſtudioſis nihil, niſi meras gerras & nugas , conſul egiſſet , & hanc mihi duntaxat inſignem iniuriam, vt vbiquitariorum ſuorum Dominorum libidini ac ſęuitię morem gereret , factam voluiſſet,ita totam hanc actionem concluſit , vt vtrum aliquid in Librum concordiæ ſcripſiſſem,percunctaretur. Cui ego reſpondi , me non potuiſſe, quia nōdum eum librum lingua mihi nota vidiſſem. Itaque tota hac re ab iſto conſule, vt videbatur , vbiquitariorum mancipio tandem peracta, ſic diſceſsimus, vt nullum vnquam fœdius ſpectaculum quiſquam viderit.Hæc eſt,Smideline,hiſtoria,quam tu refricas, & vt tibi breuiter exponerem petebas, & propter quam me à D. Sturmio adiutum , exceptúmque B moleſtè fers: qui ſi Chriſtianus eſſes , didiciſſes, quàm nō ſit probro, ſed laudi,inter mortales omnes ducēda,ne dum inter Chriſtianos,hoſpitalitas, quæ etiam fuit à prophanis hominibus ſanctiſſimè culta,Sed quod in me conuitium maius diceres,nō habebas nugator, itaque illa Sturmiani hoſpitij vmbra delectare te & tibi ſimiles ſtupidos homines voluiſti.Sed venio ad tua.

Heb.13.1.

Iacobus And.

Idcirco, & in ſumma,quando Chriſtum inuocamus, & adoramus,(loquimur autem hic de vera inuocatione qua Deus honoratur, & nō de externa veneratione, qua hominibus etiam exhibetur)nō dirigitur propriè & per ſe talis inuocatio ad carnem Chriſti

Danæus.

Hæc ex meo ſcripto à Iacobo Andreæ confuſè tranſcripta,& aliquantulum eluxata,tamen agno-

A ſco pro meis. Notet ipſe modò aliam eſſe adorationem, quam ſacra ſcriptura docet tribui viuis hominibus: aliam autem, quæ ſoli Deo reſeruatur. Quod duplex genus poſtea confundit tamen.

Iacobus And.

Sed nihil pertinet (iſta adoratio Chriſti) ad hanc ipſam Chriſti carnem.

Danæus.

Hoc ſuaue corollariũ, & à Iacobo præter meũ ſcriptum additum eſt, atque etiam eſt falſum. Nã quum talis ſit enuntiatio de perſona & natura Chriſti qualis eſt vnio, certè quemadmodum humanæ naturæ maſſa ſeu caro à Chriſto aſſumpta non poteſt dici nihil pertinere ad diuinam eiuſdem Chriſti naturam (ni plane Samoſateni dogma illud impium naturas εἶναι ἀκοινωνήτους πρὸς ἑαυτὰς παντάπασιν ex orco reuocare velimus) ſic neque piè, neque orthodoxè dicitur, adorationem illam B Chriſti nihil pertinere ad illius carnem. Eodem enim modo, eadémque ratione ad eam ſpectat, qua in Dei filij perſona caro eſt, id eſt, quoniam inſeparabiliter illius Deitati (quę ſolùm verè & propriè à pijs in Chriſto adoratur) vnita eſt ac manet. Itaque per gratiam vnionis, non autem per gratiam habitualem: per ſolã κοινωνίαν ἰδιωμάτων, non autem per realem iſtius honoris attributionem ſeu κοινωνίαν pertinet hæc Chriſti adoratio etiam ad ipſius carnem: vti nimirum mors & paſsio carnis Chriſti ad eiuſdem Chriſti Deitatẽ pertinet. Nã licet hæ naturæ duæ ſint in vna Chriſti perſona hypoſtaticè vnitæ, non proptere tamen earum vel eſſentię, vel proprietates eſſentiales ſunt confuſæ, vel per abſorptionem vna facta altera, ex quo fit, vt quanquam quod vnius naturæ, velut diuinæ, propriũ eſt ac eſſentiale, (qualis eſt religioſa adoratio) cõmunicetur alteri, id eſt, humanæ per gratiam vnionis, propterea tamen non efficiatur hanc adorationem religioſam propriè & in ſeſe (quod iſti contendunt) dirigi ad ipſam Chriſti carnem etiam in vnione manentẽ. Itaque verba hæc generalia: *Nihil pertinet adora-* C *tio Chriſti ad ipſam carnem*, eſt mendacium Iacobi Andreæ, quod ipſe ex ſuo ſplendidè commentus eſt. In meo autem examine neque ſcriptum extat, neque pictum.

Iacobus ex Danæi perſona.

Rationes Danæi. 1 Ratio. Hier. 7. *Huius noſtræ doctrinæ, inter multa alia, ſunt etiam hæ fundamenta & rationes.* Prima, *inquit Propheta Ieremias in perſona Dei. Maledictus qui cõfidit in homine, & poſuit carnem brachium ſuum. Sed Caro Chriſti, eſt vera caro, & homo Chriſtus, verus homo. Quiſquis autem diuino honore hominem inuocat, vel adorat, is confidit in homine illo, quem inuocat, & adorat. Ergo quiſquis preces ſuas & adorationem ad carnem Chriſti dirigit, is ore Dei eſt maledictus.* Secunda 2. Ratio. Gal. 4. ratio. *Hi ſunt verè Idololatræ, qui ſeruiunt, ideſt, inuocant & adorant illos, qui non ſunt natura Dij. Atqui caro Chriſti non eſt natura Deus, quãuis vnita ſit vero Deo perſonaliter. Ergo quicunque ſuam inuocationẽ ad carnem Chriſti propriè dirigunt, verè ſunt idololatræ. Tantum verò valet vox* (NATVRA VEL NATVRALITER) *vt quamuis verum eſſet figmẽtum D. Kemnitij de communicatione eſſentialium proprietatum Dei reali, tamen hac de cauſſa non eſſet caro Chriſti adoranda, quia ſic non eſſet natura, ſed ex gratia Deus.* A

Danæus.

Etſi poſſum oſtendere multa in his meis verbis à te, Smideline, tranſcriptis, eſſe prætermiſſa, tamẽ quoniam vtcunque ſenſum & ſummam orationis meæ reddere voluiſti, hanc tibi culpam benignè condono, ne nodum in ſcirpo quærere, aut tecũ λογομαχεῖν videar velle. Vnum hoc modò te hic monebo, quod de voce NATVRA in ſecunda ratione mea vrgeo, id veriſsimum eſſe, & tum ab Auguſtino Sermo. 58. in euangelium Iohãnis: tum à Cyrillo in libro de recta fide ad Theodoſiũ diligenter obſeruatum: atque etiam ab Ambroſio in epiſt. Pauli ad Philip. cap. 2. *Adoptiuo Deo* (ait) *nõ flectit creatura genu, ſed vero. Etiãſi adoptiuus Deꝰ ſit homo, in gloria Dei Patris non poteſt eſſe.* Quid ve- B rò tu ad illas duas ſolidas, & ex ipſo Dei verbo expreſſas rationes adfers? Hoc tantum, *Hæc ſunt illa blaſphema Danæi verba*, de qua reſponſione tua mox agemus. Exclamare enim, mirari, & conuitiari eſt ſtrenuè ſoluere, vt vobis quidem videtur, obiectum argumentum: ſed hoc ne pueri quidem credũt. Verum pergamus, & quomodo alias meas rationes recites videamus.

Iacobus ex Danæi perſona.

Danæi rationes. 3. Ratio *Quiſquis conſeruum & fratrem diuina inuocatione adorat, per Spiritum ſanctum accuſatur & damnatur Apoc. 19. verſ. 22. Atqui Chriſtus, qua homo eſt noſter conſeruus, & ex fratribus vnus, etſi primogenitus eſt Chriſtus. Ergo quatenus eſt homo, non eſt adorãdus nec inuocandus.* Quarta ratio, *Solus Deus eſt inuocandus* 4. Ratio. *Matth. 4. Caro Chriſti non eſt Deus. Ergo inuocari nõ poteſt.* Quinta ratio, *Qui creaturam adorat vel inuo-* 5. Ratio. *cat honore diuino, is blaſphemus eſt, Deut. 4. 6. 10. Caro Chriſti etſi ſit glorificata & perſonaliter filio Dei vnita, creatura tamen eſt, vt Auguſtinus homil. in Iohã. 58. ſcribit. Ergo quiſquis adorationem ſuam ad carnẽ Chriſti dirigit, is blaſphemus eſt.* C

Danæus.

Intelligat lector vocem *dirigit*, ex mea mente, nimirum tãquam in proprium, & ipſum ſuę adorationis obiectum, quod iſti ſentiunt. Nam Deitatem Chriſti non abſque ipſius carne adoramus, ne diſſoluatur illa perſonę vnitas. Sed quid ad hęc noſtra argumenta Iacobus. Illud ſuum occinit. *Hæc ſunt illa blaſphema ipſius Danæi verba, quod ad ſolam, iterum ſolam, ſolam, inquam, Diuinitatem vult adorationem & inuocationem dirigi.* Si ſolam Deitatem accipis, Smideline, quo ſenſu ego, videlicet pro ipſo ac proprio adorationis obiecto, nihil eſt quod calumniari poſsis, aut nos refuta, ſed tu, *ſolam* Deitatem pro ſeparatam à carne ſemel aſſumta ſumis, quo modo neque dixi ego, neq; ſenſi. Et in eo te planè ſophiſtam & vocis huius, *ſolam*, ſola ambiguitate in re tam ſeria tamen ludere & rixari velle oſtendis. *Solus* enim, vt Dialectici do-

A ci docent, imprimíſque Ammonius in Ariſtotelē, duplici ſignificato vſurpatur, vel στερητικῶς vel ἀποφαντικῶς: & ne te hîc vetulum iam ſenem pluribus doceam, tu eum vide. Nec enim eſt eadē ſignificatio huius vocis, quum ait ille *ſolus cum ſola*, atque quum vulgo dicimus, *ſolas crepidas, ſolum pallium, ſolum enſem habuit.* Sed qui ſolùm vernaculam illā tuam linguam videris iam meminiſſe, tam bonos authores nequaquam legas. Verum perge Iacobe.

Iacobus And.

6.Ratio. Danæi.

Sexta ratio, *Paulus quum docet Chriſtum inuocādum eſſe, declarat ſecundum quam naturam hoc illi tribuendum ſit, quum illum nominat Deum Rom.9. Ergo oportet Chriſtum quatenus Deus, & non qua homo eſt, inuocare.* Septima ratio, *Dominus Iſ.43. ait Gloriam meam alteri non dabo. Caro Chriſti non eſt Deus: Ergo gloria Dei illi non debet attribui. Gloria vero Dei eſt inuocatio, qua tantummodo Dei eſt.*

7.Ratio.

B

Danæus.

Hîc ſubſtitit Iacobus, & duas, quæ ſequuntur rationes meas aſtutè prætermiſit, quoniam ſi vel ſolum recitarentur, eum plane iugulabant, & Neſtorianum eſſe conuincebāt. Verùm ne qua veritati, ex illis omiſsis, fraus fiat, ecce eas in bonorū virorum gratiam adijciam. Hæc igitur fuit octaua ratio mea. *Hic olim fuit Neſtorij error, vt Chriſtum qua homo eſt, vnà cum verbo doceret eſſe adorandum. Ergo Neſtorianus eſt, qui idem docet & vrget. Patres orthodoxi omnes docent, noſtram inuocationem & adorationem non in ipſam carnem Chriſti etiam in hypoſtaſi filij Dei manētem, dirigendam eſſe, ſed in ipſam filij Deitatem. Ergo Patribus orthodoxis & piæ eruditæque vetuſtati, ac eccleſiæ contradicit, qui vult, & ſentit, & dicit, quum Chriſtus adoratur aut inuocatur, ipſam Chriſti carnem eſſe quoque huiuſmodi adorationis & inuocationis obiectū.* Athanaſius Diâlog. 5. contra Arrianos. Auguſtinus in Iohan. 58. Cyrillus de recta fide ad Theodoſ. Damaſcenus lib. 3. orthodoxæ fidei cap. 8. vt alios nunc omittam, quoniā poſtea fuſius, pleniuſque has Patrum authoritates C proponam. Nunc quid ad illa argumenta mea, aut potius ipſius S. ſcripturæ reſpōdeat Iacobus Andreæ audiamus.

8.Ratio.

9.Ratio.

Iacobus And.

1. Refutatio noſtræ ſententiæ tentata à Iacobo Andreæ eſt puerilis rhetoricatio & exclamatio.

Hæc ſunt illa blaſphema ipſius Danæi verba, quibus inuocationem & adorationem, qua dirigitur ad Chriſtum, quatenus homo eſt, tanquam blaſphemam & idololatricam execratur, & damnat, vúltque adorationē & inuocationem ad ſolam, iterum ſolam, ſolam, inquam, diuinitatem dirigi, quæ eſt in Chriſti humanitate, cum qua diuinitate Humanitas Chriſti neque partem, neque quicquam habeat commune.

Danæus.

Prima hæc noſtræ ſententiæ ſeu potius ipſius veritatis tentata à Iacob. And. oppugnatio ac refutatio conſtat ſola exclamatione, & vocis huius, *Sola*, inuidioſa ac ſophiſtica repetitione. Verùm quum totum hoc Iacobi artificiū ſit vana ac puerilis declamatio, nulláque ſacræ ſcripturæ autoritate nitatur (quam ſingulæ rationes noſtræ tamen habent) tam facilè, ex Hieronymi præcepto, contemnitur, quàm facilè ab eo vanéque ſcribitur. Tamē hominis iſtius monēdi gratia tria quędam illi hîc ſuggeremus, è quibus primum ambiguitatem affectatam ac ſophiſticā: duo poſteriora, meram in Deum blaſphemiam, ac in meis ſcriptis deprauandis impudentiam oſtendunt. Ambiguum eſt, quòd hîc ſcribit, adorationē ad Chriſtum, quatenus homo eſt, directā dici à me blaſphemam. Si enim verba hæc, *Quatenus homo eſt, pro quatenus* humanitas in vnica illa Chriſti perſona ſubſiſtit (hominis enim vox perſonam deſignare ſolet) falſum eſt, quod ait, quodq; mihi affingit. Fateor enim, & ſentio, ſempérque ſenſi & ſcripſi illam noſtram Chriſti adorationem in totam, totam, totam inquam Chriſti perſonam (quæ & verus Deus eſt, & homo verus) ferri: ſed non in totum Chriſti. Ergo quatenus homo ille eſt & ſubſiſtit in perſona filij Dei, adoratur quoque, ſed duntaxat per gratiam vnionis. Sin autem B verba hæc, *quatenus homo eſt*, accipit, vt ſignificēt, quatenus humanæ naturæ maſſa à Chriſto aſſumpta, illíque perſonæ manens vnita, in ſeſe, & per ſeſe ſpectatur (quæ iſtius hominis mens eſt) idem adhuc (quod in examine antea dixi) nūc affirmo, nempe non debere illam noſtram Chriſti adorationem ferri in carnem Chriſti in ſe & per ſe, licet in ipſa perſonæ vnione conſideratam. Videt ergo Iacobus vt mei calumniandi cauſam auidè captans, vocibus ambiguis de induſtria, more ſophiſtarum, vtatur, dum voces has, *Quatenus homo*, inſidioſè & ambiguè vſurpat. Hoc igitur primum eſt, de quo eum hic fraternè monitum eſſe volui. Alterum eſt, ipſum impiè planè & loqui, & ſentire, quum hîc ſcribit, *Diuinitatem*, id eſt, *Deitatem Chriſti* (ſic enim iſti imperitiſsimè *Deitatem Diuinitatem* θεότητα, & θειότητα, id eſt, cauſam & effectum confundunt) quum, inquam, ſcribit, *Deitatem Chriſti eſſe in eiuſdem humanitate.* Deitas quidē Chriſti eſt hypoſtaticè humanæ naturæ à ſe aſſumptæ vnita: eam implet virtute, quæ non aliunde, id eſt, ex alia perſona, aut extra in eam defluit, ſed quę ex ipſamet illa cui humanitas tā arcto C vinculo vnita eſt, perſona ſcaturit, & quæ in ipſa illa Chriſti Deitate humanitati cōiūcta eſt eſſentialiter. Verūtamē neq; Deitas Chriſti propterea propriè eſt in humanitate aſſumta, cōcluſa, ſed eā hypoſtaticè potius implet ac ſuſtentat: neque etiā naturæ illæ Chriſti diuerſæ (Diuina nimirum & humana) per illam vnionem hypoſtaticam, fuerunt inter ſeſe, aut confuſæ, aut immixtę, aut immeantes, penetrantes, ſiquidem de ipſa Diuinę naturæ eſſentia (quod facit hîc Iacob. And.) non autem de ipſius in naturam humanam aſſumptam effecto, dono, & gratia loquaris. Ergo hæc locutio, *Deitas Chriſti eſt in ipſius humanitate*, vel concludit certo loco Deitatem, vel niſi ex noſtrorū mente explicetur, σύγχυσιν naturarum in vna illa Chriſti perſona inducit, qui error eſt Eutychianiſmi viuus, & iam pridem ſynodo Chalcedonēſi meritò condemnatus. Conuenerunt enim in vnam Chriſti perſonam illæ duæ naturæ ἀσυγχύτως, vt loquuntur patres & ἀτρέπτως. Damaſcenus, *Manſerunt naturæ etiam poſt hanc vnionem impermixtæ.* Ergo aut impius eſt Iacobus iſte, aut quid ſibi iſta

Damaſc. lib. 3. orthod. fidei. Cap. 17.

ſua phraſi velit, explicet. Tertiū eſt, de quo monendus eſt Iacobus, & in quo manifeſtè deprauat mea ſcripta, nempe quum quaſi ex me ſic ſcribit, *cum qua diuinitate humanitas Chriſti neque partem, neque quicquam habet commune.* Imò verò credo, totóque pectore confiteor, & quidem certiſsima fide, multa eſſe inter naturæ humanæ maſſam à Chriſto aſſumptam, cum ipſius Deitate communia, veluti primum ipſam in vnica perſona vnionē hypoſtaticam, ex qua fit, vt illa natura aſſumpta ſubſiſtat in ipſa perſona Deitatis Filij Dei: atq; inde euenit, vt, per ἰδιωμάτων κοινωνίαν, quę ſunt vnius naturæ propria, communicētur alteri ratione perſonæ, id eſt, per verba totā perſonam Chriſti deſignantia. Hæc igitur eſt prima communio, quam agnoſco, deinde infinitorum operum, quæ ἀποτελέσματα patres vocant, communionem agnoſco, qualia ſunt omnia noſtræ redemptionis opera, velut noſtra Iuſtificatio, Regeneratio, Peccatorum condonatio, Reconciliatio cum Deo, Illuminatio, vita denique ſpiritualis, in quibus tamē ipſis operibus manēt ἐνέργειαι ſeu operationes cuiuſque naturæ illis proprię & inconfuſę. Quod tamen neque iſte, neque Kemnitius exiſtimant, vtpote qui Monothelitarum errorem planè iam renouarint, & vnam eandemque operationem eſſe credant, non tantum opus, diuinæ & humanæ in Chriſto naturæ. Tertiò credo, confiteórque, realem immēſorum Deitatis in humanam Chriſti naturam à ſe aſſumptam communicationem, ex qua caro ſeu humana Chriſti natura ſupra omne rerum creatarum etiam cæleſtium genus reipſa euecta eſt, fruitúrq; reipſa in cœlo ea gloria & maieſtate, qua ipſis quoq; beatis ac electis Dei Angelis ſit incomprehenſibilis ac admiranda quę tamen propterea non ſit ipſamet eſſentialis Deitatis Chriſti gloria aut maieſtas, quemadmodū tamen iſti peſsimè, & ex Eutychianorū grauiſsimo, & iam pridē damnato errore Germaniæ inculcāt. Iac. quidem And. nomine *realis eſſentialium* Dei proprietatum in humanam naturā *effuſionis*: Kēnitius autem (quod re quidem ipſa idem eſt: ſed verbis interpolatum) earum mutua alterius in alterum *penetrantia & immeatione*, quam naturarum περιχώρησιν ille nominat. Verùm homines vbiquitarij putant negari à nobis eas Chriſti naturas habere inter ſe quicquam commune, niſi conceſſerimus inter eas omnia reipſa, & habitualiter, vt vocant, eſſe cōmunicata. Id quod tū Eutychianū, tum etiam Neſtorianum eſt, vt dixi. Vident igitur omnes, quàm calumnioſe, quæ neque ex ſenſu, neque ex verbis meis colligi poſſunt, affingit mihi iſte impoſtor Iacobus.

Iacobus And.

c. Refutatio noſtrę ſententiæ tentata à Iacobo Andreæ eſt naturarum in vna Chriſti perſona vel cōfuſio, vel abolitio.

Contra docet ſcriptura quod omnes creaturæ ſe corā carne & humanitate Chriſti proſternant, imo genua flectant, & illi diuinum honorem exhibeant, tanquam quæ conſtituta ſit Dominus, & in gubernationem diuinam admiſſa, quo honore Caluiniſtæ, quantum in ipſis eſt, carnem Chriſti ſpoliant.

Danæus.

Habuit Iacob. And. in animo, quum hæc ſcriberet, duos ex Pauli epiſtolis locos, vnum, ex epiſtola ad Epheſios: alterum ex ea, quæ eſt ad Philippenſes: vterque verò ſic habet. Et primum quidem ad Epheſios ſcribens Paulus ſic ait, Ephe. 1. v. 19. *Et quæ ſit excellens illa magnitudo potentiæ (Patris) in nobis, qui credimus pro efficacitate fortis roboris ipſius, quam exeruit in Chriſto, quum excitauit eum ex mortuis, & collocauit ad dextram ſuam in cælis longe ſupra omne imperium ac poteſtatem, & potentiā, & dominium, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, verùm etiam in futuro: & omnia ſubiecit eius pedibus, eúmque conſtituit ſuper omnia caput ipſi eccleſiæ.* Deinde ad Phil. cap. 2. verſ. 8. ſic Chriſti gloriam deſcribit, *Et habitu compertus (Chriſtus) vt homo, ipſe ſe ſummiſit, factus obediens vſque ad mortē, mortem autem crucis. Quapropter etiam Deus ipſum in ſummam extulit ſublimitatem, ac donauit ei nomen, quod eſt ſupra omne nomen, vt ad nomē Ieſu omne genu ſe flectat cæleſtium, ac terreſtriū, & ſubterraneorū, omniſque lingua confiteatur, Dominū Ieſum eſſe ad gloriam Dei patris.* Ex his autē Pauli verbis duo quędam præcipuè colligimus, vnum, ſummum ac plane diuinum imperium, dominatum, potentiam, gloriam ac honorem hîc à Paulo deſcribi, quum illud appellat nomen, id eſt, potentiam, ſupra omne nomen ac dominium (ſic enim vox *Nomen* hîc & paſsim in S. ſcriptura accipi debet Matt. 28. verſ. 19. Act. 4. verſ. 12.) Tam auguſtum enim tamque maieſtate plenum oſtendit hoc imperium, de quo agit, vt illi genu omne cæleſtium, terreſtriū ac ſubterraneorum ſeſe flectat. Quæ certe vnius Dei propria ac peculiaris eſt gloria, adoratio, ac honos Ieſ. 45. verſ. 23. Ro. 14. verſ. 11. *Mihi omne genu flectetur* inquit Dominus. Et quoniam nobis de hoc primo capite cum noſtris aduerſarijs vbiquetarijs conuenit, nihil neceſſe eſt vt illud iā pluribus explicemus. Alterum eſt igitur, quod hîc quoque docet Paulus. Hunc verè diuinum cultum ac adorationem religioſam, id eſt, vnius Dei peculiarem competere Chriſto. Id quod verba ipſa Pauli vtroque illo loco perſpicuè declarant, vt de hoc quoque nulla dubitatio reſtare poſsit. Sed de eo iam grauiſsima inter nos & illos quæſtio verſatur, cuius naturæ reſpectu, vtrū diuinæ tātum, an tātùm humanæ (de Chriſto enim vtrāque illā naturā in vna perſona hypoſtaticè vnitam habente ac retinente agit proculdubio Paulus) an vtriuſque naturæ ratione diuina illa gloria à Paulo deſcripta tribuatur Chriſto. Iacobus iſte, vtpote qui ſe Germaniæ dictatorem ipſe dixerit, pro illa ſua autoritate pronuntiat, hanc diuinam adorationē, & gloriam à Paulo commemoratam tribui etiam Chriſti carni ſeu humanitati, id eſt, tribui Chriſto ratione carnis & humanæ ipſius naturæ aſſumptæ & glorificatæ. Et certè, ſi quiſquam in ſua cauſſa iudex ferendus eſt, iſte pro ſe vindicias dixerit, atque ſua ipſius ſententia victor ſuperiorque diſceſſerit. Verùm nos alios illi iudices ferimus & eos quidem ſanctiſsimos, nimirum Patres orthodoxos. Chryſoſtomus Homil. 3. in epiſt. ad Epheſ. hunc locum explicans, & cuius naturæ reſpectu etiam Homini Chriſto hæc adoratio competat exponens, docet, non *carnis ſeu* humanitatis, ſed *Deitatis ſeu* Dei verbi in illo homine inhabitantis ratione Chriſto homini hunc honorem tribuī, *Ecce*, ait, *vt homini Chriſto omnis creata virtus, quaſi ancilla Domino ſubſtrata ſit*, *idque propter* INHABITANTEM IN IPSO DEVM VERBVM.

A BVM. Nam vt ait idem Homil.7. in Philip. etſi vnitæ ſunt in illa vnica perſona duę illę, nēpe, Diuina & Humana, naturæ, *nec confuſæ tamen, nec immutatæ fuerunt in Chriſto*, vt quod vnius eſſentialiter proprium & eſſentiale eſt, alteri cōueniat reali attributione. Ambroſius in commētariis, ac primùm quidem in epiſtolam ad Epheſ. eodem modo nomen illud ſeu gloriam (de qua illic Paulus) ad naturam Chriſti diuinam perſpicuè refert. *Hoc propter incarnationem filii Dei, vt etiam homo factus ſuper omnes cælos eſſe dicatur, & ſuper cunctam creaturam ſedem ad dextram Dei, habens* NOMEN DEI PER NATVRAM, *non per adoptionem, vt cognoſcant illum eſſe filium Dei, qui illum crucifixerūt. Honor enim, quem illi dedit per generationem* (*nempe* diuinam) *tunc manifeſtatus eſt, quum natus homo paſſus eſt, & victa morte reſurrexit, aſcendens vnde deſcenderat, ſupra omnes cælos.* Item, *Patrem dicit filio omnē creaturam ſubieciſſe, vt quia omnia per ipſum fecit,* (non quidem per humanam Chriſti carnem quæ nondum erat, ſed per ipſum, quatenus eſt filius, B verbum Patris, ac proinde diuinam Chriſti naturam hîc deſcribit Ambroſius) *ipſe omnium caput ſit & Dominus.* Sed quid clarius dici potuit, quàm quod idem Ambroſius in Epiſtola ad Philip. vbi hanc ipſam Iacob. And. ſententiam ex profeſſo refutauit, quaſi aliquos id dicturos præſentiret? *Quibuſdam videtur*, ait, *homini* (id eſt humanæ naturæ) *donatum eſſe nomen, quod eſt ſuper omne nomen, quod nullo genere, nulla ratione conuenit.* Nempe ne dicantur naturæ in Chriſto eſſe exæquatæ, quod putat Smidelinus. Sed manifeſtius deinde de carne Chriſti agit idem Ambroſius his verbis. *Quomodo ergo hoc* (Dedit illi nomē &c. *ad Corpus poteſt referri, vt Dei nomen corpori,* (id eſt, Carni, ſic enim idē Ambroſius interpretatur poſtea) *ſit donatum, quum conſtet Chriſtum hominem eſſe Deum. Quia nec* DIGNVM EST, VT DEVS IMMVTETVR IN CARNEM (audis Smideline?) neq; CARO HOC POSSIT EFFICI, QVOD DEVS. Quid apertius contra vbiquetarios carnem Dei ἀποθεοῦντας ſeu Deum facientes, (dum nimirum propriam & peculiarem Deitati adorationem, carni Chriſti per ſeſe tribuūt reipſa) dici potuit? Verùm C & iſtud Pater ille pius diuino quodam propheticóque ingenio præuidit, quod iſti vbiquitarii vbique nunc cum tanto boatu clamant & ingerūt, Carnem ſeu Humanam Chriſti naturam nō eſſe, ipſam quidem à ſe Deum & αὐτόθεον, ſed eſſe per Andreanam effuſionem, id eſt, realem idiomatum Deitatis eſſentialium in humanam naturam: vel per immeationem ſeu περιχώρησιν Kemnitianam effectam gratia & adoptione Deum. Itaque propter illam gratiam ſeu Deitatem aduentitiam carnem eſſe diuina adoratione dignam ac capacem. At verò Ambroſium hoc quoque loco iſti eorum errori maturè obuiam euntem audiant, *Sed fortè* (ait Ambroſius illam Andreanam gratiā carni Chriſti aduentitiam refutans) *vt in adoptionem Deus eſſet & hic color eſt* (id eſt nugamentum) Ratio. *Incipiet enim ex parte verus Deus eſſe Chriſtus & ex parte adoptiuus: aut duo dii:* (erit Chriſtus) *ſed aliud ſcriptura ſignificat. Illi enim donatum ſignificat, qui ſe exinaniuit, qui formam ſerui accepit, qui in ſimilitudine hominis factus eſt homo, qui Patri obediuit. Si homo Deo Patri obediuit, quid magnum eſt, quod dixit Apoſtolus? Sed hoc magnum dicit, quia quum æqualis eſſet obediuit. Sed videamus, quid de eo ſcriptum ſit, propter quod ſuperexaltauit eum Deus, inquit, & donauit ei nomen, quod eſt ſupra omne nomē, &c. Conſideremus nunc dicta. & ſic aduertamus vim elocutionis: certè nomen, quod ſuper omne nomen eſt, Dei nomen eſt. Sed ſi per naturam non conſtat hoc nomen* (id eſt, ſi non de natura Chriſti diuina intelligitur, quod dicit Paulus, Chriſtum ſic odorari & tam auguſtum nomē habere) *non eſt ſupra omne nomen. Appellatiuum enim nomen in ſolo vocabulo eſt, non in nobilitate naturæ. Et adoptiuo Deo* (qualis erit caro Chriſti etiam per realem effuſionem, Deificata) *non flectit creatura genu, ſed* VERO: NON CREATVRAE. *Et quomodo fieri poteſt, vt homo* (id eſt, humana natura) *ſit in gloria Dei Patris. Etiamſi adoptiuus Deus eſt homo* (id eſt, caro Chriſti humana) *in gloria Dei patris eſſe non poteſt. Nam ei hoc competit, qui natus eſt de Deo, in gloria enim Dei patris eſſe, nihil differre à Deo eſt, vt vna gloria ſit patris & filij per* COMMVNEM SVBSTANTIAM *& virtutem. Eſt enim hæc vnitas naturæ.* Ex quibus intelligimus Ambroſium ſic explicaſſe, B & quidem meritò. Pauli locū vbi de Chriſti gloria & adoratione agit, vt quemadmodum gloria verè diuina illic à Paulo deſcribitur, ſic eam Chriſto, quamuis homini, ſolius tamen diuinæ ipſius naturæ ratione ſeu reſpectu propriè tribui interpretetur ac doceat. Hieronymus in minoribus commentariis ad epiſtolam ad Epheſ. *Et donauit illi nomen ſuper omnem principatum, Quia vnum eſt iam*, ait Hieronymus, *cum Deo aſſumptus homo, qui ſuſcitatus eſt.* Et in epiſt. ad Philip. *Adorant hominem cum verbo aſſumptum, qui eſt in gloria Patris, id eſt, in natura & gloria Deitatis, dum eiuſdem eſt gloriæ, cuius eſt Pater.* Quod non de hominis Chriſti carne, ſed de hominis Chriſti Deitate proculdubio intelligendum eſt. Hæc enim Chriſti Deitas ſola eſt eiuſdem gloriæ cuius & pater, quoniam de illa duntaxat ſua natura, non etiam de humana natura aut carne à ſe aſſumpta dixit Chriſtus: *Ego & Pater vnum ſumus*, Ioan.10. Auguſtinus lib. 2. contra Maximinum, ita hunc quoque locum interpretatur, vt doceat eam adorationem homini Chriſto ſeu ſerui formæ competere, C quoniam in ea habitat perſonaliter Deitas, *& nominatur, atque adeo eſt ille homo vnigenitus Dei filius.* Ergo non ad carnem, ſed ad Deitatem Chriſti ea gloria, cultus, adoratioque religioſa propriè pertinet, etſi tamen toti ὑφισταμένῳ, ſeu (quemadmodum loquuntur Scholaſtici) toti perſonæ ac Subſiſtenti defertur, ne hypoſtatica illa duarum naturarum in Chriſto vnio diuellatur. Verùm fortaſſe exceperit Iacobus, Paulum eſſe vſum verbo *Dandi & donandi*, quod ad diuinam naturam propriè referri nequaquam poſsit: ſed duntaxat ad humanam ſeu carnem, ex quo fit, vt ipſi Chriſti carni per ſe illa adoratio tribuenda videri poſsit. Huic autem obiectioni reſpondebo, ſi voluero, quod Ambroſius, etiam de natura diuina intelligi, verbum Dandi poſſe. *Quid rogo, contrarium eſt, ſi filius donum à patre accepiſſe dicatur, quum omnia filij à Patre ſint, à quo & cuncta eſſe creduntur.* Vel reſpondebo illud, quod Anſelmus, *Propter vnitatem perſonæ poteſt Diuinitas dici exaltata, in humanitatis exaltatione.* Tamen, vt huic gratificer, illud facilè concedo, quod vrgebit, *Donandi* vocem ad humanam Chriſti naturam propriè pertinere: ſed dico eam eſſe datam humanæ illi Chriſti carni gloriam, nō qua fieret ipſa Deus, aut

A Deo æqualis,(Id enim vel ſentire,vel etiam affirmare, quod iſti tamen reipſa faciunt, etſi verbis negent, eſt prorſus Eutychianum) ſed qua infinitis interuallis,& toto ipſo gloriæ genere diuerſo caro Chriſti ſubſideret Dei gloriæ eſſetq; ea inferior: Illa igitur carnis infirmitas, quæ in Chriſto ante ipſius crucem, paſsionem ſeu mortem fuit, per & poſt reſurrectionẽ illi ab eodem patre adempta eſt(à quo dicitur ſuſcitatus à mortuis) pro qua infirmitate ea gloria carni Chriſti data ac reipſa collata eſt,vt Chriſtus Homo, qui Deus ab æterno fuerat,Deus iam manifeſtè, nullàque carnis infirmitate obſtante appareat. Nec enim dubium eſt, quum illa ſerui forma,quam Chriſtus in natura humana prius infirma habuit, & propter quam dicitur fuiſſe minor Angelis Heb.2. verſ. 9. imò velut terræ vermis apparuiſſe Pſal. 22. fuerit magnum Deitatis in illa perſona hypoſtaticè habitantis velum, eiuſque cernendæ & perſpicuè agnoſcendæ impedimentum:quæ iam non modò ſublata, ſed etiam in ſummam (quãtam vlla creatura capere poteſt)maieſtatem commutata eſt, ac B proinde iam magnũ ſit illius æternæ Chriſti Deitatis & videndæ & illuſtrè agnoſcendæ adiumentum. Quemadmodũ eadem lux longè obſcurior eſt ſi per lucernam obſcuram,quàm ſi per claram, diaphanam,pellucidámque luceat,& cernatur.Eò pertinet, quod dixit Chriſtus ipſe, *Pater glorifica me ea gloria,quam habui apud te, antequam hic mundus fieret.Ioan.*17. Nam quemadmodum dum hîc fuit carne indutus Chriſtus, ſub eius infirmitate Deitas ipſius obſcurè delituit: ſic iam in eadem carne, in qua abiectus & ignobilis in Mũdo prius vixit,ad ſummum honoris gradum euectus eſt & exaltatus,adeò vt ad dextram Patris etiam homo ſedeat.Itaque verè Anſelmus in illum Pauli locum ad Philip.*Poſt crucẽ manifeſtatur quid à Patre, quum generaretur,accepit, quum à creatura capit ſciri homini non eſſe datum Nomẽ Dei, ſed æqualem fuiſſe, qui ſe exinaniuit.* In ſumma illa gloria & adoratio, de qua Paulus,eſt de tota Chriſti perſona intelligenda, quatenus Chriſtus eſt Deus in carne manifeſtatus:propriè tamen & per ſe eſt ipſius Deitati, non carni tribuenda. Cæterùm breuitatis gratia nunc omitto reliqua ſecundæ Iacob.And. refutationis vitia,veluti quum ſic concludit,*Creaturæ a-* C *gnoſcunt Chriſtum etiam hominem Dominum ſuum*,ergo diuina adoratione eum adorant, quaſi ſcilicet Dominatio & religioſa adoratio ſeſe mutuò cõſequantur.Item quòd obſcurè ait, *carnem Chriſti admiſſam in diuinam gubernationem*, quaſi Deum illa gubernet.

Iacobus And.

3.Refutatio tentata à Iacob. And. eſt mera in nos calũnia. & eius naturæ,quæ ex patre ab æterno eſt,cum ea,quæ ex V.Maria ſumpta eſt cõfuſio in Chriſto.

An verò hoc non eſt perſonam Chriſti diſcerpere,& ſecundum craſſum Neſtorianiſmum duos conſtituere Chriſtos?vnum quidem,Deum, inuocare: alterum hominem,quem non liceat inuocare,ſed qui ipſe tanquam ſeruus, & conſeruus noſter Deum debeat inuocare? Nunquid hoc eſt ex Chriſto Mariæ filio purum hominem efficere,qui non ſit Deus,& cum honore & maieſtate Dei nihil habeat commune,ſed planè ab ea ſit excluſus?

Danæus.

Quàm calumnioſè nobis hoc tribuatur, quaſi A ſentiamus humanam Chriſti naturam nihil habere cum eiuſdem Deitate commune,abundè ſupra docuimus & confutauimus.Reſtat igitur vt obiectum hîc nobis à Iacobo iſto Neſtorianiſmũ diluamus, quem ipſe(ſi quis vnquã alius)mirificè & manifeſtè tamen renouat, dum naturas Chriſti, humanam nimirum vult eſſe per realem ſuã effuſionem(quidquid verbis negat)diuinę exæquatã. Ergo tam fœdã labem à nobis facillimè abſtergemus:ipſe verò eam à ſe non poteſt. Quînã verò Neſtorianus ego,qui tam apertè, totóque corde,& orè confiteor vnicam eſſe & ſingularem Domini N. Ieſu Chriſti perſonam, quæ duabus naturis,Diuina nimirum ac humana hypoſtaticè inter ſe vnitis conſtet? Hoccine verò eſt Neſtorianum eſſe? Iſne duos Chriſtos cõſtituit, Smideline,qui vnicum duntaxat fatetur,& agnoſcit? At excipis, *non idem humanæ, quod diuinæ naturæ per omnia* reipſa,& reali participatione à nobis tribui. Reſpondeo,Neque Chriſtus ipſe tribuit, qui nequaquam tamẽ propterea Neſtorianus abs te fortaſſe vocabitur, licet ſis maximè blaſphemus.Ait B enim de ſe Deo,ſeu de natura ſua diuina, *Pater & ego vnum ſumus*: ait idem de ſe homine,ſeu de natura ſua humana,*Pater maior me eſt*,Ioan.10. & 14. Diſcerpſit ne igitur tunc ſeipſum Chriſtus? Nequaquam, Quid? Quum Apoſtolus ad Hebræos tribuit,& quidem diuerſo ſeparatóque capite,hæc Chriſti deitati, *Adorent eum omnes Angeli eius*. Item, *Tu initio terram fundaſti Domine &c.* Heb. 1. cap. & iſta alio capite, Humanæ eiuſdem Chriſti naturæ, *Pauliſper factus eſt inferior Angelis* Heb. cap.2.Item, *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius*, eratne Apoſtolus ille Neſtorianus? Quid, quum Patres omnes orthodoxi, & qui Neſtorium ipſum acerrimè oppugnarunt, docent,alia diuinæ,alia humanæ Chriſti naturæ reipſa competere, ſunt ne tibi, Smideline, Neſtoriani? At præterquam vni tibi Neſtoriano,rectè nulli alij homini Chriſtiano videbuntur fuiſſe Neſtoriani. Quid ita? Quoniam dum ſic ſuum cuique naturæ Chriſti ac proprium relinquunt,non ſeparant diuellúntque (quod putas) Chriſti perſonam: ſed naturas tantũ in illa vnita perſona diſtinguunt, quæ in ea manẽt, etiã poſt vnionem,& quod ad eſſentiam, & quod ad eſſentiales proprietates, inconfuſæ ac incommu- C tatæ:imo etiam incommutabiles. *At verò*,ais, *filius Mariæ fit hoc pacto purus homo, fit ſeruus, fit conſeruus noſter,fit pro nobis Deum patrem inuocans.* Verùm audi Smideline,quid tibi reſpondeã. Primùm dico te verè eſſe Neſtorianum, qui filium Mariæ & filium Dei,tanquam duos filios, ac proinde duas perſonas facias. Nam *filij* vox proculdubio perſonæ nomen eſt, vt qui Chriſtum duos filios dicit, quod iſti faciunt,ijdem illi duas perſonas in Chriſto conſtituant oportet,& certè ex ipſomet Neſtorianiſmi fonte,id eſt,ex ipſo Neſtorio ſumpta eſt hæc loquendi ratio, *Filius Mariæ, Filius Dei*,& ab And.Muſculo tuo fraterculo,ſed homine proculdubio Manicheaniſmum reuocante, & poſtea à tuo parente Iohanne Brentio noſtris temporibus eo ſenſu,quo tu iam accipis & ſcribis,vſurpata.Hîc igitur teipſũ à Neſtorianiſmo purga, Smideline,ſi potes,qui nobis illũ temerè obijcis.Deinde dico,nequaquã à nobis conſtitui Chriſtũ ex Maria virgine natũ,purũ hominẽ,quum dicamus Verbum ex Maria virgine fuiſſe *natum*, quoniam iam, A iam, imò ab æterno exiſtens verbum & quidem perſona,carnem ex ea ſuſcepit,denique quum cõtendamus eam ipſam naturam, quæ ex corpore ſeu carne Mariæ ſanctificata, ſumpta fuit à verbo æterno,eſſe in vnam cum ipſo æterno verbo perſonam indiſſolubiliter inſeparabilitérque hypoſtaticè vnitam.Ergone intelligis,vt non ſit Chriſtus ex Maria natus purus homo , qui à nobis etiã verus Deus,& Patri æqualis agnoſcitur. Sed tu, Lerna hæreſeon, putas ipſam Deitatem eſſe eam ipſam naturã, quæ ex virgine Maria ſumpta ſit: & eam carnẽ,quam habet Chriſtus ex Maria , fuiſſe euectam in ipſam deitatem per tuum illud realis effuſionis idiomatum eſſentialium commentum, ac proinde putas fuiſſe in Deum mutatam. Imo diſce,Smideline,licet ipſum æternum Dei verbũ ex Maria virgine natum ſit,naturã tamen, quæ ex carne B.illius virginis deſumpta eſt,& eſſe,& manere in æternum humanam, nequaquam autẽ aut eſſe, aut poſtea fore Deum.Porrò quod tu homo veri Chriſti muneris ignarus abſurdum putas & exclamas,quum dicitur Chriſtus, quatenus homo eſt, *& Dei ſeruus,& noſter conſeruus* , & *Deum pro nobis inuocare*,planè,quàm ſis non modo rudis,ſed nullus omnino Chriſtianus Theologus oſtendis. Quid enim notius,quàm illud Apoſtoli ad Heb. ex Pſalmis acceptum,& ad Chriſtum , qua homo & caro eſt, accommodatum : *Annuntiabo fratribus meis nomen tuum*, Heb.2. Illud Lucæ ex Ieſ.61. *Spiritus Domini ſuper me &c.* Luc. 4. Item illud Mathæi ex Ieſ. 42.de Chriſto. *Ecce ſeruus meus,quem elegi,&c.* illud Heb.4.verſ.14.7. ver.25 .9.verſ.24. *Habentes igitur Pontificem magnum , qui penetrauit cælos,Ieſum filium Dei,ſemper viuentem, vt interpellet pro nobis,vt appareat in conſpectu Dei pro nobis*: Item illud Chriſti,Iohan.4. *Vos adoratis quod neſcitis:nos adoramus quod ſcimus.* Vbi vide Cyrillum. Sed quid pluribus in re tam certa, támque manifeſta teſtimoniis eſt opus?

Iacobus And.

C

4. Refutatio noſtræ ſententiæ tentata à Iacobo And. eſt ignoratio variorum genuflexionis finium ac generum, ac proinde æquiuocatio.

Vbinam legimus in Euangelio , quoties coram homine Chriſto procıderunt, & adorantes dixerunt , Ieſu fili Dauid miſerere mei (vbi inuocationem,& precationẽ ſuam ad carnem Chriſti,& humanam ipſius naturam propriè direxerunt,& ipſum inuocarunt etiam quatenus homo eſt)tunc illis dixiſſe Chriſtum,maledicti eſtis,idololatræ eſtis,blaſphemi eſtis , damnati eſtis,nõ ſic facite. Ego veſter ſum conſeruus,aut ſimilia , quemadmodum hoc loco blaſphemat Danæus.

Danæus.

Huius argumenti quarto loco à Iacob. And.ad nos (ſi poteſt, id enim laborioſe conatur) refutandos allati ſolutio eſt facillima. Et tamen hoc ſuum telum tanti momenti eſſe putat iſte, vt inde in familiaria ſibi cõuitia in nos ingerenda ſcurriliter exſiliat,ac mimicè tanquã iã victor exultet. Sed illud ſtolidorum hominum eſt, *Canere triumphum antè victoriam*, quam nobis(quia Germanicè dũtaxat,id eſt,peregrino nobis idiomate ſcribit) mutis ſe relaturum eſſe ſperabat.Ecquæ igitur eſt iſtius ſophiſtę ratiocinatio? *Qui Chriſtum hic verſantem ac viuentem adorarunt, ait,non ſunt tanquam idololatræ ab eo reprehenſi. Ergo caro Chriſti, dum religioſo cultu eũ adoramus,eſt quoque illius noſtræ adorationis propriũ obiectũ.* A Nugas & gerras agis, Smideline , dum hæc vel ſentis, vel ſcribis. Nec enim qui Chriſtum(quem oculis corporis cernebant in hoc mundo) religioſo illo cultu venerati ſunt, in ipſam carnem Chriſti , ſed in ipſam deitatem intuebantur, ſéque ſuámque illam adorationem referebant. Adorabant enim illum,vt verum Deũ in carne manifeſtatum (quemadmodum loquitur Paulus , 1. Timoth. 3.ver.16.Sic Petrus adorauit, addiditque: *Tu es Chriſtus ille filius Dei viuentis*.Matth.16. verſ. 16. Sic Thomas adorauit , & expoſuit quem,qualémue illum adoraret , nempe non hominem, ſed Deum, *Dominus meus,& Deus meus es.* Iohan. 20. verſ. 28. Cæterùm Chriſtus contraquam ſcribit Smidelinus,id eſt , ſcripturæ negligens obſeruator,reprehendit eos, qui ſe vel nimium carnaliter cogitabant , qualis illa Maria Magdalena poſt reſurrectionem.Iohan. 20. verſ. 17. vel ad humanam ipſius naturam referebant, quod ad diuinam , & de diuina intellectum eſſe oportuit , qualis adoleſcens ille, qui quum Chriſtum, vt merum hominem apprehenderet , eum B tamen bonum appellabat,id eſt,illud quod Deitatis proprium eſt , ad humanam ipſius naturam transferebat. Itaque ille, quemadmodum Euangeliſtæ Matth. 19. Mar. 10. & Luc. 10.docent, eſt grauiſsimè à Chriſto reprehenſus. Sic enim veteres omnes illud Chriſti reſponſum , *Cur me dicis bonum*? interpretantur : in quo aduerſus hanc Iacobi,qui diuina cum humanis in Chriſto confundit, ſentẽtiam pro nobis manifeſtiſsimè pugnãt. Ergo hoc primum eſt falſum, quod tamen iſte tãquam nouus quidam Pythagoras Sueuicus, affirmat vultque ratum eſſe, nimirum reprehenſos nõ fuiſſe à Chriſto eos, qui adorationem illam religioſam,vel cætera quæ Deitatis ſunt propria,carni ipſius reipſa tribuebant. Secundo quoque loco illud falſum eſt, quod iſte ait, Quotquot Chriſti genibus acciderunt, illum hac oratione *Fili Dauid miſerere mei* vel alia quapiam ſimili appellãtes, eos religioſam illam ac diuinam adorationẽ Chriſto detuliſſe. Eſt enim veriſsimũ illud quod Chriſto interroganti, quid de ſe paſsim homines ſentirent, reſpõderunt Apoſtoli, *Aly Iohannẽ Baptiſtã,aly Eliam,aly Hieremiam, aly vnũ ex Prophetis*, C Matth.16.ver.14.Itaq; præter Apoſtolos(quorum nomine dixit Petrus,*Tu es ille filius Dei viuentis*) reliqui fere omnes qui tunc Chriſtũ honorabant, & illi genu in ſignum reuerentiæ obſeruãtiæq; in eum ſuæ flectebãt,nequaquam tamen religioſam adorationẽ illi tribuebant, ſed tantùm humanam ac ciuilem,qualem excellentiſsimis Dei Prophetis ſemper exhibuerunt viri pij & Dei timẽtes.Sic Centurio ille pius accidit ad genua Eliæ.2.Reg.1. verſ.13. Sic ſancta illa mulier Sunamitis ad pedes Elizæi 2.Reg.4. ver.27.Quid igitur imperitus iſte affirmat,à quotquot Chriſtus hoc nomine appellatus fuit, *Fili Dauid miſerere &c.* ab ijs religioſè adoratũ fuiſſe? Verùm,vt hoc iſti benignè largiamur, licet non omnes , tamen quoſdam ſic eſſe Chriſtum vt Deũ veneratos,quis propterea tamẽ inde certè effecerit,quod eſt totius iſtius ſententiæ firmamentum,eos inuocationem & precationem illam ſuam ad carnẽ Chriſti direxiſſe ? Imò ad perſonam Chriſti eam dirigebant, Smideline, & quidem rectè , quoniã in ea perſona erat Dei-

A tas, quàm propriè religioſa tum adoratione, tum inuocatione illi honorabant. Itaque non ſunt illi à Chriſto reprehẽſi,vt idololatræ:& quidem meritò.Nequaquam enim ſunt, erántue idololatræ, qui in illa perſona Deitatem vel nunc adorant,vel tunc adorabant. At excipis, *Non monuit eos Chriſtus, vt ſeorſum ſe Deum inuocarent, & carnem ſuam ſeorſum ſeponerent: cogitarent ſe conſeruum eorum eſſe,* Et rectè quidem.Nam etſi religioſæ adorationis Chriſti , quæ fit à nobis , proprium ac ipſiſſimum obiectum ſit ſola ipſius Deitas,tamen illa nequaquam ſeorſum ab humana carne ſemel aſſumpta ſubſiſtit,aut à nobis adoratur,ne perſona Chriſti, quæ vnica eſt,impiè diuellatur,vt docet in Dialogis de Trinitate Athanaſ.& tamen etiam tunc illa adoratio carni Chriſti tãtùm per κοινωνίαν ἰδιωμάτων competit.Cæterum quum negas Chriſtum , quatenus homo eſt, faſſum, & agnouiſſe ſeſe eſſe noſtrum conſeruum , impius es Smideline, qui manifeſtè Chriſti etiam poſt ſuam reſurrectionem (nedum in illo ſuæ exinanitionis ſtatu) verba , & B Apoſtolorum ſcripta mendacii nefariè nunc accuſas. Quid enim illa Chriſti conſolatione notius, qua ſe noſtrum conſeruum perſpicuè nominat, *Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrũ, ad Deum meum, & Deum veſtrum.* Ioan.cap.20.verſ.17. Quid illis Apoſtoli verbis ſuauius , & magis tamen familiare, vbi Chriſtum fratrem,& conſeruum noſtrum eſſe docet ex Pſal.22.Dicens , *Annuntiabo nomen tuũ,fratribus meis,in medio eccleſiæ tibi hymnos canam.* Et iterum, *Ecce ego & pueri, quos mihi dedit Deus. Quoniam igitur pueri participes ſunt carnis & ſanguinis, ipſe quoque conſimiliter particeps factus eſt eorundem.* Item, *Non habemus enim põtificem qui non poſſit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, &c.* Et certè ſi noſter Dei conſeruus non ſit, fueritue homo Chriſtus, neque frater noſter , neque Mediator iam eſt,aut fuit:ac ita omnis ſalutis noſtræ ſpes ex impuro iſtius Smidelini dogmate perierit. Ergo quid ſit te dignum,iam,ſi quam frontem tamẽ habes,vides.

C

Iacobus And.

5. Refutatio noſtræ ſentẽtiæ tentata à Iacob. Andreæ, eſt excuſatio Iudæorũ, qui Chriſtũ Deum & Dei filium eſſe negabãt.

Non tibi videris,pie lector,audire vocem ſummi ſacerdotis,qui Chriſtum morti adiudicauit, cùm ſe Chriſtus diceret Dei filium? Tunc enim dicebat ſummus ſacerdos Chriſtum blaſphemaſſe. Item Matth.9. Cùm Chriſtus peccata remitteret,dicebant Scribæ, Hic blaſphemat. Eſt itaque hæc blaſphemia tam ingens,craſſa, & palpabilis,vt nulla opus habeat refutatione.

Danæus.

Ignorat Iaco.And. cur & ſummus ille ſacerdos, & Scribæ ipſi Matth. 9. & 26. blaſphemauerunt, dũ Chriſtũ blaſphemum vocant. Nõ enim illi in eo errabant,quòd peccatorum remiſſionẽ,& verum Dei nomen carni, aut illi(qui purè homo eſſet)negarent tribuendam , ac proinde eſſentialia Dei idiomata humanæ vlli naturæ reipſa poſſe cõmunicari ſentirent. Vtrunque enim hoc rectè , & verè illi affirmabant.Sed in hoc fuit ſumma & ſacerdotis illius,& ſcribarũ,Phariſæorum,aliorúmque huiuſmodi obſtinatorum hominum blaſphemia,ac inexcuſabilis infidelitas,quòd obſtinatione & peruicacia inexcuſabili hunc hominẽ,neque ex ipſis Dei promiſsis,neque ex prophetarum vaticiniis, neq; ex ipſius doctrina,miraculis,vita,efficacitate,ac potentia agnoſcere volebant eſſe A verum quoque Deum in quo certè ſumma eorum impietas infidelitáſque apparebat.Itaque ei,quem ψιλὸν ἄνθρωπον,id eſt, purum hominem eſſe credebant,negabant hoc ius,eámque poteſtatem competere,nimirum vt peccata ex ſeſe remitteret , id quod Chriſtus faciebat,nec quidem tanquam merus remiſsionis peccatorum à Deo factæ miniſter & annuntiator (quales ſunt omnes veri diuini verbi præcones) ſed velut ipſemet illius beneficij fons ac largitor peccata cõdonabat hominibus. Ergo nõ in eo,vti dixi,priore ab iis peccatum fuit, quòd peccatorum remiſsionem vnius Dei eſſe propriam contendebant: Sed in hoc poſtremo, quòd illum,quem cernebant oculis , & in illa carnis forma ac imbecillitate ſecum verſantem , negabant quoque eſſe verum Dei Filium , ac Deum. Nam ſi illum hominem credidiſſent eſſe Deum, tunc neque ab eo peccata remitti poſſe vnquam pernegaſſent:neque eum,vt ait Paulus, crucifixiſſent.1.Cor.2.verſ.8. B Quid igitur ? Putat homo iſte acutus ſcilicet totum Phariſæorum errorem in eo fuiſſe,quòd Eutychiani nondum eſſent,id eſt, quòd Deitatis proprium ac eſſentiale attributum etiam ante glorificationem Chriſti , reipſa ipſius carni non tribuerent. Sic enim iſte ſentit,carnem Chriſti etiam dum eſſet in præſepio iam tamen ſediſſe ad Dei dextram,iam fuiſſe euectam,iam glorificatam:ac proinde iam impaſsibilem, iam morti non obnoxiam , iam nec edentem , nec bibentem,iam denique quum à matre in Bethlehem Iudeæ pago cerni videretur , tunc quoque verſatum fuiſſe in mediis Hiſpaniis,imò in omnibus Orientalium Indorum inſulis (ſed abſque crudeliſsimis vbiquitariis illis,& Ieſuitis qui eam ſtatim,vt ſæui Cannibales,ore deuoraſſent) & in omnibus Africanorum arborum foliis latitantem & coniunctã, Nonne tibi videris,pie lector,quum hæc Iacobeana monſtra audis , cernere ipſummet Eutychem ex fœtidiſsimo inferni lacu excitatum , & in has ſuperas mundi oras ab Andrea reuocatum : C denique totam illum Docetarum hæreticorum fecẽ, quales Manichæi, Marcionitæ , Svvenckueldiani, Menonitæ & alii , qui negant Chriſtum vere paſſum in carne,totam, inquam, illam fecem ac peſtẽ noſtro hoc ſæculo à Smidelino ex eorum putidiſſimis ſepulchris , tanquam magia quadam & Necromantia euocatam ? Dediſcat iſte prius Eutychianus,& Monophyſita, Monothelitáque manifeſtè eſſe , quàm nos impudenter Scribis illis Iudæis Chriſtũ impiè damnantibus pares faciat.Cæterùm quæ ſequuntur in iſtius ſcripto , ſunt penè omnia pueriles declamationes,vt nos Sueuicis mulierculis (quam linguam à matre iam pridem iſte didicit)redderet inuiſos.

Iacobus And.

6. Refutatio noſtræ ſentẽtiæ tentata à Iacob. Andreæ , eſt confuſio vocabuli abſtracti *Humanitas* cum concret. *Homo.*

Eouſque peruenerunt vt ſine verecundia hanc blaſphemiam proponant , quòd hominem Chriſtum non amplius deceat inuocare, & adorare.

Danæus.

Imo Smideline vtrunque cõcedimus,nimirum hominem

hominem Chriſtum rectè adorari & inuocari.Eſt enim *hominis* vox concretum vocabulum , quod perſonam Chriſti denotat , perſonam autē Chriſti & quidē totā adorari quoties tibi iam dixi?Sed tamen nō propterea efficitur totū perſonæ Chriſti, id eſt, ſingulas illius perſonæ naturas eſſe proprium illius noſtræ adorationis obiectum.Cōcedo quoque humanam(vide quantum tibi largiar) Chriſti naturam ſeu carnem à nobis adorari , ſed nimirum(ne tu me tecum hæreticum eſſe ſentias, addo) quatenus Chriſti Deitas,quæ adoratur (& in quā per ſe, ac propriè ſpectat,fertur, dirigitur, intuetur noſtra adoratio)eſt illi carni ſemel aſſumptæ hypoſtaticè vnita.Ergo vt iam ſæpe dixi,caro Chriſti per ſolam vnionis gratiam, quam vocant Scholaſtici,ac per idiomatum communionē adoratur:non autem(quemadmodum tu cenſes)quòd ſit quoque illa religioſæ adorationis noſtræ proprium, & per ſe ſubiectum. Nec verò totum Chriſtum à toto Chriſti diſtinguere:& duas illas in vna Chriſti perſona naturas, earúmq; proprietates illibatas conſeruare, vel Neſtorianū eſt (niſi ſi diſtinctio diuinarū Trinitatis perſonarū videtur tibi eſſe earum ſeparatio) vel inuerecūdum cenſeri debet quemadmodum tu ex Saxonia trāſfuga(ſcis enim cur ex ea profugeris) conuitiaris, verùm hęc tua eſt,ſed iam putidiſsima,fraus,quòd Concreta vocabula perpetuò cum abſtractis confundis. Quid enim mi homo? Putas idem eſſe,ſi quis *Hominem* vel *Humanitatem* dicat, & ſcribat, Nam poſtea quoque,vti hîc,in eodē luto hæres, & mihi,quod te non ſequar,valde ſuccēſes,ſophiſta. Redi ad tuos, & diſce ſaltem ex M. Kēnitio (cuius totum penè librū in trecētis illis tuis repetitionibus, quas ipſe merito ſic vocas anno 1580. VVittenbergæ editis compilaſti) diſce, inquam nunquam ſine aperta ſophiſtica concretas voces pro abſtractis contráque ſumi, ex quo vel malitia, vel ignorantia & teipſum, & alios miſerrimè decipis. Nam quod ais puerum ſeptennem poſſe ſoluere mea argumenta, hoc ipſum certè te indoctiſsimum igitur , & puero ſeptenni infantiorem eſſe arguit, qui nullum eorum ſoluere tu vetulus rudens potueris, quanquam id tamen ex profeſſo hoc ſuſcepiſſes, & tuis mulierculis promiſiſſes.

Iacobus And.

7.Refutatio noſtræ ſententiæ tentata à Iacob.Andreæ, eſt falſa Auguſt. loci interpretatio, & gratiæ vnionis cum gratia habituali in carne Chriſti confuſio

Quomodo verò congruit cum hac doctrina Danai, quod Auguſt.ſcripſit in Pſal.99. verſum , ADORATE AD SCABELLVM IPSIVS. *Auguſtinus ſic loquitur , Terra eſt ſcabellum pedum meorū, Quomodo,an terram adorabo,cum ſcriptura perſpicuè dicat , Dominum Deum adorabis. Ideò dubito, & hæreo. Metuo enim, ſi terram debeo adorare, ne me condemnet qui terram & cælum fecit,Iterum metuo ſi non debeo adorare ſcabellum Domini mei. Nam Pſalmus dicit: Adorate ſcabellum eius. Quum ita hæreo conuerto me ad Chriſtum. Nam hîc illum quæro,& reperio quomodo ſine diminutione gloriæ Dei,adoretur terra. Nā ex terra terram ſuſcepit , & quia caro de terra eſt , & de carne Mariæ carnem accepit , & cum in hac carne hîc in terra ambulauerit,dedit etiam hanc ipſam nobis carnē in ſalutem manducandā, Nemo enim edit hanc carnem,niſi prius eam adoret. Sic via & modus repertus eſt, quomodo ſcabellum Dei debeat adorari, ſic , vt non tantùm non peccemus , quum illud adoramus , ſed peccemus cum non adoramus,Hactenus verba Auguſt.*

Danæus.

Mirum eſt hominem iſtum eſſe tam inſigniter & peruicaciter impudentem,in ſuo illo teterrimo errore quo iure quáue iniuria defendendo,vt non modò fœtida illa ſophiſtarum pōtificiorum repotia,tanquam crambem bis recoctā nobis reponat: ſed etiam S.ſcripturæ locis malè prorſus cōuerſis abutatur ad homines minus cautos & prudentes, qui fortaſſe ad ipſos illos ſcripturæ locos nō recurrent , fallēdos.Ac primū quidē apparet doctis omnibus totā hanc Iac.And. obiectionē eſſe vetus ac rancidū Scholaſticorū Sophiſtarū ius, dum blaſphemā illā ſuam de religioſè adorandis ſed δουλείας cultu (vt ipſi diſtinguunt) creaturis, velut carne Chriſti,Maria virgine,ſanctis denique ſuis tuentur,id quod ex ipſorum ſcriptis eſt lippis & tonſoribus notum. Nā eorum nemo eſt, qui non iſtum locum,& tamen nunquā in ipſamet S.Scriptura à ſe conſpectum, citet ad eam rem, & afferat,Lombard.lib.3.ſent.Diſtinctione 9.cap. alijs. Thom.in 3.2. Quæſt.25.Durandus, Occam & cæteri interpretes,A quibus iſte hoc telū accepit, & acceptum in nos, ſed defectis viribus,vibrare conatur.Deinde verò nihil quicquam huiuſmodi ex vera illius Pſal.99.verſ.5. ſententia , colligi rectè quidē poteſt.Iubet enim Propheta , vt Deū adoraturi ſe ad ſolum & pauimentū vſque , teſtandæ nimirū ſummę animi demiſsionis gratia,deijciāt. Solum autē hoc,id eſt, terram hanc, quam calcamus, metaphoricè vocat Propheta ſcabellum pedum Dei,vt eſt Ieſ.66. Itaque Hieron. ſuis in Ieſ. cap. 49. commentarijs,hunc Pſal.explicans negat id dici vt *ſignificetur adorandum eſſe ſcabellum pedū Dei:ſed vt maieſtas pedum Dei indicetur.* Hoc igitur ab interpretibus Græcis malè conuerſum patres allegoricè acceperūt de carne Chriſti velut Amb. lib.3.de ſpiritu Sancto, cap. 12. & ex Ambroſio proculdubio Auguſtinus.Fuit enim ſummus Ambroſij admirator Auguſtinus. Scholaſtici pontificij ex illa allegorica interpretatione (tā eſt periculoſum inaniter ἀλληγορίζειν,vt hîc factum eſt,cōtráque Hieronymi præceptum) dogma fidei ſuæ, id eſt,errorem de adorandis ſanctis condiderunt: Denique ex iſta pontificiorum hæreſi & lacunis ſua ſcripta iam ornat, atque hunc locum accipit, quem nobis obijceret, Smidelinus. Verùm & hūc ipſum quoque illi extorqueamus , ex ipſiuſmet Ambroſij, & Auguſtini,quem citat, & Scholaſticorum(à quibus mutuatus eſt)teſtimonio ac interpretatione.Contendit Smidelinus ex eo probari, dū Chriſtum & hominem adoramus,noſtrę illius adorationis proprium obiectum eſſe,ipſam quoque Chriſti carnem per ſe in vnione illa conſideratam,quoniam,vt ille vbique vult, caro Chriſti eſt realiter particeps omnium eſſentialiū Dei proprietatū.Primùm ſi hoc patres illi ſentiebant, & talem Chriſti carnem,id eſt, Deum eſſe credebant, cur tot obiectiones afferunt aduerſus illius carnis adorationem, cur tam timidè de ea reſpondent,cur denique tam remotas & allegoricas ſuæ illius ſententiæ rationes quærunt? In promptu enim erat ratio nimirū hęc Iacobi And. quòd illa caro eſſet per vnionem facta particeps omniū eſſentialium Deitatis proprietatum, ac proinde facta Deus per realem effuſionem eſſentialiũ Dei proprietatum à Deitate in ea effuſarum. Sed nequaquam ſic patres vnquam vel ſenſerunt, vel ſcripſerunt, aut vllã huiuſmodi rationẽ protulerunt, imò in illa vnione duas naturas, earumque proprietates inconfuſas eſſe ſemper docuerunt: adeò, vt quamuis in eo cum Smidelino illi cõſentirent, videlicet, eſſe quoque carnem Chriſti proprium adorationis ſubiectum, nequaquam tamen id ob eam illam rationem verum eſſe defenderẽt, propter quam tamẽ vnam vult iſte eam eſſe adorandam. Verùm audiamus ipſoſmet illos patres & Scholaſticos quoque hoc præſidium iſti Iacobo eripientes, negantéſque ſeſe vnquam exiſtimaſſe aut carnẽ Chriſti ſiue in vnione perſonæ, ſiue extra vnionem in ſe eſſe propriũ noſtræ illius adorationis ſubiectum: ſed ſentire eam dũtaxat propter gratiam vnionis adorari, quia nimirum cum Deitate (quæ ſola propriè adoratur) cõiuncta eſt. ergo per κοινωνίαν ἰδιωμάτων tãtùm, nõ in ſe, adorari, vti diadema in capite regis ſalutatur, dũ rex ſalutatur, Amb. vti dixi lib. 3. De S. ſancto, cap. 12. à quo alij omnes hãc de ſcabello allegoriã, didicerũt, ſic ſcribit, *Itaque per ſcabellũ terra intelligitur: per terram autem caro Chriſti, quã hodiéque in myſterijs adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Ieſu (vt ſupra diximus) adorarunt.* NEQVE ENIM DIVISVS CHRISTVS, SED VNVS. *Neque cum adoratur* TANQVAM DEI FILIVS (vt hoc notet Iacob. And. vt, quæ natura propriè in Chriſto, adoretur, intelligat) *natus ex virgine negatur.* Denique ſic tandem concludit, *Et ideo ille ſolus adorandus, qui operatur in templo.* Eſt autẽ *caro* Chriſti templum ipſius Deitatis, nõ autem is qui operatur in templo. Hæc Ambroſius explicãs illa verba *Adorate ſcabellũ eius* allegoricè à ſe ſumpta. Auguſt. idem tractans, eo, quem citat ipſe Smidelinus, Pſalmo ſic ait. *Nunquid autem caro viuificat?* (Hoc autem addidit Auguſt. vt oſtenderet, quo ſenſu & reſpectu, ſit Chriſti caro adoranda. Nam eadem eſt viuificationis, & religioſæ adorationis ratio) *Ipſe Dominus dixit*, addit Auguſt. *quum de ipſa cõmendatione eiuſdẽ terræ loqueretur, Spiritus eſt, qui viuificat, caro autem nihil prodeſt. Ideo & ad terram quamlibet quum te inclinas* (*ergo & quum ad carnem Chriſti*) *atq; proſternis, nõ quaſi terram intuearis, ſed* ILLVM SANCTVM, *cuius pedum ſcabellũ eſt quod adoras. Propter ipſum eum adoras. Quis ſanctus eſt? In cuius amore adoras ſcabellum pedũ eius. Et quum adoras illum, ne cogitatione* REMANEAS IN CARNE. Thom. in 3. 2. Quæſt. 25. Art. 2. ad 3. eodem quoq; modo. *Adoratio latriæ* (eſt autẽ ea, de qua nunc agimus) *non exhibetur humanitati Chriſti ratione ſui ipſius, ſed ratione Diuinitatis, cui vnita eſt, ſecundum quam Chriſtus non eſt minor patre. Ex quibus apparet, hominem iſtum ab ijs ipſis, quos pro ſe citat, confutari: neque carnem Chriſti noſtræ de Chriſto adorationis proprium ſubiectum eſſe.*

8. Refutatio noſtrę ſententiæ tentata à Iac. And. eſt epheſini ſynodi in ſeipſa, tanquam pugnãtis cõmiſſio.

Iacobus And.

Eodem modo etiã in Epheſina Synodo hic Caluinianus error tanquã horribilis, & Neſtoriana hæreſis, in primitiua eccleſia perſpicuè eſt damnatus, ſicut anathematiſmus octauus claris verbis perſpicuè teſtatur. SI QVIS *audet dicere aſſumptam carnem vnà cum Deo verbo adorandam & glorificandam, & Deum tanquam alterũ cum altero appellandam eſſe (id enim particula* CVM *perpetuo ſi adiungatur intelligere cogit) & non magis vna adoratione Emanuelem adorat, & vnam illi glorificationem, ſicut verbum caro factum eſt, adaptat, anathema eſto.*

Danæus.

Agnoſco Cyrilli verba, illiuſq; ſentẽtiæ tanquã ortho. libentiſsimè ſubſcribo: verũ eã abs te peſsimè corrũpi, deprauariq; dico, doceóq;, Smideline. Tu enim eã eſſe vis Cyrilli mẽtẽ, quaſi ſenſerit, quum totus Chriſtus (qui eſt in vnica perſona verus Deus, & verus homo) à nobis vnica quoque adoratione colitur, noſtræ illius adorationis proprium obiectum eſſe quoque ipſammet illius carnem: eámque in illa vnione per ſeſe adorari. Ego contrà contendo, & quidem ex eiuſdem Cyrilli anathematiſmis demõſtro, Cyrillũ & ſenſiſſe & voluiſſe ipſam Chriſti Deitatẽ eſſe illius, quę toti Chriſto à nobis defertur, adorationis proprium obiectum: carnem autem illius, nequaquam. Cyrillus igitur ad Theodoſ. hanc ipſam Iacob. And. quæſtionem tractans, *Num adoramus Emanuelem*, ait, *tanquam hominem?* (id eſt, Num ad ipſam illius humanam naturam ſeu carnem in vnione manẽtem adorationem noſtram dirigimus:) Reſpondet ſtatim Cyrillus, *Abſit, Deliramentum enim hoc eſſet, & deceptio, & error* (arrige aures Smideline.) *In hoc enim nihil differemus ab ijs, qui* CREATVRAM *colunt vltra creatorem & factorẽ.* Habes igitur Cyrillum ſui ipſius interpretem, & quidem dilucidũ: Cur igitur ait Anathematiſmus eos eſſe blaſphemos, qui non adorant Chriſtum Deum & Hominem vnica adoratione, ſed duabus, vtranque nimirum naturam ſeorſim adorantes, quanquam vtramque illam ſeorſim nimirum naturas ſpectãtem adorationem coniungant, quemadmodum impius ille Neſtorius faciendum eſſe cõtendebat? Reſpondeo, Quoniam dum ſeorſim diuina, & ſeorſum ſeu ſpecialiter (vt verterunt interpretes) natura humana Chriſti adoratur, dupliciter peccatur: Primũ, quòd natura humana Chriſti adoratur, quæ creatura eſt. Id quod ſanè vera idololatria eſt. Deinde, quòd vnica Chriſti perſona (quæ in eadem hypoſtaſi ſeu ὑφισταμένῃ vtranque illam naturam complectitur) hac ratione diſcerpitur. Nã ex duabus Chriſti naturis fiunt per iſtas ſeparatas adorationes duas duæ quoq; Chriſti perſonæ. At dicebat Neſtorius, *Hominem*, id eſt, ex ipſius Neſtorij ſententia, *Carnem Chriſti ſeu humanam eius naturam poſſe quoque religioſè à nobis adorari*, quoniam dignitate eſſet exæquata diuinæ eiuſdẽ Chriſti naturę, vt docet Cyril. lib. *de incarnat. vnig.* cap. 28. atque hoc ipſum quoque iam apertè regerit nobis, ac ex orco reuocat Iacob. And. Sed vterque propterea eſt teterrimus hæreticus, & Neſtorius, & Iacob, And. vel teſte ipſo Kemnitio in lib. *De duabus in Chriſto naturis* vbiquitatis Iacobeanæ ſuffragatore, quòd vterque naturas in Chriſto exæquet. Ergo, quædã peculiariter humanę Chriſti naturæ, vt adorare: quædam autem diuinæ diſtinctè tribuuntur, vt adorari: nec tamen ex delirio Neſtorij propterea duas eſſe in Chriſto ὑποστάσεις ſeu perſonas dicimus. Hęc cauſa eſt, cur dixit Cyrillus illo anathematiſmo octauo, cúrque dicunt patres in Epheſina Synodo, Emanuelem noſtrũ, id eſt, Chriſtũ (qui Deus eſt, & homo verus) vni-

A ca adoratione colendum eſſe. Atque hanc eſſe veriſſimam mentem illius Synodi(quę conuenit aduerſus Neſtorium diuellentem vnicã illam Chriſti perſonam)apparet, primùm ex ipſius Cyrilli interpretatione,quæ extat lib. de incarnatione vnigeniti cap.26.& quam in calce huius libri tibi deſcripſi.Deinde ex ipſiſmet illis Cyrilli anathematiſmis,nimirum ex anathematiſmo 4. eiuſdem Synodi, qui ab eodem Cyrillo conceptus atque ita ſcriptus eſt: *Si quis*,ait,*in duabus perſonis,aut ſubſiſtentiis eas voces,quæ in Apoſtolicis ſcriptis continentur,& Euangelicis,diuidit, vel quæ de Chriſto dicuntur à Sãctis,vel ab ipſo, aliquas quidẽ ex ijs velut homini(qui præter Dei verbũ* SEORSIM *intelligatur)aptauerit:illas autem tanquam dignas Deo,Soli*(id eſt,ſeorſim poſt aſſumptam carnem exiſtenti & abſque illa carne)*Dei Patris verbo deputauerit,anathema eſto.*

B Ergo vides,Smideline , (ſiquidem mentis oculos habes) non negari quædam propriè tribui carni Chriſti,quædam Deitati,ſed non ſeorſim & ſeparatim tamen,id eſt,vni naturæ abſque altera ſubſiſtenti,& perſonam ſeu exiſtentiam ſuam(quod putabat Neſtorius)habenti.Sed quid verbis opus eſt? Ipſe ille anathematiſmus 8.à Iacobo Andr. contra me prolatus,eum ipſum perſpicuè refutat.Qua ratione enim ait & glorificationem & adorationem tribui Emanueli?Videlicet *iuxta quod verbũ caro factũ eſt*.i.quoniã illa vna & eadẽ Chriſti perſona eſt & manet ver⁹ Deus & homo verus,nõ quia Deitas ſit facta humanitas, aut humanitas Chriſti ſit facta ipſius Deitas,ſiue duarum illarũ naturarum eſſentiam,ſiue proprietates earum eſſentiales(inter quas eſt proculdubio vt Deitas,eáque ſola adoretur)ſpectemus. *Nihil firmum*, inquit Cyrillus in Ioh. libro 2. *& ſtabile. Nihil perpetuum ſoli Deo attribuetur,ſi creatura quoque ſubſtantialiter,& per naturam ſuſcipere poſſet,quæ in Deo ſunt ſubſtantialiter.*Quemadmodum igitur *Quum verbum caro factum eſt*,verbum manſit verbum,& caro caro : vtraque tamen natura in vnicam perſonam coiit, C & quidem vnione hypoſtatica:ſic *iuxta quod verbũ caro factum eſt*,neque quod Chriſti Deitatis eſſentiale eſt,quale eſt adorari, competit ipſius carni: neque quidquid toti Chriſti perſonæ ſic vnitę tribuitur,vt multa tribuuntur,eſt confuſè,& indiſtinctè de toto perſonæ,id eſt,de ſingulis ipſius partibus & naturis accipiendum ac intelligendum. Quod Eutychianicè facit vbique Smidelinus, nimirum impiè docens & in Paſſione ac crucifixione Chriſti Deitatem quoque ipſam eſſe paſſam ac crucifixam:& in religioſa ſeu diuina adoratione, quæ à nobis Chriſto exhibetur humanam quoq; Chriſti naturam eſſe per ſe & proprium noſtræ illius adorationis obiectum.Sic enim ipſum ſentire ex hoc ipſius ſcripto blaſphemiarum,contumeliarúmque pleno apparet,& ex trecentis ipſius repetitionibus.Et certè quidem ille, veſparum more,poſtquam ſuo illo venenato ſtimulo bonos omnes in Saxonia pupugiſſet,fugit qua de cauſa nouit ipſe:fortaſſe veritus,ne quod Scorpionibus,venenatis animalibus fit,idem ſibi eueniet.Eſt enim vt hiſtorici naturales tradunt, maximè lethalis ſcorpionum morſus,præſentiſſimũque venenum: ſed præſentiſſimum quoque , imò vnicum aduerſus huiuſmodi morſus remedium eſt ipſius beſtiæ mors,ſi ſtatim eo ipſo loco,in quo pupugit,ſcorpio extinguatur.Sic ne à ſe eodem ſimile remedium peterent homines, à quo hæreſeos malo ac A veneno fuerant icti,ſeſe ex Saxonicis regionibus Iacobus iſte maturè, & in tempore proripuit. Certè quantum ex eo,quo iam in ſcribendo vteris , idiomate & ſtilo coniicio,idem tibi in iſta tua ex Saxonia fuga plena metus & periculi euenit,quod quibuſdam aliis vt ex eo metu memoriam amitteres,& quod puer didiceras,nempe, latinè loqui, iam ſis oblitus . Itaque de te meritò ipſe dicere potes , *Iámque mihi videor nunc dedidiciſſe latinè, Próque illo Geticè,Sarmaticéque loqui.* Verùm homine iſto(cuius vel memoria ſola iam inter bonos omnes eſt βδελυκτική)omiſſo,ac cõtumeliis(quibus ſolis ſe diſſertum eſſe inter Germanicas mulierculas oſtentat)in veros quóſque Dei Opt.Max. ſeruos tum defunctos, tum viuos neglectis,exufflatíſque probemus,confirmemúſque illud, quod diximus , Nimirum , dum Dominus noſter Ieſus Chriſtus verus Deus,& verus homo à nobis adoratur,ipſius carnem etiam in perſonæ Chriſti vnione B conſideratam ac manentem , non eſſe tamen verum ac proprium illius noſtrę adorationis obiectum,hoc inquam ex Patrum orthodoxorum ſcriptis confirmemus,vt quot , quantóſque viros iſte hæreſeos damnet dum iſtud condemnat, omnes intelligant.Sed & hoc ipſum quoque nos facturos ſupra polliciti ſumus,& hoc ipſum iam à nobis expectat lector.In quo tamen non omnes,(eſſet enim infinitũ)ſed præcipuos Patres tantùm citabimus,teſtéſque noſtræ illius orthodoxæ ſententiæ proferemus,Athanaſius Dial.3.cõtra Arrianos *Chriſtus adorãdus eſt τῆς θειότητος λόγῳ Deitatis reſpectu.* Item, *Deus qui humanam naturam aſſumpſit,adoratur.* Ergo non caro Chriſti in ſeſe. *Adoraturi tamen*,ait idem,*non ſeponimus λόγον à carne:Scimus enim verbum caro factum eſt. Quis ergo dixerit , abſiſte à carne , vt adorem te* , nimirum ne perſona Chriſti diuidatur,ſi illius Deitas ſeorſim à carne ſubſiſtere fingatur. Quod nobis nunquam venit in mentem. Apud Epiphanium libro 2. aduerſus hæreſ. 2. Tom. Hæreſ. 69. extat firmiſſimum contra Arrianos argumentum(cuius nos hæreſeos impudentiſſimè Iac.And.audet, C ſic enim ſe oblectare voluit,accuſare). Hoc nos aduerſus iſtos vbiquitarios vtimur, qui carnem Chriſti volunt per ſe adorari,& eſſe quoque ſicut Deitatem ipſam , proprium noſtræ adorationis obiectum,eſt,inquam,hoc apud Epiphanium argumentum neceſſarium. Εἰ γὰρ οὐκ ἔστι χριστὸς ἀληθινὸς ὁ Θεὸς οὐκ ἔτι προσκυνητός. Καὶ εἰ ἔστι κτιστὸς, οὐ Θεός. *Si enim Chriſtus non eſt verus Deus,non eſt adorandus. Atqui ſi eſt creatus non eſt Deus.* Eodẽ modo de carne Chriſti & nos quoq; dicamus,*Si caro Chriſti nõ eſt verus Deus*, non eſt adoranda,atqui ſi creata eſt, nõ eſt Deus. Verum illa creata eſt,ergo Deus non eſt : & in vnione perſonæ Chriſti manens, creatura eſſe non deſinit:ergo etiam in vnione perſonæ cum Deitate manens,non eſt facta Deus. Quare etiam neque adoranda in ſe neque verum & proprium noſtræ Chriſti adorationis eſt obiectum. Et certè quidem nihil verius ad impuriſſimum illum Arianiſmum viam facit,quàm ſi ſublata naturæ Diuinæ ſupra humanam in Chriſto eminentia ac dignitate,non plus ſtatuatur religioſo cultu adoranda eſſe Diuina Chriſti natura, quàm humana, ſed vtraque æqualis eſſe contendatur , quod iſte facit. Auguſtinus Serm.11.in Matthæum *Chriſtus ſe-*

A *cundum carnem minor eſt Spiritu ſancto*. Et alibi, *ſeipſo quoque quia Deus eſt*,ex quo concludit Tract. 23.in Iohann. *Honoratur Chriſtus homo,ſed non ſicut Pater Deus*,id eſt,non diuino,quatenus homo eſt. *Is enim eſt honos,qui ſoli Deo debetur.* Serm. 36. de tempore. *Humanitas cernitur,& Diuinitas adoratur.* Serm.117. *Deus eſt,qui adoratur: Homo,eſt qui tenebatur.* Serm.119.etiam hanc loquendi formam explicat,totus Chriſtus adoratur,ſed non totum Chriſti. *Sola caro in ſepulchro iacebat, & tamen confiteris Ieſum Chriſtum in ſepulchro iacuiſſe. Sola caro iacet, & tu dicis,Dominus noſter iacet, Dico,planè dico,quia veſtē intueor,& veſtitum adoro. Caro illa illius veſtimentum fuit,quia,quum in forma Dei ſeruus eſſet, non arbitratus eſt rapinam eſſe æqualem Deo.* Ergo nō caro(quæ nunquam fuit,eſt,aut erit in forma Dei) ſed Deitas Chriſti adoratur,quum Chriſtus homo factus adoratur.Serm.58.in Iohan. *Si natura Deus non eſt filius,ſed creatura* (qualis proculdubio eſt caro i- B pſius,nec propter hypoſtaticam vnionem , aut etiam ipſius iam ſummam glorificationem, creatura eſſe deſinit)*nec colendus eſt omnino , nec vt Deus adorandus,dicente Apoſtolo , & coluerunt & ſeruierunt creatura potius quàm creatori*(alij patres legunt *vltra creatorem*)*qui eſt benedictus in ſecula,* (*& ad Galatas*)*ſed tunc ignorantes Deum,his qui* NATVRA *non ſunt Dij ſeruiebatis.Sed illi ad hac replicabunt: & dicent, Quid,quòd carnem eius ,* (*quam creaturam eſſe non negas*)*ſimul cum Diuinitate adoras , atque ei non minus,quàm Deitati deſeruis? Ego dominicam carnem, imò perfectam in Chriſto humanitatem propterea adoro, quòd à diuinitate ſuſcepta,atque Deitati vnita eſt,* VT NON ALIVM ATQVE ALIVM, *ſed vnum, eundémque Deum,& hominem Dei filiū confitear. Deniq; ſi hominem ſeparaueris à Deo (vt Photinus & Paulus Samoſatenus)illi ego nunquam credo,nec ſeruio,velut ſi quis noſtrū aut purpuram,aut diadema regale iacens inueniat,nunquid ea conabitur adorare? Quum verò ea rex fuerit indutus,periculum mortis incurrit ſi ea ſimul cum Rege quis adorare contempſerit , Ita .n.in Chriſto* C *Domino humanitatem non ſolam aut nudam,ſed Diuinitati ſuæ vnitam* , VNVM DEI FILIVM DEVM *verum & hominem verum,qui adorare contempſerit,æternæ mortis pœnam patietur. In Sermon. Hieronymo aſcriptis,Serm.de Aſſumpt.Mariæ ſic extat ſcriptum. Porrò quòd ſtella duce à Magis*(Chriſtus) *adoratur, ſicut Deitatis eſt:ſic humanitatis quum in Aegyptum perfugam,ne capiatur,adducitur . Sic itaque omnium virtutum*(Chriſti)*opera conſideranda ſunt, vt concedamus Deo,quæ Dei ſunt : & homini quæ ſunt hominis,* vt infinitoseiuſdem autoris locos, breuitatis gratia,nunc prætermittam,vbi docet ille,*Solum Deum eſſe adorandum.* Cyrillus in Iohan. libro 2. capite 92.ad hæc verba Chriſti, NOS ADORAMVS quod ſcimus.*Chriſtus adorandus*,ait Cyrillus, *ſeipſum connumerat,qui cum Patre & Spiritu Sancto tam ab Angelis, quàm à nobis adoratur. Conuenit autem hominibus adorationem* DEO *tanquam debitam offerre.Adorat igitur etiam Chriſtus,vt homo,poſtquam factus eſt homo: adoratur autem ſemper cum Patre & Spiritu, quoniam Deus verus ſecundum naturam eſt. Et cap.* 141.*Quia non aduentitias,ſed naturales habet regis omnipotentis,& creatoris adorandi , & Dei ac Domini dignitates,propterea*(*Chriſtus*) *& à nobis & ab angelis adoratur,quum certè nihil adorare ſcriptura præter* SOLVM DOMINVM DEVM *iubeat.Lib.2. Theſau.* A *Nemo ignorat,nulli prorſus naturæ , præterquam Dei, adorationem à ſcriptura tribui.ſcriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis,& ei ſoli ſeruies. Sicut igitur Filius,quamuis verè adorandus,tamē* ADORAT VT HOMO, (*nos enim,inquit,adoramus quod ſcimus*) *ſic quamuis Deus ſecundum naturam ſit,tamen patrem vt homo,Deum ſuum appellat.*Ad Theodoſ.*Num igitur Emanuelem adoramus vt hominē? Abſit.In hoc.n. nihil ab iis differremus,qui creaturam vltra factorem, & conditorem colunt.*Item,*Itaque manifeſtum eſt quod quæ inſunt natura,& propriè verbo ex Deo Patre,ſeruantur ei etiam quando apparuit homo.*Item,*Non tanquam in vaum nobis ſimilem neque etiam in hominem fides,ſed in Deum tendit naturalem ,& verum in perſona Deum.* Ergo & inuocatio ſeu adoratio , quoniam illa ſequitur fidem.Idem in lib.de Recta fide ad Reginas ex Athanaſio , B *Confitemur etiam eſſe ipſum filium Dei,& Deum ſecundum ſpiritum filium hominis ſecundum carnem,non duas naturas vnum filium,vnam quæ adoratur,& vnam quæ non adoratur: ſed vnam naturam Dei verbi,incarnatam, & adorabilem cum carne vna adoratione*,nimirum,vt ipſe poſtea explicat,propter vnam Chriſti perſonam , Itē Cyrillus lib.de incarnatione vnig.cap.26. *Adorauit Chriſtus nobiſcum. Vos enim, inquit , adoratis, quod neſcitis,nos adoramus quod ſcimus. Adeſt etiam adorandus,flectitur enim ipſi omne genu. Hoc quoq; ſecundum aliud & aliud. Adorat enim quia naturam aſſumpſit , quæ debeat* ADORARE : *adoratur autem porrò idem,quaſi maior adorante natura,id quod intelligitur Deus. Adoratione verò non eſt diuidendus in hominem ſeorſim,& in Deum.Nec verò,tanquā Deus coniunctim æqualiter dignatus ſit , diuiſis ſubſtantiis, cum ipſo dicimus adorari hominem.* (Nota explicationem , Smideline,ad quam antea te remiſi , ab ipſomet Cyrillo factam ſui illius octaui anathematiſmi,quem nobis obiicis)*Id enim extremæ impietatis pleniſſimum eſſet,ſed vnum adorandum*(*hominem factum & incarnatum*)*Dei verbum.* Idem lib. 2. The- C ſau.cap.1. *Sic primùm in idololatriam incides , quum dominum verè non fatearis adoréſque illum,quem Deo patri conſubſtantialem eſſe non credas,ſed potius creaturam. vna enim natura Deitatis eſt, quam* SOLVMMODO *adorare oportet.Nemo profectò ignorat nulli prorſus naturæ,præterquam* Dei *, adorationem à ſcriptura* CONTRIBVI.*Igitur filius,quamuis verè adorabilis ſit, tamen, vt homo adorat.* Et hæc quidem Cyrillus,qui iam à te magnus hæreticus cenſebitur, quia mecū planè conſentit,& meæ ſententię,quanquam non hoſpes Sturmii ,patrocinatur.Sed audi quoque alios orthodoxos Patres,vt videas quot in eadem naui,tua quidem ſententia,qui blaſphemus es,hæretici ſimus:piorum autem omnium iudicio, in vera fidei Chriſtianæ doctrina , maximè ſani ſumus.Fulgentius in Reſpon.contra Arrianos, *Tūc ergo Deo infertur iniuria,quum per diuerſitatem diuinitatis* (qualis nimirum ab ipſis ſtatuitur in Chriſto,nempe Diuinitas vna in ipſius Deitate , quæ vera & naturalis & eſſentialis eſt : altera in eiuſdē carne Diuinitas quæ eſt aduentia,effuſa,perichoriſtica,& accidentaria) *cum creatore colitur creatura. Ibidem agnoſcatur itaque in Chriſto proprietas vtriuſque naturæ,vt ſine errore poſſit intelligi & creatus , & fundatus,& genitus. Genitus eſt quippe & fundatus,*

ſecun-

A *ſecundum quod de Domino inenarrabiliter natus eſt Dominus. Creatus autem ſecundum humanam generationem, qua de ancilla natus eſt ſeruus.* Et li.3. ad Traſimund. *Ne quis, quum in uno Chriſto ceperimus ea, quæ ad proprietatem diuinæ humanæque naturæ pertinent demonſtrare, aut duos Chriſtos nos exiſtimet credere, ſecundum vtramque naturam: aut quartam à nobis inſeri putet Trinitati perſonam.* Item, *Quæ autem plena eſt poteſtas* (ac proinde adorabilis) *niſi ſola diuinitas?* Item ad Donatum cap. 4. *Veritatem Dei tenere eſt vnum Deum colere. Veritatem Dei in mendacium conuertere, eſt creaturæ ſeruire. Vera religio conſtat in vnius Dei ſeruitio. Ipſa enim veritas vnus eſt Deus.* Proferamus illi quoque Damaſcenum, (An verò hunc etiam, quo tamen Kemnitius tam ſæpe vtitur, hæreticum appellabit, quemadmodum vocat Danæum hoſpitem Sturmij) Damaſcenus igitur lib.3. de orthodoxa fide, cap.8. (vt totum illum librum de *duabus in Chriſto voluntatibus*, breuitatis gratia, omittam) ſic ſcribit, *Vnus igitur eſt Chriſtus, Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre & Spiritu vna adoratione cum immaculata eius* B *carne, neque inadorabilem eius carnem dicimus* (Sed audi rationem Smideline, ne in errore tuo confirmeris, qui putes eã per ſe adorari, & eſſe in ſeſe proprium noſtræ adorationis obiectum: audi igitur vt te Damaſcenus meus refutet) *Nam*, inquit, *adoratur in vna verbi hypoſtaſi, quæ & ipſi hypoſtaſis facta eſt. Neque* CREATVRAM *colimus* (quod profectò fieret, ſi ipſa Chriſti caro eſſet proprium & in ſeſe adorationis noſtræ obiectum, etiam quatenus in illa vnione cum Deitate Chriſti conſideratur. Eſt enim caro Chriſti, licet Deitati vnita, tamen vera creatura) *Nam non vt nudam carnem adoramus, ſed vnitam deitati, & vt in vnam perſonam, & vnam hypoſtaſin duabus illius naturis adductis: Timeo quidem carbonem tangere propter ignem ligno coniunctum. Sic adoro vtrumque Chriſti propter carni coniunctam, & ſimul vnitam* DEITATEM. Quamobrem primum illius noſtræ religioſæ adorationis Chriſto delatæ obiectum eſt ipſa Chriſti Deitas, non C autem eiuſdem caro ſeu Humanitas. Audiat denique eos ipſos à quibus totum ſuarum contra nos obiectionũ fundamentũ ſumpſit, videlicet Scholaſticos, Thom in 3.2. Quæſtion 25. Articulo 2. A Reſponſione, in ipſo corpore Reſponſionis, ait, *Adoratio igitur humanitatis Chriſti dupliciter poteſt intelligi. Vno modo, vt ſit eius, ſicut rei adoratæ. Et ſic adorare carnem Chriſti nihil eſt aliud, quàm adorare verbum Dei incarnatum, ſicut adorare veſtem regis, nihil eſt aliud, quàm adorare regem veſtitum, & ſecundum hoc adoratio humanitatis Chriſti eſt adoratio latriæ. Alio modo poteſt intelligi adoratio humanitatis Chriſti, quæ fit ratione humanitatis Chriſti perfectæ omni munere gratiarum, & ſic adoratio humanitatis Chriſti non eſt adoratio latriæ.* Hæc Thomas. Durandus autem in lib. 3. Sentent. Diſtinct. 9. Quæſt. 2. N. 13. *Ad ſecundum dicendum eſt*, ait, *quòd humanitas Chriſti propriè non adoratur, quum non ſit res per ſe ſubſiſtens. Nec eſt ratio, per quam debeatur* (ſic enim ex vetuſtiori codice lego) *adoratio latriæ, quum ratione eius Chriſto* B *non competat eſſe creatorem. Adoratur tamen per accidens, adorato ſuppoſito, & eadem adoratione, qua adoratur ſuppoſitum, & ſic loquitur Damaſcenus. Si autem humanitas Chriſti realiter eſſet ſeparata à ſuppoſito Filij Dei, & ſubſiſtens in proprio ſuppoſito, ſic nullo modo nec per ſe, nec per accidens debetur ei adoratio latriæ.* Atque ea eſt adoratio, de qua nunc quærimus. Aut hoc teſtium ſatis eſt, aut neſcio quid ſit ſatis. Qui ſi omnes à Smidelino pro dictatoria ipſius in Germania poteſtate, Hæreſeos damnãtur, certè à piis, bonis orthodoxiſque omnibus abſoluentur. Et vt totum hunc locum concludam, ſanam mentem à Domino Deo precor quidem iſti homini: ſed tamen, qua eſt animi pertinacia (vtpote qui ſit *αὐτοκατάκριτος* vt loquitur Paulus, & ex eodẽ numero, quorum eſt planè cauteriata, ſeu putris conſcientia, quæ dedolere didicerit) vix quicquam de Iacobi Andreæ reſipiſcentia vel ipſe ſperare, vel alij polliceri poſſim, vt verius mihi in iſtum dici poſſe videatur, *Qui ſordet, ſordeſcat adhuc.* Lugduni C Batauorum Cal. Octob. Anno temporis vltimi, CIↃ. IↃ. LXXXII. Hæc ego Lambertus Danæus pro veriſſimo inuictæ veritatis teſtimonio aduerſus Iacobi Smidelini Andreę filij calumnias, hęreſéſq; ſcripſi, dixiq;: Domino autẽ noſtro Ieſu Chriſto, qui verus eſt Deus & verus homo, ſit laus, & gloria in ſæcula ſæculorum, & vltra, Amen.

L. D.

ANTIOSIANDER,

SIVE

APOLOGIA CHRISTIANA SIMVL ET NEceſſaria, in qua tum Helueticæ Eccleſiæ, & quæ cum iis in Fidei Confeſſione conſentiunt: tum etiam earum vera de S. Domini Noſtri IESV CHRISTI Cœna ſententia defenditur aduerſus iniuſtam Lucæ Oſiandri condemnationem.

Hieronymus.

Nolo in ſuſpicione hæreſeos quenquam eſſe patientem.

B

QVANQVAM ea eſt veritatis vis, vt ad ſe tuendā ſingulos mortales, imprimis autem Chriſtianum nomen profeſſos, facilè pelliciat, mirabuntur tamen omnes, Luca Oſiander, quid cauſſæ ſit, quam obrem non modò certamen illud inter Sturmium & Pappum iam extinctum renouare volueris: ſed etiam cedenti Pappo ipſe ſuccenturiator acceſſeris. Neque .n. vel in Pappo (quem tu tantopere laudas) parum virium ad ſe defendendum fuiſſe quiſquam ex tuo teſtimonio exiſtimabit: vel quicquam nouum ad hāc cauſam toties iam victam perorandam tibi in mentem veniſſe ex tuis ſcriptis iudicabit. Itaque vtrum ambitioni potiùs, an alij animi morbo tuū hoc cœptum tribuēdum ſit, ipſe videris: certè qui tuum libellum diligentius perpenderunt, hoc facilè agnoſcunt, noſtras omnes eccleſias per latus optimi illius & ſenis, & Viri Ioannis Sturmij atrociſſimè abs te peti. Sed huiuſmodi nimirum ingenij tui ſpecimen edere cupiebas, ne Andreæ Oſiandro diſſimilis eſſes, vel eo, iuxta vetus illud κακοῦ κ'ϱακος κακὸν ὠὸν, melior fortaſſe videris. Ego verò, qui de re ipſa potiùs, quam de perſonis, id eſt, vel de te ipſo, vel de Ioanne Sturmio, vel de alio quopiā in hac pro noſtris Eccleſiis Apologia dicturus ſum, veri de S. Domini cœna dogmatis, quod nos ſequimur, patrocinium tantùm ſuſcipiam, atque adeò rem ipſam ſtatim aggrediar, ſi priùs demonſtrauero quid mihi in tuo ſcripto refutandum ſumpſerim: quid autem viro illo doctiſſimo, clariſſimóque celeberrimæ Academiæ *Argentinenſis* Rectori, præſtantiſſimo *D. Ioanni Sturmio* reliquerim, vt ſit ad tuum illud ſcriptum accommodata noſtra reſponſio. Nam quod de Ioannis Pappi ſumma eruditione prædicas, eiuſmodi eſt, vt ex illius ipſius ſcriptis meliùs refutari, quàm tua illa laude, & aſſentatione confirmari poſſit. Quinétiam in hac tua Pappi prædicatione illud verè præſtas quod dicitur, *Mutuò muli ſcabunt.* Sed ad rem ipſam, vt dixi.

Famoſiſſimi igitur illius tui libelli partes tres obſeruaſſe mihi videor, Luca Oſiander: Vnam, in qua de damnatione noſtrarum, id eſt, orthodoxarum, quæ vbique terrarum diffuſæ ſunt, Eccleſiarum agis, quam in Nouo quodam nouæ doctrinæ corpore à ſex veſtris conſcripto fieri negas, quantumuis doctrinam ipſam (quæ in illis Eccleſiis palàm ac publicè communi omnium conſenſu docetur ac defenditur) tanquam à vero aberrantem illi damnauerint. Altera pars eſt ea, in qua de ipſo noſtro dogmate diſputas, quòd vbiquitati ſeu vbiquepræſentiæ corporis Chriſti à vobis inuectæ opponitur. Tertia denique eſt ea, in qua tu nimirum ἀλλοτριεπίσκοπος, id eſt, alienæ vitæ grauiſſimus cenſor Sturmium Sturmio, qualis ſit, tanquam in ſpeculo tandem oſtēdis. Nos igitur duas priores duntaxat tui libelli partes examinabimus. Tertiam autem omittemus, quæ cùm tota in maledicendo poſita ſit, vtinam te ipſum illius ſatis pudeat, quam vtcunque videaris in quenquam tui libelli velut angulum detruſiſſe: tamen per ſingulas non modò pagellas, ſed etiam pagellarum ſententias fuſa apparet. Hanc igitur poſtremam libelli tui partem Sturmio relinquam, cuius vita illa præclarè in luce hominum, atque in media ipſa Dei Eccleſia per ſeptuaginta iam annos acta, tot præſtantiſſimis hominum omnis ordinis & generis teſtimoniis collaudata, tot illuſtriſſimorum, & Germaniæ, & Galliæ, & Angliæ Principum (quibus placuiſſe certè, Oſiander, non vltima quædam laus eſt) tot, inquam, publicis, priuatíſque laudibus ornata, facilè tuas calumnias refutat. Ipſe Sturmius pro ſe dicet, Orator optimus, quā tu eius laudē cū cæteras omnes magna inuidia ſic illi detraheres, vt penè ne in ſubſelliis quidem Grammaticellorum locum ei velles relictum, agnoſcere tamen coactus es. Sed illud tamen te obiter, Luca Oſiander, monebo, omnibus, qui Antiſturmium tuum legerunt, iſtud comprimis mirum eſſe viſum, quod abs te temeritatis accuſetur Sturmius, quaſi præter boni viri officium, & præter exempla vetuſtorum Chriſtianorum huius cauſſæ patroci-

Oſiādrici ſcripti ſcopus, & partitio.

Oſiander ſuam ipſe maledicētiam profitetur.

C

Ioannes Sturmius Argētinēſis Academiæ Rector, vir qualis & quantus.

Calūniarum Lucæ Oſiandri in Ioannē Sturmiū abſterſio & depulſio.

1.Pet.4.

Act.18.v.24. 1.Cor.16.v.12. Act.18.v.2.6. Rom.16.v.3. 1.Cor.13.v.19.

Hieronymus in catalogo ſcriptorũ. Euſeb. li.4 Hiſtor. Eccle.c.3.

trocinium ſuſceperit. Egregia ſane hominis Chriſtiani accuſatio, & magnum ſcelus, quòd vir Chriſtianus Chriſti Seruatoris, Regis, & Domini ſui, atque etiam omnium noſtrum Dei ſacratiſſimam doctrinam, pro menſura doni accepti, tueri ſit auſus! Nónne ex præcepto Petri id fieri oportuit? Nónne fidei ſuæ rationem quemlibet Chriſtianum reddere neceſſe eſt, ſeu voce, ſeu etiam, quum opus eſt, ſcriptis? An verò omnes, præter te vnũ, mutos & piſces eſſe voles, Oſiander? Vobis veritatem oppugnare licebit, nobis autem eam propugnare minimè concedẽdum eſt, quò ſit facilior veſtra aduerſus non repugnantes victoria? Quid igitur peccauit vir Chriſtianus, qui in tantis Eccleſiarum Germanicarum diſtractionibus & morbis, pro ſuo in Eccleſiam Dei ſtudio, remedium afferre tentauit? Nam vt Apollos illum prætermittam, qui cùm minimè eſſet ex duodecim Apoſtolis vnus, tamen conſtanter pro Euangelij doctrina diſſeruit (adeò vt epiſtola ad Hebræos ſcripta eius eſſe fortaſſe videri poſſit) proptereáque ſummopere ab ipſo Dei ſpiritu laudatur: vt Aquilam & Priſcillam omittam, quos tamen Paulus συνεργοῦς appellat: vt Andronicum & Iuniam, quos Paulus ait fuiſſe inſignes inter Apoſtolos, quis neſcit (ſi modò primis labris hiſtoriam Eccleſiaſticã attigit) cuiuſuis ordinis doctos viros Chriſtianos cõtra Hæreticos pro fide Chriſtiana pugnaſſe, etiam editis ſcriptis? Ariſtides ille, qui (vt ſcribit Hieronymus) profeſſione Philoſophus fuit, Adriano Imperatori fidei Chriſtianę Apologiam obtulit. Poſt Ariſtidem Iuſtinus Martyr etiam & ipſe Philoſophus cõtra Thryphonem Iudęum hominẽ, de religione Chriſtiana ſcripſit: idẽ Antonino Imperatori duplicem Apologiam nuncupauit: Rhodon quoque minimè Theologiam profeſſus, tamen contra Marcionitas præclarum atque vtile Eccleſiæ opus edidit. Quid Agrippam cognomento Caſtorem? Quid Athenagoram? quid Apollonium vtrumque commemorem, qui, quanuis alias artes profiterentur, Chriſtianorum tamen monumentis celebrantur & nobis imitandi proponuntur, quòd Chriſtiani de dogmate Chriſtiano veriſſimè, piiſſiméque ſcripſerint? Et quoniam omnium veſtrum in bonis artibus Præceptorem *Sturmium* ad Grammaticos & Rhetores relegaſti: ecce tibi ex Grammaticis, Oſiander, & Rhetoribus Arnobium Minutium, & Lactantium, qui, vel à te ipſo laudabuntur, quòd pro fide Chriſti luculenta ſcripta ediderunt. Scripſit temporibus Auguſtini pro ſuæ ſectæ defenſione Creſconius quidam profeſſione Grammaticus. Creſconio reſpondit Auguſtinus, neque ei vitio vertit, quòd cùm eſſet alterius profeſſionis, tamen Chriſtianus de Chriſtiana fide ſcripſiſſet, ſi modò verè ſcripſiſſet. Neque enim quis dicat, ſed quid dicatur, ait idem Auguſtinus, animaduertendum eſt. Nam etſi in Eccleſia Dei non ſunt omnes vel Doctores, vel Prophetæ: tamen quæ tua iſta eſt, quæſo, tyrannis aut inuidentia, nolle prolatum eſſe, ſi quid à Domino Deo aliis reuelatũ eſt, quod ipſe ignores, & quod ille ex Dei verbo te docere poſſit? Et vt vetera illa exempla prætermittam, quis neſcit noſtro hoc ſeculo renaſcente Eccleſia, Ioachimum Vadianum, Ioachimum Camerarium, & alios pleroſque, alias omnino, quàm Theologicam artem profeſſos, de religione Chriſtiana feliciter, vtilitérque ſcripſiſſe? Præterea vt quãuis hæc cauſſa non ſatis valeat, neceſſariis cauſſis adductus Sturmius Pappo iura Academiæ omnia violanti ſeſe pro ratione muneris, vtpote Rector (non autem, vt tu iniurioſè vocas, Dictator) oppoſuit, quemadmodum in illo ſuo triplici Antipappo eruditiſſimo ſcripto Sturmius veriſſimè demonſtrauit. Neque etiam aduerſarij inſolentia paſſa eſt illum placidè hanc cauſſam agere, ſed in publicum theatrum & certamen etiam inuitum illum pertraxit. Peccauít-ne ergo, quia veritatem doctrinæ Chriſti defendit? Pacem Eccleſiarum conſeruauit: & muneris ſibi à Rep. iampridem demandati dignitatem retinuit: Argentinenſiſque ſcholæ iura, ac tranquillitatem forti, conſtantíque animo ipſe vir ſenex contra nouorum Theologorum, tanquam adoleſcentum oratorum, furorem tutatus eſt? Macte potiùs virtute, *Sturmi*, illud tuũ generoſum & verè heroicum pectus, illum ſenilem quidem, ſed inuictum animum his perturbatoribus, tanquam fortiſſimus & Cato & Cocles Hoſtibus iſtis Hetruſcis in veſtram Remp. irrumpentibus obiice: Chriſtianam charitatem pro viribus, quemadmodum facis, tuere. Nam quod Lucas Oſiander facimus indignum putat, Ioannem Sturmium, qui minimè paſtoris doctoriſque Theologici munus profitetur: tamen pro fidei doctrina, & veritate contra diſcipulum Pappum eſſe ſcribere auſum, Ecquis mortalium vel ſcelus, vel etiam reprehendendum vnquam exiſtimet? Imo verò non ſummopere laudandum atque prædicandum iudicet?

Prima pars Oſiandrici ſcripti.

Oſiander dãnat prima parte ſui Antiſturmij omnes orthodoxas Dei Eccleſias.

Tria capita diſputationis Sturmij aduerſus condẽnationem à Pappo factam.

Accedam igitur ad illa duo tui libelli capita, quæ confutanda ſuſcepi. Quid ergo in tuo illo Antiſturmio tibi velis, age, iam placidè inter nos, ſi id facere potes, mi Oſiander, quæramus. Prima tua aduerſus Sturmium diſputatio eſt de noſtrarum orthodoxarum Eccleſiarum, Gallicarum, Anglicarum, Scoticarum, Belgicarum, Polonicarum, Rheticarum, Helueticarum, Hiſpanicarum, & Italicarum, quæ adhuc latent, damnatione. In qua quæſtione aduerſus te, tuæque vbiquitatis ſocios ſeptemuiros, tria hæc vberrimis, atque ſolidiſſimis argumentis Ioannes Sturmius probauit, quod nos nunc quoque, Deo dante, demonſtrabimus. Primum quidem vos non poſſe: ſecundum autem vos eoſdem non debere damnare noſtras Eccleſias. Tertium denique quum vos eas in nouo illo Nouæ veſtræ doctrinæ corpore condemnaſtis, nequaquam legitimè id feciſſe. Et quoniam quæ à Ioanne Palmerio paucis antè menſibus edita eſt *Nullitatis proteſtatio* aduerſus illud idem Nouæ veſtræ doctrinæ corpus varias cauſſas oſtendit, propter quas nullo modo legitimum eſſe poſſit huiuſmodi veſtrum contra nos Iudicium, quibus etiã ſuas Sturmius adiecit, nos intra earum fines conſiſtemus, quas tu magno labore confutare conatus es. Idcirco igitur negas te damnare noſtras Eccleſias quoniam non vt Magiſtratui tradamur puniendi: ſed duntaxat vt iudicemur fugiendi nos damnatis, id eſt, vt noſtrum dogma falſum & labefactans fidei Chriſtianæ fundamentum, ac propterea pernicioſum eſſe intelligatur. In ſumma vis non ipſas perſonas noſtras à vobis condemnari, ſed dogma noſtrũ duntaxat. Præclarè ſanè & ſubtiliter. Quaſi

Quid verbo dãnandi intelligat ex Pappi theſib. Lucas Oſiander.

A verò quod à vobis fieri negatis, non ſit ex veſtra illa ſententia in nos condemnatoria omnino conſequens & neceſſarium. Quis enim hæreſin vnquã damnauit vllam, vt ipſa per ſe hæreſis, tanquam Chimęra quædam per ſe & extra ſubiectum, id eſt, extra hominem & perſonam hæreticam ſubſiſtens damnata cenſeretur? Ecquod vnquam vetus, recénſve Concilium hæreſin anathemate feriit, niſi vt perſonæ, id eſt, homines ipſi, qui eam ſequebantur, ac tuebantur, damnati quoque intelligerentur? Quaſi verò Arianiſmus in abſtracta quadam cogitatione primo illo Niceno concilio à 318 patribus fuerit damnatus: & non ipſi qui tunc permanebant, vel qui poſtea futuri erant Ariani? aut quaſi qui poſtea ſequutus eſt, Eutychianiſmus aut qui Arianiſimum præceſſerat, Sabellianiſmus, abſque perſonis, hoc eſt, abſque hominibus ipſis, qui iſtos errores profiteantur, eſſe queat? Quæ eſt igitur iſta ingenij acies tam ſubtilis, vt accidens ſine ſubſtantia & ſubiecto eſſe ac ſubſiſtere poſſe fingat? Iſta ſunt meræ nugæ. Nam inter ſeſe ſic nexu indiſſolubili coniuncta ſunt iſta duo, vt qui hæreſin aut errorem aliquem damnat, is eodem modo eadémque ſententia perſonas ipſas ita ſentientes condemnet, ac eodem telo feriat. B Et quid aliud palàm agitis, quum ex pulpito nihil penè aliud, quam Zuinglianos, & Caluinianos tonatis? Quid veſter ille Marbacchius poſtremo ſuo ſcripto nonne Caluinum apertè impetit? Nec verò illius noſtræ ſententię confirmatio meliùs, quã ex ipſo D. noſtri Ieſu Chriſti exemplo peti poteſt. An non malum & peccatum duntaxat, vt nõ ſimul malos, & peccatores ipſos eadem ſententia complectatur & condemnet? Lege vetus, lege nouum teſtamentum, vbi tuam diſtinctionem, Oſiãder, inuenies? Certè nemo vnquàm tam ſtolidus Iudex fuit, nulla lex tam inepta, quæ adulterium ipſum duntaxat, & non adulteros: furtum non fures: homicidium non homicidas: hæreſin non etiam hæreticos, eadem vi & mente verborum cõprehenderet. Itaque Chriſtiani imperatores ſapiẽtiſſimi, qui vel ſynodis piis ipſi interfuerunt: vel eas ex ipſorum Patrum ſententia confirmarunt, vna eadémque ſanctione, & hæreſes, & perſonas C ipſas hæreſin defendentes (tanquam res inſeparabiles) edictis ſuis ſint complexi. Id quod vel ex iis legibus ſatis intelligi poteſt, quæ tum à Conſtantino Magno in Arianorum, Marcionitarum & Valentinianorum hęreſin editæ ſint: tum ab Arcadio & Theodoſio Valentiniano, & aliis deinceps Impp. in Donatiſtas, in eoſdẽ Arianos, Eutychianos, & alia huiuſmodi hominum monſtra ſunt ſcriptæ. Nicenum ipſum Concilium, quod veriſſimum Eccleſiaſticæ dãnationis exẽplar eſt, ſic ait, *Eos autem, qui dicunt, erat tempus quando non erat, & antequam naſceretur non erat, &c. Anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.* Chalcedonenſe conciliũ, Action. 1. Ex Epheſina ſynodo repetita ſic quoque ait, *Eos aũt, qui audent fidem aliam proferre, &c. ſi Clerici ſint aut Epiſcopi alienos à Clericatu & Epiſcopatu decreuit ſancta & magna ſynodus.* Quid Conſtantinopolitanum, quid Epheſinum, quid cætera citem, vbi hæretici potius ipſi, .i. perſonæ, quàm hæreſes & dogmata in abſtracto damnantur? Deniq; audiamus Cyrillum ipſum, qui plurimis ſynodis & Eccleſiaſticis damnationibus interfuit, imo etiã Epheſinæ præfuit. Ille enim ſic in Ioanne Euang. lib. 4 ſcribit. *Qui prauitatem ipſam vituperat, illos reprehendit qui praui ſunt.* A Quæ igitur noua eſt iſta fraus, & dialectica, & Pappiana vel Oſiandrica diuulſio rerum quæ diuelli non poſſunt, vt hæreſes damnentur, neque tamen eius ſententiæ ſectatores attingi eodem telo videantur? Meum dogma profligetur publica Eccleſiæ voce: ipſe tamen, (qui illud & tueor, & foueo & profiteor) pulcher, bonus, ſanus, miniméque damnatus intelligar? Noſtrarum Eccleſiarum publica fides, & confeſſio ab iſtis condemnetur: ipſæ tamen Eccleſiæ ſynceræ videantur, & ab iiſdem intactæ, minimé que damnatæ cenſeãtur? Quæ tu noua es Sphinx, Oſiander, qui nobis hæc dogmata & gryphos proponas? Ex qua Germaniæ parte prodis, vt nobis tam inauditum quidpiam proferas? Diſtinguunt quidem Patres, quum aduerſus Marcionitas & Manichæos de peccato & malo diſputant, inter hominum malorum vitium, & eorundem naturã, quoniam hominis vitium eſt actio naturæ ipſi (quæ à Deo pura primùm creata eſt) ſuperueniens. B Itaq; quanquam vitium in malis & ſceleratis hominibus damnant, humanam tamen ipſam naturam, eiuſque authorem, Deum nequaquam, vt quidpiã malum, condemnant. Sed quid iſta Patrum diſtinctio ad tuam illam ineptiſſimam, atq; ἀσύςατον diſtinctionem facit, vt noſtrarum Eccleſiarum publica confeſſio hæretica, & fugienda à te tuíſque cenſeatur, noſtræ Eccleſiæ non item? Longè ſanè aliter Paulus, qui quemadmodum Phileti & Hymenæi errores damnat: ſic ipſa quoque eorum perſonas, vt ita dicam, id eſt, ipſum quoque & Philetum, & Hymenæum eadem ſententia & eodem fulmine percuti à ſe docet, & vtrumque ab omnibus Eccleſiis fugiendum & Phileti errorem, & Philetum ipſum. Quis enim iſte tam coniugatá à ſeſe diſtrahere, ac diuellere poteſt, hæreſin & hæreticum? Quis peſtem, ſed non peſtilentioſos: quis perniciem, & non pernicioſos (quoniam & nos quoque, noſtrúmque dogma ſic nominas) quoque homines fugere docetur? Quàm iſta, quæſo, ſunt abſurda. Itaque quæ diſtinctio à veſtris & in theſibus Pappi probata, & in præfatione Noui illius Nouæ veſtræ doctrinæ corporis repetita, & hîc à te recocta eſt, ea prorſus inane κρησφυγετὸν eſſe apparet, Idque vel Andrea Pouchenio (qui è tua ſodalitate eſt) teſte locupletiſſimo. C Ergo id facitis ex magno aſtu, vt ſimplicibus & pacis amantibus hominibus imponatis, qui veſtras iſtas condẽnatorias ſententias, cenſoriáſq; notas prorſus improbant, velut incendij Eccleſiarum diſtractioníſque irreconciliabilis ſemina. Quanquam vtinam, Oſiander, tu vera diceres, neque contra tuam iſtam orationem tuum collegarúmque tuorum & factũ & conſcientia apertè teſtaretur. Nã ſi dogma tantùm, & non perſonas perſequimini, cur tot viros pientiſſimos, benè de Rep. Chriſtiana meritos, ad do etiam præceptores veſtros, ex ſuis ſedibus in exilium pepuliſtis: Vnde illa tot Academiarum Germanicarum ſolitudo? vnde tot ſtudioſorum gemitus, præceptores ſuos optimos & doctiſſimos viros requirentium? vnde tanta priuatarum ſcholarum hodie in Germania veſtra vaſtitas? Neque quum hæc dico, illos propriè accuſo, quorum bonitate & facilitate iampridem abutimini: ſed vos, inquam iſtorum omnium malorum auctores coram Deo & hominibus accuſo, proculdubio tandem

Doctrinã Eccleſiarũ dãnari nõ poſſe, quin & ipſę quoq; Eccleſiæ dãnentur, & perſonę quæ in illis Eccleſiis ſunt, eámque doctrinã retinent.

Euſeb. li. 3. de vita Conſtan. L. Cuncti & L. Ariani Codice de hæret. & Manic. To. 1. Cõc. Ruff. li. 1. hiſt. c. 6. Hylariꝰ in ſynodis.

Tom. 1. Conciliorum.

Tertul. in li. de. idola.

Aug. tract. 43. in Euang. Ioẽ.

1. Tim. 1. v. 20. 2. Tim. 12. v. 17.

Oſiãder & ſocij reipſa perſonas ipſas quarum dogma dãnãt perſequuntur & in exilium agunt.

A dem iſtius in Eccleſia tam nefandè vſurpatæ tyrannidis rationem reddituros. Sed age, vt ipſum nudum dogma damnari aliquando poſſit, videamus quo iure iſtud nunc à vobis ſit factum, fieri enim non debuiſſe Sturmius veriſſimè contendit. Primùm igitur hoc affert Sturmius, Nos à vobis, qui Lutherani dici vultis, minimè damnari poſſe, ne cùm in verbis potiùs quàm in rebus ipſis vtrique diſſentiamus, vos ipſos eadem condemnatione inuoluatis, qua nos noſtrúmque dogma condemnatis. Eorum enim, qui primi hanc de verborum in Cœna Domini interpretatione quæſtionem mouerunt, huiuſmodi ratio tum loquendi, tum ſcribendi fuit (quoniam ſuas phraſes quiſque retinere maluit, quàm alteri cedere) vt verbis potiùs, quàm re diſſentirent. Quales primi illi Lutherus, Zuinglius, & Oecolampadius fuerunt, de quibus Sturmius loquitur. Id quod cùm ex colloquio Marpurgenſi apparet, tum ex iis literis quas ipſi vltrò citróque dederunt, quáſque etiam Lutherus ipſe ad ampliſſimum Senatum, & Eccleſiam Tigurinam diſertiſſimè ſcripſit. Fatetur B enim ingenuè facillimè de toto hoc negotio inter ſeſe (ſi modò vocabula quædam vel ſemouerentur, vel lenirentur) conuenire poſſe. hoc Melanchthon, hoc Bucerus, hoc Sturmius, hoc Capito, hoc Caluinus (qui omnes illius contemporanei fuerunt) ex ipſis vtriuſque partis ſcriptis liquidò comprobarunt. Extat ſanè inter Epiſtolas Caluini confeſſio Fidei pag. 289. à Farello, Caluino, & Vireto Heluecticarum Eccleſiarum fideliſſimis paſtoribus communi conſenſu edita, cui apertiſſimè Bucerus, atque Capito ſubſcripſerunt. Eſt inter Oecolampadij viri eruditiſſimi epiſtolas pulcherrima diſputatio, ex qua non de reipſa Sacramenti, ſed de modo tantùm præſentiæ carnis Chriſti in Cœna Domini diſſidium eſſe inter ſe & Lutherum apertè confitetur. Libellus nuper ab Ambroſio Volfio viro vndequaque doctiſſimo editus eſt, qui inſcribitur, *De confeſſione Auguſtana*, vbi concordia M. Lutheri cùm M. Bucero & Helueticis Eccleſiis luce ipſa meridiana clariùs demonſtratur. Atque hæc omnia nunc breuiùs, Oſiander recito, quoniam locos annotaſſe, & indicaſſe bonis viris ſatis eſt: & eadem repetere, atque C tranſcribere velle nihil aliud eſſet, quàm telam, quod aiunt, Penelopes retexere, & moleſta repetitione hominum ingenia euecare. Quid igitur contra tam apertam veritatem vel fingere potuit Oſiander? Reſpondet non quidem de Luthero, & Zuinglio & primis illis huius controuerſiæ diſceptatoribus, ſed de ſe & ſuis, nimirum à ſuis aucta eſſe poſtea hæc diſputationum capita. Idquod nec ipſe quoque Pappus in reſponſione ad Ioannem Sturmium priore diffitetur. Et certè ſic eueniſſe fatemur. Sed vnde tamen hoc malum exortum eſt, niſi à vobis nouas in dies tuendæ veſtræ doctrinæ rationes comminiſcentibus? Nam & *Vbiquitas* corporis Chriſti (de qua aliquid feruore diſputationis dixerat Lutherus, ita quidem vt nominatim, teſte etiam ipſo Pouchenio, quęſtionem de *Vbiquitate* minimè mouendam eſſe teſtaretur) vt noua quædam regina in lucem, & ſolium à vobis authore Brentio euecta eſt, & Aſcenſio Chriſti in cœlum in ipſius corporis Chriſti diſparitionem duntaxat & euaneſcentiam inter haſce inferiores mundi nubes transformata eſt: & eiuſdem Chriſti ſeſſio ad dexteram patris cum vnionis hypoſtaticæ articulo confuſa eſt. A Corpus denique illud Domini noſtri Ieſu Chriſti glorificatum in tertium quoddam maieſtatici corporis genus veteri Eccleſiæ orthodoxæ prorſus inauditum commutatum eſt. Ita nimirùm fœcundus eſt error, & qui paruus erat à principio tandem nimiis altercationibus veſtris euaſit ingens & immane monſtrum: Sic aucta ſunt igitur diſſidia: ſic eſt & in rebus & in verbis orta diſſenſio inter recentiores, quæ de rebus ipſis nulla prorſus inter primos iſtos huius controuerſiæ diſceptatores fuerat. Negat ergo Oſiander de ſola verborum formula in Cœna Domini explicanda inter nos controuerſiam iam verſari: ſed de rebus ipſis potiùs agi. *Quod de Cœna Domini Cingliani* (ſic enim iſte, vt ſe oblectaret, nos vocat) *diſſerunt & ſplendidis ac magnificis verbis affirmant in Cœna Domini reuera corpore & ſanguine Chriſti paſci animas noſtras ad vitam æternam in eo quidem noſtras phraſes imitantur, vt idem cum nobis ſentire videantur: quod tamen non de ſacramentali manducatione, vti nos: ſed de ſpirituali tantùm intelligunt.* B Atque vt quàm duæ manducationes iſtæ inter ſe diuerſæ ſint & diſſimiles, doceat, verboſam de vtroque manducationis genere diſputationem pag. 7. 8. 9. & 10. inſtituit. Denique ita vtramque inter ſe committit, vt vna cum altera nunquam conſentire poſſit. Eius igitur ſententiam paucis complectar. Spiritualem corporis Chriſti manducationem definit eam eſſe, quæ fit ſemper extra Sacramentorum, id eſt ſignorum vſum: ſed ſola fide. De hac Ioan. 6. agit Chriſtus, *qua nihil aliud eſt*, ait Oſiander, *quàm credere*. Hanc Spiritualem manducationem, & omnibus, & ſemper & quouis tempore fieri debere atque etiam neceſſariam eſſe concedit. Denique ſemper quoque eſſe ſalutarem: dixit enim Chriſtus de hac Spirituali manducatione, *Qui edit carnem meam & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam*: item, *In me manet, & ego in eo*. Sacramentalem verò manducationem carnis Chriſti in ſacra Cœna neque ſemper, neque omnibus neceſſariam, neque item cuiuis ſumenti ſalutarem eſſe. Quoſdã enim Cœnam Domini ad iudicium ſumere, ait Paulus. Hęc C igitur eſt breuis longæ illius Oſiandri orationis ſumma, vt oſtendat noſtram confeſſionem ab eorum dogmate, in ſancta Cœna Domini non in verbis tantùm, ſed in rebus ipſis diſſentire. Hoc autem totum quale ſit perpendamus. Primùm in ſuperiori Spiritualis manducationis definitione hoc vitioſè ab Oſiandro ſcriptum eſt, *ſpiritualiter manducare carnem Chriſti, & bibere ipſius ſanguinem nihil eſſe, quàm in ipſum credere.* Cauſam enim inſtrumentalem cum illius effecto manifeſtè confundit, quod in accurata rei alicuius definitione, & explicatione minimè ferendum eſt. Dixit quidem Auguſtinus de hac ipſa Spirituali manducatione agens *vt quid paras dentes & ventrem? Crede, & manducaſti*, quod iſte fortaſſe in animo habuit cùm illa ſua ſcriberet: ſed non perſpexit homo iſte præceps, ab Auguſtino ipſo his verbis, fidem vt cauſam: manducationem verò ipſam Spiritualem vt effectum inter ſe conferri, & collocari. Alioqui ſi *credere & manducare* vna & eadem res eſſet ex Auguſtini mente, quid hac oratione fuerit ineptius, *Crede & manducaſti*. i. *Manduca & manducaſti*. Nã credere in Chriſtum, & edere Chriſtum

Oſiãder & ſocij non poſſunt dãnare noſtras Eccleſias, quin ſuos præceptores, & Lutherũ ipſum eadem ſententia cõdemnent.

Lutherũ ab Oecolãpadio & Heluetijs non in re, ſed in verbis tantũ diſſenſiſſe.

pag. 9.

Diſcordię capita aucta eſſe à recẽtioribus, quę inter primos ipſos controuerſiæ authores minimè erant controuerſa.

1 Argumentum Oſiãdri, vt probet nos in re ipſa à Luthero, veriſque Lutheranis diſſentire. pag. 11.

Spiritualis manducatio non rectè definitur ab Oſiãdro. Prima ratio.

Auguſt. in lib. de Remed. Pœnitẽt.

A

vel carnem eius, inter ſe tanquam prius & poſterius differunt: ſicuti ad Chriſtum venire, & Chriſtum bibere. Præcedit enim acceſſus & apprehenſio, quàm ſequitur potio & mãducatio. Ergo fide Chriſtum priùs recipimus vt habitet ipſe in nobis, ſiamúſque ipſius viuæ carnis & ſanguinis participes, adeóque vnum cum ipſo. Ex quo fit, vt ipſa Spiritualis manducatio carnis Chriſti ſit opus ac effectum fidei, non autem ipſa in Chriſtum fides. Itaque notione definitionéque aliud eſt ſpiritualis manducatio, quàm credere in Chriſtũ. Quod tamen nondum fortaſſe perceperat Oſiander. Secundo verò loco negamus à nobis illa duo manducationis genera inter ſe confundi. Atque noſtræ ſententiæ fidem faciunt, vel ipſa Caluini verba, qui in cap.6. Ioan. verſ.54. ad hęc verba Ioãnis.

Secunda ratio qua refutatur Oſiander.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, ita commentatur, *Ex his verbis palam apparet perperam de Cœna exponi totum hunc locum.*

B

Nam ſi verum eſſet quicunque ad ſacram Domini menſam ſe ingerunt, carnis & ſanguinis eius fieri participes, omnes ſimiliter vitam referrent. Scimus autem multis in exitium cedere. Et certè ineptum fuiſſet, ac intempeſtiuum de Cœna tunc diſſerere, quam nondum inſtituerat: ideo de perpetua fidei manducatione eum tractare certum eſt. Hæc Caluinus, quibus nihil magis perſpicuum eſſe poteſt, vt intelligat Oſiander, neque à noſtris Spiritualem carnis Chriſti manducationem cum Sacramentali confundi: neque eum Ioannis locum à nobis ad Cœnã Domini propriè & ſingulariter referri. Ex qua vna confuſione oſtendere conatur Oſiander noſtrum cum Luthero diſſidium non in verbis tantùm: ſed in rebus ipſis poſitum eſſe. Selneccerus verò vnus ex iſta caterua, & iam factus Lypſiæ Vbiquitarij erroris anteſignanus in lib. inſcripto *Neceſſaria repetitio doctrinæ de Cœna* pag.18. & 19. de hoc negotio ita anno Domini 1578. ſcribebat, vt inter nos & Lutheranos non de fructu, aut de re ipſa ſacramenti: ſed de modo tantùm manducationis certamen eſſe fateretur.

C

Heluetiis Eccleſiis diſſidium cum Lutheranis eſſe nõ de re: ſed de modo tantùm præſentię.

Oecolampadius quoque, cui certè quidem iſtius controuerſiæ ſtatus erat notiſſimus, in eruditiſſimo illo dialogo ſic diſertè ait. Natha. *Ex dictis liquet vtrinque in confeſſo eſſe, adeſſe Chriſtum in Cœna, manducaríque carnem & ſanguinem eius.* Oecolamp. *Diſſidium magis eſt de modo præſentiæ vel abſentiæ, quàm de ipſa præſentia vel abſentia. Nemo enim tam obtuſus eſt qui aſſerat omnibus modis adeſſe vel abeſſe Chriſti corpus.* Quamobrem apertè calumniatur Oſiander, quum toties inculcat hęc duo mãducationis carnis Chriſti genera à nobis non diſtingui: & quum ait nobis cum iis, qui verè & ſyncerè ſententiam M. Lutheri ſequuntur, certamen eſſe de rebus, & non de verbis, quibus ipſius rei, id eſt, corporis Chriſti præſentia denotetur. Quæ niſi nobis abſoluendis ſufficiant, legatur Heluetica poſtrema confeſſio, cui noſtræ omnes Eccleſiæ ſubſcripſerunt: in qua diſertis verbis Spiritualis manducatio Chriſti à Sacramentali diſtinguitur.

Tertia ratio.

Præterea (in quo tertium definitionis & ſententiæ Oſiandri vitium eſt) illud conſequens eſſe nequaquam concedimus: vt quia Spiritualis illa manducatio carnis Chriſti (de qua mentio eſt apud Ioannem cap.6.) ab ea differt, quæ in Cœna fit, & Sacramentalis eſt, vtraque inter ſe neque conſentire, neque ſimul eſſe poſſit.

A

Mãducatio Spiritualis & Sacramentalis concurrunt in ſacra Cœna.

Nam in Cœna Domini vtraque manducatio concurrit in iis, qui ex fide ſignis veſcuntur. Illi enim & Sacramentaliter & Spiritualiter corpus Chriſti ſimul edunt: Sacramentaliter quidem, dum panem & vinum S. Cœnæ edunt & bibunt: Spiritualiter autem, dum fide ipſum & eſſentiale corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti reuera participant.

Sacramentalis manducatio neque in S. Cœna, neque alibi cũ merè Spirituali à nobis cõfunditur, etſi ſæpe vtrãque concurrere dicimus. pag.11.

Hic autem eſt iſtius Oſiandrici & Vbiquitariorum omnium erroris fons, Quòd in Sacramentali manducatione (vbi ipſemet Chriſtus editur, & non tantùm ſigna) fidem minimè requirunt. Itaque aiunt in Sacramentali manducatione *ipſummet corpus Chriſti ore ipſo noſtro edi & ſumi: & ipſummet ſanguinem ore ſumi & bibi.* Vnde ineptiſſimè concludunt Sacramentalem manducationem à nobis in merè Spiritualem conuerti ac mutari, quum in S. Cœna fidem requirimus, velut os ad ipſam Chriſti carnem edendam omnino neceſſarium. In quo certè Vbiquitarii omnes grauiſſimè, quemadmodum dixi, labuntur, magna harum vocum *Sacramentalis & Spiritualis manducationis* ambiguitate.

B

Sic enim eas inter ſe opponunt & committunt, vt vna alterius nequaquam ſit obſignatio. Atqui manducatio Sacramentalis ſubſeruit ei, quæ Spiritualis eſt: & eadem manducatio ſimul & Sacramentalis & Spiritualis quoque ſæpe eſt.

Sacramentalis manducatio eſt duplex & quę ſpiritualem manducationem coniunctã habeat.

Quod vt fieri poſſe omnes intelligant, ſic doceo. Sacramentalis manducatio duplex eſt, vna, per quam ſigna duntaxat, nẽpe panis & vinum Cœnæ à ſumentibus eduntur, minimè autem res ſignata participatur. Hæc merè Sacramentalis eſt, quia neque Spiritualis eſt, neque fidem coniunctam habet, neque carnem ipſam Chriſti: ſed ſigna tantùm carnis edit. Hac manducatione hypocritæ, & indigni, & mali homines impœnitentes, dum ad menſam Domini accedunt, ſigna duntaxat carnis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumunt, non ipſum Domini corpus. De hac dixit Auguſt. *Iudas Domini proditor ſumpſit Panem Domini, non Panem Dominum.* De hac idem quoque in Ioan. Euang. tract. ait, *Qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ſpiritualiter carnem Chriſti, nec bibit eius ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti.* Altera eſt per quam & ſigna, & res ſignata, id eſt, ipſa quoque Chriſti caro & ſanguis in eadem S. Cœna eduntur, bibunturque. Hæc & Sacramentalis eſt & Spiritualis, & fidem requirit, quæ & ſigna, & verè Chriſtum quoque ipſum ſumit. Hac manducatione verè fideles tantùm, & Digni, & Pœnitentes, (dum ad Domini menſam adeunt) percipiunt ſimul & ſigna, & rem ipſam ſignificatam: quanquam tamen vtrumque neque eodem modo, neque eodem inſtrumento. Signa enim ſumunt ore corporis: rem autem ſignificatam, id eſt, ipſum corpus Chriſti ore animi, id eſt, fide: ſigna ipſa præſentia corporali, & locali præſentiæ modo: Rẽ verò ſignificatam .i. Carnem, & ſanguinem Chriſti virtute quidem, ſpiritu, ac efficacitate ſua præſentem, corporalis autem, & localis præſentiæ modo longiſſimè abſentem. Sic igitur eſt Sacramentalis manducatio duplex. Quemadmodum enim Sacramẽtum ſignificat, vel ſignum duntaxat, vel totam inſtitutionis Chriſti actionem: ſic manducatio Sacramentalis eſt,

quæ

Spiritualis manducatio duplex: vna autem habet Sacramentalẽ manducationem adiunctã.

Epheſ.3. v.6. & 17. 5.v.30. 1. Corint. 11.v.2.28.

Auguſt. in Ioan. Euã. tract. 62.

Quarta ratio, cur Sacramentalis & Spirituales manducationes ab Oſiandro & Vbiquitariis non rectè intelligantur.

quæ vel ſigni tantùm:vel totius Chriſti beneficij, id eſt,& ſigni,& rei ipſius in ſignis demonſtratæ ſumptionem coniunctam habet. Sed vti Sacramentalis manducatio duplex eſt:ſic & Spiritualis. Nam quæ Spiritualis dicitur,aut merè Spiritualis eſt,qualis eſt ea,quæ fit ſola fide,abſq; vllo ſignorum vſu,de qua apud Ioan.cap.6. propriè loquitur Chriſtus:aut eadem etiam ſignorum,tanquam ſigillorum acceſſionem , & adiunctionem habet, quibus quaſi veſtitur,atque ornatur,qualis fit in Cœna Domini,omnibúſque aliis ſacramentis.Ex quo fit,vt peſſimè concludant Vbiquitarij , dum fidem in S.Cœna ad ipſam Chriſti carnem edendam,& ſanguinem bibendum requirimus, Spiritualem manducationem , (de qua fit à Ioanne mentio)cum Sacramentali(quæ in Cœna Domini inſtituta eſt)à nobis confundi,quaſi nũquã eas vel ſeparemus,vel diſtinguamus. Sed illi ipſi potiùs errant,& quidem turpiſſimè,qui abſque fide eſſentialem,vt appellant , ipſam Chriſti carnem edi,& eſſentialem ſanguinem bibi contendunt id eſt,qui volunt aliquid ſine ſumptione,ſine ore, ſine dentibus ad illud deſtinatis ac neceſſariis poſſe tamen manducari.Hæc enim omnia ſola fide in ipſius Carnis Chriſti eſu & ſanguinis potu præſtare poteſt,quia ſola ſiue cum Cœnæ ſignis, ſiue extra Cœnæ ſigna Chriſtum apprehendit,ſola edit,ſola nos illi incorporat, ſola denique noſtræ cum eo vnionis,ac per eum viuificationis inſtrumentum eſt, ídque etiam omnino, id eſt, neceſſitate,vt aiunt in ſcholis,abſoluta,neceſſarium. Quod ſi hîc excipiant Vbiquitarij quod ſolent, Paulum de indignis dixiſſe eos manducare corpus Domini,illiúſque ſumpti reos eſſe,illud Vbiquitariis pernegamus.Aperta enim ſunt Pauli verba,qui ait *indignos Panem,& poculum Domini* , id eſt,ſigna ipſa edere,non autem ipſummet Chriſti corpus.Et quòd eoſdem tamen vocat corporis,& ſanguinis Domini reos,eóſque iudicium ſibi ſumere teſtatur,nõ idcirco vocat Paulus reos, quòd ipſum corpus Chriſti ederint : neque idcirco illi iudiciũ ſibi accerſunt,quòd ſumpſerint: ſed quòd ſumere corpus Domini neglexerint.Itaque non diſcreuerint hunc Panem Sacramentum à reliquo genere Panis, ac cibi vulgaris. Ipſa enim caro Chriſti ſumpta nunquam non & ſalutaris,& viuifica eſt:& qui eam edit,vitam ęternam ſibi ſumit, nunquam autem iudicium,condemnationemque ſuam manducat.Sed hoc perpetuo errore & ſe, & alios homines iſti decipiunt, & inuoluunt , quòd volunt eſſentialem carnem,& ſanguinem Chriſti coniuncta eſſe reipſa inſeparabili nexu, & ſitu loci cum Pane & Vino ipſo Cœnæ Domini. Contrà verò Proſper,& quidem præclarè, *Qui diſcordat à Chriſto,*ait,*nec carnem Chriſti manducat,nec ſanguinem bibit,etiamſi tantæ rei Sacramentum ad iudicium ſuæ præſumptionis quotidie indifferenter accipiat.* Ex quo quartum quoque Oſiandri vitium apparet,in ſuperiori illa differentia à ſe inter Sacramentalem & Spiritualem carnis Chriſti manducationem allata:nimirum , quòd cum in Sacramentali manducatione ſemper ipſam carnem Chriſti edi exiſtimet,& ſcribat,eandem tamen manducationem negat eſſe ſemper ſalutarem. Quæ duo ſunt inter ſe prorſus pugnantia planéque ἀσύστατα:quaſi vſquam eſſe poſſit ipſa Chriſti caro,Oſiander,nõ & viua & viuifica ſumentibus. Qua eam virtute priuare magis abſurdum eſt , quàm ipſum Solem luce:Hominem ratione:Terram pondere:& Ignẽ ſuo calore.Sed carnem eam,quæ figuratè dicitur, id eſt,Panem & vinum Cœnæ (quæ μετωνυμικῇ ac Sacramentali locutione corpus & ſanguis Chriſti appellantur, quoniam , vt Cyprianus , Auguſt.& Theodoret.docent,illa ſacra ſigna rerum à ſe ſignatarum nomẽ propter analogiam accepêre)pro ipſa re,id eſt,pro ipſamet carne,& ſanguine Domini magnâ animi hallucinatione iſti confundunt.Quę quia pluribus perſecuti ſumus,habéntque penè omnium,quæ ſequuntur poſtea,ſophiſmatum ſolutionem,reliquas Oſiandrici libelli rationes iam breuiùs perſtringemus.

pag. 11.

2. Argumentum Oſiandri,vt probet nos à Luthero in reipſa diſſentire.

Verba noſtra de diſtantia ipſius corporis & ſanguinis Chriſti à ſignis quomodo Vbiquitarij corrumpant.

Subiicit igitur Oſiander, vt diſſidium hoc noſtrum cum ſuis eſſe implacabile, néve vllam pacis & concordiæ inter nos & ſuos ineundæ relictam rationem quiſquam exiſtimet,ſubiicit,inquam,iſta: *Qui dicunt corpus Chriſti tanto locorum interuallo à Cœna Domini abeſſe,quantum ſummum cœlum à terra diſtat,idem nobiſcum non ſentiunt:hoc verò Caluinus,hoc Beza dicunt. Ergo nobiſcum in re non ſentiunt.* Reſpondeo,hoc quidem & dixiſſe & ſenſiſſe antea piæ memoriæ virum Ioannem Caluinum , & id ſentire nunc quoque Bezam, nimirum , ipſum Chriſti corpus à ſignis ipſis præſentiæ corporalis modo & ſitu tam procul abeſſe,quàm diſtat cœlum à terra.Addo verò hoc idem docuiſſe & pios ac orthodoxos patres,velut Auguſtinum , Cyrillum,Theodoretum,Vigilium, & alios quamplurimos,quemadmodum in Poſſiaceno colloquio ab eodem Beza feliciter acto luculenter eſt demonſtratum.Ergo vobiſcum ſancti illi & orthodoxi patres non faciunt,ſed nobiſcum.Sed in hac noſtra noſtrorúmque ſententia recitanda manifeſta Oſiandri calumnia hæc primùm apparet,quòd perinde nos accuſet quaſi dicamus corpus & ſanguinem Chriſti à Cœna ipſa & non à ſignis duntaxat abeſſe eo,quod cõmemorauit,ſpatio. Quod falſum eſt. Deinde his verbis non omnem ipſius Chriſti carnis & ſanguinis præſentiam ſecludimus,ſed eam tantùm,quæ ab Vbiquitariis ſtatuitur, nempe σωματικὴν quam appellant, id eſt, quæ corporalis præſentiæ modo fit,quoniam iſta coniunctio,& hic præſentiæ modus localem corporis Chriſti ſitum in his terris neceſſariò propter corporis veritatem requirit:& idcirco aut eius detractionem de cœlo,aut diffuſionem, ac dilationem eius in immenſum:aut vnius & eiuſdẽ Chriſti corporis multiplicationem inducit. Quorum nihil eſt nõ horribiliter blaſphemum. Sed vide, Oſiander,quid quantúmque tibi largiamur.Fatemur enim ipſi carnem Chriſti Domini cum ſignis in S.Cœna etiam adeſſe:ſed ἐνεργητικῇ, καὶ σχετικῇ, ac denique Sacramentali & pactionali:non autem τοπικῇ,aut σωματικῇ παρουσίᾳ,vt tu,Selneccerus, & tui omnes apertè ſentiunt,ac loquuntur. Quamobrem non erant ita præuaricatoriè interpolanda,vel malitioſè recitanda noſtræ ſententiæ verba:ſed, quemadmodum à nobis & enunciantur & intelliguntur,exponenda. In quo tamen ipſo quid aliud facis , quàm quòd rancidam illam Papiſtarum in nos calumniam recoquis , quam antea tam apertè,támque ſolidè,& toties repulimus,vt ſatis abſterſa videatur. Denique nega-

A

mus,etiam quum ita loquimur,ex noſtris illis verbis colligi poſſe nos in reipſa Sacramenti diſſentire à Luthero , aut ab iis qui ſentiunt ipſam carnem Chriſti nobis ex fide ſumentibus in S.Cœna dari ac communicari.Id quod in quæſtione verſatur,& tibi aduerſus Sturmium probandum fuit. Nam ad huiuſmodi communicationem neque præſentia localis,corporaliſve ipſius carnis Chriſti ſitus neceſſarius eſt,neque noſtrorum corporũ cum corpore Chriſti contactus,cùm & fiat virtute Sp.S.& merè ſit myſticus & ſpiritualis,& ad ſpiritualem vitam totus referatur. Sed ne in reliqua diſputatione obruere potiùs longa oratione Lectorem videamu[illegible]mplo Oſiandri,quàm apertè,ſimpliciter,& nudè de ipſa doctrinæ noſtræ veritate dicere, argumenta ipſius omni verborum ornatu tanquam fuco,& pigmento detracto,proponemus & confutabimus.

B

pag. 12.
3
Argumentum Oſiãdri vt probet nos in re ipſa à Luthero veriſque Lutheranis diſſentire.
Vbiquitatis nouũ commentum cur à nobis atris coloribus pingatur.

Ait igitur Oſiander. *Qui nos ſarcophagos , hæmopotas,Cyclopas appellant:qui hanc controuerſiam comparant caudæ equinæ:ac excrementum Sathanæ vocant:qui Deum Panaceum nominant eum,qui pro vero Chriſto in S.Cœna ſubſtituitur , illi nobiſcum certè non ſentiunt.*

Reſpõdeo.Bona verba,Oſiander.Neque enim hæc de Cœna ipſa ſacratiſſima Chriſti quiſquam noſtrum dixit:ſed de horribili illo & tam funeſto toti Chriſtiano orbi *Vbiquitatis* monſtro duntaxat diximus ,& de iis,qui illud pertinaciter inuehere volunt. *Excrementum autẽ Sathanæ* Beza nõ de noſtra controuerſia,ſed de abominando Miſſę ſacrificio vſurpauit, quemadmodum ex ipſius ſcriptis apparet.Quò verò quæpiam hæreſis aduerſus ſanctiſſimam Chriſti doctrinam grauior eſt, & tetrior:eò grauiori quoque vocabulo eſt donotanda.Sic Patres ſui temporis errores vocant paſſim(vt ex Tertulliani,Epiphanij, aliorumque ſcriptis apparet)& meritò quidem,Aſpidis ſemen,Lepram,Scorpionem,Draconem,Erucam , Zizania, Venenum,& cæteris ſimilibus vocabulis , quibus horrorem piis incutiant,ab eáque abſtineant. Sed & vos ipſi in ſynodo Torgenſi apertè *Vbiquitatem* damnaſtis , & nobiſcum facitis , vt iam mirer te propterea optimo illi Sturmio tam grauiter ſuccenſere,quòd eam piis , ac orthodoxis omnibus odioſam(quod tu per omnes caſus *Vbiquitatem declinare* ſcurriliter vocas)reddiderit,ac infinita eius βλάσφημα doctiſſimè detexerit.Ergo iſta vocabula(quę tu,tanquam iis vehementer gaudeas,ſæpiſſimè,ac inuidioſiſſimè repetis) non ipſam ſacroſanctam Domini Cœnam attingunt: non immenſum illud & incomprehenſibile Chriſti beneficium,quod ille benigniſſimus nobis in ea largitur,feriunt:non glorioſam , & verè adorandam à nobis illam Chriſti carnem (quia caro eſt vnigeniti) gloriâ etiam angelis ipſis beatis inenarrabilis exornatam ſpectant: aut vllo pacto (ita Deus ipſe grauiſſimus nominis ſui vindex ſit nobis in extremo illo iudicio teſtis) tantum, támque auguſtum Cœnæ myſterium aſpergunt: ſed teterrimum *Vbiquitatis* dogma perſtringunt. Non ſolùm enim illa carnalem ipſius carnis Chriſti manducationem pro ſpirituali ſubſtituit : ſed & Incarnationem Chriſti,& Aſcenſionem,& Seſſionem eiuſdem ad dexteram Patris, vt ante diximus , ac denique totam ipſius humanæ Chriſti naturæ veritatem,& οἰκονομίαν cum Eutychete , & Monothelitis , & Acephalis ſemel ac funditus euertit.Et hæc quidem ab Oſiandro in ea diſputatione dicta ſunt contra Sturmium : vbi noſtras Eccleſias non poſſe à Lutheranis damnari docet Ioannes Sturmius.

Torgẽſis ſynodus Saxonica vbiquitatem apertè damnauit.

C

Oſiander & ſocij non debent damnare noſtras Eccleſias quia non nos, ſed illi ipſi errãt.

Docuit verò ſecundo loco,etiam ſi damnandæ eſſent,ab iſtis tamen damnari minimè debuiſſe. Ad quam diſputationis partem, quemadmodum idem quoque Oſiander reſpondeat, ecce videamus.*Iniquum eſt*,ait Sturmius, *vt plures Eccleſias à paucioribus:piæ & orthodoxæ ab iis,quæ noua dogmata inuehunt : doctiores viri ab indoctioribus hominibus damnentur : quod tamen vbiquitarij in illo ſuo Nouo Nouæ doctrinæ corpore nullo pudore faciunt.*Huic robuſtiſſimo in ſuos vibrato telo quid opponit Oſiander?Plures quidem in ſpeciem ſolutiones: ſed reipſa κρησφυγετὰ tantùm,& σοφὰ φάρμακα,quibus elabantur, non purgentur iſti. Nam fatetur quidem ipſe eſſe inhumanum totas Eccleſias damnare.

B

pag. 13.
Primum ſubterfugium Oſiãdri ad argumentum Sturmij.

Primùm igitur reſpondet Oſiander, *Errantiũ multitudinem nullam errori patrocinium afferre.* Sed hoc quid ad nos?Hoc quidem tibi,Oſiander,concedimus,vbi de erroribus vel per ſe manifeſtiſſimis, vel legitima præeunte cognitione damnatis agitur . Sed de hoc ipſo totum inter nos certamen eſt,vtri errent,túne,an noſtri.Nam dum nos errare præſumis, tu tibi,id eſt , ex nondum victo hoſte temerè victoriam & triumphum canis. Certè ſi qui Chriſtum veram naturam humanam aſſumpſiſſe:& ſemel aſſumptam in cœlos ſecum intuliſſe,& adhuc in cœlis retinere ex Dei verbo docent,non errant:non erramus. Sed ſi ij,qui articulos fidei præcipuos euertunt,(dico & Incarnationem, & Aſcenſionem & Seſſionem Chriſti) errant : vos erratis.Si qui inaudita piæ,& orthodoxæ vetuſtati dogmata in Eccleſiam inuehunt, errant:vos Vbiquitarij erratis.Ergo quod nos errare præſumis,id de te,tuiſque,Oſiander,ſenti,& rectè ſenſeris:& tuorum multitudinem ex eo nullũ veſtro errori patrocinium habere debere rectè contra te,non contra nos,concluſeris.

C

Secundum ſubterfugium Oſiandri, ad idem argumentum Sturmij.

Tertium ſubterfugium Oſiandri.

Deinde verò reſpondes, *Dum errores , quos vocas , noſtrarum Eccleſiarum damnatis,nequaquam tamen noſtras quoque Eccleſias à vobis condemnari:*ſed hoc tuũ ſubterfugium,quoniam abundè ſuprà confutaui, pluribus iam non perſequar. Ergo de hoc tuo præſidio depulſus,ad tertiam reſponſionem confugis, & ais,Totas Eccleſias noſtras non amplecti iſta dogmata , quæ vos priuatis iudiciis , atque ſine ſynodo legitima anathematizatis:quoniã Dominus inter nos atque in noſtris Eccleſiis,vt tu diuinas,ſibi ſeptem hominũ millia reſeruauit,qui nõ curuant genua coram Baal,vt loqueris:id eſt , qui veram & orthodoxam fidei noſtræ confeſſionem etiam inter nos ipſos non ſequuntur. In quo primùm vide,Oſiander,quid dicas,qui noſtram doctrinam *Baal* appelles. Quàm verò nomen iſtud *Belial* meliùs tibi,tuæque,Oſiander,doctrinæ quadrare demonſtrarem,ſi retaliare libeat.Reſpõdeo igitur,merum eſſe animi tui figmentum, quòd exiſtimas vel aliquem vnum in noſtris omnibus Eccleſiis reperiri,qui veſtrum de *Vbiquitate* vel *Vbiquepræſentia* corporis Chriſti dogma probare,& ample-

A amplecti ſuſtineat. Nemo de noſtris Maieſtaticum illud veſtrum corpus adhuc nouit: nemo Aſcenſionẽ Chriſti credit eſſe eius ludicram euaneſcentiam in has inferiores nubes,quod verè eſt Manicheanum & Marcioniticum:nemo verum illud Chriſti corpus ſine loco,ſine circunſcriptione,ſine terminis,iiſque quantitatem ipſius definientibus cogitat,quoniam id eſt prorſus ex Dei verbo ἀδύνατον,& tamen à vobis , tanquam Chriſtianę fidei fundamentum & poſitum & aſſertum. Quare cùm quilibet(nedum vt ſeptem millia excipias)in noſtris Eccleſiis noſtrum illud dogma , quod damnas ,approbet,& amplectatur:certè dũ illud damnas, & vniuerſas noſtras Eccleſias , & ſingulos pios,qui noſtram doctrinam amplectuntur,iam,vel teipſo teſte,apertè condemnas .

Quartum ſubterfugium Oſiandri.

Sed quia iam perſonas ipſas damnare manifeſtè à nobis conuinceris,quarto loco *diſtinguis inter ouiculas,& Paſtores. Hos enim ſolùm à veſtris damnari:* B *illas autem non item,concedis.*

L. Culpa Cod. de Mathemat. Matt. 15. v. 14.

Quaſi verò te,vel Iuriſconſulti ipſi docere non potuerint,ſimilem culpam eſſe in ouiculis prohibita diſcere, & in paſtore prohibita docere:quaſi etiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto diſertis verbis non damnẽtur ij, qui duces cæcos cęci ipſi ſectantur.Itaque vtrique & Paſtores,& oues damnãdi,plectendíque etiam iuſto Dei ipſius iudicio ſunt , quum errores ſequuntur,quanquam tamen fortaſſe non pari pœnæ,ſuppliciíque grauitate vtrique puniuntur.

Auguſt. de vtilitate credẽd. c. 1.

Fateor equidem diſcrimen eſſe, quemadmodum etiam docet Auguſt.inter hæreticum ipſum obſtinatum,& eum qui quadam animi ſimplicitate , & bona de ſui paſtoris exiſtimatione , ſine pertinacia tamen,illius errorem, tanquam veram doctrinam,amplectitur:ſed tamen non vt hic ipſe prorſus excuſetur,non vt ſi perſeueret , non damnetur:non vt eadem ſententia, qua doctrina ipſa (quam ſequitur) damnata eſt, ipſe quoque non damnetur.In noſtris Eccleſiis oues,gregéſque,noſtri etiam quantò diligentiùs veſtros libros perlegerunt , veſtrámque doctrinam de Vbiquitate cognouerunt,in ſua ſententia tantò magis perſeuerant & confirmantur. Nec id quidem temerè, ſed προαιρέσει,certiſſimóque animi ſui iudicio,quia C noſtra doctrina Dei verbo congruit.Nam hoc ipſum doctrinæ,de qua nunc inter nos agitur , caput huiuſmodi eſt,vt à nemine verè Chriſtiano ignorari certè debeat,pel poſſit. Præterea veſtræ vociferationes tam turbulentæ,& clamores tribunitij vbique obſtreperi & ſparſi effecerunt, vt veſtræ ſententiæ abſurditas ne à Papiſtis quidem ipſis hodie ignoretur.

Quintum ſubterfugium Oſiandri.

Cauſſa itaque nulla eſt, Oſiander,(quando Paſtores noſtrarumEccleſiarum apertè condemnas)cur ouiculas , gregéſque noſtros excipias.Cæterùm quòd vel ſynceræ Paſtorum noſtrorum mentis ignarus,vel manifeſta calumniandi libidine impulſus,ſcribis ab illis ſuam ſententiam in concionando occultari & diſſimulari:veſtram autem proponi,& defendi, quid ψευδέστερον dici potuit? falleris.Syncerè enim illi cum grege ſuo,quemadmodum omnes apprimè norunt,agunt & apertè:& omnem in religione ſimulationem , diſſimulationémque Cane peius & angue ſemper oderunt illi . Id quod & Martyrum confeſſiones editæ certiſſimè docent:&Paſtorum ipſorum conciones,& ſcripta manifeſtiſſimè teſtantur.Ergo ſic tibi perſuade,Ne vnum quidem A inter omnes Orthodoxas,id eſt,noſtras Eccleſias reperiri,qui Vbiquitatem veſtram palàm & apertè non repudiet.

pag. 14. Sextum ſubterfugium Oſiandri. Vtrũ Paulus & nos damnatis erroribus perſonas ipſas quæ eos errores ſectantur,ſecludamus & excipiamus.

Denique,vt tandem tuam illam diſtinctionem aliqua ratione commendes ac probes,exemplum Pauli,atque adeò etiam noſtrum profers. *Nam neque vos ipſi,*ais,*vniuerſas Eccleſias Pontificias damnatis , etſi earum errores varios improbatis:neque Paulus Apoſtolus omnes Galatarum , Corinthiorúmque Chriſtianorum Eccleſias* (cum eos etiam tunc ſanctos,& fratres appellet) quanquam tamen quædam dogmata in vtriſque refutauit. Ex quibus effeciſſe te putas dogma hæreticum ſic damnari poſſe,vt tamen eadem ſententiâ, Eccleſiæ quoque ipſæ non comprehendantur. Video quid velis,ſed quid iſta ad illud ipſum, quod conaris,probandum valeant,non video.Primùm enim in eo quod de nobis ais, erras. Nam quum Pontificiarum Eccleſiarum errores damnamus,& ipſas quoque Eccleſias, & eius Eccleſiæ ſingulos proculdubio damnamus,qui in iis erroribus perſeuerant . Sed de ſingulis tamen propterea non B deſperamus , cùm multi ab eo errore,ſumma Dei miſericordia,ſæpe reuocentur.Præclarè enim Auguſt. *Multæ ſunt foris oues,multi ſunt intus lupi.* Sed tamen etiam eos ipſos,de quibus planè non deſperamus,tandiu damnamus , quandiu errores iſtos Pontificios ipſi ſequuntur aut profitentur. Quam rationem quia tibi ad imitandum proponis,concludo ex teipſo,Oſiander,& noſtras Eccleſias,& ſingulos,qui in iis ſunt,à te,tuiſque Vbiquitariis quoque damnari.

Paulus damnat & Eccleſias & perſonas , dum dãnat errores quos illæ ſequebantur. Gal. 3.

Quod autem ad Pauli Apoſtoli exemplum,ne hoc quidem te quicquam iuuat.Nam quis dubitat,quin & Galatarum,& Corinthiorum Eccleſias eatenus damnarit Paulus, quatenus eorum dogma apertè reprehendit? Id quod ipſius Pauli verba ſatis oſtendunt. *Currebatis bene:quis vos interpellauit? Vtinam abſcindantur, qui vos inquietant.ô amentes Galatæ! quis vos faſcinauit,vt non obſequeremini veritati? adeò amentes eſtis,vt quum Spiritu inceperitis,nunc carne perficimini* & cætera huiuſmodi.Nónne hæc tibi perſonas ipſas & Eccleſias perſtringere ac ferire videntur , Oſiander?& C non tantùm ipſos Eccleſiarum errores,abſque perſonis & Eccleſiis.Quis neget igitur Eccleſias & perſonas aberrantes eſſe à Paulo , vti errores ipſos,apertè condemnatas?At excipis, Eas tamen à Paulo *Eccleſias Dei* vocari, & qui in iis erant,*ſanctos & fratres* nominari.Quidni vero?Nec enim noua iſta Vbiquitariorum Theologia , & ἀναγάπητος ἀγάπη Paulo nota erat , vt quæ Eccleſiæ in aliquo vel Euangelicæ doctrinæ capite,vel vitæ ſanctæ genere deprehenduntur aberrare , ſtatim pro Turcis,pro Mahumetanis,ac omninò infidelibus cenſerentur.

Gal. 6. v. 1. Rom. 14.

Infirmos enim fideles roborari iubet idem Paulus,& in eadem quidem Epiſtola,nec tantùm ſingulos,ſed vniuerſos etiam ipſos Eccleſiarum cœtus.Neque propterea tamen negat damnandos in eo,in quo errant.

Sãctæ cur vocentur Eccleſiæ à Paulo damnatæ alicuius erroris.

Cæterùm Paulus vocat ſanctas etiam eas, quas tamen in aliquo capite doctrinæ damnat,Eccleſias.Primùm quod de earum emendatione prorſus non deſperaret:deinde quòd ſinguli in illis Eccleſiis huiuſmodi errorem non ſequerentur,imò ex illis quidam eum apertè condemnarent : poſtea quòd beneficia,& dona Dei per Euangelium illis oblata

A ſpectaret:non eos errores,quos illę ſequebantur. Denique quòd non quicunque damnantur,iidem tamen propterea ex toto fratrum cœtu ſtatim excommunicãtur,id eſt,alieni,& ab Eccleſia eiecti cenſentur. Quod tamen vos facitis. Atque hæc quidem de Primo & Secũdo Sturmianę diſputationis capite,vbi neque potuiſſe neque debuiſſe nos noſtráſque Eccleſias à vobis damnari ſatis docuimus.

Oſiander & ſocij eccleſias noſtras nõ dãnant legitimè, & viâ iuris.

Reſtat igitur vltimum eiuſdem diſputationis caput,in quo firmiſſimis rationibus demonſtratur temerè,nulláque vel iuris diuini, vel humani via obſeruata noſtras Eccleſias ab Vbiquitariis iã damnari. Atque hoc ipſum Chriſtianè Sturmius monuerat,vt iſti nimirum præceptorum ſuorum (Philippi & Buceri,addo etiam Lutheri) ęquanimitatem,manſuetudinémque imitari vellent. Nam bonis,piiſque omnibus adeò diſplicuit dictatoria iſtorum in omnes Dei Eccleſias atque à nemine demandata,ſed vſurpata poteſtas, vt etiam Illuſtriſſimus Princeps Ludouicus Elector Palatinus (Nam Lantgrauium, Anhaltinum,& alios quamplurimos Principes viros, quos tamen honoris B cauſa nomino,commemorare nihil neceſſe eſt) totam iſtorum hominum agendi rationem improbarit, verbáque illa, *Damnamus, Condemnamus*,& ſimilia tollere de *Nouo illo Doctrinæ corpore* disertè iuſſerit. Cuius Illuſtriſ. Principis ſapientiſſimo cõſilio quidam tamen ex iſtis Eccleſiaſticis epulonibus Sexuiris & præfractè reſtiterunt. Verùm quid Lucas Oſiander,pro illius,à ſe,ſuíſque in noſtras Eccleſias prolatæ condemnationis,& ſententiæ defenſione reſpondet?

Iniqua cõdemnatio eſt,quæ à ſuſpecto, vel apertè inimico iudice fertur. Deut. 1. v. 16.17.

Dixit Sturmius,Eam iniquam, & ἄκριτον δίκην eſſe,quæ à ſuſpectis iudicibus prolata eſt, qualis ab inimicis pronunciatur,vel ab iis,qui,dum condemnant alios,ſuam ipſi cauſam agunt, ac tuentur. Hoc æquiſſimum,& veriſſimum eſſe, & communis omnium mortalium vox, & ipſa diuina Scriptura teſtatur. Sed exẽpla quoq; ſanctiſſimorũ ac orthodoxorum Patrum idem confirmant. Ioannes enim Chryſoſtomus à Theophilo Antiochiæ epiſcopo ſibi inimiciſſimo damnatus,poſtea C abſolutus eſt ab aliis Epiſcopis, quòd ab homine manifeſtè inimico eſſet condemnatus. Athanaſij quoque condemnatio,quæ in Synodo Tyria facta fuerat, iniuſta ab omnibus eadem de cauſſa pronuntiata eſt. Denique nónne vel prophani homines ipſi dixerunt?

Sozomẽ. li. 8. c. 17.

Nemo Iudex ferendus
In propriæ ratione cauſæ.

Subterfugium Oſiandri in Iudicibus his controuerſiis deligẽdis.

Quid igitur ad hæc Lucas Oſiander? Negat ſi tanta in iudicibus iſtius controuerſiæ deligendis ſeueritas,ſanctitáſque obſeruetur,fore vt vllus vnquam illius Iudex ſedere poſſit. In quo perſpicuè apparet,quid de ſuis ipſe ſentiat, vtque illos κατὰ σάρκα, οὐ κατὰ θεὸν.i. ex animi ſui affectibus,nõ ex vero charitatis aut veritatis ſtudio agere in hac tota cõdemnatione fateatur. Nos de noſtris longè aliter & meritò quidem,iudicamus,quos & ſcimus, & pollicemur facilè omnibus præiudiciis, & animi ſui perturbationibus ſemotis,veritati ceſſuros, ſi ex Dei verbo conuincantur. Itaque à noſtris eligi harum controuerſiarum Iudices, ac diſceptatores facilè poſſunt,etiam ex ipſis Auguſtanæ Cõfeſſionis ſectatoribus & quidem viri boni quamplurimi, ſi modò talem inter Vbiquitarios ſuos A quempiam reperiri poſſe concedat Oſiander.

Act. 15.

Legitima errorum damnandorum ratio & via ab Apoſtolorũ exẽplo ſumẽda eſt.

Secundo verò loco Sturmius affert pulcherrimum illud exemplum Apoſtolorum,qui Dei Spiritu in adminiſtranda Dei Eccleſia, tollendíſque tius controuerſiis regebantur,atque hi Synodum collegerunt,vt errores iam tum ſubortos legitimè damnarent:ac ſuo exemplo,quæ ratio in aliis erroribus tollendis, damnandíſque in poſterum ſequenda foret cæteris Eccleſiis oſtenderunt. Certè nihil aptius dici in hoc argumento potuit, vt intelligeretur, quæ legitima, quæve illegitima agendi ratio in Eccleſia Dei ſit cenſenda,vbi de errore damnando quæritur. Quid igitur ad hæc Oſiander? Eleuat hoc exemplum,quia neque negare neque effugere,neque etiam eludere illud poteſt.

Primum ſubterfugium Oſiãdri,ne legitimè de Sacramẽtario negotio iudicetur.

Act. 15. v. 4. & 23.

Reſpondet enim quoſdam tantùm Apoſtolos nõ autem omnes,in ea Synodo Hieroſolymitana cõueniſſe. Quaſi verò omnes 12. in ea Synodo præſentes nõ interfuiſſe idcirco colligi rectè poſſit, quia ſingulorum 12. ſententiæ ab Euangeliſta Luca minimè recitantur. Atqui non tantùm Apoſtolos: ſed etiam Presbyteros ipſos in eo conuentu adfuiſſe disertè teſtatur Lucas,& tandem totam Eccleſiam. B Itaque quum ipſi reſcribunt, generaliter ſic loquuntur nemine excepto, *Apoſtoli & Presbyteri, & fratres, iis qui ſunt Antiochia, &c.* Verùm, age,concedamus ex Apoſtolis quoſdam Hieroſolymis,& ab eo cœtu tunc abfuiſſe, nónne tamen ex eo loco conſtat apertiſſimè quod effectum eſſe vult nobiſcum Sturmius,tunc demum legitimam eſſe errorum in Eccleſia Dei graſſantium, & fidei fundamentum euertentium condemnationem, poſtquam in Synodo legitimè congregata de iis iudicatum,quum eam agendi rationem ſecuti ſint ipſi Apoſtoli. Aliò igitur confugit homo iſte varius. Negat enim vllam eſſe in veteri, vel Nouo teſtamento legem quæ prohibeat errores in religione priùs damnari, quàm Iudicialis proceſſus, vt ipſe loquitur,fuerit inſtitutus,id eſt,priùs quàm legitimè,& ex ordine Eccleſiæ de iis cognitum fuerit. Quid audio,Oſiander? Quid hoc aliud eſt, C quod ais,quàm Apoſtolos ipſos tanquam temerarios homines traducere,& quod illi tunc fecerunt præter omnem Dei legem,& voluntatem eſſe factum, impudenter pronunciare? Nã ſi nulla Dei lege præſcribitur hic ordo in damnandis erroribus ſeruandus quo tamen Spiritu ductos Apoſtolos id feciſſe dixerimus, ſuóque exemplo cæteris faciundum pręſcripſiſſe? Age igitur quàm grauiter atque etiam turpiter fallaris,omnes tandem agnoſcant. Quæris,Oſiander, vbi in veteri teſtamento mandatum ſit,vt ſi qua hæreſis incideret,antè Iudicialis proceſſus fieret,ac de ea legitimè, id eſt, audita parte cognoſceretur,& tum demum,neque priùs eadem damnaretur. Profectò Politiam Eccleſiaſticam veterem,id eſt,veteris Eccleſiæ (quæ ante Chriſtum inter Iudæos fuit) ignorare te oſtendis. Quid enim apertius eſt,quàm illud Deut. 13. *Cùm ſurrexerit in medio tui Propheta,aut ſomnians ſomnium,&c. dicendo ſequamur deos alienos, quos non noueras,& colamus eos,&c. Propheta iſte plectitor morte,quia ſuaſit Apoſtaſiam*:ſed addit, *Vbi inquiſieris,& peruestigaueris,& percunctatus fueris bene,&c.* Vides igitur ex Dei ipſius præſcripto iuridicè de falſis Prophetis à legitimis iudicibus & cognoſcendum & iu-

Pag. 15. & 16.

Secũdum ſubterfugium Oſiandri ne in Synodo legitima hęc cauſſa diſceptetur.

Vetus teſtamentũ iubet publicè in ſynodis & in legitimo cõuentu de controuerſiis religionis iudicari,nõ furtim à quibuſdã collectis priuatim.

A

& iudicandũ eſſe,& quidẽ ex ordine iudiciorum Eccleſiaſticorum. Secundo loco, attende,Oſiander, quis ſit iſte ordo. i. quo ordine reliquæ tribus de accuſatione violati cultus Dei ab alijs duabus tribubus, & dimidia cognoſcunt & iudicant. Ioſ.22. Ad eas legatos mittunt,eas audiunt, & demũ de hoc negotio, quod procul dubio religioſum ſeu Eccleſiaſticum erat, pronuntiant. Ergo ex Veteris teſtamenti expreſſa lege, & manifeſto vſu apparet non licuiſſe quemquam, vel ſingularem hominem(nedũ vniuerſos Eccleſiæ cœtus) priùs damnare,quàm Iuridicus proceſſus ex ordine Eccleſiaſtico inſtitutus eſſet.Eam autem cognitionem ad Synodum (quam vocamus)id eſt, ad conuentum eorum, qui ſacra fidei, & verbi Dei dogmata tũc tractabant,etiam ex eâdem veteris Teſtamenti Nomotheſiâ pertinuiſſe, age etiam, Oſiander,animaduerte. Primùm ex Deut.cap.17. Deinde ex Malach. 2.7. vbi diſertè, atque ex Dei lege huiuſmodi cõtrouerſæ de religione quæſtiones ad Leuitas, & Sacerdotes vnâ cũ Summo ſacerdote collectos iudicandæ pertinere dicuntur. Præterea idem ex manifeſtiſsimis, & pulcherrimis gubernationis Eccleſiæ,quæ ſub veteri teſtamento fuit, exemplis obſeruare potes : quorum vnum extat Hier.26.alterum apud eundem Hier. 36.recitatum eſt,vbi etiam in bonis Dei Prophetis à pſeudoprophetis condemnandis Iuridicialis proceſſus, atque etiam à Synodo propterea congregata factus apparet: nedum vt in pſeudoprophetis damnandis quicquam temerè à veris Dei Prophetis ἀτάκτως ex affectus quodã impetu actũ eſſe cenſeamus? Habes igitur, quod ex veteri Teſtamento quærebas : Accipe idem ex Nouo quoque. Quum Dominus noſter Ieſus Chriſtus ait, *Si peccauerit in te frater, dic Eccleſiæ:* multò magis ſi in totam Eccleſiam, & præſertim in cauſa doctrinæ, dicendum eſt eidem Eccleſiæ. Nonne ex eiuſdem Chriſti præcepto ſi vel vnus quiſpiam è numero fidelium dixerit, feceritve aliquid obſtinatè, quod fratrem offendat, ad ſynedrion, & conuentum ipſum eius cœtus cuius obſtinatus iſte membrum eſt, remittitur? *Quicũque*, ait Chriſtus, *dixerit fratri ſuo Racha, tenebitur Synedrio.* Synedrion audis, ad quod à Chriſto remittitur, qui fuit totius Eccleſiæ Iſraeliticæ Senatus,& velut ordinaria Synodus. Obiicies fortaſſis,huius Synedrij ſpeciem referre veſtros Superintendentes cum ſuis aſſeſſoribus. Quis verò tibi iſtud concedet,mi Oſiander? Nam huiuſmodi Superintendentium (quod certè vocabulũ quàm ſit in Dei Eccleſia ſuperbum & arrogans, vident omnes) ſed tamen huiuſmodi cum ſuis Aſſeſſoribus cœtus, non vniuerſæ ipſius Chriſtianæ Eccleſiæ : ſed vnius duntaxat illius membri ac Prouinciæ vim, & authoritatem referunt: quemadmodum illud Iudæorum Synedrion totam (quæ tunc inter mortales erat) veram Dei Eccleſiam repræſentabat. Itaque dici non poteſt pari autoritate,tanquam à tota Eccleſia Chriſtiana geſtum,ac definitum eſſe, ſi quid ab iſtis Superintentibus factum eſt,atque illud quod à Synedrio illo Iudæorum decernebatur. Sed ne ipſa quidem tota Germania collecta vniuerſam Dei Chriſtianam Eccleſiam repræſentat , quoniam ſummo Dei Optimi Maximi beneficio impletum eſt, quod olim Dominus per ſuos Prophetas prædixerat , nimirum vt per Vniuerſum terrarum orbem diffunderetur vera ipſius Eccleſia.Nam & in Anglia,& Scotia,& Polonia, & Gallia,& Heluetia , & Rhœtia veræ Chriſtianæque Eccleſiæ florent, quarum neque iudicium aſpernandum eſt, neque conſenſus : & omniũ autoritas plus quàm vnius Germaniæ. i. vnius tantùm Prouinciæ & partis Eccleſiæ valere debet. Fatemur quidem Synodorum Prouincialium magnum in Eccleſia vſum eſſe,imò etiam neceſſarium : ſed qui neque Nationalium , neque Vniuerſalium Synodorum autoritati & iuri vllũ præiudiciũ afferre,aut quicquã illis derogare vel debeat vel poſſit.Itaq; iſtorum, quos vocatis , Superintendentium cum ſuis Aſſeſſoribus ſententia & conſeſſus nullum noſtræ cauſæ præiudicium aut damnum affert,quam ab vniuerſa Eccleſia iudicandam eſſe dicimus. Nónne igitur tibi videtur Chriſtus, de toto aliquo fidelium cœtu errante damnando idem ſenſiſſe,quod de vno fratre peccante conſtituitur? Quantumuis ergo tergiuerſari velis,id tamen ſaluo pudore tuo negare iam non potes. Quid ipſa Apoſtolorum praxis(quæ hoc Domini noſtri Ieſu Chriſti præceptum verè quo ſenſu accipiendum eſſet,demonſtrauit)nónne id ipſum confirmat ? Illi enim Synodum ad errores ſui temporis damnandos conuocant, quanquam & ab ipſo Chriſto ἀμέσως veritatem Dei didicerant: & ea erat 12.Apoſtolorum authoritas, vt quod vel eorũ vnus pronuntiaſſet apud omnes Chriſti Eccleſias quidem ratum , firmúmque citra vllam controuerſiam valeret. Sed Apoſtoli,viri Dei,eas Veteris,& Noui Teſtamenri regulas ſecuti ſunt: & ſuo hoc exemplo ſequendas demonſtrarunt , vt legitima, & vera errorum in Eccleſia Dei damnandorum ratio ſeruaretur : à qua qui vel ambitione, vel temeritate, vel animi impotentia, vel odio, vel præiudiciis diſcedunt, ij certè & à Spiritus Sanctus præcepto, & ab Apoſtolicæ gubernationis norma planè aberrare meritò cenſentur. Quamobrem quæ ſecuta ſunt tempora ad noſtram vſque hanc ætatem, eundem in erroribus damnandis ordinem, & viam , etiam corruptiſsimis temporibus , ſi non verè, ſaltem in ſpeciem probarunt, & reipſa vſurparunt, adeò vt quum iniuſtè à Pontificiis damnaremur, ad iuſtam Synodum & à nobis, & à vobis fuerit prouocatum. Quod igitur in vobis aduerſus communes hoſtes valere vultis,cur idem in nobis nõ admittitis? Qui verò vel à primo limine hiſtoriam Eccleſiaſticam vnquã ſalutarit,facilè nobis aſſentietur,atque intelliget,etiam in iis ipſis erroribus (qui iam publica Synodo damnati fuerant)ſi qua tamen fieret interpolatio, renouatióque, iterum Synodos ad eoſdem errores condemnandos cõgregari ſolitas fuiſſe.Quoties enim idem Arianiſmus dãnatus eſt? Quoties idem Eutychianiſmus? Quoties idem Pelagianiſmus? adeò vt mihi quidem Conſtantinus ille magnus (cuius tempora in grauiſsimas illas de Deitate Chriſti denegata ab Arianis controuerſias inciderunt) ſanctiſsimè dixiſſe videatur, *hanc eſſe ſacrarum ſynodorum vtilitatem , vt per eas legitimè diſsidia de religione ſopiantur.* Id quod etiam Innocentius primus reipſa edoctus verum eſſe ſententiâ & ipſe ſuâ confirmauit. Itaque ait Iſidorus *quum propter perſecutionum ſæuitiem Synodi conuenire non potuerunt, etſi*

B

In Synodis & conuentu Leuitarũ ac Sacerdotũ de controuerſiis religionis actum eſſe, non in priuatis quorundã tãtum iudiciis & ſeſſionibus Praxis veteris Eccleſiæ oſtẽdit.

Deu.17.v.8.
Malach.2.ver.7.
1.Reg.22.ver.13.
Hier.26.& 36.
1.Cor.14.ver.40.

Nouo teſtamento iubemur de religionis cõtrouerſiis in Synodis & conſeſſu diſceptare.

Matth.5.ver.23.

C

B

Praxis Apoſtolorũ ipſorum docet in Synodo legitima de erroribus dãnandis agendum ac diſceptandum eſſe.

C

Aetas, quę ſecuta eſt Apoſtolos, errores de fide in Synodo legitimè cõgregata ſemper dãnauit.

Baſil. in Epiſt ad Patrophi.
Nicep. li. 8.cap.25.

Patrum ſententiæ ex quibus intelligitur errores in Eccleſia per Synodos legitimè cõgregatas dãnandos eſſe.

Niceph. lib.13.cap.32.
Iſid.lib.6. Etymol. ca.18. can. Canones. Diſt.15.

A *à viris, & Epiſcopis bonis errores damnabantur: Chriſtianitas tamen in diuerſas hæreſes ſecta eſt: quod nimirum* veriſsimo illo, & à Chriſto præcepto, & ab Apoſtolis vſurpato remedio tunc temporis temporis Eccleſia careret. Chryſoſto. in illum locum Euangelij ſecundum Ioan. cap. 7. *Nunquid lex noſtra iudicat hominem, niſi audierit prius ab ipſo, & cognouerit quid faciat,* ait, *Non ſolus & nudus requiritur auditus, ſed etiam diligens, quod hac particula ſignificauit* COGNOVERIT. Atqui vos ne auditis quidem, nedum cognoſcitis.

Vbiquitarij ipſi ad ſynodum prouocarunt, & ea vſi ſunt.

Quid quod ipſimet Vbiquitarij, vt aliquot ſui erroris ſectarios damnarent (quemadmodum Donatiſtæ, vt Maximianiſtas, à ſe auulſos flagellarent) Synodum ſuã ante paucos annos Torgam conuocarunt, & eam agendi rationem, quam nunc in nobis improbant, tunc tamen vt maximè veram, neceſſariam, ac legitimam comprobarunt? Quamobrem fatere, Oſiander, id quod res eſt, nimirum præſcriptum ab ipſo Sp.S. hæreſeon, ſiquæ in Eccleſiis oriuntur, tollendarum remedium eſſe legitimarũ Synodorum conuocationem & congreſſum: non autem paucorum omnino, velut ſeptem virorum veſtratium cœtum, qui præiudicia domo iampridem ex quadam regnandi in Eccleſiis Dei libidine concepta tueantur.

B

Ex quibus omnibus vos de veſtro illo munitiſsimo, vobíſq; tutiſsimo præſidio deiectos eſſe planè animaduertitis: atque videtis tũ Veteri, & Nouo Teſtamento: tum etiam Primitiuæ, & ſequẽtis Eccleſiæ rectè adminiſtratæ exẽplo, id eſt, more maiorum, ac vſu perpetuo maniſeſtè confirmari, nunquam vniuerſos aliquos cœtus, & Eccleſias etiã de teterrimis hæreſibus accuſatas, ſine legitima tamen diſceptatione, ac proceſſu (qui præcedat) ſine legitima earundem Eccleſiarum cum alijs Synodo, & conuentu dãnatas fuiſſe, quemadmodum tamen iam vos facitis. Quid hîc igitur ait Oſiander? Aliam rimam nempe reperit.

C

Pag.16. Hoc exẽplum Apoſtolorum pro lege nobis eſſe debere

Quum enim hæc certiſsima ſanctiſſimorum Apoſtolorum exempla proferimus aduerſus ſuperbum eorum, *Damnamus, & condemnamus* excipiunt aduerſus nos tritum illud *legibus, non exemplo iudicandum eſſe.* Atqui, Oſiander, hæc exempla funguntur vice perpetuæ legis, quę in recta Eccleſiæ Dei gubernatione proponi, & ſeruari debet.

Geneſ.14. ver.6. Rom.4.v.3.& 23. Act.10.v.13.14.11.v.18.

Sic quod de fide Abrahami Paulus docet, id generale eſt. Quod Petro eſurienti in ædibus Simonis Coriarij demonſtratũ, dictúmq; fuerat, *macta & veſcere.* Item. *Quæ Deus purgauit, tu ne polluitò:* Hoc ipſum ſibi ſinguli Apoſtoli dictum, demonſtratúmque intellexerunt.

Tit.1. ver.5. 1. Timot.3. Act.14.v.23.

Et, vt ad ea exempla veniamus. ex quibus gubernatio Eccleſiæ Chriſtianæ oſtenditur, Quod Paulus præcipit Tito, vt Preſbyteros in Creta cõſtitueret oppidatim: quod Timotheo: quod denique ipſe cum Barnaba fecit, vt Presbyteros eligeret: hæc exẽpla, hæc certis perſonis præcepta, cenſentur tamen omnibus Eccleſiis, omnibus Paſtoribus, omni denique tẽpore leges Eccleſiæ Dei poſitæ, & conſtitutę: ex quibus qui agit, & Eccleſiam adminiſtrat, is procul dubio non exemplis particularibus, Oſiander, ſed veris, & generalibus legibus in Eccleſia Dei iudicat, & agit.

In leg Iuriſgentiũ. ſ. pacta. ff. De pactis.

Denique hoc ipſum, quod ex Iuriſconſultis affers, *Exemplis, non legibus eſſe iudicandum*, perperam didiciſti, cùm & ea iuris ciuilis regula multas patiatur exceptiones: & A, vt ait Vlpianus, quædam ſint & pacta, & exempla, & facta quæ quamuis in certis perſonis concepta exſtent: Realia tamen, non autem Perſonalia (vt tu vis) ſunt cenſenda. Ergo exemplum illud Synodi Hieroſolymitanæ, quod affertur à nobis, non eſſe ſingulare quoddam exemplum, ſed generale regendæ Dei Eccleſiæ pręceptum, eſſe concludimus.

Oſiandri impietas, qui Apoſtolos inter ſe cõmittere conatur.

Iam verò quis in hoc exemplo eludendo Oſiandrici ingenii, vel acumẽ non miretur, qui tã perſpicax videri vult, vt Apoſtolos ipſos inter ſe committat, id eſt, vt Spiritum Dei ipſum ſibi contrarium eſſe probare conetur? Ait enim ipſos Apoſtolos, qui in illa Synodo quoſdam errores condemnarunt, *multos tamen alios ſine Synodo poſtea damnaſſe: itaque ſuam ipſorum regulam perpetuò non probaſſe?* Mi Oſiander, perpende quid velis. Paulus, ais, extra Synodum damnauit errorem Corinthiorum, & Galatarum: quemadmodum & Ioannes Cerinthi, & Ebionitarum, qui Chriſtum Deum eſſe negabant. Adde etiam quod & tu poſtea & Pouchenius Lubenſis ſuperintendens, ſed parum ipſe ſibi attendens, addidit. *Nos quoque non expectata Synodo, tamen ex Dei verbo Anabaptiſtas, & Seruetanos, & cæteros huiuſmodi, & nunc condemnare, & antea condemnaſſe.*

B

Hæc ſunt igitur, quæ affers: ſed audi, quid nos ad iſta omnia paucis reſpõndeamus. Primũ quòd ad Apoſtolos attinet, quorum exempla nobis commemoras, dico tantam fuiſſe vocationis, muneríſque eorum dignitatem, & eminentiam, vt vel vnius duntaxat Apoſtoli doctrina & cenſura, totius reliquæ Eccleſiæ Synodo non modò æquanda: ſed etiã anteponenda.

Gal.1. Singuli Apoſtoli eos errores damnarunt, quos alij etiam Apoſtoli ſuo cõſenſu ac prædicatione refellebãt qui eorũ conſenſus quædam Synodus fuit œcumenica, & omni etiam Synodo potior.

Illi enim immediatè à Deo: non autem ab hominibus, nec per homines eam doctrinam didicerant, quam hominibus tradebant. Illi à Chriſto ipſo velut primi Eccleſiæ Chriſtianę fundatores & architecti conſtituti fuerant. Illorum denique & ſcripta, & prædicatio, & doctrina, & autoritas ἀναμφισβήτητος fuit, ac per ſe αὐθέντης, κανονικὴ, & ἐνδιαθηκὸς, vt de ea non plus dubitare liceat Eccleſiæ Chriſtianæ, quàm de ipſamet Dei omnipotentis voce. Itaque quod illi & piè, & pro ſuo iure, & ex eminentia ſuæ vocationis fecerunt, non valet in aliis omnibus, qui Eccleſiam Dei, ſed non pari autoritate, & prærogatiua, gubernãt.

Apoc.21. v.14. Aug.lib. 2. contra Creſco. cap 31. Item. Epiſt. 111.

Quanquam nec ipſi Apoſtoli ſinguli quenquam errorem damnarunt, niſi qui apertè illi fidei & doctrinæ repugnaret, quæ communi omnium aliorum teſtimonio & conſenſu certa, probata, cõfeſſa, ac nota eſſet. Fuerunt enim certa doctrinæ Apoſtolicæ capita omnium Apoſtolorum & eorum, qui vt veri μαθηταὶ Chriſtum & viderant, & audierant conſenſione confirmata.

C

1.Ioan.1. v.1.

Itaque ſcribit Ioannes non ſe vno, ſed de cæteris coapoſtolis quoque ſuis intelligens, *Quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod ſpectauimus, quod manus noſtræ contrectarunt:*

Gal 6.v.6. Heb.6.v.1. Luc.1.v.2.& 3. Ioan.1 v.16. 1.Pet.3.v.18. 1. Corint.15. 1.Ioan.4. verſ.1.

Vnde fuiſſe certa quædam κατηχήσεως capita etiam tempore Apoſtolorũ docent epiſtolæ ad Galatas, & ad Hebræos, atque adeò Lucas ipſe ſtatim in Euãgelio à ſe conſcripto, qualia nimirum hæc, *Ieſum Chriſtum Deum & hominem eſſe, in carnem veniſſe, Paſſum eſſe, crucifixum, mortuum denique & reſurrexiſſe, & in cœlũ aſcendiſſe.* Ex quibus poſtea Symbolum Apoſtolorum, quod appellatur, collectum eſt. Apoſtolorum autẽ in huiuſmodi doctrinæ capitibus tenẽdis

A dis conſenſio verè & Synodus erat, & omni etiam Synodo œcumenicâ potior ac maior, adeò vt qui contra huiuſmodi capita aliquid de Chriſto docerent, ab ipſis Apoſtolis, & meritò & ſtatim, tanquam hæretici, damnarentur. Nulla enim alia contrarii erroris confutatio neceſſaria erat, quàm ipſemet ille Apoſtolorum in contrarium conſenſus ex eorum prædicatione, doctrina ac teſtimonio toti Eccleſiæ, quæ tunc eos audiebat, notiſſimus. Itaque in iis ipſis erroribus, quos ais, Oſiander, à quibuſdam tantùm Apoſtolis damnatos, vides vel Synodum: vel conſenſum atque ſonantem in ipſa Eccleſia Apoſtolorum omnium vocem συμμάρτυρον, quæ, quemadmodum dixi, omni ſynodo etiam œcumenicâ potior eſt, veriórque veritatis confirmandæ ac ſtatuendæ forma & ratio. Atque hæc eſt prima noſtra ad veſtram illam obiectionē reſponſio. Secūdò, dicimus etiā inter ipſoſmet errores, de quibus damnandis agitur, alios eſſe qui perſpicuè, manifeſtè, ſinéque vlla tergiuerſatione ipſa fidei Chriſtianæ, & Euangelicæ fundamenta euertunt, qualis fuit ille Cerinthianorum, & Ebionitarum error: alios autem qui nequaquaquam apertè, ſed ex conſequenti tantùm id faciunt, id quod de Donatiſtarum hæreſi ſcribit Auguſt. Nam ea primum ſchiſma quoddam duntaxat fuit, quòd illi ſe à reliquo Eccleſiæ orthodoxæ, & catholicæ corpore diuellerent: deinde verò ex ſchiſmate facta eſt horrenda hæreſis, quoniam ſuæ ſeceſſioni impia illi dogmata permiſcuerūt. Ergo & ipſi Africanis Synodis ſæpius damnati ſunt, priùs tamen & publicè & priuatim auditi. Sic & Anabaptiſtæ, quos à nobis ſine Synodo damnatos eſſe ſcribis, condemnati. Primùm enim in ſingulis oppidis, in quæ peſtis iſta furtim irrepſerat, publicè cauſſam ſuam egerunt: ex quo certamine quum victi & Dei verbo refutati diſceſſiſſent, damnati quoque ſunt. Sed prius præſentes ipſi auditi, ſic Tiguri, ſic Bernæ, ſic vbique cum iis actum eſt vt prius in publico totius Eccleſiæ conuentu audirentur, denique damnarentur. Quid igitur nobis iſtud exemplum, Oſiander, obiicis, quaſi nos ipſi inauditos homines C & abſentes condemnemus, & abſque publica totius Eccleſiæ voce & Synodo, quanta maxima pro ratione temporis haberi potuit. Præterea ii ſunt Anabaptiſtarū errores, vt apertè cum Dei verbo pugnent, & fidei fundementum de remiſſione peccatorum citra controuerſiam euertant: & tamen illi auditi ſunt. Sic etiam Arianiſmus (de quo tamen ipſo damnando plures Synodi habitæ ſunt) penè ſtatim atque exortus eſt, hæreſis eſt deprehenſus & ſtatim damnatus. De Nouatianis autem, de Decimaquartanis, etiam de Monothelitis ipſis ſub Imperatoribus Conſtantinopolitanis ſæpe priùs quæſitum eſt, quàm apertè pro hæreticis damnarentur: quoniam vti in viarum diuortiis: ſic in doctrinæ ſacræ diuerticulis alia aliis manifeſtiùs, atque clariùs à recta ſemita nos abducunt. Ergo qui errores, quíque hæretici apertè, & ſine circuitione vim, verbáque fidei negant: ii ſtatim damnari, priuatim redargui, & à Paſtoribus excludi ex Presbyterii tamen ſententia ritè poſſunt: quemadmodum ab Alexandro Alexandriæ Epiſcopo cum Ariano actum fuit.

Errorum omnium non eſt vna & eadem ratio B

Qui verò per ſe errores non ſunt (etſi errores appellantur) vel non apertè videntur eſſe errores, vt qui aliquam probabilitatis ſpeciem habent, quíque in plurib. Eccleſiis cōniuentiâ, vel alio vitio obtinuerint: in iis omnib. ratio, æquitaſque Iuris poſtulat, & Chriſtiana Charitas præcipit, vt Synodus, & magna diſceptatio, & minimè præceps iudicatio adhibeatur. Exemplo ſit hęc controuerſia, quæ inter Vbiquitarios, & nos Orthodoxos hodie verſatur: in qua ſi veterum Synodorum aduerſus Eutychen, Neſtorium, Monothelitas decreta, & veterum Orthodoxorum perpetuum conſenſum retinere vellemus, nulla ſanè noua Synodo opus eſſet: & tamen, vt Eccleſiarū tranquillitati cōſulatur, Synodū poſtulamus: quæ quoties recuſatis, quid aliud agitis, quàm Eccleſiarum turbas alitis, & vos veſtræ cauſſæ bonitati diffidere palàm fatemini? Tertiò denique (quod à te, tuíſque omnibus diligenter perpendēdum eſt) aliud eſt, Oſiander, errorem aliquem priuata quadam ſententiâ improbare: aliud autem eundem publicâ Vniuerſæ Eccleſiæ voce damnare. Illa enim vnius aut alterius eruditi, Chriſtianíque viri ſiue Doctoris, aut Paſtoris in Eccleſia, ſiue etiam idiotæ ſententia de aliquo errore, priuata duntaxat condemnatio eſt, quę etſi errorem, & errantem flagellat, tantúmque illi detrahit, quantum vnius hominis authoritas alteri detrahere poteſt: tamen neque errorem, neque errantem ipſum adhuc ab Eccleſia excommunicat: aut ſi etiam ab aliquo cœtu expellit, eundem tamen à tota Eccleſia non ſegregat. Conceſſa eſt enim ad cœtum Eccleſiæ ampliorem ab ea priuata ſententia, & condemnatione prouocatio. Hæc autem, quæ vel ab vniuerſa Eccleſia fit condemnatio: vel à magna illius parte, hæc certè publica, horrendáque excommunicatio eſt, ſi verè pronuntiatur, & à toto ipſo vniuerſæ Eccleſiæ, ac per conſequens Chriſti corpore ſegregatio eſt. Ergo vt huius publicę, quàm illius priuatæ condēnationis tetriora ſunt effecta, & maiora: vt calamitas luctuoſior: vt diuulſio pernicioſior: vt vis & ſententia horribilior: ita via & ratio vtriuſque exercendæ in multis diuerſa eſt. Illa priuata ſine Synodo aliarum Eccleſiarum plerumque fieri poteſt: C hæc autem publica nunquam legitimè fit ſine publica Eccleſiæ cognitione, congreſſu, ac conſenſu, à qua alterā ipſius corporis partem præcipuam auellit. Ergo nunquam ſine legitima diſceptatione, nec non iis coràm priùs auditis, qui damnantur, fieri debet. Atque vt tam neceſſariam, vtilémque hanc noſtram diſtinctionem faciliùs declarem, illuſtro exemplis. Alia eſt in ipſo Germanico imperio (quod Dominus, & feliciſſimum & ęternum conſeruet) ea proſcriptio, quæ fit ab vno alicuius liberæ ciuitatis, vel Illuſt. Principis Magiſtratu: alia autem eſt ea clarigatio, quæ fit ab vniuerſis imperii Germanici ordinibus, ac præſertim ſi de vno aliquo ipſius Imperii membro, veluti de aliquo Illuſtriſſ. Principe Electore feratur. Illa prior neque comitia imperii requirit, neque publicū Germaniæ conuentum: hæc poſterior vtrumque neceſſariò exigit, quemadmodum ex bulla aurea Caroli quarti Imperatoris Germanici facilè intelligitur. Item, Alia eſt excommunicatio eius, qui ab vna tātùm aliqua Eccleſia ſegregatur: alia eiuſdem quum ab vniuerſa Catholica Eccleſia ſeparatur. Etſi enim vtraque diligentem cauſę cognitionem

A

Aliud eſt publicè & palàm aliquid damnare, aliud autē priuatim ab eo abſtinere & illud defugere. B

Docetur exemplis quid priuata à publica condemnatione, quantúmque differat.

A (quam tamen in nobis prætermittis) deſiderat, ipſiúſque excommunicandi accerſitionem: tamen illa ſine Synodo poteſt fieri: hæc citra Synodum nequaquam.

Eccleſias totas ſine Synodis legitimis damnari non poſſe docetur ex Patrū ſcriptis. Hilar. in lib. de Synod.

Quod vt tu, tuique, Oſiander, omnium Patrum conſenſu, & teſtimonio verum eſſe, ſequendúmque intelligant, audi eorum ſententias, quas tibi iam iam profero. Hilarius eandem calumniam patiens pro vocabulo ὁμοούσιον, quam nos pro vocibus iſtis, *Hoc eſt Corpus meum*, poſtulat vt Synodi conueniant, Itaque ait in lib. de Synod. *Pium eſt quod volumus, ne damnemus Patres, ne animemus hæreticos: ne dum hæreſin repellimus, hæreſin nutriamus. Interpretati Patres noſtri ſunt poſt Synodum Nicenam Homouſij proprietatem: religioſi extant libri: manet conſcientia: ſi quid ad interpretationem addendum eſt,* COMMVNITER CONSVLAMVS. *Poteſt inter nos optimus fidei ſtatus condi, vt nec ea quæ bene ſunt conſtituta vexentur: & quæ malè ſunt intellecta reſecentur.*

Can. Eorū 11. quæſt. 3.

Damaſus. *Eorum qui accuſantur, cauſas diſcutere non licet, priuſquàm canonicè vocati ad Synodum veniant, & præſens per præſentem agnoſcat veritatem, & intelligat, quæ ei obijciuntur.*

Eccleſ. 18. v. 20. 11. v. 7. 8.

B Quod & per ſapientiam Solomonis dicitur, *Antequam ſcruteris non reprehendas: intellige parcius, & tunc increpa: antequam audias non reprehendas. Et licèt apertiſſima ſit contrariorum reprehenſio: Veruntamen oportet & ab ijs, qui dati ſunt ad eorum examinationem, ordinem ſeruari.*

Cano. Graue. 11. quæſt. 3.

Gelaſius, *Graue ſatis eſt, & indecens, vt in re dubia certa detur ſententia.* Cùm de Ioannis Chryſoſtomi Conſtantinopolitani, & Heraclidis Epheſiorum Epiſcopi depoſitione duntaxat, non autem de vniuerſo ipſius Conſtantinopolitanæ, aut Epheſinæ Eccleſiæ corpore damnando ageretur, cõnſtanter ab vniuerſis reſponſum eſt contra Canones eccleſiaſticos fieri, ſi abſentes iudicarentur, atque condemnarentur.

Socrates lib. 6. cap. 17. Sozome. lib. 8. capit 19. Theod. li. 2. Hiſt. ca. 16. Socrat. li. 1. cap. 24. & 32.

Nam vt ait Theodoſius, *Iudicia Eccleſiaſtica non de plano, ſed cum ſumma, & diligenti & cauſæ cognitione, & diſceptatione ferenda ſunt.* Itaque pleræque etiam veterum Patrum damnationes improbatæ ſunt, quòd ordine iſto Eccleſiaſtico neglecto quoſdam homines & ſingulos, & priuatos, nedum ipſos totos cœtus impietatis notaſſent.

Toto concil. Chalcedonenſ. Aruernēſ. cap. 1. Toletan XI. præfat. concil. Conſtantien. toto. Nouella Authent. cōſt. 123.

Ex perpetuo Synodorum vſu, C atque adeo ex ipſis Synodorum decretis manifeſtè apparet quæſtiones de Fidei articulis, de Negotiis Eccleſiaſticis, de hæreſibus, de ſchiſmaticorum hominum cauſa in Synodis maximè generalibus, & tractari & decidi oportere. Et vt tandem totus hic locus concludatur, en tibi homini Romani Imperii legibus ſubdito, Imperatoris ipſius Romani conſtitutio apertiſſima, Iuſtiniani Nouella Authētica 123. Tit. *De Eccleſiaſticis diuerſis capitulis. §. Quia verò quod à ſacris dictū eſt canonibus* in Authen. vbi omnes controuerſias, quæ de fidei dogmate naſcuntur, in Synodis tractari diſertè etiam grauiſſimarum pœnarum adiectione iubet optimus Imperator. Ex quibus omnibus efficitur, quod volumus, eſſe iniuſtam, &, vt veriſſimè dixit Sturmius ἄδικον veſtram de noſtris Eccleſiis condemnationem.

Pag. 17.

Ergo quod conqueritur Oſiander, malè cum Eccleſiis actū iri, niſi ſibi, ſuiſque ſociis liceat citra Synodum, errores, quos vocat, & putat eſſe cum fide Euangelij pugnantes, anathematizare, animi ſui morbum oſtendit: ac ſe in Eccleſia Dei iam eum primatum affectare, Diotrephis exemplo, vt vnus A ipſe ſtatuere poſsit, quod tantùm totius Eccleſiæ voce, & authoritate ex Dei verbo definiendum eſt. Potes tu quidem eos, quos conſtat errores eſſe impios, priuatim, & in ſcholis, & in concionibus tuis, modeſta tamen oratione, ex Dei verbo refutare. Hanc autē doctrinā, quam Chriſtianæ Eccleſiæ, id eſt, ipſa præcipua Chriſti membra ſequuntur, & pro vera fide amplectuntur errorē eſſe definire, ſícque ipſas Eccleſias à tua eccleſia, aliorúmque fidelium ſocietate ſegregare, à Chriſto ſeparare, hæreticas appellare, certè citra legitimā, liberámque Synodum nullo modo aut Iure potes. Id quod me hactenus demonſtraſſe ſpero.

Concluſio totius huius primæ diſputationis.

Robuſta fraus Oſiādri, dum ait noſtra argumēta examinata abs ſe fuiſſe, deprehenſāque pugnare cū verbo Dei.

Cæterùm quod ais noſtra argumenta tibi, tuíſque diligenter eſſe perſpecta, eáque deprehenſa pugnare cum Dei verbo, in eo fucum tantùm facis, & tenebras bonæ cauſæ noſtræ aſtutè conaris offundere. Quomodo enim ea pugnare cū Dei verbo diceres, ſi intelligeres? Quomodo autē noſtra intelligitis, qui illa ne quidē legi publicè finitis? Teſtis erit illa Saxonica Exegeſis, in quam inquiſitores publicè ſunt delecti à vobis, & ſeueriſſimi quidem, nequis eam habere deprehēdatur: & B ſi quis erit deprehenſus, grauiſsima pœna plectatur. Teſtes etiam eruditiſſimi Ioannis Caluini libri, qui à vobis iam publicè proſcribuntur. Quēadmodum enim Pontificij homines ſcelerati ad extinguendum omnis veritatis lumen ipſius S. Scripturæ lectione populum interdixerunt: ſic vos vafri homines & Pontificiorū æmuli ne noſtri dogmatis veritas à veſtris gregibus agnoſcatur, noſtrorū ſcriptorum lectionē, & promulgationem vſquam fieri prohibetis. Quod nos de veſtris minimè facimus, ita nimirum bonæ noſtræ cauſæ confidimus, quoniam eā etiā ex collatione, quæ cum veſtra fit, eam illuſtrari quotidie, cernimus. Sed quomodo noſtra argumenta intelligitis, qui cùm mirè inter nos omnes conſentiamus, tamen creditis, vel fingitis infinitam eſſe inter noſtros in hoc de S. Domini Cœna capite ſentētiarū varietatē? Quomodo noſtra argumenta caperetis, quæ ex ipſis Scripturæ verbis, fidei analogia, perpetua Sacramentorum regula ducūtur, cū C & Scripturæ ipſius verba in Cœna Domini peruertatis, & fidei analogiam negligatis, & Sacramētorum naturā in Domini Cœna ſacroſancta abrogetis? Et certè quoties veſtras interpretationes de verbis Cœnæ Domini, & de his vocibus, *Corpus Meum*, conſidero, venit in mentem illud Hilarij. *Inane eſt calumniam verbi pertimeſcere, vbi res ipſa, cuius eſt verbum, non habeat difficultatem.*

Hil. in Syno.

Nos in colloquijs cum Lutheranis habitis victores, nō victos diſceſſiſſe.

Denique quod ſcribis antea iuſſu aliquot Illuſtriſſ. Germaniæ principum inſtituta fuiſſe colloquia, vbi nos & auditi, & conuicti erroris à veſtris ſumus, quale Marpurgi, Heidelbergæ, Maulbrunnæ factum fuit, iam oſtendis qua frōte & ore, non tantùm qua conſcientia vir ſies, Oſiander, qui cùm ex iis ipſis colloquiorum (quæ citas) Actis mendacii conuincaris, tam impudēter tamen iſta ſcribere ſis auſus, tanquam in profundo quodam puteo demerſa eſſet iſtarū actionum veritas, non autem publicè edita, & à veſtris etiam ſubſignata extaret. Sed quidni hîc falſa ſupponeres, qui alibi, & in hoc ipſo ſcripto nimirum in voce *Vbiquitatis* abneganda

Pag. 27.

te non

A te non niſi mendacio tueri potes? Veriſſimum enim eſſe hoc, quod iam dico, ex ipſis colloquiorum, quæ tu ipſe profers, Publicis Actis cuilibet apparebit, *Nunquam nimirum noſtros ex huiuſmodi colloquiis victos diſceſſiſſe*, in quibus etiam nulli iudices ſederunt: ſed certamen tandem eò deueniſſe, vt de mitigandis, explicandiſque quibuſdam locutionibus inter partes ageretur. De reipſa autem Sacramenti, & de præſentia ipſius carnis & ſanguinis Chriſti in S. Cœna inter vtroſque conuenire: ſed de modo præſentiæ tantùm diſceptationem ſuperfuiſſe. Id quod iam docuimus. Denique vt habeat & Oſiander ipſe, & Vbiquitariæ confeſſionis ſocii ad quod nobis reſpondeant, planéque intelligant etiam Lutherum ipſum (cuius vnius authoritate niti videntur velle) primùm nobiſcum ſenſiſſe, atque etiam poſt Polemica à ſe ſcripta, en primùm ipſiuſmet Lutheri ante infelices iſtas controuerſias placidè de ſancta Cœna adhuc ſentientis verba: *Eſt Sacramẽtum ſignum, quo nobis promittitur,* OFFERTVR, *& exhibetur communio, & incorporatio cum Chriſto, & ſanctis fidelibus eius, vt Paulus ait, Vnus Panis, vnum corpus ſumus: vnde Sacramentum in Pane, & Vino accipere, nihil eſt aliud, quàm* CERTVM SIGNVM *accipere huius communionis, & incorporationis cum Chriſto, & omnibus eius ſanctis fidelibus.* B En etiam poſt motas controuerſias eiuſdem Lutheri aliud ſcriptum ad Helueticas Eccleſias, iam defuncto Zuinglio, miſſum. *Tertius articulus eſt de Sacramento corporis, & ſanguinis Chriſti: In quo nuſquam adhuc docuimus, ac ne nunc quidem docemus, Chriſtum è cælo, vel à dextera Dei Patris, aut aſcendere, aut deſcendere, ſiue viſibili, ſiue inuiſibili modo, &c.* (Ergo Luthero dextera Patris non eſt Vbiquitas.) *Veruntamen ſi fortè ne hìc quidem (vt ſupra dictũ eſt) alij alios intelligim⁹, præſtat ſanè nos nihilo minus inuicem beneuolentiam colere, & ſemper meliora alios de aliis iudicare, donec gluma, & turbida aqua prorſus reſidat.* Hæc Lutherus, qui & Baſilienſem fidei confeſſionem, quæ nunc extat, approbauit: & formulam concordię inter Miniſtros Frãcfordienſes à Bucero dictatam: & Syngramma Sueuicum, & confeſſionem fratrum Valdenſium. Quid C amplius? Vuittebergenſis ipſa Concordia ex ipſius penè Lutheri ore emiſſa, quàm propè nobiſcũ, exceptis quibuſdam voculis, ille cõſenſerit, apertiſſimè, ac luce etiam ipſa meridiana clariùs teſtatur. Quæ autem Parua cõfeſſio Lutheri dicitur, omnia hęc tempora, & Lutheri iudicia ſecuta eſt: ſed ea neque omnibus collegis ipſius Lutheri placuit, vt apparet ex eorum ſcriptis: neque ex eorum communi ſententia, (quod fieri tamen oportuit) ſed ex cuiuſdam Amſdorfii Lutheri deprauatoris, atque aſſentatoris duntaxat intẽperie (cui Lutherum proculdubiò facilem ſe præbuiſſe conſtat) edita fuit, atque conſcripta. Vide igitur quàm temerè nobis Lutherũ obiicias, aut noſtrorum cum Luthero colloquia. Sed etiam ſi pauci illi noſtri in colloquium conuocati veſtris conſentire non potuerint, non ſequitur noſtram cauſam & fidei confeſſionem veſtrâ deteriorem eſſe: aut veſtram ſententiam veriùs verbo Dei niti, quàm noſtram. Quid igitur? eo tantùm efficitur, plures ex vtraque parte eſſe conuocandos & alios iudices, qui neutram partẽ præiudiciis ſuis adhuc grauarint, eſſe ſeligẽdos ac adhibẽdos, qui de tota hac controuerſia cognoſcant. Id eſt nempe, quod dicimus, Synodum legitimam ex omnibus reformatis Eccleſiis neceſſariò igitur eſſe cogendam. Nam etiam vera ſententia, in qua legitimus ordo neglectus eſt, pro iniuſta, & illegitima ex Auguſtini ipſius reſponſo cenſenda eſt. Quæ quia de Synodis, & legitimo errorum in Eccleſia damnandorum ordine diximus, reliqua Sturmij argumenta, quæ Oſiander confutare voluit, perſequamur.

Lutheri ſentẽtia.

Anno 1539.

Anno 1536.

Anno 1542.

Parua cõfeſſio Lutheri.

Cùm ex ſuperioribus aliquot vtrinque] delegatorum Theologorum colloquiis deciſio

A huius cõtrouerſiæ fieri non potuerit, maiorem igitur cœtum, id eſt, legitimam omnium Eccleſiarum Synodum eſſe colligendam apparet.

Aug. in lib. De pœnit. Pag 19.

Docet quarto loco, & verè quidem, idem Sturmius hac ratione agendi, & ſtringendæ in noſtras Eccleſias condemnationis fieri in dies Pontificios ſæuiores, atque ad nos perſequendos vehementiùs incitari, quòd omne crudelitatis ac lanienæ genus (quo in noſtros vſi ſunt) ſic videatur ab Vbiquitariis probari. Quid igitur ad tam prudentem admonitionem Oſiander? Reſpondet ſatiùs eſſe errores damnare, quàm diſſimulare. Neque eſſe omittenda bona neceſſaria, ne eueniant mala. Satius fuiſſet apertè dicere Oſiãdrum ſe malle animo ſuo morem gerere, quàm quicquam penſi in fratrum Gallorum, Hiſpanorum, Italorum & aliorũ ſalute conſeruanda habere. Sed primùm de eo conſtare ex legitima cognitione oportet, vtri nóſne, an vos errorem doceamus. Nos. n. veſtrũ *Vbiquitatis* dogma planè erroneum, & verbo Dei perpetuóque Eccleſiæ conſenſu damnatum, & vetuſtati prorſus inauditum eſſe variis ſcriptis iam oſtendimus. Vos autem, velut etiam Pontificii, dum nos damnatis, & partes & iudices ſedetis, & certorum quorũdam verborum inepta, falſáque interpretatione nitimini. Denique Chriſtum iam ex neceſſario cõſequẽti negatis verè hominem eſſe: quia per vos verè humanum corpus iam non habet. Ergo in eo primùm falleris, quòd nos qui non erramus, tamen errare putas. Deinde, quænam eſt iſta tanta reliquas orbis Eccleſias damnandi neceſſitas quæ vobis impoſita eſt, vt cùm iam per ſexaginta annos & amplius ab initio inſtauratæ noſtris temporibus Eccleſiæ ſine veſtris condemnationibus antea vixerimus: hoc demum tempore fuerit vobis neceſſe nos tam intempeſtiuè diro anathemate ferire? Hãnibal fortaſſe erat, quod aiunt, ad portas: & in eo omnes Germaniæ opes erant ſitæ: vt quod fruſtrà in colloquio Vuormatienſi iampridem tentatum fuit, & ab ipſo veſtro Ioanne Brentio (ſiue feriò, ſiue propter Philippi præſentiam recuſatum) nonnulli homines, id eſt, ex ampliſſima Mundi regione ad ſummum ſeptem, in omnes Eccleſias pro libito animi hunc dominatum arriperent, & ſentẽtias illas ſuas temerarias & cõdemnatorias ferrent. Prætereà, quæ tua, quæſo, iſta eſt intemperies, qui cùm nos tanquam hæreticos, & fundamenta veræ fidei euertentes condemnas: negas tamen, ſi proptereà à Pontificiis tanquam hęretici affligamur, vos noſtræ iſtius afflictionis, eorúmque ſæuitiæ cauſam eſſe. Quaſi qui ſciens furioſo gladium porrigit, nõ ſit ipſe eius cędis (quam furioſus poſtea perpetrat) & autor, & reus: & quaſi ob aliam cauſam Pontificii ſeſe in nos ſæuire prætexant, quàm imprimis quòd in hoc ipſo dogmate de Cœna Domini ab ipſis diſſentiamus, quoniam corpus Chriſti locali, corporalíque modo adeſſe negamus. Saltẽ ſi idem diceres, quod Pappus iſte tuus nimirum dum propter huiuſmodi condemnationes veſtras à Pontificiis vexamur, & cremamur, eſſe quidem vos, veſtráſque illas condemnationes cauſſas nobis iſta-

Pontificios fieri in reformatas & pias eccleſias crudeliores ex iſtis Germanicis condẽnationibus.

Oſiandri & ſociorum inhumanitas.

B

Cõdẽnationibus iſtis piè & rectè & Lutherus ipſe & cæteri abſtinuerunt.

C

Vbiquitarii armãt Põtificios in Eccleſias reformatas.

Pag.18.

Condemnationē à Paulo factam aliquot Eccleſiarum nihil habere commune cum cōdemnatione noſtrarū Eccleſiarum, quæ fit ab Vbiquitarijs.

Pag.19. Lutherani cur dicti omnes quos Pontificij perſequuntur ob religionem.

rum calamitatum, ſed cauſſas per accidens, non per ſe. Quod ita eſt apertè ridiculum, vt ne refutatione quidem egeat. Sed excipit Oſiander, Paulum, dum Galatarum errores condemnaret, non timuiſſe, ne Iudæos, aut Ethnicos ad verè fideles perſequendos excitaret, aut ſæuiores, truculentioréſque redderet. Ergo neque id ſibi, ſuíſque eſſe metuendum: ſed ſtatim, & intrepidè Caluinianū, aut Cinglianum (quod vocat) dogma anathemate feriendum, & eſſe eiiciendum. Bona verba, mi Oſiander, aliquid magis humanum abs te expectaui. Quid verò tu, vel tui cum condemnatione Galatarum ac Corinthiorum à Paulo facta commune habetis? Paulus Apoſtolus manifeſtiſsimos Galatarum errores condemnauit. Nos autem ecquis vllorum errorum adhuc conuicit? Paulus cōdemnat ea ipſa, quæ communi illa totius Eccleſiæ Synodo Hieroſolymis habitâ iam damnata fuerant: vos illa dānatis, quæ nulla legitima Synodus damnauit. Paulus ea cōdemnat, quæ ipſos Iudæos, & Ethnicos Pauli ſententiam audientes, erroris, & blaſphemiæ ſuæ conuincebant, atque vnde ad ſæuitiam in orthodoxos excitari nō poterant, quin eò magis ipſi ſe ſuóſque errores cōdemnarent. Veſtra verò in nos cōdemnatio maximum Pontificiis ſuorum errorum patrocinium affert. Ea enim vera eſſe dicitis, ex quibus ipſum Papiſticæ Idololatriæ (quæ ſignis ipſis, id eſt Pani & Vino Cœnæ, à Papiſtis exhibetur) fundamentum confirmatur. Ergo eos & in errore cōfirmatis, & ad ſæuiendum in nos, tanquam falſa de S. Cœna ſentientes, pet veſtras illas condemnationes inflammatis. Porrò quòd excipis, Lutheranos potiùs, quàm Cinglianos ſupplicio à Pontificiis & affici, & olim affectos fuiſſe, falleris turpiſſimè. Vos.n. rationes habetis cum Pontificijs communes de illa ab vtriſque vobis conficta Omnipotentia (quæ ſapiētiæ, & veritati Dei repugnet) de localitate vnius, & eiuſdem corporis eodem tempore pluribus in locis: de ſignorū ipſorum Cœnæ veneratione, de Iudaica, & Capernaitica τοῦ ῥητοῦ, Id eſt, horum verborum, *Hoc eſt Corpus meum*, interpretatione, & aliis etiā plurimis capitibus. Ergo vos cum illis ſummè in iſtis conſentitis. Sed quoniam iſtud Lutheranorū cognomentum apud Pontificios ita primùm inualuit, vt quicunque ipſis repugnarent, Lutherani vocarentur: factū eſt, vt dū eos ipſos cremant, qui planè, perſpicuéq; veſtrę Vbiquitati aduerſantur, dicant tamen ſe cremare, ac damnare Lutheranos, quos (ſi veſtris verbis vti didiciſſent) Caluinianos, Cinglianóſque potiùs nominarēt: Vti etiam veſtro exemplo factitare iam conſueuerunt. Sed hæc hactenus: quid autem ad quintum Sturmij argumentum reſpondet Oſiander?

Præceptores eorū qui noſtras Eccleſias damnant, cum noſtris Præceptorib. ſanctiſſimè amicitiā ſemper coluerunt. Pag.19. & 26.

Dixit Sturmius, vt vos veſtri officij piè, vt frater: & Pappum imprimis pro ſui muneris iure.i. Rectoratu Argentinenſis ſcholæ moneret, nequaquam decere, vt vos, qui Lutheri & Philippi diſcipuli videri vultis, condemnetis eos, cum quibus pientiſsimi, doctiſſimíque illi præceptores veſtri amicitiam toto vitæ tempore ſanctiſsimè coluerunt. Quid tu igitur ad tam ſeriam admonitionem, Oſiander? Nugas agis, vt ſoles, & neſcio quos minutos Theologos nobis cōmemoras, & eos etiam ipſos vnum tantùm aut alterum, vt Amſdorffium, & Suenckfeldium, qui noſtros viuo Luthero non dilexerunt. Sed agit Sturmius de Primariis illis Dei Opt. Max. inſtrumentis, de primis ipſis Eccleſiæ inſtauratoribus, de ipſo M. Luthero, de Philippo Melāchthone, de Martino Bucero, de Capitone (Deus immortalis, quę lumina mundi, quos viros nunc nomino!) qui cū Zuinglio, Oecolampadio, Bulingero, Caluino animis coniunctiſsimi ad extremum vſque vitæ diem vixerunt. Id quod ex ipſorum tum publicis, tum etiam priuatis ſcriptis apparet. Hoc tu negare non potes, & ſi negaueris ipſa te veritas palàm redarguet. Sed vide quò tandem, Oſiander, delaberis, & quid quantúmque tibi aſſumas, vt Buceri, & Philippi doctrinam apertè condemnes, atque hæc ſcribere audeas. *Vtinam Philippus, & Bucerus rectiùs crediderint, quàm poſteriora ipſorum vel ſcripta, vel facta teſtantur.* Equidem, vt iā video nequaquam fruſtra, neque ſine certiſsimo vitæ ſuæ periculo Philippus ille iam ſenex toties ad Caluinum, amicóſque ſuos orthodoxos, in extrema illa ætate ſua ſcripſit, *Etſi propter ſenectam à meta huius curriculi non procul abſum, tamen quotidie noua exilia expecto.* Vel enim ex vna iſta Philippi condemnatione facta à te Luca Oſiandro apparet, quis fuerit in illud veriſsimum Germaniæ totius lumen, veſtræ cateruæ, & animus, & conatus, niſi Dominus eum maturè veſtro furori & minis opportuna morte ſubduxiſſet. At verò addis nos à Ioanne Brentio eſſe antea condēnatos. Nimirum poſtquam ambitione ἀπλήστῳ faſcinatus Brentius, ne ſeipſum quidem amplius ferebat: & poſtquam Syngramma Sueuicū (cuius ipſe fuerat autor) etiam ab ipſo Luthero approbatum ſumma animi leuitate, & inconſtantia damnabat. Ego verò ab iſto poſtremo, delirante, ac furioſo Brentio, ad primum ipſum, ſedatúmque Brentium prouoco: ex cuius & Caluini literis vltrò citróque ſcriptis apparet eum cum Caluino ſanctè amicitiam, pacémque, quādiu ſeipſum ferre potuit, coluiſſe. Quòd ſi qua intolerabilis ambitio eum ſenem poſtea tranſuerſum egit, quis in illo facto nimium opulento, & nihil aliud, quā primatum poſt Philippi mortem in Germanicis Eccleſiiis, affectante, miretur accidiſſe quod habet prouerbium vetus γέροντες δὶς παῖδες. Quale enim tandem fuerit ſenis Brentij ingenium, & à vera humanitate alienum vel vnicum illius teſtamentum ſemper teſtatur. Nam ne non ſemper eſſet in Germania ſatis bellorum, & diſsidiorum, quæ viuus ſeminare inceperat, etiam morientem eum non puduit infelix illud claſsicum canere, quo poſtea ad diriſsima hæc certamina excitatæ ſunt Germanicæ penè omnes Eccleſiæ. Ergo aut alios, qui noſtros Paſtores oderint, damnarintque, recenſe, Oſiander: aut ſi Brentium iſtum nobis commemoras, da mihi eum ipſum ſibi cōſtantem.

Pag.20. Oſiander condēnat etiā Philippum ipſum & Bucerum.

In Epiſt. Calui. Epiſt.59. Pag.149.

Brentius non ſibi conſtitit.

In Epiſt. Calui. Epiſt.67. Pag.77.

Sexto autem, & poſtremo loco Sturmius propoſuit Vbiquitarijs (vt eos ad pacem, & concordiam nobiſcum ineūdam cohortaretur) Illuſtriſſimorum Germaniæ Principum plenum ſummæ pietatis & charitatis exemplum, qui pro noſtris Eccleſiis, dum crudeliſsimè à Pontificiis affligebantur, ipſo etiā Brentio & Iacobo Andrea nominatim poſtulantib. apud Regem Galliæ ſæpiſſimè interceſſerunt. In quo manifeſtè demonſtrarunt ſe neque noſtram doctrinam damnaſſe, neque

Illuſtriſſ. ipſi Principes Electores cū

A

nostris Ecclesiis pacem coluerunt.

que pro ſua in Chriſtum pietate aſpernari noſtras Eccleſias voluiſſe. Quid ad iſta Oſiander? Negat Illuſtriſſ. illos principes pro Cinglianis intercedere ſe exiſtimaſſe, ſed pro Lutheranis. Quaſi verò antequam auxilium & patrocinium apud regẽ Galliarum ab Illuſtr. Principibus pro ſe poſtularent noſtræ Eccleſiæ, non iiſdem obtulerint planam & perſpicuã ſuę fidei cùm in aliis articulis, tũ in illo, qui eſt de S. Domini Cœna, confeſsionẽ: quæ etſi ea eſſet, quæ ſemper fuit, & nunc eſt, & in præſentiæ corporis Chriſti modo à veſtra diſſentiret, hoc tamen diſſidium tanti eſſe momẽti non iudicarunt, quin pro noſtrarum Eccleſiarum ſalute intercederent. Vis etiã aliquid amplius dicam, quo tempore Ferdinandus electus eſt Francofurti Imperator, poſtulantibus Eccleſiarũ Gallicarum Legatis pacificam de his cõtrouerſiis collationem, non modò Illuſtriſſ. tres Principes Electores: ſed etiam aliquot alij Germaniæ Principes promiſerunt: tantùm abfuit, vt conſilium, quod de nobis indicta cauſſa damnandis, vos nouitij cepiſtis, illi approbarent. Quod ſi qui ſunt iam à nobis, noſtra certè nulla culpa, alienati, quis iſtud tribunitiis veſtris clamoribus, & aſſiduis vociſerationibus factum ignorat? Nos enim ab eo tempore ne tantillum quidem à priore ſententia deſciuiſſe & Confeſſiones publicæ, & priuata Doctorum noſtrorum ſcripta palàm omnia teſtantur. Atque hoc ad Primam libri tui partẽ reſponſum noſtrum habeto.

B

* * *

SECVNDA OSIANDRICI libelli Pars.

ERGO ad ſecũdum, & vltimum huius diſputationis Oſiandricæ caput mea feſtinat oratio, vbi totus eſt Oſiãder in eo, vt noſtrum dogma doceat, & falſum, & damnandum eſſe probet. In quo certè eò breuior ſum futurus, quòd nihil nouum afferat, cui iampridem non ſit millies abundè à noſtris reſponſum, & quod aliunde non deſcripſerit, & millies à noſtris non ſit refutatum. Selneccerum & Chẽnitium nõ nominabo. Ipſi enim illa omnia tua, tanquam ſua, optimo iure abs te repetent. Sed quoniam, vt inquit Hierony. *Qui arguitur in pluribus, & in dilatione conuitium aliquod prætermittit, quicquid tacuerit, confiteri videtur*, idcirco etiam ad hanc tui libelli partem, Oſiander, reſpondebo. Affert igitur in vniuerſum argumenta octo Oſiander, ſed antequam refutentur, conſtare primùm oportet quid de S. Cœna ipſi ſentiamus.

C

Pag 22.

Summa noſtræ doctrinæ.

Docemus igitur ipſam carnem & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti corporalis præſentiæ ſitu à ſignis abſentẽ, & non in terris poſitum, ſed in cœlis reſidentẽ, tamen reuera dari ac communicari ſingulis in Cœna Domini Pane, & Vino ex fide veſcẽtibus. Contra tam apertam Eccleſiarum noſtrarum doctrinam quid obiicit Oſiander?

Oſiãd. argumentũ. Pag. 22.

Hoc noſtrum dogma verbis teſtamenti Chriſti repugnare: hæc *enim verba Chriſti inquit hoc eſt corpus meum, dicuntur de diſtributione Panis, & vini in Cœna Domini. Ergo qui verum ipſum, & eſſentiale corpus Chriſti vbique eſſe negant, vel cum ſignis S. Cœnæ corporali præſentia coniunctum eſſe non concedunt, verbis teſtamenti Chriſti repugnant.*

A

Reſpõſio.

Hoc ipſum eadẽ facilitate negatur, qua ab iſto affirmatur: licet hìc, tanquam de parta victoria, iuueniliter tamen exultet Oſiander. Nam aut poſtulant iſti, vt ſibi tanquam ſuo Pythagoræ diſcipuli credamus: aut ipſos oportuit docere ex ipſo Dei verbo rectè colligi quod aſſerunt. Cõcedimus enim dici de diſtributione Panis, & Vini *Hoc eſt corpus meum, hoc eſt ſanguis meus*: immo verò etiam de Pane & vino ipſo Sacramẽto illa verba intelligi fatemur. Sed Sacramentaliter. Ergo ipſum, & verum Chriſti corpus, ſignis nimirum Pani & vino S. Cœnæ, vnione Sacramẽtali (quæ & ἐνεργητικὴ & σχετικὴ, & Pactionalis tantùm eſt) præſens adeſt: corporali verò præſentiæ ſitu ab iiſdem ſignis idem eſſentiale Chriſti corpus abeſt. Quare cùm Vbiquepræſentiam corporis Chriſti, aut corporalem præſentiæ eius modum cum ſignis ipſis negamus, neque Chriſtum à ſua Cœna abſentem facimus: neque Deum mendacem, ſed veriſsimum, ſuique promiſsi, qua ratione dare promiſit, tenacem, & præbitorem fideliſſimum.

B

Baſil. li. 2. cõtra Euno.

Hil. lib. 2. Trinit.

Et quod iſte ῥητοδιώκτης clamitat ſe verbis ipſis Chriſti inhærere: ſaltem ex Baſilio intelligat, οὐκ ἐν ψόφοις ἀέρος, ἀλλὰ ἐν τῇ δυνάμει σημαινομένων τὸ εὐσεβὲς ἐστὶ. Senſus enim, non ſermo fit crimen, ait Hilarius. Quemadmodum etiam aiunt ipſi Iuriſcõſulti. *Scire leges nõ eſt earũ verba tenere, ſed vim & mentẽ.* Auguſt. autẽ lib. 3. de Doctrina Chriſtian. cap. 16. docet hæc verba Chriſti figuratè, nõ autẽ naturaliter (vt in ſcholis loquũtur) accipiẽda eſſe. *Si præceptiua locutio eſt, aut flagitium, aut facinus vetans: aut vtilitatem, aut beneficentiam iubens, non eſt figurata. Si autem flagitium, aut facinus videtur iubere: aut vtilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata eſt. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, facinus vel flagitium videtur iubere, figura eſt ergo &c.* Ergo iſtas locutiones, *Hoc eſt corpus meum: hoc eſt ſanguis meus*, non κατὰ τὸ ῥητὸν, ſed κατὰ διάνοιαν Patres Orthodoxi, vti & nos, intellexerunt, contra quàm vbiquitarij ſentiunt, & hìc obiicit Oſiander. Deinde plus colligit in concluſione quàm in antecedente ponatur. Aliud enim eſt in Cœna, quàm Vbique adeſſe, cum neque quouis tempore, neque quouis loco S. Domini Cœna celebretur, quod vel ipſi Papiſtæ verum eſſe facilè conceſſerint.

C

2. Argum. Oſiandri.

Eccleſiarum Helueticarum dogma adimit Chriſto omnipotentiam.

Nam qui negat eſſe impoſsibile Deo efficere vt verum corpus ſimul ſit in pluribus locis, adimit illi omnipotentiam. Hoc illi affirmant. Ergo &c.

Reſpõſio.

Qui committit Dei ſapientiam ac veritatem cũ ipſius omnipotentia, is neque Deum omnipotentem facit, neque ſapientem, neque verum. At Vbiquitarij eam cum Dei veritate, & ſapientia apertiſsimè in certamen vocant. Ergo Vbiquitarij Deum neque omnipotentem, neque veracem agnoſcunt.

Rom. 8. Hebr. 4.

Volunt enim, vt quod Chriſtus verus homo dicitur, & ſumpſiſſe naturam in omnibus noſtris, excepto peccato, ſimilem, illud non ſit verũ: ſed vt corpus planè alterius generis aſſumpſerit, quàm vllũ corpus ſit, vnquámve fuerit, id eſt, quod neque περιγραπτὸν ſit, neque loco, aut *vbi* vllo cõprehendatur. Hoc igitur primùm

A in omnes Vbiquitarios retorquemus. Huic autē Oſiandri argumento iam reſpondemus illud ipſum, quod ait Baſilius, Auguſt. Damaſce. nimirum, quòd Deus non poſſit quædam, non eſſe hoc ipſum in Deo impotentiam: ſed potius ſummam *eſſe Dei & ſapientiam, & potentiam, & conſtantiam.* Nam non poſſe mentiri, mori, ſibi aduerſari, hæc ſumma eſt Dei gloria, conſtantia, & omnipotentia, quæ ſi poſſet, iam non eſſet omnipotens. Huiuſmodi eſt illud quod dicimus: cùm verum, & humanum corpus omne περιγραπτὸν, & locabile eſſe voluerit Deus, ac tale filio ſuo Domino noſtro Ieſu Chriſto pro noſtra ſalute dederit, ſummæ eſſet inconſtantię quod perpetuum eſſe voluit, veram videlicet humanitatem Chriſti deſtruere: ſummæque impotentiæ mentiri poſſe. Quod ſanè Deo tribuit quiſquis contradictoria illum velle docet, ipſum videlicet velle vt corpus Chriſti ſimul ſit & circunſcriptum & incircunſcriptum: item finitum & infinitum: & vno loco ſimul, atque pluribus locis. Hæc vos aſſeritis, nos B negamus. Vtri meliùs ſentiant, iudicet orthodoxa Eccleſia atque poſteritas.

3. Oſiādri argumen. Pag.23.

Qui vbique eſſe corpus Chriſti non conſentiunt, relinquunt nobis in S. Cœna Panem & Vinum Symbola nuda, quibus iubent, vt fidem noſtram confirmemus.

Reſpōſio.

Nobis hîc verò Oſiander errores, & monſtra affingit, quæ debellet: noſtram autem ſententiam neque refert, neque refutat. Negamus igitur vel ex verbis, vel ex mente noſtra colligi poſſe, quòd hîc de nobis Oſiāder ait. Ex verbis quidē non poteſt, quia perſpicuè docemus hæc ſigna longè differre à rerum ſimulachris, aut pictis imaginibus, etiam ad viuum expreſſis. Huiuſmodi enim εἰκόνες ſunt ſigna tantùm, eáque nuda, neque rem ipſam, (quam ſignant, & repræſentant) dari nobis, communicaríque obſignant. At Panem, & Vinum S. Cœnæ affirmamus eſſe certiſſimas ipſius Chriſti carnis, & ſanguinis cōmunicati exhibitíque nobis σφραγίδας, ſi finem eorum ſpectemus cuius iā cauſa inſtitutę. Quare ex verbis noſtris refutatur iſta Oſiandri calumnia, apparétque minimè nos facere ſigna Cœnæ nuda ſigna. Atqui neque ex mente noſtra aliud quippiam colligi C poteſt, quia quæ ſit mens noſtra, ex verbis noſtris, non aliunde intelligitur. Verùm quæ iſta, quæſo, Dialectica eſt, Oſiander, idcirco concludere ſacræ Cœnæ ſigna vacua, & nuda à nobis relinqui, quoniam monſtroſam illam *Vbiquitatem* & *Vbiquepræſentiam* corporis Chriſti non admittimus, aut corpus ipſum cū ſignis corporali præſentiæ modo pręſens adeſſe in eodē loco nequaquā concedimus: cùm ipſemet Lutherus, vt antea docuimus, Vbiquitatem nihil ad Cœnā Domini pertinere ſit teſtatus: neque id Pouchenius ipſe diffiteatur, immò diſertè iam affirmet. Prius igitur, Oſiander, inter vos conueniat, oportet, quàm nobiſcum diſceptes. Ergo ſunt ex noſtro dogmate ſigna, ſeu Symbola S. Cœnæ, ſigna non nuda: ſed verè teſtificantia, atque, vt loquuntur, exhibitiua ipſius rei, quam deſignant: ſed nobis ea fide ſumentibus, ſpirituali modo: animis, non ore corporis: neque etiam ipſius, vt vos loquimini, eſſentialis carnis & ſanguinis Chriſti in eodem loco. i. in his terris cū ſignis copulatione: quē vnum tamē modū vos eſſe vultis per quē S. Cœnæ ſymbola eſſe queant vera promiſſionum Dei ſigna. A Quaſi verò in ſacrificiis Veteris Teſtamenti (quæ erant eiuſdem Chriſti carnis pro peccatorum remiſsione immolandæ Sacramenta, vti iam immolatæ hæc noſtra ſunt ſigna) ipſa Caro, & Sanguis Chriſti adeſſent præſentiæ corporalis ſitu & modo: quaſi in Agno Paſchatis, in Manna: in conuiuiis Euchariſticis (quæ certè omnia erant Patrum cum ipſa carne, & ſanguine Chriſti communicationis Sacramenta, quemadmodum & hæc noſtra ſunt noſtræ) ipſa caro & ſanguis Chriſti tunc præſens eſſentialiter adeſſet, & in eodem loco cum ipſo Agno, cum ipſo Manna, cum ipſo Pane azymo, & vino, quibus poſt ſacrificium veſcebantur fideles, præſens ęſſet. Quę tamē ſi nuda fuerunt ſigna, an non Patres ludificatus fuerit Deus? Quamobrem etſi corpus ipſum & ſanguinē Chriſti cum Pane, & Vino S. Cœnæ eodem loco non coniungimus: neque cum ſignis corporali pręſentiâ adeſſe dicimus: propterea tamen neque nuda, neque etiam vacua illa relinquimus, quemadmo- B dum vident omnes, vt tandem nos hac calumnia onerare deſinas. Quid in Baptiſmo? Num idcirco Aqua nudum eſt & inane ſignum, quoniam Chriſti ſanguis cū ea corporalis præſentiæ modo, vobis etiam approbantibus, non coniungitur. Vide quid ad iſta reſpondeas?

1. Cor. 10

4. Oſiand. arg. Pag.23. 1. Cor. 11. ver. 27.

Qui cum Vbiquitarijs non conſentiunt, Paulo repugnant, quoniam Paulus affirmat etiam indignos ſumere ipſum eſſentiale corpus, & ſanguinem Chriſti, quod negant iſti.

Reſpōſio

Iterum apertè verba Pauli corrumpit Oſiander: hæc enim ſunt ipſiſſima Pauli verba ex Gręcis Latina facta. *Itaque quiſquis ederit Panem hunc, & bibetur hoc poculum Domini indignè, reus tenebitur corporis & ſanguinis Domini.* Rationem addit Paulus. *Nam qui edit & bibit indignè, damnationem ſibi ipſi edit & bibit, non diſcernens corpus Domini.* Ex quibus Pauli verbis primùm apparet ſumi quidem ab indignis *Panem hunc & Vinum illud.* i. Sacramēta: at non illud quod vult Oſiander, id eſt corpus & ſanguinem Chriſti. C Eſt enim veriſſima hæc Chriſti ſententia: *Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam, & ego excitabo eum in nouiſſimo die.* At pro *Pane hoc* & pro *Poculo hoc*, quę ſunt voces Pauli, malitioſè Oſiander hæc verba ſubſtituit, *ipſum corpus & ſanguinem Chriſti*, quæ certè longiſsimè, totáque naturæ ratione ab ipſo Pane & Vino differunt, niſi ſi fortaſſe trāſiens iſte in caſtra Pontificiorum è S. Cœna Domini tollit omnino ſigna ipſa, & ſymbola. Alterum autem quod ex iiſdem Pauli verbis diſertè colligitur hoc eſt, *Indignos ad Cœnam Domini accedentes Reos eſſe corporis, & ſanguinis Chriſti, quia non diſcernunt corpus Domini.* Hoc autem quid ſit explicās Auguſtinus ait, *quoniam Indigni hunc Panem, & Poculum hoc, velut quēlibet alium cibum indiſcretè, negligentérque ſumunt*: & propterea redundat contemptus in ipſum Chriſtum, id eſt, in ipſam rem ſignificatam. Præclarè enim Hieronymus in Malachiam: *Dum ſacramenta violantur, ipſe, cuius ſunt, violatur.* Quemadmodum .n. qui ſignū Paſchatis, qui Manna ipſum, qui Panes Propoſitionis, qui carnes in ſacrificio Euchariſtico oblatas à cæteris vulgaribus cibis (quanuis & ipſi ſint Dei dona) fide non diſcernebant iudicium ſibi

Ioann. 6. v. 54.

Tract. in Euang. Ioan. 62.

Hierony. in Malac. c. 1.

A ſibi manducabant, quemadmodum docet Chriſtus ipſe. Neque tamen ipſa res ſignificata, nempe Caro Chriſti tunc præſens in iis locis erat, neque cum ipſis ſignis coniuncta: ſic qui in S. Domini Cœna Panem, & Vinum Sacramenta à vulgaribus, communibúſque cibis fide non diſtinguunt, ij & Dei beneficia contemnunt, & corporis Chriſti κοινωνίαν (cuius hic Panis, & hoc Vinum ſunt illis Symbola ſacra) & vt vno verbo dicam, Deum ipſum, & Chriſtum Dominum aſpernantur cum vniuerſis ſalutaribus ipſius donis. Quare perperam colligit Oſiander nos aduerſari Paulo. Neque enim hoc dicit Paulus, ſed id tantùm, eos nimirum edere *Panem hunc, & poculum hoc.* Præclarè igitur Chryſoſto. Homil.60. ad populum Antiochen. docet hæc verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum &c.* nihil ſenſibile, ſed omnia intellectu & fide apprehendenda continere, ac polliceri, ne corpus ipſum Chriſti in his, aut cum his ſignis quæramus: aut illud inſenſibile eſſe, etiam quum adeſt, exiſtimemus. B Atque ſic reſpondetur ad quartum Oſiandri argumentum.

Ioan.6. v. 58. 1.Cor. 10. v. 5.

Chryſoſt. Homil.60 ad pop. Antioc.

Quintum Oſiandri Argumentum. pag.23.

Qui Vbique eſſe Corpus Chriſti non fatentur errant: quoniam negant Chriſtum iuxta humanitatem aſſumptam etiam in ſtatu gloriæ & Maieſtatis eſſe omnipotentem.

Reſpōſio. Audi, Oſiander, quid dicamus. Affirmamus Chriſtum etiam ante ſtatum gloriæ, & eius Maieſtatis (in qua nunc eſt) eſſe, fuiſſéque ſemper & ab æterno omnipotentem: quia Chriſtus hic eſt verus Deus, & Deo Patri per omnia æqualis. Sed Chriſtum iuxta humanitatem aſſumptam eſſe omnipotentem, hoc verò pernegamus. Ratio eſt, ne naturas in Chriſto cōfundamus, ne proprietates earum eſſentiales propter maieſtatem à Chriſto homine aſſumptam in eo fuiſſe abolitas cum Eutychianis ſentiamus: ne ipſum fidei noſtræ fundamentum, & hoc immutabile Sp.S. verbum euertamus, *Et Verbum Caro factum eſt.* Denique ne ipſam omnipotentiam in creatura vlla eſſe conſtituamus, id eſt, ne creaturā vllam Deum faciamus. Etſi enim ſcholaſtici dicunt humanam Chriſti C naturam per gratiam Vnionis (vt ipſemet loquuntur, & quidem rectè) non autem per gratiam habitualem appellari poſſe omnipotentem: tamen huiuſmodi phraſes in abſtracto ſunt periculoſæ, ac vos multóſque non ſatis quomodo id rectè dicatur attendentes fefellerunt. Atque etiam tales enuntiationes de humana Chriſti natura ſunt tantùm vt ſcholæ loquuntur, dialecticæ, & verbales: non autem Reales, aut Phyſicæ, vt ex Luthero quoq; ipſo poteſt colligi in poſtilla Eccleſiaſtica in Enarratio. Epiſt in die Natali. Quamobrem in eo verè tu quidem, Oſiander, ſcribis, *Nos negare Chriſtum iuxta humanitatem eſſe omnipotentem*: ſed in eo erras turpiſſimè, quòd hanc noſtram verbo Dei conſentientem ſententiā errorem appellas, & eſſe iudicas.

Ioan.1. v. 14.

Lombard. lib.3. Sent. Diſt.14. Thomas in 3. part. quæſt.3. Durādus in Lōbardum.

6. Oſiand. Argumē. Colloſſ.2. v.3.

Qui vbique corpus Chriſti eſſe non credunt, negant, aduerſus ipſiſſima Pauli verba, reconditos eſſe in Chriſto iuxta humanitatem aſſumptam omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ: quoniam volunt Chriſtum ea tantùm ſcire, quæ homo eſt, quæ ad officium iudicis pertinent.

Reſpōſio. Reſpondemus verò, Nos vera fide, palam profiteri, & toto pectore credere, D. N. Ieſum Chriſtum etiam, quâ homo eſt, eâ gloriâ, maieſtate, ſcientiâ, potētiâ, omnibúſque aliis (quæ in creatam vllam naturam cadere poſſunt) Dei donis exornatum ac præditum eſſe, vt & ſupra Angelos omnes ineffabiliter emineat, & ſit hæc ipſius gloria & maieſtas etiam Angelis ipſis ineffabilis, ac incomprehenſibilis: tamen negamus eam ipſam maieſtatem, gloriam, ſcientiam, potentiam (quā Chriſtus homo à Patre accepit) eſſe vel origine ſiue tempore, vel genere, vel rerum ipſarum quas ſcit,, quáſque per eam poteſt, numero, & ipſis agendi viribus, id eſt, (vt in ſcholis loquuntur) & extenſiuè, & intenſiuè illi & gloriæ, & maieſtati, & ſcientiæ, & potentiæ parem, aut æqualem, quam idē Chriſtus habet, quâ Deus eſt. Itaque cum Auguſtino & Ambroſio dicimus eūdem Chriſtum ſeipſo & maiorem, & minorum eſſe. Lyranus ipſe in Ioan. Euangel. cap. 7. verſ. 16, docet in Chriſto etiam poſt ipſius glorificationem duplicem ſcientiam ineſſe, quæ minimè ſit confundenda. Vnam quidem diuinā, & æternam, & Patri æqualem, illíque eſſentialem, quia Chriſtus eſt Deus Patri æqualis: alteram autem creatam & longè inferiorem, ac minorem illâ æterna & ſuperiori, quam habet Chriſtus etiam, quâ homo eſt in cœlo ſedens ad dextram Patris, & ſumma ſupra creaturas omnes eminentiâ à Patre glorificatus. Huius autem noſtræ fidei, ac orthodoxæ ſententiæ ratio eſt, quòd qui vtramque Chriſti gloriam, ſcientiam, potentiam, &c. confundunt, vel eas inter ſeſe exæquant, procul dubio ij vel cum teterrimis hæreticis Eutychianis humanam naturam poſt eius glorificationem abſorbent: vel cum Monophyſitis (qui ſunt propago Eutychianorum) ex duabus naturis vnam tantùm compingunt: vel cum Monothelitis Monophyſitarum ſucceſſoribus in Chriſto (quem tamen aſtutè & Deum, & hominem fateri ad tegendos errores videbantur) vnicam duntaxat voluntatem, ſcientiam, potentiam, &c. eſſe imaginantur. Ergo vtramque & ſcientiam, & potentiam, & Maieſtatem in vno & eodem Deo, & homine Chriſto diſtinguimus, non tamen ſeparamus: imparem facimus, non tamen ineſſe negamus: vtrique naturæ quod ſuum eſt, C relinquimus: naturas autem ipſas, aut earum eſſentiales proprietates neque confundimus, neque abſorbemus. Ex quo fit, vt quia tanta eſt Chriſti etiam hominis maieſtas, & gloria, (quantam antea diximus, quantáque illi ipſi neceſſaria eſt, cui vni Pater dixit, *Sede à dextris meis*) dicamus etiam Chriſtum non ea tantùm iuxta naturam aſſumptam ſcire, & poſſe, quæ ad iudicis officium pertinent (id quod duntaxat à nobis, dici confingis) ſed in vniuerſum quicquid ad totum Mediatoris officium, quicquid ad Domini, quicquid ad Regis erga vniuerſam Dei Eccleſiā, munus, denique quicquid ad totius huius Mundi gubernationem pertinet, illud de omnibus creaturis ſcit, illud in omnes poteſt, illud de omnibus, & ſingulis ordinat: illud in omnibus efficit D. N. Ieſus Chriſtus etiam quâ homo eſt, quia *ſedet ad dextram Patris, dataque eſt illi omnis poteſtas in cœlo, & in tera. i. in res omnes creatas, ſiue illæ ſint cœleſtes, ſiue Terrena, ſiue ſubterranea*, & efficacitate virtutis, ſpiritúſque ſui omnia implet. Hæc eſt igitur noſtra pia, orthodoxa, perpetuo S. Scripturæ teſtimonio cōfirmata ſententia de omnipotē-

Pſa.110. v. 1. Heb.1. v. 13.

Matth.28. ver.18. Philip.2. ver 10. Epheſ.4. ver.10.

A in omnes Vbiquitarios retorquemus. Huic autẽ Oſiandri argumento iam reſpondemus illud ipſum, quod ait Baſilius, Auguſt. Damaſce. nimirum, quòd Deus non poſſit quædam, non eſſe hoc ipſum in Deo impotentiam: ſed potius ſummam *eſſe Dei & ſapientiam, & potentiam, & conſtantiam.* Nam non poſſe mentiri, mori, ſibi aduerſari, hæc ſumma eſt Dei gloria, conſtantia, & omnipotentia, quæ ſi poſſet, iam non eſſet omnipotens. Huiuſmodi eſt illud quod dicimus: cùm verum, & humanum corpus omne περιγραπτὸν, & locabile eſſe voluerit Deus, ac tale filio ſuo Domino noſtro Ieſu Chriſto pro noſtra ſalute dederit, ſummæ eſſet inconſtantię quod perpetuum eſſe voluit, veram videlicet humanitatem Chriſti deſtruere: ſummæque impotentiæ mentiri poſſe. Quod ſanè Deo tribuit quiſquis contradictoria illum velle docet, ipſum videlicet velle vt corpus Chriſti ſimul ſit & circumſcriptum & incircumſcriptum: item finitum & infinitum: & vno loco ſimul, atque pluribus locis. Hæc vos aſſeritis, nos B negamus. Vtri meliùs ſentiant, iudicet orthodoxa Eccleſia atque poſteritas.

3. Oſiãdri argumen. Pag.23.

Qui vbique eſſe corpus Chriſti non conſentiunt, relinquunt nobis in S.Cœna Panem & Vinum Symbola nuda, quibus iubent, vt fidem noſtram confirmemus.

Reſpõſio.

Nobis hìc verò Oſiander errores, & monſtra affingit, quæ debellet: noſtram autem ſententiam neque refert, neque refutat. Negamus igitur vel ex verbis, vel ex mente noſtra colligi poſſe, quòd hìc de nobis Oſiãder ait. Ex verbis quidẽ non poteſt, quia perſpicuè docemus hæc ſigna longè differre à rerum ſimulachris, aut pictis imaginibus, etiam ad viuum expreſſis. Huiuſmodi enim εἰκόνες ſunt ſigna tantùm, eáque nuda, neque rem ipſam, (quam ſignant, & repræſentant) dari nobis, communicaríque obſignant. At Panem, & Vinum S. Cœnæ affirmamus eſſe certiſſimas ipſius Chriſti carnis, & ſanguinis cõmunicati exhibitíque nobis σφραγῖδας, ſi finem eorum ſpectemus cuius iã cauſa inſtitutę. Quare ex verbis noſtris refutatur iſta Oſiandri calumnia, apparétque minimè nos facere ſigna Cœnæ nuda ſigna. Atqui neque ex mente noſtra aliud quippiam colligi C poteſt, quia quæ ſit mens noſtra, ex verbis noſtris, non aliunde intelligitur. Verùm quæ iſta, quæſo, Dialectica eſt, Oſiander, idcirco concludere ſacræ Cœnæ ſigna vacua, & nuda à nobis relinqui, quoniam monſtroſam illam *Vbiquitatem* & *Vbiquepræſentiam* corporis Chriſti non admittimus, aut corpus ipſum cũ ſignis corporali præſentiæ modo pręſens adeſſe in eodẽ loco nequaquã concedimus: cùm ipſemet Lutherus, vt antea docuimus, Vbiquitatem nihil ad Cœnã Domini pertinere ſit teſtatus: neque id Pouchenius ipſe diffiteatur, immò diſertè iam affirmet. Prius igitur, Oſiander, inter vos conueniat, oportet, quàm nobiſcum diſceptes. Ergo ſunt ex noſtro dogmate ſigna, ſeu Symbola S. Cœnæ, ſigna non nuda: ſed verè teſtificantia, atque, vt loquuntur, exhibitiua ipſius rei, quam deſignant: ſed nobis ea fide ſumentibus, ſpirituali modo: animis, non ore corporis: neque etiam ipſius, vt vos loquimini, eſſentialis carnis & ſanguinis Chriſti in eodem loco. i. in his terris cũ ſignis copulatione: quẽ vnum tamẽ modũ vos eſſe vultis per quẽ S. Cœnæ ſymbola eſſe queant vera promiſſionum Dei ſigna. A Quaſi verò in ſacrificiis Veteris Teſtamenti (quæ erant eiuſdem Chriſti carnis pro peccatorum remiſsione immolandæ Sacramenta, vti iam immolatæ hæc noſtra ſunt ſigna) ipſa Caro, & Sanguis Chriſti adeſſent præſentiæ corporalis ſitu & modo: quaſi in Agno Paſchatis, in Manna: in conuiuiis Euchariſticis (quæ certè omnia erant Patrum cum ipſa carne, & ſanguine Chriſti communicationis Sacramenta, quemadmodum & hæc noſtra ſunt noſtræ) ipſa caro & ſanguis Chriſti tunc præſens eſſentialiter adeſſet, & in eodem loco cum ipſo Agno, cum ipſo Manna, cum ipſo Pane azymo, & vino, quibus poſt ſacrificium veſcebantur fideles, præſens ęſſet. Quę tamẽ ſi nuda fuerunt ſigna, an non Patres ludificatus fuerit Deus? Quamobrem etſi corpus ipſum & ſanguinẽ Chriſti cum Pane, & Vino S. Cœnæ eodem loco non coniungimus: neque cum ſignis corporali pręſentiâ adeſſe dicimus: propterea tamen neque nuda, B neque etiam vacua illa relinquimus, quemadmodum vident omnes, vt tandem nos hac calumnia onerare deſinas. Quid in Baptiſmo? Num idcirco Aqua nudum eſt & inane ſignum, quoniam Chriſti ſanguis cũ ea corporalis præſentiæ modo, vobis etiam approbantibus, non coniungitur. Vide quid ad iſta reſpondeas?

1. Cor.10

4. Oſiand. arg. Pag.23.

1. Cor.11. ver.27.

Qui cum Vbiquitarijs non conſentiunt, Paulo repugnant, quoniam Paulus affirmat etiam indignos ſumere ipſum eſſentiale corpus, & ſanguinem Chriſti, quod negant iſti.

Reſpõſio

Iterum apertè verba Pauli corrumpit Oſiander: hæc enim ſunt ipſiſſima Pauli verba ex Gręcis Latina facta. *Itaque quiſquis ederit Panem hunc, & bibetur hoc poculum Domini indignè, reus tenebitur corporis & ſanguinis Domini.* Rationem addit Paulus. *Nam qui edit & bibit indignè, damnationem ſibi ipſi edit & bibit, non diſcernens corpus Domini.* Ex quibus Pauli verbis primùm apparet ſumi quidem ab indignis *Panem hunc & Vinum illud.* i. Sacramẽta: at non illud quod vult Oſiander, id eſt corpus & ſanguinem C Chriſti. Eſt enim veriſſima hæc Chriſti ſententia: *Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam, & ego excitabo eum in nouiſſimo die.* At pro *Pane hoc* & pro *Poculo hoc*, quę ſunt voces Pauli, malitioſè Oſiander hæc verba ſubſtituit, *ipſum corpus & ſanguinem Chriſti*, quæ certè longiſsimè, totáque naturæ ratione ab ipſo Pane & Vino differunt, niſi ſi fortaſſe trãſiens iſte in caſtra Pontificiorum è S.Cœna Domini tollit omnino ſigna ipſa, & ſymbola. Alterum autem quod ex iiſdem Pauli verbis diſertè colligitur hoc eſt, *Indignos ad Cœnam Domini accedentes Reos eſſe corporis, & ſanguinis Chriſti, quia non diſcernunt corpus Domini.* Hoc autem quid ſit explicãs Auguſtinus ait, *quoniam Indigni hunc Panem, & Poculum hoc, velut quẽlibet alium cibum indiſcretè, negligentérque ſumunt*: & propterea redundat contemptus in ipſum Chriſtum, id eſt, in ipſam rem ſignificatam. Præclarè enim Hieronymus in Malachiam: *Dum ſacramenta violantur, ipſe, cuius ſunt, violatur.* Quemadmodum .n. qui ſignũ Paſchatis, qui Manna ipſum, qui Panes Propoſitionis, qui carnes in ſacrificio Euchariſtico oblatas à cæteris vulgaribus cibis (quanuis & ipſi ſint Dei dona) fide non diſcernebant iudicium ſibi

Ioann. 6. v.54.

Tract. in Euang. Ioan.62.

Hierony. in Malac. c.1.

A

Ioan.6. v. 58.
1.Cor. 10. v. 5.

Chryſoſt. Homil.60 ad pop. Antioc.

ſibi manducabant, quemadmodum docet Chriſtus ipſe. Neque tamen ipſa res ſignificata, nempe Caro Chriſti tunc præſens in iis locis erat, neque cum ipſis ſignis coniuncta: ſic qui in S. Domini Cœna Panem, & Vinum Sacramenta à vulgaribus, communibúſque cibis fide non diſtinguunt, ij & Dei beneficia contemnunt, & corporis Chriſti κοινωνίαν (cuius hic Panis, & hoc Vinum ſunt illis Symbola ſacra) & vt vno verbo dicam, Deum ipſum, & Chriſtum Dominum aſpernantur cum vniuerſis ſalutaribus ipſius donis. Quare perperam colligit Oſiander nos aduerſari Paulo. Neque enim hoc dicit Paulus, ſed id tantùm, eos nimirum edere *Panem hunc, & poculum hoc.* Præclarè igitur Chryſoſto. Homil.60. ad populum Antiochen. docet hæc verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum &c.* nihil ſenſibile, ſed omnia intellectu & fide apprehendenda continere, ac polliceri, ne corpus ipſum Chriſti in his, aut cum his ſignis quæramus: aut illud inſenſibile eſſe, etiam quum adeſt, exiſtimemus. Atque ſic reſpondetur ad quartum Oſiandri argumentum.

B

Quintum Oſiandri Argumentum. pag.23.

Qui Vbique eſſe Corpus Chriſti non fatentur errant: quoniam negant Chriſtum iuxta humanitatem aſſumptam etiam in ſtatu gloriæ & Maieſtatis eſſe omnipotentem.

Reſpõſio.

Audi, Oſiander, quid dicamus. Affirmamus Chriſtum etiam ante ſtatum gloriæ, & eius Maieſtatis (in qua nunc eſt) eſſe, fuiſſéque ſemper & ab æterno omnipotentem: quia Chriſtus hic eſt verus Deus, & Deo Patri per omnia æqualis. Sed Chriſtum iuxta humanitatem aſſumptam eſſe omnipotentem, hoc verò pernegamus. Ratio eſt, ne naturas in Chriſto cõfundamus, ne proprietates earum eſſentiales propter maieſtatem à Chriſto homine aſſumptam in eo fuiſſe abolitas cum Eutychianis ſentiamus: ne ipſum fidei noſtræ fundamentum, & hoc immutabile Sp.S. verbum euertamus, *Et Verbum Caro factum eſt.* Denique ne ipſam omnipotentiam in creatura vlla eſſe conſtituamus, id eſt, ne creaturã vllam Deum faciamus. Etſi enim ſcholaſtici dicunt humanam Chriſti naturam per gratiam Vnionis (vt ipſemet loquuntur, & quidem rectè) non autem per gratiam habitualem appellari poſſe omnipotentem: tamen huiuſmodi phraſes in abſtracto ſunt periculoſæ, ac vos multóſque non ſatis quomodo id rectè dicatur attendentes fefellerunt. Atque etiam tales enuntiationes de humana Chriſti natura ſunt tantùm vt ſcholæ loquuntur, dialecticæ, & verbales: non autem Reales, aut Phyſicæ, vt ex Luthero quoq; ipſo poteſt colligi in poſtilla Eccleſiaſtica in Enarratio. Epiſt in die Natali. Quamobrem in eo verè tu quidem, Oſiander, ſcribis, *Nos negare Chriſtum iuxta humanitatem eſſe omnipotentem*: ſed in eo erras turpiſſimè, quòd hanc noſtram verbo Dei conſentientem ſententiã errorem appellas, & eſſe iudicas.

Ioan.1.v. 14.

C

Lombard. lib.3.Sent. Diſt:14. Thomas in 3. part. quæſt.3. Durãdus in Lõbardum.

6. Oſiand. Argumẽ. Coloſſ.2. v.3.

Qui vbique corpus Chriſti eſſe non credunt, negant, aduerſus ipſiſſima Pauli verba, reconditos eſſe in Chriſto iuxta humanitatem aſſumptam omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ: quoniam volunt Chriſtum ea tantùm ſcire, qua homo eſt, quæ ad officium iudicis pertinent.

Reſpõſio.

Reſpondemus verò, Nos vera fide, palam profiteri, & toto pectore credere, D. N. Ieſum Chriſtum etiam, quâ homo eſt, eà gloriâ, maieſtate, ſcientiâ, potẽtiâ, omnibúſque aliis (quæ in creatam vllam naturam cadere poſſunt) Dei donis exornatum ac præditum eſſe, vt & ſupra Angelos omnes ineffabiliter emineat, & ſit hæc ipſius gloria & maieſtas etiam Angelis ipſis ineffabilis, ac incomprehenſibilis: tamen negamus eam ipſàm maieſtatem, gloriam, ſcientiam, potentiam (quã Chriſtus homo à Patre accepit) eſſe vel origine ſiue tempore, vel genere, vel rerum ipſarum quas ſcit,, quáſque per eam poteſt, numero, & ipſis agendi viribus, id eſt, (vt in ſcholis loquuntur) & extenſiuè, & intenſiuè illi & gloriæ, & maieſtati, & ſcientiæ, & potentiæ parem, aut æqualem, quam idẽ Chriſtus habet, quâ Deus eſt. Itaque cum Auguſtino & Ambroſio dicimus eũdem Chriſtum ſeipſo & maiorem, & minorum eſſe. Lyranus ipſe in Ioan. Euangel. cap. 7. verſ. 16, docet in Chriſto etiam poſt ipſius glorificationem duplicem ſcientiam ineſſe, quæ minimè ſit confundenda. Vnam quidem diuinã, & æternam, & Patri æqualem, illíque eſſentialem, quia Chriſtus eſt Deus Patri æqualis: alteram autem creatam & longè inferiorem, ac minorem illâ æterna & ſuperiori, quam habet Chriſtus etiam, quâ homo eſt in cœlo ſedens ad dextram Patris, & ſumma ſupra creaturas omnes eminentiâ à Patre glorificatus. Huius autem noſtræ fidei, ac orthodoxæ ſententiæ ratio eſt, quòd qui vtramque Chriſti gloriam, ſcientiam, potentiam, &c. confundunt, vel eas inter ſeſe exæquant, procul dubio ij vel cum teterrimis hæreticis Eutychianis humanam naturam poſt eius glorificationem abſorbent: vel cum Monophyſitis (qui ſunt propago Eutychianorum) ex duabus naturis vnam tantùm compingunt: vel cum Monothelitis Monophyſitarum ſucceſſoribus in Chriſto (quem tamen aſtutè & Deum, & hominem fateri ad tegendos errores videbantur) vnicam duntaxat voluntatem, ſcientiam, potentiam, &c. eſſe imaginantur. Ergo vtramque & ſcientiam, & potentiam, & Maieſtatem in vno & eodem Deo, & homine Chriſto diſtinguimus, non tamen ſeparamus: imparem facimus, non tamen ineſſe negamus: vtrique naturæ quod ſuum eſt, relinquimus: naturas autem ipſas, aut earum eſſentiales proprietates neque confundimus, neque abſorbemus. Ex quo fit, vt quia tanta eſt Chriſti etiam hominis maieſtas, & gloria, (quantam antea diximus, quantáque illi ipſi neceſſaria eſt, cui vni Pater dixit, *Sede à dextris meis*) dicamus etiam Chriſtum non ea tantùm iuxta naturam aſſumptam ſcire, & poſſe, quæ ad iudicis officium pertinent (id quod duntaxat à nobis, dici confingis) ſed in vniuerſum quicquid ad totum Mediatoris officium, quicquid ad Domini, quicquid ad Regis erga vniuerſam Dei Eccleſiã, munus, denique quicquid ad totius huius Mundi gubernationem pertinet, illud de omnibus creaturis ſcit, illud in omnes poteſt, illud de omnibus, & ſingulis ordinat: illud in omnibus efficit D. N. Ieſus Chriſtus etiam quâ homo eſt, quia *ſedet ad dextram Patris, dataque eſt illi omnis poteſtas in cœlo, & in tera. i. in res omnes creatas, ſiue illæ ſint cœleſtes, ſiue Terrenæ, ſiue ſubterraneæ*, & efficacitate virtutis, ſpiritúſque ſui omnia implet. Hæc eſt igitur noſtra pia, orthodoxa, perpetuo S. Scripturæ teſtimonio cõfirmata ſententia de omnipotẽ-

A

B

C

Pſa.110. v. 1.
Heb.1.v. 13.

Matth.28. ver.18.
Philip.2. ver 10.
Epheſ.4. ver.10.

A tia, omniſcientia, & (ſi quis ita appellare velit) omnimaieſtate, ac gloria Domini, ac Seruatoris Noſtri Ieſu Chriſti in aſſumpta à ſe natura.i.humana. In quo nequaquam refutamur à Paulo, vt putas, qui ait, *omnes theſauros ſapientiæ, ac ſcientiæ eſſe in Chriſto.* Nam loquitur Paulus de tota Chriſti perſona, non de humana tantùm eius natura. Perſona autem Chriſti duabus illis naturis conſtat: quarum vna diuina eſt, cuius reſpectu verè dicuntur ἁπλῶς ineſſe in Chriſto omnes theſauri ſapientiæ, cùm ſit ipſa ſapientia Patris. Quòd ſi quis etiam ad naturam Chriſti humanam referenda velit hæc ipſa Pauli verba, *In eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ, quia ex eius plenitudine*, quemadmodum ait Ioannes, *omnes accepimus*, per nos etiam id facere poteſt. Reſpondemus enim tunc, vocem, *Omnes* comparatè ad omnium cuiuſuis generis, & prærogatiuæ creaturarum ſapientiam, ſcientiámque accipi, quæ præ Chriſti ſcientia, & ſapientia ne exigua quidem ſit ſapientiæ illius particula, & velut ad Mare totum aquæ B guttula, aut ad totum Solem quædam tantùm lucis ſcintilla. Quanquam quomodo Chryſoſt. illum Pauli ad Coloſſenſes locum explicet, fortaſſe non ignoras. Nolo autem in hunc locum transſcribere ad meæ ſententię confirmationem quod & Baſil. lib. 4. contra Eunom. & Nazian. Oratio. 2. de filio ſcribunt explicantes hoc dictum Chriſti Marc. 13. verſ. 32. *De die illo, & hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque filius, niſi Pater.* Quoniam etiam cum illis Lutherus ipſe refert illa Marci verba ad idioma naturæ humanæ in concione quadam enarrans illum eundem Marci locum. Et hoc quidem ad ſextum argumentum tuum, Oſiander, noſtrum eſt reſponſum. Addis autem.

Coloſſ. 2. ver. 3.

Ioan. 1. v. 16.

Lutherus in Marc. Locum De die, &c.

Qui corpus Chriſti vbique eſſe negant, diuidunt operationes in Chriſto, & ſeparatim alias Diuinitati, alias Humanitati tribuunt: qui eſt iamdudum damnatus Neſtorianorum error.

7. Oſiand. Argum. Pag. 23.

Nequaquam verò operationes Chriſti ſeparamus, Oſiander, vti neque ipſum Chriſtum in duo ὑφιστάμενα diuidimus: ſed diſtinguimus tantùm in vna, eadem Chriſti Dei & hominis perſona opeC rationes Deitatis proprias ab iis, quæ ſunt humanitatis in eodem Chriſto propriæ. Ambroſ. *Non enim Chriſtum diuido cùm carnis eius, diuinitatiſque diſtinguo ſubſtantias.* Quod poſtea Leo 1. Epiſco. Romanus pulcherrimè docuit. Quod contra Eutycheten Vigilius Epiſco. Pater & ſcriptor orthodoxus ſcripſit. Quod antea & Epheſinum, & Chalcedonenſe Concilium confirmauit. Ergo totus Chriſtus plenam totius orbis terrarum adminiſtrationem obtinet quidem non eſt tamen Chriſtus vtrâque ſui naturâ Deus. Totus quidẽ Chriſtus, vt ait Auguſti. & vbique eſt, & omniſcius, & omnipotens. At non tamen totũ Chriſti, quia in Chriſto verè noſtro Emanuele ſicut duæ illæ naturæ vnam ipſius perſonam efficiunt: Sic etiam poſt Chriſti glorificationem in Chriſto perſeuerãt, vt quemadmodum ἀχωρίστως ϗ ἀδιαιρέτως vnitæ ſunt: ſic ἀσυγχύτως ϗ ἀτρέπτως manent. Id quod, vti dixi, in Chalcedonenſi Concilio (quod veſtri, Oſiander, admittunt) pij, & orthodoxi Patres iampridem definierunt. Non eſt autem idem ſeparare, & diſtinguere aliquid. In S. enim Trinitate Perſonæ inter ſe diſtinguuntur, non ſeparantur. In vnoquoq; noſtrûm anima diſtinguitur, à corpore, & vtriuſq; actiones: nõ autẽ in diuerſum ſuppoſitum ſeparatur. Ergo, & quàm pueriliter in confundendis his vocabulis *diſtinguere, & ſeparare* hallucineris: & quàm falſò nobis Neſtorianorum errorem, aut quicquam illi ſimile affingas, per te ipſum vides, ſi tamen per teipſum aliquid videre potes. Tu potius tuíque Vbiquitarij Neſtorianorum errorem ex inferis reuocãt, dum per illam omnium Deitatis eſſentialium proprietatum in humanam Chriſti naturam effuſionem, hominem ipſi Deo in Chriſto exæquant.

Reſpõſio.

Cyrill. in lib. de Incarnat. Vnigenit. cap. 8.

Octauum, & vltimum iſtius Vbiquitarij aduerſus nos argumentum eſt. *Errare eos, qui ſecum non conſentiunt, quoniam Chriſtum, & ſecundum Deitatem, & ſecundum humanitatem vbique eſſe negant:* cùm tamen dixerit Chriſtus, *Ego vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi.*

8. Oſiand. Argmen. Pag. 8.

Mat. 28.

Reſpõſio.

Primùm vel ineptit Oſiander, vti & Pappus, vel fortiter diſſimulat noſtram ſentẽtiam, ne apertè iam B videatur calumniari. Conſtanter enim & aſſeueranter cum Auguſtino dicimus, docemus, & affirmamus, *Totum quidem Chriſtum eſſe Vbique: non autem Totum Chriſti. Nam non eſt conſequens*, quemadmodum ait idem, *vt quod eſt in Deo, ita ſit Vbique vt Deus. Cauendum enim eſt ne ita Diuinitatem aſtruamus hominis (Chriſti) vt veritatem corporis auferamus. Neque enim ſecundum hanc formam (id eſt, ſecundum Carnem) putandus eſt (Chriſtus) Vbique diffuſus. Carni quidem ſuæ dedit immortalitatem, naturam non abſtulit. Vna igitur perſona Deus & homo eſt, & vtrumque eſt Deus Chriſtus Ieſus, Vbique per id quod Deus eſt: in cælo autem per id quod homo.* Quid apertiùs dici poteſt pro nobis? Quod ſi quoties pronomen *Ego* à Chriſto vſurpatur, de vtraque eius natura intelligendum eſt hoc pronomen, an non conſequetur Chriſtum perpetuò hominem fuiſſe, quoniam dixerit, *Antequam Abraham eſſet, ego ſum*, vt alia infinita omittam? Hæc igitur eſt prima Oſiandri in nos calumnia: quòd inter totum Chriſtum, & totum Chriſti, Inter Chriſtum vniuerſaliter & ſigillatim conſideratum diſtinguere non poteſt vel hîc, vel infra pagina 25. Vbi ſic magno errore concludit, *Chriſtus Deus, & homo ſuæ Eccleſiæ imprimis adeſt: Ergo & humanitas Chriſti Vbique eſt.* Nos igitur concedimus totum quidem Chriſtum, id eſt, eum Chriſtum (qui verè & Deus & C homo ſimul eſt) Vbique eſſe. Secundum autem vtrâque naturam Vbique eſſe pernegamus. Altera iſtius hominis fraus in eo eſt, quòd ambiguè loquitur. Nam ſi illud ſuum, *ſecundum humanitatem* ſic intelligit, vt ſignificet, ac velit Chriſto Deo (qui Vbique eſt) ſemper hypoſtaticè vnitam eſſe humanitatem, quã ſemel aſſumpſit, & quam nunquam deſerit, nos quoque idem fatemur. Gratia enim vnionis, id eſt, propter hypoſtaticam illam naturarum inter ſe vnionem de Chriſto dici poteſt, Chriſtum hominem *eſſe Vbique*: quia Deitas, cui hypoſtaticè humanitas vnita eſt, Vbique eſt, & quia qui Deus eſt Vbique, indiuiſè ſemper retinet vnitam ſibi humanitatem. Ipſa verò humanitas Chriſti reipſa Vbique eſſe non poteſt. Neque enim conſequens, aut neceſſe eſt, vt quæ hypoſtaticè inter ſe vnita ſunt, vno & eodem ſimul in loco ſint, aut æqualiter coextendantur. Denique quod affers ex Mathæo, *Ego ſum vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi*, de Spiritu illo, de virtute, de potentia, de maieſtate, qua vt Deus Vbique eſt Chri-

Auguſt. De preſentia Dei. ad Dard. Epiſt. 57.

Ioan. 8. v. 58.

Mat. 28. v. 19.

Chriſtus,hoc ipſe dixit : non de præſentia ſuæ humanitatis,& carnis, quam ſupra omnes cœlos iſtos euexit, quemadmodum & humanæ Chriſti naturæ veritas docet, & Angeli ipſi dicentes, ***Surrexit, non eſt hîc***, & Apoſtolici Symboli hic articulus, ***Aſcendit in cœlum***, ita à Luca ipſo interprete veriſsimo explicatus : &, pia ſemper antiquitas credidit,& optimus denique illius loci cõmentator Auguſt. expoſuit. Atque hæc teſtimonia ſatis ſupérque ſufficient, quum præſertim Oſiander nullas omnino ſuarum aduerſus nos argumentationum, confirmationes attulerit, nihílq; ipſo iſtius libello planè & ieiunius, & tamen arrogantius. Vnum modò pro miſera, & tamen tantopere adamata à ſe Vbiquitate & Helena teſtimonium ex Cyrillo, & Theophylacto tandem in toto illo libro poſt diuturnam defatigationem depromit, quod tamen vel ignoranter,vel malitioſè deprauat. Ac primùm quidem quod ſumit ex Cyrillo, ab iſto eſſe peſsimè corruptum ipſa Cyrilli verba demonſtrant. Sunt autem hæc in illa verba Ioan.cap. 19. *Milites ergo cùm crucifixiſſent Chriſtum acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes,&c.* Cyrillus. *In quatuor partes veſtimenta diuiſa ſunt, & tunica indiuiſa remanſit, quod myſticæ cuiuſdam rei ſignum fuiſſe dixerim. Nam quatuor orbis partes ad ſalutem reductæ indumentum verbi, id eſt, carnem eius impartibiliter inter ſe partitæ ſunt. In ſingulos enim partibiliter tranſiens Vnigenitus & animam,atque corpus eorum per carnem ſuam ſanctificans, impartibiliter, atque integrè in omnibus eſt, quum vnus Vbique ſit nullo modo diuiſus ſicut Paulus ait,* 1. *Corint.* 1. Hæc verba Cyrilli apertè eò pertinent, vt doceamur vniuerſam totius orbis Eccleſiam, quíque in ea ſunt, ſingulos verè fideles ab vno,non pluribus Chriſtis, ab vna nõ varia eiuſdem Chriſti carne Spiritualiter per fidem ali & ſanctificari, pro menſura nimirum, quam cuique noſtrum dare viſum eſt Domino. Oſiander tamen ad *Vbiquitatem carnis Chriſt.* probandam iſta profert, quaſi ea & ſanctificatio, & alimonia noſtra, quæ fide fit, corporalis carnis Chriſti præſentiæ modũ & ſitum requirat. Quòd enim dicit Cyrillus, *Chriſtum impartibiliter, atque integrè in omnibus eſſe & vnum vbique*, id ſignificat, Chriſtum neque diſcerpi membratim per illam ſui cum toto ſuæ Eccleſiæ Vbique diffuſa corpore communicationem : neque etiam alium in vna Eccleſia Chriſtum eſſe, quàm in alia:ſed Vbique gentium vnum & eundem eſſe. Atque hoc ipſum valet aduerſus Iudæos, & Marcionitas, & Manichæos : minimè verò aduerſus nos, qui de eo, Dei gratiâ, nullo modo dubitamus, nec plures Chriſtos fingimus. Auguſt. in Ioan. Euang. tract. 35. Cyrilli ſententiam explicat his verbis, *Sapientia Dei,Verbum Dei, Dominus Ieſus Chriſtus vbique præſens eſt, quia vbique eſt veritas, vbique eſt ſapientia. Intelligit quis in Oriente iuſtitiam: intelligit alius in Occidente iuſtitiam, nunquid alia eſt iuſtitia, quam ille intelligit: alia, quam iſte? Separati ſunt corpore,& in vno habent acies mentium ſuarum. Quam video iuſtitiam hîc conſtitutus, ſi iuſtitia eſt: ipſam videt iuſtus neſcio quot manſionibus à me carne ſeiunctus & in illius iuſtitia luce cõiunctũ.* Ergo de Chriſto quâ Deus eſt, intelligendum apparet, quod & illîc Cyrillus, & hîc Auguſtinus eum vbique præſentem eſſe docent. Subiicit enim idem eodem in loco Auguſtinus, *Quid miramini? Deus hoc:ſed ab homine non poteſt hoc fieri.* Quod ſi, quia de eiuſdem Chriſti cum vniuerſa Eccleſia ſua (vbicunque terrarum ſparſa ſit) communicatione agitur, etiam de Chriſto homine, id eſt, Mediatore ſumẽdum quoque velint, tamen neque hoc ipſum omnipræſentiam carnis Chriſti confirmabit : quia huiuſmodi Eccleſiæ cum Chriſto communicatio,non corporalis præſentiæ modo, ſed ſola ſpiritualis ac ineffabilis inſitionis noſtræ cum eo ratione fit.Ergo fidem mentis, nõ os & viſcera ventris exigit,haud Chriſtum detrahit illa polo. Tantùm verò abeſt, vt ex iis verbis *Vbiquitas* iſta carnis Chriſti probetur : vt contrà ex iiſdem maximè oppugnetur. Si enim qui vbique in omnibus Eccleſiis eſt Chriſtus,eſt vnus : ſi quam Chriſti carnem fideles homines per vniuerſum terrarum orbem diffuſi participant,vnica duntaxat eſt: ergo Spirituali & ἐνεργητικῷ præſentiæ modo : non autem locali ſitu illis præſens adeſt caro Chriſti. Cuius conſecutionis ratio eſt, eáque neceſſaria,quòd ſi Chriſtus corpus ſuum in ſingulis orbis Eccleſiis corporalis præſentiæ modo ſiſtere dicatur, vel corporis ipſius multiplicatio concedenda eſt : aut vnius & eiuſdem illius corporis infinita moles : aut per ſingula Eccleſiarum loca eiuſdẽ expanſio, ac extenſio ſtatuenda, quorum vnumquodq; proculdubiò eſt & blaſphemũ, & falſum, & planè mõſtroſum. Ergo à Cyrillo ipſo, quem corrupiſti, Oſiander, euerteris : & Vbiquitas carnis Chriſti refutatur. Nam quod de carbone candente, & ignito ex eodem Cyrillo, & Baſilio profers, vbi duo quædam diuerſa ſunt ſimul, neque tamen confuſa : & vbi vnum alterius proprietates accipit, nempe Carbo proprietates ignis (carbo enim ignitus vrit) illa ſanè vetus eſt veſtra cantilena à Luthero, & Brentio antea tanquam palmaria ſententia propoſita : deinde nuperimè à M. Chemnitio repoſita,quia ſola vobis maximè plauſibilis ratio viſa eſt. At huic tamen iam millies noſtri reſponderunt, & quidem perſpicuè, nempe res eſſe diſſimillimas Deitatem in Chriſto, & ignem ſeu calorem in ignito Carbone.Nec enim Deitas qualitas eſt, aut aliud quidpiam, quod in rem alterius generis tranſfundi aut miſceri poſsit : vti eſt calor qui in carbonẽ traijcitur facilè. Deinde etiam reſpondeo ligno propriè nequaquam ineſſe vim illam, quæ vrit: ſed eam manere penes ignem ipſum, ſeu calorem, qui quoniam in illo Carbone ineſt, vrit in carbone. Ergo calor ipſe in iſto carbone vrit, nõ autẽ ipſum lignũ, id eſt,non ipſa terrena materia. Itaque vis iſta vrens ineſt, manétque propriè in ipſo calore, non in ligno : ſed quoniam calor (qui eſt qualitas κοινωνητὸς) ligno omni ex parte atque ἀδιαιρέτως commixtus eſt:idcirco cuicunque rei lignum illud candens applicueris, calorem quoque iſtum,qui in ligno iſto vrit, appoſueris, & admoueris. Itaque ſic figurato quodam loquendi genere dicimus, *lignum vrit*, quoniam calor (qui in ligno eſt) vrit. At Deitas etiam in perſona Chriſti non eſt humanitati communicabilis, quoniam, vt rectè in Chalced. ſynodo Patres dixerunt, Manſerunt in illa vnione naturæ inconfuſæ. Hæc igitur quæ de Carbone candente profers,ſunt non modò leuia, ſed omninò nulla, quemadmodum vides pro te argumenta, quæ ſola tu tuíque ta-

A

Matth.28. ver.6.

Act.1.v.9. 10.

Auguſt in Ioan.Euãg. tract. 50.

Ioan.19.

Cyrill. in Ioan. lib. 12.c.32.

B

Locus Cyrilli explicatus.

C

Auguſt.in Ioan. Euãg. tract. 35.

A

B

Pag.24.

Similitudo de Carbone cãdẽte examinata.

C

men robuſtiſsima vos habere cenſetis. Quod etiã à Theophylacto Bulgarorum Epiſcopo (tanquam iam res apud veſtros ad Triarios redierit) auxilium petis, túnc ipſe Oſiander (qui Sturmiũ iniurioſè, lippum pro veteri cõuitiandi more tuo, vocas) tã cæcus es, vt nõ videas illa ipſa Theophylacti ad verbum ex ipſo Cyrillo eſſe tranſcripta, & idem apud Theophylactum ſignificare, atque apud ipſum Cyrillum? Quanquam quid venit tibi in mentem, vt in hoc de S. Cœna Domini argumento Theophylactum teſtem citares, quem plerique exiſtiment Tranſſubſtantiationẽ Pontificiam, non Conſubſtantiationem, defendiſſe & certè corruptiſsimis iam Eccleſiæ temporibus vixit hic Bulgarorum epiſcopus, penè poſtrema Imperij Conſtantinopolitani ætate. Miror denique, Oſiander, quomodo tractatam tam miſerè à Sturmio Athleta robuſtiſsimo Vbiquitatem tu hoc loco, id eſt, in poſtrema tui ſcripti parte tam apertè iã defendas: cùm illius teipſum aliquot antè pagellis planè puduerit. Sed antiquum tuum obtines, nimirũ vt ſis in iſto tuo dogmate mirum in modum leuis ac inconſtans.

Theophylactus explicatus.

Pag.25. & Pag.10.

AD INSIDIOSVM LVCAE OSIANDRI SCRIPTVM, QVOD *PIA ET FIDELIS AD GALLICAS ET BELGICAS Eccleſias admonitio,* inſcribitur:

LAMBERTI DANÆI NECESSARIA
reſponſio, & ſalutaris præcautio,
ad
Eaſdem Gallicas & Belgicas Eccleſias.

Ex Hieronymo.
Tam malè videtur exiſtimaſſe de cæteris, vt nemo poſſit de eius erroribus iudicare.

OMNIBVS REFORMATIS DEI ECCLESIIS GALLICIS, & ſingulis puram Euangelij doctrinã amplectentibus, qui per vniuerſam Galliam ſparſi ſunt, Vocatis Sanctis: necnon omnibus, qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in Belgio, & in omni loco: Gratia vobis, & Pax à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto.

LEGI, Fratres chariſsimi, Lucæ Oſiandri nuper ſcriptam ad vos admonitionem (quã & piam, & fidelem ille, ego verò vaſrum & aſtutum omnino conſilium appello) vt vos, quos antea condemnatione manifeſta, & cõtumelioſis ſcriptis in *Antiſturmio* terrêre non potuit, iam, ſi poteſt, ſimulata charitate, & blando verborum lenocinio in ſuã ſententiam pelliciat. Sic autem omnem lapidem laborioſè mouet, & in has omnes modò comminantis, modò blandientis formas ſe vertit, vt, quemadmodum qui Galatas olim à ſpiritu Euangelij ad carnem circuncisionis abduxerant, de eorum carne gloriabãtur: ſic iſte, vbi vos pro ſpirituali carnalem ipſius Chriſti corporis manducationem docuerit amplectendam, de vobis Gallis velut à ſe victis per Germaniam triumphet. Ergo quemadmodum illi, quos Paulus grauiter reprehendit, Galatas: ſic vos Gallos iſte deperit, verùm non bene vtrique: ſed vt poſtquã fidos & priores illos Paſtores veſtros excluſerit, & in odium apud vos rapuerit, ſe depereatis. Quamobrem eò prudentiùs iſtius hominis ſcopus ac conſilium eſt vobis perpendendum, Fratres chariſsimi, quò maiori artificio, & ſpecioſiori illo ſuo veritatis Dei, & Salutis veſtræ promouendæ ſtudio inſinuat ſeſe. Verùm quoniam iubet Dominus ipſe Ieſus, vt non modò ſimplices ſimus, quemadmodum columbæ: verùm etiam prudentes, quemadmodum ſerpentes, ſpiritus ille διακρίσεως & δοκιμασίας à Domino petendus eſt, Fratres, ne cuiuis

Math.10.

A uis homini dicenti, *Ecce hic eſt Chriſtus*, credatis.
Mat.25. Quid enim aliud tãdem futurum eſt, quàm quod
prædixit ſpiritus Dei, nimirum vt omni vento
Epheſ.4. doctrinæ circunferamini, & vt in fide
Eſa. 4. Dei fiatis ἀκατάστατοι? Quare etiam atque etiam
videte, Chariſſimi, ne quis vos ſeducat.
Multi quidem olim Iudęis ex Babylonica captiuitate
reuerſis,& templum Dei inſtaurantibus
operam etiam ſuam gratis pollicebantur. Eodem
modo hodie multi vobis eandem gratis videntur
offerre, animóque veſtri ſtudioſo:qui tamen
(vt iam ſæpius experti eſtis) non vt iuuent vos,
ſed vt præclarum illud opus à vobis cœptum interturbent,eam
offerunt ac pollicentur. Qui homines
cùm,vt eſt in veteri prouerbio, Aeoliſent,
alba verò linea nihil ducant,certè ſic ſunt à vobis
dimittendi,quemadmodum Plato è ſua ciuitate
Poëtas amandat. Plato enim eos, licèt quædam
B de Religione præclarè dixiſſe fateatur, vnctos &
coronatos procul ablegat:ſic vafros monitores,&
oratores iſtos cum magna laude λογοδιαῤῥοίας ſeu
loquentiæ à vobis maturè remouete. In quo ſi
quis me fortaſſe,vel veſtræ ſalutis inuidum,vel pacis
cum Germanicis Dei Eccleſiis inimicum putet,hoc
à me reſponſum habeat: Veſtræ quidem
ſalutis & anteà fuiſſe,& nunc quoq; eſſe me tam,
quàm qui maximè,ſtudioſum & cupientem, nemo,qui
me nouit,dubitare poterit. Sunt mihi cõmunes
& in pace & in bello vobiſcum res omnes,
& ſemper fuêre.Mei quidem præſentis opera, &
labor(licèt ingenuè agnoſcam, quàm ſint vires
meæ exiguæ)fuit vobis perpetuò, quemadmodũ
ſcitis,dedicatus:abſentis autem animus manet vobis,Fratres,manebitque
ſemper conſecratus.Vos
mihi ante oculos dies,noctéſque verſamini. Veſtras
ego pro Chriſti nomine afflictiones grauiſſimas
noui,veſtros labores vidi:iis ipſe interfui:
quibus,non vt alienis,indolui,ſed vt propriis collacrymaui.
Vnius veſtri gregis ego quondam pars
fui:poſteà verò,vobis ita poſtulantibus & approbantibus,vni
gregi veſtro Paſtor præfui.Ego frater
veſter ſum,fratres,& veſtrâs: non ſum extraneus:nec
C vnquã patiar,aut(Deo ita me amante)cõmittam,vt
alienus quiſquam vos pluſquàm ego
συμπολίτας συμφυλέτας ϗ συζωείους meos dilexiſſe meritò
dici & credi poſſit.Quos igitur in oculis geſto,quos
toto pectore amplector,in eorum ſalute
æterna promouenda, adeóque commoditate
quapiam procuranda, me negligentem fuiſſe quiſquam
accuſet?Oſtendet autem iſtius controuerſiæ
finis,quemadmodum ſpero,quantum Oſiander
potiùs ſit veſtræ ſalutis inimicus,dum ab Euangelio,&
doctrina,quam ex Dei verbo certiſſimam
iam habetis,in aliã conatur traducere. Porrò
quod ad pacem Gallicarum Eccleſiarum cum
Germanicis Dei Eccleſiis,ecquis Chriſtianus eſt,
non dico tam omnis Chriſtianæ mentis expers,
ſed ab omni humanitate tam alienus,vt eam non
ſummopere & ipſe deſideret, & omnibus animi
votis & lacrymis à Deo Opt.Max.expoſcat? Mihi
certè ſemper aurea viſa eſt hæc Auguſtini ſententia,
*Tantum eſt pacis bonum,vt etiam in rebus terrenis
atque mortalibus nihil gratius ſoleat audiri, nihil
deſiderabilibus concupiſci,nihil poſtremò melius inueniri*.
Beluam ſanè,atque adeò immanem, ſæuiſſimum
generis humani ἀλάστορα,publicum ipſius patriæ
ſuæ hoſtem,Eccleſiæ Dei infeſtiſſimum perſecutorem
A eum eſſe dixerim, Fratres, qui pacem
eſſe inter Dei Eccleſias vel nolit, vel oderit: ac
præſertim inter Gallicas & Germanicas,cùm eorum
populorum eadem ſit origo,antiquiſſima cognatio,
ac ſummus etiam in rebus aliis conſenſus,
ſummáque ſemper inter ſe beneuolentia,plurima
etiam extent Germanicæ gentis in noſtram beneficia.
Quæ amicitiæ tanta vincula vtraſque Eccleſias
ad dulciſſimam illam pacem ineundam,vel
potius iam pridem initam & confirmatam conſeruandam
ipſa per ſe ſatis exhortantur.Quis iſte
eſt igitur,qui inimicitias,qui odium,qui bella inter
pios Gallos,& Germanos vel eſſe, vel parari
tam falſò diuinat? Hoc certè neque vnquam antea
credidimus,vt ſcitis, Fratres, neque nobis etiam
nunc perſuademus. Nam etſi quædam ſunt
inter nos de rebus non minimi momenti controuerſiæ,
eas Chriſtiana animorum moderatione
tractare decreuimus, neque propterea pacem B
abrumpere: & ſi qua de iis conſenſio inter nos
(peccatis noſtris ſic nos vrgentibus)adhuc eſſe nõ
poterit,benignè tamen ac fraternè eos,qui à nobis Gal.6.
diſſenſerint, tolerare ex Pauli præcepto & didicimus,&
volumus,& poſſumus. Præclarè enim
ex eodem Paulo Gregorius Magnus, *Qui ſeruare
pacem non curat,ferre fructum ſpiritus recuſat. Quiſquis
enim Patris cœleſtis hæres eſſe deſiderat, pacem
cuſtodiat*. Atque vtinam,Oſiander,per te, dulciſſimum
illud & exoptatiſſimum tempus aliquando
videre,& experiri nobis liceat, quo de Eccleſiis
Dei verè dici poſſit,quod ſcribit Lucas in Actis: Act.9.
*Eccleſiæ habebant pacem,& ædificabantur,& per gentes
in timore Domini,& conſolatione ſancti Spiritus multiplicabantur*.
Beati enim,imò perbeati, Oſiander,
εἰρηνοποιοὶ,id eſt,*pacifici homines*, quemadmodum ait Matth.5.
Dominus noſter Ieſus Chriſtus.Ij ſunt autem,qui
non tantùm ipſi ſunt promptiſſimo ad piam pacem
acceptandam animo:(quos Bernardus Placidos Bernardus.
vocat)ſed etiam qui pacem & concordiam
Dei quacunque ratione inter alios conciliant &
fouent.De quorũ genere vel numero nequaquam
eſſe te ſciunt omnes,(quicquid hîc ſimules, diſſimuléſve)
qui virulenta illa tua priora Antiſturmiana
in nos edita,& ſęuas condemnationes tuas
de nobis legerunt. Itaque ad populum phaleras, C
ego te intus,& in cute noui. Illud verò memineritis,
Chariſſimi, quod de Ioanne Epiſcopo
Hieroſolymitano (qui dum grauiſſimos errores
in Dei Eccleſiam reipſa ſpargeret, pacem tamen
Eccleſiis verbis offerebat) ſcribit Hieronymus.
*nihil grande eſt pacem voce prætendere, & opus pacis
deſtruere:verbis ſonare concordiam, re exigere ſeruitutem.
Volumus & nos pacem,& non ſolùm volumus, ſed
& rogamus:ſed pacem Chriſti.Illa enim eſt omnis pacis
fundamentum & cuſtos*,Eſt autem illa pax Chriſti,quę
eum verum Deum & verum hominem,atque
ita vnicum noſtrum apud Patrem Mediatorem
agnoſcens,omnia ex ipſius verbo in fide ſapit:omnem
ex ipſius perfecta obedientia ſalutem
ſuam ſperat. Hæc eſt pax, quam nos optamus,
quam omnibus hominib.offerimus. Sed ne inſidioſæ
pacis nomine decipiamini, etiam atque etiam
vobis cauendum eſt.Cæterùm, hoc me &
vobis fratres, & Gallicis Eccleſiis debêre exiſtimo.Nam
Belgicæ habent ipſæ,Dei gratia, ſuos,

A qui earum patrocinium ſuſcipient, & doctrinam defendent, nec hominem iſtum ſine reſponſione abire ſinent. Sed cùm Deo Patri miſericordiarum placuerit, vt Gallus in Gallia Paſtoris Euangelici ſacroſancto munere fungerer, vobíſque ex Dei verbo annunciarem eam doctrinam, quam Oſiander tanquam non ſatis ſynceram, alij autem iſtius ſocij etiam velut erroneam anathematizant, non poſſum, Fratres, niſi planè impoſtor & ψευδοπροφήτης cenſeri velim, eam pro virili non tueri, pro qua ſum vitam etiam ipſam, ſi Dominus ita voluerit, profundere paratus. Quando igitur fidei noſtrę rationem exigi videmus, ea ex Petri præcepto certè quidem reddenda eſt. Sic enim cauſſam hanc aſtutè agit, vt magnas vobis (id eſt, gregi & ouiculis, quas appellat) tum ſingularis in Deum pietatis, tũ patientiæ laudes tribuens, omnem errorum (in quibus, ſi Deo placet, Gallicas & reformatas Chriſti Eccleſias verſari vult) culpam nobis B Paſtoribus aſcribat. Sic nos Paſtores à vobis ouibus & vos oues à nobis paſtoribus, id eſt, membra eiuſdem corporis coniunctiſſima à ſeſe diuellere conatur, vt quemadmodum in media Germania funeſtas illas diſcordias ſparſit: eadem etiam diſſidia in Gallicis Eccleſiis poſſit propter Vbiquitatem diſſeminare. Eſt autem Oſiander, vt hominem noueritis, nouæ cuiuſdam Pandoræ à Vulcano neſcio quo fabricatæ διάκτορες & baiulus, quam in alias quoque terrarum oras ac prouincias deportandam, velut in Galliam & Belgium, ſuſcepit. Sed aut vos truncos & ſtipites eſſe exiſtimat, qui tam acerba tandiu pro doctrina vobis incomperta, & ad verbi Diuini normam velut iuſtam ſtateram nequaquam appenſa toleretis: aut ſi pios & prudentes cenſet, debuit certè bene ſentire de vobis, & exiſtimare id à vobis accuratè factum quod de Beroenſibus & Theſſalonicenſibus ſcriptum eſt, nempe vt ſcrutaremini ſcripturas, & noſtram doctrinam diligenter cum illis conferretis. Id autem, fratres, & feciſtis, & facitis Dei gratia, & propterea à Dei ſpiritu in ea, quam à nobis accepiſtis, doctrina magis ac magis in dies confirmamini. C Deinde verò, quum omnes Eccleſiarũ Gallicarum Paſtores ita ſuperbè vna ſententia, tanquam fidelia parietes homo iſte dealbat, & condemnat, quot, quantóſque, Deus immortalis, viros, quàm fideles Dei ſeruos, quot ſanctos Chriſti martyres condemnat? Eſt enim omnium Gallicorum Paſtorum vna vox & doctrina, & fidei confeſſio vna: quod omnes ſciunt, qui nos audierunt. Ergo, qui noſtrarum Eccleſiarum doctrinam non ſynceram, non veram, non conſentientem Dei verbo pronuntiat, omnia illa mundi lumina hæreticos, & impoſtores, & falſos doctores calumnioſè appellat. Ergóne & Theodorum Bezam, (vt magnum illum Ioannem Caluinum prætermittam, cuius conſilio potiùs, quàm viua voce noſtræ Eccleſiæ ædificari cœptæ ſunt) & Petrum Viretum ſelecta Dei organa, quíque ipſi noſtras Eccleſias viua voce docuerunt, pro hæreticis habebitis? Paucos equidẽ cõmemorabo, (nec enim omnes vel poſſem, vel neceſſe eſt) vt quum Paſtores veſtri vel fraudis, ſi ſyncerè non docuerint: vel ignorantiæ, ſi neſciuerint, ab iſto homine indoctiſſimo & obſcuriſſimo damnantur: vel hunc A tantæ huius impudentiæ pudeat, ſi modò poteſt: vel vos aduerſus eum de tantis viris, támque bene vobis notis calumnioſè iudicantem verum teſtimonium feratis. En igitur, fratres, ex infinitis pauci, quos Dominus præter tres illos (quos iam nominaui Caluinum, Bezam, Viretum) Doctores Euangelij vobis excitauit, Auguſtinus Marloratus, Daniel Tuſſanus, Antonius Sadeelus, Ioannes Serranus, Ioannes A Spina, Nicolaus Galaſius, Villerius, Palmerius, Borgonius, quorum cùm pietas ſingularis, tum eruditio excellens non habet obſcurum tum ex vita, tum ex ſcriptis teſtimonium: quorum alij adhuc, Dei gratia, ſuperſunt, & in Eccleſiis lucent: alij verò pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum conſtantiſſimè iam profuderunt. Quæ mundi lumina ſi adoleſcenti iſti & nouo Pandoræ Mercurio, Oſiandro, ſunt ignota quî mirum eſt, cũ iſti ſuos tantùm legere ſoleant, ne meliora diſcere cogantur: & variæ robuſti iſtius iuuenis B pro circunferenda Pandora, & inde comparanda ſibi Eccleſiarum Germanicarum aliqua Præpoſitura, diſcurſationes eum multa noſſe aut legiſſe non ſinant? Et tamen vnus iſte ex omnibus repertus eſt, qui, quos propter ſuam ipſius obſcuritatem non nouit, ſuperbiſſimè tamen condemnaret, quoniam vt rectè ex veteri Prouerbio ait Hieronymus, ἀμαθία θάρσος, ἐπιστήμη δ᾽ ὄκνον ποιεῖ. At quàm egregij tamen illi fuerint Orbis ipſe non ignorat, & virorum præclariſſimorum Melanchthonis, Buceri, etiam ipſius Brentij honeſta de illis teſtimonia faciunt fidem. Quamobrem cùm ex iis, quæ dixi, quanta ſit hominis iſtius temeritas, ſatis à vobis intelligi poſſit, ad doctrinæ, & ſcripti ipſius examen accedo.

Act.17.
Ioan.5.

Primùm igitur, vt ipſe, qui Germanus eſt, de vobis, velut alter Galatarum corruptor glorietur, ait *doctrinam Euangelij repurgatam, & legitimos Dei cultus à Germanis ad vos perueniſſe*, nimirum, vt ab eorum tanquam Metrapolitanorum ſententia nequaquam diſcedendum vobis fuiſſe poſtea pronuntiet. Eâdem enim hac ratione & Romani Põtifices olim ius, & Tyrannidem in reliquas Dei Eccleſias vſurparunt, vt inde cæterę Eccleſiæ haberent regulas magiſterij, & doctrinæ, vnde honoris initia, & conſecrationem acceperant. Quaſi verò Chriſtiani in vllius, quàm ipſius Chriſti verba iurent: & alium, quàm ipſum Deum, vi, & efficaci- C tate & Spiritus ſui in eorum cordibus agentem, verum, & primum fidei ſuæ authorem agnoſcant. Quãquã ſi prima inſtauratæ veræ religionis initia etiam in ipſa Germania ſpectentur, illa à fratribus VValdenſibus profecta ſunt, ex quorum fontibus etiam Lutherus ipſe (quod non diffitetur) extitit. VValdenſes autem à Gallis ſunt oriundi, qui à Monachis Gallici regni finibus ſunt expulſi ante annum 400. Quinetiam anno Domini 1417. in Montepeſſulano oppido Catharina Sorbea mulier conſtantiſſima pro aſſerendo Chriſti contra Antichriſtum regno, & imperio obiit, ſæuiſſimis flammis exuſta. Sed tamen, fratres, quemadmodũ eius doctrinæ Euangelij repurgatæ quam didicimus, Deum authorem agnoſcimus: ſic præclara ipſius organa ingenuè prædicamus, quæ in Germania, Heluetia, cæteriſque nationibus extiterũt, noſtróſque homines ſuo exemplo, ſuáque cõſtan-

pag.1.

Gelaſij epiſt.1.cap.11.
Toleta.12.cap.1.

tia,

A tia,ad quærendam veritatem abiiciendámque idololatriam
excitarunt:quibus,dum vixerunt , gratias
egimus,& mortuorum memoriã piè, ſanctéque
colimus.Et in eo multum Germanis,aliiſque
nationibus debere nos ingenuè profitemur(nec enim
ingrati eſſe cuiquam mortalium volumus)
quòd in iis extiterint aliquot viri , qui nobis ad
verum Chriſtum amplectendum virtute ſua præluxerunt.
pag.2. Quod autem eos ex noſtris laudat , *qui*
amore Chriſti redemptoris extrema quæque tolerare,
quàm agnitam veritatem abijcere maluerunt,& pios,&
Chriſti ſanctos Martyres vocat , & æterna fœlicitate
frui ſcribit,in eo rectè ſentit ille quidem, ſi modò
& ſibi conſtaret,& conſentiret cum aliis aliquot
ſuis ſociis.Nam quos hîc adulandi vobis ſtudio
pios & ſanctos,& Chriſti Martyres appellat , tum ipſe,
tum ſocij quidam in publico ſuggeſtu *Diaboli*
Martyres contumelioſiſſimè vocant. Atque etiam
ſic eos iſte laudat,vt plus tamen contumelię,
& conuitij,quàm laudis illis tribuat,dum eos ſcribit
pro illa doctrina paſſos,cuius pleniorem (puriorem
B etiam dicere voluit) inſtitutionem nondum
eſſent conſecuti,quaſi nimirũ,Oſiander , illi
pro ignoto Deo,ignotáque ſibi doctrina ſtultè,
temeréque morerentur.Præclarè enim Cyprianus
Pœna non facit Martyres,ſed cauſſa : nec quiſquam
verè Chriſti Martyr,& teſtis dici poteſt,qui Chriſti
doctrinam,pro qua moritur, ignorat . Corde
enim prius credendum eſt ad iuſtitiam, quàm fiat
pag.3.& 4 confeſſio ad ſalutem. Verùm eos blandus iſte monitor
excuſat.Nam illorum erroris culpam , non
in ipſas Ouiculas:ſed in earum Paſtores totam cõferendam
docet,qui non ſatis ſynceram doctrinam
gregi illi tam pio,támque in Dei amorem
ardenti,ipſi tradiderunt . Sed vtrum prudentes,
ſcientéſve nos Paſtores ſic docuerimus,an purioris
illius doctrinæ ignari meliorem tradere non
potuerimus,non explicat ſubdolus iſte perſuaſor.
Nam ſi diceret nos prudentes , ſcientéſque aliter
docuiſſe,planè,quod Dei eſt,impudenter ſibi vſurparet,
vt iudicaret nimirum de noſtris conſcientiis:
ſin autem ſcriberet,nos ignorantes non potuiſſe:
nos certè eo ipſo excuſabiles redderet , aut
C crimen ipſum noſtrum, quod grauiſſimum tamẽ
videri vult,ipſe tamen minueret. Fortaſſe ea charitate
pag.4. commotus , qua ſe *noſtris miſeriis , & ſuppliciis*
delectari negat nobis parcere voluit , ſcilicet.
Nam eſt huiuſmodi iſtorum & in nos , & in vos
ipſos charitas,(quicquid diſſimulet)qualem etiam
publicis ſcriptis teſtari eos non pudet, nimirum,
vt nos tanquam Atheos,Turcis ipſis peiores& ſeditioſos,
& magiſtratus cõtẽptores,& deceptores,
Pappus, Selneccerus,& Fouchenius. & Schvvermeros , & carnifices,& teterrimos hæreticos,
& ſacramentarios & quid non?publicè apud
omnes traducat,adeò vt ne toto quidem hoc
in ſcripto iſte vos vllo loco *fratres* appellauerit.
Sed appellat *chariſſimos*,nimirum quod Chriſtiana
charitas iubet,vt Chriſtiani & Turcas , & Iudæos,
& quoſvis alios homines,etiam infideles,diligant,
tanquam ſeipſos,quos tamen pro fratribus
nequaquam agnoſcere poſſunt : ſic iſte vos amat,
& *chariſſimos* nominat,tanquam ſi ad Iudæos , &
Turcas,& infideles ſcriberet.Quid enim apertius
pag.4. vel ipſe tu Oſiander,ſcribere potuiſti , cum idcirco
noſtris miſeriis delectari te negas , quod *improbes*
aduerſus eos expediri gladios & ignes,qui etiam hæreſeon A
horribilium conuicti ſunt.Ergo cum quibus ab
iſto comparemini,iam intelligitis,fratres chariſſimi
, nempe cum iis,qui horribilium hæreſeon
Rei ſunt. Cur veſtris ſuppliciis non lætetur , videtis
quoniam ne Manichæorũ quidem, aut Seruetanorum,
aut Arianorum , quibus vos ſimiles
eſſe paſſim iſte ſcribit , & declamitat , ſupplicia
probet.Itaque cùm Syluanus quidam teterrimus
hæreticus,è Tritheitarum numero Heidelbergæ
deprehenſus eſſet,& ab illuſtriſs. mitiſſimóque illo
P.M.Principe Friderico III. capitali ſupplicio
affectus,Iacobus Andreæ,(qui iſtius Vbiquitariorum
factionis caput eſt)de ea iuſtiſſima ſanè ſententia,
tanquam de ſumma Principis crudelitate,
etiam publica oratione Lypſiæ conqueſtus eſt.
Imò verò,fratres , hæc eſt tam crudelis iſtorum
hominum erga vos charitas,& veſtrorum ſuppliciorum
commiſeratio,vt cùm nuper nos omnes,
noſtráſque Eccleſias in Noua quadam Nouæ diſcordię
formula atrociſſimè anathematizaſſent,& B
propterea ab aliquot Illuſtriſs.Germaniæ Principibus,
& pleriſque bonis viris Germanis de ea tollenda
admonerentur , quòd hac ratione Pontificiorum
gladios in noſtras Eccleſias acuerent,ipſi
ridiculè,imo etiam crudeliter reſponderent,& iocarentur,
ſe per Accidens tantùm noſtrorum ſuppliciorum
cauſſas eſſe.Hic igitur eſt verus Oſiandri(
qui vos iſto verborum lenocinio ineſcare conatur)
affectus,hæc charitas,hic amor ſyncerus,vt
ſæuiſſimarum perſecutionum , & flammarum in
vos incendia excitare non vereatur.Cæterùm vir
iſte Leoninæ pelli,(quam nuper in Antiſturmio
ſuo geſtabat)vulpinam nunc aſſuens,& vos à vera
fidei doctrina,ſi poteſt,abducens multa de ſuo erga
vos animo præfatur , & nil niſi blanda verba,
pietatis ſuæ officium,ſuum de æterna ſalute veſtra
ſtudium,denique pro veſtra incolumitate,&
publicas & priuatas ad Deum preces loquitur, &
ſonat.Sic qui mulierculas ducunt captiuas ſpecioſo
charitatis ſalutíſque æternę prætextu,ad eas primùm
irrepunt,vt Paulus docet. Sed vt melius totum C
hominis iſtius ingenium atque artificium 2.Tim.3.
percipiatis,fratres chariſſimi , breuiter exponam,
quo aſtu ſuam illam doctrinam vobis non tam
proponere,quàm diſſimulare:& non tam explicare,
quàm celare voluerit,vt ille in ſpeciẽ quidem
panem aut piſcem,reipſa tamen lapidem, aut ſerpentem
porrigat. Inde autem illa omnia de ſuo
erga vos affectu ficta eſſe intelligitis,& eum non
candidè,iiſque verbis vobiſcum agere,quibus ipſe
alibi loqui ſolet,non quod illam ſuam de Vbiquepræſentia
carnis Chriſti in his terris ſententiam
mutauerit:ſed quòd eâ,(quæ vel prima fronte intuentibus
falſa apparet)celatâ facilius vos ſibi putat
eſſe aſſenſuros . Sic,qui pueris abſynthia tetra
amaráque porrigunt,prius oras poculi melle , vel
ſaccaro illinunt , vt minus ab illis poculi aſperitas
ſentiatur.Sed tamen apertè,Oſiander,hîc & loqui
& teipſum explicare,quemadmodum alibi ſoles,
debuiſti:non autem ſententiam tuam diſſimulare,
& non ſatis ſyncerè,quod in aliis reprehendis,
tuam doctrinam de Cœna Domini noſtris Eccleſiis
proponere.Vis enim in ſumma,omnes Eccleſiarum
Gallicarum Paſtores errare grauiſſimè,

A quòd negamus, in S. Domini Cœna ipſam Chriſti carnem, *in*, *ſub*, *& cum*, (ſic enim vos inter veſtros ſoletis ſcribere, & loqui) ſignis ipſis, id eſt cum Pane & Vino σωματικῇ παρουσίᾳ corporalis pręſentię modo eſſe præſentem, & ore corporis manducari. Id enim & tu ipſe, & tui ſentitis: & ita vbi veſtram ſententiam non diſſimulatis, apertè loquimini. Quamobrem ſic ipſe ſcribis infrà, etiam indignos & impios, & hypocritas homines, ad cœnam Domini accedentes *ſacratiſſimum Domini corpus, impio, & impuro ore ſuo manducare*. Et in ſcripto tuo alio, nempe contra Sturmium ſic ſcribis. *Videamus nũc quid in Cœna Domini vnà cum Pane, & Vino manducandum, & bibendum proponatur, & reuera ab omnibus Cœnam ſumentibus accipiatur. Euangeliſta Matthæus inquit, Cœnantibus iis accepit Ieſus Panem, &c. & deinde concludis, Cum Euangeliſta Matthæo reliqui Euangeliſtæ, Marcus, Lucas, & Apoſtolus Paulus conſentiunt. Quare ex inſtitutione Chriſti credimus, quòd cum Pane corpus Chriſti* ORE *accipiamus, & edamus: & cum Vino ſanguinem Chriſti* ORE *ſumamus, atque bibamus*. Hæc igitur eſt tua ſimplex, & aperta ſententia, quam tamen hìc ſtrenuè celas, Nos nimirum in Cœna Domini orali manducatione ipſummet eſſentiale Corpus Chriſti edere, & ipſummet ſanguinem ORE bibere: Indignos, & hypocritas & qui fide carent, ad Cœnam Domini accedentes perinde rem ipſam ſignatam, id eſt, ipſammet & veram Chriſti carnem edere & ſanguinem bibere, atque pios, ac fideles, etſi non pari vtrique fructu id faciunt: Iudam Iſcariotam Domini proditorem æquè, atque ipſum Ioannem Euangeliſtam corpus ipſum Chriſti ſumpſiſſe: carnem Chriſti vbique realiter præſentem eſſe, atque etiam poſt aſcenſionem eius in cœlum, in terris iſtis manere inuiſibilem: Chriſtum etiam in Diabolis ipſis, & inferis ſecundum humanitatem, & carnem ſuam eſſe: Nec inferos, nec cœlos in ſcriptura S. locum, ſed ſtatum animi tantùm ſignificare, inferos quidem, miſerum: cœlos autem, beatum: itaque & cœlos in imis terræ cauernis, & inferos in ſuperioribus huius mundi locis eſſe: denique carnem Chriſti C triplicem eſſe, Naturalem, qualem habuit ante paſſionem: Glorioſam, qualem poſt reſurrectionem ſumpſit vſque ad aſcenſionem: & Maieſtaticam, qualem nunc habet, & quæ vbique realiter præſens ſit. Hæc omnia ſunt tua, tuorúmque dogmata, quæ inter nos ſpargere iam conaris aſtutè, niſi obſtiterimus: & quoniam illa non docemus, ſed improbamus, atque damnamus, nos grauiter errare, nec ſyncerè doctrinam Gallicis Eccleſiis tradere cõquereris, imò pro hæreticis habendas eſſe clamitas, & contendis. Sed quoniam hæc manifeſtè ipſa per ſe ſummam abſurditatem, & cum verbo Dei repugnantiam oſtendunt, cui aſſentiri nemo velit, fortiter illa nunc diſſimulaſti. Atque ita δίψυχος & δίλογος es, id eſt, cor & cor, linguam, vt ſcriptura loquitur, & linguam habes, ne, velut ſorex, tuo te ſtrepitu ac iudicio ſtatim prodas. Quæ verò tuæ ſint rationes, cur noſtram, id eſt, Paſtorum (qui in Gallis Eccleſiis reformatis docent) ſententiam in trib. præcipuis fidei Chriſtianæ capitibus, nempe, de S. Domini Cœna, de Baptiſmo, & idolis improbes, agite dum, chariſſimi fratres, mecum iam perpendite.

Summa doctrinæ quã Eccleſiis Gallicis proponit Oſiander.

pag. 40.

Oſiand. in Antiſturmio.

DE COENA DOMINI.

A PLanè nobis in his quatuor cum Oſiandro conuenit, Primùm Tranſſubſtantiationem Panis, & Vini in ipſum corpus, & ſanguinem Domini à Pontificiis introductam, rem eſſe monſtroſam, ac deteſtandam. Ex quo efficitur, vt quia eadem quoque abſurda, imò verò quædam etiam magis blaſphema ex conſubſtantiatione carnis, & ſanguinis Chriſti cum Pane & Vino ſignis Dominicæ Cœnæ ſequuntur (quã tamen in Eccleſiis noſtris inuehere tentat Oſiander) conſubſtantiationem quoque ex iiſdem cauſſis eſſe, & monſtroſam, & damnandam meritò iudicemus. Nam & ipſa Conſubſtantiatio, vt & Tranſſubſtantiatio, Pontificiorum inuentum eſt, & Petri ab Aliaco Cardinalis Romani partus, vt veſtri quoque, Oſiander, fatentur. Quamobrem ſi meritò tranſſubſtantiationem velut hæreticam: id eſt, veritati carnis Chriſti, & Articulis fidei Chriſtianæ de Aſcenſione Chriſti in cœlos, & eius ad nos reditu in poſtremo B Domini iudicio contrariam nobiſcum reiicis, Conſubſtantiationem quoque vt magnarum hæreſeon fontem, ex veris Dei Eccleſiis eiiciendam eſſe nobiſcum, Oſiander, fatearis eſt neceſſe.

Pag. 6 & 7

Secundo loco, & illud ipſum in Pontificiis improbamus, quòd alteram Cœnæ Dominicæ patrem nempe calicem, Laicis, (quos vocant) id eſt, maiori parti Eccleſiæ Dei ſubtraxerunt, ac denegarunt.

Tertiò, Quòd in blaſphemum planè vſum Cœnam Domini iidem Pontificij conuertunt. Nam eam ex Sacramento ſacrificium faciunt, & pro eo quòd illa eſt applicatio ſemel à Chriſto factæ peccatorum noſtrorum remiſſionis: pontificij eam eſſe expiationem ipſorum peccatorum noſtrorum volunt. Itaque hoc & ſacrificium corporis Chriſti, & expiatorium vocant, & quotidie repetunt.

Quartò denique illud ipſum damnamus, quòd Pontificij hæc ſigna, nempe Panem, & Vinum Cœnę Domini extra vſum Sacramenta eſſe & manere volunt. Itaque illa & circungeſtant in pompis, & magico more conſecrant, & reponunt, C & cuſtodiunt, & adorant, Ex quo ipſo quoque cognoſcit Oſiander, dici hæc ſigna perperam adorabile ſacramentum, à quocunque tandem dictum ſit.

Hæc igitur ſunt, quæ cum grauiter, & meritò in Pontificiis reprehendi ipſe concedat, laudet nos Paſtores veſtros neceſſe eſt, quòd eadem verè damnanda eſſe doceamus. Sed de reliquo grauis inter nos controuerſia reſtat. Nam pro Tranſſubſtantiatione Conſubſtantiationem ſubſtituendam eſſe Oſiander contendit, id eſt, eam carnis & ſanguinis Chriſti in his terris præſentiam, vt adſit realiter, & corporalis præſentiæ modo vnà cum Pane, & Vino, in Pane & Vino, ſub Pane & Vino S. Domini Cœnæ. Quem errorem quia non docemus, nos cœnam Domini ſine ipſius corpore, & ſanguine celebrare conqueritur. Sic enim ſcribit: *Et vt Pontificij cœnam fingũt ſine Pane & Vino: ita hi* (Paſtores nempe Gallicarum Eccleſiarum) Cœnam Domini ſine corpore, & ſanguine Chriſti *celebrari poſſe opinantur*. Quaſi verò,

pag. 8.

A verò,fratres,ipſi potiùs manifeſtè cum pontificiis in iſto abſurdo non conſentiant, quòd vtrique ore, & dentibus corporis ipſam ſacratiſſimam Chriſti carem vorent, ſed Pontificij ſine Pane, quem tollunt:iſti cum pane,quem vnà cum carne relinquunt. Ergo in eo iſtorum hominum error eſt,quòd omnino ſtatuunt,niſi corporalis, & realis,& eſſentialis(ſic enim loquuntur)conſubſtantiationis,ac præſentiæ modo ipſamet caro & ſanguinis Chriſti in S.Cœna,in,ſub,& cum ſignis adſit,præſentem in S.Cœna eſſe non poſſe. Nonne verò Patres eandem Chriſti carnem in Manna ederunt,eundem Chriſti ſanguinem in ſacramentali potu,qui Iudæos in deſerto ſequebatur, biberunt ante incarnationem Chriſti, quem nos in Cœna Domini & edimus,& bibimus? Certè Pauli verba ſunt manifeſtiora, quàm vt à quoquam 1.Cor. 10. v.3.& 4. negari vel eludi poſſint. Ait enim, *Omnes eandem eſcam ſpiritualem ediſſe: & omnes eundem potum ſpiritualem bibiſſe.* B Nam quòd excipiunt quidam, qui miſerum iſtud ſubterfugium à Pontificiis didicerunt,non conferri Patres nobiſcum: ſed ipſos tantùm inter ſe:quaſi dicat Paulus eos omnes,qui in deſerto fuerunt,eandem inter ſe, non eandem quam nos eſcam ſpiritualem manducaſſe,hoc(inquam)ſubterfugium vanum eſt, & ipſiſmet Pauli verbis refutatur. Addit enim ſtatim Paulus, Hæc fuiſſe typos noſtri:& nos cum Patribus, non autem Patres inter ſe apertiſſimè toto illo loco cõparat. Cùm igitur Patres illi Carnem Chriſti manducarint, eandem quoque præſentem habuerint neceſſe eſt,& tamen cùm nondum per rerum naturam extitiſſet, certè In,ſub,& Cum Manna illa, & potu illo Corporalis,& Realis præſentiæ modo præſentem adfuiſſe dici non poteſt. Adfuit igitur præſentia Sacramentali,quia Manna & potus fuerunt illis ſacramenta,vt & nobis Panis ille, & Vinum illud. Adfuit σχετικῇ & Pactionali præſentia,vt in annulo,qui à ſponſo ſponſæ datur, inſunt Sponſalia,& verba,& ſponſi fides(inquit Bernardus)Quare licèt præſentiam corporalem, & realem cohæſionem ipſius,id eſt, eſſentialis Car- C nis,& ſanguinis Chriſti cum ipſis S.Cœnæ Domini ſignis negemus,Cœnam tamen ſine ſanguine, & carne Chriſti nequaquam propterea eſſe dicimus,aut ſine re ipſa ſignata celebramus, ſi quis modo fide illa ſigna, & ſacramenta ſumat. Sed quoniam iſtius hominis aduerſus nos rationes indicaſſe,refutaſſe eſt: breuiter quomodo noſtrarum Eccleſiarum,de vera illa carnis,& ſanguinis Chriſti in Cœna Domini præſentia,ſed σχετικῇ & pactionali, euertat, videamus. Sic igitur nos refutat ille.

pag. 9. *Dicunt Paſtores Gallicarum Eccleſiarum corpus Chriſti tanto locorum interuallo à Cœna abeſſe,quantũ altiſſimum cœlum diſtat à terris. Ergo Paſtores Gallicarum Eccleſiarum veram carnis & ſanguinis Chriſti præſentiam in Cœna non ſtatuunt.* R. Primùm non noſtrum hoc, ſed ſanctiſſimi Dei Martyris Vigilij Epiſcopi olim Tridentini dictum eſſe, quemadmodum iampridem in Poſſiaceno colloquio(vbi Pontificij tandem victi manus nobis dederunt) docuimus. Deinde id (quod eſt præcipuum totius huius diſputationis caput) prætermittit magno aſtu Oſiander. Neque enim Chriſtum in Cœna ſua præſentem eſſe negauimus vnquam, fratres, quemadmodum rectè meminiſtis,nec eius etiam A carnem facimus abſentem:ſed corporalis duntaxat præſentiæ modo præſentem negamus, vt non de re,,quæ adeſt:ſed de modo præſentiæ tantùm diſputatio ſit. Sic igitur dicendum fuit, Volunt Paſtores Gallici corpus Chriſti, *corporalis præſentiæ modo* tantùm abeſſe ab ipſis Cœnæ ſignis, quantùm altiſſimum cœlum ab his terris diſtat, Ergo volunt corpus Chriſti, prorſus, & verè à Cœna Domini abeſſe. Quid porrò ſequitur,ſi falſa eſt noſtra ſententia,fratres:illa verò Oſiandri vera? Nullam nimirum aliam eſſe veram præſentiæ carnis Chriſti nobiſcum,vel in S Cœna rationem,quàm quæ fiat corporalis præſentiæ modo,& ipſa in his terris inhærentiâ? Ergo ſacramentalis coniunctio & præſentia rei ſignatæ cum ſigno negetur neceſſe eſt,quia non eſt huiuſmodi. Ergo ſacramenta tollantur,vel ſtatuãtur eſſe modi, per quos res ſignata corporalis præſentiæ modo nobis ſiſtatur, non autem res ipſæ abſentes nobis obſignentur. B Ergo Chriſti caro de cœlo detrahatur,vel in diuerſas carnes multiplicetur, Ergo ſuperius Pauli di- 1. Cor. 10 ctum, Patres nimirum ante Chriſti incarnationem eius tamen carnem manducaſſe deleatur. Sed quia vera hæc ſunt,quàm inepta ſit ratio Oſiandri, fratres chariſſimi,animaduertitis. Sequitur a- pag. 10. & 11. lia non minùs illa quidem inualida, & tamen ab iſto infinitis penè locis, & hîc& in libro contra Sturmium repetita.

Alia eſt merè ſpiritualis manducatio carnis Chriſti de qua Ioannis cap.6.agitur:alia ſacramentalis, quæ in Cœna Domini inſtituta eſt. Ergo ipſa caro Chriſti in ſacramentali eſt In,Sub,& Cum Pane illo,& Vino illo corporalis præſentiæ modo:& vna cum ipſo ſigno à quouis accedente ad Cœnam,ipſo etiam impuro ore ſumitur. R. quaſi verò,licèt ſacramentalis manducatio habeat ſigna noſtræ infirmitatis docendæ & ſubleuandæ gratia, quæ non habet manducatio merè ſpiritualis:res tamen ipſa Sacramenti, nempe caro Chriſti(quæ vna & eadem eſt in vtraque, id eſt, in ſpirituali,& in Sacramentali manducatione)alia ratione,ac alio ore,in hac ſacramentali, quàm in illa merè ſpirituali edatur. Eſt autem illa ratio, ſiue os manducandæ ipſius carnis Chriſti idoneũ, fides. Quid igitur? fallitur,& quidem pueriliter, C Oſiander, qui ipſam Chriſti carnem, aliam in ſpirituali manducatione eſſe,vel edi putet, aliam in ſacramentali. Quod ſi eſt caro Chriſti eadem, ergo eodem quoque ore, iiſdem dentibus, eodem ſtomacho recipitur:nempe ſpirituali, non corporali: fide,non ore: ſpiritu,non ventre. Etſi enim ſacramentalis manducatio ſigna præter ſpiritualem habet, (quæ metonymicè caro & ſanguis Chriſti propter ſignificationem, &, vt aiunt Patres,analogiam appellantur:ipſa tamen caro Chriſti naturam illam ſuam,neque mutat,neque amittit,quæ ſanè eſt ſpiritualis,vt alio quàm planè ſpirituali ore,& modo etiam in ſacramento ipſo edi poſſit:non autem ore corporeo, aut (vt vult Oſiander)impio,& impuro. Atque hoc tamen eſt Achilleum,& validiſſimum Oſiandri præſidium. Subiicit autem aduerſum nos.

Cœna Domini longo tempore poſt illam Chriſti de ſpirituali carnis ſuæ manducatione concionem inſtituta eſt, Ergo ipſa caro Chriſti in Cœna Domini ore corporis manducatur. pag. 41. pag. 12. R. Tam benè certè poterat Oſiander

A efficere,Ergo caro Chriſti, quæ in Cœna Domini datur,non eſt verus animarum noſtrarũ paſtus, & vitæ æternæ cibus,neque ſanguis ipſius animarum potus, quoniam ita vocantur ante Cœnam Domini inſtitutam,& in illa ipſa concione Chriſti cap.6. Ioannis,ſi diuerſa eſt manducatio ipſius carnis Chriſti,ſpiritualis, & ſacramentalis. Hæc verò quis non videt quàm ſint & puerilia,& peſſimè concluſa?tamen addit, pag. 13. & 14. *Chriſtus inſtituens S.Cœnam ſuam dixit de pane, Hoc eſt corpus meum, & de Vino,hoc eſt ſanguis meus. Ergo ipſa caro Chriſti, & ipſe ſanguis realiter conſubſtantiatur cum Pane & Vino S.Cœnæ.* R. Non dixit Chriſtus,Caro mea eſt ſub hoc,In hoc,& Cum hoc pane,Ergo à verbis Chriſti diſcedit Oſiander,& τὸ ρητὸν deſerit. Quid vero? nonne ſi verba & τὸ ρητὸν eſt vrgendum, Papiſtæ & quidem melius colligerent ex his verbis,Ergo Panis & vinum tranſſubſtantiantur in corpus, & ſanguinem Chriſti? Et tamen hîc ſibi videtur triumphare,quòd tam malè concludat. Itaq; pag. 13.14.15.& 16.prolixè hunc ſuum triumphum decantat, B ſed quod videt iam, ni prorſus hebes eſt, ante victoriam.Paulus dixit, pag. 14. *Panis Cœnæ Dominicæ eſt communio corporis Chriſti:Calix eſt communio ſanguinis Chriſti. Ergo Paulus conſubſtantiat corpus,& ſanguinem Chriſti cum pane, & vino Cœnæ dominicæ, vt corporali præſentiæ modo ſimul coexiſtant, & ore corporis ipſa caro Chriſti manducetur.* R. Imò verò illa Pauli verba *communio corporis*, *& communio ſanguinis* propriam horum Chriſti verborum, *Hoc eſt corpus meum,hoc eſt ſanguis meus*, ſignificationem continent,& docent eſſe ſacramentalẽ. Oſtendũt enim non ipſa ſigna eſſe carnem ipſammet, & ſanguinem Chriſti vel trãſſubſtantiatum,vel conſubſtantiatum:ſed eſſe noſtræ cum eo communionis pignora,σφραγίδας, & ſacramenta. Quemadmodũ carnes eius victimæ, quæ à ſacrificantibus olim in Dei templo oblata fuerat,comeſæ ipſorum ſacrificantium communionis, tum inter ſeſe, tum pag.17. cum ipſa carne Chriſti Symbolum, & pignus erant.Id quod ipſe Oſiander poſtea verum eſſe ſcri C bit,quum calicem à Domino porrectum vocat confirmationem Noui Teſtamenti.

Irenæus ait lib. 4. *cap.* 34. *Euchariſtiam ex duabus rebus conſtare,Terrena, & cœleſti. Ergo realiter ipſa Chriſti caro cum ſignis Cœnæ conſubſtantiatur.* R. Imò verò eo ipſo in loco Irenæus appellat Panem & Vinum,(quæ in Euchariſtia dicit offerri) ſigna & argumenta.Ergo & typos,& ſymbola eſſe agnoſcit. Quod hanc Oſiandri Conſubſtantiationem prorſus euertit.Deinde,*conſtare* verbum, nequaquam præſentiæ, & coexiſtentiæ corporalis modum,quo res ſpiritualis cum ſignis in his terris ſit, apud Irenæum ſignificat:ſed coniunctionẽ rei ſignatæ cum ſignis Sacramentalem,quoniã non de ſignis duntaxat:ſed de toto Euchariſtię Sacramento loquitur illic Irenæus.

*Signa S.Cœnæ coniunguntur cum re ſignata propter ſignificationem & promiſſionem Chriſti.Ergo ſignum & res ſignata à ſeſe loco non ſeparantur.*R.Quid de aqua Baptiſmi,& ſanguine Chriſti, (quod eſt alterum ab ipſo Chriſto nobis inſtitutum Sacramentum) dicet Oſiander,Fratres, nónne idem concludet? Aquam igitur,qua baptizamur, cum Chriſti ſanguine,cuius eſt ſignum & ſignificatio, ibi in Baptiſmo non ſeparari loco: A ſed ſimul in his terris coexiſtere? Quod ne ipſi quidem Papiſtæ,& tranſſubſtantionis,& conſubſtantiationis authores tamen dixerunt.

*Chriſtus in S.Cœna panem diſcipulis porrexit,& ſimul corpus ſuum edendum illis dedit. Ergo in, ſub, & cum illo pane ſimul eſt erátve ipſum Chriſti corpus, & ipſo corporis ore edebatur.*R.Hoc ſi verum eſt,Chriſtus manifeſtè duplicem carnem habuerit. Vnam quæ panem ipſum diſcipulis præbebat: & alterã, quæ cum pane in os ipſorum diſcipulorum intrabat,& in eorum ventre peribat.

pag.17. *In S.Cœna Domini mortem annuntiamus eo modo, quo in prima Domini Cœna annuntiarunt Apoſtoli, & res eaſdem habemus quas illi. Ergo in Cœna Domini, in,ſub,& cum pane realiter corpus Chriſti coexiſtit, & conſubſtantiatur.* R.Neque Apoſtolos corpus Chriſti ſic manducaſſe,vt cum pane conſubſtantiatum & coniunctum crederent, aut ederent: neque ad commemorationem mortis Chriſti, quam in S. Cœna facere iubemur,neceſſariam eſſe corporalem ipſius carnis Chriſti præſentiam.Commemo B ratio enim fit rerum,quæ loco, & procul à nobis abſunt.

pag. 18. *Oues Chriſti vocem eius audiunt: Fides non ambigit de veritate, & potentia verbi diuini. Ergo ſimpliciter credendum eſt panem conſubſtantiari cum corpore Chriſti.*R. Vbi obſecro de conſubſtantiatione ſui corporis cum pane agít Chriſtus, aut vllum Dei verbum?

pag. 19. *Deus eſt omnipotens. Ergo caro Chriſti eſt in, ſub, & cum pane S. Cœnæ.* R. Cur non potius conceditur poſſe, qui eſt omnipotens,carnem ſuam,licèt ſit in cælo,nobis communicare, ídque vi ſpiritus ſui efficere.

pag.20. *Obediendum & credendum eſt Deo, licèt ratio noſtra (quæ in myſteriis diuinis cæca eſt) reclamet. Ergo credendum eſt, quia Chriſtus dixit de pane, Hoc eſt corpus meum, Corpus Chriſti cum ſignis S. Cœnæ in his terris coexiſtere.* R. Non noſtra humanáque ratio, ſed ipſa vox Dei & Chriſtiana fides conſecutionem iſtam euertunt. Epheſ.4. Act.1. Heb.7. Nam cùm Chriſti corpus ſit verum hominis corpus, cum in cælum aſcenderit, C cum inde non deſcenſurum ſit, tantiſper dum veniat Chriſtus,vt iudicet viuos & mortuos, alibi quã in illo cælo iam nec eſt, nec eſſe ex Dei verbo credi poteſt.

pag. 21. *Panis & vinum S.Cœnæ ſunt Sacramentum Noui Teſtamenti.Ergo non ſunt figuræ, & typi.* R.Nõ ſunt rerum in Chriſto futurarum typi, & figuræ, quẽadmodum veteris Teſtamenti Chriſti venturi Sacramenta fuerũt:ſed ſunt noſtra Sacramẽta Chriſti & exhibiti, & paſſi ,& implementũ gratiarum Dei, promiſſionúmque cæleſtium in carne ſua exhibentis ſigna,& typi.Pręclarè enim Irenæus docet, quòd *in noſtris Sacramẽtis ſpecies immutata eſt.* lib.4.c.34. Character tamen, & ſigna, & argumenta manẽt. Sed ex hoc ipſo, quis verius Tranſſubſtantiationem, quàm Oſiandri conſubſtantiationem colliget, Hebr.10. ſi nulli ſunt in Sacramentis Noui Teſtamẽti typi? Denique Baptiſmum eſſe ſpiritualis noſtræ regenerationis typum negandum erit. Imò ipſe adeò Apoſtolus εἰκόνα tribuit Euangelio, & illius Sacramentis: σκιὰν autem μελλόντων ἀγαθῶν Legi, & Veteri Teſtamento:vt in eo non differat

vtrumque

A vtrumque teſtamentum, quòd typos habeant, ſed quòd vetus habuerit rerum futurarum: Nouum verò habeat rerum exhibitarum. Ergo non Iudaizant, Oſiander, qui Sacramenta vitæ æternæ etiam ſub Nouo teſtamento, Cœnam, & Baptiſmum Domini agnoſcunt. Sed planè papiſſant, qui Conſubſtantiationem pro Traſſubſtantiatione nobis obtrudunt. Quod ſi Noui Teſtamenti Sacramenta ſunt Sacramenta, & Μυςήεια, Ergo habent τύπα, ϗ ἀντίτυπα ϗ σύμβολα, non pe Signa ab ipſo Chriſto inſtituta, quemadmodum etiam omnis pia, & erudita vetuſtas locuta eſt.

pag.23. Sacramenta, id eſt ſigna *Noui Teſtamenti res ipſas, quas promittunt, exhibent. Ergo caro Chriſti eſt in, ſub, & cum Pane S. Cœnæ* R. *Exhibere* eſt à Deo exhibitæ & præſtitæ promiſſionis pignus eſſe, & eam obſignare in nobis. Nam aliâs ipſum panem & vinum facimus canales & ὀχήματα corporis & ſanguinis Chriſti deferendi, & nobis communi- B candi: & ita promiſſiones Dei ſignis ipſis alligamus, vel includimus, vel denique ipſam vitam æternam (quæ plena nobis his ſignis promittitur) iam in his terris, & in ipſo S. Cœnæ celebrandæ momento nobis totam dari, & conferri credendum erit. Quod eſt falſiſſimum. Sed quia multa poſtea confundit Oſiander, paſſim ex ipſius libro argumenta ab eo ſparſa colligemus.

Creatura ſupra creatorem, vel æqualiter creatori ſapere non poteſt. Ergo ſimpliciter eſt credendum corpus Chriſti cum pane conſubſtantiari. R. Cur non & trãſſubſtantiari quoque? quod tu tamen negas.

Verba hæc Chriſti, Hoc eſt corpus meum, verba ſunt teſtamenti. Ergo ſimpliciſſima ſunt, & κατὰ τὸ ῥητὸν accipienda. R. Verba hæc, *Neque docebunt ſinguli proximum ſuum, & ſinguli fratrem ſuum*, ſunt verba Heb.8. Noui teſtamenti. Ergo κατὰ τὸ ῥητὸν interpretanda, & in Anabaptiſtarum caſtra nobis tranſeundum eſt, & omne Eccleſiaſticum miniſterium abrogandum, quia per illud à proximo docemur.

Habemus in ſacra Cœna corpus Chriſti, non vmbram corporis. Ergo caro Chriſti eſt præſens corporaliter, in, cum, & ſub pane S. Cœnæ. R. Anima noſtra habet carnem Chriſti fide præſentem, cui verè, & ſpiri- C tualiter communicat: corpus, & oculi, & manus noſtræ habent ſigna corporalis præſentiæ modo præſentia: quare, niſi rem cum ſignis confundamus, non eſt caro Chriſti cum ſignis in his terris coexiſtens. Nec enim fides corporalis præſentiæ modum requirit, vt rem ſignatam nobis communicet. Iam verò qui ſpiritualiter, & verè per fidem carni Chriſti communicat, is certè, Oſiander non vmbram corporis Chriſti habet: ſed habet ipſummet Chriſti corpus verum, & ſuccum ex eo viuificum haurit. Sed non putas, niſi ſit in terris. Sed iam cum ſe continere non poſſet Oſiander, ad Vbiquepræſentiam carnis Chriſti deſcendit. Oportuit cuim hoc vlcus, quanuis à ſe tectum & diſſimulatum erumpere, vt tandem quale ſit pus iſtius monſtri Vbiquitatis appareat vobis, Fratres chariſſimi. Celat quidem verbis, quantum poteſt, hoc malum: ſed manifeſtè ex ipſa illius oratione cernitur. Ergo ſic ait,

Chriſtus homo accepit ſpiritum citra menſuram, Ioã. 1. Ergo caro Chriſti vbique præſens eſt. R. Dona, quæ citra menſuram accepit à Patre Chriſtus quá homo eſt, humanæ eius carnis naturam, illiúſque eſſentiales proprietates non euertunt. A Aliâs enim non iam homo Chriſtus ea dona haberet, ſi homo eſſe deſineret. Verùm ſi humana Chriſti natura Mat.24.3 poſt illa dona immenſa accepta fuit vbique præſens, omnipotens, & cætera, vt vis, & æqualis Deo, cur quædam ignorare ſe confitetur Chriſtus?

Omnis poteſtas data eſt homini Chriſto. Ergo caro eius eſt vbique præſens. R. A potentiæ, authoritatiſque vi & iure ad ſitum nulla eſt in rebus creatis Pag 27. conſecutio. Nec enim ſequitur, vt, ſi inuictiſs. Imperator, qui in Auſtria agit, imperatoriæ poteſtatis ius Spiræ habeat, & exerceat, ſit quoque eodem tempore Spiræ ad Rhenum, quo eſt Viennæ ad Danubium.

Plenitudo Deitatis habitat in Chriſto corporaliter. ergo vbique ſiſtere carnem ſuam poteſt Chriſtus. R. In Chriſto, id eſt, in perſona illa, quæ Chriſtus dici- B tur, habitat plenitudo Deitatis: ſed in ipſa carne non habitat plenitudo Deitatis. Nam idem verè Deus eſt, qui & homo: ipſa tamen humanitas nec eſt Deitas, nec illi æqualis. Ait enim ipſe *Gloriam meam alij non dabo. Ergo nec vbique præſens, nec omnipotens.* Quare quod de deitate Chriſti verè & propriè dicitur, de humanitate eiuſdem verè enuntiari propterea non poteſt. Poſſe quidem Chriſtum, quâ Deus eſt, omnia, confitemur: ſed quia neque mentiri, neque ſibi ipſi cõtrarius eſſe poteſt, ſuam carnem, quam habere in perpetuum vult, deſtruere non vult: & quam vult eſſe verè humanã & corporeã carnẽ, nõ vult eſſe nõ humanã carnẽ. Quod ſequi tamen neceſſe eſt, ſi hanc carnem ſuam vbique præſentem eodem tẽpore & ſimul ſiſteret.

Filius Dei per ſuam humanitatem aſſumptam ſuas actiones & operationes efficit, vt in humano corpore anima per ſuum corpus ſuas actiones perficit. Ergo cum vbique operetur Filius Dei, vbique præſentem eſſe eius carnem oportet. R. Primùm Apollinariſtarũ hæreticorum argumentum recoquit, ac regerit nobis hoc loco Oſiander, qui Deitatem carni Chriſti, velut animam corpori attribuit. Deinde ipſamet ſimilitudo Oſiandri vbique præſentiam carnis Chriſti euertit. Vt enim non omnes operatio- C nes ſuas Anima etiam corpori hypoſtaticè vnita per corpus exercet, velut, meditari, ratiocinari, & ſimilia: ſic nec Deitas Chriſti perficit omnes actiones ſuas per ſuam humanitatem, etiam poſt vnionem. Ergo vbique præſentem eſſe non concludit.

Humanitas à Chriſto aſſumpta eſt vna perſona cũ pag.28. *ipſius Deitate, & cum ea hypoſtaticè eſt vnita. Ergo eſt vbicũque eſt Deitas Chriſti, illic quoque eſt ipſius caro ſeu humanitas.* R. Primùm præſentiam Chriſti in Cœna Domini iſte priùs non ex vnione hypoſtatica: ſed ex his verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, ſumebat. Deinde infirmum eſſe hoc ſuum præſidium iam agnoſcens illud deſerit, & ſe ad vnionem hypoſtaticam, vel omnipotentiam Dei recipit, quod nullas ſatis ſibi tutas latebras videat. Sed ex his ipſis à nobis educatur, & σοφὸν iſtius hominis φάρμακον iam detegamus. *Caro & Deitas in Chriſto hypoſtaticè vniuntur. Ergo vbicunque hæc eſt, & illa.* Eodem modo: Caput & pedes eiuſdem hominis hypoſtaticè vniuntur ad vnius indiuidui σύστασιν. Ergo vbi eſt caput iſtius hominis, illic quoque

A ſunt pedes. Quis hoc concedet? Præterea cùm Deitas ſit infinita, caro autem aſſumpta ſit finita, omnino fieri non poteſt, vt coextendantur in perſona Chriſti Deitas, & humanitas. Conqueruntur quaſi vnam Chriſti perſonam, velut Neſtorius faciebat, diſcerpamus. Negamus verò, niſi ipſi fortè ſint Eutychiani, quoniam iſtam duarum in vna Chriſti perſona naturarum vnionem hypoſtaticam ſic factam eſſe dicimus, vt non modò naturæ ipſæ inconfuſæ, ſed etiam earum proprietates eſſentiales ſaluæ quoque in ea vnione manſerint, vt præclarè definiuit concilium Chalcedonenſe.

pag.29. *Poteſt homo Chriſtus efficere, quæ nulli alij creaturæ ſunt poſſibilia. Ergo carnem ſuam vbique ſiſtere poteſt.* R. Cùm potentia Chriſti non deſtruat ipſius veritatem & miſericordiam: & propter noſtrã ſalutẽ velit in æternum ſibi vnitam manere veram illam carnem humanam, quam aſſumpſit, eam deſtruere non poteſt, quia mendax eſſe non poteſt: quia B ſeipſum, ſuámque miſericordiam obliuiſci non poteſt.

Dixit Chriſtus. Vbi duo, aut tres ſunt collecti in nomine meo, ego ſum in medio eorum. Ergo Chriſti caro eſt vbique. R. Non caro Chriſti eſt in medio eorũ, ſed Chriſtus ſpiritu ſuo, & virtute ſua. Hoc enim dixit Chriſtus, vti & illud, Matth.28. *Ego ſum vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi,* non de præſentia carnis: ſed de præſentia Deitatis, poteſtatis & gubernationis, quæ Spiritus Chriſti virtute fit, niſi ſibi cõtrarium Chriſtum facere volumus. Eã autem corporalem carnis ipſius præſentiam nequaquam requirit. Nec verò ſequitur, vt, quanuis Chriſtus de ſe toto, id eſt, Deo & homine dixerit, *Ego ſum in medio eorum*: de toto tamen ſui, id eſt, de qualibet ſui parte, & natura hoc dixerit, ſitque à nobis intelligendum. Ioan. 12. Idem enim Chriſtus alibi, *Pauperes* (ait) *ſemper habebitis vobiſcũ, me autem non ſemper habebitis.* Item, *ego vado ad Patrem meum.* Item, *ſurrexit, non eſt hic.* Ergo de toto Chriſto, id eſt, de perſona Chriſti, quæ & Deus eſt, & homo, verè dicitur, *eſt Chriſtus nobiſcum etiam hodie: ſed non de toto Chriſti,* August. in Epiſt. ad Dardanũ Damaſcenus lib. 3. De orthodoxa fide. quemadmodum hoc ipſum in Epiſtol. ad Dardan. præclarè declarat Auguſtinus: & poſt eum li. 3. De orthodox. fide Damaſcenus. Nec tamen cũ id dicimus, perſonam Chriſti diuidimus, laceramus, aut diuellimus. C Nuſquã enim Chriſtum eſſe vel dicimus, vel cogitamus, quin idem ſit, & Deus, & homo. Humanitatem tamen eius, & carnem tã latè aut vbicunque eſſe ac diffundi, quàm latè ipſa illius Deitas patet, propterea certè negamus. De Chriſto enim in concreto, verè iſtud dicitur, *Ego ſum vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi,* quia vni illius naturæ hoc propriè conuenit: De vtraque autem eius natura in abſtracto non item: quoniam Vbique eſſe cum Eccleſia ſua, eſt vera & eſſentialis Deitatis proprietas, quæ humanitati vel carni Chriſti, vel vlli omnino rei, quæ Deus non ſit, nequaquam vllo modo conuenire, aut reipſa communicari poteſt. Sed quædam alia vbiquitatis pag.31. carnis Chriſti argumenta ſubiicit Oſiander, certè non minùs, quam ſuperiora, inepta.

Chriſtus homo ſupra cælos omnes aſcendens, & euectus implet omnia. i. omnes locos, ergo carne ſua. R. Ergo & inferos ipſos, & Diabolos implet carne ſua per te, Oſiander, ſi *Implendi* verbum de carnis ipſius corporali præſentia intelligendum eſt: & *omnia,* locos omnes ſignificat. A Ais enim, *de locorum omnium, non de Scripturæ impletione Apoſtolum agere manifeſtum eſt.* Quo quid magis blaſphemum pronuntiari potuit? Implet igitur omnia Chriſtus, quoniam, vt inquit ſtatim eodem loco ſeipſum interpretans Paulus, Ephes. 4. v.12. *& dedit, & dat Eccleſiæ ſuæ* Doctores, & Paſtores, & cætera omnia, *quæ ſunt ad coagmentationem ſanctorum, ad opus miniſterij, ad ædificationem corporis,* (*id eſt, Eccleſiæ*) *neceſſaria.* Quare & verbum implendi de Spiritus Chriſti virtute, & efficacitate, & gubernatione: & vox omnia, de Eccleſia Dei præſertim, omnibuſque illi ad ſalutis aſſecutionem neceſſariis intelligenda eſt. Heb. 1. Matth. 28. *Potenti enim verbo ſuo* (ait Apoſtolus) *non carne ſuſtinet omnia, quia peccatorum noſtrorum purgatione facta, ſedet ad dexteram Patris, atque omnis illi poteſtas data eſt in cælum, & in terram.*

pag.32. *Deus implet omnia,* id eſt, omnem locum, (dixit enim, Ier. 23. Nunquid cælum, & terram ego impleo) *ergo caro Chriſti implet omnem locum.*

B *Etiam poſt aſcenſionem ſuam Chriſtus ſuæ Eccleſiæ præſens eſt. Ergo caro Chriſti corporaliter Eccleſiis præſens eſt.*

Act. 7. & 23. *Chriſtus etiam poſt aſcenſionem ſuam, extraordinariè viſus eſt à Paulo Hieroſolymis, & à Stephano. Ergo caro Chriſti eſt verè in his terris.* R. Quis non iſtius hominis ſtoliditatem, fratres chariſſimi, miſeratur, cùm huiuſmodi, & tam inepta huius Oſiandri doctrinæ fundamenta vel legit vel audit, quam tamen vobis obtrudere conatur: & quam, quia non admittimus, neque ſynceri, neque orthodoxi ab eo cẽſemur. Sed & quod ſequitur perinde, vt ſuperiora, eſt ἀσυλλόγιστον.

pag.33. *Chriſti reditus in poſtremo iudicij die eſt futurus glorioſus. Ergo caro Chriſti hodie non eſt in cælo.*

Caro Chriſti poſt glorificationem ſuam eſt plena maieſtatis. Ergo eſt vbique. R. Gloriam carni ſuæ dedit Philip. 3. v.21. Chriſtus, naturam non abſtulit. Deſineret autem eſſe vera caro, ſi eſſet vbique. Deſineret eſſe noſter mediator, niſi maneret nobis ὁμοούσιος, etiam in cælo ipſo glorioſus.

Chriſtus homo non ſedet localiter ad dexteram Dei. Ergo caro Chriſti nõ eſt in cœlo, vt in loco, ſed eſt vbique. Item Chriſtus homo ſedet ad dexteram Dei: dextera pag.34. C *Dei eſt vbique. Ergo Chriſti caro eſt vbique.* R. Quaſi ſedere ad dexteram Dei, & eſſe ipſam dexteram Dei ſit vnum & idem. Nam ex huius phraſis, Psal.110. *ſedet ad dexteram,* vero ſenſu, ſedet legatus ſeu vicarius generalis Regis ad dexteram Regis: Ergo eſt vicarij perſona vbicunque eſt ipſius vicaria, quam exercet poteſtas. Quis hoc vnquam concedet, cùm à poteſtate ad ſitum & collocationem perſonæ in rebus creatis (qualem eſſe carnem Chriſti Oſiander fateatur neceſſe eſt, niſi ſit fortaſſe factus iam Schuenckfeldianus) nulla ſit, vt ſupra docuimus, conſecutio? Etſi verò non ſedet localiter Chriſtus ad dextram Patris, qui Deus eſt, & locum nõ habet: non ſequitur tamen Chriſti carnem non eſſe in cœlo vt in loco, quoniam aliud eſt carnem Chriſti eſſe in cœlo, aliud ſedere ad dexteram Patris, quæ duo tamen hîc, vt vbique, confundit Oſiander. pag.35.

Homo Chriſtus habet poteſtatem in omnia. Ergo caro Chriſti eſt vbique corporaliter præſens. Reſpon. Iam nimium diu te imperitum omnium rerum ſuſtinemus, Oſiander. Quid igitur Eccleſias

A Gallicas,& pios qui in iis ſunt , ad quos hæc ſcribis,truncóſne,aut ſtipites iudicas, vt iſtas tuas ineptias ſtatim olfacere non poſſint , quæ ſe vel cæcis ipſis,ne dicam lippis & tonſoribus, palàm produnt his tuis argumentationibus?

*Dei dextera nõ ſignificat loci circũferẽtiã aut circũſcriptionẽ? Ergo caro Chriſti(qua eſt ad Dei dexterã) in nullo loco,loci circũſcriptione ſtatuẽda eſt.*R.Hoc verè diceres,ſi caro ipſa Chriſti eſſet ipſa Dei dextera,etſi à potentia ad ſitũ,&Vbi perſonæ eſſet vera cõſecutio & legitima.Itaq; duos fidei noſtrę articulos planè confundis,*aſcendit in cœlum*, qui locũ carnis Chriſti oſtendit: & *ſedet ad dexteram Patris* , qui illius ius & ſtatum in cœlis ipſis declarat.

pag.36. *Chriſtus omnia in omnibus implet.Ergo caro vbique præſens eſt.*R. Non carnis ſuæ præſentiâ:ſed Spiritus ſui potentia,pro efficacitate virtutis ſuæ Chriſtus omnia implet,vt iam diximus.

*Non poteſt digitis,aut oculis demonſtrari ille cœli locus,vbi eſt caro Chriſti.Ergo caro Chriſti non eſt in cœlo.*Hæc ſunt Achillea argumenta iſtius hominis.

pag.26. Cæterùm quid ad ea robuſtiſſima argumenta, B quę nos contra obiicimus,de Aſcenſione Chriſti in cœlum,de veritate carnis Chriſti etiam poſt ipſam glorificationem:de eo quod oportet Chriſtum cœlo contineri vſque ad inſtaurationem rerum omnium?Illa omnia vno verbo ſic iſte eludit,*Chriſtum quidem ratione ſubſtantiæ* , vt ipſe loquitur,id eſt,eſſentiæ carnem noſtræ ſimilem aſſumpſiſſe: cæterum de eſſentialibus ipſius carnis proprietatibus nihil reſpondet aut concedit . At niſi eas quoque Chriſtus aſſumpſerit , Oſiander, carnem noſtræ ſimilem non aſſumpſerit. Iampridem enim illud veriſſimè dictum eſt, tollens proprietates,tollit naturas. Quòd ſi vti naturam verè humanam aſſumpſit Chriſtus & noſtræ ſimilem: ita eſſentiales eius proprietates induit , & ſibi vnitam in perpetuum retinet, neceſſe eſt vt etiam nunc Chriſtus carnem & oſſa habeat, eáque caro certam ſui circunſcriptionem dimenſionémque, & ſitum & conditionem eam (quæ omni corpori & carni eſſentialis eſt)nimirum vt certo definitóque vbi,ſeu loco circunſcribatur, nec pluribus ſi- C mul locis eſſe poſſit. Nam quod de gloria carnis Chriſti affers,eam agnoſcimus ineſſe carni Chriſti , quantum ne Angeli quidem ipſi cœleſtes capere in cœlo poſſunt,nedum nos homines in terris:tamen non eam,quæ carnis & corporis naturam aboleuerit , ſed quæ ornauit. ὑπερφυσικὰς enim dotes ſine immenſas in Chriſti carne agnoſcimus:ἀντιφυσικὰς autem, id eſt , carnis naturam deſtruentes,illíque planè contrarias nullas in ea eſſe concedimus.

Atque hæc ſunt fratres dilectiſſimi, vel minutiſſima omnia iſtius monitoris , & ad nouam doctrinam vos pellicientis argumenta , quæ quàm inepta , abſurda, ἀσυλλόγιστα imò etiam blaſphema ſint,ipſi per vos facilè,quemadmodum ſpero,iam videtis.Dictum enim ſapienti ſat eſt,vt eſt in veteri prouerbio.Quanquam autem in iis , quæ ad hunc vſque locum præſcripſit Oſiander,ſatis inerat ineptiarum,& errorum:pro colophone tamen alios quoque non minores addere voluit,vt vobis eius doctrinæ(ad quam tamen amplectendã vos exhortatur)turpitudinem,ne dicam impietatem, vi veritatis coactus & imprudens reuelaret. Illa autem,quam addit,& quæ omnino ex orali manducatione ſequitur, A doctrina eſt, quòd etiam indignos,non Turcas,non Iudæos , non Paganos quos vocant,(nec enim illi vel ad cœnam accederent, vel noti admitterentur) ſed ipſum Chriſti nomen externè quidem profitentes , & intus tamẽ Dei irriſores,impios & infideles homines ad pag.40. cœnã accedẽtes vult iſte ore ſuo impio & impuro ipſum ſacratiſſimum Chriſti corpus manducare. Quo quid horribilius dici poteſt ? Vos quidem Chriſtum non ſic didiciſtis,fratres chariſſimi:ſed eſſe vera illa Chriſti(qui eſt ipſa Dei veritas & ſa- Ioan. 6. pientia)verba, *Qui edit meam carnem,& bibit meum ſanguinem,habet vitam æternam.*Itaque præclarè hãc Auguſt. tract. 26. in Ioan. Euang. Chriſti ſententiam explicans Auguſtinus (vt Cyrillum & alios omittam)ait,*quando Chriſtus manducatur,ait,vita ipſa manducatur,res ipſa ſacramenti omni homini ad vitam,nulli ad exitium eſt , quicunque eius particeps fuerit*,Ergo indigni,infideles , irriſores,& impij ad Domini cœnam accedentes , non ipſam Domini carnem ſumunt : ſed ſigna tantum illa carnis & ſanguinis Chriſti,(quæ corpus & ſanguis Chriſti ſacramentaliter dicuntur) quæ non ſunt illa quidem iam ſimpliciter panis & vinum: ſed panis & vinum ſacramenta, & certiſſima Dei B ingentia ſua dona illis offerentis teſtimonia, quæ tamen iſti indigni aſpernantur & contemnunt. Ergo ad illud,quod quærit Oſiander,quid indigni pag.38. in S.Domini cœna ſumant , facilis reſponſio eſt, Sumunt ſacramenta,panem illum,& vinum illud, veriſſima ſigna carnis & ſanguinis Chriſti illis quidem à Deo oblati,ſed ab iis nequaquam acceptati :ipſammet autem carnem & ſanguinẽ Chriſti non ſumunt indigni.Iſte contrarium aſſerit, & indignos ſumere corpus Chriſti vnà cum ſignis ipſis coniunctum docet,quæ vtraque corporis ore manducent.Nec enim intelligit panem illum, & vinum illud (quæ illis præbentur vt ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti)corpus quoque & ſanguinem à Chriſto appellari. Quod dum non intelligit, ipſam Chriſti carnem viuifica virtute ſua,id eſt,Solem ipſum luce ſpoliat.Quę ſint verò C iſtius hominis rationes iam audite.

Chriſtus in S. cœna obtulit idem omnibus edendum pag.39. *& bibendum,id eſt,idem Iudæ Iſcariotæ & Ioanni Euangeliſtæ.Ergo ſumpſit idem Iudas Iſcariota,quod Ioannes Euangeliſta,etſi diſpari fructu,Iudas nempe ad exitium:Ioannes autem ad ſalutem.*R.Sol iſte lucẽ ſuam offert cæcis,nec tamen cæci vident,aut ea luce fruuntur.Vti enim oculorum viſus lucis ſolaris fruẽdæ vnicum inſtrumentum eſt : ita fides vnicum eſt os & inſtrumẽtũ veræ Chriſti carnis,& ſanguinis mãducandi.Nec.n.cibus eſt vẽtris ſed mentis: nec ore ſumitur ſed fide,& ſpiritualia ſpiritualib. egẽt inſtrumẽtis.Ergo quod ab iſto dicitur, Iudã Domini proditorẽ ſumpſiſſe & mãducaſſe ipſummet corpus Chriſti,ſed ad ſuũ exitiũ , falſum eſt. Omnino.n.viuificũ eſt Chriſti corpus cuilibet illud edẽti.Quomodo igitur caro Chriſti eſt cuiquã ad exitiũ?Cũ contẽnitur,nõ aũt cũ ſumitur & mãducatur.Contẽpta.n.mors eſt,nõ aũt ſumpta.Ergo ſumpſit Iudas panẽ Domini.i.Sacramẽtũ & ſignũ corporis Domini:nõ aũt panẽ Dominũ. i. ipſum & verũ Chriſti corpus,quia ſemper eſt viuificum , quẽadmodum præclarè dixit Auguſtinus.

Chriſtus appellauit corpus ſuum illud ipſum, quod da Pag.38. *bat Iudæ Iſcariotæ,& quod Iudas ſumpſit. Ergo Iudas*

A *ſumpſit ipſum Chriſti corpus.* R. Et panis ipſe ſacramentum,corpus Chriſti ſacramentaliter nominatur:& ipſum eſſentiale Chriſti corpus dicitur quoque corpus Chriſti,ſed non ſacramentaliter, imò naturaliter. Quare non ſunt confundendæ iſtæ appellationes, & quod ſacramentaliter de pane à Chriſto dictum eſt, non eſt de ipſomet corpore Chriſti intelligendum,quod hîc magno errore facit Oſiander.

Propter hominum incredulitatem non ſit vanum & inefficax Chriſti verbum. Ergo etiam indigni ſumant Chriſti corpus. Quid tu Oſiander, dicíſne inefficax Chriſti verbum, quod contemptum ab indignis mortem illis affert & exitium æternum? Ergo eſt efficaciſſimum,vt vides,nec vero ſequitur, vt ſi Chriſtus in S.Cœna ſemper offert,& omnib. offert corpus ſuum, omnes ergo illud accipiant. Chriſtus per Euangelium ſuum omnibus illud audientibus,& verba intelligentibus ſalutem æternam offert:nec tamen omnes Euangelij auditores ſalutem ęternã propterea obtinent. Fide enim opus eſt,vt accipiatur,qua carent indigni:& aliud eſt aliquid nobis ab alio offerri,aliud autem à nobis acceptari. Multa ergo nobis offeruntur, quæ à nobis repudiantur.

B

Propter conuiuarum diuerſitatem ſubſtantia ciborum non mutatur. Ergo etſi digni & indigni ad Cœnam Domini accedant, vnus tamen & idem cibus vtriſque datur. R. Non editur à conuiuis,Oſiander, quod illis minimè apponitur, etſi tamen apponendum offertur & proponitur. Non apponitur in S. Cœna vera caro Chriſti niſi fidei. Ergo qui conuiuæ eam non habent,nihil niſi panem & vinum Sacramenta etiam in Cœna appoſita habent. Cæterùm quemadmodum non eſt eadem ſubſtantia huius vini & Panis:& veri ſanguinis & carnis Chriſti:ſic in S.Cœna non æquè omnibus conuiuis & ſignũ, & res ſignata verè ab ipſomet Chriſto apponitur: licet vt æquè apponi poſſet vtriſque,à Chriſto æquè offerebatur. Sed digni rẽ ſignatam lubentiſſimè edunt,multa verò ſæpe & hoſpes & conuiuator conuiuis ſuis offert:quæ tamen ipſi vel apponi ſibi nolunt,vel appoſita non tangunt aut edunt, ſed reſpuunt.

C

Paulus ait indignos,qui panem hunc Cœnæ dominicæ ſumunt,iudicium ſibi manducare. At qui ſimpliciter panem indignè manducat,exitium æternum ſibi nõ accerſit. Ergo indigni in Cœna Domini non ſimpliciter panem,ſed etiam corpus ipſum Chriſti vnà cum pane coniunctum manducant. R. Aliud eſt manducare indignè quemlibet panem, & manducare panem hunc. Etſi enim omnis cibus eſt Dei donum, qui cum gratiarum actione ſumi debet:tamen, vt ait Auguſtinus,qui panem hunc & poculum hoc ſacramẽtum edit,velut quemlibet alium cibum indiſcretè negligentérque, ſacramenta ſummáque beneficia Dei impiè contemnit. Quum enim Sacramenta violantur,ipſe,cuius ſunt, violatur, ait Hieronymus. Quare cùm optima quæque Dei beneficia ſibi oblata indignè mãducantes aſpernentur & irrideant,nihil mirum ſi exitium æternum ſibi ſumant,& tamen ſolum panem ſacramẽtum, non autem rem ipſam ſacramenti,id eſt, carnem ipſam Chriſti manducent.

1. Tim. 4.

Anguſt. rat. 62. in Ioan.

in Malach Hierony.

pag. 40.

Bonus cibus ab eo ſumi poteſt, cuius tamen ſtomacho nocet. Ergo ipſum quoque corpus Chriſti ab indignis ſumi poteſt. R. Quemadmodum nullus omnino cibus ab eo ſumi poteſt,qui os nullum habet:ſic neque vera caro Chriſti ab eo manducari poteſt, qui fide caret. Eſt enim fides vnicum os veræ Chriſti carnis manducandæ, eſt ſtomachus recipiendæ, eſt calor digerendæ. A

Pag. 41.

Cibus ſumi poteſt, & tamen ſubſtãtia aut alimentũ ex cibo nullũ ſumitur, vti ab ægrotis. Ergo corpus ipſũ Chriſti ab indignis manducari poteſt, & nõ tamẽ vita quoq; ipſa æterna, quæ eſt illius carnis alimentum & ſubſtantia, aut alia eius beneficia ſentientur. R. Caro Chriſti nihil niſi vita & viuifica eſt:non habet,vti hi cibi noſtri corporei & terreni,vnam ſui partem mortuam materialẽ & fæcẽ:alteram autem viuidã,vegetantem,& viuificantem. Sed tota, quacunque ſui parte,& quocunque attactu,quia vnigeniti caro eſt,& ab eo viuificatur,viuifica eſt. Ergo vti ignitum carbonem nulla ſui parte apprehendere, & continere poſſis,quin calorem illius ſentias:ſic carnem illam Chriſti nullo modo mãducare poſſis,& intra te habere, quin illa te ſtatim viuificet. Mirum eſt autem Oſiandrum,qui alibi carnẽ Chriſti & omnipotentem & Vbique præſentem,& plenam Maieſtatis diuinæ,denique Deo ipſi æqualẽ faciat,eo tantum excepto,quòd quæ Deitas habet ex ſe,& proprium,caro Chriſti habet communicatum,& ab alio ſumptum:tamen vt ſuum errorẽ tueatur eidem gloriæ carni Chriſti vitam,& viuificam vim adimere, támque ſibi iam contrarium eſſe. Quod tamen fieri non magis poteſt,quàm ipſum Solis corpus iam luce ſua priuare.

Euangelium à quibuſdam auditur ad exitium. Ergo & ipſum corpus Chriſti manducatur ab indignis ad ſuum exitium. R. Non vt aure corporea auditur vox ſonãs Euãgeliũ,ſic corporeo ore manditur ipſum corpus Chriſti. Fide enim duntaxat ſumitur, non autem corporeo ore. Quare diſſimillima cõparat inter ſe hoc loco Oſiander. Sunt potius ille panis & illud vinum ſacramenta S. Cœnæ conferenda cum ſono exteriore Euangelij, qui duntaxat ab incredulis auditur.

Indigni dicuntur à Paulo rei corporis Chriſti. Ergo indigni ipſum Chriſti corpus accipiunt. R. Indigni dicũtur à Paulo rei corporis Chriſti,quoniã illud accipere ſpreuerũt,nõ quia acceperũt. Cõtẽpta.n.& reiecta,nõ aũt ſumpta caro Chriſti nos reos facit, vt iam diximus. Quẽadmodũ igitur Filius,qui alimẽta à Patre benignè ſibi oblata,in contẽptũ patris,& vt ganea frequentet, accipere recuſat, reus eſt contẽpti à ſe beneficij Patris. Sic indigni ſunt rei corporis Chriſti ſibi ab ipſo quidem Chriſto oblati: à ſe verò ingrato animo & per contumeliam impietatémque repudiati. C

Hæc ſunt,dilectiſſimi,quæ vt vos ſubornaret, & à Chriſto ſynceráque eius doctrina abduceret,ſcribere auſus eſt blandus iſte, & beneuolus ſcilicet monitor Oſiander. In quibus quæ quantáque impietas,& blaſphemia inſint,omnes videtis.

DE BAPTISMO.

ADdit aũt etiã quędã alia,velut de Baptiſmo, de Prędeſtinatione,& de Idolis. In quib. quia & vos veſtrũq; in Dei regnũ propagãdũ ſtudiũ reprehendit:& doctrinã etiã habet in nõnullis à Domini verbo diſſentiẽtẽ,de his ipſis quoq; capitib. breuiter nobis cũ eo agendum eſt,ne eam (quam vobis ex Dei verbo tradidimus) pietatis doctrinam

1. Timo

A nam iſtius rationibus euerti quis exiſtimet. Ea verò prætermittemus, in quibus nobis cum eo planè conuenit. Ergo in Baptiſmo habet Oſiander illud manifeſtè erroneum (in quo tamen nos paſtores veſtros, quoniam aliter docemus, erroris accuſat) quòd mulieribus, *ſi ita ſumma neceſſitas poſtulet, & nullus vir tunc adſit, permittit vt infantem Chriſtianorum baptizent.* Hæc Oſiander.

Pag.62.

Primùm autem ſecum ipſe pugnat. Nam qui ſic ſcribit, *Neceſſitatem autem baptiſmi ſic (iuxta Sacrarum literarum ſententiam) ſtatuimus, vt tamen paruulos illos Chriſtianorum non damnemus, qui baptiſmum conſequi non queunt: quorum alij in vtero matris, alij in partu, alij inopinatis caſibus, ante ſuſceptum baptiſmum ex hac vita decedunt,* quomodo vllam eſſe tãtam baptiſmi infantibus conferendi neceſſitatem putat aut ſtatuit vt potius concedendum ſit mulieribus eos baptizare, quàm illi ſine baptiſmo ex hac vita decedãt?

pag.61.

B Iſta certè non cohærent inter ſe. Nam quod mulieribus quibuſdam facta eſt baptizandi poteſtas, ex eo errore natum eſt, quòd baptiſmum omnino abſoluta, vt vocant, neceſſitate, ad ſalutem neceſſarium exiſtimarent, id eſt, quòd Dei virtutem operi ipſi operato ſeu elemento aquæ impiè tribuerent. Quam præciſam neceſſitatem cùm ſe tollere dicat Oſiander, ídque ex Sacrarum literarum ſententia, non video tamen quomodo cohærens & conſequens illius tam neceſſarium relinquat & probet. Negato namque antecedente, fuit omnino negandum & conſequens, quod ex eo & neceſſariò & ſolùm efficitur. Eſt aũt illud, de concedenda mulieribus baptizandi in caſu neceſſitatis poteſtate. Niſi fortè vel iſtius erroneæ permiſſionis originem non nouit Oſiander: vel hoc ex illa duntaxat conſequens eſſe non animaduertit: vel denique ſimulatè tantum, non autẽ ex animo grauiſſimum illum Pontificiorum, de abſoluta baptiſmi neceſſitate ad ſalutem, errorem reprehendit. Porrò quod addit, *& nullus tunc vir adſit,* obſcurè loquitur, & perplexam animis, conſcientiiſque hominum quæſtionem, velut aculeum, infigit. C Ecquos enim viros intelligit, qui, ſi præſentes adſunt, iam non liceat mulieribus baptizare, vtrùm cuiuſuis ætatis, vti fortè quinquennes, vel minores ætate, ſi verba illa, *Baptizo te in N. Patris, & Filij, & Spiritus ſancti,* pronuntiare intelligenter poterunt: an grandiores ſolùm vúlt tunc adeſſe, ſed tamen nondum puberes: an eos duntaxat, qui iam ad pubertatis annos peruenerunt, quoniam illi aliquo firmiore animi iudicio vtuntur: an verò etiam hoc Oſiander in iſtis viris, quibus præſentibus mulieres baptizare non poterunt, requirit, vt illi etiam ſint coniuges, & mariti. Hæc nobis explicet & ſuæ ſententiæ rationes addat, & vtrum verum dicat tunc perpendamus. Sumus enim vera dicenti facilè aſſenſuri. Quare & obſcurum eſt, & parum priori ſuæ de tollenda neceſſitate baptiſmi ſententiæ conſentaneum, quemadmodum oſtendimus, quod de mulieribus iſtis iã docet, vt in caſu neceſſitatis, viris abſentibus, baptizare poſſint. Sed in eo grauiùs peccat, quòd quũ hæc docet & ſcribit, falſa ſcribit. Cùm enim mulieres ab omni Eccleſiaſtico docendi munere in Chriſtiana Eccleſia arceantur, etiam eædem à Sacramentorum Noui Teſtamenti conferendorum ratione omnino abſtinere debent, *Mulieri docere nõ permitto,* inquit Paulꝰ. Ergo nec Baptizare.

1. Timot. 2.v.12.

Chriſtus enim iſta coniunxit, *Ite, docete baptizãtes.* Quæ verò coniunxit, nobis nequaquam licet ea ſeparare. Ex quo fit, vt cui ex Dei verbo docendi munus minimè eſt conceſſum, eidem quoque neque baptizandi, neque Cœnam dominicam adminiſtrandi miniſterium ſit à nobis tribuendum, aut ex vlla neceſſitate permittendum. Et hoc ipſum ſanè ſecuta eſt vetus Eccleſia omnis ante Pelagianorum hæreticorum tempora, quemadmodum ex Tertulliano, Epiphanio, aliiſque ſcriptoribus Eccleſiaſticis apparet. Sed cùm Pelagini baptiſmum infantium, (quos carere peccato Originis impiè contendebant) in contemptum adducerẽt, Patres contrariam viam ingreſſi, in primíſque Africanæ Eccleſiæ, baptiſmum miris modis, vt par erat, extulerunt, vim illius immenſam eſſe demonſtrarunt: tandem autem etiam ad ſalutem omnino neceſſarium eſſe voluerunt. In quo certè (pace tantorum virorum dictum ſit) ab iis erratum eſſe nemo (qui verbo Dei acquieſcet, etiam ipſomet Oſiandro hîc teſte) diffiteri poteſt. B Vnde perſtrictus eſt obliquè quoque Carthag. Conc. 4. cap. 100. error iſte, & diſertè vetitum, ne mulieres baptizarent. Sed gliſcentibus poſtea in Eccleſiam Dei omnis generis erroribus, concilio Florentino circa annum Domini 1439. ab Eugenio 4. conſtitutum eſt, quod hîc ait Oſiander, vt in caſu neceſſitatis primùm laicus, poſtea ſi nemo laicus adeſſet, mulier infantem baptizare poſſet. Videtis, igitur, fratres ecquos ſuæ huius ſentẽtiæ fautores habeat, Oſiander, nempe homines Pontificios iam corruptiſſimis Eccleſiæ temporibus omnia pro animi arbitratu, non ex Dei verbo decernentes.

A Matt.28. v.9. & 19.

Carthag. Concil. c. 100. Can. Mulier.23. diſt.

Verùm exemplo Sephoræ rem confirmare videtur. Illa enim, nimirum etiam præſente Moſe, marito, circũcidit filium ſuum. In quo multa ſunt quę reprehendo. Primùm quod non conuenit Oſiandri ſententiæ hoc exemplum Sephoræ. Nam vult Oſiander, vt eo demum caſu, vt loquuntur, mulier baptizare poſſit, *quo nullus vir adeſt.* At tunc præſens aderat Moſes ipſe & vir & maritus Sephoræ, nec tantum in eodem erat hoſpitio, ſed in eodem cubiculo, adeò vt Sephora irata præciſum filiorum præputium ad pedes Moſis abiecerit. Deinde Sephora non alienos, ſed ſuos tantùm circuncidit. Et tamen Oſiander hoc mulieribus veluti obſtetricibus permittit, (quemadmodum C ex eorum vſu & praxi apparet) vt etiam alios liberos baptizare poſſint. Quid ergo Sephoræ exemplum ad Oſiandri ſententiam, cùm contraria potius ex eo colligantur? Nimirum etſi vir adſit, poſſe mulierem baptizare non quoſuis, ſed ſuos tantùm liberos. Hæc igitur eſt prima ad hoc exemplum Sephoræ noſtra reſponſio. Altera verò eſt, quod tum ex particulari generale quiddam colligit: tum ex facto extraordinario regulã perpetuam conſtituit, cùm nuſquam alibi legamus mulieres in Dei populo, & ſub lege ſuos vel alienos liberos circuncidiſſe. Præterea in ipſius adeo Moſis contumeliam ac reprehenſionem hoc quoque fuit. Dominus enim ea ratione Moſem nimiæ negligentiæ per vxorem arguit, quòd filios ſuos non circumcidiſſet, & ſacroſanctũ illud Dei fœdus cum ſua familia, prętermittens circunciſionem, neglexiſſet. Denique quis non videt in eo diſſimilem fuiſſe Baptiſmi & Circunciſionis rationem? Nuſquam enim legimus Circuncidendi

Exod. 4.

NB · Baptiſmus
ñ conceditur muli-
erib.

munus olim Sacerdotibus peculiariter à Deo mandatum fuiſſe, quoniam Circumciſio etiam ante ſegregatos à reliquo populo Sacerdotes, & à Deo inſtituta, & à populo vſurpata fuerit, annis pluſquam quadringentis. Præterea baptizandi miniſterium Chriſtus delegauit iis ſolis, quibus prędicandi verbi Euangelici munus dedit. Ex quo fit, vt ineptè ex ea diſſimilitudine ſimilem tamen agendi rationem concludat Oſiander. Atque hæc ſunt tamẽ, quæ quũ à nobis nõ doceantur in Gallicis Eccleſiis, (quia ſunt falſa) nos reprehendit, & grauiſſimi erroris inſimulat, quaſi ſimus impoſtores, & Doctores mendacij. Cæterũ habet quoque Oſiander alia in eadem de Baptiſmo diſputatione, in quibus vel perſpicuitatem ab eo, vel doctrinæ veritatem deſideramus: Vt quum locum illum Ioannis & Chriſti dictum, *Amen, Amen, dico vobis, niſi quis genitus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum cælorum*, interpretatur, neque diſtinguit, Vtrùm de Adultis tantum hominibus, an verò etiam de Infantibus loquatur Chriſtus, qui Nicodemum tunc alloquebatur: neque docet, vtrùm ſpiritus ipſe cum aqua, id eſt, cum externo Baptiſmi ſigno ſemper coniungatur, quandoquidem *Aquam* pro Baptiſmo ex Chryſoſtomi ſententia ſumit, quaſi quilibet regeneretur, qui aqua baptizatur. Ergo clariùs loquatur, vt poſſit intelligi. Sed & illud quoque eſt ambiguum, quod idẽ poſtea de infantibus ſcribens his verbis ait, *Etſi enim in adultis Dominus, quum fidem alicui donare vult, vtitur prædicatione Euangelij de Chriſto, tanquã inſtrumento, ſeu medio: tamen dubium non eſt, quin Dominus infanti fidem donet, quum vel pij parentes, vel alij pij homines ſuis precibus pro infante apud Dominum intercedunt.*

A

Mat.28.

Ioan.3.5.

Oſiand. pag.59.

B

pag.63.

Primùm enim explicare debuit, Vtrùm de omnibus fidelium infantibus, qui baptizantur, id verum eſſe velit, quaſi quicunque baptizantur aqua, iidem & Spiritum ſanctum accipiant, atque etiam fidem ſine Dei verbo, id eſt extra ordinem habeãt: an verò tantùm de iis infantibus intelligat, qui ſunt ad ſalutem æternam à Deo prędeſtinaſti. Deinde verò dicendum quoque fuit, Vtrum ipſe ſentiat infantes poſt huiuſmodi Eccleſiæ preces habere fidem actualem ſeu habitualem, quam vocant: an verò eos habere fidem tantùm δυνάμει. Quanquam enim Auguſtinus in epiſtola ad Dardanum, ſic ait, *Dicimus in baptizatis paruulis, quamuis id neſciant, habitare Spiritum ſanctum*: tamen idem in epiſtola ad Bonifacium ſeſe interpretans ſic de fide infantium, & quomodo eam habeant, ſcribit, *Sacramentum fidei, fides eſt ſecundum quendã modum. Nihil eſt aũt aliud credere, quàm fidem habere. Ac per hoc, quum reſpondetur, Paruulos credere, (qui fidei nondum habent affectum) reſpondetur fidem habere propter fidei ſacramentum, & conuertere ſe ad Deum, propter conuerſionis ſacramentum.* De quo ipſo lib. 3. de Liberto Arbitrio cap. 23. idem Auguſtinus copioſiùs agit. Quare ſeipſum explicare debuit Oſiander, Chariſſimi fratres, ſi vel verum dicere, vel intelligenter loqui apud vos voluit. Qui enim obſcurè docet, nihil docet: vel potiùs, ex Hieronymi conſilio, diu multúmque iſte diſcere debuit, quod alios docere voluit.

C

Cap.12.

Auguſt. in Epiſt. ad Bonifac.

DE PRÆDESTINATIONE.

A

DE Prædeſtinatione verò quod ſcribit, huiuſmodi eſt, vt in eo quoque argumento multa deſiderare cogamur, ſiue prudens ea prætermiſerit Oſiander: ſiue potiùs ignorans. Cũ enim illius æterni Dei de hominibus conſilij & decreti ſit effectum duplex, atque diſſimillimum, Dei nimirum electio, & reprobatio: de electione (quam ſolam prædeſtinationem hîc appellat) multa: De hominum verò reprobatione vel nihil omnino, vel admodum obſurè tradit. Cenſet enim iſte, dum res tam neceſſaria, (quæ eſt præcipuum quoddam ſalutis noſtræ fundamentum, & infinitæ Dei potentiæ, Sapientiæ, Iuſtitiæ, & Miſericordiæ agnoſcendæ, ac prædicandæ argumentum) dilucidè ex ipſa ſacra Scriprura à nobis tractatur, nos à reuelato Dei verbo animum auertere, qui ipſe nec lucem huius diſputationis ex Dei verbo vidit: nec veram etiam quarundam ſcripturæ vocum ſignificationem nouit, vel interpretationem attulit. Ergo nos in eo accuſat, quod veram vtriuſque illius decreti Dei doctrinam perſpicuè vobis tradamus. Certè homine imperito nihil quicquam ait ille, iniuſtius, qui nihil, niſi quod facit, rectum putat. Quamobrem neceſſe eſt, vt etiam in hoc tã pleno dulciſſimæ conſolationis argumento, vti in duobus aliis ſuperioribus fidei Chriſtianæ capitibus, errores iſtius hominis paucis oſtendamus Primùm in toto hoc de Prædeſtinatione tractatu vocem Reprobationis, tanquam vel ipſi Scripturæ, vel Patribus ignotam homo iſte horret: quaſi ſi à Deo hominum quidam eligantur, & vt vult, prędeſtinentur, non ſit omnino neceſſe, alios quoque à Deo reprobari. Nec enim è multis eligit, qui multa illa, imò omnia ſibi capit, & deligit: adeò vt qui reprobationem non admittit, idem ille quoque neget electionem Dei ex conſequenti. Deinde nõne vocabulo Ἀπεδοκιμάσθη vtitur manifeſtè S. ſcriptura de Eſau agens? Nam Patrum autoritates ad huius vocabuli vſum in Eccleſia demonſtrandum, citare, eſt otio, & literis noſtis abuti. Præterea quid aliud hæ Scripturæ voces, κατηρτισμένοι, θέντες, προγεγραμμένοι ſignificant, quàm quod nos dicimus, quum quoſdam *Reprobatos* appellamus. Denique vtrum duriùs eſt dicere, quoſdam à Deo reprobari, an à Deo odio haberi, quemadmodum tamen, & Malachias, & Paulus, dictante Dei ſpiritu, loquuntur? Quamobrem Oſiander in eo primùm vel errat, vel à Scriptura ipſe diſcedit quòd noto S. ſcripturæ vocabulo refugit vti. Hic primus eſt error. Alter eſt in eo, quod reprobatos à Deo non putat quoque à Deo eſſe prædeſtinatos. Cur igitur *προγεγραμμένοι iam olim deſcripti* à Iuda Chriſti Apoſtolo, & à Paulo, σκεύη κατηρτισμένα *vaſa coagmentata* vocantur, ſi reprobati non ſunt prædeſtinati? certè vti electos Dominus prædeſtinat, ſic & reprobatos, vt in iis ſuæ iuſtitiæ gloriam oſtendat. Nec enim ſic fines Deo tribuendi ſunt, vt de mediis, per quæ ad eos fines venitur, minimè cogitarit, aut quicquam ipſe ordinarit. Hęc igitur eſt ſecunda iſtius hominis fraus in ſyncera tanti fidei articuli doctrina tradenda, Fratres chariſſimi: vel potiùs ignorantia. Tertius autem eiuſdem error eſt, quòd in hoc de Prædeſtinatione loco,

pag.79.

B

Heb.12.17

C

Rom.9.22

1. Pet.2.8.

Iud.4.

Malach.1.

Rom.9.13.

pag.68.69. 70. & deinceps.

A loco, *Præſcientiæ, & Præuidentiæ* Dei tantùm meminit: nunquam autem Prouidentiæ, Decreti, Ordinationis, cùm tamen ὁρισμοῦ, & προορισμοῦ, quibus vocibus vtitur Scriptura, ac προγνώσεως (quatenus à Decreto, vt hîc ab Oſiãdro ſit diſtinguitur) ſit longè diuerſa ſignificatio. Denique & Prædeſtinationis noſtræ cauſſæ, non ex ea Præſcientia Dei: ſed ex ipſo Decreto, & Prouidentiæ ipſius ordinatione erant hoc loco explicandæ. Præſciētia enim ſeu Præuidētia Dei, πρόγνωσις Græcè, nullius rei propriè cauſſa eſt. At ὁρισμὸς, προορισμὸς, βουλὴ, πρόνοια, *decretum, conſilium, & ordinatio Dei*, illæ ſunt rerum omnium cauſſæ. Ex quo fit, vt vbique Oſiander appellet Deum præſcientem quidem & præuidentem: nuſquam autem ordinantem decernentem, &c. ac ne tum quidē, vbi de Prædeſtinatione, & Electorum Dei æterna ſalute agit: vbi maximè tamen oportuit, Nimirū quaſi Deus velut otioſus quidam rerum (quæ hic ab hominibus fiunt) ſpectator in cælo ſedeat: nihil autem B de iis ipſe decernat. Et certè iſta Pontificiorū hominum peſsimè de Dei reprobatione ſentientiū, fraus eſt, ac doctrina, quam iſte beneuolus veſter monitor amplectitur, atque conqueritur quòd vobis vt Gallicis Eccleſiis reformatis, & ex Dei verbo verè inſtitutis, non tradatur. Quare cùm ipſos Prædeſtinationis hominum fontes ignoraſſe ſe hoc loco demonſtret: quomodo, quæſo vos, quicquam de ea rectè, vel vos, vel ſuos docere poteſt? Porrò, quartus quoque iſtius in hoc argumento error eſt, quòd verba hæc Dei de Pharao- Exod.9. Rom.9. Pag.70.71 ne loquētis expreſſiſsima, *Excitaui te*, ſic interpretatur, *præuidi*, ſeu *præſciui te*, fore impium. Et Dominus *indurauit Pharaonem*, id eſt, per accidens Rom.7.8. *durum, effecit* vti Lex gignere in nobis concupiſcentias dicitur: & qui benè monet prauum hominem monitis non obſequentem, deteriorem facere videtur. Nam hoc ipſum iſte hac ſimilitudine quoque explicat. Quaſi verò nulla omnino Dei peccatum alio peccato iuſtè punientis, & ſic in ipſo Pharaonis corde iam per ſe malo agentis actio, & operatio fuerit. Imò verò Oſiãder, & verè *excitauit Pharaonem* Deus, & *Indurauit*, & C *immittit* ſpiritum erroris, non ſola permiſsione, vt putas: non ſola præſcientia: non ſola intuitione: non ſola patientia, aut ἀνεργίᾳ, aut σιγῇ: ſed ipſa, 2.Theſſ.2.11. quemadmodum Paulus ipſe loquitur & interpretatur, ἐνεργείᾳ, operatione, ac efficacitate. At veretur homo, ſcilicet ex imitatione impuriſsimi Patris, pius Oſiander, ne, ex dogmate Manichæorum, conſtituat Deum autorem mali & peccati. Sanè verendum fuit, vt niſi tam facundum cauſſæ ſuæ patronum haberet Deus, damnaretur. Quaſi verò ante natum iſtum iuuenem Deus cauſſâ ceciderit, & autor & reus peccati à Manichæis verè peractus ſit. Nullo mendacio tuo (quale in iſta tua interpretatione apparet) ad ſe tuēdā eget veritas Dei. Ergo *indurauit Pharaonem* Deus, Exod.4.9. & ſeipſum *tamen Pharao indurauit*, quoniam in vno & eodem opere diuerſa ratione agunt Deus & homines. Deus quidem iuſtè agit, quia Deus eſt iuſtiſſimus: homo verò agit iniuſtiſſimè, quia animi ſui motum, & ſcopum, & finem improbū ſpectat & ſequitur. Exempli gratiâ. Voluerunt Act.4.28. Scribæ & Phariſæi, vt Chriſtus moreretur: voluit & hoc ipſum Deus Pater ille cæleſtis, & Chriſtus ipſe quoque mori voluit. Num igitur iniuſta eſt in eadem Chriſti morte Dei Patris, & ipſius Chriſti voluntas, quia Scribarnm & Phariſæorum fuit iniuſtiſſima? Nequaquam certè, Oſiander. Quare vt hunc locum concludam, etſi occulta ſunt ac ignota nobis Dei opera ac iudicia: ſunt tamē ſemper iuſtiſsima. Nec ſequitur, vt ſi in eodem opere verſetur, atque nos homines, vitioſè tamen, vti nos, operetur. Sed quia ſæpiſsimè de iis rebus & rectiſsimè edocemini à veſtris Paſtoribus, & ſcopus huius diſputationis totius in eo tantum eſt, vt iſtius monitoris doctrinā & falſam & minimè plenam ac ſynceram eſſe demōſtrarem, plura de hoc, etſi longè grauiſsimo argumento, tamē nunc addere nihil puto neceſſe.

DE IDOLIS.

Reſtat igitur, vt de eo, quòd ille poſtremum addidit, capite, & nos quoque breuiſſimè diſſeramus. Eſt autem de Idolis. Quod ab B Oſiandro non tam ex vlla temporis, aut idololatriæ (quæ inter vos, Dei Opt. Max. gratiâ, reſtet) neceſsitate commemoratum eſt, quàm vt vos omnes, quantumuis intempeſtiua occaſione arrepta, publicè traduceret, atque in inuidiā & odium apud omnes Magiſtratus adduceret. Quis enim alius eſt iſtius caudæ ſcopus, Oſiander, quàm vt venenum in nos tuum ſub mellita illa oratione, & προσφωνήσει exquiſitiſsimè ex omniū collegarum tuorum emendatione ſcripta euomas, & nos reos eſſe velis? Itaque in iſto tuo ſcripto toto vox quidem ipſa, vox Iacobi fuit, manus autem, manus Eſau, id eſt tua. Ergo nos accuſas verboſè, quòd in his noſtris ciuilibus bellis idola quædā inuito eo Magiſtratu (qui, vt ais, adhuc *Pontificiā religionem ſectatur*) in quibuſdā locis à noſtris ali- pag.90. quot & remota, & violenter deiecta ſunt. Hæc eſt illa tam grauis de nobis querimoniæ cauſſa. Quid igitur? iſtorumne idolorum ſanguis & clamor ad te peruenit, Oſiander, aut tā tibi charus & pretioſus eſt, vt nos, (quos toties, *chariſſimos* & *dilectiſſimos* (ſed fictè vocas) propterea apud omnes mortales publico etiam ſcripto velles accuſare? Propterea & noſtras, & illuſtriſſimorū Prin- C Pag.96. cipum noſtrorum, Regis Nauareni, Condei, & aliorum actiones *turbulentas* vocare? Paſtores Eccleſiarum Gallicarum *autores ſuis auditoribus* dicere, vt *in prouentus & templa ſacrificulorum impetum* Pag. 94. *facerent*? Nos denique (quibus aliquam à Pontificiis noſtris pecuniæ penſionem miſer exſpectās, inſidiaris,) nos, inquam, propterea impudentiſſimis illis conuitiis proſcindere? Illuſtriſsimos ergo Principes noſtros, quibus Ducibus bella illa pro libertate Patriæ, ex ipſis Edictis regiis, Ordinum Gallicorum conſeſſu approbatis, geſsimus, ita calumnioſè, ita impudenter, ita falsò *turbulentos*, & aliarum *facultatum raptores* ac *inuaſores* nebulo nominas? Qui nos de contemptione Magiſtratus accuſas, tu eum ſæuiſsimis criminationibus damnes? Hîc certè quis fuerit tuus in toto hoc aſſentatorio ſcripto promulgando animus iam oſtendis. Nihil nos celas, Nouimus iſtas fraudes tuas: & nouam hanc tuam Pappanámque Charitatem olfacimus. Quòd ſi de tuo Parente, homine impuriſsimo: ſi de teipſo, homine nequam & erroneo & vago dicere vellemus, quæ nobis iam obſecro, ſuppeteret & ad dicendum, & ad ſcribendum rerum copia? Diſce igitur iam Cenſor, & Critice, qui nos de neglecta autoritate Magiſtratus tam durè flagellas, diſce, inquam, ipſe non modò de noſtris Magiſtratibus & Principibus bene ſentire: ſed etiam de iis, quæ in eorum actionibus non intelligis (illa enim ingenij tui captũ ſuperant) nequaquam temere iudicare. Sed tamẽ, vt omnes intelligant, quàm immeritò nos Eccleſiarum Gallicarum Paſtores ab iſto accuſemur, hoc, Deo ipſo teſte, reſpondemus: Lætari quidẽ nos, quòd idola illa, quæ in Dei contemptum tãdiu erecta fuerunt, & tot hominum milia vana adhuc ſuperſtitione retinebant, ſublata ſint ex hominum oculis. Siue enim, inquit Paulus, ex occaſione, ſiue ex vero animo Chriſtus annũtietur, de hoc gaudemus. Modum autem ipſum & agendi rationem, per quam idola illa ſublata ſunt, neque Illuſtriſs. Principes noſtros, qui etiam erãt Magiſtratus fideles: neq; nos Paſtores vnquam probauimus. Cuius rei fidem faciunt, & epiſtolæ ab ipſis Eccleſiarum Gallicarum Paſtoribus (qui in Poſsiacenum concilium conuenerant) communi omnium nomine ac cõſenſu ad fratres Eccleſiáſque Aquitanicas ſcriptæ, & Illuſtriſs. Principis Cõdei, atque Illuſtriſs. Amiralij Collinæi (quorũ ſanctiſsima & feliciſsima apud pios omnes viget vigebítque ſemper memoria) edicta & comminationes grauiſsimę etiam publicè in eos, qui hęc perpetrarẽt, propoſitæ. Plus etiam dicam, In medio ipſorum bellorum noſtrorum feruore, & periculo (licèt Pontificij ſæuirent in noſtros omni genere crudelitatis) cùm Aureliæ ad Ligerim oppido nobiliſsimo ea idolorum ruina & deiectio fieri cepiſſet, Illuſtriſs. illum Amiralium ex ipſis Caſtris Aureliam ſtatim accurriſſe, & machinis etiam bellicis eos, qui hoc auderẽt, deturbaſſe. Sed quis neſcit, quanta in bello præſertim ciuili, præter ipſorum ducum ac virorum bonorum vota eueniant? quæ nequaquam à nobis defenduntur. *Omnia enim*, vt inquit ille, *ſunt miſera in bellis ciuilibus*. Ergo cùm animi hominum incaluiſſent: cùm Duces noſtri abeſſent: cùm bono quidem, nõ tamen ſecundum ſcientiam zelo quidam impulſi fuiſſent: non auaritiæ, non rapinæ animo, ſed vno tantùm idololatriæ euertendæ ſtudio, idola deiecta ſunt, quæ in Eccleſia Dei, populóque etiam ipſo Pontificio retineri ſine periculo non poterant. Sed quid idola ad cauſſam de Cœna Domini, quam vnam hîc maximè vrges, & agere voluiſti? Quorſum iſta tua pro idolis querela, & accuſatio ad rhõbum tuum? Hæc ſumma eſt, vobis, fratres, maledicere voluit Oſiander. Itaque occaſionem captauit: ſed cùm ſtatim arrodere nõ eſſet auſus, ad extremum tamen pus ſuum, velut ſerpens venenum, vltimo ſibilo eiecit. Pro quibus tamen & in vos fratres chariſſ. & in nos Paſtores manifeſtis grauibúſque conuiciis nos meliorem homini iſti à Deo mẽtem precemur. Vos autem, fratres, per viſcera miſericodiæ Dei, qui vos precioſiſsimo Filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanguine redemit, qui vos ex ipſis idololatrię tenebris ſpiſſiſsimis eripuit, qui vos ad veriſsimam ſuæ doctrinæ tum de S. Cœna, tum de Baptiſmo, tum de Prædeſtinatione, tum etiam de aliis articulis lucem vocauit, qui toties vos oppreſſos præter ſpẽ omnẽ in tuto collocauit, obteſtor vt in ea veritate S. doctrinę, quã à nobis didiciſtis, perſeueritis, memores à quibus ad Euãgeliũ vocati eſtis & quomodo tot iã modis cõfirmata fuerit inter vos noſtra, id eſt à nobis prædicata puri Euãgelij doctrina. Imò verò vt etiam & iſtum, & ſimiles illi ab errore ſuo reuocetis, illi nequaquam aſſentiamini. Plerunque enim errare dediſcit, cui nemo conſentit. Denique, dilecti, nobis perſuaſimus de vobis meliora, & cum ſalute veſtra coniuncta. Cupimus autem, vt vnuſquiſque veſtrum idem oſtẽdat ad plenam ſpei perſuaſionem ad finem vſque: Vt ne ſitis ſegnes, ſed imitatores eorum, qui per fidem ac patientiam obtinent promiſſam hæreditatem. Memores eſtote ducum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt ſermonẽ Dei, quorũ imitamini fidem. Ego quidem, fratres chariſſimi, quanquam à vobis corpore ſum abſens, animo tamẽ pręſens adſum, quibus à Deo Patre clementiſſimo per D.N. Ieſum Chriſtum vnicum mediatorem noſtrum, optima quæque & ad animorum veſtrorum ſalutem, & ad pacis veſtræ ſtabilitatem quotidie precor poſtulóque. cætera conuitia omnia facilè tolerabimus: in ſuſpicione verò hæreſeos, quam iſte nobis affingit, muti eſſe non potuimus. Nolo quenquam ait Hieronymus in ſuſpicione hæreſeos eſſe patientem. Denique illa tandem oratione hanc meam Epiſtolam claudere mihi liceat, & vos affari fratres, qua Pater Ignatius Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus ſibi chariſs. Philippenſes olim eſt allocutus, cùm eos aduerſus zizaniorũ ſeminatores muniret, *Valeatis, fratres, carne & anima, ſpiritu perfectè ſapiẽter, operarios iniquitatis auerſantes & verbi veritatis corruptores, corroborati in gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Amen.

Heb. 6.

Ignatius in Epiſt. ad Philippenſes.

Omnes qui mecum ſunt, fratres, vos ſalutant officioſè. Iterum valete, & nos precibus veſtris apud Deum adiuuate. Cal. Septembris, anno Domini cIↄ Iↄ LXXX.

Vobis addictiſſ.
L. DANAEVS.

L. D.

DE TRIBVS GRAVISSIMIS, ET HOC TEMPORE MAXIME VEXATIS QVAESTIONIBVS,

I. De S. Domini Cœna.

II. De Maieſtate Hominis Chriſti.

III. De non damnandis Dei Eccleſiis, nec auditis, nec vocatis.

B

Ad fratres Tubingenſes, & triplex eorum ſcriptum reſponſio Triplex.

THEOLOGICO COLLEGIO TVBINGENSI

Lambertus Danæus In Chriſto

S. P. D.

DVPLICI labore, id eſt, vna ad Laonicum, altera ad Gerlachium reſpõſione defunctus, vos, fratres collegii Theologici Tubingenſis alloquor, quos, dignitatis & ſtudii veſtri ergô, mihi ſtatui per quàm eſſe honorandos, & primo hoc loco appellãdos. Quanquam verò mirabuntur omnes qui mea & veſtra hæc legent, me vnum eſſe à tot veſtris, & quidem diuerſis telis & lateribus petitum, totúmque hũc in me vno opprimendo conſenſum, fortaſſis conſpirationem (an verè neſcio) nominabunt: (qualem ſuo tempore aduerſum ſe vidit Propheta Eſaias) tamen quoniam iſto exemplo alii ad homines contumelioſos fouendos poſtea commoueri poſſunt: & charitatis meę, & profeſſionis Theologicæ (quæ mihi vobiſcum, Dei miſericordia, communis eſt) eſſe exhiſtimaui, vos ipſos, quid de veſtra illa ad Gerlachii ſcriptum præfatione non tam ego, quàm orthodoxi, pii, eruditi & aliquo iudicio præditi viri omnes iudicent, fraternè cõmonefacere. In quo ſi parum fortaſſe veſtrûm quibuſdam (qui ſe moneri nolũt) gratus fuero, illud tamen me conſolabitur, quòd fratribus veritatẽ dixerim, maturè vos de periculo veſtro monuerim, bonis omnibus (vt ſpero) placuerim, officium meum fecerim: denique quòd tandem ipſi veriſſimum illud alioquin experturi eſtis, *Fidelia ſunt vulnera diligentis: & dulcia oſcula odio habentis. Melior eſt enim increpatio manifeſta quàm amor abſconditus.* Sic enim ſtatuitote, viri fratres, etiã Gerlachium ipſum hãc præclarã γνώμην iam pridem à multis quibus cum & in Turcia, & in Thracia, & in Germania vixit, audiuiſſe, *Tanto maiores hoſtes credendi ſunt, quanto magis laudibus adulantur.* Ego quidem, etſi variis modis, & conuitiis grauiſsimis laceſsitus, & dilaceratus à vobis videor: cõdonare tamẽ fratribus factas mihi iniurias à Chriſto Domino meo didici: & illud Spiritus ſancti obuerſatur mihi ob oculos, *Melior eſt qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatem: nec enim*, vt ait Auguſtinus, *eſt inglorius in ignoſcendo, quia de ira victa triũphatur laudabiliùs.* Vtinã ſanè (quod idẽ pater ſanctiſsimè ſuadet) *Lites aut nullas haberemus, aut quàm celerrimè finiremus, ne ira creſcat in odiũ, & trabem faciat de feſtuca, & animã faciat homicidã. Nam ſcriptũ eſt, Qui odit fratrẽ ſuũ, homicida eſt:* tamẽ quia vobis, veſtríſque placuit veſtrã in me, certè quidẽ immeritum, iracundiam effundere, iram veſtrã (ex eiuſdem Auguſtini conſilio) portabo, quoniã aduerſus vos non iraſcar. Verùm de quibus tamen à me beneuolo animo ex aliorum, &, vti dixi, proborum virorum potiùs quàm meo ſtomacho, propter Dei gloriã, Eccleſiæ ædificationẽ, & veſtram ipſorum dignitatem ac exiſtimationem, fraternè admonemini, (ſcitis enim etiã ἐυφημα nobis eſſe ex Pauli pręcepto ſectanda) vt ea æquo & fra-

C

ſa.8.

Prouer. 27 ver. 5. 6.

C

Proner. 6. Aug. in Pſa. 112.

Idẽ Aug. in regula fratrum.

Idẽ de verb. Apoſtol.

Philip. 4. v. 1.

A terno animo accipiatis,etiam atque etiã , fratres, vos oro atque obſecro.Chriſtianus enim ſumnõ hominis cuiuſquam ſeruus: itaque Chriſtianè,id eſt,& liberè & verè loqui & ſcribere,vbi id Chriſtiana charitas requirit & fratrum vtilitas, didici.

Primùm igitur mirantur viri boni , quid cauſæ fuerit , quamobrem Stephanum Gerlachium,& Lucam Oſiandrum tam ſtudioſè veſtra illa præfatione commendare fuerit neceſſe. Vos quidem illi Principi(in cuius prætorio eſt concionator Aulicus Oſiander, cuíque Gerlachius ob ſpẽ ampliſſimi præmii eſt manifeſtè aſſentatus) placere Gal.1. 10. voluiſſe,res ipſa teſtatur.Nã, vt aitille, *Principibus placuiſſe viris non vltima laus eſt.* Verùm,fratres,illud Pauli,vobíſne exciderat memoriâ? *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem:* vel etiam Prou.22. v.11. Prou.16. v.13. illud Spiritus ſancti? *Qui diligit munditiam cordis propter gratiam labiorum eius , amicus eius erit Rex. Beneplacitum Regum labia iuſta , & loquentem iuſta diligunt.* Ergo cùm ſit hæc vera,certa,compendiaria,& à Dei Spiritu præſcripta,ad Regum & Principum, B præſertim Chriſtianorum amicitiam,bonam gratiam(quam captare voluiſtis)aucupãdam & ineundã via,vt cõmendetis bonos viros , charitatis & pacis amantes,iuſtos,non maledicos:videritis an veſtri ſitis obliti , qui Gerlachiũ iſtum non apud vnum tantùm Germaniæ principẽ,ſed apud omnes veſtro illo teſtimonio in ipſo contumeliarũ ſuarum limine commẽdatum eſſe voluiſtis. *Eiice ſubſannatorẽ*,(quid autẽ, obſecro,aliud eſt totũ Gerlachii ſcriptũ, quàm ſannæ in ipſum Prou.22. v.10. Deum) *Eijce*,inquit ſcriptura ſacra *ſubſannatorẽ & ſimul egredietur contentio,ceſſabitque lis & cõtemptus.* Quamobrem ſi (quod par eſt facere Theologiæ Doctores,& Chriſti ſeruos)Eccleſiarum Dei pacem quæritis,& contentiones ſublatas eſſe vultis, tantùm abeſt vt hominem iſtum commendare debueritis,vt(quia planè nihil aliud, quàm bonis omnibus conuitiari,& maledicere didicit) etiam ex veſtro cœtu ſit à vobis ipſis eiiciendus. Nam boni illi viri quærunt,quęnam ſit iſta veſtra conſtantia,quòd cùm antea ipſum Oſiandrum (pro quo ſeruiliter dimicat Gerlachius)in tot iam à ſe æditis libris ne leui quidem ſalutatione , ſubſcriptione , aut appellatione dignati ſitis:Gerlachiũ tamen,tam leniter hîc demulceatis. Eſt ne verò veſtro iudicio hic Gerlachius Oſiandro (quem C deſeruiſtis) melior? vt qui veſtrum fauorem per ſe non merebatur , accedente Gerlachii cõmendatione,eum iam obtinere potuerit? Nam quod ad Laonicum ſeu Nicodemũ nõ minus & ipſum profeſſorem,& veſtrum,attinet,certè nemo miratur quod propter illius virulentiam nulla laude,nullo veſtro carmine, nulla hac ipſa præfatione,vel appellatione duntaxat ornaſtis.Nam in eo vos præbuiſtis prudentiſſimos: nimirum vt eum à vobis propter proiectam conuiciandi libidinem abiectum , ſui ipſius tandem , & omnes quoque illius puderet. Et certè veriſſima eſt illa ſententia quam vos ſeriò cogitare oportuit.

Qualem commendes etiam atque etiam aſpice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Cæterùm ne temerè hæc de Stephano Gerlachio veſtro à bonis viris ita dici exiſtimetis,(quanquã quis credat eam eſſe veſtram cæcitatem , vt quod omnes perſpicuè in illius ſcripto vident, ſoli animaduertere non poſſitis?) A tria quædam in Gerlachiano libro requirunt , Modeſtiam Chriſtianam, deinde ſanæ pietatis doctrinam , denique accuratius in ſcribendo iudicium:cùm nihil in illius ſcripto,niſi perpetua animi intemperies & penè furor,pleræque apertæ in Deum blaſphemiæ, ac denique magna cum ſuis, adeóque cum ipſo Laonico collega ſuo diſcordia manifeſtè appareat. Atque horum triũ in homine Chriſtiano criminum certè grauiſſimorum fidem vobis facere poſſe illi ſperant , vt eum poſtea vocatum , & auditum vos (in cuius ille eſt poteſtate)iuſta tandem cenſura,& Eccleſiaſtica mulctetis pœna,nempe vel vt publicè ἐξομολόγησιν faciat,vel contrario ſcripto ſuam χολὴν teſtetur,denique bonis omnibus,& Eccleſiæ Chriſtianę ſatisfaciat.Quanta enim,quánque deploranda hæc iudicaretur veſtræ Tubingenſis Academiæ facies & calamitas,ſi id(de quo conqueruntur, & quidem grauiſſimè, Prophetæ Dei) inter vos eſſe Iſ.1.v.6. 9.v.4. B verè cernatur? *A planta pedis vſque ad verticem non eſt in ijs ſanitas. Non eſt qui clamet pro iuſtitia:non eſt qui iudicet pro veritate, à paruo vſque ad magnum eorum. Omnes ſectantur auaritiam, & à Propheta vſque ad ſacerdotem omnes faciunt mendacium.* Verùm vt ad Ierem. 6. v.13. Gerlachium redeamus,ſummæ animi hominis impotentiæ non ſunt hæc leuia ſigna, ſed certæ ἀποδείξεις&luce meridianâ clariora teſtimonia,quæ vobis proferuntur:nimirum, quòd primùm me (qui ſum &,Dei gratiâ, Chriſtianus,& ipſius frater)vocat tamen paſſim Diabolum , Cyclopem , Epicureum,Sycophantam,Maleficum, Vanum, Mendacem,Lucianum,Protheum,Sacrilegum,Monſtroſum,Veſanum,Hypocritam,Vertumnum, Sãguinarium, Rabulam, Veteratorem, &(vt creſcerent bilioſi iſtius hominis flores & oratio)impudentiſſimum calumniatorem,& furiis infernalibus actũ: C Pag.19. & quid non?Præterea Eccleſias noſtras orthodoxas omnes anathemate ferit , quæ per vniuerſum terrarum orbem ſunt, Dei gratiâ, iam ſparſæ. Omnes alios doctores, præter vos,(vt vobis fortaſſe, Pag.58. ſicut Oſiandro,aſſẽtaretur)vocat Sectarios,turbulentos,quibus nihil minus, quàm ſalutaris Eccleſiæ tranquillitas ſit curæ:quos nihil in negotio S.Cœnæ ait credere, ſed ſimiles eſſe Anabaptiſtis, Pag.16. Suuenckfeldianis , Turcis , Iudæis , & Gen- Pag.146. tilibus. Et hæc vos in tot pios & placidos viros conuitia , Pag.161. ab vno veſtrûm , ſub veſtro nomine , & ſub veſtra præfatione euomi patiemini, viri Theologi? Cogitate,obſecro, quid poſteritas Chriſtiana de vobis (ſi fortaſſe hæc veſtra ad eam peruenire poterunt) meritò iudicabit? Et tamen hæc eſt minima quædam infinitorum conuitiorum portio,quæ(vt veſtro,fratres,nomini parcam)iam commemorare nolim.Sed age reliquum Gerlachiani ſcripti perpendamus.Etiámne manifeſtas ipſius in Deũ blaſphemias veſtra cõmendatione commendare voluiſtis,& venditari patiemini? Certè aut illius ſcriptum non legiſtis,aut non perpendiſtis: aut ille vos faſcinauit. Nam vobis occupatis viris multa obrepere ſolent. Qualis,obſecro,eſt hęc Gerlachii ſententia blaſphema,quam Pag.55. vos commendatis? *Chriſtus corpore & ſanguine ſuo tam potens eſt ad iudicium exercendũ in indignos,quàm vitam infideles.* Quid hoc eſt aliud,quàm conſtituere ipſam ſacratiſsimã Domini noſtri Ieſu Chriſti carnem eſſe per ſe tam mortiferam , quàm viuificam?Hóccine vos viri Theologi Tubingẽſes probabitis, A babitis,& tantam ſub veſtra præfatione Dei Filio iniuriam fieri ſcientes prudentéſque patiemini? Certè id non exiſtimant boni viri. Quid,& Pag.62. illam quoque tolerabitis, *Fidem non eſſe neceſſarium, ad noſtram cum Chriſto communicationem,& concorporationem inſtrumentum*? Num & iſtam quoque, quæ ſe ipſam etiam manifeſtè euertit, *Chriſtum* Pag.62. Eph.2. *edi à nobis verè poſſe, vt tamen cum eo non concorporemur, vt Paulus loquitur*? Quid etiam de hac tam Pag.205. abominabili blaſphemia dicturi eſtis, *Sacramenta veteris Teſtamenti nihil aliud fuerunt, quàm nudæ picturæ & figuræ abſentis carnis & ſanguinis Chriſti*? Hæc ne toleratis inter vos & dici, & ſcribi, & ſpargi? Hæc ne commendatis orbi? Ecquos gemitus à bonis & veſtri ſtudioſis hominibus emiſſos creditis, cùm iſta ſub veſtro nomine in lucem edita legerent? Et quoniam *Dictum ſapienti ſat eſt*, illa pluribus non perſequar. In eo verò planè ridiculum ſe Gerlachius præbuit, & ſe ipſum refutauit, & vos fefellit, quòd ne in iis quidem, quæ ſcripſit, cum aliis veſtris, adeóque cum Laonico B alio veſtræmet ſcholæ doctore (qui iiſdem de rebus eodem tempore, eodem loco ſcripſit) conſentiat, quod tamen exiſtimaſtis: adeo vt vtri potiùs ſit credendum, ſit futura inter vtriuſque diſcipulos iam grauis controuerſia, & diſceptatio, & inter nos prorſus dubium. An verò ex eodem veſtræ academiæ ore, veluti ex eodem fonte, dulce ac amarum fluere poteſt? Ac ne cauillari videar, ſint iſta pauca è multis pro exemplo vobis. Hic negat perſonas à vobis damnari: Laonicus verò è contra id à vobis fieri fatetur. Hic vbiquitatem alicubi non diſſimulat ſe tueri: Pag.18. Laonicus remouet eam à ſe, vt monſtrum infernale. Pag.77. Hic Torgenſem veſtram ſynodum damnat: at Pag.79. Kẽnitius de duabus Nãturis Chriſti. Formula concordiæ veſtræ eam retinet & probat,& imprimis Kemnitius. Hic ſynodum Conſtantienſem reiicit: Laonicus probat. Hic conce Pag.157. dit totam ſeu vniuerſam Chriſtianam Eccleſiam Pag.126. eſſe vnam: Laonicus negat,& eam diuerſis religi Pag.148. onibus, vt territoriis ſeparatam eſſe poſſe con Pag.58. tendit. Hic credit Chriſtum ſecundum vtramque naturam ſuam, etiam *Modo locali & Phyſico* adeſſe nunc quoque ſuæ Eccleſiæ: reliqui veſtri ſocii C pertinaciter idipſum negant. Denique dies ipſe me deficeret, ſi omnes hominis iſtius Gerlachii ἀντιλογίας cũ ſuis colligere, & vobis recenſere velim. Itaque eſtote forti animo, viri, & eum qui à vobis vltrò in dogmate ſeceſſit (à me de iſta eius vafritie admoniti) condemnate: neque iſtius hominis calumnias pertimeſcatis. *Eò enim*, quemadmodum ait Auguſtinus, *eſt impudentior victus accuſator, quum ſit etiam iudicis calumniator*. Nec verò quiſquam mihi hæc adferat pro Gerlachio, Nouitius eſt, Recens è Turcia rediit, Nondum planè veræ fidei dogmata didicit. Potuit enim tacere: potuit vos non circumuenire: potuit priùs diſcere. Denique, vt cũ Gregorio loquar, potuit Gerlachius illos ſuos notarii & maledici mores priùs emendare, & videre quid in lingua, quid in actu doctorem Theologum deceret. *Ne appetat quiſquam*, ait idem Gregorius, *vltrà videri quàm eſt, vt poſſit vltrà eſſe quàm videtur*. Cyrillus lib.9.in Ioan.c.3. Solet quidem, quemadmodum ait Cyrillus, etiam illuſtribus viris crudelis ſuperbiæ & ambitionis beſtia inſilire: ſed ait idem, Non aggreditur morbus iſte eos, qui nihil habent præclarum. Eſt autem funeſtum malum A ambitio. *Nam nihil*, ait idem, *magis ſeparare fratres* Cap.8. *& amicos ſolet, quàm miſera gloriæ nimia cupiditas*. Itaque quàm iuſta ſit piorum de veſtro Gerlachio querimonia, videtis. Præterea peſtilentia & gladius, vt etiam verbis (quæ huic tempori maximè conueniunt) alterius patris vos alloquar fratres, per mundum ſæuit, gentes inſurgunt gentibus, terra cõcutitur, orbis cum habitatoribus ſuis ſorbetur, & tamen in Eccleſia Dei, cõtentiones, toto collegio Tubingenſi inſtigatore, non deponũtur. Iſtáne de vobis dici patiemini, vt collegium, quod lenitatis animi, & moderationis exemplar etiam aliis nimiâ irâ iactatis eſſe oportuit, ipſum fuerit diſſenſionis claſſicum, incendium, & fomes? Quamobrem cùm hæc de me,& de quopiam alio (neque enim mea vnica cauſa, ſed omnium piorum nunc agitur) cùm, inquam, de me pro veritate Dei, quantum mihi reuelatum eſt, aduerſus vos contendente veſtra hæc recitantur, & in ve B ſtra præfatione leguntur, *Effrons, Leo, Lupus truculentus, Canis, Bellua, Sycophanta, Vanus*, &c. quod ſit futurum moderatorum ingeniorum de vobis iudicium, facilè iam videtis. Diſputandum enim erat, dicent, non conuiciandum. Erudiendi ac docendi erant etiam cum animi lenitate errãtes, non erant conuiciis terrendi & laceſſendi. *Ingenia enim liberaliter educata verecundia faciliùs quàm metus ſuperat*, inquit Hieronymus. Hieronymi ad Pãmachiũ. Verùm, vt dici ſolet, niſi vos lagena defeciſſet, me occidiſſetis. Videte verò quãtum & veſtrę æquanimitati, fratres, quia Chriſtiani eſtis, tribuã: & cauſæ meæ (quam rectè fundatam ad hunc vſque diem credidi) confidam. Quanquam enim re iniquum eſt, tamen veſtra profeſsione fit æquiſsimum, vt veſtræ vos cauſæ penè iudices conſtituam. Nam apud ipſos vos de eo dico, cuius aliquam apud vos culpã reſidere minime diſsimulare poſſum: neque etiam (vt ſpero) negare poteritis. In quo non tã timeo, quid de me vos ipſi, quàm intelligo, quid cæteros de vobis velitis iudicare. Animi veſtri in me, & noſtros omnes acerbitatem boni omnes ex veſtra illa pro Gerlachio præfatione, & agnoſcunt facilè,& plurimùm mirantur. Nã primùm mihi ea, de quibus ne quidem vnquam cogitaui, affinxiſtis, C *Vos à me appellatos Cyclopas, Αἱμοπότας, Inpanatum Deum, Excrementum diaboli*: fortaſſe quoniam me nemo poterat meis: alienis, (ſi quę in iis dictis ſunt) peccatis (me inquam) onerare voluiſtis. Deinde omnibus Helueticarum, Gallicarum, Polonicarum, Anglicarum, & aliarum Dei Eccleſiarũ, certè fidelibus paſtoribus veſtri nominis amãtiſtiſsimis ac ſtudioſiſſimis, ea conuitia & crimina tamen impegiſtis, vt nihil niſi Leones, Lupi, falſi Doctores, Sathanæ filij, Calumniatores, Turbulenti, Seditioſi, Belluæ, Sacramentarij à vobis appellentur. Liceat ſanè apud vos de tanta animi veſtri iracundia conqueri,& illud Poetæ cum bona veſtra venia vſurpare,

Quod genus hoc hominum, quaue hunc tam barbara morem Permittit patria?

Ad vos tanquam fratres de re omnium maxima collaturi accedebamus,& tamen hoſpitio prohibemur arenæ: iam nos veſtris præiudiciis, veſtro hoc ſcripto in vnius Gerlachij fauorẽ inauditos condemnaſtis. Nos certè vobiſcum non ſic

A agimus. Ecquis enim ipſius Brentij veſtri ſcripta populariter ab omnibus Eccleſiarum Gallicarum & Reformatarum paſtoribus & eruditis viris legi & teri ignorat? Ecquis vnquam veſtros paſtores vel in concionibus, vel in ſcholis noſtris proſcindi audiuit? Ecquis talia ſcribit, qualia hîc vos? Nō ſic Illuſtriſsimus ille Princeps veſter D. Chriſtophorus Dux Vvirtēbergicus, huius Illuſtriſs. Principis veſtri pater, agebat. Nam ille & amicitiam cum Gallicis Eccleſiis, & noſtris principibus ſanctiſsimè coluit: & Helueticas Eccleſias, in primiſque Tigurinam ciuitatem, atque in ea virum etiam illū P. M. D. BVLLINGERVM paſtorem illius Eccleſiæ fideliſs. cōſtantiſsimè dilexit, vt ex ipſius epiſtolis apparet. Imò & Eccleſiæ Gallicanæ, & tota Gallia Illuſtriſsimum illum P. M. Principem D. VLRICVM D. Chriſtophori patrē, duce Guiſio in obſidione Aureliani oppidi exſtincto, exoptarunt. Et certè fuit optimo Principi Vlrico Chriſtophori Patri cùm à Carolo B V. Imperatore patriis ſedibus expulſus eſſet, Gallia tutiſsimum, vt ſcitis, perfugium. Ecqua verò noſtra in vos Tubingenſes ex eo tempore contumelia, aut iniuria profecta eſt? Certè nulla. Quamobrem cùm illud ſit Spiritus S. dictum, *Ira hominis iuſtitiā Dei non exequitur*: Iacob.1.v.20. (*Nam*, vt ait Tullius, M Tull. li.1.offic. *in ea nihil rectè fieri, nihil conſideratè poteſt*) cùm verè & prudēter, & ſi vir Dei lumine deſtitutus ſeruo ſuo dixerit, *Niſi iratus eſſem, vapulaſſes*: illum & in me, & in noſtros omnes animi veſtri feruorem pauliſper deponite, moderatè agite, eccleſiam ædificate. Nam, vt ait ille, Mala cuncta miniſtrat impetus. Aequos vos in hac D. N. Ieſu Chriſti cauſa ſanctiſsima & grauiſsima, graues præbete: & nihil præiudiciis, nihil ex veſtro in vnum aut Gerlachium, aut alium quempiam hominem, humano fauore agite. Nos viciſſim audite. Nam quod Lucam Oſiandrum, & illum Gerlachium D. Doctores appellatis, illis ſummam pietatis & eruditionis laudem tribuitis, nos autem videmur nulli, & Barones: habeāt illi, per nos licet, quanta plurima & maxima Domino viſum eſt illis admetiri, dona. Nos ab omniC bus diſcere parati ſumus, modò verba Dei nō hominum: verba Chriſti, non Lutheri, non Caluini, non alterius cuiuſquam (niſi quatenus verba Dei loquutos conſtabit) loquantur. Hoc etiam poſtulat ipſemet Auguſtinus, vt Doctorum aliorū, quantumuis eruditorum ſcripta à canonicis ſeparentur. Ergo nemini, fratres, iniuriam facimus, ſi vnum Dei verbum & fidei ἀναλογίαν omnium humanorum ſcriptorum authoritati eminere, & pręferre volumus: cui verbo Dei certè quidem nos (poſteaquam à vobis coràm & liberè auditi fuerimus) per omnia aſſentiri facilè cognoſcetis. Sin priùs quàm à vobis audiamur, iudicemur & damnemur, quàm ſit parum æqua futura veſtra ſentētia ex eo, quod iam pridem ſcriptum eſt, audite, Eccleſiaſt. 18.v.20. & 11.v.7.&8. *Antequam audias. non reprehendas*. Cæterùm ad ea quoque, quæ in veſtra illa præfatione vt Gerlachij ſententiam defenderetis, obiter commemoraſtis, breuiter viri illi & orthodoxi, & pij, & pacis amātes reſpondent. Primùm quòd à vobis negatum Pag.3. Præfationis. eſt inter Zuuinglium, Oecolampadium, & Lutherum, id eſt, primos huius controuerſiæ diſceptatores de verbis potius, quā de rebus certamē fuiſſe, ex ipſius Oecolāpadij Dialogo, cui' verba ego citaui, ex Buceri, qui hāc cōtrouerſiā optimè nouit, A ſcriptis: ex Lutheri quoque ipſius ad Helueticas Eccleſias epiſtola & verbis, manifeſtè, quod dixi, verum eſſe apparet. Secundo loco, quòd amicitiā inter eoſdem, & Philippo præſertim cum Oecolampadio, Bullingero, Caluino, & aliis interceſſiſſe non vultis, Eadē pag. 3. Præfationis. ex ipſorum mutuis epiſtolis refutatur, cùm nihil ſit illis literis vltro citróque datis humanius, & amicitius. Quod etiam vobis Gerlachius fortaſſe (qui ſe nunquam Helueticam confeſsionem legiſſe fatetur) vel alius quiſpiam In Antida nęo pag. 49. perſuaſit, *Nos palàm contra ipſa Chriſti verba aſſeuerare corpus Chriſti longiſſimè à Cœna abeſſe*, Pag.7. Præfat. pace iſtorum virorum (quicunque tandem illi ſint) qui vobis hæc dixerunt, dictum ſit, vos malignè deceperunt. Nos enim docemus ipſum Chriſti corpus, & ſanguinem omnibus ex fide ad S. Cœnam Domini accedentibus, realiter quidem, ſed nō præſentiæ corporalis ſitu, adeſſe. In ſignis, ſub B ſignis vel cum ſignis autem neque coexiſtere, neque colligari defendimus: verùm in cœlo permanere, quoniam non ad ſigna ipſa, ſed ad pios & fideles homines Cœnam ex fide ſumentes, dirigūtur hæc verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meū, quod traditur pro vobis: Hoc eſt ſanguis meus, qui effunditur pro vobis*. Neque verò quum hæc dicimus aut docemus, contra expreſſa Chriſti verba quicquā aſſeueramus. Nam cùm ſint hæc verba, verba inſtituentia Sacramentum, propria & vera eorum mens & ſignificatio procul dubio eſt Sacramentalis, vti & huius locutionis, *Circumciſio eſt fœdus Dei*: Exod.17. 1.Cor.10. *Petra erat Chriſtus*. Quamobrem non dicimus illud verum & eſſentiale Chriſti corpus, nulla omnino ratione in S. Cœna nobiſcum eſſe: (quod tamen nobis affingit pagina 5. præfationis veſtræ) ſed tantùm præſentiæ corporalis ſitu, & realis in his terris locationis modo illud præſens eſſe negamus: quo vno modo, vbicunque eſt, reipſa eſſe poteſt, cùm naturam corpori gloria non ademerit, vt ait Auguſtinus. Neque item influētiam tantùm quandam, aut ſpiritualem motum in ſacra Cœna Domini recipi dicimus, ſed ipſammet ſacratiſsimam Chriſti carnem, quatenus C eſt caro Vnigeniti: quam verè quidem, ſed per fidē ſpiritualiter nos participare affirmamus. Similitudinem autem illam Solis corpore ſuo nobis abſentis, & tamen vi & efficacitate radiorum ſuorum præſentis atque inter nos agentis, nequaquam (vt vult eadem 5 veſtræ præfationis pagina) ad Vnionem naturarum accommodamus: ſed ex ea tantùm aliquo pacto, & eo quidem non ſatis penitus apto, ſed pro captu vulgi docemus, & illuſtramus id quod dicimus, Poſſe quædam etiam corpore ſuo à nobis procul abſentia, ad nos vſque tamen energia ſua pertingere, & ſe nobis cōmunicare. Sed quoniam nullum ſimile eſt idem: & hanc quoque ſimilitudinem claudicare lubenter agnoſcimus. Naturas verò D. N. Ieſu Chriſti nos Pag.4. præfat. diſcerpere, ecquis vobis vnquam perſuadere potuit? cùm illū ipſi anathema, & quidem toto pronunciemus pectore, qui vel duas in Chriſto perſonas conſtituit, vel ipſius perſonam diuellit, vel eum noſtrum Immanuel eſſe nō fatetur, & agnoſcit? Ergo etiam, cùm Chriſti corpus eſſet per illud triduum in ſepulchro: & anima in cœlo, Hypoſta-

A poſtaticam tamen illam duarum Chriſti naturarū
(humanæ nimirum, & diuinæ)vnionem permanſiſſe,
& minimè diſſolutam eſſe, corde credimus,
Aug. in epiſtola ad Darda. 57. & ore cum Auguſtino confitemur: animam tamē
Chriſti, per illud idem triduum, cum ipſius corpore
per & propter illam vnionem hypoſtaticā
in ſepulcro fuiſſe nequaquam concedimus. Porrò
à nobis etiam vnionem illam naturarū, diffuſionem
quandam naturæ diuinæ appellari, quis vnquam
Pag. 5. præfat. vobis dixit? Si quis enim vnionem illā naturæ
diuinæ & humanę in vna Chriſti perſona ſic
definit, vt ſit diuinæ, ſeu aſſumentis ad vnam humanam
quandam naturam particularem aſſumptam,
tantùm extenſio ſeu diffuſio, is anathema
eſto. Nos igitur vnionem in Chriſto hypoſtaticam
ex verbo Dei & ex Patribus definimus eam
naturarum inter ſe copulationem, qua vtraq; natura,
ſaluis proprietatibus, in vnum hyphiſtamenum
coit. Inter has tamen naturas hæc eſt differentia,
quòd natura humana aſſumpta à diuina aſſumente
ſuſtentatur, &, vt in ſcholis loquuntur,
B perſonatur: non contrà. Concludere autem, vt
quia Dei dextra eſt vbique, etiā caro Chriſti, quæ
Pag. 6. præfat. ad Dei dextram ſedet, ſit vbique, (quod pagina 6.
præfationis veſtrę omnino ſtatuit) parcite, fratres,
noſtræ infirmitati: nondum intelligere aut videre
potuimus, quomodo hoc conſequatur. Eſt enim
hæc conſequutio paralogiſmus ex ambiguitate
vocum natus. Nam hæc phraſis, ***Sedere ad
ad dextram Dei Patris***, eſt planè tropica (neque enim
Deus Pater habet dextram, aut ſiniſtram) &
figurata, quæ ſi ſimplici, & natiua ſignificatione
accipiatur, deſignat, ſummam potentiam Chriſto
homini in omnia creata datam eſſe à Deo Patre.
A potentia verò, ad ſitum loci, quæ vis, quæ
conſequutio, quæ collectio quæ ratio, quæ neceſſitas,
obſecro, efficitur? Perperam igitur nobis
Pag. 6 præfat. affingitur à vobis, nos affirmare, Dextrā Dei eſſe
C locum. Imò verò cælum ipſum omnibus hiſce aſpectabilibus
cælis ſuperius, eſt ille locus, & domicilium,
ſeu glorioſum illud palatium, in quod
glorioſa illa caro Chriſti ſe recepit, & iam habitat
cum omnibus ſanctis ſpiritibus. Dextra verò Dei
eſt poteſtas, ſeu gloria, & maieſtas carnis Chriſti
(quoniā vna illa eſt caro vnigeniti) illi à Deo Patre
data & conceſſa. Quanquam tamen hunc articulum
ab illo de Aſcenſione Chriſti, qui procul
dubio locum, vbi eſt caro Chriſti, deſignat, non
ſeparamus. Quamobrem videtis, vt iſta diſtinguamus,
nec dextram Dei locum eſſe dicamus. Porrò
quòd humanā Chriſti naturam à nobis eneruari
quidam grauiter apud vos conqueſti ſunt, (vt
eâdem 6. præfationis veſtræ paginâ mihi indicaſtis) A Pag 6.
quoniā miracula à Chriſto edita, dicimus, nō
ab ipſa humana, ſed à Diuina natura Chriſti fuiſſe
profecta: vos certè vel ex hoc ipſo breui reſponſo
noſtro, quàm ſint huiuſmodi homines tum
importuni, tum malè feriati, videbitis. Ac importuni
quidem, quòd pro falſo dogmate ducunt &
ſtatuunt illud, quod eſt tamen veriſsimum. Quid
enim verius, quàm Chriſti miracula eſſe, non humanæ,
ſed diuinæ ipſius naturæ propria, & vera
opera? Malè feriati verò, quoniā illud quod nos
affirmare conquerūtur, apud omnes orthodoxos
patres paſsim totidem verbis, & quidem conſentienter
Dei verbo, ſcriptū reperitur. Leonis primi
epiſcopi Romani epiſtolæ 10. cap. 3. in eā rem
inſigne eſt, vt alios Patres omittam. Ecquis enim
fideliū rectè in vera pietate & fidei doctrina inſtitutorum
vnquam vel dixit, vel ſcripſit miracula
Chriſti ab humana ipſius natura vel edita fuiſſe,
vel profluxiſſe? Annon potiùs ab ipſius Chriſti
Deitate illa eſſe intelligitis, quoniam eſt æternus B
ille æterni Patris filius? Nam (vt intelligatis,
quantùm eorum, qui iſta dicunt, ipſa ſecum pugnet
oratio) vera miracula ſunt huiuſmodi opera,
quorum effectio & præſtatio omnes humanæ,
imò creatæ naturæ ſuperat vires. Itaque miracula
præſtitit Chriſtus, quia Deus erat cum eo, vt
loquitur Petrus, id eſt, quoniam erat ipſemet Act. 10. v. 38.
Deus. Ex quibus omnibus apparet, vt omnes
nobis factæ apud vos à quibuſdam calumniæ facilè
diſſlentur: idque vos iam ſpero, fratres, nullo
negotio eſſe percepturos. Quamobrem iā neque
vt Lupi, neque vt Leones, neque (quicquid
de nobis Stephanus Gerlachius vobis retulerit) vt
blaſphemi homines ſumus à vobis fugiendi, aut
abigendi. Vos autem nobis (niſi ſathan aliquis
obſtiterit) & antea fuiſſe, & nunc eſſe, & poſtea
ſemper fore in Chriſto fratres, & optamus, & ſperamus.
Cæterùm, vt meam hanc ad vos ſalutationem C
finiam, *Veritas*, vt inquit Hieronymus,
laborare quidem poteſt, vinci tamen nō poteſt. Ἀνίκητος
γὰρ ἡ ἀλήθεια· ψευδοδοξία δὲ καταλύεται, vt verè Hieronymo
ſuccinēs ſcribit Heſychius. Valete, Dominus
Deus per & propter vnigenitum Filium ſuū Dominum
noſtrum Ieſum Chriſtum, verum Deum,
& verum hominem, vnicum apud Patrem mediatorem
noſtrum, Spiritu ſuo ſancto vos regat, &
gubernet, & vobis benedicat. Geneuæ, Calend.
Ianuar. Anno 1581.

A

ENCAVSTICE, ET COLLVSTRATIO COLORVM, QVIBVS INIVSTA OMNIVM orthodoxorum Eccleſiæ Dei Paſtorum cõdemnatio à L. Oſiandro & aliis quibuſdam facta, priùs delineata tantùm fuerat in Lamb. Danæi Antioſiandro,

Aduerſus

LAONICI SEV NICODEMI EQVITIS A Sturmeneck inanem, &, vt ipſe vocat, quatriduanam Spongiam.

QVVM anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, ſacroſancta & vera de Cœna Domini doctrina (quam prope- B modum vniuerſæ orbis Eccleſiæ reformatæ profitentur) eſſet per latus clariſſimi viri Ioannis Sturmij, Argentinenſis Academiæ Rectoris,& ſenis plus quàm ſeptuagenarij, à Luca Oſiandro,concionatore Aulico,in alieno certamine immiſericorditer petita, & machinis omnibus(quantũ quidem in ipſo fuit) oppugnata: ſtatim(quod mei fuit officii)modeſtum ſcriptum oppoſui,quò tum veritas Dei in hoc de S.Domini Cœna capite, ſarta tecta permaneret : tum etiam Helueticæ Eccleſiæ(quæ, quamuis inauditæ,tamen in Oſiandrico ſcripto damnabantur) ab omni hæreſeos (à qua ſunt Dei gratiâ remotiſſimæ)crimine purgarentur.Et illa quidem mea reſponſio tam vera ipſi Oſiandro viſa eſt, adeóque fuit ab eo comprobata, vt illi ſe prorſus acquieſcere, per totum annum iam ſilentio ſuo ſignificarit, neque habere quod in ea meritò, ſiue C in doctrina, ſiue in ipſa ὑποτυπώσει λόγων, id eſt, *Forma verborum*, vt loquitur Paulus, reprehendere poſſet : imò ne cuipiam quidem alij (quod ex ipſius vllo ſcripto, vel mandatu nobis appareat) prouinciam pro ſe reſpondendi propter occupationes dederit. Varias enim ipſe concionator aulicus vel fingere probabiliter potuit. Quanquam quæ maior, aut Paſtore dignior cura & cogitatio,quàm de ſuo dogmate, præſertim in tam neceſſario fidei(qualis eſt S. Domini Cœna) articulo defendendo, eſſe poteſt ? Nónne ſaltem Laonico equiti, ſi Stephanum Gerlachium diſcipulum ſuum ſic aſpernaretur, & ipſe reſpondere nollet, hanc vicariam operam vno verbulo delegaret Oſiander,ſi ab eo hoc negotium curari vellet? Nam Laonico mandes, ſi quid rectè curatum velis. Itaque non dubito, quin equitis huius temeritas ſe citra mandatum, Oſiandricis negotiis immiſcentis,ab ipſo Oſiandro (qui ſua illa quiete delectatur)ſtatim damnetur. Verùm enimuerò quoniam non tam conſiderãdum eſt, quæ illi grauis & iuſta cum Oſiandro lis & controuerſia in poſterum futura ſit,quàm quas contumelias & maledicta in Deum ardens ipſius iracundia(vt loquitur Auguſtinus) anhelauit,illius ſcriptum contemnere equidẽ non debeo. *Quomodo enim* (vt eadem quoque hæc Auguſtini verba vſurpem) *poſſum iſta contemnere, vbi teſtimonium conſcientiæ meæ cogitans, vel gaudere me video debere propter me, vel dolere propter te, Laonice, vel pro iis qui decipiuntur abs te ? Meorum cauſa gaudiorum eſt promiſſio Domini dicentis*, *Quum dicunt* B *omne malum aduerſus vos, mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces veſtra plurima eſt in cœlis.* Et certè, quemadmodum ait Chryſoſtomus, *lacrymis digni ſunt, non qui afficiuntur: ſed qui inferunt iniuriam.* Mei autem cauſa mœroris eſt,quod manifeſtè grauiſſimos errores vel ſciẽs alis, vel ignorans ſuſcipis : quorum vtrunque in homine Chriſtiano & fratre(qualem te etiam inuitum habeo)certè moleſtè ferendum eſt. Ad hoc enim nati ſumus nos Chriſtiani, vt alii aliorum miſereamur, & onera portemus, & fratres labentes erigamus, & offendentes inſtauremus, quemadmodum Paulus (ſelectũ illud Dei organũ)præclarè,vt omnia, monet. Ergo æqui bonique Laonicus ipſe,vt opinor, cõſulet, quòd tam amicè & fraternè iam à me cõmoneatur. Quanuis enim ſe Oſiandri defenſorem parauerit : faciam tamen ſine vlla mea in eum contumelia, vt C intelligat ſibi ipſi potiùs patrono eſſe opus, veriſſimúmque experiatur, quod habet illa Terẽtij comœdia,(ex qua vna,tanquam ſolam didicerit, aliquot perperam ad res diuinas ſcommata accommodauit) *Stultum eſt admittere, quod cauere poſſis.* Erunt autem huîus meæ reſponſionis partes duæ : vna, quæ omnia illa breuiter commemorabit,quæ in hoc Laonicino ſcripto, vel propter ipſam rerum falſitatem, vel iſtius hominis intemperiem (qua tranſuerſus abreptus eſt) ne refutatione quidem egent : altera eorum, quæ in meo Antioſiandro veriſſimè ſcripta, & ab iſto immeritò reprehenſa ſunt, confirmationẽ continebit.De homine verò ipſo, vel nihil omnino, vel admodum pauca(quanquam tamen multa poſſum) dicturus ſum, ſi modo priùs huius meæ Reſponſionis inſcriptionẽ breuiter expoſuero. Siue igitur hic proprio nomine Laonicus Antiſturnius appelletur, ſiue nomen proprium diſſimulans, (quod non equitis, & cuiuſquam viri nobilis,ſed fæcis hominum turpiſſimum facinus eſſe, Selneccerus, hominis iſtius ſocius, apertè pronunciat)proprio dicatur Nicodemus Friſchlinus,ſiue hic idem ſit,qui Epiſtolã Terentianam, id eſt, ex alienis dictis, ineptiſſimè (quia ſuis non poterat) conſutam in Virum clariſſimum Ioannem Sturmium nuper euomuit, mihi perinde eſt;quoniam neque de perſona dicere propoſui,

1.Timot. 2.verſ. 13.

Li.1.cõtra Iulianum Pelagia. cap.1.

Gal.6.v.1.

Eunuchus Terentij, vbi Thraſo ſeu glorioſus miles inducitur Comœdia Laonici.

Selneccer in carminib. ad calcem Epiſtolæ contra Danæum ſcriptæ.

A ſui,neque inanes iſti *Laonici à Sturmeneck Equitis, &c.*bombi me magis in hoc ſcripto terrent, quàm illa chartacea vocabula *Plauti in Milite glorioſo*(cuius mores iſte expreſſit) *Pyrgopolynices, Bombomachides, Cluninſtachides, Archides*,aut hæc ſeruorum nomina,*Sceledrus, Paleſtrio, & Epidicus*.Ergo ſiue tu eques es, mi homo, ſiue pedes, ſiue Laonicus, ſiue Nicolaus,ſiue(quod plerique potiùs putant) Nicodemus ipſe,laruâ alieni nominis tectus, quia te tui pudet: certè non tuis,ſed alienis.i. Oſiandri ſtipendiis gregarie miles militas: à quo cum Tenedia bipenni conductus,non tam in me tua ſpõgia, quod voluiſti, quam turpiſsimo ad te ipſum commaculandum, quod noluiſti, atramento vſus es ποικιλτικὸν φύσημα φυσῶν, vt inquit ille, ſolo te ſpiritu & flatu verbũ Dei diſſlare poſſe cenſes,quaſi vẽtus folia aut panniculum tectorium. Sed quorum hominũ (id eſt, à Christiana modeſtia alienorum) ſit iſta cogitatio,ex ipſo Dauide Rege omniũ nobiliſsimo,quũ tibi erit otium,diſces. Pſa.10. Quicquid enim eſſe te putes,tu mihi nec Rex, nec Dominus,ſed Laonicus Spongia eris:quę duo tibi nomina ipſe ſcurriliter hîc impoſuiſti.

Pſal.10. v.5.

Nec propterea B nobilitatem tuam metuam, quoniam, vt inquit Hieronymus, *Religio Chriſtiana neſcit perſonas accipere:nec conditiones hominum,ſed animos inſpicit ſingulorum.*

Hieronymus ad Celant.

Et certè nimia fuit iſta miſeria, quòd diſertum te tui exiſtimarint: itaque in hanc te arenam(ad quam es ineptiſsimus) turpiter produxerint,cùm tamen, quemadmodum rectè ait Chryſoſtomus, non ſit Theatrum Eccleſia Dei, vbi delectatio,aut corona, aut hominum plauſus(quem tu duntaxat ſectaris)eſt nobis quærendus, ſed vnius Dei noſtri vera gloria.

Chryſoſt. hom. 2.ad Pop. Ant.

Quod ſi te equitem,vt vocas, iuuabat iſta mecum de S. Domini Cœna diſceptatio, & ad me aliquid tu miles ſcribere volebas, imitare Bonifacium illum Comitem, aut Dulcitium Tribunum, militares viros, tantoperè ab Auguſtino laudatos, qui manſuetè & placidè cum Auguſtino contulerunt non autem Platonicum illum & ſuperbum Thraſymachum & Nicetam exprimeres,qui nihil niſi contumelioſè, in Socratem dicere vnquam potuere. Equidem mihi iſta tua κομψὰ legenti,venit in mentem tragicum illud C Alberti, Carporum in Italia Comitis, exemplum, qui quum odio veritatis in D. Eraſmum & alios ſtylum virulenter,vt tu,ſtrinxiſſet,tandem prorſus delirans, & à ſeipſo iuſtas ſuæ blaſphemiæ pœnas exigẽs,ſtolido,& monachali habitu poſt mortem efferri,& miſer humari voluit. Hoc igitur conſidera,mi Laonice(quod Dominus auertat) quia te in multis tuę diſputationis partibus põtificiis adiungis. Sed ne inanis iſtius gloriæ cupiditas miſerè ſic te pręcipitem rapiat,caue. Nam,vt verum dicã, coronatio & megalographia viris tricliniiſque veſtris hybernis,id eſt,madidis non eſt vtilis, ſi quid iſtarum rerum peritis credere etiam potes: & mera ruderatio & trulliſſatio potiùs, quàm vlla politia veſtras illas Sueuicas habitationes & ſcriptiones decet. Aſſentari quidem Oſiãdro, cõcionatori aulico, & apud Principẽ tuũ hoc tẽpore gratioſo, voluiſti. Quis negat? *Eſt enim is quæſtus* (vt in familiari tibi cõmœdia ait ille)*multò vberrimus*: ſed vide,obſecro,quãtũ vos nobiles homines,imò Chriſtianos omnes iſtã artẽ factitare dedeceat. Quod ſi moleſtiam ſuã in quempiã exſpuere vellet Oſiander,alios certè ad hoc certamẽ Theologicum inſtructiores, quàm te duntaxat militem, eligeret. A Itaque hanc tu tibi fabam cudis,& ignominiã arceſsis, Laonice,idque ingratiis: & tãdem ſpe tua deceptus,& commodis, quæ expectas ab Oſiandro, fruſtratus,vtraque ſella miſer excides,& equeſtri in qua priùs ſedebas, & Theologica, quam imprudens, neq; tibi ipſi notus, affectas. Hoc igitur vt te monerem, fecit tum mea in te beneuolẽtia,tum ipſa nobilitatis, cuius etiam priuilegiis ſum, Gallicorum Regum beneficio,ego quoque decoratus,(cogis enim me tecum, vt cum Paulo loquar,in iſtis inſanire)nobilitatis, inquam,communis defenſio & cauſſa. Verũ ad inſcriptionẽ veniamus. Appellas tu quidem,Laonice,tua non tã in me,quàm in ipſam Dei veritatem ſcommata, *Spongiam*:ego verò Reſponſum ad eam meũ, Colorum,quibus antea veſtram Vbiquitatem in Antioſiandro delineaueram tantùm,Encauſticen,ſeu tonon & colluſtrationem. Cuius appellationis, vt conſtet tibi ratio,(tibi enim, qui me beare vis, meum hoc conſilium libenter & benignè cõmunicabo)hæc illa eſt,vt quàm in poſterum ſit futura in iis diluendis,ne dum tollendis, inanis quatriduana tua illa Spongia, & omnis tua, tuorúmque opera,iam intelligas. P Itaq; ne poſtea in ea re operam & oleum tuum perdas,qui tam occupatum te dicis. Etſi enim colores priores ſic à me fuerunt in Vbiquitatem veſtrã inducti, vt materia ad rutrum,quemadmodum pictores loquũtur,non adhæſiſſet,ſed eſſent illi effecti tenaciſsimi:tamẽ hac quam iam addam,noua encauſtice,colluſtratione & τόνῳ,(vt Plinius vocat) atque diuini olei maceratione,& tritura reddentur prorſus indelebiles.

Plini.lib. 35. Cap 2. Natur. Hiſtor.

Primos igitur deleri non potuiſſe ſciebam,ex illo Vitruuij(quod fortaſsis legiſti) præcepto: *Colores vdo parieti,*(quales vos ſanè eſſe in hypocauſtis ceruiſiariis & vinariis procul dubio nemo negauerit) *& tectorio inducti non remittunt,ſed ſunt perpetuò permanentes:neque vetuſtatibus fiunt horridiores: neque, quum extergentur,remittunt. Nam humore ſolidati durãtur,neque eos fluctus, neque vis aquæ poteſt diſſoluere.*Itaque tuam illam quatriduanam Spongiã non reformidant.

Vitruuius lib.7.Cap. 3.

Ego,(vt cum Baſilio loquar) ἀμαυρότερον παρ' ἐμοῦ βαφέντα ἤδη τοῖς ἀκριβεστέροις σοφίας καταλάμψω χρώμασιν, vt videbis: καὶ γὰρ,ait idem in Homilia πρὸς νέους, οἱ δευσοποιοὶ παρασκευάσαντες πρότερον θεραπείαις τισὶν C ὅτι ποτ' ἂν ᾖ τὸ δεξάμενον τὴν βαφὴν, οὕτω τὸ ἄνθος ἐπάγουσι. Sic ego priùs delineaui:nunc autem viuos colores addo. Cæterùm quid tibi venit in mentẽ, homini ſcilicet acuto,vt & te,& hanc tuam orationẽ *Spongiam* nominares,quum neq; ſpongia bene audiat, neque exterſoria ſit hæc tua oratio, neque Pumex Pompeianus dici poſsit,ſed tantùm pãniculus culinarius,quem ex Oſiandri ædibus frequẽter apud eum eſitans, tandem abſtuliſti? Verùm ſiue hæc tua Spongia ſit,ſiue panniculus,hanc à me, eques Germane, ſtrigilem benignè accipe, vt quàm tui ipſius, & tui omnis equitatus extergendi ſtudioſus ſim, ex hoc munuſculo cognoſcas. Porrò quia meę inſcriptionis rationẽ habes,eámque luculentam,quam te probaturum eſſe confido, ad primam meæ reſponſionis partem accedo. Illa autem oſtendit,quæ in tuis ſcriptis, teipſum planè refutent. Sunt autẽ primũ manifeſta animi tui intemperies,quam in tot conuitiis in me vnũ euomendis,& cumulandis,ita demonſtraſti, vt ſi in alium quempiam poſtea pro tua Vbiquitate & Helena ſis dicturus,quas nouas in eum contumelias congeras, tua illa canina facundia non ſit repertura.Ita in me vnum omnia tua tela, & quidē in primo certamine,miles imprudens conſumpſiſti.Præterea apertiſsimæ hereſes tuæ.Denique cū tuo ſodalitio(quandoquidem adhuc puriùs & veriùs,quàm tu,de hoc argumento ſapit)implacabiles & ἀδιάλυτοι repugnantiæ. Quamobrem τούτων ἔλεγχός ἐστιν ἴασις.Præclarè enim Hieronymus: *Non neceſſe habet conuinci quod ſua ſtatim profeſsione blaſphemum eſt.* Sententias enim iſtas prodidiſſe,ſuperaſſe eſt.Et quod ad conuitia tua, habe quoque à me illud eiuſdem Hieronymi: *Falſus rumor citò opprimitur.fieri quidem non poteſt,vt abſque morſu hominum,vita huius curricula quis pertranſeat,malorúmque eſt ſolatium,bonos carpere.* Sed rem ipſam ita eſſe,vt diximus,oſtendamus.

Prima pars Reſponſionis ad Spōgiam Laonici,ac primùm quidem recitantur pauca ex multis conuitia, quæ in me calumnioſè & inuidioſè congeſsit, partim mentiens, partim ipſe ſibi, præ nimia animi impotentia,repugnans.

NVnc tu,ait ille me alloquens,*hac ſpongia faciem tuam aſperge,& temet in ſpeculo cōtemplare. Videbis illic virū quēdam blaſphemum,maledicum, leuem,futilem,vanū, frontis perfrictæ,diſtorto ore,auribus aſininis,genis liuidis.* Sed quia totus ipſius liber eſſet mihi deſcribēdus,ſi cætera nobis colligēda eſſent,breuiter pręcipua recenſebo. Vocat igitur me,& ſtatim quidē in ipſa præfatione operis: ne ſi bilem ſuam diſſimularet,parùm ſuis foret gratus, vocat, inquam, me *Caluiniſtam Gallicanum*, qui me vnius Chriſti doctrinam ſequi toties ſum profeſſus: *Hominem male feriatum*,quòd in tam neceſſario Chriſtianis omnibus argumento de S. Domini Cœna operā colloco:*Mendacem* infinitis locis,quoniam ipſius errori non aſſentior,& concordiam Luthero cum Helueticis Eccleſiis fuiſſe doceo: & tamen poſtea ad meam conſcientiam prouocat, & illi credere vult Laonicus, & candorem meum imitari ſe velle ingenuè profitetur. Vocat *Fanaticum*, εἰκονοκλάστην,*Gallum gallinaceum,Byrrhiam, inſanum,delirum, aſinum,falſarium,palliatum, nugatorem,lubricū, diabolicum,rotatum ſpiritu vertiginis, ineptum,inſulſum,* & tamen poſtea *lepidum,ſceleroſum,nequam,mucidū, ſycophantam,daniſtam,Iudæum, & tamen* θεοδίδακτον, *impoſtorē,nefarium,Agyrten, circulatorem, Arrianū,* quia in argumēto de vera Chriſti humanitate verſor:*Neſtorianum,Ardelionem,Sphyngem,ſcelus,Mahumetiſmi* etiam inſimulat,*audaciſsimum, vſurariū.* Et quid amplius?Tradit me iſte,(ex milite credo factus ſuperintendens, velut Heſhuſius, & Epiſcopus)*etiam Sathanæ,abigit in malam crucem.* denique *Bipennem tenediam intentat* & comminatur, & tamen inuitat,vt ad ſe rurſus redeam. Quid hac hominis bile,obſecro,proteruius? quid leuitate leuius?Quiſquámne Chriſtianum quidquam ab iſto pectore iam poſtea expectet? Quid igitur contra iſta omnia conſolatur me lector? Certè etſi illud Baſilij,ſi velim reſpondere, me tueri poteſt, πρὸς τὰς διαβολὰς οὐ χρὴ σιωπᾶν:tamen Chriſtianus ſum, & illud Spiritus ſancti potiùs me ſuſtentat: Obmuteſcant labia mendacia, loquentia aduerſus innocentem durè,cum ſuperbia & deſpectu. Item Intuentes in fidei ducem & perfectorem Ieſum, qui vice ſibi propoſiti gaudii,pertulit crucem, ignominia contempta, & ad dextram throni Dei conſedit.Item, Admodū ſatiata eſt anima noſtra ludibrio diuitum,& contemptu ſuperborum.Itē, Illi maledicent,tu verò Domine benedices. Equidem ſummi Dei in me miſericordia, illud Pauli experior,& didici,Incedere per gloriam & ignominiam, per conuitia & laudes,vt ſeductor vocari,qui tamen in hac (quam de S. Domini Cœna tueor)doctrina ſum verax. Nec hæc tantùm,ſed maiora etiam ab omnibus veritatis Chriſti inimicis expecto.Nam & Chriſtus ipſe Samaritanus,& Dæmoniacus,& ſeductor, & Beelzebub vocatus eſt.Ergo vt hæc Laonici in me grauiſſima & falſiſſima conuitia tandem concludam, illud Auguſtini vſurpare mihi liceat: *Quid faciamus hominibus, qui tale cor habent, aut eos,quibus ſua ſcripta innoteſcere cupiunt,tale cor habere opinantur?* Cæterùm nō me vnum,(qui Oſiandrum amicè de errore monueram)ſed omnes,pauciſſimis,vt ipſe addit, exceptis,Helueticos,Gallicos,Anglicos, & aliarum Eccleſiarum Paſtores, qui non ſunt vbiquitarij, eodem furore,licèt abſentes,& in hac controuerſia quietos,temerarius iſte Thraſo tamen aggreditur,quos ſubdolos appellat,fraudulētos, cuiuſlibet rei ſimulatores & diſſimulatores, factioſos, perfidos, periuros, turbulentos, mendaces, & quorum ex ore rariſſimè, ait, exit veritas. Vbi hos viros Dei timentes tales eſſe, Laonice, vel ipſe vidiſti,vel ex aliis audiſti? Denique ne non iſtius militis audacia ſepulchra ipſa effoderet, & ne quicquam intactum, & à ſe illæſum relinqueret,etiam Philippi Melāchthonis (qui fuit verum Germaniæ lumen)quieſcentibus in Domino cineribus & piis manibus maledicit,quem & *impÿ metus & falſi*,pro ſua militari audacia,dānat,quaſi Auguſtanam Confeſſionem,inſciis Principibus, ille mutauerit.Sed quem non criminaretur Laonicus, qui prædeceſſores ſuos,fratres ipſos Vvaldenſes, quorum Cōfeſſionem approbauit ipſe Lutherus: Vvicleſuenſes,quos D. Chytræus impenſè commendat,velut viros à Deo primùm ad reſtituendam mundo Euangelii lucem excitatos,& ex quorum fontibus,Ioannes ille Huſs, & Lutherus ipſe extitit, & ipſi fluxerunt, iſte tamen homo rerum omniū ignarus vt impios accuſet ? illíſque maledicat,quorum corpora in his terris quieſcunt:animæ autem cum Deo ipſo in cælo feliciter viuunt? Sed ſeipſum quoque ſuo iugulat gladio, vtpote qui me reprehendat,quòd Andream Oſiandrum iſtius Lucæ Oſiādri patrem à filio ipſo teterrimæ hæreſeos damnatū dixerim,quod Gerlachius Laonici collega, & in eadem Tubingenſi Academia profeſſor, tamen fatetur. Verùm enimuerò de virulenta iſtius hominis oratione diutiùs loqui, nec me meus pudor,nec argumenti ſuſcepti ſanctitas maieſtáſque patitur. Satis enim iſtum ſui vlciſcentur mores. Venio igitur ad eos errores quos paſſim in hoc ſuo ſcripto Laonicus ſparſit, nimium non contentus illis, quos iam tamen nimium multos defendebat. Quæ & ipſa meæ reſponſionis pars refutatione quoque non eget, quoniam ipſa ſe manifeſtè prodit iſtius militis, peſsimè in vera & orthodoxa fide inſtituti,impietas.Et tamen iſte cæteros,præter ſe vnum, Theologaſtros & aſinos eſſe fortiter declamat. En

igitur

A

Hieronymus ad Cteſiphōt. aduerſus Pelagian.

Hierony. ad Furiā.

B

C

Pſal. 31. v. 18.

A

Heb.12.v.2.& 3.

Pſa.123.v.8.

2.Cor.6.v.8.

Auguſtinus ad primā Gaudēt.Epiſtolam.

B

Pag.33.

Pag.32.

Chytræus in Hiſto. Græcar. Eccleſ.

C

A igitur iſtius hominis Theologiam, Pag.22. *Sicut idem ſol ceram liquefacit,* ait, *& lutum indurat,* id autem facit Sol per ſe*: ita idem Chriſtus pios homines ſuo corpore & ſanguine paſcit ad vitam æternam, impios verò damnat ad mortem æternam,* id eſt, caro & ſanguis Chriſti, etiã ſumptus & per ſe, eſt tam cauſa mortis, quàm vitæ. Ecquis tantam iſtam blaſphemiam æquo animo ferre Chriſtianus poteſt, vt nimirum ſacra Domini Ieſu Chriſti caro (quæ eſt vnigeniti Filij Dei caro, quęque tota viuifica eſt) ſit mortifera nobis? Ergo ex vno illo fonte & mors, & vita, contra Iacobi præceptum, pofluet: atque fiet vt id quod per ſe vita eſt, ſit quoque in ſe mors. Atqui Ioan.6. dixit Chriſtus, id eſt, veritas ipſa, *Caro mea verè eſt cibus, ſanguis meus verè eſt potus, qui manducat meam carnem, viuet in æternum*: dixit Auguſtinus, August. 26. in Ioã. Euãgelist. *Quando Chriſtus manducatur, vita ipſa manducatur: Res ipſa Sacramenti omni homini ad vitam, nulli ad exitium eſt*: dixit Cyrillus, Cyrillus lib. 4 in Ioan.c. 12 (ſi te hominum auctoritas mouet, qui Luthero tantum tribuis) *Dedit igitur pro vita omnium corpus ſuum Dominus, & per illud rurſus vitam in nobis immittit: & quomodo dicam* B *breuiter pro viribus meis? Nam cum viuificans Dei Filius in carne habitauerit ad ſuum bonum, eam, id eſt, ad ſuam vitam reformauit, & totus (vt ita dicam) toti ineffabili modo vnionis coniunctus, viuificantem ipſam facit: quia natura viuificans eſt, par*Pag. 27.*ticipãtes hæc caro viuificat. Eiicit enim mortem ab eis, & interitum penitus expellit.* Sed quid refutatione in iſtis opus eſt? Verùm errores erroribus accumulãs iſte, addit, *Chriſti corpus excæcare impios.* Item pag. 22. *Chriſti carnem in ἀδιαφόρων numero* conſtituit, quales ſunt terrenæ opes, quibus quis bene vel malè, pro ſuo ingenio, vti poſsit, Ead. pag. *Subſtantiam carnis Chriſti poſſe eſſe ſine ſuo fructu & viuificatione:* id eſt, carnem Chriſti non ſemper eſſe carnẽ λόγου & Filij Dei. Eadem pag. *Chriſtũ eſſe in malis & impiis, & Deum eſſe in diabolis ipſis,* Pag. 24. *Panẽ Sacramẽtalem non* putat *à pane vulgari diſtingui poſſe.* pag. 25. *Carnem & ſanguinem Chriſti eſſentialem, abſq; fide poſſe accipi.* pag. 57. *Chriſti corpus non fuiſſe merum corpus, neque tale, quale meum, & tuum.* Pag. 58. *Corpus Chriſti in Deum aſſumptum eſſe.* pag. 48. *in ſocietatem diuinæ gloriæ fuiſſe aſſumptum.* Quid peiùs Eu- C tyches ipſe diceret? pag. 60. *Aquam Baptiſmi habere vim ſeu virtutem ſaluificam: Spiritum ſanctũ regenerantẽ nõ abeſſe eſſentiâ ſuâ ab aqua Baptiſmi.* Quid Papiſta tetriùs diceret pro opere ſuo operato? Eadem pag. *Verba Chriſti*, quæ ſunt apud Ioannem cap. 6. *eſſe vomitum.* Quid magis impium dici poteſt? pag. 65. Neſtorianam Vnionem vel fouet, vel inducit, quũ vult Chriſti hominis & Chriſti Dei ſcientiam, voluntatem & potentiam eſſe ſic vnã, quemadmodum duorum amicorum voluntas & ſcientia dicitur à Philoſophis Vna. Hæc omnino nullam apud pios confutationem requirunt, quæ ſunt tum per ſe manifeſtè impia, tum horrenda. Sed quis ignorat de iſto equite vſurpari veriſsimè illud poſſe, *Nulla fides pietáſque viris qui caſtra ſequuntur?* Verùm ea quoque, in quibus ipſe cum ſodalitio ſuo non cõſentit, iam breuiter commemoremus, vt aduerſus ſuos potiùs, quàm aduerſus nos ſuſceptum ſibi certamen eſſe, à meipſo fraternè intelligat. pag. 14. In hoc de Cœna Domini argumento ad carnem Chriſti ex Phyſicis corporũ legibus (quale illud, nullam eſſe in veris corporibus dimenſionum penetrationem) argumentatur. Quod μέσων genus, etſi verum, ſocij ipſius tamen A nequaquam admiſerint. Pagina 67. Concedit locatum & ſemper finitum eſſe quarto modo πάθος propriũ veri corporis. Quod verum eſſe ſocij Vbiquitarij proculdubio negauerint. pag. 23. In Sacramentali hac Auguſtini locutione, *Iudas nõ accepit panem Dominum*, tropum agnoſcit. Cur non igitur & in iſta Chriſti, *Panis eſt corpus meum?* pag. 26. *Chriſti corpus in ſacra Cœna cælitus deſcendere, & adeſſe in Cœna.* pag. 29. Chriſtum per ſuum verbũ *ſe alligaſſe pani & vino.* pag. 55. *Blaſphemum eſſe, docere, Panem eſſe ſignum corporis Chriſti, tanquam rei ſignatæ.* pag. 72. Similitudine ignis & maſſæ ignitæ confirmari, *calorem ſeu ignem accipere vim vrendi à materia, cui ineſt.* Ergo & à carne Chriſti (quæ in hac comparatione reſpondet materiæ) virtutẽ viuificandi accipiet Deitas λόγου. pag. 43. *Noſtros ab Vbiquitariis Paſtoribus tolerari non poſſe propter pingues & nitidas culinas,* quas ſoli Vbiquitarij habere ſibi velint. Et hoc quidem poſtremum præclarè Oſiandrum, cuius patrocinium iſte ſuſcipit, & alios Laonici collegas deſcribit & ornat, quòd B ſuaui nimirum Principum Germaniæ culinæ nidore capti, ad ſuum præſepe alios, quãuis piè docentes, nolint admittere. Quam labem etſi in multis veram, tamen ſuis inuſtam, quomodo, & quà ſuâ ſpõgia eluere & extergere poſtea poſsit, videat Laonicus. De ipſius verò ignorantia potiùs, quàm memoria quid non cònquerar? qui licetà me, quæ ſcribebat, diſcere commodè potuiſſet: ita tamen eſt ἀνίστωρ, & ira præcipiti raptus, vt ſcripſerit pag. 37. Athanaſium à Theophilo Antiochiæ Epiſcopo, & pag. 41. Nouatũ à Cõſtãtinopolitana Synodo, dãnatos fuiſſe: & pag. 38. me Auguſtanam Cõfeſſionẽ Vbiquitariorũ Cõfeſsionẽ appellaſſe. Quis tibi glaucomã, Laonice, tãtã ob oculos obiecit, vt quæ in meo Antioſiandro legeras, non legeris: & quæ videras, non videris. Si retaliare vellem, te ſpiritu vertiginis rotatum eſſe dicerem. Illud tantùm dicam, quod puer fortaſſe didiciſti, *Impedit ira animũ, ne poſsit cernere verum.* Quæ omnia quãta ſint in te tam magnifico ſcriptore vitia, fortaſſe, Laonice, quoniam iam à me adempta tibi eſt glaucoma illa, quã ira te induerat, vides. C Pluribus enim perſequi, nec eſt opus, nec hominũ doctorum & intelligentium, qui hæc legent, eruditio ac ſubleuatio patitur, quantumuis doctos ad hæc infuſcanda dolos adhibueris, qui omnibus, vt vides, iam patent. Venio igitur ad ſecundũ meæ reſponſionis caput, vbi ſcriptum tuum percurrẽs (nec enim longa ad illud cõfutandum mora mihi opus fuit) breuiter quid, quantúmque ineptus ſis, & ipſe fallaris, atque alios fallas, oſtendam.

Secunda huius reſponſionis pars: vbi Laonicus refutatur.

PRecaris primùm mihi illud, *Vt ſit mẽs ſana in corpore ſano.* Pag. 1. Iuuenal. Satyr. 10. In ipſo portu naufragiũ facis, Laonice. Agnoſco enim Ethnici & profani hominis ſententiã, quæ etſi egregia Dei dona cõmemorat, maius tamẽ quiddã, & Chriſtiano homine, & Chriſtiana ſalutatione magis dignũ, à te, qui pietatẽ profiteris, omnes exſpectabãt: nempe, vt, vel pacẽ à Deo, & miſericordiam, & ſimilia mihi dona exoptares, A quemadmodum Paulus fideles ſalutans, precatur: vel vt hanc ipſam mentis & corporis ſanitatem, ſaltem à Deo Patre & Domino noſtro Ieſu Chriſto peteres. Sed profani autores, & Comœdi (quos te familiares habere oſtendis) tam pias preces te nondum docuerunt, imo ab iis ſtercoribus didiciſti appellare inuidioſè ἰκονοκλάστας eos, Pag.3. qui & idola, & idolorum cultum ex Dei præcepto profligāt, atque è templis Chriſtianorum omnino ſublata eſſe cupiunt. Ab iiſdē profanis didiciſti Pag.47. ſic loqui, *ſi diis placet*, vt te plures deos noſſe ſignificares. Item ſic iurare, *Diſperеam*. Denique ſic in hoc tam ſancto de S. Chriſti Cœna verſari argumento, vt duos dūtaxat Scripturæ S. Locos proferres: & eos tamen, vbi ſcripti eſſent, ignorares, aut certè caput nullum ipſorum autorum citares. Quin imò ignorantiſsimum te omnis Theologię hominem oſtendis, cùm in toto hoc ſcripto tuo, tum verò pag. 10. vbi ſocietatem hominum ciuilem cū Eccleſiaſtica confundis: & Regnum Iſraeliticū cum Iudaico idem eſſe putas. Item pag. 12. vbi tertium damnationis à te cōfictæ genus aliud à primo (vbi Eccleſia damnat) & diuerſum eſſe B ſcribis, & non potiùs illius effectum ac implemētum. Item pag. 14. vbi, qui potiſsimùm loci ab orthodoxis patribus contra Arrianos ex S. Scriptura citentur, hunc nempe, *Ego & pater vnum ſumus*, ignoraſſe te doces. pag. 15. Qui credere & manducare ſono tantùm vocis, non etiā propria definitione inter ſe differre negas. Et 16. Qui cauſſam à ſuo effecto diſtinguere nunquam potueris. Item pag. 16. Qui figuratam potētiam pro figurata locutione ſcripſeris. pag. 21. Qui ineptiſſimè ſic collegeris, *quia impij corpus Domini non diiudicant, impij corpus Domini ſumunt*. Reliqua breuitatis cauſſâ prætermitto, quia ſunt infinita. Hæc ſunt igitur Laonicenæ Theologiæ fundamenta & initia, præclara ſcilicet. Pergis porrò. Nam aſſentandi animo Lucam Oſiandrum & Dominum Doctorem, & apprimè nobilem appellas: id facis, quoniam Pythias ancilla idem in tuo Terentio dixerat de Chremete, homine ſtolido. Verùm qui te L. Oſiandro addixiſti, decorū ſeruas. Nam, C vt ait ille, *Plus oportet ſcire ſeruum, quàm loqui*. Vt autem, mi Laonice, in poſterum noris, quæ ſit Lucæ Oſiandri in aſtragalis nobilitas, Ille Andreę Oſiandri teterrimi Monachi Franciſcani eſt filius: &, vt nomen familiæ in Germania reperias, HOSEN, id eſt, caliga ſeu caligarius proprium eſt iſti hominū generi cognomē. Sed ex caligario ſe hoſion, id eſt, ſanctū hominē ſcilicet eſſe voluit. Verùm verecundior ipſe Oſiander, qui hanc paternā nobilitatem nuſquam agnoſcit, imò qui hanc primam ad veram fidei doctrinam viā ſibi eſſe intellexit, ſi doctrinam patris ſui apertè, vti planè hæreticam dānaret, quod fecit: tantum abeſt, vt paterno nomine, quemadmodū ipſe pag. 3. etiā ſcribis, ille glorietur. Quod autē, tacente Pappo, Oſiādrum reſpōdiſſe ſcribis, hominem cui aduocatus veneras, ſanè prodidiſti. Temeritatē enim Oſiādri, qui ſine mandato in aliena hæreditate & loco pedē poſuit, & Pappi reſponſionē anteuertit, graPag.6. phicè & encauſticè depinxiſti, vt eam poſtea, tu ſpongia, eluere non poſſis. Sed id fortaſſe fecit Oſiander, quoniam ex tuo pręconio, longè ſe Pappo ipſo doctiorem eſſe credebat: & ouiculas illas nempe Argentinenſes (inter quos offendiculum A hoc ortum erat) ipſe Vvirtebergici Principis aulicus concionator, hac feſtiua de diſsidio Argentinæ orto narratiuncula oblectare volebat, quæ tota eſt tua Oſiandricæ temeritatis excuſatio. Cæte- Pag. 2. rùm quòd ab aliquot Illuſtriſs. Germaniæ Principibus conſilium de noſtris, id eſt, orthodoxis eiiciendis, eſſe ſuſceptum ais: vel ex ipſa Sexuirorū veſtrorum (qui ſunt omnium iſtarum turbarū autores) Epiſtola refutari poteſt. Nec enim vlla iſti rei culpa Principibus imputari debet, ſed tota penes Theologos veſtros hæret. Nā optimi & Illuſtriſs. illi Principes Synodum legitimè congregari poſtulabant. Id quod etiam nunc efflagitant, & à vobis Theologis requirunt: ſed Synodi nomen, cauſſæ veſtrę planè diffidentes, etiam horretis, & cane peiùs & angue odiſtis. Illi enim Sexuiri ſimplicem illam, & certè verbo Dei conſtitutam viam penitus, vt ſuis commodis incommodam, recuſarunt. Vi autē, minis, blanditijs, etiam pretio ſuffragia & ſubſcriptiones ab aliquot deceptis clericis veſtratibus extorſerunt, vt hoc Nouum Nouæ ſuæ doctrinæ corpus euulgarent, id eſt, ſicuti quidā iam appellant, vt noua illa Vbiquitariorū B Biblia mundo obtruderent. Et certè quis dubitat futurum eſſe, vt quemadmodum Gręcis Eccleſiis, quòd hominū ſcriptis nimiū tribuerint, iam nō Sacra ipſa Biblia, & verbum Dei, ſed quædā tantùm Noui Teſtamenti fragmēta vnà cum Horologio, & Octoήχῳ, & aliquot Baſilij, Chryſoſtomi & Damaſceni ſcriptis pro fidei fundamento, Gręcis, inquam, qui nunc vocantur Chriſtiani, legantur: ſic inter Vbiquitarios noua hæc ex quorundā Lutheri librorum, cum iſtorum Sexuirorum commentis compilata farrago pro ſola fidei & pietatis eorū columna & doctrina tandem habeatur, & valitura ſit? Maiorum noſtrorum memoria illud eueniſſe certum eſt, vt etiam Cyrilli cuiuſdam Carmelitæ Monachi, hominis furioſi, Euangelium pro vero Euangelio ſubſtitueretur & reciperetur: illúdque æternum, in ipſum Chriſti veri Euangelij deſpectum, nominaretur. En igitur, quò tandem ſit peruentura iſta, hominum funda- C mentum aliud fidei ſuæ, quàm ipſum Dei verbum Pag.4. quærentium, temeritas & audacia. Nā quod Laonicus ſcribit, nos, ne præceptorum noſtrorum ſententias deſeramus, malle blaſphemas eorum opiniones, quàm veritatē catholicam ſequi, hoc probet, & vicerit: nóſque in illius ſententiam pedibus ſtatim ibimus. Sed nunquā faciet. Hominem noui. Nec enim catholica eſt veritas, quæ vbiquitatē aut vbiquepræſentiā corporis Chriſti ſtatuit, quia nec veritas primùm eſt, Præterea, ne ab ipſis quidem omnibus Germaniæ reformatis Eccleſiis cōprobata eſt, nedum ab vniuerſi orbis reformatis Eccleſiis. Illæ enim nos, noſtrámque doctrinā, nō Vbiquitariam, haud dubiè, & amplectūtur, & probant. Porrò quoniā, quæ de viri clariſsimi Ioannis Sturmij cum Pappo certamine ineptè blatteras, & de Sturmio (vnico adhuc, Dei gratiâ, veſtrę Germaniæ ſuperſtite lumine) calumnioſè & impudēter pagina 5.6.7.8. garris, ſunt ab eodem in quarto ipſius Antipappo luculenter omnia refutata: ergo iſta, ne actum agam, aut telam Penelopes, vt eſt in prouerbio, retexam, prætermitto. Quod verò Ioannem illum Sturmium, omnium veſtrûm

præ-

A præceptorem eruditiſſimum, cum Demoſthene & Cicerone eloquentiæ tum Græcæ tum Latinæ Principibus potius, quàm cum illo ſtrenuiſſimo patriæ ſuæ vindice Coclite comparari à me debuiſſe ſcribis,teipſum non noſti, pag.8. qui ſies,Laonice:& id recto à me conſilio factum eſſe iam intelliges,quod,vt opinor,ipſe es probaturus. Neſcis enim,vt video, quàm malignum ſit & tuum, & tuorum ingenium, qui nodum in ſcirpo quæritis: & felicem piorum etiam pro Domino Ieſu Chriſto Martyrum mortem,tragicos tamen exitus vocetis.

Selneccer in repetitione.tragicos exitus piis Martyrib. exprobrat

Quid igitur,& quāta iā tu ματαιολογῶν & μετεωρολεσχῶν de infelici Sturmij,vti Demoſthenis & Ciceronis exitu,ex tuis auibus eras ſtatim peſſimè ominaturus,& auguraturus,ſi cum his eum contuliſſem? Itaque,vt te hoc mentiendi & malè ominandi periculo liberarem,fortiſſimi & ſtrenuiſſimi viri Romani,& ab omni hominum ætate laudatiſſimi exemplum protuli,quod tu, (niſi planè cæcus es) teſtari inuictum vnius Sturmij in patriȩ libertate & ſalute tuenda robur & animum, B aduerſus infinitos Vbiquitariorum cuneos, & periculoſo loco & tempore profligandos,negare non potes. Verùm illis omiſſis,de quibus copioſè Sturmius poſtremo ſuo ſcripto egit,quid dicas,videamus. Oſiandrum à me perperam intelligi declamitas,quum eum ſcribo velle, vt errores noſtri, pag.6. pag.9. non autem vt ipſæ errantes perſonæ damnentur. Ais enim tu,qui intimos ipſius ſenſus nouiſti, & qui iam propter nouæ veſtræ doctrinæ publicationem audacior factus es, & nos & errores noſtros à vobis apertè damnari, imò exterminandos,eiiciendos,& à Principibus veſtris exilio mulctandos cenſeri. Primùm gratias habeo, Laonice Spongia,quòd tuorum tectam antea in nos inhumanitatem:& tandiu diſſimulatum animum iam ipſe nobis tam candidè indices. Ergo nec Sturmius,nec nos etiam fallebamur,dum legentes Ioānis Pappi de Charitate inſidioſas theſes, coniiciebamus,ſub ea thiara tegi lapides omnium fidelium(qui in Heluetica,Gallia, Anglia,Scotia,Polonia & Italia noſtram doctrinam conſtanter profitentur)condemnatorios. Bonus eſt enim vates, qui etiam peſſima coniicit, vt ait Nazianzenus. C Quod tamen & Pappus ipſe,& Oſiander ſtrenuè, vt tu hîc oſtendis,mentientes diſſimulabant atq; pernegabant. Nam vt de Oſiandro meo dicam, ſic ille,& totidem verbis in Antiſturmio ſcripſit: pag.8.in Antiſturmio. *Quare, quum aſſerimus Cinglianiſmum damnandum eſſe,nequaquam docemus aut cuiquam autores & inſtigatores ſumus,vt vel de ſeductis auditoribus,vel de ſeductoribus Caluiniſtis ſupplicium ſumant.* Quid apertius pro me, quid manifeſtiùs contra te dici potuit ab Oſiandro Laonice? Tu verò ei ipſi (cuius ſententiam tuendam nunc ſuſcepiſti) palàm repugnās,contra Oſiandrum ita ſcribis, Pag.9. *Quæ verò tu de hæreſi & hæreticis ſimul damnatis,& damnandis multa profers,ea omnia tibi prolixè concedimus, atque hoc ipſum volumus,vt non modò Caluiniſmus ex noſtris Eccleſiis,tanquam damnabilis error extirpetur,ſed etiam illius propugnatores & pertinaces defenſores remoueantur,& in exilium mittantur.* Meminiſtin' hæc tua eſſe verba,quæ non in ſpeciem, ſed manifeſtè cum Oſiandrianis pugnant? Verum tamen nos tibi multum debemus,qui tam infeſtum tuorum in nos animum,ne dicam crudelem, patefeceris. Niſi fortè & in exilium mitti, & paternis ſedibus A eiici,& honeſto (quem virtutis ergô obtinueris) gradu tanquam hæreticum violenter deturbari, ſupplicium in nobis non vocatis:ſed potiùs(quia qui vbiquitatem veſtram oppugnantes, exilium patiuntur,iis exilium iſtud eſt verum Chriſti martyrium)pœnas iſtas præmia eſſe cenſetis. Atqui & ſenſus ipſe communis,& omnium hominum vox & leges ipſæ politicæ,carere dulciſſima patria,ſpoliari paternis laribùs, eiici natali ſolo, expelli à coniunctiſſimis ſibi cognatis, à chariſſimis amicis,& familiaribus ſibi quibuſque priuari grauiſſimum eſſe ſupplicium ſemper definierunt.

Plutarch. in lib. de Exilio.

Certè non fuit alia primùm ab Arrianis in orthodoxos conſtituta pœna,quàm exilium,vt eorum Eccleſias vacuas,vel occuparent ipſi, vel ſepibus in fidei Chriſtianæ ignominiam obſepirent. Quid, quòd noſtros non ſemper Vbiquitarij exilio mulctant? quoniam exilium pleriſque(Domino ita illis ſedes alibi parante)ceſſit ſolatio, vt docto illi Pezelio,ſed in teterrimis eos carceribus, & quidē diutiſſimè,omnibus bonis ſpoliatos, & ſuorum B congreſſu interdictos detinent: quemadmodum ipſemet Laonicus optimum illum virum C. Peucerum,Philippi Melanchthonis generum commemorare voluit. pag.11. Tamen quum vnam hanc exilij,tot pientiſſimorum & doctiſſimorum præceptorum veſtrorum(quibus vt patria ipſa ingratam ſe demonſtret,exteræ tamen nationes & Regna, ſeſe parentes & alumnos illis præbebunt)cauſſam recitas, *Quia Cingliani*,vt tu vocas,*erant*: hoc dicis, Laonice,noſtros eiectos à tuis fuiſſe, quia noſtri Chriſtiani erāt:adeò vt noſtros ex Petri ſētētia planè iā abſoluas,cū eos,nō vt fures,nō vt adulteros, non vt ſceleratos,non vt helluones & ebrios: ſed hoc ſolùm nomine,quia Chriſtiani & ſunt,& eſſe volunt,patriæ facultatúmque ſuarum iacturam,& damnum à vobis pati ſignificas. *Si quis vt Chriſtianus patitur,nn pudefiat* ait Petrus,*imò glorificet Deū hac in parte.* 1.Pet.4. v.16. Atque hæc de tuis in noſtros condemnationibus, in quibus quā ſis inhumanus & intolerabilis,vides. Verùm quis etiam te tam rerum omnium ignarum ferat in eo, quòd Eccleſiaſticæ ſocietatis(cuius te membrum vocas,& fortaſſe in ea aulicus,& miles,& poeta es) rationem & φύσιν cū politica & ciuili cōfundis? quaſi videlicet Chriſtiani populi ſic diuerſa religione ac fide inter ſe Pag.9.10. 11.12. C diuidi debeant, quemadmodum diuerſis regnorum finibus,imperiis & territoriis ſeparantur. Ais enim, pag.10. *Habent Germani Principes ſuum Magiſtratum cui poſt Deum de factis ſuis rationem reddere, & poſſunt & volunt. Quid illis hic negotij cum Anglis, cum Scotis,cum Polonis,& aliis Sacramentariis, qui ſuos habent Reges,quibus Caluiniſtæ rationem villicationis ſuæ reddant vt lubet*? Primùm vt illud prætermittā, quod te ipſum refutas,qui ſuprà tuam Vbiquitariam doctrinam,catholicam veritatem appellaſti, (quam à tam multis Chriſtianis populis reiici,tamen hîc affirmas)quàm inepta eſt,vt cum Auguſtino loquar,iſta tua complexio, atque ratiocinatio? Germanicȩ Dei Eccleſiæ ac Principes habent regiones,& territoria alia ac diuerſa ab Anglicarum,Gallicarum,Scoticarum,Polonicarum & reliquarum Dei Eccleſiarum Chriſtianarum Principibus, territoriis & finibus, Ergo Euangelium quoque diuerſum, ac diuerſam fidei doctrinam ab illis habere poſſunt,neque fidei ſuæ rationem cum illis communem habere, neque illius ratio-

A nem aliis Eccleſiis reddere debent, & nihilominus manebunt Dei Eccleſiæ.Quis te ſic argumentantem,& fines iuriſdictionéque Cæſaris & Dei perturbantem feret?Redde Laonice,quæ ſunt Cęſaris,Cæſari:& quæ Dei ſunt,Deo. Nónne,obſecro,quemadmodum totius Eccleſiæ verè Chriſtianæ vnum duntaxat eſt caput Chriſtus, vnum Euangelium ab Apoſtolis annuntiatum, vnum fidei fundamentum,nempe ipſum Dei verbum, vnus Epheſ.4. Baptiſmus:ita quoque,vna & eadem omnibus verè Chriſtianis Eccleſiis communis fides, & 2.Pet.1.v.1. doctrina eſſe debet?Non enim alia in Germania fides & doctrina,alia in Gallia,alia in Heluetia, alia in Anglia:ſed vna & eadem omnium populorum verè Chriſtianorum fides eſt : vti vna eorum in Chriſto ſocietas,quæ Eccleſia Catholica nominatur.Eſt enim tota Dei Eccleſia vbicunque terrarum ſit,non tantùm vnus populus,ſed etiam vna domus & Dei familia, cuius ſingulæ regiones 1. Tim.3. v.15. Chriſtianæ ſunt tantùm partes.Ergo quod ad fi- B dei & doctrinæ cœleſtis rationem,examen, congreſſus,negotia & communionem,non, vt regionibus, Imperiis & Principibus diuerſis, populi Chriſtiani inter ſe ſeparantur,ſic diuerſis religionibus ſecernuntur,ſed vnum omnes , & caput & 1.Pet.2.v.25.Heb 6.v.20.7.v.26.Epheſ.1.v.22. Ducē, & Pontificem, & Epiſcopum Chriſtum Dominum noſtrum Filium Dei,Deum & hominem, ſiue Galli,ſiue Germani,ſiue Angli,ſiue Poloni habere debemus,vnam fidem,vnam doctrinam,de qua non modò priuati alij aliis , ſed totæ ipſæ Eccleſiæ,vbicunque terrarum ſint, communiter conferre,& illius aliæ aliis rationem reddere(ſi modò Chriſtianas ſe gerere volunt) debent: vt ſingulæ ſunt eiuſdem illius vniuerſi & myſtici Chriſti corporis,nempe Eccleſię Catholicę,membra & partes.Præclarè enim Cyprianus,à quo po- Cyprian. de vnitate Eccleſ. ſtea Auguſtinus accepit,*Is non habet Deum Patrē, qui non habet Eccleſiam matrem.* Quis igitur dubi- C tat,quin ea fidei doctrina, quam Germanicæ , & Proteſtantium Eccleſiæ profitentur,vna & eadem illis cum reliquis mundi Eccleſiis eſſe debeat : & huiuſmodi negotium ſit ipſis cum Anglis,Gallis, Heluetiis,Scotis & aliis populis Chriſtianis commune?Denique eædem Germanicæ Proteſtantiū Eccleſiæ in reddenda fidei ſuæ ratione,cæteris Eccleſiis ſunt ſubiectæ,queadmodum & aliæ quoq; 1.Cor.14.v.32. Eccleſiæ Germanicis.*Spiritus enim Prophetarum*,inquit Paulus,*ſubiiciūtur Prophetis*.An ſoli veſtri,Laonice,præter communem cæterarum Eccleſiarum legem,vel tanquam à reliquo Eccleſiæ corpore auulſi,vel nimio ſuperbiæ typho inflati,à nemine ſe iudicari poſſe & debere exiſtimant,vt in eos il- 1.Cor.14.v.36. lud Pauli verè in promptu haberi poſſit?*An à vobis ſermo Dei profectus eſt,an ad vos ſolos deuenit? Nec eos audiamus*,ait Auguſtinus, Auguſt. de Agon. Chriſtia. cap.29. *qui ſanctam Eccleſiam (quæ vna catholica eſt) negant per orbem eſſe diffuſam,ſed in ſola Africa* (vel in ſola Germania) *pollere arbitrantur*.Ergo qui alibi gentium totam Eccleſiam periiſſe,& eam in ſola Brentij,aut Vbiquitariorum parte manſiſſe contendunt, præter teterrimum illum Eutychianiſmum, etiam veterem illum Donatiſtarum errorem ab inferis reuocant. Quare hæc eiuſdem Auguſtini in eos vſurpemus licet,*O linguam ſuperbam,& nefariam,nec verè,ſi vixerint,pacem inter ſe poſtea cuſtodient*. Quemadmodum verò fuit inconſutilis Chriſti tunica,ſic vnita eſt & indiuiſa Eccleſia,inquit Auguſtinus: & per A conſequens,vna illius fides & doctrina Germanis & Gallis,& Anglis,& Heluetiis , & Polonis , & Scotis Chriſtianis communis.Imò etiā audi Laonice,quæ ad Mauricium Imperatorem ſcribit Gregorius,*Pax Reipub.ex vniuerſalis Eccleſiæ pace pendet*.Quanquam autem ad œcuminicam, vel parti- Gregor. Mag.in dict.14. cularem ex pluribus diuerſis imperiis ſynodum cogendam ſingulorum Chriſtianorum Principū (qui ius in iis prouinciis ſummum habent)conſenſus neceſſarius eſt:tamen cùm omnes aliæ Eccleſiæ Dei,omnéſque alij Chriſtiani Principes , imò etiam aliquot Illuſtriſſ.Principes,& ipſi Germani, collationem doctrinæ à ſuis & noſtris in legitima ſynodo fieri deſiderent,quæ iſta eſt tua,Laonice, ſapientia,vel potiùs frōs , qui hoc eſſe commune omnium Chriſtianorum negotium neges? qui illud à Synodo ad ſexuiros illos Germanos,eccleſiaſticos,qui & partes & iudices ſedent , ſine noſtro mandato transferas,& rectè iudicatum eſſe dicas? Subſcribúntne veſtræ illi Vbiquitariæ doctrinæ, B & Nouo corpori,Potentiſſimus ille Daniæ Rex, Sereniſſima Angliæ Regina,Chriſtianiſmus Scotorum,Inuictiſſimus Nauarrorum Reges?Illuſtriſſimus Princeps Condæus,Princeps Auriacus , &, vt ipſos etiam Illuſtriſſimos Principes Germanos , honoris cauſſâ,nominem,Princeps Ioannes Caſimirus,Comes Palatinus , Landgrauij Heſſiæ, Principes Anhaldini,Dux Pomeranus , Holſatus, Bipontinus,& alij,quorum catalogus eſſet infinitus, ne liberas ciuitates Germanicas habeam neceſſe commemorare , præter Helueticas omnes, Gallicanas,Rheticas,Belgicas,Hungaricas,Polonicas,Boemicas,Italicas & Hiſpanicas,quæ latēt, Eccleſias,quę omnes veſtram vbiquitatem ex apertiſſimo Dei verbo vno ore condemnant manifeſtiſſimè? A quibus cùm vos ſciatis erroris ſtatim conuictum iri,perinde nomen ipſum Synodi horretis,atque Diabolus poteſtatem Chriſti. Quinimò quanuis tota ipſa Germania illi Nouæ veſtræ C doctrinæ corpori ſubſcripſiſſet,illa tamen doctrina,propterea neque rata,neque firma eſſet, niſi à cæteris quoqus Eccleſiis Chriſtianis probaretur. Tota enim ipſa Germania, quantumuis lata , ad totius Catholicæ & orthodoxæ Eccleſiæ comparationem,vnicum tamen membrum eſt , non aut caput,aut totum corpus : ſed membrum duntaxat vt in corpore humano brachium,aut pes.Ergo vniuerſus etiam totius Germaniæ in tuam doctrinam conſenſus obſtare nō poſſet,quum de eadem communiter cū Gallis,Heluetiis,& Anglis, &c.eſſet nihilominus conferendum. Sed vt ad te redeam Laonice , toto cœlo erras , qui ſcribis , quia Germanicum Imperium ab Helueticis,& aliis populis diſtinctum eſt , (quanquam in eo maximam ſacræ Cæſareæ maieſtatis imminutionem feciſti, qui præter vnam Germaniam,reliqua ei adimas) Germanicas Dei Eccleſias,nihil habere cum aliis populis Chriſtianis in fidei negotio cōmune.Ipſæ te Synodi Oecumenicæ omnes, ipſe omniū ętatū & temporum vſus,ipſum denique Ferrariēſe,Conſtantienſe,(quod laudas)Baſilienſe,& Florentinū Concilium refutant,ad quæ diuerſorum Regum, Imperiorum,& quidem prorſus ſeparatorum , & ditionum diuerſarum populi conuenerūt:adeò vt etiam in Concilio Florentino Imperator ipſe

Græco

A Græcorum Palæologus,& ei ſubditi Epiſcopi affuerint cum Gallici,Hiſpanici,& Germanici Imperij hominibus,& Epiſcopis. Sed quid pluribus iſta perſequor,cùm hîc etiam,vt vbique , tuam ignorantiam manifeſtè prodas?Quid igitur ais?Tibi non eſſe tãtùm otij,vt aſſentiaris illi vero quod vt antea dixi,ſic rurſus repeto,nimirum, ſi vocabula quędam lenita fuiſſent,facilè de tota hac Sacramentaria controuerſia inter Lutherum &Zuinglium conueniri potuiſſe: idque ex Marpurgenſi colloquio,& ex ſcriptis ac literis primorum ipſorum huius controuerſiæ diſceptatorum apparere. Addo etiã ex ipſius Buceri,qui vtrorũq; mentem apprimè nouerat,teſtimonio,qui etiam & Vvittebergæ,& poſtea Francofurti concordiam inter omnes conciliauit, quæ niſi ab alaſtoribus quibuſdam Vbiquitariis,velut Ambsfordio , infeliciter rupta fuiſſet,etiam nunc alta pace reformatæ Eccleſiæ fruerentur.Sed quia tu Pyrgopolynices in B ſpoliis noſtrorum à te in exilium fugatorum legendis occupatus,mea legere non potes,te remitto ad eruditiſſimum Ambroſij Vvolphij verè Germani,viri doctiſſimi,ſcriptum, *De Auguſtana confeſſione*,pag.8.9.10,& pag.60.61,&c.Vbi etiam quum tibi per otium licuerit,literas ipſius Lutheri ad Helueticas Eccleſias leges.Quod autem Buceri Epiſtolas,quia contra te faciunt , nihil valere dicis,hîc te impudenter geris,qui præclara illa veſtræ Germanię lumina , Bucerum & Philippum vnâ tuâ ſententia temere damnes,vt tanquã duos quoſdam parietes vna fidelia leuiter dealbares. Quæris , ſi in verbis tantùm , non in rebus fuerit certamen Zuinglio cum Luthero: non autem tuis cum noſtris (Nam nobis contra te & tuos eſt diſſidium de rebus,propter errores à vobis additos: videlicet de Vbiquitate corporis Chriſti,de effuſione idiomatum Deitatis λόγου in naturam humanam aſſumptam, de Aſcenſione Chriſti in cœlum in Euaneſcentiam in nubes iſtas commutata)cur noſtrorum potiùs, quàm Lutheri verbis vtar?Reſpondeo Laonice , quoniam verba noſtra nihil inſidiarum,nulla ſemina erroris,nihil à Sacramentis alienum habent: Lutheri verò verba fuerunt,& iam tunc erant periculoſa, quæ vos in teterrimum illum Vbiquitatis errorem C tandem induxerunt,licèt ille tamen Vbiquitatemveſtram nihil ad Sacramentariam hanc controuerſiam pertinere,contrà quàm tamen hîc ſcribis,affirmarit. Ergo quemadmodum melior eſt via,ait Xenophon,quæ tutior : ſic melior eſt locutio,quæ dilucidior.Quod autem noſtris Caroloſtadium obiicis,nónne te,ſi quam frontem haberes,puderet?qui in tomo ſecundo operum Lutheri Ienæ editorum,editione prima,pag. 492. & 96.legeris , hanc tam infelicem controuerſiam, quæ iam vniuerſum mundũ turbat, à Luthero,nõ à Caroloſtadio ſuſceptam,ne nummum aureum, quem illi in ſignum futurarum inimicitiarum , & certaminis dederat ipſe Lutherus,amitteret.Quod in iis libris,quum tibi erit otium,leges. Ais,quum nos pro corporali Chriſti ab his terris abſentia, articulum *Aſcendit in cœlos*,adducimus , vos contra remordere,illúmque nobis obiicere,*Sedet ad dexteram Patris*.Nimirum tu hos duos fidei noſtræ articulos inter ſe committis,quemadmodum Oſiander in Antiſturmio, Apoſtolos velut ſecum inter ſe pugnantes compoſuit,vt quo Spiritu ducaris,omnes intelligant,qui Sanctum Dei Spiritum ſibi ipſi contrarium facis. Ergo aut duos hoſce fidei noſtræ articulos tollas neceſſe eſt , aut in vnum confundas,aut interpretatione tua corrumpas,niſi ſic nobiſcum eos intellexeris,vt prior hic *Aſcendit in cœlũ*,locũ deſignet,in quẽ caro Chriſti recepta retinetur,vſque ad inſtaurationem rerum omnium,quemadmodum Petrus ait: poſterior autem ille,*Sedet ad dexteram Patris*,dignitatẽ & gloriã demonſtret,quã homo Chriſtus ſupra omnes Angelos beatos(nobis,& illis ipſis incomprehenſibilem)in cœlo adeptus eſt. Quamobrem occiſam ſapere plus multò ſuem,quàm ipſum te puto, Laonice,qui illa tam impia,& in Deum blaſphema ſcribere auſus fueris.Quin & hæc quoque quę ſequuntur,quàm ſunt impia,nimirum fidem non eſſe ſpiritualis Chriſti corporis manducationis cauſſam inſtrumentalem , neque ipſam ſpiritualem manducationem eſſe fidei effectum?Tantúmne vero iam eſt otij tibi,vt ipſum Chriſtum audire,Laonice,poſſis?Audi igitur illius verba ex Ioãnis6, quæ tu ad ſpiritualem carnis Chriſti manducationem,propriè pertinere,mecum fateberis, B Ait igitur Chriſtus,*Ego ſum panis ille vita,qui venit ad me,nequaquam eſuriet:& qui credit in me , non ſitiet vnquam.* Vidéſne igitur,vt Chriſtus ſe panem & potum illum cœleſtem eſſe affirmans , rationem,qua ſe edamus & bibimus,addat,hanc nimirum,*Si credamus*,id eſt,ſi fidẽ habeamus.Ergo fides in nobis illam ſpiritualem manducationem præcedat,vt cauſſa inſtrumentalis (& quidẽ vnica veræ Chriſti carnis manducandæ ac apprehẽdendæ)neceſſe eſt.Cur porrò,cũ idẽ Chriſtus Iudæis dixiſſet,*Caro mea eſt verè cibus:& ſanguis meus verè eſt potus*,multi tamen ex illis eam non manducarunt nec biberunt?Quoniam,vt ait ipſe,*non crediderunt*.Et Pauli verbis quid apertius?qui docet Chriſtum per fidẽ in cordibus noſtris habitare, ac per eã nos Chriſto cõcorpores fieri. Deniq; in quib. fides non ſit & Chriſtum,& Euangelium eſſe inutile Apoſtolus ad Hebræos teſtatur. Ergo præclarè Auguſtinus,*Fides eſt prima , quæ ſubiugat animam Deo,fidei ſimplicitate & ſynceritate nutrimur in Chriſto*. C Quod cùm negas,ſalutis æternæ rationem & cauſſas planè neſcire te oſtendis . Quod enim addis,*Credere & manducare*, ſono tantùm verborũ,nõ re & definitione inter ſe differre , ſed rem prorſus eandem eſſe,tam manifeſtè falſum & ineptum eſt,vt refutatione non egeat.Eſt quidẽ vnus & idẽ Chriſtus ,in quem credimus,& quem ſpiritualiter manducamus:ſed *Credere & maducare Chriſtũ*,neq; eſſentialiter,neq; formaliter(vt vocãt)propterea ſunt idẽ.Verũ iſte quatriduano ſuo ſcripto perturbare omnia voluit.Scripſi,nõniſi ſpirituali mãducatione,etiã in S.Domini Cœna ipſam eſſẽtialẽ Chriſti carnẽ mãducari poſſe.Itaq; in piis omnib.ad ſacra Cœnæ ſigna ex fide accedẽtib.& verũ Chriſti corpus ſumentib.cõcurrere ſacramentalẽ & ſpiritualẽ mãducationẽ.Quid veri⁹,ſi modò verũ eſſe Chriſti ipſius verbũ fateatur iſte Laonicus?Vera.n.& eſſentialis Chriſti caro vnica eſt, vnóq; modo,nẽpe fide mãditur,ſiue in Sacramento,ſiue extra Sacramẽtũ. Quod nunquã oẽs iſti refutare adhuc potuerũt,nec iſte quoq; quãtũuiſhîc inaniter garriat.Cęterũ quòd me mẽtitũ eſſe , in

pag.12.
pag.13.
pag.20.
pag.1.

pag.16. in Antiſturmio Oſiãdri.
Act.1.v.11
Act.3.v 21
Epheſ.4.v.10.
Heb. 7.v. 26.
Coloſ.3. v. 1.
pag. 15.
Ioan.6.v. 35.
verſ.55.
verſ. 64.
Epheſ.3.v. 6.& 17.
Heb. 4.v. 2.
Auguſt. Agone Chriſtia. cap.13.& 33.
pag.16.

Selnecceri loco citando,ſcribis,appares ipſe mentitus eſſe.Verba.n.ipſa Selnecceri oſtendũt,eũ de mãducatione carnis Chriſti,quæ fit in Cœna Domini,agere: nõ de mera ſpirituali mãducatione. Explicat.n.verba illa Chriſti, *Hoc eſt corpus meum: Hoc facite ad mei commemorationem*,quæ tu de Cœna Domini intelligenda eſſe,fortaſſe,nõ negaueris.Et quòd ad finem quædam, ſuo more omnia perturbans,Selneccerus inſerit de capite 6. Ioannis,illud tantùm & breuiter,& per digreſſionem fecit.Pręcipuus tamen illius ſcopus hic fuit, vt Lutheranos & noſtros ne in S. quidem Domini Cœna,quod ad fructum,& rẽ ipſam Sacramẽti, differre demõſtraret.Itaque tu,præceps ſcriptor,digreſſionẽ eius cũ primario argumẽto cõfundis.Et quoniã Selnecceri ſcriptis,vt video,delectaris,en tibi ex ipſius lib.qui *Confutatio Accuſationũ* inſcribitur, blaſphema verba,quę,quanta & qualia monſtra tua Vbiquitas parturiat, omnib. oſtẽdũt,

Selneccer in confutat. accuſ. pag. 227.

Chriſtus,ait, *viſibiliter ad mẽſam ſuã ſuo corpore aſſidet certo loco,& nihilominus Diſcipulis dat idem corpus inuiſibile & impalpabile,nõ habẽs viſibilẽ figurã.i.viſibiliter nõ longũ, non latum,non ſublime,non profundũ,non molle,nõ durũ,non albũ,non rubicundum,& tamen Apoſtolis datum. Quod etiam vt illi accipere poſſent, & accipere ſe ſcirent, Dominus adiecit corporis figurã,nẽpe panẽ, vt magnitudo panis,mollities,durities,& color eſſent iã figura corporis Chriſti.*Hęc ille,& pleraq; alia blaſphema,quæ commemorare horret animus, & quibus tetriora nullus vnquã Ieſuita vel Papiſta tranſſubſtãtiator dixerit.Quæ verò Laonicus à pag. 18. vſque ad 22.addit,ſeipſa ſatis refutant.Nam vbiq; principiũ(vt loquũtur in ſcholis)petit, qui ipſum ſacrum Chriſti corpus ore corporis edi ſentiat: & inter panẽ & vinũ Sacramenta, atq; panẽ & vinũ vulgaria alimenta diſtinguere non poſſit:imò etiã fore inanẽ Chriſti promiſſionẽ ſcribat, ſi infideles rẽ ipſam Sacramenti ſibi à Chriſto oblatã dicãtur recuſare poſſe.Quaſi vero iidem illi infideles Euãgeliũ ſibi oblatum non reiiciãt.Deinde quomodo Chriſti oblatio ſpreta erit inanis & otioſa, cũ ſit cauſſa,vt exitium æternum inde ſibi ipſi ſpretores accerſant?Appellãſne irritũ,Laonice, quod ita impios irretit in Diaboli laqueos: & quod tantã vim ad eorũ dãnationẽ habet,vt propterea pereãt?

Pag.22.

Scribis,Deũ eſſe,*in inferno,& cum diabolo*,idq; probari ex Pſalte poſſe putas.Cuius cùm nullũ locũ haberes,quẽ proferres,neq; etiã pſalmũ citaſti aut annotaſti.Nã quod Pſal. 139.verſ.8.fortaſſe in animo tunc habebas,oſtẽdit,te ne ſummis quidẽ labris,ſacrã ſcripturã attigiſſe,qui ſepulchrum (de quo loquitur illic Pſaltes)pro ipſo pœnarũ æternarũ loco(in quo ſunt diaboli)pueriliter, vt Papiſtæ,ſumas & confundas.Verùm fallor.Nã tu tuiq; infernum vbique ſtatuitis,etiam in ipſo beatorũ cœlo.Quod autem poſtea ais, *Deum ipſum excarnificare,& torquere diabolos*,miſer es & blaſphemus. Ipſa eorũ conſciẽtia eos torquet. Quare aut quæ ſic ſcripſiſti,corrige : aut te verè impium eſſe,Laonice,concede.Nec enim(abſit verbo blaſphemia) Deus eſt carnifex.Nugaris in *Pane Domini,& Pane Domino*,contra ſententiam Auguſtini explicando. Panẽ.n.Dominũ metonymice,tu μισότεχνος ῥητοδιώκτης,pro fructu corporis Chriſti accipi cõtendis, quaſi quũ fideles,de quib. agit illic Auguſt.Dominicũ corpus in Cœna S.ſumere dicũtur,fructũ tãtũ & efficacitatẽ carnis Chriſti cõmunicẽt,nõ etiã ipſammet verã & carnẽ & ſanguinẽ Chriſti participẽt,quod tu hoc loco negas.Sed quid tu, Laonice,inter tot & tanta tua negotia,vt ſignificas, de Auguſtini mente ſolicitus es,qui eũ ſtatim reiicis & modò periculoſè,modò durè,modò incõmodè ſcripſiſſe & locutũ eſſe narras?cuiꝰ operũ & librorũ ne ipſa quidẽ tegumẽta vnquã videris,ne dũ vt Auguſtini immenſa illa volumina, & tamen vtiliſſima legeris.Atq; huius rei fidẽ facit, quòd etiã in illo loco,quẽ vnicũ ex eo citaſti, annotãdo,te erraſſe,caſtigatio tui operis fatetur.Verùm in eodẽ loco tranſcribẽdo te falſum cõmiſiſſe res ipſa teſtatur,qui *Malus* pro *malum*,&,*in illis*(vt tuæ Vbiquitati locum illum accommodares)pro *illis* flagitioſè ſubſtituiſti.Ais te *Paulo, qui in tertio cœlo ſuam Theologiam didicit,plus tribuere,quàm Auguſtino*.

pag.23. 2.Cor.12. v.4.

Primùm,cur in tertium cœlum raptus eſt Paulus,ſi cœlum,vt vos Vbiquitarij & Brentiani vultis,eſt vbiq;?Deinde vbinã,obſecro,tuo errori vſquã fauet Paulus? qui explicãs quomodo panis ſacræ Cœnæ dicatur corpus Chriſti,ait,*Pànem, quẽ frangimus,eſſe κοινωνίαν corporis Chriſti*:

1.Cor.10. v.16.

nõ aũt ait, habere vnà ſecum coexiſtens & alligatũ ipſum eſſentiale Chriſti corpus,vti vos peſſimè docetis. Deniq; Paulus ſcribit,patres ipſos Mãna veſcentes, ediſſe ipſam Chriſti carnẽ:quæ cũ Mãna,in Mãna ſub Mãna,præſentiæ corporalis modo, nõdũ eſſe potuit,vtpote quæ nõdũ in rerũ natura exiſtebat. Verũ quã ſis hîc incõſtãs,vide tu Laonice,qui Auguſtinũ(quẽ periculoſũ ſcriptorẽ antea vocabas) patronũ tamẽ iã pro te,ſed fruſtra,adhibeas,quod ſic dixerit Auguſtinus,*Corpus & ſanguis Domini nihilominus erat etiam illis quib. dicebat Apoſtolus, Qui mãducat indignè,iudiciũ ſibi mãducat*.

Aug. li.5. de Baptiſ. cõtra Donatiſt.c.4.

Primùm, ſi voluero,dicã quod ex te didici,*Periculoſè ſcribit Auguſtinus*:ſed abſit,vt tã pio ſcriptori, & tã orthodoxo,& tuæ Vbiquitatis veriſſimo hoſti,tã impiè etiã maledicã.Audi igitur quid ex ipſomet Auguſtino & ex eo ipſo,quẽ ipſe trãſcripſiſti, loco reſpondeã.Vocat Auguſt.corpus & ſanguinẽ Domini,quod duab.lineis priùs appellauerat *Dominicũ Sacramẽtũ*.Ergo nõ dixit Auguſt.ipſum eſſentiale corpus & ſanguis Domini erat in illis indignis (quomodo tranſcripſiſti,locũ illũ corrumpẽs)ſed de Dominico Sacramẽto.i.de pane & vino S.Cœnæ ab indignis ſumpto loquens ait, *Erat illis corpus & ſanguis Domini*,propter ſignificationẽ nimirum illius panis & vinĩ ſacramẽtalẽ. Sic.n.idẽ Auguſtinus alibi,

Aug.lib. 8.Tri.c.4.

Illud corpus & ſanguinẽ Chriſti dicimꝰ,quod ex fructib.terræ acceptũ,& prece myſtica conſecratũ ritè ſumimus ad ſalutẽ ſpiritualẽ,in memoriã pro nobis Dominicæ paſſionis.Idẽ porrò ad Theodoreti locũ reſpondeo.

Auguſt.de verb. Domini ſecũd.Mat. ſerm.31. & tract. in Ioã.26.

Dicitur.n.Chriſtus corpus ſuũ dediſſe Iudæ,qnia,vt explicat Auguſtinus,Sacramẽtũ carnis & ſanguinis eius Iudas accepit, & buccellã panis Dominici edit:nõ aũt ipſum eſſẽtiale Chriſti corpus,quẽ panẽ Dominum vocat Auguſtinus,quod alij per fidẽ ſpiritualiter ſumpſerunt. Miratur eques iſte,& quærit,

Pag.24.

Quomodo eſſentiale corpus Chriſti præſentiæ corporalis modo à terris, abſens,à piis tamẽ in S.Cœna mãducari poſſit,etiãſi illi ex fide veſcãtur ſignis.Reſpondeo,Quomodo iidẽ in verbi prædicatione eãdẽ Chriſti carnẽ per fidẽ edunt?Eodẽ.n.modo,vt etiã omniũ illorũ doctiſſimus,Kemnitius concedit,caro Chriſti in S. Cœna præſens eſt,quo in ipſo verbo prædicato,& fide apprehẽſo.Verũ cur aliquid corporalis pręſentiæ

Kẽnitius in examine Tridẽt. Concil.

A tiæ modo abſens,fide tamen manducari & participari poſſe miretur Laonicus iſte, hæc cauſa eſt, quòd nullã carnis & ſanguinis Chriſti participationẽ aut pręſentiam eſſe poſſe,niſi carnalẽ,cogitat miles militiæterrenæ,ſecularib.reb.& carnalibus prorſus aſſuetus ac innutritus. pag. 25. Sed tandẽ à verbis ad verbera deuenit miles iſte & minitatur fore,vt,ſi illi moleſtus eſſe pergam , ipſum virũ eſſe ſentiam. Atqui ego,qui ex moribus & ore iudico,Eunuchum te(quia plurimum Eunucho Terẽtij,& illius locutionib.delectaris)eſſe crediderã. Ac niſi ancillę tuę partꝰ ex te cõceptꝰ, Nicodeme, aliud palam teſtaretur,adhuc in ea opinione perſtarẽ.Quid verò,frater violẽtiſſime(vt tibi aliquid de tuo Eunucho replicẽ)& eques leuiſſime, tã citò ex Sueuicis illis regionib. veſtris hos noſtros montes &Alpes equo Pegaſeo trãſuolabis:vt ſica, &bipẽni,illa quã intẽtas,Tenedia me obtrũces,ac trucides.Ego verò in Domino cõfido , qui me è **B** tuis manibus eripiet.Ergo Deus me tutũ aduerſũ te præſtabit.Cęterũ arguis me quaſiPauli locũ malè ſim interpretatus,quũ ex eius verbis colligo,indignos nõ ipſum corpus Chriſti edere,ſed tãtũ panẽ hũc.i.panem ſacramentalem,& poculum hoc, id eſt , ſacramẽtale bibere , & hĩc rhetoricaris Rhethodiocte,& Chriſti corpus cœlitus deſcẽdere in ſigna Cœnæ,ais, pag. 26.& 27. & quid ipſe reſpondeas tandẽ neſcis.Legãt pij lectores oẽs,illũ Pauli locũ,& me verũ dicere,ac Pauli mẽtẽ aſſecutũ eſſe:te verò & vagari,& eã euertere ſtatim percipiẽt.Itaq; plurib.iſta tua nõ cõfuto tã inepta.Porrò quod ais fieri nõ poſſe, pag.28. vt ſemoto corporalis carnis & ſãguinis Chriſti pręſẽtię modo,cũ ſignisS.Cœnę,nihilominus corpꝰ Chriſti adſit in ipſo Sacramẽto,falleris, Laonice:ſed inde erroris eſt tibi & aliis tuis Vbiquitariis occaſio,ꝙ nullã carnis Chriſti verã pręſẽtiã in Sacramẽtis,nẽpe Baptiſmo, & S. Cœna,eſſe putas poſſe,niſi corporalẽ:ac niſi ipſis ſignis res ſignata corporali ſitu ſit cohęrẽs,alligata, vt tu loqueris,& coexiſtẽs.Ergo corpꝰ & ſanguisDomini noſtri Ieſu Chriſti à ſignis abeſt,nõ aũt à Cœna.i. nõ abeſt à tota ipſa ſacramẽtali actione,& omnibus perſonis,quæ cõmunicãt.Nã fidelib.& dignè id eſt,piè ſumẽtib.pręſens adeſt per fidẽ, Nã hi in **C** hac actioneSacramẽtali,quę Sacramẽtũ dicitur,rẽ etiã Sacramenti recipiũt,ſed ſpiritualiter, non carnaliter:corde,nõ ore:pręſentis πνικῇ,non σωματικῇ: & propter promiſſionem,nõ propter rei cũ ſignis coexiſtẽtiã & cohęſionẽ.intellextin'igitur,Laonice,quod antea nõ poteras:& vidéſne *Sacramẽti* vocabulũ modò pro ſolo ſigno,modò pro tota Sacramẽtali actione ſumi,in qua verbi ambiguitate hĩc miſerrimè atq; etiã intẽpeſtiuè ludis? Vis poſtea vt te audiã: pag.29. age,vt tibi,Laonice,morẽ gerã,auſculto quid velis.Sed cũ rẽ dare nõ poſſis,das verba.Nihil.n.eorũ quæ dixi refutas, ſed tãtũ garris. Dicis.n.nõ ſic vbiq; carnẽ Chriſti eſſe , vt eſt in Cœna.Quis vnquam aliter ſenſit? Nã de eo minimè quidẽ quęritur,ſed quęritur,vtrũ in ipſa S.Domini Cœna adſit ipſa caro Chriſti,corporalis pręſentię modo,quo modo vos eã adeſſe cõtenditis, Luc.23.& Act.1. nos ex Dei verbo negamus.*Nõ eſt hic*,ait Angelꝰ: Ioan.11.& 13. itẽ alius ait,*In cœlũ receptus eſt.* Chriſtus ipſe ait, pag. 29. *Abeo ad Patrẽ meũ*:*Me ſẽper nõ habebitis*,& ſexcẽta huiuſmodi,quæ cõmemorare nihil neceſſe eſt.Ais *Etſi Chriſti corpus eſt in his terris,& in S.Cœna,nõ eſſe tamẽ in loco,in quo tãgi & videri poſſit*: Ibid. v.55 Vide quã mirus ſis artifex,Laonice,qui ex Sacramẽto iã miraculũ facis,vti quũ Chriſtus per mediũ Iudęorũ trãſiẽs, illis erat inuiſibilis,& tamẽ inter eos corporaliter verſabatur. **A** Aſcẽſionẽ ergo Chriſti in diſparẽtiã tãtũ corporis ipſius,ex fœdiſſimo Andreæ Muſculi errore & cœno cõmutas.Deniq; hac ratione Docetarũ & Marcionitarũ hæreticorũ errorẽ teterrimũ de imaginaria Chriſti carne,nobis ex ipſis inferis reuocas.Atq; etiã Auguſtino(quẽ pro te nuper vt teſtẽ πιϛὸν laudaſti)iã repugnas. Auguſtin. li.3. Trin. Sic enim ille, *Hæc*,de Sacramẽtis noui Teſtamẽti loquẽs,ait,*honorẽ habere poſſunt vt religioſa: ſtuporẽ aũt habere,vt mira nõ poſſunt*.Ergo Chriſtus aſcẽdit in cœlũ.i.ex hac interpretatione tua, Chriſtus verſatur quidẽ adhuc in his terris, ſed iã inuiſibilis factꝰ eſt.Quæ quã ſint blaſphema,videt oẽs.Sed vt tuę Helenę Vbiquitarię placeas(vt ille apudTerẽtiũ Thraſo ſuę Thaidi)quęlibet,etiã tua nobilitate indigna, effutire nõ recuſas.Dicis nos eſſe *Locularios*,quia cum ipſa rerũ veritate,& cũ Auguſt. totáq; orthodoxa vetuſtate ,veris corporib.locũ tribuimꝰ. Deũ deniq; ipſũ irrides,qui hoc corporũ etiã glorificatorũ à Spiritib.diſcrimẽ cõſtituit,ac permanere voluit,vt corpora carnẽ & oſſa habeãt,& in certo loco vel *vbi*,ſint circũſcripta,adeo vt ſi nuſquã ſint, nec ſint. Luc. 24 v 27. Imò etiã Chriſti corpus poſt ſuã reſurrectionẽ habuit paſſionũ ſuarũ,vulnerũ, & clauorũ infixorũ veſtigia, Ioan.20. v.27. vt ex Dei verbo Athanaſ.& Ambroſiꝰ docuerũt,& aduerſus vos Suenckfeldianos vir ille nũquã ſatis laudatꝰ,Ioachimꝰ Vadiamꝰ rectè poſtea demõſtrauit. Vadianus aduerſus Schuenkfel. Quod verò addis,*Nos certo cœli loco includere & alligare Chriſti corpus*,tralatitiũ & cõmẽtitiũ eſt,nõ tuũ. Pag.30. Nã Chriſtũ hominẽ, & ipſiꝰ corpꝰ in cœlo eſſe,vti Regẽ in auguſtiſſima ſui regni arce,ampliſſimo domicilio , palatio, & aula,ex Dei verbo docemus,in quo liberè,ſi velit(nec.n.meũ eſt,nec tuũ iſtud quęrere) cũ infinitis electorũ Angelorũ,beatorũq; Spirituũ in idem cœlũ receptorũ millib.ſpatietur, Iud. Epiſt. v.14. *illi.n.ſequũtur Agnũ*.i. Chriſtũ hominẽ,*quocunq; ierit*,vt ait diſertè ipſe S. ſanctus, Apoca.14 v.4. cui potiꝰ credo,quã tibi , tuíſq; omnibus Vbiquitariis, imò quàm omnibus hominib. Verũ & hanc meã ſententiã Hieronymus & Auguſt.manifeſtè cõfirmãt , Hierony. cõtra Vigilã. Aug. lib.2. de Symbolo.c.12. vt me antiquitatis auctoritate nequaquã deſtitui etiã in eo intelligas. **C** Quam tu tamen nullam quoniam nimirũ iſta tuaVbiquitaria doctrina noua eſt,pro te,proferre potes,multóq; minus vllũ S.ſcripturę locũ. Porrò quid ſomniabas,mi Laonice,dũ ſcribebas,*Corporis veritatẽ nõ tolli,ſi dicamus & credamus vno tẽpore Chriſtũ ſuo corpore in omnib. illis locis eſſe & exhiberi: vbi Cœna diſtribuitur*? Audi mi homo.Si plurib. in locis vnum & idẽ corpus ſimul eſſe poteſt,poteſt ſimul eſſe vbiq;:ſi vbiq; ſimul eſt,nuſquã eſt: & quia nuſquã eſt,nec corpus eſt : *Tolle ſpatia corporib.* inquit Auguſt.*nuſquã erũt,& quia nuſquã erũt , nec erũt*.Hãc cõſequutionẽ veriſſimã eſſe,agnoſcũt etiã ipſi ſcholaſtici Trãſſubſtãtiatores,ad quos te,quũ tibi erit otiũ,remitto.Cęterũ quòd Vbiq; tu Vbiquitarius cõfundis iſta duo,*Chriſtũ hominẽ*,& Chriſti *carnẽ & ſanguinẽ,ſeu humanã naturã*,imperitè & ignorãter facis.Hominis.n.vox in Chriſto eſt perſonę:Carnis aũt eſt in eodẽ,naturę tãtũ ſignificatio.Ergo Chriſtũ hominẽ vbiq; eſſe concedimus, quia hypoſtatica naturarũ vnio in Chriſto nũquã diſſoluitur,ac ne quidẽ quũ eſſet Chriſti corpus in ſepulcro,& anima in paradiſo.Naturã aũt ipſã humanã Chriſti eſſe vbiq;,negamus.Quæ diſtinctio & veritas abs te nõ percepta infinitos tuos tuorũque gryphos diſſoluit. Pag.31. Quod aũt *Vbiquitatis*.i. Helenæ tuæ te pudet,te dignũ facis , quẽ etiã proprij

A nominis in hoc ſcripto puduerit. Vocas nos, *Artolatras*, potuiſti nos, vt cōuitiorū tuorū numerū impleres, Miluios appellare, & te Erucā. Quî verò nos Artolatræ .i. panis adoratores, Laonice, qui ne ipſā quidē Chriſti Domini noſtri carnē, ſi à λόγῳ ſeparata re ipſa eſſet, adoraremus, quia creatura eſt. Dicis nos te cū vnà carnē Chriſti edere, ergo eſſe σαρκοφάγους. Reſpōdeo. Nō appellari à nobis σαρκοφάγους eos, qui verā ipſā Chriſti carnē per fidē mādicāt: ſed qui, Capernaitarū more, eā ore & dētib. corporis à ſe mādi cōtēdūt, quod vos, & Papiſtæ fraterculi veſtri, facitis. Quod aūt ad infinita illa conuitia (quę, vt nos orthodoxos, meritò dānare videreris, ſolito animi morbo nō iudicio, in nos euomuiſti) & ad tuas illas de ouiculis & paſtorib. falſas diſtinctiones, quas à pag. 32. vſq; ad pag. 36. laborioſè quidē & prolixè, ſed fruſtra perſequeris, hoc vnū iā reſpōſum à me accipe, quod tibi proſit, pręter ea, quæ in poſtrema mea ad inſidioſū Oſiādri ſcriptū reſpōſione probaui (ad quę te reuoco.) Qui orthodoxos ſic temere & ferociter dānāt, qui ſic blaſphemāt, qui ſic à veritate deflectūt B vt tu hic facis, tādē in ipſo corpore ſuo ſenſuros eſſe iuſtū Dei iudiciū. Cuius rei vnū hoc tibi ex vera veteris & Chriſtianæ Eccleſiæ hiſtoria narrabo. Oſius ille Cordubenſis Epiſcopus (cuiꝰ apud pleroſq; Chriſtianos, Cōſtātij Imperatoris Cōſtātinopolitani tēpore magna autoritas fuit) cùm in Sardicēſi cōcilio Ioannes Vaſſæus in Chronicis pa. 526 Arrianę impietati cōſēſiſſet, & Cordubæ Gregoriū Eliberitanū Epiſcopū huiuſmodi blaſphemiæ repugnātē ipſe pro faſtu Oſiano & aulico damnaturus in throno ſuperintēdētis, ſeu Epiſcopali cōſediſſet, in eāq; ſuā ſentētiā cōdēnatoriā Clemētinū Cordubæ prefectū etiā adduxiſſet, quo tēpore erat talē ſentētiā pronūtiaturꝰ, ſtatim ore diſtorto, ceruice inflexa ac de throno in ſolū decidens (miro Dei iudicio in vos oēs viros cōdēnatorios edito) illic miſerè expirauit, Atq; hęc nō ſunt, Laonice, fabulæ, nō cōuitia: ſed res geſta. Quod Oſij viri Epiſcopi aulici exēplū ad te, & tuū Oſiādrū cōcionatorē aulicū pertinet, ꝙ illi vt tēpeſtiuè ſuggeras, etiā atq; etiā rogo. Nā honorichi Vvādalorū, & Hermerici Sueuorū Regis, cū vterq; orthodoxos exiliis mulctaſſet, qualis, & quā tragicus fuerit exitus, quid attinet dicere? quia tu leges iſtā hiſtoriā, cū tibi tantū erit otij vt reb. hone C ſtis vacare poſſis. Cæterū quod tu pag. 37. & alibi me pag. 37. probè *Pergulā* mētitū eſſe ſcribis, penè demiſiſti gladiū in gulā, vt ait ille, ſi vera dixiſſes. Verū tu melius, & phraſi latina (quā habet Cicero in oratione pro A. Cluētio) reſpōdere debuiſti: quā, quoniā ignoras (proculdubio.n. hîc addidiſſes) eā ipſe reſpōdēs, te docebo, Magnū eſt, & impudēs mēdaciū. quid ais, Laonice? Ipſe tu, nō ego, falſariꝰ apertè deprehēderis qui (te ipſo teſte) hîc neges, quod res eſt. Dixi.n. abs te, & tuis, Gallicas, Anglicas, Belgicas, Polonicas, Scoticas, & alias oēs orthodoxas mūdi Eccleſias dānari hęreſeos, dū eos, qui earū doctrinā profitētur, propter eā ipſā doctrinā in exiliū eiicitis. Hoc poſtremū de exilio tu veriſſimū fateris eſſe. Nónne.n. ipſe hîc ſcripſiſti. nō ſolū noſtrū dogma, ſed etiā noſtras perſonas .i. eos oēs, qui illud docēt, re vera ab Oſian pag. 5. dro, & à veſtræ illius factionis Sexuiris velut hæreticos iudicari & proſcribi? Quomodo igitur mētior qui quod ipſe fateris eſſe verū affirmo? Tu igitur potiùs mētitus deprehēderis, qui ſciēs & prudēs id neges, quod verū eſt, & tua ſcripta cōfirmāt. Profectò illud eſt, quod habet prouerbiū vetus, ἀσυλλόγιστον καὶ προπετές ἐστιν ἡ πονηρία, & improbus improbè cōuitiatur. Nā qui ſic & viuit & ſentit, vt tu, Nicodeme, aliter, atq; tu, loqui nō poteſt. Sed nō his in me cōuitiis cō- A tentus, *Sceleratos perturbatores, & factioſos homines* vocas, quos nō ipſi illuſtriſſimi Principes Germaniæ, ſed tui, tui, inquā, quidā Sexuiri è ſcholis, è patria, ex Eccleſiis (gregib. ipſis inuitis & gemētib.) eiecerūt. Atqui cōuitiū iſtud tā graue in tot viros bonos & pios à te, prę animi impotētia, virulēter eiaculatum probādū tibi eſt, Laonice, nec illud impunè, ſi perſtiteris, feres. Quod ſi, quātū in ſyluis audacia poteſt tātū in iſtis cōtrouerſiis valeret impudētia: certè plenā victorię ſpē facilè ex teipſo cōciperes, qui tot bonos viros tā horribiliter audes calūniari. Verū his tuis tā manifeſtis cōuitiis nō reſpōdere, vincere eſt. Ergo pergamus. Dicis, *Principib. veſtris liberū eſſe, aut* pag. 38. *Pōtificē, aut Lutherū audire.* Hoc quum dicis, quid ſit Chriſtianū eſſe, ad hūc vſq; diē, vt video, ignoraſti. Cū.n. Illuſtriſſimi Germanię Principes (qui Proteſtātes appellātur) ſint Chriſtiani: iis certè neq; Pōtificē neq; Lutherū, neq; aliū quēquā ψιλὸν hominē ſequi B & audire liberū eſt: ſed vnū modò Chriſtum, verè Deū & verè hominē, vnicū doctorē noſtrum à Patre de cœlo miſſum, de quo ſolo dixit loquēs, & quidē de cœlo, Pater, *Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum* Matt. 17. v. 5. *audite.* Cū.n. pretioſo Chriſti ſanguine redēpti ſimꝰ 2. Pet. 1. v. 17 nos Chriſtiani, vetat Paulus ne fiamꝰ ſerui hominū. 1. Co. 7. v. 32. Cęterū illud admodū ſum miratus, & mecū pij oēs, qui tuū ſcriptū legerūt, quòd tā præcipiti animi perturbatione, in hac tua Vbiquitate, quo iure, quâue iniuria defēdēda, fueris abreptus, vt etiā probares Satanicā illā Synagogā, quæ Cōſtantiæ duos Euangelij Apoc. 11. v. 3. 4. & 5. Chriſti teſtes, duas illas oleas & cādelabras (vt vocat S. ſanctus) Ioan. Huſſiū nimirū & Hieronymū Pragēſē crudeliter extinxit, Hāc te cōiurationē impiorū Vniuerſale cōciliū appellare? Deniq; cōdēnatio- pag. 23. ni cœleſtis doctrinę ab ea ſynagoga factæ túne acquieſcēdū putas? Satin' ſanus es, Laonice, qui hęc publicè edas & dictites? Atqui illa ipſa ſynodus Cōſtātiēſis, vt & Tridētinū cōciliū, ſi ita vocas, cuius do- Tridēt. Synodꝰ ſeſs. 3. c. 3. cā. 4. ctrinā tamē Kēnitius tuus, vt ſcis, magno volumine cōfutauit) tuā & cōſubſtātiationē, & hypoſtaticę naturarū vnionis definitionē, atq; Vbiquitatē manifeſtè dānāt. Cur igitur tā cęcus es & temerarius, vt illa ipſa probes, quę manifeſtè temetipſū euertūt? Porrò ad illud, quod tā anxiè quæris, *Annō ſingulis Germaniæ Principib. licet in ſuis Eccleſiis, Synodos agere, ibiq; cū Caluiniſtis diſputare?* iā in Antioſiādro reſpōderā. Pri- Antoſiandri pag. 53. C mū, illud ipſum nos optare, & à vobis obnixè petere, vt nobiſcū legitima Synodo placidè diſceptetis, atq; de hac doctrina cōferatis. Illud aūt Dominorū Superintendētiū, & Diotrephū veſtrorū cū ſuis aſſeſſorib. in ſingulorū Principū ditione cōuētū reſpondimus, neq; parē eſſe vniuerſæ Eccleſiæ orthodoxæ autoritati, & Synodo: neq; de dogmate & articulo fidei cōtra reliquarū Eccleſiarū, præſertim inauditarū, cōſēſū definiri poſſe. Itaq; qui cōuētus à paucis aliquot ſolis veſtris, Torgæ, Bergæ, Vvittebergæ, nuper acti ſunt & habiti, & nūc fortaſſe aguntur, ne Mericæ quidē & Nationalis Synodi nomē merētur & autoritatē habēt: nedū vt pro vniuerſali totius reformatæ Eccleſiæ Synodo & decreto habeātur. Ergo nullū nobis inauditis præiudiciū afferūt: quēadmodū in Antioſiādro luculēter demōſtraui. Sed tu pag. 40. 41. 42. 43. 44. 45. totis ſex paginis integris nullū nō lapidē moues, nullā nō calūniā in nos fingis, nullā nō autoritatē tibi, tuíſq; tribuis, deniq; ſudas, & ęſtuas: refutare tamen quod dixi, nequaquā, Laonice, potuiſti: tā eſt nimirū aduerſus oēs tuos errores potēs Dei verbū, & veritas, qua in tuēdo legitimo Synodorū iure & autoritate ad-

A te aduerſ⁹ priuatas veſtras de nob. cōdēnationes, Pag.41. vt vides,nitor. Nā ꝙ ais,apud vos à pueris quadrimis Anabaptiſtas, & Schēcfeldianos hæreticos refutari,certè illi pueri ſũt lōgè teipſo, atq; Sex illis tuis Theologis(qui tamē inter veſtros cēſētur columnę)doctiores,vt pote qui,quoniam Eutychetis ſeu Schuēckfeldii errorem cōfutare nō potuiſtis, in eũ cōſenſiſtis.Nā in Vbiquitate ſtabiliēda,& in deificāda,ac λόγῳ exæquāda Chriſti carne,eſtis eũ ambabus manib.amplexi. Quod autē ad marginē pag.42.addidiſti,quaſi dixerim, *Quòd ſine vniuerſali Synodo nemo ſit dānandus*,hîc, vt in aliis quoq; mei Antioſiādri partib.nō ſatis euigilaſti. Neque enim dico *Neminem*, quod ad ſingulos pertinet, ſed dico *Nullũ dogma*,manēs inter ipſas Dei Eccleſias controuerſum , ab vna duntaxat Eccleſia,& parte altera inaudita,dānari debere,ſed à tota Dei Eccleſia in Cōcilio legitimo, & orthodoxo generali id fieri oportere. De vocabulo autem *Superintendens* (quod tu,ex meo in Poucheniũ loco admonitus,in *Superattendens* iam mutaſti) & il- B lius origine:quod itē de pinguib.& nitidis culinis (in quib.verſaris)de Berēgarianis,de Satana Caluinico ſcribis,tā ſunt ea omnia & falſa, & inepta,vt ſeipſa ſatis refutēt. Atq; tu ipſe , niſi ea ſale profano,& carmine(quod à furiis Vergilianis didiciſti) cōdidiſſes,inſipidũ prorſus futurũ eſſe pręuidiſti. Contra verò vide,qualis ſit ſpiritus noſter,quem Caluinicum inuidioſè appellas,Laonice.Pro illo enim tuo,

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres:

En tibi primùm ex eodem Vergilio reponimus,& ex animo quidem,

Nulla ſalus bello,pacem te poſcimus omnes.
Bella vides,quantos primus patiare labores.

Deinde iſtis quoq; addimus,hæc & potiora, & ex Dei verbo veriora,vt intelligas qualis ſit Caluiniſtarum(quos vocas)animus. ſPal.133.

Quàm bella res eſt,& quàm amabilis amor
Fraterna iungens pectora?
Non balſamum illi conferas,cuius nitet
Vertex Aronis vnguine,
C *Fragranti odore barbam,& auream togam*
A ſummo ad imum proluens:
Non roris vber,Hermonis herbidi iuga,
Iuga & Syonis inebrians.
Námque hîc benigna ſummus effundit manu
Pater vſque & vſque opes ſuas.

Vides igitur qualis ſit & quàm pacificus, & à Patre pacis,Deo optimo maximo,Patre luminũ profectus is Spiritus,qui nos gubernat. Quid igitur huic paci,quā quærimus,obſtat?Certè illud,quod verè hîc cũ Gregorio magno,& magno cũ gemitu de vobis & nobis dicimus, *Peccata noſtra barbaricis*, nempe Turcicis,*viribus ſociamus, ad cōpeſcendos mũdi motus pacē quærit Eccleſia.* En igitur corā vniuerſo mũdo teſtamur,quis ſit & quàm deſiderās pacis animus noſter,ſi tu miles,tuíq; eā nobis Pag.45. cōcedere & vultis,& poteſtis.Cæterùm quod toties inculcas,*Religionē Anglorũ,Gallorũ,Belgarũ nihil ad vos pertinere*,certè & inhumanũ eſt,& minimè Chriſtianum. Nónne ſi veſtri Chriſtiani ſunt, Chriſti corporis ſũt mēbra,Laonice,quæ eſt vniuerſa reformata,nō autē tantùm vna Germanica Eccleſia?Quid igitur illud Iacobi à te initio huius tui libri citatũ,non ad omnes Chriſtianos,ſed ad ſolos eos pertinere putas qui eidē Prīcipi Germaniæ ſubiiciũtur ? Iacob.5.v. 9.10. *Fratres,ſi quis inter vos aberrarit à veritate,& cōuerterit eũ quiſpiā,ſciat eũ,qui peccatorē auerterit ab errore viæ ſuæ,ſeruaturũ animā à morte.* A Sũt tibi tā viles pretioſæ illę piorũ animę,pro quibus ipſe Dei filius Chriſtus mortuus eſt,vt earũ ſalutē nihil ad veſtros pertinere cēſeas?Quàm lōgè alio ipſe ſpiritu duceris,atq; ſelectũ illud Dei organũ,Paulus?Ille.n.vehemēter ſe gaudere teſtatur, Philipp.1. Coloſ.1. 6. quòd veritas Euāgelii in totũ mũdũ peruenerit. Tu eā Dei gloriā,quæ eſt extra Ducis Vvirtēbergici prouinciā, nihil ad te pertinere dicis. Quàm lōgè ab ipſo iā Oſiādro (pro quo pugnare videri vis)diſſides tamē? Nam ille nuper Epiſtolam ad Gallicas & Belgicas Eccleſias ſcripſit,quòd & Gallorũ,& Belgarũ fidē ad ſe ſpectare iudicaret.Quātũ etiā à tuo Gerlachio,qui tecũ viuit,diſcrepas ſētētiâ?Ille.n.vt ipſos adeò Græcos ad Vbiquitatis doctrinā cōuerteret, Cōſtātinopolim vſq. profectũ ſe ſcribit.Ergo vel cũ tuis cōſēti,Laonice, vel cōmunē cũ iis cauſſā tueri deſine videri velle. Cæterùm quod de variis noſtrorũ cũ veſtris colloquiis,Marpurgi,Heidelbergę,Maulbrũnę habitis, In Antioſiād. pag. 73. & 74. B dixi,Theologos noſtros in nulla collatione vnquā victos,imò caten⁹ victores diſceſſiſſe,vt & Lutherus ipſe,& veſtri,mitigādas eſſe ſuas locutiones ,faterētur,nō refutas,quicquid pag. 46. & ſequētib.vſq; ad 51.ęſtues.Neq; etiā quod ex ipſiuſmet Lutheri ſcriptis probaui,& è Sueuico Syngrāmate(cuius proculdubio fuit autor Brētius, nōdũ primatũ Germaniæ affectās,ſed æquus & ſuo gradu adhuc cōtētus)adduxi.Itē quod oſtēdi,Lutherũ vſũ eſſe in hoc de Cœnæ argumēto explicādo, voce *Significādi*,eo ipſo ſēſu quo nos facimus,& veſtros nobiſcũ cōſēſiſſe,id negare neq; potuiſti,neque in æternũ,quādiu illa ſcripta extabũt,poteris, Pag.51. qnoniā illa te refutabũt.Porrò in eo quod ais,Noſtrā de Cœna Domini ſētētiā cũ pōtificia opinione.i.cũ Trāſſubſtātiatione cōcordare, in eo certè me miſertũ eſt tui,qui tā apertè ſētētias ἀντικειμένας ex animi cæcitate cōfũdas, & ignē cũ aqua miſceas. Ergo q̃d ſētias ipſe,video te nō intelligere.Nā nō vides ipſā Cōſubſtātiationē(quā vos Vbiquitarii oēs tuemini)ab homine Cardinali,& Pōtificio, C Petro de Aliaco,inuentā eſſe,atq; etiā eſſe ex manifeſtis fōtib.Pōtificiis de Trāſſubſtātiatione erroris profectā,illíq; ſimillimā.Illud modò diſcrimē inter vtrũq.(.i.hũc veſtrũ de Cōſubſtātiatiōe, & illũ pōtificiorũ de Trāſubſtātiatione)errorē apparet,ꝙ Pōtificius error & minus abſurditatũ atq. blaſphemiarũ habet,q̃ veſtra Vbiquitas:& ad verba ipſa Chriſti(ſi modò in Sacramēto Sacramētalis locutio locũ habere nō pōt)propiùs certè quidē accedere videbitur.Abſit tamē,vt ille in verbis Chriſti vllũ habeat,vti nec veſter,fũdamētũ. Porrò Ieſuitā quēdā Ingolſtadiēſē cōtra veſtrā Vbiquitatē iāpridē ſcripſiſſe cōquereris. q̃dni verò ille faceret,Laonice,& illũ errorē Eutychianũ pro virili euerteret,cui⁹ etſi Sathā autor eſt, ipſũ tamē Sathanā tā fœdi erroris iā manifeſtè pudet?Quod vel ex eo apparet,quonia iſtā Vbiquitatē tātopere antea à vobis adamatā,nũc apertè vos repudiatis ac horretis.De Lutheri cũ Zvvinglio ęquitate, poſt colloquiũ Marpurgenſe,de concordia inter Lutherũ & Helueticas Eccleſias per pię memorię virum , Dominum Bucerum conciliata , qnod ſcripſi,vti veriſſimum eſt,ita nequaquam refutas, Laonice:ex eóque intelligis , vti tu,tuíque (qui Lutheri diſcipuli & imitatores videri vultis)

A longiſsimè ab illius viri æquanimitate & humanitate diſcedatis:& nihil Lutheri, niſi nimiã eius fortaſſe bilẽ,quã ipſe tamen deteſtatus eſt,id eſt,nihil aliud quàm vitia Lutheri(fuit enim peccator Martinus Lutherus)nobis repræſentetis & recoquatis. Cæterùm quũ diuinum illum virũ, totius Germaniæ lumen,præceptorem omniũ veſtrũ , Philippũ Melanchthonẽ,qui primus Germaniam ex puerilibus Grammatices elementis(quę antea duntaxat nouerat)ad ſummam eruditionis laudem euexit, quum,inquam,talem tu virum & *ignorantiæ*,& *impij metus* damnas,quàm te impudentem,quàm ingratum , quàm ipſe te impium prodis , qui neque præceptoris tui,neque mortui hominis manes & oſſa in Chriſto placidè quieſcere,prę animi tui impotentia,ſinis?Quid tibi dicam? Quem tibi Chriſtianorũ,quem profanorũ virorũ obiiciam ? Saltẽ M.illum Tullium Ciceronem,cuius eloquentiam adumbrare videri vis:& maximum illũ Macedonum Regem Alexandrum, quia nobilem & equitem te eſſe ſcribis , imitare,quorum vterque ſuos præceptores impenſè & laudibus & omnibus honoris generis cohoneſtauit.Alexander quidẽ,Ariſtotelem: B Cicero verò,Poetam Archiam. Verùm imbrem hîc in cribro geſtas. Nã nemo tibi lucẽ tenebras vocanti credet.Sed,vt ſimilis tui eſſes, hoc præclaro ſcilicet colophone,& impio conuitio in Philippum,primam illam tuarũ in me calumniarũ partem claudere voluiſti. Minùs iam moleſtè fero igitur,me hominem extraneum omni probrorum genere abs te immeritò proſcindi,qui ne à præceptore quidẽ olim tuo,& viro illo grauiſsimo Philippo Melanchthone , vel nunc à viro clariſsimo Ioanne Sturmio, Germaniæ φωςῆρον abſtinueris. Itaque quemadmodum à cõuitiis librum tuũ orſus es, ita in conuitia deſinis , vt ſit dignum videlicet patella operculum.Quam primi tui συλλεπτικῦ ſcripti partem,quia facilè & verè, vt vides , confutaui ad alteram,quæ poſtrema eſt,accedo.

Ad ſecundam Laonici Spongiæ partem, Lamberti Danæi reſponſio.

C PRimùm omnium repetit Laonicus noſtram de S.Domini Cœna doctrinam, quam quia partim verbis ambiguis obſcurat , partim quibuſdam à ſe additis interuertit,en ipſe breuiter eã repræſento. Verùm hîc anteſtari libet, quod contra Ioannẽ Cõſtantinopolitanũ(nimium iam aulicũ Epiſcopũ,& propterea primatũ Eccleſiæ affectãtẽ)verè ad Mauritiũ Imperatorem ſcripſit Gregorius primus, *Non cauſſa mea,ſed Dei:non ſolus ego , ſed tota turbatur Eccleſia : veneranda ſynodi pompatici cuiuſdam ſermonis* (veluti de Maieſtatico Chriſti corpore) *inuentione turbantur.* Quid igitur vniuerſi orthodoxi de ſacra Cœna ſentiamus,en tibi, Laonice, iterum repeto atq; ſuggero.Ipſum quidẽ & eſſentiale Chriſti corpus,& ſanguinẽ in S.Domini Cœna à ſolis piis, & ex fide pane & vino illo veſcentibus, ſpiritualiter manducari:itaq; Chriſtũ ipſum,etiã quatenus homo eſt,affirmamus piis in ſua Cœna verè quidem, ſed non corporalis præſentiæ modo,adeſſe:panem autẽ illũ & vinũ illud eſſe vera ſigna & ſigilla illius eſſentialis carnis & ſanguinis Chriſti, proptereáq; metonymicę carnẽ & ſanguinẽ Chriſti vocari, nõ autẽ eſſe ipſummet eſſentiale Chriſti corpus & ſanguinẽ. Quare verã carnẽ & verum ſanguinẽ Chriſti A in hoc S.Cœnę Sacramento,id eſt,totius actionis & ipſorũ fideliũ reſpectu , ſacramentali & pactionali præſentia,præſentẽ adeſſe dicimus : cum ipſis autẽ Cœnæ ſignis,in ſignis,ſub ſignis, quæ etiam Sacramẽta nominãtur , corporalis præſentiæ modo aut cohęſione,aut alligatiõe,vt vult Laonicus,aut coexiſtẽtia reali adeſſe certè pernegamus. Hæc ſentẽtia, plana eſt,& perſpicua,neq; vllam in verbis aut ſenſu ἀντίῤῥητον habet,qualẽ tamẽ in ea videri vult Laonicus.Sed variã vocis huius, *Sacramẽtum*,ſignificationẽ ille nõ percepit, & ſẽper in hoc argumẽto Sacramentũ , quũ ſumitur pro ſigno & Pag. 55. pro tota actione cõfundit. Hanc autẽ noſtrã cum Dei verbo,vt ſępe probauimus,maximè cõſentiẽtem doctrinam ex nouis Vbiquitariorum cõmentis in Antiſturmio refutare tentauit Oſiander , & octo quaſdam leues machinas in acie inſtruxit: eas ego,quia leues erant, in Antioſiãdro facillimè deieci,& ita tum ex ipſo Dei verbo, tum ex patribus euerti,vt ne ipſe quidem Oſiander eas erigere poſtea ſit conatus.Itaque ceſsit,& ſe victum iam apertè ſua taciturnitate confeſſus eſt. Quid igitur reſtat,niſi vt Domino Deo laudes , & epicenia de tã B præclara victoria concinam , & ſic omnes adhortans,frequenter ingeminem,

Victori cantate Deo,cantate triumphum.

Nimirũ vnus tu,Laonice,te huic Dei laudi opponis,& interſtrepis vt anſer ſylueſtris, & plenum iſtius pacis & victoriæ fructũ ipſi etiam Dei Eccleſiæ adimere cogitas.Sed,Domino fauẽte , nõ fiet. Quid enim affers,cur mea refutes? Ineptis planè, & nihil niſi quod millies iam ſit cõfutatum, dicis. Itaque nulla mea reſponſione egebat iſta tuæ quatriduanæ Spongiæ pars : ſed ne miles togato mihi inſultares,en tibi ad omnia, quæ magno labore & fruſtra conquiſiuiſti, argumenta breue reſpõſum. Primùm ais me non totidem ſyllabas deſcripſiſſe, Pag.56. quot in ipſo Oſiandri ſcripto extant. Quis ſe vnquã huic legi alligauit,modò ſenſus & mens integra ſeruetur? Ac ne ipſi quidem Euangeliſtæ in citandis Veteris Teſtamenti locis.Auguſtinus multos C hæreticos confutauit , multos Hieronymus: vbi ſibi hanc tam ſeuerã & iniquam legem vllus eorũ vel ſibi,vel alii indixit?Ac ne tu quidẽ in meis recitandis eam tuam legem ſeruas, qui nec mentẽ, nec verba mea recites & tranſcribas. Sed neq; debes ſolicitus eſſe de verbo , vbi ſenſus eſt in tuto: niſi quod ipſe,vt paginas impleres,& nos tuo ſcripto onerares,ea tranſcribis,quæ nihil erat neceſſe. Dum tu autem hîc me reprehendis,ipſe vbique paralogiſmum eum committis,qui dicitur in Scholis αἰτεῖν τὸ ἐν ἀρχῆ quod probandi & reſpondendi genus eſt omnino vitioſiſsimum. Sed age ſingula tua breuiter perpendamus.

Prima & fortiſsima Oſiãdri machina pro corporali carnis,& ſanguinis Chriſti *in*,*ſub*, *cum* pane & vino S.Cœnæ pręſentia,hęc fuit: Quia Chrſtus diſtribuẽs panẽ & vinũ in Cœna ſua dixit *Hoc eſt corpus meum,hoc eſt ſanguis meus*,ergo ipſummet Chriſti corpus eſſe in,ſub,& cú pane illo pręſentia corporali.Negaui verò iſtã conſecutionẽ.Nã quũ panis ille,& vinũ illud Corpus & ſanguis Chriſti dicũtur,illa nõ ſimpliciter, ſed Sacramẽtaliter ſic appellantur. Sacramentale autem corpus Chriſti non eſt ipſummet & eſſentiale Chriſti corpus.Ergo propter ipſam panis & vini appellationem,ne

qua-

A quaquam efficitur ipſum, & eſſentiale Chriſti corpus cum iis ſignis realiter adeſſe. Quid tu ad hæc? Dicis illa Chriſti verba eſſe ſumenda κατὰ τὸ ῥητὸν, non κατὰ διάνοιαν. Principium verò in eo petis, mi Laonice, & fortaſſe nondum tibi otium fuerat, quid iſtud rei ſit, diſcere à Dialecticis. Veruntamen vt tuam illam ſententiam de ῥητῷ falſiſſimam eſſe oſtendam, dico, hanc Chriſti phraſim, *Hoc eſt corpus meum*, eſſe eodem modo accipiendā, quo dicitur à Paulo, *Petra erat Chriſtus*: à Moſe,
1. Cor. 10. v. 4. *Agnus erat trāſitus*: à Deo, *Iris eſt fœdus Dei*, vbi
Exod. 12. διάνοια, non τὸ ῥητὸν, ſequenda eſt. Hiſne tot teſtibus
Geneſ. 8. contentus es, Laonice? Verùm perge. Dixi ex
Auguſti. li. 3. Doct. Chriſt. ca. 16. Auguſtino, ſcelus & flagitium à Chriſto præcipi, niſi tropicè verba illa interpretemur. Dixerat enim Chriſtus, *Accipite, manducate*. Quid tu verò, mi homo, hîc tātopere à tropis omnib. abhorres, qui ſuprà pag. 22. panē tropicè, pro *fructu panis* interpretatus es? Nam quod ais, illum locum Auguſtini à me citatū, nō pertinere ad S. Domini Cœnā, certè ab ipſo Chriſto & Auguſtino refutatur, quoniam
B in ſacra Cœna quoque iubet diſertè Chriſtus, vt ſuam carnem manducemus. Auguſt. autem exemplum ex Ioanne attulit, non vt ſuam regulā ad vnum illum Ioannis locum reſtringeret, ſed vt illā ex eo tantùm illuſtraret. Exempla enim regulam non limitant, vt ſciunt omnes qui ſunt verſati in Dialecticis. Ergo nihil te tuóſque iuuat, tuum in interpretando & reſtringendo Auguſtini loco ſubterfugium.

Secundum Oſiandri argumentum (quod nō iā ad S. Domini Cœnam, ſed ad Vbiquitatem ſuam ſtabiliendam pertinet) hoc fuit, Si verum Chriſti corpus pluribus in locis eſſe non poteſt, ſua Deo omnipotentia adimitur. Reſpōdi paralogiſmū eſſe παρὰ τὸ ἑπόμενον, quoniam omnipotentiam Dei, non ex humanæ mentis fictione & libitu, ſed ex ipſius Dei verbo, voluntate, & confeſſione cum eiuſdem ſapiētia metiri debemus. Vnde fit, vt citra Diuinæ omnipotentię imminutionē, Deus tamen multa non poſſe dicatur, veluti vt factum infectum reddatur, tempus prẹteritum fiat futurum.
C Item, vt Chriſtus in carnem non venerit, nō quia
1. Ioan. 4. v. 3. Deus non ſit omnipotens, ſed quia Deus eſt, & verax, & ſapiens & ſibi ipſi conſtans, nunquámq. contrarius. Tale quoque, & illud eſt, vt verum corpus, quale habuit Chriſtus, ſit περιγραπτὸν, & loco circūſcriptū. Quid tu ad iſta, Laonice, excipies?
Pag. 57. Reſpondes me hæc ab Ariſtotele didiciſſe. Ineptis. A teipſo pag. 14. didici, qui me in veri corporis natura agnoſcenda ad leges Phyſicas reuocaſti. Con⁀des igitur ipſe tibi, & inter nos conſentiemus. Nam pag. quoque 67. ais, eſſe corporis proprium quarto modo, vt corpus ſit *Semper finitum & locatum*.
Luc. 24. v. 39. Sed quid te nomino, Laonice, cùm hoc, quod de corpore dixi, ab ipſomet Chriſto
Auguſt. in Epiſt. ad Dardanū. didicerim? didicerim ab orthodoxo illo Auguſtino, quem tu quoque teſtem aliquando producis? Verùm ais, *Non omne corpus eſſe in loco*. Nam cœlū extimum eſſe in *loco, vt alia corpora*, negas ex Ariſtotele. Sed præclarè addis, *vt alia corpora*. Eſſe enim cœlum etiam ſupremum in certo vbi, & loco, certum eſt, quod tamen vt alia hæc inferiora corpora, alio corpore neq. ambitur, neq. circundatur: in quo vno tota eſt illa Ariſtotelica diſtinctio poſita, ſed abs te nō intellecta. Petis vt digito

A demonſtrem tibi locū illū in cœlo, vbi nunc eſt Chriſtus. Nō alligo perpetuò Chriſtū certæ alicui cœli parti, cui infixus pedibus hæreat, vt tu ſignis Chriſti carnē alligas. Liberrimè enim in cœlo, vti in ampliſſima quadam, & verè regia aula, Chriſtus verſatur cū ſāctis & Angelis. Præterea
Aug. de fide & ſymbolo. c. 6. præclarè Auguſtin. *Non eſt fragilitatis noſtræ cœlorū ſecreta diſcutere*. Oſtende tu mihi locum in ſignis Cœnæ, vbi Chriſti corpus ſit, quemadmodū pu-
Pag. 58. tas. Dicis deniq. Chriſtū hominē eſſe vbiq. cōcedo illud quidē: ſed nego naturā ipſius humanam propterea eſſe vbique. Ratio eſt quia aliud eſt dicere, Chriſtū hominē, quo vocabulo perſona deſignatur: aliud carnē, aut humanam naturā Chriſti. Nā de perſona rectè dicitur tota, quod tamē vni illius naturę cōuenit: de vtraq. tamē natura nō dicitur rectè quod vnius tantùm propriū eſt, quale eſt, vbiq. eſſe, quod ſoli Diuinæ Chriſti naturæ cōpetit. Itaq. de eiuſdē humana natura verè dici & enūtiari hoc idē nō pōt. Deniq. quàm ineptus es & falſarius? quū ais, *Chriſtum adimplere omnia corporaliter*. Nā illud tuū *corporaliter*, ad Paulū Epheſ.
B 4. ver. 10. addis. Et quod de potētia ipſa Chriſti exponit Paulus ibidē, tu in præſentiā corporalem ignorātiſſimè cōmutas, quaſi nimirū, vbicunq. alicuius Regis maieſtas & potētia apparet, ibidē quoque ſit eiuſdē perſona & corpus. In ſūma ipſiſſimā Ioānis Hieroſolymitani Epiſcopi Origeniſtę (meritò propterea à Hieronymo reprehēſi) hæreſim reuocas, qui negas noſtra corpora fore ſimilia corpori Chriſti: ſed tātùm illi ſimilia, qualis fuit ante reſurrectionem, & tempore exinanitionis.

Tertium Oſiandri argumētum hoc fuit, ſigna S. Cœnæ fore nuda, niſi *in, ſub, & cū illis*, præſētiæ corporalis modo adſit & cohæreat ipſum eſſētiale Chriſti corpus & ſāguis. Negaui cōſecutionē, quia illa ſigna ſunt certiſſimæ promiſſionū Dei & corporis Chriſti σφραγίδες, quod obteſtātur nobis offerri, & ſi credimus, dari reipſa, & à nobis percipi. Id quod certè nequaquā eſt eſſe nudam rei picturam, vti ſtatua Herculis dicitur ſignum
Pag. 58. abſentis Herculis. Quid tu porrò? Quæris à me, ſi res ipſæ ſignatæ abſunt à ſignis, quomodo non
C ſunt illa ſigna nuda? reſpōdeo quoniam rē ipſam nobis à Deo exhiberi & offerri veriſſimè teſtantur, atque, ſi credimus, verè percipi certiùs omni humano argumēto demonſtrant. Illa verò ſigna nō ſunt nuda, Laonice, quæ rem ipſā, quā ſignāt, verè exhiberi nobis obſignāt, quēmadmodū nec à ſpōſo ſpōſę datus annulus eſt nuda ſpōſionis factæ figura, ſed arrhabo initi cōſenſus. Illa ſunt ſigna nuda, quæ nihil aliud ſunt, quàm rerū quouis modo abſētiū mera ſimulacra & imagines, qualis eſt picti Lutheri in veſtris templis ſtatua. Ergo iā intelligis quid ſit ſignum nudum, & non nudum. Nam quod de differētia Sacramētorū V. & N. Teſtamēti multis verbis narras, quid ad rē? quū (præter illud quod veteris Teſtamēti Sacramēta incarnādi Chriſti ſigna erant: N. verò Teſtamenti Sacramenta iam exhibiti & incarnati) ſine ea ipſa re, quā nobis noſtra Sacramenta ſignificant, non fuerint veterū Sacramēta, neq. Chriſti carnis eſu, ſeu cōmunione caruerint fideles Patres ſub Veteri Teſtamēto. Eandē nobiſcum eſcā. i. carnē Chriſti
1. Cor. 10. v. 5. illi ederunt: eundē nobiſcū potū. i. ſanguinē Chriſti illi biberunt, ſi Paulo credis. Fidē enim habue-

A runt,cui etiã futura Chriſti caro præſens erat. Sed tu nimirũ in eo falleris grauiſsimè (vti & Gerlachius amicus meus)& pontificiorũ errorẽ ſequeris,dum exiſtimas,ſigna in Sacramẽtis Noui Teſtamenti inſtituta,habere rẽ ipſam ſignificatam in ſeipſis incluſam,& coniunctã, quã eandẽ prorſus & omnino à Veteris Teſtamenti ſignis abfuiſſe cenſes. Ergo ſcribis in aqua Baptiſmi *Vim ſaluificam ineſſe*,& ab ea gratiam conferri:ſed in Veteri Teſtamento Deũ fuiſſe contentũ *fide Patrum*: Rem autẽ ipſam Sacramẽti,quam eorũ fides apprehendebat, vis vel nullam fuiſſe, vel certè eos nequaquã eam etiam per fidem participaſſe,ſed tãtùm *vmbras*,ſine rei adumbratæ fruitione habuiſſe. Quid Seruetus ille maledictus aliud olim ſenſit, quũ à noſtris primùm meritò, deinde ab omnibus Chriſtianis teterrimus hæreticus damnatus eſt? Quid noſtra hac ætate Iudæi aliud ſentiunt? Quod vt intelligas ex tuo collega Gerlachio, qui tandiu Conſtantinopoli cum iis verſatus eſt,quære. B Et tu me,qui cõtraria Iudæis ſentio,Iudæũ appellas:te verò,qui cũ Iudæis manifeſtè & impiè conſentias, Iudæũ non nominas?Quid Paulo ipſi, quid Apoſtolo ad Hebræos,quid Auguſtino,quid patribus aliis reſpondebis?qui veriſsimè ſcribunt, & ſentiunt, fideles patres ſub Veteri Teſtamẽto,idem habuiſſe,quod nos ſub Nouo : ſed in modo duntaxat, & ratione οἰκονομίας, ac ſignificationis fuiſſe inter nos & eos diſcrimen,quòd illi venturo Chriſto,nos autẽ iam exhibito communicamus. Vides igitur,Laonice,vt rectè Oſiandro reſponderim, eiúſque argumẽtum ſic ſoluerim, vt meam reſponſionem euertere nequaquam poſsis.

Pag.60.

1. Cor.10. Heb.11. Aug. in Ioã.tract. 25. & 45. Cõtra duas Epiſtolas Pelagianor. c. 4. Contra Fauſtum lib.19.

Quarto loco dixerat Oſiander,Ideo verum corpus,& ſanguinẽ Chriſti eſſe *in, ſub, & cum* pane & vino ſacræ Cœnę,quia Paulus ait,indignè accedẽtes eſſe reos corporis & ſanguinis Chriſti.Reſponderam,Paralogiſmum eſſe à non conſequenti : rationem addideram. Primùm, quod diſertè Paulus ipſe dicat,indignè ſumentes *Accipere hunc panem, & hoc poculum*,non autem accipere ipſum ac eſſentiale corpus & ſanguinem Chriſti. Deinde quòd, vt ait Hieronymus, dũ Panis iſte & poculũ illud Sacramẽta *violantur,ipſe,cuius ſunt,violatur:* & ideo nõ propter præſentiam corporis Chriſti cum ſignis, C ſed propter cõtemptionem promiſsionis Dei fiunt indignè accedẽtes,rei corporis Chriſti,ſpreti nempe,nõ autem accepti.Quid ad hæc Nicodemus Friſchlinus, profeſſor profanæ poetices Tubingæ,quem ſuiipſius nominis, propter huius ſui ſcripti blaſphemias,puduit?Conuitiatur,& me vocat Iudæum , quia bona fide verba Pauli citarim, quemadmodum in eodem loco & argumento poſtea verſans Gerlachius ipſe teſtatur : & Oſiandrũ apertè falſi damnat,qui pro his verbis *Panem hunc & poculum hoc*,ſubſtituit corpus & ſanguinẽ Chriſti. Sed quoniam nihil eorum, quæ dixi,Laonice, refutas,vel te ipſo teſte,vera me ſcripſiſſe, procul dubiò apparet.

Hier. in Malach. cap.1.

Tranſeo igitur ad quintum Oſiandri argumentum,quod eſt de maieſtate Chriſti hominis. Vult Oſiander,carnem à λόγῳ ſeu Filio Dei aſſumptam eſſe vbique,nunc pręſertim,poſtquã eſt in ſtatum gloriæ & maieſtatis recepta,& homini Chriſto data eſt omnis poteſtas in cœlum & in terram.Reſpõdi id nequaquam ſequi.Primùm,quoniam, vt docet Auguſtinus,ea gloria & maieſtas carni Chriſti A data eſt,quæ naturam eius minimè deſtruit. *Chriſtus enim carni ſuæ gloriam dedit, naturam autem non abſtulit.*Item,*Cauendum eſt*, ait idem, *ne ita diuinitatem Chriſti adſtruamus, vt veritatem corporis auferamus*.Præterea,quòd conſecutio à potentia ad pręſentiam & ſitum corporis omnino eſt παρὰ τὸ ἑπόμενον & ἀναλόγιστος,ac inepta , quemadmodũ in inuicto Germanorum Imperatore Viennæ Auſtriæ degẽte demonſtrauimus,cui tamen poteſtatẽ in totam Germaniam datã eſſe à Deo nemo Germanus negare audebit,vt ſpero. Quid ad hæc Nicodemus ſeu Laonicus?Obmuteſcit, & ſe fatetur ſuperatũ. Tantùm illud adiicit, & ſequi putat , vt niſi λόγος carni ſuæ Vbiquepræſentiam , id eſt,infinitatem dederit,nullam illi gratiam habitualẽ cõceſſiſſe videatur. Verùm quæ iſta conſecutio eſt, obſecro? Niſi totum imperium ſuum & maieſtatem Angelis beatis Deus dederit , ergo nihil maieſtatis illis dedit.Niſi totam ſuam dignitatem Imperator legatis ſuis,& in Italia vicariis conceſſerit, B Ergo nihil conceſſit.Euigila Laonice,& teipſum excita, ſi potes. Vide quid dicat Paulus de ea gloria, quæ Chriſto homini conceſſa eſt, *Nam omnia ſubiecit ſub pedibus eius. Quum autem dicit,omnia eſſe ei ſubiecta,palàm eſt hoc dici,eo excepto,qui ſubiecit ei omnia.* Ergo nõ eſt æquata Deitati caro à λόγῳ aſſumpta. Verùm Vbiquitarij nihil à Deitate λόγῳ in naturam aſſumptam collatum putant,niſi eam ſibi exęquauerit,& eandem quartum quendam Deum effecerit. Id quod ex impuriſsimo Eutychis cœno ſumptum eſſe, & deriuatum nemo pius negare poteſt.

Augu. in Epiſt.ad Dardanũ.

1. Cor. 15. ver.27.

Sextum Oſiandri argumentũ fuit,Chriſti carnẽ eſſe Vbique,& idcirco in S. Cœna eſſe *in, ſub & cũ* ſignis,pane & vino, quia Chriſtus homo habet omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ reconditos. Reſpondi,eſſe proſus ἀσυλλόγιστον, & paralogiſmum παρὰ τὸ ἑπόμενον, vti ſuperior oratio iſtius fuit.Nam vt in Chriſto duplex eſt natura, ſic eſt duplex & ſcientia,& potentia,& ſapientia, & voluntas. Vna enim in Chriſto ineſt,ipſi Deitati eſſentialis & æterna, quã Chriſtus habet vt Deus.Hęc nequaquã eſt naturæ aſſumptæ,id eſt humanæ communicata vel communicabilis, niſi propter prædicationem verbalem , quoniam aſſumpta eſt in vnitatem illius perſonæ,quæ eſt Deus. C Nam quũ ſit caro Chriſti creatura,non eſt illius eſſentialis Dei ſcientiæ, potentiæ,&c.vti neque æternitatis capax vel capabilis.Alia igitur eſt ſapientia,ſcientia,potẽtia,creata & qualitas,cuius eſt reipsâ caro Chriſti capaciſſima,quoniam eſt caro Vnigeniti. Itaque ea ſumma eſt in Chriſto,& quãta maxima eſſe in vlla creatura,aut etiam ſimul in omnibus,& cœleſtibus, & terreſtribus creaturis poteſt : imò ea in Chriſto multis gradibus alias omnes ſuperat, éſtque ipſis adeò beatis Angelis admiranda. Ergo quum vbiquepræſentia , vti infinitas , ſit eſſentiale Dei attributum,carni Chriſti tribui ſine blaſphemia,aut niſi Monothelitarum errore fœdiſsimo renouato,certè non poteſt.Quid tu contra Laonice? Nihil. Imò tu vnam tantùm potentiam, & ſcientiam,& ſapientiam in Chriſto Deo & homine eſſe contendis: nec vis tamen Monothelita cenſeri. Cur verò illius erroris nomen & appellationem refugis aut extimeſcis,cuius fœditatem & dogma tam lubẽter amplecteris?Obiicis porrò mihi,quaſi Lyrani mentem corruperim, tanquam ea, quæ

Coloſſ. 2. 2.

Palag. 62.

Pag.63.64 Damaſcẽ. lib.de duabus Chriſti voluntatibus.

cito,

A cito,& quæ de Chriſto ſcribit Lyranus, *pertineant tantùm ad ſtatum exinanitionis Chriſti.* falleris. Conſiderat enim Lyranus Chriſtum non ſolùm qualis tunc erat, quum in his terris verſabatur, qui eſt exinanitionis Chriſti ſtatus: ſed etiam qualis nunc eſt ad dextram Patris ſedēs, qui eſt ſtatus maieſtatis hominis Chriſti. Itaque eo verbo vtitur Lyranus, In Ioan. 7.v.16. quod præſentis tēporis, & præſentis ſtatus Chriſti ſignificationem manifeſtam habet. Ait enim, etiā te ipſo teſte, SECVNDVM *verò naturam humanam* HABET *aliam ſcientiam, ſcilicet creatam.* Vide iam & confer quo tempore illa ſcripſerit Lyranus. An non poſt receptum Chriſtum in cœlum? Quod negare non potes, quantumuis tergiuerſeris. Henricus Pātaleon in Chronic. Vixit enim Lyranus poſt annū à nato Chriſto 1300. Ergo de Chriſto etiam in cœlum recepto agit & ſcribit, vt teipſum Lyrani mētem non intellexiſſe iam demonſtres. Cætera quæ tribus paginis tuis continentur, ſunt gerræ, quas propterea tibi relinquo.

Septimū Oſiandri argumentū erat, Carnē Chriſti eſſe vbique, quia TOTVS *Chriſtus*, iſt eſt, & Deꝰ & homo Chriſtus mundum gubernat. Ergo conquerebatur diuidi & ſeparari operationes Chriſti niſi Chriſti caro ibidem ſit & ſiſtatur, vbicunque homo Chriſtus, id eſt, illa perſona, quæ eſt homo B Pag. 67. & Deus, operetur. Inde ſplendidè ab eo Neſtoriani vocabamur, qualis eſt Oſiandri facūdia. Reſpondi: Non diuidi vel perſonam ipſam, vel operationes Chriſti, etiam ſi caro neque ſiſtatur vbicunque eſt Deitas λόγȣ, neque vbicunque operatur homo, id eſt, illa perſona Chriſtus, ex vna ſui natura, illic quoque eſſe & verſari, & præſens eſſe corporalis præſentiæ modo concedatur caro Chriſti. Nā hoc iam ſæpius dixi, à potentia ad ſitum perſonæ nullam eſſe conſecutionem, quæ ſit legitima & firma. Præterea etiam antea docui, aliud eſſe diſtinguere naturas, & operationes in Chriſto: aliud verò eas ſeparare ac diuidere. Quę duo tamē vel ſciēs vel imprudens confundit Laonicus. Non agit quidem ſeorſim, & in proprio ὑφισταμένῳ ſubſiſtens natura humana à λόγῳ aſſumpta: agit tamen diſtinctè, & alia quàm λόγος, quanquam λόγῳ ſemper hypoſtaticè manens vnita. Leo primus, quem, breuitatis C Leo. 1. Epiſt. 10. c. 4. cauſſa, vnum produco, ſic ait, *Sicut enim Deus non mutatur miſeratione, ita homo non conſumitur dignitate. Agit enim vtraque forma cum alterius communicatione*(id eſt, vnione, & hoc perpetuò M. Kemnitium fefellit) *quod proprium eſt, Verbo ſcilicet operante, quod eſt verbi: & carne exequente, quod eſt carnis. Caro naturam noſtri generis non relinquit.* Hic eſt locus Leonis, quem à me non eſſe tranſcriptum conqueſtus es, Laonice, quoniam vos in patrum ſcriptis notiſſimis verſatos eſſe iudicabam. Ergo vt vides, aliud eſt naturas & operationes in Chriſto diſtinguere, quod ſolùm facimus: aliud autē earū cōmunicationē, id eſt, vnionē, vt patres loquebātur, diſſoluere, quod fecit Neſtorius, & nos exe- Damaſcenus de duabus Chriſti voluntatibus. cramur. Quamobrem cum Damaſceno dicimus, naturas in Chriſto χωρὶς μὲν, οὐδ' ἀδιαιρέτως ἢ ἀποτετμημένως operari. Quid tu ad hæc veriſſima? Obuagularis primùm. Deinde verè te Neſtorianum, cuius nos hæreſeos falſò accuſas, eſſe oſtendis. In ſumma Pag. 63. (es enim hîc, vt in pleriſque tui huius στηλιτευτικοῦ ſcripti locis, & obſcurus, & prolixus) in ſumma, inquam, vis, ſi duæ in Chriſto Deo & homine operationes ponantur, duos quoque Chriſtos indūci & ſtatui: etſi naturarum, diuinæ videlicet & humanæ proprietates, in Chriſto realiter (vt tu loqueris) id eſt, verè diſtinguantur, duo quoque A realia ὑφιστάμενα, & duos realiter ſeparatos Chriſtos cōſtitui. Nam ais, *Operatio & proprietas nequaquam ſine ſuo ſubiecto eſſe poteſt.* Nónne tua verba, Laonice, iā agnoſcis? In quibus ſi perſtas adhuc quoque, nónne te omnes meritò Monophyſitā, & Monothelitam appellabunt? vtpote qui in Chriſto Deo & homine vnicam duntaxat operationē, non autem duas: vnicam duntaxat ſapientiam, non duas: vnicam voluntatem, non autem duas eſſe contendas? Reſpice te ipſum, & quid dicas, nunc ſaltem à me fraternè admonitus, cogita. Hoc vnum eſt tuæ reſponſionis ad mea ſuperiora vitium. Alterū (neque enim omnia tua, cui amicitiæ nomine parco, velim recenſere) quòd ſubiectum cum ὑφισταμένῳ imperitiſſimè hîc confundis. Putas enim, quæcunque habēt diuerſa ſubiecta, habere quoque diuerſa ſuppoſita, & perſonas. Quo quid magis falſum, atque ἀθεόλογον atque ἀπαίδευτον? Animus & corpus Auguſt. de Spiritu & anima. Cap. 3. in vnoquoque noſtrum ſunt vnum ὑφιστάμενον, id fateris: & tamen aliæ ſunt animi noſtri, aliæ corporis operationes, & vtræque propria habent in eadem perſona, & diuerſa ſubiecta, niſi quum potat in œnopolio Nicodemus, putat eſſe actionem animi B ſui: & quum ratiocinatur in muſæo, cēſet eſſe actionem ſui corporis. Potatio igitur & ratiocinatio in Nicodemo ſeu Laonico, ſunt diuerſæ actiones & diſtinctæ, & habet quæque earū diuerſa (à quibus fiunt, & in quibus inſunt) ſubiecta. Dicétne propterea Nicodemus iſte ſe non eſſe vnum tantùm hominem ὑφιστάμενον, & perſonam, ſed duos homines? Certè nemo alius bene mente ſanus id dixerit. Ipſe fortaſſe tum ſe duplicem exiſtimauerit, quum eſt in ſtatu ſuæ ἐποινώσεως (ſcit quid dicā) & illi ſimilis, qui (vt aliquid ipſi de ſuo Virgilio regeram) videt & Solem geminum, & duplices ſe oſtendere Thebas. Scholaſtici, quorum eam ſententiam quoque probat laudátque herū omnium coryphæus Kemnitius lib. *De Duabus in Chriſto naturis*, pag. 243. longè quàm tu, & rectiùs, & doctiùs ſcribunt. *Sicut idem ſuppoſitum eſt ſubiectum diuerſarum proprietatum propter diuerſa principia cauſantia illas proprietates: ita in vna perſona Chriſti dua* C *ſunt naturales actiones, Diuina, & humana, & tamen vna eſt Chriſti perſona.* Sed vt hunc locum concludam, poſſunt, Laonice, in vno & eodem hyphiſtameno eſſe duæ operationes, imò etiam duæ naturæ, & eę quidem inconfuſæ ac diſtinctę, ex quo fit, vt naturarum, aut actionum vel in Chriſto, vel in quolibet alio homine diſtinctio ſuppoſiti & perſonæ diſtractionem ac ſeparationem non inducat, Quamobrem quælibet proprietas & operatio in Chriſto habet, Laonice, ſuum ſubiectū proprium cui ineſt; actio humana, naturam humanam: Diuina verò actio, Diuinam naturam: nō habet tamen ſeparatum vtraque propterea ſuppoſitum, in quo ſeorſim, & ſeparatim ſubſiſtat.

Octauū Oſiandri argumentū fuit: Chriſti carnē eſſe vbique, quia totus Chriſtus eſt vbique. Reſpō- Auguſt. Epiſt. 57. ad Dard. di ex Auguſtino, Etſi totus Chriſtus eſt vbique, totum tamē Chriſti non eſſe vbique. Aliud enim eſt *Totus Chriſtus, aliud totum Chriſti.* Totus Chriſtus vbiq; eſt, quia qui Chriſtus eſt, vbiuis eſt, idem & Deus & homo. Manēt enim vniōe illa hypoſtatica naturæ inter ſe ſemper in Chriſto cōiunctæ. Nam Deitas λόγȣ eam naturā, quam ex virgine Maria aſſumpſit, nūquā deſerit. Totū autem Chriſti, id eſt ſingulę naturę Chriſti nō ſunt tamē vbique, & ſi-

A mul,& ſemper in eodem loco.Non facit enim vnio hypoſtatica rerum hypoſtaticè vnitarũ coextẽſionem,aut exæquationem inter ſe.Auris in humano corpore viuo,brachiis ſuis & pedibus hypoſtaticè vnitur, Damaſc. in Dialect. quemadmodum docet Damaſcenus: neque tamen tam extenſa & latè patens eſt auris iſtius corporis,quàm brachia & pedes. Quales enim,obſecro,haberet aures Laonicus amic⁹ me⁹, nempe non aſininas tantùm,(quales mihi præter meas addere voluit,ſed renui)ſed haberet ipſe aures ad terram vſque,more quorundam barbarorũ Pag.69. & brutorum animantium,dependentes. Quid ad hæc Laonicus?Primùm conqueritur, Auguſtinũ, quẽ refutare non poteſt, *incommodè locutum fuiſſe*, nimirum tibi incommodè,& inutiliter:verè tamẽ & conſentienter Dei verbo locutus eſt Auguſtinus.Deinde veterem illam inter vbiquitarios, & tamen palmariam,de candenti carbone ſimilitudinem, Pag.70. 71. ac cantilenam toties illis extortam reponit. Pag.72. vbiquitatem poſtea,id eſt, ſuam Helenam miſer repudiat & reiicit.Denique ſe mirum in modũ ſen B ſu etiam communi priuatum eſſe tandem oſtẽdit, qui ſcribat calorem ſeu ignem ſumere virtutem & momentum vrendi ex ipſa materia, cui ineſt. Et me,qui propter & rationem,& omnium hominũ experientiam,aliter credam, (nempe calorem ſeu ignem à ſe,& in ſe virtutem illam vrendi habere: materiam autem ab ipſo igne & calore, quem ſecum defert)ad aſinos remittit,iuueniliter exultat, & diu multúmque in ſua illa ſimilitudine carbonaria deſudans & laborans, vbique præ anguſtiis (quibus à me premitur)& propter acerbum illius ſuæ carbonariæ ſimilitudinis fumum, non poteſt diſtinguere hominem Chriſtum & humanitatem Chriſti: gratiam vnionis cum gratia habituali diuerſam eſſe non videt: Deitatem alij, quàm Deo, communicabilem facit: Theophylacti & ætatẽ, & ſententiam Tranſſubſtantiationi Papiſticæ fauentem eſſe non meminit.Multa hîc perturbat & confundit. Denique Cyrillum ipſum carbonaria illa ſua,vt opinor,ſimilitudine perturbatus tandẽ corrumpit.Vnum verò hoc maximè & ſupra cætera ri C diculè facit,quod ipſe(quem nominis ſui puduit) qui aliena larua tectus, & poſt carecta latitans, vt miſer quidam poeta ſolitus in triuiis ſtridenti ſtipula miſerum diſperdere carmen,ſe prodere non audet,qui in iſto fumo ſuo carbonario ſeipſum nõ videt, ſpeculum tamen, in quo ſe alii intueantur, fabricatur,& mihi obiicit. Quanquam quæ de me narrat,illa ſunt(Dei optimi maximi gratia)omnia falſiſſima.Ego non latito in tenebris, viuo in luce hominum Chriſtianorum,in vrbe,& Eccleſia Dei totius orbis celeberrima, Geneuæ nimirum,& (ſi quid in his terris eſt ſanctum)ſanctiſsima,quod citra cuiuſquam alterius reformatæ Eccleſię iniuriã dictum eſſe volo.Ergo ſi eſſem turpis,& qualẽ me fingis,ne ad momentum quidem horæ hîc viuerẽ, qualis eſt Dei gratia iſtius Eccleſię reformatio.Verùm obiter,Laonice,mi frater teipſum amicè monebo eorum,quæ tui fratres,& omnes qui tibi bene ex animo cupiunt, te meminiſſe, & recordari plurimùm iubent.Eorum enim aliquando coram Deo ipſo,vt hominum iudicia omnia perrumpas, rationem tamen es redditurus. Memineris igitur frater(ſiue Nicodem⁹,ſiue Laonicus,ſiue Friſchlinus,ſiue eques,ſiue poeta vocari gaudes) primùm, quàm conſtanter tu nobilitatis equeſtris laudem A captes,qui contra nobilitatem (quam & odiſti & contemnendam docuiſti) contumelioſum librum antea edideris : deinde quàm falsò tantam tibi dignitatem tribuas,qui ſpurca ſolùm,& ſales profanorum poetarum tractare, non autem arma didiceris.Turpe eſt grauem virum de ſeipſo mentiri, falſa præſertim iactantem.Nec Chriſtum, nec Paulum imitaris. Cyrillus libr. 7. in Ioann. ca. 3.Philipp. 3.v.8. Chriſtũ quidem,qui, vt ait Cyrillus, exemplum humilitatis nobis oſtendit. Paulum autem,qui omnia illa,quæ mũdus tanti facit,pro ſtercoribus habuit.Tu verò etiam quæ non habes,nobis iactas,& tibi tribuis, quæ tua eſt arrogantia & ἀλαζόνεια. Recordare quæ ſunt tuæ apud illuſtriſſ. Principem Vvirtembergicum in ipſius conuiuiis Morionis ſeu ſcurrę partes,quas in ipſius aula(ſolent enim etiam grauiſsimi Principes morionibus delectari)ſatis lepidè, vt audio,pro tua natura & grauitate agis & ſuſtines. Veniat in mentem tibi, quis, & quàm plenus offendiculi fuerit tuus Friburgi Briſgoiæ cum ſacrificulis Pontificiis cõgreſſus.Quæ tua fuerit cum ancilla tua (quo tempore ficti illius Eunuchi,Cherec̨ Terentiani,perſonam & actionem verè,non in fabula,repræſentaſti) familiaritas.Quis partus inde natus.Quæ caſtiſsimæ vxoris tuæ,propterea fuerit iuſtiſsima de te queri- B monia. Quàm tibi amicè ad prenegandum illud tuum facinus,& benignè quidam amici tui, quos, ſi ipſi voluerint, facilè nominabo,operas tibi ſuas commodarint.Hæc ad te pertinent,Laonice.Quæ tu refutare,imò iam negare(cùm tot ſint teſtes)nõ potes,niſi homo omnium impudentiſsimus haberi gaudeas.Nam quę tu mihi de genis liuidis,aurib⁹ aſininis,ore diſtorto &c.obiicis,teipſũ certè in tuo ſpeculo,quum hæc ſcribebas,intuebaris.Quãobrem te,nõ me,depinxiſti.Sunt enim hęc omnia huiuſmodi,vt nemo tibi in eo de me credat, & omnes,qui me viderint, te impudenter calumniatũ eſſe facilè intelligant.Debebas tu quoque(quia te ipſum his in me conuitiis oblectare voluiſti) totã famis deſcriptionem ſcurriliter tuo more tranſcribere ex Ouidij Metamorphoſi, vt eam abs te lectam,velut Eunuchum Terentii,ſciremus,ac ex ea C in me vibrares quæ pueri legunt in Scholis. Sed paucula,illa nimirum ex Piſoniana quoque Ciceronis,Rhetodiocte didiceras. Verùm verbis non contentus tu Mercurij Maleuoli ſignum mihi,more Centaurorum & Lapitharum tuorum (quoniã vt illi erant equites,ſic tu) vulnera & cædes & bipennem Tenediam intentas, aduerſus quam fidei in Chriſtum & veræ doctrinę clypeum intrepidus obiicio,quæ etiam ipſius Satanæ tela inflammata 2.Cor.12. v.4. facilè extinguit & hebetat. Ego igitur(cuius, vtpote in Eccleſia Dei,ipſius miſericordia,doctoris arma,non ſunt carnalia)pro bipenni Tenedia arripiam verbum ipſum Dei, & ſermonem illum efficacem, qui eſt quouis gladio ancipiti penetrantior. Pertingit enim ad diuiſionem animæ ſimul ac ſpiritus,cõpagúmq;,& medullarũ, & diiudicat cogitationes & cõceptiones cordis,quẽadmodum Heb. 4.v. 12. docet ipſe S. ſanctus,per quẽ vt ad verã de S. Domini Cœna doctrinã conuertaris,Deũ ſummis votis per Chriſtũ,vnigenitũ ac vnicũ mediatorẽ noſtrum, rogo precórque. Vale. Geneuæ, Anno Domini 1581. Calend. Ianuariis pro ſtrenis.

πήλιος, εἰ μὴ αὖ δαρῇ, κέραμος οὐ γίνεται.

A

IATROTHEI ANTILAONICI

AD LAONICVM A STVRMENECK equitem nec aureum, nec auratum.

PLebeie miles, & ferox, nec aurate
Eques, quid iſtud? Spongiámne, qua vulnus
Nondum datum abſtergas? videlicet victor
Certamen ante conſertum? Aut mage ignaue
Pugnare certus hanc geris? Quid ignaue?
Non hoc geruntur bella cum viris pacto:
Cum fœminis, tute experire, quas vincens,
Reuinciẽnſque, bellus es quidem victor,
Eques nec auratus. Viden' nouum vulnus?
Hic Spongiam quæras: ſed ablues nunquam:
Habes. Quid imbuta interim tamen fiet,
Tot, quæ patras, quæque belluaris, infandis,
Quid fiet, inquam, Spongia? aut tibi vt fiet?
Nam te ſimul percuſſit enſe Lambertus
Verbi Dei, nec Spongiæ, nec vltores
Vlli tibi iam proderunt, nec aurate.
Prædicit iſta Delphicus tibi Phœbus.

1581.

AD STEPHANVM GERLACHIVM ET ILLIVS ANTIDANÆVM NECESSARIA RESPONSIO.

AD tuum Antidanæum, Stephane Gerlachi, virulenter quidem (quod omnes vident) in me ſcriptum, ipſe tamen B modeſtè reſponſurus, quoniam Laonici equitis veſtri (qui prior in manus meas incidit, & erat aliquid iſtius equitis nobilitati certè tribuendum) argumenta iam confutaui, video neque durum, neque difficile mihi tecum reſtare certamen. Eadẽ enim eſt penè tuæ in me criminationis quæ illius (& tamẽ vtriuſque falſæ) ratio, & audacia, & eum κ̅τ πόδας ita ſecutus es, vt vel ille ſua tibi dictaſſe, vel ipſe ex Laonico tua tranſtuliſſe videaris. Eſt quidem mendaciorum, qualia ſanè in vtriuſque veſtrûm ſcripto plurima cõtinentur, vt plurimùm varia via, multiplex, & à ſeipſa diſſentiẽs: veritatis autem via ſemper vna, ſimplex, ſibíque conſentiens: tamen, quũ quid ex duorum, vel plurium inter ſe conſpiratione ſuſcipitur, mirum videri non debet, ſi inter illos aliquis cõſenſus appareat. Sic enim in opprimẽdo Chriſto teſtes illi duo, de quibus Matthæus ſcribit, cõſenſerunt. Matt.27. verſ.60. Sic qui ſanã Pauli doctrinã euertere conati ſũt Iudęi, oẽs inter ſe cõcordes apud Fœlicẽ Syriæ Præſidẽ fuerunt, Act.24.9. in confingẽdis, C vt docet Lucas, aduerſus Paulũ criminationibus. Quò minùs mirandũ eſt, ſi Laonicus, & Gerlachius in eadẽ Tubingæ ciuitate verſantes, eiuſdem Scholaſtici cœtus & collegij membra, paria ſui dogmatis propugnati pręmia ſperantes hactenus inter ſe conſenſerunt, vt me illi dogmati nequaquam aſſentientem, imò etiam illud oppugnãtem, iiſdem confictis conuitiis & telis confodere ſtuduerint. Equidem quamprimùm duplex illud ſcriptum ad nos eſſet allatum, ferè perterrebar. Nã ſtatim occurrebat animo illud vetus, *Ne Hercules quidem contra duos*, verùm poſtquàm diligenter vtrũque recognoui, meipſum collegi, & perſpexi duos illos vna fidelia dealbatos parietes poſſe facilè, nullóque negotio ſubuerti. Cùm enim facta ſit hæc ſcriptio ex argumento ſimplici duplex, certè qui vtramuis rectè norit, ambas nouerit. Et mihi quidem animus primùm fuerat vtrunque hunc coniungere, & iiſdem vinculis colligare: verùm ab aliquot, & meis, & iſtorum amicis monitus, aſinum cum boue propter inæquale iugum non eſſe copulandum, imò etiam, ſi id facerem, eorũ alterutrũ præmio ab Oſiandro fore priuãdum, ipſorũ vtilitati, & commodis cõſulens, atque illis amicis obſecutus, ἀπαιδεύτῳ Laonico, ſeu Nicodemo B ientaculũ, quod, vt opinor, illi ſatis erit, priùs appoſui: nũc autẽ & ſua, vt loquitur Hierony. Cyprio boui dabitur merenda. Sic autẽ tibi, Gerlachi, reſpõdebo, vt quæ tibi cũ Laonico noſtro ſunt cõmunia, (ſunt autem perplurima) ex meo ad eum ſcripto petere te velim, ne paginas, iiſdem repetitis, impleam & lectoribus crambe veſtra bis appoſita bis nauſeam moueat. Quæ etiam ex quarto V. Clariſſimi Ioannis Sturmij Antipappo diſcere debebis, breuitatis gratiâ, omittam. Quæ verò propriè tua ſunt, nimirum diuturnam illam tuam inter modernos Conſtantinopolitanos (ſcis quid velim) moram planè redolentia, illa tantùm hoc loco confutabo. Ecce igitur rem ipſam aggredior, & tuũ ſcriptum Gerlachi, examino.

Pag.1. Iampridem te meum Antioſiandrum accepiſſe, & in manibus habuiſſe, etiamſi nunc primùm illi reſpondeas, ſignificas. In Laonico Spongia, Pag.7.4. Prudẽtiùs profectò factum, quàm ille veſter Laonicus fecerit, qui intra quariduum de re omnium maxima, nempe de Maieſtate C hominis Chriſti, de ſacra Cœna, de condemnãdis tot Orthodoxis Eccleſiæ Dei Paſtoribus, intra pauxillum temporis (quo rem tantam non potuit intelligere) reſpõdendum ſibi putauit. Tu verò catus homo rectè vidiſti, quàm difficile, imò prorſus ἀδύνατον foret, veritati Dei à me propoſitæ reſiſtere, & tamẽ etiã in eo anteuertens Oſiandrum (qui fortaſſis, omiſſis omnibus aulicis curis, mihi reſponſurus eſt) tam graue & durum certamen ſubiſti. Itaque hîc te eodem nihilominus temeritatis crimine implicas, cuius ipſum Oſiandrum, & tu, & Laonicus damnaſtis, vtpote qui fateamini, non exſpectata Pappi, aut alterius cuiuſquam mandato, nec explorata Pappi de non reſpondẽdo voluntate, magno πολυπραγμοσύνης vitio, in medium certamen voſmet vltrò proieciſſe, & pro Pappo, non pro Argentoratenſi Eccleſia reſpondiſſe. Lege igitur (ſi libet) quæ Laonico reſpondi. Pag.2. Nam quod me pro Sturmio reſpondiſſe, & illi ſuppetias, & auxiliũ ſcribis tuliſſe, vt Oſiander Pappo tulit, erras toto cœlo. Liber enim meus eſt *Apologia Doctrinæ Helueticarum Eccleſiarum*, & Pag.[illegible] profeſſus ſum, me, quicquid ad Sturmium, & Pappum, eámque concertationem Argẽtinenſem per-

A tinebat, omnino prętermiſſurum, quemadmodum etiam feci. Pag. 4. Petis autem cur de Luca Oſiãdro breuiter dixerim, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Reſpondeo quoniam res ipſa ſic habet. Etſi enim filius iſte paternas hæreſes omnes (quales ſunt de eſſentiali Dei iuſtitia in quemlibet hominem infuſa, de iuſtificationis noſtræ cauſſa, De Chriſto, qui etiam aſini Cal. in Epiſt. 315. & Inſt. Chriſtian. lib. 1 cap. 15. naturam ſumere potuerit, de confuſa regeneratione cum iuſtitia, &c.) fortaſſe non ſequitur: hanc tamen proculdubio paternę ſimilem retinet, vt aſſeueret, Humanitatem à λόγῳ aſſumptam, eſſe ipſius eſſentialis Deitatis λόγου Potentiæ participem, eiuſque totam plenitudinem, in ipſam carnem Chriſti aut effuſam eſſe, vt loquitur Iacobus Andreas, præceptor Oſiandri: vel communicatam, vt interpolauit Kemnitius. Oſiand. in Antiſt. p. 20. & in Epi. Cal. Epiſt, Quã quam 141 Item, quòd vt pater Oſiander, ità Filius Philippo Germaniæ lumini maledicit. Quid tu Gerlachi, qui tot regiones Turcicas peragraſti, tandiu ſolus ignoras, quod longâ rerum experientiâ veriſſimum eſſe omnes didicerũt, *Patrem ſequitur ſua proles*? Sed ne diu ſquillas ex illo Oſiandri patris ſepulcro vellere me exiſtimes, vel In Epiſt. Cal. Epiſt. Literis iii. & Epiſto. Ergo 386. Hom. odyſſ. 2. ex ipſo Philippi teſtimonio, quod extat, qualis & quàm impurus fuerit Oſiander pater, cognoſce, adeò vt, qui ex ea educatione & familia prodierit filius, vix bon᾽ eſſe poſſe credatur. Noſti enim illud,

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται,
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

B

Pap. 5. Quòd autem Caluinum, OEcolampadium, Lutherum, & alios iam mortuos, laudaui, vide quo iudicio reprehendas, quaſi ab illis viciſſim laudem petam. Atqui, Gerlachi, mortui non loquuntur ampliùs, nec me laudare illi poſſunt. Itaque hîc ceſſat illud, quod in me retorqueri poſſe putas. *Mutuò muli ſcabunt.* Sturmij quoque adhuc, Dei gratiâ, inter vos ſuperſtitis ſummas eruditionis laudes obiter attigi, quia veſter præceptor eſt, vt vos ipſos, ſi ſanis illius conſiliis acquieſceretis, multum proficere poſſe commonefacerem, Pag. 8. Quídni verò eum laudem, quem tu ipſe laudas etiam inuitus? Num enim ab eo etiã laudari cupis? Quare nec hîc quoque locum habere poteſt, *Mutuò muli.* Quanquam quid tibi venit in mentem, vt modeſtiſſimum illud meum de Cl. V. Sturmio teſtimonium Pag. 9. reprehenderes, quum eum virum vniuerſus orbis admiretur? Quod verò ais præter *vetuſtatis exempla* à Sturmio (qui aliam artem, quàm Theologiam, profitetur) Chriſtianam religionem aduerſus Eutychetis errorem renouatum defẽdi, C & ego Pag. 12. 13. & 14. variis exemplis iam refutaui, & tandem fateris ipſe id eum facere potuiſſe. Certè ſutor vltra crepidam non agit, quum Chriſtianus Sturmius de Chriſtiana religione, & filius de patris ſui teſtamento diſputat & quærit. Sed de Sturmio quæris, quæ fuerit illi obiecta neceſſitas veritatis aduerſus Theſes Pappi propugnandæ. Id verò diſce tum ex ſuperioribus Antipappis, tum ex luculentiſſimo illo quarto Antipappo, vbi manifeſtè docet mutatam Pag. 11. eſſe à Pappo veterem illam, & orthodoxam Argẽtinenſis Eccleſiæ fidei confeſſionem, quam ipſemet Pappus inter ipſas magiſtratus manus ſe perpetuò ſeruaturũ eſſe iurauerat. Num verò Rectoris non intereſt, vt in Academia & vera pietas, & incorrupti profeſſorum mores conſeruentur? Quòd autem ipſe à me Petri locum requiris, vbi docentur Chriſtiani fidei ſuæ rationem cuiuis petẽti reddere, in mei Antioſiandri margine annotaui, nec modò caput, ſed & verſiculum ipſum, ne vos A propter fumos ceruiſiarios, ſeu vinarios erraretis. Sturmium & omnes qui veſtrum ambitioſum ſuggeſtum non conſcenderunt, fungos eſſe putas, Gerlachi, quaſi tu in media Turcia (vnde poſt diuturnam moram nunc primùm redis) plus veræ Chriſti Theologiæ didiceris, quàm Sturmius, legendis aſſiduè veterum omnium orthodoxorum Patrum eruditiſſimis ſcriptis (vt ſatis apparet) & quidem Argentinę, vbi florẽtiſſima fuit Dei Eccleſia? Audi verò tu qui titulum Doctoris tibi tribuis, *Nemo*, ait Gregorius, *plus nocet in Eccleſia, quàm qui peruerſè agens, nomen vel ordinem ſanctæ vitæ habet.* Ergo vos, qui vobis ſolis claues ſcẽtiæ retinere vultis, & neminem ad eam intrare ſinitis, plus nocetis Eccleſiæ, quàm qui nullo D. Doctoris, & D. Superintendentis titulo & faſtu turgidus, candidè fidei ſuæ rationẽ inter Chriſtianos exponit. Quod fecit Sturmius, & quidem rectiſſimè. Nam ecquis Chriſtianus paulò eruditior, ſic falſo præiudicio eſt præoccupatus, vt veſtra, & Sturmii ſcripta legens, Sturmium infinitis partibus, etiam in Theologicis, & te ipſo, (qui fortaſſe cenſes magnũ quendam eſſe te Theologum) & Pappo, & Oſiandro B doctiorem eſſe non ſtatim iudicet, & videat? Quis ſis enim & quantus, vel ex eo apparet, quòd quum negarem Apollo, Aquilam, Andronicum, Iuniam, & ſimiles alios fuiſſe ex illorum duodecim Apoſtolorum numero, ſtatim collegiſti, Ergo eoſdem Theologiam quoque, ex mea ſententia, neque didiciſſe, neque tractaſſe. Quaſi ego aut quiſquam Chriſtianus eruditior, idem ſentiat quod tu, idem eſſe nimirum Apoſtolum eſſe, & Theologiæ, ac fidei Chriſtianæ ſciẽtem. Imò nec quicunque verus Chriſtianúſque Theologus eſt, propterea, veſtro more, Epiſcopus eſt, & Superintendẽs, vel etiam aliam artem palàm exercere, & profiteri prohibetur: quod tamen in Sturmio ſtultè culpas. Niſi fortaſſe Paulum ipſum, ſelectum illud Dei Act. 18. v. 3. & 20. v. 34. 1. Cor. 9. organum, Corinthi morantẽ, & illic σκηνοποιίαν exercentem, tunc Theologum non fuiſſe, aut perperam egiſſe cenſes. C Et quid tibi venit in mentem, vt in Dei Eccleſia, atque etiam tẽporibus ipſius Pauli Apoſtoli, Priſcillam illam mulierem etiam inter Paſtores & Doctores fuiſſe, ex Dorotheo fortaſſe tuo, autore nihili, vel potiùs ex tetra Pepuzianorum hæreſi ſcriberes? Num quæſo publicè mulieres in Eccleſia docent in Turcia, vbi tandiu fuiſti? Sed etiam ſi inter eos fieret, tamen in Chriſtiana Dei Eccleſia fieri non debet: neque, ſe viuo, fieri 1. Tim. 2. vnquam certè paſſus eſſet Paulus, vtcunque eam συνεργὸν ſuam vocet, quam tu, Theologe, vocem etſi Theologicam, non intellexiſti. D. autem Sturmius, quem Theologum eſſe negas, rectè ſanè intelligit. Sed neque falſò contra Vbiquitatem, vt Creſconius contra Auguſtinum ſcripſit: imò verè, & orthodoxè, quemadmodum Arnobius, & Minutius, ipſi Grammatici, de Chriſtiana religione libris etiam editis, diſputarunt: contra Vbiquitatem, inquam, veſtram, & nouam, & veterem. Nouam quidem ſi vocem ſpectes, veterẽ autem propter erroris fundamentum. Itaque toto cœlo aberras, dũ putas & nos, & Sturmium nolle vt errores, qui modò verè ſunt errores dãnẽtur: imò homines etiã ipſos errãtes, ſi modò perſeuerarint, legitimè auditos & conuictos damnamus. quod vos facere negatis velle: & tamẽ Laonicus imprudens, & arcanum ſuorum

rum

A rum iam prodens, vos velle, & eò ſpectare, mihi
Vide in Laonico. in Spongia indicauit. Quare iam tibi non erimus
Cyclopes & Epicurei, quum & errores, (qui verè
pag.14. ſunt errores) & perſonas ipſas errantes, priùs auditas,
& conuictas, & nihilominus obſtinatè perſeuerantes,
damnemus, quemadmodum audis. Quæris
autem, iterũ & ſæpius, quid fuerit neceſſe vt Sturmius
patrocinium veritatis contra Theſes Pappi
ſuſciperet. Ad id ego verò iam reſponderam, Gerlachi.
Sed quia, quemadmodum video, quid agas,
non attendis, denuò quoque reſpondeo. Quia veritas
à Pappo oppugnabatur, quia technis, & doctis,
vt ait ille, dolis petebatur, qui ſunt vi aperta
damnabiliores: quia & ſana & vetus Argentinenſis
ſcholæ fidei confeſſio à Bucero, Capitone, toto
Senatu comprobata, & in quam omnes profeſſores
iam olim iurauerant, mutabatur: quia denique aliter
ipſe Pappus ſui ſacramenti immemor, erat peieraturus.
Quod in ipſiuſmet Pappi commodũ pati
noluit Sturmius, Argentinenſis Academiæ Rector,
ad quem profeſſorum omnium, vti dixi, inſpectio,
& morum conſtitutio pertinet. Vides igitur
quàm neceſſaria fuerit cauſſa Sturmio tot peccatorum
ab Argentinenſi ciuitate auertendorum,
B propter quæ ira Dei venit in homines, quemadmodũ
Epheſ.5. Paulus ait. Cæterùm σοφὸν φάρμακον eſt, quod
& à te, & à veſtris affertur, non totas Eccleſias noſtras
Pag.16. & 17. à vobis damnari, ſed tantùm nos earum Paſtores.
Ouiculas enim ipſas excipi ſcribis. Atque
nulli ſunt in noſtris Eccleſiis, qui prudẽtes ac ſciẽtes
Vbiquitatem veſtram non reiiciant, & veram
de ſacra Domini Cœna doctrinam, quam annuntiamus,
non libenter, & προαιρέσει animi certiſſima
& deliberatiſſima amplectãtur. Sed nimirum magna
eſt veſtra hæc ſapientia, & aſtutia, qui, vt ouibus
noſtris, & grege ipſo toto poſtea faciliùs potiamini,
Paſtores earum eiicere (pacis cum grege
ineundæ prætextu) deſideratis. Nimirum vti aſtutus
illе Athenarũ hoſtis, Philipp⁹ Macedonũ Rex,
optimos quoſque viros expulit Athenis, quos &
Rhetoras, & ſeditioſos, vt tu Sturmium facis, appellabat.
Verùm quid tibi faciam, qui veſtrum illud
Pag.18. *Damnare* idem eſſe atque noſtrum *neges*? quaſi
vos dogma duntaxat, non perſonas: nos autem
& dogma & perſonas legitimè conuictas, &
obſtinatè perſeuerantes dãnemus. Atqui primùm
C à Laonico tuo, id eſt, collegij tui digniſsimo membro
refutaris, qui ab Oſiandro, & à vobis, & nos &
noſtrum dogma ſimul damnari affirmat, adeóque
Laonicus Spongia. Pag.19. nos à vobis ipſi magiſtratui tradi, vt ſaltem grauiſſimâ
illa exilij pœnâ mulctemur. Quod niſi nobis
iſtud arcanum ſuorum prodidiſſet Laonicus, futura
ſcilicet erat grauis de eo controuerſia. Sed tuipſe
tandem teipſum deſtruis, & quod dico verum
eſſe, & ab Oſiandro fieri, pag.19.20.21. agnoſcis. Age
igitur, & cum tuo collegio, & tecum ipſe conſenti,
Pezelius in præfatione ſecũdæ partis Argument. Philippi. Gerlachi. Deinde res ipſa, quam exercetis, aliud
omnino probat. Quot.n. patriis ſedibus expuliſtis?
quot quotidie expellitis? quot expellere adhuc
cogitatis, & in carceribus detinetis? Fortaſſe
tibi, qui tãdiu patriâ caruiſti, & plus terrarũ, quàm
vllus mulio perpetuarius calcaſti, neque exiliũ neque
carceres inter pœnas iam cenſentur: ſed in eo
cõtra communẽ omniũ hominum ſenſum iudicas.
Hæc verò & Pappana, & Oſiandrica, & iam Gerlachiana
diſtinctio, vt hæreſis damnetur, in tacto
tamen manente hęretico, qui in ea perſeuerat, ferri
ſuſtinerique nullo modo, quemadmodum docui,
poteſt. Itaque, quum eam meram eſſe ſtropham, A
Illuſtriſsimi Principes, qui etiam vobis fauerant,
intelligerent, coegerunt vos, quanquam inuitos,
tollere illud veſtrum & ſuperbum, & arrogans Pag.21.
Damnamus, & *anathematizamus*. Conquereris
etiam quòd veſtram ſententiam non capiam, quia
dixi perſonas errantes, & perſeuerantes, vnà cum
dogmate à vobis neceſſariò damnari, quicquid id
vos facere negetis. Excipis enim tu bellè, non omnes
perſonas ſic errantes à vobis damnari, ſed ouiculas
excipi. Atque hæc quæ iam dicam, tua ſunt,
quæ etiam ad oues perſeuerantes in errore pertinent,
nimirum vt generaliter omnes *perſonæ conuictæ,*
admonitæ, & tamen pertinaciter hæreſin retinentes,
damnentur. Ergo & oues, vti & Paſtores, ex teipſo
ſunt damnandæ. Vides quid velis. Præterea
quæro ex te, ſi toti greges noſtri veſtram Vbiquitatem
(de qua iam audierunt) deteſtantur, & ἐκ
προαιρέσεως animi, nõ autem (vt veſtri putant) ex vlla
ignoratione veſtræ ſententiæ, veſtrarúmque rationum
(quas non diſſimulamus illis) noſtram doctrinam
de Cœna amplectuntur, veſtram prorſus
reiiciunt: nónne iam erunt tibi damnandi etiam
greges ipſi toti? Certè erunt. Atque antea reſponderam,
tales eſſe noſtros greges, vt iam inter nos B
ouiculas tuas Vbiquitarias fruſtra quæras, ideóque Pag.22.
noſtras totas Eccleſias, quicquid ſimules, diſſimuléſue,
condemnas. Quod autem Zuinglium, & Caluinum
ab orthodoxis damnatos ais, profer vel vnum,
qui id fecerit, & viceris. Sed magno animi
errore falſum pro vero ſumis, & Vbiquitarios appellas
orthodoxos, id eſt, principium in probando
petis. Vt & Laonicus, qui Vbiquitariam doctrinam
vocat Catholicam, cùm & à noſtris, & à Papiſtis
adeò ipſis oppugnetur & expugnetur ex Dei Pag.23.24.
verbo. Quod porrò addis, *Peccatores conuerti poſſe*,
& nos concedimus. Quis enim hoc neſcit? Itaque
erroris priùs volumus legitimè conuinci, qui vt
hæretici damnantur, & tamẽ diu tolerari: ac etiam
propterea bene de vobis ſperamus, etſi grauiſſimè
nunc erratis, quoniam illud nobis eſt notiſſimum,
Nemo deſperet meliora lapſis. Denique vos tandem
noſtram ſententiam amplexuros ſperamus, id eſt, 1.Tim.1.
veritati aſſenſuros. Paulus ex lupo, & Saule factus C
eſt Paulus, & Chriſti Apoſtolus: Cyprianus ex
mago, & Auguſtinus ex Manichęo factus eſt Chriſtianus.
Sed dum de dãnandis hominibus agimus,
non de iis intelligimus, de quibus adhuc ſpes eſt:
ſed de iis, de quibus deſperatur, ſiue ſint illi Paſtores,
ſiue greges & ouiculæ, quòd nimirum in iis omnis,
vt ad reſipiſcendum adducerentur, via verbo
Dei præſcripta, & more maiorum, id eſt, Eccleſiaſtico
conſtituta, tentata, & obſeruata fuerit. Solos
enim eos damnandos dicimus: vos autem ſemper
occinitis, *Paſtores, non ouiculas*. Nec à nobis, ais, in
veſtris Eccleſiis præter Paſtores ipſos quiſquam
damnatur. Hæc non cohęrent, quoniam etiam eæ,
quas appellas, *Ouiculæ* perſtant, ex vero animi propoſito,
in noſtra ea doctrina, quam vos damnatis:
& nobiſcum veſtras rationes & dogmata certo animi
iudicio, publicè priuatímque omnes, & ſingulæ
illæ ouiculæ reiiciunt. Ergo ſingulæ, & omnes
à vobis damnantur: atque ita totæ Eccleſiæ
noſtræ à vobis anathematizantur. Atque vtinam
etiam tu verum diceres, quum addis, de conuictis
tantùm illam perſonarum damnationem intelligi.

A Nam ſaltem in nobis Paſtoribus damnandis illud expectaretis, & ſeruaretis, vt falſæ doctrinæ conuinceremur. Verùm nimiâ odii in nos cæcitate omnem legitimam agēdi rationem prætermittitis, de quo iampridem conquerimur. Sed vt vident omnes, ſurdis iſta canimus. Sed quid plura? Tu enim ipſe Gerlachi, omni iam metu nos liberas. Nam Pag.26. ſi tu, vt ais, *Ea fidei cōfeſſio, quæ per vim obtruditur, vel verborum blanditiis perſuadetur, nullo modo totius Eccleſiæ confeſſio putanda eſt, & qui falſorum doctorum clamoribus adducti, eam amplectantur, non ſunt hæretici*: certè iam neque Nouæ veſtræ doctrinæ Nouū corpus confeſſio, totius Eccleſiæ Dei Germanicæ confeſſio cenſenda eſt, neque nos, qui eam non amplectimur, hæretici iudicandi. Quis enim ignorat: quo aſtu, quibus verborum lenociniis, quibus pollicitationibus, imò etiam qua via, & quibus minis ſubſcriptiones illorum, maxima ex parte clericorum (qui illam confeſſionem nouam ſubſignarunt) fuerint à volaterrano illo Iacobo Andrea, & aliis extortæ, & eruſcatæ? Quis neſcit veſtrorum doctorum, qui errorem Eutychianum reuocant, clamoribus hoc ipſum Nouę veſtrę doctrinę cor- B pus populis inuitis obtrudi? Ergo pulchrè teipſum, & tuam illam concordiam hac tua ſententiâ condemnas, & de gradu deiicis: & nos abſoluis: quandoquidem tantum ipſius veritatis vis apud te potuit, vt hæc abs te inuito extorqueret. Cæterùm quod negas inter primos huius controuerſiæ diſceptatores (non autem inter vos & nos) de verbis Pag.30.31. & 32. potiùs, quàm de rebus certamen fuiſſe, id & Pappus ipſe in reſponſione ſua ad Sturmium faſſus eſt, & ita diſertè apertéque ex eorum ſcriptis demonſtraui, vt tu totum tuæ refutationis præſidium *ἐν τῷ ἀποφάναι*, id eſt, in mera negatione quæſieris, quia veriſſima teſtimonia à me prolata refutare nullo modo poteras. De quo ipſo quoniam iam in Laonico dixi, ad ea te remitto, & ad Epiſtolam Caluini tum ad Philippum, *Quanquam*, 141. tum ad Marbachium tuum quem ad hoc infœlix certamen agendum cohortaris. *Iam ferè*, 147. & ad quartum C Antipappū Sturmii præceptoris tui, & ad teipſum, Pag.33. pagina 33. & 34. Cæterùm eâdem fide ſuperiora negas, qua contendis nullam fuiſſe mutuā inter Caluinum, Philippum, Bucerum, Capitonem, Oecolampadium, Viretum, & cæteros noſtros amicitiam, quæ tamen ex eorum epiſtolis luce meridiana clariùs & certiùs apparet: ſed tuæ occupationes eas legere, quanquam à me citatas, non ſinunt: nec Philip. cō ment. in Epi. Pauli ad Coloſ. cap.3. commentarium Philippi, vbi ille apertiſſimè noſtram ſententiam de carne Chriſti in cœlum receptâ, & ibi contenta vſque ad diem iudicii, probat, & confirmat. Nam quòd ais, Oecolampadium appellaſſe ſigna S. Cœnæ, *ſymbola carnem Chriſti corporalis præſentia modo abſentem repræſentantia*, Lutherum verò dixiſſe, carnem ipſam Chriſti exhiberi, & idcirco eos inter ſe de reipſa diſſenſiſſe, hoc ipſum te refutat. Oſtendit enim de re quidem ipſa, id eſt, de carne Chriſti (quòd detur in S. Cœna) ſatis inter eos conueniſſe: ſed de modo præſentiæ certamen manſiſſe, quum Lutherus corporalem, Oecolampadius autem ſpiritualem carnis Chriſti præſentiam eſſe, per fidem nimirum, contenderit. Quę Oecolampadii ſententia proculdubiò eſt veriſſima, & ipſi Sacramentorum naturæ omnino conſentanea. Lutherus igitur ſuas phraſes, Oecolampadius itē ſuas retinebat. Denique quod à Luthero Vbiquepræſentiam probatam eſſe dicis, facis Oſiandro magnam iniuriam, qui eam tam procul, vt infauſtam, & inauſpicatam auem (& meritò quidem) à ſe ſuíſque ædibus abegit. A vobis aſcenſionem Chriſti mutari in euaneſcentiam, ſeu diſparētiam carnis Chriſti in his nubibus & *aere*, vbi tamen adhuc verſatur, ſed inuiſibilis nobis, quum dico, Gerlachi, non mentior. Sic enim loquuntur poſtremæ Theſes Andreæ Muſculi, qui vnus fuit ex ipſis Nouæ doctrinæ ſex compilatoribus, & fabricatoribus. Et certè illud omnino ex veſtra Vbiquitate, velitis nolitis, conſequitur. Cur verò conquereris, quaſi non ſuam carni Chriſti maieſtatem tribuamus, cùm eam & corde & ore affirmemus eſſe ſupra cœlos omnes excelſiſſimos euectam, & ad Patris omnipotentis dextram ſedentem, & gloria ipſis beatis Angelis admirabili habitualiter etiam ornatam: imò eam eſſe vnicum illū vitę æternæ ab ipſa λόγου Deitate in nos deriuandæ canalem, electum & datum nobis à Deo, cui nos communicare omnino oporteat, vt vitæ illius æternæ ſuccum ex ipſo Chriſto, Filio Dei, hauriamus? Quid ampliùs igitur à nobis deſideras? Nempe vt humanam naturam à λόγῳ aſſumptam ipſi naturæ aſſumenti, id eſt, Deitati, Maieſtatica veſtra chimæra, exæquemus, id quod vos nomine *Maieſtatis, & omnipræſentia* carnis Chriſti apertè facitis. Verùm ſic de Chriſti carne, etiam glorificata, ſentire, non eſt ex Dei verbo ſapere: ſed ex Eutychetis delirio blaſphemare. Cęterùm quàm ſuauis & facetus es, mi Gerlachi, dum tuæ Vbiquitati præſidium ab ipſis apoſtatis, & Antitrinitariis, (quos, ſiqui alii, maximè oppugnamus) contra nos quæris? nempe niſi huiuſmodi hæreticorum teſtimoniis fulciretur veſtra illa Vbiquitas, erat ſtatim ruitura. Ergóne nos noſtrámque doctrinam ex vnius iſtius apoſtatę Neuſeri literis, abs te fideliter ſcilicet deſcriptis, grauare bellè cogitas? Sed primùm, vt tibi de literis iſtis credamus, quid illæ contra nos? Imò docent, quandiu inter nos ille vixit, nec talem fuiſſe, quem Conſtātinopoli vidiſti: nec, niſi à nobis, noſtráque doctrina fugeret, talem vnquam futurum fuiſſe. Sumúſne verò ex eo damnandi, quòd qui apoſtatæ à vera fide fieri volunt, neque inter nos diutiùs verſari, neque tolerari poſſunt? Ecquis neſcit in ipſa Chriſti familia, & Apoſtolorum cœtu Iudam proditorem fuiſſe? ex ipſa Chriſtiana & Apoſtolica Eccleſia, & Nicolaum, & Cerinthum, & Philetum, & Hymenæū, & reliquos omnes Hæreticos extitiſſe? Eſtne propterea doctrina ipſa Apoſtolica damnanda, vel ipſi Apoſtoli illius præcones vllo odio & præiudicio grauandi, & vlla labe commaculandi? Imò verò ex eo potiùs ipſo puritas eorum, & doctrinæ, & Eccleſiæ animaduertitur, quòd inter eos, vti & inter nos, non magis vllæ hæreſes aut Apoſtaſiæ ſordes, quàm fœda aliqua ſpuma in medio pelago, conquieſcere poteſt, ſed longè in littus aliquod, & extra eiiciatur neceſſe eſt. Itaque idem tibi reſpondemus, quod ipſe Iohannes Chriſti Apoſtolus, quibuſdam tui ſimilibus, hypocritarum ab Euangelio ad hæreſin, aut paganiſmum defectiones Eccleſiæ exprobrātibus reſpondit, *E nobis egreſſi ſunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent. Sed hoc factum eſt, vt patefieret non omnes eſſe ex nobis.* Cæterùm quod à Neuſero dictum maiuſculis literis, tanquam

A Oſiand. in fine Antiſturmij.

Andre. Muſcul. in 3. parte theſ.

B

Pag.31.

C

Apoc.21. Act.6. 1. Tim.1. & 2. Tit.2.

1. Ioan.2. x.29.

A Pag.39. tanquam Apollinis oraculum nobis notaſti, *Qui timet ſibi ne incidat in Arianiſmum, caueat Caluiniſmum*, vt ab illo ſiue dictum ſiue ſcriptum, vel potiùs à te fuiſſe confictum tibi concedam, & hac criminatione impurus ille ſibi onerãdos eos putarit, quos Heidelbergæ ſuæ blaſphemiæ inimiciſsimos fuit expertus: quàm fide dignus eſt hic Apoſtata tuus, & quidem vnicus teſtis? Denique, quis non animaduertit illum infelicẽ, tum ſui purgandi tum infamandæ doctrinæ totius Chriſtianæ cauſſâ, atque vt ita optimũ illum, & illuſtriſsimũ Principem Fridericum Tertium, Comitem Palatinum traduceret, iſta facilè effutiiſſe? apud te præſertim, huiuſmodi falſos rumuſculos, etiam aduerſus Germanos Principes, auidè Conſtantinopoli à quouis, (vt ex tuis ad Chytræum literis apparet) captãtem idque potuiſſe. Ergo tui oblectãdi gratiâ hæc dixerit, vel ſcripſerit Nauſerus, quem non ignorabat eſſe noſtræ confeſsionis hoſtem infeſtiſsimum, & à tua ſodalitate eò miſſum, vt ipſe ſecũdus à Iacobo Andrea Vbiquitatis Apoſtolus Gręcos, B & Conſtantinopolitanum Patriarcham, ad tuam fidem, ſi poſſes, conuerteres, & in veſtrum errorẽ induceres. Sed ille Græcus haud natus in veruecum (vt aiunt) patria, & te Germano naſutior, technas, & odores tuos olfecit, & ſibi maturè à tuo errore cauit. Itaque turpiſsimam ab eo repulſam paſſus, reliquum temporis vagus & iners illic vixiſti, fuitque tota hæc tua legatio inanis, quoniam te non ſatis aptum legatum tuus ille conuentus delegerat: adeò quidem, vt etiam quædam Gręcorum vocabula in chartis collegeris, quorum explicationem & ſignificationem per M. Cruſium, à viro doctiſs. Frãciſco Porto collega meo (id quod verè affirmo) emendicare te non puduerit, vt multũ profeciſſe in ea peregrinatione videreris, & alienis, id eſt, F. Porti veluti plumis ornatus, te tuis vẽditares. Intellextin' qui ſis, Gerlachi, & vt tua Turcica diſcurſatio ſit nobis nota? Et ad tua quidẽ Turcica teſtimonia tibi ſic reſponſum eſto. Quòd autẽ eſſe διαβολὴν criminaris, quod dixi, Sacramentalem & Spiritualem carnis Chriſti manducationem ab Oſiandro, velut res inter ſe pugnantes, committi, in eo me non calumniatum eſſe, ſed verũ ſcripſiſſe affirmo. C Nam verba & manducationem ſpiritualem à Chriſto commemoratam cap. 6. Iohannis, ad eiuſdem carnis manducationem, in S. Cœna, nequaquam accommodari vel pertinere poſſe, vbique ille in toto illo ſuo Antiſturmio, & tu pag. 45. quoque, & tui omnes (falſiſsimè tamen) contendunt, ne conuincantur ſacrum & eſſentiale Chriſti corpus alio inſtrumento, quàm fide & ſpirituali ſumi. Quare eas duas manducationes eiuſdem eſſentialis carnis Chriſti, inter ſe, vt ἀντικειμένας & Oſiander (quod dixi) & tui (quod non percipis) inter ſe opponunt. Vident igitur omnes, me non eſſe διάβολον ſed te, quæ ex tuis, tuorúmque verbis neceſſariò conſequuntur, non intelligere. Nam quod ait Oſiander, neceſſarium eſſe, vt etiam in Cœna ſpiritualiter caro Chriſti manducetur ab eo, qui ſuam ſalutem promouere velit, non vult ille, ipſam Chriſti carnem in S. Cœna, nõ, niſi ſpirituali fidei ore, ſumi poſſe, quandoquidem hic idem ad Gallicas Eccleſias ſcripſit, ipſam carnem Chriſti *etiam impuro indignorum ore ſumi poſſe*: ſed hoc vult ille nimirum, ne cogatur fateri, etiam locum Iohannis, (qui modum explicat, extra quem eſſentialis Chriſti caro manducari nullo modo poteſt) etiam de mãducatione veræ carnis Chriſti, quę fit in S. Cœna, intelligi quoque oportere: ac illam repugnantiam, quam dixi, inter ſacramentalem & ſpiritualem veræ Chriſti carnis manducationem à vobis conſtitutam tollere videatur. Pag.41. Quòd autem me irrides, qui inter *Credere & manducare* eam diſtinctionem conſtituam, quæ eſt inter cauſſam inſtrumẽtalem, & effectũ, tu potiùs mi homo, verè teipſum deridendum omnibus propinas, qui cauſſas & effecta ſalutis ſecernere nõ potes. Sed quia de eo ad Laonicum iam reſpondi, illinc, ſi libet, reſponſum pete. Pag.43. Porrò nouam hîc nobis inuidiam conflare conaris. Vis enim ſacramentalẽ ipſius carnis Chriſti manducationem à nobis non tantùm confundi cum ſpirituali (quod tui nobis antea obiiciebant) ſed eam omnino à nobis tolli, quoniam non concedimus eſſentialem Chriſti carnem in S. Cœna ore corporis manducari. Qua in re prorſus falleris. Sacramentalis enim veræ & eſſentialis Chriſti carnis manducatio eſt ea, qua Sacramentalẽ actionem celebrantes, & ſignorum vſum adhibentes, B veram Chriſti carnem, ſolo fidei, non corporis, ore percipimus, quam nos & fatemur, & agnoſcimus. Itaque vna & eadem ſemper eſt veræ carnis Chriſti manducatio, non diuerſa, ſiue in Cœna Domini, ſiue extra Cœnam fiat, & ea ſemper vno & eodem inſtrumento, nempe fide, fit à nobis. In adiunctis tantùm diſcrimen eſt, quòd nimirum in Sacramentis, ad noſtræ fidei cõfirmationem, ſigna quædam à Deo inſtituta adhibentur: extra Sacramenta verò nullus eſt eiuſmodi viſibilium ſignorum vſus. Tu verò, Capernaitarum more, ſentis in S. Cœna aliter, & alio inſtrumento ipſam eſſentialem Chriſti carnem edi: aliter, & alio inſtrumento extra S. Cœnam. Sed in eo falli te dicimus. Vnius enim, & eiuſdem Sacroſanctę carnis Chriſti edendæ vnicum duntaxat, & perpetuum ſemper eſt inſtrumentum, nempe fides, vbicunque illa caro edatur, ſiue in Sacramentis, ſiue abſque Sacramentis. Vides igitur, vt neque tollamus Sacramentalem ipſius carnis Chriſti mãducationem, ſed tu Sacramentalem interpretaris manducationem carnali modo, ſiue ore corporis factam, ipſe carnalis: C neque eam cum merè ſpirituali manducatione confundamus, vt ad vtranque tuam in nos calumniam habeas veriſsimum meum reſponſum. Sed vide, quàm ipſe ineptias, qui ſpiritualem manducationem definias pag. 49. eam, *qua non ipſum corpus Chriſti, ſed eius beneficia tãtum percipimus*. Agnoſciſne tua verba Gerlachi? Quòd verò me parente, & præceptore (neque enim me meorum præceptorum, vt te tuorum, velut Philippi, pudet) meo P. M. Ioanne Caluino inuidioſè perſpicaciorem facis, Pag.46. quum dico, Ioan. locum, 6. cap. generaliter de manducatione carnis Chriſti, ſiue in Cœna, ſiue extra Cœnam accipi, & non ad ſolam Cœnam reſtringi, vide quid Caluinus ipſe & ibidem, & alibi ſcripſerit. Cal. lib. 4 in Inſtit. Chriſt ca. 17. ſect. 6. & 34. & in Ioan. 6. v. 54. Nam hoc quoque quod dixi, me ab illo didiciſſe facilè cognoſces. Ille enim fatetur in cap. 6. Iohannis, nihil dici, quod non in Cœna figuretur. *Itaque ſacram Chriſti Cœnam huius concionis ſigillum eſſe ſcribit.* Vides igitur ab ipſo Caluino abſtergi illud ſcomma, quo ſcurriliter aſpergere me conatus es. Cæterùm quæ à pag. 47. vſque ad 51. continentur, ex ſuperioribus ſunt ſatis confutata. Vnũ modò obſeruandum eſt, Gerlachium vi veritatis

A victum tandem acquieſcere noſtræ ſententiæ,cùm fateatur contra omnium ſuorum opinionem , ipſummet Chriſtum ſola Sacramētali manducatione Pag.51. non edi in S.Cœna,niſi ſpiritualis manducatio coniungatur.Itaque idem hic penè pag. 53. noſter eſt,quum ait,*Sacramentalem carnis Chriſti manducationem eſſe obſignationem ſpiritualis manducationis eiuſdem carnis.* Ex quo colligo, vel ipſo Gerlachio teſte,non aliter ipſam carnem Chriſti in S.Cœna, quàm extra Cœnam māducari,quod & verum eſt. & nobiſcum facit , & ſuos apertè oppugnat. Sed homo inconſtans ſeipſum poſtea euertit,quia,etſi à noſtris rationibus vincitur,à ſuis tamen diſcedere non audet, metu exilii à Laonico ſibi intentati. Sed & illud,quod ait pag.60.*Sacramentum vnum & idem eſt,quoad ſubſtantiam,dignis,& indignis* , quàm parum à veritate diſtat?dic,Sacramentum vnum & idem eſt,quod ad ſignificationem,& ipſius Sacramenti naturam,dignis & indignis,& rectè dixeris, & nobiſcum conſenſeris,& tota lis erit finita. Verùm reliqua perpendamus. Ait Gerlachius , *Subſtantiam Sacramenti percipi & à dignis,& ab indignis*: B ídque ſe putat confirmare ex verbis Domini. Verùm verba illa Chriſti, vti ſæpe docuimus,nequa- Pag.52. quam intelligit,*Hoc eſt corpus meum*,quia hoc ipſũ eſt petitio principii. Nam ſunt tropica. Quod autem contraria à nobis dici putat , quum aſſeueramus carnem Chriſti & abſentem, & præſētem eſſe in S. Cœna , facilè ex hac diſtinctione veriſſima diſſoluitur. Abeſt caro Chriſti à S. Cœna præſentiæ corporalis ſitu & modo,& coexiſtentia cum ſignis, qualem vos ſolam carnis præſentiam in S. Cœna fingitis. Adeſt eadem caro Chriſti in ſacra Cœna,ſpirituali efficacitate,præſentia fidei, & Sacramentali,& verè noſtra cum ea per Spiritus ſancti opus communicatione ac conſociatione. Vides igitur vt te iſtis animi anxietatibus leui diſtinctionis liberemus. Paulum verò ſic interpretaris,quum ait ille,*Panis,quem frangimus,eſt communuicatio corporis Chriſti*,quaſi velit ſine *diſcrimine digni,& indigni hominis ipſam ſubſtantiam Sacramēti*,id eſt,ipſam ſubſtantialem carnem Chriſti ab omnibus ad S. Cœnam accedentibus edi. Dormitáſne verò quum C Paulum legis , qui in eadem Epiſtola cap. 11. non animaduerteris eum diſtinguere manifeſtè inter dignos & indignos , & velle dignos duntaxat ſumere ipſum corpus Chriſti : indignos autem *hunc panem*,& *hoc poculum*,vt ipſe loquitur,id eſt , ſacra tãtùm ſigna eſſentialis corporis, & ſanguinis Chriſti ſumere?vel,vt loquitur Auguſtinus , *demonſtrationem gratiæ,cuius ſunt iſti ingrati.* Perbella verò eſt August.in Ioan.trac. 62. illa tua verborum Pauli interpretatio,*Poculum benedictionis eſt κοινωνία ſanguinis Chriſti*,id eſt,Sanguis Chriſti eſt cum vino,in vino,& ſub vino. Tria enim illa coniũgere debuiſti,quoniam hæc eſt plana tua , & tuorum ſententia , quam hîc propter ἀτοπότητα perſpicuè addere nõ es auſus. Quod ad locum autem Auguſtini lib. 3. de Baptiſ. contra Donatiſtas cap. 14 eum planè admittimus , & te, tuóſque,ſi rectè intelligeres,ab eo oppugnari animaduerteres. Diſputans enim Auguſtinus contra Donatiſtas, qui Sacramenta , id eſt , Actiones, & ritus ipſos à Deo inſtitutos,non ex ipſa Dei inſtitutione,ſed ex hominum dantium aut accipiētium fide & probitate, Sacramenta , & σφραγίδας promiſſionum eſſe conſtituebant,verè reſpondet , & totum,& tam ſanctum , & tam integrum Sacramentum tã à pio quàm ab impio homine accipi:ſed de ſignorum tantùm acceptione,& non de re ſignata A loquitur Auguſtinus , vel eo ipſo teſte in Ioan. Tract. 62. Rem enim ipſam Sacramenti ab indignis ſumi negat. Atque hoc ipſum eſt , quod idem ait , *ad ſalutis viam* longam eſſe differentiam inter dignos & indignos. Etſi tamen ab iiſdem totum Sacramentum, & Chriſti Sacramentum accipi cõcedit. Id quod nos & cum Auguſtino dicimus, & ab eo didicimus,& vos euertit,qui rem Sacramenti,& non tantùm ipſum ſignum,ſeu Sacramentum ab indignis ſumi vultis. Legat illud ipſum cap.14. Aug.qui volet,& habebit illic facilē ſui iuterpretē Auguſtinum nobis prorſus aſſentientem,vobis autem contrarium. Eodem modo intelligendum eſt, quod Gerlachius ex eodem Auguſtino,cap.6.contra Fulgentium , & ex epiſtola 162. citat. Nam his omnibus locis Auguſtinus ſignum ipſum corporis Chriſti,quod Iudas ſumpſit,vocat *bonum corpus, & pretium*,ratione Sacramentali,quia ſignum,quemadmodum aquam Baptiſmi,quam ſumpſit Simon Magus,appellat idem Auguſtinus bonum Baptiſma,quia(quatenus ea ſigna ex Chriſti inſtitutione B conſiderantur)hæc bona ſunt,& rerum earũ, quas ſignificant, nomina accipiunt. Ad tertium autem locum Auguſtini Laonico iam reſpondi.Cæterùm quod affingit mihi Gerlachius,quaſi ſentiam , nos in S.Cœna per fidem participare tãtùm efficaciam, & virtutem carnis Chriſti, non autem ipſam carnem,puerilis eſt iſtius hominis hallucinatio,& iocatio,vt nihil grauiùs dicam.Nam pręſentiam carnis Chriſti in S.Cœna dico eſſe ἐνεργητικήν:ipſam verò noſtram cum ea carne communicationem,affirmo eſſe veram,realem,atque etiam rei ipſius, quæ percipitur à nobis,ratione,non autem modo perceptionis corporalem(corpus enim ipſum Chriſti participamus) Non tamen eam ſtatuo corporalis pręſentię genere,& modo pręſentem.Sed iſte quia non putat communicationem noſtram vllam eſſe poſſe cum re quapiam,quæ ſit præſentiæ corporalis modo ab iis terris abſens , idcirco præſentiam carnisChriſti & noſtram cum eo communicationē C cõfundit,& vtranque corporalem facit,ſed,quemadmodum antea dixi,malè. Porrò quod ait Auguſtinus apud Proſperum,*Integrum Sacramētum duobus conſtare*, nimirum ſigno & re ſignata , & vetus eſt,& verum,& ex Irenæo ſumptum: ſed non ideo ſequitur, vtrunque hoc,nempe ſignum,& rem ſignatam ab omnibus ſigna ſumentibus capi. Indigni enim , & impœnitentes , ad S. Cœnam accedentes,ex hac *Sacramenti* ſignificatione,dimidium tantum Sacramentum,nempe ſigna duntaxat , ſumunt:pœnitentes autem ſibi integrum Sacramentum,hoc Sacramenti ſignificato. Sed quum ſumitur *Sacramentum* pro ſigno tantùm , & eo quidem ſacro, & teſte promiſſionum Dei (in quo integra vis ſigni,& natura poſita eſt, & virtus Sacramenti, quatenus Sacramentum pro ſigno ſumitur) certè indigni & impœnitentes ſumunt integrum Chriſti Sacramentum,id eſt,illud totum,quod eſt promiſſionum Dei ſignum. Verùm has(etſi vſitatiſſimas) ſignificationes *Sacramenti* , confundit Gerlachius,& vocis æquiuocatione ludit. Sic etiam ſpiritualem manducationem, cum Sacramentali poſtea quoque perturbat,quum ait,ſpiritualem manducationem habere ſignorũ vſum. Pag.60. Nec enim merè ſpiritualis,ſed ea,quæ etiam eſt Sacramentalis , ſignorum

A gnorum vſum,& eſum habet cum fide coniūctum: ſed iſta non videt Gerlachius, Denique omnino ſecludit Gerlachius S. Cœnam à communi lege reliquorum N.Teſtamenti Sacramētorum. Quomodo igitur N.Teſtamenti Sacramentum S. Domini Cœna iure vocabitur? Ait enim, *Solum Cœnæ Sacramentum* habere rem ſignatam coniunctam cū ſymbolis. Sed hæc exceptio eſt falſiſſima, (petit enim principium)& omnis iſtorum erroris magnus fōs & cauſſa. Errat quoque pueriliter Gerlachius, quum non videt, præbitionem quidem eſſentialis corporis & ſanguinis Chriſti fieri nobis ex inſtitutione, id eſt gratia,& virtute promiſſionis Chriſti: Acceptionem autem illius carnis à nobis virtute pag.61 fidei fieri. Nam vult iſte,& ſcribit confuſè, *Communicationem* fieri nobis carnis Chriſti, ex virtute permiſſionis. Sed in communicatione, Gerlachi, præbitio,& acceptio ſimul inſunt & comprehenduntur:& diſtinguendum tibi erat, vnde præbitio, vnde acceptio fiat, vel propriè in nobis pendeat. Perperam enim dicitur, quòd quemadmodum ſemper à Deo integrū Sacremētum omnibus offertur, ita ab omnibus integrum quoque recipitur; ſi integrū B Sacramentū & de ſigno, & de re ſignata, vt facitis, Pag.62. intelligas. Nā ex vera neceſſitate,& cōſequentis;& non tantùm conſequentiæ (quicquid Philoſophus hic ſe intelligere, ſed fruſtra putet Gerlachi) fides requiritur ad veram eſſentialis Chriſti carnis participationem. Verùm nouus iſte Philoſophus planè ineptus eſt, qui ſcribat, præter vnnm Deum nihil dici poſſe neceſſarium neceſſitate abſoluta, & conſequentis. Quid enim? Annon eſt neceſſitate conſequentis & abſoluta iam neceſſarium, vt homines, filii Adami, peccent, Gerlachi, vt moriantur, vt edant, vt bibant, &c? Diſce igitur, multa Thom. in 1.quæſt. 29.Artic. 3. præter Deum dici poſſe neceſſaria neceſſitate abſoluta. Vide Thomam in prima parte primæ ſummæ. Quæ ſequuntur autem à pag. 63. vſque ad 69. vnum habent Chryſoſtomi teſtimoniū, vnde (quia Chryſoſtomus vocat ſigna corporis, & ſanguinis Chriſti, corpus & ſanguinem Chriſti) iſte extruit (ſed quàm inaniter) ſuam illam conſubſtantiationem rei ſignatæ cum ſignis S. Cœnæ. Quis enim neſcit Chryſoſtomum ſic loqui, *Corpus Chriſti cadit in terram, corpus Chriſti videtur, conficitur*, &c. quæ C millies à noſtris antea repetita, & explicata huic ſatisfacere debebāt. Legat igitur quæ nos ad Laonicum in hoc ipſo argumento reſpondimus. Nam vt ille, ſic iſte ſacratiſſimam Domini noſtri Ieſu Chriſti carnē in rerū ἀδιαφόρων numero, certè quidem impiè (liceat enim verum dicere) conſtituit, quæ per ſe non magis viuifica ſit, quàm mortifera ſumentibus: ſed pro illius, qui ipſa vtitur, ingenio, mortem, vel vitam per ſe afferat hominibus. Obſecro, quæ maior poteſt eſſe, vel audiri blaſphemia? Pag.70.71. Porrò quæ ex Theodoreto, Ignatio, Cyrillo,& Hilario profers, Gerlachi, nihil ad rhombum tuum faciunt. Probant enim illa, nos verè ipſi Chriſti carni per fidem communicare, quod nos quoque cum Patribus affirmamus: veſtram autem Heb.11. v.1. 2.Cor.5. v.7. ſententiam de coexiſtentia carnis cum ſignis ipſis S. Cœnæ iſta prorſus euertunt, cùm carnem Chriſti per fidem,& ſub Sacramento participari, vel teipſo teſte, Patres dicant. Fides autem proculdubiò rem, id eſt, carnem ipſam Chriſti abſentem eſſe docet, ſi modò Paulo credis fidem & aſpectum inter ſe ex diametro opponenti. Sed quid ſi excipiam, quod ipſe addis, Patres A illos videri tollere ſignorum ſubſtantiam? Quod oſtendit, te non intellectos Patrum locos, ſed ab aliis emendicatos hîc protuliſſe. Quæ pagina 71. & ſeq. de Dei omnipotentia declamitat Gerlachius, ſunt à me in reſponſione ad Laonicum explicata & ſoluta, & millies à noſtris iſtis inculcata, ſi modò cor à Deo peterent, per quod veritatem ipſius intelligerent, Locum Cyrilli ex libro 12. in Ioannem, in Antioſiandro explicaui, & poſtea repetetur ab iſto, vt paginas nimirum ſuas impleat. Concedo igitur carnem ſeu corpus Chriſti adeſſe in S.Cœna σωματικῇ παρουσίᾳ, ſi de reipſa, quam participamus, quæritur. ipſum enim corpus Chriſti in S. Cœna fide percipimus. Sed ſi de modo præſentiæ illius agitur, nego, σωματικῇ παρουσίᾳ, id eſt, præſentiæ corporalis modo eam adeſſe. Ergo ſi quæritur, quid adſit in ſacra Cœna illo genere præſentiæ, quod dixi, concedo, σῶμα χριςοῦ adeſſe, Inde fit vt à Cyrillo dicta ſit præſentia carnis Chriſti σωματικὴν, nempe rem ipſam, quæ nobis communicatur, intuente. Manet enim corpus Chriſti, quod nobis communicatur, verè corpus, & verè per fidem à nobis participatur: ſed B propterea tamen corporali præſentiæ ſitu ac modo nequaquam adeſt, qui ſitus & modus ad veritatem corporis ſtabiliendam neceſſariò requiritur, vt planè intolerabiles ſitis, quum corporalem præſentiæ modum, non tamen localem ſtatuitis. Neque aliter vnquam, vti docui, Cyrillus ſenſit. Cæterùm quod negas, præſentiam localem, Pag.76. & ſeq. vel corporalem Chriſti ſitum à vobis in illa ipſius cohæſione cum Cœnæ ſignis induci, video quidem, te præſentire illa abſurda, quæ ex tua ſententia ſequuntur, ſed nihilominus non tollere. Nam licèt ea neges, & ſequi ex tua ſententia nolis, ſequuntur tamen. Quomodo enim verum corpus eſſe realiter & corporaliter vſquam ſine ſitu, & vbi, & loco ſuo, Gerlachi, poteſt? Ergo & localem, & corporalem ſitum habeat iſta veſtra corporalis præſentia eſt neceſſe, quemadmodum vident omnes. Quæ multis verbis pag. 77.& ſequentibus addidiſti, quia nihil niſi conuitia continent, prætermitto, vti & quæ pag.82.& ſequētibus, dum nos comparas rebellibus Iudæis:& vos Prophetis C Dei. Torgenſem ſynodum poſtea damnas, & rectè. Nam eam veriſſimis rationibus à Theod. Beza confutatam eſſe memineras, quibus adhuc nemo veſtrûm reſpōdere potuerit. Cæterùm quòd nos iam conuictos eſſe erroris, nos verbis Chriſti contradicere, nos omnipotentiam Chriſti negare ais, in eo flores tuæ eloquentiæ video, ſed argumenta non audio. Nam iſtæ ſunt veteres veſtræ næniæ,& plus quàm conſpuendæ nugæ, toties & hîc,& alibi,& ſupra in noſtra ad Laonicum Spongiam Reſponſione refutatæ, vt hîc eas repetere me propter teipſum pudeat. Quod autem iterum de noſtris Eccleſijs vniuerſis non damnatis, ſed tantùm de illarum Paſtoribus à pag.86. vſque 100. dicis, ius tantùm vetus recoquis: vel id facis, quòd iſta Paſtorum, qui in noſtris Eccleſijs docent, condemnatio mirè tibi placeat: vel vt paginas impleas: vel vt nos hoc tædio oneres,& à tuis legendis arceas nimiâ illa tua & inutili prolixitate. Diuinas eſſe ſeptem hominum millia in Gallia, qui veſtram Vbiquitatem amplectantur. Quis ti-

A bi ſpiritus iſta reuelauit? Ego verò, Gerlachi,qui noſtras Eccleſias noui,id nego: & Oſiandro antea verè negaui vel vnum eſſe. Sed me in eo mendacii accuſas.Quo iure?Quid verò,ſi in vtroque noſtrum mendacium eſt,plúſne mẽtitur qui in vno,vt ego: an qui in 7000. mentitus eſt,vt tu? Sed tu qui ne Galliæ quidem aerem vnquam hauſiſti,te híſce ſomniis paſcis. Nam & qui amant, ſibi ſomnia fingunt, ait ille. Sed video quid velis, Gerlachi: quia inter vos quidam ſunt, qui noſtræ doctrinæ.i.Veritati Dei(etiam vobis inuitis) aſſentiuntur, vt tu retaliare, & hoc veſtrarum Ecleſiarum damnum compenſare, ac tuam doctrinam quo iure quáue iniuria commendare veſtris poſſis, magno animi errore, fingis eſſe viciſſim inter noſtros,7000.hominum, qui veſtrum errorem,& vbiquitatem probent. Sed quandiu falſa iſta diuinare perſeuerabis, tibi non credam: nec eorum quiſquam,qui & noſtras Eccleſias norunt, & ſingulos (qui ſunt in eis)niſi ſint magni hypocritæ,perſpexerunt.Quæris poſt Oſiandrum, vtrùm Paulus ſingulos,qui e- Pag.102. rant in Eccleſijs Corinthiaca, & Galatica,damna- B rit? Reſpondeo, nequaquam, quia ſinguli ei errori,quem Paulus damnabat,minimè conſentiebant. Nam ſi ſinguli conſenſiſſent, ſingulos vnâ & eâdem ſententia feriret Paulus.Quãquam & verbum *Damnandi*, notandum tibi eſt apud Paulum. Reprehendit quidem errores, vt rem malam, & redarguit ita ſentientes:ſed nequaquam Sathanæ tradit,neque ex Eccleſia expellit, neque anathematizat,quod vos facitis.Ceſſet diuinatio,quod res eſt, dicatur, Gerlachi. Singuli pii, & verè fideles, qui ſunt in Eccleſiis Gallicis, veſtram Vbiquitatem, vt manifeſtam hæreſin, oderunt, & eam ſcientes prudentéſque damnant. Ergo ſingulos Eccleſiarum Gallicarum pios, & ſingulas illas, quas vocatis,& excipiebatis, ouiculas iam veſtra illa crudeli ſententia condemnatis. Hæc concluſio vera eſt,& quorſum veſtræ condemnationes euadant,iam, vt opinor, vides. Nec enim quæritur, vtrùm totas Eccleſias, vel vos vel Paulus damnarit, quod putas: ſed quæritur, vtrùm ſingulos in iis Eccleſiis C errantes,etſi non pari pœna & iudicio,Paulus cõdemnarit.Quòd ego dico,tu negas, quia errorem in abſtracto tantùm,& non omnes errantes à vobis quoque feriri dicitis.iudicet Eccleſia vtri veriùs ſentiant. Cæterùm te omnis Eccleſiaſticæ diſciplinæ valde imperitum demonſtras,qui quemlibet in Eccleſia damnatum,putes ſtatim ex Eccleſia eſſe vel eiectum,ſeu excommunicatum: vel eiici,ac excommunicari debere:méque reprehendis, Pag.105. quòd ſic ſcripſerim,*Non quicunque damnantur, iidem tamen propterea ex toto fratrum cœtu ſtatim excõmunicantur.* Quid igitur?ex Stoicorúmne profanorum Philoſophorum(ne eos nominem, cum quibus Conſtantinopoli,vt ſcis,vixiſti)Schola doces, paria inter ſe eſſe omnia Chriſtianorum peccata? Cur igitur tam diſertè iubet Paulus, vt etiam hæreticum hominem, etſi iam erroris damnatum, ſemel,ac iterum moneamus,priuſquam eum ex Ec- Tit.3.v.10 cleſia eiiciamus? cur idem vult ἀτάκτους homines, 2. Theſ.3. v.14. quos condemnat,priùs tamen annotari ſibi per epiſtolam,quàm eos ab Eccleſiæ cœtu,& conſortio Paſtores ſemoueant,ac excõmunicent? Cur Chriſtus ipſe præcipit,vt certis demum gradibus ad ex- Mat.18.v.14. communicandum accedat Eccleſia, quæ tamẽ Eccleſia vitia omnino omnia damnat? Cur Nicena, Triburienſi,Meldenſi,Auernenſi,aliiſque infinitis A Synodis certi cenſuræ Eccleſiaſticæ etiam publicæ gradus ſunt conſtituti, priuſquam ad excommunicationem veniant Paſtores? Legat Gerlachius Cyprianum lib.1.Epiſtolarum, & ſe prorſus diſciplinæ veræ, & veteris Eccleſiaſticæ ignarum eſſe intelliget,méque rectè ſenſiſſe,& ſcripſiſſe,imò ſe turpiſſimè falli cognoſcet. *Neque enim*,vt tamen ipſe vult, *omnes qui ſecundum verbum Dei damnati ſunt,illi ab Eccleſia electorum eiecti creduntur,vel credendi ſunt.* Sed nimirum hîc imprudens Gerlachius ſeipſum & ſuos prodidit. Oſtendit enim apertè, nos Eccleſiarum Gallicarum, Helueticarum, Anglicarum, Polonicarum, Scoticarum,&c.Paſtores iam pro excommunicatis prorſus in ipſorum Eccleſiis,& ab ipſis cenſeri,quoniam in craſſo illo,& Nouo Vbiquitatis corpore nuper recens edito dãnati,& quidem inauditi, ſimus, ne quam cum iis pacem,aut concordiam,aut communicationẽ ſperemus. Hi ſunt nimirum temerariæ Vbiquitariorum condemnationis,& intempeſtiui, & peſtiferi fructus, qui totam Dei Eccleſiam perturbant.Ve- B rùm eandem ſuam rerum Eccleſiaſticarum inſcitiam oſtendens,poſtea quoque Gerlachius ſcribit, exempla à me prolata de Chryſoſtomi, Epiſcopi Conſtantinopolitani, damnatione à Theophilo Pag.108. Antiochiæ Epiſcopo in Synodo facta,& per aliam Synodum reuocata:item Athanaſij in Tyria Synodo,eſſe priuatas,politicas, & externas cauſſas, non Eccleſiaſticas:quaſi nimirũ Synodi, & quæ in Synodo gerantur, non ſint Eccleſiaſticæ cauſſæ & iudicia. Sed ſic tutius erat per cuniculos huiuſmodi euadere, quàm ſuum ſuorúmque factum improbare, ne in exilium eiiceretur. Iſti enim nos inauditos damnant,& in eadem cauſſa partes & iudices, atque adeò ſuas in nos inimicitias publicè,& apertè profeſſi, ſedent tamen. Sed vt Phariſæis Chriſtum perſequentibus quæuis teſtimonia, & ſentẽtiæ de Chriſto placebant,modò Chriſtum euerterent,& grauarent:ſic iſtis,quicquid ad nos damnãdos fit,ſummè allubeſcit,& æquum cenſetur. Sic iſta ſanctos & antiquos refert Germania mores. Verùm ſuaue fuit iſtius hominis inanẽ ſudorẽ in- C tueri in eleuãdo,reſtringendo,interpretãdo,remouẽdo,& tãdẽ denegãdo Apoſtolorũ exemplo, qui non niſi Synodo legitimè congregata, errores ſui tẽporis publicè inualeſcentes dãnarũt. Nimirũ timet Gerlachius ne nos coràm Eccleſia audiant, Pag.110. & ſeq. priuſquã pro hæreticis habeãt. Primùm igitur eleuæt hoc exemplum,vt ait,rectè à ſuis fuiſſe repræſentatum.Nam vt in vna Hieroſolyma vrbe quinque duntaxat præcipui,Petrus,Iohannes, Iacobus, Paulus,Barnabas conuenerunt cum aliquot,vt iſte ait,Presbyteris:& grauiſsimã illam controuerſiam definierunt:ſic Bergæ ſex primarii Theologi hoc de S. Domini Cœna difficilimum negotium conſtituerunt. Ergo Berga per Gerlachium eſt beata illa Sion,& Hieroſolyma:Sex illi Theologi, Vbiquitatis Apoſtoli,ἀντιστρέφοντες,& repræſentãt quinque illos Domini Noſtri Ieſu Chriſti Apoſtolos: & ne non valde res rei,& perſona perſonæ conuenire videatur, ex iſtis Sexuiris, & Theologis vnus etiam Iacobus,at non ille Domini frater, appellatur,vti & vnus eorum,qui erant Hyeroſolymis,dicebatur Iacobus. Nónne hæc eſt pulchra Synodi Hieroſolymitanæ in Bergenſi pictura? Ac fortaſ-

ſis,vt

A ſis,vt eſſet maior iſtius Bergenſis,quã illius Hieroſolymitani Apoſtolici conuẽtus authoritas, Patres Bergenſes voluerũt Apoſtolos numero ſuperare, & Andreã Muſculum, illum manifeſtè hæreticum teterrimum,ſecum aſciuerũt, qui numerum illum maiorem ac ſenarium(qui apud Arithmeticos perfectus quoque numerus appellatur)expleret. Hæc igitur eſt prima illius ſacroſanctæ, & verè Apoſtolicæ Synodi Hieroſolymitanæ ridicula eleuatio à Gerlachio facta. Quid verò ſi ipſe demõſtrẽ parem fraudem in iſto dogmate Vbiquitario inuehendo adhibitam, quam Arriani in ſua hæreſi inter Occidentales Epiſcopos introducenda Mediolani ſeruarunt? Primũ, vt τὸ ῥητὸν vrgerent, & propterea ὁμοούσιον reiicerẽt. Deinde vt priuatim à quibuſdam ſibi notis ſubſcriptiones corrogarent. Demum,vt ſibi aduerſantes in exilium mitterent. Sed eã ipſam Synodũ poſtea Gerlachius reſtringit. Negat enim fuiſſe vniuerſalem, ſeu œcuminicam Synodũ, ſed vnius tantùm vrbis,& Eccleſiæ conuentum appella. Miſer homo, qui non intelligat Appollos illic, & apud Chriſtum ipſum,& in S.Cœna(cuius occa- B ſione hęc diſputatio inter nos inſtituta eſt)vniuerſam Dei Eccleſiam, & tunc exiſtentem, & poſtea futuram repræſentaſſe. Præterea interpretatur hãc eandem Synodum. Nimirum hoc à præceptore Oſiandro,Theologo aulico, didicerat. Ait enim nullam ex eo facto generalem in erroribus extirpandis, & damnandis regulam nobis eſſe præſcriptam. Sed cùm hoc ſatis à me confutatum eſſe ſentiret,tandem hoc exemplum abiicit,& ipſos Apoſtolos in ſeipſos committit. Sed quia his omnibus abundè in Antioſiandro reſpondi, & iſta ſubterfugia per ſe vana cuiuis apparent,omitto. Nã quas iſte ex duabus Pauli profectionibus Hieroſolymam,commemoratis in Epiſt. ad Galatas, coniecturas affert,ecquis non videt ex eo refutari,quòd neque à Luca ipſo in Actis, neque à Paulo in illa Epiſtola ad Galatas enumerãtur omnes Pauli Hieroſolymam profectiones. Quid?quòd negligentiæ accuſat Apoſtolos Gerlachius, ſi illi Synodo omnes interfuerint. Hæc probet, qui poteſt. Ego verò à piis probari nequaquam poſſe ſcio. Ergo videamus quid poſtea homo iſte addat. Pag.112. & ſeq. Ait nos C velle vt Iuridicialis, Eccleſiaſticum voluit dicere, proceſſus,& cognitio legitima de erroribus præcedat,antequam in Eccleſia dogma vllum damnetur. Accuſati citentur, & audiãtur,& legitima ſynodus, ac diſquiſitio de dogmate, quod accuſatur, fiat ex verbo Dei, & ex ipſius exemplo, qui ipſe Sodomitas præſens videre voluit,& audire, priuſquam damnaret:ex Apoſtolorum vſu:ex omnis ætatis,& Chriſtianæ Eccleſiæ perpetua praxi. Quid hac poſtulatione æquius? Hanc tamen nobis concedendam eſſe negat Gerlachius. Sed in eo, quam æquitatem,aut potiùs quod ſubteafugium quærat, vident omnes. Fingit enim, à nobis ſemper Vniuerſalem Synodum peti, nec particulari, ſeu Merica eſſe contentos, quotieſcũque de quopiam errore damnando agitur. Audi igitur Gerlachi,quid dicamus. Cùm nunc, id eſt, in iſto Nouo corpore doctrinæ ab Vbiquitariis reliquæ omnes Eccleſiæ Dei damnentur, æquiſſimum eſſe contendimus, vt reliquæ omnes quoque audiantur: item cùm de nouo, & inaudito ad hunc vſque diem dogmate, A nempe de noua quadã Vbiquitate in Eccleſia Dei recipienda,vel reiicienda grauis & controuerſa ſit quæſtio, dicimus, Totius Eccleſiæ Chriſtianæ, ſeu reformatæ(nec enim Papiſtas, vt ſcis, veſtros & noſtros hoſtes, imò ipſius verbi Dei deprauatores admitti poſtulamus)conuentum in legitima & libera Synodo neceſſariò congregandum eſſe, qui de eo nouo prorſus dogmate ex Dei verbo iudicet,non autem vos ſolos eſſe audiendos,qui nos iſti reginæ nouæ, à vobis in Eccleſiam intromiſſæ, non parentes, & ex Dei Eccleſia, etiam inauditos, eiicitis. Hac item poſtulatione, quid æquius, Gerlachi? Hæc ergo nobis à veſtris concedantur, & tota noſtra querimonia ceſſabit,& hęc grauiſſima diſcordia placidè inter nos terminabitur. Nam ſemper, & in quocunque dogmate damnãdo vniuerſalem Synodum requiri,neque dicimus, neque ſcribimus. Quædam enim ſunt dogmata iam ab orthodoxis Synodis profligata,pro quibus exſtirpandis nulla alia generalis, imò ſæpe ne particularis quidem,Synodus colligenda eſt. Quædam etiam ita manifeſtè impia ſunt,vt qui illa ſtatim non B cõdemnat,fundamentum ipſum fidei,& Articulos ipſos Apoſtolicos tollat & neget neceſſe eſt. Quale quicquã,Dei gratiâ,neque dicimus, neque profitemur:ſed vos potiùs id facitis,dũ omnino Nouũ Vbiquitatis dogma(ne dicam monſtrum) multos fidei Chriſtianę articulos manifeſtè euertẽs inducitis,quẽadmodum ſæpe antea probauimus,& nũc repetere non eſt neceſſe. Quanquam etiam in his erroribus,qui iam damnati ſunt,illud eſt obſeruãdum,vt perſonæ ipſę audiantur, licèt eorum errores iam fuerint improbati, priuſquã ex Eccleſia Dei ipſæ eiiciãtur:quia & pœnitere poſſunt,& noua aliqua ratione,quæ nondum refutata ſit, niti, & confirmari. Quod autẽ & verbum Dei,& vſum totius piæ & veteris Eccleſiæ ad meæ ſententiæ confirmationem conaris euertere,à pag.115.ad pa.124. quàm id temere & fruſtra facias,vident omnes pii, & tu apertè pag.121.& 123.id ipſum poſtea confirmas,quod nos dicim⁹:& tamẽ ipſe negare voluiſti, nimirũ ſine legitima cognitione Eccleſiaſtica nec Eccleſiam, nec dogma vllum eſſe pro hæreſi con- C demnandum. Eſt autem hæc demum legitima cognitio, & Eccleſiaſtica, (non autem,vt tu putas,politicus, pragmaticus, Rabularius, & Iuridicialis proceſſus) quum partes omnes hæreſeos accuſatæ præſentes audiuntur, nec quidem ab aduerſariis tantùm: ſed ab aliis etiam Eccleſiaſticis viris, vtriuſque conſenſu, ſi fieri poteſt, congregatis, delegatis, & ſedentibus: vt poſtquam vtraſque partes coràm audierint, ipſi ex Dei verbo ſtatuant, & definiant: quæ congregatio Synodus appellatut. Quòd ſi omnes Eccleſię damnantur, vt facitis, omnes audiantur neceſſe eſt: qui iam cœtus erit ex neceſsitate conſequentiæ Synodus Vniuerſalis. At vos in veſtris condemnationibus vtrunque prætermiſiſtis. Nam neque nos coràm vnquam audiuiſtis, imò ne id quidem flagitãtes admiſiſtis. Deinde neminem iſtarũ,quę inter nos & vos agitantur, controuerſiarũ iudicẽ, præter vos ipſos, tuliſtis, aut elegiſtis: quæ prorſus eſt iniqua iudicandi ratio. Hæccine igitur, vt audeas tueri, Gerlachi, tanquam rectè atque ordine à vobis facta? Ad ſingulos autem homines

A damnandos non volumus Synodos vel vniuerſales vel particulares congregari, vt antea dixi, ſed ad dogmata noua,& nondum damnata diiudicanda. pag.124 Atque hic tuus eſt ſcopulus, in quo tanquam polypus hæres,neque ex tuis in nos figmentis enatare potes. Cęterùm apertè poſtea calumniaris. Nam neque Pauli verba,neque ſententiam reprehendo, dum veſtros Superintendentes & D. Præpoſitos manifeſtę ambitionis accuſo:ſed doceo iam tyrannidem ab iis in ſuos Collegas hoc nomine,& fuco vſurpari, cùm, quod omnibus Paſtoribus Paulus commune eſſe voluit(vt ſint Superintendentes,& Epiſcopi,quiſque gregis ſibi commiſſi) vnus tantùm in quaque Principis Chriſtiani ditione occupat, & inuadit, quæ manifeſtiſſima, & veriſſima fuit primùm Antichriſtianiſmi, & Papalis tyrannidis ſtabiliẽdæ via,quam vos iam inſiſtitis. Quod autem ais, veſtros illos Sexuiros, & qui illis conſenſerunt Superintendentes, condemnaſſe nos ex Dei verbo, & ex Apoſtolorum, ac Prophetarum ſcriptis, & principium petis, & nugaris. Nam vel B vnum apicẽ & iota in tota S.Scriptura recita,quod veſtram Vbiquitatem confirmet:imò nulla eſt pagina,nullus fidei articulus, qui eam non confutet. Ergo deſine nobis authoritatẽ Verbi diuini obiicere, aut illud pro Vbiquitate profer. Verùm excipis,*Non omnes hæreſes hoc conciliorum remedio eſſe ſublatas*. Nam & Arrianiſmus, & Neſtorianiſmus, Pag.130. & Eutychianiſmus, errores teterrimi, etiam Synodis Oecumenicis damnati tamen poſtea pullularunt. Vnde concludis, fruſtra à nobis hoc remedium quæri,quod ſit futurum inutile. Reſpondeo verò Gerlachi: Non poſſe quidem per Synodos,etiam Oecumenicas,exſtingui prorſus Sathanæ conatum in ſerendis erroribus, ſed tamen id effici, vt poſtquam illi errores Synodis legitimis damnati ſunt,à quocunque tandem propagentur, & à quibuſcunque recipiantur,ſtatim hæreſes eſſe dicantur,& à piis omnibus pro hæreſi & damnentur, & agnoſcantur. Sic non facit condemnatio idololatriæ, etiam ab ipſo Deo omnipotente facta, ne ſint vlli iam idololatræ: ſed illa condemnatio oſtendit,quòd, vbicunque ſit idololatria,il- C lic ſit grauiſſimum peccatum,& error,& damnanda hæreſis. Quare fieri poſſe concedimus,vt veſtra Vbiquitas ab iis Synodis, vbi nos auditi fuerimus, quáſque requirimus,etiam damnata,tamen adhuc vigeat,vel inter aliquos veſtrûm,qui laude illa delectantur,ſpargatur. Verùm,poſtquam ſic erit legitimè publico totius Orthodoxæ Eccleſiæ iudicio reiecta, hæreſis ſeu error eſſe vbique intelligetur, etſi à nonnullis recipiatur, à cæteris meritò condemnabitur. Præclarè námque Caſſianus, *Sufficere ergo ſolus ad confutandam tunc hæreſin debebit conſenſus omnium. Ita vt qui contra ſentire nitatur, huius prima ſtatim fronte non tam ſit audienda aſſertio, quàm damnanda peruerſitas.* Nam ad illud quod toties inculcas,*non à Sexuiris tãtùm,ſed à plurimis Theologis eruditis fuiſſe perpenſam veſtram Vbiquitatem*,& comprobatam, noſtram autem doctrinam ab iiſdem damnatam : excipimus, nos neque ab illis Sexuiris,neque ab illis plurimis eruditis Theologis, vel in iſtorum (vt appellas) Eparchiis,vel alibi vnquam coràm auditos fuiſſe. Præterea eos pro iudicibus nequaquam nos vnquam acceptaturos eſſe,quos etiam inſtituimus corã tota Eccleſia nefandarum hæreſeon accuſare. De Anabaptiſtis,Seruetanis, & aliis à nobis ſine Synodo Vniuerſali damnatis, quum ſcribit Gerlachius, partim tergiuerſatur(Nam vti diximus,illi priùs abundè auditi Pag.142. fuerũt,quàm expulſi ex Eccleſia: neque adhuc quiſquam illorum, niſi auditus, iudicatur, id quod & de nobis fieri poſtulamus, & de quo prætermiſſo vos accuſamus)partim oſtẽdit,ſe rerum noſtra hac ætate geſtarum prorſus ignarum eſſe, cùm fuerint Anabaptiſtæ,& Seruetus, ac ſectarii ipſius damnati à quanto maximo piorum cœtu pro illo tẽpore haberi potuit:& ii errores in illis fuerint deprehẽſi qui iampridem à piis Synodis ſæpius exploſi, atque etiam apertè anathematizati fuerant, vt in iis damnandis nulla noua Generali Synodo fuerit opus. Noſtrum autem dogma neque ex verbo Dei, neque ex Synodo vlla,niſi Papiſtica,vnquam, Dei gratiâ, improbatum eſt,aut refutatum. Nam & ipſe pag. 148. fateris, *Publicæ,vniuerſæ Eccleſiæ Chriſtianæ voce non fuiſſe damnatum dogma noſtrum*,adeò, vt omnino nos & coràm audiri, & quidem in Synodo, id eſt,in cœtu veræ Eccleſiæ,legitimè congregato, ſit neceſſe. Hæc mea reſponſio Gerlachium luculenter refutat, & quæcunque magno, B ſed inutili labore à pag. 143. ad pag. 152. colligit, ac nugatur. Nam quòd pag. 143. linea 4. pag.149. linea 4. à fine ſcribit, *nos non niſi priùs auditos, atque etiam ex verbo Dei conuictos fuiſſe damnatos*,in veritatem peccat. Sed aliter quàm iſto inſigni mendacio ſuorum iniquam aduerſus nos ſententiam tueri non potuit Gerlachius. Quòd enim nos Pelagianis comparat, perinde facit, atque ipſi Pelagiani, qui Orthodoxos Manichæis conferebant,ſed vtrique ineptiſsimè. Quod autem ex Auguſtino lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum citat iſte, *rariſſimas hæreſes inueniri,propter quas damnandas neceſſitas fuerit Synodi congregandæ*, ipſum refutat. Aug. lib. 1 & 2. contra Iulianum. Pag.152. Ex eo enim colligitur, Ergo ipſummet Auguſtinum probare hanc hæreſeon euertendarum rationem,tanquam legitimam: Deinde vbi neceſsitas exigit, congregandas eſſe Synodos. At tunc in cauſſa Pelagianorum nihil erat neceſſe eam rationem ſequi, quum primus ipſe erroris eorum author, Pelagius, iam in Synodo Palæſtina coràm & auditus, & damnatus fuiſſet. Quis enim ignorat,quin Palagius ipſe iam tum errorem ſuum coram Innocentio, Romano Pontifice, C totóque Eccleſiæ Romanæ conſiſtorio retractaſſet & damnaſſet? Ergo quod Pelagiani Africani congregari aliam Synodum ſua de cauſſa, & propter eundem errorem poſtulabãt,id fruſtra fieret, cùm iam fuiſſent antea ipſi legitimis Synodis ſæpius damnati, à quibus minimè prouocaſſent. Itaque præclarè de illis proſper, qui Auguſtini tempore vixit,in lib.contra Collator. *Non ergo cum iſtis*(de Pelagianis loquens)*noua acie dimicandũ eſt,nec quaſi contra ignotos hoſtes,ſpecialia ſunt ineunda certamina. Tunc iſtorum machinæ fractæ ſunt, quãdo beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apoſtolico mucrone percuſſit:quãdo Pelagiũ ad proferendã in ſe ſuóſque ſententiã Palæſtinorum Epiſcoporum ſynodus coarctauit:quando Africanorum conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zoſimus ſententiæ ſuæ robur annexuit*,&c. Ex quibus apparet cur dixerit Auguſt.ad Pelagianos ſuo illo tẽpore,poſt tot legitimas ſententias

A tentias, damnandos noua Synodo non eſſe opus. Nos autem, aut noſtrum dogma, quis vnquã probabit (nobis priùs in aliqua Synodo corã auditis) fuiſſe damnatum, adeò vt neceſsitas propterea eſſe intelligatur Synodi ob noſtram cauſſam conuocandæ? Et quod rariſsimas hæreſes, huiſmodi repertas eſſe ſcribit Auguſtinus, propter quas Synodi fierẽt id vult, hæreſes, que fuerũt ante ipſius tẽpora, fuiſſe magnam partem tam craſſas, támque apertè blaſphemas, vt cum ipſo Dei verbo manifeſtè, & ſtatim pugnare deprehenderentur. Quo caſu & nos ipſi falſi antea ſumus, nullis eſſe Synodis ad huiuſmodi errores damnandos opus. Verùm quoniam hunc Auguſtini locum luculenter explicauit in ſua ad Pouchenij virulentam criminationẽ reſpõſione Ioannes Apaſtes, amicus meus, ad eũ locũ Gerlachium remittam. Certè hoc loco valde miratus ſum, hominem iſtum, cùm hunc Auguſtini locum pro ſe proferret, non animaduertiſſe (tam eſt iſtorũ hominum hebes ingenium) ſe ab illo ipſo loco euerti, quandoquidem ibi *extortæ ſubſcriptiones* diſertè ab Auguſtino damnantur, quibus penè ſolis B conſtat ea Nouæ doctrinæ confirmatio, quæ extat in Nouo illo libro, qui ab aliis Stambuch appellatur, ab iſtis autem *Concordiæ*. Cæterùm quod iſte pag. 168. & 169. ad Turcas, tanquam futuros legitimos noſtrarum controuerſiarum iudices, toties nos remittit, meminit ſuæ inter eos conuerſationis, ac peregrinationis, ne totum illud vitæ ſuæ tempus amiſiſſe videatur, imò etiam fortaſſe recordatur doctrinæ, quam ab illis didicit. Sed Gerlachi, vnum Verbum Dei & pios, & orthodoxos viros, illius intelligentes, tibi iudices ferimus: non Turcas, quos odimus: non Papiſtas, quos miſeramur: non vllos hæreticos, Seruetanos, Anabaptiſtas, & Schuenckfeldianos, & cæteros, & quos ipſi ſeriò damnamus: nec, vti calumniaris, inter nos eſſe, & verſari patimur. Nam vnicum vel Serueti, vel Gentilis, vel etiam Syluani exemplum tuam illam calumniam refutare ſatis poteſt. Porrò quòd Gerlachius putat, ſe bellè eam ſæuitiam excuſaſſe, ad quam Pontificios in nos exacuat, propter nouas condemnationes ab iſtis in nos prolatas, quòd iidem illi Pontificii ante hoc Nouæ doctrinę corpus editum, etiam nos affligerent, hebetem mentis ipſius aciem oſtendit. Nec enim præteritarum, & ante harum damnationum editionem à Pontificiis excitatarum in nos perſecutionum cauſſam & culpam Vbiquitariis tribuimus: ſed earum tantùm, quas per iſtos non ſtabit, quo minùs grauiores experiamur. Illi enim proculdubiò eo furioſiùs ac ſecuriùs nos aggredientur, quò nos ab iſtis quoque condemnatos eſſe, velut hęreticos, intelligent. Nec hoc ipſum ita euenturum eſſe negauit ipſe Pappus: ſed ridiculam illam (quam commemoraui) diſtinctionem adhibuit, nimirum ſe, & ſuas iſtas condemnationes eſſe tantùm earum perſecutionum, quas reipſa patimur, *cauſſam per accidens*. Ita nos, vt verè dicitur, Chriſtiani in mediis pro Chriſti nomine ignibus, & cruciatibus ſuauiter ab iſtis lepidis Vbiquitariis irridemur. Sed erit tandem Dominus Deus ipſe tantarum in ſe, & ſuos ſannarum vindex. Ais, Gerlachi, debere & fratres, & patres, & matres à nobis damnari, ſi à Chriſto diſcedant. Rectè dicis ſi modò priùs audiantur, quàm damnentur, quod vos in nobis omnino prætermiſiſtis. Deinde vides, vt ex loco Deuteron. cap. 13 à teipſo euertantur illæ tuæ tam laborioſè antea quæſitæ diſtinctiones. A Primùm, quum ais, quando damnantur errores, tamen perſonas eos errores ſequentes non comprehendi, ſeu damnari. 2. Etiãſi perſonæ quædam errantes damnari poſſint (quod ab Oſiandro diſcedẽs nobis concedis) eos tantum damnandos eſſe, qui ſunt Paſtores, nõ oues in Eccleſia. Atqui Deuteronomii Lex generaliter loquitur tam de Paſtore, quàm de oue, tam de viris quàm de mulieribus (quæ Paſtores eſſe nõ poſſunt in Eccleſia Dei.) Quemlibet enim in Lege Dei errantem (etiam teipſo interprete) damnari præcipit Pag. 181. Dominus ipſe. 3. Quum damnantur eæ quædam perſonæ (quas damnandas eſſe, vi veritatis coactus nobis tandem aſſentiris) tamen à vobis, nõ vt Magiſtratui tradendas damnari, ſed ſine pœna relinquendas. Quaſi verò, quum tu, & Laonicus contenditis, quos in Nouæ veſtræ doctrinæ corpore damnaſtis, eſſe in exilium à Magiſtratu pellendos, eos ipſi Magiſtratui nõ tradatis. An vobis aut Superintendentibus veſtris in Germania data iam eſt, vti Pontificijs Epiſcopis, ea poteſtas & iuriſdictio, vt homines in exilium mittant, ſuis ſedibus & gradibus expellant? B Ego enim credidi Magiſtratus Germanicos in veſtris Eccleſijs eam ſibi poteſtatem reſeruaſſe, quoniam ad eos pertinet. Quòd ſi vos Paſtores illam exercetis, certè illud, quod eſt Cæſaris, vſurpatis, quantumuis vobis ab ipſis magiſtratibus delatum, & conceſſum hoc ius fuerit. Quòd autem negas, quenquam apud veſtros religionis cauſſâ in vitæ periculum incurriſſe, obliuioſum te tuæ, Pag. 182. & Germanicæ hiſtoriæ oſtendis, ſiue ſciens & prudens, ſiue quòd ea geſta ſunt, quum adhuc cum Turcis ſuauiter habitares. Nam de clariſſ. illo viro, Caſparo Peucero, magno ſui ſeculi ornamẽto, nihilne, Gerlachi, vnquam inaudiſti? Quem Laonicus ipſe ſibi nominandum putauit. Funeſtum etiam toti Chriſtianitati teſtamentum Brentii defendendum, (qua te putas eſſe eloquentiâ) ſuſcipis, ſed fruſtra. Illud enim Teſta- Pag. 184. mentum efficiet, vt, niſi Dominus maturè prouideat, ſit etiam propediem futura ipſius Germaniæ inſepulta ſepultura. Sed tu M. Antonius Cæſaris C tui Brentii, qui tibi, & tuis iſtam Vbiquitariam controuerſiam ſuo teſtamento, (tãquam opimam hæreditatem reliquit, ex qua Præſidatus & præpoſituras Eparchiarum, vt vocas, & Gentium in Germania veſtra ſperas & expectas) meritò, & pro tuæ gratitudinis officio, defendis.

Pag. 174. & ſeq.

Ad ſecundam libelli Gerlachiani partem.

ERGO prima verboſiſsimi tui ſcripti parte facilè, vt vides, expeditus venio ad alteram. Negas primùm meam con- Pag. 189. feſsionem eſſe apertam, quia dico ipſam Chriſti carnem, licèt corporalis pręſentię ſitu à ſignis abſentem, tamen præſentia Sacramentali eſſe fidelibus præſentem. Quare verò hanc orationem tam perſpicuam vocas tu obſcuram? Quoniam nimirum nullam credis eſſe poſſe rerum cœleſtium (qualis eſt caro illa digniſsima Chriſti, & in cœlum euecta) præſentiam, niſi corporalem. Itaque fidei præſentiam cum corporali præſentia, Sacramentalem cum locali imperitè confundis. Quod quoniam apparet per ſeipſum inceptiſſimum, diutius in eo confutando non morabor.

A In reliquis autem tuæ huius reſponſionis partibus breuior ero, partim quoniam iis omnibus, quæ hîc affers, abundè in ſuperiore mea ad Laonicum Spõgiam reſponſione iam ſatisfeci: partim quia ipſe tu Gerlachi, eam diſputationem, etſi primariam, fugis, & ingredi formidas. Dicis enim ſeptem priora Oſiandri argumenta nihil ad hoc de Vbiquitate argumentum ab eo ſuſceptum pertinuiſſe. In quo inſignem tuo illi clienti Oſiandro iniuriam, tu ipſius patrone, facis, quam illi factam eſſe nollē. pag.192. Quæris à me, vnde ex verbis Teſtamenti Chriſti probem, ipſum corpus, & ſanguinem Chriſti χετικῶς non corporalis præſentiæ ſitu adeſſe Dominicæ Cœnæ. Quanquam antea reſpondi, tamen in tuam gratiam (te enim verè diligo) Gerlachi, repeto. Tam enim gratificari hîc tibi cupio, quàm antea Laonico, quoniam me non paucioribus conuitijs, pro tua eloquentia, quàm ille, proſcidiſti, id eſt, apud Deum benedictionibus non paucioribus me cumulaſti. Dico enim, & reſpondeo, quum hęc verba Teſtamenti Chriſti ſint inſtitutio Sacramẽti omnium nobiliſſimi, & excellentiſſimi, eſſe quoque in illis Teſtamenti Chriſti verbis ſenſum, & ſignificationem Sacramentalem: & propterea pręſentiam Sacramentalem. B Sacramentalia enim Sacramentis ſunt accommodanda. Præſentia verò Sacramentalis eſt certè ἐνεργητικὴ, χετικὴ, pactionalis, & rerum, corporalis præſentiæ ſitu abſentium, præſentia. Habes igitur dilucidum reſponſum ad id, quod ex me quærebas. Quo ipſo Pag.194. reſponſo refutatur tua ex Baſilij in Aſceteriis, & Iuriſconſultorum regulis argumentatio. Concedimus enim non eſſe dubitandum de ipſo Dei verbo, cùm ſit veriſſimum: ſed Dei verbum non eſt, vt ait idem Baſilius, ſonus, ſed ſenſus, & mens. Leges enim & ſcripturas ſcire, non eſt earum verba tenere, vt tibi aliquid replicem de Iuriſconſultis, ſed vim & mentem earum, quam nos hoc loco tuemur. Quare quod alibi dixit Paulus verè hîc quoque quadrabit, vos literam ſequimini, nos ve- 2.Cor.3. rò ſpiritum. Concedimus etiam hoc, in teſtamentis ſequenda eſſe verba teſtatoris, ſed qua mente, & ſenſu illa teſtator ipſe intellexit. Aliâs enim fit C ſumma ipſis teſtatoribus iniuria, & vis Teſtamenti verbis. *Nam*, vt ait non Bartolus, ſed lex ipſa, *in teſtamentis dominatur teſtantium voluntas*. Et in eo ipſo ſtupor veſter apparet vel cæcis ipſis, qui ſigillum pro ipſo diplomate: & Cœnam pro ipſa ordinatione teſtamenti ſtolidiſſimè accipere perpetuò conſueuiſtis, vt & vobis ipſis, & aliis os ſublinatis. Hoc autem Chriſti Teſtamentum, vt & Patrum veterum, ſcatet tropicis locutionibus, quemadmodum in mea ad Selneccerum reſponſione pro Exegeſi Saxonica, ex ipſo Dei verbo docui, ad quam te breuitatis cauſſâ remitto. Cæterùm quod ais, multas ὑπερφυσικὰς prærogatiuas carni Chriſti ꝓpter vnionem hypoſtaticam datas eſſe, certè & corde credimus, & ore confitemur, etiam eas, & tantas in eam eſſe collatas, quæ ſint ipſis adeo beatis Angelis incomprehenſibiles, & illi carni etiam inhæreãt ſubiectiuè. Verũ vllas ἀντιφυσικὰς propter eam vnionem illi datas eſſe, id eſt eas, *quæ carnis ipſius* Pag.196. *aſſumptæ eſſentiam, & naturã euertant*, negamus, quale eſt, vt vnicum corpus & verum pluribus in locis, imò vbique ſit. Quod vos tamen Chriſti carni attributum eſſe reipſâ dicitis. Iudicet in Synodo de vtriuſque dogmate Orthodoxa Eccleſia. Tu dicis quòd hoc carni inſit, eſſe diuinæ omnipotentiæ Chriſti opus. A Nos negamus. Neque enim Dei omnipotentia ſalutem noſtram, id eſt, veram Chriſti carnem euertit, ſed ſtabilit. Iudicet in Synodo orthodoxa Eccleſia, nobis & vobis vocatis, & coràm auditis. Quæ poteſt æquior tibi dari optio, & lex imponi? quam tu tamen acceptare non audes, ne ex edictis abs te procuratis in exilium à toto tuo collegio Theologico, à quo tam Pag.198. pulcram laudationem venatus es, expellaris. Nam quòd ſentis, veram illam Chriſti carnem vbique eſſe poſſe, quoniam etiam excellenti illa gloriâ prædita eſt, vt viuifica & ſit, & appelletur, quid carni Chriſti dari poſſit, quid non poſſit: quomodo item viuifica ſit, aut non ſit, non intelligis. Quædam enim Deitatis attributa ſunt prorſus rębus creatis ἀκοινώνητα, veluti æternum eſſe, infinitum eſſe, & , quod conſequens eſt, Vbique eſſe. Quædam autem ſunt κοινωνητὰ, veluti eſſe ſeu exiſtere, viuere, viuificare, docere, &c. In quibus tamen longa eſt inter Deum ipſum eſſentialiter, & à ſe hæc habentem, & creaturas hæc participantes differentia. Vnum enim eſt eſſentiale: altera autem ſunt effecta & qualitates creatæ. Exempli gratiâ, Caro Chriſti eſt viuifica illa quidem, & longè potiori ratione, quàm ipſum e- B tiam Euangelium, ſeu Dei verbum prædicatum: quàm Sacramenta ſeu ſigna: denique quàm fides ipſa, qua in Chriſtum credimus, quoniam hæc caro vnita λόγῳ, eſt ipſiſſimus & proximus inter nos, & Deum canalis, & nexus, per quem à Deitate λόγου, non autem ab ipſa Chriſti carne fluit, & manat in nos viuificus ille æternæ vitæ vigor, & ſuccus. Gen.28.v.12. Eſt igitur hæc caro qualis illa ſcala, quæ Iacobo apparuit, qua terrena cum cœleſtibus coniungebantur. Reliqua autem, quæ cum hac Chriſti carne comparaui, velut eſt prædicatio Euangelii, Sacramentorum ex fide vſus, & fides ipſa, ſunt tantùm huius carnis Chriſti apprehendendæ, & eius nobiſcum coniungendæ media & organa. Quomodo igitur ſit caro Chriſti viuifica vides, Gerlachi, vt non ab ipſa carne Chriſti, vitam æternam in nos fluere, ſed à Deitate λόγου propriè per carnem immitti, & in ipſa, & per ipſam C in nobis operante, videas. Quod autem & Deo corpus tribuis, (quod eſt Anthropomorphitarum hæreticorum) & corpus vnũ & idem περιγραπτὸν & ἀπερίγραπτον eſſe poſſe contendis (quod eſt Pontificiorum commentum, qui corpus Chriſti per modum *ſubſtantiæ* pluribus in locis eſſe poſſe ſentiunt: per modum autem *quanti* vno tantum in loco) & corpus aliquod ſine loco ſtatuis, (quod planè repugnat Auguſtino) ſentis Gerlachi, quot quantóſque errores hîc paucis verbis foueas, & complectaris. Sed fortaſſe imprudens iſta ſcribebas. 2.Reg.6.v.6 Illa verò ſimilitudo de ferro, quod miraculoſè aquis innatauit: Exo.14.v.12. & de aquis ipſis, quæ velut rupes & murus, populo Dei tranſeunte, conſtiterunt, certè, nihil omnino te iuuat: primùm, propterea quòd illa miracula fuerunt. Sacramenta verò non ſunt miracula. *Nam*, quemadmodum inquit Auguſtinus, Aug.lib.3 de Trin. cap.10. *honorem habere poſſunt, vt religioſa: ſtuporem autem, vt mira, habere non poſſunt*. Deinde, quia in illis miraculis virtus quidem proprietatis ferri & aquæ ad tempus ſuſpenſa eſt, & à Deo retenta: ipſa verò eorum natura, & οὐσιώδης proprietas non fuit per illud miraculum annihilata, vt ita loquar, & ſublata.

A Verùm ſit corpus aliquod vel vbique, vel pluribus in locis ſimul eſſe ſtatuatur, eius natura ac eſſentia prorſus annihiletur, & tollatur neceſſe eſt. De ſignis autem S.Cœnæ, quæ ais à nobis nuda ſtatui, Pag.201. & 202. quoniam luculenter & in Antioſiandro confutaui, & in reſponſo ad Laonicum meam ſententiam confirmaui, nihil repetere hoc loco puto neceſſe. Veruntamen, vt vno verbo perſpicuam ad omnia tua argumenta, & breuem reſponſionem habeas, ſic habeto, Chriſti verum corpus, & ſanguinẽ pręſentię corporalis ſitu, & modo à ſignis Cœnę abeſſe: fidei & vera, & ſpirituali, & myſtica præſentia credentibus adeſſe, quia per fidem verum illud Chriſti corpus, & ſanguinem verè participamus, non vt ſubſtantia carnis Chriſti, & noſtro vllo cõtractu vniantur: ſed vt nos per illam vera fide apprehenſam ſpiritualiter viuificemur. Cæterùm calumniaris manifeſtiſsimè, quum ais me ſcripſiſſe, Pag. 206. *Non magis exhiberi nobis corpus & ſanguinem Chriſti* B *in S.Cœna, quàm Veteri populo in ſacrificiis.* Dixi quidem Veterum Sacramenta non fuiſſe illis credentibus tãtùm nuda ſigna, & nudas picturas & figuras (quod tu Serueto aſſentiens ſcribis) ſed rem quoq; ipſis illis cõmunicatã fuiſſe affirmo, & antea Heb. 11. affirmaui, quoniam fides eſt ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Nam quæ nondum ſunt, tamen velut præſentia vi- Ioan.8.v.55. det. (*Abraham vidit diem Domini*, vt ait ipſemet Chriſtus, & Patres in Manna eandem nobiſcum 1. Cor.10. v.3. ſpiritualem eſcam, nimirum ipſam Chriſti carnẽ, comederunt, (vt ait Paulus) ſed in eo diſcrimẽ eſt, quòd eam ipſam viderunt futuram in ſuis Sacramentis Patres, quam nos in noſtris videmus iam exhibitam, & reipſa exiſtentem. Ergo hac ratione maior & efficacior eſt noſtrorum, quàm illorum Sacramentorum vis & exhibitio, quia clarior, quia facilior, quia auguſtior, & nobis viſibiliùs diſpenſata eſt. Ex quo fit, vt huius diſpenſationis ratione Heb.10.v.1.7.v.22. Patres σκιὰν habuiſſe dicantur, nos autem εἰκόνα & Chriſtus ipſe melioris fœderis ac Teſtamenti Mediator, ſeu ſponſor appelletur. Reliqua porrò quæ C hîc habes, ſunt ſatis aduerſus Laonicum antea confutata, ad quem te remitto. Quæ ad ſtabiliendum quartum Oſiandri argumentum profers, partim & ipſa iam ſunt ibidẽ exploſa, partim ſunt ipſa per ſe inepta, & tibi ipſi contraria. Inepta quidem, veluti quod ais, *Panem & vinum*, S.Cœnæ nimirum, *abſque corpore & ſanguine Chriſti realiter præſente non eſſe Sacramentum, id eſt, ſignum ſacrum Cœnæ.* Quid enim ineptius, quum idcirco ſint panis ille, & vinum illud in ſacra Cœna Sacramẽta, & ſigna, quoniam ipſum Chriſti corpus, & ipſe ſanguis præſentiæ corporalis ſitu abſunt? Item ineptè & illud, quòd apud Auguſtinum non intelligis, ipſa ſigna Pag. 209. Pag.211. S.Cœnæ tum Sacramentali locutione, tum vt commendarentur populis, appellari *Dominicum corpus, Domini corpus, ſanctas carnes Chriſti*, cùm ipſemet Auguſtinus ibidem ea ipſa ſigna antea *Panem & calicem Domini* nominaſſet. Chryſoſtomus quoque, quem citas, apertè teſtatur ſe de credentibus agere, qui non ſigna tantùm, ſed remquoque ſignatam ſumunt. Tu verò contrà, ipſummet Chriſti corpus abſque fide edi poſſe ſcribis & ſentis. Hæc igitur in tua illa Oſiandri defenſione inepta ſunt, Tibi autem ipſi, & Oſiandro, & tuo propoſito cõtraria ſunt, quum apertè fateris, Oſiandrum pro his verbis Pauli, *Panem hunc, Poculum hoc*, ſubſtituiſſe (nimirum vt ſuo errori inſeruiret) *Corpus &* A Pag.209. Pag.210. *ſanguinem Domini.* Quod autem diſertè Manna & carnem Chriſti inter ſe velut contraria opponis, primùm contradicis Paulo 1.Corinth. 10. deinde locum Ioannis ex cap. 6. quem affers, minimè te intelligere manifeſtè declaras. Sed ad commentarios noſtrorum, mi Gerlachi, ne paginas alienis ſcriptis, vt tu impleam, te remitto. Nam Manna ſæpe, vt ſignum tantùm, & per ſe, quemadmodum à non credentibus ſumebatur: ſæpe autem vt cùm re à ſe ſignata coniunctum, & vt à credẽtibus edebatur, in S. Scriptura conſideratur. Primo modo Chriſtus conſiderat Manna: ſecundo modo Paulus: ſed tu iſta ignoras.

Ad quintum autem Oſiandri argumentũ propugnandum accedis, & primùm teipſum imprudens iugulas, & tamen verum dicis, & quia verum dicis, nobiſcum facis. Ais enim, *Humanitatem Chriſti, quæ natura ſua eſt potentia finita, habere omnem po-* Pag. 214 *tentiam ſibi communicatam per gratiam Vnionis.* B Quid verius? ſi modò quid ſit *gratia Vnionis*, intelligas. Eſt autem hæc loquendi ratio ſumpta à Scholaſticis: quæ Gratia vnionis non quicquam realiter humanitati tribuit, ſed tantùm perſonæ Chriſti adſcribit, quæ ſic, id eſt per gratiam vnionis dicuntur, & attribuuntur, quia vni naturæ iſtius perſonæ id, quod dicitur, competit, vt ſi Filius hominis dicatur æternus, & Creator mundi, quia perſonæ λόγου (qui eſt Creator) eſt vnitus, eſt hæc prædicatio ſeu gratia vnionis in concreto, non in abſtracto: quia abſtracta ſignificant naturas per ſe, concreta verò hypoſtaticè vnitas. Itaque nulla ex eo communicationis genere prædicatio fieri poteſt, vt ipſi iidem fatentur, niſi Dialectica, & verbalis. Quod tamen poſtea negas, quia reipſa eadem illa humanitati inhærere putas, atque ita teipſum euertis, & in hac poſtrema tua ſententia falleris, *Nihil enim per gratiam iſtam Vnionis inhæret carni.* Sed cur non tua improbares diſcipulus, qui ſummi omnium Vbiquitarij, Brentij tui (quem tantopere laudas) & primi Vbiquitatis Apoſtoli, Iaco- C bi Andreæ ſententiam, vt hæreſin grauiſsimam, & tamen meritò vna litura manifeſtè in tuo ſcripto damnas? Illi enim manibus pedibúſque tuentur, *Diuina attributa, & proprietates Deitatis λόγου omnes* Pag. 216. *in humanitatem Chriſti eſſe effuſas.* Tu, & quidem rectè, (ſi modò in ea tua ſententia permaneres) hoc falſum eſſe ais. Itaque à Tubingenſium Doctorum rubricis diſcedens in Brunſuicenſium, vel M. Kemnitij partes & pulpita tranſis, qui in libro de *duabus Chriſti naturis* non obſcurè Iacobum Andream, vt hæreticum propter iſtam proprietatum effuſionem ſæpius flagellat. Sed erroris illius recens pigmentum, & interpolationem nouam vocabulo *Communicationis* tectam Kemnitius proponit. Verùm quemadmodum eſt iam mirè appetens nouitatis veſtra Germania, quæ eſt Vbiquitaria, exploſa priore illa Iacobi Andreæ ſententia, nouam Kemnitij amplecti cœpit, & eam nunc tu quoque cum communi, & vulgo, vt loquuntur, ſequeris. In quo, quantum tibi præiudicium facias, non ſentis, Gerlachi, qui te à Iacobo Andræa, Magnifico Domino Præpoſito, ſepares, eúmque tibi inimicum reddas, qui vnus omnia ad Superintendentias obtinendas, & in Saxonico, & in VVirtenbergenſi Ducatu iam poteſt. Cæterùm in reliqua

A tui ad Oſiandri argumenum fulcimenti parte dupliciter peccas. Pag.214. Primùm quum ais, *Carnem Chriſti ipſa eadem, & illa omnipotentia, quæ eſt Verbi, eſſe omnipotentem.* Ergo & ſcientia illa, & eadem, qua verbũ erit ſapiens,& volens,& operans caro Chriſti,quod etiam ſentit Kemnitius : & ita proculdubiò Monotheliarum teterrimum errorem ab inferis reuocatis. Hoc primum tuum manifeſtiſsimum eſt peccatum, quod ipſe agnoſcens, poſtea damnaſti,pag.221.& ais in Chriſto *ſecundum diuerſas naturas duplicem quoque eſſe ſcientiam,& per conſequens* potentiam, & maieſtatem. Alterum tuum hîc quoque peccatum eſt, quòd æquè infinitum Chriſti meritũ facis,atque Deus per ſe,& ſua natura eſt infinitus. Itaque duo reipſa infinita conſtituis.Quæ ſi vera ſunt,non tantùm duo ponere cogeris,ſed plura infinita,quia & vita,& operatio, & virtus hominis Chriſti erunt quoque per te eundem,vt ipſius meritum, verè infinita, & tantùm B quantum Deus ipſe eſt infinitus.Atque ita infinities erunt infinita:quod & Dei prærogatiuam, & rerum naturam euertit. Vt autem habeas ipſe breuiſsimam ad omnia tua, quæ & hic, & in reliqua tui ſcripti parte ſequuntur, reſponſionem, ſic dico,inter has duas propoſitiones tuas, *Humana natura nihil habuit ſibi à Deitate λόγου à qua fuit aſſumpta communicatum:& Humana natura habuit omnia Deitatis idiomata ſibi realiter communicata,* eſſe hanc tertiam,ac mediam propoſitionem, *Natura humana à λόγῳ aſſumpta habet quadam ſibi realiter à Deitate λόγου communicata, quadam autem non habet.* Habet omnia, quæ in naturam creatam cadere poſſunt: non habet ea,quæ ſunt ipſius Deitatis proprietates eſſentiales,& à rebus creatis verũ ipſius diſcrimen,qualis æternitas,infinitas,& quæ ex ea neceſſario ſequitur, Vbiquepræſentia. Priores igitur duas propoſitiones tuas falſas eſſe contendo. Hác autem meam & tertiam duntaxat veram eſſe palàm cum tota Eccleſia affirmo. Tu nega ſi potes. Quod ſi verum eſſe negas, iudicet de hoc dogmate noſtro,nobis auditis, in Synodo Eccleſia Dei. C Háncne conditionem, Gerlachi, etiam recuſabis ipſe, vt veſtri ſolent?

Ad ſextum Oſiandri argumentũ accedis.Quod Pag.220. vt quocunque pacto tandem fulcias (agnoſcis enim ineptiſsimum eſſe, & prorſus elumbe) quem non lapidem moues?Quid non tentas? Quid non audes? Et quum alia te via elabi poſſe non cerneres,quàm ſi mihi obſcuritatem aſcriberes, eam in meis verbis tuo ore recitandis affinxiſti,vt ne memet quidem ipſum apud te recognoſcerem,qui tamen in meis ſcriptis perſpicuus, & meus à quouis facilè poſsim agnoſci. Pag. 224. lin.13.in parenth. Sed quid dicas perpendamus,quoniam ne te ipſum quidem hic intellexiſti. Dixi aduerſus Oſiandrum, vti in Chriſto ſunt & manent duæ naturæ etiam poſt glorificationem Chriſti carnis inconfuſæ : ita duas eſſe & permanere operationes,potentias, ſcientias, voluntates, maieſtates,glorias &c.vnam increatam & æternã & infinitam,quæ eſt ipſius Chriſti Deitatis eſſentialis ac propria:alteram verò creatam, in tempore ſumptam, & finitam, quæ eſt carnis Chriſti etiam glorificatæ & ſedentis ad dextram Patris omnipotentis propria.Neque per,& propter vnionem hypoſtaticam, vel propter carnis & hominis Chriſti glorificationem,humanam ipſius naturam reipſa factam eſſe participem,& ſuſceptricem, aut A ſuſceptibilem Diuinæ & eſſentialis λόγου potentiæ maieſtatis,&c.Tu verò hæc omnia, quæ probaui ex verbo Dei,ſuntque toti piæ & eruditæ vetuſtati conſentanea,conaris euertere.Ac primùm ais,quia Chriſtus petiit à Patre,vt glorificaretur ea gloria, Ioan. 17. v.5. quam ante mundi creationem apud Patrem habuerat, ipſam Carnem Chriſti realiter accepiſſe, ſed in tempore,ipſam illam omnem Deitatis maieſtatem, gloriam, potentiam infinitam, increatam, æternam, quæ ipſius Deitati λόγου eſt eſſentialis.

Primùm ſatin' ſanus es, Gerlachi, qui potentiam à carne Chriſti in tempore,vt tu fateris,acceptam, æternam tamen eſſe putes? qui finitam & creatam naturam(qualis eſt,teipſo hic teſte,etiam glorificata caro Chriſti) capacem infinitæ, & increatæ maieſtatis eſſe exiſtimes? & continens minus contento eſſe aſſeueres?Deinde,quæ ſit vis illius Chriſti ſententiæ, & poſtulationis à Chriſto factæ, ignoras. Audi igitur ex ipſo Cyrillo(quem hîc citas)quæ ſit vera mens illius loci. Cyrill. li. 11. in Ioã. c.17. ad finem. Cùm propter carnem, & eam quidem vilem, & in formam ſerui à Chriſto aſſumptã imminuta Deitatis Chriſti gloria videretur : imò quidpiam dedecoris, vt B loquitur Cyrillus,incidiſſe in eam cenſeretur,poſtulat à Patre Chriſtus,vt illius ſibi primæ naturę, & æternæ gloriæ ſplendor reſtituatur, illæ velut nubes abſtergantur,atque adeò in ipſa illa (quam Chriſtus iam habet, & in æternum habiturus eſt) Mediatoris perſona illa ſua gloria,& maieſtas perſpicuè & palàm omnibus eluceret,refulgeret,ac in ipſa etiam eius carne poſtea radiaret. Id quod eſt factum, quum in cœlum recepta eſt caro Chriſti, & ad dextram Patris,id eſt,in altiſsimam ſupra omnes cælos,& creaturas gloriam eſt euecta. Ergo quod ait Cyrillus,Chriſtum nihil aduentitium ſibi poſtulaſſe,quemadmodum alij homines faciũt, quum glorificari à Deo petiit, verè dixit ille quidem,quia Chriſtus eſt homo & Deus:quod de nullis aliis hominibus dici poteſt,& habet illam gloriam natiuam,non aduentitiam:ab æterno,non ex tempore,quâ Deus : ſed quam in ipſa Mediatoris C perſona elucere quoque Chriſtus cupit. Atque id ſentit Cyrillus, cuius hæc ſunt verba libro 9.in Ioan. cap.20. *Non in nouam quandam dignitatem aſcendit,qui natura Deus erat(nihil enim nouum in Filio Dei poteſt inueniri) ſed habebat omnia naturaliter, vt Deus,etiam antequam formam ſerui acciperet : factus igitur homo,quoniam ad dignitatem priſtinam cum humanitate rediit, glorificationem accepiſſe dicitur.* Quod autem idem ſcribit,λόγον adduxiſſe templum ſuum,id eſt,carnem in gloriam,quæ ſibi, vt Deo, ſemper adeſt,verum quoque ille & ſenſit, & ſcripſit:ſed propterea tamen neque vult, neque tradit Cyrillus, templum illud in æqualem ipſi Deitati gloriam euectum,& proprietates Deo eſſentiales realiter eſſe conſecutum,quod & vos dicitis, & ex illius verbis perperam colligitis. Hoc enim & naturas in perſona Chriſti confundit, quas *accuratè* à S.Scriptura fuiſſe *diſtinctas* ipſe profiteris, Pag.222. & Cyrillus, contra Neſtorium illam naturarum Chriſti exæquationem,perpetuò oppugnauit, quemadmodum ipſius liber de *Incarnatione Vnigeniti*,vbique teſtatur.Ergo petit Chriſtus, vt ſibi natiuæ illius gloriæ,quam ſemper habuit, lux & ſplendor

per

A per illam exinanitionē ſuam apud homines proculdubiò obſcuratus reſtituatur: vti & nos quotidie petimus, vt nomen Dei ſanctificetur, & Chriſtus ipſe patrem ſic rogauit, *Pater glorifica nomen tuum*: & Paulus teſtatur exinanitionem illam Chriſti fuiſſe quaſi *illius gloriæ λόγῳ naturalis obiectionem*, ex qua Pater eum poſtea extulit, *& dedit ei nomen ſupra omne nomen.* Ergo neque Ioannis locus, neque Cyrilli teſtimonium quicquam te iuuant, qui vis vnam & eādem eſſe potentiam, & maieſtatem, & gloriam, & ſcientiam carnis, & Deitatis Chriſti, non autem diſtinctas, quanquam tamen non diuerſis perſonis ſeparatas, ſed duabus diuerſis naturis, vti diuerſis ſubiectis, inhærentes. Quæ ſit autem hæc glorificatio, vel gloria, explicat Auguſtinus, nempe *vt natura humana, in qua eſt Filius hominis, quæ à Verbo æterno ſuſcepta eſt, etiam immortali æternitate dominetur.* Cyrillus libro 9. in Ioan. cap. 20. *Qui homo nudus ab omnibus putabatur, ſic exaltatus eſt, vt verus Deus eſſe demonſtretur.* Idē lib 2. cap. 73. *factus homo, vt homo incepit dominari, quo cum carne ad id, quod ſemper eſt, homo factus aſcendit.* B Item libro 10. cap. 9. Theſauri, Glorifica me, exponit, *Largiaris talem opinionem, & fidem de me, vt non pro verme, ſed pro Deo me agnoſcant.* Item libro 10. in Ioannem cap. 9. *Sed cùm ad humanam, vt ita dicam, ingloriam deſcenderit, ad gloriam rurſus rediit ſuam.* Verùm ais carnē habere eam gloriam per & propter Vnionem hypoſtaticam: Reſpondi verò iam antea, illam vnionem neque tollere naturas in Chriſto, neque confundere earum eſſentiales proprietates. Ergo ſi per vnionem intelligis *Gratiam Vnionis*, & vis hac ratione rectè dici ac tribui perſonæ toti Chriſti, æternam omnipotentiam, omniſcientiam, &c. id tibi iam pridem, & prolixè conceſsimus. Verè enim dicitur, Homo Chriſtus ab æterno eſt omniſcius, & omnipotens, & Patri æqualis. Verè etiam dicitur, *Hic homo eſt æqualis Deo Patri*, quia de perſona dicitur. Eſt enim huius propoſitionis hic ſenſus, C hæc perſona, quæ eſt homo, eſt omniſcia, & Deo æqualis, non quâ homo tamen, ſed quâ Deus, &c. Verùm nequaquam verè dicitur, Hæc Chriſti humanitas eſt æqualis Deo Patri, quoniam non niſi de natura per ſe conſiderata, hoc dicitur. Sed excipis, ſanguinem Chriſti mundare nos, iuſtificare nos, carnem Chriſti nos viuificare. Rectè ſanè id dicitur, quoniam & ſanguis ille, & caro illa (quatenus Vnigeniti caro eſt, & ſanguis) veriſsimum eſt, primarium, & immediatum iuſtificationis noſtræ, viuificationis, purgationis à noſtris peccatis inſtrumentum, à Deo ordinatum, cui nobis applicandæ reliqua, vti diximus, omnia à Deo inſtituta ſubſeruiunt, veluti Euangelii prædicatio, Sacramentorum celebratio, ipſa denique fidei in nobis creatio. Quamobrem iam vides, quemadmodum & piiſsimè, & ſanctiſsimè de Chriſti carne ſentiamus, illíque ſuam gloriam relinquamus. Cæterùm quòd ais, Pag.221. *Dona, quæ ſunt in carne Chriſti, non eſſe finita,* refutatur à teipſo, qui poſtea, & quidem ſtatim, negas exæquandas eſſe in Chriſto naturas, & ſuprà ſcripſiſti, Chriſti carnem eſſe finitam potentiam. Atque exæquantur, ſi infinita potentia, & increata, (quæ Deitati propriè conuenit) carni quoque per te detur. Item antea conceſsiſti vi veritatis victus, *Duplicem in Chriſto ſecundum diuerſas naturas ſcientiam eſſe.* A Id quod eſt noſtrum dogma, idémque etiam tuum planè euertit, quod tu ipſe ſupra pag. 214. commemoraſti, linea 8. à fine. Quòd ais Chriſtum hominem Pag.222. O M N I A *nouiſſe*, Excipe quæ ipſemet Chriſtus excepit, Marc. 19. verſu 22. & his ſimilia, quæ Pater in ſua vnius poteſtate poſuit. *De die illo, ac hora nemo ſcit*, ait, Chriſtus illic, *ne Angeli quidem, qui in cælo ſunt, nec ipſe Filius: ſed ſolus Pater*: niſi Chriſtum vel ſibi contrarium, vel mentitum (abſit ab vtroque verbo blaſphemia) eſſe dixeris, Gerlachi, Quod ne Turcæ quidem ſenſerint. Præterea quòd putas, quia ſedet Chriſti humanitas ad dexteram Dei, eam omniſcientem eſſe, vti ipſam Deitatem, planè hîc falleris. Sedere enim ad dexteram Dei non eſt Deo exæquari: ſed eſt carnem illam etiam in ſtatu gloriæ Deo minorem eſſe. Id quod ipſe ex Ambroſio, & Auguſtino verum eſſe concedis, vt mirer te tam & tot pugnantia tecum ſcribere. Denique quod obiicis mihi, quaſi errem, dum dona (quæ habet Chriſti humanitas) ipſi fonti & plenitudini: Pag.224. B quæ autem nos habemus, exiguis tantùm & iis etiam turbidis, riuulis comparo, ipſemet erras, quum in eo manifeſtam Ioannis ſententiam Ioan. 1.v. 36. ſequar. Ait enim Ioannes, Ex plenitudine eius omnes accepimus. Ergo in eo certè differentiam inter dona Chriſto homini, & nobis data ſecundum plus & minus conſtituo, præter diuerſam habēdi rationem, per quam ea dona Chriſtus habet, nimirum & à ſeſe, & vt homo Deus: nos autem aduentitia, & ab alio, non à nobis (vtpote meri homines) habemus, non natura, vt ille, non per Vnionem hypoſtaticam Deitatis nobiſcum factæ, vt ille: ſed per ſolam Deitatis in nobis ἐνέργειαν, quod eſt infinitum inter nos, & Chriſtum hominem diſcrimen. Quare dicimur *hæredes Dei, & cohæredes Chriſti.* Rom. 8. v. 17. Porrò quod varias huius loci ex Paulo ſumpti protuli interpretationes, *In Chriſto inſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ,* C idcirco feci vt intelligeretis, Col. 2. v. multis modis eum Pauli locum à Patribus ipſis eſſe iam pridem explicatum, ne veſtram illam interpretationem de exæquata carne Chriſti Deitati, taquam quæ ſola, & vnica verè ad eum locum afferri poſſet, nobis in poſterum obtrudatis. Habes, vt opinor, ad omnia fulcimenta, quæ ad Oſiandri argumenta adhibuiſti, eam reſponſionem meam, ex qua illa ipſa tua per ſe ruere intelligis, & te in idem (atque Oſiander incidit) præcipitium deuolui pulchrè iam ſentis. Pergamus tamen.

Pag.22 In ſeptimo Oſiandri argumento calumniaris me Neſtorianum eſſe, quoniam naturas diſtinguere, & naturas in Chriſto ſeparare aliud eſſe affirmo: & illud in Chriſto rectè fieri, hoc impiè, contendo. Quid tu igitur, Gerlachi, vel iſta duo *Diſtinguere, & ſeparare* eſſe duo negas, vel confundis, vel de nihilo eſſe putas? Maximus Epiſcopus in libro de duabus Chriſti naturis, *Qui porrò & diſtinctionem & vnitatem in Chriſto dicitis nec differentiam diuidit, nec confundit vnitatem.* Cur igitur me Neſtorianum vocas? Imò vt mihi tantùm inuidiam tanquam nimiùm ſcrupuloſo Grammatico, creares, ipſe horum vocabulorum vim ignorās, ea quæ

Mat. 6.v. 10.
Ioan. 12. v. 28.
Philipp. 2. v. 9.
Aug. in Ioā tract. 63.

A te hîc pungunt maximè & vrgent, leui cubito agitas, & præterſilis. Sed tibi, qui nihil hoc loco contra me afferas, minimè eſt opus reſponſione mea. Cæterùm aduerſus Laonicum eam illam inter *diſtinguere & ſeparare* ſententiam, vt videbis, luculenter confirmaui. In ſumma verò ipſe vis propter vnionem duarum in vna Chriſti perſona naturarum hypoſtaticam, omnes Deitatis λόγου proprietates communes & contributas eſſe realiter aſſumptæ humanitati. Quid igitur? ſocias, vt ita dicam, ὁμοθρόνους, & ὁμοτίμȣς, vbique συνέργȣς, eas naturas in Chriſto, iam facis, vt ipſa adeò operatio Diuina (id quod etiam ſcribit Kemnitius) veluti ipſius æternæ viuificationis, ſpiritus regenerantis, infuſio, ἐνέργησις & efficacitas ſit communis Carni & Deitati Chriſti virtus, operatio & efficacitas. Falleris. Nam ἀποτελέσματα quidem ipſa, vt loquitur Damaſcenus, ſunt vtriuſque naturæ communia, velut B ſalus ipſa noſtra, Vita æterna, recõciliatio: ipſæ verò ἐνέργειαι & operationes, ex quibus naſcuntur illa ἀποτελέσματα, ſunt cuiuſque naturæ propriæ, nec κοινωνητά. Nam proprietates ſua ſubiecta non egrediuntur, vt rectè dicitur in Scholis. Verbi gratia, Vita æterna eſt ἀποτέλεσμα, ad quod explendum vna ἐνέργεια, ſeu operatio eſt propria ſolius Deitatis λόγȣ, nempe ipſe ille Chriſti Spiritus, noſtras animas viuificans, & paſcens ſucco viuifico in æternum. Is enim ex ſola eius Deitate fluit in nos. Altera ἐνέργεια eſt ipſius Chriſti humanitatis, & quidem ſolius, propria, nempe ſanctitas illa, quæ propter ipſius plenam obedientiam nobis ita, eóque Chriſti Spiritu paſcendis omnino neceſſaria eſt. Illa enim ſanctitas, ſeu obedientia hominis Chriſti, nobis imputata, altera eſt illius æternę vitę pars nobis neceſſaria, quæ eſt carnis Chriſti propria operatio, & ἐνέργεια. Quare etiam ſi ἀποτελέσματα naturarum communia eſſe concedimus: ἐνεργείας tamen ſeu operationes ipſas naturarum ad illa ἀποτελέσματα concurrentes negamus eſſe communes, ſed dicimus manere proprias cuiuſque naturæ. C Nam ſi earum operationum cuiuſque naturę propriarum communicatio aut confuſio ſtatuatur, naturarum quoque ipſarum confuſio & commixtio introducatur neceſſe eſt: quoniam cùm pendeant propriæ ἐνέργειαι, ſeu operationes ab ipſa ȣ̓σίᾳ, vti operationes ipſæ communes fiunt, ita & ȣ̓σίαι quoque ipſæ erunt communes. Ergo ſi natura Diuina communicat humanæ propriam ἐνέργειαν, eidem quoque ȣ̓σίαν ſuam, & propriam, id eſt, diuinam communicet, neceſſe eſt: atque ita fiet caro Chriſti Deitas, ſeu Deus, præter Trinitatem, quod vel ſentire eſt impiiſſimum, nedum dicere. Sic enim, & Damaſcenus (quem profers) & Baſilius, & Athanaſius ab ἐνεργείαις ad ȣ̓σίαν, & ab ȣ̓σίᾳ ad ἐνέργειαν, ſeu operationem reciprocatione neceſſaria argumentantur, vt cui vna ex iis communicatur, velut ἐνέργεια Deitatis, eidem quoque ȣ̓σία ipſa λόγȣ donetur, & tribuatur. De quo quia plura in noſtro ad Kemnitii librum *De duabus in Chriſto naturis* reſponſo dicemus, quæ repetere hoc loco nequaquam eſt operæpretium, ad illud te remitto. Cæterùm quod Damaſcenum & Cyrillum citas, qui vnamquamque naturam cum alterius communione, & περιχωρήσει A propriam operationem agere ſcribunt, & *Communes facere operationes*, item *carnem ſuſcepiſſe totam verbi operationem*, dicunt, quis tam parùm eſt in eorundem ſcriptis verſatus, vt non intelligat illic *communionem*, & περιχώρησιν ſignificare Vnionẽ, & reciprocationem, non autem immeationem naturarum ſiue naturalium proprietatum συνέργειαν, ſeu cooperationem, quemadmodum tamen tu cẽſes. Itaque quia illæ duæ naturæ (quæque propria ſibi operans) manent in illa hypoſtatica vnione vnitæ, dicuntur habere communes, id eſt, in vnica hypoſtaſi, non in diuerſis perſonis, actiones. Dicitur etiam natura Chriſti humana ſuſcepiſſe totum λόγον ſibi vnitum, id eſt, non ſuſcepiſſe ex parte tantum integrum: non autem propterea dicitur in ſocietatem ac effectionem eius operationis (quæ verè Diuinæ naturæ propria eſt) naturam humanam aſſumptam eſſe, aſcitam, & conſociatam λόγῳ. *Gloriam enim ſuam nemini dat is, qui verè eſt Deus.* Eſt autem λόγος verè Deus. Quod poſtremo loco ſcribis me hanc, quæ eſt inter *totum Chriſti*, & *totum Chriſtum*, diſtinctionem, hauſiſſe ex Lombardo, frater, ineptis. Nam cã ex Auguſtino & Damaſceno ſumpſi: ſed quaſi hoc ſolo nomine, quòd ex Lombardo ſumpſerim, ſatis refutaretur (tantum enim Auguſtini in te telum contortum euitare non potes) ex ſola Lombardi mentione abs te inuecta, victorem teipſum pronuntias. Porrò quod ſic λόγȣ Deitatem aſſumptæ carni communicari poſſe ſentis, quemadmodum dulcedo, & calor aliis rebus communicari à melle & igne poteſt, falleris in hac rerum diſſimilimarum comparatione imprudentiſſimè, atque grauiſſimè. Deitas enim nulli alii rei, præterquàm ipſa ſibi, id eſt, Deo ſoli, eſt communicabilis, &, vt loquitur Bernardus, capabilis, quoniam eſt eſſentia ſingulariter vna. Calor autem & dulcedo ſunt qualitates Phyſicæ, & naturales, C ideóque facilè aliis quoque rebus communicantur. Niſi enim Deitatem ipſam vti dulcedinem, accidens eſſe ſtatuatis, certè ita, vt illa, communicari non poterit. Nam ſi *Communicationis* nomen pro vnione hypoſtatica accipis, concedo communicari, id eſt, vniri aſſumptæ carni Deitatem λόγȣ. Sin communicationem pro participatione ſumis (id quod certè facis) nego Deitatem ab aſſumpta carne participari. Itaque prorſus inepta eſt ad hoc argumentum tua de melle, & igne ſuas qualitates aliis quoque rebus communicante, ſimilitudo. Reliquum argumentum, quoniam & à me rectè conceptum fateris: & nihil affers ipſe, quod meam illius refutationem euertat: denique quoniam, quæ in tuo ſcripto ſequuntur, ſunt omnia aduerſum Laonicum iam euicta, ne inani repetitione paginas impleam, finem dicendi faciam, Dominum Deum precatus, vt Gerlachio ſaniorem mentem, & placidiorem agendi rationem largiatur. Quod ad me verò noſtróſque omnes attinet, ſic ſtatuito, Gerlachi, te, tuóſque de nobis illud eſſe verum experturos, quod habet prouerbium vetus, *Palma preſſa fit valentior*. Vale. Calend. Ianuariis 1581. Geneuæ.

Concilii Conſtantinopol. 6. act. 11.

Auguſt. in Epiſt. ad Dard. 57. Damaſcen. lib. 3. Orthod. fidei cap. 6. idẽ Auguſt. in Ioã Euan. tract 78.

A

SOPHISMATVM STEPH. GERLACHII ELENCHVS,

Siue

Aduerſus STEPHANI GERLACHII, languidum, elumbem, & caducum HYPERASPISTEM, LAMBERTI DANAEI

CLIBANARIVS TVTISSImus ac firmiſſimus.

SI quantum in ſyluis audacia, tantùm in ſcribendo impudentia valeret, Stephane Gerlachi, in his(quæ hodie à veſtris paſſim æduntur maledicentiſſimis ſcriptis) omnes te facilè principem proculdubio agnoſcerẽt. Nam ea es(quod B omnes vident) animi ἀναισχυντίᾳ caninâq; inuidentia, vt neminem bonum, vel viuum vel mortuum prætermiſeris, quem non, quantùm poſſes, arroderes: & ea in me animi intemperie ac impotentia agitaris, vt ne fraternè quidem monenti ac modeſtè reſpondẽti parcas. Verùm ſi in tuo illo cõtumelioſo in me ſcripto verũ ſaltẽ diceres (licet id præter charitatẽ Chriſtianam ſic iracundè faceres ſcriberéſque)tamen patienter ferrem. Sed quum nihil, niſi mera conuitia habeas & crepes, nihil niſi repetitas loidorias(ſed iam veſtræ Rhetorices, ac ſcholæ Vbiquitariæ ſũmos floſculos ac lepores)in me vomas, quis non iudicet te, qui ſic impudẽter calumniaris, meritum eſſe, vt à me tracteris pro dignitate. i. vt tibi non modò ſeuerè, ſed etiã duriter reſpondeam? *Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiã ſuam*, ne ſuperbiat. Patientia igitur mea ac ſuperiorũ in me contumeliarũ tuarum diſſimulatione(ſed quoniã Chriſtianus ſum ſic in animum induxerã meum) inſolentiorẽ eſſe te factum C video. Itaque quid iam meritus ſis, & à me expectare iure debeas, ſentis. Verùm quantumuis nunc quoq; à te prouocatus, & grauiſſimis mẽdaciis & iniuriis laceſſitus, non tamen committã, vt à meo officio, Chriſtianique hominis modeſtia propterea diſcedere videar: ſed in eo ipſo te vlciſcar, quod totã in his noſtris de re grauiſſima concertationib. ſcurrilitatẽ, virulentiam, ac furorẽ animi tibi relinquam. Nam ſi ſtrenuè mẽtiri: ſi pertinaciter negare quod verum eſt: ſi fortiter & contra propriam conſcientiam calumniari eſt vincere, viciſti Gerlachi: &, me concedente, impudentiæ tuę trophæum ſtatuas licet, ac triumphes. Imo tibi ne iraſcor quidem. Memini enim illius veræ aureæ Chryſoſtomi ſententiæ, *Ira eſt ignis, eſt flamma velox materiæ indigens. Igni nec iræ fomitem ne præbeas, & malum ſtatim extinxeris.* Sed cur tibi iraſceret, Gerlachi, qui hoc toto tuo ſcripto (in quo me accuſare voluiſti) reddas locuples & perpetuum meæ cum omnibus meis, viris eruditiſſimis ac pientiſſimis, Zuinglio, Oecolampadio, Caluino, & Beza conſenſionis in doctrina teſtimonium? Et certè quidem illa mea lenis tecum agẽdi ratio, me iam vehementer conſolatur, quòd quẽadmodum experiris ipſe ſic diſplicere tuis, totiq; collegio Tubingenſi Theologico (cuius vniꝰ præfatione illi tuo nihili libello addita intumeſcebas) cœpiſti, ſic autem ego placere vt omnes illi, te propter illã caninã maledicentiã tuã, in hoc ſecundo certamine, ac ſcripto planè deſeruerint, nec vllam tibi pręfationẽ iam, vt antea, præfixerint. B Illa igitur animi mei lenitas(cuius me haud quaquam pœnitet) te hoc fortiſſimo præſidio tuo, quẽadmodum ſentis, exuit, ex eâq; parte nudauit. Nam qui prius à te decepti tua ſcripta commendabant: poſtquã fraternè à me ſũt admoniti, idẽ facere deſierũt. Ergo quę de te dixerã illa eſſe veriſſima ſuo iam ſilentio tui patroni comprobant, méq; ab omni calumniæ in te dictæ, fictæq; crimine abũdè purgant, nullã iã laudem, nullam præfationẽ, nullum tibi vel vitæ, vel doctrinæ encomiũ aut teſtimonium, vt prius, dantes aut reddentes, vt iam omnes perſpicuè colligãt, plus mihi, q̃ tibi: plus vni meę pagellę creditũ à Theologis Tubingenſib. fuiſſe, quàm vel toti illi tuo craſſo Antidanęo, vel nũc alteri iſti non minus lõgo & elũbi Hyperaſpiſti. Cæterùm quũ ex hac tua ſecunda ſcriptitatione intelligam, quàm inſanabiliter ægrotes, vereor ne fruſtrà coner ad ſanitatẽ te reuocare. Blaſphemæ enim illi de vbiquepræſẽtia veri ac eſſentialis corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti hęreſi, & à C M. etiam Kemnitio libri (qui formula dicitur) ex parte autore damnatæ, ſic pertinaciter patrocinari, quemadmodum facis, eſt prorſus, Gerlachi, deploratum eſſe. Præclarè namque Theophyl. Συγχωρεῖν κακῷ ἀνίατα νοσεῖν ἐστί. Veruntamen illud Pauli præceptum ſecutus, qui iubet αἱρετικὸν hominẽ ſemel aut iterum à nobis moneri, poſtea vero perſeuerantẽ reiici, Adhuc hoc Chriſtianę charitatis officium tibi præſtabo, vt te denuò tui erroris benignè commonefaciam, illud interim fixũ certumque animo habens, ſi ne hac quidem mea leni admonitione iterata reſipiſcas, vt prorſus & omnino in poſterũ te relinquam. Atq. vter de maieſtate hominis Chriſtiani, de autoritate ſynodorum, reliquíſque inter nos cõtrouerſis capitibus meliùs rectiúſq; ſentiat, ad Synodum piam ac legitimam (in qua nos quoq; audiamur) prouocem, diémque tibi condicam. Sat enim ſcriptionum priuatarũ, ſat rixarum, ſat cõuitiorum, Gerlachi, vnde nulla eſt Eccleſiæ ædificatio, imò plus quàm ſatis eſt. Eſt itaq; tota hæc, & quidem grauiſſima, maximéque Eccleſiæ Dei neceſſaria res, ſemel Synodo verarum Eccleſiarũ generali permittẽda, ab illis decidẽda, ac ſi iudiciũ & conſpectum virorum bonorũ minimè fugitis, definiẽda. Quod ſi tu, tuíq;

Prou. 26.5.

Kemnit. lib. de duabus Chriſti naturis cap. 30. & in li. Theſes quædã de vnione Pag. 130.

Tit. 3. 104

A hoc iudicium recuſetis,iſtud à me reſponſum habetote, *Qui ſordet ſordeſcat adhuc*, & ſuo furore fruatur. Quamobrē tibi hoc poſtremū beneficiū conferā,vt te moneam.Nā Laonico iſti Spongiæ, homini ſeu cōiugium, ſeu fidē Chriſti ſpectes, inter vos adultero , vt quicquam reſpondeam , nec ipſe ſuaſeris,quemadmodum opinor,Stephane Gerlachi.Scriptum enim eſt: Prou. 25. 4. *Ne reſponde ſtulto*,id eſt, improbo *ſecundum ſtultitiam ſuam.* Et certè quidē iſte, non vt tu,tantum aberrat, ſed prorſus & doctrina & vita ſceleratus eſt, αὐτόκριτος, & quē ita ſui ipſius pudeat,vt ne nomen quidem ſuum adhuc profiteri ſit auſus. Itaque ne mihi cum laruis incerta ſit pugna, iſtam Noctuā, auem inauſpicatā, omnino prætermitto,quæ conſcia culpæ (vt aliquid illi de ſua & Friſchlinina poëſi regeram)

Ouid. in Metamorphoſi.

Conſpectum lucémque fugit,tenebríſque pudorem
Cælat,& à cunctis expellitur æthere toto.

Ergo tecū ſolo mihi res eſt, Gerlachi, vocas librū tuum *Hyperaſpiſtem Antidanæi*,& quidem meritò. nam hoc ipſo indicas prius illud tuum ac virulētum ſcriptum per ſeſe in acie conſiſtere contra me B nequaquam poſſe,vel ſeipſum tueri. Itaq; nouum iam illi ſubſidium mittis, cuius fauore , certamine cedere illa tua prima balbuties poſſit. Verū & hoc ipſum auxilium tuum infirmū eſt , ac ſtatim à me debellabitur.Itaque rogo,quò poſſis errores infinitos percipere,quos habet quoque hoc poſtremū ſcriptū,licet à veſtræ Academiæ Cancellario (ſcis quem nominem)emendatum,rogo te,inquam mi Gerlachi,ac moneo,& quidem ſeriò, vt prius tum Chriſtianam Theologiam,tum veram Dialecticā fideliter à quopiā diſcere neq; recuſes, neq; dedigneris.Nam,vt liberè tibiipſi indicem quod de te audio,parum in Chriſtianæ Theologiæ dogmatibus Conſtantinopoli inter Turcas,& Gręcos illos Patriarchas, Metropolitas, ac Epiſcopos (quibus tam frequēs,vt ais,aderas)profeciſſe à bonis omnibus exiſtimaris:& id verum eſſe , res ipſa probat, quum vt Deitatem Chriſti filii Dei tandem , vnà cum Arrianis, & Turcis aboleas, facis illi Deitati parem & æqualem naturam illam humanam,quam aſſumpſit Dei filius. Dialecticam autem te veram nunquam didiciſſe,minimè equidem miror,vt qui in Vbiquetariis ſcholis educatus & edoctus fueris, C vbi totius naturæ ac rationis humanæ iudicium in ipſo limine peruertitur, ac veritas illa Dei naturaliter hominum mentibus infuſa deletur, & in iniuſtitia,vt loquitur Paulus,detinetur. A vobis enim Roma.1. docetur tum duo contradictoria de vno & eodem ſubiecto vera eſſe,tum rem aliquam ſeu eſſentiam ſuis proprietatibus eſſentialibus carentem, manere tamen poſſe (quod ne ipſe quidem Lutherus vnquam conceſſerit)tum deniq; corpus verū abſque veri corporis proprietatibus,nempe localitate & circumſcriptione ſua,id eſt , abſque vera corporis natura,præter Dei ipſius decretum & legem ab eo conſtitutam,eſſe poſſe & debere. Quamobrem ſi tibi fortaſſe vel non probabuntur, vel non animaduertentur illa tuarum in Hyperaſpiſte tuo argumentationum vitia,quæ commemorabo,ſiue rem ac Theologiam , & materiam , ſiue modum, nexúmque concluſionis ſpectes , haud equidem demirabor:Nec enim tu vel Theologus Chriſtianus,vel verus peritúſque Dialecticus adhuc es,nec dum habes ad iſtas diſputationes arduas ſenſus exercitatos: ſed eius rei iudicium pio,eruditóque lectori relinquam. Veruntamen,vt aliqua ſaltem ratione, A ac guſtu grauiſsima illa tua in toto hoc ſcripto tuo ἁμαρτήματι perſentiſcere ac deprehendere poſsis,locos vitioſos tuæ ratiocinationis annotabo,vt de iis ipſe poſtea,ſi diligenter attendas, iudicare per te queas.Cuius mei in te benignè dicendo laboris nullum tamen abs te pretium, præter conuitiorum plauſtra (qua nimirum es animi iracundia)in præſens expecto,ſperóq;. Sed poſtea fortaſſe meum beneficium agnoſces. Cæterùm ad rem veniamus.nam omnia tua in me conuitia quæ ſunt totidem mendacia , non tantum vno ſpiritu exufflo:ſed etiam vna hac litura exſtinguo , quòd nimirum vitioſiſsima ſit tua in iis omnibus argumentatio,ac probatio,vt pii ac docti omnes , eruditíque Dialectici vident , ac tui ipſius magiſtri Theologi, Tubingenſes nempe, confirmant, qui hoc tuum ſcriptum nequaquam approbarunt. Eſt igitur in omnibus iis tuis in me conuitiis ineptiſſima ratio hæc tua.(Nempe *à non cauſſa* pro *cauſſa*, quem locum in elenchis hæreticorum declaraui) B Stephanus Gerlachius,& quidem manifeſtè in Danæum iratus,vocat eum *Lupum,Rabulam, Hypocritam,* Pag.2.3. deinceps. *Diabolum,Sycophantam,Veteratorem, Satanam, &c.*(totus enim iſtius liber eſſet mihi deſcribēdus, qui præter falſa conuitia,& inanes repetitiones nihil ſanè continet.)Ergo Danæus eſt lupus,Rabula, H.D.S.V.S.Duplex hîc Gerlachii fallacia eſt,primùm à non cauſſa pro cauſſa,vti dixi:tum accidētis. Ac quidem *à non cauſſa* quoniam non idcirco quidpiam verum eſt, quia Gerlachius Vbiquitarius dixit. Accidentis verò , quoniam non ratio (quæ linguæ ac ſcripturæ præire debet) ſed ira id Gerlachio dictauit,quod tunc ſcripſit.Ergo furor, non mens in Gerlachio loquebatur,dū hęc in me blatterabat.Verùm hæc,& alia condonet illi Dominus,ego verò nō magis propterea hūc vlciſcar, quàm ebrium Philippus ille rex noluit , licet illi grauiſsimè maledixiſſet. Eiuſdē generis eſt,quod ſcribit iſte, vbiquitarii aiunt ſe probaſſe vos eſſe hæreticos,ergo verum eſt, & ſumus hæretici cenſendi. Pag.108. & alibi. Eiuſdem Dialectices eſt,& illud,Gerlachius dicit Danęum mentiri quum fideliter ſuam ſuarūque Eccleſiarum de S. Domini cœna doctrinā recitat,quoniam eam iſte refutare non poteſt. Ergo C Danæus mentitur,nec ſyncerè ſuam de S.Domini cœna mentem & fidem exponit. Eodem certè vitio,& hæc quoq; probatio laborat, Gerlachi, quo ſuperior videlicet *à non cauſſa.* Eſt denique manifeſta impudentia negare hanc eſſe fidem Eccleſiarū noſtrarum,quam deſcripſi quū paſsim edita extet imo etiam cum Auguſtana confeſsione conſentiat, vt nuper oſtenſum eſt in Harmonia illa aurea confeſsionum Geneuæ ædita. Eodem vitio laborat iſtius hominis ratio & fides quoque , quam habet de noſtris Eccleſiis,quaſi Vbiquitatē probent.Ait enim , homines quidam fide digni narrarunt eſſe Vbiquitarios in Eccleſiis Gallicis, Ergo verum dixerunt.Rupellana enim & generalis ſynodus hoc anno 1581. in Gallia habita iſtum planè refutat, quæ ne vnum quidem hoc monſtro delectari comperit,vti nec Anabaptiſmo: Dei Opt.Max gratia. Sed nec melior eſt iſte in criminibus (quæ ſibi ſuiſque ſunt obiecta)depellendis Dialecticus , quàm in cōfingendis in alios. Obieci homini & quidem verè eum vt turpiſsimè Oſiandro aſſētaretur, iſta, quæ conuitiatus in nos fuerat, ſcripſiſſe. Quo

verò

verò modo hanc à ſe culpam amouet Gerlachius? Fit nimirum *mandato quorundam* (quos tamen nominare nõ audet)*id ſe feciſſe.*Ergo non ſtudio Pag. 23. & alibi. aſſentandi Oſiandro id fecit. Quid ſi ipſe ille, qui mandauit, eſt Oſiander? Obieci id,quod res eſt, ab iſtis bonos viros ſuis ſedibus ac locis contra dignitatem ac ius eiici. Hîc proculdubio iam taces. Reſponde verò,Gerlachi. Nam ſi id facere, quod tandem fateris à vobis fieri, eſt Caluiniana charitas.Certè vos eſtis,te iam teſte,Caluiniani, qui id facitis.Sed quum nullum ſit in terris maius ac benignius fidelium omnium hoſpitium,quàm vna vrbs Geneua,vbi imprimis pura doctrina Dei (quam iſte Caluinianam vocat)viget,Pag.68. impudentiſſimè mentitur homo iſte dum affirmat bonos à Caluinianis ſuis ſedibus eiici. Quid quod idem ille poſtea negat extrudi patria & dignitate eſſe pœnam,aut ſupplicium? Obieci ſuperbum titulum, quem libris ſuis ambitioſè præfixerat Gerlachius culpã in Typographum ſuauiter deriuat: atque hic idem tamen eadem pagina me flagellat B quòd Typographi mei operæ negligentes in pag.25. margine libri pro his verbis,1.Pet.3.verſ.15.ſuppoſuerunt 1. Pet.4. omiſſo verſiculo. Recitat Gerlachius,quæ verè de Pappo, Oſiandro,Brentio, pag.8. Iacobo And.& huiuſmodi farinæ hominibus ſcripſi,ex ſola recitatione ſe ea refutaſſe putat Gerlachius:Verùm eſt paralogiſmus ſeu vitium à non conſequenti,Gerlachi. Nam inter nudam recitationem, & confutationem, eſt media argumentorum ac rationum,quibus crimen obiectum diluas,prolatio ac probatio, quam prætermittis. Denique infinitum eſſet reliqua omnia, quæ ſunt paris ignorationis Dialectices,& veræ ſyllogiſmi connexionis(quibus tamen totus iſte Hyperaſpiſtes ſcatet)enumerare. Quamobrem illis omiſſis ad alia ipſius argumenta veniamus, vbi fortaſſe plus in eo aut veræ Chriſtianæque doctrinæ, aut eruditionis apparebit.Nam omnes animi ſui neruos contendere debuit, vt & ſuperiores errores ſuos confirmaret,imprimis ſuum Philænium, id eſt,Vbiquitatem ſuam tantopere adamatam commendaret. Ergo Gerlachiũ in ipſo certamine ſudantem,ac verſantem audiamus.Dixerat iſte *Chriſtum corpore ſuo tam mortificare nos, quàm viuificare.* Hoc confutaui:ille tamen hîc fulcire per ſuum C iſtum debilem Hyperaſpiſtem nititur. Ait igitur, pag. 13. *Pater dedit filio poteſtatem iudicandi,quatenus Filius hominis eſt*.Ergo Chriſtus corpore & carne ſua pag.14. viuifica tam mortificat nos,quàm viuificat. Fallacia verò multiplex, primùm Ignoratio Elenchi: Alia.n. ratione iudicat Chriſtus,alia verò nos viuificat, quas diuerſas cauſſas iſte confundit.Deinde fallacia Accidentis hoc eodem loco: nam Chriſtus non iudicat carne,licet in carne ſit iudicaturus.Sed aliud eſt carne aliquid facere:aliud in carne,Gerlachi.Sed pergis & addis Chryſoſt. ait cibum ſpiritualem perdere hominem pollutum *vitio accipientis*.Ergo ait Chryſoſt,Chriſtum corpore ac carne ſua mortificare eos qui eam ſumũt. Reſpond. Quis tibi Glaucomam obiecit Gerlachi,vt quod legiſti in Chryſoſtomo, non legeris? aut legens non animaduerteris,verba nimirum illa *vitio accipientis*?Ergo non corpus ſeu caro Chriſti,ſed vitium accipientis ipſi indignè carnẽ pag. 108. Chriſti ſumenti mortem affert: vnde & hîc quoque Gerlachius non cauſam pro cauſa in A Chryſoſtomo ſumit.Hæc breuiter trado,quoniam quæ talia ſunt,vt ait Hieron.indicaſſe, eſt refutaſſe. Eiuſdem ſtoliditatis hoc quoq; eſt argumentum, Paulus ait, *Panem*, & *quidem benedictum ſumi ab indignis*,Ergo Paulus ait eſſentiale corpus Chriſti ſumi ab indignis.Nimirum Gerlachi tu tua ſententia Sacramentum planè iam deſtruis,ac verus Papiſta es,qui exiſtimes panem S.cœnæ poſt benedictionem fieri ipſum eſſentiale corpus Chriſti:vel puerili ignorãtia hîc peccas, qui non videas panẽ benedictum manere panem,vti etiam à Paulo panis apellatur.Cùm tuis porrò in ea conſenti. Sed & illud alterum ſimile Gerlachi argumentum eſt, Auguſt.ait *corpus Chriſti ore ſumi*.Ergo vult Auguſt. ipſum ac eſſentiale corpus Chriſti ore ſumi.Fallacia ab Aequiuoco vocis *corpus*.Corpus enim Chriſti dicitur & ipſum ſignum corporis, id eſt panis S.Cœnę,& ipſum eſſentiale corpus Chriſti.Apud Auguſtinum autem pro ſigno(quod vel pueri ipſi ſeptemnes norunt)ſumitur vox *corpus*. Et hæc B quidem,quod ad oralem carnis Chriſti manducationem,quã tueri conatur, ſed fruſtrà, Gerlachius. Scripſerat idem Gerlachius in Antidanæo *Corpus Chriſti eſſe vbique*.Confutaui in Antigerlachio.Iam verò hanc ſuam Helenam in Hyperaſpiſte iſto caduco,recoquit & ſi poteſt ſuſtẽtat & pag.68. fulcit Sed quibus argumentis? Sic Chriſtus Verbum Dei S.Cœnam inſtituens dixit.*Hoc eſt corpus meũ.* Ergo Chriſtus confutauit his verbis eos, qui corporis ſui vbiquepræſentiam negant. Nego conſecutionem: Nam primùm in hoc ſyllogiſmo tuo eſt fallacia à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter, vt vocant. Nec enim ſequeretur (licet à nobis concederetur corpus Chriſti eſſe in Sacra Cœna) idcirco illud quoque eſſe vbique terrarum.Aliud enim eſt ſpatium vbi S.Cœna celebratur:aliud totum hoc mundi interualũ ac expanſio.Præterea ex AEquiuoco falleris: Nã τὸ *eſſe* in illis Chriſti verbis non pro ſitu & aſſiſtentia corporis ſumitur,ſed primum pro ſpirituali communicatione noſtra cum eo, quæ non requirit ſitum corporis Chriſti in illo loco,ſed fide fit.deinde pro illius carnis in nobis ἐνεργείᾳ & C effectis accipitur,vel interprete ipſo Paulo.1.Cor.10. Eſt.n.Chriſti caro,& quidẽ præſens,ſed ſpirituali præſentia,quæ corporali opponitur(quam iſti requirunt)vbicunque illi per fidem communicatur. Ergo quàm imperitè vbiquepræſentiam & ſitum corporis Chriſti ex eo Mat.loco concludas, iam, vt ſpero,vides: præterquam quod proferre hunc locũ pro Vbiquitaria & locali præſentia eſt petitio principij.i.ineptiſſima argumentatio. G.pag.80. Chriſtus Deus implet omnia loca, Ergo humanitate ſeu carne illa implet. Reſpond. Seipſum refutat Gerlachiꝰ &Paralogiſmũ cõmittit ab ignoratione Elenchi. Nã τὸ Deus oſtendit qua ratione & natura Chriſtus omnia loca repleat,diuina nẽpe, non humana:quod non perſpicit,etſi à ſe pronuntiatũ, homo iſte errore vbique præſentiæ corporis Chriſti faſcinatus. G. Cyrillus ait Chriſtum cum carne implere omnia.Ergo vult Cyrillus Chriſtum carne ſua implere omnia loca. Reſpon. Fallacia ab Homonymia harũ vocũ,*cũ carne*. Significãt.n. Chriſtum,qui Deus eſt,implere oĩa terrarum ſpatia,manente tamen hypoſtatica naturæ diuinæ cũ humana vnione.Naturã autem humanam aſſumptã cum Deitate coextendi neque volunt illa Cy

A rilli verba,neque docent,quoniam quæ hypoſtaticè ſunt vnita coextēdi ęqualiter, & æquè patere nihil neceſſe eſt. G. Athanaſ.& alii Patres ſcribunt,gloriam, quam Chriſtus dicitur accepiſſe, pertinere ad ipſius carnem,Ergo volunt Athanaſius & alij orthodoxi Patres carnem illam Chriſti eſſe vbique.Reſpon.Fallacia à non conſequente. Nec enim illà gloria(quam Chriſtus homo , aut Chriſti caro accepit)dare poteſt carni Chriſti vbiquepræſentiam, quoniā ea non eſt carnis Chriſti(quæ verè humana caro manet etiam glorificata)gloria & exaltatio , ſed eſt eius carnis deſtructio,Eutychiana abſorptio,& abolitio. G. Dicit Cyrill. lib. 2.Theſau.Naturam noſtram,quæ à Filio Dei aſſumpta eſt, exceſſiſſe menſuram ſuam & in conditionem naturę eam aſſumentis per gratiam fuiſſe tranſlatam.Ergo vult Cyrillus carnem Chriſti eſſe vbique.Reſpon.Fallacia ab eodem loco,qui ſupra eſt annotatus,atque etiam ab ęquiuoco. Ille enim menſuræ humanæ in carne Chriſti exceſſus ſeu prærogatiua (de qua Cyrillus)tribuit B glorioſę illi carni Chriſti tantum παραφυσικὰ καὶ ὑπερφυσικὰ dona,non autem ἀντιφυσικὰ. Nam ἀντιφυσικὰ ipſam carnis naturam deſtruunt,qualis eſt procul dubio vbiquepræſentia. Denique vox *conditio aſſumentis* vnionem cum diuina hypoſtaticam deſignat,non dignitatis in humana & diuina Chriſti natura exæquationem aut paritatem. Nam hæc pag.25. Neſtoriana blaſphemia eſt G. Dicūt Patres humanam Chriſti naturam factam eſſe participem Deitatis. Ergo ſentiunt patres Deitatem ipſam eſſe infuſam , & reipſa iniectam carni Chriſti. Reſpon. Fallacia ab homonymo:Ludit enimGerlachius in multiplici ſignificatione vocis *particeps*, quæ hic vnionem hypoſtaticam ſignificat , ad Manichæorum delirium de incommunicabilitate harum duarum naturarum, Diuinæ nimirum cum humana confutandum : non autem totius aut partis Deitaris in carnem Chriſti traiectionem,infuſionem,realémque communicationem,vt iſti tamen perpetuò intelligunt.Et hęc quidem pro commentitia illa vbiquepræſentia corporis Chriſti Gerlachius,de qua fortiſſimè in prioribus ſcriptis à nobis depulſus tandem pro eo duntaxat pugnat,vt ſaltem in S.cœna præſen C tia corporali ac locali adſit corpus Chriſti. Sic e- pag.80. nim ipſe in hyperaſpiſte ſine circuitione mentem ſuam de præſentia corporis Chriſti tandem exponit.Dixit igitur in Antidanæo Gerlachius eſſentiale corpus Chriſti adeſſe præſentię corporalis & localis modo in S. cœna.Confutaui in AntiGerlachio.Hoc iterum conatur ſtabilire languidus iſte Hyperaſpiſtes.Sic nempe corpus Chriſti per vos,ait,præſens adeſt in S.cœna,fide illud ſumentibus.Ergo corporalis præſentiæ modo corpus Chriſti per vos in ſacra cœna fidelibus adeſt.Reſpon.Fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter,ſeu à genere ad ſpeciem affirmatiuè,tanquam ſi quis ſic concludat,Eſt animal, ergo homo:eſt arbor,ergo pirus:eſt Apoſtolus , ergo Matthæus.Concedimus igitur corpus Chriſti eſſe præſens verè fidelibus,id eſt,fide illud ſumentibus,ſed ſpirituali,non locali præſentia , quod iſte concludit : ſacramentali & pactionali , non Phyſica , quod tamen ſequi ex iſtorum dogmate,velint,nolint,neceſſe eſt,ſi eo modo adſit, vt ore mandatur,quod iſti docent : denique adeſt per nos ea præſentia quam fides , non os corporis: ſpiritus,non litera:Chriſti ſententia, nō A Iudaica & Capernaitica veſtra interpretatio requirit ac poſtulat. G. Chriſtus exiēs à Patre non abſ Pag.84. ceſſit ab eo locorum interuallo , Ergo nec idem rediens ad Patrem & aſcendens in cælum interuallo locorúmve ſpatio acceſſit : Reſpon. Fallacia ab ignoratione Elenchi.Confundit enim Gerlachius ὑπεροχὴν.Nam quod de Chriſto Deo dictū eſt miſcet cum eo,quod de eodem homine eſt intelligendum. Filius enim Dei ſeu Verbum dum incarnatum eſt (id quod verba hæc ſignificant, *exiui à Patre*) quia Deus , non abſceſſit locorum interuallo à Patre : ſed idem tamen homo factus rediit ad Patrem , qua homo nimirum in cælum euehens illam ſuam naturam aſſumptam , ac proinde vt homines in cælum euecti terram relinquunt (Nā homines in cælo & in terra ſimul eodémque tempore eſſe non poſſunt)ſic Chriſti caro in cælum euecta terram deſeruit , neque (quoniam verè humana eſt)ſimul reipſa & præſentiæ corporalis modo,eſt in cælo & in terra. G. Negant orthodoxi localem præſentiam corporis B Chriſti,& eam qua ore mandi corpus Chriſti ab hominibus poſſit.Ergo negant orthodoxi realem fidelium communicationem cum ipſa carnis Chriſti ſubſtantia.Reſpon.Fallacia eſt à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter,velut ſi quiſpiam ſic colligat.Negāt orthodoxi præſentię modum ab vbiquitariis præter Dei verbum,excogitatum.Ergo negant iidem quoſvis alios præſentię modos.Quis te ſic ineptientem ferret?Noſtra, eáque vera,ac realis communicatio Gerlachi cum carne Chriſti , neque localem veſtram præſentiā, neque corporalis aſſiſtentiæ modum , qui quantumuis à vobis verbis negetur,re tamen ſtatuitur, requirit:ſed fide fit ac ſpiritu , vt potius nos ſurſum euehi animo oporteat,quàm glorioſam illam ac beatam Domini noſtri Ieſu Chriſti carnem in has miſerrimas terras detrahi (quod vos tamen facitis , qui magnifici maieſtatis carnis Chriſti defenſores nihilominus videri vultis)Vnde vetus illud in ſacra Cœna vſurpatum ab Eccleſia , *Surſum corda*,vt ait Cyprianus. G. Si caro Chriſti nō adeſt in S.cæna præſentiæ iſtius modo, qua ore quoque corporis verè manducari ac reipſa poſſit, ergo fideles in Cœna Domini habebunt duntaxat ἐνεργειῶν Chriſti:non autem ipſiuſmet eſſentia- C lis carnis participationē. Reſp. Eſt hæc fallacia à nō cauſa pro cauſa.Nec.n.verè ac eſſentialis carnis Chriſti participationis,q̄ à nobis fit,cauſa aut mod⁹ eſt localis illius carnis præſentia ſeu corporalis aſſiſtentia ac ſitus,quoniam fide fit,ſed ſpiritus ſanctus,qui per fidem omnes pios ac fideles 1.Cor.12. v.13. cum Chriſti carne,licet in cælo euecta ac manente,verè tamen coniungit ac coadunat.*Omnes enim*, inquit Paulus , *vna potatione potati ſumus in vnum ſpiritum*.vnus enim & idem ſpiritus in omnibus S.Cænis id facit,nempe vt nos vnum cum Chriſto ſimus:illique coniungamur ſpiritualiter. G. Patres orthodoxi dicunt Chriſti corpus eſſe in cælo,Ergo negant orthodoxi eos fideles,qui ſunt in terra, poſſe fieri illius corporis participes. Reſp. Fallacia eadē,quæ ſupra.Nec.n.noſtræ,qui ſumus in terris,cū Chriſto,qui in cælis eſt, cōmunicationis cauſa aut modus eſt aſſiſtentia hæc & repręſētatio carnis Chriſti in histerris : ſed ſpirituale & myſticū fidei vinculū,quo & quidē ſolo,cōmunicamus

A camus cũ Chriſto. G. Danæus ſcripſit eſſentiale corpus Chriſti abeſſe à ſignis à Cœnæ, idem tamen fatetur fidelibus adeſſe in S.cœna. Ergo aut ſibi contradicit Danæus, aut ſtatuit localem carnis Chriſti præſentiam in cœna. Reſpon. Eſt Gerlachi fallacia à non conſequenti, ex prætermiſſione modi, quo fidelibus adeſt corpus Chriſti in S.cœna, & quem intelligit Danæus, nempe ſpiritualis, & ſacramentalis, qui toto genere ab hoc corporalis præſentiæ ſeu aſſiſtentiæ Gerlachianæ & Vbiquitariæ modo differt. Et hæc quidem hactenus de corporis Chriſti præſentiæ modo in S. ipſius cœna. Iam enim teipſum pudebit, vt opinor, tuarum argumentationum, non dico ſi Theologus, nõ dico ſi Chriſtianus: ſed tantùm, ſi homo es, & λογικὸν ζῶον, vt Philoſophi hominem definiunt. Tamen ne conqueraris, Gerlachi, non eſſe à me totum tuum librum & perlectum & B refutatum, cætera quæ addis, videamus, in quibus perpetuò te Margirum eſſe demonſtras. Dicis igitur carnem Chriſti in ſeſe eſſe proprium quoque noſtræ adorationis religioſæ ſubiectum. Hoc ſcripſiſti vt Iacobo And. ſuccenturiareris Domino tuo, & veſtræ Academiæ cancellario, qui nuper hoc à me in *Examine* ſcriptum exagitauit quidem, ſed ita tamen, vt nollet me audire, id eſt, peregrino mihi ſermone hoc ſcripſit. At verò tu vt te quoque poſſis tollere humo, gratificari Iacobo iſti And. filio ſtudes, ac proinde illius cauſam ſuſcepiſti, quam agis, & me propterea oppugnas, vt non minus iam Iacobo Andr. aſſentareris, poſteaquàm ad vos ex Saxonia rediit: quàm antea Lucæ Oſiandro, dum abeſſet veſter Iacobus. Sed quibus telis agis? certè, quorum vel ipſummet Andream, cui aduocatus & Hyperaſpiſtes adueniſti, pudeat. Primùm autem me mihi in eo contradixiſſe opinaris. Scribis enim in Hyperaſpiſte, Danæus in reſponſione ad Selneccerum, carnem Chriſti (quatenus vnigeniti caro eſt) vocat verè Adorandam. Atqui idem in *Examine* negat eam ipſam eſſe proprium noſtræ adorationis C obiectum. Ergo ſeipſum euertit Danæus. Reſpon. Fallacia hæc tua eſt Gerlachi ab Homonymia vocum iſtarum *verè adorandam.* Dicitur enim verè adorari, & illud, in quod propriè velut in obiectum fertur religioſæ noſtræ adorationis actio, ſcopus, ac finis: & illud, quod vero, non autem ficto animo illi rei (quã per ſe propriè adoramus) vnitum aut coniunctem agnoſcimus, aut intuemur. Sic diadema regis, quem veneramur, capiti impoſitum à nobis verè quoque honoratur: ſic purpura, quam rex induit, ſalutato rege & ipſa ſalutatur. Ergo quatenus Deitati Chriſti (quæ ipſa ſolùm eſt noſtræ adorationis obiectum) vnita eſt illa caro, dum adoratur Chriſtus, dicitur caro quoque ratione ſeu gratia vnionis, & ipſa adorari, vti enim verè illi vnita eſſe à nobis agnoſcitur, ſic verè à nobis in illa Deitatis (quæ vna duntaxat eſt adorabilis) Chriſti adoratione adoratur, neque tamen vt proprium noſtræ illius religioſæ adorationis obiectum ac ſcopus. Hæc eſt igitur tuę illius in me calumniæ facilis abſterſio Gerlachi, quam vides. Sed & alterius quoque tuę accuſationis, & reprehenſionis non minus facilis & aperta pag. 19.20 &alibi. eſt depulſio. Ais enim, Danæus negat carnem ſeu humanam naturam Chriſti eſſe omnipotentem. Ergo negat Danæus Chriſtũ eſſe omnipotentẽ. Multiplex fallacia. Prima à diſiunctione ad compoſitionem. A Quod .n. de vna duntaxat Chriſti natura negaui, iſte ad vtramque transfert, quæ nomine Chriſti ſignificatur. Aliud autem eſt aliquid de humana duntaxat Chriſti natura, aliud de ipſo toto Chriſto concedere aut negare. Sed iſti duo illa, atque vocabula abſtracta & concreta perpetuò confundunt, vt ſuum errorem tueantur. Altera fallacia ab homonymia in voce *omnipotentem.* Nam omnipotens dicitur vel ἁπλῶς & abſolutè: vel comparatè & pro ſui generis vniuerſi ratione, quæ duo ſignificata iſti quoque perturbant vel ignorant. Deus ἁπλῶς eſt omnipotens. Humana verò Chriſti natura comparatè, nimirum quantum vniuerſum rerum creatarum genus, imo tota ipſa natura creata potens, imo potentiſſima eſſe poteſt, tantum poteſt imo etiam ſupra omnem mentis ſeu intelligentiæ creatæ Angelicæ vel humanæ captum, verùm, omiſſo Danæo, B iſte tandem alia profert, vt ipſi videtur, argumenta, cur contendat carnem Chriſti eſſe quoque verum religioſæ adorationis obiectum, Quale videlicet iſtud eſt, Paul. Philip. 2. ait omne genu flecti Chriſto. Ergo vult Paulus carnem quoque Chriſti eſſe verum adorationis noſtræ religioſæ obiectum. Reſpond. Quanquam hoc ipſo tempore ad eum Pauli locum Iacobo Andreæ abundè reſpondi, tamen quoniam non eadem eſt tua, qui illius duntaxat diſcipulus es (habent enim quoque apud vos etiam ſimiles labra lactucas) atque Iacobi iſtius præceptoris tui eruditio & perſpicacitas, craſſiori Minerua mihi docendus es. Fallacia igitur in tuo ſyllogiſmo, Gerlachi, eſt duplex, Prima à compoſitione ad diuiſionem. De toto enim Chriſto Paulus dicit, quod tu ad totum Chriſti transfers. Ait igitur Paulus: Chriſtũ religioſè adorari: tu verò de toto Chriſti id eſt ſingulis illius perſonæ partibus ſeu naturis id affirmas & dictum putas. Verùm iſta duo plurimum inter ſe differunt Gerlachi, quod vt intelligas, audi, de toto Chriſto dicitur, mortuus eſt Chriſtus. Ergo ex tua interpretatione de ſingulis Chriſti naturis id quoque intelligendum erit, nempe de Diuina & humana, vt vtrãq; mortuã eſſe ſentiam. C Quũ verò quidpiam enuntiatur de Chriſto, diligenter, inquit Cyrillus, videndum eſt ac diſtinguendum, vtrum de vtraque illius natura, an de altera tantum (à qua tamen rectè totius perſonæ ſit denominatio) ſit accipiendum. Nam is demum bene docet, inquit Plato, qui bene diſtinguit. Verùm iſti vt glaucomam ac tenebras oculis hominum obiiciant, neque totum Chriſtũ à toto Chriſti diſtingui, neque naturas in Chriſto per ſe conſiderari, neque eſſentiales earum proprietates ſecerni ſinunt. Exclamant enim vnam illam Chriſti Domini noſtri perſonam diſtrahi, diſcerpi, diuelli, quum & autoritate S. ſcripturæ, & Patrum exemplo fit à nobis huiuſmodi diſtinctio. Hæc igitur eſt vna ſuperioris tuæ argumentationis fallacia. Altera eſt, vt ſupra diximus, Homonymia, quã iſti ſectantur, dum huius vocis *adoratur*, in iſta locutione, *adoratur caro Chriſti*, ſignificatum nõ diſtinguunt ab eo, quo idem verbum ſumitur quum dicitur *Deitas Chriſti à nobis adorari.* Adoratur enim Deitas, vt proprium adorationis obiectum, id quod mens adorationis reſpicit, ſpectat, cogitat, & ſeſe dirigit. Adoratur autem caro Chriſti, A quoniam eſt vnita ἀχωρίστως illi naturæ, quæ in Chriſto in ſeſe adoratur. Et hoc quidem palmarium fuit argumentum Gerlachij, Pag.96. ſequuntur alia leuiora, velut hoc, Chryſoſtomus & Cyrillus ſcribunt corpus Chriſti ab omni creatura adorari. Ergo iidem volunt corpus Chriſti eſſe ipſam rem quam mens hominis verè & ex Dei præcepto Chriſtum adorantis reſpicit atque habet obiectam. Reſpond. Quum illa patrum dicta ſint ex ſuperiori Pauli loco ſumpta, eodem modo ſoluitur, refutatúrque hic ſyllogiſmus, quo proximè præcedens, iiſdem enim vitiis vterque laborat. Pag.97. D. Cyrillus libro II. in Iohan. capit. 20. ſcribit Chriſtum hominem in nouiſſimis temporibus accepiſſe ea, quæ idem vt Deus naturaliter habebat. Ergo humanitas Chriſti realiter in ſeſe accepit atque habet eſſentialia Deitatis idiomata: ac proinde eſt verum noſtræ adorationis obiectum. Reſpond. Conclude igitur Gerlachi B quod neceſſariò conſequitur, ac proinde caro Chriſti eſt facta Deus: ſed Deus recens ac nouitius, qui proinde nequaquam erit adorabilis, vt docet Ambroſius, & oſtēdi in Reſp. ad Iacobū Andreæ. Iſta enim naturæ humanæ aſſumptæ cum diuina aſſumente in Chriſto exæquatio ex tuis illis verbis & interpretatione neceſſariò velis, nolis, conſequitur. Verùm iſtius enthymematis fallacia eſt in Homonymia verbi *accepit*, quod iſti à vero Cyrilli ſenſu detorquent. Nam intelligit Cyrillus hominem Chriſtum accepiſſe ea quæ ſunt Deitatis eſſentialia, vti Deitatem ipſam accepit, nimirum ratione duntaxat ſeú gratia vnionis: iſti verò intelligunt carnem Chriſti accepiſſe ea gratia habituali, vt ipſi quoque carni eſſentialia illa Deitatis idiomata inhæreant, inſideant, & ea reipſa communicata tranſfuſáue habeat caro Chriſti, & capiat, id eſt, naturas in Chriſto exæquet, Deum quendam nouitium faciunt & ad Arrianiſmum expeditiſſimam viam monſtrant. Nam quæ compendioſior ad eum via eſſe poteſt, quàm dum nihil inter naturam Chriſti diuinam & humanam intereſſe docentur homines? & quæ vt Deus habet Chriſtus, ea non alia eſſe docentur, quàm quæ natura creata ha- C bet, id eſt quàm quorum natura Chriſti humana eſt capax & capabilis? Et hæc tua quorſum pertineant vides. Verùm refutare quoque nititur noſter Gerlachius quod dixi: Chriſtum ratione humanæ ſuæ naturæ eſſe nobiſcum Dei conſeruum, licet idem ſit noſtri ratione omnium noſtrum Dominus. Cur id Gerlachius? quoniam & in eo quoque fuit aſſentandum Iacobo Domino venerabili ſuperintendenti Stukardiano (quis enim tot præfulgentibus in vno homine titulis *Marcus Dama*, vt ait ille, non commoueretur) ſed non modo infirmum: imo nullum illi adfert præſidium miſer iſte Gerlachius. Quid enim ait? Pag. 93. & alibi. Nempe, Chriſtus vt homo regnat ſuper nos, ac ſuper omnes creaturas, & nobis illíſque dominatur: Ergo Chriſtus non poteſt eſſe conſeruus noſter. Reſpond. Fallacia iſta eſt ab ignoratione Elenchi: Nam confunduntur diuerſæ diſſimiléſque relationes & rationes, quaſi eſſet vna & eadem, nimirum cur Chriſtus dicatur conſeruus noſter, & tamen idem Dominus noſter, etiam qua homo. Eſt igitur conſeruus noſter A Chriſtus homo, ratione Dei, quia quatenus homo, eſt ſeruus Dei nobiſcum, *aſcendo*, inquit Chriſtus, etiam poſt reſurrectionem, Iohannis 20. *ad Deum meum, & ad Deum veſtrum*, Matth. 20. & Luc. 22. dicitur Chriſtus διακονεῖν, & alibi διάκονος Roman. 15. nominatur, Chriſtus dicit facere ſe voluntatem Patris. Eſt autem idem Chriſtus, ſed diuerſa ratione, noſtri nimirum reſpectu, Dominus, quoniam nempe Chriſtus homo eſt ille, quem nobis Pater dedit moderatorem, rectorem, gubernatorem mundi, & caput Eccleſiæ. Itaque ait *Omnis poteſtas mihi data eſt à Patre.* Matth. 28. Nec verò mirum eſt, vt quiſpiam vnus & idem, diuerſa ratione, vni imperet & alij ſeruiat, velut Legatus Proconſulis, aut Præſes prouinciæ, qui prouincialibus imperitans, ipſe tamen Imperatori & Auguſto ſubiicitur & paret: de Chriſto autem etiam illud tam frequenter ab Ambroſio, Auguſtino, Cyrillo & aliis patribus orthodoxis dictum eſt, vt demirarer à Gerlachio, niſi eſſet recens ac nouellus Theologus, id potuiſſe ignorari. *Chriſtus ſeipſo & maior & minor eſt.* Sed addit aliud argumentum Gerlachius, Damaſcenus inquit libro 3. orthodox. fid. capite 21. negat Chriſtum rectè dici poſſe etiam qua homo eſt, ſeruum Dei. Ergo falſò ſcribitur eum eſſe noſtrum conſeruum. Reſpond. Fallacia duplex, Prima ab ignoratione Elenchi ſeu prætermiſſione cauſæ, cur id neget Damaſc. nimirum ſi ſic dicatur, ſtatuatúrque Chriſtus ſeruus & Patris, & ſuiipſius, vt in duas perſonas diſcerpatur. *Serui* enim & *Domini* voces videntur diuerſas hypoſtaſes conſtituere, quoniam ex notiori ſua ſignificatione ὑφιστάμενα diuerſa includunt. Sic neque Chriſtus qua natus eſt ex Maria Virgine dicitur filius Dei adoptiuus, vt rectè docet Lombard. libro 3. Sentent. Diſt. 10. ne diuelli nimirum videatur vnica ipſius perſona, quum *Filij adoptiui* vox perſonam & hypoſtaſin per ſe ex notiori ſignificato, ac vt plurimum deſignet. Cæterum ſi abſque deſtructione perſonæ Chriſti id fie- C ri intelligatur, & ſic vocetur, non negat Damaſcenus quin poſſit appellari ſeruus. Nam vt idem eodē capite ait, Δεῖ γινώσκειν ὅτι τὴν μὲν ἀγνοοῦσαν καὶ δούλην ἔλαβεν φύσιν χριστὸς, *Fatendum eſt Chriſtum aſſumpſiſſe naturā qua & ignoret & ſerua ſit.* Deinde fallacia quoque hîc eſt παρὰ τὸ αἴτιον, *à non cauſa pro cauſa.* Nec enim ſequitur, etiamſi omnino negaret Damaſcenus Chriſtum, quatenus eſt homo, rectè vocari ſeruum, tamen eum non orthodoxè ſic nominari. Nam huic Damaſceni ſententiæ repugnat S. ſcriptura, vt manifeſtiſſimè ex variis locis prolatis contra Damaſcenum probat ipſius Damaſceni interpres: & pugnat in eo quoque Damaſcenus cum Cyrillo, & aliis orthodoxis Patribus. Nec verò qnicquid Damaſcenus dixit, ſed illud modò, quod verè dixit nobis ſequendum, ac pro oraculo tenendum eſt. Atque hæc ferè ſunt præcipua iſtius Hyperaſpiſtis Gerlachiani argumenta, quæ quum refutatu facilia, inania, futilia, imo nulla ſint iam, vt opinor, ipſe fatebitur: ſaltem omnes pij & eruditi viri perſpiciunt. Quod enim reprehendit in me hanc locutionem pag.106. *Chriſtus aſſumpſit carnem humanam*, non modò di-

lutum

A lutum prorſus eſt, atque in hoc homine ſtudium temere quiduis mordendi ac arrodendi declarat: ſed etiam eſt perperam in me damnatum. Legat enim ipſe epiſtolam ad Hebræos capite 2. verſu 9. & 16. vbi dicitur, *Ieſus (quem cernimus virtute ac gloria coronatum, & factum inferiorem Angelis) aſſumpſiſſe ſemen Abrahæ*: ſed quomodo ſit explicanda, ſeu quemadmodum loquuntur in ſcholis, ſit reſoluenda huiuſmodi phraſis, licet ſit iam Magiſter in Iſrael, tamen homo iſte ignorat. Ergo ex noſtrorum Doctorum libris & commentariis diſcat. Atque huius meæ ad tuum Hyperaſpiſtem reſponſionis hîc finis eſto. Nam ea quæ recoquis, vt probes ipſammet Chriſti carnem eſſe quoque vitæ æternæ fontem, & ipſorum miraculorum operatricem, non modò iam ſæpius à noſtris ex Dei verbo confutata ſunt? ſed nuper ab eximio illo Chriſti ſeruo Theodoro Beza in reſponſione ad Holderi, itidem, ſicut tu, Oſiandreani & Iacobeani, paraſiti conuitia, ſic perſpicuè ſunt euerſa, vt neminem ſperem in poſterum illum errorem B reuocare, vel velle, vel poſſe. Itaque actum agerem, ac Penelopes, quod aiunt, telam retexerem, ſi denuo eadem illa tractarem. Quod denique vt omnem Synodorum autoritatem peſſundes, tu qui Leydæ noſtræ ἀταξίαν falſò ac temerè obiicis (quum tamen, vt omnes, qui hîc fuerunt, norunt, nihil in tota Hollandia ſanctius ac ſeuerius, quàm ordo Eccleſiæ, ſeruetur) vt tuo Domino Iacobo nimirum illa inurbana ſcurrilitate tua riſum de te ipſo moueres, quod inquam, contra Synodos ſcribis pluribus verbis, ſed meri inanibúſque repetitionibus, id totum oſtendit, quàm ſis omnis Eccleſiaſtici ordinis, ac diſciplinæ, tum hoſtis, tum ignarus: atque etiam quantum veſtræ illi bonæ ſcilicet cauſæ vbiquitariæ omnes vos diffidatis, quum lucem ac conſpectum bonorum virorum ferre non poſſitis, nedum vt veræ & Chriſtianæ Eccleſiæ, columnæ veritatis, vt ait Paulus, iudicium de veſtro dogmate exſpectare audeatis. Sed mi Gerlachi, qui bene facit, A & verum docet, non odit lucem, quod vos facitis. Et tamen te, quantumuis inuitum, ad Synodum pertraho, ad eam prouoco, tibíque eam vbicunque terrarum volueris, legitimam, tibi, inquam iudicem fero, condico, vt ſemel intelligas à peritis politiæ Eccleſiaſticæ iudicibus quantum aberres à vero, & quantam Chriſti Eccleſiæ facias iniuriam, dum negas errores de doctrina fidei ab ea iudicari, damnari debere, vt legitimè damnentur: dum ais quoque in Synodis ciuiles cauſas agitari ſolitas, & Apoſtolorum autoritatem in damnandis erroribus cum illa coitione ſexuirorum tuorum (quæ Bergæ nuper facta eſt) confundis, ac hanc illi, magna ignoratione vel malitia, exæquas. Sed quid ni hoc faceres qui recens è Turcia reuerſus, ſtatim Tubingæ, in numerum profeſſorum doctrinæ Theologiæq́ue vbiquitariæ fueris cooptatus: Tales enim doctores amant vbiquitarij. Cuius rei fidem etiam facit Nicolaus Selneccerus inter veſtros doctores vbiquitarios iam B ſecundum à Iacobo Andreæ locum maledicendi laude inter vos conſecutus, & idcirco Lipſiæ D. Superintendens, & venerabilis Epiſcopus aliorum Lypſienſium Epiſcoporū factus: denique iam alter fraterrimæ coitionis vbiquitariæ coryphæus in cuius corpuſculo plures fœdiſſimæ hæreſes habitant, quàm guttæ ſanguinis, quemadmodum ex hæreticiſmo ipſius poſtremo ſcripto, quod *Recitationes Lypſianæ* inſcribitur, apparet: in quo præter errorum & veterum & recentium iſtius hominis portenta, ac in Deum blaſphemias, nihil niſi ridiculam & Thraſonicam de ſuis laudibus & diſcurſationibus fabulam contineri, omnes intelligunt, qui illud ſcriptum legerint. Verùm vt perorem, Precor tibi, Gerlachi à Domino Deo ſaniorem mentem. Vale. Lugduni Batauorum, Kalend. Ianuariis, anno temporis vltimi, quo poſtremus ac illuſtris ille Chriſti aduentus ad verè de ipſo ſentientium ſalutem & omnis impietatis exitium ac abolitionem exſpectatur. CIↃ. IↃ. LXXXII.

L. D.

AD NICOLAI SELNECCERI LIBRVM QVI INSCRIBITVR

NECESSARIA ET BREVIS REPETITIO, &c.

B

IN QVO EXEGESIS SAxonica oppugnatur:

B

BREVIS, MODESTA, ET NECESSARIA, Reſponſio.

EDITI ſunt à Nicolao Selneccero Anno Domini M. D. LXXVIII. libelli duo : quorum vnus inſcriptus eſt, *Cōfutatio accuſationum*:alter,*Neceſſaria & breuis repetitio ſimplicis,vera,& perſpicua doctrina de Cœna Domini,* &c. paris quidem argumenti, ſed tamen diuerſo tempore ſcripti , quorum qui poſterior eſſe debuit,& *Confutatio* appellatur,quēque demum anno M. D. LXXVIII. menſe Iulio meditatus fuit,is in fronte voluminis à Selneccero collocatus eſt,& in ipſo volumine eſt prior: qui verò & temporis , & naturæ ipſius lege prior erat,& inſcribitur *Repetitio doctrinæ*, poſterior tamen eſt à Selneccero factus. Vtrunque fortaſſe nō abs re,neque ſine iudicio:quoniam id quoq; Rhethores nonnunquam fieri præcipiunt , vt Refutatio C confirmationem præcedat,& inter reliqua orationis ſchemata,hoc quoque(quod ὕστερον πρότερον Grammatici vocant)non ineptè recenſetur. Nos tamen,non quidem Mandrabuli(quod aiunt) in morem:ſed ab eo,quod & natura prius eſt, & factum longa ipſius autoris meditatione,atq;(quēadmodum ipſemet fatetur)repetitione limatius exordiemur. Itaq; ad hoc poſterius Selnecceri ſcriptum,quod eſt *Neceſſaria & breuis repetitio doctrinæ de Cœna Domini*,hoc tēpore reſpōdebimus ad illud,quod inſcripſit,*Cōfutatio accuſationū*,aliàs fortaſſe reſponſuri : quod quanquam priori loco, quemadmodum diximus,collocatum eſt , tamen naturæ, ordiniſque lege debuit eſſe poſterius. Quum enim debet omnis,quæ de re aliqua inſtituitur,oratio à definitione,& ſimplici,breui, vera,& perſpicua(quas omnes laudes ſibi , ſuæque illi ſcriptioni intrepidè,ac facilè tribuit Selneccerus ipſe)rei declaratione proficiſci:túmverò quod diu,multúmque meditatus ille eſt , ac velut recoxit,illud longè,mea quidem ſententia,ſolidius,ac firmius habendum eſt,quàm quod temerè , & in ipſo contentionis feruore nuper efflatum eſt , & eodem penè momento, ac iræ impetu ſtatim pręlo commiſſum , excudendúmque traditum fuit. Præterea venit in mentem & illud,*μάτην διὰ πλειόνων ποιεῖσθαι, ὅ,τι διὰ βραχέων δύναται*.Id eſt,*plurib. fruſtrà explicari,quod paucioribus verbis poteſt*.Eſt.n.in tot, támque multiplicibus,& toties iā repetitis de hac ipſa doctrina de cœna Domini ſcriptis ſubleuāda hominū memoria,nō defatigāda.Ergo cū in vtroq; illo Selnecceri libro nihil aliud agatur, quā quod eſt in veteri prouerbio,nempe quòd *Sol eſt Apollo*,& quòd *Apollo eſt Sol*, in breuiori ſcripto , cóque præſertim bene meditato potius inhærendum exiſtimaui. Acceſſit & hæc quoque ratio, quòd ex iſto eodem C potiſſimum harum miſerrimarum,ac quidem Eccleſiæ Dei funeſtiſſimarum, controuerſiarum fontes cognoſcuntur:& quæ bilis iſtos ſtimulos ſub Selnecceri pectore vertit, intelligitur: denique vnde tam multæ iam per totam non modò Saxoniam , ſed Germaniam ipſam ſparſæ ſint lacrymæ,perſpicitur: ex hoc, inquam, ſcripto natura priore,id quod in confutatione accuſationū,& ὑστεροπροτέρῳ fortiter diſſimulatum eſt.Quamobrem his cauſis adductus,illud potius in manus ſumendum exiſtimaui. Hoc autem ita modeſtè & leniter tractabo,vt nullam à me in ſe profectam iniuriam meritò Selneccerus conqueri poſſit.Ipſa enim Selnecceri verba proferam quibus poſtea meas reſponſiones ſubiiciam. Ita verò,Deo fauente,omnia ediſſeram, vt de vtriuſque doctrina,vtra ſit verior,Chriſtianus quilibet modò ἀπαθὴς accedat, facilè ex Dei verbo poſtea iudicare poſſit.

A

AD PRIOREM LIBRI N. Selnecceri, qui inſcribitur, *Neceſſaria & breuis, veræ, ſimplicis, & perſpicuæ doctrinæ de Cœna Domini repetitio* partem,

RESPONSIO.

Selneccerus pag. 10.

CREDIMUS illud corpus, quod in Cœna Domini verè, & ſubſtantialiter adeſt & veſcentibus pane exhibetur, non eſſe typicum, ſymbolicum, ſignificatiuum, νοητὸν, φανταστικὸν, μεταφορικὸν, μετωνυμικὸν, ἀλληγορικὸν, καταχρηστικὸν, *improprium, aut abſens, & tam remotum à nobis in Cœna, quàm procul diſtat cœlum à terra: ſed eſſe præſens corpus* σωματικῇ παρουσίᾳ, *id eſt, verum & ſubſtantiale, quod ex Maria virgine aſſumptum in cruce pependit, & pro nobis traditũ eſt, & ex cuius latere* B *lancea transfixo effluxit ſanguis, & aqua.*

Danæus.

Credimus nos ſacram D. Noſtri Ieſus Chriſti Cœnam eſſe ſacramẽtum, itáque re terrena, & ſpirituali ex Irenæi dicto conſtare. Rem illius ſpiritualem dicimus eſſe ipſum Domini noſtri Ieſus Chriſti corpus ſubſtantiale ex Maria virgine natum, paſſum pro nobis, ſepultum, & quod tertia die reſurrexit ex mortuis, ex cuius latere lancea transfixo effluxit ſanguis & aqua. Rem verò terrenam dicimus eſſe Panem & Vinum, quæ ſuo ſacramentalíque modo corpus & ſanguis Chriſti, quemadmodum ait Auguſtinus, nominantur. Elementa igitur cum re Sacramenti, id eſt, Panem cũ ipſo corpore Chriſti eſſentiali minimè cõfundẽda eſſe cõtẽdimus. Ergo corpus ipſum Chriſti, quę eſt res ſignificata, ſeu res ſacramẽti, cõcedim⁹ eſſe corpus ipſum eſſẽtiale ſeu ſubſtãtiale Chriſti, non typicum, non ſymbolicum, ſed ipſum illud, quod ex Maria virgine natum eſt, &c. Panem au- C tem & Vinum (quæ ſunt ſigna ipſa huius ſacramenti, & corpus & ſanguis Chriſti appellantur) dicimus & eſſe, & dici Corpus & Sanguinẽ Chriſti typicè, ſymbolicè & metonymicè tantùm, Epitheta verò iſta φανταστικὸν, ἀλληγορικὸν, μεταφορικὸν, aut καταχρηστικὸν negamus vnquam à noſtris vſurpata eſſe: ſed à Nicolao Selneccero ad prægrauandã optimam cauſam noſtram excogitata, ab animíque intemperie (qua plurimùm in hoc ſcripto agitari ſe oſtẽdit) ſuggeſta reſpõdem⁹. Quãquã nec allegoriæ, nec metaphoræ, nec ipſæ verborũ καταχρήσεις ſunt in ſacra ſcriptura (ſeſe ad noſtri ingenij tenuitatẽ attemperãte) raræ: ſed qui & rectè, & verè loquuntur de ſacramentalibus locutionibus, vnam maximè metonymiã in iis ineſſe docẽt, quẽadmodum etiam Philippus ipſe huius præceptor agnouit. Ergo confundit Selneccerus hæc vocabula *Corpus Chriſti*, & ludit in vocum æquiuocatione, quia nequaquam diſtinguit quo ſignificato res ipſa ſacramẽti *Corpus Chriſti* dicatur: & quo ipſum quoque ſacramenti ſignum dicatur corpus Chriſti. Illa. n. res eſt verum, & ſubſtantiale Chriſti corpus: hoc autẽ ſignum ſymbolicum tantùm eſt A & ſacramentale corpus Chriſti. Iam verò corpus Chriſti, quod eſt res ſacramenti, verè quidem adeſt nobis fide veſcentibus in Cœna: ſed tamẽ neque σωματικῇ παρουσίᾳ, vt pote per quam eſt duntaxat in cœlo eo, quod eſt ſupra omnes iſtos viſibiles cœlos: neque eſſentiali ſeu ſubſtantiali aſſiſtentia & copulatione cum ſigno: neque vllo alio modo, per quem vel vnum illud & ſingulare corpus Chriſti in plura loca diffundatur: vel de cœlo deducatur, quia per fidem, non per ipſam carnalem oris manducationem verum illud & pretioſum Domini noſtri Ieſus Chriſti corpus participamus in Cœna Domini. Itaque præclarè *cibus non ventris, ſed mentis* & à Cypriano, & ab Auguſtino appellatur. Signa verò, quæ & ipſa quoq; corpus & ſanguis Domini, vti diximus, vocantur, illa ſunt quæ corporaliter ſeu corporali præſentia in Cœna Domini adſunt, quæ ſanè cum ipſo eſſentiali corpore Chriſti hîc confundit Selneccerus. Porrò quod dictum eſt à nobis poſt Vigilium ſanctũ Dei martyrem & orthodoxum, *Corpus ipſum Chriſti tam eſſe remotum à nobis in Cœna, quàm cœlũ ipſum eſt à* B *terra*, de ſola præſentia corporali ſeu eſſentiali copula & aſſiſtentia ipſius carnis Chriſti cum ſignis terrenis eſt ſumendum: non quòd omnem omnino carnis Chriſti præſentiã à Cœna ſecludamus. Ergo quemadmodum Selneccerus ſignum cum re ſignata in appellatione corporis Chriſti confundit: ita & eos præſentiæ modos (quibus ſignum, & res ſignata in Sacramentis diuerſo modo adeſt) hoc loco perturbat. Nam ſigna in Cœna domini adſunt quidem corporali præſentia: res autem ſignata, id eſt, ipſum, ac eſſentiale Chriſti corpus corporali præſentia abeſt à cœnæ ſignis: ſed ſacramentali ſignificatione (quîcum cohæret ſpecialis efficacitas, & ſpiritualis rerum ſignificatarum communicatio) nobis adeſt. Neque verò ſequitur, quòd ſi in ſacra Cœna ipſum Chriſti corpus verè nobis credentibus præſens. eſt, idcirco σωματικῇ παρουσίᾳ ſignis ipſis adſit. Nam Chriſti caro ſic adeſt in ſacramentis, vt in Baptiſmo, & vt in verbo, nempe σχετικῇ, non σωματικῇ, non οὐσιώδει præſentia: quos diſſimiles præſentię modos qui vel confundunt, vel non intelligunt, vti hoc loco Selneccerus confundit, ij ſeſe nondum ve- C ram ſacramentorum naturam didiciſſe fateantur neceſſe eſt.

Selneccerus pag. 11.

Et hîc nulla alia eſt quærenda ratio, niſi quòd Chriſtus dixerit, ſe daturum eſſe corpus & ſanguinem ſuũ. Et cũ verbũ ita ſonet, neceſſe eſt ita fieri: & nihil obſtat potentiæ & voluntati Chriſti, qui corpore & ſanguine ſuo adeſt eo modo quo vult: ſicut ſe velle in Cœna exhibere corpus & ſanguinem ſuum manifeſtè dixit.

Danæus.

Vbi de voluntate Dei certò conſtat, non eſſe quærendam aliam vel hîc, vel alibi voluntatis Dei rationem, & nos ipſi cum Auguſtino, & Tertulliano confitemur. Sed verba hæc, *Hoc eſt corpus meum*, &c. id ſonare quod hîc aſſumit Selneccerus, nimirum, vt ipſum illud ſubſtantiale Chriſti

In Epiſt. ad Bonif.

A corpus quod ex Maria virgine natum eſt, quod in cruce pro noſtrorum peccatorũ remiſsione paſſum, quod in vitam noſtram excitatum, reuerâ adſit cum ſignis Cœnæ corporali, vel eſſentiali præſentiæ modo coniunctum, id verò cum ipſo Dei verbo & tota pia & erudita vetuſtate pernegamus.

Et vt plurimùm laborent iſti, nunquam tamẽ id oſtendent. Quòd ſi verba ipſa Chriſti, *Hoc eſt corpus meum* præfractè vrgeant, dicendum potius erit vel Panẽ ipſum in corpus Chriſti reuera mutari, aut tranſſubſtantiari (vt loquuntur): vel Chriſtum, cùm hæc verba pronuntiaret, ſeipſum non autem Panem vllum oſtendiſſe. Quin ſi hæc ipſa Selnecceri ſententia, & interpretatio vera eſt, *Hoc eſt corpus meum.* id eſt, *Cum Pane iſto eſt copulatum* σωματικῇ παρουσίᾳ, *& coniunctum verum & eſſentiale corpus meum*, certè hæc locutio figurata & tropica eſt, quæ συνεκδοχὴ nominatur, Id quod iſtorũ nõnulli, imprimíſque Lutherus ipſe, propoſita canthari ſimilitudine, ingenuè agnouit. Porrò nihil B quicquam potentiæ, & voluntati Chriſti obſtare, ac ne Diabolos quidem ipſos: &, vbi vult adeſſe Chriſtus, eum ibi adeſſe poſſe, non negamus: ſed de eo tota quæſtio eſt inter nos, vtrùm voluerit & velit, Id eſt, vtrum hęc Chriſti verba, *hoc eſt corpus meum*, *hoc eſt ſanguis meus* ſignificent, *Adſum corporali, eſſentiali, ſubſtãtiali præſentia carnis & ſanguinis mei, In, ſub, & Cum hoc Pane & vino, quotieſcunque illa ſigna vobis à paſtore in Cœnæ celebratione peraguntur.* Hoc ζητούμενον ὥσπερ ὁμολογούμενον iſti aſſumunt, nos negamus. Hac enim interpretatione, verba, & mentem Chriſti peruerti aſſerimus, atque naturã ipſam Sacramentalis locutionis id minimè pati ex Dei verbo demonſtramus. Itaque τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτοῦσι. ideſt, petunt principium, quemadmodum loquuntur in ſcholis. Quod qui faciunt, nequaquam probant: ſed fraudem, & paralogiſmum in diſputando turpiſſimum (vt aliquid de philoſophia quanquam inuiti audiant) admittunt.

Selneccerus pag. 11.

C *Non opus eſt vlla ſpeculatione de modo, quo fieri poſsit, vt corpus & ſanguis Chriſti verè veſcentibus Pane & vino exhibeantur. Nã ratio humana ſemper oberrat in diiudicatione diuinarũ rerum, niſi verbo Dei ſe ſubiiciat in obſequium Chriſti.*

Danæus.

Vbi de voluntate Chriſti apertè conſtat, minimè contendimus de modo, per quẽ illa impletur, Pſ.115. miniméque oportet nos de eo eſſe ſollicitos. Nã *quæcunque Dominus voluit fecit*. Itaque tunc humana ratio faſces diuinæ omninò ſummittat neceſſe eſt, nec debet illud ſuum *Quomodo* obtrudere: ſed placidè, atque etiam fidenter, & πάσῃ πληροφορίᾳ in illa patefacta Chriſti voluntate acquieſcere. Sed verba hæc, *hoc eſt corpus meum, hoc eſt ſanguis meus*, nequaquam oſtendunt Chriſtum velle aut dicere, *Ego volo quòd verum ipſum eſſentiale ac ſubſtantiale corpus meum (in quo pro vobis paſſus ſum, quódque ſupra hos omnes viſibiles cœlos eleuaui) aſſiſtat, coniungatur, ac collocetur corporalis præſentiæ modo Cum, ſub* A *& in hoc Pane & vino, quæ vobis in Cœna ſæpius in anno diſtribuuntur.* Hîc enim pios, beatóſque fideles in fide ipſius defunctos, In, ſub, cũ Pane Cœnæ etiã verſari, & ſiſti oporteret. Nam dixit Chriſtus, Ioh. 17. v.23. *Pater, quos dediſti mihi, volo, vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum.* Item de fidelibus defunctis loquẽs Angelus in Apocalypſi ait, *ſequuntur Agnum quocunque ierit.* Quid igitur verba illa ſignificant? Sacramentum Apoc.14. v.4. his verbis commendauit Chriſtus, inquit Auguſtinus. Quamobrem illa verba Sacramẽtaliter intelligenda ſunt, idémque valent in Cœna, quod in Baptiſmo iſta, *Baptiſmus eſt lauacrum Regenerationis.* Sic igitur Panis & vinum in Cœna ſunt Chriſti Caro & Sanguis, quemadmodum in Baptiſmo Aqua eſt & ablutio peccatorum noſtrorum, & Chriſti ſanguis. Atqui in Baptiſmo Aqua ſic appellatur quòd ſit σφραγὶς noſtræ per Chriſti ſanguinem corporali præſentia, etiam Selneccero teſte, abſentem ablutionis, & regenerationis: eodem igitur modo in Cœna Panis & vinum nominantur Caro & ſanguis Chriſti, quòd ſint B σφραγὶς illius veræ quidem, ſed ſpiritualis noſtræ cum Chriſti carne & ſanguine, etiam corporali præſentia à ſignis abſente, cõmunicationis. Quare 1.Corin 12.v.13 Eph.5.v.26. Tit.3.v.5. verba iſta, *hoc eſt corpus meum*, &c. id ſignificant, *Ego volo vos certiſſimè perſuaſos eſſe quotieſcunque in me credentes iſta ſigna ſumetis, vos ipſius corporis mei pro vobis paſsi, & ſanguinis mei pro vobis effuſi reuera fieri participes, ea nempe ratione, & modo, quo vera fides me vobis coniungit, & συσσώμους efficit.* Huic volũtati Chriſti ratio noſtra (quanquam tanti iſtius operis efficiendi modum ignorat) placidè tamen acquieſcit, & ſe in obſequium Chriſti ſubiicit.

Selneccerus pag. 11.

Non opus eſt fingere deſcenſum *corporis Chriſti,* 1. *qualem ſecuræ mentes neceſſariò fieri cogitant. Non opus eſt inquirere, quæ ſit corporis & ſanguinis Chriſti* cũ pane & vino ſocietas, aut coniunctio. 2 *Non opus eſt diſputare de extenſa, aut* coextenſa quadam carne, 3. C *aut carnis quantitatiua, vt loquuntur, vbiquitate, de qua etiam ſcholaſtici nihil loquuntur, multò minus opus eſt coaceruare ſapientiæ humanæ, & philoſophicæ* 4. *argumenta de locali* incluſione, *de Phyſica περιγραφῇ,* 5. 6. *de* quantitate, *aut finitate corporis, aut ſimilibus.* Et paulò pòſt, *Non etiam opus eſt fingere manducationẽ* Capernaiticam, *aut* Phyſicam *corporis & ſanguinis Chriſti, à quo abhorrere aures pias non dubium eſt.* 7. 8. *Sed opus eſt intueri, & conſiderare verba inſtitutionis,* Accipite, Edite, hoc eſt eſt corpus meum.

Danæus.

Irenæus lib. 4. cap. 63. pulcherrimè ſcribit eã demum eſſe ſanam ſacræ ſcripturæ expoſitionem, *quæ ſit ſine periculo, ſine blaſphemia, & ſecundũ ſcripturas.* Qualem ſuam eſſe horũ Chriſti verborum, *hoc eſt corpus meũ,* &c. interpretationem minimè Selneccerus hoc loco iam agnoſcit. Imò verò varia ex ea incommoda, atque adeò βλάσφημα multa ipſe præſentit, & enumerat. Et quanquã octo (quæ ſunt & tetra, & omnino ex ſua explicatione neceſſariò conſequentia) recenſuit,

A aſtutè tamen ad declinandam tam abſurdę inter-
pretationis inuidiam non omnia annotauit , ſed
pauca è multis:& leuia præ grauiſſimis. Quin ve-
rò etiam abundè reſpondiſſe ſe putat omnibus i-
ſtis obiectionibus,& argumentis contrariis, ſi il-
lud ſuum leui cubito propoſuerit , ac occinerit,
Chriſtus hoc dixit,Chriſtus hoc voluit.Expedita ſanè
elabendi ratio,ſi modò tuta:ſed quæ piis, & cor-
datis viris minimè ſit ſatisfactura. *Non eſt de ſcri-*
ptura hæreſis,inquit Hilarius,*ſed de intelligentia, &*
ſenſus,non ſermo hic in controuerſiam vocatur. Præ-
uidet igitur Selneccerus hæc ἄτοπα ex ſua ſenten-
tia conſequi , ídque neceſſariò , ſiquidem vera, &
ſubſtantialis illa caro,& ſanguis Chriſti , (quæ in
ſupremum cœlum iam recepta eſt)adeſt cum pa-
ne & vino ſacræ Cœnæ corporali , eſſentialíque
præſentia. Primùm,vt illa caro Chriſti eſſentia-
1. 2. lis de cœlo deſcendat. 2. Vt aliquo corporalis
copulæ genere cum pane & vino ſocietur,illíque
3. adſiſtat. 3. Vt in totidem locis,& regionibus,in
quibus Panis & Vinum cœnæ diſtribuitur , eodē
B tempore extendatur. 4. Vt vbique ſit corpus il-
4. lud Chriſti , quod tamen etiam poſt glorifica
tionem manſit non tantùm corpus, ſed etiam ve
5 rè humanum corpus. 5. Vt ſtatuatur corpus ali
6. quod ſine loco. 6. Vt idem & verum corpus &
ἀπερίγραπτον,id eſt,incircunſcriptum,tamen eſſe af-
7. firmetur. 7. Vt dulciſſimum & ſacratiſſimum
illud Domini noſtri Ieſus Chriſti corpus miſerè
in fruſta lanietur ab iis , qui tamen S. Domini
8 cœnam participant. 8. Vt denique ſacrum &
eſſentiale illud Chriſti corpus ore corporali &
dentibus(quod ſola tamen cordis fide percipi po
teſt)edatur,ac comminuatur. Quæ & neceſſariò
ex ſuperiori Selnecceri interpretatione ſequun-
tur : & Chriſtianæ fidei analogiam euertunt, &
cùm hæc ſingula ipſa per ſe planè ſint horrenda,
& blaſphema,quis omnia , & collecta ita ſecurè
prætermittet,& tranſuolabit,vt Selneccerus ῥητο-
C διώκτης poſtulat tranſmitti ? Sed quum tam graues
& tam apertas blaſphemias in fidei Chriſtianæ
doctrina declinamus & auerſamur, ſumus iſti
ſecuræ mentes(ne dicam quod toties in ſcriptis ſuis
ἐκκόκκυσε) Mahumetani, Epicurei,Turcæ,Athei,
&c.Sin prætermittimus , ſumus piis omnibus o-
dioſi,& deteſtabiles,quod multò magis eſt perti
meſcendum. Næ verò ipſe nimium ſecurus eſt,
qui quidem iſta omnia tam manifeſtè cum verbo
Dei pugnantia,& omnem fidei analogiam(quam
retinendam eſſe diſertè monet Paulus) oppugnā
tia tam leuiter tranſilit,& dimittat ἀδιάλυτα. Et
tamen non omnia dicit:ſed poſtquam iſta pauca,
& leuiora diſſoluerit,nos illi obiiciemus reliqua.
Quòd autem ne ſcholaſticis quidem ipſis quæ
dam tam abſurda vnquam obiecta fuiſſe ait Sel-
neccerus,vel hoc ſaltem eum admonere debuit,
lōgè peiorem, deteriorémque eſſe ſe aggreſſū in-
terpretationem, quàm vnquam ipſi Pontificij, &
ſcholaſtici fecerint. Itaque à tam pręcipiti loco
maturè eſſe ſibi recedendum.

SENECCERVS pag.12.

Satis ſupérque eſt,quòd ex Chriſti verbis ſcimus nobis dari verum corpus Chriſti,quoties conſecratus panis nobis iuxta inſtitutionem Chriſti datur: & dari A *nobis verum ſanguinem Chriſti,quoties nobis conſecratum vinum datur,& credimus verbis Chriſti , quem ſcimus eſſe omnipotentem,& veracem,& ſubſtantialiter,non tantùm diuinitate ſua:ſed etiam corpore,& ſanguine ſuo in Cœna peculiariter adeſſe , & verum corpus , & verum ſanguinem omnibus pane, & vino veſcentibus in Eccleſia exhibere* , τῷ ὄντι, ἀτρεκῶς , οὐ τροπικῶς.

Danæus.

Et nos ipſi certa animi πληροφορίᾳ propter ver-
ba Chriſti defendimus in Cœna Domini omni-
bus,& ſingulis credentibus,atque Pane , & Vino
Cœnæ veſcentibus,dari à Chriſto τῷ ὄντι, ἀτρεκῶς,
οὐ τροπικῶς ipſiſſimam carnem, ipſiſſimúmque ſan-
guinem ſuum:tum quia omnipotens,tum quia ve
rax eſt Chriſtus.Nam quod corpus nobis creden
tibus participandum exhibet, eſt ipſum illud cor
pus,quod non τροπικῶς,non συμβολικῶς, non μετωνυ-
μικῶς,eſt corpus Chriſti:ſed verum,& ſubſtantia- B
le,& ipſum corpus,paſſum pro nobis, excitatum,
& glorificatum.Hactenus igitur mihi cum Selnec
cero conuenit. In reliquis autem inter vtrumque
noſtrum mira eſt diſcordia.Primùm quidē, quòd
ipſummet viuificum Chriſti corpus omnibus pa-
ne,& vino cœnæ veſcentibus dari aſſerit. Nolunt
enim iſti eſſe diſtinguendum , quod ad ipſius
Chriſti corporis ſumptionem, inter dignos & in
dignos,fideles,& infideles,hypocritas, & vera fi-
de Dei promiſſiones amplectentes homines : ſed
promiſcuè ab omnibus illud verum , & ſubſtan-
tiale Chriſti corpus,quod & paſſum,& quod glo-
rioſum eſt,ab omnibus,inquam , id eſt, à ſingulis
ſigna ſumentibus, ſiue dignis ſiue indignis parti-
cipari,ídque orali manducatione, iſti contendūt.
Quanquam enim diuerſo à bonis & malis effe-
ctu,ſeu fructu ſumi dicunt:ipſúmmet tamē Chri-
ſti corpus à malis,& à Iuda ipſo Chriſti prodito- C
re cœnæ Domini communicante , reipſa perce-
ptum fuiſſe volunt.Nos verò hoc ipſum iampridē
iſtis, & verè quidem, pernegamus.Signa quidem
ipſa Cœnæ(ideſt,Panem & vinum) non vulgaria
illa quidem,ſed ſacramenta , ſed corporis & ſan-
guinis Chriſti ſymbola,&, vt pia vetuſtas ſemper
locuta eſt,ἀντίτυπα, (quæque propterea corpus &
ſanguis Chriſti dicuntur)ſumunt in cœna Domi
ni impii, infideles , hypocritæ , mali,indigni , &
contemptores: ipſum verò eſſentiale Chriſti cor
pus nequaquam.Itaque rectè Auguſtinus de Iuda
proditore dixit,*Sumpſit panem Domini, non ſumpſit* Auguſt.
panem Dominum. Soli verò pii & verè fideles il- in Ioann.
lud Chriſti corpus, quod eſt eſſentiale , ſumunt, Tract. 59.
quia ſoli fidem habent , quæ vnica eſt manus , &
os,& ſtomachus,quo capi,manducari, concoqui,
& in nos tranſire , atque nobiſcum coniungi ve-
rum illud & eſſentiale Chriſti corpus poteſt.
Quamobrem quum Selneccerus ait *omnibus Pane*
veſcentibus in Eccleſia exhiberi re ipſa , *dari & tradi*
verum,& eſſentiale corpus,& verum ſanguinem Chri-
ſti,dupliciter peccat, primùm quòd cauſam pro
non cauſa : & non conſequens pro conſequenti
magna huius verbi, *Exhibet* , ambiguitate ſumit:
Nec enim ſequitur , omnibus Pane in Cœna ſua
veſcentibus Chriſtus verum corpus ſuum exhi-

A bet,id eſt,offert: Ergo omnes Pane veſcentes in cœna Domini verum Chriſti corpus reipſa ſumunt. Sic enim argumentari liceret, Sol iſte exoriens omnibus in eodem hemiſphærio degētibus lumen ſuum exhibet, id eſt,offert:ergo hi omnes illud ſolis lumen vſurpant. Quis non videt hoc eſſe falſum, quum & cæci, & in tenebris concluſi homines illo lumine Solis nequaquam frui poſſint?Eſt enim vti in oculis hiſce corporeis acies ipſa vel videndi facultas: ſic in animis noſtris fides. Quamobrem vti qui viſu carent,Solem quātumuis lucentem, & oblatum non capiunt: ſic qui fidem non habent, verum Chriſti corpus minimè ſumunt.Deinde (in quo ipſo ſecundus Selnecceri error eſt)vocū quoque harum, *Corpus Chriſti*, ἀμφιβολίᾳ decipitur. Nam quum & ipſum illud verū,& eſſentiale Chriſti corpus & ſanguis verus dicatur ſine tropo corpus & ſanguis Chriſti: & ipſa quoque vtriuſque ſigna,& ſymbola (nempe Panis & Vinū) itidem dicantur corpus & ſanguis Chriſti, ſed ſacramentaliter, & τροπικῶς tantùm: B putat Selneccerus(qui ſe de vocabulis parum eſſe ſollicitum prædicat) putat, inquam, quum mali, & hypocritæ ſigna ipſa (quæ corpus vti dixi nominantur) duntaxat ſumunt: illud ipſum capere, quod eſt, verū & eſſentiale Chriſti corpus,& ſanguis, in quo manifeſtè vocabulorum iſtorū, *Corpus & ſanguis* homonymia hallucinatur. Ergo in eo primùm à Selneccero diſſentimus, quòd ſine 1.Cor.11. Ioann.6. Auguſt.in Sermo. de verb. Euāgel. fide verum,& ipſum eſſentiale Chriſti corpus mãducari putat: nos contrà cum Paulo, cum Auguſtino,cū ipſo deniq; Chriſto id ipſum negamus. Secūdò, diſſentimus quoque in eo, quòd iſte niſi ipſa caro Chriſti corporaliter,eſſentialiter ſubſtātialiter cōiuncta, copulata,ſociatáque cū ipſo Pane, & Vino Cœnæ adſit,negat nos ei communicare poſſe,& eam vult manducatione orali, & (vt ipſe infrà pag.220.ſine circuitione loquitur) corporali à nobis edi. Nos contrà. Itaque modum huius noſtræ cū ſacra illa carne & ſanguine Chriſti communicationis,ille carnalem, corporalem, ac denique Phyſicum (quicquid fingere conetur) proculdubiò ſtatuit: nos autem verum huius tam ſacræ cōiunctionis noſtræ cum Chriſti carne modum & ſpirituale͞,& ὑπερφυσικὸν eſſe ex Dei verbo C demonſtramus, quíque corporali ipſius carnis Chriſti præſentia,& cum ſignis aſsiſtentia nequaquam indigeat. Denique quòd Chriſtum peculiari quodam modo corpore & ſanguine ſuo in Cœna præſentem adeſſe ſcribit Selneccerus, & nos quoque id fatemur. Sed in eo tamen vtrique differimus, quòd ille neceſſariò conſequi putat,vt ſi corpore & ſanguine ſuo peculiari illo modo in Cœna præſens adſit Chriſtus, ergo corporali præſentia, ipſáque ſubſtantialis & eſſentialis corporis Chriſti cum ſignis conſociatione, aſſiſtentia, coniunctione adeſſe oporteat: denique ipſo reali carnis Chriſti in his terris ſitu, & collocatione. Nos autem hanc præſentiam carnis, & ſanguinis Chriſti cum ſignis eſſe eandem in Cœna, quam in Baptiſmo, quam in verbi ipſius prædicatione docemus, quod & ipſe quoque & iſtius Achilles Chemnitius (hunc enim vnum vbique iſte admiratur, etiam Andrea Iacobo antea quidem fraterculo, ſed nunc ob neſcio quod graue inter eos de primatu Germanicarum Eccleſiarum diſſidium ſtrenuè contempto) docuit, nēpe σχετικὴν, non σωματικὴν, ἐνεργητικὴν non οὐσιώδη, quemadmodum quoque antea diximus. A

Selneccerus pag.13.

Nihil enim de noſtro addimus,nihil verbis teſtamēti detrahimus, nihil innouamus, nihil immutamus, & nullam cauſam habemus diſcedendi à ſententia quam recitauimus de manducatione vera veri corporis,& ſanguinis Chriſti, etiamſi ratio humana reclamet. Modū enim diſputandi debere adhiberi pij omnes norunt. Aliud enim eſt poſſe diſputare, & ſplendidè iam de his iā de alijs loqui more philoſophico,& humano, de quo dicitur τὸ λίαν ἀκριβὲς συκοφάντας ποιεῖ: *aliud verò paccatā reddere conſcientiam.*

Danæus.

Vtrùm qui Sacramentalem Chriſti locutionē ſacramentaliter interpretantur aliquid addāt, aut detrahant verbis Teſtamenti: an verò ii potius, B qui hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, ſic exponunt addentes quæ ſequuntur, *hoc, Id eſt, In, vel Cum hoc pane eſt corporale,ſubſtantiale, ac eſſentiale ipſum verum corpus meum præſens*, iudicent pij, & nullo partium præiudicio iam præoccupati lectores. Profluuium quidem Selnecceriani ſtyli, & hîc, & alibi videmus, *Nihil innouamus, nihil mutamus, nihil addimus,nullam à ſententia diſcedēdi cauſam habemus*: ſed quid toties repetita oratio aliud, quàm faſtidium, aut etiam (quia crambe bis apposita mors eſt)nauſeā mouet.Dicat Selneccerus ipſe,ſiquis hæc verba Pauli, 1.Cor. 10. *Petra erat Chriſtus*, ſiquis hęc Dei ipſius, Exo.12.v.10. *Agnus eſt paſcha Iehouæ*.item *Caro agni erat Chriſtus*, ſic interpretatur, *Petra erat ſymbolum Chriſti, Agnus erat ſymbolum tranſitus à Iehoua dati, Caro Agni erat ſymbolū Chriſti mactādi*,addideritne, an detraxerit, an mutauerit, an innouarit quicquā in verbo Dei?Nequaquā ſanè.Imò verò quod erat in ea ipſa diuina phraſi tectū ac inuolutū dūtaxat euoluit, & verum illarum locutionum ſenſum,tanquam precioſum è nuce nucleum eduxit. Gene. 17. 10. Nam & ſic Paulus ipſe Circuncisionem explicat, de qua cùm dixiſſet Deus, *hoc eſt fœdus meum*,quēadmodum in Cœna dixit de Pane Chriſtus, Matt. 26. C *hoc eſt corpus meum*, Paulus iuſtus illius Dei ſententiæ interpres ſic eam declarat,atque exponit *Circunciſio eſt* σφραγὶς δικαιοσύνης, ſeu διαθήκης Θεοῦ (quod perinde eſt)id eſt, Rom.4. *Circūciſio eſt obſignatio iuſtitiæ ſeu fœderis Dei*.ergo eodem modo iſta quoque locutio, *Panis eſt Corpus Chriſti*, ipſo Paulo interprete eſt intelligenda,vt id ſonet nimirum, *Panis eſt* σφραγὶς *Corporis Chriſti*.Eadem etiam ratione, hæc oratio Matt.26. 1.Cor. 10. v.16. Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, ex vero ſpiritus Dei ſenſu, & ipſius Chriſti mente ſonat Paulo teſte, figuratè, ac ſacramentaliter, *Panis eſt communicatio corporis Chriſti*. Nam omnis Sacramentalis locutio figurata & tropica, quemadmodum Auguſtinus docet,tropicè quoq; explicetur neceſſe eſt. In qua verbum *Eſt* vſurpatum neque eſſentialem ſignorum demutationem denotat: neque ſigni cum re ſignata corporalem, realémque copulationem concludit. Quamobrem etſi è ſcholaſticis vnus, præclarè tamen Durandus ait, Durand. in 4. Sen diſt. 11. quæſt.1. N.13. *eſſe in ſacramento non eſt habere nouum vbi.* Et Leo ille pri-

A mus,(vt Theodoritum, Auguſtinum, Vigiliũ, toties iam à noſtris citatos omittam)ſic quoq; interpretatur: Leo I. Epiſt.22. *In illa myſtica diſtributione ſpiritualis alimoniæ*, ait, *hoc impartitur, hoc ſumitur, vt accipiẽtes virtutẽ Cœleſtis cibi, in carnem ipſius, qui Caro noſtra factus eſt, trãſeamus.* Ergo qui Panem Cœnæ Dominicæ interpretatur eſſe corpus Chriſti tropicè, id eſt, eum eſſe σφραγῖδα, & κοινωνίαν corporis Chriſti: denique ſymbolum illius cœleſtis cibi, is nihil addit, nihil detrahit verbo Dei: ſed quæ vera eſt verborum Chriſti ſententia, planè perſpicuéque declarat. Qui verò panem: vel In Pane, vel Sub Pane ipſum Chriſti corpus eſſe vel corporaliter, eſſentialiter, ſubſtantialiter illi adeſſe contendit, is certè manifeſtam verbo Dei teſtamentóq; Chriſti additionem affingit. Quod autem tam ſonorè ait Selneccerus, *Nihil verbis Teſtamenti detrahimus*: quorſum tam inuidioſè dicat non intelligo, niſi ſi detrahere appellet, non addere illud quod ipſe non modò citra, ſed etiã cõtra Dei ipſius verbum, omnémque fidei analogiam, vetuſtatíſque B conſenſum toties inculcat, *Corporaliter, eſſẽtialiter, ſubſtantialiter adeſt ipſa Caro Chriſti ad panem ipſum & Vinum Cœnæ*, id ad præſentiam Carnis Chriſti in, vel cum ſignis ipſis planè referens. Nam teſtamenta, extremáſque piorum voluntates in ſacra ſcriptura tropis ſcatere quis præter Selneccerum neſcit? Gen. 49. Deut.33. Id quod & Iacobi patriarchæ, & Moſis ipſius teſtamenta iis ipſis verbis (quibus ab illis concepta fuerant) recitata & deſcripta manifeſtè docent. Quid verò? nónne hoc ipſius Dei fœdus Hebr.9. v.15. & διαθήκην (qua voce teſtamentum nominatur) etiam ad vitæ æternæ beneficia, quemadmodum Hierem. 31.v.31. & Cœna ipſa Chriſti, pertinebat, *Indam leges meas menti eorum, & cordi eorum inſcribã*: itẽ, *Nõ docebun ſinguli proximum ſuum, & ſinguli fratrem ſuum* &c. Quod tamen ipſum quis neget figurato, ac tropico dicendi genere, & nuncupatum à Deo, & ab ipſius amanuenſi propheta Hieremia eſſe ſcriptũ? Si id negat Selneccerus, toto cœlo aberrat. Nam ſi velit iſtius fœderis, & teſtamenti verba ad viuum eſſe reſecanda.i.ad literam, καὶ κατὰ τὸ ῥητὸν omnino vrgenda eſſe: C ergo & calamo & atramento vtens Deus inſcripſerit leges ſuas cordibus noſtris: nulla amplius verbi prædicatione ad proximos docendos opus erit, in quo ſe Anabaptiſtam eſſe planè oſtenderet? Quid porrò? Nónne & hoc ipſum eſt aliud Dei fœdus & teſtamentum ad generis humani conſeruationem Gen.9. v.8. cum Noacho ſancitum? Vt Iris illa cœleſtis, quæ in nubibus apparet, ſit nobis Dei fœdus? Nemo certè ibit inficiãs. Atqui hoc ipſum tropico dicendi genere ſe effatum eſſe docet, interpretatúque Dominus ipſe quum ait, *Fœdus ſuum Irim illam eſſe*, id eſt, *ſignum ſeu σφραγῖδα fœderis ſui.* Nam quòd teſtamentum (extremum illud, & quod iterum nõ redit hominis morientis arbitrium) perſpicuè, dilucidè & propriis verbis ſcribi oportere L.1.C. de Sacroſan. Eccl. homines iſti contendunt (ne videantur Iuriſprudentiæ quoque eſſe imperiti) vt ſit ratum, & firmum, non nego. Sed quid magis propriè, & clarius dici potuit aut fieri, quàm vt Chriſtus in Sacramentis deſcribendis vteretur ſacramentalibus locutionibus, id eſt, & phraſibus propriis, & in eo argumẽto notiſſimis, vulgatiſſimis, receptiſs. ac omnino neceſſariis? Denique quum Selneccerus vult in teſtamentis etiam hominum ipſorum τὸ ῥητὸν potius & verba ſcripta, quàm διάνοιαν, A & ſententiam teſtatoris dominari oportere, planè hîc iam ſe iuris illius ciuilis (cuius cognitionis laudem antea captabat) communíſque omnium mortalium moris ignarum eſſe oſtendit. L. Demonſtratio. 17. D. de conditio & demonſtrat. Omnium enim Iuriſconſultorum calculo & ſuffragiis iſta tam inciuilis Selnecceri teſtimoniorum interpretatio refutabitur: quia in teſtamentis ipſa teſtatoris voluntas plus, quàm verba valere, ex eorum ſententia, debet. Cæterùm quod à Selneccero additur, *Etiamſi ratio humana reclamet, ſe tamen ſuperiorem ſuam de Cœna Domini ſententiã ſequi*, nullam nobis, qui contrarium ſequimur, inuidiam creat. Nam nos demonſtramus non ſolùm humanam, ſed etiam diuinam rationem illi ſententiæ reclamare: quum tres præcipui fidei noſtrę articuli nempe de Aſcenſione Chriſti in cœlos, de Comprehenſione eius in iiſdem cœlis vſque ad tempus reſtitutionis omnium, & de vera Act.1.v. 10. & 3. v 21. eiuſdem incarnatione.i. de humanæ ipſius Chriſti naturæ veritate etiam poſt ipſius glorificationem tam obſtinatam illam Selnecceri interpre- B tationẽ prorſus oppugnẽt. Itaque deſinat humanam rationem nobis obiicere, quum ipſum Dei verbum contra ſe proferri videat. Poſtremò quòd in nobis Sycophãtis appellãdis ſeipſum Selneccerus oblectare voluit, ídne piè & Chriſtianè faciat, iudicent Chriſtiani omnes. Nõ deſunt certè quæ retaliare in ipſum minimè mentientes (quod tamen hîc de nobis facit) poſſemus, ſi contrà Chriſti ipſius (de cuius verbo & gloria nunc agitur) verbum, malum malo reddere vellemus. Nos verò ſi tibi Sycophantæ ſumus Selneccere: piis omnibus certè ſumus & veraces, & orthodoxi. Sed diſputandum erat non conuitiandum.

Selneccerus pag. 14.

Et obuerſantur nobis tragica exempla pœnarum, C *quas dederunt ij qui in Cœna Dominica rationem & philoſophiam conſulentes affinxerunt verbis Chriſti ſententiam de Corporis abſentia, & errores erroribus, vt fieri ſolet, accumularunt. Et noti ſunt Berengarij, & noſtra ætate Caroloſtadij, Zuinglij, Oecolampadij, Ochini, Syluani, Neuſeri, & ſimilium miſerandi exitus.*

Danæus.

Eſt non tantùm elumbe quod hoc loco à Selneccero affertur argumentum, à paucorum hominũ tragico, vt iſte appellat, exitu: ſed etiam dirum. Verùm aliud quo ſe, ſuámque ſententium vel tueretur, vel commendaret, non habebat. Sanè eſt impium virorum bonorum (quales hîc nonnulli commemorantur) manes reuellere, eorúmque feliciter cõditos cineres è ſuis tumulis effodere vt iis maledicas: hoc tamen ab iſto fit, tanta nimirum eſt iſtius hominis impotentia animi, qua eadem abrepti quidã huius ſocii veros, & pro ſacroſancta Chriſti doctrina conſtantiſſimè in Gallia, Anglia, Hiſpania, Belgio, Germania ipſa paſſos Dei Martyres: contumelioſiſſimè tamen, ac (liceat Chriſti gloriam tueri) impudentiſſimè *Diaboli martyres* vocant. Hi ſunt iſtorum hominum furores, & intemperiæ. Quanquam quod genus argumenti iſtud, quæſo, cenſendum eſt?

A Huius fuit funeſtus exitus, eiuſdem ergo fuit ſcelerata & impia doctrina. Baſilium illum ſummũ totius Græciæ theologũ,& ſui ſeculi facilè lumẽ quis ignorat ſummis corporis cruciatibus laceratum mortẽ obiiſſe? Sed quis ſanctiſsimos Chriſti martyres, doctrinæ cœleſtis veriſsimos teſtes, ſi ex cruciatus genere æſtimentur, non dixerit habuiſſe triſtes vitæ exitus? Quis non Petrum,& Paulum ipſum fideliſsimos Chriſti Apoſtolos? Quis non Bartholomæũ, Andreã,& alios diuinos illos homines, mundi lucem, non miſerrimos cruciatus & vitæ exitum triſtiſsimum expertos eſſe iudicauerit? Eſtne verò eorum doctrina, Selneccere, propterea impia? Eſtne cœleſtis veritas, quam illi prædicarunt, quam triſti illa morte obſignarunt, propterea dãnanda? Tu certè id vis: ego verò contra atque aſſeueranter affirmo. Et vt hoc quoque exemplum afferam, quod quanquam ratione perſonarum à ſuperioribus eſt diſsimile, tamen tuam argumentationem iugulat apertiſsimè, Iudas Iſcariotes, qui Chriſti doctrinam ex ipſo illius ore didicerat, miſerandum, & tragicum vitæ exitum B habuit: ergo Chriſti doctrina per te falſa & damnãda erit, Selneccere. Quis has cõſecutiones tuas tã ineptas, atq; etiã blaſphemas, feret? Quis, obſecro, præter te ſaxeum hominem (loquar enim liberè in re tam clara) artem ab artifice, doctrinæ ſanctę præcepta à profeſſorum vitiis: denique rem ipſam ab illius accidente ſeparandam non nouit? Conuitiari homini mortuo cũ per ſe iniurioſum, ac impium eſt: tum verò piis,& ſanctis Dei ſeruis qui in Domino mortui ſunt, eſt certè quidẽ impiiſſimũ. Cæterùm quid, quæſo, Selneccero venit in mentem, vt Zuinglium, & Oecolampadiũ auderet inter impios commemorare: ſe verò nimirũ miraculis diſcordiarum, quas in Germania ſeruit, coruſcãtem inter pios? Illorum vitæ certè exitus, niſi & monumentis literarum fœliciſſimus fuiſſe traderetur, & viri omnes boni ita de illis ſemper ſenſiſſent, plura de eo dicerem. Sed quis, qualíſue tuus ſit futur⁹, Selneccere, ipſe ignoras, neſcis quid veſper ſerus vehat. Quòd ſi ſpectẽtur tragica illa funeſtarum diſcordiarũ, & pœnarũ exempla, qua in ipſa Dei eccleſia (dum bonos in exiliũ agitis, ac vexatis) iã tu, tuiq; ſimiles aliquot alij edidiſtis C ac quotidie editis, certè nulla doctrina à Dei veritate alienior vllo vnquã hominũ æuo nata, quàm hęc tua de Cœna Domini meritò videbitur: Non enim te tãtùm cum Arrianis, aut Circuncellionibus Donatiſtarũ in huiuſmodi ſæuitia, qui tuæ vitæ hiſtoriã ſciunt, cõparant, (vt hominũ de te iudicium, Selneccere, noris) ſed id dicunt, quod ex optimis & eruditiſſimis Vittebergæ, & Lipſiæ paſtoribus, doctoribúſque pleroſque expertos eſſe comprobabunt. Quanquam ſi tuorum, qui Heidelbergæ, exploſis nuper orthodoxis noſtris, defuncti ſunt infelices exitus commemorare vellem (quæ recens eſt veſtra hiſtoria) quem tibi, tuíſque pudorem incuterem? Quid enim in tota Germania notius eſt, quàm triſtis ille & verè tragicus Bidenbachii (vt alios multos præteream) ſummi tamen Iacobi Andreæ ſocij,& fraterculi exitus, qui ſe præcipitem ipſe dedit? Sed nullius manes attingere conſtitui: ſui facti, & vitæ Deo rationem illi reddidêre. Cæterùm quod ad Berengarium, cur tu illius miſerandam mortem eſſe exiſtimes neſcio, niſi quòd A anilibus Papiſtarum fabulis inſulſè credens ipſe alibi ex magna hiſtoriæ illius temporis ignoratione ſcripſiſti eũ morientem de ſalute ſua dubitaſſe, quaſi multis erroris cauſa fuerit. Atqui ſi Berengarius errauit, in eo errauit, quòd trucibus Nicolai Rom. Pontificis (quem Rom. Antichriſtum veſtri tamen ἀποδεῶν) minis ad tempus ceſſit. Cuius tamen ſuæ palinodiæ pœnitentiam poſtea egit Berengarius, & placidè, piéque defunctus traditur. Denique præclarum ab optimis ſuæ ætatis viris teſtimonium accepit. Cuius rei fidẽ facit hoc vetuſtiſſimum ipſius Epitaphuium ab Hildeberto Cœnomanenſi Epiſcopo (qui illi tempore æqualis fuit) magno totius illius ætatis conſenſu conſcriptum,

Quem modò miratur, ſemper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.
Quem ſacra fidei faſtigia ſumma tenentem,
Hunc iam quinta dies abſtulit auſa nefas.
Vir pius, atque grauis, vir ſic in vtroque modeſtus,
Vt liuor neutrò rodere poſſit eum.
Vir verè ſapiens, & parte beatus ab omni,
B *Qui cœlos anima, corpore ditat humum.*
Poſt obitum ſecum viuam precor, ac requieſcam,
Nec fiat melior ſors mea ſorte ſua.

Hoc igitur eſt de Berengario illam extortam ſibi à Rom. Antichriſto palinodiam recantante, déque illius morte publicum totius Eccleſiæ iudicium, quod ineptiſsimorum hominum, ac Papæ Rom. aſſeclarum Lanfranci, & Guitmundi, & aliorum Canoniſtarum, tuíſque calumniis opponimus. Zuinglij verò felicẽ illum exitum, quis vir pius,& verè Chriſtianus non ſemper magnopere laudauit? quum is & pro Chriſto ciuis, vt præſtantiſsimus poëta cecinit: & pro patria puluis tãquam alter quidã Iudas Machabæus fortiter occubuerit? extántque cùm illius ætatis: tum huius noſtræ honorifica de tanto viro teſtimonia tuis cõuitiis longè certiora, quæ Hebraicis, Græcis Latiníſque literis, conſignata nunquam cõſeneſcent. Ergo qui & vt conſtantiſsimus Martyr pro fide Chriſtiana,& vt fortiſſimus ciuis pro patriæ ſalute mori non dubitauit, abs te inter miſerandos, & infelices homines, inter tragica pœnarum (quas vocas) exempla reponitur? Vtinam verò vt C ille apud Homerum decem Neſtori ſimiles optat, ſic Germaniæ, Heluetíæque tales & Chriſtiani, & ciues multi contingant: non autem huiuſmodi homines truculenti, auari, ambitioſi, quique περὶ τῶν πρεσβείων inter ſe ἀσπόνδως digladientur, & pugnent, totiéſque Eccleſiæ pacem, & Germaniæ tranquillitatem perturbant. Id quod tu Selneccere intolerabili etiam ipſi Iacobo Andreæ anteà fraterculo tuo, faſtu, atque animi impotentia facis. Oecolampadium denique cum nefando quodam Syluano coniungere auſus es, nempe virum Dei cum blaſphemo, lucém cum tenebris. Nam Syluanus ſuarum blaſphemiarum pœnas à noſtris. i. iis, qui contraria Selneccero de cœna Domini ſententiam ſequuntur, tulit, ne falſas de religione opiniones inter nos foueri, aut impunitas tolerari Selneccerus exiſtimet. Etiámne verò Oecolampadii mors illa & placida, & felix, tragicum pœnæ exemplum tibi videtur Selneccere, aut etiam abs te appellabitur, cùm & à Simone illo Grynæo viro verè ſuæ ætatis optimo,& pientiſſimo (qui etiã Oecolampadio morienti affuit) & à

VVol-

A VVolfango Capitone tam præclarũ vitæ, exitúſque ſui teſtimoniũ ad poſteritatẽ habeat? At anthrace corpus totũ inflãmãte periit. Sic & Baſilius ille magnus periit quoque. Quid tu igitur de ſũmo illo Dei amico Dauide, ipſiúſque fide, & doctrina iudicares, quum de ſe ita ſcribit ipſe? Pſa.38. *Non eſt integritas in carne mea propter deteſtationem tuam, non eſt pax in oſsibus meis: putruerunt, contabuerunt liuores mei propter ſtultitiam meam,* &c. Quid de afflictiſsimo illo Iobo ſentires, Iob.2. cuius per totum corpus à planta pedis vſque ad verticem putre vlcus, & fœtida ſcabies fluebat, vt docet ſcriptura?

Certè in iis tragica illa tua pœnarum exempla nobis obiiceres, eorúmque fidem, quæ tua eſt audacia, condemnares. Longè verò aliter ſpiritus S. de illis ſtatuit, monétque eum verè beatum, & Pſal.41. pia ſapientia inſtructum, qui commiſeretur afflicti, & ad eum attendit, vt ſobriè de eo iudicet: non autem vt eum temerè, quemadmodum facis, inter impios connumeret. *Si videris*, inquit, Chryſoſt. in Homil. 1. ad popul. Antioch. *hominem in virtute viuentem, philoſophiã ſectantem,* B *Deo placentem, poſtea innumera patientem mala, ne ſcandalizeris, dilecte. Caſtigat enim Dominus quos amat.* Denique in ea ipſa corporis inflammatione, quã fortaſſis intelligis, audi ex oculato teſte Simone Grynæo, qualem ſe præſtiterit Oecolampadius, *Inter tot incommoda priuata & publica*, ait, *nondum ille aut concionari, aut prælegere, aut lucubrari deſiit.* Quare tandem aliquando deſine bonis maledicere, Selneccere, & de ſeruis Dei, piiſq; viris, (quorum tam teſtata nobis extat hiſtoria) diſce, quod Chriſtiani hominis eſt, poſſe piè, & bene loqui, ac ſentire: hoc tuum eſt, qui nos ad conſcientiæ iudicium reuocas: & hæc certè abs te tam iniurioſè, & tam falſò in pios debacchata potius, quàm ſcripta oſtendunt, quales, quámque tragicos ipſe in tuis concionibus, tuóque illo Lypſienſi pulpito clamores excites, pro eo quod gregem, ſcholámque tuam placidè Dei verbum docere, amicitiam inter pios alere, pacem Eccleſiæ conſeruare debebas, & nos (quos adhuc in fide, & tanti de carnis Chriſti manducatione arcani cognitione infirmos putas) benignè, patientérque tolerare, atque aſſumere, non in certamina C diſceptationum, multóque minus ad plauſtra calumniarum inuehenda contra Pauli ipſius præceptum. Rom.14. Quòd ad Caroloſtadium, Ochinum, Nauſerum, & alios, quos nominas (quoniam illi ad nos non pertinent) minimè quoque pro iis tibi reſpondebo. Vnum hoc miraturos eſſe pios omnes ſatis ſcio, cur Caroloſtadij in hoc argumento à Selneccero mentio facta ſit, quum id facere non poſsit, quin luctuoſi illius inter Lutherum, & Caroloſtadium, ob aureum numum à Luthero depoſitum, certaminis memoriam refricet: atque temerè ex ſpõſione ab ipſo Luthero ſuſcepta iſta lis tota fuiſſe intelligatur.

Hactenus iſta, ad quæ commemoranda nonnihil inuitus, & impijs illis Selnecceri in pios illos iam defunctos conuitiis pertractus acceſsi. Nam quemadmodum antea dixi, eſt omnino ἀσυλλόγιστος iſta ratio, argumentatióque, Hic malè periit, ergo quam profitebatur fidem, illa falſa eſt, illa dãnanda eſt.

Selneccerus pag. 10.

A *Recitauimus ſimpliciſſimam ſententiam de ſubſtantia Cœnæ Dominicæ, & de manducatione veri corporis, & ſanguinis Chriſti iuxta verba inſtitutionis, & iuxta Paulum, qui Panem benedictionis nominat κοινωνίαν, id eſt, communicationem corporis Chriſti, & Poculum benedictionis nominat communicationem ſanguinis Chriſti dignis, & indignis in Eccleſia communem.*

Danæus.

Paulus 1. Corint. 10. verſ. 16. in animo habens, interpretánſque proculdubio illa Chriſti verba, *hoc eſt corpus meum, hoc eſt ſanguis meus*, appellat Panem, quem in Cœna Domini frangimus, κοινωνίαν σώματος: & poculum cui benedicimus κοινωνίαν αἵματος Χριστοῦ. Qua explicatione declarat, neque Panem, neque Poculum eſſe ipſum eſſentiale corpus, & ſanguinem Chriſti, ſed κοινωνίαν: neque coniungi, & corporali præſentia aſſiſtere, inhærere, exiſtere eſſentialem ipſam carnem, & ſanguinem B Chriſti vnà cum ipſis ſignis: ſed ſigna hæc eſſe noſtræ illius cum carne & ſanguine Chriſti communionis à Chriſto inſtitutas σφραγῖδας. Ergo fatemur iſtam Panis, & poculi, (etiã quatenus ſunt Chriſti promiſſionis æternæ, & beneficij oblati σφραγῖδες) ſumptionẽ eſſe dignis, & indignis in Eccleſia communem. Rem tamen ipſam per ſigna demonſtratam, id eſt, ipſummet verũ & eſſentiale corpus Chriſti à dignis & indignis communiter in Eccleſia ſumi negamus. Nã præclarè, *Quando Chriſtus mãducatur*, ait Auguſt. *vita manducatur.* Indigni enim ea manu carent, qua ipſum eſſentiale Chriſti corpus, & ſanguis apprehenditur, ac ſumitur, quæ eſt fides: manum qua ſigna, & terrena illa elementa capiuntur, habent, nẽpe corpoream manum. Eodem modo, eadémque diſtin- 1. Cor. 11. ctione intelligendum eſt, quod idem Paulus ait, *Qui indignè manducat Panem hunc, & bibit Poculũ Domini, reum teneri corporis, & ſanguinis Domini, quoniam*, ait ipſe, *non diſcernit corpus Domini*, id eſt, non perpendit, neque ſeparat illius Sacramentalis Panis, & vini vſum à vulgari cõmuníque pane & vino, quæ nõ ſunt ſacramenta, & corporis, ac ſanguinis Chriſti σύμβολα. Atque hanc noſtram interpre- C tationem confirmat Auguſt. his verbis, Auguſt. lib. cont. Fauſt 42. c. 4. *Panis & calix, non quilibet quaſi propter Chriſtum in ſpicis, & in ſarmentis ligatum, ſicut illi deſipiunt, ſed certa conſecratione myſticus fit nobis, non naſcitur. Proinde quod non ita fit, quamuis Panis, & Calix, alimentum eſt refectionis, non ſacramentum religionis.* Et item alibi, *Quiſquis indignè ſumit Dominicum ſacramentum locum in ſe diabolo præbet.* Itaque & hîc quoque Selneccerus ſignorum cum rei ſignatæ aſſumptionẽ confundit, eodémq; inſtrumento, & modo vtrũque fieri putat: in quo grauiter hallucinatur, & quidem perpetuo errore, Selneccerus.

Selneccerus pag. 15.

Oues meæ vocem meam audiunt. Ioan. 10. 1. o. 5. *Qui non credit Deo, mendacij eum arguit: hominis teſtimonium authoritate confirmatum nemo irritum facit. Miror vos tam citò deſerto eo, qui vocauit vos, in gratiam Chriſti transferri in aliud Euangelium.* Gal. 1. *Etiamſi nos, aut Ange-*

Gal. 1. A *lus è cœlo euangelizet vobis præter id quod vobis euãgelizauimus, anathema eſto. His grauiſſimis ſententiis mouemur vt acquieſcamus in verbis Chriſti.*

Danæus.

Quod ex ſacra ſcriptura citat Selneccerus, & nos quoq; lubẽtiſſimè amplectimur, ſed in eum ipſum retorquemus. Quoniã igitur iubemur Chriſti, non Lutheri vocem audire: Deo, non homini credere: Chriſti nõ Brentii teſtamẽtum ratum habere: Pauli nõ Selnecceri Euangelium ſyncerũ retinere: ipſi verbi Dei veritati, eique ſoli adhæreamus, eam vnam exploremus, perquiramus, agnitã amplectamur, omnibus præiudiciis ſemotis, omnium hominum authoritate exploſa, denique omnibus animi noſtri perturbationibus, & affectibus ſedatis, Deíque verbo ſummiſſis. Sic autem ait Paulus, *Si præter id quod vobis euangelizauimus*, non autem ſic, *ſi propter id quod Lutherus euãgelizauit.* B Ergo Lutheri ſcriptis imprimis polemicis (quibus nihil eſt perturbatius) valedicẽtes, de ſententia, & mente verborum Chriſti ex ipſo Paulo, ex aliorum Apoſtolorum ſcriptis, ex Dei verbo, fideîque Chriſtianæ perpetua analogia inter nos diſceptemus: & ne patiamur nos cuiuſquã authoritate, contentione, eloquẽtia, ab hac veritate abduci, & in alium quàm Paulus ipſe affert, verborũ Chriſti ſenſum transferri. *Panis Cœnæ eſt corpus Chriſti, id eſt, Panis Cœnæ eſt communicatio corporis Chriſti.*

Selneccerus pag. 15.

Præclarè, & verè Epiphanius dixit, Non videmus quidem vllam ſimilitudinem, οὐδ᾽ ἴσον, οὐδ᾽ ὅμοιον, qua vel corpori, vel characteribus membrorum, vel diuinitati congruat, id quod in Cœna ſumimus. Quia verò ipſe dixit, hoc eſt corpus meum, *nemo non fidem habet his verbis.*

Danæus.

C Neque nos ab iſta Epiphanii vetuſtiſſimi ſcriptoris ſententia diſſentimus. Neque enim eam, quæ eſt inter Panem & Vinum Cœnæ, & carnẽ, ac ſanguinem Chriſti ἀναλογίαν ex figura, ac cõformatione externa Panis, & vini æſtimandã eſſe dicimus: ſed primùm ex ipſa Chriſti promiſſione atque inſtitutione: deinde ex ea vi, & facultate, quæ in vtriſque, id eſt, ſignis & re ſignata par eſt, & ἀνάλογος, ſi modò corporalia corporalibus, & ſpiritualia ſpiritualibus accommodentur, quod iubet fieri Paulus. Nam quod eſt, prodeſtve panis, & vinum ad alendum hoc noſtrum terrenũ corpus: hoc idem, eſt prodéſtque ad ſpiritualem animæ noſtræ alimoniam ſacra illa Dom. N. Ieſus Chriſti caro, & ſanguis. Quamobrem hãc præclaram Epiphanii de verbis Cœnæ explicationẽ, & nos ipſi recipimus, quemadmodum, & illud quod idem alibi pronuntiat, *Panem ipſum & vinum Cœnæ non eſſe δύναμιν eam*, qua fortificatur anima noſtra: ſed eam vim ex verbo, promiſſionéque Chriſti pendere, à quo ſolo, non à Pane, vel vino in ſalutem æternam corroboramur.

1. Corint. 2. v. 13.

Epiph. in Anacep.

Selnecœrus pag. 16.

A
*Hanc ſententiam retinentes, ſimul refutamus erro-
res, & abuſus, vt commentitiam tranſſubſtantiationem:
ἀρτολατρείαν, ſiue Panis adorationem, repoſitionem, circũ* 1.
geſtationem, & oblationem, quæ fit in Miſſa: Mutila- 2.
tionem Sacramenti, neque fingimus conſubſtantiationẽ, 3.
σύζωξιν, ἢ σωμουσίαν Phyſicam: aut incluſionem neſcio qua 4.
lem: ſed affirmamus hanc vnionem eſſe ſacramentalẽ, 5.
ea ratione qua verba inſtitutionis monſtrant, hoc eſt, di 6. 7.
cimus in vſu congruente ad inſtitutionem verè ſumi verum, & ſubſtantiale corpus: & verum & ſubſtantialem ſanguinem Chriſti, non fide tantùm, aut ſpiritualiter (quomodo credentes paſcuntur) ſed etiam corporaliter, ſiue ore noſtro: quia ſcriptum eſt, Accipite, *etiamſi id fiat incomprehenſibiliter, inuiſibiliter, & minimè Phyſico, ſed cœleſti, & nobis incognito modo.*

Danæus.

Quàm miſerè in hac ſua ſentẽtia defendenda æſtuet, ac apud ſeipſum torqueatur Selneccerus, iam ex hac ipſius oratione ſatis apparet. B Quanta enim non modò ipſum circunſtent, atque illi obiiciantur incommoda: ſed ex ſua orali illa manducatione (quam ſtabilit) neceſſariò conſequãtur abſurda, & quæ blaſphemiæ, præuidet quidem, & enumerat: ſed tamen ea neque, niſi verbo tenus remouet, neque ſanat. Contrà verò quàm bene illis omnes abuſus, quos hîc damnas, tamen ille ipſe ſua ſententia confirmet, eia illi, quia nondum capere potuit, amicè exponamus. Negat ſe fouere commentitiam Pontificiorum trãſſubſtantiationem.

1. Error tranſſub.

Atqui verò qui ῥητοδιώκτης eſt, & verba hæc, *hoc eſt corpus meum*, præciſè κατὰ τὸ ῥητὸν, & ſine vlla orationis figura, vel interpretatione ſumenda eſſe docet, id quod vrget Selneccerus: is certè tranſſubſtantiationem Pontificiam in Eccleſiam intromittit. Quid enim ad verbum illa aliud ſonant, quàm Panem fieri corpus ipſum loquentis Chriſti? Itaque Iacobus Andreas negat vel momento pugnandum pro ſua Selneccerique ſententia, ſi ex ipſis Cœnæ verbis confirmatio corporalis Chriſti præſentiæ petatur: quòd vel tranſſubſtantiatio tunc admittenda ſit, vel noſtra potius interpretatio probanda.

Libro de Maieſtate Reſponſ. breu. contr. Sperli.

C

2 Error. ἀρτολατρεία.

Quòd ſecundo loco panis adorationem à ſe tolli ait Selneccerus, in eo aut fallit aut fallitur. Si enim ipſummet, & eſſentiale Chriſti corpus & ſanguis In, Sub, & cum Pane ac vino Cœnæ Dominicæ corporali præſentia adeſt, vel cohæret, quoniam hoc corpus à λόγῳ Dei (cui ἀχωρίςως vnitum eſt) ſeparari non poteſt, & vnà adoratur, certè & hic quoque panis, qui eum habet reipſa coniunctum, vnà adorabitur. Quãobrẽ neq; dubitauit Lutherus ipſe primus huius (vt iſti volũt) copanatoriæ Chriſti corporis ſentẽtiæ autor ad Coloniẽſes theologos ſcribens, dicere *ipſum Panem eſſe adorabile Sacramentum.* Quin & mutilatio ſacramenti ex eadem Selnecceri ſentẽtia ſequatur neceſſe eſt. Si .n. ipſũ verũ & eſſentiale Chriſti corpus, In, Sub, & cum pane Cœnæ coexiſtit, aut exſangue, & exſuccum illîc aderit, aut ſanguine ſuo plenum. Ergo qui cum pane verum illud corpus Chriſti ſanguinis ſui plenũ ore ſemel ſumpſerit, vino aut poculo poſtea nihil habet opus, vt ſubſtãtialem Chri-

3 Error, Mutilatio Sacr.

lem Chriſti ſanguinem iterum bibat, quòd cum iam cum pane, id eſt, cum eſſentiali corpore Chriſti hauſerit. Quartum verò errorem nempe 4. Conſubſtant. conſubſtantiationem eius panis cum corpore, & ſanguine Chriſti vnionem, ac coexiſtentiam ex Selnecceri errore induci, ne ipſi quidem ſocij negauerint. Itaque dicis duntaxat cauſa id à ſe repellit Selneccerus, quod tamen in ſinu, & quidem lubenter admodum, fouet. Quid enim eſt, obſecro, affirmare ipſummet, ac eſſentiale corpus, & ſanguinem Chriſti adeſſe corporali præſentia, & ſubſtantia In, Sub, & cum pane, & vino Cœnæ, quàm velle ipſummet corpus, & ſanguinem Chriſti cum ſignis illis coexiſtere, & habere ſuam 5. Συνουσία. ſubſtantiam cum iis, eodémque loco? Porrò quòd idem hîc Phyſicam συνουσίαν, vel Incluſionem ſibi 6. Incluſio. probari negat: ſed eam tantùm quæ fit cœleſti, & incomprehenſibili nobis modo, bene habet. Neque enim iam negat ſe includere velle ſubſtantiale illud corpus, & ſubſtantialem ſanguinē Chriſti συνεῖναι In, & cum ſignis iſtis, Pane nempè, & vino: ſed tamen id fieri negat Phyſico modo. At B quacunque tandem ratione & modo id feceris, atque verum illud, ac eſſentiale Chriſti corpus & ſanguinem In, Sub, & cum iſtis ſignis corporali & ſubſtantiali præſentia coniunxeris, certè Chriſti carnem de cœlo detraxeris: vel vnum idémq; corpus contra veritatem omnis corporis etiam hyperphyſici infinitis ſimul locis conſtitueris: vel tertium quēdam Chriſti de cœlo deſcenſum finxeris: quæ tamen omnia refutat vniuerſa Scriptura ſacra. Quid igitur? Ait tandem Selneccerus ſe ſacramentalem vnionem agnoſcere, nec aliā vllam, quàm quæ verbis Chriſti monſtretur. Et nos quoque agnoſcimus. Quid igitur obſtat quominus inter nos ſumma iam ſit conſenſio? hoc nempe, quòd Selneccerus hanc ſacramentalem vnionem definit ex ſola corporali præſentia, & ſubſtantiali coexiſtentia rerum ſignatarum cum ſignis ipſis, adeò vt veram & eſſentialem Chriſti carnem, & ſanguinem oporteat reipſa adeſſe, ac exiſtere corporali, ſed non tamen (vt ipſe loquitur) Phyſico modo cum Pane, & vino Cœnæ. Nos autem ſacramentalem vnionem rei & ſignorum ex ipſa Chriſti promiſſione, verbíſque inſtitutionis definientes, dicimus eam eſſe ἐνεργητικὴν, & σχετικὴν, C non corporalem. Ergo fit quidem, vt exhibeatur ſpiritualiter animis noſtris quod ſigna ipſa demonſtrant, & obſignant. Res autem ipſa ſacramenti .i. Caro & ſanguis Chriſti minimè propterea vel cum ſignis coniuncta eſt, vel corporali præſentia illis adeſt. Selneccerus igitur alibi, vt mox videbimus, concedens corpus Chriſti manere, & eſſe circumſcriptum, & eſſe corpus ſecundū verū corporis modū .i. quum ſuam ſententiā tuetur, Chriſtum de cœlo detrahit, quod fieri vetat Paulus: & duos Chriſtianæ fidei articulos, nempe *Aſcendit in Cœlum, inde venturus eſt ad iudicandum viuos, & mortuos*, vel prorſus expungit, vel interpretatione ſua conuellit. Nos autem vtrumque & retinemus, & noſtra interpretatione reliquis fidei Chriſtianæ articulis ἀνάλογον eſſe comprobamus. Inde quoque fit, vt ſacroſanctum corpus Chriſti ab indignis, & improbis orali manducatione edi affirmet Selneccerus. Nos autem ſigna tantùm ab illis ſumi contendamus, quæ quoniam corpus, & ſanguis Chriſti τροπικῶς appellantur, A etiam hoc modo, & ſenſu, corpus, & ſanguinem Chriſti ab iiſdem indignis edi ſanè concedamus: non autem vt ipſum eſſentiale, & reale corpus Chriſti ab iiſdem edatur, quod nec niſi vera fide ſumitur, & ſumptum non niſi ſaluificum, & viuificum eſſe poteſt ſumentibus. Auguſt. in Ioan. tract. 26. *Qui non manet in Chriſte, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ſpiritualiter carnem eius, nec bibit eius ſanguinē, licet carnaliter, & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti.* Hanc igitur noſtram, vel potius Auguſtini cum Selneccero ſententiam inter ſe conferant pij, nullóque pręiudicio, ac perturbatione animi occæcati homines.

Selneccerus pag. 17.

Scimus etiam adeſſe Chriſtum non propter Panem, 1. *aut propter elementa: ſed propter hominem, & verba inſtitutionis recitari non propter Panem, ſed propter Chriſtianos.* Et paulò pòſt, *Non enim Chriſti corpus vllo modo ad Panem colligamus, neque duplicem præſentiam, aliam cum Pane, aliam cum homine conſtituimus,* 2. *ſed vnicam præſentiam eſſe affirmamus, quam* 3. B *Chriſtus ipſe nobis oſtendit, inquiens,* Accipite, edite, &c.

Danæus.

Alia quoque ſuæ ſententiæ incommoda præſentit quidem Selneccerus, ſed ea verbo tenus, & ſola inficiatione confidenter auertit. Nos autem hæc omnia ex ipſius aſſertione neceſſariò conſequi demonſtramus. Primùm ait ſcire ſe Chriſtum in Cœna propter homines, nō propter Panem adeſſe: & hæc ipſa Chriſti verba, *Hoc eſt corpus meum*, ad homines, non ad Panem, aut Elementa dirigi. Cur igitur Corpus ipſum, & ſubſtantialem ſanguinem Chriſti neceſſariò pręſentia corporali cum ſignis ipſis adeſſe contendit? Aut enim Selneccerus ita ſentit, non poſſe eam Carnis, & ſanguinis Chriſti communicationem nobis à Spiritu S. dari, niſi corporaliter præſens adſit ipſa Caro, & ſanguis. Id quod apertiſſimè & de Dei omnipotentia detrahit, & phyſicum præſentiæ carnis Chriſti modum ſtatuit in Cœna Domini. Aut ſi ipſo etiam concedente poteſt Chriſti Caro ſine iſta corporali ipſius cum ſignis præſentia C nobis communicari, cur eam neceſſariam eſſe vult? Certè nulla alia eius ἀκόλουθον ratio afferri vel ab eo ipſo poteſt, quàm quòd verba inſtitutionis ad ipſa Cœnæ Elementa dirigi cogitat. Itaque hoc Sacramentum à Baptiſmo differre iſti ex Papiſtarum dogmate ſic volunt, quòd in Baptiſmo verba inſtitutionis ad Miniſtrum: in Cœna verò ad ipſum Panem & Vinum dirigantur, & pertineant. Quæ ſanè fuit vetus Tranſſubſtantiatorū, & ſcholaſticorū ſentētia, etiā in fœtidis Iuris Canonici ollis recocta. Secūdo loco negat ſe adligare Corpus Chriſti ad Panem. Verbo quidem id negat, ſed re tamen idipſum affirmat, quod ſe negare dicit. Quid enim obſecro aliud ex hac ipſius ſententia ſequitur, quàm quod perpetuo docet, Non poſſe aliter in Cœna Domini corpus ipſum & ſubſtātialem ſanguinē Chriſti nobis dari, quàm ſi corporali pręſentia cum Pane, & poculo adſit? Qui alium nullū participationis & κοινωνίας noſtræ in Cœna modum nobis relinquit, quàm per iſtam præſentiam, & coexiſtentiam

A corporis Chriſti cum ſignis, nónne ille apertè, quicquid contrà loquatur, corpus Chriſti alligat ad Panem, & Vinum? Parum enim verba iuuant, & nos mouent, vbi res ipſa aliud perſpicuè teſtatur. Deniq; quòd ſe duplicem carnis Chriſti præſentiam affirmare negat, nimirum in eo iam & à ſeipſo, & à ſociis diſſentit. Nam vbique ipſe cum ſociis ipſummet Chriſti corpus fingit eſſe triplex: & illius præſentiam triplicē, nedum duplicem commendat. Aliud enim Chriſti corpus volūt eſſe Phyſicum, quale ex Maria virgine Chriſtus aſſumpſit, & eſt, manétque in cœlo. Aliud glorioſum, quod per reſurrectionem accepit, & citra vllum impedimentum omnes corporum dimenſiones penetrat. Aliud denique, & tertiū, quod ipſi ob ſummā ipſius gloriā appellāt maieſtaticū, & eſt poſt ſeſſionem ad dexteram Patris quotcunque vult ſimul locis reipſa præſens, & quocunque ipſa ſe diffundit Deitas Chriſti. Ex quo fit, vt aliam corporis Chriſti præſentiā Phyſicam: aliam glorioſam: aliam Maieſtaticam eſſe velint, adeóq. B Hieronymi dictum de duplici carne Chriſti diſertè alibi ipſe Selneccerus incunctanter probet: & Canoniſtarum. i. veterum blaſphemiarum rancidū ius, tanquam recentiſſimum, ac ſuauiſſimum quoddam olus nobis reponat. Iſtas præſentias, & ſpecies corporis Chriſti tam multiplices vel palàm abneget Selneccerus: vel deſinat verbis deteſtari, ac damnare, quod ipſe re, & paſſim in ſuis ſcriptionibus confirmat.

In li. Confut. Accuſat.

Selneccerus pag. 18. & 19.

Cæterùm quòd attinet ad fructum, ſiue ſpiritualem manducationē, nulla eſt cōtrouerſia. Chriſtus enim inſtituit ſumptionem hanc corporis, & ſanguinis ſui ad exuſcitandam, & confirmandam fidem, & vult in hac ſumptione fieri ſalutarem recordationē mortis, & reſurrectionis ſuæ, & omniū ſuorū beneficiorum: ideo, inquit, Hoc facite ad mei recordationem. & pag. 19. *De hac igitur ſpirituali manducatione inter eos, qui Sacramentariorum nomen, Cinglianorum, & ſimiliū obtinent,* C *& inter noſtras Eccleſias, nulla eſt diſceptatio.*

Danæus.

Hoc ſibi vult Selneccerus inter noſtras & Germanicas Eccleſias, quæ ſe Lutheranas (vt ipſe alibi ſcribit, fatetúrque ingenuè) vocant, eſſe diſceptationem non de fructu, qui ad credentes ex Cœna Domini redit: ſed duntaxat de modo, & ratione, per quam nobis communicatur. Id eſt, de modo tantùm huius noſtræ cum carne, & ſanguine Chriſti communicationis. Et verum dicit ille quidem. Itaq. neq. vt Mahumetani, vt Athei, vt Epicurei, vt Turcæ, vt impii ſumus in pulpitis, mediáq. ipſorū Eccleſia proſcindēdi, niſi ipſe ſe, ſuóſq. tales eſſe fateatur, qui nobiſcū in re ipſa cōſentiūt. Sed hæc acerbiſſima conuitia lōgâ & diuturna iſtorū hominū conſuetudine, & petulantia iam in nos trita facta ſunt. Leuiora enim alia nō commemoro, quibus nos iampridē obſurduimꝰ, quādo iſtorū ſummā hodie eloquentiā in his calūniis in nos exaggerandis, populóque propinādis, & vociferādis ſitā eſſe ex bonis, piiſque viris audimus. A Et quòd veteris ſui moris nequaquā oblitus Selneccerus, ne hîc quidem poteſt conuiciis abſtinere, & nos ſine Sacramentariorum, & Cinglianorum contumelia nominare, docet quàm procax ingenium habeat, miniméque Chriſtianæ charitati ſubactum, atque conſentiens pectus. Α'γάπη οὐ περπερεύεται, inquit Paulus, quod iampridem Lutherus ipſe conuertit, *Charitas non eſt procax & petulans.* Nec Zuinglii equidem, nec Oecolampadii, nec Caluini, ſelectiſſimorum Dei in ipſius regno promouendo, reſtituendáque mundo his poſtremis ſæculis veritatis luce organorum pudet, pigétve: propterea tamen, Selneccere, neque Cingliani, neque Oecolampadiani, neque Caluiniſtæ ſumus: non magis quàm tu Chemnitiſta, & tui ſunt Iacobandreani: ſed ſumus Chriſtiani, vt nomen noſtrum, fideíque noſtræ profeſſionem in poſterum noris. Quod ſi te Lutheranum dici & appellari delectat, quaſi poſtquam in Lutheri nomen inuaſeris, in ipſius quoque locum, & laudem ſis repentè ſucceſſurus: fruare tu quidē B tuo ſenſu, & ſpe illa tua quantùm vis. Nos, nec in Caluini, nec Lutheri, nec Zuinglii nomen: ſed in vnius Chriſti doctrinam & fidē baptizati ſumus, in cuius quoque ſolius verba iurauimus, & nunc quoq. iuramus. Itaque qui in hac cauſa moderationem adhibendam, & animorum vlcerationem reprimendam eſſe cenſes, obſecro te, vóſque omnes ſocios per vnigenitū filiū Dei D. N. Ieſum Chriſtum (cui tantæ petulantiæ rationem eſtis tandem aliquando reddituri) deſinite viris bonis in Domino mortuis, in Paradiſo feliciter quieſcentibus: denique apud Deum ipſum vita æterna fruentibus, deſinite, inquā, illis maledicere: & Chriſtianè diſputare, conferréque nobiſcum aſſueſcite. Quod ratione fieri, non conuitiis debere omnes Chriſtiani vident. Verè quidem certè dixerit Selneccerus totam inter nos & illos eſſe de modo κοινωνίας diſceptationem, ac cōtrouerſiam. Nam illi non niſi corporali præſentia, & aſſiſtentia ipſius eſſentialis corporis, & ſanguinis Chriſti In, Sub, & Cum ſignis terrenis eam fieri poſſe cōtendunt. Nos contrà ſpirituali modo, & ipſius C Spirituali S. virtute, etiamſi in cœlo verum corpus, & ſanguis Chriſti manet. Denique eam eſſentialis Carnis, & ſanguinis Chriſti participationē à ſolis fidelibus fieri ex Dei verbo, analogia fidei, & perpetua ſacramentorum definitione demonſtramus. Hoc igitur ſine cuiuſquam contumelia dicimus, & vtra verior ſit doctrina ex ſcriptis diuinis diiudicandum cuilibet pio proponimus.

1. Corin. 13. v. 4.

Selneccerus pag. 20.

Concedant nos Chriſto tribuere laudem omnipotentiæ, & veritatis: concedant nos rationis noſtræ iudiciū, & ſapientiam, atque omnem ſcientiam ſubiicere verbo, vt captiuam, in obſequium Chriſti.

Danæus.

Vtinam verò Selneccerus verā veritatis, & omnipotentiæ laudem Chriſto tribueret. vtinam vellet ſuam illam iam præiudicatam ſententiam deponere: & Chriſti voci totum ſe placidè ſūmittere. Si Chriſtum veracē fatetur, & agnoſcit, ergo

corpus

A Luc.24. Ioan.20. corpus verè humanum illi etiam poſt reſurrectionem tribuat neceſſe eſt, quod carnem & oſſa habeat, quod manus, quod pedes quod denique ſuam περιγραφὴν, & ſitum, & dimenſiones finitas, ſuo certo ſpatio circunſcriptas habeat. Maieſtaticum autem illud corpus, quod tam patens eſſe vult, quàm ipſa diuinitas latè patet, Chriſto iam adimat neceſſe eſt. Quod ſanè corpus ipſe cum ſociis abhinc duodecim annis magno commento Chriſto affinxit. Si Chriſtum veracem agnoſcit Selneccerus, admittit hæc verba Chriſti, Mat.26. *Semper pauperes habebitis vobiſcum, me verò non ſemper habebitis*. Item, *Ego proficiſcor ad Patrem*. Item, *Aſcendo ad Patrem meum, & patrem veſtrum: Deũ meum, & Deum veſtrum*. Item quæ de Chriſti corpore glorificato dicunt Angeli ipſi, credet vera eſſe Selneccerus, *Surrexit, non eſt hîc*. Quod ne meũ eſſe exiſtimet, Auguſtinum ipſum patienter, quęſo, audiat, Auguſti. Tractat. 21 in Ioã. Euangelium. *Iste qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Quomodo eum videbant ire? In carne quam tetigerunt, quam palparunt, cuius etiam cicatrices tangendo ſibi* B *probauerunt: in illo corpore, in quo cum eis intrauit & exiuit per quadraginta dies, manifeſtans ſe eis in veritate, id eſt, non in aliqua falſitate, non phantaſmate, non vmbra, non ſpiritu: ſed quemadmodum ipſe dixit non fallens, Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Eſt quidem illud iam corpus dignum cœleſti habitatione, non ſubiacens morti, non mutabile per ætates*. Ergo corpus Chriſti huiuſmodi eſſe agnoſcet, vt eodem tempore pluribus ſimul in locis eſſe nequeat: & confitebitur Chriſtum iam in cœlum ad Patrem aſcendiſſe, non autem hîc corporali præſentia ſiue viſibili, ſiue inuiſibili modo inter nos, aut cum ſignis adeſſe. Quæ noua & commentitia eſt cuiuſdam Andreæ Muſculi ſententia, vt pro vera Aſcenſione Chriſti ſolam diſparentiam, & in hoc aere ac inferiori mundo euaneſcentiam conſtituat: quod ipſius articuli, & theſes in media ipſa Germania excuſæ diſertis verbis teſtantur. Chriſtum verò & nos ipſi omnipotentem eſſe confitemur, Selneccere, & agnoſcimus, atque etiam C prædicamus: ſed non ipſam Chriſti humanitatẽ, ne illam naturam, quæ certè creata eſt, temporíſque principium habuit, in ipſam θεότητα, quemadmodum Eutychiani fecerunt, impiè commutemus, id eſt, ne ipſam Chriſti humanam naturã aboleamus: & intolerabili blaſphemia ex creatura ipſa Nouum quendam Deum creemus. Neque verò quantumuis ab humanæ rationis regula, ac iudicio abhorrere ſe dicat Selneccerus, negare tamen poteſt, quin παραλογισμὸς, íſque puerilis à cõpoſitione ad diuiſionem, *vel à non diſtributo ad diſtributum*, vt Philippus loquebatur, apertè committatur: quum quæ de tota perſona Chriſti dicuntur propriè & in cõcreto, de ſingulis eiuſdem perſonæ naturis eadem quoque propriè dici, & enuntiari affirmentur. Et ſanè minimè debuit tã ſenex magiſter, eſſe optimæ artis, nempe Dialectices, tantopere inimicus, vt ſic illius præcepta negligeret, & ſuſque déque omnia in hoc tam auguſto argumento haberet.

A

AD SECVNDAM EIVSDEM LIBELLI PARTEM, in qua continetur examen Sacramentarię Exegeſeos in Saxonia anno M. D. LXXIIII. à quodam pio viro editæ.

HANC alteram libelli Selneceeri partẽ, & ipſe examinaturus, quemadmodum in ea Selneccerus ipſe exegeſin ad ſuũ examen reuocat, quàm iuſta illius exegeſeos ſcribẽdæ ratio fuerit, breuiter priùs exponam. Sic enim & lõgæ præfationi, quam in hanc ſecundam libri ſui ſectionem addidit, reſpondero: & quod de conſcientiæ præſidio in ſua illa ſententia aduerſus graues tentationes ineſſe iactat: & de autoris ipſius exegeſeos aſtuta mente comminiſcitur: de Philippi tanquam pro ſe pugnantis B epiſtola ad Oecolampadiũ affert: denique de veteri Eccleſiæ ſpecioſa quidem, ſed ementita pro ſuæ interpretationis autoritate, & de ſui ſtudii in hac quæſtione, refutationéque inſtituenda pietate teſtatur, veriſsimè refutauero. Nam hoc totum tale eſſe apparebit, vt fucus tantùm bonis factus, & manifeſtæ iſtius hominis ambitioni prætextus fuiſſe quæſitus appareat. Huius autem totius narrationis, & veræ hiſtoriæ hoc erit exordiũ. Mortuo M. Luthero (cui, cùm propter veram pietatẽ: tum ſingularem in reſtituenda Euãgelij luce cõſtantiam multùm debet, ſempérque debebit omnis poſteritas) maxima fuit in Germanicis eccleſiis Ph. Melanchthonis autoritas. Hunc quum Deus ingenio placidiſsimo, & ab omni acerbitate, contentionéque animi remotiſſimo finxiſſet, vidit tamen difficiles, & funeſtas in Eccleſia Dei de grauiſsimis rebus, imprimíſque de ſacra Domini N. Ieſus Chriſti cœna controuerſias, in ipſo Euangelij renaſcentis exordio, ipſáque adeò Lutheri ætate motas. Eſt enim veriſſima illa Chriſti ſententia, Matth.13, v.27. C quòd cumprimùm bonum doctrinæ cœleſtis ſemen in mũdo ſpargitur, Satan ille gloriæ Dei coniuratus hoſtis zizania ſtatim, eodémque momento ſuperſeminat, vt regnum Dei turbet, & ne tanto Dei beneficio frui ſine ſanguine, & puluere nobis liceat. Hæc tam periculoſa certamina, támque miſeras Eccleſiæ Chriſti non tantũ vexationes, ſed etiam lacerationes, ac diſtractiones, quum leniſſima illa anima Philippus toto pectore deteſtaretur: quoad vixit, & quantum quidẽ in ipſo fuit, vel leniit, vel repreſſit, adeò vt toto illo Philippicæ gubernationis tempore, in Eccleſiis Dei Germanicis & ſatis quieta tranquilláque omnia permanerent. Nam erumpebant quidem nonnullæ iſtius latentis ignis, & incendij, quod iam apertè graſſatur, & omnem concremat Germaniam, ſcintillæ: & quorundam malè feriatorum ambitio leues quaſdam flammas, & eas tamẽ fœdas eructabat: ſed hæ omnes vel boni illius ſenis Philippi autoritate, (quæ iam erat confirmata:) vel eruditione, quia omnibus iſtis pręceptoris loco fuerat, extinguebantur. Extincto verò ipſo Philippo, & in cœlum recepto, tanquam ruptis omnib' cõcordię, & pacis fœderibus, & iniecto in

A Germaniam ἔριδος μήλῳ, cùm nemo inter ipſius diſcipulos tantæ autoritatis, vel virtutis vnus eſſet, qui omnium aduerſariorum poſſet conatus comprimere: varias ſectas, variáq; certamina pruritus iſte digladiandi tandiu cohibitus, tandem excitauit. Nec ea res tamen, tam citò, quàm multi volebant, apparuit. Nã poſt mortem Philippi moderata quorundam virorũ bonorum ingenia, quæ illam præceptoris lenitatem, ac manſuetudinem retinebant, petulantes aliorum, furioſóſque impetus coercuere: quorum tamen ſanis cõſiliis nõ diu ſuus locus, ſuáque vis, & autoritas concesſa eſt. Pręfracti enim quidam, & temerarij, qui quantùm moræ ad conſeruandam pacem interponeretur, tantundem ſuos triumphos retardari iudicabant, veteres illas & Eccleſiis Dei tam exitiales controuerſias acerbius, quàm antea (vt primatum ſibi in Eccleſia quiſque ſtatim vſurparent) mouere, motas exagitare: denique omnia in Germania perturbare, ac præſertim in Saxonia, & Academia Vittebergenſi cœlum terræ miſcere confidenter
B cœperunt. Itaque anno Domini 1573. cùm etiam obiiſſet diem ſuum poſt Philippum M. Ioachimus Camerarius, alterum illud Germaniæ lumen (cuius nomen, ac eruditio violentos iſtos homines Lipſiæ in ordinem cogebat) apertum iam Eccleſiæ Dei bellum indici cœpit. Nec enim quemadmodum eſt in fabulis, aurεam illam hominum ætatem, quæ breuis fuit in Germania, argentea, vel ænea: ſed ſtatim ferrea excepit. De qua certè, & verè, & magno cum piorum omniũ luctu à pleriſque viris piis audio dici,

Μηκέτ' ἔπειτ' ὤφειλον ἐγὼ πέμπτοισι μετεῖναι
Ανδράσιν, ἀλλ' ἢ πρόσθε θανεῖν, ἢ ἔπειτα γενέσθαι.
Νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον. οὐδέ ποτ' ἦμαρ
Παύσονται καμάτου καὶ ὀϊζύος, &c.

Et quia recẽs quietæ illius gubernationis, quæ ſub Philippo fuerat, recordatio, ac dulcedo tam facilè ex animis hominum deleri non poterat, viſum eſt iſtis Germanicarum turbarum autoribus maiori quadam vi & impetu rem totam aggredi, vt non modò inclinatam bonorum aciem propellerent: ſed ſi qui pro ſuo in veritatem Dei zelo, piè, ſtrenuéque adhuc reſiſterent, latè profligarent. Ergo quum de
C ſuſcepta contentione ab iſtis nihil quicquam remitteretur, imò ſæuior in dies clarigatio fieret, tandem bonis quibuſdam, & iis quidem orthodoxis viris, qui ſupererant, placuit, vt Breuis, & perſpicua ſanæ de cœna Domini doctrinæ, & totius, quæ propter eam nata erat, controuerſiæ explicatio ederetur, quam Exegeſin illi nominarunt. Atque hæc editio idcircò neceſſaria viſa eſt: tum vt ſuæ fidei rationem (quod Petrus fieri iubet) redderent: tum etiam, quoniam iſtarũ turbarum ſonitus ad vniuerſas eccleſias iam peruenerat, ne orthodoxi, innocentéſque homines apud ſuæ doctrinæ ignaros falſo præiudicio grauarentur. 1. Pet. 3. v. 15.

Editus igitur eſt anno Domini 1574 iſte libellus qui velut calidam ſuffudiſſet, & omnes iſtos ad arma, quanquam placidiſſimè conſcriptus tamen concitaſſet magno aduerſariorum concurſu, ac numero priùs penè oppreſſus eſt, quàm natus. Inter quos repertus eſt vnus Nic. Selneccerus in Academia Ienenſi S. Theologiæ antea profeſſor: ſed nunc Electoralis doctor, qui illius libelli confutandi laborem ſibi ex ſociorum conſilio ſumeret. In quo vir iſte parum vel prudens vel ſui memor non recordabatur ſe pro nobis (quos nunc ita acerbè damnat) ſcriptum antea edidiſſe, in quo noſtram ſententiam apertè probabat. Sed ſocij, ſi Exegeſeos doctrina ſalua maneret, ſuam de Domini cœna fidem incolumem eſſe poſſe pernegabant. Itaque cùm magni momenti videretur quæ ad eam fieret reſponſio, ſtatim à Selneccero anno 1574. parata & ſcripta eſt, ſed demum anno 1578. in lucem emiſſa, vt illa cæteris ſociis communicata, & ab illis emendata, ab ipſo autem autore diligenter perpenſa, & diiudicata ſolutiones, ſi quas haberent, ſolidiſſimas ad omnia Exegetæ argumenta, afferrent. Hæc igitur N. Selnecceri reſponſio ad illam Exegeſin qualis ſit, quámque firma, examinare iam nobis propoſitũ eſt. Interim autem dum iſta fiunt, & Selnecceri & ſociorum opera peſſimíſque conſiliis fuga bonorum facta eſt. Nam ex Academiis, vbi honeſtum ſuæ eruditionis præmium conſecuti erant, alij eiecti ſunt: alij ex ſuis Eccleſiis reclamante B
grege ipſo, expulſi: alij in carcerem coniecti: alij patria interdicti: alij aliter, omnes tamen miſerè, magno nempe Sinonũ iſtorum dolo vexati ſunt. Ergò cùm ſic in Eccleſiam, vacuáſque Academias, tanquam in hoſtilem agrum iſti irrupiſſent, alij ad Oderam in Marchionatu Brandeburgenſi: alij in Sueuia Tubingæ: alii in Saxonia Vittebergæ: alij Ienæ: alij Lipſiæ: alij deniq; alibi pro ſe quiſque de primatu, & præda grauiſſimè, etiam inter ſeipſos certare: adeò vt, ne nunc quidem, vt hos paucos pro omnibus teſtes producam, inter Heſhuſium, & VVidegandum: Iacobum Andream, & Nicol. Selneccerum conueniat: anteà verò nec inter Flaccum Illyricum ſummũ *Vbique præſentia carnis patronum*, & alios, eiuſdem tamen conſilij ſocios, ac reos.

Quæ omnia viris bonis non tantùm meritò diſplicuerunt: ſed velut maiorum calamitatum initia eáque lugenda, auertendáq; procurabantur, quantùm quidem primũ Deum precando: deinde hos ipſos priuatim, publicéque rogando, ac monendo, efficere ſe poſſe credebant. Nihil tamẽ pij omnes apud iſtos obſtinatos homines & de primatu inter ſe contendentes efficere ac obtinere C
potuerunt. Itaque iterum pro piorum iuſta defenſione próque orthodoxa doctrina veritatis edita eſt eadem exegeſis: quam, vt antea, ſic nunc Selneccerus totis viribus animi euertere conatur. Sũt autem tres exegeſeos partes, In prima proponitur per ἀνάλυσιν vera ſententia de forma ſubſtantiali ſacræ Cœnæ. Secunda confutat Cœnæ interpretationes, & modos inconuenientes præcipuos. Tertia inueniendæ in tantis animorum diſcordiis cõcordiæ rationem explicat. Sed his poſtremis duabus partibus nihil quicquam reſpondet Selneccerus. Cuius ſui conſilij rationem fortaſsis ipſe habet aliquam, nos autem nullam videmus. Primã tamen partem, eámque obiter tantùm attingit. In qua quoniam quæ præcedunt hanc ſuam refutationem omiſit, operæpretium eſt viſum breuiter ea commemorare, quæ in illa Exegeſi ante verba à Selneccero hîc repetita continentur. Nam minimam tantùm quandam illius, & vberrimi, & locupletiſſimi ſcripti partem, quæ velut per diſgreſſionem quandam addita fuerat, attigit Selneccerus, ſeu quòd ſolidæ illius exegeſeos

A egeſeos argumenta confutare, quicquid tandem per totum quadriennium animo voluiſſet, non potuit: ſeu quòd in nouo illo doctrinæ corpore, (quo præceptoris de ſe optimè meriti Philippi, *velut ἐναγέος viri*, ingrati iſti diſcipuli, & piam memoriam, & erudita ſcripta damnauerunt) meditando occuparetur. Sed quod à Selneccero, vel de induſtria, vel negligenter omiſſum eſt, breuiter illi hoc loco ſuggeremus.

Veram igitur cœnæ Dominicæ formam ordine explicaturus vir ille & pius, & doctus, hæc duo, quæ ad futuram diſputationem lucem magnam afferunt, eſſéntque huius argumenti præcipua, & neceſſaria fundamenta primum omnium proponit. Qualis ſit perſona Chriſti ſibi Eccleſiam, per ſacramenta, velut inſtrumenta, colligentis: & qualis ſit iſtorum Sacramentorum, id eſt, inſtrumentorum natura.

Exeg.pa. 10.11.12.13 14.15.16. 1. 2.

B

DE PERSONA CHRISTI qualis ſit, ſic ſtatuit.

In Chriſto ex Maria virgine nato copulatas eſſe vnione hypoſtatica duas naturas, diuinam, & humanam, ſine vnius cum altera confuſione, quæ vnquam facta ſit: ex quo idem concludit etiam glorificatum, & exaltatum corpus Chriſti (quod iſti maieſtaticum vocant) immotas vel ſpecificas corporis proprietates adhuc retinere.

Atque ne cuiquam dubium reſtaret, tam neceſſarium diſputationis huius fundamentum, ſolidiſſimis argumentis illud confirmat. 1. ab ipſa ſcripturæ autoritate. 2. Philippi communis omniũ præceptoris teſtimonio, quem iſti ipſi viuentem, vt orthodoxum, ac rectè docentem ſemper amplexi ſunt: nunc autem impiè lacerant mortuum. 3. Ignatij, Auguſtini, Athanaſij, ipſorum denique ſcholaſticorum ſententiis. 4. A definitione corporum, in quibus pij ipſi, qui Chriſto conformes futuri ſunt, reſurgent. 5. Denique ab ipſius Lutheri (cuius irrefragabilẽ eſſe autoritatẽ vel iſti facilè conceſſerint) ſententia, qui ſæpius illud inculcãs, *Tollens proprietates, tollit naturam*, omnem corporalem carnis Chriſti in cœna præſentiam ſuſtulit, & inconfuſas incommunicabiléſque manere eſſentiales naturarum proprietates proculdubiò ſenſit, & dixit. Hæc omnia, & quidem grauiſſima Exegetæ argumenta, cæcis tamen oculis, & leui ſaltu tranſilit Selneccerus, quoniam quod aduerſus ſuorum præceptorum tam manifeſtam autoritatẽ afferret, non haberet, niſi eos impietatis, vti nos, accuſaret. Et ne iſti vetus illud ſuum de Idiomatum communicatione fruſtrà occinerent, quæ vis, & interpretatio eſſet locutionum huius generis breuiter, & commodè Exegeta demonſtrauit. Huiuſmodi nempe locutiones in concreto, id eſt, in ipſa Chriſti perſona veras eſſe, quia in perſona vtraque natura continetur: de ſingulis autem illius perſonæ naturis, id eſt, in abſtracto, non itidem verè enuntiari. Vnionem enim in perſona facere quidem nomina communia, naturarum autem confuſionem non inducere, quemadmodum præclarè Theodoretus iam pridem docuit. Nomina itaque ſignificantia proprietates naturarum, nunquam confundi. Nunquam enim verè, & propriè dici, humanitatem Chriſti eſſe omnipotentem, A aut Deitatem Chriſti paſſam eſſe: etſi verè dicitur de Chriſto Deus paſſus eſt, homo hic eſt filius Dei. Hoc Nazianzeni, Theodoreti, Gregorij Magni, Vigilij probat apud ipſam exegeſin recitata authoritas: hoc idem ſacrę ſcripturæ demonſtrant: hoc definitio idiomatum communicationis, quicquid noua ſua inter ἰδιοποίησιν, & κοινοποιΐαν, comentitiáque diſtinctione nuper finxerit Selneccerus, propterea quòd vulgarem ſuorum ad noſtra argumenta ſolutionem prorſus inanem, inutilémque cernebat. Deniq; Lutherus ipſe ſic planè nobiſcum faciens ſcribit, *Fides catholica hæc eſt, vt vnum Dominum Chriſtum confiteamur verum Deum, & verum hominem. Ex hac veritate geminæ ſubſtantiæ, & vnitate perſonæ, ſequitur illa, quam docemus, idiomatum communicatio, vt ea quæ ſunt hominis rectè de Deo: & è contrà quæ ſunt Dei de homine dicantur. Verè dicitur, Iſte homo creauit mundum, &c. & Deus iſte eſt paſſus. Non tamen hæc vera ſunt in abſtracto, vt dicitur, humanæ naturæ.* B Hæc Lutherus Auguſt. in Ioan. Euang. Tract. 18. *Non ergo Ieſus carnem æquabat Patri, non formam ſerui Domino comparabat.* Sed & hæc omnia Exegetæ, quemadmodum iſte vocat, fundamenta, quoniam ſunt vera, & inexpugnabilia non refutat in ſuſcepta illius exegeſeos oppugnatione Selneccerus.

DE NATVRA SACRAMENTORUM ſic eadem Exegeſis definit.

Sacramenta eſſe externos ritus incurrentes in oculos, qui inſtituti ſunt, vt ſint ſigilla promiſſionis & teſtimonia applicationis illius ad ſingulos fideles: ex quo concluditur in Sacramentis nullam eſſe Phyſicam, aut ſubſtantialem, aut corporalem rerum ſignificatarum cum ſignis præſentiam, & coexiſtentiam. 1. Ratio quia ſignis ipſis nulla eſt facta promiſſio, ſed ipſi homini. 2. Quia Chriſti caro eſt in cœlo non in his terris. 3. Quia nulla ſit ſubſtantię ipſius carnis Chriſti cum noſtris confuſio. 4. Quia ſacramenta non ſunt miracula, vt ipſa corporis Chriſti cum Pane miraculoſa, & inuiſibilis copulatio fiat. Ex quo colligitur cœnam Domini, cùm ſit Sacramentum, eſſe ritum externum, in quo per Panis, & vini vſum ex Chriſti or- C dinatione ex fide ſumptum ſubſtantialis Chriſti corporis, & ſanguinis communicatio, & applicatio fit in credentibus, vt ſe & in Chriſto inſertos, & omnium ipſius beneficiorum participes, & vera Eccleſiæ membra factos eſſe certiſſimè, veráque πληροφορίᾳ credant. Hęc eſt breuis, & perſpicua ſacræ Cœnæ definitio, quæ in Exegeſi continetur quæque poſtea per ſingulas definitionis partes, accuratè probata eſt. Sed reliquis tum probationis argumentis, tum ipſius Exegeſeos partibus præteritis, credo, vt citius ſeſe ex illis anguſtiis (in quas eum ſocij, delegata tanta prouincia, coniecerant) expediret: atque adeò ea ipſa parte, (quæ tuẽdæ in Eccleſiæ Chriſtianæ pacis rationem demõſtrat) à Selneccero prorſus, & apertè repudiata, ac etiam damnata (vt homines iſtos ἀσπόνδους eſſe iam ex ipſorum ore omnes intelligerent) vnam duntaxat partem ex illis quatuor arripuit Selneccerus in qua ſe exerceret, & cui ſi ſatisfeciſſet, abũdè ſe

Exeg. 17. 18. 19.

A munere ſuo perſunctum eſſe gloriaretur. Illud autem eſt tertium, vbi Exegeſis Sileſium quendam Enthuſiaſten refutans dixit, *Nullam fieri ſubſtantiæ ipſius carnis Chriſti cum noſtra in cœna participatione confuſionem.* Hanc igitur Exegeſeos ſententiã, quia valde Selneccero diſplicuit, Sileſiíque illius & Suenkfeldij errorem obtinere mauult, in ſecunda huius libri ſui parte, confutare ipſe toto conatu aggreſſus eſt: quod quàm piè, verè, & fœliciter ab eo ſuſceptum ſit, age iam ſemoto omni animi præiudicio perpendamus. Primùm autem ipſius exegeſeos verba adducamus: deinde Selnecceri ad ea reſponſum: cuius ipſius examen tertio loco placidè ſubiiciemus, quemadmodum iam in priori huius libri Selnecceri parte fecimus.

Exegeſis pag. 18.

B PRIMVM ARGVMENTVM aduerſus eos qui ſubſtantiarum carnis Chriſti, & noſtræ in Cœna Domini confuſionem fieri cenſent.

Corpus Chriſti, ſicut mille loci veterum teſtantur abductum eſt à nobis. Ergo nulla pars ſubſtantiæ ex illo nobis infunditur. Hoc Exegeſeos primum aduerſus ſubſtantiarum confuſionẽ à Sileſio, & Suenkfeldio introductam in Dominica cœna argumentum, ſic refert Selneccerus, pag. 29.

Corpus Chriſti abductum eſt à nobis,

Ergo

Non eſt præſens in Cœna, nec manducatur.

Examen.

PRimùm omnium ex Selneccero quæro, probétne ipſe Sileſij iſtius ſententiã de ſubſtantiarum C carnis Chriſti, & noſtræ inter ſe confuſione in cœna Domini, quæ ab Exegeſi refutatur. Nam aut fruſtrà in iis Exegeſos argumentis, quæ contra συγχύτας iſtos proferuntur, confutandis laborat Selneccerus: aut ipſe iſtam ſubſtantiarum confuſionem in Cœna Domini fieri ſentit. Si non id ſentit: cur deploratam Suenkfeldianorum cauſam reſtituit, & eam etiam maximè abſurdam, & falſam defendit, à qua ſe tamen alienum credi vult? Sin probat, & tuetur, id igitur profiteatur ingenuè, & veteri ſuo errori hunc nouum iam addat, & monſtra monſtris accumulet. Nec enim inter Exegetam, & Sileſium propriè de eo ipſo quæſtio eſt, de quo inter eundẽ Exegetam, & Selneccerum agitur. Inter illos enim de re ipſa quæſtio eſt, quæ in cœna Domini piis, & credentibus communicatur: vtrùm nempe caro ipſa Chriſti quatenus eſt phyſica quædam moles, & ſubſtantia neruis, oſſibus, & ſanguine compacta cum noſtris animabus ad earum alimoniam miſceatur, quod ſentit Sileſius. Sed ad cuius A erroris tam abſurdi confutationem vel vnum illud Chriſti de carnis ſuæ & ſanguinis communicatione loquentis ſatis eſt: *Verba quæ loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt: Caro non prodeſt quicquam.* Ioan. 6. Inter hos autem Exegetam nimirum, & Selneccerum de modo communicationis diſceptatio eſt, vt ipſe antea Selneccerus fatetur, vtrum nimirum quum caro illa Chriſti *viuifica, & cœleſtis illius ſuccus, ſpiritúſque nobis ad vitam ſpiritualem in Cœna communicatur,* corporali ipſius carnis & ſanguinis eſſentialis Chriſti preſentia cum ſignis ſit omnino opus an non: ſunt igitur profectò diſſimillimæ quæſtiones iſtæ, quæ non erant à te, Selneccere, confundendæ. Sed fortaſſe, vt alia multa abſurda, ſic hæc quoque ex illa ſua corporali preſentia ſequi manifeſtè ſenſit Selneccerus: vel cùm eadem illa exegeſis argumenta ſuam de corporali præſentia ſententiam euertere poſſe cerneret, his quoque reſpondendum eſſe iudicauit. Vtut autem res habeat, & quæcunque ſit iſtius tam ſapientis Selneccerij conſilij ratio, in hac ſola Exegeſis parte refutanda certè quidem immoratur. In quo illud primùm reprehendimus, quòd etiam in ipſa exegeſi recitanda, quædam apertè hoc loco immutauit. B Nec ſanè, vt bonam fidem præſtaret, aliis verbis deſcriptum eſſe debuit illud Exegeſis argumentum, atque etiam extra ipſius Exegeſis, id eſt, authoris mentem abductum. Sic tamen aduerſus vtrumque in exegeſi rectè concluditur. Ac quidem aduerſus Sileſium iſtum hoc modo, Si Chriſti corpus abductum eſt à nobis, Ergo nulla fit ſubſtantiæ illius cum noſtra confuſio, aut transfuſio. Illa enim & corporum contactum requirit, & phyſicam præſentiam, & ſitũ, quæ omnia in rebus à ſeſe loco diſiunctis neque eſſe, neque cogitari poſſunt. Aduerſus autem Selneccerum iſto modo, Si verum & eſſentiale Chriſti corpus à nobis abductum eſt in cœlos, ergo illud corporali, eſſentialique præſentia cum ſignis iam adeſſe in cœna Domini nequaquam poteſt. Quid igitur ad hanc, & quidem robuſtiſſimam, machinam ſubuertendam excogitat Selneccerus?

Selneccerus pag. 29.

Reſponſio planiſſima & veriſſima hæc eſt. Quæſtio non eſt de Phyſicis proprietatibus corporis, ſed de voluntate Chriſti, de qua quum conſtat, certum eſt eum facere & præſtare poſſe, quod vult, & promittit: etiamſi illud non conuenire videatur corpori tantùm Phyſico. C

Danæus.

Verba quidem audio: ſed grauis equidem vulneris, quod Selnecceri ſententiæ nunc infligitur, medicinam non video. Imò κρησφυγετὸν potius hoc totum eſt, quicquid eſt, quàm nodi illum irretientis ſolutio. Nam primùm τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖ (quod certè vitioſiſſimum argumentandi genus eſt) Selneccerus quum de voluntate Chriſti

A ſti conſtare hîc affirmat: nempe quod velit Chriſtus corporali carnis ſuæ præſentia adeſſe in ſua cœna. Hoc enim illi perpetuò negauimus: & ipſa adeò ſacramentalium locutionum natura iſtiuſmodi interpretationem non admittit. Deinde hanc ipſam corporalem carnis, & ſanguinis ſubſtantialis Chriſti pręſentiam, non ex ſolis proprietatibus phyſicis corporis: ſed ex apertiſſimis ipſius S. Scripturæ teſtimoniis cõfutamus. Eſt enim hoc non Phyſicum ſed Theologicum axioma, Selneccere, *Chriſtus aſcendit ſupra iſtos omnes viſibiles Cœlos*, quò & carnem, & ſanguinem ſuum eſſentialẽ intulit, vt ait Irenæus, *Vbi oportet eum eſſe, & contineri vſque ad tempora reſtitutionis omnium, extremiq́ illius iudicij.* Auguſt. *Secundum id quod de Virgine natus eſt, ſecundum id quod à Iudæis comprehenſus eſt, quod ligno confixus, quod de cruce depoſitus, quod in reſurrectione manifeſtatus, non ſemper habebitis me vobiſcum*, ait Chriſtus. *Quare? Quoniam conuerſatus eſt ſecundum corporis præſentiam XL. diebus cum diſcipulis ſuis, & eis deducentibus videndo, non ſequendo, aſcendit in cœlum & non eſt hic.* B Hoc eſt etiam ipſius Lutheri dictum. *Tollens proprietates, tollit naturas.* His igitur primùm reſponde. Quanquam non video qua ratione poſſit Selneccerus à corpore Chriſti (quod ſiue φυσικὸν, ſiue ὑπερφυσικὸν nominetur, certè ſemper verum corpus eſt: & manet: etiam poſtquam in Cœlum euectum eſt) ſeparare eſſentiales corporis proprietates, quas hîc ad conflandam nobis inuidiam Phyſicas appellat. Non magis enim quod eſt eſſentiale detrahi rei cuiquam poteſt, quàm ipſa illius forma, & natura, & quàm verè affirmari poteſt, aliquid verum corpus eſſe, & non eſſe. Itaque rectè Leo epiſt. 22. *Vnde non Deum tantum dicimus Chriſtum, ſicut hæretici Manichæi: nec hominem tantùm, ſicut hæretici Photiniani, nec ita hominem, vt aliquid ei deſit, quod ad humanam certum eſt pertinere naturam.* Quamobrem nec huic ſuo præſidio minimè ſatis confiſus Selneccerus, ad aliud his verbis confugit.

Heb.7. v. 26.
Irenæ.lib. 3.cap.21.
Act.3.v.21
1.v.11.
Aug. in Ioan. Tra. 50.
Leo. 1. Epiſt.22.

Selneccerus pag. 29.

C *Deinde quod ad Chriſti corpus attinet, non abductum illud à nobis ita eſt, vt Chriſtus quum vult, non poſſit eſſe nobiſcam in terris, etiam corpore, & ſanguine ſuo. hoc enim dicere blaſphemum eſt.*

Danæus.

Selneccerus ἔνστασιν, id eſt, exceptionem aduerſus regulam hanc veriſſimam, *Eſſentiales corporis proprietates veris corporibus competunt*, affert, de ſolo nimirum corpore Chriſti, id eſt, de eo ipſo, quod in controuerſia verſatur. Itaque petit principium & hîc quoque, vt antea ídque apertiſſimè. Ergo illud vnicum corpus contra aliorum verorũ corporum naturam ait poſſe & in cœlo, & in terris eodem tempore, corporali præſentia adeſſe, ꝙ quàm blaſphemũ ſit, ipſe potius cogitet, quàm nos appellet blaſphemos. Hoc enim quod ſtatuit ſi verum eſt, quid reſtat, quominus in caſtra A Pontificiorum, & tranſſubſtantiationis tranſeamus, qui hoc ipſum fundamentum ſui erroris ſumunt, poſſe Chriſtũ ſiſtere corpus ſuum vbique vult: & eum poſſe corpore præſentem eſſe in cœlis, & in terris? Sed ſi dicat Selneccerus, Chriſti corpus quum erit in terris, iam non futurum in cœlis: ergò de cœlis tunc deſcendat, & detrahatur neceſſe eſt. Atqui hunc grauiſſimum errorem anteà damnabat Selneccerus ipſe. Præterea hoc ipſum eſſentiale Chriſti corpus in terris verſans, aut vnicum eſt, aut plura: Si plura, non iam eſt verum corpus. Sin vnicum, quando in pluribus vel vnius Germaniæ, nedum totius orbis regionibus S. Domini Cœna celebrabitur, Vbinam, quæſo, præcipuè corporali illa præſentia, ipſum illud eſſentiale Chriſti corpus aderit? Vittebergęne potiùs an Lypſiæ, an (vbi Iac. Andreas iſtorum omnium errorum hodie fons, & caput eſt) Stukardiæ, vel Tubingæ? Nam aut vno duntaxat in oppido erit, aut illud extendi in immenſum fingendum eſt, ſi omnibus in illis locis verum illud, & vnicum Chriſti corpus corporali præſentia cum B ſignis cœnæ eodem tempore aderit. Quum hæc omnia cum fide vera tam pugnantia per ſuam illam corporalem carnis Chriſti cum ſignis præſentiam, & aſſiſtentiam inducit Selneccerus, nónne obſecro blaſphemias ipſe apertiſſimas ſtabilit?

Pag. 16.

Denique quomodo noſtra corpora Chriſti corpori σύμμορφα erunt, ſi ſimul, eodémque temporis momento pluribus in locis, id eſt, & in cœlo, & in terris illud eſſe poteſt? Quid contra Bernardus? *Ideo habitu, & omni habitu inuentus eſt, vt homo: nec in eo, quantum ad naturæ debitum, ſignum aliquod ſingularitatis apparuit.*

Philip.3. v.21.
Bernard. Feria 4. hebdom. Pœnoſ.

Selneccerus pag. 29.

Et quod ad Aſcenſionem ad cœlos attinet, nequaquam impedit hanc ſubſtantialem præſentiam, & manducationem corporis, & ſanguinis Chriſti, iuxta verba inſtitutionis: ſed potius confirmat fidem, & orthodoxam C *doctrinam de corporali præſentia Chriſti. Scriptura enim paſſim de aſcenſione loquitur, hunc in modum*, Aſcendit ſupra omnes cœlos, & penetrauit cœlos, *&c. Cùm igitur Cœli, ad quos Chriſtus aſcendit, ſint ſuper omnes Cœlos, non debemus illos definire noſtræ rationis prædicamentis: ſed ſcripturæ verbis, quæ illis non aliter, niſi beatitudine, maieſtate, ſublimitate, & virtute diuina: non verò locorum intercapedinibus definit.*

Danæus.

Ex hac Selnecceri, quamuis troporum hoſtis, tropica, & figurata tamen interpretatione hæc tria ſequuntur incommoda, & ἀνίατα vulnera planè cum ipſo Dei verbo, non duntaxat autem cum humanæ rationis vero iudicio pugnantia. Primùm cœlos, in quos aſcendit Chriſtus, non loco, ſed conditione tantùm ab hac terra diſtare. Ergo Chriſtus in his terris etiam nunc verſatur, Selneccero eum deducente de cœlo: ſed alio, quàm ſolebat ante mortem, & cùm degeret vnà

A cum ſuis diſcipulis, modo nūc viuit inter nos: in eodem tamen nobiſcum verſans loco. Ex quo fit vt cœlum ipſum ſublimiſſimum, & terra hæc infima ſit ex ſententia Selnecceri idem locus, Geneſ.1. Pſal.115 contrà quàm & Geneſ.1.& Pſ. 15. credere doceamur, 2. Abſurdum. ſed diuerſa ſtatus & vitę ratio. Secūdū abſurdū ſequitur, Epheſ.1. Coloſſ.3. nempe Animas piorum qui in Domino mortui ſunt, cùm vnà cum Chriſto in illis ὑπερουρανίοις habitent, eſſe etiam in his terris: ſed felicius iam hîc, tanquam in Elyſiis locis, degere, 3 Abſurdum. diuerſoque modo viuendi, quàm quum adhuc erant in ſuis corporibus. Vel ſequetur, quod eſt tertium abſurdum, alios eſſe cœlos, in quos Chriſtus aſcendit, & alios in quos illi piorum animi poſt mortem euolarunt, atque nunc habitant. Itaque Luc. 23. falſum erit illud Chriſti latronem affantis, *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Hæc non ex humanæ rationis prædicamentis, ſed diuinæ ſcripturę definitionibus, & regulis ducta argumenta explicet priùs, diluátque Selneccerus. Quòd autem idem ait, *Aſcenſionem Chriſti non impedire ſubſtantialem corporis Chriſti præſentiam, & manducationem*, fallit paralogiſmo, & Elencho confuſionis. Non impedit B quidem Aſcenſio Chriſti manducationem, & præſentiam ſubſtantialem carnis, ratione hominis illud per fidem ſumentis, quia & fide fit, & ſitu corporis Chriſti nullo eget: ſed impedit corporalem ipſius eſſentialis carnis, & ſanguinis Chriſti cum ſignis Cœnæ præſentiam, vel ipſo Chriſto teſte, quoniam & Chriſtū de Cœlo detrahit, quod Ioā.6.v.62 Rom.10. fieri vetat Paulus: & carnis Chriſti coexiſtentiam cum ſignis neceſſariò exigit. Inde euenit, vt iſtorum alij Aſcenſionem Chriſti in cœlum definierint eſſe Euaneſcentiam tantùm, & ἀφρασίαν corporis Chriſti, adhuc tamen in nubibus, & nobiſcum verſantis, quod quantum à Manichæorum delirio diſtet, ipſi viderint: alij Aſcenſionem Chriſti velint eſſe factā ſine corporis ipſius motu, & euectione in alium locum, & in cœlum ipſum omnibus viſibilibus ſuperius: ſed tantùm mutationem fuiſſe ſtatus, & vitę generis, qui manifeſtè ex ipſius Lucæ de Aſcenſione loquentis verbis refutantur: Act.1.v.9. & 10. tot nempe diuerticula quæruntur, vbi ſemel à verbi Dei veritate diſceſſeris. C

Selneccerus pag. 30. & 31.

Chriſtum habere verum corpus humanum vniuerſa eccleſia vnanimiter confitetur, & Chriſtum corpore περίγραπτον eſſe, Phyſicè, & ſecundum veri corporis modum loquendo, nemo non ſcit & affirmat: De certo autem loco Phyſico nihil dicere poſſumus. Et quicquid afferant Exegetæ, nullum habent certum Vbi, *ſiue locum, in quo Chriſtum hominem collocent: atque verè Vtopiſtæ à nōnullis eam ipſam ob cauſam nominati ſunt.* Et paulò pòſt, pag. 31. *Et eſt illa Chriſtianis indigna opinio, quòd Chriſtus ita quandam Cœli partem occuparit, vt in ea, tanquam incluſus carcere, ſedeat. Ego mori malim, quàm affirmare, Chriſti corpus non poſſe, niſi in vno loco eſſe.*

Danæus.

Propè eſt, vt inter nos iam conſentiamus, imò penè iam plus concedit nobis Selneccerus, quàm A poſtulemus ipſi, quum corpus Chriſti glorificatum Phyſicum vocat: ſi modò poſtea ipſe ſibi conſtaret Selneccerus, neque leuitate quadam deſtrueret, quæ hîc ædificat. Nam hîc apertè ſcribit, hunc ſemper fuiſſe vniuerſæ eccleſiæ conſenſum, Chriſtum, poſt glorificationem nimirum ſuam (quoniam hic eſt controuerſiæ noſtræ ſtatus, & de ipſius Chriſti hominis in cœlo collocatione agitur) Chriſtum, inquam, etiam poſt ſuam glorificationem retinere ac habere verum corpus humanum περίγραπτον, circunſcriptum, Phyſicum, etiam ſecundum veri corporis modum, id eſt, ſuas, finitáſque dimenſiones habens, & locum occupans. Item illud ipſum corpus Chriſti in Cœlo eſſe: ſed non ita ibi certo quodam loco, tanquam carcere concluſum, vt alibi eſſe non poſſit. Quis hanc veritatem Selneccero non concedet? Atque vtinam ipſe, ſociíque eius in ea conſtanter perſeuerarent, quam ipſa S. Scripturæ manifeſtiſs. ſentententia illis expreſſit, certè nullas omnino in hoc articulo B turbas iam pateretur ſacroſancta Chriſti Eccleſia. Et quidem quum Chriſtum, (quâ homo Act.1. 2.3. eſt) in cœlum aſcendiſſe & in cœlo eſſe, contineríque vſque ad tempora inſtaurationis omnium, cum S. Scriptura dicimus, nolumus eum certo cuidam cœli illius loco, tanquam puncto quod digito deſignari poſſit, alligatum, affixum, aut aſcriptum eſſe tanquam glebæ: ſed affirmamus eum in cœlum, tanquam ampliſſimum, ſublimiſſimum, firmiſſimum, auguſtiſſimúmque ſibi, ac omnibus Mat.25. Electis præparatum à Deo domicilium ſeſe recepiſſe poſt omnem Dei iuſtitiam impletā.i. poſt ſalutis noſtræ totum opus perfectum, vbi gloria ſua immenſa, ipſiſq; adeò beatis Angelis incompre- Mat.28. henſibili iam fruitur, ac omnem in omnes res conditas poteſtatem, etiam quâ homo eſt, habet, atque exercet. Itaque lubenter illi Auguſtini ſenten- Aug.li.de fid & Symb. 6. tiæ, cuius hoc loco obiter meminit Selneccerus, ſubſcribimus, *Vbi, & quomodo ſit in cœlo corpus Dominicum, curioſiſſimum, & ſuperuacaneum eſt quærere, tantummodo in cœlo eſſe credendum eſt.* Quod igitur ſubiicit Selneccerus: ſed ἀμφιβόλως, *Malle ſe mori,* C *quàm affirmare Chriſti corpus non poſſe, niſi in vno loco eſſe*, ſi ſic intelligit, vt velit corpus Chriſti nullum in cœlo ipſo demonſtrabilem digito, certóque aliquo ſpatio dimenſum & definitum locum occupare, ibique perpetuò in certa quadam illius cœli plaga hęrere, aut verſari, & nos in eo perlubenter Selneccero aſſentimur. Sin autem id ſibi potiùs vult (quod in hoc ipſo libro ſuprà, & alibi ſæpius propter verba inſtitutionis Cœnæ ſcribit, & verum eſſe affirmat) corpus Chriſti non ſic vno eſſe in loco, quin in aliis quoque locis ſimul, eódemque tempore eſſe queat,, nos iam hoc illi pernegamus. Nam hæc poſtrema Selnecceri ſententia tum deſtruit quæ ipſe ædificata eſſe voluerat, nempe corpus Chriſti eſſe verum, humanum, περίγραπτον, Phyſicum, & corpus ſecundum modum veri corporis: tum etiam ipſiſſimum ſalutis noſtræ fundamentum euertit, quoniam à conſequenti negat corpus Chriſti verè humanum corpus fuiſſe, & per conſequens negat naturam humanam verè à Chriſto fuiſſe aſſum-

A ſumptam. Quo quid magis blaſphemum eſſe poteſt? Ergo vtram ſui dicti interpretationem ſequi malit Selneccerus, ipſe nobis explicet: ſed apertè, non obſcurè, & ambiguè: perſpicuis verbis, non circuitione vlla. Nec enim id ſcribat, quod à nobis intelligi nolit. Quod autem ad conuitia, & ad confictam à ſe nouam illam *Vtopiſtarum* appellationem (quam ſuis prorſus conuenientem, tamen nobis ſtolidè impingit) pro more ſuo contra Chriſtianam charitatem facit, & ſe hac ratione oblectare voluit. Sunt enim hi flores orationis, quos in nos beatus Selneccerus ſpargit inter ſuos: & ſunt hi colores quibus ab eo fœdiſſimi depingimur: nimirum, vt aliquid ipſius ſcurrilitatis admixtum haberet, etiam hoc tam graue, & ſacroſacrum de cœna Domini argumentum.

B

Selneccerus pag. 31. & 32.

Rectè dixerunt Iudæi de ſacris literis, in omni loco, in quo inuenis pro hæreticis obiectionem, inuenis quoque medicamentum illius in latere eius. Et omnis locus, vnde Epicuræi facti ſunt hæretici, reſponſionem habet à latere. Huius Rabinorum regulæ exemplum manifeſtum habemus in hac ipſa quæſtione de localitate corporis Chriſti, vt aiunt, Phyſica, & inuariata. Dum enim diſputatores ita volunt humanam Chriſti naturam à nobis abductam eſſe, vt remotior illa ſit à nobis, quàm cælum eſt à terra, & vt ante vltimum Chriſti aduentum non ſit reuerſura, neque nobis reddi poſſit, quando quidem ſcriptum ſit, Aſcendit in cœlos: Inde venturus iudicare viuos, & mortuos, *ſacra ſcriptura eos retrahit, & compeſcit, inſerens hæc verba,* Sedet ad dexteram Dei omnipotentis. *Cohibenda igitur eſt, & reprimenda rationis humanæ audacia, ne plus ſapiamus, quàm in hac vita nos decet.*

Danæus.

C Qui prius Vtopiſtæ à Selneccero vocati ſumus, iam Epicurei & hæretici apertè nominamur. Ex quo apparet, quis ſit iſtius hominis pudor, & modus. Atque hic ipſe hoc libello *exulceratorum animorum motus, & inſanos impetus reprimendos eſſe*, concionabundus ſcripſerat. Sed virum, qui verè Chriſtianus eſt, non tantùm λόγων ῥήτορα, verùm etiam ἔργων πράκτορα ἢ ποιητὴν eſſe oportet, vt ait Iacobus: at non Selneccerum. In ſumma multis verbis pauca complectitur, eáque ipſa etiam obſcurè quod ne in his quidem ipſis ſatis præſidij eſſe putat. Vult enim ex eo quod in Symbolo fidei diſertè ſcriptum eſt, *Sedet Chriſtus ad dexteram Dei omnipotentis*, ſubſtantialem Chriſti carnem & ſanguinem poſſe vbique eſſe, vel in pluribus locis corporali præſentia ſimul adeſſe, id eſt (vt ſocij ipſius & liberiùs & apertiùs iam loquuntur) humanam Chriſti naturam diuinæ exæquatam eſſe, adeo vt vbicunque ſit Chriſti deitas, ibidem quoque ſit ipſius humana natura. Hinc Maieſtaticum illud corpus ab annis duodecim Chriſto affixum: hinc effuſio omnium deitatis Chriſti proprietatum, etiam eſſentialium, in humanam eius naturam reperta: & Vbique præſentia humanitatis Chriſti ab illis ipſis funeſtis typis excuſa. Denique infinita quædam alia huiuſmodi monſtra in lucem edita ſunt, quæ tandem, niſi Dominus ipſe pro ſumma in Eccleſiam ſuâ clementia, auerterit, fidem ipſam Chriſtianam inter eos euerſura ſunt. Ergo quẽadmodum falſa interpretatione & tropica, articulum, *Chriſtus aſcendit in cælum*, corrupit, ita & hunc quoque poſteriorem, *Sedet ad dexteram Dei patris*, prorſus immutat, quaſi id ſignificet, *Caro Chriſti illocaliter eſt omnipræſens*, quæ certè mira eſt, & omni piæ vetuſtati inaudita explicatio. Quàm longè aliud (vt ſuperiores omnes, toties à noſtris citatos omittam) Bernardus ille poſtremus penè Eccleſię aliquid adhuc purum in doctrina retinentis doctor, *Sedere*, ait, *præſidentis eſt, ſedere dominantis eſt, & regnantis. Vbique regnat, vbique imperat, vbique maieſtas eius, ſed gratia fortè non ita.* Ergo Chriſtum ſedere ad dexteram Patris omnipotẽtis eſt, Chriſtum in omnia creata poteſtatem habere, etiam quâ homo, & Eccleſiæ caput eſt, & noſter Mediator: non autem eum carne ſua humana vbique pręſentem eſſe. Nec enim à poteſtatis & imperij iure ad ſitum corporis conſequutio valet. Quis enim concedet ſic rectè colligi (vt hoc ipſum aliqua ſimilitudine cum bona piorum omnium venia illuſtrem) Carolus V. ſummus Imperator in Germaniam, Hiſpaniam, Belgium, & Italiam ius ſummũ habuit, eodémque tempore exercuit. Ergo idem vbique in illis locis, & prouinciis carne, corporéque ſuo præſens aderat. Quis, inquam, iſtud rectè dici conceſſerit? Certè ne Selneccerus quidem ipſe (quẽadmodum exiſtimo) quanquam à Dialecticorum præceptis in argumentando, humanæque rationis ſano iudicio alienus, qui vtrique videtur bellum indixiſſe.

pag. 19.

Iac. 1. 25.

Selneccerus pag. 32.

Obiicitur nobis autoritas D. Philippi, quòd is in Coloſſ. cap. 3. ſcripſerit, Aſcendiſſe Chriſtum ex loco inferiori ad ſuperiorem, in Cœlum, hoc eſt, in locum Cœleſtem, quem Paulus nominat. Surſum, *vbicunque ſanè ille ſit: & Chriſtum corporali locatione in aliquo loco eſſe, vt antiquitas locuta eſt.*

Danæus.

Non vnius certè Philippi, ſed infinitorum penè etiam ipſorum Selneccerí ſociorum teſtimonia illi obiicimus: atque adeò ipſius Lutheri, ſi modò ea, quum aduerſus ſe faciunt, non repudiat Selneccerus. Ac de Philippo nullo modo dubitari poteſt, quin poſtremis cogitationibus ſuis nobiſcum de Cœna Domini ſenſerit, quum apertè in noſtram ſententiam, & in Epiſtola ad Illuſtriſ. Principem Fridericum 3. Comitem Palatinum, & in commentariis in Epiſt. Pauli ad Coloſſ. ſcripſerit. Itaque à bonis iſtis diſcipulis in toto Nouæ Doctrinæ corpore à ſe nuper Bergæ conſcripto, Philippi ſcripta damnata fuerunt, tanquam iſti corporali carnis Chriſti præſentiæ aduerſa.

Philippus pro nobis.

Heſhu-ſius pro nobis.

A Heſhuſius ille, quem omnes nobis maximè aduerſatum eſſe ſciunt, tamen vi veritatis coactus, libro de Euchariſtia corpus Chriſti per aſcenſionem in certo Cœli loco eſſe oportere confeſſus eſt.Sic enim ſcribit, *Labenter accipimus Chriſtum Phyſica locatione viſibiliter ſurſum corpus ſuum ſuſtuliſſe, & cœleſti aliquo loco collocaſſe. Neceſſe eſt enim fateri, corpus in cœlo certo ſpatio concludi.*

M.Kemnitius pro nobis.

Martinus Kemnitius tantopere quidem ab ipſo Selneccero landatus, vt ſolus è Germanis Theologis ſapere videatur: vmbris autem par cætera turba, adeóque ipſe Iacobus Andreas cenſeatur, in Repetit.doctrinæ de Cœna Domini, *Manent*, inquit, *verba de aſcenſione in ſimplici, & propria ſignificatione quòd ſicut Chriſtus viſibili, & Phyſica locatione, circunſcriptione ſui corporis ante aſcenſionem in terra verſatus eſt, hoc modo, & hac ratione vſque ad* B *extremum non ſit conuerſaturus in terra.*

Nic.Hemmingius pro nobis.

Nic.Hemmigius optimus Philippi diſcipulus in Syntagmate à ſe 1574.edito, ſic quoque ſcribit, *Adéſtne ergo corpus Domini pro nobis traditum, & ſanguis ipſius pro nobis effuſus verè, & ſubſtantialiter in Cœna? Adeſt quidem, non ratione loci: Nam ſi locum ſpectes, corpus Chriſti in cœlo eſt ἀπερίγραπτον: ſed ratione fidei hominis legitimè vtentis ſacra Chriſti Cœna.*

Mart.Lutherus pro nobis.

Denique Mart.ipſe Lutherus, quem ſuæ ſententiæ principem (ſed quàm conſtanter & verè ipſi viderint) prædicant, ſic tamen ſæpius ſcribit, *In Sacramento Euchariſtiæ nihil amplius inueniri, quàm promiſſionem, & fidem.* Item in Serm. de Sacram.& fratern.In omni ſacramento tria hæc ineſſe docet, id eſt, Externum, & viſibile ſignum. 2. Rem internam & ſpiritualem. 3. fidem. *Hac fide*, ait, *nos ſeriò expetere, atque etiam firmiter credere, nulláque dubitatione tenere oportere, ſicut ſacramentum promittit, & ſignificat, ita quoque nobis accidere, vt cum Maria dicere poſſimus, fiat mihi ſecundum verba, & ſigna tua.* Hoc idem in Serm. de Nouo Teſtam. repetiit. In Syngrammate Sueuicarum Eccleſiarum, quod ab ipſo Brentio, huius Vbiquepræſentiæ carnis Chriſti poſtea propugnatore acerrimo conſcriptum eſt, hoc ipſum confirmatur.

Brentius in Syng. pro nobis.

In confeſſione denique Boemicarum Eccleſiarum commendatur. Atque vtriuſque ſcripti doctrinæ ſubſcripſit, & pro ſua haberi Lutherus diſertis verbis voluit, vt quid Lutherus ſenſerit, ipſi C intelligant. Hæc tot ſunt ex media ipſius Selneccer i ſocietate, & caterua, qui nobis fauent, ipſúmque oppugnant manifeſtiſſimè. Itaque quum nos, noſtrámque de Aſcenſione Chriſti in cœlum, & ibi Seſſione eiuſdem ad dexteram Patris interpretationem damnat, optimos pręceptores ſuos proculdubiò condemnat: & eorum doctrinam, vt falſam, palàm traducit: quam tamen ſe laudare, retinere, amplectíque velle, & hîc, & alibi profitetur: ſic nimirum homo iſte, & leuis eſt, & inconſtans: & quum illis, ſibíque placere vult, diſplicet. Itaque quòd idem ait non rectè ſic concludi, Chriſtus ita in Cœlum aſcendit, vt ſuum corpus ab his terris ſubduceret: Ergo nullo modo ſecundum humanam ſuam naturam adeſt præſens Eccleſiæ in Cœna ſua, in eo Selneccero aſſentimur. Non enim ſic docemus nullomodo in Cœna ſacra præſentem eſſe ipſam eſſentialem Chriſti carnem, & ſanguinem. Eſt enim, ſed homini ex fide ſumenti: non autem ſigno præſens. Nam ad hominem, non ad ſigna verba Chriſti diriguntur. Eſt efficacitate quadam peculiari, *& viuifici illius ſuæ carnis & ſanguinis cibi communicatione*, ſed ſpirituali, ipſis credentibus ſigno vtentibus præſens: Nam *Selnecceriana illa*, id eſt, corporali præſentia neque ſignis, neque hominibus ipſis ſignum ſumentibus præſens adeſt: aut exhibetur ipſum eſſentiale Chriſti corpus. Et quod Selneccerus excipit, *Nouit Chriſtus per ſuam omnipotentiam, & ſapientiam modos, per quos præſentia illa corporali, carne & ſanguine in Cœna adeſſe poſſit*, eſt elumbe. Neque enim de omnipotentia Chriſti, vel ſapientia: ſed de illius voluntate inter nos quæſtio eſt, quam eam eſſe, vt polliceatur ſe dignis & indignis corporali ipſius carnis ſuæ eſſentialis præſentia in cœna adeſſe, conſtanter & verè ex Dei verbo pernegamus. Præterea ne hoc quidem ipſum, quod ait Selneccerus, Chriſtus velle poteſt, nimirum ne mentitus eſſe videatur, quum ſe filium hominis, id eſt, verum hominem, vera humana carne, ſanguine, & anima conſtantem & præditum eſſe affirmat. Neque enim qui verè homo eſt, poteſt pluribus in B locis corpore & ſanguine ſuo præſentia corporali ſimul adeſſe.

pag.33.

SECVNDVM EXEGESIS argumentum, quod refutare conatur Selneccerus.

EXEGESEOS pag. 19.

Perſona eſt ſubſtantia indiuidua, & incommunicabilis,

Ergo nihil ſubſtantiale ex corpore Chriſti deciditur & noſtro adiicitur.

HOc argumentum contra confuſionem ſubſtantiarum carnis Chriſti nimirum & noſtræ, ex communicatione ſpirituali, quæ fit C in cœna Domini, à Sileſio, & Suenkfeldio inductam, oppoſitum in ſe torqueri credidit Selneccerus: vel quòd eandem ſententiam probat ipſe, quam tamen à ſe remouere conatur: vel quòd ex perſonæ Chriſti vnitate Vbiquepræſentiam carnis Chriſti, quam ædificare vult, deſtrui videt. Itaque ſic ad hoc Exegeſis argumentum ipſe reſpondet.

Selneccerus pag.34.& 35.

Reſponſio. Perſona definitio in Eccleſia non impedit inſtitutionem, & voluntatem, & omnipotentiam Chriſti. Et paulò pòſt, *Nec verò quiſquam eſt tam inſulſus & ſtolidus, qui dicat, aliquid ſubſtantiale ex corpore Chriſti decidi, & noſtro adiici.*

Danæus.

Cur igitur ſi illi errori minimè faues, & aſſentiris

A tiris Selneccere, quæ contra eum proferuntur ſolida argumenta refutare, & tanquam in te vibrata tela auertere conaris? Certè magnam illius hæreſeos horrendæ labem tibi, tuíſque omnibus aſpergis, dum quaſi iſta argumenta ad te, tuóſque pertineant, declinas, & fugis, & in te tuóſque dicta fuiſſe, vel meritò dici potuiſſe, cogitas. Sed vt ad Selnecceri reſponſionem veniamus, & nos ipſi fatemur id verũ quod excipit, inſtitutionẽ, ac volũtatem Chriſti impediri non poſſe: ſed hoc neque inſtituit, neque voluit Chriſtus: vt quicquã de Phyſica carnis ſuæ mole detraheretur, & delaberetur in eos, qui in Cœna ſacra ipſius corpori ex fide communicant. Dixit enim ipſe de carnis ſuę manducatione agens, *Caro non prodeſt quicquam, verba quæ loquor vobis, ſpiritus, & vita ſunt.* Ergo quum ſit hæc noſtra cum carne, & ſanguine Chriſti communicatio merè ὑπερφυσικὴ, illam per carnis particulas quaſdam ex perſona Chriſti defluentes, & in nos transfuſas, vel agglutinatas fieri: atque ſubſtantiarum confuſionem ſtatui, minimè gentium eſt intelligendum. Præclarè enim Cyprianus, *Noſtra*, ait, *& Chriſti coniunctio, nec miſcet perſonas, nec vnit ſubſtantias: ſed affectus conſociat, & confœderat voluntates.* Hoc ſibi vult exegeſis: tu eam refutare conaris. Vide igitur, ſatiſne ſanus ſis, Selneccere, aut quid agas, qui operam das, vt te iã quoq; Suenkfeldianum eſſe credamus?

Ioan. 6.

B

Cypr. in lib. de cœna Dom.

Selneccerus pag. 35. & 36.

Nequaquam enim fit diuulſio naturarum, aut deciſio aliqua de corpore Chriſti, quum dicimus corpus Chriſti manducari. Sed præſentiam intelligimus de tota perſona Chriſti Dei, & hominis: manducationem verò ad verba inſtitutionis alligatam eſſe ſcimus, quæ ſunt, Edite, hoc eſt corpus meum, &c. Et paulò poſt, *Neque enim fingimus Chriſtum de ſua perſona ſumere vel totum corpus humanum, vel aliquot particulas, & diſtribuere inter manducantes, ſed ſimpliciter retinemus inſtitutionem, & propterea non diſputamus de hac, vel illa via, quæ rationi vel abſurda, vel plauſibilis videatur.*

C

Danæus.

Duo quædam incommoda, & ἄτοπα præſenſit Selneccerus hoc loco, quæ vt è Pontificia transſubſtantiatione: ſic ex iſta conſubſtantiatione, ſeu corporali eſſentialis carnis, & ſanguinis Chriſti præſentia cum ſignis, quam tuetur Selneccerus (quæque transſubſtantiationi omnino affinis eſt) oriuntur. Nam & iiſdem rationibus nititur vtraque illa transſubſtantiatio, & conſubſtantiatio nimirum: & in eaſdem blaſphemias incurrit. Denique ex Pontificiorum ſcriptis, nempe tum Petri de Aliaco lacunis, tum Iuris Canonici putidis fontibus hauſta eſt iſta conſubſtantiationis ſententia, vel ipſo Luthero teſte. Ex eo igitur quod dicitur corpus ipſum Chriſti adeſſe cum ſignis, & orali manducatione ſumi, ac edi, primùm quæritur, vtrũ in ſola humana natura Chriſti adſit illâ corporali præſentia cum ſignis in Cœna Domini? Secundùm, vtrũ illa Chriſti caro, & ſanguis eſſentialis corporalis præſentiæ modo cum ſignis coniũctus per fruſta, & particulas participetur, quẽmadmodũ ſigna ipſa (quib. adhæret) per particulas, & fruſta populo diſtribuuntur? Hæc duo ex ſua quidem ſententia iuſtè quæri poſſe vtrique animaduertunt, & Pontificii, & Vbiquiſtæ. Quæ cùm grauiſſima ſint incommoda, neutri tamen, vt oportet, huic malo medentur. Pontificii, imprimíſque Canoniſtæ in prima quæſtione explicãda variè ſe torquent, quemadmodum apparet ex Glã. Cano. Quid eſt Chriſtum. Et Canone, hoc eſt quod dicimus de conſecratione diſtinct. 2. In ſecunda etiam non minus æſtuant. In Cano. cùm frangitur, & Can. vbi pars eſt, ibidem: adeò vt ſcelerata hæc quæſtio inter eos ipſos rixosè propter infauſtam illam transſubſtantiationem tandem agitetur, vtrùm (vtar enim eorum ipſorũ verbis) pes, & naſus corporis Chriſti ſint in Euchariſtia coniuncti. Videte pii omnes, quò tandem blaſphema illa opinio homines iſtos abripuit. Selneccerus hîc vtramque illam incommoditatem obiici ſibi poſſe monet, ſed obſcuriùs: neutram tamẽ explicat, nec ſe inde expedit. Sed dicam quod res eſt, vt hominem ex his tantis anguſtiis, in quas ſe prudens coniecit, liberem. ~~Cùm quæritur, cui~~ rei in S. Domini cœna, Pane, & Vino fide veſcentes propriè communicemus, planè & perſpicuè reſpondendum eſt, Ipſimet carni, & ſanguini D. N. Ieſu Chriſti: non autem propriè, & per ſe illius deitati. Qanquam enim vnica hæc perſona Chriſtus, eſt & verus Deus, & verus homo, & quanquã idem ipſe vtraq; illa natura, non altera tantùm cõſtans, eſt factus Mediator noſter: tamẽ diuinarum & ſalutarium illius gratiarum non ſimus participes, niſi quia humanæ ipſius naturæ. i. carni & ſanguini, ſeu viuifico illius velut ſucco, & ſpiritui cõmunicamus. Illæ enim ſalutares gratiæ quanquam ex Chriſti deitate, tanquam vera ſcaturigine ſua, fluunt, & manant: tamen non niſi per interuẽtum, & communicationem humanæ ipſius naturæ ad nos perueniunt. Ergo hęc ipſa res eſt, quæ non ſignis quidem ipſis, ſed hominibus fidelibus cœna Domini per fidem vtentibus propriè præſens adeſt, ſed tamen non præſentia corporali: nẽpe ipſamet, & eſſentialis caro, & ſanguis Chriſti vnigeniti filii Dei. Mirabiliter enim ex abſcondito deitatis Chriſti fonte in ipſius carnem vita infuſa eſt, vt inde ad nos deflueret, non ſubſtantiarum commixtione, non carnea ipſius mole, aut particulæ eiuſdem in nos transfuſione: ſed communicatione, & participatione ipſius viuifici Chriſti ſpiritus, & virtutis, quæ in tali ὑφισαμένῳ, ac homine (qualis Chriſtus eſt, & quidem vnicus) omnes illius actiones ciet, regit, gubernat, & οἰκονομεῖ. Ex quo ſatis intelligitur propriè carnem ipſam, & ſanguinem Chriſti: non autem deitatem ipſius per Panem, & Vinum cœnæ ſpiritualiter noſtræ fidei offerri, repræſentari, exhiberi, ac per conſequens carnem illam, & ſanguinem propriè ἐνεργείᾳ, & χίσει peculiari nobis, non verò ſignis præſentem adeſſe. Sed quoniam illa caro, non quatenus ſimpliciter humana caro eſt, fit nobis viuifica: ſed quatenus eſt vnigeniti Filii Dei caro (quemadmodum vbique in Ioannem, & præclarè quidem Cyrillus, & poſt Cyrillum Ioan. Caluinus demonſtrant) idcircò non ſimpliciter carnem, & ſanguinem in ſacra cœna communicari, pręſentémque noſtræ

Glã. in cano. ſpecies in verbis quæ ante de conſec. diſtinc. 2.

A

Can. quid eſt. & Cano. hoc eſt de conſec. diſtinct. 2. ibid. Can. cum frangitur. Et Can. vbi pars eſt.

B

C

Cyrillus & Caluinus in ca. 6. Ioannis

A fidei adeſſe dicimus: ſed Carnem, & ſanguinem Chriſti, id eſt eius, qui verè ſimul & Deus eſt, & homo. Chriſtus igitur, quatenus eſt Deus, & in cœna adeſt, & vbique: ac quidem in cœna ſua etiam peculiari, & illuſtriori quodam modo: ſed Chriſtus quatenus eſt homo ille à deitate in perſonæ vnionem aſſumptus, propriè nobis in Cœna communicatur, ac ipſius Caro & ſanguis (vt etiam cum Luthero loquar) per ſigna, & ſacramenta cœnæ *ſignificantur*. Et hæc quidem ad quæſtionem, quid propriè nobis, non autem ſignis, vel cum ſignis: nec item præſentia corporali præſens adſit, à noſtris veriſsimè reſpondetur.

Luth. in Serm. de Sacram. & frat. anno Do. 1519.

Quòd autem ad deciſionem, ſectionem, vel diuiſionem carnis Chriſti in fruſta, & particulas (quæ eſt ſecunda quæſtio verè, & Selneccero, & ſociis negotium faceſſens) certè Andreas Muſculus ſedens Francoforti ad Oderam perſpicuè ſcribit errare eos, qui *negant quicquam ſubſtantiale ex corpore Chriſti decidi, quod nobis communicetur*. Ex quo apparet communicationẽ iſtam carnis Chriſti B fruſtulatoriam, & per particulas ſubſtantiæ ex ipſius corpore deciſas à Selneccero, & ſociis (quicquid Selneccerus verbo hîc neget) ſtatui ac probari. Nam ipſe Andreas Muſculus vnà cum Selneccero in corpore illo nouæ doctrinæ parturiendo (quam plerique viri pii ex effectu Pandoram vocant) inter principes extitit. Ergo ex iſta corporali eſſentialis ſanguinis, & carnis Chriſti In, Sub, & cum ſignis cœnæ, præſentia alterutrum ſequitur, quod rectè ipſi etiam ſcholaſtici animaduerterunt: ſed (quoniam erat inextricabile) fortiter præterierunt: nimirum vt vel ipſum eſſentiale corpus Chriſti ſit totum in ſingulis huius Panis particulis (& ita plura eſſentialia Chriſti corpora ſub eodem Pane deliteſcent:) vel vt totum Chriſti corpus in toto tantùm Pane inſit: adeò vt pars corporis Chriſti, parti & fruſto illius Panis reſpondeat, atque ita fracto, diſtributóque Pane in particulas frangatur quoque ipſum eſſentiale corpus Chriſti in particulas. Quæ duo abſurda in Cano. Cùm frangitur de conſecra. diſtinct. 2. anxiè diſputata C ſunt. Quid igitur ad has omnes obiectiones Selneccerus? Os nobis oblinere ſe poſſe veteri illo ſuo coccyſmo putat, *Simpliciter retinens inſtitutionem*: ſed quam inſtitutioni de corporali præſentia cum ſignis interpretationem affingis, Selneccere, ea teipſum iugulat, & docet id neceſſariò conſequi, quod nos obiicimus, quódque non refutas. Nam Andreas Muſculus fraterculus tuus hæc admittit, & te confodit, & fidem facit verè, non calumnioſè à nobis tantùm abſurdum ex veſtris ſententiis colligi. Itaque iterum ad iſta redi, atque diligenter animaduerte, neque nos, alióſque pios clauſis oculis, Antabatarum more, tua legere, aut tecum pugnare exiſtimes.

Andr. Muſculus in arti. de cœna Do. poſtre. ſectione. Act. 3.

Selneccerus pag. 36.

Eſt etiam ſanguis ibi, vbi eſt corpus, & à ſanguine corpus non dinellitur. Et tamen Chriſtus iuſsit primùm accipi corpus, & deinde ſanguinem: hîc ſiquis deciſionem corporis à ſanguine fieri exiſtimet, ſtolidum eum eſſe Chriſtiani pronuntiabunt.

Danæus.

Hoc eſt tertium ἄτοπον, & quidem grauiſsimũ, A quod ex ſua ſententia neceſſariò quoque, vt alia ſuperiora, ſequi præuidet quidem Selneccerus: ſed cui tamen non reſpondet. Quid enim ſubiicit? *In verbis inſtitutionis acquieſcendum eſt.* Hoc quidem verum, ſed ſi non ita explicatur, quemadmodum tu falſò iudicas, vt corporalis ipſius eſſentialis corporis Chriſti præſentia cum Pane, & vino Cœnæ ex illis verbis ſtatuatur. Nam ex hac corporali carnis præſentia ſequitur tum illa à Pontificiis rectè animaduerſa abſurditas, *quæ cõcomitantia*, appellatur quæque (quoniã neceſſariò ſequebatur) ab iis ipſis admiſſa eſt: tum hęc, vt qui cœnæ Panem duntaxat ſumpſerit) quoniam cum Pane etiam orali manducatione, iuxta Selneccerum, ipſummet & eſſentiale Chriſti corpus præſens ſumpſit) ſanguinem quoque ſimul ſumpſiſſe dicatur: propterea quòd ipſum eſſentiale Chriſti corpus præſens adeſſe ſine ſuo ſanguine nuſquam poteſt. Hæc neceſſariò ſeſe conſequũtur, ſiue Tranſſubſtãtiationẽ, B ſiue Conſubſtantiationem, ex illis inſtitutionis verbis ſtatuant homines. Quæ incommoda & labes cùm videat in ſua ſententia Selneccerus, ſed leui brachio detergat potius, quàm propellat, aut refutet, agnoſcunt pij omnes ipſius ſententiam falſam eſſe, & minimè (vt ait Irenæus) orthodoxam.

AD TERTIVM ARGVmentum Exegeſis.

Exegeſis pag. 19.

NVllis teſtimoniis diuinis hoc doceri poteſt (*nempe partem aliquam ſubſtantiæ ex corpore Chriſti deciſa nobis infundi.*) Nam inhabitatio nullam commixtionem ſubſtantialem ponit. Propoſitio cœnæ eſt locutio ſacramentalis, vt paulò pòſt docemus. Dicta etiam de manducatione carnis Chriſti ſunt intelligenda de interiori ſpirituali C renouatione, non de transfuſione reali carnis, ſicut eodem in loco dicitur, *Caro non prodeſt quicquam.* Et Paulus apertè ponit diſtinctionem, quũ inquit, *In Chriſto habitat diuinitas σωματικῶς*, id eſt, realiter: in aliis tantùm effectiuè. Hæc ab Exegeſi dicta ſunt aduerſus Sileſium, & Suenckfeldium, qui ſubſtantiarum, nempe carnis Chri, & noſtræ, confuſionem in cœna Dominica induxerunt. Sũt autem ſolida argumenta. Primùm quòd illa locutio, qua docemur in cœna Pane veſcentes ſumere corpus Chriſti, eſt ſacramentalis. Ergo non docet ſubſtantiam corporis Chriſti confundi cum noſtra ſubſtantia: ſed eam eſſe à noſtra diſiunctam. Secundùm quòd Chriſtus ipſe optimus ſuorum verborum interpres dixit agens de carnis ſuę manducatione, *Caro non prodeſt quicquam.* Ergo ipſa moles ſubſtantiæ carneæ Chriſti, non eſt ea, quæ nos viuificat. Tertio verò loco reſpondet Exegeſis ad obiectionẽ Sileſii, & Suenckfeldii, quæ fuit hæc, *In cœna, & per cœnæ communicationem Chriſtus in nobis habitat: ergo fit ſubſtantiæ Chriſti, & noſtra in nobis ipſis confuſio: vel ex corpore Chriſti aliqua particula deciſio fit, quæ in nos effunditur.*

Ioan 6.

Reſpondet Exegeſis: Iſta inhabitatio Chriſti in

A Coloſſ. 2. nobis nullam huiuſcemodi commixtionem ſubſtantialem ponit:hoc confirmat Exegeſis dicto Pauli diſcrimen ſtatuentis inter inhabitationem, qua λόγος in Chriſto inhabitat,& in nobis. Nam in Chriſto λόγος inhabitat σωματικῶς,& realiter, vnione nempe hypoſtatica efficiens vnam in eo perſonam: in nobis autem tantùm ἐνεργητικῶς, & effectiuè:quia non ſubſtantiam ipſe ſuam in nos trāſfundit cùm in nobis inhabitat:ſed ſalutaria,& immenſa dona(quæ ex viuifico carnis ipſius ſpiritu, ac virtute pendent) nobis infundit, & largitur. Hæc tantùm tria Exegeſeos argumenta hìc à ſe commemorata in ſe dici poſſe ſentit Selneccerus. Itaque ea tantùm refutare conatus eſt: & primùm ne intelligens quidem illorum ſcopum, ſic proponit,vt in eo ipſo bona fides à Selneccero deſideretur.

Ait enim Selneccerus. pag. 37.

Caro non prodeſt quicquam, Ergo inutilis eſt B *manducatio ſubſtantialis corporis Chriſti.*

Item,

Propoſitio Cœnæ eſt locutio Sacramentalis. Ergo corporalis præſentia,& manducatio non habet locum.

Item,

In Chriſto habitat diuinitas realiter:in aliis effectiuè: Ergo nulla eſt ſubſtantialis manducatio corporis Chriſti.

Danæus.

Vel non intelligit Selneccerus ſuperiora illa argumenta Exegeſis:vel præuaricatur. Quæ ſit autem eorum vis,ſuprà diximus : nunc breuiter cū ea,quam illis Selneccerus affingit,mente ſunt conferenda. Nam conqueritur ipſe,ſed perperam,hìc ab Exegeta multa miſceri : &,pro more ſuo, bonum,ſolidúmque argumentum excipiens *putidum* appellat. Sic igitur reſpondet primo huius loci argumento Selneccerus.

C Selneccerus pag. 38.

Quis enim Chriſtianorum æquis auribus feret dici de Chriſti corpore,& ſanguine, Caro non prodeſt quicquam. *Tantundem enim hoc eſt dicere,ac maniſeſtè ſi his verbis quis vteretur, caro Chriſti nihil prodeſt : corpus & ſanguis Chriſti nihil quicquam proſunt. hæc verò quis audiet benignè?* Et paulò pòſt (nam conuitia more ſuo interſerit)*caro enim Chriſti eſt viuifica,& ſanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato,& vulneribus Chriſti ſanati ſumus.*

Danæus.

Ioan. 6. Dixit Exegeſis,*Caro non prodeſt quicquam,* iuxta ſententiam Chriſti ſeipſum explicantis. Ergo verba Chriſti de manducatione carnis ipſius, non de reali,& carnali ſubſtantiarum confuſione:de interna, inquam, & ſpirituali animi renouatione ſunt intelligenda. Hæc Exegeſis: quibus quid veriùs eſſe poſſit,non video. Selneccerus autem hoc argumentum,& mentem Exegeſis inuertens, ſic recitat. Caro non prodeſt quicquam,ergo inutilis A eſt manducatio ſubſtantialis corporis Chriſti: Primùm præuaricatur. Nec enim de manducatione ſubſtantialis carnis Chriſti hìc agit Exegeſis : ſed diſputat contra ſubſtantiarum confuſionem propter κοινωνίαν corporis Chriſti à Sileſio & Suenkfeldio primùm fabrefactam. Deinde etiam cùm de manducatione carnis Chriſti agitur:nō ſic tamē ineptè,ex illo Chriſti dicto argumētatur Exegeſis,ſed lōgè ſolidiſſimè& veriſſimè: ſic nempe. Dicit Chriſtus ſuæ carnis manducationem explicans, *Verba quæ loquor vobis ſpiritus, & vita ſunt:caro non prodeſt quicquam.* Ergo nulla carnea moles carnis Chriſti cum ſignis præſens corporali præſētia adeſt: Nullus denique carnalis noſtræ cū Chriſti carne cōmunicationis & māducationis modus fingendus eſt:ſed ſpiritualis,& qui fide fiat. Quid hac collectione tum ſolidiùs, tum veriùs dici poteſt? Ergo non id dicimus, quod Selneccerus nobis ipſe ex ſuo affingit,nempe inutilem eſſe ſubſtantialis carnis Chriſti manducationem : imò verò vnà cum Chriſto dicimus,& B Ioann. 6. v. 53. profitemur, quod ex ipſo didicimus? *Niſi quis manducauerit meam carnem, & biberit meum ſanguinem,non habebit vitam in ſe.* Quæ verba de ipſa carne,& ipſo ſanguine Chriſti eſſe intelligenda planè defendimus. Ergo non tantùm vtilem, ſed omnino,id eſt,neceſſitate etiam(quam vocant) abſoluta neceſſariam eſſe veram veræ Chriſti carnis,& ſanguinis manducationem aſſerimus iis omnibus,qui in æternum ſalui fieri volunt:ſed ſpiritualem & per fidem. Quamobrem id eo calumniari iam deſinat Selneccerus. Propterea tamen admitti, & probari poſſe corporalem carnis, & ſanguinis Chriſti cum Pane,& Vino cœnæ præſentiam(propter quam vnam à ſe tantopere adamatam Helenam noſtrum hoc argumentum refutare conatus eſt Selneccerus)pernegamus. Cur verò? Quia vera veræ illius Chriſti carnis manducatio fide fit,& ſpiritu. Nam verba Chriſti ſpiritus ſunt:& ſigna ipſa Cœnæ idcirco tantùm inſtituta ſunt,ac ſumi præcepta,vt ſint illius ſpiritualis noſtræ mandationis ἄψευσαι σφραγῖδος, & non σημεῖα tantùm. Quid igitur? Quomodo ipſe ad hoc argumentum reſpondet? C

Selneccerus pag. 38.

Chriſtus quidem inquit, Ioan. 6. Caro non prodeſt quicquam,*eo ſenſu,quo Paulus,inquit,*Animalis homo non percipit ea,quæ ſunt ſpiritus : *atque adeò mox ſubiicit Chriſtus,* Nemo poteſt venire ad me,niſi datum ei fuerit à Patre meo.*Sed hæc omnia quid ad Cœnam,ſiue ad veram corporis Chriſti manducationē? de noſtra carne loquitur Chriſtus, nō de ſua.*

Danæus.

Si hæc Chriſti verba ad carnis ipſius Chriſti mānducationem non pertinent:cur ab iis igitur vrgeri ſe ſentit Selneccerus? Sed qua fronte, obſecro, potuit negare Selneccerus illa Chriſti verba ad verā corporis ipſius mānducationē pertinere? Cùm contrà Chriſtus de ſua ipſius carne diſertè concionetur eo loco. Nam veram veræ ſuæ carnis, & ſā-

A guinis manducationem potúmque illic exponens Chriſtus ipſe hæc verba addidit, *Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus ſunt, & vita.* Solem ipſum meridie lucere potuiſti negare, Selneccere, qui hoc ipſum negare auſus es tam apertum? Denique locus ipſe aſpiciatur, & ſtatim falſi arguetur Selneccerus. Sed quâ elaberetur, rimam certè quidem aliam non habuit. Verùm ad cœnam Dominicam, ait idem alibi, hæc verba nihil ſpectant, quia nondum Cœna inſtituta erat. Quaſi verò aut alia Chriſti caro, aut alio modo eadem ipſa ſubſtantialis Chriſti caro in cœna à piis edatur, quàm quomodo illic explicat Chriſtus, nempe fide: ſed in cœna ſigillum tantùm, confirmatióque viſibilis, nempe ſignum à Chriſto additum eſt, quo fieremus de illo tanto inuiſibili, incomprehenſibilíque nobis beneficio certiſsimi. Itaque ad eam carnis Chriſti manducationem, quæ etiam in cœna ipſa fit, explicandam illa Chriſti verba maximè pertinent. Sed B nec hoc ipſum diffiteri iã poteſt Selneccerus, qui duplicem, ad huius Exegeſis argumentum ſolutionem afferat. Primam: *Carnis* vocem pro animali homine illic ſumi, qui vt non poteſt arcana Dei ſine ſpiritu Dei noſſe: ſic neque ſubſtantialem Chriſti carnem edere poteſt abſque ſpiritu Dei, id eſt, non niſi id, agente ſpiritu in ipſo edente. Quorſum igitur tua illa corporalis carnis, & ſanguinis Chriſti cum Pane, & vino præſentia, quam nullo modo requirit Spiritus ſanctus vt veram carnem Chriſti nobis, animabúſque noſtris in cœna communicet? Secunda Selnecceri ſolutio hæc eſt: verba hæc Chriſti, *Caro non prodeſt quicquam*, non de ipſa Carne Chriſti, ſed de noſtra eſſe intelligenda, quæ non prodeſt quicquam ad illam carnis Chriſti manducationem. Cur igitur oralem manducationem tantopere vrges, & defendis, ad quam certè caro noſtra omnino neceſſaria eſt? Sed quis hoc concedet Selneccero, verba iſta *Caro*, &c. non de carne Chriſti, ſed de noſtra ſumi, & intelligi oportere? cùm & Chriſtus ipſe de ſe C illic loquatur, non de nobis: & ſtatim poſtea de aſcenſione iſtius carnis ſuæ, non noſtræ in cœlum agat, & ſuum illud dictum probet, *Caro non prodeſt quicquam.* Denique oportet iſtum hominem vel omnino eum Ioann. locum non inſpexiſſe: aut inſigniter impudentem eſſe: aut denique oſcitantem hîc, aliúdque agentem iſta ſcripſiſſe: qui ſic apertè, ex ipſis Chriſti verbis: narrationis ſerie: Ioannis recitatione: totius antiquitatis, quæ illa verba de carne Chriſti, non autem de noſtra ſemper intellexit, conſenſu refellatur. Ergo ad alia tranſeamus. Reſpondet autem Selneccerus ſecundo argumento, quod in eadem ſectione habet Exegeſis.

Ioan. 6. v. 53.

In lib. Cõfutat. Accuſatio.

Selneccerus pag. 38.

Quod ad ſecundum Enthymema attinet, concidit illud ſua ſponte, etiam non admota manu. Et paulò pòſt rationem addens, *Nos ſacramentalem locutionem, & ſacramentalem præſentiam, ſacramentalem etiam manducationem eſſe in cœna docemus, & non pugnamus de vocabulis: imò planè ſpiritualem, hoc eſt, inuiſibilem, & inuiſibilem præſentiam, & manducationem eſſe diceremus, niſi ſtatim pars altera hoc vocabulum* Spirituale, *accipiens de corpore abſente nouas nobis turbas daret.* A

Danæus.

Quomodo verò de vocabulis non pugnat Selneccerus, primùm qui τὸ ῥητὸν præciſè vrget, & totum ſuæ ſententiæ fundamentum in verbo illo vnico, *Eſt corpus*, collocat? Deinde, qui vocabulum hoc, *Spirituale*, admittere, & vſurpare non audet: qui denique ſacramentalem locutionem contendit nihil aliud ſignificare, quàm quod grammaticaliter ſonat? Iſta certè non religio eſt, ſed in verbis ſuperſtitio, vi certarum vocum corpus Chriſti de cœlo detrâhere, & corporaliter in his terris ſtatuere: ad ipſam autem Chriſti mentem, ad veram Sacramentorum definitionem, ad veterum Patrum orthodoxorum ſententiam non recurrere, aut aſpicere. Quanquam vtinam Selneccerus in ipſa ſacramentalium locutionum vi, & ſignificatione perpendenda diligentior fuiſſet, certè iſta noua monſtra nobis minimè peperiſſet. B Cęterùm & illud quoque quæro, quomodo ſacramentalem, & locutionem & præſentiam Selneccerus admittat, qui illius vim, propriámque notionem negat. Sacramentalis locutio, & præſentia oſtendit non tantùm ſignum, quod eſt terrenum quiddam, à re ſignata, quæ ſpiritualis eſt, eſſentia differre: ſed & loco, & ſitu, & interuallo diſtare: cùm ſignum in terris: res autem ſignata in cælis propriè nobis quærenda ſit. Nam idcirco ſignum, ſeu ſacrâmentum aliquod à Deo nobis datum eſt, vt eſſet rei ab his terris abſentis, ſolóque ſpirituali modo quærendæ, ac adipiſcendæ teſtimonium ac ſigillum. Ergo cùm ſacramentalem locutionem, & præſentiam admittit, & ſimul corporalẽ ipſius carnis Chriſti cum ſignis cœnæ præſentiam defendit Selneccerus, ſecũ ipſe manifeſtè pugnat, ſéque euertit. Denique quomodo, deinde quàm verè ſtatuit aliquam eſſe corporalem veri corporis Chriſti in his terris præſentiam, quæ tamen nobis præſentibus, & inuiſibilis, & inſenſibilis ſit? Aut enim phantaſma, & ſpectrum quoddam ſit corpus illud C Chriſti neceſſe eſt: aut leuiſsima quædam moles, qualis prima quædam à philoſophis fingitur Materia ſine colore, ſine quantitate, ſine qualitate: aut denique illud corpus eſſe ἄφαντον nobis dicat oportet, & quod oculi noſtri teneantur, ne illud Chriſti corpus etiam quum nobis præſens adeſt, cernere poſsint. Hæc tot incommoda ex ſua ſententia de inuiſibili & inſenſibili eſſentialis carnis & ſanguinis Chriſti præſentia, & corporali ſequũtur, quæ nec refutat, nec abſtergit Selneccerus: ita nimirum iam Lipſiæ ſecurus regnat. In quo certè minimè iam conſentit cum Luthero Selneccerus, quoniam ille verè & piè à Berengario in extorta illa palinodia dici putat, *Corpus ipſum Chriſti ab edente ſenſualiter, & dente ipſo atteri & frangi*: iſte verò hanc eandem manducationem inſenſibilem eſſe ſcribit. Concordet igitur, conſentiátque primùm cum præceptore ſuo diſcipulus, deinde nos oppugnet.

Luthe. in conf. magna de propoſ. dentica. Can. Ego Berenga. De conſecr. diſt. 2.

Selneccerus pag. 39.

De Sacramentis, & horum ſubſtantia, & vſu iudicandum eſt non ex generalibus regulis, aut ex theſi tantùm: ſed ex propria vniuſcuiuſque inſtitutione, & disertis Chriſti verbis.

Danæus.

A

Danæus.

Quum ſibi conſcius eſſet Selneccerus ſe dicis tantùm cauſa ſacramentalem locutionem & præſentiam & manducationem conceſsiſſe: ad hanc alteram ſuperioris argumenti ſolutionem trepidus confugit, *Non eſſe nimirum ex generalibus aliorum verorum Sacramentorum regulis de Cœna Domini iudicandum.* Quid igitur? Certè Cœna Domini per Selnecc. vel iam non eſt ſacramentum, vel non eſt huiuſmodi ſacramentum quod vera veri ſacramenti definitione comprehendatur. Quid audio Selneccere? Síccine quæ tribus antè lineis conceſsiſti, eſſe nempe in Cœna *Sacramentalem* locutionem, iam immemor illius tuę tam recẽtis orationis tam repentè negas, & ita dubius vacillas, vt quò te vertere poſsis neſcias, & quid ſit concedendum, quid negandum, non animaduertas? Vide quanta vis ſit B veritatis, quæ te per illa abſurda, quæ dicis, tanquã ſaluberrima flagella, ad ſe reuocat, niſi te Primatus in Germanicis eccleſiis obtinendi libido illa ambitioſa, & de eo ipſo acerrima iam tua cum Iacobo Andrea contentio ſuſcepta tranſuerſum ageret, cæcúmque efficeret: Sed audiam quid addas. *In Cœna*, ais, *ex diſertis Chriſti verbis eſt nobis iudicãdum.* Quis negat? Sed illa Chriſti verba ad communem ſacramentalium locutionum, & prædicationum regulam ſunt & mihi, & tibi exigenda, per quam res ſignata à ſignis corporali præſentia abeſſe intelligitur, & colligitur. Tu non putas. Nam ex Põtificiorũ deliriis (in quę planè tu tuíque recidiſtis) didiciſti in Cœna, ſeu Euchariſtia verba inſtitutionis ad ipſa elementa dirigi, in aliis ſacramentis non item. Itaque in Cœna rem ſignatam adeſſe corporali præſentia: in baptiſmo autem, vel veteris Teſtamenti Sacramẽtis non item. Hic eſt enim obſcuræ, & aſtutæ Selnecceri orationis planus, & perſpicuus ſenſus, vt iam ſatis appareat eum & in Pontificiorum ſententiã delabi, & referre ipſa verba Chriſti, (quicquid verbo vel hîc neget vel antea negarit) ad ipſa Cœnæ ſigna: nõ ad homines ipſos ex fide veſcentes. Denique quòd noui, & veteris C Teſtamenti ſacramenta putat Selneccerus differre *quoad ſubſtantiam*, & quòd item ait à Chriſto diſcrimen conſtitutum eſſe inter ſubſtantiam Baptiſmi, & Cœnæ Dominicæ, (etſi res eadem eſt vtriuſque Sacramenti, nempe Chriſtus) in eo certè quidem vel toto cœlo fallitur: vel impropriiſsimè loquitur. Voluit dicere, & fortaſſe ex Caluino meminerat, externa forma, ſignis, vel ritu differre iſta inter ſe: ſed non pugnat ſcilicet Selneccerus in re tanti momenti, & quæ errorem grauiſsimum parit, de vocabulis: *Subſtantia* vocabulũ illi ipſam qualitatẽ, & rem externam ſonat, & ſignificat contra Dialecticam Auguſtini, & Patrum omnium (qui ad hũc vſque diem de his rebus rectè, & orthodoxè locuti ſunt) perpetuum vſum. Nos tamen Selneccero ſuas peculiares inauditáſque phraſes concedentes cum erudita, & pia vetuſtate aliter, & propriè loquamur, vt Sacramenta Veteris & Noui teſtamenti quoad ſubſtantiam minimè inter ſe differre contendamus.

Selneccerus pag. 41.

Ad tertium Enthymema quod attinet nulla eſt cohærentia. Paulò pòſt, *Nec enim de diuinitatis inhabitatione in nobis, niſi quod ad fructum, & efficaciam ſalutarem attinet, nec de vnione hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum hoc loco loquimur: ſed de verbis inſtitutionis agimus,* hoc eſt corpus meum. A

Danæus.

Hinc apparet nunquam Selneccerum fuiſſe aſſecutum illud ipſum, quod tamen refellendum ſuſcepit. Exegeſis contra ſubſtantiarum confuſionem ex communicatione noſtra cum Carne Chriſti inductam, docet Chriſti inhabitationem, (quæ ex ea communicatione colligebatur à Sileſio) non eſſe rei, id eſt, ipſius ſubſtantiæ corporeæ, & carneæ Chriſti immixtionem, aut infuſionem in nos: Ergo neque illius ſubſtantiæ, & noſtrę confuſionem: ſed noſtri cum carne Chriſti ſpiritualem conſociationem & viuifici humanæ Chriſti naturæ ſpiritus velut ſucci participationem à nobis factam, B idcircóque eam eſſe ἐνεργητικὴν tantùm Chriſti in nobis ἐνοίκησιν: non autem ὑποστατικὴν σκήνωσιν, vt loquitur Ioannes qualis tamen in Ioann. 1. Chriſto facta eſt diuinæ, & humanæ ipſius naturæ coalitio. Hæc omnia aduerſum ſe dici putat Selneccerus, quoniam ex ſua ſententia idem mõſtrum naſci intelligebat, quod ex blaſphemo illo Suenkfeldii errore. Itaque huic argumento Exegeſeos reſpondere conatur, ſed fruſtra. Tandem enim ſic ipſe concludit, Pag. 41. *Quòd ſi quidam vrgent etiam de corpore Chriſti non poſſe aliter dici quàm quòd effectiuè in nobis habitet, & ſi admodum impropriè, & periculoſe quidam ita loquuntur, tamen etiam hoc concedimus ſuo modo.* Ex quo apparet eum & Exegeſi ſubſcribere: & Iacobi Andreæ ſententiam de effuſione gratiarum Deitatis Chriſti in ſanctos obſcurè conuellere, quoniam Selneccerus hîc concedit Deitatem in ſanctis habitare tãtûm ἐνεργητικῶς, quod nos quidem dicimus: Iacobus autem Andreas obſtinatè, & tamen falſò, negat: ſed quomodo in Chriſto inhabitat, ſic in ſanctis eſſe: præterquam quòd non omnes ſuas proprietates deitas in ſanctos effundit, quemadmodum omnes in Chriſti humanam naturam effudit. C

AD QVARTVM ARgumentum Exegeſis.

Selneccerus pag. 42.

Eodem modo Patriarchæ, & credentes in veteri Teſtamento ſaluati ſunt, quo nos ſaluamur.

Illi autem non habuerunt Cœnam, aut corporalem participationem corporis Chriſti, quia natura humana à Chriſto nondum erat aſſumpta.

Ergo corporalis vnio nulla eſt.

XB

Exegeſis pag. 19.

Ergo illa vera corporalis vnio, vel tranſfuſio nulla eſt.

A

Danæus.

Selneccerus in præmiſſis quidē (vt vocant) quanquam verba Exegeſis non habet, ſententiam tamen illius retinuit: in concluſione verò prorſus immutat, & paralogiſmum τῆς ἀμφιϐολίας (magnū in argumentando peccatum) committit. Nam in verbis iſtis *corporalem participationem*, *& corporalis vnio* (quæ ambigua eſſe hîc ipſe pagina 44. poſtea confitetur) pueriliter ludit, quarum mentem, qualis eſt in ipſa Exegeſi, vel non perſpicit, vel malignè diſſimulat. Itaque ea vocabula, quò omnis iſtius fraudis occaſio tolleretur, prudenter addita hac voce *Transfuſio*, in ipſa Exegeſi explicata ſunt, vt intelligeret pius lector pro transfuſione corporis Chriſti in nos hoc loco ſumi: ex qua naſcitur, fingíve poteſt aliqua ſubſtantiæ carnis Chriſti, & noſtræ inter ſe mixtio, confuſio, colligatio, conglutinatio, aut noſtra ἀποθέωσις, & deificatio, quos omnes errores in Cœna Domini Sileſius, ac Suenkfeldius, homines ſtolidiſſimi imaginati ſunt. B Prȩterea tamen minimè ab Exegeſi negatur fieri à nobis ſpiritualis & vera cum corpore, & ſanguine Chriſti communicatio: imò etiam conceditur fieri corporalem vnionem, ſi modò ad rem ipſam, quæ nobis credentibus in Cœna communicatur, vocem *Corporalis* referas. Sic enim diſertis verbis hoc ipſo loco (vnde iſta transſūpſit Selneccerus) habet ipſa Exegeſis, quȩ tamen magna præuaricatione diſſimulauit. Sunt igitur hæc ipſius Exegeſis verba pagina 19. *Interea tamen conſtanter retinemus propoſitiones antiquitatis, Cyrilli, & aliorum. Vnimur Chriſto non ſolùm vnione ſpirituali, ſed etiam corporali.* Item pag.30. *Ex his perſpicuum eſt, quomodo duplex nobis cum Chriſto ſit κοινωνία, id eſt, ſpiritualis, & corporalis.* Inſeri enim nos per fidem humanæ Chriſti naturæ, tanquam ſurculos trunco ex Irenæo fatetur Exegeſis, nimirum vt ex ipſo Chriſto qui mediator noſter eſt, id eſt, à Deo, & homine in nos lux diuina propagetur: & mentis, voluntatíſque noſtræ regeneratio donetur: licet quandiu hîc viuimus, vtraque ſit in C nobis imperfecta. Quamobrem quum Exegeſis neque neget noſtram cum ipſo corpore, & ſanguine Chriſti vnionem: ſed ipſius tantùm ſubſtantiæ carneæ in nos transfuſionem, ac confuſionem: neque veram & ſpiritualem ipſius eſſentialis carnis Chriſti participationem, ſed corporalem tantùm illius cum Pane & Vino in his terris præſentiam, & adiunctionem, ſeu cohærentiam: Selneccerum hoc loco vel calumniari, vel in Exegeſis mente recitanda præuaricari luce meridiana clarius eſt. Videamus tamen quid ad hoc argumentum reſpondeat.

Exegeſ. pag.19.

Exegeſ. pag.20.

Selneccerus pag.42.

Reſponſio. Concluſio ita fieri debebat: Ergo non eſt opus Cœna. Si enim Exegetes rectè procederet argumentando, neceſſe eſſet eum ſententiæ ſuæ concluſionem hoc modo, quo diximus, inferre.

Danæus.

Mirum eſt hominē iſtum, qui tantopere humanam philoſophiam, atque omne rectè cōpoſitæ mentis, ac rationis humanæ iudicium, & leges vbique deteſtetur, iam tamen tam pulchrè dialecticam (quæ eſt iſtius rationis humanæ & formandæ, & dirigendæ regula ab humana philoſophia conſtituta) didiciſſe, vt aliis normam argumentandi audeat præſcribere. Sed fallitur. Sic enim fuit colligendum, quemadmodum Exegeſis intulit. Neque de Cœna Domini tollenda, & abroganda: ſed de transfuſione ſubſtantiarum (quam iſte tacitè, & in ſinu fouet) confutanda agebatur. Quod ab Exegeſi doctiſſimè tandem, & veriſſimè effectum eſt. Sed iſte quid addit? A

Selneccerus pag. 43.

Reſponſum autem ſatis eſt ad hoc quoque argumentum, quod ille putat eſſe validiſſimum. Et paulò pòſt, *Nam de ſpirituali manducatione, qua credentes in Veteri, & in Nouo teſtamento conueniunt, hîc nulla eſt controuerſia. De verbis autem inſtitutionis, quæ facta eſt in Nouo teſtamento ab ipſo filio Dei, agimus.* B

Danæus.

Si tu nobis aſſentiris, noſtrámque ſententiam probas in ea manducatione, qua Patres ſub veteri Teſtamento, & ante humanam naturam à λόγῳ aſſumptam, carnem tamen Chriſti ederunt, ſanguinémque ipſius biberunt, certè iam, vel teipſo teſte, conſtat etiam quum illa Caro, & ſanguis Chriſti minimè adeſt corporali præſentia, participari tamen à nobis ex fide poſſe, quod confiteri piaculū tibi in tota hac diſputatione fuit. Patres enim illi præſentem corporali præſentia carnem Chriſti nequaquam tunc habere poterant, cui tamen, te aſſentiente, communicabant: ex quo falſam eſſe ſuperiorem tuam ſententiam perſpicuè iam intelligis. Quòd enim ad ſolitum tibi κρησφύγετον, & notas latebras confugis, dum nobis *inſtitutionis verba* obiicis, nihil te iuuat. Nam & petis principium, qui verba illa id ſignificare ſumis, quod magno animi errore finxiſti: & quorum alius, & quidem veriſſimus ſēſus tibi iam ſæpius à nobis declaratus eſt. Sed cùm nihil haberes, quod robuſtiſſimo illi argumento opponeres, fingis & huic iam à te ſatis reſponſum eſſe: & in eo tibi nobiſcum rectè conuenire. Quod falſum eſſe ſuperior tua diſputatio luculenter oſtendit. Nam quod nos dicimus eſſe falſum, tu verum eſſe contendis, in quo nulla eſſe poteſt noſtra conſenſio. Denique quòd tandē quaſi partâ de nobis victoria, & ſolus in arena relictus, iuueniliter exultas, addíſque hæc, velut ſummum triumphi tui ferculum, *Verba Chriſti, hoc eſt corpus meum, inuicta eſſe, & corpus, & ſanguinem Chriſti in Cœna exhiberi veſcentibus pane & vino, ideòque Panem à Paulo nominari κοινωνίαν corporis, & eum de omnibus, qui Pane, & vino vtuntur ſiue veſcuntur, dignis, & indignis loqui*, tibi ad ea reſpondemus, & laudes, quas tibi tribuis, detrahimus. Manere quidem inuicta, & in perpetuum inuicta manſura ipſius Chriſti verba, *hoc eſt corpus meum* concedimus: tuæ verò illorum verborum interpretationis monſtrum iacere, & verbo Dei, & ex perpetua ſacramentorum analogia, & ex Patrum orthodoxorum conſenſu, quȩ ſūt fortiſſimȩ machinȩ adhibitȩ, & à nobis victū

confoſſum,

A confoſſum, ſuperatum, & debellatum iam eſſe maniſeſtè cuiuis apparet. Quod ne tua obſtinatione reuiuiſcat, curandum tibi Selneccere, etiam atque etiam eſt. Paulum autem ipſum peſsimè corrumpis: dum ſcribis eum nominare panẽ κοινωνίαν corporis Chriſti: vinum κοινωνίαν ſanguinis, quoniam omnibus Pane iſto, & vino iſto vtentibus, ſiue dignis, ſiue indignis ipſum & eſſentiale corpus Chriſti detur (hic enim ambiguę, & timidę orationis tuæ planus eſt ſẽſus) atque communicetur. Exhibetur quidẽ, id eſt, offertur omnibus iis, qui iſtis ſignis in Cœna domini veſcuntur, ipſa de communicatione veri & eſſentialis corporis & ſanguinis Chriſti promiſſio: effectum verò eius, id eſt, ipſa realis communicatio cum vero illo & eſſentiali corpore Chriſti fit à ſolis dignis, idque fide, non orali manducatione. Indigni enim ſola ſigna ſumunt. i. Panem & Vinum Cœnæ, etſi ea quidem non vulgaria, ſed veri & eſſentialis corporis & ſan-B guinis Chriſti ſacramenta, promiſſionis, σύμβολα, propter quod corpus, & ſanguis Chriſti (etiam dũ indigni iis veſcuntur) appellẽtur, quemadmodum docet Auguſtinus. Ex quo fit, vt indignè illa ſigna ſumentes, iudicium ſibi manducent, & bibãt, non diſcernentes corpus & ſanguinem Domini.

Auguſt. in epiſt. ad Boniſac.
1. Cor. 11.

Selneccerus pag. 45.

Idem ſi nobiſcum Exegeſes diceret, iam eſſet compoſita omnis controuerſia. Nos dicimus Chriſti corpus adeſſe in Cœna præſens vt accipiatur & edatur. Ille verò cum ſuo manipulo inquit quidem corpus Chriſti eſſe præſens, non quoad ſubſtãtiam. In Cœna ergo ipſi ſignificat, non in Cœna: ſed in Cœlo materiali alicubi ſurſum in vbi incerto adeſſe corpus Chriſti.

Danæus.

C Certè ſi de Cœna Domini Selneccerus & ſocii ipſius nobiſcum ſentirẽt, & verè ſentirẽt, & omnis hæc tam luctuoſa, támque diuturna controuerſia iaceret ſepulta, atque pace Eccleſia Dei frueretur, quam iſti magno ſuo exitio interturbant. Cur inter nos autem non conueniat, hæc ratio eſt, quicquid hîc obſcurè, & timidè multa ex priore ſua ſententia diſſimulans, vel truncans dicat Selneccerus. Ille cum ſociis dicit Chriſti corpus adeſſe in Cœna cum ſignis ipſis corporali ipſius eſſentialis carnis Chriſti præſentiâ. Nos dicimus eam præſentiam, qua ipſum Chriſti corpus adeſſe ſignis ſtatuitur, eſſe σχετικὴν non corporalem. Ille dicit ipſum corpus viuicum Chriſti vno & eodem tempore & in terris, & in cœlis eſſe. Nos in Cœlo tantùm tanquam auguſtiſſimo domicilio nunc quidem iſtud habitare, & eſſe dicimus. Ille ait ipſum eſſentiale corpus Chriſti promiſcuè dari in Cœna dignis, & indignis. Nos autem ipſa illius corporis, & ſanguinis ſigna duntaxat indignis dari: ſed & ſigna, & corpus ipſum Chriſti dignis, diuerſo tamen vtraque modo, tradi. Signa quidem manu, & corporali præſentia: corpus autem ipſum Chriſti per promiſſionem Chriſti, & fide ſumi. Denique quòd inuidioſè ait nos negare Chriſti corpus præſens adeſſe in Cœna *quoad ſuam ipſius ſubſtantiã*, & antea copioſè refutauimus, & nunc quoque, (ne in eo errore perſeueret) ei reſpondemus, vt tandem mentem noſtram capiat, ſi poteſt. Nimirum nos concedere ipſam carnem Chriſti & A viuificum illius ſpiritum, & ſuccum re ipſa, dum ex fide ſignis veſcimur, nobis communicari: præſentiam tamen illius corporalem, vel extra ſigna, vt Pontificii faciunt: vel cùm ſignis, vt Selnecceriani, Iacobandreani, & Vbiquiſtæ defendunt, ſtatui vel poſſe, vel debere pernegamus. Intellextin' iam Selneccere, vt in poſterum de nobis noſtráque hac ſententia nihil detrahas, illíque nihil addas?

Selneccerus pag. 46.

Bella admodum, & pulchra Pandora eſt, quòd fingunt animas noſtras aſcendere ſuper cœlos cœlorum: atque ibi ſugere, & haurire vigorem, virtutem, efficaciam, & vitam, quæ deorſum ex corpore Chriſti, tanquam abſtractum aliquod à ſubſtantia, ad nos in terra deriuetur.

Danæus.

B Duo nobis hîc affingit, vel pro more ſuo, vel vt ſe in nobis calumniandis oblectet Selneccerus. Primùm velle nos, vt reipſa animæ noſtræ ad ſupremum cœlum aſcendant, vt illîc communicemus Chriſto. Sed & hic ipſe cõmunicationis modus, Selneccere, planè corporeus, Phyſicus, atque adeò craſſus, & terrenus eſt, per quem rei ipſius corporalis pręſentia neceſſariò requiri intelligitur. Qui modus perpetuò à nobis, vt tute ſcis, negatur. Præterea de ſpirituali noſtra cum Carne Chriſti communione talia quædam cogitare non eſt hominum Chriſtianorum, & qui ſuperna ſapiant: ſed qui terrena tantùm, ſaxeorum nempe & prorſus ψυχικῶν. Secundùm, fingit ille nos velle, vt aliquid à ſubſtãtia corporis Chriſti abſtractum ad nos illîc in cœlo conſtitutos per Cœnam deriuetur. Sed hoc ipſum quoque proximè & prolixè ipſa Exegeſis refutauit, quemadmodum vidimus: & illi refutationi nos lubentiſſimè ſubſcribimus: etſi nos veræ carni & ſanguini Chriſti id eſt σώματι nimirum ipſi Chriſti ſpirituali modo & per fidem C communicare dicimus. Itaque ab hoc vtroque errore tam longè abſumus, quàm ipſe Selneccerus à vera huius communicationis intelligentia. Ergo dicimus, & quidem vſitata toti ſacræ ſcripturæ phraſi, & figurata nos *fide euehi oportere in Cœlum, vbi* Chriſtus eſt *ſedens ad dextram Dei Patris*. Primùm vt omnem carnalib. cogitationib. ac imaginationibus in iſta ſpirituali communione, omnibúſque item diffidentiis noſtris anſam præcidamus. Deinde vt intelligamus, Chriſtum, qui tantum hoc beneficium nobis diſertè pollicitus eſt, eſſe & omnipotentem & benigniſsimum: omnipotentem, qui poſſit: benigniſſimum, qui velit cõmunicans illis ſpiritualiter ſuam carnem viuificare, ac conſeruare omnes eos, qui certa fide in ipſius promiſsis aquieſcunt. Quòd autem Selneccerus, Theologiæ profeſſor Electoralis, & quidem Lipſienſis, tam inſuetam putant hanc noſtrã figuratam rationem loquendi de vi & effectis fidei, vt eã *concinnam imaginationem* cõtumelioſè appellet, quæ tamen vt figura & tropo ornata eſt, ſic ex ipſa ſcriptura diſertè à nobis tranſcripta: ecce illi ſimiles ſcripturæ locos proferimus, vt deſinat mirari. In Epiſt. ad Hebr. cap. 4. v. 16. *Accedamus igitur cum*

Hebræ. 4. cap. 16.

A *ſiducia ad thronū gratiæ,vt conſequamur gratiā.*Phil.3. Philip.3. v.20. *Nos enim vt municipes cælorū nos gerimus,vnde etiam Seruatorē expectamus Dominū Ieſum Chriſtū.*Heb.6. Hebr.6. v.20. *Quam velut animæ anchorā habemus,* de fide loquēs, *tutam,ac firmā,& ingredientē vſque in ea quæ ſunt intra cœlum. Quò præcurſor pro nobis ingreſſus eſt Ieſus.* Coloſ.3. v.1. Col.3.*Itaque ſi reſurrexiſtis cū Chriſto ſuperna quærite,vbi Chriſtus eſt ad dexterā Dei ſedēs.*Denique eodem & illud Pſa.85.pertinet. Pſal.85. v.12. *Fides è terra germinabit.*Ex quibus facilè quiuis intelliget nos & piè, & orthodoxè loqui,cùm dicimus Chriſtianos etiam hîc viuentes,fide tamen in cœlum ſubuehi. Quod certè nō de reali migratione,aut ſitu corporis, aut animæ noſtræ emiſsione in cœlū : ſed de ἐνεργητικῇ, & peculiari noſtra cum Deo coniunctione accipi debet. Denique ne non ſatis conuitiorum in nos dixiſſet,tandem in calce operis huius varias quaſdam variorum opiniones recenſet, quas noſtrorū eſſe vult,& bonā cauſam noſtram omnibus modis apud ignaros prægrauat,tā eſt pacis amans, & diſputator ingenuus Selneccerus. Sed quid mirū eſt Selneccerum noſtris conuitiari, & leuitatis notam Pag.55. impingere, qui in vltima huius libri pag. eandem ſuo Luthero(quem tamen vnum cunctis mortalibus præfert) apertè inurit, B dum eum anno 26. 27. & 28. minimè eiuſdem fuiſſe ſententiæ ſcribit,cuius anno 19.20.& 21.fuerat: quòd his primis annis noſtram ſententiam probarit:illis autem annis ſequentibus(tanquam poſteriores Lutheri cogitationes,vt eſt in prouerbio,factæ eſſent ſapientiores) impugnarit. Quid quòd Deum ipſum Bezæ succēſurum eſſe cenſet Selneccerus,quoniam idolum illud Miſſalitum Papiſtarum,numē, & Deum furfuraceum,& Panaceum Beza nominauit? quod Selneccero adeò diſplicet,vt ne vocabula quidem hæc ipſa,ſcilicet modeſtus,vel timidus homo,poſſit,vt ipſe fatetur,*non horreſcens referre* : tam eſt nimirum Pontificiorum,& Ieſuitarum imprimis factus iam amicus,quibus tamen Chemnitius ipſius delitiæ, bellum ἄσπονδον indixit. Miræ certè iſtius hominis artes, qui modò Pontificiis fauet : modò in noſtra caſtra tranſire ſe ſimulat velle: modò Lutheri ſententiam probat:modò illius inconſtātiam in hoc argumento declarat.Denique,

C *Quo teneam vultus mutantem Prothea nodo?*

Sic eſt ποικίλου, id eſt, verſipellis,ambitioſi, primatúmque cōtra Iacobandreā in Germania venātis iſtius hominis ingenium. Et certè mirantur omnes,quod cùm ſuperiori anno 1578.(quo ipſo vnà cum Iacobo Andrea ad Nouæ doctrinæ corpus cōpingendum amicè coniurarat) hoc ſcriptū ediderit,atque hîc Lutheri,Brentii, Principis Georgii Anhaltini,Chemnitii,& ſimilium (id eſt, Cythræi,Andreæ Muſculi & Heshuſii) honorificam mentionem fecerit:ipſius tantùm ſuæ ſectæ coryphæi,nempe Iacobi Andreę doctoris tam opulenti,& Domini Stukardiæ Præpoſiti memoriā prorſus ſepultam eſſe voluerit. Sed hæ ſunt ſimultatis, aut inimicitiarum potiùs(quas grauiſſimas cum eo gerit)flammmulæ, quæ poſtea maiora, & luctuoſiora per totam Germaniam incendia excitabunt, quia ſibi Saxoni tantum primatus Saxonicarum Eccleſiarum bolum è faucibus ab iſto Sueuo & homine extraneo eſſe ereptū nō fert patienter D. Elector, Selneccerus. Ergo tanquam cum Bitho Bacchius, ſic par iſtud gladiatorum nimirum Selneccerus & Iacobus Andreas in hoc de gloria certamine iucundum Pontificiis ſpectaculum præbebunt. A Ne autem temerè de Selnec.petulantia conqueri cuipiam videremur, voluimus ipſius poſtrema penè in hoc libello verba ſubiicere, ex quibus intelligēt pii omnes,qui ſint iſtius hominis in nobis immeritò,& calumnioſè proſcindendis Theonini,& Lycambei flores.

Selneccerus pag.49

Nos verò,vt conatus inanes iſtos hominum veritatati reſiſtentium,quales iſti ſunt,quàm leues, inconſtantes, διγλωττοὶ, *ambigui,incerti,penduli, timore Dei, & pietate plerumque deſtituti,atque odio immani, inuidia, &* ἐπιχαιρεκακίᾳ,*tumidi,arrogantes,ſuperbi,magiſtratúſque contemptores,& deceptores, ad ſeditioſas machinationes prompti,atque procliues, & cruentis conſiliis turgidi,& parum idonei ad ea,quæ S.ſanctus ſunt opera,& effecta,&c.*

Danæus.

Hæc ſunt paucis quidem verbis:ſed tamen multa in nos conuitia, magna animi petulantia & in- B temperie vibrata,quæ Dominus illi condonet.Ab his enim nos non tantùm noſtra coràm Deo conſcientia,ſed ipſa vitæ noſtrę ratio ſatis apud omnes mortales nota purgat. Quales autem ipſi ſint,ex operibus eorum cognoſcent fideles : quemadmodum nobis hanc optimam de hominibus iudicandi rationem præſcripſit ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Vnum hoc dicam,niſi iam nimiis opibus,nimióque otio & luxu feriaretur, ac laſciuiret Selneccerus, atque aliquot pauci ipſius ſocii, futuram iampridem fuiſſe trāquillam totam Germaniam.Hāc igitur vnam videri optimis quibuſque viris iſtorum coercendorum rationem,ſi præter victum,& veſtitum,eúmque moderatum,(qualem Paſtores,& doctores verè Chriſtianos, vt ait Paulus,decet)nihil iſtis ad tantam laſciuiam, faſtum,& Prępoſituras ſuppeteret.Vt autem omnes intelligant,quę opinionum monſtra foueat in ſinu Selneccerus, operæpretium facturum me exiſtimaui, ſi ipſiſſima illius verba ex libro *Confutatio Accuſationum* in Reſponſione ad Accuſat. XXV. pag.327.tranſcriberē,& hîc pro colophone adderē. *Chriſtus*, ait, *viſibiliter ad menſam ſuo corpore aſſidet certo loco,& nihilominus diſcipulis dat idē corpus inuiſibile,& impalpabile,non habens viſibilem figuram, id eſt,viſibiliter,non longum, non latum, non ſublime, non profundum,non molle, non durum,non album,non rubiculum,& tamen Apoſtolis datum. Quod etiam vt illi accipere poſſent, & accipere ſe ſcirent, Dominus adiecit corporis figuram, nempe Panem,vt magnitudo Panis, mollities,durities,& color eſſent iā figura corporis Chriſti, quòd illam viſibilem, & ſenſibilem figuram humanam,quā in aliis hominib.conſpicimus,& accidentia,viſibilia,& externa exuerat,quam ob cauſam Tertullianus nominauit Panem figuram corporis.* Quid deteriùs vllus Ieſuita ſcriberet? Dominus Deus & huic, & aliis ſanam mentem,melioréſque cogitationes ad laudem ſui nominis,& Eccleſiæ ſuæ pacem magna ſua per Chriſtum miſericordia largiri dignetur. Vale, Selneccere:& me Chriſtiano animo,quemadmodum equidem te diligo,complectere. Anno Do.1579.die XVII.Iunii.Geneuæ.

AD

AD NICOLAVM SELNECCERVM DE EXEGESI SAXONICA BREVIS EPISTOLA.

LAMBERTVS DANAEVS NICOLAO SELNECCERO

Miſericordiam,pacem, conuerſionem ad veram de S.Domini Cœna doctrinam, & gratiam,à Deo Patre,& Domino noſtro Ieſu Chriſto.

ACCEPI epiſtolã tuam,chariſſime Selneccere,in qua reſpondes meæ defenſioni ad tuam in Exegeſin(quam Saxonicam appellaui) repetitionem. Quoniam vero in hoc quoque ſcripto,quemadmodum in ſuperiore à me propterea iuſtè reprehẽſo,ὑστερον πρότερον (vt ipſe animaduertiſti)facis, non quidem B Rhetorum præceptis,ſed animi tui ſplendidæ bili obſecutus:in hac mea reſponſione ſequar eum ordinem , quem ipſe tibi in ſcribendo delegiſti. De re quidem ipſa, quanquam omnium maxima, & præcipuo fidei noſtrę fundamento nihil agis,quẽadmodum ingenuè fateris ipſe, id eſt , de Chriſti gloria,& ipſius doctrinæ, quam profiteris,veritate, nulla tibi cura eſt : de te autem, & tui nominis exiſtimatione ſolicitudo multa , ne nouæ illi Domini Superintendentis dignitati, (quam te recèns conſecutum Lipſiæ ſcribis)minùs ſuus honos ſuáque dignitas fortaſſe conſtaret. Ioan.1. Verùm Iohannis Baptiſtæ exemplum potiùs veris Eccleſiæ paſtoribus id ſequendum docet,vt ipſi minuantur,creſcat autem vnus Chriſtus. Paulus ſelectum illud Dei organon,ac verum nobis propagãdæ Chriſti gloriæ exemplar,pro minimo habet, ſi ab hominibus 1.Cor.4. iudicetur,modò ſalua Deo ſua gloria,& ipſius cæleſtis doctrinę,quam annuntiabat,veritas maneat. Verùm tu de tam bonorum & fidelium Paſtorum numero nequaquam es,neque prę Chriſto reliqua pro ſtercoribus ducis,quemadmodum idem Pau-
C lus fecit, Philip.3.v.8.Equidem magnum à te meæ huius admonitionis Chriſtianæ fructum non expecto,(quis enim , vt inquit Ieremias,Æthiopem dealbare ſe poſſe ſperet) ſed vt videant pii , quàm in mea illa ad ſcriptum tuum reſpõſione,ab omni tum mentiendi, tum calumniandi animo (quem mihi Selneccere , toties , quaſi nihil aliud habeas, quod reſpondeas,in recenti hac epiſtola tua, & tamen falſò,& ipſe mentiens obiicis)fuerim alienus, & ne propter ſparſa illa tua in me conuitia , quicquam detrimenti veritas Dei,& doctrina de Sacra Domini Cœna(quam aſſerui)patiatur,en tibi breue ad omnia mihi obiecta crimina reſponſum.Scio enim, vt ait ille, grauem eſſe iniuriam ſacra præſertim tractanti,ſi veritati ſeruiens,fallax credatur. Præterea tu me ad ſcribendum prouocas , qui tamen non terres eloquentia.Flocci enim pendo titulos tuos, vmbráſque laruarum, quarum hæc eſt, (vt ait Hieronymus)natura, vt paruulos terreant, & in tenebroſis angulis gariant.

Pag.1. Mones autem me primùm,*vt,ſi deinceps reſpondere voluerim , vera dicam.* Habeo gratias , Selneccere, tam boni & ſalutaris conſilij nomine:ſed tamen & id feceram abs te nõ monitus, nec erat neceſſe vt per totum annum hoc in me ſcomma meditareris. Ergo audi quàm omnia verè(etiam te ipſo teſte)antea ſcripſerim,& vt de via in ſemitam me fruſtra hac tua admonitione reuocaueris.

Poſtea verò meum ſcriptum pro Exegeſi Saxo- Pag. 3. B
nica examinans reprehendis , quòd *Exegeſin illam appellaui Saxonicam.* Certè Saxonicam dici poſſe exiſtimaui,& quidem rectè,quæ in Saxonia edita, & inde ad nos perlata , & à bonis viris omnibus (qui in Saxonia rectè de Sacra Domini Cœna ſentiebant)fuerat mirum in modũ probata: niſi fortè & ipſius Martini Lutheri prima ſcripta aduerſus Antichriſtum Romanũ Germanica dici non poſſe exiſtimes, quoniam refragante ſummo Germanię magiſtratu,nimirum Imperatore Carolo Quinto, fuerunt ab illo edita ac promulgata.

Dicis *te nolle confutare nanias,vel muſcas meas abigere.* Itáne verò,Selneccere,ſacroſancta illa de Cœna Domini veritas *Muſca* tibi , & res nihili videtur? Certè ita te muſcæ illæ meæ pupugerunt , vt quanuis à te contemni dicantur,earum tamẽ puncturam in ὑστέρῳ προτέρῳ tuo diſſimulare non potueris.Et certè ſic te ipſe geſſiſti, vt omnes bonos abs te tam procul propter ambitionem tuam abegeris,vt ne muſca quidem bona iam ſit tecum.

Scribis *Philippum Melanchthonem nec æquum,* Pag.4. C
nec amicum vnquam fuiſſe Iohanni Caluino, nec ipſius doctrinam probaſſe. Quis verò tibi homini inconſtanti potiùs,quàm ipſi illi Philippo,viro(omniũ bonorum iudicio)optimo , & veriſsimo , habebit fidem? cuius ſcripta & priuata & publica tuam illam calumniam refellunt:quum in ipſo ſinu Ioannis Caluini,tanquam viri ſibi amiciſsimi deponere etiam animam ipſam exoptarit? In Caluini epiſt. extat illa Melãcht. Epiſtola. At tu quædam priuata,ſi Deo placet,teſtimonia pro te affers.Nẽpe impudenter nugas dicis. Sed eſt hæc nimirum tua *canina*, vt cum Hieronymo loquar , facundia, quæ,vt optimum quemque arrodat, ſtrenuè mentiri didicit. Nam quę citas , vbínam , quæſo , locorum extant ? & ea ipſa , quæ collegiſti) potiùs te compotationum tuarum veterum,quàm ſcriptorum tuorum recentium memorem oſtẽdunt, quæ contra tuam Vbiquitatem , pro nobis aliquando edidiſti. Denique nihil in his ipſis præter rumuſculum tenuem, & incertum, nil præter auditum habes. Quod enim ſcribis Philippum anno domini 1550. in promotione Schurſtabii dixiſſe, hîc te tam veracem eſſe prodis,atque poſtea p.9. & 11. & 13.fuiſti,vbi quid pro nobis ſcripſeris,& de ipſo il-

A lo Philippo,eiúſque ſcriptis damnandis, ipſe cum cæteris Bergæ conſtitueris, prorſus non meminiſti. Ad illa verò tua,quibus ſcribis,te *optare vt Philippus forti animo ſuam conſtantiam expreſſiſſet, & ne* Pag.6. *quid humani paſſus eſſet*, non modò riſi ipſe(quemadmodum & tu ad illa mea, quæ tamen ex ipſo Philippo,præceptore tuo, didiceram, *à verbis ad verbera riſum non cōtinuiſſe ſcribis*)ſed etiam mecum Pag.20. ridebunt,& te irridebunt omnes,qui illa legent,ſi qui fortè legent.Num verò tu,tuíque ſimiles, Dii & ἀναμάρτητοι ſitis,qui virtutum veſtrarum ſplēdore mundo pręluceatis?Philippus autem,præceptor veſter,& homo neſcio quis, & inconſtans fuerit. An non potius fuit Philippus ſui ipſius ſeculi lumen:vos autem huius ætatis,veſtrarúmque ciuitatum ac Eccleſiarum Germanicarum carcinomata eſtis?Quamobrem teipſum poſtea refutas, & animi tui hypocriſin oſtendis. Nam ſcribis & te, & Oſiandrum,& alios tuos maximè cupere, vt Philippi præceptoris veſtri authoritas ſalua, ſarta, tectáque maneat. B Quomodo enim vt Philippi (hominis,vt dicitis,in fide fluctuantis & incerti) ſententia valeat tantopere deſideratis,cùm fides noſtra certiſſima & conſtantiſſima doctrina eſſe debeat.Itaque te quoque Selneccere,apertè confutat impurus ille impuri patris filius, Oſiander, ingratus diſcipulus,qui Philippum & Bucerum,lumina Germaniæ,hæreſeos apertè in Antiſturmio damnauit:& tu ipſe,& Ienenſes Theologi Torgenſem Synodum alioqui probantes, de hoc vno tamen eſtis aduerſus eam grauiter conqueſti, quòd Philippum,& illius ſcripta non reieciſſet.Cætera,quę Pag.7. pagina ſeptima ſcribis,cùm nihil itidem,niſi auditas à te fabulas,contineant, iudicaui prætermittēda.Nam te primatum in Eccleſiis Germanicis expetere, vt Diotrephes ille à Iohanne propterea damnatus in Eccleſiis Aſiaticis ambiebat,res ipſa manifeſtè loquitur, & tuus omnis conatus oſtendit,qui infeſtiſſimè à tuo illo fraterculo Iacobo Andrea,antea tibi chariſſimo,iā propterea diſſentias, C quem nuſquam amplius in tuis ſcriptis appel- Pag.8. lare ſoles. Feſtiua verò eſt illa tua ex idololatrico cultu Franciſci Franciſcanorum Monachorū idoli tranſcripta,& ſcurriliter in me vibrata oratio, *An verum loquaris,quis dubitat,niſi totus mundus*.Fortaſſe tu puer à Monachis literas iſtas didiciſti, quas tu iam vetulus & grandæuus Theologus obliuiſci non potuiſti: in quo tibi parùm cum Kemnitio (quem vnum in deliciis habes)cōueniet.Ille enim, & meritò quidem, Ieſuitas & cæteros monachos odio plus quàm vatiniano proſequitur: tu verò φιλομώναχος ineptiſſima eorum verba,etiam de ipſamet fœdiſſima Miſſa repetita,pro floribus orationis tuæ ineptè nobis euomis,& regeris.Quæ quòd ſpurca ſint,omitto. Venio igitur ad Camerarium, virum illum optimum,qui veſtras inſanias ſua authoritate,frendentibus etiam vobis, tamen coercuit. Nam vt Camerarius (quâ fuit animi modeſtiâ)intra ſuæ vocationis & artis fines ſe continuerit, propterea tamen non mentior, dum affirmo ab illo,quandiu vixit,veſtros furores fuiſſe ſua grauitate,tanquam fræno validiſſimo,ad tempus cohibitos.Cur tu igitur id negas Selneccere, niſi vt nullam vnquam reuerentiam & honorem vlli hominum mortalium, vel præceptori,vel ſeni(quod tamen fieri iubet diſertè Lex Dei) abs te fuiſſe exhibitum demonſtres? A Cæterùm quòd fidem & doctrinam Pag.9. (quam de S. Domini Cœna profiteor, quámque non ex ψιλοῦ hominis Lutheri ſcriptis,ſed ex ipſo Dei verbo veriſſimè didici)appellas *Phanaticas*, alibi *diabolicas opiniones*, certe tuum illud conuitium non in me, Selneccere, ſed in ipſum Deum, cuius veritatem ſequor,& cœlum torquetur. Deum enim huius meæ doctrinæ authorem habeo. Sed præterea totam piam, atque orthodoxam vetuſtatem, quæ proculdubio mecum facit, feris,& flagellas, eámque Phanaticæ opinionis,id eſt hęreſeos hoc loco damnes neceſſe eſt.Sed pręterquàm quòd inſignis conuitiator es, etiam impudens deprehenderis, qui pag. 9. apertè neges, Vvitenbergenſem Catecheſin publico Lipſienſis & Vvittebergenſis Academiæ,ac trium etiam cōſiſtoriorum,atque adeò omnium Superintendentium Eccleſiarum Saxonicarum conſenſu conſcriptam, ac in lucem æditam fuiſſe, anno Domini videlicet 1571. De quo quoniam nuper Aſpaſtes amicus meus in doctiſſima illa ſua ad Pochemium Lubecenſem Superintendentem reſponſione copioſè ſcripſit, ad eam te, breuitatis cauſâ, remit- B to. Spero enim eam tibi, & tuis(vt pote quæ veſtræ & in Philippum pręceptorem veſtrum ingratitudinis, & apertæ in Eccleſias Germanicas tyrannidis fidem facit) fore iucundiſſimam. Quod etiam addis eâdem pagina, *me plura, quæ vera non ſunt, dicere*, certè illa refutare debebas, quod tamen non feciſti: ſed facile eſt cuiuis alium ex ſuo ingenio metiri,quemadmodum me ex tuo mēdacem iudicas.

Imprimis autem tu ipſe iam manifeſtè menti- Pag.10. tus argueris, quum Typographum (qui Exegeſin Saxanicam edidit) ſcribis fugâ ſibi à vobis veſtríſque conſiliis cōſuluiſſe, *quum tamen nullum eſſet periculum.* Quid,tu,Selneccere, putáſne nos eſſe tam obliuioſos,quàm tu es,vt quæ proximis hiſce annis geſta ſunt,iam non meminerimus?Falleris.veſtra hæc hiſtoria eſt recens & animis hominum inhęret,nec tam eſt vetus,quàm Cataclyſmus ille Deucalionis,de quo tamen adhuc certa narrātur. Quis enim neſcit eum miſerum Typographum tuis, tuorúmque crudelibus conſiliis fuiſſe C omnibus ſuis bonis ſpoliatum, & ea pecuniæ ſumma mulctatum & emunctum, vt vix ipſam ſuam vitam ac pellem etiam fugiens à vobis pro ſpolio abſtulerit? In quo, cùm tot modis ille à vobis vexatus ad veſtros tamen errores non deſcenderit amplectendos, inſignem & conſtantem fidei ſuæ confeſſionem eum retinuiſſe, & illius rationem apertè,non clàm(vt tu accuſas)reddidiſſe vides.Saltem eum teipſo fortiorem fuiſſe, fatearis neceſſe eſt, cùm mihi narres te propter alapam duntaxat Pag.13. & Grammaticam criminationem (quam propter ſtudium concordiæ cum nobis ineundæ ſcilicet ab illo Sextumuiro, & collega tuo inhumaniſſimo, Iacobo Andrea,accepiſti) quum mihi narres (inquam)te propter tam leuia incommoda mutum ita iam euaſiſſe,vt de concordia ne hiſcere quidē nunc audeas inter tuos.

Porrò quòd *me dicis nomen viri boni mentien-* Pag.11. *do amittere,dum affirmo te nobis noſtræque doctrinæ etiam apertè,antea fauiſſe*, ipſe illud,quod in me criminaris,præſtas. Túne enim,Selneccere, id verum eſſe negare audeas,cùm aduerſum te tot teſtes poſ-

ſim

A ſim producere, ſi fuerit neceſſe? Ecce igitur quàm tui ſis memor, & eorum, quæ paucis antè annis feceris. Imò inde apparet, quàm magnus etiam hypocrita, & noſtrorum illo tempore fueris aſſentator. Quemadmodum neque in eo ipſo ſatis tibi, tuorúmque collegarum exiſtimationi caues, dum ais, *Exegeſin Saxonicam priùs extraneis principibus, quàm vobis Saxonicarum Eccleſiarum paſtoribus innotuiſſe*, & per exteros illos commonefactum de ea fuiſſe Inclytum Dominum Electorem Saxoniæ. Næ tu mihi teipſum Doctorem Ienenſem, inſpectorem Brunſuicenſem, & aulicum concionatorem, nimiùm ſtertẽtem & negligentem hîc deſcribis, cuius fuerit tam ſupina & væcors in iis rebus, & libris (qui ad doctrinam pertinent) inueſtigandis negligentia, vt extranei priùs, quàm tu, tuique Superintendentes, qui in Saxonia, tibíque vicina ciuitate de Religione Chriſtiana ederetur, & doceretur, cognouerint: & de eo ipſo priùs illuſtriſſimum Electorem tuum admonuerint Certè venit hîc mihi in mentem vera illa comici ſententia, Qui alienum agrum arat, familiarem deſerit. Nam B tu dum aulica & βιωτικὰ curas, munus tuum ſtrenuè neglexiſti. Quamobrem te amicè moneo, Selneccere, vt in poſterum diligentior ac vigilantior ſis, & illud ad te pertinere exiſtimes, etiamſi es dominus Eccleſiarum Lipſicarum Superintendens, quod eſt ab Homero ſapienter dictum, vt videas nimirum,

Ædibus in propriis quæ praua, & recta gerantur,

ne ſi ἀλλοτριεπίσκοπος, & ea, quæ nihil ad te pertinent, tam ſolicitè cures. Nam dum ſic aliis animum intendis, parùm ipſe tibi attendis. Cæterùm pro ſcommate interpretaris, quòd libri tui, ad quem reſpondebam, inſcriptionem ſecutus, te *Doctorem Electoralem* vocaui. Illo ergo ſcommate te tuus ille M. Hermãnus Roſtochiẽſis, tanquam ſale Baltico, primus aſperſit, qui hunc immerito tibi titulum voluit adſcribere. Neque verò illud (tam es ambitioſus) etiam recuſabas, vt quamcumque vitæ tuæ nobis prædicandæ occaſionem arriperes, & laborum, id eſt, diſcurſitationum tuarum C lepidam illam hiſtoriam nobis narrares. Ex qua apparet quàm ſis μεγαλόψυχος, & vir animi elati, qui Imperatores ſummos, nempe L. Syllam, & Auguſtum Cæſarem, vtrunque hominem & profanum & ambitioſiſſimum imitaris, dum, quemadmodum illi ſic tu de vita tua breues commentarios conſcribis. Verum Selnecere, hæc tua te hiſtoria parùm commendat, cùm ex ea cernamus, te nullibi ſtabile (quemadmodum inquit ille) ſtabulum habuiſſe. Primùm igitur prædicas te *Aulicum concionatorem fuiſſe*. Pag. 12. Quis hoc de te facilè non credat quamuis non dixeris, cùm ne nunc quidem, dum ab aula abes, mores illos aulicos exuere & dediſcere potueris? Et certè pulcher ille tuus libellus prorſus aulicus, quem Germanicè contra Theodorum Bezam ſcriptum Damiſellis Illuſtriſſimæ Electricis Saxoniæ dedicaſti, te verè ſuauiſſimum aulicum hominem eſſe arguit & te aulicam, vt vocant religionem ſequi: ſed vide, mi Selneccere, ne quia per octennium illud (quod commemoras) in Aula verſatus es illud verum eſſe iam oſtendas, quod de Principum ſuæ ætatis aulis ſcripſit Lucanus.

--Exeat aula,

Qui volet eſſe pius. Sed amplificas ipſe laudes A tuas, & qua ſumma potes eloquentia, diligenter narras, *te vltra ducentos diſcipulos priuatos habuiſſe.* Expectabam vt decies aut tricecies mille auditores diceres: quem fuiſſe ordinarium aurei illius Conſtantinopoleos Epiſcopi, Ioannis Chryſoſtomi, dum in aula Arcadij concionaretur, auditorum numerum, ipſius hiſtoria teſtatur: ſed, quemadmodum video, longè adhuc ab eo numero abes. Quorſum verò iſta tua de ducentis auditoribus tuis tam ambitioſa iactantia, niſi vt raritatem & infrequentiam auditorij tuis collegis Saxonicis exprobres: vel ambitioſè te magnum quendam & doctum Alanum fuiſſe (de quo vulgò iactatum eſt, *ſufficiat vobis vidiſſe Alanum*) vobis ipſe de te prædices? Atqui vel puer illud didiciſſe debueras, Non te laudet os tuum, Prouerb. 27. Item Illud Catonis, *Nec te collaudes, nec te culpaueris ipſe*: vel grandior iſtud Ciceronis, *Laus in ore proprio ſordeſcit.* Sed iſta non meminiſti, vt tete nobis oſtentes. Nam in tota hac narratione tua quid aliud deſcribis, ineptiſsime B Suffene, quàm dignitates tuas & Doctoratus, Ienenſem videlicet, Lipſienſem, ac Electoralem, & Præpoſituram Brunſuicenſem, poſtea etiam Superintendentiam iterum Lipſienſem, vt tanquam Atlas totius Mundi, ſic tu totius Germaniæ onus, & tamen homuncio, & tam paruus ſuſtinere videaris. Itaque nec ipſe tu ambitioſum illum tuũ animum iam celare potes, imò etiam poſtremam hanc tuam Præpoſituram & Archiepiſcopatum Lipſienſem ad te per mortem alterius, aut alio quocunque modo deuolutum κομψῶς nobis commemoras & deſcribis, *quem mirifico Dei ductu tibi oblatum eſſe* ais. Reſtabat vt manifeſto etiam Dei miraculo tibi, velut Ambroſio, delatum diceres. Verùm ſi dixiſſes, blaſphemum & mendacem eſſe te omnes ſtatim percepiſſent: ſed tamẽ etiam percipiunt, quum id *Dei ductu* factum eſſe ſcribis, Pag. 12. quandoquidem apertiſsima coniuratione cum Iacobo Andrea tuo, & Monopolio illo veſtro Bergenſi (vt omnes rectè de Cœna Domini ſentientes, toto Lipſienſi agro tandem exturbaretis) C à vobis aſtutè & fraudulenter id geſtum eſſe negare non potes vel audes. Iámne intelligis, Selneccere, quænam ſit illa tua ad hanc Superintendentiam Lipſienſem vocatio? Nec hoc ipſum negare potuiſti. Nam *te inuitis obtruſum eſſe* non diſsimulas: ſed addis *te in ipſo feruore Sacramentariæ luis vocatum*. Sacramentariæ lucis dicere voluiſti. Ergo fateris te à Papa Vbiquitariorum Iacobo Andrea, & à cæteris factionis tuæ hominibus in eum locum ex minoribus ordinibus ordinatum & promotum fuiſſe, quum lux cæleſtis, & vera de Sacramentis doctrina excitari Lipſiæ cœpiſſet, vt eam nimirum tu (tanquam obſcura quædam terræ vmbra) obſcurares, vel prorſus, ſi poſſes, extingueres. Hic igitur fuit illius tuæ ad Superintendentiam, ſeu Archiepiſcopatum Lipſienſem vocationis, vt omnes intelligant, finis. Quod autem *toties me mendacem, me in mendacijs* (quoniam alio modo, quàm conuitio, te tueri non potes) *cumulandis perſeuerare, mandacijs rumpi, & cætera huiuſcemodi* inculcas, ea certè quidẽ eſt mera & perpetua tua in me calumnia, etiam teipſo teſte. Nam ea ipſa, quæ dico, vera eſſe fateris, & nihil habes

A quod contra afferas. Dixi te noſtræ doctrinæ, id eſt, veræ, quam hodie inconſtantiſſimè deſeruiſti, antea fauiſſe: Dixi, te ingratiſſimum diſcipulum ſcripta Philppi Melanchthonis præceptoris tui & damnare, & damnaſſe: Dixi te anno 1574. Reſpõſionem ad Exegeſin ſcripſiſſe, quam quadriennium poſtea, id eſt, 1578. edideris, quid in his omnibus, Selneccere, ſum mentitus? Nam ex his tribus, quæ dixi, poſtremum omnino verum eſſe ipſe concedis. Pag. 13. Vide igitur quàm falſò me Sycophantam voces? Quod autem de Philippo ſcripſi, eum à vobis hæreſeos damnari, non negas tu quidem, ſed tantùm σοφῷ φαρμάκῳ eludis. Ais enim veſtros monere tantùm lectores de erroribus Philippi cauendis. Næ tu mirus artifex, & ſubtilis videris, eíque ſimilis, qui, quum equum furatus eſſet, eúmque domum abduceret, & in ipſo furto deprehenſus ad iudicem deduceretur puniendus, aſtuto cauillo & feſtiuo diluit totam accuſationem. Dixit enim ſe non vt ad ſe à domino abduceret, ſed vt aquatum tantùm deduceret, equum iſtum accepiſſe. Sic tu B non vt damnes, ais, ſed vt ſerues Philippi ſcripta, illa inconſtantiæ & hęreſeos publicè notas, & proſcribis. Sed tu quoque es mirè ſapiens diſcipulus Selneccere, quem non pudet, etiam contra Chriſti verba, iactare, eſſe te ſcilicet ſupra magiſtrum tuũ. Verùmenimverò Noua nouæ fidei veſtræ confeſſio (quam alii Noua biblia Vbiquitariorum, vos autem *Nouam formulam concordiæ* vocatis) me verum dicere, te autem mendacem eſſe teſtatur: quẽadmodum & in eo quoque, quod ais, *te prorſus inſcio, & inconſulto*, Pag. 14. & tamen iam Superintendentem Lipſiæ agente, editam eſſe à Marco Hermanno Roſtochienſi in eadem ciuitate Lipſiæ tuam aduerſus Exegeſin criminationem, cuius nullum apud te exemplar etiam retinueris. Quis hoc de te homine ambitioſiſſimo crederet? te tuos fumos ita neglexiſſe, & donaſſe, niſi qui te non norit. Et vt verum eſſe quis concedat, quomodo id fateri audes, niſi te negligentiſſimum Eccleſiæ tuę inſpectorem C eſſe, & prorſus munere tuo indignum, ipſe declares? Quamobrem iudico te ex ore tuo.

Pag. 15. Verùm poſt ſuperiorem illã vitæ tuæ hiſtoriam ad me redis, & quàm te pulchrum & formoſum, & magnum quendam Homerum, tam me & tetrum, & deformem hominem, & Margirum quendam pingis. Appellas enim *me homicidam, furẽ, maledicum*, κακοποιοῦντα, ἀλλοτριοεπίσκοπον, alibi *Satanam*, Pag. 28. 29. 30. alibi *Diabolicum*, alibi etiam *Latronem*. Quid amplius? Aliquid prætermiſiſti. Nam me etiã Mariam Magdalenã appellare debebas, vt in me poſtea ſeptem dæmonia fuiſſe probabiliter mentireris. Prætermitto enim, quod non me duntaxat, ſed omnes noſtros, pro virulentæ illius tuæ eloquentiæ floribus, & δεινότητι, *Turcas, & Epicureos, & Atheos, & Mahumetanos* (ipſe ſanctus & beatus: ipſe inquam ſolus ſcilicet claues ſcientiæ & veritatis & promiſſionum Dei penes te habens) appellas & declamitas. Vbinam verò, Selneccere, hæc in me crimina vel vidiſti, vel ab aliis ineſſe audiuiſti? Quiſquam hęc tibi de me narrauit, qui me nouerit, vel Gallus vel Germanus? Eſt hîc, Dei gratiâ, magiſtratus, & is quidem (ſiquis in mundo alius) in ſuo munere fungendo diligentiſſimus, qui ſi me aut omnium horum, aut vnius tantùm ex his criminibus conuictum, imò etiam legitima aliqua ſuſpicione grauatum videret, tandiu non pateretur in hac ciuitate viuere, A atque etiam ſancto illo, & meis humeris longè quidem (quemadmodum ingenuè agnoſco) grauiore munere, in tam honeſto cœtu, à quo ſum cooptatus, ornatum eſſe. Sed ais *me animas & occidere & furari*, nempe vt ad nomen Selneccere, tuum (*Seltboter*) alluderes, & quid ipſe facias, oſtẽderes. Nam illud, quod mihi falſò obiicis, competit in te verè, vel nominis tui etymo id teſtãte, Selneccere. Et rectè illud hoc loco, Conueniunt rebus nomina ſæpe ſuis. Verũ iſtáne me exceptio, quod animas occidã, à crimine excuſaret. Eſtne leuius flagitium animarum quàm corporũ homicidium, & furtum? Verùm ita res eſt, quicunque veſtrum illud *Vbiquitatis* monſtrum non amplectuntur, & Neſtorianiſmum ſimul cum Eutychiſmo, id eſt, horrendas duas hydras ſimul cum vobis non coniungunt, ii & fures, & homicidæ, & inexpiabiles homines à vobis (qui nihil niſi maledicere bonis viris didiciſtis) appellantur. Sed audi, Selneccere, quid de te ex teipſo didicerim. *Dicis vocationis tuæ tibi curam eſſe*, Sed non oſtendis nec addis exequutionis quoque, quam ea vocatio deſiderat, ſolicitu- B dinem & curam tibi eſſe. Hoc enim oblitus es, & certè qui in tot loca per totam vitam diſcurrit, & VVirtenberga in aulam, & ex Aula Ienã, Iena Lipſiam, Lipſia Brunſchuigum, Brunſchuigo iterum Lipſiam redit, & aliquot annos in ſingulis iſtis diſcurſationibus conſumit (quod te feciſſe ipſe ſcribis) quomodo paſtoris Eccleſiaſtici vocationẽ exequi & verè exercere, obſecro, poteſt? Nam, aut te tuíque ſimiles eſſe nouos quoſdam Germaniæ Apoſtolos oportet, nulli certò loco vel Eccleſiæ addictos: aut, ſi certè cuipiam Eccleſiæ eras prępoſitus (qualem verum & Euangelicum Paſtorem ex Pauli pcepto eſſe oportet) quomodo munere tuo fungi ſic vagus & erro, in certo vllo loco potuiſti? Ergo eatenus vocationis tibi cura eſt Selneccere, nimirum vt ſpatiãdi, & animi gratiâ aliquò voceris: quod quum facis, quis te ipſum non meritò vel furem, vel allotrioepiſcopum, vt tuis verbis vtar, appellet, qui Eccleſiæ tuæ operam & præſentiam fureris & ſubſtrahas: & aliena ambitioſè ſpecula- C ri velis? Et certè, vt verum dicam, quid aliud ſunt veſtræ iſtę in vnius perſona perpetuæ (quandiu ille viuit) Superintendentiæ & Præpoſituræ, quàm Epiſcopatus ille humanus præter Dei verbum inſtitutus, ex quo tandem Epiſcopatus Satanicus, id eſt, miſerrima illa Epiſcoporum in Eccleſiam Dei tyrannis nata eſt? Itaque quid ipſis Germanicis Eccleſiis ſit ex iſtis Præpoſituris euenturum, facilè iam vident prudentes, & pij viri omnes. Sed ſi, qui fratrem ſuum Racha appellarit, Selneccere, iudice etiam ipſo Chriſto, reus eſt confeſſus, & cenſendus homicida, profectò qualis ſis, ipſe vides, qui me & *Sycophantam, & Dolium Danaidum* tam conuitioſè nomines, ídque quia de te, & tua in Philippum præceptorem tuum ingratitudine verum Pag. 16. Pag. 17. dixi, & contra Helenam veſtram, Vbiquitatem, meritò ſum inuectus. Egóne Sycophanta, Selneccere? qui, vt meum temperamentum, & palati mei guſtum noris, illud genus cibi (à quo *Sycophantæ* ſunt appellati) nunquam equidem edere vel poſſum vel ſoleo: verùm etiam tam odi, quàm qui maximè. Sed teipſum oblectare hoc tuo in me conuitio à nimia illa tuæ Superintendentiæ fortaſſe moleſtia

Vide Era. in Chilia. & Athen. lib. 3. Dipnoſophiſ.

A leſtia voluiſti: Saltem ſi tu me Iſraelitam ex tribu Dan, (quia Danæus vocor) quemadmodum ille Laonicus, Germana ſpongia, & Oſiādricus eques, nominaſſes. Quod autem me *Dolium Danaidum*, alludens fortaſſe ad meum cognomen, feſtiuè, vt tibi quidem videtur, vt autē bonis omnibus, ſcurriliter, vocas, falleris, in tuo iſto ſcommate, toto cælo. Nam neque ego ſum ex Danais: ſed potiùs è Troianis: ſiquidem ego ſum Francus: Franci verò à vetuſtiſſimis illis, & nobiliſſimis Troianis ſunt oriundi, non autem ab illis mendaciſſimis Danais, quorum naturam tu refers. Dolium autem quî poſſim eſſe, cùm id neque corporis mei ſtatura, neque vitæ ratio patiatur, qui ebrietatem & vinolentiam veſtram (qua cantaros iſtos in ſtomachum, tanquam in vtrem & ocreas demittitis) toto pectore, quod ſciunt omnes, execror. Verùm addis *me inter diuos collocare Berengarium*. Nequaquam Selneccere. Imagines enim nec colo, Dei optimi gratiâ (ſum enim ab iſtis idololatriæ tenebris ſummo Chriſti beneficio, liberatus) nec eos in templis Chriſtianorum ſeruo, vel probo. Nec verò quia veram Berengarii laudem ex B vera illius temporis hiſtoria, cōtra tuam inſcitiam protuli, qui illum, tragicum vitæ exitum habuiſſe ſcripſeras, propterea conuitiis abs te proſcindi debui. Equidem Berengarianum me, ſi modò rectè illius ſententia (qualis primùm fuit) intelligatur, eſſe malim, quàm Lanfrancianum, qualis tu es. Berengarius enim veram de Sacramētis Domini doctrinam, ex Auguſtino tuebatur, docebátque & ſigna à rebus ſignatis differre, & rem ipſam ſignatam nobis ſpirituali modo per fidem communicari. Deniq; Chriſti carnem iuxta articulos ſymboli Apoſtolici in cælo eſſe, non in his terris quærendam. At Lanfrancus Pontificum Romanorum aſſecla peſſimus, & homo ignorātiſſimus, omnia illa ex Eutychetis, & Monophyſitarum errore (quem hodie renouatis) euertere conabatur. Nā & Tranſſubſtantiationem defendebat, & carnem Chriſti in his terris, quemadmodum & vos, collocabat. Denique idololatriam illam (vnde horrendum Miſſæ ſacrificium poſtea fabricatum eſt) propagabat. Quæ pluribus deſcriberem, niſi iam tempus C eſſet, vt finem dicendi facerem. Illud modò à te peto, Selneccere, vt cùm in hoc de ſacra Cœna, tum in aliis fidei Chriſtianæ articulis, ex ipſo Dei verbo ſapere velis. Eſt autem Dei verbum, doctrina ipſa, & mens ſpiritus Dei, quę iis vocabulis, quibus ipſe vtitur, continetur. Non autem illud, quod carnalis ſenſus & ratio (quę myſteria Dei nequaquam capit) craſſè imaginatur, & illi affingit. Nam qui τὸ ῥητὸν in Sacramentali Scripturæ locutione vrget, is verbum Dei certè quidem nō habet: ſed in eam, quam miſerrimam vocat Auguſtinus, ſeruitutem incidit, vt ſigna pro rebus ipſis colat ac veneretur. Quis enim dubitat, quin Sacramentalis locutio (qualis eſt hæc, HOC EST CORPVS MEVM) ſit ſacramentaliter intelligenda, propterea quòd Sacramenta ſunt rei ſacræ & cœleſtis, ac denique corporali ſitu à nobis abſentis σφραγῖδες teſtimonia & ſigna? Ergo ad διάνοιαν nobis recurrendum eſt, Selneccere, quam qui ſequitur in Sacramentis, ille Dei ſpiritum & ſequitur & habet, atque etiam idē totam vetuſtatem orthodoxam ſuæ fidei teſtem laudare poteſt. Et quia de re ipſa in aliud tempus diſputationem differs, & nos quoque ad illud nos reſeruabimus, in qua te à Dei ſpiritu illuſtrari, Selneccere, ſummis ab ipſo votis precor poſtulóque. A Vale. Dominus oculos mētis tuæ illuminet, vt veritatem ipſius, ſepoſitis omnibus præiudiciis, tandem intueri, & verè amplecti poſſis.

Ad Ὕστερον πρότερον Selnecceri.

ET hîc quoque Selneccerus, quanuis à me admonitus, ſe ſano mentis iudicio carere oſtendit, qui quæ priora ſunt naturâ, poſteriora tamen, contra omnium mortaliū ſenſum, faciat, nec ab eo etiam errore reuocari poſsit. Verùm quid dicas, videamus. Ais, Selneccere, *nōnullos perſuaſione peculiaris eruditionis turgidos ſe omnia eſſe exiſtimare*. Quos autem alios hic perſtringas, neſcio, niſi quod teipſum, & Iacobum Andreā his verbis graphicè depingis. Vis autē de re ipſa cum Danæo iſto coràm conferre. Certè nec Danæus iſte recuſat, ſi modò non ex ſcriptis Lutheri, id eſt, hominis minimè Apoſtoli, miniméque irrefragabilis Prophetæ, (qualē tamen vos eum eſſe cenſetis) ſed B ex ipſo Dei verbo cōferre volueris. Cæterùm quæ (vt probes etiam indignos ipſum Chriſti corpus ſumere, & nō tātùm ſigna corporis Chriſti) affers, illa nequaquā ſunt ſolida (vt tibi videntur) vel ex Chriſti verbis vel ex vera omnipotentiæ Dei cognitione ducta argumenta: ſed errores veſtri tantùm, qui facilè vel ex eo refellūtur, & exufflantur, quòd neque Chriſtus id dixit, quod ais, neque qualis ſit omnipotentia Dei, intelligis. Itaque vexillū illud, quod adſcriptis, maiori charactere his verbis, HOC EST CORPVS MEVM, tam magnificè iactas, & erigis, à Chriſto ipſo deiicitur. Neque.n. ille dixit, CORPVS MEVM, EST IN, SVB, & CVM HOC PANE, quod tamen vos dicitis: ſed, HOC EST CORPVS MEVM. Itaque illud, quod in oratione Chriſti prædicatum eſt, vos facitis ſubiectum, cōtráque. Quamobrem & Brentius, & Iacobus Andreas ipſe apertè illud, quod ex verbis Chriſti ducis, fundamētum in hac diſputatione prorſus deiiciunt, tanquam manifeſtè C nullum. Aliud autem ipſi, nimirum ex hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum vnione, magnis laboribus, & tamē infauſtis, ſubſtruere conantur. Nec verò dubium eſt, quin, ſi nulla ſit in his Chriſti verbis, *Hoc eſt meum corpus, accipite, edite*, figura, flagitium præcipiatur, quemadmodum rectè ſcribit Auguſtinus: & verior Papiſtarum, quàm Vbiquitariorum ſit futura ſententia. Et hæc quidem quod ad verba Chriſti. Quod autem ad Omnipotentiam Dei, illa nequaquam Dei miſericordiam, & veritatem eius deſtruit, quum hæ omnes virtutes ſint vna Dei eſſentia, nec ex his virtutibus vna alteri contraria eſſe poſsit. Quare non facit omnipotentia Dei vt vera illa caro Chriſti, per quam Deo reconciliati ſumus, & in qua manet noſter in æternum mediator, vnquam aboleatur. Si enim id fieret, quod ex veſtra tamē ſententia neceſſariò ſequitur, certè deſineret Chriſtus eſſe Chriſtus, & frater noſter & Mediator. Manere autē vera caro, & qualis nobis ex Dei verbo deſcripta eſt, nō poteſt, niſi ſit nobis ὁμοούσιος & quod ad eſſentiā, & quod ad eſſētiales eiꝰ proprietates, inter quas

A vna hæc eſt præcipua, vt ſit ipſa περιγραπτὸς, id eſt, loco circumſcripta, non autem ſit vel pluribus locis, vel cum λόγου Deitate coextenſa, id quod vos manifeſtè vultis. Vides igitur, Selneccere, vt tua te duo illa potiſsima fundamenta deſtituant. Verùm tu hominum ſeruus, nimirum illius (quem, etſi non nomino, ſatis tamen intelligis) quo iure, quáue iniuria ſententiam (quam ſemel imbibiſti) tueri vis. Præclarè verò verò Hieronymus, *Quæ eſt tãta pertinacia, ſic laudare alicuius doctrinam, vt ſequare blaſphemiam?* Sed pergamus.

Obiicis quod dixerim non conſtare de voluntate Chriſti. Imò verò, Selneccere, vel meum ſcriptum non legiſti, vel malignè præuaricatus es, & interpretatus. Cōſtare enim, atque adeo apertè de ipſius Chriſti ſententia affirmo: & tuam etiam de his verbis interpretationem ex ipſa Chriſti ſentētia tolli & refutari dico. Quid igitur hîc mihi & falſò, & ineptè obiicis? Addis autem malè à me cōcludi, ſi caro Chriſti ſit corporali (vt tu vis) præſentiæ modo in cœna, beatos quoque defunctos ibidem ſiſti oportere. B Hæc in mea reſponſione grauiter accuſas. Atqui non hæc mea: ſed ipſius Spirit. Sancti, & poſtea Hieronymi ad Ruffinum oratio & ratiocinatio fuit. *Sequūtur enim beati Agnum quocunque ierit*, inquit S. Sāctus: & dixit Chriſtus ipſe, *Pater volo, vbi ſum ego, & illi ſint mecum.* Aut igitur Chriſtus falſum dixerit, aut verum eſt quod ex ipſius verbis vnà cum ipſo Hieronymo colligo. Obiicis porrò, quaſi dixerim quòd *cordatis viris nõ ſatisfiat ſi quid Chriſtus dixerit.* Falleris. Impii enim ſunt, etiam me iudice, qui vel ſolo Chriſti verbo contēti non ſunt. Quid igitur dixi? Viris nimirum bonis & piis non ſatisfieri, vbi hoc vnum, HOC EST CORPVS MEVM, perperam à vobis intellectum pro veſtrorum errorum fundamento ſemper occinitis. Falſò enim dicitis: hoc Chriſtum dixiſſe, quod vos ſentitis. Denique quòd negaui vnquam à noſtris appellari Chriſti corpus ἀλληγορικὸν, καὶ νοητὸν, καὶ μεταφορικὸν id iterum dico. Nec enim idem eſt dicere, locutionem ipſam eſſe metaphoricam, & rem ipſam, de qua agitur, & de qua locutio eſt tropica ſeu metaphorica, eſſe metaphoricam. C Hæc igitur locutio & phraſis, HOC EST CORPVS MEVM, eſt ipſa quidem metaphorica. Sed nec res ipſa, nec ſignum, de quo hoc dicitur, propterea vel metaphora eſt, vel Chriſti corpus metaphoricum: imò & panis ille verus eſt naturalis Panis, & corpus illud, cuius eſt ſignum, eſt verum, naturale, ſeu eſſentiale ipſius Chriſti corpus pro nobis olim crucifixi. Manet enim verè res eadem, quæ priùs erat, nec in attributo, nec in ſubiecto huius locutionis, ſed in ipſo modo attributionis, vel in verbo *eſt*, nimirum tropus iſte, ſeu figurata locutio verſatur. Et hoc quidem de hoc vocabulo Metaphoricum. Quòd autem ad ἀλληγορικὸν, νοητὸν &c. nuſquam apud noſtros iſta, Selneccere, legiſti, quemadmodum nec hoc, quod poſtremo loco pro colophone addis, dici nimirum *Chriſtum corpore ſuo tam eſſe remotum in Cœna à nobis, quàm cælum ipſum eſt à terra.* Quid igitur? Mentiendo rumperis, & antiquum tuum obtines, vt & ſenſum, & verba noſtra perpetuò immutes. A Nam ingenuè profitemur, & toto corde credimus, Chriſtum ipſum nobis fide ad ſacram Cœnam accedentibus eſſe etiam corpore ipſo ſuo, quod tamen in cælis manet, præſentiſſimum. Fides enim noſtra illud etiam in cælo & quærit, & reipſa apprehendit, adeò vt fiamus illius corporis Chriſti verè, & reipſa quoque participes. Itaque ne de hac noſtra ſententia ampliùs, Selneccere, dubites, & vt, quod dicimus, in poſterum meliùs legas, & memorię infigas, en tibi noſtram ſententiam grandiuſculis elementis deſcriptam, CHRISTVM IN COENA CORPORE SVO A SIGNIS, NON A NOBIS, TAM ESSE REMOTVM, QVAM COELVM IPSVM A TERRA EST. Cuius rei ratio eſt, quòd ſigna ipſa, nempe panis & Vinum S. Cœnæ, in ſeſe fidem non habeāt, qua ſola ipſum & eſſētiale Chriſti corpus fit alicui rei pręſens, & coniunctum. Intellextin' iam Selneccere? Quare in poſterum à mendaciis & calumniis iſtis in nos (ſi vir bonus videri velis) abſtine. Porrò liceat mihi hanc epiſtolam, Selneccere, hac pulcherrima B Auguſtini ſententia claudere, Senti de Danęo quicquid libet, ſola me in oculis Dei conſcientia non accuſet. Quanquam me vehementer hoc affligit, vt cum alio Patre loquar, quòd inde falſitatis crimen tolero, vnde quotidie vires hoſtium immaniter excreſcunt, & Eccleſia Dei laceratur. Cæterùm doleo ex animo (quamuis enim te diligam, Selneccere, tamen verum dicam, οὐ γὰρ πρό γε τῆς ἀληθείας τιμητέος ἀνὴρ, vt ait Plato) doleo inquam, quòd te (quem virum alioqui haud omnino ineptum noſtrûm quidam exiſtimabant) ſtolidum tandem non coniecturis tantùm, non ſignis, non leuibus argumentis, ſed certiſſimis τεκμηρίοις, & omni demōſtratione firmioribus oſtendiſti, dum nobis inſulſa quædam mittis carmina, quæ cùm tuam in pangendo verſu ἀηδίαν, tum etiam tuum de ſparſo iam per totam Germaniam à vobis Sexviris ἔριδος ac diſcordiæ μῆλον, gaudium teſtantur. Sed quid aliud à te fieri potuit, quàm vt de re mala, ipſequoq; malus, vt video, poëta malos verſus ſcriberes. C Verùm vt tibi gaudium & cachinnum compenſem, quem nobis glorioſa iſta tua verſificatio attulit, en tibi alia carmina, quæ, vt ad te mitterem, boni aliquot viri, tui ſtudioſi, & amantes (quibus tua oſtendi, rogarunt) & ad te libentiſſimè remittunt. Ipſi autem ne de eorum erga te beneuolentia dubitares, ſua manu in αὐτογράφῳ nomē ſuum aſcripſerunt. Vale, Dominus Deus per Vnigenitum Filium ſuum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtū mentis tuæ oculos ſanet, quemadmodum illius à natiuitate cæci hominis & corporis, & mentis lumina reſtituit, vt depulſo omni metu Phariſæorum (quos fortaſſe adhuc times, quoniam alapam tibi, vti ſcribis, inflixerunt) Chriſtum verè agnoſcere, ac inter homines Selneccere, profiteri & auſis, & poſſis. Vale.

Apoc. 14.
Ioan. 17.

Verè in Domino ſapere, &
ſanctè viuere.

IN EDI-

A

IN EDITIONEM PANDORÆ A BERGENSIBUS Patribus æditæ.

RIdiculus tandem ecce cauis mus prodit ab antris,
Quem grauidi Montes parturiere diu.
Ille prius totis ſpirans pulmonibus ignes,
Qui nunc conſpicui nil niſi fumus erunt:
Attamen haud paucis perſtringens lumina cæcis,
Rurſum ipſis donec lux micet ex tenebris.
Quorſum etenim triſtes cœlo fulſere Cometæ,
Pallida quos pauidis Cynthia vidit equis?
Senſimus & Solem æſtiuos geminaſſe calores,
Et micuere noua clara per aſtra faces.
Quinetiam pariens monſtroſa hæc dogmata Berga,
Berga quoque eſt motu bis pauefacta graui.
Scilicet hæc cladem, funeſtáque bella notarunt,
Quæ nouus hic toto nuntiat orbe liber.
Sed pariter Chriſtus libro ſua fata minatur,
Et vix naſcenti nuntiat exequias.

B

Ioannes Venantius.

NICOLAI SELNECCERI Epigramma in Pandoræ Bergenſis commendationem.

CHriſtus ait: Sine me tenebræ ſunt omnia mundi,
Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.
Lux ego ſum mundi, Dux vitæ, Iuſtitiæ Sol,
Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.
Hoc, pie Chriſte, pij grata pietate notantes,
Imponent ſuper altare tuum vitulos.
Hoc tibi nunc offert Concordia voce Lutheri,
Fundata in verbo, Maxime Chriſte, tuo.

C

Ad illud Epigramma, carmen ἀμοιβαῖον L. Danæi.

PAnis ego vitæ cœlo delapſus ab alto,
Chriſtus ait, vitæ, credite, Panis ego.
Hæc mea verba capis fidei, non corporis, auris.
Nam caro nil prodeſt, ſpiritus intus alit.
At te carnea gens, Chriſte, aſpernata docentem
Carnales tandem decidit in tenebras,
Et quam tu carnem cæleſti ſede locaſti,
Pergit adhuc imis quærere cæca locis:
Quinetiam auctorem te, Selneccere, ſequuta,
Imponit ſuper altare nouum vitulos.
At tu ſtulte caue ῥητὸν ne fortè ſequuta
Sic reliquos inter te iugulent vitulos.
Aut vituli ſaltem fac iſtis vſque ſuperſint,
Pro vitulis aſinos vel iugulare veta.

IN VITVLATIONEM N. Selnecceri.

Mente Deum placa, vitulum ſine creſcat aratro,
Et vera Chriſtum querere diſce fide.
Sin vitulos offerre libet, ne quærito longè,
Selneccerus adeſt, en tibi ter vitulus.

Antonius Appius. B

VENERABILI DOMINO Domino Superintendenti Lipſiæ, Nicolao Selneccero.

CAuillator caulicus,
Prædicator aulicus,
Doctor Electoralis,
Et ſpe iam Cardinalis,
Et nunc Superintendens,
Nuper Superpræſidens,
Hæc fuiſtis omnia,
Quod tot teſtimonia,
Probant, atque maligni,
Mores his rebus digni,
Sanus eſſe non potes,
Ni multum vinum potes,
Caula ſordibus ſcatet, C
Aula fraudibus patet,
Fallit ſæpe Electio,
In ſpe fit deceptio,
Quare vt quidlibet ſies,
Vir bonus nunquam fies.

Iacobus Didumimus.

ARTICVLI DE COENA DOMINICA, MINISTRIS ECCLESIARVM, ET SCHOLARVM MARCHITICARVM, MANDATO AC IVSSV ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI D. IOANNIS GEORGII, MARCHIONIS BRANDEBVRGENSIS, ELEctoris, &c. proponendi, vt fide cordis, & oris confeſsione eos approbent, ac maioris confirmationis gratia manuum ſubſcriptionem addant:

&

B *Ad eoſdem breuis & neceſſaria piorum& orthodoxorum virorum Reſponſio.* B

PRIMVM, EX VERBIS COENAE Dominicæ.

Quæſtiones affirmatiuæ.

I. Articulus.

AN corde credant & ore confiteantur, Cœnam Dominicam eſſe Sacramentum noui Teſtamenti, aut actionem ſacram à Chriſto inſtitutam, in qua Chriſtus ipſe præſens in terris præbeat ſuum corpus præſens, non abſens, non re- C *motum, non certo loco affixum in cælo, ſed verum, ſubſtātiale & naturale, & ſanguinem ſuum verum in pane & vino ſumentibus, tam dignis quàm indignis, his quidem in iudicium, illis autē in teſtimoniū applicationis remiſſionis peccatorum, & ad alios ſalutares vſus ac fructus?*

AD I. SECTIONEM QVÆSTIONVM affirmatiuarum, quæ ex verbis Cœnæ Dominicæ à D. Andrea Muſculo proponuntur.

AD I. Articulum.

Farrago eſt primus hic articulus. Falſa enim veris admiſcet. Ergo Cœnam Domini ſacramentum eſſe, & à Chriſto inſtitutum concedunt orthodoxi, in quo corpus ſuum & ſanguinem verè omnibus ad Cœnam accedentibus ipſe offert, non tantùm ad remiſſionem peccatorum, & alios huiuſmodi fructus conferendos: ſed ad veram ipſiúſmet carnis ſuæ communicationem. Corpus tamē Chriſti negant propterea in terris præſens eſſe naturali præſentia, & ab indignis ſumi. Nam Fide fit iſta communicatio, qua indigni carent, & cui naturalis corporis Chriſti præſentia planè repugnat.

II. Articulus.

An Catholica & orthodoxa fide verba Chriſti in Cœnæ inſtitutiōe, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS, κτ τὸ ῥητὸν, *ſecundum genuinum & Grammaticum ſenſum, vt ſonāt, accipiant, neque eis ſymbolicum, ſignificatiuum, metonymicum, aut alium quemuis à Sacramentariis ex proprio cerebro excogitatum, affingant?*

Ad II. Articulum.

Ἐναντιολογία. Nam & ſuperiorem articulum, & eum qui infrà 4. eſt, iſte oppugnat. Cùm enim Cœnam Domini eſſe ſacramentum, & per conſequens habere ſymbola ſuperiùs ſcripſerit D. Andreas, ſymbolicum & ſacramētalem ſenſum verba Chriſti, quæ ſunt in Cœna, habeant omnino neceſſe eſt. Neque propterea deſinunt habere Germanum & Grammaticum ſenſum. Nam ſymbolorum & ſacramentorum Germanus & Grammaticus ſenſus proculdubio ſacramentalis eſt & ſymbolicus. C

III. Articulus.

An cum ſancta vetuſtate, ſimplici fide, fundata ſuper ſimplicia, clara & perſpicua verba Chriſti in Cœna, cōfiteantur, non aliam in ſacra ſynaxi communicantes tam dignos quàm indignos carnem percipere & manducare, quàm quæ nata eſt ex Maria virgine, paſſa in cruce, reſurrexit à mortuis, in cælum aſcendit, ac ſedet ad dexteram Patris?

Ad III. Articulum.

Λωβή. Vnius enim voculæ, *indignos*, adiectione præclaram ſententiam corrupit D. Andreas: ſed veterem & iam cōceptum errorem tuetur. Totum igitur hunc articulum admittunt orthodoxi, quatenus de

A tenus de dignis Cœnam Dominicam fide ſumentibus agit. Indignos autem carnem Chriſti percipere negant: quanuis ipſum carnis Chriſti ſymbolum, quod Chriſti caro vel corpus vſitata in ſacramentis dicendi ratione vocatur, illîc quoque offerri, ab iiſque mãducari iidem orthodoxi D. Andreæ concedunt.

IIII. Articulus.

An cum veteribus & recentioribus pijs Eccleſiæ Doctoribus ſentiant, vnionem panis & corporis Chriſti in Cœna eſſe incomprehenſibilem, ideóque non perſonalem, non naturalem, neque formalem, ſed ſacramentalem & ſupernaturalem?

Ad IIII. Articulum.

Orthodoxi lubenter ex D. Andrea audiũt, quod, veritate ipſa cogente, tandem concedit, eſſe nimirum ſacramentalem, non autem naturalem corporis Chriſti in ſacra Cœna præſentiam. Naturalem B enim & formalem pręſentiæ modum ſacramentali hîc opponi tandem fatetur, atque ex orthodoxorum diſputationibus intellexit. Quare vnionem panis & corporis Chriſti, quam vocat, & per quam rei ipſius ſignatæ cum ſigno vlla naturalis cohærentia, conſociatio, coniunctio vel concomitantia inducatur, fieri in Cœna Dominica orthodoxi negant. Fide tamẽ pręparatis ipſam Chriſti carnem ſpirituali modo præberi, & ab iis verè per fidem ſumi docent: & tantæ huius támque incomprehenſibilis communicationis panem & vinum Cœnæ certiſſima ſigna eſſe propter Chriſti inſtitutionem demonſtrant, & ex his Pauli verbis, Membra ſumus corporis huius, & ex carne eius & ex oſſibus eius.

V. Articulus.

Atque in hacnon includi corpus Chriſti in panem localiter, ſed præſentia rationi incomprehenſibili, reali ac ſubſtantiali?

Ad V. Articulum.

Ex falſo antecedente peius conſequens. Ex iſta enim vnione panis & corporis Chriſti, quę perperam articulo ſuperiore à D. Andrea ſtatuitur, corpus Chriſti cum pane naturaliter præſens eſſe, & in eo realiter & ſubſtantialiter, non tamen localiter includi maiori iam cõtradictione colligit. Huiuſmodi igitur vnionem panis & corporis Chriſti eſſe in Cœna Dominica negant orthodoxi. Atque manifeſtè ἀσύστατα hic articulus continet, nimirum aliquod corpus alicubi realiter & ſubſtantialiter præſens eſſe, vbi tamẽ localiter nõ ſit. Quæ duo nõ magis vera eſſe poſſunt, quàm duo contradictoria, & quàm ſi dicatur, aliquid eſſe, & non eſſe verè corpus. Deinde quid timet D. Andreas Chriſti corpus cœlo includere, qui illud panis fruſtulo includit?

Articulus. VI

In eadem non nouum corpus fingi, neque corpus de cœlo Verborum ſono detrahi, ſed viuum, verum, naturale ac ſubſtantiale corpus Chriſti in Cœna præſens realiter & ſubſtantialiter ſtatui? A

Ad VI. Articulum.

Hoc totum concedunt orthodoxi, Corpus Chriſti viuum (& notet hoc ipſum D. Andreas, ne in poſterum illud ab indignis ſumi ſentiat) verum, naturale, non phantaſticum, non myſticum, non fictitium, ſacramentali tamen, non naturali modo in Cœna præſens eſſe, quòd, vt ſup. artic. 4. demonſtratum eſt ipſo D. Andrea etiam teſte, naturalis præſentia ſacramentali repugnet: atque ipſum Chriſti corpus de cœlo detrahat, à quo, & meritò quidem, abhorret D. Andreas tanquam à deteſtanda blaſphemia. Quamobrem inter ſe pugnãtia habet quoque hic articulus quemadmodum & ſuperior.

VII. Articulus.

Itaque ſine omni imaginatione corporis diſtractionis, B *alterationis & coinquinationis in nobis, atque ſine Capernaitica laniena?*

Ad VII. Articulum.

Gratias agunt orthodoxi D. Andreæ, quòd hîc quid ſuo realis, naturalis & ſubſtantialis præſentię figmento intelligat, tandem expoſuerit, nimirum naturalem, corporalem, & localem ipſius corporis Chriſti præſentiam & aſſiſtentiam. fruſtra enim diſtractionem, coinquinationem, & alterationem carnis Chriſti, atque adeò Capernaiticam eius lanienam ſibi obiici poſſe metueret, niſi localem & corporalem præſentiam contineret naturalis iſta, quam inducit, corporis præſentia. Neque enim tam hebes eſt, vt tam abſurda quædam ex iſta naturali præſentia ſequi non videret: vel vt iſta metuenda ſibi crederet, ſi naturalis iſta carnis pręſentia alia eſſet, quàm localis & corporalis corporis Chriſti diſtractio, collocatio, & conſiſtentia, quic- C quid verbis neget vel deprecetur.

VIII. Articulus.

Ideoque & præſentiam corporis Chriſti in Cœna non eſſe phyſicam, geometricam aut mathematicam, neque viſibilem aut palpabilem, ſed fide adorandam & rationi incomprehenſibilem?

Ad VIII. Articulum.

Totum hunc articulum admittunt orthodoxi, cuius explicandi gratia addunt, hanc carnis Chriſti præſentiam eſſe ſacramentalem, quæ naturali, & formali opponitur, quemadmodum ſuprà articulus huius ſectionis quartus conceſſit.

IX Articulus.

An & hoc affirment in Cœna non communem panem manducari: ſed illum, cum quo verè & ſubſtantialiter adeſt & exhibetur veſcentibus corpus Chriſti.?

Ad IX. Articulum.

Ipſum Chriſtum nobis fide ſumentibus in ſacra Cœna ſpirituali modo, non corporis Chriſti de cælo detractione per fidem communicari docent orthodoxi: cuius ingentis in nos beneficii σφραγῖδες ſunt panis & vinum Cœnæ Dominicæ. Itaque neutrum iam, ratione vſus & finis propter quem adhibentur, commune & vulgare quoddam elementum cenſendum eſt, ſed auguſtum carnis & ſanguinis Chriſti ſymbolum. Ipſam autem Chriſti carnem vel in iis ſignis ineſſe: vel per ea tãquam vehicula ad nos deferri: vel concomitantia quadam iis adhærere vel affixam eſſe: vel etiam companatione, impanatione, ſuppanatione, aut alio aliquo huiuſmodi præſẽtiæ modo in Cœna adeſſe pernegant iidem orthodoxi.

X. Articulus.

Ideóque deteſtentur omnes gloſſas & interpretationes de ſigno, typo, figura, ſymbolo, de Chriſti corpore, quod fingitur tantum abeſſe à pane, quantum diſtat cælum à terra?

Ad X. Articulum.

Si Cœna Domini eſt ſacramentum, quod prima huius ſectionis theſis conceſſit, typos, figuras & ſymbola habeat neceſſe eſt. Neque enim ſine his ſacramẽtum eſſe poteſt. Quæ ſi habeat Cœna Domini, interpretationes orthodoxorum, qui illa ſymbola, typos & figuras appellant, tanquam alienæ & deteſtandæ gloſſæ non ſunt à D. Andrea dãnandæ. Dicunt enim quod res eſt, & quod ipſa ſacramenti definitio & natura fateri cogit. Cùm verò ſacra ſcriptura perſpicuè docet Chriſti corpus eſſe nunc quoque verum corpus, & in cælum eleuatum, vbi ad tempora reſtitutionis omnium continetur, cõſentienter Scripturæ affirmãt orthodoxi illud cum pane naturali præſentia coniunctum eſſe non poſſe, ſed ab eo tantum diſtare locorum ſpatiis, quantum cælum ipſum, in quo nunc eſt, abeſt ab his terris, in quibus panis hic frangitur, & nobis porrigitur: quia verum corpus ſimul duobus in locis naturali vel eſſentiali pręſentia eſſe nõ poteſt. Quod tamen fingunt articuli D. Andreæ.

XI. Articulus.

Rectè & verè ergo affirmari, hunc panem, quem author Cœnæ corpus ſuum eſſe dicit, quem & Paulus κοινωνίαν corporis Chriſti vocat, etſi non amittat ſuam naturam, & maneat in ſua ſubſtantia priori, figura, & forma, non eſſe tamen communem panem, ſed diſcretione & reuerentia aliqua dignum, vt veteres olim ſunt loquuti?

Ad XI. Articulum.

Hunc articulum concedunt orhodoxi, modò ἀρτολατρείας ſemina & initia inter Chriſtianos non ſpargantur: neque iſta reuerẽtia pani ipſi, ſed Chriſti verbo & promiſſioni tribuatur.

XII. Articulus.

Qui etiam propterea non ſigillum ac pignus ſit fidei, neque ſignum, figura aut typus corporis Chriſti, ſed ſit ipſum corpus Chriſti, quod corpus ſit ſigillum certum & firmum, confirmatio & obſignatio fidei, & ſpiritualis manducationis?

Ad XII. Articulum.

Deſtruit D. Andreas quod primo huius ſectionis articulo ædificarat. Nam cùm panem Cœnæ negat eſſe typum, ſigillum aut ſignum corporis Chriſti, apertè de Sacramento Cœnæ ſigna tollit, ſéque ipſum euertit. Signis ſublatis enim amplius Sacramentum eſſe non poteſt. Quod autem aſſerit corpus ipſum Chriſti eſſe ſignum fidei noſtræ & manducationis ſpiritualis, primùm cauſam ipſam fidei cum ſigno peſſimè cõfundit. eſt enim corpus ipſum Chriſti non ſignum, ſed cauſſa fidei noſtræ. Deinde illud abſurdum inducit, idem corpus ſui ipſius ſignum eſſe, id eſt, vmbram ſimul & corpus eſſe. Id quod nemo ſanus verum eſſe vnquam cõceſſerit. Denique hoc ipſum effugium à Papiſtis & Sententiariis mutuatur:

XIII. Articulus.

An cum orthodoxis, Patribus, & cum Luthero aliíſque piis Eccleſiæ miniſtris duplicem ſtatuant manducationem, naturalis panis & vini, & corporis & ſanguinis Chriſti, realiter & ſubſtantialiter veriſſimè præſentis ſpiritualem videlicet & corporalem?

Ad XIII. Articulum.

Negant orthodoxi ipſius corporis Chriſti mãducationem eſſe duplicem, quã tãtùm ſpiritualem eſſe poſſe contendunt, quia non niſi per fidem editur hoc corpus. Et quod de duplici maducatione dictum à Patribus affert D. Andreas, non intelligit: atque eius ſententiam minimè iuuat. Patres enim ſigni tantùm (quod, quemadmodum ait Auguſtinus, corpus Chriſti appellatur) duplicẽ manducationem ſtatuunt: non autem ipſiuſmet Chriſti corporis. Ergo D. Andreas imperitè dicta Patrum de ſigno transfert ad ipſam Chriſti carnem. Quanquam & hîc quoque in Sententiariorum errorem iterum incidit D. Andreas, qui ad ſuas impietates tegendas, duplicem nobis Chriſti carnem, duplicémque eius manducationem falſiſſimè confinxerunt & obtruſerunt.

XIIII Articulus.

Spiritualem verò manducationem ſimiliter duplicem eſſe dicant: ſpiritualem fidei, quæ in verè credentibus ſit continua, quotidiana & omnium horarum, imò communis veteris Teſtamenti Patribus: corporalem, quæ & ipſa rectè ſpiritualis dicatur, & tantum ſit propria noui Teſtamenti?

Ad XIIII. Articulum.

Ipſius corporis Chriſti manducationem ſpiritualem tantùm eſſe poſſe iam reſponderunt orthodoxi. Itaque corporalẽ reiiciunt, quam ex Sententiariorum cœno hauſtam D. Andreas hîc proponit tanquam ex nouo Teſtamento ſumptum,

A ita nimirum ſe nobis ſimplicibus imponere poſſe putat. Quanquam ſeipſum quoque in eo ſatis refutat, quòd quam Corporalem manducationem appellauit, & à Spirituali diſtinxit, eandem ſtatim, & vix duabus interpoſitis lineis, idem vult & eſſe & rectè dici Spiritualem. Quæ verò eſt hæc inconſtantia? Nam in eo quoque ſuæ diuiſionis tãquam falſæ membra confundit. Spiritualem verò carnis ipſius Chriſti manducationem eſſe duplicem poſſe concedunt orthodoxi, ſed alia quàm D. Andreas, ratione. Vnam igitur agnoſcunt ipſi Spiritualem, quæ careat ſignorum adiunctione, quæ locum habet quum nudum verbum Dei fide amplectimur: alteram, quæ, etſi ſpiritualis quoque ſit, ſigna tamen aliqua, vti in Sacramentis, addita habeat. Diſtinguendi verò gratia prior πνευματικὴ poſterior autem Σημειωτικὴ nominetur. Quæ eò maximè inter ſe differunt, quòd caro Chriſti in Sacra-
B mentali & σημειωτικῇ manducatione noſtri ratione expreſsiùs, manifeſtiùs, certiùs, & viſibiliùs communicari intelligitur. Qua vtraque manducatione tamen, neque etiam veteres ipſi, qui ſub veteri Teſtamento viuebant, caruerunt, quemadmodum I. Corinth. 10. apertè docet vas Dei electum Paulus.

XV. Articulus.

Hanc autem eſſe affirment teſtificationem, pignus & obſignationem manducationis ſpiritualis fidei, & coniunctam cum ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti?

Ad XV. Articulum.

Corporalem eſſe non poſſe ipſius carnis Chriſti manducationem iam docuerunt orthodoxi. Sed & ſigni ipſius, id eſt, panis Cœnæ corporalem manducationem ſemper eſſe cum ſpirituali carnis Chriſti participatione coniunctam iidem orthodoxi negant. id quod apparet in indignis.

C

XVI. Articulus.

An ſentiant, Cœnam inſtitutam eſſe, non vt ipſe ritus vel panis & vinum fidem in iis, qui vtuntur Cœna, excitet, & fiat in manducatione panis recordatio beneficiorum Chriſti, ſed quòd ipſa manducatio in pane corporis Chriſti veri, verè præſentis, & in vino ſanguinis perceptio in piis fidem confirmet & corroboret?

Ad XVI. Articulum.

In Cœna Domini ritus ipſos à Chriſto inſtitutos, qualis eſt Panis fractio, acceptio, eſus, eſſe vtiles, & ad beneficii Chriſti tum intelligentiam, tum etiam recordationem neceſſarios agnoſcunt orthodoxi. Ipſam verò carnis Chriſti manducationem vnà cum ipſo panis elemento neceſſariò fieri pernegant. Et quòd contrarium ſentit D. Andreas, errat ex eo, quòd corpus Chriſti impanatũ vel companatum, id eſt, cum ipſo panis elemento affixum, vel adhærens eſſe ex Vbiquitariorum delirio iudicat.

XVII. Articulus.

Quod recordari Chriſti, non ſit beneficiorum in panis & vini perceptione meminiſſe, ſed quòd in manducatione panis hoc corpus manducemus, quod pro nobis traditum eſt, & pependit in ligno: hunc ſanguinem bibamus, qui in ara crucis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum? A

Ad XVII. Articulum.

In Cœna Domini fieri ſolemnem ac peculiarẽ mortis ipſius pro ſalute noſtra annũtiationẽ & recordationem negare fortaſſe non audebit D. Andreas ne Deo ipſi aduerſetur, Itaq; non eſt cur orthodoxis inuidiam conflare ex eo ſe poſſe putet, quòd Cœnam Domini ingentium ipſius erga nos beneficiorum recordationem cum ipſa Scriptura appellent: ſed addunt iidem, nos eorum fructuum & beneficiorum non prius fieri poſſe participes quàm ipſum eorum fontem & fundum poſſideamus, id eſt, vero Chriſti corpori fide communicemus.

B

XVIII. Articulus.

An credant præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti conſtituere ſolam verborum Chriſti in legitimo vſu Cœnæ pronuntiationem, eò quòd hæc verba non ſint Miniſtri, ſed Chriſti, eiuſdem per omnia potentiæ, virtutis, & efficaciæ, vt in prima Cœna?

Ad XVIII. Articulum.

Cùm per ſolam verborum Chriſti pronuntiationem corpus Chriſti ſiſti, præſénſque conſtitui docet D. Andreas, primùm ipſe ſibi non conſtat, qui ſuprà articulo ſexto negauerit verborum ſono corpus Chriſti de cœlo detrahi. Nam aut ibi etiam iam antè fuiſſe, aut poſt verborum demum pronuntiationem aliunde aduenire, vt ibi ſiſtatur, oportet. Præterea more Papiſtarum, magicam præſentiæ carnis Chriſti in ſacra Cœna rationem procul dubio inducit, quia hîc apertiſsimè ſono & pronuntiationi verborum eam attribuit. Docent igitur orthodoxi, corpus Chriſti nobis fide præparatis ſpiritualiter in Cœna reipſa communicari, vi ipſius Chriſti promiſsionis, non autem certorum horum verborum, *Hoc eſt corpus meum*, prolationis. Nec enim Chriſtus fidem noſtram certis literis, vocibus vel ſyllabis aſtrinxit: ſed promiſsionem ſuam à nobis attendi, illíque credi voluit. C

XIX. Articulus.

Ideóque neque fidem, neque accedentem manducationem, ſed ipſa verba Chriſti prolata in Cœna conſtituere præſens corpus & ſanguinem Chriſti: fidem verò non facere Sacramentum, ſed amplecti & apprehendere in Sacramento oblata?

Ad XIX. Articulum,

Et hîc quoque error eſt, ſed ex ſuperiore conſequens. Neceſſe enim erat illi, qui rationem, qua res communes euadunt Sacramenta, ex ipſa verborum pronuntiatione metiretur, negare fidem conſtituere nobis corpus Chriſti præſens. Sed cùm Cœna & ſacra hæc actio ex ipſius Chriſti inſtitutione & promiſsione tota pendeat, vt eſt in articulo primo huius ſectionis: promiſsio

A verò illa nemini,niſi fide apprehendatur, vtilis & efficax eſſe poſsit: ex fide, non ex horum verborum, *Hoc eſt corpus meum*,prolatione vim Cœnæ Dominicæ, ſacramentaliſque corporis Chriſti præſentiæ petendam & ſtatuendam eſſe orthodoxi,contra D. Andreæ articulos, docent. Et cùm ſubordinata non pugnent inter ſe, rectè dicitur potentia Dei promittentis, & fide quoque, qua eam promiſsionem amplectimur, præſens eſſe corpus Chriſti. Nam vtcumque propter Dei promiſsionem præſens eſſet hoc corpus, niſi fidem (qua ſola velut inſtrumento à nobis apprehenditur)habeamus, nobis tamen non poteſt eſſe præſens,quia perinde eſt aliquid omnino abeſſe, vel ei,qui eius amplectendi inſtrumentum non habet, præſens eſſe:vt ſi alicui cæco vel ſol ipſe offeratur videndus,perinde eſt,atque ſi omnino ſol abeſſet. Quomodo autem audet adimere fidei D.Andreas, quod audet ſoli verborum pronuntiationi tribuere?

B XX. Articulus.

Per verborum verò Chriſti in Cœna pronunciationem non intelligi ſtrepitum aliquem, aut ſonum verborum, more magorum aut incantatorum editum?

XXI. Articulus.

Ad Verborum verò Chriſti pronuntiationem in legitimo vſu ſecundum Chriſti inſtitutionem, adeſſe Chriſtum præſentem,cum ſuo corpore & ſanguine in Cœna, non magica conſecratione panis & vini, neque magica ſubſtantia mutatione,vel etiam panis & vini tranſſubſtantiatione?

Ad XX. & XXI. Articulum.

Hi duo articuli ſunt tum inter ſe ἀντιλέγοντες, tum etiam duobus proximè ſuperioribus contrarii. Sed veritatis vi coactus D. Andreas, quæ & quot ex ſua ſententia abſurda ſequantur,videt quidem,& effugere illa conatur,ſed non poteſt. Magicam enim corporis Chriſti in ſacra Cœna præſentiam, quamuis non verbis, reipſa tamen cum Papiſtis inducit. Nam ſui ipſius verbis conſtri-
C ctus tenetur, & eum oportuit non quid non ſit, ſed quid ſit ſola, quam ſuprà vocauit, verborum pronunciatio declarare. Et in quamlibet ſe formam,velut alter quidam Proteus, conuertat,quantumuis etiam æſtuet,elabi iam nobis non poteſt, quin magnarum impietatum & blaſphemiarum reus teneatur.

XXII. Articulus

Ideoque ſimul ſtatuant, etiam indignè & ſine fide accedentes ad ſacram Synaxin,hoc verum corpus Chriſti, præſens ad verborum Chriſti pronuntiationem, percipere?

Ad XXII. Articulum.

Huius confeſsionis, nimirum ipſum & verum Chriſti corpus,& non tantùm illius ſymbolum ab indignis ſumi,ἀδυναμίαν ſuprà demonſtrarunt orthodoxi,& hæc crambe repetita mors eſt. Cùm enim verum Chriſti corpus non, niſi fide manducari poſsit:indigni verò fide careant: ab iis verum corpus Chriſti edi non poſſe tandem agnoſcat D. Andreas. A

XXIII. Articulus.

Non tamen hoc ſine fide eſſe eis ſalutare:nihilominus verò nec impiis hoc Sacramentum otioſam eſſe cæremoniam ſeu actum:quia vt bonis in ſalutem, ſic his cedere in iudicium & mortem?

Ad XXIII. Articulum.

Ἀντικείμενα prorſus proponit hic D. Andreæ articulus, Nimirum verum Chriſti corpus à quopiã ſumi poſſe,cui tamẽ nõ ſit ſalutare. Atqui ſeipſum quoque refutat. Nã articulo huius ſectionis ſexto affirmauit corpus Chriſti non niſi viuum à quoquam percipi poſſe. Quare ab indignis ipſis huiuſmodi ſumatur neceſſe eſt, etiam D. Andrea teſte. Quòd ſi viuum ſumunt indigni, ergo vitam ipſis affert. Nam ſi excipiat D. Andreas, Non quicquid viuum eſt in ſeſe,propterea eſſe aliis quoque viui- B
ficum: Reſpondent orthodoxi ex illo Chriſti Dicto, *Quicunque manducauerit carnem meam &c.*& paulo antè refutauerunt delirium de duplici corporis Chriſti ſumendi modo. Quòd ſi vitam,& ſalutem. Quòd ſi ſalutem,ergo illis ipſis ſalutare eſt. Quamobrem ad iudicium ſuum homines indigni corpus Chriſti non manducabunt, quia illud viuũ ſument,id eſt, vitam & ſalutem ſecum deferens. Hoc primum eſt abſurdum. nec enim Chriſtus ſumptus,ſed neglectus damnat. Alterum,quod ex hac D.Andreæ ſentẽtia ſequitur,neque diuerſam, neque meliorem fore piorum,quàm impiorũ: dignorum,quàm indignorum in manducatione corporis Chriſti conditionem,quia vtrique verum & viuum corpus Chriſti ſumunt per D. Andream, quam tamen eſſe diſsimillimam docet Paulus.

XXIIII. Articulus.

Sic rectè etiam affirmari, manducationem corporalem eſſe communem piis & impiis:eò quod vtrique percipiant corpus & ſanguinem Chriſti ore & corporaliter, etſi non corde & ſpiritualiter? C

Ad XXIIII. Articulum.

Errorem errori hîc pro coronide cumulauit D. Andreas. Negant verò orthodoxi verum & ipſum Chriſti corpus alia à Chriſtianis parte, quàm anima,ſumi & manducari. Verè enim Auguſtinus, *Vt quid ventrem paras & dentes? cibus enim eſt mentis, non ventris.*

SECVNDO, EX ARTICVLO SYMBOli de incarnatione.

I. Articulus.

AN ex angelica annuntiatione, dicente Gabriele: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obrumbrabit tibi: atque ex verbis hiſce ſymboli Apoſtolici: Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto,natus ex Maria Virgine, fide firma & mera confiteantur, Dei Filium aſſumpſiſſe in vtero Virginis, in vnitatem ſuæ diuinæ naturæ corpus ſeu canem humanam, vnione inſeparabili?

AD

A AD SECVNDAM SECTIONEM QVÆſtionum affirmatiuarum, quæ ex articulo Symboli de incarnatione à D. Andrea Muſculo proponuntur.

ADMONITIO AD LECTOREM.

Nouem articuli qui ſequuntur, errorem Marcionitarum de fictitio quodam corpore à Chriſto aſſumpto per incarnationem, ab inferis reuocant, qui vnà cum articulo quarto ſequentis ſectionis ipſam etiam Domini noſtri Ieſu Chriſti incarnationem, per quam verè homo factus eſt, Dei tantùm apparitionem quandam (qualis olim Abrahamo & Moſi facta eſt) eſſe definiũt, quam Signalem vel Symbolicam propter ſigna, quibus tunc Dominus ſuæ præſentiæ teſtimonium dabat appellare nobis liceat.

Ad I. Articulum

Hoc totum cõcedunt orthodoxi, modò D. Andreas ipſe fide firma & inconcuſſa confiteatur & B agnoſcat Chriſtum aſſumpſiſſe carnem verè humanam, id eſt, neque fictitiá, neque Marcioniticam.

II. Articulus.

Atque ſic induiſſe carnem noſtram, vt ſemel aſſumpta maneat vnita cum aſſumente natura inſeparabiliter in omne æuum: hanc etiam cum diuinitate vnitam, non autem extenſam & diffuſam eſſe: ideóque in hoc corpore non quærendum ordinem naturæ, quod præter naturam tantum eſt ex virgine?

Ad II. Articulum.

Fatentur orthodoxi totam naturam humanam, non tantùm corpus, à Dei verbo per incarnationem ſic eſſe aſſumptam, vt ea inſeparabiliter, indiuulſè, & indiuiſè, diuinæ ipſius Verbi naturæ vnita maneat, neque extra eam ſuam ὕπαρξιν & ſubſiſtentiam habeat, denique vnicam perſonam in Chriſto faciat. Negant tamẽ propterea vel in ipſa conceptione, vel poſtea confuſas vel abolitas fuiſ- C ſe in vna illa Chriſti perſona has naturas, earúmque eſſentiales proprietates. Nam quòd cõceptionem Chriſti præter ordinem naturæ factam eſſe obiicit D. Andreas, allò certè pertinet, quàm ad abolitionem naturarum in Chriſto, vel earum confuſionẽ inducendam. Huc enim ſpectat, vt omnis impuritas ex ea maſſa, vnde Chriſti carnem Spiritus ſanctus condebat, prorſus elueretur.

III. Articulus.

Et cùm in fratrum (quibus ſimilis factus eſt Filius hominis per omnia) corporibus, tale quippiam non reperiatur, rectè ſtatuendum, aliam eſſe rationem corporis ipſius quàm noſtrorum corporum: Chriſtum enim non habere nudum corpus, aut carnem alterius cuiuſdã hominis, ſed carnem vnitam cum diuina natura in vnitate perſonæ?

Ad III. Articulum.

Quòd carnis à Chriſto aſſumptæ vocem ad corpus reſtringit D. Andreas, propè eſt, vt in Apollinariſtarum errorem incurrat. Carnis enim vocabulum hoc loco non tantùm corpus, ſed totam naturam humanam (peccato modò excepto) deſignat. Concedunt igitur orthodoxi etiam admiſſa interpretatione D. Andreæ, in modo tãtùm vnionis & habitationis, non autem in ipſa corporis aſ- A ſumpti natura, aliam eſſe Chriſti, quàm noſtrum omnium rationem. Nam verũ fuiſſe corpus Chriſti, & tale quidem, quale nos fratres ipſius habemus, contendunt orthodoxi: ſed eſſe in eo inter noſtra & Chriſti corpus latiſsimum diſcrimen, quòd huius corpus fuit deitatis ὑποστατικῶς, ſiue vt Paulus loquitur, σωματικῶς inhabitantis corpus & templum. In noſtris verò corporibus, quanquam etiam illa Dei templa vocantur, habitat deitas ἐνεργητικῶς tantùm & per potentiam, non autem ὑποστατικῶς & per vnionem.

IIII. Articulus.

Neque aliàs opus fuiſſe alio modo quàm naturali, non ex virili ſemine, ſed ex Spiritu ſancto concipi Dei & virginis filium, virtute quoque Altiſsimi obumbrante: ſi nihil præſtantius, nihil excedens communem pro- B pagationem aliorum hominum, in hoc incarnato Verbo fuiſſet conſiderandum?

Ad IIII. Articulum.

Negant orthodoxi illam Spiritus ſancti obumbrationem, quæ in admirabili & veneranda Chriſti conceptione interuenit, aliquid ipſius corpori tribuiſſe, per quod illius aſſumpti natura à veris noſtrorum corporum (qualia etiam nunc habemus) proprietatibus & conditione differret. Iam enim reſponderunt orthodoxi illud Spiritus ſancti opus interueniſſe, vt ex ipſa maſſa & carne Mariæ ex qua factus eſt caro Chriſtus, antequã Chriſti ſemen factum eſſet, id eſt, rationem ſeminis in conceptione Chriſti haberet, peccatum originale (quod vniuerſæ humani generis maſſæ & ſingulis eius partibus inhæret) ſanaretur & tolleretur. Nam qui peccata noſtra deleturus veniebat, ipſe peccato carere debuit. Vnde, quanquam homo ex homine fiebat, peccatum tamen naturæ humanæ hæreditarium aſſumere non debuit. Quod vtrunque in C admirabili Chriſti conceptione per illud Spiritus Ioan. ſancti opus, quam obumbrationem angelus appellat, euenit. Et ſanè hic D. Andreæ articulus iacit apertiſsimè furoris Marcionitarum de imaginario Chriſti corpore, non autem verè humano fundamenta.

V. Articulus.

Propter hanc ergo admirandam admirabilis pueri conceptionem & natiuitatem, & duarum naturarum diuinæ & humanæ in vnam perſonam vnionem, non dari nec demonſtrari poſſe locum, in quo ſit vel ſi dicatur eſſe Filius Dei ſecundum diuinam naturã vt ibi non ſit, vel dici debeat eſſe Filius hominis ſecundum humanam naturam, & ante & poſt aſcenſionem & ſeſſionem ad dexteram maieſtatis in excelſis. Nam ſic complacitũ Deo Patri dicente Apoſtolo, omnem plenitudinem Deitatis habitare in illo σωματικῶς.

Ad V. Articulum.

Iam ſe manifeſtè prodit impietas. Quorſum enim aliquid ſingulare Chriſti corpori à D. Andræa affingatur, & tribuatur, nũc apparet: nimirũ vt cõtra articulum ſecundum huius ſectionis propter hypoſtaticã naturarũ in vna Chriſti perſona vnio-

A nem cenſeatur humana diuinæ coextenſa, & iam vtraque natura æquè diffuſa, id eſt, inter ſe confuſa ſtatuatur, adeò vt nuſquam Chriſtus Dei Filius ſecundum diuinam ipſius naturam eſſe dici poſsit, quin ibidem etiam ſecundum humanam eſſe cenſeatur. Quod verum eſſe, vel ex illa naturarum vnione (quæ per admirabilem Chriſti incarnationẽ facta eſt) vllo modo conſequi pernegant orthodoxi. Quin etiam hoc ipſum D. Andreæ dogma de naturarum æqualitate ex fœtidis Eutychianæ hæreſeos fontibus hauſtum eſſe dicunt.

VI. Articulus.

Ideòque hoc corpus Chriſti cõceptum ex Spiritu ſancto, virtute Altiſſimi obumbrante, ſic formatum eſſe, vt ſemel aſſumpto illo in vnitatem perſonæ Filij Dei, vnus idémque Chriſtus ſicut ſecundum aſſumentem, ſic & ſecundum aſſumptam naturã, nullis ſubiectus ſit neceſſitatibus localitatis phyſicæ, nec vllis locorũ terminis ſit concluſus, aut locorum anguſtiis neceſſariò circunſcriptus?

B

Ad VI. Articulum.

Naturarum vnio in vna Chriſti perſona confuſionem earum non inducit, neque eſſentiales earũ proprietates tollit. Itaque quãquam vnus & idem Chriſtus eſt & Dei Filius & hominis: verus Deus, & verus homo: non ſequitur tamen eum, quâ homo eſt, & ſecundum aſſumptam naturam in loco non eſſe, etſi quâ Deus eſt, in loco eſſe non poteſt: nec ſequitur carnem Chriſti etiam glorificatã, quę verè caro manſit, idcirco loco contineri & circunſcribi non poſſe, quia diuina eiuſdem Chriſti natura circunſcribi non poteſt. Niſi enim hæc de Chriſti humanitate verè affirmari poſsint etiam nunc, certè humana in eo natura non manſit: ſed vel in diuinam naturam conuerſa eſt, vel ab ea deglubita & abſorpta. Quod vtrunque tamen eſt falſiſſimum & Eutychianum.

VII. Articulus.

Atque propterea non pati ipſum adorandum myſterium incarnationis Filij Dei, vt humano modo & captu atque phyſicis imaginationibus, de verbo incarnato quis ſentiat & cogitet, quod locorum mutatione nunc hîc, nũc C *alibi ſit, & de loco in locum transferatur?*

Ad VII. Articulum.

Suprà reſponderunt orthodoxi miraculoſam illam Chriſti conceptionem, neque illi corpus à noſtris diſſimile adaptaſſe: neque etiam ea, quæ ſunt corporum eſſentialiter propria ademiſſe. Nam verba ipſa Chriſti ſe filium hominis appellantis, item eiuſdem labores, itinera, paſſio, mors, reſurrectio, infinitáque alia id demonſtrant: atque etiam falſiſſimè à D. Andrea affirmari, corpus Chriſti, cùm in his terris eſſet, nulla phyſica motione de loco in locum tranſlatum, neque circunſcriptum certo loco fuiſſe,

VIII. Articulus.

Rectè ergo & piè omnes pios confiteri, quòd hoc admirabile corpus Chriſti glorificatum & glorioſum nullis locorum circumſcriptionibus ſit ſubiectum, ſed inchota inhabitatione Verbi incarnati ſemel, Emanuelem eſſe, & manſurum nobiſcum ſecundum vtranque naturam vſque ad conſummationem ſeculi? A

Ad VIII. Articulum.

Negant orthodoxi corpus Chriſti ab ipſo conceptionis momento glorificatum fuiſſe: vel ab iis infirmitatibus, quibus noſtra ipſorum corpora ſunt obnoxia, factum immune. Chriſtum vero Emanuelem idcirco dici oſtendunt, non quòd nobiſcum ſecundum vtranque naturam perpetuò verſetur: ſed quòd in ipſius perſona natura noſtra aſſumpta manet perpetuo & indiuulſo vinculo cum diuina vnita & coniuncta.

IX. Articulus.

Sic itaque Chriſti humanitatem ſemel in vnitatẽ perſonæ diuinæ aſſumptam, in hanc gloriã & maieſtatem ab ipſa incarnatione euectã eſſe, vt in ea non ſolùm non circumſcribatur loco, verùm etiam terram ac cœlũ impleat, B *ſed cœleſti & humanæ rationi inſcrutabili modo?*

Ad IX. Articulum.

Hic articulus, qui tanquam totius huius ſectionis concluſio additus eſt, vtranque naturam in Chriſto perſpicuè cum Eutychianis confundit, adeò vt quorſum de miraculoſa Chriſti conceptione diſputatio ſit à D. Andrea inuecta, iam omnes ſani facilè videant.

TERTIO,

EX ARTICVLO SYMBOli de aſcenſione.

I. Articulus.

AN ex articulo ſymboli Apoſtolici de Aſcenſione, & ex hiſce Chriſti verbis: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit, &c. ſentiant & aſſerant in vtroque loco, ſicut & aliàs ſæpiſsimè in Scriptura ſacra, cœlum, ex quo ſe Filius hominis deſcẽdiſſe, C *& in quod aſcendiſſe dicit, non ſignificare cœlum elementare, ſtellatum, primum mobile, aut etiam empyreum: & omnino fingi falſóque doceri, inde deſcenſum, & eò aſcenſum Filij Dei factum eſſe, longis diſtantiis & itineribus, temporéque longo, per ſphæras planetarum, motione phyſica, de loco in locum: & nunc eo in cœlo poſt aſcenſionem ipſum locatione phyſica concluſum & ita quaſi captũ teneri, vt tam longè ab Eccleſia, eiuſdémque piis mentibus abſit remotus, quantum ſupremum cœlum diſtet ab ima terra?*

AD TERTIAM SECTIONEM QVÆſtionum affirmatiuarum, quæ ex articulo Symboli, De Aſcẽſione, à D. Andrea proponuntur.

ADMONITIO AD LECTOREM.

Cœlum, in quod aſcendit Dominus & Saluator noſter Ieſus Chriſtus, vbique eſſe defendit hac tota ſectione D. Andreas: & iam ſuſceptum delirium ſiue potius impietatem de vera incarnatione Chriſti, & humanæ naturæ in vnam perſonam aſſumptione transformanda in ſymbolicam tantùm Dei apparitionem nititur hoc loco confirmare, cuius erroris iampridem in ipſa etiam Germania damnatus eſt D. Andreas.

Ad I. Articulum.

Deus Verbum κατ' ἀνθρωποπάθειαν de cœlo deſcẽdiſſe dicitur, quũ homo pro nobis factꝰ eſt. Hoc.n. de diuina illius natura dici dubitari non poteſt. Nam antequam homo eſſet, non potuit, quâ homo, de cœlo deſcendere, niſi fortaſſe aeream & cœleſtem quandam carnem ex Marcionitarum hæreſi illi affingat D. Andreas. Ergo quâ Deus, & quâ iã erat etiam ante incarnationẽ, dicitur de cœlo deſcendiſſe. Hæc autẽ deſcenſionis ratio in Chriſto Deo, neq; tanquam laborioſum quoddam iter per planetarum orbes, neq; velut progreſſio per ipſa cœlorũ ſpatia & interualla nobis ex ſomniis D. Andreæ imaginãda eſt, cùm tunc vbique fuerit & omnia impleuerit Chriſtus, quâ Deus. Sed hęc deſcenſio eſt humanæ naturæ facta in his humillimis mundi locis, nimirum in terra, pro noſtra ſalute abſoluenda à diuina Chriſti natura aſſumptio, & ad ſuam perſonam iam exiſtentem adiunctio ſiue vnio, per quam qui iam Deus erat, homo B eſſe cœpit, quod antea non erat. Cœlum autem illud, vnde deſcẽdit Chriſtus Deus, eſt certus quidã locus & ille ipſe, in quo ſacra Scriptura Deũ eſſe teſtatur, vt diuinæ maieſtatis ſupra has res omnes aſpectabiles eminentiam & excellentiam admirabilem, auguſtúmque ipſius tanquam domicilium nobis proponat & commendet, in quo tamen Deum ipſum tanquam in loco minimè contineri vel concludi (vtpote qui vbique ſit quia Deus) ſentiunt orthodoxi.

II. Articulus.

Sed credàt in dictis locis, ſicut & in oratione Dominica, & in aliis ſimilibus, cœlum intelligendum de hoc loco, in quo eſt & habitat Pater Filii deſcendentis ex ipſius ſinu, & ad eundem aſcendentis?

Ad II. Articulum.

Etſi Deus eſt vbique, nõ tamẽ vbiq; vt in cœlo: nec cœlum ipſum, in quo plena maieſtate ſua habitare dicitur noſtri ratione Deus, eſt vbique, ſed eſt C certus locus. Nã & in Dominica oratione, petitione tertia, cœlũ illud à terra diſtinguitur, cùm dicimus, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra*: & mirum eſt D. Andreã ſtatuere orationẽ dominicã, tropicã & metaphoricã qui tãtus alioqui eſt troporũ hoſtis. Eſt igitur cœlũ illud certus locus ab hac terra, & toto conſpicuo mũdo remotiſſimus, cœlis ipſis aſpectabilibus ſublimior, in quo Pater Filii deſcendentis κατ' ἐξοχὴν habitare dicitur, quòd illîc diuina ipſa maieſtas & natura optimè, liberrimè, feliciſſimè, perfectiſſimè, aliorum locorum comparatione, eluceat, reſplendeat, ſéq; ibi beatis ſpititibus pleniſſimè communicet.

III. Articulus.

Et ex hoc cœlo dicere Filium hominis ſe deſcẽdiſſe, & in hoc ipſum aſcendiſſe, non in certum aliquem locũ, terminis & ſpatiis circũſcriptũ, ſed in cœlũ Patris ſui, hoc eſt, ad immenſam & ineffabilẽ gloriam Dei, ad lucem inacceſſibilem, ad dexteram Patris, nullis locorum anguſtiis, concluſam aut circumſcriptam?

Ad III. Articulum.

In hoc igitur cœlum & certum illum locũ A Chriſtum, qua homo eſt, aſcendiſſe docent ex ſacra Scriptura orthodoxi, vbi ineffabili gloria fruitur, quæ angelis ipſis beatis, nedum nobis hominibus, eſt admirabilis & ſtupenda. In quo loco non quidem certæ alicui illius parti, tanquã glebæ, addictus, vel carcere vinctus continetur: ſed tanquã in beatiſſimo felicitatis domicilio liberrimè verſatur & habitat, donec iterũ appareat vt iudicet viuos & mortuos.

IIII. Articulus.

Ex eodem quoque cœlo, dici in Scriptura, Deum Patrem deſcendere, & in illud aſcendere, cùm hominibus apparet vel diſparet, ſic & Filiũ Dei ex hoc cœlo in ſacris eloquiis dici deſcendere & ad hoc aſcendere, cùm apparet in carne vel diſparet?

Ad IIII. Articulum.

Perperam confertur à D. Andrea incarnatio Verbi, cum iis Dei apparitionibus, quæ patribus olim factæ ſunt, vel nunc nobis fieri poſſunt. B Hæc enim eſt ipſius carnis & naturæ humanæ in vnã Vnigeniti perſonã indiuidua aſſumptio, & vnio. Illæ verò Dei apparitiones fuerunt ſigna tantùm vera illa quidem, ſed tamen ſymbola præſentis ſéque peculiariter manifeſtantis Dei maieſtatis ad tempus exhibita, quæ neque cũ ipſa diuina natura hypoſtaticè vniebãtur: neque, vt cum ea perpetuò manerent coniuncta, aſſumebantur: ſed re peracta, propter quã Deus apparebat, deponebantur. Itaq; facit hic D. Andreæ articulus incarnationem Chriſti ſymbolicam tantùm quandam illius manifeſtationem nobis in his terris factam. Præterea non videt D. Andreas, non eſſe eandem interpretationem ſequẽdam, cùm in Scriptura dicitur Pater de cœlo deſcẽdere, vel in cœlum aſcendere: atque cùm Filius propter carnem noſtram aſſumptam dicitur de cœlo deſcendiſſe, vel quia eandẽ poſtea in cœlũ euexit, in cœlũ aſcendiſſe. Nihil enim in hoc Chriſti deſcenſu vel aſcenſu in cœlum ſymbolicũ tantùm factum eſt. Sed vox ipſa Cœlum, ſiue de Patre ſiue de Filio deſcendente vel aſcendente loquatur Scriptura, C eſt certus ille locus, quem ſuprà diximus, nõ autem vbiquitarium aut vtopicum cœlum, quem D. Andreas ſomnians imaginatur.

V. Articulus.

Ideóque D. Paulum, Ioannem & Petrum vti vocabulo ἐπιφαίνεσθαι, apparere, eò quòd deſcendere Filiũ hominis, nihil aliud ſit & ſignificet, quàm apparere vel diſparere?

Ad V. Articulum.

Non tantùm primus, ſed etiam ſecundus Chriſti aduentus appellatur à Paulo ἐπιφάνεια, quòd ſit vterque illuſtris, certè palpabilis, certus, & oculis etiam ipſis conſpicuus ipſius perſonæ Vnigeniti in carne aſpectus & intuitus: non autem quoddam tantùm apparentiæ vel manifeſtationis illius ſignum, nobis, vt olim Patribus, in his terris obiectum & oſtẽſum. Id quod tamen ſentit D. Andreas. Quare diſcrimen vtriuſque apparitionis planè ſe ignorare: & propriam vocis huius, ἐπιφάνεια, ſignificationem etiam peruertere ſe oſtendit.

A

VI. Articulus.

Conſtare etiã ex hac Spiritus ſancti Grammatica, & vocabuli Deſcendere vel Aſcẽdere proprietate, Filij hominis aſcenſionẽ in cœlum nihil aliud eſſe, quàm viſibilẽ diſparentiã, ac vt propriiſsimè loquitur Lucas Act. 1. Subductionẽ per nubẽ ab oculis diſcipulorum, diſceſſionem ex hac mortali hominũ vita, tranſmigrationẽ ex viſibili cõuerſatione hominũ, euaneſcentiã ex oculis hominum palpabilis & viſibilis huius vitæ conuerſationis, ingreſſum in cœlum, regnum Dei Patris glorioſum?

Ad VI. Articulum.

Hîc iam manifeſtè profert D. Andreas venenũ quod concoquebat, qui Aſcenſionem Chriſti in cœlum nihil aliud eſſe putat, quàm ipſius viſibilẽ diſparentiam & euaneſcentiam in his ſuperioribus nubibus, ne (quanuis tamen adhuc inter nos naturali B præſentia & corpore ſuo ſit præſens) palpari & videri à nobis poſsit. Ergo ex D. Andreæ ſentẽtia Chriſtus verſatur quidem adhuc in hoc aere capitibus noſtris imminente, ſed deliteſcens, inuiſiblis & impalpabilis factus, qualis ille apud Virgilium AEneas libro 1. AEneid. & Mars ſępe apud Homerum. Quibus certè exemplis in re tam augusta minimè vteremur, niſi id prius D. Andreas faceret, & admirabilem illam Chriſti aſcenſionem in poeticum figmentum prorſus conuerteret, vel potius Carpocratianam hæreſin nobis tanquã ius quoddam rancidum reponeret. Itaque veniam nobis dabunt pii lectores.

VII. Articulus.

Hanc itaque aſcenſionem non fieri motione phyſica de loco in locum, quia Deus non eſt in loco, ſicut nec Filius Dei de loco in locum mouetur?

Ad VII. Articulum.

C Vtraque huius articuli pars falſa eſt. Ac prima quidem, per quam Chriſti aſcenſionem neque motione phyſica, neque de loco in locum mutatione factam eſſe vult D. Andreas, quia eam apertiſsimè ipſa diui Lucæ verba in Act. refutat, cùm ait ἐπήρθη & πορευομένου, quæ neque ſine phyſica motione, neque ſine de loco in locum migratione & mutatione intelligi poſſunt. Loquutus eſt enim verè & propriè, nõ autem mendaciter Spiritus ſanctus, ne dicam, quemadmodum D. Andreas, grammaticè. Alteram autem huius articuli partem falſiſsimam eſſe, neque à Miniſtris Marchiticis propria manu ſubſignandam ipſa Verbi Dei veritas oſtendit. Nã D. Andreas ſtatuit Chriſtum, quâ Dei Filius eſt, id eſt, Deus, dici in articulo Symboli aſcendiſſe in cœlum, quod de Chriſto homine & quatenus homo eſt, accipiẽdum & Scriptura ipſa, & omnes orthodoxi Patres ſemper docuerũt. Deniq; ſi aſcẽſio & deſcẽſio Chriſti fuit tãtùm diſparitio & apparitio, vt vult D. Andreas: mors quoque Chriſti erit tantùm ex Manicheorum impietate imaginaria.

VIII. Articulus.

Ac propterea ſicut ante incarnationẽ nõ patitur fides catholica, vt Filius Dei, nondum carne aſſumpta, dicatur in certo aliquo cœli loco apud Patrẽ fuiſſe, atque ex eodẽ loco deſcendiſſe: ita Scripturã & fidem Chriſtianã non concedere, vt quiſquam, niſi Neſtoriana impietate A faſcinatus, dicat, Verbum, incarnatũ, Emanuelem, Filiũ hominis carne aſſumpta poſt aſcenſionem à cœlo capi, in hoc cœlum aſcendiſſe, in quo locorum terminis circunſcriptus, ſedeat, ſtet aut ambulet, prout placuerit?

Ad VIII. Articulum.

Reſpondent orthodoxi proximè ſuperiorẽ errorem hîc à D. Andrea geminari, cùm aſſerit Chriſtum eadem ratione poſt incarnationem in cœlũ aſcendiſſe, qua ante incarnationem in eo fuit apud Patrem. Ignorantiam igitur ſuam, & eam quidem turpiſsimam prodit, dum ea, quæ diuerſarum naturarum ratione vni & eidem Chriſto conueniũt, vnius tãtùm reſpectu de eo dici putat. Quòd enim poſt incarnationem & reſurrectionem aſcendit in cœlum Chriſtus, de humana ipſius natura intelligi debet, ſecundum quam aſcendit. Quòd verò ante B incarnationem in cœlo fuit apud Patrem, id diuinæ tantùm ipſius naturæ competit, non autem humanæ, quæ nondũ erat. Neq; cũ Neſtorio perſonã Chriſti diuidimus, cùm naturarum proprietates diſtinguim⁹, vt ne Eutychianã cõfuſionẽ inuehamus.

IX. Articulus.

Ex hac ergo Spiritus ſancti Grammatica, phraſibus & modis loquendi intelligi dicta, de deſcenſione & aſcenſione, de exitu à Patre & abitu ad Patrẽ, & ſimilia humano quidem modo ad captum humanum dicta, non humano modo de phyſica motione de loco in locum?

Ad IX. Articulum

Ex falſis antecedentibus falſiſsimum conſequẽs effici tãdem neceſſe fuit, quod hîc apparet duplex. Primum, eiuſdem naturæ reſpectu Chriſtum dici exiiſſe à Patre, & abire ad Patrem, quod diuerſarũ ratione naturarum intelligendum eſſe nemo pius vnquam dubitauit. Secundum, Chriſti incarnationem nihil aliud eſſe, quàm ſymbolicam carnis no C ſtræ, tanquam ſigni cuiuſdam præſentis ſuæ maie- Ioan. 6. ſtatis, aſſumptionem, vti cùm olim Patribus idem Chriſtus apparuit: ideóque non verè, ſed tantùm ex noſtræ imbecillitatis ſenſu Chriſtum, etiã quâ homo eſt, dici abiiſſe ad Patrem. Ecquid verò reſtat, quò minus idem D. Andreas apertè profiteatur, quod intus coquit, nimirum non verè, ſed pro captus tantùm noſtri ratione eundem Chriſtum & paſſum, & crucifixum, & mortuum dici? Carnem enim à Verbo aſſumptam veram fuiſſe neget neceſſe eſt, cùm eam neque locum mutare potuiſſe, neque comprehenſam loco eſſe, neque de loco in locum progreſſam, neque in cœlum euehi potuiſſe manifeſtè contendat. Quæ quantum à Manichæorum impietate differãt, doceat ſine conuitio D. Andreas.

X. Articulus.

Sic denique & adeſſe vel abeſſe huius noſtri Emanuelis & Verbi incarnati, nõ de ipſa eſſentia eius præſentia, ſed de modo præſentiæ, non de locali incluſione in aliquo cœli loco, aut de locali motu & loci mutatione intelligendum eſſe?

Ad X. Articulum.

Verbum quidem ipſum, quod incarnatum eſt, conce-

A concedunt orthodoxi nullo loco circumſtribi, quia hoc vocabulo, Verbum, diuina Chriſti natura deſignatur. Negant tamen iidem carnem à Verbo aſſumptam omnia locorum ſpatia excedere, nullíſue dimenſionibus circunſcribi aut capi poſſe. Itaque in hac concluſione vel naturas in Chriſto exæquat ex impio Neſtorianorum delirio D. Andreas: vel eas ex Eutychianorum hæreſi confundit: vel ignorat diuerſarum naturarum ratione Chriſtum eundem cœlo comprehenſum, & non comprehenſum: loco circunſcriptum & non circunſcriptum dici intelligíue & poſſe & debere.

B

QVARTO,

EX ARTICVLO SYMBOLI de ſeſſione ad dexteram Patris.

I. Articulus.

AN firmiter teneant verum & catholicum intellectum de dextera Dei, ad quam Symbolum Apoſtolicum & Scriptura ipſa paſſim filium hominis conſediſſe dicit, non eſſe ſedem localem ad Patris dexteram poſitam, in qua localiter non ſecus ipſe Filius Dei conſederit, ac ſi iuxta poetarum figmenta Iupiter ad dexteram ſuam ſedentem ſecum habeat filiũ ſuum, quem fabula Ethnicorum lucem eſſe narrant: Sed eſſe ipſam Dei patris potentiam, fortitudinem, poteſtatem, brachium, regnum & dominium in cœlo & in terra, ſicut Scriptura vbique loquitur de dextera Dei?

AD QAARTAM SECTIONEM QVÆſtionum affirmatiuarum, quæ ex articulo Symboli de Seſſione ad dexteram Patris à D. Andrea proponuntur.

Ad I. Articulum.

C Quicquid hîc D. Andreas aſſerit, totum eſt tralatitium, id eſt, ex orthodoxorum ſcriptis ad verbum tranſcriptum. Itaque vt ſuum ipſi lubenter agnoſcunt, & admittunt, &, vt in ea tam ſana doctrina ipſe D. Andreas perſtet, obnixè rogant. Quod autem de poetarum figmentis addidit præter verba orthodoxorum, fortaſſe ab intimis ſuæ confeſſionis ſociis audiuit dici. Tales enim & tam craſſæ de Seſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti ad dexteram Dei Patris interpretationes & ſententiæ, orthodoxis ne in mentem quidem vnquam venerunt.

II. Articulus.

Et idcirco Filium aſcendiſſe in cœlum, & conſediſſe ad dexteram Patris, nihil aliud eſſe, quàm ex iſta corporali vita communem hominum conuerſationem externam, palpabilem & viſibilem deſerentem, abiiſſe ad inacceſſibilem lucem, in qua Pater habitat, & ad inuiſibile hominibus regnum glorioſum, in ſinum Patris, in quo fuit ante mundum conditum, & ante omnem localitatem phyſicam?

Ad II. Articulum. A

Seſſio Chriſti ad dexteram Dei Patris, eſt ſummum eiusimperium, quâ caput eſt Eccleſiæ, in res omnes, illi à Patre conceſſum: per quod humanã naturam, quam ſemel aſſumpſit, ſibíque vniuit, nõ abolet, ſed retinet. Sed neque aſcenſio eſt nubis cuiuſdam obiectio, quam offuderit oculis noſtris, ne eum inter nos etiam hodie corpore præſentem, videamus. Deinde ſi per vocem, Filij, intelligat D. Andreas deitatẽ, impium eſt tribuere deitati localitatem. B Sin verò eadem voce, naturam humanam ſeorſim conſideres, impiè dicit D. Andreas fuiſſe in ſinu Patris ante mundum conditu. De vtroque verò coniunctim intelligi negant, quod neutri in ſeſe competit.

III. Articulus.

Abiiſſe quoque ad Patrem Filium hominis, in cœlum aſcendiſſe, atque ad dexteram Patris conſediſſe, non craſſo & humano modo intelligendum eſſe, ſicut Homerus de ſuis fabulatur diis: ſed Filium hominis aſcendendo in cœlum, non locorum mutatione, ſecundum eſſentiam ſeu perſonam, ſed modo præſentia inuiſibilis mutato euaneſcentia ſeu diſparentia quadam, apud Eccleſiam ſuam manentem eſſentiali & perſonali præſentia, vſque ad conſummationem ſeculi, occupaſſe poteſtatem in cœlo & in terra à Patre ſibi datam? C

Ad III. Articulum.

Naturali & eſſentiali præſentia corpus Chriſti ab his terris prorſus abeſſe propter ipſius in cœlum aſcenſionem iam docuerunt orthodoxi, quanquam hoc centies regerit D. Andreas & illam admirabilem carnis ſuæ eleuationem ſupra cœlos heſce omnes viſibiles factam à Chriſto iidem orthodoxi negant eſſe euaneſcentiam in hoc aere elementari: vel ipſius tantùm diſparentiam ex oculis noſtris: vel inuiſibilem præſentiæ & cõuerſationis Chriſti in his terris rationem, quam tamen fingit D. Andreas. Docent igitur eam eſſe veriſſimam abductionem corporis Chriſti in remotiſſimum ab his terris locum. Sed hîc quoque, vt ſemper, D. iſte Andreas aſcenſionem Chriſti cum ſeſſione eiuſdem ad dexteram Patris confundit, & diuerſas in Chriſto naturas, quæque propriè de vtraque dicuntur, magna ignorantia non diſtinguit.

IIII. Articulus.

Sic verò ad dexteram Patris ſedentem, enter, potenter & præſenter dominari in cœlo & in terra: ſic gloria & honore coronatum Filium, ac ſupra omnes cœlos, ſupra omnem mundum, extra quem, teſte Ariſtotele, non eſt locus, conſtitutum eſſe?

Ad IIII. Articulum.

Cùm Chriſtus Filius hominis & homo verus, vel ipſo Andrea teſte, ſedeat ad dexteram Dei Patris, non poteſt, quâ homo, enter & præſenter eſſe & dominari in cœlo & in terra. Hic enim modus diuinæ tantùm naturæ & creatrici, non autem humanæ & creatæ competere poteſt. Dominatur igitur Chriſtus, quâ homo, potenter, non autem præſenter. Atque hîc D. Andreas ex eo paralogiſmo peccat, qui apud Ariſtotelem, dicitur Ignoratio Elenchi, quia, quæ ad diuerſas Chriſti naturas referri debent, de vna tantùm dici putat, quam confundit. Quod autem hic idem D. Andreas ex Ariſtotele negat locum vllum eſſe extra hunc viſibilem mundum, certè oſtendit ſe eatenus de cœlo, beatorum Angelorum & animarum domicilio ſentire, quatenus non ex Dei Verbo, ſed ex prophana philoſophia didicit: At verò Chriſtus aliud nos docet, quum inquit, *In domo patris mei multæ ſunt manſiones.*

v. Articulus.

Nõ itaque filium hominis in locum corporeum (cùm in hoc regno Filij nullus ſit locus, neque aliqua locorum mutatio) exaltatum, ſedere ad dexteram Patris, excelſiorem omnibus cœlis factum, ſub ſe omnes cœlos, omnem mundum & omnem localitatem habere, atque omnia ſibi præſentia, regere & gubernare præſentem, ſub ſe habere omnem principatum, dominium, poteſtatem in cœlo B *& in terra, omnia in omnibus implere?*

AD v. Articulum.

Eundem paralogiſmum, quem ſuperius, & hîc quoque committit D. Andreas, & ſcelus ſceleri addit, dum à potentia ad locum argumentatur. Negat enim idcirco Chriſtum hominem & quâ corpus habet, vllo in cœlo & loco eſſe poſſe, quia in omnia poteſtatem habet, omnia regit, etiã Mũdum hunc omnẽ. Deinde ſi caro Chriſti propter hypoſtaticam vnionem omnia implet enter & præſenter, cur antea recurrit D. Andreas ad verborum Chriſti pronunciationem, vt eſſentialem carnis Chriſti præſentiam ſtatueret?

vi. Articulus.

Vbicunque ergo ſit Pater cum ſua virtute, omnipotentia & omnipræſentia, ibi quoque eſſe Filium hominis: & ſicut ante incarnationem impleuit omnia, & in æquali fuit cum Patre potentiæ & omnipræſentiæ maieſtate: ita nunc humana natura aſſumpta in vnitatem perſonæ ſuæ, & in maieſtate cæleſti collocata, Chriſtum C *Deum & hominem in vna perſona omnia implere, eſſe omnipotentem & omnipræſentem?*

Ad vi. Articulum.

Chriſtum in vna perſona Dei & hominis Filiũ eſſe concedunt orthodoxi, negant tamen propterea (niſi naturas in eo confuſas, vel abſorptas ex blaſphemia Eutychianorum eſſe velit D. Andreas) humanam illius naturam eſſe omnipræſentia prędita m. Quid enim eſſet homo Chriſtus, niſi deus quidam recens & fictitius, & quarta quędam perſona ad diuinam illam Trinitatem ex Tetratheitarum impietate addita? Ergo Chriſti humanitas neque vbique eſt, neque omnipræſens. Quâ verò Chriſtus Deus eſt & æqualis Patri, eſt vbique. Quâ autem homo, & is quidem verus, in cœlo eſt. Nam quod vbiq; regerit D. Andreas, Chriſtum Filium hominis nunc implere omnia, ſicut ante incarnationem implebat, demonſtrat eum ignorare diuerſam eſſe naturarum rationem in Chriſto, & illum confundere pueriliter abſtracta cum concretis & tribuere humanitati, quæ competere A non poſſunt. Denique ignorat diuerſam eſſe gloriæ rationem, quæ nobis in Chriſto, quâ Deus eſt Patri coæternus: & in eodem Chriſto, quâ homo in cœlum euectus & ſedens ad dexteram Patris, cogitanda atque etiam diſtinguenda eſt.

ARTICVLI IMprobandi.

Quæſtiones negatiuæ.

I. Articulus.

AN improbent recentium Caluiniſtarum vanam & impiam imaginationem phyſicam de neceſſita B *te localitatis in corpore Chriſti, qua Chriſtum cœlo capi, & in certo loco circumſcriptiuè eſſe oportere, contentiosè affirmant. Phyſica enim & corporali locatione corpus Chriſti in cœlum ſublatum, & ſecundum humanam naturam oportere alicubi eſſe localiter, nec poſſe fieri, vt in pluribus locis poſſit eſſe, contendunt?*

AD ARTICVLOS D. ANDREÆ IMPROBANDOS, ſiue ad quæſtiones negatiuas, quas pro falſis & Muſculanicis orthodoxi veras reponunt, vt iam hi articuli non ſint improbandi, ſed maximè probandi.

Ad I. Articulum.

Orthodoxi docent Chriſtum, qua homo eſt aſcendiſſe in cælum, verè, non imaginariè: in verum cœlum & locum certum, qui ſit ſupra hunc omnem mundum aſpectabilem: non in cœlum vtopicũ aut vbiquitarium, quod ſit vbique, aut nuſquam ſit. In quo loco, vti feliciſſimo beatitudinis domicilio, atque angelis ipſis beatis & piis hominibus electis à Deo deſtinato, liberè verſetur, atque habitet, ſéque contineat vſque ad tempora inſtaurationis omnium rerum.

II. Articulus. C

An ex animo deteſtentur, ſuper hoc impium, arenoſum fundamentum, conſtructa impia & in ſacram cœnam blaſphema dogmata, de eleuato & ſedente ad dexteram Patis ſeſſione locali Filio hominis, ideóque in Cœna ſua non eſſentiali præſentia, ſed præſentia efficacia in mentibus piorum præſente?

Ad II. Articulum.

Huius ſuæ fidei fundamentum habent non impium, non arenoſum: ſed ſanctiſſimum, veriſſimũ, lucidiſſimum & firmiſſimum ipſius Dei omnipotentis Verbum, cui acquieſcunt. Ex quo ſequitur neceſſariò Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus (quod etiam poſt reſurrectionem verum corpus manſit) in cœlo illo eſſe: neque eſſentiali & naturali præſentia in, cum, vel ſub pane Cœnæ eſſe poſſe, ne ſimul duobus pluribúſue in locis eſſe ſtatuatur corpus Chriſti. Iidem tamen orthodoxi ſacramentalem corporis Chriſti præſentiam in Cœna Domini admittunt, ſed illa naturali & eſſentiali contraria eſt: & iidem corpus ipſum Chriſti verum à dignis, & iis quidem ſolis, fide, ſpirituali modo manducari credunt.

III. Articulus.

An improbent & hoc vanum commentum,ex priori manans,corporis Chriſti abducti in cœlum nullam ſubſtantialem partem ſumentibus communicari , nihil ſubſtantiale ex corpore Chriſti decidi?

Ad III. Articulum.

Negant autem ipſum Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus propter huiuſmodi communicationem vel minui in partes,vel in fruſta ſecari , vel membratim diſcerpi ,quia huiuſmodi manducationis vel potius lanienæ & lacerationis ratio & cogitatio planè inepta,impia , Capernaitica & ſpirituali manducationi , quæ ſola hîc locum habet,cõtraria eſt.Totius enim ipſius carnis communicationem non autem partis tantùm eius , nobis dari, quia tota , non autem pars tantùm eius , pro nobis paſſa , crucifixa, mortua,excitata,& in cœlum euecta eſt.

IIII. Articulus.

Item,quòd dicta de manducatione carnis Chriſti non ſint intelligenda,niſi de interiori,ſpirituali renouatione, non de realis carnis transfuſione?

Ad IIII. Articulum.

Propterea tamen vllam carnis & corporis Chriſti cum noſtra ſubſtantia, vel cum animabus noſtris confuſionem fieri negant orthodoxi, vel vllius partis carneæ è Chriſti corpore in nos traiectionem:ſed ipſius interni & viuifici ſucci, qui in Chriſto habitat , participationem miraculoſo quidem & incomprehenſibili modo , ſed tamen vi Spiritus ipſius Chriſti verè nobis dari affirmant.

V. Articulus.

Similiter & hoc, quòd impudenter & mendaciter aſſerunt Sacramentarii tam veteres quàm recentiores, Paulum κοινωνίαν vocare communionem cum Chriſto ſpiritualem & præſentiam tantummodo efficacia. Non igitur in Cœna cogitandum de alligatione corporis Chriſti ad ſymbola , ſed de præſentia actionis , quæ ſola ſalutaris ſit credentibus quæ verè in ſumptione panis & vini pijs præſtet,quæ promittit Euangelium?

Ad V. Articulum.

Dictum igitur Pauli,qui panem Cœnæ, quem frangimus, vocat κοινωνίαν corporis Chriſti , docent non de myſtico corpore Chriſti,quæ eſt Eccleſia,intelligendum:ſed de vero,& ipſo illo , in quo agnus ille Dei immaculatus pro nobis paſſus eſt.Sed neque hanc κοινωνίαν pertinere tantùm ad fructuum, qui nobis ex morte & reſurrectione Chriſti offeruntur,communionem : ſed ad veram ipſiuſmet arboris , id eſt,carnis Chriſti participationem,ſed ſpiritualem. Neque confundunt orthodoxi manducationem cum renouatione ſpirituali,id eſt,cauſam cum effectu.

VI. Articulus.

An & hanc Caluiniſtarum impietatem agnoſcant, quæ aſſerunt,Sacramenta rectè dici ſigna ſeu ſpectacula viſibilia , aut inſtrumenta,per quæ Filius Dei in Eccleſia ſit efficax:minimè verò ſigna externa & viſibilia, verum corpus Chriſti in terris præſens,& in Cœna inuiſibile exhibentia?

Ad VI. Articulum.

Symbola verò Cœnæ à Chriſto inſtituta ἀντίτυπα, σφραγῖδας, & σημεῖα vocant orthodoxi , tum quod ita in aliis Sacramentis à Spiritu ſancto nominantur:tum etiam quòd ſunt tantæ gratiæ incomprehenſibili modo nobis à Deo communicatæ diuina certáque teſtimonia:non autem figuræ tantùm quædam nudæ & leues,vel fictitiæ rerum olim geſtarum imagines.Ipſa igitur ſymbola docent neque tranſmutata in res ſignatas, nã ſignis ſublatis perit Sacramenti natura : neque ſymbolis ipſis vel totum corpus Chriſti , vel illius partem alligatam.Nam hæc alligatio corpus Chriſti de cœlo detrahit:neque etiam ſymbola eſſe ὀχήματα,vaſa,& vehicula ipſum Chriſti corpus ad nos ſecum deferentia : nam iſta vectura alium carnis Chriſti percipiendæ,quàm ſpiritualem & incomprehenſibilem modum ſtatuit.

VII. Articulus.

An & has blaſphemas in ſacroſanctam Cœnam voces agnoſcant,quibus aſſerunt,non dicendum,nec credendum,panem eſſe verum corpus Chriſti eſſentiale & ſubſtantiale,ſed externam tantùm & viſibilem rem, qua fiat ſocietas inter pios & corpus Chriſti. Nã ſumptione ſacramenti credentes ſocios reddi corporis Chriſti, ſignis verò nihil ſubſtantiale accedere de corpote Chriſti?

Ad VII. Articulum.

Symbola ſacramentorum rectè earum rerum nomina ſumere docent orthodoxi, quarum ſunt ſigna,propter ſummam,quam cum ipſis illis rebus habent quoad vſum & finem, ſimilitudinem. Neque tamen propterea res ipſæ ſignatæ ſymbolis includuntur,vel affixæ finguntur, à quibus locorũ interuallis longiſſimè ſeparantur. Itaque in Cœna Domini panem & vinum hoc ſenſu , & quidem germano , corpus & ſanguinem Chriſti appellari dicunt.

VIII. Articulus.

An & hanc Caluiniſtarum recentium falſam ac mẽdacem aſſertionem damnent, quæ dicunt & contendunt, pios accedere ad Chriſtum,fide,nec quærere eũ in elementis corporalibus panis & vini , ſed ſtatuere eum abſentem & longè remotum à Cœna,efficacem eſſe in cordibus ipſorum:auertere itaque pios oculos corporis & aciem mentis ab elementis,& ſe conuertere ſurſum verſus ad cœlos,ibique corpus Chriſti edere & ſanguinem eius bibere:nam ibi tantùm eſſe & reperiri corpus Chriſti,Sacramenta autem ſeu panem & vinum tantùm eſſe media ſeu organa, ad Chriſtum, & eius ſpiritualem manducationem communicantes perducentia?

Ad VII. Articulum.

Cùm ſacra Domini Cœna propriè ſit animarum noſtrarum paſtus,non corporum : nulla vel carnalis,vel craſſa manducatio corporis Chriſti in ea fieri nobis fingenda eſt:ſed planè ſpiritualis, & quæ animarum noſtrarum naturæ conueniat. Cùm item fide , non autem dentibus manducetur verum corpus Chriſti , abſit quoad

A naturalem & eſſentialem præſentiam, ab eo loco, in quo Cœna Domini celebratur, neceſſe eſt, quia fides eſt rerum abſentium, & non præſentium. Denique cùm in cœlo ſit hoc corpus: panis autem & vinum, quæ nobis in Cœna præbentur, ſint in his terris, corpus Chriſti in his corporalibus & terrenis elementis minimè quærendum eſſe docent orthodoxi. Negant verò iidem conſtanter illa elementa & ſymbola eſſe vaſa vel vehicula, per quæ corpus Chriſti ad nos deferatur: ſed ea docent eſſe certiſſima & diuinitus inſtituta noſtræ cum Chriſti carne communicationis teſtimonia, ne de ea dubitemus. Itaque etiam ſi in ſignis hærendum non eſſe docent, ſigna tamen minimè aſpernantur: quibuſtanquam adminiculis, adeóque veluti ſcalis quibuſdam fidem in cœlum prouehi dicunt.

IX. Articulus.

B *An & hanc fraudem & fucum horum verborum deprehendant, quibus aſſerunt, inter nos & ipſos nõ eſſe controuerſiam de præſentia corporis Chriſti, & manducatione, ſed de præſentiæ & manducationis modo. Fateri enim eos corpus Chriſti in Cœna edi, & ſanguinem eius bibi: dicere ſe ac affirmare in ſacra Cœna, cum pane & vino externis ſymbolis verum corpus & ſanguinem ſacramentaliter coniuncta porrigi ad manducandum, non ore corporis, ſed ſpiritualiter per fidem. Non autem neceſſariam eſſe ad hanc communionem, quæ fide fit, eſſentialem, naturalem & corporalem præſentiam corporis Chriſti, qua cum pane eſſentialiter præſens ore corpus manducetur: Nam hunc præſentiæ modum, & naturæ ſacramentorum, & articulis fidei, & ſcripturæ ſacræ eſſe contrarium?*

Ad XI. Articulum.

Primùm quidem fuit orthodoxis in negotio ſacramentario cum quibuſdam moderatioribus viris de modo tantùm communicationis, non de C reipſa, certamen. Poſtea verò exorti ſunt tum impanatores, tum Vbiquitarij, cerebroſi homines, & malè feriati, qui nimio otio nimiiſque deliciis abundantes, & extra teli, id eſt, ſæuiſſimarum perſecutionum iactum poſiti varias inter ſe ſectas & hæreſes condiderunt: adeò vt omnes penè fidei Chriſtianæ articulos hodie oppugnent. Id quod ex his ipſis D. Andreæ theſibus & articulis apparet. Cum his igitur nouis Vbiquitatis apoſtolis, agnoſcunt orthodoxi ſibi iam de tota fidei Euangelicæ & ſymboli Apoſtolici fermè doctrina, quam iſti impiè euertunt, acerbiſſimam eſſe dimicationem.

X. Articulus.

An iuſto & pio odio vel hoc etiam nomine proſequantur recentiores Caluini ſectatores & diſcipulos, quòd impietatem impietati addentes, contentioſè affirmant, corpus Chriſti à Cœna, quoad realem præſentiam quidem abeſſe, ſed ipſam carnem & ſanguinem Chriſti præſentia eſſe ἐνεργείᾳ, ſeu ſpiritu, gratia, meritis, & admirabilibus fructibus, quæ inde deriuentur, hacque animis noſtris præſentia eſſe per fidem & ſpiritualiter?

Ad X. Articulum.

Ergo meritò perſequuntur odio orthodoxi non A ipſas quidem ſuorum aduerſariorum perſonas, ſed eorum tãtùm hæreſes & impia dogmata, qui dum nimium craſſè & exiliter de Omnipotentia Dei (quaſi rem à ſe promiſſam alio, quàm eſſentialis & carnalis præſentiæ, modo exhibere non poſſit) cogitant dum Chriſti naturas confundunt: dum Chriſtũ de cœlo detrahunt, Eutychianam, Neſtorianam, & Papiſticam blaſphemiam eodem ſimul dogmate renouant.

XI. Articulus.

Item, quòd communicantes pij & fideles percipiant in Cœna corpus myſticum, gratiæ & veræ naturæ virtutem, veræ carnis ſacramentum, corpus per gratiam, carnem ſpiritualem, ſed aliam ab ea, quæ nata eſt ex Maria virgine & paſſa in ara crucis. Verbis ergo Cœnæ diſpenſari corpus Chriſti & definiri, & communicantibus præſens fieri, fide, non omnipræſentia, aut reali præſentia.

Ad XI. Articulum.

B Docent igitur ipſi orthodoxi vnum & eundem Chriſtum, etiam nunc, & poſtquam per aſcenſionem in cœlum & ſeſſionem ad dexteram Dei Patris glorificatus eſt, duabus conſtare naturis, iiſq; veris non confuſis, non abſorptis, non commixtis ſed diſtinctis, integris, & ſuas eſſentialeſque proprietates retinentibus, propter quas fit, vt quamuis Chriſtus, quâ Deus eſt, vbique ſit, quâ tamen homo eſt, certo in loco, id eſt in beatiſſimo illo cœlo contineatur: neque tamen facit illa corporis Chriſti collocatio & circunſcriptio, vt à deitate ſeparetur, & quo minus diuina ſua vi & potentia Chriſtus ſuum & verum corpus propter promiſſionem à ſe factam, in Cœna, ſpirituali quidem & incomprehenſibili modo, piis & dignis communicet: non autem energiam, vel fructus tantùm C mortis & reſurrectionis ſuæ iis largiatur.

XII. Articulus.

An & in his vocibus Neſtorianam impietatem in Caluiniſtis agnoſcant, quæ impudenter aſſerere audent, ſecundum diuinitatem Chriſtum præſentem eſſe in terris, & humanitatem, quæ in cœlo eſt, ſic ſuſtentare, vt eam non deſerat, nec ea aliter, quàm in diuinitate ſibi vnita ſubſiſtat, attamen non ideo humanitatem in terris præſentem eſſe. Non enim diuinitatem Verbi vbique ſibi habere coniunctam humanitatem: neque ſequi, cui rei diuinitas eſſentialiter præſens eſt, vt illi eſſentialiter præſens etiam ſit humanitas diuinitati coniuncta, vt ſcilicet diuinitas eam ſiſtat præſentem in omnibus locis, ad quæ ipſa quaſi diffunditur. Nam alium eſſe modum præſentiæ diuinitatis, quæ infinita eſt: alium modum præſentiæ humani corporis, quod finitum & circunſcriptum localiter & circumſcriptiuè præſens eſt, vbi ſua ſubſtantia præſens eſt. Quare nullo modo probandam præſentiam corporis & ſanguinis Domini in pane & vino, Cœnæ dominicæ?

Ad XII. Articulum.

Neque propterea tamen diduci vel diſtrahi Domini noſtri Ieſu Chriſti perſonam contendũt orthodoxi, quum illa humanitas Chriſti à deitate, cui hypoſtaticè vnita eſt, nunquam diſiungatur vel ſeparetur, vt ipſa per ſe, & ſeorſim extra diuinæ

naturæ

A naturę vnione ſit,ſubſiſtat,& ſuū eſſe habeat.Sēper enim manet illius deitatis,& quidem ſolius,propria humanitas:nec alia ratione,& virtute, quàm illius hypoſtaticæ aſſumptionis vinculo ſuſtentatur,& ſubſiſtit:non ſua: non alterius vi:non ſeorſim à deitate Chriſti,quando nec antè fuit, quàm ab ea aſſumeretur: nec ab ea vnquam deſeritur. Non eſt autem hypoſtatica naturarum vnio, quæ in vna Chriſti perſona facta eſt, ambarum coextenſio, non adæquatio, non æqualis dilatatio vtrarũque, non confuſio,non aſſumptæ naturæ ab aſſumente facta deglubitio,quam tamen D. Andreæ theſes & articuli penitus inducunt,vt eſſentialem corporis Chriſti præſentiam in ſacra Domini Cœna,contra veram ipſius corporis Chriſti naturam,conſtituat.

EGO N.N. confiteor, ac veritatem in Chriſto dico per Spiritum ſanctum,atteſtante mihi conſcientia mea,imò & hac meæ manus ſubſcriptione confirmatum volo,me toto pectore, quæſtiones affirmatiuas de ſacroſancta Cœna Dominica,ab Illuſtriſſimo Principe Marchione IOANNE GEORGIO *Electore &c. propoſitas, amplecti, ac conſtanti confeſſione & fide firmiſſima retenturum : Negatiuas autem per totum curriculum vitæ meæ negaturum, deteſtaturum atque execraturū eſſe,Dei benignitate,auxilio & gratia.* B

A Omnium autem harum reſponſionum ſiue articulorum à ſe propoſitorum luculentiorem confirmationem tum ex verbo Dei, tum ex Patrum ſcriptis pollicentur orthodoxi,quum ipſe D.Andreas & ſuos articulos ipſe probauerit, & orthodoxorum reſponſiones(quod nunquam faciet) refutauerit:non autem,vt hactenus fecit, quum magiſtraliter, tanquam ex ſuggeſtu pædagogico, & velut pueris excipientibus hos articulos probandos, illos improbandos faſtuoſè dictauerit. formula enim ſubſcriptionis hîc ab eo addita planè ridicula eſt, probátque eum in hac cauſa ſimul & partem & iudicem ſedere, contra omnem iudiciorum æquitatem. Obſecramus verò fratres in Domino omnes, in quorum manus vtrorunque ſcripta peruenient, in primis autem pios Eccleſiarum & ſcholarum miniſtros (quibus hîc magna iniuria à D. Andrea facta eſt) vt nullis domeſticis præiudiciis præoccupati,nullo priuato perſonarum odio excæcati, ſed ſolius Domini noſtri Ieſu Chriſti quondam iudicis noſtri futuri & ſeſſuri, gloriæ ſtudio ducti liberè iudicent : & veritatem Platoni etiam ipſi, vt eſt in vetere prouerbio, præferentes, de toto hoc argumento verè & ſyncerè pronuntient. B

L. D.

AD LIBELLVM AB ANONYMO QVODAM LIBERTINO RECENS EDITVM HOC TITVLO.

DE EXTERNA SEV VISIBILI DEI ECCLESIA, VBI illa reperiri poßit,& quanam vera ſit,&c. ſeu potius , *Aduerſus externam & viſibilem Eccleſiam.*

C VTILIS AC NECESSARIA AD OMNIVM VERE PIOrum ac fidelium conſolationem,fideíque confirmationem Reſponſio: in qua ex Dei verbo apertè & perſpicuè docetur,cui Eccleſiæ ſeſe,ſinguli verè filij Dei adiungere debeant.

CLARISSIMIS ET AMPLISSIMIS VIRIS, DOminis Conſulibus & Senatoribus vrbis Amſterodamenſis Dominis ſuis plurimùm obſeruandis.

QVIN ſit immenſum Dei erga genus humanum beneficium, vera ſacroſancti Euangelij reſtitutio,quæ noſtris hiſce temporibus à Patre luminum, cùm aliis populis,tum præſertim toti Hollandiæ oblata eſt,nemo,non dico Chriſtianus,ſed ſanus mente diffiteri,Viri præſtantiſsimi,poteſt.Nam ſi terræ in qua habitamus fœcunditas,ſi agrorum vbertas, ſi meßis copia,ſi pax & tranquillitas vitæ, ſi Sol ipſe,& lux hæc quam intuemur oculis , ſunt ſummæ Dei erga nos mortales benignitatis teſtimonia:quantò illa ſunt maiora,per quæ,non terram ſed cælum: non terrenum , ſed cæleſtem animi victum:non cum hominibus tantùm,ſed cum Deo ipſo conſcientiarum noſtrarum pacem:non denique hanc corpoream,ſed illam ſpiritualem ſalutis æternæ lucem obtinemus? Quæ omnia Dei certè quidē eximia dona tunc accipimus,quum inenarrabili ipſius beneficio ac incomprehenſibili bonitate,puram illam benedicti Euangelij doctrinam ac prædicationem nobis ab eo re-

ſtitutam habemus. Eſt enim illa penè viſibilis faciei Dei aſpectus: eſt Dei nobiſcum ſuaue colloquium
ac familiaritas, eſt denique ipſamet Dei nobiſcum cohabitatio, ex qua ſumma noſtra etiam in hac
vita, nedum in cœlis fœlicitas pendet, vt præclarè docet Dauid pſal. 4. his verbis. Multi dicunt,
quis efficiet vt videamus bonum? Attolle ſuper nos lucem faciei tuæ, Iehoua, indideris læ-
titiam animo meo maiorem, quàm temporis, quo frumentum & muſtum aucta ſunt. In pa
ce cubabo. *Atque hoc tantùm Dei beneficium Hollandiæ, vobis, veſtræq; ciuitati, Viri Ornatiſs.*
hac noſtra ætate, atque adeo non ante ſeptennium diuino planè munere, (οὐ γὰρ κύκλος τὰ ἀνθρώπινα) *&*
miraculo contigit. Quamobrem eò maiori ſunt odio digni, qui illud Dei munus vel vobis inuiden
tes, conantur vi nobis eripere: vel quale, quantúmque ſit pro dignitate non æſtimantes, nituntur il
lius vos in contēptū adducere: vel deniq; qua ratione idē à vobis conſeruari poſsit, & debeat, ignorē
tes, aſsiduè ſcriptitādo, declamādóque ſtudent cœtus illos Chriſtianos (in quib. vera ac ſincera illa di
uini & Euangelici verbi prædicatio, & explicatio à legitimis paſtoribus extat) omnino tollere, vel
in odium hominum, ne ab vllis frequententur, rapere. Verùm vt eos prætermittam, qui vel armis
Euangelium oppugnant: vel ſannis ſuis & cōtemptione irrident (quoniam vtrorumque eſt manife
ſta impietas) de illo tertio duntaxat hominum genere nunc dicam, qui ſacros illos & Euangelicos
conuentus (qui ſunt veriſſima Dei in his terris ſedes, ſeu Eccleſia viſibilis) vel damnant, vel aſper
nandos docent. Qui ſi animi morbo ſolo contradicendi ſtudio hoc dicunt, ſunt à nobis, tanquam de-
B *plorati homines, & qui veritatem ipſam Dei oderint, planè relinquendi. Sin verò id faciunt, quod*
nondum illis ipſis ſanctis congreſſionibus interfuerint, itaque quanta ſit Dei donorum in iis congre
gationibus copia, quámque ſuauis illorum ſenſus, nondum guſtarint; ad eas accedant ipſi, & nobiſ-
cum illis Dei donis amicè fruantur. Eos enim ad eandem nobiſcum participationem, ad eandē Dei
domum, ad Eccleſiam viſibilem ecce benignè inuitamus, vt ipſa experientia nunc intelligant, Quā
bonum & quàm iucundum ſit, habitare ac conuenire fratres etiam vnà, *vt eſt in pſal. 133.*
adeò vt nullius, quantumuis pretioſi ac ſuaueolentis vnguenti odor, ſit ſuauitate ac fragantia cum
hoc ſacro hominum in Dei nomen viſibiliter conuenientium conſeſſu, comparandus. Intelligent illos
cœtus viſibiles eſſe domum illam Dauidis, in qua perennis aquæ fons ſit apertus, qua peccata
hominum delentur, & immunditiæ purgantur, *vt ait Zacharias c. 13. Intelligent quamobrem*
idem Dauid Dei propheta, quum & patria ſuauiſsima, & vxore chariſſima, & bonis omnibus in
exilio triſtiſſimo careret, vnum tamen illum viſibilem Eccleſiæ cœtum (à quo tunc aberat) magis,
quam illa omnia deſiderarit, ſeque illi reddi cum tantis ſuſpiriis exoptarit, exclamans pſal. 84.
Quàm amabilia ſunt tabernacula tua Domine exercituum: Deſiderio afficitur, etiamque
deficit anima mea, veniendi ad atria tua. *Denique intelligent illud eſſe veriſſimum, quod con-*
ſentienter Dei verbo ſcripſit Auguſtinus ſermone 108. de Temp. Eccleſia viſibilis eſt torcular
fontis æterni, in qua cæleſtis vitis fructus exundat. *Item Serm. 109.* Duo parentes genue-
runt nos ad mortem, duo ad vitam. Ad mortem Adam & Eua. Ad vitam Chriſtus, & Ec-
cleſia. *Atque vt id lubentius faciant, ſub nomine veſtro mortalibus omnibus gratiſſimo Conſules,*
Senatoreſque Ornatiſs. eos hoc libello ad viſibilem Dei Eccleſiam ingrediendam amiciſsimè prouo-
camus. Et certè iuſtitiſſima nominis veſtri hîc appellandi cauſa mihi datur. Nā quum ante paucas
C *ſeptimanas recuſus fuerit tanquam crambe bis recocta hic libellus, qui prius ſcriptus à quodam te-*
nebrione (ſuppreſſo videlicet nomine) Schuuenckfeldianorum inſana deliria reuocat, da-
mnat omnes Eccleſiaſticos conuentus, & ſi quis ſeſe ad eos adiungat, eum hominum ſeruum appel-
lat, nihil eſt æquius, quàm vt ἀντίδοτον *huic peſtilentiſſimo libello opponatur. Cæterùm quum is mihi*
à fratribus plurimùm in Chriſto obſeruandis, Paſtoribus veſtris vigilantiſſimis fuiſſet oblatus, quē
pro ratione mei muneris examinarem, quod ipſi partim mole negotiorum quæ in tam ampla ciui-
tate (qualis veſtra eſt) quotidie incidunt, obruerentur: partim propter gregis ſui varios morbos cor-
poris, in ouium ſuarum ægrotantium conſolatione toti occuparentur: onus mihi ab illis iniunctum
recuſare non potui. Itaque ſcriptum illud non modò legi relegíque, quanuis ineptum & leuidenſe:
ſed etiam, quoniam erat blaſphemum, confutaui. Hoc enim & ad Dei gloriam, & ad Eccleſiæ ipſius
ædificationem pertinere mihi viſum eſt. Porrò Reſponſum meū vobis præſertim Viri Ampliſſimi,
dedicare volui, à quorum eccleſiæ Paſtoribus libellum illum examinandum acceperam, vt quem-
admodum veſtrorum Paſtorum ac vigilantia maturè venenum fuit animaduerſum: ita huius
laboris quoque mei (per quē ſubſidiariā tantū operā illis præſtiti) laus ſecundū Deū Optimū Ma-
ximū, ad vos rediret: vt quēadmodū dignitate cæteras Hollandicas ciuitates ſuperatis, ſic in vera
Chriſti doctrina conſeruanda exēplo veſtro aliis omnibus præluceatis. Et quidē ad illud non modò
tēporis huius ratio (quo triſtiſſima eccleſiæ facies multis in locis apparet) ſed etiā magna (quibus nūc
abundatis) ad id adiumenta, quæ Deus vobis ſingulari ſua miſericordia ſumminiſtrat, vos ex-

hortan

hortantur. Nam vt prætermittã inſignem illum veſtrum Conſulem, & in afflictionibus pro Chriſti nomine tolerãdis propemodum Heroem, Bardeſium, ea eſt eccleſiæ veſtræ felicitas, ea Paſtorũ veſtrorũ diligẽtia & doctrina, ea Presbiterij cũ reliquo corpore Eccleſiæ cõcordia, vt reliquæ vrbes bona veſtra meritò ſibi optẽt, ac mirẽtur. Sed nec ipſe, quũ hãc tã iuſtã vos in defendẽda Eccleſiæ viſibilis cauſa oblatã cohortãdi occaſionẽ haberẽ, prætermittere (vt pote qui vos plurimi ſẽper fecerim, faciãque) eã potui. Illi certè libello fuit obuiã eũdũ, & quidẽ ſtatim ac maturè, dũ adhuc eſſet recẽs vulpus. Præclarè enim Auguſtinus Sermone 102. de Temp. Calidis vulneribus ſolent medicamenta celeriùs ſubuenire. Quando in corpore vulnus accepimus, ſi ſtatim medicamenta requirimus, citò ſanitatem recipere poterimus. Si moram fecerit, neceſſe eſt, vt ad ſanitatem tardius plaga ipſa redeat, aut aliqua fœda cicatrix remaneat. Si hæc in corpore facimus, quanto magis animæ vulneribus remedium adhibere debemus, vbi ad imaginem & ſimilitudinem Dei facti ſumus? *Hæc Auguſtinus ſapientiſsimè.*

Atque vt hanc meam erga vos obſeruantiam, ſtudiùmque veſtri nominis & eccleſiæ, æqui boníque interpretemini: denique vt hoc quantulumcunque munus meum benignè accipiatis obnixè vos, veſtráſque Dominationes, Viri Grauiſsimi, oro, obſecróque. Valete. Deus vos omnes tueatur, & regat, vobis veſtræque ciuitati, & eccleſiæ benedicat.

Lugduni Batauorum, Calend. Martij, anno temporis vltimi, CIↃ. IↃ. LXXXII.

VV. DD. deditiſsimus
Lambertus Danæus.

Coloſſ. 2.

5. *Et ſi corpore abſum, ſpiritu tamen ſum vobiſcum, gaudens ac cernens veſtrum ordinẽ, & ſoliditatem veſtræ in Chriſtum fidei.*

1. Timoth. 3.

14. *Hæc tibi ſcribo, ſperans fore vt celerius ad te veniam.*

15. *Quod ſi tardius venero, vt noris quomodo oporteat in domo Dei verſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & ſtabilimentum veritatis.*

Heb. 10.

25. *Non deſerentes aggregationem noſtri mutuam, ſicuti mos eſt quibuſdam: ſed adhortantes alij alios: idque eò magis quòd videtis illũ diem appropinquare.*

Apocal. 3.

9 *Ecce, præbebo eos qui ſunt ex Synagoga Satanæ, id eſt eorum qui dicunt ſe Iudæos eſſe, nec ſunt, ſed mentiuntur: ecce, inquam, faciam vt veniant & adorent ante pedes tuos, & ſciant quod ego dilexi te.*

AD LIBELLVM AB ANONYMO QVODAM RECENS AEDITVM, HOC TITVLO.

DE EXTERNA SEV VISIBILI DEI ECCLESIA, VBI ILla reperiri poſsit, & quænam vera ſit, &c. ſeu potius, *aduerſus Externam & viſibilem Eccleſiam.*

LAMB. DANAEI PRO EXTERNA SEV VISIBILI ECCLESIA, neceſſaria Reſponſio.

ANTEQVAM, viri fratres mihi in Chriſto clariſsimi, ad illum librũ reſpondeam, quem ad me miſiſtis (Dominum Deum precatus vt ipſius gloriæ, atque Eccleſiæ Dei ſit, magna ipſius miſericordia, vtilis hic labor meus) de re ipſa, de qua futura eſt diſputatio, paucis dicam: vt reſponſiones noſtræ ad propoſita argumenta facilius intelligi, & veritas ipſa (quã ipſius libri ſcriptor, quantum potuit, ipſiſsimis tenebris inuolue-

A re conatus eſt)emergere,ac velut Sol ſplendidiſſimus obiectas nebulas perrumpere queat. Quatuor autem tantum proponam, & ea quidem breuiſſimè, vt lux aliqua toti huic argumento afferri poſſit: è quibus illud erit primum, ~~A mundo condito~~ ſemper inter mortales aliquam Dei eccleſiam extitiſſe, atque eam etiam ad finem vſque Mundi in his terris futuram eſſe. Ac quidem eam ab initio Mundi extitiſſe quis ambigere poteſt, ſi modò vel leui oculo tantùm ſacram ſcripturam percurrerit? Nam ſtatim atque Mundus conditus, atque homo ille primus Adamus vnâ cum vxore Eua à Deo creatus fuit purus, ſanctus, pius, ecquis dubitat, quin duo illi & verè Deũ coluerint (quamdiu in illo ſuo puro ſtatu perſtiterunt) & vera Dei Eccleſia eáque etiam viſibilis fuerint, niſi quis fortaſſe neget veram Dei Eccleſiam eſſe cœtum aliquem, quantumuis exiguum, qui verum Deum ſyncerè ex ipſius verbo ac voluntate colat? quo tamen modo Paulus Eccleſiam definit. 1. Theſſ. 1. verſ. 9. Itaque ſtatim à Mundo condito cœpit in Adamo & Eua B eſſe Dei Eccleſia, quæ etiam omnes hominũ politicos cœtus & reſpublicas origine atque antiquitate præcedit. Et certe hic quoque eſt finis creationis Mundi, vt eſſet nimirum Dei eccleſia (id eſt cœtus hominum verè ac manifeſtè verum Deum ex ipſius iuſſu venerãtium) potius, quàm vt eſſent vel familiæ, vel Reſpublicæ, vel regna, vel aliæ hominum politicæ ſocietates, quatenus homo ipſe (cuius cauſa Mundus hic à Deo factus eſt) Dei potius colendi, quàm ſocietatis cum alio homine ineundæ aut tuendæ gratia à Deo ipſo formatus eſt. Adeo vt qui negat veram Eccleſiam Dei eámque etiam viſibilem ab initio Mundi extitiſſe, ille proculdubio ſe vel primæ ſacrorum bibliorum paginæ prorſus ignarum fateatur ac oſtendat. Certè eodem ſpectauit Moſes, quum nobis certarum familiarum capita & nomina ab Adamo vſque ad Noachum ante diluuium : & poſt diluuium à Noacho ad Abrahamum vſque deſcripſit : nimirum vt oſtenderet in ijs ſaltem piis familijs & Dei verum cultum, & Eccleſiam quoque ſubſtitiſſe: atque inibi (quantumuis eſſet corruptus reliquus Mundus) remanſiſſe. C Eodem quoque Apoſtolus ad Hebræos cap. vndecimo collimauit, dum ab Abele ipſius Adami filio ad ſua vſque tempora & pios, & Deum ex vera fide colentes in his terris ſemper per ſucceſſiones ætatum fuiſſe, perpetua quadam ſerie demonſtrat. Quid eſt enim eccleſia, niſi hominum verè Deum colentium, vti dixi, cœtus? Sed & ipſam eandem eccleſiam ad finem vſque Mundi in his terris perduraturam docent apertiſſimi ſacræ Scripturæ loci, in quibus præclaræ illæ Dei promiſſiones (quas de futura Eccleſiæ ſuæ perpetuitate toties inculcauit) continentur, quorum duos tantùm breuitatis gratia proferemus, quum ſint tamen penè innumerabiles. Vnus eſt Pſal. 72. verſu 7. alter Pſal. 89. verſu 37. 38. vbi Dominus Deus pollicetur hoc ſemen & regnum (quod & Dauidis & ſuum appellat, éſtque ipſius Eccleſia, teſtibus Angelo & Petro Apoſtolo) fore in his terris tam diuturnum, quàm Sol ipſe, & Luna, reliquáque ſidera in cœlis lucebunt atque fixa manſura ſunt: id autem ſignificat, vſque ad conſummationem ſeculi, & finem huius Mundi. Luc. 1. verſ. 33. 1. Petr. 2. verſ. 9.

A Dico autem diſertè Eccleſiam fore perpetuam & quidem in his terris, quoniam illud ipſum eſt, de quo multi hodie anxiè quærunt. Nam poſt vltimam reſurrectionem, collectóſque pios omnes in cœlo vnâ cum Domino noſtro Ieſu Chriſto noſtro duce, fore etiam in cœlis, non modò diuturnam, ſed etiam beatam ac æternam, nemo, meo quidem iudicio, dubitare poteſt. Et certè quidem toties Chriſtum homines ſpoliant omni vera dignitate, omni in his terris imperio, omnibus denique iis præclariſſimis epithetis, quibus & Sponſus, & Caput, & Redemptor paſsim in ſacra ſcriptura nominatur, quoties illi eccleſiã idest, ſponſam, corpus, & populum redemptum adimunt, id eſt, quoties eſſe ac ſubſiſtere in his terris eccleſiam negant, quod eſt impiiſſimũ & plus, quam exprimi poſsit, abſurdum. Quum enim Chriſtus non in vnum tantum aut alterum ſeculum, ſed perpetuò ſit & verè dicatur ſponſus. Matth. 9. verſ. 15. ſponſam ergo habeat neceſſe eſt. Illa verò eſt vna Eccleſia, quemadmodum interpretatur Paulus 2. Corinth. 11. ver. 2. B Quare Eccleſia quoque aliqua perpetuò ſit & exiſtat oportet, adeóque in his terris: quoniam non Angelos aut Homines (qui in cœlo ſunt) alloquitur Scriptura, ſed nos qui hic in terris viuimus, quando demonſtrat eſſe in his terris populum & cœtum aliquem, veluti ſponſam cuius Chriſtus ſit ſponſus, vt in eo populo ac cœtu eſſe ſtudeamus, vt & Chriſtus quotidie in his terris dona ſua ſalutaria tribuit hominibus. Ergo Eccleſiã eſſe oportet in his quoque terris. Eſt enim eccleſia cœtus ille hominum, qui ſalutem ac ſalutaria illa dona accipiunt à Chriſto. Qui ſi nullus eſt, nullis quoque illa dabit Deus : atque ita erunt inanes pro eo tempore quo non erit Eccleſia, illæ Dei de redimendis hominibus promiſſiones: quum ſuum effectum in nullis habeant, quandiu nulla erit Eccleſia. Quum Chriſtus ſit hodie, & heri, & in perpetuum (quamdiu erit hic Mundus) quum Chriſtus, inquam, ſit ſemper atque etiam in his terris caput, Epheſ. 5. verſ. 23. Ergo reliqua corporis membra, ideſt Eccleſiam in his terris habeat neceſſe eſt. C Neque enim Chriſtus vel totius Mundi vel infidelium hominum ſéque ab illo proſus ſeparantium ratione caput eſt : ſed fidelium duntaxat & eccleſiæ ſuæ: quemadmodum vbique explicat idem Paulus. 1. Corinth. 12. verſu 27. *Vos eſtis*, ait, alloquens illos fideles, *corpus Chriſti*. Quum idem Chriſtus & ſemper & in his terris ſit Dominus & Rex, ſuum quendam populum poſſidens peculiariter. 1. Pet. 2. verſ. 9. Ergo ſit, atque adeò in his terris illa poſſeſsio atque populus illi ſubditus, neceſſe eſt. Ecquis enim verè dicetur poſſeſſor abſque poſſeſſione, Dominus & Rex abſque peculiari populo, Grege, ac dominio? *Gloria* namque *regis eſt populi multitudo* quemadmodum ait Solomo, Prou. 14. verſ. 28. illa verò poſſeſsio ac populus Chriſto peculiaris eſt Eccleſia. Act. 20. verſu. 28, 1. Pet. 2. verſ. 9. Ergo Eccleſia aliqua ſit in his terris oportet. Quumque Chriſtus & ſit & dicatur Deus etiã in hoc Mundi ſtatu, Hebræ. 1. & 2. templum quoque habeat in hoc Mundo neceſſe eſt vbi verè colatur: Neque enim verus Deus ſine

A ne cultu & templo eſſe vult. At illud eſt Eccleſia & quidem ſola, quemadmodum ait organum illud Dei ſelectum Paulus 1.Timoth.3. verſ.15. Eccleſia eſt, *Domus Dei, columna veritatis, in qua nos quoque verſari oportere docet.* Denique Eccleſiam Dei credimus. Atqui eius rei, quæ non eſt, nulla fides eſt. Ergo eſſe Eccleſiam oportet: & quum ille Symboli articulus noſtram in his terris fidem oſtendat, ergo Eccleſiam quoque hic aliquam extare neceſſe eſt. Manet igitur illud quod propoſuimus firmum & immotum, Eccleſiam Dei habere veriſſimas Dei de ſua etiam in his terris perpetuitate, ac duratione promiſſionis rationes: in cœlo autem de ſua etiam æternitate ac felicitate. Atque hoc primum eſt ex illis quatuor, quod ab omnibus intelligi imprimis cupio. Neque tamen propterea Papiſtis aſſentimur, qui Eccleſiam Dei in his terris certo cuidam loco veluti Romæ tanquã glebæ affigunt, & illi perpetuam perſonarum ſucceſſionem in eadem cathedra aſſignant, vti etiam hoc eſt falſiſſimum: quum Deus liberrimè vbicun-
B que velit ſuam eccleſiam colligat. Ita illud quod diximus eſt veriſſimum, Deum in his terris Eccleſiam ſuam perpetuam eſſe velle modò hoc, modò illo loco. Alterum eſt, eſſe certiſſimas notas ex quibus illa vera Dei Eccleſia etiam in his terris viſibiliter, perſpicuè, ac, vt ita loquar, oculariter agnoſci, dignoſcíque à cæteris hominum vel prophanorum & prorſus infidelium, vel hæreticorum cœtibus atque congregationibus poſſit. Hoc quidem mirum & prorſus ἀδύνατον nonnullis videtur, ſed eſt tamen veriſſimum. Inde enim eſt, vt non ſemper vera illa Dei Eccleſia in his terris ſit ita viſibilis (licet nihilominus in his terris ſit aliqua) quoniam illæ certiſſimæ eccleſiæ Dei notæ non ſemper à nobis manifeſtè, euidenter, atque viſibiliter in certo cœtu hominum perſpici ac obſeruari poſſunt vel potuerunt. Quo fit, vt tunc è terris Eccleſiam illam Dei periiſſe arbitremur, quum illa Eccleſiæ ſymbola nimirum nuſquam apparent nobis. Et tamen tũc quoque Deus ſuam in terris eccleſiam nihilominus habet, quamuis
C nos ita eam oculis diſcernere & in aliquo cœtu conuentúque hominum videre minimè poſſimus. Sic tempore Eliæ nuſquam in Regno Iſraelis putabatur ab ipſomet Dei Propheta eſſe Dei
1.Reg. 19. Rom.11. Eccleſia, quæ tamen, quemadmodum Deus ipſe teſtatur, ſeptem hominum millibus conſtabat. Sic tempore exilii Ægyptiaci, Babylonicæ captiuitatis, ſæuiſſimi illius dominatus Antiochi in Iudęos, quum per montes & antra & cauernas laterent viri pii. Sic denique paucis annis ante reſtitutum hoc noſtro ſeculo Euangelium ſumma Dei optimi maximi miſericordia, dum fratres VValdenſes (qui tunc erant penè ſola Dei eccleſia) & rarò aut nunquam collecti, in terræ hiatibus, in ſyluis, in ſaxis & rupibus ſoli vagíque errarent, laterentque. Quod ſi nullæ certæ & veræ ad veram Dei Eccleſiam dignoſcendam notæ eſſent, certè nequepotuiſſent olim viri pii, vt Elias, neque nunc quoque poſſent fideles diſtinguere tempus illud, quo vera illa Dei eccleſia in his terris fuit aut eſt viſibilis, & quo eadem illa non eſt viſibilis: ſed aut vera Eccleſia perpetuò confunderetur cum falſa: aut eccleſia cẽſeretur ſẽper fuiſſe vel viſibilis, vel inuiſibilis. Fateor equidem veram eccleſiam A
non ita ſemper fuiſſe, aut eſſe viſibilem in his terris: fateor quoque non quicunque ſunt viſibilis eccleſiæ membra, eoſdem ſemper in eccleſia inuiſibili cenſeri debere (multi enim ſunt intus & in Eccleſia viſibili lupi ac hypocritæ: verùm in illa inuiſibili eccleſia nulli ſunt, niſi verè electi Dei, verèque fideles) tamen inde non efficitur, quo minus ſint certæ quædam notæ & pignora, quibus vera eccleſia certiſſimè agnoſci atque etiam ſecerni viſibiliter ab infidelium vel hæreticorum hominum cœtibus atque conuentibus poſſit. Ergo quænam ſint illæ notæ, videndum eſt. In quo non eſt nobis longa diſputatione opus. Vno enim verbo Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Doctor ille optimus, docet ecquos pro ſuis ouibus, ac proinde pro ſua veráque Eccleſia in hoc Mundo agnoſcat. Nam apud Ioan.cap.10. verſ.27. *Oues meæ*, inquit Chriſtus, *vocem meã audiunt, & ego eas agnoſco & ſequũtur me.* Ioannes ipſe in epiſtola ſecunda poſtquã ſic ſcripſiſſet. *Qui manet in doctrina Chriſti, hic & Patrem & filium habet*, addidit, *Si quis venit* B
ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipite eum in 2. Ioan.
domum, nec Aue ei dicite. Denique Paulus veritatem ver.9. 10.
Dei ab Apoſtolis & Prophetis prædicatam conſtituit fundamentum, & quidem verum & ſolum Eccleſiæ. Epheſ. 2. verſ.20.
Quamobrem in quocunque hominum cœtu idololatria abiicitur & vox Chriſti auditur: in quocunque cœtu ea doctrina quæ habet Chriſtũ, non autem homines caput, ſonat: in quocunque doctrina Prophetica & Apoſtolica pro ſolo fidei fundamento retinetur, is certè cœtus eam notam Coloſſ. 2.
obtinet, ex qua vera Dei Eccleſia definiri debet. verſ.19.
Id quod etiam his rationibus confirmari poteſt. Primùm, quum vera Dei Eccleſia ſit hominum non quidem omnium, ſed fidelium congregatio, ex fide erit dignoſcenda diſcernendáque ea congregatio, videlicet vt quæ veram fidem habet, ea certe quidem Eccleſia vera nominetur: quæ verò vera fide caret, ea nequaquam cenſeatur Eccleſia Dei. Atqui vera fides ſolo Dei verbo, eóque
ſcripto, innititur: non hominum commentis, non Luc.24. verſ.27.
traditionibus, non doctrinis: ſed, quemadmodum Matth. 15.
dixi, in ſolo Dei verbo per Prophetas & Apoſto- C
los reuelato fundatur: ergo ex ſolo illo Dei verbo Roma.1. verſ.1.2.
ſcripto Eccleſia eſt à nobis velut ex veriſſima ſua Tit.1. v.2
nota diiudicanda, vt qui illud Dei verbum ſcriptum amplectitur cœtus, is Eccleſia, vti eſt, ſic appelletur. Itaque & Chriſtus ipſe, & Petrus, & Paulus nos ad ſcripturas ſacras reuocant, vt nos veram fidem ſequi doceant, ac proinde eſſe illas in vera Eccleſia Dei. Chriſtus ait, *Scrutamini ſcripturas.* Petrus autem, *Habetis ſermonem Propheticum,* Ioan.5. verſ.39.
ſcriptum nempe, *cui rectè facitis quòd attendatis.* 2. Petr. 1. verſ 19.
Paulus autem, *tradidi vobis Chriſtum mortuum eſſe* 1. Cor. 15.
pro peccatis noſtris, ſecundum ſcripturas: ſepultum item verſ. 3.4.
& excitatum tertio die, ſecundum ſcripturas. Ergo ex ſcriptura ſacra diſcernitur quinam verè fideles ſint, ac proinde quæ ſit vera eorum congregatio, id eſt, quæ ſit vera Eccleſia. Deinde veræ Eccleſiæ ſecernendæ Chriſtus, & quidem ſolus, eſt & nota, & iudex. Nam qui cœtus verum Chriſtum habet, is eſt vera Dei Eccleſia: ex quo fit, vt qui ad eam adducuntur, dicantur ad Chriſtum adduci:
Chriſto lucrifieri qui in ea ſunt, & eſſe in Chriſto. 1.Theſſ. 1. 1.Cor.9.

A Quare quũ ex ſolo Dei verbo ſcripto verus Chriſtus à falſo diſcernatur, eâdem quoque notâ vera Eccleſia à falſa diſtinguenda eſt. Nam qui verbũ illud Dei ſcriptum ſequitur, is & verum Chriſtũ, & veram Eccleſiã habet, in eáque proculdubio eſt. Denique quum paſsim à Prophetis ad legem, Iſa.8. Malac.3. Pſal.119. Deut.6. & 8. Rom.3. id eſt ad ſcripturam ſacram remittamur, qua Moſes ipſe teſtatur Iudæos olim à ceteris populis ſeparatos, & Dei populum ac Eccleſiam ex eo meritò cenſitos, quòd Dei verbum ſcriptum apud ſe haberent & conſeruarent, vt ait Paulus: certè apparet ex eo quod quiſpiam cœtus habet penes ſe verbum Dei ſcriptum, illudque audit, amplectitur, profitetur, eſſe veram Dei eccleſiã: ac proinde veriſsimã eccleſiæ Dei notam eſſe verbi illius diuini ſeu ſacræ ſcripturæ puram quæ in ea extat prędicationem. Et quoniam ſacramenta ab ipſo Chriſto inſtituta ſunt illius doctrinæ ſymbola, ſigilla atque appendices, certè idem quoq; ille hominum cœtus, qui veram Chriſti doctrinã audiet & ſequetur, ſacramẽtorum quoque à Chri- B ſto præceptorum vſum, quantum poterit, retinebit, ſéque illis ſponte non priuabit. Nam Apoſtolus Paulus duo illa tanquam indiſſolubili nexu 1.Cor.4. verſ.1. cõiuncta ſimul quoque copulauit. *Sic de nobis*, ait, *reputẽt homines, vt de Miniſtris Chriſti*, (hoc ad verbi diuini & Chriſti vocis prædicationẽ pertinet) *& diſpenſatoribus Myſteriorum Dei.* Hoc autem ad eiuſdem etiam Sacramenta referendum eſt) Et quia omnis hæc Chriſti doctrinæ Sacramentorũque adminiſtratio idcirco à nobis fit, auditur, & ſuſcipitur, vt verum Deum colamus, ac glorificemus, id quod ſine vitæ ſanctitate fieri nequaquam 1.Theſſ.4. verſ.3. poteſt (*Hæc eſt voluntas Dei*, ait Paulus, *ſanctificatio veſtra.*) Idcirco ea quoque agendi ratio, in vera Dei Eccleſia inſtituitur, probatur, ac quantum fieri poteſt conſeruatur, per quam improbi hominum (qui illam Chriſti vocem audiunt ſacramentíſque communicant) improbi, inquã, mores vel emendantur: vel pro rei grauitate tum à magiſtratu, pœna ciuili : tum ab Eccleſia ipſa pœna Matth.18. verſ.16. 17.& 18. cenſuráque Eccleſiaſtica, ex Chriſti præcepto caſtigantur: Quam agendi in ſceleratorum emenda- C tione rationem, Diſciplinam eccleſiaſticam veteres omnes ſcriptores ſemper appellarunt. Ergo has tres notas veræ Eccleſiæ etiam viſibiliter in his terris agnoſcendæ & à reliquis hominum cõgregationibus diiudicandæ ſecernendæque luce meridiana clarius iam videmus: Nimirum puram verbi Dei & vocis Chriſti auditionem ac proinde prædicationem, puram & ex Chriſti inſtituto ſacramentorum adminiſtrationem, denique ſanctificationis commendationem cum morum deprauatorum in ijs qui ſe Chriſtianos profitentur, correctione coniunctam. Quod quidem tamẽ ita procedit, vt ex illis tribus notis prima proculdubio certior, potior, ac maior ſit, & reliquarum duarum fundamentum: vt qui cœtus illa prima nota careat, etiamſi alias duas retineat, tamen vera Dei Eccleſia ἁπλῶς & ſimpliciter cenſeri neque poſſit, neque debeat. Iam verò cum illæ notæ tres perſpicuè ac manifeſtè in multis hominum cœtibus hodie in his terris appareant, in ijs nimirum Eccleſijs quæ ſeriò Euangelicæ ac Reformatæ nominantur, quis iam dubitet, quin eædem illæ ſint veræ Dei Eccleſiæ & viſibiles, & in his quoque terris exiſtentes? Quod ſi quis obiiciat, Non eam eſſe Reformatarum Eccleſiarum in ſingulis ipſius membris vel etiam toto corpore ſanctitatem, quæ prorſus omni labe ac vitio careat? Haud equidem negamus, & hoc ipſum etiam dolemus: & propterea illarum eccleſiarum Paſtores in eo maximè dies noctéſque laborant, vt qui purum illud Dei verbum & Chriſti vocem audiunt, quotidie meliores ſanctioréſque euadant. Verùm ecquis hanc perfectam abſolutámque omnibus numeris ſanctitatem ac Iuſtitiam à reformatis eccleſiis exigat, quam ne in ſuis quidem eccleſiis viderunt ipſimet Apoſtoli, tot Dei donis ornati, tam egregia miraculorum virtute præditi, in illo etiamnum calente hominum zelo, & in illo Eccleſiæ primitiuæ flore? Imò verò ſic diſertè ſcribit Ioannes, dilectus ille Chriſti diſcipulus, ille, 1.Ioan.1. qui totus charitatem & ſanctitatem & in vita, & verſ.8. in ſcriptis ſpirat, *Si dixerimus*, ait, *nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus, & veritas Dei in nobis non eſt.* Et tamen illi hominum cœtus ab ipſis Apoſtolis Chriſto collecti proculdubio Eccleſiæ Dei B & viſibiles, & in his terris erant. Quàm ſunt igitur iniqui Iudices ii, qui à noſtris Eccleſiis eam legem ac perfectam iuſtitiam requirunt, quam ne in ſuis quidem Eccleſiis, licet veriſſimis, extare poſſe quandiu hic viuitur, Apoſtoli ipſi teſtati ſunt. Sic in ſymbolo Apoſtolorum confitemur quidem Eccleſiam in his terris ſanctam, ſed non perfectam. Nam aliud eſt homines ſanctos eſſe debere, aliud plena iuſtitia perfectos, quando & hæc ipſa eſt noſtra perfectio, nimirum agnoſcere nos imperfectos: adeò vt quos etiam Paulus perfectos vocat (progreſſus nimirum cuiuſdam in pietate argumento) iis tamen ipſis multa deeſſe ad ſummam Philip.3. tum vitæ integritatem, tum intelligentiam vel ſuo verſ.15. exemplo fateatur. Ro.7. 24. Quare non obſtat illa vitæ ſanctitas imperfecta, quominus, ſi tres illæ notæ, vel etiam ſola illa prima in aliquo cœtu manifeſtè appareat, ille cœtus demum vera Dei Eccleſia eáque viſibilis dici debeat. Id quod quum in Eccleſiis Euangelicis, reformatíſque (ſi modò nullo odio aut præiudicio ducimur) hodie cernatur, negari certè non poteſt, quin eædem illæ ſint & veræ & viſibiles adhuc Dei Eccleſię in his terris. Atq; hoc C ſecundum eſt, quod ex illis quattuor à vobis intelligi volumus. Tertium eſt, debere quemlibet piũ ac fidelem ſeſe illi Eccleſiæ adiungere quæ & vera eſt & viſibilis, id eſt, ex ijs notis, quas ſupra diximus, agnoſci etiã in his terris poteſt. Quum enim Chriſtus ſit nobis etiam in his terris quærendus & ſequendus, certò ijs adhæreamus oportet, qui ſuauem illam Chriſti vocem & ſalutarem (quod faciunt ij cœtus, qui ſuperiores illas tres notas habent) audiunt. *Nam oues*, quemadmodũ ait Chriſtus ipſe, *Paſtorem ſequuntur.* Ioan.10. verſ.27. Iam verò & Chriſtũ & Deum in his terris ſequi aliter nequimus, quàm ſi ipſius vocem ac verbum audiamus, vt fuſè docet Apoſtolus. Ergo qui ſe ab ijs viſibilis Eccleſiæ cœtibus ſeparant, Heb.4. in quibus vox Chriſti ſonat, purũ Euangelium prædicatur, verbum Dei eſt fidei fundamentum, ij certè ſeſe à Chriſto, à Deo, à ſalutis ſuæ via & tramite, denique à vera Eccleſia ſeiungunt. De huiuſmodi enim, id eſt, viſibili Eccleſia dicit Chriſtus. *Qui vos audit: Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Luc. 10. Quod de viſibilis Eccleſiæ cœtu, non autem

A tem de Eccleſia inuiſibili & dictum eſſe à Chriſto,& à nobis intelligendum apparet ex eo, quòd in Eccleſia inuiſibili nemo audiri poteſt, quum is cœtus inuiſibilis Eccleſiæ videri non poſſit. Itaq; in ea nemo homo loquitur,& prædicat: nemo etiam eſt auditor. Neque enim quiſquam auditor ibi eſſe poteſt vbi nemo eſt prædicator, Roman. 10. verſ.14.Quamobrem de viſibili Eccleſia loquitur Chriſtus,quum ait, *Qui vos audit,me audit*,&c. Quemadmodum enim nemo extra arcam Noachi è diluuio ſaluus euaſit, ſic neque extra huiuſmodi Eccleſiam,id eſt, viſibilem, ſi illic eſt,quiſquam æternam ſalutem conſequitur, quanquam in ea Eccleſia ſalutem iſtam à Deo per Chriſtum fide apprehenſum,non ab ipſa Eccleſia,id eſt,non ab ipſo hominum cœtu obtineat. Cæterùm arcam Noachi eſſe typum Eccleſiæ etiam viſibilis, non autẽ dũtaxat inuiſibilis docet Petrus.1. epiſt. cap.3.verſ.20.21.qui illam arcam comparat cum eo cœtu,in quo eſt celebratúrque Baptiſma. Atqui ille cœtus eſt certè quidem prorſus viſibilis, quoniam B quum Eccleſia eſt inuiſibilis,Baptiſma nullo modo poteſt in ea adminiſtrari aut celebrari. Ex quo fit,vt veriſſimè fuerit à Patribus orthodoxis dictum,*Ille non habet Deum Patrem, qui non habet eccleſiam viſibilem matrem.* Huiuſmodi enim Eccleſia,id eſt viſibilis Eccleſia, eſt, *ſedes & columna veritatis*,vt loquitur Paulus: *eſt Domus ſeu templum* 1 Tim.3. verſ.15. *Dei* in his terris,vt pote in quo viſibiliter & audibiliter(ſi ita dici poteſt) verbum Dei prædicatur, & qui ſeſe ab ea ſeparat,is quoque ſe à Dei veritate,& à Dei templo planè ſeparat. *Erit ſalus in Sione*, Ioel.2. verſ.32. ait Propheta:*reſiduum populi illic fructificabit*,inquit Iſa.37. verſ.31. alter:Zacharias autem,*in illa eſt fons ſcaturiens aquæ vitæ*, Zacha.13. verſ.1. illa videlicet pura verbi diuini explicatio atq; prædicatio.Quamobrem idem ille Propheta docet *quicunque ſalutem quærent,certatim ad eam venturos* eſſe,Dicet enim quiſque proximo ſuo, Zachar.8. verſ 23. Iſa.2.v.3. *Aſcendamus in montem Domini.* Ille vero mons Domini, eſt viſibilis eccleſia,vocem Chriſti audiens.Quum verò noſtri aduerſarii nempe Libertini hos ſcripturæ locos ad eccleſiã inuiſibilem referunt,aut reſtringunt,toto cœlo errant. Quî enim poſſemus C alios inuitare vt ad eum montem venirent, qui non videretur:ad eam Sionẽ confugerent,quæ cerni non poſſet? Quomodo enim eccleſia inuiſibilis,aut alius quilibet cœtus inuiſibilis in his terris à nobis in his terris quæri poteſt? Quomodo fructus in inuiſibili loco nobis viſibilis eſſe poteſt? Itaque magna eſt abſurditas hos & ſimiles locos ad eccleſiam inuiſibilem referre,quod illi faciunt. Verùm,quemadmodum dixi,in reformatis Euangelicíſque viſibilibus eccleſiis id fieri,id eſt, ſalutem de Dei verbo doceri, proculdubio negari niſi à prorſus cæco ſurdoue homine non poteſt. Denique qui ad eam viſibilem eccleſiam non veniẽt, minatur Dominus(cui potius,quàm vlli Libertino Zacha.14. verſ.18. hæretico,illiúſve ſcripto credendum eſt) tandem prorſus eſſe perituros. Et vt vno verbo dicã, eſt viſibilis Eccleſia vinea,quam ſibi Dominus ex omnibus arboribus viſibiliter decerpſit: eſt riuus, quem ex omnibus aquis ſelegit:eſt columba, quã ex omnibus auibus dilexit : eſt ouis, quam ex omnibus pecudibus ſegregauit:eſt populus, quem ſibi ex omnibus peculiarem conſeruauit, vt qui A Eccleſiam Dei ſpernit, nec ad eam ſeſe adiungit, ille & vineam Dei , & lilium, & riuum , & columbam, & ouem, & populum Dei peculiarem aſpernetur. Quod qui facit, certè quidem impius meritò pronunciari ab omnibus poteſt. Atqui hæc tam præclara Eccleſiæ epitheta eſſe tribuenda Eccleſiæ Dei viſibili, non autem ſoli inuiſibili (ſæpius enim hoc ipſum propter noſtrorum aduerſariorum,id eſt,Libertinorum perfrictam frontem repetendum eſt) apparet ex eo, quòd illa omnia ei cœtui conueniunt , ad quem Deus nos inuitat,& ad quem vult vt accedamus. eum enim tot laudibus paſſim in ſacra Scriptura ornat. Quo modo verò ad eum cœtum hic inuitaremur qui nuſquam in terris eſt aut videri poteſt? Vera enim illa veterum ſententia, idem de non entibus, & de non apparentibus iudicium à nobis fit, vt fruſtra ad ea hîc quærenda inuitemur. Ergo de Eccleſia viſibili dicuntur.Quamobrẽ qui verè pius ac Chriſti ſeruus eſſe & manere volet (omnes autem boni velle debebunt) is certè ſeſe illi viſibili Eccleſiæ & cœtui debet coniungere qui vocẽ Chriſti, B exturbata depulſáque nimirum idololatria,audit in his terris & ei credit. Atque hoc tertium eſt quod nos priùs explicare voluimus, quàm ſuſceptam confutationem aggrederemur. Reſtat igitur quartum & vltimum ex illis quatuor, quæ præmittenda cenſuimus,caput. Eſt autem huiuſmodi.Propter abuſum rei,qui ab hominibus manat, nequaquam tamen rem ipſam eſſe aut damnandam aut tollendam. Exempli gratiâ. Homines ebrioſi abutuntur vino : guloſi,cibis: latrones, ſyluis ad ſua latrocinia perpetranda : ergóne propterea tamen & vinum, & cibus , & ſyluæ damnabuntur, vel ex hominum vſu prorſus tollentur ? Nequaquam certè : Nec aliter quiſquam (niſi communi omnium hominum iudicio careat)reſpondebit. Imò & ipſo Dei verbo homines hæretici abutuntur (quid enim eſt tam ſanctum, quò non perrumpat & quod non polluat hominum væcordia & furor ?) quis tamen idcirco vel ipſum Dei verbum condemnabit, vel tollendum extinguendúmque fatebitur ? Nemo pius,quod equidem putem. C Nemo niſi Atheus planè, & monſtrum hominis ac porcus potius quàm homo. Et certè quidem huius noſtræ reſponſionis manifeſtiſſima eſt ratio. Nam res ipſæ à Deo,qui nihil malum creat, ſunt conditæ. Earum autem abuſus ex hominum vitio manat: Itaque cibi, ait Paulus, à Deo conditi ſunt ad vſum hominis, 1. Tim.4. & cum gratiarum actione ſumpti, ſancti ſunt,nedum polluti : at eorum abuſus velut ingurgitatio , & ebrietas, ex hominum intemperantia & ſcelere naſcitur. Quamobrem iſta duo,Res ipſa nimirum, & eiuſdem rei abuſus latiſſimè ſecernenda ſunt, nec propter abuſum rei de re ipſa malè pronuntiandum eſt, ne Deum potius quàm nos accuſare videamur, qui res eas producit,& quidem ſemper quatenus res ſunt, & tales ſunt,bonas. Quid verò,nónne artibus optimis homines ſcelerati abuti ad ſuam nequitiam ſolent ? veluti , Mercatura, ad auaritiam, & circumueniendos proximos ; Scriptura , ad falſum ſcriptum ſupponendum : Arte monetaria, ad falſos numos cudendos, conflandos : Medici-

A na, ad toxica porrigenda? Ergo ſingulæ illæ artes tam neceſſariæ damnentur, & è vita hominū tollantur neceſſe eſt, ſi ex abuſu de rebus ipſis eſt ſemel ſtatuendum ac iudicandum. Quid oppidis cōditis commodius? Et tamen quot modis poſſunt oppidorum monumētis & mœnibus abuti homines ſcelerari ad ſeſe contra iuſtum imperium tegendos? Nihil hominum ſocietate & rebus publicis cōſtitutis melius, & hominibus ſalutarius. Verumtamen quot homines hoc prætextu & dū ſunt in illa ſocietate, aut ei præſunt, ea tamen abutuntur ad ſuum quæſtum, aut ambitionem, aut crudelitatem? Ergo tollatur prorſus exſtinguatúrque omnis hominum ſocietas, omnes Reſpublicæ & ciuitates funditus euertantur, opida excindantur, ſi propter rei abuſum, res ipſa vel nobis odio eſſe debet: vel prorſus à nobis fugienda atque damnanda eſt. Quamobrem de reipſa ex illius abuſu iudicare eſt, vt iam intelligunt omnes, abſurdiſſimum atque imprudentiſſimum. Quod cum cuiuis tam perſpicuum ſit, vt illud à nemine negari poſſe exiſtimem, B illud generaliter iam concludo, eos peſſimè ſentire, qui vel verbum Dei, vel veram Eccleſiam quæ in his terris viſibilis eſt, fugiendam aut deſerendam eſſe cenſent, docent vel contendunt, quoniam ſcelerati quidā homines vel verbo Dei ad ſuos errores & ſectas abutūtur: vel Eccleſiæ Dei nomine ac ſplendore, ad turpis ſuæ vitæ inquinamenta celanda: vel denique in ea, non quemadmodum oportet, aut ad quem finem à Deo conſtituta eſt, verſantur. Quæ quatuor quoniam & veriſsima eſſe vident omnes, & magnam ad futuram libri (quem ad me miſiſtis) refutationem lucem afferūt, iam ad eam aggrediar, ſi priùs, quàm ſit ipſius libri auctor ſcriptor ineptus, breuiter demonſtrauero.

In quo non perſequar falſas illas verbi Dei allegationes, quibus totum hoc ſcriptum, quo iure, quáve iniuria, conſutū eſt: eſſet enim infinitū. quū nullus penè ſit in hoc libro deprōptus è ſacra Scriptura locus, quē iſte nō detorſerit, vel intorſerit, vel inepta allegoria inuoluerit. Veluti quū illū Geneſeos locum, de Eua vxore Adami interpretatur
Quæſt. 4. C allegoricè de Eccleſia, in qua vnuſquiſque noſtrū eſt, quaſi illa ſit vxor noſtra: veluti item quum locum Iſaiæ cap. 65. verſ. 20. de pueris & peccatoribus centenarijs, ad omnes alios, præterquam ad ſe vnum, refert, quaſi vnus ipſe cœleſtia ſapiat, nos
Quæſt. 13 reliqui omnes, quotquot nunc in terris viuimus mortales: ſimus fungi, & ſtipites, & rerum diuinarum prorſus ignari. Veluti denique (pauca enim de multis breuitatis gratia, delegi) quum nos o-
Quæſt. 14. mnes Balaamo pſeudoprophetæ ſimiles facit, ſe autem vnum profitetur ſupereſſe in terris tanquā alterum Moſen aut Eliam, qui vera ſentiat, & do-
Rom. 12. ceat, ita nimirum iſte contra Pauli præceptum magnificè de ſe, & tamen falſò, ſentit: ita temerè
Coloſſ. 2. v. 18. (quod omnes hæretici faciunt) turget carnis ſuæ ſenſu. Sed hæc, inquam, quanquam grauiſsima peccata, tamen iſti homini phantaſtico & qui omnem hominum ſocietatem fugit, benignè cōdonemus (eſt enim illud veriſsimum quod habet prouerbium, Αὐθαδεια ſeu *Obſtinatio opinióque de ſeipſo huiuſmodi hominum* ἐρημότητος ξύνοικος) infirmi-
Gal. 6. v. 2. tatéſque iſtius hominis, vt iubet Paulus, portemus & ſubleuemus: Illa verò quæ ſequuntur, pręſertim in ſcriptore qui ſe Chriſtianam doctrinam A tradere pollicetur, tolerari non poſſunt, nimirum quod ſibi toties manifeſtiſsimè contradicit. Nam veritas ſibi ipſi conſtat ſemper, neque ſecū vnquam pugnat. Huius autem rei nonnulla exēpla, vt in iſto ſcripto legendo ſint homines poſtea cautiores, afferam. Contradictio eſt in iſto ſcriptore & abſurditas manifeſta, quum ait, (ſiquidē iſtius verba ſunt mihi fideliter expoſita, & ea comparatio, ſimilitudóque, qua vtuntur, rectè perpendatur, & huic argumento accommodetur.)
Quæſt. 3. Ex ſimilitudine, qua iſti vtuntur, perſpicuè colligitur. Dona & gratias Dei eſſe penes Eccleſiam viſibilem, & tamen eam negat eſſe quærendam: quaſi non ſit pij hominis officium, theſaurum gratiarū diuinarum illic quærere, vbicunq; & apud quoſcunque eum Dominus ipſe depoſuit. Contradictio eſt ibidem & magna abſurditas, quum, ſi modò concedunt eam ſimilitudinem, (qua vtūtur in noſtra, vt ipſi fingunt, tyrannide deſcribēda) eſſe aptam, & ſuæ menti explicandæ conſen-
Ibid. Quæſt. 3. taneam, quum, inquam, ait: Illa eſſe Dona Dei, quæ dare tamen ſitum eſt in quorundam homi-
B num, vt ipſi vocant, furum poteſtate (his enim floſculis hæretici iſti nos ornant) vt ſi velint nemo ea præter ſeſe habeat, velut agros communes quidem, ſed à ſe ſolis furibus, vt nos iſti tamē cōtumelioſè vocant, occupatos. Contradictio eſt atque abſurditas inſignis, quum ſcriptor iſte approbat, vt inter homines ſit aliqua ſocietas ciui-
Quæſt. 4. lis, eáque à nobis colatur: at neque concedit neque probat, vt Eccleſiam (quæ eſt hominū quatenus Chriſtiani ſunt, ſocietas) certam habeamus, quaſi ſcilicet minus ad fidem & vitam ſpiritualem neceſſarius ſit Chriſtianis Eccleſiæ (vbi verbum Dei prædicatur) cœtus, quàm ad hanc terrenam conſeruandam eſt neceſſaria hominum inter ſe ſocietas. Contradictio eſt atque abſurditas, quod iſte vbique Miniſterium Euangelicum prorſus tollit, ſuadétque, quantum poteſt vt omnino à nobis negligatur: & tamen (ſic nimirum cogente
Quæſt. 17. veritate) fatetur Paſtores, id eſt, Miniſtros Euangelicos, ducere ad Chriſtum, teſtari de Chriſto, admittítque eſſe ex ijs nonnullos & bonos, & qui veritatem & charitatem annuntiant. Saltem enim illi Paſtores ſunt audiendi, qui nos ad Chriſtum adducunt: Saltem in illis, qui veritatem annun-
Quæſt. 5. C tiant, Miniſterium Euangelicum eſt à nobis, & ab eo ipſo, vel inuito probandum. Contradictio eſt apertiſsimáque abſurditas, quod ait, Omnes
Quæſt. 4. & 8. vana docere & pro ſuo arbitratu, & tamen ſe eſſe audiendum: Nam ſi omnes errant, & ipſe quoque errat: Aut ſe ſolum pulcrum, veracem, ſapientem magno animi errore & ſuperbia ipſe in ſua cauſſa iudex pronuntiat. Contradictio eſt &
Quæſt. 17 oratio ſeipſam euertēs in ipſis terminis, quum ait Iuſtitiam, qua coram Deo iuſtificamur, eſſe imputatam nobis, & tamen intra nos & in nobis im-
Quæſt. 4 & 8. pleri. Contradictio eſt atque abſurditas flagris digna, Quod vetat ne quenquam iudicemus, & tamen ipſe tanquam pro tribunali ſedens, velut auctoritate dictatoria nos omnes condemnat, &
Quæſt. 14. Ebrios & Balaamos vocat, & indubitanter in nos transfert, atque accommodat, quæ in falſos Prophetas paſsim à ſacra Scriptura dicuntur. Nam ſi nemo iudicare debet, cur ipſe nos iudicat? Quod ſi ſibiipſi licere putat de nobis facere iudicium,

cur

A cur non & nobis quoque de ipſo licebit, & quidẽ meliori iure, qui eum in plurimis hæreticiſsimũ deprehendamus & poſtea demonſtraturi ſumus? Contradictio eſt, atque abſurditas, quam ne ipſe quidem negare poſsit, Quod fatetur eſſe quędam Quæſt.12. Sacramenta à Chriſto ipſo præſcripta, vt à fidelibus obſeruentur, & tamen eadem illa à pijs toto vitæ curſu negligi poſſe idem iſte affirmat ac docet? In Epiſt. & Quæſt. 10. Quæ, obſecro, & quanta eſt iſta abſurditas, fateri aliquid à Chriſto præceptum ſeruari, & tamen docere illud ipſum à nobis, bonâ conſciẽtiâ, ſemper ſperni poſſe, nec curandum, vt illo per totam vitam vtamur? Dicet fortaſſe, ſe ſic ſentire, vt ad tempus fuerint inſtituta illa Chriſti Sacramenta, & quæ nunc vſum nullum habere debeant. Sed hoc probet, quod dicit. vti enim nos qui nunc, id eſt, hoc tempore Dei gratiâ in vera Chriſti eccleſia viuimus, eodem Chriſto fruimur, eodémque ſpiritu regimur, quo Apoſtoli, & qui verè Apoſtolis ſucceſſerunt: ita eadem fide, ijſdémque fidei ſigillis nempe ſacramentis veluti Baptiſmo & Cœna Domini ſalutem noſtram conſequi- B mur, ipſiuſque obſignationem accepimus, atque 1.Cor. 12. ver 13. Epheſ.4. verſ.5.6. retinere debemus, quemadmodum Apoſtoli. Imò multo magis ſacramentis hodie egemus, quàm illi, quoniam ſumus in fide infirmiores, quàm illi, ideſt Apoſtoli. Denique (ſi vera eſt verſio) fatetur tales ritus nos ad Chriſtum adducere, fatetur ad ſenectutem vſque nos alere & vſque quo in cœlo ſimus: fatetur eſſe lac vtile, & quo verè nutriamur: & tamen tales ritus à nobis negligendos putat. O cor ouis, ô ſtupidum ingenium hominis, ô inſanum, imò blaſphemum in Chriſtum ipſum, qui illa ſacramenta inſtituit, hominis iudicium: cõtumelioſum in Apoſtolos qui illa Eccleſiæ tradiderunt: iniurioſum in omnes pios & Dei filios, qui illa tam diligenter poſtea obſeruarunt, & obſeruanda docuerunt. Sed quid huic homini tam ſibi ipſi contrario, & tam inconſtãti facias, niſi vt ipſum relinquas ſibi, animaduertáſque hominem vertiginis ſpiritu duci, id quod nõ nos, ſed ipſum illius ſcriptum manifeſtè clamat. Atque vt breuiter abſque odio vllo (vt pote qui C hominem non norim, imò cui benè cupiam ex animo) dicam quod res eſt: Quicunque iſtius libri auctor eſt, certè monſtrum eſſe apparet ex varijs hereſωn aſſumentis conflatum. Peccatum originale agnoſcit, in cæteris tamen purus putus partim Libertinus, partim Anabaptiſta eſt. Schvvenckfeldianus quoque eſt, dum Euangelicum Miniſterium prorſus tollit, & tamen nonnunquam, vi veritatis coactus, illud probat. Quæſt. 16. Pelagianus eſt, dum perfectam iuſtitiam nobis in hac vita tribuit, & tamen alibi fatetur à Deo in nobis eſſe, non à nobis, velle & perficere: ita nimirum omni vento doctrinæ rapitur & iactatur, vt vbi conſiſtere debeat, planè iſte polypus omnes hereſωn colores induens, neſciat. Porrò his omnibus explicatis iam ad ipſius libri confutationem veniamus. Huius ſcriptoris ſcopus eſt hæc, & quidem falſiſsima, docere. Primùm, Nullum eſſe hodie viſibilem hominum cœtum, ac congregationem in his terris, quæ Eccleſia Dei dici poſsit: ac proinde pios ac fideles non debere hodie vlli Eccleſię vel reformatæ, vel alij cuipiam ſeſe adiungere. Secundùm, Sacramentorũ à A Domino noſtro Ieſu Chriſto inſtitutorum (quæ iſte per contemptum ceremonias appellat) vſum poſſe per totam vitam bonâ conſcientiâ à pijs & fidelibus contemni, ac per totã vitã negligi. Tertiùm, Poſſe quemque domi ſuæ priuatim, ſine Paſtore, ſine Doctore, ſine externo Miniſterio Euangelico ſatis conſequi veram verbi Dei intelligentiam: quantùm ipſi & ad ſalutem, & ad vitã ſanctam neceſſarium eſt. Quæ tria, licet vel ipſo intuitu ſint horrenda, tamen iſte pertinaciter tuetur, & ex ipſius epiſtola facilè colliguntur eſſe verus iſtius ſcripti ſcopus. In quo ſanè ſophiſtarum morem iſte ſecutus eſt, qui, quemadmodum Ariſtoteles docet, ſcribentes, diſputantéſque in eo maximè laborant, vti concluſio, quam ex præmiſſis efficere volunt, auditores, lectoréſque lateat: Itaque quum reliqui ingenui ſcriptores ſoleant epiſtolas ſuas præfigere librorum ſuorum initijs, ſcopúmque ſuum in illis ſtatim patefacere, vt certa ſit meta, ad quam toto reliquo ſcripto lectores perpetuò colliment: iſte contrâ, & quidem magno ſophiſticóque aſtu, illum ſcopum ſuum ad finem tamen libri reiecit, & cõcluſionem (quam ex tot præmiſsis à ſe Quęſtionibus elicere ſtudet) diligenter vſque ad eum locũ celat. B Vnde de iſto ſcripto vulgare & tritum illud verè vſurpari poteſt, *In cauda venenum.* Certè quod ad primum caput, nempe, Nullam nunc in terris eſſe viſibilem Eccleſiam, cui ſe fideles adiungere debeant, ſatis illud à nobis antea in præfatione refutatum eſt, vbi docuimus, quænam ſint veræ Eccleſiæ Dei dignoſcendæ, & cui te adiungere debeas agnoſcendæ, notæ. Quod ad ſecundum, nempe Sacramentorum vſum à piis negligi poſſe, illud ſatis euertitur, quòd illa ipſa Sacramenta iubentur obſeruari à nobis. Nam de Baptiſmo dicit, vtens verbo imperandi Chriſtus, *Ite, Baptizate*: De ſacra verò Cœna diſertis verbis præcipit, *Manducate, Bibite.* Matt.28. Matt.26. Quinimo illa ipſa ſacra Domini noſtri Cœna inſtituta eſt, vt vſum in Eccleſia Dei habeat, *donec Chriſtus ipſe veniat*, 1.Cor. 11. ver.2. vt loquitur Scriptura, id eſt, vſque ad nouiſſimum diem & reſurrectionis tempus. Quare impunè citráque ipſius Dei contemptum neq; Cœna, neque Baptiſmus negligi poteſt. Denique tertium iſtius libri caput, nimirũ Eccleſiam Dei ac C veros fideles carere poſſe in perpetuum Paſtoribus & Doctorib⁹, apertiſsimè ex eo refutatur. Primùm quòd Chriſtus mittens Apoſtolos diſertè ait, *Ite, docete*, Non ait, *Ite*, dicite hominibus vt priuatim tantum ac domi legant, ſed ait, *Docete.* Matt.28. ver.19. Quod ſi tum ipſimet Apoſtoli, tum Apoſtolorum ſucceſſores docere debent, Ergo in Eccleſia doctores ſint oportet. ſi aliqui ſunt doctores in Eccleſia, ergo & aliqui diſcipuli, id eſt, ſi qui docere iubentur, nos ergo eos quoque audire ex neceſſitate correlatiuorum iubemur. Quandoquidem ait etiam Paulus, *Fides eſt ex auditu*, Rom.10. ver.17. non ex lectione priuata. Nam ſine diſcipulo nemo dici vel intelligi poſsit eſſe doctor. Ergo ſi qui in Eccleſia iubẽtur eſſe doctores, iubentur & alij quidam in eadem Eccleſia eſſe auditores & diſcipuli: atq; ita demõſtratur ex Dei verbo neceſſarium eſſe in Eccleſia paſtorum officium. Hæc prima eſt illius tertij capitis huius libri confutatio. Secunda eſt ex eo, quòd Paulus enumerans ordines, quos Deus in Eccleſia ſua ad eam ædificandam perpetuos eſſe voluit, diſertè recenſet, *Paſtores ac Doctores*. Non eſt autem fruſtraneum & inutile vel ſpernendum mandatum & Dei conſilium. Quare Paſtores ac Doctores in Eccleſia Dei ad ipſius ædificationem perpetuos eſſe oportet: ac proinde oportet reliquos fideles eſſe eorum Paſtorum diſcipulos ac auditores. Quo fit, vt qui Miniſterium Paſtorum ac Docentium in Eccleſia ſtatuit inutile vel tollendum, ille proculdubio vtilius quippiam Eccleſiæ, quàm ipſum Solem (cuius luce in his terrenis tantùm actionibus dirigimur) adimat, eam verò ſuæ inſtructionis inſtrumento priuet, denique Dei ipſius ordinationem impiè abroget, ac conculcet. Cæterùm perpetuum apparebit in hoc ſcriptore illud vitium, vt ex abuſu rei de re ipſa iudicium faciat, & eam propterea tollendam cenſeat: quod eſt, quemadmodum diximus, abſurdiſſimum. Sed vt Papiſtæ veram Dei Eccleſiam oppugnant à dextris, dum eam ſemper in his terris viſibilem fuiſſe, & perpetuam perſonarum ſucceſſionem habuiſſe dicunt: ſic iſti tum ex Donatiſtis (fuit enim hæc Donatiſtarum, vt Auguſtinus oſtendit, qui illorum temporibus vixit, & cum illis ſæpe diſputauit, fuit, inquam, hæc Donatiſtarum hæreſis, quòd Eccleſiam vellent in his terris eſſe perfectam, quod & iſti Libertini poſtulant à nobis: quòd propterea ſeſe ab Eccleſiis vbi purum Dei verbum annuntiabatur, Donatiſtæ ſepararent, & ſeorſim ſuos cœtus habere vellent, hoc nimirùm & iſti: quòd Donatiſtæ clamarent iampridem ex his terris periiſſe Eccleſiam & deſiiſſe in ipſis Apoſtolis, perinde & iſti) Ergo vt dixi, iſti tum ex Donatiſtis tum ex Svvenckfeldianis conflati eandem à ſiniſtris aggrediuntur, dum eam prorſus è Mundo periiſſe, & nuſquam iam extare contendunt. Et hæc quidem hactenus: iam ipſa libri argumenta ſingula perpendamus. Breuiter autem illa ordine proponemus, & ad ea reſpondebimus. illud modò meminerint omnes ſcopum huius libri eſſe, vt doceat pios homines nulli Eccleſiæ viſibili in his terris ſeſe adiungere debere. Quod iſte probare ac euincere ſic conatur, & quidem in reſponſione ad primam Quæſtionem.

1. Argum. Oportebit pios in his terris reſpicere ad Deum, non ad homines: Ergo pii in his terris nulli Eccleſiæ viſibili ſeſe coniungere debent.

Reſponſ. Nego conſecutionem. Nam quamuis Eccleſia viſibilis in his terris conſtat hominibus, tamẽ qui ſeſe Eccleſiæ adiungit, non in homines ipſos reſpicit, ſed in Deum, cui illi ſeruiunt. Quare vt vnâ cum illis ipſe quoque Deo ſeruiat, adhæret illi cœtui. Sic Paulus quærebat ſeſe adiungere diſcipulis, & Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, non vt in homines illos reſpiceret, aut illorum hominũ ſeruus eſſet, ſed vt cõmuni fide, & conſenſu, & charitate cum illis Deo, Deo inquam, ipſi ſeruiret & cõmunibus cum iis Sacramentis Hieroſolymis vteretur. Sic qui ſeruus eſt alicuius Principis domeſticus, debet ſe reliquo ſeruorum eiuſdem Principis cœtui & conſortio adiungere, in ipſius palatio verſari, & ſe ad iuſſa Principis audienda cum aliis ſiſtere, vt verè domeſticus eſſe appareat, & vnâ cum cæteris famulis cibum capiat.

Acto.9. verſ.26. Galat.1. verſ.10. 1.Theſ.1. verſ.9.

In reſponſione ad Quæſtionem ſecundam.

1. Argum. Debent verè pii communicare cum Deo: Ergo nequaquam cum Eccleſia viſibili.

Reſponſ. Falſa conſecutio. Qui enim cum Eccleſia viſibili communicant, iidem illi cum Deo ipſo communicant, quoniam noſtræ cum Deo communicationis veræ vinculum, ac ratio eſt fides, cuius initium, ædificatio, ac incrementum in his terris, eſt auditio verbi Dei, Sacramentorum participatio, & mutua exhortatio, quæ non niſi in Eccleſia eſſe & fieri poſſũt. Ergo qui cum Deo communicare & quærit & cupit, ille ad Eccleſiam, (in qua ſola velut in templo ſuo ad eum finem Deus præſens eſt) accedat, ſéque illi adiungat. Sic olim pii & fideles qui Deo per fidem adhærebant, ſe quoque Eccleſiæ (vt eſt in Actis) adiungebant: ſic qui ex Principis domeſticis & purpuratis cẽſeri vult, eorúmq; prærogatiuis frui, conſortio ſe illorũ inſcribat neceſſe eſt. Qui in numero militum verè cenſeri vult, ad ſigna frequens ſit, & in caſtris verſetur oportet.

Ioan.14. verſ.23. 17.ver.20. & 21. Rom.10. verſ.9. Actor. 2. verſ.41. 5.verſ.14. 6. verſ.1.

2. Argum. Qui cum Deo per fidem communicat, habet illud omne quod homines decet commune habere: Ergo ſpernenda eſt noſtra cum viſibilis Eccleſiæ corpere communio.

Reſponſ. Falſa eſt iſta conſecutio. Nam qui cum Deo communicat, ille etiam cum Chriſto prius communicet neceſſe eſt. Verùm cum Chriſto nemo communicat, qui idem cum reliquo Eccleſiæ viſibilis corpore non coniungatur: quoniam illa eſt implementum corporis Chriſti, vt ait Paulus 1. Corint. 12. & Epheſ.1.v.23. Quod de viſibili quoque Eccleſia eſſe intelligendum, non tantùm de inuiſibili, ſupra ſatis demonſtrauimus. Nam in illa viſibili, in qua purum Dei verbum annuntiatur, Deus eſt præſens & quidem longè meliori nunc ratione per Euangelii prædicationem, quàm olim in viſibili templo Salomonis, in quo Deus tamen propter ceremonias rerum futurarũ, & quas Euangelium habet, dicebatur eſſe præſens. Deinde cùm Paulus, 1. Timot.3. ait, Eccleſiam eſſe columnam veritatis, docet illius loci circunſtantia de viſibili Eccleſia, in qua ſint Paſtores, hoc à Paulo dici. De ea enim illud affirmat Paulus, cui Paſtores, & Diaconi, & Preſbyteri creantur, quales illic & eodem capite deſcribit Paulus: Eccleſiæ verò inuiſibili nulli Diaconi, Preſbyteri, & Paſtores creari, dariue poſſunt, quoniam eſt inuiſibilis. Quare de Eccleſia viſibili quæ ei cœtus hominum in Chriſti nomen congregatorũ & Dei verbum annuntiatum à Paſtoribus audientium, intelligatur illa laus Eccleſiæ, quod ſit columna veritatis, & implementum corporis Chriſti: non de inuiſibili duntaxat eccleſia, vt Libertini iſti ſomniant. Ergo qui cum Deo communicare vult, cum Eccleſia quoque ipſa viſibili communicet neceſſe eſt.

3. Argum. Quum Eccleſia vocatur Communio ſanctorum, illa Communio de Deo non de ipſis hominibus intelligenda eſt. Ergo non eſt neceſſaria noſtra cum reliquis piis, id eſt, cum Eccleſia viſibili communicatio, vt ſimus in communione ſanctorum.

Reſponſ. Falſum eſt antecedens, id eſt falſa eſt illorũ verborum, *Communio ſanctorum* interpretatio. Dicitur enim Eccleſia ſanctorum Communio, nõ tantùm, quà fideles cum Deo, ſed etiam qua inter ſe commu-

Rom.12. 1. Petr. 4. verſ.10.

A communicant. Habent enim Communia hæc inter ſe, vnum corpus, ergo & vnum cœtum in quo ſe omnes etiam viſibiliter conſociant: vnum Spiritum, vnam ſpem ſuæ vocationis, vnum Deum, vnam fidem, vnum Baptiſma, ergo & vnam ſacram Cœnam. Epheſ. 4. verſ.5. Vt non ſit tam abſurdum, ac mirum fratres Conſanguineos adhuc filiosfamilias in vna & eadem vnius Parẽtis domo ſimul nõ habitare: quã eſt offendiculi plenum fratres conſpirituales & pios in vnam & eandem Eccleſiæ congregationẽ non ſimul conuenire & coniungi, vt etiam docet Pſal.133. Dauid, *Quàm bonum & quàm iucundum*, ait, *fratres habitare in vnum*! Itaque qui ſeſe ab eo cœtu ſeiungũt, Schiſmatici vel Hæretici meritò nominantur.

4. Argum. Seſe viſibili Eccleſiæ adiungere, eſt hominum ſeruum fieri, quales eſſe non debemus. Ergo nulli Eccleſiæ viſibili adhærere oportet.

Reſp. Hoc argumentum iſti quidem videtur palmarium. Itaque in epiſtola & in reſponſione Act.3. B & 4. Quæſtione illud repetit. Verum eſt omnino futile, imo nihil: Nos igitur non debere in ijs quæ ad fidem pertinent fieri hominum ſeruos, libenter concedimus: ſed negamus eos, qui ſe adiungunt Eccleſiæ Dei viſibili (cuius notas ſupra de- 1.Cor.7. verſ.23. ſcripſimus, & quales notæ extant ſi non in totum, ſaltem magna ex parte in reformatis Eccleſiis) negamus, inquam, qui ſe iis Eccleſiis addunt, fieri ſeruos hominum: imò ex ſeruis idolorum, hominum, aut hæreſeon, fiunt ſolius Dei ſerui, vt diſertè docet Paulus, 1.Theſſal. 1.verſ.9. *Quomodo conuerſi fueritis ad Deũ* ait, alloquens Theſſalonicenſes, qui ſe Eccleſiæ viſibili adiunxerant, *relictis idolis, vt ſeruiretis Deo viuo.*

In Reſponſione ad Quæſt. 3.

In hac reſponſione explicat tantùm ineptam quandam ſuam ſimilitudinem, ex qua colligitur contra iſtius ſententiam & tamen ex iſta ſimilitudine, vera Dei dona & ſalutaria eſſe penes Eccleſiam viſibilem, vti agri communes ſunt penes eos qui eos, alijs negligentibus, occuparunt. Ac proinde vt eis Dei donis fruamur, eſſe ad Eccleſiam viſibilem accedẽdum. Deinde iſtius hominis imperitia hîc apparet, qui confundit *Communionem* C *ipſam & Rem cui cõmunicamus*. Appellat enim Deũ Communionem, quum tamen Deus ſit ipſum illud, cuius fruitione à multis percepta, naſcitur inter eos communio. Vt igitur aliud eſt res communis, velut domus aliqua communis: aliud ipſum ius communionis, ſeu ipſum ius commune pluribus in ea ipſa domo, ac re communi: ſic aliud eſt, Deus, aliud communio ipſa Dei, quæ ſanè nõ poteſt vel eſſe vel fingi, niſi plures ſint qui communicẽt Deo, ac proinde aliqua ſit Eccleſia, quæ Deo fruatur communiter. Ex quo fit, vt huic corpori Eccleſiæ ſeſe adiungere debeant etiam viſibiliter, quum illud corpus ſeu Eccleſia viſibilis (quales nunc ſummâ Dei gratiâ, ſunt Eccleſiæ Dei reformatæ) ſint ij qui Deo fruantur, illíque communicent.

In Reſponſione ad Quæſt. 4.

Argu. Eua, quòd erat adiumẽtum Adamo datum, illi nocuit. Ergo Eccleſia viſibilis nobis nocebit, ne ſoli ſimus ſi illi nos adiungamus.

A Reſponſ. Quid verò? iſte concedit, imò ſuadet, vt nos adiungamus Eccleſiæ inuiſibili: Illa verè eſt etiam adiumentum, vt Eua fuit Adamo ex iſtius interpretatione, ac proinde noxium. Ergo neque viſibili, neque inuiſibili Eccleſiæ adhærere iam iuxta iſtius ſententiam debebimus, quia nimirum nocebit nobis, ſi quod adiumentum quærimus. Verùm quàm eſt iſta allegoria inepta, quemadmodum ille ipſe poſtea fatetur, quum ait hoc adiutorium, de quo locutus eſt Deus, ad multiplicandi procreandique generis humani adiutoriũ & vſum pertinere, non ad huiuſmodi quæſtiones, ad quas tamen iſte tranſtulit. Ergo ineptè fecit dum illam ta produxit. Et certè quidem longè diſſimillima eſt ratio Eccleſiæ & Euæ. Eccleſia cui accedimus, nos ad Dei verbum reuocat, ac proinde eſt veriſſimum nobis adiumentum. Eua verò Adamum à Dei verbo auocauit & abduxit, atque idcirco fuit illi nocumentum. Quare diſsimillimas iſte res inter ſe comparat, de quibus idem tamen concludit. B

2. Argum. Etſi tempore Abrahami gentiles non erant in Eccleſia Dei viſibili, vt ipſum ſemen ac familia Abrahami, nihilominus tamen erant in vera ac inuiſibili Dei Eccleſia, & ad Deũ tanquã filij pertinebant. Ergo etſi in viſibili Dei Eccleſia, quæ vera eſt, non ſimus, tamen propterea nõn deſinimus ad Deum tanquam filij pertinere.

Reſponſ. Nego tempore Abrahami, & quamdiu illud inter Circunciſionem & Præputium diſcrimẽ ex Dei verbo durauit, Gentes ipſas ad Deum, tanquam ipſius filios, pertinuiſſe, & in vera ac inuiſibili Eccleſia fuiſſe. Sic enim Apoſtolus Ieſu Chriſti Paulus ſcribit ad Epheſios Epheſ.2. ver.11.12. *Propterea mementote vos quondam Gentes in carne (quæ dicebatur præputium ab ea, quæ vocatur circunciſio in carne, & quæ manibus fit) vos, inquam, illo tempore fuiſſe abſque Chriſto, alienos à Repub. Iſraelis, & extraneos à pactis promiſsionum, ſpem nõ habentes, & Dei expertes in Mũdo.* Ex quo apparet verum eſſe quod dicimus, falſum autem, quod iſte ait: & tamen conatur his tribus argumentis confirmare: Primùm, quia Deus promiſerat fore, vt gentes eſſent in Eccleſia, ergo iam tunc erant in ea. Reſpondeo. Promiſerat quidem Deus eas futuras in Eccleſia, quemadmodũ poſtea, id eſt, poſt incarnationem Domini noſtri Ieſu Chriſti reipſa præſtitit: ſed tunc nondũ C in ea erant, id eſt, ante illum Chriſti aduentum illam ſuam promiſsionem Deus non impleuit. Sic poſſum tibi quippiam promittere, quod tamen in triennium aut aliud aliquod longum tempus differã. Sic promiſit nobis Deus vitã æternã, quã tamẽ dũ hîc à Domino peregrinamur nondum reipſa obtinemus. Secundum iſtius falſæ ſententiæ probandæ argumentum eſt, Deus gentibus vitam dabat, ergo gentes ad eum, tanquam filij, pertinebant. Reſpondeo. Multæ ſunt ſpecies beneuolentiæ ac beneficentiæ Dei, ſed duæ imprimis, eæque prorſus diſtinctæ, & inter ſe diuerſæ, quarum prima eſſe abſque ſecunda poteſt: ſecunda tamẽ abſque prima eſſe non item: veluti vnum poteſt eſſe abſque duobus, at duo non poſſunt eſſe, quin in ſeſe comprehendant vnum. Duobus igitur modis & res à ſe creatas amat Deus, & illæ ad eũ pertinent, nẽpe vel iure creationis, quo modo res omnes ad eũ pertinẽt, & pluit ſuper bonos & malos: Mat.5.v.45.

A vel iure redemptionis, quo modo ſoli illi ad Deũ pertinent,quos pro filiis agnoſcit. Sic dicitur in pſalmis. Pſal. 147. verſ. 20. & Pſal. 144. verſ. 15. *Non fecit taliter omni nationi* , & , *Beatus populus cui ſic: Beatus populus cuius Dominus Deus eius*.Ergo gentes ad Deum pertinebant tunc etiam iure creationis,id eſt,vt res ab ipſo creatæ:non autem iure redemptionis,id eſt,velut filii ab eo adoptati, quomodo nempe vnum Abrahami ſemen ad Deum iam tunc pertinebat. Pſal. 105. verſ. 6. Tertium iſtius hominis argumentum eſt, vetus adoptio & electio populi Iſraelitici (de qua fit mentio in ſcripturis) fuit tantùm maior quædam iſtius populi delinitio,ſeu blandior tractatio ac appellatio , non autem peculiaris quidam & diuerſus fauor, quo ſe illius duntaxat populi Patrem & redemptorem Deus oſtenderet. Ergo etiam tunc gentes ad Dei peculium,quemadmodum & Iſraelitæ,ſpectabãt. Reſpondeo.Nihil manifeſtius aduerſus Dei verbum affirmari poteſt,quàm quod iſte hîc diſertis verbis ſcribit. Ecce enim Moſes iſtum refutat. B Deut. 32. verſ. 8. 9 *Quum poſſeſſionem diſtribueret Excelſus gentibus*,ait, *quum diſpararet filios Adami,ſtatuit terminos populorum pro numero filiorum Iſraelis* , *Quia pars Iehouæ eſt populus eius, Iacob funiculus poſſeſſionis eius* : & quod nunc afferebamus ex pſal.147. *Non fecit taliter omni nationi*.Item pſal.76. *Solùm in Iudæa notus Deus*. Atqui eorum Deus,id eſt , Pater non erat,à Rom. 10. verſ. 14. quibus non agnoſcebatur. Ergo illius duntaxat populi propriè & Pater erat & Deus. Ex quo fit, Oſ. 2. vt apud Oſeam Iſraelitæ dicantur ii fuiſſe, qui ſoli Exod. 19. verſ. 5. vocabantur *Populus meus*.Et paſſim,ea ſola gẽs dicitur gens electa in peculium Dei. 1. Petr. 2. verſ. 9. Nam quòd nos, qui olim eramus Gentes , hodie & ſumus & vocamur verus populus Dei,illud factum eſt,quoniam,vt ait Paulus, Chriſtus veniens in Mundum, Epheſ. 2. verſ. 14. *vtroſque populos fecit vnum diſiecto pariete intergerino*,qui nos à populo Dei ſegregabat . Ex vtriſque igitur & Iudæis & Gentibus Chriſtus veniens Ioann. 10. verſ. 16. *fecit vnum ouile*, quoniam antea non erant gentes ouile Dei. Quin imò,ait idem Paulus, *Obduratio nunc obtigit ex parte Iſraeli tantiſper dum plenitudo* Roma. 11. verſ. 25. *Gentium introierit*.Quare ante Chriſti aduentũ prædicatúmque ab Apoſtolis Euangelium , Gentes non fuerunt populus Dei,ſed ſoli Iudæi, contra C quod tamen iſte & ſentit & ſcribit. Ex quibus apparet,quàm falſò ſtatuat Eccleſiam Dei inuiſibilem fuiſſe tempore Abrahami etiam inter Gẽtes: ergo & falſum nos ea ſola inuiſibili contentos eſſe debere,ſpreta hac viſibili , quæ ex certis ipſius notis dignoſci poteſt. Veniamus ad alia phrenetici iſtius hominis argumenta.

3. Argum. Eccleſia viſibilis quæ ſub Moſe fuit , Deo fuit immorigera. Ergo omnes viſibiles Eccleſiæ ſunt Deo immorigeræ.

Reſponſ. Negamus conſecutionem. Nec enim magis firma eſt,quàm ſi quiſpiam ita argumentetur, Mẽnonita quidam Anabaptiſta anno Domini 1581. expilauit Amſterodami ædes amici ſui, & eius familiam trucidauit,Ergo omnes Anabaptiſtę Mennonitæ faciunt. Quam conſecutionem ne iſte quidẽ ipſe idẽ verã eſſe admiſerit. Ex vno enim ad õnes nulla valet conſecutio.

4. Argum. Omnia ſcelerum genera & infinitæ rixæ de doctrina in Eccleſiis viſibilibus hodie regnant. Ergo nulla Eccleſia viſibilis nobis eſt quærenda.

Reſponſ. Primùm, falſum eſt quòd ait , ſcelera regnare A vel tolerari in reformatis Eccleſiis ſi modò nota ſunt,item inter ipſos fideles rixas eſſe vel permitti,quãtũ homines mederi poſſunt. Idcirco enim & diſciplina Eccleſiaſtica & Conſiſtorium eſt inſtitutum,vt iſta mala è medio Eccleſiæ tollantur. Nam vel iſte nunquam Eccleſias vidit: vel ſe calũniatorem impudentiſſimum nunc oſtendit , dum hoc noſtris Eccleſiis mentiens affingit. Sed quãuis non ſint tam ſancti qui eas ſequuntur, Euangeliúmque profitentur , quam optaremus : ex abuſu tamen Eccleſiæ,non eſt,vt antea diximus, de re, id eſt,de ipſa Eccleſia iudicandum, neque Eccleſia viſibilis propterea eſt damnanda.

5. Argum. Vera Eccleſia ſoli Deo nota eſt , ergo nobis ignota eſt:ac proinde fruſtrà à nobis quæritur.

Reſponſ. Falſum eſt , veram Dei Eccleſiam abſolutè ſoli Deo notam eſſe. Nam ſupra oſtendimus veras notas,ex quibus illa & verè agnoſci, & ab aliis hominum vel Ethnicorum vel hæreticorum cœtibus diſcerni poſſit.

B 6. Argum. Eccleſiæ viſibiles ab Apoſtolis plantatæ ſtatim poſt eorum mortem perierunt. Ergo fruſtra & inutiliter à nobis nunc quæruntur,vt nos illis adiungamus.

Reſponſ. Eccleſiæ Apoſtolicæ dupliciter dicũtur, vel quę ipſo Apoſtolorũ ore & prædicatione vocali collectæ ſunt : vel quæ in eorum doctrina(quæ & ipſa eſt Chriſti doctrina)ſunt fundatæ,excitatæ & congregatæ,eamque doctrinam ſequuntur. Concedimus igitur pleraſque Eccleſias,quæ primo illo modo vocantur Apoſtolicæ,periiſſe,qualis Antiochena,Corinthiaca, Alexandrina &c. Tit. 1. v. 1. & 2. ſed ſecundo modo dictæ Apoſtolicæ Eccleſiæ etiamnum hodie (ſummâ Dei miſericordiâ, qui Euangelii benedicti lucem Mundo reſtituit)palàm multis in locis, extant,quæ vulgò reformatæ nominantur , velut Amſterodami, Vltraiecti, Delphis, Dordraci, Gandaui , & paſſim non obſcuris per Europam vrbibus, ditionibus, regnis,&c.Ergo, qui his Eccleſiis ſeſe minimè adiungit,ille proculdubio Apoſtolicas Eccleſias,atque adeo Chriſtum ipſum ſpernit. Dixit enim illis Chriſtus. *Qui vos ſpernit, me ſpernit*:& Ioann.17. Luc. 10. *Non pro eis* (Apoſtolis) ait , idem *rogo tantum,ſed & pro iis,qui per ſermonem eorum credituri ſunt in me*. C Denique quàm eſt impudens & abſurdum,& ex Donatiſtarum hæreticorum ſententia repetitum,affirmare,Omnes veras Dei Eccleſias viſibiles nunc periiſſe , & nullibi gentium iam extare,quum tot veri Paſtores,tot veræ Eccleſiæ, tot ſancti cœtus reformatarum Eccleſiarum extent,cum quibus ne laruæ quidem iſtæ Libertinicæ(qui certè ſunt primorũ qui hoc noſtro ſeculo orti ſunt,& verbum Dei ſcriptum literam mortuã elementáque Mundi à Paulo damnata nominarunt,primorum inquam iſtorum Anabaptiſtarum ſoboles ac propago:licet, vt filii degeneres iam ab Anabaptiſtis in multis diſſentiant , ſeorſimque ſibi magna ambitione nouam ſectam fabricati ſint,& de ſuo nomine iam eam appellãt.) Ergo cum noſtris ne laruæ quidem iſtæ contendere ſanctitate, vel poſſint vel audeant,quicquid magnificè de ſua illa perfectione & impeccantia(falſò tamen & mendaciter)iactent.

7. Argum. Deus pollicetur quòd ipſe docebit ſuos : Ergo Miniſterio Euangelico externo nõ eſt nobis opus.

Reſponſ. Subordinata non pugnant inter ſe , veluti

Deus

Deus, & Medicus ad ſanationẽ. Etſi enim ſanatio eſt à Deo, Medicus tamen eſt à Deo nihilominus ordinatus velut inſtrumentum ipſius ſanationis à Deo conſequendæ. Sic etiam Deus & Cibus in vita hac terrena conſeruanda, non pugnant inter ſe. Etſi enim vita hæc eſt Dei donum, itémque illius conſeruatio: cibus tamen eſt à Deo conſtitutus vti inſtrumentum & medium ordinariũ huius vitæ tuendæ & conſeruandæ. Ergo & qui ſanari vult, medicum contemnere nõ debet, licet à Deo ſanari ſe agnoſcat: & qui hîc viuere cupit, cibum minimè aſpernatur, licet à Deo ſe ali ſciat. Eodem modo Deus, & Miniſterium Euãgelicum externũ optimè inter ſeſe conſentiunt. Quòd enim credimus. i, quòd cor noſtrum flectitur vt fidem verbo Dei habeamus: quòd veritati cœleſti acquieſcimus: quòd Chriſtum agnoſcimus redemptorem, hoc verè opus eſt Dei: quod tamen opus Deus per Miniſterium Euangelicum externum veluti per inſtrumentum à ſe inſtitutum efficit in nobis, *Itaque fides dicitur eſſe ex auditu*, etiã quo tempore & Deus docebit, & erunt omnes θεοδίδακτοι. Quomodo verò audient inquit Paulus abſque prædicante, ideſt, abſque Miniſterio Euangelico externo? Denique tunc quoque quum Deus docebit, dicetur hoc vel ipſo teſte, *quàm ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem, euangelizantium bona*! & nominatim Petrus ipſe, *Paſcite* (inquit) *gregem Domini*. Quare illo etiam tempore quo Dominus docet nos, debent eſſe & homines qui prædicent & qui Euangelizent. Ergo illa promiſsio & efficacitas Dei nec tollit, nec abrogat Miniſterium Euangelicum externum, ac ptoinde neque Eccleſias viſibiles: imò quum in illis ſolis ſit & vigeat illud Miniſterium Euangelicũ, ſunt à pijs omnibus, qui Deo doceri volunt, viſibiles Eccleſiæ quærendæ. Denique hoc eſt illud argumentum Anabaptiſtarum quòd iſte velut ius vetus nobis recoquit, & reponit, de Spirituali illa docendi ratione, cui iam millies eſt à noſtris reſponſum.

Ion. 6. verſ. 26. & 45.
Rom. 10. verſ. 14.
Heb. 8. verſ. 11.
Iſ. 52. v. 7.
Roma. 10. verſ. 15.
1. Petr. 5.
Act. 20.

In reſponſione ad Quæſtionem 5.

Argumẽtum. In viſibili Eccleſia homines ſuam non Dei doctrinam tradunt, & ſtabiliunt: Ergo viſibilis Eccleſia nequaquam nobis ſequenda.

Reſp. Hoc cum ab iſto non probetur, apparet iſtam obiectionem meram eſſe aduerſus noſtras Eccleſias calumniam, quæ eò iuſtius à nobis non agnoſcitur, quò impudentius ab iſto nobis impingitur.

In reſponſione ad Quæſtionem 6.

1. Argu. In Eccleſia viſibili litera ſcripta prædicatur: illa autem non eſt ipſum Dei verbum. Ergo Dei verbum in Eccleſia viſibili non prædicatur: ac proinde Eccleſia viſibilis neque quærenda neque ſequenda eſt.

Reſponſ. Litera à Prophetis & Apoſtolis ſcripta, eſt ipſum Dei verbum, 2. Petr. 1. verſ. 19. Rom. 15. verſ. 4. 2. Timot. 3. verſ. 16. ad quod nos Chriſtus ipſe & Prophetæ remittunt ac reuocãt. Chriſtus, *Scrutamini Scripturas*, ait, *illæ enim teſtantur de me*. Iſaias *Ad Legem & Teſtimonium*. Malachias, *Recordamini Legis Moſis ſerui mei*. Quamobrem vbicunque illa litera ſcripta verè docetur, ac prædicatur, illic ipſum quoque Dei verbum annuntiatur. Quod quum hodie, Dei gratiâ, fiat in reformatis ac viſibilibus Eccleſiis: ergo illæ ſunt à piis, qui verbũ Dei diſcere, cognoſcere, ac intelligere volunt, quærendæ & adeundæ. Hæc tantùm differentia eſt inter ipſum Dei verbum, & ſcriptam (quã iſte per contemptum vocat) literam, quæ inter cõtractum tantùm nuncupatum ac conceptũ inter partes, vel eundem contractum iam ſcriptum. Quum enim ſcribitur aliquis contractus ſeu pactum, nihil aliud ſcribitur, quàm quod erat priùs inter partes conuentum & nuncupatum: ſed tantùm forma viſibilis illi additur, vt quæ verba partiũ prius erant inuiſibilia & volantia, iam per ſcripturã illã fiant quodammodo viſibilia & fixa. Sed tamen ſi ſubſtantiatum literæ ſeu ſcripturę, tum contractus ipſius & pactionis verbis conceptæ ſpectetur, idẽ prorſus in vtroque continetur. Vnde & ipſa quoque ſcriptura de contractu aliquo facta dicitur eſſe ipſemet noſter cõtractus & pactum ipſum. Eodem modo, ipſum Dei verbum per ſe eſt inuiſibile: Sed poſtquam ſcriptis mandatum eſt, illud idẽ factum eſt iam quodammodo viſibile: idem tamẽ eſt vtrobiq;, id eſt, & in illa litera quæ ſcripta eſt Dei verbo, & in ipſomet Dei verbo. Quàobrẽ peſſimè & ignoràtiſsimè putat iſte aliud eſſe ratione ſubſtãtiæ & doctrinæ Scripturam ſeu literã Sacrã, & ipſum extra Scripturam Dei verbum. Eſt enim vtrunque quemadmodum docuimus, idem. Et quod ait Paulus, *Litera occidit, Spiritus viuificat*, aliò prorſus pertinet. Hoc enim oſtendit, nempe niſi Dei Spiritus reddiderit efficax illud externũ miniſterium, fore tantùm ſonitum qui neque nos excitare à peccatis, neque cor noſtrum pungere poſsit.

Ioan. 5. v. 39.
Luc. 24. verſ. 27.
Iſa. 8. v. 20.
Malach. 3. v. 22.
2. Cor. 3. v. 6.

2. Argu. Litera ſcripta corrumpi falſa interpretatione poteſt. Verbum autem Dei non poteſt. Ergo litera ſcripta non eſt Dei verbum.

Reſp. Eodem modo verbum Dei corrumpi poteſt quo litera ſcripta. Itaque dum hæretici littera ſcripta abutuntur, eámve corrumpunt, dicuntur etiã corrumpere ipſum Dei verbum. Verùm ſi propriè loqui volumus, neque ſacra Scriptura, neque Dei verbum corrumpi poteſt: ſed tantùm poteſt illi falſus ſenſus ſeu ſententia ab hæreticis hominibus ex animi ſui errore affingi, qui tamen ſenſus illis non ineſt, vt falſitas & corruptio ſit in ipſo hæretici animo & mente, nõ in ipſo Scripturæ ſenſu. Sed ipſe perturbans omnia confundit vitium interpretis cum vera Scripturæ ſententia, quæ duo putat eſſe idem, adeóque ipſum interpretis vitium inhærere in ipſa Scriptura ſacra.

In reſponſione ad Quæſtionem 7.

1. Argumentum. Verbum Dei eſt ipſe Deus: Litera ſcripta non eſt ipſe Deus. Ergo litera non eſt Dei verbum.

Reſp. Falſum eſt, quod affirmat iſte, nempe Verbum Dei eſſe ipſum Deum, id eſt ipſam Dei eſſentiam. Quod enim dicunt Rabbini, *Deus eſt ſuũ verbum, & verbum ipſius eſt ipſe*, non de eſſentia Dei eſt intelligendum, quemadmodum facit iſte: ſed de ea tantùm declaratione virtutum, vt vocat Petrus, attributorúmque diuinorum, quam in ipſius verbo habemus, & quæ virtutes ſeu attributa cum eiuſdem Dei eſſentia planè cõſentiunt, eámque verè nobis explicant. Sicut enim Deus dicitur in ſuo verbo, *Sanctus*, *Bonus*, *Miſericors*, *Iuſtus*, &c. Sic reipſa quoq; talis eſt Deus in ſeſe, & in ſua eſſentia. Ex quo fit, vt conſentiãt eſſentia Dei, & verbũ ipſius quod nobis illa Dei attributa

1. Pet. 2. v. 9.

A tradit ac declarat,per quę Dei eſſentia aliquo modo, (& eo quidem , qui ſatis ſit nobis ad ſalutem) intelligi poteſt. Quum verò litera ſcripta ſit ipſum illud Dei verbum, ex quo diſcimus Deum eſſe Sanctum, Bonum, Miſericordem , Iuſtum, Sapientem,&c. Ergo litera quoque ſcripta tam eſt ipſe Deus,quàm verbum ipſius etiam non ſcriptum dicitur eſſe Deus ipſe,& totum hoc argumentũ eſt mera ſophiſtice ex ambiguitate vocis ***verbum Dei.***

2. Petr.1. verſ.19. 2.Timo.3. verſ.16.

2. Argumentum. Chriſtus eſt verbum Dei ; Littera ſcripta non eſt Chriſtus. Ergo littera ſcripta non eſt verbum Dei.

Reſp. Hîc quoque ludit Sophiſta iſte ambiguitate vocum iſtarum, ***verbum Dei.*** Chriſtus enim dicitur Verbum Dei : & littera ſcripta dicitur etiam Verbum Dei: ſed vtrunque diuerſa ratione. Chriſtus, quoniam eſt ipſum illud Verbum,quod ex Patre ineffabiliter genitum, eandẽ cum Patre eſſentiam habet. Itaque eſt Verbum Dei ἀντονομαστικῶς, & velut res ipſa,de qua reliqua omnia,quæ Dei verbum dicũtur(velut Reuelatio,Prædicatio & Scri- B ptura)loquuntur. Scriptura verò & Prædicatio & Reuelatio à Deo facta,dicuntur verbum Dei,quoniam illa hoc Dei verbum, Chriſtum nempe, declarant ac patefaciunt hominibus. Ergo non deſinit littera ſcripta eſſe verbum Dei, licet , non ſit Chriſtus ipſe,quoniã eſt Chriſti annunciatio. Sic ipſa declaratio & prædicatio Euangelij paſsim dicitur Euangelium. Quare qui audit litteram ſcriptam,idem ille quoque Chriſtum illius autorem audit,& veram annuntiationem de Chriſto,quod perinde eſt atque ipſummet Chriſtum audire & videre.

Rom.1. verſ.16. 2.Tim.2.

3. Argumentum. Plærique in littera ſcripta diu verſati verbum Dei nec intelligunt,nec capiunt. Ergo litera ſcripta non eſt verbum Dei.

Reſp. Aliud eſt diu in aliqua re verſatum eſſe , aliud autem in eadem bene verſatum. Concedimus igitur plæroſque diu in litteris Sacris eſſe verſatos, qui tamen,quoniam eas ipſas ſcripturas(quas quotidie tractant)non intelligunt, dicuntur Dei verbum non intelligere:ſed tamen inde non efficitur eas non eſſe verbum Dei, quoniam qui ſæpe diu C tempus in illis terunt, earum ſenſum non aſſequũtur. Imò dicuntur non capere verbum Dei, quoniam eam literam ſcriptam non aſſequuntur : Non aſſequuntur autem , quoniam in ea non benè verſantur,& vt oportet. Eſt enim Dei donum, illius præſertim ſcripturæ intelligentia. Quare qui ſe putant aſſequi eam poſſe ſine diuino Spiritu, prorſus inaniter in ea voluenda laborãt, ac tempus conſumunt. Verùm nihilominus illa manet, ac eſt verbum Dei. Perinde igitur argumentatur iſte, atque ſi diceret. Plerique in Ciceronis lectione & libris verſati , non rectè tamen loquuntur Latinè:Ergo vera Latinitas in Ciceronis libris non continetur. Quod quàm ſit abſurdum,nemo non videt. Vitio enim ingenij illius fit,vt Ciceronem legens, & quidem ſæpè, tamen non rectè loquatur Latinè:non quòd vera Latinitas in illis Ciceronis libris non comprehendatur.

In reſponſione ad Quæſtionem 9,& 10.

Hîc nihil habuit iſte , quod reſponderet. Itaque ſeipſum, ſuúmque hunc librum prorſus iam euertens, vi veritatis coactus concedit Sacramẽtorum vſum(ſi modò ad ædificationem vſurpentur)eſſe retinendũ. Quem tamen & in epiſtola, & A poſtea vbique euertit. Sed videte ineptiam hominis, Qui relinquat fidelibus vſum Sacramentorũ, & tamẽ neget eos debere ſeſe adiungere vlli Eccleſiæ. Vbi igitur erit ille vſus Sacramentorum,ſi non in Eccleſia? Certè ab vno qui ſolus & extra omnem cœtum erit, Sacramenta participari non poſſunt. quoniam dicuntur κοινωνία , & vinculum noſtræ inter nos ipſos , ac non tantùm (quamuis primùm) cum Deo per Chriſtum, vnionis ac coniunctionis. Quomodo autem κοινωνία, ſi quiſpiam eſt & manet ſolus,ſeſe ab omni Eccleſiæ cœtu abſtrahens & ſeparans , quemadmodum iſte & vult & faciendum ſuadet ? Denique ex abuſu vel Baptiſmi,vel ſacræ Cœnæ, quem nonnulli inducunt homines,colligit & Baptiſmum,& ſacram Cœnã Domini prorſus & ab omnibus omittendam eſſe, quod, quemadmodum antea diximus, eſt ineptiſſimum. Nam alij ijſdem rebus & Sacramentis rectè vti poſſunt,quibus alij abutuntur. Certè quotieſcunque in Dei Eccleſia Paſtorum negligentia aliáve quapiam ratione obrepſit aliqua corruptio B & deprauatio rei ſacræ & præceptæ nobis, nõ eſt res illa propterea damnanda & prorſus tollenda, ſed abuſus tantùm ex ea tollendus & emendãdus, vſúſque illius rei legitimus reuocandus. Sic veſtes noſtras aut domos,in quibus ſæpe inſunt ſordes aut maculæ grauiſsimæ propterea tamen non deſerimus, aut abiicimus : ſed ſordes tantùm eas & maculas eluimus,veſtes autem ipſas & domos noſtras nihilominus retinemus.

1. Cor.10.

In Reſponſ. ad quæſt.11.

1. Argu. Extant exempla in prophetis,vbi propter abuſum verorum ſacrificiorum,vera ſacrificia in Eccleſia Dei fieri deſierunt. Ergo quum viſibilis Eccleſia, nunc abutatur ſacramentis , illa omitti debent.

Reſponſ. Negamus totum hoc argumentum. Primùm quidem falſum eſt vera ſacrificia fieri deſiiſſe in populo Dei propter eorum abuſum,& huiuſmodi exempla vſquam reperiri apud Prophetas. Cõ- C trà Malachias grauiſsimè increpat populum Dei, quod nõ ita reuerenter ea faceret,vt decebat. Itaque ſacrificia ipſa commendabat etſi homines ſacrificiis abuterentur. Sæpe quidem Prophetæ in hypocritas Iudæos inuehuntur , qui iſtis hoſtijs terrenis Deum placari quidquid tandem ſceleratè commiſiſſent,qui ſacrificijs iſtis peccata ſua redimi(velut iuſto precio) credebant , remiſsionémq; peccatorum ſuorum in illis collocabant , quum neque tunc quoque, vti neque poſt Chriſti aduẽtum Sacramenta homines ſanctificarent,vt docet Apoſtolus ad Hebræos : propter talẽ tamen abuſum Deus nuſquam iuſsit vt illa ceſſarent , aut à Iudæis omitterentur:imò de illis neglectim peractis grauiter conqueritur. Neque etiam vllum exẽplum extat ſcripturæ ſacræ, vllibi, vbi ſacrificia propterea omiſſa fuiſſe dicantur. Deſiit , fateor , ſub Idololatris Iudæorum Regibus velut Achaze, Manaſſe, vero Deo ſacrificari, ſed ſacrificabatur idolis. Ergo etiam tunc ſacrificia fiebant, ſed non vero Deo : nec id quidem propterea quod Maiores illorum abuſi veris ſacrificijs fuiſſent:ſed quoniam huiuſmodi reges erant idololatræ,

Malac.1.

Iſ.1.v.13. 66.verſ.3. Pſal.40.

Heb.9. v.9.

Hier. 35.

A træ , & verum Deum reliquerant. Quare vel vnum ſuæ ſententiæ exemplum proferat iſte ex Prophetis,& vicerit:vel ſe imperitum ſacræ ſcripturæ fateatur:vel impudentem agnoſcat.Hoc igitur primum aduerſus iſtum pernegamus. Negamus quoque ſecundo loco, quod iſte per calumniam ponit,Noſtras Eccleſias, quæ ſunt viſibiles Dei Eccleſiæ,abuti Domini noſtri Ieſu Chriſti ſacramentis.Nam & ea ex vero Chriſti inſtituto retinent,& ad ea reuerenter accedunt,& pro fidei ſuæ ſigillis non pro vanis pompis aut ſpectaculis, vti Papiſtæ faciunt, vſurpant. Probet igitur iſte ſuas in nos calumnias(quod nunquam faciet) & tunc quoque triumphet:ſed ne canat ante triumphum victoriam,qua nunquam potietur.

2. Argu. Accuſantur à Prophetis vt hypocritæ & impij qui ceremonias illas externas in lege Dei præſcriptas retinebant. Ergo tales ſunt qui hodie in viſibili Eccleſia ſacramentorum vſum ſeruant.

Reſponſ. Non vocant Prophetæ eos hypocritas , qui B Ceremoniarum illarum veterum vſum, vti Deus iuſſerat, obſeruabant : ſed, qui eo prætextu quaſi vili pretio à Deo peccata & fraudes ſuas redimerent,illas Ceremonias & ſacrificia vſurpabant, vti diximus ſupra.

3. Argu. Pharizæi & Scribæ obiecerunt Chriſto vel Stephano potius contemptum Sabbati, Templi, id eſt, Ceremoniarum, quàm vllum aliquod crimen.Ergo Pharizæis ſimiles ſunt,qui de ſacramẽtorum à Chriſto inſtitutorum contemptu conqueruntur,& alios accuſant.

Reſponſ. Si vel Chriſtus vel Stephanus Sabbatum, vel templum,vel ritus à Deo inſtitutos reipſa contẽpſiſſent,meritò certè à Pharizæis accuſati ac damnati fuiſſent : atqui videmus quemadmodum vterque ſanctè, & ſicut Deus iubebat, reuerenter ritus in lege Dei inſtitutos coluerit. Luc. 2. Ioã.2.5.12. Deut.16. Veniebat in feſto Paſchatis Ieſus Hieroſolymam , quia ſic iuſſum erat à Deo in Deuteronomio. Quid multis opus eſt? Dicitur Chriſtus & factus ſub lege , & impleuiſſe legem pro nobis (quod procul dubio de tota lege & Morali, & Ceremoniali, & Politica intelligendum eſt.) Galat.4. v.4.& 5. Ergo ritus legales non contempſit, ſed obſeruauit Chriſtus. Fuit ergo hæc aperta Phariſæorum & Scribarum in Chriſtum ac Stephanum calumnia, C dum eos accuſant damnántque contemptarum earum Cemoniarum, quæ à Deo fuerunt inſtitutæ. Cæterum quum Chriſtus ipſe omnis virtutis ac pietatis nobis propoſitum à Deo exemplar, ſacrificia,ſacramenta,& ritus à Deo præceptos non prætermiſerit ſed in vſu habuerit, debent tanto magis pij omnes (qui Chriſtum imitari volent) ſacramenta in Nouo Teſtamento à Deo præſcripta vſurpare : diligenter reuerentérque iis vti.Non autem, vt iſte omnibus modis ſuadere conatur, ea contemnere.Alibi nobis reponit velut cramben hoc idem argumentum: tam videtur illud palmarium !

4. Arg. Sabbatum propter hominem, non homo propter Sabbatum conditus eſt. Ergo Sacramenta ſunt pro arbitrio noſtro ſpernenda. *Hac enim eſt vera iſtius loci mens abſque circuitione, & tergiuerſatione, quam fortaſſis iſte quæret aut captabit.*

A Reſponſ. Quum dixerit Chriſtus *Baptizate*, de Baptiſmo agens: & de Cœna ſacra *Comedite* , *Bibite*, proculdubio non eſt in nobis ſitum illa ſacramenta ſumere ſi volumus, vel non ſumere : ſed iuſta cauſa ſubeſſe debet vt ab iis , quæ Deus ita diſertè fieri præcipit, pro tempore abſtineamus . Etſi enim non propter iſta conditi ſumus , quatenus illa ſunt ſigna terrena & actio quædam externa in his terris : tamen propter ea conditi ſumus,quæ illa ſigna demonſtrant nobis, nempe propter noſtram cum Deo communionem, quam illa Sacramenta ſignificant,& nobis obſignant. Ioan.17. 1.Cor. 12.

In Reſponſ. ad Quæſt.12.

1. Arg. Sacramenta Noui Teſtamenti velut Baptiſmus ac Cœna Domini ſunt vmbræ ac Ceremoniæ æquè ac Iudæorum Ceremoniæ & legales ritus. Ergo Sacramenta Noui Teſtamenti , id eſt , Baptiſmus & Cœna Domini æquè ac veteres Iudæorum ceremoniæ,ac ſigna ceſſare nunc debent.

B Reſponſ. Imò dixit Chriſtus ipſe alloquens Nicodemum , qui verum regni Dei amplectendi , profitendíque modum à Chriſto ipſo quærebat , dixit inquam , illi Chriſtus de Baptiſmo . Ioã.3. v.5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei* . In quo tamen Chriſtus aquam (id eſt, ſignum)cum Spiritu ſancto regenerante nempe Re ſignata coniungens , non vult , (quemadmodum ex aliis ſacræ ſcripturæ locis facile intelligi poteſt) eandem eſſe vim ac neceſſitatem ſigni ac rei ſignificatæ ad ſalutem æternam conſequendam , ne videlicet ſalutis noſtræ gloria, & cauſſæ ipſis externis ſignis alligentur.Dixit idem Chriſtus de ſacra Cœna ſua , 1.Cor.11. v.26. *Mortem Domini* (per eam Cœnam) *annunciabitis donec veniat, id eſt, vſque ad finem Mundi*. Quamobrem , vt in regnum Dei apparenter hîc in his terris intremus, & vt mortem Domini in terris viuentes annunciemus,debet tum Baptiſmus , tum Cœna Domini perpetuum in Eccleſia Dei vſum ac locum habere.Id quod eorum abrogationem(quam iſte tamen nunc inducit velut eſſent ceremoniæ legales) prorſus oppugnat. Verùm,ait,ſacramenta illa duo,Baptiſmus & Cœna Domini ſunt ſigna, & vmbræ , non res ipſa, ergo ſunt iam abrogata. C Nego omnino.Quoniam non omnia ſigna inter pios ſunt à Deo nunc quoque abrogata.Arcus cœleſtis eſt ſignum à Deo datum nunquam deinceps futuri diluuij,quod etiamnum hodie durat. Geneſ.9 Quænam igitur ſigna rerum cœleſtium ſeu Chriſti ſunt antiquata? Ea nimirum duntaxat,quæ Chriſtum incarnandum, paſſurum pro peccatis noſtris , & pro noſtra iuſtificatione reſurrecturum deſignabant.Id quod veterislegis ſacrificia,ſacramenta , ritus , ac ceremoniæ legales denotabant, Coloſſ. 2. v.16. Galat. 3. Itaque quoniam illa omnia legalia in Chriſto ſuum implementum habuerunt,planè iam in Eccleſia Dei ceſſant , ac ceſſare in æternum debent. At verò quæ ſigna ſunt nobis Chriſti pro nobis & incarnati,& paſſi ,& excitati obſignationes ac ſigilla(qualis eſt Baptiſmꝰ à Chriſto inſtitutus,& ſacra Cœna:)illa nequaquam ceſſant,aut ante extremum Dei iudicium in Eccleſia Dei ceſſabunt, Mat.26. Luc.22. & à piis vſurpari deſinent . Ergo non ſunt no-

A ſtra hæc ſacramenta illis Iudæorum ſimilia, vt æquè & perinde atque illa ceſſent, quod tamen iſte, ſed impiiſſimè, putat: quoniam illa Iudæorum Chriſti venturi in hunc Mundum & crucifigendi, noſtra verò iam exhibiti, & pro nobis crucifixi ſymbola ſunt ac ſigilla, quibus fidem noſtram de vita æterna nobis in Chriſto promiſſa confirmamus.

2.Argum. Quædam Apoſtolicæ ordinationes nunc ceſſarunt: Ergo & ſacramenta à Chriſto inſtituta debent nunc ceſſare.

Reſponſ. Non eſt eadem vtriuſque rei ratio. Nam quæ Act. 15. ordinationes Apoſtolorum iam ceſſarunt, eæ in rebus indifferentibus poſitæ erant, veluti abſtinere à ſuffocato, tecto capite orare: At Sacramenta à Chriſto inſtituta non ſunt res indifferentes, ſed pars diuini cultus, & res ſacræ à Deo vt obſeruentur præceptæ. Itaque abrogari non poſſunt.

3. Argnm. Paulus ſe miſſum dicit non vt baptizaret, ſed vt Euangelizaret. Ergo Baptiſmus ceſſare debet in Eccleſia Dei.

Reſponſ. At iſte neque iam in Eccleſia Euangelizari vult quum Miniſterium Euangelicum externum, quātùm B quidem in ſe eſt, tollat: neque etiam baptizari. Ergo nihil reliquum facit Eccleſiæ. Saltem relinqueret illud, ad quod ſe miſſum profitetur Paulus, nempe in Eccleſia Euangelizarent Paſtores. 1.Cor.1. v.17. Verumenimuerò illud Pauli proculdubio comparatè eſt intelligendum, Nimirum ſe potius miſſum fuiſſe à Chriſto ad prædicandum vbique gentium, quod proprium erat Apoſtolorum, quam ad baptizandum, quod magis videtur proprium eſſe Paſtorum qui certæ Eccleſiæ ſunt aſcripti & aſſignati. Nam ſi ſimpliciter illud Pauli intellexerimus, proculdubio nō reperietur Paulus fidelis diſpenſator, qualis tamen fuit, ſed 1.Cor.4. v.2. vſurpator, vtpote qui eodem illo loco fateatur ſe, 1. Cor.1.v. 14.& 16. & quidem Corinthi baptizaſſe, Gaium, Criſpum, & Stephanæ familiam.

4.Argu. Sacramenta, id eſt, ſigna Noui Teſtamenti, velut Baptiſmus & ſacræ Cœnæ ſigna, non ſunt res ipſæ ab ipſis ſignificatæ. Ergo iam nunc ceſſare debent.

Reſponſ. Peſſimè, atque contra apertiſſimum Dei verbum iſte colligit, vti in hac ipſa reſponſione ad C Argumentum primum oſtendimus. Docuimus enim ex ſacra ſcriptura Chriſtum velle, vt & Baptiſmus & ſacra Cœna in perpetuum durēt in Eccleſia Dei vſque ad conſummationem ſeculi. Ergo ceſſabunt illa quidem, ſed poſt Mundi huius plenam inſtaurationem. Etſi autem ſacramenta quatenus elementis, id eſt, aqua, pane, vino conſtant, ſint res in ſeſe merè naturales, non minus tamen veritatis ipſius exhibitionem habent illa etiam: adeóque in eo præcipua ipſorum dignitas eſt conſtituta.

5.Argum. Caduca & peritura non pertinent ad regnum Chriſti, quod eſt æternum. Signa hæc Sacramentorum ſunt caduca & peritura. Ergo ad regnum Chriſti non pertinent.

Reſponſ. Non pertinent hæc ſigna ad regnum Chriſti per ſeſe, ſed propter ſignificationem illis à Chriſto adiunctam. Ergo quatenus aqua Baptiſmi eſt Aqua, Panis & vinum ſacræ Cœnæ, ſunt terrena Elementa, non ſunt æterna, nec in regno Dei erunt: ſed res ipſæ per illa ſignificatæ, & exhibitæ, A Chriſtus ipſe totus, nobis vt ſaluificus ſic & viuificus, manebunt in æternum: quare non quatenus res ſunt, ſed quatenus donorum Dei ſymbola nobis à Deo præſcripta ſunt, nunc, atque etiam dum noſtra hæc infirmitas durabit, illa ad regnum Dei pertinebunt.

6.Argu. Pueri ſunt & ſerui Mercenarij, & ſub tutoribus, non autem liberi qui iſta ſigna ac elementa retinent. Atqui non fiunt vitæ æternæ participes qui ſunt eiuſmodi. Ergo qui iſta ſigna ſeu ſacramenta, nempe Baptiſmum & Cœnam Domini retinent, vita æterna carebunt.

Reſponſ. Planè liberi ſunt, non ſerui, & ſui iuris, & extra tutelam, denique minimè mercenarij, qui Chriſto ex ipſius præſcripto & verbo ſeruiunt, réſque ab eo ad ſuum cultum inſtitutas, ſequūtur, ac ſeruāt. Iuſſit autem Chriſtus vt homines baptizarentur. *Baptizate*, ait. Iuſſit vt ſacra Cœna celebraretur à ſuis, *Edite & Bibite ex eo omnes*, inquit idem. Ergo qui hæc faciunt ex præcepto Chriſti vti fit in reformatis Eccleſiis, illi ſunt verè liberi, & ſpontanei Dei ſerui, & vitam æternam, quia Deo parent, B obtinebunt. Quod autem iſte eos per contemptum pueros vocat, qui ſacramentorum Chriſti vſum retinent: fatemur cum Paulo quandiu hîc viuimus, id eſt, in his terris ac in hoc mortali corpore, nos ex parte manere adhuc pueros. Hîc 1.Cor.13. 2.Cor.5. v.7. enim videmus, & cognoſcimus ex parte & non perfectè: & ænigmate ſeu per fidem & non per aſpectum. Itaque nobis opus eſſe his ſacramentis, (quemadmodum opus eſt ſpeculis iis qui ſunt imbecilli oculorum viſu) quibus res cœleſtes & æternas facilius videamus, melius intelligamus, & rectius credamus, quandoquidem per ſacramenta habemus earum ipſarum rerum cœleſtium teſtes ipſos corporis noſtri ſenſus. Cæterum quum erimus in cœlo, non egebimus iſtis externis adiumentis, quoniā Deus tunc erit omnia in omnibus 1.Cor.15. inquit Paulus. Sed quid verbis opus eſt? Iſte in hac ipſa reſponſ. & pag. ſeipſum ſtatim apertè refutat, quum ſcribit hæc ipſa ſacramenta alere nos vſque ad ſenectutem, & vſquequo ad Deum adducamur, id eſt in cœlum recipiamur. Ergo retinenda ſunt ſi modo ali volumus cibo Spirituali. Et tamen hoc argumentum tam ineptum in reſponſione ad ſeq. Quæſt.13. repetit, ſui oblitus, & vertiginis ſpiritu abreptus. C

7.Argu. Homo non eſt creatus propter externos cultus. Ergo non propter ſacramenta, quæ ſunt externus Dei cultus.

Reſpon. Supra reſpondimus huic argumento 3. argumēto queſt.11. ad quem locum remitto lectorem. Certè quum ad Deum colendum ſit homo creatus, oportet eum illa omnia vſurpare, in quibus tum internus, tum externus Dei cultus ex ipſius verbo eſt poſitus. Verùm, quænam eſt iſta, quæſo, vis argumenti! Non ſumus propter quidpiam velut finem creationis noſtrę nati, ergo illius vſum retinere minimè debemus. Non ſumus certè propter cibos nati: & tamen ſi viuere volumus, ciborum vſus eſt nobis neceſſarius, atque retinendus.

In reſponſione ad Quæſtionem 13.

Hîc nugatur tantùm iſte ſophiſta, non reſpondet ad Quæſtionem propoſitam: neque ſoluit argumentum ipſi obiectum, quia non poteſt, A teſt, imò fatetur Sacramenta eſſe lac nobis nutriendis idoneum ac conſentaneum. Cur non igitur illis vtemur, præſertim quum id, ſicuti prius docuimus, nobis præceperit Chriſtus? Porròquod addit iſte, in fine iſtius reſponſionis, ſi ſacramenta Noui Teſtamenti adhuc retinemus, nos eſſe in eorum puerorum numero, quos damnat ſacra Scriptura, cenſendos, & ſupra refutatum eſt in argumento 6. ſuperioris reſponſionis, & ipſum per ſe falſum eſt. Nec enim quoduis puerorū genus condemnat ſanctus Spiritus, quandoquidem idem ipſe vult vt ſimus pueri malitiâ: ſed eos duntaxat 1.Pet.2.v.2. pueros damnat, qui ignorantia voluntaria & pręfracta pueri in Eccleſia Dei permanent. Ac certè velit, nolit iſte, fateatur neceſſe eſt, omnes ſanctos etiam perfectiſſimos (præter vnum tamen Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum) vt olim fuiſſe, ſic nunc quoque eſſe in hoc mundo (quod ad res æternas & cœleſtes) pueros & infirmos & imbecilles. Itaque adiumentis auxiliiſque præſertim à B Deo inſtitutis, id eſt, Sacramentis opus habere. Quid enim obſecro, & de ſe, & de aliis fidelibus ingenuè, & verè fatetur Paulus, ille, inquam, Paulꝰ, qui arcana Dei homini ineffabilia viderat. *Videmus*, ait, *in ænigmate*. Eccleſia illa Dei Apoſtolica, & verè, ſi vnquam aliâs, perfecta Eccleſia, & arcanorum Dei callentiſſima, vt ſe in Dei promiſſionibus de æterna ſalute cōfirmet, Cœnam Domini ſæpius celebrat, vt Actorum libro apparet. Sed garrulus iſte, qui ſe perfectum hîc magno animi morbo iudicat, putat ſe cœleſtia oculis illis ſuis emiſſitiis ac terrenis, & quidem ſine Sacramentis vllis videre poſſe: Apage verò tantas ineptias ac blaſphemias nugator.

In reſponſione ad Quæſtionem 14.

Nihil hîc agit, niſi quod argumentum illud, *Erunt omnes à Deo edocti*, repetit, cui nos ſupra reſpōdimus in argumento 7. Quæſt. 4. Quamobrem eò reuocamus lectorem.

In reſponſione ad Quæſtionem 15.

Multa verba & quidem obſcura, iſte effutit, vt doceat duplex eſſe hominum genus, vnum nimirum C ebriorum. Ij autem ſunt, inquit, qui quum veritatem Dei apprimè cognoſcant, ea tamen abutuntur, quoniam non ad opera charitatis & virtutis, ſed ad ineptas quaſdam oſtentationes ac mala opera eam cognitionem ſcientiámve ſuam conuertunt, ac impendunt. Alterum genus eſt eorum, qui ſēper ſunt pueri, & nunquam ad tantam illam veritatis cœleſtis agnitionem perueniunt, ad quā tam primi illi. Quamobrem nunquam hi poſteriores fiunt ſolidioris cibi capaces. Iam verò primùm genus ſuis, id eſt, ſuæ farinæ ac ſectæ hominibus accommodat, qui illa excellenti Dei cognitione, qua ſunt prædit, abutuntur ad ſua vitia. Itaque in eos hîc inuehitur, etſi tacito ſectæ ſuæ nomine. Nos autem in altero genere comprehendit, eorum nempe, qui nunquam ſolidiorem cibū edere poſſunt, quia Sacramentorum à Chriſto in Nouo Teſtamento inſtitutorum vſum & Ceremonias à piis atque in Eccleſia Dei retineri debere contendimus. Quaſi verò illa Chriſti ſacroſancta Sacramenta contemnere, ſit ſolidi cibi capacem eſſe. Contra verò Apoſtolus ad Hebręos A docet adultos capaces eſſe ſolidi cibi. Heb.5.v.14.6.v.1. Illos autem definit eſſe adultos, qui Chriſtum vera fide agnoſcunt verum & vnicum Pontificem noſtrum apud Deum, nec in ſacerdotio Leuitico adhuc hærent: qui nec victimas, nec taurorum ſanguinem ad expiationem peccatorum ſuorū amplius quærunt, ſed vnica Chriſti morte, & puriſſimo ſanguine ſunt contenti. Quod quum nos ingenuè ac palam agnoſcamus, & ex illa Apoſtoli doctrina credamus amplectamúrque, certè ex Apoſtoli, id eſt, Spiritus ſancti definitione verè ſumus adulti, licet ſacramenta Chriſti retineamus: non ſumus autem ex iſtius nugigeruli cōmentis pueri iſto quidem nomine vel cenſendi vel vocandi. Itaque iam contenti ſumus ea laude, quam nobis tribuit Spiritus ipſe Dei & ſanctus: iſtius autem conuitiatoris calumnias & probra qui nos veróſque fideles omnes per contemptum pueros à Sacra ptura damnatos vocat, ſecurè contemnimus. Porrò quod tandem ait, qui ordinationes Eccleſiæ retinent, eos coactè ſeruire Deo, eſt ſupra à nobis B refutatum in 6. Argumento, Reſponſ. duodecimę. Nec enim coactio eſt quum quis lubens ordinem à Deo præſcriptum ſequitur & amplectitur, & ea quæ Chriſtus præcepit, ſeruat, & quidem ſponte, ac volens. Spontaneum enim & coactum inter ſeſe ex diametro pugnant. Nos autem idcirco & ordinem & cætera à Chriſto præcepta ſponte lubentéſque ſequimur, quoniam Spiritum Dei accepimus per fidem in Chriſtum, qui non eſt Spiritus ſeruitutis, metus vel coactionis, ſed Spiritus adoptionis, ac libertatis, vt inquit Paulus, per quem clamamus Abba, Pater. Rom.8.v.15. Gal.4.v.6 Atque ex his apparet nihil ſupereſſe iam in hac reſponſione, quòd non fuerit à nobis luculenter refutatum.

In reſponſione ad Quæſtionem 16.

Qui ritus & ordinationes Eccleſiæ obſeruant, 1. Argum. patiuntur velut muli & equi frenum ſibi iniici ac leges imponi. Ergo omnes ordinationes Eccleſiaſticæ, niſi ſimiles pecoribus campi eſſe velimus, ſunt à nobis ſpernendæ atque reiiciendæ. Reſp.

Paulus in Epiſtola ad Titum deſcribens mores ac veras notas eorum, qui Eccleſiam Dei mentéſque hominum falſis doctrinis ac vaniloquio ſuo C decipiunt, & corrumpunt, ait, eos ex eo maximè cognoſci, quod ſint *refractarij & rebelles*. Tit.1.v.10.& 16. Nec enim vlli ordini, præſertim Eccleſiaſtico & ſancto, ſeſe illi ſubiiciunt: ſed velut effrænes equi licentia carnis laſciuientes atque proterui viuunt. Itaque veram Chriſtianámque libertatem (quæ in legitimo ordine omnibus in rebus ſeruando conſiſtit) odio proſequentes, nullis legibus teneri, nullis repagulis coërceri ſe patiuntur. Quæ eadem pſeudoprophetarum ſigna fore docent Petrus, & Iudas. 2 Pet.2. Iud.in epiſt. Verùm Eccleſia eſt domus illa Dei, in qua ſingula rectè atque recto ordine, non autem confuſè & perturbatè, pro cuiuſque arbitratu aut impetu, fieri oportet. 1.Cor.14.v.40. Quare cùm iſte omnem illum Eccleſiaſticum ordinem, & omnes ſanctas Eccleſiæ ordinationes aſpernetur, imò conuellendas cenſeat, ſeipſum, quali ſit ingenio, oſtendit, id eſt, ex eo hominum genere, qui pſeudoprophetæ & mentium deceptores ab Apoſtolis appellantur. Fatemur quidem non cuicunque decreto, quod aliqui nomine Paſtorum collecti ſine iudicio conſtituerint, eſſe parendum: ſed tamen illi etiam ipſi temerario decreto ordine & recta ratione, ex ordinis Eccleſiaſtici legibus, nō autem ex animi furore eſt obuiam eundum ac reſiſtendum. Sanctis autem Eccleſiæ ordiuationibus qui parendum negat, ille ex Eccleſia Dei meram populi fecem: ex Dei domo, ſentinam malorum: ex cœlo propè ipſo ſpeluncam latronum facit. Sed quid pluribus opus eſt, quum iam toties hoc Libertinorum hæreticorum argumentum fuerit à noſtris confutatum?

2. Argu. Lex non eſt poſita iuſtis. Ergo qui ordinationes Eccleſiaſticas ſeruant, ſunt iniuſti.

Reſponſ. 1.Tim.1. v.9. Detorquetur planè ſic Pauli locus à vero ſenſu. Docet enim illic Paulus legem Dei eſſe bonam, vtpote quę nequaquam eſt curioſarum quæſtionum & genealogiarum gratiâ, ſcriptis tradita: ſed vt hominum vitia damnaret coërceretque. Itaque illic agit Paulus primùm de Lege Dei, non de Eccleſiaſticis ordinationibus, quæ etiam ſanè viuentibus feruntur, vt melius quid ſit ipſis tanquam Chriſtianis, tum publicè tum priuatim decorum, doceatur. Deinde id dicit Paulus in ea quæſtione, vbi homines abutuntur lege ſcripta ad vaniloquentiam, nec eam ad ſuum verúmque vſum referunt. Ordinationes autem eccleſiaſticæ nihil commune habent cum iſtiuſmodi argumento. Quamobrem ineptiſſima eſt, & nihil ad rem quæſtionémque noſtram faciens Pauli locus ab iſto hîc citatus.

3. Argu. Non eſt verus Baptiſmus qui fit elementari aqua & manu, ſed qui fit à Spiritu igneo & ardenti amore. Ergo ille Baptiſmus, qui nunc fit in Eccleſiis elementari aqua, eſt à piis ſpernendus.

Reſponſ. Quàm ſit ineptus ſcriptor iſte certè quidem apparet, qui ita extra oleas vagetur, Nam cum de Eccleſiæ ordinationibus ſupra agere inſtituiſſet, ſermonem ipſum ſtatim abrumpens alio conuolat, atque diſputat de Baptiſmo: quaſi Baptiſmus etiam ille qui fit elementari aqua, ſit Eccleſiæ, non autem Chriſti ſolius ordinatio. Ergo videmus vt iſte quid ſit Eccleſiæ ordinatio, quid Chriſti ſacramentum nequaquam intelligat, aut diſtinguat, qui ſe tamen Magiſtrum in Iſraël & cęterorum Doctorem profitetur. Cæterùm quàm etiam ſit falſa hæc iſtius ſententia videamus. Primùm quidem quod ait baptiſmum verum eum eſſe, qui fit ab igneo amore. Quem enim igneum amorem, obſecro, intelligit? Eúmne, quo nos mutuo diligimus, an quo alij nos amant aut nos alios: aut potius quo nos Deus ipſe diligit? Certè ſi verum Baptiſmum ab eo amore fieri putat, quo homines ſeſe mutuo diligunt vel vnus alterum amat, à nobis, id eſt, ab hominibus non à Deo, pendet virtus & efficacitas baptiſmi: atque iam in nomine hominum, non autem Dei baptizemur neceſſe eſt. Nam in eius nomen baptizari debemus, à quo vis Baptiſmi pendet. Verùm negat Paulus quenquam in nomine hominis vllius eſſe baptizandum. 1.Cor.1. v.13. Quare citra manifeſtam blaſphemiam dici non poteſt verum Chriſti baptiſmum fieri vel pendere ab hominum amore. Quòd ſi de amore Dei erga nos ſuum illud dictum intelligit iſte, planè errat, qui ſpiritum ſanctum à Chriſto illo Ioannis loco (ad quem proculdubio iſte reſpexit) ſignificatum vocabulis *Spiritus*, & *aquæ*, Ioā.3.v.3. vocet amorem Dei erga homines. Confertur quidem, fateor, nonnunquam Spiritus ſanctus ab Auguſtino cum amore ſeu Dilectione Dei, ſed cum ea qua Deus ſeipſum, non autem qua nos diligit. Atque etiam tum valde eſt impropria ea locutio, vt Spiritus ſanctus appelletur Amor Dei etiam erga ſeſe, nedum vt dicatur Amor Dei erga nos homines ſicut iſte (ſed citra ſacræ ſcripturæ locum, citra Patrum exemplum & vſum, citra rationem denique) perperam interpretatur. Ex quo apparet primum falſa iſtius ſcriptoris, vti dixi, ſententia, nempe, Verum Baptiſmum fieri ac pendere ab igneo vel ardenti Amore. Deinde & hæc quoque falſa eſt, qua negat Baptiſmum, qui fit elementari aqua, & hominis Paſtoris nimirum manu, eſſe verum Baptiſmum, ſi modò ex formula à Chriſto nobis inſtituta ac tradita à Paſtore fiat. Mat.3.v.11 Marc.1. Luc.3.v.16 Act.1.v.5. Quid enim? Nonne Ioannes Baptiſta verè baptizauit. Certè illud negari non poteſt. Quod ſi verè baptizauit Ioannes, verus ergo baptiſmus ab eo fuit adminiſtratus. Atqui Ioannes baptizauit tantùm elementari aqua, & manu. Quare verus quoque eſt Baptiſmus is, qui fit & manu hominis, & aquæ elemēto. Hoc ipſum confirmat Paulus quum verum baptiſmum definiens appellauit eum *lauacrum aqua per verbum.* Ephes.5. v.26. Ergo baptiſmus verus eſt lauacrum aquæ. 1.Pet.3.v.20.21. Confirmat quoque Petrus in priore epiſtola ſua. At, dicet quiſpiam, talis Baptiſmus non eſt internus, id eſt, non eſt ille, quo ſordes animæ eluuntur. Concedo. Nam hæc virtus atque efficacitas pendet non ab aqua, ſed à ſanguine Chriſti, Rom.5. 1.Pet.1. qui nobis non per hominis manum, ſed per Spiritū Sanctū applicatur. Veruntamen nō deſinit propterea ille elementaris ſeu externus baptiſmus eſſe verus baptiſmus, Matt 28. quoniam Chriſtus ipſe ſic Baptiſmum illum externum fieri iuſſit, & quæ ex Chriſti pręcepto ab hominibus fiunt, ea vera ſunt non falſa: etſi non ſint tota. Sed hic apparet iſtius garruli hominis imperitia, qui non poteſt diſtinguere in ſacramentis (cuiuſmodi eſt Baptiſmus) illud quod eſt externum ſeu ſignum, & hominis manu ac miniſterio fit, ac adminiſtratur: & illud quod eſt internum ſeu res ſignificata, & ſolius Dei virtute efficitur ac nobis datur. Ergo in baptiſmo Chriſti aqua elementaris à Miniſtro applicatur, & quum ex formula Chriſti ita fit, verus eſt Baptiſmus, quanquam tamen & idem Miniſter nobis rem ipſam ſignificatam, id eſt, Chriſti ſanguinem in peccatorum remiſſionem non confert. Hoc enim eſt Dei proprium opus. Mat.3.v.11 Ex quo fit, vt de ſe loquens Ioannes ille, qui à vero Baptiſmo Baptiſta vocatus eſt, dicat. *Ego quidem, baptizo vos aqua ad reſipiſcentiam.* De Chriſto verò agens, addat, *Ipſe vos baptizabit Spiritu Sancto, & igni.* Sic in ſacra Domini Cœna, Paſtor Eccleſiæ porrigit manu ſacrum illum panem & vinum, ſigna ſeu ſacramenta veri ac eſſentialis corporis ac ſanguinis Chriſti: Chriſtus autem ipſe, non paſtor Eccleſiæ, porrigit nobis credentibus illud ſuum eſſentiale corpus & ſanguinem ſpiritualiter quæ

A edendum ac bibendum. Verùm,vti diximus,iſte, quę vis ac natura ſit ſacramentorum, & vt ſignum à re ſignata ſit diſtinguendum, Itémque à quo ſignum,à quo res ſignata prębeatur,non plus,quàm piſcis aut talpa,intelligit,aut videt.

In Reſponſ. ad Quæſt.17.

Dum oſtēderemus, quàm ſit ineptus hîc ſcriptor,annotauimus hanc inter reliquas manifeſtiſſimam contradictionem in eo reperiri, quòd ſtatuat Iuſtitiam,qua nos coram Deo iuſtificamur, per fidem nobis imputari: & tamen quod idem velit, eam in nobis & intra nos,non autem extra nos fuiſſe impletam. Iam verò hic ipſe locus eſt, vbi hæc dictorum iſtius repugnantia cernitur. Quî enim fieri poteſt, vt hæc inter ſe cohæreāt? Nam ſi Iuſtitia,qua coram Deo iuſtificamur,imputatur nobis,extra nos ſit neceſſe eſt. Eſt enim imputare, ſentire alicuius facti, quod ab altero, non abs te ſit perpetratum, fructum per gratui- B Rom.3.v.24.4.v.5. tam illius,qui fecit,conceſſionem. Quare ſi illa iuſtitia nobis imputata eſt,certè eſt extra nos ipſos. At ſi in nobis & intra nos impleta eſt,ergo in nobis eſt. Verùm ſunt hæc inter ſe ἀσύστατα, aliquid idem & vnum eſſe intra nos & extra nos, quæ tamen iſte hîc inuehit. Deinde quum fateatur quoque hanc ipſam iuſtitiam qua iuſtificamur, eſſe in nobis ex fide,& quidem ſimili illi, ex qua Abrahamus fuit iuſtificatus, certè nihil operis in nobis effectum & ſubſiſtens cogitari poteſt, ex quo iuſtificemur coram Deo. Sic enim illam fidem Rom.4.v.4. explicat Paulus,allato Abrahami exemplo, in Epiſt. ad Roman. vt prorſus ab omni operum cogitatione,iuſtitiam Abrahæ ſeparet, imò eam illis opponat velut contrariam. *Ei*, inquit Paulus, *qui operatur,merces non imputatur ex gratia, ſed ex debito: ei verò qui non operatur, ſed credit in eum,qui iuſtificat impium, imputatur fides ſua pro iuſtitia.* Nihil denique notius eſt,quàm apud Paulum, & in tota ſacra ſcriptura imputationem iuſtitiæ per fidem opponi iuſtitiæ operum noſtrorum, quæ eſt in nobis vel intra nos. Quæ duo tamen tam pugnantia iſte miſcet & aſſerit in hac reſponſione. Cæterum ecquæ tandem C iſtius ſuæ ſententiæ argumenta habeat, perpendamus.

1.Arg. Paulus ait Deum miſiſſe filium ſuum in formam carnis peccatricis, & condemnaſſe peccatum in carne per peccatum, vt iuſtitia, quam lex poſtulat, in NOBIS impleatur. Ergo illa iuſtitia, quam lex poſtulat, eſt impleta in NOBIS.

Reſponſ. Primum ſequar iſtius interpretationem, ex qua eum ipſum ex illo ipſo Pauli loco refutabo. Rom.8.4. Paulus in epiſt. ad Rom. cap. 8. ait Chriſtum in carne,quam noſtræ peccatrici ſimilem aſſumpſit, ſatisfeciſſe legi pro nobis ſua obedientia,atque ita in carne (ſua nempe) condemnaſſe & aboleuiſſe peccatum,vt iam in nobis, qui carnem habemus ius legis,id eſt,id quod poſtulat lex,fiat,& demonſtretur opere ipſo, non autem verbis tantùm ſimulatè, ſi modo verè ſimus Chriſti participes. Ergo duo Paulus oſtendit: primò, Chriſtum in ſua carne, licet noſtræ per omnia ſimili (excepto peccato) aboleuiſſe vim peccati: ſecundò,per noſtram cum illa Chriſti carne communicationem A (quæ fide fit)nos fieri(etiã dum hic in carne peccatrice ſumus & viuimus) in tantùm participes illius virtutis Chriſti,vt legis opera in nobis appareant,ac reipſa fiant. Quod factum actuale & reale opus Paulus appellauit *complere*, vel *implere*. Ergo opponit Paulus illud *implere* hypocriſi hominum,qui fictè,ſimulatè, non verè & ex animo legi Dei parent. Non quod illud implere perfectam omnium operum noſtrorum, vel etiam vnius operis noſtri iuſtitiam in nobis hîc ſignificet,aut ſtatuat,quum,quandiu hîc viuimus, carere peccato non poſſimus, quemadmodum oſtendimus antea. Quare etiam hic ipſe ex hac ſua interpretatione refutatur. Verum illa verior eſt interpretatio horum verborum,ac totius huius loci, vt dicat Paulus, *Ius legis compleri in nobis, qui non ſecundum carnem incedimus,&c.* quoniam integritas naturæ noſtræ,quæ in Chriſti carne primùm reſtituta eſt, tum demum nobis tribuetur plenéque dabitur à Chriſto,quum prorſus reſtituemur, in B vltima videlicet reſurrectione. Huius ergo beneficij in nobis implendi in cœlo hoc iam veriſſimum ſignum eſt,ſi,dum hîc viuimus, ſecundum carnem non incedimus. Et hæc quidem veriſſima interpretatio eſt. Iam nihil iſtius propoſitum iuuat, quod nimirum dum hîc ſumus, ea iuſtitia qua coram Deo iuſtificamur,ſit ac ſubſiſtat reipſa in nobis & intra nos, tanquam ſit reipſa noſtra, non autem ſolius Chriſti iuſtitia ac proinde extra nos.

Peccatum eſt in nobis, non extra nos: Ergo etiam in nobis eſt, non autem extra nos, vera iuſtitia. 2. Arg.

Nego conſecutionem. Reſponſ. Etſi enim peccatum & iuſtitia ſunt inter ſe contraria,& vulgo dici ſoleat, Contrariorum eſſe eandem naturam ac ſedem, tamen illud brocardicum ſeu tritum *dicterium* eſt dextrè intelligendum. Duo contraria in eodem ſubiecto tum demum eſſe poſſunt, velut album & nigrum in pariete, ſi eorum vnum à ſubiecto diuelli reipſa poſſit, vel ſi à natura illi ſubiecto non inhæreat aut inſit. Nam ſi inhæreat,vel auelli ab eo non poſſit,rectè alterum contrarium in eodem ſubiecto eſſe iam non poterit, veluti, exempli gratia, in coruo nigredo ineſt à natura,Ergo eidem coruo,qui iam à natura niger C eſt,candidus color ineſſe non poteſt. Naſcitur quiſpiam claudus, quamdiu illa diſtorſio in illo eſt,ipſius pes rectus eſſe non poteſt.Idem de aliis. Iam verò peccatum nobis reipſa ineſt, idque natura,vti ſe nunc habet,vt docet Paulus. Rom 5. Epheſ. 2. Ioan. 9. Ergo iuſtitia quæ peccato illi contraria eſt, in nobis iiſdem reipſa quoque non poteſt ineſſe ac ſubſiſtere. Quare rectè dicitur,peccatum quandiu hîc viuimus,in nobis & intra nos eſſe, quoniam illud naturale nobis eſt: falſo tamen & perperam docetur,iuſtitiam quoque veram & plenam,qua coram Deo iuſtificamur,in nobis & intra nos eſſe, quoniam peccatum,quandiu hic ſumus, à nobis prorſus auelli minimè poteſt.

Si Chriſtus eſt liberator noſter, vinculis Diaboli non tenemur amplius. Atqui Chriſtus eſt liberator noſter. Ergo regnum iniuſtitiæ eſt in nobis deſtructum,nec vinculis Diaboli amplius colligamur. 3. Argu.

Hoc quidem concedimus, Regnum Diaboli, Reſpon.

A Peccati, & Carnis, in iis qui per fidem Chriſtum ampexi ſunt, quorúmque liberator eſt, euerſum eſſe: Propterea tamen negamus eos quamdiu in his terris viuunt, peccatum non habere, vel non peccare. Eſt aliud enim regnum peccati in nobis, aliud eiuſdem inhærentia. In iis regnat Peccatum vel Diabolus, qui ſunt eius verè ſerui, id eſt, quibus liberè dominatur, quique voluntatem peccati ſine vel vlla vel graui lucta, ac (vt ita loquar) repugnantia faciunt, & exequuntur. Quamobrem de filiis Dei agens Ioannes, ait. 1.Ioan.3. v. 9. *Quiſquis natus eſt ex Deo, non committit peccatum, quoniam ſemen ipſius* Rom.6.v. 12. *in eo eſt:* Eoſdem quoque exhortans Paulus ait, *Ne regnet igitur peccatum in mortali veſtro corpore, vt obediatis peccato in cupiditatibus corporis*. Eſt autem obedire peccato iuſſum illius benè lubenti ſpontaneaque voluntate, non autem voluntate cum peccato colluctante implere. Verùm inhærentia peccati, eſt ipſius natiuæ corruptionis ſeu B vitioſitatis noſtræ habitatio & mora in nobis, quæ licet ſuos fructus, & eos quidem fœdos producat, à nobis tamen noſtráque voluntate quatenus per Chriſti Spiritum innouamur reluctante & huic peccato repugnante, proueniunt, & à nobis proferuntur. Itaq; verè pios alloquens idem Ioannes in eadem epiſtola ait, *Si dixerimus nos* (in quo numero ſe quoque recenſet Ioannes) *peccatum non habere, noſipſos fallimus, & veritas in* 1.Ioan.1. v.9. *nobis non eſt*. Idem quoque Paulus in eadem Epiſtola ad Romanos de ſe, aliiſque fidelibus hominibus Chriſtum per fidem iam amplexis, ait, *Delector nempe lege Dei, quod ad interiorem ho-* Rom.7, v.22.& 23. *minem: ſed video aliam legem in membris meis rebellem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ eſt* (non dixit Paulus, *quæ regnat*, ſed *quæ eſt*) *in membris meis*. Captiuus verò nemo volens fit vel trahitur, ſed voluntate ſaltem illi conditioni repugnat. Itaque meminit idem in epi Gal 5.v. 16,17. ſtola ad Galatas eius pugnæ & certaminis quod in hominibus renatis eſt inter ſpiritum & carnem. Nam dum illi peccant certè non tota, vt ita dicam voluntate aut prorſus ſubacta peccant, ſed victa non euicta, verum adhuc vi Spiritus colluctante. Ex quo falſum apparet quod iſte iuſtitiarius & operiſta hæreticus hîc ſentit, nimi- C rum homines pios, & in quibus ſit Chriſtus, iam nullius peccati vel Diaboli laqueis teneri aut ligari tanquam captiuos, etſi reluctantes: imò etiam nonnunquam, ad tempus vincuntur & quidem indigniſſimè à Diabolo. Itaque etiam grauiſſimè peccant. At excipit iſte. Quo modo igitur Chriſtus eſt noſter liberator? Reſpondeo. Quoniam ea omnia, quæ ad plenum iuſtúmque noſtræ redemptionis pretium pertinent, iam perſoluit Chriſtus, nondum tamen (quamdiu hîc viuimus) illius redemptionis totum plenumque fructum ſentimus, nondum plena libertas ac inſtauratio filiis Dei accidit, ſed expectatur in diem illum, quo poſt extremum Dei iudicium vita æterna in cœlo corpore & animo fruemur. Rectè enim Paulus, omnes res, ait, creatæ vnâ ſuſpirant Rom.8.v. 19.& deinceps. expectantes reuelationes filiorum Dei, & redemptionem corporis noſtri. Eodem modo Ioannes pios alloquens, *Chariſſimi*, ait, *nunc filij Dei ſumus,* 1.Ioan.3. v.2. *ſed nondum patefactum eſt quod erimus*. Ergo in ſpe & per fidem adhuc incedimus, expectantes plenam beneficij Chriſti, id eſt, noſtræ illius per Chriſtum liberationis reuelationem ac fruitio- A dem: quam tamen ait iſte nobis hîc, id eſt in his terris iam obtigiſſe, veterem illorum hæreſim renouans, quam apertè iampridem damnauit Pau- 2.Tim.2, v.18. lus, qui nempe dicebant corporum Reſurrectionem iam eſſe factam: ac proinde iſte quoque vult hîc, id eſt, in hoc Mundo, eſſe & dari nobis vitam æternam, ac ſummam felicitatem. Id quod ex illo priori eſt omnino conſequens. Quo tamen errore quid deterius quídue mendacius dici poteſt? Noſtræ quidem redemptionis ſeu liberationis à Chriſto factæ fructum nos fideles etiam nunc, & in his terris degentes ſentimus, atque adeo illum eximium, quoniam virtus peccati quotidie in nobis paulatim extinguitur: plenum tamen & integrum illius fructum percipere hîc non poſſumus, quoniam in hoc Mundo (qualis quidem nũc eſt) reſtant reliquiæ Tyrannidis pec- B cati. Quare hæc duo inter ſe rectè cohærent ac conſentiunt, nimirum & Chriſtum eſſe noſtrum liberatorem, & tamen nos nondum plenum ipſius beneficij vſum ſentire. Quod quum poſtremum ſit iſtius hominis argumentum, apparet nos ſingulis huius libri momentis quantumuis exiguis, reſpondiſſe, atque ſic hominem iſtum apertè refutaſſe, vt iam ne ipſe quidem ſi quidem aliquam frontem habet, negare poſſit, ſe eſſe planè ſchiſmaticum imò etiam hæreticum, & Eccleſiæ Dei viſibilis, & ſacramentorum à Chriſto inſtitutorum omníſque ordinis, ac imprimis Miniſterij Euangelici hoſtem & inimicum, id eſt, vt verum fatear, veriſſimum generis humani alaſtorem.

Reſponſio ad Epiſtolam.

Quanquam ex ſuperioribus ſatis ad Epiſtolam quoque ipſam iſtius ſcriptoris reſponſum à nobis videri poteſt, ne conqueratur tamen quicquam à nobis prætermiſſum, in quo vllum ſuæ cauſſæ pręſidium poſuerit, & nos quoque eam breuiter examinemus. In quo non idem ſequemur, quod antea. Quid enim neceſſe eſt? ſed tantùm quibuſdam notis ac ſcholiis, quàm ſit doli & Satanicæ fraudis plena tota hæc Epiſtola, indicabimus. C Pugnat enim & ſecum ipſa, & cum eo, quem tamen commendare voluit. Hic enim agnoſcit viſibilem Eccleſiam: autor ſcripti iam refutati omnem Eccleſiam viſibilem negat. Hic diſtinguit veram Doctrinam à veritate, ille eandem eſſe fatetur. Denique quid diutiùs in his tempus terere neceſſe eſt.

EXEMPLAR EPISTOLÆ libello adiunctæ, quæ eſt ſcripta ab amatore veritatis (ſcilicet) de eadem materia, id eſt de Eccleſia viſibili.

SALVTEM tibi dico, amice & coniugi tuæ. Orans ſimul patrem Domini noſtri IeſuChriſti, vt calamum meum ita dirigat, & oculos mentis veſtræ ita illuminet, quò veritatem ego ſcribere, & vos ad ſalutem animarum veſtra-

veſtrarum & illuſtrationē gloriæ ipſius intelligere poſſitis. Amen.

GRATISSIMA equidem mihi fuit veſtra ſumma in curando ſalutis veſtræ negocio diligentia, quam video coniunctam eſſe cum prudentia & diſcretione, maturè priùs de rebus maximis deliberante & conſultante. Hæc eo maiorem meretur laudem quia illud nunc valde eſt infrequens. Nam *plurimi ſine iudicio* ab vna Eccleſia in aliam tranſiliunt, ſimiles ægrotis ex vno in alium lectum tranſportari cupientibus, nec ad morbum attendentibus cuius dolorem nulla loci vel Eccleſiæ tollit mutatio. Difficultatem autem quæ te premit intelligo hanc eſſe. *An pro voluntate* & ſuaſu multorum illud abs te petentium debeas te adiungere reformatæ *vel alij Eccleſiæ*. De hac igitur petitione ſcripto meo breuiter, nudè tamen & apertè reſpondebo, vt ſperem me tibi ſatisfacturum. Iudico autem & viſibilem & inuiſibilem eſſe Eccleſiam. Qui in inuiſibili ſunt Eccleſia, vera ſunt membra Eccleſiæ, ſed non omnes qui ſunt in viſibili Eccleſia, *vera ſunt eius membra. Deinde inuiſibilis* Eccleſia fuit ab initio Mundi, & ad finem vſque Mundi durabit, ſed non eadem ratio eſt viſibilis, quæ interdum ex oculis hominum diſparet. Illa inuiſibilis Eccleſia vel communio ſanctorum creditur in duodecim articulis. Quia fides reſpicit ad res inuiſibiles. Cardo igitur rei in eo vertitur, vt ſimus in Eccleſia inuiſibili, cuius vnicum caput eſt Chriſtus Ieſus nunc inuiſibilis exiſtens. Verùm non eſt eadem ratio viſibilis eccleſiæ quæ non creditur ſed videtur, cuius etiam *caput non eſt Chriſtus Ieſus*, ea ratione qua antea. Nam alioquin omnia membra Eccleſiæ viſibilis eſſent vera Chriſti membra. Quod falſum eſt. Iam verò certiſſimum eſt Spiritualia membra Spiritualis corporis vel Eccleſiæ per Spiritum veritatis Spirituali capiti Chriſto inſita illuminatáque & ita confirmata eſſe, vt omnes alios iudicent: ipſi verò *iudicentur à nemine*. Ideóque ipſi veram ſententiam ferre poſſunt de viſibili Eccleſia, quęnam vera ſit, quænam falſa. Quare amice bone ſi in rebus grauiſſimis nolueris errare, neque ſine lumine volueris videre, neque ſine veritate cognoſcere, neque ſine cogitatione iudicare, imprimis in id enitendum eſt tibi, vt fias membrum in Spirituali corpore Ieſu Chriſti, cuius inuiſibile caput eſt Ieſus Chriſtus, vt oculis mentis tuæ Spiritu ſancto illuminatis, verè *diſcernere vocem Paſtoris* fidelis, & Mercenarij, illam ſequi, hanc vitare poſſis. Nam alioqui aſtu Satanę in Angelum lucis ſe transformantis, & laruam eius induentis facile falleris. Vt igitur membrum Chriſti fias, & in ipſo ad Spirituum diſcretionem venias, caue tibi à mandatis hominum, & doctrinam Chriſti ſequaris. Homines præponunt currum equis, & conantur ſine pennis volare: diſcunt prius externum mundare vt internum poſsit purgari. Ea res parit mūdum hypocritarum & ſepulchrorum dealbatorum, quorum ſanctitas conſiſtit tantum in obſeruatione vel vitatione externarum ceremoniarum, propter quos (vti hodie eſt videre) *ita digladiantur & rixantur*, vt forma pietatis contenti, vim eius, hoc eſt veram ſanctitatem & obedientiam Chriſto debitam abnegent, eíque cōtradicant. Atque hæc cauſſa, vt ſemper *legentes*, *diſcentes*, docentes ſiue concionantes, nunquam tamen ad veritatis agnitionem perueniant: ſicuti Paulus de his prophetans & prædicens ſcripſit? Verùm vnicus veritatis doctor, verum ordinem obſeruās & verum præmonſtrans, grauiter in hanc externam & hypocriticam mundationem inuehitur, mandátque internum prius (non dicit *vtrumque* ſimul) purgari, vt externum etiam mundetur. Nos enim ſumus mundi, ergo & opera noſtra munda ſunt, quia mundis omnia munda. Immundis verò nihil mundum, ſed pollutæ ſunt mens & conſcientia illorum *Certè veritas non poteſt videri* oculo, qui eſt fœdo peccatorum pure contaminatus. Sed ſi oculus ſit purus, ſimplex & clarus, totum corpus erit lucidum. Qui igitur veritatem non *poteſt cognoſcere, quomodo ſcire poterit* cui Eccleſiæ ſe adiungere debeat? Hanc ignorans in eligendo errabit, in ſectas incidet & peribit. Si verò pergas interrogare qui ad veritatis cognitionem perueniant, audi reſponſum ab ipſa veritate. Ioan. 8. verſ. 31. Si manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & veritatem cognoſcetis. Vides igitur manſionem in ſermonibus Chriſti, vnicum eſſe remedium quo ad veritatis cognitionem poſſimus venire. Sed rogabis præterea. Quis nam ſit ille ſermo in quo ſit permanendum. Reſpon. Omnium diſcipulorum Chriſti *rudimēta* ſunt: Qui vult me ſequi, tollat crucem ſuam, & *ſequatur me*. Nū id verbo tenus fit? Non certé. Tales enim qui clamant, Domine, Domine, non agnoſcit Chriſtus pro ſuis diſcipulis: ſed eos dūtaxat qui faciunt voluntatem patris: quæ eſt vt audiamus vnigenitum Dei Filium. Omnes enim qui ex toto corde voluntatem Dei *facient*, *intelligere* poterunt doctrinam Chriſti ex Deo eſſe, & quænam illa ſit: ſicut neque ille veritatis eſt miniſter qui ſua placita ſequens Chriſti mandata negligit, ſed qui præceptum Chriſti ſerio exequitur, quemadmodum Dauid canit Pſal. 33. Beatus populus cuius Iehoua Deus. Atqui ipſi ſoli in Spiritu Ieſum Dominum ſuum vocare poſſunt, ſicut & ſolum Ieſum vt veri diſcipuli pro magiſtro habent, qui in ſermonibus ipſius permanētes, ſeipſos, ſuas cupitates, ſuáque placita abnegātes, omni manſuetudine *crucem humeris* ſuis in ſe recipiunt, magiſtrū quocunque eat ſequuntur, ſiue eundum ſit in exilium, ſiue aliæ perſecutiones ſuſtinendæ ſint, ſiue mors ipſa ſubeunda. Illi inquam ſoli diſcipuli ſunt Ieſu Chriſti agnum ſequentes, qui per abnegotionem ſuarum cupiditatum, rationis propriæ, placitorum & falſarum *perſuaſionū*, in ſumma per exciſionem oculorum

Blanditur ſeu aſſentatur ſuis.

Hic tribuit ipſis hominibus cauſam iſtius incertitudinis, alibi ipſi doctrinæ & literæ ſcriptæ, Sic enim ipſe ſcilicet ſecum conſētit.

Status cauſſæ ſeu ſcopꝰ totius huius libri pernitioſiſſimi.

Inf. in fine idē vult: Quantum hominis monſtrū?

Vera Dei Eccleſia viſibilis & inuiſibilis inter ſe cōſentiunt. idē caput habent, eandē fidem: differunt tantum accidēte, quod hæc inuiſibilis nō videtur: illa viſibilis videtur aliquādo, & quorū nimirum nō eſt generalis apoſtaſia. Sic vnus & idem homo viſibilis & inuiſibilis mihi, non differt tamē à ſeipſo.

Falſum: imò impium. Ait enim Paulus etiam de viſibili Eccleſia Dei illam eſſe complementū corporis Chriſti. 1. Cor. 12. At verò ſpiritu acti Paulus & Petrus non dicunt nullas eſſe Eccleſias viſibiles, imò ad eas ſcribunt ſuas epiſtolas, non ſimpliciter ad Eccleſiam inuiſibilem, ſed ad eā Eccleſiam viſibilem quæ erat Romæ, Corinthi, Epheſi, Philippis, &c. ὕςερον πρότερον. Vide infr. p. 79. in fine. Hic ex Eccleſia vult affirmari ac dignoſci doctrinæ veritatem: illic cōtra ex veritate Eccleſiā. ſic eſt ſcriptor iſte incertus, & inconſtans:

& tamen aliorum doctor.

Multi digladiantūr, propter doctrinam & Ceremonias: Ergo nulla eſt Eccleſia viſibilis. Argumentum ab abuſu ad rem ſuper refutatū. Nā digladiatio iſta non ex Eccleſia, ſed ex hominum ignorātia naſcitur in Eccleſia.

Non nos tales ſumus, ſed vos, qui nuſquam inuenire & Eccleſiā & Dei verbum poteſtis, ſemper vtrunque quærētes, & nūquā inueniētes.

Imo debet mundari ſi poteſt, vtrūque. Vox quoque Matt. 23. ver. 26. id ſignificat.

Veritas nō poteſt videri. Ergo nulla eſt Eccleſia viſibilis. Imo videtur veritas in verbo ſcripto. Deinde perinde arguit, atque ſi diceret, Iuriſprudētia videri non poteſt, Ergo nullus eſt iuriſprudens. Sophiſticum argumentum. Vide 2. ὕςερον πρότερον. ſup.

Hic ſeipſum refutans vult ex veritate Eccleſiam cognoſci. Hic neſcio quid perfectiꝰ ſcriptis Apoſtolicis meditatur. Eſtne verò in vna afflictione tolerata Dei verbum, annon potius in doctrina & fide de Chriſto, de cauſis ſalutis, de beneficiis ipſius & cæteris huiuſmodi fidei articulis? Hic tamē totā vim verbi Dei in vna cruce collocat. Atqui non pœna ſed cauſſa facit martyrem. Tertium ὕςερον πρότερον.

A

quum ait, Ex ipſo opere noſtro intelligimus quæ ſit veritas. hoc falſum. Ex ipſo enim Dei verbo ſeu veritate intelligim⁹ quale ſit noſtrum opus. non contrà. Imò prius magiſter verus à nobis cognoſcendus quàm ſequẽdus. Itaque modò fingit magiſtrum, id eſt Chriſtum cognoſci ab eo qui Eccleſiæ veræ & inuiſibilis membrũ eſt: modò prius eſſe mẽbrum illius Eccleſiæ, quàm Chriſtnm cognoſcat: quæ mirum iſtius ho-

propriorũ, lucidos & claros aſſecuti ſunt oculos, quibus per lucẽ gratiæ ad veritatis cognitionem peruenire poſſunt. Quod etiam veritas ipſa quæ mentiri neſcit, promiſit. Si igitur, Amice, nolueris te craſſo errore implicare, caue aliquam *amplectaris fidem*, antequam perueneris ad veritatis cognitionem. Hanc ſi didiceris, non errabis: ſed ſine hac neceſſum te hallucinari. Nam cùm omnes ſectæ, pro vera Eccleſiæ veræ nota ſeu ſigno doctrinam veram habeant, & de hac ipſa doctrina maxima ſit lis & diſceptatio: Quomodo poſſibile eſſet *aliquem veram* doctrinam noſſe, niſi prius veritatem cognoſcat? Nam omnes clamitant ſe verã habere doctrinam. Et quomodo quæſo veritas ſine veritate poteſt dignoſci? Hanc igitur veritatis cognitionem præcedere oportet, ſine qua noli iudicare de vlla doctrina, niſi teipſum velis perdere. Si verò tibi quiſpiam velit faceſſere moleſtias amplius docẽs: Neminem poſſe ſalutem conſequi niſi ſit *in aliqua viſibili Eccleſia*, reuoces tibi in memoriam principium huius Epiſtolæ, ſimúlque cogites inuiſibilia membra Eccleſiæ, cum non eſſet viſibilis Eccleſia ſalutem tamen aſſecuta eſſe, quia vnum ſunt cum capite Chriſto, vt antea dictum eſt. Sed cares ſacramentis & *Ceremonijs*? Verum quid inde detrimenti capis? modò rem habeas ſignatam. Quid iuuat *vmbram* habere, ſi ſubſtantia ipſa ſiue corpore careas? Imò præſtat carere ceremoniis quàm abuti: inuicem odiſſe, calumniari, perſequi propter illud, quod excitandæ charitati ſeruire debet, ſicuti videmus in negocio de Cœna Domini fieri. Ceremonijs igitur abſque damno carebis. Sed non habes prædicationes ſiue conciones veræ & purioris doctrinæ? fortè, impurioris doctrinæ, reſpondebis. Nam hanc ſine veritatis cognitione non dignoſces. ſed omnibus illis neglectis, *aomi habes* doctrinam puram, ſacram videlicet ſcripturã, quæ clarus & purus eſt fons. Hanc lege in timore Dei & reuerentia nominis diuini, adiũctis etiam ardẽtibus precibus. Sic facilè gloſsis humanis carebis, Si aliqua obſcuritas occurrat, profundas ſeponito quæſtiones, & tantùm vnius horæ ſpatio leges quantùm per totum menſem imò per integrũ annum vix vita exprimes & oſtẽdes, ſi vel vnica ſit tui ipſius abnegatio. Hoc ſit quotidianũ tuum exercitium, in hoc plus enitaris vt tã eſſe coram Deo, quàm coram hominibus pius videri poſsis. Et ſtudeas ipſo opere hãc lectionẽ coram tuo magiſtro Ieſu Chriſto recitare, ſicque eris verus eius diſcipulus, & veritatẽ cognoſces quæ te liberum reddet ab omnibus iniuſtitiis, etiam ab omnibus falſis opinionibus. Quod vt tibi concedat benignus Pater, per verum promiſſorem & ſeruatorem noſtrũ Ieſum Chriſtum ex toto pectore oro. Amen.

A

minis inconſtantiam arguunt. Sed prius oportet conſtare quæ illæ ſint. Imò fide opus eſt, vt eam cognoſcas: niſi hic nomẽ Fidei pro profeſſione certa Religionis accipit. Petitio principii. Inf. circa finem. Quomodo dici poteſt habere rem ſignatam qui ſigna per contemptum quaſi rem nihili ſpernit, quæ rem, illam obſignatam nobis repræſentant. Suenckfeldianus procul dubio hic apparet.

Iudæ verſus 17.

Vos autem dilecti memores eſtote verborũ quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Ieſu Chriſti: quod prædixerunt vobis, in extremis diebus futuros deriſores qui in impiis ſuis cupiditatibus incedãt. Hi ſunt qui ſectas faciunt, carnales, nullũ ſpiritum habẽtes.

CALX VIVA, QVA THEOD. COORNHARTII SAPO FACILE CONSVMITVR, & in fumos euaneſcit.

Pſal. 84. verſ. 2. 3. 11. & pſal. 139. verſ. 20. 21.

Quàm amabilia ſunt tabernacula tua, omnipotens Iehoua.
Concupiſcens deficit anima mea in atria Iehouæ.
Melior eſt dies vnus in atriis tuis, quàm alibi mille. malim limen tenere in domo Dei mei
potius quàm habitare in tabernaculis ſceleratorum.
Locuti ſunt de te ſceleratè: extulerunt ſe mendaciter aduerſarÿ tui.
Nónne oſores, tuos, Iehoua, odio habui, & inſurgentes contra te ſum auerſatus?

LAMBERTVS DANÆVS PIO LECTORI

OBLATVS eſt mihi nuper à fratribus chariſsimis libellus quidã planè nefarius ac impius ex Hollandico ſermone in Latinum ab iiſdem cõuerſus: itémque epiſtola aſſentatoria illi libello, nõ vt aſſolet, præfixa ſed mutato rerum ordine, ſuffixa, & ipſa alterius cuiuſdam tenebrionis anonymi, & ſcurræ, quæ tamen ex Hollandico Idiomate Latina quoque facta fuerat. Vtrique illi ſcripto (quanquam ineptiſsimo, & quod ſeipſum refutat in eorum, qui me rogabant, gratiam modeſtiſſimè reſpondi. Verùm

A rùm qui fuerat epiſtolæ illius, vti dixi, ſuffixæ autor, quum ſuas nebulas à me ex diuini verbi tanquam ſplendidiſſimi ſolis luce perſpicuè diſcuſſas, videret, tantam veritatis vim ferre non potuit: ſed eorum latronum & ſceleratorum more (qui vnà cum omni pudore omnē Dei & hominum metū excuſſerunt) ſeſe prodidit, ac quis eſſet, detracta quam tamdiu geſtauerat, larua tandem patefacit. Is autem eſt Theodorus Coornhartius. Neque id quidē fecit ingenui animi candore (vtpote qui tamdiu ſe celauerit) neque ex veritatis ſtudio, quum eam & nunc quoque oppugnare decreuerit: ſed quodam vertiginis ſpiritu actus, & eo furore quo improbi iuſto Dei iudicio torquētur, ſummo tamen ipſius Eccleſiæ Dei bono. Vt enim furor quidem iſtorum, ſe prodat: Bono tamen Eccleſiæ fit, vt qui anteà occulti Chriſti hoſtes vixerant, multóſque corruperant, iam ſeipſos retegāt, ne quos imprudenter poſsint in poſterum decipere. B Quamobrem licet nullum alium ex mea reſponſione fructum omnes Dei Eccleſiæ Hollandicæ perciperent, quàm quod iſtam veterem vulpem (nempe Theodorum Coornhartium Harlemi in luſtro ſuo tandiu latitantem) ex fętidiſſimis ſuis latebris ſic Dei beneficio extraxi, vt iam ſe Dei hoſtem & omnium verarum Chriſti Eccleſiarum inimicum manifeſtè profiteatur, is fructus profectò eſt vberrimus. Nec enim eſt exigui laboris lupos iſtos Eccleſiæ prædatores digito indicaſſe cuiuis, quoniam illi inſtar Hypocritarū ac Phariſæorum, aſtutiſſimè ſub pelle ouium ſe celant. Eſt quidem Coornhartius iſte (quemadmodum *in confutatione Hollandi cuiuſdam Nebulonis*, iampridē de eo veriſsimè pronuntiauit Caluinus) ſic ineptus & imperitus, vt in ſcriptis quidem nihil habeat niſi meram garrulitatem, aut verborum bombum, vti ex omnibus illius ſcriptitationibus plus ſatis apparet: in animo C verò nihil niſi inanem arrogantiam, brutā amentiam ac effrontem impudentiam vbique ſpiret, qua ipſis etiam infantibus ſe deridendum propinat. Et tamen homo iſte nihil niſi charitatem, animi abiectionem, & ſanctitatem verbis & ampullis ſuis in cōuiuiis & circulis ſuorum crepat. Certè qui falſos Doctores ab Apoſtolis prænuntiatos, ac vltimis Mundi tēporibus futuros diligenter meminerit, deprehendet tum totam iſtorum hominum Libertinorum fęcem, tum imprimis Coornhartium ipſum eorum principem graphicè à Petro fuiſſe deſcriptum his verbis 2. Epiſt. 2. *Iſti*, inquit Petrus, *ſunt fontes aqua carentes, nebulæ à turbine agitatæ, quibus caligo tenebrarum in æternum ſeruata eſt. Nam prætumidam Vanitatem loquendo per carnis cupiditates laſciuas, eos ineſcant, qui verè effugerant eos qui in errore verſantur, libertatem illis pollicendo.* Ergo iam proditus eſt epiſtolæ omnium Dei Eccleſiarum inimicæ autor, nēpe Coornhartius. Iam apparet, quis ille ſit, qui homines à gratia Dei in Eccleſijs per verbi prædicationem participanda, in Hollandia, quantum poteſt, arcet, aut abigit. Quis ſit alaſtor generis humani. Quis flabellum Satanę in A his regionibus maximum, qui tamen anteà ſuppreſſo nomine latitabat. Quanquam de re ipſa & ſectæ ſuæ doctrina (quæ in mea ad libellum ipſum reſponſione tota ex Dei verbo euerſa eſt) nihil dicere auſus eſt. Agnoſcit enim iſte nihil ſe habere, quod mihi in ipſa doctrina iam reſpondeat. Sed conqueritur, primùm, quod quoſdā ſacræ ſcripturæ locos corrumpam in meis ad ipſius epiſtolam Scholijs. Iudicent lectores pij omnes, & vter melius, atque ex ipſius ſcripturæ mente eos citet, pronuntient. Ideò enim totam iſtius epiſtolam deſcribi volui, ne fucum lectorum oculis obijcere viderer, aut iſtius ſenſum, aut verba trūcare, & perperam proferre. Ergo penes lectores pios eſto de prolatis à me ſacræ ſcripturæ aduerſus iſtum teſtimonijs, iudicium. Secundò accuſat me, quòd calumnioſè illius ſentētiam interpreter. Atqui ex totius epiſtolæ lectione apparebit veram eſſe meam interpretationē, B & me nihil iſti affinxiſſe, quicquid interpretationi ſuæ propter detectam ſuam hęreſin ſubterfugij quærat. Tertiò expoſtulat, quòd ſuam epiſtolam non rectè perceperim. (Summa enim iſtius in me accuſationis capita, breuitatis gratia, recenſeo.) itaque miratur iſte, quòd ego Theologicus Doctor ſuam ſententiam non fuerim aſſequutus. Mirùm certè Coornharti, ſi tua, tua inquam, ſcripta, quæ ne tu quidem ipſe eorum autor intelligis, alij non aſſequātur! Nam & teipſum vbique inuoluis, & ſtatim negas quæ ante affirmaueras, & tua ſic in illa epiſtola iugulas, vt ſcholijs tantum meis & nuda admonitione ad Lectorem, non autem iuſta refutatione ad eam euertendam, quemadmodū vides, fuerit opus. Et quid erat quoque neceſſe te pluribus refutari, quum inanem tantùm crambem iampridem à Domino Caluino deiectam, nobis reponeres? Nam iterum eadem illa, quæ in tuo fœtido ſapone, id C eſt, tua ad me reſponſione blatteras, repetere, eſſet actum agere, quū nihil niſi meras nugas in ea effutias: Et ſi quid ex Sacra Scriptura profers, hîc quoque iam fuerit à me copioſè in libelli (cui tuam illam epiſtolam addidiſti) cōfutatione repulſum. Itaque illam meam Reſponſionem ad libellum veſtrum Libertinicū aggredi debebas, ſi te demonſtrare velles ſtrenuum, non in hac epiſtola, quæ quia ampliori examine vtpote iam in ſuperiore mei ſcripti parte exſufflata nō egebat, latere & ſubſiſtere. Sed tu, nebulo, poſt carecta lates. Quæ ſunt alicuius momenti præteris: quæ nullius, perſequeris. Verùm ſi, vt tu quoque ais, tua epiſtola nō fuit à me rectè intellecta, inde factum erit, quòd non fuerit rectè & ex tua mente mihi expreſſa. Quod certè non meum, ſed interpretis mei potius peccatum eſt. Refutaui enim, quod mihi ab eo fuit indicatum. Ergo non mecum, ſed cum ipſo interprete agere debuiſti, & tua in illum conuitiorum plauſtra cōuehere. Nam, vt prudenter ille dicere ſolitus eſt, *ſecundum ea, quæ propoſita ſunt reſpondi*, vt in tua accuſatione non mei, ſed alieni peccati fruſtrà

A abs te inſimuler. Quid ſi idem ille interpres nec tibi ipſi ſatis meam mentem expoſuit, aut reddidit? Sanè etiam ne mea, & non potius illius culpa eſt cenſenda ? Sed, vt opinor, minimè errarũt, & libelli illius, & epiſtolæ tuæ interpretes, vtpote viri docti, vtriuſque tum Latinæ , tum veſtratis linguæ callentes. Et certè ſiquis propter verſiones iſtas factas ſit accuſandus tu ipſe Coornharti propterea es accuſandus , qui ſic omnium rerum es imperitus , ſic omnis literaturæ ignarus, ſic omnis eruditionis expers , vt me doctorum linguâ ſcribentem intelligere non potueris, id eſt, qui nullam linguam pręter Hollandicam vernaculam didiceris, non Latinam, non Græcam, non Hebræam, licet tamen & iã decrepitus ſis ardelio , & de rebus ſacris , quæ vel Hebræa , vel Græca lingua continentur, ſcriptitator videri velis , Iuxta illud , *Optat ephippia bos piger.* At dicis fortaſsè, me ſidem interpreti de tuo ſcripto habere non debuiſſe, nec eam hæreſim quæ veſtrate lingua à te tractatur, refutare potuiſſe, quoniam illius linguę ſim ignarus. Hoc enim mihi à quodam alio hæretico fraterculo tuo, & quẽ hîc noſti , perbellè obiectum eſt , quum in Synodo Middelburgica B confutaſſem, & magis mutum , quàm eſt piſcis, reddidiſſem. Verum vtrique , id eſt, tibi & illi reſpondeo, Coornharti, Si vobis hęreticis licere putatis, vt de rebus Sacra Scriptura comprehenſis, quas per ſolũ interpretem intelligitis , nihilominus ſcribatis , loquamini, contendatis, diſputetis, imò decidatis , quæ tamen vel lingua Hebræa (velut vetus Teſtamentum) vel lingua Græca(quale eſt nouum Teſtamentum) duntaxat ſunt ſcriptæ & tradita, non autem Hollandica (cuius vnius vos ſcientes eſſe agnoſcitis) cur non & mihi quoque liceat de dogmate fidei veſtra lingua à vobis ſcripto , & per doctum interpretem mihi explicato , agere, ſcribere, loqui, & diſceptare? Nam tutius ego Hallãdico interpreti veſtrorum libellorum , qui Hollandicè ſcripti ſunt, crediderim : quàm vos Sacrarum Scripturarũ Hollandico interpreti , quæ Hollandicè non ſunt traditę: cum minori animę glorięque Dei C periculo in veſtris ſcriptis Hallandicis per interpretem Hollandũ expreſsis verſabor, quàm vos in Sacris Scripturis Græcis & Hebræis verſamini, quas per interpretem duntaxat Hollãdum & ſæpè quidem, vt omnes ſciunt, ineptiſſimum, & indoctiſſimum, didiciſtis. Præterea hoc quoque ingenuè & verè profiteor , me plus in veſtra lingua (quamuis penè tota mihi ignota) didiciſſe, quàm vos in iis literis, aut linguis noueritis , quibus tamen ſolis vtrumque Teſtamentum ab ipſo Dei Spiritu fuit dictatum, & à Prophetis & Apoſtolis conſignitum. Nam neuter veſtrûm, vt à me , quales ſitis, audiatis, vel primum ipſum elementum nouit, quo vel vetus, vel Nouum Teſtamentum perſcriptum eſt. Et tamen iſti ſunt, qui, ſi Deo placet, ſe vtriuſque Teſtamenti doctores, ſe cæcorum duces , ſe Sacræ Scripturæ interpretes & Magiſtros noſtros profitentur: nos autem omnéſque viros & pios & eruditos ſuauiter aſpernãtur, & contemnunt, nihil ſcire A blaterant , nihil denique in ſacra ſcriptura videre: tam ſunt nimirum iſti vel cæci, vel iſta inter cæcos ſe iactare putãt. Nam quòd te negas vnquam profeſſum eſſe Doctorẽ , à teipſo refutaris, qui paſſim ſcriptites, & edas tua illa ſcripta. Quid eſt autem Doctorem agere, niſi vel ſcribẽdo vel in ſuggeſtu docere? Quod ad illam quam tentas , mei ſcripti refutationem, ita eſt ea tota ſtolida ac futilis , nullam vt à me confutationem, niſi otio meo abuti velim mereatur. Remitto enim lectores omnes ad vtriuſque, id eſt, mea & tua ſcripta. Nã vel pueri te dementatum iudicare poſſunt. Verùm tu vaſta cororis mole gigas , velut alter incircunciſus Goliath, ſperabas te triumphaturum eſſe de me tãquam de Dauide qui ſum ſtatua paruus. Falleris. Dominus dat ſemper ſuis contra vos filios Enachim feliciſsimam victoriam. At tu etiam idiota, me(quem toties cõtumeliæ cauſſa, Doctorẽ vocas) vinces, vt tu tibi polliceris. Nimirum , vt fides illa tua Sebaſtiani Caſtellionis iam, & non amplius vt antea Caſtalionis, erroribus fulta edat etiamnum hodie iſta barbara veſtra miracula, ac mẽdacia. Sed quod ad tua in me conuitia, Coornharti, ſic habeto, ſic illa à me ſperni, tanquam rabioſi canis latratũ, B qui ſæuire quidem in me velit , ſed propter inertiam , ac dentium infirmitatem non poſſit. Ita enim es decrepitus canis, vt dentes tuos non formidem: ita timidus, vt in certamẽ non niſi ab aliis, quos ſcio, contrà me concitatus, venire auſus fueris. Ergo pro impudentiſſimis tuis contumeliis hanc à me fraternam admonitionem accipe. Primùm , vt quantum ſcelus in hac tua aduerſum me ſcriptitatione admiſeris , ſeriò cogites. Quanquam enim ex iis te eſſe ſcio, quos iam ex Petro commemoraui, quique audaces, & vobis placẽtes hoc ipſum profitemini, vt *Dominationes deſpiciatis, nec horreatis Dignitates, ſeu Magiſtratus, qui ſunt à Deo, contemnere*: tamen verendum eſt , vt hoc tibi iam impunè eſſe poſsit. Nam quum hoc ſit Ampliſſimorum Hollandiæ Ordinum recẽs Edictum, atque adeò propter teipſum maximè promulgatum Harlemi (vbi in tuo ſterquilinio lates) ne quis abſq; C Magiſtratus permiſſu & conceſsione ſcriptum vllum in lucem emittat, huicque Ordinum edicto omnes iam, quemadmodum decet , parerent, tu nimirum primus & vnus repertus es, qui illam ſanctiſsimam Ordinum legem hoc tuo ſcripto abſque Magiſtratus vllius permiſſione ędito violares, qui primus rebellis, ac Magiſtratui inobſequẽs manifeſtò haberi velles. qui tuo exẽplo cæteris ad repugnãdum, optimo, ac ſummo Magiſtratui Hollandiæ præires, qui denique Ordines ipſos de gradu ſuo propemodũ deijceres. Quod tuum ſcelus. & audax , & recens , quàm ſint æquo animo Ampliſſ. Ordines laturi, ipſi viderint : tamen in quod te periculum conieceris, & quam pœnam merearis, vides. Certè licet illi viri optimi ſint procul ab omni ambitione atque animi crudelitate remoti : tamen propter exemplum , & vt vindicent ab omni contemptu ſuam illam, quã à Deo Opt. Max.

ſupremam

ſupremam autoritatem acceperũt, illud tuum flagitium non ſinent, vt opinor, inultum. Pręſertim quũ ipſa Ampliſſimi & ſummi Magiſtratus in te clementia nequaquam melior, ſed deterior in dies euadas. Scis enim (nec me ea tibi repetere neceſſe eſt) qua de cauſſa, quum prius Secretarius ipſorum Ordinum eſſes, ſis ab illis ipſis remotus ab eo munere & miniſterio Secretarij vt in tuum locum vir bonus ſubſtitueretur: nec ab eo tamen tempore melior aut ſapientior factus es. Dic qua de cauſſa ante paucos mẽſes libllus ille ſupplex nomine Pontificiorum, vt Miſſa illis reſtitueretur, à te ſcriptus, ac commentario auctus, te propterea vocato, & illis ea, quæ contra Magiſtratum illic ſcripſeras, deteſtãtibus, cur, inquam, ille libellus tuus fuerit, te præſente, ſed iuſſu Magiſtratus, ignominiæ cauſſâ, laceratus, ac diſcerptus? Scis, quum ſumma animi impudẽtia ſuſcepiſſes Leidæ (vbi tamen ſunt qui tibi adhuc credant) oppugnandam publica diſputatione Chriſti Eccleſiam & tamẽ nihil haberes quod ad doctiſſima Miniſtrorũ Euangelicorum argumenta reſponderes, vt fugeris. Nam quum manè ad diſputationem exſpectareris, proditâ tuorum cauſſâ, ſumma cum timiditate eã cauſſam (quam Dei eſſe dicebas) perfidè deſeruiſti, ſcripto tantùm tuæ fugæ neſcio quo tãquam indice potius, quàm excuſatore, clàm relicto. Scis, quũ boni & pij viri omnes in his regionibns multa perferrent & paterentur, ne Chriſtum cum Belial, verum Dei cultum cum Idololatria impiè miſcerent, vt iam tum hominum conſcientias tuis Satanicis commentis à veritate Chriſti auertere conabaris. Quod dico, vt te vetuſtiſſimum eſſe Chriſti ipſius, & illius crucis hoſtem omnes intelligant, & mõſtrum ex Simonianorum, Manichæorum, ac Priſcillianiſtarum teterrimorum hæreticorum furoribus conflatum. Scis, vti nunc ipſiſſimum Pelagianiſmum. i. damnatum Satanæ commentum de libero Hominis arbitrio, cum tuis renouaris, & ex inferis in Hollandiam reuocâris. Scis, vt omnem religionẽ, ſúſque déque etiam nuper habueris, qui grauiſſimas de Chriſtiana religione quæſtiones ſemper cum tuis voces, *vmbram aſini, crepundia infantilia, & nugas.* Hæc enim ſunt veſtra verba, & veſtri flores. Atque eandem religionem conſpuis etiamnum hodie, cum nimirũ ſuauiter, atque etiam Comędicè Domini noſtri Ieſu Chriſti cæcum Hierichuntinum ſanantis miraculum irrides. Denique me dies deficeret, ſi omnes tuas blaſphemias ſemel vel recenſere vellem. Sed nihil neceſſe eſt. Sũt enim notiſſimæ. quanquam tu tua ſcripta, quemadmodum fraterculi tui, non niſi tuis communicari velis. Domiaus noſtri miſereatur, & ab omnibus importuniſſimorum Satanæ inſtrumentorum impoſturis ſuos aſſerat. Amen.

FINIS.

INDEX PRIOR,

Vnà cum locis communibus res & verba inſigniora totius operis huius complectens. Numerus prior paginam, poſterior columnam notat. Literæ verò A, b, c, ſingulæ cuiuſque columnæ regionem indicant.

Monendum te duximus, Lector, in excudendo in paginarum quinque ternionum Alphabeti quinti numero errorem irrepſiſſe: cui hac ratione occurrere, cùm in hoc tum in ſequenti locorum S. Scripturæ indice voluimus, vt in iiſdem ternionibus, literæ Alphabeticæ ſignaturam, ternionis columnam, eiuſque literam deſignent.

A

AAron & Moſes bellis interfuerunt 464 2.C.
Abelonitæ cur ſic dicti 1013.1.b
eorúmque error 1013.1.b.c
Abnegare fidem quid 496. 1.c.
de Abrahamo quid additum 8. Matth. dicant Manichæi 638. 2.c.
Ab Abrahamo ineptum ductum argumentum 1611. 2.b
Quomodo Abſtinentia ciborum mala ſit 477.2.b.c
abſtinentia ſuperſtitioſa 523.2.a
abſtinentia quid 200.1.a
abſtinentia 522. 1.a.b.c.523.1.c.524.1.a.b.c.2.a.b
abſtinentiæ abuſus 522.1.c.2.a.b
abſtinentiæ votum malum 522.2.b
abſtinentiæ boni fines 22.2.c.523.1.a
de Abſtracto & Concreto 1357.2.c
Abuſus rei qui ab hominibus manat, non ſemper facit vt res tollenda ſit 1607.2.b
Αβυσσος quid 248.1.b
Abyſſus cur terræ ſuperfuſa 247.2.b
Academica methodus tollẽda. 1253.2.c.
academicorum ſectę de veritate ignorata 632.1.a
academicorum dogma, nihil poſſe certò percipi refutatur. 767.2.a
An Acceſſionem pecuniæ ex principum conſtitutionibus liceat miniſtris accipere 465.2.b
Accidens in Trinitate vt in intelligatur 1231.1.a
Accidẽtalia diſciplinæ mutari poſſunt 491.1.a.501.2.c
De Accuſatione Paſtorum 507.2.a.b
Vtrum qui Accuſati tantum quidem ſunt criminis publici non autem damnati, eligendi omnino poſtea nunquam ſint 457.1.b
Acephali qui 1023.1.c
Achabus & Sedechias propter Adulterium in ſartagine frixi 152.1.c
Acta Apoſtolorum quid 630.1.c
actio in homine alia eſt hominis alia humana 47.2.a
actio bona quid 60.1.c
actio mala 60.1.c
actio in vniuerſum quid ſit & quotuplex 46.1.c.2.c.47.1.b
actio quæ ex facti genere bona eſt ex circunſtantia mala fieri poteſt 60.1.b
actio hominis vegetans & ſentiens vnde 48.1.a
actio hominis ratiocinans vnde 48.1.a
actio mala ex facti ſui genere, propter bonam circunſtantiam bona nunquam fieri poteſt 60.1.b
actio partis animi λογικοῦ ἐν τοῖς καθ᾽ ἕκαστα verſatur in rebus ſingularibus 56.2.b
actio vnde dicta 46.2.c
actio bona ſiue honeſta quæ dicenda, quæ item mala & turpis. 57.2.c
actionis externæ forma 84.1.b.c.2.a
actionum materia quotuplex 74 1.c
Circunſtantiæ plus deturpãtes vel ornãtes Actiones humanas 74.1.b.c
In Actionibus honeſtis quid conſiderandum 81.a
Quot præcipuè Actiones in homine obſeruandæ 49.2.b
Velle & poſſe duo in nobis remotiora Actionum principia 61.1.c
Actionum honeſtarum initia ex noſtra cũ Chriſto vnione ducenda 70.1.b
De externis noſtrarum Actionũ cauſis quæ efficientes dicuntur. 71.2.a
Circunſtantiæ principales Actionum noſtrarum materia & finis. 74.1.b
Finis Actionum humanarum ſecundum Philoſophos diuerſus 76.2.c.77.1.a.b.c.2.a.b.c.78.a.b.c.2.a.b
Actiones noſtræ omnium virtutum ac vitiorum materia 73.1.a
actiones noſtræ finis ratione ſunt vel bonæ vel malæ 75.1.b
actiones hominis ſolius propriæ 50.2.c
actionum omnium humanarum finis duplex diuinæ in nobis imaginis Inſtauratio & eiuſdem conſeruatio 79.2.b
Actionum honeſtarum forma 79.2.b
Finis Actionum omnium ſecundum Chriſtianos Deus 78.2.c
Maximæ & præcipuæ humanarum Actionum cauſæ externæ primariæ, item ſecundariæ 71.2.c
Actionis externæ forma 81.b.c.82.1.a
actionis externæ forma 81.b.c
In Actionibus noſtris vt bonæ ſint vel malæ quid requirat Dei verbum 60.1.c
Subiectum Actionum humanarum eſt homo totus tam animo quàm corpore conſtans 72.2.a
Quas Actionum formas ſecunda tabula contineat 124.1.b.
Quatuor Actionum cauſæ 57.2.c
Omnes bonę Actiones lege Dei continentur 73.2.c
actionis finis eſt εὐπραξία 46.2.a
Actorum Lib. repudiãt Manich. 629.1.b
Actum ipſum vult Deus nõ finem improborum 1303.1.a
Actus noſtri quot modis diſtinguantur 73.1.b
actus ſunt vel directè voluntarij vel indirectè 54.1.c
actus voluntatis noſtræ Eliciti vel Imperati 54.1.c.
actus in homine ſunt vel naturales vel hominis actus, in quibus vtitur ratione 47.2.c
actus noſtri quot modis boni vel mali 765.1.b
Adã moriturus erat ſiue peccaſſet ſiue non peccaſſet Pelagii 1. dogma 726.2.b
Adami Creatio ex Manichæo 641.1.b
adami peccatum ſoli ipſi nocuit non aliis etiam Pelagii error 2.726.2.c
Adamiani cur ſic nominati 952.1.a eorum hypotheſes 952.1.c
In Adamum Deus opes ſuas prodegit 63.2.b
Adaulphus Gothorum rex Romam tenuit 1080.1.b
Admonitio fraterna 206.2.a
Admonendi vel reprehendendi ius ad quos pertineat 491.1.a.b.c.2.a
Adoratio duplex 1462.1.a
Perſarum Adorandi mos 449.2.b
Adrianiſtæ 914.1.b
Ad ſe dici quid 1211.1.a
Adulatio quid 167. 1.b
adulatio ſiue aſſentatio 206.1.c
Adulter num ſit qui alii deſponſatam init. 1472.b
Adulterij pœna 152.1.b
De Adulterio Montaniſtarum error 147.2.b
De Aduocato 168.1.b
Aegyptus quid 101.1.c
Aemulatio quid 204.1.c
Aequabilitas quid 198.1.b
Aequalis Filius Patri vt dicatur 1241.2.c.& 1246.1.c
Aequalitas Perſonarum diuinarum 1304.2.a.& 1305.2.a.& deinceps
Aequalitas in Filio 1243. 1.b.& deinceps, & col.2.c.& deinceps.
Aequalitas Perſonarum diuinarũ 1195.2.c.& deinceps, & 1200.1.a.b.& 1203.2.a.& deinceps.
Aequiuocatio ſeu homonymia quid 9.1.a
Aer quid 282.2.c
Aer vnde dicatur. 283.1.a
De Aere an ſit 281.2.c.282.1.a.b.c.2.a.b
Aerarij quæ cura 505.1.c
Aerarium pauperum Epiſcopi hodierni

ni compilarunt 505.2.a
Αἵρεσις ſiue προαίρεσις à Latinis animi electio dicta quid 52.1.c
Aerianorum, Anabaptiſtarum, & Enthouſiaſtarum error de vocatione. 515.1.b
Aeriani 979 eorum errores 979.2.c
Aeriani hæretici habiti quod Epiſcopis presbyteros adæquarent 454.2.c
Aeternitas in Patre vt intelligendum ſign.BBb.col.23.a.& deinceps
Aeternitas primum Dei attributum. ſign.EEe.col.9.b
Aeternitas, Magnitudo, Poteſtas, eadem in tribue Perſonis 1195.2.c.& deinceps
Aeternitatis à ſempiternitate diſcrimen 350.1.b
Aethereæ & Elementaris regionis fines 251.2.b.c.
Aetiani & Eunomiani cur ſic dicti 980.2.b.eorum errores 981.2.c
Impoſſibile fuiſſe filio Dei ſe facere ingenitum falſum Aetianorum arg. f.35.col.2.a
Aeternales,& eorum hæreſes 994.1.c.2.a.b
Affabilitas quid. 198.1.a
Affectus quotuplices 74.2.a
A'γεννησία vt de Deo prædicetur ſign. DDd.col.14.a.&c.16.c
A'γέννητον 1236.1.c.& 2.a.& deinceps
Quot modis tum cognitionis tum voluntatis noſtræ ratione aliquid agere dicamus 52.2.b
Ἀγριότης agreſtitas quid 197.2.c
Agnoetæ 1023.2.b
Αἰσχροκέρδεια quid 201.2.c
Αἴτησις quid 570.2.a
Αἴνιγμα quid 426.1.c
Απολογία quid 403.1.b
Αἰώνιον quid 643.2.a
Ακολούθησις quid 463.2.a
Alaricus Romam cepit 1080.1.a
De Alchymiſtis & auro alchymico 168.1.b
Quid Alea propriè,& qui ludi hoc nomine comprehendantur 218.2.c
De Aleę ludo & quanta mala is afferat 214.1.c
Aleæ luſus ab ipſis prophanis hominibus damnatur 219.1.b
An ludus Aleæ ſit Vrbanitas ſiue εὐτραπελία. 222.1.c
De Alea Cyprianus 222.2.a.b
Aleę ludum ab ipſamet ſacra ſcriptura reprobari 220.1.c
Priſcos & Orthodoxos patres dãnaſſe Aleę ludum 219.2.c
Alexander nomine Sextus Papa Romanus a Diabolo raptus 392.2.b
Alia eſt perſona Patris, alia Filii vt dicatur in diuinis 1220.2.c
Alieni vſurpandi quotuplex ſit cauſa 156.2.c
Aliud & aliud non eſt in Trinitate. 1308.2.b
Alius vt in Perſonis diuinis intelligitur 1221.1.a.& deinceps.& 1222.1.c
Alogiani cur dicti 950.2.c
Eorum errores 951.1.b
A'λληγορία quid 426.1.a
Ama tanquam oſurus, Diabolica diffidentiæ vox 212.1.c
Amaritudo 196.2.b
Ambiguitas quid f.16.col.1.b.quot modis accidat.C
Ambitio quid 193.2.b
Ambitionis attributa 193.2.c
De Amuleto 106.1.a
Amen quid 421.2.c
amen vox quid 552.1.b
De ſcopo veræ Amicitiæ 210.2.a Amicitia quid 198.2.b.
De fundamento veræ, Chriſtianæque Amicitiæ. 208.1.b.c
De veræ Amicitiæ effectis 211.1.a.b.c.2.a
Amicitia cur Pactum appelletur 209.1.c
Veræ Chriſtianæque Amicitiæ fines 212.1.a.
Quid ſit vera chriſtianáque amicitia 208.2.c
amicitiæ contrahendæ plures fines 210.2.b
amicitiæ verę præcipua effecta 209.2.c
Iniuſta petens Amicitiæ fines egreditur 217.2.a
amicitiæ debent eſſe hæreditarię 211.2.a
amicitia inter duos tutior quàm inter plures 209.2.b
Natura & communi omnium gentium voce Amicitia probatur 210.1.c
amicitia eatenus præſtanda quatenus illæſa Dei maieſtate poteſt 213.1.b
Quot ſint neceſſaria ad vim naturámque Amicitiæ explicandam 209.2.c
Ad Amicitiam maxime valet morum ſtudiíque ſimilitudo 210.2.c
In Amicitia Dei nomẽ interuenire debet 209.2.a
Exemplis piorum ſtabilitur Amicitia 210.1.b
Vtrum pugnet cum Præcepto de charitate, Amicitię lex & ratio 210.1.a
Inter quos cõtrahi vera amicitia poſſit 208.1.c
Amicus amico non adulatur 211.2.b
Amor, Dilectio, Charitas, & ſpecialiter,& generaliter ſumuntur ſign. EEe.col.22.c.
Amor ſui φιλαυτία 192.2.c
Anabaptiſtarum error, Donatiſtarum riuulus & Papiſtę conuellunt 5.præceptum 128.2.c.129.1.a
Anabaptiſtarum refutatio de magiſtratibus 533.1.c
De bellis faſſ.Anabaptiſt.arg. 35.2.c
anabaptiſtarum de magiſtratibus error 444.1.a
A'ναδίπλωσις quid 422.2.c
ἀναγκαῖον opponitur ἀκούσιον 418.1.b
A'ναφορὰ quid 422.2.c
Anarchia quid 194.1.a
Αναστροφὴ quid 425.2.a
De Anathematizatione 112.2.b
Ad andream Danæi Reſponſio 1457.
1.c
A'νέγκλητος cur eſſe debet Epiſcopus. 456.2.b
A'νέγκλητος, & ἀναμάρτητος differunt 456
Anemone floret hyeme 323.1.c
ἀνεπίληπτος quid 547.2.c
A'νεξικακία quid 197.1.a
A'νῆκον quid 416.2.c
Angelitæ 1023.1.c
angeli quid 833.2.b
de Angelis malis 643.2.a.b
angelus vox Græca 834.1.b
Angeli ſunt ſubſtantię 832.2.a
angelorum diuiſio 575.2.b
de Angelis bonis 832.1.c
angeli quando creati 780.1.a
angeli quare electi vocantur 512.1.b.2.b
angeli neceſſario Dei mandato obſequuntur non tamen inuiti 67.2.c
angeli an habeant corpora naturalia, an aſſumpta tantum ad tempus cùm colloquuntur nobiſcum 833.1.b
angeli an inuocandi 575.2.b.576.1.a
angeli ſunt non ὁμοούσιοι ſed ὁμοιούσιοι 779.2.a.b
angelicorum hæreſis quid docuerit 959.1.b
angeli deſertores & mali omnes ſimul peccarunt,& manét perpetuo damnati 779.2.a.b
angelis quomodo reconciliamur 839.2.c
de angelis ſententiæ Scholaſticorũ audaciores 833.2.a
De Adoratione angelorum f.6.col.2.b
angelorum & hominum quia peccarunt, iuſta eſt damnatio, non tamen æqualis aut eadem pœna 774.2.a.b.c 775.1.a.b
angelorum beatorum duplex felicitas 786.1.c
angelorũ electionis quæ cauſſæ 512.2.c
angelorũ beatorum quæ ſunt differentiæ rncertum 833.2.a.b
Angelos adorãdos ab exemplo Manua falſò Angelos adorandos concluditur 567.1.c
Angelus qui apparuit in rubo, fuit Chriſtus. 1235.1.c
de Anima & eius Origine 715.2.b
de anima 714.2.a.b.c.715.1.b.c.
anima 640.1.a
anima vnde dicta 352.1.c
anima quomodo creetur 639.1.b
anima num de nihilo creata 643.2.a
anima omnis eſt à Deo 632.1.b
anima noſtra an ſit Dei filia 633.1.a
an Anima de Dei ſit ſubſtantia 639.1.b
anima in homine quomodo creetur 714.2.c
anima hominis 631.1.a
de Anima vincentii errores decem 715 1.c.2.a.b.c
anima non inficitur à carne & quare 713.2.c
anima ſexu caret 714.2.a
anima brutorum animantium quid

355.1.a
anima brutorum animantium qualis 355.2.a
animæ rationalis definitiones 50.2.b.c
animæ à Deo quotidie creantur. 119.1.b
animæ facultas triplex 717.1.a
animæ cum corpore vnitæ ſimilitudo 1467.2.a
animæ & corporis ſimilitudo ad vnionem naturarum chriſti accommodata 1381.1.b
animæ facultates diſtinguuntur ab earundem actionibus ſign.CCc.col.8.a.deinceps
animæ facultates quomodo dicantur eſſe vnum ſig.CCc.col.23.b
animæ facultates vtrùm ſint ſubſtãtia animæ. ſign.CCc.col.12.b. & deinceps
de animæ origine quæſtio noua & cur 702.2.b
animæ vegetantis munia 320.2.a
animæ definitio cur duplex Ariſtoteli 2243.2.b
An animæ noſtræ in cœlum aſcendant vt communicent Chriſto 1579.2.b
animę noſtrę partes ſiue facultates 72.2.b.c
animæ & corporis differentia 631.1.a
animæ humanæ ſedes vbi ſit 355.1.a.b
Animal quid ſit 351.2.b
de Animabus duabus error Manichæorum 632.1.a
animalium creandorum quotuplex finis 356.1.b
Animalia cur demum die quinto creari cœpta 357.1.b
Animalium omnium forma exterior 374.1.a.b.c.
animalium veſtitus 374.2.b
Animalibus inutile nullum membrum eſt 374.1.b
Anima Animalium terrenorum & Brutorum vnde producta ſit 373.1.a
Vtrum omne Animalium genus complexus ſit Moſes 359.1.a
Animalia ἑρπετὰ 358.1.b
animalia πτηνὰ vel πτηνικὰ 358.1.b
Deus Animorum pater 433.2.a
animalium partitio ſecundum Moſem 375.1.a
Quæ aeris refrigeratione opus habent Animalia 358.2.c
Dies Sexta De Animalibus Terrenis 372.1.b
Vtrum omne Animaliũ genus cõplexus ſit Moſes 359.1.b
Animalia quæ ſunt aliis præſtantiora 632.1.b
Quædam animalia quaternos ventris ſinus habent 374.1.c
animalia terreſtria πεζὰ dicta 358.2.a
animalia πορδιπτικὰ quid 358.1.b
animalia tertium quoddam à Plantis & corporibus cœleſtibus genus cur ſint à Deo condita 356.1.a
Generalis brutorum Animantium diuiſio 357.2.c.358.1.a
Animarũ duo eſſe genera error 632.2.a
animarum noſtrarum poſt hanc vitam locus & ſtatus 884.2.a.b
animorum noſtrorum vis quę 9 .2.a
Animus de alio minime ſuſpicioſus quis ſit 267.1.a
animus hominis 631.1.a
Aniles fabulæ quid Paulo 642.2.c
Anni vt fiant à corporibus cœleſtibus 350.2.c.351.a.b
anni ſeptimi feſtiuitas 119.2.c
Anomęorum hęreticorum falſa de hominis anima ſententia 481.b
Ανομια quid 606.2.a
Anſelmi de voluntate ſententia 66.1.a
de Antichriſto 1051.1.c.1052.1.b
de antichriſto Bernardi Cluniacenſis Monachi Iudicium 1091.1.c
Antichriſtus cur filius perditionis appelletur, Apollyon Beſtia, fœmina, Meretrix 1055.2.a.b
A'ντίχριστος cur ita vocetur, non ἀντίθεος 1062.1.c
antichriſtus cur indeſinitè & Pſeudopropheta & Papa appellatur 1063.2.c
antichriſtus vtrum ante ſublatũ francorum Imperium vel ex oriri vel ſtabiliri poterit 1071.1.c
Antichriſti aduentus & tẽpus 1070.1.b
antichriſti authoritas non vſquequaque recepta 1078.1.a
de Antichriſtiani regni interitu 1078.2.b
Antichriſti regnum quo tempore erigendum fuerit vtrum in ſacris literis definiatur 1071.2.c
Antichriſtiani regni approbatio refutata 1090.2.a
antichriſtiani regni conſtituendi modus quis 1074.1.c
antichriſtianum regnũ quomodo fuerit ſtabilitum 1075.1.a
antichriſtus Dei nomen cur ſibi vſurpauit 1064.1.b.1065.1.b
antichriſtum cur Paulus appellat hominem 1054.2.a
antichriſtianum regnum quando tollendum 1082.1.b.2.b
antichriſtianum regnum quàm iuſte induxerit Deus 1089.2.a
antichriſtiano Regno qui adhæſerint 1088.2.c.1089.1.b.c
antichriſti regnum cur prędictum 1052.2.b.c
antichriſti miracula cur mendacia dicuntur 1088.1.b
De Luxu ſub Antichriſto 1056.2.c
Antichriſtiani regni propagationem quomodo fieri oportuit 108.6.1.c
Anthropomorphitæ quinam 9.2.c
An dum Deo linguam, palatum & dẽtes affingit Scriptura Anthropomorphitis fauet 257.2.a
Antidicomarianitæ cur ſic dicti 984.2.a.eorum errores 985.1.a
A'ντίφρασις quid 426.1.b
A'ντίθεσις quid 463.2.b
A'ντονομασία quid 424.2.c
A'οργησία quid 195.2.b
אובות Aoboth Hebræis qui dicantur 380.2.b.
Apellitæ cur dicti & eorum errores 942.2.a.b
A'πεξεργασία ſiue δημιονὴ quid 404.1.a
Apes 358.2.b
A'φιλία 199.1.a
A'φιλοτιμία quid 193.2.b
A'φοβία Intimiditas quid 195.1.b ſiue ριψοκινδυνία.
Apollinariſtæ à quo primum dicti 982.2.b.c.eorum errores 984.1.b.c
De Apoſtaſia 676.1.a
apoſtaſia quid 1053.2.b
A'ποσυναγωγὸς quis 527.1.a.529.2.c
Apoſtolos inter ſe committere conatur impius oſiander 1484.2.a
apoſtolorum omnium & ſingulorum conſenſus 1484.2.b
apoſtolorum ſcripta quantum valeant 639.1.a
Apoſtolorum exempla quædam pro lege generali habenda 1484.1.c
Apoſtolis tutò credi 629.2.c
Apoſtolicæ quod quædam ordinationes nunc ceſſarunt, Ergo Sacramẽta in Ecclesia ceſſare, inepta concluſio 1616.1.a
apoſtolici hæretici qui 960.1.a. eorum errores 960.2.a
Appetitus quotuplices 95.1.b
appetitio ſiue appetitus. ὄρεξις à voluntate quantum diſtet. 51.2.b
Approbatio Paſtoris ad quem pertineat 516.2.b.c
De A pro 376.1.a
Apſace toto anno floret 323.1.c
De Aqua 642.1.c
aqua eſt διαφανὴς & pellucida 297.2.c
Cur Aqua, terra, cœlum vocatur quæ nõdum hoc nomine vel propria natura diſtincta erant & donata 250.1.b
Quomodo perennis Aqua de foliis cuiuſdam arboris in Inſula Ferro dicta ſtillet 301.1.c
In quem locum collectæ ſunt Aquæ & quomodo 296.1.c
Aquæ inferiores cur in vnum omnes collectæ 296.1.a.b
aquæ vbi ſunt collectæ quomodo vocetur locus 296.2.b
aquæ qualitas 297.2.b
Aquarum & maris efficiendi ſcopus 297.1.b
Quomodo Aquæ in expanſione citima conſiſtere poſſint 285.1.c
Aquæ cœleſtes quid ſint 684.1.b
Aquarij cur ſic dicti, eorúmque error quis fuerit 992.1.c.2.a.b
ad Aquarum amarorem tollẽdum quare vſus eſt ſale Eliſæus 299.2.c
aquarum quot genera 298.1.a
De aquarum congregatione 195.1.a
De varijs ſimplicium Aquarum generibus 300.1.c
Cur Aquas à Terra ſeparauit Deus 295.2.a.c
Aquas cœleſtes eſſe eiuſdem generis & naturæ cuius & terreſtres 278.2.b
aquatilium in diuerſas ſpecies diuiſio 360.1.c
aquatilia terrenis maiora & cur. 360.1.b
aquatilia quare in aqua diu latere poſſunt & vrinari 358.2.c
aquei quid ſenſerint 1003.1.a
De aquila & accipitre 368.2.c
Aquinas nonnihil de Conſubſtãtiatione ſparſit. 1347.1.a
arabici qui fuerint nempe θνητοψυχῖται 1009.1.a.b
Arbitrium liberrimum in adami primo

mo homine fuit. 65.1.c
Arbor quid ſit & qualis arborum natura 327.1.c
arborum morbi 327.2.b
Quæ Arbores reſinent 328.2.a
arbores omnes vtrum ſemen ferãt 326.2.a.b
De arbore almugim 329.2.a
arbor vnde dicta 336.2.a
arbor Paradiſi 641.1.a
De variis Arborum generibus 328.1.a
arca noe. 640.1.c
archangeli qui dicantur 834.1.C
archontici cur dicti 938.1.a.b
archonticorum errores 938.2.a
A’ρχὴ ϗ αἴτιον 1239.1.c.& 2.a
qui colores cernuntur præcipue in Arcu cœleſti 286.1.b
vnde in Arcu cœleſti color croceus. puniceus, viridis 286.1.c
Αρετὴ quid Damaſceno 85.1.a
Argentum viuum 315.1.b
Argumentatio falſa quot modis in genere poſſit deprehendi. 44.1.b
Arius antichriſti principium 644.1.a
arius cuias 645.1.a
ariani 912.1.a
arianus ad Concilium Nicenum vocatus ibique damnatus eſt 645.1.a
ariani cur ſic dicti 972 eorum pernicioſiſsimi errores 974.1.b
arianorum mos Baptizandi 645.2.b
ariani Exoucontij dicti & vnde 644.1.b
arianorum verba, Erat quando nõ erat Refutantur 649.1.c de filio 649.2.a
arianorum Hypotheſes 645.1.b.1.c.2.a.b.c
Ariſtotelis de virtutis actione falſa & ſcripturæ contraria ſententia 62.2.a
A’τομα & indiuidua prius ex Ariſtotele extiterunt 365.2.c
ariſtoteles quid proſit in Theologia 24.2.c
Arma geſtare priuatis interdictum 132.2.a
arma vniuſcuiuque animalis 374.1.b
Armenij qui 1024.1.a
Armorum vſus ab euangelio non damnatur 1081.1.a
Aroma ſuaue vnde fiat 324.1.c
Arſace duce parthi ſe in libertatẽ vindicarunt, & Arſacidarum nomine hinc eorum reges fuerunt vocati 1085.1.a
Ars & eius vtilitas 1.1.a
A’ρσενοκοῖται qui dicantur 148.1.a
artaxerxes Perſa, occiſo artabano parthicum imperium ad perſas tranſtulit 1085.1.b
articuli aliquot falſo auguſtino impoſiti 725.2.726.1.a.b.c.2.a
in articulis fidei quot modis peccatur. 902.2.a
articuli in quibus magiſter Sententiarum non tenetur communiter ab omnibus 1303.2.C
Error ἀρτολατρεία 1562.2.c
artotyritæ vnde dicti 948.2.b.c
arziburi 1024.1.b.
aſcenſio Chriſti in cœlum quid And. Muſculo 1347.c
aſcenſio ad Cœlos qualis 1569.20
aſcenſionis Chriſti fructus 827.1.a
aſcitæ cur ſic dicti 990.2.B.eorum hæreſes 990.2.b.c
ἄσπιλος quid 547.2.c
A’στεισμὸς quid 426.2.a
A’στοργία quid 194.2.a
aſtra moueri motu cœli extimi ſeu ſummi 341.1.b
aſtrum quid 336.1.a
aſtutia quid 201.2.c
De aſylis 140.1.b
A’ταξία quid 199.1.b
athalaricus imperium Romanum tenuit in Italia 1080.2.a
De Athaliæ Imperio 452.1.b
attendere quid 476.2.b
Attributa diſtinguuntur notione & ratione ab ipſa eſſentia Dei 1190.1.b
attributa cuiuſque Perſonæ propria 1256.1.c.& 2.a
attributa Dei vtrũm vnum duntaxat ſignificẽt. ſig. EEe. col. 9.c.& col. 10.a
attributa Dei. ſign. EEe. col. 8. c.& col. 9. tota. & col. 10.a.& deinceps.
attributa Dei ſunt Dei eſſentia. ſign. DDd. col. 23.c.& col. 24.a.b
attributa Deitatis eſſentialia eſſe vna & eadem numero in ſingulis Perſonis. 1304.2.a
A’ξίωμα nõ competit eſſentiæ ſed Perſonæ in diuinis. ſig. DDd. col. 3.c.& col. 4.a
Auaritia quid 202.2.b
auaritiæ ſpecies 202.2.b
auaritia eiúſque effecta 540.2.a
auaritia radix omnium malorũ 465.1.c
auaritia furti ſpecies 161.2.a
auaritiæ ſpecies ſunt gradus 161.c.162.a.b
auaritia, aſtutia miniſtro vitanda 466.1.a.b
Audacia quid 195.1.c
audaces à miniſterio deterrẽdi, Timidi excitandi 455.2.c
audæorum error 441.2.b
audiani qui 565.1.c
audiani qui fuerint & quod eorum dogma 975.1.a.b.c.2.a.b
audientes libenter mendacia 9. præcepto damnantur 175.1.a
Aues vnde dicantur 367.2.c
aues ex aquis natas quomodo probetur 366.1.b
aues nullæ ſunt ſine pedibus 366.2.b
aues cur conditæ à Deo. 367.1.a
auibus à Deo locus aſſignatus 367.1.a
De volatilibus ſeu Auibus vnde natæ 365.1.c.2.a
De Mira Auium & piſcuum affinitate inter ſe 365.2.c
De Auium natura in genere & earum generatione 367.1.b
Auguſtinus quando vixit 374.1.c
auguſtinus quandiu fuit inter Manichæos 630.1.c
auguſtini acta cum felice Manichæo 639.1.a
auguſtinus cur durius in Manichæos agere non vult 630.1.c
auguſtini duræ loquutiones 2226.2.c
auguſtini de libero arbitrio ſententia 66.1.c.2.b.
De Eccleſia Auguſtini dictum & inde falſum arg. ductum f.34.col.1.c
auguſtinus cur à Manichæis diſceſſerit 636.2.c.640.1.c
auguſtini & felicis conſenſus 639.1.a
auguſtinum quæ cauſæ inter Manichæos retinuerunt 632.1.c
Auphir locus 317.1.b.
Aurum quid 316.1.a
auri vſum non prorſus demnat Paulus 451.1.b
aurum vnde dictum 316.1.a
aurum auphir quid 316.2.c
aurum argento cur præponitur 315.2.c
auri laudes 316.1.b.c.2.a
Auſteritas quid 197.2.b
authoritatibus ſcripturæ ſtabilitur Amicitia 210.1.b
authoritas quomodo admittenda 630.1.a
A’υτάρκεια quid 202.2.c
A’υτάρκεια quid 538.2.a
A’υτὸς vocis ſignificatio 2221.2.b
A’υτοζῶον, & ἀυτοζωὴ quid 2221.2.b
A’υτούσιος & ἀγέννητος differunt 2223.2.a
A’υθάδεια ἐρημότητος ξύνοικος 1608.2.a
A’ύξησις amplificatio 404.1.b

B

Balænæ 358.2.c
De Balſamo 330.1.a
Baptizare infantes permittit mulieribus Oziander 1505.1.a
baptizati à Iohanne cur poſtea à Paulo 673.2.b
Baptizatus à Baptizato vtrum iterum Baptizandus 673.2.c
baptizatus per ludicrum & mimicè extra Eccleſiam vtrum iterum baptizandus 673.2.c
baptizatos à Donatiſtis Orthodoxi recipiebant 665.2.c.666.1.a
baptizandi cur ſint paruuli 706.1.a
De Baptiſmate iterando 25.1.b
baptiſmus intra hæreticos eſſe poteſt 672.1.a.b.c
baptiſmus an verus ſit qui fit ab igneo amore 1618.1.c
baptiſmus ex perſonarum dignitate non pendet 673.2.a.b.c
baptiſmus Iohannis quis 819.a.b.c
baptiſmus in nobis quid demonſtret & efficiat 823.824
baptiſmus quid 1618.2.b
Baptiſmi efficacitas vnde pendet 6.18.2.b
In Baptiſmo quid præſtet Deus quid Miniſter 1618.2.c
baptiſmus paruulis neceſſarius 705.1.b
baptiſmus ab hæretico collatus non repetendus 672.2.b
baptiſmus 661.2.a
baptiſmus ab illegitimè vocato & electo celebratus quis ſit 520.1.c.2.a
baptiſmus quo tempore celebrabatur 121.1.b
baptiſmus vnicus 674.1.a.b.c.2.a.b.c
baptiſmi iteratio noua 673.1.c
De baptiſmo 666.1.b.c.2.a.b
De baptiſmo 1504.2.c
De baptiſmo 669.1.a.c.2.b.c

De baptiſmo 1048.1.b
De baptiſmo paruulorum 682.1.a
baptiſmo accepto quomodo ſtatim morientes ſunt felices 894.2.b.c
baptiſmi ſacramento noſtra in Chriſto & mors & reſurrectio obſignatur 809.1.b
baptiſmi vtilitas 893.2.b.c
baptiſmi vis 694.2.c
De baptiſmo 667.1.a.668.1.b
baptiſma à miniſtris non debet adminiſtrari falſ.arg. f.34.col.1.c
De baptiſmo paruulorum Pelagianorum error 692.2.c
De baptiſmo 667.1.a.b.c
De baptiſmo 663.2.a.b.c.664.1.a.b.c.2.a
De baptiſmo 670.1.a
De Baptiſmo iterando 676.2.b.c
baptiſmo peccata priora, pœnitentia poſteriora deleri dicebant veteres 815.2.a
De baptiſmo 665.1.b.c.2.a
baptiſmo reatus peccati tollitur non ipſius fons 894.1.c
baptiſmo omnia peccata & paruulorũ & ſenum Baptizatorum delētur 810.2.a.b
De baptiſmo quid Donatiſtæ 657.1.c.2.a.b
In baptiſmo olim exorciſmi & exufflationes fiebant 694.2.c
De baptiſmo Petilianus quid 658.2.a.b.c.659.1.a
De baptiſmate paruulorum f.5.col.1.a col.2.c
De baptiſmate Pelagian.& manichæorum atque hodie Anabaptiſt. falſ. arg. 10.2.b
De Baptiſmate Serueti falſ. arg. f. 32 col.1.c.
De baptiſmate paruulorum 15.1.a.2.c
Barbariſmus 909.2.a
Bardeſaniſtæ cur ſic dicti 955.1.b.c
Baſilicæ quid 449.1.b
Baſilidiani vnde dicti 918.1.b
Baſilidianorum errores 919.1.b.c 2.a.b.c
Baſiliſcus 364.2.c
Baſilius de Deitate filij eadem cum patre 2222.2.a
Bdellium quid 291.1.a
Beati num præteritorum malorum reminiſcantur 761.2.a
Bedæ Presbyteri Angloſaxonis de Schiſmatibus & tropis ſacrarum literarum libellus 422
בהמה vnde Hebræis dictum 373.2.a
Beliſarius Siluerium Pontificē de proditione ſuſpectum depoſuit 1578.1.b
Bellua vnde dicta 373.2.c
Belluas Beſtias quid appellent Latini 373.2.a.b.c
Bellum quid 194.1.b
Vtrum liceat Epiſcopo ad Bellum proficiſci, In acie armata ſtare, duellum ſibi delatum committere & acceptaret orneamēta vt vocant vel ipſe obire, vel ſpectare 464.1.c.2.a.b.c.465.1.a
Beneplaciti voluntas. 1293.2.b.& 1299.2.c
Beneuolentia & amicitia differunt 208 2.c
Benedictonarii 1032.1.b
beneuolentia 198.2.a
beneuolentiæ Dei multæ ſpecies 1611 2.c
Benignitas quid 183.2.c.
benignitas quid 203.2.b
Bergenſis conuentus 1538.2.c
Bernardi locus de Papa Romano & Antichriſto 1056.1.b.c
Bernardi de hominis voluntate ſententia 66.2.b
Beſtialitas quid 148.1.c
Beſtiæ imaginationem ſiue phãtaſiam & Memorias habent 631.1.a
beſtiæ quid 375.1.a
beſtiæ alias beſtias vocantes ſunt ὀλιγοτόνοι 374.1.c
beſtiæ numerũ 666. ſuis characteribus reddit dictio lateinos 1055.1.a
בצע Hebræis quid 541.2.b
Bibliorum cremationis qui accuſentur. 676.1.c
Bilinguis quid 420.2.b
בינה Hebræis quid ſit 52.2.a.b
Bina & ſibi contraria, Vtrum in prima rerum creatione fecerit Deus 263.2.b
Biſemutum 314.2.a
Bitumen quid 311.1.a
Blaſphemia quotuplex 112.2.b
de Blaſphemia 112.2.a
Boemi miniſtri obſeruant Cælibatum 458.1.a
Bohu quid notet in Scriptura 247.1.c
Bonum quid ſit 56.2.b
bonum duplex 57.1.c
bonum duplex integrum & vitia tum 756.2.c
boni diuiſio quadruplex 1296.2.c
boni quatruplex ſignificatio 1296.2.c
bonum electionis 57.1.c
bonum aliquid qua ratione dicitur 757.1.b
bonum conditionis 57.1.c
bonum multi vt Iudas faciunt ſed omnino illis non proficit 1299.1.a
bonum & malum quæ ſunt inter ſe cōtraria, ſimul in eadem re eſſe poſſunt 758.2.a.b.c
Cur hæc oratio. Et vidit Deus quod eſſet Bonum, in aliquarum dierum vti ſecundæ diei opificio prætermiſſa eſt 263.1.a
bonum eſt quicquid eſt & quomodo 632.1.c.
bonum malum affirmare non eſt idem bonum eſſe & malum 756.2.b
de Boni natura liber Auguſtini 640.2.a
boni & mali humanum iudicium peſſima trutina 858.1.a
boni ſignificatio triplex 57.1.c
boni prima & ſola cauſa eſt Dei bonitas 771.1.c
boni ſignificationes tres 261.2.c
Ex Bono malum quo modo oriatur 659.2.b
ex Bono malum oriri verum eſt 759.1 B.2.b
bona cur diſertè dicantur fuiſſe quæ creata erant. 263.1.c
bona vnde 640.2.b
bona tantùm ſunt in Deo 1261.2.c
bona Dei contemptui habentes tertii præcepti rei tenentur :14.2.c
bona facere & mala vitare cum nō velit hoc ab omnibus impleri, cur omnibus præcipiat Deus 1300.
Bonorum & malorum poſt Iudiciũ vniuerſum duo erunt cœtus 887.1
Bonifacij octaui Papę ambitio 1056.2.a
Bonitas ſapientia, iuſtitia, non eſt in Deo qualitas vt in homine ſed eſt ipſa eius eſſentia 752.2.c
bonitatis actionis humanæ definitio 59.1.c
bonitas Sp.S. tribuitur 1256.2.a
Brentius ſibi non conſtitit 1484.2.b
Cur Bruta ante hominem condita 373.1.a.b
Brentius Vbiquepræſentię fundamenta iecit 1347.b
brentianam effuſionem vt blaſphemã damnauit Kemnitius 1347.1.c
Breuitas Laconica Chriſtianos Theologos decet 462.1.b
Bubo quid 369.1.a
Bubones 369.2.c

C

CAecitate cur Mundum Deus puniuerit 1089.2.a
De Cane 376.1.a
Caniſtæ 914.1.b
Ceremoniarum veteris Teſtamēti veritas ad nos pertinet 634.2.c
Cædes quid 196.2.a
De Cæremoniis Iudaicis falſa arg.f.34. col.2.a.b
Caini vnde dicti eorúmque errores 935.2.c.936.2.b.c
Caligula ſe pro Deo coli voluit 1056.2.b
Diocletianus ſe pro Deo coli voluit 1056.2.b
Calor naturalis à calore cœleſti eſt 271.2.b
Caluinus contra Valent. Genti 2229.2.c
caluinus de Coornhartio 1623.1.b
Calumnia quid 206.2.c
Campe 359.1.c
Canonici & Regulares qui dicuntur 483.1.c
Cancri 358.2.b
De Cantu Eccleſiaſtico 618.1.b
Cantorum ordines tres 618.2.b
Capernaitæ 1040.1.c
Capita ſeptem quæ Romano Imperio tribuuntur 1059.1.a
De Carbone candente examinata ſimilitudo 1493.2.b
Cardinalium inſtitutio 1087.2.c
cardinales Regibus pręire debere ſanciuit Papa 1056.2.c
Carnis in ſcriptura diuerſæ ſignificationes 11.1.c
carnis ſignificatio 419.1.a
carnis vox ambigua 793.1.c
caro in Sciptura quid 356.2.b
caro Chriſti 711.1.a
caro quid 696.2.c
Caro quid 475.1.b
caro & ſanguis Regnum Dei nō poſſidebunt quid ſignificet 634.1.a
Carpocratiani vnde appellati 923.2.b
Carpocratianorum errores 924
An liberos ſuos & ſeruos Caſtigare poſsit

poſſit Epiſcopus 464.1.c
Caſtigationes Dei quales 630.1.b
Caſtitas virginalis & Nuptialis 651.1.a
caſtitas quid 200.2.a
caſtitas in matrimonio 143.2.b
Cataphryges vnde dicti 946.1.a
Cataphrygum errores 947.1.c
Cataphrygum & Encratitarum hæreſis de nuptiis 458.2.c
Cathari hæretici 605.1.c
cathari cur ſic dicti 957.2.c.eorum errores 958.2.c
Catholica Eccleſia particulari præferenda 630.1.c
Catholicorum & Hæreticorum diſcrimen 629.2.a
Catholicæ Eccleſię cur potius credendum quàm Manichæis 630.2.c
catholicæ doctrinæ & Hæreticæ receptio diuerſa 630.1.a
Catholici authores audiendi 630.1.b
Cauillatio quid f.7.col.2.c
cauillatio hæreticorum vnde oritur f.7.col.2.c
Cauponatores verbi tertio præcepto damnantur 114.2.a
Cauſæ actionum noſtrarum ex Ariſtotele 71.2.a
Cauſa adiuuans quid 26.1.c
cauſa efficiens humanarum actionum quæ bonæ vel malæ dicuntur 60.2 b
cauſa quid 25.2.c
cauſa neceſſaria quid 26.1.b
Cariem non ſentiunt Cedrus,Ebenus cupreſſus 327.2.c
Celeſtius Pelagio contemporaneus 691.2.b
Cenſura Eccleſiaſtica 489.2.b.c ad quos pertineat
Vtrum vbi Chriſtianus eſt Magiſtratus, cenſura Eccleſiaſtica eſſe debeat 41.2.c
Cēſuræ Eccleſiaſticæ 843.2.c.844.1.a.b.c
cenſura Eccleſiaſtica 725.2.c
cenſura pars poteſtatis clauium 510.2.c
Auguſtinus de Cēnſura Eccleſiaſtica 491.2.c
Ceraſta 359.2.a
Cerdoniani vnde dicti 939.1.a.b
Cerdonianorum errores 939.2.c
Cerinthi Hypotheſes 925.2.a.b
Certamen bonum 545.1.a
De Ceruo 376.1.a
Cerinthiani vnde dicti 925.1.a.b
Ceti 358.2.c
Chalcolibanum quid 313.2.c
Χαριεντισμὸς quid 426.1.c
Charitas 544.2.a
charitas quid 416.1.a
charitas maior eſt fide 1. Corinth.13. 13.f.11.col.2.b.c
charitas quid 1191.1.c.& deinceps
charitas vtrum augeatur 1185.1.c. & 2.a & deinceps
charitas vera omnis eſt à Deo 1187.2.c & 1188.1.a.b
charitas in nobis eſt fructus Sp.S. non ipſemet Sp. 1191.1.c
charitas, & Amor generaliter & ſpecialiter ſumuntur fig.EEe.col.22.c.
charitas eſt motus animi 1191.1.c
charitas homines ſpectat 415.2.b
charitas 661.2.b
charitas ſumma omnium præceptorũ 96.2.a
charitas quid & eius adiuncta 435.2.c
charitas finis legis & Euangelij 896.1.a.b.c.2.a.b.c
charitas duo ſpectat 856.1.c
Charitatis & modeſtiæ Paulinæ ſingulare exemplum 413.1.c
charitatis effecta 419.1.b.c
charitati ſubiicit Paulus zelum ſiue Spiritum. 487.2.a
De Charitate 891.1.a.b.c.2.a.b.c
charitatis elogia 183.2.b
charitatis Chriſtianæ effectus 850.1.a
Chazinzarij qui 1024.1.b
Chiliaſtæ è Cerinthianis orti 925.2.c
Chriſtus Emmanuel noſter 446.1.b
chriſtus quis 682.1.c
Cur chriſtus appellatur Dominus 414 2.b
chriſtus quomodo Dominus dicatur 512.1.a
Cur chriſtus homo & ſine peccato 794.1.a
chriſtus cur & vnigenitus & Primo genitus 640.1.a
chriſtus quomodo prædicatus Gentibus 475.2.c
chriſtus qui λόγος ſiue ſermo Dei eſt, vt eſſet noſter apud Deum Mediator carnem aſſumpſit ex virgine Maria 790.1.a.b c
chriſtus quomodo turbas pauit 469.1.c
chriſtus an conſeruus noſter eſt 1552.1.c
chriſtus quomodo ſeipſo & maior & minor eſt 1552.2.b
chriſtus aſſumpſit carnem humanam an bene dictum. 1552.2.c
chriſtus ſalutis naturæ finis & materia 415.2.b
chriſtus an inuocandus 574.1.a
chriſtus qui natura vtraque vera, diuina nempe & humana conſtat vnum tantum eſt ὑφιστάμενον 794.2.a.b.c
chriſtus quomodo & cur factus ἀναμάρτητος. 800.1.b
Quomodo chriſtus ab Angelis viſus dicatur 475.2.b
chriſtus cur paſſus 639.2.a
chriſtus quomodo liberator noſter eſt 1619.2.c.1620.1.c
Chriſtus vt adoretur vel inuocetur 1446.2.a.b.c
chriſtus vt homo fieret, nullis humanitatis, ne illius quidem quæ in ipſo Chriſto fuit meritis factum eſt 798.2.c
chriſtus è Spiritu ſancto quomodo natus 866.1.a.b.c.2.a.b
chriſtus ſine peccato natus 807.1.b.c
chriſtus quomodo peccatum factus eſt 807.2.c
chriſtus nec pro bonis nec pro malis Angelis eſt mortuus 838.2.c
chriſtus vtrum vitam habet à patre, & illam perſonaliter depoſuit in carnem aſſumptam 1383.2.c
Vtrum chriſtus quà tantum Deus eſt noſter Mediator ſit 446.1.b
chriſtus an ſecundum vtranque naturam præſens eſt in Eccleſia & ſacra Cœna 1450.1.A vſque ad 1456
chriſtus quomodo ex Spiritu ſancto conceptus, & eius filius tamen non ſit 803.1.b.c.2.a.b
chriſtus poſt vnionem habuit & retinuit veram humanam naturam, & in illa ipſa reſurrexit 1369.1.a
chriſtus habet verum corpus humanum 1570.1.c
Vnde chriſtus Deus eſſe intelligitur 437.2.c
chriſtus noſter Mediator & apud Deũ reconciliator & cur 789.1.a.b
chriſtus cur Baptizari & mori voluit 820.1.c
chriſtus eſt ſacrificium noſtrum 808.1.b
chriſtus cur è virgine factus 641.2.b
quod chriſtus pateretur & moreretur vtrum placuerit viris bonis 1302.1.c
chriſtus quatenus patri ὁμοούσιος 574.1.a
chriſtum Deum eſſe & vere hominem fuiſſe negant Manichæi 628.1.b
De chriſti Donis hyperphyſicis 1432.1.c
chriſti humanam naturam reipſa participem ipſius eſſentialis λόγου omnipotentiæ facit Kemnitius 1438.2.b
chriſtum fuiſſe illum ſerpentem qui Euam & Adamum deceperit. Ophitarum error 286.1.b
chriſti corpus in ſtellis ligatum 628.1.b
chriſtum animas tantum ſua morte redemiſſe non autem corpora noſtra Manichæi putant 628.1.b
chriſti corpus an indigni percipiant 1592.1.c
De chriſto. 641.2.b.c
chriſtum filium Deo patri non eſſe ὁμοούσιον falſum Arria.arg.
An chriſto ſecundum humanam naturam propria Diuinitatis attributa competant 1435.1.c
chriſti humanæ naturæ num competit gloria increata & æterna 1435.2.a
chriſtum vt nos ſaluaret oportuit eſſe Hominem & Deum 883.2.c
De chriſto mediatore quæſtiones præcipuæ 791.1.a.b
chriſto ſecundum humanitatem num propria diuinæ λόγου naturæ ἰδιώματα ſeu æterna competunt 1436.1.b
chriſti erga nos beneficium duplex Mortificatio carnis noſtræ & vitę renouatio 69.2.c.70.1.a.b
An chriſti caro ſit in ſe proprium noſtræ adorationis Religioſæ ſubiectum 1551.1.b
chriſti cōceptionis mod° 801.1.c.2.a.b.c
De Corporis chriſti manducatione diſputatio 1477.2.b
chriſti carnis & noſtræ ſubſtantias in Cœna Domini non confundi 1568.1.b
Communicamus carni & ſanguini D. n. Ieſu Chriſti, non ipſius per ſe deitati 1573.2.b
chriſti promiſſio de Spiritu ſancto mittendo quomodo impleta 630.2.a
chriſti mors 634.1.c
An caro chriſti ſit incircunſcripta & tamen vera, id eſt vere humana caro 2241.2.c
chriſto homini gloria data quibus ſolet à Patribus vocari appellationib. 1445.2.6

christi & Moſis facies vtrum ſimili ratione ſplendeant 1406.2.c
christo quomodo vtamur 1578.1.b
An quia caro chriſti noſtræ recõciliationis ex parte eſt cauſa,ſequitur eã carnem eſſe adorandam 1449.1.c
De chriſto Ariani quid 647.2.b.c
De chriſto 6492.a.b.c
chriſtum fuiſſe ψιλὸν ἄνθρωπον dicebat Samoſatenus f.6.col.2.a
in chriſto habitare omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter an de de corpore ſiue de humana ipſius natura hoc intelligendum 1436.2.c.1437
Carnem chriſti ſedere ad dextram Dei quid ſit 2242.1.c
chriſtum filium Dei ſed adoptiuum tãtùm contendunt Bonoſiani 645.1.c
An Euectio humanæ Chriſti naturæ in ſummam gloriam facta ſit,quum ea cum λόγῳ Dei in vtero Mariæ perſonaliter vnita eſt 2241.1.a
E morte chriſti fructus 826.1.a
chriſti in vna perſona naturarum vnitarum περιχώρησις quid 1403.1.c
chriſtum humanam animam habuiſſe negantium Apollinariſtarum hereſis. 11.1.c
De chriſti vnitate cum Deo patre falſum Sabellianor.arg. 10 1.c
De chriſti generatione falſ.arg. 32. col.1.a
chriſtum filium Deum ex Deo patre genitũ quomodo negabant Aetiani 10.2.b
De chriſti Perſona 1567.1.b
à chriſto in nos quæ procedant 821.2.c
chriſtum deo patri quomodo falſò negant eſſe æqualem Ariani 10.2.c
chriſti corpus ſine fide ſumptum non eſt ſalutare 1592.2.a
chriſtum imaginariè paſſum volunt Manichæi 638.1.b
chriſtum Omnipotentem fateri quomodo oportet 1565.1.a
Chriſtum non natum , mortuum tamẽ volunt manichæi,& fauſtus 638.1.a
χρησμολόγοι qui dicti 380.1.a
an Chriſtiani Chriſto pluſquam Alcoranus & Mahumetiſtæ tribuant 2236.2.c
Chriſtianæ Theologię verus finis quis 481.2.b
An liceat Chriſtiano eſſe exploratori 173.1.b.
Chriſtiani & Pagani quid differunt 629.2.c
chriſtiano quomodo moriendũ 662.1.b
chriſtianæ religionis labes Antichriſtiano Regno ſucceſſura nulla prædicitur 1082.2.c
chriſtianis & Euangelicis vtrum in Antichriſtum bellum ſuſcipere liceat 1081.1.a
Quid de Chuſai Arachitæ exemplo ſentiendum 213.2.b
Cibus quomodo ſanctificatur 479.2.c
Quot modis Cibus ſanctificatur 480.1.a
Vnde Ciborũ,velut ouorum,vini,pernarum,aquæ,execrationes & incantationes quas Põtificij faciũt 480.1.a
Quare inter Cibos carnis non ſit mentio in creatione mundi 478.2.b
De Ciborũ legitimo vſu 479.1.b.c.2.a
Diſtinctio Ciborum per chriſti aduentum ſublata 479.1.a
Cuius ſit leges de Cibis præſcribere 478.1.b.2.a
Bonitas Ciborum quo pertineat 479.1.c.& quotuplex ea ſit
Cicadis & Locuſtis quoſdam victitaſſe probatur 371.2.a
Ciconia 369.1.a
Vtrum Circuli pars vna ſit inferior altera ſuperior 254.1.b
Circumcelliones qui 655.1.b
De Circuncisione arborum quæ olim Iudæis præcipiebatur 328.2.b
Circumincеſſio Perſonarum quid ſit, 1202.2.c.& 1203.1.a
circuminceſſionis Perſonarum cauſſa 1196.1.c.& 2.a.& deinceps & 1202.2.a
Circumſcriptibilis eſt & Spiritus & corpus diuerſis modis 1266.2.b
Circunſtantiæ in omni actione ſeptem ſpectantur 53.1.a
Ciuitas & patria vtrũ diligenda.127.1.c
ciuitatis cuſtodia ſufficiẽs quæ 460.2.c
Clamor 196.1.b
Claudij Sanctij de rebus Euchariſtiæ repetitio 1329.1.c
Clementia quid 195.1.c
Cleobiani 914.1.b
Coactio violentia & neceſſitas diſtinguuntur. 55.1.b
coactio tantum dicitur in animatis & propriè in homine qui voluntatem habet. 55.2.b
Cæciliani excuſatio 667.2.b.c
Cur cœleſtia corpora tot & tanta cõdita ſint 344.1.a
De rerum Cœleſtium quæ ſunt viſibiles materia 250 2.a
Corpora cœleſtia nõ eſſe immateriata 335.1.b
corpora Cœleſtia alia ex ſeipſis non gignunt 335.2.b
cur Cœlum cœleſtia non gignit , vt terra terreſtria , Aqua aquea producit 335.2.b
Cœleſtium corporum conditio & natura præ terrenis excellens 335.c
Cœleſtia corpora non ſunt animalia 337.2.c
Quomodo corpora Cœleſtia condita ſint in expanſione 334.2.b
Quarum rerum ſigna ſint corpora cœleſtia 347.1.a
Ex ſignis cœleſtibus intra annum futura non poſſunt pręnuntiari 347.2.c
De Motu cœleſtium corporũ ac cœli ipſius 340.2.a
cur corpora cœleſtia ante omnia animalia ſint condita 333.2.b
Quare cœleſtia corpora primum non fuere creata 333.1.a
Quæ ſit ſignificatio corporum cœleſtium 346.1.a.b .c
Cœlibatus peruerſa admiratio 458.1.a
De Cœlibatu graues concertationes 460.1.a.b.c.2.a
Cœlibatus 650.2.c
Cœli quomodo definiendi 1569.2.c
Cœlum quid 581.2.b
De Cœlo extimo quod & quale ſit 337 1.b
An cœli extimi materia ſit chryſtallina 337.2.a
cœlum vnde dicatur στερέωμα 337.2.c
Cœnæ Inſtitutionis verba quare recitantur 1563.2.a.b
In cœna de ſanguinis cum corpore concomitantia 19.col.2.c
In cœna ritus obſeruati quid proſint 1591.1.
De cœna Domini 1498.2.a
In cœna quomodo Chriſtus præſens 1592.1.b
cœna Domini quid 1479.2.a 1499.1.c
cur de cœna præſertim non tractauit in ſuo Enchiridio Auguſt. 735.1.b
Cognitio Dei per creaturas,& earum cum Deo comparatione ſig.BBb. col.22.& dein.
Cognoſcitur Deus ex mundi creaturis ſig.CCc.col.5.b.c.viſibilibus
cognoſcitur Deus ab omnibus hominibus per viſibiles creaturas col. 6. a.& dein.ſig.CCc. col.9.& 10.b.c.& deinceps
Cogitationum quot gradus 179.1.a.b.c 2.a
cogitare eſt minus quã cupere 178 2.c
An Cogendus quis vt recte viuat aut ſentiat 526.1.b
Coitio quid 209.1.b
Colarbaſij & eorum dogma 934.1.b
De Colocynthide 325.1.c
Coli non vult Deus præmii ratione 322.1.a
Color candidus vnde 322.1.a
color Ruber vnde 322.1.a
color ater in ſtirpibus vnde 321.2.c
color croceus vnde 321.2.c
color violaceus ſeu Pupuraceus vnde 322.1.a
color viridis in ſtirpibus vnde 321.2.c
Colloquia Orthodoxorũ cum Lutheranis 1486.2.c
Columba 369.1.b
Columna & ſtabilimentum veritatis quid 473.2.a
Coluri quot 306.1.a
Coluthiani cur ſic dicti 992.2.c.Erroris eorum caput 993.1.b
Comeſſatio quid 200.1.a
Comitas quid 197.2.b
Quos Cõmendemus videndum 514.1.a.
Communicationis Idiomatum quæ ex hypoſtatica vnione in perſona Chriſti conſequitur primus gradus 1423 1.b
Communia quomodo ſint omnia 153 2.a.b
Communicatio Κοινωνία quid 203.1.a
De cõmunicatione carnis Chriſti fruſtulatoria 1574.1.b
communicatio realis à communicatione Idiomatum quid differat 1421 2.a.b
communicatio noſtra cum carne, & ſanguine Chriſti merè ὑπερφυσικὴ eſt 1573.1.a
Ad Communicationis gradum ſecundum probandum exempla quæ 1427.2.b.c
Communicatio carnis Chriſti quomodo fit. 1537.1.a

De

de Communione ſanctorum 1610.2.c
Comparationis gradus non ſemper χεπικῶς ſed ſæpe θετικῶς tantùm ponitur 668.2.b
Conciliorum Ius 673.1.b
Concluſio vitioſa quot modis fiat 32. col.2.a
Concordia quid 183.2.a
concordia quid 198.1.c
Concomitans quid 30.1.b
Concubinatus 650.2.a
De Concubitu cum Dæmonibus 148.2.b
Concordia in Sp.ſancto 1244.1.a
Concupiſcentia 705.1.a
de concupiſcentia 697.2.a
concupiſcentia 710.1.b.c.2.a
concupiſcentia 769.2.c
concupiſcentia 700.1.b.c
de concupiſcentia 696. .c
concupiſcentias pro peccatis non agnouerunt Philoſophi 177.1.a
concupiſcentia quid 178.2.b
de concupiſcentia carnis 707.2.c
de Concubinis 145.2.c
Inter Concupiſcentiam formatam & informem diſcrimen 177.1.b
Concuſſio quid 201.2.b
Condemnatio à Paulo facta aliquot Eccleſiarum quid 1484.1.a
Conditio noſtra futura eſt melior quã Adami erat ante reſurrectionem 822.2.b
conditio ſeruilis non impedit quominus quis pro fratre habeatur 418.2.c
Condonatio 197.1.a
Confeſſionariorũ preces quales 613.1.a
de Confratriis 107.1.b
de Congruo & condigno 177.2.b
de Coniugibus 650.2.a
Coniugij fines 858.2.a.b
de Coniugio à Iunioribus viduis ineundo canon generalis 503.2.b.c
de coniugiis adulter. ad Pollentium 652.2.a
coniuges manent qui ſunt tamen ſteriles 650.2.a
coniugium 650.2.b
coniugij vſus 650.1.b
coniugium propter quid 650.1.c
de coniugali Bono contra Iouinianum 650.1.a
de coniugio 650.1.a.b
de deſertione Coniugij 652.2.a
An deſertor Coniugij vir expectandus 149.2.a.b.c
Coniugatæ muleres 651.1.c
de Coniugio ſeu Matrimonio 478.1.b
coniuges quæ in Ieſuitarum ordinem inuitis maritis volunt cooptari 495.1.a
coniugium carcerem vocant Manich. 640.1.c
Conniuentia quid 197.2.a
Coornhartius linguarum imperitus 1623.2.c
Ad Coornhartij Epiſtolam Danæi Reſponſio 1622.1.c
An cum Conſanguinea miſceri liceat 144.2.b
Cõſanguinitas minus latè patet quàm cognatio 145.1.b
Conſcientia Cauteriata quid 477.1.b
conſcientiarum dominus & legiſlator vnus 1063.1.a
conſcientia bona quid 440.2.b.c
conſcientiæ eius propriæ cum quo diſputamus appellatio 38.2.a
conſenſusSancti finis quotuplex 181.2.a
conſenſus hominũ finis quotuplex 182.2.c
Conſenſus ficti finis quotuplex 183.1.a
Conſilij diuini inſcrutabilis nobis ratio 876.2.c
Conſilium 1292.1.a.& dein.
conſilium à voluntate Dei cur diſtinctum 1294.1.c
Conſolatio 206.2.b
de Conſubſtantiatione nullibi Chriſtus 1500.2.b
Conſuetudinis quanta vis 860.1.a
error Conſubſtantiatio 1563.1.a
conſubſtantiatio vnde hauſta 1573.1.c
conſubſtantiatio vnde 1525.2.b
conſubſtantiatio quid 67.2.c
conſtantinus magnus edicto publico templa idolorum claudi iuſſit 1070 2.b
Conſtantini magni ementita donatio 1071.1.a
contemplatio nuda quid 435.1.a
contentio ἐρίθεια quid 196.1.b
contingẽtia rerum quomodo tolli dicatur & concedi 1276.1.a
contingentia an ſit in rebus præteritis 1276 .2.c
continentia quid ſit ſententiariis 90.1.c
contradictiones ſcriptoris libri de viſibili Eccleſia 1608.2.a.b.c
contrariæ in ſpeciem quædam ſententiæ 717.2.a
contradictoria non facit Deus , &, cur 1286.2.c.& dein.
de Contractibus 169.1.c
vtrum Contractus & ſocietas locum inter Chriſtianos habere poſſit vt alter tantum operam ſuam conferat alter pecuniam 159.1.b
conuitia Petiliani in Auguſt. 662. 2.0. 663.1.b.c
Contumelia dicto facta 173.1.c
contumelia facto 173.1.c
contumelia ſcripto 173.1.c
contumelia quid 166.2.c
contumacia quid 194.1.a
contumelia quid 138.2.c
contumelioſorum genera 137.2.a.b.c
contumelia quid 205.1.c
an Contumelioſè dictum à patre vel patrono in filium vel libertum prohibeatur 9.præcepto 166.1.a
conuictus vis & efficacia 209.1.a
conuitium quid 138.2.c
conuitium ſiue maledicentia quid 196.1.c.
conuitium & contumelia quid differant 138.2.c
conuitium λοιδορία quid 206.2.c
De Coralio & ſuccino quod in mari reperitur 300.1.b
corpus Domini quomodo in Cœna percipiendum ex ſententia Selneceri 1555.1.a
Corpus Chriſti in cœna eſſe reipſa an credendum 1557.1.c.1558.2.a
corpus nouũ in Cœna neq; fingitur neque de Cœlo verborum ſono detrahitur 1589.1.c
corpus Chriſti an in panem includatur 1589.1.b.c
corpus Chriſti præſens quomodo fiat an inquirendum 1556.1.c
corpus Chriſti præſens adeſſe ſine ſuo ſanguine nuſquam poteſt 1574.2.a
corpus Spiritale quid 634.1.a
accipite edite, hoc eſt corpus meum, quomodo conſiderandum 1556.2.b.c
an à corporis Chriſti ſubſtantia abſtractum aliquid ad nos illic in cœlo conſtitutos per Cœnam deriuetur 1579.2.b
Corporum cœleſtium οὐσία qualis ſit 336.1.c
De Corporum Cœleſtium in hæc inferiora influentia 345.1.c
Corpora noſtra corpori Chriſti σύμμορφα erunt 1569.2.b
præſentia Corporis chriſti in cœna ſacramentalis eſt 1589.1.a
de Corporum cœleſtium loco 333.2.b
quid ſupra cœlos & cœleſtia Corpora ſit atque inhabitet 334.1.a.b
corporum beatorum è mortuis excitatorum conditiones quatuor 868.2.a.b
carpocratianorum hypotheſes 924.1.b
corporis eſſentiales proprietates veris corporibus cõpetunt 1569.1.c
corporalis exercitatio quid 482.1.b
corporum cœleſtiũ diſtincta quot ſint ſpatia 339.2.a
in Correctione vitia quæ fugienda 676.2.a
de Correptione 724.1.b.c
correptio 725.2.a
corruptio neque vllũ vitium quoque locum habet,vbicunque nullum eſt amplius naturæ bonum 755.2.c
corruptio iuſta Dei voluntate fit 632.1.a
corruptio ſumma quę 640.2.b
Coruus 369.1.c
Crapula quid 199.2.c
Creare quid 752.2.c
creare quid 642.2.a
creat adhuc multa noua Dominus videlicet hominum animas quotidie 264.2.b
creaturarum corruptio quid Auguſtino 755.2.b
vtrum deus ſolusCreauit omnia 242.2.a
Creatura nulla adoranda 575.1.b
de rerum Creatarum origine & vſu Ambroſius 224.1.b
creaturas quot modis amat Deus 1611.2.c
creatura omnis eſt multiplex ſig DDd col.21.c.& 6ol.22.a.b
creaturę non pares à Deo factæ 631.2.c
creaturæ inanimæ quomodo bonæ dicuntur 640.2.b
creatura omnis vnde & qualis 640.1.a
creatura quid 234.1.c
creaturarum nomine etiam accidentia intelliguntur 234.2

De creatione corporum Cœleſtium 333.1.a
Inter creare & generare diſcrimen 243.1.c.2.a
creaturarum inter ſe differentiam dupliciter ſtatuit Auguſt. 833.2.a
creaturam nouam fieri quid ſit 786.2.a
creaturarum omnium cauſa prima & ſumma efficiens eſt Dei bonitas 751.2.a
creaturę omnes, licet bonę, tamen non ſunt incommutabiliter bonæ 755.1.a.b
creare quid propriè ſit 243.1.b
De rerum Creatarum origine & vſu Baſilij Hexamer 223.1.c.2.c.224.1.a
Quid ad res poſtea Creandas à Deo primum creatum & conſtitutum 246.1.b.c.2.a.b.c
Credi quædam ſine temeritate quæ tamen non intelligātur ſimilibus duobus demonſtratur 629.2.b
credendum cui potius Eccleſiæ an hæreticis 630.1.a
credendum Deo licet ratio noſtra reclamet 1500 2.b
credere oportere eos qui ad Chriſtum accedunt, etiam ipſis hæreticis hortantibus 629 2.c
Quomodo Deus Creet, Baſilius 242.1.c
Quomodo Pater Creet 242.1.b
Quomodo Filius Creet 242.1.b
Quomodo Spiritus Creet 242.1.b
contra Creſconium Grammaticum Liber primus Auguſt. 664.2.b
contra creſconium Grammaticum Liber.2.Auguſt. 665.2.b
Crucifixio Chriſti, ſepultura, reſurrectio, Aſcenſio in cœlum, ſeſſio ad dextram Patris quid oſtendant 825.1.c.2.a.b.c
Crudelitas quid 192.1.a
crudelitas tyrannorum in Chriſtianorum ſcripta 413.1.b
Cultus dei in Romano Imperio 1060.1.c
cultus hominum & veſtitus Romæ olim duplex fuit 1061.1.c
Cupiditatem eſſe radicem omniū malorum negant Manichæi 633.1.b
Cura Deo de bobus 1275.2.c
Curioſitas 3.præcepto damnata 114.2.c
curioſitas quid 205.2.a
Cynædi vnde dicantur 148.1.b
Cypriani authoritas 666.2.c.668.1.a

D

DAemones metallorū effoſſoribus ſeſe obiiciunt 315.1.a
Dagon Palæſtinorum Deus ſolus inter omnes Deos à piſce nomen ſumpſit 357.2.b
Damnum quid 202.1.c
damnare & excommunicare differunt 1538.1.c
damnari quoſnam eſt iniquum 1480.2.a
damnati ſunt omnes in Adamo at omnes in Chriſto renati, liberati ab ea damnatione 822.2.a.b.c
Daniel quomodo adminiſtrabat negotia Regis Babyloniorum 469.1.c
Datum & donatum vt dicatur Sp.Sanctus 1240.2.c
datur Filius à ſeipſo 1178.1.a
dare Spiritum ſanctum qui poſsint 1174. 2.c. & 1175. 1.a. & deinceps. item 1176.1.c
Vtrum Dauid recte fecerit cum ſtultitiam ſimulauit 174.1.c
Debitum quid 604.1.c
deboræ & oldæ exempla qualia 451.2.a.b
decalogi diuiſio duplex 99.2.a
de Decalogo 1042.1043.1044
decorum & priuatim & publicè à mulieribus ſeruandnm 450.1.c.2.a
decorū in conuentibus 4.pręcepto cōmendatur
δέησις προσευχὴ, ἔντευξις ἐυχαριςία quomodo differant 442.1.a
definitiuè eſſe in loco 1264.1.c.& 1268.1.b.c.
deitæ qui 103.1.a
deitatis λόγȣ plenitudinem, & eſſentialem deitatis gloriā potentiā & cæt. fuiſſe realiter communicatam naturæ à λόγῳ aſſumptæ ſimilitudinibus varijs oſtendere conatur Kemnitius 1390.1.c. & 1394. 1.c. 1398. 1. b. 1400.2.c
de deitatis eminentia patrum ſententiæ 1316.1.c
deitas Chriſti qua ratione dicatur viuifica, vel viuificatrix 1420.1.a
deitatis plenitudo, & ea ipſa poteſtas, maieſtas & vita, quæ eſt in deitate λόγȣ eſſentialis, vtrum ſit per vnionem hypoſtaticam realiter humanæ naturæ Chriſti communicata. 1386.2.a.b
deitas abſolutè conſiderata quid 1356
deitas relatè conſiderata quid 1356.2.c
deitatis actiones quomodo Chriſto cōmunicatæ 2240.1.a
deitas fontalis 1236.2.b
deitas quomodo ineſt ſanctis 1381.2.b
deitas quomodo eſt in Chriſto. 1381.2.c
delictum quotuplex 509.2.b
delphini 358.2.c
depoſitum inficiando an fiat furtnm 158.2.a
deſidia vtrum furtum 158.2.b
de deſertione eccleſiæ 663.1.a.b
detractio ſiue obtrectatio quid 206.2.a
detractores qui 173.2.b.c
omnia à Deo creata eſſe bona non tamen incommutabiliter, neque ſummè, neque inter ſe æqualiter 752.2.a
deus nihil malum creat 1607.2.c
deus manifeſtatus in carne qui intelligatur 474. 2.c.475.1.a
deus facit mala pœnæ, non autem mala culpæ 634.2.a
an Deus non vult mala fieri 1297.2.c
deus quomodo viſibilis & inuiſibilis 634.2.a
deus vtrum aliquid poſsit, niſi quod facit aut fecerit 873.1.b
deus eſt creator κτίσεως 233.1.a
vtrum Deus die ſeptima quieuit 119.1.b
dęos plures non eſſe ſign.DDd. col.20.a.b.& deinceps, & ſig. nEEe. col. 3.a
deus verè eſt ſig.BBb.col.11
deus eſt charitas quomodo intelligatur 1165.2.c.& 1166.1.a
deus vbi erat ante creaturas 1264.2.c. & deinceps
deus de deo vt intelligendum 1230. 1.a & 1232.1.c.& 2.a.& dein.
deus eſt in rebus omnibus vt dicatur 1264.1.b.& deinceps & 1270.1.a.& deinceps
deus meliora facere vtrum poſſit quæ fecit 1289.2.a.& 1290.1.c.& dein.
deus eſt incommutabilis ſig.DDd.col. 18.c. & deinceps & col. 20. a.& deinceps
deus eſt in Sanctis 1264.2.b
deus eſt nec volens, nec nolens 6.ſig. DDd.col.9.c
de⁹ in nullo eſt prædicamēto ſig.DDd col.23.a
deus & ſua non differunt 1255.2.a & ſeq.& 1267.2.c.& ſeq.
Deus eſt Pater vt intelligendum 1230.2.b.c
deus non eſt triplex dicendus 1199.2.a
deus an ſciat ex tempore 1273. 2. c.& 1275.1.b.& dein.
deus vtrum iam poſſit, quæ potuit 1289.2.c
deus vt numerabilis, & vt non numerabilis 1308.1.a.b
deus ſubſtantia propriè non eſt ſign. DDd.col.23.b
deus non inquinatur à rebus 1265.2.1.c
deus eſt deus & deus eſt Perſona, vtrum idem ſignificent 1221.2.b
deus vbique quomodo 1265.1. c. & 2.a. item 1266.1.a.& ſeq.
deus multiplex dici non debet 1212.2.c.
deus cogit ad peccandum neminem 1272.1.c
deus charitas eſt, quid ſignif. 1184.2.c. 1187. 2. a. & ſeq. & 1191. 1. a. & deinceps
deus localiter non mouetur 1267.1.a.& deinceps.
deus non eſt autor mali 1297. 1.c.& deinceps
deus eſt ſolus verè ſimplex. ſig.DDd. & deinceps. col. 21.c. & colom.22. a.b
deus honeſtarum actionum noſtrarum cauſa quidem efficiens ſed nulla tamen pars noſtri 68.1.c
deus cur Zelotes & Iuſtus dicatur 633.2.c
deus mendax eſſe non poteſt 1353
quomodo Deus עשה & יצר vocetur 244.2.c
deus vtrum in omnibus à nobis ſit imitandus 119.1.a
deus dat nobis bonam voluntatem 60.2.c.
deus Manichæorum quis 641.2.a
deus non ſaluat inuitum 701.1.c

Deus Ignis conſumens cur dicitur 634.1.a.
deus non eſt malorum author 642.2.b
cur Deus & Angeli in teſtimonium producuntur.512.1.c.
deus qualis in ſeſe 641.1.c.
deus quomodo bonus 263.1.b.
deus quis 640.2.a
deus pater cur primus deinde filius eius Ieſ.Chriſtus nominatur 414.2.b. 421.2.b.
Deus homo,quæ voces ſunt 1357.1.b
deus de Deo phraſis Nicenæ Synodi primæ 2226.1.c
Cur Deus teſtis actionum noſtrarum vocatur 511.2.c
deus eſt homo,quomodo intelligendũ 1389.2.b
deus pollicetur ſe docturum ſuos.ergo miniſterio externo non eſt opus ineptum argum. 1612.1.c
deus quomodo ſit colendus 738.1.b
deus quomodo fuit in rubo & in templo Solomonico 583.1.b
deus ſolus non Angeli nouit ſaluandorum numerum 839.1.c
deus & eius effecta 646.2.c
deus vbique, enter, præſenter & potenter 582.2.b
Quæ externo Dei cultui ſubſeruiant 121.2.c
Hic Deus eſt homo hęc propoſitio quã ratione realis eſt 1419.2.a.b
deus& natura in neceſſariis nunquam deficiunt 63.2.b
deus vtrum aliquid poſſit præter id quod dicit 873.1.b
deus Iuſtus eſt ſiue damnet ſiue ſeruet 876.2.a.b
deus neceſſario bonus eſt non tamen inuitus 67.2.b
deos duos quomodo ſe conſtituere negent Manichæi 637.1.a
dei vocis ſignificatum 1357.1.b.c
dei Bonitas in quibus conſpicitur 632.1.a
dei vocabuli variæ acceptiones 546.1.a
De dei congreſſu cum gente tenebrarum 640.1.c
De cultu Dei & eius partibus 740.1.a.b.c.2.a.b
dei eſſentia quomodo videri poſſit 552.1.a
Quomodo Deus Pater ,Deus Filius & Deus Spir. ſanctus ſint regenerationis noſtræ cauſa 69.2.a
dei Epitheta 548.1.b.c.2.a.b.c.549.a.b.c.2.a.b.c
dei Omnipotentia vtrum latius patet quàm eius voluntas 873.1.b
à deo quæ 640.2.a
in deo tria potiſſimum Scientia,Potẽtia Voluntas 1260.2.a
de Deo non dicuntur omnia ſecundũ eſſentiam 1224,2.b.c
in deo omnia ſunt eius eſſentia ſign. DDd.col.23.c.& deinceps.
de deo fuit,eſt, erit vtrum dicatur, deo noceri non poteſt 639. .c
de deo multa per ἀνθρωποπάθειαν dicta 550.2.a
deum quo loco conſtituit Manichæus 630.2.c
deum cur oportuit eſſe Mediatorem noſtrum 792.2.b
deum quomodo vidit Abrahamus 551.2.b
deum & diabolum duo eſſe principia diuerſa & æqualia pariſque poteſtatis quomodo probare contendant Manichæi 6.col.1.a
deum legis non eſſe verum deum volunt Manichæi,idem Marciõ & Mahumetus 628.1.b
Deum vnum tantum eſſe non plures 1305.2.a
Deum mendacem faciunt manichæi 641.2.c
Deum eſſe corruptibilem manichæus aſſerit 639.2.a
de Deo manichæi blaſphemia 639.2.a
Deum malum quomodo falſo concludant Marcionitæ 10.1.c
Deum verum recte Deum Abrahami, Iſaaci,& Iacobi dici negant manichæi 637.2.c
Nullus Deorum ab aliquo piſce denominatus 357.2.b
diabolos hodie colunt Indi 575.2.b
Deorum diuiſio 575.2
Διὰ particulæ ſignificatio 453.1.c
diabolorum pœnæ 641.1.a
diaboli armorum genera duo 773.2.c
diaboli neceſſario iam ſunt rebelles nõ tamen inuiti 67.2.c
diabolum non peccare Manichæorum error 642.1.a
Διάκονος quid 469.2.c
Diaconatui ætas conueniens 467.2.c
diaconorum doctrina quæ eſſe debet 470.2.c.471.1.a
diaconorum duplex genus 471.1.b
diaconorum muneris perturbatio quãdo facta 471.2.a
diaconorum munus 471.2.b
durandus de Diaconis 471.2.c
examen Diaconorum 472.1.a
electæ Diaconiſſæ ſi poſtea nubant nõ excommunicantur vt hodie nonnæ 500.1.a
ornamenta Diaconiſſæ futuræ & eligendæ 499.1.b.c
præter Diaconiſſas,nullas mulieres habebat Chriſtiana Eccleſia 498.1.a
Cur ſexagenaria requiritur Vidua 498.1.b.c
vtrum hodie in reformatis eccleſiis retinere operæpretium ſit Diaconiſſas 501.2.b
an ſteriles poterunt eligi Diaconiſſæ 499.1.c
dialecticæ vſus 665.1.b
dialecticæ vſus in Theologicis 3.1.b.
vtrum Dialecticæ præceptis liceat vti chriſtianis 3.1.b.
dialecticæ ſcriptores aliquando bene aliquãdo male audierũt apud Chriſtianos 2.1.c
ſecundum quid Dictum quomodo limitetur 32.col.2.c
Διδακτικὸν oportet eſſe miniſtrum 462.1.c.463.1.c
Dies quid,& quotuplex 274.2.c
naturalis Dies quid 275.1.a
dies cur creatus 276.1.b
diei diuiſio in 24 horas 275.2.c
de partibus Diei 275.1.b
dies vt fiant à corporibus cœleſtibus 350.2.c.351.a.b
dies artificialis quid 275.1.a
cur primam Diei partem veſpere facit Scriptura 275.2.b
dies prima ſeu de luce & primum cur creata 270.2.b
quid ſecunda Die effecit dominus 278.1.a
dies tertia 295.1.a
dies quarta 332.2.a
dies quinta 351.1.c
cur dies Domynicus pro die Sabbathi à Chriſtianis cultui diuino eſt cõſecratus 118.2.a
Die Dominica operari num liceat 120.2.c
dilectio Patris & filij vtrùm per Spiritum ſanctum 1246.2.a.& 1248.1.a
diligentia in miniſtro commendanda 462.2.b
diluuii cauſæ 642.2.b
dignitas virilis 450.2.b
διψυχίας vitium 470.2.b
diſſidium 196.2.c
diſciplina Eccleſiaſtica quàm neceſſaria 509.1.b
diſciplina quæque ſuó authori credit 630.1.b
In diſciplinæ eccleſiaſticæ eſſentia nihil immutandum 490.2.c
diſciplina eccleſiaſtica duplex 509.1.c
diſciplina eccleſiaſtica toto genere eſt diſſimilis à ciuili 490.1.a
Dij tres non ſunt 1211.2.c
Diſciplina eccleſiaſtica omnino neceſſaria 489.2.c
diſcordia quid 198.2.a
diſcretæ Perſonæ an dicantur 1216.n.b 1.b.& 1218.2.a.& 1219.
diſpares & diuiſæ Perſonæ vtrum dicantur 1218.2.a
diſpoſitio dei 1258.& deinceps,& 1260.2.b
diſcretio quid 191.2.b
diſtinctio Perſonarum, & quomodo fiat 1306.1.c
diſtinctio eſt in Perſonis diuinis 1212.1.c.& 2.a b.
diſtinctio & diſtinctæ Perſonæ diuinæ vt dicantur 1216.2.a. & 1218.2.a,& deinceps.
Cur à Paulo quatuor Dimẽſiones nominentur cùm tantùm ſunt tres 253.1.b
Diuerſitas vt non ſit in Trinitate 1212.1.c.& deinceps.
Diuinari cur nõ poſsint futura 348.1.b
diuinatio ad quod præceptum referatur 105.2.c
diuinare quid 106.1.a
diuinatio quotuplex 106.1.b
an Diuinitatis λόγου eſſentialia dona, reipſa communicari Chriſti carni poſsint 1434.1.a.2.b

Diuiſio quid in dictione vel oratione 20.col.2.a
Diuitum virtutes 554.1.a.b.c
diuitum genus duplex 552.2.a
diuitum vitia 552.1.c.2.a.b.c.553 1.a.b.2 a.b.c
Diuitiis etiam abundare poſſunt pij 541.1.a
de Diuortio 650.1.b
Docitarum & Scepticorum ſententia 83.2.c
Doctrina vera ex ſolo Dei verbo metienda 1054.1.c
doctrina pietatis quid 535.2.c
doctrina Dei quid 533.1.a
doctrina quæ proponenda 486.2.c
Doctrinæ venenum quantopere cauendum 476.1.c.2.a
Dolus malus 201.2.c
Vtrum Dominis ſeruos occidere licet 131.2.b
Vtrum Dominis patribúſque liceat ſeruos emendare & caſtigare 131.2.c
In cœna Dominica quomodo ſacra Scriptura verbũ ſubſtantiuum (eſt) de pane & vino enuntiet Mat. 26.f.6. col.1. a.13.
Dominus vt de Deo dicatur 1240.1.c & ſeq.
Dominatio trium Perſonarum in res creatas æqualis 1305.1.c
Donabile quid 1195.1.b
per Donum dona dantur 1187.1.c
donum eſt , quod ſempiternè: datum, quod temporaliter datum eſt 1193.2 b.& dein.
donum Dei Spiritus vt dicatur 1191.2. a.b
donum, datum , & donatum , vt differant & dicatur Sp.S. 1193.2.b.& ſeq. & 1195.1.b.c
Donatiſtæ eorúmque origo,progreſſus & doctrina 653.2.c
Sacramenti Vim ex miniſtrorum dignitate male metiuntur Donatiſtæ 25.1.a
Donatiſtas ex proprio ipſorum teſtimonio refutat Auguſtinus 668.2.c
Donatiſtarum crudelitas 667.1.a.b
donatiſtæ quos ſuæ ſectæ defenſores vel ſchiſmaticos habuerint 996.2.b
donatiſtarum errores 997.1.b
donatiſtarum error de Eccleſiæ perfectione 1610.1.b
donatiſtarum Epiſcopi manus violentas ſibi inferunt 655.1.a
donatiſtarum error 443.2.b
donatiſtarum error 1070.1.a
Ducere quid 438.1.a
Durities quid 197.1.c
Doſitheani 914.1.b
Duo vt de perſonis Diuinis dicantur 1216.1.c.& 1218.1.c

E

EBioneorum error duplex 927.2.a 928.2.a
ebionei vnde dicti 927.2.b.c.2.a.b.c
De circuncisione falſ. Ebionitarum arg.35.2.c
Ebrietas quid 199.2.c
De Eccleſia 1028.1.a
Eccleſia quid 1608.2.b
Eccleſia quid 830.2.a
eccleſiam credimus nõ in eccle.831.1.b
eccleſia Dei vera quæ ſit 1069.1.a
eccleſiæ epitheta 1607.1.c
eccleſia eſt columba 1606.1.c
eccleſia vnica vinea Domiui 607.1.c
eccleſia Dei virgo & Mater 651.1.b
ſponſę Eccleſiæ ornatus quis 460.2.c
in Eccleſia viſibili an litera ſcripta prædicetur 1613.1.c
in Eccleſia viſibili an homiẽs nõ Dei, ſed ſuam ſtabiliant voluntatẽ 1613.1.b
de Eccleſia orthodoxa 670.1.c
eccleſia hic peregrinãs hominibus fidelibus conſtat 838.2.a
eccleſia hic ab omni peccato eſt redẽpta 838.2.b
eccleſia à Deo protegitur 838.2.c
eccleſia an errare poſſit 1054.1.c
eccleſiæ & Synagogæ diſcrimẽ 829.2.c
eccleſiæ totæ a quibus damnari debẽt 1486.1.a
eccleſiam Dei aliquam à mundo cõdito ſemper inter mortales extitiſſe 1604.1.a.b.c.2.a.b.c
eccleſię redituũ 4 pars Epiſcopo commiſſa pauperibus excipiendis deſtinata 462.1.c
in eccleſia Dei omnia ordine facienda 119.1.c
Paſtus Eccleſiæ quis 460.2.c
eccleſiæ duplex deſcriptio 473.2.b
eccleſiæ vera & vnica nota 472.2.c
papiſtarum error in Approbatione Eccleſiæ veræ 473.2.c
eccleſiam errare non poſſe falſo concludunt Papiſtæ 474.1.a
Eccleſiæ ætates poſt aſcenſionens Domini 1030.1.c.1031.1032.1033.1034. 1035.1306.1037.1038.1039.1040.
eccleſiæ de ſtatu inquiſitio quomodo peragenda 1029.1.b
eccleſia Dei qualis eſſe debet 651.1.c
In Eccleſiã nemo intrudat ſeſe 488.2.c
in Eccleſia Dei bonos cũ malis in hoc mundo iiſdem ſacramentis communicare 676.1.b
eccleſiam Dei fore in meridie,& in Africa refutatur. 676.1.b
de Eccleſia Dei in terris falſum Donatiſtarum arg. 6.col.2.c
De authoritate Eccleſiæ 122.1.b
An eccleſia vera Dei,abſolutè ſoli Deo nota ſit 1612.1.a
eccleſiæ viſibili pios ſeſe debere adiũgere 1610.1.c.probatur 4.argumentis
eccleſiæ cur fiat mentio poſt Trinitatem ratio triplex 830.1.c
eccleſia non dicitur fore infœcũda etſi quidam in ea ſe caſtrent propter regnum Dei 634.2.a.3
Vtrum ad Pauli normam Politia Eccleſiaſtica adminiſtrãda 472.2.b.c.473.1.a
Eccleſiæ cœleſtis ſtatus eſt ſtabilis & certus 832.2.c.
eccleſiæ viſibilis & inuiſibilis diſcrimen 1621.1.b
de Eccleſia Catholica 671.2.a
in Eccleſia boni & mali eſſe poſſunt 671.2.b
eccleſiam viſibilem ſpernentes 1608.1.c
eccleſia ex ſolo Dei verbo æſtimanda 1054.1.c
eccleſiã veram eſſe non colligitur ex perſonarum ſucceſſione 1054.1.c
eccleſiæ iudicia non debent eſſe temeraria 528.1.b
an eccleſiæ noſtræ viſibiles abutantur ſacramentis 1615.1.a
ab Eccleſia Dei quæ fuit ſub Moſe ad omnes Eccleſias ineptum arg. 1612.1.c
Eccleſia viſibilis Eccleſia rixis ergo nulla viſibilis quærenda ineptum arg. 1612.1.
eccleſia viſibilis an extet in terris hodie vlla 1609.1.c
eccleſiæ à paulo alicuius erroris damnatæ cur ſanctæ vocentur 1481.2.c
eccleſiæ caput Chriſtus 1028.1.a
eccleſiæ Apoſtolorum quotuplices 1612.2.b
eccleſiaſticorum ſententiæ de humanis viribus 63.1.c
eccleſiaſticorum ſcriptorum refutatio 64.2.c.
eclipſis & Solis & lunæ 342.2.a.b
echo quid 307.2.c
de falſis Edictis principum quæ ſupponuntur 168.1.a
AEdificatio eccleſiæ quotuplex 526.2.c
educatio altera natura 72.1.a
AEs in zonis ferendi prohibitio fuit Apoſtolis ſpecialis 634.1.c
Ἐγκράτεια quid 90.1.b
Ἐγκράτεια quid 84.2.b
Εἴδωλον quid 204.2.a
de Eieratiõe & abnegatione Dei. 112.2.a
Εἰκών quid 427.1.a
Εἱρμὸς quid 423.2.b
Εἰρωνεία quid 426.1.b
elceſei cur ſic appellati 952.2.a
eorum dogmata 953.1.c
Ἐκπορεύεσθαι quid 1173.2
de electione miniſtrorum 122.1.a
electio paſtoris quando celebranda 518.1.b
electio paſtoris quomodo celebranda 518.1.c
electio ſiue præſentatio paſtoris ad quem pertineat 516.2.b
vtrum præcepta de electione paſtorũ ſunt ἀδιάφορα 455.2.a
Spatium plebi conceſſum vt de electo paſtore iudicare poſſet 517.1.c
electio & deſignatio Paſtoris qua ratione ad totam Eccleſiam pertineat 516.1.c
ad Electionem paſtorũ debet magiſtratus fidelis aſſenſus accedere. 517.2.b.c
Presbyter in Electione Paſtorum populo præire debet 517.1.c
Eligentium Paſtorem quis eſſe debet animus 518.1.a
in Electione Paſtorum Eccleſia poſterioris exempla 517.2.b
An plures offerendi populo vt liberũ ſit eligendi ſuffragium 518.1.a
In Electione perſonarum eccleſiaſticarum quæ conſideranda 454.1.a
electus quando & à quo conſecrandus 519.2.b
de Electione Diaconorum primitiuæ Eccleſiæ exemplum 517.2.a.b
Electus ad munus Eccleſiaſticum debet aſſentiri 517.2.e
an in manuum impoſitione Electi caput tangi oporteat 519.1.c
Propter tumultum popularẽ Indignus non eſt Eligendus 517.1.b
Electionem ſequitur actio 52.2.a

eligendi homines & reprobandi poteſtatem Deum habere 717.2.c
electio animi quid 68.1.a
electio animi nõ tollitur neque omnis cõſultatio ſublato libero arbitrio 67.2.c
electio nobis eſt redicta duntaxat inter malum & malum vt hoc illi præferatur. 68.1.a.3
electionem noſtram ex ſolo Deo pendere multis rationibus impugnatur 718.1.a.b.c
de Eleemoſynis 849.2.a.b.c
eleemoſyna quid 203.1.a
eleemoſyna quibus nõ proſit 852.2.b.c
eleemoſynæ veræ cauſa eſt charitas 850.1.b
Correctio eſt Eleemoſyna & quotuplex ea ſit 852.1.a.b
eleemoſyna quanta eſſe debet 852.
eleemoſyna vera quam facimus nobis ipſi ſceleratæ vitæ commutatione, à quo accipiatur 856.2.b c
eleemoſynarum genera multa 851.c
Eleemoſyna duplex 851.2.c
Qui in eleemoſynam erogandi gratia rem alienam ſurripit vtrum fur cenſendus 157.1.b
eleemoſyna prima eſt ea agnitio noſtri, per quam nos miſeros peccatoros ſentimus coram Deo. 855.1.c
ex quatuor mundi Elementis 4 diuinationis ſpecies conſtitutæ 380.1.c
Elephas 376
Elizæi puerum mortuũ excitantis exéplum 715.1.a
elizæi ſepulchrum 448.1.c
ἑλλῆνες quid 102.2.c
eléchi hæreticorum quomodo depræhendantur 2.1.c
variæ Elenchorum appellationes 2.1.c
elenchus rerum à Lombardo mutatarũ AAa. col.19.c
elohim vox cur pluraliter ſumatur. BBb.col.22.b
empedoclis de piſcium creatione error 359.2.c.
enchiridion 886.2.b
enchiridion quid 741.1.b
enchiridii author 733.2.c
enchiridii vtilitas 734.1.c
encratitas, Cataphrygas, Montaniſtas, Priſcillianiſtas, Papiſtas, manichæos vt damnat Paulus 477.2.b
encratitæ vnde dicti 944.2.c
de non Entibus & de non apparentibus idem iudicium 1607.2.a
enunciationis fallacia quot modis ab hæretico fiat f.8.col.2.b
enunciationis vitia quotuplicia 8.col.1.c
Ἐπιούσιον quid 599.2.a
ἐπιφανησία fortaſſe legendum ἐπιφανεία, vel ἐπιφάνεια, vel ἐπίφασις 287.1.b
epimenides Cretenſiũ propheta 643.1.a
Ἐπιπλήττειν quid 492.2.a
epiſcopi vnde dicti 455.2.b
epiſcopatus Paulo quid ſit 456.1.a
epiſcopo futuro dotes neceſſariæ 456.1.b.c
Ex quib. cauſis Epiſcopi eligi prohibentur ex iiſdẽ electi deponũtur 456.1.a
epiſcopi munus 454.2.a
epiſcopi appellabantur Papæ 1064.1.a
priuilegium Epiſcoporum ſeu Paſtorum 508.1.a
epiſcopi cur habent Apicem pontificatus 454.2.c.
epiſcopi in vna ciuitate ne ſint vetitũ 454.2.c
epiſcopus quomodo πρέσβεις vocetur 516.1.b
quorum curam gerere debeat Epiſcopus 468.1.c
epiſcopi vtrum pro ſceleratis intercedere debent 139.1.c
Epiſcopi papiſtici deſcriptio 440.1.c
epiſcopatus eſt mandatum 440.2.a
vtrum Epiſcopi, vel Preſbyteri, vel Diaconi, qui aperte in aliqua ſcelera inciderint, fuerúntque propterea depoſiti, iterum eligi ad eoſdẽ, vel maiores vel inferiores gradus Eccleſiaſticos poſſint, ſi appareat eos verè pœnitere & vtiles Eccleſiæ eſſe poſſe 457.1.b
aptiores ad Epiſcopatum ſunt viri coniuges 466.1.c
epiſtolarum Paulinarum genus duplex 413.a.432.1.c
epiſtolæ ad Timotheum ſcribendæ occaſio 432.2.c
epiſtolæ ab amatore veritatis conſcriptæ exemplar 1620.2.c
Inter Ἐπιστήμην & τέχνην diſcrimen 51.1.a
Ἐπίζευξις quid 423.1.a
Ἐπίθετον quid 425.1.a
Epitheta quatuor Deo tributa 439.1.c
epitheta vel attributa Dei EEe. col.8.9.10.
ἐπιθυμία & ἐπιθυμεῖν quid 176.1.b
Equus quid 376.1.b
Eraſmi periculoſa annotatio 440.1.a
errare & falli ipſum per ſe ſemper eſt malum 765.1.a.b.c
errare etſi non ſemper eſt peccatum tamen eſt infirmitatis 76[illegible].2
error quid 765.2.a
Erroris non omne genus peccatum 766.1.2.a.
error quotuplex 766.2.a.b
erroris genera tria 629.1.b
error omnis malus non eſt 762.2.a
optima Erroris tollendi ratio quæ 478.1.b
erroris manichæorum comparatio 631.1.b
errores manichæorum 629.1.a
non Errant omnes qui aliquid neſciũt 762.[illegible].a
De Errore animi 173.1.a
Errorum omnium non eſt vna eadémque ratio 1485.1.a
errorum damnandorum ratio legitima 1482.2.a
Eſos piſcis pluſquam 300. annos plinio viuit 362.2.a
Eſſæi vel oſſeni 911.1.b.912.1.a
eſſeni 910.2.b
eſſe dicitur quidpiã tribus modis Scholaſticis 582.2.b
Eſſe ex Deo, & de Deo differũt 639.2.b
eſſe in Deo & per ipſum & ex ipſo idem ſunt 1261.2.c.& 1262.2.a.& ſeq.
eſſe per ſe competit ſingulis Perſonis. 1305.1.c
eſſe in loco definitiuè & circũſcriptiuè differunt 1268.1.b
Eſſentiæ definitio 1354.1.c
Eſſe de ipſo quid ſignificet 1262.1.c
eſſentia vtrum eſſentiam in diuinis generet 1307.2.c
eſſentia non generat eſſentiam in diuinis 1307.2.c
eſſentiæ diuinæ vnitatem ſignificantia nomina, de omnibus & ſingulis perſonis dicuntur 1208.2.b.& ſeq.
eſſentia diuina an conuertatur cũ Perſonis ſig.CCc.col.14.a.& col.15. c.& col.16.c.& deinceps
Pater in Filio, &c. 1196.1.c.& deinceps
Eſt in Sanctis Deus 1264.2.b
eſſẽtia nõ dicitur de Perſonis, vt quiddam commune & vniuerſale 1198.1.c.& deinceps.
eſſentia & Perſona differunt ſig.CCc.col.17.b.& ſig.DDd.col.1.a
eſſentiæ tres non ſunt, Pater, Filius, & Spiritus S. 1212.1.a.& ſeq.
eſſentia vna numero in tribus Perſonis diuinis 1304.2.a
eſſentia non dicitur de Perſonis diuinis, vel vt genus de ſpeciebus: vel vt ſpecies de indiuiduis 1197.2.a.& dein.
eſſentia non eſt vt materia trium Perſonarum 1198.1.a
eſſentia diuina ſola verè eſt ſig.DDd.col.19.c.ſeq.
eſſentia diuina tota eſt tres illæ Perſonæ 1306.1.a
eſſentia & Perſona non idem ſignificant 1221.2.a.& dein.
eſſentia non eſt vt quædam qualitas, aut proprietas cuius ſint participes tres Perſ. 1198.1.b.& dein.
eſſentia diuina vtrum eſſentiam genuerit ſig.BBb.col.19.a.& dein.
Eſſentiator vox à Gentili tribuitur Patri, vt filij vera & perfecta Deitas tollatur 1314.1.a
eſſentiatoris, eſſentiationis, eſſentiati voce quid intellexerit gentilis 1313.2.a.b
Eſus carnium & ciborum quorundam prohibitus 634.1.a
ἑτεροδιδασκαλεῖν quid 433.1.c
Ἐθελοθρησκεία Hæreticorum qualis 477.1.a
Ethice quid 93.2.c
ethice quotuplex 93.2.c
ethice quid f.43.col.2.c.& 44.col.2.a
ethice ſcholaſtica qualis 04.2.c
ethices ſecundum Scholaſticos diuiſio 25.1.b
ethices Chriſtianæ à prophana & Philoſophica diſcrimen, itemque ab eius honeſtatis præceptis quæ nomothetarũ legibus deſcribuntur & in quibus conueniant f.43.col.1.b
ethice diuina & Chriſtiana 95.2.a
quomodo Ethice Chriſtiana tradatur & vbi contineatur 96.2.b
Euangelium quid 444.2.b
euangelii definitio 437.2.a
Euangelium myſterium magnũ 474.1.b
euangelium neganti vel diuidẽti quid obiiciendum 630.1.c

Euangeliſtæ munus in Eccleſia quale fuit 555.2.c
E'υχαριςία quid 570.2.a
Euchariſtia quibus rebus conſtet 1500 1.c
de euchariſtia ſiue cœna Domini 1048 2.a
Ευχῆται qui 565.1.c
Ευχῆται qui dicti 986.1.a
Euchitarum error 450.1.b
de Eua vxore Adami Geneſeos locus ineptè citatus 1608.1.c
Ab Euę allegoria inepta concluſio 1611.1.c
pro Euerſione hoſtium Dei num liceat Chriſtiano precari 590.2.b
Euſebius aliquo pacto Arianizās 2221 1.b. Ami 373.1.A
E'υσέβειαν quid appellet Scriptura 739.1.a
Eutychiani cur ſic dicti 1021.2.b. eorum error 1022.2.a
In Chriſto duas naturas in vnam quomodo male confundebant Eutychiani 19.col.1.a
Eutyches ſub Martiano vixit 5794.2.c
Eutychitæ 914.1.b
Excandeſcentia quid 196.2.b
De Excommunicatione & in ea quæ ſunt obſeruanda 525.2.c.526.1.a.527.1 b.c.2.a
Excommunicatio quid 526.2.c
excommunicatio Scholaſticis duplex 526. 2.c
Excommunicatus quomodo Paulo dicatur frater. 531.1.c
excommunicatio priuata quid 537.1.a
cum excommunicato quatenus nobis licet communicare 530.1.a.b.c.2.a
Excommunicatis Principibus parendum 530.2.c
excommunicati vtrum bona confiſcanda 531.1.a
excommunicatio quando debet fieri 528.2.a
Excommunicari vtrum iam mortui poſsint 528.2.b.c
Excommunicandi quoties monendi 528.2.c
Excommunicationis qui fines 528.2.c
excommunicationis quæ ſit pœna 529.1.b
excommunicati filius vtrum Baptizari poteſt 529.2.b
excommunicatio quomodo fieri debet 528.1.b
excommunicatio ignis Pœnalis appellata 526.2.c
excommunicatio Papiſtica 440.1.a
excommunicatio an retinenda vbi fidelis eſt Magiſtratus 526.2.b
excommunicatio publica quid 527.2.c
excommunicatio à quibus fieri debet 527.1.b.
excommunicatio propter quas cauſas fieri debet 527.2.b
E'ξήγησις quid 402.2.c
Exempla & ſcripta nō Canonica poſſunt repudiari 714.1.4
Exhomologeſis cur neceſſaria 511.1.a
E'ξις in nobis altera natura 88.1.b
Ex ipſo, & de ipſo quid differāt 1262.1.c
E'ξις ſiue habitus animi quid 88.1.a
Ex neuis aliquibus tota natura non eſt damnanda 631.2.b
Exomologeſis publica 510.1.a.b
exomologeſeos forma 510.1.c
Exomologeſis a quibus faciēda 510.2.a
exomologeſis quoties facienda 510.2.b
Quę ab Exomologeſi deterreāt 510.2.c
expanſio quomodo ſæpe accipiatur 338.2.c
expanſionis variæ vtilitates 279.2.a.b
expanſio quid 279.2.b.c
Expanſio quem tractum ſignificet 229.2.c
Expanſio quo modo aliter vocetur 280.1.a
expanſio cur die ſecunda creata 278.1.b
expanſio ſeu רקיע quid 278
expanſio vitro fuſo & ſpeculo ſimilis 283.1.a
expanſionis citimæ vſus 283.1.b
expanſionis citimæ quantum ſit interuallum 283.2.b
expanſio in quot partes diuidatur 284.1.a.b
expanſio aeris & ignis receptaculum 281.1.a
De primæ Expanſionis quæ dicitur aer natura, & primum eum nō eſſe corpus 280.2.a
Non eſſe vacuum quidpiam 280.2.c
extincto temperamēto interit brutorum anima 373.1.a

F

FAbulæ Aniles quæ 481.1.a
de Fabulis 171.1.b
inter Facere & gerere diſcrimē 46.2.b
facere & creare differunt 243.2.a
Factibilia quæ 1286.1.c
Factus & Natus differunt 803.2.b
Fallacia ex principio non conceſſo pro conceſſo 28.2.a
de Fallaciis quæ fiunt ab hereticis extra dictionem 22.1.c quot modis fiant 2.a
fallacia ab æquiuocatione ſiue homonymia dictionis f.9.col.1
Factum ex Deo, & genitum de Deo differunt 639.2.b
Fallacia quando non conſequens ſumitur tanquam conſequens 29.2.c
fallacia cum non cauſa pro cauſa ſumitur 25.2.c
fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter f.32.col.2.a
de Fallacia quæ fit à diuiſione dictionis vel orationis f.20.col.1.a
Dictionis Fallacia f.8.col.2.c.& quotuplex f.9.col.1.a
fallacia ex ignoratione Elēchi, & quotuplex ſit f.34.col.2.b
fallaciæ quæ accidunt quum plures interrogationes fiunt vel in vnam cōfunduntur 22.2.c
Fallacia ab accidenti 23.c.
fallacia ab ambiguitate orationis f.16.col.1.a.
fallacia ab accentu 12.1.b
fallacia quæ fit ex figura dictionis 3.2.b
De Fallacia quæ oritur ex cōpoſitione dictionis vel orationis 17.col.2.c
falſitas quid 206.1.b
falſitas quot modis fiat 175.2.a
falſum committere quibus in rebus vetamur 167.2.b
falſum committi quibus in rebus poſſit 169.1.b
De fato Stoico 346.2.a.b
Fauni 369.2.c
felicitatis Scholaſticæ diuiſio falſa 782.1.b
felicitas piorum non erit æqualis neque impiorum pœna 888.1.b.c
ferri ſimilitudo ex Origine ad probandum deitatem λόγου ſuas proprietates realiter communicare aſſumptæ carni 1408.
à kemnitio adducitur. 1408.2.b
feri & inhumani hæretici cur ſic dicti 1000.1.c. eorum errores 1001.1.a
feritas quid 195.2.a
feritas & crudelitas ſexto præcepto damnatur 138.2.c
feſti dies quot apud Iudæos fuerint 219.2.a.b
an liceat Feſtos dies inſtituere 121.c
Ficus arbor quid 330.1.b
varia Ficuum genera 330.1.c.2.a
Fides quid & in quo requiritur 929.2.a
fides qualis eſſe debet 436.1.a
fides quomodo apprehendat Chriſtum 1448.1.b
fides 544.2.a
fides vnde 1609.2.a
quę Fides, charitas, modeſtia, & ſanctificatio requiritur à mulieribus 453.2.b
fides quid 744.2.a.b
fides Chriſtianorum à Manichæis irriſa 629.1.a
quot modis Fides in nobis creetur 71.1.b
Fidei ſumma quæ 743.2.c
fidei noſtræ dignitate ſalui non ſimus 785.1.c.2.a.b.
in Fidei doctrina tradenda vnde inchoandum 649.1.b.c
definitio Fidei 439.1.a
ad Fidei chriſtianæ intelligētiam quare ſit opus 750.2.b
ex Fidei, ſpei & charitatis explicatiōe intelligitur quid in religione Chriſtiana ſit ſequendum 740.2.c
fidei vis 70.2.a
Modus ordinarius creandæ in nobis Fidei Prædicatio verbi & ſacramenta 71.1.c
extraordinarius modus creandæ in nobis Fidei eſt quando hominum miniſterium non interuenit 71.1.c
Fidem Chriſtus à ſuis requirit 629.2.c
inter Fidem & actionem eſt cauſa charitas 744.2.b
Fidelium quot ſint proficiendi gradus 892.2.a.b.c. 893.1.a.b.c.
Fidelium Eleemoſynę vt diſtribuendæ 494.1.a
fidelitas quid 266.1.b
filius & ſpiritus ſanctus paris ſunt cū patre dignitatis 439.2.c
an Filius patrem expilaſſe dici poſsit 154.2.c.
filius verbo ſuo omnia condidit 257.2.b
filius vt dicatur Filius aliter quàm homines 1225.1.a.b.

filius mittitur duobus modis 1178.2.b & deinceps
filius vtrum generetur ſemper, an ſemper genitus EEe.col. 12.b & dein.
filius ſemper fuit Filius EEe.col.14.c
filius generare vtrum poſsit 1203.2.a & deinceps & 1204.2.c.& ſeq.
filius noſter an dici poſsit 1194.1.a
filius ingenitus vt dicatur 1236.1.a
filius an ſit ſapientia genita 1247.1.b & 1249.1.a.b.& ſeq.
filius ſolus vt dicatur 1205.2.c.& dein.
filius procedere dicitur de Patre 1171.2.c.& 1173.2.a.& ſeq.
filius non eſt ab οὐσίᾳ, ſed à Perſona Patris CCc.col.17.b
filius 1229.2.a.b
filius verbum Patris cur dicatur CCc. col.23.c
Vtrum Filius magiſtratus patri priuato cedere loco atque aſſurgere debeat 125.2.c
filiatio & Paternitas 1228.2.b & deinceps
filij generatio ineffabilis ſig EEe. col. 11.c.& col.12.a & col.19.b
de Filij deitate teſtimonia ſig.BBb.col 16.a
filij deſcriptio ex Damaſce 1229.1.c.& 1231.1.a
filio vocabula quæ tribuantur 1236.2.c
filius datus eſt nobis temporaliter. 1194.1.a
Filius non de nihilo ſig.CCc.col.22.c. non de materia ibid. & ſign.DDd. col.5.c.& ſeq.
filius minor ſeipſo. 1162.2.c Angelis ibid. Patre ibid.
filius minorne Patre 1179.1.c.& 2.c
filius datur à ſeipſo. 1178.1.a
filius neque voluntate ſuperueniente, neque neceſſitate genitus 1306.2.c
filius à ſeipſo non veniſſe cur dicitur 1178.2.a
filius vt ſapiens 1247.2.a.& ſeq.
filius volũtatis Dei Chriſtus ſig. DDd. col. 10. 5.& col. 11. a. & col. 12. a. & deinceps
filius coęternus Patri ſign.EEe.col.10.c
Filius miſſus à Spiritu ſancto. 1177.2.c & à ſeipſo 1178.1.b
filius ſapiẽtia propriè dicitur Sig.EEe. col.23.a.b
filius minor Patre & Spiritu ſancto vt dicatur 1182.1.a.& deinceps
filius eſt de eſſentia Patris ſig.CCc. col.19.b
filius ſemper generatur ſig.EEe.col.13. c.& deinceps
filius gignere vtrum potuerit vel poſſit ſig.EEe.col.15.a.& deinceps
quomodo Filius ſit ſpes noſtra 433.1.c
filium Dei in filium Mariæ deſcendiſſe in Chriſti baptiſmo Manichæi dicunt 637.2.b
filium Patris ſeruum dixerunt Doulianı 645.1.c
filium & ſpiritum ſanctum Deum eſſe ex ſymbolo probatur 441. 1.a. fides quid 440.1.b
filium Patre eſſe inferiorem falſſ.arg. f.31.col.1.c
in Filium Dei hæreſes & blaſphemiæ ad quæ genera poſſunt referri 795. 796.797.698
filii ſignificationes 805.2.a
vtrum ſeruile miniſterium præſtare debeant Filij Parentibus 126.1.c
filii ex parentibus naſcuntur peccatores 708.2.a
de Filio & Patre 648.1.a
filiorum genera 433.2.a
Quid per Filios & Filias Epiſcopi intelligat Hieronymus 466.1.c
finis quotuplex 75.1.a
floriani cur ſic dicti 993 eorúmque error 994.1.a
flumen quid 300.1.c
flumina vnde oriantur 300.2.a
Quomodo è mõtibus altiſſimis oriuntur ſæpe flumina 301.1.a
cauſa fluxus & refluxus 299.1.a
fœcunditas 651.1.c
Fœmina vnde dicta 358.1.a
fœmina ab Hebræis cur נקבה dicta 358.1.a
cur creata Fœmina 452.2.c
cur parêre debeat Fœmina 452.2.c.453. 1.a
Fœminæ monendæ 492.2.a
de Fœnore nautico 160.2.c
Fons quid 300.1.c
fons Deitatis Pater 1306.2.b
cur è Fontibus alij calidas, alij ſulphurea vel alterius vel ſaporis vel odoris aquas effundant 301.2.b
cur præter mare ſæpe Fontes ſalſi, & aquæ ſalſæ reperiuntur 300
Formicæ viſum. futuri cura tangantur 57.1.b
Fortitudo Α'νδρεία quid 194.2.c.195.1.a
fortitudinis munera 195.1.b
Fraudulentia quid 158.1.c
Fraus quid 202.1.a
Frutex quid ſit & vt ab arbore diſtinguatur 326.1.a
Fruatúrne Deus BBb.col.5.b.c
Fruendum vtrùm virtutibus BBb.col. 6.a.& deinceps
Frui quid ſit BBb.col.3.& 4
Fruendum vtrùm hominibus BBb.col. 5.a.b.
Fuit, eſt, & erit de Deo, vtrùm rectè dicantur EEe.col.2.b.c
Fulgur quid 291.2.b
fulmen quid 291.1.c
Vtrum liceat reditum Fundi annuum emere cum pacto de reuendendo 159. 1.c
fur eſt qui alium dolo malo inducit vt illi res ſua pereat 159.2.a
fures ſunt inhoneſtas artes exercentes 159.1.a
fures multi ſuæ vocationis ſpecioſo textu 159.1.a
furtum quid 202.1.c
furtum in quibus fieri poteſt 155.2.c
furtũ quibus modis fieri prohibeatur. 157.2.b
vtrum rei ſuæ quis faciat Furtũ. 156.1.a
furti ſpecies 156.1.c
Vtrum rei communis Furtũ fiat 156.1.b
furtum vnde dictum 154.1.b
furtum quarum ſit rerum 154.1.b
furti quot ſint genera 8. præcepto damnata 161.b
furti nomen latiſsimè ſumitur 154.1.a
furti pœna 162.2.a

G

Garrulitas quid 205.2.c
contra Gaudentii Epiſtolam primam & ſecundam 671.1.c.2.a.
contra Gaudentium liber 3.671.2.a
Gelu vel glacies quid 290.1.b
Gelu vel glacies duplex 290.1.c
Gemmæ vnde dictæ 311.2.a
gemmæ vbi naſcuntur 311.2.b
gemmæ vnde conſtent 311.2.c
De Gemmis duodecim quarum in ſacra Scriptura facta eſt mentio 312.2.c
De varijs gemmarum generibus 313.1.c
Prima Gemma quæ 312.2.c
De Genealogiis 434.2.c
genealogia Chriſti quid 634.2.b.c
genealogiã Chriſti impugnat Fauſtus 635.1.b
Genebrardus valẽtinum immerito ſublatum conqueritur 1314.2.a
de Generatione 709.1.c.2.a
generatio quo modo fiat 374.2.c
generatio hominis carnalis quę 777.1.b
generatio Filij ex Patre ineffabilis EEe.col.11.c. & deinceps & col. 19. b.& deinceps.
generatio generationum quid ſignificet. 1200.2.a
generare vtrùm Filius poſſit. 1203.2.a.& 1204.2.c.& deinceps
generatio & proceſſio vtrùm diſtingui poſſint. 1172.1.a.& deinceps
generatur vel genitus eſt, vtrum de Filio dicendum EEe.col. 2b.& dein.
geniſtei de genere Abraham dicti 911. 2.c.
genitus quid ſignificet 1229.2.a.& 1232 2.c.& dein.
genitus non dicitur Sp.S. 1171. 2.b.& deinceps
genitor quid 1229.2.a
genita ſapientia vt dicatur 1234.1.c
genitus Filius non voluntate ſuperueniente, non neceſſitate 1306.2.c
genitus & ingenitus non conſtituunt diſcrimen 648.1.a
genſericus vandalorum Rex Romam cepit 1080.1.b
Gentem tenebrarum cum gente lucis pugnaſſe volunt Deo ipſo bono aggrediente tenebras manichæi 628.1.a
gentilis errores 1314.2.b.c
gentilis bernæ capite truncatus 1314.2.a
gentilis 903.2.a
Genuítne Deus Deũ. CCc.col.13.c. vel Pater Deum, ibid.& col.14.c
genuítne Pater diuinam eſſentiam CCc.col.17.& deinceps
genuítne eſſentia eſſentiam CCc. col.19.a.& deinceps & DDd.col.1.c. & col.6.c
genuiſſe & eſſe Patrem differunt 1229. 2.a.b
gerendi & geſtandi vocabula 1381.2.c

Ad Gerlachium Reſponſio 1519.
Inter Germanicas & noſtras Eccleſias diſceptatio 1564.1.c
Gigni & procedere quid differant 1173 2.a.& dein.
gignere nihil ſeipſum poteſt.CCc.col. 15.a
gignendi potentia in Patre quid ſit. DDd.col.14.a.& deinceps
gladiatoria decertatio prohibetur 6. præcepto.138.2.c.
gloria quid 611.2.c
gloriatio καύχησις quid 193.2.b
Gnapheus 615.1.b
Gnoſtici vnde dicti 921
Gnoſticorum dogmata 922.2.c
γνώμη quid 418.1.b
γνῶσις, πρόγνωσις, ἐπίγνωσις, ὁρισμὸς, & προορισμὸς diſtinguuntur 881.1.b
γνωστὸν Θεοῦ differt à myſterio Dei CCc. col.9.b
Gortheani 914.1.b
Græcorum ſententiæ de Spiritu ſancto 1168.1.b.& deinceps
Grando quid 289.2.b
grando quotuplex 289.2.c
de Gratia & libero arbitrio 722.1.b
gratia quid 433.2.b
gratia quid 414.2.a.b
gratia Dei 691.:.a
gratia Dei quid 701.1.b
gratia Dei poſita voluntas hominis non tollitur 723.1.c
gratia Dei quotuplex ſecundum ſcholaſticos 177.2.a
gratia præcedit opera 1282.1.b
gratiæ vtrũ agendæ priuſquam impetrauerimus 612.2.a
Gratificatio quid 213.2.a
Gratitudo quid 194.2.b
gratitudo quid 204.2.c
Grauitas quid 201.1.b
Gregorius de noſtra regeneratione 70.1.b
Grus 369.2.b
Gula 200.1.b
γυμνασία & Ἄσκησις differunt 482.:.c
γυμνάζω quid notet 481.2.a
Gummi quid 328.1.c
de Gummi arborũ & de Reſina 328.1.b

H

HAbitus in Angelis non eſt 88.2.a
de Hæreſi 167.2.c
Hæreſis quid 901.2.b
Hæreſis eſt in ſenſu nõ in verbis 1313.1.c
Hæreſeωn authoribus tribuitur Hypocriſis,& conſcientia cauteriata 476.1.c
Hæreſeωn diuiſio ab authore & nomine 912.1.b
Hæreſin qua vitia comitari ſoleant 904.1.c
hæreſeωn quæ primæ & præcipuæ cauſæ 904.2.c.905.1.a
Hæreſeωn ſecundariæ cauſa 905.1.b
Hæreticorum præcipua fundamenta
de Hæreſeωn varia diuiſione 907.1.a.b
hæreſeωn octo capita 907.2.a
hæreſeon cognitio & commemoratio vtrum vtilis 901.1.b
hæreſeon Chronologia 1040.1.c
hereſis hæreticus quibus rebus fere comparetur 904.1.a.b
Hæreticus quid 903.1.a
hæreticus quis 628.1.a
hæretici tertio præcepto damnantur 114.1.c
hæretici perſequendi 661.2.c
hæreticorum ab Ario variæ propagines 644.b.c.2.a.b.c
Hæretici falſis authoritatibus ſcripturę ſeu ſententijs ſe tuentur & libros
apocryphos pro receptis laudãt 25.2.c
Variorum Hæreticorũ refutatio 478.1.b
hæretici Orthodoxos excitant vt euigilent 726.2.b
hæreticis credens quid 903.1.b
hæreticus ſenſu & ſocietate differunt 1018.2.b
de Hæreticis puniendis 906.1.a.b
hæretici qui dicuntur 103.1.a
Hæretici ſunt aut contentioſi in errores aut omnino deſperati 37.2.a
vtrum pro hæreticis atque excommunicatis precandum 442.2.b.
in Hereticos animaduerſio ad magiſtratum pertinet 443.2.c
Halo quid 287.1.b
Hebræi tranſitores 911.2.b
Helleniſmus 909.2.c
Heluidiani 1010. eorum dogma 1010
Hemorobaptiſtæ 911.1.b.912.1.a
Heracleonitæ vnde dicti 934.2.a
heracleonitarum errores 934.2.b
Herba quid ſit & quomodo generetur 323.1.a
Herodiani 911.2.a.912.1.a
Herba quid differat ab Arbore 324.1.a
Herba ſimplex quid 324.2.b
Herbę quædam cur ſint odoratæ 324.2.c
de variis Herbarum generibus 324.2.a
Hermageddon legendum Geddon harma 1068.1.b
Hermogenianorum error qui opus opifici faciunt coæternum 240.2.b
de Heroibus falſa Heſiodi ſententia 86.2.c
Hierachitæ cur ſic dicti 971.1.c eorũ errores 971.2.b
Hieronymus Romam appellat Babylonem 1057.1.b
Hieruſalem quid ſignificet 830.1.b
hieruſalem epitheta varia 830.1.b
Hilarij locus de Antichriſto 1056.2.b
hilaritas quid 197.2.b
Hippodami Pythagorici ſancta de facultatibus humanis ad virtutẽ ſententia 62.2.a
Hoc eſt corpus meum cum Chriſtus dixerit, an neceſſe eſt ita fieri 1555.2.c
Hoc eſt corpus meum 1501.1.b
Homicidium fortuitum 137.1.c
homicidij genera quatuor 859.1.b.c
homicidium vtrum ſit hodie ſe vel alium circuncidere 139.1.b
homicidium ex inſidiis 1371.2.c
homicidium ex veneno 138.1.a
homicidium ex ſortilegio 138.1.b
homicidium internum 138.1.c
homicidium externum 138.1.c
homicidium ſiue vi ſiue fraude commiſſum,damnandum 137.2.b
homicidij fraudulenti ſpecies 137.2.c. 138.1.b
homicidii voluntarij pœna 139.2.a
Hominis conditio ante peccatũ qualis 775.1.c.2.a
hominis voluntas vt differat à Dei voluntate 1300.1.b.& 1301.2.c.& deinceps.
hominibus vtrum fruendum an vtendum BBb.col.5.a
hominis vox quid 1357.1.c
hominem naſci in poteſtatem Diaboli 706.1.a
homines duos in nobis eſſe aiunt Manichæi 637.2.b
homines rerum nouarum & blaſphemarum auidiſsimi 476.2.b
quæ in vita cum plantis Homini ſunt communia 49.2.a
quæ in vita cum brutis ſunt Homini communia 49.2.a
an homines ſaluentur,vt ſuppleant locum Angelorum qui lapſi ſunt 781.1.b
Hominum prophanorũ actiones quænam fuerint 64.2.c
hominum duplex genus 1617.1.c
Homouſion malè explicatum 1307.1.b
homouſion 1256.2.b,& 1258.1.b
homo duabus tantum partibus conſtat 713.2.b
homo quomodo peccauit 642.2.a
homo poteſt per liberum arbitrium implere quicquid voluerit Pelagii error 3 727.2.a
homo Dei quid ſignificet 543.2.c. 544.1.a
homo vt ſit deterior in Deo non eſt cauſa 1297.1.c
hominem poſſe eſſe ſine peccato probat Celeſtius multis argu. quæ refutat Auguſt. 729.1.a.2.c
Homonymia quę eſt in voce quot modis contingat 9.1.c
Honeſtum quid 57.2.a
honeſtas quid 200.2.c
honeſtas publica 199.1.b
de honeſto & turpi diuerſæ hominum opiniones 44.2.c
honeſti Ariſtotelica diuiſio 58.1.b
honeſtas quid 444.1.a
honeſti Paulina definitio 58.1.c
Honeſtum non eſt opinionibus ſed natura 58.2.a
inter Honeſtum Iuriſconſultorum & Chriſtianorum magnum eſt diſcrimen 58.1.a
Honos qui Presbyteris debetur 506.2.a
honore duplici quomodo digni Preſbyteri 506.1.a
honorandi verbum quid notet 493.2.a
Honoratus quidam de trecentorum Cæcorum collegio veneficus celeberrimus 378.1.b
honorem appetere quomodo licet 193.1.b
honoris vox quid ſignificet 505.2.c
honoris ſignificatio 125.2.a

Horarum quis primus meminerit 276 1.a
De Horoſcopis 434.2.b
Hoſpitalitas quid 204.1.c
De externis Hoſtibus 134.1.c
Hoſtium genus quotuplex 615.2.b.c
Humanæ res cuius ſint generis 156.1.a
Humanitas Chriſti ex ſola gratia Dei cum λόγῳ vnionem habet 725.1.b
humilitas quid 192.1.c
in Humilitate quæ conſideranda 192 2.a.b.c
Hyle Manichæis eſt Dæmon 637.1.a
Hymnos quomodo ſuos concludebãt Ariani 645.2.b
Hypocriſis quid 206.1.b
Hypocritæ tertio præcepto damnantur 114.2.a
Ab Hypocritis qui Ceremoniis abutebãtur ad verum earum vſum inepta argum. 1615.1.b
Hypoſtaticam vnionem vocabula notantia 1414.1.b
Hypoſtaſes ab accidentibus differunt 1230.2.c.& dein
Hypoſtaſis 1211.1.c
hypoſtaſis vox 1226.2.a
Diuiſionem naturarum aut ſeparationem num admittat vnio hypoſtatica 1421.2.a
hypoſtaticæ vnionis myſterium quale 1414.2.c
Ab hypoſtatica duarum naturarum in vna perſona Chriſti vnione quæ oriuntur 1415.1.c
ex hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum vnione plurima & diuerſa quæ naſcuntur effecta 1420.2.c
Hyſſopus quid 325.2.b
hyſſopus quotuplex 325.2.c

I

An Iacob fuerit inceſtuoſus qui duas ſorores eodem tẽpore duxit in vxores 149.1.a
Iacobi Lucta 640.1.c
Iacobitæ qui 1023.2.c
Iactantia quid 206.1.c
Iahel quomodo interemerit Siſaram 132.2.c
ימים Meridies vnde dicatur: ימים Iamim vnde dicatur.i.Occaſus 252.1.b
Iamim Mare vnde dicatur 298.1.b
Ideæ an ſint in Deo 1263.2.b
Identitas in Trinitate 1212.1.c. & dein.
ידענים Ideonim qui dicantur Hebræis 381.1.a
Idioma & de Idiomatum vario genere 1360.1.c
Idiomatis definitio generalis 1360.2.a
idiomata humanæ naturæ quæ ſunt 1364.1.a
idiomatũ ſecundaria diuiſio in Eſſentialia,ſeu Naturalia 1364.2.a
idiomatum diuiſio 1363.1.b
Idolorum forma 105.2.c
idolorum materia 105.2.b
idolorum prohibitionis rationes 106.1.c
idolorum ſacris intereſſe Chriſtianiſmum liceat 107.2.a
Idola à quibus debeant frangi 108.1.b
De Idololatria ſub Antichriſto 1056.2.c
idololatria gratitudini cõtraria 194.2.c
idololatræ qui vocentur 575.1.a
idololatriæ ſpecies 105.1.a
De Idolothytis 107.1.b
Idolia quando clauſa 108.1.a
Inimici diligendi 852.2.b
De Ieiunio 19.col.1.c
De ieiunio, 447.2.c
De ieiunio & maceratione corporis 482.2.b
Ieiunium in Electione Eccleſiaſtica indicebatur 518.2.b
Ieſuitarum regula 541.1.c
Ignauia quid 195.1.b
De elemento Ignis vtrum ſit aliquid 281.1.b
Ignis vox πολύσημος 848.2.b.c
ignis noſtri ſpecies 274.2.b
ignis æternus quomodo dicatur 641.1,a
Ignorantia in multis tuta 643.2.c
Eorum quæ Ignorantur diuiſio 438.1.c
Inter Ignorantiam ſimplicem & malitioſam diſcrimen 438.1.c
Ignorantem, ſiue per ignorantiam aliquid facere differunt 53.1.c
ignorantia quæ excuſabilis ſit 53.1.b
Quid dicatur quis facere Ignorans 52.2.c
Illud de illo vt intelligendum 1230.1.c. & 1232.1.c
Illyricus magnus Conſubſtantiationis patronus 1347.1.b
Imago quid ſignificet 1225.2.a.& 1232.1.a.& 1234.2.b
Imagines 1037.1.a
Immortalitatis ab Aeternitate diſcrimen 549.2.c
Immundicia 200.2.b
Immutabilis Deus 1270.1.b
Impatientia quid 197.1.b
Vtrum Imperatori Rom.Pontifex ſubiiciatur 130.1.b
Imperij Romani ſedes præcipuæ duæ 1057.2.c.
Imperfectum num quid Deus condiderit 318.2.c
Ab Imperfectioribus ad perfectiora creanda progreſſus eſt Deus 357.2.a
Impietas quid 194.2.b
Impij quid 641.1.a
Impios corpus Chriſti manducare falſiſſimum dogma 1503.2.c.1504
Implacabilis animus 199.1.a
De Imprecatione 112.2.b
Imprecatio quid 206.2.c
Vtrum Imprecationes ad tertium præceptum referantur 114.2.c
Improperium ſiue opprobrium 266.2.c
An Impuberes poſſint committere adulterium & an ad eos pertineat 7. præceptum 143.1.b
An Impuberes peccent aduerſus. 9. præceptum 165.1.a
Impudicitia quid 200.2.b
Imputare quid 1619.1.a
In anima vegetante vel ſentiente virtus vel vitium proprie non ineſt 56.1.c
Quomodo operetur Satan Incantationibus 394.1.a
De Incarnatione 1592.2.c
Incarnatum eſſe vtrùm extra relationem dicatur 1210.2.b
Inceſtus prohibiti cauſæ 144.2.b
inceſtus ad quotum gradum committatur 145.1.a
Incluſio error 1563.1.a
In Chriſto & Adamo diſſimilia 821.2.c 822.a.b.c
Incommutabilis & quidem propriè ſolus Deus. DDd.col.21.a.& N.1.& dein.& EEe.col.4.b.c
Indignitas 192.2.b
Indulgentia quid 1944.2.a
Infantes variis morbis cur crucientur 706.1.b
infantes nullum peccatum habere 706.1.b
infantes Baptizati cur variis modis crucientur 845.2.a
infernus 641.1.a
Infideli vtrum parendum 129.2.c
Ingenium humanum Dei lumine deſtitutum cæcum eſt. 44.col.2
Ingenitus 1231.2.c , & dein. an ſit vox concedenda 1233.2.b
Ingenitus vtrum dicatur Sp.S. 1171 2.b.c.& deinceps
Ingratitudo 194.2.b
Imputari Iuſtitiæ per fidem opponitur iuſtitiæ operum noſtrorũ 1619.b
ingratitudo quid 204.2.c
Inhabitatio Dei duplex 1265.1.c
inhabitatio duplex 1575.1.a
inhabitatio nullam commixtionem ſubſtantialem ponit 1574.2.b
Inhumanitas quid 197.2.c
An Inimici è precibus noſtris eximendi 442.2.a
Inimicitia quid 194.1.b
inimicitia quid 196.2.c
Inobedientia quid 194.1.b
Innocentia quid 204.2.c
In Perſona præter eſſentiam eſt modus ſubſiſtendi ſeu relatio 1306.1.c
Inſecta quid & vnde dicta 370.2.a
inſecta cur condita 371.1.b
inſecta violantia 359.1.b
Inſenſibilitas quid 192.2.b
Inſomnia laſciua vtrum peccata 179.2.c
De Inſectis Animalibus cur ſic dicta & de eorum natura 370.2.a
Europam cęteraſque regiones quæ extra Syriacum mare iacent cur ſcriptura vocet Inſulas 302.1.a
De Inſulis, & earum diuerſo genere 301.2.b.c
De Integritate membrorum in clericis ſanctiones 461.2.b.c
Intellectus humanus quotuplex 50 2.c
Intelligentiæ nobis tantum eſt relictum quantum ſufficit vt ἀναπολόγητοι reddamur 64.2.c
Intelligentia noſtra intelligit res humanas non diuinas 64.1.b
intelligentia,memoria , amor , imago. Trinit. BBb.col.24.c.& dein.CCc 2.& dein.
Intemperantia quid 199.2.b
Interemptio ſyllogiſmis quid f.7.col.1.a
Interpretatio Scripturæ quæ vera 1191 1.b

Inuenta qui retinet vtrum fur. 158.1.b
Inuerecundia quid 200.1.c
Inuidia quid 204.2.a
Inuiſibilium partitio 834.2.a
Inuocatio ſanctorum 614.2.c
Aduerſus reſurrectionem carnis & corporum falſ. Marcionitar. arg. De Inuocatione mortuorum 17.col. 2.b
Iohannes VVicleff ſeſe Antichriſto oppoſuit 1078.2.a
De Ioſaphat valle delirium 828.1.a
Iouinianiſtæ cur ſic dicti quando primum nati 1007.1.c. eorum dogmata 1008.1.c
De Ira 138.2.a
Ira ὀργὴ 196.2.b
ira Dei quid 888.1.a
Iracundia quid 138.2.b
Ire Ad Deum vt oporteat 1268.2.c. & dein.
Irenæi locus de numero beſtiæ 1055.1.c
Irenes Imperium 452.2.a
De Iride ſiue de Arcu cœleſti 286.1.b
Quomodo efficiatur Iris 286.1.b
Ironia quid 206.1.c
Vtrum voce irreprehenſus comprehendantur peccata quæ ſcelera quidem ſunt publica tamen pœna non puniuntur 453.2.c
Irritatio quid 196.2.a
Irriſio χλευασμὸς quid 206.2.c
Iſchyrias Diaconiſſa interfuit Synodo Chalcedonenſi 498.1.a
Iſidorus quomodo fallitur 2228.1.c
Italica Eccleſia numerum beſtiæ 666 reddit 1055.1.b
Iubilæus & eius etymologia 119.2.c
Iubilæus cur Inſtitutus 120.1.a
Iudæa qualis hodie 448.1.c
Iudæi confeſſores 911.2.b
Iudæus quis 903.2.a.b. 911.1.c
Iudaiſmus quid 103.1.a
Iudex falſam ſententiam pronunciare non debet 168.2.b
iudex vtrum plurium ſententiam ſequi debeat 168.2.c
Iudiciarij Aſtrologi qui 348.1.a
De Iudice 168.1.b
In Iudiciis quæ ſynceritas adhibenda 511.1.c
Iudicium Dei quotuplex 828.2.a
Iudiciariorum ineptæ rationes 348.2.b. c. 349.1.a.b.c.2.a.b
Iudicij vox mediæ ſignificationis 828. 2.a
Iumenta quid 375.1.a
Iuniores vt monendi 492.2.a
De Iuramento 113.1.b.c
iuramentum Ioſephi num ſit imitandum 113.1.a
iuramentum & fides etiam hoſti ſeruanda 113.2.a.b
Iura ſanguinis nullo modo tolli poſſunt 496.1.c
Iurare num liceat 110.2.c. 111.1.a
iurare cur liceat 111.1.a.b
iurare per creaturas num liceat 112.2. b.c
iurare per Idola num liceat 113.1.a
iurare per ſuos Deos num liceat peregrino 113.1.b
iurare num liceat per Diabolos 112.2.b
Iuriſiurandi forma 112.1.c
iuriſiurandi triplex conditio 112.1.b
iuriſiurandi violati pœna 115.2.a
Iuſiurandum quid 112.1.a
iuſiurandum cur à Paulo adhibitum 447.1.b
Ius quotuplex 98.2.c
Iuſtificare quid ſignificat 475.2.a.b
Iuſtificatio noſtra eſt ex Dei electione 717.2.c
Iuſtitia in genere quid 164.1.a
iuſtitia quid 37.2.c
iuſtitia quid 82.1.a.b
iuſtitia quotuplex 82.2.c
iuſtitia duplex 191.1.a
iuſtitia generalis quid 191.1.b
iuſtitia particularis quid 191.1.b
iuſtitia νομικὴ & ἐπιείκεια quid differat 191.1.b
iuſtitia διανεμητικὴ quid 191.1.c
iuſtitiæ diſtributiuę appendices 191.1.c
Partiaria Iuſtitia 83.1.b
iuſtitia qua iuſtificamur nec in nobis, nec intra nos eſt 1619.2.c
De Iuſtitia inhærente falſ. Oſiandrianorum arg. 22.2.a
iuſtitiæ & ſanctitatis gradus 83.2.c
iuſtitia & ſanctimonia à Deo in animas noſtras infunduntur 81.2.b
iuſtitia & ſanctimonia diuelli nō poſſunt 81.2.c
facere Iuſtitiam 84.1.a
Perficere iuſtitiam 84.1.a
Iuſtitiariorum ſiue Operiſtarum fons Pelagianiſmus 677.2.c
Iuuentus quid 487.1.b

K

Κακοζηλία quid 119.1.a
Καὶ γὰρ αὐτοὶ quid ſignificet 605.2.b
Κατάφασις quid 404.1.c
Κατάκρισις quid 424.1.b.c
חטא & אשם quid differunt 808.1.b
Καταστρηνιάζειν quid 500.1.c.2.a
Κατεχυνθία quid 910.1.b
Kemnitius effuſionis Brentianæ loco realem communicationem eſſentialium deitatis λόγου proprietatum in humanam naturam aſſumptam ſubſtituit 1347.c
Κηδεία quid 203.1.b
Κῆρυξ præco quid 446.2.c
קדש Hebræis quid 587.1.a
De Κοινωνίᾳ ſeu communicatione Reali Maieſtatis diuinę in Chriſto naturæ facta humanæ 1432.2.c
Κοινωνίας tertius gradus 1430.1.c.
Κοινωνία ἰδιωμάτων ex Patrum Orthodoxorum ſcriptis confirmata 1424.2.b
Κοινωνία ἀποτελεσμάτων, communicationis gradus ſecundus 1425.2.b
קסמים Coſemim qui dicantur 380.2.a
Κόσμιον oportet eſſe miniſtrum 461.1.b
Κτίσις apud Græcos quid ſignificet 235. 1.a

L

LAcerti 364.2.b
Lactantij locus de Antichriſti crudelitate 1056.1.a
Lacus quid 300.2.a
Laertius de matrimoniis 457.2.c
Læſio.6.præcepto prohibetur 138.2.c
Lætitia quid 204.1.c
Laici à Clericis diſtincti 860.2.a
Lamiæ 369.2.c
Laodicæa Phrygiæ Pacatianæ Metropolis 557.1.a
Laonicus Spongia 1514.1.a
Lapis quid 310.2.a
Lapides è terra quomodo fiant 310.1.c
lapides creſcunt in terræ viſceribus 310.2.c
lapidum genera quot ſint 310.1.b
lapides qui leuiores 300.2.c
Qui Lapides teneriores 310.2.c
lapides qui duriores 310.2.c
lapidum vulgarium cur quidam maiores quidam minores, 310.2.b
lapides terræ oſſa, vapores, ſpiritus eſſe quomodo dicantur 309.1.a
Pretioſorum Lapidum genera quot ſint 311.1.a.c
De pretioſis Lapidibus, & quotuplex eorum ſit genus 311.1.b
Lappa Canaria florem intus occultum retinet 323.1.c
Ita aliis Largiendum, vt noſtræ familię etiam ſubuenire poſſimus 505.1.b
Lateinos ſuis characteribus numerum 666. reddit 1055.1.a
Latroni vtrum dandum quod promiſeris 113.2.c
Lauare pedes moris erat inter Orientales Indicium valde demiſſi animi 499.2.b.c
Lenitas animi 544.2.b
lenitas quid 192.1.a
lenitas vitioſa 195.1.c
leonis.12. Papæ ambitio 1056.2.a
Lepus, Mas & fœmina, 374.2.c
Piſcis Leuiathan deſcriptio ex cibo 363.1.c
De Lege 643.1.a.b
Lex 687.1.a
lex quid & eius ἔτυμον 98.2.b
lex in quot tabulas diſtincta 123.1.a
lex omni populo data 101.1.a
lex vitę rectè inſtituendæ norma 97.1.a
lex Præambula quid 99.2.b
lex Dei non eſt gratia 723.1.b
lex non eſt poſita iuſtis locus deprauatus 1618.1.a
lex Dei naturalis quæ dicatur 99.1.b
lex primordialis 99.1.c
lex improba quę non patitur ſe examinari 118.2.c
De ſumma totius Legis 180.2.a
Legis primæ ſumma 181.1.c
legis ſecundæ ſumma 182.1.b
legis diuiſio 98.2.c. 99.1.a
legis diuiſio 102.1.b
legis ſecundum Theologos partitio 99.2.b
legis operum & Decalogi duplex conſideratio 99.1.a
legis eſſentialia quid 99.2.b
Legitimus Legis vſus 436.2.c
De Legibus cæterorum populorum 108.1.a
In Legis interpretatione facienda locum habet ἐπιείκεια & æquitas 101.b
In Legis præceptis ex parte totum colligendum & ex exteriori actu ad inte-

interiorem concludendum 101.2.c
In legis præceptis ex affirmatiua negatiua colligenda & contra 101.a.2.c
legis ſignificatio multiplex 98.2.b.c.
legis encomium 76.2.b
legis Cæremonialis ſenſus ad quem pertinet 629.1.b
In Lege Dei ſcripta eſt ratio cultus Dei 98.2.a
legem & Prophetas recipiendos negant Manichæi 636.2.a
In legis interpretatione quæ ſtatuenda prius ſint 101.2.a
legem non veni ſoluere quomodo interpretentur Manichæi 636.2.c
legem Cæremonialem quomodo damnant Manichæi 637.1.a
legis primæ caput 102.2.b
Genera eorum qui peccarunt in primam legem 102.2.b
legis totius implementum charitas 180.1.a
leges humanæ à diuinis quid differant 859.1.b
legis ſignificatio 435.1.c
Pœna aduerſus violatores primæ legis mors 103.2.c
leo quid 376.1.c
de libero Arbitrio 692.1.a
de libero Arbitrio 633.1.a
liberum arbitrium αὐτεξούσιον & αὐτεθελούσιον dicitur 784.1.a
liberi arbitrii variæ definitiones 69.1.b.c
libero voluntatis ſuæ arbitrio ,homo fieri ſaluus poſt peccatum non poteſt 784.1.c
liberum arbitrium ad Bonifacium 699 2.b
liberum arbitrium Scholaſticis quid 783.2.c
liberum arbitrium,& quæ nunc in nobis ſunt illius vires 65.1.a
De Libero hominis arbitrio Lombardi ſententia 63.1.a
De libero arbitrio falſ.Papiſt.arg.35.2.b
liberum arbitrium 786.1.b.c
liberum arbitrium Orthodoxi negant 697.1.b
Sublato libero arbitrio ad bonorum operum ſtudiū nos pigros effici falſ. arg.67.1.b
liberalitas quid 202.2.a
liberatorum error quis fuerit 1004.2.a
liberandi vox quid notet 610.2.a
Vtrum liberi honeſtioris conditionis debeant parentes viliores honorare 126.2.c
An propter immodeſtos liberorum mores patres ab Epiſcopatu arcendi & contra 466.2.b
liberorum nomine qui comprehendantur 493.2.a
liberi ſuis parentibus beneficia accepta rependere debent 493.2.a
libertas quid 206.2.a
Libertinorum graphica deſcriptio 1623 1.b
libertas Chriſtiana iura politica non confundit 4.8.1.c
libido 806.2.b
libido naturalis in homine eſt bonum Pelag.dogma 4.727.1.a
libidinem & vim generandi ſæpe donat Deus ergo non eſt mala 706.2.a
De Limbis Papiſtarum falſ. arg. 15. col.2.b.c
Linguæ intemperies ſiue abuſus 205. 1.c
Liquores duo hominibus ſaluberrimi 331.1. a
lis ἔρις 196.1.c
An litera ſit Dei verbum 1613.2.c
litera ſcripta corrumpi falſa interpretatione poteſt 1613.1.b
De litigante 168.1.b
Λογικῆς animi partis operatio quotuplex 56.2.a
Λογομαχία quid 535.2.c
Si Deitatis λόγου propria attributa reipſa humanitati Chriſti tribuantur an nō ſequitur naturarū in Chriſto confuſio aut exæquatio 1439.1.b 2.b 1440.1.c.1441.1.b
λόγος cum propria ſua carne eſt ſecunda perſona Trinitatis 1446.1.a
Quotuplex ſit λόγος ſecundum quoſdā 13.1.c.& 2.a
loci Dialectici exempla 405.1.c
de loco vbi orandum ſit 447.2.c
locus quid 279.1.c
locus Theologicus quid 406.1.c
Nullus hodie ſpecialis locus vbi Deus ſit orandus 448.1.a.b
locorum quorundam veteris & noui Teſtamenti conciliatio 633.2.a.b.c 634.1.a
Locuſta vnde dicatur ab Hebręis ארבה Arbeh.& ילק Ieleg. 372.1.b
Longanimitas quid 197.1.b
Loquacitas 9. præcepto damnatur 175. 1.b
Lotharij Tertij Cæſaris Pontifici ſubmiſſio præſtita 1039.1.b
De Lotione manuum 447.2.c
Luciferiani hæretici 457.1.c
luciferiani cur ſic dicti 1005.2.c.eorum errores 1006.2.a
Quod ſit Lucrum illud turpe quod cōſectari vetantur Paſtores 465.2.a
Ludus commercij cauſa non eſt inſtitutus 216.1.c
Ludendo pecuniam lucrari eſt furari 216.2.b
De Ludis & exercitationibus publicis & præmiis quæ à Rep. proponuntur 216.2.a
Veterum Ludi 217.2.c
Vtrum in pecuniam quam tibi habeas Si viceris,Ludere liceat 216.1.c
Quæ laborum genera liceant quæue prohibeantur & vetentur 218.1.c
Ludorum quæ minimè licent varia genera 218.1.c
ludere vtrum Chriſtiano liceat , animúmque recreare 215.1.a
Vtrum quæſtus qui fit in ludo ſit legitimus 159.2.b
De iis qui lucrum ex ludo comparatum in ſympoſium & communes epulas conuertunt 218.1.a
Lumen datum à Chriſto quotuplex 102.2.a
De luminibus. Manichæorum errores 640.1.a
de Luna & lunę Motu 342.1.c
luna qualis condita , cur maculoſa,& cur diuerſæ in ea ſpecies & figuræ apparent 343.2.a.b
lupanaria damnanda 151.2.a
lupus & Leopardus 376.1.a
Lutheri de cœna ſententia 1487.1.a
Lutherus Conſubſtantiationem eſt amplexus 1347.1.a
lutherani cur dicti omnes quos Pontificij perſequuntur ob Religionem 1484.1.b
lutheri manſuetudo 1487.2.b
lutræ viuiparæ 359.1.a
lux quid ſit 271.1.a.b.c.2.a.b.c
lux 642.1.b
lux cur creata 270.2.b
lux vbi primum condita & vbi collocata 273.2.b
lux vnde à Deo producta 273.1.c
lux cœleſtis cur dicta Dies 274.2.c
Cur lux & coruſcatio prius appareat quam ſonus 292.1.b
An prima lux à Deo creata ſuperiora tantum illuſtret 273.1.b
Cum & lux & Nox & Dies ante 4.diē fuiſſe dicatur oportuiſſe Solem & lunam & Sydera quoque iam facta fuiſſe 333.1.a
Lucis ſubiectum 274.1.b
lucis à Deo creatæ vſus quis 271.2.c
lucis cœleſtis an genus multiplex 274. 2.a
De luce quæ ad Mundi creationem adhibita eſt. 258.1.a
De luce dubitationes ſublatę 272.1.b
cur non dicitur Deus emittere lucem, & faciem terræ renouare ſed emittere Spiritum ſuum Pſ.104.220.2.c
luxus quid 201.1.a

M

MAcedoniani cur ſic dicti 977.2.c eorum errores 978.2.b
Magi Perſæ fecerunt vt locus in quem Chriſtiani conueniebant peſtilentem exhalaret aerem 386.1.c
Μαγία & γοητεία quid 739.1.c
Apud quos Populos Magia fuerit & etiamnum magno in pretio ſit 396 2.a.b
De Magiſtratuum poteſtate & auctoritate 129.1.c
De Magiſtratibus & ſubditis falſ. arg. 32.col.1.c
magiſtratus Romæ duplex 1060.2.b
magiſtratus Hollādicus edictum promulgauit nequis ſine ipſius venia ſcriptum vllum in lucem emittat 1623.2.a
Magiſtratui vtrum omnes ſubiiciantur 130.1.a
magiſtratus contemptio 194.1.c
magiſtratus ex legibus poteſtate gladii vtitur 134.1.a
Quatenus hæreticos puniat Magiſtratus 134.1.b
magiſtratus quæ ſit authoritas in Eccleſiaſticis conſtituendis 130.1.b.c
Magnanimitas quid ab Ambitione differat 193.1.c

Magnanimitati vitia contraria 193.2.a
Magnificentia quid 202.2.b
magnificentia quid 203.2.b
Magnitudo eadem in diuinis 1196.1.b & deinceps & 1199.1.b
Mahumetanus quis 903.2.c
de Mahumetiſmo 1025.2.c, eorum errores 1026.2.b
Maieſtas Dei non eſt ſcrutanda DDd.c.17.a
Maieſtaticum corpus Chriſti 1347.c
Pater Maior Filio dicitur, quâ Pater. 1205.2.a.b
Μάχαιρ vnde dicatur 549.1.c
Malignitas quid 204.2.c
Malacoſtraca 358.2.b
Mala authore Deo non fiunt 1297.1.c
mala quod fiant ex Deo eſſe falſum eſt & Sophiſticum 1297.2.b
mala cur eſſe ſinat Deus 753.2.a.b.c
mala fieri bonum eſt 1296.2.a
mala fieri cur vetat Deus 1300.2.c
mala vt proſint, vel vniuerſitati vel ſingulis 1296.2.c.& dein.
mala Deus vtrùm mala ſciat 1294.2.b
mala fieri vtrùm velit Deus 1296.1.b.& deinceps
mala vtrũ ſint in deo 1261.1.c. & 1263.2.c
An bonum ſit fieri Mala 1297.1.a
mala non ſunt facienda vt bona eueniant 157.1.b
diei ſuo maledicentes tertio præcepto damnantur 114.2.c
Maledónati Thema de dæmonibꝰ 375.2.a
Maleuolentia quid 196.2.c
mali Origo 633.1.a
mali origo prima 631.2.b
Malitia quid 204.2.b
mali autor nõ eſt Deꝰ 1297.1.c.& dein.
mali cauſæ prima eſt à deo defectio 772.a.b.c
Mali cauſæ ſecũdæ ſunt quatuor 773.1.b
mali homines vnde fiunt 639.1.c
malum quid 64 .2.a
malum quid & vnde 631.2.b
malum 641.1.c.2.a
Malorum genus quotuplex 632.2.c
conſequens malum quot modis fiat 31.col.2.a.
Malum dici nihil poteſt ibi, vbi nullũ eſt bonum 756.2.a
Malum quid 59.b
malum non eſt ſubſtantia 631.1.c
malum & peccatum vnde 632.2.a
malum 642.1.b
malum vnde ſit quomodo poteſt intelligi 632.1.c
malum eſt coram deo quicquid omnibus numeris non eſt perfectum 102 1.a
malum & corruptio non à deo 631.2.c
malum & peccatum non eſſe ſubſtantiam 640.1.a
malum nihil aliud eſt quàm naturalis boni priuatio, quæ per ſe non ſubſiſtit 754.1.c
malum non poſſe eſſe in dei ſubſtantia 640.1.a
Vnde Man dictum 290.2.c
Manna quid 290.2.a
Inter mannam noſtram & eam quam Iſraelitis immiſit deus quæ ſit differentia 290.2.c
de Mandragora, & quid ſit 325.1.a
Mandritæ 483.2.a
Manducatio carnis quomodo intelligenda 1574.2.c
manducatio corporis Chriſti non eſt duplex 1590.2.b
manducatio merè ſpiritualis 1499.2.b
manducatio duplex 1478.2.a.b
manducatio corporalis eſt communis piis & impiis 1592.2.c
manducationem ſpiritualem duplicem faciunt ſententiarij 1590.2.c
manducatio ſpiritualis duplex etiam Orthodoxis 1591.1.a
mane quid 275.1.c
mane vnde dicatur 275.1.c
Mani cur credendũ non ſit cauſa 630.1.c
Manichæi cnr ſic dicti 625.1.a
manichæi non boni quia pauci 640.2.a
manichæorum & Pelagianorum comparatio in ſex erroribus 700.2.c
Manichæorum error 2. Dei boni ſubſtantiam fruſtatim in omnes creaturas fuſam eſſe 627.2.c
de Moribus Manichæorum 632.2.c
manichæi cur ſic dicti 967.1.c.2.a.b.c
manichæorum hæreſes infinitæ 969.2.c
manichæi 436.2.b
manichæi negant ſe pręnuntiatos fuiſſe à Paulo 638.1.c
manichæi vnde orti 627.2.a
manichæorum Deus quis 641.1.b
manichæi contra ſolem faciunt orationem 632.2.c
manichæi negant quicquid in Teſtamento Nouo eorum errori eſt contrarium 635.1.c
manichæorum conatus 630.2.c
manichæi quomodo ſuos docent diſcipulos 630.2.c
Terram eſſe duplicem ex Manichæorum errore 630.2.b
manichæi præfatio quid 630.2.b
manichæi Epiſtolæ ſalutatio quæ 360.2.b
manichæi contradictio 630.2.b
Erroris manichæorum ſumma 630.2.b
manichæorum erroris refutatio 630.2.b
manichæi ſe veros eſſe Chriſtianos iactant 634.2.c
manichæorum & Tatianorum de cibis error 478.2.b
manichæorum error de Bono 631.2.b
manichæorum & Marcionitarum de duobus Diis refutatio 445.2.a
manichæorum error, Principia rerum duo eſſe diuerſa æterna, ſibi mutuò contraria 627.2.b
manichæum non eſſe Chriſti Apoſtolum 639.1.a
manichæorum de ſuo Manichæo & Chriſto blaſphemiæ 640.2.a
manichæi 912.1.a
manichęi Epiſtolæ titulus falſus 630.2.a
manichæus ſe pro Chriſto ſubſtituit 630.2.a
manichæi impudentia qua ſeipſum Paracletum dicit 630.2.a
manichæum nec Spiritum eſſe ſanctũ, nec hominem à Spiritu ſancto aſſumptum, ex eorum ſententia credi poſſe 630.2.a
Manſuetudo πρᾳότης quid 195.2.a
mala Manichæorum quæ 631.2.a
manichęus tot deliriorum cauſa 631.1.b
Manuum impoſitio cur fiat 519.1.a
Manuum impoſitio triplex 519.1.c
manuũ impoſitio vtrũ neceſſaria 519.1.a
Marcionitæ 436.2.b
marcionitę vnde dicti 940.1.b
Marcionitarum dogmata 941.1.b
Bellum Chriſtiano gerere non licere falſum marcionitarum arg.6.col.1.c
marcionitarum & manichæorũ de Dei cura hæreſis 597.1.b.c
marcitæ 932
marcionitarum error de Chriſti paſſione 825.1.c
Chriſtum verum hominem fuiſſe marcionitarum negantũ fal.ar.35. col.1.c
Marcionitarum dogmata 933.2.a.b
Mare quid 298.1.b
Cur mare ſæpe ita inundat, vt terras occupet, vel ſic recedit vt nouæ terræ & inſulæ appareant 299.2.c
Cur mare, flumina & fontes in terra variis in locis diſperſit Dominus 301.2.a
maris Altitudo 298.1.b
Maria in pariendo Chriſto incorrupta 703.2.b
De maris ſalſugine & aliarum aquarum 299.2.b
De Fluxu & Refluxu maris 298.2.c
Vnde maria oriantur omnia 296.2.c
Gemma à Margarita quid differat 311.2.a
Margaritæ vnde conſtent 311.2.c
Maria virgo cur purgata eſt, & ſacrificium obtulit vt reliquæ mulieres 807.2.b
A Maritis quid exigatur 143.2.b
Diſpar vis Maris & fœminæ 142.2.b
Martyres non facit pœna ſed cauſa 656.662.1.c
martyrum commemoratio 1035.2.c
Masbothei 914.1.b
ματαιότης quid 757.1.b
Materia quæ Hyle dicitur vnde 640.2.c
materia in diuinis non eſt DDd.col.4.
Deo Materiam fuiſſe coæuam & coæternam ex qua Deus omnia fecerit quomodo arguat Hermogenes 17.col.1.a
Num Deo ſit iniuria cum Materiam informem condidiſſe dicitur 248.2.b
Mathematicæ deſcriptiones natiuitatum 433.2.b
Matrimonium ἀδιάφορον 459.1.a
Cur Matris meminit quintum præceptum 126.1.a
Matthæum ſolum Hebraicè ſcriptum retinent Ebionei 928.2.c
Mauricius vt voluit Iohãnes diceretur Epiſcopus Vniuerſalis 1065.1.a
מכבים Hebræis qui dicantur 381.1.a.b
Chriſtus vnus Mediator 445.2.a
Cur vnus ſit Mediator 445.2.a.b
Non vnicum eſſe Mediatorem argumenta 445.2.b.c
Vtrum Chriſtus quà tantum homo eſt noſter Mediator ſit 446.1.a
Meditatio μελέτη quid 489.1.b
Melchiſedechiani qui 954.2.a
Chriſtũ fuiſſe Melchiſedech quomodo falſo exiſtimabant Melchiſedechiani 18.col.2.c
Μελέτη Meditatio quid 52.1.c
Meletiani qui 678.1.b
Meliora facere Deus vtrum potuerit, quæ fecit. 1289.2.a
Melitiani cur ſic appellati 972.1.a.b.eo-

rum errores 972.2.a
Melitonij quid ſenſerint 1033.1.c
de Membris genitalibus 697.2.c
Memoria quid 353.1.b
Memoria intelligentia & amor, imago Trin.BBb.col.24.c.& dein.CCc.1.b
מנחשים Menacheshim qui dicuntur Hebræis 380.2.c
Menandriani 915.2.a.916.1.c
Menandrianorum dogmata 917.1.a
De Mendacio 170.2.b
De mendacio 164.1.b.c
Mendacium quid 764.1.c
Mendacium quid 206.1.b
Mendacij genera 174.2.b
mendaciorum quot genera 170.2.c
mendacium quotuplex 764.1.b.2.b
De Mendacio officioſo 171.2.b
Mendacium officioſum malum eſt 770.1.c
De mendacio iocoſo 171.1.a
inter Mendacium dicere & mentiri diſcrimen 764.1.c
mendacium viro bono indignum, vt aliud alio eſt grauius pro varia circunſtantia 763.1.c
Omne mendacium eſſe peccatum 769 2.b
An mendacium iocoſum ſit contra charitatem 172.2.c
An Mendacium iocoſum vulgo dictũ ſit mendacium 172.1.a
Mendacia imparia 172.2.b
mendacium officioſum cur damnandum 172.2.b.c
mendacium & falſum quot modis cõmittatur 174.1.b.c
Mennonis Anabaptiſtæ error 571 2.a
Mens & Spiritus Paulo ſæpe idem 717.1.a
Mens,notitia,amor ſunt imago Trinit. CCc.col.3.c.& dein.
Menſes pro annis Aegyptij numerabant 349.2.c
Mentiri & mendacium dicere differũt 165.1.c
In hominem quot modis homo Mentiatur 166.2.b
In Deum quot modis homines Mentiantur, 166.2.a
Volenti quot modis quis mentiatur 167.1.a
Mentiri & veritatem occultare ſunt diuerſa 174.2.a.
Merita 723.2.c
Meriti voce nunquam vtuntur Patres 783.2.b
Merita noſtra 722.2.b.c
merita nos non ſaluant 783.1.c
Metitum obdurationis & miſericordiæ vnde 1280 2.a.& dein.& 1283.1.b.c
Quid meretrix 147.1.c
meretrix ſus cur appellatur 1472.2.a
Meredies quid & cur ita dicitur 275.1.c
Vtrum cum meretrice concubitus permittitur 146.2.b
Meriſtei vnde dicti 911.2.c
Meſſaliani cur ſic dicti 985.2c
Μεσιτεία quid 570.2.b
Meſſalianorum errores 986.2.c
Meſſaliani qui 565.1.c
meſſalianorum error 441.2.b
Μετάβασις quid 404.2.c
Μετάληψις quid 424.1.c
Μετάληψις quid 478.1.c
De Metallorum materia & cauſa efficiente 315.1.a
Metallorum vnum quodque ſuum habet genus, & pondus,& odorem & colorem & effectum 314.1.c
de variis metallorum generibus 315.1.c
Metallorum creationis cur nulla ſit facta mentio à Moſe 310.1.a
Metalla quomodo in terra generentur 314.1.c
diſcrimen inter metalla & lapides 314 2.a
Species Metallorum quæ 315.2.c
metallum vnde dictum 314.1.b
Omne metallum mallio ductile 314 2.b
Metalla inter ſe quomodo differant 315.2.a
De metallorum effoſſoribus 314 2.c
de metallorum inter ſe mixtura 317 2.a
Metangiſmonitæ cur ſic appellati 987 2.c eorum errores 988.1.b
metaphoricè de Deo quædam dicuntur 1256.2.c.& dein.
metaphora quid 423.2.c.424.1.a.b
materia Meteororum quæ ὑπόστασιν habent & quotuplex 287.2.b
de Meteoris 285.2.b
de meteoris quę ſubſiſtentiam habent, quid ſint à quo fiant & cur 287.1.c
meteororum ignitorum cauſæ 291 1.b
Meteora quæ ὑπόστασιν habent tantum ex aqua fiunt 287.1.c
De Meteoris quæ tantum ἔμφασιν habent & eorum cauſis 285.2.c
Meteora ignita in ſcriptura quot repeRiantur 291.1.b
Meteororum quotuplex genus 285.2.c
Quædam Meteora non extant in Scriptura 294.2.b
De Meteoris ignitis 291.1.a
Μετεμψύχωσις Manichæorum 634.1.a
Methodus ſacræ Scripturæ in publicis tum prælectionibus ,tum concionibus tractandæ 400.1.a.b.c.401.a.b.c. 402.a
methodus doctrinæ tradendæ quotuplex 1.a.1.vtra prior 2.b
methodus doctrinæ tradendæ quotuplex 1.1.a
Μετωνυμία quid 424.2.a
Micol exemplum 391.1.c
מרה Midda quid 84.2.c
Mille anni illi poſt quos Satanas ſoluẽdus eſſe dicitur ad tempus Antichriſti non poſſe pertinere 1074.1.a
De Minerabilibus quid ſint 317.2.c
In Miniſterij munere quot conſideranda 480.1.a
de Miniſtris contradictio 1608.2.c
Miniſter lectioni ſacrarum literarum vacare debet 487.2.c
miniſtri Ebriis & Balaamo comparati 1608 2.c
Miniſtrorum conditio 440.2.b
miniſtri cœlibes ordinandi de continentia interpellabantur 459.1.b
miniſtri rectè docentis & ſanctè viuentis harmonia pulchra 481.1.c
Vtrum Cœlibatus eſt Miniſtris, ſiue iam vocatis & ordinatis,ſiue vocandis & creandis præcisè indicendus & præfiniendus 458.2.b.c
In Miniſterij munere quot modis peccetur 433.1.c
miniſtri Euangelici ſunt hominum ſalutis miniſtri & organa 489.2.a
miniſtrum oportet eſſe νηφάλεον 460.2.a
miniſtri coniuges ordinati vxores ſuas retinebant 759.1.b
Vtrum ad miniſterium illi tantum eligendi qui ſacris libris ab infantia ſunt innutriti,an etiam alij 480.2.b
Quæ aliorum ratione in miniſtero requiruntur 465.2.c.466.1.a
miniſtrorum perſonæ quomodo nimium tribuatur 19.col.2.b
minor Patre Filius etiam qua Filius æternus,& cur 1183.1.a.b
minor Filius Patre & Spiritu ſancto vt dicatur 1182.1.a
minor Filius an ſit quia miſſus 1179.1.c item & Sp.ſanctus ibid.& 2.c.& 1181 2.c
mirabilarij & Enthouſiaſtæ mirabiliarij 1032.1.b
miraculum quid 270.1.c
miraculum quid & quotuplex 630.1.a
Inter miracula moſis & magorum diſcrimen 394.1.a
miracula Satan non facit 394.2.b
miracula dũ lex ferretur edita Exteris Gentibus nota Cornelio Tacito,Iuſtino hiſtorico & aliis 101
Inter Mirum & miraculum diſcrimen 394.1.c
miracula cur facta 630.1.a
miracula nunc cur non fiunt 630.1.a
Μισανθρωπία quid 198.2.b
miſericordia quid 203.2.c
miſericordia quid 433.2.b
miſericordiæ meritum vnde 1280.2.a
Miſſa 1038.2.a
miſſa quando celebrari cœpta 1072.2.b
Miſſæ 1038.1.c
Miſſæ inſectatio à Berengario 1039.2.a
Miſſæ priuatę in Eccleſiam inductæ 618.2.b
Miſsio & apparitio vtrùm idẽ 1183.1.a
miſſio Filij & Spiritus ſancti vt differant 1177.2.c
miſsio temporalis Sp.ſancti 1183.2.c & deinceps
miſ.inuiſibilis S.ſancti 1183.2.c & dein.
miſſio viſibilis Sp.ſancti 1181.2.a
miſsio S.ſancti fit duobus modis 1181.1.c & dein. viſibiliter & inuiſibiliter & 1183.2.c.& deinceps
miſſus Filius à ſeipſo 1178.1.b.vtrùm ſemel tantùm. ibid.2.a.& dein.
Mitti quid ſignificet. 1180.1.c. & 2.a. & deinceps
mitti & mittere vtrum commune tribus perſonis 1180..c
mitti & dari Spiritum ſanctum vt differant 1176.2.b.& dein.
non mittitur Pater 1179.1.b.c
Deus mortem non fecit 726.2.b
Modeſtia quid 193.1.a
Triplex modus & liber per quẽ Deus

ſe reuelat nobis 258.1.a
Mœchationis quot ſpecies ſint ſeptimo præcepto prohibitæ 150.2.a
Verba Mœchationis ſpecies 151.1.a
Vtrum Mœchus mœchā ducere poſſit 152.2.a
Geſtus Mœchationis ſpecies 150.2.c
מענים Hebræis qui dicantur 380.2.c
Mollities quid 197.1.c
Momi tertio præcepto damnantur 114.2.b
Monachi definitio 483.2.a
Monachorum initio quot genera 484.2.a.b.c.485.a
Vnde orti Monachi 483.2.b.c.484.1.a.b.c
monachorum regulæ 485.1.b.c
monachorum veſtimenta 485.1.b.c
Præcepta monachorum in ciborum delectu 485.1.c.2.a
Monachi non concionabantur, Sacramenta non adminiſtrabant 485.2.b
Monachorum coenobia quādo erecta 450.2.c
Monachis non licet iurare 110.2.b.c
Monachi facti ab alendis parentibus liberantur 493.2.b
Monachiſmus in quo ſit poſitus 482.2.a
Monachiſmus Papiſticus 481.2.b
Monaſtici mendicantes 103.1.a
Monarchia terrena 5. vtrum reſtet erigenda 1083.1.b
Monarchitæ qui 103.1.a
Μονάζοντες & Μόναχοι vnde dicti 483
De Monialibus ſeu virginibus conſecratis 145.2.a
Monothelitæ 1024.1.b
Monothelitarum error à Kemnitio renouatus 1428.2.b
De Monomachia 137.2.a
Monophyſita qui 1009a.c 1023.1.b
Μωρολογία ſtultus ſermo quid 205.1.c
Monſtra humana quomodo reſurgent 865.1.a.b.c.2.a.b
An monſtra ſint tollenda 135.2.b
Monſtra & miracula quid differant 269.2.c
Monſtrum quid 270.1.b
Montes per terræ motum nati 307.2.a
Montium omnium altiſsimi 307.2.b.c
De montibus quando primum facti & quæ ex iis vtilitas percipiatur 307.1.a.b.c
Morbonei fortaſſe Masbothei Sabbathiſantes 911.2.b
Moroſitas quid 198.1.b
Mors quid 353.1.a
Mortui noſtris precibus num Deo cōmendandi 590.1.b
mortui num preces in cœlo fundant 591.2.a
Mortuorum de cura Auguſtini error 886.1.a.2.a.b
Vtrum pro Mortuis precandum 442.2.c
Mos quid ſit Latinis 73.2.a
Moſes Aegyptium quomodo interfecerit 132.2.c
moſes quomodo Mediator 614.1.b
moſen cur damnent Manichæi 638.2.
moſen cur non admittit Manichæus 635.2.c.636.1.b
De Motu animalium & quomodo fiat 354.1.a
Motus & affectus naturales in primo homine recti 772.2.b
Muli quid 359.1.c
Muli & Mulæ & earum vſus 376.1.b
Mulier vnde dicitur 358.1.a
Mulieres ad Diaconatum quomodo allectæ 452.1.a
In quibus omne Muliebre officium continetur 504.1.c
Multituolipræſentia quid 1348.a
Multiplex Deus cur dicatur EEe.col.6.a
Deus Multiplex cur dicatur DDd.col.22.c
multiplex Deus dici non poteſt 1212.2.c
Munditia quæ,& quibus conuenit 450 2.b.c
Mundus 711.2.b
mundus conditus per filium vti per patrem 633.2.a
mundus quid 235.2.a.236.1.a
mundus quid 777.2.a
mundi ſignificationes 235.1.b
Ecqua ſit mundi cauſa efficiens 241.2.b
Mundi forma quæ 251.1.a
mundi finis præcipuus Dei opificis gloria & cognitio 254.1.a
mundus quando ſecundum nonnullos conditus 119.2.c
Quæ ſunt Mundi partes integrales, & eum conſtituentes 251.1.c
Anima miſſa in Mundum primū qualis 633.1.c
mundus hic per Dei verbum & iuſſum extitit 257.1.b
Vſus partium Mundi diſtinguentium 252.1.c.2.a
Deus huius Mundi tanquam animantis anima non eſt 251.1.a
Quomodo ſcriptura Mundo partes tribuat 251.1.b
De Mundi partibus 251.1.c
De Ideali Mundo quid ſentiendum 237.1.c
Sine Labore & fatigatione Dei Mundus hic à Deo conditus 258.1.c
An Mundus æternus 259.2.c
Quo die Mundus eſt conditus 260.2.a
Quo menſe Mundus conditus 260.2.b
Mundus hic bonus à Deo conditus 261.2.b
Cur Deus ab inferiori & terrena parte Mundi ornatum illius inchoarit 295.1.b
mundi vtrum ſit vna quædam ſingularis anima 239.1.c.2.a.b.c
mundum hunc & quę in eo ſunt ex nihilo eſſe creata à Deo 243.1.b
mundus hic qualis hodie poſt peccatum 262.2.a
De Mundi Ortu,Occaſu , Septentrione,Meridie 252.1.a
mundum à Scala Creatum volunt Manes 628.1.c
Valentinianorum & Carpocratianorum de Mundi creatione error 242.2.b
mundus & quæ in eo ſunt vtrum ſolida corpora,an tantum vmbræ quædam 236.2.a
Vbi quatuor Mundi plagæ in ſcriptura nominentur 252.1.c
mundus vtrnm vnus an plures 237.1.b.2.c
mundus hic vtrum ſphæricus & rotūdus 238.2.b
De loco vbi conditus eſt mundus 259.1.b
Qua ratione erat creatura mutabilis hic mundus 262.1.b
Res Mundanæ paulatim creatæ 295.2.b
Cerinthi de Mundi creatione error 242.2.b
Simonianorum & Menandrianorum de Mundi creatione error 242.2.b
mundus cur antea factus non ſit quærere eſt impium 642.1.b
mundus hic per partes conditus non ſimul totus,& cur 258.b
Cur Hebræi mundū vocent עלם Græci αἰῶνα 235.2.c
De modo & machinis quibus hęc Mūdi machina excitata eſt. Et primum de verbo Dei,quod in mundi huius creatione interuenit 257.1.a
Vtrum mundus animal eſſet dubitauit Auguſtinus 240.1.a
mundum in tempore factum eſſe , non eſſe æternum 240.1.a.b
Cur Mundos plures Deus non creauit 238.1.c
Ex Mundi huius aſpectu quæ Dei cognitio habeatur 255.2.b
Ante Mundum conditum huius mundi ſpacium erat vacuum 259.1.c
mundi fines non præcipui,duo 256.2.c
mundus hic vtrum finitur 238.2.a
Quæ regiones in hoc Mundo dextræ, ſiniſtræ,priores , poſteriores, ſublimes,humiles 253.1.c
Platonicorum & Auicennæ de Mundi creatione error 242.2.c
De tempore quo conditus eſt hic Mundus 259.2.b
Ecquod Mundi medium eſt 254.1.c
mundus conditus vt Dei potentiam ſapientiam & Bonitatem oſtendat 255.1.a
de cauſis huius mundi 241.2.b
de cauſa impellente propter quam Deus Mundum hunc condiderit 245.1.c
Poſt mundi creationem quomodo dicatur Deus ceſſaſſe & quieuiſſe 264.2.a
Mures quomodo gignantur 374.2.c
Muſca quatenus Animal melior luce omni 632.1.b
Mutari ſecundum tempus quid 1266.1.c
Mutabiles res præter Deum 631.2.c
Non omne Mutandum vnde aliquod periculum,& aliqua diſceſſio ab Eccleſia ſit exorta 504.1.b
Μῦθος quid 434.2.c
Error Mutilatio Sacramenti 1562.2.c

Qui

Qui ſe mutilant vtrum homicidæ 139.1.a
Myſtagogæ 1032.1.b
Myſterium quid 474.1.c
Myſterium hoc magnum eſt 16.col.2.a

N

Naaman Syrus cur ab Elyſæo Propheta non repræhenſus 107.2.b
Naſachæi vel natſaræi 911.1.c.912.1.a
Natſaræorum errores 92.1.b
Nazaræi vnde dicti 926.1.b.c
Natales Manichæi quomodo celebrati 630.2.a
Natiuitas Chriſti duplex 801.2.b
Natiuitariorum error quis fuerit 1005.1.b
Natum ex re aliqua quicquid dicitur non eius filius appellari poteſt 804.2.b.c
de Natura 697.2.b
Natura proprie quid ſit Philoſophis Chriſtianis 269.1.a
natura quid ſit & primum ex Ariſtotele 268.2.b.c
natura nihil aliud quàm Deus 63.2.b
nec natura nec ſola peccatorum remiſſio eſt ea gratia per quam bene agimus 723.1.b
Natura humana per Dei gratiam perfectionis eſt capax 705.1.c
de natura Diuina in Chriſto incarnato 1367
Duæ naturæ 639.1.c
natura hominum 686.2.b.c
natura hominis à Deo bona condita 706.2.a
natura quid ſit, & primum de voce ipſa 267.2.c
Naturæ bonum à malo ſuperueniente diſtinguendum 707.1.b
natura, & res naturæ vt differant 1288 2.c
naturæ vnius vtrum dici poſsint Pater Filius,& S.ſanctus 1254.2.a.b.& dein.
Naſci & procedere quid differant 1173.2.a.& dein.
natura Græcis φύσις, Hebræis מן dici poteſt: à Rabinis טבע appellari 672 2.c
naturæ ſignificatio quotuplex 268.1.b
natura paucis contenta 539.2.c
de naturæ noſtræ viribus Ciceronis ſententia 63.2.c
Quid differant inter ſe Eſſentia, natura, Hypoſtaſis 268.2.a
natura humana aſſumpta Chriſti λόγον cepit, ſæpe repetitum à patribus dictum, quomodo intelligendum 1409.2.a
Naturarum Chriſti Vnio, vel vnitio melius & tutius dicitur quàm mixtura, ſeu Mixtio 793.1.a
de natura humana in Chriſto incarnato 1367.2.b
Naturale quid 560.1.a
Quæ Naturalia quæ contra naturam, quæ ſupra naturam dicantur 269.2.b
Naturalium rerum cognitio ad veram felicitatem quatenus eſt nobis neceſſaria 761.1.c
Natus eſt vox πολύσημος 792.2.c.803.2.a b.c
Nazianzeni & Baſilij phraſis dura 2227 1.a
Nebucadnetſar vt fuit mutatus 387 2.a.b
Necromantij qui dicuntur 380.2.c
Neceſſarium quid 560.2.c.561
Neceſſitate non peccare homines etiamſi nihil aliud niſi peccare, atque male agere poſsint 67.2.a
Neceſsitas triplex eſt naturalis, Hypothetica, Aeterna ſiue immutabilis 55.2.b
Neceſsitas in rebus inanimatis dici poteſt 55.2.b
Inter neceſsitatem & coactionem diſcrimen 67.2.a
Neceſsitas violentia & coactio differunt 55.1.b
נגב Meridies vnde dicatur
Negligentia & abſentia miniſtrorum caſtiganda 460.2.c
Negotia ſecularia quid 468.1.b
Νέμεσις inhumana, quid 204.1.b
Neophytorum occaſione veterum ſanctiones quædam 497.2.a.c
Neſtorius ſub Theodoſio vixit 744.2.b
Neſtoriani cur ſic dicti 1018.2.c. eorum error 1020.2.a
Nicolaus quis 920.1.c
Nicolaitæ vnde dicti 920.1.a.b
Nicolaus de Clemengis ſcripſit aduerſus Papatum 1057.1.a
Nihil quid ſignificet 1298.1.c
Νηφαλέου variæ ſignificationes 460.2.a
Nix quid 289.2.a
De nobilitate ſeu Diuitiis ordinandorum 461.2.b.c.462.1.a.b
Noctis cauſa efficiens 277.1.b
Noctis creandæ finis 277.2.a
Noetiani vnde dicti 956.1.a.b.c eorum errores 956.2.b
Noetiani Patripaſsiani dicti 961.2.a
noetiani Praxiani dicti 961.1.b
noetiani Hermogeniani dicti 961.2.c
Nomen vox πολυσημος 111.2.b.114.2.b
nomen vox quid notet 586.1.b
nomen Dei quomodo ſumendum 111.2.b
nomen Dei quid 533.1.a
Dei nomen quomodo in vanum ſumatur 111.2.a
Nominum quædam temporaliter Deo conueniunt, & eorum varia diuiſio 1208.1.c.& dein.
nominum quædam propriè, quædam tranſlatitiè de Deo dicuntur 1208.1.b.c & dein.
nominum quæ de Deo dicuntur, diuiſio triplex 1208.1.b.c.& 1209.2.c.& dein.
Notiones perſonales quot ſint 1231.2.a
notiones quædam perſonales relationem non ſignificantes 1232.1.c.& 1236.1.b
nomen quid & cur ſingulari numero BBb.col.2.c
Nomina relationum 1224.2.a.& dein.
nomina numeralia veluti vnus, duo, Trinitas, vt de Deo dicantur 1209.2.b & dein.& 1213.2.b. & 1217.2.a. & 1218.& dein.
nomina eſſentiam diuinam, aut eius eſſentialia attributa ſignificantia ſingulari, non autem plurali numero efferuntur 1210.1.b.c
nomina quædam de diuina eſſentia dicuntur, quædam de ipſis Perſonis 1208.1.c.& dein.
nomina diſtinguendarum perſonarum explicata 1215.2.b.tota diſtinct.& 1218 b.& dein.
Nom. proprietates deſignantia 1229.2.a
nomina relationem ſignificantia vt intelligantur 1229.2.c.& dein.
nomina eſſentiam ſignificantia vt intelligantur 1229.2.c.& 1230.1.c
nomina quæ de Deo dicuntur ex tempore 1240.1.a. & 1241.1.c
de nomine vniuſcuiuſque & æſtimatione 163.1.c
Nominis mutatio 169.2.b
Νόμος quid 98
Nouatiani qui 678.1.b
nouatiani Hæretici 605.2.c
Notæ Eccleſias corrumpentium 1617.2.c
Noſter in Oratione Dominica quid notet 579.2.b
Nouitius nomen metaphoricum νεόφυτος 467.1.a
nouitius Paſtor eſſe non debet 467.1.a.b.c.2
Nouus homo quid 69.1.a
Nouria vel Ouria quid 927.1.b
Nox quid 276.2.c
Quomodo Nox diuidi ſolet 277.1.c
Quid Nubes 288.1.b
Nubium fontes 288.1.b
Nubecula quid 288.1.c
Cur varij colores in aliis Nubibus nõnunquam cernuntur 286.2.b
Nudipedales & eorum hæreſis 994.2.c
Nugas ab הגה deductum volunt 501.1.b
Nugacitas quid 205.2.c
Numa Sortiarius fuit 395.2.a
numeri beſtiæ 666.expoſitio 1055.1.a.b
Senarius Numerus quomodo perfectus 118.1.c
Numeralia nomina, vt de Deo dicantur 1215.2.b.& deinceps.
Numero differre quid 1198.2.c
numero differunt perſonæ diuinæ 1198.2.c.& 1303.1.b
numerus prædeſtinatorum vtrùm certus 1276.1.c.& dein.& 1277.2.a
Nundinæ diebus feſtis indictæ damnandæ 117.1.b
De Nuptiis 650.1.c
Nubere melius quàm vri quid Paulo ſignificet 1008.2.b
De nuptiis & coniugio 695.1.b
De Nuptiis 697.1.c
Nuptiarum bona tria 651.1.a
De ea quæ ignorans Nupſit ei qui maritus iam eſt 149.1.c
De Nuptiis & earum adiunctis 694.1.c.2.a.b
Nuptiæ per ſe bonæ 706.2.c

Obduratio cordis eſt effectum reprobationis 1279.1.a.& 1280.1.b
Obdurationis meritum vnde 1260.2.a. & dein.& 1283.1.a.b
Obedientia quid 125.2.c
obedientia quid 194.1.a
Obediendum quatenus ſit hominum præceptis 98.1.a
An poſſit Obligatio inter dominum & illius ſeruum naſci ratione debiti & rei pecuniariæ 419.2.a
Obmurmurantes Deo tertio præcepto damnantur 114.2.b
Obſecratio quid ab oratione differt 570.2.c
Obſcuritas quid 16.col.1.b
Obſequi quid ſit 97.1.c
obſequij noſtri effectus 97.2.a
obſequium quid requirat 97.1.b
Obſeruantia 194.1.b
De inauſpicatis auibus, veluti Siim, Ochim, Striges &c. 369.2.c
Occidere ſe num quis poſſit 135.2.c
Qui Occidunt ſe impetu animi 137.1.a
Odoacer Romam ingreſſus ſe Regem appellauit 1080.1.c
Odium 196.2.b
De odio 138.2.b
Odor quid 322.1.a
odor dulce fragrans vnde 322.1.b
odor nullus vnde 322.1.b
odor aſper vnde 322.1.b
De Odoribus 322.1.b
Oeconomi Eccleſiæ qui 468.2.b
Omnia Oeconomica & politica ad 5. præceptum referuntur 128.2.c
Olea quid 330.2.b
De Oleaſtro 331.1.c
Omiſſa in ſuo Enchiridio ab Auguſtino 735.1.c
Ὁμοίωσις quid 427.1.b
Ὁμοιοτέλευτον 423.2.c
Ὁμοιόπτωτον quid 423.2.a
Omnis vox quomodo accipiatur 546.2.b
omnia à quo ſunt 640.1.a
Vult Deus Omnes ſaluos fieri quo modo intelligendum 444.2.c. 445.1.a.b.c
Omnipotentia Dei 1500.2.b
omnipotentia Dei 872.1.b.c
Omne quod factum eſt vita erat in eo 1259.2.a.& 1260.2.c
Omnia ſcit Deus vt intelligatur 1275.2.a.& dein.
omnia ſunt in Deo vt intelligatur 1259.2.c.& 1261.1.b. & dein. & 1263. 2.c.& dein.
omnia per ipſum facta ſunt vt intelligendum 1298.1.c
Omnipotens Deus cur dicatur 1283.2.c. & 1284.a.& dein.
omnipotens dicitur Deus quia poteſt quicquid vult 1284.2.a.& dein.& 1285.2.c.& 1286.1.a.b.& dein.
omnipotens Deus vnde probetur 1286.1.c
de Omnipotentia Dei cur diſputetur 1288.2.b
de omnipotentia Dei cur diſputetur 1290.1.c.& dein.
Omnipotens Deus an alia non poſſit, quàm quæ fecit aut facit 1296.2.b.c.& dein.& 1187.2.b.c
Onager quid 376.1.c
Ονοματοποιΐα 425.1.b
Opera bona quæ dicuntur infidelia, ſunt mala 708.2.a
Cum bonum Opus facimus non facimus inuiti ſed volentes 66.2.a
Vtrum per ſex dies integros Operari oporteat 116.1.c
Ὅπως particulæ ſignificatio 415.2.c
Humana Opera quotuplicia 116.2.c
Omnia Deitatis λόγου opera iam poſt vnionem fieri per humanitatem falſum eſt 1407.1.b
Opera noſtra quotuplicia 116.2.c
An Opera viuorum defunctis proſunt 885.2.b.c
Opes Chriſtiano num liceat honeſtis rationibus augere 538.2.c
De Operibus Sophiſtarum falſ.arg. 34.col.2.a
Operum Auguſtini diuiſio 735.2.b
Ὀφθαλμοδουλεία quid 194.1.a
Opheorum error quis fuerit 1003.2.b.c
Ophitæ vnde dicti eorúmque errores 935.1.b.c
ophitarum hæreſis 575.2.b
Opus bonum quid ex Auguſt. 73.2.c
Oratio quid 442.1.a.b
Orare alia quam Chriſti formula vtrũ liceat 612.2.b
Verſus quam mundi partem ſit Orandum 449.2.a
De Orantium cultu 620.1.a
Oratio ad quancunque orbis partem concepta ſit, nihil intereſt 621.1.c
non Orabat Auguſtinus pro iis qui quæſtuariam militiam extra patriam exercebant 616.1.b
De Oratione 1048.1.a
Orandi locus 620.2.b
Orabant Iudæi tecto capite & cur 619.2.c
Oratio Dominica quæ contineat 889.1.b.c.2.a.b.c
oratio vera quid 764.1.c
Orare num quis bona conſcientia in templis papiſticis poſſit 621.1.a
Vtrum Orantes Orientem verſus debeamus nos conuertere 121.2.c
Orationis Dominicæ diuiſio 583.2.b
Orandi tempus 621.2.b
orandum pro quibus 615.1.c
Oratio quotuplex 442.1.b
Orationes vernaculo ſermone concipiendæ 617.2.c
Orationis variæ appellationes 569.1.c
Oratio quid 569.2.a.b.570.1.b
Oratio ſeu precatio duplex 570.2.a
Quo geſtu orandum 449.2.b
Orantium geſtus 618.2.c
Oratoria habebant Chriſtiani ſub Dioclетiano 449.1.a
Orationis Dominicæ explicatio 559.1.a
Oratio publica ſemper vocalis eſſe debet 617.2.a
Orationis Dominicæ Epilogus idémque expoſitus 611.1.c
Quo tempore orandum 449.2.c
Orandum cuius nomine ſeu interceſſione 613.1.b
Orandum pro mortuis vtrum ſit 616.1.c
in Oratione accidentaria 616.2.c
de Orantium voce 616.2.c
Oratio Dominica quot petitionibus conſtet 890.1.a.b.c
in Oratione Dominica quid Lucas à Matthæo diſſentiat 896.2.b.c
Orationis Dominicæ præfatio duplicẽ habet ſcopum 577.1.a
De Orbibus cœleſtibus an ſint aliqui 339.1.a
Ὀργὴ quid 196.1.a
Ὀργιλότητος fons πικρία, θυμὸς, ὀργὴ 195.2.c
Ὀργιλότης 195.2.c
Inter ὀργιλότητα & ὀργὴν diſcrimen 196.1.a
An Ordinationes Eccleſiæ qui retinẽt coactè Deo ſeruiant 1617.2.b
Ordinatio, Confirmatio, Manuum impoſitio quid 518.2.c.519.a.b.c
In Ordinatione Epiſcopi quot adeſſe neceſſe ſit Epiſcopos 519.2.a
de Organis 618.2.b
Orichalcum quid & vnde dicitur 317.2.b
Oriens quid 253.2.c
Origo mali ſecunda 631.2.c
origo Idololatriæ 104.2.c.105.1.a
origo precum pro mortuis 443.1.b
Origenes dixit Chriſtum ſæpe paſſurum 237.2.c
origeniani vnde dicti 962.2.a. eorum error 962.2.b
Origeniſtæ & Adamantij cur ſic dicti 963.1.b.c
origeniſtarum errores 964.1.c
Ὁρισμὸς quid 403.1.b
Ornatus 200.2.c
ornatus Epiſcopi Papiſtis duplex eſt 461.1.b
in Orthodoxos calumnia quaſi faciant Baptiſma inutile 701.2.b
in Orthodoxos calumnia quaſi iniuria afficiant prophetas, quod eos comparatione peiorum tantum Sanctos vocent 702.1.c
ὀρθοτομία verbi & προσωποληψία ſunt diuerſa 440.1.b
orthodoxos appellat Manichæus Semichriſtianos & Patris ſerpentis filios 634.2.b
orthodoxis crimina obiecta à Donatiſtis 659.2.c
in orthodoxos calumnia quaſi negent patres ſub lege Sp.Sanctum habuiſſe 701.2.c
in orthodoxos calumnia quaſi legem accuſent vt peccati cauſam 701.2.a
orthodoxæ doctrinæ ſumma 701.1.a
Oſculum qua ratione damnetur 152.1.b
De Oſculo cum oratione coniuncto ac nonnullis aliis iam olim in publica Eccleſia receptis 620.1.a
Oſtentatio quid 193.2.a
Oſtracoderma 358.2.b
Ouis maxima in Hirta inſula polari 375.1.c
ouis vno partu vnum tantum agnum edit 374.2.a
Vtrum ex ouo natæ ſint primum Aues 3 5.2.b
Ouipara quadrupeda 359.1.a

οὐσία καὶ φύσις καὶ μορφὴ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας ταὐτόν ἐστι. Eſſentia Natura, forma ſecundum ſanctos patres idem ſunt 1354.2.a
οὐσιώμενον filium quomodo dixit Euſebius 2221.1.a
Οὐσίας duplex ſignificatio EEe.col.10.b

P

ΠΑιδερασταὶ qui ſint 148.1.a
Paganus 963.2.a.911.1.c
Duplex eſt Palma Mas & fœmina 332.1.a
Rami Palmæ dicuntur Βάϊα 332.1.a
Folium Palmæ dicitur θαλὸς 332.1.b
Maris Palmæ fructus dicitur ψὼ 332.1.b
Fœminæ Palmæ fructus dicitur βάλανος 332.1.b
Ex Palma vtilitates percipiuntur 332.1.b
De Palma & illius admirabili natura 331.1.b.c
Palma Chriſti 325.2.a
Panarium Epiphanij 1.2.c
Panis quid 597.2.a.b
Noſter Panis quid ſignificet 598.2.c.599.1.a.b.c
panis Cœnæ licet naturam ſuam non amittat, non eſt tamen communis 1590.1.c
panis in Cœna qualis manducetur 1589.1.c
panis ἔτυμον 597.2.b
panis & vinum quid 1500.2.c
Paphnutij de nuptiis ſententia 458.2.c
Πᾶν vt accipiatur 1298.1.b
Papiliones 359.1.b
De Papiſmo 1025.2.a.b
Papiſtæ qui 903.2.b
papiſtæ ad quos poſſint referri 203.1.a
Papiſticæ & Euangelicæ doctrinę collatio 1063.1.a
papiſtæ veram Dei Eccleſiam oppugnant 1610.1.a
Papiſtarum error in precibus peregrino ſermone concipiendis 617.2.c
Papatus oppugnatio 1039.2.a
De Eccleſia Papiſtarum audienda falſ. arg. f.34.col.1.b
De Vnctione falſ. Papiſtarum arg.36.1.a
Antichriſti & Papiſtarum cœtus qua ratione dicatur templum 1068.
De Parabolis 171.1.b
Παραβολὴ quid 427.2.a
Παράδειγμα quid 427.2.a
Παραδιατριβαὶ quid 536.1.c
Paradiſus 715.1.a
Quid Paraſelenij 287.1.a
παρέκβασις quid 404.2.c
παρένθεσις quid 425.2.a
Quatenus Parentibus morigeri ſint vitæ longioris 128.1.b
Quid Parhelij 287.1.a
Contra Parmeniani epiſtolam Auguſtinus 656.1.c
Parſimonia honeſta quid 202.2.c
Particeps vox πολύσημος 1550.1.b
Parua confeſſio Lutheri 1487.1.c
Paruuli non parentum modò ſed ſuis peccatis obligantur 813.2.b
paruuli non trahunt à parentibus peccatum originale Pelagian. dogma.5. 527.2.c
πᾶς cuius ſit ſignificationis 1298.1.b
Paſſio Chriſti vtrùm placuerit bonis viris.1302.1.c.item & ſanctorum 21.a
Paſtor verus quis 433.1.c
paſtoris munus in docendo quotuplex 486.2.c
de voce Papa & cur ſic vocetur Antichriſtus 1063.2.c
Paſtoralis muneris partes ſunt tres 525.1.a
Paſtores ποιμένες, ἡγούμενοι, χειροτονία quid 518.1.a
Paſtores etiam ab extraneis bonũ teſtimoniũ habere oportet 469.2.a.b
paſtores negligentes tertio præcepto damnantur 114.2.a
paſtores ex ſolo Dei verbo æſtimandi 1054.1.c
In accuſatione aduerſus paſtores quid perquirendum 508.1.a.b.c
An poſsit quiſque domi ſuæ priuatim, ſine Paſtore ſatis conſequi veram verbi Dei intelligentiam quantum ipſi & ad ſalutem & ad vitam ſanctã neceſſarium eſt 1609.2.a
Paſtorum nomine qui indigni 506.2.c
Paſtor quo animo ſuum gregem paſcere debet 507.1.b
Familiæ Paſtorum quales eſſe debent 414.2.a
Examen Paſtoris quotuplex 514.2.a
Paſtori iudicium Eccleſiaſticum exercenti à quibus vitiis cauendum 513.1.c
Paſtoralis muneris partes ſecundum Canoniſtas 441.1.c
paſtoris officium 441.2.a
An pater & Spirit. Sanctus incarnati cum filio ſint 791.2.c
Pater ſolus eſt Deus 1207.2.b.c.& dein.
pater eſt ſolus Deus vtrùm verè dicatur 1206.4.c
pater non prior Filio EEe. col.11.c.& dein.
pater non dicitur miſſus 1179.1.b
pater an ſapiens ſapientiâ genita 1247.2.a & 1249.2.b
pater genuit Filiũ de ſua eſſentia CCc. col.21.a
pater ſolus vt dicatur 1205.2.c.& 1206.1.a.& 1207.2.b
pater genuit eſſentiam diuinam verè dicitur DDd.col.1.a
pater vtrum genuit Deum CCc.col.13.c
pater principium Filij & Sp.ſanct.1237.2.b.& dein.
pater ſemper fuit EEe.col.14.c
Paternitas & filiatio explicata 1228.2.b.& dein.
An ſub lege Prophetæ Deum hoc nomine, Pater, inuocauerint 579.1.a
Quomodo Pater ſeruator dicatur 433.1.c
Paterniani ſiue venuſtiani hæretici quid ſenſerint 1010.2.a
Patientia quid 197.1.a
patientia 661.2.b
Patrem eſſe & Filium eſſe vtrum diuerſum 1234.1.a.b
patrem eſſe & genuiſſe vt differant 1229,1.a.b
De Patre & filio Prudentij carmina 1316.2.a
Patris vox quomodo capienda 573.2.a.574.2.a
pater fons deitatis 1307.1.a
patres & Rahab quomodo ſunt mentiti 172.1.b
patrem non eſſe filio maiorem 647.2.c
Patriciani cur ſic appellati 989.2.c.eorum errores 990.1.b
Qui patris matríſque nomine ſignificentur 5.præcepto 126.2.c
patris vocabulum πολύσημον 577.1.c
Vtrum Patri & matri par honor debeatur 126.2.b
Pathici, molles, effœminati qui dicantur 148.1.b
Patriarchæ, & credentes in veteri Teſtamento vt ſaluati 1577.2.c
Patrum teſtimonia ad ſuum errorem cõfirmãdũ affert Kemnitius 1444.1.c
Pattalorinchitæ hæretici in nares baculum immittebant vt ſonorius canerent 618.2.c
Pattalorinchitæ cur dicti 991.1.b.eorũ errores 991.2.b.c
Pauo quid 369.1.c
Paulus verus Dei propheta 476.1.b.
Quod Paulus operatus ſit manib⁹ ſuis non trahẽdum in exemplum 506.1.c
Paulus ſuos titulos quare aliquando omittit 413.2.c
Pauliani vel Samoſateniani cur ſic dicti 965.1.b.c.eorum errores 965.2.c
Pauperes à Diaconatu non excluduntur 499.2.a
Pauperis expilatio quid 204.1.c
Pax quid 414.2.b
pax conſeruanda 661.2.a
pax eiuſque conſeruatio ad quem pertineat 443.2.b
pax duplex ex morte Chriſti nobis datur 840.2.a
pax quæ nobis intercedit cum bonis Angelis 840.2.a
Pacis deoſculandæ inter Papiſtas vnde fluxerit mos 620.1.a
peccatum quid 641.1.a
peccatum quid 710.1.a
peccatum quid & vnde 632.2.a
peccatum vnde trahatur 714.1.b
peccatum an ex traduce 692.2.c
de Peccato originali qui inſcribitur liber 692.2.c.693.1.a.b
Peccatorum diuiſio ex Auguſtino 73.1.c
peccatum originale an ſit ſubſtantia quædam 814.2.a
peccatum originale 711.2.c
peccatum non eſt habitus 777.1.a
peccatum originale & actuale 811.1.a
de Peccato originali multorum Epiſcoporum teſtimonium 703.2.c
Peccati origo 641.1.a
peccatorum quatuor genera 704.2.b
peccatum Originale quid 821.1.a
peccatorum diuiſio primaria 821
de peccato originali 696.1.b
peccatum Adami non tantum propter imitationem nobis nocet 713.1.b

peccati authorem non eſſe Deum cõtra manichæos 609.1.a
Peccati in actione diſtinguenda materia à forma 609.1.b
peccata à nobis quomodo remittantur 606.2.a
peccatum in Spiritum ſanctum quid 853.1.a.b.c
peccati cauſæ 861.1.a.b.c
peccare ignorantia quid 861.2.b
peccata nonnullorum cur Deus latere vult 525.1.a.b.c.2.a.b
peccati noſtri noſtra voluntas cauſa eſt 28.1.a.c
peccati regnum & eiuſdem inhærentia differunt 1620.1.a
peccata imparia 857.2.b
peccatum veniale 853.2.b.c
peccatum mortale 857.2.b.c
Peccare non poſſe & poſſe non peccare differunt 82.2.b
peccatum originale non tantùm tollitur per Chriſtũ, ſed omnia peccata 820.2.b
de Peccatorum meritis & remiſſione ad marcellinum lib.1.680.2.c
peccatum quomodo ſit in nobis 699 1.a
peccata omnia progenitorum vtrum in poſteros propagentur 816.b.c.2.a.b
peccatorum remiſsio omnibus eſt neceſſaria 841.2.b
peccati à crimine diſtinctio 843.1.a
in peccatis ſuis pertinaciter perſeuerantibus, neque fides neque ignis purgatorius quicquam prodeſt 846 1.a.b.2.a.b.c
peccatum Originale per ſolum Chriſtum aboletur 817.1.b.c
peccato mori & peccatis mori cur dixit Auguſtinus 811.1.a
in peccato primi hominis, licet vno tamen omnia delictorum genera obſeruari poſſunt 813.1.b
peccata aliis non dimittentes ipſi veniam à Deo non conſequuntur 853.1 c.2.a
peccatum ex Adamo cur in ſobolem manauit 776.2.b.c
peccata vult Deus vt pœnas peccatorum 1303.1.c
pecc.præſciuit Deus;non fecit 1278.2.c
peccatũ vtrum à Deo 1298.1.c.& dein.
peccatorum remiſſio felicitas 602.2.b
peccato in quouis duo ineſſe 604.1.a
peccatorũ remiſsio non tollit ciuiles pœnas 419.2.b
peccati authores ſunt & perpetratores 760.1.c
peccata quibus modis tollantur 850.2.c
peccatores rectè dicuntur eſſe & non eſſe à Deo 632.1.c
peccauit homo libero arbitrio 883.2 a.b
peccatata nulla irremiſsibilia in Eccleſia Dei viuentibus & pœnitentibus 843.1.b.c
In abſentem quando peccetur 205.2.a
In præſentem quomodo peccetur 205 2.a
Pecudes Pecora quid vocent Latini 513.2.a
Peculatus quid 156.1.b
Pelagiani cur ſic dicti 1013.2.c
eorum errores 1015.1.c
Pelagius dixit Natura m noſtram eſſe ſine vitio Reſponſio 681.1.c
pelagianorum omnis erroris fontes quinque 702.2.a.b
pelagius dixit Primus homo ſine peccato factus eſt 689.1.a
Pelagius dixit ſi neceſsitate peccamus aut quid agimus, ergo nulla voluntate 689.1.b
Pelagij error, naturæ noſtræ inſitam eſſe poſsibilitatem nõ peccandi 689.1.c
pelagij error de Baptizatis 689.2.a
Pelagius primus pontifex Romanus Totilã precibus ſuis flexit 1077.1.c
Pelagianorum error ſeptimus & eiuſdem refutatio 685.1.c
pelagianorum argumenta aceruatim collecta 685.2.c
Pelagiani virtutes negant eſſe dona Dei 708.1.a
pelagiani cur ſic dicti 677.2.b
pelagiani & cœleſtiani ijdem 667.2.b
ad pelagii de peccato dictũ Reſponſio 687.2.c
pelagius irriſit hoc dictum ſuperbiam hominis per peccatũ ablatam 688.1.a
pelagius dixit Nõ verendum eſſe profiteri nos iuſtos, quia verũ eſt 688.1.c
pelagius dixit Quorum peccata non commemorauit Scriptura fuiſſe iuſtos 688.2.a
Pelagianorum Hypotheſes 679.1.b.c 2.a.b
pelagius libros ſcripſit non indoctè multos 678.1.c
pelagius dixit, Abſurdum eſſe ſi pœna peccati dicatur eſſe materia corruptio & acceſsio per quam peccatur 687.2.a
pelagius dixit. Si ſola hominis voluntas potuit ſe vitiare, Ergo & ſola ſanare ſe poteſt 687.2.b
pelagii Reſponſio de Dei miſericordia 687.2.c
pelagianorum obiectionibus duabus Reſponſio Auguſtini 683.1.a
pelagianorum obiectio filios Dei non peccare 683.1.c.
in quibus diuerſa via peccẽt Pelagiani à Manichæis 703.1.a.b.c
pelagianorum error ſecundus 680.2.c
aduerſus pelagianorum errorem ſecundum argumenta Auguſt. 680.2.c
pelagianorum error primus ab Auguſtino refutatus 680.2.b
pelagianorum error tertius 681.2.a
pelagianorum error tertius ab Auguſtino refutatus 682.1.a.b
pelagianorum error quartus 682.1.c
pelagianorum error quintus 682.1.c
Pelagianorum obiectiones duæ.1. Nemo peccat niſi volens.2. Non præcipit Deus impoſſibilia 682.2.c
contra Iulianum Pelagianum 703
pelagian. de Chriſto error eiuſque gratia 692.1.c.2.a
Pelagij patria 678.1.a.b
Pelagianorum obiectio ſecunda, & ad eam Auguſtini reſponſio 683.2.a
Pelagianorum obiectio tertia & ad eam Aug. reſponſio 683.2.b
pelagianorum obiectio quinta & ad eam Aug. reſponſio. 683.2.c
pelagianorum error ſextus eiuſdémque refutatio 684.2.c
Regeneratum filium de patre regenerato naſci falſ. Pelagianorũ arg.35.2.c
pelagii errores 679.2.c.680.1.a.b.c
pelagianorum, Papiſtarum, Operiſtarúmque error 453.1.c
pelagio quatenus lex vtilis 437.1.c
Pelecanus & Paſſer ſolitariæ Aues 369.2.a
De Penuria 538.1.a.b
Pepuziani & Quintiliani vnde dicti 948.1.a
pepuzianorum & Quintilianorum errores 948.1.c
pepuzianorũ hereticorũ error 451.2.b
Πέρανσις ſiue ἐπίλογος 404.2.b
De peregrinationib⁹ votiuis 448.1.c.2.a
De Perfectione Iuſtitiæ hominis 728.1.a
perfecti qui dicendi 852.2.c
περίφρασις quid 425.1.c
περιχώρησις quid 1403.1.c
periurium quid 112.1.a
Contra periurium, Romanorum Nomotheſia 114.2.b
Perizoma vox quid ſignif. 709.2.c
perſeuerantia 725.2.c
perſeuerantia 724.2.b.c
Permanere dies & noctes in ſupplicationibus quomodo intelligendum 494.2.b
de perſeuerantię bono 720.1.b
Perſecutores verbi diuini tertio præcepto damnantur 114.2.b
Perſeuerantia vnde habeatur 721.1.c
Perſ. diuerſæ, diſpares, diſcrepantes, diſcretæ, differentes, vtrùm dicantur 1218.2.a.& dein.
Perſonæ à ſeipſis non ſeparãtur 1308.1.b
Perſonales notiõ. quot ſunt 1231.2.b
Perſonam vnam non magis eſſe Deum nec priorem Deum 1305.2.a
Perſonas eſſe verè inter ſe diſtinctas 1305.2.c
Perſonas tres in diuinis reipſa ſubſiſtere 1305.2.c
in Perſon. diuin. non eſt defectio DDd. col.3.a
Perſonæ definitio 1356.2.a.b
Perſonæ appellationes 1357.1.b
ex Perſonis tribus nullam eſſe alia vel magis Deum vel priorem 1305.2.a
Perſonarum trium diſtinctio quomodo agnoſcatur 1306.1.c
Perſonarum trium diuinarum vna numero eſt eſſentia 1034.1.c
Perſonarum diuinarum æqualitas declaratur 1195.2.c
Perſon. attributa propria 1256.1.c.& 1256.2.a.& dein.
Perſon. propria ex Hilario 1242.1.c
Perſonarum trium Deus vtrum rectè dicatur 1256.1.a.& 1258.1.b
Perſonarum diſtinctio vnde fiat, & quomodo 1306.1.c
Perſon. emanationes duæ 1173.2.c
Perſon. diuin. diſtinct. CCc.col.13.a & dein.
Per quid ſignificet 1168.2.a
περιχώρησις perſonarum 1202.2.c
Permiſſio 1292.1.c

Perſona non eſt pars Trinit. 1197.1.b
perſona ad ſe dicitur in multis, quæ conueniunt ſing. perſonis. CCc.col. 24.a.& dein.
Perſona vtrum ad ſe dicatur 1211.1.c
à perſona ad eſſentiam in diuinis vt vitioſè argumẽtatio fiat DDd.col.7.c
perſona & eſſentia non eſt formaliter idem 1254.1.b.& 1254.2.a.b.& dein.
perſona in diuinis vna non eſt alia 1305.2.c
perſ.vtrum dicatur ſecundum eſſentiã 1219.1.c.& dein.& 1220.2.a.b
perſona vtrum ſingulari, an plurali numero ſit enuntianda 1210.2.c.& 1211.1.a
perſona eſt aliud quàm Deus & eſſentia 1214.2.c.& 1219.2.c
perſonæ vox tripliciter accipitur 25.5.& dein.1220.1.b
perſonę vox vt de Pat.Fil.& Sp.Sancto dicatur 1214.2.b.c.& dein.
perſ.æqualiter adorandæ 1305.1.b
perſ.tres non plus aut maiores quam vna 1199.2.b.& 1199.1.b
perſonæ vtrũ differant numero 1198.2.c
Quæ Perſonæ præſint doctrinæ & quæ ſit de illis diſputatio 122.1.a
Non vnicam Perſonam, ad regendam totam Eccleſiam electam ſed plures quibus Eccleſiæ cura demãdata tum ad doctrinam tum ad mores 490.1.b.c.2.a.b
Perſona Miniſterio idonea 518.1.c
pertinacia quid 198.1.c
חטאת עון פשע quid differunt 857.2.c
contra Petilianum liber 3.Auguſt. 662.2.c
contra Petiliani literas Auguſtinus 658.2.a
contra petiliani Epiſtolam lib.2. Auguſt. 659.2.a.660.1.a.b.c.2.a.b
Petitio 1. Orationis Dominicę ſanctificetur nomen tuum 585.1.c
Petitio 2. Orationis Dominicæ veniat Regnum tuum 587.2.b
Petitio 4. Orationis Dominicæ Panem noſtrum quotidianum 595.1.b
Petitionis quintæ explicatio. Et Remitte nobis 601.2.b
petitio 3. orationis Dominicæ fiat voluntas tua in terra 591.c
petitionis ſextæ explicatio. Et ne nos inducas 606.2.c
Petrus prædixit mortem ſuam 1052.2.b
petri locus de clericatu Papali 1056.1.b.2.a
in Lomb.qui & quot ſunt commentati AAa.col.8.a. Qualis ſcriptor col.11. Quam fidem mereatur col.10 2.pro P.Lomb. defendendo quæ afferantur col.17.a
P.Lomb.quis fuerit AAa.col.6.c
Φάντασμα quid 766.2.b
Pharao quis 101.1.c
Phariſæi 911.1.a.912.1.a
Φιλαργυεία quid 203.1.a
φυλαργυεία quid 542.2.c
Ad Philemonem epiſtolæ partes 413.2.a
Philomela 369.2.b
Philoſophiæ partes 43.col.1.a
Φιλόξενον oportet eſſe miniſtrum 462.1.b
φύσει ineſſe, & φυσικὸν eſſe differunt 806.1.b
φλυαρὸς vnde dicatur 501.1.b
φλυαρίας ſiue ληρήσεως duo ſunt genera 501.1.c
Phocus permiſit Romano epiſcopo vt vniuerſalis diceretur 1065.1.a
phocæ viuiparæ 359.1.a
phocas mauricium imperatorẽ interfecit 1073. .a
Phœnix 369.2.b
Photiniani quem errorem ſecuti ſunt 966.1.c.2.a
Phraſes Scripturæ ſeu particulæ diſtinctiuæ 1424.2.c
Φρόνησις quid 51.1.c
Φθαρτολάτραι qui 1204.1.a
Phyſica quotuplex 228.1.a
phyſice quid 427.1.c.228.1.a
Phyſicen ex ſacra ſcriptura non poſſe hauriri 230.1.c.2.a.b.c
phyſices chriſtianæ & Ethnicæ diſcrimen 231.2.a.232
Inter Phyſicos Prophanos & Chriſtianos differentia 232.1.c
Phyſicæ cognitio quæ & quanta ſit 232.2.a
Vtrum Phyſica quæ extra Dei verbum traditur ſit vana, omninóque incerta 232.2.b
Phyſices cognitionis fines 232.1.a
phyſicæ ſubiectum 233.1.b
phyſicen ex ſacra ſcriptura hauriẽdam 230.1.a
cur phyſice Philoſophorum voce author Chriſtianus vtatur 227.2.c
phyſica vtrum homine Chriſtiano digna 228.1.b
phyſices cognitio vniuerſalis vnde haurienda 229.2.b
Ex nihilo nihil fit Phyſicorum axioma quomodo interpretandum 243.2.a
cur philoſophi eas res quas Phyſicas vocant ex motu præcipuè definierunt 234.1.a
An ex cognitione Phyſices vileſcat miraculum creationis mundi 229.1.c
cur rem ex eò quod conſpicua ipſa ſui natura eſt phyſicam appellemus 234.1.b
Quot modis conſideret res creatas Phyſicus Chriſtianus 236.1.b
Deus & Angeli ad Phyſicos non pertinent 233.1.a
non omne ὂν pertinet ad Phyſicam 233.1.c.
Picturæ laſciuæ damnandæ 1512.a
pietas quid 194.2.b
pietas 544.2.a
pietas ſeminarium omnium virtutum vt ait Ambroſius 72.1.b
Pietatis cõſeruatio ad magiſtratũ pertinet 443.2.c
pietas cur magnus quæſtus 538.1.c
pietatis Laus 483.1.a
pietas vera quomodo Græcis vocanda 738.2.c
pietas quid 537.c.c
πιμελὴ Adeps quid 374.2.b
Pinnarum & caudæ vſus 360.1.c
piſces ex repentibus cenſendi 359.2.a
piſces ſuauiſſimi ſunt 359.2.b
piſces pulmone carent 360.1.b
piſcibus lingua dura 360.1.c
piſces aures & nares perſpicuas non habent 360.1.c
cur Piſces ſunt tam fœcundi 364.1.a
cur Piſces primi ex omnibus animalibus creati 357.1.c.2.a
piſces à reptilibus nonnũquam ſecernuntur 358.1.b
In vniuerſo Piſcium genere nunquam fit vt ex diuerſi generis animalibus vlli piſces gignantur 359.1.c
cur ex iiſdem Aquis Piſces prius quàm Aues conditi ſunt 366.2.b
piſcium non fluuiatilium neque etiam marinorum genera 362.2.b
de Piſce Leuiathan 363.1.b
piſces marini longè terrenis animalibus fœcundiores 363.2.c
non marinorum Piſcium varii ordines, variáque genera 362.1.b
de variis Piſcium fluniatilium generibus 362.c.2.a
varii Piſcium marinorum ordines diſtinguuntur 361.b.c.2.a.b.c.362.a
Piſces cicurari poſſunt 360.1.b
Piſces an ſunt animalia, & quæ in eorum natura obſeruanda 360.1.a
cor piſcibus ineſt inuerſum 360.1.a
memoria Piſcib⁹ quibuſdã ineſt 360.1.a
Piſces in aquis ſomnum capiũt 360.1.a
Piſces viliora animalia cẽſentur 357.2.b
piſces vnde producti 359.1.c.2.a
piſces pauci gulam habent 360.1.b
mira quædam de piſcium inter ſe concordia & diſcordia 363.2.a
de mira Piſcium fœcunditate & vnde illa ſit & quomodo concipiant & pariant 363.2.b
πίστις quid 416.1.a
Placabilitas 199.1.a
plagium quid 202.2.a
planetę duplici motu cientur, ſuo & cœli, id eſt, alieno 341.1.c
de Planetis qui ſunt ſeptem 339.2.b
Plagii ſpecies eſt ſeruum alienum inſcio Domino retinere 418.1.c
de Plagis & Zonis cœli 252.2.c
de plantis maribus & fœminis vtrum ea diſtinctio ſexus ad generationem plantarum ſit neceſſaria 324.1.a
Plagium quid 156.2.a
plani qui dicuntur 476.2.a
Planta quid 319.1.c
Plantæ qua vita ſint præditæ 320.1.c
cur plãtas prius creauit quàm res alias Deus 318.2.b
cur Planta vocatur ſimplex corpus 319.1.c
cur Plantæ à Deo creatæ 320.1.a
planta vel ſtirps vnde dicta 318.1.c.2.a
plantis ineſt anima 321.1.a
in Plantis ſi variæ qualitatum impreſſiones fiant varij etiam erunt colores 322.1.a
plantæ vt viuant adhærẽt terræ 321.2.b
plantæ è terra naſcentes virorem habent 321.2.b
Quomodo plantæ aliæ alias expetant alias refugant 321.1.c
De partibus plantarum 322.2.a
de variis Plantarum ſeu ſtirpium generibus 322.2.b
Platonis diſcrimen inter βούλεσθαι & ἐθέλειν 52.1.b
Platonici 910.1.b

In Chriſti carne vtrum habitet tota Plenitudo Dei filii vt pater eſt in filio 1383.2.a
Plutarchi error ϖεὶ τ̃ ἀλόγων ζώων 355.2.c
Pluuia quid 288.2.a
pluuia quotuplex 289.1.a
pluuia naturalis quæ & quotuplex 289 1.a.
pluuia miraculoſa vnde fiat 289.1.b
Plumæ auibus, ſunt copioſi humoris excrementa 366.2.a
Vox πνεῦμα & πνοή 714.2.
Pœnæ quæ in Adamum dicta eſt, & mortis hæredes ſumus omnes 66.1.a
Pœna damnatorum quales 887.2.a.b
Pœnarum gradus 640.2.b
pœnitentia duplex 843.2.a
Pœnitentia vnde 862.1.a
pœnitentiæ partes ſecundum Papiſtas 30.2.a
De Gratiis ſeu mitigatione pœnarum maleficiorum 139.2.b
ϖοκάδες pecudes dictæ 373.2.b
Politiæ Romanæ forma quo tempore ſcripta eſt Apocalypſis 1060.
politia in 4.præcepto obſeruāda 119.2.a
Vtrum in politia Eccleſiaſtica præeſſe cæteris vnus aliquis perpetuo debet 455.1
Polygamia leue peccatum habita 457 2.c
De Polygamia patrum 141.2.c
Polypi 358.2.b
ϖολυσύνδετον 423.2.b
ϖολύπτωτον quid 423.2.a
Pompholix vnde fit 316.2.b
De falſis Ponderibus & menſuris 168 1.a
pontificia maieſtas 1038.2.a
Pontifex Romanus accuſatus quod ſe à nullo Iudicandum affirmaret 1078.1.b
Pontifex 1034.2.c
Porretanus CCc.col.15.c
Poſſe & velle Dei differunt 1291.1.b
vtrum Poſſit Deus quæ olim potuit 1259.2.c.& dein.& 1290.2.c
an poſsit Deus alia, quam ea quæ facit 1256.2.b.c.& dein
Poſtelli & Poſtellianorum hæreſis 793.2.b
potentia quid 611.2.c
potentia Chriſti quomodo apparuerit 475.2.b
potentia & voluntas Dei vt conueniant 1287.1.b.c.& dein.
potentia trium perſonarum æqualis 1203.1.c.& dein.& 1204.2.c
potentia generandi in diuinis vtrum ſit eſſentiæ an perſonę,& vtrū actus an potentia DDd. col.18.b. & dein.
Potentia Dei alia ordinaria,alia extraordinaria 1289.1.a
Poteſt Deus quæ iuſtitia eius exigit 1286.2.c. & excellentia 1284.1.c non poteſt quædam Deus 1284.1.c
poteſtas eadem in diuinis perſonis & 1195.2.c.1203.1.c & deinceps
poteſtatis ciuilis pœnæ 129.2.b
poteſtatem clauium Chriſtus tribuit Petro. Matt.16.18. 11.col.2.c
Præcepta decē Hebraicè & Græcè 187
materia decem Præceptorum 102.1.b
eſſentialium præceptorū diuiſio 99.2.c
in Præceptis negatiuis affirmatiuum colligendum
Præcepta affirmatiua non obligāt ſemper 99.2.c
præcepta negatiua ſemper obligant 100.1.a
præcepta cur plura ſint negatiua quā affirmatiua 100.1.a
in Præceptis negatiuis duo ſignificata obſeruanda 100.1.a
præcepti primi explicatio 102.1.c
præcepti 2.expoſitio 204.1 c
præcepti ſecūdi capita pręcipua 108.1.c
præcepto ſecundo cur pœna addita 108.2.a
qualem comminetur pœnā Dominus 2.Præcepto 109.1.b
præceptum ſecundum num ius naturæ violet 125.1.b
præcepti 3.explicatio 110.2.a
præceptum tertium vt volunt Anabatiſtæ non eſſe Cæremoniale 110.2.b
præcepti quarti explicatio. 115.2.c
ad Præceptum quartū quæ pertineant 120.1.a
Summa quarti præcepti 116.1.b
De ſecunda tabula & numero Præceptorum quæ in ea continentur, eorúmque materia 123.2.c
Quot præcepta ſecunda tabula contineat 123.1.a
Cur ſex eſſe oportet Præcepta 2. Tabulæ 124.1.a
num pauciora præcepta quam ſex eſſe debuerint aut potuerint in 2.tabula 123.1.c
præcepti 5.æquitas quotuplex 124.2.a
Præceptum quintum etiam parentes ad curam liberorum & domeſticorum ſuorum obſtringit 496.2.a
Quas ob cauſas addita ſit promiſſio 5. præcepto 127.2.c
Præcepti ſexti explicatio 130.2.b
In explicatione ſexti præcepti quot conſideranda 131.1.c.132.2.a
pręcepti ſexti æquitas quotuplex 131.1.a
Præcepti ſeptimi expoſitio 140.2.c
Septimum præceptum in 5. capita diuiditur 142.2.b
vtrum ſexto Pręcepto omne rei viuentis genus occidi prohibetur 134.2.b
ad ſolos homines non occidēdos ſextum Præceptum pertinet 135.1.b
vtrum ad ſeruos pertineat 7. præceptū 143.2.a
præcepti ſeptimi æquitas 141.1.b
octaui præcepti expoſitio 152.2.c
præcepti 8. capita 5. 154.1.c
definitiones virtutum & vitiorum quę ad octauum Præceptum referuntur.
pręceptum octauum verſatur in iuſtitia commutatiua 201.1.c
præcepti 8.quæ ſit æquitas 152.2.c
noni Præcepti expoſitio 163.1.a.b
cur rerū ſex meminit nominatim Præceptum nonum 180.1.a.b.c
noni à tertio Præcepto quod ſit diſcrimen 163.2.b
Pœna noni Præcepti 180.1.c
Præcepti noni æquitas 163.2.c
præcepti decimi expoſitio 176.1.a
vtrum vnum an diuiſum ſit vltimum præceptum 178.1.c
Vltimum præceptum cur vltimum ſit ratio 178.1.a
æquitas vltimi præcepti 178.1.b
præceptio 1292.1.a
præceptio vt differat à prohibitione 1294.2.c
quæ Præcipit Deus omnia vtrùm fieri velit 1292.1.c
præceptores Lutherani cum noſtris amicitiam coluerunt 1484.1.c
praxis Præceptorum Theologicorum 467.2.b
De præceptis contradictio 1609.1.a
Prædeſtinatio 1258.1.c.& deinc.
prædeſt.differt à præſcientia 1276.1.c
prædeſtinatio non eſt tantum de bonis DDD.col.13.c
prędeſtinationis & reprobationis fundamentum ἐυδοκία Dei 1279.2.a
prædeſtinator.numer.vtrum certus ſit 1276.1.c & dein.& 1280.1.b
Prædeſt.nullus damnari poteſt 1276.2.a
prædeſtinatio & Præſcientia Dei differunt 719.2.b
Prædeſtinationis aſſertio 27.2.a.b
de Prædeſtinatione ſanctorum doctrinam Pelagiani calumniabantur tanquam inutilem imò verè noxiam Eccleſiæ 728.1.b
Prædeſtinatorum hęreticorum dogma 378.2.c
prædeſtinari conuenit Angelis ſicut & hominibus 513.1.a
de prædeſtinatione Dei 722.1.a
de prædeſtinatione 1506.2.a
de prædeſtinatione 717.1.c
prædeſtinatio ſanctorum 719.1.a
prædeſtinatio & Electio ſanctorum 873.2.c. 874.2.a
prædeſtinationis doctrinam in Eccleſia eſſe inutilē cōtendētes 721.1.a.b.c
prędeſtinatio ad quos pertineat 875.1.b
Prædeſtinatio quid 877.1.c
prædeſtinationis noſtræ cauſæ 876. 2.b.877.1.c
octo Prædictionis ſpecies ex ſacra Scriptura 380.2.a
cur Præfari quędam ad ſuam legē deus voluerit 100.2.b
pręfationis legis diuinæ explicatio 100 1.c.a.101.a.b.c
effecta præfationis legis 100.2.c
præſcientiæ gratiæ, & Iuſtitiæ Dei varia effecta 717.2.b
De carnis & ſanguinis corporali præſentia 1526.1.c
Præſcientia Dei vtrum conueniat cum voluntate hominis 1276.1.a
Præſcientia Dei 1258.1.& dein.
Præſ.Dei vtrum mutetur 1275.1.c
præſcientia Dei vtrùm cauſſa rerum 1270.2.b.& deī.falli nō poteſt 1272.2.b
præſentia Dei vtrum augeri vel minui poſsit 1282.2.c.
præſentia omnia Deo 1259.1.c. & 126.1 1.a.& deinceps
præſcientia Dei 880.2.b
præſcientia & prædeſtinatio vt differant 1276.1.c
præſciti qui dicti 1279.2.b
præſciuit Deus peccata,non ordinauit 1278.2.b

de Præſentia corporis Chriſti vbique 1501.2.a.b.c.1502.1.a.b.c.1503.
præſentia Sacramentis quid 1542.1.c
de præſentia corporis Chriſti 1579.1.c
præſentia corporis Chriſti in cœna qualis 1589.2.c
prę ſumptio quid 192.2.c
præuaricator quid 861.2.c
πρακτικὸς intellectus quid & circa quę verſatur 51.1.b
πράττειν & ποιεῖν ab Ariſtotele diſtincta 46.1.c
in Precatione Dominica cur Perſonarum velut Principis non fit mentio 568.2.b
An precandum pro clericis qui in bello pro Gentilibus occubuerunt 443.1.b
A precibus noſtris excipiuntur qui in Sp.Sanctum peccarunt 443.1.c
Aduerſus Iulianum Apoſtatam Precata eſt Eccleſia 443.2.a
Precum Chriſtianorum quanta vis 420.2.a
Etiam à Deo præceptum eſſe vt ſe precemur & inuocemus 562.1.c
precandum Deum,& Chriſti exemplo & omnium piorum docemur 562.2.b
precandus quis ſit 573.1.c
Deus vtrum preccandus 559.2.a
Deum eſſe precandum, à natura ipſa dictari hominibus 560.1.a
precationis varii fines 564.2.b.c
precandi legitimè formula 566.1.c
precandi formula Chriſti quorſum inſtituta, cùm poſt traditam Paulus dixerit nos ignorare adhuc quomodo precari oportet 568.2.a
In vita æterna quomodo precari eſt neceſſarium 560.2.c.561.1.a
Preces publicæ 441.1.a
Vt precentur quibus præcepit Deus 562.2.c
precatio ad quod præciptum legis pertineat 563.1.a
Deum precari eſſe vtile & cur 561.2.b
in bene Precando quæ ſunt οὐσιώδη quæ συμβεβηκότα 569.1.a.570.2.c
Deum precari homini neceſſarium 560.1.a
In Precatione omni tria conſideranda 571.1.a
precari vbique locorum an æquè omnibus liceat 571.2.c
preces publicæ quæ 572.1.a
preces à quibus debent fieri 442.1.c
precatus eſt Chriſtus qua ratione Deum 571.a.b.c
eorum qui precandum Deum negauerunt refutatio 563.564.2.a.b.c
De precibus earumque circunſtantiis 447.2.a
precari qui debeant 571.1.b
precum noſtrarum verum fundamentum 444.1.b
An precandum pro iis qui manus violentas ſibi attulerunt 443.1.b
De Presbyteris cur à Timotheo prætermiſſa diſputatio 470.1.a
presbyter & Epiſcopus idem ſunt 454 1.b.2.a.b.c
presbyteri cur coram omnibus arguendi 508.2.b
multatio Presbyterorum ad quos pertineat 508.2.c
vtrum presbyteri epiſcopis adæquandi 454.2.c.455.1.a.b.c.2.a
presbyteri diaconis vtrũ priores 470. 1.c.2.a
presbyterii & plebis partes diſtinguẽdæ 516.1.a
presbyteris cur honos debetur 507.1.a
presbyterorum genus quotuplex 454. 1.c
presbyterorũ genus quotuplex 566.2.a
presbiterium quid 488.2.b
mali Presbyteri comparatio 566.2.c
officium erga Presbyteros præſtandũ 505.2.b
primarijs fœminis vt Reginis &c.ſumptioſior cultus cõcedendus 450.2.c
Principii vox quid ſignif. 1237.1.b
vt perſonis diuinis tribuatur ibid. & dein.& 1239.1.c.& dein.
principii ſignificationes 240.1.c
principium quod habet, habere finem ſemper,falſum 642.1.b
principia duo Manichæorum abſurda 631.1.b
de Principijs & cauſis humanarum actionum quæ ſunt hominis propriæ idque in genere 56.1.b
princeps fumi quis 631.2.a
PrincipesChriſtianos de religione cognoſcere debere 656.2.b
Principii petitio quid ſit & quot modis fiat 28.2.a
principia cur duo manichæis 640.2.a
prior non eſt Pater Filio & S. ſancto EEe.col 11.c
priſcillianiſtarum error de fulgure & tonitru 291.2.c
priſcillianiſtæ cur ſic dicti 998.a.
eorum errores 999.2.a
priſcillianiſtarum error de ſyderibus 338.1.a
contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas 643.1.c
priuatio & ſimplex negatio quomodo differant 10.2.c
priuata non ſemper eſt vocatio 617.2.a
procedi & naſci quid differãt 1173.2.a. & dein.
procedit de Patre & Fil.Sp. Sanct.1166. 2.c.& 1169.1. b.& 1171 1.a.b
procedit filius de Patre 1171.2.c
proceſſio Sp.ſancti temporalis 1174.1.b & dein.
proceſſio & gener.vtrùm diſtingui poſſint 1171.2.c.& dein.
de Proceſſionibus 107.1.b
proceſſionarii 1032.1.b
proclianitæ quib⁹ ſucceſſerint & quid ſenſerint 989.2.a
prodigalitas quid 202.2.b
an à ſuſcepta ſemel Profeſsione Euangelici miniſterii paſtores poſsint abduci 480.2.c.3
profectio pauli tertia 433.1.b
Πρόγνωσις 1273.1.b
prohibitio 1292.1.a.b
Πρόληψις quid 422.1.b
promiſſio rerum temporalium & nobis & Iudæis olim promiſſa 634.1.c
promiſſio & præſtatio Spiritus Sancti 639.1.a
promiſſio quotuplex 109.2.c
ſpiritus ſancti promiſſio cur non fuerit differenda diutius 630.2.b
pronunciatio ſola verborum num conſtituat corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam 1591.2.b
Προσμὸς quid 403.1.a
Προσεισμὸς 1273.1.b
de Propaſſione & Paſſione 177.1.b.c
προπάθειαι quid 178.2.c
prophetarum Hebræorum teſtimonia Gentilibus eſſe inutilia 635.2.b
prophetæ falſi tertio præcepto damnãtur 114.1.c
prophetas reiiciunt Manichæi 635.2.a
prophetæ quomodo prædixerint antiChriſti aduentum 642.2.c
propiora & vicinora in nobis conſideranda Actionum principia 61.2.a
propoſitio ſyllogiſmi quæ vera 7.col. 1.c.quæ falſa ibidem
Propoſitionum mixtio quid 5.1.b
proprietates vt ſunt in dei eſſentia 1251 1.a vt eam determinant & dein.
Prop.perſon.quotuplices 1228.1.c
Propriet.perſon.vtrum ſint diuin. eſſentia 1250.1.b.& 1225.1.b.dein.
propriet.tantum tres in vnius 1195.2.a & deinceps
propriet.vt inſint perſonis 1228.1.c.
Proprietates perſonarum diuinarum tres 1228.1.c
propriet.perſon.diuinarum ſunt incõmunicabiles 1307.1.
Proprietates perſonarum vtrum ſint ipſæ Perſonæ 1249.2.c.& 1250.1.a
προσευχὴ quid 570.2.b
proſperi de voluntate & intelligentia noſtra grauis ſententia 66.1.b.c
Πρόθεσις quid 402.2.b
Proteruia quid 201.1.b
Pruina quid 290.1.b
Prouidentia Dei & noſtra diligentia non pugnant 634.2.a
prouidentia Dei 1258.1.c
prouidentia Dei quibus mediis vtitur 881.2.a
pruina quid à pluuia & niue & grandine differat 290.1.a
prudentia quid 19.2.a
Pſalmodiæ imperitia à munere Epiſcopum non excludebat 518.1.c
pſallianorũ ſurculus Monachi 494.2.c
Contra pſeudonicodemitas facit ſecũdum præceptum 1081.b
pſyche 359.1.c
pſychopannychitæ hæretici 1010.1.a
Ptolemiani quid à ſecundianis differant 912.1.b.c
Publicè aliquid damnare vel priuatim differunt 1485.2.a.b.c
Pudor quid 862.2.b
pudor quid 200.1.c
Pudicitia quid 200.2.a
pudicitia & virginitas quid differunt 708.2.c
pudicitia triplex 655.1.c
Pugna quid 196.1.c
Pumex quid 310.2.c
de Purgatorio 16.col.2.a
Purgatoriorum ignem eſſe an ſit credibile 849.2.b
de Purgatorio 21.col.1.a

Purgatoriũ quot ſcripturæ rationibus noſtro ſeculo defenſum 1.2.b
Purgatorium quot ſcripturę rationibus noſtro tempore defenſum à Papiſtis 1.b
purgationes poſt coitum 650.2.c
Inſulſa papiſtarum de ſuo purgatorio aſſertio 105.2.b
putipharis vxoris & Amnonis exempla 770.2.a
pythagorei 910.1.a
pythagoræorum & Manichæorum error. 134.2.c

Q

קדם Quedem vnde dicatur Oriens 252 1.b
Qualitas non eſt tribuenda diuinæ eſſentiæ 1202 1.b.&.c
De quadrupedum & hominum loco error 631.2.a
Quæſtiones quodlibetariæ 535.2.c
quæſtiones quæ damnandæ 536.1.a
Querimonia quid 196.1.c
querimonia ἀγανάκτησις 206.2.c
Quodvult Deus quis 909.1.a

R

RHadagaſius Gothorum Rex à Stilicone victus 1080.1.a
Rancor quid 196.2.c
Rapina quid 202.1.c
Raptus quid 15.1.b
Rationis partes 560.1.b
De ratione primum vniuerſis animalibus à Deo tributa falſa Lactantij, & aleni, Plutarchi ſententia 50.2.b
Rationem nobis eſſe integram relictã 62.2.c.63.1.b
Ratiocinatio quid 191.2.c
Rebellio quid 194.1.a
Rebus his inferioribus non inhærendum 631.1.a
Recitationes lipſianæ 1551.2.b
Reconciliatio & pax noſtra cum ſanctis Angelis 619.1.c
Redemptionis vox ambigua in Scriptis Pelagii 893.1.c
Redemptio noſtra quid 446.1.c.2.a
Cur ſanguis Chriſti ἀντίλυτρον dicitur 446.1.a
redemptionis ſpes in ſolis hominibus non in Diabolis reſtat 777.2.b
Repempto infinitus infinitæ offenſæ quærendus 791.2.b
An redemptionis beneficium totum pertineat ad naturam aſſumptam 1369.1.c
vitę Reformatio vnde naſcitur 487.2.b
Quomodo Spiritus in fidelibus vtranque regenerationis partem producat
רגל detrectari 501.1.b
Reges illi decem quid ſignificent in Apocalypſi 1079.2.c
Regnum Imperij Romani Idololatrici 1060.2
Mediam regionem perpetuo non eſſe frigidam 284.1.a
Regnum quid 611.2.b
regnum Dei quid 588.2.c
regnum duplex 588.2.c
Vtrum honeſtum ſit mulieres Regnare 452.1.a
Regulas ordinis profeſsi appellarunt Patres Aσκνσιν 482.1.c
Relatiuè dici quid 1205.2.c
Relatiuè dicuntur de Deo, quæ perſonas, & earum proprietates ſignificant 1208.2.c
relatiuè quædam de Deo dicuntur, vel tẽporaliter vel ab ęterno 208.2.a.b
de Relationibus perſonarum inter ſe 1306.2.a
relationum nomina 1208.2.a.b.& dein.
religioſi qui vocantur 483.1.c
in Religione qui laudandi, qui vituperandi 629.2.b
de Religionis controuerſiis vbi Iudicandum 1482.2.c.1483.1.a.b.c
religioni Chriſtianæ contradicentium hominum duo genera 742.1.c
in Religione credenda quædam antequam eorum ratio habeatur 629.2
Religio quænam beata 629.1.c
remiſſio peccatorum quæ fit à Deo nõ tollit pœnam ciuilem 139.2.a
religio quid 629.1.c
reminiſcentia quid 353.1.b
remiſſio peccatorum 694.2.c
de renaſcentia 694.2.c
renatis duplicem hominẽ tribuit ſcriptura 68.2.a
rerum diuiſio BBb.col.3
reuelare quid ſit CCc:col.6.b
omnium rerum ſumma duo genera 247.1.b
de reſtitutionibus rerum ablatarum 162.1.c
reſurrectionem negãt Manichæi 628.1.c
in reſurrectione vtrum poſſit Deus nos excitare è mortuis 865
reſurrectio 694.2.c
reſurrectio piorum vtrum ſine vllo vitio erit & corporis deformitate 867.2.b
In reſurrectione vtrum excremẽta acceſſura ſunt vt vngues 866.1.c
reſurrectionis Chriſti fructus 826.2.a
reſurgent omnes 863
reſurectionem negantes 863.2.b
reſurrectio duplex 863.2.c
in reſurrectione vtrum carnis ſubſtantia ita reſtituetur vt nunc eſt 856.2.b
reſurrectionem negãt manichæi 641.2.c
in reſurrectione corpora damnatorum qualia futura ſint 869.1.a.b.c.2.a.b
poſt reſurrectionem quorum damnatorum pœna futura ſit mitiſſima 859 2.b.c
res ipſę, earúmque natura & ſubſtantia à ſuperueniente poſtea & accedẽte illi malo diſtingui debent 242.1.a
reſponſio ad eorum obiectiones qui aleę ludum pertinaciter tuẽtur 221.1.a
reſpiratio animalium quid ſit & quo modo fiat 353.1.c.2.a.b.c
repetundarum crimen quid 156.1.c
Reprehenſione mitiore quando vtendum 509.1.a
de reprobatione hominum 717.2.b
reprobati etiam prędeſtinati appellantur 1279.2.b.& dein.
de reprobatione 1277.1.a.& dein.
reprobatorum damnatio vnde 1279.2.c
Reptilia quid 375.1.a
Reſina quid 328.1.c
de Rerum inter ſe vnitarum ſeu coniunctarum diuerſis generibus 143.1.c
Res per ſigna demonſtrata dignis & indignis non eſt cõmunis 1561.2.b
Rhetoriani cur ſic dicti, eorúmque error quis fuerit 1001.1.a
an loci Rhetorici & dialectici ſint arcendi à theologia 405.2.c
Rex ſæculorũ quomodo vocetur deus 439.2.a
de Ritibus eccleſiæ 1627.2.b
Romæ ſacerdotium cum regno coniunctum 1060.1.c
romani imperii cornua duo 1057.2.c
Romulus quomodo à quo & cur raptus 392.1.c.2.a
romanũ imperium quando ex Italia in Thraciam tranſlatum 1057.2.c
Ros quid 290.1.a
Rubricæ libri primi ſententiarum Petri Lombardi 1097.1.a
Ruminare vnde dictũ & ad quid tranſlatum 374.1.c

S

SAbbathum cur aliquod Deo inſtitui neceſſe ſit 116.1.a
Sabbatum ſignum fuiſſe fœderis inter deum & Iudæos initi 116.1.a
ſabbatum fuit cæremoniale 117.2.b
ſabbathum & quies Dei qualis intelligatur 633.2.a
ſabbatum quatenus fuit ceremoniale 117.2.b
ſabbathi ſignificatio 117.2.c.118.1.a
Sabbatho cur dies ſeptima ſit definita 118.1.b
Sabaudia veneficorũ feraciſsima 378.1.c
Sabbathum & cæremoniæ in nouo teſtamento quo ſunt loco 634.1.b
inter Chriſtum ſanantẽ infirmos & hominem colligentem ligna ſabbatho magnum diſcrimen 634.1.c
ſabbato opera quæ non ſunt licita & contra 117.1.b.c.2.a
ſabbati ἐτυμολογία 116.1.b
ſabbathum propter hominem non homo propter ſabbathum conditus 1615.1.c
ſabbati ſanctificatio quid 117.1.a
ſabbatum cur ſit obſeruari iuſſum 107 2.b
à Sabbathi contemptu cõcluſio inepta 1611.1.b
Sabbathum 912.1.a
ſabellianorum hæreſes 962.1.a.b
de Chriſti filij vnitate cum Deo patre falſum Sabellianorũ arg. 5.col.2.b.c
ſabellius quis fuerit 961.2.b
ſabelliani à nouatianis diſtinguuntur 961.2.a
ſacerdos magnus & Leuitæ quomodo ſe ſecularibus miſcebant negotiis 469.1.b
quomodo fuerit olim vnus ſummus Sacerdos & quorſum 490.2.b
ſacerdotes AEgyptii piſcibus abſtinuerunt 357.2.c
cum re Sacramenti quomodo ſigna male coniungantur f.10.a.col.2.a
de ſacramentis 660.2.b.c
ſacramenta an retinenda 1614.1.c.2.a

ſacramenta

Sacramenta an per totam vitam poſſint negligi 1609.2.a
de Sacramentis contradictio 1609.1.a
Sacramentariæ Exegeſeos in Saxonia editæ examen 1565.2.a
Sacramenta 669.2.a
De Sacramentorum natura 1567.2.b
Sacramenta à malis collata 663.1.b
A Sacramentis inepta concluſio 1615 2.a.1.b
ſacramenta veteris teſtamenti an differant quoad ſubſtantiam 1577.1.c
An quotidie ſacramenta ſint adminiſtranda 121.1.b
Sacramenta ſunt lac nobis nutriendis 1617.1.a
de Sacramentis 1048.1.a
de Sacrificio Chriſti & legis veteris 642.2.b
ſacrificia hodie an reuocanda 808.1.a.b
ſacrificia & ſacramenta 669.1.a.b
an propter Sacrificiorũ abuſum vera ſacrificia in Eccleſia fieri deſierunt 1614.2.b
ſacrificia ſub Achaſe & Manaſſe Regibus deſierunt 1614.2.c
ſacrificium & interceſsio apud Deum ſunt res coniunctæ 446.1.c
ſacrificia corporis & ſanguinis Chriſti iam offerebantur 714.1.a
ſacrificia 710.2.c
Sacrilegium quid 155.2.c
Sadducæi 911.1.b.912.1.a
Vtrum Epiſcopum futurum oporteat Seculariũ negotiorum peritum eſſe, eáque tractare 468.1.a.469.1.b
Vtrum in ſæcularibus artibus oportet Miniſtrum eſſe occupatum 462.2.c
Sæuitia Dominorum non eximit Seruos ab obedientia 532.1.a
ſæuitia quid 195.1.c
ſalas Eremitarum author 484.1.a
ſalutis noſtræ modus 783.1.a
Salutis & bonæ voluntatis noſtræ cauſam nos ne ex parte quidem eſſe, ſed eam ex ſola Dei miſericordia pendere 786.2.c.787.1.a.b
Salutis humanæ cauſæ 26.1.c
Salutem ad ſingulos homines pertinere quomodo falſo contendunt 11.1.b
ſalutem nobis à Deo gratis dari negãt Papiſtæ 1063.1.a
ſalutis doctrina quid docet 743.1.b
ſalutis triplex cauſa à Pelagio conſtituta 700.2.a
Samaritiſmus vel Samaritaniſmus 910 2.b
Sampſæi & Elceſæi 953.1.a
De Sanctimonialibus quæſtio 502.1. a.b.c
Sanctionum legis genus triplex Hebræis 527.1.a
De ſanctis adorandis falſ. papiſt.arg. 25.1.b
de Sanctis & Piis 647.2.c
Sanctuli 1032.1.b
Sancti in vita æterna, pleniſsime Dei gratiam percipient 870.2.a.b.c
Sanctitas & iuſtitia noſtra quid 83.1.b
Sanctitas coniugij 199.1.b
de Sanctimonialibus variæ ſanctiones 502.2.c.503.1.a.b.c.2.a.b
nullæ Sanctimoniales ante 40. annum 502.2.c
de paſsionibus Sanctorum quo modo ſentiendum 1302.2.a
Sanctimonia quid 8.12.c.82.1.b
Sanguis pro anima 643.1.a
Sapor quid 322.1.a
Sapientiæ cum ſole comparatio 71.1.a
ſapientia quotuplex 736.2.b
ſapientia vnde dicitur 736.2.c
ſapientiæ diſtinctio 738.1.b
ſapientes quomodo mouentur 630.1.a
ſapientia Δαιμονιώδης Iacobo quædam dicitur 738.1.b
Sapientia propriè dicitur Filius 1104.1.a
ſapientia Dei 1258.1.c
ſapiẽt.Patris & Filij vtrùm vna 1247.2.c
ſapiẽtia Filio tribuitur 1256.1.c.& dein.
ſapient.vt de Deo dicatur 1256.1.b.c
ſapiẽtia Patris,& Filii,& Spiritus ſancti vna 1256.1.b
ſapient.genita vt dicatur 1234.1.c.& 1235.1.c.& deinc.
ſapientia genita an ſit Filius 1247.1.b.& 1249.1.a.b.c
ſapor dulcis vnde 322.1.b
ſapor amarus vnde 322.1.b
ſapor inſipidus vnde 322.1.b
ſapor acris vel auſterus vnde 322.1.b
Σαρκασμὸς quid 426.2.a
Satan quibus modis apparet 836.2.b
ſatan nobis illudere poteſt 837.1.b
ſatanæ Teſtimonium Chriſtus admittere noluit 837.2.b
vtrum Satan poſſit auertere fideles 384. 2.b.c
nulla Satiſfactio pro peccatis noſtris Deo grata præter Chriſti ſanguinem 446.2.b
ſaturniniani cur dicti, 917.1.c
ſaturninianorum errores 917.2.b
ſatyri 369.2.c
ſcala quid 628.1.c
σχέσις ὀνομάτων 423.1.b
quid propriè dicatur quis facere ſciẽs 52.2.b
ſcientia Dei 1258.1.c.& 1259.1.c
ſcientia Dei vtrùm augeri poſſit 1273.1. c.& 1274.1.b.& 1292.2.c.& dein.
ſcientia Dei vtrùm cauſſa rerum 1270. 2.b.& 1272.2.c
Scit Deus omnia ſimul 274.1.a.b.& 1275.2.b.& dein.
Σκιογραφία 559.1.c
ſchiſmatici 669.1.b.2.c
de ſchiſmate ab Eccleſia 657.2.c.658.1. a.b.c
ſchiſmatici 662.1.a
Scholaſticorum ἐπίθετα 436.1.c
Scholaſtica vetus,media,noua,quando 1104.1.a.& deinc.
ſcholaſticæ Theologiæ origo 1101.1.b. & dein.
ſcholaſticæ Theologiæ progreſſiones 1104.1.a.& dein. π AEtates tres ib.
ſcholaſtici Theologi vnde dicti 1101.1.a
ſchiſmaticus quid 903.1.c
Scholaſtici vnde dicti & orti 1101.1102. 1103.1104.
Scholaſtici perperam ſalutis & interceſſionis mediatores diuerſos cōſtituunt 466.1.c
ſcholaſticorum falſ.dogma voluntatis noſtræ motum à Deo nobis dari negātium 89.2.a
Scholaſticorum Theologicorum quæſtiones quædam ineptæ 436.1.b
Scribæ 910.2.c.911.1.a
Scripta aliena neminem per ſe poſſe intelligere 629.1.c
Scriptorum Eccleſiaſticorum autoritas 633.1.b
ſcripturę error quis periculoſus 629.1.b
ſcriptura à quibus rectè intelligitur 629.1.c
ſcripturæ commendatio 629.1.c
ſcripturæ interpretatio 629.1.a
ſcripturas corruptas dicunt Manich. 629.1.b
ſcriptura ſacra vtitur ſæpe allegoria 629.1.b
Scripturæ interpretes quinam quærẽdi 629.1.c
ſcripturæ explicandæ modi quatuor 629.1.b
Scripturæ non verba ſed mens vrgẽda 687.1.b
ad vſum ſacræ Scripturæ neceſſaria 402.2.b
Scriptura docet vel præſcriptis verbis vel per ἰσοδυναμίαν 15.col.1.a
Scommatis vtrum homini Chriſtiano vti liceat 171.2.a
Scortatio quotidiana in ſtatum ſanctum canonizata 450.2.c
Scortatio quibus modis committitur 150.1.a
quo amino ſcortari lex vetet 148.2.c
ſcurrilitas quid 205.2.c
ſcurrilitas βωμολοχία quid 198.1.a
Σκυθισμὸς quid 102.2.c
propter ſectas,quæ in Eccleſia oriũtur Eccleſia non deſerenda 1608.1.b
ſecundini manichhæi Epiſtola 639.2.c
Secundiniani quid à Valentinianis differant 931.1.c
ſecundinianorum dogmata 29.2.b.c
Sedes Romana 1037.1.b.c
Seditio quid 194.1.b
Seleuciani vel Hermiani cur ſic dicti 988.2.a. eorum errores 989.1.a
conuitia ſelnecceri 1580.2.a.b
ad Selnecceri librum breuis reſponſio 1554.1.b
Semiariani qui fuerint 975.2.a.b
eorum errores 977.2.b
Semipelagianiſmus apertiſsime docerur in papatu 678.2.a
Semimetalla 314.2.a
nocturni Seminis fluxus vtrum peccatum 179.2.c
de Semine 697.2.c
de Semine herbarum & vtrum omnes è ſemine naſci poſsint 323.1.c
Seniorum qualis admonitio 492.1.c
Senatus Eccleſiaſticus quid 509.2.b
ſenſus quid & quotuplex in Animalibus 352.2.a
ſenſuales facultates ſolas in nobis eſſe vitioſas falſ.arg. 62.2.b
ſententiariorum dogma falſum hominem per ſe poſſe opus bonum ex generatione, & circunſtantiis poſſe 69.1.c
vis Sentiendi,& reſpirandi & ſeſe loco mouendi animalibus vnde inſit 354. 2.c.355.1.b
ſeparari non poſſunt perſonæ diuinæ à

ſeſe 1208.1.b
Separatæ perſonæ vtrum dicantur 1218.2.a.& dein.
Sephorę exemplum ad mulierculárum Baptiſmum aſſerendum 1505.2.b
Seps.359.2.a
Cur Septētrio frigidus ſentitur 294.1.c
Septentrionis qualitas 294.1.c
de Sepulchro domini violato fabula 1099.1.c
Septimo die cur Deus ceſſauit 259.1.a
Sermo prudens ſiue conditus 205.1.b
Sermones Sani qui 535.2.a
Sermonis defunctio ſeu λόγος 779.1.b
Serpentes Dominus creauit vt cætera animalia, ſed non venenatos homini & noxios quales hodie ſunt 365.1.a
Serpentes ad quod animalium genus pertineant 364.1.b
Serpentis conditiones 942.2.a
Serpentes ex hominum ſpinali medulla præſertim ſterquilinio putrefacta naſcuntur 361.1.c
In Serpentibus mira obſeruãda 364.2.c
Serpentum quot genera 364.1.c
Christiana libertas non tollit ciuiles Seruitutes 535.1.a
Cur Serui Dominis fidelibus lubētius ſeruire debent 534.1.c
Manumiſsio Seruorum Hebræorum pecularis 532.1.a
Serui pars Eccleſię ſunt 531.2.b
ſerui Chriſtiani ſuos Dominos etiam infideles omni honore debent proſequi 532.1.c
ſerui Dominos fideles quod ſint fratres non debent ſpernere 533.2.c
Seruile opus peccato, ſeruile homini ſeruile Deo 116.2.b
Seruitus quid 101.1.c
Seſsionis Chriſti fructus 827.1.b
de Seſsione ad dextram Dei 1446.1.b
de arbore Setim quod genus arboris ſit 329.1.b
Sethiani vnde dicti 937.1.b.c
Sethianorū errores 937.2.b
Seuæi 910.2.b
Seueriani cur ſic appellati 943.2.a.eorum errores 943.2.c
Seueritas quid 197.2.b
Seueritæ qui 1023.1.c
Seueritas quid ex lactant. 85.1.a
Sexagenaria Vidua inter Diaconiſſas allegenda 497.1.a.c
De ſicarijs mercede conductis 136.2.a
Signa omnia non ſunt abrogata 1615
Signum & Concomitans à conſequenti diſtinguuntur 30.1.a
Signum quid 20.1.b.c
Signi vox quid ſignificet apud Moſem 346.2.b.c
Inter Signū & Indiciū diſcrimē 347.1.a
Signū in ſacramentis cur datū 1576.2.b
De Signis Cœnæ 1527.1.b
de ſignis Cœnæ 1500.1.c
ſigni voluntas 1293.2.c. & 1299.2.c.
ſigni & Beneplaciti voluntas 1292.2.b 1294.1.c.& dein.
Signorum diuiſio BBb.col.2.a
Significationes vocis pacis & pater 28.2.b
Signorum & rerū per ſigna deſignatarū ſimilitudo & diſſimilitudo 1562.1.c
de Silentio mulierum in publicis cœtibus 451.2.a
Similitudo explicatur. 1244.1.c
Simonis dogmata 915.1.b.c.2.a.b.c
ſimonianæ ſectæ propagines 915.2.a
ſimo Turciſmi & mahumetaniſmi author 915.2.a
Selene quæ fuit dicta 916.1.b
Simoniani vnde dicti 913.2.c
ſimonis Galilæi diſcipuli 912.1.b
de Simonia 122.1.a
Simonia quid ſit 520.1.c
ſinere 1295.1.b.1299.2.b
ſimoniaci tertio præcepto damnantur 114.1.c
ſimpliciora perfectiora cōpoſitis quomodo intelligendum 319.1.a
ſimultas quid 194.1.b
ſingularitas non eſt in Trinitate 1212.1.c.& dein.
Sobrietas in paſtorib⁹ requiritur 521.2.b
Sobrietas quid 199.2.c
ſobrietas in iudicando & damnando proximo 207.1.a
Societas cum infidelibus duplex. Bellum euocatis infidelibus in auxiliū, damnandum 108.1.a
Sol & homo hominem generant verum dictum 272.2.c
an Sol calidus 274.1.b.c
de ſolis motu 343.2.c
Solem manichæi colunt 636.1.c
Solem & Lunam adorant Manichæi & heliotropitæ 628.2.a
de Sole & eius motu 341.2.c
an Sol, Luna, & Sydera poſt Plantas & arbores condi potuerint 333.1.b
ſolitudo non eſt in Trinitate 1212.1.c
ſolus vox vt de Deo, & de perſonis ſingulis vſurpetur 1205.2.c.& deinc.& 1206.1.c.& dein.
ſolus Pater eſt Deus 1208.1.a.b
Solus & vnus an idem 1207.1.b
ſolicitudo quid 203.2.c
ſolomon cur publice ſit precatus 442.2.a
ſolus quot modis ſumatur apud Dialecticos 1463.1.a
De Sono vtrum concentus fiat in Cœlis 341.2.c
ſomnus quid 353.1.a
ſophiſmatum ſtephani Gerlachii Elēchus 1547
Σώφρονα miniſtrum eſſe oportet 461.1.a
[illegible] Bos maior pecus 373.2.c
צאן minor pecus 373.2.c
ſordities immanis 203.2.a
quomoda ſortiarios ſatan ad ſynagogas deferat 391.2.c.
quid vox ſortiari⁹ notet & vnde ſumpta ſit 379.2.c
qua ratione quibuſque modis ſortiarii intoxicent 388.1.a
contractus inter ſortiarios & Diabolum formula 388.2.a
ſortiariorum ſynagogæ 388.2.c
an ſortiarii præſētes Diabolicis ſynagogis interſint 389.2.b
promiſſio & ſtipulatio ſortiatiorum cum ſatana 388.1.c
Quæ de Sortiariis dicuntur non eſſe commenta 383.2.c
ſortiariorum verba ſunt reuera nugamenta 393.2.c
cur vt vehantur oleis & vnguentis vtuntur Sortiarii 392.2.c
vtrū liceat homini Chriſtiano Sortiariorum opera in morbo aliiſque rebus vti 396.1.c
Sortilegi qui dicti 380.1.b
Sortilegos fuiſſe ex ſacra ſcriptura probatur 380.1.c
an Sortiarii poſtquam in poteſtatem Iudicum venerunt poſsint vti ſuis venenis & nocere 395.2.b
ſortiarii quidam ſatanæ nates deoſculantur 384.1.b
vtrum ſint Sortiarii 382.1.b
Sortiarios eſſe ex ſacra Scriptura conſtat 382.2.a
ſortiarios eſſe ex ſcriptoribus eccleſiaſticis conſtat 382.2.b
Hieronymus Sortiarios non eſſe aliquando putauit, at poſſea errorem agnouit ſuum 382.1.b
ex quibus cauſis homines Sortiarii fiant 385.1.b
in quæ rerū genera Sortiarii ſua ſpargere poſsint venena vt noceāt 385.2.a
quicquid mortale eſt à Sortiariis poteſt infici 385.2.c
à Sortiariis quid ſatā exigat 385.1.a
ſortiarii & ſortilegi differunt 381.1.c
Sortilegi & Sortiari quando ita nominari cœperunt 381.2.a
ſortiarij Sabaudis Eryges dicti 381.2.b
ſortiarii poſſunt intoxicare aerem 386.2.b
ſortiarij poſſunt ligare ligulam 386.2.c 387.1.a.b.
diabolus nec Sortiarii naturam ſeu eſſentiam noſtram mutare nō poſſunt 387.1.c
de Phantaſiis Sortiariorum 390.1.a.b.c.2.a
an ſine veneno iniecto poſsint intoxicare Sortiarii 393.2.a.b.2.a.b.c
cur noſtro ſeculo tot inueniuntur Sortiarii 383.2.b.c
qua pœna digni ſint ſortiarii 396.1.a
σωτὴρ quid 578.2.c
Σωτὴρ quid ſignificet 486.1.c
continuum eſſe totum illud ſpatium quod eſt à terris ad extimum cœlum 280.1.b
σπαταλῶσα χῆρα quid 495.1.c
ſpeciei ſignificatio CCc.col.7.a
ſpecies & corruptio ſunt contraria 631.2.c
Speciales vnumquemque monēdi rationes 492.2.b
de Spectaculis 107.1.b
qualia ſint vana Spectra 391.1.a.b
ſpes & fides quid inter ſe differant 748.749.
ſperare in Domino cur dicuntur animalia 560.1.c
ſpes vnde dicta 748.1.c
fides eſt vox πολύσημος 750.1.a
fidei totam naturam hoc eſt πληροφορίαν non perſequitur auguſt. 750.1.b
Spiratio Patris 1171.1.a.
ſpiritualis manducatio egregie probatur 1578.2.b
Mere ſpiritualium non poteſt eſſe res corporea 236.2.c
Spiritus vox πολύσημος 831.2.c
ſpiritus dei quid denotet.1.1.Gē.249.1.b

Spiritus illi tres de quibus in Apocalypſi qui 1087.1.a
ſpiritus ſanctus de patre & filio manat 829.2.b
ſpiritus ſanctus Liberioris ſtyli exemplum 415.2.a
ſpiritus Dei cur ſuper terræ mole 249.1.b.2.c
ſpiritus ſanctus additus Symbolo vt Trinitas compleretur 829.1.a
ſpiritus Dei agitabat ſeſe in ſuperficie aquarum quid ſignificet 249.2.b
ſpiritus ſanctus duplicem habet notionem 802.1.c
de Spiritu Sancto & Patre 648.1.a
ſpiritus Sanctus an Inuocandus 574.1.c
ſpiritus vt peccarint 640.2.b
Quomodo detur nobis S.ſanct. 1185.1.a
ſpiritus ſanctus vt in brutis aut inanimatis creaturis 1183.1.b.c
ſp.ſanctus non de nihilo CCc.col.22.c. non de materia ibid.& DDd.col.5.c
ſp.ſanctus procedit à Patre , & Filio. 1166.2.c.& dein contra Græcos
ſp.S.vſus vt dicitur 1242.2.b
ſp.ſanctus vtrùm ad ſeipſum referatur 1194.1.c
de ſp.ſancti deitate teſtimonia BBb. col.16.c
de ſp.ſancti proceſſione variæ Græcorum ſententiæ 1168.1.b.& dein.
ſp.ſanctus cui dōnari poſſit 1192.1.b.& dein.
ſp.ſanctus connexio 12441.a.b
ſp.ſanctus, vt dicatur donum , datum, & donatum 1192.1.b.& 1194.2.c.& dein.
ſp.ſanctus vtrùm procedat pleniùs à Patre quàm à Filio 1169.1.b.& dein. & 1170.2.a
ſp.ſanctus donum Dei vt dicatur 1091.2.b.& dein.
ſp.ſancti Pater & Filius principium vnum 1236.1.b.& 1239.1.c.& dein.
ſp.ſancti voces & generaliter & ſpecialiter ſumuntur 1164.2.a.& dein.
ſp.ſancti vox Trinitati toti competit 1225.2.c
ſp.ſanctus datum vt dicatur 1240.2.c
ſp.ſanctus genitus , cur non dicatur 1171.2.b.& deinceps
ſp.ſanctus vtrum augeatur in nobis 1185.1.c.& dein.
ſp.ſanctus eſt amor Patris,& Filij EEe. col.22.a.& 23.c.Dilectio col.22.b Charitas ibid.c. & fol.165.1.c. & dein.
ſp.ſanctus vtrum detur à ſeipſo 1177.1.c.& dein.
ſpiritum ſanctum qui dare poſſint 1175.1.a.& dein.1176.1.c
ſpiritus ſignificatio multiplex 1189.2.a
ſpiritus vt ſint in loco 1266.2.a. & circumſcripti 1266.2.a
ſpiritus Dei nec localis , nec circumſcriptibilis 1266.2.c
ſpiritus ſanctus,non dicitur imago Patris 1232.1.a.& dein.
ſp.ſanctus noſter dici poteſt 1194.1.a
ſpiritus ſanctus donum Dei vt dicatur 1225.2.b
ſpiritus ſanctus vtrùm procedat à ſe 1177.2.a
ſp.ſanctus propriè à Patre dicitur procedere 1169.2.b.c
ſp. ſancti principium vnum Pater & Filius,& Sp.vtrorúnque vna 1171.1.c
ſpiritus ſanctus mittitur à ſeipſo 1177.2.b.c
ſp.ſanctus vbique eſt 1175.2.c.& dein.
ſpiritus ſanctus eſt charitas 1184.1.a.& dilectio. ibid.
ſp.ſanctus non dicitur ingenitus 1172.1.c.& 2.a.& deinceps.
de Spiritu ſancto Ariani quid 647.1.b.c.2.a.c
ſpiritus Dei in nobis opera & dona atque diuerſi effectus 70.2.c
Dona Spiritus Sancti ſeptem 584.1.a
σπλάγχνα quid 416.1.c
Quæ Sponte non fiant 53.2.b
Squamarum vſus 360.1.c
Statura,ſimilitudo formæ vel diſſimilitudo quænam futura ſit in reſurgentibus 866.2.c
Staurolatræ qui 1024.1.b
στέαρ Seuum quid 374.2.b
Stella quid 336.1.a.b
ſtella vnde dicatur 336.1.a
ſtellæ & cœleſtia corpora cur ſupra terrena ſunt collocata 339.2.c
Stellarum corporúmque cœleſtium quæ ſit natura 338.1.b
ſtellæ vtrum calidæ,frigidæ &c. 338.1.b
Singulas Stellas creauit Deus non tantum duo Luminaria magna 336.1.b
An aliqua Sella primo cœlo ſit affixa 338.2.c
Nullæne Sellæ à prima orbis creatione fuerint creatæ 336.1.c
De figura Stellarum & cur ſcintillant 342.2.c
Stellæ quàm procul ab hac terra diſtant 340.1.b
Stellæ vtrum omnes lumen in ſe habeant & æquales ſint 342.2.c.343.1.a
ſtellæ & corpora cœleſtia eiuſdem ſunt naturæ cum ipſo cœlo 336.2.c
Stibium 314.2.a
Stipendia miniſtris quomodo debeantur 507.1.c
Stipulationum & Anteſtationum in ordinandis Miniſtris rationes quotuplices 459.2.a.b
Num vno ſolo Elemento conſtant ſtirpes 319.1.a
Stoici 910.1.c
στοργὴ quid 194.1.c
Stultitia à vera ſapientia quomodo diſtinguenda 629.2.c
Stupiditas quid 199.2.b
Stuprum quid 145.2.b.c
Stephanus Protomartyr 914.2.a
De Stratagematis 173.1.a
Struthio 369.2.a
In Subdiaconis,Acoluthis, lectoribus & alijs inferioribus ordinibus ἀγαμία non requirebatur 459.2.a
Qui Subditi Magiſtratus iuſſu poſsint aliquem occidere 136.2.b
Subiectio quid 193.2.c
Subſtantia Latinè ſæpe pro hypoſtaſi ſumitur 1212.1.c.1213.1.b
Subſtantiæ duplex ſignificatio EEe. col.10.b
Suggerere quid 480.1.c
Sulphur 315.1.b
Summa Orthodoxorum de cœna doctrinæ 1489.1.c
Leges ſumptuariæ à Chriſtianis magiſtratibus ferendæ 451.1.b
Summarum Theologicarũ initia quãdo cœperunt AAa.col.4.b
qui primi ſcripſerunt ibid.
Superbia quid 192.2.c
Tria ſupplicii genera 508.2.c
Quid ſurſum & deorſum 254.1.a
Surſum corda à veteri Eccleſia cur vſurpatum in Cœna Domini 1550.2.b
Sunt in Deo omnia vt intelligatur 1258 1.c.& dein.& 1261.1.b.& dein.
ſuſpicioſus , credulus,curioſus & ſtudioſus quid ſint & differant inter ſe 629.2.a
Suſpicio cur damnanda 174.2.b.c
Suſtentatio eorum qui verbum annũtiant ad 4. pręceptum refertur 122.1.c
Suſurratio 207.1.b
Suſurrones qui 173.2.c 174.1.a
Sycomorus quid 330.2.a
Sydus quid 336.1.a
σύλληψις quid 422.2.b
Syllogiſmi vitioſi ſolutio quæ fit & ducitur ab inſtantia quæ datur 37 1.c
Syllogiſmus ἀσύστατος quotuplex 37.1.b
ſyllogiſmi cauillatorii diuiſio ex Ariſtotele 8.col.1.a ex Platone 8.col.1.b
Inter Syllogiſmi falſam & non legitimam enunciationem diſcrimen. f.7. col.2.b
Syllogiſmi vitium in materia quomodo depræhenditur 5.1.a
ſyllogiſmi ſi falſæ ſint propoſitiones vel vtraque vel vna ſolum quid agendum 5.1.a
ſyllogiſmi materia quæ 5.1.a
in materia ſyllogiſmi dupliciter peccatur 5.1.b
ſyllogiſmum & eundem ex variis & diuerſis Elenchis ſolui poſſe 36.1.a
ſyllogiſmi fraus ex materia 30.2.a
ſyllogiſmus ſi non habeat legitimam propoſitionum enunciationem quid faciendum & quid ſpectandum 7. col.2.a
de ſymbolo fidei 1044.1045. 1046.1407
στρατιώτης quid 414.1.c
Symmachiani Paternianis adiungendi 1011.1.a
ſymmachus Pontifex accuſatus quod ſe à quoquam iudicandum negaret 1078.1.a
συνεκδοχὴ quid 425.1.a
συνείδησις quid 51.1.c
συνεργὸς quid 414.1.b
σύγχυσις 425.2.b
Synonymia quid 9.1.b

de Synodo 122.1.b
ſynodi pro voce ſimilis collectæ 7. 1246 1.b.& dein.
Error συνουσία 1531.1.a
συντήρησις quid ſit 51.1.c
Syricius Rom.Epiſcop.effecit Epiſcopos cœlibes 457.2.a
συστρατιώτης quid 414.1.b.c

T

TAbula prima damnatur impietas 437.1.c
de ſecunda Tabula 437.1.c
Taciani vnde dicti 944.1.c
Tacianorum errores 945.1.b
de Talionis pœna 146.2.a
Tarantula 364.2.c
Τάξις quid 403.1.c
In τάξει locum habet ἀνάβασις, vel κατάβασις 403.2.b
Teitan proprium Antichriſti nomen fore exiſtimauit Irenæus 1055.1.c
Τεκνογονία quid 453.2.a
Teleſphorus Epiſcopus Rom. 522.1.a
temeritas quid 191.2.c
temeritas quid 207.1.b
In cenſuris Eccleſiaſticis abſit Temeritas 525.1.a.b
Nemo Temerè ad Eccleſiaſticum munus promouendus 513.2.b.c
Temperantia quid 199.1.c
de templis 449.1.a
templis caruit Apoſtolorum tempore Chriſtiana Eccleſia 449.1.a
Templorum nomina & partes 449.1.c.2.a
Templorum dedicatio quando cœperit 449.1.b.c
Quod in vnico templo Hieroſolymitano licuit ſacrificare fuit cæremoniale.121.2.c
Tempus in vniuerſum quid ſit, & quid æternitas 350.2.a
tempus & locus quibus eſt ſacris vacandum eſt politicum 121.1.a
tempora vt per cœleſtia corpora ſignificentur 349.2.b
Ex tempore vtrum ſciat Deus 1275. 2.c & 1275.1.c
Ex tempore de Deo quædam dicuntur 1241.1.c.& dein.
tempora quid vocentur 349.2.c
An Temporalia bona adminiſtrare poſſunt Epiſcopi 468.2.a
tenacitas 202.2.c
De tenebris & quid ſint 276.1.c.2.a
An tenebræ fuerint ante lucem 276.1.c
tenebræ cur ſuper terræ facie 248.2.a
tenebræ cur Nox appellentur 276.2.c
tenebræ quomodo adPhyſicam tractationem pertineant 235.1.a
Quomodo per tres horas tenebris terra fuit operta cum Chriſtus crucifixus eſt 277.1.b
tenebræ non ſunt corpus 276.2.a
tenebras genuiſſe 631.2.a
Ten [illegible] n fuerint ſempiternę 642 1.c
Tentatio duplex 610.1.a
Teias Gothorum rex Italiam vaſtauit 1080.2.b
Quid terra 251.2.a
Terra vnde dicitur 302.2.c
Terra vbi totius huius vniuerſitatis ratione ſita 304.1.c
Terra cur in medio mundi collocata 304.2.a
Terræ humores quotuplices 310.1.c
Terræ partes quæ ſuperiores, quæ inferiores 306.1.b
de Terra Lucis incorporea refutatio Manichæorum 63 .a
De iis quæ è terra naſcuntur, illique adhærent & in ſuperficie eius apparent 318.1.a
Terra vtrum animata ſit vel ſaltem viuat 308.2.c
An ea omnia quæ ex terra producuntur.3.die ſint producta 309.1.c
Terra vtrum ſtet 307.2.c.308.1.a
Cur terra dicta ſit Arida peculiari nomine 303.1.c
de terræ vmbilico & longitudine 305 2.a
An in terra longitudo,latitudo & profunditas conſideranda 505.2.c
Quantus ſit terræ ambitus 306.1.a
terra quomodo animalia genuerit 309 2.a
Eorum quæ à terra producuntur diuiſio 309.1.b
terræ ἐνέργεια ſiue δύναμις planè ζωτικὴ vel φυλακτικὴ, aut συνεκτικὴ tributa eſt à deo 309.2.c
terra vt Arbores gignere poſſit 328.2.c
de terra luminoſa refutatio 631.1.a
terra quomodo exiccata 303.1.a
de figura terræ 306.2.b
de Terrarum inter ſe contactu abſurdum 631.1.b.c
terra mouetur ex quorundam Philoſophorum ſententia 308 1.b
An è terra duntaxat non ex Aquis plantæ ſint productæ 319.1.a
terræ fructuum quot ſpecies 318.1.b
terra cur Arida facta 303.2.c
terra Tenebricoſa à quo condita 631 1.c
de terræ tenebricoſæ habitatione errorManichæorum 631.1.c
terrena Animalia cur create ſint 373 1.c
De variis Terrenorum Animalium generibus 374.2.c
terrena Animalia variis nominibus appellantur 373.2.a
animalia omnia Terrena ſanguinem habent itemque partes ſimilares, nimirum carnem, oſſa, cartilaginem, neruos 374.2.a
terrena animalia vnde producta 372.2.c
Terrena Animalia vt in Arca
animalium Terrenorum conſideratio multiplex 375.1.a.b
animalium Terrenorũ partes eorúmque variæ formæ 374.2.a
de Terrenorũ animalium natura in genere & eorum generatione 374.1.a
materia rerumTerrenarum qualis fuerit & quàm commodè à deo præparata 147.1.a
animalia Terrena cur poſtrema creata 272.2.a.b
animalium terrenorum genera 373.1.b.c. 2.a.b
de terræmotu, quo ſub Chriſti mortem 12.Syriæ vrbes fuerunt euerſæ. 398.2.a
De cauſis Terræmotus 308.2.a.b
tertulliani præſcriptiones aduerſus hæreticos 2.2.b
tertulliani præſcriptiones aduerſus hæreticos 22
tertullianiſtæ 1011. 1. c. eorum errores 1012.1.c
tertullij & eorum error quis fuerit 1004.1.a.b
Teſſareſkædecatitæ cur ſic nominati, eorum hypotheſes 949.950
de veteri Teſtamento 104.2.1.c
Teſtamentum vetus cur repudiet Fauſtaus arg.tria 636.1.a
Teſtamentum vetus ab Orhodoxis nõ ſperni 635
teſtamenti noui author Deus 642.2.a.b
de teſtamento veteri 641.2.c
ex Teſtamento veteri quid obſeruent chriſtiani 635.1.c
teſtamentum vetus damnant manich. 629.1.a
teſtamenri veteris vtilitas 635.1.b
De Captatoribus Teſtamentorum 169.2.b
teſtamentum vetus repudiant manichęi nouum partim mutilant partim reiiciunt 628.1.b
teſtimonium quid 416.2.c
Teſtimonia varia Scripturæ ab ipſis donatiſtis allata,ab iiſdem damnari erroris 656.2.b.c.657. .a.b.c
Teſtimonium vtrum teneatur quilibet dicere eorum quæ vidit,ſcit,audiuitque 168.2.a
de teſtibus 168.1.b
Teſtimonii falſi pœna 175.2.b.c
θεάνθρωπος homo Deus 544.1.b
Theodoritus contra ſabellium 2228.2.c.
Theodatus Romanis imperauit 1080.2.a
Theodoricus gothorum rex imperium Romanum in Italia tenuit per 50.annos 1080.1.c
theodotiani cur ſic dicti 953..2.b.c.
eorum errores 954.1.b.c
θέλημα, εὐδοκία, ἀρέσκεια, ὄρεξις, θέλησις & θελητὸν diſtinguuntur in ſcriptura 592.1.c
Themiſtiani qui dicti 1023.2.b
Theologia quid 1.b.1. quæ ſit eius effecta ibidem multa habet obſcura 2.c.2
theologo quid neceſſarium 1.c
theologia quid 1.1.b
theologia quid 739.1.c
theologiæ ſubiectum BBb.col.3.a
Theologo tria obſeruanda 402.1.a

Θεόλογοι qui appellati 739.1.c
Theologia multa habet Obſcura 2.2.c
Theologo quid neceſſarium 1.1.c
Theologiæ veræ finis 435.1.b
quæ ſunt Theologiæ effecta 1.1.b
Theologica Auguſtini opera ſunt vel διδακτικὰ vel ἐλεγχτικὰ vel ἐξηγητικὰ 732 2.b
theologo ſectanda methodus 402.b
Ethnicorum Theologia eiúſque diuiſio 379.1.c
theologia ad quod ſapientiæ genus reuocetur 736.1.b.c
Præcepta theologico obſeruanda 406 2.a.b.c.407.1.a.b
theologiæ & Dialecticæ rudis Gerlachius 1548.1.b
Theopaſchitæ vel Theopaſſiani quid ſenſerint 1001.2.b
Θεωρητικὸς intellectus quid 50.2.c
תורה.vnde dicatur 98.2.b
Θεουργία & τελετὴ quid 739.1.c
Theudæ Iudæi diſcipuli 912.1.a
Θηριότης quid 87.1.c
Θρησκεία quid 739.1.b
timotheus quomodo ſit Pauli filius 433.1.c
Timotheanorum error quis fuerit 1017 1.c
Τμήσις 425.2.a
Tohu vocabulum quid notet in ſcriptura 247.1.c
Tolerantia 544.2.a
de Tonitru,& coruſcatione 292.1.a
Torrens quid 300.2.a
Totilas Roma capta cædes & incendia fieri prohibuit 1080.2.a
tota eſſentia diuina ſunt tres perſonę 1306.1.a.b
tota eſſentia diuina eſt in qualibet perſona 1306.1.c.& dein.
Τοῦτ' ἐςι τὸ σῶμά μου 22.19 articulus τὸ quid notet 1549.2.b
traditio Papiſtis quid 98.1.c
Traditiones quæ iubentur alicuius ordinis Eccleſiaſtici retinendi cauſa quales eſſe debeant 98.1.b
Tranſlatio vocis ad aliam quotuplici de cauſa fiat 9.2.a
Error Tranſſubſtantiationis 562.2.b
Tres vox vt in diuinis 1211.2.b
tres perſonæ vt dicantur 1216.1.c.& 1218 1.c.& 1219.1.c.& dein.
tres dij non ſunt: ſed tres perſonæ diuinæ, nec tres eſſentiæ 1211 2.c.1212.1.a
tres duntaxat eſſe perſonas diuinas nō plures 1306.1.b
de Tribus Perſonis diuinis eſt loquendum alio modo,de tribus verò eiuſdem ſpeciei indiuiduis alio 2230.2.a
Triformij & Tritheitæ quid ſenſerint 1002.1.c
trinitas & quid ſignificet 1208.2.a. & 1209.2.c
trinitas numerum ſignificat 1307.2.c
trinitas an Spiritus Sanctus dici poſsit 1225.2.c. & dein.
trinitas vt diuiſibilis & vt indiuiſibilis 1308.1.c
trinitas vt de perſo. diuinis dicatur 1216.2.c.& 1217.2.c
trinitas perſon.vnitatem eſſentiæ non abolet 1308.2.b
trinitas deitatis non eſt 1208. 2. a. & 1214.1.a
trinitas neque eſt Deus cōfuſus neque aggregatus,neque cōpoſitus 1308.1.c
trinitas ſolus Deus vt dicatur 1206.1.c & dein.& vnus 1207.1.a
trinitas ex viſibilibus creaturis cognoſci non poteſt CCc.col.10.b
de Trinitate teſtimonia S. ſcripturæ BBb.col.14.c.& 16.a & 17.a
de trinitate doctrinæ ſumma BBb.col. 13.b.& dein.
in Trinitate nec ſolitudo, nec diuerſitas,nec ſingularitas eſt BBb.col.15.a
trinitatē Philoſophi vtrùm cognouerint CCc.col.11.c
trinitatis vox ad quid in diuinis referatur 1305.2.b
Trinit.arcanum fundamentum ſalutis 1304.1.a
Trinit.& doctrinæ de ea ſumma 1304. 1.b
trinitatis argumētum difficile:& quomodo tractandum BBb.col.14.a.b
trinitatis opera quæ ad extra ſunt. Indiuidua & inſeparabilia ſunt 751.2.c
trinitatis diuinæ & animæ facultatum diſſimilitudo CCc.col.3.a.& dein.
de Trinit.libri Aug.quales 1215.2.a
Trinit.arcanum ex reb.creatis intelligi BBb. col. 24.a. ex hominis anima
Trinitat. imagines paucas proponunt Græci,Lat.multas CCc.col.11.b
S.Trinitas vnus Deus eſt phaſis periculoſa 1327.2.b
de Trinitate Origeniſtarum & Priſcilliniſtarum opinio 643.2.a
trinitatē à Danæo tribus nodis comparari Genebrardi calumnia 2231.2.a
de Trinitate Sancta vetus & ſana doctrina 1304.1.a
trinus nō triplex Deus dicēdus 1991.2.a
Triplex deitas non eſt 1214.1.a
De tropis 423.2.c
de Tripudiatione 107.1.b
Tſaphon vnde dicatur Septentrio 252.1.b
Turbo quid 293.1.a
de Turbine & Typhone 293.1.a
Turia vnde fit 316.2.b
Turpe quid 59.b
Turtur 369.2.a
Tyrannos tollere vtrum priuatis liceat 133.2.c

V

VAlentini Gentilis ſententia blaſphema de S.trinitate 1313.2.c. 1315.1.b
valentiniani à quo dicti eorūque dogmata 929.1.a.b.c.2.a.b.c
valeſii qui 957. 1.a. eorum errores 957.1.c.2.a
Valetudinis eſt habenda paſtoribus ratio 521.2.b
Vallam damnat genebrardus 2228.2.b
Vanitas quid 202.1.b
de Variis inſectorum animalium generibus 371.2.c
vbi ordinandus Epiſcopus 519.2.b
de vbiquitate 21.col.1.b
vbique 582.2.a
de Vbiquepræſentia 1547.2.c
vbique Deꝰ quomodo 1264.1.b.& dein. & 1266.1.a.& 1270.1.a
ad vbiquitatem ſtabiliendā arg.1527.1.b
vbiquitarii armant Pōtificios in Eccleſias reformatas 1487.2.c
vbiquitatem corporis Chriſti non cōceſſit Lutherus 1347.1.a
vbiquitarii ad Synodum prouocarunt & ea vſi ſunt 1484.1.a
vbiquitarii cur atris coloribus pingūtur 1480.1.b
vbiquitatis venenum Smidelinus Brētii filius auxit 1347.b
Vegetans facultas quid 320.2.a
Velle vox πολύσημος 1297. 2.c
velle & eſſe Dei vtrum omnino idem 1294.1.a
velle & eſſe in Deo vt differt DDd. col.13.b
velle & intelligere poſt peccatum in homine non periit,ſed bene velle& bene intelligere 66.1.b
bene Velle à Deo 51.2.c
velle & cupere bonum,bonum eſt & idcirco à Deo eſt
de Veneficiis 377.b.c
Veneficorum hominum tum virorum tum fœminarum, nobilium & obſcurorum,anno 1574.in Gallia numerus pene infinitus deprehenſus & à Senatu Pariſienſi condemnatus 378. 1.a.b
varia Veneficorum apud Latinos Nomina 381.2.b
veneficium 196.2.a
veneficorum audacia 378.2.a
veneficium nonnullis fabula 378.2.a
venena & res noxiæ vnde in mundo natæ 262.2.c
venire in regnum Dei quomodo dicatur 601.1.c
veniale peccatum 770.2.b.c
Venit filius non à ſeipſo cur 1178.2.a
Venti auſtrales ſeu meridionales quid 294.2.a
venti orientales quid 294.2.b
an Ventus ſit corpus 292.2.c
ventus quomodo gignitur 293.1.b
venti quot ſunt 293.1.c
de numero Ventorum & aura
ventorum finis 292.2.c
ventorum cauſa efficiens 293.1.a
venti ad quod meteororum genus referuntur 292.1.a
ventus quid 292.2.b
Ventris & vberum nomine intelligi quid poſsit 634.2.a
Venuſtas muliebris 450.2.b
Verbum dei quotuplex 98.1.c
de Verbo dei ſcripto 1042.1.c
Verbum Dei ſophiſtice ſumptum 1614. 1.a
inter verbum Dei & ſcriptam literam diſcrimen 1613.2.a
verbum quid ſignif. 1229.2.a
verbum patris cur filius dicatur CCc. col.24.c
an Verbum dei ſit ipſe deus 1613.2.c

verbum quomodo ſit quodammodo viſibile 1613.2.a
verecundia quid 200.1.b
veritas quid notet 473.1.c
de veritate in tanta opinionum varietate quid ſtatuendum 629.2.a
pro veritate pugnandum 664.2.c.665.1.a
veritati vitia oppoſita 206.1.a c
de veritate diuinæ eſſentiæ, quia verè ſola eſt DDd.col.19.c.& dein.
veritas ſiue veracitas quid 205.2.c
verum dicere de omnibus, num teneatur qui interrogatur 168.2.b
verſari in re aliqua & bene verſari differunt 1614.1.b
veſpæ 358.2.b
veſpera quid & quorſum ita dicatur 275.2.a
veſtitus quid 59.2.b
De Veſtibus clericorum, de barba & coma ſanctiones 462.1.c
vetus homo quid 98.2.b
victus quid 539.2.b
victorij de animæ natura ſententia 716.1.b
viduarum duplex genus 492.2.c
vere vidua quæ 403.1.c.2.c
quæ in Viduis ſpectanda 497.1.b
vereViduæ duplex deſcriptio 494.1.b.c
an Viduæ non piæ à propinquis alendę 505.1.a
viduarum ratio in monitionibus eſt habenda 492.2.c.493.1.a
Cur ad Diaconatum eligebãtur Viduę potius quam viri 492.2.a.b.c
Quæ offendicula Viduæ Iuniores ad Diaconatum electæ præbent 500.1.b
viduertas ſumma calamitas 494.1.b
viguierij commentum de Antichriſto 1066.1.c
vigilia quid 353.1.a
viguierius Deitatem habere rationem nominis collectiui ſcripſit 1316.1.b
vtrum vim vi repelleri liceat 133.1.c
vindicta 196.1.c
vindicatio quid 191.2.c
vindicta charitatis etiam Chriſtianis hominibus permiſſa 633.1.b
Vincibilis ignorantia 53.1.b
Vinolentia quid 199.2.c
Violentia, coactio & neceſitas diſtinguuntur 55.1.b
Vipera 358.2.c
vipera 364.2.c
Vir chriſtianus quis 496.1.a
Votum Virginitati in magno pretio 502.2.a
de Virginitate ſancta 651.1.b
virginitas 651.1.c
virginitas 640.1.c
de virginitate 650.1.c
virgini matri cultus inſtitutus 1039.1.b
de Viribus humanis blaſphemiæ 62.2.b
quid ſit Virtus & quotuplex 84.2.b.85.1.a.
virtutis definitiones variæ 85.1 b.c.2.a.b
virtus ciuilis quid 85.2.c
virtus purgatoria quid 85.2.c
virtus exemplaris quid 85.2.c
dona & Virtutes ſunt diſiuncta 86.1.a
virtutis nomina 86.2.b
virtutes & vitia quæ ad quodque ſecũdæ tabulæ præceptum referũtur eorúmque definitiones 188.2.c.190.2.b
ad quas Virtutes referantur præcepta ſecundæ tabulæ 96.2.b.c
virtutum diuiſio ex Paulo 961.b
definitiones Virtutum & vitiorũ quæ ad ſeptimum præceptum referuntur 199.1.b
definitiones Virtutum ac vitiorum quæ ad ſextum præceptum referuntur 194.2.c
de Virtute variæ philoſophorum ſententię 62.1.a.b.c.
heroica virtus quid 86.2.c
Virtutes præcipuæ quot 87.1.c
Virtus 708.1.b
Humana Virtus quid 87.2.b.c
Virtutis Etymolygia 84.2.b.c
virtutis forma 93.2.c
virtutis cauſa efficiens 94.1.a
virtutis finis 94.1.a
Virtus quotuplex 94.1.a
virtutis diuiſio quæ fit à Philoſophis 94.1.b
Quæ in iis quæ Virtute fiunt requirantur 88.1.b
De virtute humana quæ imperfecta ſiue ἐγκράτεια vocatur & de contrario illi vitio 89.1.c
Virtus & vitium quomodo dicitur eſſe actio 73.2.b
virtus quotuplex 85.2.b.c
virtutum & vitiorum radix 691.2.a
de Viſibili Eccleſia libri author hæreticis pleriſque comparatus 1609.1.c
viſiones obſcœnæ vtrum peccata 179.2.c
vita quotuplex 495.2.b
vita æterna quid 744.1.a
in vita æterna intelligemus cur hi potius quàm illi ſint ſeruati 870.2.c
in vita hominum tria ſpectãda 629.2.b
vita beata non eſt merces operum noſtrorum 870.2.a
vita quid 353.1.a
Vitiges totam penè Italiam vaſtauit 1080.1.a
vitiorum diſtinctio 542.2.b
vitia quæ dedecent Epiſcopos 463.1.c.1.a.b.c.464.1.a.b.c.465.1.c
in Vitioſitate noſtra plures dantur gradus 68.2.b
vitrum quid 632.1.c
vitia quatenus detrahantur 83.1.a
de vite & illius vſu 326.1.b.c
vitium quid 314.2.b
viuificare quid 546.1.b
vlulæ 369.2.c
de vnigenito 2234.1.c
vnctores 1032.1.b
Vnio hypoſtatica quid 1370.1.a
vnio perſonalis 2236.1.c
vnio perſonalis extenſionem naturarũ inter ſe perſonaliter vnitarum non inducit 1237.1.a
De Vnione Hypoſtatica ſeu perſonali duarum naturarum, diuinæ & humanę in Chriſto, Quod ſit, & quid ſit 1369.2.a.b
Vnionem naturarum in Chriſto eſſe realem vt intelligendum 1419.1.b
de Vnionis Hypoſtaticæ effectis 1371.2.c
vnio hypoſtatica duarum naturarum qualis 1371.6.c
de Vnione & communicatione quod ſint eædem 2238.1.c
Vnio hypoſtat. nouè definita 1182.2.b
Vnitas in Trinitate 1212.1.c.& dein.
vnitas in Patre &c. vt intelligendum 1242.1.b.& dein.
Vnus vt de Deo dicatur 1216.1.a & de.
vnus eſt Pater quid ſignificet ibidem.
Vnitas Trinitatis diuinæ CCc.col.4.c
Vnitatis vox in diuinis refertur ad eſſentiam 1305.2.b
Deus & caro quomodo Vniti ſunt 475.1.b
de Vnitate Eccleſiæ Auguſtini liber 675.1.b.c.2.a.b.c
Vnitatis vox in diuinis refertur ad Eſſentiam 1305.2.a
Mundus vtrum rectè & Chriſtianè vocetur Vniuerſitas 236.1.c
Vnum & vnus differunt 649.1.a
Vocatio neceſſaria paſtori 514.2.b.c 515.1.a
vocatio externa quid 515.1.c
vocatio Interna quid 515.2.c
vocatio quotuplex 515.1.c
Ad vocationem externam quæ debeant concurrere 515.1.a
vocatio illegitima 520.1.b
cur debeat vocatio legitimã præcedere 515.1.c
A vocandorum ac pręficiendorum Eccleſiæ ordinationibus priuari non debet plebs 516.
Volatus vnde dicitur 367.2.c
De variis volatilium generibus in vniuerſum 367.2.b
Volatilia ex aquis inferioribus nata 365.2.a
volens peccat homo, non coactus non diſſentiens 67.2.b
Vtrum volenti fiat iniuria 166.2.c
Quot modis agamus volentes 53.1.c
volitio à cauſa diſtinguenda 54.2.b
Volo quot habet ſignificata 504.1.a
Volui vox eſt πολύσημος 873.1.b
Voluntatis cauſſæ 52.1.a
voluntas Dei 1260.2.a
voluntas & Potentia Dei vt conueniant 1287.1.b
voluntas ſigni 1292.2.b.& 1294.1.c
voluntas Dei ſummè bona 1291.1.c
voluntas ſolius hominis propria 51.2.c
Voluntatis falſa diſtinctio 55.1.a
An ſoli Voluntati Dei ſit parendum 97.2.c
contra Dei Voluntatem nihil fit 878.1.c
voluntatis firmæ antecedentia 52.1.b
Voluntatem ineſſe homini Auguſt. aſſerit contra Pelagianos 64.1.b
Inter Voluntarium & ſpontaneum diſcrimen 53.2.c
Inter Voluntatem Dei & permiſſioné diſcrimen 871.2.c
In homine vna eadem numero vnáque volũtas ex verbo Dei docetur 57.1.a
voluntas quid 632.2.a
voluntas humana ante & poſt peccatum qualis 882.1.a.b.c

voluntatem leui vulnere oblæſam 62.2.c
An omni Dei voluntati ſit parendum 97.2.a
voluntas hominis etiam bona ſæpe diſſentit à voluntate Dei 879.1.a.c
Voluntas cũ pro ipſo facultatis animi noſtri vſu ſumitur quid ſit 5 .2.a
voluntate per peccatum non ſumus ſpoliati 61.1.a
voluntatem à velleitate ſeparantium ſubtilior diſputatio 68.1.b
voluntas vox ambigua & eius diſtinctio 51.c,& 51.2.a
voluntas hominis mala cõſentit ſæpe cum Dei voluntate 879.1.c
voluntate Dei omnia ídque iuſte fiunt 879.2.b
voluntas Dei ſummè bona 1291.1.c
Cauſa omnium,ibidem. Aeterna,ibidem & deinceps.& 1294.1.b.& deinceps
voluntas Dei,eſt illius eſſentia 1291.1.a.& deinceps.
voluntas Dei quotuplex 1291.2.c.& dein.& 1292.2.b
voluntas Dei præcedit noſtri reſpectu Omnipotentiam 1294.1.b
voluntas Beneplaciti 1292.2.b.& 1294.2.a
voluntas Dei immota & efficax 1295.1.c.& dein.
voluntas Dei vt non impleatur 1298.1.a
voluntas Dei ſemper impletur 1300.1.b.& 1301.2.c
voluntas hominis etiam bona, ſæpe differt à voluntate Dei 1301.2.c
voluntas Dei bona impletur à mala voluntate hominum 1302.1.a.& dein.
voluntate filium Pater vtrum genuerit DDd. col.b.c.& dein.& col.12.a.& dein.
contra Volũtatem Dei,& præter quid ſignificent 1300.2.a.& 1301.1.b
voluntatis Patris filius vt dicatur DDd.col.11.a.& col.13.
voluntate bona aliud vult quàm Deus homo, & aliquando mala id quod Deus bona voluntate vult 1301.2.b.c
voluntas Dei duplex conſideranda 878.2.c
voluntas quot modis vult 51.2.c.52.1.a
voluntate, nõ tamen neceſſariò poteſt aliquis quid facere 54.1.b
Deus Voluntates hominũ malas quando vult poteſt ad ſe conuertere 873.2.a.b
voluntas Dei ſemper impletur de homine quocunque ſe vertat 1300.1.b
volũtas Dei bona,mala hominum voluntate impletur vide exemplum 1301.a
De Voto 113.2.c.114.1.a
Vota Monachicarum religionum 541.1.b
vota vitæ Monaſticæ eſſentialia 483.2.a
βούλευσις ſeu deliberatio quid 52.1.b
Vrbanitas quid 197.2.c
Quæuis vſura in egeno eſt furtum 160.2.c
De Vſuris 159.2.c
Vſucapione acquiſita vtrum iuſte retineantur 157.2.b
Inter Vſuram & fœnus diſcrimen 160.1.a
Vtrum ab vna eadémque anima tam diuerſæ fluant Actiones & operationes 41.1.a
Vtendi & fruendi diſcrimen vtrum rectè obſeruatum BBb.col.12.a
Vti quit ſit BBb.col.3.c.& dein.
Vtimur rebus iiſdẽ aliter, quàm Deus BBb.col.9.a
Vtrum S.ſanctus ipſe an dona eius dentur 1174.1.c
Vtilis 186.1.c.2.a
Vtrum tres illæ Perſonæ Pater Filius & Sp.Sanctus ſint vnius an diuerſæ eſſentiæ 648.1.b.c.2.a.b.c
Vtrum Decimas habere debeant miniſtri 122.1.c
vtrum Marito liceat aliter vxorem emendare quam verbis 132.1.c
Vtrum operæpretium fuerit priuata pauli ſcripta ſeruare 463.1.a
vtrũ fideles ſuorũ negligentes ἁπλῶς ſint infidelibus peiores 496.2.c
vtrum rectè fecerit Conſtantinus qui licinio collegæ bellum propter religionem indixerit 114.2.b
vtrum omne genus diuinationis damnatum ſit 106.1.a
vtrum in omnibus ſit parendum Parentibus 125.2.c
vtrum Chriſtus corpore ſuo tam mortificet nos quàm viuificet 1548.b
vtrum qui vxorem habet quam ex legum præſcripto ducere non poteſt, ad munus Eccleſiaſticum admitti debet 458.1.c
vtrum Paulus & hæreſes & hæreticos non damnet 1481.2.b
vulpes quid 376.1.c
vultur 369.2.b
vult mala fieri Deus vt intelligendum 1269.1.a.& dein.
non vult Deus omnia quæ poteſt 1291.1.a quæ antè voluit 1290.2.b
vult omnes Deus ſaluos fieri 1295.2.b
Vxoris ſignificationes detortæ 458.1.a.b.c
vtrum qui vxori ſuperinduxit cõcubinas Paſtor eligi poteſt 458.2.a
An vxorem fratris defuncti liceat ducere 145.2.a
Vtrum qui vxorem hæreticam,Paganã & cæt. duxerit fieri Epiſcopus poteſt 458.1.c
vnius viri Vxor quid ſit ex Annæ exemplo Luc.1.6.patet 498.2.a
Vxorem cur ſororem appellauit Abraham 640.1.c
De Vxoribus communibus 142.1.b
Vnius vxoris vir cur eſſe debet Epiſcopus 457.1.c.2.a.b.c

Y

Υπέρβατον & eius quot ſint ſpecies 425.1.c
Υπερβολὴ 426.1.a
Υπόζευξις 422.1.c
ὑποφορὰ quid 404.2.a
Υ῾στερολογία vel ὕστερον πρότερον 425.1.c

Z

ZElus quid 138.1.a
Iudicium Zeli quid 115.2.a
Zelo qui ſe occidunt 137.1.b
zelus malus 317.1.b
Ζεῦγμα quid 422.1.c
Zoroaſtes primus Magus & Aſtrologus Iudiciarius 383.2.a
ζῶον Animal vnde 352.1.a

INDEX ALTER, QVI CONTINET LOCOS S. SCRIPTVRÆ ab auctore paſsim in hoc volumine explicatos.

NVMERI PRIORES CAPVT ET VERSVM: POSTERIORES, vt in ſuperiori indice, paginam, columnam, & cuiuſque columnæ literam ſignificant.

Geneſ.
CAP. VER.PAG.COL.
I. 1. 240.1.C
1. 246.1.C
1. 247.2.C
1. BBb.22.B
10. 261.2.C
5. 275.2.B
7. 284.2.B
14. 334.2.C
24. 372.1.C
25. 334.2.B
28. 141.2.C
29. 478.2.B
31. 334.2.B
20. 351.1.C
II. 2. 334.2.B
7. 1009.2.C
III. 2. 355.2.B
17. 116.2.A
VI. 3. 1006.2.B
VII. 11. 284 2.C
21. 356.2.B
VIII. 2. 284.2.C
21. 62.2.A
21. 66.1.A
IX. 12. 286.2.A
XIIII. 18. 572.2.B
XVIII. 23. 109.1.B
XXII. 12. 1295.1.A
XXIIII. 47. 450.2.A
XXXV. 1.& 2.572.2.B
XXXVIII. 24. 572 2.B
XLVII. 17.2.A
XLVIII. 16. 17.2.A
Exod.
III. 3. 281.2.B
14. EEe.5. A
VI. 1. 101. A
IX. 16. 877.2.C
X. 21.22.276.2.B
XI. 2. 153.2.B
XII. 35. 153.2.B
XV. 20. 151.2.B
XVI. 15 290.2.B
XX. 7. 815.1.A
100.1.B
XXI. 131.1.C
24. 138.2.C
XXV. 40. 237.2.B
XXXI. 16. 118.2.B
Leuit.
XIX. 23.24.328.2.B
XXIII. 23. 380.2.A
XXVII. 114.1.A
Numer.
XXII. 23. 355.2.C
Deuteron.
IIII. 5. 43.2.B
V. 100.1.B
8. 105.2 A
9. 815.1.A
32. 97.2.C
VIII. 5. 601.2.A
XII. 32. 97.2.C
5. 448.1.A
XVII. 9. 469.1.B
XVIII. 10.11.380.2.A

CAP. VER.PAG.COL.
XIX. 13. 131.1.C
XXI. 21. 131.1.C
28. 760.2.A
XXIII. 21. 114.1.A
XXV. 4. 1275.2.A
XXVII. 26. 59.2.C
I. Sam.
XX. 42. 213.1.A
XXII. 23. 211.2.A
II. Sam.
VI. 16. 151.2.B
14. 572.2.C
IX. 7. 212.2.B
XVI. 4. 212.2.C
I. Reg.
VIII. 12. 572.2.B
14. 442.1.A
II. Reg.
XIII. 21. 448.1.C
XXII. 14. 451.2.B
II. Chron.
VII. 12. 448.1.A
Eſd.
X. 8. 531.1.A
Iob.
I. 1303.1.B
V. 1. 614.2.B
17. 608.1.C
2.A
XI. 89. 253.1.B
XIIII. 1. 790.1.A
XV. 16. 65.2.B
XIX. 14. 276.1.A
XXII. 14. 238.2.C
XXVI. 7. 259.1.B
9. 284.2.C
XXXV. 10. 244.2.C
XXXVI. 25. CCc.5.C
XXXVIII. 19. 274.1.A
Pſalm.
II. 7. 819.2.B
V. 4.5. 1270.1.C
139.
VIII. 6. 48.2.C
6. 203.1.C
XIIII. 1. EEe.15.C
XIX. 5. 989.1.C
XXI. 4. 565.1.A
XXIIII. 2. 305.1.A
105.2.A
XXVI. 2. 608.1.C
2.A
XXXIII. 9. 257.1.B
15. 609.2.C
XLIII. 1. 828.2.C
LI. 7. 815.2.B
LIIII. 1. 828.2.C
LXVII. 1. BBb.22.B
6.
& 7.
LXVIII. 19. 1190.2.B
LXXVI. 102.2.A
1. 445.1.C
LXXVII. 10. 887.2.C

CAP. VER.PAG.COL.
LXXVIII. 10. 609.2.B
LXXXI. 10. 103.1.C
LXXXII. 1. 203.1.C
LXXXVI. 2. 583.2.A
XC. 9. 789.1.C
14. BBb.12.B
XCV. 5. 609.2.B
CIIII. 2. 276.2.A
6. 248.1.C
30. 249.2.B
CVII. 9. BBb.12.B
CXI. 2. 1293.2.C
CXV. 16. 280.1.C
CXXI. 4. 564.1.B
CXXXVI. 6. 305.1.A
6. 306.2.C
CXXXIX. 2. 1302.2.C
CXLI. 4. BBb.12.B
CXLVII. 15. 1269.1.C
CXLVIII. 5. 257.1.B
Prouerb.
VIII. 22. 645.1.C
XII. 10. 1275.2.C
XIIII. 24. 553.1.B
XVI. 1. 788.1.C
XX. 24. 788.1.A
XXIX. 21. 120.1.C
XXX. 6.& 7.
Eccleſiaſt.
I. 13. 228.2.B
III. 21. 355.2.A
VI. 57. 116.2.A
XXXII. 25. 120.1.C
Iſa.
IIII. 22. 239.1.A
V. 2. 759.2.B
7. 860.1.C
20. 757.1.C
XIII. 10. 349.1.C
XIX. 18. 618.1.A
XXIIII. 18. 349.2.A
19.
XXXVIII. 3. 583.2.A
XLII. 8. 242.2.C
24. 279.2.C
XLIII. 15 244.1.C
XLIIII. 24. 306.2.C
29. 348.1.C
XLV. 8. 306.2.C
12. 257.1.C
L. 3. 276.2.A
LIII. 8. EEe.21.C
LIIII. 5. 244.2.C
LXII. 22. 244.2.C
LXVI. 16. 17.2.A
22. 348.2.C
Ierem.
XVI. 20. 103.1.C
XXXI. 29. 815.1.B
Ezech.
XVIII. 2. 815.1.B
19. 109.1.C
31. 788.1.C
XXXII. 78. 349.1.C
XXXVI. 27. 66.1.C
XXXVIII. 12. 305.2.B

CAP. VER.PAG.COL.
Daniel.
II. 34. 1070.1.C
& 44.
IIII. 24. 850.1.C
VII. 8. 1057.1.C
14. 1443.1.B
20. 1064.1.C
XII. 3. 947.2.B
Oſe.
IIII. 1. 165.1.B
Amos.
IIII. 113.1.A
Mich.
VI. 8. 43.2.B
Zach.
IIII. 8. 1058.1.B
VIII. 16. 165.1.B
XIIII. 7. 275.2.A
Malach.
I. 4. 13.1.A
Sapien.
XI. 18. 243.2.C
XIII. 2. 281.1.C
Eccleſiaſtic.
VII. 12. 553.1.B
XVIII. 1. 246.2.C
XXIIII. 8. 238.2.C
XXXIX. 31. 478.2.C
& 32.
XLII. 26. 118.1.C
Matth.
I. 22. 55.2.C
25. 32.1.B
25. 985.1.B
II. 9. 349.1.B
III. 4. 371.2.B
17. 1252.2.C
IIII. 8. 391.2.A.B
V. 2. 167.2.A
8 986.2.C
22. 138.2.A
26. 32.1.B
33. 114.1.A
34. 210.1.A
44. 164.2.C
45. 31.2.C
VI. 32. 564.1.B
25. 595. .C
33. 565.1.A
VII. 16. 759.2.C
VIII. 16. 880.2.A
& 35.
IX. 29. 565.2.A
X. 8. 506.2.B
29. 1275.2.A
37. 124.2.C
XII. 35. 757.2.A
XIII. 23. 33.2.B
XIIII. 19. 612.2.A
XV. 11. 1173.2.B
17. 491.2.A
XVIII. 17. 531.1.B
20. 34. .A
XIX. 6. 960.2.B

CAP. VER.PAG.COL.
XIX. 12. 139.1.A
12. 957.1.C
16. 43.1.C
XXII. 30. 781.2.B
XXIII. 1. 481.1.C
9. 125.1.A
9. 433.2.A
XXIIII. 7. 27.2.B
29. 348.2.C
XXV. 41. 779.2.C
XXVI. 29. 17.1.C
29. 1236.2.C
39. 583.2.A
XXVIII. 17. 1443.1.A
Marc.
X. 19. 100.1.B
19. 130.2.B
XV. 25. 276.1.A
XVI. 15. CCc.5.B
Luc.
I. 11. 605.1.A
II. 40. 1444.1.A
IIII. 9. 391.2.A.B
VI. 43. 759.2.C
X. 41. 481.1.C
42. 435.2.A
XI. 4. 605.2.B
37. 854.1.B
XIIII. 27. 124.2.C
XV. 10. 1270.1.B
11. 63.2.C
18 582.1.B
XVI. 9. 157.2.A
9. 210.2.C
XVIII. 1. 565.1.A
18. 130.2.B
XXI. 2. 7.2.A
34. 56.2.C
XXIII. 43. 1570.1.A
XXIIII. 28. 164.2.B
46. 55.2.C
Ioh.Euang.
I. 1. 241.1.C
1. 1005.2.A
3. 1298.1.C
9. 102.2.A
III. 5. 805.1.C
8. 292.1.C
IIII. 26. 1176.2.B
V. 29. 828.2.C
17. 119.1.B
VI. 53 1575.2.B
54. 1478.1.A
64. 1568.2.A
1575.1.C
VII. 13. 1207.1.A
16. 1170.2.B
VIII. 32. 533.2.A
XII. 28. 1183.2.B
XIIII. 23. 1176.2.C
XV. 15. 97. C
XV. 26. 1176.2.B
XVI. 13 EEe.3.A
XVII. 12. 1055.1.B
21. 1165.1.C
Act.
II. 23. 1273.1.B

ALTER INDEX.

CAP. VER.PAG.COL.
IIII. 27. 1303.1.B
32. 153 2.A
IX. 39. 495.1.B
XIII. 48. 55. 2.C
XIIII. 17. 64.1.A
XVI. 3. 139.1.C
XVII. 18. 64.1 A
28. 1264.1.A
& 1270.1.G
XIX. 4. 819.1.C
XX. 34. 506 1.B.C
XXIII. 5. 167.2.A

Rom.

I. 17. 407.2.B
19. CCc.6.B
9.B
20. CCc.5.B
9.A
II. 15. 58 1.C
III. 25. 1442.1.C
V. 1. 566.1.A
5. 1189 2.C
18. 822.2.A
VI. 4. 824.2.C
10. 809.1.A
VII. 14. 65 2.B
14. 178.1.B
18. 760.1.C
24. 990.2.A
VIII. 4. 1619.1.C
7. 62.2.A
8. 90.2.C
13. 990.1.C
20. 234.1.C
21. 1273.1.B
26. 614.2.B
29. 867.1 A
IX. 12. 1282 1.A
17. 877.2.C
19. 593.2.C
22. 1279 2.B
XII. 2. 59.2.A
9. 138 2.C
14. 164 2.C
XIII. 8. 210.1.A
9. 130.2.B
9. 123.1.B
14. 56 2.C
XIIII. 5. 116.1.C
17. 482.2.C
XV. 24. 5 1 B C
XVI. 20. 608.1.A

I. Corinth.

I. 20. 228.2.B
30. 83.1.A
30. 790.1.B

CAP. VER.PAG.COL.
II. 7. CCc. 9.B
8. 128 2.C
12. 1191.1 C
15. 130.1.B
III. 13 17.2 A
848.1.B.C
IIII. 3. 130.1 B
3. 165.1.A
V. 4. 491 2.B
5. 528.1.C
7. 950.1.A
VI. 9. 144.1.C
17. 1245 2.A
VII. 14. 818. A
23. 533.2.A
25. 785.2.B C
31. 236.2.B
32. 17 2.A
VIII. 4. 104.2.B
4. 754.1 B
5. 103.1 C
6. 125.1.A
13.23. 33.2.B
6. 1207.2.B
& 1262.2 C
IX. 7. 478 2 B
9. 1275 2.B
XII. 1610 2.B
2. 280.1.C
4. 1189.2.A
5.& 6.
7. 1176.2.C
XIII. 5. 56.2.C
13. 89 .1.C
XIIII. 34. 497.1 C
XV. 41. 947.2.B
45. 49.1.C
53. 828.2.B
& 54.
XVI. 5. 990.1.C

II. Corinth.

III. 5. 60 2 C
5.6. 66.1.C
IIII. 16. 68.2.A
V. 1189 2.A
7. 768 2.A
VI. 7. 744 2 C
10. 538.1.A
14. 208.2.B
X. 8. 526.1.C
17. 876 2.A
XIII. 13. 1187.2.B
& 1190.1.C

Galat.

I. 19. 985.1.C
II. 14. 173.2.C

CAP. VER.PAG.COL.
III. 2. 768 2.A
10. 59 2.C
13. 408.2.C
13. 825 2.B
24. 69.1.A
IIII. 26. 830.1.A
V. 13. 17.1.C
16. 90.2.C
19. 990.1.C
24. 825 2 B
VI. 1. 537.1 G
4. 1168.2.C

Epheſ.

I. 4. 240.2.B
5. DDd.11.C
& 1279 2.A
II. 1. 65 2 C
2. 779.1.C
3. 790.1.A
19. 127.1.C
2.A.B
III. 1. 409.2.C
410.1.A.B.C
5. 410.2.A B
411.A.B.C
2.A.B.C
18. 253.1.B
20. 119 1 B
IIII. 3. 1165.1.B
6. 125.1.A
8. 1190.2.B
10. 280.2.A
13. 867 1.A
19 87.2.A.B
23. 63 2.C
24. 68.2.A
31. 138 2.A
V. 2. 16.2.A
13. 271.1.C
15. 59.2.A
29. 482.2.B
VI. 2. 109.2.B

Philipp.

I. 9.10. 59.2 B
II. 10. 105 2.B
10. 305.1 A
13 60 2 C
13. 61.1 C
IIII. 12. 538.1.A

Coloſſ.

I. 4. 768.2.A
6. 831 1.C
9 1293 2.B
10. 59..2.A
12. 1442.1.C

CAP. VER.PAG COL.
13. 1165.2.C
14. 1442.1.C
& 20.
15. 1227.1.C
16. 334.1.B
16. 1298.2.B
24. 1167.2.B
II. 5 768 2.A
8. 905 2.A
11. 760.1.C
13. 65 2.C
16. 116.1.C
21. 13.1.A
III. 13. 167.2.A
14. 1165 1.C
IIII. 16. 112 1.C

I. Theſſal.

II. 3.4. 905.1.A
& 5.
III. 10. 1167.2.B
IIII. 3. 592.2.C
3.7. 43 1.C
3.4. 144 2 A
V. 17. 565.2.A
23. 72.2.A
27. 112.1.C

II. Theſſal.

III. 5. 530.1.B
531.1.C
11. 116 2.A

I. Timoth.

I. 9. 144.1.C
20. 528.1.C
II. 4. 11.1 B
6. 1442.1.C
8. 572.1.C
11. 497 1.C
VI. 9. 56.2.C
16. 274.2.B
16. 1010.1.A

II. Timoth.

II. 9. 240.2.C

Tit.

I. 9. 240.2.C
II. 11. 43.1.B

Philem.

20. BBb.12.C

Hebr.

I. 3. DDd.2.C
3. EEc.17.B
5. EEc.16.C

CAP. VER.PAG.COL.
II. 7. 1182.2.C
IIII. 12. 59.2 B
13. 609.2.C
13. 564.1.B
V. 14. 59 2.B
VI. 4. 958 2.C
17. 1294.1.C
VII. 26. 280.1.C
VIII. 5. 237.2.B

Iacob.

I. 2. 608.1.C
6. 33 2.C
15. 179.2 B
IIII. 47. 608.1.A
V. 14. 934.2.C
19. 537.1.C

I. Pet.

I. 2. 1166.1.B
2. 1273.1 B
II. 9. CCc.10.C
23. 164.2.C
24. 65 2.C
III. 19. 1173 2.B
IIII. 3. 215.1.C

II. Pet.

II. 4. 779.2.A
III. 10. 17.1.C

I. Iohan.

I. 5. 1260.2.C
II. 16. 990.1.C
25. 56.2.C
III. 2. 82.1.C
IIII. 3. 1052.1.A
8. 1165.2.C
8. 1187.2.A

Iud.

4. 1279.2.B

Apocal.

V. 13. 105.2.B
IX. 12. 1055.1.B
XI. 13. 1058.1.C
XII. 3 1057.1.C
9. 779.2.C
XIII. 1.23 1057.1.C
11. 1058.1.B
18. 1072 1.A
XIIII. 4. 957.1 C
XVI. 13. 1057.2.A
XVII. 3.4. 1062.2.A
9. 1066.2.B
18. 1066.2.B
XX. 2. 779.2.C
XXI. 2. 830.1.A

Errata animaduertenda & corrigenda.

Pag.107.col.1.A.lege *noſtros* pag.115.c.2.A.l.*Iuſſu* p.121 c.2.C.l.*prætexunt* pag 136.c 1.C.l.*comparanda* p.194.c.2.B.l.*prudens* p. 205.c.1.C.l.*quidem* p.109.c.1.B l. *quibuſuis* p 210.c.1.l *arctioris* p 217.c.1.A.l.*poteſt* p.219.c.2.C.l.*quanquam* p 237 c.1. C.l.*ſimili* p. 239 c.1.C.l.*vtrum* p. 243.c 1.C.l *filum* p.250 c.2.B.C.l.*prolificus* ibidem c.2.C l.*vſumque* p.252.c.2.C l.T *bel* p.266.c.1.C.l.τῆς p.271 c.2.B.l *lychnus* p.274 c.1.C.l.*inferior* p.284.c.2.A.l.*communo* p.290 c.1.B l.*diſcutio* p.294.c.1.C.l. *Eteſiarum* p.306.c.1.A.l.*aptiſſima* p.320 c.A.1.l.*cepis* p.318.c.2.B l.*quibus* p.338.c.1.B.l.*quanquam* p.395.c.2.B.l.*cum* p.396.c. 1.C l.*lenitare* Ibid 2.A.l.*Chamus* p.413.c.1.C.l *nurus* p.416. c. 1. A l.*affectum* Ibid.c 2.C.l.παρέισιαν p.433.c.1.C l. c.l ὑποτύπωσιν p.453.c.2.C.l.*regimen* p 457 c.1.C.l.*tamen* p.494.c.2.A.l.*proprium* p.531 2.C.l.*luculenter* p.535. c. 1. C.l. *doctrina* p.553.c.2.C.l. συνέχειν p. 599. c.2.C l. *corporibus* p.580.c.2.B.l.*patrem* p. 622.c. 2.A.l. *Dies* p.627 c.2.C.l.*fruſtatim* p.636 c.2.A.l *ſoluere* p.638 c.2.A.l.*ſeruant* p.803.c.1.C.l *natura* p.911 c.2.B.l. *confeſſio* p 920.c.2.B l *neceſſarium* p.993.c.1.B.l. διεσκορπίσθη p.1095.c.1.C.l.*Prolegomenis* BBb. c. 12. B. l. *Pſal. 90. v.14. & 10 .9.* CCc.5.C.l.*percipimus* DDd. c. 7. B. l. *al ata* p.1217.c.1.B.l lauero p.1241 c.2 B l.*de Deo* ibid c.2.A.l.*dicitur* p.1326.c.2 A.l.*diſputatione* p 1375 c.2.B l. σύνδεσμον p.1193. c.1.A.l.μονότροπον p.1458.c.1.C.l.*iudicabunt* p.1476.c.2.lin penult l.*vos, inquam* p 1549.c.2.B l. *interuallum* p.1581.c.1.C.l. *garriunt* p.1582.c.2.B.l.*Saxonicam* p.1583.c.2.A.l.*iactatum* p.1602.l.*ſeptennium* p.1603.l 4.à fin.l.*chariſſimi*.

LOCORVM S. THEOLOGIAE COMMVNIVM SYNOPSIS SEV TABVLA.

PER LAMBERTVM DANÆVM.

CONTINET VNIVERSA TRACTATIO LOCORVM COMMVNIVM QVINQVE HÆC CAPITA PRÆCIPVA.

1 de Deo.
2 de Angelis.
3 de Homine.
4 de Eccleſia.
5 de Salutaribus Dei donis erga Eccleſiam.

I. PRIMVM CAPVT, quod eſt de Deo.

Habet diſtationem tum de

- 1 Deo ipſo, qui, quod ad
  - Eſſentiam, Vnus eſt, vnde explicandum eſt
    - 1 Quid Deus
    - 2 Quis Deus verus
    - 3 Qualis verus Deus, ſeu generalia Dei attributa.
  - Subſiſtendi modum, ſeu perſonas, eſt
    - Trinus, nimirum
      - Pater
      - Filius
      - Spiritus
    - Vnde oritur diſputatio De
      - 1 Diſtinctione perſonarum in diuinis.
      - 2 De Patre, qui idem & Creator dicitur.
      - 3 De Filio, qui idem & Saluator, & Chriſtus eſt. Vbi & de
        - Vtraque Chriſti natura
          - Diuina
          - Humana agitur
        - Vtriuſque in vnam Chriſti perſonam Hypoſtatica vnione.
      - 4 De Spiritu ſancto, qui & Conſolator, & Sanctificator appellatur.
- Dei Cultu, Qui eſt aut
  - Verus,
    - Internus,
    - Externus, & quidem vel
      - Vetus, qualis olim ſub lege, ac veteri teſtamento fuit.
      - Nouus, qualis nunc eſt ſub Euangelio, ac Nouo teſtamento
  - Falſus. Is maximè eſt Idololatria.

Coronidis, & auctarij vice addita eſt diſputatio de vera Confeſſione nominis Dei, quæ, licèt diuini cultus pars ſit, peculiarem tamen tractatum mereri videbatur.

II. CAPVT SECVNDVM, Quod eſt de Angelis.

Continet explicationem tum

- Generalem de Angelica natura, nimirum
  - 1 Quid ſit
  - 2 Qualis ſit
  - 3 Quotuplex ſit.
- Specialem, Nempe de
  - Bonis Angelis
    - Quales ſint
    - Quod eorum officium.
  - Malis Angelis. Quatenus vel appellantur,
    - Diaboli, & à S. Scriptura traduntur.
    - Dæmones, & ab Ethnicis hominibus explicantur, veluti Qualis ſit eorum
      - Scientia,
      - Potentia,
      - Diuinatio,
      - Illuſio,
      - Pœna.

III. CAPVT TERTIVM, quod eſt de Homine.

Habet diſputationem &

- Generalem de Homine, imprimis autem de eius Anima (quà à Brutis Animantibus differt) nempe
  - 1 Quid ſit
  - 2 Qualis ſit
  - 3 Quotuplex.
- Peculiarem de Homine Chriſtiano tractationem. Is autem à Theologo tripliciter conſideratur, nempe vel ex
  - 1 Natura, cuius ratione dicitur ac conſideratur, vel vt Homo
    - Inſtitutus ſeu Primus, & Purus
    - Deſtitutus ſeu lapſus & corruptus
    - Reſtitutus ſeu reformatus.
  - 2 Statu, cuius ratione diſputatur de Hominis tum
    - Vita, & ea vel
      - Corporali
      - Spirituali, quæ ſpectatur, vel in rebus
        - A Deo definitis ipſius verbo.
        - Adiaphoris, ac indifferentibus relictis.
    - Morte, in qua eſt ipſius tum
      - Ægrotatio
      - Sepultura ſpectanda
  - 3 Sorte & Conditione, cuius ratione Chriſtianus Homo eſt, vel
    - Priuatus, nimirum vel
      - Ciuis
      - Dominus
      - Pater
      - Maritus.
    - Magiſtratus, & is quidem vel
      - Inferior
      - Summus.
    - Hic etiam agitur de officio ſubditorum.

IIII. CAPVT QVARTVM, quod eſt de Eccleſia.

Complectitur hæc quattuor capita, nempe De

- 1 Eccleſia ipſa
  - Quid ſit
  - Quotuplex ſit, Eſt enim vel
    - Vera, & hæc etiam vel
      - Inuiſibilis eſt,
      - Viſibilis
    - Falſa
  - Quomodo vera Eccleſia à falſa diſtingui ſecernique poſſit, id eſt, de veris notis eccleſiæ.
- 2 Perſonis, quibus conſtat Eccleſia. Hîc agendum eſt, tum de
  - Capite ipſo eccleſiæ
  - Reliquis eccleſiæ membris, inter quæ ſunt alij
    - Præpoſiti Eccleſiæ, videlicet
      - Paſtores
      - Presbyteri,
      - Diaconi
      - de quorum
        - Electione
        - Officio ſeu munere
        - Depoſitione diſputatur.
    - Non, & ij ex moribus diſtinguuntur. Alij enim
      - Boni, & vera eccleſia membra:
      - Mali, & Hypocritæ dicuntur.
- 3 Doctrina. Eccleſiæ nempe
  - Quæ ſit vera doctrina Eccleſiæ Quotuplex ſit, videlicet
    - Vetus & Nouum teſtamentum, & quæ ſit inter vtrunque tum
      - Conuenientia
      - Differentia.
  - de Traditionibus Humanis, & quæ earum vis in Eccleſia Dei.
- 4 Poteſtate ac auctoritate Eccleſiæ, quæ verſatur vel in
  - Sancienda Politia Eccleſiaſtica, & pro
    - Singulis fidelibus
    - Cœtu ipſo Eccleſiæ. Hîc agetur de Synodis, & earum auctoritate.
  - Iudicandis, ac repurgandis ſcandalis, ac offendiculis. Hæc vel
    - Ligat
    - Soluit
    - Hæc Poteſtas clauium appellatur, quæ &
      - Cenſura
        - Priuata,
        - Publica
      - Excommunicatione vtitur.

V. CAPVT QVINTVM, quod eſt de Salutaribus Dei donis erga Eccleſiam.

Hîc tractatur Primùm generaliter, & de

- Hominum donis erga Eccleſiam. Illa verò ſunt præuilegia quædam conceſſa vel
  - Perſonis
  - Rebus ſeu Bonis Eccleſiaſticis.
- Dei Donis erga Eccleſiam. Illa verò ſunt vel
  - Temporaria, vt donum Miraculorum & cæt.
  - Duratura, quæ & ipſa ſunt aut
    - Terrena, ex qua diſputatione, tanquam ex conſequenti, accidit, vt de afflictionibus Eccleſiæ diſputetur.
    - Salutaria, quæ dantur vel in
      - Hac vita, quæ dona ſunt vel
        - Ipſæ gratiæ, & eæ ipſæ Vel
          - Cauſſæ ſalutis
            - Primariæ
              - Decretum Dei
              - Electio
              - Prædeſtinatio
            - Secundariæ
              - Vocatio
              - Fides
          - Effecta nempe
            - Iuſtificatio
            - Regeneratio, vbi etiam de Pœnitentia agitur.
        - Earum gratiarum ſigna, & ſacramenta
          - Baptiſmus
          - S. Cœna Domini.
      - Futura vita, vti Vita ipſa æterna.